Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala: 12
Estante: 72
Número: 4

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: 4
Estante: 44
Número: 21

Nº 11

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala: 12
Estante: 92
Número: 4

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: 4
Estante: 44
Número: 21

Nº 2 17

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Octauum

DE

FORTITVDINIS, & contrariorum Vitiorum,

AVDACIAE scilicet & TIMIDITATIS, speciebus

QVINQVE LIBRIS differens.

Expurgado.

Por comission de los S.res Inquisidores corregi este libro conforme al expurgat.o de 1640.

Diego de Rivera

Sacram hanc
Humanæ uitæ ancoram
FORTITVDINEM
Quinq. libris OCTAVO Theatri
huius VOLVMINE
delineatam

QVORVM

I. *Generalis conſideratio* FORTITVDINIS *& contrariorum* VITIORVM *inſtituitur.*
II. *Gravitas & Moderatio in rebus Secundis explicatur.*
III. *Fortitudo* DECLINANS *mala proponitur.*
IV. *Fortitudo* PROPVLSANS *mala explicatur.*
V. *Fortitudo* TOLERANS *mala declaratur.*

Cùm magnos magna, fortes
deceant fortia
CRATONIBVS
VRATISLAVIENSIBVS
à Craftheim
IOANNI Aſclepiadæ elegantiſs.
trium AAA. Medico &
Conſiliario
Io. item BAPTISTAE, paternæ glo-
riæ æquiſt. hæredi

THEODORVS ZVINGERVS
conſtantis amicitiæ ergô
D D

TOMI OCTAVI
LIBRORVM
DISPOSITIO.

FORTITVDO inter Ethicas uirtutes, quæ affectuum inſolentiam cohibent, ſplendidiſſima, qua imperia parantur atq; conſeruantur, apud Romanos Virtutis nomen excellenter meruit: à Græcis pari ratione ἀνδρεῖα dicta, quòd uiros maximè deceat. Verſatur autem circa τὰ φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα, circa ea ſcilicet obiecta omnia, quæ motus primos in animo, φόβον ſcilicet & θάῤῥος, excitare, hominemque modò diffidentem, modò confidentem in quotidiana uita reddere poſſunt. Hæc ſi per ſe ſpectentur, uaria ſunt Bona Maláque, Animi, Corporis, Fortunæ ue: ſin reſpectu eius motus, quem animo imprimunt, conueniunt inter ſe, quòd uel confidere faciunt uel diffidere. Hos motus primos recta excipiens Ratio, confidentiam uel diffidentiam confirmat, dirigit, moderatur. Et hæc Moderatio Fortitudinis formam conſtituit in uniuerſum (uti Immoderatio Vitiorum extremorum, Audaciæ ſcilicet & Timiditatis genus eſt) quæ alioqui merito ſubiecti non pauciores admiſſura uideretur ſpecies, quàm Voluptatis moderatio, in Temperantiam, Liberalitatem, Magnanimitatem & conſimiles alias diffuſa. Eius certè differentias Ethici exactè perſequuntur, tum ſingillatim à Forma, quòd Vera alia ſit, alia Adumbrata: à Materia, quòd Propria alia, in ſummis malis eluceſcens, alia Impropria. tum Coniunctim, à Materia ſimul & Forma, quando ſcilicet moderatio perpenditur modò in Vtraque fortuna, modò in Secundis rebus tantùm, modò in Aduerſis. quam quidem Grauitatem appellant, metaphora deſumta ab iis, quæ grauia cum ſint, non facilè loco mouentur, locoque mota, ad ſuum centrum rectà feruntur. Quando uerò Moderatio in ſpecie perpenditur, tunc τὰ θαῤῥαλέα, quia bona ſunt eſſé ue uidentur, duplicem Fortitudinis rationem poſtulant, partim in Amplectendo, partim in Repudiando: τὰ φοβερὰ uerò, quoniam mala, & naturæ inimica, triplicem, nunc Declinando, nunc Abigendo & Propulſando, nunc Perferendo Tolerandoque. In Exemplis digerendis acribologiam ſequi, ob miram actionum humanarum incertitudinem, nec decuit ſemper, nec licuit.

DISPOSITIO.

FORTITVDINIS & cõtrariorũ Vitiorũ cõsideratio instituẽtur

- Generalis *primùm.* LIBRO PRIMO.
- Specialis *Subiecti ratione, nõ propriarũ tãtùm, sed & impropriè dictarũ Specierũ, in õni uitæ, Politica, Oeconomica, Publica, Priuata, Ciuili, Bellica, occurrentium. Ex obiecti diuersitate diuidi posse ac debere uidentur. Aut enim uersantur circa ea obiecta, quæ ex sui natura animum commouere possũt ad*
  - Confidentiam, *Res nimirum bonæ, secundæ, prosperæ: siue illæ à natura insint, siue benignitate aliena concilientur, idq; uel confidẽtè: uel fortuitò.* Παῤῥησία *uniuersim dicta, moderatur* GRAVITAS. *De qua* LIBER SECVNDVS *aget.*
  - Diffidentiam, *Res malæ, aduersæ.* τὸ Φοβερὸν. *Circa has in genere quidem Moderatio sese exerit, quantũ, quomodo, quando, & ubi oportet, Aduersa Declinando, Tolerando, Propulsando: Immoderatio similiter, partim Temeraria, in eo quod est Nimiũ, partim Desperationi similis, in eo, q̃ est Minus. Cæterùm ex Aduersorũ diuersitate, species uariæ Fortitudinis, simul et oppositorũ Vitiorũ emergunt: sic tamen, ut non rarò in unã eandemq; actionem diuersi conatus incidãt, pro diuerso malorum respectu. Nam si quis maius malũm Declinãs, minus malum Tolerare cogatur, duæ iam Fortitudinis species in idem subiectum concurrent. Circa mala igitur, quæ Φόβον, hoc est, Timorem & Diffidentiam in animo hominis excitare possunt, Fortitudo uersatur dupliciter, uel*
    - Εὐεργητικῶς, *quã quis Fortitudinẽ Actiuã appellare posset: quandoquidem diffidẽtiæ occasione animo hominis excitatur ad ea, quæ φοβερὰ sunt, quoniam mala existũt, uel*
      - Nõ *subeũda, sed Declinãda, quã tũ licet decetq;. Quod ipsum uidere posse, uti Prudẽtiæ est: sic Animi impetũ in declinãdo refrænare, ne plus satis declinet, Fortitudinis est* DECLINANTIS, *quæ* LIB. III. *explicabitur.*
      - Subeũda *& propulsanda, quantũ licet atq; decet.* PROPVLSANS *Fortitudo animi confidentiam (τὸ θαρραλέον) in officio cõtinet, ne in eum incendis malis uel in excessu uel in defectu peccet. De qua* LIBRO QVARTO.
    - Παθητικῶς, *& Fortitudo Passiua dici queat, quandoquidem Diffidentiæ occasione animus hominis neq; deijcitur ad Timiditatem, neq; ad Declinationẽ irritã mouetur, neq; ad Propulsationem audacem accenditur: sed duro Necessitatis telo collum submittit, ut mala, quæ nec declinari possunt, nec propulsari, Perferat & toleret* TOLERANTIA *propriè. De qua* LIBER QVINTVS.

LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.

FORTITVDO cum contrariis uitiis in genere penpendenda, quatenus

- Acquiritur. MAGISTRI
  - FORTITVDINIS. Tum
    - Qui:
      - Homines
        - Reges. Duces.
        - Philosophi, *Oratores*, Poetæ.
        - Parentes. Mulieres.
      - Bruta.
    - Quomodo:
      - Legislatione. Institutione. Educatione.
      - Religione. Consilio. Monitione, *Acclamatione.*
      - Dedecore, Pudore. Honore, *Laude.*
      - Historiis, Poesi. Supplicio, Pœnis, Periculo.
      - Spectaculis, Conuersatione.
  - AVDACIAE, IGNAVIAE.
- Possidetur. IN *utraque fortuna prospera uel aduersa, habitus alius est*
  - Laudabilis. GRAVITAS *in utraq; fortuna.*
  - Vituperabilis. IMPOTENTIA
    - Excedens. IN *aduersis nimium fracti, in prosperis plus satis insolentes.*
    - Deficiens. IN *aduersis minus quàm par sit timidi, in prosperis minus quàm deceat confidentes.*
- Exercentur
  - FORTITVDINIS *exercendæ*
    - Occasio: *ut*
      - Amor. Castitas, Pudor.
      - Ira, *Vindicta.* Gaudium.
      - Religio.
    - Modus: *uel*
      - Absque *antagonista.*
      - Cum *antagonista.* CERTAMINA *fortitudinis.*
    - Fructus
      - Dignus.
      - Indignus.
  - AVDACIAE
    - Occasio.
    - Fructus
      - Dignus.
      - Indignus.
  - TIMIDITATIS
    - Occasio.
    - Fructus
      - Dignus.
      - Indignus.

Voluminis Octaui Liber I.

DE FORTITVDINE & contrariis Vitiis in genere.

FORTITVDINIS MAGISTRI ET DISCIPVLI.

QVI.

Consule Tit. Magistri militaris disciplinæ. item Tit. Fortes duces. Quales enim sunt in castris principes, tales quoque reliqui solent esse milites. Et recte Chabrias, Exercitum cornuris ducẽ leonẽ, quàm leonũ ducẽ cornu, formidabiliorem esse dixit. Quinctiam Tit. Ad bellum animare suos, quædam huic loco oportuna suppeditabit.

Reges.

Spartani ante CLEOMENEM Leonidæ F. qui Lycurgi leges reduxit, usque adeò fuerunt degeneres, & ad semetipsos enerues tuendos, ut quinquaginta millia mancipiorum incursantes in Laconiam abduxerint Actoli. Quo tempore senem Spartiatem dixisse memorant, profuisse ipsis hostes, quòd exoneràssent Laconiam. At tempore interposito exiguo, auctore Cleomene, gustantes tantùm ueteres leges, & in uestigium reducti disciplinæ Lycurgi, tanquam præsente illo, & unà tractante rempub. egregium uirtutis documentum & obedientiam erga magistratus præbuerunt, recuperando Lacedæmoni imperio Græciæ, recipiẽdaq; Peloponneso. Plut. in Cleomene.

EVENVS Scotorum rex, ut imperium uirtute stabiliret, adolescentes parcè & duriter à pueritia educari, noctu duro super asserè quiescere, arcu & missilibus, palæstra, atq; cursu exerceri, armisq; assuescere, ab omni auri mechanica arte, quòd ad effeminandos animos facere uideretur, abstinere uoluit. H. Boethius lib. 2.

Duces.

Vide sub loco Stratagematum, Milites suos animare uariis modis.

Cùm Corinthij à Spartanis desciuissent, accedensq; ad muros LYSANDER, Lacedæmonios segnes cerneret ad oppugnationem: lepus autem transsilire fossam esset conspectus: Ecquid pudet uos, inquit, Spartiatę eos formidare hostes, quorum propter ignauiam mœnibus indormiunt lepores? Plut. in Apophtheg.

SEMPRON. Tuditanus, & C. OCTAVIVS, Tribunis mil. omnibus fusis ad Camas, cùm circumsiderentur, suaserunt cõmilitonibus, ut stringerent gladios, & per hostium præsidia erumperent secum: id sibi esse animi, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, affirmantes. Frontinus libro quarto, cap. 5.

De Q. FABIO Maximo sic scribit Silius lib. 10.

--Fabius deforme docebat
Cladibus irasci, uulgumq; arcebat ab ira.
Aduersis etenim frangi non esse uirorum,
Qui Martem inscribant genti, non posse dolores
Condere, & ex pœna solatia poscere luctus.

Philosophi, Oratores, Poetæ.

Secundo bello Messenico, responsum fuit Lacedæmoniis, Delphicum Apollinem de belli exitu consulentibus, ut Atheniensem hominem rerum gerendarum auctorem accerserẽt. Ea res animi dubios tenuit Athenienses. Nam & periculosum nimis fore reip. suæ iudicabant, si Lacedæmonij parte Peloponnesi optima, Messene scilicet, potirentur: & rursus diuinis uocibus non parére nefarium censebãt. Consilium ut in re dubia anceps capiunt. Erat Athenis TYRTÆVS q̃dã ludimagister, qui neq; satis mente ualere credebatur, & aliter claudicabat pede: hunc ad Spartanos misere. Ibi ille modò ciuitatis principes, modò plebẽ proinde ut locus aut tempus tulisset, elegos & anapæstos decantans, quid facto opus esset, edocebat. In pugna ad Apri sepulcrum (qui uicus est Stenicleríj agri) cõmissa ad extremos ordines circumiẽs, suis cohortationibus ad pugnã accendebat. Iam cùm graui clade à Messeniis affecti ad pacem spectarent, eos Tyrtæus de sententia uersibus deduxit, & milites, qui in cohortibus desiderabantur, de Ilotarum seruorum delectu suppleuit. Pausanias in Messenicis. Leonidam proinde Priscum ferunt rogatum, Qui ei Tyrtæus poeta fuisse uideretur? respõdisse, Bonus ad accendendos iuuentutis animos. siquidem quasi afflati carminibus eius ruebãt in prælia. Plut. in Agide & de Compar. anim. At in Laconicis LACONI incerto tribuit.

ZENO Eleates Agrigentum uidens miserabili Phalaridis seruitute obrutum, nec apud tyrannum consilij salubritatem quicquam ualere, ciues ad tyrãnicidium excitauit. Valerius Maximus lib. 3. c. 3.

SPHÆRVS, Zenonis Cittiæi auditor, Cleomenẽ Leonidæ F. uidetur inflammasse ad gloriam, ut Agidis uestigia secutus, cuius uxorem duxerat, Ephoros interfecerit, & æqualitatem à Lycurgo introductam Spartam reduxerit. Plutarchus in Agide.

Vbi Panegyricæ orationis, quam ISOCRATES Græcis exhibuit, fama in Macedoniam peruenit, primùm quidem Philippum aduersus Asiam extimulauit: illo uerò mortuo, Alexandrum filium eius, hæredem paternæ uirtutis, ad bellum susceptum conficiẽdum adhortata est. Sabellicus lib. 1. cap. 6. Exemplorum.

Dionysius tyrannus Corinthi exulans, cuidã insultanti ob exilium, & interroganti, Quémnam ex PLATONIS sapientia cepisset fructum? Nihil ne (inquiens) tibi prouectus uidemur à Platone assecuti, qui ita uices feramus fortunæ? Plut. in Timoleonte.

ANTIOCHVS Cilix, Cynicam sectam præ se ferens, ea re militibus plurimum in bello profuit. Nam eos magno gelu afflictos confirmabat, in niuem se abiiciens, ibiq; uolutans. Vnde & opes & honores à Seuero & Antonino est consecutus. Suidas, & Dion.

Parentes.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cũ filium uideret præcipitantiùs & inconsideratiùs pugnantem cum Atheniensib. ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες, ἢ τοῦ φρονήματος ὕφες, id est, Aut adde uiribus, aut detrahe animo, inquit. Plut. in Laconicis.

Mulieres.

☞ *Vide Tit. Mulieres bellicosæ, quatenus uel exemplo uel oratione etiam sua animant uiros.*

Persæ cũ Medis prælium cõmittebant, duce Cyro. Satrapa Cyri Ocbares fugam incepit, & quantũ is præibat, omnes Persæ sequebantur. Tum PERSIDES fugientib. obuiã processerunt, sublatis tunicis: &, Quò, inquiunt, contenditis? Vnde egressi estis, eò introire rursus uultis? Hæc mulierum uerba pudorem attulerũt Persis. Itaq; reuersi ad pugnã, Medos in fugam conuerterunt. Polyænus lib. 6.

LACÆNA claudum filium ad aciem prosequens, Inter eundum, fili, inquit, uirtutis memento. Plut. in Lacænarũ apoph.

ALTERA tradens scutum filio: Hoc, inquit, pater tibi semper seruauit: quare tu quoq; id serua, aut noli uiuere. Ibidem.

TERTIA porrigens filio scutum: Aut hoc, inquit, fili, aut in hoc. ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Ibidem. Quod sic expressit Ausonius:

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

LACÆNA dicenti filio, Paruum gladium sibi esse: Adde, inquit, gradum. Plut.

LACÆNA quædam, cùm fugiẽtes ex prælio filij ad ipsam rediissent: Quò, inquit, recurritis fugitiui, improba mancipia? num huc, unde emigrastis, subituri? detectumq; monstrauit eis uentrem. Plut. in Lacænarum apophtheg.

Cùm memoraret Laco quidam MATRI strenuum fratris obitum: An non fœdum, inquit, est ab eo comitatu te excidisse? Idem.

In feminis Græcis solas CORINTHIAS præclarum illud ac diuinum uotum fecisse, ut uiris desiderium Venus dimicandi cum barbaris infunderet, testatus est Simonides epigrammate inciso simulacris æreis, in templo Veneris positis, quæ sacrasse ferunt Medeam, uel uiro orbatam, uel ut reuocaret à Thetidis amore Venus Iasonem. Epigrãma hoc est:

Pro Græcis positæ hæc ualidis & ciuibus ampla
Sunt, quæ diuinæ uota dedere Cypri.
Quippe sagittiferæ Veneris causa haud uoluere
Arcem Graiorum prodere barbariæ.

Plutarchus de Herod. malign.

Childebertus Mediomatricum rex, Burgundionum Austrasianorumq; coacto exercitu in Suessionũ, qui in Clotarij adhuc pueri fide erant, finibus castra posuit. Dux Clotariani exercitus erat Landricus Magister equitũ, cuius opera Chilpericum Fredegundis uxor occidi curarat. Sed uiriles animos gerens FREDEGVNDIS Clotarij mater, ordines ipsa circumibat, circumferensq; puerum filium regem, illum eorum fidei uirtutique commendabat: pueritiam eius contemtui esse, quasi exercitus sine suo rege, & rex sine fido milite foret: ostenderent, reges Francorum Burgundionibus Austrasianisque inuictos esse, non ætatis flore, roboréue ullo suo, sed nominis ipsius maiestate, suorumque armis. Tantum ardorem animis & ætas regis, & uox feminæ militaris uisa subdidit, ut collatis signis ad uiginti millia hostiũ Franci interemerint, paucis suorum desideratis. Vulgus scriptorum tradit, ipsam Fredegundem copiarum ducem iter sub noctem ingressam, equorum collo crepitaculis suspẽsis, tinnientis ac pascentis temerè armenti speciem præbuisse: cũque hosti appropinquaret, frondosis ramis ab antesignanis prælatis, quod syluæ instar, ubi iumenta pasci uiderentur, procul uisentes falleret, manè hostem incautum oppressisse. Propius fidem est, Burgundiones Austrasianosque, quòd Francorum dux femina esset, ac puer rex, nimia uirium suarum fiducia, & contemtione hostium, per negligentiam apparatum belli, ardoremq; pugnandi remisisse, atq; ideò facilè oppressos. Aemilius lib. 1.

Hundingus Sueciæ & Noruegiæ rex, ex prima coniuge sustulit Regnerum atq; Toraldum. Ea mortua, filiis nouercam superinduxit: quæ illos mortuo rege ablegauit ad pastores. SVANITA, Haddingi Danorum regis Hundingo amicissimi filia, ad eos profecta, ad maiorem natu Regnerũ inquit, Accipe gladium iniuriæ ultorem, & uirũ te memineris: tuæ reductionis præmium non aliud paciscor, quàm legitimas nuptias. Ergo Regnerus auctus breui uiribus, paternam ditionem cæsa nouerca recuperauit, & ex Suanita filiũ procreauit Hotbrodum, paterni regni successorem. Cranzius libro 1. Succiæ, c. 17.

Cùm Iacobus II. Scotorum rex, in oppugnatione Roxburgi arcis Anglicanæ tormenti fracti ictu periisset, MARIA regina, Ducis Gelriæ filia, assumto properè paruulo filio (septimum enim annum agebat) in castra contendit, suiq; sexus oblita, duces regis casu perterritos ad obsidionem persequendam animauit. Nec diu pòst deditionem hostes fecere. H. Boëthius lib. 18.

Ataidius Lusitanus, Emmanuelis regis præfectus in urbe Azamora, Arabes ex improuiso aggressus fudit. Cùm uerò Marochio quatuor passuum millibus abesset, Rahus Benxamutius dux Arabum fortissimus, cũ septuaginta equitibus primùm, deinde cum multis aliis, qui ad opem illius conuenerant, castris obequitauit. Tum Arabas cum Lusitanis fœderatos nominatim compellans, admonuit, ut religionis memores, eius uiolationem Lusitanorum sanguine expiarent. Lusitani eo ordine, quo instructi fuerant, progrediebantur. Fœderati nullũ responsum dabant, imò cũ præda ad primũ agmen se cõferebant, ut à periculo longiùs abessent. Vxor quædã illius, HOTA nomine, singulari pulcritudine femina, quã is perditè amabat, capta ferebatur, quę illũ nominatim inclamauit. Is continuò substitit. Illa à ducib. facultatem postulauit cũ uiro colloquẽdi. Cùm id impetrasset, Rahe, inquit, Benxamutie, quoties mihi dixisti, te, ne me captiuã duci conspiceres, maximũ uitę discrimen aditurũ? Captiuã modò duci uides, & id tamen pateris? Is ad hæc, Dies, inquit, lõga est: uictoria in numinis diuini beneficio, uirtus in brachij mei robore consistit. Illa uerò puluerẽ manu in altũ proiecitum addidit, Verborũ tuorũ fidem aura dispellit. Is sibi continuò calceum detraxit, eũq; in illam cõiecit. Quo signo more gentis, se fidem minimè uiolaturum, confirmauit. Deinde ad equites suos conuersus, multa cũ lacrymis & luctu disserens, eos ad certamẽ incitauit, & in agmen postremum inuectus, prælium atrocissimum iniuit, ita ut Lusitani illius impetum ægrè sustinerent. Ataidius sic hostes sustinebat, ut ordinẽ minimè perturbari permitteret: ita deinde agmen cogebat, ut interdũ esset opus, acie conuersa in hostes impetum dare. Hoc cùm nõ semel fieret, Rahus guttur illius nudatum (lorica namq; ea parte dissoluta fuerat) pilo maxima ui coniecto transfixit: & ita uir egregiè fortis, qui tã multas clades hostibus intulerat, uno ictu concidit. Mauri fœderati, cũ hostibus se, ut Rahus admonuerat, coniunxerunt, ut tantæ prædæ participes fierent. Itaq; Lusitani fermè omnes aut cæsi, aut capti sunt. Rahus cum insigni uictoria & decore, & maxima præda, & quod ille rebus omnibus anteferebat, cum uxore carissima discessit, ita ut eum omnes admirarentur, & uirtutem illius in cœlum laudibus efferrẽt. Vxor tamen illi amoris gratiam exẽplo memorabili retulit. Nam post hanc uictoriã, cùm Xerifius cum Fessę Rege præliũ cõmisisset, Rahus ab hoste, quem fugiẽtem persequebatur, occisus fuit. hostis enim conuersus, equo concitato, Rahũ hasta transfixit. Hota uiri funus cum multis lacrymis & eiulatu procurauit, & corpus illius in sepulcrum magnis sumtib. extructũ intulit. Deinde nouem se diebus à cibo & potu cõtinuit: & sic tandẽ spiritũ edidit: & suis mandatũ dedit, ut se cum uiro sepelirent. Osorius lib. 10. rerum Em.

Cùm Veneti circa annum Salutis 1471. Attaliam Pamphyliæ urbem oppugnarent, ferunt medio certamine FEMINAM Illyrici generis, quę diu inter Barbaros seruiuerat, ex superiore parte clamoribus, nutu, hortatione, Christianos iuuare ausam: quum ex proximis quidam ei flagra minaretur, composita priùs ueste summo muro desiluisse, moxq; suo pondere solo afflictam, inter suorum complexus expirasse. Sab. lib. 9. Dec. 3.

Bruta.

DAVID pastor & puer etiamnum, Leonem & Vrsum greges patris inuadentes inermis interfecit. Eoq; deinceps argumẽto à brutis ad hominem brutum traducto, cum Goliatho Philistæo congressus, dedecus Israëlitarũ funda sua deleuit.

Sinopensis DIOGENES, ut ad philosophiam appulit, cùm solenni quodam spectaculo conuiuia inter se agitantes in lasciuiam & ludos nocturnos soluti essent Athenienses, in angulo fori contrahens se, tanquam somnũ capturus, in cogitationes incidit, quæ grauiter eum exagitarunt: quòd nulla necessitate in ærumnosam & tristem uitam se demittens, bonis semetipse cunctis orbasset. Hic cùm mus arrepens offæ eius micas captaret, uelut castigans se reprehendensq;. Hunc cõuiuio accipiunt reliquiæ tuæ, Diogenes, & tu ægrè fers, quòd non accumbẽs in mollibus & pictis stragulis ingurgites te temeto? Plut. de Virtutis prouectu.

BRASIDAS cùm murem in carycis cepisset, morsusq; ab eo, dimisisset: Papæ, inquit apud se, ut nihil est adeò pusillum uel debile, quod non uicturum sit, si se ab iniuria defendere audeat. Idem.

PYRRHONEM ferunt, cùm nauigaret, & periculosa tempestate iactaretur, porcellum monstrasse, qui obiecto hordeo oblectaret se, ac dixisse familiaribus: Qui à reb. fortuitis cõturbari nollet, ei ex doctrina & philosophia eiuscemodi cõparandam indolentiam esse. Ibidem.

ELIEZES, Barizæ Ianizarorum ducis F. cũ Biteze Pannonio singulari certamine congredi ausus, Leporem fortitudinis huiusce monitorem se habuisse, Amurathi Turcorũ Imp. affirmauit. Vide Tit. Fortitudo contra hostes in Monomachia Victoriæ causa.

---

30. QVOMODO. NEMPE

Legislatione.

CHRISTVS ad seruandam patientiam nos compellit, dicẽs: Ab eo, qui aufert tibi uestimentum, etiam tunicam noli ꝓhibere: qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. Noli prohibere, inquit, ne scilicet prohibendo magis irrites raptorem, & illum ad necem tui accendas, cui ne rem auferat obsistis, atque ita & tibi maioris damni, & illi grauioris peccati causa fias. Idcirco etiam oblata postea repeti Dominus uetat, ut potiùs patientia sustinendo uiolentum usurpatorem ad miserandum prouoces, quàm ulla repetẽdi molestia ad iram. Marulus lib. 5. c. 3.

Cretum leges, à MINOE traditæ, inquit Cicero, itemq; Spartanorum à LYCVRGO, laboribus erudiunt iuuentutẽ, uenando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuãdo. Lycurgo certè legibus suis id effecit, ut honestam mortem Lacedæmonij omnes turpi uitæ longè anteponerent. Xenophon in Laconum republica.

THEBANI legislatores Sacræ cohortis institutione suorum fortitudinem accenderunt. Plut. in Pelopida.

FROTHO III. Danorum rex edixit, ut quisquis militiæ deditus, spectatæ uirtutis titulum affectaret, impeteret unũ, exciperet duos, tres modica pedis retractione uitaret, quatuor fugere non erubesceret. Saxo lib. 5.

Institutione.

☞ *Vide paulo antè, Philosophi doctores fortitudinis.*

Adolescentulus quidã ERETRIEVS Zenonis scholam literarum causa longo tẽpore frequẽtauerat. Reuersum pater interrogauit, Quid nã sapientiæ didicisset? Qui cũ se ostensurũ dixisset, indignatus pater, uerbera ipsi inflixit. At ille modestè patienterq; ferens, Hoc ipsum (inquit) didici, ut irã patris moderatè feram. Aelianus de Var. hist. lib. 9.

AEDESIVS Cappadox mercaturæ causa in Græciam à patre ablegatus, philosophiã amplexatus est. Pater reuertentẽ, ut inutilem domo exegit, his uerbis, Ecquid tandẽ emolumenti affert philosophia? Tum ille conuersus, Hoc ipsum, inquit, & supplex ad genua patri accidẽs, furorem illius mitigauit. Eunapius in Sophistis.

Educatione, Assuetudine.

Nato Sesostri, PATER eius, Aegyptiorũ rex, ex tota Aegypto omnibus, qui eodẽ die, quo filius, nati erant infantib. cõgregatis (qui fuêre ampliùs mille septingenti) nutriri, educari, ac omnes eadẽ disciplina exercitioq; erudiri fecit: existimãs hoc pacto simul educatos atq; instructos, tũ amiciores inuicẽ, tum audentiores melioresq; in bello fore. Hos continuò usu ad malorum patientiã exercebat. Non enim licebat alicui cibum, priusquã cursu centum octoginta stadia cõfecisset, capere: quo exercitio omnes uiri euaserunt & robusto corpore, & animo præstantes. Primùm Sesostris in Arabiã, cum eorum, qui simul nutriti erant exercitu à patre missus, assuetusq; uenatui, ac cibi potusq; abstinentiæ, omnẽ eam gentẽ subegit, liberam antea, & seruitio insuetam. Deinde in Libyam profectus, maiorem eius partem in ditionẽ adhuc adolescentior redegit. Defuncto patri cùm in regno successisset, rebus à se gestis elatus, adiecit animum ad imperiũ orbis. Diod. lib. 1. c. 4.

Nobiles ac fortunati pueri apud ANTIQVOS impositi arietib. primũ equitare discebãt, ut artẽ necessariam sibi (quę tamen periculi multũ rudibus afferret, si in equis tractaretur) illo pacto attingerent ac degustarent. Id autẽ ueteres grammatici apud Hesychiũ putarunt significare etiam potuisse Homerum, cùm ἐπιβώτορα μήλων cecinit in 13. lib. Odysseæ:

- σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
ἀνδρὶ δέμας ἐϊκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων
παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.

Eustathius minùs aptè pastorẽ ouium interpretatur, quòd heroum ætate regij liberi greges pascere solerent. Victorius lib. 8. Var. lect. cap. 9.

LVCANI liberos suos à prima statim infantia ueste & ministerio seruili, in duritie, & summa frugalitate educabant in syluis: quibus præda uenatica erat cibus, potus uerò fontis liquor. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25.

Exposuit diligenter Virgilius instituta priscorum LATINORVM, & qua disciplina imbuere pueros suos illi solerent cõmemorauit: finem autem illa omnis habebat fortitudinẽ militarem, & scientiam rerum bellicarum. Vnde poëta idem fecit alio in loco eius gentis hominẽ magnificè illa prædicantem, ut hostibus metum incuteret. Prius autem inquit;

Ante urbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantq; in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent.

Victorius lib. 30. Var. lect. c. 6.

Eadẽ studia fuêre TROIANORVM, ut ex Euripidis loco intelligitur in fabula, q̃ à captiuis Troianis feminis inscribitur.

SPARTANI filios suos ephebos ex Lycurgi instituto in Ephebæo campo dicto, qui euripo undique cingebatur, insulæ instar, in ipsis ferè Therapnes urbanis exercebant. Vtraq; epheborum classis Marti Enyalio caninũ catulum mactat. Committunt inde ad pugnam apros cicures duos. Mox ita pugnant inter se, ut in festis manibus & calcibus insiltent, morsibus etiam corpora fœdent, & oculos hi plerunque illis eruant, atque totis agminibus impressionem faciendo, una acies alteram in aquam detrudere contendat. Pausanias in Laconicis.

Postquam biberunt LACONES in conuiuiis mediocriter, domũ se sine face recipiunt. Neq; enim permittitur neq; tunc, neq; aliàs ad lumen incedere: quò discant in tenebris & nocte fidenter commeare & intrepidè. Plut. in Institutis Laconicis, & in Lycurgo.

HONORII Imp. institutionem probam Claudianus libro 3. explicat:

Mox ubi firmasti recto uestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole uires.
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Aestiuum tolerare iubar, transnare sonoras
Torrentum furias, adscensu uincere montes,
Planitiem cursu, ualles & concaua saltu,
Nec non in clypeo uigiles perducere noctes,
In galea portare niues, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.

Hic mos apud omnes RVTHENOS & MOSCHOVITAS quotãnis certis diebus obseruatur. Adolescẽtes pueri, plurimiq; uiri uxorati, extra ciuitatẽ pagũmue in locũ amplũ & eminentiorẽ confluunt, unde ab hominũ congregatione ui deantur, ibiq; quibusdã sibilis & uociferationib. (secundũ gentis morẽ) signo dato cõcurrunt, manusq; absq; ullo armorum genere conferunt, certamẽ pugnis, pedibus, magno cum impetu faciem, pectus, uentrem & genitalia utrinque percutiẽtes ineunt, sæpeq; inde semiuiui, plerunq; etiã mortui exportantur. Guagninus in descriptione Moschouię, c 4.

Religione.

Galli olim DRVIDARVM institutione de immortalitate animorũ persuasi, ad mortẽ, cùm aliàs, tum præsertim in bello obeundam, tanquã æternitatis ianuam, inflammabantur.

Charillus rogãti, Cur deorũ signa armata omnia apud SPARTANOS posita sint? Ne probra, inquit, quib. homines proscinduntur ob ignauiã, in deos conferamus: neq; iuuentus deos inermis precetur. Plut. in Apophtheg.

Occa Anglorum rex, in societatem pertracto Lotho Pictorum rege, contra Vterũ Britanniæ regem, nouis ex Germania copiis auctus, exercitum ducebat. In castris erant pontifices duo, D. GERMANVS & Seuerus, è Gallia euocati, ad ethnicismum & Pelagianismum extirpandum. Ipso Paschatis die Occa sacris operantes aggrediebatur. Lota baptismo exercitus pars, aduersus Christiani nominis hostes procedebat, Germanus se sacerdotibus inermibus primæ aciei ducem profitebatur, omnes admonens, uoci suæ uno clamore responderent. Appropinquantibus hostibus, Alleluia ter repetitum, sacerdotes exclamant. Sequitur unus clamor omnium: repercussoq; aëre, cùm ex montibus cauernosis uehementer multiplicatus redderetur, hostile agmen, ac si cœlũ rueret, terrore prosternitur. Passim fugiunt, arma proiiciũt, gaudentes uel nuda se corpora tanto eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites, uicinum flumen deuorauit, H. Boethius lib. 9.

Expurgata ab idolis Polonia, anno DCCCCLXV. MIECISLAVS I. princeps, ad euidentius signum Christianitatis instituit, ut infra officium Missæ, dum Euangelium prælegeretur, singuli uirorũ ad mediũ gladii enses è uaginis depromerent, quo testarentur, se propter Euangelium Christi ad mortem usque certare paratos esse. Guagninus in uitis regum Polonorum.

Consilio.

PELOPIDAS Thebanus, quamuis captiuus, Theben, Iasonis filiam, ad occidendum Alexandrũ Pheręum tyrannum, maritum eius, instruxit. Plutarchus in Pelopida.

APPIVS CLAVDIVS, uicto ad Sirin amnem Leuino Coss. magna strage à Pyrrho, Epirotarũ rege, cùm Pyrrhus Cineã legatum ad Rom. misisset, exploratum, ad pacémne animi ipsorum inclinarent: quum cæcus esset & decrepitus, lectica deportatus in curiam, Romanos à pace cum Pyrrho dehortatus, & ad bellum fortiter gerendum hortatus est. Plutarchus in Pyrrho.

Monitione, Acclamatione.

☞ *Vide Tit. Milites suos animare Adhortatione.*

Cùm Apollo serpentem Pythonem sagittis aggrederetur, LATONA mater, supra saxum confugiens, filium hortabatur, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, id est, Cæde fili. Eam uocem Delphi quoque iterabant, ut puero animum adderent: & hinc primum carmen hexametrum ex sex spondeis factũ, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν. Nam syllaba αν ad imitationem uocis è longinquo factæ adiecta uidetur. Victo dein serpente, iidem præ lætitia canere cœpere, ἰὼ παιάν, ἰὼ παιάν, ἰὼ παιάν. Terẽtianus, & Clearchus Solensis, Gyraldus Dialogo 2. de Poëtis.

CLEOMENES, Leonidę F. cum quinque millibus Spartanorum, XXM Achæorum occurrẽs, commonuit suos ueteris cuiuspiã regis, qui dixerat, Nunquã quęrere Lacedęmonios de hostibus, quot essent, sed ubi essent. Plut. in Cleomene.

Amyntas Macedo, ab accolis finitimisque Barbaris uictus, regnum perdiderat, statuebatque regionem etiam in uniuersum relinquere, tantùm ut uitam seruare posset. Verùm CY-

IVSDAM dicto monitus, non cedendum tyrannide, nisi pedibus quis extrahatur, collectis militibus recuperauit imperium. Aelianus lib. 4. de Varia hist.

Dionysius tyrannus à Carthaginensib. pressus fugã meditabatur. Verùm cũ ex familiarib. quidã HELLOPIDAS nomine diceret, O Dionysi, quàm speciosum sepulcrũ est ipsa tyrannis? pudore suffusus, animũ recepit, & cũ paucissimis multa hostium millia superauit. Idem, & Plut.

CATO maior cohortans adolescẽtes, ut audacter pugnarẽt, subinde addebat, Sermonẽ citius quàm ferrũ, ac uocẽ quàm manum emollire & obstupefacere hostẽ. Plut. in Apophth.

Dedecore, Pudore.

☞ *Vide Tit. Milites animare Pudore.*

Honore, Laude.

Apud CATTOS Germaniæ populos, nefas erat barbã ponere, aut capillũ secare, aut alio modo exornari, nisi ex prælio occisi à se hostis caput retulissent. Fulg. lib. 2. c. 1. ex Tacito.

MACEDONES in more habẽt, ut nullus discumbat inter cõuiuas, nisi extra retia aprũ interfecerit. Athenæus lib. 1. c. 11.

Historiis, Poesi.

LACEDÆMONII, etsi à poëticis studiis alieni erãt, lege tamẽ cõstituerãt, ut quoties cũ hostib. dimicaturus in procinctu constitisset exercitus, cõuocarẽtur milites in tabernaculũ regiũ: ibiq; audiẽdis Tyrtęi carminibus ad spernendã pro patria uitam incitarentur. Muretus lib. 6. Var. lect. c. 6.

Apud SPARTANOS erat orationis gen' simplex & affectatũ, nihil habẽs molle ac delicatũ: nec in aliis uersabat' argumentis, quàm uel in laudib. eorum, qui fortiter ac generosè uitã exegissent, quiq; pro Sparta occubuissent, & ob id ab omnib. ut beati celebrabantur; uel in uituperandis his, qui metu periculorũ nihil egregij gessissent, & qui ob ignauiã à morte cruciabilẽ infelicemq; uitã uiuerent: uel in pollicitatione, per gloriæ studiũ accendẽre animos ad uirtutem; ad cuiusq; ætatem accõmodata. Itaq; tres erant apud illos chori, iuxta triplex ætatum discrimen: quib. in festis simul constitutis, Senum chorus incipiens canebat:

ἄμμες πότ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι.
Nos quondam eramus inclyti bello uiri.

Iuuenum uerò chorus succinebat:

ἄμμες δέ γ' εἰμὲν αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο.
Nos ij sumus: fac, si uelis, periculum.

Puerorum, denique sequebatur:

ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.
Nos fortitudine plurimùm præstabimus.

Rectè nimirum atq; ordine legislator propinqua domesticaq; exẽpla iuuentuti per ipsos ob oculos posuit auctores. Plut. de Laude suiipsius, & in Laconicis.

Bello piratico contra Rugianos à Danis suscepto, LVCAS Christophori Valdemari Danorũ regis F. scriba, natione Britannus, literis quidẽ tenuiter instructus, sed historiarũ scientia apprimè eruditus: cùm fractos Danorũ animos uideret ob aduersam pugnam, memoratis ueterũ uirtutibus, eos ad exigendam ultionem concitauit. Saxo lib. 14.

Supplicio, Pœnis, Periculo.

Apud ORDACOS, Albionis incolas, latrociniis uictitantes, si quis militiam detrectasset, uel in acie terga uertisset, ab uxore necabatur. Qui uiuus in hostiũ uenisset manus, domũ reuersus, uxoribus (quod etiã Dacis in more erat) tamdiu seruiebat, donec egregio facinore contractam deleuisset ignominiam. H. Boethius lib. 1.

TEMPLARII milites, ut aut uincere aut mori in bellis cõtra Saracenos discerẽt, si fortè caperẽtur, solo cingulo & cultello redimebantur. Sigeberti continuator.

Spectaculis.

De Gladiatoriorum ludorũ origine & causa, Iulius Capitolinus in uita Maximi & Balbini hæc cõmemorat. Multi dicũt, apud ueteres ROM. hãc deuotionẽ cõtra hostes factã, ut ciuium sanguine litato, specie pugnarũ, se Nemesis, id est, uis quædã fortunæ, satiaret. Alij hoc literis tradunt, quod uerisimilius credo, ituros ad bellũ Romanos debuisse pugnas uidere, & uulnera, & ferrũ, & nudas inter se cohortes, ne dimicãtes in bello armatos hostes timerẽt, aut uulnera & sanguinẽ perhorrescerẽt. Hinc mos tractus uidetur, ut Imperatores ad bellũ proficiscentes munus darent gladiatorũ.

Conuersatione.

Impetrauit ab Athanasio urbis antistite ALEXANDRINA mulier tam diues quàm nobilis, ut ex uiduis, quæ ecclesiæ sumtu alebãtur, daretur sibi una aliqua alenda. Data est illi mulier, miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctũ est matronæ studiũ in pauperes. Poposcit sibi alterã dari. Casu an consilio, non facilè dixerim, data est peruicax & inhumana mulier: ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua uerbera reportaret, gratias egit Athanasio, quòd talem dedisset, per quam ad patientiæ cultum exerceretur. Sab. lib. 9. c. 1.

AVDACIAE, TEMERITATIS MAGISTRI.

Cãpanis à Rom. grauiter obsessis, cùm de legatis in castra ad Rom. duces mittendis agerent: VIBIVS Virius, defectionis ad Pœnos auctor, dicere sententiam iussus, Expedire affirmauit sibi & aliis, uoluntariam mortẽ occumbere, quàm in hostium potestatẽ redactos, per uarios & exquisitos cruciatus extinctũ iri. Paratæ sunt, inquit, apud me epulæ, quibus si qui mecũ se imminentibus malis subtrahere uolent; adhibebo: poculum postremò omnib. circũferetur: ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis eripiet. Hæc unà uia & honesta & libera ad mortem: & ipsi uirtutem admirabũtur hostes, & Hãnibal fortes à se socios desertos adhuc magis dolebit. His dictis septẽ fermè & XX cũ eo curia egressi, mentib. uino & epulis alienatis, uenenũ ordine hauserũt, nocteq; proxima omnes extincti sunt. Sab. lib. 4. En. 4.

ELEAZARVS sicariorum dux, in arce Massada à Fl. Sylua Syriæ præside obsessus, Iudæos ad mutuam cædem potius, quàm ut Rom. uictores ferrent, hortatus est. Iosephus libro 7. cap. 28. belli Iud.

TIMIDITATIS, IGNAVIAE MAGISTRI.

Lacones poëtam ARCHILOCHVM, cùm Lacedæmonem commeasset, eadem hora expulerunt: quòd satius esse arma proiicere quàm occumbere scripsisse eum in poëmate cognouissent.

Vir Saius clypeo quidam nunc gaudet, ego quem
Egregium dumis, cùm fugerem, occului,
Dulcem conseruans animam. Malè perditus ille
Sit, mihi forsan eo pòst melior dabitur.

Plutarchus in institutis Laconicis.

PHRYNICHVS Tragicus, cùm Miletum à Persis euersam lugubri & planè effeminato carmine in scenam produxisset: ab Atheniensibus multatus, & in exilium eiectus est, quòd populi animos miserabili spectaculo & oratione emollire conatus esset. Hinc prouerbium natum, Vesparum examen metuit Phrynichus, uelut gallus gallinaceus. Aelianus lib. 13. de Varia historia.

CLEOPATRA regina M. Antonium magnũ illũ imperatorẽ dubio adhuc marte cũ Augusto ad Actium pugnantem, suo exemplo ad turpissimam fugam incitauit. Conspecta enim fuga Cleopatræ, desertis illis, qui pro ipso certabant, quinquiremem conscendens, insecutus est eam. Plutarchus in Antonij uita.

GRAVITAS ET MODERATIO IN VTRAQVE FORTVNA.

❧ *Grauitas duplex esse uidetur: altera Interna, altera Externa. Interna animi Grauitas non mouetur ab iis, quæ hominem à mentis tranquillitate possunt deijcere: eademq; Generatim quamlibet uirtutem ethicã cõprehendit, secundùm quam rectæ rationi appetitus paret. Respectu proinde Rationis, quã in sua sede conseruat,* σεμνότης *dicitur,* ἐν σεαυτῷ μένειν ποιοῦσα: *respectu uerò Appetitus, qui non potest rationem deijcere,* βαρύτης *appellatur, metaphora à grauibus sumta corporibus, quæ non facilè loco mouentur. Verùm in specie, Grauitatis est & moderationis, non moueri ab Vtilibus, & confidentiam excitantibus: quæ quidem Grauitas ad Fortitudinem spectat, de qua nũc agimus: non moueri item Iucundis, quæ uoluptatem afferunt uel Corpori (& hæc Grauitas propria est Temperantiæ) uel Animo, tum* παθητικῶς; *sic Voluptatem affert externa Opulentia (& Grauitas ista ad Liberalitatem pertinet) item Gloria (quæ ad Honoris studium referenda est) tum* ἐνεργητικῶς, *in conuersatione quotidiana* μετ' ὀργῆς *(quæ Grauitas Clementiæ propria est) &* ἄνευ ὀργῆς, *respectu quidem Rerum (in Veritate amplectenda Grauitas) respectu uerò Personarum, Grauitas: tum Popularis, tum Vrbana. Iam uerò Externa Grauitas ad Corporis mores refertur: in quibus tanquam in speculo animi affectus elucescunt. Sic quælibet uirtus suos uidetur habere mores externos, quorum moderatio* σεμνότητα, *immoderatio* βαρύτητα *uidetur constituere apud Aristotelem lib. 2. Rhetoricorum. maximè tamen in Magnanimitate, Veritatis studio, Popularitate & Vrbanitate mores isti elucescunt: sic ut ex iis homines magnanimos, superbos, populares, urbanos, uel ecõtrà denominemus. Ergo non de qualibet Grauitate, sed de Interna tãtùm animi Confidentiam iis, quæ utilia sunt & inutilia, & catenus uel* θαῤῥαλέα *uel* φοβερὰ *euadunt, occupata, in præsens agimus. Consule Tit. Affectibus animi non obnoxij. Illic solius primi motus ratio habetur, hic secundi, quando ratio appetitum moderatur.*

MARIA, mater Domini, benedicta semper uirgo, in omni uita constantissima fuit. Primò quidem in continẽdo gaudium, quod habuit de filij conceptione, natiuitate, Magorum adoratione, & ipsius educatione, prædicatione, miraculorum operatione, resurrectione: rursum, sustinendo dolorem, quẽ passa fuit in ipsius filij passione.

ARISTIPPVS neq; præteritorum memoria, neq; futurorum cura aut spe mouebatur: animum in diem intendebat, id tãtùm, quod præsens est, in nostra manu positum esse dictitãs: ut Aelianus libro 14. Var. hist. refert. De eo sic Horatius in primo Epistolarum:

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res,
Tentantem maiora, ferè præsentibus æquum.

SOCRATES Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, eũdem in utraq; fortuna uultum semper retinuit.

Neq; ridentem neq; plorantem quisquam Atheniensiũ temerè PHOCIONEM uidit, neq; in balneo publico lauãtem, ut tradit Duris: neq; extra pallium, cùm amictus esset, manũ eius exertam. Plut. in Phocione.

HIRCANVS Iudæorum rex & pontifex, quòd esset miti ingenio, toto uitæ suæ tempore nullis se admiscuit negotiis, omnia fortunæ permittẽs, & quæcunq; illa conditionẽ attulisset, ea bene contentus. Iosephus lib. 15. c. 9. Antiq.

P. RVTILIVS magis ordinũ dissensione, quàm ulla culpa sua reus factus, nec obsoletã uestẽ induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicũ manus tetẽdit, nec dixit quicquã splendore præteritorũ annorũ humilius: effecitq; hoc aliàs, ut periculum hoc, non impedimentum grauitatis eius esset, sed experimentum. Atq; etiam cùm ei reditum in patriam Syllana uictoria præstaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remansit. Valerius lib. 6. c. 4.

Numidicus METELLVS populari factione patria pulsus, in Asiã secessit: in qua cùm ei fortè ludos Trallibus spectanti literæ reddite essent, quib. scriptum erat, Maximo Senatus & Populi consensu reditum illi in urbem datum: nõ è theatro priùs abiit, quàm spectaculum ederetur. Non lętitiam suam proximè sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summũ gaudium intra se continuit. Eundem constat pari uultu & exulem fuisse, & restitutum: adeò moderationis beneficio, medius semper inter secundas & aduersas res animi firmitate uersatus est. Val. lib. 4. c. 1.

Q. SERTORIVM ducem fortiss. perhibent, neq; lætitiæ neq; timori patuisse, in utraq; pariter fortuna eodem habitu semper constitisse. Plutarchus.

Scribit Sex. Aurelius, M. ANTONINVM imperatorẽ ab uitæ initio tranquillum fuisse adeò, ut ab infantia uultũ nec gaudio mutarit, nec mœrore, philosophiæ studens, ac literis imbutus Græcis. Cælius lib. 23. c. 24. A. L.

HENRICVS VII. Imp. ea fuit animi tranquillitate, ut nulla unquam prosperitate efferretur, nulla deiiceretur aduersitate, quanquam plures quotidie experiretur aduersitates. Cuspinianus.

ROBERTVS Brusius, I. Scotorũ rex, utramq; expertus fortunã, amissum regnũ, perditis amicis, occisis fratrib. (pręter unũ Eduardũ) omnib. minima spe, ex potentissimorũ manib. eripuit, ac Scotorũ libertati restituit: idq; dum potentissimi regni Scotiæ primates summè illi aduersarẽtur. H. Boeth. li. 14.

ALFONSVS Aragonũ rex, ob magnas insperatasq; uictorias nũquã omnino mutatus dicitur, cui in omni fortuna uultus idem, idem habitus, sermo idem fuit. Panormita lib. 4.

STEPHANVS Contarenus, creatus in Petri Zeni locum Senatus iudicio, qui maritimæ rei rectè peragendæ in Benaco lacu præesset: domum è Senatu profectus, euocata de superiore ædium parte uxore: Scias, inquit, me Benacensi oræ præfectum, Senatu ita iubente: tu igitur omnia domi parato, curatoq; ut præstò sint, quæcunq; mihi necessaria futura sunt. Atq; intra paucos dies aut lætum à me partæ uictoriæ nũncium expectato (id quod campani æris sonitus ex Marciana turri tibi significauerit) aut mortis meæ literas, quib. tu cadauer hoc sepulturæ mandes. Egnat. li. 6. c. 4. & li. 3. c. 2.

ANTONIVS Grimanus, classis Venetæ imp. p̃claris reb. in Apulia gestis, p̃curatoria dignitate donat', iterũq; declarat' impe-

imperator, quasi sua culpa Methonē aliaq; Peloponnesi oppida amisisset, in ordinem publico decreto redactus, carceriq; etiā inclusus, & mox ppetuo exilio damnatus, neq; uerò multo pòst reuocatus, rursusq; ,curatoria dignitate donatus, deniq; princeps factus, semper eandem animi moderationem præ se tulit. Egnatius lib. 4. c. 1.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes ita corpus pariter atq; animum exercuit, ut utrunq; uiriliter aduersus rerum omniū contumelias indomitum, inuictumq; uoluptatibus præstaret, & duris atq; asperis gaudere, nec aduersis unquā frāgi, nec secundis efferri uideretur: quòd nihil unquā aut demissum aut insolens ore gestuq; eius excideret, præaltaq; semper atq; ardua ad imperium & gloriam intentus agitaret. Iouius in eius uita.

IMPOTENTIA ANIMI IN VTRAQVE FORTVNA, TVM SECVNDVM

EXCESSVM.

LVDOVICVS Sforcia Mediolanensium dux, non minùs timidus in aduersis, quàm in secundis insolens fuit, ut ferè insolentia cum timiditate coniungi solet. Guicciard. lib. 2.

In PETRO Medice Florentino principe neq; animus maior, neq; cōstantia rebus aduersis, quàm aut moderatio aut prudentia in prosperis fuit. Guicciard. lib. 1.

DEFECTVM.

Agatharchides Cnidius refert, gentem AETHIOPVM, qui extra Arabicum sinum habitant, & absque passione uiuunt, nullo uti potu, ut quem non appetant natura: neque nauigantium sermone, aut appropinquantium externorum aspectu moueri: sed respicientes tantùm, immobiles stare, absque ullo, perinde ac si neminem uiderent, sensu. Si quis enſe educto eos percusserit, nō diffugiunt, & uerbera & iniurias perferentes: neq; quisquam alterius nulnere aut damno mouetur: sed sæpiùs filios aut uxorē ante oculos interfectos absq; ulla passione respiciunt, nullum neq; iræ neq; misericordiæ signum ostendentes. Deniq; omnia mala quieto animo perferunt, aspicientes solùm percutientem, ac ad singula mouentes caput. Ferunt eos præterea sermone carentes, nutu manibusq; significare quibus egeant, & quę uelint. Quod uerò quis miretur magis, marini uituli inter hos uersantur, piscium capturæ uelut homines intenti. Simili studio cubilia partusq; & natorum tutelam hæ gentes unanimi consensu paceq; curant, nullo externo animanti infestæ. Quod uitæ genus, licèt mirabile, à priscis olim temporibus ea gens seruauit, siue ita longo tempore assueta, siue coacta necessitate. Diod. lib. 3. c. 3.

FORTITVDINIS OCCASIO VEL SPONTE arrepta, uel ab aliis suppeditata. FORTES ob

AMOREM.

ARISTOGITON Atheniēsis, cùm magni animi uir, fortisq; foret, publicas iniurias lentè admodum tulit: & cùm ciuitatē ab iniusto homine uexari, omniq; dignitate spoliari cerneret, sua nihil interesse putauit, quid de illis rebus fieret. Idem tamen postea, cùm Hipparchum ipsum tyrannum amores ac delicias suas tentare, Harmodiūq;, cui amore flagrabat, conciliare sibi uelle intellexit: suam hāc priuatamq; iniuriam non tulit, sed adhibito socio illius cōsilij puero illo quem amabat, dolorē suū ultus est, ipsumq; necauit. Victorius lib. 20. Var. lect. c. 22.

ANTILEONTEM Metapontinū & MELANIPPVM Agrigentinum narrat Cicero ex Hortensio, non aduersatos esse tyrannis, cū omnes fortunas ciuitatis, omniaq; furore quodam animi permiscentes, uidissent. Postquam uerò ad amores puerosq; suos animum adplicantes uiderunt, ut aris ac focis ipsis opem ferentes, salutis capitisq; sui nullam rationem habuisse tradit. Vict. lib. 20. Var. lect. 21.

Pharsalius CLEOMACHVS uenit suppetias Chalcidēsibus, bello cū Eretrienſibus gliſcente Theſſalico. Ac firmos esse apparebat à peditatu quidē Chalcidenses, sed equitatum hostium operosum erat profligare. Itaque Cleomachum socij, uirum impigrū, ut primus impressionē daret in equites, orarunt. Hic quęsiit ex amasio, An esset certamen spectaturus? Annuente adolescente, atq; amicè eū amplectente, cassidemque ei imponente: Cleomachus exultans, fortissimos Thessalos circa se conglobauit, inuectusq; strenuè & adortus hostes, equitatū eorū turbauit auertitq;. Hinc cùm etiā pedestres copiæ terga darent, egregiā uictoriā Chalcidenses obtinuēre. Cecidit tamen Cleomachus. Eius monimentum monstrant in foro Chalcidenses, in quo ingens locata columna fuit, quæ etiam nunc extat. Ac qui antè puerorum amorem duxerant infamem, hi tunc eum supra alios in admiratione habuerunt atq; honorarunt. Aristoteles alio modo mortē oppetisse tradit Cleomachum, cùm signis collatis Eterrienses uicissent: Antonem uerò, qui osculum ab amasio Philisto accepit, ex Chalcidensibus fuisse Thraciæ, missum Chalcidensibus Euboææ subsidio. Hinc cani apud Chalcidenses,

Veneres pueri patresq; sortiti bonos
Formæ ne consuetudinem abnuite probis.
Nam fortitudo & amor per Chalcidensium
Vrbes uiget. Plut. Sermone amatorio.

Alfi filia Gyuritha, ex Aluilda Gothorum regis Syuardi filia suscepta, cùm intestinis bellis cæso Sigaro auo, Danorū rege, Daniæ regiā stirpē ad se solam redactā animaduerteret, neminēq; cui nuberet, nobilitate parē haberet: concubitu care re, quàm ex plebe maritū adsciscere satius duxit. Quinetiam cauēdæ iniuriæ causa cōclaue suū electo pugilū agmine tutabatur. Quā quum HALDANVS, Borcari Dani ducis F. ex Drota Norwegiorū regis filia natus ambiret, abessentq; pugiles, quorū ipse frater impubes extinxerat: Gyuritha nō modò generis obscuritatē ei exprobrauit, uerumetiā oris deformitatē, quod fœdis uulneribus notatū erat. Haldanus non priùs se postulādæ eius gratia rediturū asseruit, quā utrāq; notā parta armis claritate abstersisset. Obsecrat interim, ne cui nuberet, antequā reditus interitúsue sui certum nunciū accepisset. Athletæ, discedentē equis insectari conantur. Ille, cōmilitonibus secedere iussis, quercu in clauæ modū excisa, solus cū duodecim manum conseruit, eosq; interfecit. Nec tam præclari operis titulo contentus, maioris edendi facinoris gratia auitos à matre gladios recepit, quorū alter Lysingus, alter Hyvytingus ob collimati acuminis nitorē dicebatur. Iis instructus, Ruthenis contra Suecos operā suā addixit. In Sueonum castris militabat Hildigerus, Gunnari Sueonum regis ex Drota F. qui cùm Ruthenorum pugiles ad singulare certamen prouocasset, & Haldanum fratrem uterinum prodeūtem uideret: ne fraterno sanguine manus pollueret, certamen detrectauit, sibi qui LXX pugilum mortē nobilitatus esset, Haldanum etiamnum tyronem imparem esse prætexens. Eius igitur loco alium Haldanus athletam deposcens, exhibitū iugulat. Postera die duobus in pugnā petitis, ambos obtruncat: tertia die ternos: quarta quatuor superat: quinta quinos. Cùm ad octauam similibus pugnæ & victoriæ incrementis peruentum esset, undecim simul admissos prosternit. Hildigerus tandem, quòd operum suorum titulos uirtute eius æquatos uideret, cum eo congredi uoluit, non modò robore inuictus, sed magica ui aduersarij ferrum hebetare doctus. Conserta manu, Haldanus obducto linteis gladio ad eludendas præstigiarum uires mortiferū Hildigero uulnus inflixit. Is moribūdus, se uterinum eius fratrem esse fassus, idcirco personam dissimulasse dicebat, ne aut pugnam detrectando ignauus, aut committendo, scelestus existimaretur. Post hęc Gyuritha, quū à Siuaro Saxonicæ gentis nobilissimo peteretur, sed illi clàm Haldanum præferret: conditionem ei proposuit, ut priùs Danorum regnum diuulsum in integrum restitueret. Id frustra tentante Siuaro, omnibus arbitris pecunia ab ipso corruptis, tandem ei despondenda cōceditur. Haldanus è Ruscia sub ipsum nuptiarum tempus aduentans, cùm conuiuis parum cognitus coram uirgine constitisset, & obscuro carmine, uoluntatem eius explorasset: sponsum ferro transuerbe rauit, & maiorem conuiuarum partem obtruncauit, & sic Gyuritha potitus est. Saxo lib. 7.

CASTITATEM, PVDOREM.

Vide Tit. Prudentiæ in conseruanda castitate; item, Vltro pudoris uiolati.

IRAM, VINDICTAM.

Alcippus ciuis Lacedęmonius ex uxore DAMOCRITA filias duas habuit: cuius cū ciuitas optimo consilio & opera multis in rebus esset usa, in inuidiam est ab hominibus diuersarū partium in rep. raptus: qui falsis delationib. obstrepentes ephoris moliri res nouas Alcippum, conspiuerunt ei exilium. Atq; ille quidē ex urbe profugit. Damocritæ uerò eius coniugi sequi cum filiabus uiru paranti uetuere. imo uerò ne dos suppeteret uirginibus, etiam patrimoniū eius publicauerunt. Sed & inimici, cùm nonnulli puellas ob iustitutem paternā iungere sibi connubio cuperēt, interdixerunt lege, nequis puellarū nuptias sibi conciliaret, prętendentes uotū feciſſe frequenter matrem eius Damocritā, ut quam citiſſimè gignerēt filiæ liberos, qui illatæ patri iniuriæ pœnas persequerentur. Cùm iam undiq; Damocrita agitaretur, captauit festum quoddam publicū, quod feminæ cū uirginibus, propinquis, & infantibus celebrabant: coniuges autem eorum, qui in magistratu erant, seorsum magno in Androne pernoctabant: ac gladio sub ueste accincta, trahensq; secum filias, noctu penetrauit in delubrum, tempus obseruās, quo omnes in Androne sacris arcanis operabantur, occlusis quę aditibus, materiæ magnam uim, quę ad solenne sacrificium ab illis parata ad manum erat, succendit. Concurrentib. ad opem ferendam uiris, filias Damocrita iugulauit, & post illas seipsam. Cùm iam Lacedæmonij, in quos effunderent iram, non haberent, extra fines Damocritæ filiarumque eius corpora proiecerunt. Qua de causa infenso deo magnum illum terræmotum Lacedæmone traditum est memoriæ extitisse. Plut. in Amatoriis.

GAVDIVM.

DEMOSTHENES nunciata Philippi regis morte, prodiit splendidè amictus & coronatus septimo die, quàm defuncta eius filia esset, ut refert Aeschines, qui ei hoc improperat, odium obiiciens liberorum. Plut. in Demosthene.

RELIGIONEM.

Vide Titulum, Martyrorum.

GETÆ, secūdū Strabonē barbara & fera gens est, uiribus atq; animo immani mortis cōtemtore, quòd persuasum habeāt redire animas, sicut Mela scribit: aut si non redeant, non tamē extingui, sed in meliores sedes immigrāre: quòd si neutrum cōtingat, præstare certè uitę mortē. Viues.

Turcorum dux Sultanus IATHATINES, magnitudine & robore corporis superbus, Theodorū Lascarim Græcorū Imp. in prælio grauiter uulneràuit, sic ut uertigine oborta, ex equo delaberetur. Theodorus inde ueluti furore cōcitatus, præter omnē opinionē stricto enſe, Barbarici equi pedes anteriores demetit: prostratoq; Sultano, caput amputauit: eoque hasta in altum elato, & Barbaris exercitibus ostentato, Romanorum uictoriæ auctor extitit. Gregoras lib. 1.

FORTITVDINIS CERTAMINA, TVM

TOLERANTIS.

SPARTÆ pueri ad aram uerberibus sic accipiuntur, ut plerisque sanguis è uisceribus exeat: nonnunquam etiam, ut cùm ibi essem audiebam, ad necem. Quorum non modò nemo exclamauit unquam, sed ne ingemuit, quidem. Hosce pueros Seruius grammaticus βωμονίκας, ueluti dicas, super aris de uictoria contendentes, appellari scribit. Concertatio ea Diamastigosis uocabatur, hoc est, diflagellatio, quis plura posset uerbera sustinere. Plut. in Lycurgo, Puerorū multos, inquit, in ara augurij cæsos uerberib. mori uidimus. In Apophthegmatis Laconicis, in ara Orthiæ Dianæ id solitum fieri scribit. Cui sententiæ succinit & Papinij interpres. Hinc in Plauti Captiuis, festinè Lacones leguntur Plagipatidæ. Ex Græcorum obseruatū cōmentariis, Ornithiam fuisse lusum apud ATHENIENSES, in quo euerberarentur pueri. In Aristidis uita Plutarchus auctor est, in pugnæ memoriā cū Mardonio cædi ad aram Ephebos, quòd quū sacrificāti Pausaniæ incurrisſent Barbari, uirgis lorisq; sunt reiecti ab inermibus: ex quo & Lydia pompa diflagellationem consequebatur. Cælius lib. 18. c. 1. AL.

PROPVLSANTIS.

Vide Tit. Monomachiæ. item Bellorum.

FORTITVDINIS FRVCTVS.

DIGNVS.

Hinc eorum exempla, qui propter quodcunq; tandem Fortitudinis genus præmia & honores sum consecuti. Quòd si eum spectes, qui tribuit, ad Distributiuam Iustitiam referendi erunt. Sin ipsa præmia, ad Volumen Fortuitorum pertinebunt. Vide locum Statuarum, Encomiorum, Triumphorum, & similium.

Apud GRÆCOS seruatum diu est, ut qui imperator hostem fugasset, trophæo donaretur: qui occidisset, aut funditus euertisset, triumpho, uel encomio & peplo. Fuisse autem peplum uelum sacrum, in quo qui facinora gesserāt fortia, singula egregiè gesta, atq; acerrima prælia, & maxima effingere, illudq; pto immortali memoria exponere palā, & cēplis dicare assueuerant, scriptores produnt: in quo deorum imagines sæpe clarissimorum uirorum gesta effingebant. Quare Athenienses, Antigoni & Demetrij imagines cū Ioue & Pallade effinxere in peplo. Nonnulli peplum exitij cándoris uestem sine manicis, aureis distinctam clauis, fuisse autumant: quā quinto quoq; anno apud Hyleu, mulieres sex & decem lunoni contexebant. Alex. lib. 1. c. 22.

MILTIADI Cimonis F. qui uicto Dati & Artapherne Darij ducibus in cāpo Marathone, Athenas totāq; Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile uocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia: ut in decē Prętorum numero, prima eius imago poneretur: isq; hortaretur milites, prælium q; cōmitteret. Probus in Milciade.

THEMISTOCLES Athenienſis, quia non fuisset honore affectus ab iis, qui ad Salaminē dimicassent, Lacedæmonē se contulit. Eum Lacedæmonij & splendidè exceperunt, & magnificè honorauerunt. Et primas quidem partes rei bene gestæ Eurybiadæ, solertię uerò ac dexteritatis Themistocli dederunt, & utriq; oleaginā coronā donarunt: Præterea hunc biga (quæ apud Spartā erat) ptæstantissima, laudatūq; uerbis amplis. trecenti ex primoribus Spartiatarū, qui Equites uocātur, discedentē ad Tegeaticos usq; fines comitati sunt. Hunc solū ex omnibus, quos nouimus, hominib. Spartiatæ abeuntem deduxerunt. Herod. lib. 8.

LEOCRITVS Athenienſis, Protarchi F. cùm Athenienses ducē Olympiodoro Piræeum (quē Demetrius Antigoni F. præsidio tenebat) oppugnarent, primus muros ascendit, primusq; intra Musæū (propugnaculi nomen erat) irrupit. Ei in pugna cæso & alij honores habiti sunt, & clypeū illius Ioui liberatori dedicarunt, cū inscriptione nominis, & præclari facinoris indice. Pausanias lib. 1.

Cùm Xerxes apud Scthathū tres præsidiarias Græcorum naues Trœzeniā, Aegineticam & Atticā cepisset. PYTHYS Ischenoi F. miles præstantissimus, qui in Aeginetica fuerat, consuque pugnando etiam naui capta restitit, donec totus dilaniatus est. Quem collapsum, adhuc tamen spirantem, Persæ admiratione uirtutis seruarunt, uulneribus myrrha medentes, findonecq; byssina & fasciis obligantes: atq; in castra sua

sua reuersi, hominē uniuerso exercitui ostentabant admirabundi: cùm alios, quos in eadem naui ceperant, tanquā mācipia adseruarent. Herod. lib. 7.

Cùm in pugna ad Salaminē gesta THEOMESTOR Androdamātis & PHYLLACVS Histiæi, trierarchi Samii, Græcas naues demersissent: Theomestor quidem à Xerxe tyrannus Sami creatus: Phylacus uerò inter bene de rege meritos adscriptus est, & multo tractu soli donatus. Benemeriti autem de rege Persica lingua Orotangæ uocantur. Herod lib. 8.

ARCHIDAMA, Lacedęmoniorum regi, Agesilai filio, statua posita est Olympiæ in Alti. Ante hunc nulli cuiquā extra fines statuam à Lacedæmoniis erectā comperi. Archidamo uerò, & ob alia merita, & mortis causa statuam in Olympia dedicandam censuerunt: quòd & inter Barbaros occubuit, & unus ex omnibus Spartanorum regibus sepulturæ honore caruit. Pausan. lib. 6. Græciæ.

TIMOLEO ob interfectum in puteo Alexandrum Macedonem, præfectum alæ Thracum, suæ pudicitiæ corruptorem, ad Alexandrū Magnū regē ducta, cùm rem sic uti gesta erat narrasset, neq; recusaret mortem: ut quisque humanissimus fuit, illacrymabatur. Alexander uerò mulierem præstantiorem, quàm quæ deploranda esset, putauit: uirtutemq; eius & orationem admiratus, imperauit præfectis, curarent & prouiderent, ne deinceps ulla illustris domus afficeretur pœnis cōtumelia. Timoleam ipsam omnesq;, qui ei propinquitate pepetiebantur coniuncti, liberauit. Plut. de Virt. mul.

Romani cum Tyrrhenis bellū gerentes, constituto fœdere, obsides eis dederunt nobilissimorum uirorum filias uirgines. Quæ obsidum loco datæ erant, accesserunt ad fluuium Tybrim loturæ. Ex his una CLOELIA reliquas omnes hortabatur, ut tunicas circum capita religarent, & fluuij cursum ob profundos gurgites difficilem transitu tranarent. Cùm transissent, Romani uirtutē quidē earum & fortitudinē admirabantur, sed tamen eas Tyrrhenis remiserunt, ut religionem fœderum inuiolatam conseruarent. Porsenna rex ſciscitabatur, Quæ nā esset, quæ huius facinoris eis auctor extitisset? Cloelia reliquas præuertens, confitebatur. Porsenna uirilem admodum uirginis animum admiratus, equum ei splendidè ornatum dono dedit, omnesq; uirgines collaudatas Romanis remisit. Polyænus lib. 8.

Gallus Imp. primus Rom. Scythis tributum pependit. At cùm Scythæ contenti precio nō essent, Aemilianus limiti Sarmatico præfectus pro concione suis MILITIBVS id tributū pollicitus est, si hostes uicissent. Romani præmio accensi, ad conserendas cum Barbaris manus incitatiores facti, magna strage hostes uicēre. Reuersus in Mœsiam, præmia militibus persoluit, adeoque gratus exercitui fuit, ut ab eo sit Imperator appellatus. Cuſpinianus.

Lampridius Alexandrum Seuerū Imp. ait, Sola, quæ de hostibus capta essent, limitaneis DVCIBVS & MILITIBVS donauisse, ita ut eorum essent, si hæredes eorum militārēt, nec

nec unquam ad priuatos pertinerent: dicens, Attentiùs militaturos, si etiam sua rura defenderent.

Cùm rex Aragonũ octauus Iacobus Valentiam Mauris parētem obsideret, conuocatis ducibus & cuiusq; ciuitatis præfectis, cōnstituit, ut quæ ciuitas primùm intra Valentiæ muros oppugnando irrumperet, eã in suæ uirtutis & honoris memoriã Valentiæ colonias mitteret, & pondera, mẽsuras, & monetæ signum conferret. Cùm igitur ILERDÆ ciues primi Valentię muros diruissent, expugnatam ciuitatẽ Mauris fugatis & occisis ingressi, ei, prout Rex imperauerat, cultiores adolescentes numero mille totidemq; puellas uirgines tradiderunt, & cum mensuris & ponderibus florem lilij unum, quo monetam insignirent. Nam priùs Ilerda quatuor in suis armis & insignibus lilij floribus utebatur, nunc uerò tribus duntaxat. Quamobrem Valentia in literis, quas ad Ilerdam scribit, eam matrem semper appellat; & in magnis rebus non secus ac parentem carissimam cõsulit: & uicissim Ilerda Valentiã filiã uocat. Marineus lib. 10. rerum Hispan.

INDIGNVS.

Huc ii, quibus Fortitudo sua malè cessit. Ex Titulo, Crudelitatis erga hostes, huc quædam.

TEMERITATIS FRVCTVS.

DIGNVS.

Erat in aula Mathiæ regis Vngariæ POLONVS miles, qui sæpe Vngaros ad luctam, ad pugnam euocaret, multosque sæpe uicerat: sed iactantia nimia odiosus. Stabat in ferratis claustris immanis leo. Quis est, inquit Polonus, qui famelico leoni ausit carnem auferre, quam ore comprehenderit? Quum nemo præsumeret: Cernetis, inquit, quod dico. Illi fame per diem excruciant leonem: postera die ouem proijciunt quadripartitam. Leo irrugit apprehensæ carni incubans. Polonus ingreditur, & leonem iam uorantem, diuaricatis cruribus inclusum, pugno ferit in os, dicens, Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemque uisu solo sequutus est. Audax facinus quũ ad regẽ perferretur, non probauit: euocatumque Polonum pro more donatum, domo sua iussit excedere: qui uænalem ita uitam circumferret, non necessariò sed ad solam iactantiam obijciens se periculo, nihil non ausurum proposito præmio ratus. Physici tradunt leonem nullius alterius quàm impauidi hominis uocem contremiscere. Cranzius libro nono Saxoniæ, cap. 24.

Veneti anno 1509. XIV. Maij ad Vailam siue Giaradaddam à Ludouico XII. magna stragẽ uicti, BARTHOLOMÆI Aluiani ducis temeritate, continentis imperium amisere. In cuius memoriam, rex eo in loco, in quo pugnatum fuerat, sacellum, cui sanctæ Mariæ Victoriæ nomen indidit, ædificari iussit. Guicciardinus lib. 8.

INDIGNVS.

Huc ii, qui Audacia sua amplis. præmia uel honores sunt consecuti.

TIMIDITATIS ET IGNAVIÆ FRVCTVS.

DIGNVS.

Ex loco Iustitiæ Correctiuæ, in puniendis Timidis, huc quædam.

L. Calphurnius consul, PRÆFECTVM equitum, quòd arma hosti tradidisset, laciniis abscissis, discincta tunica, & nudis pedibus ad principia per omne tempus militię adesse iussit. Valer. Max. lib. 2. cap. 2.

Q. SERVILIVS Cępio consul à Cimbris ad Rhodanum uictus, cùm ex fuga Romam certissimus cladis nuncius peruenisset, abrogato imperio bonisq; publicatis (cùm quòd eius temeritate tanta clades accepta crederetur, tum ob spoliatum auro Delphico templum Tolosanum) in carcerem ductus est, necatique pòst cadauer ad scalas Gemonias abiectum.

Ferdinandus IV. Castellæ rex, Alfonsum filium hæredẽ & successorem instituit, IACOBO primogenito abdicato, quòd contra Sardos rebellantes in Sardiniam à patre missus, expeditionem Sardiniæ, simul & regnorum successionem recusasset. Tarapha de regib. Hispan.

INDIGNVS.

Huc ii, qui Fortitudini debita præmia ipsi quantumlibet Ignaui præripuerunt.

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO

CIRCA *res prosperas* (*τὰ θαῤῥαλέα qualiacũq;, quæ natura sua sponte appetit*) *siue ad* Animam, *siue ad* Corpus, *siue ad* Fortunas *pertineant, & uel reuerà, uel saltem opinione nostra sint tales*, Fortitudo *cum cõtrariis uitiis occupatur. Obiecta enim prosperitate qualibetcunq;, motum animi, hoc est, confidentiam inde natam ratio recta uel*

- Dirigit *et moderatur, ne uel plus, uel minus iis efferatur, ne ἐν τῷ θαῤῥεῖν, aut ἐν τῷ φοβεῖσθαι delinquat: siue præsentia sint, quæ specie, siue futura, quæ spe sua animum dementare solent. Virtus hæc* GRAVITAS *in rebus prosperis dicatur, tum in*
  - Genere.
  - Specie. NON *nimiũ confidere bonis*
    - Internis, *Animi scilicet uirtutibus.*
    - Externis
      - Corporis.
      - Fortunæ, *ex quorum præsentia oritur in animo confidentia.* Nã *quatenus ex illorum fruitione uoluptatem percipimus, sic ad locos pertinent* Liberalitatis, Magnanimitatis, *&c. Huc ij, qui non maiores concipiunt spiritus ex*
        - Diuitiis.
        - Honoribus.
        - Amicitiis.
        - Victoriis.
        - Morte inimicorum.
- Non *dirigit, non moderatur. Hinc* Immoderatio, *uitiorum mater. Prosperitas hominis naturæ amica, gaudio animum hominis replet. Motum hunc primum excipiens ratio, eum uel omnino*
  - Non *coercet, sed immodicè laxatis habenis efferri sinit. Vitium in excessu,* INSOLENTIA *in rebus prosperis, ἐν τῷ θαῤῥεῖν nimia.*
  - Coercet, *supprimit, suffocat, & Medusæ instar hominem in saxum conuertit, ut prosperitatis suæ suorùmue nullam penitus rationem habeat. Vitium in defectu,* STVPIDITAS *in rebus prosperis. ἀναισθησία Stoica, & inconcinna σκληρότης, ἐν τῷ φοβεῖσθαι nimia.*

VOLV-

Voluminis Octaui Liber II.

De Moderatione & Immoderatione circa res prosperas.

GRAVITAS ET MODERATIO IN SECVNDIS REBVS. TVM IN

GENERE.

Secunda res quatenus Vtiles, sic θαῤῥεῖν faciunt, & ad hunc pertinent Titulum. At quatenus Voluptatem pariunt, ad uarios alios locos referri debent.

CANTACVZENO Magno Domestico cùm res feliciter succederent, fortunam non lacessiuit, neq; immodicè supercilium erexit: sed retenta animi grauitate intra modestiæ limites immotus mansit. Nunc uerò, inquit, me sobrium esse oportet, cùm alij non ebrij esse non possunt. Prosperi enim successus humana ingenia cum primis explorant, & uæcordes tam insolentes reddunt, quàm cordatos constantiæ & grauitatis laudibus cumulant. Gregoras lib. 9.

SPECIE. VTPVTA, NON NIMIVM TRIBVERE, CONfidere

HONORIBVS, MAGISTRAtui, Potentiæ.

PHILIPPVS Macedo, Græciæ potitus imperio, ad refrænandum animi fastum, puero delegauit hoc officium, ut singulis diebus mane ter acclamaret: Philippe memento te hominem esse. Aelianus lib. 8. de Varia historia.

PLOTINA Traiani Imp. uxor, cùm pòst Traiani electionem primùm in Capitolium iret, multiq; essent qui imperij felicitatem omnibus modis precarentur: cùm adhuc in gradibus esset, conuersa ad multitudinem: Talis, inquit, huc ingredior, qualem me exire cupio. Et certè talem se in principatu gessit, ut iusta reprehensione caruerit. Xiphilinus.

LVDOVICVS XII Gallorum rex, quo die Carolo IIX uxoris suæ fratri in regno suffectus est, amicorum uni, petenti dono sibi dari fortunas Aurelianensis ciuis, qui in Ludouicum hostili animo semper fuerat: strenuè id negauit, atque alia maiora pollicitus est, inquiens: Ridendum meritò Gallorum regem, si Aurelianensis ciuis iniurias ulcisceretur. Quinetiam omnes eos, qui Carolo paruerant, eodem loco apud se tenuit: ita ut excepta regis persona, quæ mutata erat, nihil in Caroli aula mutatum uideretur: mirumq; omnibus esset, Ludouico eos regi stipatores esse, qui olim captiuum ex prælio duxerant: & eidem in honore illos astare, qui ut in custodia tam diu seruaretur consuluerant: atq; ipsos qui in carcere eum asseruarant, ea uultus lætitia, hisq; animis, quibus Carolo operam dederant, inseruire illi, quẽ antè ut hostem, captiuum habuerant. Fulg. lib. 4. c. j.

CLEMENS IV Pontifex, quum ad eum duæ, mortua iampridem uxore, peruenissent è Gallia filiæ, petentes pro patris ipsius dignitate maritos sibi dari: nonnulliq; alij propinqui præstò essent, qui grandia sacerdotia & dignitates tribui sibi exposcerent: ita omnibus respondit, ut quamprimùm à se abirent, paternæq; rei quod sibi reliquum superesset, æquis portionibus inter se diuiderent. Egnat. lib. 4. c. 3. & Fulgos. lib. 4. c. 3.

Quum Romæ HADRIANVS VI Pontifex renunciatus esset, tabellarij cum priuatis literis ad Victoriam Vellicam, Cantabriæ urbem, ubi tum erat Hadrianus à Carolo V. in Germania comitia celebrante præfectus regni relictus, tertiodecimo die peruolantes, ædium scalas conscendenti ad pedes prouoluuntur, cumq; porrectis literis pontificem salutant. Ille nihil ad tanti nuncij nomen uultu animóue commotus, paulùm substitit: & cùm tabellarios ab osculo pedũ auerteret, conuersis ad amicos oculis: Si uera sunt, inquit, quæ nunciantur, mihi profectò plurimùm est dolendũ. Nec mora, exultantis & salutantis populi turba atrium, porticus, atq; ipsa etiam superiora conclauia replentur. Ingruente uerò nocte nobiles equites, uti in publica lætitia decuit, Maurorum habitu uibratis funalibus decurrerunt. Verùm Hadrianus nihil propterea aut de corporis cultu, aut de pristina uitæ consuetudine sibi mutandum esse iudicauit, quũ priùs expectandas à senatu literas arbitraretur, quàm quicquam uel muneris uel habitus de pontificia maiestate, uti præpropero leuiq; similis, usurparet. Neq; uerò multo pòst nuncios ab urbe Roma literas deferentes tanta animi tranquillitate suscepit, ut perlectis literis, atq; his, quòd honestè conscriptæ uiderentur, pacata uoce & leni capitis nutu laudatis, nihil plus sit locutus, quàm ut nuncios tanquã de uia fessos ad quietẽ hortaretur. Adeò ut in eo sedati animi habitu frigidioreq; lætitia Vianesius Albergatus, qui à Leone X. antecessore missus, sacerdotum defunctorum hæreditates in Hispania colligebat, indignanti similis, non obscura uoce dixerit: Renuatur ergo hic summus põtificatus, postquã tam lenta hilaritate suscipitur. Iouius in Hadriani uita.

VICTORIÆ. VICTORES MODERATI. GRAVITAS in uictoria.

Victoriæ moderatio subiecti ratione una uidetur esse: at si formaliter consideretur, hoc est, respectu eius habitus à quo profluit, multiplex. Quatenus enim utilis est uictoria, & confidentes reddit: sic Grauitas uictoriæ huius est loci. Quatenus uerò uoluptatem iunctam habet, si quidem Corporis; Temperantiæ est propria, & Victores complectitur Temperantes: sin Animi, ad uarias uirtutes referẽda erit. Ex uictoria enim percipitur uoluptas partim παθητική, partim ἐνεργητική. Παθητικὴν uoco eam quæ in perpessione posita uidetur. Sic ad Victorem redit tum Opulẽtia, & Victorem Liberalem alieniq; abstinentem exhibet: tum Gloria, Victoremq; parit Magnanimũ. Ἐνεργητικὴν alteram μετ' ὀργῆς constituo, qua uictor uictum suæ potestati subiectum benignè tractat, & Clementem Victorem ex se denominari facit: alteram ἄνευ ὀργῆς, quæ ratione habita Rerum, Victorem non superbum efficit, sua bona non nimiùm extollentem, hostium nõ nimiùm deprimentem: respectu uerò Personarum, Victores Populares & Vrbanos gignit.

SPARTANI usqueadeò usitatum ducebant & competens ipsis opus, uincere hostes, ut nec immolarent uictoriæ causa in urbe diis, præterquam gallum gallinaceũ: nec gloriarentur milites, nec exultarẽt qui audiebant. Imò uerò commissa ad Mantineam pugna, quam descripsit Thucydides, primo uictoriæ nuncio magistratus, quòd læta attulisset, carnes ex conuiuio, præterea nihil misere. Plut. in Agesilao.

AGESILAVS rex Spartanus, allato nuncio, illustrissimos uiros prælio circa Corinthum commisso occubuisse in acie, Spartiatas autem cecidisse perquàm paucos, multos uerò ex hostibus: nullam lætitiam uel exultationem præ se tulit, sed ingenti edito gemitu: Heu Græciam, inquit, quæ tot uiros ipsa perdidisti: quot si incolumes sint, profligare acie cunctos queant Barbaros. Plut. in Agesilao, & Probus.

EPAMINONDAS, quum aliàs solitus esset uncto corpore hilariq; uultu prodire in publicum: postridie eius diei, quo feliciter pugnatũ est ad Leuctra, processit squalidus ac summissus. Amicis autem sciscitantibus, Ecquid illi molesti accidisset? Nihil, inquit: sed heri sensi, me plus æquo mihi placuisse: eius gaudij intemperantiam hodie castigo. Plut. in Apophthegmatibus.

PHILIPPVS Macedonum rex, uictis ad Chæroneam Atheniensibus & Thebanis, quã pugna uniuersæ Græciæ libertatem

tatem

tatem ademit, mirum qua arte præsentem lætitiam texerit. Neq; solita sacra eo die fecisse dicitur, neq; de more conuiuatus: non coronas, non unguēta sumsisse, ne risisse quidē: & quantum assimilare potuit, ita uicit, ut uictorem sentiret nemo: nec se regem Græciæ appellari uoluit, sed ducem: demùm ita inter suorum lætitiam & hostium dolorem temperauit, ut neq; uictorib. assultare sit uisus, neq; uictis insultare. Atheniensibus, quos infestissimos habuit, captiuos gratis restituit, & peremtorum corpora sepulturæ reddidit. Alexandrū filium, quem iam inde à Byzantina obsidione duodeuiginti annos natum in castra accersiuerat, ut prima militię rudimenta apud se deponeret, & qui primus in sacram Thebanorum cohortem irruperat, Athenas cum Antipatro misit, qui cum ea ciuitate pacem iungeret. Sab.lib.3.En.4.

Prælio ad Gaugamelam inter Dariū & Alexandrū commisso, quo uictus tandem est Darius, cùm Persæ Macedonū impedimenta inuasissent, & captiuos soluissent, inq; his matrem Darij SISINGAMBIM, Dariū uictorem esse affirmantes: illa, etsi multi hortarentur, ut bono esset animo, immobilis & sine uoce nullū lætitiæ signū præ se ferens stabat, siue garem tantam noū temerè crederet, siue quòd fortunam post tot clades arridere incipientē, irritare non fuerit ausa, adeò ut qd mallet, eam intuentib. incertū fuerit. Sab.lib.5.Enn.4.

DEMETRIVS Poliorcetes non elatus uictoria de Ptolemæo Aegypti rege, Cillem Ptolemæi copiarū ducem & amicos eius magnificè donatos remisit. Plut.in Demetrio.

DION liberatis à Dionysij tyrannide Syracusis, nullū priùs ex præsenti felicitate capere fructū uoluit, quàm gratiam amicis, socijs præmia, præcipuè familiarib. ciuib. & externis militibus esset munificentiam & honorem impertitus, magnificentia excedēs facultates suas, cùm tenuiter & frugaliter sese uulgari toleraret cultu. Vnde erat in admiratione: q cū non Sicilia modò & Carthago, uerùm uniuersa quoq; Grecia oculos intentos haberet in eius felicitatem, neq; quicq illius ętatis homines adeò arbitrarētur magnū, neq; uirtus & fortuna in alio duce uideretur illustrior fuisse: in tantū se uestitu & famulitio & mensa moderatū præberet, ut si cum Platone ageret in Academia, non cū mercenario milite & ducib. eorū uiueret, qui crapulam & delicias quotidianas pro laborum & periculorum habēt solatijs. Plut.in Dione.

Ricardus EDVARDI III. Anglorū regis F. prælio uictū Ioannem Francorū regem captum ducens in Angliam, cùm adesse cū nobilissimo totius Europæ rege captiuo diceret patri, is nihil uultū mutans, quasi parū secundis moueretur rebus, filium probè rem administrasse aiebat, si modò rectè omnia egisset: ac quò intēderat uenatū in syluam perrexit.

mandans, ut regem Ioannem quanto possent maximo honore festiuitateq; exciperent. H. Boethius lib.15.

Franciscus I. Gallię rex, in pugna Papiensi à Cæsaris Caroli V. exercitu uictus captusq;, ad Pisleonem in custodiam est deductus. Eò tum demum ipse FERD. Daualus Piscarius Cæsareꝰ dux uenit, nō planè obducta oris cicatrice, regēq; inuisit non in purpurea aureaq; ueste, ut cęteri, qui ab ea uictoria in pompæ morem sese Gallicis spolijs exornarāt, sed ad singularem animi modestiam, laneo & nigro in sagulo, quasi non uictoris, sed uicti habitū præferret, & miserari regiæ cōditionis sortem nequaquam ficto dolore uideretur. Eum uenientem, ac insigniū ducū turba, ueluti prætoria cohorte, circumseptū, Frāciscus adeò humaniter & auidè cōplexus est, ut aliquandiu animū atq; oculos in eius uiri admiratione defixos teneret. Iouius in Dauali uita lib.6.

CAROLVS V. Barchinonæ nuncios uictoriæ de Francisco Galliæ rege, quæ ipso natali eius die parta fuerat, nulla cū hilaritate suscepit: sed singulari pietate indictis tantū trium dierum supplicationibus, ut is secundus belli euentus Reipubl. Christianæ commodo uerteretur, publicam lætitiam festis ignibus & tormentorum bombis celebrari uetuit. Iouius in Ferd. Dauali uita.

MORTE INIMICORVM.

BENEDICTVS abbas à Florētio presbytero nō ueneno tantùm tentatus, sed & loco pulsus, cùm repentino pauimenti collapsu elisum expirasse, eoq; nuncio Maurum discipulū suum lætari uideret, grauiter Maurum increpauit. Marulus lib.5. cap.2.

Ad Pompeij Columnæ Cardinalis mortē, CLEMENS VII. nullum omnino lætitiæ signū uultu prętulit, licèt illius opera direpta Roma à Cæsariano milite fuisset: uerùm seuerè contraxit frontem. uel ob id, quòd Pompeius eodem anno mensèq;, quo ipse natus, immaturè atq; hominum opinione celeriùs è uita discessisset, quum præsertim tanta uis spiritus, & ea quidem aduersùs morbos indomita, robusto in corpore uigere uideretur. Magnoperè enim Clemens ex alienis fatis omine concepto, mortem timebat: quum alioqui nihil salųti molliter indulgendo, uitam contemneret. Prorupit tamen in longos sermones de Pompeij moribus, ex animo iudicium ferens, quum honestissimi uiri qui tum aderant, amore uel odio mortui famam diuersis sententiis excuterent: & ipse ante omnes Pompeium ab eximiis ingenij naturæq; dotibus uerè magnum fuisse testaretur, sed aculeatè subiūgeret, Pœni Annibalis exemplo, uel maximas eius uiri uirtutes ingentibus uitiis adæquari. Iouius in Pompeij uita.

IMMODERATIO IN REBVS SECVNDIS, SIVE SECVNDVM

EXCESSVM. INSOLENTIA.

Consule Tit. Superborum. Illic Mendacii in suis bonis diiudicandis habetur ratio: hic uerò Confidentiæ nimiæ.

De TANTALI insolentia ex rerum successu hæc leguntur apud Pindarum Ode 1. Olymp.

— εἰ δὲ δή τιν' ἄν-
δρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ ἐτίμασ-
σαν, ἦν Τάνταλος οὗτος. ἀλλὰ γὰρ καταπέ-
ψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυ-
νάσθη· κόρῳ δ' ἕλεν
ἄταν ὑπέροπλον,
τάν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε
καρτερὸν αὐτῷ λίθον·
τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν,
εὐφροσύνας ἀλᾶται.

Si quenquam hominum mortalem cœli custodes dij in precio habuerunt, hic Tantalus fuit. Sed concoquere ingētem felicitatem non potuit: ex saturitate nanq; assecutus est incommodum exuperabile, quod pater Iupiter super ipsius caput suspēdit: durum nempe lapidem, quem perpetuò cogitans à capite repellere, lætitia priuatur.

Multi, bello Punico secundo Romanis legionibus ad Thrasymenum & Cannas cæsis, falsò crediti sunt periisse: eratque nonnullorum uita iam temerè deplorata, cùm repentè MATRIBVS oblati, tantam lætitiæ molem illarum animis offudère, ut uelut subita ruina oppressæ inter oscula & complexus expirarint. Sab.lib.3.c.4. ex Liuij lib.2. Dec.3.

C. IVL. Cęsar, Galliam prouinciam consequutus, magno gaudio elatus, non temperauit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret, inuitis & gementibus aduersariis adeptū se quæ concupisset: proinde ex eo insultaturum omniū capitibus. Ac negante quodam per contumeliam, facilè hoc ulli feminæ fore, respōderit, quasi alludens, in Assyria quoque regnasse Semiramim, magnamq; Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam. Suetonius.

L. Aelius SEIANVS apud Tyberium tanta fuit auctoritate, ut ei pro collega in imperio haberetur. Sed elatus cœpit Tyberium præ se nihili facere, Prætorianos aliosq; omnes sibi cōciliare. Tyberius re cognita, cautè ac pedetentim depressit hominem. Dion.lib.58.

CONSTANTINVS Magnus Imp. cùm ex omnib. bellis uictoriam reportaret, semper prospera usus fortuna, sui ipsius immemor, quemadmodum optimis principibus æquandus ab initio, ita ultimo imperij tempore mediis conferendus fuit. Videlicet decem primis annis prętātissimus, duodecim sequentib. latro ob crudelitatem, decem nouissimis pupillus, ob profusiones immodicas. Cuspinianus.

METHONENSES à Baiazethe II. obsessi, mœniisq; nudati, cùm quatuor Venetas triremes onustas auxiliis & cōmeatu aduentare intellexissent, ob præsens auxilium læti urbē & mœnia sine custodiis & defensoribus relinquētes in portum excurrebant. Ianizari hoc uidentes, per ipsa mœnia in urbem ingressi, Venetis peditib. ad unum trucidatis, urbe potiti sunt. Iouius in uita Baiazethis II.

DEFECTVM. STVPIDITAS ET deiectio animi.

Huc illi, qui Rebus secundis non modò non confidunt, sed quò magis fortuna arridet, tantò magis ipsi animo deiiciuntur.

LIBER

LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO

AD Declinanda mala *sponte naturæ ferimur. Vt ergo in decliui loco facilis est lapsus, ob grauitatis naturale momentum: sic etiā in Malorum declinatione. Consideranda proinde*

- Moderatio, *rectæ rationis ductu mala declinās, interdum quidem si fieri poßit absque perpeßione, interdum uerò cum perpeßione, quando minora mala tolerat, utputa Mortem, ut maiora declinet, Turpitudinē scilicet. Virtus dicatur in genere, Declinatio malorum quorūlibet, in ijs, quæ declinare licet, atque decet. Sic Virtutis est Mala ea, quæ declinare licet, & declinare*
  - Decet, *Declinare.* DECLINATIO *honesta malorū, tum*
    - Internorum, *Animi uidelicet, hoc est,* Vitiorum.
    - Externorum, *nimirū*
      - Corporis, *eorū quæ corpus uel*
        - Cruciant,
          - Interius, *contra naturam. Quales sunt Morbi.*
          - Exterius, *siue sint mala*
            - Naturalia. *Incommoda uitæ.*
            - Aduentitia: *utputa*
              - Vulnera.
              - Verbera.
              - Incendia.
              - Tormenta.
        - Tollūt omnino. *Vt est*
          - Mors, *tum*
            - Naturalis.
            - Violēta, *siue illa intentetur*
              - Manifestè
                - In *iudicio.*
                - Extra *iudicium.*
              - Occultè *per insidias.* Declinatio Insidiarum.
          - Mortis *periculum.*
      - Fortunæ: *utputa*
        - Hostium *uiolentiæ, insidiarum.*
        - Paupertatis.
        - Dedecoris *cuiuscunque.*
        - Seruitutis, *Carcerum, Exilij.*
        - Excidij *patriæ.* Bellorum.
  - Non *decet,* Non *declinare.* DECLINATIO *inhonesta malorū repudiata.* Nō *declinare*
    - Mortem, *Vitæ pericula*
      - In *iudicio, Condemnationem.*
      - Extra *iudicium.*
    - Insidiatores.
    - Hostes *partim*
      - Pugnando.
      - Occurrendo.
      - Speculando, *Explorando, Nunciando.*
    - Tyrannos.
- Immoderatio, *quādo præter rectæ rationis normam, malorum Declinatio uel*
  - Nimia *est. Vide signum* A a.
  - Nulla *est. Vitium in Defectu,* STOLIDITAS & INCONSIDERANTIA *in declinando dicatur, cùm quis mala declinare negligit, siue absq; perpeßione, siue cum perpeßione: ut quando minora tolerare respuit, causa euitandi maiora. Vt non declinare*
    - Mortem.
    - Vim *apertam.*
    - Insidias.

Aa.
Vitium *in excessu*, DECLINATIO *nimia dicatur, mala præter honesti rationem declinans. sæpe etiam minorum declinandorum causa maiora tolerans: utputa mortem subiens euitãdæ causa leuis calumniæ. Et sic licet in tolerando maius malum* Audax *sit, in declinando tamen* Timidus *est, ex timore mali minoris, eaq; propter* Timiditas *quædam in tolerando dici potest.* Ratio habenda

- Eorũ *quæ declinantur. Siue sint*
  - Res *malæ, quæ pertineant ad*
    - Animum. *Puta*
      - Peccata.
      - Conscientiæ *flagella.*
    - Corpus:
      - Vitæ *incommoda.*
      - Morbi.
      - Mors. *Declinare*
        - Supplicatione *indecorâ.*
        - Officij *intermißione.*
        - Idololatria. Perfidia.
        - Mora, *Dilatione.* Fuga *turpi.*
        - Morte *uiolenta.*
    - Fortunas. *Declinare*
      - Regni, *Imperij amißionem.*
      - Vrbis *excidium.*
      - Cladem *imminentem.*
      - Seruitutem *imminentem.*
      - Dedecus, *Infamiam* —
        - Stupri, *Adulterij.*
        - Perfidiæ.
      - Odium, *Inimicitiam.*
      - Bellum: *tum* —
        - Militiam *detrectando.*
        - Pacem *turpem admittendo.*
  - Personæ, *malæ. Videlicet*
    - Insidiatores
      - Religionis.
      - Pudoris.
      - Vitæ. *Mortis declinatio indecora in*
        - Genere.
        - Specie, *modis uariis. Puta*
          - Armorum *ademtione.*
          - Exploratiõe, *Excußione, Prætentatione.*
          - Munitione, *Defensione.*
          - Corporis *cura.*
          - Inedia, *Abstinentia.*
          - Occultatione, *Latebris.*
          - Fuga. Abnegatione.
          - Superstitione.
          - Supplicio *iniusto.*
      - Famæ, *Calumniatores.*
    - Hostes:
      - Præsentes *declinare*
        - Auertendo.
        - Fugiendo.
        - Moriendo.
      - Aduentantes *non expectare.*
- Modi. Temporis.

Voluminis Octaui Liber III.

De Fortitudine Declinante aduersa.

DECLINATIO MODERATA MALORVM QVORVMLIBET.

Mala, quia naturæ hominis inimica, fugienda sunt, ea moderatione, ut nec plus quàm oportet fugiendo timidi, nec minus quàm oportet, stupidi dicamur. Recta ratio moderatur hos motus: & propterea respectu efficientis ad Prudentiã, respectu uerò τῶν φόβων *ceu materiæ subiectæ, ad Fortitudinem pertinent. In ascensu montium calcaribus, in descensu freno indiget equus: utrobiq; certè robore opus est. Sic quoque in tolerando & propulsando animi præsentia opus est: at non minus in declinando. Prima certè hæc est Fortitudinis ratio, ut mala, si honestè fieri poßit, declinet: si id nequeat, secunda ut propulset: si neque istud, tertia ut toleret. In Declinatione malorum ratio habenda tum Materiæ subiectæ, hoc est, eius mali quod declinamus (& de hac Declinatione nunc loquimur) tum Formæ siue modi, quo declinamus. Qui quidem partim Internus est, partim Externus. Internus, à Prudentia prouenit. Itaque sub loco Prudentiæ exẽpla multa reperias declinandæ mortis, exilij, &c. non propter id quod declinatur, sed propter prudentiã declinandi. Externus uerò à fortitudine pendet tum Tolerante minora mala, ut maiora declinẽtur (de quo sub Tolerãtia) tũ Propulsante mala, cui accidit, ut simul ea declinet (de quo sub Propulsatione) Finis deniq; propter quẽ hæc mala declinamus, qualiscunq; sit, huius est loci. Declinantur autem mala tum Per se, quia mala, qualiacunq; tandem: tum Propter aliud, cùm uel Bona alia impediunt, uel Mala alia afferunt.*

DOLO.

DOLORES, MORBOS, VVLNERA MODESTE' DECLINARE.

DEMONAX, quum aliquando in balnĕis refugeret ingredi aquam feruẽtiorẽ, & alius illum appellaret meticulosum: Quid, inquit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens, temeritatis esse, non fortitudinis, subire periculum, ni ob causam grauem & honestam fiat. Eras. lib. 8. Apoph.

C. MARIVS uarices habebat in utroque crure, quos præbuit medico exsecandos non alligatus, ac sine gemitu ullo, & uultu nõ contracto, sectionem pertulit. Verùm ad alterum crus cùm transiret medicus, reiecit eum, negãs tanti esse curationem, ut tolerandum eum dolorem existimaret. Plut. in Apophthegmatibus.

CONDEMNATIONEM IN IVDICIO MODESTE' DECLINARE.

Huc refer exempla Asylorum, quatenus per hæc uim maiorem euitant.

DEMOSTHENES in propria causa dicturus, aufugit Calauriam in templum Neptuni, potentiam Antipatri ueritus. Plut. in eius uita.

ALCIDIADES, quum sacra triremi ad causam dicendam è Sicilia uocaretur ab Atheniensibus, obtẽperare noluit: Stultum est, inquiens, iudicium quærere, cùm fugere possis. Et cùm quidam diceret: An non credis teipsum patriç? respondit: Imò ne matri quidem: Timerem enim, ne fortè per imprudẽtiam nigrum calculum pro candido submitteret. Dictum Greçis sonat iucundiùs, ob uocum affinitatem, φυγεῖν & ἀποφυγεῖν. Græcis autem ἀποφυγεῖν δίκην dicitur, qui iudicum sententiis absoluitur: φυγεῖν, qui uitat aut fugit. Plut. in uita Alcibiadis. Aelianus lib. 13. de Varia historia.

ARISTOTELES philosophus, quum iudiciũ ueritus Athenis profugisset, scitante ex eo quopiam, Cuiúsnam modi uideretur ei Atheniensium ciuitas? Παγκάλη, inquit, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ: Pirus super pirum, ficus super ficum consenescit. quod de Alcinoi hortis Homerus refert. Sycophantas nimirũ innuens iusto plus inibi pro germinantes. Rursum quærente, Quid ita Athenas reliquisset? ὅτι οὐ βούλεται, respondit, Ἀθηναίους δὶς ἐξαμαρτεῖν εἰς φιλοσοφίαν: Ne in philosophiam bis delinquant Athenienses, qui Socratem priùs cicuta sustulerant. Cælius lib. 17. cap. 34. Antiquarum lectionum.

MORTEM EXTRA IVDICIVM MODESTE' DECLINARE.

PROPHETÆ centum ab Abdia procuratore domus regis Achabi, absconditi fuêre, cùm Iezabel regina sceleratissima prophetas Domini persequeretur. 3. Reg. 18.

VRIAS Semeiæ F. propheta, Iudæis excidium denunciãs sub Ioacimo rege, metu mortis in Aegyptum profugit. At regis iussu è fuga retractus, interfectus est, eiusq; corpus in publicum sepulcrum proiectum. Hierem. 26.

EZECHIAS rex Iudæorum fleuit fletu magno, orans Dominum pro morte, quam sibi imminere à propheta Esaia audiuerat. 4. Reg. 20.

IESVS Christus Seruator noster, à Nazarenis indignantibus, quòd in urbe ipsorum, in qua educatus fuerat, nulla miracula facere uellet, in montis uerticem ductus, ut inde præcipitaretur, diuina ui transiens per medium illorũ iuit. Quod ipsum ut contra corporis naturam fuit, ita diuinitatis, quæ humanitatem comitabatur, argumentum euidentissimum. Lucæ 3.

IDEM Hierosolymis, festo Renoualium, à Iudæis in porticu Solomonis deprehensus, cùm lapidibus eum obruituri essent, è manibus illorum exiuit, & trans Iordanem abiit. Matthæi 19. Marci 10. Ioannis 10.

Idem suis DISCIPVLIS præcepit, ut à persecutoribus malè habiti, de ciuitate in ciuitatem fugiant, non tam metu mortis, quàm studio diutissimè in ea, quam à Domino obtinuerant, euangelizandi prouincia uersandi. Matth. 10.

Post Stephani Protomartyris necem FIDELES omnes in Iudeç & Samariç fines (exceptis Apostolis) dilapsi sunt. Act. 8.

D. PAVLVS insidias euitans Iudæorum, de ciuitate in ciuitatem fugiebat: non timore mortis, sed quia furori malorum cedens, pluribus se utilem reseruabat. Act. 25.

IDEM & SILAS Thessalonicæ periclitantes, à fratribus noctu Berrhœam dimissi sunt. Cumq; Thessalonicenses Iudæi etiam Berrhœenses concitare uellẽt, Athenas abiit. Act. 17.

In grauissimis persecutionibus sub Antoninis, sub Deciis, Diocletiano, Maximino, CHRISTIANI homines solitudines petiêre: non quòd pro Christo pati recusarent, sed quòd sponte animas profundere nollent, melioribus temporib. semetipsos conseruantes. Hæc origo primorum fuit Eremitarum. Vide Tit. Monachorum & Eremitarum.

PAVLVS primus eremita, anno ætatis XV. orbus utroque parente, metuens ne à sororio suo (qui bonis eius inhiabat) proderetur, quòd Christianus esset: in persecutione sub Decio & Valeriano in solitudinem concessit. Diuus Hieronymus in eius uita.

AVVS Basilij Magni, in persecutione Christianorum sub Maximino, cum cognatis ac paucis ministris in montis specũ sese abdidit per septennium, & solo pane sustentatus est. Ad postremum tamen martyrium constantissimè passus est. Nazianzenus testis.

D. CYPRIANVS, cùm populo Carthaginensi se inuisum esse sentiret, secedere maluit & latêre, quàm inuerecũda præsentia sua seditionem magis augere. Quæ latebræ sub Decio & Gallo fuisse uidentur. Postea enim ad Ecclesiam suã rediit. Cyprianus lib. 3. Epist. 5.

ATHANASIVS ille Magnus, Alexandriæ episcopus orthodoxus, à Constantio Imper. Ariano proscriptus, muneribus etiam propositis, qui uel uiuum uel mortui caput afferret, per sexennium in subterraneo puteo delituit. Proditus autem ab ancilla, latebras diuino monitu mutauit. Inde ad Constantem profugiens, eius beneficio reditum impetrauit. Post quinquennium Constante à Magnentio tyranno interfecto, Constantius eum demùm expulit, ita ut per decennium, usque ad mortem Constantij, Alexandriæ apud sacram quandam uirginem delituerit: & audita morte Cõstantij repentè suis cum gaudio sese restituerit. Sub Iuliano iterum latêre coactus est. Sub Iouiniano restitutus, anno Christi CCCLXVII. Sed Iouiniano opt. principe post octo imperij sui menses in Cilicia morte sublato, successoribus Valentiniano & Valente: Valens Arianis fauens, etsi propter Athanasium Aegypto pepercit, Athanasius tamen prçfectorum turbas metuens, per quatuor menses in paterno latuit monumento. Populo id ægrè ferente, edicto Valentis ecclesias suas repetere iussus, non multo pòst obiit, anno Christi CCCLXXVII cùm episcopatum Alexandrinum gessisset annis XLVI. Socrates libro 4. cap. 20. & Sozomenus libro sexto, capite decimonono. Cupiebat nimirum sanctissimus uir dissolui, & esse cum Christo: uerùm ecclesiæ causa diutissimè uiuere optabat, ne sua morte uera religio damni aliquid pateretur.

DIONYSIVS Alexandrinus episcopus, qui Heraclæ in episcopatu successit, sub Decio & Valeriano Ecclesiam persequentibus, diuina uoce monitus, fugit in Mareotidem Libyæ, & ibi latuit. Eusebius lib. 7. cap. 11.

GREGORIVS Thaumaturgus ingruente persecutione, considerata fragilitate humanæ naturæ, quòd plerique nõ possent usque ad mortem pro pietate decertare, auctor Ecclesiæ fit, ut terribilem illum impetum atque incursum paulisper declinaret: satiùs esse ducens, per fugam animam eorum conseruari, quàm stantes in acie certaminum, atq; periculorum, fidei fieri desertores. Ac quò maximè hominib. persuaderetur, nullum animæ periculum adferre, si uel per fugam quis fidem conseruaret, suo exemplo auctor secedendi fit, ipse ante alios secedendo periculi impetum deuitans. Greg. Nyssenus in eius uita.

D. FRIDOLINVS, cùm ab idololatris tutus esse non posset, precibus ad Deum, Rhenum ueteri relicto alueo nouũ accipere coegit, ut eo ueluti propugnaculo contra iniurias Ethnicorum muniretur.

VICTOR Mauritanus Maximini Imper. miles & aulicus, Mediolani post uarias pœnas è uinculis fugiens latitauit. Mox deprehensus propè eandem urbem in hortis principis, capite plexus fuit, octauo Idus Maij. Volaterranus libro uigesimo Anthropologiæ.

ACHILLES cùm annum ætatis suæ nonum expleuisset, pronunciassetque Calchas uates, Troiam sine Achille capi nõ posse: quia responsum tulisset à matre, Sibi in eo bello moriendum fore: puellari habitu indutus, in Scyron, quæ una est Cycladum, inter filias Lycomedis regis se abdidit. Hic tamen inter puellas ab Vlysse agnitus est. Natalis Comes lib. 9. Mythol. cap. 12.

CLEOMENES Spartanorum rex, uictus ab Antigono, cùm in Aegyptum fugeret, & Therycion amicus consuleret, ut morte seruitutem anteuerterent: non sibi, sed patriæ se superesse dictitabat: mortis metu mortem sibi ultrò consciscere, insani hominis esse, non fortis. Plut. in eius uita.

LACON, quum uoto se obstrinxisset, quòd se de Leucade præcipitem daret, conscendit montem, & conspecta altitudine, sese auertit. Id cùm illi probri gratia obiiceretur: Non putaram, inquit, illi uoto, maiore uoto opus esse. Nempe qui facinus arduum concipit animo, priùs à diis optare debet animum facinori parem. Plut. in Lacon.

Tribus annis Romæ uersatus GALENVS, ingruẽte magna peste, confestim ex urbe in patriam properauit, annum iam agens tricesimumseptimum.

INSIDIAS VITAE MODERATE DECLINARE.

Consule Tit. Prudentiæ in uitandis insidiis: illic respectu Rationis Prudentiæ declinantis, hic respectu Timoris Fortitudinis moderantis habetur ratio.

DAVID Isei F. Sauli regis insidias summo studio euitauit. Ab uxore Michol per fenestrã demissus, Ramathan ad Samuelem confugit. 1.Reg.19. Inde persequente Saulo, Nobam ad Achimelechum pontificem, à quo panes appositítios accepit, & ensem Goliathi. Mox ad Achim Gethæ regem, apud quem insaniam simulauit, ut tutus esset. Idem cap. 21. Tandem in speluncam Odollamam, ubi manum circiter quadringentorum uirorum coegit, obæratorum, & fugitiuorum, & Maspham Moabitarũ se recepit. Inde monente Gado uate, in Iudeæ fines concessit, in Haretham syluã, & Palæstinos Ceilam oppugnantes cecidit. Saulum postea aduentare cum exercitu audiens, Ceilam reliquit, & saltus Ziphi munita loca tenuit. Persequente Saulo, in Maone saltu undiq; circumsessus tenebatur, cùm Saulus ad Palæstinos, qui incursionem fecerant, reprimẽdos, copias reducere cogitur. Vnde locus ille Rupes diremtoria uocata est. Occupauit inde Dauid Engadinorum arces. Mortuo Samuele in saltum Pharanem se contulit, & inde ad Achim Gethæ regem, à quo oppidum Siceleg ad habitandum cum suis obtinuit, è quo excursiones faciebat in Gessureos, Gerzæos & Amalechitas. 1.Reg.27.

Cùm discipuli Ioannis Baptistæ, Domino IESV nunciassent, quòd ab Herode rege in carcere obtruncatus fuisset: Iesus secessit ex illa regione, ne Herodi occasionem maioris flagitij committendi daret. Matth.14.

Post suscitatum Lazarum cùm Iudæi consilio indicto de comprehendendo Iesu cogitarẽt, IESVS è Bethania in desertũ, in ciuitatem Ephraim abiit, ad festum usq; Paschæ. Ioan.11.

Iudæi CHRISTVM Dominum, propter curatã Sabbato manum aridam cum Herodianis persequi cogitabant. At ille furori illorũ cedens, cũ discipulis suis ad mare secessit. Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 6.

PAVLVS Apostolus, cùm Damasci conuersus Christum prædicaret, insidiantibus ei Iudæis, & portas omnes obseruantibus, à discipulis laxata sporta per murum demissus, Hierosolymam peruenit. Vbi cùm Græcanici eum interimere conarentur, Cæsaream à fratribus deductus, Tarsumque dimissus est. Act.9.

Neque mortis reprehendenda fuga sit, siquidem uitam non turpiter appetas: neq; commendanda expectatio, si coniuncta cum odio sit uiuendi. Vnde fortissimos quosq; & bellicosissimos VIROS educit ubiq; ad certamen Homerus accuratè armatos. Apud Græcos etiam legislatores eum, qui clypeum proiecit, puniunt, non eum, qui gladium uel hastam: docentes, ne quid mali patiatur, priorem cuique curam ducendam, quàm ut hostibus inferat, præsertim magistratui aut duci. Plut. in Pelopida.

MITHRIDATES Ponti rex, diligentissimus uitæ fuit. Id ex eo intelligi potest, quòd unus quotidie uenenũ bibere excogitauit, præsumtis remediis, & inter ea nobili illa antidoto, quę nomen ab eo accepit, ut consuetudine ipsa innoxiũ fieret. Plin. lib.25. cap.2. Idem insidiarum metu uenationes secutus, per septem annos neq; urbis, neq; ruris tecto usus est, sed per syluas uagatus, diuersis montium regionib. pernoctabat: ignaris omnibus, quibus esset in locis assuetus feras persequi. Sic & insidias uitauit, & corpus suum ad omnem uirtutis patientiam indurauit: exercitum quoq; hyeme media fortiter hæc tolerare docuit. Iustinus lib.37.

Cùm legati ad TVRCORVM reges introducuntur, singulos bini purpurati in medio arreptis brachiis, quadã honoris specie sustentantes, ad dextræ osculum perducunt: neq; externos homines ad tyrannum aliter admittunt, quàm ut sinum scrutentur, an ferrum sub ueste lateat, implicatisq; eo modo brachiis, commouendæ manus potestatem facinus ausuris dissimulanter eripiunt: quanquã & assidenti in thoro circumposita parataq; ad manum clypeus cum acinace clauaq; ferrea, ac item arcus & sagittæ conspiciantur. Sab. Supplem. lib.24. & Iouius lib.28.

Anno MDXXVI. Hungaris ad Mugacium trucidatis, & rege ipso Ludouico ad fœdum interitũ palustri lacuna submerso, uictor SOLYMANNVS Budam rectà contendit. Vrbe, regiaq; potitus, ad Danubium posuit castra, inuisitq; regiã arcem, ita tamen, ut in ea minimè pernoctaret: quòd antiqua Othomannorum lege cautum sit, ut Imperator nusquã muris, sed suæ tantùm custodiæ munimentis confidat. Iouius lib.28. Hist.

HENRICVS VII. Anglorum regno pulcrè constituto, tamẽ præteritis malis doctus, sibi adhuc inimicorum insidias pertimescendas ducebat, quòd mortales ab incunabulis odio factionum imbuti, nõ facilè soleant uirus ex animo expuere. Itaq; primus omnium Angliæ regum, stipatores corporis habere cœpit, quod à Francis principibus sumsisse fertur. Polydorus lib.26.

RODVLPHVS Habspurgensis Imp. Italorum insidias declinans, Romam inaugurationis à Pontifice suscipiendæ causa proficisci renuit: — Quia me uestigia terrent, ingens. Cuspinianus.

FERD. Piscarius lorica, quæ iugulum tantùm atq; humeros muniret, in tumultuariis expeditionibus utebatur, nec sine ea somnum capere erat solitus. Iouius in Piscario lib.3.

HOSTIVM VIM ET INSIDIAS MODESTE DECLINARE. FVGA honesta.

Declinamus hostes ut mala per se: per accidens etiam, quatenus uel libertati uel uitæ uel gloriæ nostræ insidiantur. Ne eadẽ bis repetere cogamur, de hostium Fuga simpliciter hic loquimur, quamcunq; ob causam fiat. Consule Tit. Stratagematum, Imperator ne pugnet, quatenus hostium congressum euitat. Item, Cùm desperatis non pugnare, Hostem clausum emittere.

DAVID rex audiens filium Absalomum Hebrone contra se regem creatum, excessit Hierosolymis, suosq; omnes premi sit, ne incauti ab Absalomo opprimerentur, ipse Iordanem traiecit, & in loca tuta se recepit. 2. Reg.15.

Quidam aiunt Molionidas adortos aliquãdo HERCVLEM ex insidiis: atque illum hominum multitudine territum, nõ ausum contrà resistere, sed fuga saluti consuluisse, idque in uulgi sermonem abiisse, Ne Hercules quidem contra duos. Erasmus.

Oraculum Græcis datum fuerat, Qui primus in terram Troianorum exilisset, fatali morte periturum. ACHILLES igitur, quamuis Græcorum omnium fortissimus esset, manifesto tamen & ineuitabili periculo sese exponere noluit, sed ultimus omnium in terram egressus est. Protesilaus uerò iuuenili audacia prosiliens, in terra primus fuit, & quoq; primus in Orco. Eustathius Iliad.β.

Veteres SPARTANI murorum oppugnationes declinabãt, ubi non solùm à uiro abiecto, uerùm etiam cõtingat à puero & femina uulneratum cadere uel fortissimum: quomodo à Paride Achillem aiunt interemtũ in porta. Plut. in Lysandri & Syllæ comparatione.

Quum ANTIGONVS secundus rex, aliquando cederet hostibus imminentibus, aiebat, Se non fugere, sed oportunitatem à tergo sitam persequi. Fugere & Persequi sunt contraria. At ille se persequi magis quàm fugere profitebatur. Persequimur enim hostem, & persequimur id, quod studiosè expetimus. Plutarchus in Regum apophthegmatibus. Stobæus Serm.52.

METON astronomus, Atheniensib. in Siciliam nauigaturis, posteaquam futura pericula cognouisset, neque inueniret honestatis prætextum, insanum & furibundum se esse finxit: & ad uerisimilem morbi opinionem domum etiam incendit. Insanus igitur à belli principibus iudicatus, liberè dimissus est. Aelianus lib.13. de Var. hist.

Posteaquam M. Crassus infeliciter contra Parthos pugnauit, aliis aliò fugientibus, CASSIVS retulit se Carras. Ducib. itineris (Arabes hi erant) ut operiretur monẽtibus eum, dũ esset Scorpionem Luna præteruecta: Atqui Sagittarium ego, inquit, magis quàm hunc, exhorresco. Ita cum equitib. quingentis abripuit se in Assyriam. Plut. in Crasso.

HERODES Antipatri F. à Parthorum rege Pacoro Hierosolymis obsessus, cùm Hircanum socerum regem & Phasaelum fratrem perfidè à Barzapharne satrapa, ad quem legati fuerant missi, captos audiuisset: militibus assumtis, totaq; familia iumentis imposita, comites inter eundum singillatim accedens hortabatur, ne mœrori succumberẽt. hunc enim fugæ officere, in qua sola salutis spes sit reposita. Quibus uerbis accensi conabantur calamitati resistere. Interim minimum absuit, quin ipse sibi manus inferret, euerso uehiculo, & matre adducta in mortis periculum, adeò & casus hic eũ terruit, & metus, ne inter has moras superueniret hostis insequens. Iamque gladium strinxerat, uolens se percutere, cùm interuentu proximorum est prohibitus, obtestãtium, ne suos inimicorum iniuriis relinqueret. Igitur refota matre, & pro tempore adhibitis remediis, pergebat institutum cursum, petens castellum Massadam quàm maximis compendiis. In quo itinere nõ semel impugnatus à Parthis persecutoribus, semper uictor discessit. Iudęi sexagesimo ab urbe stadio illũ aggressi, profligati sunt. Eo loci pòst regiam condidit cum primis memorabilem, adiuncto etiam oppido, quod Herodium uocari uoluit. Depositis tandem suis in castro Massada, ipse etiam media hyeme Romam properauit, & à Senatu rex declaratus, regnum tandem, uicto Antigono, cui Pacorus regnum concesserat, obtinuit. Iosephus lib.14. cap.25.

MASSILIENSIVM oppidum intrare nulli cum telo licet: præstoq; est, qui id custodiæ gratia acceptum, exituro reddat: ut hospitia sua quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint. Val. lib.2. cap.1.

Maximo tyranno contra VALENTINIANVM II. ducente, Valentinianus, quòd uires pares ad tantũ excipiendũ impetum non haberet; suorum monitu repentè Aquileia se cum Iustina matre proripuit, ac naui conscensa, Thessalonicam accessit, ac raptim Theodosij Magni auxilium implorauit. Sigonius lib.9. Imp. occid.

D. HILARION ad quosdam fratres sibi notos in Bruto diuertit, haud procul ab Alexandria. Qui cùm miro gaudio suscepissent senem, & iam uicina nox esset, repentè audiunt discipulos eius asinum sternere, illumq; parare proficisci. Aduoluti pedibus, rogabant ne hoc faceret. Quibus ille respondit: Nõ multo pòst cognoscetis, me nõ sine causa subitò discessisse. Die sequente affuere Gazenses cum lictoribus, eũ comprehensuri: quandoquidem à Iuliano Apostata, & Hilarionis & Hesychij mortem impetrauerant. Hieronymus in uita Hilarionis.

CONRADINVS dux Sueuiæ, mortuo patre Conrado, dum Siciliæ regnum sibi uendicare nititur hæreditario iure, contra Carolum Andegauensem comitem (quem ex Gallia euocarat contra Manfredum Clemens IIII. Pontifex) apud Beneuentum dubio marte tres horas pugnauit. Tãdem uictus, dum fugæ consulit, Asturam peruenit, cum Friderico duce Austriæ, agasonis habitu: ibi à quodam comite Cașertano (cuius uxorem adamans, ut ea potiretur, uirum sub honoris specie ablegauerat) Carolo proditus, securi percussus est. Cuspinianus.

Concubia nocte Manuelus dum excubias obit, Persas quos secum in exercitu habebat cum Saracenis ipsorum lingua sentit colloqui, paciscique cum iis de prodẽdo Romanorum exercitu, & repetenda patria. Id statim aperit THEOPHILO Imperatori: eumque hortatur, ut cum delectis fuga sibi consulat, ne in hostium perueniat manus. Respondenti Imperatori, Fieri hoc uix posse, præsertim perituris, qui nunc sui causa secum mansissent: Tibi modò, inquit, Deus salutem concedat, reliqui mox rebus suis consulent. Imperatore sub diluculum fuga elapso, & ad Chilocomum perlato, milites, qui ordinibus desertis terga dederant, occurrerunt, fassiq;, Se uita dignos non esse, qui Imperatorem in pugna prodidissent, iam ferrum in seipsos stringebant: cùm Imperator spectaculo illo perculsus, se diuinitùs seruatum, proinde ipsos quoq; saluos fore dixit. Cedrenus.

Anno 1396. SIGISMVNDVS rex Vngarorum, cùm Turcę, duce Baiazethe Amurathis filio, Thracibus, Græcis, & Macedonibus deuictis, Mysos, hoc est Bulgaros & Rascios uexarent: congregato è uariis gentibus Christiani nominis ingenti exercitu, infeliciter pugnauit apud Nicopolim: elapsus tamen, traiecto naui Danubio, Constantinopolim fuga delatus est: & inde aliquanto pòst Rhodum, ac deinde in Dalmatiam & Vngariam reuersus est. SCIBORIVS Sciboricius Polonus, fugiens cum rege & Vngaris, cùm nauim ingredi non posset, insequentibus Turcis, ita ut erat armatus, in Danubium se proiecit, & enatauit, carusq; postea Sigismundo regi fuit. Cromerus lib.15. Bonfinius libro 2. Decadis 3. Cuspinianus.

Post cladem Varnensem cùm IOANNES Huniades, dux fortiss. regis Vladislai occisi corpus recuperare nequiret: acceptis secum Valachis, fuga salutem quæsiuit: ut superesset aliquis post regis interitum, qui acceptam cladem ulcisci posset. Superato Danubio, citatissimo itinere per Valachiam (quæ olim Dacia dicebatur) dum in Hungariam properaret, ne malè rei gestæ fama seditionem tumultúmue exuscitarent, à Dracula Transalpinæ gentis Vaiuoda captus est, sed pòst cum muneribus dimissus. Similiter post cladem in campis acceptam Cassouiis Huniades celeri equo fuga sublatus est: abiectisque armis grauioribus, in manus duorum Turcorum, qui eum non cognouerant, deuenit. Ab iis expoliatus, dum de quodam amuleto, quod in collo gestabat inter se certarent, alterum ense strauit, alter fuga elapsus euasit. Solus in syluam cum equo delatus, inuenit Rascianũ quendam, à quo Sinderouiam est deductus. Sed cùm Belgradum peteret, à Georgio Despoto Seruiæ captus, uix filio suo Ladislao maiore natu in obsidem dato, assequi potuit, ut incolumis emitteretur. Cuspin.

Peruaserat metus Boemorum Hussitarum omnes Germaniæ prouincias, quando nihil erat inuium tantæ ferocitati. Vnde factum est, ut omnes ubique VRBES nouis se fossis & propugnaculis communirent, Erphordia, Iena, Magdeburgum, Brunsuicum, Luneburgum: inque eam rem desumsere uicinos in suburbiis hortos, & uineas, cuiuscunque essent ditionis, monasticę, ecclesiasticę, aut iuris priuati. Cranzius lib.11. Vandaliæ, cap.23.

PAVPERTATEM MODESTE DECLINARE.

Cùm maximo terræmotu Rhodus conquassata esset, ac muri ciuitatis magna ex parte, naualiaque corruissent, nec non colossus ille magnus euersus esset: tanto consilio artificioque RHODIOS usos calamitate illa instauranda Polybius lib.5. narrat, ut damnum hoc illis quæstuosum fuerit. Missis enim legatis ad reges & ciuitates, magnitudinem illius infortunij exposuerunt: atque ita animos eorum affecerunt, ut certatim illi amplissima munera Rhodum miserint: & non tantùm ipsos opibus suis subleuarint, uerumetiam se obligatos illis esse confessi fuerint. Victorius libro 17. Var. lect. cap.5.

IGNOMINIAM, DEDECVS FORTITER DECLINARE.

LACON quidã puer (sub tempus, quo furari moris erat ingenuis pueris, quod quisque ualeret, & non fefellisse infame) ut pueri, qui cum comitabantur, uiuam surripuerunt uulpeculam, eique custodiendam tradiderunt, superuenientibus qui uulpeculam amiserant, ad eam quærendam, abdiderat fortè illam sub pallio suo. Sæuiente bestia, ac latus eius usque ad interanea laniante, continuit se, ne deprehenderetur. Inde digressis illis, ut spectarunt factum pueri, incusaueruntque eũ, pręstitisse dicentes uulpeculam detexisse, quàm usq; ad mortem occultasse: Apagete, inquit: nam satius est doloribus immori, quàm furti manifestum per ignauiam, ut turpiter uiuam, esse assecutum. Plut. in Laconicis.

EXCIDIA DOMVS, VRBIS, REGNI MODESTE DEclinare.

ABIGAIL, cùm uirum suum Nabalem petulanter respondisse nunciis Dauidis audiuisset, festinauit, & tulit diuersa xenia, & Dauidem iratum placauit. 1.Reg.25.

EZECHIAS rex Iudæorum, prophetę uoce monitus, Fore, ut diuitiæ, quas insolentiùs ostentasset, Babylonem transferrentur: nihil oraculum auersatus, ita occurrisse fertur: Bonus est sermo, quem Dominus locutus est: sit pax (oro) & ueritas diebus meis. Hæc ille, & pœna in posteros dilata est. Sabell. lib.5. cap.7.

OENICYNVS Scytha, Zanclæorum rex, cùm ad Darium ascendisset in Asiam, omnium hominum, qui ex Græcia uenerant, existimatus est iustissimus esse, eò quòd in Siciliam ad regem profectus esset, pacis exposcendæ causa, rursumque ex Sicilia retrorsum ad regem iter fecisset. Aelianus lib.8. de Varia historia.

NICEPHORVS Imperator, cùm Aronem Ammiram cũ trecentis milibus ascendentem uidisset: pacem cum eo, licèt parum æquis conditionibus admittere, quàm temerè cum suis interire maluit. Sigebertus in Chron.

SERVITVTEM, CARCERES MODESTE ET FORTITER declinare.

Consule Tit. Prudentiæ in carceribus effugiendis.

LEGATI Lacedæmoniorum Philippo Macedoni intolerabilibus oneribus ciuitatem eorum implicanti, Si quid morte grauius imperare perseueraret, mortem se prælaturos, responderunt. Val. Max. lib.6. cap.4.

Pulsus regno Tarquinius Superbus, uaria ad recuperãdum imperium mouit bella. Postremò Tuscorum regem Porsenam, ut adoriretur Romam cum ingenti exercitu, impulit. Romani simul & bello pressi & fame, cùm Porsenam audirent nõ bello solùm, sed iustitia etiam & integritate clarum esse, controuersiæ cum Tarquinio capere eum arbitrum uolebant. Id abnuit Tarquinius, nec Porsenam, si societatem parum coleret constanter, æquum iudicem ostendit fore. Ita eo Porsena omisso, hoc studebat, ut amicus Romanorum discederet: agro, quem Thuscis ademerant, & captiuis receptis. In hæc obsidibus acceptis decem pueris & totidem puellis, inter quas Poplicolæ consulis filia VALERIA erat, quamuis pactis nondum impletis, omnem apparatum belli dissoluit. Puellæ ad fluuium paulò longiore à castris spacio descenderunt sicut loturæ. Earum unã nomine CLOELIA adhortante, tunicis circum capita religatis coniecerunt se in rapidos fluctus, præaltosq; gurgites continua serie magno labore ægrè tranauerunt. Alij Clœliam memorant equo, qui ad manum erat, insidentem sensim transisse, ac munere fuisse functam ducis, natantes cohortantem & adiuuantem. Romani uirtutem & robur animi earum laudauerunt, non probauerunt reditum, datisq; ducibus remiserunt puellas. Quibus, cùm amnem traiecissent, posuit insidias Tarquinius, uirginesque penè circumuenit. Ibi filia Poplicolæ consulis Valeria, tribus comitata seruis in castra Porsenæ profugit. Reliquas raptim succurrens Porsenæ

filius Aruns eripuit hostibus. His in conspectu positis iussit profiteri Porsena, quæ dux & consilij auctor fuisset. Vbi cæteræ, Clœliæ timentes, steterunt tacitæ, ipsam se Clœliam professam admiratus Porsena, equum insigniter ornatum adduci iussit: quem cùm Clœliæ donasset, omnes comiter & humaniter remisit. Hoc signo contendunt plerique Clœliam equo amnem transmisisse. Id negant alij, sed audaciam puellæ & animum supra sexum miratum, dono eam, quod tribui uiro bellicoso decet, honorasse. Posita fuit uia, quam Sacram uocant, equestris statua huic puellę, quam hi Clœliam, illi Valeriam referunt fuisse. Plutarchus de Virtutibus mulierum, & in Poplicola.

P. FVRIVS, fratris T. Quintij consulis legatus, cùm aduersus Equorum gentem pugnaret, & cum paucis ab eorum multitudine circumuentus, hortantes eos audiret: ut abiectis armis uitam seruaret, mori pugnando maluit. Fulgosus libro 3. capite 2.

CONSTANTINVS Palæologus Imp. oppugnantibus Constantinopolim Turcis, ubi Barbarum irrumpentem sustineri non posse uidit, sibi manum iniicere uoluisse creditur. Inde, quia id parũ Christiani hominis esse succurrit, suos hortatus est, ut se ferro transfigerent. Quibus facere recusantibus, Imperatoriis insignibus depositis, stricto ferro in irrũpentium Barbarorum cuneum irruit, fortiterq; pugnando hostili manu concidit, cadensq;, nobilissimi Imperij excidio Imperatorium miscuit cadauer. Illi postea media cæsorum strage reperto caput, Mahometi II. iussũ est abscissum, totaque urbe ac castris circumlatum. Sunt qui dicant, eum ad Romanam portam fugientium strage ædita cum multis in ea trepidatione exanimatum, ac paludamento postea cognitum. Sab. lib. 7. Dec. 3.

Anno 705. Ferdulfus dux Foroiuliensis Sclauos incursantes temerè aggressus, se cum tota Foroiuliensium nobilitate pessumdedit. Ex ingenti numero solus MVNICHIS, Petri Foroiuliani, & Vrsi Cenetensis Ducum pater, euasit. Is cùm de equo deiectus esset, manibus licèt uinculis impeditis, lanceam ei, qui se uinxerat, abstulit, atque eo uulnerato se per aspera ac prærupta loca deiecit. Sigon. lib. 2 regni Ital.

DECLINATIO MALORVM INHONESTA REPVDIATA.

MALA non declinare, quæ honestè declinari nequeunt.

Hic Declinationem solam consideramus neglectam. Quam cùm sequatur uel Propulsatio uel Tolerantia, uidebuntur sæpe eadem exempla diuersis locis inseruitura.

MORTEM, MORTIS PERICVLVM NON DECLINARE.

Consule Tit. Martyriũ. Item, Mortui in acie.

ISAACVS Abrahamo patri loco uictimæ sese obtulit, Dei uoluntati, quam pater sequebatur, quantum in se erat, satisfacere cupiens. Sed angeli interuentu dilata est uictima, cùm piaculum esset, aliam Deo offerre hostiam humanã, quàm ipsummet Messiam benedictum. Gen. 22.

SIDRACH, MISACH & ABDENAGO pueri, ætatem animi magnitudine supergressi, cùm regis Nabucodonosori statuam adorare nollent, in fornacem ardentem proiiciuntur, & inter furentes flammarum globos laudes Deo decãtant. DANIEL leonibus deuorandus datur. Sed nec illos adussit ignis, neque hunc leones attigerunt: ut omnibus manifestum fieret, ueræ religionis uirtutem potentissimo tyranno fortiorem esse, & fideles, nisi Deo permittente, nulla ui occidi posse. Dan. 3.

MACARIA Herculis F. apud Euripidem in Heraclidis pro salute patriæ mactanda inquit:

Εὕρημα γάρ τοι τὸ μὴ φιλοψυχοῦσ' ἐγὼ
κάλλιστον εὕρηκ', εὐκλεῶς λιπεῖν βίον. Inuentum hoc, non uitæ cupida ego, honestissimum inueni, gloriosè mori.

M. ATTILIVS Regulus ad Senatum missus de pace impetranda, eam dissuasit: & Carthaginensium torturis sese offerre, quàm decus patriæ contaminare maluit. Extat oratio eius luculẽta apud Silium lib. 6. De eo item Horat. 3. Carminũ 5.

Fertur pudicæ coniugis osculum
Paruosq; natos, ut capitis minor,
A se remouisse, & uirilem
Toruus humi posuisse uultum:
Donec labanteis consilio patres
Firmaret auctor nunquam aliàs dato,
Interq; mœrenteis amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimouit obstantes amicos,
Et populum reditus morantem,
Quàm si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

MAGNVS Sforcia pestilens contagium in uisendis fratribus non metuit. Iouius.

INSIDIATORES NON DECLINARE.

Noadia mulier fatidica, NEHEMIÆ muros Hierosolymę instauranti Samaritanorum insidias detexit, consulens, ut sese in fani proximi cellam mediam tanquam asylum reciperet. Quod ille renuens, Non eum se esse respondit qui fugeret: uel Dei præsidio tutum, fani latibulis opus non habere. 2. Esdræ 6.

HOSTES NON DECLINARE. SIVE

PVGNANDO.

Vide Tit. Duces & Milites fortes.

LEONIDAS Alexandridæ, dicẽtibus Ephoris, Paucos ipsum ad Thermopylas ducere: Multos, inquit, ad quem pergimus actum. Exquirentibus iterum, Nihilne statuisti aliud agere? Transitum Barbarorum, infit, uerbo arcere, reuera pro Græcis mori. Vt peruenit intra Thermopylas, ad commilitones ait: In propinquo ferunt esse barbarum. quare non est tempus terendum. Iam enim aut uincendi barbari, aut nobis est moriendum. Alexandridæ dicenti, Præ barbarorum sagittis nec solem uidere licebit: Bene habet, inquit, quòd in umbra cum iis decertabimus. Alteri dicenti: Propinquant nobis: Ergo, inquit, & nos illis. Plut. in Apoph.

Ab hostibus iam circũdatus Leonidas à Persis, cùm DVOS ex magna familia seruare uellet: alteri, ut eum dimitteret, dedit epistolam: quam ille non accepit, cum stomacho respondens: Bellator te, nõ tabellarius, sum secutus. Alteri aliquid Lacedæmoniorum magistratibus nũciare præcepit. Ille factis respondit, ac capto clypeo in ordinem suum iuit. Plut. de Herodoti malignitate.

Alexandridas percunctanti cuidã, Quid per bella SPARTIATÆ intrepidè pericula adirent? Quòd soliciti, inquit, esse de uita, non, ut alij, timere meditamur. Plut. in Apoph.

AGIS rex, Mantinee, cùm interpellaretur signa cum hostibus, quòd plures essent, conferre: Cum multis inquit, dimicandum est ei, qui imperare intendit multis. Ibidem.

PÆDARETVS dicenti, Multos esse hostes: Igitur decus, inquit, referemus maius. plures enim interficiemus. Ibidem.

DAMIDAS armis à Philippo illatis Peloponneso, iactanti cuipiam, Graues calamitates Lacedæmoniis impẽdere: Effeminate, inquit, quid mali patiamur, si mortem contemserimus? Ibidem.

ARISTACRIDAS, cùm diceret ei quispiam fuso iam in pugnã aduersus Antipatrum apud Megalopolim Agide: Quid agetis Lacedæmonij, seruietisne Macedonibus? Quid, num ualebit, inquit, Antipater, quò minus pugnantes pro Sparta occumbamus, impedire? Ibidem.

DERCYLLIDAS ad Pyrrhum, qui in finibus Spartanis exercitum ductabat, imperantem, ut regem suum reciperent Cleonymum, aut cogituros, nullis aliis ipsos præstantiores esse: occurrens ait: Si Deus est, non timemus hũc (nihil enim est à nobis in illum profectum iniuriæ) sin homo, nihilo profectò nobis præstat. Ibidem.

BIAS insidiis ab Atheniensium duce Iphicrate circumuẽtus, cùm rogaretur à militibus, Quid faciũdum esset: Quid nam infit aliud, quàm ut uos euadatis incolumes, ego uerò dimicans cadam? Ibidem.

PELOPIDAS milite quodam dicente: Incidimus in hostes: Quid magis, inquit, quàm in nos illi? Ibidem.

Catonis Vticensis F. in Philippis contra Octauium Cæsarem & Antonium pro libertate decertans, cùm inclinata acie neque fugere, neq; latebras sustineret quærere, hostes lacessiuit: coramq; iis, qui esset declarans, ac stantes adhuc in acie incitans cecidit, magna uirtutis suæ apud inimicos relicta admiratione. Plut. in Catone.

ORDELAPHVS Faletrus, Venetorum dux, post non pauca egregia facta, ad Iaderam urbem aduersus Hungaros, qui eam oppugnabant, fortissimè pugnans, in prima acie contra illos occubuit. Cadauer Venetias relatum, uniuersa ciuitas magna pompa in æde Diui Marci, marmoreo sepulcro sepeliendum curauit. Egnat. lib. 3. cap. 2.

OCCVRRENDO.

Senex ANTIGONVS, cùm nauali prælio esset ad Andrum decertaturus, & quidam, Lõgè plures diceret esse hostium naues: At me ipsum, infit, quàm multis opponis? Nempe maie-

statem meritò extollit, imperantis peritia & uirtute succinctam; cuius primũ munus est, ut seruet eum, qui conseruat omnia. Plut. in Pelopida.

D. MARTINVS, cùm esset annorum duodeuiginti, ad baptismã conuolauit. Nec statim militiæ renunciauit, Tribuni sui precibus euictus, qui & ipse transacto tribunatus sui tẽpore, renunciaturum se seculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè, posteaquàm est baptisma consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus in Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar coactò in unum exercitu apud Vangionum ciuitatem, donatiuum cepit erogare militibus, & ut est consuetudinis, singuli citabãtur, donec ad Martinum uentum est. Tum uerò oportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum nõ militaturus acciperet) Hactenus, inquit ad Cæsarem, militaui tibi, nunc patere, ut militem Deo: donatiuũ pugnaturus accipiat. Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Aduersus hanc uocem tyrannus infremuit, dicens, Eum metu pugnæ, quæ postero die erat futura, non religionis gratiâ detrectare militiam. At Martinus. Si hoc, inquit, ignauiæ adscribitur, nõ fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, ut inermis Barbaris obiiceretur. Postero die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seq; dedentes. Vnde quis dubitet, hanc uerè beati uiri fuisse uictoriam? Neq; enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare uictoriam, quã ut subactis sine sanguine hostib. nemo moreretur. Seuerus Sulpitius c. 4. de uita Martini.

Quum EMERICVS Belæ III. Vngarorum regis F. mortuo patre, Vngariæ regnum beneficio primogenituræ obtinuisset, idq; frater Andreas iniquo animo ferens contra eũ exercitum duxisset, fratris exercitui solum sese offerens, omnes eos ad meliorem mentem reuocauit. Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

GVLIELMVS Gondisaluus, Galliciæ comes, cùm diu Legionem urbem in Hispania defendisset, & muris ab hoste perfossis honestè saluti consulere posset (quòd graui morbo affectus ferre arma prohibebatur) maluit in ea urbe mori, quã susceptam eius tuendæ curã omittere. Itaq; arma indutus, cùm inualido corpori uix ad incessum uires sufficerent, ferri se ad locum iussit, ubi plus erat periculi: illicq; iacens (neq; enim consistendi facultas erat) inuictus animo, hostium telis confossus, parta fama, qua semper nomen eius uiuet, uitam amisit. Fulgosus lib 3. c. 2.

SPECVLANDO, EXPLORANDO, NVNCIANDO.

Sub Tolerantiæ loco uide Tit. Pericula uitæ subire Explorando.

Cùm uictorum ad Alliam Romanorum reliquiæ M. Fur. Camillum dictatorem creassent: is uerò non nisi consensu Senatorum, qui Capitolium obtinebant, eum magistratum se suscepturũ professus esset: ibi tum C. PONTIVS, cùm prouinciam suscepisset, militum sententiam in Capitolium nũciandi, periculo se ingenti obiecit: quòd transeundum per medios esset hostes, qui stationibus arcem & uallo undique sepserant. Hic ut ad amnem, tenebris uenit, incubans suberibus latis, corpusque leuitati permittens uehiculi, lenique & placido flumine delatus, tenuit tutò aduersam ripam. Postquam in terram euasit, perrexit qua lumina non cernebat, ex tenebris silentioq; solitudinem coniiciens. ac scandens præruptum saxum, qua uestigium admittebat & prehendi poterat mollior deuexitas, anfractibus & asperitatibus rupis affixus innixusq; in uerticẽ euasit, receptusq; ab excubiis, exposuit obsessis mandata: acceptoq; decreto, ad Camillum regressus est. Cùm diluxisset, quidam ex barbaris, qui illac fortè transibat, ut aduertit, hinc summa pedũ uestigia & instabilium graduum notas, hinc obtritã & conuulsam, qua terram uestiebat, herbam, tractus etiam corporis & obliquos nixus: rem aliis indicauit. Hi monstrari ab hostibus sibi uiam rati, in rupem eluctati aggressi sunt: nocteq;, qua infrequentissimi uigiles erant, captantes conscenderunt: fefelleruntq; non solùm stationes, uerùm etiam canes excubitores, uigilumq; comites somno mersos. Haud defuit tamen fortunæ Romanæ, quæ tantum discriminis enunciare & significare ualeret, uox Sacri anseres apud templum Iunonis in honorem eius alebantur. Hoc animal sua natura facilè ad omnem tumultum & strepitum expauescit: & tunc; quòd in magna difficultate cibariorum uersantibus obsessis negligerentur, tenui ex fame somno tenebantur: quare statim hostes perceperunt uerticem rupis superantes, elatoque clamore eos audacter petiuerunt: mox armorum fulgore magis exterriti, locum ualidò clangore asperoque complerunt: quo Romani exciti, & quid ageretur odorantes, impulerunt & præcipites dederunt hostes. Ob huiusce casus memoriam ostentat se in hanc usque diem fortuna celebri pompa: canis in crucem actus, & anser in amplo & splendido grabato & ferculo transferuntur. Plutarchus de Rom. fortuna.

TYRANNOS NON DECLINARE.

VLYSSES, apud Eurip. Cyclope, immanem aduentantis Polyphemi staturã formidantibus sociis, fugere noluit, inquiẽs:

ἀλλ' εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς,
ἢ ζῶντες αἶνον τὸν πάρος γ' εὖ σώσομεν. Si moriendum est, moriemur gloriosè: aut uiuentes laudẽ pristinã seruabimus.

PELOPIDAS captus præter fœdus à tyranno Pheræorum Alexandro, ac uinctus, probris lacerauit eum. Qui cùm diceret: Festinas mori? Ego uerò, inquit, quo magis inflammatis in te Thebanis pœnas pendas maturius. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cùm Lysimachus rex Cyrenæo THEODORO crucem minaretur: Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humi'ne, an sublimi putrescat. καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει, πότερον ὑπὲρ γῆς, ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται; Lepos in præpositionum affinitate, ὑπὲρ & ὑπό. Cic. lib. 1. Tuscul.

Aristotimus Eliensium tyrannus MVLIERIBVS DCCC exulum, qui Amymonem occuparant, dira multa minatus, imperauerat, ut scriberẽt uiris, ut præsidio excederent. Pleræq; diu urgenti, & an morem gesturæ essent, expromere iubenti, nihil responderunt: sed tacito & blando inter se nutu paciscebantur, ut forti essent animo, minasq; contemnerẽt. Timoleontis uxor MEGISTO, quæ & uiri dignitate & sua uirtute principem locum inter eas obtinebat, non est assurgere dignata, nec permisit alias: sed sedens respondit tyranno: Tu si mentem haberes, de uiris non ageres cum uxoribus, sed ad illos, qui in nos ius habent, misisses, meliore excogitato consilio, quàm quo nos circumuenisti. Si uerò, quod hos tibi diffidas fidem habituros, per nos eis statuisti imponere: noli sperare iterum fucum te nobis facturum. Neque illi tam sint amentes, ut infantibus & feminis parcendo patriæ libertatem prodãt: neq; nostri amittendi, quibus ne nunc quidem fruuntur, tanta illis iactura sit, quantum fructus ciues abs tua immanitate & cõtumelia uindicasse. Hęc cùm illa diceret, impar iræ Aristotimus, filiolum eius arripi ad cædem sub eius oculis intentans imperauit. Quem dum ministri in cœtu reliquorum ludentium & colluctantium quærunt, mater eum nomine compellans: Huc ades, inquit, fili: prius hac tetra tyrannide, quàm sentias & intelligas, liberare: mihi certè indigna oppressum seruitute acerbiùs est aspicere, quàm expirantem. Hic Aristotimo iritato, eamque stricto ferro petente, quidam eius familiaris, Cyloni nomen fuit, quem fidum sibi putabat, cùm odisset ille tyrannum, essetque in Hellanici coniuratione, intercessit, ardoremque eius precibus repressit, admonuitque turpe id esse ac muliebre, atque à principe uiro, qui in magnis rebus uersatus esset, alienum. Ita uix sui compos factus Aristotimus discessit, non multò pòst à coniuratis oppressus. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

DECLINATIO NIMIA MALORVM, SIVE

uera sint, siue imaginaria.

In nimia declinatione rationem itidem habemus tum Materiæ, siue eius quod declinamus (& sic huius est loci) tum Formæ siue modi quo declinamus (cui quidem inseruit & Interna Stultitia, & Externa Tolerantia simul & Audacia uæsana) tum ipsius Finis: si quidem declinamus tum Per se, quia malum, tum Per accidens, quia aliud malum secum inuehit. Iam uerò Declinatio nimia mali impendentis, Tolerantiam ferè nimiam mali præsentis iunctam habet. Si ut Declinet maius malum, malum minus Tolerat, laudabilis est Declinatio & Tolerantia. Sin malum maius Tolerat, ut minus malum Declinet, utraque uituperabilis est. Proinde exempla è loco Tolerantiæ nimiæ, quæ Declinationem nimiam iunctam habet, huc transferri possunt.

RESPE-

RESPECTV RERVM MALArum, quæ declinantur, ſiue pertineant ad

ANIMVM. NIMIVM DECLINARE, FVGERE

Peccata.

PATRICIANI hęretici carnem à diabolo factam aſſerentes, eam ita fugiebant, ut ſibiipſis interdum mortem inferrent. Teſtis Philaſter, & D. Auguſt.

Conſcientiæ flagella.

Conſule Tit. Deſperationis, & eorum, qui Manus ſibiipſis inferunt, quatenus conſcientiæ ſtimulis agitati, impurum corpus à ſcelerata anima depellunt.

IVDAS Iſcariotes deſperans, laqueo uitam finiuit. Matthæi cap.27.

CORPVS. NIMIVM DECLINARE, FVGERE

Vitæ incommoda.

Gaunoduri, ubi Rhenꝰ ex lacu Podamico fluit, A.D.1220. QVIDAM obſcuræ ſortis homo uitam odiſſe cepit, inquiens, Et quid eſt aliud uiuere, quàm edere, bibere, mingere, cacare, dormire, uigilare? Liberemur ergo hac moleſtia. Itaq; de pōte ſe præcipitem dans, in Rheno ſubmerſus eſt. Stumpfius.

Morbos.

Cato Maior, celebrantib. quibuſdam hominē temerariæ & ꝓiectæ in bello audaciæ, Intereſſe ait, magni, uirtutē an uitam uili pendas. Et rectè dixit. Siquidem MILES Antigoni ferox quidem, ſed affecto corpore & habitu, palloris cauſam regi requirēti, dicitur reconditū morbum detexiſſe. Verùm cùm magna cura rex, ſi quod remedium eſſet, nihil ſummæ opis iuſſiſſet medicis prætermittere: reſtitutus ita ſanitati, ſtrenuꝰ ille nō obiecit deinceps ſe diſcrimini, neq; ꝑceps ruit in certamina. Quā cōuerſionē cùm Antigonus exprobraret ei, & miraretur, non celauit ille cauſam, ac, Tu me, inquit, reddidiſti rex timidiorē, qui iis me malis explicuiſti, ob quæ non laborabam uiuere. Plut. in Pelopidæ prœmio.

STILPO Megarenſis philoſophus, extremo deficiens ſenio, merum hauſit, ut celeriùs moreretur. Cælius Rhodiginus lib.28. cap.36.

Gregorius III, hortatur Bonifacium Epiſcopum Moguntinū, ut doceat GERMANOS, ne adeò pauidè peſtilentiam fugiant, quaſi è manu Dei quis effugere queat. Nauclerus generatione 25.

Mortem, Interitum. Puta

Supplicatione indecora.

Iudeę gentis ſacerdotes, urbe magna ex parte à Veſpaſiano capta, templo direpto & incenſo, cùm nil ſupereſſet ampliùs, quod cum uita optari poſſet, ſuppliciter ſunt uitam à Romani exercitus imperatore TITO, ſalutemq; precati. A quo illud tulēre reſponſum: Non eſſe opus uenia ſacerdotibus, tēplo & ſacris amiſſis. Sab. lib.4. c.7.

EVGENIVS tyrannus, cùm Arbogaſtis copiarum ductoris ope, Valentiniano ſecundo occiſo, in Gallia imperium occupaſſet, in prælio, quo cū primo Theodoſio decertauit, inclinare aciem ſuam conſpiciens, ne tunc minùs uili, quàm antè ſcelerato animo cognoſceretur (minimè Arbogaſtē imitatus, qui inclinante fortuna ſibiipſi mortem conſciuit) ut paucas horas uitam prorogaret, ad Theodoſij pedes, abiecta imperatoria ueſte, ſe proſtrauit: à quo occiſus eſt. Fulgoſus lib.9. c.13.

Officij intermiſſione.

NICEPHORVS Phocas Imp. Antiochia potiri cùm poſſet, eius recuperationem diſtulit, territus rumore, quo recepta Antiochia Imperator ſtatim moriturus dicebatur. Iccirco & Petro & Michaëli Burzæ ducibus mandauit, ne eam oppugnarent. Burzas uerò æternam ſibi paraturus gloriam turris cuiuſdam altitudinē clàm mēſus, paratis ſcalis, nocte illuni & niuoſa tacitè mœnibus urbis ſucceſſit, & cū CCC aſcendit. Petrus ne collegam perfidè deſeruiſſe uideretur, cum omnibus copiis urbem inuaſit, atque cepit. Zonaras, & Cedrenus.

Idololatria.

Chriſtianis rebus Diocletiani ſæuitia afflictis, abolitisq; ſacrarum rerū monumentis, & ut Chriſti nomen aboleretur, urbiū antiſtitibus ſupremo ſupplicio affectis, ſeptēdecim piorū millibus, paucorum dierū ſpacio, aliis alio ſupplicio peremtis: unus omnium MARCELLINVS Romanus pontifex ad ſimulacra dæmonū, metu mortis, ſacrificauit. Sed pœnitentia, quā egit, non ſolùm illi Chriſtianum nomen, ſed & dignitatem reſtituit. Sab. lib.4. c.7.

Perfidia.

M. Anneus LVCANVS poeta ſub Nerone Cæſare cōprehenſus (uelut Piſonianæ cōiurationis conſcius, de qua audacter nimis loquutus erat) ut tormēta adhiberi ſenſit, totus prę nimio uiuendi deſiderio immutatus, Neroni, incolumitatem pactus, promiſit magna ſe detecturum: atq; ut ei aliquid diceret, quod credi poſſe uideretur, matrem ſuam Acciliā innocentem accuſauit. Verùm pro tanto ſcelere, ut gratiā, qua dignus, acciperet: intra paucos dies inter alios coniuratos occiſus fuit, uita ingenti ſcelere in aliquot dies producta. Fulg. lib.9. c.13. ex Suetonio.

Mora, Dilatione.

Cn. CARBO, Marianarum partium dux haud ignobilis, in Sicilia captus, cùm ad ſupplicium traheretur, tempus petiit ad uentrem exonerandum, moram ſupplicio quærens: ignarus ſcilicet, non in morte eſſe cruciatum, ſed in uia, quæ ducit ad mortem. Sab. lib.4. c.7.

PERPENNA, in Hiſpania Sertorio interemto, cùm à ſeditioſo exercitu fugiſſet, à Pompeianis deprehenſus, cùm inter arbuſta latēret, timens ne tunc occideretur, ut aliquantiſper uitam produceret, exclamauit, ut ſe ad Pompeium deducerent: detecturum enim ſe omnia, quæ ipſius hoſtes Romæ molirentur. O animum uilem & abiectum, uitæ puſillum momentum ſibi amicorum proditione ac ſanguine ueluti precio uelle concedi: cuius tamen compos non fuit, priùs interemtus, quàm eum Pompeius uideret. Fulgoſus libro nono, cap.13.

Fuga turpi.

LACEDÆMONII poſt Lycurgi mortem, cùm ſe Arcadibus præſtantiores eſſe arbitrarentur, conſulto oraculo, at non rectè intellecto, bellum intulere Tegeatibus, ferentes ſecum compedes, tanquā ipſi eſſent Tegeatas redacturi in captiuitatem. Verùm cōgreſſi prælio, ac fugati, quicunq; eorū uiui ſunt capti, eiſdem quas ipſi attulerant cōpedibus indutis, campum Tegeatem metiti fune coluerunt. Herod. lib.1.

ALCÆVS poeta, abiectis armis, aufugit, quæ hoſtes in templo Palladis ſuſpenderunt. Gyraldus.

NERO Cæſar, nunciata, præter Gallos & Hiſpanos, etiam reliquorum exercituum defectione, literas prandenti ſibi redditas concepſit, menſam ſubuertit: duos ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri uocabat, ſolo illiſit: ac ſumto à Locuſta ueneno, & in auream pyxidem condito, tranſiit in hortos Seruilianos. Vbi pręmiſſis libertorum fidiſſimis Hoſtiam, ad claſſem præparandā, Tribunos, Centurionesq; Prætorij de fugæ ſocietate tentauit. Sed partim tergiuerſantibus, partim apertè detrectantibus, uno uerò etiam proclamante,

Vſqueadeóne mori miſerum eſt?

uaria agitauit, Parthós ne an Galbam ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proq; Roſtris quāta poſſet maxima miſeratione ueniam præteritorum precaretur: ac ni flexiſſet animos, uel Aegypti præfecturam concedi ſibi oraret. Inuentus eſt poſtea in ſcrinio eius hac de re ſermo formatus. Sed deterritum putant, ne priùs, quàm in forum perueniret, diſcerperetur. Sic cogitatione in poſterum diem dilata, ad mediam ferè noctem excitatus, ut comperit ſtationē militum receſſiſſe, proſiluit è lecto, miſitq; circum amicos. Et quia nihil à quoquam renūciabatur, ipſe cum paucis hoſpitia ſingulorum adiit. Verùm clauſis omnium foribus, reſpondente nullo, in cubiculum rediit: unde iam & cuſtodes diffugerant, direptis etiam ſtragulis, amota & pyxide ueneni. Ac ſtatim Spicillum Mirmillonē, uel quemlibet aliū percuſſorem, cuius manu periret, requiſiuit. At nemine reperto: Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum? procurritq; quaſi præcipitaturus ſe in Tyberim. Sed reuocato rurſus impetu, aliquid ſecretioris latebræ ad colligendum animum deſiderauit: & offerēte Phaonte liberto ſuburbanum ſuum inter Salariam & Numentanam uiam circa quartum milliarium: ut erat nudo pede atq; tunicatus, penulam obſoleti coloris ſuperinduit: adopertoq; capite, & ante faciem obtenſo ſudario, equum inſcendit, quatuor ſolis comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimq; tremore terrę, & fulgure aduerſo pauefactus, audiit ex proximis caſtris clamorem militum, & ſibi aduerſa, & Galbæ proſpera ominantiū: etiam ex obuiis uiatoribus quendam dicentem, Hi Neronē perſequuntur. alium ſciſcitantem, Ecquid in urbe noui de Nerone? Equo autem odore abiecti in uia cadaueris cōſternato, detecta facie agnitus eſt à quodam Miſſitio prætoriano, & ſalutatus. Vt ad diuerticulum uentū eſt, dimiſſis equis inter fruticeta ac uepres, per arundineti ſemitam ægrè, nec niſi ſtrata ſub pedibus ueſte, ad aduerſum uillæ parietem euaſit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecū egeſtæ arenæ concederet, negauit ſe uiuum ſub terram iturum: ac parūper cōmoratus, dum clandeſtinus ad uillā introitus pararetur, aquā ex ſubiecta lacuna potaturus manu hauſit:

Et

Et hęc eſt, inquit, Neronis decocta. Deinde diuulſā ſentibus penula traiectos ſurculos raſit: atque ita quadrupes per anguſtias effoſſæ cauernæ receptus in proximam cellam, decubuit ſuper lectūm, modicella culcitra, uetere pallio ſtrato inſtructum. Fameq;, & iterum ſiti interpellante, panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt, aquæ autem tepidę aliquantulum bibit. Tunc unoquoque hinc inde inſtante, ut quàm primùm ſe impendentibus contumeliis eriperet, ſcrobem coràm fieri imperauit, dimenſus ad corporis ſui modulum: componiq; ſimul, ſiqua inueniretur, fruſtra marmoris, & aquam ſimul ac ligna conferri curando mox cadaueri, flens ad ſingula, atque identidem dictitans: Qualis artifex pereo. Suetonius.

VITELLIO Imp. ubi nunciatum eſt, Veſpaſianum hoſtem cum exercitu appropinquare: continuò abſtruſus geſtatoria ſella, duobus ſolis comitibus, piſtore & coquo, Auentinum & paternam domum clàm petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox leui rumore, & incerto, tanquam pax impetrata eſſet, referri ſe in Palatium paſſus eſt. Vbi cùm deſertā omnia reperiſſet, dilabentibus etiam qui ſimul erant, zona ſe aureorum plena circundedit, confugitq; in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane, lectoq; & culcitra obiectis. Irruperant autem iam agminis anteceſſores: ac nemine obuio rimabantur, ut fit, ſingula. Ab iis extractus è latebra, ſciſcitātes, Quiſnam eſſet (nam ignorabatur) & ubi eſſe Vitellium ſciret? mendacio eluſit: deinde agnitus, rogare non deſtitit, quaſi quædam de ſalute Veſpaſiani dicturus, ut cuſtodiretur interim uel in carcere: donec religatis poſt terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, ueſte diſciſſa ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum uerborūque ludibria, per totum uiæ Sacræ ſpacium, reducta coma à capite, ceu noxij ſolent, atq; etiam mento mucrone gladij ſubiecto, ut uiſendā præberet faciem, néue ſubmitteret, qui buſdā ſtercore & cœno inceſſentibus, aliis incēdiariū & patinarium uociferantibus, parte uulgi etiam corporis uitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerunq; ex uinolentia, uenter obeſus, alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cùm auriganti Caio miniſtratorem exhiberet) tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus eſt, & inde unco tractus in Tyberim. Suetonius.

HELIOGABALVS tumultu militari exterritus, non ſolùm non obtulit ſeſe irato militi, ut eum motum auctoritate ſedaret (quod ſæpè Cæſar Dictator & alij feciſſe dicuntur) ſed cum matre fœtidam cloacam ſubiit, ubi multis uulneribus confoſſus, turpem uitam turpiſſima morte finiuit. Sabell. libro 4. cap.7.

Morte uiolenta.

Ex Tit. αὐθέντων huc quædam. Item ex Titulo Deſperatorum.

Sub initia belli Iudaici, cùm tota Syria contra Iudæos efferata eſſet: Scythopolitæ quoq; Iudæos inquilinos in ſyluam eiectos noctu adorti ad unum interfecerunt, ſupra XIII millia. Inter quos unus fuit SIMON iuuenis robuſtiſſimꝰ, Sauli F. qui in Scythopolitarum gratiam, ut ſe amicum illis oſtenderet, multos contribulium ſuorum leuiſſimis de cauſis occiderat. Is inſidiis animaduerſis, magna uoce tempus diuinæ uindictæ ſuorum ſcelerum adeſſe exclamauit, neq; uerò ſe dignū qui hoſtili pereat gladio, ſed manu propria, qua toties in gentilium gratiam contra ſuos ciues abuſus eſſet. Itaq; productum primò patrem manu ſua confecit, inde matrem, mox uxorem cum liberis, ſingulis penè occurrentibus gladio, & hoſtes præuenire cupientibus. Tandem cæſis omnibus ſuperſtās, elata dextera in uiſcera ſua enſem demerſit. Ioſephus lib.2. cap.19. belli Iud.

IVDÆI, expugnato Gamala Galileæ oppido à Veſpaſiano, ſalutis deſperatione, quandoquidem Romanos in prima oppugnatione grauiſſimè læſerant, cum liberis & coniugibus ex arce in profundiſſimam uallem ſe præcipites dederunt, ad V millia, cùm quatuor millia hoſtilis enſis hauſiſſet. Duę tantùm ſorores in ſpelunca latentes cladi ſuperfuēre. Ioſephus lib.4. cap.3. belli Iud.

ISAVREI à Perdicca obſeſſi (eo quòd uiuente etiamnum Alexandro, Balacrum Nicanoris F. ſatrapam interfecerant) uidentes ſibi certum ſupplicium imminere, nec uires habentes ad propugnandum pares, noctu liberis & uxoribus & parentibus in domos concluſis ignem iniecerunt, communem mortem & ſepulcrum ab igne eligentes: ac flamma ſubitò in ſublime elata, omnes ſuas opes in ignem coniecerunt. Perdiccas factum admiratus, copias urbi undique admouet, & omnibus locis irruptionem facere conatur. Sed oppidanis ex muris propugnantibus, multoſq; Macedonū deiicientibus, Perdiccas adhuc magis attonitus, cauſam quęrebat, cur qui domos reliquaq; omnia igni tradidiſſent, ſtudioſè muros cuſtodirent? Tandem cùm Perdiccas & Macedones ab urbe receſſiſſent: Iſaurenſes in ignem ſeipſos cōiecerunt, atq; ita in domibus unà cum ſuis ſepulti ſunt. Perdiccas urbem militibus diripiendam dedit: illi extincta flamma multum argenti auriq; inuenerunt, quippe cùm urbs fuiſſet longo tempore beatā. Diod. lib.18.

Cùm Himilco Carthaginenſis Agrigentū cepiſſet, ferunt GELLIAM ciuium omnium opulentiſſimum, cuius benignitas & modeſtia præ cæteris ſumma habebatur, cùm ſtuderet extremo ſe excidio eripere, cum nonnullis ſociis in templum Palladis confugiſſe: ratum ſe in eo loco numinis tutela & religione incolumem fore, Carthaginenſiumq; crudelitati deorum reuerentiam & pietatem obſtaturam. Verùm animaduerſa illorum impietate, ignem templo ſubieciſſe, ibiq; intra dedicata diis munera conflagrauiſſe. Eo facinore effecit, ne delubra multis opibus ornata diriperentur, corpuſq; ſuum contumeliis hoſtilibus ſubripuit. Diodorus libro decimotertio.

Capta à Rom. Carthagine, erat Aeſculapij templum in arce opulentiſſimum. Hinc ſupplices ad Scipionem uenēre, qui rogarunt, ut iis qui ex Byrſa (nondum enim recepta erat) excedere ſtatuiſſent, ſalutem donaret. Conceſſit id Romanus imperator omnibus, præterquam transfugis. Quinquaginta millia promiſcuæ multitudinis ex Byrſa exierunt. Haſdrubal dux cum uxore & liberis & noningentis transfugis deſperata uenia templum nonnihil tutati ſunt. Demùm omnibus fame, uigiliis, labore feſſis, Haſdrubal occultè ad Scipionē transfugit. Quem ubi, qui in templo erant, ante pedes ducis conſtitutum uiderunt, eius perfidiam execrati, ædem incenderunt, ſic meliùs quàm per uarios cruciatus perituri. Haſdrubalis VXOR, quum ſeſe, quantum in eo rerum tumultu & ultima deſperatione potuit, exornaſſet: ex aduerſo hoſtium ſummo faſtigio templi conſtitit, duobus filiis ante pedes conſtitutis. Ibi alta uoce Haſdrubalem, ut patriæ, coniugis, liberorum proditorem inſectata, ambos filios in cōſpectu patris & Romani exercitus obtrūcauit, ſeq; cum illis in ſubiectam deiecit flammam. Fuerunt qui ſcriberent Haſdrubalem, uxoris & natorum caſu conſternatum, ultrò mortem oppetiiſſe. Liuius in triumpho ductum ſignificare uidetur. Sab. lib.9. Enneadis 5.

Nicanor, Antiochi Eupatoris dux, Iudæorum odio RAZIM ſenatorem Hieroſolymitanum, uirum alioqui ſanctiſſimū, quingentorum militum manu capere uolebat & interficere. Razis gladio incubuit, ne in hoſtium manus ueniret. Verùm cùm ob trepidationis æſtum uulnus parum rectè inflixiſſet, turba iam irrumpente, in murum cucurrit, & ſeipſum præcipitauit in mediam turbam. Mox in præruptum ſaxum euadens iam exanguis, inteſtina prouoluta ambabus manibus in turbam proiecit, & Deum ut ea ſibi redderet precatus, uitam finiuit. 2 Machab.14. [redacted]

Campani à Rom. grauiter obſeſſi, cùm de legatis in caſtra ad Romanos duces mittendis agerent: VIBIVS Viriūs, qui defectionis ad Pœnos factæ auctor fuerat, dicere ſententiam iuſſus, expedire affirmauit ſibi & aliis, qui apud Romanos inuidia eminerent, uolūtariam mortem occumbere, quàm in hoſtium poteſtatem redactos, urbe direpta, matronis & uirginibus ad ſtuprum raptis, per uarios & exquiſitos cruciatus extinctum iri. Paratæ ſunt, inquit, apud me epulæ, quibus, ſi qui mecum ſe imminentibus malis ſubtrahere uolent, adhibebo: poculum poſtremò omnibus circumferetur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis eripiet. Hæc una uia & honeſta & libera ad mortem: & ipſi uirtutem admirabuntur hoſtes, & Hannibal fortes à ſe ſocios deſertos adhuc magis dolebit. Plures id Vibij conſilium probarunt, quàm ſecuti ſint. Septem fermè & XX cum eo curia egreſſi, mentibus uino & epulis, quantum fieri potuit, alienatis, uenenum ordine hauſerunt: inde cum lacrymis ſeſe complexi, ſuam patriæque uicem familiariter flentes, diuerſi domum abierunt. Nonnulli apud Vibium extingui maluerunt, ut cum eo unà ſepelirentur. Nocte omnes extincti. pauci in ſequentem diem ſpiritum traxerunt. Sabellicus libro 4. Enneadis 5.

NERO fugiens, ubi perlatos à curſore Phaontis codicillos præripuit, legitq; ſe hoſtem à Senatu iudicatum, & quæri, ut puniatur more maiorum: interrogauit, Quale eſſet id genus pœnæ? Et cùm comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus uirgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos ſecum tulerat, arripuit: tentataq; utriuſque acie, rurſus condidit, cauſatus nondum adeſſe fatalem horam. Ac modò Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modò orabat, ut ſe aliquis ad mortem capeſſendam exemplo iuuaret: interdum ſegnitiem ſuam his uerbis increpabat: Viuo deformiter ac turpiter: οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Iamq; equites appropinquabant, quibus præceptum erat, ut uiuum eum attraherent. Quod ut ſenſit, trepidanter effatus,

ἵππων

ἵππων μ᾽ ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis: semianimisq; adhuc, interrumpenti Cēturioni, & penulà ad uulnus apposità, in auxilium se uenisse simulanti, non aliud respondit, quàm, Serò: &, Hæc est fides? atque in eà uoce defecit, extantibus rigentibusq; oculis, usq; ad horrorem formidinemq; uisentium. Nihil prius ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed ut, quoquò modo, totus cremaretur. Promisit hoc Seius Galbę libertus, non multo antè uinculis exolutus, in quæ primo tumultu coniectus fuerat. Suetonius.

Circa annū salutis 1266. Guelfi Florentini, castellum S. Hilarij ui ceperant. IVVENIS quidā Gibellinus ex Vbertorum familia, ne in hostium manus ueniret, de turri campanaria sese præcipitem dedit. Io. Villanus lib. 7. cap. 19.

Victo à Danis Bogislao Sclauorum duce, nauali prælio ingenti, cuiusdam SCLAVI ridicula formido extitit, qui nexo ex rudentibus laqueo, suspendio se consumere, quàm hosti necandum præbere maluit. Saxo lib. 16.

Ea in pugnà, in qua LVDOVICVS II. Vngariæ rex in campo Mohach cum Turcis congressus occubuit, infantes uiui, ne uagitu proderentur, ab infelicissimis matribus in terram defossi sunt, & miserè suffocati. Ioannes Sambucus in appendice Bonfinij.

Capta à Caroli V. classe anno 1532. Naupacto, TVRCÆ quidam crudelitate Christianorum territi, media inclusi turre, seipsos & turrim, totumque penè castellum, non sine nostrorum clade, succenso tormentario puluere concremarunt, tanto fuentium murorum crepitu, ut litora ueluti terræmotu pertremerent, & triremes, quæ suberant, ad sagittæ iactum, lapidum fragmentis penè obruerentur. Iouius libro trigesimoprimo Histor.

QVIDAM cùm Ferdinandum Gonzagam prodere uellet, & hostium in manus tradere, captus, multis se confodit uulneribus. Sed diligentia militum seruatus ne occideretur, impetrauit ab iis, cùm ad principem equo insidens duceretur, ut quoniam frigeret, pallium uultui obducerent. Quo facto, dentibus linguam præcidens, sanguinis copia mortem asciuit: sibi non solùm moriendo cauens, ne proderet complices, sed etiam si nolens superfuisset. Cardanus de Rerum uarietate libro 8. capite 40.

FORTVNÆ. NIMIVM declinare

Regni, Imperij amissionem.

ABRAHAMVS Maroci rex, pugna uictus à seditioso quodā Elmahelo, & urbe exclusus, cùm nullam salutis uel regni recuperandi spem superesse uideret, uxorem carissimam à tergo uehens, equum ex altissima rupe præcipitem egit. Ioannes Leo lib. 2. cap. 45. Africæ.

PHILIPPO Vicecomite à Venetis Fr. Carmaniolæ ductu uicto, & ad pacem inclinante, Mediolanenses promisere, Si urbis uectigalia ciuibus exigenda permitterentur, daturos sese, quoad debellatum esset, equitum decem millia, ac totidem peditum. Philippus id concessurus fuerat, nisi formidolosum natura principem ex aulicis quidam admonuisset: Videret ipse quid ageret: nil aliud fore, uectigalia urbium ciuibus permittere, quàm ad libertatem illis gradum facere: sanè periculosum esse, cum duobus liberis populis, Venetis & Florentinis, atque eisdem potentissimis, bellum gerere, ac suos libertate, qua nihil dulcius mortalibus esse soleat, imbuere. Cessit ergo eiusmodi monitionibus Philippus. Sab. lib. 10. Dec. 2.

Vrbis excidium, direptionem.

IAPHENSES Galilæi; bello Iudaico cum Romanis congressi, & profligati; cùm iam in primum murorum ambitum irrupissent: e uestigiò consecutis Romanis, qui ciuitatem custodiebant, metu, ne Romani urbem caperent, portas interiores suis clausere. Atque ita inter duos muros miserrimè ad XIII M à Romanis fuere cæsa. Iosephus libro 3. capite 11. belli Iud.

Ferunt EMANVELEM Græcorum Imp. in diuinorum carminum libellum incidisse: quem quum fortè euolueret, exhorruit uehementer fatidicum carmen, quo significabatur, Fore quandoque, ut ex Hadria uenirent, qui Byzantium occuparent. Coniectoribus diuinationumq; peritis hominibus adhibitis inter omnes constitit, eos Venetos esse, Hadriatici sinus accolas, quod ipse quoq; per se coniectando iam antea propemodum assecutus fuerat. Ac inde odium illud Emanuelis in Venetos originem habuisse ferunt: qui breui fore ratus, ut illorum armis Byzantium premeretur (quod sanè non multo pòst accidit) insidiis (quando aperta ui non poterat) Venetum imperium perdere aggressus est. Sab. lib. 5. En. 4. & lib. 7. Dec. 1.

Cladem imminentem.

GALLOGRÆCI aduersus Antigonum Macedoniæ regem acie dimicaturi, quum ex auspiciis cognouissent magnum sibi periculum instare, non in metum, sed in furorem dira religio uersa est. Expiandi ominis gratia filios & uxores promiscuè trucidant. Tanta tum Gallos rabies inuaserat, ut ne ætati quidem parcerent, cui uictor hostis haud dubiè fuerat parsurus: bellumq; internecinum cum liberis liberorūq; matribus secuti, pro quibus bella suscipi à cæteris gentibus solent, quasi uictoriam scelere redemissent, ut domestico cruore respersi, haud meliore euentu quàm omine pugnam capessunt. Scelerum furiæ, ac peremtorum manes oculis obuersantes, multò faciliorem Antigono uictoriam fecère, ut dij hominesq; & omnia in parricidarum exitium coniurasse credantur. Antigonus hac uictoria usus, in cæteros hostes impetum deflexit. Sab. lib. 9. En. 4.

Seruitutem, Captiuitatem imminentem.

Consule Tit. Astutiæ in seruitute effugienda.

PHOCENSIBVS inexpiabile bellum cum Thessalis intercedebat, ita ut Thessali decretum facerent, à nemine, qui ætatem haberet, abstinendum: liberos uerò & coniuges in seruitutem redigendas. Cùm Phocenses pugnam facturi essent, Phocides sic statuerunt: In syluam ingentem nos conferemus: cùm uiros superatos esse senserimus, ipsæ quoque in rogos cum liberis ascendemus, syluamque comburemus. Hoc mulierum decretum effecit, ut Phocenses animosiùs pugnarent, & prælio commisso uictoriam adipiscerentur. Polyænus lib. 8.

ABYDENI à Philippo Macedone obsessi petierant, ut præsidio incolumi dimisso, sibi cum uxoribus & liberis, singulisque uestimentis, urbe excedere liceret. Cæterùm legatis nihil pacati ab hoste renunciantibus, Abydeni in rabiem uersi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros & uirgines cum nutricibus & infantibus in gymnasio claudunt, aurū & argentum omne in forum deferunt, mox in unum collectum, in Rhodias naues imponunt. Ipsi eo consilio in hostē exeunt, ut non nisi uictores redirent: delectis, nisi consilium processisset, dira execratione interposita, qui confestim omnem imbellem turbā obtruncarent: aurum & alia in naues congesta, in mare deiicerent. Pugnatur acriter utrinq;. Verùm Abydenis maiore ex parte interfectis, postridie urbs paucorum consensu deditur, sacerdotibus ad eam dedendam missis. Vbi hostis intra mœnia est conspectus, qui prælio superfuerant, iurisiurandi memores, subito uelut furore correpti; stricto ferro suos conficiunt. Sæuiunt inde in seipsos. Quo hostium furore rex perculsus, militem à cæde reuocauit, professus, Se tridui spacium Abydenis dare ad mortem sibi consciscendam. Quo tempore plura in se uicti facinora ediderunt, quàm uel ab irato hoste pati debuissent. Sabell. libro 6. Enneadis 5.

Ad extrema Ciliciæ, rupem quandam munitissimam incolebant MARMARES nuncupati. Horum pleriq;, faciente illac iter Alexandro Magno, nouissimum eius agmen adorti, compluribus interfectis, magnum hominum & iumentorū numerum abegerunt. Qua iniuria rex irritatus, loci illius oppugnationem instituit. Marmares fortiter resistētes, cùm se pares Alexandro esse non posse uiderent, simul cum libertate omnes interire uolebant. Ideoq; ex senum consilio, pueros, feminas, senesque ad bellum ineptos, iniecto ipsorum domibus igne, combusserunt: iuuenes uerò ipsi circiter sexcenti, durante adhuc nocte, per hostium castra euadentes, in propinquum montem se contulerunt. Diod. lib. 17.

Syracusani Olymp. 85. Siculas urbes omnes, excepta Trinacia, urbium Sicularum principe, ditioni suæ subiectas tenebāt. Hanc quoq; sibi iungere statuentes, copias ad id comparāt. Trinaciorum enim opes habebant admodum suspectas, ueriti, ne aliquando tum uirium magnitudine, tum communi eiusdem generis nomine & studio, Siculorum gentis sibi cognatæ uendicarent imperium. TRINACII sociis, externoq; præsidio destituti, cæsa hostium magna turba heroicè dimicando, mortem omnes oppetiēre: nec minus pleraque sociorum pars, animis inuictis, propria manu uitam effudēre, ne captiuitatis contumelias, uictorisq; per licentiam ludibria experiri cogerentur. Syracusij uictores prostratis iam penitusq; profligatis his qui antea habebantur inuicti, populo inde omni, incolisque in prædam & seruitutem abductis, urbem euerterunt: ex præda uerò & manubiis optima quæq; Delphos miserunt, eas deo gratias pro uictoria accepta referentes. Diod. lib. 12.

ASTAPA ciuitas Hispaniæ semper Carthaginensibus fauit, præcipuumq; gerebat in Romanos odium. In quorum nomen quum implacabili esset animo, & Pœni à P. Scipione iam eiecti essent, filios & uxores, & omnem imbellem multitudinem cum preciosa supellectile in forum contulēre ciues: collatam arida lignorum materia in speciem grandioris pyræ circumuallant: quinquaginta inde iuuenibus man-

dāt, dira execratione adhibita, nisi imperata fecissent, si (quod nollent) se ad pugnam egressos superari contigisset, confestim ferro in multitudinem grassati, pyræ ignem iniicerent, ne quid carissimarum rerum ad hostes perueniret. Ipsi subita eruptione in Romanorum stationes facta, militem inopinata re turbatum in castra compellunt, uallum inde subeūt, uertuntq; omnem in se exercitum. Certatum nonnihil est ancipiti marte: postremò Hispani multitudine uicti, ad unū cæduntur. Qua suorum clade animaduersa, iuuenes, qui in urbe erant, imbellem multitudinem ferro conficiunt, pyram incendunt, incensæ se ipsos cum armis iniiciunt. Superuenit Romanus uictor crudelissimo spectaculo. Multi, qui cupiditate inter fulgentis auri proximè rogum adiēre, urgentis à tergo multitudinis impulsu partim igni correpti sunt, partim insigniter ambusti. Hunc Astapenses exitum habuēre. Sabellicus lib. 5. En. 5.

Cleomenes Leonidæ F. Spartanorum rex, uictus ad Selasiam ab Antigono, cum amicis in Aegyptum fugiebat. Vnus ex amicis THERYCION nomine, uir spectatæ fidei & fortitudinis, Cleomeni consuluit, ut uiros se præstarent, nec uictorem Antigonum fugientes, Ptolemæo sponte seruirent, sed gladiis suis sibiipsis manus inferrent. At Cleomenes nō sibi, sed patriæ se superesse dictitans, & mortis metu mortē sibi ultro consciscere, non fortis, sed insani hominis esse iudicans, Therycionis institutum grauiter reprehendit. Therycion, ut primùm oportunitatem habuit à Cleomene digrediendi, deflexit per litus, ibiq; semetipse confodit. Cleomenes ad Ptolemæum abiit, & ab eo benignè susceptus fuit. Eo mortuo, Philopator filius circumuentum calumniis Cleomenem carceri inclusit liberiori. Id ægrè ferens CLEOMENES, facta cum amicis tredecim eruptione, cùm frustrà ad libertatem Alexandrinos uocasset, & aliquot amicos regis interfecisset, auctor sociis fuit, ut sese mutuò interimerent. Plut. in Cleomene.

AXIOTHEA, Nicoclis regis Cypriorum uxor, magna multitudine militum ueniente ab Ptolemæo Aegypti rege, ad occupandum regnum, cùm Nicocles uitā laqueo finiisset, fratresq; eius sibiipsis mortem consciuissent, ipsa mortuorum uirtutes æmulata est: sororesq; eorum ac matres, uxoresq; conuocauit, & iis persuasit, ne quid indignū genere cōmitterent. Quæ persuasæ, fortiter ianuas muliebris aulę concluserunt: recurrentesq; ad tecta, multitudine ciuium confluente, liberos quos in ulnis ferebant, interfecerunt, & igne tectis iniecto, aliæ gladiis semetipsas occiderunt, aliæ confidenter in flāmam insilientes, perierunt. Axiothea uerò ducē se in periculis optimā præstabat. Cùm enim uideret omnes egregiè iacere, tum etiam ipsa summisso gladio per cædem se in flammā coniecit, ut ne mortuo quidē corpore hostes potirentur. Polyænus lib. 8.

THEOXENA mulier Thessala, cuius maritum Philippus Macedoniæ rex Persei pater interfecerat, cū sororis filij à Philippo ad carcerem & ludibrium deposcerentur, molita mulier cum pueris fugam, ubi se & suos uenturos esse uidit in hostium potestatem, quos fallere non potuit, sibi & pueris mortem consciuit. Sab. lib. 5. En. 5.

SARNII Galli Alpiū accolæ, à Q. Martio Rege obsessi (à quo postea Narbona condita, Narbo Martius dicta fuit) cùm nullā libertatis spem superesse uiderent: interfectis liberis & cōiugibus, se cum omni præda igni absumēdos obiecerūt, anno V. C. 636. Eutropius lib. 4. Orosius lib. 5.

THEOGENES Numantinus, perditis & afflictis rebus Numantinorum, cùm omnes eius ciues nobilitate, pecunia, honoribusq; superaret: uicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, incendit, protinusque strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit, ut uictus, incisa ceruice ardentibus tectis superiaceretur. Qui cùm hac ratione mortis omnes absumsisset, ad ultimum seipsum flāmis immisit. Val. lib. 3. c. 2.

Carthagine capta, VXOR Hasdrubalis, exprobrata marito impietate, quòd à Scipione soli sibi impetrare uitam contentus fuisset, dextra læuaque tres communes filios mortem non recusantes trahens, incendio se flagrantis patriæ obiecit. Idem.

Fusis à C. Mario CIMBRIS ad Athesin, cùm Romani eos ad castra persecuti essent, inciderunt in horrendissima spectacula. Feminæ consistebant in plaustris pullatæ: fugientesque, hæ uiros, illæ fratres, parentes aliæ interficiebant: infantes suis strangulabant manibus, & sub rotas iumentorumque pedes proiiciebant, mox trucidabant semetipsæ. Vnam memorant ex summo dependisse temone, quæ pueros ex cruribus suis annexos laqueis hinc inde suspenderat. Viros arborum inopia cornibus boum, alios cruribus adalligasse colla, mox eos stimulasse, quò exilientibus bobus raptati & obtriti interirent: qui quanquam ita sibi conciliarent mortem, capti sunt plus LX millia. Cecidisse bis totidem referūtur. Plut. in Mario.

CANTABRICÆ mulieres bello Cantabrico filios, ne in hostium manus peruenirent, necauerunt. Puer quidam, cùm parentes ac germani captiui, uinculis adstricti iacerent, eos omnes neci tradidit. Ita enim pater iusserat, oblato ferro. Idem fecit mulier iis, qui secum capti fuerant. Quidam intra uinosorum conuiuium inuitatus, supra rogū sese coniecit. Strabo lib. 3.

Bello Iugurthino THALA urbs, ubi Iugurthæ thesauri erant, à Metello Coss. quadraginta ampliùs dies oppugnata est. Oppidani fessi, ubi disiectis muris apparuit oppidum paulo pòst captum iri, omni auro preciosaq; ueste in regiā domum comportata, uino & epulis grauati, subiecto igni sese cū tota domo, & omni gaza incendio consumserunt, atque pœnas, quas ab hostibus metuebant, ipsi uolentes pependerunt. Sabellicus lib. 2. En. 6.

Obsidebat M. Brutus Lycios intra Xanthi muros, posteaquam Cæsarem interfecit. XANTHII machinas quasdam adorti nocte sunt, ignemq; eis ingesserunt: sed reiecti sunt, re ab Romanis animaduersa ad muros. Ventus uerò acrior in pinnas muri concitauit flammam, quę proxima comprehendit ædificia. Hic timens urbi Brutus, imperauit militibus, ut ignem extinguerent, & opem ferrent urbi. At Lycios ingens subitò inuasit & incredibilis ad desperationem ardor, quem maximè mortis desiderio compares. Nā cum pueris & mulieribus liberi & serui omnis ætatis hostes petebant ex muris eos, qui ad reprimendum succurrebant incendium. Ipsi arundinem, materiam, & omne igni aptum fomentum ingerentes trahebant in urbem flammam, eiq; quamuis materiā subiiciebant, atque eam omnibus modis excitabant augebantq;. Postquàm diffusa flamma & urbem undique amplexa ingēs eluxit: anxius ea re Brutus, circumuectus foris muros est ad opitulandum, manusque ad Xanthios porrigens precabatur, urbi ut parcerent, eamque conseruarent. Verùm nemo auscultabat ei, imò perdebant omnibus modis semetipsi: non uiri modò & feminæ, sed parui etiam pueri cū uociferatione & ululatu partim insiliebant in ignem, partim supernè præcipitabant sese ex muro, pars parentum gladiis nudos offerebant iugulos, hortabanturq; ad hauriendū eos. Conspecta est urbe absumta dependens ex laqueo mulier, quæ mortuum puerum ex collo suspensum haberet, & ardenti face inflammaret domum. Quod cùm spectaculum appareret tragicum, non sustinuit id Brutus cōtemplari: sed ubi nunciatū ei est, illacrymauit, præmiumq; pronunciauit militibus, quisquis hominē Lycium seruasset. Centū quinquaginta duntaxat memorant fuisse, qui non refugēre salutem, teste Plut. in Bruto. Bis antea Xanthij libertatis causa à seipsis consumti dicuntur: semel quum ab Harpago Medo Cyri præfecto subacta Caria (ut Herod. lib. 1. testatur) oppugnati sunt: mox uerò cùm Magni Alexandri armis premerentur, tantū regem, & cui se postea totus oriens submisit, aspernati. Sab. lib. 8. En. 6.

P. SCIPIO, infeliciter Cn. Pompeij generi sui defensis in Africa partibus, classe Hispaniam petens, cùm animaduertisset nauem, qua uehebatur, ab hostibus captam, gladio præcordia sua transuerberauit: ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus, Vbi nam esset Imperator? respondit, Imperator bene se habet: tantumq; eloqui ualuit, quantum ad testandam animi magnitudinem satis erat. Valerius lib. 3. c. 2.

P. CRASSVS eo prælio, quo infeliciter M. Crassus pater contra Parthos pugnauit, collem quendam fugiens occuparat. Erant cum eo Græci duo, qui eo in tractu Carras colebant. Hieronymus & Callimachus. Hi suadebant ei, ut cum ipsis subduceret se & confugeret Ischnas oppidum partium Romanarum, quod non procul aberat. Verùm ille nullam ait tam acerbam occursuram sibi mortem, cuius ipse metu deserturus esset illos, qui sua causa occumberent, iussosq;, ut suam ipsi salutem expedirent, complexu dimisit eos. Mox quòd impotens manus esset telo traiecta, latus armigero præbuit, & haurire iussit. Pari fato aiunt cecidisse Censorinū uirum Senatorium. Megabacchus uir fortis, semetipse interemit, similiter nobilissimi quique. Residuos, subeuntes barbari collem, contis confodere pugnantes. Viui non ampliùs quingenti dicuntur in eorum potestatem uenisse. Capite detruncato Publij, contenderunt illicò in Crassum patrem. Plut. in Crasso.

M. BRVTVS acie uictus ab Octauio & M. Antonio ad Philippos, in proximos se montes proripuit, magna armatorum manu stipatus, per noctem, quæ instabat, milites coacturus. Sed ubi omnia hostium præsidiis teneri sensit, loco concauo, & magnam petram habente resedit, cœlumque & stellas intuens, carmen illud protulit, Ista Ioue haud lateant, quique horum est causa malorum. ad Antonium alludens, qui quum libertatē tueri potuisset cum bonis, Octauio indulgere maluit. Satis constat idem carmen ab Antonio, posteaquam ab Octauio est uictus, & in discrimen uitæ addu-

ctus, cum gemitu repetitum. Mox sitienti Bruto aquam ex proximo flumine miles galea detulit. Sed ex iis, qui aquatũ ierant, Volumnius & Dardanus, audito strepitu aliquanto ulteriùs processere, explorabundi, ne subito hostium aduen opprimerentur. Ad Brutum ille reuersi, quum aquam requirerent, tum Brutus paululum subridens. A Volumnio, dixit, consumta est: sed uobis alia, inquit, afferetur. Vnam spẽ Brutus alebat, quòd non multos ex suis ea pugna cæsos arbitrabatur. Ad quod explorandum in castra hostium Statilium misit. Is ab hostibus interceptus periit. Appianus quatuor legiones Bruto superfuisse ait, quas quum ad aliquid præclarè agendum per noctem impelli nõ posse uidit, quin apertè prædicarent, non esse ulteriùs periclitandum. Haud, inquit, patriæ ampliùs utilis sum, resediteque nonnihil tacitus: inde ex familiaribus quodam admonente esse iam de fuga cogitandum, quum tutò ibi diutiùs cõmorari non possent: Certè, ut ais, fugiendum est, inquit Brutus, sed manibus, non pedibus. Mox se attollens, dextramq; singulis suã perimponens, Magnum solamen, ait, attulit mihi in his malis amicorum fides: patriæ fortunam accuso. Ego conscientia meorum operum me beatiorem existimo iis, qui uicerunt, quòd patriam in libertatem asserare sum conatus. Opus certè fuit perpetua gloria dignum, quæ illis ne uictoribus quidem poterit contingere. Etenim mali istos uincunt, & optimos ciues pessimi perdunt, contra fas & leges dominantur. Inde eos hortatus, ut salutem sibi quærerent, paululùm ab his recessit, gladio ambabus manibus perstricto fortiter incubuit. Appianus auctor est Stratonem rhetoricę magistrum, quo Brutus comite utebatur, ei latus aperuisse, ne à seruo occideretur, quem in hunc usum ab illo admotum uiderat, quũ ipse aliquãdiu tam triste ministeriũ amico denegasset. Periit Brutus iam quadragenarius. Sabellicus lib. 8. En 6. ex Plut.

M. CATO minor cùm Vticæ frustrà contra Cæsarẽ copias parasset, quando Cæsarem ad Thapsum uictorem de Scipione, cum exercitu aduentare, audiuit: suasit suis, ut sibi fuga quisque consuleret. Ipse Vticæ subsistens, cùm mori statuisset, circa uesperum uertit se ad balneum, lotus que inter frequentes cœnauit. Neque enim nisi somni causa decumbebat. Cœnauerunt cum eo amici & magistratus Vticensium. Sub cœnam multa fuit inter pocula erudita confabulatio & festiuitas, alias que ex aliis disputationes philosophicas uersarunt. Dum disputat, deuenit ad Stoicorum paradoxa, Solum bonum uirum liberũ esse, omnes malos seruos. Ibi iam insurgenti Demetrio Peripatetico acriter obiiciens se Cato, contenta & aspera uoce produxit in longum disputationẽ, ac mirificè pugnauit: neminem, ut falleret, statuisse uitæ eũ finem imponere, seq; ex præsentibus explicare molestiis. Ita soluto conuiuio, ubi solennem à cœna deambulationem cum amicis absoluit, & præfectis excubiarum, quæ tempus requirebat, imperauit: recipiens, iam se in cubiculum, filium & amicorum quemque arctiùs quàm assueuerat, amplexus est & salutauit: qua re suspicionem de integro mouit consilij sui. Ingressus cubiculum ubi decubuit, Platonis dialogũ de Animo sumsit in manus, librog; propè euoluto, suspexit supra caput. Vbi non uidit suspensum gladium (filius enim cœnante adhuc patre subtraxerat eum) seruum uocauit, rogauitque, quis nam ensem abstulisset? Conticescente illo, repetiit librum paruo q; interposito interuallo, quasi nõ instaret, neque urgeret, sed fortuitò requireret gladium, præcepit eum adferri: inde per pusillum puerum introfertur gladius. Quem ut accepit, distrinxit & considerauit eum. Vbi mucronem directum uidit, atque aciem integram, prolocutus, Nunc mei iuris sum: posuit ensem, & librum ex integro relegit. Bis eum referunt totum prouolutasse. Mox alto somno dormiuit, ut qui foris erant, perciperent stertentem. Expergrectus inde, strictum gladium sub pectore impressit. Animam agens decidit cubili, & strepitum edidit, deiecto abaculo quodam geometrico, qui iuxtà locatus erat. Quod sentientes ministri sustulerunt clamorem, filiusque & amici cõfestim ingressi sunt ad eum. Qui conspicientes sanguine fœdatum, & intestina pleraque procidisse, spirantem cum tamen adhuc & intuentem, omnes ingenti perfusi sunt dolore. Medicus Cleanthes accurrens intestina conabatur, quia manserant illæsa, reponere, & uulnus consuere. Vt autem recreari Cato cepit atque ad se redire, repulit medicum, interanea manibus lacerauit, diuulsoque expirauit uulnere, annos natus duo de quinquaginta. Cæsar, qui Vticam cito agmine pergebat, ut fatum eius audiuit, tantùm fertur dixisse: Inuideo tibi Cato mortem, quando salutem mihi tuã inuidisti. In his libris quos ipse postea in Catonẽ scripsit, uictoriã sibi illũ inuidisse prodidit, ob eãq; rem sibi mortẽ cõsciuisse. Statilius, qui Catonem æmulatorum dixerat se, inuitus id tẽporis manus prohibitus à philosophis sibi inferre, insignẽ postea fidẽ & operã præbuit Bruto, atq; in Philippẽsi acie occubuit. Plut. in Catone.

Victo ad Thapsum in Africa Scipione à Cæsare, IVBA rex & Petreius, postquam ex acie excesserunt, nocturnis itineribus (interdiu enim latitabant) ad Zamam peruenerunt, ubi erant uxores regis, & liberi. Hinc fama aduersæ pugnæ regis aduentum præcesserat: quo contigit, ut ab oppidanis sit rex portis exclusus: cùm ab initio eius belli ingentem pyrã construxisset, in quam Zamenses, liberos, uxores, omnem regiã supellectilem, postremò seipsum præcipitaturum, si uictus prælio fuisset, publicè prædixerat. Multis igitur precibus cõtendit, ut sibi liberos & uxores restituerent. Sed quum nihil impetraretur, in uillam suam cum Petreio & paucis comitibus concessit. Nec multo pòst Cæsar à Zamensibus accersitus, cum expedito equitatu eò occurrit. Iuba & Petreius, ut ambo unà perirent, mutuis uulneribus concurrerunt. Petreius tamen priùs concidit ualidiore regis ictu. Ipse quum sibi manum inferre non posset, à seruo petiit, ut se ferro traijceret. Liuius Iubam à Petreio confectum scribit, ipsumq; sibi manum intulisse. Sab. lib. 7. En. 6.

Cùm HERODES contra latrones, in speluncis cũ totis familiis habitantes in præruptis montibus pugnaret: Senex quidam deprehensus intus cum uxore ac septem filiis, rogatus ab iisdem, ut se fugere hostem permitteret, stans ante ostiũ speluncæ, primum quemque exeuntem iugulabat, donec ad unum omnes confecit, & uxorem ultimam. Deinde præcipitatis cadaueribus, postremò seipsum superiecit, mortẽ seruituti præferens. Iosephus.

METVLLII Iapides ab Augusto obsessi, per legatos deditionem pacisc untur, quingentis obsidibus datis. Romani in partem unam urbis recepti, quum iis, qui superiora oppidi loca obtinebant, sibi arma tradere iussissent: consternati animo oppidani, mulieres & pueros in senatu sub custodia clausserunt, ut continuò, ubi se in discrimen adductos uidissent, locum inceuderent. Vbi primùm igitur uis est à Romanis admota, continuò subiecta à custodibus flamma, omnis imbellis multitudo igni consumta est, uiri & ipsi occidione occisi sunt. Ita Metullium priùs direptum fuit, mox igni consumtum ac diruptum, ut ne uestigia quidem ulla tam claræ nuper urbis extarent. Cæteri Iapides Metulina clade exterriti, certatim deditionem fecerunt, ac tum primùm Iapides transalpini Romanæ sunt ditionis facti. Sabellicus libro nono, Ennead. 6.

Fl. Sylua Syriæ præses, ad conficiendas Iudaici belli reliquias in Iudæam missus, ELEAZARVM sicariorum ducem (qui genus suum ad Iudam Galilæum, Zelotarum sectæ auctorem, referebat) in Massada arce munitissima obsedit, & aggere altitudinis immensæ excitato, murum arietibus perfregit. Eleazarus concione aduocata, multa de libertatis dulcedine, seruitutis miseria, animorum que immortalitate præfatus, auctor suis fuit, ut in libera patria mori, quàm Romanis supplices uiuere uellent. Qua eius oratione ita cõmoti sunt uniuersi, ut alius alium in morte oppetenda præuenire cuperet. Simul itaque uxoribus ultimum uale cum amplexu dicentes, ac liberos deosculati, ultrò in mucrones incurrentes conficiebant. Mox congestis in unum opibus, quas habebant, carissimis, ignem subiecerunt. Inde decẽ percussoribus sorte lectis, uxorum cadauera complexi, uniuersos se iugulandos præbuerunt. Nec mora, percussores quoque sortitione facta, mutuis cecidêre uulneribus. Decimus, qui ex omnibus supererat, cæsis diligenter inspectis, ne quis semiuiuus euaderet: ignẽ regiæ immisit, & gladio tandẽ proprio incubuit. Periêre nongenti numero & sexaginta, cum mulieribus simul & pueris. Euasere hanc cladẽ (quæ die XV Aprilis mensis accidit) duæ tantùm mulieres, & quinque pueri, qui omniũ mentibus in cæde occupatis cuniculũ cisternæ subingressi, Romanis in oppidũ irrumpentibus, fide accepta, hæc omnia narrarunt, desperationẽ & insaniã hominum admirantibus & detestantibus. Iosephus lib. 7. cap. 28. belli Iudaici.

IOTAPATENI optimates XL, qui in speluncã quandã bello Iudaico confugerant, mutuis uulneribus, sorte ducta, sese interfecere. Vide Titulũ, Captorum ab hostibus, sub exemplo Ioseph.

Cùm Romani tẽplum Hierosolymitanũ incẽdissent, multi, qui deditione seruari potuissent, obstinatione perire maluerũt. Duo quidã nobiliũ, MEIRVS Belgæ & IOSEPHVS Dalei F. semetipsos in ignẽ iniicientes, cũ templo concremati sunt. Iosephus lib. 7. c. ii. belli Iud.

Dacarum rex, DECEBALVS, secundo prælio Traiani Augusti uiribus ita attritus, ut ampliùs spes non superesset: ne hostiã lætiorem faceret uictoriam, si captus uinctusque in triumpho uictorem antecederet, sibi ipsi uitam ademit. Fulgosus libro 3. cap. 2.

ATILA Hunnorum rex, post Catalaunicam cum Romanis pugnam, desperata ferè salute, dum uereretur ne uiuus in hostiũ potestatẽ ueniat, aut mortuus sepultura careat, struẽ in rogi speciẽ in mediis castris è iumentorũ clitellis congeri iussit, fami-

familiaribus q; mandat, si quid aduersi acciderit, continuò interficiant, & impositum pyrę cõburant: ne Romanũ trium phũ regio corpore honestare cogatur. Bonfinius lib. 4. Dec. 1. & Auentinus lib. 2.

ANDRAGATHIVS Comes, ut intellexit Maximum tyrannum, cuius partes sequebatur, ingenti strage à Theodosio Imperatore superatum, in mare se præcipitauit. Fulgosus libro 3. cap. 2.

ARBOGASTES Eugenij tyranni copiarum dux, ad Theodosium Imp. inclinare uictoriam uidens, ensem, quem hostium sanguine cruentauerat, pectori suo condidit, ut ita se seruitutis fœditate liberaret. Idem.

Cùm Cruciferi Germanorum quorundam principum auxiliis adiuti, agros LITVANORVM infestarent, & arcem Pullen obsedissent: barbari, qui erant in præsidio, desperatione retinendæ arcis inducti, pyram in medio accenderunt, & facultates, liberos, & uxores suas, ac seipsos ad extremum in eã coniecerunt, ne uiui in potestatem hostium uenirent. Anno 1338. Cromerus lib. 11.

Dedecus, Infamiam, V. G.

Adulterij, Stupri.

SPARTANA quædam, quum fuisset clàm compressa, fœtumque perdidisset: sic nulla emissa uoce se constantem ac tolerantem præstitit, ut elisо conceptu reiectoq;, parentes aliosque latuerit proximos: quippe dolorum magnitudinẽ, quibus (ut assolet) lancinabatur subinde conuellebaturq;, uicit ignominiæ timor. Tantum erat uel in mulierbri ingenio tolerantiæ robur, ut non immeritò Horatius Carminum primo, appellet Lacedæmona patientem. Cælius libro 18. cap. 1. A. L. ex Plut. Laconicis.

Perfidiæ.

Bello Macedonico Argiui, Achæorum præsidio electo, Macedones in urbem acceperãt. AENESIDEMVS præsidij præfectus, ubi Macedones receptum iri uidit, & Argiuorum aciem in se dirigi: pactus, ut incolumi præsidium ex urbe mitterе liceret (erant enim quingenti numero iuuenes ex tota Achaia delecti) ipse cum paucis clientibus, obiecto hostibus scuto, locum retinere perseuerauit: professus malle se ibidem mori, quàm commissæ urbis præsidio decedere. Atque ita coniectis in unum telis non inultus concidit. Sabellicus lib. 6. En. 5.

Inimicitiam, Odium.

GVNDOBADVS, fratre Gondigisilo Viennæ cæso, totius Burgundiæ regno potitus, cùm Arianos in fide labi sensisset: ad Auitum episcopum Viennensem accessit, & Christum filium Dei, ac Spiritum sanctum patri æqualem confessus, salutari se aqua tingi ritu catholico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti poposcit. Verùm ad seditionem populi deuitandam id clam populo fieri petiit. Cui Auitus respondit: Si uerè credis, quod nos Dominus edocuit, expleris id est, coram hominibus ipsum confitere, ac uulgi uoculas despice. tu enim es caput populi, non populus tui. Quod ille ut fa ceret, in animum inducere non potuit, atq; ita in errore suo perseuerauit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Bellum. Huius est generis

Militiã indecorè detrectare.

ARISTOGITON, Athenienſis rhetor, sola lingua bellicosus, cùm intellexisset exercitum parari, baculo innixus in publicum prodit, claudicatem simulans. Quod ubi conspicatus est Phocion, exclamauit, Scribe etiam Aristogitonem, eumq; claudicantem. Plut.

Cn. VATIENVS siniſtræ manus digitos sibi amputauit, ne bello Italico militaret.

GEORGIVS Hemus & PAVLVS Capellus ad exercitum legati lecti à Venetis, post cladem à Ludouico XII. inflictam anno 1507. legationibus renunciatis propter alios magistratus, quos obibant, ex quibus magistratibus ad alia munera inuitos euocari non licebat, magnam Senatus, magnam totius ciuitatis inuidiã subierunt: neq; eorũ loco quisquã sublectus postea fuit, quòd iam de priorũ legatorũ diligentia, quæ Senatus uellet, nunciarentur. Rogatio tantùm in Decẽuirũm collegio lata, Ne cui deinceps ulli ullam ob causam aduersis reip. rebus cuipiã sibi delato muneri reijciendi facultas esset. Bembus lib. 8. Hist. Ven.

Pacem turpiter redimere.

☞ *Vide Tit. Pax turpis. Illic externa Turpitudo, heic interna Dejectio animi consideratur.*

C. MANCINVS omnium Romanorum ducum ignauissimus, sua timiditate eò uenit, ut cùm Numantiam in Hispania obsideret, tanquã obsessus & uictus ignominiosam sibi & populo Romano pacem, domum reportarit. Sabellicus lib. 4. cap. 7. Exemplorum.

MACRINVS Romanorum Imp. ab Artabano rege Parthorũ debellatus, conatus est, missis ad eum legatis atq; captiuis etiam, quos habebat, molliq; oratione placare eius animũ, & à proposito abducere. Sed cùm ille insuper peteret, ut Macrinus urbes euersas ab Antonino, restitueret, decederetque ex Mesopotamia, & damnum, quod illatum erat monumentis regum refarciret: nullum tempus ad deliberãdum sumsit, sed ei, quòd iam ad Nisibim uenerat, occurrit, ibique uictus est: ita ut iterum legatos ad illum de pace mittere, eamq; uicies centenis aureorum millibus redimere coactus sit. Dion Nicæus.

Cæsis Deciis, fraude Galli, armis Scytharum, GALLVS à legionibus reliquis Imp. creatus, cũ Scythis ignominiosum fœdus percussit. Tunc primùm diuturno & libero potentatu Pop. Rom. tributa pependit, tunc primùm Respub. iugum Scythicæ seruitutis accepit. Adrianus quidem ab aliis occupata restituit, quod principis liberalitate uideri actum potest: sed, qui tributo pendendo obnoxiam fecerit urbẽ, præter Gallum, fuit nemo. Drachmarum aurearum CC fuit tributum. Cuspinianus.

Sub IOVINIANI imperio, quod tantùm octo mensium fuit, hoc memorabile accidit, quòd Imperator ob cædem Iuliani, & exercitus Romani in Persidẽ cõclusi, angustiã & famẽ, ac ob metũ, ne quis alius sibi Imperiũ in Occidente arriperet: pacem à rege Persarũ redemit in XXX annos, resignato Syriæ principatu, & Nisibi, & Singara, cũ magna Mesopotamię parte, anno Christi 367. Hieronymus in Chronico: & Socrates lib. 3. c. 22. & lib. 4. c. 2. Theodoretus lib. 4. c. 2. Paulus Diaconus lib. 11. ante eũ diẽ, ex quo Romanũ imperiũ condi tũ fuerit, nunquã accidisse dicit, ut mutatis finibus, & parte Imperij tradita, pacem redemerint.

NICEPHORVS Imperator, cùm Aronem Amirã cũ trecentis millibus ascendentẽ contra se uideret: turpe fœdus iniit, pactus se ei daturum annuè trecenta millia aureorum in tributum capitis imperatoris, & tria pro capite filij sui. Sigebertus in Chronicis.

RESPECTV PERSONARVM.

Nimiũ declinare

INSIDIATORES

Religionis.

Eusebius lib. 5. cap. 13. narrat, CHRISTIANOS aliquot sub Diocletiano, priusquam ab insidiatoribus caperẽtur, è subli rati præcipites se dedisse, ne quid comprehensi contra pietatem delinquerent.

Pudoris.

In persecutione sub Diocletiano ANTIOCHENÆ duæ uirgines, forma corporis & uenustate conspicuæ, cum matre, à qua ad pietatem ab ipsis incunabulis studiosè informatę fuerant, quæsitæ diu, ac tandem inuentæ, à custodibus obseruatæ, cũ ad lupanar ducerentur, à custodibus obseruatæ, in fluuiũ, cũ se secessuras paulisper custodib. dixissent, præcipites sese dedêre. Eusebius lib. 8. c. 13.

SOPHRONIA Romana, Christiana Lucretia, mortẽ sibi ipsi intulit, ne Decij tyranni paréret libidini: hoc est, ne aliena pateretur iniuriam, sibi ipsi potiùs inferre uoluit.

Vitæ. Ratione habita Modi

Vniuersim.

DIONYSIVS prior, qui duodequadraginta annis Syracusis tyrannidẽ obtinuit, fuit manu promtus & fortis, & (quod in ea fortuna perrarum est) minimè libidinosus, non luxuriosus, non auarus, nullius rei deniq; cupidus, præterquã singularis perpetuiq; imperij: atq; eo nomine immitior crudeliorq;. Metũ & uiolentiã adamantina appellabat uincula, seq; adamantinis uinculis principatũ filio relicturũ prædicabat. Veritus, ne si Dionysio filio animi creuissent, & consuetudine esset usus hominum cordatorum, insidiaretur sibi, & dominatu spoliaret: iaclusum asseruauit in cõclaui. Ibi usu destitutus alio, & rerum imperit'a, uti dicitãt, parua plaustra, candelabra, sedes ligneas & mensas fabricabatur. Vsq; adeò enim diffidebat, & aduersus omnes mortales erat suspitiosus atq; proiectæ timiditatis, ut nec capillũ cultris tonsoriis tonderet, sed admitteretur quispiam ex plastis, qui carbone capillũ adureret. In cubiculũ eius non frater, nõ filius admittebatur amictus: uerùm oportebat quẽ priùs, quã ingrederetur, posita ſtola ſua aliã ſumere, atq; excuti ab fatellitibus nudũ. Cùm Leptines frater eius, ſitũ loci cuiuſpiã declarãs, ei aliquãdo accepta à ſtipatore haſta delinearet eũ, excandiuit in illũ uehemẽter: alterũ uerò, qui dederat haſtã, interfecit. Amicos ſolertes dicebat ſuſpectos ſibi eſſe, quòd ſciret eos dominari ipſos malle, quã domino parére. Marſiã quendã, quẽ euexerat, & præfectura donauerat, quòd ipſum ſecũ dùm quietẽ uiſus eſſet interficere, interemit: exiſtimãs ex cogitatione diurna & meditatione hanc uiſionem fuiſſe ei per

somniũ oblatã. Adeò ille, qui Platoni infensus fuit, quòd nõ omniũ mortaliũ ipsum pronunciasset fortiss. pauidã & malis mentẽ tam multis habebat refertã. Sũmotis amicis, corũ loco ferocissimarũ gentiũ hominés, & à familiis locupletũ electos præualidos seruos, quib. latera sua cõmitteret, substitit. Tonsorũ metu tondere filias suas edocuit. Quarũ ipsarũ, postquã adultæ ætati appropinquabant, manib. ferrũ non ausus cõmittere, instituit, ut candentiũ iuglandiũ, aut nucũ putaminibus, barbã sibi & capillũ adurerent. Nec securiorẽ se maritũ egit, quàm patrẽ. Duarũ enim eodẽ tẽpore Aristomaches Syracusanæ, & Locrẽsis Doridis matrimoniis deuinctus, neutrius unquã nisi excussæ cõplexũ petiit. Atq; etiã cubicularẽ lectum perinde, quasi castra, lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat, cùm forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertã, interiorẽ claustro ipse diligenter obserasset. Plut. in Dione, Val. Max. lib. 9. c. 14. Cælius lib. 22. c. 20. A. L.

ALEXANDRVM Pheræorũ in Thessalia tyrannũ ferunt nunquã cũ uxore Thebe congressum, nisi priùs à satellite barbaro fuisset excussa, ne ferrũ sub ueste inferret cubiculo. Eius lectũ modico ponte peruiũ fuisse: quo sublato, uelut arx q̃dam, ab omni insidiantium tutus esset incursu. Distulit ille quidẽ exitiũ, quod ab uxore imminebat, sed tollere nõ potuit, tribus fratrib. ad eum dormientẽ inductis. Quũ iuuenes iacentẽ inuadere nõ auderent, minata dicitur Thebe, nisi eũ confestim obtruncarẽt, excitaturam se illũ clamore, sicq; sibi & fratribus uno tempore exitio futurã. Qua illi uoce perculsi, opus inter se partiti, hic caput, ille pedes, ne in percussorẽ consurgeret, inuadunt, tertius ferro cõfecit. Hic tyrannorũ primus fraude coniugis periit, ut Plutarchus existimat. Eius corpus à Phereis uolucribus & feris est obiectũ. Cic. 2. Offic. & Val. lib. 9. c. 14. & Sab. lib. 2. En. 4.

TIBERIVS Cæsar quàm non modò inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoq; uixerit, multa indicia sunt. Aruspices secretò ac sine testibus consuli uetuit. Vicina uerò urbi oracula etiam disiicere conatus est: sed maiestate Prænestinarũ sortium territus, destitit, cùm obsignatas deuectasq; Romã non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum. Vnum & alterum consulares, oblatis prouinciis, non ausus à se dimittere, usqueadeò detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret: cùm interim manente officij titulo, etiam delegaret plurima: assidueq; illi per legatos & adiutores suos exequenda curarent. Seianum res nouas molientem (quamuis iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas coli passim uideret) uix tandem, & astu magis ac dolo, quàm principali auctoritate, subuertit. Nam primò, ut à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumsit in quinto consulatu, quem longo interuallo absens ob idipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac Tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda miserandaq; oratione: cùm inter alia P. C. precaretur, mitterent alterum è Consulibus, qui senem se & solum in conspectum eorum cũ aliquo militari præsidio perduceret. Sic quoq; diffidens, tumultumq; metuens, Drusum nepotem, quem uinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducẽq; constitui prçceperat. Aptatis etiã nauib. ad quascunq; legiones meditabatur fugã, speculabundus ex altissima rupe identidem: signaq;, ne nuncij morarẽtur, tolli procul, ut quidq; foret factum, mandauerat. Verùm & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior aut constantior, per IX proximos menses non egressus est uilla, quæ uocatur Iouis. L. Scribonius Libo uir nobilis res nouas clàm moliebatur. Eum Tiberius, ne quid in nouitate acerbius fieret, secundo demũ anno in Senatu coarguit, medio temporis spacio tantùm cauere contentus. Nam & inter Pontifices sacrificãti simul, pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum curauit: & secretũ petenti nõ nisi adhibito Druso filio dedit: dextramq; obambulantis ueluti incumbens, quoad peragere tur sermo, continuit. Suetonius.

CLAVDIVS Cæsar nihil æquè quàm timidus ac diffidens fuit. Primis imperij diebus, quanquam iactator ciuilitatis, neque conuiuia inire ausus est, nisi spiculatores cũ lanceis circumstarent, militesq; uice ministrorum fungerentur: neque ægrum quenquam uisitauit, nisi explorato priùs cubiculo, culcitrisq; & stragulis prætentantis, & excussis: reliquo autẽ tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos. Serò enim, ac uix remisit, ne feminæ, prætextatiq; pueri & puellæ contrectarentur, & nè cuiuis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu ciuili, cùm eum Camillus, non dubitãs etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci & contumaci epistola cedere imperio iuberet, uitamq; otiosam in priuata re agere: dubitauit, adhibitis principibus uiris, an obtemperaret. Quasdã insidias temerè delatas adeò expauit, ut deponere Imperium tentauerit. Quodã cùm ferro circa sacrificantem se deprenso, Senatum per præcones properè conuocauit: lacrymisq; & uociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset, ac diu publico abstinuit. Messalinæ quoq; amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quàm periculi metu abiecit, cùm adultero Silio acquiri Imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus, ad castra confugit, nihil tota uia, quàm Esset ne sibi saluum imperium, requirens. Suetonius, Dion, Zonaras, Cuspinianus, & Sabellicus lib. 2. En. 7.

Cùm DOMITIANVS principum ciuium olim curiosissimè natales dies atq; horas exploraret, multosq; & ne sperãtes quidem se ad ullam potestatẽ prouehendos occideret: Nerua ab Astrologis per calumniã delatus, uix mortem effugit. Mathematicus Neruę amicus, mortẽ eius instare testatus, eũ liberauit. Metium Pompusianum interfecit, quòd habere imperatoriã genesim uulgò ferebatur. Cui Vespasianus tamen antè consulatum ob hoc dederat, dicens: Si successor est futurus, quandoq; memor erit tanti beneficij. Annum diemq; ultimum uitæ iampridem suspectam habebat, horam etiã, nécnon & genus mortis. Adolescentulo Chaldæi cũcta prędixerant. Pater quoq; super cœnã quandam fungis abstinẽtem palàm irriserat, ut ignarum sortis suæ, quòd non ferrũ potiùs timeret. Quare pauidus semper, atq; anxiùs, minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur: ut edicti de excindẽdis uineis propositi gratiã facere nõ alia magis re compulsus credatur, quàm quòd sparsi libelli cum his uersibus erant:

> Κλῶ μὲ φάγης ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
> ὅσσον ἐπισπεῖσαι καίσαρι θυομένῳ.

Eadẽ formidine oblatum à Senatu nouum & inexcogitatũ honorem, quanquam omnium talium appetentissimus, recusauit: quo decretum erat, ut quoties gereret consulatum, equites Rom. quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitoresq;. Tempore quoq; suspecti periculi appropinquãte, solicitior in dies, porticuum, in quibus spaciari consueuerat, parietes Phengite lapide distinxit: è cuius splendore per imagines quicquid à tergo fieret prouideret. Et nec nisi secretò atque solus plerasq; custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat. Vtque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem: Epaphroditum à libellis capitali pœna condemnauit, quòd post destitutionẽ Nero in adipiscenda morte manu eius adiutus existimabatur. Suetonius.

Armorum ademtione.

DIONYSIVS maior, cùm arma ciuibus eripuisset, quo tẽpore aduersus hostes periculum erat subeundum, cùm eos ad cẽtum stadia ex urbe produxisset, arma iis reddidit. Post pugnam, antequã in urbẽ reuerterentur, & portas aperirẽt, rursus eos deponere arma iussit. Polyænus lib. 5.

Exploratione, Excussione, Prætentatione.

Mos est apud TARTAROS, ut legati, antequã eorum Imperatori cõmissa proponant, inter duos ignes ire cogantur, eà potissimùm causa, ut si uenenum portauerint pro intoxicando Principe, ardore ignis in portatorum necem priùs dissoluatur. Noluntq; aliter eosdem legatos audire, nisi munera ferant, flexisq; genibus cõmissa loquantur, cæteraq; cœlicolis debita homini mortali impendant: & hæc facere recusantes, uix sine uitæ periculo dimittuntur. Vincentius in Speculo historiarum lib. 31. c. 21.

Munitione, Defensione.

ARTEMON (quem Heraclides Ponticus celebrauit, Anacreontis poëtę testimonio) claudus fuit, & adeò timidus, ut domi plurimùm uixerit, duobus seruis supra caput æreũ scutũ tenentibus, ne quid supernè caderet. In aperto lectica nõ nisi adoperta, eaq; humili, metu ruinæ uehebatur: qui mos Periphoreti cognomen illi dedit. Plut. in Pericle.

HASDRVBAL Carthaginensium dux, aliquando in panoplia purpura marina indutus, cum Gulussa Numidarum rege congressurus, decem gladiatoribus comitatus aduenit, & ad XX pedes ab eo recessit, fossa & uallo obiecto: regiq; innitit, ut propiùs accederet, quo alter alterum audire posset. Cæterùm Gulussa homo simplex, more Numidico, solus accessit, rogauitq;, Quémnã timens armatus adesset? illo respondente, Romanos: Non igitur, inquit Gulussa, te in urbẽ contulisses, nulla urgente necessitate. Suidas.

MASINISSA rex Numidarũ, pop. Rom. amicissimus, parum fidei in pectoribus hominũ reponens, salutẽ suã custodia canũ uallauit. Quò tam latè patens imperiũ, quò tantus liberorum numerus? quò deniq; tam arcta beneuolentia cõstricta Romana amicitia? si ad hæc tuenda nihil canino latratu ac morsu ualentius duxit. Val. lib. 9. c. 14.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, non satis ducens, quadringẽtos milites in armis ad palatij custodiã semper habere, uoluit in eo numero ducentos esse Scotos: plus fidei in his, quàm in Gallis reponens. Prçterea imam fossæ partem, qua circumsepta erat arx Turonensis, ferreis spiculis totam cõpleuit. Latera fossæ rastris ferreis acutissimis circumsepsit, quæ frequentes lima acui iubebat. Fulgos. lib. 9. cap. 14.

Post Nouariensem obsidionem Carolus VIII. legatos misit ad LVDOVICVM Sforciam principem Mediolanensem, ut secum in colloquium ueniret. Ludouicus siue insidiarum metu, siue ambitione, quasi nequaquam inferior ipso rege eò adduci uellet, petebat, ut is congressus in cuiuspiã fluminis medio fieret: ubi pons aut nauibus, aut alia ex materia ita factus esset, ut inter utrumque ligneum uallum firmum ac robustum intercederet: quomodo Galliæ atq; Angliæ reges, alijque principes occidentales in colloquium aliquandò descenderunt. Id rex quasi sua indignum persona recusauit. Guicciardinus lib. 2.

Corporis cura.

COMMODVS Imperator, cùm tonsori nulli fidem haberet, sibiipse barbam comamque candenti carbone adurebat. Herodianus.

Inedia, Abstinentia.

CAROLVS VII. Gallorum rex, cùm à filio Ludouico, qui Delphini dignitatẽ obtinebat, uenenum uereretur: sex dies continuos omni cibo abstinuit. Et cùm postea medici, atq; is, cui Christiano more crimina sua fatebatur, eum monerent, si ita pergeret, uitam animamq; simul amissurum: cùm extenuatis uiribus transmittere per fauces nihil posset, inedia mortuus est. Fulg. lib. 9. cap. 14.

Occultatione, Latebris.

CLEARCHVS Ponticus tyrannus, quieturus abdebat se serpentis more in arcam. ARISTODEMVS Argiuorum tyrannus in cœnaculum, quod scalam habebat pensilem, supra quam lectulum locauerat, in qua dormiebat cum amica: cuius mater scalas infrà retrahebat, inde diluculo iterum apponebat. Plut. ad Principem indoctum.

C. Iulius Cæsar lege agraria promulgata, obnunciantem collegam M. BIBVLVM armis foro expulit. ac postero die in Senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere aliquid auderet, in eam coegit desperationem, ut quoad potestatẽ abiret, domo abditus nihil aliud quàm per edicta obnunciaret. Vnus ex eo tempore omnia in Republica, & ad arbitrium administrauit: ut nonnulli urbanorum, quum quid per iocum testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare COSS. actum scriberent, bis eundem præponentes, nomine atq; cognomine: utq; uulgò mox ferrentur hi uersus,

> Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:
> Nam Bibulo fieri consule, nil memini. Suetonius.

Fuga.

Ciuitatis Mediolanensis principes ueriti, ne diriperentur à Ludouici XII. regis Galliæ exercitu, simul quòd nouis rebus studebant: agrestes homines in oppidum adduxerunt, seseque munierũt. Quibus rebus cognitis, LVDOVICVS Sforcia, dux incitatæ plebis studia, omniumq; planè hominum in se inuidiam pertimescens, liberos & concubinam (nam uxor Beatrix mortem obierat) & Ascanium Cardinalem fratrem aliosque oppido eductos Comum misit. Sicq; suis rebus diffidens, causam deditionis oppidanis fecit. Bembus lib. 4. Hist. Ven.

Abnegatione.

ABRAMVS, metu mortis uxorem Saraim Pharaoni regi permisit, uxorem suam esse negans, sed sororem. Gen. 12.

DISCIPVLI Iesu Christi, Saluatoris nostri, cùm uidissent Dominum in horto capi & ligari, relicto eo fugerunt omnes: maximè uerò PETRVS apostolus, qui tam fortiter prima aut altera hora noctis pro suo steterat rege, mox captum, ter ante gallicinium negauit, Iudæorum sæuitiam ueritus. Verùm non Bariona, quem tam ardenter defenderat, negauit, sed Barionæ humanitas: corpus Iudæos timuit, amentia ex metu orta ter locuta est, non mens, quæ proposito auerti non potuit. Sab. lib. 4. cap. 7. ex Matth. 26.

Superstitione.

THEAGENES fuit adeò superstitiosè timidus, ut domi haberet Hecates simulacrum, nec usquam pedem moueret, nisi illo consulto.

ALEXANDER Magnus posteaquam Babylonem uenit, obscuris quibusdam mortis indiciis territus, diis diffidere, amicos habere suspectos cœpit: tantaq; superstitione obstrictus est, tumultuante & trepidante animo præditus, ut nulla res insolita & aliena tam oblata exigua sit, quam non uerteret in prodigium & ostentum: sacrificantium deniq; expiantium & uaticinantium erat regia referta. Adeò res est horrenda incredulitas & contemtio deorum, horrenda item superstitio, quę aquę modo uergit ad demissa, impletq; absurdis opinionibus & metu mortales. Plutarch. in Alexandro.

Supplicio iniusto.

AVGVSTVS Cæsar, in Triumuiratus potestate Pinarium equitem Rom. cùm concionante se, admissa turba paganorũ (hoc est non militantium, licèt urbani essent) apud milites subscribere quædam animaduertisset: curiosum ac speculatorem ratus, coram se confodi imperauit. Et Tedium Afrũ Cos. designatum, quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis perterruit minis, ut is se præcipitauerit. Et Quintum Gallum Prætorem, in officio salutationis, tabellas duplices ueste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere, nec quicquam statim, ne aliud inueniretur, ausus inquirere, paulo pòst per centuriones militum raptum è tribunali, seruilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, priùs oculis eius sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, coniectumq; à se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum, naufragio uel latronum insidiis periisse. Suetonius.

Famæ. Calumniatores nimiùm declinare.

PACHES Atheniẽsis, parto patriæ Lesbi insulæ imperio, cùm domum rediisset, rationem in senatu omnium rerum reddidit, quas eo bello administrauerat: atq; eo ipso tempore, gladio quo cinctus erat, ut aduersariorum calumnias uitaret, seipsum traiecit. Plut. in Nicia.

NICIAS Atheniensis, uir optimus, in agro Lauriotico argentifodinas tenebat fructuosas. ac cùm non pauci sectarentur eum, non secùs improbis ob metum quàm probis ob uirtutem largiebatur. Cùm ita timeret sibi à calumniatoribus, apud neminem ciuium cœnabat, non confabulationibus, non conuersationibus ad tempus fallendum dabat se, nec omnino eiuscemodi uacabat oblectamentis, sed archõ hærebat ad noctem usque in prætorio: curiam primus ingrediebatur, nouissimus egrediebatur. Nihil si haberet in publico negotij, difficilis aditus ad eum erat & conueniendi copia: domo autem inclusus desidebat. Amici alloquebantur eos, qui ad fores uentitabant, precabanturq;, ueniã ut darent, quòd distentus etiam tum Nicias esset publicis negotiis curisq;. Plut. in Nicia.

58 HOSTES INDECORE' declinare.

☞ *Declinantur hostes fuga, si propulsari nequeant. Proinde hic Bellica Fuga locum habet, quatenus turpiter declinat. Quatenus uerò non propulsat, sic ad Timiditatem in propulsando pertinet. Consule locum Affectuum, quatenus Timoris inhonesti exempla continet.*

Præsentes hostes uel

Auertendo.

MESA, Moabitarum rex, à Ioramo Israelitarum, & Iosaphato Iudæorum regibus in urbe Haraseth a obsessus, tentata priùs incassum per noctem fugá, in urbis muris, spectantibus hostibus, diis suis maiorem natu filium immolauit: fretus, hoc sacrificio hostiũ manus se euasurũ, quemadmodũ à magis ei pmissum fuerat. Id quod etiã ei successit, solutã ab hostibus, tã crudeli desperatione territis, obsidione. 4. Reg. 3.

Fugiendo.

SENNACHERIBVS Assyriæ rex, Hierosolymitanam obsidionem soluere coactus (cùm una nocte ex illius exercitu 185 millia angelus Domini occidisset) cum reliquiis exercitus Niniuen fugit. 4. Reg. 19.

DARIVS rex Persarum cùm Scythis bellum intulisset, tãdem turpi fuga sibi consulere coactus est. Quòd nisi Iones, qui pontem ex nauibus factum in Istro fluuio custodiebant, fidem seruassent, actum fuisset de Darij exercitu. Cùm ad Istrum peruenisset Darius, & pontem solutum inuenisset, nam de industria Iones partem soluerant, ut Scythæ abituros existimarent, animo planè concidit, donec magno clamore ab Ionibus exauditus est, qui pontem statim refecerunt. Herod. lib. 4.

XERXES Persarum rex multis myriadibus Græciam infestãs, ter à Grçcis turpissimè uictus est. Ipse metu, ne in Europa caperetur Asia, h. e. includeretur, præcipiti fuga per Hellespõtum in Asiam contendit. Plut. in Themistocle.

Exercitu PERSARVM ad Platæas profligato, atq; in diuersa per fugam dissipato, Græci pariter, quacunq; fugientem uiderunt hostẽ, diuisis in partes totidem copiis, insectari properarunt. Atheniensium, Platæensium, ac simul Thespiensium acies, eos, qui Thebas profugerant, persequuntur: Corinthij, Sicyonij, Phliasijq;, nonnulli præterea alij eas premebant copias, quæ cum Artabazo fugiebant ad XL millia. Lacedæmonij cum reliquo exercitu uallum & munitiones adorti expugnarunt. Diod. lib. 11.

ARTABAZVS Pharnacis F. præfectus 40 millibus Persarum sub Mardonio, cùm sibi non placerent ea quæ à Mardonio

fiebant, post uictum ad Platæas Mardonium, cum suis omnibus ad Hellespontum profugit. Herod. lib. 9.

In eo bello, quòd Mitylenæi cum Atheniensibus gesserunt, ALCÆVS poeta, uincentibus Atheniensibus, ipse quidem fugæ se mandans euasit: sed armis eius potiti sunt Athenienses, quæ apud templum Mineruæ in Sigæo suspenderunt. Hanc rem Alcæus carmini mandans, in Mitylenem reposuit, indicans Menalippo sodali suā calamitatē. Herod. l. 5.

DEMOSTHENI probro datum est ab inimicis, quòd in eo prælio, quo Philippus Macedonum rex Athenienses apud Chæroneam uicit, clypeo abiecto fugerit: nec inscriptionē, ut dixit Pytheas, ueritus clypei, cui fuit literis inscriptum aureis, ἀγαθῇ τύχῃ, Bona fortuna. Eaq; causa ῥίψασπις ignominioso cognomine uocatus est. Verùm id probri Demosthenes, homo non admodum uerecundus, prouerbiali notissimoq; uersiculo legitur eludere solitus:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Plut. in eius uita.

ATHENIENSIS quidam longè ante signa prouectus, mox timore perculsus occurrentis sibi hostis, retrò ad ordinem suum recepit se: ibi, Non te pudet, inquit Phocion dux, adolescens, duos deseruisse ordines? & quo positus à duce fueras, & iterum, ubi temet collocasti ipse? Plut. in Phocione.

In pugna ad Salaminem contra Persas, ferūt ADIMANTVM Corinthiorum ducem, statim inter initia cōcursus nauium perterritum, sublatis uelis fugæ se dedisse: Corinthiosq; inspecta fuga nauis imperatoriæ itidem abiisse. Cùm fugiendo uenissent ad templum Mineruæ Sciradis, quæ est in Salamine, occurrisse eis celocem diuina cum pompa: quē quisnam misisset cùm non constaret, sciretq; neminem suæ classis ad ipsos misisse; eos ob id coniectasse rem diuinam esse: & illos, qui in celoce erant, ubi propiores fuerunt, ita locutos fuisse: Adimante, tu quidem conuersis in fugam nauib. discedere uis Græcorum proditor: at illi quantum uotis cōceperunt, uictores hostium euadent. Et cùm his uerbis fidē non haberet Adimantus, hæc iterum dixisse: ipsos posse pro obsidibus ductos mortem obire, nisi constaret, Græcos esse uictores. Ita conuersa naui, Adimantum cum cæteris ad classem suorum, re iam ab aliis nauata, uenisse. Hic de illis apud Athenienses rumor extitit. At Corinthij se inter primos pugnatores extitisse affirmant, pro quibus testimonium dicit reliqua Græcia. Herod. lib. 8.

Victus ab Alexandro ad Issum rex Persarum DARIVS, cùm propter cadauera cæsorum, haud facilè currum flectere & peruadere ualeret, amissis CXXM hominum: curru armisque relictis, equam, ut ferunt, recèns enixam conscendens, effudit se in fugam. Plut. in Alexandro.

PERSEO regi Macedonum, cùm eum L. Paulus Aemilius persequeretur, inopinato hostium ingressu terror iniectus est, ut uelut sibi minùs constare cœpisset, pecuniā in mare mergi iusserit, ne periret, classemq; incendio absumi, ne ab hoste incenderetur. Sab. lib. 8. En. 5.

TIGRANES Armenius potentissimus Asiæ rex, contra Lucullum Romanum (quem ob militum paucitatem contemserat) pugnans: etsi militum multitudine longè præstaret, attamen turpiter fugam adornauit, diadema abiecit, ne agnitus ueniret in hostiū manus. Dion Nicæus, & Xiphil. in Pōpeio.

C. Iulius Cæsar PHARNACEM Ponti regem primo aduentu suo fudit, & incredibili celeritate castra hostium cepit. Quo contigit, ut hostibus primo congressu fugatis exclamarit, Hi sunt, qui te magnum fecêre Pompei. & ad senatum scribens, his uerbis uictoriæ celeritatem significarit, Veni, Vidi, Vici. Sab. lib. 7. Enneadis 6.

HORATIVS Pompeio Varo cōmilitoni suo gratulatur, qui quum M. Bruti & Cassij partes secutus fuisset, apud Philippos fuso exercitu, euaserit secum, nō sine Mercurij numine: Ode 7. lib. 2. sic scribens:

Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula:
Quum fracta uirtus, & minaces
Turpe solum tetigêre mento.
Sed me per hosteis Mercurius celer
Denso pauentem sustulit aere:
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.

Cæsar in Africa contra Scipionem prælians, fugientem AQVILIFERVM collo dicitur corripuisse ac conuertisse, dicens, Hîc hostes sunt. Plut. in Cæsare.

In Pharsalica pugna CN. Pompeius ut equites conspexit ab altero cornu effusè fugientes, non ultrà idem ille fuit, nec meminit Magnū se Pompeium esse: uerùm non secus ac si deus ei mentem ademisset, uel clade diuinitùs immissa expauesceret, tacitus se recepit in prætorium: ibique sedens euentum expectauit pugnæ, quousque omnibus in fugam consternatis adorirentur hostes uallum, & cum statione præliarentur. Tunc quasi ad mentem reuersus, cùm unam hanc, uti ferunt, uocem misisset, Etiam in castra? depositis insignibus imperatoriis, sumtaque fugienti congrua ueste, eiecit se clàm ex castris. Plutarchus in Cæsare.

Ad Actium Ambraciæ promontorium M. ANT. cum D nauibus contra CCL naues Augusti pugnabat. Communi adhuc marte, repentè sexaginta CLEOPATRÆ naues conspectæ uela ad discessum in altum dare, ac per medios fugam arripere pugnantes. Ea namq; hoc potissimùm consilio, ut classe depugnaretur, obtinuit ab Antonio, contra omnium sententiam, ut maturè effugere posset. Hostes obstupefacti, petentes uiderunt secundo uento Peloponnesum. Hic uerò patefecit se Antonius, nec ducis, nec uiri, nec omnino suo duci consilio: sed quod ludens quispiam dixit, amantis animā in alieno uiuere corpore, raptus à femina est, ut si conglutinatus ei foret, unaq; moueretur cum ea. Nam simulatq; nauem contemplatus est illius uela facientem: omnium oblitus, proditis & desertis illis, qui pro ipso certabant, atq; animam profundebant, conscēdit quinquiremē, Alexandro Syro & Scellio solis comitibus, secutusq; est perditam iam & perdituram insuper ipsum. Illa percipiēs eum uenire, signum sustulit ex naui. Ita ad eam Antonius delatus & acceptus naui, neq; aspexit illam, neq; aspectus ab illa est. Solitarius transiit in proram, atq; ibi tacitus cogitabundusq; consedit, ambabus manibus caput tenens. Cùm classis Antonij diu fuisset Cæsari obluctata, atq; grauissimè ab insurgentibus in proram infestata fluctibus, tandem hora decima succubuit: neq; plus quinq; millia cecidêre. Naues captæ sunt trecentæ, ut ipse in Commentariis tradidit Cæsar. Haud multi senserāt Antonij fugā: atq; audientibus res primò uisa incredibilis, nouendecim legionibus peditum integrorum adhuc, & duodecim millibus equitum relictis, capere eum fugam. Postquam præfectum copiis Africanis desciuisse cognouit, instituit sibi manus inferre: uerùm interpellatus ab amicis, delatusq; Alexandriam, Cleopatram offendit opus aggressam audax & grande. Isthmum, qui mare Rubrum dirimit ab Aegyptio, qui etiam distinguere Asiā & Africam putatur, qua maximè ab utroq; stringitur pelago, & coarctatur, ut non plus trecentis stadiis pateat in latum, adorta est traiicere classem, demissisq; in sinum Arabicum cum magna pecuniæ ui copiis & nauibus, sedes quærere remotas, seruitutem & bellum refugiens. Cæterū quia primas naues, quæ subuehebantur, Arabes Petræi inflammauerunt, & Antonius exercitum terrestrem Actiacum existimauit adhuc integrum esse: destitit cœpto, atq; ostia Nilī stationibus sepsit. Plut. in Antonio.

MAGNENTIVS ad Mursam Pannoniæ uictus à Constantio Imp. ubi suos in fugam actos concidi uidit: purpura abiecta & ipse fugam iniuit, equo suo regiis insignibus ornato dimisso, ut qui in illum incidissent, regem interfectum credentes, curam sui quærendi omitterent: ac quanta maxima celeritate potuit, in Italiam se recepit, & Ticinum iniuit. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Galerius MAXIMIANVS Cæsar tertium cum Narse Persarum rege commisit prælium inter Callinicum, & Carras oppidum, Crassi quōdam ducis Romani clade nobilitatū. Verùm cùm temerè exiguas copias maximis obiecisset, uniuerso amisso exercitu uix ipse sibi fuga consuluit. In iis rerum angustiis positus, iter ad Diocletianum, qui in Syria erat, intendit. Quem ut Diocletianus confusum mœstumq; ad se uenientem prospexit, ratus id, quod erat, subita concepta ira illum tanta arrogantia excepit, ut neglecta Cæsaris dignitate, per aliquot millia passuum, purpuratum pedibus uehiculum anteire permiserit. tandem in conspectum admisso, ac partim fortunam incusanti, partim magna omnia, si noui daretur prælij materia, pollicenti, ueniam dedit, ac nouas ad instaurandum bellum copias conscribere permisit. Itaque Galerius bellum Persicum maxima felicitate confecit, quod per aliquot annos cum aliqua Imperij ignominia gerebatur. Sigonius lib. 1. Imp. ocid.

RHADAGAISVS Scytha, ducentis millibus Gothorum terrorem uniuersæ Italiæ grauissimū incussit. Thraciam enim, Illyricum, Noricum, & loca ad oram Italiæ sita, ferro, igni ac præda crudeliter uastabat: iamq; Apenninum transgressus, Fesulis consederat. Eo terrore exciti Romani, Vldinum & Sarum, Hunnorum & Gothorum duces, in auxilium uocant: qui egressi, Rhadagaisi exercitum in Fesulanis iugis includunt, & obsident. Commeatu itaq; destituta tanta hominum multitudo, (cùm ferox ille dux clàm fugam adornans deprehensus & strangulatus esset) in potestatem hostium uenit, tantaq; repentè mancipiorum extitit uilitas, ut integri hominum greges singulis aureis, ut Orosius scribit, uenderentur. Qui fuga elapsi sunt, ad Alaricum se receperunt, Vestgothorum regem. Paul. Diaconus.

Syualdus Danorum rex, & Regnaldus Sueonum dux, delectis utrinque fortissimis militibus, apud Sialandiam triduo integro depugnarunt. Othari tandem, qui Syualdi gener erat, fortitudine, cæso Regnaldo, quadraginta SVEONES fortissimi terga fugæ dederunt, & inter eos quoque STARCATHERVS, quem nunquam alioqui sol fugientem uiderat. Saxo libro 7.

BRITANNI Guinderio regnante Romanis uectigal soluere negabant. Claudius Imper. in insulam cum exercitu profectus est. Britanni uix conspectis Rom. signis, turpiter fugêre, & manus uinciendas muliebriter protendere: ita ut in prouerbium & derisum longè lateq; efferretur, Britanni nō sunt in bello fortes, nec in pace fideles. Polyd. lib. 2.

EDVARDVS II. Anglorum rex exercitum CCC M ex suis & uicinis populis contra Robertum Brusium Scotorum regem exciuerat, XXX tantū millib. instructum. De uictoria nihil dubitans, quo supplicij genere Robertū esset affecturus consultabat. Cæterū ad fl. Bannafborn uictus profligatusque, ad castellum Doumbar à comite Merchiarum receptus, una aut altera scapha uix in Angliam summo cum periculo euasit. H. Boethius lib. 14.

Rex Noruagiēsium MAGNVS, cùm Sueones adortus, in Hallandenses etiam arma proferret, inopinata eorum irruptione perculsus, ut erat calceamentis nudus, probrosum ad naues recursum habuit, eiusq; fugæ deformitatem etiam cognomine usurpauit. At Sueonū rex Ingo, pacis gratia filia Margarita ei in matrimonium tradita, periculum beneficio repulit. Saxo lib. 13.

Henricus Dandulus Venetorum dux, Cōstantinopolitanis, quod mercatores suos sæpiùs facultatibus exuissent, modumque in exigendis uectigalibus excessissent, Venetisque subiecta loca crebrò armis infestassent, bellum intulit: & Gallos ad sacram expeditionem magnis agminibus contēdentes, belli socios sibi adsciuit: inter quos erant maximè insignes Bonifacius Montisferrati marchio, & Balduinus Flandriæ comes. Horum opem in se restituendo, Alexius Isaacij Angeli cæci F. exul, Romani pontificis & Philippi Germanorum regis affinis instructus literis, implorauit: contra ALEXIVM Comnenum imperij usurpatorem. Ergo ducentis & quadraginta nauibus, terra mariq; urbs imperatoria obsidet. Vulgi conuitiis tandem excitus Alexius, cùm instructissima acie egressus esset, primo hostiū aspectu territus, pedem retulit, noctuq; cum mulierib. quibusdam, conscensa nauicula, Debeltum fugit. Nicetas.

OTHO II. Othonis primi filius, aduersus Basilium & Constantinum Imperatorem pugnans classe, ac superatus: turpi fuga solus scapham conscendit: & à piratis pro ignoto captus, in Siciliamq; ductus, à Siculis redemtus est. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

CAROLVS Burgundus, contra quem Fridericus III. Imper. Heluetios instigarat, Granceij amisit opes suas, decies centenis millibus aureorum ęstimatas: ipse cum LXM turpiter fugit, anno MCCCCLXXVI. Reparatis inde uiribus in Sabaudia, cum CM Moratam obsedit, & illic à Confœderatis uictus, fuga turpiter elapsus, mutatis subinde equis Geneuam usq;, per multos dies congressu hominum abstinuit, ad insaniam modò non redactus. Viginti millia in acie cæsa, decem millia in lacum præ timore effusa, miserè trucidata fuêre, unico equite cataphracto, qui cum equo & armis lacum summa omniū cum admiratione transmisit, euadente. Comes Rotundi montis non expectatis hostibus, fuga sibi cum suis consuluit. Stumpfius.

Sigismundi Austriaci exercitu, ob non numerata stipendia dilapso, VENETI occasione utendum rati, Tridentum occupare cogitabant. Tridentini adiuncto Georgio Petræplanę principe, illis maturè occurrunt, atq; ingenti cæde utrinq; facta, urgentibus Germanis, cum suorum globo ducē Robertum Seuerinatem in flumen deiiciunt, perimuntq;: reliquos perterritos in fugam agunt, & pontem Athesi fl. impositum petere compellunt. Id conspicatus Andreas Burgius præfectus militum, sperans, si pons rescindatur, fore ut milites equitesq; ablata fluminis transeundi facultate continerentur, seq; in hostes necessariò conuerterent: accurrēs solutis retinaculis pontem propulit. Quæ res in contrariū, atq; ipse existimauerat, uertit. Nam qui semel fugæ se mandauerant, ea spe, ut si flumē transire possent, in tuto sese crederent futuros, ubi pontem sublatum uiderunt; pleriq; omnes se in flumen præcipitauerunt, & armis equisq; depressi atq; impliciti perierunt: pauci ripam tenere potuerunt, quod flumine maximo & uorticoso impediebantur: ut essent omnes, qui ab hostibus pugnantes interfecti sunt, quique ui fluminis rapiente interierunt, circiter mille. Bembus lib. j. Venetæ historiæ.

Veronæ oppugnatiōe frustra tētata, Venetorū dux BARTH. Liuianus usq; adeò festinanter reductis tormentis & signo profectionis dato è conspectu urbis discessit, ne ab erupturo hoste distineretur, ut aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentissimo sole, potādi causa, ex acie diuerterant, crudeli manu confoderet: frustra deprecante Paulo Balcono, qui in fessos sitiq; cōfectos à mucrone temperandum esse disserebat. Sab. Supplem. lib. j. ex Iouio.

Moriendo.

Cimon Atheniēsis accolas Strymonis Thracas, sedibus expulit, totamq; regionem stationib. cingens, ad eas redegit obsessos difficultates, ut regius dux BVTES Persa, reb. deploratis flammā subderet oppido, seq; cum amicis & reb. omnib. cōcremaret. Plut. in Cimone. Poly. lib. 7. Borgen uocat.

Bis XANTHII in Lycia parentes, liberos & uxores ira & desperatione interfecerunt, urbemq; insuper cremarunt: primò bello Persico: inde post aliquot ætates ciuili bello, quod Bruto & Cassio ducibus est aduersus Triumuiros Antoniū & Octauianum in Asia & Europa gestum. Sabel. lib. 9. c. 3.

Perdiccas, penes quem mortuo Alexandro Magno regiarum copiarum potestas erat, ARIARATHEM Cappadocum regem obnoxium subito bello adortus, uictumq; prælio & obsidione fatigatum, ad eam desperationem redegit, ut auro argentoq; cum preciosa ueste, cæteroq; ornatu de industria corrupto, coniugibus & liberis, aliis super alios interfectis, ipsorū corpora, seq; ipsum in accensos ignes deiecerit. Nihil igitur ex eo bello præter uulnera adeptus est. Sabellicus lib. 7. Enneadis 4.

Aduentantes hostes non expectando, sed fugiendo.

Circumtulit extra primos fines arma primus omniū VEXORES Aegyptius. Is plurimarum gentium uictor, quum in Pontum peruenisset, bellū Scythiæ indixit. Scythæ non multum inde commorati, obuiam hosti ire pergūt. Vexores tot gentium terrarumq; ad eam diem uictor, ubi primùm Scythæ appropinquare dicti sunt, florentissimo exercitu cum omni bellico apparatu relicto, paucis comitatus pro uicto in Aegyptum abiit. Scythæ uictoriā secuti, spoliassent haud dubiè hostem regno, nisi palustri difficiliq; aditu, Aegypti fines transcendere prohibiti, aliō impetum auertissent. Victoriæ itaq; cursu in alias gentes deflexo, bella bellis serendo, haud prius quieuêre, quàm omnem Asiam armis domitam sibi uectigalem fecissent, modico tributo gentibus imposito: non regni, non imperij nomen, sed ut monumētum id esset inclytæ uictoriæ. Sabellicus lib. 1. Ennead. j.

A Cæsare Arimino capto, tanquam porta bello in omnem terram & mare pariter patefacta, legibusq; ciuitatis cum prouinciæ confusis terminis: non uiros diceres mulieresq; ut alias attonitos per Italiam palari, uerùm ipsas sedibus suis excitas fuga inter se discurrere ciuitates: Romam uerò quasi fluctibus circumiectorum populorum fuga & migratione impletam, quam neq; magistratus sedare facilè, neque uerbis ullus ualeret reprimere: ut parum abfuerit, quin magnis in undis & iactatione, propè à semetipsa fuerit euersa: quippe diuersi æstus motusq; omnia graues tenebant. Neque enim quæ exultaret, pars quiescebat: sed cum perterrita & mœsta passim concurrens in magna urbe & insultans, conflictabatur cum ea de euentu: ipsumq; per se obstupefactum alius aliunde solicitabat CN. Pompeiū: cùm hi obiicerent, quòd Cæsarem contra se & rempub. euexisset, luere eum pœnas: alij quòd de iure suo cedentem atq; æquas offerentem pacis cōditiones, Lentuli permisisset contumeliis. Fauonius terram iussit ei pede pulsare, quòd iactabundus aliquando in senatu dixisset, ne laborarent patres, neq; de belli apparatu essent soliciti: se, ubi tellurem pede percussisset, Italiam legionibus impleturum. Attamen superabat tunc quoq; Cæsarem Pompeius copiarum numero: uerùm nemo eum suis permittebat uti cōsiliis. Ita multis nunciis, mendaciis & terroribus, quasi ingruente iam hoste & omnia tenente, cedens, communi est impetu impulsus, decretoq; tumultu urbem reliquit, senatum sequi iubens, nec remanere quenquam, qui tyrannidi anteferret patriam & libertatem. Ac consules, ne solennibus quidem ante profectionem peractis sacris, fugam arripuêre. Fugerunt & senatores pleriq;, raptura quodammodo de propriis, quod ad manum erat, ut de alienis sumentes. Vrbis uerò miserabilis facies tanta ingruente tempestate erat: quæ nauis modo à gubernatoribus deploratæ in id, quod sors obtulisset, uidebatur impactura. Quę quanquam tam fuit calamitosa fuga, hoc exiliū homines tamen ducebant Pompeij causa patriā esse: Romā uerò, ut Cæsaris castra, deserebant. Plut. in Cæsare.

MAVRICIVS Imp. cùm ab exercitu Phocam Imp. salutatum audiuisset: assiduis concionibus populum in officio continere conatus, ubi labare hominum studia uidit, & tumultuantem multitudinē sibi haud posse cognouit: ignoto habitu cum uxore & filiis ingressus naues celeres, abiit. Theodosium uerò filium, quem die festo Paschatis regem publicè appellauerat, ad Cosroen Persarum regem misit, ut memor beneficij abs se accepti, pari officio filiū regno pulsū prosequeretur. Interim Phocas faustis acclamationib. exceptus, ac in regia à patriarcha coronatus, astante populo Augustus dictus, Mauriciū è fuga retractum occidit. Cuspin.

Sueonem III Danorum regem à Canuto & Valdemaro pulsum, HENRICVS Saxoniæ dux reducere studebat. Ast ubi Valdemarum instructo exercitu obuium prodire audiuit, metu territus, occasionē à tempore mutuatus est. Ne enim ob piscium raritatem solenne ieiunium solueret: simulata alimentorum inopia, ignauiæ studium religionis nomine colorauit. Iter sanè, quod semestri spacio uenientes confecerant, triduo remensi sunt, multis impedimentis relictis. Saxo libro 14.

ERICVS Canuti Vandalorum regis, à Magno Nicolai Danorum regis F. perfidè cæsi frater nothus, à populo rex salutatus, propter crebras fugas, à Saxonib. militari ioco Hasenuoeth, hoc est, Pes leporinus dictus, uaria fortuna usus, tandem uno prælio uictor, Magnum uita, Nicolaū regno exuit. Cæterū longè dispare fortuna cōtra Sclauos bellum gessit. Infimi cuiusq; in soluēda militia arbitrium sequebatur: sæpè ad lixarum clamorē receptui cecinit, milites classémque dimisit. Eius itaq; mollitie animati barbari, non solùm impetum eius sustinuere, sed ultrò etiam domi considentē inuasere. Saxo lib. 14.

Fama de aduentu deq; successu rerum Caroli IIX Franciæ regis ad TVRCAS perlata, propterea quòd rex palàm dictitauerat, Neapolitano regno capto se in Turcas profecturū, eisq; bellum terra mariq; illaturū: tanta fuit eius rei opinio, tantusq; omnes eas gentes terror inuasit, ut in Illyrico, Epiro, Acarnania, Macedonia, qui maritimas earum regionū oras atq; portus incolebant, se introrsus reciperent, atq; in longinquas à litoribus, & remotas latebras abderent. Literæ etiam ab Antonio Grimano classis Venetæ Imp. ad Senatum uenerunt, cùm ad Naupactum Aetoliæ litora nauibus longis præterueheretur, Turcos, eam esse classem Gallicam uerentes, omnes aufugisse, uacuaq; litora custodiis reliquisse. ut quilibet existimare potuerit, si se modò Carolus illis in locis ostendisset, paruo eum negotio omnes eas regiones in suam potestatem redigere potuisse. Baiazethes quidem rex Turcorum, iam inde cùm primùm Florentiam Carolum esse ingressum cognouit, ueteres triremes reficere, nouas instituere cœpit: militibusq; suis & equitibus edixit, se compararent, ut cùm uellet, sibi præstò esse possent. Bembus lib. 2. Venetæ hist.

LADISLAVS Vngariæ & Boemiæ rex, audito Turcarum ad Albam Græcam oppugnandam aduentu, usqueadeò consternatus est, ut simulata uenatione Buda egressus, Viennā continuò se receperit. Budinam quoq; arcem omni præsidio destitutam reliquit; quæ diebus circiter triginta etiam hosti patuit. Bonfin. lib. 8. Decad. 3.

ALFONSVS II. Neapolitanorū rex, ubi Carolum IIX. Galliæ regem Romæ à pontifice Alexandro VI. susceptum, & filium suum Ferdinādum urbe iussum excedere cognouit, anno MCCCCXCV. famæ & gloriæ pristinæ, quam longo usu, in multis Italiæ bellis sibi pepererat, oblitus, sese regno abdicare constituit, nomenq; regium atq; maiestatem in Ferdinandum transferre: fore sperans, unà secum odio tam acerbo remoto, summæq; expectationis iuuene, à quo nemo fuerat læsus, quique per se gratia apud omnes polleret, ad regiam dignitatem euecto, desiderium Gallorum in suis fortè imminutum iri. Itaq; conscientiæ stimulis agitatus, cùm neq; dies, neq; noctes animo quietem inueniret, in somnoq; eorum nobilium, quos occiderat, umbræ obuersarentur: populus item pœnas ab eo reposcens turbulentissimè concitaretur: re tantùm cum regina sua nouerca communicata, cuius precib. ne fratri quidem aut filio suum consilium aperire uoluit, nec duos tresue dies, quò sui regni annū uertentem terminaret, supersedere, quatuor triremib. preciosa supellectile oneratis, Neapoli discessit: tantum in ipso discessū pauorem præ se ferendo, ut quasi in se cœlum atq; elementa cōspirasse suspicaretur, ad omnē strepitum pauidè respectans, Mazarim oppidū, ipsi à Ferdinando Hispaniæ rege donatum, in Siciliam fuga se receperit. Manauit rumor in uulgus, uoluisse eum uotum exoluere, quòd in nouitate quadam suarum rerum Deo religionem uouisset, si sibi & patri regnū incolume mansisset. Guicciardinus lib. 1. & Sab. lib. 9. Enn. 10. Antequā discederet, Ferdinandum filium ab exercitu reuocauit: & introductū in intimam Nouæ arcis partem, adhibitis amicorum præcipuis, prolixa oratione ad defendendum regnum cohortatus, regem imposito diademate designauit. Perorante Alfonso, omnibus obortæ sunt lacrymæ, patremq; ipse Ferdinādus & cæteri non aliter ac fato functum luxerūt: interq; singultus translati imperij tabulæ, dictāte Iouiano Pontano, conceptæ confectæq; sunt. Iouius lib. 2. Hist.

Capto S. Desiderio cùm Carolus V. Cæsar infestis signis Lutetiam Gallici regni caput peteret, anno Sal. MDXLIIII. tantus timor PARISIENSES inuasit, ut cuncti fugam capesserent: neque ipse Medonius cardinalis, qui Lutetiæ regio nomine cum imperio præsidebat, tantum ualebat auctoritate, ut fugam perterriti populi usquam sisteret. In eo tamen tumultu peregrini omnes, qui ibi per gymnasia liberalibus studiis operam dabant, arma sumserunt, præbente se eis ducem Caracciolo, Sergiani Melphitani reguli filio, q Lutetiæ sacerdotium inter cucullatos opulentum liberalitate regis fuerat consequutus. Sabellici Supplem. lib. 27.

CAROLVS V. Imp. qui anno Salutis MDXLVI. armis capto Ioan. Frid. Saxone, [illegible] Philippo Landgrauio Hassiæ, uniuersam tenuerat Germaniam, & tormentis bellicis tanquam trophæis Italiam, Flandriam, Hispaniam repleuerat: sexēnio pòst à Mauricio Electore Saxone, cuius opera hoc ipso bello feliciter usus fuerat, Oeniponte (ubi concilij Tridentini curis distinebatur) de improuiso ferè oppressus, cū arcem Erebergum in Alpium faucibus sitam, de improuiso captam audiuisset: Villacum Carnorū oppidum tumultuaria fuga sese recepit, cùm Saxonem toto iam quinquennio captiuum paulo antè dimisisset. Sleidanus lib. 24.

ALDANA Hispanus, Ferdinandi regis archistrategus in Trāssyluaniā, Mahumetum Bassam Budensem, ne ad Lippæ oppugnationem accederet, metuens, consilium ignauissimū urbis & arcis euertendæ cepit. Missi speculatores duo, cùm pacata omnia renunciaturi, laxatis habenis accurrerent, sequente grege armentorum, qui aduentantis exercitus hostilis speciem prebebat, metu exanimatus Aldana, tormenta, turres, arcem puluere pyrico disiecit, detestante uniuerso exercitu, & fugienti similis in Transsyluaniam cōtendit. Mahumetus rudera Lippæ occupauit, & Solimon arcē inexpugnabilem pari ignauia derelictam à nostris, quæ sola à Lippa Turcos auertere potuisset, obtinuit: desertores incredibili celeritate assecutus trucidauit. His ceu cornibus apprehensam Transsyluaniā facilè subiugauit. In uincula coniectus, causam dixit: ita quidem, ut ignauia sola perfidiam excusare posset. Capitis igitur Viennam missus damnatur. Verùm Mariæ Boemiæ reginæ, Maximiliani II. uxoris, Caroli V. filiæ intercessione, quòd Hispanus esset, uita donatus, eiusdemq; opera è perpetuis carceribus, ad quos damnatus erat, liberatus est. Ascanius Cētorius lib. 5. & 6. Comment. Belli Transsyluaniæ.

RESPECTV MODI.

Exempla ex præcedentibus deducantur. quatenus in iis Modus perpenditur.

MORTE.

Cùm Romani ANNIBALE uiuo nunquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his T. Q. Flaminium, qui à rege Prusia peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibiq; dederet. His Prusia negare ausus non est. illud recusauit, ne id à se fieri postularent, quod aduersus ius hospitij esset: ipsi, si possent, comprehenderent: locum ubi esset, facilè inuenturos. Annibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ab Rege datum erat muneri: idq; sic ædificârat, ut in omnibus partibus ædificij exitus haberet, semper uerens, ne usu ueniret quod accidit. Huc cùm legati Romanorum uenissent, ac multitudine domum eius circumdedissent: puer ab ianua prospiciens, Annibali dixit plures præter consuetudinem armatos apparêre. Qui imperauit ei, ut omnes fores ædificij circumiret, ac properè sibi renunciaret, num eodem modo undiq; obsideretur. Puer cùm celeriter quod esset renunciasset, omnesq; exitus occupatos offendisset: sensit id nō fortuitò factum, sed se peti, neque sibi diutiùs uitam esse retinendam. Quam ne in alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum uirtutum, uenenum, quòd semper secum habere consueuerat, sumsit. Probus in eius uita.

FVGA TVRPI.

Mortem declinare fuga.

RESPECTV TEMPORIS.

De QVODAM, qui ducebatur ad patibulum, sic scribit Henricus Stephanus:

Ad mortem trahitur dum quidam, dum superestq;
Par spacium uitæ, par spaciumq; uiæ,
Peste infestatur platea hæc, quantum audio, dixit:
Pertransire illam non ego sustineam.
Alea de dulci subeatur cur mihi uita?
Cur adeam tetræ certa pericla luis?
In cruce post unam moriendum cui fuit horam,
Post paucos metuit peste perire dies.

INCONSIDERANTIA, TEMERITAS VEL STVPIDITAS in malis non declinandis. NON declinare mala, temerè.

Non declinare mala imminentia, Tolerare præsentia, eiusdem sunt habitus. Eapropter ex Tit. Tolerantiæ nimiæ, exempla pleraq; huc transferri possunt, respectu tantùm diuerso: quòd hic Declinandi defectus, illic Tolerandi excessus consideratur.

MORTEM, PERICVLA NON DECLINARE.

Oraculo cognouerāt Græci ad Troiā profecturi, primo, qui in litus egressus esset Troianū, mortē oppetendā esse. Posteaquā appulerunt, cunctantibus cæteris, PROTESILAVS Iphicli F. Thessalus audacter prosiliit, & ab Aenea uel Hectore interfectus est. Achilles licet omniū fortiss. fatali periculo se exponere noluit, cùm sciret quantū damni ex sua nece tota Græcia perceptura esset. Eustath. Iliad. ζ. Homerus ait:

-- τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ
νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον ἀχαιῶν.

CALLICRATIDAS Spartanorū rex, à uate monitus, ut mortem declinaret, quā denunciarent exta: Non in unius anima repositam Spartam, temerè respondit. Plut. in Pelopida.

CELTÆ, qui ad subeunda in bello pericula promtissimi semper habiti sunt, adeò ducunt ignominiosum fugere, ut è corruentibus & incidentibus ædibus sæpe non effugiant, sed ne ardentibus quidem, sed incēdio igniq; circūueniantur. Multi etiam fluctuans mare sustinēt. Quidam enim in fluctus se iniiciunt, & eorum impetus excipiunt, protensis gladiis eua ginatis, & hastis uibratis, perinde atq; si uel terrere uel uulnerare possent. Aelian. lib. 12. de Var. hist. & Arist. in Ethicis.

Cicero in 2. lib. de Finib. docet, extare nonnullos, etiā idiotas HOMINES, qui penitùs metu mortis liberi sint, ipsamq; omnino contemnant, & illud in ore habeant ex Hymnide Menandri (quā Latinam fecit Cæcilius) Mihi sex menses satis sunt uitæ: septimū Orco spondeo. Victor. lib. 1. Var. lect. c. 11.

VIM APERTAM NON DECLINARE.

CYRVM, cōtra fratrē Artaxerxē Persarū regē dimicaturū, cùm ante prælium moneret Clearchus Spartanorū dux, ut pone Macedonū ordines se teneret, neq; coniiceret in aleā semetipsum, ferunt respondisse: Quid ais Clearche? tu'ne iubes mihi, qui regnum affecto, regno me ut ostendam indignū? Prælio ad Cunaxa cōmisso, cùm innumerabiles Barbarorū copias Greci, quorū XIII M. Cyrus habebat, profligassent: uehebatur Cyrus generoso equo, sed effræni & feroci, Pasaca nomine, ut est auctor Ctesias. In eum præfectus Cadusiorum Artagerses inuectus est. At iaculo Cyrus ingesto, fixit eum, collumq; secundùm clauiculam cuspide traiecit. Inde equum in regē permisit, & hic in illū, silentio uterq;. Regem, intorto per loricā iaculo, in pectore uulnere duos digitos alto læsit, ut uix cū paucis in uicinum tumulum effugeret. Victoriam iam sibi pollicēs, dum incautus per medios hostes uolitat, à Mithridate Persa in tempore uulneratur iaculo, & ex equo elapsus, eunuchis eum sustinentibus, à Care quodam iaculo à tergo in poplite uulneratus, animam exhalauit, & uictoriā iam certam, Græcis undiq; uictoribus, Regi concessit. Plut. in Artoxerxe.

CONSTANTINVS Magnus in Veronensium campis ducē Ruricium, Maxentij partib. addictum, magnò prælio uix tandem superauit. Parta uictoria Constantinum sui corripuerunt lacrymantes, amplexiq; totum sanguine hostili perfusum, grauiter, quòd se tanto periculo cōmisisset, & parū sibi consuleret, obiurgarunt: quo pereunte, satis constaret totā esse remp. perituram. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

CAROLVS Andegauensis ad Beneuentū contra Manfredum pugnabat. Laboranti suorū turmæ intentius succurrens, ex equo consternatus, hostium animos auxit. MANFREDVS spe uictoriæ elatus, dū extra ordinē incautiùs pugnat, interficitur, & apparente subitò Carolo, fortuna belli statim mutatur. Carolus tanta uictoria potitus, Beneuentū mouēs, urbē dedentibus ultrò ciuib. ingreditur. Platina in Clem. IV.

IOANNES Boëmiæ rex Philippo VI. Gallorum regi auxiliū contra Anglos ferebat Cressiacum, quantumuis cæcus, atque adeò in primo ordine constitui uoluit. At telis undique circūuolantibus, ac plerisq; eminus cadentibus, admonitus rex, ut retrocederet: respōdit, Terga ne hosti Boëmiæ rex uertat? Aut ego hodie uictor euadā, aut letho insigni regiè cadam. Dubrauius lib. 21.

Alfonsus Albuquercius Indiæ prętor Adenam urbem munitiss. in sinu Arabico oppugnabat. GARSIAS Sousa cū suis turrim quandam occuparat, sed ab hostibus circumuentus ualde premebatur. Albuquercius funes iis, qui in turri decertabant, pręberi iussit, ut per illos se è turri demitterent. At cùm Sousa indignū reb. à se gestis esse diceret, per funes ex eo loco, in quem uirtute conscenderat, demitti: hostes uerò lapidibus eos & missilibus urgerēt: Sousa sagitta secundū frontem uulneratus, occubuit: reliqui per funes demissi periculū effugerunt. Osorius lib. 9. rerum Em.

Certamine illo, quo Florentinus populus apud Campaldinū Aretinorū copias fudit, cùm GVLIELMO Aretino episcopo nōnulli suaderent, ut saluti suæ cōsuleret, quòd tuendi Aretinos spes nulla superesset: petiit, An recipi ex prælio Aretinī possent? Cùm negaretur fieri posse, ut ampliùs se ex acie reciperēt, dixit, Se cū eis mori malle, quàm sine eis incolumē uitā seruare. Itaq; in prælium reuersus, in medios hostes irruit, & fortiter pugnans interiit. Fulg. lib. 3. c. 2.

INSIDIAS.

M. MARCELLVS quartùm cōsul cum Q. Crispino, in insidias temerè à semet præcipitatus, magnus dux, manuq; promtus, & consilio optimus, occisus est, anno undecimo Punici belli secundi: qui undequadragesies collatis signis dimicauerat. Liuius, & Plinius lib. 7.

Temerè AFRICANVS superior ex Hispania duab. quinqueremibus ad Syphacē traiecit, in unius Numidæ infidi præcordiis suā pariter & patriæ salutē depositurus. Itaq; exiguo momento maximæ Reip. casus fluctuatus est, utrū interfector, an captiuus Scipio Syphacis fieret. Val. Max. lib. 9. c. 8.

MALCOLMVS Scotorum rex Anglum quendam castelli Aluuick claues hasta prætextu deditionis offerētem securè admittens, oculo sinistro ab eodem transfixus continuò expirauit. Boëthius lib. 12.

MALCOLMVS III. Scotorū rex, cùm coniurationē quorundam contra se factam deprehendisset, ea dissimulata, auctorem coniurationis in uenatione in altam syluam duxit, atq; sic locutus est: Sumus hîc ambo armis & uiribus propè pares, & neuter nostrûm à suis auxilium expectat. Age igitur, ut fortem uirum decet, cape arma, atque cum eo nunc manum confere, quem tu per insidias necare statueras. Hæc fatus, stricto ferro hominem aggreditur. Ille ad pedes subitò procidit, rogitans ne sibi id sociis' ue fraudi esset. Quod ipsum rex concessit. Polydorus lib. 10.

Mortuo D. Eduardo Anglorum rege, etsi inclinati ferè omniū in Edgarū Eduardi nepotē essent animi, HERALDVM tamē Godouini, ex filia Canuti II. Danorum & Anglorum regis filium huic prætulere, ob metum belli Danici. Haraldus accepto regno Edgarum, & matrem, sororesq; eius, liberè Londini uiuere permisit, raroq; exemplo à uero regni hærede manus cohibuit. H. Boëthius lib. 12.

Mathias Hungarorum rex, clàm uitæ Vladislai Boëmiæ regis insidiari dicebatur, regni causa. Et tamen VLADISLAVS usque ad eo remotus ab omni mala suspicione fuit, ut se fidei ipsius committeret, ueniretque Iglauiam, quam tunc Mathias possidebat, sine ulla publica fide, ibiq; reliquas cōtrouersias, de quibus prius Olomucij decidi non potuit, cōponeret. Dubrauius lib. 21.

LVDOVICVS Gallorum rex XI alioqui astutissimus, uitam suam bis temerè proiecisse uisus est. Semel quidem cùm regni proceres eum in Parisiorum urbe obsiderent, etsi norat hostes nihil aliud magis quàm ipsum quærere, ut ex ipsorum arbitrio regno atque ipsi administratores darentur, ad eos in syluam Vicennarum Parisiis propinquam se contulit, & cum illis transegit. Iterum uerò, quando consiliariorum hortatu, qui mox cum hostibus sentire sunt deprehensi, ad Carolum Burgundiæ ducem, quo cum graues inimicitias gerebat, ultrò Peronam uenit: deinde, dum nimium inconsultè progreditur, Leodium in eius castra proficisci, ac primus ad incendendā amicā urbam, cui opem ferre cupiebat, manū iniicere coactus est. Nondum procreatis liberis, eius fidei se credidit, qui ad regnū aspirabat. Fulg. lib. 9. c. 8.

IVLIVS II. Pontifex, cùm IO. Paulum Ballionum tyrannum Perusinum ad officium redire, & malè occupata restituere cogeret: & hic se penitùs uoluntati Pontificis commisisset: Perusium inermis uenit, & se cum tota aula potestati atque fidei tyranni temerè commisit.
Guicciard. lib. 7.

LIBRI QVARTI
TITVLORVM
DISPOSITIO





Voluminis Octaui
Liber IV.
DE FORTITVDINE Propulsante & contrariis VITIIS.

AB interno animi robore Fortitudo propriè dicta, quæ in propulsandis malis uersatur, ortum ducit. Satellitem habet irascibilem animæ partem. Ira igitur huic uirtuti famulatur: at Seueritati, de qua in sequentibus agemus, subiicitur. Exempla eadem possunt esse, differunt tantùm habitudine. Nam quatenus irascuntur, ut propellant mala, neque in malis diffidunt, sic Fortitudinis erunt: quatenus uerò uoluptatem ex eo capiunt, quòd irascuntur quantum, quibus, quomodo & quando oportet, Virtutis πρὸς ὀργὰς erunt, quam nos Seueritatem appellamus. Fortitudini enim non ira, sed τὰ φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα subiiciuntur, quibus ira famulatur propulsando. Proinde exempla eadem diuersis locis inseruire possunt.

FORTITVDO PROPVLSANS CONSIDERATA secundùm PERSONAS AGENTES.

POPVLI FORTES ET BELLICOSI. Bellicosæ Gentes, Nationes, VRBES,

De populari fortitudine unius gentis heic agimus. At sub Tit. Milites fortes, militum delectorum ex una, uel etiam pluribus nationibus, habetur ratio.

Vnum modò SCYTHICVM genus à condito æuo exterarũ gentium iuga nescit, Romanaq; illos arma, quib. omnia cõcutiebantur, audisse potiùs, quàm sensisse, constat. Dariũ temerè assultantem fœdissimè reiecerunt. Cyrum uel cum manipulis, quod dicitur, deleuerunt. Alexandri ducem Zopyriona ita prostrauere, ut ne pyrphorus quidem reliquus fieret. Cælius lib. 18. c. 24. A. L.

ROMANI semper militari disciplina alios superarunt. Ideoque Pyrrhus Epirotarum rex, cùm eos apud Heracleam elephantorum nouitate uicisset, atque aduersa occisorum uulnera uidisset: Ego, inquit, talibus militibus orbem terrarum breui tempore subigere potuissem. Plinius de Viris illustribus, cap. 35.

CANTABRI & ASTVRES, ultimi omnium Hispaniæ populorum Romani imperij iugum accepêre: ijdem Gothicis tẽporibus nouissimi omniũ ab eo alienati sunt. Pari ferocia, Saracenis eam bello terram subigentibus, interfecto rege Roderico, soli omnium inuicti mãsere, nulla Saracenorum labe contacti. Cætera Hispania non tantùm eius gentis imperio cessit, sed in fide etiam fecit iacturam. Sabellicus lib. 7. En. 8. & Aemilius lib. 2.

NVMANTIA, quantum Carthaginis, Capuæ, & Corinthi opibus inferior, tãtum uirtutis nomine & honore par, simulque, si uiros æstimes, Hispaniæ decus: sine muro, sine turribus, modicè edito in tumulo apud flumen sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitũ per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modò, sed fæuiũs aliquanto perculit, pudendisque uulneribus affecit. Liuius.

Cimbrorum (uti etiam CELTIBERORVM) fortitudo celebratur, qui in acie gaudio exultabant, tanquam gloriosè & feliciter excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Cicero lib. 2. Tusc. quæst. Valerius Maximus libro 2. cap. 1. de Instit. antiq. & Aelianus libro 12. Variæ historiæ.

De CIMBRIS sic scribit C. Iul. Cæsar in Cõmentariis: Quum iter in Italiam & prouinciam nostram Galliam facerent, iis impedimentis, quæ secum agere & portare non poterant, citra Rhenum flumen depositis, custodiam ex suis ac præsidia sex hominum millia unà reliquerant. Priusquam tamen Italiam per Alpes attingerẽt, longo circuitu sub ipsis Alpibus transeuntes, Macedoniam uastauerunt. Ibi Papirius Romanus consul cum exercitu fusus. Inde uerò Aurelius Scaurus, consulis alterius legatus, cùm exercitus eius deleretur, ipse uiuus in manus Cimbrorum peruenit, & cùm in concilium ab his euocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent. Italiam perituri, quòd diceret Romanos uinci non posse: à Bolo rege feroci iuuene occisus est. Ab eisdem Cimbris C. Manlius & Q. Seruilius Cæpio proconsules uicti prælio, castrisque binis exuti sunt. LXXX millia militum ceciderũt, calonum atque lixarum XL millia. C. Mario propter Cimbricum bellum consulatus per plures annos prorogatus est: secundo & tertio consulatu absens creatus est: quartum consulatum dissimulanter consequutus est. Cimbri uastatis omnib. circa Rhodanum, per Pyrenæum saltum in Hispaniã sunt transgressi: sed à Celtiberis repulsi in Galliam, Teutonibus se cõiunxerunt, priùs tamen uastata Hetruria: cùm Romani interim transmarinis impliciti bellis, Italiam defendere ab Cimbris nequirent. Sed & Corn. Tacitus sic scribit: Sexcentesimũ & quadragesimum annũ urbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone cõsulibus. Ex quo si ad alterũ Imp. Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decẽ anni colliguntur. Tamdiu Germania uincitur; medio tam lõgi æui spacio multa inuicẽ damna non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæue, ne Parthi quidẽ sæpiùs admouere: quippe regno Arsacis acrior est Germaniæ libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædẽ Crassi, & ipse Vẽtidio uictus Pacorus, nobis Oriens obiectarit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoq; Manlio fusis uel captis, quinq; simul consulares exercitus populi Rom. abstulerunt. Sed huius tam indomitæ uirtutis hic tum fuit exitus, ut cùm diuisis copiis Teutones cum Amburonibus ex Gallia, Cimbri uerò seorsim per Vindelicos in Italiã penetrãt, Teutones uicti sub Alpibus ad Aquas Sextias à Mario, Cimbri uerò, cùm postulatas à Romanis sedes non acciperent, apud Athesim pugnantes, duorum consulum iunctis copiis, Romanæ uirtuti concesserint. Strabo sub Augusto pacẽ petentes testatur impetrasse. Cranzius libro primo, capite 11. Saxoniæ.

GETÆ sunt, qui circa Istrum fluuiũ habitant: ut auctores sunt Strabo, Mela, Plinius, & alij: lateque regionem possident incultam magna parte, & rigoribus immitem: tenentq; ulteriora Istri ad Scythiam, & citeriora ad Thraciam, tum & mediterranea occupant Germaniam uersus & Istri fontẽ, quos Strabo libro septimo Dacos & olim Dauos nominatos esse ait, cùm uiciniores Ponto dicerentur à Græcis Getæ, eundemq; utriusque populis sermonem esse. Quanquam Plinius non aliud inter hos populos uidetur significare discrimẽ esse, quã quòd Getę Gręcis sunt, qui Romanis Daci. Pòst uerò aiũt quidã, Getas Ostrogothos esse dictos: Dacos uerò Vestgothos, patriis nominibus: quòd hi ad Occidentẽ, ad Orientem illi magis spectarent. Confunduntur tamen plerunque hæ cognominationes. Eos tradunt iam olim, florente cum plurimùm Romana re, impetum in prouinciam populi Romani Mithridatico fecisse bello: quos Lucullus è Mysia expulerit. Pòst uerò Bœrebista duce, cùm ab eo ad militarem disciplinam essent assuefacti, Istro traiecto Thraciam, Macedoniam, & Illyrium latè depopulatos esse. Bœrebista mortuo, Augustus legionibus decem eorum opes usque adeò attriuit, ut ex ducentis millibus militum ad quadraginta millia copias eorum redegerit. Numero rursus post aliquot annos aucti, fines Romanos ingressi, Oppium Sabinũ consularem uirum cum exercitu ceciderunt. Tandem à Cornelio Fusco, Domitiano principe, post uaria prælia cõpressi sunt. Traianus Imperator multũ cum iis magnaq; cùm gloria belligerauit. Antoninus Caracalla per occasionẽ nihil tale suspicantes uehementer afflixit: Gordianus quoq; iunior compescuit. Philippo imperante, trecentis millibus in Thraciam Mysiamq; irruerunt. Decius rem parum plerunq; prosperè tentatam & ipse infectam reliquit. Gallus deinde pater, & Volusianus filius, conditionibus iniquis pacem cũ illis fecerunt: quã Gothi non admodum diuturnam seruarũt, ignauia & socordia Galieni principis freti. Non iam Thraciam Mysiamque, sed Asiam ipsam minorem tentare adorti, Bithyniam uexatam spoliauerunt: reuersiq; in Europã, Thraciam Macedoniamq; peruastarunt. In Achaiã uenientes Macrinus uicit, ac intra fines suos cõpulit. Claudius CCC millia eorũ partim deleuit, partim cepit. Nõ multos post annos sub Aureliano ad arma redierunt, primoq; prælio sunt ad Danubium superati. Fl. Constantinus tanta illos cęde affecit, ut tãdem multos per annos quieti essent. Sub Valente ab HVNNIS sedibus suis eiecti, per legatos à Valente Mysiam citra Danubium flumen incolendam obtinuere, spondentes se omnes Christianam pietatem accepturos, futurosque bonos fidelesque Romanorum stipendiarios. Valens Lupicinum & Maximum uelut duumuiros agris diuidundis ad eos misit, qui sedes Visogothis distribuerent. Hi cùm auarè crudeliterque haberent gentem, & malignè commeatus partirentur, Gothi Romanis presidiis cęsis, Mysiã & Thraciam inuasere, Valentem cum exercitu trucidauere, Constantinopolim obsedere, sed frustra. Valentis frater Valentinianus Theodosium Hispanum adoptauit, participẽq; fecit imperij. Is Gothos multis præliis fregit, & supplices pacem coëgit petere. Rex eorum Athalaricus Byzantium ueniens, morbo ibi periit. Toto imperij Theodosij tempore sub Romanis militarunt: nec regem habuerunt alium, nec ducem, nisi quem Romanus dedisset Imperator. Theodosius, Mediolani moriens, filios suos Arcadium quidem Byzãtino & orientali præfecit imperio, Honorium uerò occidẽtali Romanæq; urbi. Tutores educatoresq; testamento assignauit: illi Ruffinum, huic Stiliconem. Ruffinus sibi, Stilico filio Eucherio imperium affectabat. Cùm hæc uterque consilia agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempestate turbatis rebus, minùs eorum desideria deprehenderẽtur. Quocirca Gothos ingentis prędæ spe uterq; solicitat, ut suo principi bellum faciant. Gothi, rege ex Balthorum familia Alarico creato, fines suos egrediuntur. Huic se paulo pòst Radagaisus cum ducẽtis Gothorum millibus coniungit: sed commeatus causa, diuersis profecti uiis, per Pannoniam, Illyricum, Noricumque, Italiam petunt. Radagaisus in Hetruriæ montibus fame confectis suis, dum fugam cum paucis tentat, à Romanis interceptus necatusque est. Post hanc Gothorum cladem Alaricus in Italiam uenit, maioribus adhuc miscens omnia terroribus. Stilico Honorij socer Byzantio per oram Superi maris cũ uiribus peditatus equitatusq; ad hostes peruenit propè Rauennam, eosque compulit in arctum quendam locum, ubi sedens conficere poterat bellum, si uoluisset: uerũ cum exercitu esse decreuerat, quousq; populares sui Vandali in Galliã uenissent. Alaricus Galliæ partem suæ multitudini petebat: uicturos se legibus Romanis, nullisq; prouincialibus uel fide uel obsequio cessuros. Imperator in partem ditionis Gothos recipere noluit: sed Stilico ipso Paschatis die Gothos per Saulum Iudæum aggressus, cæsis aliquot millibus, irritabilem populum ad fœdus rumpendum impulit. Ergo Gothi per mediam Italiam ad urbẽ ferre signa pergunt. Oppresso interea Stilicone, Alaricus simulato in Galliam discessu, Romã cepit diripuitq;, inde in Gallias abiit. Viues in Augustinum de Ciuitate Dei.

Ab HVNNIS pulsi ueteribus suis sedibus Visgothi, Alani, & Vandali, Istro, Rhenoq; traiecto, primùm Orientem, deinde Occidẽtẽ inuaserũt. Ab Hũnis inde reliqui fermè, qui in Scythia erant, barbari bello fracti, ut sedes suas, quarum tenebantur studio, conseruarent, libenter eorũ se imperio subiecerunt. Itaq; bellis, uictoriisq; continuatis totam propè Scythiam siue in ditione, siue in fide, siue in auctoritate habuere. Inde arma cis Istrum Rhenumq;, produxere: maximè cũ regnum ab Optaro ad fratres duos Mũdzucci fratris filios Atilam Bledamq; deuenit, homines non tam manu egregios, quàm acerbo quodam odio aduersus humanum genus imbutos. Hi trans Istrum in Scythia, diuisis inter se locis ac populis, considentes, cognito, Theodosium II. & Valentinianum III Impp. bello Vandalico periculosissimo impeditos: transmisso Istro, immensas Hunnorũ, reliquorúmque ex ipsa Barbaria populorum copias in fines ac prouincias Imperij transduxerũt, ac castella in limitibus Istri ad tutelam Imperij posita deleuerũt, anno Salutis CCCCXLI. Aditu patefacto, Atila in Mœsiam, Bleda in Thraciam productis copiis penetrarunt, ac passim populari ac uastare agros atq; oppida instituerunt. Theodosius pacem redemit; sex millia pondo auri in præsens pro recessu, mille autẽ minas, si suis finibus in posterum foret contentus, se quotannis præbiturum spondens. Hunni sese ultra Istrum cum sociis retulerunt: multa gazã parta, ac centum uiginti millibus hominum captis: ita ut satis constet, nullam unquam nationem maioribus Illyricũ maleficiis affecisse, teste Procopio. Post Bledæ cædem Atilę ductu uniuersam Europam suis armis obruerunt. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

GALLI sub regibus primùm diutissimè floruerunt, ut Cæsar lib. 6. Liuius lib. 5. testantur: quibus temporibus uniuersam penè Europam & Asiam minorem armis domuerunt, colonias deduxerunt, urbes condiderunt, uictis regionibus gentilia Celtarum & Gallorum nomina dederunt. Inde Celtiberia, Celtoscythia, Portogallia, Gallitia, Galatia, Gallia Transalpina, Gallia Britannorũ: hinc multæ à Boiis & Heluetiis, quos Tacitus Gallos uocat, regiones subactæ. Post Christum, Frãci Carolo magno duce, magnam Germaniã, Pannonias, Saxoniam, Italiam, & Hispaniæ partem cum imperio totius Galliæ coniunxere: Syriam utramq; & Cyprũ crudelissima seruitute liberatam, annos XC gubernauere, Longobardorum imperium fregere: Pontificibus Romanis bonam Italiæ partem dono dedere: Venetis Cretam & Peloponnesum concessere, cùm imperium Græcorum inuasissent, cui annos 50. præfuerunt. Ioannes Bodinus Methodi historiæ cap. 6.

HELVETIORVM fortia facta pete ex Tit. Tyrannicidarum, & Fortitudinis in libertate defendenda.

AGRICOLAE FORTES.

Danis oppidum Berthã arctè obsidentib. Kennethus II. Scotorum rex, milites pro concione affatus, regij census immunitatem in quinquennium cunctis proponit: ei quinetiam, qui Dani caput attulisset, argenti minas decem, aut agrum qui tanti esset, promisit. Pugnatum aliquandiu fortuna neutrò inclinante: neq; aliud Scotorum uictoriam morabatur, quã quòd milites multo magis in Danorum capitibus amputandis, quã in uictoria consequenda occuparẽtur. Quod animaduertentes Danorum duces, per uocalissimos inclamant, nulli sperandam post eam diem uitam, nisi uictor exercitus in castra rediisset. Dani ad hanc uocem tanta sunt rabie in Scotos inuecti, ut utrumq; cornu in fugam uerterint. Interea HAY senex agricola cum duobus filiis operi rustico intentus, cùm regem Kennethum potiori cum nobilitatis parte, media acie alis nudata, in pugna perstare, ab hostibus tamen penè oppressum conspicaretur: aratri arrepto iugo, filios ut idem facerent admonens, simul cum tot fortissimis mortem pro patria obiturus, procurrit. Locus erat in pugnæ uicinia ueteribus fossis uallisq; ex cespitibus longo tractu angustus: per quem Scoti fugientes transibant. Illuc Hay cum filiis se conferens, quemcunque obuium, siue hostis esset siue amicus, aratri iugo pro armis usus, ingenti ferocia trucidauit: ingenti clamore sublato, Scotis redeundum in aciem, præliumq; redintegrandum: nouas copias pugnæ expertes adesse. Scotis animus additus, Danis insidias metuentibus ereptus: ita ut uictores Dani magnã sint cæde superati. Kennethus Hay optimam prædæ partem tribuit, & toto exercitu comitante, lictoribus signiferis & caduceatoribus præeuntibus, in oppidum Bertham cum Hay patriæ liberatore profectus est. H. Boethius lib. 11.

FORTES ET ELOQVENTES.

Consule Tit. Duces eloquentes.

FORTES, NON PRVDENTES, non ELOQVENTES.

Apud Eurip. Supplicibus Adrastus de TYDEO sic loquitur:

τυδεὺς δ' ἔπαινον ἐν βραχεῖ θήσω μέγαν.
οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρὸς, ἀλλ' ἐν ἀσπίδι
δεινὸς σοφιστὴς, πολλὰ τ' ἐξευρεῖν σοφά.
γνώμῃ δ' ἀδελφοῦ μελεάγρου λελειμμένος,
ἴσον παρέσχεν ὄνομα διὰ τέχνης δορὸς,
εὑρὼν ἀκριβῆ μουσικὴν ἐν ἀσπίδι,
φιλότιμον ἦθος, πλούσιον φρόνημα δὲ
ἐν τοῖσιν ἔργοις, οὐχὶ τοῖς λόγοις ἴσον.

Tydei laudem in breui oratione ponam magnam. Non in loquendo erat clarus, sed in armis acer sophista, & ad multa inuenienda scitus: prudentia uerò fratre Meleagro inferior, æquale obtinuit nomen per artem hastæ, nactus exactã musicam in re bellica: ambitiosum ingenium; diues ingenium in rebus, non in sermonibus. Et apud Hom. Agamẽnon cùm Tydei fortitudinẽ enarrasset, obiicit Diomedi filio eius, quasi patri dissimilis, lingua quàm manu fortior esset:

τοῖος ἔην τυδεὺς αἰτώλιος. ἀλλὰ τὸν υἱὸν
γείνατο εἷο χέρεια μάχῃ, ἀγορῇ δέ τ' ἀμείνω.

Apud Hom. Iliad. ν. Polydamas ad HECTOREM inquit:

Ἕκτορ ἀμήχανός ἐσσι παραρρητοῖσι πιθέσθαι.
οὕνεκά τοι περὶ δῶκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
τοὔνεκα τῇ βουλῇ ἐθέλεις περιίδμεναι ἄλλων;
ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν,
ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς ἐσθλόν. id est,

Hector non potis es deflectere pectora dictis,
An quia dij donant factis præcellere belli,
Vis in concilio reliquos præcedere sensu?
At non cuncta potes unus simul omnia ferre.
Quippe deus dedit huic uirtute excellere belli,
Huic laudem choreæ, citharam illi, & carmina blãdá;
Rursum alij mentem præclaram in pectore, magnus
Iupiter inseruit. Erasmus in Adagiis.

PHILOSOPHI FORTES.

Ad Tanagram prælio uicti Athenienses, effusa fuga terga uerterunt. Inter fugiendum SOCRATES philosophus, miles pedester, Xenophontem Grylli filium discipulum suum cõspicatus ex equo prolapsum, humiq; iacentem, cùm equus longè abisset ab oculis, eum sublatum humeris complura per stadia exportauit tutum in locum. Strabo lib. 9.

IDEM Alcibiadem adolescentem in prælio strenuè defendit, armisque suis eum conseruauit. Plutarchus in Alcibiade, & Plato in Symposio.

MVLIERES FORTES

IN BELLO. BELLICOSÆ Mulieres.

DEBORA mulier uates, Lapidothi cõiux, post Aodum Israëlitis ius dicebat, habitans sub palma Deboræ, inter Hormã & Bethel, in monte Ephraimitico. Hæc Baracum Abinoami F. Nephthalensem cum XII millibus popularium suorum Nephthalensium & Zabuloniorum armauit, & Sisaræ ducis Iabini Chananæi regis exercitum ab eo cædendum, Sisaram à femina Iaele interficiendum prædixit. Iudicũ 4.

Per id tempus, quo magna pars Asiæ Scythis (sic Iustinus. Iordanes ex Dione & Ablabio Gothos intelligit) tributum pependit (cuius postea reddendi Ninus Assyriorum rex finem fecit) Plinos & Scolpythus regij iuuenes per optimatium factiones domo pulsi, ad Thermodoonta fluuium in Cappadociæ ora, cum ingenti popularium manu consedêre. Hi deinceps rapto uiuere assueti, post aliquot annos in finitimorum insidias lapsi, cum toto exercitu periere. Mulieres illorum ipsa uiduitate efferatæ, seque suosque fines ualidè aduersus omnem hostilem iniuriam tueri, ultrò quinetiam uicinis bellũ inferre cœperunt. Connubium uelut seruitiũ auersatæ, quicquid uirorum clades illa sibi reliquum fecerat, communi consilio obtruncarunt. Cuius nefariæ cædis argumento, à Scythis Aeorpata, id est, Viricidæ postea nominatæ sunt: nam æor illi uirum dicunt, pata obtruncare.

teste Herodoto lib.4. At Stephanus Byzantius scribit, Amazones Sauropatidas à Græcis fuisse appellatas, quòd lacertis uescerentur, quas illi Sauras uocant. At, ne tota gens interiret, lectissimos iuuenes, ex finitimis gentibus accitos, noctu, loco ad id constituto, adibant, eósq; ad congressum inuitabant, quoad uterum se ferre sensissent. Tum uirilem stirpem, si qua orta esset, aut interficere, aut procul ablegare: puellas in successionem generis alere, eas ab ineunte ętate sagittis, cursu, equorum agitatione exercere. Cæterùm quò arma commodiùs tractarent, dextram mammam inurere: unde Græca uoce nomen genti datum uideri potest, AMAZONES, quasi ἄνευ μαζοῦ, siue μονόμαζοι. Incredibile dictu, quàm longè lateq; illarum sint fines postea propagati. Illustres Ioniæ urbes Ephesus & Smyrna, ab his conditæ creduntur. Trogus auctor est, magnam Europæ partem Amazonicis armis domitam, præterea & Asiæ nihilo minorem occupatam. Sed uulgatior fama est, quæ Amazonicũ regnum Asiæ finibus circumscribit, idq; magna ex parte à Marthesia (aliis Marpesia) & Lampedone sororibus, quæ in totam gentem imperium habuere, bello quæsitum. Marthesiam subito Barbarorum incursu interfectam aiunt, quum parte copiarum Themiscyram cum sorore remissa, ipsa Asiæ oram præsidio obtineret. Orithyia ex illa genita regno successit. Cuius præter cæteras rei bellicæ uirtutes, eximia seruatæ in omne æuum uirginitatis admiratio fuit. Per hæc illa tantũ famæ sibi suisque popularibus peperit, ut Herculi, qui bissena Eurystheo debebat stipendia, pro magno sit negotio edictum, ut ad Orithyiam Amazonum reginam armis spoliandam nauigaret. Is cum delecta Græciæ iuuentute, nouemq; longis nauibus, per Hellespontum & Bosphorum Thracium in Pontum egressus, ad Thermodoontis ostium applicuit. Copiis inde ad Themiscyram Cappadocię urbem admotis (totius hæc gentis fuit caput) ex prouocatione, cum nobilissimis Amazonum dimicauit: Aellaque, Asteria, Parthoe, Eurybia, & illustres aliæ pleræque ab eo singulari certamine superatæ dicuntur. Menalippe, cuius tum erat imperium, suarum casu perculsa acie excessit. Atque in hunc maximè modum Amazonum gentem Diodorus lib.2. cap.11. deletam arbitratur. Trogus quatuor tum sorores fuisse ait, quarum duę Orithyia & Antiope regnum administrarent: atque ita accidisse, ut Orithyia tum procul domo cum parte copiarum abesset, quum eò Hercules classe appulit, Antiopenq; cum tumultuaria manu illi occurrisse, ibique leui certamine Amazonibus uictis, magnaq; cæde edita, Menalippen & Hippolyten in fuga captas, Hippolyten à Theseo in Atticam abductam, ex qua Hippolytus est illi postea genitus, ut Diodorus lib.4. cap.3. testatur. Menalippen Hercules Antiopæ sorori restituit, proque ea remissa, reginæ arma præmium accepit. Herodotus auctor est, plurimas Amazonum à Græcis abductas, quæ quũ medio mari ueherentur, atque una duntaxat naui, uictoribus insidiatas, incautos ad unum iugulasse: mox sine remigio & uelificatione ulla, ad Mæotidis prærupta delatas, equarum armenta temerè pascentia diripuisse: hicque sedentes patrio more Scytharũ fines incursare ausas. Cum his proximi Scytharum accolæ prælio congressi, posteaquam ex earum cadaueribus mulieres, nõ uiros, esse cognouere, dant adolescentibus negotium, ut cum ea gente bellũ gererent. Hi, ut iussi fuerant, illarum carpunt uestigia, arcentque hostem à præda, mox castra castris conferunt. Hic colloquio à paucis orto, haud multo pòst adolescentibus nubunt, ac cum his traiecto Tanai trium dierũ itinere à Mæotide consederunt: atque hi Sarmaticæ gentis auctores crediti. Iam uerò Orithyia ubi de iis quæ domi acciderant facta certior est, quoniam res domi plus nimio accisę erant, ad Sigillum Scytharum regem mittit, qui motus iusta Orithyiæ ira, sed magis adhuc domestica gloria, Peazagoram filium cũ ingenti equitatu ad eam in Pontum misit. Cæterùm ubi in Atticam uentum est, seditione, ut dicitur, in castris orta, priusquam ulla commissa sit pugna, Scytharum secessione destitutæ Amazones, prælio uincuntur. Victis autem id modò fuit præsidio, quòd in Peazagoræ castra patuit effugium. Atque ita sine maiore ulla gestæ rei fama, sese in Pontũ receperunt. Antiope à Theseo & Pirithoo rapta fuit, teste Pindaro. Hegias uerò Trœzenius scribit, Herculem non priùs Themiscyram urbem ad Thermodontem amnem, quã diu oppugnarat, cepisse, quã Antiope, Thesei amore capta, oppidum tradiderit. Eius sepulcrum prope Athenas spectatur. Aiunt enim Athenienses, cùm ad urbem Amazones aduentarent, sagitta confixam à Molpadia Antiopen, Molpadiã à Theseo occisam. Pausanias in Atticis. Orithyiæ successit Penthesilea: quæ dum Troianis suppetias ferret, ab Achille interfecta est. Qua mortua reliquæ iam ægrè se tutantes, ad Alexandri ætatem durauerunt. Huius Minythia concubitum per dies 13 obtinuit, ut filiũ haberet paternæ uirtutis hæredem. Hanc alij Thalestrin, alij Minotheam uocant: & cum trecentis millibus contra Alexandrum profectam, pacis causa iugum illius corpore suo tulisse asserunt. Sabellicus lib.5. Ennead.1. ex Diodoro Siculo, & Q. Curtij lib.5. & Iustino, Strabo lib.11. fabulosa esse putat omnia. Vide etiam Bonfinium lib.2. Dec.j. & Ioan. Magnum lib.j. Gothicę hist. qui Gothos ait à Scandia insula egressos, Scythiam occupasse, anno post diluuium DCCCXXXVI. agitatosq; intestinis bellis, post mortem Tanausij regis, Filino & Solaphito ducibus Cappadociam Ponticam inuasisse, & in Themiscyreis campis ad Thermodoontem ad internecionem cæsos insidiis incolarum. Vxores superstites coniugum occisoribus trucidatis, fines imperij sui longè lateq; extendisse, & post mortem Filini & Solaphiti reginas dixisse Lampedã & Marpesiam, siue Marthesiam, defunctorum iuuenũ coniuges, quæ Martis & Harmoniæ nymphæ filiæ ducebãtur, teste Eustath. Iliad. γ. & Strabone. Nomen ipsum Gothicũ uidetur esse, siue Germanicum. Nam Germani etiamnum hodie Mazas & Metzas uocant uiragines, & per κατάχρησιν quoque meretrices, ut Auentinus lib 3. ingeniosè notauit. Eo bello, quo Aurelianus, qui equitibus tum temporis sub Claudio II. Imp. præerat, in Illyrico Gothos, interfecto eorum duce Canabaudo, deleuit, decem Mulieres uirili habitu pugnantes captæ sunt, & in triumpho ductæ, quas ex Amazonum genere nonnulli fuisse putant. Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ, & Cranzius lib.j. Sueciæ, cap.7.

Apud IAXAMETES Scythicam gẽtem, uirgo nisi quæ hostẽ confecisset, nulli nuptui dabatur. Alexander ab Alexandro lib.j. cap.24.

In Europa genus, hominum est Scythicum, circa paludem habitans Mæotim, quod à reliquis gentibus maximè differt: SAVROMATÆ appellantur. Horũ feminæ equites sunt, arcubus utuntur, ac sagittas iaculantur ex equis, cum hostibus congredientes, dum uirgines existunt: neque deuirginantur priùs, quàm hostium tres confecerint: neque priùs maritis cohabitant, quàm sacra deo patrio more fecerint. Quòd si qua sibi uirum acceperit, ab equitatu libera est, nisi necessitas cogat communi expeditione omnes arma sumere. Dexteram autem mammam non habent. Nam puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc usum parato, igneque candefacto, eam auferunt ac exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque ut omnis uis ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur. Hipp. de Aere, aquis, locis.

Ne quid monstri Africæ desit, AMAZONAS quoq; illi tribuit Diodorus Siculus lib.3. cap.4. in hãc sententiam: Fuit ea gens in extremis terræ finibus ad occidentem sita, instituto uitæ multum à cæteris mortalibus dissimili, primo tuendæ uirginitatis studio nonnihil bellicis rebus exercitatæ, post militiæ annos prolis gratia connubia celebrant. Principatum inter se feminæ obtinent, publicaque obeunt munera, uiri contrà muliebria domesticaq; curant, prolem intra parietes alunt. Feminis mammas adurunt, ne rei bellicæ sint impedimento. Insulam, quam ea gens coluit, ad extremũ ait occasum esse sitam, Hesperamque nominari, eamque in Tritonide palude esse, quæ proxima sit Oceano, & à flumine, quod se in eam exonerat, nomen sortitam. Harum regina nomine Myrina exercitum triginta millium peditũ, duorum millium equitum confecit, maxima spe uictoriæ in equitibus posita. Tegmenta corporũ pro armis habuere serpentum magnorum coria. Vtebantur longis ensibus, hasta, & arcu, quo non solùm ex aduerso pugnantes uulnerabant, sed fugiendo feriebant insequentes. Hæc tamen fabulosa esse putat. Sabellicus lib.4. Ennead.j.

GORGONIDAS Libycas mulieres bellicosas Myrina Amazonum Libycarum regina primùm domuit. Mox cùm uires auxissent, iterum à Perseo Iouis filio expugnatæ, cùm earum esset regina MEDVSA. Postremò ab Hercule, & ipsæ, & Amazonum gens, quo tempore ad occiduas partes transiens columnam in Libya posuit, deletæ fuêre, rem indignam existimante, quum pro communi salute hominũ pugnaret, aliquibus gentibus feminas imperare. Diodorus libro 3. cap.4. Medusam (ut fabulas omittamus) aiunt Phorci filiam fuisse: patreque mortuo acceptum ab illo regnum eorum populorum, qui Tritonidem paludem accolunt, tenuisse: solitam in uenationes & pugnas exire cum Afrorũ, quibus imperabat, manu: cùm Persei copiis, quas ille lectissimas ex Peloponneso adduxerat, acie occurrisset, noctu per insidias oppressam. Mortuæ pulcritudinem admiratũ Perseum, præcisum caput, ut spectaculo esset, in Græciã reportasse. At Proclus Carthaginensis Eucratis filius uerisimiliorem historiam literis mandauit. In Africæ desertis bestias gigni multas mirabili specie, atq; inusitata, feros inter eas uiros & feminas, ac uirum se Romam illinc deportatum uidisse testatur. Conijcere itaque se, ex illis feminis unam fuisse Medusam, quæ cùm à suis gregibus aberrans uenisset ad Tritonidem paludem, eius accolas malè mulctasse, usq; dum à Perseo est occisa. Adiutricem uerò Perseo Mineruã fuisse iccirco proditum, quòd qui stagnum illud accolunt homines Mineruæ sacri sunt. Pausan. In Corinth.

Pingitur Liber muliebri & delicato corpore, propter MVLIERES in suo exercitu militantes: nã pariter ad arma uiros & feminas adalligabat, ut Philocærus loquitur. Eusebius.

Palæphatus, HARMONIAM Cadmi uxorẽ, cùm esset à Cadmo repudiata, obsedisse ait Sphinga montem Bœotię, inde insidiis Bœotios cepisse, ac trucidasse. Porrò Bœotij αἴνιγμα uocant insidias. Oedipus Corinthius hanc uicit & occidit. L. Viues in lib.18. Aug. de Ciuit. Dei.

Maxyum Pœnorum confines sunt ZABECES, ubi feminæ aurigantur currus in bellum. Herod. lib.4.

TIRGATAO mulier bellicosa, Hecatęi Indorum regis uxor, cùm à marito, Satyri Bosphori tyranni iussu, occidi deberet, quò is Satyri, qui eum regno eiectum restituerat, filiam duceret: at Hecatæus præ amore non posset, in custodia tamen uitam iuberet agere: illa clàm custodibus aufugit, perueniensque ad Ixomatas cognatos, bellicis incursionibus Hecatæi regionem infestauit, Satyrique regnum uastauit: sic ut utrique missis, qui suppliciter rogarent, obsidem Satyri filium Metrodorum darent, ac pacem peterent. Polyænus libro octauo.

SEMIRAMIS inter lauãdum de Siracum defectione cognouit: & repentè sine calceis, nondum compositis crinibus, ad bellum exiuit. Columnæ autem eius hæc inscripta sunt: Me natura quidem mulierem finxit, at ego rebus gestis nullo fortissimorum uirorum inferior extiti, Etoniiq; regnum tenui, ad Orientem terminans fluuium Hinamamen, ad Meridiem eam terram, quæ thure ac myrrha abundat: ab hyeme, Saccas & Sogdos. Mare antea nemo Assyriorum uidit: ego uerò quatuor, quibus propter longinquitatem appropinquare nemo potest. Quis enim ea impetus continet? Fluuios coegi fluere, quocunque uellem: uolui autem, quò conduceret. Terram sterilem fœtam reddidi: fluuiis enim meis eam temperaui. Munitiones inuictas constitui. Inuias petras ferro domui. Vias meis pecuniis straui, quas ne feræ quidẽ priùs ambulauerant. Sed & à rebus gerendis satis mihi superfuit temporis, quod mihi & amicis imperti-ui. Ibidem.

Scytharum, seu potiùs Massagetarum regina TOMYRIS, amisso exercitu & filio, uictorem Cyrum regno iussit excedere per legatos. Quod mandatum quum nihili fecisset Cyrus, non priùs suos hortari, & ad profligandum barbarum desiit animare, quàm simulata fuga, hostem in meditulliũ regni sui pellexerit, pellectum numerosa militum caterua circumsepserit, circumseptum uicerit, uictum interfecerit, interfectum coniecerit in utrem plenum sanguinis, ut eo se saturaret, quem tantoperè sitiuerat. Herodotus.

RHODOGVNE lauans crines abstergebat. Venit quidam nuncians subditam gentem defecisse. Illa non abstersis capillis, sed ita ut erant reuinctis, equum conscendit, & exercitum eduxit, iurauitque non antè se crines purgaturã, quàm à defectoribus uictoriam reportasset: longoque tempore bellum ducens, tandem uictoria potita est. Post uictoriam lauit, & crines collegit: unde Persarum regum sigillum etiamnum imaginem impressam habet, Rhodogunen disiectis capillis præditam. Polyæn. lib.8.

PHEDALIA Byzantis Thracis uxor, Strœbum uiri sui fratrẽ, quum ciues abessent, urbi struentem insidias, coacta feminarum manu, ad portum usque, qui inde Mulierum dictus est, ad Leosthenem sinum, insectata fudit. Cælius lib.14. c.j. Antiquarum lectionum.

Aetolis longo tempore cum Acarnanis bellum gerẽtibus, ad extremum per proditionem in urbem irruentibus, uiri in subito periculo fortiter dimicarunt. FEMINÆ in tecta ascendentes, partim lapidibus, partim lateribus iaciẽtes, multos ex hostibus interfecerunt. Viros autem cædentes, & penè uictos, ipsæ tum cohortando, tum exprobrando, nonnunquam etiam supplicando, ad pugnam reuocarũt. Postquam uerò rursus animosè pugnantes caperentur, mulieres in tantùm adhærescebant corporibus maritorum, parentum item & fratrum, ut eas in complexibus hærẽtes, hostes auellere non possent, & cum ipsis uiris occidere cogerentur. Polyæn. lib.8.

LACÆNÆ mulieres uirorum obibant munera, sese in gymnasio, in bello, in uenatione exercentes. Hæ cum uiris in certamen aduersus Messenios fortiter descenderunt. Quotquot audiuissent filios suos in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere uulnera tam cominùs quàm eminùs inflicta: & si plura ex aduerso essent facta, cum gaudio, magnáque grauitate, & aspectus toruitate, in maiorum auita monumenta filios deferebant. Sin alio loco uulnera accepissent, pudore suffusæ, lacrymisque confectæ, quàm maximè poterant, clandestina fuga discedebant, relictis mortuis, ut in communi sepulcro humarentur: aut furtim surreptos in domestica sepulcra deportabant. Aelianus de Varia historia libro 12.

Est in Laconico agro uicus Aegila nomine, in quo templũ Ceteris ueteri religione consecratum. Huc cùm MATRONÆ Spartanæ per festos dies more maiorum, ludos ut facerẽt, conuenissent: Aristomenes Messenius, bello Messenico secundo, opprimere eas conatus est. Sed illæ numinis ope fretæ, gladiis quibus ad hostias immolandas usæ fuerant, armatæ, & ueribus, tostis iam extis, hostem inuaserunt, multisq; grauiter sauciis, ipsum quoque Aristomenem facibus percussum, ac malè mulctatum, in uincula coniecerunt. Sed eadem nocte dimissus, ad suos rediit. Dimisisse eum dicitur sacrorum antistita Archidamia, non precio, sed amore adducta. Illum enim multo antè amare cœperat. Simulauit uerò effugisse exustis uinculis. Pausan. in Messenicis.

Laconico bello cùm primùm Charillus Lacedæmoniorũ rex cum exercitu in Arcadum fines inuasisset: feminæ Tegeatarum arreptis armis sub collem subsederunt, quem postea Phylactriden, ac si Præsidiarum dicas, uocarunt. Congressis uerò ad pugnam exercitibus, cùm uiri utrinq; præclara, & memoratu dignissima ederent facinora, postremò feminæ subita eruptione ex insidiis facta, in fugam Lacedæmonios uerterunt. Virtute quidem feminas anteisse cæteras prædicant MARPESSAM, cui Viduæ cognomen fuit. Captus Charillus, dimissus est gratis, cùm se iureiurando obligasset, bellum nunquam ampliùs Tegeatibus illaturum, cùm tamen postea minimè quod fuerat iuratus, seruasset. Sed tunc feminas aiunt, Marti seorsum uictoriã gratulatas, exta cum uiris communicare noluisse, & Martis signum Gynæcothœam in foro dedicasse. Pausan. in Arcadicis.

Cùm Pyrrhus Epirotarum rex, à Cleonymo rege accitus, Spartam obsideret: Lacedæmonij primis tenebris FEMINAS primò deliberauerant in Cretam mittere: cæterùm ipsæ repugnauerũt. ARCHIDAMIA etiam gladiũ tenens uenit in senatum, castigauitq; nomine mulierum uiros, quòd uiuendum sibi euersa putarent Sparta. Inde fossam statuerũt ex aduerso hostium castris ducere, cuius ex utraq; ora plaustra collocare, eaque usque ad medias rotas defodere: quò ualidè depacta distinerent elephantos. Hoc opus aggredientibus adiungunt se uirgines & matronæ: quæ partim tunicas succinxerant sindonibus, partim solis amictæ tunicis erant, eam operam unà cum senibus subituræ. Illos, qui prę liaturi erant, quietem iusserunt capere: sumtoq; modo perfecerunt hæ per se tertiam partem fossæ. Fuit ea lata cubitos sex, quatuor alta, longa octo iugera, ut Phylarchus tradit: ut Hieronymus, minus. Vbi diluxit, cùm mouerent se hostes, subministrauerunt arma iuuenibus, fossamq; tradiderunt hortantes, ut eam defenderent & tuerentur. Pulcrũ esse in conspectu patriæ uincere, & in matrum coniugumq; manibus occumbere gloriosum, cadentes, ut deceret Spartiatas. Chelidonis Leontychidis F. Cleonymi uxor, de medio recesserat, solaq; agebat, & restim collo iniecerat, ne urbe capta in potestatem ueniret Cleonymi. At Pyrrhus primo diluculo exercitum admouet urbi. Lacedæmonij impigrè & supra uires defendũt se. Præstò sunt feminæ, tela suggerunt, cibum & potum petentibus administrant, uulneratos excipiunt. Illinc Macedones complere moliuntur fossam, materiam affatim congerunt: qua iniecta arma & cadauera contecta sunt. Eò dum occurrunt Lacedęmonij, cernunt Pyrrhum fossam superasse & plaustra, atq; irrumpere equo in urbem. Cùm clamorem, qui ea parte erant locati, ederent: mulieresq; discurrerent, & ululatum tollerẽt: perrumpente Pyrrho & resistentibus instante, equus eius sagitta Cretica infra uentrem ictus est. Quo uulnere concitus, doloris magnitudine Pyrrhum in fastigium lubricũ & pronum effudit. Tumultuantibus, qui circa eum erant, amicis accurrerunt Spartiatæ, telorũq; ui omnes exegêre. Pyrrhus receptui cecinit, & mox inde Argos auocatus periit. Plutarchus in Pyrrho.

Pyrrhus Epirotes in Argiuorum solum expeditionem faciebat, uocante eum Aristeo Argiuo. Argiui cum armis in forum concurrerunt. MVLIERES eorum tectis præoccupatis, Epirotas desuper iacientes, retrocedere coegerunt, ita ut etiam Pyrrhus, ducum omnium fortissimus, incidente in caput latere occumberet. Argolides uerò insignem gloriã inter Græcos adeptę sunt, quòd Pyrrhus uir bellicosissimus non à uiris, sed à feminis Argiuis confectus cecidisset. Polyænus libro 8.

Taulantiis contra Macedones exercitum ducentibus, Argæus Macedonum rex iussit VIRGINES Macedonum, si hostes agmen suum adducerent, ipsas è monte sese ostendere. Appropinquantibus igitur hostibus, apparuerunt, & è montibus descenderunt magno numero, thyrsosq; pro hastis uibrabant, & sertis facies obumbrabant. Galaurus Taulantiorum rex perterritus, uiros esse uirgines existimans, receptui signum dedit. Taulantij abiectis armis, impedimentisque

que relictis,terga uerterunt. Argæus sine prælio uictoriam adeptus est: Virginesq; quas antea κλωδόνας Macedones appellabant,ipse propter uirorum imitationem, ut μιμαλλόνας dicerentur, decreto iussit. Polyæn.lib.4.

CYNANE Philippi filia, bellica negotia tractabat, exercitúsque ducebat,& cum hostibus manum conserebat. Cum Illyriis signa conferens, reginam eorum Cæriam in collū inflicto uulnere prostrauit,multosq; Illyriorum fugientes interfecit.Nubens autem Amyntæ F.Perdiccæ,cùm eum subitò amisisset,noluit secundò maritum experiri.Sed cùm unā ex Amynta filiam haberet Eurydicem, eam in artibus militaribus exercuit. Alexandro uerò Babylone uita defuncto, & successoribus nouas res molientibus, ausa est ipsa Strymonem traiicere. Eam cùm Antipater impediret, per uim transmisit: & omnibus quos obuiam habebat debellatis, transiuit in Hellespontum, ut se cum Macedonum exercitu coniungeret. Vbi cùm Alcetas cum infestis copiis obuiam ei procederet, Macedones conspicati Philippi filiam,& sororem Alexandri,pudore affecti, animum mutarūt.Illa exprobrans Alcetæ ingratitudinem, neque multitudinem hominum,neq; armorum apparatum reformidabat: sed animosè cædem tulit,mortem potiùs oppetere statuēs, quàm Philippi genus regno priuatum & exutum uidere. Polyænus libro octauo.

Arcesilaus,Batti Cyrenensium regis filius,per seditionem exactus à multitudine,tandem imperium recuperauit: cumq; acerbissimis suppliciis inimicos suos puniret, à finitimis Barbaris interfectus est. PHERETIMA mater ad Aegypti principem Aryanden confugiens, & quædam sua in Cambysen merita commemorans, magnis copiis terrestrib. ac naualibus coactis, intolerabilem se Cyrenensibus præbuit, sic ut etiam filij mortem persequeretur, & generi imperiū restitueret. Idem.

TELESILLA poetria illustri nata domo, cùm ualetudinaria esset,deos de recipienda sanitate consuluit. Responsò dato,ut Musas coleret,deæ consilium secuta,carminibus se & harmoniæ dedit. Ita morbo citò leuata, & ob artem poeticam apud mulieres in honore fuit. Cùm autem Lacedæmoniorum rex Cleomenes multis necatis, non tamen, ut quidam fabulantur, septem millibus septingentis septuaginta septem, infestis signis urbem peteret: ardor & audacia incessit feminas ætate florentes incredibilis, ut aduersus hostem pro patria propugnarent. Duce Telesilla arma capiunt, in pinnaculisq; stantes,muros corona cingunt,attonitis miraculo hostibus: Cleomenem multis amissis repellunt. Alterum regem,ut tradit Socrates, qui iam urbem inuaserat,tenebatq; Pamphyliacum,Demaratum expellūt. Hac ratione cùm conseruata urbs esset: mulieres, quæ pugnantes ceciderant, uia Argiua humauerunt. Incolumibus concessum, ut uirtutis monimentum Marti signum ponerent. Nunc etiam quando Hybristica,id est,Probrosa celebrant (ipso Numeniarum die,teste Polyæno lib.8.) induunt tunc feminas tunicis uirilibus & chlamydibus, peplis & calyptris muliebribus uiros. Vt uirorum infrequentiæ mederentur, non seruis, ut est Herodotus auctor, sed præstantissimis ex finitimis oppidis in ciuitatem allectis mulieres elocarunt. Verū cùm & hos in concubitu uiderentur contemnere & aspernari ut indignos: lege sanxerunt,ut barbā nuptæ haberent, quæ cum uiris essent concubituræ. Plut. de Virtutibus mulierum.

Ptolemæus cùm Cyrenensibus bellum gerebat. Illi ducem ex Aetolia Lycopum euocantes, ei summam omnium rerum potestatem permiserunt. In pugnis Cyrenenses priores pericula subibant.MVLIERES uerò eorum ualla munire,fossas ducere,tela adferre, lapides apportare, uulneratorū curam gerere, cibaria comparare. Ast ubi Lycopus tyrannidē inuasit, tantis eum blasphemiis affecerunt, ut exasperatus plurimas earum interficeret, sponte sua ad cædem accurrētes. Polyænus lib.8.

ARTEMISIA Lygdamis filia, paternū genus ex Halicarnasso,maternū è Creta ducens: Mausoli regis Cariæ uxor,marito mortuo, pupilli filij tyrannidem obtinens, nulla necessitate coacta, sponte cum quinq; nauibus Xerxem in expeditionem contra Græcos secuta est. Herod.lib.7.Suidas,Iustinus lib.2. Orosius lib.2.c.10.ubi Artemidoram uocat.Bocacius de Claris mulierib.c.55. Huic primam palmam naualis pugnæ ad Salaminem factæ rex detulit. Cumq; uideret eam strenuè pugnare,uiros autem timidiùs, exclamauit: O Iupiter,ex uiris mulieres fecisti, & ex mulieribus uiros. Polyænus lib.8. Rhodios classe exuit,insulam domuit, erecta in urbe statua, quæ ciuitati stigmata uideretur inurere, quē locum obseptum mox Abaton dixère: quoniam trophæa mouisse,religio est. Cælius lib.13.c.33. A.L.

Philippus Demetrij filius Chiorū urbem obsidēs, fœdè ac superbè per præconem pronunciari iusserat, Siqui serui ad se transfugissent, libertatem se eis & dominas in matrimoniū daturum. CHIÆ ergo mulieres lacessitæ atq; exacerbatæ, unà cum seruis,id ægrè ferentibus,ad mœnia accurrunt, lapides telaq; suggerunt, adhortātur pugnantes & obtestantur. Itaq; propugnando & petendo hostes Philippum reiecerunt:neq; planè seruus ad eum defecit ullus. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

TANIA, Zenidis Dardaniarum urbium in Aeolide principis uxor, defuncto marito, regnū ipsa Pharnabazi auxilio gubernauit.Ad pugnas curru uehebatur,& præcepta pugnantibus dabat, ordinesq; instruebat,uictoriæq; præmia pro dignitate militibus distribuebat. Nullus hostis eam unquam superauit.Medias cùm filiam eius in uxorem duxisset,clàm eam confecit. Polyæn.lib.8. Cælius lib.13.c.33. Antiq.lect. Maniam uocat.

CANDACE Aethiopum regina, imperauit uirili animo contra Petronium Aegypti præfectum & alios, licèt altero capta oculo. Volat.lib.18.Anthrop.

TEVCA Illyricorum regina uiris fortissimis imperauit,& Romanorum uires fregit sæpenumerò.

Cunabula CAMILLÆ Volscorum reginæ manifestum futuræ uirtutis lumen promiserunt.Nam ab ipsa iam tum infantia,non molliculis inuoluta est pannis, non à blandientib. nutriculis educata, sed à patre Metabo in mediis syluarum latebris ferino lacte pasta est.Relictis demū crepundiis paulò prouectior facta, neq; tractādis insueuit lanis, nec fusos aut pensa manibus accepit: sed ferinis amicta pellibus,fundās cœpit circumagere,complicare arcus, sagittas torquere,ceruos & capreas lassare cursu. Cui uirtuti adiecit studium uirginitatis. Orto demùm inter Turnum & Aeneam bello,Rutilis adhæsit,fuitq; ductrix copiarum. Vergilius lib.7. Aeneidos.

AMAGE, uxor Medosacci regis Sarmatarum, mulier fortissima,uidens maritum luxui & crapulæ deditum, regnum ita administrauit,belláque gessit, ut eius fama ac gloria Cherronesitæ, Tauricam incolentes, exciti,cùm multis damnis à rege uicinorum Scytharum affecti essent,societatem cum ea iunxerint. Illa primùm scripsit,mandans,ut à Cherroneso abstineret. Cumq; hoc Scytha contemneret,illa,uiris C & XX fortissimis assumtis, unicuique tres equos attribuit, incitatóq; cursu, una nocte & die M & CC stadia confecit: & ex improuiso regiam adorta, omnes in ianuis constitutos occidit. Scythis existimantibus, multò plures accedere:Amage, quo cœperat, impetu,in regiam Scytharum irruens, cognatisque & amicis, quos rex secum habebat, interfectis, Cherronesitis regionem tradidit: filio autem occisi regnum commisit, mandans ut iustè imperaret, parentis exitum intuens,& à finitimis Græcis & Barbaris abstineret. Polyæn.lib.8.

Hannibali Barchino priùs, quàm arma Romanis inferret, amplam Hispaniæ urbem Salmanticam oppugnanti, ciues primùm trepidi imperata se facturos polliciti sunt,Hannibalique daturos trecenta talenta argenti, & trecentos obsides. Remissa mox oppugnatione non steterunt pœnitentia ducti promissis.Ita reducto ad urbem exercitu milites, concessa eis omni præda, ad muros adoriendos cohortatus est. Tum barbari exanimes pepigerunt, ut ingenui cum singulis uestibus excederent, armis, pecunia, mancipiis, & urbe relictis. Hic feminæ SALMANTIDES abditis intra uestē gladiis unà cum uiris excessere. Omnibus egressis Hannibal præsidium relinquens Masæsulorum, asseruabat eos in suburbio. Cæteri milites tumultuariè irrumpentes urbē diripuerunt. Masæsuli cùm multa agi ferriq; cernerent,non ultrà continuerunt se,sed relicta statione irarum pleni recessērunt,ut partem prædæ ferrent. Ibi mulieres sublato clamore enses uiris dant: quædam etiam ipsæ præsidium aggrediuntur. Vna Hannoni interpreti eripiens hastam ipsum ferit,cùm esset thorace armatus. Reliquis partim fusis,partim fugatis, uno agmine cum feminis uiri eruperunt. Quos recognita Hannibal persecutus,corripuit aliquot moratores. Reliqui per montes fuga in præsenti elapsi sunt. Pòst legatis supplicibus missis sunt in urbem ab eo reducti: nec fuit id modò eis impune, sed & benignè culti fuerunt. Plut. de Virtutibus mulierum, & Polyænus lib.7.

FVLVIAM Antonij uxorem accingi ense solitā, scribit in Augusti rebus Dion, quin militibus σύνθημα dabat,id est,tesseram, interq; illos sæpiùs est concionata.

CLEOPATRA Aegypti regina, Ptolemæi Auletis filia, quū mortuo Cęsare M.Antonium in amorem sui pellexisset,pręter Syriæ & Arabiæ regnū ausa est Romanū quoq; imperiū sperare. Quū ergo magis ac magis indies cresceret libido dominandi, imperium ipsum ab Antonio petere non dubitauit. Quod quū exorasset, sumtis cū eo armis,in Augustū, eiusq; generū Agrippam copias duxit, mouitq; bellū:cuius fortuna anceps aliquandiu pependit.Victis ad extremū Antonianis, effręnata mulier cecinit receptui,ac se in pedes dedit cum adultero. Quos secutus uictor Augustus ita oppressit,

ut neglecta pacis conditione,Antonium ad inferendam sibi mortē compulerit. Quo extincto,ubi nullū rebus afflictis subsidiū uidit Cleopatra,brachiū aspidi mordendū prębuit,ne in triumphū captiua raperetur.Plut.in Antonio.

GERMANI,ut ex Cornelio Tacito Auentinus 1.lib.Annaliū Boiorum recitat,aliquid sanctum & prouidū inesse mulieribus putāt: ad matres,ad coniuges uulnera ferunt: nec illæ numerare aut exigere plagas pauent,cibósq; & hortamina bellantibus gestant. Memoriç proditum,quasdam acies inclinatas iam & labantes à feminis restitutas. Dotem quinetiam non uxor marito,sed maritus uxori offert. Munera nō ad delicias muliebres quæsita, nec quib. noua nupta comatur,sed boues & frenatum equum,& scutū cum framea gladioq;. In hæc munera uxor accipitur: atq; inuicem ipsa armorum aliquid uiro adfert,ne se mulier extra bellorum casus putet. Ipsis incipientib. matrimonium auspiciis admonetur,uenire se laborū periculorumq; sociā. Idem in pace, idem in prælio passuram,ausuramq;. Narrat etiam Lucius Florus in eo bello, quod Cæsar Augustus cū Germanis eorumq; finitimis gessit,feminas,deficientib.telis, infantes ipsos humo afflictos in ora militum aduersa misisse. Nostro etiam tempore mulieres castra sequuntur,militum numerū aliquando æquantes,damnosæ magis,quàm uiri.

M.Antoninus Philosophus cùm FAVSTINAM uxorem secū in æstiuis haberet,matrem Castrorum appellauit. Cuspin.

Quum Valerianus Imp. apud Persas captiuus teneretur, eiúsque filius Galienus, Romæ lasciuiis difflueret: in diuersis Romani Imperij prouinciis, Tyrāni, triginta numero fasces imperatorios arripuerūt. Inter quos duæ mulieres sese hostibus opposuerunt, diutiusq; cum suis, usq; ad Aurelianū Imp. rerum potitæ sunt. In Occidente apud Rhenū VICTORINA, Mater castrorū cognominata, Agrippinæ Coloniæ Augustalē induit purpuram:cum filiis & affine Tetrico Gallias & Hispanias à Germanorū direptionibus liberauit,possedisq;. In Oriente uerò ZENOBIA, animi magnitudine summis Impp. conferenda, Græcis, Latinis & Aegyptiacis literis instructissima. Hæc cùm ægrè ferret Herodem priuignum,hominem ignauissimū,à marito Odenato(qui è decurione Palmirenorū rex factus, Rom. imperij dignitatem contra Persas sustinuit) in regni consortiū ex paterna indulgentia assumtū fuisse:ut Herenniano & Timolao FF. regnū astrueret, in Odenati & Herodis necem Mæoniū Odenati consobrinū excitauit. Imperiū adepta,filios purpuratos circunduxit, expeditionib. omnib. interfuit galeata, cū limbo purpureo,gemmis dependentibus. Zenobiā urbem ad Euphraten condidit inter Saracenos,teste Procopio lib.2.Belli Persici,& Trebellio. Tandem ab Aureliano Imp.uicta,in triumpho ducta,Tybure in Zenobiis agris,ubi uisebatur locus Conche,uti honestā matronā decet,consenuit. Cuspin. & Cæl.lib.13.c.33.& Auentinus lib.2.

Valens Imp.habuit uxorem DOMINICAM Augustam,rarę pudicitiæ feminā: quæ cæso Valente, Hunnis, Alanis & Gothis uictricib.signis Constantinopolim obsidentibus, uiriliter restitit; cùm ex ærario publico pecunias & arma ciuibus largita esset. Cuspin.

AMALASVNTHA Gothorum regina,in Italia, Burgundiones & Alemannos Liguriam populantes, ex Italia expulit, adiuuante Theodato,quem regni consortē susceperat. Volaterranus.

MAVVIA Saracenorum regina bellicosissima,ruptis post mariti obitū cū Valente Imp.Rom.fœderibus, Palæstinā & Syriam infestare cœpit.Rom.duces sæpiùs fudit neq; pacē facere uoluit,nisi Moses Saracenicus eremita (qui ab Arianis proscriptus,circa Alexandriā & Palæstinam solitarius degebat) gentis suæ episcopus crearetur. Ruffinus lib.2.c.6. Socrates lib.4.c.36.Theodoretus lib.4.c.23.Sozom.li.6.c.38.

Belisarius ANTONINAM uxorem suam expeditionum suarum comitem ferè semper habuit.Io.Magnus lib.14.ex Procopio,Blondo,Sabellico.

In obsidione, quia Imp. Zimisca Rossos Dorostoli premebat, Romani, cùm Barbaris spolia detraherent, inter cadauera etiam MVLIERES inuenerunt,uirili habitu tectas, quę cū maritis contra Romanos pugnauerant. Cedrenus.

Mortuo Crocco Boemorū duce,LYBVSSA filia, magica diuinādi arte patri persimilis,imperium suscepit,& ad Albim fluuium arcem Lybus, ubi nunc Colonia est, extruxit, eāq; uirginib. Martiis custodiendā tradidit. Boemis autē muliebre imperium auersantibus,Lybussa Premislaum rusticū in regni thoriq; societatem accepit, ut penes maritum nomē, penes se administratio regni tota esset. Moriens VLASTÆ (quā Syluius Valascā uocat) & arcem & gynæceum totum commendauit. Illa ad fortitudinem exhortata socias, pharmaco quinetiā quod uirorū odium cōciliaret oblato, in uiros passim grassari,& ut noua omnia placere solent,nō modò uirgines, uerumetiam matresfamiliâs, quibus cū maritis parum conueniebat, ad se pertrahere,easdemque ad tollendos una eademque nocte maritos permouere. Iusto inde exercitu uiros aggressa, septem suapte manu interfectis, acie uictrix, ad Vultauiam flumen è regione arcis Vicegradi, colle aggeribus munito, asylum muliebre illic aperit, arcemque Deuinam (sic lingua Boemica Puellam uocāt. Syluius Dieuizā uocat) nominat, agros uastat, Stiradiū Sarcæ proditione cū lectiss. iuuenibus necat, infantibus maribus passim dextros pollices amputat, dextrosque oculos eruit. Tandem Premislaus simulata deditione arcis Vicegradensis, Miladam Vlastæ legatam cum comitibus cōuiuio exceptam oppressit. Vlasta per ancillam ad custodiēdos equos relictam cladis huius admonita, uiribus licèt inferior in aciem descendit, fortiterq; pugnans interfecta est. Sic muliebri dominio, septimo quo cœperat anno, Boemia liberata. Dubrauius lib.2. & Aeneas Syluius in Hist.Boem.

Ad Aquas Sextias Caius Marius cum Ambronibus & Teutonibus conflixit. Ambronum MVLIERES securibus & gladiis temerè arreptis, mixto agmini ferociter occurrunt, terribili clamore instantes, suos conuicio incessentes, in hostes truci aspectu & fremitu, ferarum ritu irruentes. Nonnullæ per uulnera & crebra tela sese expediētes, gladios & scuta ex illorum manibus extorsere. Sabellicus libro 2. Enneadis sextæ.

Apud DANOS feminæ pleræque uirili habitu, militiam adibant: perosæq; delicias, corpus & animum patientia ac labore durabant, bella pro basiis intentabant, manus telorum, non telarum obsequiis accommodabant. Saxo Grammaticus lib. 7.

Post natum Christum anno circiter CC. aut suprà, quum in Noruagia rex Danorum Omundus rerum potiretur: STICLA & RVSLA, uirgines armis innutritæ, cum Trondo fratre assiduum bellum gessere. Omundus indignè ferens tantum posse feminas in uiros, insecutus classe puellas, aggressus alteram post alteram, expugnauit & oppressit. Testatur portus, quibus à uictis puellis nomina indita. Cranzius libro j. Noruegiæ, cap.27. & 33. ex Saxonis lib.8.

Eo bello, quod Haraldus Danorum rex contra Ringonē Sueonum regem gessit, Danis militarunt mulieres bellicosiss. VVISNA Sclauorum ductrix in medio agmine, cui Starcatherus in prælio dextram amputauit: item HETHA uirago, uirorum ductrix, quam uicto Haraldo Danis præfecit Ringo. VVETHBIORG pugilē Soth in acie strauit, à Thorkillo Thelemarcho sagitta confixa. Saxo lib.8. & Cranzius lib.j. Vandal. cap.12.

ALVILDA Siuardi Gothorum regis F. pulcerrima, ab incunabulis tantæ uerecundiæ fuisse perhibetur, ut os peplo iugiter obnuptum haberet. Alphus quidam, Sigari Danorū regis filius, trucidatis serpentibus, qui uirginis conclaue tutabantur, ipsam in coniugem postulabat. Consentiente autem uirgine, mater tamen ipsam à uirili consortio deterruit: ita ut porrò non modò regis filium, uerumetiam omnes uiros auersaretur. Vestem proinde femineam, animumque muliebrem in uirilem commutauit: & piraticam exercere cœpit, cùm multas uirgines ad idem militiæ propositum pertraxisset. Interea cùm uictrices turmas longè lateq; per mare Gothicum circumferret: in quodam portu piratę confluentes, eam ob formæ pulcritudinem, & res præclarè gestas, in piraticæ Principem elegerunt. Alphus fama militiæ eius comperta, se quoque ad piraticum opus accingit, & tandem in extremis Finningiæ, siue Finlandiæ recessibus, tempore algidissimæ hyemis ipsam assequitur, pertinaciter repugnantem, sed tandem pactis coniugalibus consentientem. Genuit ex ea filiam Gyritham, unicam regij sanguinis in Dania reparatricem, quæ ex Haldano pugile fortiss. Haraldum suscepit. Ioannes Magnus libro 7. cap.10.

Rex Sueciæ Syuardus Fro, interfecto Noruagiensium rege Syuardo, coniuges necessariorum eius publicè constuprandas proposuit. Regnerus Daniæ rex, auitæ ultionis studio Noruagiam petiuit. Matronæ complures, pudicitiæ uel seruandæ uel ulciscendæ studio, uirili habitu sumto ad illum confluxere. Inter quas affuit & LANDGERTHA uirago, sparso per humeros capillitio, inter primos dimicans. Regnerus aui interfectore cæso, unius feminæ uirtute uictoriam sibi constitisse professus, eam per internuncios ambire cœpit. Illa consensum simulans, urso atque cane contra omnem amatoris uim suum conclaue muniuit. Regnerus emensus fretum, comitibus apud Golerdal (id ualli nomen est) subsistere iussis, solus puellæ penates petens, ibique exceptus à belluis, alteram telo traiecit, alteram faucibus apprehensam strangulauit, uirginemque uicti periculi præmium habuit. Ex ea geminas filias filiumque Fridleuum suscepit. Cui licèt Thoram Herothi Sueonum regis filiam superinduxisset: bello tamen quod contra Haraldum tyrannum gessit, fidelem operam Regnero, à quo repudiata erat, præstitit, CXX nauibus in subsidium adductis: cuius unius uirtute Dani iam in fugam uersi restitère. Saxo lib.8. Cranzius

zius lib.5.Sueciæ,cap.j. & lib.4. Daniæ,cap.6. & Ioan.Magnus lib.17.cap.4.

Caractacus Scotorum rex,cōtra Romanos pugnaturus, exercitum ex suis & auxiliaribus contraxerat hominum millia quadraginta:quem ad prælium ita instruxit, ut præterfluentem amnem sine uado, à tergo haberet, ne suorum quispiā fuga salutem speraret. Mulieres SCOTÆ natu grandiores ad latera exercitus locauit: quæ ad pugnam magnis sublatis clamoribus excitarent, lapides iacerent in hostes, iugularent illico prostratos:iuuenculas uerò iussit mixtas uiris pugnare. Cæterùm conatu irrito fusus captusq; fuit. Hector Boethius lib.3.

In defectione Britannica sub Nerone, VOADA Aruiragi Britannorum regis uidua, quinque millia mulierum armauit, in prima acie stetit,strenui ducis officio functa est. Magna clade à Suetonio Paulino uictis Albianis, ipsa sibiipsi manus intulit. Idem lib.4.

Dum Petilius Cerealis, Vespasiani legatus,Scotorum regem Corbredum II. magna strage uicisset,VODICIA Aruiragi regis Britannorum & Voadæ filia,minor natu, contractis cohortibus ex Monæ incolis, ubi exulauerat,atque Brigantibus,uiolatæ pudicitiæ maternæque cædis ulciscendę animo,Romanos,nihil minus quàm hostem à tergo timentes, noctu pugna est aggressa: actumque fuisset de Romano exercitu, atque excussum Vodiciæ opera seruitutis iugum à Brigantibus,nisi Petilius accensis facibus,pice, resina, sulphure & fœno conflatis, quas in nocturnos usus paratas habebat,occurrisset. Vodicia citato gradu contendit Epiacum: ciuitatem magna ui occupatam incendit, præsidiis Romanis inclementer cæsis. Capta inde, cùm superbè responderet,ad occidendos hostes uires sibi defuisse,nō animum: nihilq; quàm felices Romanorum successus ægriùs ferre, qui deuicto patre,matre cæsa,Aruiragi domui Britanniæ ademissent regnum,à militibus,qui Petilio proximi stabant,gladiis obtruncata interiit. Idem.

In eo prælio,quo Mogallus Scotorum rex,L.Antenoum legatum Adriani Imper.magna strage superauit, MVLIERES, quarum magna manus in Scotorum erat exercitu, ubi incredibilem lapidum multitudinem iecissent in Romanos, arreptis armis,nullum ueritæ armorum genus, nullum periculum, uulneribus magis irritatæ, militibus ipsis effectæ sunt longè immaniores. Idem lib.5.

Dux Gelriæ Eduardo III. Anglorum regi auxilium contra Scotos ferebat. In Scotiæ ingressu uictus fugatusq;. Cùm spolia legerentur occisorum, inuenta est MVLIER quædam, ingenti corporis mole, quæ ante alios initio pugnæ procedens, singulari certamine cum Richardo Schavu congressa, eum deiecerat, ac fortissimè inter primas pugnas multa edita cæde ceciderat. Hector Boethius libro 15.

MARGARITA,Valdemari III. Danorum regis unica filia, Aquino Noruagiæ rege, ex quo paruulum susceperat Olauum, mortuo, pariter duo regna rexit, animo & consilio plusquam mulier. Anno Salutis reparatę MCCCXXCIX. Albertus dux Magnopolensis,rex Sueciæ, munitionem erexerat oportuno loco, unde posset Danorum in sua transitum arcere. Regina aduersus nouam regis arcem in suo solo erexit aliam, unde commeatus possent intercipi. Bello indicto, in transeunda palude capitur rex cum filio, & in arctissimam custodiam recluditur per septem annos. Multa mari prælia,multa sunt Daniæ per Vitalianos (sic appellabant milites absque stipendio militantes)irrogata damna. Liberatur tandem, dimissionem regni pactus, cuius maiorem iam partem regina occupauerat: ut una femina tribus imperitaret regnis. Rediit in Magnopolim suam cum filio Erico,ad spem regni enutrito. Cranzius libro 9.Vandaliæ, cap.22. & lib.7. Daniæ capite septimo, & Fulgosus libro tertio,capite secundo.

Sacra expeditione Hierosolymitana, quæ à Latinis suscepta est, anno Salutis humanæ MCXLVI. cuius tuba fuit diuus Bernardus Claræuallensis Abbas,etiam MVLIERES quędam,Amazonum ritu,uirorum more equis insidentes armatæ conspiciebantur. Frisingensis lib.j. cap.34. de gestis Friderici.

Occuparat Anglus rex Philippi Burgundionum regis auxilio Luteciam,Carnutes,Tricasses,Normanniam totam,sub Carolo VI. Francorum rege. Eo mortuo,cum Carolo VII. eius F. debellare conatus, ad Ligerim usque imperium protenderat, Aurelianum graui obsidione premebat, Carolū Biturigum regem per ludibrium uocans. Interea IOANNA,Iacobo Arco patre orta,inope pastore, in Lotharingorum pago,qui Dampremum dicitur, cùm nondum XV. annum superasset,propter admirandas uisiones fatidica putabatur. A Carolo igitur Lotharingorum principe,ad Robertum Baudiricurtum in Vallicore Gallorum ducem, & ab ipso ad Carolum regem missa fuit. Huic cùm largè uictoriā polliceretur,nō antè fides habita fuit,quàm in multis, quæ futura prædicebat,uerax inuenta est. Ita fidem adepta,tandem Gallici exercitus imperium suscepit,ingenti equo insidens,uoce gestuq; à uero duce non differens, Aurelianum arcta obsidione liberauit,uulnus in humero accepit. Trecas contra omnium sententiam adorta cepit, Carolumque diademate,ut moris erat,Rhemis insigniri iussit,Salutisque anno MCCCCXXIX. Parisiorum urbem oppugnans,prima muros conscendit: sed crure sagitta traiecto, ab incœpto destitit. Recepto sano D. Petri Mosteriensis, frustraque tentato Caritatis Fano, obsesso Compendio opem latura, in oppidum quidem irrupit: sed eruptione postea facta,in potestatem hostium uenit. Rotomagum ducta, ab Anglis superstitionis falsæque religionis insimulata, igne cremata est, hoste iudice, nemine eo loco pro captiua contrà hiscere auso. Aurelianenses puellæ statuam posuêre. Eam summis Galli efferunt laudibus. Pius Pontifex maximus,ac Antoninus archiepiscopus Florentinus eam admirantur. Aemilius lib.10. Bonfinius lib.8.Dec.3.& Polydorus lib.23.

MATHILDIS,Henrici I. Anglorum regis F.Henrici V. Imp. uxor,eo mortuo,Godofredo Andegauensi nupsit, & à patre hæres regni instituta,cum Stephano Blesensi, qui regnū inuaserat,uario euentu dimicauit, mulier ultra sexum bellicis artibus animiq; robore insignis. Polyd.lib.13.

Mortuo sine liberis Morinorum duce (quos uulgò Britones nuncupant) Ioannes Montisfortis comes in ducatu successit: initaq; societate cum Eduardo III. Britanniæ rege,qui etiam Gallici regni titulum sibi adsciscebat, in Nannetensi urbe,à Philippo Valesio Gallorū rege captus, Parisios perductus obiit. Hic cum Ioannes Blesensis comes,agnationis iure, Britonum ad se pertinere ducatum assereret, eiusque possessionem tentaret: Ioannis defuncti CONIVX, armis arreptis,terra mariq; Blesensi comiti obstitit: neq; antè destitit,quàm eo in prælio occiso, filiis suis liberum Britonū ducatum reliquit. Fulgos.lib.3. c.2.

BONA Longobarda,floruit anno MCCCCLXIIX. Nupsit Brunorio Parmensi,egregio bellatori. A teneris annis lustrabat syluas,uenatricibus stipata canibus: maritum in omni discrimine comitabatur. Quem quum Alphonsus rex Siciliæ aliquando certa de causa in uincula coniecisset,miserta captiui femina, ad diuersos principes instar pegasarij cursoris cucurrit, ut ab eis literas & patrocinium obtineret pro uiri salute.Idem.

Mortuo Ioanne Huniade, Huniadis filius Ladislaus perduellionis insimulatus, cum Vlricum Ciliæ comitem insidiatorem suum interfecisset, capite pœnas luit: Mathias Coruinus frater eius minor natu captus, & Viennam à Ladislao Vngarorum rege ductus. MATER Ladislai & Mathiæ,Gręca natione,magnanima mulier, non fletibus & lamētis indulsit, sed arma contra regem Ladislaum pro filiis sumpsit: maiusq; facinus ira suadente ausura,ac Turcas in auxilium accitura erat,ni res interuentu aliorum procerum composita fuisset. Mortuo tandem Ladislao rege, Vngari Mathiam annos decemseptem natum, auctore Michaele Zilagio,regem crearunt. Cromerus lib.23.

Franciscus Petrarcha in Epist. scribit, se uidisse Puteolis, haud longè Neapoli,uirginem MARIAM nomine, abiecta muliebri ueste,propter seditiones,quibus ea regio erat infesta, uirilem amictum armaq; induisse: belli adeò studiosam,ut quocunq; in loco cum hoste manus conferendæ essent, prima prælium iniret; neq; nisi editis antè claris facinoribus, acceptisq; multis uulneribus,ex acie se reciperet. In militari exercitatione sudem ferream iaculando, alios uiros robore superabat,omnesq; in sui admirationem conuertebat. Et tamen in summa uiuendi libertate incolumē pudicitiæ laudem seruauit. Fulgosus libro 3. capite 2. & Egnatius libro 3. capite secundo.

Cùm Catalusij Mitylenis in Lesbo rerum potirentur, Amurathes Turcarum Imp. ingēti classe Molagum oppidum oppugnare cœperat. Ibi ORIETA Auria, Genuensis, Lucæ præfecti uxor,sola cum tribus comitibus,sumtis armis, nō modò pugnando pericula omnia subiit, uerùm confirmandis eorū animis,qui iam attoniti de deditione consilia inibant, sapientis ducis munia impleuit: agendoq; atq; hortando tantum effecit, ut Turcas ab oppido magna cum strage repelleret. Fulgos.lib.3.cap.2.

Bello Venetis à Mahometo Turcarum rege moto, cùm classis ingens Mitylenas adorta esset, Coccinumq; oppidum oppugnare cœpisset, anno MCCCCLXXIV. uirgo MARVLLA, ut patrem inter pugnantes occubuisse conspexit, ciuiumq; aciem ad fugam spectare: paterno clypeo gladioque arrepto, hostes iamiam irrupturos à muris repulit. Ob hæc ab Antonio Lauretano Venetæ classis imperatore maiore pecunia,à legatis uerò singulisq; nauium præfectis aureo nummo donata est. Cæterùm data illi optione,ut ex fortibus uiris sumeret in maritum quem uellet,pollicente Lauretano, fore ut mox dotem ex publico acciperet: respondisse dici-

tur, habere oportere se rationem non fortitudinis solùm, sed etiam probitatis;nulli itaque se priùs nupturam, quàm planè exploratum haberet, qualis ille,quem optasset,futurus maritus esset. Sab.lib.10.Dec.3.& li.7.En.10. & Aen.Syl. cap.74.Asiæ,& Cæl.lib.13.cap.33.A.L.

Oppugnante Brixiam Philippo Vicecomite, ciues in fide Venetorum constanter perstitêre. Quantum interdiu crebri bombardarum ictus demoliebantur, tantum noctu oppidani subitis aggeribus reponebant. Enituit eo opere non minùs feminarum quàm uirorum opera: in quibus in centurias decuriasque distributis BRAIDA, Aduocaræ gentis matrona,tam pręstantia animi,quàm domestica nobilitate illustris, diligentem Venetæ Reip. operam nauasse dicitur. Sab.lib.3.Dec.3.

Hieronymus Riarius à Xysto IIII. pontifice, cuius nothus erat,Foroliuiensibus præfectus,tyrannidem occuparat. Franciscus Vrsus ciuis nobiliss. contra eum conspirauit, & cœnāte familia sub specie colloquij seductum interfecit, populū spe libertatis ad arma uocauit, & Pontificis (Innocentius VIII. tunc sedebat) erexit insignia. CATHARINA Sforcia Hieronymi uxor,cum liberis custodiæ tradita,furenti multitudini subtrahitur,ut per eā recipi arcem liceret ualido militum præsidio occupatam,qui negabāt se arcem tradituros, ni sibi ab ea imperatum esset. Id illa se facturam recepit,si sibi in arcem ingredi, & cum militibus colloqui liceret, liberis obsidum loco relictis. Qua re impetrata,iam è tuto loco coniuratos compellando,arma ponere iubet, & nisi pareāt grauissima supplicia illis denunciat. Coniurati expectatione sua frustrati, se liberos excruciatos in eius conspectu interfecturos minabantur. At illa,ut sibi liberos haberent,respondit:sibi à natura ita prospectum esse,ut amissorum liberorum iacturam facilè resarciret. Interea Ludouicus Sforcia Mediolanensium princeps patruus illi auxilia misit. Coniurati relicta urbe se in Tifernates receperūt. Catharina amissum uiri morte principatum consilio & audacia recuperauit. Brutus lib.8.hist.Flor.

Valētinus Dux Cæsar Borgia Foroliuiū cepisset nisi CATHARINA uirili animo ex arce sese defendisset: ea tandem per uim expugnata,Valētinus maiore in illa fortitudinis quàm sexus habita ratione,captiuam Romam misit: ubi in Angelica arce custodita fuit, quamuis non multo pòst in Iuonis Alegrij gratiam libertate sit donata. Guicciard lib.4.

BELLOVACÆ mulieres à Carolo Burgundiorum duce longa obsidione fatigatæ, mœnia fortiter defenderunt, & obsessorem è scalis in fossas urbis detruserunt, reportatis ad suos uexillis. Rauisius.

VRSINA, Guidonis Taurelli, primi Guastallæ Comitis coniunx, cùm uiro absente, Guastallum Venetorum armis oppugnaretur,facto in hostes impetu,oppidum multis hostiū, atq; inter eos aliquot manu sua occisis, defendit. Fulgosus libro 3. capite 2.

In ea pugna, qua Selymus Hismaelem Sophum Persarum regem in campis Calderamiis Armeniæ magna strage fudit, tradunt inter cadauera interfectorum nonnullas Persarum VXORES repertas fuisse,quæ more uirorum armatæ, maritos in quemcunq; fortunæ euentum sequebantur. Eas Selymus honorificè sepeliri iussit. Iouius in Selymo.

MARIA Paceca,Tendilij Mendocij filia, eruditi ingenij,& uirilis animi mulier, Padilliæ coniugis,à præfectis Caroli V. Imp. in Hispania, quòd seditiosorum dux fuerat, securi percussi,uexillum,ne concitatæ multitudini deesset dux, gerendo bello sustulit. Iouius lib. 19. Hist.

Anno Sal.1535. cùm dux Allobrogum Geneuenses uicinos premeret, uoluntarium militem ex Heluetiis ad CCCC conduxêre. Hos ad Neuisium Sabaudi MD imparatos dolo adorti, uirtute superantur. Cæsis Sabaudorum supra CD septem tantùm è suis desiderarunt,cum duobus calonibus & una MVLIERE, quæ quatuor hostium cæde necem suam ulta est. Stumpfius.

Oppugnantibus Albam regiam Turcis, excelsæ staturæ Hungara MVLIER, conscenso inter milites aggere, prægrandi fœnaria falce, scandentibus duobus Barbaris uno ictu colla secuit. Sab.supplem.lib.26. ex Iouio.

Mahometus Bassa Budensis Solymanni nomine Agriam Hungariæ urbem obsidebat 1552. quò sese circiter duo millia Hūgarorum fortissimorum cum liberis & uxoribus contulerant. Illi iureiurando sese obstrinxerunt, de deditione mentionem facere, hostibus præterquam armis & sclopetis respondere, capitale fore: famem ad ἀλληλοφαγίαν usque tolerandam: proditionis uitandę causa non plures tribus priuatim coire debere: mulieres quoq; AGRIENSES militarib. muniis uacare: alimenta pondere & mensura publicè singulis distribuenda: gallinas, columbas in ægrorum usum conseruandas: spolia ab hostibus parta uiritim confecto bello diuidunda. His animis confirmati, ad deditionem sollicitāti Makumeto nihil responderunt, sed in murorum pinnis pheretrum inter duas hastas nigro panno opertum collocarunt, quo symbolo ut uitæ, ita & mortis locum patriam sibi futuram, Vngarico more significabant. Quadraginta diebus obsedit, tredecies oppugnationem aggressus hostis, octo millibus suorum amissis, turpi fuga discedere coactus fuit. Arx bombardarum ictibus disiecta, urbs non magis propugnaculis, quæ exilia erant, quàm ciuium fortitudine defensa est. Contra innumerabilem Turcarum multitudinē pauci numero pugnabant, uiris permixtæ feminæ, sex horarum circuitu fessis integri succedebant. Memoria dignum est IVVENCVLÆ facinus. Ea cum matre marito pugnanti assistebat. Interemto illo, hortabatur mater filiam ad sepeliendum maritum. Tum filia, Exequiæ alterius erunt temporis, inquit. & arrepto mariti scuto & gladio, trium Turcarū morte marito parentauit, eundemq; mox in humeros sublatum terræ mandauit. Alia quædam ingens saxum capite gestabat, ut in confertam hostium multitudinem illud deiiceret. Molienti pila ferrea caput abstulit. Filia matri proxima, saxum sanguinolentum, uindictā ardens, in hostes deiecit, duos interemit, aliquot alios gladio trucidauit, passimque circumcurrens, ad defendendam patriam heroica uoce omnes hortabatur. Accidit & illud, ut cùm in acie pro muris starent, pila ferrea tres mulieres miserandum in modum lacerauerit, & cruore mortuarum reliquas aspeserit: quæ tanto furore populares suas sunt ultæ, ut bellicosissimi Turcæ desperata expugnatione non magis uirorum quàm Amazonum robore se uictos turpi discessu faterentur. Ascanius Centorius lib.5. com. belli Transyluaniæ.

EXTRA BELLVM.

IAEL uxor Hebris Cenæi, qui fuit ex cognatione Hobabi soceri Mosis, Sisaram ducem exercitus Iabini regis Chananęi, à Baraco duce Nephthalensium cæsum cum suis, & fugientem, hospitio blandè excepit, lodice operuit, lac ad bibendum dedit, atq; dormientem clauo per tempora adacto interfecit. Iudicum cap.4.

Cùm Aethiopum reges Persis arma inferrent, & rex Xerxes expeditionem contra illos suscepisset, Iudæi ad defectionem spectabant: eoq; contemto, Hierosolyma reuertebantur. Ille uerò uictis Aethiopibus, Iudæis bellum infert, Holopherne duce. Quo Hierosolyma oppugnante, mulier quædam nomine IVDITHA, amore illius simulato, noctu caput ei dormienti amputauit: eoque in mœnibus de trabe suspenso, in fugam coniecit Persas. Sic obsidione soluta, Iudæi metu liberati sunt. Iudæorum uerò sacerdos Neemias, quum gratia ualeret apud regem, ab eo impetrauit, ut pacē cum illis faceret, & eos instaurare Hierosolyma pateretur, Esdra duce. Iulius autem Africanus Nabucodonosorē Cambysis, Cyri filij F. aut archiducem, ab ea interfectum tradit: quæ quidem omnes manubias consecrauerit Deo, domumque reuersa, exercitationi uirtutis dedita, anno ætatis CL. sit defuncta. Suidas.

THEMISTO fuit Critonis Oeanthij filia. Hanc deperibat Phricodemi tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium uirginem. Pater contradicebat. Tyrannus filios Critonis abstractos in conspectu parentum feris esurientibus obiecit: uirgineq; abrepta, nuptias perfecit. Themisto necessitate compulsa, dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo collum petens interemit, ut ne uox quidem occisi audiretur. Polyæn.lib.8.

THEBE, Alexandri Pheræi tyranni coniux, metuens hominis perfidiam, & crudelitatem exosa, coitione cum tribus fratribus suis facta, Tisiphono, Pytholao, Lycophrone, eos de die in conclaue quoddam inclusit, cubiculo tyranni propinquum. Inde sopito tyranno fratres gladiis accinctos ad thalamum adduxit: quibus pro foribus relictis, ingressa est ipsa. Ensem qui supra caput eius suspensus erat detractum, in signum, recubuisse cum somno stratum, ostendit fratribus. Hic adolescentes terrore exanimatos & torpescentes illa lacerans probris, ac frendens, deierauit, Alexandrum se excitaturam, consiliumq; ei aperituram. Ita pudore simul & metu perfusos introduxit, lumenq; admouens circumiecit eos cubili. Quorum unus apprehēdit pressitq; pedes illius, caput alter crinibus correptum retorsit, tertius ense feriens obtruncauit eum. Plut.in Pelopida.

Magnus Sforcia inuidorum calumniis à Iacobo Martiæ comite, Ioanne reginæ Neapolitanæ marito, in carcerem ob suspicionem stupri cum regina detrusus fuerat. MARGARITA illius soror, Tricarici domina, cùm per Michelinum Rabinianum maritum hostes Tricaricum obsidentes (Sforciani enim milites eò tanquam in asylum se receperant, & Neapolitanos agros infestos faciebant) cum nobilissimis hostium de induciis agere cœpisset, & illi colloquij causa in urbem uenissent, arrepto uenabulo loricata illos adorta, ad deditionem compulit, & ea ratione fratrem è uinculis liberauit. Iouius in Sforcia.

PVERI, ADOLESCENTES FORTES.

DAVID puer Goliathum Gethæum superauit. i. Reg. 17. & Iosephus lib. 6. Antiq. cap. ii. Item XII PVERI Daudici totidem Isbosethiano's prouocantes, mutuis concidêre uulneribus. Vide Tit. Monomachiæ.

THESEVS Neptuni & Aethræ filius, secundùm poetas, Plutarcho Aegei, cùm puer esset, quo tempore Hercules Trœzenem ad Pitheum uenit: leonis pellem, quam gestabat Hercules, uidens, securim è manu serui extorsit, cæsurus leonẽ, cùm reliqui Trœzeniorum pueri uisa pelle auffugissent. Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. cap. 9.

Bello Peloponnesiaco Carcinus Athenien sium prætor, Methonam urbem Lacedæmoniæ, præda ex agro undiq; acta, oppugnare adoriebatur. BRASIDAS Spartanus adolescenti quidem adhuc ætate, uerùm uiribus corporeis & audacia plus quàm uirili præditus, Methonam conspicatus in expugnationis periculum adducẽt, assumtis secum quibusdã Spartanis, agmine stipato per medias hostium acies & stationes uiam manu fecit: multisq; qui obsistere irrumpenti conarentur, cæsis, intra oppidum euasit. Perstantem deinde in obsidione Athenien sium exercitum, Brasidas in dies magis strenuè dimicando, nullisq; periculis usquam cedendo, ipse uictoriaq; frustrari, donec amissa loci per uim capiendi fiducia, Athenien ses intra naues se recepêre. Itaq; uirtute & fortitudine sua, liberata periculo Methona, apud Spartanos gratiam auctoritatemq; sibi comparauit: tum illius egregiè fortissimeq; auilfacinoris memoria & laude elatus, perspẽ in posterum admirabili audacia dimicando, ingentem fortitudinis gloriam reculit.

Prætexta inter insignia Rom. magistratuũ olim connumerabatur. Postea cùm Tarquinius Priscus rex de Sabinis ageret triumphum, FILIVM suum annos quatuordecim natum, quòd hostem manu percusserat, & pro concione laudauit, & bulla aurea prætextaque donauit: insigniens puerum ultra annos fortem, præmiis utilitatis & honoris. Macrobius libro 1. Satur. cap. 16.

M. MANLIVS, Capitolinus dictus ob defensum Capitolium, ante ætatis annum 17. bina ex hoste spolia cepit. Plinius libro 7. capite 28.

P. SCIPIO Africanus maior, XVII ætatis anno patrem P. Corn. Coss. ad Ticinum equestri prælio cum Annibale pugnantem, hosti eripuit. XXIIII annorum, Proconsul in Hispaniam missus est, gemina licèt suorum clade funestatam. Liuius & Plutarchus.

PROBVS Imp. Syrmiensis patria, impubes etiamnum, Valeriani Imp. iudicio Tribunus militum ob spectatam fortitudinem creatus est. Cuspinianus & Bonfinius libro primo, Decadis primæ.

Sub Adonio rege, Longobardi, superato Danubio, inferiores Pannoniæ partes occuparunt. Thorismundus Gepidarum rex in superiore Pannonia ei se obiecit. Eo in prælio ALBOINVS, Adonij filius, ephebus, Thorismundum, Gepidarum regis filium, ui acie occidit. Cùm Adonius, filium propter ætatem nondum mensa sua dignaretur, sed inter famulos iuberet accumbere: Proceres regẽ admonuêre, ut eum, qui penè uictoriam solus peperisset, honoratiore loco ad latus suum sibi adiungeret. Quibus rex, Necdum, inquit, filius hoc meruit: cùm opima ex hoste spolia nõdum retulerit. Id audiens Alboinus, per inducias regem Gepidarum conuenit, & filij à se cæsi arma poposcit. Miratus rex iuuenis audaciam, illum mensæ suæ adhibuit, eo loco quem Thorismũdus occupare solebat: mox mero incalescens, cum alto suspirio, Locum, inquit, hunc regis filius tenet: sed alium oculi mel requirunt. Tum alius quidam filiorum, non ignorans quid pater loqueretur, iuuenili ardore excanduit: cœpitq; inter milites rixa, quòd Longobardi ob perisce lides candidas irriderentur à Gepidis, quasi iumentorum more cando repedum probari uellent. Ad quam uocem quidam ex Lõgobardis acerbiùs respondens, Ille, inquit, campus, qui Gepidarum ossibus exalbuit; qui uiri sint Longobardi, ostendit. Quum ad arma consurgerent, rex medium se inferens, gladios stringere prohibuit, ne hospitales deos incitarent: adeoq; Alboino animi filij doñauit, lætũq; remisit ad suos. Adonius filij robur, eumq; deinceps mensæ suæ adhibuit. Cranzius lib. 3. Danię, cap. 3.

POLONI XII. adolescentes ingenui, Adrianopoli, cùm ab Amurathe Turcorum principe, post interfectum ad Varnã Vladislaum regem, ex omni captiuorum numero propter eximiam formam delecti, ut circumcisi pro catamitis & cinædis essent, in cubiculum tyranni deducti fuissent: in necem eius coniurarunt. At proditi à Bulgaro quodam, ubi rem palàm esse cognouerunt, ne tyranni libidini siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis, armati inter se concurrerunt, & mutuis uulneribus fortiter conciderunt: Cromerus libro 21.

PETRI Mendozæ adolescentis industria CCC Christiani præda onusti, in monte à Granatensibus Saracenis obsessi, liberati fuerunt, sub Ferdinando rege Hispaniæ, postquam is ad Antiqueram Granatæ urbem Mauros magno prælio uicerat. Valla lib. 1. Historiarum.

GASTO Foisseius Galliæ regis Ludouici XII. ex sorore nepos, imberbis adolescens, antè imperator quàm miles, antè triumphator, quàm ab exercitu acclamatus Imperator. Iouius.

PONTIFICES BELLICOSI, FORTES.

GREGORIVS Montelongus, Pontificis legatus, urbem Victoriam fortiter contra Fridericum II. Imp. defendit. Cranzius lib. 8. Saxoniæ cap. 14.

Olauus Haraldi F. regnum Daniæ contra Valdemarum inuadens, hoctu Sialandiæ episcopum RYKONEM in cubiculo obsidebat. Ryko religione saluti postposita, aditu hostẽ prohibuit: clericis interim, qui & epistolarum eius & anuli curam habebant, conuulsa penè ianuas admoto puluinorum cumulo defendentibus. Olauus, quia armis non poterat, ignem cubiculo admouit. Ryko colloquium cum Olauo petens, benignaq; eius promissione firmatus, exserto foribus capite trucidatus est. Saxo lib. 14.

IVLIVS II. natione Ligur, patria Genuensis, uir acti & uersuto ingenio, animoq; minimè abiecto, plurima & uaria totoe uitæ curriculo expertus. Cui fortuna nunc nouerca, nunc indulgentissima mater uideri potuit. Patrimonium Petri nemo animosiùs tuatus est Pontificum, neque callidiùs quisquam multorum iudicio amplificare instituit. Rauennam à Venetis occupatam grauissima cinxit obsidione: quam tandem expugnatam fortiter sedi Romanæ restituit. Simili uirtute, Imolam, Fauentiam, Foroliuium, & alia nonnulla iisdem è manibus eripuit. Præterea alia non pauca ab aliis cùm tenerentur, recepit: subinde noua parta uictoria, sed non sine multo sudore & sanguine. Vt enim laborum patientissimus, ita iniuriarum erat impatiens, eratque ingenio non solùm ardenti, sed & iracundo. Bononia ciectis Bentiuolis insigni triumpho inuectus est. Res Gallorum rege Ludouico XII. grauiter affecit, grauiùs etiam afflicturus, si per mortem licuisset.

DVCES, REGES, IMPERATORES fortes, bellicosi, bellis uictoriisque clari.

Victoria inter Fortunæ bona connumerari debet. At respectu modi, quo comparatur, ad Fortitudinem pertinet. Vt igitur sub Prudentiæ loco Reges prudentes, sub Iustitiæ Reges iustos: ita sub Fortitudine bellica, Reges & principes & duces fortes, multisq; insignes prælijs compleclimur. Peculiaria Fortitudinis exempla in se defendendo, uel hostibus lædendis, separatim tam regum & ducum, quàm militum, paulo post enumerabuntur.

HEBRÆORVM, IVDÆORVM, ISRAELITARVM.

MOSES miro modo ex aquis conseruatus, & in aula Pharaonis educatus, cùm adoleuisset, & Aegyptij Aethiopum armis pressi ducem Hebræum ex oraculo deposcerent: omnium consensu exercitui præfectus, Meroen proditione cepit, Aethiopum regiam, filia regis in uxorem ducta. Domum reuersus, ut gloria, sic & inuidia auctior; cædis etiam reus, ad Madianitas confugit, ibiq; ducta uxore, in monte Sinæ siue Orebo Dei opt. max. colloquio usus, ad liberandos Israelitas in Aegyptum missus est. Atq; ita ex ea domo, unde genti uniuersæ Israelitarum exitium propter hunc unum impendebat, & puero salus, & genti uindex quæsitus est. Sab. lib. 2. Ennead. 1.

IOSVA filius Nuni, Ephraimites, minister Mosis, summo duce & propheta dignus discipulus. Explorator missus in terram hostilem, periculum non horruit, & magnifica certaque renũciauit: socios suos proditionis se arguẽtes spreuit, populum terrore perculsum animauit, fremitus iniquorum non sine uitæ periculo compescuit. Mosis factus successor auctoritate diuina, insignia accipit ab Eleazaro: hæreditatis promissæ terram è sexcentis hominum millibus superstes, ingreditur solus, uno socio Calebo adiuncto. Temporibus aduersis inuocat Dominum excelsum: ad preces eius fluuius stetit Iordanes: ad imperium sol & luna cursum tenuit. Iordane traiecto, populum circumẽdit, & necatis uno & triginta regibus, urbes eorum sorte diuidit. Sacerdotibus per tribus singulas disperiit domicilia: fugitiuis tuta constituit asyla. In uita sua, de sempiternis Dei in populum beneficiis perpetuò, & ante mortem grauissima oratione conionatur: uir ingenti fide, præsentissimo animo, tolerantia maxima spectatissimus. Obiit anno imperij sui secundo &

do & trigesimo, ætatis decimo & centesimo.

OTHONIEL Cenezi, fratris Calebi filius, de tribu Iuda, adolescens animi excelsi, qui Iosuæ successit in imperio. Post expugnatas urbes Gigantum, cùm sola Debira restaret, Calebus ei præmium proposuit, qui eam urbem expugnasset. Othoniel cùm nihil inexpugnabile uiro forti existimaret: sua uirtute Debiram subegit, & belli mercedem filiam Calebi Achsam, accepit uxorem. Cui cùm dotem adiecisset socer uicos montanos, & agros steriles, propter aquæ inopiam: Achsa patrem marito suadente orat, ut etiam loca campestria & irrigua daret: id ipsa commodè petens, patre lubente & facile exorat. In suo imperio Chusanem regem Mesopotamiæ compescuit, & iugum externæ dominationis à populi ceruicibus fortiter auertit. Anno suæ gubernationis octauo est mortuus.

SAMGARVS Anathi filius, populo Dei à Philistinis oppresso, fortè in agro armenta sua duxit, & cùm cohortes Philistinorum prædæ causa excursiones fecissent, & agros spolia rent: Deus magnos eis spiritus immittit, ita ut ipse solus pedo pastorali, armis uidelicet pro tempore oblatis, latrones sexcentos Dei auxilio prosterneret, præda potiretur, genti suæ modo miraculoso quietem pareret.

BARACVS Abinoami F. Nephthalensis, duce Debora mulier uatidica, cum 12 millibus fuorum Nephthalensium & Zabuloniorum, Sisaræ ducis Iabini regis Chananæi exercitum ad internecionem cecidit. Ea uictoria Israelitæ, qui Iabino uiginti annis seruierant, in libertatem sese asseruêre. Iudicum quarto.

GEDEON, Ioæ filius, Manassæus, homo rusticanus, dum frumentum in horreo excutit, populi dux ab angelo designatur, & confirmatur cœlitùs miraculo. Initio imperij aram & lucum Baalis in domo patris euertit, unde Ierobaal cognominatur: tum contra Madianitas, per tribus uicinas classicum canit. Habito copiarum delectu, uiros trecentos eligit, reliquos dimittit, & castra hostilia uno comitatus socio, ipse explorat. Nouo autem quodam modo prælium inchoat, & clangore tubarum, strepitu fictilium, lampadum fulgore, clamore militum, hostes ita terret, ut mutuis se conficerent uulneribus, & ut eorum centum & triginta quinque millia oppeterent. Duces Madianitarum Orebum & Sebum comprehensos Ephraimitæ interficiunt: Zebem & Salmanam captos trucidat Gedeon. Post eam uictoriam Sochotenses & Phanuelitas, qui ipsum irriserant, spinis tribulisque conterit. Regium nomen atque sceptrum ad se delatum, sponte detrectat. Ex præda autem hostili conflat idolum, idq; in patria sua dedicat: quæ prophanatio diuini cultus ipsi liberisque eius cessit in perniciem & ruinam. Populo præfuit singulari uirtute & moderatione annos quadraginta.

IEPHTHA Iairis ciuis & tribulis, è matre nat⁹ infami, domo paterna propter matris turpitudinem à fratribus eiicitur: desertus & spretus à suis, consuetudine latrociniorum & robur militare & nomen celebre comparat. Ammonitis contra Galeaditas arma sumentibus, ciuium suorum consensu, belli dux creatur. quo honore suscepto, ad regem Ammoniticum legatos mittit. Ab eo cùm nihil æqui impetraret, ciues suos armat, pugnam init, fide uincit, ciuitates uiginti subigit. Voto temerario filiam unicam mactat, & luctum in gentem propter puellam omni populo excitat. Idem Ephraimitas semper insolentes & importunè molestos coercuit: qui cùm ei bellum non necessarium indicerent, duo & quadraginta ex iis prostrauit hominum millia. Rerum potitus est annos tantummodò sex, consilio & fortitudine non minùs hostibus quàm sociis metuendus.

SAMSON Manoæ filius, à tribu alio nomine Bedan appellatus, prædicitur ab angelo futurus uindex populi. Robore gigãteo fuit. Sed qui armis uinci, & uinculis constringi nullis potuit, uictus uoluptate est. Vxorem ducit Philistinem. Illusus à sponsa triginta Ascalonitas occidit: repudiatus à socero, segetes Thamnatensium, caudis uulpium colligatis incendit: mœnibus Gazensium inclusus, portas urbis cum uectibus asportat. Leonem inermi sibi occurrentem, manibus discerpit: asini maxilla mille uiros interimit. Amore Dalilæ insanus, eius blanditiis effeminatur, insidiis frangitur, auaricia proditur. Captus, priuatur oculis: uinctus, in pistrinum truditur: factus seruus, à Gazensibus asseruatur. In cõuiuium, in quo cum uxoribus & liberis satrapæ accubuerant, spectaculi causa productus, fide Deum inuocat, prehensisque columnis, quibus porticus innitebatur, eas euertit, morientisque plures secum occidit, quàm uiuens antea occiderat: perierunt enim illa ruina nobilissimorum sexus utriusq; hominum tria millia. Fuit cum auctoritate annos uiginti: unus sese Philistinis omnibus opposuit: neq; armis aut exercitu, sed manu sua solus pugnauit, & uictorias miraculosas retulit, omnibus formidabilis.

DAVID adolescens cum leonibus lusit & ursis, tanquam gum hœdis & ouibus: anno ætatis uigesimo ad regnum ac

cersitur, populi suffragiis trigesimo demùm confirmatur. Musicus & armiger regis factus est: & Goliado gigante armis pastoralibus uicto, tantum gloriæ meretur, quantum decem militum millia. Saulus odio & inuidia flagrans, ipsum, adhuc musicum suum, hasta petit: tribunum hostibus obiecit: generum interficere in lecto uoluit: lugientem in omnibus agris & urbibus quæsiuit. In suo exilio Dauid non læsus à barbaris regibus, ad quos diuerterat: inter suos homines deseritur à Ceilensibus, proditur à Ziphæis. Tradito in manus suas Saulo, cum reuerentia parcit: in spelunca laciniam chlamydis præscindit: in castris scyphum & hastile dormienti transportat. Manus sociorum incensa Sicelechæ, qui lapides in eum rollebant, uix effugit. Occiso Saulo annos circiter quinque exagitatur ab eius præfectis, deinceps regno integro potitus, Philistinos, Moabitas, Ammonitas, Syrios, Idumæos, Amalechitas domuit, & familias gigantum aliquot prælijs deleuit. Partis tot uictoriis Deum toto corde laudauit, & Ecclesiam quibus potuit ornamentis, decoraut, domicilium & templum Spiritus sancti. Statu rerum florente rapit Bethsabeam, Vriam in manus hostium tradit, populum denique suum per pruincias numerat: propter quæ facinora à filio Absalone regno exuitur, & lethali lue pestilentiæ punitur, & ab Adonia filio iam senex affligitur. Dominus peccata eius abolet, & uirum secundùm cor suum appellat. Moritur placidè anno ætatis septuagesimo, regni quadragesimo. Sanctissimus propheta, potentissimus rex, doctissimus musicus, exercitatissimus scriptor. Redemtorem mundi è sua oriturum posteritate, è Nathane propheta audit, regnoq; sempiterno Christi gratia & beneficentia perfruiturum: filius Abrahæ & Dauidis in historia Euangelica Christus prædicatur.

IOABVS, filius Zaruiæ natu maximus, Dauidis auunculus, & summus copiarum dux, uir animo ferox, ingenio callidus, & uindictæ cupidus. Externa pro Dauide bella gessit contra Syros, Ammonitas, Philistinos: domestica, contra Saulum, Absalonem, Sebam: quibus omnibus uictor fuit. Durante bello ciuili, manu sua interficit uiros præstantes, Abnerem ducem Sauli, & Amasam ducem Absolonis, consobrinum suum: sed utrunque per insidias: ipsum denique Absalonem hasta traiecit contra regis uoluntatem. Quibus factis Dauidem ita alienauit, ut præ ægritudine uerbis illum tristissimis deuoueret. Hoc unum egit salutariter, quòd regi populum numeraturo, uera & graui sententia contradixit. Cum Adonia tumultuante conspirans, mandato Solomonis, in ipso sacrario, ad quod confugerat, interficitur.

IOAS, Iehu nepos, aui fui successibus usus est. Regem Iudæ Amasiam temerè se prouocantem capit, & nobilitatem præcipuam secum abducit. Vrbem sacram spoliat, muri partem demolitur, nobiles templi thesauros asportat. Ellæum ægrotantem cùm inuiseret, certis signis instituitur, quas esset habiturus uictorias. Latrones Moabitarum reprimit: Azahelem, antea inuictum, superat. Benadadum eiusque filium prælijs tribus frangit. Oppida & uibes ui ademtas, armis recuperat. Ideo seruator populi cognominatus est, & regnauit cum dignitate & finitimorum terrore, annos sedecim.

IEROBOAMVS, Ioæ filius, animo & felicitate patre non inferior, regiam Syriorum urbem Damascum capit, pulsisque & fugatis hostibus, ueteris Israelis fines ac terminos restituit, multisque modis crudelitatem & superbiam Syrorum ulciscitur. Aures autem præbens hypocritis, Deum ex animo secutus non est. Regnauit annum unum & quadraginta.

Cùm Antiochus Epiphanes Iudæos à patria religione ui abducere conaretur, & iam plerique metu territi paruissent: MATATHIAS Ioannis F. qui fuit Simeonis ex Assamonæo geniti, sacerdos Hierosolymis, ortus à Ioaribo, Modinum incolens, cum quinque filiis fortissimis, Ioanne Gaddo, Simeone Thassi, Iuda Machabæo, Eleazaro Abaran, & Ionathane Appho cognominatis, regis edictum spreuit: Iudæum ad aram idoli accedentem, cum Apellẽ regio præfecto occidit, in solitudinem cum suis relictis facultatibus confugit, manuque & societate Asidæorum, qui erant Israelitarum fortissimi, collecta, hostes ex improuiso adortus cecidit, pueros per uim circuncidit. Moriens filiis quinque præcepit, uti uestigia sua secuti, legem Domini contra regem defenderent. Mortuus anno regni Græcorum, centesimo quadragesimosexto, principatus sui primo. Modini patrio sepulcro illatus, & ab omnibus Israelitis deploratus. 1. Machab. 2.

IVDAS Matathiæ tertius filius, alio nomine Machabæus, robore leoni, armis giganti, impetu flammæ grassanti fuit cõparatus. Suscepta legis diuinæ & populi afflicti defensione, semper ad orandum priùs, quàm ad præliandum accessit. Cum regibus Syriæ Antiocho & Demetrio, item cum eorum legatis, prælia fecit secunda. nam Apollonium cęcidit,

Seronem

Seronem uicit, Gorgiam fugauit, Lysiæ copias fudit, Timotheum ter repulit, Nicanorem denig; retitit. Præterea contra Idumæos, Ammonitas, Galaaditas, Galilæos, Arabes, Philistinos, bella grauia gessit. Vrbes item nobiles Ephronem, Samariam, Hebronem, & alias plurimas populatus est. Hostes sæpè multos deleuit, ne unò quidem milite suo aut amisso, aut uulnerato. Templum Hierosolymitanum purgauit, statuam Iouis eiecit, alias abominationes sustulit: anno secundò, mense sexto, postquam captum fuerat. Tot rebus intra annos paucos cum laude gestis, fœdus cum Romanis init. Vocatus à Nicanore ad colloquium, insidias sentit & declinat: cum Bacchide prælio congressus, magis fatigatus, quàm uictus est, & desertus à suo milite, stationem ipse non deserens oppetit fortissimè. A' Simone & Ionatha fratribus Modinum defertur, ad maiorum suorum monumenta: uir nulli ueterum aut gloria aut felicitate inferior.

IONATHAS, quintus & ultimus Matathiæ filius, cognomine Apphus, contra Galaaditas à Iuda fratre missus, octo millia hostium uincit, urbes aliquot expugnat, mares in iis omnes interficit. Post Iudæ obitum dux electus, utalde diminutis Iudæorum uiribus, populi reliquias colligit, & inter Iordanem ac lacum Asphartem castra figit. Bacchides die sabbato in ipsum irruens, mille suorum occisis, pedem refert: nec procul abfuit, quin manu Ionathæ interficeretur. Iambrios, qui Ioannem fratrem eius oppresserant, stratagemate ulciscetur: insidiatores à Bacchide immissos quinquaginta occidit. Cum rege Syriæ Alexandro init amicitiam, Ioppen expugnat, Azotum capit armis, Ascalonem deditione, Accaronem munere. Cultus est ab Alexandro rege & Demetrio, item à Spartanis & Romanis. Rursus ab eodem Demetrio deceptus, & demùm à Tryphone circumuentus, interficitur, cum duobus filiis: quorum ossa Simon Modinum transfert ad sepulcrum patrium, ad quod septem tam excelsas pyramides erexit, ut præternauigantibus prospectum longè præberent.

ASINÆVS & ANILÆVS Iudæi, à matre ad textrinum opificium adhibiti in urbe Babyloniæ Neerda, ab officinæ magistro, quòd aliquanto seriùs ad operandum accessissent, castigati uerberibus, detractis armis de pariete, cõtulerunt se in quendam locum uberem pascuis, & frugum fertilem. Ad eos mox confluxit iuuenum quisq; egentissimus: quorum armis stipati, iam pro ducibus sese gerebant, & arce cõstructa, cum satrapa Babyloniæ, die Sabbathi eos aggredi parante, feliciter dimicarunt. Artabanus Parthorum rex eorum uirtute delectatus, data fide in suum conspectum uenire iussit, multisq; donatos muneribus Babyloniæ curam habere, & populum in officio continere præcepit. Creuerunt sensim opes Asinæi, adeò ut Mesopotamia tota ab illius pẽderet nutibus. In hac felicitate florentior indies exegit annos quindecim. Iosephus lib. 18. cap. ult. Antiq.

HIEROSOLYMORVM.

In expugnanda Hierosolymitana urbe, quam Christiani principes anno MXCIX instituêre, præcipua fuit uirtus GODOFREDI Bolionij, qui primus murũ conscendit, & Balduino fratri auctor fuit, ut portas reclúderet. Capta urbe, cũ Christiani humeris in regiam delatum, regem crearunt. Is regni quidem titulum non abnuit, coronam uerò auream reiecit, indignum arbitratus, illic aureo diademate hominẽ uti, ubi rex regum Christus spineam coronã pro redemtione humani generis tulisset. Clementem, regis Babyloniorũ Solymi anni militiæ principem, cum quinquaginta millibus hominum Ascalonem uexantem, classe frumento & machinis onusta, prælio uicit & ad XXX millia hominum interfecit. Inde mira felicitate uictoriæ usus, Ioppen & Ramulam expugnauit, quæ impedimento Christianis erat, quò minus tutò ab Ascalone Hierosolymam proficiscerentur. Obsedit & Caipham, quæ alio nomine Prophoia dicitur, ad Carmeli radices sitam. Verùm durante adhuc obsidione, Tiberias Galileæ ultrò sese obtulit, Caipha non ita multo pòst ex fœdere recepta. Anno pòst febri correptus moritur, Salutis nost. Platina in Paschali II.

AEGYPTIORVM, AETHIOPVM.

THEARCHO, Aethiopiæ rex maximus, externas gentes subegit, Europæq; populos, usq; ad Herculis perueniens colũnas: ut auctor est Strabo, ex Megasthenis historia.

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, orbis imperium affectans, bello multas gentes subegit. Diod. lib. 1. cap. 4.

Syracosius Medus, summus bello dux, Sauarem Chairensem Sultanum occidit, regnumq; IOSEPHO nepoti ex fratre reliquit: qui Chairensem Caliphã per simulationem adorandi, clauo interfecit: eaq; de causa Caliphę Baldacensi gratissimus, SALADINI, hoc est correctoris legis Mahumetanæ nomen obtinuit, quòd schisma inter duos Caliphas sustulisset. Ardebat cupiditate imperij, gloriæq;, nec ei fortuna, nec ipse fortunæ deerat. Acer, impiger, solers, audax, liberalitate mira, in acie ferox, in uictoria mitis: nulla cordi uoluptas, nisi dominatus augẽdi: animo uetiùs magno quàm pio. Inprimis Orienti uniuerso iura ut daret, id contendebat, id elaborabat. Christianis Hierosolymam eripuit, multisq; uictoriis illustris decessit: interiorem tunicam suam in castris circumferri, & hoc solum ex tantis trophæis sibi in morte superesse proclamari iussit. Aemilius.

Fuit CAYTBEIVS Aegypti Syriæq; Sultanus, natione Circassius, & conditione seruus, cæterùm bello acer, & uirtute magnitudineq; animi maximorum regum nemini secundus. Is Mamaluchorum suffragiis regnum adeptus, plurima ac difficillima bella singulari felicitate confecit. Nam & Baiazetis Turcorum Imp. ingentes copias, Cherseogle eius genero sortissimo duce capto, ad Tarsum latè cęcidit: & Assimbei regis, qui è Mesopotamia, Birtha urbe in Euphratis ripis occupata, Syriam inuadebat, conatus infregit: domuit utrãque Arabiam, & seruile bellum oppressit, quo nullum periculosius fuit, quum innumerabiles subsecrui Aethiopes, cõiuratione facta, captis armis ad delendos Mamaluchos in unum ex repentina fuga coiissent. Iouius lib. 1. Hist.

ASSYRIORVM, MEDORVM, PERSARUM, Parthorum.

NINVS, primus Assyriorum rex (cùm principiò rerum, gentiũ nationumq; imperium penes reges esset, quos ad fastigiũ huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat, quibus fines imperij magis tueri quàm proferre mos erat) primus omnium, ueterem & quasi auitum gentium morem noua imperij cupiditate mutauit: primus bella finitimis intulit, ad Libyæ terminos usque perdomuit, magnitudinem quæsitæ dominationis cõtinua possessione firmauit. Domitis proximis (cùm accessione uirium fortior ad alios transiret, & proxima quæq; uictoria instrumentum sequentis esset) totius Orientis populos subegit. Diodorus Siculus libro 2. capite 1. ex Ctesia Gnidio. Iustinus libro primo, ex Trogo: Sabellicus libro primo, Enneadis 1.

CYRVS filius Persarum regis Cambysis, ex Mandane filia Astyagis Medorum regis, exigua cum Persarum manu rẽ aggressus, Medis quidem Hyrcaniisq; iubentibus imperauit: Syros uerò & Assyrios, & Arabes & Cappadoces, & Phryges utrosque & Lydos, & Cares & Phœnices, & Babylonios ut subegit: atque etiam Bactrianos, Indos, Cilices, Sacas item, Paphlagones, Megadinos, & nationes alias permultas, quarum ne quidem nomina quis commenorando recensuerit, imperio suo complexus est. Idem Græcos Asiaticos & Cyprios, Aegyptiosq;, factis p mare expeditionibus, suam in potestatem redegit. Harum ille gentium dominatu potitus est, quibus neq; cum ipso, neq; inter se lingua communis erat. At uerò nihilominus metu sui tantum terrarum ita poterat obire, ut omnib. formidine perculsis, nemo aduersus ipsum aliquid moliri auderet. Idem tantam in hominum animis cupiditatem excitare poterat ad præstandum ea, quæ ipsi grata forent: ut omnes perpetuò regi ex ipsius arbitrio cuperent. Tot nationes, ut ex ipso pẽderent effecit, quas etiam enumerando referre difficile fuerit, quaquà uersum à regia quis ordiatur: siue ad orientem, siue occidentem, siue septentrionem, siue meridiem. Xenophon de Institutione Cyri, libro 1.

Cambyses, filius Cyri, cùm bellum gereret cum Arphaesado rege Medorũ, & auxilia ab omnibus gentibus usq; ad Aegyptum postulasset, eaq; negata illi essent: uictor bellum intulit eis qui auxilia non miserant, misso HOLOFERNE cum magnis copiis, qui omnes subegit. Cùm Bethuliam Iudeæ urbem obsideret, dolo Iudithæ occisus est. Suidas.

Megasthenes in quarto Indicorum declarare contendit, NABVCODONOSORVM Magnum regem Babyloniorum Herculem fortitudine & rerum gestarum magnitudine præcessisse, eumq; maximam Africæ partem, & Hispaniam subiugasse. Iosephus lib. 1. contra Apionem.

DATAMES patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primùm è militum numero fuit apud Artoxerxem, eorum qui regiam tuebantur. Pater eius Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociã, quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus fungẽs primùm, qualis esset apparuit bello, quod rex aduersus Cadusios gessit. Namq; hic, multis millibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum est, cùm in eo bello cecidisset Camissares, ut paterna ei traderetur prouincia. Pari se uirtute postea præbuit, cùm Andophradates iussu regis bello prosequeretur eos qui defecerant. Namq; eius opera, hostes, cùm castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusq; reliquus conseruatus regis est. Qua exre maioribus rebus præesse cœpit. Thyum Dynastem Paphlagoniæ, qui à rege defecerat, uiuum cepit. In locum Pharnabazi suffectus, Aspim regulum Cataoniæ, quæ Cappadociæ finitima est, regi infestissimum hostem cum paucis summa celeritate cepit.

pit. Interea aulicorum inuidia circumuentus, Pandatis gazæ regiæ custodis monitu insidias sibi fieri sentiens, à rege cum paucis defecit, Cappadociam & Paphlagoniam occupauit, Pisidas superauit, Andophradatem missum à rege cũ CM peditum, XXM equitũ à profligauit. Tandem, Mithridate Ariobarzanis F. simulata amicitia perfidè necatus est; uir fortissimus, maximiq; consilij omnium Barbarorum, exceptis duobus Carthaginensibus, Hamilcare, & Hannibale. Probus in Datami.

ARSACES Parthus, Macedonibus, qui Persicum regnum annos CCXCIII tenuerant, eiectis, Parthis regnum peperit. Hinc Arsacidæ dicti sunt Parthorum reges. Suidas.

VSVNCASSANO Persarum regi fuit prius nomen Asimbeco) alij Asimbeum scribunt) tenuitq; Armeniæ portiunculã à principio. Sed quò minor fuit fortuna, eò maior uis animi, modicis copiis sæpe præpotentes fudit exercitus. Zenzæ Persarum regis legatos quadam de causa ad se missos, parum comiter acceperat. Id insolens factum rex uindicaturus, ingentem exercitum in Asimbecum comparat. Is maiore animo quàm opibus fretus, intrepidè cum rege cõflixit, regemq; suapte manu occidit. Venit Zenzæ extincti filius in uictoris potestatem. Hunc tantisper apud se Asimbecus in summo honore habuit, regiamq; appellationem tribuit, donec Persarum rebus per otium pacatis, regnicq; gubernaculo recepto, imaginarium regem interfecit. Persarum imperio potitus, omnibus cœpit esse formidini & admirationi: unde scriptorum quidam recentium Vsuncassani appellationem tradunt esse factam, quæ uox magnum sonet uirum. Sustulit animum ad tã insperatos successus Castanus, Syriæq; & Aegypto imminebat, quum Callistus III. pontifex ad eum misit, suaq; auctoritate mouit, ut bellum in Turcos uerteret. Trapezuntem inuasit, & Mahometum Imp. duplici prælio cruentissimo uicit. Tandem fœdus & affinitatẽ inter se iunxerunt. Sabell. lib. 7. Enneadis 10. Ad Arsengam, dum tertiò summi certaminis fortunam periclitatur, multitudine tormentorum expugnatus, infelici exitu superiores uictorias corrupit, relicto filio Iacuppo, qui impudicæ uxoris fraude periit, ut regnum Hismaeli Sopho sororis filio, qui demùm terrarum orbem nominis sui fama compleuit, inuadendum relinqueret. Iouius lib. 1. Hist.

ASIÆ, SYRIÆ, PONTI.

BENADADVS Syriæ rex sui seculi potentissimus, cum duobus regibus Iudæ, Abia & Asa confœderatus fuit: cum tribus regibus Israelis Baasa, Achabo, Ioramo, ferro dimicauit: Basam uicit una incursione: cum Achabo tria bella gessit. Primo secum educit reges duos & triginta, sed in fugam coniicitur: altero cẽtum millia peditum amittit, qui gladio occubuerũt: septem & uiginti millia, qui ruina urbis cuiusdam interierunt: tertio demùm uictor fuit, quo & Iosaphatus rex fugatus est, & Achabus sagitta traiectus. Iorami rẽporibus obsidione & fame pressit Samariamiã qua mirabiliter exercitum eius Deus depulit, ita ut metu & terrore castra opulentissima desereret. Damasci etate decrepita in morbum incidens, Eliseum consuluit: sed mox à præfecto suo Azahele, quem ad prophetam miserat, in lecto suffocatur.

SELEVCVS Nicanor Antiochi F. unus ex claris Alexandri ducibus, regnum in Asia adeptus, quatuor clarissimas ibidem urbes condidit. Seleuciam suo nomine iuxta Tygrim CCC stadiorum circuitu: & à patris Antiochi nomine Antiochiam apud Daphnem. In Pieria Laodiceam & Apameam: hanc ab uxoris nomine, illam à matre nuncupatam. Principiò castrorum tribunus ab Arideo & aliis creatus, pòst in Macedoniam digressus, Babylonem occupauit, Bactrianos uicit, & Indorum gentes, quę post regis interitum, præfectis subita defectione cæsis, à Macedonibus defecerant. Sab. lib. 7. En. 4. ex Trogo.

MITHRIDATES rex, cognomento Eupator, qui sextus decimus fuit à Dario ultimo Persarum rege, à primo Mithridate, qui à Macedonibus defecit, Pontumq; occupauit, octauus. Vixit annos duodeseptuaginta, septem & quinquaginta rex fuit, circiter quadraginta cum Romanis bellauit. Paternum regnum longè lateq; auxit, in Græciam usq; arma protulit, obtinuitq; mare à Cilicia ad Ionium. Fimbriam uicit, Murenam, Cottam uirum consularem, Fabium & Triarium. Eius opes Sylla cohibuit, afflixit Lucullus, Pompeius euertit. Crudele homini ingenium ac sœuum. Vxorem, tres filios, & filias totidem interfecit, occidit & fratrem, & sorores duas. Fuit alioqui inuicto animo, statura ingenti, ut ex eius armis, quæ postea Delphis dedicata sunt, potuit intelligi: adeò laboris patiens, ut equis per interualla dispositis, mille uno die stadia conficeret. Sexiuges equos, nonnunquam etiam decemiuges agitasse ferur. Vino & ueneri supra modum deditus. Adeò natura interdum in uno uitia uirtutibus miscet. Sab. libro 4. Ennead. 6. Aderant ei naues quadringẽtæ, ex quibus cataphractæ centum fuêre, dicrotæ centum: sic enim naues dicunt, quæ duobus gubernaculis pariter à prora reguntur & puppi. Habuit equitum quinquaginta, peditum ducenta & quinquaginta millia: machinarum uerò, ac omnis bellici instrumenti, par potentiæ eius summa. Depugnabant cum eo reges, dynastæque Armeniæ ac Scytharum, qui circa Pontum incolunt, supraq; Mæotidem paludem, & cum Celtis fœdus inierat. Cælius lib. 29. capite 17. A. L.

MACEDONVM.

PHILIPPVS Amyntæ filius, annos quatuor & uiginti Macedonum rex fuit, minimisque occasionibus se ei offerentibus, omnium quæ in Europa essent, maximum regnum constituit, & acceptam Macedoniam Illyriis parentem, multarum ac nobilium gentium & urbium dominam reddidit. Ob suam denique uirtutem ab uniuersa Græcia imperator electus, populis ei ultrò obsequentibus, & raptores Delphici templi, unde oracula petebantur, ultus, meruit ut inter Amphictyonas nominaretur. In eiusdem pietatis suæ mercedem assequutus suffragiorum ius, quod habuerant Phocẽses ab eo deuicti. Post Illyrios, Thraces, Pæonas, Scythas, & conterminas eis gentes expugnatas, ad Persarum imperium extinguendum se accinxit. Iamque præmissis copiis, Græcas aliquot urbes in libertatem uindicauerat, cùm fati uiolentia interceptus, tantos post se reliquit apparatus, ut Alexandro ad eandem expeditionem contra Persas alienis auxiliis haud opus fuerit. Nec tantæ res fortunæ ipsius potiùs quàm uirtuti adscribendæ sunt, quòd plurimum in re bellica, & ui & industria, magnanimus hic rex excelluerit. Diod. lib. 16. & Iustin. lib 7. & seq.

ALEXANDER Philippi F. qui ex rebus gestis Magni cognomen meruit, prælio aduersus Græcos ad Chæroneam primus sacram Thebanorum cohortem incurrit. Philippo cæso, annos natus XX, regnũ magna inuidia, graui odio pressum accipiens, ad Istrum excurrit, & Syrmum Triballorum regem prælio fudit. Thebanos rebellantes audiens, atque cum eis conspirare Atheniẽses: quò uirum se ostenderet, confestim exercitum per Thermopylas traduxit, dicens, Demosthenì, qui puerum se, dum in Illyrico & Triballis ageret, appellauerat: & adolescentulum, cùm Thessaliam infestuelle sub Atheniensium mœnibus uirum se monstrare. Thebas itaque excidit & inflammauit. A' Græcis Isthmia celebrantibus dux Græcorum contra Barbaros declaratus, peditum XXXM equitum VM in Asiam profectus, ad Granicum fluuium de Darij Persarum regis ducibus insignem retulit uictoriam, cæsis Barbarorum peditum, XX equitum duobus millibus quingentis. Pisidas oppressit, Phrygiam subiugauit. Dario rege ad Issum in Cilicia memorabili prælio uicto, plus CXX millibus interfectis, uxorem, matrem, filias, sorores eius cepit: eas tamen neque attigit, neque decem millia talentũm offerenti Dario reddere uoluit. Tyrum septimo mense expugnauit, Gazam cepit, Alexandriam condidit. Ad Ammonis oraculum profectus Aegyptum subiugauit. Arabas Antilibani accolas domuit. Ad Gaulamela (non apud Arbela, ut alij uolunt) prope Euphratem, Darium cum decies centenis millibus militum occurrentem fudit, & Asiæ rex saluatus, in Babyloniam mouit. Susis potitus, Ecbatanis & Persepoli, ut uinctum à Besso Darium accepit, itinere incommodissimo insecutus, mortem eius ægrè tulit, cadauer honorificè sepeliuit. Sagitta in crure ictus, ut os radij infractum excideret: rursus, lapide secundùm ceruicem afflictus, ut caligo oculis eius offunderetur, quæ non paruo spacio tenuit eum: nusquam tamen parcebat sibi in periculis. Sed & transmisso Orexarte amne, quem ipse esse arbitrabatur Tanaim, fusos fugatosque Scythas, quamuis uentris fluore infestaretur, ad centum stadia est insectatus. Descendit inde in Hyrcaniam, mox superato Hydaspe in Indiam. Taxilem amicum fecit: Porum acie uictum liberaliter habuit. Gangem timiditate suorum uictus non transiuit, sed nauibus paratis secundo flumine in Oceanum descendit. A' Mallis indorum bellicosiss. quorum urbem oppugnabat, cùm sese è muro in medios hostes proiecisset, penè interfectus est. Gymnosophistas superauit. Classe in Oceano parata, Nearchum ei præfecit. Ipse per Oritas pedestri itinere maximis periculis sexaginta diebus in Gedrosiam peruenit. Cussæorum gentem, ut Ephæstioni præparet, ad internecionem deleuit. Ex Perside Babylonem mouens, prodigiis quibusdam terris turbatus, diis simul & amicis diffidens, Babylone ex febre, siue, ut alij suspicantur, ex ueneno periit, tres & triginta annos natus, uir supra quàm dici possit animi magnitudine excellens. Cum nullo unquam hostium est congressus, quem non uicerit: nullam obsedit urbem, quam non expugnauerit: nullam gentem adiit, quam non calcauerit. At qui cæteros uicerat, suorum fraude, uel, quod plures probant, fatali est necessitate uictus. Sabellicus lib. 6. Enneadis 4. ex Plutarchi Vitis, & de Alex. fort: item Diodori lib. 17. Hunc Seneca furiosum iuuenem appellat; Lucanus autem

Terrarum fatale malum, fulmenq; quod ipsum
Percuteret populos pariter, & sidus iniquum
Gentibus. ——

DEMETRIVS Poliorcetes dictus, Antigoni Asiæ regis ex Alexandri successoribus potentissimi F. annos natus XXII, ad urbem Gazam à Ptolemæo fusus, non multo pòst eundem magno prælio superauit, & Syria eiecit. Conuertit sese inde ad Græciam à tyrannide Cassandri & Ptolemæi liberandam. Ptolemæo Cyprum & Salaminem ademit. Post eã uictoriam primùm Antigonus & Seleucus reges uocari, eorumq; imitatione cæteri quoq; Alexandri successores diadema usurpare cœperunt. Machinis bellicis & nauibus extruendis omnes reges superauit. Prospero rerum cursu sublati, cùm cæteri reges contra eos conspirassent, magno uicti prælio in Asia, Antigonus pugnans octogenario maior cecidit: Demetrius ex LXXM peditum, XM equitum, elephantis LXXV, quinque tantùm millibus peditum, & quatuor M equitum receptis, cursum in Græciam direxit, regno Asiæ omisso, quod inter se uictores reges diuisere. Cæterùm cùm filiam Stratonicen Seleuco despondisset, ipse Ptolemaidem Ptolemæi filiam duxisset: sese recolligens, Athenienses, qui eum profugum ex acie suscipere noluerant, fame deditionem facere coegit. Lacedæmoniorum regem Archidamum uicit. Alexandro Cassandri F. per dolum occiso, rex salutatus est Macedoniæ. Thessalia simul potitus, facta pace cum Pyrrho Epirotarum rege, cùm regna paterna repetere instituisset: exercitu XCVIIIM equitum XIIM nauium D conscripto, tribus in illum regibus conspirantibus, Seleuco Babyloniæ, Ptolemæo Aegypti, Lysimacho Hellesponti, & quarto contra fœdera irrumpente Pyrrho: Macedonia primùm, à suis desertus, & ad Pyrrhum transeuntibus, exutus, in qua annos septem regnauerat, in Asiam nauigans, Seleuco genero ad portas Amanidas sese dedidit, & in Chersonneso Syriæ arcta custodia per triennium septus, cùm uoluptatibus sese totum mancipasset, ex crapula periit, annos natus LIIII, & à filio Antigono magnifica pompa Demetriade Peloponnesi urbe tumulatus est. Plut. in Demetrio.

EVMENES Cardianus, Alexandri Magni scribarum princeps & amicus, defuncto eo Cappadociam & Paphlagoniam obtinuit. A' Perdicca contra Neoptolemum missus, Macedonibus suis Macedonas magna affecit strage, & Cratero duce post Alexandrum fortissimo cæso, sua manu Neoptolemum confecit. Inuisus ob occisum Craterum Macedonibus, cùm interfecto in Aegypto Perdicca Antigonus cõtra Eumenem dux delectus esset: in Cappadocia uictus ab Antigono per proditionem, summa uirtute & prudentia in Noram arcem Lycaoniæ perfugit. Ibi obsessus ab Antigono, cùm Antipater in Macedonia decessisset: facta cum Antigono pace, ab Olympiade & Philippo, exercitui, qui in Cappadocia erat, præfectus, contra Antigonum feliciter pugnauit. Verùm Argyraspidæ, uirtuti & gloriæ eius inuidentes, uinctum Antigono prodiderunt. A' quo fame primùm maceratus, mox immisso percussore obtruncatus est, dux & fortitudine & prudentia clariss. eoque solo fortuna iniquiore usus, quòd Cardiani imperium & incrementa Macedones ægrè ferrent. Plut. in Eumene.

EPIROTARVM.

PYRRHVS Acagidis F. Molossorum & Epirotarũ rex, regno pulsus à Neoptolemo, & ad Ptolemæum in Aegypto confugiens, reuocatus à suis, cum Neoptolemo primùm æquauit imperium, mox insidias struentem ad aras obtruncauit: regnoq; potitus, contra Demetrium mouens, cum Pantaucho Demetrij duce singulari certamine congressus, eũ primùm uicit, mox & exercitum magna strage affecit. A' Macedonibus, qui à Demetrio defecerant, rex salutatus, Lysimachiq; fraude denuò regno exutus, Tarentinis contra Rom. tulit suppetias: eosq; ad Sirin flumen, & iterum ad Asculum magnis cladibus superauit. Sicilia Carthaginenses expulit, Erycis oppidum munitissimum primus conscendit & expugnauit. In Epirum reuersus, Antigonum insigni prælio superauit. A' Cleonymo ad Spartam expugnandam uocatus, cùm id nequicquam ter attentasset, Argos contra Antigonum profectus, cùm urbem ex insidiis noctu aggressus esset, post magnam cædem caput desuper tegula ictus, ex equo præceps, caput Zopyro Macedoni amputandum dedit. cùm eum aliquandiu uultus toruitate absterruisset: omnium sui temporis ducum fortissimus & bellicosissimus, uerùm nimia siti illorum quæ nondum habebat, nihil eorum quæ habebat conseruare solitus. Cùm manibus & corpore intentus in prælium esset, & cum iis, in quos incidisset, dimicaret strenuè, non turbabatur animo tamen, neq; destituebatur mente: uerùm ut si extra pugnam esset, gubernabat bonis consiliis certamen, atq; accurrebat ipse, ubicunq; laborari uideret, ad ferendum auxilium. Plut. in Pyrrho.

GEORGIVS Castriotus, Ioannis F. Epirotarum principis, Amurathi Turcorum tyranno obses datus, omine futuræ gloriæ Scanderbechus, hoc est, Alexander dominus siue magnus, à Turcis appellatus, cùm pro Turcis multa strenuè gessisset, & brachio dextro semper nudo pugnans sæpè uictor rediisset: tandem occasione captata Croiam Epiri caput occupauit, & regno potitus, Christianam libertatem contra Turcos incredibili & animi & corporis robore defendit. Extat de rebus illius gestis commentarius Marini Barletij Scodrensis.

ATHENIENSIVM.

Fuêre inter Athenĩeses celeberrimi nominis Impp. quatuor, Pericles, Miltiades, Cimon, Themistocles, qui gestarum rerum fulgore per quandam exochen Quatuoruiri nuncupantur à Cælio lib. 14. cap. 12. A. L. PERICLES centum triremium classe in Peloponnesum aduectus, haud maritima duntaxat est loca populatus, sed in mediterranea quoq; transgressus, alios metu intra mœnia compulit: Sicyonios, qui uenientẽ prælio exceperunt, in Nemea fudit, ubi & trophæum ex fuso hoste monumentum uictoriæ statuit, hicq; supplemento accepto in continentis oram Peloponneso oppositam nauigauit: Acheloiq; ostia præteruectus, Acarnaniam excursionibus uastauit. Illud penè incredibile, & ob id ipsum, ut arbitror, memorabile, quòd in tam longa expeditione contigit, quum opulentam ille ageret classem, siue fortuna ducis, siue prudentia sit factum, nullum aduersum casum Atheniensium quisquam est interea expertus. Sab. lib. 5. En. 3.

CIMON Miltiadis cùm nec fortitudine concedat Miltiadi, nec Themistocli prudentia, utroq; fuisse eum constat innocentiorem. Ac cùm uirtute bellica ne tantillo quidem esset illis inferior, mirum quantum pacis artibus antecelluit iis, idq; iuuenis etiamnum & scientiæ militaris rudis. Præcipuè autem euexit eum Aristides Lysimachi, quòd indolem perspiceret in moribus eius probam, & quò tanquam aduersarium cum Themistoclis ingenio & audaciæ obiiceret. Cùm Pausanias Spartanorum rex ob tyrannidem sociis ciuitatibus exosus esset, Cimoni ob humanitatem & iustitiam sese dedidêre. Et sic Lacedæmonij imperio Atheniensibus cessere. Dux in Thraciam profectus, Eione oppido capto, fudit acie Persas: Scyron insulam occupauit, & Thesei ossa Athenas deportauit. Liberalissimus fuit, suosq; agros uolẽtibus utendos fruendos concessit. Nemo ante illum Persicos spiritus magis contudit. Namq; ad Eurymedontẽ circa Pamphiliã terra mariq; uictor, ex sexcentis nauibus ducẽtas cepit, reliquis oppressis aut elapsis. Et sic tria confecit reip. suæ omniũ difficillima, apud hostes pacẽ, imperiũ inter socios, cũ Lacedæmoniis concordiã. Vt insignis athleta præliis uno die duobus uictor, ac decus Salaminũ terrestri pugna nauali Platęense transgressus institit uictoriis, nauesq; Phœnissas LXXX. quæ non interfuerant prælio, ad Hydrũ ex improuiso aggressus confecit. Hoc factũ adeò animũ fregit regis, ut nobilẽ illam pacẽ iniret: ut semper à mari Græco curriculũ equi abstineret, neq; intra insulas Cyaneas & Chelidonias longã nauẽ uel rostratam haberet. Calisthenes uerò negat ita fœdere pactum barbarum: sed re id illius metu uictoriæ præstitisse, ac tam procul à Græcia se remouisse, ut quinquaginta nauibus Pericles, & Ephialtes triginta Chelidonias superuecti, nihil uiderint classis barbaricæ. Cõuertit sese inde ad urbẽ ædificiis nobilitandã ex præda bellica. Nec multo pòst Persas ex Chersonneso Thracia eiecit. In omnibus actionibus suis populi nimiã libertatem contra optimates, quamuis renitente multũ Pericle, cohibere studuit. Lacedęmonem terræmotu concussam, & bello seruili Ilotarũ pressam, liberauit. Virtuti eius inuidẽtes aduersarij, prætextu quod Lacedæmoniis plus æquo addictus esset, eũ ostracismo urbe eiecerunt. Cæterùm ad Tanagram à Spartanis uicti, reditum ei decreuerunt. Bellum à Peloponnesiis imminens cõposuit, & Græciæ salutis simul atq; decoris causa, nauibus ducentis ad inuadendã denuò Aegyptum & Cyprũ profectus (iam enim Themistocles ad Persam transfugerat) cùm maximum terrorem Persis incussisset: in obsidione Citij uel morbo uel uulnere periit. Ossa eius in Atticam relata. Ab illius fatis nihil ultrà contra barbaros præclari ab Græco duce est ullo editum: sed à concionatoribus & belli facibus in se mutuò uersi, cùm intercederet nemo, in bellum exarsere: ac laxamentum rebus regis dederunt, exitium uerò opum Græciæ inuexerunt, supra quàm dicendo exæquaris, graue. Diu pòst quidem Agesilaus armis in Asiam promotus bellum cum ducibus regiis, qui prouinciis maritimis præerãt, breuę libauit, nec re magnifica ulla uel memorabili gesta Græcorum seditionibus & tumultibus abreptus deintegrò exortis recepit se. Plutarchus in Cimone.

MILTIADES Cimonis F. superioris pater, Apollinis oraculo ad deducendam in Chersonnesum coloniam ab Atheniensibus missus, eam subegit, Lemnum simul & Cycladas insulas in potestatam redegit, & dignitate regia, quamuis careret nomine, iis præfuit. Quando Darius contra Scythas profectus est, põtẽ in Istro rescindi suasit, ut Darius interclu

sus re-

sus reditu à Scythis interficeretur, & Græcia metu liberaretur. Verùm Histiæo Milesio repugnante, Athenas rediit. Datidem & Artaphernem Darij duces cum CM peditum & XM equitum in Marathonio campo Atticæ cum XM suorum cæcidit, & Græcia excedere coëgit. Classe LXX nauium insulas, quæ cum Medis senserãt, subegit. Parum cùm frustrà obsedisset, ab ingrata ciuitate proditionis falsò insimulatus, cùm multam L talentorũ soluere nequiret, in carcere obiit. Reuera autem suspectam habebant potẽtiam eius ciues, & gloriæ inuidebant. Probus in Miltiade.

THEMISTOCLIS uitam Plutarchus prolixè descripsit. Laudes eiusdem eleganter Diodorus Sic. lib. 13. persequitur.

NICIAS Nicerati F. Atheniensis, inter Thucydidem Milesij & Theramenẽ Agnonis, uiros optimos, ab Arist. numeratus, munificentia sua Atheniensem pop. deliniuit. In ipso impetu rei gerendæ impiger & strenuus, uerùm ad audendũ cunctatior erat & timidus, atq; superstitiosior quàm par esset. Fortunæ omnia sua referebat accepta. Cythera insulam cepit, Thraciæ multa subiugauit, Minoa insula potitus est, Corinthios uicit, Thyream cepit, Laconiæ oram populatus est. Tandem inter Athenienses & Lacedæmonios pacem & societatem firmauit: quæ pax Nicæa dicta est, nisi eam Alcibiades sua astutia corrupisset. Cùm rogante Alcibiade bellum Syracusanum populus sciuisset, uehementer ab ea expeditione populũ deterruit. Verùm cùm surdis caneret, Alcibiadi & Lamacho collega uel inuitus additus fuit, ut illorum præcipitantiam maturis consiliis suis refrænaret. Alcibiade aũt rei capitalis accusato, relictus cum Lamacho, cunctatione nimia occasionẽ rei benæ gerendæ uidetur amisisse. Portum tamẽ Syracusanum occupauit, & muro cinctis Syracusanis, eos ad deditionẽ cõpulisset, nisi Gylippus Lacedęmonius hostibus uenisset subsidio, qui Niciã classe superauit. Demosthenes cũ LXXIII. nauib. auxilio missus est Niciæ. Cuius temeritate cùm fusi essent Athenienses, de fuga cogitans Nicias, & undiq; inclusus, bello nauali bis uictus, cùm terræ sese commisisset, cum toto exercitu captus, & à Syracusanis lapidibus cum Demosthene obrutus est, Atheniensibus detrusis in latomias. Plut. in Nicia.

PHOCION Atheniẽsis quadragies quinquies cum imperio præfuit exercitui, & potuit gregarij militis uita illustrari, si quis tot stipendia fecisset, quot ille obiuit imperia. Sabel. de Senectute decrepita lib. 1. cap. 7.

CONON Atheniensis, Peloponnesio bello accessit ad rempublicam: in eoq; eius operę magnus fuit usus: nam & prætor pedestrib. exercitib. præfuit, & præfectus classis res magnas mari gessit, omnibusq; unus insulis præfuit. Pheras cepit coloniã Lacedæmoniorũ. Extremo Peloponnesio bello, cũ apud Aegos flumẽ copiæ Atheniensiũ à Lysandro sunt deuictę, cum octo nauib. in Cyprum effugit. Contulit inde se ad Pharnabazũ Ioniæ & Lydiæ satrapã, eiq; se cõiungens missum à Lacedæmoniis Agesilaum, quo minus Asiam Tauro tenus subiugaret, impedimento fuit. Legatus à Pharnabazo ad regẽ missus, tantũ effecit, ut rex Tisaphernem hostem iudicauerit, & classis contra Lacedęmonios cõparandę negotiũ dederit. Lacedæmoniorũ classem, cui Lysander pręerat, apud Gnidum adortus, magno prælio fugauit, multas naues cepit, complures depressit. Qua uictoria non solùm Athenæ, sed etiã cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorũ fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte nauium in patriam uenit. muros diutos à Lysandro utrosq; & Piræei & Athenarũ reficiendos curauit, pecuniæq; quinquaginta talẽta, quę à Pharnabazo acceperat, ciuib. suis donauit. Cùm magnam auctoritatem sibi pugna illa nauali comparasset, clam dare operam cepit, ut Ioniam & Aeoliam restitueret Atheniensibus. Id cùm minus diligenter esset celatũ: Teribazus, qui Sardib. præerat, Cononẽ euocauit, simulans ad regem eum se mittere uelle. Magna festinatione huius nuncio parens, cùm uenisset, in uincula coniectus est. In quib. aliquãdiu fuit. Nonnulli eũ ad regẽ abductũ, ibiq; periisse, alij effugisse scribũt. Probus in Conone. Eius certè fortitudini tritũ testatur adagiũ. Bellũ Cononi curę fuerit. Iustinus li. 5.

TIMOTHEVS Cononis filius, Atheniensis à patre acceptam gloriã multis auxit uirtutib. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neq; minus ciuitatis regẽdæ. Olynthios & Byzãtios bello subegit. Samũ cepit: in qua oppugnanda, superiori bello, Athenienses mille & ducenta talenta consumserant. Hanc ille sine ulla publica impensa populo restituit. Aduersus Cotyn bella gessit, ab eoq; mille & ducenta talenta prædæ in publicũ detulit. Cyzicũ obsidione liberauit. Ariobarzani simul cũ Agesilao auxilio profectus est: à quo cũ Laco pecuniã numeratã accepisset, ille ciues suos agro atq; urbib. augeri maluit, quàm id sumere, cuius partẽ domũ suã ferre posset. Itaq; accepit Erichthonem & Sestũ. Idem classi præfectus circumuehẽs Peloponnesum, Laconicã populatus, classem eorũ fugauit. Corcyrã sub imperiũ Atheniensium redegit, sociosq; idẽ adiũxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesq; eas gentes, quæ mare illud adiacent. Quo facto, Lacedæmonij de diutina contentione destiterũt, & sua sponte Atheniensib. imperij maritimi principatum concesserunt, pacemq; his legib. constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ uictoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tũ primùm aræ Paci publicæ sint factæ, eiq; deæ puluinar sit institutũ. Cum Iphicrate iam senex ad subigendam Samum missus, à Chare proditionis falsò accusatus, & ab ingrata ciuitate centum talentis multatus, Chalcidem abiit, ibiq; obiit. Probus in eius uita.

CHABRIAS Atheniensis, cùm Bœotiis subsidio uenisset, fugato Agesilai conductitio milite, reliquam phalangem loco uetuit cedere: obnixoq; genu, scuto, proiectaq; hasta, impetum excipere hostium docuit. Id nouũ Agesilaus intuẽs, progredi non est ausus, suosq; iam incurrẽtes, tuba reuocauit. Hoc usq; eò Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri uoluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea athletæ, cæterique artifices, his statibus, statuis ponendis uterentur, cùm uictoriam essent adepti. Multa in Europa bella administrauit, cùm dux Atheniensium esset. In Aegypto Nectenabum adiutum profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Atheniensibus Euagoræ adiutor datus: neq; priùs inde discessit, quàm totam insulam bello deuinceret. Bello inter Aegyptios & Persas conflato, Athenienses, cum Artoxerxe societatem habebant, Lacedæmonij cum Aegyptiis, à quibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Chabrias Aegyptię classi præfuit, pedestribus copiis Agesilaus. Præfecti regis Persæ legatos miserunt Athenas, questum, quòd Chabrias aduersum regem bellum gereret cum Aegyptiis. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, quam ante domũ nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarunt. Hoc ille nuncio Athenas rediit, mox in Cyprũ abiit. Bello sociali oppugnabant Athenienses Chium: erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumq; magis milites, quàm qui pręerant, aspiciebant. Dum primus studet portum intrare, cæteris non secutis, circumfusus hostium concursu, cùm fortissimè pugnaret, nauis rostro percussa cepit sidere. Hinc cùm refugere non posset, nisi se in mare deiecisset, quòd suberat classis Atheniensiũ, quæ exciperet natantem, perire maluit, quàm armis abiectis nauem relinquere, qua uehebatur. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. At ille, pręstare honestam mortem turpi uitæ existimans, cominùs pugnans, telis hostium interfectus est. Probus in eius uita.

IPHICRATES Atheniensis, non tam magnitudine rerum gestarũ, quàm disciplina militari nobilitatus est, CI Olymp. Fuit enim talis dux, ut non solùm ætatis suæ cũ primis compararetur: sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum uerò in bello est uersatus: sæpè exercitibus præfuit, nusquam culpa malè rem gessit: semper consilio uicit, tantumq; eo ualuit, ut multa in re militari partim noua attulerit, partim meliora fecerit. Seuthen sociũ Atheniensium in Thraciæ regnum restituit. Artoxerxi contra Aegyptium regem auxilio missus est cum mercenario milite. Lacedæmoniis subsidio fuit contra Epaminondam. Senex in patria obiit. Probus in eius uita, & Diod. lib. 15.

CALLISTRATVS Empedi filius, in Sicilia ad Asinarum Amnem, Atheniensium, & eorum, qui eius expeditionis socij fuerant. copiis propè ad internecionem deletis, per medios hostes equitibus, quorum ipse dux erat, uiam fecit: ac deinde Catanen cum magna suorum parte incolumis elapsus, mox eadem uia Syracusas pergens, eos opprimere est conatus, qui castra Atheniensium diripiebant. Ibi quinque ex hostium numero cęsis, ipse equo saucio aliquot lethalibus uulneribus acceptis, parta & Atheniensibus, & sibi insigni gloria, seruatisque, quibus imperarat, equitibus, mortem oppetiit. Pausanias in Achaicis.

SPARTANORVM.

AdThermopylas missus LEONIDAS, Spartiatarum rex, contra Xerxem, mille solùm ex omni exercitu delegit. Ephoris admonentibus, paruam admodum ab eo aduersus tantas copias nauium uim delectam, imperantibusq; uti maiorem assumeret, perplexè respondit, Ad prohibendos ab ingressu Barbaros eum utiq; numerum satis esse: ad eam uerò rem, quam paratum irent efficiendam, haud pluribus indigere. Significans, ad muniendum aditum sese titulo tenus proficisci: re uera autem ad oppetendam pro communi libertate mortem. Quòd si mille soli, quos delegerat, secum proficiscantur, Spartam eorum cæde fore clariorem: sin uniuersi Lacedæmonij eò contendere perrexerint, nomen Lacedæmonium funditùs periturum: neminem enim eorum ausurum fugere. Eò profectus, innumeras Xerxis copias in angustiis sustinuit, neq; superari potuit, priusquam Trachinius Ephialtes Persis per montem circunductis, suos prodidit.

Quod factum cùm resciſſet Leonidas, aliis fugam ſuadentibus, ipſe immortali gloria animo cõcepta, reliquos omnes diſcedere iubet, ſeſe ad meliora patriæ tempora, maioreſq; fortunæ impetus cum aliis Græcis referuent: ſibi cum Lacedæmoniis loco perſtandum, neq; ulla ratione creditũ præſidium deſerendum. Decere enim duces ac principes Græciæ, præſtantius aliquid & difficilius cæteris aggreſſos, fortiter occumbere. Hac ſententia habita, reliquos omnes ſeſe inde mox proripiunt. Leonidas accenſos ſponte ad facinus iam conceptum milites pro uoto nactus, iubet uti properẽ ita prandeant, tãquam ſint apud inferos cœnaturi. Mox hortatur, ut ſe ſequuti, in caſtra hoſtium irrumpant, quoſcunq; obuios obtruncent, inde ſeſe ad regis prætorium conferãt: ſibi nanque regis primum opprimendi (ſi fortuna faueat) conſilium eſſe. Cædes per noctem Barbarorũ maxima. Xerxes in loca tuta ſe recepit. Die facto, paucitate Græcorum perſpecta, multitudine ſua eos obruerunt Barbari uniuerſos. Horum uirtutem nemo ſatis unquam profectò poterit admirari: quibus una mens extitit adeò ad mortem uſq; obnixa, ne patria inſtituta deſererent, quibuſq; ſua ſponte offerre animas intrepidè pro communi Græciæ ſalute ſumma uoluptas fuit, ac fortiter & honeſtè interire, quàm turpi ſeruitute ignauam uitam trahere. Diod. lib. 11.

TISAMENO Antiochi filio, Eleo, conſulenti uaticinium apud Delphos de prole, reſpondit Pythia, Quinq; ipſum maximas palmas è certaminibus reportaturum. Oraculo non intellecto, Tiſamenus gymnaſijs operam dabat: Cumq; ſe exerceret ad quinque certamina, in uno dum currit Olympia, uenit in contentionem victoriæ cum Hieronymo Andrio. Lacedæmonij interpretantes non ad gymnica certamina ſpectare Tiſameni oraculum, ſed ad bellica, eum mercede cõduxere, ut unà cum Heraclidis bellorum dux regib. foret: eumq; ciuitate donauere, cũ Hegia frater. Itaq; Spartiata effectus, quinq; maxima certamina ex oraculo obtinuit. Vnum contra Perſas ad Platæas. Alterũ, in Tegea cum Tegeatis atque Argiis. Tertium, in Dipæenſibus cum uniuerſis Arcadibus, præter Mantineos. Quartum, cum Meſſeniis ad Iſthmum. Vltimum, in Tanagra cum Athenienſibus & Argiis. Herodotus lib. 9.

BRASIDAS Spartanus, cùm Pylum Demoſthenes Athenienſis occupaſſet, & inde tanquam ex arce Laconib. omnia faceret infeſta, & terra mariq; Pylũ adorti eſſent Spartani, neque tamẽ ex triremium prætoribus ullus carinam terræ primus appellere auderet, ob litoris aſperitatem: ipſe nautam ſuum è prora inclamans, iubet, ut nihil de carina prorſus cunctando, quantis adniti uiribus poſſet, triremem in terrã contorqueat. Turpe namq; eſſe Spartanis, quibus animam pro uictoria ſemper effundere promtum ſit, nunc in eadem neceſſitate poſitos, parcere malle carinis, quàm uincere: ac coràm ſpectando, pati Athenienſes per uim Laconica potiri. Nauta appellere coacto, ſimulac triremis ad terram ſteterit, ille in deſcenſu collectis armis adſtans, hoſtium agmen in ſe irruentium immoto corpore excepit: pleroſq; primo congreſſu ante alios celeriùs audaciuſq; occurſantes necauit. Deinde multitudine ingruente, cùm multa in unum undiq; tela conijcerẽtur, crebris ictibus ſauciatus, nihilominus cõtrà perſtitit. Poſtremò, iam languentibus uiribus concidit: clypeus ſiniſtrã elabitur, quem hoſtes abſtulere. Ipſe inter acerũos cadauerum, ſemianimis à ſuis excipitur: tantum cæteris uirtute audaciaq; præferendus, quantum omnium iudicia, diſciplinæq; ipſius militaris maieſtatem legemq; ſuperauit: ut quod ceteris capite luebatur, ſi quis in pugna clypeum amiſiſſet, huic in eadem cauſa deprehenſo non ſupplicij modò cenſuram illam attulerit, ſed ad ſummam propè gloriam adſcriptum fuerit. Poſt eam cladem exercitu accepto Megarenſes obſidione liberauit, Chalcidenſes ab Atheniẽſibus deſicere curauit. Amphipolim in Thracia ſubegit, Toronam quoq;. Tandem acie congreſſus cum Cleone Athenienſiũ duce ad Amphipolim, qui fortiſſimè ante omnes pugnans, inter ſtratos à ſe hoſtium aceruos, heroicè uitam tradidit: interfecto pariter inter dimicandum altera ex parte Cleone. Nunciata Lacedæmone uictoria, ſimul & mortẽ Braſidæ, matrem eius percunctatam à nunciis ferũt, qualem Braſidas in acie ſe præbuiſſet: reſpondentibus illis, omnium longè Lacedæmoniorum apparuiſſe, fortiſſimum, fortiſſimeq; dimicaſſe: ſubintulit, Braſidam filium ſuũ bonum ſanè forremq; uirum fuiſſe, pleroſq; tamen alios longè ſe uirtute præſtantiores & habuiſſe antea, & reliquiſſe conciues. His uerbis paſſim per urbem diuulgatis, Ephori publicis honoribus ac laudibus ornarunt mulierem, cui patriæ laudes & maieſtas, publica filij ſui gloria chariores extitiſſent. Diodorus lib. 12.

PAVSANIAS Lacedæmoniorũ dux, Mardoniũ cum CCCM Perſarum ad Platæas uicit: claſſi præfectus Helleſpontum & inſulas in poteſtatem redegit. Cæterũm tyrannidem & libidinem eius ſocij exoſi, ad Athenienſes defecerunt. Ipſe prodigiosa rerum curſu elatus, Byzantio capto, Perſas nobiliſſimos regi remiſit, & per literas cõiugium filiæ regis pactus, Græciam ſeſe illi proditurum pollicitus eſt. Spartam reuocatus, cùm per puerum Argilium proditus eſſet: in Chalciœci templo, quò confugerat, fame periit. Probus in eius uita.

AGIS iunior Spartanorum rex, Græcia in ſpem recuperandæ libertatis erecta, Lacedæmoniis auctoribus, copias Alexandro abſente in Macedones parauit. Sed medio belli apparatu, cum Antipatro, qui ad primos Spartiatarum motus cum ualido exercitu occurrerat, manum cõſerere coactus, adeò ferociter in hoſtes dimicauit, ut inclinante ſuorum acie intrepidè omnem Macedonum impetum ſolus exceperit, atq; ibi cominus eminuſq; petitus, multiſq; uulneribus confoſſus, tandiu ex aduerſo ſteterit, quoad fluuio ſanguinis exhauſtum corpus ſupra arma corruit ad terrã. Inde à ſuorum globo (non enim adhuc tota acies ad fugã inclinarat) ſublatus in pedes, quũ paululum quieuiſſet, in hoſtem ferociùs quã antea conuerſus, ſuos ad prælium inſtaurandum hortatus eſt. Fuit q; deinde certamẽ acerrimum, Spartanis uetera decora intuentib. præſentia & multo maiora Macedonibus: his pro gloria & imperio, illis pro libertate dimicantib. Locorum anguſtiæ effecerant, ut ad multũ dici ſit dubio mactedimicatum. Demũ Spartanorum fortuna inclinãte, Agis, ubi res perditas uidit, ſe à quib. geſtabatur, deponi iuſſit. Ibi cum dolore uulnerum pedib. conſiſtere non poſſet, poplitibus innixus, ut ſpaciũ daretur ſuis ad euadendum, clypeum hoſtib. obiecit, ferrum uibrans ab hoſtib. quærere: Equis eorum iacenti ſibi ſpolia detraheret. Nemo erat, qui cominus lacеſſere auderet, ſed multa in unã tela uno tẽpore cadebant, quæ impunè excepta in hoſtem remittebat, donec pectore lãcea traiecto, moribundus in clypeum procubuit, minor felicitate, uiribus & animi præſtantia nihilo Alexandro inferior. Sab. lib. 5. En. 4. ex Diod. lib. 17.

Poſt Leuctricam cladem cùm Thebani quadripartito agmine Laconiam inuaſiſſent: ISCHOLAS Spartanus, Scititæ regioni præfectus, Arcadum incurſione illic excepturus, cùm uideret omnes, qui ſe prælio crederẽt, propter hoſtium multitudinem occubituros: ſimul quidem deferre aciem in introitu conſtituram, indignum eſſe Spartana ciuitate iudicabat: ſimul permagni intereſſe ad utilitatem patriæ, milites incolumes ſaluoſq; conſeruari ratus: mirabiliter utriuſq; rationem habuit, & Leonidæ regis fortitudinem, quam olim ad Thermopylas declarauerat, cum quadam æmulatione repræſentauit. Separatos enim iuniores remiſit Spartam, ut de ſumma rerum periclitanti adiumento eſſent: ipſe uetũ cum ueteranis in acie perſeuerans, cùm plurimos hoſtium letho dediſſet, circumdatus ab Arcadibus, cum omnibus interfectus eſt. Diod. lib. 15.

AGESILAVS Archidami F. Lyſandri opera Leontychidem Agidis fratris filium, quòd nothus eſſet, regno deiecit: Ephoros obſequio, ciues reliquos humanitate ſibi deuinxit. Lyſandri aſtu à ciuitatib. Græcis Aſiaticis contra Perſas dux euocatus, biennio integro contra Triſſaphernẽ, Tithrauſtem & Pharnabazum res amplißimas deſignauit, ita ut iam cũ rege de imperio dimicare in animo haberet, & claſſi quoq; à Lacedæmoniis præficeretur: quod ante eũ diem nulli contigerat. Cæterũ Perſa miſſis in Græciã legatis, urbes munerib. corrupit, ut contra Spartanos bellũ ſuſciperẽt. Spartani bello implicati domeſtico, Ageſilaum ex Aſia, miſſa ſcytala reuocant. Per Helleſpontum & Thraciã iter faciens, nemini ſupplex cũ exercitu trãſiuit. In Græciã reuerſus Pharſalos ſubdit, Bœotiã uaſtauit, Acarnanas ſuperauit. Cùm aũt implacabili odio Thebanorũ arderet, Spartã in ea uidetur coniecißſe mala, utà Pelopida & Epaminonda ad Leuctra primũ, inde ad Mantineã ſuperatis Spartanis, Laconiã (quod nunquã antè per DC annos, quib. Dorij Peloponneſum tenuerunt, contigerat) hoſtes incurſarint, & Spartam bis obſederint cũ LXXM hominũ: quã tamen Ageſilaus ut in bellum cõiecit, ita quò minùs expugnaretur, ſua uirtute conſeruauit. Cæſo ad Mantineã Epaminõda, & pace facta, cùm à bello feriari non poſſet: inuitatus à Tacho Aegyptio, qui à rege Perſarũ defecerat, conſcripto exercitu, in Aegyptũ nauigauit. Indignè aũt ferẽs, Chabriã Atheniẽſem claſſi, ſe mercenariis tantùm præfectũ, reũ ſummã penes Tachum eſſe: ad Nectanabim Tachi patruelem defecit. Tacho fuga elapſo, regẽ Mẽdeſium cum CM Aegyptiorũ, qui Nectanabim obſederat, facta oportuna eruptione cæcidit, & Nectanabi regnum confirmauit. A quo liberaliſſimè tractatus, ad bellum domeſticum feſtinabat. Verùm tempeſtate per hyemẽ orta, cùm terram iam nauib. teneret, in ora Aſricæ delatus ad locum deſertum, quẽ Menelai portum nuncupãt, deceſſit: poſtquam annos uixit quatuor & octoginta, Lacedæmone regnaſſet unum ſupra quadraginta. ex quib. ampliùs triginta maximus & potentiſſ. fuit, totiuſq; penè Græciæ imp. & rex uſq; ad pugnam Leuctricã habitus. Plut. in Ageſilao.

CLEOMENES Spartanorum rex, Leonidæ F. uxore ducta Agiatide, Agidis regis à Leonida in carcere ſtrãgulati uidua, partim obſequio uxoris, partim gloriæ cupiditate conatus Agidis à patre Leonida impeditos, denuò mouere aggreſſus eſt. Bello igitur Achaico de induſtria excitato, & hoſtib. ſæpe ſuſis, relicto Spartanorũ exercitu in Arcadia, ipſe cum mercenariis Spartã profectus, Ephoros occidit: patrimoniũ ſuum primus in medio poſuit, agrumq; æqualiter diuiſit, & quantũ eius fieri potuit, ad Lycurgi leges Spartanos reduxit. Aratũ Sicyoniũ Achæorum prætorẽ uicit, & Achæos imperata facere coẽgit. Eius gloriæ inuidia inflammatus Aratus, Antigonũ regẽ Macedonum in Græciã euocauit, cùm iam Argos Cleomenes cepiſſet, Corinthũ ſibi adiunxiſſet, & Megalopolim ex improuiſo captã diruiſſet. Veũ Antigono ut uirtute ſuperior, ſic copiis inferior, magno prælio ad Selaſiam uictus, ciuib. ut ſeſe Antigono dederent, ſuaſit: ipſe ad Ptolemæum Aegypti regem confugit. A quo in magno primùm honore fuit; ita ut ipſẽ quoq; ei faceret pecuniæ & claſſis. Verũ à filio eius Philopatore, calumnus aulicorũ circũuentus, in uincula coniectus, facta contra Ptolemæũ conſpiratione, Alexandrinos ad libertatẽ uocauit, amicos quoſdã regis interfecit. Sed cũ nemo præ metu ei ſe adiungeret, eius exẽplum ſecuti reliqui (erant in uniuerſum numero tre decim) manus ſibi ipſis intulerũt. Eius cadauer excoriatum in crucem eleuari præcepit Ptolemæus. Plut. in Cleomene.

THEBANORVM.

PELOPIDAS Thebanus, patriam à tyrannide, & Cadmea arce recepta, à ſeruitute Lacedæmoniorum liberauit: Lacedæmonios inuictos antè, uinci poſſe docuit: ad Tegyras ab hoſtibus circumuentus, cùm quidam dicerer, Incidimus in hoſtes: Quid magis, inquit, quàm in nos illi manuq; conſerta, tanta affecit ſtrage Lacedæmonios, cæſis eorum polemarchis, ut in tam multis præliis, quæ cum Græcis & barbaris inierunt, nunquam ante eam diem Lacedæmonij à paucioribus uicti plures fuerint unquam: imò ne ubi pares quidẽ ſignis collatis cum paribus decertauerunt. Et hoc prælium prolußo quædam Leuctrici fuit. Pace enim cum omnibus Græcis Lacedæmonij pacta, ſolis armis Thebanis intulerũt, ac decem millibus peditũ & mille equitibus rex irrupit in ſines eorum Cleombrotus. Egrediens domo Pelopidas, præfectus Sacræ cohorti, cùm uxor in proſequẽdo ad lacrymas effuſa eum, ut ſe ſeruaret, admoneret: Id mulier, inquit, priuatis ſemper ſuggerendum: imperatoribus uerò, ut ſeruent alios. Cùm in caſtra uenißet, & Bœotarchas offendißet diſſentientes: primus aſſenſus eſt Epaminondæ, qui dimicandum cenſebat cum hoſtibus. Itaq; ſignis collatis, memorabili illa ſtrage Leuctrica Spartanos affecit Pelopidæ & Epaminondæ conſenſus. Ambo hinc Bœotarchæ creati Peloponneſum iniuerunt, plurimaſq; gentes retraxerunt à Lacedæmoniis, ſibiq; adiunxerũt, Elim, Argos, totam Arcadiam, ipſius pleraq; Laconiæ. Et quanquam tempeſtas in ipſo eſſet articulo brumalis ſolſtitij, atq; ultimi menſis uergentis pauci reliqui eſſent dies, ac mox ineunte primo menſe ſucceſſuri alij, morte indicta iis, qui magiſtratu non abirent: ideoq; Bœotarchæ cæteri cùm legis metu, tum hyemis elſugiendæ cauſa reducere exercitum contenderent domum: princeps Epaminondæ aſſenſus tamen Pelopidas accenſis militibus Spartam petiit, ſuperatoq; Eurotã multis potitus eſt eorum oppidis, fineſq; omnes ad mare uſq; uaſtauit. In illa expeditione omnem Arcadiam fecerunt unius corporis. In agrum Meſſenium expulſis Spartiatis, qui tenebant eum, ueteres Meſſenios reuocauerunt, reduxeruntq; ad Ithonem habitandam. In reditu per Cenchream Atheniẽſes, qui in faucibus eos tumultuosè adoriri moliebãtur, & trãſitu prohibere, fuderũt. Vterque ſub reditum eſt in iudicium capitis uocatus: quod, cùm primo menſe, quem Bucation uocant, ſummo magiſtratu cedere ex lege aliis debuiſſent, quatuor ſolidos adieciſſent menſes: quibus res illas ad Meſſenen, Arcadiam & Laconiam geſſerant. Poſtulatus prior Pelopidas eſt: quo maiore eſt periculo iactatus, uterque tamen noxæ exemtus fuit. Theſſalos ab Alexandri Pheræi tyrannide liberauit. Macedoniæ ſeditionem compeſcuit. Captus per inſidias ab Alexandro, magno animo carceres ſuſtinuit. Liberatus denuò ab Epaminonda, in Aſiam legatus ad Artoxerxem miſſus, regi acceptiſſimus fuit. Reuerſus inde, à Theſſalis denuò contra Alexandrũ uocatus, cùm Thebani ob conſpectam eclipſim egredi formidarẽt: ſolus cum Theſſalis profectus, tyranno ad fanum Thetidis occurrit. Cùm Pelopidam autem moneret quidam, magna manu tyrannum adeſſe: Bene habet, inquit, plures enim uincemus. Cùm fortiter ſua manu pugnaſſet, & Theſſalos erexiſſet: incautiùs tandem & audaciùs tyrannum ad monomachiam prouocans, globo militũ circundatus in declinatẽ tria Bœotarchia, uictoria Theſſalis parta, occubuit. Nullo unquam prælio, cùm ipſe præeſſet exercitui, ſuperatus. Plut. in Pelopida. Ciuibus ſuis adeò fuit gratus, ut à quo tempore ciues reuerſi ſunt Thebas, uſque ad mortem ſuam, Bœotandriæ

dignitatem & officium nunquam deponeret, cum interim nemo alius ciuis hoc honore dignus haberetur. Diod. li. 15.

EPAMINONDAS Polymni F. Thebanus, non minùs animi quàm corporis dotibus inſignis, liberatis a tyrannide Thebis, Pelopidæ & exulum uirtute: contra Lacedæmonios, qui Cadmeam arcem tenebant, fortiter dimicauit. Leuctrica inde & Mantinea victoria Spartanos imperio exuit, & patriæ principatum inter liberas urbes Græciæ acquiſiuit. Vulneratus eſt fortiſſimè dimicans ad Mantineam à Gryllo Atheniẽſi, patre Xenophontis: nec priùs ferrum ſibi extrahi per miſit, quàm Bœotos uictores eſſe audiuiſſet. Omnes in eo conſentiunt, Thebas & ante Epaminondam natum, & poſt ciuſdem interitum, perpetuò alieno paruiſſe imperio: cùm ea, quandiu ille præfuerit reipublicæ, caput fuiſſet totius Græciæ: ex quo intelligi poteſt, unum hominẽ pluris quàm ciuitatem fuiſſe. Atq; ut hic prima, ſic Pelopidas, altera fuit perſona gloriæ Thebanæ, ſed tamen ſecunda ita, ut Epaminondæ proxima. Probus in Epaminonda. Hunc gloria præſtantibus apud Græcos imperatoribus iure optimo parem potiùs, quàm inferiorem quouis ducas. Nam cùm Lacedæmoniorum & Athenienſium ducibus priſcus patriæ ſplendor magno fuerit ad res magnas capeſſendas adiumento, militeſq; ipſi ducũ magnitudini uirtute ſua facilè reſponderint: Epaminondas Thebanos, quos reb. ſuis maximè diffidentes nactus fuerat, & aliorũ Græciæ ciuitatũ imperiis aſſuefactos, ad principatus gloriã euexit. Pauſanias in Arcad.

ARGIVORVM, ACHÆORVM.

ARATVS Sicyonius, Clinię F. interfecto patre ab Abantida tyranno, puer ſeptennis Argos confugit. Ibi educatus, cùm tyrãnorum odio flagraret, cum paucis amicis Sicyonẽ noctu occupans, pulſo tyranno Nicocle, abſq; ſanguine patriam libertati reſtituit, eamq; Achæorum concilio, præſidij cauſa, adiunxit: ſeditionem ciuilem, eò quòd exules poſſeſſiones ſuas, quib. L annis priuati fuerant, repeterent, Ptolemæi regis liberalitate ſedauit. Achæorum prætor iam ſecundùm creatus, Acrocorinthũ ab Antigono Macedone occupatum aſſu cepit, & Corinthum Achęis coniunxit. Iunonis fanum, Heræum dicitur, & Lechæum in poteſtatem ſuam redegit, nauibus XXV regiis potitus eſt & quingentis equis. Syros quadringentos ſub haſta uendidit. Hoc Plutarchus geſtorũ à Græcis extremum & nouiſſimum dicit deſignatũ, quã audacia quà ſucceſſu præſtantiſſimis comparandum. Nam deſciuerunt ab Antigono Megarenſes, & Arato aſſociatierunt ſe. Troœzenij cum Epidaurijs inter Achæos aſſcripti ſunt. Argiuorum tyrãnum Ariſtippum eruptione facta Cleonis interfecit. Lyſiadi Megalopolitano tyrannidis deponẽdæ auctor fuit. Achæis Acrolos fœdere iunxit. Demetrio rege uita functo Athenienſes à Macedonum præſidio liberauit. Ariſtomachum Argiuorum tyrannum, ut priuatus uiueret, reſtituta urbi libertate, perſuaſit. Tandem cùm Spartam quoque Achæis iungere conaretur, à Cleomene rege ſæpiùs fuſus, & ſibi & Græciæ malè conſuluit: & quia Græcũ ex Herculis poſteritati ſibi præferri dolebant, Antigoni Macedonis iugo Peloponneſum ſubiecit. Antigonum igitur Acrocorinthi mercede contra Lacedæmonios euocauit, Cleomenem regno profugum in Aegyptum confugere coẽgit, Mantineam excidit, & Antigoniã uocauit. Mortuo Antigono, à Philippo eius filio quoq; in honore habitus, tandem tamẽ à tyrãno, lento ueneno ſublatus eſt Aegij, cùm XVII præturam Achæorum gereret. Corpus eius honorificè Sicyonem relatum eſt. In uniuerſum autem aſtu & calliditate plus potuit, quàm aperta ui; cumq; natura timidus eſſet, ſi quando apertè res gerenda eſſet, præclaras occaſiones uictoriæ, interdum ſuderũt. Vterque ſub reditum eſt in iudicium capitis uocatus: quod, cùm primo menſe, quem Bucation uocant, ſummo magiſtratu cedere ex lege aliis debuiſſent, quatuor ſolidos adieciſſent menſes: quibus res illas ad Meſſenen, Arcadiam & Laconiam geſſerant. Poſtulatus prior Pelopidas eſt: quo maiore eſt periculo iactatus, uterque tamen noxæ exemtus fuit. Theſſalos ab Alexandri Pheræi tyrannide liberauit. Macedoniæ ſeditionem compeſcuit. Captus per inſidias ab Alexandro, magno animo carceres ſuſtinuit. Liberatus denuò ab Epaminonda, in Aſiam legatus ad Artoxerxem miſſus, regi acceptiſſimus fuit. Reuerſus inde, à Theſſalis denuò contra Alexandrũ uocatus, cùm Thebani ob conſpectam eclipſim egredi formidarẽt: ſolus cum Theſſalis profectus, tyranno ad fanum Thetidis occurrit. Cùm Pelopidam autem moneret quidam, magna manu tyrannum adeſſe: Bene habet, inquit, plures enim uincemus. Cùm fortiter ſua manu pugnaſſet, & Theſſalos erexiſſet: incautiùs tandem & audaciùs tyrannum ad monomachiam prouocans, globo militũ circundatus in declinatẽ tria Bœotarchia, uictoria Theſſalis parta, occubuit. Nullo unquam prælio, cùm ipſe præeſſet exercitui, ſuperatus. Plut. in Pelopida. Ciuibus ſuis adeò fuit gratus, ut à quo tempore ciues reuerſi ſunt Thebas, uſque ad mortem ſuam, Bœotandriæ

PHILOPOEMENES Megalopolitanus, Crauſis F. (quem ultimum Græcorum ducum Romani perhibẽt, quaſi nullum Græcia exinde inclytum uirum genuerit) militiæ & literarũ ſtudioſus ab ineunte ætate, cõtra Cleomenem Lacedæmonium, qui Megalopolim occuparat, cum Antigono militãs, uictoriæ auctor extitit: & femur utrunq; iaculo amentato traiectus, inceſſu & alternatione ecurum fracto iaculo per medium, iuſſit utrunq; fragmentum ſeorſim recipi, eoq; educto pugnam repetiuit. Cùm Antigono, licèt precib. ſollicitatus, militare porrò noluit, impatiẽs ſuperioris alicuius. Achæorum prætor conſtitutus, militarem diſciplinam correxit, Damophantum Eliorum prætorem ex prouocatione occidit, Achæorum concilium inſtituit, Machanidam Lacedæmoniorum tyrannum pugna uictum, ſua manu cõfecit. In Cretam mercede cõductus, aſtutiã nulli inferior fuit. Reuerſus inde, Nabidem tyrannum, qui Machanidæ ſucceſſerat; profligauit: Spartamq; tyrannide liberam Achæotum concilio adiunxit. A pecunia inuictus fuit. Septuagenarius prætor Achæorum octauũm deſignatus, cùm Dinocrates Meſſenius Meſſenen ab Achæis alienare diceretur, quamuis febre confectus; equites in eum eduxit. Vbi dum incautius in medios ſeſe hoſtes effundit, equo prolapſo ſtumi affli-

ctus, & semianimis, à Dinocrate captus, in carcere uenenum bibere coactus fuit. Plut. in eius uita.

SYRACVSANORVM, SICVLORVM.

AGATHOCLES Syracusanorum tyrannus, dux fortissimus. Sabell. lib. 8. En. 4.

TIMOLEON Corinthius, Timodemi & Demaristes F. fratrē Timophanem tyrannum è medio tolli curauit. Siculis auxilium à Corinthiis contra Dionysium iuniorem petentibus, MCC militum classi diuino quodam instinctu præfectus, inuitis Carthaginensibus in Siciliam ueniens, Icete Leontinorum tyranno, qui Dionysium Syracusis obsidebat, fuso, arcem Syracusarum obtinuit, Dionysium nauigio Corinthum misit. Messanam occupauit, Magonem Carthaginensium prætorem Sicilia excedere, Icetem Syracusis pulsum fœdus secum inire coëgit: Corinthios de ducenda noua colonia Syracusas sollicitauit. Cùm LXM ciuium haberet, & Carthaginenses LXXM militum contra eum, duce Annibale & Amilcare, ducerent, ipse ex tanto suorum numero cum sex millibus hosti ad Crimesum amnem occurrens, decem millibus eorum cæsis, pacem petentibus dedit, ut tractum intra Lycum tenerent, societati tyrannorum renunciarent, & liberum facerent Syracusas cum familia commigrandi. Hipponem Messanensium, & Mamercum Catanensium tyrannos sustulit. Leptinem, Apolloniatarum dynasten Corinthum misit. Tota deniq; insula pacata, & tyrannis eiectis, oculis amissis, in summo honore Syracusis consenuit. Plutarchus in eius uita.

GELONEM Syracusanū, uicto Hamileare, Carthaginensium duce, cæsis supra CL millia hostium, totidem captis, Themistocli conferre, atq; etiam præferre audet Diod. Siculus lib. 11. Eum certè parta uictoria, assiduis clarioribusq; indicis muneribus ac meritis à Syracusano populo ornatum, in regno consensisse, magnaq; in omnium admiratione habitum, mortem obiisse constat: atq; adeo gratia apud suos ciues memoriaq; ualuisse, ut tribus deinceps per successionē ducibus, perinde ac hæreditario iure constitutis, ex ea familia imperium ciuitatis continuatum fuerit.

CARTHAGINENSIVM.

HAMILCAR, Amibalis filius, cognomine Barchas, Carthaginensis, primo Punico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus, in Sicilia præsse cepit exercitui. Cùm ante eius aduentum, & mari & terra malè res gererentur Carthaginensium: ipse ubi adfuit, nunquam hosti cessit, neq; locum nocendi dedit: sæpeq; econtrario occasione data, lacessiuit, semperq; superior discessit. Quo facto, cùm penè omnia in Sicilia Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestū non uideretur. Victis à Catulo Carthaginensibus ad Aegates insulas, factaq; pace, Carthaginē uenit, cū tantum exarsisset intestinum bellum, ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi cū deleta est. Primò mercenarij milites, qui aduersus Romanos fuerant, desciuerūt, quorum numerus erat uiginti millium. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, ut auxilia etiā à Romanis petiuerint, eaq; impetrauerint. Sed extremò, quū propè iam ad desperationem peruenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is nō solùm hostes à muris Carthaginis remouit, quum amplius centum millia facta essent armatorum: sed etiam eò compulit, ut locorum angustiis clausi, plures fame quàm ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Uticam atq; Hipponem, ualentissima totius Africæ, restituit patriæ: neq; eo fuit contentus, sed etiam fines imperij propagauit. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atq; infesto Romanis, quò faciliùs causa bellandi reperiretur, effecit ut imperator cum exercitu in Hispaniā mitteretur, eoq; secum duxit filium Hannibalem annorum nouem. Posteaquā in Hispaniam uenit, magnas res secūda gessit fortuna, maximas bellicosissimasq; gētes subegit: equis, armis, uiris, pecunia totam locupletauit Africam. Hinc cùm in Italiā bellum inferre meditaretur, nono anno, postquā in Hispaniam uenerat, in prælio pugnans aduersus Vectones, occisus est. Huius perpetuum odium erga Romanos, maximè conciliasse uidetur secundum bellum Punicum. Namq; Hannibal, filius eius, assiduis patris obtestationib. eò est perductus, ut interire, quàm Romanos non experiri mallet. Hamilcare occiso, Hasdrubal Hamilcaris gener exercitui præfuit, resque magnas gessit, & princeps, largitione uersutos peruertit mores Carthaginensium: eiusdemq; post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. Probus in eius uita.

HANNIBAL ab Hamilcare patre nouē annorū puer in castra perductus, cùm 17 annis militiæ interfuisset, mortuo tādem Hasdrubale à legionib. in Hispania Imp. creatus est. Occasionem igitur quærens belli contra Rom. Hispaniam trans Iberum uastat, Saguntum excindit. Mox infestis signis Alpes superans, in Italiam uenit. Superato Pado, P. Corn. Scipionem Coss. (quem tum filius Africanus uix pubescens in acie seruauit) equitatu uicit: eundemq; ad Trebiā flumen secutus, T. Sempronium Longum, contra collegæ uolutatem temerè educto exercitu pugnantē, magna strage affecit. Descendit inde in Hetruriam, & ad Thrasymenum lacum C. Flaminium Coss. cum XVM Romanorū interfecit, sex cepit, quatuor equitum M insidiis circumuenit. Quibus cladibus moti Romani, Dictatorem creauēre Q. Fab. Maximum, qui cunctando Hānibalis artes elusit. Cumq; M. Minutius, magister equitum, præ temeritate insidiis circūuentus esset, à Fabio liberatus est. Nouis inde creatis Coss. ad Cannas Apuliæ C. Ter. Varronem, contra uoluntatem collegę L. Pauli Aemilij temerè in aciem prodeuntē, maxima clade uicit. Cæsa peditū XLM, equitū MMDCC. & inter hos Paulus Coss. & Seruilius prioris anni Coss. Qua strage nulla maior ab Hannibale Rom. inflicta est. Decem millia ad Canusium uix euaserunt. Hannibal in reficiendo exercitu tēpus terens, spacium uictis dedit ad respirandum. Nam si extemplò finita pugna, uictorem exercitum Romam duxisset, procul dubiò aut tuc cumbendum omnino, aut extremum subeūdum discrimen Romanis erat. Huius postea tarditatis sæpe pertæsum Hannibalem tradunt, palamq; cōquestum, q' consulentib. quieti militum magis eo tempore credidisset, quàm Mahar bali præfecto equitum, qui subitò Romam caput belli petendū cēsuit, cunctantiq; Pœno illud uulgatum protulisse dicitur, Vincere scis Hannibal, sed uictoria uti nescis. Capuæ, quæ sese ultrò dediderat, in hybernis exercitum habuit, ubi luxu emolliti milites robur pristinum amisere. Hannibal nihilominus post hæc Tarentum cepit, in Lucanis M. Centenium cū copijs cæcidit, in Apulia Fuluium prætorē cū XVIII M deleuit. Obsidentib. Capuam Coss. ut eos auerteret, Romā mouit, eamq; obsedit. Verùm tempestatib. & procellis obsidionē soluere coactus est. Ad Herdoneam Fuluium procos. cum magna copiarum parte trucidauit. Cum M. Marcello uaria fortuna pugnauit, donec eum tandem insidiis circumuentum occidit. Hasdrubale à Coss. occiso cum LVM hostium, priusquam se fratri coniungeret, Hannibal in Brutios se recepit. Inde Scipione Carthagini imminente in Africam reuocatus: post sextum & decimum secundi belli annum Italiam reliquit, multū priùs de senatu Carthaginensi, multum etiā de seipso questus. De senatu quidem, quòd se tam diuturno tempore in hostili commorantem terra, parū supplemento, pecunia & cæteris rebus, quæ ad usum belli experebantur, adiuuisset: de se uerò, quòd toties Romanis legionibus fusis cæsisq;, moram semper post uictoriam trahens, spacium dedisset hosti ad respirandū. Memorię quoq; proditum est, cum priusquam classem conscenderet, prope Iunonis Lacinię templum arcum condidisse, Punicis Græcisq; literis insculptum, in quo res à se magnificè gestæ summatim continebantur. Posteaquam in Africam uenit, mutata Carthaginensium fortuna uidens, de pace agere cepit. Quam cùm P. Scipio respueret, commisso ad Zamā prælio, uictisq;, Carthaginēsibus, auctor illis fuit pacis accipiendæ. Desperatis inde rebus, & ne Romanis dederetur ueritus, in Asiam ad Antiochum profugit, eumq; de bello in Italiam transferendo sollicitare cepit. Cuius consilia nisi regij adulatores euertissent, Romanis de Italia retinenda denuò timendum fuisset. Nec multū tempus præteriit, cùm rex bello Thessalis illato, à Romanis uictus, serò tandem unū Hannibalem, quid facto opus fuisset, præuidisse fassus est. Europa pulso Antiocho, classi præfectus Hannibal, Apollonij colonię temeritatem sua uirtute emendare non potuit. Victo denuò ad Magnesiā Antiocho, & Rom. Hannibalem sibi dedi postulantibus, ad Prusiam, Bithyniæ regē, confugit, & Eumenem Pergami regem prælio nauali superauit. Cū autem Prusias eum Rom. dedere uellet, ueneno clàm sumto iam LXX sibi mortem consciuit. Ex Probo, Liuio, Plut. & aliis.

ROMANORVM *Reipublicæ.*

L. Q. CINCINNATVS, ex agro uocatus, & Dictator dictus, Minutium in Algido monte obsessum, obsidione liberauit, à quo corona aurea obsidionali donatus est. Vicit hostes, duces eorum in deditionē accepit, & in triumpho ante eurum egit. Iterum post annos XX dictator contra Fidenates dictus, fortiter pugnauit. Magistrum equitum Cornelium Cossum habuit, qui & Lartem Volumnium ducem sua manu interfecit. Quintius uerò Sp. Melium, regnum largitione frumenti adfectantem, in exercitu suo à Seruilio Hala magistro equitum necari iussit. Liuius lib. 3. & 4.

M. CVRIVS Dentatus triumphauit de Samnitibus, iterum de Sabinis, tertiò de Lucanis quans urbem ingressus est. Pyrrhum, Epirotarum regem, Italia expulit. Legatis Samnitum aurum offerentibus, respondit se mallę imperare aurum habentibus, quàm accipere. Rauisius.

C. SVLPITIVS Potitus, dictator creatus, reliquias Brenni apud Prænestę stratagemate uicit: multis agasonibus in insidiis collocatis, unde triumphū egit. Deinde consul Soram expu-

expugnauit, Samnitesq; apud Maleuentum superauit, cæsis ex eis ad XXX millia Front. lib. 2. & Liuius lib. 7.

Cùm cæteri Rom. cos. & impp. à clade Cannēsi pendē omnes una arte, ne manus conferent cum Hannibale, uterentur: neq; satis animi ad conferenda cum eo signa, aut ad cōgrediendum acie habere quisquam, M. MARCELLVS IIII. cos. diu ersam iniit rationem: existimans, quod consumturū Hannibalem uidebatur, eo accisum ab illo pedetētim iri Italiam: & Fabium, qui nimium cautus erat, dum expectat ut unà cum tabescentibus uiribus extingueretur bellum, timidorum & pauidorum more medicorum, qui medicinam adhibere uerētur, morantes dum morbū inclinatio uirium tollat: parum rectè censens patriæ morbo mederi. Itaq; proconsule Cn. Fuluio in Apulia ab Hannibale cū undecim tribunis militum cæso, atq; exercitu etiā magna ex parte contrucidato, per literas populum bono animo esse iussit: ire se iam in Hannibalē, ut pellat eum ea regione. Neq; ullus tanto ullius desiderio rei inflammatus quisquam fuit, ut uir ille ad decernendum acie cum Annibale. Id nocte in somnis obuersari, id cum familiaribus & collegis unū agitare, deniq; uotū apud deos id esse unum, ut deprehendere in prælio posset Hannibalem. Et certè magnis cladibus Hannibalem affecit, magna alacritate, pariq; fortuna & prudentia. Nam quintùm consul sexagesimum iam excesserat annum, quando infidiis ab Hannibale circumuentus, dum speculatum proficiscitur, cæsus est. Plut. in Marcello.

Fregit Q. FABII Maximi prudentia nō minùs Pœnum, quàm Marcelli inuictus animus: ac nescio an salubrior etiā fuerit Fabiana maturitas lacenti & afflictæ patriæ, quàm Marcelli ferocia. Hic Punicas uires primus fregit, ille ludificatus est: eraxit hic quò uoluit, ille quā hostis noluit, ire coëgit: uicit hic sæpe, est; aliquādo & ipse uictus, ille citra cruorem, exercitum, quò uoluit, egit. Felicior euētu Fabij, quàm Marcelli uirtus: hic in insidias præcipitatus cōcidit, ille pace parta uniuersæ Italiæ consensu, graminea est corona donatus, & postmodum altissimo senio naturæ concessit. Val. Max. lib. 3. cap. 2. Fabium Romani populi scutum, Marcellum uerò ensem, militari ioco uocare solebant.

Q. CEDITIVS Tribunus militū, cùm in Sicilia Romanū exercitum Attilio Calatino Coss. in eas angustias deductū uideret, ut certa pernicies ante oculos obuersaretur: magno animo ad Consulem conuersus, Exercitus totius salus quadrin gētorum sanguine redimenda est. Ad uertrucā illam (locum montis editum asperumq; digito notans) occupandam milites mitte. Pœni hostes ubi id uiderint, fortissimus quisque occurrabit: pugna committetur: quadringenti illi trucidabuntur: tu interea occupato hoste exercitum per angustias educes. Tum Consul, Fidum quidem consilium: sed istos CCCC milites ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat? Si alium (inquit Tribunus) non habes, me utere. Nec mora, assumtis militibus ad certam mortem profectus, fortissimè pugnans cecidit, suis omnib cæsis. Eum adhuc spirantem omni ferè exhausto sanguine hostes sustulerē; eumq; miraculo quodam nullum penitùs in capite uulnus accepisset, curatus conualuit, sepeq; pòst operam suam Reip. fortem atq; strenuam exhibuit. Cl. Quadrigarius lib. 3. Annalium Laberium uocat. Frontinus etiā Calphurnium dici asserit. Gell. lib. 3. cap. 7. Noct. Att. ex M. Catonis originibus recenset, eumq; à Catone Leonidæ Lacedæmonio, qui ad Thermopylas cecidit, conferri testatur.

P. DECIVS Murena, tribunus militum, inducto ab A. Cornelio incautè in cauam uallem exercitu, circaque insessam ab hoste, cùm omnia metus plena, ipsumque consulem consternatum cerneret: ductis secum legionis unius hastatis, euadens in cacumen hosti imminens, pauentibus re inopinata Samnitibus, spacio Consuli ad subducendum agmen in æquiorem locum dato, sua exercitum uirtute seruauit. Nec hoc facto contentus: Macti uirtute, inquit, milites estote: qui alios seruastis, uosmet ipsos seruate: digni, qui quòd pauci pluribus salutem peperistis, nullius ope indigeatis. Pontanus lib. 1. capite 31. de Fort. bell. & Frontinus lib. 4. capite 5.

L. PAVLVS Aemilius, Aemilij Pauli ad Cannas interfecti F. in Hispania motibus concitatis, missus eò prætor, nō cum sex fascibus, quos prætores habent, sed additis sex aliis. Ita huius pictura dignationem accepit consularem. Bis Barbaros acie fudit, triginta millibus cæsis. Videtur ea uictoria planè prudentiæ attribuenda ducis, qui loci oportunitate & amnis cuiusdam trāsitu procliuem militibus deditē uictoriam. Ducenta quinquaginta oppida ultrò uenientibus in fidem incolis, in potestatem redegit. Prouincia pace & fide composita decedens, Romam est reuersus, ne terunicio quidem ex bello opulentior. Consul factus, octo millibus Ligures subalpinos cum XLM domuit. In secundo consulatu repulsam tulit. Bello inde Macedonico grauissimo ingruente, initus ad consulatum pertractus, & in Macedoniam missus, uicto & fugato ad Pydnam Perseo, Macedoniam duobus diebus in potestatem redegit: Perseum Samothracæ cepit, Græcorum libertatem confirmauit, & speciosissimo triumpho Romā ingressus, duobus filiis amissis, orbitatem suam magno tulit animo. Censor inde creatus, placida morte expirauit. Plut. in eius uita.

M. ATTILIVS, Glabrio cōsul bello Macedonico, M. Portium Catonem, & L. Valerium Flaccū, consulares ambos secum duxit: & Antiochum & Aetolos eius auxiliares insigni clade apud Thermopylas, auxiliante Philippo, bello nauali uicit Liuius de bello Macedonico.

M. ATTILIVS Regulus consul, fusis Salentinis triumphauit. Primus Rom. ducum in Africam classe traiecit. Quassata Amilcaris classe naues lōgas LXIII, oppida CC, ac rotidem hominum millia cepit. In Africa portentosæ magnitudinis serpentem occidit. Captus demùm insidiis Xanthippi Lacedæmonij, miserabili exitu ab inimicis enecatus est. Liuius.

T. Q. FLAMINIVS (eius Flaminij filius, qui ad Thrasymenū Hannibali inauspicate congressus, cecidit cum exercitu) Philippum Macedoniæ regem primo bello fudit, castris exuit. Thessaliam tuantib. Aetolis & Acarnanibus, uexauit. Ciuitates, quæ sub Philippo erant per præconem liberas esse pronunciauit. Demetrium obsidem accepit, quem postea pecunia multatum in regnum restituit. Nabin Lacedæmoniorum tyrannum subegit. Legatus in Graeciam conti: Antiochum & Aetolos ad confirmandas in fide Rom. ciuitates missus est. Plut. & Plinius de Viris illust.

Post duorum Scipionum interitum, cùm Hispaniæ propè amissæ, Romanæ legiones fusæ fugataq; essent: unus L. MARTIVS Romanus eques, collectis duorum exercituum reliquiis, præter omnia spem exultantes uictoria hostes contriuit, bellumq; in Hispania aduersus tres Pœnorum duces incredibili uirtute indutriaq; sustinuit. Auctor Scipionis uitę.

P. CORN. SCIPIO, qui ob tributariam reddità Carthaginē, Africani nomen primus meruit, 17. ætatis anno patrem P. Corn. Coss. ad Ticinū equestri prælio infeliciter cum Hannibale pugnantem hosti eripuit: Canusij nobiles adolescentes de nōn deserēda rep. iureiurando astrinxit: post Cannensem cladē in Hispania cæsis Scipionibus, nemine eam prouinciam suscipere audente, sese sponte obtulit: eoq; 24. annorum pro cōsul missus, Carthaginē nouā expugnauit, Hispanos temperantia, liberalitate & humanitate sua sibi deuinxit. asdrubalē & Carthaginenses Hispania penitùs eiecit. Romam reuersus, consul creatur, & classem 45 diebus instruens, in Siciliam primùm, mox in Africā traiecit. Et Sypha e regę capto, Hasdrubale & Hannone uictis, in eas redegit hostes angustias, ut Hannibalem ex Italia reuocarent. Quo cum omnibus uirib. ad Zamā signis collatis, uictor duras pacis conditiones Carthaginensib. imposuit, & bello secundo Punico finem imponens, de his triumphauit. Rome inde Censor & Senatus princeps creatus, fratriq; Lucio ad Asiaticam expeditionem comes additus, eo bello feliciter confecto, accusatus Romę à Trib. pl. quòd Asiaticam pecuniam omnem in ærarium non retulisset: magnitudine rerū gestarum nitens, in uoluntarium exilium Linternum, ubi uillam habebat, seſessit, ibiq; mortuus est, annos natus quatuor supra quinquaginta. Auctor uitæ Scipionis, ex Liuio & Plut.

Romani cùm aduersus Cretēses bellum gererent: Q. METELLVS in Cretam missus, totam insulā cepit: ac etiamsi à Pompeio Magno impediretur (qui per id tēpus habebat totius maris imperium, & continentis) tamen eo inuito bellum hoc magna animi fortitudine confecit: de hostibus triumphauit, & à rerum gestarum gloria Creticus cognominatus est. Dion & Xiphilinus in Pompeio.

L. LVCVLLVS eloquentiæ & philosophiæ deditus, bello Mithridatico à Sylla monerę in Peloponneso præfectus, Cyrenæis leges scripsit. Neoptolemum Mithridatis ducem circa Lecton Troadis classe profligauit. Temporibus Syllanis cæde omni abstinuit: consul creatus, exacto anno prouinciam Ciliciam sorte obtinuit, & contra Mithridatem uiolata pace bellum reparantem pugnauit, & paruis copiis, Barbarorum ingentes fudit copias, ad Thyndacum amnem, mox ad Granicum fluuium, cæsis CCCM hostium. Fugato Mithridate, & Amiso urbe opulentiss. capta, Asiam fœneratorum crudelitate pressam releuauit, & usuras summa æquitate mitigauit. Bello inde contra Tigranem Armeniæ regem, genere Mithridatis suscepto XI millibus CCLXM Barbarorum cæcidit. Reparatis uiribus instantem, ad Amnem Arsamiam, occisis & captis nobilissimis quibusq;, fudit. Militari inde seditione & ciuili inuidia agitatus, cum regibus debellare non potuit. Missus est enim Cn. Pompeius non successor prouinciæ, sed triumphi præreptor, cùm res maximas designasset. Namq; Taurum cum exercitu Romano superauit primus, Tigrim traiecit, regias Asiæ ante regum oculos, Tigranocerta, Cabira, Sinopen, & Nisibin expugnauit inflammauitque. Tractum Septentrionalem ad Phasim usque

que, Oriētalem ad Mediam, Australē usq; ad mare Rubrum & regna Arabiæ subegit. Vires regum obtriuit. Sola ei elapsa corpora sunt, quasi in deserta inuiasq; & inaccessas aufugientium syluas. Neq; Tigranis & Mithridatis post Lucullum factum aliud extitit ullum. Verùm hic eneruatus iam ac præliis fractus prioribus, ne semel quidē Pompeio ostendere extra uallum sustinuit aciem, sed in Bosphorum fuga delatus expirauit. Tigranes ad genua se Pompeij nudum & inermē abiecit, detractumq; capiti diadema ad pedes eius deposuit: Pompeio non ornamentis blandiens suis, sed illis de quibus triūphauerat Lucullus. Quare putauit actum secum præclarè, cùm insignia regia redderentur sibi, uelut antè iis exutus. Romanorum peritissimi duces, & diutissimè in bellis uersati, Lucullum in eo celebrabant præcipuè, quòd duos clarissimos & maximos reges rationibus duabus pugnātissimis, celeritate & tarditate, superauerit. Siquidem Mithridatem tempore & mora florentem attriuit, Tigranem obtriuit accelerando: intèr rarissima omnium imperatorum exempla cunctatione strenua & audacia ad securitatem usus. Romam reuersus, triumphauit, & factionem Pompeij metuens, deseruit abdicauitq; remp. otio & quieti indulgens, conuiuiorum splendore, uillarum magnificentia, liberalitate & humanitate erga uiros doctos clariss. ut eum Tubero Stoicus Xerxem Togatum appellare non dubitauerit. Cicerone in exiliū pulso, à liberto Callisthene philtro potionatus, menteque paulatim motus, ita ut uiuentis quoque facultates procuraret frater, decessit summa cum gloria & felicitate, ꝗ bella ciuilia exitu suo præuenit. Corpus eius frater Marc⁹ in Tusculano funerauit. Plut. in Lucul.

C. MARIVS Arpinas, ignobili ortus genere, Cęcilij Metelli fauore (cùm prima stipendia sub Scipione ad Numantiam fecisset) cuius cliens fuerat, ad remp. accessit. Metelli legatus bello Iugurthino, falsis criminationibus eum circumuenit, & à populo cōsul creatus, Iugurtham captum in triumpho duxit. Cùm Teutones & Cimbri Italiam inuasuri dicerentur: metu consternatus populus, secundò, tertiò & quartò consulem renunciauit. in quarto coss. Teutonas primū ad Aquas Sextias profligauit. Mox cùm honoris ergò quintus ei cos. decretus esset, coniunctis cum Catulo uiribus, Cimbrorum ad Athesim ad CXX M cęcidit, LX cepit, sic ut post Camillum & Romulum, tertius Romæ conditor fuerit appellatus. Sextum consulatum inde adeptus, Metellum collegam in exilium egit. Sociali bello, cùm propter ætatem corpore esset imbecilliore, magistratu sponte cessit. Interim L. Syllæ iuuenis successibus inuidens, cùm Sulpitij Tribuni opera dux contra Mithridatem declaratus esset: à Syllæ exercitu Roma pulsus, uariis erroribus actus, Minturnis in palude captus, & dimissus, Octauij & Cinnæ factionibus cognitis, ex Africa rediit, & cum tumultuaria manu Cinnæ sese cōiunxit. Vocatus inde in urbem à patribus, in optimates quosque crudelissimè sæuiit. Redeunte Sylla à Mithridatico bello, consul VII creatus, terroribus nocturnis agitatus, pleuritide intra septem dies absumtus periit. Plut. in Mario.

L. CORN. SYLLA, quęstor C. Marij bello Iugurthino, Bocchi regis opera uinctum Iugurtham Mario tradidit. Legatus in Cappadociam Romanis Parthorum regem adiunxit. Bello sociali factis multis eximiis nomē comparauit ducis apud ciues magni, apud socios maximi, fortunatissimi apud hostes. Annorum L. Consul creatur. Bello orto Mithridatico, cùm Sulpitij Trib. pl. opera Asia prouincia C. Mario decrepito delata esset, Sylla cum exercitu Nola Romam occupauit, urbem incendit, Marium expulit: & Cinna creato consule, contra Mithridatem profectus, ad Chæroneam primùm, inde ad Orchomenum regios duces, Archelaum, Taxilem & Dorylaum maximis affecit cladibus, & supra CXX M Barbarorum interfecit. Athenas, belli sedem, expugnauit, Aristionem tyrannum captum, ueneno necauit. Pace Mithridati petenti data, & classe ab eo accepta, mille ducentis nauibus ex Dyrrhachio traiecit Brundusium: & summa felicitate atque uirtute clarissimos duces, Norbanum, Carbonem, Marium, Telesinum, postremò Samnitem superauit. Conuertit inde sese ad ciuium cædem, & indignam proscriptionem: & Dictaturam perpetuam sibi arrogauit. Triumpho de Mithridate peracto, Felicis cognomen sibi arrogauit, cùm fortunæ omnia sua referret accepta. Deposita inde dictatura, priuatus uixit, neque post tot cædes à quoquam læsus est. Ad extremum phthiriasi correptus, Puteolis decessit, relicto rerum à se gestarum commentario XXII libris comprehēso. Cadauer illius matronæ aromatibus contexerunt. Itaque & uiuus & mortuus fortuna usus est secundissima. Plut. in Sylla.

Q. SERTORIVS ortu Sabinus, pòst Lusitanorum contra Romanos L. Syllæ arma cōtra C. Mariū fouentes, dux inuictus, perhibetur neq; lætitiæ neq; timori patuisse, fuisse natura in periculis imperterritus, & secundam fortunam moderatè tulisse: ad dimicandum signis collatis nemine sui temporis ducum timidior: ubi uerò in bello quid præripiendum esset ex occulto, aut pręoccupanda loca munita, aut transeundū cū celeritate, aut cum dolo & impostura, artifex in loco astutissimus. In tribuendis ob præclara facta honoribus prolixus extitit, & in suppliciis ob delicta exigēdis moderatus. Duobus millib. sexcentis, quos nominabat Romanos: collectitiis Afris septingentis, qui cum sunt in Lusitaniam secuti: cetratorum Lusitanorum quatuor millibus adiunctis, & equitibus septingentis: bellum gessit cū quatuor Romanis imperatoribus, qui sub signis habebant centum uiginti millia peditum, sex millia equitum, sagittariorum & funditorum duo millia: cum urbibus innumerabilibus, cùm uiginti solùm in uniuersum ipse initiò teneret. Attamē uiribus tam auspicatus infirmis & exiguis non modò magnas gentes domuit, & urbes multas redegit in potestatem, uerūetiam ex aduersarum partium ducibus Cottam in freto apud Mellariam pugna nauali contudit: Aufidium, qui Beticam cum imperio obtinebat, fudit fugauitq;, cæsis duob. millib. Romanorum: Domitium & L. Manlium, alterius Hispanię proconsulem per quæstorem suum superauit: Thoranium, Metelli legatum cum exercitu oppressit. Ipsum Metellum summum illius memoriæ uirum & clarissimum, non paucis implicatum offensionibus ad eas redegit angustias, ut L. Lollius è Gallia Narbonensi cogeretur suppetias ei uenire, ac Pompeius Magnus illuc cum exercitu ab urbe properè mitteretur. Aquationibus enim arcebat eum, frumentationib. prohibebat, progredienti obsistebat, infestabat sedentē, obsidenti alios imminēs inuicem obsidebat cum commeatus inopia, ut milites fatiscerent: & Sertorio Metellum, ut cōgrederetur unus secum, prouocante occlamarent iuberentq;: Dux cum duce, Romanus cum Romano ut congrederetur, probrisq; proscinderent detrectantem, quos meritò derisit Metellus. Ducis enim, ut ait Theophrastus, obeunda mors duci est, non gregarij militis. In Pompeij conspectu Lauronem urbem excidit miro stratagemate, discipulum se Syllæ docturum inquiens, debere Imp. plus respicere quā prospicere. Eundemq; ad Sucronem prælium cōmittere festinantem, ne adueniens Metellus palmæ cōsors esset, magna strage uicit. At ubi Metellum propè esse sensit, cecinit receptui, ac castra mouit, dicens: Puerum hunc ego, nisi anus illa superuenisset, uerberibus castigatum Romam dimisissem. Senatores Rom. exules penes se appellabat Senatum, quæstores legatosq; ex illis creabat: & licèt armis, pecunia & oppidis uteretur Hispanorum, illis tamen præfectos dabat Romanos. Mithridates cum eo fœdus iniit, & naues XL. tria millia talentûm dare pollicitus, quando Perpenna eius gloriæ inuidens cum coniuratis eum in cōuiuio nihil tale metuentem interfecit. Plut. in Sertorio.

CN. Pompeius Strabonis F. tam populo gratus, quàm pater exosus, Cinna à militibus cæso, in Picenum se contulit, annos XXIII natus: tribusq; legionibus conscriptis, & tribus Marianorum ducibus fugatis, L. Syllæ sese coniunxit, à quo Imperatoris nomine salutatus est. Suppetias inde Metello in Galliam tulit, eiusq; uigorem senio marcescētem denuò excitauit. Missus est inde in Siciliam contra Perpennam & Carbonem: mox in Africam contra Domitium: fusisq; magna strage hostibus, diebus quadraginta, annum agens XXIIII. regna regumq; negotia composuit. Romam regressus, Magni appellationem à Sylla obtinuit, eoq; uel inuito & renitente de Africa triumphauit, quamuis nec Consul, nec Prætor, nec Senator esset per ætatem. Mortuo Sylla, Lepidum coss. bellum ciuile resuscitātem contra Syllanos, in Sardiniā profugere coēgit: Brutum Mutinæ domuit. Missus in Hispaniam contra Sertorium, Perpennam & Herennium legatos Sertorij fudit, & ampliùs X M hostium occidit. Sertorio per insidias à suis occiso, Perpennā cepit, & Hispanię reb. compositis, in Italiam sub belli seruilis finem rediit: quod etsi M. Crassus confecit, Pompeius tamē quinq; millia, belli reliquias, quæ ex acie fugerant, deleuit, & secundùm ex Europa triumphauit. Primum consulatum cum M. Crasso gessit. Piratas, cum summa potestate missus, trium mēsium spacio mari expulit, rostratas nonaginta cepit, debellauit. Nec mora, successor Lucullo datus, Mithridatem fudit, Tigranem Armenium in deditionem accepit, Iberos & Albanos uicit, Syriam in prouinciæ formam redegit, Hierosolymam expugnauit, Arabiæ Petreæ regem suscepit. Ex Asia reuersus, contra opinionē hominū exercitum dimisit, posteaquā tertium triumphū ex Asia duxisset, cùm annum ageret X L. Cùm Lucullo optimatum partib. fauenti par esse non posset in foro, Clodio Tribuno pl. nequissimo sese præter dignitatē coniunxit, & in illius gratiā Ciceroni quāuis amico non tulit auxiliū. Cæsaris opera M. Crasso reconciliatus, coniunctis uirib. inimicos facilè è foro exegerunt. Cæsari Gallia & Illyricum prouinciæ decretæ. Frumentariæ rei pręfectus, incredibili celeritate ex summa inopia summā abundantiā inuexit. Secūdum inde consulatū cum M. Cras-

so ui consecutus, Hispaniam prouinciam sortitus, per legatos omnia administrauit. Mortua Iulia coniuge, Cæsaris filia, & Crasso à Parthis interfecto, Cęsaris in Gallia rebus gestis inuidens, eiusq; potentiam metuens, ut ad Interregnum deueniretur, studuit. Mox solus consul electus, eiq; prouinciæ in quadriennium decretæ, & annuum stipendium tributum. Aegrè id ferentibus Cęsaris amicis, & absentis quoq;, utpote de repub. optimè meriti, rationē habendam asserentibus: cū nihil impetrari posset, neq; Cæsar legiones dimittere uellet: Marcelli & Lētuli Coss. iussu delectū militum habuit Pompeius contra Cæsarē. At postquā Cæsarē occupato Arimino urbē petere fama fuit: Pōpeius Brundusium primùm fugit, mox insequente Cæsare (qui LX diebus totam Italiā sine sanguine occuparat) in Græcia classem nauiū bello aptarum D, Liburnicarū & speculatoriarū immenso numero contraxit. Cæsar interea Hispaniis subactis in Græciā cum exercitu uenit. Eum secutus Pōpeius, in campis Pharsalicis, prælio commisso, magna strage affectus, Mitylenen fugit: inde in Aegyptum contendit, ubi Ptolemæi regis iussu perfidè ab Achilla cæsus, & capite truncato, in litore relictus, à Philippo liberto suo marcidis scaphæ piscatoriæ reliquiis funeratus est. Cineres ad Corneliā cōiugem relati, & in Albano humati sunt. Plut. in Pompeio. De eo sic Plinius: Pompeius non modò Alexandri magni rerum fulgorē, sed etiā Herculis ꝓpè ac Liberi patris æquauit. Nam Sicilia recuperata, Africa tota subacta, & in ditionem redacta, Magniq; nomine spolio inde capto, eques Rom. (id qd antea nemo) curru triumphali reuectus est: & statim ad solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo trophæis, oppida DCCCLXXVI ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in ditionem redacta, uictoriæ suæ asscripsit, & maiore animo Sertorium tacuit: belloq; ciuili (quod omnia externa conciebat) extincto, iterum triumphales currus eques Rom. induxit, toties imperator antequā miles. Postea ad tot maria & deinde solis ortus missus, hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus uincentium. Neq; enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant. Hos ergo honores urbi tribuit in delubro Mineruæ, quod ex manubiis dicabat. Cn. Pompeius Magnus Imp. bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum uicies semel centenis LXXXIII M, depressis aut captis nauibus DCCCXLVI, oppidis, castellis MDXXXVIII in fidē receptis: terris à Mæotis lacu ad Rubrum mare subactis, uotū merito Mineruæ. Hoc est breuiariū eius ab Oriente. Triumphi uerò quem duxit ad tertium Calend. Octobres M. Messala; M. Pisone Coss. præfatio hæc fuit: Cùm oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberis, insula Creta, Basternis, & super hæc de regibus Mithridate atq; Tigrane triumphauit. Summa summarum in illo gloria fuit (ut ipse in concione dixit) cùm de rebus suis dissereret, Asiā ultimam prouinciarum accepisse, eandemq; mediam patrię reddidisse. Plin. lib. 7. cap. 26.

C. IVL. Cæsar, Syllæ fugiens tyrannidem, à piratis ad Pharmacusam insulam captus, & Mileti redemtus, eosdem Pergami captos in crucem sustulit. Quæstor, deinde Appiæ curator uiæ, largitionibus populum deliniuit, ut quamuis etiā tum regnum uideretur affectare, ob inopiam tamen & æs alienum contemneretur. Prætor in Hispaniam missus, sponsore intercedente M. Crasso æris causa alieni, Gallæcos & Lusitanos domuit, & usq; ad Oceanum gentes antè non pacatas imperio adiecit. Imperator itaq; à militibus salutatus, triumphum neglexit, ut consularibus comitiis interesse posset. Crassi & Pompeij opera consulatum iniit cum Calpurnio Bibulo, & Pompeio Iuliam filiam despondit. Galliam prouinciam cum Illyrico in quinquennium cum quatuor legionibus obtinuit. Ac bellorum quę deinceps gessit expeditionumq; quibus domuit Galliam, tempus, nullo eum uel laudatissimorum atq; summorū imperatorum inferiorem bellatorem & ducem ostendit: sed siue cum illo Fabios, Scipiones, Metellos, coæuosq; eius aut paulò superiores Syllā & Mariū, ambosq; Lucullos, uel ipsum etiā Pompeium (cuius ex omnis generis bellica uirtute superabat gloria cœlos) conferat, res gestæ Cęsaris antecellunt: alium locorum, quib. bellum gessit, asperitate: aliū prouinciæ, quā subiugauit, amplitudine: multitudine aliū & ferocitate quos superauit hostium: alium morū, quos cicurauit, feritate & immanitate: alium clementia & lenitate in deuictos: aliū in commilitones munificentia & beneficijs: omnes uerò præliorū & hostium interfectorū immēso numero. Quippe annis nō totis decem gesto in Gallia bello, oppida plus octingēta uicepit, gentes subegit trecentas, signa diuersis temporib. contulit cū tricies centenis millibus, ex quibus decies centena millia in acie interfecit, alterum tantum cepit. Heluetiorum CCC M in Galliam irrumpentia profligauit, ex iis plus centum millia cepit, & sedes pristinas repetere coēgit. Ariouistum Germanorum regē, cæsis ex illius exercitu XXC millibus, ad Rhenum usq; insecutus est. Neruios Belgas rebellantes domuit, ex LX M quingentis tantùm relictis incolumib. Confirmatæ sunt ei denuò in aliud quinquenniū prouinciæ. Vsipetes & Tenchteros Germanos in Galliam irrūpentes fudit, cæsis CCCC M. Sicambros, Rhenū ponte iungens, inuasit. Britāniam primus Rom. classe bis intrauit, regem tributarium fecit. Galli rebellantes, Cottam & Titurium cum exercitu deleuêre, duce Ambiorige. Cęsar cum septem millibus, hostium LX M superauit. Iterum defecêre Aruerni, Carnutes & Hedui, duce Vercingentorige. Heduos in Lingonum finib. uicit. Reliqui in Alexiam urbem confugêre, non intra CLXX millia. Quos dum Cæsar obsidet, CCCM superuênere. Cæsar inclusus, muro duplici hostes auertens, incredibili celeritate & prudētia utrosq; cæcidit, Vercingentorigem cepit. Occiso à Parthis M. Crasso, secundū petebat consulatum. Pompeio repugnante, & legiones repetente, infesto exercitu Romam petiit, Arimino occupato. Pompeius urbe relicta, in Epirū fugit. Eum Cæsar insecuturus, cùm classe destitueretur, sexaginta dierū spacio Italiam sine sanguine sibi subiecit. In Hispania Afranio & Varrone Pompeij legatis uictis, exercitum accepit. Reuerso ad urbem socer Piso cōsuluit, ut de pace mitteret ad Pompeium. Ei Isauricus, uenditans se Cæsari, repugnauit. Dictator ab senatu dictus exules reduxit, & proscriptorum sub Sylla liberos famæ restituit, formaq; aliqua tabularum nouarū obæratos usuris subleuauit, atq; alia eiuscemodi non multa delibauit instituta. Diebus autem undecim dictatura abdicauit se: ac postquam se & Seruilium Isauricum consules declarauit, ad bellum conuertit animum. In Epirum transmittens, quā longissimè à mari & classe Pompeium trahens, in Pharsalicis campis hostes mira dexteritate fudit, castra cepit, sex millia interfecit, captos suis legionibus immiscuit. In Aegyptū transmittens, Ptolemæū sorori Cleopatræ cōciliauit. At posteaquam insidias sibi à rege fieri intellexit, commissa ad Pharum pugna, desiliit ex aggere in acatium, subuenitq; certantib. Quia uerò undiq; inuehebantur in eum Aegyptij, proiecit se in mare, summoq; cū labore enatauit. Dicitur tunc libellos, quos manu tenebat, cùm iaculis peteretur & demergeretur, non amisisse: sed eos supra caput tenens altera manu natasse. Acatium illicò depressum est. Prælio uictor Cleopatram Aegyptiis uel inuitis reginam dedit. Pharnacem, Mithridatis F. rebellantem, qui Domitium legatum magna clade affecerat, ad urbem Zelā uictum Ponto summouit, exercitum eius internecione deleuit. Romam regressus & cōsul III creatus, contra Scipionem & Catonem in Africam mouit, & ad Tapsagum urbem unius diei spacio, trinis hostium castris potitus, Iubæ scilicet regis, Afranij & Scipionis, millibus quinquaginta cęsis, ne quinquaginta quidem desiderauit de suis. Triumphum duxit Alexandrinum, Pōticum & Africanum de Iuba. Quartùm consul Pompeij filios in Hispania ad urbem Mundam uicit, hostium triginta millia cæcidit, mille ex suis desideratis. Triumphū egit inuidiosum. Inde Dictator creatus perpetuus, cùm erga hostes clementissimus foret, à M. Bruto & Cassio, cæterisq; coniuratis in Senatu XXIII uulneribus confossus est, annos natus non plus sex & quinquaginta, Pompeio superstes nō multo annis quatuor ampliùs, cùm Parthicum bellum animo concepisset, & per Hyrcaniam Scythis superatis, per Germaniam & Galliam regredi in Italiam cogitaret. Plutarchus in Cæsare, & Suetonius. Vnus omnium qui omni memoria fuerūt, Alexandrum Magnum gestarum rerum magnitudine propemodum æquauit: cùm tamen ille & patrem regem habuerit, & eundem tyrocinij magistrū, hic uerò priuatus uirtute sola omnia sibiipsi pararit. In eo certè maior habēdus, quòd quinquagies collatis signis cum hoste dimicauit, solus M. Marcellum transgressus, qui unde quadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles uictorias, undecies C & XCII M hominum occisa præliis ab eo, confessus est ipse, bellorum ciuilium stragem non prodendo. Plin. lib. 7. cap. 25. & Sabellicus lib. 1. cap. 5.

M. BRVTVS, Catonis ex Seruilia sorore nepos, philosophiæ studiosissimus, Cn. Pompeij castra ob amorem patriæ secutus (nam priuato alioqui odio Pompeium prosequebatur, quòd is mortuo Sylla Brutum, Lepidi ducem, Marianas fouentis partes, data fide interfecisset in Gallia Cisalpina) & in acie captus Pharsalica, à Cæsare Dictatore humaniss. tractatus, Galliæ Cisalpinæ præfectus, Prætor inde creatus, sua intercessione plurimos Cæsari reconciliauit. Eum uerò libertatis alioqui studiosum C. Cassius impulit, ut contra Cæsarem secum conspiraret: neque enim aliter Cassius amicos mouere poterat, nisi Bruti auctoritas intercederet. Ergo Idibus Martiis Cæsarem in Senatu confodere: iisque honores à populo & prouinciæ decretę sunt. Cæterùm cùm Brutus Cæsarem honorificè efferri, & à

M. Antonio funebri oratione laudari permisisset: cõmotus populus rei indignitate, percussores ad necem inquirebat. Brutus ergo & Cassius Italia relicta, ille ex Macedonia, hic ex Syria maximum exercitum coëgêre: Romæ interim à Triumuiris M. Antonio, Octauio Cæsare, & Lepido rei capitalis damnati, quòd Cæsarẽ interfecissent summum uirum indicta causa. Cassius Rhodum occupauit, Brutus Lycios subegit. Sardeis conuenêre, & coniunctis uiribus usque ad mare Thasium processêre, & in campis Philippis dictis, castris positis, cum Antonio & Octauio de summa rerum dimicauêre. Ibi prælio primo uictor, secundo uictus, proprio gladio incubuit. Plut. in Bruto.

M. ANTONIVS sub Gabinio proconsule Syriæ Aristobulum Iudæorum regẽ uicit & cepit, Hierosolymæ muros primus transcẽdit, Pelusium occpauit, Ptolemæũ in regnũ reduxit. Tribunus plebis & Augur, pro C. Iul. Cæsare in Senatu egregiè decertauit: sed Pompeianis inferior, cũ Q. Cassio ad Cæsarem confugit: qui Roma cum exercitu potitus, Lepidum prætorem urbi, Antonium Tribunum pl. legionibus & Italiæ præfecit. In pugna Pharsalica sinistro cornu præfectus, & parta uictoria, à Cæsare Dictatore Magister equitũ creatus est. Cæsare à coniuratis interfecto, populum concione funebri ita accendit, ut Brutus & Cassius urbe profugere cogerentur. Ipse pro libidine omnia egit, & Octauio Cæsari è Græcia reuerso sese opponens, Ciceronis factione oppressus, ex urbe fugit, hostisq; à Senatu iudicatus, & Mutinę obsessus, fugit trans Alpes, & Lepidi exercitum sibi qua prece qua pollicitationibus coniunxit. In Italiam reuersus, Octauio, qui à Cicerone, libertatis studioso, iam defecerat, sese coniunxit Et sic Triumuiratu constituto, trecentos proscripsere: & in campis Philippicis Brutum & Cassium oppressere, uirtute potissimùm Antonij. Cæsare Romam redeunte, ipse in Orientem profectus, Cleopatræ in Cilicia sese cõmiscuit, cuius postea illecebris & amoribus perditus est. Intereà cùm Fuluia uxor eius, à Cęsare Italia pulsa, Athenis obiisset, orbem terrarum sic inter se sunt partiti, ut Oriẽns Antonio ad mare Ionium, Occidens Octauio cederet, Africa Lepido: & firmioris uinculi gratia Octauiam sororem suã Antonio Cæsar despondit. Ventidium Antonius contra Parthos misit: qui de iis ter uictis primus triumphauit. Eiusdem legatus Sossius multa in Syria patrauit, Canidius Armeniã domuit, Iberos quoque & Albanos ad Caucasum usque. Contra Parthos Antonius cum LX M peditum Rom. equitum XVI M, cæterarum nationum XXX M, quanto apparatu nullus antè Romanorum Parthiam intrauerat, bellum ante tẽpus mouens, cunctaq; administrans abruptè, ut cum Cleopatra hybernare posset: Phraata Parthorum urbem frustrà obsedit, & exercitũ uix reduxit, cùm Parthos XIIX prælijs fudisset, uerùm equitatu expedito destitutus, eos persequi non posset: amissis suorum XX M peditum, & IIII M equitum, quorum supra dimidium morbo periit. Hinc cum Octauiam, quæ Athenas uenerat, domum redire iussisset, quòd Cleopatræ amoribus penitùs esset dementatus: hostis à Senatu iudicatus, classe D nauium, peditum C M, equitum XII M ad Actium Octauio occurrit. Cumq; eum ad singulare certamen nequicquam prouocasset, & in Cleopatrę gratiam contra ducum suorum monita classe cõfligeret: illam sub pugnæ initium cum LX nauibus fugientem, amore stimulatus persequens, integris & otiosis legionibus terrestribus relictis, Octauio uictoriam concessit, non plus quinq; millibus amissis. Alexandriæ tandem à Cæsare obsessus, & primùm à classe, mox ab equitatu suo ad Cæsarẽ deficiente desertus, fusoque equitatu, manus sibi intulit, & inter Cleopatræ amplexus expirauit, annos natus LVI, posteaquam annos ampliùs XIIII cum Cleopatra uixisset. Plutarchus in Antonio.

VENTIDIVS M. Antonij IIIuiri legatus, Labienum, qui ad Parthos defecerat, & summum Herodis Parthorum regis ducem Pharnapatem interfecit. Præterea Pacorum Parthorum regis filium ingenti exercitu Parthico iterum Syriã inuadentem signis collatis in Cyrrestica fudit, multosq; concîdit. Inter primos cecidit Pacorus. Hoc factum, quod in celebratissimis fuit, abundè uindicauit populi Romani acceptas sub Crasso clades, Parthosq; denuò intra Mediã & Mesopotamiam redegit tribus ordine certaminibus profligatos. Eum Antonius pro meritis honoratum ad triumphum misit. Hic de Parthis ad hanc memoriã triumphauit solus, uir obscuro natus loco: sed per amicitiam Antonij magnarum rerum gerendarum accepit materiã: qua pulcerrimè usus, dictum de M. Antonio & Octauio Cæsare confirmauit, feliciùs res eos per alios quàm per se gerere. Quippe Antonij legatus Sossius multa in Syria patrauit, Canidiusq; ab eo in finib. Armeniæ relictus hanc domuit, Iberorumq; & Albanorum regibus subiugatis usq; ad Caucasum progressus est. Quibus rebus nomen & fama inter barbaros Antonij potentiæ est amplificata. Plutarchus in Antonio.

Imperij Orientalis, & Occidentalis.

AVGVSTVS Imperator Cantabros, Aquitanos, Rhætos, Vindelicos, Dalmatas, Romano subiecit imperio. Suevos, Cartosq; deleuit. Sicambros in Galliam trãstulit. Pannonios stipendariis adiecit. Getarum populos, Basternasq; lacessitos bellis ad concordiã impulit. Obsides accepit à Persis, creandiq; regis arbitrium. Ad eum Aethiopes, Indi, Scythæ, Garamãtes legatos cum donis miserunt. Bella ciuilia quinq; gessit, Mutinense, & Actiacum aduersus M. Antonium: Philippense in Brutũ & Cassium: Perusinũ aduersus L. Antonium, Triumuiri fratrem: Siculum aduersus Sextum Pompeium, Cn. Pompeij filium. In bello Mutinensi nõ modò ducis, sed etiam militis functus est munere. Nam aquilifero legionis suæ grauiter uulnerato, ipse aquilam humeris subiens diu portauit. Volat. lib. 23. Anthrop. ex Suetonio.

DRVSVS Germanicus, pater Claudij Cæsaris, in Quæsturæ Præturæq; honore dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducũ nauigauit: trans Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc Drusinæ uocãtur. Hostem etiã frequenter cæsum, ac penitùs in intimas solitudines actũ, nõ priùs destitit insequi, quàm species Barbaræ mulieris humana amplior, uictorem tendere ultrà sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ouandi ius, & triumphalia ornamẽta percepit; ac post præturam confestim inito consulatu, atq; expeditione repetita, supremum diem morbo obiit, in æstiuis castris, quæ ex eo Scelerata sunt appellata. Suetonius, & Dion.

TITVS Vespasianus, patre iam Imperatore declarato, ad bellum conficiendũ relictus, cùm ad Hierosolymorum muros inermis speculatum cum paucis processisset: subita oppidanorum eruptione circumuẽtus, & à suis interclusus, gladio sibi per medios hostes uiam fecit, & diuinitùs, mille petitus telis, illæsus ad suos euasit. Mox cùm castrametantib. Romanis, Iudæi desperabundi eruptionẽ ex improuiso fecissent, Titus bis à militibus desertus, solus sua constantia totam legionem periculo liberauit, & castra muniendi copiam militibus dedit. Iosephus lib. 6. cap. 2. & 3. belli Iud.

TRAIANVS Hispanus à Nerua adoptatus, imperiũ accipiẽs, militari gloria, urbanitate & moderatione oẽs principes superauit. Nam fines imperij longè & latè diffudit, Germaniã transrhenanã in pristinum statũ reduxit, Daciam & multas trans Danubium gentes imperio Romano subegit, Parthos recepit, Albanis regẽ dedit, Euphratẽ & Tigrim prouincias fecit, Armeniã, Assyriam, Mesopotamiã, Seleuciã, Ctesiphontẽ, Babyloua uicit & tenuit, usq; ad Indiæ fines, & mare rubrũ accessit, in quo etiã classem constituit, qua Indiæ fines uastaret. Persecutione in Christianos omnia præclara facinora deformauit, cũ alioqui ita se æqualem omnib. præbuerit, ut usq; ad Iustiniani tẽpora in creatione principũ sit acclamatũ, Felicior sit Augusto, ac Traiano melior. Platina.

ALEXANDER Seuerus Imperator ingenti apparatu in Persas profectus, de Artaxerxe rege potentissimo triumphauit: tumq; Persæ primùm serui apud Romanos fuerunt, ut Lampridius narrat, anno Christi 225.

SEVERVS Afer natione, clarissimus Imperatorum bellicis operibus. Neq; enim aut ciuiles quisquam aduersus inimicos, aut externas aduersus Barbaros totidẽ alius uictorias reportauit. Cuspinianus.

GORDIANVS Persas frequentibus præliis uicit: ad Antiochiam, quæ in Persis tum tenebatur, Saporem regem Persarum fugauit. Antiochiam, Carras & Nisibin, quę omnia sub Persarum imperio erant, recepit. Itaq; factum, ut totum Orientem respub. Romana teneret. Iulius Capitolinus.

Eusebius & Lætus, de magnitudine imperij Romani sub DIOCLETIANO hęc tradunt. Ab Ortu, ad Iudæos usq; propagari Imperij fines, non Euphrates, non Tigris uetuere, non superbæ regum Persarum minæ. A Meridie, Aethiopes per legatos accessere. Ab Aquilone, Barbaræ feræq; nationes Sarmatarum domitę. Ab Occasu Gensoriacus Oceanus, ad mirabilis uictoriæ testis est, simul & Britannicus. Toto igitur terrarum orbe undiq; Romana arma uictorias illustres assecuta sunt. Persæ armis Rom. cedere confessi, intra positos terminos se tenuerũt. Post tot uictorias, maximus à Senatu triumphus Diocletiano decretus est.

Quum Valerianus à Sapore captus esset, ODENATVS Palmyrenus decurio (qui inter triginta tyrãnos cõnumeratur) collecto exercitu, agrestiumq; manu, rem Romanam tutatus est. Regis Saporis thesauros, regiasq; concubinas cepit. Nisibin & Orientis pleraque cum omni Mesopotamia recepit: ad Ctesiphonta usque profectus, Saporem cum liberis in fugam uertit. Composito Orientis statu, à consobrino suo Mæonio, insidiis Zenobię uxoris, regnum filio astruere conantis, imperium affectante, interemtus est cum filio Herode. Cuspinianus.

Cùm Gothi, Scythæ, & uniuersæ Sarmatarum gẽtes, impetum in Rom. ditiones facerent, Fl. CLAVDIVS Imp. Barbarorũ supra CCCXX millia superauit ac contriuit, ut paucissimi in patriam reuerterentur. Nauali pugna bis mille naues eorum depressit: reliquos in Hæmi montanis fame & pestilentia confecit. Scythæ, qui Cretam ac Cyprũ uastare nitebantur, fame pesteq; repulsi sunt. Cuspinianus.

AVRELIANVS Imp. Gothos apud Danubium graui prælio uicit. Zenobiam, haud longè ab Antiochia terrore magis quã prælio uictam, in triumphum unà cum Tetrico duxit: quo apud Catalaunos superato, Gallias receperat. Firmo Seleucio, qui sibi Aegyptum uẽdicabat, occiso, ad pacis opera conuersus, templum Apollinis, & muros urbis magnificentissimis operibus extruxit. Platina ex Vopisco.

PROBVS (qui postea Imp. factus est) impubes etiamnum Valeriani Imp. iudicio tribunatum adeptus, bello Sarmatico, transmisso Danubio, multa fortiter & strenuè gessit. Valerũ Flaccum è Quadorum manu liberauit. Vnde illi corona ciuica à Valeriano donata est: sed & pro concione laudatus, dono accepit hastas puras, coronas uallares, ciuicas, uexilla, armillas, torquem aureum ac pateram, ob res præclarè gestas. Sub Aureliano & Claudio, murum conscendendo, diripiendo uallum, interimendo cominùs hostem, plurima dona meruit. Aurelianus illi Decumanos exercitus tanquã fortissimo tradidit, ut si sibi scienti contrarium aliquid eueniret, Probum principem faceret. Et Tacitus in Senatu fertur dixisse, cùm ei imperium offerretur, illud Probo deberi. In Aphrica cõtra Marmaridas fortissimè dimicauit. Carthaginem à rebellione uindicauit. Aradionem quendam in Aphrica singulari duello prostrauit. Multa in Aegypto fecit insignia opera, põtes, templa, basilicas. Pugnauit etiam contra Palmyrenos feliciter. Creatus Imp. uel inuitus, Gallias à Germanis recuperauit, receptis LX urbibus. Cùm securi in Rom. solum irruerent Germani, cæsis CCCC milibus, reliquias ultra Nicrum & Albim fluuios remouit. Trans Rhenum in hostico castrametatus, in eam redegit necessitatem Germanos, ut nõ modò nouem reguli supplices ad pedes eius procumberent, sed etiam obsidum loco XVI millia tyronum Probo darent: quibus auxiliaribus exercitum suum ual[illegible] Parata Rhetia in Illyricũ uenit, & nullo bello [illegible] illi abstulerant [illegible] Gothos ita terruit, ut illos aut in deditionẽ, aut [illegible] reciperet. Ciliciam & Isauriam latrociniis per[illegible] Parthos ita terruit, ut ad eum legatos mitterent de pace. In Thraciam reuersus, Bastarnas in solo Rom. constituit, qui in fide permanserunt. cùm alii Barbari longè lateq; uagarentur, quos & fudit, & fugauit. Saturninum, qui Orientis Imperiũ arripuerat, diuersis præliis superauit. Proculum & Bonosum imperium in Britãnia, Hispania atque Gallia affectantes, interemit. Bellum Persicum parãs, in Illyrico à militibus est occisus, quòd eos nunquam otiosos esse fineret.

CONSTANTINVS Magnus, Chlori F. sub Galerio Maximiano miles, ducẽ Sarmatarum catenis uinctũ adduxit, leonẽ quoq; in theatro superauit. Insidias tyrãni fugiens, ad patrẽ in Britanniam, iam animã agentem, confugit: & regno Galliarum, Hispaniarum atq; Alpium, Eroci regis Alemannorũ opera ex patris testamẽto potitus, contra Maxentium à Senatu aduocatus, crucis signum præferens, Romæ illum oppressit. Licinio, quem Galerius adoptarat, sororem Constãtiã dedit, & imperij fecit consortem. Quem uicto Maximiano Daza superbientem, post multa pręlia tandem Nicomediæ priuatum uiuere coëgit. Vicit Sarmatas atque Gothos Thraciam infestantes, & propter rerum gestarum magnitudinem Maximus dictus, expeditione cõtra Persas suscepta, ab Eusebio præsule Nicomediense in Iordane baptizatus, Sotiropoli ueneno à perfidis ministris, iam antè æger, extinctus est. Cuspinianus.

IVLIANVS à Constantio Imp. adoptatus, in campis Argentoratẽsibus, cum paucis militibus, infinitas hostium copias deleuit: quadraginta millia Romanorum, qui iure belli seruiebant, ab Alemannis recepit. Eorum regem Badomarium cepit. Hac strage Barbarorum urbem Argentoratũ insigniorem reddidit. Proinde bellorum successu Traiano, clemẽtia Antonino, moderatione M. Aurelio comparatus est. A militibus inde salutatus Augustus, licèt inuitus, cùm frustrà se Constantio excusaret, contra illum ducto exercitu, in Illyrico Constãtij mortem intellexit. Ab eo successor dictus, Persica expeditione periit.

STILICHO Vandalus, à Theodosio Magno Honorio F. tutor datus, Serenæ neptis ex fratre Theodosij cõiugio cohonestatus, Honorio filiam primùm Mariam, inde Thermantiam elocauit: eundem ab Alarici primùm Gothi, deinde à Radegaisi Scythæ non dubia seruitute eripuit: uir domi, militiæque insignis, acer consilio, manu promtus, principibus carus, sed militibus carior: & qui ad cæteros titulos præturam in exercitu per annos uiginti tres gesserat, & cum potestate propè Augustali post Theodosij mortem in Occidente uersatus erat: tandem Olympij prætorio præfecti calumniis circumuentus atque cęsus est. Sozomenus & Zosimus. Alij aliis de caussis necem Stilichoni allatam scribunt. Iornandes & Marcellinus, quòd Vandalos in Galliam immisisset: Numatianus autem, quòd Gothis Italiam prodidisset. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

CONSTANTIVS Comes Romanus, unicum Honorij Imp. propugnaculum, Constantinũ tyrannũ Arelaticum cũ Iuliano F. in potestatem redegit: Iouinum, qui in Auernia purpuram sumserat, repressit: Maximum in Hispania coërcuit: Burgundionibus pacem dedit. Ataulfum Gothorum regem è Narbonensi Gallia in Hispaniã fugere compulit: Attalum tyrannum cepit: cum Vallia, qui Ataulfo successerat, fœdus fecit: Placidam Honorij sororem, Alarici uiduam, recepit: eiusq; matrimonio uoluntate Honorij potitus, ab Honorio tandem in imperij societatem acceptus, sex tantùm menses superuixit, relicto Valentiniano III. F. qui Honorio successit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Aetij pater Gaudentius, primoris in minore Scythia loci, militiã à domesticatu exorsus, usq; ad magisterij equitũ culmẽ ascẽderat. mater Itala, nobilis ac locuples femina. AETIVS ipse è Dorastana Mysiæ à puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, deinde Hunnorũ: pòst Carpilionis gener, ex Comite domesticorum curã palatij sub Ioanne tyrãno post mortem Honorij gerere cepit, ab eoq; in Pannoniã cum ingenti auri pondere ad accersenda Hunnorũ auxilia missus est, qui erant ei noti, & familiari amicitia iuncti ab illo tempore, quo apud eos obses egerat. Cæterùm uicto captoque ante eius aduentum Ioanne Rauẽnæ, ad partes Valentiniani III. trãsiit, eiq; Placidia Augusta non solùm ueniã dedit, sed etiam Comitis dignitatem impertiit, quòd Hunnos sine tumultu extra Italiã dimisisset. neq; enim erat obscurũ, quantum illi alere incẽdium potuissent, si eorum uti opera perrexisset. Theodericum Gothorum regem ab Archillarũ oppidi Gallici obsidione auertit, Clodionẽ Francorũ regem repulit. A Bonifacio Africæ comite, quẽ per calumniã perdere studuerat, ex prouocatione uictus, dignitate nudatus in agrũ se cõtulit, inde ad Hunnos confugit, eorumq; opibus ius interpolatæ potestatis recepit. Gundicarium Burgundionũ regem Belgica expulit. Atilam orbis terrorẽ in campis Catalaunicis auxilio Theoderici Gothorũ regis an. 453. profligauit: subinde in Italia debacchantem sustinuit, & fœdere icto pedem referre coëgit. Maximi senatoris calumnia à Valentiniano III. Romã euocatus, per insidias cæsus est. Quo extincto, simul omne Occidentalis Imperij præsidium cõcidit. tãta fuerat in eo uirtutis indoles, tanta auctoritas, atq; ad omnes res consulendas atq; agendas consilij promtitudo, animique alacritas. Sigonius lib. 13. Imp. occid. ex Paulo Diacono.

GRATIANVS Imp. religione ac pietate omnes penè qui antè fuerunt principes, superauit. Vsu armorum strenuus, uelox corpore, cursu, palæstra, saltu, ceruos superabat. Circa Argentariam oppidum, triginta millia Alemannorum Gallias infestantium fudit. Vnde & Germanicus & Alemannicus dictus est. Cuspinianus.

THEODOSIVS Magnus, Hispanus genere, à Gratiano Imp. cõtra Hunnos & Alanos in Thraciam missus, Barbaros mira celeritate superauit, & trans Istrum abegit: & propterea XXX ætatis anno à Gratiano purpura indutus, & Orientis imperio præfectus fuit. Gothos Rom. consociauit. Maximum tyrannum, Gratiani interfectorem, & Victorem eius F. oppressit, & Valentinianum iuniorem regno restituit. Eugenium tyrannum, & Arbogasten Valentiniani parricidam, acie uicit. Dum Mediolani ludos pro uictoria celebrat, morbo correptus obiit, Imp. opt. in omnes homines munificus ac liberalis, potissimùm tamen in bonos. Diligebat ingenia simplicia, mirabatur erudita, literis ipse mediocriter eruditus: multum tamen sagax, & ueterum gestorum diligens inuestigator, sed qui superba ac crudelia facta improbaret. Cuspinianus.

HERACLIVS Imp. cùm ob Phocæ ignauiam in tempora incidisset turbulentissima, Persis Africã & Asiam, Hunnis Europam uastantibus, & legiones omnes ferè Barbarorum impetu absumtæ essent, ærarium deniq; penitùs exhaustum foret: pacem cum Hunnis fecit, ipse contra Cosroen crudeliss. tyrannum uel inuitus bellum suscepit, tyrones conscripsit, in armis exercuit, thesauros ecclesiæ in stipendium militib. conuertit, & tribus præliis cruentiss. Sarbarum, Saim & Razatenem Cosrois duces uicit: Cosroẽ uita & imperio exuit, cum Siroe eius F. pacem firmauit: *felix nimium*, nisi in Monothelitarum hæresin incidisset, & incestis nuptiis filiæ fratris Martinæ sese polluisset. *His* nanq; uitiis infecto auxiliũ diuinum deinceps defuit, & Saraceni Asiam occupauerunt. Paulus Diaconus lib 18. Zonaras Tomo 3. Iuo in Chron. Otho Phrysingensis lib. 6. cap. 9.

IVSTI

IVSTINIANVS I. Imp. ubi à Iuſtino auunculo ſuſcepit imperium, Beliſarij ductu Perſas ſuperauit, & ueteres imperij limites reformauit. Illyricũ ab Herulis & Bulgaris uaſtatum recuperauit. Hypatium & Pompeium, Anaſtaſij Imp. nepotes ex filia, imperium aucupantes occidit. Vandalos in Africa domuit, Gilimere eorum rege capto. Stozam res nouas in Africa molientem oppreſſit. Bello Gothico in Italia per nouem annos, finem impoſuit, anno imperij ſui XVIII. capto rege Vitige per Beliſarium, cæſo Totila per Narſetem eunuchũ. Propter tòt uictorias appellatus eſt Alemanicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus, Africanus. Paulus Diaconus lib. 18. rerum Rom. & Cuſpinianus.

BELISARIVS dux Iuſtiniani Perſas uicit, Vandalorum regnum in Africa ſuſtulit, capto Gilimere eorũ rege, triũ menſium ſpacio. Bello inde Gothico datum initium, anno Sal. 534. Iuſtiniani VIII. quod per XVIII annos uaria fortuna durauit. Ad id miſſus Beliſarius, Siciliã primò ſubegit: mox Campaniam. Romã contra Vitigem Gothorum regem tutatus eſt, eumq; non multo pòſt Rauennę obſeſſum, cum urbe cepit, & Conſtantinopolim in triumpho duxit. Reuocato Beliſario ad Parthicum bellum, cùm Gothi rege Totila animos reſumſiſſent, & omnibus ferè recuperatis, Romam uaſtaſſent: Beliſarius rediit, at febri affectus, Totilæ obſiſtere non potuit. Mox cùm conualuiſſet, ob metum belli Perſici à Iuſtiniano reuocatus eſt, eiq; ſucceſſit Narſes eunuchus. Sabellicus lib 3. Ennead. 8. Blond. lib. 6. Dec. 1. ex Procopio, de bello Gothorum.

NARSES Eunuchus, primò bibliopola fuit. Hunc cùm in cubiculum ſuum accepiſſet Imp. Iuſtinianus, cognita hominis uirtute, eum in ordinem patriciatus aſciuit. Narrant coluiſſe illum magnoperè Deum, & uirginem Deiparã ipſi manifeſtè apparuiſſe, mandaſſeq; quãdo pugnandũ eſſet, quãdo non. Is reuocato Beliſario Conſtantinopolim ob metũ belli Perſici, anno XVI belli Gothici in Italia icto fœdere cum Longobardis, qui duci Alboino Pannoniam inferiorem occuparant, cum magnis copiis Italiã ingreditur: Rauennam petit, Totilam apud Brixellum occidit, Theiam in eius locum ſuffectũ, non longè à Nuceria oppreſſit, anno Sal. 554. Atq; ita ſecundo & ſeptuageſimo anno poſteaquàm Thedericus eorum rex primò Italiam ingreſſus eſt, Gothorum nomẽ regno exuit. Reliquias Gothorum ſuſtulit, anno poſt inchoatum bellum decimooctauo. Romã inſtaurauit. Mauritaniam tributariam fecit. Buccilenum Theodebaldi Francorum regis ducem, qui magnam Italiæ partem occuparat, interfecit, & 16 annis in Italia imperauit. Mortuo Iuſtiniano cùm ei ſucceſſiſſet Iuſtinus iunior, anno eius tertio ab inuidis quibuſdam accuſatus tyrannidis, & à Sophia Auguſta ad telam faciendam amarulenta ironia reuocatus, reſpondit, ſe talem telam orditurum, quãlem Imp. dum uiueret, nõ poſſet detexere. Neapolim ſeceſſit in Campaniam, indeq; mox per legãtos, Longobardos ex Pannonia ad Italiam occupandam euocauit. Platina, Sabel. lib. 4. Enn. 8. Blond. lib. 7. Dec. 1. Procopius lib 3.

CAROLVS Pipini F. cognomine Magnus, grauiſſima bella & maxima geſſit. Primum Aquitanicum, à patre quidem inchoatum, & uiuente fratre Carolomanno ſuſceptum, ſed ſine eius auxilio finiuit. In quo Hunoldũ, qui Vaifaro ſucceſſit, ſtrauit fugauitq;. Longobardicũ inde bellum, precibus Adriani pontificis ſuſcepit. Aiſtulphum regem ad reſtituenda Italiæ oppida, & reddendos obſides compulit. Deſiderium eius F. longa obſidione fatigatum Papiæ in deditionẽ accepit. Deſiderij filium Adalgiſum, in quem ſpes omnium inclinare uidebantur, Italia excedere compulit, omnia Romanis erepta reſtituit, liberãmq; Italiam Adriano pontifici tradidit, Longobardis pulſis. Tertium bellum Saxonicũ eſt, cæteris quidem laborioſius & per interualla geſtum, utpote à patre eius inchoatũ, quod tandem trigeſimotertio anno abſoluit: quo ferociſſimas gentes atque toties rebelles compulit, ut Chriſti aſſumerent religionem. Domuit & Hiſpanos. Sed dum per Pyrenæos montes egreditur, à Vaſconibus in inſidiis deliteſcẽtibus, exercitus cladem paſſus eſt: quo Rolandum ex ſorore Bertha nepotem, Britannici limitis præfectum, uirum ſtrenuum, cum aliquot ducibus, amiſit. Britones, qui ad Occidentem in extrema Galliæ parte in Oceani litore habitabant, quòd dicto audientes non erant, imperata facere coëgit. In Italiam cũ exercitu ueniens, coëgit Aragiſum Beneuentanum gentis ducem filios obſides dare, & iugum ferre. Bellum Boioricum uxor Taſſillonis ducis, filia regis Deſiderij Luitburga, uel Lutberta excitauit, patris exilium ulciſci cupiens, aduocatis Hunnis, quibus cum fœdera iunxit. Carolus bis uictor uitam conceſſit Taſſilloni & filio, ſed tonſis capillis in cœnobium detruſit. Natum ex hoc aliud grauius bellũ, Auaricum cognominatũ, cum Hunnis, qui & Auares dicuntur, per octo annos geſtum, qui tum Pannoniam incolebant ſuperiorem magna ex parte. Eorum regiam Ringum Carolus expugnauit, totam penè Hunnorum nobilitatem ſuſtulit, congeſtos theſauros diripuit. Nec ullo unquam bello Franci magis ditati ſunt. Geſſit & alia multa bella, Sclauonicum, Normanicum, quibus Danos & Sueones perdomuit: Boëmicum & Limonicum, quibus & Abodritas in ſuam ditionem redegit. Hæc bella annis quadragintaſex adminiſtrauit, partim per ſe, partim per præfectos ac filios ſuos. Aquitaniã, Vaſconiam, totúmque Pyrenæi montis iugum uſque ad Hiletum amnem: totamque Italiam ab Auguſta prætoria uſq; in Calabriam minorem, ubi Græcorum ac Beneuentanorum erant confinia, poſſedit: Saxoniam, quæ magna pars Germaniæ eſt, & utranq; Pannoniam, cum Hiſtria, Liburnia ac Dalmatia imperio adiecit. Cum Conſtantinopolitanis Cęſaribus fœdus iunxit: gentes Barbaras inter Rhenum & Viſtulã, Oceanum & Danubium perdomuit. Cranzius lib. 2. Saxoniæ.

LVDOVICVS Pius Imp. Britones à Francorum fide deficientes, in ſuam poteſtatem redegit, eorum rege occiſo. Vaſcones per filium compeſcuit. Pannoniorum tyrannum Aquileiam bello prementem, occidit: piratas ex Dacia in Aquitaniam irrumpentes, arcuit. Italicum tumultum per filium Lotharium ſedauit. Bulgaros pacauit, Normannos ad fidem adduxit, & lauacro baptiſmatis ablui fecit: Friſiam illis donauit, ut tutiores ab infidelibus eſſent. Sarracenos Italia expulit. Cuſpinianus.

OTHO I. Imp. à rebus geſtis, Magni cognomen ſortitus, Henrici Saxonis F. Eberhardum Francorum ducem, Henricum Saxoniæ ducem fratrem ſuum, & Giſilbertum Lotharingiæ ducem ſororium ſuum, qui contra ſe conſpirarant, domuit. Boëmos XV annis ſibi ſubiecit. Hungaros Franconia expulit. Burgundiam ſubegit. Ludouicum Franciæ regem, ab Hugone Ruperti F. regno pulſum, reſtituit. Italiam ingreſſus, Berengarium regem cepit, Adelhaidam, uiduam Lotharij regis Italiæ, uinculis liberauit, & uxorem duxit. Conradum ducem Sueuiæ & Luitolfum F. armis uictos, ad petendam ueniam adegit. Hungaros, uaſtata Gallia in Bauariã irrumpentes, illuſtri uictoria ad Lycum ſuperauit, ut CC propè annis nullus regum parem ſit aſſecutus. Berengarium denuò in Italia tyrannidem exercentem domat: [redacted]

HENRICVS II. Imp. non minus uitæ ſanctimonia, quàm fortibus geſtis inſignis fuit: ut mirum ſit, hominem ita religioni deditum, potuiſſe imperij terminos & ab hoſtili incurſu reddere tutos, & regnum ſuum locupletare ac augere. Quæ enim cæteri reges enſibus & humani ſanguinis effuſione, non ſine magna multorum calamitate perfecerunt: hic pietate, religione, ac bonis uirtutibus peregit, & imperialem dignitatem decore, gloria ac maieſtate exornauit. Sic Boëmiam ſubiugauit, ſic Burgundiam in deditionem recepit, ſic Pannoniam fidei catholicæ & Romano imperio coniunxit: & magis precibus ad Deum quàm armis triumphauit. Cuſpinianus.

HENRICVS III. Imp. Boëmos rebelles imperata facere coëgit. Petrum Hungariæ regem cæſo Aba reſtituit. Romanum ſchiſma trium pontificum ſedauit. Calabriam à Saracenis purgauit. Cuſpinianus.

HENRICVS IIII. Imp. puer relictus à patre, & malè ſub matre primùm, mox etiam ſub Annone Colonienſium epiſcopo inſtitutus, uitiis ſuis omnibus odio cepit eſſe, & à Gregorio VII. anathemate notatus eſt. Principum quidam Rodolfum Sueuiæ ducem regem crearunt. Quem grauiſſimis bellis perſecutus tandẽ occidit. Hermannus nobilis Saxo à Saxonibus electus, & poſt illum Egbertus Marchio quidam, oppreſſi ſunt. Conradus patri rebellis, Italiæ regnũ occupauit. Sed iniquiſſimè à filio Henrico V. quem Cæſarem appellarat, tractatus, tandem Leodij ex animi mœrore periit: princeps alioqui facundus, liberalis, [redacted], ingenio acer & bellicoſus, & re militari fortunatus, utpote qui ſexagies & bis acie collata pugnauit, M. Marcello & C. Iulio ſuperior: quum iam regnaſſet undequinquaginta annis. Cuſpinianus.

FRIDERICVS I. uulgò Barbaroſſa uel Aenobarbus, à rubeã barba cognominatus, filius Friderici ducis Sueuorum, manu ſtrenuus, animo fortis. Conrado rege patruo defuncto, Francofordiæ rex ab uniuerſis Germaniæ principibus deſignatur. mox Aquiſgrani ab Arnoldo Colonienſe archiepiſcopo coronatur, in ſedemq; Caroli collocatur. Tribus primis annis pacẽ inter Germaniæ principes ob ducatũ Bauariæ & Saxoniæ, multo admirandoq; labore compoſuit. Italiam cum exercitu ingreſſus, ab exulibus Apulis inuitatus contra tyrãnidem Gulielmi Siciliæ regis, qui patri Rogerio ſucceſſerat, Mediolanum expugnat, atq; incendio cõſumit: Aſtam diruit, Derthonam rebellem ſolo æquat, Papię triumphat, ac ferrea corona inſignitur. Dein tranſcenſo Apennino, & peragrata Tuſcia, Romã ingreditur, & imperij coronã accipit ab Adriano IIII. Senatores id ægrè ferẽtes, ſeditionem in urbe mouent. Imperator immiſſo exercitu eos compeſcuit, Spoletum euertit. In Germaniam regreſſus, bella ciuilia inter Hermannum Palatinum & Arnoldum Moguntinum archiepiſcopum ſedauit, & propterea Pater patriæ dictus eſt. Polonos rebelles ſuperauit. Iterum cum CM armatorum Italiam ingreſſus, Mediolanenſes rebelles ſubiugauit, & per Burgundiam reuerſus eſt. Rebellantibus tertiò Mediolanenſibus cum confœderatis, Mediolanum funditùs euertit. Reliqui Longobardi, Placentini & Brixienſes ſeſe Imp. dediderunt. Orto inde ſchiſmate inter Victorem & Alexandrũ III. Imp. Victori fauens, Romã obſedit, ſed peſtilentia abire coactus, quartò rebellantibus Mediolanenſibus, & Venetis Alexandrum ſuſcipientibus. Vix tãdem pax facta eſt. Imperator ſuſcepto contra Saladinũ Babylonium expeditione, cùm in Serra Armenię fluuio per æſtum abluitur, uorticibus rapidiſſimi fluminis abſorptus, Tyri ſepelitur. Cuſpinianus.

FRIDERICVS II. Imp. Henrici VI. Imp. & Conſtantiæ monialis F. utriuſq; Siciliæ & Hieroſolymæ rex, Sardiniæ & Italiæ dominus, dux Sueuiæ, Friderico I. auo ſimilis, militaris laudis appetentiſſimus. Corpus laborum patientiſſimum, plurimum audaciæ ad ſubeunda pericula, nõ minus tamen conſilij inter ipſa diſcrimina: nullo unquam labore fatigatus, nullis caſibus uictus. Othone IIII. deiecto ab imperio, XX annum agens, Francoforti electus, Aquiſgrani conſecratur, Romę ab Honorio III. coronã ſumit. Interea cùm põtifex comites Tuſciæ rebelles ſuſcepiſſet, ægrè id Imp. ferre, & hinc principia bellorum. Mortuo Honorio, ſucceſſit Gregorius IX. qui Fridericum diris deuouit. Suſcipit Imp. & pietatis & placandi Papæ gratia expeditionem contra Soldanum, & rebus proſperè geſtis, inducias decennales paciſcitur. Interea pontifex Apuliam ſubigit. Fridericus reuerſus omnia recipit, & pacem cum pontifice componit. Cæterùm pontifex abſentem in Germania denuò proſcribit. Reuertitur Fridericus, & miſerè affligit Italiã. Mortuo Gregorio, & Celeſtino, ſucceſſit Innocẽtius III. qui Lugdunum Imp. anathemate [redacted], & principes à iuramẽto fidelitatis abſoluit. Tandem in Apulia ueneno potionatus, & à Manfredo ſpurio ſuffocatus eſt. Cuſpinianus.

ARNV[redacted]VS Imp. Sclauos diſſidentes compe[redacted], Norman[redacted]nos Lotharingiam uaſtãtes ad internecionem uſq; cęcidit. A Berengario rogatus, Lombardiam contra Guidonem ingreſſus, Bergomum armis cepit, & Ambroſium urbis Comitem in arbore ſuſpendit. Iterum Italiam ingreſſus, Romam cepit, multatis ultimo ſupplicio ſeditionis auctoribus contra Formoſum pontificem. Tandem à Guidonis uxore medicato poculo potionatus, phthiriaſi periit. Cuſpinianus & Aemilius lib. 3.

CONRADVS I. Imp. Franconiæ dux, animo corporeq; ualidus, adeò ut pleriſq; timorem, multis iniecerit obedĩetiam. Potentiſſimi principes eius ætate florebant in Germania, Arnulphus Malus in Bauaria, Burcardus Strenuus in Sueuia, Eberhardus Comes potentiſſimus in Orientali Frãcia, frater regis Giſelbertus dux in Lotharingia: omniũ autem præſtantiſſimus Henricus Saxonum & Thuringorum dux. Qui omnes Conrado erãt rebelles. Sed eos ille partim conſilio ad amicitiam reduxit, partim robore compeſcuit: tantaſq; illis ſtrages intulit, ut ex maxima occiſorum militum multitudine pleriq; in antiquorum philoſophorum uenirẽt ſententiam, animas poſt mortem iterum in alia corpora immigrare. Cuſpinianus.

RODOLFVS Habſpurgenſis manu promtus, animo fortis, quatuordecies cum hoſte conflixit, ſemper uictor. Et propterea Victorioſi cognomen accepit. Cuſpinianus.

ALBERTVS I. Auſtriacus Imp. duodecies collata acie dimicauit, ſemper uictor, à ſcriptoribus ob id Albertus Triũphator cognominatus. Cuſpinianus.

ALBERTVS Friderici Ma[redacted]ionis Brandeburgenſis F. uir rei bellicæ gloria omni æuo memorabilis, geſſit cum Norimbergenſibus graue bellum: quo motu tota penè Germania in partes abiit: eſtq; interim nouies acie dimicatũ: fuerũtq; prælia hæc omnia Alberto ſecunda, præter unum. Militauit in Polonia, pugnauit in Sileſia, caſtra poſuit in Pruſia, hoſtes in Boëmia fudit: nullus eſt in Germania locus, cui non ſuæ militię ueſtigia impreſſerit: ad ſummam pluribus interfuit præliis, quàm cæteri duces ſui tẽporis aut uiderint, aut audiuerint. Sæpiùs ex prouocatione dimicauit, ac uictor ſemper, ſæpe galea duntaxat & clypeo tectus, cætera inermis: XVII equites ſunt ab eo haſta ſuperati, & ad terram deiecti, ipſe nunquam ab ullo eiuſmodi ludicro certamine uictus: quo eſt factum, ut Teutonicus Achilles ſit dictus. Aeneas Syl. in Europa, & Sab. lib. 8. En. 10.

ITALORVM.

Circa annum Sal. 1390. duo erant in familia comitum Cunij præcellẽtes in armis duces, IOANNES & ALBERICVS, cuius cauſa factum eſt, ut ab externis Italia ſit liberata. Albericus enim poſt captum à nepote Io. Galeacio Bernabouẽ uicecomitem, cui militauerat, Italos multis in locis arma tractantes, in ſocietatem unam coëgit, ſancti Georgij uocatam. Cum qua Britones, qui ſexaginta fermè caſtella in agro eccleſiæ uaſtauerant, & cum Cardinali Genuenſi ad ſex millia Italiam ingreſſi fuerant, & deinde Teutonicos, ac poſtremò Anglos, Ioanne Haucut mortuo, ac Florentiæ ſepulto, Italia expulit. Blond. lib. 10. Dec. 2.

FRANCISCVS Carmaniola ſordido loco natus, adeò ut etiam porcorũ greges puer pauerit, literarũ ita prorſus ignarus, ut primas figuras nõ cognoſceret: forma ac uiribus corporis, fide aliiſq; uirtutibus memorabilis, rei uerò militaris peritia uſq; adeo præcellẽtis, ut bellorum arbiter uideri poſſet (nam ad utroſlibet ille tranſiſſet, migraſſe cum eo fortuna credebatur) à Philippo Vicecomite præter meritum Genuæ præfectura deiectus, ad Venetos deſciuit, & Brixia capta, Philippi equitatum omnem cepit: & ſi partam eo die uictoriam perſequi uoluiſſet, finis bello imponi potuiſſet. At cùm hoſtes captiuos dimitteret, Veneti ſuſpicione ducti, quaſi in Philippi gratiam redire cuperet: Venetias euocatũ ſecuri percuſſere, publicatis etiam bonis eius, quæ in ſumtus belli haud parum temporis ſuffeciſſe perhibentur. Iacobus Bracellus lib. 1. belli Hiſpanici.

NICOLAVS Picininus à corporis breuitate dictus, dux clariſs. In milites ſuos indulgens, in amicos liberalis, in hoſtes durus & aſper, dimicandi cupidus, quietis impatiẽs, gloriæ auidus, & in periculis obeundis promtus ac ſecurus, præliũ ex occaſione protinùs ſumſit: hoſtẽ celeritate præuenit, excurſione fatigauit. Leuis armaturæ equite magis quàm pedite utebatur. Fortes atq; aſperos milites amauit, hoſtiũ numero deterreri non potuit, diligens & expeditus in exercitu ductando. Quibus rebus cùm plurimos & in Gallia Ciſalpina, & reliqua Italia triumphos ex hoſte duxiſſet: haud dubiè rerum geſtarum magnitudine, magiſtro ſuo Braccio maior euaſit. Sforcia eius ęmulus fuit, & cùm ſcientia rei militaris atq; auctoritate pares uiderentur, diu dubium fuit, uter alteri anteponendus eſſet. Sed hanc litem, fugatus in Piceno Nicolai exercitus, & ingens uictoriarum Frãciſci curſus, & Mediolanenſiũ fortuna in eum pleno cornu tranſlata, prorſus diremit. Aen. Syl. cap. 59. Europæ.

BRACCIVS Montonius, qui ſub Alberico Cuniaco prima fecit ſtipẽdia, mox eius ductu honeſtiſſimum duxit ordinem. Sub eodem duce & militiæ magiſtro pari indole, ſed maiore poſteritatis ſucceſſu, SFORCIA Magnus illuſtratus, Cotoniolæ (eſt id Flaminiæ oppidum) ortus. Ab his Sforciani ſunt & Bracciani Italicæ militiæ factiones inclytæ: quarum adeò procedente tempore opes & fama creuère, ut octoginta & ampliùs annis nihil ferè ſit in Italia geſtũ, quod non hi aut illi, aut utriq; inter ſe geſſerint. Sabellicus. lib. 9. Enn. 9. Sforcia ſepties iuſta acie feliciter pugnauit, ter tantùm alteram fortunam expertus, & ea quidem conditione, ut aduerſis aliquanto clarior quàm ſecũdis haberetur. Nemo enim eo conſtantiùs hoſtilem impetum ferre, pertinaciùs reſiſtere, nobiliùs pedem referre, & deniq; fortiùs ducis ſimul ac militis officia implere didicerat: utpote qui nunquam propinquo & ferienti hoſti terga oſtenderet, nunquã niſi omniũ poſtremus, & ora ferociter obuertens, & acriter repugnans ſe reciperet. Iouius in uita Magni Sforciæ.

FRANCISCVS Sforcia, Magni F. etiamnum puer Ioannę regnũ in Apulia aduerſus Aragonios defendit. Mox iuſſu patris, aduerſus Braccium, qui Aquilam urbẽ iampridem obſidebat, comparato exercitu eſt profectus: nec multo pòſt urbis obſidio ſoluta eſt, uictuſq; Braccius Franciſci auſpiciis, & cęſus. Hinc in Ciſalpinam Galliam Martini pont. conſilio contendens, ad Philippum Mediolani ducem uenit: cuius primo aſpectu, grauitateq; orationis captus Philippus, ſic eum amare fouereque cepit, ut non multo pòſt Blancam filiam illi deſponderit, Cremona urbe illi tradita. Vſus operà illius Philippus aliquandiu, incredibile dictu, quanto Philippi res melior ductu auſpiciiſq; Franciſci etiam aduerſus Venetos ſit facta. Mox irato aduerſus eum Philippo, uti etiam de generi morte cogitarit, ad Venetos tranſiit: Venetaque ſigna ſecutus, rem in Gallia penè collapſam reſtituit. Philippo mortuo, uictiſq; apud Carauagium memorabili prælio Venetis, Mediolani principatum ſibi peperit: Alexandroq; fratri Piſaurum urbem, cum aliquot caſtellis oppidiſque dono dedit. Fulg. lib. 3. cap. 1. & Egnat. lib. 3. cap. 2. Hic denique omnibus bellis uictor, omnia ſua ſpe maiora aſſequutus dubium fecit, utrùm fortuna uirtutem, an uirtute fortunam anteierit. Vtraq; certè innixus, ita dubiis etiam ſuis

ſuis rebus & aduerſis alteram ſemper altera fouit, ut in neutra quidem ad res magnas gerendas, quamuis magnis & claris hominibus, deſtitutis alterius ſubſidio, ſatis momenti futurum probarit. Obiit minimè oportuno tempore ſuorum, Pauli II. pôtificatus anno altero, qui fuit Chriſti 1465. cùm quadrageſimum & nonum annum natus, regnum adeptus, XV. rerum Mediolani potitus eſſet. Brutus lib.2. hiſtor. Floren. & Egnat. lib.7. cap.1.

VENETORVM.

HENRICVS Dandulus, primùm ad Manuelem Byzantium Imp. legatus à Venetis miſſus, ab eodē penè excæcatus eſt, quòd liberiùs aliquanto cum eo locutus eſſet, obiecta oculis candenti lamina. Tum uerò dux Venetorum creatus, inito fœdere & amicitia cum Gallorum aliquot ducibus, qui de Hieroſolymis recipiendis inter ſe conuenerant, rebellantem Iaderam iam quartum, recepit. Alexium puerum, Iſacij Byzantini Imperatoris filium, cum claſſe ducentorū & amplius nauium, patriis faſcibus reſtituit. Non multo pòſt Alexio puero & patre cæſis, quum Alexius Murciphlus imperium ſibi uendicaſſet, Byzantium expugnatum, Balduinus Flander Imp. creatus, Thomas Maurocenus Veneti ſanguinis, primus patriarcha dictus, Romani pont. dignitas inter Græcos tum primùm aſſerta, Cretaq; inſula Veneto nomini uindicata. Quòd niſi eiuſdem principis mors immatura contigiſſet, Veneti imperij gloria longè maxima, & imperij fines longiùs quoque prouecti forent. Egnatius lib.3. cap.2. & lib.7. cap.1.

SEBASTIANVS Zianus, dux Venetus, Alexandrū III. Pont. tota ferè Europa exulem, Venetiis excepit. Othonem Barbaroſſæ Friderici filium intra Adriatici ſinus fines cum ſeptuaginta & ampliùs nauium claſſe inſultantem, multo minore nauium numero aggreſſus, uicit, cepit, Venetias ad Alexandrum deduxit. Is legatus ad patrem miſſus, pollicituſq; re infecta ſe ad Pont. rediturum, genitoris animum ſic flexit, ut depoſito irarū æſtu, Fridericus Venetiis Alexandro pont. ad ueſtibulum aureæ ædis ſedenti, ſe ſubmiſerit, pedeſq; ſit oſculatus. Mox Romam redeuntem ita comitatus eſt, cum ipſo principe, ut nemo reconciliata gratia inter utrumque non ſummoperè lætaretur. Egnat. lib.3. cap.2.

ANDREAS Contarenus uaticinio quodam acceperat, fore, ut ſi dux Venetorum crearetur, patria in graues calamitates incideret. Mortuo Marco Cornario duce, in agrum Patauinum ſeceſſerat. Abſens dux dictus, uix cognati cuiuſdam aſtu perſuaderi potuit, ut urbem ſui uiſendi cupidā ſaltem inuiſeret, & præſens ipſe data dignitate ſeſe abdicaret. Reuerſus hoc animo, cùm uniuerſam urbem ſibi occurrentem in ſtagnis animaduertiſſet, omneſq; exclamantes eum ducem audiret, uix tandem adduci potuit (magiſtratuū etiam minis interiectis) ut dignitatem ſuſciperet: in qua non multo pòſt Genuenſi funeſtiſſimo bello tanta animi fortitudine ſe geſſit, ut non uictus Piſanus imperator maritima pugna ad Polam, nō expugnata ab hoſte Ligure Clodia, non acerbiſſima in urbe fames, non rei pecuniariæ defectus, animum eius unquam fregerit: quin ipſe aliquot familiis in patricium ordinem acceptis, claſſem conſcenderit, maior iam natu, ſæuienteq; hyeme Clodiam obſederit: eamque ipſam urbem, ipſemet expugnarit, triumphanſque ex hoſte in urbem redierit Calendis Iuliis, qui dies Venetis ob idipſum feſtus eſt. Idem.

PETRVS Mocenicus, Nicolao de Canali rei maritimæ imperator ſuffectus, Eubœa inſula iam antè amiſſa, uniuerſam Græciam Othomanicis armis oppreſſam, refocillauit, Naupactum Turcarum penè armis expugnatum ſeruauit, Cyprum inſulam Veneto nomini, Corneliæq; familiæ adiecit: Scodram iam deploratam, incolumem præſtitit. Veneto imperio planè conſtituto, mortuo Nicolao Marcello duce, princeps declaratus eſt. Idem.

PETRVS Zenus, imperator uniuerſę claſſis Venetæ, cum pontificio legato aduerſus Turcas miſſus, quum eos uniuerſa maris poſſeſſione breui eieciſſet, mox in continentem cum uniuerſis copiis deſcendens, magnā Aetoliæ & Ioniæ partem Chriſtianæ pietati uindicauit: nec mulro pòſt recepta Smyrna, quum litatorio ſacro intereſſet, neq; diſcedere inde ſtatuiſſet, niſi peracto ſacro: Turcis occurrens, fortiſſimeque pugnans, deſertus ab omnibus, in eo quem ceperat loco occidit: & retentæ pietatis nobile poſteris exemplum, & egregiæ fortitudinis inſigne reliquit monimētum. Egnatius lib.3. cap.2. & 6.

CAROLVS, Petri Zeni filius, primùm ad Methonem Genuenſem claſſem, cui Bucicaldus Francici ſanguinis præerat, ſuperauit: pedem clauo ſagitta affixus, ſua manu fortiſſimè belli aleam ad extremum uſq; ſuſtinuit, uictorq; euaſit. Bichinoniam nauim magnitudinis inuſitatæ, & militum copia inſignem, expugnauit, tanta gaza auroq; onuſtam Venetias deductam, ut inde aliquid publicæ ſpei ad rem bene gerendam reipublicæ affuerit. Imperator rei maritimæ declaratus, Clodiam urbem munitiſſimam Genuenſium præſidio recepit. Fuſo fugatoq; Ligure, req; Veneta priſtinæ dignitati reſtituta, ſenex iam Cypri inſulæ regnum à Genuenſibus uindicatum, regi reſtituit. Egnatius lib.3. cap.2. & 6. & libro 8. capite 16.

GALLORVM.

CLODOVEVS Gallorum rex, Alemannos domuit, Veſigothos Arianos regno ſuo expulit, Alaricum eorum regem cęcîdit, regnum Francorum conſtituit & ampliauit. Aemilius.

CAROLVS Martellus, Pipini magiſtri equitum nothus ex Alpaide pellice, Auſtraſianorū dux à patre creatus: eo mortuo, è carcerib. elapſus, in quos à Plectrude nouerca detruſus fuerat, Chilpericum II. regem cum Ramanfredo magiſtro equitum cepit, & re contra Saxones bene geſta, bello imminente Aquitanico, princeps Francorum à proceribus ſalutatus, ad Turonum urbem CCCC Saracenorum millia acie uicit. Qui dies glorioſiſſimus Francis illuxit, celebratáque eſt in reliquis Chriſtianis imperiis lætitia, quòd deuicta Hiſpania, Barbari reliquæ Europæ domandæ conatus à Francia tentanda auſpicati fuiſſent. Qua laudis dulcedine ſemel guſtata, Martellus alterum bellum pro religione geſſit. Friſij nondum publicè conſentientibuſq; omnes animis Chriſtianam pietatem profitebantur. Eos terreſtri bello è continenti pulſos Francus, inſulis etiā Rheni, quibus ſe tegebant, claſſe expugnatis, deditionem facere coëgit, ac euerſis deorum ædibus, famulos Chriſti de religione publicè concionaturos deintegrò recipere, audireq;. Alia parte Viſigothicum bellum renatum eſt, Saracenis operam ſuam conferentibus. Nam & Ariani in Hiſpania Galliaq; reliqui, in Francos coniurarant, & Saraceni ignominiam priorem deleturi fœdus cum iis iunxerant. Iamq; tranſmiſſo Rhodano Lugdunenſem Galliā miſerè populati erant hoſtes, cùm Martellus Luitprandi Longobardi, Lanfredi Alemanni, & Odillonis Bauari auxiliis ſubnixus, Athimum Saracenorum regem, expugnato Auenione, Narbonem, & mox Amoreo rege, in ſubſidium ſuis ueniente Illiberim, ſignis collatis ad internecionē cæſo, Narbone relicto è Gallia in Hiſpaniam fugere coëgit. Altero hoc bello Saraceno cōfecto, Luitprandus Longobardorū rex urbi Romæ infeſtus erat, quòd Romani proceres Thraſymundum ducem Spoletinum, cùm à ſe defeciſſet, copiis iuuiſſent. Gregorius pontifex maximus imminente Vrbi à Longobardis obſidione, fidem Martelli uelut acerrimi religionis defenſoris implorauit. Armis opus non fuit. Martelli auctoritati Longobardus ſuum dolorem condonauit, pace Romę data. His tanta cum gloria rebus geſtis Martellus obiit, annò Salutis ſeptingētesimo primo & quadrageſimo. Sex & uiginti annis rebus Francicis præfuit. Aemilius lib.2.

PIPINVS Caroli Martelli F. magiſter equitum ſub Childerico III. rege ignauiſſimo, uictis Saracenis tertiò in Frāciam irrumpentib. & ultra Pyrenæos montes relegatis, à Zacharia pontifice regium titulum obtinuit, & à Stephano ſucceſſore confirmatus eſt, in clericū attonſo Childerico. Vt pontifici gratus eſſet, Aiſtulſum Longobardorum regem bello adortus, agris multauit, quos pontificatui aſſignauit, fruſtrà reclamante Conſtantini Cæſaris Conſtantinopolitani legato. Saxones & Taſſillonem Bauarorum ducem tributarios fecit. Vaifarum Aquitanię ducem domuit. Obiit annos natus LXVIII. Aemilius.

ROLANDVM limitis Britannici præfectum, quamuis multa de illo milite fortitudinis edita exempla uulgò referantur, quæ fabulis propiora uideri poſſunt, nō tamen id in dubium uenit, omnibus ſui temporis fortitudine præſtitiſſe: Caroliq; Magni, cuius ex Bertha ſorore nepos erat, felicitatem & gloriā huius potiſſimùm lacertis conſtitiſſe. Qui demùm in inſidias cum fortiſſimò quoq; ſuorum præcipitatus circa Pyrenæum ſaltum, poſt ingentis fortitudinis patrata facinora, hoſtibus magno numero interfectis, cecidit, ne nuncio quidem tantæ cladis relicto. Sab. lib.4. c.6. & Egnat. lib.3. cap.2. & Cuſpinianus in Carolo.

ODETTVS Lotrechius, Inſubriæ præfectus, à Franciſco Gallorum rege, Neapolitanum regnū proculdubio recuperaſſet, niſi peſtilētia in ipſius urbis obſidione extinctus fuiſſet: uir certè bello egregiè fortis & pace, æqui pariter & iuſti uſque adeò tenax, ut ſeuerus & inexorabilis haberetur. Sed elatior quibuſdam uideri poterat, quū aſpectu auſteræ frontis, rarò quenquā familiaribus oculis intueretur. Erat ei facies digna prorſus imperio militari, quòd honeſtas nec deformes cicatrices Rauennate in prælio acceptas oſtentaret. Hic ſi cum ducibus ſuæ ætatis comparetur, meritò, ut Demetrius olim, Poliorcetes, appellari poſſit. Sab. ſupplemen. lib.11. ex Iouio.

HISPANORVM.

Luſitani parem ducem non habentes, facilè ſuperabantur, bellum cum Rom. gerētes. Poſtea VIRIATVM ſeu Viriattum adepti, multum Rom. incommodarunt. Erat is ex ea gente

Luſitanorum, qui Oceanum accolunt. Paſtor fuit à teneris, montanæ uitæ aſſuetus, adiuuante etiam corporis natura. Nam & robore & celeritate longè Hiſpanos antecellebat, cùm ſeipſum cibo exiguo & multis exercitationibus aſſuefeciſſet, & ſomno duntaxat, quantum eſſet neceſſe. In ſummá continenter ferrum geſtās, & cum belluis & latronibus manus conſerens, uulgò celebris euaſit, & ab illis dux electus, breui latronum cateruam circum ſe congregauit, atq; in bellis proficiens, non ſolùm admirationi fuit propter robur corporis, uerùm etiam dux excellens uiſus eſt. Erat autem in diſpertienda præda iuſtus, & eos qui egregiè pugnauerant, pro dignitate donis extollebat. Tandem cùm iam non latronem, ſed principem ſeſe exhibuiſſet, bellum geſſit cum Rom. multiſque præliis ſuperior euaſit, adeò ut etiam ducem Rom. Vitellium cum ipſo exercitu profligauerit, captiuumque ceperit, & gladio necauerit, & alia multa in bellò feliciter geſſerit: donec Fabius belli aduerſus illum dux creatus eſt. Inde non paulò inferior eſſe cœpit. Deinde recreatus, & Fabio ſuperior factus, eum in pacta deſcendere indigna Rom. coegit. Verùm Scipio aduerſus Viriatum dux electus, pacta fecit irrita, & ſuperatum ſæpè Viriatum, deinde ad extremam cladem compulſum, adeò ut pacem ſpectaret, per domeſticos dolo interfecit, & eius imperij ſucceſſorem Tautamum eiuſque ſocios perculit, & ut pax arbitrio ſuo fieret, effecit, atque illis agrum & urbem dedit ad habitandum. Diod. lib.32.

Q. SERTORIVS Nurſia ex Sabinis oriundus, ſub Mario bello Cimbrico meruit. Bello Marſico ex uulnere oculum amiſit. Bello ciuili Cinnæ ſeſe adiunxit. Syllam fugiens, Hiſpaniam occupauit. Accitus à Luſitanis dux, qui à Rom. defecerant, partim religione ſimulata Dianæ, ceruam candidam ſecum circumducens, partim uirtute & manſuetudine, Barbaros ſibi deuinxit. Corpus ei mirificè præparatum erat robore, agilitate, ſobrietate. Vinolentiæ ne per otium quidem ſe dedebat. Ingentes labores, prolixa itinera, perpetuas uigilias anguſto & uili contentus uictu aſſueuerat perferre. Alijs duè uagans & uenans, ubi per otium liceret, quemadmodum eludendus fugienti ſibi, quemadmodum cingendus inſectandi hoſtis eſſet, locorumque auiorum & patentium comparauerat experimentum.

Occupata à Saracenis Hiſpania, Roderico rege cæſo, PELAGIVS (qui Vitizæ regis Spatharius fuerat, ſed ab eodem in exilium iniuſtè pulſus apud Cantabros exulabat) reliquias Chriſtianorum collegit apud Aſtures, & in mōntis Auſeuæ ſpecu cum mille fortiſſimis latuit. Oppa epiſcopus Hiſpalenſis, Egicæ regis F. cum Alchamane Mauro eum illic obſedit. Sed Dei manu lapides, ſagittæ, & iacula in auctores ſuos uertebantur: adeoq; XX ferè millibus Arabum interfectis, cæteri quaſi uertigine agebantur. Pelagius ſpiritu fortitudinis roboratus cū ſuis egreditur, & Alchamanā cū maxima multitudine Arabum interficit. Reliqui ad Auſeuę ardua fugientes, ab iis, quos Pelagius illic reliquerat, cæſi periere. Qui effugerant, ad ripam Deuæ fluminis à montis ſupercilio in fluuium corruente oppreſſi fuere. Oppa à Pelagio captus eſt. Muza Saracenorum princeps eam cladem proditioni Siſeberti & Ebæ, Vitizis regis filiis, qui cum Iuliano Comite proditore conſpirauerāt, acceptam ferens, ſecuri eos cum Iuliano percuſſit. Gothi autem clàm ad Pelagium uenerunt, & ciuitatem Legionem, quæ in deſcenſu Aſturum ab Arabibus tenebatur, primo impetu ceperunt. Aldefonſus Catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, cū Pelagio arma iunxit, eiq; Pelagius in uxorem dedit filiam Ormiſindam, & poſt multa bella apud Canicas anno XVIII regni ſui obiit. Rodericus Toletanus lib.4. rerum Hiſp.

GARSIAS Ximenius Gothus, Chriſtianorum, qui in montes Pyrenæos confugerant, Mauris Hiſpaniam uaſtātibus, dux electus, licèt paucorum uiribus (erant enim numero circiter ſexcenti) Mauros à Pyrenæi confinibus expulit, & multis ad eum propter uictoriæ famam confluentibus, magnam quoque Nauarræ prouinciæ partem Chriſtianis reſtituit. Gerebat autem in uexillis & armis arborem uiridem, & ſuper eam crucem rubram in croceo campo. Marineus libro octauo rerum Hiſpan.

GARSIAS Ennicus eius F. Pampilonem primariam Nauarræ ciuitatem cum multis oppidis breui ſpacio temporis hoſtibus eripuit. Idem.

Anno 912. ENNICVS Ariſta dux Chriſtianorum contra Mauros electus fuit, uir in armorum certaminibus ardens (unde cognomen accepit, quippe qui non aliter uiſis hoſtibus ardebat, quàm in igne uritur ariſta) qui ex montibus Pyrenęis cum exercitu deſcendens, Maurorum magnas copias deleuit, & uictor Nauarram peruenit, ubi princeps à Nauarris & Aragonibus electus fuit. Marineus lib.8. rerum Hiſp.

ALDEFONSVS Aſturum & Galatiæ rex, Caroli Magni copiis adiutus, cùm Mauri & Saraceni Baleares inſulas depopularentur, Vlyſſiponem cepit: atque Maurorum ad LXX millia cęcidit, & de prędа loricas, mulos & Mauros Carolo Magno miſit, anno 798. Regino, Adon, Auent. lib.4. Ritius de regibus Hiſpaniæ.

FERDINANDVS Hiſpaniæ rex, è Tarraconenſi, ubi tum Ioannes pater imperabat, in ulterioris Hiſpaniæ regnū, quod Eliſabellæ uxoris dotale fuerat, tranſgreſſus, Luſitanos aliquot præliis ſuperauit: Maurorum imperium in Bætica continuis decem annis oppugnatum, ſuſtulit, tanta bellicæ uirtutis atq; prudentiæ opinione, ut nemo illi Chriſtianorum regum conferendus eſſe uideretur. Itaque ob reſtitutam Chriſto Hiſpaniam Catholici cognomen meruit. Iouius libro primo Hiſtoriarum.

ALFONSVS, mortuo Ferdinando patre, cùm Aragoniam aliquandiu ſapienter adminiſtraſſet: adoptatus in filium à Ioanna Neapolitanorum regina, diſſuadentibus amicis, expeditionem in Italiam ſuſcepit, Reginæ opem tulit, Ludouicum ducem Andegauenſem, qui regnum ſibi hæreditario iure debitum affirmabat, pluribus præliis afflictum expulit. Reginam, quæ malo uſa conſilio ab ſe defecerat, non tam puniuit quàm coercuit. Renatum alterum regni æmulū armis uictum cedere compulit. Ioannem Vitelliſcum Alexandriæ Patriarcham, magnis copiis inſultantem, regno fugauit. Caietam bis cepit, Neapolim expugnauit: Ioannem fratrem, Nauarræ regem in Hiſpania laborantem armis adiuuit: Maſſiliam diripuit. Ab Eugenio Pōtifice maximo, quas tandem uoluit leges pacis accepit. Franciſcum Sforciam ex agro Piceno armis deturbauit, & in Albania & in Oriente per ſuos duces Turcis infeſtus, non parua eis damna intulit. Bis Florentinos ob res Gallicas armis afflixit: bis eis pacem petentibus dedit. Sed maius omnibus eſt & admiratione ſtuporeq; dignius, quòd prælio nauali à Genuenſibus ſuperatus, & in Philippi Mediolanenſium ducis captiuitatē adductus, mox liberatus, potentiſſimo regno potitus eſt, & à uictoribus uictor tributum accepit, & adeò erga Philippū gratus inuentus eſt, ut ab illo hæres ſit nuncupatus. Aeneas Syl. cap. ultimo Europæ.

PETRVS Nauarrus Hiſpanus in Mauritania atque Numidia magnis rebus geſtis eximij ducis nomen, ex gregarij militis fortuna eſt conſecutus. Iouius in Leone X. lib.2.

CONSALVVS Agidarius, Magnus ob rerum geſtarum gloriam dictus, patria Cordubenſis, à Ferdinando rege in Italiam miſſus, Neapolitanum regnum Aragoniæ familiæ reſtituit. Atque ut militari laude ſua tempeſtate præſtitit omnibus, ſic etiam religione ac pietate in Deum, munificentia in duces ac milites, amicitia & caritate erga omnes, ut uel hoſtes ipſi ab eo ſint benigniſſimè excepti: Ea demùm probitate, ut regnum ſibi uendicare potuerit, niſi fidem ſemel Ferdinando regi datam nunquam uiolandam ſtatuiſſet. Vixit in Hiſpania aliquot annos in ſumma nominis celebritate. Sexageſimum & alterum uitæ annum agens, in quartanæ morbum incidens, apud Loxam Granatenſis regni oppidum mortuus, in Granatenſem urbem præcipua regiaq; funeris pompa delatus, & in æde Diui Franciſci ſepultus. Fulg. lib.5. cap.1. & Sab. lib.10. cap.8.

ANTONIVS Leua, Hiſpanus, ex gregario milite per omnes militiæ gradus Caroli V. Cæſaris exercitus ſummum imperium adeptus, dux mirus & incomparabilis eſt uiſus, uel ob id præſertim, quòd tantis rebus geſtis, totq; partis uictoriis, uel occupante totos artus miſerabili morbo, animo pariter & corpore indomitus, nunquam à munere militari diſceſſerit. Sæpe enim lectica uectus illigatuſq; faſciis, propter acerbiſſimos neruorum dolores, aciè conflixit, expugnauit oppida, diuerſorumq; hoſtium ſibi incumbentium conatus infregit: ita ut ſi proſpera uteretur ualetudine, non ſuæ modò, ſed ſuperioris etiam ætatis duces, fama & laude ſupergreſſurus crederetur. Guicciard. lib.5. & Iou. lib.27. Hiſt.

BRITANNORVM, ANGLORVM, SCOTORVM.

Dunuallo Britannorum rex moriens, reliquit regnum Bellino & BRENNO liberis commune. Ij ſtatim de dominatu & poteſtate inter ſe certare cœperunt: ſed hortantibus ad pacem amicis, ad extremum in gratiam reconciliati, regnum inter ſe partiuntur. Brennus minor natu, haud patienter ferens fratrem potiorem regni partem aſſecutum eſſe, in fratrem bellum mouit. Sed maternis precibus uicti, tam fœdū certamen ambo depoſuêre. Brennus inde, ut ne ſordido otio torpeſceret, in Gallias traiecit, illic ſtipendia facturus. Senones Galli, ſiue prægrauante turba patriam exonerare cupientes, ſiue ab Italis accerſiti, duce Brenno, cum magna hominum multitudine tranſcenderūt in Italiam, ac ſubitò Cluſium adorti, legatis Romanis uiolato gentium iure ad arma procurrentibus, omnem belli impetum in Rom. conuerterunt: Romaq; capta, à Camillo ex inſidiis, dum aurum appendunt, uicti ſunt. Vrbe inde egreſſi, Gabina uia, ad octauum lapidem, atrociore ſunt clade afflicti, caſtra capta, ut, ſi Liuio credimus, ne nuncius quidem cladis ſuperfuerit. Po-

lybius uerò ait, Gallos ab obsidione urbis domestico bello auersos, fœdere cum Romanis percusso, restitutaq; urbi libertate, domum abiisse. Fuit deinde centesimo decimo anno pòst, alter Brennus, natione Gallus, cuius ductu altera pars Gallorum in Græciam peruenit. Polyd lib.1.

VTherio Britannorum regi successit filius ARTHVRVS, qui si diutiùs uixisset, rem propè perditam suis Britannis restituisset. De hoc, propter ingentes pariter corporis uires, atque animi uirtutes, posteritas miranda prædicauit, quòd tres bello superarit Saxonum duces, quòd Scotiam cum uicinis insulis in potestatem redegerit, quòd Romanos in agro Parisiorum, cum quodam Lucio eorum duce, deleuerit, Galliamq; deuastarit, ac demum gigantes occiderit. Ad extremum, dum uellet Romam petere, domesticis seditionibus euocatus, Mordredum nepotem, qui regnum per tyrannidem in eius absentia occupauerat, interfecit. Dicitur gladiũ habuisse Caliburnum nomine, quo 460 milites in uno conflictu prostrauit sua manu. Insignibus eius insculpta fuit imago genitricis Christi. Subiecit sibi intra paucos annos triginta regna: & tandem in prælio quodam sauciatus & captus in insulam quandam relegatus est. Sepulcrum eius in Glasconiensi cœnobio ostenditur. Polydor. lib.3. & Nauclerus generat.17. lib. 2.

EDMVNDVS Etheldredi F. qui regnum Angliæ exul recuperauit, Canuto Daco tamen partem concessit, triennij spacio res contra Dacos gessit amplissimas, & propter bellicam fortitudinem Ferreum latus cognominatus est. Polyd. lib.7.

IOANNES Haucutus Britannus, ab extremis Oceani finibus, traducta in Italiam Anglorum manu, clarus euasit. Quum rebellantem à Gregorio XI. pont. Togatam Galliam circa annum 1375. pacauisset, tulissetq; in præmium nauatæ operę quinque oppida, adeò mox inclaruit, ut Bernaboui Vicecomiti Italiæ principum longè potentissimo gener asciscere tur, & cum Florentini demum ingentis exercitus ducem crearent. Vnde illi, uti de rep. bene merito, imaginem colosseã equestrem, supra sepulcrum, in templo maximo posuerunt. Iouius in uita Magni Sforciæ.

CADALLVS, Brigantinæ Scotorum gentis dux, uir fortissimus, patriam ab immani tyrannide Gilli uindicauit, in Hibernia bellum renouantem oppressit, Eueno regi regnum stabiliuit. Mortuo statuã Epiaci in foro Euenius erexit, & diuinis honoribus prosequi iussit; nec multo pòst tanti uiri desiderio contabuit. H. Boethius lib.2.

Britanniæ pars Scotia à Iul. Agricola Domitiani legato, rei militaris peritissimo, domita: GALDVS Scotorum rex multis præliis uictus. At cùm Agricolæ Romam reuocato successor datus esset Cn. Trebellius, exercitus uerò Trebellianum præferret: contentione inter Romanos oborta, Galdus quantis potuit copiis collectis terna acie Romanos uicit, in castris obsessos ad pacem humiliter petendam orbis dominos adegit, & quinquaginta annorum bello, liberata patria, finem imposuit. H. Boethius lib.4. ex Tacito.

KENNETHVS Scotorũ rex, Pictos populũ ferociss. cum quo Scoti per annos 1171. uaria fortuna nunc uictores, nũc uicti, nũc socij, nunc hostes, colluctati fuerãt, quòd regnũ Alpino patri hæreditario iure debitum eripuissent, eundemq; acie uictum atq; captum securi ignominiosiss. percussissent, funditùs extirpauit. H. Boethius lib.10.

Eduardo I. Anglorum rege pòst occupatum Scotiæ regnum ad Gallicum bellum profecto, Scoti pristinæ libertatis desiderio XII gubernatores elegere contra tyrannum. Eodem tempore adolescens quidam, patre equite aurato natus, VVALLAS nomine, corporis proceritate ac pulcritudine cunctos mortales ea tẽpestate superans, belli peritia tãta, ut nullus illi uel conferendus putaretur, omnium suffragiis dux liberandæ patriæ creatus est: gubernator sub Ioanne Baliolo rege (ab Eduardo eiecto) uulgò appellatus. Arcem Deidonensem, Forfarium, Brechinum, Montemrosarum, Dounoter recepit: Aberdoniam solo nominis sui terrore Anglos relinquere coegit. Hugonem Cassingauiensem Anglici regni uicarium iusta acie uicit. Militiam detrectantes suspendio necauit: eaque ratione deinceps obedientiss. habuit cæteros. Eduardus irarum plenus cum exercitu è Gallia redit: per legatos cum Vualla de latrocinio expostulat. Is uerò respondet: Eo se iure absentis regnum inuasisse, quo Eduardus regnum Scotiæ, dissentientibus proceribus, per dolum in Ioannem contulisset, ut eo eiecto regnaret. Vt uerò, inquit, sciat Eduardus, meorum me defendendorum gratia in Angliam cum exercitu uenisse, hoc illi meis uerbis renunciate: me illum in Anglia ad cœnam Paschalem, ubi eũ cum exercitu meo expectabo, inuitare. Ad dictum diem Anglos numero duplo plures, solo aspectu suo in fugam coniecit. Interea cùm Vuallæ successibus clàm proceres inuidere cœpissent, gliscentibus inter eos dissidiis, Eduardus reparato exercitu Scotiam inuadit. Vuallas nihildum mali suspicans, cum suo exercitu obuiam procedit, ad Varium sacellum congressurus. Eò ubi deuentum, inter duces est disceptatum, cui eorum primæ aciei regimen deberetur. Stuart enim & Cumein Vuallam uti hominem nouum contemnebant: at is uicissim belli administrandi omnium suffragiis summam potestatem penes se esse asserebat. Dum suum quiq; ius tuetur, infestis armis eos Eduardus inuasit, & magna strage Scotos affecit, die D. Magdalenæ sacro. Vuallas nusquam nec optimi ducis, nec strenui militis munus omittebat. Cæterùm numero superantibus Anglis, tum tergã Roberto Brusio per proditionem cædente, cum paucis relictum sese uidens, impetu denuò in hostes facto erupit. Periere ea pugna clarissimi uiri Scoti. Vuallas inuidiæ cedens magistratu se sponte abdicauit. Occupato interim toto regno ab Anglis, cùm cæteri manus uictori dedissent: solus Vuallas, cum paucis asseclis, per montes & auia peruagatus, in syluis & antris latitabat. Fertur missis legatis ab Eduardo, ut si uellet regi subiectus esse, comitatum ac prædia acciperet, legatis respondisse, Maioris se libertatem, quàm agrorum possessionem facere. Proditus tandem Eduardo, Londini crudeliter trucidatus est: artus hinc inde per Scotiam in cruces acti. H. Boethius lib 14.

Subacta ab Eduardo I. Anglorum rege Scotia, IOANNES Cumenius comes, & Robertus Brusius inter se de patriæ oppressione questi, contra Anglos coniurant. Ioannes Roberto regia stirpe orto regnum defert. Robertus Ioanni cũ ampliss. præmus secundas à rege. Sacramentum diplomate confirmatur. Interea Ioannes uel metuens indicium, uel ut æmulum regni tolleret, literas coniurationis ad Eduardum mittit. Eduardus uix credere. Roberto literas ostendere. Is hunc se fructum ueteris inimicitiæ erga Ioannem animaduertere respondit, literas non agnoscere, & unius noctis spacium (comitatu interim suo pro obside relicto) ad commentum detegendum petere. Eo impetrato, tribus equis delectis pernicissimis, ferreas soleas præposterè affigi curauit, mediaque nocte per niues euasit in uallem Annandiæ. Ibi in societatẽ accepto Dauide fratre, & Roberto Flemein nobili adolescente, Dumfrens profectus, Ioannem Cumeniũ in choro Minoritarũ proditionẽ negantẽ interfecit. Mox impetrata uiolati sacri ac cędis à Pontifice uenia, auxilio amicorũ Sconã profectus, diadema regale sumsit, & q̃ potuit maximas copias aduersus Anglum comparauit. Cæterùm ab Odomaro Valentino Eduardi uicario bis uictus, ab omnibus desertus, per syluas & montes uagabatur. Asseclarum illius uxores & liberi proscripti. Duos tantùm in ea fortuna fideles amicos habuit, comitem Lenni & Gilbertum Hay. Solus nonnunquam cum uno aut altero comite per inuia delitescebat, ut neque famuli à contumeliis abstinerent, & herum desererent. Cædes interea per omnem Scotiam eorum, qui se aliquando Roberto adiunxerant, fiebat: Fratres eius Nigellus & Thomas & Alexander capti, cum plurimis aliis capite truncati sunt. Vxor eius à Vuilhelmo Cumein ad Eduardum ducta, in arcta diu custodia Londini est detenta. Quæ omnia quum Robertus audiret, nec ipse minora quotidie pateretur, inuicta ad extremum usque tulit patientia. Humi cubare, aqua pro uino aut cereuisia uti, à pueris didicerat, cum patre in castris ac famulitio regio propè educatus. Et licèt omni auxilio destitutus esset, & familia penè tota eius extincta, tamen nunquam sperare destitit, se regnum sibi aliquando & populo suo libertatem comparaturum. Ad extremum ab Hebridiano quodam uetere amico refectus, exigua militum manu comparata, Aquilonares primùm aliquot arces ui cepit. Maiore deinde cõcursu ad illũ facto, tumultuariis etiã præliis Anglos non semel deuicit. Eduardus ueritus, ne prospera fortuna elati Scotorum animi, nouam defectionem pararent, maiore cũ exercitu ad fines Scotiæ accedens, graui morbo repentè periit. Eduardo successit Eduardus II. F. disparis ingenij & fortunæ. Sensim igitur Robertus uires auxit. Ad Heuuerute uicum Aberdonensem, Ioannem Cumenium profligauit: oppida, arces cepit & euertit, Monam insulam occupauit. Eduardus uicinas sociasque gentes contra Scotos exciuit, uictoriæ fructum Scoticorum agrorum diuisionem promittens. Confluxere cum uxoribus & liberis ex Belgis, Celtis, Aquitanis, Anglis, ad CL peditum totidemque equitum millia, diuersorum morum, & linguarum, sine ulla disciplina militari. Eduardus ad Scotię fines progressus, consilium procerum conuocat, quo supplicij genere Robertum excarnificaret deliberaturus. Carmelitanum monachum secũ ducebat, qui carmine Anglorum de Scotis uictoriam & Scotiæ euersionem decantaret. Robertus ediuerso XXX millium ueteranum exercitum trahebat. Castra in loco plano posuit, audaci consilio contemtum sui hostibus eximens. Fossas circumcirca altissimas egit, quà prælium futurum arbitrabatur, impositis sudibus præacutis, cespiteque uiridi leuiter superiniecto, ut pedes modò, nec multum frequens transire posset: sed ubi omnis multitudo ingrueret, aut e-
ques

ques transire conaretur, tum sustentacula omnia corruerent. Præterfluebat castra fluuius nomine Bannafborn, prę lio hoc celeberrimus. In medio pugnæ ardore, Scotorum lixæ & calones indusiis candidis supra uestes inductis, ex uicino monte noui exercitus speciem præbuere. Territi proinde Angli, in turpem fugam præcipites abiere, cæsi ad L. millia. Robertus inde omnium consensu rex confirmatus est. H. Boethius lib.14.

GOTHORVM.

BOEREBISTAS Getarum rex, Augusto imperante, traiecto Istro, Thraciam & Macedoniam diripuit, Boios & Tauriscos f[illegible]eleuit, magnumque Romanis terrorem incussit. Opera & consilio utebatur Cenei siue Decenæi cuiusdam magi, auguriorum periti. Priùs autem periit, quàm Romanorum exercitum ab Augusto missum uiderit. Strabo libro septimo.

THEODERICVS, Theodemiri Ostrogothi ex Aurellana concubina F. obses à patre Leoni Imper. datus, octo annorum puer, optimis artibus in aula Imperatoris XI annos educatus, patrique redditus, eo inscio Babaiam Sarmatarum regem inuasit & occidit. A' Zenone Augusto in filium adoptatus, Gepidas & Bulgaros uicit. Italiam ingressus contra Herculorum tyrannidem, ad Sontium fl. propè Aquileiam Odoacrum primùm uicit, ad Veronam secundò, ad Rauennam tertiò: & tandem triennali obsidione Rauenna capta, Odoacrum sustulit, Herulorum populum Augustam Prætoriam in Alpes deduxit. Pacatam tenuit Italiam, nominis sui terrore, & regum uicinorum affinitate. Insulas Italiæ uicinas, item Dalmatiam, Liburniam, eamq; Illyrici partem, quæ ad Hadriam spectat, Narbonensem Galliam in Comata Gallia, circa Rhenum gentes quasdam suo regno adiecit. Pannoniam, quæ ad Syrmium uergit, defendit aduersus Bulgaros: qui relictis sedibus, quas circa Istrum propè Pannoniam & Noricum habuerant, Thraciam populabantur. Omnia Alpium claustra, à mari ad Tridentinum saltum, Gothorum principibus attribuit, Tridentumq; muro cinxit. Clodouci Gallorum regis orthodoxi soceri sui uictoriam contra Alaricum Vestgothorum regem Hispaniæ Arianum ægrè ferens, Almaricum Alarici F. armis in Hispaniam uictis Francis restituit. Platina & Sabellicus libro secundo, Enneadis octauę.

TOTILAS Gothorum res in Italia afflictas in integrum restituit, XI. Iustiniani duces primùm profligauit, ipsum Belisarium integro quinquennio fatigauit, Romam bis cepit, Siciliam occupauit, Corcyram cum uicinis insulis depopulatus est. Tandem à Narsete eunucho superatus fuit. Io. Magnus lib.13. & 14. ex Procopio.

Gothos ad Vesuuij montis radicem Narses eunuchus in Lacteum montem compulerat. Inde, cùm ciborum satis in monte non inuenissent, uno agmine omnes de improuiso in hostem eruperunt, & equis dimissis, in densiorem phalangem se collegerunt. Quos imitati Romani & ipsi, globo facto, se instruxerunt, atque infestis animis concurrerunt, prælium oriente sole incœptum. In eo TEIAS rex, Fridigerni F. qui Totilæ successerat, prælato clypeo, uibratoque telo, primus omnium ante aciem constitit. Quem ut Romani uiderunt, in eum omnes uno agmine ruunt, qui sibi uirtutis aliquid & uirium uindicabant: cumque partim telis, partim missilibus certatim peterent: ille clypeo se protegendo, & tela excipiendo, in Romanos inuadens, multos obtruncat: cumque præfixum undique telis scutum uideret, alterum, eo deposito, proximo armigero porrigente, arripit: sic usque ad tertiam diei partem pugnans: cùm duodecim iam scuto affixa pila gestaret, nec mouere id posset, neque hostem propellere, haudquaquam loco motus, dextra obuios feriens, læua in se uenientes repellens, aliud sibi scutum dari clamauit: quod dum commutat, parte pedis inferiore nudatus, ea uulnus accepit: quo statim moribundus procubuit: cuius caput nonnulli statim præciderunt, atq; hastæ præfixum exercitibus utrisq; ostenderunt, ut Romanis animos adderent, Gothis autem timorem inferrent. Sigonius libro 19. Imp. occid.

GERMANORVM.

☞ *Vide suprà, Romanorum imperij.*

VVILHELMVS Victoriosus, dux Brusuicẽsis, comitatus plures suæ adiunxit ditioni. Septem iustis præliis dimicauit uictor. Obiit nonagenarius anno 1482. Cranzius libro 12. Saxoniæ, capite 31.

GERARDVS Magnus Holsatiæ comes in Stormaria, anno 1320. Ioannem Largum Vagriæ comitem profligauit, Thietmarsos magna strage affecit, Christophorum Danorum regem uicit, Valdemarum Slesuici ducem nepotem suum è sorore, Danis petentibus regem dedit. Christophoro iterum reconciliatus, cùm ab eo perfidè impeteretur, acie uictum cepit: eoque mortuo filium quoque eius Othonem in uinculis habuit. Tandem cùm Gerardus in Daniam uictorẽ exercitum duceret, à milite quodam perfidè in lecto confossus est. Cranz. lib.9. Saxoniæ, cap.12.

HENRICVS Holsatus, Gerardi F. Ferreus dictus, patris interfectorem Nicolaum Iacobi ui captum in quatuor partes dilaniatum puniuit. Suecorum regi militans, Finnos rebellantes subegit. Eduardi III. Anglorũ regis stipendia secutus, eum se præstitit, ut annuo stipendio quadringentorum aureorum maiorũ cum posteris sit donatus. In Italia quoque meruit. Magnum Sueciæ regem, cuius filio Aquino Noruegiorum regi sororem desponderat, quòd pactis non stetisset, regno deiecit consensu procerum, eique Albertum Magnopolitanum ducem præfecit. Frater eius Nicolaus domum interim seruans, dum Henricus peregrinatur, rusticam plebem ad arma erudiuit: per singulas uillas, communibus omnium impensis, unum armigerum iussit expediri: minoribus uillis permisit, ut binæ iunctis uiribus & equum & arma cum milite prompto semper haberent. Tandem multis exantlatis laboribus anno 1381. Henricus obiit, relictis post se tribus filiis, sepultus in Itzeho. Cranzius libro 9. & decimo Saxoniæ.

DANORVM, SVEONVM.

FROTHO III. Danorum rex, septem annorum puer à patre Fridleuo relictus, cùm à Vestmaro & Colone patruis regnũ malè administraretur, tandem ubi per ætatem potuit, Erici præsertim Diserti Noruegi, cui Gunuaram sororem elocarat, ductu & consilio, res maximas gessit: Sclauos, Noruegios, Suecones subegit, legibus optimis Remp. instituit, paceque triennali, in quã Christi opt. max. ortus incidit, constituta, longæuus tandem à ueneficâ peremtus est. Saxo libro quinto.

HALDANVS, Haraldi Danorum regis F. proceritatis maximæ, Frothonem patruũ in paternæ necis ultionem in regia exussit, Ericum Suecorum regem cepit, Sueoniam occupauit. Tokonem & Anandum piratas deleuit. Syualdum cum septem filiis magiæ peritissimis, qui Sueonum regnum occuparat, quercu in clauæ morem conformata occidit. Hartbenum gigantem cum XII pugilibus oppressit. Thoildæ Hatheri Noruagiorum reguli filiæ nuptias iam senex uicto Grimmone riuale obtinuit, ex qua Asmundum Noruagiorum stirpis regiæ auctorem sustulit. Elbonem piratam, qui roboris confidentia Vnguini Gothensium regis filiam Sygrutham in uxorem postulabat, ipsa nuptiarum nocte singulari certamine interfecit. Sine liberis moriẽs, regnum Vnguino reliquit. Saxo lib.7.

ERICVS Segersel, hoc est, Victoriosus, Gothorum & Sueonum rex, Agnerum Danum acie uicit: Liuones, Finnos, Estones, Curetes bello sociali profligauit: Haraldum Danum, deinde eius filium Suenonem regno exuit, & toto septennio Daniæ ius dixit, amplissimum principatum (quem Tanais fluuius ab Oriente, & Albis ab Occidente terminauit) in pace & magna tranquillitate gubernauit. Io. Magnus libro 17. capite 14.

NORMANNORVM.

Normanni duce Ricardo & Roberto in Italiam profecti, Salernitani ducis stipendiis militarunt circa annum Christi 900. Militia clari continua successione duces sibi crearunt, quoad GVLIELMVS Fierabraccius Altauillæ comes à Malocco Græci Imp. præfecto stipendiis contra Saracenos promeritis frustratus, multa loca Calabriæ & Apuliæ occupauit, seque comitem Apuliæ dixit. Successere huic fratres, & ad extremum ROBERTVS Guiscardus, pulso Bagelardo nepote, quem Godofredus pater moriens comitem Apuliæ dixerat, prudentia & fortitudine insignis, Nicolao II. Pp. reconciliatus, & diris exemtus, cùm ea quæ Ecclesiæ ademerat restituisset, dux Calabriæ & Apuliæ creatus est. Rebelles pontifici domuit. Cyriacum Romani Diogenis Imper. Græcorum superauit. Barletam anno tertio expugnauit. Capuam cepit, Beneuentum occupauit. Regium acquisiuit, Panormum in Sicilia obtinuit, anno Salutis 1073. Proditione Bettiminij præfecti Saracenorum Siciliam occupauit, Alexandro II. de præda camelos quatuor dono obtulit. Atque adeò Robertus cum fratribus suis XVIII annorum spacio Apuliam, Calabriam, Siciliam, mirabili uictoriarum successu, obtinuit. A' Gregorio VII. anathemate perstrictus, Salernum occupauit. Reconciliatus pontifici, quæcunque Ecclesiæ abstulerat, reddidit. A' Venetis, Nicephori Græci Imper. partes tuentibus Dyrrhachium obsidens, nauali prælio uictus, obsidionem nihilominus continuauit. Græcos ad Dyrrhachium ingenti strage uicit. Henricum III. Imper. qui Gregorium VII. Romæ obsidebat, obsidionem soluere, sola aduentus sui fama coegit: Gregorium libertati restituit. Venetorum & Græcorum classem ad Dyrrhachium profligauit. His initiis tam præclaris Constantinopolitanum imperium animo iam con-

ceperat,

ceperat, cùm Cortyræ anno Salutis 1082. menſe Iulio ex cauſo obiit iam ſexagenarius. Pandulfus Collenutius libro 3. hiſtor. Neapolit.

HVNNORVM, HVNGARORVM.

ATILÆ & Bledæ fratris ductu, Hunni Thraciam, Myſiam, Illyricumque fœdè populantes, Byzantio imminebant. Victi tamen uno prælio à Theodoſij Imper. ducibus, aliquandiu quieuêre. Atila exercitum ſumma ope reparat, ualidiſque auctus copiis, Valentiniani opes inuadit. Bellum à Bledæ fratris nece, quem Budæ incautum peremit, auſpicatus (qui ut erat mitioris ingenij, periculoſas prohibebat expeditiones, & reges Oſtrogothorum, & Gepidarum, qui copias coniunxerant, & in quorum fide ſtaret tota victoriæ ſpes, uti ſoctos, non ut ſubditos, ab illo haberi, tractarique uolebat) in Galliam irrumpens per Germaniam, in Catalaunicis campis à Theoderico Veſtgothorum rege & Aetio Patritio Rom. Valentiniani Imp. duce profligatus, fugaque uix elapſus, poſt quinquennium reparatis copiis, mortuo Aetio, & Thoriſmundo Veſtogothorum rege, per Dalmatiam in Italiam irrupit, eamq; miſerè uaſtauit. Leonis pontificis occurſu diuinitùs adeò uir hic uidebatur delectus, qui rem Chriſtianam ſuſtineret. Cum exercitu Seruiam ingreſſus, pluribus cladibus Turcos aſſecit, eorumque duces bis acie ſtrauit, Moldauiam recuperauit. Omnes occultos tramites, quibus Turci erumpere ſolebant, ita clauſit, ut omitem eis prædandi occaſionem adimeret. Baſſam Amurathis II. cum LXXX M delectorum militum parua manu fudit. Eapropter tanto hoſtibus ſtupori & terrori fuit, ut plorantibus pueris matresfamilias quoque taciturniratem non aliter imperarent, quàm Huniadis præſentiam minitantes. Vladiſlao regę tertio regni anno, cum Cruceſignatis militibus in Bulgariam irrumpente, ſex victorias uno die ſignis collatis aſſecutus eſt: ſexto prælio XXX. Turcorum millia cæcidit, & Georgium Deſpotum Seruiæ in regnum reſtituit. Pace interea cum Turco firmata in decennium, cùm eam Eugenius IV. Pontifex per Iulianum Cæſarinum cardinalem irritam feciſſet, ad Varnam Romaniæ centum millia Turcorum ptimùm profligata, poſtea uerò reſumtis uiribus Chriſtiani fiſi ſunt. Vladiſlaus cæſus, fœderis non ſeruati pœnas dedit. Huniades fuga elapſus, Hungarici regni Adminiſtrator electus, Turcum imparatum aggredi uolens, proditus à Georgio Seruiæ Deſpoto, in Caſſouio Myſiæ campo, quem alij campum Merulæ appellant, in Bulgaria atrociter infeſtis armis toto triduo dimicauit, primùm uictoria atque iterum Hungaris cedente: qui etſi numero impares erant, uirtute tamen præſtabant. At dum Amurathis caſtra Huniades oppugnat, Mahometus Cæſaris filius, proximo quodam tumulo extra aciem quadraginta habens electiſſimorum equitum millia, Huniadem paternis caſtris hærentem, tanta ui eſt adortus, ut poſt ingentem ſtragem ægrè Huniades cum paucis ſit ſeruatus. Emta multo ſanguine uictoria, Amurathes (nam ducenta propè millia militum habuiſſe dicitur) domum rediit. Fuga elapſus Huniades, Georgij Deſpoti ingratiſſimi hominis precibus uictus, Fritzebechum Amurathis ducem profligauit, & Seruiam à Turcis liberauit. Mortuo Amurathe, Mahometus F. eius ſubacta Conſtantinopoli, auctus opibus, quas triennio congeſſerat, ex omni regno accerſitis proceribus, anno Chriſti 1455. expeditionem in Hungaros inſtituit, Belgradum, quam Hungari Nandoralbenſem arcem, hodie Albam græcam uocant, obſedit. Annales Hungarici CCCCM in exercitu pedeſtri ac nauali habuiſſe Turcum, tradunt. Latinorum Imperatorem ſe obruiturum iactitabat, qui iam Græcorum Cæſarem neci dediſſet. Germaniam atque Italiam direptioni militum ſpopondit: eſſe unum eſſe dictitans, cui omnis terra ceſſura eſſet, ſi unus Deus cœlo præeſſet. Hungari Ioannis Capiſtrani monachi Minoritani concionibus excíti, Huniadem Comitem Biſtricenſem cum quinque millibus equitum ſecuti ſunt, accedentibus Cruceſignatorum XLM. Tam paruum numerum contemnens Turcus, Amurathi patri maledixit, qui ſeptem menſes fruſtrà in obſidione Belgradi conſumſiſſet, ſe quindecim diebus arcem ſolo æquaturum. Inita pugna, hinc Turci, hinc Chriſtiani, nunc uicti, nunc victores, cruenta cæde (duce Huniade) primùm Baſſam Natoliæ Carazam Thraciæ præfectum ſternunt, primoreſque exercitus duces occidunt: tum Mahometum ſagitta, ſub papilla læua, in pectore uulnerant. Quem mortuum credentes Turci, nocte ſemiuiuum abducunt, omnes in fugam conuerſi, relictis omnibus impedimentis, caſtris ſunt exuti. Mahometus ubi ex dolore uulneris ad ſe redit, intelligens ſuorum cladem (nam in acie ſupra XLM eciderant, plures in fuga abſumti fuerant) ueneno uitam uoluit ſibiipſi admere, ne tanto cum dedecore in patriam inglorius remearet. uix à ſuis prohibitus. Nunquam poſt de ea clade aut audire aut audire quenquam uoluit: & quoties illius memoria lubiit, ſemper barbam manu uellens, ſuſpiria deduxit cum fremitu, & hunc execratus diem inter atros computauit. Sequenti anno poſt cladem Huniades morbo correptus, non ſine planctu uniuerſæ Hungariæ, imò totius Chriſtianitatis, diem ſuum obiit. Cuius mortem etiam Turcorum Imperator indoluit uehementer, totumque penè diem poſt nuncium illud obticuiſſe mœſtus fertur, ultionis materiam ſibi morte præreptam lugens. Cuſpinianus, & Cromerus libro uigeſimoprimo. Cùm Turcis decies collatis ſignis, quaterdecies tumultuario & improuiſo prælio feliciter dimicauit. Bis uictus, pernicioſam hoſti victoriam reliquit. Bonfinius libro octauo, Decadis 3.

Omnium proſperrimè rem Chriſtianam MATHIAS Hungarorum rex in Turcos geſſit: ut iis non minori eſſet terrori, quàm olim Huniades pater. Ingentem exercitum ab initio regni, qui Syrmienſes agros uaſtabat, fudit fugauitque, ac arces ab eis occupatas recuperauit. Valida etiã manu maiorem Seruiæ partem penetrauit, multa feliciſſimè geſſit, Boſnenſe regnum, quod uulgò hodie Romaniam uocamus, Turcorum manibus eripuit. Caſtrum Iayeza munitiſſimum ui & armis ſubegit: ſtatim a loca deditione cepit: capriuos plures cum inſigni & nouo triumpho abduxit. Cùm à Mahumeto Baiazetis patre arx Iayeza iterum obſideretur, tam cruento bello repulit Turcum, ut coactus ſit impedimenta & machinas omites poſt ſe in prædam & ſpolia Hungaris relinquere. Mahometus hunc ſolum Mathiam inter Chriſtianos duces Principis nomine dignabatur. Sabatiam inde arcem munitiſſimam, ad litus Saui fluminis ſitã, ſtrenuè faucibus Turcorum eripuit. Quòd ſi poteſtati Mathiæ traditus fuiſſet Zizimus Baiazetis frater exul, ex tota Europa Turcorum gentem expelli potuiſſe, multi opinantur. Tandem Viennæ anno Chriſti 1490 in uigilia cœnæ Domini mortuus eſt, quum iam Auſtriam annis penè ſexdecim occupaſſet. Cuſpinianus.

GASTO Foiſſeius, Galliæ regis Ludouici XII. ex ſorore nepos, imberbis adoleſcens, antè imperator quàm miles, antè triumphator, quàm à victore exercitu acclamatus imp. cuius uirtutem adeò intemperanter Fortuna exſtulit & extinxit, ut cum nullo mortalium utroque uultu uelociùs atque uehementiùs luſiſſe uideatur. Hic uirtute ac celeritate ſua, quindecim dierum ſpacio, pontificium Hiſpanicumque exercitum à Bononiæ mœnibus diſcedere cogit: Ioannem Paulum Baillonem Venetarum copiarum ductorem acie fudit: Brixiam magna militum populique ſtrage recepit, adeò ut communi omnium iudicio, Italiam à multis ſeculis in rebus bellicis tale aliquid non uidiſſe confirmaretur. Tandem ab Hiſpanis, dum in uictoria perſequenda militis potiùs quàm ducis munia ſubit, in ipſo victoriæ & ætatis flore cæſus occubuit. Iouius libro ſecũdo in Leone X. & Guicciardinus lib. 10. Sed hic ad Gallos referri debet.

POLONORVM, BOEMORVM.

BOLESLAVS Criuouſtus III. Polonorum rex feliciſſ. & victorioſiſſimus, XLVII aperto marte dimicauit, ſemper uictor. Extremo prælio contra Ruſſos ad Haliciam hoſtium multitudine & Palatini cuiuſdam fuga victus, cùm uix euaſiſſet, præ mœrore animi intra annum periit. Cromer. lib. 6.

OTHOCARVS, Premislaus priùs dictus, Venceslai III. Boemiorum regis filius, contra patrem conſpirans, marchionatu Moraviæ priuatus, in carcerem coniicitur. Liberatus inde & dignitati reſtitutus, Auſtriam Bauariamque uaſtauit, Vdalricum Carinthiæ principem ab Auſtriacis captum liberauit, Margaritam Auſtriæ hæredem in uxorem duxit. Patri mortuo ſuccedẽs, ad equeſtrem militiam Boemos aſſuefecit. Ab Vdalrico liberis carente Carinthiam Istriamq; redemit, & regnum uſque ad mare Adriaticum extendit. Subinde Prutenis bellum ſacrum intulit, victorque ad mare Germanicum uſq; limites regni promouit. Belam IV. Hungariæ regem è Styria profligauit, eundemque ad Tayſam fl. memorabili ſtrage uicit, cæſis XVI hoſtium M. A Stephano V. qui patri Belæ ſucceſſerat, irritatus Poſonium cepit. Oblatum ab Electoribus imperium Romanũ repudiauit. A Rodolfo I. Imp. dum Carinthiam, Stiriam & Auſtriam recipere armis tentat, fraude amiſſas, in acie cæſus occubuit. Dubrauius libro 17.

IOANNES Ziſca Boemus, Troſnouienſis, poſt Venceslai regis mortem, altero oculo captus, quem in prælio amiſerat, Huſſitarum ducem ſe præbuit: ædificataque Thabor urbe admodum munita, Boemiæ partem maiorem imperata facere coegit. Dum Rabi caſtellum oppugnat, altero etiam oculo ſagittæ ictu orbatus, aliena manu cibum ſumere coge batur, non tamen alieno ductu pugnare. Sigiſmundo Imp. qui Boemiæ regnum hæreditario iure repetebat, bis ſuperato, exercitum Cruceſignatorum in fugam compulit, Pragam obſedit: & quoad ſuperſtes fuit, Boemiæ rerum potitus eſt. [redacted] Fulg. lib 3. cap. 2.

Inter præſides Boemos, manu & bello præſtãtiſſimus, IOANNES à Brandeſio, Giſcra cognomine, cùm ab Elizabetha uidua Alberti II. Imp. toti territorio Biſtriciẽſi, in quo aurarię argentariæque ſunt, præpoſitus fuiſſet: non ſolùm ea ſalua, quæ accepit, præſtitit, ſed plura etiam numero municipia, quàm quot tenebat, aduerſarijs ui eripuit. Polonorum regẽ Vladiſlaum, Hungariæ regni cõtra Ladiſlaum Alberti poſthumũ æmulum, crebris prælijs fudit: Ioannem Hunniadem caſtris bis exuit, tanto denique terrori Hungaris fuit, ut auctore ipſo quoque Vladiſlao, pacis conditiones cum Regina Elizabetha inire non abnuerint. Dubrauius lib. 28.

TARTARORVM.

TAMBERLANES humili loco inter Scythas natus, bubulcus, ex gregario milite ordinem primò, mox exercitum ductauit, eoque eſt potentiæ euectus, quum ſolertia tum corporis uiribus, bellandique promtitudine, ut magno fortunæ ludibrio multarum ſit gentium imperio potitus. Sunt qui primùm in Parthis regnaſſe dicant, mox Scythas ab eo ſubactos, Iberos, Albanos, Perſas, Medos, inde Armeniam & Meſopotamiam ingreſſus, utranque armis ſubegit: tranſmiſſo dein Euphrate, minorem Aſiam latè domuit, quadringenta equitum millia, ſexcenta peditum in armis habuiſſe traditur. His fretus copiis, Baiazetem potentiſſimum Turcorum regem, ſecum acie congreſſum, etſi pari ferè bellatorum numero, cruento tamen prælio ſuperauit, ducentis Turcorum militibus una acie cæſis, regem ipſum in pugna captum, aureis uinctum catenis, omnibus ſuis expeditionibus præſe egit. Poſt memorabilem illam pugnam, domitum eſt Scythicis armis quicquid terrarum eſt à Tanai ad Nilum. Vicit inde prælio Tamberlanes Memphiticum regem, quem Sultanum uocant, victumque ultra Peluſium intra Nili fluenta compulit: Damaſcum cepit, in cuius arce oppugnanda alteram ex aduerſo arcem militari opere erexit: cepit & Caphan in Euxini ora, quæ tum Genuenſium erat. Tota ferè Aſia domita, cum victore exercitu, prædaque onuſto ad ſuos reuerſus, urbem condidit ingentem, cui Marchanti, ut aiunt, nomen eſt: quam omnigenùm captiuorum multitudine referſit, ornauitq; captarum urbium ſpoliis. Regnum moriens duobus reliquit filiis: horum diſcordia ampliſſimi regni opes nuper tanta indole quæſiti, retrò abierunt. Potuiſſet ex Tamberlanis interitu omnis Syria cum Hieroſolymis ab impio Mahometi imperio uindicari, ſi Bonifacius IX. pontifex ad eam rem animum adieciſſet. Sabellicus lib. 9. Enneadis 9. ex Aen. Syl. cap. 31. Aſiæ, & Aemilius libro 10. & Cuſpin. & Dubrauius lib. 25.

TYRCORVM.

Anno Chriſti 1300. OTHOMANNVS Turca, regulis Turcicis paſſim trucidatis, excuſſo Caliphæ Sultani iugo, Turcarum regem ſe conſtituit, Bithyniam & Cappadociam obtinuit. Caput regni fuit Byrſa. Is Othomãnicæ familiæ auctor (quę etiamnum hodie magno cum Chriſtiani nominis dedecore regnat) obiit anno Chriſtiano 1328.

ORCHANES Othomanni filius, anno 1335. Græcis de regno inter ſe diſceptantibus, Pruſiam ampliſſimã urbem occupauit, & paternum regnum per Galatiam ampliauit. Contra Tartaros infauſtè pugnans, cum multis ſuorum interficitur, 1350.

AMVRATHES I. imperio occupato anno 1363. à Græcis diſſidentibus euocatus, primus ex Aſia in Europam traiecit, Calipolim & Cherroneſum intercepit, Helleſponti anguſtias ad Abydum ſuperauit: Philippopoli & Hadrianopoli urbibus in poteſtatem redactis, Seruia Bulgariaque Chriſtianis ademta, Lazaro Seruiæ Deſpota capto in campis Caſſouiis, 1372. Superiorem Myſiam ingreſſus, à ſeruo Lazari, qui mortem domini ulciſci uoluit, pugione in inguine percuſſus interiit.

MAHOMETES Calepini F. ſublato Moſe patruo, ſolus regno potitur 1405. Seruiam, Valachiam, & maiorem partem Sclauoniæ ſubegit. Ex Bithynia in Thraciam regiam tranſlit, & Pruſiæ urbi prætulit Adrianopolim. Primus Danubium traiecit, Macedoniam perdomuit, & ad Ionium uſque pelagus peruenit.

AMVRATHES II. obtinuit Epirum, Aetoliã, Achaiam, Bœotiam, Atticam, & Theſſalonicam, Venetæ ditionis. Ladiſlaũ Poloniæ & Vngariæ regẽ occidit Varnæ, an. 1446. Ioannem Huniadem Vngarorum ducem, magna clade in campo Merulæ profligauit, 1448.

MAHOMETES II. Amurathis F. deorũ contemtor, Magnus Turcorum Imperator appellari ex magnitudine rerum geſtarum uoluit. Namque Aſia potitus, auctis paterni regni finibus, in Europam copias ingentes per Helleſpontum claſſe traiecit. Byzantium expugnauit, Myſiam utramq; , Thraciam, Peloponneſum, Acarnanas, Aetolos, Ambraciam, Epirum atq; Illyricum in poteſtatem redegit: Aſiæ minoris regna penè duodecim obtinuit: Pontum denique, Bithyniã, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphyliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, atque omnem Helleſpontum. Cùm annis unum & triginta fœuiſſimè regnaſſet, ab expugnatione Rhodiorum turpiter diſcedens, Nicomediæ colico dolore mortuus eſt, anno ætatis quinquageſimooctauo, Salutis humanæ 1481, quinto Nonas Maij. Eius mors tãta lætitia uniuerſam affecit Italiã (nã capto Hydrũto ſtatim omnem Italię triennali bello penè abſumſit) ut Sixtus IIII. Pontifex, qui tam de fuga in Galliam cogitabat, urbemque tutelæ ſanctorum Apoſtolorum relinquendam aſtimauerat, cum patribus totius curiæ, Cardinalibus, Epiſcopis, & omnis dignitatis ſacerdotibus, ac cum plebe uniuerſa Deo gratias agens, tabernas claudi, iuſtitium ac triduale ſacrum indici iuſſerit, quòd de medio funeſtiſſimum draconem ſuſtuliſſet, lateque manantem flammam ore ſuæ diuinæ prouidentiæ extinxiſſet.

BAIAZETHES II. fratre ex tota Aſia electo, 1482. Methonã urbem Peloponneſi munitiſſimã, Naupactum item, & Dyrrhachium, Venetis ademit, 1500.

SELIMVS, minimus natu ex Baiazethis filiis, patre agẽte annum ætatis 74. ex podagra decumbente, ueneno per medicum Iudæum: ſublato, Acomato & Amurathe fratribus, & ipſorum filiis ſtrangulatis, Turcarum imperiu inuaſit, 1512. Animi magnitudine leonem æquabat. Nihil ſibi unquam à fortuna pertimuit. Nullum ob periculum, quamuis manifeſtum, ſuſceptas ſemel expeditiones unquam dimiſit. Conſilia dubia, ſed ſpem aliquam honoris continentia, ſecuris; ſed illaudatis præferebat. Alcairum Aegypti Sultanorum ſedem, expugnauit, 1517. Alexandriam totamq; Aegyptũ ſuo imperio ſubdidit: Damaſcum Syriæ cepit. Tandem ultricibi furiis extinctus eſt eo loco quo patrem ſuſtuleiat, 1520.

Patri Selimo SOLYMANNVS ſucceſſit, Belgradum urbem munitiſſimam expugnauit, multaſq; arces & caſtella in Hũgaria diruit, 1521. Rhodum inſulam ſub Iunij menſis finem 1522. obſedit: quam tandem Rhodij, Chriſtianorũ regum auxiliis deſtituti, tradidere, ipſis Chriſti natalibus, pacti corporum ſuorũ & rerum omnium incolumitatem. Cum ducentis millibus Turcarum Hungariam ingreſſus, Budã regiam urbem per deditionem occupauit, nobili bibliotheca Mathiæ regis priùs incenſa, 1529. Gunſium Hungariæ etiam deditione recepit, 1532. Peſtum eregione Budæ ſui iuris fecit. Stridonium cepit, Quinquecclesias ſolo æquauit, 1541 Muſtapham filium affectati imperij ſuſpicione ſtrangulauit. Zigetho expugnato anno 1567. in caſtris obiit. Hæc Gilb. Cognatus, ex Iouio & Cuſpiniano.

ACOMATHES Baſſa ex Albania oriundus, antiquis ducibus uirtute militari æqualis fuit, adeò ut prouincię omnes, quas impereret bello, uel ſolum nomen ipſius pertimeſcerent. Is cùm ſubacta Valachia Conſtantinopolim reuerteretur, à Baiazethe II. Imp. Turcorum, cuius fratrem æmulũ etiam bis profligauerat, cùm ipſius innumera officia aliter rependere non poſſet, interfectus eſt. Iouius in uita Baiazethis.

MOSCHORVM.

IOANNES Moſchorum dux, Tartarorum iugum excuſſit: complures & magnos principatus paruo uel nullo negotio imperio ſuo adiunxit: cum Stephano Magno Valachorum Palatino affinitatem & amicitiam contraxit: Caſanenſes, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros, Hungarorum progenitores, Bulgaros Aſiaticos partim ſubiugauit, partim tributarios ſibi fecit: cum uicinis Sueonibus ſiue Suecis, Liuonibus atque Finnis, proſpero ſucceſſu bella geſſit: Lituanis ſupra ſeptuaginta arces & caſtella ademit. Obiit anno 1506. Cromerus lib. 30.

MILITES FORTES.

De totius gentis uel cohortis fortitudine ſuperiore loco egimus. Nunc ad individua deſcendimus, eosq; fortes milites compleCtimur, qui multis prælijs interfuere. Quemadmodum autem Duces fortes à præliorum & victoriarum multitudine paulo antè e-

narrauimus, ita hic Milites fortes consimili ratione intelligi uolumus. Priuata exempla fortitudinis militum, paulo post in explicandis Titulis, qui ad Finem fortitudinis faciunt, in se defendendo, uel lædendis hostibus, referentur. Consule etiam Tit. Monomachiæ: item, Robustorum.

David rex triginta septem in exercitu suo fortissimos habuit. Verùm inter eos quinque maximè insignes. Primus IASOBAAMVS Hacmonis F. qui in uno prælio octingentos occidit. Secundū hunc ELEAZARVS Dodis F. qui apud Horpam tantam cædem fecit Palæstinorū solus, ut cruore concreta manus in capulo hæreret: ab eo profligati hostes, ab Israelitis persequentibus cęsi sunt. Tertius fuit SAMMA, Ages F. Hararita, qui fugatis Israelitis solus in medio fundo, qui lente plenus erat, constitit, eumq; contra omnes Palæstinos defendit. Hi tres aliquando, cùm Dauid rex desiderasset de puteo ad portam Bethlehemæ posito aquam bibere, per media hostium Palæstinorum castra magno animo penetrarunt, & Dauidi aquam attulerunt. At rex eam Iouæ libauit, utpote hominum uitæ periculo emptam. Quartus ABISÆVS Ioabi polemarchi frater, una die trecentos occidisse dicitur hasta sua. Quintus BANAIAS Ioiadæ uiri fortissimi F. Cabseelensis, qui Dauidi à consiliis fuit, & duos Moabiticos leones prostrauit, & in puteo leonem rugientē audiens, descendit, & baculo solo interemit. Cū Aegyptio quodā, spectandæ proceritatis, congressus, solo baculo fretus, hastam ei extorsit, & occidit. Reliquorum triginta duorum fortissimorum nomina petes ex 2. Regum 23.

Sacram cohortem THEBANORVM (quemadmodum dicimus sacram anchoram) princeps Gorgias ex trecentis delectis uiris conscripsit. Habebant hi in Cadmia arce castra: ubi ea, quæ ad exercitationem pertinerent, & uictus iis publicè præbebatur: unde Cohors urbana nominabatur. nam arces eo tempore uocabant ferè urbes. Sunt qui ex amantibus hunc globum constitisse referant: ac commemoratur Pammenis festiuum dictum. Quippe Homericum Nestorē nescire ait aciem instruere, qui tribules & curiales unà centuriare iubeat Græcis,

Et tribui tribus, & sua curia curiæ ut adsit:

cùm amator apud amicū locandus sit. Siquidē gentiles gentilium & tribulē rebus trepidis non magnā ait ducere rationem: indissolubilē uerò & infractum esse ex amatoria cō tractū necessitudine cuneum: ubi hi amore dilectorum, uerecundia illi amantium, discrimina pro se mutuò perferant. Neq; est hoc mirandū, si uel absentium horū capiuntur pudore potiùs, quam aliorum præsentium: ut ille qui, cùm ipsum hostis iacentem esset interempturus, orauit & obsecrauit hunc, ut traiiceret sibi gladio pectus: Ne cùm uideat, inquit, à tergo me amasius uulneratum, suffundatur rubore. Fama est permansisse hanc usq; ad prælium Chæronense inuictam: atq; ut secundùm pugnā mortuos Philippus inspiciens eo institit loco, ubi trecenti illi incurrerant infesti in sarissas, omnesq; in arctis uiis atq; in unum confusi iacebant, obstupuisse. Cùm autem amantium audiuisset eam esse cohortem, illacrymasse, ac dixisse: Malè pereant, qui hos facere quicquam aut pati, quod turpe sit, suspicantur. Sanè huic amantium consuetudini non, ut poetæ autumant, Laij casus originem apud Thebanos dedit, sed legislatores. Qui cùm natiuam eorum ferociā & sæuitiam remittere mox à pueris & mollire studerent, fistulam ferè omni in re seria & ludicra adhibuerūt, eiq; addiderunt honorem & dignationem. Adhæc præclarum amorem in palæstris aluerunt ad temperandos adolescentium mores. Et rectè ob id deā Harmoniam, quam Marte & Venere ferunt prognatam, urbi uelut tutelarē consecrauerunt: quòd ubi strenuitas & uis bellica uenustate condita, & gratia sit commixta, omnia ad decentissimam & moderatissimam remp. concinentia componantur. Cæterùm Sacram hanc cohortem Gorgidas in primos ordines diuellendo, & pro tota peditum acie in fronte collocando offuscauit illorum uirorum uirtutem, neq; ad communem effectum robur eorū adhibuit: utpote dissolutum, & magna ex parte confusum cum deteriore. Pelopidas uerò, ut uirtus eorum eluxit fortiter ad Tegyras circa ipsum dimicantium, non distraxit eos deinceps, neq; discerpsit: uerùm his sicut toto corpore usus est, cū quibus primùm incursum in maximis certaminibus fecit. Vt enim perniciùs equi ad currus iuncti, quàm seorsum currunt acti: non quia maiore ui admissi aera impellant numerosiores atq; perrūpant, uerùm quod inflammet mutua hæc contentio & concertatio feruorem animi: haud aliter fortes uiros æmulatione inter se egregiorum factorum ad connitendum in communem actum æstimabat utilissimos esse expeditissimosq;. Plutarchus in Pelopida, & Athenæus lib. 13.

Cohors quæ Scirites apud SPARTANOS appellatur, non cū aliis in acie constituitur, sed proprium locum habens cum rege stat, & semper opē fert aliis partibus quæ premuntur. Hæc ex selectissimis uiris constans, plurimum habet in aciē momenti, & utplurimùm uictoriæ causa extat. Diodorus libro decimoquinto.

Pugna ad Salaminem commissa in angustiis, cùm in serum extraxissent pugnā, GRÆCI fuderunt fugaueruntque Persas, atque insignem illam & nobilem uictoriam, ut Simonides ait, qua neq; apud Græcos neq; apud Barbaros clarius decus ullum extitit nauale, retulerūt, uirtute & strenuitate cōmuni omnium militum, consilio uerò & prudentia Themistoclis. Plut. in Themistocle.

Ad Thermopylas missus Leonidas Spartanorum rex cū TRECENTIS suorū cōtra Xerxē, mille solū ex omni exercitu delegit. Quibus Xerxis copias innumeras in angustiis sustinuit, neq; superari potuit, priusquā Trachinius Ephialtes, Persis per montē circumductis, suos prodidit. Quod cùm resciuisset Leonidas, reliquis omnibus sese inde mox proripientibus, accensos spontè ad facinus conceptū milites pro uoto nactus, iubet uti properè prandeant, tanquā sint apud inferos cœnaturi. Mox hortatur, ut se sequuti, in castra hostiū irrumpant, quoscunq; obuios obtruncent, inde sese ad regis prętorium conferant: sibi namq; regis primùm opprimendi (si fortuna faueat) consilium esse. Cædes per noctem Barbarorum maxima. Xerxes in loca tuta se recepit. Die facto, paucitate Græcorum conspecta, multitudine sua eos obruerunt Barbari uniuersos. Diod. lib. 11.

ANTIGENES Philippi Macedonis miles iuuenis etiamnū, cùm rex obsideret Perinthum, intorto ex catapulta in oculū suum telo, non paruit eximere telū uolentibus, neq; pugnā remisit prius, quàm urgens pepulisset atq; intra muros redegisset hostes. Plut. in Alexandro, & Diod. lib. 17.

Q. PVLLO & L. VORENVS cēturiones Ciceronis, legati C. Iul. Cęsaris, bello Gallico, in Aduaticis & Neruiis, cōtra Ambium regem defectionis Gallorum principem, æmuli erant multis annis ob fortitudinem. At cùm castra eorum à Gallorum rege grauiter oppugnarentur, Pullo Voreno appellato: Hic (inquit) dies Vorene est, qui de nostris controuersiis planè decernet. Atque cum his ex castrorum munitionibus, ubi acrior pugna erat, in hostes desiluit. Nec Vorenus, ut pari uirtute uideretur, quicquam cunctatus loco descēdit, quin eum secutus, hostem secundùm Pullonē ferro hausit. Atq; ita ambo in hostiū globo aliquandiu præliati, ad suos sese incolumes receperunt. Sabellicus libro 6. Enneadis 6.

Q. Ennius T. CÆCILIVM Teucrum, fratremq; eius fortitudinis nomine præcipuè admiratus, propter eos sextū adiecit Annalem. Plin. lib. 7. cap. 28.

M. SERGIVS Rom. secundo stipendio dextrā manum perdidit. Stipendiis duobus ter & uicies uulneratus est. Bis ab Hānibale captus. Bis uinculorū eius profugus, XX mensibus nullo non die in cathenis & compedibus custoditus. Sinistra manu sola quater pugnauit, duobus equis insidente eo suffossis. Dextram sibi fecit ferream, eaq; religata prœliatus, Cremonam obsidione exemit. Placentiam tutatus est. Duodena castra hostium in Gallia cepit. Cæteri uictores hominum fuêre Sergius uicit etiam fortunam Solinus & Plinius lib. 7. cap. 28. qui eum reliquis omnibus anteferre non dubitat, nisi quòd pronepos Catilina aliquantum nomini ipsius detrahere uidetur. Pontanus.

M. MANLIVS Capitolin⁹ ante XVII annū ætatis bina ex hoste spolia cepit. Eques omnium primus murali corona donatus, sex ciuicis, septem & triginta donis, triginta tribus cicatricibus aduerso corpore acceptis, P. Seruiliū magistrum equitum seruauit, ipse uulneratus humerum ac femur: Capitolium Gallis deiectis tutatus est: felix, nisi tyrannidem affectasset. Plinius lib. 7. cap. 28.

Veientes latrocinantium more Roman. agrum uastabant, nec congressum Romanorum expectabant. Fabius Cæso consul cum gente sua id se bellum suscepturum Senatui promisit. Trecenti & sex fuêre FABII, teste Liuio. At ueriora sunt quæ Dionysius prodidit, quaternum millium hominum agmen, ex amicis & clientibus, à Fabia gente conflatum, nec Cæsonis consulis ductu ad Cremeram itum, sed M. Fabij, qui superiore anno consul fuerat. Consulem ipsum, quod uero propius est, publico exercitu Fabiorum agmen secutum, nec priùs ab Cremera fluuio abscessisse, quàm ibi præsidium extrema ripa fluminis duplici fossa & uallo, ut receptaculum Fabiis esset, militari sit opere munitum. Ibi crescente assiduis successibus Fabiorum audacia, Hetruscorū subsidia ad agrorum populationem arcendā missa, sępiùs simulato metu ad urbem refugere, eaque ludificatione Fabiis persuasum fuit, nullo tempore locòue sua arma ab hoste sustineri posse ampliùs: peperitque ea persuasio contemptum & negligentiam, adeò ut pecora de industria ex oppido, haud procul ab Cremera in pabulum propulsa inuiti, quanquam rara hostiū apparerent arma, inexploratò uelut ad certam prædam decurrerint, effusoque deinceps cursu insidiarum locum præteruecti, dum passim dispalatum pe-

cus tumultuosè agunt, à frōte, à lateribus cùm clamore ab hostibus circumuenti sunt. Quę improuisa uis Fabiorum animos perculsit, coeuntesq; in arctum, suam paucitatem insigniorem fecerunt. Hic pauci, superante hostium multitudine, quum telis obruerentur, facto impetu per confertum armatorum agmen fecerunt ferro sibi uiam, densoq; cuneo in collem leniter editum fessi prælio, euasere. Ibiq; quū animum à pręsenti consternatione paulùm recepissent, non solùm locum fortiter tuebātur, sed subeuntem etiam hostem procul distinebant, uicissetq; auxilio loci paucitas, ni iugo circummissus Veiens uerticem collis tenuisset, ac superior factus, in subiectum & obnoxium ictibus hostē ex superiore loco impetum dedisset. Tum uerò ad unum cæsi sunt Fabij, sed haud multi periere. Dionysius auctor est, mediis cadauerum aceruis Fabios se tueri perseuerasse, quoad ferri acies facta sit illis inutilis: dentibus inde, & ferina quadam rabie ab eis dimicatum, ita ut non prius hosti uincere contigerit, quàm tertia pars Hetruscorum circa Fabios occubuerit. Sabellicus lib. j. Ennead. 3.

P. SCIPIO, qui primus ex Africa cognomen reportauit, puer adhuc primo suo tyrocinio Scipionem equestri prælio (quod cum Pœnis est ad Ticinum amnē commissum) grauiter uulneratum, in aduersum hostium globum ferociter inuectus, periculo seruauit. Adolescens non tantùm ciuica corona dignus, sed immortalitate etiam nominis. Sabellicus libro j. capite quarto.

L. SICCIVS admirandæ fortitudinis miles, quum in urbe prius, inde in castris, quò specie honoris ab Appio Cl. Decemuiro fuerat missus, ad hoc ipsum ut à collegis quoquo modo tolleretur, colloquia haberet de secessione facienda, suspectus Appio & collegis, speculationis p̄texta castris ablegatur, negotio iis, qui cum eo missi sunt occultè dato (centum eos fuisse, Dionysius scribit) ut eū oportuno loco adorti obtruncarent. Is ubi in se impetū fieri uidit, ex equo desiliens, quindecim circa se peremtis, telorū multitudine obrutus concidit. Qui supererant tumultuosè in castra nunciant Siccium cum suis in insidias pręcipitatum, eumq; cum quibusdam ab hoste circumuentum periisse. Credita primò res est: uerùm ubi ij, qui ad locum insidiarum missi sunt, ad eos qui ceciderant sepeliendos, Siccium iacentem intuiti, haud quidem ab hoste spoliatum, cæterisq; ex aduerso prostratis hostium, neque cadauer ullum, neque abeuntium uestigia extarent: à suis eum interfectum prædicantes in castra retulêre, Romam cadauer relaturi, nisi Decemuiri publica impēsa castrensi funere extulissent. Sepultus igitur ingenti militū mœstitia, pessima Decemuirorum in uulgus fama. Sabellicus lib. 4. Enneadis 3

ROMANA iuuentus (C. Sempronio Atracino Cos. cum Volscis apud Verruginem parum prosperè dimicante) ne acies iam inclinata propelleretur, equis delapsa, seipsam centuriauit, atq; hostium exercitum irrupit. Quo dimoto, proximum tumulum occupauit: effecitq; ut omnis Volscorū in se conuersus impetus, legionibus Rom. ad confirmandos animos salutare laxamentum daret. Itaq; cùm iam de trophæis statuendis cogitarent, prælium nocte dirimente, uictoresne, an uicti discederent, incerti abierunt. Valerius Maximus lib. 3. cap 2.

Strenuus ille quoque flos ordinis EQVESTRIS, cuius mira uirtute Fabius Max. Rutilianus magister equitū, bello, quod aduersus Samnites gerebatur, malè commissi prælij crimine leuatus est. Nanq; Papyrio Cursore propter auspicia repetenda in urbem proficiscente, castris præpositus, ac uetitus in aciem exercitum ducere, nihilominus manus cum hoste, sed non tam feliciter quàm temerè conseruit. Procul enim dubio superabatur. Cæterùm optimæ indolis iuuētus, detractis equorum frenis, uehementer eos calcarib. stimulatos in aduersos Samnites egit, obstinataq; animi præstantia extortam manibus hostium uictoriam, & cum ea spem maximi ciuis Rutiliani, patriæ restituit. Idem.

SCÆVOLA bello Gallico, quo C. Cæsar non contentus opera sua litoribus Oceani claudere, Britannicæ insulæ inecit manus, cum quatuor commilitonibus rate transuectus in scopulum uicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebant: postquam maris æstus regressu suo spacium, quo scopulus & insula diuidebantur, in uadum transitu facilè redegit, ingenti multitudine Barbarorum affluente, cęteris rate ad litus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, undiq; irruentibus telis, & ab omni parte acri studio ad inuadendum nitentibus, quinq; militum diutino prælio suffectura pila, una dextra hostium corporibus adegit. Ad ultimum districto gladio, audacissimum quenq; modò umbonis impulsu, modò mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili spectaculo fuit. Postquam deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coegit, tragula femur traiectus, saxiq; pondere ora contusus, galea ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumto, profundo se credidit: ac duabus loricis onustus inter undas, quas hostili cruore infecerat, enatauit: uisoque imperatore, armis non amissis, sed bene impensis, cùm laudem mereretur, ueniam petiit. Magnus prælio, sed maior disciplinæ militaris memoria. Itaq; ab optimo uirtutis æstimatore, tum facta, tum etiam uerba eius, centurionatus honore donata sunt. Idem.

Erat C. MARTIVS Coriolanus, qualem esse Cato uoluit militem, non manu tantùm & gladio, uerùm & uocis contentione & obtutu uultus, terribilis aspiciēti hosti, atq; intolerabilis. Plut. in Coriolano.

L. SICINII uel Siccij (ut Plinius) Dentati opera, honoresq; operum, ultra fidem ueri excedere iudicari possent, nisi ea certi auctores, inter quos Marcus Varro, monumētis suis testata esse uoluissent. Eum namq; centies & uigesies in aciē descendisse tradunt, cùm annis XL militasset, eo robore animi atq; corporis utentem, ut maiorem semper uictoriæ partem traxisse uideretur: sex & triginta spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus spectante utroq; exercitu ex prouocatione dimicasset: quatuordecim ciues ex media morte raptos seruasse: quinq; & quadraginta uulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus uacuo: nouem triumphales imperatorum currus secutum, totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, ciuicę tredecim, murales tres, obsidionalis una, torques centum octoginta tres, armillæ cētum sexaginta, hastæ octodecim, phalera uigintiquinq;: ornamenta etiam legioni, nedū militi satis multa. Hic Trib. pl. fuit, Sp. Tarpeio & A. Thremo uel Aeternio Coss. non multo post exactos reges. Ob fortitudinem certè Achilles Romanus dictus est. Val. lib. 2. c. 2. & Plin. lib. 7. c. 28. & Gell. lib. 2. c. 11. & Dionysius. Sabell. in Enneadib. Appij Claudij Decemuiri insidiis, tantam uirtutem suspectam habentis, sublatum scribit.

Prælio ad Dyrrhachium CASSII Scæuæ centurionis scutum est ad Cæsarem relatum ducentis & XX. ictibus perforatū. Nec ipse imperator id facinus est ingratè prosecutus, Scæua uiro fortissimo ducentis millibus æris donato, traductóque ab octauo ordine ad primipilum. Cæsar. Plutarchus centum triginta ictibus Scæuæ clypeum confossum scribit. Tranquillus adhuc decem minus, humeroq; & femore trāsfixis. Sabel. lib. 7. Ennead. 6. ex Suetonio.

ATTILIVS, seu Acilius, Cæsaris miles, nauali apud Massiliā prælio hostilem ingressus puppim, abscissa dextra, umbonem sinistra retinuit, eò usq; uultibus terrens, ut prostratis omnibus, nauem occuparit uictor. Plut. in Cæsare.

Q. SERTORIVS prima stipendia, cùm Cimbri & Teutones impressionem fecissent in Galliam, sub Cepione faciens, cū essent Romani fusi fugatiq;, equo amisso ac conciso uulneribus corpore, Rhodanum transmisit cum ipsa lorica & scuto aduersis ingentibus undis natās. Adeò erat robusto corpore, & subacto exercitatione. Incumbentibus uerum illis infinita multitudine & terribilibus minis, ut magni operis esset militem Romanum tunc ullum ordines tenere, & dicto audientem esse duci (dux Marius erat) Sertorius suscepit ire speculatum hostes. Vestitu amictus Gallico, & maximè communia linguæ ad congressum ex tempore doctus miscuit se barbaris. Vbi præcipuè necessaria partim contēplatus est, partim accepit auribus: ad Marium est regressus. Cuius rei causa donis militaribus est honoratus. Bello exardescente Marsico, iussus delectum habere, & arma parare, studio & festinatione rei adhibita, præter cæterorum iuuenum lentitudinem & mollitiam, peperit sibi uiri impigri opinionem. Atqui non decessit de militari audacia, ubi ad dignitatem aspirauit ducis: sed & manu, præclara opera edidit, corporiq; in certaminibus minus parcendo alterum oculum, qui fuit ei erutus, amisit. ob quod etiam gloriabatur perpetuò, alios non semper strenuitatis circumferre secum testimonia, sed deponere torques, hastas, coronas: sibi fortitudinis insignia permanere, quando eosdē uirtutis suę & calamitatis habeat spectatores. Plut. in Sertorio.

In eo bello, quo Vngari, ductu Salomonis regis & Geysæ ducis, Boemorum impetum represserunt, BATHOR Opos, Martini F. cum Boemo, qui gigantis instar erat, singulari certamine dimicauit, eumq; prostratū humi obtruncauit. Qua uictoria potitus apud Vngaros ita claruit, ut sibi ac suis perpetuum nomen compararit. Idem eo in prælio, quod inter Salomonem & Geysam in Cemeyensi agro gestum est, cū Salomoni militaret, Petrum, Geysæ equitem audacissimū, singulari certamine superauit: mox in cæteros adeò sęuiit, ut totus cruore maderet. Salomonē fuga sibi consulentē sequutus, quū is Hērici IV Imp. auxiliis instructus Nitriā obsideret, præliūq; cū oppidanis cōmitteret, per medios hostes ad portam usque peruenit, ibique complures uulneribus affecit: & dum inter confertissimos hostes acerrimè dimicat, equum amisit: ipse tandem, ad suos incolumem se re-

cepit. Alemanni eius fortitudinem Imperatori prædicarũt. Qui Opum confestim acciri iussit, eoque laudato & donato, Salomonem interrogauit, An multi milites pari robore corporis & animi apud Ladislaum & Geysam forent? At ille, multos consimiles, ac longè meliores apud Geysam esse respondit. Quibus uerbis consternatus Imperator: Si tales (inquit) hostes nactus es, nunquam, mihi crede, regnũ recuperabis. Bonfin. lib. 3. & 4. Decad. 2.

STARCATHERVS, Storuerki Dani F. recèns natꝰ senas manus habebat. Sed Thor, magus quatuor resciſsis, duas ei reliquit, & nè humanæ speciei limites excederet, effecit. Othinus uerò magus magicis præstigiis eum initiauit, & ut tres hominum ætates uiueret, concessit. Vvicarum Noruagiorũ regem laqueo strangulauit. Hugletum Hybernorum regẽ interfecit, aulicos eius adulatores uirgis cęcidit. Vvisinnũ Ruthenum, omne telorum acumẽ solo oculorum obtutu hebetantem, occidit: Tannam gigantem Byzantinum luctâ uictum proscripsit: Vvasce Polonum athletam duello superauit: Hamam Saxonem medium diſsecuit. Ingelli Danorũ regis ignauiam luxumque detestatus, ad Haldanum Sueonum regem sese contulit: Helgam tamen Ingelli sororem, quæ aurifabro nupserat, ab inhonestis nuptiis auertit. Angaterum Sialandum cum octo fratribus solus confecit. Synardo Haldani F. paternum regnum restituit. Ingellum ad Suertingi filios è medio tollendos, & paternam hac ratione cædẽ ulciscendũ, impulit. Bello Suetico Ringoni Sueonum regi strenuam operam præstitit, quo Haraldus Danorum rex cæsus est. Olonem Danorum regem in balneo ex insidiis obtruncauit. Vitæ tandem tædio, eo auro quod cæso Olone meruerat, Hatherum ad se trucidandum permouit. Saxo lib. 6. 7. & 8.

Eo pręlio, quo Haraldus Danorũ rex à Ringone Sueonum rege uictus atque cæsus est, VBBI Fresicus, promtiſsimus Haraldi miles, ac præ aliis habitu corporis insignis, prèter undecim, quos in acie uulnerauerat, uigintiquinque delectorum pugilum Suecorum interfecit. Deinde primam aggressus aciem, cõfertiſsimos hostes penè in fugam egerat, cùm Hagder, Rolder, & Gretir comminùs instare ueriti, iaculis eminùs Vbbonem confoderunt. Centum quadraginta quatuor sagittæ priùs pectus prælianti obsederant, quàm lapsis corporis uiribus solo poplitem daret. Idem lib. 8.

Eo prælio, quo Sueno II. Danorum rex, ab Haraldo Noruagiorum rege uictus est in Visza fluuio, ASLACES Skyalmonis Candidi remex, omnibus corporis munimentis prę ter scutum abiectis, in confertiſsimam Noruagiorum ratẽ insiliit, quercuque, quam in gubernaculi priùs colligamentum exciderat, hostium corpora uerberãs, quicquid obuiũ fuerat obtriuit, ingentique uerberum fragore stupẽtes præliantium animos à propriis periculis ad uirtutis suæ spectaculum deflexit. Itaque fortiùs fuste, quàm cæteri ferro, rem gessit; cuncta intolerabili modo comminuens. Postremò quum omnem nauis remigem partim fuste, partim fluctib. obruisset, compluribus sed leuib. plagis perstrictus, ex tot hostibus admirabilem solus uictoriam retulit. Idem lib. 11.

SIVARDVS quidam, Magni Noruagiorum regis castra secutus, ab Haraldo Hyberniẽse, Magni æmulo, interceptus, cũ naui in alto mergendus ueheretur, remiges uino onerauit. Quibus exhilaratis, gubernandi potestatem supremi beneficij loco poposcit, adeoq; nautas remis incumbere hortatus, cùm uehementiſsimum nauigij cursum animaduerteret, pręceps in undas insiliit, & enatauit. Mox Haraldum noctu castra latenter egressum, in amplexu pellicis interfecit: dantem pœnas Magno, quem regno & uirilibus & luminibus priuauerat. Magnum proinde monachalibus septis eductum ad pristinum regni fastigium erigere statuit, aduersus Haraldi filios. Huius auspiciis, cum tribus Haraldi filiis, Ingone, & Siuardo, & Osteno, paternum regnum affectantibus, nauali certamine dimicauit. In quo interfecto Magno, incredibili & præstantiori humanis uiribus fortitudine solus aliquandiu nauigium ab hostibus seruauit. Compluribus eorum prostratis, cùm reliqui omnes ad illum unum opprimendum confluerent, armis militaribus tectus profundo se credidit: loricã cum reliqua armatura sub undis sibi detraxit. Cùm capessendi spiraculi gratia fluctibus emersisset, à quodam familiari suo proditus, tunicam, qua se prodi suspicabaturrur, sum corpus aquis occultando deposuit, ad extremum etiam subuculam. Ad ultimum cùm humanæ respirationis neceſsitate aerem captaret, cuiusdã fortè nauigij gubernaculum apprehendit, eique tacitus adhæsit. Cæterùm hyberni frigoris sæuitia ueluti congelatus capitur, & in concionem hostili sententia damnandus abstrahitur. Vbi nemine sacerdotum adhibito, qui delictorũ eius confessionem exciperet, eam adstantibus modo quo licuit explicauit, præfatus se emendationem ab eis decretã pœnitentiæ nomine præbiturum: memor sanè, sacerdotali copia nõ suppetẽte, etiã ad priuatorũ cognitionẽ cõmissa referre licere. Magno quoq; Noruagiensiũ rege, quem Haraldus Hyberniensis patrẽ adsciuerat, se genitum memorabat. A cuius generosiſsimo spiritu etiam inter adhibita sibi supplicia non desciuit. Primò siquidem uerberib. affectus, ac deinde malleorum ictibus artuatim contusus, scilicet ut à cũctis corporis partib. pœna exigeretᷣ, nõ gemitũ edidit, non supplicem aut tristem uocem emisit, nullum doloris indicium præbuit, sed quasi in otio Psalterium relegens, inter sacras preces & solennium uerborum nuncupationẽ, spiritum posuit. Homines uindictæ cupidi non contenti in uiuum sæuiisse, extinctum patibulo suffixerunt. Idem lib. 14.

Obsidente Derthonam, Mediolanensib. amicam, Friderico I. Imp. STRATOR quidam, ut reliquos ad simile petendum decus accenderet, gladio, clypeo & parua securi sumta, aggerem, qui Rubeæ turri altiſsimæ præiacebat, conscendit, ac uia, qua pedem figeret, securi facta, in montẽ euasit, atq; ad semirutam turrim processit, nullis lapidum telorumque ictibus territus: ibiq; uiriliter pugnando, militem etiam armatum ad terram deiecit, atq; inter tot pericula inuiolatus reuertit ad suos. Cuius facti admiratione Fridericus affectus, hominẽ ad se uocari, ac militari cingulo donatũ equitem esse iussit. Verùm ille se plebeium esse, atq; in eo ordine manere malle respondit. quamobrem liberaliter donatus, ad contubernium suum est remissus. Sigon. lib. 12. regn. Ital.

Nihil apud Turcos duarum legionum ex IANIZARIS delectarum inuicto robore præstantius atq; ualidius censetur. Instar enim Macedonicæ phalangis omnem uim hostiũ facilè sustinent atq; perfringunt. Has ex nouæ gentis delectu, uti nomen sonat, primus Othomannorum Amurathes Selimi proauus instituit, quibus regię prętoriiq; custodia mandaretur. Earum noua feliciq; uirtute memorabilem uictoriam, cæso ad Varnam Ladislao Polonorum & Hungarorũ rege, fuerat cõsecutus. Nec alia demùm ui quàm Ianizarorum Mahometes Byzantium, Baiazethes Methonem expugnarunt, quum hic pronepos nuper inuictos antea Persas, & equitatu planè uictores, horum peditũ uirtute profligarit. Ianizari peculiari prærogatiua, Exarcolam, hoc est, pileum album aurea anteriore fascia, & cristis insignem, acinaci impenetrabilem, demissaq; per tergum lata cauda ceruices munientem pro galea gestant. Lunatosq; item calceos cæteris uetitos induunt. Arma eorũ præter sclopetos & arcus, quibus iam multò maxima eorum pars utitur, sunt hastæ Germanicis breuiores, ferro lato, aut triangulari, aut fuscinato, aut in romphæam adunco præfixæ. Præter hæc glãdio incuruo paruaq; secure, quum expedit rem gerunt. Breuiores togulas colore cyaneo, aut rubro, aut prasino ab anteriore fimbria in tergum reductas baltheis subcingunt, & terra mariq; omniũ audaciſsimè & constantiſsimè pugnãt. Sabel. Supplem. lib. 4. ex Iouio. De iis sic Cuspinianus: Ianizari, inquit, Imperatorem in medio duorum cornuum collocant, ne fortè ipse uertens terga hostib. sit causa internecionis totius exercitus: ineuntq; pugnam, uelut in quib. totum robur exercitus constare uidetur, tanta animi promtitudine, ut ad nuptias ituros putes: neq; tempus egrediendi præscriptum expectant, sed illud ipsum præueniunt, pluresq; non uocati sponte ueniunt, magnam iudicantes iniuriam, domi otiosos manere: cùm nihil habeant præstantius atq; excellẽtius, quàm inter hostes, enses, ac sagittas in campo mori, non domi inter eiulatus atq; lacrymas muliercularum. Tales nanq; prælio occisi, ueluti uictores, beati prædicantur, ac honorantur. Non igitur magni laboris est congregare exercitum Turcorum Imperatori, qui missis tantũ nunciis Prouinciarum præsidibus, exercitum congregandũ præcipit. Hi per præconem in singulis oppidis ad præstitutum diem adesse proclamant milites. Qui dicto audientes, mox cum præside suo ueniunt, sine magno strepitu: nõ curiosè ornati, simpliciter, cum armis solitis.

MVTPHARACHÆ Turcorum equites, admirabili uirtute præstantes, toto orbe conquisiti, ea conditione militant, ut quos uelint deos impunè colant, præsentiq; tantũ Imperatori operam nauent. Qua liberalitate atq; indulgentia inuitati, non modò Indi, Aethiopes, & Tartari extremi gentiũ, idola priscæ & antiquatæ religionis, aut cœli maxima sidera pro diis uenerantes, sed ex nostro etiam orbe, Christiani nobilitate illustres in eum ordinem recipiuntur. Sabel. Supplem. lib. 4. ex Iouio.

MAMALVCHI Aegyptij, uiri prolixa barba, & minacib. oculis truces, ipso toto corpore lacertosi atque flexibiles, tanta arte pugnam ineunt, ut post primos statim hastarum ictus, modò sagittis, clypeo in tergum reiecto, modò ferrea claua, interdũ falcato ense, ut locus congressusq; poposcerint, admirabili quadam agilitate uirtuteq; depugnẽt. Equi eorum ualidi atq; acres, atq; Hispanicis forma celeritateq; ꝑsimiles: quodq; supra nostrorũ hominum opinionẽ esse uidetur, tanta ingenij docilitate inprimis pręstãt, ut ad nutus, & ad certas sessorũ uoces, hastã sagittamq; mordicus terra sublevatam porrigere, hostem agnoscere, atque appetere dentibus, calcibus cuncta circum sternere, nec horrere proprium cruorem, natura consuetudineq; didicerint. His frena argentea, aurata ephippia, & squamosi operis ferrea colli & pectoris tegumenta conspiciũtur. Eques lorica, uel thorace ferreis laminis conserto, contentus est. Primorum ordinum equites, & quisque diuitiis clarus, galeas ferũnt. Cæteri linteo capitis tegumento, quod pluribus implicatũ spiris ad elegantiam intorquetur, se satis munitos aduersus cęsim ferientes existimãt. Gregarij autem equites uillosis purpureisque pileis, qui graui gladiorum ictũ discindi nequeunt, utebantur. Sabellici Supplem. lib. 7. ex Iouio.

MILITVM Templariorum, Ioannitarum, Teutonicorum & similium apud Christianos exempla pete ex Tit. Militum sacrorum ordines: illic Religionis, hic Fortitudinis habetur ratio.

Duo fratres germani in Moldauia, STRVSOVICZII dicti, Equites Poloni, ab exercitu suorum aberrantes cum quinquaginta commilitonibus, inscij in multitudinẽ Valachorum inciderunt: à quibus undiq; circumuenti, in primo cõgressu unus occubuit, alter uerò strenuè dimicando euasit, sed cædis fratris germani recordatus, in exercitũ Valachorum conuersus, acies eorum fortiter disiecit, & quamuis euadendi facultas iterum ei pateret, tamen honestius cum fratre occumbere, quã effugere maluit. Guagninus in descriptione Poloniæ.

Anno Salutis reparatæ M CCCXCVII. Vitoldus Lituaniæ dux ab Aediga magni Tamerlanis duce in campestrib. Tartariæ uictus est. Ibi MELSTINIVS Polonus, ne turpiter fugeret, in mediis hostes irruens periit. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

Vascus Fernandius Cæsar fretum Gaditanũ nomine regis Lusitaniæ Emmanuelis anno Salutis humanæ MDXXII. nõ magno quidem militum numero, sed magna uirtute tuebatur. Cùm uerò ad illum biremis accederet, nauarchus illũ admonuit, quatuor naues Britannas unã nauem Lusitanã cepisse, quam secum è prætorię nauis puppe alligatam traherent. Cæsar sine cunctatione ulla in eas cursum instituit, quas post Calpem montem conspexit: & cùm nauem prętoriam ab aliis disiunctam esse cerneret, in eam nauem suã incitauit. In hoc prælio Cæsar septem ex suis amisit, & multi præterea fragmentis scutorum, quæ hostium tormenta dissipabant, erant grauiſsimè sauciati. GERMANVS quidam procero corpore, & animo satis acri ad moriendum, si opus esset, præparatus, XV. uulnera acceperat, è quib. plurimum sanguinis emanabat: quem Cæsar admonuit, ut è pugna tantisper abscederet, dum uulnera obligaret. Ego, inquit, non priùs hinc discedam, quàm aut moriar, aut hostes importunos uela demittere compellã. Deinde tormentum humero sustinet, & socium ignẽ applicare iubet: quo facto, nauis armamenta ea parte, qua antenna malo alligatur, dissipauit, maliq; partem perfregit: & cùm hoc iterum atque tertiò fecisset, magnum Britannis terrorem iniecit. Alius deinde Germanus, globo à prora in puppim immisso, multos interemit, & puppis partem dilacerauit. Osorius lib. 12. rerum Emmanuelis.

Garsia Sala, qui Malacæ præerat, nauem unam armis & munitionibus & ualido militum præsidio diligenter instruxerat, illiq; Emmanuelem Paciecum præfecerat, ut oram, quæ inter Pacemensem & Axemensem portum interest, summa uigilantia specularetur, ne commeatum ullum in urbem Pacecensem, q̃ Lusitanis rebellarat, importari, néue cuiquã in altum piscandi gratia euehi liceret. Id Paciecus non segniter exequutus est. Verùm cùm aquæ recentis desiderio teneretur, scapham in terram propius urbem misit. Ea autem, præter remiges, quinq; LVSITANI uehebantur, qui in fluuium subuecti, aquationem fecerunt: deinde secundo fluuio nauem repetebant: cùm ex improuiso hostes innumerabiles utramque fluuij ripam occupârunt. Tum lapidum atque sagittarum multitudo, grandinis instar, in Lusitanos decidit ita, ut maximum uitæ discrimen adirent: qui tamẽ parmis tecti, cùm totis uiribus scapham incitarent, è ripis emersi, in altum uecti sunt. Sed cùm æstus esset aduersus, & uentus eos deficeret, tres naues humiles quidem, sed ualdè longæ, multorum militum capaces, quæ remis impellũtur (incolæ Lancharas appellant) armis & ualido militum prę sidio munitæ, quibus multi nobiles homines uehebantur, scapham consequutæ sunt. Lusitani obstinatis animis decreuêre mori potius, quàm seruitutem pati. Deinde cùm omnem suam spem in Christi numine collocâssent, ad pugnã se comparant. Vnus ex quinque uiris tonsor erat. Is cùm esset uiribus summis, & animi singulari alacritate præditus, nauis prætoriæ, quæ reliquas antecesserat, & in scaphã inuaserat, proram manibus arripuit. Quatuor reliqui in nauẽ conscendêre: quos ipse consequutus fuit. Tantoque impetu in hostes irruêre, ut multi se metu in mare deiicerẽt. Dux suis à tergo ense districto ferociter instabat, & mortem illis, nisi fortiſsimè pugnarent, minabatur. Et cùm nihil neq; exhortando, neque minitando proficeret, quatuor occidit. Erant adhuc hostes ancipiti metu districti. Qui enim Lusitanorum impetum sustinebant, ab illis cædebantur: illis, qui fugiebant, erat manibus ducis sui mors neceſsariò subeunda. Tandem postquam aliquo spacio fuit utrinque dimicatum, omnes hostes aut ferro concisi, aut fluctibus demersi sunt. Tantis enim illis terror iniectus erat, ut se in mare demitterent. Ipseq; dux multis prius uulneribus acceptis se in mare præcipitem dedit. Erant autem supra centum & quinquaginta, qui naue illa uehebantur. Reliquæ duæ naues cũ primæ casum oculis adspexissent, metu perterritæ constiterunt. Sed eo tempore Lusitani erant ita labore debilitati, & uulneribus confecti, ut nullas ad [illegible] uires haberent. Sed eodem numine, quo fuerant in prælio confirmati, ut tam admirandum facinus ederent, hostes exterriti sunt ita, ut eos aggredi non auderent. Nauis hostium capta, remulco ad nauem primùm, deinde Malacam perducta, & in terram subducta, & integumento contecta fuit, ut diutiſsimè permaneret miraculi stupendi monimentum. Rex Pacemẽsis huius admirandi facti terrore perculsus, pacem cõtinuò petiit. Nomina quatuor hominum, per quos hoc facinus editum fuit, hæc erant: Ioannes Almeida, Antonius Pazagna, Antonius Vera, Franciscus Gramaxus. Tonsoris nomẽ artificium ipsius occultauit. Idem.

GALEACIVS Sanseuerinus Gallica [illegible]utus, dum singulari peritia huc & illuc adacto equo hostes Cæsarianos in pugna Papiensi submouet, & præclarè decertat, in conspectu regis cadendo, quod regiæ gratiæ & famę inclyti nominis debebat, honesto uitæ exitu persoluit. Cùm procumbente equo laberetur, proximum sibi Gulielmum Langeũ illustrem equitem, in supremo casu opem ferre cupientem appellans, Sine me, inquit, fili, fato meo fungi, & quàm celerrimè potes hinc ad protegendum regem recurre, nominisque mei & honesti exitus memoriam, si euades, piè amiceq; colito. Iouius in Piscario lib. 6.

Quum anno 1540. Ferdinandi Austriaci copiæ, quibus Gulielmus Rogendorfius præerat, Budam obsiderent, & Turcæ obsessis auxilio uenissent: equites utrinque pari alacritatẽ pugnam ciebant, quum promtiſsimus quisque aut paulò nobilior eques, ad ostentandam uirtutem, ex aduersa acie parem sibi eum, qui armis ac insignibus conspicuus obuersaretur, ad singulares concursus prouocaret, usqueadeò iucundo pugnę genere, ut militari comitate per aliquot horarum inducias, cessantibus bona fide sclopetariis, ut uera uirtus emineret, hastis tantùm & gladiis certaretur. Erat inter Germanos duces insignis Raisciacus Sueuus: huius FILIVS impiger adolescens, quum ignaro patre in aciẽ prodiisset, strenueque decertans, spectante ante alios atque admirante uirtutem patre, à cunctis uel ignotus effusè laudaretur, priusquàm se explicaret, à circumfusis hostibus est interfectus. Tum uerò Raisciacus casu equitis uehementer commotus, ignarusque suæ sortis, conuersus ad alios duces, Omni, inquit, laude perornandus uidetur hic quisquis sit equitum longè fortiſsimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id quum ab omnibus pari pietate probaretur, infelicis filij ad longè miserrimum patrem cadauer est relatum, uerioresque tum omnibus obortæ sunt lacrymæ, sed in patre repentinus dolor profundiùs ad uitalia peruasit: atq; ita ille paulo pòst, quum rigentibus oculis stetisset, nihil effatus, interiit. Iouius lib. 39. Hist.

FORTIVM VIRORVM COMPARATIO INTER SE.

Egimus hactenus de Ducibus & Militibus fortibus, per se singillatim consideratis. At quoniam rarò soli contra hostes rem gerunt, eorum qui fortitudine inter se eodem loco, atque tempore contra eosdem ueluti certant, hîc ratio habenda est.

Ex CCC iis, qui ad Thermopylas pugnarunt contra Xerxem, Spartanis, prestantiſsimus fertur fuisse DIENECES: qui cũ à quodam Trachinio audiuisset, Barbaros sagittis suis solẽ obducturos, Rectè ais, inquit, ergo in umbra pugnabimus. Secũdo loco palmam meruere duo fratres, ALPHEVS & MARON, Orsiphanti FF. E Thespiensibus uerò, qui Spartanis strenuè auxilia tulerunt, DITHYRAMBVS Harmatidei F. Herod. lib. 7.

In pu-

In pugna nauali ad Artemisium cõtra Xerxem feliciter gesta, è Græcis præstantissimi extitere Athenienses, & inter Athenienses CLINIAS Alcibiadis filius: qui domestico sumtu ac propria naui cum ducentis uiris militabat. Herod.lib.8.

In pugna nauali ad Salaminem, è Gręcis optimè audierũt Aeginetę, secundo loco Athenienses. E uiris POLYCRITVS Aeginera, Atheniensesq; EVMENES Anagyrasius, & AMINIAS Palleneus, qui naui sua in Artemisię reginę incurrit: cui implicitus cùm hæreret, nec abstrahi posset: ita cęteri uenientes auxilio, conserti sunt. Et hoc fuit initium pugnæ. Herodotus lib.8.

In prælio ad Mycalem Ioniæ contra Persas feliciter gesto, pręclarissimam inter Græcos operam nauauerunt Atheniẽses, & ex Atheniensib. HERMOLYCVS, Euthœni F. uir in Pancratio celeber: cui postea contigit, ut bello inter Atheniẽses & Carystios, in pugna apud Cyrnum agri Carystij facta, cęsus in Geresto iaceret. Secũdùm Athenienses egregij extitere Corinthij Trœzenijq;, ac Sicyonij. Herod.lib.9.

In pugna ad Platæas à Græcis contra Persas commissa, inter Barbaros strenuissimi extiterunt, è peditibus quidem Persæ, ex equitibus autem Sacæ, è uiris MARDONIVS Imp. Inter Græcos Tegeatę & Athenienses multum excelluerũt, tum multo plus Lacedæmonij. Inter Lacedæmonios præstantissimus extitit ARISTODEMVS, is qui solus trecentorum ex Thermopylis, quòd euasisset, dedecus ignominiamque acceperat. Secundum hunc nauauere operam POSIDONIVS, & PHILOCYON, & AMOMPHARETVS Spartiata. Quanquam cùm sermo haberetur, quisnam præstantissimus extitisset: ij Spartiatæ, qui adsuêre, censuerũt, Aristodemum, etsi præclara facinora edidit, tamẽ ad eluendam eam, quam contraxerat, inuidiam, ordinem deseruisse, & propalã mori uoluisse: Posidoniũ uerò, qui perire noluisset, ob id extitisse fortiorem uirum. Idem.

In prælio, quod ad Thermopylas Græci contra Gallos gessere, ATHENIENSIVM inprimis uirtus enituit: ipsis uerò Atheniensibus antecelluit CYDIAS: qui peradolescẽs, ac planè tyro, prima eo bello militiæ rudimẽta posuerat. Eius à Gallis occisi, cum hac inscriptione propinqui scutum Ioui liberatori dicarunt:

Cydiæ erat parma hæc iuuenili corpore clari,
Hospes quam sacram conspicis esse Ioui:
Huic cubitum inseruit flammato corde sinistrum,
Cùm premeret Mauors armipotens Galatas.

Mansit ea inscriptio usq; dum L. Syllæ milites & alia Atheniensium insignia, & scuta è Liberatoris Iouis porticu sustulerunt. Pausan. in Phocicis.

FORTITVDO PROPVLSANS, CONSIDERATA secundùm PERSONAS PATIENTES.

ERGA DAEMONAS, SPECTRA, LARVAS, VINCENDO, REPELLENDO.

Dæmon uariis modis homines circumuenire studet: nullum est uitii genus, ad quod non certis quibusdam illecebris polliceat: ad luxuriam, ad ambitionem, ad iram, ad mendacium. His resistere singulis, singularum est uirtutum. In genere uerò hic de iis terriculamentis agimus, quibus hominem terret, cùm aliàs, tum præsertim orationis tempore: quæ omnium Christianarum exercitationum difficillima est, ut Agathon abbas dicere solebat. Has tentationes, [redacted] *constanter tolerat Christianus, & tolerando propulsat: & proinde non magis ad tolerantiam, quàm ad propulsationem exempla hæc pertinent, quæ ex Maruli libro 2. cap. 3. & lib. 5. cap. 7. huc conferemus.*

RELIGIOSA EXEMPLA.

Laudatur à Domino IOB, cui sathanas inuidet, sed nocere, nisi permissus, non potest. Vbi uerò potestatem nocendi accepit, iustum hominem omnibus afficit ærumnis, postremò & mala corporis ualetudine terribiliter uexat. Sed fortis Dei athleta semper inconcussus perstitit: quodq; diabolus ad eius animi integritatem euertendam machinatus fuerat, id illi cessit ad gloriam: & patientiæ uirtute tanto est factus clarior, quanto calamitosiùs oppressus. Marulus lib.5. cap.7. & Sabellicus lib.10. c.3.

Quem hominum omnino intentatum relinquet ille, qui Dei filium IESVM tentare non timuit? Cùm enim dubitaret an ipse esset, ieiunum & iam esurientẽ ad gulæ uitium prouocat, dicens: Dic ut lapides isti panes fiant. Mox quem constantem in ieiunando cognouit, posse eum mentis elatione cadere credidit, qua sibi iam sanctus uideretur, & supra pinnaculum templi constituto ait: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Cumq; etiam humilem esse deprehendisset, adhuc auaritia animum pulsat, ostendensq; ei regna mundi & gloriam eorum: Hæc omnia tibi dabo, inquit, si cadens adoraueris me. Cùm autem & hoc incassum suasisset, iam omni uincendi spe amissa reliquit eum: & angeli accesserunt, & ministrabant ei. Angelico ergo ministerio honorari dignus erit, qui diabolum uicerit, non tam per potentiam, quàm (Christi exemplo) per Scripturam. Idem.

D. PAVLVS apostolus à sathana uerbera sustinuit, neq; hoc sine Domini uoluntate. Sed ne magnitudo reuelationum, inquit, extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus in infirmitate perficitur. Qui Apostolo gratiam dederat, dedit & stimulum. Nulla enim potest esse uictoria, ubi nulla est pugna. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Rogemus ergo Dominum, non ut submoueat nobis tentatorem, sed magis ut suppeditet uincendi facultatem. Idem.

NATHANAEL anachoreta, solitudinis pertæsus, cellam sibi proximè pagũ constituerat. Ibi dæmon forma supra modum fœda terribiliq; ei apparens, ac flagellum manu concutiens, circumstrepere ferociter cœpit, ut pauefactum inde abigeret: insuper iactabundus, quòd etiam prius habitaculum eum deserere compulisset. Quod ut audiuit Nathanael, ne qua in re de se gloriari diabolus posset, ad desertũ reuersus, ita illic postea habitauit, ut de cellulæ suæ septo annos septem & triginta pedem non extulerit. Sed rursum sathan fraude illum aggreditur: agasonem simulat, & asellum panibus oneratum agens, dum sub onere lapsum attollere nititur, Nathanaelis opem inclamat. Suspensus ille restitit: charitas proximo auxilium ferre stimulabat, propositi ratio exire dissuadebat. Dum autem quid facto opus esset, secum deliberat, uenit in mentem, ne fortè id, quod cernebat, diaboli ad fallendum fabrica esset: & uocanti respõdit: Si Christianus es, Deum deprecare, & ipse adiuuabit te: sin Christi aduersarius, indignus es cui succurratur. His dictis uisio euanuit. Marulus. At diabolus uicissim elenchum inferre poterat: Si Christi amicus, ex fraterna charitate me adiuuabis: si inimicus, eiusdem erga peccatores clementiam imitando mihi bene facies.

ANTONIVM Alexandrinum abbatem ad eremum pergentem dæmones primùm uerberibus discidêre. Semianimis refectus, ad proximum uicum curandi gratia delatus est. Cumque aliquantulum conualuisset, rursum eòdem se referri iussit, iterum uerberari cædique paratus, si ita Domini ferret uoluntas, nec ulla unquam diaboli iniuria à proposito deterrendus. Hac animi constantia armatum, cùm iam contingere nequissimi spiritus non auderent, monstrosa diuersarum imaginum facie metum illi incutere conabãtur: ferarum more in eum rugientes, ululantesque, ac simul serpentum sibilationibus perstridentes, rictibus ringẽtes, dentibus infrendentes, toruo oculorum aspectu scintillantes, & flammas ore, naribus, auribusque perflantes, nulla pauoris omissa specie, qua terrere illũ possent. Cæterùm ubi fortissimum Christi militem neque ictus curare, neq; tam horrendo tetroque spectaculo quicquam commoueri uident: uictos se confessi, confusique discessere. Ille seruiendi Deo semel iam susceptum uotum, magno constantique animo prosecutus est. Marulus libro 5. cap.7. & Sabellicus libro 10. capite 3. ex Vincentij lib. 14. qui Athanasium huius rei auctorem facit.

Post hæc ueterator spiritus, ne quid adhuc intentatum relinqueret, cogitationibus ANTONII callidè sese insinuans, tanto solitudinis tædio animum eius pulsauit, ut ille quid iam agere deberet dubius, ad Deum exclamaret dicens: En ego Domine Iesu, cupio his in locis tibi famulari, & nescio quo me inuitum subinde rapit uiolenta mentis meæ euagatio. Hæc dicenti, angelus monachali habitu iuxtà apparuisse dicitur: & cùm aliquandiu nunc genibus prouolutus orasset, nunc surgens manibus fiscellas texuisset: ad Antonium conuersus dixisse: Ita & tu Antoni. Et hoc dicto ex oculis euanuisse. Tali ergo precum laborisque uicissitudine deinceps usus Antonius, diabolicæ molitionis tentamenta facilè uicit: & cùm minimè esset ociosus, minimum in eum potuit inanis cogitatus distractio.

IDEM dum uerbera terroresq; perferret, lucem diuinitùs apparuisse ferunt, qua expauefacti dæmones diffugêre. Antonium uerò eo splendore recreatum erexisse se, & quasi præsentem Dominum aspiceret, dixisse: Vbi eras? Respõsumq; accepisse: Aderã Antoni, sed euentũ pugnæ tuæ pstolabar: quã quoniam imperterritus immotusq; uiriliter sustinuisti, manet

manet te uictorię tuę indeficiẽs in cœlo triumphus, immarcessibilisq; corona, præmiumq; sempiternum. Idem.

MACARIVS Alexandrinus abbas, multum à malis spiritib. infestatus est. Parem autem eorum terrori extitisse uel inde constat, quòd in gentilium sepulcro, nocte quadam, amoto cippo, decubare ausus sit. Cumq; ossa, sup quæ iacebat, in uocem prorupissent, mansit immotus. Vox autem erat alteri respondentis, uenire se nunc non posse: quòd eius, quẽ super se habebat, pondere grauatus esset. Ad quem Macarius: Exi atq; abi, si potes, inquit: ego hîc pernoctabo. Marulus ibidem, & Sabellicus lib.10. c.3.

Aliàs etiam terribilis dęmon falcem ferreã manu uibrans, ac percussuro similis, EIDEM occurrit. Cumq; nec sic eum terrere potuisset, superatum se fateri cœpit: superatum tamen non uigiliis, non ieiuniis, cùm & ipse dormiret, & comederet, sed sola animi semp se submittẽtis humilitate. Marul.

Iterum ILLI apparuit medici speciem præferens, multasque uitreas ampullulas gerens: & quò pergeret interrogatus, quidue sibi nascula illa uellent? Ad proximum monasteriũ iter se habere, respondit, ut fratribus singulis singulas offerret potiones: cosq; qui hausissent, sibi obnoxios redderet. Non multo pòst Macarius inde reuertentem cõspiciens, qd egisset, quæsiuit: atq; accepit, unum duntaxat ex fratrib. illis Theotiscum nomine, ampullæ ueneno delinitum: anxiusq; de fratris periculo, protinus monasterium adit, Theotiscũ conuenit, inimici in eum captiunculas detegit. Ille his auditis pauidus, quicquid mortiferum diabolo propinante gustauerat, repentè corrigendo sese, totum id euomere curauit. Marulus.

Multa expauescenda HILARIONEM abbatem in solitudine prope Gazam Palæstinæ uiuentem à satana in deserto perpessum, Hieronymus in eius uita tradit. Sæpè enim nocte intempesta ab eo auditos infantum uagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus uariarum portẽta uocũ, ut antè sonitu quàm aspectu territus cederet. Deniq; ipsũ fronte crucis signo armata, sollicitè circumspicientẽ, splendente luna uidisse currum directis equis super se irruere. Cumq; inclamasset Iesum, ante oculos eius in terræ hiatũ uisus est descẽdisse. Postremò quoties illi, inquit, nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuêre dapes? interdum orantem lupus ululans & uulpecula ganniens transiliit, psallentiq; gladiatorum pugna spectaculum præbuit: & unus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens, sepulturã rogauit. Orabat semel fixo in terrã capite, & ut natura fert hominũ, abducta ab oratione mẽs, nescio qd aliud cogitabat: insiliit dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicẽ flagello uerberãs: Eia, inqt, cur dormitas? cachinnãsq; desuper, si defecisset, an hordeum uellet accipere, sciscitabatur. Dixerat enim ille quandoq; corpori suo iratus, quod se ad libidinẽ prouocaret: Ego te aselle iã nõ hordeo, sed paleis alã, ne calcitres. Idem, ex D. Hieron.

ELPHEGVS Cantuariensis archiepiscopus, cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in angelum transformato eductus, multum iam itineris unà cum illo emensus esset: ambigere cœpit, reprobine an boni angeli opera martyrium fugeret? Dumq; id sibi ostendi Deum orasset, diabolus euanuit. Itaq; ad carcerem reuersus, coronam accepit martyrij. Idem.

Sozomenus narrat lib.6. c.28. APELLEM quendam monachum circa Achorim, in monasteriis Aegypti, multa edidisse miracula: & aliquando cùm noctu operas fabriles fecisset, spectrum dæmonis forma pulcræ & exornatæ mulieris ei apparuisse, & ad libidinem incitasse. Sed illum candens ferrum ex camino arreptum, in faciem dæmoni impegisse, atq; ita spectrum illud fugisse, & stridore & lamentatione suum dolorem testatum. Ibidem.

Ad EVAGRIVM presbyterum, amborum quondam Macariorum discipulum, dum solitarius eremum incoleret, tres dæmones clericali habitu uenisse constat: qui se diuersarũ hæresum esse simulantes, suum quisq; dogma probare nitebantur, ut illum aliquò eorum peruerterent. Cæterùm Euagrius, cùm fidem catholicã aduersus quemlibet eorũ acerrimè tueretur ac defenderet: Deo adiuuãte omnes facilè superauit, ita ut confusi repentè euanescerent: nihil aliud moliri in eũ ausi, quẽ in fide tam firmũ cognouerant. Marulus.

MARTINO Turonensi episcopo dæmon aureo diademate & purpureo superbus indumẽto occurrens, regem se Christum esse, & ad iudicandũ mundum descẽdisse asseuerabat. At uerò Martinus mansuetudinis Domini memor, Haud talem, inquit, uenturum se pollicitus est Christus, sed cum omnibus passionis (quã pro nobis sustinuit) signis, cũ spinea corona, uulnerumq; cicatricibus, & ipso uictoriæ suæ trophæo cruce: cùm talis apparuerit, eum aduenisse credam: alioquin hoc ab eo præceptũ obseruabo, Si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Immundus spiritus uerbis ueritatis uictus disparuit, nihil ibi suũ relinquens pręter sui indicem, fœtorẽ. Marul. ex Seuero Sulpitio.

NICOLAVS quidam in sancti Patricij specum apud Hybernos ad purgatorij (ut aiunt) loca descendens, multa ac uaria dæmonum tentamenta, fraudes, iras, & errores unus superauit. Nam quoties ad Dominum conuersus dixit: Domine Iesu Christe, fili Dei uiui, miserere peccatoris: toties ab insidiis liber euasit. Breuis quidem oratio, sed permultæ uirtutis, si fideliter, si ardenter, si humiliter exprimatur. Marulus lib.5. cap.7.

DATIVS episcopus Mediolanensis, cùm propter fidei confessionem eiectus, Constantinopolim tenderet: Corinthũ appulit, & ibi ædes à diabolo occupatas intrauit, cùm multas alias famulitio suo aptiores inuenisset. Intempesta nocte cùm dæmones fremerent, leonum more rugirent, balarẽt, [redacted]

FRAN [redacted] sum est. Quòd si corpus hoc uerberibus a[redacted] ud quã uindicabitis me de aduersario meo? His dictis confusi discesserunt. Ille ad preces Deo persoluendas rediit. Iterum oranti, intimo medullarum titillatu cogitationem libidinis dæmon excitauit. Ille intermissa precatione repentè exurgens, uiolentum mentis motum dura corporis flagellatione repressit, uenarumq; calescentium pruritum semet in gelida niue nudum uolutans extinxit. Hoc enim est genus illud dæmonij, quod non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. Marul. lib.5. c.7.

SVLPICIVS Bituricensis episcopus, dum nocturnis precib. incumberet, horrendos circa se strepitus, uocésq; terribiles audiuit: neq; tamen aut loco cessit, aut orare desiit, donec sedatus est tumultus. Qui enim confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in ęternum, par terrori erit atq; dicet: Si consistãt aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Marulus lib.2. c.3.

MAXIMVS monachus (qui postea Rhegiẽsis episcopus fuit) cùm noctu ad litus processisset ut oraret (monasteriũ enim non procul à mari erat) uidit nauem applicuisse, à qua descendentes nautæ ipsum reuerenter adierunt, atq; laudib. extollere cœperunt, quòd scilicet fama eius usq; ad Syrię fines peruenisset, quodq; multi eum uidere desiderarent: q deniq; si illò proficisci uellet, saluti plurimis foret: & si modò secum ire disponeret, se iam in rem paratos esse, pro lucro habituros, si talem uirum uehere sibi contigisset. Maximus positis in litore genibus, sicuti proposuerat, orauit. Et statim aui si sunt erubescentes qui dixerant illi, Euge euge. Ibidem.

LAVNONIARICO abbati Carnotensi noctu oranti, lucernam ter à dæmonio extinctam fuisse ferunt, & ter ab angelo rursum accensam. Nõ enim passus est Dominus illũ deridiculi gratia in tenebris derelinqui, q orãdo seruiebat luci. Quoniã Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Idem.

LEONARDO Corbiacensi monacho oranti, serpens à pedibus in sinum usq; sursum uersus reptauit. Quem quidem ille usque adeò nihil expauit, ut immobiliter permaneret, donec precum finem fecit. Quinetiam peractis precibus ultrò sese pestiferæ bestiæ ingerebat dicens, ne facere differret quicquid faciendi facultatem aduersus ipsum à Domino accepisset. Sed illa sicuti orantem non terruit, sic etiam omnia pati paratum minimè læsit. Idem.

Romæ in Auentino, in templo S. Sabinæ, quod olim fuit Dianæ fanum, saxum nigrum rotundum pendet ab uno aræ latere, quo monachi dicunt diabolum petiisse S. DOMINICVM, Deo supplicantem: non læsisse tamẽ, adeò tremebãt ei manus & brachia. Vierus lib.2. c.29. de Præstig. dæm.

VVLSTANVS Vigorniensis episcopus cum diabolo luctari consueuerat, eumq; non semel prostrauit. Ranulphus lib.7. cap.8. in Polychronico.

EADMVNDVS, Cantuariensis archiepiscopus, cùm ad multam noctem peruigil, iam tandem somno surrepente supinus decubaret, ita graue pondus impositũ sibi sensit, ut experrectus mouere se omnino nõ posset. Manũ leuare uoluit ad signandũ se crucis signo, & impeditus est. Excutere sese totis

totis uiribus conatus, plus grauitatis addi sibi cognouit, atque adeò ut uix iam sufficeret sustinere. Vbi autem spiritum ipsum, ut se dimitteret, per Christi sanguinem adurasset: statim dimissus assurrexit, & ab eodem à quo dimittebatur didicit, nullum adiurationis genus magis timori esse dæmoniis. Marulus.

Cùm potentissimus rex Saracenorum Almanzor terras Christianorũ inuaderet: Comes Castellæ FERNANDVS Gundissalui ei occurrit. Visus est ingens draco in aëre uolitans, igneúsq; cuomens, atque terribiles ululatus emittens. Cùm Christianus exercitus non parum terreretur: Fernãdus eos confortans, illa dæmonum esse præstigia, ad terrendos decipiẽdosq; fideles, dixit, & in Deo spem ponere iussit. Commisso sequenti die prælio, Saraceni uicti fuere. Rodericus Santius parte 3. hist. Hispan. c. 21.



THEODORA Alexandrina semel tantùm commissi adulterij conscia, se iam indignam maritali thoro iudicarat: & uiro relicto, in monachorũ cœtu, nulli quòd femina esset cognita, sub nomine Theodori latens commanebat, in multa uitæ austeritate Deo seruiens, ac peccatũ suum lugens. Cæterùm diabolus, ut illam ad desperationẽ impelleret, ei apparens, adulterij crimen exprobrauit, frustraq; illam fatigari dixit, eo quòd tam grande delictum ueniam promereri non posset. Ipsa uerò nequaquam de misericordia Dei diffidens, cùm se cruce signasset, tam manifesti mendacij assertorem euanescere ut fumum, coegit. Rursum ille sumta matris eius forma, blanditiis assentationibusq; ipsam allicere cœpit, impensiùs orans, uel potiùs urgens, ut domum rediret. At cùm nec sic doli succedissent: ferocium eam beluarũ imaginibus, ut à monasterio discederet, terrere conatus est. Sed & hoc incassum. At illa Deo humiliter supplicando, talem quoque uisionem repulit. Non multo pòst dæmon magnò comitatu, maiestatem quandam præferens, ad illã uenit: & cùm ab omnibus qui circa eum erant, honoraretur, ipsam quoq; ut se adoraret, iussit: nolentem uerò, & quòd unus Deus adorandus esset, dicentem, flagellis uerberauit. Cumq; illa ne uerberibus quidem cederet, ipse fremens & indignans abiit, patientia uictus feminæ, constantiaq; superatus. Postremò, ut saltem uel ad auaritiæ, uel ad gulæ uitium incautam traheret, hic auri massam, illic canistrum uarijs dapibus plenum ei apparere fecit. Illa autem præsentissimi contra omnia tentamenta remedij memor, crucẽ designauit, & diaboli laqueus dissipatus est. Igitur quæ semel corruerat, ita se erexit, ut nullo deinde aduersarij conatu euerti unquam potuerit. Quã die uita decessit, in uisu Abbati apparuit, ad cœlestem thalamum gloriosè sublata: tantoque splendoris fulgore radians, ut perstringeret oculos intuentis. Marulus lib. 5. c. 7.

PELAGIAM Antiochenam, & diuitiis & genere & impudicitia quondam nobilem feminam fuisse legimus, & (quod peius est) in idololatriæ errore natam atque adultam. Sed postquam ad Christum fuit conuersa, pauperem, humilem, pudicam, & omni inter fideles probitate præstantem. Hanc ergo copuentionis suæ initio, Mammonæ spiritus ad pristinas reuocare sordes, tali uersutiloquio tentauit, noctu illã adiens: Opes, inquit, quib. affluis, ô Pelagia, dij patrij, quorum ego nuncius sum, tibi concessere: & tu nũc illis relictis, nescio quem Christum sequeris. Illos tamen & crimen tibi remittere, si ad eorum cultum redieris: & hoc insuper polliceri crede, tantum priori opum beneficio addituros, quanto magis ipsa nequeas optare. Facilè deprehẽdit dolos mulier, quæ iam ueras diuitias Christum esse nouerat: & cùm crucis in pectore signum dexteræ manus ductu impressisset, sufflauit in suaforem impietatis: & tam facilè abegit, quàm solet puluerem uentus: tantique illius promissa fecit, ut continuò ea etiam, quæ habebat, cuncta indigentibus erogarit. Ibidem.

IVLIANÆ uirgini iam pœnis pro Christi nomine affectæ, & tantùm coronam martyrij in carcere expectanti, diabolus formam angeli gerens, apparuit atque dixit: Christum iubere, ut illa potiùs diis gentilium sacrificaret, quàm in crudelitatibus deficeret. Obstupuit Iuliana tali nuncio: mox diuinitùs inspirata, manu illum apprehendens, uinculis constrinxit, uerberibusq; affecit: uolente Domino, ut scelestus Belial ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat suppliciorum pro Christo patientiam, supplicia ipse perferret. Idem, & Sabellicus lib. 10. cap. 3.

MARGARITAM uirginem post tormenta carceri mancipatam, terribilis draco latè patenti facium hiatu ferociter inuadens deglutierat. Verùm ubi illa signum crucis edidisset, draco crepuisse uisus est, quaq; crepuerat, uirginem uiuam sanamq; euomuisse, sicuti euomitus à pisce Ionas propheta legitur. Iterum eidem in specie humana apparens imponere tentauit. At illa per capillos apprehẽsum humi allisit, & cùm quereret, cur tam infensus insectusq; Christi cultoribus esset? accepit, Cacodæmonum proprium ac peculiare esse, inuidiæ odiiq; facibus accendi erga eos qui saluandi sunt: cùm pati non possint, ut ad uœlum, unde ipsi decidi sunt, homines trahantur. Sub hæc dimissus euanuit: illa ad martyrij palmam gaudens peruenit, tam diaboli uictrix quàm tyranni. Idem.

EVPHRAXIA Romana, uirgo nobilis genere, sed stirpis nobilitatem mentis humilitate superãs, cùm se in monasterio apud Thebaidem inclusisset, ne seruilia quidem opera à se aliena putabat. Inuidens uirtuti eius diabolus, ut persecutionis molestia propositum turbaret: ad hauriendam aquã se inclinantem in puteum præcipitauit. Sed ipsa inde sana à sororibus educta, crebriùs aquatum ire cœpit. Iterum illam, dum eo quinam faceret, in bullientem ollam impinxit: sed ipsa, nihil læsa, cœptum opus peregit. Rursum ligna findentem in latus impulit, & ipsa obliquato securis ictu pedẽ sauciauit: breui tamen curata, multò promtior ad subeundos labores accessit. Ita uictis tandem tentationibus, etiam miraculorum operatione insignis fuit. Idem.

ETHNICA EXEMPLA.

Iouinio & orationibus dæmones uinci & erici, Christus testatur: eos uidelicet qui nobis, quatenus Christiani simus, insidiantur, ut nos à uera religione ad idololatriam abducant. At eos, qui uanis terriculamentis homines infestare solent (quales apud Ethnicos plurimi fuere uiri) etiam philosophica fortitudine & magnanimitate edomari atq; uinci posse, exemplis quorundam ostendemus.

VLyssem aiunt errantem, cuerso iam Ilio, tempestatibus huc il luc ad alias Italiæ ac Siciliæ urbes, Temessam etiam appulisse: ibi de naualibus sociis eius unum uirgine per uim uiolata, ab oppidanis contumeliam uindicantibus lapidibus obrutum. Vlyssem quidem nulla factum ulciscendi inita ratione profectum: peremti uerò socij manes finem nullum sæuiendi in cuiuslibet ætatis homines fecisse, priusquã cogitantes patriam relinquere Temessenses, quo eam pestẽ effugerent, Apollinis responso heroem placare iussi sunt, & consecrato ei solo templum excitare. Deuouêre ei præterea quotannis uirginum unam, quæ ipsis formosissima uisa esset. Quod cùm illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino grauius dehinc passi sunt. Fortè uerò cùm uenisset EVTHYMVS Locrensis, athleta robustissimus, Astyclis F. Temessam, eo ipso tempore, quo solenne sacrum fiebat: re tota cognita, se intromitti in templum postulauit. Ibi uirginẽ dæmoni recens expositam conspicatus, primò misericordia commotus, deinde eriam amore incensus: cùm puella quidem, si ab eo seruata esset, se in eius manum conuenturam fidem dedisset: armis captis cum genio (qui colore uehementer atro, & specie formidabili, lupi pelle amictus fuisse dicitur) congressus, illum uictum mœnibus & agro excedere, & in mare se demergere coegit. Fuisse memorant, ciuitate uniuersa fœdissima calamitate liberata, maximè illustres Euthymi nuptias. De eodem uerò Euthymo & illud ex antiquitatis monimentis accepimus, longissimam eum gratem uiuendo implesse, neq; omnino mortuũ, sed alio quodam modo hominem esse desiisse. Pausan. lib. 6.

Admirationem ædes illæ Athenis meruêre, de quibus in Epistolis Plinius scribit. In quibus nocte umbra ingens ac macilenta, cathenarum stridore, ædes ipsas, quibus uincta uidebatur, replebat: propter quã rem cùm habitare eas nullus auderet, ad exiguum precium locatio redacta erat. Itaque cùm ATHENODORVS philosophus Athenas profectus, allectus precij utilitate plus, quàm terrere eiusmodi posset phantasma, domum conduxit: perspectaq; audaciter umbra, eam per ædes secutus, ubi uidit in quo apparere desiuerat, humum effodit, illicq; corpus cathenatum umbræ simile, quæ apparuerat, inuenit: sublatoq; cadauere, horrore ædes liberauit. Fulg. lib. 1. c. 6.

LACON quidam nocte præteriens monumentum, quũ uideret spectrum, accurrit lancea tracturus: Quò fugis, inquiens, anima bis moritura. Plut. in Laconicis.

M. BRV-

M. BRVTVS Cæsaris interfector, trãsportaturus ex Abydo in oppositam continentem exercitum, quiescebat nocte, ut assueuerat, in tabernaculo, insomnis adhuc, ut de belli euentu solicitus: siquidem uir hic inter omnes imperatores perhibetur minimè somno indulsisse, naturaq; fuisse uigilantissimus. Is strepitum sentire ad fores imaginatus est. Intentis autem ad lucernæ lumen iam emarescentis oculis, speciẽ uidit horribilem uiri immani magnitudine diroq; aspectu. Perculsus primùm, ubi nihil id tentantem consp exit, neque uocem mittentem, tantùm cubili suo tacitum assistentem: rogauit, quisnam esset? Respondit ei spectrum: Tuus, Brute, malus genius: in Philippis me uidebis. Tũc forti animo Brutus: Videbo, inquit. Mox genius ille ex oculis abiit. Postmodum cùm in Philippis infestum exercitum contra Antoniũ & Cæsarem haberet: prima acie uictor oppositum sibi cornu profligauit, atq; instans effusis castra Cæsaris diripuit. Altera instante pugna, idem se ei noctu obtulit spectrũ, neque est cum allocutum: uerùm intelligens Brutus fatum, in periculum demisit se. Non cecidit tamen in prælio: sed pulsis suis refugit ad rupem quandam, admotoq; pectori stricto gladio, simulq; amico quodam, ut fama est, ictum aduanante, exanimatus est. Plut. in Cæsare.

Sueonum regis Hadingi coniux Thorilda, cùm priuignos suos Regnerum & Thoraldum, quorum infinito odio teneba tur, ut uariis periculorum generib. implicaret, regio tandẽ pecori umbrarum perpetuis laruis circumfusos prosecisset: Hadingi Danorum regis filia SVAMHVITA fororibus in famulitium sumtis, Sueciam petit, Regnerum ense magico donat: mox dimissis comitibus aduersum laruas per noctẽ dimicans, luce reddita uarias laruarum formas, & inusitata specierum figmenta passim artuis incidisse cognoscit: inter quas & ipsius Thorildæ crebris uulneribus concisa effigies uisebatur: quas in struem congestas ingenti pyra accẽsa cremauit, ne teter obscœnorum cadauerum odor aerem inficeret. Quo facto, Regnero Sueciæ regnum, sibi uerò Regneri thorum conciliauit. Saxo lib. 2.

HOTHERVS Suecorum rex, contra Balderum Othini magi F. prælio nauali confligebat. Hominib. aduersum deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro sacraque deũm agmina propugnabant. At Hotherus tunica ferrum spernente succinctus (quã à Nymphis acceperat) confertissimos deorum (sic magos uocabãt) cuneos irrumpebat. Sed & Thoro mussitato clauæ libratu cuncta clypeorum obstacula lacerabat. Nullum erat armaturæ genus, quod impellenti non cederet. At Hotherus inclinata suorum acie celeriùs aduolans, clauam præciso manubrio inutilem reddidit. Itaq; diu subitam dedere fugam. Idem lib. 3.

ERGA HOSTES APERTA FORtitudo. Tum PROVOCANTES, INTER DVOS (quæ Monomachia est) pluresue, siue suscipiatur

Vltionis cupiditate.

Mortuo Saulo Dauid à Iudæis Hebronę rex creatus est: at Isbosethi F. Israelitis imperauit. Abner Neris F. Isbosethi polemarchus, Dauidis Ioabus, apud Gabaoniam piscinam castra locarant. Abner XII IVVENES Beniamiticos emisit, qui Dauidicos totidem prouocarent. Commissi igitur inter media castra, prehensis alteri alterorum capitibus, latera sibi mutuò gladiis confoderunt. Locus ille Ager inuicto rum nomen obtinuit. Acri prælio commisso, Dauidici Isbosethanos superarunt. 2. Reg. 2.

ABISÆVS, SOBOCHÆVS, ELEHANA, IONATHAN, Gigantes, singulari prælio congressos interfecerunt. Vide Tit Gigantum.

Bello Troiano PATROCLVS & Lycius Sarpedon, signo inter se dato solitarij certaminis, extra aciẽ processere. Móxq; telis aduersum iactis, ubi uteriq; intacti as est, curru desiliũt, atq; arreptis gladiis pergunt obuiam. Iamq; crebris aduersum se ictibus congressi, neq; uulneratus quisquam, multũ diei consumserant. Tum Patroclus amplius audendum ratus, colligit in arma sese: & cautiùs contectus, ingressusq; hostem complectitur, manu dextra poplitẽ succidens. Quo uulnere debilitatum, atq; exectis neruis inualidum propulsat corpore, ruentemq; interficit. Dictys lib. 3.

Post Hectoris & Achillis interitũ, Troianorum rebus ad interitum iam uergentibus, PHILOCTETES Alexandrum siue Paridem omnis mali auctorem ad singulare certamẽ arcus prouocauit. Consensu utriusq; partis Vlysses atq; Deiphobus spacium certaminis definiunt. Primus Alexander incassum sagittam contendit. Philoctetes sinistram manum hosti transfixit, reclamantiq; per dolorem dexterum oculũ perforauit. Et iam fugientem insecutus, tertio uulnere per utrunq; pedem traiecit, fatigatumq; ad postremum interfecit, Herculis armatus sagittis, quæ infectæ hydræ sanguine, haud sine exitio corpori figebantur. Dictys libro 4.

In eo bello, quod Cyprij & Iones contrà Persas gesserũt, cùm terra mariq; dimicaretur, in terra ONESILVS Salaminis Cypriæ tyrannus cõtra Artybium Persarum ducem pugnauit. Vbi igitur Artybius equo in Onesilum inuectus est, Onesilus, uti conuenerat priùs cum satellite, ipsẽ inuadentem Artybium ferit, eius satellẽs equi sublatos pedes in Onesili scutum iactantis falce peruetiens abscidit. Quo ictu Artybius Persarum Imperator illic unà cum equo corruit. Persæ tamen superiores exitêre. Herod. lib. 5.

SOPHANES Eutychidis F. Athenien sis, obsidentibus Aeginam Athenien sibus, Eurybiadem uirum Argium quinq; certaminum uictorem, ex prouocatione interemit. Et idem postea in pugna ad Platæas multa laude digna gessit. Herodotus lib. 9.

Alexander Magnus, Mallis Indorum gente uictis, sacrum [illegible] fecerat, & magnificentissimo conuiuio amicos suos acceperat. Ibi DIOXIPPVM Athenien sem pugilem Alexãdro Magnõ [illegible] haud mediocriter charum, uelut regij conuiuij saginæ addictũ, Horatas Macedo (Diodorus lib. 17. & Aelianus lib. 10. Coragum uocant) maledictis insectatus, ad singulare etiã certamen prouocauit. Processit Macedo [illegible] in læua lanceam habens & aureum clypeum, dextera leuiorem hastam, quam Macedones sarissam uocant. Dioxippus coronatus atq; oleo nitẽs, hac manu puniceum gerens amiculum, altera pregrandem & nodosum stipitem, [illegible] initio certamen omnibus uisum. Nemo non Dioxippũ auguriari sua temeritate perituru m. Contosit itaq; in eũ sub primum congressum sarissam Macedo, qua ille paululũ declinata, priusquam lanceam ex læua in dextram transferret, eum Dioxippus occupat, hastaq; stipitis ictu perfracta, gladium exerere conantem amplectitur, nodoq; cruris implicitum præualidus pugil grauiter ad terram retupinat, ferroq; è manibus extorto, iacenti stipitem intentat, nec ultrà in prouocatorem, regis interuentu sæuit. Sab. lib. 6. Enn. 4.

In acri illo conflictu, quo Achæi cũ Aetolis & Eliis signa contulerunt ad amnem Larissum, PHILOPOEMENEM Achæorum magistrum equitum, magister equitum Eliorum Damophantus ante signa euectus petiit. Cuius ille impressionem excipiens, præuertit eum lanceæ ferire, atq; examinem deturbauit equo. Ad cuius lapsum consertum effuderunt se in fugam hostes. Vnde ingens nomen quæsuit Philopœmenes: ut qui nec manu ulli iuuenum, nec ulli senum concederet prudentia, sed iuxtà militis & imperatoris partes optimè obiret. Plut. in Philopœmene.

Bellum gerebat Demetrius cum PYRRHO Epirotarum rege: Pantauchus uirtute & manu & ui corporis inter Demetrij duces longè primus, audaxq; & animosus, prouocauit ad congrediendum secum Pyrrhũ. Ex altera parte Pyrrhus fortitudine & gloria nulli regum secundus, & qui Achillis laudes studeret uirtute sibi magis quàm genere asserere, pertexit per anteſignanos infestus in Pantauchum. Primùm hastis uelitari, inde cominùs nõ solùm arte, sed & lacertis gladios tractauerunt. Pyrrhus uno accepto uulnere, insictis duobus, altero in femur, secundum collum altero, peptulit prostrauitq; Pantauchum, nec tamen occidit eum, quòd eripuerint eum amici. Epirotæ regis uictoria erecti, & uirtutem stupentes, impressione facta propulerunt phalangẽ Macedonum, tergisq; inhærentes fugientium magnum numerum interfecerũt, ceperuntq; quinq; millia. Plut. in Pyrrho.

IDEM Sicilia relicta, primo in Italiam appulsu in Mamertinorum phalangem incidit: qui non ausi regem à fronte lacessere, extremum agmen adorti, duos elephantos, & eos qui circa belluas dimicabãt, priusquam rex succurreret, oppressere. & iam cœperat turbari extremus ordo, cùm Pyrrhus suorum periculo commotus, in medium sese certamen iniecit. Hic accepto uulnere ægrè hostem à se propulsabat. Anceps itaq; erat pugna. Cùm Mamertinorum VNVS procera statura, armis fulgens, atq; in medio stans, regem, si uinceret, ad pugnam prouocat. Ea demùm contumelia rex inflãmatus, ei occurrit: ac tam ualido ictu hostem percussit, ut ferrum capiti adactum ità ad ima descẽderit, ut magno spectantium stupore dimidiatum corpus in duas partes abierit. Sabellicus lib. 9. c. 3. ex Pyrrhõ.

Ad Arsiam sylnam Tarquinij cum Romanis pugnaturi consederant. Regebat dexterum Romanorum cornu P. Valerius, quod Veientibus erat oppositum: in sinistro L. Iun. Brutus procurabat, cui ex aduerso steterant Tarquiniẽsium copiæ, & in his Tarquinij filij. quorum ARVNS manu promtissimus, nonnihil aciem prægressus, probrosis uerbis Iunium BRVTVM compellans, ad singulare certamen prouocat. Eam contumeliã Brutus haud ferendã ratus, ex aduerso equum concitat. Quem uenientẽ Aruns intuitus, deos regũ ultores inuocat, touisq; in hostem effertur uiribus. Infestis itaque hastis congressi, uteriq; alterum per scutum & thoracẽ

traiecit: eoq; graui repercussu auersi, tam hic, quàm ille moribundum è iumentis effudit. Tum demùm clamore utrinq; sublato pedestris pugna secuta est. Liuius mutuo intuitu se duces conspicatos, temerè aduersos utrinq; in se equos cõcitasse ait: quibus cadentibus, equestre sit prælium initum. Nouissimam pugnam peditum fuisse, tantoq; animorũ ardore dimicatum, ut uaria sit uictoria certamen diremtum. Sabel. lib. 7. Enhead. 2. ex Plut. Poplicola.

Q. Fabius, ubi Hannibalem in Apuliam profectum audiuit, exercitu Capuam admoto, agrum urbi circumiectum militi ferro & igni uastandum tradidit. Campani & ipsi extra urbem castra muniuêre, fiebantq; quotidie inter equites prælia tumultuaria quidẽ, & qualia ex occasione alterius partis fieri solent. Hic Iubellius Taureas Campanorum equitũ, ut fama erat, fortissimus, prouocat CLAVDIVM Asellum, cuius olim hospes fuerat, ad singulare certamen. Procedit ille permissu consulis ad pugnam, stabatq; exercitus utrinque in procinctu spectans. Quum igitur aliquamdiu libero spacio certamen sine uulnere extraxissent, tum Taureas, Equorum est, inquit, hic, non hominum concursus: quin in uiam hanc cauam equos demittimus, ubi consertis manibus statim prælio defungamur. Ferox Claudius nihil moratus, equum in uiam demisit. Vos Taureas, Minimè sis, inqt, cantherium in fossa. quæ nox in rusticum prouerbium abiit. Claudius abeuntem hostem ut ignauum increpans, castra cum gratulatione uictor adiit. Quidam memoriæ tradiderunt Claudium in fugientem hostem ad urbem secutũ, per patentem portam ingressum, citato equo, stupentibus miraculo hostibus, per auersam urbis partem incolumẽ ad suos euasisse. Sabell. lib 3. Enn 5. ex Liuio.

Badius Campanus, miles fortissimus, fretus suis uiribus, euocari T. Quintium CRISPINVM iussit ex toto exercitu, prouocans illum ad singulare certamen. Cui Crispus respondens ait: nec sibi nec illi hostes defore, in quibus uirtutẽ ostendant. Sed postquam tam acriter prouocasset, ne uirili animo carere uideretur, aggressus illum est, & uictor euasit. Liuius lib 5. Dec. j.

PHOCAS Bardas eunuchus Basilij II. Imp. dux contra Bardam Sclerum qui tyrannidẽ inuaserat, missus est. Circa Armorium marte dubio pugnarunt. Tandem singulari certamine congredi & de summa rerum depugnare statuerunt. Cùm itaq; Sclerus prior ense stricto in Phocam irrueret, qui ictum declinabat adeò, ut summo mucrone equi, quo Phocas uehebatur, aurem feriret atq; abscinderet: is rursus malleo caput Scleri uerberauit, ut uertigine occupatus, collo equi incumberet, cruoremq; euomeret. Abducto eo ad puteum, ut refocillaretur, & cruor abstergeretur: equus eius, q Aegyptius uocabatur, & notus erat omnibus, sine insessore saltabundus, peruenit in exercitum, iuba sanguine defœdata à militibus suis agnitus: qui rati uictum ac cæsum, in fugam uertuntur. Quos Phocas insequens, partim cœpit, partim occidit, multi uerò oppressi sunt. Sclerus cũ reliquis ad Cosroen Babyloniũ aufugit. Cusp ex Zonara & Cedreno.

MANVEL Comnenus Imp Ioannis F. in ea pugna, qua Seruios Pœonum & Hunnorum auxiliis instructos superauit, cũ Archizupano Bachino singulari certamine congressus est, uiro heroica statura & lacertoso: qui cùm faciem Imp. percussisset, & ferreum eius uelamen è galea deiecisset: ipse uicissim manu ense traiecta debilitatus, uiuus in Imperatoris potestatem uenit. Nicetas Choniates lib. 2.

Duci Curmensi, qui nulla iniuria lacessitus, Boemiam uastabat, D. VENCESLAVS dux Boemorum, cum copiis occurrit, uocatoq; in colloquium, singulare certamẽ obtulit. Acceptа ab aduersario conditione, ubi manus cõseri debuit, angeli uisi qui Venceslaum protegentes arma ministrarent. Territus ea nouitate Curmensis, ex equo prolapsus ueniam petiit. Boemus libenter pepercit, monuitq; ne deinceps aliena cuperet. Aeneas Syluius in hist Boem.

ERICVS Disertus, Suecus natione (qui pòst ad regnum Suecorum peruenit) in Frothonis Danorum regis aula multa ingenij & fortitudinis exempla dederat, sic ut in inuidiam multorum incurreret. Quidam Vestmarus inter supremos regis satrapas, quem sapientia & uerbis superare non potuit, uiribus incessere non dubitauit, uincentis præmium uicti necem constituens: nec Ericus conditione uti abnuit, ne lingua, quàm manu promtior æstimari posset. Erat autem tale certaminis genus: Circulus uimine uel fune cõtextus, magno pedum manuumq; conatu decertaturis raptim distrahendus exhiberi solebat, fortiori tribuens palmam: quẽ colluctantium si quis alteri detraxisset, uictoria donabatur. In quem modum agonizans Ericus, restem manibus concertantis excussit. Quod Frotho uidens: Arduũ, inquit, reor contra fortem fune contendere. Et Ericus: Arduum utique, cùm corpori struma insidet, aut tergũ occupat gibbus. Statimq; propulso pede senem colli ac dorsi fractione contriuit. Olaus lib. 5. c. 24.

Præfectus Iutiæ HORVENDILLVS, relicto fratre in cura agrorum, piraticæ operam dedit. Rex Noruagiæ Collerus, probrosum sibi existimans, si alius se potentior in mari uideretur: armata classe, diu quæsitum in mari, nõ reperit. Insulam quandam petit Collerus classe, eandemq; fortè alio in portu tenuit Horuendillus. Erat opacum in medio nemus. Dulce uisum uiris diu in salo iactatis, nemoris umbra frui. Diuerso itinere lustra perquirunt uaria. Collerus Horuendillo soli solus occurrit. Sciscitantur alterna inuicẽ nomina: redduntur. Ibi Horuendillus, quo, inquit, pugnæ genere mecum decertatis? Tũ Collerus, quo uoles: sed hac lege, ut uictor uictum tumulo dignetur, aut si uictoria citra mortem, in solo uulnere aut membri truncatione constiterit, eam denis auri talentis uictor uictus causa uicto muneretur. Horuendillus cædendi auidus, clypeo abiecto gladiũ utraq; manu stringens, regi scutum excussit: pede desecto mutilauit: geminato inde uulnere extinxit, extinctum, regio funere sepeliuit. Normanni regem extinctum audiẽtes in patriam nauigarunt. Cranzius lib. 1. Noruagiæ, cap. 8. ex Saxonis lib. 3.

AGNERVS quidã, Ingelli filius, sororẽ Roluonis Danorũ regis, Rutam ducturus, nuptiale conuiuiũ instruit. In quo cũ pugiles omni petulantiæ genere debacchantes, in Ialtonẽ quendã ossa conijcerent: accidit ut eius assessor BIARCO per errorem capite ictum exciperet. Dolore igitur ac ludibrio lacessitus, osse uicissim in iacientem remisso, caput eius resupinauit. Ea conuiuij iniuria permotus sponsus, ferro cũ Biarcone decernere statuit. Cæterũ controuersum erat, qs prior ferire deberet. Neq; enim antiquitùs in edendis agonibus crebræ ictuum uicissitudines petebantur, sed erat cũ interuallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quàm numero deferretur. Prælato ob generis dignitatem Agnero, tanta ui ictum ab eo editum constat, ut prima cassidis parte conscissa, supremam capitis cuticulam uulneraret, ferrumq; mediis galeæ interclusum foraminibus dimitteret. Tunc Biarco mutuò percussurus, quò pleniùs ferrum libraret, pedem trunco annixus, medium Agneri corpus, transegit. Sunt qui asserant, morientem Agnerum soluto in risum ore, per summã doloris dissimulationem spiritum reddidisse. Cuius ultionem pugiles audiùs expetentes, simili per Biarconem exitio mulctati sunt. Vrsum inde eximię magnitudinis obuium sibi inter dumeta factum, iaculo confecit, comitemque suũ Ialtonem, quò uiribus maior euaderet, egestũ belluæ cruorem ore haurire iussit, ad roboris incrementum. Hoc facinore regi percharus factus, Agneri uicti sponsam uictoriæ præmium habuit. Saxo lib. 2. & Cranzius lib. j. Daniæ c. 16.

Quum Galli Hispanos Baroli obsiderent, Baiardus Gallus HISPANVM equitem ex nobili Sotomaiore familia ad singulare certamen prouocarat, quum se Gallus ab Hispano grauì affectum contumelia quereretur, quòd durius ac illiberaliùs quàm deceret, fuisset custoditus. Cognita causa, Consaluus Magnus Hispanorum dux seuerè hominem increpauit, iussitq; certaminis aleam subire, ut animi subagrestis ignominiã Marte iudice dilueret: aut uictus, quòd gentis atq; familiæ decus improbo facto defœdasset, meritas turpi uitæ exitu pœnas daret: in eo certamine fortuna ius dixit, eo euentu ut Hispanum Gallus non obscuro pudore confusum, neq; se promtissimè ad inferẽdos ictus explicantem, gladij mucrone per summam iuguli loricam cõiecto, celerrimè confecerit: Hispanis iure cadentem omni contumeliarum genere onerantibus, utpote qui patriæ nomen turpi antea facto & mox ignobili morte dedecorasset. Iouius in Consaluo.

Veritatis confirmandæ, Mendacij conuincendi, ergô.

Adalulfus quidam summo inter Longobardos loco natus, Gundebergam Arioaldi Longobardorum regis uxorẽ, de stupro interpellare ausus, cùm repulsam conuiciumq; tulisset ueritus, ne ab ea proderetur, regem adiit, & secreti colloquij copiam nactus dixit, Tato dux Etruriæ consilia de nece tua cum regina cõmunicauit, ut te sublato illam sibi cõiugio societ. Quibus uerbis rex incensus ira subitò propè amens, coniugem in arcem Amelli coniecit, atq; ibi per triennium in arcta custodia habuit. Post tertium annum Clotarius rex Francorum mulieris misericordia motus, legatos ad Arioaldum misit, perperàm fecisse arguens, quòd Gundebergam ex regio Francorum sanguine ortam iniusta causa damnasset, atq; honore suo dispoliasset. Rege autem se iustam causam habere dicente, Ansoaldus è legatis unus, Facilè id tibi assentiemur, inquit, si quem ex reginę familiaribus singulari cum accusatore commisso certamine reginam ipsam permiseris expiare. Hæc erat antiqua Lõgobardorum consuetudo, ut crimina uel maxima singulari prælio purgarentur. quæ postea in leges trãslata, per multa tempora obseruata est. Quibus dictis, PITTO quidã (CARELLVM uocat Paulus Diaconus) ab Arriperto reginæ consobrino productus, cum Adalulfo est comparatus. Certamine inito, à ueritate uictoria stetit. Itaq; prostrato Adalulfo uictus Arioaldus reginam è custodia eduxit, atq; in antiquũ locum gratiæ honorisq; restituit. Sigon. lib. 2. regni Ital.

AVSTREGISILVS sub rege Gallorum Guntranno in aula uersatus, & regi mappam pro abstergendis manibus præbere solitus, falsarij crimine accusatus, cùm monomachia se purgare cogeretur, diuinum auxilium priùs implorauit. Cùm in circo hostem expectaret, nuncius affertur, hostem in itinere ex equo deturbatum fregisse ceruicem. Innocentia igitur illius perspecta, episcopus postea Bituricẽsis creatus est, anno DCXXVII. Sigebertus.

Occiso Malcolmo III. Scotorum rege, regnoq; occupato à Donaldo Malcolmi fratre, Edgarus Margaritæ reginæ frater nepotum suorum capitibus timens, secretis nunciis eos in Angliam uocat. Venêre ij tres, Edgarus, Alexander & Dauid, cum duabus sororibus: quos quã potuit occultissimè educauit. Miles quidã, Organus nomine ex calumnia mercedem opimam sperans, Edgarum apud Gulielmum Ruffum Anglorum regem læsæ maiestatis accusauit, quòd sese ac nepotes suos, quos in hoc clàm alebat, reges ueros regni dixisset. Cæterùm is breui importunæ cupiditatis pœnas meritas dedit, deuictus ac occisus ab EQVITE quodam, qui suscepta Edgari causa, pro rei ueritate decernẽdã singulare certamen susceperat. H. Boeth. lib. 12.

RAIMVNDVS Berengarius, nonus Barcinonæ Comes, audiens Imperatoris Germani uxorem à duobus adulterij insimulatam, & nisi quis eam intra annum monomachia liberaret, morti destinatam: re cũ Rochabuma Domicello communicata, Minoritæ habitu ad Imperatricem uenit: cumq; eam insontem esse ex sacra confessione audiuisset, consiliũ suum illi detexit, silentij fidem priùs pactus, ne ante triduũ cuiquam quis esset detegeret. Die certamini indicto sociũ suum Rochabumam frustra expectans, ab Imp. impetrauit, cum singulis seorsim congredi. Priorem fortiter occidit: posterior sine pugna manus dedit. Victor honorificè ad diuersorium suum deductus, nocte intempesta clàm omnibus discessit. Imperator pòst triduum ab uxore audiens, Raymundum Comitem hunc fuisse, illam ad se admittere noluit, priusquam uirum tam fortem atq; iustum coram stetisset. Itaque illa nobili comitatu in Hispaniam usq; profecta, eum in Germaniam perduxit. Cui Imperator preter ingentia dona Prouinciæ quoq; Comitatum largitus est. Marineus lib. 9. rerum Hispan.

Quum annò MDXXX. Florentia ab Caroli V. Cæsaris, Mediceos in patriam reducturi, exercitu obsideretur, ab insigni generosoq; certamine FLORENTINORVM quatuor iuuenum inexpectatæ celebritatis spectaculum est editum, cùm Ludouicus Martellius inter ciues nobilitate insignis, ac corporis & animi uigore florentissimus, Ioannem Bandinum, pari uirium ac ingenij robore præstantem; quòd in castris apud hostes esset, ex prouocatorio libello, hostem communis patriæ compellasset, proptereaq; eum ad singulare certamen deuocasset in arenam, ut ibi, Marte iudice, uter ipsorum honestiorẽ causam tueretur, ostenderet. Conditionem nõ abnuit Bandinus, dixitq; ei, Si Martellius sibi adsciseeret in eam dimicationem socium, ei se parem, iisdẽ instructum armis, in stadium producturum. Atq; ita Martellius Dantem Castellionum præferocem ex tota iuuentute uirum delegit: cui à Bandino oppositus est Albertinus Aldobrandus, uix dum pubescens, immoderati spiritus iuuenis. Aurantius Cæsariani exercitus Imp. iuxta castra locum eis sub publica fide funibus circumseptum, triumq; gentiũ præsidio uallatum, certantibus præbuit: quum pari numero è Germanis, Hispanisque & Italis delectæ cohortes, pugnantes simul & spectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuêre singulis singuli militares gladij, neq; aliud tegumentum, præter unam in dextris ex lorica ferrea chirothecam. Dantes, cui sorte ducta par Aldobrandus obuenerat, quanquam circa brachij dextri neruos primo congressu graue uulnus accepisset, hostem in se insano procursu ruentem, ea impauidi animi firmitate sustinuit, ut ambabus manibus gladium prætendens in os incumbentis inseret, eumq; euomentem cum sanguine animam extemplò conficeret. Contrario euentu pugnabat Bandinus: nam alternante fortuna, Martellio supra oculum uulnus inflixerat, admirabiliq; iudicio & gladiatoriæ artis peritia, hostẽ eludens, adacto suprà costas gladij mucrone, uictum & deditum fateri coegerat. Sed Martellium elatum intra urbẽ, usque adeò grauis ex aduersa sorte certaminis occupauit dolor, ut angore potiùs animi, quàm uulnerum dolore, mortem accersisse crederetur. Id certamen, sicuti eximiam uirilis constantiæ laudem Bandino peperit, ita Danti ferè decus attulisse uidebatur: quanquam ille detractis spoliis, planeq; integer & omnis expers uulneris gloriosus uictoriæ suæ trophæum præferret, & spectatores præclarum totius belli omen acciperent, quòd uictis pariter atque uictoribus non omnino lætum finem futurum arbitrarentur. Iouius lib. 28. Historiarum.

Sacerdotij ergô.

Exul in Italia Hippolytus, patrem Theseum fugiens, Aricinæ Dianæ templum condidit. Ad quod QVI singulari certamine dimicarint (dimicare autem soli serui permittuntur) præmij loco Deæ sacerdotium accipiunt. Pausanias in Corinthiacis.

Regni, Imperij comparandi, propagandi, conseruandi causa.

HERCVLEM ex Hispania redeuntem aiunt cum Eryce in Sicilia congressum, propositis certaminis conditionibus, ut si ipse uicisset, Erycis finibus potiretur: sin uictus esset, Geryone boues Eryci concederet, quas præ se nantes in Siciliam egerat. Victor Hercules Erycem interfecit. Hanc ob causam Lacedæmonij duce Dorieo Anaxandridæ filio Siciliã occupare conati, quòd ex Herculis posteritate essent, ab Egestæis ferè ad internecionem deleti sunt. Pausanias in Laconicis.

TOMYRIS Massagetarum regina, cùm Cyrus ponte Araxem iungeret, ei significauit, ut omissa pontis structura, uel ipse in regionem Massagetarum tridui itinere progrederetur, se retrocedente: uel ipse retrocedens, tridui itinere Massagetas in regionem Persarum progredi sineret: ut nulla spe effugij residua, de summa rerum certare possent. Cyrus Crœsi consilij usus, in Massagetarum regionem progressus, primò quidem uictor extitit, postea uerò uitam amisit. Herodotus lib. j.

CRITOLAVS Græcus, cum duobus fratribus, aduersus alios tres fratres, ea conditione certamẽ iniuit, ut utri eorum uicissent, ita uel Tegeates uel Pheneates controuersiarum ac belli, quibus antè diu inter se certauerant, ius haberent. Occisis tribus aduersis fratribus, singulari Critolaus animo atq; industria, cùm ipse duos in eo prælio amisisset fratres, uictor euasit. Itaque cùm domum, gloriæ plenus, in triumphi speciem rediret, oblata est ei soror, magno planctu omnia perturbans, quòd inter occisos hostes uir eius erat. Indignatus Critolaus, plus à sorore uirum, quàm patriã ac duos diligi fratres, qui amissi erant: illic ubi obuiam facta est, gladio illo quo accinctus erat, & quo eam pepererat uictoriam, sororem interemit. Haud multo pòst, ad populum accusatus matris precibus, quæ iam duos pro patria filios amiserat, eo iudicio absolutus est. Fulgosus lib. 8. capite j. ex Plutarcho.

Cùm post mortem Eurysthei regis Peloponnesi, Heraclidæ, hoc est, Heraclis posteri in patriam redire conarentur: Tegeatæ cum Achæis & Ionibus, qui tunc Peloponnesum incolebant, auxiliarij ad Isthmum profecti sunt aduersus exules. Tunc Hyllus Heraclidarum dux orationem habuit, nõ expedire, ut uterq; exercitus confligendo periclitaretur: sed ut aliis acquiescentibus secum singulari certamine dimicaret is, quem Peloponnenses iudicarent è suo exercitu præstantissimum. Accepta conditione Peloponnenses fœdus in hæc uerba percusserunt: Si uincet Hyllus Peloponnensium ducem, ut Heraclidæ in paterna reuertantur: sin uictus fuerit, retrò Heraclidæ cedant, & exercitum abducant, néue per annos centum de redeundo in Peloponnesum agitent. Omnibus sociis ad eam rem uoluntarijs electus est Tegeatarum dux atq; rex ECHENVS Aeropi filius, qui singulari congressus certamine Hyllum interemit. Ex quo facto Tegeatæ cum alia decora inter Peloponnenses assecuti sunt, tum hoc, ut alteri cornu præessent, quoties communiter iretur in expeditionem. Eaque propter in expeditione contra Persas ad Plateas Atheniensibus in sinistro cornu cedere noluerunt, nisi Spartanorum iudicium intercessisset. Herodotus lib. 9.

Ephorus tradit Aetolum ex Elide, à rege Salmoneo eiectũ, in Aetoliam sese recipientem; regioni nomen à se tribuisse; & urbibus illis habitatores imposuisse. Post aliquod tempus Aetolis in Epeos Elidis occupatores profectis, occurrentibusque cum armis Epeis, ad singulare, de uetusto Græcorũ more, certamen processêre PYRÆCHMES Aetolus, & Degmenus Epeus. Degmenus quidem solo instructus arcu, ut qui armis tectum longinquo sagittæ iactu conficeret. Pyræchmes autem fundam tenens, intellecto aduersarij dolo (nuper autem fundę species ab Aetolis reperta fuerat) cùm lõginquior fundæ iactus esset quàm arcus, occidit Degmenum: & uictores Aetoli, eiectis Epeis, terram occupatam tenuêre; & sic Olympiaci curam templi suscepêre, quã prius habuerant Achæi. Strabo lib. 8. & Pausan. lib. 5.

Bellum fuit Atheniensib. aduersus Bœotios de Celænis castello

lo uicino. Cùm autem Xanthus Bœotius ad singulare certamen Thymœtem Atheniensium regem prouocaret, idq; ille recusaret: MELANTHVS Messenius, qui tum fortè aderat, à Periclymeno Nelei filio oriundus, pactus regnū, conditionem accepit. Dum uerò inter se dimicarent, uidit Melanthus à tergo Xanthi, quendam nigra caprina pelle indutum. Eum igitur iniustè facere dixit, qui cum comite adueniret. Xanthus conuersus, ut alterum respiceret, à Melātho confixus iaculo est. Athenienses stratagematis dolo uictoriam adepti, annuum festum Dionysij μελαναίγιδ@ in honorem Bacchi instituerunt (quod uocāt Apaturia, quasi deceptoria) mense uel Iulio uel Octobri triduo celebrātes. Vocabant primam diem Dorpiam, quòd Curiales uesperi unà conuiuarentur: alteram Anacrusin, à sacrificando: tertiā Cureotin, eo quòd adolescentes & puellas in curias inscriberent. Suidas. At Polyæn. lib. j. de Melænis bellum gestū ait, & deum oraculum dedisse Xantho,

τεύξας ἀπάτην ὁ μέλας φρένας ἔχε μέλαιναν.

Eo bello quod Mitylenei de Achiliridis seu Troadis, uti Strabo, siue Sigæi ut Polyæn. & Plut. habent, agro cum Atheniensibus habuêre, PITTACVS imp. factus, singulari certamine cum Phrynone Atheniensium duce congressus est. Erat is ualido corpore, quippe qui Pancratiastes & Olympionices fuit. uicit tamen uires corporis animi prudentia. Rete habuisse fertur Pittacus sub clypeo occultū, quo medio certamine hostem minus ad tales insidias cautū, subitò iactu implicitum peremit. Ex ea pugna exemplū retiariæ pugnæ in arenam manasse memorant, rei usq; ad Romani senatus suggillationem theatralibus spectaculis usurpatæ. Sab. lib. 5. Ennead. 2. ex Strabone lib. 13. & Polyæno lib. j. & Plut. de Herod. malitia.

PÆONES ad Strymonem fl. Thraciæ, admoniti diuino respōso, ut bellum Perinthiis inferrent, & siquidem à Perinthiis ex aduerso considentibus prouocarentur, nominatim compellantibus, eos inuaderent: sin minus, ab inuadendo abstinerent: ita fecerunt. Considentibus Perinthiis è regione Pæonum in suburbanis, ibi singulare certamen ex prouocatione cōmissum est, uiri cum uiro, equi cum equo, canis cū cane. Et cùm uictores duobus certaminib. Perinthij præ gaudio carmen Pæana cantarēt: tunc Pæones hoc ipsum esse responsum dei coniectantes, inter se dixêre: Nunc oraculum dei perfectum est, nunc nostrum est opus. Atq; ita in Perinthios canentes impetum fecere, egregieq; uincentes, ex illis paucos reliquêre. Herod. lib. 5.

LACEDÆMONII Argiuis agrum, qui Thyrea dicitur, abstulerant. Conuenit inter utrosq;, ut trecēti soli utrinq; pugnarent: & qui superiores extitissent, eorū regio foret. Ex utrisque delecti uiri conflixerunt, nox præliū diremit. Superfuerunt ex Argiuis duo, Alcenor & Chranius, qui tanquam uictores Argos cursu contenderunt: ex Lacedæmoniis unus Orthryades, qui spoliatis Argiuorum cadaueribus, eorū arma ad suorum castra detulit, trophæum erexit, suo sanguine Lacedæmoniorum uictoriam esse inscripsit: tandem pudore Spartam redeundi absq; sociis, seipsum interfecit. Neque tamen uel sic à bello cessatum est. Argiui uictoriam sibi uindicabant, quòd suorum plures superfuissent: Lacedęmonij uerò, quòd illi fugissent, suus perstitisset, & hostium cæsos spoliasset. Concursum rursus utrinq; infestis signis, Lacedæmonij tamen uictores euasere. Ex eo tempore Argiui tonsa coma, deuouerunt sese, ne priùs comam alerent, néue mulieres aurum ferrent, quàm Thyreas recuperassent. Lacedæmonij contrà, cùm tonsi essent, in posterum comati esse uoluerunt. Herod. lib. j. & Plut. in Parallelis.

Porus Indorum rex, cùm nimiùm tribueret uirib. suis (erat enim statura quatuor cubitorum & palmæ, auctore Plutarcho) regem Macedoniæ Alexādrum priuatum sibi hostem deposcit. Nec ALEXANDER moram pugnæ fecit. Porus itaq; multis uulnerib. obrutus capitur: & uictū se adeò doluit, ut neq; cibum sumere uoluerit, neq; uulnera curari passus sit, ægreq; sit obtentum ut uiuere uellet. Iustin. lib. 12.

Romani & Albani bellum inter se turbato fœdere gerebant. Metius Suffetius Dictator Albanorū, Tullo Hostilio Rom. regi, colloquio dato, persuadet, ut imperij cōtrouersia sine magna clade, sine multo sanguine utriusq; populi decernatur. Quærentibus utrinq;, ratio initur, cui & fortuna ipsa p̄buit materiam. Fortè in duobus tum exercitib. erant trigemini fratres, nec ætate, nec uiribus dispares. Horatios Curiatiosq; fuisse, satis constat, nec fermè res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi HORATII, utrius Curiatij fuerint. Auctores utroq; trahunt, plures tamen inuenio, qui Romanos Horatios uocent. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro. Ibi imperium fore, unde uictoria fuerit. Nihil recusatur, tempus & locus conuenit. Priusquā dimicarent, fœdus ictum inter Romanos & Albanos est his legibus, ut cuius populi ciues eo certamine uicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdere icto, tergemini, sicut conuenerat, arma capiunt. Cùm sui utrosq; adhortarentur, deos patrios, patriā ac parentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exercitu sit, illorū tunc arma, illorum intueri manus: feroces & suopte ingenio, & pleni adhortātium uocib. in mediū inter duas acies procedunt. Consederant utrinq; pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, q̃ curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum uirtute atq; fortuna positū. Itaq; ergo erecti suspensiq; in minimè gratū spectaculū animo incenduntur. Datur signū: infestisq; armis, uelut acies, terni iuuenes magnorum exercituū animos gerentes concurrūt: nec his, nec illis periculum suum, sed publicum imperium seruitiumq; obuersatur animo, futuraq; ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Vt primo statim cōcursu increpuere arma, micantésq; fulsere gladij, horror ingens spectātes perstringit: & neutro inclinata spe, torpebat uox, spiritusq;. Consertis deinde manibus, cùm iam non motus tantùm corporū, agitatioq; anceps telorum armorumq;, sed uulnera quoq; & sanguis spectaculo essent: duo Romani, super alium alius, uulneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt. Ad quorū casum cùm cōclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamē cura deseruerat, exanimes uice unius, quē tres Curiatij circumsteterant. Fortè is integer fuit, ut uniuersis solus nequaquā par, sic aduersus singulos ferox. Ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam: ita ratus secuturos, ut quenq; uulnere affectū corpus sineret. Et iam aliquantum spacij ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cùm respiciēs uidet magnis interuallis sequētes, unū haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu redit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, iam Horatius cæso hoste uictor secundā pugnam petebat. Tunc clamore, qualis ex insperato pauentium solet, Romani adiuuant militem suum: & ille defungi prælio festinat. Priùs itaq; quàm alter, qui nec procul aberat, cōsequi posset, & alterum Curiatiū conficit. Iamq; æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec uiribus pares. Alterū intactū ferro corpus, & geminata uictoria ferocem in certamen tertium dabant: alter fessum uulnere, fessum cursu trahens corpus, uictusq; fratrum ante se strage, uictori obijcitur hosti. Romanus exultās: Duos, inquit, fratrum manibus dedi: tertiā causam belli huiusce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Malè sustinenti arma, gladium supernè iugulo defigit, iacentem spoliat. Romani ouantes & gratulantes, Horatium accipiunt, eo maiore cū gaudio, quo propiùs metum res fuerat. Ad sepulturā inde suorum nequaquam paribus animis uertūtur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra extant quo quisq; loco cecidit. Duo Romana uno loco propiùs Albā, tria Albana Romam uersus, sed distantia locis, ut & pugnatum est. Liuius Decadis j. lib. j.

Sub Valentiniano III. Imp. Vandali, morte Gunderici regis turbati, à Sueuis sociis suis ob dulcedinem prædæ premebantur. Vt paucorum clade bellum finiretur, placuit partibus, singulari duorum certamini fortunam aleamq; cōmittere: ut gens, cuius miles superatus foret, Hispania ultrò cederet uictori, popularibusq; eius eam relinqueret. Vicit SVEVVS. Hermenericus igitur rex Sueuorum postulauit, ut Vandali ex pacto Hispaniis cederent. Vandali Genserico fratre Gunderici rege facto, Hispaniis excessere. Terram eorum, quam reliquêre, Hermenericus inuasit, ac magnā partem Hispaniæ, Romanis pulsis, sibi parêre coegit. Auētinus lib. 2. Annalium Boiorum.

Theodosio Iuniore imperante, cùm in Persas expeditionē fecisset Procopius, Persa ei hanc conditionem tulit, uti pars utraq; unum daret: quib. singulari pugna congressis, uictē pars pacta pacis ad annos L acciperet. Procopius delegit ad hoc AREOBINDVM comitem Fœderatorum. Is Socistrum Persam arripuit in congressu, & ab equo deiectū necauit. Ex eo inter Romanos & Persas pax ad annos L composita fuit. Areobindus urbem ingressus, honorificè ab Imperatore acceptu, ad consulatum euectus fuit. Cedrenus.

Cosrois Persarum regis, aliquoties ab Heraclio Rom. Imp. uicti, filius, coactis undiq; copiis, innumerisq; gentium auxiliis, HERACLIO in Persidem progressuro ad Danubiū occurrit. Quum hinc Persæ, hinc Romani cōstitissent, multaq; antehac calamitosa utrinq; prælia intercessissent, impp. ambo supra pontem Danubij, quem Traianus uictis olim Dacis erexerat, singulari certamine depugnare decernunt, ut utriusq; reipub. saluti hac duntaxat conditione consulerēt: uictori, quicunq; foret, ex composito omnes ultrò cederēt, & imperata facerent. Quum in pontem dux uterque descendisset, nuncupatis utrinque uotis conserto duello, Heraclius tandem Barbarū interfecit, opima Iesu Feretrio spolia retulit. Persæ omnes, parta uictoria, ultrò paruêre, & orthodoxæ fidę initiati sunt. Bōfin. li. 8. Dec. j. & Fulg. lib. 3. c. 2.

Grimoal-

Grimoaldus Longobardorum rex, quū diu quietè regnasset, Halaris Tridentinorum dux repentina defectione otiū eius interturbauit. Tridenti igitur obsessus, Cuniberti Grimoaldi F. opera, regi cōciliatur: & paulo pòst eiusdem precibus, Brixianam præfecturam assequitur. Mortuo Grimoaldo Halaris duos munerib. subornat, qui CVNIBERTVM regem per insidias circumueniant, eiusq; caput ad se referant. Illi contrà faciunt: regiq; Ticinum circumuaganti scelus aperiunt. Cunibertus coacto exercitu arma aduersus Halarim induit: solenni tandem monomachiæ statutus est dies. Seno Diaconus, dum Cuniberto uehementer timet, pro rege in certamen descendit, & ab Halari obtruncatur. Victor dū elata dextra cæsi caput ostentat, exuta galea clerici caput esse comperit. Delusum se uidens, nuncupatis uotis, si ueræ uictoriæ compos fuerit, altissimum puteum clericorum testibus se completurū exclamat. Adhęc Cunibertus in medium prodiens, se hosti offert: ac instructa utrinq; acie Halarim prouocat ad singulare certamen. Recusat Halaris, q͞a Michaelem archangelum supra pila hostium districto ense infestum sibi uidere uidebatur. Exclamantibus cunctis, istū præ pauore hæc cernere: inter utranq; aciem pugna conseritur: rex cum rege, miles cum milite congreditur. Strages magna committitur: demùm Halaris Cuniberti dextra abscisso capite succubuit. Senonis diaconi corpus magnifico sumtu sepultum est: Cunibertus uictor Ticinum reuersus triumphauit. Bonfinius lib. 8.

Henrico III. imperante, inter Pomeranos ethnicos, & Polonos Christianos orta discordia est: quia annua uectigalia Pomerani pendere recusabant. Quum utrinq; acies constitissent, utriq; genti uisum est, ut ambo duces singulari certamine litem dirimerent. Si Pomeranus caderet, postulata tributa penderet: si uerò Polonus, ius omne tributorum amitteret. Sed quū Miesco ac filij singulare certamen reformidarent: BELA (qui unà cum fratrib. Andrea & Leuenta, moniti ab Vngariæ rege D. Stephano morti iam uicino, patruo suo, in Poloniam profugerant) in medium prodiens, subiturum se pro Polonis periculum pollicetur. Accepit Miesco, quod Bela detulerat, ac gratias egit: nec subrogatum quidem perduellionem Pomeranus recusauit. Bela hostem equo deturbat, mox gladio confossum prostrauit humi. Miesco eū multis munerib. affectū, filiæ insuper nuptiis, & Pomeranorū ampla prouincia donauit. Bonfin. lib. 2. Dec. 2.

GODOFRIDVS Bollionius, cum agnato quodam suo de Lotharingij ducatus parte, quā ille petebat, prælio certans, usq; ad capulum, ensem confregerat. Quod conspicati principes qui astabant, cùm ne uinceretur metuerent, compositionis mentionem intulerunt. Cæterùm ipse obaudiens, omnibus uiribus nixus, ita capulo hostem contudit, ut attonitum humi prosterneret. Hinc equo delapsus, hosti ademit gladium, principesq; compellans, à quibus ad res componendas fracto gladio inuitabatur, dixit: Nunc cùm prælio hostem uicisset, posse se sine dedecore ad paciscendum descendere. Fulgos. & Egnat. lib. 4. c. 5.

EDMVNDVS Anglorū rex, cum CANVTO Daco regni occupatore in Sabrinæ ripa dimicaturus de summa rerū constiterat. Suspensis omniū animis, Edricus Stratonius Anglo consiliū dedit, ut utrinq; quiescente exercitu, reges ipsi inter se ferro contenderent, & qui uicisset, huic alter uictus regni possessione cederet. Erat non procul paruula Sabrinæ insula, cui Oluea nomen est. in hanc ambo reges armati descenderunt, circumstantib. utrinq; ad ripas fluminis copiis. Datur signū, infestisq; armis reges concurrūt. Edmūdo corpus magnitudine & animoso pectore eximium erat. Canutus mediocri statura, uirib. & animo ingenti. Cùm certamē æquo marte extraheretur, & uictoriæ spes dubia euaderet: tum Dacus, ut qui omnino uirib. impar iamiam terreri cœperat, q̃ maxima uoce potuit, Ecquæ nos, inquit, necessitas uir fortissime urget, immaturam pro regno oppetere mortem? Præstat profectò, depositis cū odio armis, pacem inter nos conuenire: utere tu, prout lubet, Canuto tuo, qui præstò est, ut tibi gratū faciat. His uerbis ferox iuuenis lenitus, e uestigiò proiectis armis, porrigit aduersario dexteram. Itidem faciunt exercitus, q eandē patrię fortunā expectabant, q̃ reges pugnando subiissent. Postea facto in multos annos fœdere, inter se regnum partiuntur. Edmundo pars quæ in occasum solis uergit, Canuto reliqua obuenit. Polyd. lib. 7.

Vermundus Danorum rex ex senio cæcus, cū filium haberet VFFONEM, ob linguæ hæsitantiā & stupiditatē ad regnū, uti uidebatur, penitus ineptū: à Saxonum rege fasces deponere, aut certè filium cū filio suo de regno singulari certamine decertare iubet. Ad hæc obstupefactis Danis, Vffo, q fortè cum cæteris aderat, responsionis à patre licentiam flagitans, subitoq; uelut ex muto uocalis factus, Nec regi filiū, nec regno successorem deesse, respōdit: seq; non solū regis eorum filium, sed etiam quemcunq; ex gentis eorum fortissimis simul pugna aggredi constituisse. Quo audito, legati ridendo irrisere. Nihilominus condicitur pugnę locus. Vermundus interea filio percontanti, Cur uocis usum tamdiu summo dissimulationis studio texisset? respondit, Se paterna hactenus defensione contentum, nō priùs uocis officio opus habuisse, q̃ domesticam prudentiam externa loquacitate pressam animaduerteret. Rogatus itē ab eo, Cur duos quàm unum prouocare maluisset? Hunc idcirco dimicationis modū à se exoptatum, respondit, ut Atisli Sueonū regis oppressio (nam à Ketone & Vvigone Frouuini Slesuicensiū ducis filiis in solitudine cæsus fuerat) & q͞a à duobus illata fuerat, Danis exprobrari solebat, nouo facinore dilueretur. Arma quælibet Vffonis lacertis imparia erant: paterna lorica fibulis dilatanda fuit. Gladios quoslibet prima agitatione disrumpebat. Vermūdus ergo gladium Skrep dictū, quem, q͞p hęrede inito careret, inuidia posteritatis humi defoderat, erui curat. Eo accinctus Vffo, in insula Eidori fluminis athletam primò, qui Saxoniæ regis F. comitabatur, medium dissecat: mox regē ipsum transuerberat: patre utriusq; ictus sonū lætis aurib. obseruante: qui alioqui in ripa se collocari curauerat, ut si q͞d filio aduersi accidisset, semetipsū in fluuium præcipitem daret. Itaq; Saxones Danis tributarij facti. Saxo lib. 4. & Cranzius lib. j. Saxoniæ c. 6.

SCIOLDVS Danorū rex, cum Scato Alemaniæ satrapa, Teutonum Danorūq; exercitu inspectante, ex prouocatione dimicauit: interfectoq; eo, & Alemanis, perinde ac ducis sui interitu debellatis, tributū imposuit, & Auildam formosissimam uirginem, cuius connubiū petebatur, obtinuit. Saxo lib. j.

Syualdus quidā Suecię tyrannidē inuaserat contra HALDANVM Daniæ regem uictorē. Hic septē filios habebat, tanto ueneficiorum usu callentes, ut sæpe subitis furoris uirib. afflati, scuta morsibus peterent, prunas deuorarent, quæuis incendia penetrarent: nec alio remedij genere q̃ aut uinculorū iniuriis aut cæde humana furor cohiberi posset. Is Haldanum sibi imminentē prouocauit, ut si famam factis æquaret, & tantus re esset, quantus opinione censeretur, se suamq; sobolem pugna solus exciperet. Haldano aūt, Legitimæ dimicationis formam duorū numerum excedere nō debere, respondente: Nil mirandum, inquit Syualdus, hominem frigidū & proinde celibem oblatos detrectare cōgressus: ut qui liberos aut gignere nō posset, aut nollet, ne sibi timiditate similes patri forent. se ac filios unius hominis loco censendos esse, quib. ueluti unū corpus à natura tributū uideatur. Cuius conuitij rubore permotus Haldanus, solus prouocationē obire statuit. Cumq; per opacū fortè nemus iret, quercum humo radicitùs eruit, tolisq; spoliatam ramis in clauæ speciem efformauit, eaq; Syualdū cum septē filiis trucidauit. Saxo lib. 7. & Cranzius lib. j. Sueciæ c. 44.

Herotho Sueonū rege mortuo, Sorlus tyrānidē inuaserat. REGNERVS Danorū rex indignè ferens, liberis suis auitū regnū eripi, Sueciā inuasit. Sorlus, publicè an priuatim uellet, dimicandi optione oblata, singularem deligenti conflictū, Scarchdū, spectatæ audaciæ pugilē, cum septem filiis opposuit. Cū quib. Regnerus trib. filiis Biorno, Fridleuo & Rathbarto, in certaminis societatē assumtis, utroq; exercitu inspectante congressus, uictor excessit. Biornus uerò q͞p nullū uulnus accepisset, Ferrei lateris agnomen assumsit. Sorlus cum uniuersis copiis cæsus est. Saxo lib. 9. & Cranzius lib. 5. Sueciæ, cap. 3.

Quo tempore in Dania regnabat Roe (is qui Roschildiam Daniæ urbem fundauit) illius germanus Helgo, maris imperium sortitus, per Albim fluuiū ascendens, Saxoniā ferro flāmisq; uastabat. Hundingus Sifridi F. Saxonum princeps tumultuarias uires contraxit. Apud Stadium cū starēt infestæ acies, rex Daniæ Hundingum prouocat ad singulare certamen: ut uictū se sciret exercitus, cuius dux superatus esset. Conuenere parib. armis in circū designatū: uictoria penes Danum fuit. Iutia proinde cessere Saxones, & reuersa est Chersonesus Cimbrica in Daniæ ditionē: nec post eum diē Saxonibus legitur paruisse tota. Cranz. lib. j. Saxoniæ c. 4.

Libertatis studio retinendæ, Seruitutis depellendæ causa.

Palæstini contra Israelitas expeditione suscepta, apud Sochonem Iudeæ castra posuerant: utraq; castra uallis dirimebat. GOLIATHVS igitur Gethæus, uir immanis, sex cubitos & dodrantem longus (æream loricā quinq; millia siclorū pendentem gestans, lancea erat instar textorij iugi, mucro illius ferreus sexcentos siclos pendebat) ex Palæstinorū castris progressus, ad monomachiam prouocabat Israelitas: ea conditione, ut si ipse uicisset, seruirēt Israelitæ: sin uictus esset, Palæstini. Et cùm hoc XL diebus egisset, neq; aliquis Israelitarum prodire auderet, quamuis Saulus rex filiam suam uictori pollicitus esset cum amplissima dote & immunitate uectigalium: DAVID tandē Isæi F. Bethlehemita, puer adhuc, atq; pastor, Iouę opt. max. numine fretus, armis Sauli repudiatis, quæ ei offerebat, pedum pastorale cum funda

corripuit, lectisq; quinq; læuibus ex flumine silicibus, & in sacco positis, Palæstinum multa minantem aggressus, frontem eius tanta ui percussit, ut pronus humi conciderit. Mox accurrens, ense illius stricto caput ei amputauit. Palæstini territi, ab Israelitis ad XXX millia cæsi, totidem uulnerati, castra eorum direpta. Dauid uerò Goliathi caput Hierosolymam intulit, eiusq; hastam Deo dedicauit. 1. Reg. 17. & Iosephus Antiq. lib. 6. c. 11.

Saxones defectionem moliti, Frothonem IV. Danorum regē ad duellum prouocarant. Cuius sese propugnatorem cùm STARCATHERVS edidisset, Saxones Hamam, qui apud eos gymnicis palmis clarissimus habebatur, molem corporis eius auro se repensuros polliciti, ad campum conflictui deputatum prosequuntur. Is Starcatherum iam senem iuuentæ fiducia lucta quàm armis excipere maluit: eundémque adortus pugno tanta ui percussit, ut in genua ꝓlapsus Starcatherus humum mento contingeret. Ast ubi sese recollegit, manumq; expedire, & ferrum stringere licuit, mediū Hamæ corpus dissecuit. Complures agri sexagenaq; mancipia uictoriæ præmium extitere. Saxones post Hamæ cædē pro cubitalium membrorum quolibet indicē seruitutis stipem quotannis pendere coacti fuere. Saxo lib. 6.

Nuptiarum causa.

Monomachiam PARIDIS & MENELAI, item uarios ritus eius proponendæ & confirmādę, pete ex Eustathio Iliad. γ.

CLYTVS & Dryas pugnarunt inter se pro Pallene filia Hodomathum regis Sithonis, uictorq; Clytus extitit astu Pallenes, quæ Præsyntē nutritorē senem subornauerat, ne Dryantis auriga fibulas rotis obderet. Ergo cùm in Clytum inueheretur, rotæ ei de curru deciderūt, eumq; prolapsum Clytus interfecit. Parthen. de Amatoriis c. 6.

Clisthenis Sicyonij filia Agarista plurimos habuit PROCOS: quorum Syritanus & Dannasus ab Italia ad certamen uenerunt. Venerunt eódem ex Ionio sinu Amphimnestus Epidamnius, Aetolus Meges. E Pelopōneso Leocydes, Phidonis Argiuorum tyranni F. Amianthus Areas, Laphanes Eleus. Ex Attica Megacles Alcmæonis F. Ex Ethruria Lysanias. Ex Thessalia Diactorides Cranonius. Ex Molossis Alcō. Conuenerant autem, ut in Olympico certamine uires suas ostentarent: quoniam pater puellæ proclamauerat, ei se daturum filiam, quem in certamine præstantissimum reperisset. Herodotus.

Fabulantur Acheloum Aetoliæ fluuium & HERCVLEM, ob Deianiram Aetolorum regis filiam certasse. Cumq; Achelous sumta tauri forma in Herculem impetum fecisset: Herculem cornu manibus apprehensum fregisse. Acheloū præ dolore cedentem, suumq; cornu repetentem, pro eo Amaltheæ cornu Herculi esse largitum. Ouid. in Deianira:

> Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
> Truncaq; limosa tempora mersit aqua,

Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 2.

Icarius Penelopes pater, cursus certamen procis proposuit. In quo VLYSSES uictor extitit. Pausan. in Laconicis.

Propter Lauiniam, Latini regis & Amatæ filiam, ortum est bellum inter AENEAM & Turnum. In quo etsi Turnū ab Aenea interfectum Vergilius dicat, sunt tamen argumēta quæ inficiantur: imò uerò Aeneam à Turno adactum ad mortē inferunt, submersumq; in Numicio fluuio, dum insequentē Turnum fugeret. Quod apud Vergilium fateri uidetur Venus, pro Ascanio Iouē orans, desperato iam Aenea, ubi ait:

> Aeneas sanè ignotis iactetur in undis,
> Et quamcunq; uiam dederit fortuna sequatur:
> Incolumem Ascanium liceat superesse nepotem.

Quam mortem prius Dido ei imprecata fuerat, inquiens:

> At bello audacis populi uexatus, & armis,
> Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
> Auxilium imploret, uideatq; indigna suorum
> Funera: nec quum se sub leges pacis iniquæ
> Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
> Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena,

Item Iuuenalis de Romulo fulminato, & Aenea submerso loquens:

> Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.

Ouidius quoq; in Metamorph. sic ait:

> Littus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
> In freta flumineis uicina Numycius undis.
> Hunc iubet Aeneæ quæcunq; obnoxia morti
> Abluere, & tacito deferre sub æquora cursu.

Item Tibullus lib. 2.

HELGO Noruagiensis Helgam Ingelli Danorum regis sororem ambiebat. Riualem habebat Angaterum Sialandum, quem cum octo fratribus prouocarat, in societatem assūmto Starcathero, qui tunc apud regem Sueonum uiuebat. Eū STARCATHERVS, loco certaminis ac tēpore cognito, Daniam cum comitibus repetere iussit, affirmās se eius aditum occulto callis compendio quæsiturum. Quo discedente, interiectis diebus profectionem orsus, tantum itineris uno die confecit, quantum præcedentes diebus duodecim peregerant: ita ut uno eodemque tempore in regia Ingelli comparuerit. Die certamini indicto Starcatherus prima luce ueniens, cùm Helgonem dormientem uxoris amplexib. inhærere cognouit, solus periculum subire decreuit. Campum, qui Roliung dicitur, ingressus, sub montis cuiusdam iugo sedens, uentis ac niuibus corpus exposuit, ac ueluti apricandum esset, deposita ueste, legendis operam pulicib. dabat. Purpureum amiculum, quo nuper ab Helga (id erat nomen regiæ sponsæ) donatus fuerat, sentib. iniecit, ne contra sæuientis grandinis iniuriam corpus texisse uideretur. Athletæ montem oppositum subeuntes, auersum uentis sedendi locum petunt: accensoq; igne, frigus depellunt. Speculator in deuexa mōtis parte senem prospicit, scapulis tenus niue contectum: eum percontatur, An is sit, qui promissas pugnæ partes agere debeat. Cumq; se eum esse Starcatherus assereret, superuenientes cæteri, Paritérne omnes, an singillatim excipere statuisset, interrogant. At ille: Quoties, inquit, mihi canes oblatrant, simul, non singillatim eos abigere soleo. Inita pugna, sex eorum illæsus prostrauit: tres alios decem ac septem uulneribus affectus, ita ut maior uiscerum pars uentre elaberetur, confecit. Cumq; graui siti premeretur, ut riuum Angateri cruore rabidum animaduertit, ab eius potu abstinuit. Exhausto penè robore, saxo cuidam genib. aduolutus, incubuit: cuius caua adhuc superficies cernitur, ac si illam decubantis moles cōspicua corporis impressione signasset. Vix tandem à rustico quodam intestinis repositis, currui impositus, & in regiam uectus est. Interea Helga, Scire se, inquit, Starcatherū uictorem absentiæ pœnas ab eo sumturum: sed ei tanto acrius resistendum esse, quòd fortibus parcere, ignauos odisse soleat. Starcatherus ad regiam ueniens, ocyus curru desiliit, ac ueluti sanus in thalamum irrumpens, pugno ualuas perfregit. Tum lecto exiliens Helgo, aduersam eius frontē uulnerauit. Helga senem ab imminenti exitio correpti umbonis interiectu defendit: quod tamen ab Helgone ualidiore ferri impulsu medio tenus umbone dissectum est. Ita generosa femina amicum, quem consilio læserat, manu seruauit. Saxo lib. 6. & Olaus lib. 4. cap. 5.

Hatheri Noruagiorum reguli filiam Thorildam Grimmo eximiarum uirium athleta sub duelli comminatione expetebat. HALDANVS ergo Danorum & Sueonum rex, quanquam ad senectutem celebs peruenisset, athletæ petulātia permotus, Noruagiam petit: uictoq; Grimmone, & uita donato, uictorię præmium Thorildæ nuptias assecutus, filium ex ea Asmundum sustulit, à quo se Noruagiæ reges originē duxisse magni æstimant, ab Haldano ortus sui seriem retexentes. Saxo lib 7.

Cùm EBBO pirata Sygrutham, Gothensium regis Vnguini filiam, postularet, ac præterea Gothici regni dimidium in dotem expeteret: consultus HALDANVS Danorū & Sueonū rex, consensum simulare iussit: curaturū se, ne uirgine potiretur. Nuptiarū die constituto, ipse mutato habitu regiam intrans quærit, Quis proximus regi assideat. Hic cùm Ebbo Vnguini generū eius lateri adhæsurū diceret: sordes illi generis obiiciens, & stultam audaciā incusans, qui regias nuptias regniq; consortium speraret, ferro secum decernere iubet, non prius uoto quàm uictoria potiturum. Ebbone autem nocturnum certamē lemuribus, diurnum hominib. congruere respondente: Haldanus lunæ splendore diem æquari dixit, & inuitum Ebbonem ad duellum pertractum occidit, nuptiasq; exequiis mutauit. Idē, & Cranzius lib. 2. Daniæ, cap. 4.

Gloriæ, Victoriæ causa. Roboris declarandi gratia.

DAVID etiamnum puer superbum Goliathum, robori & armis fidentem, inermis ipso, iactu fundæ prostrauit: cùm prius audaciæ suæ consilium regi Saulo aperuisset: Dei numē, quod sibi contra leonem & ursum affuisset, nunc quoque certò sibi affuturum, se constanter credere.

In nauigatione Argonautarū, cùm ad Bebryciorū regis Amyci Neptuni F. litus appulissent, POLLVX aduersus Amycū, qui omnes Argonautas prouocauerat, in pugnā prodiuit, eumq; interfecit. Amycus. n. cōsueuerat omnes peregrinos interimere, cū illos cogeret secū pugillatu decertare. Theocritus autem exisse aquatum Pollucem scribit, & apud fontem Amycum inuenisse. Natalis Comes lib. 8. c. 9.

Cū Artaxerxes Ochus rex Persarū cōtra Cadusios bellū suscepisset, ibi quodā è numero hostiū, cuius robur & animi constātia in ore omniū erat, inultāte ad certamē singulare Persarū aliquē, cū nullus ꝓgredi auderet, solus DARIVS Arsamis F. fratris regis, periculo se obtulit, aduersariūq; uictū interfecit. Qua ex re munera ingētia à rege, & à Persis omnib. existimationē eā retulit, ut ei fortitudinis q̄dā prærogatiua tribueret. Regnū itaq;, qđ strenuè se gerēdo meruisse uisus est, Bagoæ eunuchi parricidio Darius accepit. Diod. lib. 17.

LAMACHVS, Niciæ collega in Sicula expeditione, uir manu strenuus, cum GALLICRATE Syracusano equite ex prouocatione solus congressus, cùm uulnus prior accepisset, & Callicratem uulnerasset concidissetque, unà cum eo expirauit. Plutarchus in Nicia.

Alexandro Magno Arios subigente Satribarzanes transfuga, qui hostibus præerat, quum fortè acies in procinctu staret, ademta sibi galea, in medium processit, alta uoce inclamās, An ex hostibus esset, qui secum uellet singulare certamē obire. Tum ERIGINVS, etsi iam grauis ætate, pulcrum tamē ratus cum duce hostium depugnare, capitis & menti caniciem ostentans, dimicaturum se dixit: ut ex euentu unius senilis pugnæ intelligi posset, quantū Alexandri milites, quib. integra ætas esset, Barbaros uirtute anteirent. Dato itaq; ad concurrendum spacio, equos in se concitant. Eriginus hostis ictu capitis acclinatione uitato, hastam in aduersum barbari guttur defigit: quem ad terram deiectum, altero ictu repetitum, per concauum oris farissam inserit. Satribarzanes hostilem hastam manu complexus, ut maturius expiraret, uictoris ictum altius adegit. Extinctum Eriginus spoliat. Inde hostium exercitu sua spōte disiecto: Eriginus opima præ se ferens spolia, Alexandro in Bessum eunti sese multa gratulatione obtulit. Sab. lib. 5 En. 4.

Ceninensium rex ACRON raptis à Romulo Sabinis, primus bellum intulit, magnisq; copiis mouit in Romulum. Cùm iā in conspectu essent, prouocauerunt se mutuò ad pugnam, copiis in acie quiescentibus. Ibi Ioui Romulus, si hostem uicisset fudissetq;, uouit arma illius semetipsum ei dedicaturum. Acronem superat & occidit, exercitum eius signis collatis profligat. Mox ut uotum Ioui redderet quàm gratissimum & oculis ciuiū speciosissimum: quercum quam in castris uidit miræ proceritatis, recidit, & instar adornauit trophæi: Acronis armis aptè suspensis ex ea adaptatisq;, ueste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus, feretrum dextro innixum humero directum gerens incessit, carmen uictoriale exercitui præiens in armis sequenti, ciuibus cum gratulatione & laudibus eum excipientibus. Triumphorum fuit hæc celebritas in posterum origo & exemplū. Feretrum Iouis Feretrij donum appellatum est à feriendo. Precatus enim deum fuerat, ut Acronem feriret & cæderet. Opima spolia dicta sunt, auctore Varrone, quòd diuitias opes appellent. Rectius mihi uidetur ab opere. nam cùm manu sua dux ducem interficiens, ipse decus parit, permittitur ei opima spolia consecrare. Ac tribus modò Romanis imperatoribus eius fortuna decoris fuit: primò Romulo, interfecto Ceninensi Acrone: secundò Cornelio Cosso, qui Volūnium Tuscorum ducem occidit: postremò Claudio Marcello, à quo Gallorū rex cæsus est Viridomarus. Cossus & Marcellus curru iam inuecti sunt, cùm opima spolia ferrent. Romulum fallit Dionysius, qui usum dicit curru: siquidem Tarquinium, Demarati filiū, proditū memoriæ est, regū principem, eam in speciē & fastum euexisse triumphos. Poplicolā scribunt alij primum curru triumphantem inuectum. Nam Romuli quidem statuas triumphales uidere est omneis pedestres. Plut. in Romulo, & Valer. Max. lib. 3. cap. 2.

A Romulo proximus CORNELIVS COSSVS, Ioui opima spolia consecrauit, cùm magister equitum ducē Fidenatiū in aciē congressus interemisset. Magnus initio huiusce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Cosso quoq; multum acquisitum est, qui imitari Romulum uoluit. Valer. lib. 3. cap. 2.

L. Sulpitio & C. Licinio Caluo Coss. Galli ad tertium lapidem Salaria uia proxime urbem accessere. Dictator T. Quintius Pœnus est dictus, omnesq; iuniores sacramento adacti. Hostes ultra Anienem castra fecerant: eratq; pons medius inter utrosq; munimēta. Eum uacuum Gallus ingenti statura occupat, altaq; uoce fortissimum prouocat Romanorum ad singulare certamen, ut ex talis pugnæ euentu intelligi posset, utra gens melior bello esset. Silentium aliquandiu inter Romanos fuit, quum & abnuere certamen erubescerēt: nec temerè quisquam præcipuam periculi sortem peteret. Tum T. MANLIVS, L. filius, qui patrem à Tribunitia uexatione memorabili pietatis exemplo defenderat, à Dictatore petiit, ut sibi cum hoste tam ferociter insultante liceret dimicare, pollicitus fore, ut eo certamine ostenderet, se uerè ex ea familia ortum, quæ Gallorum agmen ex Capitolina deiecit rupe. Macte, inquit Dictator, Māli esto tua ista in patrem & patriam pietate, perge, Romanumq; nomen diis auxiliaribus inuictum presta. Cum his dimissus, scuto & Hispanico gladio accinctus in hostem ire pergit. Excipit Gallus Romanum, uenientem cum derisu, exerta in despectum, ut mox est gentis, lingua. Congressi haud pari habitu. Erat Gallus hostis eximia magnitudine, uersicolori ueste amictus, pictisque & auro cælatis fulgebat armis. Romano media statura, in armis magis habilis quàm decora species: non cantus, ut illi, non uerborum strepitus, uanaq; armorum uibratio, sed pectus tacitæ iræ plenum. Erant duorum exercituum lumina in unum ad id certamen defixa. Gallus scuto læuaque in Romanum proiecta, cæsim gladium, cum ingenti sonitu, in eum deiecit. Contrà ille mucrone surrecto, cùm imum scutum scuto perculisset, hosti insinuatus, uētrem atque inguen uno atque altero hausit ictu: Gallumque, quantus erat, moribundum ingenti spacio porrexit, iacentem aureo torque spoliat, quem cruore respersum collo circumdedit suo. Inuasit pauor Gallos inopinata clade attonitos. Romani contrà alacres ab sua statione suum militem cum lætitia & gratulatione excipiunt. Inter iocularia militum carmina Torquati cognomen auditum, uictori ipsi & posteris deinceps mansit. Dictator coronam illi auream dono dedit, eumque pro concione laudauit. Tanta ex eius pugnæ euentu Barbaris trepidatio orta est, ut sequenti nocte, reiectis castris, in Tyburtem agrum concesserint. Sabellicus libro 3. Enneadis 4. & Gellius lib. 9. cap. 13. ex Q. Claudij Quadrigarij primo libro Annalium.

M. MARCELLVS ad Clastidium cum Gallis pugnaturus, fertur præstantissima hostium arma Ioui Feretrio uouisse. Ibi Gallorum rex Viridomarus conspexit Marcellum, & ab insignibus coniiciens ducem esse, longè antè aciem prouectus est: simulque alta uoce lacessens eum, & hastam uibrans, admittit infestus in eum equum, proceritate inter Gallos exuperans, armisq; ex auro & argento fabrefactis, & uaria picturatis tinctura, instar fulguris insignis radiantis. Quæ arma lustranti oculis aciem Marcello, ut uisa sunt præcellentissima, eaq; uotis se sacrasse diis existimans, in regem impetum dedit, thoracemque eius hasta transfixit: tum libramento equi premens in terram præcipitauit. alterum deinde ac tertium repetens ictum, occidit. Mox desiliit ex equo, iniectaque mortui armis manu, suspiciens in cœlum ita fatur: Arbiter insignium factorum ducum, & actuum imperatorum in bello atque præliis, Iupiter Feretrie, te teste dux ducem, consul regem manu mea tertius ego hunc confossum interfeci. Tibi consecro prima & præstantissima ex spoliis. Tu ad reliquias belli pergentibus eundem tribue fortunæ cursum. Plut. in Marcello.

L. Fur. Camillo & Appio Cl. Crasso Coss. Galli ex Albana arce excurrentes, Romanos infestabant. Ex his unus magnitudine corporis & armis insignis, hastam & scutum quatiens, ex Romanis, qui secum bellum decernat, unum aliquem alta uoce prouocat. Erat in castris M. VAL. Tribunus militū, adolescens, qui T. Manlij exemplū imitatus, explorata Cōsulis uoluntate, instructus armis in Gallum contendit. Mirum est, quod in ea pugna accidisse aiunt, coruum Romani militis in certamen euntis galeam insedisse. Tribunus uelut omen cœlo demissum lætus accepit, precatusq; est numen, ut quicunq; deorum esset, præsentem sibi pugnam secundaret. Fuit deinceps miraculo, quòd illico conscitus manibus, ales alleuans se, rostro & alis diuersum hostem non priùs infestare destitit, quàm Gallus tali prodigio territus, oculosq; simul & mentem turbatus, ferro sit à Valerio prostratus. Fuerant utrinque quietæ stationes, cæterùm Galli suum bellatorem cadentem conspicati, haud passi iacentis corpus diripi, in Valerium spolia detrahentem decurrunt. Deuolant eò & Romani milites aliquanto celerius, committiturq; atrox prælium. Galli priusquam ad iactum teli uenirentur, per Volscos & Phalernum agrum dissipati, in Apuliam & oram superi maris abierunt. Consul Tribunum pro concione laudatum, decem bobus & corona aurea donauit, mansitq; illi ab eius uictoriæ euentu auxiliarique alite, Coruini cognomen, estq; ea appellatio in posteros propagata. Sab. lib. 3. En. 4. ex Gellij lib. 9. cap. 11.

Q. COTIVS, propter fortitudinem Achilles Romanus cognominatus, Q. Metello Cos. legatus in Hispaniam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens: postquam cognouit à quodam gentis huius iuuene, se ad dimicandum prouocari (erat autem illi fortè prandendi gratia posita mensa) relicta ea, arma sua extra uallum deferri, equumque clàm duci iussit, ne à Metello impediretur. Et illum Celtiberum insolentissimè obequitantem consectatus interemit, detractasq; corpori eius exuuias, ouans lætitia, in castra retulit. Idem Pireſum nobilitate ac uirtute omnes Celtiberos præstantē, cùm ab eo in certamen pugnæ prouocatus esset, succumbere sibi coegit: nec erubuit flagrantissimi pectoris iuuenis, gladium ei suum, & sagulum utroq; exercitu spectante tradere. Ille uerò etiam petiit, ut hospitij iure inter se iuncti essent, quando inter Romanos & Celtiberos pax foret restituta. Sab. lib. 4. cap. 6.

Cùm capta Antonia arce, iam quoq; templum ipsum Hierosolymitanum Titus Imp. oppugnaret, quidam ex Iudęis, uir & corpore breuis, & uultu despicabilis, tāq; genere quàm rebus aliis uilissimus, Ionathas nomine, progressus ad Ioannis pōtificis monumētū, cū alia multa supbè ad Romanos proloquutus est, tum quē fortissimū haberent ad singulare

prœliũ prouocauit. At qui contrà stetêre, multi quidem dedignabantur: erant autem inter eos (ut assolet) etiã qui timerent: quosdam uerò non inconsulta mouebat ratio, cũ mortis cupidò non debere confligere: nã qui de salute desperassent, eos neq; cautos impetus habere, neq; Deum uereri: & cum his in discrimen uenire, quos neque uincere magnum sit, & uinci cum dedecore, periculosum: nõ fortitudinis, sed ferocitatis uideri. Cùm autem diu nemo prodiret, multaq; Iudæus Romanorum timiditati illuderet, Romanus ex ala equitum, nomine PVDENS, insolentiam eius exosus, fortasse autem etiam staturam corporis contemnens, inconsultè prosiliit, & cæteris commissa cum eo pugna risum præbuit, à fortuna proditus. Lapsum enim Ionathas interfecit: deinde pede supra mortuum posito, læua scutum, dextraque cruentum gladium coruscabat: armisque cum fremitu concussis exercitui & hosti deuicto insultans, spectantes Romanos increpabat: donec eum tripudiantem, & uana iactantem, Priscus centurio sagitta transfixit. Iosephus libro septimo, capite 5. belli Iud.

PROBVS, antequam ad imperium eueheretur, in Africa proconsul, Aradionem fortissimum uirum singulari certamine interemit, & honorificè sepeliuit. Fulg. lib. 3. cap. 2.

Ioannes Comnenus, Imp. Alexij F. cùm Bacam, Armeniç castellum, oppugnaret, parũq; proficeret: nobilis Armenius Cõstantinus ad singulare certamen Græcorum aliquem delectum prouocabat. EVSTRATIVS ex Macedonica legione delectus, scuto & ense armatus, è castris ad radicem collis abit, & Armeniũ descendere iubet. Is absq; mora Eustratiũ aggreditur. At Macedo sæpè elata manu quasi percussurus, præter expectationem eãdem retrahebat. Tandem ense diu librato Constantini clypeum medium dissecuit: Armenius fuga salutem quæsiuit. Macedo rogatus ab Imperatore, Quo consilio manum sæpe sustulisset, ac unum ictum tantùm intulisset? Sibi propositum fuisse, respondit, uno ictu & clypeũ & Armenium dissecare. Quod quum ad exitum perducere non posset, quòd is clypeum corpori non applicatum haberet, noluisse frustrà digladiari. Imperator maximis donis Eustratium prosequutus est. Nicetas Choniates.

Sub Michaele Imperatore Theophili F. Bulgari quidam ab Antigono Cæsaris Bardæ F. inuitati, de athleta quodam suo, quem secum habebant, gloriabantur, neminem esse, qui cũ eo manus conferre auderet. Medio conuiuio Theophilus Basilij Macedonis (qui postea ad imperium peruenit) herus, ad Cæsarem: Si tuæ, inquit, maiestati placet, famulũ habeo, qui cum superbo isto Bulgaro decertet: magnum enim dedecus Romanis fuerit, istum inuictum in Bulgariam reuerti. Probante sermonem Cæsare, cum Bulgaro congressus BASILIVS, eum pueruli instar compressum, constrictũq; sublimem arripuit, & super mensam abiecit. Ab eo die cœpit Basilius in ore & admiratione omnium esse, paulatim ita sibi aditum ad imperium faciens. Cedrenus.

Totila Gothorum rege ad Fauentiam cum Romanis prælium inituro, atque acie utrinque instructa, Vlaris (aliis Vlarus & Valaris) Gothus, uir ut corporis, sic animi robore nobilis, equo insidens atq; armatus, in medium processit, & Romanos ad singulare certamen identidem prouocauit: cui, cæteris quiescentibus, ARTABAZES Armenius (aliis Artauasdes) occurrit. Ita, nulla interposita mora, equis utrinq; concitatis, infestis hastis inter se concurrerunt. Prior Artabazes dextrum Vlari latus transfixit, atq; equo labentem, sed hasta se, quæ à tergo petræ adhæserat, sustinentem, adacto sæpiùs in uiscera ferro, confecit: sed dum incautiùs ferit, cuspide hastæ ferrea, quam Vlaris adhuc tenebat, in faucibus uulneratus, sanguine sine intermissione fluente, post triduum obiit. Commisso inde inter exercitus prælio, in ipso tumultus ardore trecenti post terga Romanis apparuere, ac maioris multitudinis opinione allata, tantum terroris intulere, ut in fugam se dederint. Quos insectati Gothi, alios promiscua cæde strauerunt, alios captos in custodias coniecerũt, & signa omnia (quod aliàs nunquam acciderat) ademerũt. Sabellicus libro tertio, Enneadis 8. & Sigonius lib. 19. Imp. occid. ex Procopio.

Eo prælio, quo de summa rerum ad Apenninum in Tuscia pugnatum est inter Narsetem eunuchum & Totilam Gothorũ regem: cùm aliquot horas ex aduerso acies constitissent, neutra tamen ex parte cœptum est prælium, utrisque ab hoste id primùm iniri expectantibus. Interim ex parte Gothorum miles, Ducas nomine, magnam bellicæ industriæ famã adeptus, equo in hostem incitato, proximè ad Romanos accessit, &, qui uiritim secum confligeret, prouocauit: erat autem is ex eorum numero, qui ex Romano exercitu primi ad Totilam ultrò concesserant. Tum ARMENIVS quidam è Narsetis militibus ei se obiecit. Quem ut Ducas uidit, prior equum impulit, ut uentrem illi lancea transfoderet. Cuius impetum Armenius, equo subducto, uitauit: atque in eum conuersus, dextrum in eius latus telum infixit, cumque moribundum ex equo deiecit. Sigonius libro decimo-nono Imperij occid.

Inter phanum Fortunæ, & forum Sempronij, Romani Vmbrique, loco syluis impedito Luitprandum Longobardorum regem magna clade affecerunt. Inclaruit tumultuaria illa pugna RACHISII Foroiuliani uirtus. Cogebat is fortè regium agmen, & iam tumultus & trepidatio ad subsidiarios euenerat, multi etiam saucij, præcipiti fuga in extremum agmen inciderant. Vnius itaque uoce & conuicio sistitur fuga, mox eiusdem hortatu ex his qui antea fugiebant, quique subsidio aderant, fit globus, instauratur prælium, eratque iam propemodum æquata pugna; quum Spoletinus eques Rachisium primo loco dimicantem nominatim compellat, prouocatque ad singulare certamen. Nec homo ferox detrectauit pugnam. Concurrunt ex aduerso infestis hastis, eratque pons præcipiti loco impositus, in quo fortè congressi sunt. Cæterùm Rachisius uiolento lanceæ ictu Vmbrum præcipitem ex ponte egit, non sine hostium risu. Infelici eius dimicationis euentu Romani Vmbrique perculsi, remissa pugna retrò abierunt. Hic est ille Rachisius, qui postea à Longobardis deiecto Hilprando Luitprandi nepote rex creatus est. Sab. lib. 8. En. 8.

Berengarius Italiæ rex à Vidone pulsus, ad Arnulfum Germaniæ regem se receperat, ac se omnibus in rebus obnoxium illi fore ostenderat, si Vidonem ipsius beneficio expulisset, regnumque recuperasset. Itaque Arnulfus Berengario gratificatus Zuendebaldum filium cum haud inualida militum manu in Italiam misit. Is profectus, castra ad Papiam locauit. Post dies XXI, cùm obsidione potiùs, quàm oppugnatione res ageretur, parua res totum belli apparatum discussit. Quippe eques unus è Baioaria, qui superioribus diebus, quietis utrinque stationib. in alueum amnis progressus, Italis sæpe ignauiam atque equitandi inscitiam arrogantiùs obiectarat, more solito prodiit, atque equitem Italum nactus, hastam ei de manu extorsit. Quo conspecto HVBALDVS Bonifacij, qui postea Spoletanorum marchio fuit, pater, Italicum recuperare decus cupiens, clypeum ac lanceam sumsit, atque in medium equo prouectus, stolidè gloriantem inter suos Baioarium prouocauit. Baioarius quasi uictoriæ certus impigrè in certamen descendit, eo consilio, ut habili equo crebris cursibus & recursibus circumagendo Hubaldum ad eam rem rudem deciperet. Verùm opinione frustratus est: nam cùm assiduis anfractibus artem suam propè ad fastidium omnium ostentasset: tandem, dum impulso equo, ut de improuiso in Hubaldum reflecteret, terga ostendit, Hubaldus in eum repentè inuectus, atq;, antequam se conuertere posset, adeptus, lancea ad cor usque traiecit. Hic casus mirificam Italicis ad pugnã dum alacritatem, Germanis contrà maximum torporem iniecit. Itaque Zuendebaldus exterritus, atque, ut quidam scripserunt, pecunia quoque à Vidone corruptus, consilium domum redeundi cepit: atque ita uano incœpto recessit. Sigonius lib. 6. regni Ital. & Cuspinianus.

Friderico I. Imp. Mediolanum obsidente, MEDIOLANENSIS quidam, inscitia equitandi Germanis obiecta, fortissimum quenque singulari certamine prouocauit: cœpitque edoctum egregiè equum modò impetu uehementi propellere, modò adductis habenis in gyrum reflectere, mox uarios perplexosq; per anfractus discurrere. Cùm diu impunè insultasset, & alij aliis de caussis, siue timore, siue cõsilio, certamen eiusmodi abnuerat: ALBERTVS Tirolensis inermis & palefrido insidens, solo clypeo & hasta munitus, obuiam prodiit, ac Mediolanensem insolentiùs se iactantem hasta propulsum equo deiecit. Sigonius libro duodecimo regni Italici.

ALDEBRANDINVS Patauinus nobilis, Germanũ Italicæ uirtuti contumeliosè detrahentem ad singulare certamen in foro prouocauit, & coram Friderico Barbarossa Imp. leui uulnere, quod in brachio acceperat, efferatus prostrauit, & deditionem facere nolentem, cùm duellum Cæsar dirimi iussisset, Cæsari dono dedit. Eum Cæsar & equitem & comitem in ipso creauit uestigio, anno 1165. Bern. Scardeonus libro 3. classe 13. hist. Pat.

Conrado II. Imper. Mediolanum arcta obsidione anno 1037. premente, Bauarum Conradi nepotem omnium Germanorum ferocissimum ELIPRANDVS Vicecomes, ingentis staturæ ac roboris uir, singulari certamine in conspectu Imperatoris prostrauit. Hic est Eliprandus, à quo Vicecomitum, ut aiunt, familia fluxit, pòst tota Italia genere & uirtute clarissima: quem Vicecomitem dictum esse, quòd archiepiscopi uicecomes esset, inuenio. Sigonius libro octauo regni Italici.

In Hierosolymorum obsidione OTHO Vicecomes Mediolanensis, Eliprandi filius, insigne fortitudinis suæ monumentum reliquit, anno salutis 1099. Nam ducem Saracenorum Volucem, singulari prælio congressus, occidit, ac galeam nobile hostis spolium induit: è cuius conò tortuosæ uiperæ, ac puerum expansis manibus euomentis simulacrum extabat: idque ipsum & sibi, dum uixit, gestamen asciuit, & posteris insigne laudis gentilitiæ prodidit. Ea re pòst domi comperta, Mediolanenses publico decreto sanxerunt, ut ad perennem clarissimi uiri memoriam ne posthac castra Mediolanensis exercitus locarentur, nisi signo uipereo antè in aliqua arbore constituto. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Nuptiis Edouardi I. Anglorum regis Londini celebratis, Alexander III. Scotorum rex interfuit. Erat in aula Eduardi nobilis quidam Normanus, admiranda corporis uirtute, ac rei equestris summa præditus peritia. Hunc, quum omnes certando deuicisset, Scotus quidam, FERQVHARDVS nomine, ex nobili familia ortus, Rossius natione, ad illam solennitatem honoris gratia regem prosecutus, superauit. Eum rex Alexander comitatu Rossiæ donauit. Hector Boethius libro 13.

Henricus Perse Anglus, cùm Nouum castrum à Scotis obsideretur, GVLIELMVM Douglas ducem Scotorum ad singulare prouocauit certamen, omnes suæ ætatis robore corporis ac usu bellicarum rerum superans. Vtrinque infestis hastis concurritur: Douglas hostem sub pectus hasta impellens equo deiicit. Angli prolapsum intra portas traxere. Douglas accepta hasta pronunciauit, eam se in Scotiã abfaturum, in uictoriæ monumentum. H. Boethius lib. 16.

Roberto III. apud Scotos regnante, ROBERTVS Morla Anglus eques auratus in Scotiam uenit, quemuis ad singulare certamen prouocans. Cum eo congressus Archimbaldus Adamstoun uectus est. Hugo Valles eandem fortunam expertus. Tertius THOMAS Trail, Beruicij aduersario de eo deiecto uictoria potitus est. H. Boethius lib. 16.

Dominus Vellis Anglus legationem Ricardi III. regis sui in Scotia obiens, in conuiuio solenni, quum multa de utriusque gentis uirtute bellica disceptata essent: Apagite, inquit Anglus, hac uerborum concertatione: si cui placet uirtutem experiri Anglicanam, nomen suum edat, cum eo enim singulari certamine quouis tempore ac loco decernere paratus sum. Te appello, ad DAVIDEM Lindesay comitem Cranfurdiensem inquit, qui multis erga me uerbis usus es, ac uideris te supra cęteros iactare. Egò uerò, inquit Dauid, ac lubens id agam, si consentiente id rege fieri poterit. Annuente rege, Anglo loci electio datur (is Londini pontem elegit) Dauidi temporis, qui diem diuo Georgio sacrum sumit. Signo dato utrique concurrunt. Neuter deiectus: hastæ comminutæ. Vulgus clamat, Dauidem sellæ equi adligatum excuti non potuisse. Ac Dauid protinus equo desiliit, & rursus statim cataphractus in equum insiliit. Tertiò tandem ualidioribus hastis infesti concurrunt. Ibi Anglus equo deiectus in terram concidit. Dauid desiliens, iacẽtem tantisper fouit, quoad medici aduenere. Aegrotum inde quotidie inuisit, uelut sodalem suauissimum. Menses tres rogatu regis in Anglia remansit, non uno honoris genere ab eo affectus. Idem.

Eodem tempore aulicus quidam Anglus DONALDVM natione Scotum, oriundum ex Montanis, præfectum stabulis equorum Dauidis, ad monomachiam, solis ensibus, nulla armorum protectione conserendã, prouocauit. Rege & principibus annuentibus, locum Donaldus forum Londinense, alter diem perendinum eligit: spacium, in quo certaretur, chlamyde circumscriptum, ut nec inde ante partam alteruter uictoriam exiret, præstituunt. Constituto tempore Donaldus in forum prodit: chlamydem sternit. Anglus uerò, audaciam Scoti cernens, certamen detrectauit. Hector Boethius libro 16.

Alarico Sueonum & Gothorum rege contra Rutenos bellum gerente, Hildigernus Suecus pugil Rutenorum aliquem ad singulare certamen prouocabat. Cunctãtibus cæteris, HALDANVS præcipuæ fortitudinis pugil, qui nuper ad Rutenorum militiam ex Schoningia aduenerat, se ad duellum offert. Erat hic Borchari Schoningiani satrapę filius, ex Drotha Noruegiæ regis filia susceptus, quam occiso nobilissimo marito Gunnone Suetico, sibi in coniugem acceperat non inuitam. Nam idem Gunno, occiso antea eius patre rege Regnaldo, ipsam in suum coegerat coniugium, filiumq; Hildigernum ex ea procreauerat. Quocirca cùm Hildigernus natu maior sciret, hunc Haldanum esse suum uterinum fratrem, recusauit cum eo congredi, prætexendo ipsius in re bellica tyrocinium, fraternam necessitudinẽ cælans, ne metu id fecisse uideretur. Tum Haldanus, roboris ostentandi causa, Gothos prouocat: & primò unum progressum obtruncat. Deinde duo sunt illi obiecti: quibus occisis, tres secum pariter congressuros postulat: quibus oppressis, numerum per uices adauxit, usque ad undecim: quibus demùm congressus, uictor euasit. Tum Hildigernus uidens ipsum ad parem militiæ gloriam secum peruenisse, cum eo congressus, sentiens se mortiferum uulnus accepisse, proiectis armis fratrem se eius esse indicauit, & in ipsius amplexibus expirauit. Pugna tandem commissa, Ruteni uicti tributa pependerunt. Haldanus ob res fortiter & magnificè gestas, Gyritham, Siuardi Gothorum regis neptem, unicam Danici regni hæredem, in coniugem obtinuit. Quam cùm sterilem esse animaduerteret, religionis causa Vpsalam nobilissimã Sueonum urbem petens, responso monitus est, ut suscitandæ sobolis causa fraternis primùm manibus parentaret. Itaque filium Haraldum Magnum ex Gyritha suscepit. Ioan. Magnus libro 7. Cranzius libro primo Succiæ, capite 48. Hildigerum uocat.

Sueones Rorici Danorum regis iugum excutere nitebantur. Prælij prçludium monomachia fuit. Sclauus quidam ad singulare certamen Danos procurabat. VBBO ei se opposuit, & uictoriæ præmium armillas aureas, quas rex gestabat, depoposcit: sed per iocum eas apud sequestrũ deponi petiit. Roricus auri cupidine captum ratus, ne præter regiam consuetudinem reuocaturus donum, aut promissum rescissurus uideretur, in nauigio stans, armillas ingenti excussas iactu petitori porrigere statuit. Sed conatum eius fefellit interstitij magnitudo. Itaque fluctibus interceptæ sunt, unde Rorico Slyngebond inoleuit agnomen. Vbbo nihilominus cum Sclauo congressus est: ea fortuna, ut mutuis uulneribus perierint: & rebelles ad officium redierint. Saxo lib. 3.

GEORGIVS Castriotus Scanderbechus, cùm obsidis loco apud Amurathem Turcorum tyrannum detentus, pro Turcis res maximas gessisset, Scytha quidam ad monomachiã tyranni familiam prouocabat, ut in angusto loco pugione armati, cætera nudi penitùs, concurrerent. Cunctantibus cęteris, Georgius pugnam suscepit, & hostis caput Amurathi obtulit. Non multo pòst in Bithynia Iaiam & Zampsam equites Persas ex prouocatione, roboris ostentandi causa, uictos occidit. & ut omnibus admirationi fuit, ita etiam propter tantam uirtutem tyranno suspectus esse cœpit. Marinus Barletius in uita Castrioti.

Amurathes in cãpis Cassouiis contra Huniadem instructa acie constiterat. BITEZES Pannonius, ex iis, quos Vsaronas uocant, ad singulare certamen Turcum prouocat. Prodit continuò adolescens ELIEZES, Barizæ Ianizarorũ ducis olim F. Infestis hastis re gesta, Bitezes cum equo corruit: Eliezes conscisso pectorali, & zona cum ephippio soluta, uix se sustinuit, neque tamen Pannonem interimere potuit. Itaque ad suos quisq; reuersi sunt. Amurathes tironis fortitudinem admiratus, Quonam magistro usus sit? interrogauit. At ille, Lepore, respõdit. Magis admirãte rege: In Asia inqt, puer adhuc leporẽ in suo cubantem nido offendens, XL sagittis petitum conficere non potui: ultimæ stridore expergefactus aufugit, cùm fatalis eius uitæ terminus nondum adesset. Proinde & ego me nec armis superari, nec arma euadere, nisi uolente fato, persuasum habens, audacter cum Pannonio manus contuli. Hæc audiens, mirum in modum rex delectatus est, & adolescentem donauit ueste Syrio opere auro illito contexta. Turci plurimum alioqui fato tribuunt. Chalcocondylas lib. 7. de rebus Turcicis.

NICOLAVS, Petri Macedonis F. Mysiæ præfectus, collecto exiguo exercitu, Ikacho Bossenæ superioris regulo à Mahumete Turcarum rege constituto occurrens, copias eius profligauit, eum singulari certamine occidit, opima spolia ad Sigismundum Imp. retulit. Bonfin. lib. 4. Dec. 3.

LADISLAVS Vngarorum rex, inita cum Chunis in Danubij ripa pugna, eorum regẽ Acum singulari certamine aggressus, primo securis ictu trucidauit. Spectata ducis morte, Chuni animo consternati, instantibus Vngaris terga dare coacti sunt. Bonfin. lib. 4. Dec. 2.

Bucicaldus, Galliæ regis Caroli VI. Marescalcus, giganteæ staturę homo, cùm GALEACIO Gonzaga, homine paruulo, singulari certamine congressus, superatus est, seq; ob id ipsum uoto obstrinxit, arma nõ ampliùs induiturum. Iouius in uita Baiazethis I.

Leonatus Sanseuerinas, Elisæ filię Magni Sforcię maritus, dux clariss. ad ostentandam equestris disciplinæ peritiam, cum CARAFFELLO Caraffa nobiliss. equite, nulla intercedente simultate, congressus ex prouocatione, recepta per cassidem hastæ cuspide cecidit. Iouius in uita Sforciæ.

SORDELLVS Vicecomes Mantuanus, qui Salutis anno 1189. natus est, in uariis exterisque regionibus de tribus ac uiginti equitibus fortissimis uiris, cùm singulari certamine cum eis dimicasset, uictoriam retulit. In Parisiorum urbe uno die cum tribus, uidelicet Iachelino & Leopardo Britannis, demùm cum Frassato Burgundione pugnauit. Fulgosus libro tertio, capite secundo, & Egnatius libro tertio, capite 2.

GALEACIVS Bardassinus, eques Siculus fortissimus, quemcunque in toto orbe Christiano robore insignem norat esse, cùm ad monomachiam prouocabat, semper uictor. Fulgosus libro 3. capite 2.

Cùm

Cùm Cardinalis Gebennensis, Gregorij pontificis legatus, urbem Bononiam obsideret, atque in exercitu Britannorum magnum numerum haberet, quo tempore eam urbem populus Florentinus defendebat: duo Britones uirtute atque animo ingentes, accepta fide, Bononiam ingressi, quæsiuerunt, Si illic aliquis esset præstanti uirtute uir, qui singulari certamine pugnare uellet? Conditionem acceperunt BETTVS Biffolis, & GVIDO Assianus Florentini: dieq; ad prelium constituta, cùm legatus egrediundi Florentinis militibus potestatem fecisset, inter castra urbemq; ipsam pugnatum est. Biffolis primus Britonem, quo cum pugnabat, ad terram prostrauit: & cùm ad occidendum eum ab equo descendisset, superatum hostem, petenti Legato, dono dedit. Guido Britoq; alter, cùm se infestis hastis ambo ad terram ab equo strauissent, tandem uictoria penes Guidonem mãsit: qui similiter superatum hostem, cùm perdere posset, Cardinali condonauit. Fulg. lib. 3. cap. 2.

Franciscus Montanesius Hispanus, quum apud Senas in coronis proloquendo Hispanorum uirtutem supra omnes gentes cum iactantia uerborum extolleret, nec quenquam mortalium Hispano habiliùs & ferociùs gladio uti identidem prædicaret: non tulit iniquè atque superbè dictum iuuenis Romanus ex tribu Parrhionia, cui IVLIANO nomen erat: dixitque se singulari certamine & paribus armis, si Hispanus congredi uellet, ostensurum, neminem externæ gentis Italo milite meliorem. Hunc generosè & moderatè respondentem Itali Hispanique qui aderant, approbarunt: nec ipse conditionem detrectauit, quam Montanesius ferebat, ut sibi quisque socium, & consortem pugnæ deligeret, & intorta pro scuto sinistris manibꝰ lacinia, Hispanicis gladiis, pro gentis quisque suæ gloria decertaret. Gomerium à Corduba notum sibi & spectatæ uirtutis gladiatorem Montanesius assumsit. Nec Iuliano defuit TIRACOXA Tiphernas comiter inuitatus. Constituta autem die ad edicti spectaculi famam, tota penè Ethruria in urbem Senas confluxit, pretorianaque area exterior (hæc insignis theatri speciem præbet) à decurionibus pro arena concessa est. Tantis uerò animis, tantisque utrinque adhortationibus, quum publicum decus in priuatis dextris temerè positum uideretur, res gesta est, ut Hispani ueterum gladiatorum more depugnantes primi fatiscerent, & decem & septem patentibus plagis susceptis, quum ex aduerso nouem tantùm Itali retulissent, se planè uictos, contumelioseq; loquutos faterentur. Id certamen non celebratum modò est omnis sexus festiua acclamatione, sed eruditè etiam decantatum à poetis, quorũ Ethruria feracissima semper fuit. Iouius in Alfonso Atestino.

In Germanorum peditum cum Hispanis congressu, anno 1512. prope Nauarram, duo magni nominis duces memorabile spectaculum præbuerunt, Iacobus Emser Germanus, & ZAMVDIVS Hispanus, qui extra acies progressi, quasi prouocatione dimicarunt. Quo in certamine Hispanus hoste interfecto extitit uictor. Gucciard. lib. 10.

RODERICVS, Ferdinandi Dauali Piscarij proauus, ingenio excelso, & ui ingenti corporis, quum iuuenis adhuc prouocantem Lusitanum equitem, spectante utroque exercitu, singulari certamine confecisset, tantum sibi studium ab omnibus militum ordinibus, tantamq; apud regem Hispaniç beneuolentiam illo clarissimo facto comparauit, ut non multo pòst Magister equitum sit effectus: qui hònos militię summus unis antiquæ nobilitatis regulis demandari erat solitus. Iouius in Piscario lib. 1.

Obsidente Maximiliano Imp. Patauium anno 1513. tres Hispani pedites elati animi, ITALOS ad certamen prouocarunt, nulla quidem priuata simultate, sed ut si essent aliqui Romanæ indolis in Veneto exercitu, contrà progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Barthol. Liuianus Venetorum dux, quum ea uox à militibus alacriter excepta fuisset, multique certatim eas partes deposcerent, totidem manipularios expertæ uirtutis emisit, qui breui uno è tribus Hispanis interfecto, cæteris sauciatis & captis, uictoriam cum plausu & gratulatione militum retulerunt. Iouius libro 12. Histor.

Bello Rhetico à Venetis contra Sigismundum Austriæ ducem gesto, duo uiri fortes ex prouocatione, in Pratalinis campis, circa Athesim ab utroque exercitu ad singulare certamen prodiêre, ANTONIVS Maria Roberti Seuerinatis Venetorum polemarchi filius, iuuenis impiger, & Georgius Sonnenbergius Germani sanguinis Comes, militari gloria & ætate florens. Nam cùm ad Sonnenbergium esset allatum, Antonium Mariam Seuerinatem, imperatoris filium, inter suos iactauisse, si ex hostium copia egregius uir quispiam equestri pugna congredi uelit, se cùm illo decertaturum, proque sua parte ostensurum, quantum belli gloria Itali Germanos antecellant: mittit ad Venetos tubicinem, qui Antonio denunciet, se paratum esse certaminis fortunam experiri. Remissus ad Georgium tubicen refert, expectari cupidè illud ab Antonio: itaque die dicta clausum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina castra spacio diuersa ex parte uterque armatus atque adornatus sese intulit: & parua interiecta mora, citatis equis concurrunt. Antonius hastam in Germani pectus infringit: thorax ægrè hastæ impetum sustinet: tum uerò equus Antonij iam incitatior, neque sat habilis contineri, in trabales campi munitiones ita impegit, ut iis perfractis atque disiectis, ipso humi prolapso, Antonius se eiiceret. Itaque pedes ex equite factus, ubi hostem in equo iam conuersum districto in se gladio uenientem uidet, post tignum trabibus repagulisque sustinendis solo fixum sese continet: ita Germanum assultantem, atq; ictus de superiore loco adigentem, districto item gladio repellebat, quaque ipsum poterat, appetebat: nam equum lege prius dicta ferire Antonius non poterat. Sed dum crebris ictibus acriter uterque rem gerit, neque quantum uult proficit, propterea quòd galea, thorace, cæterisque ferreis indumentis totum penè corpus protegebatur: Antonius iracundiæ plenus, quòd iniquam subire dimicationem cogeretur, seque ipse tacitè incendens, hosti cupidius ferienti impetu facto gladium aufert: ille ab ephippiis ferrea, quam gerebat, abrepta claua pro gladio utitur. Tum uerò clara ad Germanum uoce: Quid tu autem, inquit Antonius, me cogis unum cum duobus depugnare, quorum alteri lex, alteri aliena arma sunt præsidio? Si uir es, æquo marte manum confere. Ita Germanus existimationem hominum ueritus, & magno præterea animo, equo & ipse desilit: comprehensique statim inter sese, atque arctè diu luctati, ambo concidunt. Erant utrisque magna & procera corpora, & uires corporibus pares. Germano tamen cadenti paulùm superincubuit Antonius: sed eius dextrum brachium à sinistro Germani humero, atque adeò armorum corporisq; pondere sic premebatur, ut eo uti non posset: tum Germanus impedito atque implicito Antonio, ipse manu dextra liber, abrepta sica, quæ femori Antonij erat alligata, nates ei conuulnerat: ea tantùm corporis parte sua illum tegumenta non munierant. Vulnere Antonius accepto, cùm omnino nullam defendendi sese uiam sibi reliquam, & facultatem uideret, sicæque aciem Germanus ictu altero atque tertio adegisset (Vince, inquiens, quando ita uoluit fortuna: casu enim, non uirtute uincis) gloriam certaminis hosti dedit: quem quidem uictor magno apud se honore plures dies ad exercitum habuit, curatoq; uulnere, donis etiam additis ad patrem remisit. Bembus libro primo Venetæ Historiæ, & Sabellicus lib. 8. Ennead. 10.

Anno Salutis 1503. in Apulia memorabilis pugna ex prouocatione pugnata est. Ardebat, ut si quando antea, pars illa Italiæ graui bello inter Gallos & Hispanos orto, auditaque est interim uox Galli militis captiui insolenter prædicantis, nihil inutilius esse Italo milite, nihil ignauius. Quam insignem contumeliã haud sibi ferendam rati EQVITES Italici nominis, qui cum Hispanis militabant, eo ex redemtione dimisso, ad Gallos communi nomine miserunt, qui his significarent, Cupere Italos equites, quando timidi & ignaui essent Gallorum opinione, armis experiri, quid utrique alteris uirtute præstarent. Responsum est, longè aliter Gallos opinari, ut & boni & fortes milites sint Itali, sed si pugnæ cupidi essent, paratos esse cum his conditione certare, ut uictor centum aureos præmium ferret, uicti equitis spolia haberet, & equum quo sederet. Accepit Italus conditionem, lecti sunt utrinque tredecim uiri fortes, dictusque pugnæ locus inter Adriam & Quadratam. Consaluus Hispanorum dux, peractis sacris, quibus Itali interfuêre, sumtoque modico cibo, euntes in pugnam paucis hortatus est, Irent, & Italo nomine, quod olim maximum fuisset in terris, ac belli gloria maximè inclytum, fortiter dimicarent: futurum, ut ea res non solùm ad communem laudem gentis pertineret, sed ad infringendam etiam Gallorum superbiam, qui omne genus hominum præ se contemnerent. Cùm his illi dimissi locum occupant: processerunt & Galli, sed aliquanto segnius. Cæterùm quia conditione certabatur, ut quicunque siue impulsu, siue casu stadij finibus excessisset, pro uicto haberetur, eratque locus de industria, ne pugna longiùs traheretur, breuioribus circumscriptus spaciis: substiterunt Galli primo ingressu, futurum rati, ut si Itali, qui in medio steterant campo, temerè in se equos concitassent, suo impetu ultra præscriptum euecti, citra omnem cruorem uincerentur. Sensit Italus inimicorum astum, stetitque tamdiu immotus, quoad Gallus, longioris moræ impatiens, ex aduerso mouit. Tum quia bipertito inde procursum est, Itali & ipsi utroque uersum concitant equos: Breuis & anceps concursus fecit, ut pauci hastas fregerint. Quinque Galli & duo Itali campo exciderunt, equorum impetu metas præteruecti, qui pro uictis quieuerunt. Fuit inde atrox pugna, gerebaturque res gladiis & securibus. Cadunt duo ex Italis, equis ab hoste interfectis, attulitque eiusmodi casus Italo uictoriam. Enimuerò duo illi quum sese in pedes statuissent, uenabulis duobus arreptis, quæ tela in hunc usum fuerant ab initio illata, momento temporis plures hostium equos unum post alium confossos sternunt, ex equitibus Gallis unum interficiunt. Tum illi numero & uiribus impares facti, uictos se clara uoce fatentur. Duo obstinatiùs pugnam traxêre, fuissentque haud dubiè à pluribus in uestigio cæsi, nisi suorum monitu & hortatione cessissent. Perduxerunt Itali captiuos Gallos Barolum ad tubarum & tibiarum cantum pulsumque campani æris, Hispano exercitu prosequente, ciuibus manu & uoce fauentibus, testantibusq; præsentem lætitiam clamore, Hispani Italiam, Itali Hispaniam clamare, manifesto argumento mutui inter utramq; gentem studij & amoris. Ferunt ex captiuis quosdam, quamdiu apud hostes fuêre, ob mutuisse, alios lacrymis tacitè manantibus, amentibus & attonitis similes sedisse: mille & tercentum aurei numi bona fide sunt Italis uictoribus repræsentati: fuitq; id certamẽ præsagium ueriùs quàm pugna, eorum quæ non multo pòst Gallis in eadem Italiæ parte infeliciter acciderunt. Sabellicus libro secundo, Enneadis 11. Horum nomina quoque Guicciardinus libro 5. recenset, ut Romanæ Italicæque uirtutis uindicum. Consaluus Italos luculentissimè laudatos, equestris ordinis dignitate traditis de manu ornamentis nobilitauit, ita ut ad ipsorum gentilitia insignia argumentum uirtutis atque uictoriæ, tredecim torques adderentur. Iouius in Consaluo.

Quum Galli cum Hispanis de regno Neapolitano, quo Aragonios deiecerant, decertarent, eosque Baroli obsiderent: HISPANI singulare certamen, ut pari numero & paribus armis pro gloria pugnaretur, exoptarunt. Non abnuere cõditionem GALLI, dieque constituta, Venetus Tranij præfectus, uti ex professo nemini socius, & utrisque pari studio amicus atque hospes, locum certamini, Veneto tutum præsidio, ad urbis mœnia concessit. Vndecim ex condicto prodiêre Galli, quibus totidem Consaluus Magnus opposuit, ex urna sorte ductos, quum supra centum equites ambitioso concursu nomina dedissent. Concurrere utrinque tanta ui, ut nunquam ardentioribus animis, uehementioribusq; uiribus certatum sit. Plures hastarum impetu deturbati, aut suffossis equis destituti in pedes, tanta pertinacia decertarunt, ut quum sex horis continuè depugnassent, omnes ferè cùm suo, tum alieno cruore fœdati, nec fatigati quidem sub tanto armorum pondere, in occasum Solis certamen extraxerint, certa iam ad Hispanos uergente uictoria: nisi eam quatuor Galli memorabili casu penitùs eluissent. Septi enim equorum cadaueribus, mira constantia, feliciique uirtute, tãquam ex castrensi munitione repugnarunt, frustra Hispanis equos adigere conantibus, quum eorum equi, aspectu olfactuque stratorũ equorum absterriti, sessores ipsos in diuersum à limine uictoriæ transportarent. Spectatores, & Iudices ex tribunali incertam uictoriam fuisse pronunciarunt, ea quidem testificatione, ut apud Hispanos expediti roboris nomen, apud Gallos autem inexpectatæ constantię laus mansisse conferetur. Idem.

Inferiarum causa.

THRACES in optimatum sepulcris monomachias instituere solent. Herod. lib. 5.

☞ PVGNANTES. IN ACIE, BELLO.

☞ *Ex loco Victoriarum hinc pleraq; quatenus fortiter agendo uictores euadunt. Item Tit. Fortes milites, duces.*

In genere, Erga Hostes.

Cùm Galli cæso Ptolemæo Macedoniã subegissent, cæteris desperantibus, unus SOSTHENES repertus est, qui non lacrymis & precibus agendum ratus, contracta iuuentute, Gallos uictoria exultantes non solùm sustinuit, sed Macedoniæ etiam finibus expulit. Quæ re effecit, ut quum multi Ptolemæo sublato regnum ambirent, cæteris posthabitis, magno totius exercitus consensu, rex fit Sosthenes appellatus. Sab. lib. 8. En. 4.

Datis Persarum satrapa cum tricenis millibus militum in campum terræ Atticæ Marathonem irrumpens, castris ibi locatis bellum incolis indixit. Horum barbarorum Athenienses tanta colluuie contemta, nouem millia misere: quibus duces præfecerunt CYNEGIRVM, POLYZELVM, CALLIMACHVM, MILTIADEM. Signis collatis Polyzelus, cùm speciem humana augustiorem conspexisset, uisum amisit, factusq; est cæcus. Callimachus multis traiectus iaculis, etiam cùm expirasset, constitit. Cynegiro recipientem se nauem Persicam detinenti detruncatæ manus fuerunt. Eos Isocrates, tanquam sub alienis animabus prædicat dimicasse, audaciamq; eorum & uitæ contemtum miris laudibus commendauit. Plut. de gloria Atheniensiũ, & in Parallelis.

Herodotus in enarrando conflictu ad Thermopylas, summã ipsius LEONIDÆ & Spartanorum CCC factum obscurauit, qui omnes narrauit in faucibus circa iugum montis Colonon cecidisse, cùm res aliter sint gestæ. Postquam acceperunt nocte hostium circuitum, exurgentes contenderunt ad castra, ac propè ad tentorium usque regis, eo animo, ut eum trucidarent, & circa eum uitam deponerent. Igitur ad tentorium usque, occidendo obuium quenque, & alios profligando, progressi sunt. Sed cùm non inueniretur Xerxes, dum quærunt eum in magnis & uastis castris, uaganturq;, ægre à barbaris undique circumfusis concisi fuerunt. Plut. de Herodoti malignitate.

In prælio Leuctrico CLEONYMVS Sphodriæ, formosus adolescens, cùm ter ante regis Cleombroti pedes concidisset, totiesque erexisset se, cum Thebanis pugnans occubuit. Plutarchus in Agesilao.

Laconico bello cùm primùm Charillus Lacedæmoniorum rex cum exercitu in Arcadum fines inuasisset, FEMINÆ Tegeatarum arreptis armis sub collem subsederunt, quem postea Phylactriden, q. Præsidiarium uocarunt. Congressis uerò ad pugnam exercitibus, feminę postremò subita eruptione ex insidiis facta, in fugam Lacedæmonios uerterunt. Virtute autem feminas anteisse cæteras prædicant Marpessam, cui Viduæ cognomen fuit. Pausanias in Arcadicis.

In pugna à Græcis contra Gallos Delphis commissa, conciderunt è Phocensibus & alij cõplures, & ALEXIMACHVS, qui in ea pugna, cùm animi egregiam quandam alacritatẽ ad florentis ætatis uigorem, & corporis robur adiunxisset, magnas ediderat hostium strages. Eius effigiem Phocenses ad uiuentis imaginem expressam Delphos ad Apollinem misere. Pausanias in Phocicis.

C. Iul. Cæsar in Africam contra Scipionem profectus, tempestate parum prospera usus, quum alij aliò applicuissent, ipse ad Adrumetum cum tribus millibus peditum & ala una equitum consedit, locique præsidio frustrà tentato, quia in tanta militum paucitate tutò ibi esse non poterat, suos ad naues cœperat reuocare, quum ex oppido eruptio facta est. Conserta pugna res mira accidisse dicitur, ut XXX GALLI equites, qui cum Cæsare erant, duo millia Maurorum equitum suo impetu auerterint. Sab. lib. 7. En. 6.

In acie Pharsalica primus ex Cæsaris acie procurrens C. CRASTINVS, qui centum uiginti militum manipulum ducebat, pollicitus est Cæsari magnificè. Nã ut primùm progrediens Cęsar castris aspexit, appellansque rogauit, Quid spei de pugna haberet? Ille porrecta dextera exclamauit: Præclaram uictoriam Cæsar reportabis. Me autem hodie aut uiuum aut mortuum laudabis. Horum dictorum memor erupit, multisque cum sequentibus in medios incurrit hostes. Statim gladiis res geri cœpta. Ibi multis interfectis, instantem & per antesignanos perrumpentem excipiens quidam, gladio per os traiecit, ut mucro transfixus emineret sub occipite. Plut. in Pompeio.

ACHILLINVS, miles Belisarij, Romã ad portam Pincianam solus impetum Gothorum repressit. Procopius.

Vrbem Aruernorum ECDICIVS Comes, Auiti quondam Imperatoris filius, contra Euricum Gothorum regem strenuè defendebat. Quodam die cum duodeuiginti equitibus urbe meridie egressus, tota ex mœnibus semirutis aspectante ciuitate, medio campo aliquot Gothorum millia præteruectus, hostes sui numeri incertos, atque ad sui conspectum, nominisque rumorem perterritos, noctu in proximum collem se subducere compulit, ac nouissimi agminis aliquot occisis, incolumis cum omnibus suis in urbem reuertit, læto plausu totius ciuitatis exceptus. Priuatis item opibus publici speciem contraxit exercitus, ac liberos hostium discursus populationibus castigatis coercuit: inde a- [redacted]ales cuneos strauit, uix binis [redacted] ultro tradidit, atque ad [redacted] ens Nepos Augustus, ipsum [redacted]e uocauit, ac Patricium designauit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

In pugna ad Characem commissa inter Romanos & Turcos Characenos, PERSICVS quidam sagittarius arduo loco occupato multos prætereuntium Romanorum sagittis interemit. Hunc multi adorti, & telis eminus & hastis cominus irati feriebant. Verùm ille agilitate corporis & tela in se excussa euitabat, & subitis conuersionibus instantes trucidabat: donec Xerus Manuel equo desiliit, obiectoq; scuto, telis eius exceptis, stricto ense iterato ictu caput ei dissecuit. Nicetas lib. 6. sub Manuele Comneno.

LVDOVICVS Lodronius, peditatui Ferdinandi regis in Hũgaria præfectus, ubi ad Exechiũ circumuenti à Turcis Christiani à Ioan. Cazzianere polemarcho deserti sunt, militum consensu dux declaratus, ad honestam mortem subeundam

dam milites hortabatur. Tum ferunt Germanici nominis ueteranum militem comiter, nec insulsè dixisse: Neque uerò, Lodroni, usque adeò turpis fuga apud te uideri potest, quum eam nobili equo uectus circumspectare existimari possis. Intellexit Lodronius ueterani militis argutiam, ingentiq; animo descendens in pedes, stricto gladio equi suffragines detruncauit, præclare exclamans, Hodie commilitones, me ducem pariter & militem pedibus pari sorte uobiscum pugnantem habebitis. Vos date operam, ne opinionem meam fefellisse uideamini, ut uictores euadatis, aut non inulti decoro mecum uitæ exitu militiam finiatis. Reliquos porrò equos peculiares suos pari humanitate notis sibi militibus, qui languerent ex uulneribus aut morbis, dono dedit. Prælio commisso, cùm frustra diu acerrimè pugnassent: ipse equitum incursu atque impetu raptus, in palustrem locum adactus est. Ibi quum grauiter saucius, & lubrico præpeditus cœno, supremæ uirtutis conatum edidisset, adhortantibus eum Barbaris, ut se dedere quàm interfici mallet, cum tribus cohortibus, quæ ei superfuerunt, ita in deditionem est receptus. At quum graui ex uulnere iactationem non ferre, nec uiuus cum reliquis captiuis Byzantium perduci posse uideretur: à custodibus est interfectus, caputque eius postea transmissum. Iouius lib.36.

Friderici Tocenburgij comitis testamento fraudulenter inter se commissi erant Tigurini & Suitenses, cùm utrisque fecisset potestatem suæ ditioni subiectos in ciuitatem recipiendi. at quia Tigurinis plerique addictiores erant, res ea Suitenses malè habuit. Ergo fœdere cum reliquis Heluetiis cōtra Tigurinos inito, Tigurini uicissim Austriacorum auxilia implorant & obtinent. Tigurum sæpe obsessum. Fridericus III. Imp. & Albertus Austriacus cùm propria non possent, aliena auxilia pro Tigurinis emendicant. Mittitur Burcardus Monachus ad Carolum VII. Gallorum regem. Is Lodouicum F. Delphinum cum XXX millibus in subsidium illis misit, una eademque opera concilium Basiliense in gratiam Eugenij IIII. Pp. disturbaturus. Heluetij Tigurum obsidentes, MD suorum ad obsidendum Farenspurgum arcem Thomæ Falkensteinij Baronis, qui Brugenses Bernensium ditionis igni ferroque læserat, non procul Basilæa miserant: quibus accessere finitimorum ad bis mille quingentos. Illi de aduentu Delphini certiores redditi à Basiliensibus, suæque saluti consulere iussi, non modò non paruére, sed & tabellarium improbè urgentem, & minas inconsultè addentem interfecere. Mille sexcentos delectos Basilæam properare iubent. Et iam præmiserat Delphinus suorū non exiguam manum. Quos HELVETII ad pagum Bratelam adorti, magna strage per noctem affecere, & hinc pugnando per medios hostes uiam sibi ad leprosorum usque domum D. Iacobo consecratam aperuére. Moniti denuò à Basiliensibus ne Byrsam amnem, posteaquam Delphinus iam aduenisset, transirent, sed eo munimenti loco uterentur: alienum id ab Heluetia fortitudine rati, quando per pontem à Gallis obsessum non licebat, per medias aquas hostibus frustrà renitentibus in ulteriorem ripam euadunt. Ibi instructa acie obuius illis fit Delphinus. Basilienses Heluetiis opē laturi egrediebantur: sed animaduersis insidiis hostiū, qui desertam urbem à tergo inuasuri erant, multis uix tandem monitis Io. Roti consulis, ab incepto destitére. Heluetij interea strenuè hostem inuadunt: sed integris subinde turmis infestati, generosè mortem oppetunt. Sexcenti in cœmiterium leprosorum euaserant, eius sese muro defensuri. Delphinus admotis tormentis oppugnat; & uix tandē sex millibus suorum amissis expugnat, ingenuè præfatus, Hactenus se cum uiris, nunc demum cum heroibus pugnasse. An. D. 1442. 26. Aug. cæsi omnes, sedecim fuga elapsi, domum reuersi uix amicorum precibus eripi p[redacted] Qui Farenspurgum obsidebant, audita suorum clade, re infecta discesserunt. Stumpfius lib.12. cap.14. Heluetiæ. De iis sic scribit Aeneas Syluius lib.1. Epist.88. qui tunc Basiliensi concilio intererat. Euellebant sanguinolentas ex corporibus suis sagittas Suitēses, ac truncatis manibus in hostes irruebant, nec priùs animam exhalabant, quàm occisorem ipsi occidissent. Quidā hastis confossi & onusti telis, necem suā uindicabant. Quatuor Armeniaci (sic Gallos uocabant) Suitensem unum telis confossum strauerant, & suprà corpus grassabantur. Tū eius comes arrepta bipenni in quatuor illos fertur: ex quibus duos obtruncauit, alios uerò in fugam dedit, ac deinde semianime corp9 super humeros recepit, & inuitis hostibus portauit ad suos. Erat à tergo Suitensiū, murus quidam horti sancti Iacobi (quod leprosorum nosocomiū est) quo illi se tutos ab una parte rebantur, solumq; in fronte pugnabant. Sed Teutones qui cū Armeniacis erant, intrantes hortum, murum perfodiunt, Suitensesq; à tergo cędunt. Suitenses quasi leones per omnem exercitū in uictores uagantur, cędunt, sternuntq; omnia, ut qui iam non in spem uictoriæ, sed in mortis ultionem se pugnare scirent. Prælium à principio diei usq; in finem tractum est. Ad extremum non uicti Suitenses, sed uincendo fatigati, inter ingentes hostium cateruas ceciderunt. Victoria lugubris atq; cruentissima Armeniacorum fuit, campusq; liber eis mansit, nō uirtute sed multitudine superantibus. Ex Suitensibus qui plures occidisse iurant, quatuor millia: qui minùs, mille & quingentos cecidisse aiunt. Ex Armeniacis longè plures desiderati: magna cędes equorum fuit. Suitenses nulla res magis extinxit, quàm magnanimitas, siue illa temeritas fuit. Nam dum hostes paruipendunt, eò deducti sunt, unde exire non potuere. Hæc ille.

Anno 1513. Genua sub imperiū regis Galliæ Ludouici XII. redacta, ferè omnia quæ superiore anno rex amiserat, recuperauit, præter Nouariam & Comum: quæ duæ urbes solæ in uniuerso Mediolanensi imperio Maximiliani Sforcię Ludouici F. nomen tuebantur, Heluetiorum auxiliis fretę: contra quos Gallicus exercitus, duce Tramollia & Ioanne Iacobo Triultio, Nouariam ingenti animo sed irrito conatu contēdit, HELVETIIS adeò illos contemnentibus, ut urbis portam castris aduersam, nunquam claudi sint passi. Itaque factis magno mœnium spacio diruto, Galli ualde ferociter impressionem fecerunt. Quam summa uirtute qui intus erant propulsarunt: quinetiam prostrato adapertoque muro, ita uim tanti instructi exercitus, & Gallorum minas despiciebant, ut nullum introrsus aggerem more militiæ, nullaque prorsus ad sustinendum inuadentis hostis impetum munimenta se erecturos profiterentur, frustra obsecrante Syluio Sabello, ut transuersam saltem fossam, Italorum militum cū uiumq; labore iuxta ruinas sinerent perduci. Emiseruntque subinde tubicinem pacati oratoris tuta insignia præferentem, ad hostium duces, qui mandata ferrent, per iocum, ut iam tandem Galli liberatores ab emittendis tormentis temperarent, ut tantis sulphurei pulueris pilarumq; uastis sumptibus parcerent, postquam non uno in loco aditum irrupturis præberent, nec ullæ intus munitiones, quæ uel quadratis ordinibus intrantes morarentur, institutæ parataeq; essent. Si Galli Germaniq; uiri essent, arma atque animos expedirent, ut æquissima conditione cum paucis cohortibus congrederentur, antequam maiora suæ gentis auxilia, quæ iam non procul abessent, importuno ipsis tempore superuenirent. Galli nouos Heluetios eodem die Nouariam ingressos, atque Georgium Altosaxum ducem cum longè maioribus copiis expectari certiores facti, eius expugnandæ spe deiecti, sequenti die ad alterum ab Nouaria lapidem recesserunt. Interea Mottinus unus ex Heluetiorū ducibus, multitudine militum in Nouariæ forum conuocata, ut Altosaxi, qui proximo die uenturus erat, ope minimè expectata, hostes in castris suis adorirentur, & uictoriam soli præcerperent, suos est hortatus. Nunquam neque superbius, neque ferocius gens Heluetiorum consiliū cepit: pauci contra multos, absque equitatu, absque tormentis, aduersus exercitum his rebus instructissimū, nulla necessitate impulsi (Nouaria enim periculo erat liberata, & in diem sequentem non paruam militū accessionem expectabant) spontè eam rationē potiùs, in qua esset securitas minor, sed gloriæ spes maior, quàm eam in qua maiorem securitatē minor gloria sequeretur, experiri statuerunt. Maximo igitur impetu, post mediam noctem sexta Iunij die, Nouaria numero circiter decem millia hominum eruperunt, hoc ordine distributi, ut septē millia ad tormenta, circa quæ erant Germani pedites, inuadenda procederent: reliqui ut hastis erectis aduersus equitatū consisterent. Gallorum castra tum ob temporis exiguitatem, tum quia non tā citò tantus motus expectabatur, cōmunita non fuerant: & primo tumultu quū à uigilibus hostem adesse indicatū fuit, res improuisa, & noctis tenebræ, confusionem terroremque augebant. Germanos primùm non sine clade à tormentis accepta adorti ceciderunt. Peditū fugæ equitū coniuncta fuit. Pugnatū est circiter duas horas maxima cū utriusq; partis clade. Ex Heluetiis circiter mille quingenti ceciderunt, inter quos Mottinus, tā præclari consilij auctor, hasta, dū ferociter pugnat, in guttur accepta occubuit: ex hostibus longè plures (sunt qui affirment decem millia) desiderati. Victores tanquā triumphū ducentes eodem die Nouariā redierunt. Quo facto, tantum sibi apud cunctos mortales nomen conciliarunt, ut multi consilij magnitudine, mortis euidentissima contemtione, in pugnando uirtute, & exitus felicitate expensis, hoc facinus omnibus ferè præclaris Græcorum & Romanorum quæ leguntur rebus gestis, anteferre auderent. Hac uictoria parta, Mediolanum & reliqua oppida, quæ Gallis adhæserant, legatos ad ueniam petendam miserunt: quæ illis ea lege con-
cessa fuit,

cessa fuit, ut magnam pecuniæ uim numerarent: quæ Heluetiis uniuersa fuit attributa: quibus uictoriæ ipsorum uirtute & sanguine partæ merito non minus utilitas quàm gloria omnis debebatur. Guicciard. l. 11. & Iouius in Leone X. lib.3.

HELVETII, Maximiliani Sforciæ patrocinio, contra Galliæ regem Franciscum Mediolanense imperium anno 1515 subigere cupientem, suscepto, Matthæi Sedunensis Cardinalis concionibus incitati, ad tuendam publicæ dignitatis existimationem prælio decertare statuerunt. Inclinante sole Romana porta Mediolano erumpunt, prima Gallorum agmina profligant: non fossa, non munitione, nō denique tormentorum, quæ in frontem directa erant, periculo deterrentur, quin in castra perrumpant. Dimicatum est in multā noctem nullo ordine, quum inopinati hostes, & nox ipsa conturbatis castris omnem consilij & disciplinæ rationem penitus eriperent: adeò ut Heluetij felici audacia progressi, strato equitatu, nobilissimisq; ducibus aliquot interfectis, ipsoque etiam Francisco rege, qui impigrè perturbatam suorum aciem reparare contenderat, multis hastarum ictibus penè oppresso, intra castra hostium consistere quiescereq; minimè dubitarint. Itaq; ueluti impetratis utrinq; induciis (quas lassitudo uulneraq;, & ab denso puluere enata sitis attulerant) ab armis temperatum, donec oriens Luna, certis ictibus lucem afferret. Eò spacio Rostius Heluetiorū dux summus, quòd is Tigurini pagi erat magister, & Sedunensis cohortator egregius, aduecto ab urbe commeatu, largissimè suos recrearunt, terribiliq; buccinę signo silentibus tympanis renouandi prælij signum dederunt. Rex abolendæ ignominiæ auidus, per idoneos duces circumductis coaptatisq; tormentis, ordinibusq; Germanorum & Vasconum intra fossas constitutis, ac expanso in recuruas alas equitatu ita irruentes hostes est complexus, ut illi temerè atq; insolēter congressi, partim confixi Vasconū sagittis, partim tormentorum piliis discerpti, inuadente etiam confertissimo equitatu, à fronte & à lateribus sternerentur. Peropportunè etiam eorum terga cæcidit Barth. Liuianus, qui cum expedita parte Veneti exercitus accurrerat, cōpulsisq; in uillam cohortes duas, coniectisq; in eam facibus ferè integras concremarat. Tum Rostius, aperiente suorum cladem non dubia luce, quam Sol occidente Luna statim inuexerat, receptui canere cepit, ne uniuersus exercitus absq; ulla spe uictorię deleretur: tantaq; constantia conglobari ordines, & uexilla signa iussit, ut saucij & continenti quindecim horarum labore fatigati, tormenta, quæ ipsi Mediolano adduxerant, ne insolitum dedecus admitteretur, humeris reportarent: nec quisquam hostium pedites sub signis abeuntes est persecutus: admirabili etenim fortitudine & patientia per æqua pariter ac iniqua depugnarant, ut nequaquam lacessendi uiderentur: temeritatem enim uirtus æquauit, quando (uti præclarè spectatum est) nemo ferociam animi uel inclinata prælij fortuna prorsus amiserit. Cæcidere supra septem millia Heluetiorum, & ex his centurionum signiferorumq; promtissimi. Nec inulta Gallis uictoria cessit. Iouius in Leone X. libro tertio.

Franciscus Pereira Pestana, uir nobilis & acer, à Ioanne Menesio, qui urbi Mauritanorum Arzilæ ab Emmanuele Lusitanorum rege præfectus erat, equites septuaginta obtinuit, quibus stipatus, pagum in monte præcelso & edito situm spoliaret. Nocte egressus, insidias non longè à pago posuit. Vbi diluxit, montani, qui pagum incolebant, greges pecudum & armenta pastum egére. Pestana illos inopinantes aggressus, greges abegit, & cum ea præda domum redire instituit. At Mauri signo dato, uicinos excitārūt. Pestana sensim se Arzilam recipiebat: & interdum in hostes impetum dabat. Cùm uerò iam octo millia passuum progressus fuisset, & Arzila quatuor adhuc millibus abesset, suos in collem editum subduxit. Hostes cùm suspicarentur insidias post collem latere, substiterunt. Reliquū igitur iter expeditū Lusitanis esse uidebatur, ut tutò se reciperēt. Sed IACOBVS Viegas eques, magnis uocib. omnes, ut in Mauros incurrerent, incitare cepit. Pestana hominem asperis uerbis accepit, & inter alia probra, illi cannabeam uestem, qua tunc erat indutus, obiecit: Et tamen tam demens eris, inquit, ut tale consilium homini bellandi perito dare audeas? Hic Viegas ridens, inquit: Hæc cannabea uestis, chalybea tibi confestim apparebit. Tū Pestana, Si adeò fortis es (ait) id uidere statim cupio. Eoq; dicto omnes in hostes impetum faciunt, octoginta interficiunt, triginta uiuos capiunt. Interim uerò dum prælium committitur, Pestana in Viegam oculos coniicit. Ille autem tanta uirtute dimicabat, ut ipsi Pestanæ ingētem admirationem commoueret. Itaq; prælio confecto, Pestana ad illum supplex adiit, dixitq;, Vir fortissime, da ueniam temeritati, aut, si lubet, me fuste contunde. Si tales sex equites sub signis haberem, minimè dubitarim Constantinopolim ingredi, & Turcarum Imperatori catenas iniicere. Osorius libro quarto rerum Emmanuelis.

In specie. Puta Fortitudo

Ducis erga Ducē hostium.

☞ *Exempla hic Congressus extra prouocationem consideramus, paulo antè de Monomachia egimus.*

In pugna ad Granicum ALEXANDER Magnus Rœsace & Spithridate (Diodorus lib.17 Spithrobatem uocat) ducibus Darij regis simul in ipsum inuehentibus, hunc declinauit, Rœsaci præuenit lanceam loricato infligere. Ea præfracta gladium stringit. His commissis adigit Spithridates ex latere equum, atq; Alexandrum acriter adortus, copide barbarica ferit, cristamq; cum altera auellit pinna. Galea probè quidem, sed ægrè tamen restitit ictui, ac mucro copidis supremos capillos eius perstrinxit. Alterum ictum librantem occupauit Clitus Magnus hasta medium transfigere. Simul Rœsaces ense ab Alexandro ictus concidit. Plut. in Alex.

Post Alexandri mortem, cùm duces inter se de imperio certarent: Craterus cum NEOPTOLEMO contra EVMENEM in Cappadociam mouit. Prælio commisso, Eumenes & Neoptolemus pro inueterato odio ubi inter se cognouerunt, protinùs strictis gladiis cū clamore admiserūt equos. Vt infesti equi triremium modo acriter concurrerunt: remissis habenis iniiciunt sibi mutuò manus, detrahunt cassides, & diuellunt ex humeris loricas. Dum ita se inuicem lacerāt: equis simul subterfugientibus in terram delapsi & connexi prehendunt alter alterum, colluctanturque. Inde Eumenes priori assurgenti Neoptolemo poplitem succidit, maturauitq; attollere se in pedes. Neoptolemus altero innixus genu, altero afflictus, strenuè ex inferiore loco dimicabat, sed uulnera non inferebat lethalia. Percussus autem secundùm collum, concidit elanguitq;. Plut. in Eumene.

Albanorum regis frater COSIS nomine, signis collatis, in ipsum inuectus CN. POMPEIVM, percussit iaculo loricæ eius commissuram. Pompeius illum hasta transfixit & occidit. Plutarchus in Pompeio.

CLODOVEVS Gallorum rex, in Pictonibus Visigothos, à Vasconum urbibus, quas incolebant, profectos, prælio ingenti fudit: & regem eorum Alaricū inter primos dimicans, manu sua occidit. Fulg. lib.3. cap.2.

CLOTHARIVS secundus Gallorum rex, cùm iam senior in Austrasiam se cōtulisset, Dagoberto filio aduersus Saxones Germanicam gentem, opem laturus: Saxonum ducem Bertholdum castris suis explorandi causa appropinquare intuitus, solus eum insecutus, manu sua interemit. Fulg. lib.3. c.2.

ANDRONICVS Cōnenus, à Toruse Armenio profligatus, ulciscendi hostes cupidus, Torusem cum satellitibus equo insidentem, & militum ex hostium persequutione reditum expectantem conspiciens, equo concitato, hasta directa, percussoq; scuto, equo deiecit: & per omnem eius comitatū instar uolucris aut lubricæ anguillæ, elapsus est. Neq; tamen Torusi, oblōgo scuto & ferreo thorace munito, quicquam nocuit. Nicetas lib.4.

FERDINANDVS Consaluus, Castulonis comes, cùm aduersus Celtiberos, quos Nauarrenses hodie appellāt, in prima acie pugnaret: infesta hasta Sanctium Nauarrensem regem prostrauit, unoq; ictu atq; unius morte bellum cōfecit. Fulgosus lib.3. cap.2.

Ducum erga Milites hostium.

☞ *Ex Tit. Hostium uitæ fortiter insidiari, huc exempla Regum & Ducum.*

CALLIMACHVS, Atheniensium dux, cùm aduersus Datem Persarum præfectum, qui cum tricies centenis millibus militum Marathonem, qui in Attica campus est, irruperat, pugnasset: complurimis transfixus hastilibus, quanquā uitam efflasset, stetit. Plut. cap.1. Parall.

Ostrogothorum rex TEIAS, cùm apud Nuceriam aduersus Narsetem eunuchum ducem Iustiniani Imp. pugnaret: perfosso sagittis clypeo [illegible] eo commodè ampliùs uti non posset, atq; eo in pugnā impediretur: non modò ob id locū in acie non deseruit, sed ne retrò quidem aspexit. Clara tantùm uoce ministrorum unum iussit integrum clypeum ad se perferre. Itaq; dum clypeum mutat, lethali accepto uulnere, in uestigio ubi erat immobilis manēns, in hostem, pectore, ut erat, uerso, mortuus corruit. Sab. lib.4. cap.6.

GALEACIVS Vicecomes, Matthæi Magni F. eo bello quo Pelagura Cardinalis oppugnata Ferraria Atestini Actij opes contuderat, multis inusitatæ uirtutis operibus editis uehementer inclaruit. Constat enim uno prælio per multas horas crescentibus utrinq; subsidiis sæpiùs instaurato, tres equos acerrimè depugnāti fuisse suffossos: eumq; postremò cùm uexilliferum adacto per inguem mucrone ab ephippio deturbasset, insiliisse in equum sessore uacuum, atq; ita impetu facto, perruptaq; aduersa acie ad suos cùm suo tum alieno cruore oblitum, rediisse. Iouius in eius uita.

Militum erga Duces hostium.

Cùm Vladislaus Lucensis princeps Neclan Boëmiæ ducatu,

licèt patruelem suum, exuere cogitaret: Neclan Syderium à Chaynouo equitem, facie sibi simillimum, equo & armis suis instruit. Prælium in campo Tursicho commissum fuit. Mirabatur simul & indignabatur Vlatislaus, ubi uidit Neclan personatum, quouis alias lepore pauidiorem, tunc in prima acie uelut leonem uersari. Ipsum itaq; infestus hasta petit. Eidem occurrit Syderius, Vlatislaumq; cuspide transfixum, equo moribundũ deturbauit. Strages insignis Lucensium edita. Ipse quinetiam Syderius, perfidia procerum, tantæ uirtutis inuidentium, cecidit. Dubrauius lib. 3.

In clade Varnensi quidam GALLVS, præualido corpore, animoq; inuicto, mediis Turcorum agminibus cùneo rescissis, ad Amurathem usq; Turcorum Imp peruenit, eumq; conto priùs, mox gladio percussit. Cæterum infesto hostiũ occursu à suis exclusus, post multa & præclara facinora, in confertissima hostium strage cecidit. Cuspinianus.

❧ OBSIDENTES.

☞ *Consule Stratagematum locum, Vrbes defendere. & Per loca infesta exercitum ducere.*

EVCRATIDES rex Bactrianorum multa & magna bella singulari uirtute gessit: atq; huius est facinus illud memorabile, quòd à Demetrio Indorum rege obsessus, trecentis equitibus fretus, crebris eruptionibus hostilem uicit exercitum, in quo sexaginta fuerunt armatorum millia. Quo successu elatus, magnam Indiæ partem subegit. Cæterum domum reuersus, à filio, quem regni consortem fecerat, interficitur. Nec ipsius filius uno scelere contentus, per cruorem patris currum egit, corpusq; insepultum abiecit. Is à Mithridate Parthorum rege, bello superatus, regno exutus est. Bonfinius lib. 1. Dec. 1. & Sab. lib. 6. En. 6.

❧ ERGA HOSTES. OCCVLTA Fortitudo. Tum in ❧ AGGREDIENDO. INSIDIATORES FORTES.

☞ *Consule Tit. Vitæ aliorum prudenter insidiari. item, In insidiæ præcipitare hostem. item, Religionis hostes per insidias tollere.*

Cùm Darius rex Orœtem præfectum Sardium ob tyrannicam crudelitatẽ clàm interficiendum curare uellet: triginta Persæ sese obtulerunt, singuli promittentes uel uiuum uel mortuum Orœtem sese adducturos. Sors tamen BAGÆO Artontis F. obtigit, qui Sardis profectus, curauit à satellitibus Orœtem necandum. Herod lib. 3.

Xerxes cum militibus quingentis millibus, postquam decurrit ad Artemisium, cultoribus indixit bellum. Athenienses perculsi speculatorem miserunt Themistoclis fratrem AGESILAVM, quamuis genitor eius in somniis amisisse eum ambas manus uidisset. Ingressus barbarorum castra, habitu Persico, Mardonium unum ex regis stipatoribus, Xerxem esse ratus, interemit. Prehensus à corona in uinculis ad regem est raptus. Quo immolaturo in Solis ara, igni dextram iniecit, nulloq; edito suspirio cũ pertulisset tormenti uim, uinculis solutus est. Tum fatur, Omnes tales sunt Athenienses. si mihi fidem non habes, immittam læuam quoq; Qua re Xerxes perculsus, præcepit, ut in custodia haberetur: sicut tradit libro secundo rerum Persicarũ Agatharchides. Plut. de Græcorum & Rom. comparatione.

Porsena rege Hetruscorum Romam obsidente, C. MVTIVS Scæuola, cùm constituisset regem opprimere incautum, uestẽ indutus Hetrusca, & assimili lingua utens, in castra penetrauit. Cùm ambisset tribunal, ubi rex considebat: ignoraret autem regem, & timeret scifcitari, qui esset: quem maximè ex consessu arbitratus est regem esse, cum stricto gladio obtruncauit. Ob id factum cõprehensus est, & quæstionem de eo habuerunt. Erat ibi accensus ad sacrificium Porsenæ foculus: ei dextram iniicit. Dum torretur caro, intuitus Porsenam est truci & imperterrito uultu, donec atronitus miraculo eum dimisit, gladiumq; quem porrexit ei ex tribunali, reddidit: ille eum protensa læua accepit. Hinc fama est eum Scæuolæ nomen, quòd est læuum, inuenisse. Ibi uicisse ait Porsenæ se terrorem, uictum esse ab eius uirtute: atq; indicaturum ei gratis, quod minis non detexisset. Trecenti Romani, inquit, coniurauerunt, & in castris tuis errant captantes oportunitatem. Ego, cuius prima fors fuit, non succenseo fortunæ, quòd à bono abertrauerim uiro, eoq;, quẽ amicum potiùs quàm hostem esse populi Romani deceat. His dictis adiunxit Porsena fidem, propensiorq; fuit ad pacificãdum: non ita meo quidem iudicio, illorum formidine trecentorum, ut commendatione & admiratione spirituum ac uirtutis Romanæ. Hunc uirum etsi pleriq; omnes & Mutium & Scæuolam nominant, Athenæus Sandon tamen in libro, quem ad Octauiam scripsit Cæsaris sororem, fuisse etiam dicit Posthumium uocatum. Plut. in Poplicola. At in Parellelis ex Aristidis Milesij lib. 3. Historiarum, Mutium quadrin gentos secum samsisse, & amnem traiecisse scribit.

MERCVRIVS Christianus miles, sub Iuliano apostata merens, in conflictu cum Persis Iulianum in femore lancea sauciauit, hacq; ratione Ecclesiam Christi à pernicio sissimo hoste liberauit. Quamuis alij diuinitùs percussum, alij à Persa quodam, alij à Saraceno fauciatum asserant. Ipse tamen Libanius Sophista, qui funebrem orationem conscripsit, non ab hostibus, sed à Christiano aliquo milite uulneratum inuidiosè scribit. Nicephorus lib. 10. cap. 34.

❧ REPELLENDIS INSIDIIS. INSIDIATORVM oppressores fortes.

☞ *Consule locum Stratagematum, Exercitum per loca infesta tutò ducere. Item, Vitæ suæ prudenter consulere, quatenus insidiis appetuntur.*

Cùm DIOMEDES & Vlysses communi opera sublato Palladio redirent noctu: Vlysses, quò facti gloriam in se unum transferret, destinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladium secum portantẽ. Itaq; cùm ensem in caput illius à tergo uibrasset: Diomedes, animaduersa ad lumen lunæ gladij umbra, subtraxit se plagæ: correptumq; Vlyssem uinctis manibus præcedere compulit, gladio lato subinde cædens illius tergum. Hinc Diomedea necessitas. Suidas, Zenodotus, & Erasmus in Adagiis.

DARIO Hystaspis filio inter uenandum Aribazus Hircanus insidias ponebat, unà cum aliis non obscuræ famæ in Persia uiris. Quas ille cùm resciisset, non exanimatus metu est, sed iussit eos arma sumere & equos: deinde mandauit, ut intenderent arcus, toruumq; aspiciens eos: Quid igitur non exequimini, inquit, id, cuius gratia uenistis? At illi cùm intrepidum hominis uultum aspicerent, nõ solùm impetum remiserunt, uerumetiam usq; adeò terrore perculsi sunt, ut hãstas abiicerent, & desilientes ab equis, Darium adorarent, atq; reciperent sese facturos quicquid uellet. Qui dispregauit eos à se mutuò, & alium ad Indiæ confinia misit, alium ad Scythiæ. Illi beneficij memores, fideles in posterum & obedientes ei fuerunt. Aelian. lib. 6. de Varia histor.

IVSTINIANVS II. Imp. à Leontio pulsus, & ad Auarum regem Caianum delatus, in generum eius adscitus est, ducta Theodora eius sorore in uxorem. Fretum affinitate & regio hospitio per annũ, Caianus ab Aplimaro, qui Leontiũ deiecerat, pecunia corruptus, tradere ,,miserat. At Theodorę, per seruum de insidiis marito structis monitæ, consilio, percussores duos ad se uenientes, seorsum utrumq;, fracta gula interemit. Cuspinianus.

THORISMVNDVS rex Visigothorum Tolosæ, anno regni sui secundo, cùm de uena sanguinem minuisset, fuit à suo cliente consilio fratrũ interfectus. Sed paruo cultello, quem manu tenebat, insidiantium aliquot interfecit. Rodericus Toletanus lib. 2. Paralip. Hispan. cap. 8.

Mediolanenses à FRIDERICO I. Imp. post defectionẽ obsessi, sicut Radeuicus prodit, de nece illius cogitarunt, atq; homine, qui per fraudem illum interimeret, Laudem miserũt. Is profectus, cùm stultitia simulata castra Imperatoris ad Abduam sita intrasset, quodam die summo mane solum egredientem Fridericum de tentorio conspicatus accurrit, & quoniam immani corpore & robustissimis uirib. erat, medium arripuit, ut in Abduam de rupe deiiceret. Verùm dum Imperator renititur, funibus tentorij præpeditus procumbit: ac cubicularijs ad uocem clamantis Friderici aduolãtibus, comprehenditur, & ex eodem loco præcipitatur. Hoc ubi non processit, Mediolanẽses octo homines, qui urbem Laudis incenderent, subornarunt, quorum unus cùm intempesta nocte opus esset aggressus, à uigilibus deprehensus extremo subitò supplicio est affectus. Sub eosdem etiã dies uenit in Italiam Arabs quidam ex Hispania, homo magicis artibus egregiè, ut ferebatur, instructus, ætate senex, facie deformis, quippe altero oculo captus, socios penè uiginti secum adducens, eo, ut fama fuit, consilio, ut uenenis Fridericum perimeret. Siquidem preciosa munuscula afferebat, anulos, gemmas, frena, calcaria, uenenis circumlita adeò præsentibus, ut solo tactu inficere imperatorẽ, atq; infectũ minimo perdere momento possent. Sicam etiam latentem gestabat, ut si quo impedimento uenenum non profecisset, ferro negotium cogitatum conficeret. Hunc, cùm in castra uenisset, Fridericus sortè uenturi hominis multò antè certior factus, è uestigio comprehendi, ac diligenter asseruari iussit, & cuius hortatu ad tantũ facinus esset impulsus, quæsiuit: si uera dixisset, impunitatem promittens: si falsa, supplicia omnia intentans. Homini omnia constanter inficianti tormenta admota sunt. Quę ille deridens, denunciauit se, si necaretur, secum etiam Imperatorem esse tracturum. Fridericus autem uanis territamentis eius contemtis, cùm de sociis eius nullum communicati sceleris indicium posset elicere, hominem extremo crucis supplicio interemit. Siganius lib. 12. Regni Italici.

MALCOLMVS III. Scotorum rex, insidijs per coniuratos petitus, cùm eas præsciisset, uenatum abiens, principem coniura-

tionis seuocat solum, in uallẽ undequaq; syluis septã, ibiq; increpitum, quòd in se conspirasset, quam maximo ob beneficia amore ,,prosequi debebat, ad singulare ,,pugnacertamen: ubi non ex insidiis res ageretur, sed uter uirtute maior esset, is uiueret. Is in genua procidens, supplex ueniã delicti petiit: facileq; ut à miti impetrauit ingenio, ea lege, ne deinceps similia tentarer. H. Boëthius lib. 12.

FROTHO III. Danorum rex, ingenti classe Britanniam petens, à Britannorum rege cum bis mille quadringentis procerib. benignè ad conuiuium uocatus, non sine insidiarum suspicione comparuit. Regali sumtu excepti Dani, & siccandis certatim calicibus assueti, plurimo se oneraruere uino. Quos Britanni potos admodum conspicati, conuiuio furtim elabi ceperunt, relictisq; intra aulam conuiuis, ualuas regiæ admotis obicibus obseruauere, deinde tectis ignẽ inferre ceperunt. At Dani pulsatis nequicquam foribus ab egressu prohibiti, ipsum mox parietem perrumpere studebant. Angli ediuerso molibus extrinsecus applicatis, nutabundam fulcire congeriem instituerunt. Tandem robustiori Danorum manui cedens, quorum quo periculum maius, hoc ualidior conatus extabat, facilem pressis eruptionem tribuit: Tum Frotho classicum sucinere iubet, quo manum in insidiis constitutam acciisseret. Quæ litui sono excita, dolum in auctores retorsit, Britannorum rege extremæ cladi cum innumeris suorum copiis tradito. Itaq; Frotho & salutifociis, & hostibus exitio fuit. Saxo lib. 5.

Hungari conspirauerant aduersus SIGISMVNDVM Imp. at matiq; regiam intrauerant, aut capturi regem, aut si id non succederet, occisuri. Quos ut ad se irrumpentes Imperator cognouit, accepto pugione, in medium progressus: Ecquis, inquit, uestrũm manus in me iniicier, aut quidnã feci, quòd me regem uestrum occidere uultis? Prodeat è uobis, si quis audet, & mecum solus cõgrediatur. Ea uoce & audacia obstupuère coniurati, & sibi quisq; timens abiere. Aeneas Syl. lib. 3. Comment. de rebus gestis Alphonsi.

VENCESLAVS Luscus Boemiæ rex, Othoni & Ioanni Marchionib. Brandeburgensib. contra Vilibrandum Magdeburgensem & Ludolfum Halberstatensem episcopos fida auxilia tulerat. Accusatus eo nomine Bãbergæ coràm Cæsare Friderico II. à Vilibrãdo, uno tamẽ comite comitatus à prandio adesse iubetur. Comes eius Vogirius erat: Cæsari solus Bãbergẽsis episcopus aderat. Cęsar illum, quasi pacis turbatorem, appellat, cunctaq; ab illo repetit, quæ quondã patri illius Premislao dono dederat. Ille nulli sese aut in Saxonia aut in Misnia tumultui causam præbuisse respondit, sed Marchionibus tantùm ad obtinendas illorum fortunas auxilia submisisse: prout uerita illorũ, cognatioq; & uitæ à prima ætate in cadẽ aula consuetudo poscere uidebantur. At ego, inquit Cæsar, mea mihi redhiberi uolo: quod nisi properè fiat, ab inuito per uim extorquebo. Pertinaciùs dein reluctantem Vencesłaum Cæsar à se manibus pellit. Ambo aũt uino haud minus quàm ira æstuabant. Vencesłaus retusus dextram Cæsaris manum sua læua arripit, alteraq; stringit gladiũ, promtè iurans, se illum in corpore Cæsaris demersurũ, si non sospes omnib. suis fortunis saluis dimissus fuerit. Interimq; Vogirius Præsulem Bambergensem, tanquam uiribus ualentior, ui retinet, ne cubiculo egredi, neue posset uociferari. Cæsar inter sacrum & saxum positus, sanctè promittit, se nihil illi nociturum. Redeunti in hospitium, Abbas Fuldensis humerum eius manu suspensa pulsans, insolenterq; appellãs, inquit: Si Cæsar esset, tibiq; ita ut ille uicinus essem, aliter atq; ille audaciam tuam, qua aduersus Germanos Pontifices uteris, retunderem. Vogirius illicò palma os Abbatis præcidit, exclamans: Monache, uideo te improbo præceptore usum esse, qui nescias quẽ & qualem honorem Regib. habere debeas. Vogirius oppido Belina ab rege donatus est. Non multo pòst Cæsar celebraturus cum Machthildi uel Isabella Ioãnis Angliæ regis F. nuptias, inter præcipuos hospites ad se Vencesłaũ euocauit, nullumq; comitatis atq; liberalitatis in eum genus prætermisit: & ad postremum curam ei unà cum principe Bauarorum inuadendæ Austriæ mandauit. Dubrauius lib. 16.

❧ ERGA TYRANNOS. TYRANNICIDÆ FORTES.

☞ *Consule Tit. Prudentiæ in tyranni de amolienda, quatenus prudentia coniunctam habet fortitudinem. item Tit. Odium principum. item, Pœna tyrannidis.*

AODVS Geræ F. sœua, Israelitas hoc modo ab Eglone Moabitarum rege, cui octodecim annis seruierant, liberauit. Offerens munus regi, Israelitarum nomine, sicam ancipitem breuem sub uestẽ occultauit. Quo oblato, sese diuinũ mandatum ad regem habere dixit. Remotis ergo arbitris, cùm rex de solio surrexisset, Aodus sica uentrem illius obesum capulotenus transuerberauit, ita ut stercus erumperet. Mox clauso cœnaculi ostio, ipse per ambalacrum elapsus, Seratam peruenit. Ibi tubam in monte Ephraimitico sonans, deuocatis de monte Israelitis, Moabitarum circiter decem millia trucidauit & subegit. Iudicum 3.

OTHONIEL Cenezi frater is Calebi F. Domini spiritu præditus, Israelitas liberauit à iugo Chusanrathaimi regis Mesopotamiæ, quem occidit, cui octo annis post mortem Iosuæ seruierant: & inde otium habuere annis XL. Iudicum c. 3.

Quo tẽpore APOLLO in terras uenit, homines syluestribus fructibus uiuentes, ferarum more, mansuefecit: atq; id contigit Delphis primùm. Mox ad Panopeam urbẽ profectus, crudelissimum tyrannum Tityum interemit. E Parnassis hominibus audiens alium esse tyrannum, Pythonem nomine, cognomine Draconem, sagittis eundem confecit: atq; inter pugnandum cùm à Latona matre acclamitatum esset, *in mœ, in mœ*, Feri fili, mansit postea consuetudo, ut in Pæanibus & Victoriis Io Pæan conclamaretur. Natalis Comes libro 4. cap. 10. Mythol.

In Melita urbe Phthiæ tyrãnus fuit, Tartarus nomine. Is, si qua eius loci uirgo ob formæ pulcritudinem celebraretur, uiam ante nuptias abductam uitiabat. Atq; eo tum tempore ministros iusserat adducere sibi Aspalidem, Argaii, nõ ignobilis uiri filiam. Quæ rei fama diuulgata, ante aduentum eorum, quibus abducendi sui negotium erat datum, seipsam suspendit. Facto adhuc latente, frater puellæ ASTYGITES iurat, priusquam sororis corpus deponeret, se in tyrannum nindicaturum. Illicò uestem Aspalidis induit, gladioq; ad sinistrum latus abdito, quòd adolescens etiamnum esset, nemine sexum è uultu agnoscente, in domum tyranni peruenit, cumque nudum incustoditumque interfecit. Melitenses Astygitem corona decorant, Pæanasque accinendo deducunt: eadauer tyranni in flumen demergunt, quod ab eo usque tempore hodieque Tartarum uocant. Corpus autem Aspalidis ad honestam sepulturam summo studio requirentes, nusquam inuenire potuerunt, quòd id Deus de medio sustulisset. Loco autem corporis statua iuxta Dianæ stans apparuit: idq; simulacrum incolæ Aspalidem uocant, Amcleram, & Hecaergam: & quotannis uirgines hœdum intactum in eius honorem præcipitem dabant, quòd & Aspalis uirgo seipsam suspẽdisset. Antoninus Liberalis in Transformationibus.

SEPTEM Persarum reguli, Otanes, Gobryas, Megabyzus, Intaphernes, Aspathines, Hydarnes & Darius Hystaspis F. Smerdem Magum cum fratre Patizithe obtruncant, & fœda Medorum Magorum dominatione Persas liberãt. Diem illum Persæ religiosissimè colunt, & *Μαγοφονίαν* appellant. Herod. lib. 3. Inter eos GOBRYAS cùm Magum unum obscuro loco obiectum corporis pondere urgeret, præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ue dum Magum petit, ipsum uulneraret: Tu uerò, inquit, nihil est quòd respectu mei timidiùs gladio utaris, uel per utrunq; agas licet, dum hic quàm celerrimè pereat. Val. Max. lib. 3. cap. 2.

CARNABAS patrem Triopem Perrhœbæorum regem ob tyrannidem occidit, acceptisq; tyrannicidij præmiis, in Troadem secessit, atq; inibi à Troe expurgatus, Zeliam condidit. Cæsius lib. 11. cap 17. A. I.

THEMISTO fuit Critonis Oeanthij filia. Hanc deperibat Phricodemi tyranni filius Philo. Tyrannus postulauit in matrimonium uirginem. Pater contradicebat. Tyrannus filios Critonis abstractos, in conspectu patris ac matris feris esurientibus obiecit: uirgineq; abrepta, nuptias perfecit. Themisto necessitate compulsa, dissimulans ensem sub tunica importauit, & sponsum dormientem in thalamo collum petens facilè interemit, ut ne uox quidem occisi audiretur. His omnibus per noctem clàm patratis, ad mare progressa, naviculam inuenit: ea tum q; nacta, sola soluens nauigauit in Græcam quandam Achaiæ ciuitatem, in qua sacrum erat Neptuni templum: in illud supplex confugit. Phrico demus alterum filium occisi fratrem Heracontem misit, ut ab Eliensibus puellam repositam reposceret, qui eam tradiderunt. Cùm autem soluissent, ingens coorta tempestas, nauigium depulit ad Rhium Achaiæ: ubi appellentibus superuenerunt biremes duæ Arcanorum, summas inimicitias cum tyranno exercentium: qui abreptam nauẽ deduxerũt in Acarnaniam. Vulgus Acarnanorum re cognita, uinctum Heracontẽ puellæ potestati permiserunt. Tyrannus legationem ad eam pro filio mittit. Illa se, si parentes receperit, filium redditurã recepit. Phricodemus his promissis credens, transmisit ei parentes. At Acarnanes Heracontem nihilominus acerbissimis uerberibus confectum occiderunt. Phricodemo post non multos dies sui ciues mortem intulerunt. Qui uerò Elicen incolebant, non longè pòst demersi sunt tum ipsi, tum eorum ciuitas, facto terræmotu, pelagoque procellis exundante. Visumque est hoc Neptuni indignatione accidisse, quòd supplicem uirginem hostibus tradidissent. Polyænus libro octauo.

Heraclea Ponti ciuitas opulenta, domestica seditione agitata, in tyrannidem incidit. Clearchus pluribus senatorij ordinis ui oppressis, alijs in exilium actis, præter cætera scelera indigna & nefaria in ciues edita, interfectorum coniuges inuitas suis matrimonio satellitibus collocauit, quarum plurimæ uiolentum connubium in uiros ultæ, ultrò sibi mortem consciuerunt. Postremò CHION Matridis F. & Leonides afflictum suorum ciuium statum miserati, in tyranni exitium conspirant. Fuerant ambo Platonis discipuli. Quinquaginta igitur cognatorũ in insidiis locant, quos sui consilij participes fecerant. Ipsi mutuo se iurgio lacessentes in arcem contendunt. Qui ad regem iure familiaritatis admissi, dum priùs dicentem attentè Clearchus audit, ab altero, qui in eam intentus erat occasionem, ferro opprimitur. Spiculatores, & qui custodiendi regis causa circunstabant, continuò percussores inuadunt, armisq; priùs obruunt, quàm à coniuratorum manu subueniri potuerit. Periit Clearchus, sed sæuus dominatus aboleri non potuit. Satyrus tyranni frater principatum uelut per manus acceptum inde tenuit, multaq; deinceps successione fuit Heraclea tyrãnorum regia. Sabell. lib. 8. En. 4. ex Memnone. Familiaris fuit Chion Xenophonti Socratico, uti ex epistola eius, quæ Xenophontis operibus præfixa est, intelligere licet.

ARISTOGITON Harmodium amabat. Harmodij sororem à canistro Palladi in Panathenaicis deferendo prohibuit Hipparchus tyrãnus Pisistrati F. Ea iniuria accensi iuuenes, Hipparchum ex insidiis interfecêre. Alij potiorem causam afferunt. Amatum ab Harmodio adolescentem quendam, cùm ad Hipparchum se contulisset, Harmodium zelotypia motum, auxilio Aristogitonis tyrannum oppressisse. Plato in Hipparcho.

LEOSTHENES Atheniensis, mortuo Alexandro, Athenas à iugo Aridæi Macedonis liberauit. Cuius intempestiua morte Athenienses à Cassandro rursus subacti fuêre, & à uariis tyrannis oppressi. Quibus per Demetrium Antigoni F. eiectis, cùm Demetrius etiam ipse Piræeum occupasset, tandem OLYMPIODORO duce electo, habitoque delectu puerorum etiam & senum, Macedonum iugum excussêrũt. Pausanias libro primo.

THRASYBVLVS Lyci F. Atheniensis, Peloponnesio bello multa sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc. Victis ad Aegos flumen Atheniensibus, cùm triginta Tyranni præpositi à Lacedæmoniis, seruitute oppressas tenerent Athenas, plurimos ciues, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expellerent, partim interficerent, plurimorum bona publicata inter se diuiderent: non solùm princeps, sed & solus initiò bellum his indixit. Hic enim cùm Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum, quàm triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum: hoc robur libertatis clarissimæ ciuitatis. Neque uerò hic modò contemtus est primò à Tyrannis, sed eius solitudo, donec in Piræeum transiit, Munichiamq; muniuit. Hanc bis Tyranni oppugnare sunt adorti, ab eaq; turpiter repulsi, protinus in urbem, armis impedimentisq; amissis, refugerunt. Vsus est Thrasybulus non minùs prudentia, quàm fortitudine: nam cedentes uiolari uetuit. ciues enim ciuibus parcere, æquum censebat. Neque quisquam est uulneratus, nisi qui prior impugnare uoluit. Neminẽ iacentem ueste spoliauit. Nil attigit nisi arma, quorũ indigebat, & quæ ad uictum pertinebant. In secundo prælio cecidit Critias dux Tyrannorum, cùm quidem aduersus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc deiecto, Pausanias uenit Atticis auxilio, rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum, & eos qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: Ne qui præter triginta Tyrannos, & decem, qui postea prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, adficerentur exilio: néue bona publicarentur: Reipublicę procuratio populo redderetur. Pręclarum hoc quoq; Thrasybuli, quòd reconciliata pace, cùm plurimum in ciuitate posset, legem tulit: Ne quis anteactarum rerum accusaretur, néue multaretur: eamq; illi legem ἀμνηστίας, Obliuionis, appellarunt. Neque uerò hanc tantùm ferendam curauit, sed etiam ut ualeret, effecit. Nam cùm quidam ex his, qui simul cum eo in exilio fuerant, cędem facere eorum uellent, cum quibus in gratiam reditum fuerat, publicè prohibuit, & id, quod pollicitus erat, præstitit. Sequenti tempore, cùm prætor classem in Cilicia haberet, neq; satis diligenter in castris eius agerentur uigiliæ: à Barbaris ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est. Probus in eius uita.

DION Syracusanus, qui Aristomaches Dionysij maioris uxoris frater fuit, & Areten eius filiam duxit, cùm Dionysium iuniorem Platonis conuersatione ad frugem reducere, & ex tyrãno regem facere conaretur: incurrit in odia aulicorum. Qui Philisti Syracusani hominis docti quidem, sed tyrannorum fautoris, opera & astu, falsis circumuento criminibus Dione, quasi cum Carthaginensibus faceret, ut in exilium pelleretur, auctores tyranno fuerunt. Interea cùm Plato frustrà cũ Dionysio de restituẽdo Dione egisset, & tyrãnus insuper Areten Dionis uxorem Timocrati nubere coëgisset: Dion literis Siculorum impulsus, milite conscripto mercenario in Peloponneso non supra octingentos, è Zacynthorum insula nauibus duabus onerariis in Siciliam traiecit, & cùm sese ei Siculi ad quinque millia coniunxissent, & Dionysius commodum cum XXC. nauibus in Italia abesset, Syracusas occupauit: & libertatem annis octo & quadraginta exulantem, ciuibus suis restituit: Dionysium ex arce impetum facientem repulit, eumq; in arce obsedit. Interim Heraclidis Syracusani nauarchi calumniis circumuentus, urbe cum suis pulsus, & à ciuibus, quos interim hostes eruptione ex arce facta miserè afflixerant, reuocatus, Nypsium Dionysij ducem in arcem compulit, eamq; deditione accepit, & Apollocratem Dionysij F. ex fœdere ad patrem in Italiam nauigare tutò permisit. Sic igitur Dion fretus non tam suis copiis, quàm odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum (quod omnibus gentibus admirabile est uisum) adeo facilè perculit, ut post diem tertium, quàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi beneuolentia munitum. Iam cùm pro Democratia, mistam quandam ex populari arbitrio & regno Reip. formam introducere Dion cogitaret: à Callippo Atheniense amico, facta conspiratione mercenariorum & Syracusanorum perfidè necatus est. Plut. in Dione, & Diod. lib. 16. & Probus in eius uita.

TIMOLEONTI Corinthio (inquit Probus, qui Thymoleonem scribit) uni contigit, quod nescio an ulli, ut patriam, in qua erat natus, oppressam à tyrãno liberaret. & à Syracusis, quibus auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret, totamq; Siciliam multos annos bello uexatam, à Barbarisque oppressam, suo aduentu in pristinum statum restitueret. Veriti Corinthij, ne ad idem relaberentur mali, quò antè, cùm per socios amisissent urbem, decreuerunt quadringentos milites conductitios alere: atq; his imposuêre Timophanem, Timoleontis fratrem. Qui omni posthabito honesto & bono, rationem inire protinus cepit, quemadmodum urbem sui arbitrij faceret: ac magno numero principum ciuitatis indicta causa necato, declarauit semetipse tyrannum. Id grauiter ferens Timoleon, cepit eum monere, ut omissa ista uæsana & importuna libidine, aliquam rationem quæreret eluendorum apud ciues commissorum suorum. Quo repellente & repudiãte monitionem suam, adsciscit tandem sibi ex necessariis fratrem uxoris Timophanis Aeschylum, atq; ex amicis uatem, quem Satyrũ Theopompus, Ephorus & Timęus Orthagoram uocãt: atq; intermissis paucis diebus ascendit iterum ad fratrem: circumsistentesq; hi tres eum, tunc saltẽ resipisceret inuerteretq; se, obsecrauerunt. Sed cùm eos Timophanes primùm rideret, deinde in iram erumperet & indignaretur, recessit Timoleon paululum à fratre, obuolutoq; capite constitit lacrymabundus: illi strictis gladiis hominem confestim obtruncarunt. Re diuulgata, Corinthiorũ primores improbitatis odium in Timoleonte & magnitudinem animi extulerunt, quòd quamuis mitis & in suos esset pius, patriam tamen propinquitati, honestumq; & rectum potius duxisset utili: qui olim præclarè pro patria certãtem seruasset fratrem, eundem postquam insidiis eam circumuenit & oppressit, interemisset. Posteaquam uerò matrem iniquo animo ferre intellexit id factum, ac deuouere caput suum, dirasq; imprecari sibi, atq; profectum ad ipsam leniendam: illa ne in conspectum quidẽ admisit, sed præclusit fores: tũ oppressus dolore atq; animo perculsus, instituit cõficere se inedia. Verùm amicis curam eius gerentibus, uariasq; preces & omnem adhibentibus uim, statuit priuatus in solitudine degere: atq; à Respubl. prorsus remouit se, & uiginti propè annis urbe abstinuit, mœrensq; & uagans in prædiis maximè solis agebat. At cùm Siculi Corinthiorum opem contra Dionysium implorarent, eo decreto Timoleon dux est designatus. Exurgens ergo Teleclides, opibus tunc & claritate princeps ciuitatis, hortatus Timoleõtem est, ut illa in prouincia bonum & egregium uirũ se præberet. Si enim decertaueris, inquit, præclarè, tyrannum occidisse te arbitrabimur: sin ignauiter, fratrem. In Siciliam classe traiecta, & Icete Leontinorum tyrãno uicto, qui Dionysium Syracusis obsidebat: Dionysius legatis missis in fidem eius se arcemq; Syracusarum, quam solam habebat, permisit. Eum Timoleon uno nauigio cum modico pecuniæ Corinthum misit, ubi priuatus postea uixit. Iceten inde à Carthaginensium fœdere desciscere coëgit. Leptinem Apolloniæ & oppidulorum quorundam tyrannum sese dedentem Corinthum misit priuatum. Iceten rebellantem cum filio Eupolemo captos necauit. Fuit sanè

Timoleontis stupenda prosperitas, quippe quinquaginta diebus quàm applicuit in Siciliam, arcem Syracusanam in potestatem accepit, Dionysiumq; in Peloponnesum misit. Hipponem Messanæ tyrannum captum, Mamertini sibi traditum, liberis ex ludo in theatrum ad tyrãni supplicium uelut pulcerrimum spectaculum ductis, flagro cæsum necauerunt. Mamercus Catanensium tyrannus ultrò se in fidem Timoleontis permisit, hac lege, ut Timoleonte non accusante causam diceret Syracusis. Ductus Syracusas & in cõcionem progressus, orationem, quam iam pridem cõmentatus fuerat, exorsus est dicere. Verùm obstrepente sibi populo, concionem cernẽs implacabilem, abiecto pallio, medio se proripit theatro: atq; impetu in unum ex cuneis ad necem sibi consciscendam illisit caput: atqui non obtigit ei hic exitus: sed spirans adhuc abstractus, & more latronum est plexus. Ad eum modum excidit Timoleon tyrannydes, & bellua sustulit. Totam autem insulam, quam calamitatibus deformatam & inuisam incolis accepit, octo annorum spacio ita pacatam, & omnibus reddidit exoptatam, ut ad incolendum alij aduolarent eò, unde profugerant antè ciues. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

Alexandri Pheræi tyranni coniugem THEBEN primùm Pelõpidas docuit, ne trepidaret splendorem & apparatum tyrannidis externũ, armis uallatum & fugitiuis. Deinde ipsa metuens hominis perfidiam, & crudelitatem exosa, coitione cum tribus fratribus suis facta, Tisiphono, Pytholao, Lycophrone, insidias ei ad hunc modum struit. Cætera ædium tyranni statio excubantium seruabat: cubiculum uerò, ubi solebant quiescere, in edito erat, pro quo canis deligatus, omnibus nisi ipsis & uni seruo, qui eum curabat, horrendus, agebat excubias. Quo tempore cum statuerat Thebe adoriri, fratres iam de die in conclaue quoddam abdiderat propinquum. Ea more suo ad Alexandrum sola iam sopitum ingressa, ac mox egressa, seruo foras iussit canem abducere, uelle illum dicens quietè dormire. Scalas etiã, uerita ne strepitum ederent ascendentibus adolescentibus, constrauit lana. Inde ad thalamũ fratres gladiis accinctos adduxit: quibus pro forib. relictis, ingressa est ipsa. Ensem, qui supra caput eius suspensus erat, detractum, in signũ, recubuisse eum somno stratum, ostendit fratribus. Hîc adolescentes terrore exanimatos & torpescentes; illa lacerãs probris ac frẽdens deierauit, Alexandrum se excitaturam, consiliumq; ei aperturam. Ita pudore simul & metu perfusos introduxit, lumẽque admouens circumiecit eos cubili. Quorum unus apprehendit pressitq; pedes, illius caput alter crinibus correptum retorsit, tertius ense feriens obtrũcauit eum. Ac mortis quidem celeritate citiùs fortasse, quàm oportuit, defunctus est. Vno uerò hoc, quòd primus omnium tyrannorũ à propria sit uxore sublatus, & post obitum cadauer cum contumelia proiectum à Pheræis, conculcatumq;, dignum facinoribus suis exitum uisus est inuenisse. Plut. in Pelopida.

PHILOPOEMEN Achæorum dux Machanidem Spartanorum tyrannum in prælio occidit, Nabin deuicit. Eapropter ob duos tyrannos sublatos statua ei Tegeæ posita. Pausanias in Arcadicis.

ARATVS dux Sicyonius, collecta cõiuratorũ manu patriam seruitute liberauit, expulitq; Nicoclem tyrannum. Composito patriæ statu dux Achęorum factus, eorum Remp. annis 14 felicissimè administrauit. Locridem & Calydoniam depopulatus est, Acrocorinthum expugnauit. Macedonibus inde repulsis, Argæorum tyrannos, Aristonicum primò, deinde Aristippum bello sustulit: Aetolos Achæis inimicos debellauit. Sublatus demùm dicitur ueneno à Philippo Macedonum rege, cui erat formidolosus. Plut. in eius uita.

C. Caligula Romanorum Imp. homo nefarius crudelisque, qui nunquam humano sanguine satiari potuit, qui post multa horrenda facinora dicere solebat, Vtinam Romani omnes unam haberent ceruicem, ut uno ictu conficerentur omnes: tandem sensit populo plures manus, sibi autem unam ceruicem esse. Cùm enim ludos magnificis impensis celebraret, festosque dies in Palatio ageret, in locum angustum à CASSIO Chærea ductus, atq; interfectus est. Quo facto, nemo eorũ, qui aderant præsentes, manus ab illo abstinuit, sed mortuum confecerunt uulneribus. Nonnulli etiam carnem eius degustauerunt, eiusque uxorem ac filiam subitò occiderũt. Verùm Pretoriani milites, cùm interfectores armata quærerent manu, eos Valerius Asiaticus uir consularis præter opinionem sedauit. Ascendens enim in locum excelsum, magna uoce clamauit: Vtinam ego interfecissem tantùm tyrannum. Quibus uerbis obstupefacti, tumultuari desierunt. Xiphilinus Dionis abbreuiator in Caligula. Cadauer eius clàm est in hortos Lamianos asportatum, & semiambustum leui cespite obrutum. Suetonius.

Ad opprimendam Phocæ Imp. tyrannidem, multi coniurarunt Senatores & Duces: sed præcipui HERACLONAS militum magister in Thracia, cum Heraclio F. proprætore Africæ, Priscus prætor Phocæ gener, & Gregoras, qui pedestrem ex Africa ducebat exercitum: sic inter se pacti, ut qui prior Constantinopolim cepisset, & tyrannum interfecisset, is imperio potiretur. Ergo præueniens cæteros HERACLIVS, impetum fecit ad portum Sophium: & commissa nauali pugna, uictor adiuuante Prisco euasit, qui præfecti honorem obtinere cupiebat. Vnus autem è numero optimatium, PHOCIVS nomine, cuius uxorem tyrannus ui stuprauerat, coacta magna militum manu, in regiam inuasit, Phocamque (cuius ministri ac familiares omnes salutem despondentes ex aula abierant) ab sede regali detraxit, exutaque purpura fuscum amiculum iniecit, ac uinctum ad Heraclium duxit, qui eum ita alloquutus est: Ad húncne modum, ô miser, Remp. gessisti? Phocas mente alienatus: Túne meliùs, inquit, quàm à me factum sit, eam geres? Ira Heraclius commotus, calce eum percussit, atque capite eum multari præcepit. Traditum est à quibusdam, citò occisum: ab aliis, manibus & pedibus primò, postea ob insignem eius libidinem, & quia multorum uxores corruperat, genitalibus, ac nouissimè capite amputatis, corpus truncum ad Bouem fuisse combustum. Is erat locus, qui ex eo, quòd æneus esset caminus, forma bouis, quem Pergamo allatum aiunt, bouis appellatione nuncupabatur. Fratres ac necessarij Phocæ omnes interfecti sunt. Et ita scelestissimus tyrannus, post octo imperij annos, meritum uitæ exitum habuit. Cuspinianus.

Rege Carolo Canuto pulso, Ioannes Vpsalensis archiepiscopus Christiernum Danum regno Suecorum imposuerat. Christiernus Sueonum uim suspectam habens, Ioannem in uincula coniectum secum abduxit. CATILLVS Lincopensis episcopus, Ioannis nepos, uisa Danorum tyrannide, pontificalia indumenta, præsente Canonicorum collegio induit, quasi rem diuinam solenniter peracturus: eáque rursus & sine mora singillatim exuens, & ad summum in ecclesia Lincopensi altare reponens, uotum uouit Deo, se non priùs ea recepturum, quàm oppressam patriam à tyrannorum seruitute liberasset. Deinde ex eodem loco omnibus militaribus armis instar cataphracti militis ad preparatam militiam extra ecclesiæ septa egressus, comites habuit Canonicos, eam rei nouitatem lacrymis & gemitibus prosequentes. Ad quos conuersus, dixisse fertur illud Psalmi, Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Valido exercitu munitus, fugam simulans, Christierni exercitum ad loca insidiis opportuna deduxit, ubi Danos glaciali pugna excepit, & memorabilem uictoriam adeptus est, ut hostes fulmine ac turbine disiecti uiderentur. Vix aliud præclarius officium ab aliquo Pontifice in patriam unquam collatum memoratur. Ea pugna patria in libertatem, & Carolus in patriam, atque archiepiscopus in suam metropolim restitutus fuit. Ioan. Magnus lib. 23. cap. 9.

Cæso Donaldo II. Scotorum rege à Donaldo Hebridum tyranno, regnoque occupato, CRATHLINTHVS regis cæsi nepos ex fratre Findoco rege, dissimulata persona, in regiam familiam se insinuauit, tanta fide apud tyrannum, ut illius arbitrio stipatores delecti, regiæ custodiæ destinarentur. Tribuit ea res adolescenti, quum aulicorum satellitumq; nonnullos in suam multis largitionib. traxisset sententiam, coniurandi occasionem. Nactus itaq; diutiùs expectatam oportunitatem, quũ fortè solis cum coniuratis noctu ex cõposito regi astitisset, sedentẽ ferro transfixit. Egressus inde & forib. occlusis, nobilib. uicinis indicat sua manu tyrannũ interemtũ. Mox cùm in concione populi pater nutritius Crathlinthũ magno sacramento, certisq; argumẽtis, Findoci regis filium, à se clàm educatũ, cõprobasset: Crathlintho regnum fuit delatum. H. Boëthius lib. 6.

Erici Pomerani tyrannide Suecones & Gothi miserè affligebantur. Tandem Dalacarli rustici, pręfectorũ crudelitate coacti, ENGELBERTVM quendã, libertino patre natum, ducem delegêre: qui ueluti alter Moses, sæpiùs corã indurato rege pro populo Dalacarlorũ magnis se periculis exposuit. Eiectus, ad centũ millia rusticorũ collegit, magna ex parte inermium, quorũ opẽ memorabilia prælia contra tyrannos feliciter gessit. Nec Suecones & Gothorũ partem libertati restituisse contentus, totã belli molem in Hallandiã & Schoningiã transferens, sola nominis fama tyrãnos perculit, ut in solitudines fugerẽt. Obseruatione aũt dignum est, ꝙ tam numerosus exercitus, nullum penitùs ex incolis, per quorũ fines eundo & redeundo discurrebat, læserit, aut damnũ aliquod intulerit, ut in publico prouerbio adhuc cõmemorari soleat, Engelberti exercitũ nec ualorẽ quidẽ unius gallinæ alicui uiolẽter abstulisse. Ericus cũ regnũ recuperare Danorũ auxilio niteretur crudelitate Sueonũ, quib. spẽ fecerat iustioris in posterũ gubernationis, illud recepit. Sed mox ad ingeniũ reuersus, à populo, qui Engelbertũ regni gubernatorẽ crearat, pellitur. Engelbertus trium mensium spacio re-

gnum amplifs. pacauit, arces munitissimas expugnauit, uelus pater patriæ. Quem tandē Magnus Beudfon ex insidiis in insula quadā occidit. Statim aūt ad se reuersus, tantū de commisso facinore doluit, ut nisi ab amicis prohibitus fuisset, uim sibiipsi intulisset. Mansit in eo usq; ad uitæ exitum grauissima animi pœnitudo, pluresq; ex Danis, quos sceleris auctores habuerat, occidit: sibiq; & toti posteritati suæ sempiternum cum Danis odium indixit. Io. Magnus lib.22.

Nunciata Venetiis Baiamondi Teupuli conspiratione sæua in primis & immani, campani æris sonitu exciti omnes rectæ mentis patricij, cum PETRO Gradonico duce in areā Marcianā descendentes, aduenięti Baiamondo ex diuersis locis fortissimè occurrerunt. Quū aliquandiu in eo ipso loco pugnatū esset, cæsis principibus, cōiuratis in fugam uersi sunt. Eo tempore Vgolini Iustiniani Clodiēsis prætoris uirtus in primis enituit, qui quā celerrimè audita re nauigiis instructis Venetias aduolauit, magnoq; adiumento Venetis fuit. Parta uictoria decēuirale consiliū institutū est, ut Reip. summa eius imperio subesset. Petro ob rem bene gestam tributum, ut eius creationis dies, qui fuit Catharinæ dicatus, inter festos Venetiis reciperetur. Egnat. lib.3. cap.2. & 6.

IOANNES Andreas Lāponianus delusus sæpe ab Galeacio Sforcia principe Mediolanensi, enixè petēs possessionē sibi tribui Miramondani sacerdotij, quod à Pōtifice iusto titulo acceperat: consiliū iniit cū Hieronymo Olgiato, aliquotq; aliis, de eo interficiendo. Die igitur diuo Stephano dicata, sub Christi seruatoris nostri natalitia, ad sacrū litatoriū accedentē, in ipsis templi forib. pluribus uulneribus interemerunt. Lamponianus in tēplo dum fugit prolapsus, inter matronas cecidit, multis uulnerib. cōfossus. Reliqui cōiurationis socij capti, acerbissimis suppliciis omnes affecti. Olgiatus cùm tortor auersus illū torqueret: Esto, inquit, bono animo, & huc te uerte. nam quam tu mihi grauem pœnam inurere putas, ea mihi maximo solatio est: quotiescunq; memini interfectū à me tyrannum, patriæq; libertatem restitutam. Egnat. lib 3. cap.2. & lib.8. c.15. Brutus in hist. Flor.

Duodecim ingenui adolescentes POLONI Adrianopoli, cū ab Amurathe Turcorum principe, post interfectum ad Varnam Vladislaum regem, ex omni captiuorum numero propter eximiam formam electi, ut circumcisi pro catamitis & cinædis essent, & in cubiculum tyranni deducti fuissent, in necem eius coniurarunt: peregissentq; facinus præclarum, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem unum socium consilij adhibuerant, proditi essent. Atq; ij tamen, ubi rem palàm esse cognouerunt, ne tyranni siue libidini, siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis, armati inter se concurrerunt, & mutuis uulneribus fortiter conciderunt. Cromerus lib.21.

Otho III. Parmensium post defunctum Galeacium tyrannus, Ferrariæ ducis Nicolai Atestini imperio inhians, ubi conatibus suis, sustinente urgenteq; Magno Sforcia, acerrimè resisti uidet, pacem, ut falleret, se appetere simulauit, sperans Nicolaum prægrauante stipendio Sforcianas copias esse dimissurum, ut demùm ex occasione incautum exutumq; armis repentinus inuaderet. Postulabat igitur Otho, ut Nicolaus in colloquium deuenire minimè grauaretur, ut coràm de pace liquidissimè agi posset. Id bis abnuerat Nicolaus, ab insidioso astutoq; homine dolum ueritus: sed tandē assensit, ut eius perfidiam præoccuparet. Res eo modo cōposita est. ambo inermes, binis stipati equitibus, pariq; spacio à suorum agminibus prouecti, ad primum à Roberia lapidē militari in uia conuenirent. Aderant Othoni Guido Taurellus, & Antonaccius Aquilanus clari duces: Nicolaum uerò Sforcia, & Michaletus Attendulus Sforciæ frater medium tenebāt. Cæterùm uix dum ceptis sermonibus, SFORCIA præalto & feroci equo in Othonem repentè cōcitato, eum per loricam, quam lacinia tactam frustrà induerat, sub costis gladio transfodit, prostratum confecit. Hinc extemplò promotis castris Parmam contendit, receptusque à ciuibus, qui liberatori & tyrannicidæ insigni studio fauendum existimabant, Othonis filium Nicolaum Guerrerium in arce obsedit. Ea dedita, pari euentu & Regium, & sancti Domini oppidum, cum triginta amplius castellis in ditionem Atestini deuenerunt, ita ut fortuna puncto temporis Othonis imperio pariter ac uitæ finē attulerit. Sforcia à Nicolao donatus est uirtutis ergò Monticulo Parmensis agri oppido, atq; item uexillo, in quo adamas turbinatus aureo inclusus anulo depictus erat: quo insigni postea & ipsum & posteros eius perpetuò usos fuisse conspicimus. Iouius in uita Sforciæ.

Perusinorum tyranni Balliones, Bononiensiū Bentiuoli: quorū maiores ex priuatis ciuibus, in ciuilibus dissensionibus, factionis unius duces facti, aduersariisq; partim pulsis, partim cæsis, suarum ciuitatum prorsus domini euaserant: nec ab legitimi principis nomine assumendo, aliud quàm Pontificum reuerentia eos cohibuerat. Eos cùm IVLIVS II. pontifex ad officium redire, & malè occupata restituere cōgeret, Ioannes Paulus Ballio, Vrbinatium ducis hortatu, cùm se penitùs uoluntati Pontificis commisisset, in gratiam rediit. Quo facto, Pontifex Perusiam inermis igressus est, adeò ut in Ioannis Pauli potestate fuerit (si eam perfidiam, quæ eius nomen in tanto minoribus rebus fœdauerat, in tanta re per uniuersum orbem celebrem facere nouisset) eum cum tota aula captiuum facere. At Bentiuolus & filij, qui antea pleno ore minitantes, se suam dignitatem fortissimè propugnaturos passim iactauerant, animo fracti, sese prorsus eius arbitrio commisere: id unum saltem, ut tolerabiles leges sibi imponi curaret, supplices rogantes. Sic ergo transactum, ut Ioanni Bentiuolo cum liberis & uxore Geneura Sfortia tutò Bononia abire, & in quouis Mediolanensis imperij loco manere liceret, omnem suam supellectilem uendere aut abducere: neque ob reliqua bona, quæ iusto titulo possidebant, molestia ulla afficeretur. Guicciardinus libro septimo.

HELVETICI fœderis & libertatis hæc fuit origo. Adolpho Nassauiensi Imp. fauebant ex Heluetiis Alpinis, Vria, Suitia & Vnderualdia, contra Albertum Austriacum: & quia à nobilib. grauiter premebantur, eos agro suo expulerūt. Quod factum postea Henricus VII. Lucelburgēsis Imp. ratum habuit, & porrò inter liberas Imperij urbes connumerari uoluit, iis priuilegiis, ut cætera liberi, in capitalibus tantùm causis iudicem ab Imp. datum adhiberent, quem sua lingua Rychesuogtum, hoc est, Imperij præfectū uocant. Post Henrici obitum cùm Fridericus Austriacus contra Ludouicum Bauarum, de regno Rom. dissentientibus inter se Electoribus, arma cepisset, anno Christi 1314. & totus Christianus orbis bellis intestinis arderet: tres pagi odio Austriacorum finitimorum, ad quos nobiles pleriq; exules confugerant, Ludouico constanter adhærere: nec quantumuis repugnantibus præfectis ad Fridericū deficere uoluère, quieti interim, & otiosi spectatores tragœdiæ. Cæterùm quia præfecti, Austriacæ nobilitatis freti uicinia, conspirationē quandam inter plebem exortam esse audiebant, ut eam callidè deprehenderent, tale consilium ineunt. Gislerus Suitensium & Vrianorum præfectus in foro galerum suum erigi, & trāseuntes aperto capite honorem ei non minus quàm sibiipsi exhibere iubet. Erat GVLIELMVS Tellus Vriensis, uir magno animo, unus ex omnibus, qui superbo edicto parére nollet. Eum Gislerus comprehensum de coniuratione facta interrogat: & omnia constanter negantem, patrio affectu expugnare nititur. Erat Tello ex tribus filius quatuor annorum infans: eum tyrannus adduci, & pomum uertici eius impositum sagitta ferire, aut certè coniuratos prodere iubet. Tellus primùm deprecari: mox quia tyranni animū nihil moueri sentit, diuinū implorans auxilium, balista arrepta, qua olim in feris persequendis feliciter uti cōsueuerat, illęso puerulo pomū sagitta confixit, & re bene gesta ad astantes conuersus: Est quod mihi, sed longè ampliùs præfecto gratulemini. Viuēte filio meo uiuit: mortuo illo & ipse utiq; hac sagitta (quā circa ceruicē è thorace prominentem ostēdebat) confixus fuisset. Iis minis exacerbatus præfectus, Tellū uinctum naui abducit. Vehementi tempestate exorta, cùm nulla salutis spes superesset, Tellum nauigandi peritū solui iubet. Is de libertate magis quàm de uita sollicitus, captata occasione magno cū impetu in scopulum, cui de industria nauim admouerat, exilit, & naui denuò propulsa, remoq; abiecto, fuga sibi nemine persequente consulit. Paucis pòst diebus præfectum propè Kysnacum ex insidiis adortus sagitta interfecit. Iam cū præfectus quoq; Vnderualdensis inter reliqua stupra & rapinas, rustico cuidā par boum ui abegisset, & uxorē eius in laconico sibi assidere coēgisset: à marito superueniente in balneo cæsus est. Hanc præfectorum tyrannidem cùm omnes detestarentur, tres inuenti sunt primùm, qui de ea euertenda consilium ceperunt. Itaq; Guilelmus Tellus Vriensis, Stouffacherus Suitensis, & Ernius Vnderualdensis, fœdus clàm inierunt. Consilij sui participes fecère suos quisq; populares, ita ut manu facta, nobiles omnes è regione sua eiecerint, & arces quasdam exciderint. A. D. 1314. Ludouicus Imp. aliis bellis occupatus, cùm illis auxilio esse non posset, literis tamen & legatis Paganos ad constantiā hortatus est, & præfectis imperauit, ne quid grauius contra eos molirētur. Interea Leopoldus Austriacus, frater Friderici, cum exercitu numeroso paganos aggressus, cæterùm angusto loco inter lacum Egrum & Morgardam montem inclusus, cùm aciem expedire non posset, & equitatus iniquo loco pugnaret: M D cataphractis amissis, cum peditatu uix effugit, die D. Audomaro sacra, XVI. Nouemb. A. D. 1315. Hac uictoria cōfirmati pagani Heluetij, æternum fœdus inierunt: quod Ludouicus Imp. auctoritate sua confirmauit, & capitalium causarum iudicium perpetuo priuilegio iis concessit. Stumpfius in Heluetiæ chronico.

ER-

ERGA SEDITIOSOS.

Prudentia dirigit, Fortitudo exequitur. Eapropter sub Tit. Prudentiæ in componendis seditionibus, tum politicis tum castrensibus, quædam huic loco accommodanda erunt.

Cùm tribunus plebis Saturninus, & prætor Glaucia, & Equitius designatus tribunus plebis, maximos in ciuitate Romana seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret: primùm M. AEMYLIVS Scaurus C. Marium consulatum sextum gerentem, hortatus est, ut libertatem legesq; manu defenderet, protinusq; arma sibi afferri iussit: quibus allatis, ultima senectute confectum, & penè dilapsum corpus induit, spiculoq; innixus ante fores curiæ constitit, ac paruulis extremi spiritus reliquiis ne Resp. expiraret, effecit. Præstantia enim animi sui, senatum & equestrem ordinem ad uindictam exigendum impulit. Valer. Max. lib.3. cap.2.

Cùm Tib. Gracchus in tribunatu profusis largitionibus fauore populi occupato, Remp. oppressam teneret, palamq; dictaret, interemto senatu, omnia per plebem agi debere: in ædem fidei publicæ conuocati Patres C. à Cos. Mutio Scæuola, quidnam in tali tempestate faciundum esset, deliberabant: cunctisq; cēsentibus, ut Cos. armis Rempub. tueretur, Scæuola negauit se quicquam ui esse acturum. Tunc P. SCIPIO Nasica: Quoniam (inquit) Cos. dum iuris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet priuatus uoluntati uestræ me offero ducem. Ac deinde leuam manum apertè toga circumdedit, sublataq; dextera proclamauit: Qui Rempub. saluam esse uolunt, me sequantur. Eaq; uoce cunctatione bonorum ciuium discussa, Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur, pœnas persoluere coēgit. Idem.

L. OPIMIVS in consulatu Fuluium Flaccum consularem & C. Gracchum tribunitium oppressit.

ERGA LATRONES.

Latrones prisco seculo extitère plurimi. Eorum HERCVLES peragrans regiones, excindebat & sustollebat partem. Alij delitescentes eo præsente trepidabant, fugitabantq;, & abiecti despiciebātur. Tmolum & Telegonum, Protei filios, qui hospites lucta superatos necabant, lucta suffocauit. Sarpedonem, Neptuni filium, crudelissimum interfecit sagittis, & baltheum Eurystheo portauit. Cacum latronē in Auentino monte oppressit. Lacinum, extremā oram Italiæ latrociniis infestantem trucidauit. Coon insulam diripuit, regemq; Eurypylum cum uniuersa familia obtruncauit, quia exercent cædes & latrocinia aduersus omnes. Albionem & Borgionem, iter suum impedientes, cùm ad Atlanticos mōtes properaret, de medio sustulit. Cùm ad aprum Erymanthiū proficisceretur, à Pholo hospitio perbenignè accipitur. Is uas optimi uini in honorem hospitis aperuit. At Centauri odore uini concitati in Pholum impetum faciunt: quos Hercules statim sagittis confecit. Dum seruiret Lydiæ, reginæ Omphale, Cercopas Ephesi populos bello profligauit, qui aduenientes hospites suas uineas tanquam seruos fodere cogebant. Cùm boues Geryonis in Libyam per Iberiam abigeret, Percylus & Alebion, Neptuni filij boum pulcritudine allecti, illos surripuère, & egère in Ethruriam. Cùm taurus aufugisset, & tranasset in Siciliam, Italiam postea uocarunt. Tyrrhenorum enim lingua taurus Italus dicebatur. Cùm Eryx, Siciliç rex, taurum illum cepisset, neq; repetenti Herculi reddere uellet, ad certamen uētum est. Eryx cæstu percussus obiit. Multa sunt certamina, quæ in itinere ad Hesperidum mala Hercules commisit. A signo ad fluuium Echedorum ad singulare certamen prouocatus est. At fulmine cœlesti fuerunt diremti. Cùm è Pyrenæis montibus per Illyricam regionem iter faceret, & in Libyam peruenisset, Antæum Terræ filium obuium habuit, admirandæ proceritatis: qui ad sexaginta & quatuor cubitorum longitudinem accederet, in omnes peregrinos inhumanum, quos secum luctari cogebat, & suffocabat. Hic cùm Herculē ad luctam prouocasset, ab eo penè extinctus ter prosternitur. At erat ea uirtute, ut quoties Terram matrem attingeret, toties fortior resurgeret. Quod sentiens Hercules, sublimem à terra tamdiu sustinuit, quandiu spiraret, donec expirauit. E Libya in Aegyptū profectus, Busirim Neptuni & Lysianassæ uel Libyes filium inuenit, qui aduenas Neptuno patri, uel Ioui immolaret. Cùm easdē insidias Herculi parasset, Busirim, Amphidamantem F. & Chalben, præconem arę illius impuræ occidit. Per Arabiam iter faciens, Emathionem Tithoni filium, uiolentum hominem in omnes peregrinos, obtruncauit. Natalis Comes lib.7. cap.1. Mythologiæ.

Melampygus Græcis significat eum, qui nigro sit podice: quo quidem cognomento notatus est HERCVLES, quòd eam corporis partem, non Lydorum more uulsam, neq; candidam, quemadmodum effeminati solent, sed nigris pilis hirsutam ac syluosam haberet. Nam Græci, quemadmodum molles & imbelles, fractosq; deliciis, πυγάργους & λευκοπύγους appellant: itidem è diuerso fortes ac strenuos μελαμπύγας uocare consueuerunt, ut auctor est Lycophronis interpres. Idem ostendit parœmiam ad hunc quoq; modum efferri: Οὔπω μελαμπύγῳ τετύχηκας. id est, Nondum in Melampygum incidisti. Duo quidam fratres erant sceleratissimi, PASSALVS & ACHEMON, siue Achmon. Hos mater, nomine Semnonis, ubi uideret atrocia facinora patrantes, iussit cauere ne quando in Melampygum inciderent. Euenit deinde, ut Hercules aliquando sub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Accesserunt Cercopes siue Perperi fratres (utrumq; enim scriptum inuenitur) & Herculē dormientem ipsius armis aggredi tentarunt. Ille protinus sensit insidias, & correptos ac uinctos de claua à tergo suspendit leporum ritu, atq; ad eum modum gestabat. Illi pendentes capitibus deorsum demissis, cùm Herculis posticum nigris pilis horridum atq; hispidum uiderent, materni moniti memores, super hac re inter sese confabulabantur. Quod simul audisset Hercules, hoc cognomine delectatus, & in risum effusus, eos uinculis solutos dimisit. Notat hanc historiā Plutarch. in libello de Discrimine amici & adulatoris, cùm ait Herculem Cercopibus fuisse delectatum. Meminit & Herodotus in septimo, de loco dicto lapide Melampygo, & Cercopum sede. Erasm. in Adagiis.

THESEVM iampridē uirtutis clàm gloria incenderat Herculis, eumq; faciebat plurimi, & promtissimè aures præbebat: qualis esset ille, cōmemorantib. præcipuè his, qui uiderant eum, & eius factis dictis interfuerant, ita ut noctu quoq; in somnis gesta eius illi occurrerent, & interdiu cōcitaret æmulatio, præsertim cùm genere essent propinqui, ex consobrinis nati. Quippe erat Pithei, Aethra filia, Alcmena Lysidices: Lysidice & Pitheus ex Hippodamia & Pelope germani. Itaque Trœzene relicta, ubi ab auo Pitheo educatus fuerat, Athenas ad Aegeū patrem terrestri itinere profectus, primùm in finibus Epidauri Periphetem (Suidas Periphanem uocat) qui pro armis utebatur claua, ideoq; Corynetes, id est clauatus appellabatur, apprehendentem ipsum & uetantē progredi, congressus cum eo, interfecit. Oblectatus claua cepit eam pro armis, qua deinceps est usus, ut pelle leonis Hercules. In Isthmo Sinin Pityocamptem (sic dictum, quòd duas flectens pinus, atq; utriq; alligato hominis brachio, sursum dimittens, dilaceraret) quo modo multos ille peremerat, eodem eum sustulit: non meditatus neq; assuetus, sed uirtutem demonstrans cuius arti & exercitationi excellere. Erat Sinidi excellentissimæ formæ & staturæ filia, Perigune nomine, hanc peremto Theseus patre fugientem circumquaq; requirebat. Ea in locum secesserat frequentibus uirgultis, multaq; stœbe & asparagis obsitum. Hæc illa admodū simpliciter & puerīliter precans uelut sentiētia, uota cum iureiurando nuncupauit, si seruassent & texissent se, nunquā læsuram se ea, nec crematuram. Quam cùm alta uoce appellaret Theseus, fidemq; daret, egregiam se eius gesturū curam, neq; re ulla uiolaturum: prodiit, atq; ex Thesei complexu edidit Melanippum. Ea pòst Deioni Euryti Oechaliēsis filio, Theseo elocante, nupsit. Melanippo Thesei genitus Toxus, Ornyti socius deducendæ in Cariam coloniæ fuit, unde originem ducūt Toxides. Hinc solenne Toxidibus est, neq; spinam asparagi, neq; stœben comburere: sed honorare hęc & uenerari. Crommyonia sus, quam Phæam cognomine dicebant, fera erat non contemnenda, sed pugnax, & haudquaquam promta superatu. Hanc obiter, ne omnia uideretur necessitate agere, exceptam occīdit: existimans iuxtā decere fortem uirum, homines improbos ut ad uindicādum se aggrediatur, & feras generosas pugna lacessat, & cum iis depugnet. Sunt, Phæam qui mulierē latronem fuisse atrocem & lasciuam referant, quæ ibidem habitabat in Crommyone, Suem appellatam ex moribus & uita, quæ sit inde à Theseo trucidata. Scironem pro finibus Megaricis sustulit, præcipitauitq; de saxo, quæ ab eo saxa Scironia dicuntur. Hic latrocinatione utebatur in uiatores: &, ut alij aiunt, ex impotēte improbitate pedes porrigebat peregrinis iussis eos abluere, mox impellebat hos calcibus & deturbabat in pelagus iuxta Chelonem. Eleusine iuxta Cercyona Arcadem lucta uictum oppressit: paulumq; progressus Hermione, Damastē, Procrustem dictum, aggressus est, in eo loco Atticæ, qui dicitur Curdalus, habitantem. Hic uiatores cogebat super lectum aliquem ascendere: quòd si longiores erant, parte supereminente amputabantur: qui breuiores, pedibus distendebantur. A qua re Procrustes cognominatus est. Plut. in Theseo, & Diodorus lib.4. cap.5.

Callisthenes in nauigatione, & Hecatæus de Hyperboreis, narrāt duos colles fuisse in Phrygia, qui aures Asini uocarētur, super quibus munitissima oppida condita fuerūt, è quibus latrones complures uiatores & peregrinos adoriebantur.

His locis cùm arma MIDAS rex Phrygiæ intuliſſet, ac oppidis per uim potitus fuiſſet: obtruncatis latronibus, dictus eſt fabuloſè aures aſini habere. Natalis Comes Mythologiæ lib.9.capite 15.

Chimeræ fabulam à BELLEROPHONTE interfectæ quidam ad latrones transferunt. Vide Titulum, Belluarum domitores.

Oblati nõnulli LACONIBVS in itinere dixerũt: Bona ueſtra fortuna modò hinc dilapſi ſunt latrones. Illi, Minimè uerò, inquiunt, ſed illorum, qui non inciderũt in nos. Plut. in Lac.

Poſt bellum Mithridaticum & Syllana tempora Cilices piratæ cùm longè lateq; omnia infeſtarẽt, ut nihil uſpiam toto mari ab illorum latrocinio Romanis tutum eſſet ampliùs: miſſus eſt aduerſus eos P.SERVILIVS procõſul, qui Iſauros, & aliquot alias eorũ urbes expugnauit. Quo digreſſo, ipſi ualidiores inſurrexerũt, & ad Caietam uſq; Miſenum & Oſtiam cum magno Romanorum terrore & dedecore prædabundi peruenēre. Gabinius rogationem tulit ad populum, ut maris imperium Cn. POMPEIO demandaretur, quàm longè lateque patet à Gaditano freto ad Syriam & Pamphyliam, & rurſus ab Aegypto Libyaque ad Helleſpontum: ipſeque ad piraticum bellum conficiendum, quindecim ſibi ex ſenatorio ordine uiros legeret, quibus ſuo arbitrio legatorum nomine uteretur: ſumeretque ſibi tantum pecuniæ ex ærario, quantum ad alendam claſſem ſatis uideretur, ut par eidem poteſtas eſſet habendi delectus, & commeatus ad bellum expediendi. Eam rogationem cupidè plebs complexa eſt: offendit tamen optimum quemq; tam inſolens imperium, poteſtaſque nulli ad id tempus conceſſa, ut ne à Piſone quidem conſule Pompeium tacitum tuliſſe ferant, per Romuli gradus eundem exitum habiturum. Quæ uox effecit, ut parum abfuerit, quin conſul ſit pro cõcione multitudinis incurſu diſcerptus. Catulus mitiore uia ingreſſus, parcendum Pompeio cenſebat, nec unum tot periculis onerandum: dandum itaque illi collegam, cum quo bellũ partiretur. Quæ Catuli uox tanto fremitu & indignatione eſt à populo excepta, ut coruus ſupernè uolans, clamore perculſus, in mediam concionem delapſus dicatur. Põpeius interim incredibili celeritate uſus, claſſem & commeatum, omnium ſpe celeriùs comparat. Populi, Dynaſtæ, reges, Rom. nominis ſocij, auxilia, pecunias, commeatum ad id bellum miſere. Inſtructæ itaque naues CCLXX. numero peditum, equitumq;: & nequa hoſtibus pateret effugium, Pompeius legatis partitus eſt prouinciam. Appianus ne pugnatum quidem ſcribit, ſed Pompeij fama territis hoſtibus, continuò deditionem fieri contigiſſe. Dedita ſunt ad uiginti millia hominum, piraticæ naues captæ ter centum ſex, ut idem auctor prodidit. Plinius multo maiorem numerum poſuit. Pompeius prædonum turbam procul mari ablegatam, partim Solis urbe per id tempus propemodum à Tygrane in ſolitudinem redacta, partim Dymis Achæorum oppido collocauit. Solenſium urbs à noua huiuſmodi colonia, Põpeiopolis eſt appellata. Trium igitur aut quatuor, ut quidam tradunt, menſium ſpacio, difficillimum alioqui bellum, dubium maiore ducis uirtute, an felicitate eſt confectum. Sab. lib.4. En.6.

HERODES Antipatri F. contra latrones in ſpeluncis degẽtes duxit militem. Erant aũt hæ ſpeluncę ſitæ in præruptis montibus, anguſtis tramitibus acceſſibiles, & acutis cinctę rupibus. In harum cauernis illi habitabant familiis. Rex aũt arcas in hunc uſum cõpactas de uertice montis per machinas demittebat catenis ferreis. Hæ arcæ cõpletæ erãt militibus haſtas falcatas habentibus, ad attrahendos repugnãtes, & deturbandos per præceps. Hęc tamen arcarum demiſſio periculoſa erat, propter immenſam altitudinẽ: & in ſpeluncis non deerant uictui neceſſaria. Vt uerò demiſſæ ſunt arcę ad earum oſtia, & nemo præ metu audebat progredi: quidam ſcutatus accinctus gladio, manu utraq; apprehẽſa catena, quæ arca ſuſtinebatur, demiſit ſe intra fauces. Mox ad quandã cauernã accedens, primùm iaculis multos intus cõfecit: deinde reſiſtere conatos falcata haſta attractos dabat in præceps: tãdem penitus recõditos inuadens, iugulauit multos, ac tum demũ in arcã ſe recepit. cæteros eiulatũ audientes pauor corripuit & ſalutis deſperatio. Sequenti die uſi ſunt eodẽ oppugnationis genere, magis etiã ex arcis excundo & pugnando in foribus, & ſubiecto igne antra incendendo. Hocq; modo omnes ſpeluncæ expugnatæ fuerunt. Ioſephus lib.14. cap.27.

Amgrimus pugil Sueticus ſuſtulit ex Oſura Frothonis III. Danorũ regis bellicoſiſſimi F. duodecim filios, Brãder, Biarbi, Brodder, Hiarrãdi, Tãder, Tiruingar, duos Haddingos, Hiorthuar, Hiarthuuar, Rani, Angãtir. Hi ab adoleſcẽtia piraticæ dediti, uno nauigio in Sampſo inſulã uecti, cũ duas naues Hialmeri atq; Aruaroddi piratarũ reperiſſent, remiges interfecerũt: ſed an gubernatores oppreſſiſſent dubij, ex numero remorũ & cæſorũ eos abeſſe cognouerũt. Quippe Hialmerus atq; Aruaroddus, quorũ nauigia tẽpeſtas lacerauerat, gubernaculi excidẽdi gratia nemus ingreſſi, cũ illud humeris impoſitũ ſociorũ cladis ignari ferrẽt, ab Oſurę filiis laceſſiti, duo cũ plurib. ferro decernere coacti ſunt. Cęſo Hialmero, ARVARODDVS informẽ adhuc gubernaculi truncũ incredibili libratũ niſu tãta ui hoſtiũ adegit corporibus, ut duodecim unico eius impulſu contuſos eliſerit. Saxo lib.5.

Fratres XII Noruegi latrocinio inſignes, intra inſulã rapidiſſimo ambitã fluuio præaltũ moliti uallum, terreſtrẽ in plano munitionẽ extenderant: cuius receptaculo freti, crebra uicinos irruptione laceſſebant. Excedentes enim inſula, continentẽ extructo ponte petere conſueuerãt: quem portæ munitionis annexũ ita moderari ſolebant, ut quaſi uolubili aliquo cardine circũuectus, modò trans flumen iter ſterneret, modò occulto reſtiũ ductu ſupernè retractus ianuæ deſeruiret. Fuere aũt iuuenes hi giganteis trophæis celebres, ſpoliis locupletes. Quorundã ex ipſis nomina reliqua ſunt: Gerbiorn, Gunbiorn, Armbiorn, Stẽbiorn, Esbiorn, Thorbiorn, & Biorn. Hic equũ habuiſſe traditur miro robore & uelocitate, adeò ut, cæteris amnẽ traiicere nequeũtibus, hic ſolus obſtrepentẽ indefeſſus uorticẽ ſuperaret. Cuius aquæ lapſus tã pręcipiti curſu deferebatur, ut animalia natãtia quęuis abriperet. Canẽ quoq; ferociſſimã habebat, quæ ſæpius biſſenos ſola uiros oppreſſit, Offoti gigantis armentorũ cuſtos olim. FRIDLEVVS Frothonis III. Danorũ regis F. antequã patri in regno ſuccederet, exercitu cõtra eos ducto intra munimentũ cõpulit, & equum Biornonis cepit. Ea nocte intẽpeſta ſolus per fluuium uectus, in latronũ munimentũ penetrauit, põteq; demiſſo exercitũ introduxit, latrones occidit, ſoli Biornoni pepercit, forti & fideli opera eiuſdem ſæpius deinceps uſus. Saxo lib.6.

OLO Noruegus, Siuari Noruegiorum regis F. qui pòſt in regno Daniæ Haraldo auũculo ſucceſſit, cùm accepiſſet Gunnonem Thelemarchiæ ducem cum filio Grimone nemus Erhaſcog per latrocinium obſidere, cum cane & equo parabilẽ à patre armaturã depoſcit, & ſyluã ingreſſus, hominis ueſtigia niui altiùs impreſſa ſequitur. Ibi Tokonẽ ſeruũ Gunnonis ferro opprimere deforme exiſtimans, apprehenſum, artuatimq; confractum, tecto, quo præceps exceſſerat, tranſuerſum iniecit. Qua ignominia Gunno ac Grimo ocyùs incitati, diuerſis elapſi poſticis pariter in Olonem cum contemtu ætatis eius ac uirium ruunt. Sed ab eo uulnerati, dum genibus innixi, Olonẽ perdere conantur eorum: ille alterum ferro, alterum cane confecit. Saxo lib.7. & Cranzius lib.2. Daniæ, cap.12.

Suconum rex Gotarus alteram Omundi regis Danorum demortui filiam amore complexus, Ebboni cuidam Sibbonis filio poſtulandæ uirginis gratia negotium dedit. Is gratum de puellæ conſenſu nuncium retulit. Iamq; nihil uoto præter nuptias deerat: quas Gotarus apud alienos agere metuens, per EBBONEM, quo priùs uſus fuerat, ſponſam ſibi tranſmitti curat. Is quum parua admodum familia comitatus Hallandiam præteriret, in uico quodam pernoctauit, in quo duorum fratrum habitationes medius amnis ſecreuerat, eos, quos hoſpitaliter recepiſſent, nocte iugulare ſolitos. Trabem enim oblongam, ferro munitam, in excelſa domus parte ſuſpenderant, quam nocturno tempore ſubductis nexibus demittentes, infernè cubantium capita deſecare ſolebant. Ebbo iuxta caminum extructo foco, impendentem capitibus machinam conſpiciẽs, ſocios ſimulato ſomno corpora tranſponere iuſſit, prefatus perquam ſalutarem eis loci uariationem exiſtere. Quidam ſpretis monitis immoti, ut cuiq; iacendi locus obuenerat, cubauerunt. Intempeſta nocte ab inſidiarum miniſtris pendula machina magna ui ſolo adacta, ſubiectos exitio tradidit. Mox illato lumine, Ebbonem ſuperſtitem pugna adorti, ab eo occiduntur. Ebbo, ſociis amiſſis, ad ſuos redit. Gotarus id Syuardi inſtinctu factum iudicans, uindictam armis perſecutus eſt. Syuardus uictus: ſoror ab hoſtibus capta: Dania uectigalis facta. Saxo lib.8.

IOANNES Henrici VII. Cæſaris F. regno Boëmiæ potitus, eiecto Henrico Carinthio tyrãno, cùm in Boëmia tanta uis latronum inoleuiſſet, ut numeroſo equitatu peditatuque non itinera ſolùm ad excipiendos quoſcunq; uiatores complerent, ſed loca præterea tenerẽt ualidis præſidiis firmata, ex quib. aperta ui agros etiã & uicos incurſabant, omnia illorũ latibula perluſtrauit, indeq; per milites extractos, igne, cæde, laqueo puniuit, dirutis ſimul uſq; ad ſolum latebris. Alteram ſubinde expeditionẽ in Morauiã ſuſcepit. Itaq; arx Iani à Boskouice, quã Vngerſperg cognominabant, expugnata, & euerſa eſt. Drahotuſa item & Deblina, ad quã nullus machinis, ſed tantùm cuniculis patebat aditus, cum Friderico poſſeſſore intercepta: ipſi, quia ſeriùs deditionẽ fecerat, caput gladio ademtũ. Hoc modo non hominũ tantùm ſaluti & ſecuritati, ſed agrorum inſuper uinearumq; culturæ proſpectum. Dubrauius lib.20.

ALEXANDER Scotorum rex, Fers, id eſt fortis, ob ſingularem in latronib. compeſcendis uirtutẽ cognominatus eſt. Principio regni eius Moraui & Roſſi uidẽtes eum inter aras ac ſacella uerſari parentum more, rati ignauũ & tardum ad corrigenda peccata fore, cùm magna audacia rapinas exercuere, eoq; tandem cupiditas ea euaſit, ut uelut rabidi nulli mortalium parcerent, cædeſq; promiſcuas facerent, non ſeminarũ modò & puerorum, ſed infantum quoque. Alexander duces tumultuum capite multauit. Redeunti uerò per Merniam, mulier quædam flens ad genua accidit, dictitans maritum ſuum ac filium, ꝙ illum ob debitum coram iudice conueniſſent, à comite Merniæ filio cæſos. Alexander repentè equo deſiliit, nec in equum priùs aſcendit, quàm flagitij auctorem in furca ſuſpenſum uidiſſet. Mox Gouream caſtellum, ab Edgaro fratre ædificari nuper ceptum, perficere conſtituit, ad latronum receptacula deſtruenda. Dum operi intentus eſſet, latrones quidam in Alexandrum conſpirant, ac corrupto muneribus promiſſiſq; cubiculario regio, per noctẽ clàm in caſtellum per cloacã intromiſſi, regẽ ſomno ut arbitrabantur oppreſſum adoriuntur. Is ſumto protinùs enſe, lecto euolat, ac cubicularium imprimis, & ſex alios, qui in cubiculũ iam penetrarant, occidit. Reliqui territi, ne à tergo opprimerẽtur, fuga ſibi cõſulere nitebãtur: ſed ab excitis tumultu famulis capti, cõiurationẽ ꝓdidere. H. Boëth. l.12.

Anno Domini 1063 in Paleſtinam profecti ſunt religionis cauſa Sigfridus archimyſta Mogũtinus, Gulielmus Traiectẽſis, Otho Ratisbonenſis, GVNTHERVS Bãbergenſis Epiſcopi: Fridericus Damaſiæ, Eckardus a Scheuren, Otthalius ab Hohenuart Dynaſtæ, & alij complures Boiorum proceres. Sauum amnem trãſgreſſi multa a latrunculis perpeſſi ſunt. A Byzantio Cæſarea Galileæ Calendas Aprilis, quarto die ante Paſcha, duũ itinere dierum ab Hieroſolymis, peruenerunt. Poſtero die Capharſalam uicum intrant, ibi Arabes adſunt. Traiectenſis Epiſcopus ſemiuiuus & nudus ſpoliatus relinquitur. Reliqui tres Epiſcopi Baſilicam duaſq; turres occupãtes, eas ſumma ui defendunt. Hoſtes tandem celeberrimo Paſchatis die pacem uenalẽ offerunt, octoq; Arabum principes in turrim admittũtur, qui de precio paciſcantur. Ibi hoſtium primarius linteum, quo caput in modũ coronæ alligarat, collo Guntheri Epiſcopi, quem principem eſſe rebatur, innectit: En, inquit, te ſolo capto, cæteros oẽs in poteſtate habeo, & ſimul ac iuſſero, ab arbore cum comitibus pendebis. Guntherus, ubi hoc per interpretem intellexit, pugnum in faciem minantis impingit, ac humi uno ictu hominem ſternit: deinde ſocios cohortatus, cęteros ſeptem Arabes captos nudatoſque armis, duriter uinculis conſtrinxit, reliſque ſæuientium popularium oppoſuit. Arabes eo die ſociis parcentes manus abſtinent. Poſtridie Ramulæ præſes, quem rex Aegypti ibi præfecerat, audito periculo Germanorum, ne uectigalia in poſterum, ſi alij horum periculo deterriti, Palæſtinam inuiſere uererentur, imminuerentur: ad liberandum eos cum magno equitum numero properat. Arabes ad eius aduentum diffugiunt. Germanos autem Aegyptius præfectus incolumes Hieroſolymam deduxit. Inde conductis nauibus in Europã nauigarunt. Sighardus & octo redierunt: cæteri interierunt. Auentinus lib.5. Annalium Boiorum.

Anno 1505. ob nonnullos mare Aegæum atq; Ionium, demum etiam Adriaticum nauigãtibus infeſtum reddentes piratas, Senatus VENETVS quampluimas triremes non uno tempore armandas curauit: à quibus capti aliquot, latrociniorum pœnas dederunt. Bembus lib.7. Hiſt. Ven.

Duo piratæ fratres, qui Tetuanũ incolebãt, duabus longis nauibus quatuor iam annis Gaditanũ fretũ, & oram, quæ extra fretum in Auſtrum inflectitur, infeſtam reddiderant. Septæ præerat GOMECIVS Syluius Vaſconcelius. Vnus ex piratis inter inſulas obiectas occultari uoluit, ut inde in naues aliquot imparatas inuaderet. Frater interim mare ſpeculabatur, ut fratrẽ cùm opus eſſet admoneret. Hoc cùm præfectus per ſpeculatores exploratũ habuiſſet, duas confeſtim celoces inſtruxit: uni Andreã Vaſconceliũ, alteri Michaeiẽ Syluiũ præfecit. ambo erãt illius filij. Michaeli iuniori præcepit, ut prior in hoſtes incurreret. Dũ uerò uterq; ſe ſupra modũ dicto parentis audiẽtem præbet, ambo à parẽtis conſilio deflexerunt. Iunior enim tanta celeritate celocem incitari præcepit, ut grãdiorem natu fratrem minimè expectandũ arbitrãretur: grandior aũt frater lentiùs, quàm res poſtulabat, celocem remis impelli faciebat. Itaq; Michael Syluius in hoſtium nauem magno animo inuaſit. At hoſtes, cum eſſent numero plures, & ex maiore naue cum minore decertarent, in celocem inſiliunt: fit atrox prælium. Luſitani tãdem metu perturbati, ſeſe in ſentinam celocis abdũt. Gomecius cum certo equitum numero per oram, ut congreſſum cerneret, diſcurrebat. Cùm uerò celocem ab hoſtibus occupari conſpiceret, alterum filium clamoribus & ſignis admonuit, ut fratri confeſtim opem afferret. Sed antequam is adueniret, Syluius hoſtes è celoce armis expulerat, & ſe ab hoſtili naue retinaculis ſublatis diiunxerat. Deinde eos, qui ſe occultarãt, increpitos, è latibulis eduxit, & à metu refecit. Tum rurſus in hoſtes inuaſit. Nauibus autem arctiſſimè colligatis, intermiſſa pugna recruduit. Celocis magiſter haſta confoſſus occubuit: Petrus Vieira grauiter ſauciatus decidit. Quatuor hoſtes deinde in celocis proram repẽtè deſiliunt. Syluius haſtam in eos magna ui coniecit, & unum ex piratis fratribus natu maximũ occidit. Deinde alia haſta in tres illos, qui adhuc celocis proram tenebant, è celoce præcipites eiecit, & rurſus ſe ab hoſtili naue ſeiunxit. Tum in puppim excurrit, & de magiſtro quæſiuit, quid faciendum cenſeret. Ignorabat enim magiſtrum eſſe extinctũ. Iacebat Vieira conciſus uulneribus, & ilia uentre diſciſſo ſe effuderant: & tamen Syluius ut iunior natu maiorem, & in bellis exercitum, interrogauit, Quid optimum factu iudicaret. At ille, Abi, inquit, & eos, qui ſe rurſus abdiderunt, è latibulis expelle, & remorum uehementi concitatione te, quando ſolus relictus es, ab imminente clade ſubtrahe. Is continuò rurſus homines metu turpiter exanimatos è tenebris eduxit. At hoſtes cùm cernerent alios interemtos, alios uerò timore necis occultatos, alios poſtremò uulneribus impeditos, in celocem impetum fecerunt. Interim Andreas Vaſconcelius apparuit. Hoſtes cùm eſſent pugnando defeſſi, & ducem amiſiſſent, retrò ceſſerũt. At Syluius Vieiram rurſus interrogat, Num hoſtium nauẽ inſequeretur? Vieira eum admonuit, ut ex alto in terram curſum dirigeret, ut hoſtilem nauem in uadum compelleret. Is conſilio paruit. Hoſtes exterriti, nauem maxima remorum ui, in aduerſum litus impellunt: & cùm in mare deſilirent, maxima eorum pars fluctibus hauſta fuit: octo in terram enatarunt, qui cùm in pręfectum inciderent, ab illo capti ſunt. Itaque antequam Andreas Vaſconcelius accederet, iam frater illius iunior rem totam confecerat. In quo neſcio quid magis laudandum ſit: uirtus ne, qua uel ſolus, uel cum pauciſſimis, qui uulneribus debilitati illum ſequi minimè potuerunt, tam præſenti animo hoſtib. ferociſſimis repugnauit: an modeſtia, qua in ea trepidatione nihil ſine maiorum conſilio moliri uoluit. Oſorius lib.11. rerum Emm.

An.1520. Antonia Azeuedia, nupta Iacobo Soueralio, nauem unã ex iis, quas Carauelas appellant, conduxit, ut Tingi Arzilam peteret. Eam duo illius fratres patrueles deducebãt. Vni IOANNES Cœlius, alteri ARIVS Cœlius nomen erat. Non multùm progreſſi fuerant, cùm in eos hoſtium nauis incurrit. Ex hoſtibus octo in nauẽ inſiliunt. Cœlij cum Antonio Grimaldo piſcatore, qui ea etiã naui uehebatur, feſtinanter accurrunt, & cum hoſtibus, qui ingreſſi fuerant, acre certamen ineunt: quatuor interficiũt, quatuor reliquos expellunt. Nautæ interim ita curſum dirigunt, ut hoſtilem nauem poſt ſe relinquerent. At hoſtes, cùm ex iis, qui pulſi fuerant, intellexiſſent, ſolos tres uiros eſſe, qui pugnarent, reliquam turbam eſſe mulierum, atq; nautarum: nauem ſuã remis, quantum poſſunt, impellunt, ferreas manus iniiciũt: ſedecim armati per proram in nauem ingrediuntur. Duo Cœlij fratres eis acri animo repugnãt, Grimaldus inermis, cum haſta & gauſapina ueſte, qua complicata ſiniſtrum brachium armauerat, cum fratribus animo magno coniungitur. Maior pars hoſtium cadit, reliqui ſe rurſus in nauem ſuam recipiunt. Dum hoc geritur, alij hoſtes per puppim inſiliunt, qui à nautis repulſi ſunt. Grimaldus focum nauis arripuit, & in hoſtilem nauem coniecit: & hoſtibus partim inflammationem intulit, partim multo cinere cõſperſis, aſpectum ademit. Oſorius lib 12. rerum Emm.

ERGA BELLVAS. FERARVM DOmitores, uictores.

☞ *In domandis belluis ut Prudentia opus eſt, quæ machinis quibuſdam nititur (quarũ ſub Tit. Venatorũ exempla quædam referentur) ſic etiam Robore tum interno (cuius meritò heic de Domitoribus ferarum agimus) tum externo, quod ad Corporis bona pertinet: & propterea ex Tit. Robuſtorum quædam exempla huc transferri commodè poſſint.*

IN GENERE.

DAVID Iſæi F. Bethlehemita, cùm patris pecus paſceret, & leo unà cum urſo gregem adortus, ouem ſuſtuliſſet: raptores perſecutus, urſum occidit, eique de faucibus prædam extorſit. Tum leonem in ſe inſurgentem, roſtro prehenſum cæcidit. Hoc uelut ſecundo omine uſus, Deique omnipotentis auxilio confiſus, Goliathum quoque Palæſtinum gigantem, quamuis puer ſingulari certamine aggredi non dubitauit. Si leonem & urſum (ad Saulum regem inquiens) Dei ope interfeci, quidni & Palæſtinum iſtum, qui blaſphemiis ſuis Dei grauiſſimam iram in ſe ſuoſque concitat? 1. Regum 17.

Quà Thebis recta Gliſantem iter eſt, regiunculam uideas ſelectis

ctis lapidibus circumseptam: Serpentis caput Thebani uocant. Serpētem sanè, quocunq; ille fuerit nomine appellandus, è cauerna lustri sui caput exerentem, gladio à TIRESIA uate, cùm fortè illuc uenisset, percussum tradunt, atque ex eo, loco nomen inditum. Pausanias in Bœoticis.

CYRENE nympha Mænas fuit appellata, quòd cum sæuissimis bestiis, ne leone quidem excepto, depugnare non formidarit. Pindarus Pythiorum hymno 8. Idem attigit in Artemidis hymno Callimachus.

HERCVLES priscus Aegyptius, Osyridis Aegyptiorum regis polemarchus, cùm homines infestarentur à belluarum multitudine in Aegypto præsertim, cuius nunc quoq; regiones desertæ sunt, & feris immanibus plenæ: huius ueluti patriæ misertus, feris occisis eam reddidit hominibus colendam: eoq; beneficio cœlestium honore donatus est. Diodorus libro primo, capite 2.

HERCVLI Iouis & Alcmenæ F. nuper nato, à Ioue, Iunonis nouercæ fraude, iniunctū, ut Eurystheo paulo antè nato, Argiuorum regi futuro parêret, & duodecim certaminib. confectis, immortalis fieret. Iuno sub mediam noctem duos ferocissimos angues immisit, à quibus ictus nemine præscio interiret. Sed Hercules dicitur ambabus manibus illos compressos elisisse. Ouidius in Deianira. Apollodorus tamen libro 2. iam octo menses natū Herculem hoc designasse memorat. At Pherecydes ab Amphitryone immissos tradidit, ut experiretur, uter esset Iouis filius: Iphiclum territum cum eiulatu aufugisse, Herculem illos suffocasse. Venit pòst circa XVI ætatis annum ad Eurystheum, qui primū laborem leonis Nemæi conficiendi ei imposuit. Versabatur is maximè inter Mycenas ac Nemæam syluam, circa mōtem, quem à casu Tritonem dixerunt. Huius in radicibus aderat spelunca, ad quam diuertebat bellua. Hercules cùm ad locum accessisset, fugientem in spelūcam insecutus feram, altero aditus ore obturato, manibus leonem comprehensum suffocauit. Detractam pellem nullis ictibus uulnerabilem corpori tegumentum ad futura pericula circumdedit, ut testatur Euripides in Hercule insano. Mansit postea consuetudo, ut heroes pellibus pro scutis uterentur. Sic Theseus, Ancæus, qui fuit cum Argonautis, Argus, & alij complures, ut est apud Apollonium. Fuerunt autem tres leones ab Hercule superati, Heliconius, Lesbius, Nemæus. Secūdum ei certamen fuit cum Hydra Lernæa, in Argiui agri palude sub platano ad fontem Amymones excubante. Capita illa C, secundùm Diodorum. Alcæus L, Simonides XL, Naucrates Erythræus septem, Zenodotus Ephesus nouem, Heraclides Ponticus quinquaginta habuisse tradidit. Quoties unum eorum cædebatur, reliquorum numerus duplicabatur continuò, nisi quis colli thyrsum igni statim exussisset. Itaq; cùm pars amputata ualidior redderetur, Iolaum aurigam suum monuit, ut e uestigiò incisam ceruicem face lignea, ne effluerет sanguis, inureret. Hoc pacto superata bellua, sagittas suas eius sanguine tinxit, quo illarum uulnus mortiferū redderetur. Cùm ingens cancer hydræ opem tulisset, eum Hercules cōculcauit. Et quia accensos torres Iolaus ad Herculem attulit, crediderunt quidam hunc laborem, quia adiutus fuisset ab Iolao, nō fuisse inter duodecim ab Eurystheo receptum. Tertius labor, ut aprum Erymanthium Arcadiæ uastantem agros, uiuum afferret. Phocidis ager uniuersus ob iram Dianæ, quia Oeneus illam meritis uictimarum honoribus priuarat, ab apro insignis magnitudinis uastabatur, qui in Erymantho monte Arcadiæ natus fuerat. Eū Hercules uinctum ad Eurystheū uiuum portauit, cùm illum è quodam frutice to propter altam niuem defessum extraxisset. Quartò mandatum Herculi, ut aureis cornibus ceruam uelocitate eximiam Dianæ sacram, in Mænalo monte habitantem, Mycenas captam adduceret. Sed cùm neq; occidere illam Hercules, ut Dianæ sacram, neq; uulnerare uellet, annum totum currendo est insecutus. Illa deniq; fessa in montem Artemisium confugit, & ad Ladonem amnem iamiam tranatura capta est, & Mycenas super humero deportata. Aiunt Eurystheum uirtute Herculis perculsum, dolium æneum sibi ad latibulum comparasse, neq; in urbem Herculem admisisse, omnia monstra ante portam ciuitatis exponi iussisse, per Copreum præconem omnia illa formidabilia imperasse. Dianæ Taygetæ ceruam postea ab Hercule consecratam aiunt. Cùm iuxta Stymphalum Arcadiæ lacum, apud quem Iuno educata fuit, & celebre Dianæ templum, aues essent, quæ humanis carnibus uescerentur, ad has cædendas, quintò iussus accessit. Fuerūt, qui dixerint Stympalidas uocatas aues, non à Stymphalo lacu, uel fluuio, uel palude Arcadiæ Stymphali, sed ab Heroe quodā Stymphalo, cuius & ipsius uxoris Auis uocatæ, filiæ fuerint, ut sensit Mnaseas. Has occidit Hercules, quòd ipsum hospitio non accepissent, acceptis tamen Molionibus. Alij & aues has fuisse memorant, & non sagittis cæsas, sed crepitaculorum æneorum à Pallade acceptorum tinnitu ab Hercule abactas, in Aretiā insulam ex Arcadia conuolasse, ut sensit Pisander Camirensis, & Seleucus in Miscellaneis, & Charon Lampsacenus. Has etiam Ploidas uocarūt, ut ait Apollon. lib. 2. Argonaut. Crotalum illud, quo Stymphalides exterrait, à Vulcano factū, Pallas Herculi concessit. Sexto loco in Herculis contemptum præcepit Eurystheus, ut cortem Augiæ regis Elidis, nemine iuuante purgaret. Hæc per multos annos contractis sordibus fimoq; repleta erat. Is Pignione flumine superinducto, cursu eius cortem pugnauit, una die opere perfecto. Mox cùm Augeas pro purgato stabulo se mercedem daturum negasset, ab Hercule sagittis conficitur: filiusq; Pyleus, qui Dulichium profugerat, quoniam iniquum esse facinus patris dixerat, in regnum restituitur. Fuit autem Augeas Solis filius, (ut alij putarunt, Neptuni, uel Phorbantis & Hirmines, uel Nyctei, uel Epochi) è cuius oculis radij solaribus similes effluere dicebantur. Eo cæso Hercules è spoliis Elidis certamina Ioui Olympico instituit, quæ Olympica appellauit: quæ quinquagesimo quoq; anno agebantur. ipseq; prior uolentes omnes ad certamen prouocauit. Verùm neq; hunc laborem Eurystheus inter duodecim recepit, quia spe mercedis illum obiuisset. Suscepit deinde onus septimū tauri ex Creta, quem Pasiphae amabat, deducendi. Cùm Minos toti mari, quod Græciā alluit, imperaret, nihilo maiorem honorem Neptuno, quàm diis cæteris impartiuit. Quamobrē iratus Neptunus taurum ignem efflātem naribus, Cretæ immisit. Fuerunt qui dixerint, Minoem uouisse quod primū sibi obtigisset. At hunc taurum in sua armēta seruasse. Quare Neptunus illi furorem immisit, ut omnia deuastaret. Alij dixerunt hunc taurum per fraudem Minois in Atticum solum fuisse deportatum, qui multos Athenienses cōculcarit, atq; inter cæteros Androgeum, Minois filium. Quem cùm ille per insidias obtruncatum putasset, comparata classe bellum Atheniensib. intulit. Hic taurus ut ductus fuit ad Eurystheum, ut qui esset sacer, ab Hercule dimissus, Marathonium agrū rursus uexauit: eúmq; dicunt Dianæ Marathoniæ fuisse postea à Theseo mactatum. Apollodorus uerò putauit fuisse taurum, qui trans mare portauit Europam. Labor deinceps octauus est ei iniunctus, Diomedis Thracis equos adducendi. Erant equorum præsepia ob equorum feritatē ærea: ferreis catenis equi uirib. prœualidi uinciebantur. Alebantur in Tyrida oppido hospitum eò diuertentium carnib. Hos cupiens Hercules abducere, primò Diomedem cepit, deditq; suo exemplo equis comedendum. Mansuetiores deinde factos, ad seq; adductos Eurystheus Iunoni sacrauit. Quorū genus usq; ad Macedonem Alexandrum permansit. Alij ab Hercule trucidatos, alij ad Olympum montem in pascua ductos à feris laniatos uolunt. Imperauit Herculi nono loco Eurystheus, ut Hippolytæ Amazonum reginæ baltheū pulcerrimum ad se afferret, quē Admetæ filiæ largiretur. Eum tamen nonnulli non Hippolytæ, sed Diilycæ esse maluerūt: at Ibycus filiæ Briarei. Hercules cùm una naui ad Amazonas traiecisset, Mygdonem & Amycum fratres iter impedire conantes in Bebrycia obtrūcauit. Themiscyram appellens, Amazonibus debellatis baltheum abstulit, Hippolytā Theseo expeditionis socio concessit. Decimus deinceps labor ab Eurystheo Herculi iniūctus, ut Geryonis boues, qui in Iberia loca uersus Oceanum sita pascebantur, ad se deduceret. Vulgata erat per orbem fama Chrysaorum (hoc enim è diuitiis nomē traxerat) qui uniuersæ Iberiæ imperaret, tres habere propugnatores filios, tum robore corporis, tum armis egregios: exercitum præterea cuiq; fortissimorum militum esse. Hinc dictus Geryon Chrysaori & Callirrhoes filius triplex corpus habuisse, canem Orthrum duorum capitum in Erythea, septem capitum draconem ex Typhone & Echidna genitum, qui boues cūstodiret: suæ crudelitatis ministrum Eurytionem. Hercules exercitum in Creta coëgit: mox peragrata maiori Libyę parte, ad Oceanum, qui est ad Gades, peruenit: ibiq; ab utraq; continentis parte columnis positis, in Iberiam cum exercitu transit, Chrysaoriq; filios tribus magnis exercitibus fidentes, singulari prouocatione sustulit, bouesq; in patriam abduxit. Duas columnas erexit, tanquam suorum laborum terminos: quarū alteram Abinam, alteram Alyben uocauit. De loco non satis conuenit inter scriptores. Dicæarchus, Eratosthenes, Polybius & Græcorum scriptorum complures ad Euripi angustias erectas dixerunt: Hispani uerò & Aphricæ gentes apud Gades esse putarunt, teste Dionysio de situ orbis. Boues per mare Ionium ad Eurystheum Mycenas deducti. Eos omnes ille Iunoni immolauit. Fabulantur Herculem post ductos ad Tartessum boues poculum suum Soli reddidisse. Nam cùm ad boues contenderet, Solis radiis nimium calefactus, arcum uel in ipsum Solem intendit. Sol eius uires & animi magnitudinem admiratus, aureum poculum illi donauit, quo Oceanum ad boues capiendos traiecit. Iussit eum deinceps Eurystheus inferos adire, & canem Cerberum adducere, quinquaginta habentem capita, tria canina, reliqua

reliqua draconis. Hercules initiatus Eleusiniis mysteriis, quibus præerat Musæus Orphei F. sacrificiis ritè peractis in Tęnaro promontorio, antrum subiuit, traiectoq; Acheronte, Theseum super saxo sedentē & Pirithoum inuenit. Sed quia sponte & consultò Pirithous eò accesserat, illū ibi reliquit: Theseū, quia necessitate coactus fuerat, liberauit. Tum Menœcium Ceuthonymi filiū inferorum bubulcū, quia capturo Cerberum repugnaret, luctando ita cōstrinxit, ut omnia eius ossa confregerit. Proserpina eum ueluti fratrē suscepit. Cerberus in limine inferorum, uiso Hercule ad solium regis inferorum confugit. Eum pelle leonis & thorace tantū munitus Hercules cepit, quamuis nullum esset eius morsus remedium, cùm subita uis ueneni uel in ossa cōtinuò penetraret. Fabulantur Herculem, antequā ad inferos descenderet, ad Oetā accessisse, atq; ex fonte bibisse. Ob cuius uim cùm omnium præteritorum malorū esset oblitus, fontē illum Lathiū nominauit, ut ait in rebus Aetolis Demophantus. Tradunt eundem ad inferos descendentē in ripa fluminis Acherontis albam populum inuenisse, atq; ex ea coronā sibi fecisse, ut testatur Olympionicus in libro de Plātis, cuius pars foliorum exterior ob inferorum locorum caliginem facta est nigra. Mansit postea inde cōsuetudo, ut sacra arbor Herculi putaretur, & in sacrificiis Herculis coronarentur sacrificātes ramis populeis: &, ut scripsit enarrator Theocriti, pręmia etiam uictorib. certaminum in coronas parabantur rami populei. Cerberum igitur per Trœzenē ad Eurystheum deduxit: Euphorion & Herodotus per Heracleam, quam Acherusiam uocant. Cùm primùm lucem sensisset, uomuit: & ex eo uomitu natum fuit aconitum. Dicunt Eurysthei iussu Cerberum statim fuisse ad inferos reductum. Pausanias in Laconicis inquit: Hercules è Tænaro Laconiæ promontorio Cerberum fingitur extraxisse: cùm tamē eo in loco præter Psamathus in ipso monte templum, speluncæ persimile, nulla specus, nedum meatus subter terrā ullus cōspiciatur. Hecatæus Milesius in ea cauerna immanem serpentem lustra habuisse scribit, & propter uirulentiam inferorū canem appellatum, & ab Hercule ad Eurystheum pertractum, fabulæ locum dedisse. Homerus primus Ditis canem, posteriores & Cerberum & tricipitem fecerunt. Vltimus ei labor indictus, Hesperidum aurea mala afferendi. Asserūt quidam, in Libya in Hesperidum hortis mala aurea à terribili dracone asseruari. Alij μῆλα, hoc est, pecudū greges exquisita pulcritudine Hesperides habuisse: quæ ob decorem à poëtis aureæ dictæ sint, quemadmodum & Venerem ob egregiā formam auream appellāt. Nonnulli eas pecudes colore auro simili fuisse uolūt: eoq; hoc appellatas nomine. Draconem uerò extitisse pastorum curam: qui ui corporis fortitudinéque præstantes, custoditis gregibus latrocinia prohiberent. Alij tradunt Iunonem, cùm nupsisset, multas pomos, quæ aurea mala producerent, Ioui in dotem dedisse, quæ apud Hesperidas nymphas à dracone peruigili custodiebantur. Fuerunt Hesperides Hesperi fratris Atlantis filiæ, Aegle, Arethusa, Hesperusa: uel ut aliis placuit, Aegle, Erethusa, Vesta, Erythia. Draco natus ex Typhone & Echidna, centum capita habebat, uariisque utebatur uocibus. Eo interemto Hercules aurea mala decerpsit, & ad Eurystheum detulit. Alij maluerunt illum admonitum à Prometheo iussisse, ut Atlantem ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cœlum, dum rediret Atlas, sustineret. Tandem hic monstrorum domitor in Oeta mōte sacrificaturꝰ, ueste uenenata ab uxore Deianira accepta, ueneni ui maximis agitatus doloribus, pyram conscendit, & exustus est. Ossa disparuerunt. Ei tanquam heroi sacra facta. Diod. lib. 4. cap. 3. plurima alia Herculis gesta recenset: sed ἄθλων nomine duodecim tantùm ab Eurystheo imperata connumerantur. Natalis Comes libro septimo Mythologiæ, cap. 1.

Cùm HERCVLES Hesionem Laomedontis filiam ob patris perfidiam, Neptuni ira scopulo alligatam, cetoque immani expositam, uellet liberare: fertur aggerem, ut alij malūt, murum repentinum excitasse, atque ad angustias eius aggeris armatus constitisse. Vbi uerò cetus accessisset hians, in eius os Hercules irruit. Ibi cùm per triduū fuisset, ceto disrupto exiit omnibus amissis capillis capitis, ut scriptum reliquit Andrætas Tenedius in nauigatione Propontidis. Cæterùm cùm præstantissimos equos ob id beneficium Laomedon Herculi promisisset, neque tamen dedisset: indignatus Hercules regem obtruncauit, Hesionem Telamoni, qui prior murum Troiæ conscenderat, largitus est, concessitque Hesione, ut quem uellet è captiuis, emeret. Illa fratrem Podarcim emit, qui postea Priamus ea de causa uocatus est. Natalis Comes.

Ad Caucaseos montes & Hyperboreos profectus HERCVLES, aquilam, Typhonis & Echidnæ filiam, quæ iecur Promethei uorabat, sagittis transfixit, & Prometheum solutis uinculis oleastri liberauit. Cum Acheloo, qui tauri formam sumserat, in Calydone colluctatus, cornu eius fregit: pro quò redimendo Achelous Amaltheæ Harmodij filiæ cornu largitus est. Illud Hercules omnibus fructibus refertum Ioui consecrauit. Idem.

HERCVLIS XII labores (quos alij innumeros fuisse perhibent) breuiter complexus est Quintus Smyrnæus his uersib.

Πρῶτα μὲν, ἐν νεμέῃ βλοσυρὸν κατέπεφνε λέοντα.
δεύτερον, ἐν λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν ὕδρην.
τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς, ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.
χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.
πέμπτον δ' ὄρνιθας στυμφαλίδας ἐξεδίωξεν.
ἕκτον, ἀμαζονίδος κόμισε ζωστῆρα φαεινόν.
ἕβδομον, αὐγείου πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν.
ὄγδοον, ἐκ κρήτης δὲ πυρίπνοον ἤλασε ταῦρον.
ἔννατον, ἐκ θρήκης διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.
Γηρυόνου δέκατον βόας ἤγαγεν ἐξ ἐρυθείης.
κέρβερον ἑνδέκατον κυν' ἀνήγαγεν ἐξ ἀΐδαο.
δωδέκατον δ' ἐκόμισεν ἐς ἑλλάδα χρύσεα μῆλα.
τὸ τρισκαιδέκατον, τρίτον λεχέων ἔσχεν ἄεθλον,
μιᾷ ἐν νυκτὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούρας.

Hos sic conuertit Ausonius:

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima, Lernæam ferro & face contudit hydram.
Mox Erymantheum uis tertia perculit aprum.
Aeripedis quarto tulit aurea cornua cerui.
Stymphalidas pepulit uolucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliauit Amazona baltheo.
Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octaua expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis uictoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimo mala Hesperidum distincta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.
Tertius ac decimus labor est durissimus: una
Quinquaginta simul uitiauit nocte puellas.

De eodem sic scribit Boëthius lib. 4. cap 7.

Herculem duri celebrant labores:
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sæuo spolium leoni,
Fixit & certis uolucres sagittis:
Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo læua grauior metallo,
Cerberum extraxit triplici catena:
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sæuis dominum quadrigis:
Hydra combusto periit ueneno:
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora demersit pudibunda ripis:
Strauit Antæum Libycis arenis,
Cacus Euandri satiauit iras:
Quosque pressurus foret altus orbis,
Setiger spumis humeros notauit.
Vltimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo: preciumque rursus
Vltimi cœlum meruit laboris.

THESEVS Herculis certaminum imitator, natus Aethra Pitthei filia ac Neptuno, in Trœzene, nutritus apud Pittheum maternum auum, ac signa, prout ferunt fabulæ, ab Aegæo sub petra posita recognoscēs, Athenas uenit. Deinde mare ingressus, ut Herculis uirtutes imitaretur, ad ea certamina adiecit animum, quæ laudem & gloriam sibi essent allatura. Et primùm quidem latrones sustulit, de quibus suo loco. Deinde interemit in Crommyone aprum syluestrem, à quo multi interibant uirib. ac magnitudine præstantes. Tum Marathoniūm taurum, ab Hercule è Creta in Peloponnesum traductum, cùm per Isthmum Corinthiacū in Marathoniam Atticæ regionem fugisset, ibiq; inter alios etiam Androgeū Minois F. interfecisset, eum in arcem egit, ac Deæ mactauit. Minos ex insidiis Atheniensium filium interfectū suspicans, classe Athenienses coëgit, quotannis septem pueros ac totidem uirgines Minotauro in labyrinthum deuorandos mittere. Pausanias in Atticis. Adhuc adolescens in Cretam cum iis nauigare uoluit, qui quotannis pro morte Androgei ad Minoem regem tributi nomine mittebantur, in escam Minotauro. Fabulantur Asterium siue Minotaurum corpus totum habuisse hominis, caput bouis. hic erat in labyrintho loco amplissimo & inextricabili uiarum multarum ambage. ab Ariadna Minois filia Dædali inuentione edoctus, cæso Minotauro ad exitum reuersus est, ubi filiū annexuerat. Diod. lib. 4. cap. 5. & Plut. in eius uita.

Apollini è Thyria Amphinomi filia natus est Cygnus, facie formosa, moribus inelegātibus & agrestibus, nimio studio uenationis deditus, habitabat ruri inter Pleuronem & Calydonem. Multos habuit ob pulcritudinem amatores: quorum cùm præ superbia admitteret neminem, mox omnibus inuisus, ab iisque est desertus, solo PHYLIO apud ipsum perseuerante. Quanquam hunc quoque nōn mediocribus affecit

cit contumeliis. Exiterat sub id tempus apud Aetolos ingens leo, qui & in ipsos & in pecus grassabatur. Hunc Cygnus iussit Phyliũ sine ferro interficere: idq; is in se receptt, leónemq; tali necauit astũ. Cùm sciret qua hora leo esset futurus, uentrem impleuit multo cibo ac uino. Cumq; bellua appropinquaret, ea euomit. Quæ leo famelicus deuorãs, uini ui stupido sopore obrutus est: Phylius brachio, cui uestem suam circumuoluerat, in os inserto leonem suffocauit, sublatumq; in humeros ad Cygnum attulit. Sed Cygnus alium adhuc difficiliorem ei laborem iniunxit. Erant ea in regione uultures monstrosæ magnitudinis, qui multos homines interficiebant. Hos cum uinos capere, & ad se perducere quauis ratione iussit. Dubitante Phylio, quomodo hoc mandatum conficeret, euenit ut aquila raptum leporem semianimem eq; cõdem deiiceret, non perlatum ad nidum. Phylius diepto lepore, sanguine eius se implenit, & humi procubuit. Itaq; uultures ad eum ut mortuum deuolarunt: quorum ille duos pedibus arreptos tenuit, atque ad Cygnum pertulit. Tertium ei hic, prioribus adhuc magis arduum, imposuit laborem: taurum ab armento iubens manu abducere ad aram Iouis. Phylius cùm persiciendæ huius rei rationem nullam inueniret, Herculis auxilium imploranit. Voto facto, duo ei tauri apparuerunt, qui propter uaccam, quam uterque ardebat, pugnantes cornibus se mutuò in terram prosternebant. Cumq; clanguissent, Phylius alterum pede correptũ ad aram usq; attraxit. Mutata inde Phylij uoluntate, Cygnus se, quod minimè opinatus erat fore, contemtum uidens, præ mœrore animi seipsum abiecit in Conopam lacum, uideriq; inter homines desiit: eodemque etiam se Thyria mater, filij mortem non ferens, præcipitauit: amboque in aues mutati sunt in lacu, Apollinis nutu. Ab iis lacus Cygnea appellata est: ac tẽpore arationis multi ibi uisuntur olores. Propè extat etiam Phylij monimentũ. Liberalis ex Nicandri lib.3. Alexeatorum, & Areo Lacone.

L. PRISCILLIANVS insignis athleta, cuius fuit percelebre nomẽ ob inultas iniurias, quas fecerat, & cædes belluarum aliquando cum ursо, pardali, leæna, & leone simul, pugnauit solus, aliasq; bestias complures occidit. Claruit temporibus Antonini Caracallæ, & Macrini Impp. Dion. Nicæus, & Xiphilinus.

IN SPECIE. ERGA

Elephantos.

In ea pugna, quam Iudas Machabæus contra Antiochum Eupatorem commisit, ELEAZARVS Iudę frater, conspicatus excellentem elephantum ornatum faleris regiis, & ratus in eo regem inuehi: magno animo in eum fecit impetum, & occisis multis prius quàm ad eum penetrarer, cæteris ueró metu cedentibus, succedens sub eius uentrem, confodit beluam, & ipse simul pondere eius illabantis oppressus est. Iosephus lib.12. cap.14. Antiq. ex 1. Machab. 6.

Clara est VNIVS è Romanis dimicatio aduersus elephãtum, cùm Hannibal captiuos Rom. dimicare inter se coëgisset. Namq; unum, qui supererat, obiecit elephanto: & ille dimitti pactus si interemisset, solus in harena congressus, magno Pœnorum dolore confecit. Hannibal, cùm tamen eius dimicationis contemtum ailaturum belluis intelligeret, equites misit qui abeuntem interficerent. Plin. lib.8. cap.7.

Bello ciuili cùm C. Cæsar Tapsum operibus circundaret, VETERANVS quidam in elephantem, lixarum unum genibus proterentem, impetum facere ausus, à bellua probosci de cum totis armis arreptus, quum sublimis rotaretur, proprij periculi admonitus, eius manicam, quantum in ea trepidatione potuit, grauiter ferro consauciauit. Quo uulnere elephas territus, relicto milite in aciem refugit. Sabellicus lib.7. Enneadis.6.

Eo prælio, quo Alfonsus Albuquercius, Indiæ prætor, regem Malacensem uicit, & Malacam urbem expugnauit, Rex castello, quod elephantus ingens tergo sustinebat, cũ aliquot è suis domesticis uchebatur. Hunc alij elephanti similiter instrati & armati sequebantur. Tela è castellis frequentia decidebant. Elephanti enses dentibus alligatos gestabant: rãtaq; ferocia in Lusitanos irruebãt, ut antesignani pellerẽtur. FERNANDVS tamẽ Gomecius Lemius, & VASCVS Fernandus Coutignus, minimè ea re perturbati, resistunt. Cùm uterq; eorum in opposita uiæ latera, qua elephantus gradum uiolenter inferebat, conceSSisset, aditum ei liberum reliquerunt. Utrinq; deinde latera illius hastis perfodiunt. Bellua quamuis in principio certaminis sit immanis & effera ta, est tamen doloris impatiens, & facilè in suos quouis uulnere sauciata conuertitur. Itaq; cùm elephantus transfixus utroq; latere fuisset, rectorẽm, qui illi insidebat, probosci de deturbatum proculcat. Exanimari deinde (sanguis enim illi utrinq; profluebat) mirificè cepit. Rex eo metu confestim desiluit. Elephantus in suos conuersus, reliquorum elephantorũ aciem perturbauit. Omnes exterriti in fugam uersi sunt, neq; ursus ullis rectorum monitis aut minis in prælium compelli potuere. Osorius lib. 7. rerum Emman.

Leones.

BANAIAS Ioiadæ Cabseleensis F. & Danidis consiliarius, tres leones prostrauit. 2. Reg. 23.

ABISAI Hebræus leonis, qui in fossam conciderat, rugitum sentiens, solo fuste armatus, in fossam intrepidus descendit: statimq; maioris audaciæ opus, quàm quod de Hercule perhibetur, aggressus, leonem occidit. Siquidem maius fuit Abisai in arcto aduersus ualentem feram fortè inuentam feliciter rem gerere, quàm Herculi spacioso in cãpo clauo uel uincere uel interimere. Fulgos. lib.3. cap.3.

Megareus rex Megarensium cùm è duobus filiis natu maiorẽ, cui Timalco nomẽ, qui cum Castore & Polluce Aphidnam oppugnarat, amisisset, natu autem minorem leo Citharonius peremisset, orbatus filiis, & filiæ nuptias, & regnum ei spopondit, qui Cirhæronium leonem confecisset. ALCATHOVS igitur Pelopis filius ausus cum bellua congredi, ex eo certamine uictor discessit, regnoq; potitus, Agroterę, id est, Venatricis Dianæ, & Agrei Apollinis templum dedicauit. Pausanias in Atticis.

TERIBAZVS Artoxerxem regem Persarum quadam die à duobus leonibus, qui ex quadriga regia duos iam equos discerpserant, liberauit, leonibus ipsis fortiter occisis. Qui deinde propter singularem fortitudinem & prudentiã summæ rerum contra Cyprium Euagoram præfectus fuit. Diodorus libro 15.

POLYDAMAS Scotussæus pancratiasta, maximus omnium ætatis suæ hominum, etiamnum adolescens, leonem in Olympo Macedoniæ, nullo telo armatus, occidit. Paus. l. 6.

PERDICCAS Macedo, qui secutus est Alexandrum, aliquando in speluncam leænæ solus ingressus, leænam ipsam non deprehendit, sed catulos eius secũ exportauit: & magnam hominum admirationem hoc facto meruit. Etenim non solùm apud Græcos ferocissimum animal leæna putatur esse, uerùm apud Barbaros. Proinde dicunt, SEMIRAMIDEM Assyriam, non, si quando leonem cepisset, aut pardalim, si milémue feram interfecisset: sed si leænam esset nacta, animum extulisse, sibiq; in eo placuisse. Aelian. de Var. hist. l. 12.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, leoni famelico Alexandri iussu datus in prædam (quòd Callistheni philosopho capitio ad remedium calamitatis dedisset uenenum) manum amiculo inuolutam in os leonis intulit, arreptaq; lingua seram exanimauit. Quo illustri facinore conciliatus est Alexandro. Trogus lib.15. Plin. lib.8. cap.16. Paulanias in Atticis. Seneca. At Plutarchus & Arrianus hoc tacẽt. Quòd leonem, cùm uenaretur, excepisset, ac uno uulnere occidisset, fabulam ortam putat Q. Curtius. Val. Max. lib 9. cum à leone cęsum tradidit.

Dion scribit ACILIVM Glabrionem consulem in Albanum ab Domitiano euocatũ, per Iuuenalium festos dies, quos inibi celebrabat, iussumq; cum ferocissimo leone, ac uisendæ magnitudinis congredi. Sed prudenter in pugnam prodiens Acilius, feram confecit. Id quod Satyricus poëta docẽtis exequitur. Cælius lib.13. cap.19. A.L.

CONSTANTINVS Magnus, Imp. postea, puer etiamnum in re militari à Galerio Maximiano Orientis præfecto instituebatur. Ab eo, cùm iam adoleret, missus est cum exercitu contra Sarmatas, ferocissimam gẽtem. In qua expeditione non modò hostes profligauit, sed ducem Sarmatarum catenatum Galerio adduxit. Galerius præ inuidia minimè ea uictoria lætatus est: sed ut cum leone in theatro pugnaret, hortatus est iuuenem, gloriæ ac laudis alioqui auidum: Superato quoq; leone in certamine, cùm miris laudibus spectatores iuuenem efferrent, Galerius maiores meditatus est insidias. Quas ut cuitaret adolescens, assumtis fidissimis quibusque sociis, ad patrem Constantium Chlorum Occidentis Imp. perfugit. Cuspinianus.

PETEDEVS Rosmundæ & Helmichis adulteri consilio Alboinum Longobardorum regem occidit, & Rauennam primùm, inde Constantinopolim fugit. Ibi cùm ingentem leonem in harena confecisset: à Iustino Imp. uires tantas suspectas habente excæcatus est. Cæcitatem ulturus, secretũ principis colloquium postulauit, ut eorum quæ sunt reip. maximè necessaria, commonefaceret: duobus cultris sub utraq; manu delitescentibus, patricios duos internuncios interfecit. Bonfinius lib.8. Decad.1.

ROMANVS Armenus, homo rusticę, sub Leone VI. Imp. classis præfecto seruiebat. Quadam nocte, dum exploratum Saracenos abiret, leo ex harundineto prosiliens certorũ multitudinem in paludem pellens, unum ex iis lacerauit. Romanus suspicatus Saracenorum aliquos in harundineto latitare, mane Græco igne harundineum exussit, præterquam in ea parte, qua leo latuit, uento à contrario flante. Cùm igitur omnia lustraret Romanus, & aceruum hunc miraretur ab igne seruatum, ensem dextra, læua pallium gestans, cum socio confabulabatur. Leone ex harundineto prosiliente, Roma-

labatur. Leone ex harundineto prosiliente, Romanus cùm pallium obiiceret, & in illud leo fœuiret, à tergo ense semora eius dissecuit: sociis interim fuga elapsis. Imperator eum donis honestauit: & iam moriturus, ad tutandum palatium eunuchum (ut moris est) dedit Phocam Domesticum scholarum, quem terrestris exercitus ducem constituerat: Romanum autem naualis exercitus principem fecit. Is postea obsequio suo tantum effecit, ut etiam uino Constantino Pophyrogenito Cæsar salutaretur. Cuspinianus.

HARALDVS, proscripto Olauo fratre uiro sancto, Dacorum rege, ipse quoq; Byzantium aufugit: ubi à Barbaris falsò homicidij insimulatus, obiectus est leoni, quem præter omnium opinionem occidit. Quo facto & supplicium remissum, & abeundi facultas data. Domum reuersus, regnum adhuc à nemine occupatum facilè obtinuit. Polyd. lib.8.

COMES quidam Holsatiæ, truculentissimum leonem ab æmulis emissum, iuba arripuit, atq; in caueam religandum adduxit, eoq; ferrea catena constricto, illæsus exiuit. Olaus libro 5. capite 21.

Admiratus est Mathias rex Vngarię cuiusdam nobilis POLONI facinus, qui escam leoni libero & famelico abstulit, atq; eidem tantum terroris intulit, ut rugire non auderet, nec se loco mouere. Olaus lib.5. cap.21.

Lupos.

IOANNES Hunniades, Triballorum ducis stipendia merens, in uenatione lupum persequens, equo flumen tranauit, lupum confecit, pellem duci obtulit. Hoc facinore dux admodum delectatus, Deum tibi uitam Deus, inquit: multos, quantum uideo, lupos confices. Chalcocondylas lib.5.

Vrsos.

SKYOLDVS, Lotheri Danorum regis filius, immanem bellua am subegit, quæ futuram in eo fortitudinem ominata est. Nam quùm à tutoribus fortè, quorum summò studio educabatur, spectandæ uenationis licentiam impetrasset, obuium sibi insolitæ magnitudinis ursum, telo carens, cingulo constrinxit, necandumq; comitibus præbuit. Ferunt, ingenui roboris nobilitatem feras bestias in homine deprehendere, illi parẽre, ceruicesq; submittere: quas crigunt in degeneres. Cranz. lib.1. Daniæ, cap.5. ex Saxone.

Apros.

Fabulantur Oeneum Aetolorum regem & Calydoniæ, primitias tum frugum, tum etiam domesticorum animalium Dianæ offerre solitum. At cùm sumtui parcere decreuisset, Dianam solitis primitiis defraudauit. Illa indignata, aprum insignis magnitudinis, qui in Oeta monte uersabatur, in Calydonium agrum immisit, qui uniuersam regionem deuastaret. Ouid. lib.8. Metamorph. Inter cætera damna, quæ illi regioni inferebat, cultissimam Oenei uineam, quam Ancæus multa diligentia plantauerat, populatus est. Homerus in Iliade. Ancæum seruis asperum & immitem fuisse aiũt, dum eam uineam plantaret. Quare unus ex iis dominum eius uineæ non gustaturum esse fructum inquit. Ancæus ubi fructus ad maturitatem peruenit, seruum iussit sibi uinum miscere: & poculum ori admoturus, fallum fuisse eius uaticinium dixit. Cui sertus respondit:

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

Ancæo poculum tenente accurrit quidam nuncius, ab apro uineam deuastari. Ancæus deposito poculo, arreptaq; securi, in aprum irruit, & uulneratus crure, ut sepsit Phereydes, interiit. Pausan. in Arcad. Ancæum, cùm opem ferret Meleagro Oenei filio, à bellua interfectum, memoriæ prodidit. Ouidius in uentre uulneratum ait. Venatores ex uniuersa Aetolia conuenerunt ad Meleagrum: Iason, Theseus & Pirithous, Lynceus, Idas, Cæneus, Leucippus, Acastus, Amphycides, Oeclides, Telamon, Phyleus, Eurytion, Lelex, Echion, Hyleus, Hippasus, Nestor, Panopeus, Pollux, Iolaus, Atalanta, Peleus, Prothous, Cometes. Multi mortales periẽre ab apro laniati. Scripsit Ouid. lib.8. à Meleagro in animo cæsum uenabulo, at Isacius in Chiliadibus in fronte: prioremq; omnibus Atalantam Iasonis, at non Schœnei filiam, sagitta aprum percussisse. Quantæ fuerit magnitudinis hic aper uel ex eo patet, quòd teste Plinio unus eius dens in hortis Cæsaris in templo Liberi patris haud minor unius pedis & quadrantis mensura spectabatur. Natalis Comes Mythol. libro septimo, capite 3.

Serpentes.

CADMVS Agenoris filius, serpentem interfecit, custodẽ fontis Aretiades: cuius dentes quum seuisset, nati sunt protinus armati homines, qui mutuis uulneribus se confoderunt, ut fabulantur poëtæ.

Fratrem Perasi Argiuorum regis dicit Pausanias PHORBANTEM fuisse, filium Argi patrem Triopæ. Diodorus autem Siculus scribit Rhodienses, cùm ui serpentum atrociter infestarentur, consulto oraculo Phorbantem accersisse, data insulæ parte, quam & ipse, & eius posteri tenerent. Ita liberatos peste illa, decreuisse postea Phorbanti uita iam functo diuinos honores: quem tamen Diodorus lib.5. cap.12. uidetur indicare, non Phorbantem Argiuum, nec Perasi, aut Argi filium, sed Thessalum Lapitho progenitum.

Secundus Ptolemæus Aegypti rex cupiens & elephantos & alias mirabiles uisu ac uiribus belluas ad se adduci, donis ac pecuniis multos ad elephantos aliasq; feras capiendas pellexit. Venatores quidam AETHIOPES decreuêre magnum serpentem uiuum in Alexandriam ad Ptolemæum traducere. Cùm res hæc grauis difficilisq; esset, fortuna eorum consilio opitulata est. Serpens erat triginta cubitorum longitudine iuxta aquas, qui reliquo tempore immobilis, se in circulum colligẽs quiescebat: accedentibus ad aquã potus causa cæteris animantibus, insidiabatur, & citò cunctens cauda depascebatur. Hunc conspicati homines, cùm longior esset, hebesq; natura, laqueis & catenis ipse sese illo potituros sperantes, primùm fidenter ad eum accesserunt. Bestiæ appropinquantes, tutis igneis oculis, lingua lambente singula, squamarum asperitate, dum moueretur, strepitum ingentem edente, dentibus insuper eminentibus, quis quoque aspectu horrido, immutato colore admodum exterriti sunt. Itaq; timidè iniectis ad caudam laqueis, ad contractũ simibus corpus magnis fibilis conuersa bellua, propinquissimum ore captum uiuum deglutiit: alium fugientem cauda longè apprehensum, atq; ad se tractum occidit. Cæteri metu perculsi, fuga saluti consuluêre, non tamen omittẽtes belluæ capiendæ curam, spe lucri timorem superante. Eum arte & dolo sunt aggressi. Primùm ualidis spissisq; funibus rete concauum nallæ forma belluæ capax fecerunt. Tũ speculantes serpentis cubile, atq; exitus reditusq; notato tempore: ut primùm serpens ad consuetum animalium pastum prodiit, priore aditu ingentibus lapidibus terraq; obducto, in proximo uallis loco latum in primis ingressum, tamẽ ad exteriorem interius, ueluti cuniculum, cubile uersus, in quo rete positum est, fecêre. Reuertenti à pastu belluæ, coniectis procul telis, equorum item conspectu, & latratium canum multitudine, ad hæc tubarum concentu territum serpentẽ, ad solitum aditum coegerunt. Quem obseptum cùm repperisset, illi insequendo armorum equorumq; strepitu, tubarum insuper clangore, & uenantium clangoribus obstupefactam belluam ad præparatum aditum adegêre. Quę ingressa, in rete incidit. Deinceps reluctantem, reteq; dentibus magnis editis fibilis lacerantem, compressêrunt. Eam enim ad terram reposuerunt, & loca caudæ proxima pungentes, retraxerunt eius dentium laceration em ad sensum dolentii partium. Eo pacto irretitum serpentem deferentes Alexandriam regi obtulerunt, mirandum spectaculum, & uix audientibus credendum. Deducto deinde paulatim ad conterẽdas uires cibo, feritas eius remissior reddita est: ita ut ob illius mansuetudinem obstupescerent. Ptolemæus uenatoribus tributo præmio, serpentem dimenso enutriens cibo, ad regiam uementibus exteris pro mirando spectaculo ostendebat. Diod. lib.3. cap.3.

ATTILIVS Regulus Cos. Rom. bello primo Punico apud Bagradam fl. in Africa serpentem balistis atq; catapultis cũ uniuerso exercitu uix tandem cõfecit. Eius interfecti corium longum pedes CXX cum maxilla Romam missit. Gell. lib. 6. cap.3. & Plin. lib.8. cap.14.

GEORGIVS martyr Cappadox, tribunus militum sub Diocletiano, draconem maximum in Africa, exercitũ terrentẽ, interemisse dicitur. Quæ tamen historia in Niceno concilio inter Apocrypha est habita. Volat. lib.16. Anthrop. & 22.

Synardus Gothorum rex, filiam Aluildam habuit, peplo semper obnuptam, ne formam suam alienæ libidinis irritamentum efficeret. Hinc pater in arctam admodum custodiam relegatæ uiperam aliquemq; educandos commisit, pudicitiam eius reptilium custodia uallaturus. Statuit etiam, ut si quis eius aditum fruitra tentasset, protinus amputandum caput, paloq; refigendum præberet. Tunc ALFVS, Sigari Danorum regis filius, proci titulũ professus, animalia propter uirginis conclaue excubantia debellare iussus, ut acrius aduersum se rabiem excitaret, cruenta corpus pelle contexit. Qua succinctus, mox ut septi ualuas subiit, candẽtem chalybem sorcipe comprehensum, hiantis uiperæ faucibus immersit, eamq; exanimem prostrauit. Anguem deinde hiantem telo confecit. Cumq; ex pacto uictoriæ pignus expeteret, refert Syuardus, hunc sibi generum acceptari, in quem filia sol dum optionis arbitrium contulisset. Regina cùm filiãm à sponso non abhorrere intelligeret, grauissimis uerbis in libidinem eius inuecta, eò deduxit, ut uirilem uestem induta, ex pudica puella ferocem piratã agere ceperit. Cum pluribus quoq; eiusdem uoti puellis in commilitium adsciscitis, eo forte loci peruenit, ubi piratarum agmen amissi bello ducis interitum deplorabat. A' quibus ob formæ pulcritudinem piraticæ princeps creata, maiores mulieb ui tu-

te res edidit. Quam Alf insequens, tandem apud Finnos naualí prælio commisso, ex insperato captam, & decussa galea agnitam, uirilem cultum in muliebrem conuertere coegit, ex qua postmodum filiam Guritham procreauit. Sed & Borcarus Alfi miles Aluildæ comitem Grò nomine matrimonio complexus, filium ex ea Haraldum suscepit, quem sequens ætas Hyldetan cognominauit. Saxo lib. 7.

Rex Suconũ Herothus, repertos in uenatione angues duos filiæ Thoræ nutriendos commisit, integrum bouem quotidie absumere solitos. Qui cùm adulti pestilentissimo halitu uiciniam urerent, rex inertis operæ pœnitens, potiturum filia, qui pestem amouisset, edixit. Tum REGNERVS Danorũ rex laneum à nutrice sagulum, uillosaq; femoralia, quibus inflictos anguium morsus elideret, sumsit. Cumq; nauigio in Sueciã appulisset, madefactã uestem, quò minus penetrabilis redderetur, gelu durandam præbuit: eaque amictus solus processit ad regiam, & non armis modò, sed etiã amictu uirulentos frustratus insultus, cùm morsus clypeo, uenenum ueste arceret, ad ultimum iaculis utranq; belluã confecit. Cuius cultum rex curiosiùs contemplatus, quum hispidum animaduertisset, præcipuè tamen in braccarum speciem ludens, Lothbrogeum uocauit, adeoq; ex laboribus recreatum generum adsciuit. Saxo lib. 9.

HARALDVS, S. Olaui regis Noruegiorum frater, Magni Noruegiorum & Danorum regis patruus, exul Byzantium fugerat. Cæterùm ibi homicidij crimine damnatus, domestico draconi lacerandus obiicitur. Cui in carcerem eunti fidus seruus ultrò sese comitem obtulit. Vtrunq; is, qui custodiæ præerat, curiosiùs obseruatum, per os antri inermẽ excussumq; immisit. Vestibus exuto ministro, Haraldum uerecundiæ gratia linteo tantùm discinctum excepit. Ab eodem clàm armilla donatus, pisciculis pauimentum instrauit, ut haberet draco, in quo primæ famis impetum effunderet, reorumq; oculi paulatim se in tenebris recolligerent. Haraldus lecta cadauerum ossa telæ implicuit, iisdemq; in unum globum coactis ueluti clauam effecit. Cumq; draco in obiectam prædam irrueret: dorsum eius ueloci saltu conscendens, cultellum tonsorium, quem secum clam attulerat, umbilico, qui solus ferro patebat, immersit. Eum cultellum Valdemarus rex, rubigine exesum, familiaribus sæpè monstrare solebat. Seruus interim claua extemporaria belluæ caput crebris ictibus contudit. Rex fortitudinis admiratione nauigio stipendioq; donatos abire permisit, uirtutemq; colere quàm culpam punire maluit. Reuersus Haraldus, mortuo iam Magno nepote, Noruagiam occupauit, & inde arma in Daniam transtulit, uictoq; duplici prælio Suenone, in Angliã euocatus, cæditur. Hinc Mali cognomẽ traxit. Saxo l. 11.

Heluetiæ pagus est Transyluania. Cùm primùm coleretur, draco terribilis grauiter incolas uexabat. VINKELRIEDVS cædis causa exul, draconem se peremturum professus est, si sibi in patriam redire liceret. Cum dracone congressus, belluã interfecit, & uictoriæ causa cruentum gladium extulit. Sanguis igitur in brachium destillans, cùm corpus nudum infecisset, reditum in patriam uictori concessit, uictoriæ tamen fructum eripuit. Stumpfius in Heluetiæ Chron.

Draco ex monte in urbem Mediolanensem irruens, magnam stragem hominũ, qui ad operas & agros pergebant, facere non cessabat. Mulierem nullã, ut aiunt, lædebat: uiris tantũ infestus erat. Plurimi bestiã illam ut interficerent, contra eã ibant: uerùm nihil proficientes, extrema quæq; patiebãtur. Tandem MARIANGELVS, Mariangelorum familiæ princeps, natione Britãnus siue Anglus, ministrũ suum & semetipsum armatura, quæ totum corpus tegeret, armans, obuiã belluæ processit. Ministrũ igitur cùm bellua uoraret, & medium in rictu portaret, nec eum in ilia dimittere, uel euomere posset: securi belluæ caput amputauit. Draco in hunc modũ periit: ciuitasq; liberata ab ista bestia, à qua subinde oppugnabatur, Mariangelum ducem elegit, & contra hostes ire iussit. Nec multo pòst, ut sibi Mediolanensem principatũ constabiliret, satellites corporis sui custodes delegit. Quo regnante, generatione demum quarta pòst, principatus in Philippum deuenit, cum quo Veneti bellum gessere. Chalcocondylas lib. 4. Hic Otho Vicecomes fuit ex comitibus Angleriæ, qui barbarum quendam, uiperam in armis gestãtem, strauisse dicitur, anno Sal. 1096. De quo sub Tit. Monomachiæ, Gloriæ causa. Ioannis autem postea Galeacij Vicecomitis F. Philippus Maria, Angleriç comitatu donatus, suis Marianglorum nomen reliquit, circa annum 1400.

Monstra quæuis terrestria.

MINERVAM Ammonis Libyæ regis filiam scribunt per omnem uitam uirginitate seruata, prudẽtia claruisse: multasq; cùm ingenio præstaret, ab ea artes repertas. Belli quoq; exercitio deditam, cùm robore corporis uigeret, multa fecisse memoratu digna: & Aegidem peremisse, feram stupendam, ex terra natam: & antea, ut quæ natura plurimum ignis ex ore euomeret, insuperabilem pugna. Ea primùm in Phrygia apparuit, regionem quandam comburens, quæ hucusq; exusta Phrygia dicta est. Deinde ad montem Taurum transcẽdens, syluas cõtinuas usq; ad Indos incendio uastauit. Postmodum per mare in Phœniciam reuersa, syluas Libani incendit: perq; Aegyptum in Libyam profecta, ad loca peruenit occidua. Postremò syluis circa Ceraunia destructis, omniq; incensa regione, cùm homines partim flamma absumti essent, partim timore patriam linquentes, ad remotiora diffugerent loca: Mineruam ferunt, tum sapientia, tum fortitudine ac uiribus fretam, eam feram necasse, pellem pectori circumdedisse, tum uestitus tutelæq; gratia, tum ad uirtutis partæq; gloriæ memoriam ostendendam. At uerò belluæ mater Terra commota, deorum hostes Gigantes peperit, quos postmodum Iupiter Mineruæ Bacchiq; ac cæterorum ope deorum deleuit. Diod. lib. 3. cap. 5.

Acrisio de masculis liberis tollendis oraculum consulenti responsum est, E' Danae filia ipsius nasciturũ filiũ, à quo occidendus esset. Itaq; territus, ęreum thalamũ subterraneum parauit, in quo filiã inclusam adseruabat, ne cum uiro quopiã rem habere posset. Iupiter aũt amore uirginis correpto, in aurũ transformauit sese, atq; ita per impluuiũ in Danaes gremium illapsus, eam grauidã fecit. Natus est PERSEVS. Quod simulatq; rescisset pater, ipsam matrẽ unà cum infante, scrinio inclusam, in mare pręcipitem dedit. Porrò scrinio fortè fortuna ad Seriphum insulam delato, Dictys sublatũ ad se Perseum aluit. Polydectes aũt, Dictys frater, qui Seriphiis imperitabat, Danaen amare cœpit: uerùm Perseo iam adulto, non potuit ea potiri. Proinde conuocatis amicis, & inter hos Perseo, ait, Se uelle certamen edicere super Hippodamiæ Oenomai filiæ nuptiis. Perseus aũt existimans, si cũ Gorgonis capite pugnaret, neminem posse obsistere, præter alia postulauit equos, ductuq; Mercurij ac Palladis peruenit ad Phorci filias, Memphedem, Ennyò & Dinò. Has aiunt statim natas anus fuisse, tum unicum duntaxat oculum fuisse tribus, unicum item dentẽ: his uicissim inter se treis utebantur. Hæc cùm Perseus abstulisset, reposcentibus illis, ait redditurum sese, si uiam commonstrassent, quæ ad Nymphas duceret. Erãt his Nymphis alata talaria, & cibisis quępiam, quam aculã seu perã putant fuisse. Habebant & Plutonis galeam, quam qui gestaret, is quoscunq; uoluisset uidebat, ipse nemini conspicuus. His igitur instructus Perseus, uolucer iam ob talaria, ad Gorgonas ipsas deuolauit. Erant autem Gorgones tres sorores, Euryale, Sthenò, Medusa. Erant his capita, draconum squamis obsita, prætereà dentes maximi, suum instar, ad hæc manus & alæ, quib. per aera ferebantur. Aderat insuper ea uis, ut intuentes sese in saxa uerterẽt. Porrò sola Medusa è tribus mortalis erat. Hãc igitur impetit Perseus: & oculis defixis in clypeum æreum, per quem tamen ipsam Gorgonis imaginem aspiciebat, manum porrigens, quam Pallas in Medusam dirigebat, caput Medusæ desecuit. Aduolantes reliquæ duæ sorores, Perseũ quidem insequebantur, uerùm cùm illum ob galeam Plutonis uidere non quirẽt, retrò abiere. Itaq; Perseus reuersus in Seriphum, Polydecten aggressus est, amicorum auxilium implorantem. Quibus ad regiam concurrentibus, Perseus Gorgonis ostenso capite, quotquot obruerentur, in saxa uertit. Sublato igitur Polydecta, & Dicty in fratris locũ substituto, Gorgonis caput Palladi dedit, galeã Mercurio, cumque hac peram ac talaria: ille rursum Nymphis restituit. Erasmus in Adagiis ex Hygino.

BELLEROPHON, qui Chimæram interemit, patria fuit Corinthius, Glauci filius, Sisyphi nepos, ut testatus est Dioxippus Corinthius li. 2. de rebus patriis, & Pausanias in Corinthiacis. Hipponus antea dicebatur. Ast ubi Bellerum Corinthium, uel, ut maluit Phœnix Colophonius, Deliadem proprium fratrẽ, uel ut Philemon putauit Prienen, ut uerò Dorotheus Sidonius, Alcimenen interemisset, non solùm nomen, sed patriam etiam mutauit. Argis à Prœto perhumaniter expiatus, & in hospitium acceptus est. Paucis interiectis diebus Antea, uel Stheneboea Prœti uxor eius amore capitur. Quem cùm nullis blanditiis posset ad adulterium allicere, apud Prœtum tentatæ pudicitiæ accusauit. At Prœtus hunc ipse quidem iure hospitij interficere noluit: sed ad Iobatem generum suum in Lyciam misit occidendum, literasq; dedit obsignatas, in quibus criminatio continebatur. Cùm uerò solennitas quædam per illud tempus in Lycia celebraretur, fuit ab Iobate per nouem dies admissus in cõuiuium, ac decimo tandem die Iobates literas soceri aperuit. At cùm illum ipse interficere nollet, imperauit ut Chimæram, Solymos, & Amazonas superaret, teste Homero Iliad. 2. Dij cognita illius innocentia, Pegasum alatum equum, natum è Neptuno & Medusa, uel è sanguine Medusæ, dum eius caput à Perseo cæderetur, illi dederunt. Eo uectus, primùm Chimæram occidit, deinde Solymos & Amazonas debellauit. Redeuntem multi è Lyciis in insidiis collocati repentè adoriuntur. Quibus profligatis, incolumis ad Iobatem

reuertitur. Eius fortitudinem Admiratus Iobates, Philonoen filiam in matrimonium illi dedit, è qua Isandrum & Laodamiam & Hippolochum suscepit. Prœti uxor cicuta sibi mortem consciuit. Iobates successorẽ regni Bellerophontem instituit. Bellerophon felicitate elatus in cælum quoq; ascendere super equo Pegaso uoluit. Iupiter œstrum equo immisit. Bellerophon pręceps in terram deturbatus, in Aleã Ciliciæ planitiem cecidit, cæcusq; factus interiit. Pegasum nunc sublimem nunc depressum per aera uolantem, Aurora impetrauit à Ioue, ut ab eo uecta quotidianũ cursum cõficeret. Carystius in historicis commentariis tres populos à Bellerophonte uictos ait, idq; significatum per triplicẽ Chimeræ formam ait Zezes Hist. 149. Chil. 7. Alcimus in rebus Siculis, & Syracusius Nymphodorus Chimærã Lyciæ montem esse dixerũt, in quo ignis nasceretur. Eius in summa parte leones dicti sũt habitasse: in medio erant uberrima & amœnissima pascua: ad radices serpentes complures. Quæ res locum dedit fabulæ, quòd Chimæra monstrum esset è tribus diuersis animalibus compositum, πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, ut inquit Homerus. Cuius caput & pectus esset leonis, ignemq; efflaret ex orę, uenter capræ, cauda Draconis. Hunc locum Bellerophontes cùm fecisset habitabilẽ, dictus est monstrum illud sagittis confecisse. Scriptum fuit à Theopompo lib. 7. rerum Philippicarũ, Chimæram non fuisse sagittis transfixã, sed hasta petitã, quæ plumbum haberet in summa parte collocatum. Quum partẽ hastæ Bellerophon in os Chimerę [illegible] intrusisset, plumbũ igne colliquefactum in uentrem Chimæræ desluxit, & combussit intestina. Agatharchides Gnidius lib. 3. rerum Asiaticarum, Chimæram mulierem fuisse Amisodori tradit, qui imperauit Lyciæ, quæ duos fratres haberet Leonem & Draconem. Hi cum Lyciæ loca incursionibus & insidiis oportuna cum magna manu occupassent, adeuntes ea loca obtrũcabant. Ob concordiam igitur fratrum & sororis, corpus unum tria habere illa capita fabulati sunt. Hos Bellerophõtes superauit, & in seruitutem redegit. Zezes in Lycophronem. Natalis comes Mythol. lib. 9. cap. 3.

Regnante Argis Crotopo, eius filia Psamathe puerum, quem ex Apolline pepererat, ut patrem, à quo sibi plurimum metuebat, cælaret, exposuit. Cumq; ita accidisset, ut à canibus regij pecoris custodibus dilaceraretur, Apollo Argiuis dirã quandam belluam immisit, Pœnam ipsi appellarunt, quæ è matrum gremiis infantes rapiebat. Monstrũ uerò illud COROEBVS Argiuorum misericordia adductus confecit. Verùm cùm dei ira nihil remisisset, & pestilenti morbo ciuitas uexaretur, uenit Delphos iuuenis, ut de Pœnæ cæde Apollini satisfaceret. Pythia, cùm illi in patriã reditum negasset, ut è templo tripodem tolleret imperauit, quoq; loco excidisset, ibi urbe condita ut consideret. Cùm itaq; tripos illo imprudente lapsus ad Geraniã montem excidisset, in mentem ei continuò oraculi uenit, & eo in uico, cui Tripodisco nomen fuit, consedit. Corœbi uerò sepulcrum Megaris est, in quo inscripti elegi rem totam de Psamathe & Corœbo testantur. Tumuli insigne est Corœbus Pœnam conficiens: quæ signa omnium, quæ in Gręcia è lapide facta uiderit, antiquissima esse iudicat Pausanias in Atticis.

In imo Parnassi uersus meridiem mons est (ut quarto Alteratorum libro Nicander narrat) Cirphis, pone Crissam, inq; eo etiamnũ antrũ prægrande, in quo fera degebat olim ingẽs & monstrosæ magnitudinis adeò, quã alij Lamiã alij Sybarin nominabãt. Ea fera singulis dieb⁹ in agros grassabatur, pecus hominesq; rapiens. Iamq; Delphi de mutandis sedib. cogitabant, & oraculum consulebant de loco in quem migrarent. Tum Deus, malo eos isto liberatum iri pronunciauit, si manentes uellent ad antrum exponere puerum unum de ciuium filiis. Ipsi mandata peragebant. Sorte ad hoc ductus est Alcyoneus, Dionij & Megarinæ F. quem unum pater genuerat, & uultu & indole præditus eleganti. Eum coronis redimitum, sacerdotes ad Sybaridis speluncam adduxerunt. At uerò genij cuiusdam impulsu EVRYBATVS Euphemi F. ab Axio fluuio genus trahens, in Alcyoneum, cùm is ad antrum duceretur, incidit: & sciscitatus causam uiæ, Alcyoneo detractas coronas suo imposuit capiti, seq; eius loco duci iussit. Adductusq; ad antrum à sacerdotibus irrupit, Sybarinq; è lecto ui abreptam in lucem protulit, ac de saxis præcipitem egit. Ea capite ad imos Crissæ processus alliso, eo è uulnere decessit. Cæterùm isto è saxo fons erupit: qui ab incolis Sybaris dicitur. Inde etiam Locri urbem Sybarim condiderunt in Italia. Antoninus Liberalis.

Marinas belluas.

Cùm quæcunq; ad mare agerentur pecora, ex insidiis Triton adoriretur & raperet, inuaderet etiam leuiora nauigia, Tanagræi uini craterẽ exponunt. Ad eum cùm accurrisset Triton, odore allectus potus, & somno correptus, de litoris tumulo præceps collapsus est. Mox à TANAGRÆO quodã bipenni caput ei à ceruice abscissum. Eo factum, ut eius statua in Bacchi templo Tanagræ sine capite cernatur. Qui uerò tunc eum temulentum uidere, à Baccho occisum crediderunt. Pausanias in Bœoticis qui Tritonis monstri marini figuram describit.

Alexandri Magni CLASSIS in Oceano Indo cũ ingenti thynnorum multitudine, non secus atq; cum hoste legitimo, nauali prælio decertauit. Plin. lib. 9. cap. 3.

Orca Gaditani Oceani bellua, in Mediterraneum penetrans, in portu Ostiensi uisa est, oppugnata à CLAVDIO principe. Venerat tunc exædificante eo portum, inuitata naufragiis tergorum aduectorum è Gallia: satiansq; se per complures dies, alueum in uado sulcauerat, accumulata fluctibus intãtum, ut circumagi nullo modo posset, & dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa, emineret dorso multum supra aquas carinæ uice inuersæ. Prætendi iussit Cæsar plagas multiplices inter ora portus: profectusque ipse cum prætorianis cohortibus, populo Roman. spectaculum præbuit, lanceas congerente milite è nauigiis assultantibus, quorum unum mergi contigit, reflatu belluæ oppletum unda. Plin. lib. 9. cap. 6.

ERGA INANIMATA. FORTES IN IGNE SVPERANDO, EXTINGUENDO, ARCENDO.

Palladium uetus Troianum, quod ab Aenea in Italiam portatum esse dicunt cum magnis diis, post Albam deletam collocatum fuit ab Hostilio rege in ęde Vestæ. Quæ cùm deflagraret, METELLVS pontifex maximus Palladium ex incẽdio rapuit. Ob quod factũ magni sunt illi postea honores habiti, idq; sub recentem Rom. & Carthaginẽsium pacem, primo Punico perfecto bello, ante Fimbriam plus centum & quinquaginta annis. L. Viues in librũ 3. August. de ciuitate Dei, capite 7.

AQVA SVPERANDA, ARCENDA.

Consule Tit. Exploratores nouarum regionum.

Veterum historiis atque fabulis ARGONAVTÆ celebratissimi. Quorum nomina hæc referuntur apud Orpheum: Orpheus, Castor, Peleus, Echiõ, Iphiclus, Phalerus, Aglaus, Hercules, Pollux, Aethalides, Actorides, Butes, Iphitus, Areius, Tiphys, Mopsus, Eurytus, Buphagus, Oileus, Admetus, Ancæus, Amphion, Calais, Periclymenus, Asterion, Cæneus, Idas, Idmon, Phlias, Nauplius, Palæmonius, Asterius, Anchisteus, Meleager, Eurydamas, Lynceus, Canthus, Leodocus, Iphidamas, Erginus, Polyphemus, Actorion, Telamon, Menœtius, Cepheus, Tænaricus, Augias, Zetes, Hylas, Iason. Apollonius uerò Rhodius hos recenset: Orpheus, Asterion, Polyphemus, Iphiclus, Admetus, Eurytus, Echion, Aethalides, Coronus, Mopsus, Eurydamas, Menœtius, Eurytion, Eurybotes, Oileus, Canthus, Clytius, Iphitus, Telamon, Peleus, Butes, Phalerus, Tiphys, Phlias, Talaus, Areius, Leodorus, Hercules, Hylas, Nauplius, Idmon, Pollux, Castor, Lynceus, Idas, Periclymenus, Amphidamas, Cepheus, Angeus Lycurgi filius, Augeas, Asterius, Amphion, Polyphemus Neptuni siue Euphemus, Erginus, Angæus, Meleager, Laocoon, Iphiclus Thestiæ filius, Iphitus Nauboli, Zetes, Calais, Acastus.

VASCVS Gama Lusitanorum classis primæ ad lustranda Africæ litora ab Emmanuele rege missæ nauarchus, in promontorio Bonæ spei superando singulari fortitudine usus est. Fluctus erant immanissimi, tempestates persrigidæ & aduersæ: tenebræ uerò assiduæque procellæ, cùm semper in illa regione statis temporibus, quibus Sol Septentrionalem plagam lustrat, ualdè horribiles sint, atque pertimescendæ, tum illis, qui nondum fuerant eos fluctus experti, tantum terroris iniiciebant, ut omnem spem salutis abiicerent. Naues enim ita iactabantur, ut modò nubes contingere, rursus in imas profundi uorágines detrudi uiderentur. Ad hoc malum accedebat, quòd ultrà progredi nequibant. Demissis igitur uelis, uentis obsequi cogebãntur, ita tamen, ut uarios flexus atque reflexus inirent, ne retrò cederent, sed tempestatis aduersæ finem in fluctibus expectarent. Quoties uerò aliquid laxamenti dabatur, homines exanimati metu Gamam circunsistebant, illumq; orabant & obsecrabant, ne uellet se hominesque illius fidei commissos tam horrendo genere mortis extingui. Fluctibus diu repugnari nõ posse: cederet tempestati, & classem, antequam fluctibus mergeretur, in patriam reduci permitteret. Cùm is constanti animo postulata reiiceret, multi de nece illius coniurationẽ habuerunt. Id cùm Gama Pauli fratris indicio cognouisset, insidias summã uigilantia declinauit, & uincula magistris iniecit, ipseq; per se summi magistri munus obiuit. Tandem cùm multis diebus hanc tempestatis atque perfidię molem inuicto animo pertulisset, tempestas commutata est, & ipse cum reliquis ducibus ad finem promõtorij peruenit, quod omnes, XX. die Nouembris, cum incredibili lætitia flectore

inceperunt. Arbitrabantur enim, eo superato, nihil sibi impedimento futurum, quò minùs eò, quò tendebant, felicissimè peruenirent. Osorius lib.1. rerum Emmanuelis.

FERDINANDVS Magallanus, quinq; nauium classe à Carolo V. Imp. accepta anno 1520. oram prouinciæ Brasiliæ prætervectus, ad Austrum ultra æquinoctialem plagam nauigauit. Cùm mense Septembri, tres & quinquaginta gradus, ab æquinoctiali regione ad Austrum nauigando, confecisset, fretum reperit, cui nomen Magallani impositũ fuit, ut sempiternum monimentum facinoris extaret. Sed tantum frigus Hispanos miseros excruciabat, ut multi fœdè perierint. Fretum quadraginta millia passuum in longitudinem patet. Freto superato, rursus in æquinoctialem regionem, & in cœlum mitius atq; tepidius iter instituit. Varij interim casus hominem exagitârunt. Nam nauarchi cum reliquis Hispanis ab illo desciscere uoluerũt, & ei insidias intenderũt: & quidam ex illis capitali supplicio affecti sunt: & ipse tandem in insula, quam Matam appellant, cùm opem Regulo, qui ab illo auxilium postularat, attulisset, post bellum confectum, ab ipso Regulo occisus per insidias fuit. Duæ tantùm ex illa classe naues (reliquæ namq; amissæ fuerant) Tidorem, quæ insula una ex Malucis est, peruenêre. Vna ex illis octauo die mensis Septemb. anno salutis M D XXII Hispalim appulit. Alteram uerò nauem, quia dissoluta compage aquam accipiebat, Hispani in insulam subductam refecerunt, & onere accepto profecti, Septentriones uersus iter susceperunt. Cùm uerò commeatus illos deficeret, & multi frigore interirent: retrò cursum flectere coacti sunt. Ad Malucas autem appulsi, intellexerunt Lusitanos in insula, quam Ternatem appellant, commorari. Itaq; ad illos cõfestim mittunt, qui diceret, ut hominibus Hispanis, & eadẽ religione deuinctis opem in rebus desperatis afferrent. Nauem esse laceram, magnam partem hominum, qui ea uehebantur, absumtam, reliquos grauissimis morbis impeditos. Antonius Brittius, qui iam insulis nomine Regis Emmanuelis imperabat, Garsiam Henricum cum nonnullis nauigiis extemplò misit. Ab his Magallani comites fuêre continuò recepti, & singulari humanitate tractati. Nauis fracta fuit, & illi Lusitanis nauibus in Indiam, deinde in Hispaniã rediêre. Hunc exitũ classis illa habuit. Osorius li.11. rerũ Em.

FORTITVDO DEFENSIVA SVIIPSIVS SVORVM'VE.

VITAM SVAM ALIORVM'VE fortiter tueri.

Exempla pete ex Tit. Fortes duces: item, Fortes milites. Illic Conditionis, hic Defensionis ratio habetur.

Fabulantur Græci, HERCVLEM, cùm in Aegyptum peruenisset, ab Aegyptiis redimitum, tanquam Ioui immolandũ, sub pompa fuisse eductum: ac tantisper quietem tenuisse, dum illi ante aram eum stitissent: ibi ad uim conuersum, omnes interemisse. Quæ cùm dicunt Græci, uidentur mihi se & naturæ Aegyptiorum, & morum ignaros prorsus ostendere. Quibus enim nullam pecudem fas est immolare, præter sues, præterq; boues mares & uitulos, dũmodò mundos, & anseres: ij qua ratione immolarẽt homines? Aut quomodo Hercules, qui unus esset, & adhuc, ut aiunt, homo, tot millia uirorum interemisset? Herodotus lib.2.

Tarquinio Romam redire armis tentante, belli fortuna sępiùs in utranque partem uariauit. C. MARTIVS Coriolanus strenuè dimicans, in conspectu Dictatoris militem Romanum, qui prope eum fusus humi erat, non deseruit, sed protexit, inferentemque se repulit, & interfecit hostem. Itaque uictoria dux potitus, illum inter primos corona quercina donauit. Hæc enim ei, qui seruauit ciuem, de more datur, siue quercum potissimùm in honore habuerint causa Arcadum, qui Glandiuori sunt ab oraculo appellati: siue quòd facilis ubique sit ducibus huius copia arboris: siue sacram Ioui urbium præsidi coronam quercinam ritè dari seruato ciue, censuerint. Plut. in Coriolano.

L. MARCELLVS, cùm in manus Gallorum imprudens incidisset, circumspiciendæ regionis, qua euaderet, causa, equum in orbem flexit: deinde cùm omnia esse infesta uidisset, precatus deos, in medios hostes irrupit. Quibus inopinata audacia perculsis, ducem quoque eorum trucidauit: atq; ubi spes salutis uix superfuerat, inde opima retulit spolia. Front. lib. 4. cap. 4.

SEMPRONIVS Tuditanus & C. OCTAVIVS, Tribuni militũ, omnibus fusis ad Cannas, cùm circumsiderentur, suaserunt commilitonibus, ut stringerent gladios, & per hostium præsidia erumperent secum: id sibi esse animi, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, affirmãtes De cunctantibus XII omnino equitibus uel peditibus, qui comitari sustinuerant, repertis, incolumes Canusium peruenerunt. Front. lib. 4. cap. 5.

AEMYLIVS Lepidus admodum iuuenis, apud Ticinum patrem liberauit ab hoste, & hostem interfecit. Liuius.

Sub Attilio Calatino consule LABERIVS Tribunus militum (quem nonnulli Q. Ceditium, quamplurimi Calphurnium Flammã uocitatum scripserunt) cùm demissum in eam uallem uideret exercitum, cuius omnia latera superiora hostis insederat: depoposcit & accepit à consule trecẽtos milites: eosq; hortatus, ut uirtute sua exercitum seruarent, in mediã uallem decurrit. Ad opprimendos eos undique descendit hostis, longoq; & aspero prælio retentus, occasionem Consuli ad extrahendum exercitum dedit. Front. lib. 4. cap. 5.

Cn. FONTEIVS Crassus in Hispania, cum tribus millibus hominum prædatum profectus, locoq; iniquo circumuentus ab Hasdrubale, ad primos tantùm ordines relato consilio, incipiente nocte (quo tempore minimè expectabatur) per stationes hostium erupit. Front. lib. 4. cap. 5.

ATILA Hunnorum rex, obsessa Aquileia, dum speculatum ad muros accedit, ab hostibus circumuentus, duobus interfectis, reliquos audacia & uirtute sua in fugam uertit, qui sacrosanctè affirmatunt, ex illius oculis ignitos radios, fulguris instar, emicuisse. Nicolaus Olahus in eius uita.

PRINCIPIVS & TARVNS fratres, Gothicis temporibus ex urbe Roma ad pugnam egressi, aduersus Vitigen, qui Belisarium obsidebat, inclinata disiectaq; urbanorum acie, sua hostibus in cædem ruentibus corpora obiecêre: ac tamdiu pertinaci statu Barbarum remorati sunt, quoad Principius in uestigio concidit: alter ubi suos in tuto esse uidit, defunctus prælio, multisque confossus uulneribus, ad Pincianam portam inter suorum complexus & gratulationes expirauit. Sabellicus lib. 4. cap. 5. & lib. 3. En. 8. & Egnat. lib 3. cap. 2.

Vitiges Gothorum rex, contra BELISARIVM cum centum quinquaginta millibus armatis Romam uenit: ac ponte Tyberino, qui à Belisarij præsidio tenebatur, ultrò fugientibus militibus potitur. Belisarius eius rei ignarus, forte cum mille equitibus ad Tyberim exspacians, ex improuiso in hostes incidit, ibique uel inuitus cogitur cum hostibus confligere: nec multum abfuit, quin telorum ac missilium multitudine obrutus fuisset. Agnitus enim à Gothis, omnium iaculis & telis magno impetu petitur. Strenuè tamen pugnando ex eorum manibus elabitur, & saluus Romam redit. Desiderati sunt in illa pugna Gothorum plus quàm mille: ex Romanis uerò tantùm octoginta. Procopius, Sabellicus, Enneadis 8. libro 2.

Cùm Belisarius Iustiniani dux Carthaginem ex improuiso cepisset: Gilimer Vandalorum rex Afros rusticos multa pecunia solicitat, ut Romanos ubicunque inuenirent dispersos trucidarent, seque pro singulorum capitibus aureum daturum pollicetur. Illi ubicunque lixas in pagis uictum quærentes offendunt, clàm capiunt, & eorum capita recisa Gilimeri mittunt, pro quibus pecuniam accipiunt. Ibi memorabile quiddam gessit DIOGENES Belisarij eques. Is enim cum uiginti duobus scutatis militibus ad explorandos hostes missus, fortè in rusticos incidit: qui cùm suis uiribus diffiderent, rem ad regem deferunt. Rex trecentos delectos equites mittit, qui captos & uiuos adducerent. Diogenes domum quandam ingressus, in superiore cœnaculo cum suis dormiuit, nihil omnino suspicans, quia audiisset hostes procul abesse. Vandali manè domum undiq; cingunt. Interim quidam ex Romanis murmurantium uoce & armorum sonitu ex somno excitatus, reliquos excitat: qui ad pugnã instructi, unà erumpunt, & scutis operti certatim hostes repellunt, omnesq; euadunt, duobus tantùm desideratis. Procopius de bello Vandalorum, lib.3.

In pugna, qua Andronicus iunior Imp. ab Alexandro Bulgarorũ principe uictus est, strenuè dimicans Cæsaris FILIVS Porphyrogeniti nepos, multis confixus telis, equo etiam ita uulnerato, ut cerebrum eius patêret, hostibus tergum dare noluit. Equus posteaquam eum domum incolumem reportauit, ante domini fores expirauit. Gregoras lib.10.

Ioanne Zimisce imperante, pugnabant contra Rossos Romani. Dux Romanorum THEODORVS ab Misthcia equo suo lancea confosso excussus, Scytham quendam cingulo arreptum, hac illac peltæ instar obuersans, eo coniectas in se hastas excussit, sensimque retrò abiens, ad suos reuersus est, donec Romani Scythis ui repulsis cum periculo eripuerunt. Cedrenus.

In ea expeditione, quam in Palęstinam suscepit Fridericus Barbarossa, ferunt ALEMANNVM quendam, corpore ingenti & robore inuicto præditum, populares suos longo interuallo secutum, pedetentim incessisse, equum trahentem, ex itinere fatigatum. Ismaelitas uerò circiter L suis stationib. euagatos, illum undique sagittis petiisse. Cæterùm eum lato scuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem perrexisse, nihilo magis Barbarorum telis commotum, quàm si rupes esset: unum autem cæteris iactantiorem, abiecto inutili arcu, longum ensem strinxisse, & concitato equo, cominùs illum gladio percussisse. Alemannum uerò gladio ambos anteriores pedes equi, tanquam fœnum amputasse, ensemque in medium Persæ caput ita impegisse, ut equite in duas partes dissecto, etiam iumenti tergum, sella quoque dissecta, uulnerarit. Eo spectaculo Persæ attoniti, non ampliùs ausi fuêre unum eum lacessere: qui nihil accelerato itinere, pedetentim uesperi in castra suorum peruenit. Nicetas libro secundo.

SIVARDVS Noruegianus miles ab hostibus captus, nautas, à quibus uehebatur, potu exhilaratos persuasit, ut sibi gubernaculi curam summi beneficij loco concederent. Quo impetrato, nauim magno impetu concitauit, ut retineri amplius non posset: mox sese de summa puppi in mare demisit, litus tenuit, Haraldum regem improuisus obtruncauit. Nauali alio prælio interfectis iuxta se sociis omnibus nauim diu solus defendit, inde saltu in mare se deiiciens, dum natat arma sibiipsi detrahit, & uestes, quarum colore prodebatur. Cumq; diu sub aquis delituisset, respirandi necessita te emergens, ab hostibus captus est & interfectus. Olaus lib.10. cap.25. ex Saxone Grammatico.

HEMMINGVS quidam, Absalonis Roskyldensis episcopi, in Dania armiger, leuibus armis instructus, ad discrimina subeunda promtissimus, contra Valagostenses Sclauos pugnans, gladij, quo cinctus erat, longitudine impeditus, concidit. Ibi derelictus à suis inter crebras hostium hastas, non tam suo quàm fortunæ clypeo protectus, ut primùm in genua se erigere potuit, districto ferro hostium tibias appetẽs, illis paulisper cedere compulsis, sociorum tandem accursu oppugnatores urbem repetere coegit. Ita ad suos regressus, ac toto corpore integer repertus, admirationi uisentibus fuit. Neq; tamen fortitudini ipsius, sed fortunæ potius ueneratio tributa est. Saxo lib.14.

GALEACIVS Bardassinus, eques Siculus (cuius animi ac corporis robur insigne fuit) præter alia ingentia facinora, cùm Alphonsus senior Neapolitanus rex Plumbinum obsideret (ità in Tusco litore contra insulam Iluam oppidum uocatur) conspicatus tres hostium equites, cum multis aliis urbe egressos, ad se uenire, qui à suis longè aberat, ultrò illis occurrit, atq; eorum unum gladij capulo in galea percussum, attonitum ad terram prostrauit: alium brachiis uinctum ab ephippio extraxit, longeq; abstulit: tertium fugiẽtem, ad portas usque insequutus est. Fulg. lib.3. cap.2.

Cùm Maximilianus I. rex Rom. Rhetiam inuasisset, A.D.1499. in prima uelitatione iuxta oppidum Vuerdenbergam IOANNES Valius Glaronensis, solus XX equitum cataphractorum loco oportuno impetum sustinuit, tres ipsorum equis deiecit, gladio & hasta fretus. Viri fortitudinem admirati hostes, promissa incolumitate Velcuriam deduxere, & diplomate eius uirtutem testati, ad suos dimisere. Stũpfius.

Christophorus Valdemari Danorum regis F. bello piratico contra Rugianos, cùm ad litus nauem appulisset, tanta saxorum ui ab hoste petitus est, ut de se tuendis potiùs q̃ offendẽdis hostibus remiges cogitarent. ESBERNVS ergo, ne sanguis regius frustra sibi creditus uideretur, mediis se iaculantium saxis intulit, iuuenemq; nauigij sui interiectu seruauit: quod protinus Barbari magnis uiribus apprehensum, in litus pertraxere. Esbernus cùm se tribus sagittis balista emissis toties ictu fraudatũ uideret, fracto arcu, à puppi in proram concessit, solusq; tot hostes aliquandiu sustinuit. Tandem silicibus contusus, telisq; perfossus, ut pedibus quoq; deficeret, ægrè puppi repetita consedit. Iamq; à comitibus desertus (nam cuncti, præter unum, profundo se dederant) postquam Barbaros nauigium, cuius iam latera dolabris perfregerant, insilire conspexit, uiribus recollectis, semel iterumq; ac tertiò exceptos fugauit, telaq; in se congesta retorsit: tandem lassitudine confectus, cùm resumendarum uirium gratia paululum retrocederet, lapidis ictu ante puppim concidit. Eum unicus eius comes dextera comprehensum erexit, ut aspectu saltem, quando uiribus nõ poterat, hostem terreret. Ad se reuersus, cùm uideret hostes imminẽtes, recollecto uigore, pulsis omnib. in prorã cõcessit, ibiq; rursum semianimis cõcidit: periissetq;, ni eum Christophori remiges ocyùs naue exceptum seruassent. Nõ multo pòst cõtra piratas iidẽ ducẽs, cùm loricã sumeret, & is qui gubernaculo præerat, quo se protecturus esset, quæreret, cum utraq; manu circa gubernãdi officium occupata, neutrã necessariæ defensionis usibus aptare posset: illi loricam quam erat sumturus ei tradidit; seq; potius quàm gubernatorem inermem esse maluit. Quo facto, unius hominis corpus ferro, omnium uerò mentes audacia instruxit, tantoperè hostes à se contemni demonstrans. Saxo lib.14.

Bello quod contra Philippum Veneti gessere, iussus erat Franciscus Gonzaga trans Abduam bellum transferre. Euaserat Gatta MELLITA dux fortissimus in ulteriorem ripam cum equite leuis armaturæ, expeditoque peditatu, eratq; pons fluuio propemodum impositus, quum Abdua nocturnis imbribus repentè auctus opus interrupit. Incidit Mellita, diei interuentu à suis exclusus, subito hostium incursu, in apertum uitæ discrimen: restitit tamen ille fortiter, etsi loco & uiribus inferior: ac tamdiu impetum sustinuit, quoad equites peditesq; fluuio enatato ad suos se receperunt. Plerique uorticoso amne arrepti in suorum conspectu periere: Mellita, Romani Coclitis exemplum imitatus, omnium ultimus ad suos tranauit. Sabell. lib.3. En.10. & lib.2. Dec.3.

Anno 1552 Mahometus Bassa Solymanni auspiciis Themesuarãm Transyluaniæ obsidebat. Stephanus Losanzus Comes Ferdinandi regis nomine, eam fortissimè defendebat. Tandem & multitudine hostiũ, & subsidij desperatione, & proditione duorum Hispanorum, qui ad Turcas transfugerãt, territus, militum uitam & fortunas pactus cum hoste incolumes, urbe excessit. Mahometus contra datam fidem circumuentos trucidauit: Losanzum captum securi percussit. Vnicus ALFONSVS Perezius Saiauedrensis, Hispanus eques gladio uiam sibi aperiens, incredibili fortitudine Lippam uersus, D Turcis frustrà insequẽtibus, fugiebat, & iam euaserat, cùm malo suo fato in paludosam uoraginem incidens, equi mole oppressus est & suffocatus. Illius caput Turcæ ad Mahometum retulerunt: qui cùm Hispanum esse audiuisset, Nimirum, alius esse nõ potuit, respondit. Ascanius Centorius lib.4. bellorum Transyluaniæ.

LIBERTATEM SVAM ALIORVM'VE fortiter defendere. SERVITVTEM fortiter amoliri.

Consule Tit. Seruitutem fortiter declinare, quatenus Declinatio ista propulsatione nititur.

Matronas SPARTANAS, quæ in templo Cereris in uico Aegila dicto, ludos ut facerẽt, conuenerant, cùm Aristomenes Messenius bello Messenico secundo opprimere conatus esset: illæ numinis ope fretæ, gladiis, quibus ad hostias immolandas usæ fuerant, armatæ & ueribus hostem inuaserunt, multisq; grauiter sauciis, ipsum quoque Aristomenem facibus percussum, ac malè multatum, in uincula coniecerunt. Pausanias in Messenicis.

In acie Philippensi M. Catonis FILIVS inter præstantissimos & fortissimos iuuenes dimicans, ac labore confectus, non cepit fugam, neque pedem retulit: sed pugnans, significansque qui esset, atque paterno nomine se appellans, super cumulata hostium cadauera cecidit. Occubuit etiam ex aliis optimus quisq;, qui ad eripiendum Brutum obiecerant se hostibus. Plut. in Bruto.

HELVETII, qui Alpes incolũt, Imperio Germanico subiecti fuêre, eoq; nomine Prætorem singulis annis accipiebant. Austriacos principes uicinos habebant, eorumq; potentiã, innumeris nobilium arcibus circundati, uerebantur. Iugum imminens excutiendi hæc fuit occasio. Ludouicus Bauarus Imp. designatus circa annum Sal.1314. competitorem habebat Fridericum Austriacum, inq; factiones diuisa Germania, intestino malo laborabat. Heluetij Ludouico non obscurè fauebant, eaq; propter à præfectis Imperij, qui uicinis Austriacis plus satis addicti erant, miris modis uexabantur. Tres primùm plebeij homines, Gulielmus Tellus Vriensis, Stoufacherus Suitensis, & Ernius Vnderualdẽsis, fœdus ineunt contra tyrannos, populares quisque suos ad libertatis defensionem adhortantur. Quam historiam sub Tit. Tyrannicidarum executi sumus. Lupoldus Austriacus, Friderici frater, bello coniuratos domiturus, anno 1315. XVI. Nouembris ad Moregardam montem circumuentus, M D equitibus amissis, summo cum dedecore uix effugit. Eo successu erecti Triumuiri, ut æterno fœdere Vrienses, Suitenses & Vnderualdenses inter se coirent, auctores fuêre. Ludouicus fœdus ratum habuit. Austriaci clade tam ignominiosa irritati, quamuis Ludouico per regem Boemum reconciliati essent, paganos tamen persequi non cessabant. Lucernenses partim insolẽtia Austriacorum, partim fortitudine pagãnorum moti, fœdus cum iis ineunt anno 1332. Tigurini XII uiros ob malè administratam Remp. in exilium eiecerant, & mutata R.P. forma XIII tribus instituerant, è quibus Senatus legeretur. Cùm exules Io. Comitis Habspurgensis auxilio noctu urbem occupare frustrà tentassent; destituti Tigurini aliorum auxilio, anno 1351 Heluetiis se coniunxere. Obsessi ter ab Alberto Claudo duce Austriæ, pro patria for-

tiss. dimicauere. Claronenses quoq; & Tugienses in fœdus recepti, anno 1352, uolentes nolentes. Accessere his Bernenses anno sequenti. Et hoc fœdus antiquum octo uirorū Heluetiæ. Leopoldus III. Alberti F. Anglos ad XXC millia cōtra Heluetios excitat anno 1374. Dux illorum nepos Austriacorum, matris dotales urbes ab Heluetiis occupatas (hoc enim prætextu eum contra Paganos Austriacus irritarat) uindicaturus, ubi cum tanta colluuie ramenta montium intrauit, commeatu destitutus, in diuersas partes distractum exercitum Heluetiis ad syluam Butiam, ad Erlacum, ad Frobrunnam carptim cædendum præbuit, turpiq; fuga uix elapsus est. Vrbes imperij cum Heluetiis fœdus ineunt, quibus Leopoldi suspecta erat potentia. Nouis subinde insolentiis nobilium uicinorum uetere odio exulcerato, cùm Sempacenses suæ securitatis causa Lucernensium fidei sese commisissent: Leopoldus interea uictis Imperialibus urbibus, & pace cum iis facta, uictorem exercitum in Heluetios conuertit, omni externa ope destitutos. Anno 1386. bellum iis indixit per se, sed & Comites, Barones, Nobiles, prout uarias inimicitiæ causas habebant, singuli turmatim bellum denunciarunt, nimirum ut multitudine hostium terrerentur. Heluetiorum M D. Tigurum profecti, quòd illic Ducem irrupturum putarent, posteaquam rectà Sempacum proficisci audiunt, celeritate incredibili sequuntur. Vixdum aduenerant, cùm nobiles consilio inito, ut uictoriæ fructum præcerperent, gregarios milites spectatores tantùm suæ fortitudinis esse uoluere, iussere: atq; uel insolentia quadā sponte, uel loci iniquitate coacti, relictis equis pedes pugnam iniuêre. Quorum temeritatem cùm senex Baro Hasenbergius reprehenderet: Oxenstenius leporinum animum illi, ad familiæ nomen à monte leporis ductum alludens, cum probro obiecit, & ad ducem conuersus, Manipulum hunc rusticorum nos tibi priùs, quàm Sol occidat, assandum elixandumue pro libito dabimus. In primo congressu ad LX inermes Heluetios cataphracti occidunt. At procedente pugna, labore & sudore confecti, præclaro interim Vinkelriedi stratagemate circumuenti, securibus pulsati concidunt, suisque armis suffocantur. Leopoldi cædes eos etiam qui integri erant ita terruit, ut in fugam turpissimè effusi, memorabilem uictoriam Heluetiis concesserint. Cęsa supra duo millia Ducum, Comitum, Baronum, Equitum auratorum, Nobilium: Heluetij CC suorum desiderarunt. Leopoldus IV. Superbus, patris mortem ulturus, ascitis sibi auxiliaribus quàm plurimis, eiusdem imitatione bellum paganis indicit. Varia fortuna per quadriennium hinc inde pugnatum, meliore semper successu Heluetiorum, qui ferarum latibula innumera (sic enim Arces uocabant) expugnarunt, uastarunt, incenderunt. Ciuitates tandem imperij pacis septennalis auctores fuêre, qua Solodurum Heluetiorum fœderi accessit, anno Sal. 1389. eademq; pòst in quinquaginta annos confirmata. Concilium interea Constantiense Fridericum Austriacum, propterea quòd Episcopos quosdam in uincula coniecerat, & Ioannem XXIII. pontificatu deiectum contra datam fidem Constantia profugientem adiuuerat, anathemate perstringit: Sigismundus Imp. Heluetios ad occupandas uicinas regiones hortatur, & quodammodo cogit, diplomate etiam testatus, quicquid contra hæreticum hominem iussu concilij egissent, id sanctum inuiolatumque fore, neque paci L annorum cum Austriacis paulo antè initæ obfuturum: addidit & stipendium, & quicquid eo bello occupaturi essent, præcedentibúsue cepissent, id ut bonorum castrensium loco perpetuum haberent. Itaque Argouiam & Tauracum pagum anno 1415. uolente, iubente, adiuuante, confirmante Imp. & Concilio, inuaserunt occuparuntque. Anno 1468. ob temerè lacessitos Scaphusianos confœderatos suos, Valdeshutam obsidebant Heluetij. Sigismundus Austriacus, in pacis formula à principe Bauaro conscripta, in expensas damnatus, quando apertè non poterat, occulta ratione Heluetios lædere parabat. Carolo Burgundo oppignorat ditiones suas Heluetiis propinquas. Is Petrum Hagenbachium illis præficit, crudeliss. tyrannum, & Heluetiorum acerbiss. hostem. Ludouicus XI. Gallorum rex ea occasione captata, Heluetiorum amicitiam ambit, hoc ueluti fræno Burgundum sese in officio retinere posse sperans. Sigismundum Burgundi libidine offensum pœnitebat cœpti. Itaque Galli intercessione cum Heluetiis contra Burgundū fœdus init. Absente in Germania inferiore, Carolo, Hagenbachium Brisacenses, apud quos degebat, in uincula coniiciunt, & accusantibus Heluetiis securi percutiunt. Fridericus III. Imp. Heluetios Burgundiam inuadere iubet: ipse instructo exercitu Nussiam à Carolo obsessam liberare contēdit. Carolus cum Friderico paciscitur: Maria filia Maximiliano filio desponsata: neq; uerò in fœdere illo ullam Heluetiorum rationem habet. Carolus eo hoste, quem periculosiss. indicabat, liberatus, expulso Lotharingiæ duce, Granceiū ab Heluetiis occupatum proficiscitur, ad L millia expeditorum militum in exercitu habens. Heluetiorum quingentos, arcem tuentes, desperato suorum auxilio, impunitate promissa perfidè circumuenit. Heluetij ad XX millia superuenientes, castris ducem exuunt, supra CM aureorum prædā obtinent, destituti equitatu, uictoriam persequi nequeunt. Anno 1476. recollectis uirib. CM in exercitu trahēs, Moratā Carolus obsidet. Diuiserat ille exercitū. Heluetij castra ducis aggrediūtur, imparatos fundūt, XXM cædūt, XM in lacu uicino submergūt. Renat⁹ interea Lotharingię dux exul auxiliis Germanorū corrogatis, regiōes suas recuperat Carolus XLM Lotharingiā recipit, Nāceio excepto. Renatus Heluetiorum auxilia implorat, XIII millia obtinet. Hi sexto die Ianuarij ad Nanceium anno 1477. Burgundi castra, diuersa quàm ille expectarat parte inuadūt, Carolum cum septem millibus suorum obtruncant, belloq; Burgundico, restituta Renato Lotharingia, finem imponunt: Ludouico XI Burgundiam tanquam feudū olim ducibus concessam, certo auri pondere, frustrà licèt Heluetios liberatores appellantibus Burgundis, concedunt. Anno 1481. Solodurum & Friburgum in confœderatorum classem recipiuntur. Virtutis comes perpetuus inuidia. Nam septēnio pòst Fridericus III. spe sua Heluetios alienis domandi uiribus non semel frustratus, Sueuici fœderis inter principes & ciuitates Imperij anno 1488. auctor fuit, specie quidem in commodum Germaniæ, reuera autem ut hoc ueluti propugnaculo, Heluetiorum frænaret potentiam. Moritur interea, & ut regnorū sic odij successorem relinquit filium Maximilianū. Is fœdus Sueuicum decennio pòst confirmauit. Animis paratis occasio tantùm deerat. Ea autem oblata est amplissima, posteaquam Rheti Heluetiorum fœderi certis conditionibus accessere. Maximilianus Curiam Rhetorum sui iuris esse dictitans, exercitum contra illos duxit. Rheti Heluetios implorant: ille Sueuicum fœdus appellat. Variis in locis Maximilianus Heluetios adoriri statuerat, ut distractis uiribus faciliùs conficerentur. Anno igitur 1499 sexto Feb. crudele bellum cepit, quod Sueuici fœderis uocant, Heluetium cæteri, insignibus uictoriis nobile: quando octies aperto Marte uictores euasere Heluetij. Apud Rhetos ad montem S. Lucij primus conflictus, alter ad Treisam. Tertius Hardæ ad lacū Acronium, quinq; millibus Germanorum cæsis. Quartus prope Basileam, ubi mille Heluetios prædæ causa in Alsatiam proficiscentes, Fridericus Caplerus dux Imperatorius octo millia in exercitu habens aggressus, sexcentis suorum amissis, turpi fuga abiit, unico tantùm Heluetio cæso, sed uulneratis compluribus. Prope Constantiam quintus. In pago Ermatinga præsidiarios CCCC securè agentes Sueui per noctem trucidarant. Heluetij suorum clade cognita, repentè conuolant, & in uicina sylua Suaderloca, ex insidiis uictores Constantiam repetentes fundunt, fugantq;. Eodē die præda omnis cum auctario recepta, ex octo millibus M'M D cæsi: reliqui in lacu submersi. Sextus apud Rhetos prope Rastenzam, in Valgauia. Septem millia Heluetiorū, XV millia Sueuorum fugant, tria millia occidunt, plurimos in Ila fluuio demergunt, tormentorum supra D capiunt. Henricus Volebius Vriensis, à tergo circumductis bis mille suorum, montem occupauit, & uictoriæ tam memorabilis auctor, pro patria occubuit. Septimus apud Vennones in campis Malsiis. Ex octo millibus Sueuorum quatuor millia cæsa à Rhetis, eodem stratagemate quo priùs: in Athesi submersi plurimi. Rheti supra ducentos è suis desiderarunt. Maximilianus ignauiam suorum detestatus, ipse præsens bellum administrare uoluit. Constantiam uenit. Heluetios uno eodemq; die D. Margaritę sacro tribus locis aggrediendi consilium capit. Ipse cum Germanici imperii signis Constantia egressus, ubi suorum timidas sententias in aggrediendis Heluetiis, qui Suaderlocam occupabāt, cognouit: re infecta properè discessit. Interea Rhenani populi propè Basileam, arcem Dornacum Solodurensibus parentem oppugnaturi uenerant. Solodurenses M D silentio in uicinum montē proficiscuntur. Commodùm D Tigurini accedunt. Castrametantes hostes, & nihil minus quàm Heluetios adesse putantes (cùm omnes illorum uires Suaderlocæ coactas crederēt) ex improuiso aggrediūtur, primos fundunt. Cæteri acie repētè ut in eo terrore poterat instructa, Heluetiis acriter resistūt, eosq; suo equitatu circūdant. Vigēte p̄lio, M Lucernates & Tugini superueniunt, suoque clamore hostes ita terrēt, ut ex XV millib. tria millia ceciderint, plurimi in Byrsa amne uicino perierint. Heluetij C suorū amissis prędaq; opulēta parta, nuspiā se toto bello acriùs resistētes hostes nactos liberè sunt fassi. Tandē defessi tot cladib. Imperiales potiùs quā mitigati aut exhausti, pacis cū inuicto populo ineūdę cōsilia amplecti cepere. Basileę igitur eodē anno quo ceperat, 22. Septēb. bello Sueuico finis impositus, cū amplis. Heluetię uirtutis testimonio, qui cōtra totius Imperij Germanici uires, p aris & focis, octo mensiū spacio octies cū hoste potētiss. diuersis locis p̄lio depugnassēt, nū

quam

q̄ uicti essent, minimo suorū cū sanguine, hostiū uberrimo. Et hæc quidem pro libertate. Nam quæ pro duce Mediolanense, pro Gallorum rege postea designarunt, magna quidem illa & ęternitate digna facinora, hoc ipso tamen minore digna commendatione, quòd basim Heluetiæ libertatis αὐτάρκειαν, labefactare sunt uisa. Et hæc ex Io. Stumpfij Hel.

In Cimbrica Chersoneso patet septem in longitudinem miliaribus DITHMARSIA, pauloq; minus in latitudinem, situ naturaque loci peregregiè munita. Ab oriente tuetur latus flumen Eidora, ab occasu mare Britannicum, ad meridiem claudit Albis fluuius, ad Aquilonem cingunt fossæ perductæ & munitiones. Varios hæc ora temporum successione dominos habuit, quorum alios interfecerunt incolæ, alios eiecerunt, nonnullos quoque ui subegerunt. Post Saxones (quibus omnium primis unà cum aliis accolis finitimisque paruit) ex annalibus constat, fuisse aliquod tempus, quo eā comites ditione tenuerint. Ex horum numero primus Dedo à colonis interemtus est: cuius post cædem quum uxor eius Ida, genere Sueua (cui Henricus III Imperator patruus, & Leo IIX pontifex erat auunculus) Etelero comiti, cognomento Albo, nupsisset, is eundem uitæ suæ exitum nactus est. Tertius ab eo Rodolphus marchio (is tunc eam successione acceptam tenebat) trucidatus. cui non multo pòst filius eiusdem nominis additus est: maiore quidem cū contumelia atque iniuria, quòd castello eius Bocelenburgo, in quo cædes fuit perpetrata, euerso & diruto, coniugem Valpurgam, amputatis naribus atq; auribus mutilatam, in proximum profluentem abiecerunt, qui etiamnum hodie ab illa demersa nomen retinet. Huic Rodolpho erat frater Hartuicus. Is ius suum uniuersum in ea ditione (quod morte sia terna ad ipsum redierat) permutatione facta, & recepto in eius locum Stadensi comitatu, antistiti Bremensium tradidit. Subegit postea Dithmarsiam armis Henricus Leo, & pagos aliquot abbati Stadensi dono dedit: quorum nomine ut tributum acciperet, quum eò uenisset abbas, uita spoliatus est, atq; obiter alia pagis nomina indita, quò memoria debitæ annuæ pensionis extingueretur. Adolphus quoq; isthoc nomine tertius Holsatię comes, anno MCXXCVI. armis in potestatem redactam aliquandiu tenuit: sed non multo pòst recedentes à fide Dithmarsi, omnem nobilitatē (quæ multa eo loco erat) ditione expulerunt. Assentiente deinde & permittēte Adolpho, Hartuicus antistes Bremensis (qui de comitum Holsatiæ stirpe fuisse traditur) eos ad deditionem compulit. Verùm dimisso exercitu, nihil ex pacto prestantes Dithmarsi, neq; pecuniam promissam expendere, & abrupta fide ad Daniæ regē deficere, in eius quoque potestate non diu permansuri. Etenim anno Christi MCCXXVII. quum inter Adolphum prioris filium ac Lubecenses, & regem Daniæ Valdemarum, iuxta prædium Bornhouede, acre fieret prælium, essentque in copiis regiis Dithmarsi (qui pepigerant occultè cum Holsatis, se deserto rege ad ipsos transituros: eiusque rei indicium fore, si imas clypeorum oras conuertissent) ipsi in extremis collocati, ubi iam pugna serueret, scutis inuersis à tergo Danos adoriuntur. Quo insperato casu regius exercitus superatus, Otho dux Brunsuicensis, nepos regis ex sorore, captus est, ipso rege regisq; filio uix ab hoste fugæ præsidio seruatis. Ita cum infami singularis perfidiæ nota in libertatem sese uindicarunt. Anno autem MCCXXCIX. Henricus Holsatiæ ac Stormariæ, & Ioannes Vagriæ comites, ius suum armis repetituri, in Dithmarsiam exercitum duxerunt, pręlióque inito, multis suorum profligatis, fuga saluti suæ consuluerunt. Post quam pugnam quum unus & triginta effluxissent anni, orta inter comites Holsatiæ dissensione, Dithmarsi, ut alteri parti quasi suppetias ferrent, in Holsatiam irrumpunt, & ad Chilonium usque oppidum progrediuntur. Vnde cùm diuersa uia onusti præda domum regrederentur, Gerardus Holsatiæ comes eos, non procul Bornhouede, sub lucem aggressus, quingentos ex illis trucidauit. Qua inflati uictoria Gerardus eiusq; frater Ioannes, secundo pòst anno, quantas possunt maximas copias cogūt, euocatisq; in auxilium extraneis ducibus numero quatuordecim, & uniuersis ditionis suæ uiribus in una castra contractis, die natali uirginis Mariæ, Dithmarsiam intrant: & resistente nemine, ad locum usque, quem Nordestraut uocant, in meditullium Dithmarsiæ perueniunt. Ibi Dithmarsi bis in fugam coniecti, mille & septingentis suorum desideratis, in proximam ędem sacram fuga delati, cùm ignem hostis subiiceret, neque ullas deditionis conditiones admitteret, iamq; laminæ plumbeæ templi liquefactæ ab igne stillare cœpissent, in desperationem adacti, facto impetu in hostes prorumpunt, & ex ducibus duodecim, reliquæ uerò multitudinis ad duo millia interficiunt. Soli Gerardi Holsatiæ comes & Henricus Megalopolensis cū paucis incolumes elapsi. Annis pòst aliquot, Nicolaus Holsatiæ comes tumultuariis pugnis sępè cum Dithmarsis conflixit. In pugna ad Tirpeslo inita, cùm æquo penè marte utrique discessissent, res ad inducias & pactiones deducta est. In quibus inter cętera cautum fuit, ut neutri alterius partis hostes receptarent, fouerent aut defenderent. Ergo quum Ericus Saxoniæ dux, socer Alberti comitis Holsatiæ, anno Salutis humanæ MCCCCIV abacta è Dithmarsia præda, per Holsatiam domum esset reuersus: Dithmarsi pacem uiolatam contendere, quòd permissu comitum eam expeditionem per fines eorum susceptam crederent. Publicatis igitur ad principes finitimos & urbes literis, de Gerardo Slesuici duce & Alberto comite grauiter conqueruntur. Gerardus uicissim & Albertus sese multis excusant, & ob hanc calumniam sibi inustam bellum illis indicunt. Albertus quum per Northamme in Dithmarsiam irrupisset, & copiosam trahēs prædam ad suos recipere sese properaret, equo delapsus paulo pòst periit. Quum deinceps uicinæ ciuitates maritimæ de pace inter ipsos agerent, & Dithmarsi eam uel precio redimere parati essent, Gerardus plenus fiducia potiundæ regionis (quæ præsertim fraterno iam funere satis carè emta poterat uideri) toto exercitus robore, ea uia, quæ Süderhamme uocatur, in Dithmarsiam profectus, cum delecta cohorte ad fauces aditus constitit. Milites, dum prædæ cupiditate latiùs euagantur, incolæ latera angustiarum, p quas transitus erat, arbusculis occultati occupant, & reuertentes improuisò aggrediuntur. Antecedebant agmen pueri armigeri. Ab iis, quum primus in ipsos impetus fieret, lacrymabilis clamor & eiulatus tollebatur. Quo ad aureis ducis perlato, tumultum inter suos & rixam de præda ortā ratus, eam sedaturus, nudato galea detracta capite properè aduolat. In eum Dithmarsi ex transuerso sese inferunt, sauciatumque grauiter caput equo deturbant, eiusque copias omnes indagine clausas occidione delent, paucis fugā euadentibus. Quicquid lectissimorum militum in ducatu Slesuicensi Holsatiaque uniuersa fuit, eo bello interiit, an. Christi MCCCCIV. Renouata inde antiqua fœdera. At pòst quum Christiernus I. rex Danorum, Adolphi Holsatiæ comitis è sorore nepos, propinquitatis iure ditiones eius omnes ad se transtulisset: in Germaniam ad Fridericum III. Imp. profectus est, & suo maiorumq; suorum in Dithmarsiam iure demonstrato, obtinuit, ut communi statuum ordinumque imperij consensu, abolito obliteratoq; comitatus titulo, dux Holsatiæ crearetur. Cui ducatui, ut legitimis metis ambituq; iusto describeretur, Cæsarea potestate Stormaria & Dithmarsia regiones inclusæ sunt: idq; diplomate Imperatorio & sigillo confirmatum, anno Salutis humanæ MCCCCLXXIV. Quod Imperatoris diploma, anno quinto pòst, quum rex Dithmarsis Rendesburgum ad se euocatis exhiberet, utque de more in fidem suam iurarent postularet: Bremensium antistitis magistratum causati, id facere recusarunt. Itaque uim & arma rex comminatus, interuentu procerum annuas inducias dedit, ut eo temporis spacio, quid sibi facto opus esset, deliberarent. Eius filius Ioannes in regnis Aquilonaribus successor, quum Sueciam rebellantem biennio antè armis subegisset, anno à natali Christi MD, mense Februario, in Dithmarsiam exercitum duxit: præter milites equitesq; omnis generis sex millia peditum stipendiariorum, quorum forti & efficaci opera in Suecia domanda usus fuerat, trahens. Ex nobilitate præterea circiter duo millia ipsi militabant. At Dithmarsi in interiorem palustrem oram cum omnibus suis sese recepere, cumque ab uno exploratorum capto cognouissent, qua uia rex irrumpere decreuisset, per lutulentam ualde & impeditam fossis uiam: per totam noctem uallum ducūt, & iuxtà in excubias præsidiumque aliquot millia suorum collocant. Rex nullas insidias ueritus, cum omni copiarum mole in hostes tendit. Anteibat agmen pedestre, id turmæ equitum consequebantur, extrema claudebant uehicula, quæ in spem prædæ unà trahebantur. Vbi propius uallum sub ictum tormentorum accesserunt cohortes, coloni pòst aggerem excubantes, displosis repentè tormentis mediocrem militum stragem fecerunt. In loco angusto milites ad pugnam expedire sese minimè poterant. Multo insuper imbre & grandine cœlo delapsa, fossæ ad imas usq; oras completæ excreuere, neq; tormenta, extinctis imbre funiculis, corruptoq; apparatu omni, ulli usui esse poterant. Tot malis circumuentas cohortes, quantumuis fortiter resistentes, sed absorbente plantas luto præpeditas, imbre multo madentes, & frigore penè emortuas, Dithmarsi in fugam uertunt, cædunt, in fossas præcipitant. Hinc ad equitatum ueniunt: qui loci angustia pressus, luto equos ad genua usq; deuorante, mouere uix sese poterat. Post tergum plaustra fugam impediebant: à fronte cæsorum acerui hostesq; obiiciebantur: à latere utroq; intercludebant fossæ. Ita coarctatos equites circumfusi undique hostes profligant. Princeps cum paucis per densos cadauerum iacentium cumulos uia inuenta uix elabitur. Trium horarum mométo hæc

ſtrages edita, adeò ut ipſis quoq; uictoribus mirũ fuerit uiſum, tantulo tempore tantã hoſtium turbam proſterni potuiſſe. Sed inuenti ſunt pleriq; ſine uulnere: quæ res argumento eſt, plures undis ſuffocatos, quàm gladio cæſos eſſe. Locus, quo pugnatũ eſt, Meldorpã & Hemmingſtadium oppida interiacet: uocaturq; etiamnũ ominoſo & infami à re geſta nomine, Cacodæmonis opus ſiue iactus. Poſt annos aliquot Carolus V. Cæſar, in gratiã Adolphi Holſatiæ ducis, beneficiũ Imperatoris Friderici proaui confirmauit fratribus tribus, Chriſtiano III regi Daniæ, Ioanni & Adolpho ducibus, anno MDXLIIX. At Dithmarſi, nullius Imperatoris præiudicio ad parendum ulli magiſtratui ſe cogi poſſe prædicantes, dictis principũ audientes eſſe non modò recuſare, ſed crebris etiã iniuriis ditionẽ eorũ infeſtare. Tandẽ an. MDLIX Adolphus cum fratre Ioanne ſubigẽdę Dithmarſiæ conſiliũ cœpit. In belli ſocietatẽ adſcitus Chriſtianus III. Danorum rex deſignatus, iis quidẽ legibus, ut ſi in poteſtatem Dithmarſia ueniret, ea uniuerſa in æquales tres partes diſtributa, quam quiſq; ſuã caperet aſſereretq;, ſorti iudici committerent: uerùm in iudiciis extraq; iudicia iunctis opibus omnem ſimul defenderent. Dux belli Ioannes Ranzouius. Menſis unius ſpacio, in diuerſas partes diſtracti Dithmarſi, profligati ſæpiùs, uicti, ſubactiq;: ſuperſtites, qui arma ferre poterant, numerum uix quatuor milliũ excedentes, in trium principum uerba, nudati omnes capita, & in genuã prouoluti, promittentes iurantesque, uſitato obſequij & fidelitatis ſacramento ſeſe ipſis obſtrinxerunt: à quibus mox in fidem ſunt accepti. Erat autem ſolennis eius concionis hic ordo. Principes & conſiliarij mediũ quaſi centrum obtinebant: hos circum proſtrati iacebant Dithmarſi: illos equitatus & exercitus uniuerſus circumdabat. Auctor belli Dithmarſici.

VASCVS Fernandius Cæſar cum naue una fretum Gaditanũ regis Emmanuelis iuſſu peragrabat, & hoſtes multis incõmodis afficiebat, anno MDXX. Sex in illum biremes inuectæ ſunt. Hoſtes Cæſarem capere uehementer optabant, & cùm illum euadere poſſe minimè crederent, præ lætitia clamores ingentes ediderunt. Deinde ſagittis, & glandibus, & globis ingentibus eum obruere conati ſunt. Atq; primùm Ceſar eos, ne ad ſuam nauem accederent, tormentis acerrimè propellebat: & uariis uelificationibus eorum conatus eludebat, & interim multos interimebat: quo factum fuit, ut illi multùm de animorum alacritate remitterent. Quod cùm is animaduertiſſet, in tres naues, quæ iunctæ conſiſtebant (aliæ namq; uentis excluſæ, non ita facilè accedere poterant) inuaſit. Hoſtes in illum ſimiliter impetũ dederunt. At is cùm ingenti tormento ignem applicari præcepiſſet: uni ex biremibus, maximo globo à prora in puppim ſecundum latus emiſſo, remos deterſit. Hoſtes biremem claudã & mutilam intra ſe recipiunt, & quanta celeritate poſſunt, in ea trepidatione reparant. Tunc omnes ſimul iunctæ Cęſarem circumueniunt. Is cùm animo maximo nunc ad proram, nunc ad puppim, nunc in utrunq; latus accurreret, & præſidia magnis uocibus excitaret, & crebris tormentorũ ictibus maximum damnum inferret: multò difficilius certamen, quàm hoſtes ſuſpicati fuerant, effecit. Tandẽ tormenti unius ictu magna pars remigum in una biremi dilacerata fuit. Hoſtes cùm cernerent multos cæſos eſſe, & duas biremes diſſipatas, Cæſaremq; nullo modo, niſi cum grauiſſimo damno, capi poſſe, certamen omiſerunt. Cęſar cùm eſſet ea natura, ut nullo labore frangi poſſet, eas inſequutus eſt. Verùm cùm nauis illius uelis, naues hoſtiles remis impellerẽtur, & uentus illum deficeret: eas conſequi minimè potuit, & ita uoti compos Malacam petiit, ut mortuos ſepeliret, & ſaucios curaret. Oſorius libro duodecimo rerum Emmanuelis.

NAVES SVAS FORTITER DEFENDERE, CONSERVARE.

VLYSSES Hectore Græcorum nauibus ignes iniiciente, in ſummo totius claſſis periculo, nihil minus quàm de ſua ſalute ſollicitus, dedecus & ignominiam hanc uel morte redimendam putat, & Diomedem ad pugnam hortatur, apud Hom. inquiens:

ἀλλ' ἄγε δεῦρο πέπον παρ' ἐμ' ἵστασο, δὴ γὰρ ἔλεγχος
ἔσσεται, εἴ κεν νῆας ἕλῃ κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Cùm Xerxes cum claſſe ex urbe Therma ſolueret, decem uelociſſimas naues præmiſit, quæ apud Sciathum tres præſidiarias Græcorum hoſtium, Trœzeniam, Aegineticam, & Atticam repertas ceperũt. In Aeginetica miles erat PYTHIVS Iſchenoi F. uir eo die præſtantiſſimus: qui capta naui, tamẽ eousq; pugnãdo reſtitit, donec totus dilaniatus eſt. Quem collapſum, non mortuum, ſed ſpirantem, Perſæ qui nauim ceperãt, admiratione uirtutis, ſeruarũt, uulneribus myrrha medentes, ſindoneq; byſſina & faſciis obligantes: atque in caſtra ſua reuerſi, hominem uniuerſo exercitui oſtentabant admirabundi, probeq; obſeruantes: cùm alios, quos in eadem iam naui ceperant, tanquam mancipia adſeruarent. Herodotus libro 7.

Cùm claſſes Venetorum & Baiazethis congrederentur, VINCENTIVS Polanus Venetus triremem, cui præerat, in claſſem Thraciam magno animo intulit. Is paruo tẽporis ſpacio circumſcriptus ab hoſtium longis nauibus omnis generis compluribuſq;, cùm ſe fortiſſimè horas duas defendiſſet, naueſq; hoſtium nonnullas tormentis perforauiſſet, ipſos audacter in eius ſæpè nauem conſcendentes interfeciſſet, aliquot ex ſuis amiſiſſet: uulnerata parte plurima, coorto fortè uento, ueliſq; factis ſeſe hoſtibus eripuit. Bembus lib. 5. Venetæ hiſtoriæ.

Nauis Veneta longa ex earum genere quæ ad mercaturã proficiſcuntur, more inſtitutoq; maiorum, conuehendis iis hominibus, q aut uoto ſuſcepto, aut religione permoti, Chriſti Dei filij ſepulcrum, quod eſt Hieroſolymis, adire atq; inuiſere cupiunt, in Syriam quotannis ſtato tempore mitti ſolita, cùm anno MCCCCXCVII ad Maleam iter faceret, in Turcarum regis claſſem Arige præfecto incidit. Ea erat nauium onerariarum duarum, triremium item duarum, biremium quinq;, quarum biremes duæ ad nauem Reip. pręmiſſæ uela dimittere iuſſerunt. Mos eſt nauticus eiuſmodi, ut q plus aut uiribus aut dignitate pollent, uelint, ut quæ ſibi occurrerint naues, uelificationem intermittãt, antennaſq; demittant, cùm honoris ſui cauſa, tum ut, ſi quid ab illis quærere aut petere uelint, poſſint. Id qui nolunt facere, ius eſt bello cogere ut faciant: ſæpeque accidit, ut ea de cauſa pugnæ maximæ exiſterent, plurimorumque hominum cædes conſequerentur. ALOYSIVS Georgius nauis Venetæ pręfectus, claſſem eſſe illam piratarum exiſtimans, antennis nõ dimiſſis curſum tenuit. Quod ubi Turcæ conſpexerunt, ab utroq; illum latere ſuis triremib. cinxerunt, & ſagittarũ magnam uim in eum mittere cœperunt. Id cùm parum proficeret, nauibus ſuis omnibus illum expugnare contenderũt. Eo in certamine, Turcæ nauis Venetæ ſcalam ſæpe conſcenderunt, aliiſq; à partib. in nauem proſilierunt: ſæpe ignem iniecerunt, quo & plutei combuſti, & præfecti cœnaculum ipſa in puppi, & maiora uela conflagrauerunt. Sed tanta remigum & nautarum, atq; inprimis aduenarum uirtus fuit, ut cùm ab hora diei ſexta uſq; ad quartamdecimam pugnauiſſent, Turcæ receptui canẽtes, & ſigno pacificationis ſublato, priores pugnam deſinerent: Arigeſq;, miſſis ad Aloyſium ex ſuis, qui ſalutem illi dicerẽt, magnumq; atq; fortem uirum eum eſſe teſtarentur, pacem beneuolẽtiamq; cum illo iniit. Miſſi, quadraginta milites ex iis, quos Ianizaros appellant, ſuis in nauib. interfectos eſſe Aloyſio ſignificauerunt. Ex Veneta interierunt quinq;: uulnerati complures: in his præfectus quatuor uulneribus acceptis, neq; tamen periit. Idem. lib. 4. Venet. hiſt.

ARMA FORTITER TVERI.

M. CATO iunior, prælio ad Pydnam aduerſus regem Perſea decertauit ſub duce Paulo Aemilio ſocero ſuo præclarè. Cùm uerò gladius ei ictu excuſſus & madore eſſet manus elapſus, adiit certos familiares ſuos: quibus adiunctis fecit deintegrò impreſſionem in hoſtes. Ac cùm longo certamine magnaq; ui locum uacuum feciſſet, tandem inuenit eũ in immenſis aceruis armorum, & in cadauerum tam ſociorum quàm hoſtium cumulis aggeratorum. quamobrẽ commendauit adoleſcentem Paulus Imperator. Et ipſius Catonis extat ad filium epiſtola, qua ſupra modum extollit contentionem eius de gladio & curã. Plut. in Catone & Aemilio, & Front. lib. 4. c. 5. At Val. Max. lib. 3. c. 2. hoc ipſimet Catoni ſeniori tribuit, eoq; ſpectaculo attonitos hoſtes, poſtero die ad eum ſupplices pacem petentes ueniſſe aſſerit.

SIGNA, VEXILLA FORTITER DEFENDERE.

Eo prælio, quo Vrrachæ Caſtulonenſis reginæ exercitus aduerſus Alphonſum Aragonium ipſius uirum decertauit, cũ ultimum agmen Gometicus comes ſignis ſuis clauderet, & inclinata ad Aragonios uictoria hoſtes iam ad ultimi agminis Caſtulonenſium ſigna penetraſſent: EQVES, qui uexillum ferebat, diu magna uirtute ſignum defendit: & quanquam ambę manus ab hoſte, ut relinquere ſignum cogeretur, detruncatæ eſſent, brachiis uexillum amplexus, Oleaq; inclamans (id enim principis eius erat inſigne nomen) non antè uexillum quàm uitam amiſit. Fulgoſ. libro tertio, capite ſecundo.

In conflictu ad Atellam, Hirpinorum oppidum, inter Gallos ac Aragonios commiſſo, repertus eſt GERMANVS ſignifer, amputata dextra manu, & læua fœdo uulnere diſciſſa, uexillum mordicùs retinens, ita ut in ueſtigio inuictæ uirtutis expiraſſe uideretur. Iouius lib. 4. Hiſt.

VRBES

VRBES FORTITER DEFENDERE.

Pſammetichus, in Aegypto quatuor & quinquaginta regnauit annos: per quorum unde triginta magnam Syriæ urbẽ obſidens oppugnauit, donec expugnauit. Hæc eſt AZOTOS, quæ diutiſſimam inter omnes urbes duntaxat (quas nouimus) ſuſtinuit obſidionem, ſiue id loci natura: ſiue, qđ probabilius eſt, militum robore. Herodotus lib. 2. & Sabellicus lib. 4. Enneadis 2.

Epaminondas poſt Leuctricam uictoriam, Mantineam oppugnabat. Mantineos ſtupor inceſſerat ululantes & diſcurrentes: qui tantas copias inſtar undarum ingruentes non ualebant propulſare, nec ullam opem animo concipiebant. Interea ATHENIENSES in fines Mantinicos deſcenderunt, imprudenteſq; periculi, compoſito procedebant gradu. Et licèt rari eſſent, cum hoſtium multitudine comparati, & ex uia defeſſi, neque ullus adeſſet ex ſociis, in aciem tamen extemplò pleriq; iere. Equites raptis armis inuecti ſub ipſas portas & muros, duram equeſtrem pugnam commiſerunt, obtentaq; palma, ex Epaminondæ manibus Mantineam eripuerunt. Hunc actum Euphranor pinxit Athenis: atque uidere eſt quaſi ſimulacrum eius conflictus hanc picturam, cum illo certantem, & uirtutis animorum & ſpirituum plenam. Plut. de gloria Athen.

ARGIVÆ mulieres inſidentes tectis, Epirotaſq; deſuper iacientes, urbem contra Pyrrhum regem defenderunt, ipſumque Pyrrhum ſimul interfecerunt. Polyęnus lib. 8.

TELESILLA poetria, interfectis in pꝛlio Argiuis ſupra 7000. Argos urbem contra Cleomenem Spartanorum regem defendit, Argiuas armatas ad pugnam educens, quæ in propugnaculis ſtantes Cleomenem repulerunt. Idem.

Cùm Pyrrhus à Cleonymo rege accitus, Spartã obſideret: Lacedæmonij primis tenebris FEMINAS primò deliberauerant in Cretam mittere. Cæterùm ipſæ repugnauerunt. Archidamia etiam in ſenatum uenit, gladium tenens, caſtigauitque nomine mulierum uiros, quòd uiuendum ſibi euerſa putarent Sparta. Inde foſſam ſtatuerunt ex aduerſo hoſtium caſtris ducere, cuius ex utraque ora plauſtra collocarẽt, eaq; uſque ad medias rotas defoderẽt: quò ualidè depacta diſtinerent elephantos. Hoc opus aggredientib. adiungunt ſe uirgines & matronæ, quæ partim tunicas ſuccinxerant ſindonibus, partim ſolis amictæ tunicis erant, eam operam unà cum ſenibus ſubituræ. Illos, qui præliaturi erant, quietem iuſſerunt capere: ſumtoque modo, perfecerunt per ſe tertiam partem foſſæ. Vbi diluxit, cùm mouerent ſe hoſtes, ſubminiſtrauerũt arma iuuenibus, foſſamque tradiderunt, hortantes, ut eam defenderent & tuerentur. At Pyrrhus primo diluculo exercitum admouet urbi. Lacedæmonij ſupra uires defendunt ſe. Præſtò ſunt feminæ, tela ſuggerunt, cibum & potum petentibus adminiſtrant, uulneratos excipiunt. Pyrrhus uerò cùm in urbem irrumperet, equus eius ſagitta Cretica infra uentrem ictus eſt. Quo uulnere concitus, Pyrrhum in faſtigium lubricum & pronum effudit. Tumultuantibus circa eum amicis, accurrerunt Spartiatæ, telorumq; ui omnes exegêre. Pyrrhus receptui cecinit, & mox inde Argos auocatus periit. Plutarchus in Pyrrho.

Cùm bello Peloponneſiaco Carcinus Athenienſium prætor, Methonam urbem Lacedæmoniæ oppugnaret: BRASIDAS Spartanus adoleſcens, aſſumtis ſecum quibuſdã Spartanis, agmine ſtipato per medias hoſtium acies & ſtationes uiam manu fecit: multiſque, qui obſiſtere conarentur, cæſis, intra oppidum euaſit. Perſtantem deinde Athenienſiũ exercitum in obſidione, indies magis ſtrenuè dimicando, nulliſque periculis uſquam cedendo, ſpe uictoriaque fruſtrati, donec amiſſa loci per uim fiducia, intra naues ſe recepêre. Diodorus lib. 12.

Aetolis longo tempore cum Acarnanis bellum gerentibus, & ad extremum per proditionem in urbem irruentibus, uiri in ſubito periculo fortiter dimicarunt. FEMINÆ in tecta aſcendentes, partim lapidibus, partim lateribus iacientes multos ex hoſtibus interfecerunt. Viros autem cedentes & penè uictos, ipſæ tum cohortando tum exprobrãdo, ad pugnam reuocarunt. Polyænus lib. 8.

Porſena Hetruſcorum rege, Tarquinium reducere conante, commiſſo ad Sigliuriam prælio, uulnerato grauiter utroq; Coſſ. Lucretio & Poplicola, perculſi Romani, fuga ad urbẽ ſalutem petierunt. Cùm magno impetu hoſtes per pontem ſublicium ferrentur, Roma fuit penè ui capta. Ibi princeps HORATIVS Cocles, & duo primæ nobilitatis uiri Herminius & Lucretius (Liuio eſt Lartius) hoſtibus ſe in ponte obiecêre. Horatius dictus Cocles cognomine fuit, quòd alter oculus ei eſſet in bello excuſſus: ut nonnulli dictitãt, quòd ſimus eſſet naſo ita depreſſo, nullũ ut eſſet inter oculos interſtitium, & ſupercilia haberet commiſſa. Vnde uocare eũ multitudo cùm Cyclopem uellet, labente lingua obtinuit, ut diceretur à uulgo Cocles. Hic poſitus in ſtatione pontis, quoad eum ſocij à tergo reſcidiſſent, ſuſtinuit hoſtes. Inde armatus ſe in Tyberim miſit, atq; incolumis ad ulteriorem ripam tranauit, iaculo Hetruſco in natibus ictus. Cuius uirtutem Poplicola admiratus, ſtatim tulit ad populũ, ut quiſque ex Quiritibus cibaria ei unius diei conferret: deinde quantum agri uno die circumaraſſet. Adhæc ſtatuam æneã ei in æde Vulcani poſuerunt. Eo honore contractã ex uulnere claudicatem leniuêre. Plut. in Poplicola. Vnus itaq; tot ciuium, tot hoſtium in ſe oculos conuertit, ſtupentes illos admiratione, hos inter lætitiam metumq; hęſitantes: unúſque duos acerrima pugna conſertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando diſtraxit. Deniq; unus urbi Romanæ tantum ſcuto ſuo, quantum Tyberis alueo munimenti attulit. Quapropter diſcedẽtes Hetruſci dicere potuerunt: Romanos uicimus, ab Horatio uicti ſumus. Valerius Maximus lib. 3 cap. 2 & Liuius. Plinius cap. 11. de Viris illuſtrib. Gellius lib. 4. cap 5. Florus lib. 1. cap. 10. De illo ſic Silius libro 13.

—— tulit ille ruentem
Tybridis in ripas regem, ſolusque reuulſo
Ponè ferox ponte excluſit redeuntia regna.

Cùm ſe M. Bruto tota penè Luſitania dedidiſſet, ac ſola gentis huius urbs CINANIA pertinaciter arma retineret: tentata redemtione, propemodũ uno ore legatis Bruti reſpondit: Ferrum ſibi à maioribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab Imperatore auaro emerent, relictũ. Valerius Maximus lib. 6. c. 4.

M. SCÆVA, C. Iul. Cæſaris centurio, cùm pro Dyrrachio caſtello, cui præpoſitus erat, dimicaret, Cneiq; Pompeij præfectus, iuſſu eius ſummo ſtudio & magno militum numero ad id capiendũ mitteretur: omnes qui propius acceſſerant, interemit: ac ſine ullo regreſſu pedes pugnans, ſuper ingentem ſtragem, quam ipſe fecerat, corruit. Cuius corpus capite, humero, femore ſaucio, oculo eruto, ſcutum centum & uiginti ictibus perfoſſum apparuit. Val. Max. lib. 3. c. 2. & Sabellicus lib. 4. c. 6.

Quum Mahumetes Turcorũ Imp. ualidiſſimo agmine inſtaurato, ſuperata mortuorum ſtrue, quę ruinis excreuerat, in ciuitatem Albam Græcam irrumperet: Turca quidam, ut ſigna ſui regis pinnaculo turris imponeret, turrim altiſſimã ſubiit. VNGARVS ilicò ſubſequutus, quum alio modo id prohibere non poſſet, ſe cum Turca ex altiſſimo uertice pręcipitem dedit. Bonfin. lib. 8. Dec. 3. Idem alius deſignauit in oppugnatione Iayzæ. Bonfin. lib. 10. Dec. 3.

Mahumetes Turcarum rex, cùm Rhodum arcta obſidione premeret, tormentorum ui ita quaſſatis muris, ut nullo labore in eos per ruinas hoſtes conſcenderent: iam in ſummos muros Turcarum ingens numerus peruenerat. In tam graui periculo Rhodios illa res iuuabat, quòd intrinſecus urbis ſitus admodum depreſſus erat: Turcæque, qui per ruinas in eam irruere nitebantur, niſi in præceps ſe ac manifeſtũ mittere periculum uellent, unis tantùm lapideis ſcalis, quibus in muros Rhodij conſcendebant, deſcendere cogebantur. Cũ eo in loco periculi ſumma uerſaretur, PETRVS DAVBVSSON, Gallus, Rhodiæ religionis princeps, tuendũ ſibi eum deſumſit, ſecum duobus nepotib. ac quatuor aliis militibus adhibitis. Is illic tantis uiribus tantoq; animi robore pugnauit, ut quanquam è comitibus perplures, aliis ſuffectis, occidiſſent, & ipſe quinq; acceptis uulneribus perfoſſa fractaq; haberet arma: Turcarum tamen nullum ea in urbem penetrare permiſerit, ſed ingenti repulſos cæde ſoluere obſidionem coegerit. Fulgoſ. lib. 3. c. 2.

Quum Auſtriaci à Friderico III. Imp. Roma coronam petente deficientes, Nouam ciuitatem infeſtis ſignis adorirẽtur: Cæſarianos excurſione facta tanta ui Auſtriaci repulerunt, ut parum abfuerit, quin urbem unà commixti caperent. Vnus ANDREAS Baumkircher, donec à fugientibus porta occluderetur, hoſtilem impetum audacter pro mœnibus in ponte ſuſtinuit: & ob ſeruatam uirtute ſua ciuitatem multis à Cæſare honoribus exornatus eſt. Bonfinius libro 7. Decadis tertiæ.

Rex Feſſenſis Tingitanam urbem oppugnans, Luſitanos, qui eruptionem fecerant, in urbem reiecerat. Poſtremus omnium quidam eques, LVPVS Martinus nomine, urbẽ ingreſſus, uectem ad medias portas induxit. Cùm autem multi illum magnis clamoribus admonerent, ut totam portã clauderet: reſpondit, Nunquam ſe tantum facinus admiſſurum, ut eam Portugalenſib. maculam ſignificatione timoris inureret. Se paratum eſſe, pro illius medię portę defenſione ad extremum uitæ ſpiritũ dimicare. Neq; ſolùm hoc dixit, ſed factis etiam oſtendit. Nam cùm Mauri in illum ferociter inuaderẽt, primum impetum animo magno ſuſtinuit, donec multi opem illi afferrent, quorum uirtute excluſi mœnibus Mauri, ſe in caſtra contulerunt. Oſorius libro 2. rerum Emmanuelis.

Cùm

Cùm Catalusij Mitylenis in Lesbo rerum peterentur, Amurathes Turcarum Imp. ingẽti classe Molagũ oppidum oppugnare cœperat. Ibi ORIETA Auria, Genuensis, Lucæ præfecti uxor, sola cum tribus comitibus, sumtis armis, nõ modò pugnando pericula omnia subiit, uerùm confirmandis corũ animis, qui iam attoniti de deditione consilia inibãt, sapientis ducis munia impleuit: agendoq; atq; hortando tantũ effecit, ut Turcas ab oppido magna cum strage repulerit. Fulgosus lib. 3. c. 2.

Bello Venetis à Mahometo Turcarum rege moto, cùm classis ingens Mitylenas adorta esset, Coccinumq; oppidum oppugnare cœpisset, anno MCCCCLXXIV. uirgo MARVLLA, ut patrem inter pugnantes occubuisse conspexit, ciuiumq; aciem ad fugam spectare: paterno clypeo gladioq; arrepto, hostes iamiam irrupturos à muris repulit. Sabel. lib. 10. Dec. 3. & lib. 7. Enn. 10. & Aen. Sylu. c. 74. Asiæ, & Cælius lib. 13. c. 33. Antiq. lect.

Cùm Mahometus Bassa Budensis Solymãni nomine Agriam Vngariæ urbẽ obsideret an. MDLII. uiris permixtę FEMINÆ fortiter aduersus hostem pugnarunt. In his Iuuencula cum matre marito pugnanti assistebat. Interemto illo, hortabatur mater filiam ad sepeliendum maritum. Tum filia, Exequiæ alterius erunt temporis, inquit. & arrepto mariti scuto & gladio, trium Turcarum morte marito parentauit, eundemq; mox in humeros sublatum terrę mandauit. Alia quædam ingens saxum capite gestabat, ut in confertam hostium multitudinem illud deiiceret. Molienti pila ferrea caput abstulit. Filia matri proxima, saxum sanguinolentum, uindicta ardens, in hostes deiecit, duos interemit, aliquot alios gladio trucidauit, passimq; circumcurrens, ad defendendam patriam heroica uoce omnes hortabatur. Accidit & illud, ut cùm in acie pro muris starent, pila ferrea tres mulieres miserandum in modum lacerauerit, & cruore mortuarum reliquas asperserit, quæ tanto furore populares suas sunt ultæ, ut bellicosissimi Turcæ desperata expugnatione non magis uirorum quàm Amazonũ robore se uictos turpi discessu faterentur. Ascanius Centorius lib. 5. com. Belli Transsyluaniæ.

ARCES FORTITER TVERI.

Galli Capitolium obsidẽtes, cùm locum præruptum animaduertissent, per quem Pontius Cominius clàm ascenderat à Camillo ad obsessos missus, eadem uia ascendêre noctu, ut nec homo eos nec canis senserit. Sacri anseres ad ædem Iunonis alebantur aliàs liberaliter, tunc parcè, & angusto suppeditante ipsis commeatu neglecti affligebantur. Est autẽ illud animal alioqui sua sponte acris auditus, & ad omnẽ strepitum expauescẽs. Hos & inedia insomnes & turbidos minimè Gallorum ingressus fefellit: sed cursu & clangore delati ad Romanos, omnes excitauerunt. Et iam Barbari quoq; ut senserunt se detectos, ingentem sustollentes clamorem, maiore ui intulerunt sese. Romani raptis cõfestim armis, quæ cuiq; obuia erant ex præsenti copia, obiiciũt se hostibus. Primus omnium M. MANLIVS uir consularis, cùm corpore ualido tum animo insigni, duobus simul hostibus occurrens: alterius, qui sustulerat securim, quam copidà uocant, dexteram eius ense amputat; alterum umbone in faciem ictum, retrò præcipitat de saxo. Inde muro superstans cum iis, quos festinatio ei aggregauit, paucos reliquos, qui ascenderant, cum nihil designassent memorabile, deturbat. Ita depulso periculo præfectum uigilum prima luce præcipitant de saxo ad ima. Manlio uictoriæ premium honore quàm emolumento ampliùs decernũt: cui omnes, quantum quisq; in diem cõmeatus recipiebat, selibras farris, uel quartarios uini contulêre. Plut. in Camillo.

PONTES fortiter defendere.

NORVEGIENSIS quidam miles, cùm Haraldus Noruegiorum rex Tostonem in Angliæ regnum contra Haraldũ Anglorum regem Tostonis fratrẽ reducere uellet, ad Deruentam fluuium Anglos pontem transituros solus cohibuit. Quo facto, hostes miraculo fortitudinis stupefacti, uno memorato huic uni insidias tendunt, quem ui superare non poterant. Pons ligneus, & eius medius transitus multas rimulas habebat. Dum igitur alij Noruegiensem in pugna occupatum tenent, unus sub ponte, lintre clàm uectus, telo inguina perfodit. Polyd. lib. 8.

FORTITVDO OFFENSIVA HOSTIVM.

HOSTIVM VITAE FORTITER INSIDIARI: OCCIDERE, repellere, sustinere.

Hæc pleraq; ex Tit. Fortes milites. Item Monomachiæ.

IONATHAN Sauli regis F. solo comitãte armigero suo, præsidium Palæstinorum ultra Machmas in prærupto loco adortus, uiginti illorum occidit. Ex quo tantus terror Palæstinos inuasit, ut terra ipsa terrore diuinitùs incusso contremisceret. Saulus rex occasione ista usus, & Palæstinorum castra aggressus, maximorum illorum stragem edidit, cùm ipsi ferrum in seipsos conuerterent. 1. Reg. 15.

Inter multa DAVIDIS Iudæorum regis admiranda fortitudinis facinora, illud unum instar omnium erit, quòd Ammonitas Syrosq; longè inferior numero adortus, cùm ipse inter primos fortiter dimicaret, Ammonitarum ducẽ Chadam, qui Sobachus dicebatur, uirum fortissimũ manu sua obtruncauit. Fulg. lib. 3. c. 2.

Harmatodij Thespiensis FILIVS auxilio ueniens Atheniensibus, armis consumtis omnibus nudis manibus contra hostes pugnauit. Aelianus lib. 6. de Var. hist.

ARISTOMENEM Messenium trecentorum à se uno prælio cæsorum ex Lacedæmoniis, uictimas Diti immolasse dictitant. Plut. in uita Romuli, & Sab. lib. 4. c. 6.

BRASIDAS in prælio lancea per clypeum ictus, eadẽ ex uulnere extracta hostem peremit. Interrogatus, Quî uulneratus esset? Prodente, inquit, me clypeo. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Ad Platæas Mardonius dux, cum 300000 Persarum à Xerxe in Græcia relictus, cum Græcis pugnans, ab AIMNESTO, uiro inter Spartiatas eximio, occisus est: qui aliquãdiu post bellum Medicum trecentos uiros secum habens, apud Stenyclerum cum omnibus Messeniis conflixit, ubi ipse & trecenti occubuere. Herod. lib. 9.

In pugna ad Platæas SOPHANES Eutychidis F. Atheniensis, è tribu Decelensi, ancipiti sermone celebratur. Vno fertur gestasse ferream ancoram à baltheo thoracis cathena alligatam: quã quoties aduentantibus hostib. propinquus erat, obiiciebat, ne illi irruentes ipsum ex ordine summouere possent. Rursus eisdem in fugam reuertentibus resumta ancora ita fugientes insequebatur. Altero fertur gestasse ancoram non ferream ex baltheo alligatam, sed insignitam in scuto, quod nunquam acquiescens assiduè rotabatur. Ibidem.

Veientes à Romulo ad Fidenas uicti sunt magna strage: ubi uictoriam præcipuè uirtute partam ROMVLI fuisse, cuius consilium cum pari audacia eluxit, robùrque & pernicitas plusquam humana, omnes fatentur. Quod autem iactitant nonnulli, sanè quàm est fabulosum, atque adeò à fide abhorrens prorsus, quatuordecim millium cæsorum, suamet manu amplius dimidium interfecisse Romulum. Nam simile commentum iactant de ARISTOMENẼ Messenij, trecentas eum uictimas mactasse, ob totidem cæsos Lacedæmonios. Plut. in Romulo.

ALEXANDER Magnus tener adhuc annis, memorabili illa pugna ad Chæroneam à patre Philippo edita, qua Græciæ opes funditùs cõcidêre, primus omnium impetum fecit in sacram Thebanorum cohortem: quæ quo insigniùs dimicauit, eo maius huic reliquit nomen, per quem primùm impulsa est. Sab. lib. 1. cap. 4.

LONGINVS eques ex Rom. acie in Iudæorum aciem, dum Hierosolyma oppugnatur, irruens, iisq; disiectis, duos fortissimos interemit, & ad suos incolumis rediit. Iosephus libro 6. cap. 8. Belli Iud.

Vespasiano Iotapatam Galileæ oppidũ oppugnante, duo fratres Galilæi NETIRAS & PHILIPPVS in decimã legionem Rom. tanto impetu irruerunt, ut & aciem Romanorũ perruperint, & omnes in fugam uerterint. Iosephus lib. 3. cap. 9. Belli Iud.

SIMON Sauli F. Scythopolita Iudæus, corporis robore excellens, ut qui bello Iudaico sæpè solus integram aciem sustinuerit. Commendandus profectò, nisi hoc robore contra suos contribules usus fuisset. Iosephus libro secundo, capite 19. Belli Iudaici.

AVRELIANVS Imp. Sarmatico bello, quemadmodũ Theoclius prodidit, qui gesta Cæsarum scripsit, octo & quadraginta hostes uno die propria manu occidit. Pluribus uerò bellis supra nongentos quinquaginta. Militari saltatione, quam bellorum feriis inter se milites de more celebrabant, illud fuit carmen de Aureliano insertum, Mille uiuat annos qui mille occidit. Tantum uini bibit quantum fudit sanguinis. Et aliud in eandem sententiam de eo à militibus ioculariter iactatum, Mille Sarmatas & mille Gallos sæpius occidimus, mille Persas quærimus. Sabellicus lib. 7. Enneadis 7. ex Vopisco.

Bardas SCLERVS siue Durus, prætor Orientis, contra Roxolanos sub Ioanne Zimisce Imperat. bellum gerebat. QVIDAM è Scythis corporis mole & animi audacia insignis, cernens Durũ ordines suos obequitantẽ, atq; adhortantẽ, ut animo præsenti essent, in illum irruit stricto ense. Ei Durus tanto impetu plagam intulit in caput, ut Scytham medium secaret, ac partes dissectæ utrinq; ab equo deciderent. Quo facto, Barbari consternati, in fugam sunt cõuersi subitò. Quos Romani insectati, multos trucidarunt, nec nõ paucos uiuos ceperunt. Cuspinianus.

In eo prælio, quod ad Formias à Romualdo Grimoaldi Longobardorum regis F. contra Constantem Imp. gestum est, cũ ancipiti ab utraq; parte dimicaretur euentu, AMELONGVS quidam, qui regiam hastam ferebat, uictoriã ad Longobardos memorabili casu traduxit. Quippe hasta ambabus manibus nixus, Græcum quendam fortè obuium tanta mole percussit, ut ipsum è sella decusserit, atq; hasta infixũ in sublime supra caput extulerit, omnibus ingenti nouę rei admiratione propè attonitis. Quod ubi Græci uiderũt, metu perterriti in fugam se conuerterunt, ac non dubiam Romualdo uictoriam reliquerunt. Sigonius libro secundo, regni Italici.

ARTVRVS rex Britãnię, cõgregato exercitu procedens contra Saxones Scotos & Pictos, accinctus gladio nomine Caliburno, & auream galeam simulacro draconis insculptam capite gestans, clypeumq; humeris imponens, lanceam quoq;, quæ Ron uocabatur, assumẽs, solus gladio suo 470 uiros interfecit: cæteros in fugam conuertit, principib. necatis. Sigebertus in Chron.

HENRICVS III. Anglorum rex, in pugna contra Comites rebelles non minus boni militis quàm imperatoris officio functus, sex & triginta homines eo die confodit, anno 1401. Polydorus lib. 21.

Mahometo Turcorum tyranno, Belgradũ oppugnante, BOEMVS quidam miles cùm uidisset Turcam cum uexillo Turcico murum iam conscendisse, eoq; metu plerosq; militum perculsos, fugam in arcem parasse, complexus lucta Turcã, ad Io. Capistranum legatum pontificium inferius stantem clamans, Si, inquit, sponte mea cum cane isto me de muro præcipitauero, illi commoriturus, quid de anima mea erit? Illò respondente, Saluam sine dubio fore: deiecit se protinus, morteq; hostis & sua socios seruauit. Dubrauius libro uigesimonono.

Eo prælio, quod Heluetii contra Delphinum Caroli VII. F. propè Basileam commisere, cùm Burcardus Monachus, uir nobilis & clarus, qui legatus à Friderico III Imp. ad Gallũ missus, Delphino in Germaniam irrumpẽti dux fuerat, post prælium ouanti similis per medios occisorum aceruos equo ferretur, aperta galea, uociferans, Quàm iucundum spectaculum, quàm roseum pratum obequitamus? VNVS Heluetiorum iam animam agẽs, genu uti poterat innixus, non sine numine, saxo arrepto frontem Burcardi tanta ui perculit, ut exanimis equo delapsus, impiæ uocis & perfidiæ erga patriam pœnas dederit meritas. Stumpfius.

LIBERTATEM HOSTIBVS FORTITER ERIPERE. CAPERE hostes.

Consule Tit. Prudenter Libertati aliorum insidiari, quatenus fortitudinem prudentia iunctam habet.

In expugnatione Hierosolymitana cùm Iudęi murum: quo urbem Titus Imp. circumdederat, perrumpere studerent, quidam ex ala equitum, PEDANIVS nomine, Iudæis in fugã uersis, atq; in uallem coactis, equo in aduersum montẽ a latere incitato præteruectus, rapit unum ex hostibus fugam petentem, iuuenem & grauem corpore, & armis undiq. septum, talo comprehensum, tantũ se inclinauit equo curren te, tantamq; dexteræ robur itemq; cæteri corporis, & equestris peritiæ demonstrauit. Iste quidem tanquam munus aliquod rapuisset, captiuum ferens, ad Cæsarem uenit. Titus autẽ uires eius qui ceperat admiratus, & captiuo, quia murum aggredi tẽtauerat, supplicio tradito, ipse templi oppugnationem curabat, utq; aggeres maturè fierent, perurgebat. Iosephus lib. 7 c. 5. Belli Iud.

Excisis Hierosolymis, Lucilius Bassus legatus in Iudæam missus à Vespasiano, Herodium arcem munitissimam obsedit. Oppidani duce ELEAZARO iuuene fortissimo, crebris excursionibus Romanos uexabant. Quodam die è pugna rediens, cùm contemtu hostium extra portas mansisset, & cũ iis qui in muro stabant securè loqueretur: Aegyptius quidã RVFFVS nomine, occasione captata, factoq; impetu, cum ipsis eum armis in castra Rom. portauit. Bassus eum nudatum uirgis cædi, & in crucem erigi iussit. Oppidani misericordia moti tam præclari iuuenis, ut eius uitam redimerẽt, deditionem fecêre. Iosephus libro 7. capite uigesimoquinto, Belli Iudaici.

IPHICRATES, qui filius habebatur sutoris, nullo loco numerabatur. Verùm tunc primùm est factus celebris, cùm hostem saucium unà cum armis corripuit, atq; uiuum in triremem suam transportauit. Plut. in Apoph.

ROMANVS miles in Veiorum obsidione Veientem augurẽ, cui aliquãdiu familiarissimus extiterat, colloquij prætextu longiùs ab urbe tractum, Romanis castris sublimem intulit. Eumq;, ut Romanis etiam occupandæ suæ patriæ rationem ostenderet, coegit. Plut. in Themistocle.

Simili ratione CHRISTIANVS miles, Latinis contra Sultanum Aegyptium rem gerentibus, Characucem Saracenum corpore paruum, sed ingenio magnũ, sub specie colloquij sublimem arreptum in castra retulit. Aemilius.

LVPONVS Hispanus miles, cursu & uiribus tantũ ualebat, ut ariete etiã humeris imposito uelocissimi cuiusq; cursum adęquaret. Hunc Ferd. Piscarius, quum certiora de hostium Gallorum consiliis, qui Modœtiam se receperãt, cognoscere cuperet: pposito præmio impulit, ut ad munitiones Gallorum excurrere, & aliquid ipsius ingenio & solertia dignũ referre uellet, quando pernicitati pedũ confisus id tutò aggredi posse uideretur. Luponus assumto secum fideli sclopetario pedite, diluculo ad hostium munitiones est profectus, perspectoq; situ, semisopitum uigilem corripuit, procerum sanè Gallũ, eumq; sublato clamore frustra reluctantem, comite in excitos & persequentes sclopetũ displodente, ad Piscarium humeris deportauit, ut cuncta sigillatim eo referente proderentur. Excepit id facinus cum multo risu uterq; exercitus. Verùm Piscario haud uanum illius indicium fuit, horaq; maximè oportuna, cum delectis cohortib. hostes in opere, quo actis cuniculis sibi in Cæsarianorũ castra ingressum parabant, occupatos est adortus, tanto Hispanorum impetu, & perturbatione Gallorum, ut multis in fossa oppressis, & cæteris qui in statione erant cũ cęde profligatis, tota Gallica castra ad eum tumultum, ut in subita armorum conclamatione, timore & strepitu complerẽtur. Iouius in Piscario lib. 22.

Magnus Sforcia, Magister equitũ reginæ Neapolitanæ Ioannæ, clàm ab inuidis apud Iacobum Martiæ comitem Ioannæ maritum falsò delatus fuit, quasi mœchus reginę: cõspirationeq; inita, Beneuenti ex insidiis captus, domus eius direpta, liberi & propinqui ferè omnes nexi fuerunt. Inde deuectus in insulæ Megaris arcem, cui ab ouo nomen est, acerbissimis tormentis cruciandus Bernardo barbaro homini traditur. Interea cùm Tricaricum urbem, Sforcianorum militum agros Neapolitanos infestantium receptaculũ, regij milites obsiderent, & Michelinus Rabinianus maritus MARGARITÆ Sforciæ (ad quam Tricarici imperiũ & ditio pertinebat) de induciis & compositione agere cum hostibus cœpisset, factaq; potestate impunè commeandi è castris hostium summæ nobilitatis homines Tricaricum uenissent: illa arrepto uenabulo loricata in eos impetum fecit, metuq; mortis captos ad restituẽdum fratrem adegit. Itaq; legatorum propinqui concursu ad regẽ facto impetrarunt, ut Sforciæ parceretur. Iouius in Sforcia.

NAVES HOSTIVM FORTITER CAPERE.

Consule Tit. Naues prudenter auferre, perdere. illic Prudentiæ, hic Roboris habenda ratio.

CYNIGERI Atheniensis gloria magnis est scriptorum laudibus celebrata, qui Marathonia pugna, cùm palantes Medos ad naues compulisset, nauem hostibus onustam dextra manu tenuit. Qua hostium ferro amputata, læua remorari conatus est. Cæterùm hanc quoq; uis hostilis abscidit. Tum ille ad duplicem cladem nihilo remissior factus, mordicùs nauim defixit: cædibusq; fatigatus, ambabusq; manibus amissis, ceu fera quædam rabida morsu & dentib. dimicauit, quando alia ui non potuit. Sabel. lib. 4. c. 6. & Iustinus lib. 2. & Val. lib. 3. c. 2. & Plut. c. 1. Parall.

In pugna nauali à Græcis contra Xerxem ad Artemisium commissa, Græcorum primus nauem hostium cepit uir Atheniensis LYCOMEDES Aeschræi, palmamq; rei bene gestæ retulit. Herod. lib. 8.

Qualis roboris illi MILITES Rom. qui uehemẽti ictu remorum concitatam fuga Punicam classem, nantes lubrici pelagi quasi camporum firmitatem pedites, in litus retraxerũt? Val. Max. lib. 3. c. 2.

L. GLAVCVS, uir præcipua nobilitate, cùm Hasdrubal capta Sicilia aduersus Romanos & Metellum eorum imperatorẽ pugnaret, Hasdrubalis nauem detinens, utramque manum amittere quàm desistere maluit. Aristides Milesius lib. 1. rerũ Sicularum, & Plut. in Parallelis.

C. ATTILIVS siue Acilius, miles C. Cæsaris, nauali ad Massiliam prælio, iniecta in puppim hostium dextra, & abscissa, eam læua apprehendit, nec antè dimicare destitit, quàm captam profundo mergeret. Val. lib. 3. c. 2. & Suetonius in uita Cæsaris, & Sab. lib. 4. c. 6. & lib. 7. Enn. 6.

Sub annum Christi MDXIV Gallis, qui reliqui omniũ in Italia apud Genuam in arce Phari (quam Liguriæ frenum Galli appellabant) obsidebantur, Dalmata quidam, Ludouicĩ regis iussu, qui classem Liguriæ litus custodientẽ fefellerat, nau-

naui una commeatū importabat, spectante Genuensi pop. & frustrā indignante. Ibi EMANVEL Caballus, inter Ligures rei naualis peritiss. cum CCC iuuenibus, duce Andrea Auria, nauem conscendit, & statione egressus, modico in altum capto circuitu, quo aura plenius uela inflaret, rectā ad hostium nauem contendit: nihilq; territus crebris pilarum ictibus, quibus continenter ab arce petebatur, iniecto statim harpagone, in eam primus insiliit, & præcisis rudentib. quibus propugnaculo arcis alligabatur, momento temporis aunllam in altum abripuit, tanta arte atque peritia inter scopulos hostileq; nauigium directa prora, ut quod propositi erat in maximo periculo, & nauem excluserit, & abrasis scopulis paratum naufragiū euitarit. Dalmatam nauis præfectum, qui in mare se præcipitauerat, ut ad arcis scopulos adnataret, Iustinianus nobilis adolescens per undas itidem adnatando, euadentem consecutus, crinibus arreptum in proximum litus pertraxit. At Caballus captiuam trahēs nauem, regressus ad classem, summa populi gratulatione susceptus, donatus est quingentis aureis, præda sociis naualibus diuisa. Galli fame coacti deditionem fecēre. Genuēses arcem libertati suæ insidiantem, quam impotenti imperio regis uictoris in collum proprioſque humeros erexerant, à fundamentis excidēre. Iouius lib. 12. Hist.

CORRVMPERE, PERDERE.

Consule Tit. Prudentiæ in Nuptiis corrumpendis: quatenus prudentiæ fortitudo tangitur.

Constante imperāte, Mauuias Arabs apud Tripolim magnas instruxit naues, Constantinopolim petiturus. Id cernentes DVO Christiani fratres, buccinatoris filij, diuino animi fer uore exagitati ad carcerem accurrerunt, effractisq; foribus, & captiuis liberatis, Amiram Tripolitanum, & eos qui ipsi aderant, occiderunt: unuersoq; apparatu cremato, effugerunt. Cedrenus.

MACHINIS, AGGERIBVS HOSTIVM FORTITER INSIDIARI.

Cùm Vespasianus Iotapatam Galileæ urbem oppugnaret arietibus, Samei F. ELEAZARVS, è Saba Galileæ oriūdus, saxum ingens, tanta ui super arietē ex muro demisit, ut machinæ caput abrumperet, idq; ex mediis hostibus saltu ad eos delatus auferret, nulloq; metu reportaret ad murū. Postremò tanquam signum, quò tela mitterent, hostibus propositus, nudo corpore quinq; sagittarum uulneribus confixus est: earumque nulla resecta, ubi murum ascendit, unde iam uideri ab omnibus poterat, sua audacia ibi constitit, cōtractusq; dolore plagarum cum ariete decidit. Iosephus lib. 3. cap. 9. Belli Iud.

Tres Iudæi milites TEPHTHÆVS Garsites, MEGASSARVS & ADIABENVS Agiras, Tito Hierosolymam oppugnante, stupenda audacia raptis facibus per medias Rom. legiones euolarunt, & ignem aggeribus iniecerūt. Quibus nec audaciores nec terribiliores ulli eo in bello apparuēre, cùm non secus atq; ad amicos, in agmen hostium irruerēt. Iosephus lib. 6. cap. 12. Belli Iud.

CASTRA FORTITER INVADERE.

Cùm Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, VIBIVS Accus, Pelignæ cohortis præfectus, uexillum trans Punicum uallum proiecit, seipsum, suosq; commilitones, si eo hostes potiti essent, execratus: & ad id petēdum subsequente cohorte primus impetum fecit. Quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos: Spectatores (inquit) ut uideo alienæ uirtutis huc uenimus: sed absit dedecus à sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis uelint. Ego certè aut speciosam optatu mortem, aut felicem audaciæ exitum, uel solus præcurrere paratus sum. His auditis, PEDANIVS centurio cō uulsum signum dextera retinens: Iam hoc (inquit) intra hostile uallum mecum erit: proinde sequantur, qui id capi uolunt. & cum eo in castra Pœnorum irrupit, totamq; secum traxit legionem. Ita trium uirorum fortis temeritas, Hannibalem paulo antè spe sua Capuæ potiorem, ne castrorum quidem suorum potiētem esse passa est. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2.

VRBES FORTITER OPPVGNARE, EXPVGNARE.

Consule Tit. Stratagematum in urbium & castrorum expugnatione. Potest enim idem exemplum diuerso respectu utriq; loco inseruire.

IOABVS Saruiæ F. in oppugnatione Iebusæ, primus arcem Sionem conscendit. 2. Reg. 4. & Iosephus lib. 7. Antiq. c. 3.

ARCHIAS & LYCOPS Lacones, cùm Lacedæmonij Samū obsiderēt, soli cum Samiis ad murum refugientibus irrumpentes, intercluſa ad redeundum uia, intra urbem Samiorū occubuerunt. Quòd si cæteri Lacedæmonij pari fortitudine pugnassent, capta eo die fuisset Samus. Herod. lib. 3.

ALEXANDER Magnus in oppugnatione Nysæ urbis cùm milites suos in traiciēdo amne, quo ab una parte urbs cingebatur, segniores uideret, ipsius amnis altitudinē territos, scuto pectori subiecto, primus fluuium tranauit. In India aliam urbem oppugnans, primus scalis in urbis muros euasit. In quibus cùm effractis scalis cum duobus tantū remansisset comitibus, quanquā multis acceptis uulneribus, nunquam de se hostibus dedendo uerbū fecit: sed ut erat confossus, à muris saltu ad suos se recepit. Fulgosus lib. 3. cap. 22. ex Plutarcho.

Confugerant in munitissimam quandam petram, cui Aorno erat nomen, Arianorum terræ habitatores, uti ab hostium ui incolumes essent. Ad hanc quoq; ALEXANDER Magnus uenit, speculatusq; omnes loci difficultates, desperabat ui se aliquid posse efficere. Tunc ad eum senex quidam pauperrimus cum duobus filiis accessit, qui eatum quoddam ad radices eius petræ habitabat, excisum hactenus, ut tres lectulos caperet, eumq; de toto statu suo reddidit certiorem, pollicituſq; est per angustias quatdam ad id loci eū ducturum, unde Barbaris, qui petram occupauerant, uim inferre posset. Cuius consilio parens, locū occupauit. Diodorus libro 17.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm in Sicilia Erycem arcē munitissimam oppugnaret, primus scalis in muros conscende re uoluit. Ibi hostium, à quibus premebatur, aliis occisis, aliis conspectus fui atrocitate territis, ui primus in muros euasit: illicque tamdiu solus hostium uim sustinuit, quo ad milites qui deorsum erant, receptis animis, ac stimulante præterea ob ea quæ regem egisse uiderant pudore, omnes impetu facto muros conscenderunt. Fulgosus lib. 3. cap. 2. ex Plutarcho.

Captis à L. Sylla Athenis ipse Sylla commemorat in commentariis primū in murum euasisse M. TEIVM: ac cùm hostē, qui se obiiciebat ei, feriret, ex uiolentia ictus, quem casside intulit, ensem fregisse: non cessisse loco tamen, sed ibi rectitisse, atq; cum retinuisse. Plut. in Sylla.

SCIPIO Aemylianus, cùm in Hispania sub Lucullo duce militaret, atq; Intercacia præualidum oppidum circumsideretur, primus mœnia eius conscendit: neq; erat in exercitu quisquā aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cuius magis saluti consuli & parci deberet: sed tunc clarissimus quisq; iuuenum, pro amplificanda & tuenda patria, plurimum laboris ac periculi sustinebat: deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab iis uirtute superari. Ideoq; Aemylianus hanc militiam, aliis propter difficultatē uitantibus, sibi depoposcit. Valerius Maximus lib. 3. c. 2.

TITI Vespasiani in expugnandis Taricheis, Galileæ urbe munitissima, fortitudinem & gloriæ studium, qui cum paucis potius uictoriæ florem, magno cum periculo, prripere uoluerit, quàm maiores copias & auxilia expectare, ut qui primus cum equo per lacum Genesarensem urbem intrare fuerit ausus, pete ex Iosephi lib. 3. Belli Iud.

In expugnatione Hierosolymorum sub Tito, IVLIANVS centurio ex Bithynia non ignobilis, ubi Romanos, qui Antoniam arcem inuaserant, iam cedere, & malè pugnare conspexit, subitò prosiliit, & Iudæos uictores solus ad interiorem templi angulum persecutus est, cùm uim & audaciam illius nemo sustineret. eaq, specie nihil Cæsari admirabilis, aut aliis horribilius uisum est. Verùm calceos habens creberrimis acq; acutis clauis, more militari, suffixos, dū strato saxeis crustis solo curreret, labitur, magno cum armorū sono: & mox à Iudæis, priusquā surgeret, telis oppressus, magno Rom. omnium cum mœrore occubuit. Iosephus lib. 7. cap. 3. Belli Iud.

In oppugnatione Hierosolymorum Titus milites suos hortabatur, uti Antoniam arcem munitissimam caperent. Cæteris magnitudinē periculi præsentis timentibus, SABINVS Syrus, gregarius miles, statura pusillus, sed animo heroica præditus, animam suam se Cæsari daturū professus, ad murum properat: sequentibus XI aliis, uirtutis eius æmulis. Et iam summa muri mira audacia prehenderat, hostesq; in fugam uerterat, cùm iactu lapidis cum maximo strepitu pronus decidit, & à Iudæis sagittis est confectus. Cæteri saucij in castra relati. Iosephus lib. 7. c. 1. Belli Iud.

SAPRIS cuiusdam militis Rom. fortitudinem in urbe Persarum Beiudaes expugnādā, & muro post alteram repulsam occupando, pete ex Suida: qui illum corpore quidem Tydeo Homerico confert, animo uerò Herculi etiam præfert.

Quum Ioannes Zimisca Imp. Perstblabam, regiam Bulgarorū urbem obsideret, parumque proficeret, tandem quidā MILES dextra gladium tenens, læuaq; scutum ad capitis defensionem elatum gestans, primus per scalam in murum euasit. Scythæ se de muris dedere præcipites. Cedrenus.

GODOFREDVS Bolionius, Lotharingiæ dux, & EVSTACHIVS frater, in Hierosolymorum expugnatione laboris atque periculi plena, in qua utrinq; obsessi atq; obsidentes plurimum sanguinis effuderunt, primi in muros euaserunt, ponte iacto à lignea turri, quam ipsi muris admouerant. Viam enim militibus uirtute sua ad capiendam urbem, ut præstantes duces decet, ipsi strauerunt, nulla ad eam inueniendam rem militum industria usi. Sabellicus lib. 4. cap. 6. & Aemilius.

IANVS Fulgosus, Genuensium dux, cum sex fratribus patruelibus, patria pulsus, etsi satis norat Bernabā Adurnū aduersæ factionis principem, qui cū ducis titulo Genuę rerum potiebatur, præter sexcentos Aragonij Alfonsi milites, magno alio militari numero septum esse intrepidus una triremi, anno Salutis 1447. Genuam nauigauit: nocteq; intempesta cū quinq; atq; octoginta uiris urbem ingressus, ad palatium peruenit. Illic prætoriū adortus, cùm penè omnes uulneribus confecti essent, ipse quoq; erure atq; facie saucius, ducatum Genuensem, & immortalis gloriæ famam, ex eo prælio retulit. Fulg. lib. 3. c. 2.

Vladislao Vngaris imperante, Paulus Kinisius infra Sinderoiuam castellum Turcicum multa præda refertum nocte ex improuiso aggreditur. QVIDAM Croatus eximiæ uirtutis murum ascendit: & quanquam uigintiquinq; uulnerib. affectus, præsidium de munitionibus deiecit: & succedentibus impigrè sociis, muri partem defensoribus uacuam tradidit. Eum rex murali corona, ducentis aureis numis, purpureaq; ueste donauit. Bonfinius lib. 3. Dec. 5.

In eo bello, quod aduersus Nurenbergenses bellicosissimus ALBERTVS Marchio Brandeburgensis eximiè gessit, Grauenburgū ab eo multa ui oppugnatū est. Id oppidū in ualle iacet XX millibus passuum à Nurenberga, muro ac fossa munitum: in quo præter oppidanos quingenti milites præsidio inerant. Oppugnatio quatuor diuersis locis cepta est. Albertus sibi eam oppidi partem elegit, qua murus altior & fossa profundior fuit. Insuluſ facto ab ea parte, qua oppidū captum est, secundus ex omnibus ipse murum ascendit, in oppidum uerò primus descendit. Circumuentus ab oppidanis tamdiu pugnam sustinuit, donec alij suppetias tulerunt. Oppidum captum direptumq; est, feminis nulla uis illata. Aeneas Sylius lib. 3. Com. in Panorm.

ARCES FORTITER EXPVGNARE, OCCVPARE.

Cùm iam FERDINANDO II. Neapolitano regi ad insulam Ischiā, quæ antiquis Aenaria fuit, ob suorū perfidiā, & Galliæ regis Caroli IX. successus nauigāti, nihil præter difficultates laboresq; obiiceretur, cùm arcis præfectus eum uno tantū comitatū in arcem admitteret: rex ut intromissus fuit, sese in eum tanto impetu conicit, ut & ferocitate, & regiæ maiestatis recordatione, sic cæteros perterrefecerit, ut cuestigiò tum præfectum ipsum, tum arcem in suam redigeret potestatem. Guicciardinus lib. 1.

HOSTASIVS Rauennas miles, primus Ticinensem arcem, Gallis militans, irrupit: & à Lotrechio in præmium nauatæ operæ æneam equestrem statuam Antonini Cæsaris impetrauit. Iouius lib. 25. Historiarum.

FORTITVDO LVDICRA, IN SVPERANdis hostibus ludicris.

Simulacra pugnæ ad corporis exercitia pertinent, si robur corporis spectes. At si uigorem animi, huius erunt loci: præsertim cùm ad seriam exercitationem referri debeant. Exempla ex Titulis Olympionicarum, Athletarum, &c. peti possunt.

PEDESTRIS.

Herodotus auctor est, MACHLYES & AVSES circa Tritonidem habitare, quorum puellæ Minervali sacro uelut in turmas diuisæ, fustibus sese & lapidibus incessant, fassæ se patrium morem seruare. Si quæ uulnerib. occubuerint, eas negant uirgines fuisse. Quæ omnium optima fortissimaq; iudicata fuerit, ea Græco armorū apparatu, & crista Corinthia in curum sublata, circa paludem multo suorū applausu circūuehitur. Sabel. lib. 4. En. 1.

THEMISTOCLIS filij Neocles & Demopolis, cùm alter stadiū, alter dolichum ludis funebrib. uicissent, coronati sunt ab ignaris. Quod cùm rescitum esset, inimicis Themistoclis instigantib. & legis de exulibus cōmonefacientib. parū abfuit, quin lapidarentur. Suidas.

COMMODVS Imp. gladiatores retiarios q; circiter mille, aut uicit, aut occidit: trecenties sexagies quinquies, uiuoq; adhuc patre, in id certamen descendit. Sab. lib. 5. En. 7.

EQVESTRIS. FORTES IN HASTILVDIIS.

Tempore Theophili Imp. inter captiuos Saracenos quidā fuit manu promtus, & manuū agilitate celebris, eques præclarus, ambidexter, inter equitandū duab. utens hastis, scitè admodū aduersarios deijciebat. Cùm ergo Magnus Domesticus in Circo triumphum uictoriæ eius agere iussus, ante reliquos hominē istū duceret: Imperator laudationib. eius inductus, equū cōscendere, duabusq; acceptis hastis artis fugæ præstantiæ specimen coram uniuersis edere eū iussit. Id cū fieret, & imperitiores spectaculo delectarentur: THEODORVS cognomento Craterus, is qui non multo pòst sanctorum XLII Martyrum cohortis princeps est factus, propius regi adstās, subsannare Agarenū istum, & affirmare, nihil ab eo forte aut terribile agi. Imperator ægrè id ferre, Craterūq; effeminatū & euiratum increpare, qui tale præstare ipse nihil posset. Contrà Craterus, duabus hastis se nescire utiineq; enim hoc didicisse, quòd his nugis in bello nihil opus foret: sed Dei auxilio fretū, unica hasta istū equo deturbaturū. Imperator his uerbis iritatus, per suum ipsius caput iurare, Craterō se uitam erepturū, nisi impleret facto, quod uerbis iactasset. Et Theodorus statim consensō equo, hastaq; sumta cū Saraceno manū conseruit, citoq; eū equo præcipitē deiecit. Pudore quidem affectus est Imperator, ab eunucho deiectum cernens Saracenum: tamen & uirtutem hominis ueneratus, & suos reuertus, amicè compellatū Craterum, uestibus honoris causa donauit. Cedrenus.

CAROLVS Martellus, Pipini Breuis filius (gestis postea cōtra Saracenos clarissimus) adolescēs etiamnum nullo numero, cùm in principū celebri conuentu ludi militares ex more agerentur: atratus totus, tres in clypeo martellos simili colore præferens, in circo, quoscunq; illi fors obiecisset, sine discrimine prostrauit. Verūs omniū oculis in atrū militē, quērebāt omnes, Quis ille esset? Cunctis æquè ignorātibus, tandē ad postulata uirginū ac dominarū galeā detraxit, & hinc cognomen Martelli traxit. Cranzius lib. 4. Sueciæ, c. 40.

Tempore regū, Magni Ladalai Gothorū ac Suecorum, & Erici Danorū, in publico principū conuentu, apud Vestogothos in Scaris circa annum Sal. 1278. primū torneamentum siue hastiludium celebratum est. In eo Magnus Dysauald Sueconū nobiles ad singulare certamen prouocans, equū & centum libras argenti puri in præmiū certaminis proponebat, si uictus pugna excessisset. Eū ex Suconib. ERENGISLVS Plata, uir taciturnus, primo impetu, equo deiiciens, superauit: equumq; & argentum in uictoriæ præmiū reportans, do cumēto Danis fuit, Sueones magis utribus quàm uerbis instructos, ad prælia deuenire. Itaq; Dani uiso occasu sui Achillis, à torneamentis & uerborum iactantia in longa tempora quieuerunt. Olaus lib. 15. c. 19.

In regia urbe Holmensi, rēpore regis Sueonū Christophori, qdā Holsatus de genere Ramsorum, Suecorum singulos magno fastu & contemtu ad singulare certamen prouocabat. Sueci iactantiæ eius potiūs quā uiribus satisfacere cogitantes, MONACHVM quendam ordinis S. Dominici, ueteranum equitem, sed militia defunctū, equo ualido, armis ornatum, galeaq; tectum, ac hasta munitum, in arenā producunt. Is Holsato congressus, eū ab equo deiecit: similiter & reliquos omnes, quotquot occurrere sunt ausi. Pluribus deinde restare non uisis, priusquā loco abiret, iussus pro honore suo, detecto uultu gynæceum salutare, galea deposita, equoq; calcarib. citato, ad monasteriuni fugiens, cuius miles esset, monachali habitu & uita monstrauit. Idem.

Vladislaus Boëmorum princeps hastiludia Pragæ instituerat. In eo certamine SOBIESLAVS frater natu minimus palmā tulit, & ipso etiā principe deiecto monile gemmatū uictorię prmiū obtinuit. Quod cùm collo gestaret, inuidis calumniæ ansam dedit, quasi principi etiamnū insultaret. Hinc suspicionib. utrinq, auctis, cū Vaceconē principē Sobieslaus per insidias trucidare curasset, quasi delatorē sui apud principē ageret, exilio solū uertere coactus fuit. Dubrauius lib. 11.

Laurentius & Iulianus Medices, ciuilibus artibus exornati, armorum equitandiq; peritia tantū uixdum pubescentes excelluēre, ut IVLIANVS iuuenilis decoris auidus, propositio ingenti præmio, nobilissimos ac fortissimos quosq; equites è tota Italia ad ludicrum certamen inuitarit. Cui spectaculo, apparatu frequentiaq, hominum ualde memorabili, Petrus pater præfuit: annotarum q; est, Iulianum acclamantibus ac fauentibus cunctis, multo plures quàm quisquam alius hastas triplici ferro præpilatas aduersis concurrentem tium equitum pectoribus perfregisse. Eius glorioſi laboris præmium fuit triumphus, Politiani diuini poëtæ carminibus celebratus. Nec multo pòst LAVRENTIVS, ut fraternis laudibus æquaretur, nouum spectaculum periculosissimæ pugnæ edidit: in quo non singuli equites cataphracti

de more intermedia erectarum tabularum linea discreti cōcurrebant, sed conglobati consertis turmis ad ueri certaminis imaginem, libero in campo dimicabant. Huius quoque speciosissimi certaminis memoriam Aloysius Pulcius, ipse Politiani æmulus, periucundo edito poëmate sempiternam fecit. Iouius in Leone X. lib. 1.

In aula Isabellæ Hispaniæ reginæ CONSALVVS Magnus, quum spectacula & equestres ludi, uel concurrentiū iuuenū hastatorum, uel arundines more Maurisiaco iaculantiū ederentur, usqueadeò supra æquales summæ nobilitatis adolescentes sese extulit, ut acclamatione spectantis populi iuuentutis Princeps appellaretur. Iouius in Consaluo.

Quum Carolus V. Cæsar, anno 1530. Bononiæ coronaretur, eius uxor Isabella puerum peperit, cui propter aui materni memoriam, Ferdinandi nomen impositum. Eius nuncij lætitiam celebrauêre insignes Hispaniæ reguli magnificentissimo apparatu, arteq; mirabili, ad equestris pugnæ simulacrum, Maurorum iaculatorum cultu, in scuta passim coniectis arundinibus decurrentes: quum hinc Osorius Astorgius, illinc Paceccus Astalonius, ornatissimi duces, singulas turmas spectante Cæsare in forū pugnaturas induxissent. Cōcurrêre etiam quatriduo Itali, Belgæ, Hispanique equites cataphracti, insignibus amatoriis, & militaribus ornamentis ualde conspicui, panno aureo, ac altero item purpureo, à senatu Bononiensi ad uirtutis præmium, & in honorem Cæsaris, hilari benignitate proposito: tulitq; præmium ALTAMIRVS ex ulteriore Hispania regulus, quòd plures, quàm quisquam alius, hastas in aduersis concurrentium pectoribus infregisset. Iouius lib. 37. Historiarum.

AVDACIA SEV TEMERITAS IN PROPVLSANDO.

Quemadmodum Fortitudinis uocabulum omnes species comprehendit: ita quoq; Temeritas excessum, Timiditas defectum huius uirtutis indicat. Temerè profectò illud fieri dicitur, quod ἀλόγως, Stultè, inconsideratè & absque ratione, quamuis magno cum conatu atque robore, fit. Tales fuerunt olim Gigantes, Cyclopes, Læstrygones, & quiuis alij Barbari, deorum immortalium, hoc est ipsius rationis, per quam à belluis differimus, & ad deorum naturam proximè accedimus, contemtores. Audaciam Latini uocant, detorto fortaßis uocabulo à Græcorum αὐθαδεία. Est enim αὐθάδης, αὐτοάρεσκος, ut Eustathius interpretatur, sibiipsi nimium tribuens, suo robori plus satis confidens: eaq; propter etiam Superbiæ uitio laborat. Iam uerò Temeritatis uocabulo in specie inconsultam animositatē in propulsando exprimimus, eamq; Fortitudini propulsanti ueræ opponimus. Habitus ipse per se & semper uitiosus est: effectus interdum laudabilis, quando rationis erratum successus fortuitis emendat.

QVI. AVDACES scilicet

POPVLI.

ATHENIENSES nunquā pacē decernere Demades dicebat, nisi pullis uestibus indutos: innuens eos bellandi plus satis cupidos, nec nisi clade accepta de pace cogitare. Plut.

REGES, DVCES.

Cùm ad Platæas Græci contra Mardonium consedissent, post equestre prælium abstinuit diu utraq; pars pugna. Propugnantibus enim uates iuxtà Persis ac Græcis uictoriam denunciabant ex extis: perniciem, si inuaderent hostem. Tandē MARDONIVS, quòd ei in paucos dies superesset commeatus, Græcorum uerò quotidie affluentibus aliquibus numerus cresceret, hostes adortus, cum exercitu cæsus est. Plut. in Arist.

Nearchus scribit ab amicis, qui ægrotantem curabant, ALEXANDRVM Magnum obiurgatum, quòd in prima acie dimicaret: militis enim id esse munus, non imperatoris. Quæ uerba molestè non tulit Alexander, quòd & uera esse intelligeret, & meritò se reprehendi agnosceret. Et tamen ob impetum animi in præliis, & gloriæ cupiditatem, ut ij, qui alia quapiā uoluptate uincuntur, pericula uitare noluit. Suidas.

IDEM Tyrum oppugnans, è turri lignea ponte applicato, urbis murum solus conscendit, nihil ueritus, quòd sibi fortuna facinus tam gloriosum inuidere posset: neq; acerbissimo hostium animo in se cōmotus, sed rem in Macedonum suorum conspectu geri gaudens, eis subsequi iussis, ipse ante omnes, hostium resistentium quosdam lancea, quosdam ense conficiebat, nonnullos clypei impulsu deturbabat: quę audacia multum animos hostiū cōminuit. Interim cùm alibi ariete pars muri magna fuisset disiecta, atq; intra urbem irruerent Macedones, iamq; multi per pontem Alexandro se adiunxissent: urbs septimo mense capta est. Diod. lib. 17.

IDEM quoque in Mallis, quos Indorum perhibent bellicosissimos fuisse, penè concisus est. Ciues enim telis à muris reiecit, positisq; scalis in murum euasit primus: quæ ubi imminutæ sunt, atq; à Barbaris infrà stantibus iuxta murum multa tela ingesta, paucis comitato: librato corpore in medios saltu se immisit hostes, & forte fortunà se pedibus excepit. Cuius uibrantibus armis iubar aliquod & spectrum Barbaris uidebatur pro corpore eius obuersari. Vnde primùm in fugam effusi sunt. Cæterùm ut duobus tantùm comitatum armigeris conspexêre: impressione facta alij cominùs gladiis lanceisq; traiecerunt arma eius, pugnantemq; fortiter conuulnerauerunt. Vnus paulò remotior sagittam arcu excussit tāta ui & impetu, ut adacta per loricam in costas eius secundùm mammā defigeretur. Ad ictum remittente Alexandro & inclinante corpus, ille, qui miserat sagittam, ense districto barbarico accurrit. Assistebāt ei Peucestas & Limnæus (Timæus, est apud Curtium) qui uulnerati ambo, alter cecidit, Peucestas restitit. Barbarum Alexander obtruncauit. Multis confixus uulneribus, tandemq; ictus pistillo in collo, corpus mœnibus applicuit, directa in hostes acie. Interea circumfundentibus se Macedonibus abreptus, semianimisque iam in tabernaculum est relatus, ac mox regem uulgatum est in castris expirasse. Ingenti difficultate ac labore sagittam, quæ lignea erat, abscindunt. Tum detracto tandem thorace accingunt se ad euellendum spiculum, quod uni ossi erat infixum. Dicitur tres digitos latum fuisse, longum quatuor. Vndè animo identidem linquente penè exanimis, exemto eo tamen recepit se. Plut. in Alex.

IDEM Oxydracarum Indorum metropolim, frustra dissuadente Demophonte auspice, quòd uulnus accepturus esset, oppugnare parabat. Ipse primus urbem sequentibus copiis aggressus est. Ibi quum seriùs machinæ adducerentur, portam unam adortus perfregit, irrumpensque in urbē, multos interfecit: reliquos in fugam uersos, usque ad arcem est persequutus. Interim uerò Macedonum multitudine adhuc in tentandis mœnibus occupata, nō cunctatus, ipse scalam properè arripuit, & muro arcis applicuit, scutoq; supra caput prætento, inscendere occepit. Tantam autem his omnibus celeritatem adhibuit, ut priùs quàm excubitores Barbari in muri custodiam uenirent, ipse iam in eum summum conscenderit. Non audebāt hostes propiùs accedere, ut manus cum eo consererent, sed eminùs & iaculatores & sagittarij ita eum grauiter urgebant, ut uix missilium uim sustineret. Macedones scalis, quas duas apposuerant, frequentes scandere conabantur: sed eis pondere perfractis, omnes in terram deciderunt. Igitur omni destitutus auxilio Alexander, solus & armis oneratus in ipsam arcem desiliit, Indisq; impetu facto in eum incurrentibus, audacissimè resistebat. Dextra arborem propè mœnia positā, læua murum ipsum, ne circumueniri posset, sibi pro munimento accepit: atque ita cum hostibus manus conserebat, eo animo, ut tanquam rex tot clarissimis rebus gestis, summam uirtutem demonstraret, mortemque gloriosam oppeteret. Multos galea, multos clypeo ictus sustinuit. Tandem sagitta ei infra mammillam infixa, ui doloris in genua procumbere est coactus. Ibi statim Indus, qui uulnus intulerat, contemtim accedens, ferire eum aggrediebatur, quum Alexandri gladio subter ilia transfixus, lethali uulnere concidit. Rex ramo, qui de arbore propè se pendebat, comprehenso adiutus, surrexit, cepitque prouocare ex hostibus, si qui secum uellent decertare. Interim Peucestes unus è custodibus corporis regij, scala mœnibus superatis, primus ad sui principis defensionem peruenit: postque alij plures, qui uisi Barbaros perterruerunt, atque à periculo Alexandrum seruarunt. Diodorus libro decimoseptimo.

Lysander cum imperio ab Lacedæmoniis ad classem missus, quaternos obolos pro ternis, ex subministrata à Cyro pecunia, nautis dabat in capita. Alcibiades uerò cum ægrè iam ternos suggereret, in Cariam ad pecuniam conficiendam contendit. Quem autem præfecerat classi ANTIOCHVS, bonus quidem erat gubernator, cæterùm uæcors & licentior. Cui cùm imperatum ab Alcibiade foret, etiamsi lacesserent eum hostes, ne prælio decertaret: eò prorupit proteruię & contemtus, ut completa naue sua, & altera præterea de classe, Ephesum infestus pergeret, & nauium hostilium proras cum ingenti petulantia factorum dictorumq; scurrilium præ-

preteruehe retur. Hic primò Lysander paucis prouectus nautibus est, & Antiochū insecutus: Atheniensib. inde tota classe ei subsidio uenientibus, soluit itē suas, ac potitus uictoria ipsum interemit Antiochū, naues multas simul & capita cepit, trophæumq; excitauit. Plut. in Alcibiade.

Antigonus rex, quū audiret filiū suū ALCYONÆVM in acie cecidisse: O' Alcyonæe, inquit, seriùs quā oportuit, uitā tuā morte cōmutasti, qui tā temerè in hostes insilieris, neq; tuæ salutis, neq; meorū monitorū ullam habens rationē. Putauit nō esse deflendum hominē, qui temeritate potiùs quàm fortitudine, uitam sibiipsi eripuisset. Plut.

TERENTIVS Varro & C. FLAMINIVS, hic ad Thrasymenum, ille ad Cannas, dùm Hannibalis artes despiciunt, dū ęquales haberēt exercitus, deniq; dum seipsos parū noscunt, nimium uiribus suis fidunt, rem Romanā penè funditùs subuertêre. Pontanus lib. 1. de Bellica fortitudine, cap. 10.

SER. Cępio consul contra Cimbros in Italiam irruentes temerè pugnans, XXC millia amisit. Liuius lib. 67.

In prælio ad Nicopolim seu Varnam commisso, cùm Io. Coruinus & Michaël Niger, exercitus VLADISLAI Vngariæ regis præfecti, Amurathis Turcorum Imp. duos Basseos fudissent: Rex gloriæ cupidus, ut ueluti duces cum ducibus, ita rex cum rege congrederetur, moræ impatiens, quadrato in Amurathem agmine contendit, intra munitiones ac uallum cum Ianizaris se continentem, & Coruini monitorum immemor, uix cum equitibus septuaginta, per aditum intra castra irrumpens, à Ianizaris equo suffosso captus & interfectus, caputq; hastæ præfixum uallo impositum fuit. Pariq; fato oppetierunt, quicunq; cū eo castra inuaserunt. Chalcocondylas lib. 7. & Bonfin. lib. 6. Dec. 3.

MAGNVS Sforcia, ex disciplina, totoq; uitæ ordine, & successu rerū, manū quàm consilio potior cēteri potest, quū incauta facilitate uel contumacia subagresti, in ea consilia plerūq; adigeretur, unde nullus pateret felix exitus, propter simulatas multorum uoluntates, & necesse esset, à fatali uirtute uel diuina ope subsidia cōparare. Maximas enim iniurias quū æquo animo sępiùs ferret, leuem demùm contumeliā tolerare non poterat: ita ut iracundiam plerūq; exerceret impparatus: cùm mori præstare diceret, quàm iniuriæ indignitate minimè commoueri. Iouius in eius uita.

Galliæ rex CAROLVS IIX. tametsi neq; manu neq; consilio multū ualeret: tamen amplissimis maximi atq; opulenti regni uiribus innixus, uiginti trium annorū adolescens, & pacem in Italia euertit, & rem Gallicā armis atq; ausu plurimū illustrauit. Iouius lib. 1. Historiarum.

IVLIVS II. Pp. fuit incredibili audacia atq; constantia præditus, sed uehemens, quiq; immēsa animo agitaret: quib. quo minùs præceps rueret, magis pontificatus maiestate, principū dissensionibus, & tēporum conditione, quàm ipsius moderatione aut prudentia factum est. Guicciard. lib. 2.

SERVI.

SPARTACVS gladiator, ex Capua Italiæ ciuitate aufugiens per Atticæ regionis fines, multasq; seruorum copias ad rebellionem uocans, qui & ipse seruus erat, ex genere Thracum: exiguo tempore totam Italiam percurrit, multisq; seruis ad eum quotidie confluentibus, nisi occubuisset in acie contra Licinium Crassum, non mediocrē sudorē Rom. præbuisset, sicut Eunus in Sicilia. Athen. lib. 6. c. 7.

PIRATÆ.

Esbernus & Vvethemannus Dani duces, in septem piraticos myoparones quatuor incidêre nauigiis. Tunc MIROCVS Vvethemanni se appetentis nauigium uirtutis fiducia solus insilit, cedentibusq; per ignauiam remigibus, neminem in eo præter Vvethemannum repugnantem habuit. Esbernus ridens præteruectus est, ne pluribus aduersum unum opem tulisse uideretur. Nec priùs Mirocus ut pedem referret, urgeri poterat, quàm alterius nauigij superuenientis uiribus arceretur. Cuius respectui tantū uenerationis à uictoribus tributum est, ut cùm captus supplicium mereretur, redemtionem acceperit, potiusq; in eo fortitudo honorata sit, quàm facinora punita. Saxo lib. 14.

ERGA QVOS. Puta erga

DEOS.

GIGANTES ausi sunt Iouē armis lacessere, & in eum montes iaculari, ut uolunt Mythologorum fabulæ. Auctor Aetnæ:

Tentauêre (nefas) olim detrudere mundo
Sidera, captiuiq; Iouis transferre Gigantes
Imperium, & uicto leges imponere mundo.

TYRANNOS.

Cùm Thebani Thessalis contra Alexandrum Pheræum tyrannum auxilia duce Pelopida libentes sciuissent, omniaq; pro tinus parata, ac dux iam esset profecturus: sol defecit, & caligo occupauit interdiu urbem. Hoc ostento cernens PELOPIDAS trepidantem ciuitatem, non putauit pauidos & languescentes extrudendos, neq; periculo obiicienda septem millia ciuium: sed solum se dedit Thessalis, trahensq; secum trecentos equites uolūtarios & externos, profectus est, obnunciantibus uatibus & reliquis ciuibus inuitis. Magnū enim existimabant de cœlo & inclyto uiro factum portentum. At ille cùm maiore ira, ex prioribus contumeliis, exarserat in Alexandrū (in uincula enim à tyranno iam olim coniectus fuerat) tum spondebat sibi ex colloquiis cum Thebe uxore tyranni habitis, domum se eius affectam & exulceratā reperturum. Potissimùm autē eum splendor facti acuit auentem & annitentem, quo tempore Lacedæmonij Siciliæ tyranno Dionysio duces & præfectos mittebant, & præbitorē Athenienses habebant Alexandrū, eiq; æneam statuam ut benemerenti posuerant: tunc Græcis ob oculos ponere, solos esse Thebanos, qui belligerarent pro oppressis tyrannide, & iniustos per Græciā & uiolentos dominatus obtererent. Cæterùm nimia eius audacia, etsi uictoriā Thessalis peperit, ipse tamen in acie occubuit. Plut. in Pelopida.

BELLVAS.

Exempla quædam ex Tit. Venatorum peti possunt.

PERDICCAS Macedo, Alexandrum secutus in bellis, in speluncā leænæ ingressus, leænā ipsam non deprehendit, sed catulos eius secum exportauit, & magnā hominum admirationem hoc facto meruit. Aelianus lib. 16. de Var. hist.

QVOMODO. VBI. v. G.

IN MONOMACHIIS.

Consule Tit. Monomachiæ. Illic Fortitudinis uictorum ratio habetur: heic uerò Temeritatis eorum, qui uicti sunt, confidentia uirium suarum decepti.

P. Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine noua celebrante: DVO regij iuuenes Corbis & Orsua Ibenses, patrueles fratres, in arenā processerunt, polliciti q; sunt ibi se de regno præliaturos, quo spectaculum illud illustrius pugna sua facerent. Eos cùm Scipio monuisset, ut uerbis contendere quàm ferro dimicare mallent, uter regnare deberet, ac iam maior natu Corbis consilio eius obtemperaret: minor corporis uiribus fretus in amentia perstitit, initoque certamine, pertinacior impietas fortunæ indicio morte multata est. Valerius Max. lib. 9. cap. 11. & Sab. lib. 5. En.

Bela rex Pannoniæ uita decesserat. Duo ab eo filij relicti, Henricus maior natu, & Andreas. Huic quia maior multitudinis erat fauor conciliatus, ui ad se regnum trahebat, eratq; iam res armis decernenda: quum HENRICVS arduum facinus ausus, sed à regis indole minimè abhorrēs, in aduersam fratris aciem inermis sese immisit, regale sceptrum gerens, clara testatus uoce, uelle se experiri, ecquis in regiam progeniē auderet manum iniicere. Tum uerò accidisse aiunt, ut Henricus ubi ad conspectum uenit fratris, trepidantib. cunctis, qui circa illum steterant, magis quàm sæuiētibus, maior natu, ac proinde fortior, minorem fratrē in uestigio obtruncarit. Sic ille nescias maiore animo an felicitate, sibi regnū stabiliuit. Sab. lib. 5. En. 9. & Blondus lib. 6. Dec. 2.

PLACENTINI acerbè ferentes, se à PARMENSIBVS non solùm Burgi S. Domnini possessione nudatos, sed etiam in fugam actos, captosque fuisse, cum Mediolanensibus ad Burgum oppugnandum uenerunt: sed Parmensibus cum sociis suis subitò accurrentibus, propositum tenere non potuerunt. Cæterùm collatis signis, prælioq; ualido facto, ita utrinque discessum est, ut satis appareret, ea congressione nō extinctum ardorem esse pugnandi, sed auctum. Praua percrebuerat tum in Italia consuetudo, ut non solùm priuati priuatos, sed etiam populi populos ad contractas controuersias dirimendas indicto certamine inuitarent, quod illi Torneamenti nomine appellabant: quæ, ut mortalium generi exitiosa, tribus fuerat iam decretis ab Ecclesia condemnata. Tanta uerò tum siue tractandorum armorum, siue uirtutis experiendæ cupiditas Italicos acuit, ut contemtis legibus alter alteri eiusmodi certamen indixerint, seque inter se ad rem summo disceptandam discrimine prouocarint: ratus uterque, se uno prælio Italis ostensurū, non solùm quantum iure controuersiæ superaret, sed etiam quantum bellica uirtute, gloriaq; militari præstaret. dieq; tantæ ac tā memorabili pugnæ indicta, interim suas quisque uires, copiasque rebus instruere necessariis instituit. Hæc ubi Innocentius III. comperit, anathematis fulmine eos deterrere uoluit. At illi spretis pontificiis præceptis, sociis utrique suis stipati, IV. Idus Octobris, ut condictum fuerat, apud S. Laurentium conuenerunt: ac dato extremi prælij signo, magno utrinque animorum atq; armorum ardore congressi sunt. Pugnatum est æquo marte à prima diei hora usque ad uesperam, summa non uirtute solùm, sed etiam pertinacia: censentibus singulis, qui loco cessissent, eos non Burgum, sed uniuersam bellicæ uirtutis laudem ac gloriam amissuros. Itaq;

superueniente nocte, defatigatione magis, quàm satietate pugnandi, ingenti utrinque clade ex acie recesserunt. Sigonius lib.15. regni Italici.

EX INSIDIIS.

Consule Tit. Insidiatores astuti.

PAVSANIAS Macedo satelles, ex insidiis interfecit Philippũ regem, quòd Attalum, mulionibus se in compotatione cõparantem, impunem reliquisset. Dum enim rex Aegis certaminibus, quæ illic celebrabantur, interesset, ipse paratis ad portas urbis equis ad theatri aditum se recepit, cum gallico gladio. Ibi cùm Philippum, speculatoribus procul amotis, solum uideret, ad eum cucurrit: perq; latera uulnere adacto mortuum eum prostrauit, & ad portas, ubi fugę equi parati erant, properè contendit. Diod. lib.16.

Gulielmus Nothus, Anglorum rex, Northumbriæ castellum Alvvick occuparat. Malcolmus Scotorũ rex illud arcta obsidione recipere cogitabat, redactis ad extremam necessitatem rerum omnium inopia castellanis. Interea miles quidã ANGLVS, equo conscenso pernicissimo, depositis reliquis armis, hastam modò, claues portarum castelli præfixas habentem, ferens, deditionis faciendæ prætextu à stationariis lætis ad regem perducitur. Rex clamore excitus è tentorio prodit, uisurus quid nouæ rei illic tum actum esset. Anglus demissa hasta regi claues porrigit, omnibusq; in claues animo infixis, telo regis oculum percutit sinistrum, subditisq; extẽplò calcaribus in proximas syluas euasit. Rex inter manus suorum continuò expirauit. Ruffus audito eo uiri facinore uocatum illum ad se in Northumbriã prædiis quibusdam regiis donauit, ac Persæ cognomentũ illi indidit, quod perforatorem oculi significat. Ab eo illius familię originem ductam, quæ etiam hodie Northumbriæ comitatũ posidet, tradunt. H. Boëthius lib.12.

ALBERTVS Marchio Brandeburgensis (quem Teutonicum Achillem non ab re uocarũt) cùm accepisset Nurenbergenses octingentos equites ac sex millia peditũ in agrũ eius p̃datum misisse, apud fluuium, quem illi transmissuri erant, equitib. atq; peditibus uno duntaxat loco uadabilem, sagittarios inter arbusta ducentos collocat, qui equitatu pręteruisso pedites uado arcerẽt. Ipse cũ sexcentis equitib. proximo in nemore latens, hostium equitibus sese ostendit. Steterunt utrinq; acies medio trecentorum fermè passuum interuallo non sine trepidatione. Tum Marchio cum duobus comitibus apprehensa lancea in hostem aduolat. Occurrunt totidem illi ex hostibus uiri fortes. Marchio equitem eum, qui sibi obuius fit, medium transfodit, sternitq;. At comitib. suis, ab iis, cum quibus congressi fuerant, prostratis, ipse hostium turmam solus inuadit, stragemq; non paruam efficit, donec ad signa peruadat. Illic centum in eum gladij nudantur. Ille amplexatus utroq; brachio uexillum, Nusquam honestius quã hic moriar, inquit. Interea reliquus exercitus accurrit, & uersis in fugam hostibus semianimen ducem apud uexillum reperit. Hostes aut cæsi aut capti. Aeneas Sylnius lib.2. Com. in Panormitam.

IN ACIE.

Consule Tit. Hostem contemnere: quatenus hostem ex contemtu temerè aggrediuntur.

Ciceronis uigilantia urbe pulsus CATILINA, in Malliana castra Fesulas sese contulit: ibiq; C. Antonium Coss. aliquãdiu ludificatus, tandem in Piceno acie dimicare coactus, atque uictus, memor generis pristinęq; dignitatis, in aduersum hostium cuneum inuectus, media iacentium strage confossus concidit. Inde reliqua multitudo cæsa, haud quidem loco uno, cæterùm omnes aduersis corporibus iacuere. Catilina procul à suis inter hostium cadauera est repertus, paululum adhuc spirans, ferocia, quam uiuus habuerat, in uultu prominente. Nec uictoria Pop. Rom. incruenta fuit: fortissimus quisq; aut in prælio occubuit, aut grauiter uulneratus acie discessit. Sab. lib.5. En.6.

Andronicus Græcus Imp. anno 1389. contra Baiazetem I. Turcorum Imp. auxilia à principibus Occidentis petierat. Carolus VI. Gallorum rex Ioannem Niuernensem Comitem Imperatori adiunxit, cum mille equitibus & flore nobilitatis. Quum in Vngariam peruenissent, Sigismundo regi se cõiunxerunt, Nicopolim peruenerũt, atq; ipsam urbem frustrà oppugnare cœperunt. Interea Baiazetes innumerabilem equitum multitudinem adduxit. GALLI in anteriori exercitus parte constituti, quum maximam stragem palantiũ Turcarum, qui exploratum uenerant, effecissent: neque monitionibus, neque protestationibus (ne uidelicet sine Vngaris, Germanis ac Seruianis equitibus in hostem impetum facerent) contineri potuerunt, quin fugientes persequerentur: quum nonnulli malignitate Sigismundi, qui Gallis primum honorem inuideret, huiusmodi protestationes fieri affirmarẽt. Interea Baiazetes unà cum sexaginta millibus equitum in lunarem formam recens eductorum adueniens, ipsos circumdedit, ac medios, antequam Sigismundus auxilium ferre posset, inclusit. Atque in hunc modum Galli interfecti sunt. Id quod reliquo exercitui tantum terroris incussit, ut absque pugna turpiter ac fœdè milites omnes aufugerint. Sigismũdus ac magnus Rhodi magister, nauicula Danubiũ ingressi uix euadere potuerunt, Turcis à fluuij ripa sagittis eos continuò impetentibus. Ex Gallis trecenti equites seruati sunt, in quos ob diuitem uestium ornatum auara crudelitas Turcarum, quo precium redemtionis extorqueret, haud sæuierat. Froissardus Gallus literis mandauit, cornua exercitus Baiazetis in alæ curuaturam ad similitudinem nouæ lunæ sparsa, plus quàm septem milliariorum spacium occupauisse, iudicatumque esse in eo exercitu plus quàm trecenta hominum millia, ex omnibus orbis totius nationib. collecta extitisse: Christianos uerò uix numerum octoginta millium attigisse, inter quos circiter uiginti millia equitũ erant. Incidit is conflictus in annũ Salutis humanæ MCCCXCV. quo die diuo Michaëli uigiliæ celebrabantur. Iouius in uita Baiazetis.

IOANNES decimus Boëmorum rex, Philippo Valesio Gallorum regi pro affinitatis iure aduersus Britannos opem tulit. Initoque prælio, in medios hostes cùm se intulisset, quanquam lumine captus, atque senex, deletis apud Cresciacum Gallorum copiis, inter præliantes occubuit. Fulgosus lib.3. c.2. & Aemilius.

BRACHIVS Perusinus, dux felicissimus, nimiùm temerè audendo, factus est infelix. Nam cùm Aequorum urbem Aquilam obsideret, sciretq; pontificis exercitum ad ferẽdam obsessis opem appropinquare, cui mons arduus superandus: ueritus, ne propter loci iniquitatem hostes retrocederent, quòd ea uia nec seruare ordines, nec in aciem descẽdere poterant: ut & uires & animum simul ostentaret, tubicinẽ ad hostes misit, offerentem: Si ad ferendam obsessæ urbi opem uenirent, se à ui temperaturum esse, donec in planicie aciem instruxissent. Accepère hostes conditionem exoptatissimã. Quorum cùm iam pars descẽdisset, & à suis Brachius moneretur, ut eos inuaderet, respondit: Nolle se quenquam ex hostibus euadere, omnes simul aut trucidandos aut capiẽdos esse. Posteaquam ergo aciem explicuissent, & ab alia parte Aquilanus quoq; populus eruptione facta Brachium inuasisset: ancipiti prælio à fronte & tergo circumuentus, graui accepto uulnere, quo intra breue tempus decessit, in hostiũ uenit potestatem: ac temerè nimis oblati hostibus cõmodi pœnas luit. Fulg. lib.9. cap.8.

CVR. CAVSA

IMPERII, REGNI.

Consule Tit. Regnandi libido: quatenus Audaciam habet coniunctam.

VLASTISLAVS Lucensis princeps, cùm Neclan patruelem suum Boëmiæ reliquæ ducem imbellem esse uideret, ad extorquendum eidem principatum, animum adiecit, arma cõparauit, oppidum de suo nomine Vlastislauiam condidit. Pauore Neclan perculsus, duos ex intimis aulicos ablegat; pacem & mutuam amicitiã oraturos. Quibus ille quasi exploratoribus oculos effodit. Superuenerunt mox alij, qui iratum muneribus haud spernendis placarent. Sed illis Vlastislaus inter cętera respõdit, Non muneribus, sed toto principatu misso opus esse, si suam orexim sedare Neclan uellet. Strictum deinde ensem per Lucensem regionem circumferri iussit, Vt mares omnes, qui ensis longitudinem corporis proceritate adæquarẽt, militatum uenirent, alioquin ense illo perituri. Hic cùm ingens multitudo cõuenisset, quasi de uictoria futura certus, peditibus iniunxit, ut nemini parcerent, infantes etiam ab uberibus matrum abreptos confoderent, matres in hoc duntaxat seruarent, ut illæ pro infantibus suis catellos Lucensium nutrirent. Ad equites inde cõuersus, Abiicite, inquit, scuta, quibus in fuga & cęde hostiũ nihil opus est: ac uice illorum, accipitres, falcones, cęterasq; aues rapaces in manus sumite, ut illatum ingluuiem hostili carne saturetis. At prælio inito, à Syderio Chaynouio equite strenuo confossus, pœnas temeritatis dedit. Dubrauius libro tertio.

ROBORIS, VICTORIÆ.

Qui ludis periculosis sese cõmittunt, & ludendo seria maximè agunt, huius sunt loci. Exemplã quædã ex Tit. eorum, Qui in ludis sunt interfecti, petantur.

CAROLVM Aquitaniæ regem Caroli Calui Imp. F. Albuinus militum fortissimus, ignarus, quisnam esset, & nihil minus, quàm filium regis existimans, facientem uirium periculum, lucta congressum, tam graui ruina strauit, ut inter manus sublatus expiraret. Cuspinianus.

DEFENSIONIS.

PETRVS Bariona non uiribus corporis (nam quæ in homine exa-

exactæ ætatis esse poterant?) sed sui regis potiùs fretus pręsentia, in aduersam armatorum cohortem, quę Seruatorem in Olíueto circumsteterat, ferrum stringere ausus est, eumq; consauciauit, qui temerè in illum manum iniecerat: conatus ab eo uim arcere, in cuius potestate sunt non solùm res humanæ, sed uita & mors hominis. Aut igitur Bariona tum ardentius amauit, ut credere est: aut quem tueri conatus est, parum respexit. Sabellicus lib.4. c.6. ex Matth.26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan.18.

IGNOMINIÆ VITANDÆ.

IVDAS Machabæus contra Demetrij Soteris, ductu Bacchidis, numerosissimum exercitum castrametatus, dissuadentibus amicis, ne & uitam octingentorum, quos secum habebat, uirorum fortissimorum in periculum coniiceret, néue morte sua remp. Iudaicam in extremum discrimen adduceret: Absit, inquit, ut sol me fugientem uideat. & cum hoste congressus, quamuis miræ fortitudinis exempla edidisset, tamen quia maiorem suæ famę, ne unquam fugisse diceretur, quàm reip. incolumitatis rationem habuit, nec tam diuino auxilio (quod in omnibus reliquis præliis, isto excepto, implorasse legitur) quàm usitato robore cõfidebat, ab hostiũ multitudine circumuentus & occisus est. Iosephus lib.12. c.18. ex 1. Machab.8.

CALLICRATIDES Lacedæmoniorum dux, cùm in Peloponnesiaco bello à suis admoneretur, ut classem ab Arginusis remoueret, nec cũ Atheniensib. dimicaret: respõdit, Lacedæmonios classe illa amissa, aliã parare posse: se aũt sine suo ac suorũ dedecore pugnã detrectare nõ posse. Cic. lib.1. Off.

IDEM, cùm Hermon nauclerus diceret, Bonum esse ab eo loco soluere, eo quòd Atheniensium triremes numero longè pluræs essent: Quid, tum postea, inquit? fugere non tantùm ignominiosum, sed damnosum etiã Spartanis est: contrà fortiter pugnare & uincere, honestissimum. Plut. in Lacon. apoph.

TIMIDITAS ET IGNAVIA IN PROPVLSANDO, RATIONE habita eorum qui

PROPVLSANT. Timidi

POPVLI.

SPARTANI ante Cleomenem, Leonidę F. qui Lycurgi leges reduxit, usq; adeò fuerunt degeneres, & ad semetipsos tuendos enerues, ut quinquaginta millia mancipiorũ incursantes in Laconiam abduxerint Aetoli. Plut. in Cleomene.

MYSORVM populus usqueadeò fuit uilis & contemtus, ut sequenti prouerbio locum fecerit, Mysorum postremus. Finitimorum incursationibus malè uexabantur. Hinc orta parœmia, Mysorum præda: de his, qui impunè à quibuslibet lędunttur, ac diripiuntur. Eras. in Adagiis.

RHEGINI in rebus bellicis ignauissimi. Hinc adagium, Rheginis timidor.

Alexandri uictorias GENTIVM uictarum luxus & mollities promouit. Diuersa longè futura ratio, si in Occidentem conuersis armis, Romanos hostes habuisset. De qua re elegantem comparationem instituit Liuius, & paucis repetit Sabellicus lib.5. Enn.4.

REGES.

AGAMEMNONI non omnia dedisse superos, dignitatem quidem regiam, fortitudinem non item, Diomedes Iliados ι. asserit:

σοὶ δὲ διάνδιχα δῶκε Κρόνου πάϊς ἀγκυλομήτεω,
σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων,
ἀλκὴν δ' οὔ τοι δῶκεν, ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

THEODAHATVS Gothorũ rex perfidè occisa Amalasuenta uxore, Theoderici F. à qua in regni thoriq; cõsortium acceptus fuerat, à Iustiniano Imp. icirco bello petitus fuit. Capta proinde à Belisario Neapoli, cùm Petrus Iustiniani legatus instaret acriùs, & Theodahato grauiora minaretur, nisi Iustin. satisfecisset: ille metu perculsus, atq; attonito similis, uoce amissa, non aliter, ac si bello captus esset, remotis arbitris, Petrum seduxit, & se, si pacem habuerit, hæc omnia Iustiniano præstiturum promisit. In primis se Sicilia uniuersa cessurum, illiq; coronam auream trecentarum librarum in singulos annos daturũ: Gothorum tria millia ad eius arbitrium summissurũ: ipsius, aut senatus iniussu neminẽ aut uita aut facultatibus multaturum: neq; ad Patriciatum aliámue dignitatem aliquem productturũ, sed eam potestatem ab Imperatore postulaturum: pop. Romanũ in solennibus acclamationibus priùs nomen Imperatoris, deinde Theodahati in omnibus locis, quibus res tulerit, proditurum: statuã nullam sibi, nisi altera Imperatori ponatur, poni passurum, ita ut dextram Imperator, lęuã ipse obtineat. atque his compositis, Petrũ dimittit. Illo inde profecto, metus incessit, ne, si conditiones illas Iustinianus abnueret, bello se protinùs oppugnaret: quare Petrum iam, mare transgressum, reuocauit, ac pręsentem, Num conditiones illas Iustinianum accepturum putaret? rogauit. Petro uerò ambigere se dicente, Quòd si non accipiet, inquit, qui rerum exitus erit? Tum Petrus, Armis res erit decernenda. Theodahato uerò id parũ æquum esse innuente, Atqui cur non est æquum, inquit, ut sua quisq; studia persequatur, & ut tu mortem hominib. insontibus infers, sic ille imperio suo uicinas regiones adiungat? Quibus uerbis Theodahatus permotus, Italiã sponte se dimissurum ostẽdit, in idq; & ipse & Gudila uxor eius sacramentũ concepit, Petrũq; iureiurãdo adegit, ut priùs primas conditiones Iustiniano exponeret: deinde, si eas respuisset, ad secundas transiret. Veritus inde, si sine magni uiri auctoritate res ageretur, ab Imp. ne sperneretur, in eã legationem Agapetũ pontificem destinauit. Recusanti uerò, ac difficultates domesticas afferenti, & ipsi & senatui ita scripsit, ut se eos, & uxores, liberosq; eorũ gladio peremturum minatus sit, nisi Imperatorẽ ab exercitu in Italiã traducendo auerteret. Agapetus igitur profectione suscepta in colloquium cũ Imp. congressus, priores conditiones proposuit. Quib. à Iustiniano repudiatis, alteras has cũ his literis protulit, quarũ Procopius meminit: Ad regnum ego non alienus accessi: siquidem ex rege auunculo natus sum. Verùm rei militaris imperitus, ac bellicorum tumultuum insuetus, ut qui me diu in literarũ studiis exercuerim, atq; in eis studiũ meũ omne consumserim. Ex quo mihi turpe esse existimo, pro terrestris imperij possessione dimicationem uitæ libertatisque subire. Quamobrẽ si mihi prædia, unde me alere honorificè possim, elargieris, totius tibi Italię administrationẽ remittã: &, cui tu iusseris, tradã. Qua conditione accepta, Iustinianus Athanasium & Petrũ ad eum legauit, atq; ita rescripsit: Sapientem te esse antea fama deferẽte acceperã, nunc re ipsa doctus intelligo, cùm ancipites belli uitare casus decreueris: quos, qui non horruerunt, plerunq; fortunæ ludibriũ præbuerunt. Quòd uerò nos amicos potiùs experiri, quàm hostes, uolueris, haudquaquã tui te consilij pœnitebit. nam omnia, quæ postulas, impetrabis. Tu cũ Athanasio & Petro pacta conficies, Belisario uerò possessionem Italiæ trades. Legatis præterea mandauit: ut, pactis sacramento firmatis, Theodahato prędia Imperatoris, quas Patrimoniũ dicerẽt, assignarent, eumq; in manus Belisarij Italiã permittere, peu rarent. Interea cùm Gothi Mundum Iustiniani ducem cum Mauricio F. in Dalmatia uictos occidissent, Theodahatus oratores, qui à Iustiniano missi cũ acceptis conditionib. uenerant, negligere cepit, uel naturali ingenij inconstantia motus, uel à suis spe Italiæ retinendæ inflatus. Petro aũt iurganti, ac perfidiam identidem intonãnti, ferociter respondit, Se tãdiu legatis parsurum, dum legatorum officio fungerentur: legatũ autem uiolare tum demũ fas esse, cùm regẽ contumelia prouocaret, aut alienũ cubile iniret. Cui legati, quę in rem esse uisa sunt, responderunt (nã quod de tentata alienа pudicitia iniecerat, id non ad ueritatẽ, sed ad quęrendam honestæ cædis occasionẽ dixerat) ac mox Iustiniani literas ad Gothorũ principes missas, ipsis iubentibus recitarunt, in quib. maximæ ille sibi curæ fuisse significabat, ut eos ad suã remp. moresq; traduceret, qua ex re illos non mediocrẽ uoluptatis fructũ capturos confideret, quòd cũ dignitatis amplificatione ad ritus sibi notissimos transituri essent. Quibus auditis, Theodahatus omnino se nihil præstare uelle, pmissorũ subiecit, ac legatos custodiri cũ cura præcepit. Capta inde à Belisario Neapoli Gothi, qui circum Romam erant, mirari primùm, quòd Theodahatus adeò ignauia obtorpuisset, ut nullo modo his tantis malis occurreret: deinde suspicari, ne is Italiam Belisario prodere cogitaret. Itaq;, cõsilio capto, in locum non longè à Circeiis se contulerunt, ibique conuocati, omnibus probris in Theodahatum congestis, Vitigem regem sibi depoposcerunt, uirum non summo loco natum, sed rebus militiæ bene gestis spectatum. Qua re audita, Theodahatus exanimatus repentè Roma Rauennam se contulit. Vitiges autem extemplò Optarum Gothum priuata Theodahato simultate infensum cum parata satellitũ manu immisit, qui illum aut uiuũ ad se adduceret, aut morte afficeret. Is profectus, atque illum in itinere in solo resupinatum adeptus, tanquam uictimam, interfecit. Sigonius lib.17. Imp. occid.

DVCES.

ARGYRRHIVS exercitus dux quispiam effeminatus & cinædus, nihil habens uiri præter barbam. Eras. in Adagiis.

ARATVS Sicyonius, ut consiliis polluit, sic in aperta acie timi

dus fuit. Itaq; aduersarij per ludibrium aluum cõmemorabant prætori Achæorum instante prælio moueri: sopore & uertigine eum, simul atque cepisset canere tubæ, corripi solitum: cùm aciem instruxisset, & signum dedisset pugnæ, rogassetque præfectos suos & ordinũ ductores, nunquid præsentia sua sit opus (nam iactam esse aleam) secedere prestolaturũ procul euentum. Hæc fama usq; eò ualuit, ut philosophi quoq; in scholis quærentes, cordis tremor & coloris uariatio in præsenti periculo timiditatis sint, an intemperiei signa, & frigoris natiui: semper appellarent Aratum, ut insignem quidem imperatorẽ, sed cui hæc in certaminibus acciderent semper. Plut. in Arato.

BASILISCVS Leonis I. Imp. exercitui contra Gensericum Vandalum Africæ occupatorem præfectus, mille nauium classem ducebat. Gensericus contrà Basilisci siue ignauia siue tarditate, siue improbitate erectus, omnes quas potuit naues armauit, atq; alias militibus impleuit, alias in speciẽ uacuas produxit, ut propè consistentes, munitiones, atque instrumenta necessaria ministrarent: ac simul legatos ad Basiliscum misit, rogatum, per dies quinq; prælium prorogaret, ut interim consilium expediret, cedere ne Imperatori, an repugnare deberet: idq;, præbita, ut fama fuit, pecunia, impetrauit. Vbi uerò sextus dies destinatus illuxit, copia pugnę facta, in aciem prodiit. In ipso certaminis ardore Basiliscus primus cum prætoria naui se dedit in fugã: quo facto, suorum animos, licet pugnãdi auidos, ita debilitauit, ut statim exemplo eius pugnam intermittere, ac de fuga cogitare inceperint. Quibus rebus animaduersis, Gensericus eò ferocius in hostes inuectus, plerosq; aut captiuos fecit, aut occidione occidit: præda nauiũ, hominumq; atq; instrumentorum ingens parta. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

IVLIVS Vitellius quum Vrbini, ubi à Laurentio Medice presidio erat relictus, tria millia peditum exactis ciuibus coegisset, defensionemq; contra Franciscũ Mariã Feltriũ, paterni imperij oppida, quib. à Mediceis deiectus erat, armis repetentem pararet: concurrentibus ad arma feminis, & paucis senibus, Feltrianoq; milite ad portas clamorem extollente, fœdissimè sese atq; urbem dedidit, Laurentianis militib. uita impetrata, ita ut exuti armis extra fines pelleretur. Iouius in Leone X.

PROPVLSANTVR. TIMIDI IN propulsandis, sustinendis

DÆMONIBVS, LVDIBRIA ET TERRICVLAMENTA ILLORVM NIMIUM timere.

De Tentationibus heic agimus, quatenus terrent hominem, Quatenus decipiunt, & ad uaria peccata homines impellunt, ad impietatem, ad impudicitiam, ad auaritiam, ad alios locos pertinent.

HOSTIBVS.

De Metu hostiũ, tãquam de Affectu, Volum. I. egimus. Huc eadẽ exempla transferri possunt, quatenus ratio affectui non moderatur. Sed & ex Tit. Victoriæ illustris, Ab hostibus capti, Monomachiæ, Strages memorabiles, Metum hostibus inijcere, exempla peti poterunt. Victor enim uicti uictor est: & ubi uictoris illustris exemplum recitatur, ibi etiam uicti. Declinatio nimia ad hunc quoq; locum potest referri, quatenus non futura tantùm declinantur, sed & præsentia non propulsantur.

Expectare hostem, sed cum timore.

ISRAELITÆ, quamuis multis à Domino miraculis confirmati essent, tamen cùm persequentes se Aegyptios uiderẽt, uehementer timuerunt. Exod. 14.

ACHAZVS rex Iudæorum, cùm Razinem Syriæ, & Phaceam Israelitarum reges contra se conspirasse audiuisset, animo non aliter commotus est, quã uento mouentur syluarum arbores: nec quamuis confirmanti Esaiæ prophetæ credere uoluit. Esaiæ 7.

C. Martio Coriolano exule, Volscorum exercitum contra urbem ducente, tanta repentè trepidatio ROMANOS inuasit, ut plebs quæ paulo antè cõmunibus suffragiis eum perpetuo damnarat exilio, reditum ei decreuerit, & contra patritios plebi repugnantes seditionem mouerit. Tandem obsessi à Martio, omni spe abiecta, Volscis ne occurrere quidẽ sustinentes, legatos ad eum de pace miserũt. Quibus re infecta dimissis, sacerdotes cũ sacris Romanis ei obuiòs misere. At cùm ne istis quidem moueretur: tandem Romanę matronæ cum Volumnia Martij matre, & Vergilia eius uxore, in castra profectæ, quod uiri armis nequiuerant, lacrymis suis uix obtinuêre. Plut. in Coriolano.

Sollicitarunt pleræq; gentes Romana arma, nonnullæ etiam diu exercuerunt. Soli omnium Galli, feroci & inuicto alioqui populo, supra quàm dici possit, terribiles extitêre. Id natura gentis in ferrum præceps, an casus captæ urbis fecerit, haud facilè dixerim. Post captam urbem, quod satis constar, ad omnes Gallorum motus, non Romæ solùm, ut in cæteris bellis, sed tota etiam Italia semper est tumultuatum: habuisseque ROMANI dicuntur, quum iam eorum opes longè lateque pollerent, aurum in hos bellorum casus sanctius repositum, & in militaribus uacationibus dandis uel ipsis pontificibus (ut in Camillo & Marcello testatur Plut.) semper Gallici tumultus excipi consueuerunt. Nec uanus talis metus. Cum nulla unquam gente Rom. populus intra extraq; Italiam, maiore hominum strage, maioribusq; ducum & exercituum periculis bellauit. Tradunt Rom. rerum scriptores quidam, centum Gallorum millia aliquando una acie cæsa, quo apparet indomita bello ingenia, scire tantùm uincere, aut mori. Nulla itaque gens Italiæ formidolosior, nulla maiores ipsi terræ intulit clades. Certarunt Rom. cum finitimis populis de principatu, cum Carthaginensibus de imperio, cum Gallis de uita semper, quoad nouissimus temporibus à C. Cæsare, qui postea Dictator fuit, multis cladibus fracti, iugum accepêre. Quo sæpiùs deinceps excusso, factum est, ut Augusto principe, aliisq; Cæsaribus, qui post illum sunt rerum potiti, crebrò in se Rom. arma irritarint. Sabellicus lib. 1. En. 4.

L. Aemylio, C. Attilio Coss. cùm Galli aduẽtare dicerentur, ne quid non ad præsens periculum auertendum adhibitum uideretur, Sibyllino carmine moniti ROM. duos Græcos uirum & uxorem, duosque Gallos uiuos in foro Boario defoderunt, dirum sacrorum ritum & Romanæ ciuitati insuetũ. Sabellicus lib. 9. En. 4.

Cùm Hannibal ad urbem aduentaret, tantus est in ROM. ciuitate terror exortus, ut matronæ in publicum effusæ, delubra deûm, & sacras aras sparsis crinibus uerrerent, subnixæ genibus supinas tollerent ad cœlum manus, orantes, ut urbem Romam ciuitatemque incolumem seruarent. Sabellicus lib. 4 En. 5.

Anno 1544. Carolus V. Imp. Imperij & Angli uiribus subnixus, Galliam inuasit. Galliæ rex, quòd Heluetij nondum aduenerant, prælium declinabat: & Cæsar promotis castris, nemine resistente, Castroteræum uenit, castellum Theoderici uulgò uocant, ad Matronam flumen, ab urbe Lutetia non bidui uia positum oppidum. Et quanquam erant in castris Cæsaris legati regis Galliæ, de pace missi: Cæsar tamen progrediebatur nihilominùs, & quum iam hucusq; peruenisset, incredibilis fuit orta LVTETIÆ trepidatio, fugiebãt omnes, qui paulò essent lautiori fortuna: nec regis edictis fugã prohibentis contineri poterant, & sex modò hominum manebat: itaq; periculum erat, ne ab his urbs omnium longè maxima & inprimis opulẽta diriperetur. Eorum, qui dant operam literis, ingens est ibi numerus, ex omni ferè Europa: hi quoq; fugiebant, & alioqui rex edixerat, ut omnes externi confestim discederent, capitis denunciata pœna. Fuit hoc initio Septembris. Sleidanus lib. 15.

Non aggredi hostem, Non repellere.

ISRAELITÆ cœlestiũ immemores operum, quia exploratores in Chananæam terram missi, omnia dura & hostilia referebant, in luctum & mœrorem uersi, Mosem expeditionis ducem insequebantur, ut uanum & delirum, suam detestantes stultitiam, qui tantum uni credidissent: satiùs fuisse in Aegypto seruire, ubi ad satietatem carnibus uescerentur, quàm inedia & bellorum iniuria in desertis confici, alienaque terra extingui. Inuidiosa querela, & execrabilis, in eo præsertim populo, qui toties manifesta cœli prouidentia præsenti esset periculo seruatus. Sab. lib. 4. cap 7. ex Deut. 1. Num. 13. & 14.

Gedeon Israëlitarum dux, cùm haberet in exercitu suo triginta duo hominum millia, & formidolosis copia daretur remigrandi domum, reuersa sunt ex POPVLO uiginti duo hominum millia. Iudicum 7.

Post pugnam ad Salaminem, uicto Xerxe, contigit, ut neque BARBARI supra Samum, Hesperũ uersus nauigare auderent; metu perterriti: neque GRÆCI Chiorum rogatu auroram uersus ultra Delon. Ita timor medium eorum tuebatur. Herod. lib. 8.

MACEDONAS pugna cum Poro reddidit segniores, repressitq;, ne peterent ulteriorem Indiam. Cùm enim ægrè pepulissent illum, qui uiginti millia peditum & duo millia equitum in aciem adduxerat: obnixè reluctati Alexandro sunt, superare contendenti etiam amnem Gangem, cuius accipiebant latitudinem duorum & triginta stadiorum esse, & ulnarum centum profunditatem: ripas ulteriores peditum, equitum, elephantorum agminibus coopertas. Siquidem fama tenebat, octoginta equitum millibus, ducẽtis peditum, curruum octo, & elephantorum bellatorum sex millibus, munitos Gandaritarum & Præsiorum reges ibi eum operiri: neque ea uanè iactata. Androcottus enim, qui non multo pòst

pòst regnauit, elephantos Seleuco quingentos dono dedit, & sexenis millibus militum Indiam peragrans, omnem redegit in potestatem. Hic primùm animi mœrore & ira tabernaculo inclusus abiecit se in terram, pœnitebatq; eum rerum perpetratarum, nisi Gangem superaret, & pro confessione, uictum se esse, habebat reditum. At ubi amici eum, prout res erat, suadentes, assistentesq; foribus cum planctu & strepitu milites supplices orauerunt: infractus parauit se ad reditum, multaq; fucata & cõmentitia est machinatus, quippe grandiora arma & equorum præsepia, frænaq; fabricatus ponderosiora, reliquit & disseminauit. Posuit prætere deorum aras: quas hac quoq; memoria Presiorum reges traiecto flumine uenerantur, immolãtq; hostias ibi Grę co ritu. Plut. in Alex.

ARATVS Sicyonius ad bellum & certamen timidus atq; animo imbecillis apertè cõmittendum, ad urbes uerò & tyrannos clàm surripiendos contechnandosque insidiator callidissimus. Quapropter eum, qui præter expectationẽ præclarè multa, quæ tentare fuit ausus, confecit: non pauciora apparet, quæ effici poterant, minùs audendo deposuisse. Plutarchus in Arato.

Brutus & Cassius cùm contra Cæsarem conspirassent, CICERONEM tamen, cui cùm fidebant plurimùm, tum diligebant summè, celauerunt de consilio: ne ad insitam timiditatem adiungens ex ætate senilem cautionem, mox singula ęstimando ad summam exigens securitatem, alacritatis ipsorum aciem, quæ celeritatem requirebat, perstringeret. Plutarchus in Bruto.

Adducta in potestatem omni circumpadana Italia, Constantinus Magnus rectà cũ toto exercitu Romã uersus ire perrexit. MAXENTIVS autem tyrannus hæc audiens, non solũ urbe, sed etiã parietibus se tenebat, aut prodigiis, aut infaustis fortunæ suæ præsagiis territus: non in campũ ire, nõ exerceri armis, non puluerẽ pati studebat: tantũ in Palatio ambulabat, aut in hortos Salustianos se conferebat, & his deliciis turpissimam suam formidinem cõtegebat. Non enim se imbellẽ, sed beatũ, non inertẽ, sed securũ uideri uolebat. Quoties milites in concionẽ uocabat, se solũ cũ illis Imperatorem, alios per limites pro se militare iactabat. Ac ne tũ quidẽ, cùm aduersa suorũ prælia ad Taurinũ, Brixiã & Veronam audiit, obuiã ire contendit, cùm Pado limite, aut Apennini iugis uteretur, sed literas cladiũ suarũ indices supprimebat. interdũ etiã palàm, ut usq; ad portas ueniretur, optabat. Interim Constantinus exercitũ ad Tiberim amnẽ adduxit, atq; ibi castra fecit. Cæterùm nullis hostilibus copiis occurrentibus uehemẽter animo doluit, uerens, ne Maxentius intra urbem inclusus obsideri se pateretur. nam omni Africa exhausta, omnibus insulis exinanitis, infiniti tẽporis annonã congesserat. Ipse uerò ab obsidione urbis abhorrebat, ne Romanos, quorum incolumitati consulebat, grauiore aliqua calamitate afficeret. Inter hæc Maxentius Palatio migrauit, & cũ uxore ac filio in priuatã domũ, quasi se abdicaret Imperio, sponte abiit. Post biduum demũ, qui dies erat IIX. Kal. Octobris, pridie, quàm septimũ Imperij sui annũ iniret, magicis præstigiis ac fallaciis suis fretus, cũ CLXX. M. peditũ, XIIX equitũ Tiberim traiecit: prælioq; facto, per pontem fugiens, in Tiberim præcipitatus periit. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

Belisarius Rauennam obsidere parans, Magnum cum modico exercitu præmisit, ut alteram ripam Padi asseruaret, ne Gothi cõmeatum subuehere possent: deinde alterã Vitali custodiendã dedit, mox ipse Rauennã accessit. Interim GOTHI contractas in Liguria naues rebus necessariis repleuerunt, ut eas Pado Rauennam adducerent: sed deficiente (quod nunquam antè acciderat) aqua, detenti cum oneribus, à Romanis oppressi sunt. Inde flumen nauigabile factum: eaque res miraculi loco est habita. Quinetiam cùm horrea plena frumenti Rauennæ esse didicisset Belisarius, ciue quodam corrupto, illis incendiũ inferri curauit. Fama tamen fuit Matasuẽtæ reginæ imperio deflagrasse. Eo facto, Gothi à Deo potiùs se, quàm ab hominib. oppugnatos arbitrati, sese Belisario dediderunt, Sigonius lib. 18. Imp. occid.

Albertus Claudus, Austriæ dux, Tigurinos, qui se Heluetiorũ fœderi anno 1351. coniunxerant, obsidebat, Caroli IV. Imp. & Sueuorum auxiliis instructus. Res spectabat ad prælium. SVEVI ex ueteri priuilegio, quod à Carolo Magno Geraldus dux obtinuisset, primæ aciei honorem sibi uendicabãt. Carolus IV. eum sibi ob dignitatẽ deberi: at Austriacus suũ esse dicere, cuius nomine scilicet ea suscepta esset expeditio. Interea uident Heluetios in subsidiũ Tigurinis uenire: & uerborum omissa contentione, fuga sibi consulunt. Stumpfius lib. 6. Heluetiæ, c. 19.

Aggredi, sed timidè.

Videns IVDAS Machabæus, quòd fugisset exercitus suus, perculsus animo, in bello cecidit. Nec legitur idem Iudas aliàs in bellis uel alibi timuisse. 1. Machab. 9.

Egregiè expressit Homerus timiditatẽ PARIDIS, qui in prælio non solùm eminùs uulnerauit Diomedẽ, sed in insidiis stans, post columnamq; in sepulcro positam, tectusq; demũ illa, tanquam aggere quodam, iecit in ipsum sagittam. Vnde summus poëta de illo inquit, cognoscente fortissimũ uirum à se perculsum, ἐκ λόχου ἀμπήδησε: affectus enim lætitia incredibili Paris, intelligensq; sibi ampliùs nocere nõ posse heroëm illum, tardatum uulnere, se ipsi ostendit, quod certum indicium est ignaui militis ac gloriosi. Victorius libro 26. Var. lect. c. 20.

NECLAN Boëmiæ dux, ab Vlastislao Lucensi principe patruele suo regni causa bello petitus, pacem demissè per legatos petiit. Illo uerò magis magisq; insolescente, ut ad arma pertractus, cùm præsentiam eius omnes desiderarent, & uates etiam uictoriam amplissimè pollicerentur, more tamen soricis, in conspectu felis apparere non audentis, in tabernaculo delitescebat. Tandem Syderium à Chaynouo equitem strenuũ, qui facie ei similis erat, equo & armis suis instruxit, qui personam & nomen principis gerens, omnes ducis partes in prælio obiens, uictor periit. Dubrauius lib. 3.

Victoriam non persequi.

In CAROLO Simplice præclara illa Caroli Magni soboles planè degenerauit apud Francos. Vnica Lotharingia recepta clarus, cætera ignauus, cũ Germanis magis quã suis sese crederet, magnã sibiipsi flammã inuidiæ apud Francos conflauit, ita ut ad æmulum regni Robertum Magistrũ equitũ inclinarint, eundemq; Rhemis inaugurari curarint. In Suessionum finibus cõmisso prælio, Robertus uictor cæditur. Simplex sublato licèt æmulo, in morem uicti animum demisit: oratoresq; aliquanto pòst ad hostes, Hebertumq; hostiũ principem misit propè supplices, ac alteros ad Henricũ Germanorum regem, qui Lotaringiam ei redderent, nouaque auxilia peterent. Hebertus, ad se accersitum in speciem spẽq; rei Franicæ componendæ, Peronæ carceri inclusit, anno 924. ut regni iure cedere se in procerum concilio profiteretur, illudq; dono daret Rodulpho Burgundiæ regi, Ricardi filio. Aemilius lib. 3.

Asprandus, tutor Luitperti regis Longobardorum, pueri, ab Ariperto occisi, cùm aliquot annos in Baioaria exulasset, ad Aripertum regem ulciscendum idoneo exercitu accepto, Papiam progressus, prælium cum eo intrepidè occurrente commisit, quod nox magna utrinque edita cæde diremit. ARIPERTVS, quanquam constabat, Baioarios eo prælio fusos, uictosque cessisse, tamen non in castra ut uictor, sed quasi uictus in urbem refugit. Quare cùm se suis metum, hostibus audaciam iniecisse uideret, consilium cepit in Franciam abeundi: atque auro, quantũ potuit ferre, è regia sumto, clàm ex urbe excessit. Verùm in tranando flumine pondere auri & fluminis unda oppressus, indigna morte occubuit. Cadauer eius postridiè inuentum, & in regiam relatũ, in basilica D. Saluatoris sepultum est. Sigonius libro secundo regni Italici.

FERIS, BELLVIS.

Consule Titulum, Regiones ferarum incursu infestæ & desertæ: quatenus ab ignauis non propulsantur.

LIBRI QVINTI
TITVLORVM
DISPOSITIO

- HABITVVM *in perferendis malis exempla alis occurrunt in*
  - Genere, *itaque*
    - Virtus *esto*, TOLERANTIA *siue Patientia in malis, doloris cuiuslibet, in genere.*
    - Vitia *duo, alterum in*
      - Excessu. TOLERANTIA *nimia quorumcunq; malorum.*
      - Defectu. PVSILLANIMITAS *in quibuscunq; malis perferendis.*
  - Specie, *tum*
    - Virtutis, *Tolerantiæ nimirum in perferendis malis, non internis animi (quæ nemo bonus tolerauerit) sed externis tantùm, remotis interim ab omni turpitudine. Vide signum 1.*
      - Excessu. TOLERANTIA *nimia malorum*
        - Corporis, *quæ corpus uel*
          - Cruciant. *Tolerare nimium*
            - Famem, *Sitim.*
            - Morbos.
            - Partum.
            - Vulnera, *plagas, Ictus.*
            - Tormenta.
          - Tollunt. *Tolerare nimium*
            - Mortē. *Respectu*
              - Finis, *Cur. Cauſa*
                - Immortalitatis.
                - Religionis.
                - Vitæ *tædij.*
                - Innocentiæ *teſtandæ.*
                - Seruitutis *amoliendæ.*
                - Ignominiæ *effugendæ.*
              - Efficientis, *A quibus illatæ tamen*
                - Seipſis.
                - Magiſtratu, *Iudicib.*
                - Sociis, *Amicis.*
            - Pericula *quæuis & Inſidias.*
        - Fortunæ: *utputa*
          - Diuitiarum *iacturæ, Paupertatis.*
          - Seruitutis
            - Carcerum.
            - Tyrannorum.
          - Dedecoris *& Infamiæ.*
          - Defectionum, *Cladis.*
          - Excidij *patriæ.*
          - Infortunij *ſuorum parentum, amicorum, &c.*
      - Defectu. PVSILLANIMITAS, *Deiectio animi, Mollities in tolerandis malis*
        - Animi.
        - Corporis, *quæ ipſum uel*
          - Cruciant. *Non tolerare*
            - Famem, *Sitim.*
            - Æſtum, *Frigora, Laborem.*
            - Imbecillitatem, *Morbos.*
            - Senectutem.
            - Vulnera, *Verbera.*
          - Tollunt. *Mortem non tolerare.*
        - Fortunæ. *Vide in ſequentibus ſignum* II.

I. Ta-

- I. Talia *ſunt mala*
  - Animi. TOLERANTIA *malorum, quæ afferunt*
    - Terrorem. Deſperationem.
    - Inuidiam.
    - Infidelitatem.
  - Corporis. *Huc pertinet* TOLERANTIA
    - Dolorum, *qui oriuntur ex*
      - Fame, *Siti.* Morbo.
      - Partu. Æſtu, *Frigore, Labore.*
      - Vulneribus *& uerberibus.*
      - Sectionibus, *Vſtionibus medicis.*
      - Tormentis. Igne.
    - Mortis, *ſiue perpendatur reſpectu*
      - Agētis, *qui mortem infert,*
        - Quis *ſit. Mortem tolerare intētata à*
          - Natura.
          - Magiſtratu, *Iudicibus, Tyrannis.*
          - Latronibus. Hoſtibus.
          - Coniuratis, *Inſidiatoribus, Proditoribus.*
        - Cur *inferat. Mortē tolerare illatam ob*
          - Religionis *profeſſionem.*
          - Philoſophiam, *Doctrinam.*
          - Tyrannidem. Cædem *tyranni.*
          - Hæreſeos *crimen.* Adulterij *crimen.*
          - Rebellionem. Inſidias.
      - Patientis, *qui mortem tolerat,*
        - Quis. *Mortē perferunt cōſtanter*
          - Philoſophi. Reges.
          - Duces. Virgines.
          - Matronæ.
        - Cur. *Mortē perferre fortiter ob*
          - Reip. *Patriæ ſalutem.*
          - Fidei *declarationem.*
    - Vitæ *periculorū, quæ impendūt, reſpectu*
      - Rerum, *à*
        - Terræmotu. Naufragio.
        - Ruina. Peſtilentia, *Veneno.*
      - Perſonarum, *ab*
        - Inſidiatorib. *Inſidiarum nullus metus.*
        - Hoſtibus. *Pericula ſubire*
          - Pugnando. Explorando.
          - Iter *faciendo.*
          - Occurrendo, *Collo quendo.*
        - Iudicibus. *Magiſtratibus.*
  - Fortunę, *hoc eſt, ea quæ bonis fortuitis quo modolibet, ſeu priuatiuè, ſeu poſitiuè; ut ita dicam, incommodant.* TOLERANTIA *fortuitorū malorum, quæ accidunt nobiſipſis quo ad*
    - Diuitias. *Inopiam*
      - Genere. *Paupertatem, Fortunarum amiſſionem ferre.*
      - Specie. *Ferre*
        - Naufragia. Furta.
        - Rapinas. Exactionem *iniuſtam.*
        - Multam. Exhæredationem.
    - Honores, *Exiſtimationē. Dedecoris, Infamiæ, Ignominiæ tolerantia, illatæ*
      - Verbis. *Ferre*
        - Reprehenſiones.
        - Maledicta, *Conuitia, Calumnias.*
        - Irriſiones, *Sugillationes, Scommata.*
        - Accuſationem, *Teſtimonia falſa.*
      - Factis. *Ferre*
        - Statuarum *deiectionem.*
        - Repulſam *cōuerſationis, Excluſionē, Auerſationem:*
        - Loci *ignominiam.*
    - Dignitatem, *Magiſtratum. Ferre Muneris*
      - Honeſti
        - Repulſam. Deiectionem.
        - Imminutionem.
      - Inhoneſti *impoſitionem.*
    - Regni *amiſſionem. Ferre*
      - Defectores. *Proditores.*
      - Seditiones.
    - Victoriam. *Ferre ſe uinci ab alio*
      - In *bello.*
      - Extra *bellum.*
    - Libertatem. *Æquo ferre animo*
      - Carceres, *Vincula.* Captiuitatem. Seruitutem.
      - Exilium. *Expulſionem è patria, urbe, domo.*
    - Amiciti-am. *Ferre in uita*
      - Politica:
        - Amicorum
          - Alienationem. *Puta*
            - Defectionem, *Proditionem.*
            - Seditionem.
            - Indignationem *principum:*
          - Cladem, *nēpe*
            - Patriæ *excidium.*
            - Sociorum *infortunium.*
          - Mortem.
        - Inimicorum *proſperitatem.*
      - Oeconomica:
        - Coniugum
          - Raptum. Repudium.
          - Mortem.
        - Parentum *mortem.*
        - Liberorum
          - Impudicitiam. Afflictionem.
          - Carceres, *Exilium.* Mortem.
        - Hoſpitum *moroſitatem.* Fratrum, *Sororum Mortem.*
        - Nepotum *Repulſam.*

I. Puſil-

II. Pusillanimitas *spectatur in fortuitis ferendis, secundùm*

- Diuitias. *Non ferre in*
  - Genere, *Paupertatem.*
  - Specie:
    - Furta. Direptionem. Tributorum *exactionem.*
    - Incendia. Naufragia.
    - Amisionem *animalium.*
- Honores. *Ignominiam non ferre illatam*
  - Verbis:
    - Reprehensiones.
    - Maledicta, *Conuitia, Calumnias.*
    - Infamiam *nominis.*
  - Factis. *Nempe*
    - Accusationem *falsam.* Irrisionem.
    - Titulorum *denegationem.*
    - Scriptorum *abolitionem.* Vestis *ignominiam.*
    - Munera *pudenda.* Officium *uile.*
    - Vulnera, *Verbera ignominiosa.*
- Dignitatem, *Magistratum, Regnum. Non ferre*
  - Repulsam.
  - Deiectionem.
  - Imminutionem *dignitatis.*
- Victoriam *aliorum, suam suorúmue cladem, tum*
  - Extra *bellum.*
  - In *acie.*
  - In *monomachia.*
- Libertatem. *Non ferre*
  - Seueriorem *disciplinam.* Carceres.
  - Seruitutem, *Subiectionem.* Captiuitatem.
  - Exilium. Obsidionem.
- Amicitiam
  - Politicam. *Non ferre*
    - Amicorum
      - Alienationem.
      - Odium, *Maleuolentiam.*
      - Defectionem. Mortem.
    - Inimicorum
      - Victoriam.
      - Insolentiam.
      - Dignitatem, *Honores.*
  - Oeconomicam. *Non ferre*
    - Parentum,
      - Odium.
      - Mortem.
    - Liberorum
      - Improbitatem. Stuprum.
      - Calamitatem. Repudium. Captiuitatem.
      - Mortis *suspicionem.* Mortem.
    - Fratrum
      - Repulsam.
      - Mortem.
    - Coniugum
      - Repulsam. Impudicitiæ *suspicionem.*
      - Impudicitiam, *Adulterium.* Repudium.
      - Raptum. Deiectionem *à dignitate.*
      - Mortis *suspicionem.* Mortem.

Voluminis Octaui Liber V.

De Fortitvdine Tolerante & contrariis Vitiis.

TOLERANTIA SIVE PATIENTIA IN ADVERSIS REbus, Doloris cuiuslibet, in genere.

Mala, cùm euitari nequeant, ferre, pati & tolerare, Tolerantiæ est, seu dicere malis, Patientiæ. Græcum uocabulum huic ex æquo respondens fortaßis καρτερία *esset: quam tamen Arist. lib. 7. Ethic. pro dispositione siue imperfecto habitu ponit, quælibet mala magno perferentis animo, ita tamen ut rectæ rationi appetitus repugnet. Atqui ut de rebus constet, uerba non multum morâmur. Tolerantiam hîc Fortitudinis speciem in ferendis malis statuimus, tum propriam, in iis malis, quæ euitari nequeunt (& hîc Forma tolerandi, non Materia uitiosa est. Vt qui ad mortem religionis causa ducti, seipsos spontè in ignem præcipitant) tum Impropriam, in iis malis, quæ euitari poterant, in quibus non tam Forma quàm Materia reprehenditur. v. g. qui Diis sacrificare, quàm martyrium obire malunt, maius malum tolerant, idololatriam*

triam scilicet, uti minus declinet, mortem: cùm econuersò idololatriam declinare, mortem tolerare oportuerit. Et sic composita est hæc species ultij ex Tolerantiæ & Declinationis excessu.) Iam uerò cùm Mala ista uel corpori dolorem afferant, uel animo: in illis quidem ferendis opus est robore & firmitate corporis, sicut etiam in iisdem propulsandis. Neque tamen robur idem est, quod fortitudo, non magis quàm ira: licet utraque fortitudini inseruiat. Tolerantia perfert mala, ex animi habitu imperterrito: Robur, ex corporis firmitudine & quadam ueluti indolentia: Ira uerò omnis doloris oblita, solam uindictam appetit. Sic in digladiationibus uulnera plurimi non sentiunt, propterea quòd animus uindictæ intentus, id unum quod uehementißime cupit considerat. Cæterùm quia & in Tolerantia & in Clementia malum ferre oportet, quæ sit horum differentia, uidendum est. Exempla eadem utriq; loco interdum conueniunt, pro duplici respectu, Mali quod infertur, & Auctoris qui infert. Malum tolerare per se, huius est loci: at Inferentem tolerare, illum non ulciscendo, ad Clementiam pertinet. Quæ à Deo uel Natura inferuntur mala, Tolerantiam solam in perferendo uidentur habere. At quæ ab Hominibus, nisi à magistratu, à parentibus, à præceptoribus inferantur, cùm ad uindictam excitēt animum, non tam in perferendo, quàm in non uindicando spectari consueuēre: & propterea sub loco Clementiæ ex professo tractabuntur, ne eadem iterare cogamur.

TOBIAM Nephthalensem, uirum sanctissimum, Niniue habitantem, patientiæ illius explorandæ ergô, Dominus cæcitate primùm affecit, & paupertate, ita ut Aquicaris propinqui sui liberalitate aleretur. Anna uxor, aulæa texendo uictū ægrè quæritabat, bonoq; seni exprobrabat, quòd opes suas eleemosynis absumsisset. Idemq; cognati & affines omnes faciebāt, Tobias uerò in his malis ad Dominum clamabat. Exauditus igitur est. Nam & filius Tobias argenti decem talenta ex Media apud Gabelem deposita retulit, & Raguelis filiam Saram uxorem duxit, & patrem felle piscis à cæcitate liberauit. Tobiæ 2. & seq.

IOBVS cōfitendo ait: Non gauisus sum ad ruinā eius, qui me oderat, nec exultaui, quòd inuenisset eum malum. Non dedi ad peccandum guttur meū, ut expeterem maledicens animam eius. Itaq; molliter ferendo inimicos usqueadeò fortis euasit, ut nullo deinde in calamitatū genere ad aliquod impotientiæ signum impelli potuerit. In maximas quidem incidit ærumnas, sed omnibus ærumnis maior in illo tolerationis uirtus fuit. Deniq;, qui non est gauisus ruinis inimici, idem nec suis uinci potuit. Marulus lib. 5. c. 2.

Quibus uerbis, quo ore Domini nostri IESV CHRISTI patientiam explicabimus? profectò maior est, quàm ut pro dignitate exprimi queat. Dei filius ab hominibus probris, flagellis, morte afficitur, iustus ab impiis, dominus à seruis: & ab iis quidem, quos saluare uenerat, ac de maledictione, cui addicti ab initio erant, in benedictionem gratiamq; uindicare. Poterat in uno oculi ictu simul perdere omnes, ne quid mali ab eis pateretur: sed ultrò obtulit sese, ut nos per sui corporis sacrificiū conciliaret Deo. Irridebatur itaq;, & tacebat: accusabatur, & nihil respondebat: uerberabatur, & sustinebat: crucifigebatur, & pro crucifigentibus ad patrem orabat. Quis tam durus est, ut hæc secum considerans, ad ignoscendum iis, à quibus læsus fuerit, non mollescat? Indignè ille passus est, quicquid passus est, quia delictum non fecit: nobis nulla prorsus iniuria indignè inferri potest, qui peccatores sumus. Feramus ergo æquo animo quicquid in nos cōmittūt homines, quia nos antè peccauimus Deo. Quicquid patimur, non est offensa, sed uindicta. Idem.

PAVLA Romana in periculis loquebatur: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suā, & sequatur me. & iterum, Qui uult animā suam saluam facere, perdet eam. &, Qui perdiderit animam suam propter me, saluā eam faciet. Sed & in tribulationibus & angustiis, Esaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorū, propter linguam malignam. Et scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, corū scilicet, qui ad uirilem ætatem peruenissent, tribulationē super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere. Hieron. in epitaphio Paulæ ad Eustochium.

ALEXIVS patricius Romanus, sicut uoluntariæ paupertatis perpetuus obseruator, ita ad tolerandas iniurias patientiæ extitit assiduus cultor. Mēdicus (ut Christū lucraretur) sponte factus, cùm in Syria de eleemosynis uixisset, Romam rediit, & in paterna domo pro inope susceptus, annos decem & septem nulli cognitus mansit. Toto eo tempore à seruis patris indigna passus, dureq; acceptus, non se prodidit, neq; de aliquo cōquestus est. Rideri, uerberari, fœda colluuione perfundi à mancipiis, patienter sustinuit, ut Christum suum (cuius paupertatem secutus fuerat) tolerantiæ quoq; humilitate exprimeret. Quis autem esset, qualiterq; uixisset, diuinitùs tandem reuelatum est, cùm è uita discederet, ne tantæ patientiæ exemplum ignorata generis claritate in obscuro foret. Marulus lib. 5. c. 2.

ELIZABETHA uidua, regia Hungariæ stirpe, & Thuringiæ principis connubio nobilis: defuncto uiro propinquis eius regnum occupantibus, cum paruulis liberis eiecta, inops, egens, uaga, ærumnis omnibus obruta, ab iis quoq;, in quos olim beneficia contulerat, contempta: ita omnia constanti animo sustinuit, ut ad patrem regem in Pannoniā cùm accersiretur, redire nollet: ne patientiā & humilitatē, quā in miseriis inuenerat, inter regales delicias amitteret, unamquamque animi uirtutem thesauris omnibus habens cariorē. Marulus lib. 5. c. 3.

EVSTACHIVS Romanus, aduersis casibus in uita multū cōflictatus, & semper superior, ita ut non immeritò post Iobū alterum patientię dicatur exemplar: amissis fortunis, seruis, uxore, liberis, Christum suum (cuius fidem miraculo doctus acceperat) nunquam dimisit. Qua animi constantia meruit post annos aliquot (durè miserabiliterq; peractos) recuperare, quæ amiserat, uxorem scilicet olim à piratis auectam, duos filios, alterum à leone, alterum à lupo raptos: utrunque enim pastores illo inscio feris eripuerant, atq; à pueritia ad adultam usque ætatem educauerant. Demùm ipsam (quā apud Traianū habuerat) militiæ dignitatē recepit. Sed maius his omnibus postremò sub Hadriano assecutus est, cū coniuge simul ac liberis martyrij coronā, ut quos prętcr spem uiuos in terris reperisse lætabatur, cū iisdem etiā uiueret in cœlo. Idem.

De VLYSSE pleni sunt poëtarum libri. De eo Ouidius libro 4. de Ponto:

> Exemplum est animi nimium patientis Vlysses,
> Iactatus dubio per duo lustra mari.

HERACLITVS & DIOGENES Cynicus nunquam de rigore animi remiserunt, calcatisq; turbinibus fortuitorum, aduersus omnē dolorem & miseriam, uniformi durauēre proposito. Solinus cap. 4. Polyhist. & Laërtius.

Q. FABIVS Maximus fraudatus à repub. ea pecunia, quā pro captiuis Hannibali numerauerat, tacuit: cōpluribus etiā lacessitus iniuriis, semper eodem uultu mansit.

Magnus SFORCIA miram animi fortitudinem & patientiā in tolerando omni dolore in aduersis semper ostendit. Ipso in edito colle supra Campanam portam Romano opere uallatis castris Neapolim circumsidente atq; oppugnante, priusquam Ludouicus III. Andegauensis classe in eam orā adueheretur: Franciscus filius grauiore ueruto maioris scorpionis per duplicem ferrēum thoracem penetrante lethaliter uulneratus, ac item Foschinus ex sorore nepos simili telo ictus, penè desperata ope iacebant. Ipse quoq; Leonatus Sanseuerinas Elisæ F maritus, tantæ indolis dux, ex prouocatione, ad ostentandam equestris disciplinæ peritiam uirtutemq; cum Caraffelo Caraffa, nobilissimo equite, nulla intercedente simultate congressus, recepta per cassidem hastæ cuspide, lugente toto exercitu ceciderat. Quem mœrorem mirum in modum adauxit funestus ex Brutiis nuncius, qui Polyxenam Ruffam nurum, ac item eius filiolam ex Frācisco F. neptem, ueneficiis amitæ acerbissima morte sublatas attulerat. Suborta & tum Sergiani Caraccioli arte doloque exitialis fama, totis disseminata castris, insolitum pauorem, & magnam consternationē inuexerat. Ferebatur enim Ludouicus intermisso ad Massiliam nauali apparatu aduentum suū, atq; eius conflati belli maritimā expeditionem ad prima ueris signa distulisse: ita ut milites iam planè desperatis auxiliis, & aduentāte Alfonso Aragonio, quānā belli arte incepto obsistere, seq; incolumi exercitu in pacata loca recipere possent, insigni concepta formidine cogitarent. Sed his tanti priuati luctus & publici mœroris incōmodis conflictatus, eā magnitudine animi ac patientia compressit dolorem, ut neq; in tabernaculū se abderet, neq; ullo uel tacito gemitu, uel exili suspirio æquabile illud frontis decus immutaret. Eo enim oculorū uigore, eoq; eloquētię spiritu mi litum animos erigere, sustentareq; existimatione erat solitus, ut tum maximè, quū à fortuna uictus esset, eū proculdubiò uicisse crederes. Iouius in eius uitâ.

ALFONSVS Aragonū rex, bellum Neapolitanū semel ingenti atq; inuicto animo cùm suscepisset: nulla postea ui, nullo periculo, nulla clade, nullis deniq; difficultatibus euerti potuit ab incepto: quinimò à fortuna proiectus, uel in hostiū potestatem perductus, nunquā tristis surrexit, incredibiliq; animi

animi fortitudine bellum contra omniũ expectationẽ, post secundũ demùm & uicesimum annum, confecit, mortalesq́;

omnes suo exemplo, fortunam ferendo superari posse, docuit. Panorm. lib. 1. c. 9. de rebus gestis Alfonsi.

TOLERANTIA MALORVM QVAE IN ANIMO EXCITANT VEL

TERROREM.

Vide Fortitudinis propulsantis locum.

C. FABRICIVS missus ad Pyrrhum ad redimendos captiuos, uim magnam auri, quod ille dabat, reiecit. Postridie maximum elephantum iussit Pyrrhus à tergo inscio Fabricio sonum cum magno stridore edentem offerri. Quo facto conuersus Fabricius arridensque: Me, inquit, neque aurum heri, neq; hodie hæc bellua perculit. Inuitanti eum Pyrrho, ut ipsum comitaretur, teneretq́; primum post se locum: Ne tibi quidem, inquit, hoc cõducat. Siquidẽ Epirotæ si ambos nouerint nos, me regnare, quã te maluerint. Plut. in Apop.

INVIDIAM.

STRATO Physicus, cũ discipulos Menedemo multo esse quã sibi accepisset plures: Nũ ergo mirũ, infit, si plures sunt, qui lauare quàm ungi uolunt? Plut. de Tranquil. animi.

INFIDELITATEM.

PAVLA in tẽtationibus Deuter. uerba uoluebat: Tẽtat uos dominus Deus uester, ut sciat, si diligatis dominũ Deũ uestrum de toto corde uestro, & de tota aĩa uestra. Hiero. in epitaph.

TOLERANTIA CORPORIS DOLORVM, QVACVNQVE TANDEM DE CAVSA prouenientium.

IN GENERE.

Plato SOCRATEM suum graphicè depinxit in Symposio, Alcibiadis persona substituta. In bello (inquit) quod ad Potidæam Athenienses gessere, in primis quidem laborum incõparabili patientia, non me solùm, sed uniuersos longè Socrates præcellebat. Et sicubi (ut ferè assolet) commeatu deficeremur, in fame sitiq; tolerantissimè perferenda, facilè inter cæteros eminebat. Rursum affluente rerum omnium copia, solus perfrui affatim posse uidebatur: & quãuis potũ abnueret, si cõpelleretur: omnes protinus se largiùs inuitando anteibat: nec tamen uino paulò hilarior unquam est cõspectus: quod utiq; mirũ præcipuè est. Sed id mirabilius, quod hyeme (ut in locis illis) sæua, & rigore intolerando, factitasse illum scimus. Gelu siquidem omnia obtinente, ac uniuersis pruina albicãtibus, nec quoquam ferè sub dio agente, ni pellibus corpore arctiùs obuallato conseptoq́;, Socrates ita se cum reliquis promebat in publicum, ut quotidianis indumentis nil omnino accederet, nudis uerò pedibus glaciem pruinasq; premebat faciliùs, quàm calceis obmuniti milites: quod illi conspicati, in ipsorum contemtum fieri interpretabantur. Sed illud satis mirari non est: altior (uti plerunque fit) inciderat cogitatio, stabatq; ã matutino tẽpore eodẽ nixus uestigio: cũq; minùs explicaretur quod agitabat, perrexit in meridiẽ usq;: senserant milites ac mirabãtur: perseuerabat ille nihilominùs ad primã facem: at illi lectulũ apposuêre, obseruãtes ecquid per noctẽ decumberet: expectauit is, statu pertinaci nihil immutato, solem sese promentẽ. Quem ubi consalutasset, deniq; congredi cepit. Sed & familiare fuit illi uiro, ut perdius staret ac pernox, etiam inconniuens. Cælius lib. 25. c. 4. A. L.

IN SPECIE. FORTITER FERRE

FAMEM, SITIM.

Famem tolerare posse, Corporis παθητικὴ quędã δύναμις est. At heic nos Animi firmitudinem consideramus, quæ corpus sibi famulari cogit & obsequi, neq; ab iis se uinci patitur, ut turpe quid designet. Similiter quoq; Sitis tolerantia, quatenus non diffidit homo, Fortitudinis est: abstinentia à potu præsente, Temperantiæ. Vt autem hac eadẽ alii ad ferendam sitim animantur, Prudentiæ bellicæ, de qua sub Tit. Animare milites ad laborem. Vide Locos.

MORBOS.

Consule Tit. Exercitationis Studium à morbis non impeditum. Item, Quibus morbi profuerunt.

GREGORIO Magno põtifici, quòd pro Traiano infideli imperatore Deum precari ausus esset, pœnæ nomine hanc optionem datam perhibent, ut siue quãdiu uiueret, magnis assiduè languoribus agitaretur: siue cùm defunctus esset, biduì spacio ignẽ purgatorij sustineret: & elegisse languores, constanterq, pertulisse. Marul. lib. 5. c. 4.

PETRVS abbas Clareuallensis graui ualetudine uexatus, oculum amisit, & se gaudere dixit, quòd è duobus inimicis alterius molestia iam liber esset. Argumento est, magis etiam gaudendum illis, qui utroque orbantur. Et cur enim non se consolari habeant, qui ambobus carent, cùm non sit eis opus ad Deum clamitare cum propheta: Domine auerte oculos meos, ne uideãt uanitatem? Qui si illos uel auertere per se potuisset, uel omnino non habuisset: neque adulterij, neque homicidij crimine se polluisset. Marulus lib. 5. cap. 4. & Sabellicus lib. 5. c. 7.

PYGMENIVS presbyter Rom. oculis captus, gaudere se dicebat, ne inimicos ecclesiæ aspicere cogeretur. Cùm Iulianus apostata imperator fortè ipsi occurrisset: Gratias, inquit, ago diis, ô Pygmeni, quòd te uideo. Ecõtrà ille: Gratias Deo meo ago, respondit, quòd te non uideo. Tandẽ martyrij corona donatus, uidere cepit, quæ oculus non uidit: & audire, quæ auris non audiuit: & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt. Idem.

MAIOLVS Cluniacensis monachus licèt cæcus, sapientiæ ac sanctitatis merito factus est abbas Maticẽsis. Cęcos, surdos, mutos, claudos sanauit, proculdubiò sanaturus & seipsum, nisi multò plus emolumenti ac fructus percipere se sciret ex eius calamitatis patientia. Itaq; cæcus quidem uixit, sed miraculorum fama uidentibus illustrior fuit. Ibidem.

Ad Vbaldum Eugubinæ urbis episcopum miraculis clarum CÆCVS quidam uenit, opẽ implorans. Is uerò cùm illi persuasisset, ne uisum sibi restitui expeteret, qui animæ cæcitatẽ esset allaturus, incuratum dimisit. Ibidem.

NEPOTIANVS, Heliodori monachi & presbyteri ex sorore nepos, primùm miles, deinde monachus, febri ardentissima correptus, hilari semper uultu conspectus est, adeò ut & auunculum suum Heliodorum sæpe consolatus sit, & plorãtibus iis, qui assistebant, solus ipse riserit, ad mortem usque. Hieron. in Epithaph. eius.

SERVVLVS mendicus, ut in homeliis & dialogis Gregorij refertur, toto uitę tempore paralysi laborauit: in doloris accessionibus Deo gratias agere, hymnos cantare, & concitatiore quodam spiritu, aliquid de Scripturis (quod non legẽdo, sed audiẽdo didicerat) recitare solebat. Meritò ergo moriẽs angelorum cantus audiuit, meritò mortuus odore suauissimo fragrauit. Marul. lib. 5. c. 2.

BENIAMIN eremitaa, quæ intercutis morbo laborabat, qui alios infirmos oratione sola curauit. Eos, qui sui miserabantur, rogare solebat, ne corporis, sed animæ curam haberent, ueniamq́; à Domino sibi exorarent peccatorum, quæ dum sanus esset, commisisset. Idem.

PAVLVS solitudinis quondam (quæ Panephisi Aegypti oppido adiacet) cultor, resolutis (ut Cassianus tradit) paralysi mẽbris, in lectulo decubans, cæteris, qui agrotabant, medebatur oleo à se benedicto.

AEGIDIVS Atheniensis medicus, deinde in Gallia prope Nemausum eremita, uulneratus à uenatore sagitta, Deum orauit ut nunquam uulnus id sanaretur, ut ea ratione carnem suam domaret. Bergomensis lib. 10. & Vincentius lib. 23. & Antoninus tit. 13. cap. 6.

ADELBERTO Hamburgensi metropolitano ex dysenteria decumbenti, ex qua etiam periit, tanta fuit animi magnitudo, ut nunquã ab aliquo uellet sustentari, nunquã emitteret uocem doloris. Cranzius lib. 5. Metropol. c. 11.

SYLVIA Ruffini Alexandriæ præfecti soror, Deo dicata uirgo, cùm malè haberet: medicis consulentibus balnea adire noluit, non medelam contemnens, sed mollitiem cauens: quippe, quæ per annos XL uultum neque pedes lauisset, neque aliam corporis partem, præter summos manuum digitos, cùm capere uellet cibum: non alium ad cubandum lectulum habuisset, quàm nudam humũ. Marul lib. 5. cap. 4.

PAVLA Romana in languoribus & crebra infirmitate dicebat: Quando infirma sum, tunc fortis sum: &, Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptum hoc uestiatur incorruptione. & iterum: Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundauit & consolatio. Ac deinde: Vt socij passionum estis, sic eritis & cõsolationis. Cùm febri laboraret, & stomachi cruditate cibum non digereret: ut modico uino uteretur, nec medicorum placitis, nec religiosorum

giosorum suasionibus compelli potuit, nolens ab instituto uitæ monasticæ ne in ægritudine quidem declinare. D. Hieronymus in Epitapio eius.

OTILIA uirgo apud Bauariam cæca nata fuerat, paternas deinde uix effugerat manus, qui eò processerat insaniæ, ut propter ipsum corporis uitium ei necem intentaret. Illa uerò in omnib. quas patiebatur angustiis, Deo gratias agens, tandem & uisum recepit, & in gratiam rediit patris: & quod his præstabilius beatiusq́; est, in sanctarum uirginum numero recepta est. Marulus lib. 5. c. 3.

GALLA Romana uidua mammillam ulceribus affectam ita tolerauit, ut iam morti proxima, non ut curaretur rogarit, sed an sibi peccata sua condonata essent quæsierit. Quæ dimissa esse audiens, multo plus ex hoc consolationis cepit, q̃ ex ægrotatione cœperat doloris. Idem, cap. 4.

ELIZABETHA de Sconaugia, Deo dicata uirgo (ut Sigebertus scribit) toto corpore ulceribus tabefacto nunquam ob hoc aliquam animi tristitiã uultu prætulit, multas interim futurorum reuelationes accepit, acceptasq́; prodidit: ut facilè dixerim, & ideo sanctã fuisse, quia patiens erat: & ideo patientem, quia sancta. Idem.

HOMERVS utroq; oculo captus, ita tamen mentis oculis usus est, ut non modò poetis, uerumetiam philosophis reliquisq́; doctis hominibus ueluti lucernam accenderit. Pontanus lib. 2. c. 8. de Fortitudine.

LYCVRGVS, qui leges Lacedæmoniis dedit, non modò æquo animo tulit oculi cæcitatem ab Alcandro adolescente temerario illatam: sed ipsum iniuriæ auctorem ad supplicium sibi deditum benignè clementerq́; penes se tam diu habuit, quoad longa cõsuetudine ex improbissimo factus sit omnium frugalissimus. Sabellicus libro 9. cap. 1. ex Plutarchi Lycurgo.

ASCLEPIADES philosophus, cuidam interrogãti, Quid incõmodi cæcitas ipsi attulisset? Vt uno, inquit, puero ambulem comitatior. Significans, sibi minimè molestam cæcitatem corporis, quum animo cerneret. Erasmus lib. 8. Apophthegmatum.

TIMOLEON Corinthius, Syracusanæ libertatis restitutor, cùm ætate iam prouectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderatè tulit, ut neq; eum querentem quisquam audierit, neq; eo minus priuatis publicisq́; rebus interfuerit. Probus in eius uita.

CATO minor incredibili erat in morbis tolerantia cum continentia. Febricitans enim solus secum diem traducebat, nemine admisso, quoad firmam alleuationem & conuersionem sentiret morbi. Plut. in Catone.

Q. SERTORIVS Rom. ducum uirtute bellica haud quidem ultimus, cùm bello quodam adhuc priuatus oculum amisisset, non solùm id infortunium fortiter tulit, sed gloriari etiã est solitus, quòd cæteri uiri fortes sua uirtutis insignia, torques, hastas, coronas domi relinquerent, ipse ubiq; sua haberet decora. Sabel. lib. 5. c. 7. ex Plut.

TIBERIVS Cæsar ne quam suspicionẽ infirmitatis daret, castrensibus ludis non interfuit solùm, sed etiam missum in arenam aprum iaculis desuper petiit, statimq́; latere conuulso, & ut exæstuarat afflatus aura, in grauiorem recidit morbum. Sustentauit autem aliquandiu, quamuis Misenum usque deuectus, nihil ex ordine quotidiano prętermittere, ne conuiuia quidem, ac cæteras uoluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione. Nam Chariclem medicum, quòd commeatu abfuturus, è conuiuio egrediens manum sibi osculandi causã apprehendisset, existimans tentatas ab eo uenas, remanere ac recumbere hortatus est, cœnamque protraxit. Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque stans in medio triclinio, astante lictore, singulos ualere dicentes appellaret. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. in morbum quo periit (laborabat autem dysenteria) etiam iocabatur, Imperatorem stantem mori oportere, dicens. Suetonius.

BELISARIVS toties dux & uictor, tandem iussu Imperatoris Iustiniani ob inuidiam excæcatus, eleemosynam à prætereuntibus tuguriolum petere coactus est. Quam fortunã licet grauissimam tam æquo tulit animo, ut nihil diceret aliud, quàm, Viator da obolum Belisario, quem uirtus extulit, excæcauit & ad summam paupertatem redegit inuidia. Pontanus lib. 2. c. 8. de Fortitud. ex Suida.

TVRBO præfectus prętorianorum sub Adriano neq; morbo laborans domi se continebat, Præfectos rerum stantes mori oportere, dicens. Rauisius.

COSMVS Florentinus podagra grauissimè laborans, nihilominus & Florentinis, & toti Italiæ prodesse studuit. Pontanus lib. 2. c. 8. de Fort. domest.

ANTONIVS Panormita multos annos tormina & urinæ difficultatem tam sedatè tulit, ut dissimulare uideri posset ægritudinem. Idem.

FRIDERICVS Vrbinas dux tam ęquo ferebat animo alterũ oculum sibi deesse, ut interdum in deformitatem illam iocaretur. Rauisius.

IO. ANT. Campanus, uir doctiss. Tiphernatiũ episcopus, quã in omni uita exhibuerat fortitudinem & moderationẽ, candem præstitit & morte. Medicinas omnes, tametsi parũ pro futuras cerneret, magno animo, ne sibi defuisse & desperasse crederetur, sorpsit. Non illum febris, non illum dolores, qui in morte incrũdescunt, acerrimi deiecêre, non querelis, non lamentationibus cubiculum oppleuit, ut ne unum quidem omni bimestri ægritudine uerbum dolẽtius efferre auditum sit. Neq; quàm diu decubuit interrogatus quàm bene se haberet, secus quã Bene, unquàm respondit. Michael Fernus in eius uita.

PARTVS DOLORES.

CANTABRICÆ uel Iberorum mulieres puerperę, uiris in lecto decumbere iussis ministrare solent. Ipsæ doloribus partus agitatæ ad proximum flumen decumbunt, editumque infantem abluunt, & fasciis inuoluunt. Cælius lib. 18. cap. 22. Antiq. lect.

Posidonius tradit hospitem suum Charmoleum commemorasse, uirum quendam Massiliensem, uiros ac feminas in agro Ligustico, data mercede, ad agri fossionem conduxisse: unam LIGVREM, ut pariendi dolores eam uexare cœperunt, non procul ab opere discessisse: enixamq́; confestim opus repetisse, ne mercedem amitteret. Ipse uerò mercedẽ exhibẽs, ipsam abire iuuit. Ea tum igitur tollens infantem, fonticuli cuiuspiam lauit aqua: & pannis quos habuit inuoluens, saluum baiulauit ad ædiculã. Strabo lib. 3. & Diodorus lib. 4. c. 3. & Arist. de Admirandis auscult.

Varro lib. de Re rustica, de duritie corporis mulierum ILLYRICARVM, In Illyrico, inquit, hoc amplius, prægnantem sæpe, cùm uenit pariendi tempus, nõ longè ab opere discedere: ibiq́; enixam, puerum referre, quem nõ peperisse, sed inuenisse putes. An fortè in hoc memoria fugit Varronem, ut Illyrias pro Liguribus poneret; qui cùm eos libros scripsit iam octogenarius erat? Victorius libro 34. Variarum lectionum, cap. 2.

ISABELLA Hispaniæ regina, Ferdinandi Catholici uxor, nõ solũ in aduersæ ualetudinis, sed etiam partus dolorib. nec questa fuit unquam, sed admirabili fortitudine, dolorẽ uocemq́; supprimebat. Marineus lib. 21. rerum Hispan.

AESTVM, FRIGORA.

Robore corporis passiuo nititur hæc Tolerantia, non secus ac Fortitudo propulsatrix robore simul & ira. Eapropter exempla quædam ex Tit. Roboris corporei, peti possunt. præterea ex Tit. Milites ad laborem suo exemplo hortari.

Philosophos Indorum, quos GYMNOSOPHISTAS uocant, ab exortu ad occasum perstare perhibent, contuentes solem immobilibus oculis: feruentibus arenis toto die alternis pedibus insistere. Plinius lib. 7. cap. 2. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 3.

AGESILAVS rex contra Persas in Asia militans, æstus & algoris patientissimus erat, tanquam solus ad uarietates anni à deo temperatas comparatus ferendas. Plutarchus in Agesilao.

PHOCION ruri ac militiæ nudo semper incessit pede, ni illũ hyems atrocior ad calceos compulisset. Proinde tradit Plutarchus in eius uita, inter iocabundos milites, nullum fuisse rigoris significandi certius argumentum, quàm si quis affirmasset, Phocionem inductis calceis prodiisse. Plut.

ANTIOCHVS Cilix, uti scribit Dion in Seuero & Caracalla, philosophari quidem se κυνικῶς assimulabat, indeque militibus magno fuit emolumento, sed & sibi. Nam algentes frigoris atrocitate corroborabat, ad tolerantiam exemplo prouocans, quum se in niuem prouolueret: quo nomine pecunia & honoribus ampliter donatus abiit, ab Seuero prius, mox & ab Antonino Caracalla.

Auctor Plato est, ARISTODEMVM Cydathenæum, corpore pusillo, nudis semper pedibus incessisse.

SOCRATIS exemplum ex Platonis symposio paulò antè adduximus, In genere.

SEVERVS Imp. sæpe per altissimos montes hyeme sæua, niuibus è cœlo ingruentibus, iuit aperto capite, ut milites ad alacritatem patientiamque laborum re ipsa cohortaretur. Herodianus.

D. VENCESLAVS Boemorum dux noctis tẽpore nudis pedibus super glaciem ac niuem iter agens, uim frigoris minimè sensit. Podius uerò eius comes cùm caligatus obriguisset, iussus uestigia Venceslai pedibus suis premere, cõcaluit. Postera die cruenta sancti uiri uestigia inuẽta sunt. Aeneas Syluius in Hist. Boem.

XL. MILITES sub Licinio Imp. coniecti in stagnum gelu cõcretum collotenus, in eo usq; ad diem alterum coacti sunt.

Thermæ propè appositæ erant, ut ad eas confugere liceret, si quis eorum pro Christo pati frigus recusaret. Vnus ex illis algoris impatiẽs, ut ad thermas peruẽnit, uita defunctus est. Reliqui in glacie perdurantes, Deo laudes decantarunt. Marul. lib.5. c.5. ex Niceph. & Sozom. lib.9. Similis extat historia apud Basilium in oratione de XL. militib. martyrib.

LAMBERTVS Traiectensis episcopus, cùm inuidorum malignitate episcopatu motus, ad monasterium Scabolanense confugisset, & nocte quadam ad orandum à lectulo desiliens, percusso pedibus pauimento strepitum fecisset: Abbas eo, quòd silentij ea hora erat, indignãs, uoce sublata ait, ut quisquis illud culpæ commisisset, continuò ad crucem exiret, non ante quàm diei crepusculum esset, reuersurus. Crux autem ipsa extra monasterij septa sub dio erecta stabat. Repentè itaq; Lambertus, sicut nudis pedib. adhuc & cilicio tantùm indutus erat, abiit, & hoc quidem brumę tempore: ut multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset. Manè semiuiuum reduxerunt, & abbas ueniam petiit, affirmans nunquam se putasse hoc monachorũ aliquẽ facturum, nedum episcopum. Marul. lib.4. c.3.

LABOREM QVALEMCVNQVE CORPORIS.

HYPSICRATEA Mithridatis regis pellex, eiusq; fugæ, quã cum DCCC equitibus inierat, cum solis duobus aliis, socia, ueste uirili Persica amicta, nec corpore ex fugæ prolixitate defecit, nec curando regis corpore & equo est fatigata. Eam ob uirilem audaciã rex Hypsicratem appellare consueuerat. Plut. in Pompeio.

C. MARIVS legatus Cecilio Metello ad bellum Iugurthinũ adhibitus, cùm multas haberet id bellum asperitates: nihil tam arduum erat, quod dubitaret subire, neq; tam paruum, quod non dignum se putaret: uerùm pares dignitate, consilio & prudentia superando, cum militibus de frugalitate & patientia laboris certando, mirè eos conciliauit sibi. His artibus Marius atq; his militum conciliationibus citò Africam, citò urbem nomine suo & gloria impleuit: quòd milites domum scriberent ad suos, nullũ fore belli cum Iugurtha finem, nisi C. Marium consulem fecissent. Plut. in Mario.

CATO minor corpus ualidis exercitationibus subigebat, assuefaciẽs se ad æstum & niuem aperto capite ferendam, atque ad iter omnibus anni temporibus pedibus faciẽdum. Amici, qui eum comitabantur, utebãtur equis: ac sæpe modò huic, modò illi uicissim adiungebat se Cato colloquẽs, cum uehentibus ipse pedibus ingrediens. Plut. in Catone.

C. IVLIVS Cæsar armorum & equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine nõnunquam equo, sæpiùs pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset. Longissimas uias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda centena passuum millia in singulos dies, si flumina morarentur, nando traiiciẽs, uel innixus inflatis utribus, ut persæpe nuncios de se præuenerit. Sueton.

SEVERVM Imp. Herodianus scribit, iter facere solitũ sine intermissione, neq; festos dies, neq; labores ullos magnoperè curasse, algoris atq; æstus iuxtà patientem.

VVLNERA, VERBERA, PLAGAS, ICTVS.

Quatenus non diffidit ex grauitate & uehementia, huius est loci. Quatenus non ulciscitur, ad classem Clementiæ pertinet.

Paulum Aegyptium abbatem Cassianus tradit magno monachorum & suorum & alienorum cœtu discũbente (qui tũc eo fortè conuenerant) suo CVIDAM discipulo adolescenti, quòd tardiùs ferculum apposuisset, colaphum impegisse. At eum, qui percussus fuerat, non uultum demisisse, non colorem mutasse. Omnes tantam adolescentis constantiã admirati, tandem didicerunt, Abbatem patientiæ illius conscium, id ex industria egisse, ut tanta patientia cæteris exemplo foret. Marulus lib.5. c.2.

LIBERTINVS Fundensis cœnobij monachus, ab abbate irato in faciem scabello grauiter percussus, ne gemitum quidẽ edidit, sed tacitus in cellam suam se recepit. Postero autem die negotij causa, quod sibi iniunctum fuerat, ad ciuitatem iturus, abbatem adiens, eundi potestatem de more petiit. Ille ob acceptam iniuriam discessurum ratus, cur id peteret interrogat. Sed cùm causam didicisset, patientiam eius admiratus, genua submisit, & ueniam poposcit. Libertinus econtrà & ipse in terram procidens, se peccasse asseuerauit, & iurè cæsum pronunciauit. Sabellicus lib.9. cap.j. & Marulus lib.5. cap.2.

AGATHA uirgo & martyr, cùm illi post multos cruciatus mammillam à pectore auulsisset tyrannus, quoniam fidem non poterat, & Petrus apostolus eam curaturus in carcere apparuisset, chirurgum aliquem ad se uenisse rata, detrectabat medicinam: dicens, nunquam se pharmaca corpori admisisse, sed illius medici opera semper usam, qui solo uerbo omnem infirmitatem curaret, hunc autem esse Dominũ Iesum. Tunc Petrus apostolum se eius esse, & ab eodem ad illam missum indicans, euanuit, ipsa sana relicta. Idem cap.4.

Capta à Gothis Roma, in MARCELLÆ quoque uiduæ sanctiss. ædes impij milites irrupere. Intrepido uultu excepisse dicitur introgressos: cumq; poscerẽt aurum, & illa defossas opes uili excusaret tunica, non tamen fecit fidem uoluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisq;, aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lacrymis, hoc pedibus eorum prostratam egisse, ne Principiam uirginem à suo consortio separarent: ne sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit, & inter cruẽtos gladios inuenit locum pietas. Cumq; ambas ad Apostoli Pauli basilicam barbari deduxissent, ut uel salutem ostenderent, uel sepulcrum, in tantam lætitiã dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quòd Principiam integram sibi reseruasset: quòd pauperem illam non fecisset captiuitas, sed inuenisset: quòd egeret quotidiano cibo: quod saturata Christo, nõ sentiret esuriem: quòd & uoce & opere loqueretur, Nuda exiui de utero matris meæ, nuda eò redeam. Sicut domino uisum est, ita & factum est: sit nomen domini benedictum. Post aliquot dies, sano, integro, uegetoq; corpusculo obdormiuit in Domino. D. Hieron. in Epitaphio.

ZOPYRVM Persam quis non doloris patientissimum fuisse dicat, qui sibi ipsi nares aureisque amputauit, suumque corpus uariis uulneribus deformauit, ut Assyrios & Babylonios Dario singulari fraude & astutia traderet? Historiam copiosè leges apud Iustinum libro j. Herod. lib.4. Plutarchus in Apophthegmatibus.

RISACES equiso, naribus, auribus & labiis seipsum mutilat, ut Saccas ciues suos à Darij oppugnatione liberare possit. Polyænus lib.7. & Iustinus ex Trogo.

HEGESISTRATVS Heleus sibiipsi pedem præscidit, ut ex uinculis liberaretur. Herodotus.

ORTHRYADES, unus è trecentis delectis Spartanis qui ad Thyræam pugnarunt, uulneratus inter mortuos latens, cũ Alcenor & Chromius, qui ex Argiuis superstites fuerant, discessissent: ipse spoliatis Argiuorum cadaueribus trophæũ humano sanguine inscriptum erexit, statimq; mortuus est: atque in causa fuit, ut Lacedæmonij denuò Thyræam sibi uendicarent, ac prælio uincerent. Suidas.

ADOLESCENS quidam, posteaquam Zenonem aliquãdiu audierat, domum reuersus, à patre rogatus, quod tandem operæprecium fecisset in philosophiæ studio? Ostendã, inquit. Quum nihil aliud diceret, pater iracundus, existimans impendium perisse, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis sæuitiam adolescens æquissimo animo tulit. Ac rursus efflagitanti patri, ut aliquod specimen profectus ederet, expectanti egregium aliquod sophisma: Hoc, inquit, è philosophia fructus retuli, ut patris iram possim commodè perpeti. Erasmus lib.8. Apophtheg. Tribuit hoc idem AEDESIO Cappadoci sophistæ Eunapius, qui mercaturæ causa in Græciam à patre ablegatus, philosophus euaserat.

PVERI apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indeiicibili uirtute cognomen Orthia, flagellis ex more totum diem cædebantur: itaq; frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter sese de uictoria, quis ipsorum diutissimè fortissimeq; toleraret uerbera, uictor cũ primis celebris haberetur. Hoc certaminis genus appellabant διαμαστίγωσιν. Renouabatur autem quotannis. Plut. in uita Aristidis.

Lycurgi legibus cùm furta permitterentur, solusq; qui deprehenderetur, pœnas negligentiæ daret: PVER quidã Spartanus uulpeculam furatus, aduenientibus qui amiserãt ad quærendum, uestibus occuluit. Feram uerò sæuientem, ac pueri ipsius latus ad intestina usq; lacerantem, tantisper tolerauit. Dum autem quærentes abirent, reprehensus à pueris quibusdã, dicentibus melius fuisse, manifestare uulpeculam, quàm usq; ad mortem occulere: Minimè, inquit puer: sed multo satius est mori, quàm in furto deprehendi. Plut. in Laconicis, & Lycurgo.

ALEXANDER Magnus in Oxydracis de mœnibus in medios se librauit hostes, qui lanceis, telis, & gladiis eum excipiebant. Superuenientibus Macedonibus cũ telo fuit sublatus, pectoris solidissimis ossibus, infixo. Iam arundinis q̃d extabat exsecare non audebãt, nequa dissectum laceratione os dolores intolerabiles excitaret, ac sanguinis uis ex interioribus prorumperet. Vt cõsilij prorsus inopes ac morantes conspexit, tentauit ipse in summo loricæ sagittã pugione excindere: uerùm elãguit manus, ac pondere ex uulneris tumore obtorpuit. Itaq; iussit, manus admouerent ac timorem deponerent, confirmãs eos, qui integri erant: atque hos, quòd flerent & mœrerent, insectabatur: illos desertores appellabat, quòd sibi non inducerent in animum succurrere. Clamabat etiã ad amicos: Nemo sit ne mei quidẽ causa

causa meticulosus: Nemini probo non formidare me mortem, si meam uos formidatis. Plut. orat.2. de Alex. fortuna.

ANTIGENES Philippi regis miles fortissimus, in obsidione Perinthi catapulta oculum confossus, non priùs eam euelli passus est, quàm hostem fugatum intrà mœnia cõpulisset. Plut. in Alex. & Diod. lib 17.

In eo prælio, quod Achæi & Arcades ex omnibus urbibus, cumq; ipsis Antigonus rex ex Macedonia transportato in Siciliam exercitu, contra Cleomenẽ & Lacedæmonios cõmisere, equitatum PHILOPOEMEN Megalopolitanus rexit. Vbi uerò summam in peditatu positam uidit, pedes & ipse cum graui armatura, dum periclitatur audaciùs, utrunq; fœmur tragula traiectus, in genua se demisit, tantisper impediente telo progredi conatus, dum infringeretur hastile inter fœmora medium. Victis certè hostib. in castra reportato, ex altero fœmore spiculum, ex altero missilis fragmentum extractum est. Viri ingẽtem uirtutem admiratus Antigonus, omni studio ut se in Macedoniam sequeretur operam dedit. At ille neglecto Antigoni inuitatu, in Cretã, quæ tunc ciuili bello ardebat, transmisit, ibique mercenarij ducis munia obiit. Mox Megalopolim reuersum equestrib. copiis Achæi præfecerunt. Pausan. in Arcad. & Plutarchus in Philopœmene.

PHILIPPO Amyntę, Macedonum regi, Methonam urbẽ oppugnare adorto, sagitta in prætereuntem ex oppido coniecta, dextrum oculum excusserat. Qua clade neq; segnior est ad bellum factus, nec aduersus hostes iracũdior, ut paucis inde diebus ueniam precantibus dederit: in eosq; deditos non moderatum solùm, sed mitem etiam se præbuit. Sabellicus lib.3. Enn.4.

POSTHVMIVS Albinus pugnans aduersus Samnites ad Caudinas furcas, lethali uulnere accepto cecidit. Nocte uerò concubia paululùm recepto spiritu, raptis ex interfectis hostibus clypeis, trophæum erexit, tinctaq; cruore dextra titulum inscripsit. Aristides Milesius lib.3. rerum Italicarum, & Plut. cap.6. Parall. Liuius lib.9. Dec.j. à principio. Plinius cap.30. de Viris illust.

AGIS iunior Spartanorum rex, cùm aduersus Macedones ꝓ libertate patriæ dimicaret, in prælio, inclinãte suorum acie, intrepidè omnem Macedonum impetũ solus excepit, multisq; uulneribus cõfossus, tamdiu ex aduerso stetit, quo ad fluuio sanguinis exhaustum corpus supra arma corruit ad terram. Inde à suorum globo sublatus in pedes, quum paululùm quieuisset, in hostem ferociùs quàm antea conuersus, suos ad prælium instaurandum cohortatus est. Demum Spartanorum fortuna inclinante, ubi res uidit perditas, se à quibus gestabatur deponi iussit. Cumq; præ dolore uulnerum consistere non posset, poplitibus innixus, ut spaciũ daretur suis ad euadendum, clypeũ hostibus obiecit, ferrũq; uibrans ab hostibus quærere: Ecquis eorũ iacenti sibi spolia detraheret. Nemo erat qui cominùs lacessere auderet, sed multa in unum tela uno tempore cadebant, quæ impunè excepta in hostem remittebat: donec pectore lancea traiecto, moribundus in clypeum procubuit. Sab. lib.5. Enn.4.

Q. CEDITIVS tribunus militum, cùm in Sicilia Romanum exercitum, Attilio Calatino Coss. in eas angustias deductũ uideret, ut certa pernicies ante oculos obuersaretur: magno animo ad Consulem cõuersus, Exercitus totius salus, inquit, quadringentorum sanguine redimenda est. Cumq; Consul subiiceret, Quis CCCC istos milites ad monstratũ locum in hostium cuneos ducturus esset? Si aliũ (inquit Tribunus) non habes, me utere. Nec mora, assumtis militib. ad certam mortem profectus, fortissimè pugnans cecidit, suis omnibus cæsis. Eum adhuc spirantem omni ferè exhausto sanguine hostes sustulere: cumq; miraculo quodam nullũ penitùs in capite uulnus accepisset, curatus conualuit, sæpeq; pòst operam suam Reipub. fortem atq; strenuam exhibuit. Cl. Quadrigarius lib.3. Annalium Laberiũ uocat. Frontinus etiam Calphurnium dici asserit. Gellius libro 3. cap.7. Noctium Atticarum.

HIEROCLES Alexandrinus philosophus, Byzantium profectus, offensis potentibus, ad tribunal ductus, & uerberibus cæsus, caua manu manante sanguine excepto, aspersit iudicem, simul dicẽs: κύκλωψ τῆ, πῖ' οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα: Cyclops bibe uinũ, post carnes humanas deuoratas. Suid.

PORCIA Catonis filia, & Bruti uxor, cùm Bruti uiri sui consilium, quod de interficiendo Cæsare cœperat, ea nocte, qua dies deterrimi facti secutus est, cognouisset: egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium quasi unguiũ resecandorum causa poposcit, eoq; uelut fortè elapso, se uulnerauit. Clamore deinde ancillarum in cubiculum reuocatus Brutus, obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium. Cui secretò Porcia: Non est hoc (inquit) temerarium factum meum, sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimum indicium. Experiri enim uolui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quàm æquo animo me ferro essem interemtura. Valerius Maximus lib.3. cap.2.

In eo prælio, quod Vitiges rex Gothorum contra Græcos sub mœnibus Romæ gessit, Græcorum dux Belisarius strenuè se gessit: ex Gothis uerò quidam VISIVS, quod regem apum lingua Gothica signat. Hic primas in acie partes agẽs, haud prius strenuè pugnare destitit, quàm tribus ac decem uulnerib. corpore toto exceptis, ut moribundus collaberetur, & pro mortuo à sociis, licèt uictoribus, inter cæsos relinqueretur. Post tertium diem cùm iuxta muros urbis castra Gothi posuissent, quosdã ad mortuos sepeliẽdos miserunt. Illi Visium adhuc spirantem inuenẽre. Quem cùm ex sociis quispiam cõpellasset, respondisse sat constat, & simul iussisse aquã sibi in potũ afferri, atq; in os infundi (ut licuit) innuisse. Sic refectum, commilitones in castra protinus retulẽre. Cũ diu superuixisset, maximã apud Gothos famã & gloriam sibi comparauit. Io. Magnus lib.11. ex Procopio.

Gormonis III Danorum regis F. CANVTVS, Duslinam Hyberniæ metropolim obsidebat. Rex hostium cũ paucis admodum sagittarię artis peritis coniunctum urbi nemus ingressus, Canutum nocturnis ludorum spectaculis intentũ sagitta petiuit mortifera. Canutus dissimulato periculo ludos absq; tumultuatione peragi iussit, & consequenter tanto maiore studio oppugnationi incubuit, ut prius quã moreretur, Hyberniam subegerit. Saxo lib.9. & Cranzius lib.4. Daniæ, cap.18. qui Knutonem uocat.

ALFONSVS Ferdinãdi Aragonum regis primigenius, in uenatione à pædagogi equo percussus, dolorẽ tulit. Vide Tit. Fortitudinis indoles.

Circa annum MCCCCXXXIIX. Tartari Podolios acie uictos profligarunt. IOANNES Vulodicus, gente Sulimęus, multis uulneribus confectus, cùm inter cadauera iacens à uictoribus despoliaretur, ita compressit uitalem spiritũ, ut cùm barbarus caligas de pedibus eius non sine uulnere rescinderet, digitumq; cum anulo præcideret, tamen nullam doloris atq; sensus significationem ediderit, & incredibili patientia uitam seruarit. Cromerus lib.21.

CHIRVRGICAS SECTIONES, VSTIONES.

C. MARIVS cùm haberet utrunq; crus uaricũ plenum, & deformitate angeretur: statuit se præbere medico, præbuitq; non ligatus alterũ crus: neq; mouit se uel ingemuit, sed uultu immoto pertulit dolores in secando intolerandos. Cùm inde ad alterũ crus medicus transiret, detrectauit illud porrigere, ac, Video, inquit, non tanti esse emendationem, ut eum feram dolorem. Plut. in Mario, & Plin. lib.11. cap.46. ex Oppio, & Cic. lib.2. Tuscul. quæst.

STEPHANVS Marcotidis regionis anachoreta, cùm ueren das corporis partes exulceratas, taboq; diffluẽtes haberet, inter chirurgicas ustiones & sectiones nullum emisit eiulatum, nullum gemitum: non intermisit manuum laborẽ, de palmarum foliis funiculos contorquens: non spiritalis exhortationis curam, semper eorum qui ad se uenissent saluti consulens. Marul. lib.5. c.4. ex Sozom. lib.26. c.29.

SIGISMVNDVS Cæsar grauiter pede laborabat: ignis enim, quem sacrum uocant, digitũ pedis exurebat. Ne altiùs morbus serperet, medici digitum abscindendũ suadebant. Paruit imperator, & quasi alius secaretur, ita immotus chirurgi ferrũ spectauit & pertulit. Aeneas Syluius lib.4. Comment. in res gestas Alphonsi.

IOANNES Aragonię rex, candens chirurgi ferrum adeò constanter tulit, ut suprà quàm oportebat, ureretur. Rauisius.

ALPHONSVS Aragonum rex, cauernosum ulcus cùm haberet, ignito gladio aperiendum medico præbuit, nullo prorsus aut uoce, aut gemitu, aut frontis contractione, doloris signo edito. Panorm. lib.4. de rebus gestis Alphonsi.

SIGISMVNDVS I. Polonorum rex ad sectionem digiti pedis, sacro igne inflãmati, nihil est planè cõmotus. Cromer.

TORMENTA.

Consule Tit. Martyrum: respectu Tormentorum, quæ perferunt.

Aristogiton & Harmodius, Hipparchum Atheniensium tyrannum sustulerant. Erat Aristogitoni scortum nomine LEÆNA initiata mysteriis Cupidinis. Postquam illi initis ceptis interfecti sunt, Hippias comprehensam Leænã in quæstionibus examinauit, ut coniurationis socios indicaret. Illa ꝓ uirili parte restitit: sed tormentorum ui superata, suam ipsa linguam abscidit. Athenienses honore meretricem afficere uolentes, ipsam quidem non in arce statuerũt, sed animal leænam æneam fabricantes, consecrarunt. Si quis in arcem ascenderet, in uestibulo statim leænam æneã conspiciebat, ad memoriam rei gestæ, lingua carentem. Polyæn. lib.8. & Plut. de Garrulitate.

CHARITON & Menalippus tormenta pertulẽre sæuissima, ne conspirationis socios aduersus Phalaridem proderent. Aelianus lib.2. cap.4. Var. hist. & Heraclides Ponticus in Amatoriis,

matoriis, & Athenæus lib.13. cap.27. Dipnosoph.

ZENO Eleates (est autem Elea Lucaniç urbs, iuxta sinum Possidoniatem sita) præceptorum fidem exemplo uirtutis suæ explicauit. Patriã enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutũ uenit, tanta fiducia ingenij ac morum, ut sperauerit & tyrãno & Phalaridi uæsanæ mentis feritatem à se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinẽ dominationis, q̃ consilij salubritatem ualere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriç inflammauit. Cuius rei fama cùm ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo, torquere eum uario cruciatus genere cœpit, subinde quærens, quósnam consilij participes haberet. At ille nec eorum quempiam nominauit, & proximũ quenque ac fidissimum tyranno suspectũ reddidit: increpitansq; Agrigentinis ignauiam ac timiditatẽ, effecit ut subito mentis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis eius unius eculeo impositi, non supplex uox, nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio, totius urbis animũ fortunamq; mutauit. Val. Max. lib.3. c.3.

IDEM (ut Satyrus in Epitome sua prodidit) Nearchum tyrannum deiicere adortus, in coniuratione deprehensus, quum quæstioni fuisset adhibitus, omnes tyranni amicos ut coniurationis socios nominauit. Quibus supplicio affectis, à Nearcho interrogatus quæstionẽ exercente, An plures supplicio afficiendi essent? Tu solus, inquit, patriæ pernicies. Simulans inde se uelle quædam secretò dicere, aurem illi dentibus, ut alij dicunt, nasum lacerauit. Mox abscissa sibi dentibus lingua in eius sinum conspuit. Idem, & Sab. lib.4. Enn.3. & Plut. de Garrulitate.

In THEODORO philosopho Hieronymus Syracusiorũ tyrannus tortorum manus frustrà fatigauit. Rupit enim uerbera, fidiculas laxauit, soluit equuleum, laminas extinxit prius q̃ efficeret, ut tyrannicidij conscios indicaret. Quinetiam satellitem, in quo totius dominationis summa quasi quodam cardine uersabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri eius custodem eripuit: beneficioq; patientiæ, non solùm quæ occulta fuerunt texit, sed etiam tormẽta sua ultus est: quibus Hieronymus, dum inimicum cupidè lacerat, amicum temerè perdidit. Val. lib.3. c.3.

ANAXARCHVS, cùm à tyranno Cypriorũ Nicocreonte torqueretur, nec ulla ui inhiberi posset, quo minus amarissimorum eum maledictorum uerberib. inuicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguæ minitanti: Non erit (inquit) effeminate adolescẽs, hęc quoq; pars corporis mei tuæ ditionis. protinusq; dentibus abscissam, & commanducatam linguam, in os eius ira potens expuit. Multorum autem aures illa lingua, & inprimis Alexandri regis, admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, ambitum maris, siderum motus, totius deniq; mundi naturam prudentissimè & facundissimè expromsit. Penè tamen occidit gloriosius quàm uiguit, quia tam forti fine, illustrẽ professionis actum comprobauit: Anaxarchiq; non uitam modò deseruit, sed mortem reddidit clariorem. Idem, & Sabellicus lib.5. cap.8.

ARETAPHILA, Nicocratis uxor, qui Cyrenis tyrannidẽ exercebat, cùm plus eam patriæ charitas, quàm uiri amor moueret, ut patriam tyrannide liberaret, aduerso fato detecta est consilium iniuisse, Nicocratem uirum ueneno tollendi. Itaque uariis ac longis cruciatibus affecta, à Caluia socru (quanquam res penè manifesta esset) adeò constanter tormenta pertulit, atq; ita eam rem semper excusauit, ut tanquam innoxia, in primum honoris gradum apud uirũ restitueretur. quem tamen ipsa haud multo pòst interemit. Fulgosus lib.8. c.4. & Egnat. lib.8. c.4.

M. ATTILIVS Regulus maiorem in suo ad hostẽ reditu pręstitit fidem, quàm in supplicio constantiam. Duplex itaque laus hodie hominis memoriam comitatur, iustitiæ una, altera fortitudinis: utraq; uirtus, atq; eius indolis alumna, per quã res Romana non solùm creuit, sed etiam in immẽsum propagata est. Sabel. lib.5. c.8. De eodem D. August. lib.1. de Ciuit. Dei, c.24. ubi illum Catoni Vticensi meritò præfert, sic scribit: Victor sępe de hostibus tandem captus, & ad eosdem pace infecta reuersus, maluit eos ferre seruiendo, quã eis se auferre moriendo. Proinde seruauit & sub Carthaginensium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione constantiam, nec uictum auferens corpus ab hostib. nec inuictum animum à ciuibus. Nec quòd se occidere noluit, uitæ huius amore fecit. Hoc probauit, cùm causâ promissi iurisq; iurandi ad eosdem hostes, quos grauiùs in senatu uerbis, quã in bello armis offenderat, sine ulla dubitatione remeauit. Tantus itaq; uitæ huius contemtor, cũ sæuientibus hostib. per qualibet pœnas eam finire, quã se ipse perimere maluit, magnum scelus esse, si homo sese interimat, proculdubiò iudicauit. De eo sic Silius lib. j.

Non ignes, candensq; chalybs, non uerbera passim
Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,
Carnificésue manus, penitúsue infusa medullis
Pestis, & in medio lucentes uulnere flammæ
Cessauere (ferum uisu dictuq;) per artem
Sæuitiæ extenti, quantum tormenta iubebant,
Creuerunt artus, atque omni sanguine rupto
Ossa liquefactis fumarunt feruida membris:
Mens intacta manet, superat, ridetq; dolores,
Spectanti similis, fessoq; labore ministros
Increpitat, dominiq; crucem clamore reposcit.

Fannij seruus ALEXANDER, cùm in hunc suspicio C. Flacci equitis Romani occisi uenisset, septies tortus, pernegauit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde atq; confessus, & à iudicibus damnatus, à L. Calpurnio triumuiro in crucem actus est. Val. lib.8. cap.4.

Fuluio Flacco causam dicente, PHILIPPVS seruus eius, in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino uerbum, quo dominus perstringeretur, emisit: & tamẽ reus damnatus est, cùm certius argumentũ innocentiæ unus octies tortus exhiberet, q̃ octo semel torti præbuissent. Idẽ.

M. Antonius clariss. orator, incesti reus agebatur. Cuius in iudicio accusatores SERVVM in quæstione perseuerantissimè postulabant, q̄ ab eo, cùm ad stuprum iret, laternã prælatam contenderent. At seruus plurimis laceratus uerberibus, eculeoq; impositus, candentibusq; etiã laminis ustus, omnem uim accusatoris, custodita rei salute, subuertit. Valerius Maximus lib.6. c.8.

C. Plotinus Plancus, Munacij Planci frater, cùm à Triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore uitæ genere & odore unguenti proditus est. At SERVI eius à persecutoribus comprehensi, multumq; ac diu torti, negabant se scire ubi dominus esset. Donec ipse Plancus seruorum misertus in medium processit, iugulumq; gladiis militum obiecit. Idem.

LYGVS femina, quum metu militũ filium occultasset, & illi per cruciatus interrogarent, ubínam occuluisset: uterum ostendens, Ibidem respondit latére: nec ullis tormentis cogi potuit, ut constantiam uocis egregiæ mutaret. Corn. Tac.

In proscriptione Triumuirali Q. CICERONIS F. uerbera & tormenta patientissimè tolerauit, ne patrem quem occultarat prodere cogeretur. Xiphilinus in Augusto.

Liberta, EPICHARIS nomine, cùm fortè in notitiam uenisset Pisonianæ conspirationis aduersus Neronem, audètior constantiorq; supra femineum sexum, non satis habuit tantę rei notitiam habuisse, sed inter participes quoq; annumerari uoluit. Puteolos igitur in Campaniam profecta, miris modis operam dedit, ut præfectum naualium Volusium in coniurationis partem traheret. Cæterùm is longè uilior q̃ muliercula, rem omnem Neroni detexit. Quamobrem uariis grauissimisq; cruciatibus torta Epicharis, quanquã Volusius coràm, quæ ab ea accepisset, testaretur, nunquã adduci potuit, ut confessione sua rem ullã aperiret: sed cùm iam tortores defatigasset, & lacero corpore ingratam haberet uitam, se ipsam laqueo suspendit. In fragili enim sexu, quẽ nullius doctrinæ robur armârat, plus inesse uirtutis atq; potentiæ ostendit, quàm ueterum philosophorũ permulti fecerint. Fulg. lib.3. c.3. At de ea Polyænus sic: Piso & Seneca insidias in Neronem comparabant. Seneca frater erat Scelai, qui scortum habebat Epicharim. Hanc Nero, quasi participem occultorum consiliorum, in quæstionibus examinauit acerbissimè. Illa uerò restitit, neq; quenquam prodidit. Nero rem distulit, quasi eam iterum torturus. Post triduum Epicharim in lectica iussit adportari. Illa soluta zona, seipsam in ipsa lectica strangulauit. Qui portabant, ad tormentorũ locũ appropinquãtes, deposita lectica progredi eam iusserũt. At illa mortua reperta, tyrãnus mirum in modum se cruciauit, quòd à scorto uictus uideretur. Polyæn. lib.8.

Cùm Ptolemæus per perfidiam socerum Simonem pontificẽ & Iudæorum principem occidisset, captaq; SOCRV duobusq; liberis, cum eis se in Draconis arcem recepisset: Hircanus Simonis filius, qui Ptolemæi sororis uiri uim effugerat, firmato patris imperio, dum ulcisci acceptas iniurias nititur, Ptolemæum in arce, in quam se receperat, obsedit, & iam eò redegerat, ut in arcto res constituta uideretur. Cæterùm Ptolemæus primo sceleri nouam crudelitatem adiungens, dum ab hostib. oppugnatur, in muris socrum suã Hircani matrem sæuissimis tormentis discruciare cœpit. Mulierem autẽ non sexus imbecillitas, non seniũ mouit, quin clara uoce filiũ oraret, ne ab oppugnatione propter ipsius tormenta auerteretur: quæ ita patienter in senili corpore ferebat, ut ea nõ sentire uideretur. Cæterùm plus in Hircano F. materna pietas, quàm ulciscẽdi iustus dolor cũ posset, egit, ut ab oppugnatione desisteret, fretus ita matris tormẽto se finem facturum. Cæterùm Ptolemæus soluta obsidione, effugiẽdi uiã nactus, matre fratribusq; Hircani occisis, in Philadelphiã ad Zenonẽ se recepit. Fulg. lib.3. c.3. ex Iosepho.

Vltima Iudæorum rebellione, qua ciuitas eorum à Romanis deleta fuit, inter se ea gens societatem iniuit, quam ZELOTARVM, id est, amatorum atq; obseruantium legis nuncupabant. Primarium inter eos erat institutum, ut unum Deũ Dominum agnoscerent. Ex hac gente, quæ præter euersas Hierosolymas miserãda multa in Aegypto pertulerat, cùm magnus propter nouas seditiones motas captus numerus esset, nulla ui tormentorum ullus adduci potuit, ut Cæsarẽ dominum suum appellare uellet. Idolorum enim cultũ ceu tetram nefandãq; rem Romanis obstinatè improperabant: magnificis uerbis intrepidoq; uultu nihili se tormenta facere ostendebant. Adeò autem huius rei tenax propositũ penes omnes fuit, ut nedũ firma ætas, uerùm muliebris quoque sexus ac pueri, inter tormenta ipsa constanter perseuerantes, ridentium speciem semper præbuerint. Idem.

Eodem bello, cùm urbs Galileç Iotapata obsidione premeretur, captus à Romanis militibus IOTAPATENVS quidã, cùm à Vespasiano de obsessorum statu rogaretur, adhibitis inter tormenta ignibus, nunquam compelli potuit, ut aliquid fateri uellet. Quin ridentis facie in ipsis tormẽtis mortem, cuius comminatione Romani eum terreri posse putabant, contemnere non antè destitit, quàm in crucem sublatus uitam amisit. Idem ex Iosepho lib.3. c.13. belli Iud.

QVINTILIÆ mimæ uirtus patientiaq; non minor quàm Epicharidis fuit, quanquam feliciorem exitum nacta est. Nã licèt theatralibus ludis usq; ad id tempus enutrita, ab omni uirtute atq; patientia longè uideretur abesse debere, tamen à Timidio accusata, quòd Pompidij senatoris animi ac consiliorum aduersus principem Caligulam conscia esset, Ignorare se eam rem semper dixit. Dum ad tormentorũ locum duceretur, coniuratorum uni qui aderat, dum transiret, pedem pede suo calcans, innuit, ut bono animo esset, q̄ cum nominatura non erat. Atq; inter tormenta in hac sententia fortiter perstans, tandem, ut quæ per iniuriã hos cruciatus pertulisset, liberata fuit, permultis ad lenienda mala, quæ pertulerat, collatis muneribus. Idem.

AEGYPTIOS patientissimè ferre tormenta, aiunt, & apud eos citiùs mori hominem in quæstionibus tortum examinatumq;, quàm ueritatẽ prodere. Aelianus lib.8. Var. hist.

QVIDAM in Hispania seruus ut domini sui necem ulcisceretur, Hasdrubalem clarissimum Carthaginensium ducẽ obtruncauit. Idem ad supplicium raptus, cùm uariis torqueretur modis, dirisq; cruciatibus afficeretur, non modò uultu, aut querula uoce, gemitúue ullo dolore affici uisus est: sed ridens gestiensq; lætitia, in medio dolore expirauit. Sabel. lib.5. c.8. & Val. lib.3. c.3. ex lib.21. Liuij.

Quum iussi à Iuliano Christiani sepulcrum Babylæ martyris aliò transferre, Psal.13. audiente principe canerent, cuius est initium, In exitu Israel de Aegypto, accensus Iulianus duci eos frequentes postridie ac torqueri iussit. Salustius ergo præfectus THEODORVM quendam iuuenem arripuit. Variis tormentorum generibus admotis, iuuenis fronte alacri atq; hilari ab initio lucis ad horam undecimam perstitit, hymnum psalmumq; suauissimè cantillans, quem pridie cecinerat ecclesia. Quod ubi Salustius uidit, reddi custodiæ imperauit, & ipse ad principem admirabundus peruenit, dehortãs ne torquere Christianos pergeret, illis gloriæ, ipsi principi ignominiæ ac dedecoris plenum futurum: & ordine re audita Iulianus ab incepto destitit. Theodorum Eusebius testificatur se Antiochiæ conuenisse, quæsisseque an in eculeo doleret? Minimè uerò, inquit ille: nam ponè me assistebat iuuenis in alba ueste, qui subinde frigidã mihi suffundebat, & sudorem sudario candidissimo detergebat, ita ut graue potius fuerit, quum illinc detraherer. L. Viues in lib.18. August. de Ciuit. Dei, cap.52.

SIVARDVS, Magni Noruagiorũ regis castra secutus, ab Haraldo Hyberniense, Magni æmulo, pulsum Magnum, è monachalibus septis eductum, ad pristinum regni fastigium euehere statuit, aduersus Haraldi filios. Huius auspiciis, cum tribus Haraldi filiis, Ingone & Siuardo & Osteno, paternũ regnum affectantibus, nauali certamine dimicauit. In quo captus, in concionem hostili sententia damnandus abstrahitur. Nemine aũt sacerdotum adhibito, qui delictorũ eius confessionem exciperet, eam adstantibus modo, quo licuit, explicauit, præfatus, se emendationem ab eis decretã pœnitentiæ nomine præbiturum: memor sanè, sacerdotali copia nõ suppetẽte, etiã ad priuatorum cognitionem commissa referre licere. Magno quoq; Noruagiẽsium rẽge, quẽ Haraldus Hyberniensis patrẽ mentiebatur, se genitum memorabat. A cuius generosissimo spiritu etiam inter perferenda supplicia non desciuit. Primò siquidem uerberib. affectus, ac deinde malleorum ictibus artuatim contusus, nõ gemitum, non suspirium edidit, nõ supplicem aut tristẽ uocem emisit, nullum doloris indicium præbuit, sed quasi in otio Psalterium relegens, inter sacras preces & solennium uerborum nuncupationem spiritum posuit. Homines uindictæ cupidi non contenti in uiuum sæuiisse, extinctum patibulo suffixerunt. Saxo lib.14.

Io. BONETVS Veronensis, cùm ab Ecelino, quem à Romano oppido Romanum nuncupabant, Veronæ ac Taruisinæ Marchiæ principe (qui omnes crudelitate ceu nouus Phalaris ætate sua anteibat) Patauium ad prætorem Ansedinum ipsius crudelitatis ministrum missus esset: diu promissis primò allectus, deinde tormentis discruciatus, ut initæ in tyrannum coniurationis reos nominaret, quos ipse insontes norat: ne fortè doloris magnitudo ad ea dicenda cogeret, quæ ipse sponte sua nunquã falsurus erat: in ipsius prætoris conspectu sibiipsi dentib. linguam abscidit, atq; haud multo pòst inter tormẽta defecit, quemadmodũ eius pater Thomasinus eadem de causa antè defecerat. Fulg. lib.3. c.3.

BARDILO Vicentinus, cùm aduersæ factionis accusationibus, quæ falsæ erant, premeretur, & propterea magistratui in custodiam traditus esset, & disquisitione habita torqueretur, cùm tormentis putaretur adduci posse, ut falsa fateretur, & ita perdi posset: prius uerbis se excusauit, ne dolore uinci posse crederetur, deinde dentib. linguã abscidit, sanguineq; inde largiùs manãte, Anaxarchũ imitatus, periit. Idẽ.

RICARDVS de S. Cruce, Patauinus nobilis, Acciolino tyranno amicus, in monasterio fratrum Alemanorum magister, suffectus erat Felici Veronensi, inde ob suspicionẽ summoto. Verũ (ut sunt tyrannis suspecta omnia) & hic paulo pòst illi pari periculo suspectus redditur, quasi cum Felice in tyranni perniciem coniurasset. Cõprehensus igitur, quæstionibus & tormentis tamdiu torquetur, donec in eculeo, miserabili supplicio extinctus est. Ex nimio enim pondere, quod pedibus alligatum fuerat, solutis artuum compagibus, ferunt mortuo brachia auulso reliquo corpore in fune suspensa mansisse. Bern. Scard. lib.3. Hist. Pat.

MAVRISIVS seruus, cùm à Neapolitano prætore candenti forcipe concideretur (liberum enim hominem domini sui iussu occiderat) traheretur q; per urbem ad malus supplicium, nullos omnino eiulatus misit, non uultũ mutauit, non statum corporis: quin cùm pectus brachiaq; ad neruos ossaq; ustulata & concisa essent, protento collo, ita os carnifici obtulit, ac si secum non ageretur. Omnia enim uicit animi obduratione ac pertinacia. Pont. lib.2. c.7. de Fort. dom.

Cùm Hermolaus Donatus, Venetus Decẽuir, in uinculis adolescentem haberet, impudicitiæ reum, qui tormentis nullis, ut crimen fateretur, adduci poterat: adolescẽtis amator Hermolaum post secundam à solis occasu horam, à Palatio domum regredientem, uno solo comitatum, extincto eius lumine, uno uulnere occidit. Cùm cædis auctor ignoraretur, cõiectura eius facti ueritatem disquirere decreuit Venetus Senatus. Itaq; cùm in mentem rediisset, inter Hermolaũ atque IACOBVM Foscarum, qui unicus Francisci Foscari eo tempore Venetorum ducis F. erat, graues olim contentiones fuisse: arbitratus senatus, Iacobum patris honore fretũ illius cædis auctorẽ fuisse, in uincula coniici eum iussit. Qui illic uariis acerbisq; tormentorum generibus discruciatus, cùm nihil fateretur, tandem in Cretam relegatus est. Cùm autem haud multo pòst Iacobus in exilio decessisset, is qui cædem eam patrauerat, cùm se religioni dicasset, morti proximus, rem gestam à se fassus est. Fulg. & Egnat. lib.8. c.4.

Vercellis, quemadmodum Hieronymus scribit, à uiro VXOR adulterij accusata, dum torqueretur, constanter crimẽ semper negauit. Iuuenis autẽ, quo cum adulterasse dicebatur, tormentorum impatiens, quod non patrârat, patrasse se fassus est: atq; ob eam rem, ambobus à consule, in quo rigoris plus quàm iustitiæ erat, morte damnatis, prodigio ueritas detecta est. Iuuenis enim mendax, gladio percussus, caput semel ictus amisit: septies autẽ cùm femina gladio percussa esset, non cæsim modò, uerumetiam iugulo punctim petito, ferrum retrò ab eius carne ueluti à silice semper resiliit, præterquam in extremo ictu. Tunc pro mortua ut sepeliretur elata, uiua inuenta est, curatoq; uulnere, cùm demũ iudicio absoluta esset, ueritas inuenta est. Idem.

HIERONYMVS Olgiatus Mediolanensis, ex quatuor unus, qui Galeacium Sforciam Mediolanensem ducem occiderunt, captus atq; in custodia acerbè discruciatus, ut eius cædis conscios detegeret, etsi secundum ac uigesimum annũ nondum excedebat, effigie molliq; corpore uirgini quàm uiro similior, funi quo torquebatur appensus, ac si tribunali insideret, clara uoce intrepidoq; animo & suum & comitum facinus commendans, nullum unquam pœnitentiæ signum ostendit. Intermissis inde tormentis, soluta oratione carminibusq; suas & sociorum laudes descripsit. Demũ ad locum ubi excarnificaretur deductus, Carolum Franciofiumq; comites, qui præ timore exanimati uidebantur, cohortatus, carnifices orauit, ut à se priùs inchoarent, ut suo exemplo comites patientiam discerent. Nudus in disco protensus, cruribus brachiisque ad disci pedes deligatis, cùm eos qui astabant præparatæ mortis species atq; horrora-

uerteret, ipſe ſpecioſis uerbis atq; intrepida uoce peractum facinus extollens, nequaquam ſe ſæuum mortis genus curare oſtendit. A ſummo humero uſque ad medium pectus carnificis falce diuiſus, nec uerbis nec uoce mutata, uitam ſimul cum pia ad Deum oratione finiuit. Fulg. lib. 3. c. 3. & Egnat. lib. 3. cap. 3.

IGNEM, FLAMMAS.

Cùm Themiſtoclis frater AGESILAVS (quo tempore ingenti exercitu Xerxes ad euertendam Græciam ueniebat) ut ꝓ exploratore in hoſtium caſtra proficiſceretur, munus ſuſcepiſſet: conſpecto in caſtris Mardonio, homine Perſa, amictu conſpectuq; ante alios inſigni, arbitratus Xerxem eſſe, poſſeq; fieri, ut morte eius patriæ ſalutem ſeruaret: ſenſim homini appropinquans, eum interemit. Itaq; comprehenſus, atque ad Xerxem perductus, qui ea ipſa hora ſacrificabat, nullo aut uultu aut uoce dolorem perferentis edito ſigno, ignibus, quibus in ara ſacrificabatur, dextram iniecit, totamq; combuſſit. Cùm autem tanta patientia Xerxes obſtupuiſſet, fertur ei Ageſilaus dixiſſe, Tales Athenienſium animos eſſe. Atq; ut in ea re maiorem faceret fidem, paratũ ſe obtulit, aliam quoq; manum ignibus iniicere. Quod Xerxes prohibuit, tanta uirtute motus, & abeundi Ageſilao unà cum ſupplicij remiſſione facultatem permiſit. Fulg. lib. 3. c. 3. ex Plut. c. 3. Parall.

Vetuſto Macedoniæ more, regi ALEXANDRO nobiliſſimi pueri preſtò erant ſacrificanti. E quibus unus thuribulo accepto, ante ipſum aſtitit, in cuius brachium carbo ardens delapſus eſt. Quo etſi ita urebatur, ut aduſti corporis eius odor ad circumſtantium nares perueniret: tamen & dolorẽ ſilentio preſſit, & brachium immobile tenuit, ne ſacrificiũ Alexandri excuſſo thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aſpergeret. Rex quoq; patientia pueri magis delectatus, hoc certius perſeuerantiæ experimentum ſumere uoluit: ſolito enim ſacrificauit diutiùs, nec hac re eum à propoſito repulit. Si huic miraculo Darius inſeruiſſet oculos, ſciſſet eius ſtirpis milites uinci non poſſe, cuius infirmã ætatem tanto robore præditam animaduertiſſet. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3.

Q. MVTIVS Scæuola, cùm Porſena rex Thuſcorum aduerſus Romanos bellaturus trans Tyberim caſtra locaſſet, in hoſtium caſtra mutato habitu ſe recepit, & ſatellitem regis pro ipſo rege interfecit. Ad Porſenam regem ductus, dextram manũ igni impoſuit, doloreſq; animosè diſſimulans, eam quia erraſſet exuſſit, hocq; ipſe Porſenam ad pacem cũ Romanis faciendam impulit. Liuius lib. 2. Decad. j. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Syll. Ital. lib. 8. & Sabellicus lib. 5. cap. 8. De eo Martialis lib. j.

> Dum peteret regem decepta ſatellite dextra,
> Iniecit ſacris ſe peritura focis.
> Sed iam ſæua pius miracula non tulit hoſtis,
> Et raptum flammis iuſſit abire uirum.
> Vrere quam potuit contemto Mutius igne,
> Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
> Maior deceptæ fama eſt & gloria dextræ:
> Si non erraſſet, fecerat illa minus.

POMPEIVS legationis officio fungens, à Gentio rege interceptus, cùm ſenatus conſilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eaq; patiẽtia regi ſimul & deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi excuſſit, & expetendę pop. Rom. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Val. lib. 3. c. 3.

Duo ANTIOCHENI fratres, ſpectante Diocletiano Imp. ne diis ſacrificarent, dextras flammis abſumendas intrepidè obiecerunt, Fulg. & Egnat. lib. 3. c. 3.

ROLVO Danorum rex, cùm ad Atiſlum uitricum Suecię regem incognitus perueniſſet, & in conuiuio de uirtute excellentiſſima quæreretur: Roluo Tolerãtię primas tribuit, Atiſlus Liberalitati. Roluo nudatũ corpus foco luculẽto admouit, ſolo clypeo partẽ, quæ igni magis expoſita erat, tegens. Quumq; omniũ admiratione ſtaret immobilis, aquã rogo iniecère, q aſtabãt, patiẽtia eius maxima cõprobata. Atiſlus uiciſſim liberalitatis exercendæ cauſa monilibus aureis & torque magni ponderis, priuignum donauit. Saxo lib. 2.

MORTIS TOLERANTIA, RATIONE HABITA

AGENTIS. Nempe

QVIS. MORTEM TOLERARE INTENTATAM A

Natura.

MOSES & AARON, quoniam in deſerto Sinc, ad Aquã iurgij in Cade, dixerant, ſe Iſraelitis percuſſa petra aquam dare poſſe, neque Domino gloriam tribuerant: eam pœnam Dominus iis inflixit, ut terram ſanctam ne ipſi quidem ingrederentur. Illi ſuum peccatum agnoſcentes, tacuerunt, neq; Dominum deprecati ſunt, uel quia iuſtè ſe hoc pati intelligerent, uel quia mortem non metuerent: qui tamen alioqui pro populi ſui clade tam feruidè apud Dominũ intercedere conſueuerant. Mox etiam cùm AARON in Horem montem aſcendere, & Eleazaro F. pontificatũ reſignare, ibiq; mori iuſſus fuiſſet: ne uerbo quidem reſtitit. Numeri 20. Sic neq; Moſes cùm in montem Abarim aſcendere, & terram Sanctam, quam Iſraelitis daturus eſſet, intueri iuſſus eſſet, paulo pòſt moriturus, contradixit, ſed Dominum tantùm rogauit, ut aliquem loco ſuo præficeret populo. Præfecit igitur Ioſuam Nunis F. Num. 27.

CERCIDAS ciuis Megalopolita ex Arcadia in morbum incidens periculoſiſſimum, libenter ſe moriturum eſſe dicebat: poſt mortem enim ſe uiſurum ex philoſophis Pythagoram, ex hiſtoricis Hecatæum, ex poetis uerò Homerum. Aelianus lib. 13. de Varia hiſtoria.

ANTIPATER Tarſenſis, uita migraturus, Fortunæ gratias egiſſe fertur, quòd quum ſemel omnino ſe mari credidiſſet, optima uſus eſſet nauigatione. Sabellicus libro tertio, Enneadis ſextæ.

COLVMBANVS monachus, Columbani abbatis diſcipulus, quũ febri grauiter æſtuaret, & ei uir apparuiſſet dicens, preces & lacrymas Abbatis ipſi obſtare, ne mori poſſet: cõtinuò rogauit Abbatem, ut ab oratione ceſſando, permitteret ſe de corporis carcere quamprimùm educi, eo quòd ad æternam beatitudinem ſe transferendum minimè dubitaret. Marulus lib. 5. cap. 5.

Scribit quidam Græcus, CONSTANTIVM Chlorum Imperatorẽ extrema uocula, cùm eſſet Eboraci in Britannia moriturus, ſeq; de lecto protenderet, ut ambabus manibus filium Conſtantinum Magnum, qui iam concito gradu aduenerat, amplecteretur, dixiſſe, Mortem eſſe immortalitate meliorem. Cuſpinianus.

Sub Eduardo III. Anglorum rege SVARDVS comes Northumbriæ, bellicis artibus clarus, cùm profluuio uentris laboraret, ac ſenſim deficientibus uiribus, haud dubiam mortem præſentiret, ſeipſum armauit, ſtetitq; acer in armis, ac ſi cum hoſte eſſet congreſſurus: dictitans, Non decere hominem fortem iacendo iumentorum ritu mori: atq; ſic è uita migrauit. imitatus in hac parte Naſamonum Libyæ populorum inſtitutum. Polydorus lib. 8.

ROBERTI Siciliæ regis animi magnitudinem in ipſo mortis agone deſcribit Petrarcha ſub titulo, de Sapienter dictis & factis.

MAGISTRATV, IVDICIBVS, TYRANNIS.

CANIVS Iulius, philoſophus maximè conſtans & grauis, cũ diu cum Caio Cęſare altercatus eſſet, mori ab eo eſt iuſſus. Cùm uerò ad necem uocaretur, latrunculis ludebat. Tum numeratis calculis, ſodali inquit: Vide ne poſt mortem meam mentiaris te uiciſſe. & ſimul Centurioni annuens: Teſtis, inquit, eris, uno me antecedere. Ceruicem inde percuſſori præbuit intrepidè. Seneca.

THRASEAS Pætus, uir conſularis, & quindecimuiralis, ac ſacerdotio præditus, dum necis iudicium præſtolaretur: ueſperaſcente die in illuſtrium uirorum ac feminarum cœtu, cum Demetrio chirurgo de Natura animę, & diſſociatione ſpiritus & corporis, tãtiſper diſceptauit, donec aduenit Domitius Sicilianus, & quid Senatus in gratiam Neronis ſtatuiſſet, expoſuit: datum ſcilicet ſibi eſſe necis arbitrium: mortemq; maturandam indixit. Thraſeas tunc eodem uultu, & nihil prorſus immutatus, ualedixit omnibus: & quĩ aderant ex intimis amicis flentes & eiulantes, faceſſere inde iuſſit. Arriæ uerò uxori interim paranti ad exemplum Arriæ matris ſuprema mariti fata ſequi: ſumma conſtantia, fletum compeſcens, uitam retinere ſuaſit, ut Fanniæ communi filię ſubſidium unicum, quod in matre reſtabat, non adimeret. Tunc progreſſus in porticum, lætitiæ propior uidebatur, quòd in his malis audierat Heluidium Priſcum Tarentinum generum ſuum, Fanniæ maritum, non commoriſecum, ſed Italiæ tantùm exilio multatum eſſe. Itaque mox Heluidium ipſum, & Demetrium chirurgum, quem in omnibus ſibi obſequentiſſimum habebat, in cubiculum ſeorſum duxit: à quo præciſis utriuſque brachij uenis, & effuſo abundantius cruore, Libamus, inquit, Ioui liberatori. His peractis, haud multo pòſt afflictus aliquandiu grauiſſimo cruciatu, nulla impatientiæ uoce emiſſa, extinctus eſt. Cornelius Tacitus lib. 6.

SEVERIANVS Adriani iuſſu moriens, eo quòd Commodũ ſucceſſorem patum prudenter deſignatum ab Imperatore dixiſſet, ignem petiit, & accenſo thure: Vos, inquit, dij, teſtes eſtote, nihil à me morte dignum eſſe commiſſum. Tantùm hoc precor, ne, quum mori uelit, poſſit. Dion Nicæus.

ASCVLANI iuuenes, iuſſu præfecti Sfortiani, qui ubi præerat, in carcerem coniecti: cùm à cuſtode carceris accepiſſent manè ſe ad capitis ſupplicium educendos, lyram ſibi afferri rogauère, & cœnam quàm maximè opiparam. Quibus impetratis, ubi ſumma cum uoluptate cœnaſſent, in cãtu choreis ac luſibus reliquam noctem exegère. Macti uirtute, qui non è ſquallore & lacrymis, ſed è conuiuio ad mortem profecti eſtis. Pont. lib. 2. cap. 7. de Fort. dom.

THOMAS Morus Angliæ cancellarius, quæ ſuprema eſt poſt regem dignitas, cùm regis Hẽrici VIII. matrimonium, qui repudiatæ Catharinæ alteram ſuperinduxerat, approbare nollet, nec acquieſceret conſtitutioni editæ, in qua rex poſt Chriſtum ſupremum caput eccleſiæ Anglicæ dicebatur: in carcere Londini per XV menſes maceratus, cùm palinodiã canere nollet, morti adiudicatus eſt. Forti animo mortis ſententiam excepit, & admirabili modeſtia ſuam innocentiam detexit, aduerſariorumq; impietatem coarguit, epilogi loco inquiens, Diuinæ bonitati confido, fore ut quemadmodum olim Paulus Stephanum perſecutus eſt, & tamen iidem nunc unanimes ſunt in cœlo: ita nos qui nunc diſcordes ſumus in hoc mundo, in futuro ſeculo pariter ſimus cõcordes, & perfecta caritate unanimes. Hac ſpe fretus precor Deum, ut uos ſeruet unà cũ rege, eiq; dare dignetur bonos conſultores. Interea Margarita, filiarum Mori natu maxima, eruditione & pudicitia inſignis, in paternos ruit amplexus. Morus paucis, Ne te diſcrucies, mea Margarita, inquit. Sic eſt uoluntas Dei. Iampridem noſti ſecreta cordis mei. Datoq; oſculo dimiſit. Illa ſecũdò recurrit, pręe dolore elinguis. Cui pater nihil præter lacrymas. Productus ad ſupplicium, pauciſſimis uerbis plebem affatus, hortabatur obnixè, orarent Deum pro rege, ut illi dignaretur impertiri bonum cõſilium: conteſtans ſe mori fidelem regis miniſtrum, ac Dei inprimis. Hæc locutus, ceruicem carnifici intrepidus præbuit, anno Sal. 1535. ſeptimo die Iulij. Eraſmus Rot. in eius uita, & Ianus Vitalis his uerſibus:

> Dum Morus immeritæ ſubmittit colla ſecuri,
> Et flent occaſum pignora chara ſuum:
> Immò (ait) infandi uitam deflete tyranni.
> Non moritur, facinus qui graue morte fugit.

HOSTIBVS.

In prælio ad Platæas contra Mardonium commiſſo, CALLICRATES extra prælium occubuit: quo nemo tunc in caſtra præſtantior uenerat, non modò Lacedæmoniorum, ſed etiam aliorum Græcorum. Hic cùm Pauſanias ſacrificaſſet, ſedens in ordine, ſagitta per latera ictus eſt: & cùm aliis pugnantibus ipſe exportaretur, ſeſe morientem miſerabatur, ad Aimneſtum uirum Platæenſem inquiens, non ſibi dolere, quòd pro Græcia periret, ſed quòd nullam operam naua[redacted]

LA[redacted]

EP[redacted] uit. Quæ poſtquam [redacted] Non finis, inquit [redacted] mis noſtris abiecta, amara dominatiõe Græcia liberata eſt. O[redacted] E corpore dein[redacted] Quod ſi cũ [redacted] Val. Max. lib. 2. cap. 2. & Iuſtinus lib. 6. Probus in eius uita, & Diod. lib. 15.

Magna[redacted] ad Aegos fl. à Lyſandro Lace[redacted] capti ter[redacted] tor[redacted] ut capris bello [redacted] poſſent [redacted] Lyſander poſtquam Athenienſes captiui de conſilij ſenten[redacted] ultimo ſupplicio ſunt, Philoclem prætorem appellauit, rogauitq;: Quid meritum cenſeat ſe, qui ſententiæ de Græcis tam atrocis fuiſſet ciuibus [redacted] Noli abiicere, [redacted] ſed ea uictor age [redacted] ac ſplendida amictus chlamyde, primus ad ceruicem præbendam, ut tradit Theophraſtus, ciues [redacted] Plut. in Lyſandro.

Quum in India res gereret Macedo Alexander, prope Bactrianam, apud Sogdios: producti ad eum ſunt SOGDII ad uiginta ferè numero captiui, ut facilè apparuit, & nobilitate præſtantes, & corporis robore haudquaquam inter poſtremos. Iuſſerat eos ad ultimum abduci ſupplicium rex. Id ubi animaduerſum ab eis eſt, putares emiſſos uinculis domeſticum repetere ſolũ, maxima alacritate pæana patrium, adhibito etiã modulatiore corporis motu, more choreas ducẽtium, recinere adorti ſunt. Renunciatur id Alexandro: qui mirabundus, ſupereſſe cuiquam tantum animi, tantumque elatæ mentis, ut mortis horrorem non compaueſceret, ſciturus ab eis perrexit, quæ nam lætitiæ tam importunæ, tamq; inopinæ ratio foret? At illi, Non alia (inquiunt) ratione geſſimus, quã quòd terrarum principis imperio fatalẽ deſtinatumq; ſibi eſſent ſubituri diem. Quacũq; occaſione alia morerentur, cõſueta cæteris perturbatione ſortem oblatã fuiſſe laturos. Nunc, ut fortes addecet, mortẽ eſſe ſibi in uotis: proindeq; cantu lætitiaq; laſciuire. Tũ tanta animi magnitudine uerſus in ſtupore rex: Cupio (inquit) noſſe, an ſit uobis optabilis uita citra ullas inimicitias meas. At illi, Nunquam inimicos egimus: uerùm nos, quum hoſtiliter inuaderes, urens uaſtanſq; omnia, hoſtiliter occurrimus uim repreſſuri. Quòd ſi benignitate potiùs, quàm diuexatione, certare nobiſcum perrexeris, dabimus operam, ne officiorum uiciſſitudine ſuperemur. At rex, Verũ quibus obſidibus pollicitationes obfirmatis? Vitã, inquiunt, quã contribuens beneficio tuo, fidei conſtantiæq; pignori obiicimus, reddituri, quandocunq; reflagitaris. Hiſce uerò illi conditionibus emiſſi, quam dederant fidem, obſtinatis animis egregiè prǣſtiterunt, populares ſuos ſinceriter Macedonibus conciliantes. Cælius lib. 18. cap. 33. A. L.

Dionyſius Syracuſanus, Rheginorum urbe capta, PHYTONEM, quem ipſi ducem ſibi conſtituerant, in poteſtatem ſuam redegit. Et quidem filium eius primùm in mare præcipitauit. Ipſi uerò in loco ſublimi omnium ſpectaculo propoſito, nunciari per quendam iuſſit, filium ipſius Dionyſium heſterna die marinis undis abſorptum periiſſe. Ad quam uocẽ intrepidè Phyto reſpondiſſe fertur, Fuit igitur uno die patre ſuo fortunatior. Poſtea uerò per urbẽ circumductũ flagris cædi, & nulla non contumelia affici iuſſit, ſimul comitante præcone, qui proclamaret, uirum hunc à Dionyſio puniri, tanquam auctorem belli Rheginorum. At Phyton animo & uoce intrepida clamabat, ſe, quòd urbem Dionyſio prodere noluiſſet, pœnas nunc luere, quas tamen breui repetiturus à Dionyſio Deus eſſet. Quam uiri fortitudinem etiam Dionyſij milites admirantes, reprehendere & execrari Tyranni crudelitatem cœperunt. Dionyſius ueritus, ne milites Phytonem ereptum liberarent, mari quoq; horribiliter antea afflictum unà cum uniuerſa cognatione ſubmerſit. Sic uir ille præter uirtutis meritum interiit. Cuius calamitatem etiam poetæ quidam carmine defleuère. Diod. lib. 14.

Romam petentibus Gallis, fugientibus Veſtalibus, deorũ SACERDOTES, ſeneſq; conſulares & triumphales non ſuſtinuerunt urbem relinquere: ſed quæ auguſtiſſima ueſtis eſt thenſas ducentibus triumphantibuſq;, ea ueſtiti, & Põtifice maximo præeunte uerba Fabio, deos precati, quaſi pro patria ſemetipſi deuouentes, in foro eburneis ſellis cum eo cõſederunt ornatu: quod ſors ferret, expectãtes. Tertio quàm pugnatum ſuit die, Brennus ſigna ad urbem tulit. Qui poſtquam nõ portas clauſas, nullam in muris inuenit ſtationẽ: inſidias primùm ſuſpectas habuit & fraudem, haud credẽs Romanorum tam deplorata eſſe cõſilia. Vbi id, quod erat, cognouit: ingreſſus porta Collina, cepit Romam, trecentis ſexaginta annis & aliquanto amplius quã condita fuiſſet. Occupata urbe, Brennus relicto ad Capitolium præſidio per forum deſcendens, ſubſtitit miraculo uirorum eo ornatu & ſilentio conſidentium: quòd nec aſſurgerent aduenientibus hoſtibus, neq; uultum coloremue mutaſſent: ſed ſoluti & intrepidi ſcipionibus, quos manũ tenebant, innixi, & in ſe mutuò uerſi quieſcerent. Huius rei commoti Galli miraculo ſunt, diuq; cunctatio eos attrectandi accedendique uelut auguſtiores tenuit: donec unus ex illis ad M. Papyriũ (Valerius C. Attilium habet) propiùs accedens, admota leuiter manu mẽto eius barbam, quam habebat promiſſam, demulſit: in cuius caput Papyrius ſcipionem eburneum ita incuſſit, ut id comminueret illi. Hunc Barbarus ſtricto occidit enſe. Ab hoc initio, reliquos impetu facto contrucidauerunt, urbem euerterunt, atq; inſuper quos ceperunt, promiſcuè uiros & mulieres, ſenes pueroſq; interfecerunt. Plut. in Camillo, & Val. lib. 3. cap. 2.

NOTARAS, ſiue Leontaras, iudex Byzãtinus, à Mahometo Turcorum Imp. poſt captam Conſtantinopolim cum liberis & uxore benignè tractatus eſt, & à Turcis militibus redemtus, cùm in magna ob prudentiã exiſtimatione eſſet. At ubi filium XII annos natum tyranno libidinoſo dare recuſauit, cum liberis ad mortem ductus eſt. Carnifices rogauit Notaras, ut primò liberos in conſpectu ſuo occiderent. &

poſtremò in ſe hoſtili ferro ruerent. At filij precibus fatigabant patrem, ut interfectoribus opes uniuerſas, quas in Italia haberet, pernumeraret, ne ipſi perimerentur. Verùm pater liberorum preces auerſatus, iuſſit ut forti animo ad imminentem mortem irent. Hi quidem primò interfecti ſunt. Poſtea ſe necandum & ipſe interfectoribus præbuit. Chalcocondylas libro 8.

CANTABROS ferunt iuris hoſtium factos, ac patibulo affixos, in tanta ſupplicij diritate nihilominùs perinde ac geſtientes, pæana concinere. Cæl.lib.18.cap.22.

HELVETII Granceium arcem tuentes, Caroli Burgundi blandis promiſſis decepti, cùm eius ſeſe fidei concrediſſent, trecenti ex arboribus ſuſpenſi, ducenti nautico funi alligati, & in lacu ſubmerſi, tanta alacritate mortem pertulerunt, ut ipſimet Duci imminentis excidij omen non obſcurum facere uiderentur. Anno 1475. Stumpſius libro octauo, capite 14. Heluetiæ.

CONIVRATIS, INSIDIATORIbus, Proditoribus.

CN. Pompeius ex acie Pharſalica ad Ptolemæum Aegypti regem fugiens, cùm in nauicula à Septimio primùm, inde à Saluio, & Achilla enſibus ſtrictis inuaderetur, ambabus manibus faciem toga intexit, nec quicquam indignum ſe locutus eſt, nec fecit, tantùm ſuſpirio edito patienter ictus excepit. Plut. in Pompeio.

Cùm cæſo Caio, Iul. Lupus iuſſu Senatus properaret ad uxorem Caij CÆSONIAM & filiam infantulam occidendas: in Palatio offendit Cæſoniam humi ſtratam iuxta mariti cadauer. Quem illa cùm cædis cauſa adueniſſe animaduerteret, confeſtim nudatum iugulum præbuit: miſerabiliter ſuã conditionem deplorans, & urgens, ne differret inceptæ à ſociis fabulæ extremum actum addere. Atq; ita magno animo necem pertulit, cuius comitem habuit etiam filiam infantulam. Ioſephus lib.19.cap.2.Antiq.

Piſone à Galba Imp. adoptato, Otho conſpiratione facta prętorianorum Imperator ſalutatus eſt. GALBA ad tumultum ſedandum in lectica delato, milites infenſi occurrentes ingeſſerunt uulnera. Ille iugulum offerens: Agite dum, inquit, ſi hoc ex Rep. eſt. Cruribus igitur & brachiis eius fœdè laniatis, iugulum hauſit, ut crebrior fama eſt, Camurius XV. legionis miles. Plut. in Galba.

Cùm iuſſu Phocæ, MAVRICII Imp. quinq; filij mares, ſpectante patre, necarentur, inuicto animi robore hanc calamitatem pertulit, ſubinde hęc uerba repetens: Iuſtus es Domine, & iudicia tua iuſta ſunt. Intrepidè tandem etiam ipſe ceruicem præbuit. Cedrenus.

CVR. MORTEM TOLERARE intentatam ob
Religionis profeſſionem.

☞ *Conſule locum Martyrum ſub Iuſticia religioſa, cui Fortitudo in toleranda morte ſubancillatur.*

Doctrinam, Philoſophiam.

SOCRATES morti deſtinatus, de cũctis rebus magis, quàm de ſe defendendo, cogitare uidebatur. Quare Hermogenes Hipponici filius, Socrati familiaris: Atqui, ait, par erat, ô Socrates, de tua defenſione curam habere. Nónne, ait Socrates, tibi uideor, ô Hermogenes, hoc ipſum facere, dum quẽadmodum uixerim meditor? Putabat autem Socrates omnem defenſionem ſuperuacaneam eſſe apud eos, qui ex uita bene tranſacta ſuam innocẽtiam non agnoſcerent. Qũ iam ad mortem damnatus eſſet, Apollodoro comploranti, dicentiq;, Innocens morieris: Quid, inquit, nũm me nocentem mori malles? Ea ſanè mors libẽter ſubeunda eſt, in qua criminis innocentia homo excuſatur. Xenophon in Apologia. Stobæus ſermone primo.

Tyrannidem.

THERAMENES Athenienſis in publica cuſtodia mori coactus, triginta tyrannorum iuſſu porrectam ueneni portionem non dubitanter hauſit: quodq; ex ea ſuperfuerat, iocabundus illiſum humo clarum edere ſonũ coegit: reddenſq; ſeruo publico, qui eam tradiderat: Pulcro Critiæ (inquit) propino: uide igitur ut hoc poculum ad eum cõtinuò perferas. Erat autem is ex triginta tyrannis crudeliſſimus. Profectò eſt ſupplicio ſe liberare tam facile, q̃ ſupplicium perpeti. Itaque Theramenes perinde ac in domeſtico lectulo moriens, uita exceſſit, inimicorum æſtimatione punitus, ſuo iudicio finitus. Val.lib.3.cap.2.

Oppreſſo per Hellanicum Elienſium tyranno Ariſtotimo, Vxor eius obſerato cubiculo uitã laqueo finiuit. Duas filias uirgines eximia uenuſtate, iam adultas, correptas in publicum extrahebant Elienſes interemturi, ſed antè contumelia & probro eas afficere deliberatum habebant. Quibus Megiſto Timoleontis primarij ciuis uxor cum cæteris occurrens, indignam rem perpetrare eos exclamat: ſi cùm liberi eſſe uellent, immanitatẽ hanc conciperent, & petulantiam tyrannorum ſectarentur. Suſpiciebat populus mulieris corripientis & ad lacrymas effuſæ dignitatem. Ita contumelia ſtatuerunt abſtinere, & puellis mortis relinquere arbitriũ. Igitur poſtquam intrò reductis, ut confeſtim necem ſibi cõſciſcerent, edixerunt: natu maior Myro cingulum diſſoluit, factoq; laqueo ſororem complexa hortabatur, ut attenderet, & quod ſe facientem uideret, ſequeretur: Ne abiectè, inquit, & præter noſtram dignitatem, uitam deponamus. Hic cùm rogaret iunior, hanc ut ſibi faceret gratiam, quò mori prior poſſet, cingulumq; retineret: Nihil unquam, inquit tibi denegaui aliud petenti, & hoc quoq; accipe munus. Equidem letho acerbius ſuſtinebo & perferam, quod te uiſura ſim chariſſima ſoror antè expirantem: ſimulq; ipſa, quẽadmodum collo laqueum aptaret, docet. Quam ut animã conſpicit eam exhalaſſe, deponit eã operitq;. Hæc inde Megiſto precatur, ut curet ſedulò, ne ubi mortua ſit, inhoneſtè abiiciatur: ut nemo adeſſet tam durus uel infeſtus tyranno, cui lacrymæ non erumperent, & quem generoſi animi non miſereret puellarum. Plut. de uirtutib. mulierum.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus ab Iſaacio Angelo imperio euerſus, atq; innumera ab inſana plebe mala perpeſſus, tandem pedibus fune alligatis ſuſpenſus, generoſo tamen animo illata ludibria tolerabat, ac mente integra ad affluentem turbam & iacientem conuerſus, nihil dicebat aliud, niſi, Domine miſerere: &, Quid calamum contritum infringitis? Nicetas lib.2.

Cædem tyranni.

Claudius à prætorianis Caio ſuffectus, in Caij interfectorem CASSIVM Chæreã Trib.mil. cæteroſq; coniuratos capitalem ſententiam protulit. Quamuis enim facinus per ſe uidebatur magnificum, perfidiæ tamen crimen obiectum eſt, & exemplum erat ſtatuendum ſecuritati futurorum principũ. Ductus eſt igitur ad ſupplicium unà cum Iul. Lupo, aliiſq; compluribus. Chæream ferunt magno animo tuliſſe id infortunium, nihil mutato uultu ad indecorum habitum, atq; etiam Lupo exprobrantem lacrymas. Cumq; is detracta ueſte quereretur de frigore, ille cauillatus eſt, lupum nũquam offendi frigore. Et inſpectante corona eorum qui deduxerant, rogauit militem, Num exercitatus eſſet ad cædes, & nũ acutum haberet gladium? poſtulauitq; eum quo ipſe Caiũ interfecerat. Deniq; uno ictu feliciter periit. Lupus autẽ deiecto animo parum fortiter ceruicem præbens, pluribus ictibus demùm confectus eſt. Paucis pòſt diebus quãdo ſolenne parentandi tẽpus rediit, pop. Rom. dum ſuorũ quiſq; manes honoraret, eadem opera etiam Chæreæ ſuam partẽ in ignem coniiciebant, apprecati ut propitius non iraſceretur ipſorum ingratitudini. Ioſephus lib.19. cap.3.

Hæreſeos ſuſpicionem.

[redacted]

Adulterij

Adulterij crimen.

MARIAMME regina, Herodis Iudæorum regis uxor, falſis ueneficij accuſationibus circumuenta, ducta eſt ad ſuppliciũ. Id conſpicata Alexãdra mater, & intelligens ſimilem exitũ ſibi ab Herode expectandum, uolens oſtendere ſe non eſſe conſciam eius criminis (cùm tamẽ eius conſiliis Mariamme erga maritum fuiſſet moroſior) cœpit filiæ conuitium facere omnibus audientibus, ſceleſtiſſimam & ingratã erga uirum clamitãs, dignãq; tali exitio. At Mariamme neq; uerbo ullo eam dignata eſt, neq; uel tãtillum intemperie eius perturbata, excelſo animo improbare ſe illius turpem dementiam uultu ſignificabat, ipſa intrepida ſpecie, ac ne colore quidem metu mortis mutato ibat, generoſam indolem extremo quoq; ſuo tempore præferens. Ioſeph.l.15.c.11.Antiq.

Rebellionem.

IOANNES Padillia à Toleto, & Ioannes Brauus à Salmantica, popularis rebellionis in Hiſpania contra Carolum V. Rom. Imp. duces, capti, per ignominiam aſinis impoſiti, per caſtra circumducti ſub uoce præconis, & demùm iugulati ſunt, ut cæteri eo ſupplicij exemplo deterrerentur. Ferunt Padilliam æquo pioq; animo tuliſſe eam calamitatem: Brauum uerò contumaci ore ſe proditorem eſſe pernegaſſe, ac ob id à lictore uirga immaniter fuiſſe uiolatum. Ad quem Padillia conuerſus dixiſſe fertur, Heri, inquit, ſodes ſumma uirtute nobis depugnandum fuit: hodie autem ea æquo animo ſubeunda arbitror, quæ Fortuna tulit conatibus noſtris aduerſa: quum nemo niſi parum pius aut inſanus, ad immortalem Deum, in hoc infelici uitæ exitu, animum non conuertat. Iouius in Hadriano VI.

Inſidias.

Cùm Herodes Iudæorum rex multa contra patrios mores inſtitueret, bonis omnib. exoſus erat. Itaq; anno regni XIII, decem CIVES coniurauerunt, ſicaſq; ueſtibus texerunt: & in his unus cæcus, ob indignitatem eorum, quæ audierat, non tam paratus ad agendum aliquid, quàm ad patiendũ, ſi quid aſſertoribus patrij moris accideret: cuius exemplo non mediocriter confirmati ſunt cæteri. Hi communicatis conſiliis in theatrum uadunt, ſperantes uel ipſum regem improuiſum impetum ſuum euaſurum, aut certe multos ex aulicis eius ſtipatoribus opprimendos: & uel hoc ſibi fore mortis ſolatium, ſi illum uiolatæ religionis ergò in populi inuidiam adducerent. Et illi quidem quaſi duces ſe cæteris præbentes hæc facere ſtatuerant. Quidam uerò ex his, quos Herodes ad perſcrutanda & indicanda talia diſpoſuerat, rem totam expiſcatus, regi theatrum ingreſſuro aperit. Is non ignarus, quantum odiorum ſibi quotidie concitaret, recipit ſe in regiam, & nominatim coniuratos accerſit. Qui comprehenſi in ipſo facinore, & ſcientes nullum eſſe effugium, decreuerunt præſentem neceſſitatem ferre forti animo. nihil enim inficiati, interrito uultu ſicas protulerunt, profitentes ſe rectè ac piè coniuraſſe, non propter priuatos affectus, aut ſui commodi gratia, ſed pro diſciplina publica, quam nemo bonus uiolare, ne morte quidem ſibi intentata, ſuſtineat. Hæc illi cùm magna confidentia pro ſe attuliſſent, à regiis abducti, per omnes cruciatus necati ſunt. Nec multo pòſt delator eorum inuiſus omnibus, à quibuſdam interfectus, fruſtatim conciſus eſt, & obiectus canibus, idque multis inſpectantibus. Ioſephus libro decimoquinto, capite 11. Antiq.

PATIENTIS, TVM
QVIS. MORTEM PERFERUNT conſtanter

Philoſophi.

Obiit PYTHAGORAS hoc modo. Cùm in ædibus Milonis familiaribus ſuis aſſideret, accidit ut ædes ex inuidia ſuccenderentur à quodam, qui in eum cœtum receptus non fuerat. Alij dicunt, ab ipſis Crotoniatis id eſſe factum, metu tyrannidis. Ac Pythagoram egreſſum, cùm ad agrum fabis plenum perueniſſet, reſtitiſſe, ac dixiſſe: Capi præſtat, quàm calcare: interfici, quàm loqui. & ſic à perſequentibus eſſe iugulatum, eodemq; modo plurimos ſociorum eius periiſſe, qui ad XL eſſent. Suidas.

Reges.

AGIS rex, Eudamidæ F. ob popularem factionem & Lycurgi legum conſeruationem à Leonida rege, proditione Ampharis Ephori & Democharis, in carcerem abreptus erat. Ephori reliqui ſubitò ingreſſi iuſſerunt eum actionum ſuarum cauſam dicere. Ridente illo diſſimulantiam iſtorum, Amphares haud impunè ait laturum, pœnaſq; daturum temeritatis. Hic alius Ephorus tanquam lenior in Agim & culpæ effugium oſtendens, requiſiuit: Patraſſétne ea Lyſandri & Ageſilai Ephororum coactu? Vbi reſpondit Agis, Coactum à nemine, ſed æmulatione & exemplo Lycurgi eadẽ perſecutum ſe inſtituta: iterum idem rogauit: Ecquid eum pœniteret factorum? Negante iuuene, quamuis extrema pericula ante oculos cerneret, pœnitere optimorum conſiliorum: damnauerunt eum rei capitalis, imperaueruntq; lictoribus, ut in Decadem (uel Caiadam) quam appellant, eum auferrent. Is locus in carcere eſt, in quo iudicatos ſtrangulant. Cernens autem miniſtros Demochares dubitantes attingere Agim, comminatus iis & conuitiatus, rapuit Agim ipſe in illam cameram. Iam enim aderãt Agidis mater & auia, uociferantes obſecranteſq;, ut rex Spartiatarum audiretur, cauſamq; diceret ad populũ. unde potiſſimùm necem maturauerunt, ueriti ne ſi ſuperueniſſent plures, nocte eriperetur. Agis ut conſpexit quendã ex miniſtris flentem & ingemiſcentem: Mitte tu me, inquit, deflere. Etenim ego, qui ita nefariè & uiolenter pereo, præſtãtior ſum interfectoribus. Ita fatus, collum ultrò obtulit laqueo. Amphares ad ianuã progreſſus, & AGESISTRATAM matrem ad genua ſua prouolutam excitans: Nihil, inquit, grauius in Agim uel atrocius conſuletur. Iuſſit etiam illam, ſi uideretur, ad filium ingredi. Illa matrem quoq; admitti ſecum precante: Nihil, inquit, uetat, Amphares. Ambas cùm admiſiſſet, & iterum claudi præcepiſſet oſtium carceris, priorem ARCHIDAMIAM iam admodum anum, quæ in ſumma inter ciues dignitate conſenuerat, ad mortem tradidit. Ea interfecta, Ageſiſtratam iuſſit introire. Quæ ingreſſa ut filium ſpectauit humi iacentẽ, & exanimẽ ex reſti pendentem matrem: ipſa miniſtros adiuuit in ea detrahenda, collocatumq; iuxta Agim corpus eius cooperuit & uelauit. In filium ruens, & faciem eius oſculata: Nimia tua, tua te, inquit, fili modeſtia, lenitas, & humanitas nobiſcum perdidit. Ibi Amphares, qui ex ianua ſpeculabatur, quid ageretur, & uoces excipiebat, irrupit, ſtrendenſq; Ageſiſtratæ dixit: Ergo ſi filij facta probaſti, eadem quoq; ratione in te conſuletur. Ageſiſtrata antẽ ad laqueum exurgens: Tãtùm ſint hæc, inquit, ex uſu reip. Spartanę. Eo facinore inter ciues enunciato, tribuſq; elatis cadaueribus, non fuit metus tantus, quin prę ſe ferrent ciues grauiter iſtis angi, Leonidamq; & Ampharem deteſtari, nihil atrocius uel ſceleſtius, ex quo Peloponeſum incoluiſſent Dorij, admiſſum Spartæ exiſtimantes. Plut. in Agide.

Duces.

Cùm DIOMEDON cum nouem collegis prætoribus damnatus eſſet à populo Athenienſi, quòd in pugna ad Arginuſas occiſos Athenienſes non ſepeliuiſſent, in concionẽ prodiit, inquiens: Quod à uobis in capita noſtra decretum fuit, oro felix & fauſtum exiſtat huic populo: uota uerò quę pro uictoria diis per uos nominata fuerunt, quãdoquidem fortuna uos prohibet, ueſtra potiſſimùm intereſſe uidetur, ut ſoluantur curare. Igitur Ioui liberatori, Apolloni, Deabus uenerabilibus perſoluite. Horum namque inuocatis numinibus debellauimus hoſtes. His dictis uir optimus cum reliquis ad deſtinatum ſupplicium ductus eſt, cũ maxima optimi cuiuſq; ciuis commiſeratione & lacrymis. Diod.lib.13.

PHOCION, uir de Athenienſium Rep. optimè meritus, cùm ſuæ creditum fidei Nicanorem Caſſandri ducem, qui Munychia occuparat, dimiſiſſet, & ad Polyperchontem Antipatri ducem ſeceſſiſſet, miſſus eſt à populo Agnonides rhetor, qui eum cum amicis accuſaret. Rex Antipatri F. Athenienſibus cauſæ cognitionem permiſit. Reduxit ergo Phocionem cum amicis Athenas Clitus, uerbo ad cauſam dicendam, re uerã capitis damnatos. Species fuit perquàm triſtis uecturæ. Plauſtris uecti per Ceramicum fuerunt ad theatrum. Optimates ciuitatis, Phocione conſpecto, qui octogeſimum annum ſuperabat, & quinque & quadraginta præturas cũ laude adminiſtrarat, rubore perfuſi ſunt, capiteque deiecto lacrymas profuderunt. Vnus autem exurgens dicere eſt auſus, Cùm tanti iudicij populo rex poteſtatem permiſerit, debere ſeruos & peregrinos concione ſummoueri. Non ferente id plebe, ſed uociferante lapidibus cooperiendos eos, qui paucorum foueant potentiam, populique hoſtes, nemo ultrà uerba facere tentauit pro Phocione. Ille uix tandem auditus: Vtrum, inquit, iure nos, an per iniuriam ſtatuiſtis interficere? Reſpondentibus quibuſdam, Iure. Hoc quî cognoſcetis, inquit, niſi audieritis? Cùm nihilo magis aures præberent, accedens propiùs: Ego, inquit, fateor peccaſſe me, atque ob actiones meas rei capitalis me iudico. uerùm hos Athenienſes, qui nihil commiſerunt, quamobrem necabitis? Reſpondente multitudine, Quia amici tui ſunt: abſcedens Phocion cõticuit. Ibi Agnonides recitauit plebiſcitũ, ex quo laturi erãt ſuffragia, an deliquiſſe uiderẽtur. Si dãnati eſſent, ſumendũ erat de iis ſuppliciũ. Recitato plebiſcito, poſtulauerunt quidã, adderetur, ut Phociõ ante ſuppliciũ tormẽtis laceraretur: inferriq; rotã, & tortores iuſſerunt acciri. At Agnonides etiã Clitũ uidens indignantẽ, eamq; rẽ barbaricam cenſens & tetram: Vbi Callimedontem, inquit, uerberonem Athenienſes tenuerimus, eum tũ excarnificemus. de Phocione nihil ego fero eiuſcemodi.

Hic

Hic probus quidam uir succlamauit: Rectè tu sanè nã Phocionem si tolleremus, tibi quid faciamus? Comprobato plebiscito, populoq; in suffragia misso, nemo sedens, sed exurgentes omnes, pleriq; & coronati, damnauerunt illos rei capitalis. Erant cum Phocione Nicocles, Thudippus, Hegemon, Pythocles. Insuper Demetrium Phalereum, Callimedontem, Chariclem, nonnullosq; alios capitis absentes dãnauerunt. Postquàm igitur dimissa concione illos ad carcerem duxerunt, alij, complectentibus eos amicis & familiaribus, eiulantes & lamentantes ibant. At Phocionis uultum cùm talem uiderent, sicut cùm dux solet à concione deduci, stupebant imperterritum & excelsum animum eius. Inimici uerò prætercurrentes incessebant eum conuitiis. Vnus etiam inspuit in eum. Ibi Phocionem fama est conuersum ad archontas dixisse: Nemo huius reprimet petulantiã? Obuius ei factus Emphiletus siue Emphytius, ut habet Aristides, cùm dixisset, O' quàm indigna pateris Phocion? respondit, At non inopinata: hunc enim exitum pleriq; clari uiri habuerunt Athenienses. Cùm Thudippus in carcere cicutam cerneret teri, questus est & deplorauit calamitatem suam, quòd iniustè cum Phocione occideretur: Et tu non præclarè agi, inquit, putas tecum, quòd sustollaris cum Phocione? Rogante quodam amico, Num quid ad filium uellet Phocum? Maximè, inquit, iubeo, ut iniuriarum populi Atheniensis obliuiscatur. Nicocle, qui amicus eius fidissimus erat, rogãte, sibi, ut permitteret priori uenenum haurire: Hęc quidem, inquit, grauis mihi, Nicocle, & dura est petitio. uerum quia nihil tibi per omnem uitam denegaui aliud, hoc quoq; largior. Vbi biberunt iam omnes, defecit uenenum, & carnifex aliud negauit se triturum, nisi duodecim drachmæ essent sibi numeratæ, quanti denarij pondus ueniebat. Cùm intercederet mora, & tempus traheretur: Phocion accersito quodam amico, ait: An'ne gratis quidem mori Athenis liceret? petiitq;, ut carnifici illud æris daret. Dies erat mẽsis Munychionis nonusdecimus, ac pompam Ioui agentes prætereuehebantur equites: quorum alij coronas detraxerunt, alij fusis lacrymis fores carceris respexerunt. Existimauerunt illi, qui non prorsus erant immanes, rem maximè detestandam: quòd non sustinuisset illo die, neq; à cæde publica solenne agens abstinuisset ciuitas. Atqui, quasi minùs rectè ludos egissent, uisum inimicis est, ut etiam corpus extra fines proiiceretur Phocionis, ac ne quis Atheniensis rogum funeri incenderet. Quamobrem nemo amicorum corpus fuit ausus attingere. Conopion quidam tali assuetus ministerio operam locare, exportatum ultra Eleusina cadauer igni ex æde mulieris Megaricę sumto combussit. Ibi mulier Megarica cum ancillis assistens, tumulum honorarium aggessit, atq; inferias dedit Phocioni: ossa in sinu collegit, eaq; nocte domum deportata defodit apud focum, cũ his uerbis: Apud uos optimi penates has boni uiri reliquias depono. Eas uos, cùm Athenienses ad mentem redierint, patrio reddite sepulcro. Plut. in Phocione, & Aelianus lib. 12.

Postulatus proditionis CHABRIAS cum Iphicrate, increpabatur ab eo, quòd in tanto discrimine gymnasia nihilominùs inuiseret, nec non constitutis horis pransitaret. At is, Quid (inquit) aliud? te quidem squallidum & cibi inopem, me uerò pransum unguentatumq; Athenienses periment. Cæl. lib. 9. cap. 11. Antiq. Lect.

Virgines.

☞ *Consule Tit. Martyrum.*

POLYXENA, cùm adduceretur ad mactationem, præsente toto Græcorum exercitu, apud Eurip. in Hecuba sic ait:

Ὦ τὴν ἐμὴν πέρσαντες Ἀργεῖοι πόλιν,
ἑκοῦσα θνῄσκω· μή τις ἅψηται χροὸς
τοὐμοῦ· παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως.
ἐλευθέραν δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω,
πρὸς θεῶν μεθέντες κτείνατ'. ἐν νεκροῖσι γὰρ
δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ', αἰσχύνομαι.
μαστούς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
κάλλιστα. καὶ καθεῖσα πρὸς γαῖαν γόνυ,
ἔλεξε πάντων τλημονέστατον λόγον.
ἰδού, τόδ', εἰ μὲν στέρνον, ὦ νεανία,
παίειν προθυμῇ, παῖσον· εἰ δ' ὑπ' αὐχένα
χρῄζεις, πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε.

O' meam qui excidistis Argiui ciuitatem, lubens morior: ne quis attingat corpus meum. porrigam cordatè ceruicem. Liberam uerò me, ut libera moriar, per deos quæso dimittẽtes occidite. Apud manes enim serua uocari, regina cùm sim, pudet me. Tum mamillas ostendit, & pectora tanquam statuæ pulcerrima: & dimittens ad terram genu, dixit omnium commiseratione dignum sermonem: Ecce, hoc siquidem pectus, ô iuuenis, ferire cupis, ferito: si uerò sub ceruice mauis, adest ceruix expromta hæccine.

Matronæ, Reginæ.

EVRYDICE Macedonum regina ab Olympiade regno exuta, cùm sibi ab ea gladius, laqueus & cicuta mitteretur optione data, quónam istorum uellet uti ad mortem: comprecata est deos, ut Olympiadi talia repẽderent: cinguloq; se suspendens finiit uitam, nec lacrymis deplorans fortunam suam, nec magnitudine calamitatum abiecta. Diod. lib. 19.

OLYMPIAS Alexandri Magni mater à Cassandro obsessa, demum incolumitatem pacta, se hosti tradidit. Eam deditã quia ob fidem, quam acceperat, uiolare nefas erat, occultè subornat Cassander, qui Olympiadẽ apud Macedones crudelitatis & sæuitiæ in suos accusarent, & ut sunt multitudinis studia, quæ facilè cum fortuna mutantur, magno omnium consensu damnata est. Olympias ubi percussores ad se missos sensit, duabus ancillis innixa, ultrò illis obuiam processit. Qui ad cedem uenerant, Philippi & Alexandri memoria animum subeunte, attonitis similes ferrum inhibuerunt. Superueniunt inde alij à Cassandro missi. Illa ubi ferrum in se nudari uidit, non eiulatu & uociferatione, sed uirorum fortium more, composita circa corpus ueste, ut honestiùs caderet, pluribus uulneribus confossa concidit, ut magni regis uxorem, multo maioris matrem, cadendo facilè agnosceres. Sab. lib. 7. En. 4.

Cleomenes Spartanus rex, Alexandriæ exul, conspiratione cõtra Ptolemæum Philopatorem facta, cùm ea malè processisset, sibiipsi cum sociis manus intulit. Cratesiclea Cleomenis mater quamuis generosa mulier, demisit ex magnitudine calamitatis animos, liberosq; cõplexa Cleomenis, proiecit se in lamentationes. Ex filiis stirpis maior ex fastigio domus præter omnium expectationem desiliens, in caput se præcipitem dedit: atq; afflictus quidem fuit, non expirauit tamen, sed sublatus est clamans & fremens, quòd interpellaretur mori. Ptolemæus corpus imperauit Cleomenis excoriatum in crucem agi, necari insuper liberos eius, matrem, & feminas eius comites. In his Pantei quoq; VXOR erat, qui Cleomeni socius fuerat coniurationis, eximia & ingenua imprimis forma. Breui post nuptias in ipso amorũ feruore in has inciderunt ærumnas. Eam comitari Pantei fugã per mare cupientem prohibuerant parentes, ac ui inclusam asseruabant. At illa paulo pòst parato equo ac pauculo ære, arripuit noctè fugam, Tænarumq; citato profecta cursu, nauem, quæ inde soluebat in Aegyptũ, conscendit, & ad uirũ peruenit, fortiq; animo & hilari, peregrinationis se præbuit uiro sociam. Hæc tunc Cratesicleam, dum à militibus ad supplicium rapitur, manu duxit, peplum eius subleuans, ac confirmans, ne illã quidem mortem trepidantẽ, uerùm unũ modò perentẽ, ut ante pueros sustolleretur. Postquàm ad supplicij locum peruentũ est: pueros primùm sub oculis Cratesicleæ, deinde illã interfecerunt. Illa unã hanc uocẽ tantis in malis misit: Quò pueri estis profecti? At Pãtei uxor stola succincta ualens mulier & eminenti statura, unãquamq; morientiũ silentio & sedatè curauit, atq; ex præsenti copia uelauit. Tandem omniũ nouissima semetipsam cõposuit: deductoq; amictu neminẽ accedere permittens, neque contueri se, extra unum, qui ad iugulandũ ipsam præpositus erat, uitam deposuit fortissimè: neq; eguit quoquã, qui se adornaret & obnuberet ab excessu. Adeo in morte animi decus usq; retinuit conseruauitq;, quam uiua corpori custodiendo adhibuerat curam. Plutarchus in Cleomene.

Nero Imp. percussores matri submisit, qui eam occiderent. Vt centurionem stringentem ferrum uidit AGRIPPINA, uterum protendens, Ventrem feri, exclamat. Hic est, hic est fodiendus ferro, qui monstrum tale tulit: ministrumq; rogauit, ut utero dirum ensem conderet. Suetonius & Dion.

CVR. MORTEM PERFERRE fortiter ob *Reipub. Patriæ salutem, uictoriam.*

CODRVS Atheniensium rex, cùm in bello Peloponnesiacò accepisset oraculo, uictricem fore gentem, cuius princeps bello periret: gregarium se fingens militem, inimicis occidendum se præbuit. Herodotus.

RISACES equiso mortem sponte subiit, ut patriam à Persarum obsidione liberaret. Mutilatis enim sibiipsi naribus & auribus, ad Persas transfugit, eosq; in uastas solitudines, unde neq; progrediendi, neq; reuertendi potestas concedebatur, deducens, à chiliarcho capite plexus fuit. Polyænus libro 7. & Iustinus ex Trogo.

CÆLIVS prætor urbanus, cùm ei ius dicenti picus in capite insedisset, & aruspices respondissent, dimissa aue hostium uictoriam fore: necata, populũ Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturũ: auem occidit. Qua occisa, Rom. exercitu uincente, ipse cum 14. Cæliis ex eadem familia in prælio est occisus. Hunc quidem non Cælium, sed Lælium fuisse, & Lælios, non Cælios perisse credunt. Font. li. 4. ca. 5.

P. DECIVS, primò pater, postea filius, in magistratu se pro republica deuouerunt: admissisq; in hostem equis, adepti uictoriam patriæ contulerunt. Front. lib. 4. cap. 5.

Fidei

Fidei declarationem.

Cùm pestifera seditione Syracusarũ, tota regis Gelonis stirps, euidentissimis exhausta cladibus, ad unicam filiam HARMONIAM uirginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix eius æqualem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladiis obiecit. Quæ cùm neque ferro petita, cuius esset conditionis, edere uellet, admirata illius animum Harmonia, tantæ fidei superesse non sustinuit, reuocatosq; interfectores, professa quæ nam esset, in cædem suam conuertit. Ita alteri rectum mendacium, alteri ueritas aperta finis uitæ fuit Val. lib. 3. cap. 2.

Mahumetes II. Turcorum Imp. cùm ad Belgradum infeliciter pugnasset, CHASANEM Ianizarorum ducem acriter increpauit, & pugnam repetere iussit. Ille uerò ubi saucij non possent, integri pugnam capessere nollent, Ne quid de fide mea dubites, Imperator, inquit, effectum dabo. Et in medios hostes solus irrumpens, non inultus periit. Chalcocondylas libro 8.

VITÆ PERICVLORVM TOLERANTIA. PERICVLOrum metu non exanimari. RESPECTV

RERVM. QVAE IMPENDENT A'

TERRÆMOTV.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm Vergiliana lectione pręcipuè delectaretur, & terra forte (cùm in quarto Aeneidos libro legeret de morte Didonis) moueretur: obstupescentibus aliis dixisse fertur: An mirum uobis uidetur, si in morte tam celebris reginæ (cuius mortem apud Vergilium diuus Aurelius Augustinus nunquam sine lacrymis legisse fertur) terra intremiscit? Panormita lib. 1. de rebus gestis Alfonsi.

IDEM dum sacro interest, orto terræmotu, comites fugere prohibuit, nec nisi perfecta re diuina discessit: illud ingeminans, Corda regum in manu Dei sunt. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

NAVFRAGIO.

IASON & TYPHIS uitam uentis primi commiserunt, & uias maris, quas natura negat, teste Claudiano, aggressi sunt, Tristes Hyadas, rabiemque Noti, Infames scopulos Acroceraunia, & mare turbidum, ut ait Horatius, siccis oculis prospicientes.

PYRRHO Eliensis, in tempestate conspiciens cæteros animo esse deiectiores, quum ipse nihil moueretur: ostendit porcellum in naui securè edentem, dicens: Oportere sapientem eam animantis imitari securitatem. Laert. lib. 9. cap. 11.

C. IVLIVS Cæsar, impatiens legionum tardioris à Brundusio Apolloniam traiectus, per simulationem aduersæ ualetudinis conuiuio egressus, seruili ueste tectus, nauiculam conscendit è flumine, ac maris Adriatici sæua tempestate fauces petiit: protinusq; in altum dirigi iusso nauigio, multum ac diu contrariis iactatus fluctibus, tandem necessitati cessit. Val. lib. 9. cap. 8. & Plutarchus.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex in Normanniam properabat. Erat tum mare, flante Austro, ualde turbatum: quare nautæ admonebant, non esse tutum, ut se pelago committeret. Ad ea rex inquit: Date protinus uela uentis: rarò enim audiui regem aliquem undis submersum. Ita soluit, ac repentè quasi diuinitùs mutato uento, pacatoq; mari, in Normanniam tanta celeritate peruenit, ut longè famam aduentus sui præcesserit. Polydorus lib. 10.

RVINA.

CAROLVS V. anno Salutis 1530. ut coronaretur à Clemente VII. Bononiæ per pontem ligneum pensilem in D. Petronij sub umbella procedens, ad uestibulum peruenerat, cum tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba, fracta sunt, & plerique militibus immixti, fœdo casu procidentes, sese pilis atque securibus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga. Intrepidè respectans Cæsar, leniter arrisit, ita ut fortunam suam certiùs cognoscere uideretur, quæ cœptis & uotis omnibus benignissimè semper aspirasset. Iouius libro 37.

VENENO.

ALEXANDRVM Magnum in Cilicia grauis detinuit morbus, quem alij eum ex laboribus, alij, cùm in amni Cydno gelidissimo corpus abluisset, contraxisse aiunt. Hic cùm ex cæteris medicis remedium nemo promitteret, timerent, si titubassent, obtrectationem apud Macedonas: Philippus Acarnan spem salutis quidem in præcipiti uidebat esse, uerùm amicitia eius fretus, & indignum ratus, si cum rege in discrimine posito non unà discrimen subiret, nec ultima remedia tentaret uel cum periculo: aggressus est remedium ei afferre, adhortatusq; eum, ut admitteret id & hauriret, si festinaret ualetudinem recipere, ut ad bellum pergeret. Inter hæc à Parmenione accepit ex castris literas, quibus ei denunciat, ne salutem suam committat Philippo: magnis muneribus eum à Dario & nuptiis filiæ eius esse ad interficiendum Alexandrum redemtum. Hic postquàm epistolam accepit, nulli eam amicorum ostendit, sed subiecit eam puluino. Vbi dies illuxit, & Philippus cum amicis eius & poculo, in quo diluerat medicamentum, intrauit: tradidit illi epistolam: ipse medicinam accepit alacriter & intrepidè. Fuit mirificum & uisendum spectaculum tum huius bibentis, tum illius legentis: inde simul inter se dispari modo contuentium: uerùm Alexandri læto uultu & exporrecto suam in Philippum beneuolentiam & fidem præferentis, indignantis illius ob calumniam, & nunc deorum fidem inclamantis, manusque ad cœlum tendentis, nunc in lectum incumbentis, & Alexandrum omisso metu sibi hortantis ut fidem haberet. Medicamen enim superato initio corpore, quasi impulit & demersit in imum uires, ut uox quoque intercluderetur, atque interueniente insuper animi defectu sensus superesset exilis & perexiguus. Citò tamen sanitati à Philippo restitutus, uiribusque recuperatis, in conspectum Macedonum uenit. Neque enim priùs à consternatione discesserunt, quàm aspexissent Alexandrum. Plutarchus in Alexandro.

BENEDICTVS abbas Florentium presbyterum uitę suæ insidiantem, patientissimè tulit. Panem ueneno infectum sibi ab illo muneri missum (licèt dolos diuinitùs cognouisset) benignè accepit, ne recusando scelus hominis proderet. Cęterùm abeuntibus, qui panem attulerant, coruo aliti præcepit, ut illum rostro sublatum eò transportaret, ubi contingi à nemine posset: & protinus uolucris illa iussis eius obediuit, cuius sanctitati homo inuidebat. Marulus lib. 5. cap. 2.

Cosmus Florentinus, dux magnus & illustris, cùm ALPHONSO Aragonio dono misisset Titi Liuij Decades, prohibuerunt medici ne librum attrectaret, ab hoste missum, ueneni suspicione. Rex primò simulauit sese illis assentiri. Mox librum manibus accepit, legit & euoluit. Subinde medicos adhortans, desinerent ineptire. Regum namq; animas non priuatorum libidini subiectas esse, sed sub Dei tutela, sacras lætasq; agere. Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

PESTILENTIA.

ADRIANVS VI. in atrocissima pestilentiæ uastitate, quæ omnia Romæ sub annum Sal. 1522. depascebatur, pastor oues non deseruit, sed Germana constantia aliis plerisq; magnatibus sibi fuga consulentibus, ipse nec pauidus multũ, nec anxiè pharmacis armatus, in urbe permansit, eo officio incolis mirificè gratificatus. Omnem seueritatem sustulit, quam Libitinæ magistratus exercere consueuerat aduersus eos, qui sese contracto & dissimulato morbo incolumibus miscuissent. Quæ libertas & dissoluta euagandi regendiq; morbi licentia, Vrbis faciem multiplicatis funeribus mirum in modum deformauit. Itaque hortantibus Triumuiris Romani populi conseruatoribus, instaurati sunt magistratus cum officialibus, & reuocatæ leges ad ueterem formulam puniendæ multitudinis, quæ edictis minimè paruisset. Iouius in eius uita.

PERSONARVM, PERICVLORVM impendentium ab

INSIDIATORIBVS. INSIdias sustinere, ferre.

☞ *Plurima exempla ex Tit. Clementiæ erga insidiatores, peti possunt. Hic mortis intentatæ Tolerantiam consideramus: illic uerò Clementiam erga insidiatores. Sub loco Affectuum quoque Titulum ἀδείας, & Securitatis tractauimus: illic primos, hic secundos motus considerantes.*

NVMA inito regno protinus cohortem trecentorum, quibus stipatus Romulus semper fuerat, quos appellauerat Celeres, exauctorauit. Neque enim diffidere fidem sibi habentibus, neque imperare diffidentibus, in animum induxit. Plutarchus in Numa.

Suspicionem C. IVL. Cæsar quibusdam suorum reliquit, neq; uoluisse se diutiùs uiuere; neque curasse quòd ualetudine minùs prospera uteretur: ideoque & quæ religiones monerent, & quæ renunciarent amici, neglexisse. Sunt qui putent confisum eum nouissimo illo Senatusc. ac iureiurando, etiam custodias Hispanorum cum gladiis insectantium se remouisse. Alij è diuerso opinantur, insidias undique imminentes subire semel confessum satiùs esse, quàm cauere semper. Alij ferunt dicere solitum, non tam sua, quàm R. P. interesse, uti saluus esset: se iampridem potentiæ gloriæque abundè adeptum: Rempublic. si quid sibi eueniret, neque

quietam

quietam fore,& aliquanto deteriore conditione ciuilia bella fubituram.Suetonius deferentibus aliquando nonnullis Brutum,cùm effet iam in manibus coniuratio,non præbuit aures:fed corpus manu tangens,ad delatores ait:Hæc cutis expectat Brutum. fignificans imperio quidem ob uirtutem Brutum dignum, fed imperij caufa non futurum ingratum neq; improbum.Plut.in Cæfare.

Cùm aliquando infidiæ CLAVDIO Cæfari detectæ effent, eum qui delatus erat contemfit, nec ulla eius habita ratione dixit:Pulicem non eodem modo, quo belluam,effe ulcifcendum. Zonaras.

VESPASIANVS, monentibus amicis cauendum effe Metiũ Pompofianum, quòd uulgò crederetur genefim habere imperatoriam:infuper Cós.fecit,fpondens quandoq; beneficij memorem futurum.Suetonius.

TITVS Imp.cùm duos ampliffimi ordinis uiros in manifefta coniuratione deprehendiffet, ut cogitatum fcelus abnuere non poffent,deductos in fpectaculum,utrunq; fibi affidere iuffit:petitoque ex induftria gladio Mirmillonum, quafi ad explorandam aciem,uni atque alteri dedit. Quibus perculfis, & conftantiam mirantibus,inquit: Videtifne poteftates fato dari,fruftraq; tentari facinus,potiundi fpe,uel amittendi metu?Fratrem Domitianum, ut Sextus fcribit, parantem infidias,militumq; animos follicitantem,flens fæpius obteftatus eft,ne parricidio affequi cuperet, quod & fe uolente effet obuenturum ei, & iam haberet, cùm effet poteftatis particeps.Cufpinianus.

PERTINAX Imp. ab amicis admonitus, ut prætorianorum militum infidias caueret, qui eum conarentur è uita tóllere: refpondit, Se nequaquam malè fibi confcium effe: non decere imperatoriam maieftatem latebris aut fuga confulere uitæ fuæ.Herodianus lib.2.

DOMINICVS Prædicatorum pater, ab hæreticis, qui ei infidiabantur, interrogatus, Quid facturus effet, fi comprehẽfum trucidare uellent?Precarer uos,inquit,ne uno ictu mortem mihi inferretis:fed prius particulatim mutilantes,membrorum meorum frufta ante me numeranda exponeretis: deinde hos oculos effoderetis: & poftquam me aliquãdiu in meo uolutaffetis fanguine, tum demùm reliquum corpus cæfum dilaniantes,crudeliter extingueretis, pro nomine Domini mei Iefu Chrifti. Obftupefacti illi tanta uiri audacia,intactum dimifère.Aliis etiam hæreticis necem minitantibus, Nõdum fe martyrij gloria dignum dixit,fed ut dignus euaderet ualde cupere.Igitur neque infidiis inimicorum neq; minis deterritus eft, ne uel pergeret, quò neceffe erat:uel loqueretur,quod opus erat ad falutem multorum. Marulus lib.5.cap.5.

HILARION cùm adolefcens adhuc in folitudine effet, latrones in fe graffantes intrepidus excepit.Rogatᵘˢ ab his, Quid effet,quòd uim non formidaret? Quia nudus, inquit, fum. Cur non uulnera,aiunt,& mortem?Non talia,inquit, ab eo timentur,qui paratus eft mori.Quam illi in adolefcente cõftantiam nõ folùm ita mirati funt,fed etiam uenerati,ut petita uenia innoxij retrò abierint.Sab.lib.8.cap.5.

ALPHONSVS Aragonũ rex interrogatus à fuis, Cur fine fatellitibus fæpenumero incederet?Se innocentia affociatum incedere,refpondit,Panorm.lib.2.de Alphonfi reb.geftis.

Cùm PHILIPPVS Maximiliani Imp. F. ex Hifpania in Flandriam rediret per mediam Galliam, incredibile eft quanta magnificentia & honore, regis Ludouici XII iuffu,exceptus fuerit:cumq; rex præter fidem publicam, qua per totũ Galliæ regnum iter faciens tutus effet,nõnullos ex fummis regni proceribus,tanquam obfides in Flandriam, ut ibi tãdiu donec ipfe iter confeciffet manerent,miffiffet: Philippus quam primùm Galliam attigit, ut fe penitùs eius fidei committere oftenderet,obfides liberari iuffit.Guicciard.lib.5.

Patris magnanimitatem imitatus CAROLVS V. Francifci I. Gallorum regis fidei fefe concredidit,per mediam Galliam ab eo ductus, quem ipfe captum Papiæ in Hifpaniam ad fe ducendum curauerat. Dubitabile eft igitur,maiórne Caroli fortitudo,an Francifci fides fuerit.

HOSTIBVS.

Ex loco Fortitudinis propulfantis huc non pauca, quandoquidem actioni omni fua iungitur paßio,& propulfando etiam tolerare cogitur.

Pugnæ pericula quæuis fubire.

CYRO iuniore conflicturo cum hofte, loco qui dicitur Cunax, Clearchus fuafit,ut fe poft Macedones contineret, nec fe in belli difcrimen coniiceret. Quid ais,inquit, Clearche? Iubes ne, ut quum regnum appetam, regno me indignum oftendam?Plut.in Regum & Impp.apoph.

Amurathe in campis Caffouiis contra Huniadem inftructa acie confiftente,Bitezes Pannonius,ex iis quos Vfaronas uocant,ad fingulare certamẽ Turcum prouocabat. Prodit continuò adolefcens ELIEZES,Barizæ Ianizarorum ducis olim F.& cum Biteze cõgreditur. Amurathes tironis fortitudinem admiratus,Quonam magiftro ufus fit,interrogauit. At ille,Lepore,refpondit.Magis admirante rege:In Afia,inquit,puer adhuc leporem in fuo cubantem nido offendẽs, XL fagittis petitum conficere non potui: ultimæ ftridore experrectus aufugit, cùm fatalis uitæ eius terminus nondum adeffet. Proinde & ego me nec ármis fuperari, nec arma euadere,nifi uolente fato, perfuafum habens, audacter cum Pannonio manus contuli. Chalcocondylas libro 7.de rebus Turcicis.

CONSALVVS Magnus,hortante illum Diego Garfia Hifpano,ut in locum tutum fe reciperet: Tibiipfi, inquit, fortiter fanè,mihi parum prudenter confulis.Quin potius quem tibi inhoneftum, mihi inhoneftiffimum fore metũ exiftimes uelim.Aegid.Corrozetus de Dictis & factis mem.

GAZELLES Syriæ præfectus, qui à Tomumbeio Mamaluchorum rege ad Selimum defecerat,eo mortuo,rebellauit, ratus fe facramenti religione folutum, quòd Selymo tantùm, Solymanno uerò fucceffori minimè facramentum dixiffe prædicaret: & proinde fibi decorum fore arbitraretur, fi coactis in unum Mamaluchorum reliquiis,Syriam ad ueterem Sultanorum imperij conditionem,eiectis Turcis, reuocare contenderet.Ergo Damafco eductis fignis,ut honeftè caderet,hoftes inuafit,eo acerrimæ pugnæ exitu, ut ipfe peritiffimè & conftantiffimè dimicans, cum fuis omnibus nihil de fuga cogitantibus interficeretur. Sabellici fupplementum libro 8.ex Iouio.

Explorare cum periculo.

Cùm Q.SERTORIVS aduerfus Cimbros cum C. Mario in caftris effet,mutata uefte, in Cimbrorum caftra penetrauit, ut illic hoftium confilia atq; ordines exploraret.Nimis magno periculo inter feras gentes id agere aggreffus eft,quod per alios uilioris fortunæ homines, minore reipublicæ periculo,affequi potuiffet.Fulg.lib.9.cap.8.ex Plutarcho.

MITHRIDATES Ponti rex,cùm animo Afiæ imperium concepiffet,ut diligentiùs locorum fitum infpiceret, ipfe folùs eam peragrauit, periculoq; fe obiecit, ut illuc feruus deduceretur,ubi imperium quærebat. Cui periculo domeftica etiã mala accefferunt. Laodice enim foror eius ac coniux, cùm certò mortuum effe arbitraretur, multis per adulteriũ fe commifcuit:ipfiusq; reditum uerita,operam dedit,ut rediens interimeretur.Fulg.lib.9.cap.8.

ADLAVVS, barbarorum Northumbrorum in Britannia rex, Ethelftani,in propinqua infula regnantis, exercitu preffus, cùm hoftium ordines uidere cuperet, mimi fufcepta perfona,ac mufici, ad Ethelftani tentoria profectus cecinit, munera accepit,& fortunæ felicitate magis quàm ratione adiutus,incolumis domum fe recepit. Quanquam dum cantaret, à quodam agnofceretur, qui in eius minifterio fuerat: qui tunc tacuit, quòd eum impensè diligeret, re poftquam abierat palàm facta.Fulg.lib.9.cap.8.

SALADINVS Aegypti Sultanus, Salutis anno centefimo atque octogefimo poft mille,cùm accepiffet à Chriftianis populis ingentem exercitum comparari, ut in Oriẽtem aduerfus eum traiicerent:cum duobus comitibus, ac tribus miniftris,ut apparatum belli uideret, in Græciam, Gallias ac Hifpanias penetrauit.Perfpectis itaq; hoftium uiribus,prudẽtior atq; audacior ad refiftendum fuit.Idem.

Cùm Frãcifcus Sforcia, Carauagium oppidum obfidione,adhibitis tormentis,premeret, Mediolanẽfis populi aufpicio, cuius eo tempore militaris dux erat: Veneti duces obfeffis opem ferre contendebant.TIBERIVS Brandolinus, militarium præfectorum unus, corporis atq; animi uigore præftans,cæterùm omnibus in rebus præceps habitus, ad ferẽdam obfeffis opem, quòd diutius obfidionem fuftinere nõ poterant, conferendam cum hofte manum cenfebat. Cui fententiæ cùm quofdam ex magnis Venetorum ducibus aduerfos haberet, ut omnia coram diligentius infpiceret, calonis habitu,uenali uua onuftus,in hoftium caftra cõtendit,omniaq; intuitus,incolumis ad fuos fe recepit.Idem.

MATHIAS Vng.rex, cùm Sciabacium oppugnaret, fub habitu gregarij militis cum accenfo ac remige tantùm cymbam confcendit, & ut propugnacula propius exploraret, fub mœnibus in Sauo amne luftrauit omnia. Turci mox in cymbam tormentum æneũ intenderunt. Bonfin.li.3.Dec.4.

Iter facere.

PIVS II.Pp.credidit facile fe omnibus,fiducia tanta, ut profectione Mantuana aliquando per hoftilem agrum fine præfidio tranfierit.Ioan.Ant.Campanus in eius uita.

Colloqui, Occurrere.

C.IVL.Cefar deuicto in Pharfalia Põpeio, eos infecutus, quos in Afiã Pompeius præmiferat,Hellefpontũ parua naue traiiciẽs,cùm in L. Caffiũ hoftẽ decẽ naues habentẽ incidiffet, rectà illi occurrit: atque tum minis, tum rationibus adductis,ita egit,ut Caffius petita uenia, ad eum tranfiret. Plut.

MAGISTRATIBVS, IVDICIBVS.

CHABRIAS perduellionis cum Iphicrate accufatus, exprobrante ei Iphicrate,quòd reus ad gymnafium uaderet,&hora folita pranderet: Igitur, inquit, fi fecus de nobis Athenienfes ftatuerint, fqualidum te & ieiunum, me necabunt pranfum & unctum.Plut.in Apophtheg.

CLODIVS Sabinus declamator cùm reus rogaret, ut in Latomias transferretur:Non,inquit,quenquam nomen Latomiæ decipiat:illa enim animo meo lauta res eft. uocabulo carceris ad genus pulpamenti tranflato. Iocabatur in miferiis:in quib. iocari debuiffe quis nefcit,potuiffe qui credit? Seneca in Declamationibus.

Leo Armenus Imp. Conftantinopolitanus Michaëlẽ Balbum infidiarum caufa in carcerem coniecerat: metuque eò neuffus atque animo fluctuans,perrupta, quà ad carcerem itur, portula,intrauit,fpeculatũ quid ibi gereretur. Vidit ergo alto ac magnifice extructo thoro MICHAELEM iacere,Papia cuftode carceris in nudo pauimento recumbente:cumque fuifque aggreffus,ut deprehenderet, num Michael(quod folent anxij, & in uitæ difcrimine conftituti)fomnum ancipitem ac curis plenum, an contrà fecurum atque fuauem duceret: fenfit eum profundo fopori deditum,adeò ut ne contrectando quidem eum potuerit excitare. Hoc tam infperato fpectaculo ira acriùs incenfus, difceffit. Eadem uerò nocte à coniuratis in templo interfectus eft. Cedrenus in uita Leonis.

TOLERANTIA MALORVM FORTVITORVM: SIVE INCOMMODENT

OPIBVS. IN

GENERE. Paupertatem,Fortunarum amiffionem ferre.

Damna fortunarum ferre, Tolerantiæ proprium eft: ipfos damni auctores non ulcifci, Clementiæ. Nos heic ea tantùm, in quibus fimplex tolerantia perfpicitur, confideramus.

IOB inter omnes orientales magnus(ut fcribitur)pecorum utiq; copia,& feruorum familiæq; nobilitate. At uerò his repentè amiffis, non folùm inter orientales, fed in uniuerfo orbe maior fuit. Nam patientia illius in aduerfis ubiq; terrarum prædicatur atq; extollitur.O uerè magnum & omnibus feculis memorandum uirum, cùm die uno tot opibus, tot feruis, tot liberis orbatum fe cognouiffet, corruens in terram Deum adorauit, &, Nudus egreffus fum, inquit, de utero matris meæ,nudus illuc reuertar.Dominus dedit,Dominus abftulit: ficut Domino placuit, ita factum eft: fit nomen Domini benedictum. In omnibus his nõ peccauit Iob labiis fuis, neq; ftultum quid cõtra Deum locutus eft. quia certè uel labiis peccare Deo, maius damnũ maioremq; miferiam effe eixftimauit,quàm cũcta quæ habuit fimul amittere.Marulus lib.5.c.3.& Sab.lib.1.cap.5.Exemplorum.

EZECHIAS rex Iudæorum cùm omnes diuitias fuas nimis iactanter oftentaffet legatis regis Babyloniorũ, omnes pariter Babylonem Deo puniẽte transferendas audiuit. Cum ergo tantam iacturam fe facturum didiciffet, non eft turbatus: fed quia peccauerat, libenter & peccati pœnam admifit,dicens:Bonus fermo Domini, quem locutus eft. fit tantùm pax & ueritas in diebus meis.Qua patientia & humilitate meruit, ut illa regiæ gazæ direptio ad fucceffores eius Ioachimum & Sedechiam differretur, quando etiam populus ipfe ductus eft in captiuitatem.Marulus lib.5.cap.3.

Sanctiffimi APOSTOLI, cæterique difcipuli, ut foli Chrifto adhererent,omnia,quæ habebant,conftãti erectoq; animo reliquerunt. Neq; Matthæus pecuniofum teloneum dimittere diftulit, neq; Zachæus dimidium bonorum dare pauperibus,& iis, quibus impofuerat, reddere quadruplũ tardauit. Quia multo plus lucri fe in uno Iefu facturos confidebant, quàm in omnium quæftu, quæ ubiq; funt,diuitiarum atq; opum.Idem.

PAVLA Romana, quando difpendia rei familiaris & euerfiò totius patrimonij nunciabatur, aiebat: Quid enim prodeft homini,fi totum mundum lucrifecerit, & animæ fuæ damnum habuerit?aut quam dabit homo commutationem pro anima fua? &, Nudus exiui de utero matris meæ, nudus & redeam:ficut domino placuit.ita factũ eft: fit nomen domini benedictũ.& illud,Nolite diligere mundum,neq; ea quæ funt in mundo. Quoniã omne, quod in mundo eft, defideriũ carnis eft,& cõcupifcentia oculorũ, & fuperbia uitæ huius:quænon eft ex patre, fed ex mundo. Et,Mundus tranfit, & concupifcentia eius.D.Hieron.in Epitaphio eius.

CRATES Cynicus,cum pera & pallio fordido ludens ridénfque,ficut in fefto,uitam tranfegit.Plut.de Tranq.animi.

DIOGENES Sinopenfis, defertus ab omnibus hominibus, folus relinquebatur, cùm neque propter egeftatem ipfe quenquam reciperet,neque ipfum hofpitio quifquam acciperet. Omnibus enim inuifa erat eius in reprehendendo acrimonia,deinde in agendo loquendoque acerbitas. Proinde triftitia plenus, fummas foliorum extremitates manducabat.Mus accedẽs,decidentibus fruftulis uefcebatur.Diogenes fubridens,animo recepto: Mus hic,inquit,nihil indiget Athenienfium lautitia. Et quid tu, ô Diogenes, ægrè fers, te cum Athenienfibus non cœnare? Aelianus libro 13. de Var. hift.

ARISTIPPVS, quum prædium amœniffimum perdidiffet, cuidam deploranti tam miferabilem illius cafum: Quid,inquit, an nefcis tibi unicum effe prædiolum, mihi uerò tres agros fupereffe?Quum annuiffet alter:Quin igitur tuam potiùs uicem deploramus? fentiens, infipientis effe,dolere amiffis potius,quàm gaudere relictis.Laert.lib.2.cap.8.

SPECIE. FERRE

Naufragia.

ZENO Stoicus,ut ad eum eft delatum nauem, quæ una ei fupererat, cum mercibus obrutam fluctibus fuiffe: Bene, inquit,fortuna agis,quæ ad uile pallium & uitam philofophicam nos redigis Plut.de Exilio.

Lupus Simonius,Durreç dominus,Neapoli proregem agens, cùm per nuncium Alphonfo regi Aragonum abfenti fignificaffet, nauem alteram ex duabus, quas inftar mõtium rex ædificarat,nautarum negligentia deflagraffe:refpondit ALPHONSVS: Sat fcire fe eam nauim:quamlibet magnã atque magnificã,paucis tamen pòft annis aut labe aut teredine periturã fuiffe.Proinde fecum æquo animo,fi fapiat, ferret infortunium.Panorm.lib.3.de rebus geftis Alphonfi.

Furta.

Confule Tit. Clementiæ erga fures.

BERNARDVS Clareuallenfis abbas, cùm ducenta argenti pondo fibi ad impenfas conftruẽdi monafterij miffa, à graffatoribus intercepta audiffet, gratias Deo egit, quòd magno fe onere leuaffet.Auctor uitæ.

Rapinas.

STILPO Megarenfis philofophus,quũ Demetrius Poliorcetes eos,qui Megaris erant, in feruitutem abduxiffet, urbem folo æquaffet, & Num quid amififfet? interrogaret. Nihil profectò, inquit,nam uirtus bello fpolium effe non poteft. Plutarchus de Lib.educatione.

Exactionem iniuftam.

Bello ciuili, cùm L.Sylla Cinnã expuliffet, Q.SERTORIVS, fpe femel abiecta feruãdæ urbis,cõtendit in Hifpaniã: quò, fi eam obtineret prouinciã, refugium amicis foret in Italia oppreffis. Cùm crebris tempeftatibus iactaretur, exigerunt ab eo in locis montofis barbari uectigal ac mercedẽ tranfitus.Indignantibus comitibus eius, & fœdum effe dictitantibus,proconfulem Romanum tributum fceleftis barbaris pendere: floccipendens id, quod in fpeciem erat turpe, & tempus fe,quo nihil uiro grandia affectanti carius, redimere ferens, barbaros argento conciliauit, & Hifpaniam maturauit occupare.Plutarchus in Sertorio.

Multam.

TECTAMENES, pofteaquam innocenter ab Ephoris damnatus effet,abiit ridens.Rogantibus autem iis,qui aderant, An contemneret Lacedæmoniorum leges?Nequaquam,inquit: quin gaudeo potiùs, ꝙ hæc mihi multa foluenda eft, cùm eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuò acceperim Plutarchus in Lacon.Apoph.

Belli Hetrufci cura omni difcuffa,AEMILIVS Mamercus, ne nõ aliquid in fua dictatura egiffe uideretur, cenfuram, quæ ab initio quinquennalis fuit,in annum & femeftre fpacium lege ad populum lata contraxit.Et ut fciatis, inquit, Quirites, quàm mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico. Cenfores eum in ordinem redactum, quia magiftratum Pop. Rom. minuere effet aufus, tribu fubmouerunt,octuplicatoq; cenfu fecerũt ærarium. Tulit Mamercus eam ignominiã ciuili animo, caufam potiùs quàm rem intuitus. Contrà tanta populi in Cenfores exarfit ira, ut nullius præter quã ipfius Mamerci auctoritas, ne multitudinis incurfu uiolarentur, Cenfores protexerit.Sab.lib.5.En.3.

Exhæredationem.

Ex Tit. Teftamẽtorum iniuftorum,pete eorum exempla,qui quamuis iniuftè præteriti,æquo tamen animo tulerunt.

HONORIBVS, EXISTIMATIONE. DEDECORIS, IGNOMINIÆ, Infamiæ tolerantia: siue inferatur

VERBIS.

Conuitia, obiurgationes, reprehensiones; si considerentur per se, quatenus Veræ sunt, uel falsæ, sic illis moueri uel non moueri, ad Studium ueritatis pertinet: quatenus uerò Ignominiam secum afferũt, sic ipsius ignominiæ fuga ad Studium honoris referri debet: at quia Diffidentiã in animo excitat, huius est loci. Sin considerentur respectu obiurgantis, contra quem is, qui obiurgatur, dictu factũ ue insurgit, & uindictam expetit, ad locum Clementiæ spectare uidebuntur, è quo plurima exempla transferri poterunt.

Reprehensiones ferre.

Cùm DAVID puer, fretus Dei auxilio Goliathum Palæstinum aggredi cogitaret: fratres illius, Eliabus, Aminadabus & Samma, uiri fortissimi, acerbis uerbis eum obiurgarũt: tum quòd improbus esset, qui ouibus relictis in castra uenisset, tum quòd audax, qui cum Goliatho, quem omnes metuebant, manus conserere cogitaret. At Dauid eorum obiurgationes æquo tulit animo: nihilo seciùs tamen Goliathum aggressus peremit. 1. Reg. 17.

Q. FAB. Max. Dictatorem M. Minutius equitum magister ludibrio habebat, eumq; milites Magistrum Annibalis appellabant, quòd semper montosis & altis locis castra muniret. Minutius amicos Fabij rogat, num in cœlum tanquam terra complorata rapturus sit exercitum: an uerò nubes & nebulas, quò recipiat se, hosti obiecturus? Quæ cùm ad Fabiũ referrent amici, suaderentq; ut periculo subeundo liberaret se ignominia, Næ ego, inquit, quàm nũc uideor, timidior sim, si probri & contumeliæ metu, à rationibus abducar meis. Atqui pro patria haud turpe fuerit timere: at expauescere ad hominum opinionem, calumnias & opprobria, non tanto digni imperio uiri, sed seruientis est illis, quibus imperare ipsum & malè consultos deceat reprimere. Plut. in Fabio. Euentus declarauit, quanto uir ille esset animo, qua prudentia, quo amore in patriam & ciues, ut confessione omnium celebrati sint illi de eo uersiculi uetusti quidem & rudes, sed magnifici cùmprimis elogij & præstantissimi:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo magisq; magisq; uiri nunc gloria claret.

Lud. Viues de Subuentione pauperum lib. 2.

L. CRASSVS orator, licet sæpe iurgiis à Cn. Domitio, cũ quo cẽsuram gessit, propter colũnas Hymettias, quas in porticu domus habebat, uexatus sit: æquo tamen semper animo iniurias illatas tulit. Plinius, Valerius, & Volat. lib. 14. cap. 2. Apologiæ, Macrobius & Aelianus.

M. ANTONINVS Pius domum homuncionis ingressus, percunctatusque, unde columellas quasdam porphyreticas sibi comparasset? respondit ille: Cùm in domum alienam ueneris, & surdus & mutus esto. Quod dictum tantum abfuit, ut molestè tulerit, ut tanquam præceptum quoddam aliis seruandum tradiderit. Pontanus lib. 2. capite 10. de Fortitudine domestica.

Maledicta, Conuitia, Calumnias ferre.

Semeis Geræ F. Ieminiensis, è Sauli gẽtilitate, DAVIDEM regnò pulsum à filio Absalomo, eiusq; comites omnes ad Bahurim ex montis latere conuitiis & lapidib. prosecutus est. Abisæus hominem persequi & interimere uolebat. Dauid uetuit: diuinitùs ista fieri asserens: neq; mirum, Absalomo de patris uita cogitante, Semeim Ieminiensem conuitia ista effundere. 2. Reg. 16.

SARA, Raguelis filia, ab ancillis probro petita, quòd interfectrix esset uirorum, ad Deum preces conuertit: ut sicut crimine se carere nosset, ita infamia liberam faceret. Inde illa quæ iam septem maritis orbata fuerat, in octaui Tobiæ thalamo feliciter conquieuit, multoq; inter se rerum successu diu lætati sunt. Marulus lib. 5. cap. 2. & Sab. lib. 9. capite 1. ex capite 3. Tobiæ.

PAVLÆ Romanæ, dum Bethlehemę ageret, suscitauerat Dominus Adad Idumæũ, qui eam colaphizaret, & quasi quodam stimulo carnis sæpiùs admoneretur, ne magnitudine uirtutum altiùs raperetur, & aliarum uitiis feminarum, se in excelso crederet cõstitutã. Hic cùm D. Hieronymus diceret, liuori esse cedendum, & dandum insaniæ locum (quod fecisset Iacob. in fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se allophylis tradiderit, malens hostibus, quàm inuidis subiacere) tũc illa respõdebat: Iustè hæc diceres, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non ubiq; pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet: si non sanctorum locorum amore retinerer, & Bethlehem meam in alia reperire possem parte terrarum. Cur enim non patientia liuorem superem? cur enim nõn humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram? Si quando procacior fuisset inimicus, & usque ad uerborum iurgia prosilisset, illud Psalterij decantabat: Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui, & silui à bonis. Et rursus: Ego autem quasi surdus non audiebam, quasi mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiẽs, & non habens in ore suo increpationes. Hieron. in epitaphio eius.

Apud Plutarchũ in uita PERICLIS legimus, Elpinicen quandam, quum eum indecoris conuitiis palàm incesseret, nihil aliud respõsi tulisse, quàm uersiculum illum ex Archilocho,

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο. id est,
Vnguento anus quum sis, caueto inungier.

Erasmus in Adagiis.

SOCRATES Alcibiadi Xanthippes conuitia ferri posse neganti: At ego, inquit, assueui, quasi trochleam continenter audiuissem. Suidas.

IDEM Aristophanis νεφέλας patientissimè tulit, in quibus ex professo, expresso etiam illius nomine & habitu, proscindebatur, Anyti & Meliti instinctu. Quinimò cùm drama in theatro ageretur, ridiculum admodũ & facetũ, & peregrini quærerent, quisnam ille esset Socrates? assurrexit Socrates, ut ab omnibus cognosci & conspici posset. Aelianus libro 2. Var. hist.

PLATO Xenocratem discipulum suum audiens multa de se impiè locutum, sine ulla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo uultu index, quærens causam, cur sibi fides non haberetur? Adiecit, Non esse credibile, ut quem tantoperè amaret, ab eo uicissim non diligeretur. Postremò cùm ad iusiurandum inimici asserentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaretur: affirmauit, nũquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Val. Max. lib 4. cap. 1.

XENOCRATES Chalcedonius à Bione dictis lacessitus: Nõ sum, inquit, tibi responsurus: neq; enim tragœdia, quum à comœdia taxatur, dignatur eam responso. Nota est ueteris comœdiæ licentia, in qua multa scommata iaciuntur etiam in ipsos poëtas, & fabularum personas: at tragœdia nõ dignatur uicissim humiles personas attingere. Laert. lib. 4. c. 2.

DION Alexandrinus natione, præcipuam in philosophia laudem est consecutus. Huic erat frater luctator, nomine Topsius. Itaque cùm quidam ex eius concertatoribus Dionem probris incesseret, fœda atque infanda in eum euomens, multa interim turba ad conuitium, ut fit, affluente: ipse ne uerbo quidem respondit maledictis, uidelicet philosophiæ dogmatum memor. Cæterùm ubi iam intra ædium suarum uestibulum esset (nam conuitiator eo usque fuerat prosecutus) nihil iracundiæ præ se ferens, hoc tantùm respondit, οὐδὲ γρῦ, id est, Ne gry quidem. Iuuenis autem animi impotens, laqueo se præfocauit. Ea res in uulgi fabulam abiit. Erasmus in Adagiis.

ARCESILAVM Academicum Antagoras poëta probris insectabatur. At ille in forũ progressus, ubi quã plurimos homines stare uideret, cum ipsis colloquebatur, ut conuitiator in pluribus sibi ipsi turpitudinem imponeret. Audientes igitur conuertebant sese, & insaniæ Antagoram accusabãt. Aelianus lib. 14. de Varia historia.

PHOCIONEM Atheniensem quum pro concione dicentem quidam interpellaret, multis conuitiis in illum debacchãs, omisit quod cœperat, locumque dedit maledico. Posteaquam ille uix dicendi fecisset finem, Phocion reuersus in suggestum placido uultu, perinde quasi nihil esset dictum, ceptam orationem persequutus est: De pedestribus, inquit, copiis audistis, superest ut de uelitibus ac leuis armaturæ milite dicam. Plut. in Politicis.

DEMETRIVS dicere solebat, Eodem loco sibi esse uoces imperitorum, quo uẽtre redditos crepitus: Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti, an deorsum sonent? Cælius libro 15. capite 25. Antiq. Lect.

LEONTYCHIDAS Spartanus rex, Aristoni F. cuidam ipsi dicenti, quòd Demarati filij malè de eo loquerentur: Per deos, inquit, nihil miror, quandoquidem nullus illorum de quoquam benè loqui posset. Plutarchus in Laconicis.

NICANDER, cùm diceret quispiam, maledictis incessi eum ab Argiuis: Igitur debent, inquit, quòd bonos obterãt, multam pendere. Plut. in Apophthegmatibus.

Cùm improbus quidã CLEOMENEM regem Laconũ conuitiis incesseret: Num ideo, inquit, tu maledicis omnibus, ne si uelimus respondere, otium habeamus uicissim de tua dicendi malitia? Vt è sublimi contemsit maledicum, cui nihil esset præsidij, preter maledicam linguam. Plut. in Lacon.

ALEXANDER audiens maledictis à quopiam se lædi: Regium, inquit, est, cùm benè meritus sis, malè audire. Plutarchus in Apophthegmatibus.

ANTISTHENES cuidam matrem Barbaram obiicienti: Et matrẽ deũm Barbarã fuisse, respõdit. Idea enim fuerat. Laer.

M. CATO senior à quodam infami multis nominibus uexatus: Impar mihi, inquit, tecum certamen est. Nam ut tibi & malè audire, & maledicere facillimum ac promtissimum est, ita mihi maledicere insuaue, malè audire insolitum. Erasmus lib. 1. Apophtheg.

MARIAMME Herodis regis uxor, Alexandriæ matris calumnias, scelestissimam & ingratam erga uirum clamantis, dignamque tali exitio, quæ ausa sit tã immane facinus, quòd maritum ueneno tollere conata esset, cùm ad mortem duceretur, magno pertulit animo. Iosephus lib. 15. c. 11. Antiq.

VITELLIVS Vespasiani armis Romæ circumuentus, religatis post terga manibus, & laqueo ceruicibus iniecto, discissa ueste, comaq; à capite reducta, ceu noxiis solet, per magna rerum & uerborum ludibria, toto uiæ Sacræ spacio in forum trahebatur, nonnullis etiam stercore & cœno incessentibus, quibusdam incendiarium patinariumque uociferantibus, uitiaque corporis cauillo exprobrantibus. In tot malis una uox non degeneris animi illi excidit, tribuno insolentiùs procaciusq; insultanti, Et quum sim talis, inquit, quandoq; tuus Imp. fui. Perductum ad Gemonias scalas minutis ibi ictibus milites excarnificati sunt. Sab. lib. 3. En. 7.

Proteo Cynico sine fine HERODEM sophistam conuitiis incessante: Cõseruimus, inquit, ambo: tu quidẽ malè loquẽs, ego malè audiens. Sensit immedicabile malum esse, cui ille tandiu assueuerat, & se moderatiùs ferre, quod iam nouum non esset. Erasm. lib. 8. Apoph.

Scommata, Irrisiones, Sugillationes ferre.

SENEX quidam (ut Cassianus tradit) cùm apud Alexãdriam ab infidelium turba maledictis agitaretur, & ab eo quærerent, Quid unquam miraculi fecisset Deus eius Christus? respondit, Vt iis, quas infertis, atq; maioribus, non mouear neq; offendar iniuriis. Marulus.

PAVLA Gracchorum stirpe nobilis, sed nobilior uitæ humilitate, cùm ne ipsa quidem, quæ omnia contemserat propter Christum, morsu hominum carere posset, nihil quicquam molestè ferebat. Cumque audisset, se quorundam iudicio stultam ac mentis emotæ reputari: Theatrum, inquit, facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Et, Nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientius est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad patrem: Tu scis insipientiam meam. Et iterum, Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Vt iumentum, factus sum apud te, & ego semper tecum. Hieron. in epitaphio eius.

Fertur, quòd cùm Platonis dialogum Gorgiam inscriptum GORGIAS legisset, ad familiares suos dixerit, Quàm bene Plato maledicere nouit. Hermippus in Gorgia, Gorgiam scribit Athenas profectum fuisse, postea quàm suam ipsius imaginem auream in Delphis posuit. Cùm eum Plato uidisset, dixisse fertur, Bonus ac aureus Gorgias ad nos accessit. Cui respondit Gorgias, Siquidem bonum hunc iuuenemq; Archilochum tulerunt Athenæ. Dicunt alij, quòd cùm Platonis dialogum Gorgias legisset, dixerit præsentibus, quòd nihil horum dixerit, ac ne à Socrate quidem audiuerit. Athenæus lib. 11. cap. 21.

DIOGENES, cùm ei quidam diceret, Isti derident te: Ego enimuerò, inquit nõ derideor. illos derideri solos existimãs, quos obstupefacerent & terrerent ista. Plut. in Fabio, & de Non irascendo. Cuidam dicenti, Multi te deridẽt, ô Diogenes: Et illos, inquit, fortassis asini. Altero subiiciente, Sed illi non curant asinos: Nihilo magis, inquit, ego ipsos. Asinis irrisionem tribuit, quòd subinde nudatis dentibus irrisionis speciem præbeant. Quin & deridentes quempiam, mota ab aure manu imitantur asininas auriculas. Videtur igitur & asinus motis auriculis irridere homines, nemo tamen offenditur. Laert. lib. 6.

Accusationem, Testimonia falsa ferre.

PAPHNVCIVS presbyter impubes adhuc, cùm inter fratres Scythioticæ solitudinis persanctè uersaretur, quidam inuidiæ stimulis agitatus, ut illum delicti insimularet, dum dominico die Paphnucius ad ecclesiam uenisset, codicẽ suum in cella eius abscondit. Precatione solenni peracta, questus est, codicem sibi esse furto sublatum. Nouum erat id criminis inter eos audire: & cunctis mirantibus, ipse qui detulerat petiit, ne quis antè ab ecclesia discederet, quàm missis fidelibus uiris cellulæ singulorum excuterentur. Missi seniores, codicem inter palmeas Paphnucij fiscellas inuentũ retulerunt. Diu attonitus stetit Paphnucius, neq; ausus est negare; quod tam aperto affirmabatur indicio: & ut sibi pœnam, qua satisfaceret, imponerent, rogauit. Inde uerò egressus, per duas hebdomadas ieiuniis ac fletu sese afflixit, nec interim ad communionem accedere præsumsit: sed tandem in limine ecclesiæ prostratus, ueniam petiit, cùm innocens esset. Tunc demùm Dei iudicio factum est, ut eius ignominiæ auctor à dæmone arreptus, nequitiam suam ac dolos confitendo proderet. Qui cùm diu multumque uexatus à sanctissimis uiris curari nequiuisset, postremò ipsius Paphnucij oratione curatus est. Marulus lib. 5. cap. 2. ex Cassiano.

ATHANASIVS Alexandrinus episcopus, olim diaconus in concilio Niceno, Arianorum maximas perpessus est insidias: multa ei falsa crimina obiecta, adducto etiam scorto, quòd rem cum eã habuisse crederetur, omnia patienter superauit. Ruffinus.

FACTIS. FERRE

Statuarum deiectionem.

DEMETRIVS Phalereus, quum audiuisset Athenienses deiecisse statuas suas, quas illi posuerant: At uirtutem, inquit, non euerterunt, cuius gratia illas posuerunt priùs. Laertius libro 5. capite 5.

Athenienses FAVORINI æneam statuam deiecerant, ut hominis Cæsari Adriano inimicissimi. Id posteaquam philosopho denunciatum est, nihil commotus dixit: Vtilius fuisset Socrati ab Atheniensibus ærea priuari statua, quàm bibere cicutam. Philostratus.

Repulsam à conuersatione, Exclusionem, Auersationem.

CANANEA mulier in Euãgelio, cùm repelleretur à Christo, nõ indignabatur: & canibus cõparata, magis se submisit: & sic quod confidenter petierat, efficaciter obtinuit. Marulus libro 5. capite 2.

DION Syracusanus patria pulsus à Dionysio tyranno, Megaram petierat. Cùm Theodorum principem eius urbis domi conuenire uellet, neq; admitteretur, multum diuq; ante fores retentus, comiti suo stomachanti, Patienter hoc ferendum est, ait. forsitan enim & nos, cùm in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus. Qua trãquillitate consilij, ipse sibi conditionem exilij placidiorem reddidit. Val. Max. lib. 4. cap. 1. Plutarchus in Dione Præodorum uocat.

Loci ignominiam.

DAMONIDAS, quum à chori magistro postremum in choro locum accepisset: Euge (inquit) chorage, reperisti, quo pacto & hic locus, cùm per se sit inhonoratus, fiat honorificus. Generosus adolescentis animus, qui fiducia sui non metuit, ne locus abiectior esset dedecori: sed citius futurum arbitrabatur, ut per ipsum locus fieret honoratior. Plutarchus in Laconicis. Hoc alij AGESILAO tribuunt.

Dionysius tyrannus succensens ARISTIPPO philosopho, hominem ad cœnam uocauit, & iussit eum in conuiuio infimum omnium accumbere. Hic Aristippus nihil offensus, Hunc, inquit, locum, ô rex, illustrare uis, ac honorificum reddere. significans, nõ locum reddere hominem uiliorem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. Laert. lib. 2. c. 8.

DIGNITATI, MAGISTRATVI.

Ex loco Honoris contemtus, huc quædam. Illic Voluptatis, quæ ex honoribus percipitur: hic Confidentiæ, quæ honores comitari solet, ratio habetur.

MVNERIS HONESTI FERRE

Repulsam.

Xerxes Darij filius, fratri ARIMENI, qui secum de regno ambigebat, descendenti ex Bactris, misit dona, iussis, qui ea daturi erant, dicere: Hisce te nũc honorat frater Xerxes. Quòd si fuerit rex renunciatus, omnium eris apud eum primus. Regem consalutatum Xerxem adorauit extemplò Arimenes, & insigni regio reuinxit: cui Xerxes locum à se dedit secundum. Plut. in Apophthegmatib.

PÆDARETVS cùm in trecentorum uirorum ordinem non esset ascriptus, qui honos apud Spartanos primam dignitatem obtinebat, repulsus discessit hilaris ac ridens. Reuocantibus autem Ephoris, Quidq; rideret? percontantibus: Gratulor, inquit, huic reipublicæ, quæ trecentos habeat ciues multo meliores. Plut. in Lycurgo, & Laconicis apoph. Valerius Maximus lib. 6. cap. 4.

L. AEMILIVS Paulus post tres repulsas forti animo perpessas consulatum adeptus est. Plinius de Viris illustribus.

P. SCIPIO Nasica, à rusticis tribubus ædilitatis repulsam magno animo tulit, quòd candidatus dum obuias manus daret, & suffragia ambiret, rustico opere daturas manus cuidam obiectasset: At ego nesciebam, inquiens, te manibus ambulare. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 17.

M. CATO minor consulatus repulsam tulit, propterea quòd non prensaret populum, nec per se nec per amicos. Quæ res cùm adferre solita esset non ipsis modò præteritis, sed & eorum amicis familiaribusque, per multos dies cum aliquo rubore tristitiam ac mœrorem: adeò eum casum tulit lentè, ut unctus pila luderet in comitio, & à prandio rursus in forum, more suo, sine calceis & absque toga, funiculo succincta tunica, descendens, deambularet cum familiaribus. Culpat eum Cicero, quòd cùm respub. talem consulem desidera-

fideraret,non incubuerit sedulò,nec comiter populum subiecit.Plutarchus in Catone.

Deiectionem.

ORONTEM,Artaxerxis Persici regis generum,legimus quãdoq; indignatione quadam à socero damnatum, ac honore deiectum, quum se contemtibilem animaduerteret, ac esse ludibrio inimicis,solitum dicere:Principum amicos uideri cõsimiles arithmeticorum seu computatorum digitis. Nam sicut hi computando nunc myriada, qui numerus decem millia continet, gestu conficiunt: nunc uerò monada, id est,unitatem: pariter & qui regibus sese insinuant, modò pollent plurimùm:suntque omnibus conspicui,fumos uenditantes:à multis frequentantur,obseruantur,coluntur:plurimorum etiam uitam à principe deprecantur. Mox uerò, qui fortunæ mos est, deuoluti in imum,derisui sunt omnibus: quique quàm plurimis opitulabantur, uix iam se tueri queunt,audiunturque subinde uoces,Nunquam,si quid mihi credis,amaui hunc hominem.Quò enim fortuna,eodem & pronus hominum fauor proclinatur. Cælius lib.23.capite 11.A.L.ex Plut.Apoph.

EPAMINONDAS à Meneclide oratore accusatus, ꝙ Bœotarchatum contra leges quatuor mẽsibus sibiipsi prorogasset,magistratu deiectus est. Cæterùm eam calumniam & conatum maleuolorum tulit leniter, magnam partem uirtutis & magnanimitatis in rep.moderanda ducens,ciuium tolerare iniurias.Plut.in Pelopida.

FRANCISCVS Foscarus,dux Venetorum, quũ Reip. quinq; & triginta annos feliciter præfuisset, quòd senio grauis parum idoneus tanto uideretur imperio, dignitate deiectus, principis tamen maiestatẽ deponere non potuit.Nam principis ornatu,ridenti persimilis, purpurea etiam ueste indutus,ex Palatinis ædibus, uniuersa inspectante urbe,in ædes suas ad diui Pantaleonis cupienti similis descendit. Itaque ab uniuersis qui aderant ita exceptus est (aderat autem ferè uniuersa ciuitas) ut principis maiestatem fastigiumque supremæ maiestatis susceptum in eo priuato crederes.Intra triduum defunctum Paschalis Maripetrus dux suffectus, & uniuersa ciuitas, funebri pompa sic deduxit, ut nihil omnino de ducis dignitate illi ademtum uideri possit. Egnat. lib.2.cap.5.& lib.3.cap.3.& 7.

Imminutionem.

Q.FAB.Maximus Dictator,Romæ sacrorũ causa absens, cùm cõtra ipsius edictum cum Hannibale M. Minutius equitum magister,licèt feliciter pugnasset,in castra ad sumendum de Minutio supplicium properaturus erat. Tum populus, Tribunis instigantibus, Fabio quidem non sustinuit abrogare dictaturam:sed æquato magistri equitum & dictatoris iure sciuit,ut paribus auspiciis gererent bellum.Id quod sine ullo exemplo hic primùm Romæ usurpatum est.Moderatè Fabius illam iniuriam tulit.Sed angebat eum reip.tamen gratia uulgi temeritas,quòd hominis efferatæ ad bellum ferociæ tantam fenestram aperuisset. Quare ueritus,ne insania hominem ex uana gloria & arrogantia nimium citò ad mali quid designandum auferret,clàm omnibus profectus est. In castra ut uenit, offendit Minutium nihil iam modicè præ se ferẽtem,sed tumidum & inflatum,imperiumq; postulantem alternis diebus.Id haudquaquam placuit ei,sed diuisit cũ illo copias:præstare enim,ut parti solus præesset, quàm uicissim uniuersis. Primam quartã legionem sibi sumit, secundam & tertiam attribuit Minutio : sociùm item auxilia pari numero partiti sunt.Minutius non multo pòst ab Hannibale circumuentus, & Fabij ope seruatus, errorem suum agnouit,& Fabium parentem salutauit,magistratuq; sponte abdicat,ocidem sese submisit.Plut.in Fabio.

MVNERIS INHONESTI IMPOsitionem ferre.

EPAMINONDAS Thebanorum dux, post Bœotarchiã delato sibi uiarum sternendarum ministerio per contemtum ab æmulis, At ego,inquit,illud ex sordidissimo splendidissimum reddam.Plutarchus in eius uita.

REGNI, PRINCIPATVS. FERre Regni amissionem.

DIONYSIVS tyrannus, cùm Timoleonti se dedisset, cum una naui & modicis pecuniis Corinthum transmissus est. Eò Græcorum multi,illius uidendi studio,nauigarunt: alij pristinæ fortunæ celebritatem, alij priuatum odium secuti, ut ueterem superbiã priuato exprobrarent. Multi fortunæ uolubilitatem in eo intuiti dolebãt,humanarum rerum fragilitatem secum reputãtes,quæ quò maiores essent, eò sua mole grauius ruerent. Ille uerò quasi sui oblitus, nunc in unguentaria sedebat taberna, nunc miscere se mulierculis, & cauponulas frequentare, ut iam uulgò potator diceretur. Interdum & musicos in uiis docebat, enixeque dabat operam, ut per contentionem theatrales cantus, & harmonias suauiores redderet. Id credo secuti quidam scripserunt, ludum etiam habuisse: unde uox illa memorabilis ipsius Dionysij sit audita,se ex tanto nuper principatu deiectum, idcirco ad pueros instituendos potissimùm mentem adiecisse, ut in aduersa fortuna haberet,quibus posset imperare.Leucadem delatus,quæ colonia erat,sicut Syracusæ,Corinthiorum, idem sibi dicebat, quòd adolescẽtibus, qui peccassent usuuenire. Vt enim illi hilariter uersantur cum fratribus, sed ex uerecundia patrum conspectum fugiunt: ita rubore se urbis Corinthiorum, quæ auctor originis suæ sit, libentem apud illos ibi mansurum. Cùm hospes quidam Corinthi de eius cum philosophis consuetudine, qua capiebatur in dominatu, asperiùs ei insultaret, rogaretque ad postremum, Quémnam ex Platonis cepisset sapientia fructum? Nihilne, inquit,tibi prouectus uidemur à Platone assecuti,qui ita uices feramus fortunæ?Plutarchus in Timoleonte. Multa huiusmodi acutè dicta ab eo feruntur,quæ dubium faciunt, essétne sordidum ingenium in causa, quòd omnem pristinæ personæ dignitatem tam breui exuisset,an dissimulatio potiùs animi,ex spe recuperandi adhuc regni pendentis.Sabellicus lib.3.Enneadis 4.

ANTIOCHVS rex, à L.Scipione ultra Taurum montem imperij finibus summotus, cùm Asiam prouinciam, uicinasq; gentes amisisset:gratias agere Pop. Rom. non dissimulãter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.Val.lib.4.cap.1.

CAROLI Crassi Imp. (quem Maleferiatum uulgò appellabant) ignauiam pertæsi subditi, quòd & Franciam à Normannis uastari sineret, & Richardam coniugem sanctam probri iniquè insimulasset, Arnulphum illi suffecerunt,regémque ac Cæsarem elegerũt. Carolus in summa egestate adeò uixit, ut sæpiùs quotidiani uictus sentiret penuriam: ab omnibus suis derelictus,priuatam uitam miser duxit,adiutus ab Arnulpho certis ex Alemannia redditibus pro uictu quotannis,quem supplex rogauerat,ne fame periret: & mortuus est pauper & inglorius, in Augia maiore monasterio prope Constantiam, anno Sal. 888. Imperij decimo uel sexto. A suis strangulatus scribitur. Tradit Regino, cum patientissimè hãc tulisse calamitatem, cum summa gratiarum actione:& totum deditum orationibus,incessanter pro delictis suis orasse.Cuspinianus.

IRENE à Nicephoro, seruo suo, imperiali dignitate deiecta, inquit:Ego quidem Deo acceptum refero, quòd me orphanam & indignam ad Imperij clauum collocauit. Quòd uerò me iam deici permittit, meis peccatis adscribo : in cunctis autem ac malis omnibus, sit nomen Domini benedictum.Paulus Diac.lib.23.rerum Rom.

Dani, Danorum parentis, filij duo Humblus & Lotherus ex Grytha Germana. HVMBLVM Dani regẽ designarãt post patris fata. Eum acie uictum Lotherus expulit. Neque ille inuitus cessit,uitæ priuatæ securitatem splendidæ & turbulentæ fortunæ præponens.Saxo lib.1.

VICTORIAE. FERRE SE VINci ab alio

IN BELLO. CLADEM, PVGNAM aduersam tolerare.

EVMENES in Orcyniis Cappadociæ ab Antigono per proditionem fusus, dum consectantur fugientem, non dedit facultatem proditori, ut ex fuga elaberetur ad hostes, sed arreptum suspendit. Fugiẽs autem contraria ac illi tenebant, qui eum insequebantur, uia, insciis illis conuertit iter: atq; præteritis hostibus,ut ad locum uenit, ubi fuerat pugnatũ, castra metatus, mortuos coaceruatos circumiectorum uicorum diruptis foribus cremauit, seorsum duces, seorsum gregarios milites,excitatisq; tumulis recepit se: ut Antigonus, qui pòst eò peruenit, stuperet audaciã atq; immotum eius animum.Plut.in eius uita.

DEMETRIVS Poliorcetes Antigoni F.annos natus XXII, à Ptolemæo Aegypti rege ueterano ad urbem Gazam fusus est,octo millib.captis,& quinq; millibus desideratis. Amisit simul tabernaculum,stipendium,totumq;,quo ad corporis cultum utebatur,famulitium. Cæterùm remisit ei hæc cum amicis Ptolemæus,generoso & humano adiecto dicto: Nõ de uniuersis,sed esse de gloria ipsis & imperio decertãdum. Quibus receptis,precatus Demetrius deos est,ne eius beneficij diu maneret debitor,sed citò paria referret ei. Neq; fuit iuuenili more attonitus,cùm in rerum gerendarum esset uestibulo prostratus:sed ut constans dux rerum uicibus uersatus, militum delectibus armisq; parandis intendit, atq; urbes instititin potestate retinere,conscriptosq; exercere. Antigonus pugna nunciata, Ptolemæum imberbes ait nunc uicisse, sed iteratò dimicaturum cum uiris. Ne animum autem infringeret aut perstringeret filij,petenti de integro per se præliari,non prohibuit, sed concessit. Mox magnis cum copiis Ptolemæi dux Cilles, quòd Demetrium ex priore aduerso prelio contemneret,adfuit ad eum tota Syria summouendum.At Demetrius repentino insultu non expectantem perculit, atque castra cum ipso cepit duce. Milites septem millia uiuos in potestatem redegit, ac permagna preda potitus est. Victor exultauit non horum causa, quæ habiturus, sed quæ redditurus esset : atque ex uictoria non ita opes & gloriam, ut pensitationem munificentiæ & gratiæ in Ptolemæum relationem est amplexus.Neque hæc tamẽ executus est ex suo arbitrio, sed ad patrem scripsit. Quo annuente & mandante, omnibus ut ex libitu suo uteretur, ipsum Cillem & amicos eius magnificè donatos remisit. Hoc naufragium exegit Ptolemæum Syria, & Antigonum uictoria ouantem filiumque auentem aspicere exciuit Celænis.Plut.in Demetrio.

Leuctrica clade affectis SPARTANIS (qua nulla maior certantibus contra Græcos Græcis obtigit) fortè festum diem agitabat Spartana ciuitas, & peregrinis referta erat.Nam ludi gymnici edebantur certantibus in theatro choris,cùm ex Leuctris nũcij cladis adfuerunt. Ibi Ephori, quamuis illicò perspicuum foret, actum de summa rerum, & amissum esse imperium, neq; egredi chorum permisere,neq; formam immutari à ciuitate festi : uerùm missis domum cæsorum ad propinquos nominibus,ipsi ludos & certamen chororũ curauerunt. Postridie mane,cùm iam omnibus constaret, qui incolumes essent,& qui occubuissent: defunctorum genitores,affines & propinqui in forum descendêre, consalutãtes inter se uultu exporrecto,animoq; erecto & hilari: superstitum, sicut in luctu, cum feminis domi se continuerunt. Si quem necessitas in publicum cogeret prodire, eum & habitu & uoce & obtutu demissum uideres contractumque. Multò magis inter mulieres cernere & audire erat,hãc,quæ saluum filium ex prælio expectabat,mœstam & tacitam: illas uerò,quarum perisse dicebantur liberi, publicè in sacris ædibus uersantes, hilariterq; se mutuò & celso animo inuisentes.Plutarchus in Agesilao.

Prælio ad Selasiã uicti ab Antigono Macedonũ rege IIDEM libertatem amisere. Incredibile est relatu, quàm constanter eam cladem tulisse dicãtur.Quum nemo in acie propriæ saluti pepercisset,non amissum coniugem matronæ fleuerũt, filiorum mortem laudarunt senes,filiæ cæsis parentib.præsentem uicem gratificari, suam dolere, quòd non sibi quoque pro salute patriæ mori contigisset,publicam non priuatam fortunam lamentari. Superuenit his querelis Cleomenes rex, suo hostiumq; cruore fœdatus, qui urbẽ ingressus non humi sedit,non potum sibi afferri iussit,nõ cibum,quò haustum labore corpus reficeret, sed ut erat armis septus, stans parieti accliuis, ubi quatuor millia tantùm prælio superfuisse uidit,hortatus ciues,ut se ad meliora Reipub. tempora seruarent,cum coniuge & liberis ad Ptolemæum Euergetem,cuius in bello societate usus erat,in Aegyptum nauigauit.Antigonus Lacedæmone nullo maiore certamine potitus, præter spem omnium permisit, ut Spartani suis legibus uiuerent.Sab.lib.1.En.5.ex Plut.Cleomene.

Victo ad Sirin amnẽ Leuino Coss.magna strage,misit Pyrrhus Epirotarum rex Cineam legatũ ad ROMANOS,qui exploraret,ad pacémne animi ipsorum inclinarent. Hic primores conuenit,muneraq; his omnibus & eorum coniugibus nomine regis misit:quæ tamen admisit nemo,responderuntq; omnes tam uiri quàm mulieres, Si pax publicè conuenisset, suum etiam priuatim ipsos promtum studiũ & obsequium regi præstituros. In senatu uerò cùm multa Cineas blandè & benignè diceret, nihil quicquam libenti uel promto animo acceperunt:tametsi captos in prælio offerret se Pyrrhus sine precio redditurum, atq; ad subiugandam Italiam operam suam polliceretur,nec pro his nisi amicitiam eorum & Tarentinis securitatem postularet quicquam.Multi erant tamen euidenter ad pacem propensi : quòd ingenti superati pugna essent,& alteram cum maioribus copiis Italorũ Pyrrho adiunctorum expectarent.Ibi Appius Claudius,qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens Repub.abstinebat,accepta regis legatione,& rumore delato,decreturum senatum pacem,non potuit sibi temperare,quin seruis iuberet,ut tollerent se, & lectica per forum deportarent in curiam. Vt ad ualuas peruenit,exceperunt eum filij pariter & generi, cingentesq; latera eius introduxerunt.Senatus autem reuerentia & honore eius cõticuit.Ille graui oratione patres reprehendit,& ad bellum inflammauit.Plut.in Pyrrho.

Q.FAB. Max. qui ante pugnam Cannensem timidus habebatur & pusillanimis,tunc omnib. immenso luctu inaniq; oppressis trepidatione, solus per urbẽ placido incedebat gradu, uultuq; intrepido & benigno alloquio planctus muliebres sedabat, cœtus arcebat eorum qui in comploratu familiarum in publicum prorumpebant.Auctor etiam fuit senatui cõueniendi: magistratus,quorum in uno eo positum erat robur & opes, quemq; respiciebant omnes, confirmauit: ad portas posuit custodes, qui prohiberent profugientem multitudinem egredi urbe: luctus locũ & spacium definiuit,domi lugere triginta dies quemq; iubens, iis terminari omnem luctum,& defungi ciuitatem.Cùm sacrum Cereris in eos dies incideret, placuit omnino intermitti sacra pompamq;,ne cladis magnitudinem paucitas & mœror argueret celebrantium festum. Etenim fortuna utentium secunda gratiorem diis cultum esse. Quæ ad deos placandos & ad procuranda prodigia iusserant aruspices, sedulò executi sunt.Plut.in Fabio.

MITHRIDATES Eupator Ponti rex, qui annos circiter XL cum Rom.uario euentu bellauit, à L. Sylla pace impetrata, à L.Lucullo motis iterum armis uictus,ad Ponti extrema fugiens, Tigranem socerum Armeniæ regem in societatem belli pertraxit. Ab eo etiam destitutus,cùm se Cn.Pompeio subiicere nollet,nec supplex pacem petere: Phanagorij,Castoris cuiusdam ductu,à rege defecerunt, expugnata arce, in qua erant quatuor Mithridatis filij,Artaphernes,Darius, Xerxes & Oxatres,& cum his Eupatora regis filia adhuc uirgo, quam Mithridates præcipuè diligebat. Secuta inde & Cherronesi defectio,Theodosiæ, Nymphæi, & aliorum circa Pontum illustrium locorum. Quibus Mithridates territus,cùm & exercitum suspectum haberet,ob longam & infelicem militiam iam munus detrectantem, ad Scytharum reges misit, qui illis filias in matrimonium offerrent, auxiliaq; post iunctam affinitatem ab eis imperrarent. Quingenti equites sequebantur Eunuchos,qui ad id mittebantur.Hi fide obiter mutata,legatos subinde obtruncant,regiasq; ad Pompeium perducunt filias.Nec Mithridates ad præsentem cladem animum remisit, quin cæterarum gentium auxiliis destitutus ad Gallos penetrare constituit, ut iuncta cum his societate, Italiam inuaderet, Hannibalis exemplo. Audita autem Pharnacis F.defectione, uenenũ miscere cepit,quod ad similes casus in capulo ensis gestabat inclusum.Aderant illi duæ filiæ, quæ reliquæ ex omnibus apud illum educabantur,Mithridatia & Nysa, Aegypti & Cypri regibus connubio destinatæ. Hæ cum lacrymis ad pedes patris prouolutæ,suppliciter precabantur,ut si uitæ exitum quæreret,sui fati comites amantissimas traheret filias, priusq; utranque tolleret,quàm de se aliud statueret.Pater lacrymis uictus, exitiale uirus ambabus impertiuit. Quæ ubi exanimes ante illum iacuerunt,rex contra domesticas fraudes antidotis & medicaminibus ab ineunte ætate assuetus,adeò corpus aduersus eam uim longa consuetudine muniuerat,ut ueneno sæpiùs hausto extingui nequiuerit. Bittito itaque uno ex Celtarum ducibus ad se ferro conficiendum precibus adhibito, ne uiuus in hostium potestatem ueniret, fortiter occubuit.Sabell.lib.4.En 6.

M.TER. Varro, L. Pauli collega, Cannensi clade (cuius ipse auctor fuerat) fractis Rom. rebus, non uitæ cupiditate, sed Reipub. amore superesse uoluit.Itaque ei Romam redeunti senatus obuiam progressus gratias egit, quòd Rempub. non deseruisset. Ille tamen barbam capillumque submisit, nunquam accubans postea cœnauit, & honores oblatos recusauit.Frontinus lib.4.cap.5.

LICINIVS consul,cùm aduersus Persam Macedoniæ regem bellum gereret, quanquã primo prælio duo millia ac quingentos equites amisisset, de pace à rege Persa compellatus, grauitatem suam retinuit, iussitq; Persam totum Macedoniæ regnum Romanis relinquere,seq; eorum arbitrio dedere.Sic ostendit, aduersum prælium non animum ei, sed equos ademisse.Fulg.lib.6.cap.4.

CATO minor ex acie Pharsalica fugiens,Vticam uenit, eámque urbem, ut belli promtuarium & sedes esse posset contra Cæsarem, muniuit. Quòd nisi Scipio Pompeij gener præcipitantia sua re malè contra Cæsarem ad Thapsum gesta omnes illius rationes euertisset,maiore fortassis cum labore & periculo Catonem quàm Pompeium Cæsar debellasset.Plut.in Catone.

Clades Q. SERTORIVS complures accepit in Hispania, nunquam sua,sed ducum culpa. Atqui ex reparandis cladibus supra uictores celebratus est aduersariorum duces.Plutarchus in eius uita.

CORBREDVS II.Galdus dictus,Scotorum rex fortiss. multis præliis à Petilio Cereali & Iul. Agricola,legatis Romanis uictus, infracto semper animo ad meliora tempora se reseruauit. Tandem cùm Agricolæ duci summo successor datus esset à Domitiano Cn. Trebellius, milites uerò Trebellianum uellent: orta seditione in exercitu, Galdus occasionem non neglexit, sed tribus præliis uictos Romanos ad turpiss. pacem adegit, patriaq; liberata, L annorũ bello finem imposuit.H.Boethius lib.4.

OTHO Vicecomes,Mediolanensis archiepiscopus,à Turrianorum populari factione urbe pulsus, quinquies acie uictus, tot propinquis & clientibus sæuitia hostium amissis, summa circumuentus inopia, nunquam tamen tot aduersis casibus succubuit, quin reliquias exercitus annos iam quinque & sexaginta natus recolligeret, & tandem Turria-

nis uno prælio superatis, patriam ab eorum liberaret tyrannide. Iouius in eius uita.

PIVS II. Pont. Max. uisus est erexisse calamitatibus animum. Cùm nunciaretur, deletum in Picenis eius exercitum, & domestici supprimere nuncium conarentur, ubi resciuit, nihil motus: Sigismundus Malatesta, inquit, si decies prælio uicerit, semel uictus fuerit, bello uincetur. quod mox instauratis copiis euenit. Ferdinando regi Neapolitano ad Sarnũ profligato, insultantibus Gallis, Fortuna, inquit, belli nobiscum est. nam ea quos primùm fouet, postremò destituit. In Germania quoq; uictis insigni calamitate, qui eius auctoritate bellum gerebant: Nostrum, inquit, erit iam uincere, qui uicti sumus. Quæ tria bella, quãuis principiò deteriori conditione ubique fuerint, breui ex sentẽtia confecit. Expugnari neq; casibus Fortunæ aduersis, neq; minis potuisse, ex eo constat, quòd post susceptum bellum nemini pacem dedit nisi uictor: quanquam & à Sigismundo post uictoriam Picenã, & à Gallis post fusas regias copias postularetur iis conditionibus, ut accipere non dare uiderentur. Ioan. Campanus in eius uita.

Celebris Venetorum ad Carauagium clades, quam Franciscus Sforcia Mediolanensium imperator illis intulit. Fugatus imperator Venetus, capti legati duo, qui castris præerant, uniuersus exercitus fusus profligatusque est, paucissimis fuga seruatis. Id quum Venetias nunciatum esset, tantum abfuit ut in consternata ciuitate FRANCISCVS Foscarus dux, præcipuus Gallici belli auctor, conciderit animo, ut statim aduocato Senatu uestem purpuream indutus, uultu etiam lætiore, magnaq; auri ui profusa, patres ipsos sit adhortatus, ut nequaquam humilioribus animis, aurum & argentum domesticum & ipsi in publicum offerrent: fore pollicitus, ut intra triduum Venetæ copiæ recuperarentur omnes. Qua constantia factum, ut Sforcia uictor pacem à Venetis petierit, & Mediolanensium principatum, Venetorum inprimis opera adeptus sit. Egnatius libro tertio, capite sexto.

Cùm VENETI à Ludouico XII. Gallorum rege, Maximiliano I. Imp. Iulio II. Pp. & Ferdinando I. Hispaniæ rege toto continentis imperio exuti essent: omnibus illorum fortunæ insultantibus, uni omnium Turcæ pacis paulo antè confectæ memores, non modò fidem seruarunt, uerùm auxilia in id bellum amicè studioseque obtulerunt. Sed barbaro regi, quòd fidem pacemq; egregiè tueretur, gratias egere Veneti: quum huiusmodi auxiliis nequaquam è republica utendum esse, censuissent. Iouius libro nono, & Guicciardinus libro octauo. Eodem certè tempore LEONARDVS Iustinianus Venetorum dux, animum Venetum solus retinuit, & patres suo exemplo ad spem erexit. Eius consilium secuti, imperij uires amissas breui recuperarunt. Sed & ALOYSIVS Molinus D. Marci procurator, primus de Pataio per Nic. Petilianum recuperando sententiam dixit, & fundamenta restituti imperij iecit. Egnatius libro tertio, capite sexto.

FERDINANDVS Aragonius Neapolitanorum rex, regno à Gallis exutus, & accepta interim noua clade ad Semeneriã: eosdem propè, ac si uicisset, spiritus gessit, querebatur tantùm se sua opinione deceptum, ac nihil de Fortuna dubitare, quæ iam pluribus ostentis, maturum in regnũ patriamq; reditum omnino despondisset. Inerat enim eius animo fiducia quædam fato potiùs quàm ullis humanis innixa rationibus: adeò ut cuncta, quæ amicorũ animis obuersabãtur, pericula despiceret, ac si non modò ciues, sed & deos quoque ipsos terra mariq; præsenti numine adfuturos arbitraretur. Nec spes, quanquam temerè concepta, rem extremæ difficultatis atque dementiæ aggredi ausum fefellit. Superato nanq; freto, & collectis Messanæ circiter septuaginta nauibus, in quas perpauci præter ipsos nautas milites erãt, secundissimis usus uentis Neapolim peruectus est, penè priusquam certior fama de prælio ad Semenariam facto in urbem perueniret. Iouius lib. 3. Hist.

IVLIO II. Pontifici idem contigit, quod de Antheo fabularum scriptores posteris memoriæ prodiderunt: ut quoties Herculis robore domitus tellurem attigisset, toties maior in eo uis appareret. Nam quò magis deiectus ac prostratus uidebatur, eo maiore animi firmitudine ac pertinacia plura sibi in posterum quàm unquam antea pollicitus, resurgebat: cùm tamen nullo penè quàm se ipso niteretur: & quòd (ut palàm dicebat) cùm nihil priuati commodi gratia gereret, sed unico puroq; Italiæ liberandæ desiderio, sibi persuasum haberet, sua consilia, Deo bene iuuante, felicem exitum habitura. Guicciardinus lib. 9.

EXTRA BELLVM.

LABERIVS inter eos, qui Mimos scripserunt, diu clarissimus, uictus tandem est à Publio Syro, cùm à C. Iulio Cæsare eo actus in certamen descendisset. Victorem corona, uictum anulo Cæsar donauit, inquiens: Fauente tibi me, uictus es, Laberi, à Syro. Hoc Laberius ipse tam æquanimiter tulit, ut uictum se sine altercatione fateretur, his sapientiæ plenis & memoratu dignis uersib. quos Macrobius recẽset.

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum cùm claritatis ueneris,
Consistes ægrè, & citiùs quàm descendas decides.
Cecidi ego, cadet qui sequitur. Laus est publica.

LIBERTATI. FERRE

CARCERES, VINCVLA.

MEGISTO Eliensis, Timoleontis uxor, ab Aristotimo tyranno cum multis aliis feminis exulum in carcere seruabatur. Tyrannus fretus posse se exules ad pacem adigere, si uxores filiique eorum id per literas petiissent: carcerem ingressus, mulieres captiuas, ut de pace scriberent, humanis uerbis hortatus est. Megistò uerò minimè tyranni præsentia mota, omnium ore nõ solùm quod petebatur negauit, sed ne assurrexit quidem, aut alio honore tyrannum dignata est: idemque cæteræ mulieres fecerunt. Qua re adeò commotus est Aristotimus, ut statim in carcere filium eius occidi iusserit. Megistò sua manu apprehensum carnifici tradidit. Plut. de Virt. mul.

Alexander Pheræus tyrannus PELOPIDAM Thebanum uirum clarissimum Phaleris ex insidiis cepit, & secum Pheras abstraxit. Vbi primùm, quòd abiectum in calamitate & infractũ existimaret, omnibus permisit eum alloqui. At postquam gementes Pelopidas Pheræos consolatus est, quòd impenderet hauddubiè tyranno uindicta, atq; illi nunciari iussit, absonum esse quòd miseros & innoxios ciues quotidie excruciaret & trucidaret: sibi uerò, quẽ certò sciret, si euasisset, pœnas ab ipso persecuturum, parceret: miratus animum & securitatem eius, Quid properat, inquit, Pelopidas mori? Quo audito: Vt tu, inquit, magis quàm nunc execrandus pereas maturiùs. De cætero prohibuit, ne quis præter domesticos eum adiret. Thebe uerò Iasonis filia, uxor Alexandri, cùm accepisset de custodibus Pelopidæ firmitudinem & celsitudinẽ animi eius, expetiuit eum uidere & conuenire. Vt accessit ad eum, & uelut mulier magnanimitatẽ eius nõ illicò in tantis ærumnis perspexit, sed ex squallore, sordibus, & maligno uictu coniiciens acerba eum & indigna illo nomine premi calamitate, illacrymauit: primùm incertus, quę nam mulier esset, mirabatur Pelopidas, ubi cognouit eam (quòd cõsuetudo ei & gratia intercederet cum Iasone) compellauit eam nomine paterno. Cùm diceret illa, Miseret me uxoris tuæ: Me uerò tui, inquit, quæ soluta feras Alexandrum. Hæc oratio pupugit Theben. Quippe crudelitatem oderat flagitiaq; tyranni, qui præter cæteram libidinem etiam minimum natu fratrem eius in pellicatu habebat. Quare inuisit Pelopidam frequenter: & cum liberè eo meret apud eum miserias suas, dedit ille animum ei & spiritus, atq; in Alexandrum incendit eam. Pelopidam tandem cum exercitu liberauit Epaminondas. Plut. in Pelopida.

EVMENES Cardianus ab Argyraspidibus Antigono proditus. Postquam Nicanor ab Antigono ad eum accipiendum missus est, petiit, ut per medios Macedonas duceret se, copiamq; darent eos alloquendi: non ad supplicandum uel deprecãdum, sed quasi de commodis eorum esset dicturus. Facto silentio stans loco edito, & manus uinctas protendens, seuerissimè eos corripuit, quòd impedimentorũ recipiendorum gratia ducẽ suum prodidissent. Antigonus ob superiorem necessitudinem & familiaritatem non sustinuit, ut in conspectum suum ueniret Eumenes. Cùm quærerent autem, quibus traditus fuerat, quemadmodum eum custodirent: Ita, inquit, ut elephantum, ut leonem. Paulatim uerò ad misericordiam flexus, catenas grauiores ei præcepit detrahi, & puerum ex familia eius ad eum admitti, ut ungeretur: permisitq; amicis, qui uellent, ut eum adirent, & ferrent necessaria. Dum de eo per plures dies consulit, admittebat orationes & spõsiones Nearchi Cretensis, & filij Demetrij, qui conseruare studebant Eumenem. Verùm cæteri ferè omnes suadebant de medio tollendum. Fertur Eumenes ex Onomarcho, qui custodiebat eum, rogasse: Quid tandem Antigonus inimicum, quem in potestate haberet, aut non citò interficeret, aut generosè dimitteret? Cui Onomarchus cùm respondisset contumeliosè: Non in præsentia, sed in prelio debuisse ipsum ad mortem esse imperterritum: Etiam hercle, dixisse Eumenes, tunc fui. Percunctare illos, qui mecum sunt congressi. Verùm in neminem incidi, me qui esset fortior. Cui Onomarchus: Ergo quandoquidem nunc reperisti fortiorem, quin tẽpora eius expectas? Vt igitur statuit Eumenem Antigonus tollere, imperauit cibum ei detrahi: atq; ita duos uel tres dies inedia morti admouebatur. Cùm essent autem repentè castra mouenda, missus intrò quidam trucidauit eum. Corpus concessit amicis eius Antigonus, & cremare permisit, reliquiasq; in urnam conditas argenteam referre ad uxorem & liberos eius. Plut. in Eumene.

IVGVRTHA regno amisso Romam captiuus ductus, in carceris ostium etiam iocatus esse dicitur. Sallustius.

Decimo anno Leonis Magni Imp. ISOCASIVS quæstor Antiochiæ, idemq; philosophus, delatus est apud Imperatorem, quòd Græcam religionem teneret. Is eum examinari iussit apud præfectum urbis Constantinopolis. Cùm ergo manibus post tergum reuinctis adduceretur, ita eum præfectus urbis Posæus alloquutus est: Vidésne Isocasi, quo habitu adstes? Respondit ille: Video, neque miror. homo enim in humanam deueni calamitatem, tu uerò ita mihi ius dicitò, sicut me collega solebas dicere. Hæc audiens populus, Imperatorem collaudauit: isque re cognita, lætus eum domum remisit. Cedrenus.

HENRICVS VI. Anglorum rex, princeps optimus, bis in uincula ab Edouardo IV. regni inuasore coniectus, sic patiens fuit, ut non uindictã appeteret, sed ob illud ipsum Deo opt. max. gratias ageret, ꝙ per id sua delicta dilui putaret. Itaq; regno exutus, & filio unico Edouardo occiso, non quam dignitatem, quos honores, quem uitæ statum, quem filium, quos amicos amisisset, magnoperè cogitabat, aut dolore torquebatur: sed in qua apud Deum offensa esset, id curabat, id lugebat, id dolebat. Polyd. lib. 24.

LVDOVICVS Bauariæ dux fortissimus, ab Henrico eiusdem familiæ principe captus, ac in carcerem coniectus, cùm animum infractum & inconcussum etiam faciei lineamentis ostendisset, partim apud custodes, partim apud Henricũ principem, qui uaria ex eo interrogabat, tantum auctoritate & maiestate sua potuit, ut hostes non captum, sed liberum esse pronunciarẽt. Aen. Syl. lib. 3. Com. de reb. gestis Alphonsi.

VICTOR Pisanus, Imperator Venetus, ob Polensem cladem nullo suo merito, æmulorum insidiis carceri inclusus, quanta constantia etiam pertulerit ignominiam, id ipsum declarat, quòd non multo pòst publica uniuersæ ciuitatis acclamatione emissus, quũ lares suos uisens, ad diui Ennini, gratias Duci & patribus egisset, deducente eum populo, ordineq; patriciorum frequentissimo, pugno nauarchum percussit, hortantẽ, ut abrogati sibi imperij carcerisq; iniuriam ulcisci uellet: eo elogio adiecto, Quacunq; occasione bonum ciuem patriæ dignitatem & salutem præponere rebus omnibus debere. Egnat. lib. 2. cap. 5.

ANTONIVS Grimanus, rei maritimæ imperator, suffecto illi Melchiore Triuisano, nexus Venetias deductus, dum carceri includeretur: filio Cardinale patrem adhortante, ut hanc ipsam calamitatem forti animo ferret, nec dubitaret, quin in comitiis egregiè defensus dignitatem suam locumq; retineret pristinum, id unum respondit: Ego nihil hoc tempore aliud cogito, quàm ut Respub iure suo & legibus utatur. in exilium missus, magno animo etiam casum illum tulit: ut tamen uiolatis exilij terminis, Romam ad filium Cardinalem proficiscens, nõ multo pòst sit patriæ restitutus, & procuratoria primùm dignitate donatus, mox etiam princeps declaratus. Egnat. lib. 3. cap. 6.

CAPTIVITATEM.

DIOGENES Cynicus, cùm ei capto latrones malignè cibum præberent: nec præsenti fortuna, nec illorum immanitate deterritus, dixit, iniquissimum esse, cùm porcelli agniq; uenales saginentur diligentiùs, hominem præstantissimum animal inedia macerari, quasi hoc pacto non redderetur uilior. Itaq; accepto quantum sat erat, cùm iam esset uendendus, inter cæteros sedit, & prandebat bono animo, impartiens etiam proximis. Philo, Quòd omnis probus liber.

Ad Lycum amnem commisso equestri prælio, terga Romani uerterunt. In eo POMPONIVS non obscurus uir, saucius captus est, atq; ad Mithridatem uulneribus grauis pertractus. Quem ubi rogauit rex, An si ipsum conseruasset, amicus sibi esset futurus? Sanè, inquit, si pacem cum populo Romano feceris: sin secus, hostis. Cuius rex admiratus uirtutem, nihil eum læsit. Plutarchus in Lucullo.

Regina Palmyrensium ZENOBIA, cùm ab Aureliano Augusto capta esset, Aurelianus ab ea petiit, Qua re freta, æquare se Romano imperatori ausa esset? Ipsa quanquam captiua, atq; in ultima fortuna constituta, respondit: Te qui uincere scis, imperatorem agnosco: sed Calienum, Aureolum, atq; alios eis similes, nunquam imperatores duxi. Itaq; si optatis meis fortuna respondisset, imperij consors ac socia tibi esse uolebam. Fulg. lib. 6. cap. 4.

GILIMER Vandalorum rex, ab Belisario Iustiniani Imp. duce uictus, per interualla ridebat: ut qui uidebant, eum errore mentis affici crederent, ob calamitatis magnitudinem. Sed res aliter se habebat. Nam dum fortunæ suæ commutationem animo reputaret, humana omnia ridicula esse existimabat: qui ex tenui fortuna regnum occupasset, & nunc rursus uariante fortuna esset deiectus. Zonaras.

Cùm RICARDVS Anglorũ rex, capta Ptolemaide, domum reuersurus, Viẽnam habitu rusticano Austriæ uenisset: Leopoldus dux confestim custodes misit exploratum, quales adessent hospites. Ricardus spem fugiendi esse nullã uidẽs, resumto regali uestitu, pristinam animi constantiam militibus ostendẽs, quæsiuit Ecquid sit, cur armati circumstent? Quibus se ipsum petere uociferantib. respondit, Non decére, ut rex alij nisi duci se captiuũ tradat: ac propterea si dux uelit ipse uenire, eius se fidei ultrò commendaturum. Itaq; duci illicò aduentanti obuiam factus, tradito priùs gladio, in illius potestatem uenit. Polyd. lib. 14.

CAROLVS Malatesta captus à Philippi Mariæ Mediolanensis ducibus, admirabilem in captiuitate præ se gessit animã firmitatem. Pontan. lib. 2. cap. 7. de Fortuna.

LVDOVICVM seniorem Baioariæ ducẽ, cùm captiuum haberet Albertus Marchio Brandeburgensis: non pauca ab eo petiit. Quę cùm ille negasset, tradere eum in manus inimicissimi principis minabatur. Tum Ludouicus, Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem ex captiuo petito. Si quid amplius uoles, corpus meum in tua potestate erit, animus minimè. Aeneas Syluiu. lib. 3. Com. in Panorm.

Mortuo Turcarum rege Mahometo, relictis duobus liberis, à maiore natu fratre Baiazethe GEMES armis pulsus, in Petri Daubussonis potestatem uenit, qui Hierosolymitanorum equitum primarius, Rhodi rerum potiebatur. Ab eo postea ad Innocẽtium VIII. Romam missus, etsi aliud fingebatur, reuera tamen Baiazethis fratris arte atq; pecunia, ut captiuus custodiebatur. Romam perductus ad pontificẽ, in Consistorium Cardinalium ueniens, pontifici neq; pedem, neq; manum, sed humerum tantùm deosculatus est: Cardinales autem solo complexu dignatus, inde discessit. haud aliter seruata grauitate, quàm si quietus regni sui possessor esset. Fulgosus & Egnatius lib. 6. cap. 4.

ALPHONSVS Aragonum rex, ad Caietam nauali prælio à Genuensibus captus, & ad Philippum Vicecomitem, ducem Mediolanensem, qui Caietanis auxilio uenerat, perductus, adeò maiestatem suam seruauit, ut non uictus, sed uictor uideretur. Itaque nonnulli dixisse ex hostibus ferunt, In omni fortuna Alphonsum & uideri & existimari meritò regem esse. Ductus ad Aenariam insulam, monitus per internuncium Genuensium classis præfecti, ut insulam in potestatem populi Genuensis dedi protinùs curaret, respondit: Fateri quidem se captum esse, sed nec mandaturum se tale quid popularibus suis: nec si mãdaret, illos captiui regis mandata facturos. Persuaderet potiùs sibi, è regnis suis ne saxum quidem obtineri posse. Quo dicto, præfectus regis constantiam admiratus, uerbis se apud regem purgauit, & culpam omnem in internuncium reiecit. Mox cùm audisset, quòd statim liberandus esset, renunciauit Philippo, quas pro liberatione sua leges dicturus esset, nullas omnino se recusaturum, præterquam si ab expeditione regni Neapolitani desistere iuberetur. Malle enim se in perpetuis carceribus mori, quàm ab huiusmodi incœpto desistere. tum ut constãtiam in re semel suscepta seruaret, tum uel maximè, ne suarum partium regulos, qui secum captiui essent, deseruisse argueretur. Panormita lib. 3. de Alfonso.

SERVITVTEM.

Ad Paulinũ Hieronymus scribit, PLATONEM captũ à piratis, atq; uenundatũ, etiã tyrãno paruisse crudelissimo captiuum, uinctũ, seruũ. Tamen quia philosophus, maiorẽ ementе se fuisse. Traditũ uerò aliis est, adductum Aeginã uænui propositum. quo nomine ad ultimũ petebatur supplicium: quòd inibi sancitum esset, uti Atheniensibus haberetur capitale, in insulam appulisse. At Platoni quendam fecisse patrocinatum, ut astrueret, capite plectendum, sed hominem: Platonem uerò esse philosophum. Cælius lib. 16. c. 24. A. I.

DIOGENES, dum uenundaretur, in præconem humi iacens cauilla iecit, nec ad præceptum eius exurgere induxit in animum, sed insultans in eum: Quid si piscem, inquit, auctionareris? Plut. de Tranquil. animi.

EXILIVM, EIECTIONEM E PATRIA, VRBE, DOMO.

EVSEBIVS Samosatenus episcopus orthodoxus; à Valente Imp. Ariano in Thraciam exulatũ mittebatur. Cùm ad eum crepusculo Imperatoris minister cum exilij mandato uenisset, monuit eum, ut quãprimùm abiret, ne à ciuibus suis in Euphratem fluuium præcipitaretur. Inde noctu uno comitatus ministro, qui ceruical & librum ferret, urbem pedes egressus est, & Zeugma prima luce peruenit. Samosateni eum plurimis nauigiis persecuti, ut maneret rogarunt, nec miseras oues lupis proderet. Verùm Imp. decreto paruit, & in exilio mansit usque ad Gratianum, sub quo rediit. Theodoretus lib. 2. cap. 31.

TEVCER rediens ex Troiana expeditione, quum ob Aiacis fratris mortem Telamoni patri esset inuisus, atq; ab eo exilio multaretur, ad socios conuersus, ait: Patria est, ubicunq; bene est. Cicero in Tusc. quæst. & Horatius in Odis:

—Teucer Salamina patremq;
Dum fugeret, tamen uda Lyæo

Tempora populea fertur redemisse corona.

Athenienses, auctore Themistocle, ostracismo ARISTIDEM Iustum expellere uolebant. Comitiis indictis, agrestis quidam homo & rudis planè, ac literarum ignarus, in forum properans, in Aristidem, qui Iustus, ut erat, ita appellabatur, incidit, eumque testula oblata, ut Aristidis nomen insciberet, rogauit. Miratus Aristides, cùm quæsisset, Nunquid ab Aristide mali accepisset? Minimè uerò, inquit ille, imò hominem ne noui quidem: sed uulgatum istud Iusti cognomen æquo animo ferre non possum. Quo audito, nihil Aristidem ferunt respondisse, sed inscripsisse testulæ nomen suum, atque ei illam reddidisse. Vrbe excedēs supinas manus tetendit ad cœlum, & diuersa sanè fecit atque Achilles uota: Ne ullum tempus populo Atheniensi incideret, quo reminisci adigeretur Aristidis ciuitas. At tertio pòst anno Xerxe Græciam inuadente, reditum ei decreuerunt. Plutarchus in Aristide.

THVCYDIDES historicus, missus Amphipolim, eo tēpore, quo rex Philippus eam occupauit, in suspicionē uenit proditionis. Quare in exilium actus, in Aegina substitit: inde in Scaptam syluam. In eo casu fortunam æquo animo tulit, nunquam nec queri nec flere uisus, neq; Brasidam exilij sui auctorem in sua historia accusare. Vol. lib. 20. Anthrop.

CRATESICLEA à Cleomene F. Spartanorū rege in Aegyptum mittenda ad Ptolemæum, auxilia contra Antigonum Macedonem pollicentem, obsidis loco, magno animo lubenter patriæ causa se exilium istud laturam affirmauit, etiam cum cachinno (cùm filium Ptolemæi postulatum timidè proponentem animaduerteret) adeoque Tænari, ne lacrymula quidem emissa, cum puero nauem cōscendit. Vt in Aegyptum appulit, & Ptolemæum accepit mandata Antigoni legatosque admittere, intellexit item Cleomenem, inuitatum ad pacem faciendam ab Achæis, uereri ipsius causa bellum, non assentiente Ptolemæo, componere, scripsit ei: ageret, quod ex dignitate Spartæ atque è repub. esset, neq; unius gratia anus, & parui pueri, formidaret Ptolemæum. Plut. in Cleomene.

P. RVTILIVS magis ordinum dissensione, quàm ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam uestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetēdit, nec dixit quicquam splendore præteritorum annorum humilius. Atq; etiam cùm ei reditum in patriam Syllana uictoria prestaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remansit. Val. Max. lib. 6. cap. 4.

Numidicus METELLVS populari factione patria pulsus, in Asiam secessit: in qua cùm ei fortè ludos Trallibus spectanti literæ redditæ essent, quibus scriptum erat, maximo Senatus & populi consensu reditum illi in urbem datum: non è theatro priùs abiit, quàm spectaculum ederetur. Non lætitiam suam proximè sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summum gaudium intra se continuit. Eundem constat pari uultu & exulem fuisse & restitutum. Val. lib. 4. cap. 1.

ARSENIVS Patriarcha Byzātinus, calumniis circumuentus & condemnatus, sedeq; cedere iussus, ultrò eos, à quibus in exilium abducebatur, est sequutus. Gregoras lib. 4.

ANITIVS Seuerinus Boëthus, Romanus consul, à Theoderico rege Gothorum falsis criminibus in exilium Ticinum relegatus, Ciceronis imitatione librum de Consolatione scripsit carmine & prosa, uti Iul. Martianus Rota in eius uita scribit. Cæterùm Hen. Glareanus, Heluetiæ nostræ decus, Boëthi uix esse putat, quando nulla Christi ab homine Christiano in argumento maximè conueniente mentio fiat.

AMICITIAE POLITICAE.

FERRE

ALIENATIONEM SVORUM. Puta

Indignationem Principum.

PHILO Iudęus, cùm à Iudæis Alexandrinis contra Apionem ad causam agendam ad Caium Imp. missus esset, sed ab Imperatore repelleretur: uersus ad Iudæos assectatores, Nunc, inquit, oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus nobis cōtra illum aderit. Iosephus lib. 18. cap. 10. Antiq.

Defectionem, Proditionem.

M. ANTONINVS Imperator, qui Pio successit, ita oblitus dicitur iniuriarum Cassij, qui in Syria rebellauerat, ut & mortem eius doleret, & liberos post patris cædem summa humanitate prosequeretur. Pontanus lib. 2. cap. 10. de Fortitudine domestica.

FERDINANDVS Aragonum rex, initio regni, cùm multorum simul procerum ac populorum, nonnunquam etiam integrarum prouinciarum ad Ioannem Andegauēsem defectiones nunciarentur, nunquam mutauit uultum, nedum ut animo cōsternaretur. In ipsos defectores nullo unquam contumelioso dicto usus. Nunciata rebellione magni cuiusdam uiri, tantum commotus est, ut diceret: Dolere se, quòd talis uir, & ex tanta familia ortus, seque maioribusque suis indignum fecisset. Cæterùm Christo gratias agere, quòd ne minimam quidem ipse tanti patrandi facinoris causam illi præbuisset. Pontanus de Principe ad Alphonsum Calabriæ ducem.

Seditiones.

CONSALVVM Magnum, Tarētum obsidentem, militū suorum stipendia flagitantium furiosa seditione penè oppressum, nulla res magis tutata est, quàm mira oris constantia, uerborumq; maiestas. Siquidē militi gregario atrocib. oculis cuspidem intentanti, lęua hastę supposita arridens dixit: Attolle miles incaute, attolle cuspidē, ne me per ludū transfodias: idq; tam familiari uultu, ac si miles ille alioqui peracerbè dentib. infrendēs iocari uideretur. Iouius in Consal.

CLADEM SVORVM. VT

Patriæ excidium.

Mardonius Athenis occupatis, Murichidem quendam Hellespōtium Salaminē misit ad ATHENIENSES: ratus, quoniam armis subacta esset Attica, Atheniensium ferociā magna ex parte remisisse, eoq; rerum omniū desperatione adductos, ut iam de pace cogitare inciperent. Is ubi in senatu exposuit, quæ essent Mardonij postulata, Lycidasq; unus è senatorib. sententiā dixisset, uideri sibi de ea re esse ad populum referendum: adeò iniquis animis ea sententia excepta est, ut multitudo facto in Lycidam impetu lapidibus cum obruerit cum uxore & liberis. Sab. lib. 2. Enn. 3.

STILPON Megarensis philosophus patria sua direpta, Demetrio Poliorceti, damnum omne se repensurum eruditionis causa pollicenti, Nihil se amisisse, respondit. Pontanus lib. 2. cap. 3. de Fortitud.

CLITOMACHVS Carthaginensis, & ipse forti animo tulit, & ciues cohortatus est ad excidium patriæ fortiter ferendum. Idem.

MORTEM SOCIORVM.

☞ *Vide Tit. Fidei erga socios, quatenus suorum mortem tolerant, ne perfidi erga socios esse cogantur.*

AMICITIAE OECONOMICAE.

FERRE

CONIVGVM

Raptum.

MAXIMILIANVS I. cùm legatos suos, Annam Britannam sponsam deducturos, à Carolo IIX. Gallorum rege, qui illam sibi retinuit, remissos, Oeniponti audiisset: nullam penitus significationem dedit alicuius doloris ex raptu sponsæ, & repudio filiæ Margaritæ, quam Carolus in Flandriam remisit: sed eo ipso die hastiludio sese exercuit. Cranzius lib. 13. capite 16. Saxoniæ.

Repulsam, Repudium.

HIPPOCLIDES Atheniensis, cùm à Clisthene Sicyonio reiectus, neq; dignus filiæ nuptiis habitus fuisset: magno animo respondit, Hippoclides non curat. Herod. lib. 6.

Mortem.

CLEOMENES Leonidæ F. qui uictis Achæis, captis Argis & Corintho, breuissimo spacio maximas perpetrauit res, & parum abfuit, quin uniuersa uno ambitu potitus sit Peloponneso: puncto temporis rursus ab omnibus excidit, quando Aratus Antigonum Macedonē contra eum in Græciam induxit. Quippe alij, qui in pręsidio eius erant, desciuerūt statim ab eo, alij paulo pòst oppida Antigono tradiderūt. Ea fortuna foris icto, domi insuper expirauit uxor eius: cuius amore nec in medio rerū cursu secundissimarū poterat temperare sibi, quin recurreret assiduè Spartam, quòd Agiatidem amaret, & faceret eam plurimi. Itaq; non immeritò dolore fuit confectus, ut iuuenis fortissima & castissima orbatus uxore. Haud succubuit tamen mœrori, neq; ægritudini magnitudinem animi submisit: sed uocem, habitum & uultum in eodem conseruans tenore, & imperia ducibus dedit, & Tegeatarum salutem curæ habuit. Summo mane est Lacedæmonem ingressus, eluxitque cum matre & liberis domi: mox ad curas publicas conuertit animum. Plutarchus in Cleomene.

MELANIA, Marcelli Cos. filia, cùm marito nondum humato duos simul amisisset filios, incredibili fortitudine ab omni dolore ita sibi temperauit, ut ne lacrymarit quidē, sed deuoluta in pedes tantū dixit: Expeditiùs tibi seruitura sum Domine, quia tāto me onere liberasti. Hieron. in Chronico.

HEDVIGIS, Vratislauiēsium ducis Henrici Barbati uxor, Trebnicense monasterium ingressa, neq; ægrotum maritum uisere, neq; mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire uoluit: ne quo rerum humanarum cōmercio animus eius à diuinis auocaretur. Quinetiam cæteris uiris iuxtà ac mulieribus plangentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctissimi mariti mortē tulit: Impiū esse uoluntati diuinæ aduersari, dictitans. Ac ne uiuentē quidē illū sępe adijt, nisi forte ut egenis & iniuria affectis opitularetur. Cromerus lib. 8.

LIBERORVM

Impudicitiam.

STILPONEM, quin ex philosophis suæ memoriæ omnibus lætissimā duceret uitam, lasciua filia non remorata est. Plut.

Afflictionem.

MVTII abbatis patientiam scriptis commendans Cassianus, ait: Cùm suscepto religionis uoto filium quoq; paruulum secum ad cœnobium adduxisset, de industria puer malè à fratribus accipiebatur, coram patre subinde cæsus, ac sæpe per capillos tractus, ob hoc solum, ut patris in eo constantiā periculum facerent. Ille autem neq; fratrum uerberatione, neque unici filij iugibus penè lacrymis moueri poterat, ut uultu saltem tristitiam præ se ferret: quin potiùs gaudebat, eum quoq;, quem genuerat, quotidianis castigationibus ad patientiam erudiri. Itaq; nunquam cur sic durè atteretur quæsiuit, nunquam ad flentem respexit, nesciebat se eius patrē, quem dedicauerat Deo. Ad hæc etiam in proximum flumen illum proiicere iussus, promtè uoluit obedire, nihil nō faciendum ratus, quod ab abbate esset iniunctum. Igitur post probatam primò tolerantiæ, deinde obedientiæ uirtutem, senior cœnobij ipsum cunctis præponens, successorem reliquit. Marul. lib. 5. cap. 3.

Carceres, Exilium.

ANTONIVS Venerius Venetorum dux clariss. Aloysium filium in carcerem missum, criminisq; conuictum; quòd cornua bubula patriciæ puellę ianuis affixerat, quasi exprobraturus illi malè sanos amores, æquissimo tulit animo. Quinetiam laborātem eundem in carcere peste, nunquam educi passus est: tametsi uniuersa ciuitas ad id ipsum hortaretur. Egnat. lib. 3. cap. 3.

Celebris est apud Venetos FRANCISCI Foscari principatus, qui suo consilio quum Remp. felicissimè diu foris administrasset, nescio tamen quo fato domi eandem tranquillitatem seruare non potuit. Iacobo enim filio falsò accusato, quòd Hermolaum Donatum decemuiralis consilij præfectum, cùm domum noctu reuerteretur, quasi sibi infestiorem interficiendum curasset: non poterat certè pater, quum tortum in eculeo eum etiam audiret, non aliquantum commoueri: uerùm tanta animi constantia, ut ne uultu quidem hunc dolorē proderet. Filium quoq; ipsum inde perpetuo exilio damnatum, quamuis innocentem, æquissimo animo tulit. Egnatius lib. 4. cap. 1.

Mortem.

☞ *Consule Tit. Clementiæ erga filiorum interfectores. Illic Vltio homicidij, hic mortis Tolerantia spectatur.*

DAVID rex ex Bethsaba Vriæ Hethæi uxore adultera puerū susceperat. Is septimo die obiit, quemadmodum ei Nathan propheta prædixerat. Dauid, dum ęgrotaret puer, humi stratus, flens, orans & ieiunans cubuit, quòd Dominum se hac ratione placare posse consideret. At puero mortuo, statim surrexit, lotusque & unctus cibum cepit, uanas porrò omnes lacrymas fore dictitans, neque enim puerum in uitam reuocari posse: Ad illum ego ibo, non ille ad me redibit, inquiens. 2. Regum 12.

PETRVS Apostolus Petronillæ filiæ suæ mortem familiariter tulisse fertur. Hęc enim cùm febricitans, extremum diem clauderet, interrogatus Petrus, Cur non filiæ sicuti aliis succurreret? Mortem magis quàm uitam filiæ prodesse, respondit. Volater. lib. 1. Anthrop.

MACHABEÆ, BLANDINÆ, SOPHIÆ, FELICITATIS, & aliarum exempla, Martyrum titulus suppeditabit.

HARPAGVS Medus, cùm ei filium suum puerum adhuc epulandum rex Astyages proposuisset (propterea quòd Cyrum, ut iussus erat, infantem non exposuisset) & post cœnam pueri caput ei ostendisset: eo spectaculo consternatus non fuit, sed continuit sese. Percontanti autem Astyagi, Cognosceretne cuius feræ carnes gustasset? Se agnoscere, respondit, sibiq;, quicquid rex ageret, placere. Dissimulauit igitur iniuriam aliquandiu, donec occasione captata Cyrum ex Persia in Mediam uocauit, & contra eum dux exercitus Medici ab insipiente Astyage constitutus, Cyro exercitum prodidit. Itaq; Astyages captus à Cyro fuit. Herod. lib. 1.

PREXASPES à secretis Cambysis regis Persarum, cùm regem ob temulentiam reprehendisset, & ille iratus filium Prexaspis sagitta interfecisset, ea cōditione, ut nisi medium cor sagitta penetrasset, ebrius & impos mentis Cambyses diceretur: & mortem filij & uulneris inspectionem tanta tulit moderatione, ut interrogante rege, Ecquémnam hominem tam peritum sagittandi esse sciret? responderit, Here ego ne deum quidem arbitror tam probè percutere. Herodotus libro tertio.

TYNNICHVS Thrasybuli filij mortem perquàm forti animo tulit. Vnde in eum hoc factum est epigramma:

Exanimis Pitanen clypeo Thrasybule redisti,
Septem ex Argiuis uulnera sæua gerens.
Aduersa ostendis tamen omnia. Sanguinolenta
Membra rogo imponens Tynnichus hæc senior:
Plorentur timidi, mi inflētus humaberε fili,
Qui & patre hoc uerè dignus es, & patria.

Plutarchus in Laconicis.

LOCHAGVS Polyænidæ filius, Sitonis pater, nunciāti quòd è filiis ipsius alter interiisset: Olim sciebam, inquit, illi moriendum esse. Plut. in Lacon. apoph.

ANAXAGORAS, cùm inter familiares dissereret de natura rerum, nunciata ei filij morte, ubi paululum tacitus substitisset, conuersus ad illos: Sciebam, inquit, me genuisse mortalem. Plut. in Orat. consol.

Ephorus memoriæ prodidit, XENOPHONTIS filium Gryllum Agesilai ductu in ea pugna periisse, quę ad Mantineam commissa est, in qua Epaminondas Thebanus occubuit: audito q; eius casu, quū ipse fortè coronatus sacrificaret (fuisse enim inprimis dicitur sacrorum studiosus) detracta capiti corona, quemadmodum occubuisset, percontatum esse. Qui ubi denunciarunt strenuè prælantem multis hostibus interfectis: aliquantulo interposito spacij, dum ægritudinem animi consilio reprimeret, reposuit denuò capiti coronam, sacrificiumque absoluit, ac nunciis dixit: Deos precatus sum, non ut immortalis mihi uel longæuus esset filius (id enim incertum an conducat) sed quod mihi contigit, ut bonus & patriæ amans. Plut. in Orat. consol. Sabell. lib. 2. En. 4. Val. Max. lib. 5. cap. 10. & Aelianus lib. 3.

Princeps Atheniensium PERICLES intra quatriduum duobus filiis Paralo & Xanthippo spoliatus, his ipsis diebus, & uultu pristinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore, concionatus est, & Athenienses ad bellum inflammauit. Ille uerò caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit, ut nihil ex uetere ritu propter domesticum uulnus detraheret. Valerius Max. lib. 5. capite 10. & Aelianus libro 9. Plutarchus in eius uita sic scribit: Bello Peloponnesiaco, cùm grauissima pestilētia Athenas inuasisset, amisit Pericles Xanthippum F. sororem item, & plerosque propinquos & amicos, quorum in Repub. opera fuerat potissimùm usus. Non elanguit tamen, neq; submisit malis spiritus & animi magnitudinem, nec illacrymauit, neq; iusta fecit: imò ne accessit quidem ad cuiusquā funus necessariorum, dum eum, qui unus reliquus erat ex iustis filiis, amisit Paralum. Plutarchus in Pericle.

LACEDÆMONIORVM matronæ, quotquot audiuissent suos filios in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere uulnera. Si plura ex aduerso essent facta, cum gaudio in auita monumenta eos inferebant. Sin auersa, pudore suffusæ & lacrymis, clandestina fuga discedebant, relictis mortuis, ut plebeio sepulcro humarentur, aut furtim surreptos in domesticā sepulcra deportabant. Aelianus libro duodecimo, de Varia historia.

Dimiserat LACÆNA quædam filios quinq; suos ad bellum: Hęc in suburbio stabat, euentum pugnæ operiens. Vt aduenïens quispiam roganti nuncium attulit, filios eius omnes cecidisse: Enimuerò non hoc requirebam, inquit, furcifer: uerùm quid patria factum esset. Quo significante, penes eam esse uictoriam: Læta igitur, inquit, filiorum meorum fatā accipio. Plut. in Lacænarum apophtheg.

ALTERA, quum audisset, quòd filius fortiter in prælio se gerens occubuisset: Nimirum, inquit, meus erat. Cōtrà, quum de altero audisset, quòd ob timiditatem prelium detrectās; saluus esset: Ergo, inquit, non erat meus. sentiens, non esse habendos pro liberis, qui à parentum institutione degenerassent. Idem.

ALIA, quum audisset filium in prælio cęsum: Deponite illum, inquit, ut erat in ordine locatus, eiusq; locum expleat frater. Idem.

ALIA, quum in solenni pompa audisset, filium uictorem ex uulnerum multitudine mortuum, coronam non deposuit, sed glorians comitibus dixit: Quanto pulcrius est, amicæ, in acie uictorem occumbere, quàm in Olympiis parta uictoria uiuere? Ibidem.

Cùm exponeret quidā sorori suæ LACÆNÆ quàm fortiter filius eius cecidisset: Quantum illius causa exulto, inquit, qui mori quàm uinci maluit tātum tua causa doleo, qui comitem tam fortem deserueris. Ibidem.

Brasydas cùm fortè cecidisset, dum incolentes Thraciam in libertatem asserit Græcos, missiq; Lacedæmonem legati matrem eius adissent: primùm requisiuit ea, An cecidisset Brasydas honestè. Celebrantibus ibi eum Thracibus, prædicantibúsq; nullum esse alterū talem: Erratis, inquit, hospites: fuit sanè uir Brasydas fortis: cæterùm habet complures illo Lacedæmon præstantiores. Ibidem.

ALIA

ALIA quædam ſepeliebat filium. Ad eam quum uilis anicula quædam acceſſiſſet, dicens: Heu fortunam, ô mulier: illa ſubiecit, Per Geminos (inquit) bonam equidem arbitror. Siquidem cuius gratia filium peperi, uidelicet ut pro Sparta moreretur, id mihi contigit. M. Tullius Tuſcul. quæſt. lib. 1. Plutarchus ibidem.

GYRTIAS, quum Acrotatus ex filia nepos in puerorum pugna plagis ferè exanimatus eſſet, plorantibus aliis: Non tacebitis? inquit. facto enim oſtēdit, cuius ſanguinis eſſet. EIDEM, quum è Creta nuncius eſſet allatus de morte Acrotati: Quum ad hoſtes, inquit, proficiſceretur, nónne futurũ erat, ut aut ipſe moreretur, aut illos occideret? Iucundius autem eſt audire, quòd mortuus eſt, ut & ipſo & ciuitate & progenitoribus dignum erat, quàm ſi iners & imbellis per omne æuum uiueret. Plut. in Lacon.

DEMÆNETA Spartana octo filiorum mortem fortiter tulit, teſte Dioſcoride in 3. Epig.

Εἰς δηίων πέμψασα λόχους Δημαινέτη ὀκτὼ
παῖδας, ὑπὸ στήλῃ πάντας ἔθαπτε μιᾷ·
δάκρυα δ' οὐκ ἔρρηξ' ἐπὶ πένθεσιν, ἀλλὰ τόδ' εἶπε
μοῦνον, ὦ Σπάρτα, σοὶ τέκνα ταῦτ' ἔτεκον.

DION Hipparini filius, Platonis diſcipulus, publica quædam & communia negotia tractabat. Eius filius à tyranno Dionyſio ignauè & molliter educatus reſtrictam uiuēdi formulam non ferens, à tecto delapſus in atrium, uitam cum morte commutauit. Dion eo audito nihil turbatus, conſtanter in eo, quod inceperat, efficiendo perſeuerauit. Aelian. lib. 3. de Var. hiſt. & Plut. in Dione, & in orat. conſol.

ANTIGONVS rex, exceſſu in acie filij Alcyonei allato, animosè ad eos, qui cladē hanc ei nunciauerunt, contuitus, atque aliquantulo interpoſito ſpacio mœſtus, ita locutus eſt: Serius Alcyoneu occidiſti, qui in hoſtes tam ruebas inconſultè, & cui neque ſalus tua, neque monita curæ erant mea. Plut. in Oratione conſolatoria.

PHYTO Rheginorum dux, audiēs Dionyſium Syracuſanum, filiũ ſuum Dionyſium occupata urbe in mare præcipitaſſe, intrepide reſpondiſſe fertur, Fuit igitur uno die patre ſuo fortunatior. Diod. lib. 14.

PYRRHO rege oppugnante Spartam, Neoptolemum eius F. ab hoſtibus circumuentum periiſſe, Trogus ſcribit, mortéque patri nunciata, unam ab eo uocem emiſſam, Tardiùs quàm timui. Sab. lib. 8. En. 4.

Q. FABIVS Max. cùm filium amiſiſſet, ut uir ſapiens & humanus parens, caſum illum æquiſſimè tulit. Laudationem uerò (quod munus in funeribus propinqui obeunt) ipſe primus in foro pro filio recēſuit, quam poſtea ſcriptam dedit. Plut. in eius uita.

HORATIVS Puluillus, cùm in Capitolio Ioui opt. max. ædē pontifex dedicaret, interq; nuncupationem ſolennium uerborum poſtem tenens, mortuum eſſe filium ſuum audiſſet: neq; manum à poſte remouit, ne tāti templi dedicationem interrumperet: neq; uultum à publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis quàm pontificis partes egiſſe uideretur. Valer. lib. 5. cap. 9. & Pontanus lib. 2. c. 9.

L. PAVLO Aemilio, qui Perſeum deuicit, quatuor filij erant: duo in alias familias per adoptionē dati, Scipio & Fabius: duo etiamnum pueri, quos in familia ſua retinuerat, ex altera ſuſcepti uxore. Horum alter quatuordecim annos natus, diebus quinque ante triumphum eius, alter duodecim annorum triduo (in Apoph. totidem dieb. Plut. habet) deceſſit poſt triumphum. Neq; erat quiſquam ullus ex populo Romano, ad quem non peruenerit ſenſus doloris. At Paulus rectè reputans, fortitudine & animo hominibus non contra arma & haſtas tantùm, uerùm contra omnes æquè fluctus fortunæ opus eſſe: ita concinnè moderatus eſt temperauitque res præſentes, ut bonis mala, & domeſtica publicis obruta, magnitudinem nō deprimerent neque maieſtatem commacularent uictoriæ ſuæ. Namque ſimul atque extulit priorem filium, triumphauit: ac cùm alterius funus triumphum excepiſſet, concilio populi aduocato orationem habuit conuenientem uiro, non qui conſolatione egeret, ſed qui conſolaretur ciues infortunium dolentes ſuum. Plutarchus in Aemilio. Orationis clauſulam hanc fuiſſe, Valerius Max. lib. 5. capite 10. refert. Cùm in maximo prouentu felicitatis ueſtræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Iouem opt. max. Iunonemque reginam, & Mineruam precatus ſum, ut ſi aduerſi quid populo Romano immineret, totum in meam domum cōuerteretur. Quapropter bene habet ſe res: annuendo enim uotis meis id egerunt, ut uos potiùs meum caſum doleatis, quàm ego ueſtrum ingemiſcerem.

CORNELIA Gracchorum mater, Tiberiò quidem in Capitolio, at Caio, in Luco Furinæ cæſis; perhibetur cùm alia illius cladis forti magnoq; animo tuliſſe, tum de locis ſacris, in quibus fuerunt oppreſſi, retuliſſe, dignos mortuis tumulos eſſe. Hæc ad Miſenum ætatem egit, nihil conuerſa priſtina uita. Multorum colebatur amicitia, & ob hoſpitalitatem patebat menſa eius, ſemperq; Græcos & doctos ſecum habebat, atq; reges omnes inuicem munera ab ea accipiebāt mittebantq;. Erat iucundiſſima hæc inuiſentibus ipſam & familiaribus, dum patris uitam & inſtituta domeſtica Africani commemoraret: uerùm ſtupendiſſima, dum filiorũ faceret ſine luctu & lacrymis mentionem: caſuſq; acerbos atque actus eorum quaſi ueterum exponeret requirentibus. Vnde amens ex ſenio uel ex cladium magnitudine habita quibuſdam eſt euaſiſſe, atq; occalluiſſe ad ſenſum calamitatum: cùm reuerà illi ſenſum nullum habuerint, quantum ex præclara indole boniſq; natalib. & diſciplina momenti ad pellendum hominibus mœrorem accedat. Plut. in Caio.

CATONI Cenſorio cùm filius natu maior obiiſſet, ſingulari ingenio & ſumma uirtute iuuenis, adhæc prætor iam deſignatus: nihil tamen hoc caſu commotus eſt, ut Reipublicæ negotia ſegniùs adminiſtraret. Plut. in eius uita.

Q. MARTIVS Rex, ſuperioris Catonis in conſulatu collega, filium ſummæ pietatis, magnæ ſpei, &, quæ non parua calamitatis acceſſio fuit, unicum amiſit. Cumque ſe obitu eius ſubrutum & euerſum uideret, ita dolorem altitudine conſilij coercuit, ut à rogo iuuenis protinùs curiam peteret: Senatumque, quem eo die lege habere oportebat, euocaret. Quòd niſi fortiter mœrorem ferre ſciſſet, unius diei lucem inter calamitoſum patrem & ſtrenuum conſulem, neutra in parte ceſſante officio, partiri non potuiſſet. Valerius Max. lib. 5. cap. 10.

M. CRASSVS infeliciter contra Parthos dimicauit. Publium eius filium in cliuo circumuentum, cùm nulla ſpes ſupereſſet, armiger interfecit. Parthi cliuo potiti Publij caput ſuffixum haſta ferentes, propiùs aducti oſtentabant id Romanis, ac per ludibrium parentes eius & gentem quærebant. neq; enim oportere Craſſi patris ignauiſſimi & fœdiſſimi tam fortem & uirtute præſtantem filium fuiſſe. Hoc ſpectaculum ſupra reliqua omnia acerba animos debilitauit & infregit Romanorum. Neq; enim ira ad uindictam, ut decuerat, ſed horror tremorq; inceſſit cunctos. At Craſſum ferunt, in ea acerbitate ſupra quàm antè celſum animum præ ſe tuliſſe. Vociferabatur enim circumuectus ordines: Meus eſt, milites, priuatus hic luctus. Inclyta fortuna & gloria urbis Romæ in ueſtra conſiſtit incolumitate integra & intacta. Quòd ſi quis meam quoque uicem dolet omnium optimo filio orbati, id ira in hoſtes oſtendat. Extorquete his exultationem, uindicate ſæuitiam. Nolite obſtupeſcere acceptis cladibus. Aliquid etiam perpetiendum magna affectantibus. Plut. in Craſſo.

ASINIVS Pollio eo die, quo filium amiſit chariſſimum, cum amicis conuiuia celebrauit, ne plus æquo charum ereptum ſibi pignus lugere uideretur. Alex. lib. 3. cap. 7.

RVTILIA ea, quæ Cottam filium in exilium ſequuta fuerat, cùm reducem amiſiſſet, eam firmitatem retinuit, ut poſt elatum funus eius lacrymas nemo uiderit. Pont. lib. 2. cap. 9. de Fortitud. domeſtica.

C. IVLIVS Cæſar, audita filiæ Iuliæ morte in Britannia, die tertia imperatoria ad munera rediit. Suetonius.

TIBERIVS filium Druſum fato extinctum non modò non luxit, ſed Ilienſium legatis paulò ſeriùs ad conſolandum miſſis, reſpondit, ſe quoq; Ilienſium uicem dolere, qui Hectorem egregium ciuem amiſiſſent. Sab. lib. 1. En. 7.

IDEM nepote, quem ex Druſo habebat, mortuo, nihil conſuetorum agere intermiſit: principi curam Reip. propter priuatum infortunium relinquendam non putans, reliquóſque hórtans, ne mortuorum cauſa uiuentium quoque officia defererent. Dion lib. 57.

LIVIA, generoſiſſimi filij Druſi poſito corpore, finem etiam lacrymis ſuis poſuit. Suetonius.

C. CLAVDIVS Cæſar, cùm eum amiſiſſet, quem & optauerat & genuerat, ipſe tamen pro Roſtris eum laudauit: & in conſpectu poſito corpore, interiecto tantummodo uelamento, quod Pontificis oculos à funere arceret, flēte cuncto populo Romano, ſolus non fleuit parens. Pont. lib. 2. cap. 9.

M. ANTONINVS Philoſophus Imp. mortuo filio Vero ſeptenne, defecta poſt aurem uomica, non modò dolorem ipſe non oſtendit, uerùm attonitos quoq; medicos ſolatus, prohibuit nē ultra quinq; dies lugeretur, decreta illi aurea ſtatua, etſi alij è more diutiùs lugebantur. Neq; hoc funere tulit, ut ludi Iouiales intermitterentur. Fulg. lib. 5. cap. 10. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & Cuſpinianus.

ARRIA maior, quæ uirũ in ipſa quoq; morte ſecuta eſt, cùm Cæcinna Pætus maritus eius ægrotaret grauiter, item & filius: obiit filius, inſcio parente. Tunc Arria tam egregiè dolorem, quem ex filij obitu conceperat, potuit diſſimulare, ut Pætus non priùs, quàm conualeſceret, reſciſcere potuerit. Plinius lib. 3. Epiſt. ad Nepotem.

CHRYSANTHIO Sardiano pontifici Lydiæ, & aruſpici excellentiſſimo, filius erat Aedeſius, fatidico ſpiritu intra pubertatis etiam annos plenus. Hic poſtquam morte immatura ſublatus eſt, philoſophum ſe declarauit pater. Nam aut raptus magnoperè extra ſe animus illum ſedauit, & affectibus uacuum reddidit: aut infractus perſtitit, quòd filij interitum æquo animo ferret: quin & mater adoleſcentis maritum reſpectans, muliebrem naturam ſuperauit, quippe quæ ſupra quàm dolor atq; animi perturbatio requirit, plangores ululatuſq; femineos poſuerit. Eunapius.

TIMOXENA, Plutarchi uxor, in aduerſis conſtātiam demonſtrauit non uulgarem, cùm maximum natu ex filiis amiſit: iterumq;, quando ſuauem illum deſeruit Charonem. Nam cùm hoſpites nōnulli, qui Plutarchum à mari proſequebātur, allato pueri exceſſu, cum reliqua frequentia domum eius ingrederentur: poſtquam omnia pacata & quieta uiderūnt, nihil accidiſſe grauiùs, ſed manem de Charone famam temerè uulgatam exiſtimarunt: adeò moderatè compoſuerat domum, quo tempore magna confuſionis licentia conceditur. Licet ſua ipſius mamma illum nutricaſſet, ſectionemq; uberis tuliſſet, cùm papilla fuiſſet contuſa. Iam cùm filiam quoq; poſt quatuor filios ſuſceptam amiſiſſet, neque ueſtem lugubrē ſumſit, neq; ullum ſibi ſuiſq; ancillis ſquallorem addidit, uel inflixit ſuggillationem, neq; apparatum fecit in exequiis ſolennis ſplendoris: ſed adminiſtrata omnia moderatè & modeſtè, neq; ultra quàm neceſſe foret. Plut. in Conſol. ad uxorem.

PAVLA Romana in grauiſſimis infirmitatib. liberorũ, & maximè Toxotij ſui, quem diligebat plurimũ, cum uirtute illud compleſſet, Turbatá ſum & non ſum locuta, in hæc uerba prorupit: Qui amat filium aut filiam plus quàm me, non eſt me dignus. Et orans ad Dominum, loquebatur: Poſſide Domine filios mortificatorum, qui pro te quotidie mortificant corpora ſua. Hieron. in Epitaphio eius.

MELANIA, nobiliſſima Romana, Marcelli conſulis filia, cùm marito nondum humato, duos ſimul amiſiſſet filios, ab omni ſibi dolore temperauit, deuoluta in pedes tantùm dixit: Expeditius tibi ſeruitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti. Relicto unico filio, prætore urbano, Hieroſolymam nauigauit: ibiq; tanto uirtutum præcipueq; humilitatis fuit miraculo, ut Teclę nomen acceperit, circa annũ Chriſti 377. Meminit eius D. Hieron. in Chronico, & in epiſtola ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ. Conſule Tit. Monacharum.

Phoca Imperatore deſignato, MAVRICIVS Imperator cum uxore & liberis fugam molitus, nauigio Chalcedonem (oppidum id eſt contra Byzātium) delatus fuit: ubi captus, cum tota familia, anno ætatis ſexageſimotertio, ſecuri percuſſus fuit. Cùm ſpectante parente, maſcula Imperatoris ſoboles miſerè à tyranno occideretur, in ſingulorum cæde ea uerba protulit: Iuſtus es Domine, & iuſtũ iudicium tuum. Cumq; liberorum nutrix, infante Imperatoris ſubtracto, puerum ipſa ſuum lactentem ad cædem protuliſſet: Mauricius aſtās, ſuum requiſiuit, & proferri iuſſit: iniquum eſſe dicens, in alium, cùm ab ipſo Deus pœnas expeteret, animaduerti. Filiis quinq; gladio truncatis, pater quoq; ipſe fortiſſimè capite reſecto occubuit. Deinde uerò tyrannus Conſtantiam Imperatricem, cum fratribus, filiabus, in priuatorum ordinem redegit: & primùm quidem eas uili quadam & exili domuncula incluſit, tandem uerò crudelitate ebrius, ferro quoq; interimi iuſſit. Niceph. lib. 18. c. 38. & Cedrenus.

NOTARAS Byzantius iudex, liberorum mortē, ob negatum Mahometo Turcorum Imp. filiũ ad libidinem, magno tulit animo. Siquidem cędis eorũ ſpectator ad ferendam forti animo mortē eos quoq; cohortatus eſt. Chalcocōdylas li. 8.

LAMBAS Auria, Genuenſis claſſis præfectus, dum in Adriatico ſinu cum Venetis confligeret: ubi magno eos prælio ſuperauit, & in medio prælij ardore ei nunciatum eſſet, filium pugnando interfectũ fuiſſe: nullo alio doloris edito ſigno, ut in certamine pergerent, & ad uictoriam eniterētur, alios hortatus eſt. Quod ad filium pertineret, in mare eum proiicerēt: quòd nullo nobiliore ſepulcro tumulari poſſet, quàm illic, ubi pro patria pugnans, parta à ſuis uictoria mortem oppetiiſſet. Fulg. & Egnat. lib. 5. cap. 10.

HOMVLVS iureconſultus Neapolitanus, Romæ, cùm in Palatio cauſam ageret, nunciata filij morte, magna conſtantia peregit, quæ dicenda ſuſceperat. Poſtea ad clientes atq; aduerſarios conuerſus orauit, ut æquo ferre animo uellent, dum unam tantùm horam paterno affectui operam daret. Atq; his dictis, in cubiculũ in ipſo Palatio ſeceſſit. Nec plus quàm horam moratus, ad perficienda quæ ſupererāt reuerſus eſt, nulla in parte ab eo mutatus, qui ante filij nuncium uiſus erat. Fulg. lib. 5. cap. 10. & Pont. lib. 2. cap 9.

Henrico Pio Vratiſlauienſium duce ad Ligniciā à Tartaris cęſo, HEDVIGIS eius mater, monacha, monachas & nurum lamentantes, & pectora plangentes, comiter conſolata: gratias egit Deo, quòd eius munere talem filium pepeřiſſet, cuius ipſa uiuentis pietatem ſummam in ſe experta ſemper eſſet, quique ad extremum pro religione & populo ſuo uitam alacer profudiſſet. Cromerus libro octauo.

AMATRICIANA femella, cùm intellexiſſet filiũ nimis demiſſo animo ad ſuppliciũ trahi: filio occurrēs, ſedare illum lacrymas atq; abiicere metum iuſſit: cœlum ac ſolem ut reſpectaret, ſubinde admonens. Quod ille quum faceret: An, inquit, ignoras, fili, confeſtim te in arces illas emigraturum? ac uix unius momēti dolorē, perpetuam tibi & quietem & uoluptatem pariturum? Pontanus lib. 2. c. 4. de Fort. dom.

DAVID I. Scotorum rex, Henricum filium unicũ, ſummæ expectationis uirum, trib filiis totidemq; filiabus relictis, amiſerat. Frequentes ad regem legati è toto regno, non modò doloris paterni leniēdi, ſed & ſui, ob ſucceſſoris tanti iacturam, conteſtandi ergò, confluxerant. Eos Dauid cōuiuio regio excepit, nullum præ ſe luctum ferens. Quumq; eſſet iam cibo fames exemta, quo tēpore maximè lætis ſermonibus cōuiuia exhilarari cōſueuēre, facto manu ſilentio, ipſe illos ultrò conſolari aggreſſus eſt. H. Boëthius lib. 12.

CAROLVS VIII. Gallorum rex, in filij morte, quem unicum & iam primũ habebat, neq; animo perturbatus eſt, neq; ueſtem mutauit, aut feſtos ludos omiſit, ne parata ad repetendum Neapolitanũ regnum arma remitterētur: ſed læto uultũ Deo gratias egit, pluſq; animi quàm antea ad obeũdam expeditionem oſtendit. Fulg. lib. 5. cap. 10. & Egnat. ibidem.

LEONARDVS Lauretanus, dux Venetus, ex quatuor liberis iam grandibus natu, quum Bernardum filium, natu minimum, bonæ ſpei adoleſcentem amiſiſſet, idq; præter omnem expectationem: adeò conſtanter funeris acerbitatem tulit, ut quo die elatus eſt adoleſcens, Reip. non defuerit, quæ Ducis præſentiam in re quadam grauiore tunc in primis expoſcebat. Egnat. lib. 5 cap 10.

LVCAS Zenus & DOMINICVS Triuiſanus, Veneti, D. Marci procuratores, hic quatuor filiorum, ille Maphei filij, uxóre nuper ducta in præclaram poſteritatis ſpem ſublati, mortem æquiſſimo pertulerunt animo. Egnat. lib. 5. cap. 10.

Memorabili illa pugna ad Sempacũ, qua Leopoldus Auſtriacus ab Heluetiis cæſus eſt, Vinkelriedi eximia fortitudo emicuit: qui faſce haſtarum (ut robuſtiſſimo erat corpore) comprehenſo, in condenſatam hoſtium aciem irruens, ueluti acto cuneo ita diuiſit, ut clariſſimæ uictoriæ gradum ſuis moriens iecerit. Victores domũ reuerſi, Vinkelriedi PATREM decrepitum obuiũ habent, & lacrymis præ gaudio manantibus filij nomine conſolari incipiunt. Tum ille, Ecquid uerò mali contigit, quod tantam requirat conſolationem? Poſteaquam illi ordine præclarum nati facinus ediſſeruēre, immoto uultu, Rectè factorum, inquit, iucundiſſima recordatio, conſolatione nulla eget. Canis hiſce meis gratulemini potiùs, qui tanto decori ſuperfuerint. Dei opt. max. benignitatem agnoſco ego, qui me patrem eius filij eſſe uoluerit, qui morte ſua patriæ libertatem confirmarit, ſuperbos hoſtes domuerit, ciuium ſuorum uitas & fortunas cōſeruarit.

FR. Almeida, pretor Indiæ ſub Emmanuele rege Luſitanię, nũcio accepto de cæde Laurentij F. ducis fortiſſimi, in portu Chaulenſe à claſſe Mammalucorũ Aegyptiorũ occiſi: cùm multis ſignis antea uariis in locis, quanto animi robore ſeptus eſſet, oſtendiſſet, tum eo die eam uirtutem maximè declarauit. Cùm enim unicum filium, uirtute & moribus excellentem amiſiſſet, ita dolorem uultu compreſſit, ut illum nullius ſolatio indigere cuncti perſpicerent. Quin ipſe reliquos, ne lugerent, admonebat. Se nanq; non diuturnā uitā filio, ſed uirtutem inſignem à Deo precatũ fuiſſe. Qui filium meum carum habuit, non lacrymis, ſed uirtute amorem oſtendat. illius enim cædem ulciſci ſtatuo. Qui mihi alacriùs in hoc opere perficiendo opem tulerit, eum exiſtimabo maiore caritate filio meo deuinctũ fuiſſe. Oſor. lib. 5. rerũ Em.

Baſilius Amerbachius, Baſilienſis Iurecoſ. magni illius Bonifacij F. Aſteriam formoſiſſimam & uenuſtiſſimam uirginem, Iacobi Rudini, Tribuni plebis in urbe noſtra filiam, matrimonio ſibi iunxerat. Nondum exacto anni ſpacio, Bonifaciolum ex ea, magna poſteritatis, ſed maiore adhuc uirtutis auitę ſpe ſuſcepit. Quarto menſe à partu colicis cruciata doloribus crudeliſſimis lecto affigitur Aſterie, & tanquam matri cōpateretur filiolus, pari genere morbi cruciari incipit. Poſt trimeſtre ſpacium ſuccedentibus conuulſionibus uno eodemq; horæ momento, anno Chriſti 1562. V. Aprilis, circa meridiem, mater & filius in cœleſtem patriam migrant. Bonifacius ſenior Iurecoſ. clariſſimus, non tam mœrore duplicis funeris, quàm deſiderio & ſpe melioris uitæ, poſt tres hebdomadas, placidiſſima, & anteactæ uitæ conſentanea morte in Domino obdormiuit, ſexagenario maior. Triplex hoc trium hebdomadarum funus atq; uulnus, Baſilius tanta animi conſtantia tulit, ut nec dulciſſimæ coniugis amor, nec filioli ſuauiſſimi deſiderium, nec patris ſanctiſſimi uiri memoria illum à Chriſtiana grauitate ullo pacto dimouere potuerint. Ne Hercules quidem cōtra duos, uulgò aiunt: at hic noſter contra tres grauiſſimos hoſtes ſimul cōfertim impetentes ſeſe inuictum præſtitit.

FRATRVM, SORORVM
Mortem.

AEMVLIANVS Scipio iisdem ferè, quibus patrem triũphantem, diebus funera duorum fratrũ spectauit: & quanquam adolescens, tulit tamen æquissimè. Pontanus lib.2.cap.9. de Fortitudine domestica.

SCIPIONEM Africanum in exilio patientia sic comitata est, ut nunciata fratris morte, animum retinuerit. Ibidem.

M.ANTONINVS Imp. in fraterna morte admirabilem præ se tulit animi magnitudinem. Ibidem.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm Petrum fratrem, quem propter singulares animi dotes plurimùm amabat, in obsidione Neapolitana interfectum audiuisset, multis primùm lacrymis exosculatus, in arcem, quam Oui uocant, efferendum curauit: & cùm regio more sepulturæ mandasset, exercitum eius interitu consternatum erexit ac confirmauit. Ad amicos quoq; consolatorias epistolas scripsit. Panormita lib.3. de rebus gestis Alphonsi.

MARTINVS V. Pp. cũ duos haberet fratres (quorũ alter Iordanus princeps Salernitanus maior natu peste periit, alter uerò minor natu Laurentius, in turri igne casu iniecto, exustus est) nihil ex eo auditum est, nil uisum, quod impatientiæ aut abiecti animi signum aliquod præ se ferret. Platina.

NEPOTVM
Repulsam.

L.SYLLA rerum potitus, cùm Mariũ proscripsisset, Senatum & populum non obscurè offendit. Itaq; Nonio Syllæ sororis filio commendatione eius subnixo, & Seruio, candidatis ignominiosè repulsis, alios designauerunt, quorum angi illum arbitrabantur honore. At Sylla hæc sibi esse prætulit iucũda, quòd populus pro arbitrio agens, beneficio suo libertate frueretur. Plut. in Sylla.

HOSPITVM MOROSITATEM.

Impetrauit ab Athanasio urbis antistite ALEXANDRINA mulier tam diues quàm nobilis, ut ex uiduis, quæ ecclesiæ sumtu alebãtur, daretur sibi una aliqua alenda. Data est illi mulier, miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctũ est matronæ studiũ in pauperes. Poposcit sibi alterã dari. Casu an consilio, non facilè dixerim, data est pernicax & inhumana mulier: ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua uerbera reportaret, gratias egit Athanasio, quòd talem dedisset, per quam patientiæ cultum exerceretur. Sab. lib.9. cap.1.

TOLERANTIÆ EXCESSVS. TOLERANTIA NIMIA.

Σκληρότης hæc & ἀναλγησία quædam est, cum obstinatione & peruicacia coniuncta, quoniam præter omnem honestatem & necessitatem fugienda mala temerè & obstinatè perfert. Ab obstinatione in Non declinando differt, quòd illa minus quàm par sit declinet, hæc uerò plus quàm par sit toleret. Cæterùm quia usuuenit, ut qui malum aliquod, ut puta seruitutem, nimium declinant, perferant ea, quæ non erant perferenda: idcirco exempla Declinationis nimiæ quoq; huc transferri possunt. Illic eius quod declinatur mali ceu finis ratio habetur: hîc uerò eius, quod toleratur, mali, quo tanquam medio effugiant illud, quod maius malum falsò putant esse.

MALA CORPORIS NIMIVM
ferre. Nempe
FAMEM, SITIM.

CRETENSES obsidione Metelli ad ultimam usq; penuriam compulsi, sua iumentorumq; suorum urina sitim torserunt, iustiùs dixerim, quàm sustentauerũt: quia dum uinci timẽt, id passi sunt, quod eos ne uictor quidem pati coëgisset. Valer. libro 7. capite 6.

NVMANTINI à Scipione uallo & aggere circumdati, cùm omnia, quę famem eorum trahere poterant, consumsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Quapropter capta iam urbe, complures inuenti sunt artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio. nam quibus mori licuit, sic uiuere necesse non fuit. Ibidem.

CALIGVRITANI in Hispania, quo perseuerantiùs interempti Sertorij cineribus, obsidionem Cn. Pompeij frustrantes, fidem præstarent (quia nullum iam aliud in urbe eorum superat animal) uxores suas natosq; ad usum nefariæ dapis uerterunt: quoq; diutiùs armata iuuentus uiscera sua uisceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias salire nõ dubitarunt. Ex hoc nimirum hoste tanto duci pœna magis quàm uictoria petenda fuit: quia plus uindicatus libertatis, quàm uictus gloriæ afferre potuit, cùm omne serpẽtum ac ferarum genus, comparatione sui, titulo feritatis superãrit. nã quæ illis dulcia uitæ pignora proprio spiritu cariora sunt, ea Caliguritanis prandia atq; cœnę extiterunt. Ibid.

CRVDITATEM.

Sustinuit uorare DIOGENES crudum polypum, ut ad concoquendum ignis subsidium summoueret. Circumsistentibus sacerdotibus & magna corona populi, cùm iniecisset capiti pallium, admouens ori carnem: Vestra causa, inquit, discrimini me obiicio, & periculo oppono. Præclarum uerò periculum. Nempe non ut pro Thebanorum libertate, quomodo Pelopidas, uel quomodo Harmodius & Aristogiton pro Atheniensium, obtulit in discrimẽ pro aliis uitam philosophus, qui cum polypode crudo, ut uitam humanam efferaret, colluctabatur. Plut. orat.1. de Esu carnium.

FRIGVS ET AESTVM.

Lacon quidam, quum uideret DIOGENEM Cynicum in uehementi frigore statuam æream amplectentem, rogauit, Num algeret? illo negante, Quid igitur, inquit Lacon, magni facis? Philosophus hoc ipsum existimabat magnificum, quòd sic haberet corpus ad omnes iniurias duratum: id Laconi ridiculum uidebatur, cùm magno eius incommodo fieret, nec utilitas inde promanaret ad alios. Plutarchus in Laconicis.

Stilpo Megarensis uidens CRATETEM hybernis mensibus frigore rubẽtem: Δοκεῖς, inquit, μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. Lepos, qui est in uocis ambiguo, Latinè reddi nõ potest. καινοῦ coniunctim, sonat Nouo: & καὶ νοῦ disiunctim, sonat, & mente. Discrimen auribus uix sentiri potest, scripto potest ostendi. Videris, inquit, egere pallio nouo, siue pallio & mente. Nouum requirebat, gelu: mentem, Cynici stultitia, qui uestem non accommodaret tempori. Laërtius lib.2. cap.12.

PARTVS DOLORES.

VIRGO quædam clanculum corrupta fœtũ extinxit, tam interim patiens dolorum, ut nullam ederet uocem, adeò ut parturiens & patrem & alios, qui aderant, falleret. Plut. in apophtheg. Lacænarum.

VVLNERA, PLAGAS, ICTVS.

PISISTRATVS ut uafro ingenio Athenarum dominio potiretur, lubens omnes corporis contemsit dolores: quippe qui deformato corpore ac lacero, pluribusq; sibi uulnerib. illatis, in forum prodiit, & uulnera ab inimicis illata falsò affirmauit, acceptoq; præsidio, populi assensu, tyrannidem inuasit. Alex. lib.2. cap.32.

Ephori SCIRAPHIDAM multarunt, quòd iniuria esset affectus, ac sileret. Interpretabantur enim eius oscitantiam fuisse in causa, quòd complures auderent eundem lędere. Nam qui ueterem impunè fert iniuriam, inuitat nouam. Plut.

Demetrius Scepsius libro uigesimo sexto Troiani apparatus, LACONEM quendam scribit ad conuiuium uocatum accessisse, marinisq; echinis appositis, cùm usum eos edendi ignoraret, neque tamen conuiuis, quo pacto comedere oporteret admonentibus, parẽret, unum sumsisse: quem cùm in os unà cum suo putamine posuisset, echinum dentibus momordisse: quo cibo offensus, O scelestum, inquit, edulium, neque te nunc dimittam, neque rursus postea capiam. Athen. lib.3. cap.7.

TORMENTA.

Sub Tit. Obstinationis, exempla quorundam, qui tormenta pertinacissimè tulerunt, reperies.

Agesilaus Lacedæmoniorum rex, quum audiret maleficum QVENDAM constanter pertulisse tormenta: Vt insigniter, inquit, miser est homo, qui tolerantiam & patientiam in res flagitiosas ac turpes collocat! Dolebat duci egregio, tãtum animi robur in re turpi consumtum: quod si attulisset ad res honestas, magno usui poterat esse Reipublicæ. Plutarchus in Apoph. Laconicis.

AESOPVS Demosthenis libertus, diu discruciatus, nũquam fateri uoluit, ad patronum pertinere adulterij culpam cum Iulia: priùs quàm multorum testimonio conuictus Demosthenes ipse, crimen fassus est. Fulg. lib.8. cap.4.

Agathocles, qui postea in Sicilia regnauit, cùm adhuc priuatus Syracusis uiueret, & mari clàm prædaretur, nunquam à SOCIIS, qui cum eo capti fuerant (quanquam grauiter discruciati essent) accusatus fuit. Itaq; etsi crimen exploratum habebatur, constans comitum animus, singularisq; eorum patientia, id in purgando Agathocle effecit, ut in iudicio tanquam innocens absolueretur. Idem.

MORTEM.

Vitam abiicere, mortem temerè obire, huius sunt propriè loci. Eadem tamen respectu Finis, propter quem suscipiuntur, nimirum ut hæc uel illa mala declinentur, ad Declinationis excessum referenda ueniunt, ex desperatione boni ortum. Vitæ autem prodigi fiunt, uel præteritorum bonorum malorumúe tædio: uel præsentium magnitudine: uel futurorum bonorum desiderio, malorumúe metu.

Cur. Mortem nimium tolerare causa

Immortalitatis.

Consueuerunt GALLI, sumto cibo, ad uerborum, prout casus intulit, concertationem surgentes, ex prouocatione certare inuicem, nulla habita uitæ cura. Increuit enim apud eos Pythagoræ sententia, quæ dixit, animas hominum esse immortales, rursusque eas defunctis corporibus post certum tempus in alia corpora reuersuras. Ob hanc causam in defunctorum pyram epistolas scriptas quidam coniiciunt, tanquam eas mortui sint lecturi. Diodorus libro quinto, capite nono.

Vitæ tædij.

Turpe apud GYMNOSOPHISTAS Indorum sapientes putatur corporis morbus: quem si quis ueretur, seipsum per ignem effert. Nam constructa pyra super eam perunctus sedet, & immotus comburitur. Strabo lib.15.

CALANVS Indus Gymnosophista, qui ab Alexãdro Magno multum obseruabatur, cùm annos tres & septuaginta omnis prorsus aduersæ ualetudinis expers uixisset, leui fluore alui tentatus, reputans felicitatis eius, quæ à natura aut à fortuna accipi posset, terminum sibi iniectũ esse, ex hac uita decedere statuit. Rogauit igitur Alexandrum, ut pyram construi, ac postea quàm à se eã cõcensa foret, per apparitores ignem subiici faceret. Conatus est initiò rex à proposito eum dimouere: sed ut in sententia eum permanere uidit, regio iussu pyra est composita, & ingens hominum multitudo ad tam inusitatum confluxit spectaculum. Calanus summa alacritate pyram inscendit, assistentes Macedonas complexus est, rogauitq;, lętum ut illum diem transigerent, & cum rege perpotarent. Illum ipsum breui ait Babylone se reuisurum. Ita fatus, decubuit operuitque se, neque se appropinquante igne mouit: sed quo composuerat se habitu, eum conseruans, ueteri illorum sophistarum more semetipse immolauit. Hoc multis annis pòst alius INDVS Athenis ex comitatu Cæsaris imitatus est: cuius uisitur hac quoq; ætate monumentum, Indi appellatum. Hæc res ab astantibus uario modo excepta est. Hominis aliqui furorem, nonnulli inanem fortitudinis ostentationem damnabant. Erant & qui animi magnitudinem in contemnenda morte admirarentur. Alexander summo cum honore cũ sepeliri curauit, Calanum potentiores hostes debellasse dicens, quàm se. Nam Alexander cum Poro, Taxila & Dario bellum gesserat: Calanus uerò cum labore ac morte. Aelianus libro 5. de Var. hist. & Plutarchus in Alexandro. Megasthenes certè Calanum non uerum philosophum, sed adulatorem fuisse ait, & glorię causa mortem eam subiisse. Strabo libro decimoquinto.

ZARMONOCHAGA ex Bargosa, Indorum regis legatus ad Augustum, cùm demandatum sibi munus à Poro rege suo feliciter expleuisset, neq; ultra uexationem ullam perferre uellet, Indorum more seipsum Athenis extructa pyra combussit, uultu in ridentis speciem semper seruato. Strabo lib.15. auctoritate Nicolai Damasceni.

Venenum cicuta temperatũ in ciuitate MASSILIENSIVM publicè custoditur, quod datur ei, qui causas sexcentis (id enim Senatus eius nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda: cognitione uirili, beneuolentia temperata, quæ neq; egredi uita temerè patitur, & sapienter excedere cupienti, celerẽ fati uiam præbet, ut uel aduersa uel prospera nimis usi fortuna (utraque enim finiendi spiritus, illa ne perseueret, hæc ne destituat, rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur. Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam, sed è Græcia tralatam inde existimo, quòd illam etiam in insula Cæa seruari animaduerti, quo tempore Asiam cum Sex. Pomp. petens, Iulidem oppidum intraui. Fortè enim tunc euenit, ut summæ dignitatis ibi FEMINA, sed ultimæ iã senectutis, reddita ratione ciuibus, cur excedere uita deberet, ueneno consumere se destinarit, mortemque suam Pompeij præsentia clariorem fieri, magni æstimarit. Nec preces eius uir ille, ut omnibus uirtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus, aspernari sustinuit. Venit itaque ad eam, facundissimoque sermone, qui ore eius quasi eloquentiæ fonte manabat, ab incepto consilio diu nequicquam reuocare conatus: ad ultimum, propositum exequi passus est. Quæ nonagesimum annum transgressa, cum summa & animi & corporis sinceritate, lectuloq; quantum dignoscere erat, quotidianã consuetudine cultius structo recubans, & innixa cubito: Tibi, inquit, Sex. Pompei, dij magis quos relinquo, quàm quos peto, gratias referant: quia nec hortator uitæ meæ, nec mortis spectator esse fastidisti. Cæterùm ipsa hilarem fortunæ uultum semper experta, ne auiditate lucis tristẽ intueri cogar, reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias, & unũ nepotum gregem relictura superstitem, permitto. Cohortata deinde ad concordiam suos; distributo eis patrimonio & cultu suo, sacrisque domesticis maiori filiæ traditis, poculum, in quo uenenum temperatum erat, constanti dextera arripuit. Tunc defunctis Mercurio delibamentis, & inuocato nomine eius, ut se placido itinere in meliorẽ sedis infernæ deduceret partem; cupido haustu mortiferam traxit potionem: ac sermone significans, quásnam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cùm iam uisceribus eam & cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocauit: nostros autem, tametsi nouo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrymis dimisit, inquit Val. Maximus libro secundo, capite primo.

C.ALBVTIVS Silus Nouariensis, senex Roma Nouariã rediit, & conuocata concione, causas propter quas mori destinasset explicauit, & inedia seipsum necauit. Suetonius de Claris oratoribus.

STARCATHERVS gigas Suecus iam fessus ętate (cũ CCC annos superaret) ne senij uitio pristinum gloriæ decus amitteret, egregium fore putauit, si uoluntarium sibi consciesceret exitium. Aurum librarum CXX, quod iampridẽ pro Olonis tyranni interfectione meruerat, collo appensum gerebat, emendi in se percussoris gratia: ut quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ salutis impenderet. Itaq; Hatherum splendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus, hortabatur, ne à parentis sui interfectore pœnas exigere uereretur: hæc facientem auro, quod gerebat, potiturum promittit. Hatherus obsecuturum se spopondit. Cui Starcatherus cupidè ense oblato, pronam postmodum ceruicem præbuit: ne timidè percussoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter uteretur, hortatus: præfatusque, quòd si peracta cæde ante cadaueris lapsum caput ac truncum medius intersiliret, armis inuulnerabilis redderetur. Hatherus adacto gladio, senem capite demutilauit: quod corpori auulsum, impactumq; terræ, glebam morsu apprehendisse fertur. Percussor saltu abstinuit: quem si temerè egisset, fortè cadaueris ruina obrutus, occisi senis pœnas proprio funere persoluisset. Corpus eius in campo, qui uulgò Reling dicitur, sepulturæ mandandum curauit. Olaus lib.5. cap.9. ex Saxone.

Religionis.

Hic Martyres hæretici.

ESSENI Iudæi, contemtores aduersorum, mortem, si cum decore obeunda sit, iudicant etiam immortalitate meliorem. Prodidit eorum animos, bellum quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum contractiones, & ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, ut uidelicet uel in legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, uel ciborum quippiam quod non solent ederent, ad neutrum horũ potuerunt compelli: sed neq; deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia: in mediis quinimò cruciatib. subridentes, & eis qui tormenta admouerant illudentes, constantes animas cum quadam hilaritate reddebãt, quasi quas essent denuò recepturi. Iosephus lib.2. cap.7. belli Iud. Laudanda profectò horum constantia, si in ea religione, quam à Christo auditam non receperunt, asserenda eluxisset. Nunc à Machabæis ut tempore, sic etiam causa uincuntur. Illi ueri Martyres sunt appellandi: hi Martyres hæretici.

MARCIONIS hæresis sacrilega eo religiosior habita fuit, quòd plurimos habuerit martyres: imò primi Marcionitæ martyres plures ostenderunt, teste Eusebio libro quinto, capite decimosexto.

METRODORVS apud Smyrnam Marcionis errorem secutus, à persecutoribus Christianorum captus: & cùm presbyter esse iudicaretur, uiuus cõbustus est. Eusebius lib.4. c.15. Sub Antonino Vero.

VALENTINIANI hæretici, martyres multos numerant.

EVPHEMITÆ hæretici, cùm ab Imperatoribus propter errores suos occiderentur, Martyrianos sese uocarunt. Vide Tit. Hæreticorum seculi quarti.

DONATISTÆ hæretici mortem uiolentam, quam uel sibiipsis sua manu inferunt, uel ab aliis sibi inferri curant, Martyrium appellant. Prius autem hoc aliis indicant. Illi ergo eos summo obseruantiæ genere colunt, & cibis lautissimis saginant. Aliquanto tempore saginati, in obuios irruunt, & cogunt eos lethalia uulnera sibi inferre. Quod si facere nolint, se de alto præcipitant. Theodoretus in fabulis hære-

ticorum. Idem de CIRCVMCELLIONIBVS scribit D. Augustinus.

PRAXEAS hæresiarcha, uir Asiaticus, plures in Trinitate negabat personas: sed eũdem patrem & creasse omnia, & passum fuisse, quòd cõmunicata pluribus monarchia, imperij uim impediret. Hæc inani arrogantia dictitabat, eoq; incautè decipiebat, quòd fidei causa martyr extiterat. Huic Tertullianus eleganti lib. respondet. Volat. lib. 18. Anthrop.

GAVDENTIVS Tamugadensis Donatistarum episcopus, libidine martyrium rapiẽdi adeò furens erat, ut cum quibusdam perditis crematurum se in templo minaretur. August. lib. 1. contra Gaudentium.

Sub Valente Imp. Ariano irruère in Romanorum prouincias maxima frequentia Gothi: quorum rex Athanaricus, ubicũque in ARIANOS incidisset, in eos atrociter sæuiit, sacrificia diis facere iubens. At illi magno animo, non uiri tantũ, sed & mulieres cum infantibus ad Ecclesiam confugere, & se uiuos concremari sustinuère. Socrates lib. 4. cap. 33. Sozomenus lib. 6. cap. 37. Orosius lib. 7.

Albertus Austriæ dux, antequam Romanum suscepisset imperium, in IVDÆOS desæuiens, eos omnes in sua ditione occidi iussit, qui nollent ad Christum conuerti. Multi igitur cùm metu baptizarentur, ex iis VNVM Albertus in cubiculum accepit, & ad Christianam fidem adhortatus est. Verùm is cùm post aliquot annos pecunia conductus ad Iudaicam fidem sese reuerti dixisset, ab Alberto iudici traditus, & ad mortis supplicium ductus, nullis constrictus uinculis (sic enim petierat) ut pyram ardentem uidit, Hebraicũ carmen incipiens, in medias flammas intrepidus se coniecit, atq; ibi cantans exustus est. Aeneas Syluius lib. 3. Comment. de rebus gestis Alphonsi.

Innocentiæ testandæ.

LVCRETIA Romana, Collatini uxor, mortem sibiipsi intulit, ne pudori uiolato superesse cogeretur. At quid in seipsam innocentem sæuire uoluit, cùm iniussu magni Imp. ex hac uita non esse migrandum, uel humana doceat philosophia?

Seruitutis amoliendæ.

AXIOTHEA, Nicoclis regis Cypriorum uxor, magna multitudine militum ueniente ab Ptolemæo Aegypti rege ad occupandum regnum, cùm Nicocles uitam laqueo finiisset, fratresq; eius sibiipsis mortem consciuissent: conuocatis sororibus, matribus & eorum uxoribus persuasit, ut ianuas muliebris aulæ clauderent, liberosque, quos in ulnis ferebant, interficerent, igneq; tectis iniecto, aliæ gladiis semetipsas occiderent, aliæ confidenter in flammam insilientes perirent. Illa uerò cùm uideret omnes egregiè iacere, tum etiam ipsa summisso gladio per cædem se in flammam coniecit, ut ne mortuo quidem corpore hostes potirentur. Polyænus libro 8.

In expugnatione speluncarum latronum ab Herode Antipatri F. SENEX quidam deprehẽsus intus cum uxore ac septem filiis, rogatus fuit ab eis, ut se fugere hostem permitteret. At ille stans ante ostium, primum quemq; exeuntem iugulabat, donec ad unum omnes confecit, & uxorem ultimam. Deinde præcipitatis cadaueribus, postremò seipsum superiniecit, mortem seruituti præferens. Iosephus lib. 14 cap. 27.

ASTAPENSES Hispani ne seruire cogerentur Romanis, seipsos cũ oppido perdiderũt. Erũpẽtes enim uiri in Romanorũ stationes, omnem in se conuerterunt exercitũ: at multitudine uicti ad unum cæsi fuere. Qua suorum clade animaduersa, iuuenes qui in urbe remanserant, imbellem multitudinẽ ferro confecerunt, pyram incenderunt, incensę se ipsos cum armis iniecerunt. Sab. lib. 5 En. 5.

Ignominiæ uitandæ.

CLEOPATRA Aegypti regina, cũ Antonius sibiipsi manus intulisset, ipsa in monumẽto à Proculeio capta, & ne sica se ipsam confoderet prohibita, ex mœrore simul & dolore (nam pectus eius ex uerberibus inflammatum & exulceratum fuerat) febre correpta, id uelamentum arripuit læta, quasi ideo temperatura cibo, & uitam liberè positura. Medicum habebat familiarem Olympum: quem, prodita ei ueritate, consiliarium & adiutorem ad tabem sibi inducẽdam adhibuit, ut ipse scriptum reliquit Olympus, qui edidit harum rerum historiam. Odoratus rem Cæsar Augustus, obiecit ei minas & terrores de liberis: quibus illa sicut machinis expugnata est, permisitq; corpus suum omnibus pro arbitrio curare & alere. Venit etiam paucis diebus pòst ipse ad eam appellandam & consolãdam. Illa supplex diuertit protinus ad misericordiam exposcendam & ad preces, quasi summoperè concupisceret uiuere. Postremò numeri thesauri breuiarium, quod habebat, tradidit ei. Cùm Seleucus unus procuratorum argueret eam, quòd reconderet & supprimeret nonnulla: exiliens, & in capillum huius inuolãs, multis plagis os eius contudit. Subridente Cæsare, atque illam reprimente: An' ne graue, inquit, Cæsar est, cùm tu inuisere me hoc in statu & appellare sis dignatus, à seruis me meis deferri? Si quid reposui muliebre, nõ mihi sanè miserę mundum, sed quò pauca munera Octauiæ & Liuiæ tuæ feram, ut placatum te per illas & clementiorem habeam. His gauisus est Cæsar, omninò illam existimans teneri cupiditate uitæ. Igitur Cæsar, ubi ostendit & hæc ei concedere se, cæteraq; supra omnem spem cum ea acturum: digressus, decepisse arbitrabatur se eam, at magis deceptus ipse est. Nam posteaquam sese post triduum in Italiam ad triumphum mittendam esse subolfecit, obtinuit primùm ut Antonio parentare posset. Inde lota accubuit, & splendidè est epulata. Tum cistam quidam rure ueniens attulit. Percunctantibus, Quid ferret? satellitibus: aperiens & auferens folia, cophinũ plenum ficorum ostendit. Mirantes speciem & magnitudinem, arridens inuitauit, ut sumerent. Illi nihil suspicati, iussere ficos eum intrò ferre. Sub prandium tabulas, quas scriptas & consignatas habebat, misit Cleopatra ad Cæsarem. tum omnibus eiectis reliquis, præter duas illas feminas, obdidit fores. Solutis tabulis Cæsar, ut obsecrationes & questus legit precantis, ut apud Antonium conderetur: intellexit illicò, quid gestum esset. Ac primùm instituit illuc ipse accurrere: deinde spectatum properè misit, quid rei esset. Verùm momento transactum cum illa fuerat. Nam cursu illuc profecti, & stationem nihil offendentes sensisse, reserata ianua defunctam inuenerunt, & in aureo iacentem lecto, regio cultu exornatam. Ex mulieribus eius Iras nomine ad pedes eius expirauerat: Charmium iam lapsabunda & capite grauata componebat diadema, quo redimitum erat caput eius. Ibi cùm quidam fremens dixisset: Hæccine pulcra, Charmium? Pulcerrima sanè, inquit, decentiaq; regum propaginem tam multorum. Nihil ampliùs locuta, iuxta lectũ ibi concidit. Perhibent aspidem inter ficos illos illatam, foliisq; fuisse intectam. ita enim iussisse Cleopatram, ut ignorantis corpus bestia inuaderet. Vt tollens de ficis conspexit eam, dixisse Cleopatram: Nempe hîc illa est. brachiumque nudatum morsui præbuisse. Alij inclusam hydriæ aspidem, atq; ita fuisse autumant asseruatam, fusoq; aureo ipsam lacessentis & stimulantis arripuisse Cleopatræ brachium. Sed ueritatem nouit nemo: quando uenenum quoq; gestasse proditum est eam in nouacula caua, eamq; recõdisse coma sua. Verùm nec macula in corpore extitit, neq; aliud ueneni uestigium. Neq; uerò bestia illa intus comparuit. tractus aliquos eius tantùm iuxta mare, quò cubiculum spectabat, & fenestræ erant, aiunt deprehensos. Nonnullis brachium quoq; Cleopatræ notas duas ex punctione uisum est habere tenues & exiles: quibus credidisse Cęsar uidetur. Siquidẽ in triumpho eius imago translata est ipsius Cleopatræ, & aspidis mordicùs brachio affixæ. Plut. in Antonio.

A quibus illatam. Puta à

Seipsis.

☞ *Vide locum Mortis, Tit. αὐθένται. Illic Mortis efficiens, hic Tolerantia nimia perpenditur.*

THEOXENA mulier Thessala, cuius maritum Philippus Macedoniæ rex Persei pater interfecerat, cùm sororis filij à Philippo ad carcerem & ludibrium poscerentur: molita cũ pueris fugã, ubi se & suos uidit in hostium potestatem uenisse, sibi & pueris mortem consciuit. Sab. lib. 5. En. 5.

Magistratu, Iudicibus.

PRAYLVS Troadensis, Timonis Nicæi auditor, tam stupida fuit constantia, ut pateretur se iniustè, tanquam proditorẽ, affici supplicio, ne uerbo quidem innocentiam suam defendens. Laert. in Timone.

Sociis, Amicis.

☞ *Cõsule Tit. Eorum qui mutuis uulneribus periere. Illic Efficiens, hic Effectus consideratur.*

Ad extrema Ciliciæ, rupem quandam munitissimam incolebant MARMARES nuncupati. Horum pleriq;, faciente illac iter Alexandro Magno, nouissimum eius agmen adorti, compluribus interfectis, non paruum hominum & iumentorum numerum abegerunt. Qua iniuria rex irritatus, loci illius oppugnationem instituit, atq; omni conatu, ut eam gentem debellaret, contendit. Marmares & fortitudini suę, & oppidi situ confisi, fortiter oppugnationi resistebant. Iãq; biduum integrum nunquam pugna intermissa fuerat: apparebatq; regem non priùs cessaturum, quàm rupem eam superasset. Ibi Marmarum seniores iuuentuti persuadere tentarunt, ne uim experiri perseuerarent, quòd fortasse negotium cum rege componi posset. Illis huiusmodi sententiam respuentibus, cunctisq; simul cum libertate interire sibi proponentibus: senes aliud consilium hoc dederunt, ut pueros, feminas, senesque omnes interficerent: ipsi, quibus ob corporis firmitudinem haud difficulter salus quæri posset, noctu per hostes medios in montem proximum effugerẽt. Cõprobato hoc consilio à iunioribus, iussi sunt senes quisque

que

que domum suam reuerti, ibiq; cum cognatis cibo & potu delicatiore refecti, mortem expectare. Visum est deinde iuuenibus. qui erant circiter sexcenti, à cæde cognatorum hominum abstinere, sed domibus ignem iniicere, eoq; facto, portis patefactis discedere. Vt constituerant, peractum est, cuicunque suorum ciuium, ut incensa domus pro sepulcrò esset, fecerunt: ipsiq; durante adhuc nocte, per hostium castra euadentes, in propinquum montem se contulerunt. Diodorus libro 17.

ABYDENI à Philippo Macedone obsessi, paulò ante primũ bellum Macedonicum à Rom. gestum, petierant, ut præsidio incolumi dimisso, sibi cum uxoribus & liberis, singulisq; uestimentis, urbe excẽdere liceret. Cæterùm legatis nihil pacati ab hoste renunciantibus, Abydeni in rabiem uersi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros & uirgines cum nutricibus & infantibus in Gymnasio claudunt, aurũ & argentum omne in forum deferunt, mox in unum collectum in Rhodias naues, quæ fortè in portu stabant, imponunt. Ipsi eo consilio in hostem exeunt, ut non nisi uictores in urbem redirent: delectis, qui atrox facinus, nisi consilium processisset, peragerent, dira execratione interposita, nisi impetrata facesserent, ut si Abydenorum acies ad pugnam egressa uinceretur, confestim omnem imbellem turbam obtruncarent: aurum & alia, quæ in naues congesta essent, in mare deiicerent. Pugna multò atrocior fuit quàm pro numero dimicantium. Verùm Macedo, Abydenis maiore ex parte interfectis, animaduersa hostium desperatione, sub noctem pugnam inhibuit. Postridie urbs paucorum cõsensu deditur, sacerdotibus ad eam dedendam missis. Vbi hostis intra mœnia est conspectus, qui prælio superfuerant, iurisiurandi publicæq; execrationis memores, subitò uelut furore correpti, stricto ferro suos conficiunt. Sæuiunt inde in seipsos. Quo hostium furore rex perculsus, militem à cæde reuocauit, professus se tridui spacium Abydenis dare ad mortem sibi consciscendam. Quo tempore plura in se uicti facinora ediderũt, quàm uel ab irato hoste pati debuissent. Sab. lib. 6. Ennead. 5.

POLONI XII. adolescentes nobiles, ab Amurathe Turcorũ Imp. capti, stupri uitandi causa, mutuis conciderunt uulneribus. Cromerus lib. 21.

☞ MALA FORTVITA. VIDELICET

☞ SERVITVTEM VEL PRÆSENtem uel imminentem.

Carcerum.

☞ *Vide Tit. Non declinare temerè periculum Carceris.*

Tyrannorum.

ARISTOGITON Atheniensis, cùm magni animi uir fortisque foret, publicas iniurias lente admodum tulit: & cùm ciuitatem ab iniusto homine uexari, omniq; dignitate spoliari cerneret, sua nihil interesse putauit, quid de illis rebus fieret. Idem tamen postea cùm Hipparchum ipsum tyrannũ amores ac delicias suas tentare, Harmodiumq;, cuius amore flagrabat, conciliare sibi uelle intellexit: suam hanc priuatamq; iniuriam non tulit, sed adhibito socio illius consilij puero illo, quem amabat, dolorem suum ultus est, ipsumq; necauit. Victorius lib. 20. Var. lect. cap. 21.

☞ DEDECVS, INFAMIAM, OBtrectationem.

BALLIO in Pseudulo Plautina ad atrocia conuitia, quibus à duobus impetitur, respondet, Vetera uaticinamini. Erasmus in Adagiis.

NERO Imp. cùm post infinita crudelia facinora matrem quoque Agrippinam occidi fecisset, à multis pessimè audiuit, qui tamen priuatim magis quàm publicè hominem damnabant. Nam culeum in quadam statua ipsius de nocte suspenderunt: ut ex eo significarent, Neronem in culeum coniici oportere. exposuerũtq; puerulum in foro, alligata ad eum tabella, in qua scriptum erat: Non te tollo, ne matrem occidas. Legebatur in plerisq; locis scriptum, Nero, Orestes, Alcmæon, matricidæ. Audire licebat eos qui ita dicerent: Nero matrem interfecit. Cuius tamen rei nullam pœnam Nero reposcebat, ne uel fama magis omniũ sermone percrebesceret, uel quòd sermones habitos de iis rebus contemneret. Xiphilinus in eius uita.

M. ANTONINVS Philosophus habuit uxorem Anniam Faustinam, filiam Pij, sic annitente Adriano, ut Marcus Pio gener esset, ut quandoque ad eum imperium perueniret. Capitolinus de nefandis amoribus Faustinæ erga gladiatorẽ pulcram fabulam narrat. Sed tranquillitas ac boni principis pietas effecit, ne eam repudiaret, licèt eam inter adulteros nonnunquam prandentem deprehendisset, quos indè ad uarios honores promouit. Cuspinianus.

☞ DEFECTIONES, CLADEM.

GALIENVS Imp. quum accepisset, Aegyptum à Romano imperio desciuisse: Quid, inquit, sine lino Aegyptio esse non possumus? Perdita Gallia ridens: Et non est, inquit, tuta Respub. sine trabeatis sagis? Asia Alemannorum & Scytharum incursationibus uastata: Quid, inquit, sine Aphronitris esse nõ possumus? Degeneris hæc fuerũt animi indicia. Et quid mirum? Cùm eadem leuitate patrem Valerianum à Persis capi, & pro spectaculo circumduci passus fuerit. Trebellius.

Capta ab Alarico Vestgotho Roma, quidam HONORIO Imp. cum lacrymis Romam captam nunciabat. Cùm autẽ Honorius mirificè oblectaretur gallina quadam, cui ob corporis proceritatem nomen indiderat Romæ, femur utraq; manu percutiens, Quomodo, inquit, tam subitò capta est Roma, quæ paulo antè his meis genibus requieuit? Tum minister, non Romam gallinam, sed urbem Romam captam proclamauit. At Imperator, Alias, inquiẽs, urbes habemus, susq; deq; nobiliss. urbis excidium tulit. Sicut & quòd Placidia ipsius soror abducta esset captiua, quam in Foro Cornelij Ataulpho Alaricus uxorem dedit. Cuspin. ex Zonara.

☞ INSIDIAS, FRAVDES.

VLADISLAVS Boemiæ & Hungariæ rex, molitiones procerum omnes mira patientia aut dissimulauit, aut contempsit. In tantonamq; silentio, quo consilia sua obtegebat, difficile erat diuinare, quid secum cogitaret, aut quali animo hoc uel illud ageret: sic uidelicet taciturnitatem amplexus, ut à plerisq; mutum idolum cognominaretur, quòd aliud proloqui nesciret uel nollet, nisi Bene, aut *Dobre*. Hunc enim morem habuit, ut Hungaris, quorum linguæ ignarus erat, uocabulo Latino, Bene, Boemis autem uernaculo ipsorum uerbo *Dobre*, quod idem cum priore sonat, respõderet: cùm utrorumq; illi compendio suo studentes, sibi quidem benè, cæterùm regi male consulerent. Itaq; per hæc duo uerba regnũ utrumque misere afflictum fuit, amissis regiis oppidis, arcibus, uectigalibus, & quibuscunq; aliis reditibus: adeò ut in Morauia rex nullum planè reliquum censum haberet, tenuissimum uerò in Boemia. Dubrauius lib. 32.

☞ DEIECTIONEM AB IMPERIO.

Iodocus Marchio Morauiæ, cùm patruum suum VENCESLAVM Boemiæ Romanorumq; regem uisitatum uenisset, uocauit eum patruus in penitiorem ædium partem, atque in hunc modum allocutus est. Etsi satis scio, non esse è dignitate mea, quòd Electores imperij me regno Romano abdicauerunt, solatio tamen est, quod è familia nostra hoc decus non excidit. Ego te libens uolensque successorem mihi datum accipio. Cumq; Iodocus his uerbis territus ad regis genua procubuisset, ac sibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnium ignarus esset: Pone metum, inquit, nepos. Nam neq; imperium inuitus depono: neq; si retinere illud cupiam, iura sanguinis uiolare ausim. Bono itaque animo esto, imperiumq; tibi demandatũ suscipe. Mihi mea satis est Boemia: uiris, armis, opibus regni mei tãquam tuis ut liber utere. Lætumq; & donatum nepotem à se dimisit. Aen. Syl. lib. 3. Com. in Panor. Sed & cùm Norimbergenses soli Iodocum pro rege non agnoscerent, uiuente etiamnum Venceslao: Venceslaus spretis XX. millibus aureorũ quæ offerebant, si à fide data liberarentur, aliquot plaustra uini Rhenensis Baccharacensis ab illis petiit, & liberos esse iussit. Cranzius lib. 9. Vandal. cap. 31. & lib. 10. cap. 1.

☞ EXCIDIVM VRBIS.

Capta ab Alarico Gotho Roma, ROMANORVM plurimi Carthaginem fugere. Vrbis direptionem plangentibus orientalibus populis, & maximis ciuitatibus in remotissimis terris publicum luctum mœroremq; ducentibus, ipsi theatra securi frequentabant, usque adeò fabulis dediti, ut ne propriis quidem calamitatibus ab iis auerti possent. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 33.

☞ MORTEM SVORVM.

DEMOSTHENES (sicuti Aeschines memorat) septima die, quàm filia eius decessit, antequam eluxisset, & iusta exequiarum fecisset, coronatus & candido amictus pallio sacrificauit, & morem soluit: cùm unicam infelix, & eam, quæ prĩmùm eum appellauerat patrem, amisisset. Plutarchus in oratione Consolatoria.

GALIENVS Imp. cùm patrem Valerianum audisset extinctũ, uocem laudatissimam sine laude usurpauit, dicens: Sciebam patrem meum esse mortalem. Trebellius Pollio.

PVSILLANIMITAS IN TOLERANDIS MALIS, quæ ANIMVM turbare possunt.

Quæ animum commouēt, uaria sunt. Interna quædam, Cogitationes, Phantasmata, Somnia. Externa pleraque, Corporis Fortunæue bonis incommodantia: quibus obiectis ea pars animæ, quæ perturbationibus obnoxia est, ad Tristitiam, Timorem, Inuidiam, Desperationem, Æmulationem, Iram, & quæ horum sunt consectanea, ad Vindictam, Fugam, Abnegationē, Cædem, Indulgentiā, & similia abripitur. Quo quidē considerationis modo omnia ea mala, quæ uel corpori uel fortunis incommodando, pusillanimos reddunt, ut respectu primæ suæ impressionis ad sequentes Titulos referuntur: sic respectu eius quem in animo concitant motus hic quoq; locari possent. Semel monuisse sat est.

Priscus MIDAS ex somniis exanimatus & perculsus adeò afflicto animo fuit, ut hausto cruore taurino necem sibi ultrò consciuerit. Plut. de Superstitione.

Rex Messeniorum ARISTODEMVS bello, quod aduersus Messenios gerebat, quòd canes luporum more ulularent, apud focum paternum suppullularet gramen, auersarenturque ea ostenta fatidici, summissis prorsus animis, ac spe abscissa, semetipse iugulauit. Idem.

PVSILLANIMITAS IN TOLERANDIS MALIS CORPORIS. NON tolerare mala Corporis tolerabilia. Puta

FAMEM, SITIM.

Ex Tit. Commeatum hostium intercipere, huc quædam.

ESAVS fami nimium indulgens, lentis edulio ius primogeniture magno suo cum malo commutauit. Gen. 25.

LYSIMACHVM memoria prodit, quum fuisset in Thracia prælio uictus à Dromichete, ac siti ferè enectus, se exercitumque hosti permisisset, iam desiderio expleto: O' dij, inquit, quàm pusillæ uoluptatis gratia in seruitutem me ex tanto rege conieci? Cælius lib. 9. cap. 13. Antiq. Lect.

SCODRENSES, obsessi à Turcis, quum ad id inopiæ aquarū uentum esset, ut uix modicum quid singulis distribuendo tres adhuc dies suffecturæ crederentur: abeunte hoste præcipites sitibundum agmen ad subiectum flumen ruunt, desideratamq; multis diebus aquam, tam cupidè hauriunt, ut multi ea repleti, stupidi rigentibus membris statim exanimes conciderint. Sab. lib. 10. Dec. 3.

AESTVM, FRIGORA, LABOREM.

ARTEMONEM quendam aiunt fuisse mollem adeò, & solutum [illegible], ut nunquam pedibus iraret. Aelianus.

ROMANI sub Tarquinio rege ad Cloacarum opus coacti, tædio laboris plurimi sibiipsis manus intulēre. Plinius.

DOMITIANVS Imp. laboris impatiens, per urbem pedibus non temerè ambulauit: in expeditione & agmine equo rarius, lectica assiduè uectus est. Suetonius.

IVL. LVPVS cùm unà cum Cassio Chærea, Caij Cæsaris interfectore, ad supplicium duceretur, ueste detracta conquestus est de frigore. Huic Chærea pusillanimitatem exprobrans, lupum tamen nunquam offendi frigore, dixit. Iosephus libro 19. capite 3.

Vt sunt ad conferendas manus, præliaq; committenda GALLI omnium propè hominum paratissimi atq; fortissimi: ita ad perferendos paulò diutius labores, inediamq; tolerandam, supra cæteros animus eorum mollis infirmusq; est, omnisq; illa ardens ac uehemens breui tempore uirtus elanguescit atq; restinguitur. Bembus lib. 2. Venetæ Hist.

IMBECILLITATEM, MORBOS.

HERCVLEM, cuius ingentia duodecim facta numerant, in Oeta monte à seipso incēsum produnt, cum ea uirtute, qua monstra subegerat, morbum tamen, quo languebat, sustinere non posset. Augustinus de ciuitate Dei, libro 18. capite 12. & Sabell. lib. 6. En. 1.

DIOGENES Sinopensis, iam morti proximus, deiecit seipsum de ponte, qui prope gymnasium erat: mandauitque custodi palæstræ, ut cùm expirasset, se abiiceret in Ilissum. Aelianus lib. 8. de Var. hist.

BION Borysthenites, cùm disputando semper asseruisset, Deum nullum esse, atque omnia casu regi: æger amuletis & carminibus fidem habuit, diis supplicauit, uotaque suscepit: contra ea quæ ex sectæ suæ disciplina ipse prædicauerat. Laertius.

AELIVS, miles Romanus, lethali morbo correptus, ut fortiter interiret, sibiipsi manus intulit. Sic de eo Philippus in tertio Epigrammatum Græcorum:

> Αἴλιος ὁ θρασύχειρ, ἄρης πεζὸς, ὁ ψελιώσας
> αὐχένα χρυσοδέτοις ἐκ πολέμου στεφάνοις,
> τηξιμελεῖ νούσῳ κεκολουμένος, ἔδραμε θυμοῦ
> ἐς προτέρων ἔργων ἄρσενα μαρτυρίην·
> ὦσε δ᾽ ὑπὸ σπλάγχνοις πλατὺ φάσγανον, ἐν μόνον εἰπὼν,
> ἀνδρὸς ἄρης κτείνει, δειλότερος δὲ νόσος.

Dion scribit, ADRIANVM Imp. miserabili cruciatu affectum Baiis, postquam promissa pecunia & data uenia nemo ei obtemperaret, Mastorem quendam barbarum nomine, Iazygen genere (quo homine propter robur & audaciam plerunque in uenationibus usus fuerat) & minis & pollicitationibus coegisse, ut cædem sibi inferret: ac circumscripsisse locum sub mammilla, quem Hermogenes medicus demonstrauerat, quo lethaliter percussō statim sine dolore expiraret. Sed ubi hoc ei non successit (nam Mastor attonitus fugit) multum de se querebatur, quòd nullum percussorem reperire posset. Cuspin. ex Spartiano.

Antonius monachus, cùm ab Athanasio Alexādriæ episcopo propter confutationem hæreticorum in urbem Alexandriā esset accitus, & isset ad eum DIDYMVS, uir eruditissimus, captus oculis: inter cætera colloquia de scripturis sanctis, cùm eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, sciscitans ait: Num tristis es, quòd oculis carnis carcas? Cùm ille pudore reticeret: secundò tertioq; interrogās, tandem elicuit, ut mœrorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius: Miror, ait, prudentem uirum eius rei dolere damno, quam formicæ & muscæ & culices habent: & non lætari illius possessione, quam sancti soli & apostoli meruerunt. Hieron. ad Castrutium.

SENECTVTEM.

MILO Crotoniates, iam senex, quum uidisset athletas alios in curriculo sese exercentes, fertur inspexisse lacertos suos, lacrymansq; dixisse: At hi iam mortui sunt. Cicero.

THEOGNIS Megarensis quàm iniquo animo senectutem tulerit, uersus isti, quos Gnomis suis inseruit, satis indicant:

> οἴμοι ἐγὼν ἥβης καὶ γήρως οὐλομένοιο,
> τοῦ μὲν ἐπερχομένου, τῆς δ᾽ ἀπανισταμένης.

VVLNERA, VERBERA, Pulsationes.

PHILOCTETES, cui Hercules moriens suas sagittas & arcū commiserat (erat enim insignis iaculator) cum septem nauibus Aeolensibus ad Troiam cum Græcis profectus, in Lemno insula ad aram Mineruæ ab hydro in pede ictus, crudelissimis doloribus exagitatus, à Græcis illic relictus est, ut à Vulcani sacerdotibus curaretur, qui à serpentibus demorsos curare solebant. Meminit illius rei Homerus Iliad. β.

> ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖτο κρατέρ᾽ ἄλγεα πάσχων
> Λήμνῳ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθι μιν λίπον υἷες Ἀχαιῶν
> ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου.

& Arist. lib. 7. Ethicorum, mollitiem illius in ferendis doloribus in Tragœdiis notatā arguit: & Sophocles in Philoctete. Tandem sanitati restitutus, legatione missa à Græcis reuocatus est, quòd in fatis erat, Troiam absq; sagittis Herculis capi non posse. Eustathius Iliad. β.

Cùm Herculis sagittas ueneno Lerneæ hydræ perlitas CHIRON Centaurus tractaret, in alterum pedem eius una illarum cecidit. Is dolore uulneris diu discruciatus, cùm natus esset ex immortali patre Saturno, mori non poterat. Quare deos precatus est, ut sibi mortali esse liceret: ut testatus est Acusilaus, & Cratinus, qui huius argumenti actum composuit. Id uerò cùm Iouis misericordia obtinuisset, inter sidera relatus fuit, ut testatur Hyginus in lib. de Stellis. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 12.

MORTEM.

Mortem molli animo iam præsentem ferre, huius est loci. Eius declinatio, quæ ferè mollitiem in tolerando præcedit, ad uitiosam Declinationem pertinet. Consule Tit. V itæ cupiditas nimia. Contrariorum enim contrarij affectus, in idem ferè coincidunt: ut lucis odium, tenebrarum amor.

LYCAS, dum furentem fugit Herculem, complexus aras tremebunda manu, nimio metu exanimatus, mortem non sensisse uidetur. Pontanus libro primo, de Heroica fortitudine, capite decimoquinto.

CAMBYSES Persarum rex, cùm suoipsius gladio saucius in Ecbatanis Syriæ sibi moriendum esse uideret, defleuit omnem suam conditionem, & sera pœnitentia scelerum subiit, quòd fratrem Smerdem interfecisset, germanam sororem sustulisset, Apim uulnerasset, Prexaspis filium sagitta interfecisset, multos denique Persarum procerum iniustè occidisset. Persæ ut regem lamentantem conspexēre, uniuersi uestimenta resciderunt, & cum insano homine insaniuerunt. Herod. lib. 3.

C. MARIVS septies consul, moriens crudelem fortunam dixisse fertur, quòd priusquam consilia & uota sua explere potuisset, uita decederet: omnium successuum & honorum, qui illi in uita contigerant, ut ex ipsius querela apparet, oblitus. Sab. lib. 3. En. 6.

Cn. DOMITIVS prætor, proauus Neronis, in desperatione rerum, mortem timore appetitam ita expauit, ut ad Corfinium principio belli ciuilis à Iuliano captus, haustum ueneni pœnitentia euomuerit, medicumque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minùs noxium temperasset. Suetonius.

TITVS Vespasianus Imp. inter preclaras imperij administrandi actiones morte præuentus est, maiore hominum damno, quàm suo. Sabinos petens, aliquanto tristior, quòd sacrificanti hostia aufugerat, quodq; tempestate serena tonuerat, ad primam statim mansionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum, multumq; conquestus, eripi sibi uitam immerenti. Neq; enim extare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno: id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neq; cuiquam facilè succurrit. Quidam opinantur consuetudinis recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse persanctè Domitia iurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset: imò etiam gloriatura, quod illi promtissimum erat in omnibus probris. Suetonius.

IVL. Lupus, qui Cæsoniam & filiam Caij principis interfecerat, Senatus iussu, à Claudio Caij successore ad supplicium raptus, lacrymabatur cùm adduceretur ad cædem, detractaq; ueste de frigore conquerebatur. Cùm parum fortiter ceruicem præberet, pluribus ictibus demum confectus est. Iosephus lib. 19. cap. 3.

NICOMACHVS quidā, sub Decio Imperatore, in urbe Troade, dum à proconsule Opimio torqueretur, doloris impatiens, diis dixit se sacrificaturum. Atque ubi dimissus, thura ante idolum incendit, illicò à dæmonio arreptus, grauiores pœnas dedit. Quippe in rabiem uersus, propriam linguam dentibus mandens expirauit. Marulus lib. 5. cap. 5.

PHILIPPVS Maria, dux Mediolanensis, de morte sermones inuitus audiuit. Tonitrua & fulmina mirum in modem expauit. Aeneas Syl. cap. 49. Europæ.

LVDOVICVS XI. Francorum rex, sexagesimum ætatis annū ut fatalem sibi semper horruit, quem Francorum regum uiuendo iam inde ab Hugone Capeto generis sui auctore nemo transcendisset. Ipse id temporis spacium quindecim diebus excessit, anno Christi MCCCCLXXXIII. Decessit in suburbanis Turonum hortis. Aemil. lib. 10.

LOTHARIVS Francorum rex morti proximus, sæpè repetebat hæc uerba, Eheu quàm magnus est rex ille cœlestis, qui reges terrenos lenta morte ad ima deiicit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

PHILIPPVS Strozza, Petri pater, qui exulum dux erat contra Cosmum Florentinorum ducem, captus in prælio, ne indignam natalibus suis necem subire cogeretur: gladio, quē Hispanus carceris custos temerè exiens reliquerat, gutturi apposito, magno nixu & corporis pondere incubuit, quum exeuntem Hispanum adacto statim uecte ostio exclusisset, relicto in mensa chirographo, quo testabatur, se qui rectè uiuere nesciuisset, generoso animo, uitæ & miseriis finē imposuisse. Vir ingenio erudito, apprimeque liberali, summè gratiosus apud ciues, sed de superis atque inferis malè sentiens, apertè illusit Christianæ disciplinæ. Sabellici supplem. lib. 22. ex Iouio.

IOAN. Brauus à Salmantica, Hispanus, rebellis contra Carolum V. Imperatorem, cùm per ignominiam asino impositus esset cum socio Io. Padillia à Toleto, & circūduceretur per castra sub uoce præconis, proditorem se esse pernegauit, & ob id à lictore immaniter uiolatus fuit. Iou. in Hadriano VI.

TORMENTA NON FERRE.

Tiro ueteranus miles, cum filio tortus ab Herode Iudæorum rege, ut insidias sibi ab Alexandro filio, Tironis summo amico, factas proderet, constantissimè id factum negauit. FILIVS tandem tormentis succumbens, & patris miseratione ductus, præsertim cùm nihil salutis etiam non conuictis de crimine superesse uideret, ueritatem se dicturum asseuerauit, si tormenta remitterentur. Data fide, coniurasse se cum patre & tonsore indice affirmauit (uide sub Tit. Tonsorum, Tryphonis exemplum) & mox productus, cum patre lapidibus obrutus est. Nec multo post Alexander hoc falso indicio per tormenta extorto strangulatus est. Iosephus libro 16. capite 17.

M. AGRII argentarij seruus, Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse insimulatus est: eoque nomine tortus à domino, admisisse id facinus constantissimè asseuerauit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est. Paruo deinde tempore interiecto, ille, cuius de nece creditum erat, domum rediit. Val. Max. lib. 8. cap. 4.

PHARION Aegyptius, tormentorum metu ea latrocinia fassus, quæ nunquam patrārat, Alexandriæ ducebatur ad locum supplicij. Ibi in Apollonium Tyaneum incidit. Cùm is magica arte innocentem eius criminis deprehendisset, dedita opera eum remoratus est. Cùm autem cæteri iam à ministris capite multati essent, Pharion reuocatus est: cùm noxij quidam in disquisitione, quæ de eis habebatur, ipsa illa hora, innocētem Pharionem eius criminis esse dixissent. Fulg. lib. 8. cap. 4.

Philippus Maria, dux Mediolanensis BEATRICEM uxorem, adulterij suspectam, cùm ictu quaterno uicenoque crudeliter excussam detorsisset, supplicio affecit. Illa tormentorum impatiens, cùm fidibus arctissimis distringeretur, sese ream dicebat: mox coram sacerdote, innocentem sese profitebatur. Conuicta tamen more iudiciorum, capitaliq; sententia damnata, gladio percussa est. Arlunus hist. Mediol. Sect. 1.

PVSILLANIMITAS IN FERENDIS MALIS Fortuitis. Siue ea spectent

DIVITIAS. NON FERRE

IN GENERE, PAVPERTATEM.

MENIPPVS Phœnix, secta Cynicus, cùm habendi cupidissimus esset, amissis bonis, laqueo uitam finiuit. Laertius.

IN SPECIE.

Furta.

EVCLIONIS pusillanimitatem in aulæ suæ iactura, Plautus in Aulularia describens inquit:

> Heu me miserum, miserum, perij malè perditus, pessimè ornatus eo.
> Tantum gemiti & malæ molestiæ hic dies mihi obtulit, famem & pauperiem.
> Perditissimus ego sum omnium in terra.
> Nam quid mihi opus uita'st, qui tantum auri
> Perdidi, quod custodiui sedulo? egomet me fraudaui,
> Animumq; meum, geniumq; meum. nunc eo alij
> Lætificantur meo malo & damno: pati nequeo.

Direptionem.

ZENO philosophus sæpè dixerat, diuitias esse indifferentes. Antigonus rex falsò nunciari fecit, prædia illius ab hostib. esse direpta. Quum tristior effectus esset: Vides, inquit, diuitias non esse indifferentes? Brusonius lib. 2. cap. 26.

Tributorum exactionem.

Secundo bello Punico uicti à Rom. CARTHAGINENSES, annuum stipendium populo Romano usq; ad certum tempus soluere tenebantur. Cùm uenisset dies, in quo prima pēsio conferenda Romanis erat, & ingemiscerent omnes ad uocem tributi, ferunt Annibalem commotum inutili lamētatione Pœnorum, risum effudisse, & increpitum ab Asdrubale Heduo, quòd in communi totius ciuitatis mœstitia tā effusè lætaretur, respondisse, Nō lætātis hominis illum esse risum, sed eorum inanes lacrymas deridentis, quæ eo tēpore in leuiore malo, quod cuiusq; priuati ciuis pecuniam tangeret, potiùs manarent, quàm antea cùm Romani ad Zamam uictores, classem, arma, & amplissimarum uictoriam spolia Carthaginensibus detrahebant, uictisq; imponebant leges. Auctor uitæ Annibalis.

Incendia.

ANT. Vrceus Codrus, Grammaticus celebris, Foroliuij cubiculum habebat in penitiore palatij parte, uariis quidem ornatum picturis, sed adeò in prima diei parte obscurum, ut nisi lucernæ beneficio ne parietes quidem ipsos discernere posset. Vtebatur itaq; lucerna fictili, raræ pulcritudinis: in cuius summitate cælatum erat, Studia lucernam olentia optimè olere. Hanc cùm domi inextinctam reliquisset, incendij cau-

dij causam fuisse creditum est. Nā matutino tempore cùm negotij causa se in forum contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est. Periit liber ab eo compositus, qui inscribebatur Pastor: periêre & reliqua eius bona. Fama est, ad primum incendij nūcium tantam animo imbibisse iram, ut exclamans, ueluti furore quodam concitus, ad regiam usq; præcipiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi astans (neq; enim ob incendium ingredi licebat) Quódnam ego, inquit, tantum scelus concepi Christe: quem ego tuorum unquam læsi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conuersus postmodum ad simulacrum Virginis: Audi Virgo, ait, ea quę tibi mentis compos, & ex animo dicam. Si fortè cùm ad ultimum uitæ finem peruenero supplex accedam ad te opem oratum, ne me audias, néue inter tuos accipias oro, cum infernis diis in æternum agere decreui. Qui aderant, uerbis quidē quod poterant ipsius iram lenire conabantur. sed clausę erant aures, obstrepente ira: quæ adeò oppressit hominem, ut obiurgatis priùs amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec antè imposuerit frenos amenti gradui, quàm in uastum sese proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu urbem petens, cùm portas offendisset clausas, in fimi aceruo prostratus lucem expectauit. Mane uerò urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstrusit sese, ibique iugiter per sex menses, solus, ac sine libris, uitā protraxit. Barth. Bonon. in eius uita.

Amissionem animalium.

GERGASENI porcorū damnum pluris facientes, quàm beneficium, quo duo homines, & quidem ciues ipsorum, à dęmonum legione liberati fuerant, rogarunt Iesum, ut inde à suis finibus discederet. Marul. lib. 5. cap. 3.

HONORES. NON FERRE DEDECVS ILLATVM

Consule Tit. Reprehensiones ægrè ferre. Illic Veritatis odium, hic Mollities in tolerando spectatur. Vindicta calumniarum, auctoris respectu, ad locum Clementiæ pertinet.

VERBIS. NON FERRE

Reprehensiones ueras.

Quòd asperius coram multis Pythagoras FAMILIAREM Maccepisset, dicitur adolescens laqueo sibi gulam fregisse. Inde Pythagoram referunt, neminem unquam pręsente castigasse alio. Plut. de Discernendis adulatorib.

CN. Pompeius in campis Pharsalicis Cæsarem assecutus, bellum ducere, & hostem inopia commeatus opprimere statuerat. Verùm dum ita Cæsarem sensim subsequitur, impetiuerunt eum obtrectationibus: non Cæsarem ipsius artibus, sed patriam & senatum circumueniri, quò semper cum imperio sit, neq; unquam desistat illis, qui deberent orbem terræ regere, pro asseclis & satellitibus uti. Domitius Aenobarbus eum perpetuò Agamemnonem appellās, & regem regum, inuidiam ei conflabat. Nec minus erant Fauonij importuna cauilla, quàm aliorum liberè emissæ intempestiuæ uoces. Quirites, clamabat ille, toto hoc anno non uescemini ficubus Tusculanis. L. Afranius, qui exercitus Hispanienses amiserat, proditionis nota aspersus, cū Pompeium tunc detrectantem cerneret certamen, demirari se dicebat accusatores suos, cur non ad dimicandum cum prouinciarum mercatore procederent. His & huiuscemodi multis dictis uirum impotentem gloriæ & ruboris erga amicos impulerunt Pompeium, ut relictis consiliis optimis suis, ipsorum obsecundaret spei & motibus. At prælio commisso, ingenti pugna uictus Pompeius uix effugit. Plut. in Pompeio.

TIBERII Cæsaris anxiam mentem uaria undiq; conuicia urebant, nullo non damnatorum omne probri genus coram uel per libellos in orchestra positos ingerente. Quibus quidem diuersissimè afficiebatur: modò ut præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemneret, & proferret ultrò atq; uulgaret. Suetonius.

DIOCLETIANVS, qui Imperio se abdicauerat, & Salonæ priuatus uiuebat, cùm à Constantino Magno & Licinio Impp. ad nuptias Constantiæ sororis Constantini, Licinio elocatæ, inuitatus non uenisset, uterque ægrè tulit, eumq;, qui Maxentio tyranno nuper fauisset, tum uerò Maximino bellanti studeret, insimulauit. Cuius criminationis dolorem usq; adeò impatienter tulit, ut ueneno epoto sibi mortem consciuerit, cùm esset annos tres ac septuaginta natus: imperasset autem annos uiginti: ac nouem postea, ut inquit Victor, egisset priuatus. Singularia hæc ei duo contigere, quòd ultrò se Imperio abdicarit, atque in proposito usque ad finem uitæ permanserit: & quòd priuatus inter Diuos relatus sit: quem honorem ab Augustis admiratione uirtutis accepit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

Maledicta, Conuitia, Calumnias, Obtrectationes.

LYCAMBES Parius cùm ab Archilocho iambographo propter denegatas filiæ nuptias uirulentissimis iambis esset laceratus, suspendio cum filiabus sese necauit.

CORNELIVS lacrymas in senatu tenere nequiuit, cùm à Domitio Corbulone Struthiocamelus depilatus uocaretur. Pontanus lib. 2. cap. 10. de Fortit. domestica.

Quum prædas egissent Vādali ex Stormaria, GODFRIDVS ditionis Holsatorum comes, audita hostium incursione, celerrimè insequutus hostes, obuium quendam interrogauit de hostibus. Ille rebus omnibus exutus ait, Si tibi ut mihi hęreret iniuria, acriùs insectareris: nunc lentus incedis. expectabat enim maiorem suorum manum, cùm plures uiginti equitibus non haberet. Rustico conuitio uir militaris motus, non expectans suos, hostes consectatus, & in insidias incidens, cęsus est. Hic fuit exitus comitis de Stormaria & Holsatia. Luderus dux Saxoniæ comitatum illum dedit nobili Adolpho comiti de Scouenborg. Cranzius libro quinto Saxoniæ, capite 25.

SVEONES iniuriarum uerbis illatarum impatientissimi, uerba uerberibus compensare solent. Ioannes Magnus libro 21. historia Gothorum.

HADRIANVS VI. Pont. Max. grauissimè ferēs, se famosis carminibus apud Pasquilli statuam lacerari, decreuerat Pasquilli statuam, quæ erat in Parione, demoliri, atque eam in Tiberim præcipitare: nisi à Ludouico à Corduba, principe Suessano, Caroli V. apud Pontificem legato, urbanis uerbis placatus fuisset. Iouius in Hadriano VI.

Infamiam nominis.

PANTHITES Lacedæmonius, cùm in trecentorum numero esset, qui cum Leonida aduersus Thermopylarum saltum insederāt, à Leonida in Thessaliam cum literis missus, cum aliis qui in Thermopylis pro patria pugnando occubuerūt esse non potuit. Cùm postea cum cæteri ciues despectui haberent, arbitrati non in Thessaliam à Leonida missum, sed præ ignauia ex prælio fugisse, quanquam & uerè & honestè excusari posset: tamen præ pudore, cùm dedecus sustinere non posset, ultrò seipsum suspendit. Fulg. lib. 4. cap. 5.

TARRIAS, cùm æs alienum susciperet Alexander Macedonum rex, dissolueretq; pro omnibus, obæratū mentitus se, producto apud mensam, qui se assereret eius creditorem: mox deprehensus, tantùm nō manus sibi ipse attulit: nisi recognita Alexander exemisset eum noxæ, & argentum ei cōdonasset: recordatus, oppugnante Perinthum Philippo, sagitta in oculo ictum, non antè eximi telum præbuisse uel sustinuisse, quàm hostes profligasset. Plutarchus oratione 2. de Alex. fortuna.

HERODES Atticus, orator insignis, cùm adolescens quondam in Pæonia coram M. Antonino Imp. perorans præ timore obmutuisset, ignominiæ tædio affectus, ad Istrum secessit, quasi iamiam moriturus, cùm uitam eloquentiæ posse haberet. Philostratus in eius uita.

HELGO Danorum rex in insula piratarū Thoro uirgini Thoræ stuprum intulerat, & ex ea Vrsam filiam susceperat. Thora nubilem iam filiam patri ad amissæ uirginitatis uindictam imprudenti meretricio habitu substrauit. Ex eo incestu natus est Roluo filius, qui natalium pudorem uirtutis pręstantia deleuit. Helgo pudore exprobratæ turpitudinis in exilium abiit, & desperabundus, districto gladio incubuit. Saxo lib. 2. & Cranz. lib. 1. Daniæ, cap. 15.

Anno 1552. Aldana Hispanus, Ferdinandi regis polemarchus, superato Tibisco, ad Segedini obsidionem proficiscebatur. Nauium custodiæ præfecerat centurionem Hispanum notæ fortitudinis HIGVERAM. Is ubi de clade à Bassa Budense ob ignauiam Aldanæ Christianis inflicta rumorem à fugientibus licèt incertum audiuit, solutis nauibus Tibiscū traiecit. Mox recordatione tanti dedecoris exagitatus, cùm ne gladio incumberet, ab armigero prohiberetur, & tamen omnino mori statuisset: iubet armigerum, qui arma illi eripuerat, sub arbore quiescere, donec naturæ necessitati satisfaceret. Paret ille, dominumque expectans, obdormit. Suspenso igitur gradu centurio accessit, & sclopetto clàm subducto, semetipsum exanimauit. Ascanius Centorius lib. 4. Com. belli Transyluaniæ.

FACTIS. VIDELICET

Accusationem falsam.

DIOXIPPVS Atheniensis Horatam siue Coragum Macedonem se prouocantem superauerat, spectante toto exercitu. Iniquè ferre Macedones popularis sui casum: Rex quoque semper postea ab eo fuit alienatus, omnesq; regis amici & aulici Macedones uirtuti eius mirificè inuidentes, id tādem excogitarunt, ut minister quidam poculum aureum Dioxippi puluino subiiceret. Conuiuio inito, conqueri cœpe-

runt de

runt de furto patrato: uestigantesq; poculum ablatum, se inuenisse simularunt, cum magno pudore & probro Dioxippi. Qui Macedonum concursum ad se uidens, exiit è conuiuio: & epistola ad Alexandrum de fraude in se commissa scripta, manus sibiipsi intulit. imprudens, qui temerè in certamen cum Macedone descenderit: imprudentior, quòd sibi uim intulit. Propterea obtrectatores eius ad hominis dementiam coarguendam illud passim iactabant: Haud facilè euenire, ut quispiam ingentes corporis uires, & ingenium subtile habeat. Rex grauiter illius obitum tulit: & quem uiuentem abhorruerat, mortuum, quando id frustra erat, penes se habere cupiens, quanta fuisset eius innocentia, ex calumniantium scelere cognouit. Diod. lib. 17. & Sab. lib. 6. En. 4. & Aelianus lib. 10.

Irrisionem.

DIONYSIVS Syracusanorum tyrannus, cùm ex poesi summam captaret laudem, & poemata sua in Olympicis certaminibus decantata ludibrio haberi accepisset, in summā incidit tristitiam, mentisq; alienationem. Diod. Sic. lib. 15.

Titulorum denegationem.

CONSTANTIVS Romanus Comes, qui Constātinum Galliæ, Maximum Hispanię tyrannos uicerat, Attalum ceperat, Valliam Gothorum regem ad pacem coegerat, cuius denique uirtute Honorius Imper. & dignitatem retinuerat, & Galliam liberauerat, duplici ab Imp. honore affectus fuit. Nam & Consulem iterum designauit, & sororis Placidiæ (post Ataulfi regis cædem) matrimonio decorauit: mox etiam, siue quòd filiis careret, quibus moriens Imperij relinquere curam posset: siue, quòd præsentia reip. tempora durorum Augustorum præsidio egere censeret: solenni pompa adhibita Augustum appellatum, socium sibi adesse Imperij, & curārum omnium, iussit. Inde Valentiniano puero eius Nobilissimi dignitatem impertiuit, &, ut moris erat, imaginem Constantij Augusti Constantinopolim ad collegam Theodosium misit. Theodosius neq; id factum probauit, neque imaginem eius accipere uoluit. Constantius adeò dolorem non tulit, ut sexto post acceptum Imperium mense mœroris atrocitate confectus obierit. Sigonius libro 11. Imperij occidentalis.

Scriptorum abolitionem.

T. LABIENI, quia passim omnes lacerabat, libri oēs ex S. C. combusti fuerēt. Quæ res inusitata fuit, & prorsus mira, supplicium de studiis sumi. Eam contumeliam Labienus non tulit, nec superstes (ut inquit Seneca) ingenio suo esse uoluit, sed in monumenta maiorum suorum se ferri iussit, atque ibi includi. Cælius lib. 11. cap. 15. A. L.

Vestis ignominiam.

Vitellius Romanorum Imp. ludos Romæ gladiatorios fecit: in quibus cùm urgeret SPORVM, ut puellæ ornatu incederet, neque Sporus talem contumeliam ferre posset: sibi ipsi manus inferre, quàm in eo uestitu turpiter se dare maluit. Xiphilinus.

Munera pudenda.

Sub Boleslao III. Polonorum rege, PALATINVS quidam Polonus, qui bello extremo contra Russos ad Haliciam, sua fuga exercitui reliquo fugæ causa extiterat, cùm domū rediisset, rex ei leporis pellem, colū & fusum dono misit. Qua ille ignominia ad uoluntarium suspendium adactus est. Cromerus libro 6.

Officium uile.

ROBERTVS Scotus nobilis, cùm factioni Dauidis Brusij regis fauere uideretur: In arce Edinburgensi ab Anglis, qui Eduardum Baliolum regem fecerant, lapides humeris quotidie ingentes portare cogebatur. Id quum ferre diutiùs recusaret, præfectus capiti eius baculum adeò sæuè impegit, ut non sine plurima sanguinis effusione discederet. Ea iniuria irritatus magis, postridie in forū se proripuit, & præfectum, à quo pridie colaphum acceperat, obtruncauit, celeriterq; oppidum peruadens, conscenso equo euasit. Hector Boethius libro 15.

Vulnera, Verbera ignominiosa.

PORPHYRIVS philosophus, à Christianis quibusdam Cæsareæ Palæstinæ pulsatus, iniuriam non ferens, Christianismum abiurauit. Niceph. lib. 10. cap. 36.

Stephanus IIX. Pontifex, à Romanis per ciuilem tumultum Alberici Coss. factione oppressus, fœdis uulneribus affectus fuerat: quorum uerecundia in publicum prodire nolens, nimio animi dolore extinctus fuit. Sigon. lib. 6. regni Ital.

MAGISTRATVM, DIGNITATEM. Non ferre

REPVLSAM.

MARCIVS Sabinus, post Numę Pompilij mortem (nam cum eo Romam habitatum uenerat) cùm præferri sibi Hostilium in regno uideret, sibiipsi mortem consciuit. Fulgosus libro 9. capite 3.

P. VAL. qui postea Poplicola dictus est, pulsis regibus L. Bruti primùm, deinde sua opera, sperabat se Bruto in consulatu collegam futurum. At spes eum fefellit. Namq; collega Bruto datus inuito est, Lucretiæ uir Tarquinius Collatinus: nō ille quidem uirtute Valerio præcellentior, sed quòd ob acceptam iniuriam implacabilis regum hostis uideretur futurus. Id indignè ferens Valerius, abstinuit curia, foro temperauit, & reip. semel deposuit procurationem. Quare sermonem & metum præbuit uulgo, ne offensione animi cum regibus conspiraret, remq; publicam & ciuitatem adhuc nutantem euerteret. Plut. in Valerio.

C. FIGVLVS, Iurecons. celeberrimus, consulatus repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quòd illum bis patri suo datum meminerat, cùm ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa uenissent, omnes dimisit, præfatus: Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis. Valerius Max. lib. 9. cap. 3.

C. MARTIVS Coriolanus, in consulatus petitione cùm populo multas ostenderet cicatrices in multis acceptas prælis, in quibus annos septendecim perpetuos stipendia faciens tulerat palmam: uerecundia eius uirtutis, constituerūt inter se eum creare consulem, quantumuis ei ob nobilitatē infensi essent. Postquam uerò illucescente die comitiorum, Martius in campum, magno cum fastu deducēte ipsum progressus est senatu: plebis inuidia & metu, ne populum libertate exueret omni, tulit Martius repulsam. Hinc ira stimulāte, Senatui suadebat, uti insolentiam populi fame edomaret, & Tribunitiam potestatem illis eriperet. Qua oratione moti Tribuni, ad seditionem populum concitarunt: nec priùs quieuêre, quàm suffragiis in perpetuum exilium pulsus est Martius. Plut. in Coriolano.

DEIECTIONEM.

Cùm DEMARATVS rex Spartanorum, inimicorum opera dignitate exutus, adesset spectaculo gymnopædiarum, misit ad eum Leutychides in eius locum rex factus deridendi causa ministrum, qui interrogaret, Qualis esset Præfectura post regnum? Eam interrogationem ægrè ferens Demaratus, respondit, Se utrunq; expertum, illum uerò non: & eam interrogationem Lacedæmoniis futuram initium plurimæ aut calamitatis aut felicitatis. Hæc locutus, uelato capite è theatro domum abiit, confestimq; præparatum Ioui bouē immolauit, inde Zacynthum traiecit, & ad regem Persarum exulatum abiit. Herod. lib. 6.

Demetrius Poliorcetes, uniuersa Macedonia, in qua annos septem nemine turbante regnauerat, à Pyrrho nudatus, cùm Cassandriam refugisset: uxor eius PHILA, dolore uicta nō sustinuit iterum priuatum & exulem uidere regem ærumnosissimum Demetrium: sed abiecta omni spe, fortunam eius execrata, quæ in aduersitatibus esset quàm secundis rebus stabilior, hausto ueneno extincta est. Plut. in Demetrio.

CAROLVS Crassus Imp. & Gallorum rex, anno 888. cùm apud Triburias in festum diem S. Martini conuentum Transalpinis proceribus haberet, atq; ad eos de rep. referret: Germani eum accusarūt, quòd siue ætatis (erat enim adolescēs) siue naturæ uitio, tantis tractandis rebus parum consilij ac neruorum haberet: & communi consilio regnum ei abrogarunt, & Arnulfum Carolomāni fratris filium suffecerūt, qui extemplò regnum occepit. Qua ex re Crassus tantum animi mœrorem contraxit, ut mox pridie Idus Ianuarij migrarit è uita. Sigonius lib. 5. regni Ital.

HENRICVS IV. à filio Henrico V. Leodij obsessus, & imperio deiectus, turbatione & animi angustia obiit. Volater. libro 23. Anthrop.

ALFONSVS Albuquercius, Indiæ Lusitanorum regi Emmanueli subiectæ prætor, Malaca urbe occupata, mercatores, qui arma Lusitanis non intulerant, ut urbem incolerent, fauoribus allexit, omnibusq; libertatem & leges suas restituit. Saracenis Vtetimutaraiam, reliquis gentibus, quæ simulacra colebant, Ninachetuensem præposuit (dignitas ea Bēdara dicebatur) ut tamen ab illis ad Lusitanos magistratus prouocatio esset, instituit. Post aliquot menses, incerta de causa, Albuquercius Ninachetuense dignitate deiecto, Abedallam regem Camparensem, Bendaram creauit. Regnum illius erat angustum, & ad Austrum pertinebat. In munere uerò Bendaræ tanta dignitas inesse uidebatur, ut Camparensis Rex, qui suum regnum eius muneris obtinendi gratia relinquebat, se non mediocri dignitatis accessione cumulatum putaret. NINACHETVENSIS eam contumeliam minimè ferens, tabulatum editum & oblongum, colūnis fultum, extruxit, illudq; tapetibus & peristromatis instrauit, multisq; floribus & odoramentis aspersit. Se uerò uestibus auro fulgentibus, & gemmis clarissimis ornatum & cultum, in hominum conspectum dedit, & per gradus in tabulatū ascendit. Erat in loco inferiore pyra ex odoratis lignis

instructa & incensa. Cùm Ninachetuensis hac tam insolita specie ora multitudinis uniuersæ in se conuertisset, ignorãtis, quorsum illa omnia tenderent, orationem sanè lugubrẽ habuit. Commemorauit enim merita, quibus Lusitanam gentem, antè, quàm Malacam caperet, obligârat: quæ post urbem captam Regis Emmanuelis gratia gesserat: quanta constantia in fide data permanserat: quanta uirtute, ne fidẽ falleret, maximum multis in locis uitæ discrimen adierat. Pro tantis meritis spoliari se iam senem à Lusitanis ea dignitate, qua fuerat à Lusitanis ipsis affectus, & debitis honoribus priuari, dignumq; iudicari, qui extremam uitæ partem in dedecore & ignominia, cum omnium mortaliũ derisione consumeret. Idcircò nunc libenter, ne in se tantùm dedecus admitteret, mortem cum uita commutaturũ. Hæc cùm diceret, se in pyram præcipitem dedit. anno sal. 1514. Osorius lib. 9. rerum Em.

IMMINVTIONEM DIGNITATIS.

ADELBERTVS Hamburgensis & Bremẽsis archiepiscopus, conspiratione principum imperij ab aula Henrici IV. Imp. eiectus, nunquam balneis usus est, nunquam hilaris uisus: rarò processit in publicum, uel ad conuiuium, nisi ad curiã iret, aut diei festi necessitas posceret. Moltoties etiam amarissimè fleuit, si quando uastationis ecclesiæ recordatus est, siue quum ipsos uastatores Saxoniæ duces cõspexit. In die Natalis Domini, quum dux Magnus præsens adesset, frequẽti conuiuio hilares conuiuæ, finitis epulis, plausum cũ uoce leuauerunt: quod non parum displicuit archiepiscopo. Itaq; innuens fratribus, qui simul aderant, præcepit cantori, ut inciperet antiphonam, Hymnum cantate nobis. At uerò laicis denuò perstrepentibus, inchoari fecit, Sustinuimus pacem, & non uenit. Tertiò uerò, quum adhuc in poculis ululateat, iratus ualdè, leuari præcepit mensam, magna uoce pronuncians, Conuerte Domine captiuitatem nostram: respondentibus fratribus, Sicut torrens in austro. Ita fugiens in oratorium, sequentibus exclusis, fleuit amarè. Cranzius libro 5 Metrop. cap. 9.

VICTORIAM. NON FERRE ALIOrum Victoriam, suam suorúmue Cladem.

Hic status Immoderationis & Diffidentiæ in eo dolore ferendo, qui ex uictoria aliorum prouenit, rationem habemus. Hæc etiam pertinet Tit. Cladem non ferre, quatenus Clades nostrorum, Victoriam hostium habet iunctam.

EXTRA BELLVM.

HOMERVS omnis philosophiæ pater, & poetarũ princeps, cum ænigma à piscatorum pueris propositum soluere nequiret, præ dolore in grauissimum morbum incidit. Erat autem ænigma tale: Quæcunq; cepimus, reliquimus: quæ uerò non cepimus, nobiscum portamus. Paulo pòst ex hac ægritudine extremum diem clausit. Herodotus in eius uita.

CALCHAS indignè ferens, se in arte diuinandi à Mopso Tiresiæ nepote superatum, præ mœrore expirauit. Strabo lib. 14. & Eustathius Iliad. α.

ANAXANDRIDES Rhodius Comicus, uictus in certamine, fabulas licèt optimas concidit, & piperis thurisq; uenditorib. dedit, tã morosus erat propter seniu. Athen. l. 9 c. 4.

DIODORVS, Cronus cognomine, cùm apud Ptolemæum Soterem à Stilpone sophismata proposita soluere nequiuisset, à rege increpitus, & Cronus per contemtum uocatus, è conuiuio discessit: egressusq; librum de ea propositione scripsit, & uitam mœrore finiuit. Laert lib. 2.

IN ACIE.

SAVLVS rex, cùm à manibus Samuelis prophetæ audiuisset, exitium sibi suisque filiis in prælio postridie committendo contra Palæstinos imminere, magno animo nihilominus prælium iniit, rege dignum existimans, in, pro, cumque suis subditis mortem potiùs oppetere, quàm turpi fuga uitę suę consulere, & subditos deserere. Prælio igitur commisso in monte Gelboe, cæsi sunt tres illius filij, Ionathan, Abinadabus & Malchisua. Rex sagittis grauiter uulneratus, ne in hostium potestatem ueniret, armigero imperat, ut se stricto ense transadigat. Eo recusante, ipsemet gladio suo incubuit. Verùm cùm satis causæ ad necem non esset, Amalechitam quendam iuuenem ut se interficeret rogauit. Qui cùm paruisset, coronam & armillam Saulo detraxit, & Dauidi attulit. Armiger, rege mortuo, incubuit & ipse gladio suo. 1. Regum 28. & 31.

HELI summus sacerdos atq, iudex Israelitarum, cùm arcam Domini in castra ab Israelitis auxilij loco deductam à Palæstinis captam audisset, præ dolore præceps de solio in dorsum delapsus, ceruicem fregit. Nurus illius, uxor Phineis, in partu periit. 1. Reg. cap. 5.

Spartani cum ARGIVIS de Tyrio campo bellum gerebant. Trecenti utrinque pugnarunt. Argiuorum duo superfuêre, Spartanorum unicus Orthryades, qui mortuum se simulãs, noctu trophæum erexit. Argiui quòd suorum plures pugnę superfuissent, uictoriam ad se trahere. Spartani penes suum bellatorem id decus esse argumentabantur, quòd Argiuis fugatis solus locum obtinuisset, spoliaq; ex hostibus ut uictor legisset, & quod uictorum proprium sit, trophęum suo nomine statuisset. Ex altercatione pugna orta est, qua Argiui uicti, Tyriæ possessione cesserunt. Attulit ea clades tãtam uictis indignationem, ut legem sanxerint, ut tonsis capitib, uiri non priùs capillum alerent, nec mulieres aurum gestarent, quàm Tyriam recuperassent. Lacedæmonij & ipsi contrà fecerunt, ut iam inde comari agerent, quum ad id tẽpus tonsi fuissent. Sab. lib. 3. En. 2.

Fusis ad Alliam Romanis, si ex acie uestigiis institissent illicò Galli fugientium, haud dubiè Roma funditùs euersa, & qui ibi remanserant deleti essent omnes. Tanto pauore ROMANI, qui ex fuga se receperant, repleuerant ciuitatem: tãta etiam incesserat eam perturbatio & stupor. Nunc cùm uictoriam non putarent Barbari tantam, ex ingenti lætitia ad epulas, simulq; ad prædæ in castris captæ partitionem conuersi, spacium profugiendi ex urbe effusæ turbæ, & remanentibus sese colligendi præbuerunt, & ad defensionem parandi. nam reliqua deserta urbe Capitolium telis & munitionibus firmauerunt. Plut. in Camillo.

Propter Cannensem cladem, SENATVS Octacilio, qui Siciliam, & Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam proprætores obtinebant (querentibus quòd neq; stipendium, neq; frumentum classibus eorum & exercitibus socij præberent, affirmantibus etiam, ne habere quidem eos unde id præstare possent) rescripsit, ærarium longinquis expensis non sufficere, proinde quo pacto tantæ inopiæ succurrendum esset, ipsi uiderent. His literis quid aliud quàm imperij sui gubernacula è manibus Senatus abiecit? Siciliamq; & Sardiniam, benignissimas urbis nutrices, gradus & stabilimenta bellorum, tam multo sudore & sanguine in potestatem redactas, paucis uerbis, ita scilicet necessitate iubente, dimisit? Valer. libro 7. capite 6.

Nunquam, ROMA incolumi, tantus terror & metus ciuitatẽ inuasit, nunquam maior luctus aut mœror incidit, quàm Cannensi clade Romam nunciata. Senatu ad primum cladis nuncium in curiam uocato, prę nimio strepitu & clamore ne cõsuli quidem potuit. Data opera, ut per patres, id inter se munus partitos, mulieres, quę omnia planctu & eiulatu complebant, ex publico arcerentur: singulæ intra sua limina suum nuncium expectarent: compressoq; tumultu & trepidatione, silentium fieret tota urbe: custodes ad portas ponerentur, qui prohiberent quenquam egredi. Iam quum literæ à Varrone consule allatæ significarunt Aemylium cõsulem & exercitum Cannensi acie cæsum, euasisse se reliquias tantæ cladis uelut ex naufragio colligentem, ad X millia & amplius militum incompositorum circa se esse, Hannibalem sedere ad Cannas captiuorum preciis aliaq; præda æstimanda: tum priuatæ clades domesticatim uulgatæ. Qui luctus adeò totam urbem compleuit, ut sacrum Cereris sit eo anno intermissum, quoniam lugentes religione prohiberentur. Et hæc quidem Liuius. Valerius auctor est, ne in tanta quidem ciuitatis consternatione id sacrum interpolatũ. Satis constar XXX diebus publico decreto finitum, ne ob eam causam cætera sacra publica priuatáue desererentur. Sab. lib. 2. Ennead 5.

Cùm duce HAMILCARE Hannonis F. Carthaginensium regẽ, trecenta millia Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligyorum, Elisyeorum, Sardorum & Cyrniorum, in Siciliam penetrassent, & Barbari cum Græcis in Sicilia ab aurora ad crepusculum sine intermissione pugnarent, interea Hamilcar in castris permanens sacrificauit, solida corpora in pyram aggerens. Sed conspectis suis in fugam uersis, ut erat in faciendis sacris occupatus, sese in ignem immisit. Ei pòst Carthaginenses sacrificare cœperunt, extructis monumentis, cùm alibi in omnibus suis coloniis, tum præcipuè in ipsa Carthagine. Herod. lib. 7.

PORVS Indorum rex, uiribus corporis & animi magnitudine insignis, qui bellum iampridem, audita Alexandri fama, in aduentum eius parabat: commisso prælio exercitũ suum inuadere Macedonas iubet, sibi regem eorum priuatum hostem deposcens. Multis ergo uulneribus obrutus capitur. Victum se adeò doluit, ut cùm ueniam ab hoste inuenisset, neque cibum sumere uoluerit, neque uulnera curarĩ passus sit: ægreq; sit ab eo obtentum, ut uellet uiuere. Eum Alexander ob honorem uirtutis, incolumem in regnum remisit. Iustinus lib. 12.

Cùm Fuluius Flaccus, recepta Capua, propter Campanã perfidiam, principes ciuitatis ante tribunal suũ capitali supplicio afficiẽdos iudicaret, literisq; à senatu acceptis finem pœnæ eorum statuere cogeretur: ultrò se ei T. IVBELLIVS Taurea Cãpanus obtulit, & quàm potuit clara uoce: Quoniam (inquit) Fului cupiditate tanta hauriẽdi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere? ut gloriari possis, aliquãto uirum fortiorem, quàm ipse es, tuo iussu esse interemtũ. Eo deinde libenter id se esse facturum, nisi senatus uoluntate impediretur, affirmante: At me (inquit) cui nihil Patres conscripti præceperunt, aspice oculis tuis quidem gratum, animo uerò tuo maius opus edentem. Protinusq; interfecta coniuge ac liberis, gladio incubuit. Val. Max. lib. 3. c. 2.

PERSES, Macedoniæ rex, regni opibus fractis, tam humiliter & abiectè prouolutus iacuit ad Aemylij Pauli pedes, qui eũ uicerat, ut sublatum manibus Romanorum Imp. indignanti similis monuerit, ne clarissimam sibi uictoriam turpi formidine inuideret. Sabel. lib 4. c. 7.

CIVILIVS mœrore & anxietate cõfectus, quòd parum prosperè res Albana à se mota uideretur, diem extremũ clausit. Idem Enn. 2. Liuius lib. j. Dec. j. C. Caluilium appellat.

M. BRVTVS in fugam uersus ab hostibus, in campis Philippicis gladio incubuit. Plut. in Bruto.

C. CASSIVS in campis Philippicis à suis desertus, equitũ manum à M. Bruto sibi auxilio missam, cùm existimaret hostiũ esse copias, de salute sua desperans, Pindaro liberto ceruicem præbuit præcidendam. Idem.

CN. Pompeius, pulsis suis in acie Pharsalica, ut uidit puluerẽ, & fugam conieccit equitatus: dementi maximè similis & attonito mente, neq; Magnum se Pompeiũ esse cogitans, neminemq; allocutus, recepit se sensim in castra. Ita prætoriũ ingressus tacitus sedit, dum magna manus tergis fugientiũ inhærens uno agmine in castra irrupêre. Tunc una hac uoce missa, Etiã in castra? præterea nihil locutus, surrexit, sumtaq; ueste præsenti fortunæ conueniente clàm castris excessit. Paulum extra uallum progressus equum dimisit. Paucis eum comitantibus, ubi nemo est insecutus, abiuit sedato gradu, uoluens cogitationes, quales uersare uerisimile est uirum annos quatuor & triginta omnes uincere & superare assuetum, cladem autem & fugam tum primùm in senectute sentientem, atq; agitantem secum, ex quã multis collectam certaminibus & bellis abiecisset una hora gloriã & opes: per quas paulo antè tam multis armis, equis, classio. stipatus, discederet nunc usqueadeò humilis & adstrictus, ut hostes lateret ipsum inuestigãtes. Præterita Larissa ut uenit in Tempe, siti pressus abiecit se in os, & bibit ex flumine. Inde surgẽs, Tempe peragrauit, dum peruenit ad mare. Ibi quod noctis supererat, in tuguriolo piscatorio quieuit. Circa diluculum nauem fluuiatilem conscendit, acceptisq; comitibus, qui liberæ conditionis erant, seruisq; ad Cæsarem absq; timore ire iussis: cùm terram legeret, nauem conspexit prægrandem onerariam, quæ uela factura erat. Nauclerum habebat ciuem Romanum, Petitium nomine. Is intuitus oculis mox agnouit Pompeium, qualem in somnis paulo antè uiderat, nullisq; expectatis precib. uel oratione, sed receptis cum eo omnibus, quos uoluit, in altum est prouectus. Ita præuectus Amphipolim, inde Mitylenen transmisit, ubi Corneliam uxorem & filium accepit, & ad Ptolemæum in Aegyptum confugit. Plut. in Pompeio.

M. CATO Vticensis à Cæsare Vticæ obsessus, cùm mori statuisset, ea nocte de philosophia Stoica disseruit, ac Phædone Platonis de animi immortalitate perlecto, gladio incubuit. Volat. lib. 14. c. 2. Anthrop. ex Plutarcho.

AVGVSTVS Cæsar graues ignominias, cladesq; duas omnino, nec alibi quàm in Germania, accepit, Lolianam & Varianam: sed Lolianam maioris infamiæ, quàm detrimenti: Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus cum duce, legatisq;, & auxiliis omnib. cæsis. Nam Germani, post Drusi interitum, Quintilij Vari, qui cum legionibus ad prouincię præsidium remanserat, libidinem & auaritiam pertæsi, Arminio duce arma capiunt: tantaq; tum Quintilio pacis fiducia fuisse dicitur, ut quum de Germanorum motu & defectione aliquanto prius resciuisset, nihil sit tamen commotus, fuitq; ea negligentia ipsi duci & legionibus exitio. Enimuerò cùm incautus fortè ius in castris Quintilius diceret, subito hostium accessu, ne certamine quidem ullo inito, cum tribus est legionibus cæsus. Cuius cladis nuncius Romam perlatus, adeò ciuitatem perculit, ut excubiæ sint in urbe indictæ, ne quis in summa trepidatione existeret tumultus: & Augustus præsidibus prouinciarum imperiũ prorogauit, ut à rerum peritis socij in fide continerẽtur. Vouit & magnos ludos Ioui, si resp. in meliorem statum restitueretur, adeoque ea legionum iactura affectus dicitur, ut per continuos tres menses barbã capilloq; submisso, nonnunquam caput forib. impingeret, uociferãs, Quintili Vare redde legiones. diemq; quo clades illa accepta est, quotannis mœstum & lugubrem habuit. Sab. lib. 9. Enn. 6. ex Sueton.

Maximus tyrannus contra Theodosium Magnum & Valentinianum II. mouens in Pannoniã, Pætouione capta, & præsidio confirmata, usq; ad Sauum amnem processit. atq; ibi, Scisçia occupata, subsedit. Vbi uerò certior factus est, Iustinam matrem cum Valentiniano sinum Ionium traiecturã, paratis triremibus, ANDRAGATHIVM, cuius opera Gratianum interfecerat, ad illos capiendos dimisit. Qui, cursu in omnes partes intento, tamen propositum tenere nõ potuit, quòd eos ante aduentum suum fretum transmisisse offendit. Maximi clade percepta, Andragathius, quòd acerbissima se passurum, & Gratiano à se occiso pœnas daturũ sentiret, si in manus Theodosij peruenisset, rebus deploratis omne belli consilium posuit, ac se è naui in mare præcipitauit, atq; ibi uitam finiuit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Maximus Constantij legatus rebellantes Britãnos magna strage uicerat. OCTAVIVS Britannorũ rex (laborabat is tum ualetudine, senio nimium cõfectus) ad infelicis pugnę nuncium, mœrore magis quàm morbo die tertia est extinctus, Octauio filio unico relicto. Sed & ille, ne Romanis in prædam cederet, aufugit in Monam insulam. H. Boethius lib. 6.

INGENVVS à Romanis legionib. in Pannonia aduersus Galieni Augusti ignauiam Imperator creatus, cùm infelici pugna superatus esset, neq; nisi cum imperio uiuere constituisset, audacter se interemit.

ATILA Hunnorum rex, in campis Catalaunicis Ardaricum Ostrogothorum regem dextro cornu, Valamirum Gepidarũ regem cum Theodemire & Vidimire fratribus sinistro collocarat cornu. Ipse in medio cõstitutus, sibi timens ob aruspicum uaticinia, qui casurum principẽ dixerant, cuius exercitus uictor euaderet, clitellis equorum in struem cõgestis se circumuallauit: qua, si quid aduersi accidisset, nullaq; foret effugij spes, incensa cremaretur. Victus tamen, Aetij improbitate effugit. Cuspinianus.

SAMVEL Bulgarorum dux, cùm uideret suorum XV M. à Basilio Rom. duce excæcata, uno tantùm relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, tertio die pòst præ animi dolore periit. Volater. lib. 23. Anthrop.

THEOPHILVS Imp. ob Amorium à Saracenis expugnatũ, & præstantissimos duces partim occisos, partim in captiuitatem abductos, cùm de redemtione eorum spem non haberet, in morbum incidit: & Theophobum, quem habebat suspectum de regni inuasione, interfici iussit, eiusque caput amplectens inquit: Iam neq; ego Theophilus sum, neq; tu Theophobus. atq; ita expirauit. Zonaras.

MICHAEL Curopalates Constantinopolitanus Imp. in bellis semper uictor, semel à Bulgaris superatus, præ pudore imperium deposuit: & quod uitæ superfuit, religiosè in solitudine transegit. Fulg. & Egnat. lib. 4. c. 5.

ALMANSOR Arabum in Hispania rex, cùm antè de Christianis uictoriam semper reportasset, postremò a Garsia Castulonensi comite (nondum enim Comitatus in regiũ nomen transierat) atq; Veremundo Legionis Hispaniensis rege bello superatus, conspectu Arabũ atq; alloquio humano, omniq; cibo abstinuit, atq; ita citò confectus est. Fulg. lib. 4. c. 5.

VRBANVS III. Pp. cùm Ferrariæ nũcium de Hierosolymis à Saladino captis accepisset, anno MCXXCVII. 14 Calen. Nouemb. mortem obiit. Sigon. lib. 15. regni Ital.

Otho II. Imp. re malè contra Græcos & Saracenos in Calabria gesta, Romæ tristi animi ægritudine tabefactus interiit, anno DCCCCXXCIII. Idem lib. 7. regni Ital.

IOANNES Angliæ rex à Ludouico Franco & Alexandro II. Scotorum rege Londino pulsus, mœrore magis quàm morbo confectus, diem suum obiit. Ferunt quidam clam à monacho, cuius cœnobium destruere in animo habebat, dato ueneno necatum fuisse. H. Boeth. lib. 13.

BOLESLAVS III. Polonorũ rex, quadragies sexies in bello uictor, extremam cladem à Russis acceptam iniquissimo tulit animo: ut etiam conspectum & colloquia hominũ uitauerit. Vnde in languorem corporis & morbum incidit: & sensim ingrauescẽs, omnẽ medicinã renuentẽ toto anno lecto affixũ magnoperè debilitauit & confecit. Crom. lib. 6.

Bello Ligustico secundo Veneta classis à Genuensibus ad Corcyram nigram profligata est. ANDREAS Dandulus classis præfectus cum quatuor millibus Venetorum captus cũ Genuam duceretur, præ nimio dolore ita grauiter totiesq; triremi caput impegit, ut antequam Genuam uentũ esset expirarit. Sabel. lib. j. Decad. 2.

VRSATVS Iustinianus Venetæ classis pręfectus, cùm Mitylenen bis frustrà oppugnasset circa annum MCCCCLIIX. quinq; hominum millib. amissis, reliquisq; magna ex parte sauciis, rei malè gestæ conscientia ita dolori indulsit, ut iam sibi parum constare crederetur. In Peloponnesum delatus, ubi Methonem uentũ est, dum è naui à suis in litus exponitur, subito dolore, uelut ruina quadã depressus, dimidio horæ expirauit, uir inter suos & magnitudine animi, & sumtuositate illustrissimus. Idem lib. 8. Dec. 3.

VENETI post Vailæ cladem anno MDIX. 14. Maij ab Galliæ rege Ludouico XII. acceptam, magna parte imperij conti-

nentis exuti,rebus aduersis perterriti,& ne Galliæ rex ulterius progrederetur,summoperè metuentes, rerum suarum desperatione, ac metu potius quàm consilio ducti, copiis suis, quæ absq; disciplina ullòue ordine ad ualde exiguum numerum redactæ erant,Mestrium contractis,ne tot hostes haberent,atq; etiam ut Galliæ regi Venetias appropinquãdi occasionem adimerẽt,fortè nimis præcipiti consilio,continentis imperio cedere statuerũt: neq; enim extra metum erant, quin aliquis in ea urbe tumultus, uel à populo, uel ab innumera peregrinorum qui ibi agunt multitudine concitatus oriretur: his quidem prædæ cupiditate tractis, illis uerò quòd cùm ciues sint, longa successione in eadem ciuitate nati,imò multi eiusdem sanguinis, ex iisdemq; familiis,ab honoribus excludãtur,ac penè omnibus in rebus patriciis parère cogantur,ferre nolẽtibus:cuius etiam rei hæc in Senatu ratio adducta fuit,si sponte præsentium periculorum uitandorum gratia de imperio cederent, secunda fortuna, si id aliquando cõtingeret, redeunte,faciliùs recuperaturos: quoniam populi sponte ab ipsis sacramento soluti,non tam inuiti sub pristinum imperium redirent, ac si apertè rebellassent. Quibus rationibus permoti,Venetæ uirtutis & tam illustris reip.splendoris obliti,salsarum aquarũ imperio contenti, magistratibus,qui Patauij,Veronæ aliisque Maximiliano destinatis in oppidis erant, ut iis in cuiuũ potestate relictis inde discederent,mandarunt. Et præterea ut illum aliqua ratione ad pacem flecterent, summa celeritate Antonium Iustinianum legatum ad eum miserunt:qui ad Cæsaris conspectum in publico consessu admissus,miserè & submissè admodum, sed frustra, quia Cæsar nulla de re absq; Galliæ rege pacisci uolebat,loquutus est.Quo minus autem totum continentis imperium amiserint, potissima causa fuit Cæsaris negligentia,& cõfusa rei bellicæ administratio:cuius ad eam usq; diem, in tanto uictoriæ cursu,nihil præter nomen auditum fuerat: quamuis Gallicorũ armorũ terrore, tot urbes, oppidaq; se illi dedidissent,quæ conseruare illi facillimum fuisset: sed post Cameracense fœdus,aliquot dies in Flãdria, ut pecunias in id bellum cogeret,moram traxerat: quas non antè accepit,quàm pro more suo inutiliter consumserit. Guicciard.lib.8.

VICTOR Capellus,Venetę præfectus classis,Paulo II.sedente, cùm Patras Achaiæ urbem bis tentasset,bis magnam cladem à Turcis accepisset: mœroris plenus primò in Zacynthum,hinc in Eubœam nauigauit: ubi adeò dolori indulsit ob rem infeliciter gestã, ut non multo pòst sedens repentè expirauerit. Multi amicorum conati sunt ęgrum & iacentem animum erigere: sed uir uehementi ingenio, percepta semel suspicione infamiæ,nullis amicorum precibus hortationibúsue adduci potuit,ut æquiora respiceret. Sabellicus lib.6. Ennead.10. & lib.8.Dec.3.

Cùm memorabile illud prelium ad Papiam in Parco inter Cęsarianos & Gallos committeretur,ferũt IOANNEM Diespachium, qui summam inter Heluetios duces auctoritatẽ obtinebat,cùm cohortes Heluetias ab Alfonso Vastio Cæsarianorum peditum duce profligatas, ne tentato quidem certamine turpiter fugientes intueretur, & obuersus ac iratus signiferos increpando cædendoq; sistere nequiret: grauissimo compulsum dolore,tantæ acceptę cladi ac ignominiæ superesse noluisse,in eoq; pręsentis animi decreto peruadentem in confertos hostes,honestissimè cecidisse. Iouius in Piscario lib.16.

Referunt nonnulli MAHOMETEM II. Turcarum Imp. ab obsidione Albæ Græcæ repulsum,& sagitta saucium,seminecemque in castra relatum,aliquantisper iacuisse:Turcas, ad Sarnon oppidum Imp. trãstulisse, ueritos, ne intercedente ipsius morte,postero die ad interitum cæderẽtur. Ad Sarnum quum ille aliquantulum respirasset,de belli exitu fuisse percontatum. Quum illi respondissent, Basseum Asiaticum, & cunctos fere proceres oppetiisse, magnam partem exercitus cæsam,Kurkutoam prætorianarum cohortiũ pręfectum sub mœnibus trucidatũ,munitiones omnes ab hoste captas,uenenum propinari sibi iussit. Quod quum amici recusarent, timidus & demissus,incensis castris,turpẽ arripuit fugam.Sic qui se Terrorem orbis iusserat appellari, à parua manu fusus fugatusq; est. Bonfinius lib.8. Decad.3. Consule Tit.Reges fortes.

POMPERANVS Gallus,cùm Auersa à Cæsaris Caroli V.militibus caperetur, cogitatione defixis in cælum oculis obstupescens,acerbissimoq; dolore perculsus,in uestigio concidit,quum rigerẽt adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato,uita subito deliquio erepta,restitui posset.Iouius lib. 26. Historiarum.

IN MONOMACHIA.

BVCICALDVS siue Gutecaldus, Gallico præsidio Genuæ præfectus,circa annum MCCCCV.ingenti statura, quia à Galeacio Gonzaga,pusilli corporis,cęterum animi inuicti, ex prouocatione singulari certamine superatus esset: eius ignominiæ impatiens, nunquam ampliùs loricam induit. Sabellicus lib. 9. Ennead.9.

LIBERTATEM. NON ferre

DISCIPLINAM SEVERIOREM.

Dionis FILIVS,pessimè à Dionysio tyranno educatus,cùm à patre Syracusas reuerso seueriori disciplinæ sub pędagogo commissus esset:freni impatiens de summis ædibus se præcipitem dedit. Plut.in Dione.

CARCERES.

CLEOMENES Lacedemonum rex,regno pulsus ab Antigono Macedonum rege, ad Ptolemæum Aegypti regẽ ceu ad amicum profugit. Cæterùm nulla ope adiutus, sed ut captiuus in custodia habitus, cum tredecim comitibus carcere elapsus, per urbem discurrens, duos Ptolemæos regios præfectos,qui magna manu se opposuerant, obtruncauit, frustraq; ad libertatem uocatis ciuibus, cùm uideret tandẽ sibi in Ptolemæi potestatem esse redeundum,mutuis se uulneribus interemerunt.Plut.in eius uita.

ETHVS Scotorum rex ignauiss. à proceribus in carcerẽ coniectus,tertio die præ mœrore obiit,cùm sibi Gregoriũ substitutum audisset. Alij,ne regno aliquãdo recepto deiectionem ulcisceretur, in carcere strangulatum putant. Hector Boethius libro 10.

SVBIECTIONEM, SERVITVTEM.

PVER Spartanus captus ab Antigono rege,ac sub hasta uenditus, in cæteris omnibus quæcunq; putabat ab ingenuo decenter fieri posse,obsequẽs erat ei qui ipsum fuerat mercatus: cæterùm iussus afferre matulam, haud sustinuit,dicens:Non seruiam.At quum instaret herus,puer conscenso tecto,dixit: Senties cuiusmodi mercatum feceris.moxque sese è sublimi præcipitem dedit,ac periit.Plut.in Laconicis.

LACÆNA, cùm uenundaretur, rogante præcone, Quid sciret? Libera,inquit,esse.Vt uerò iniunxit ei emtor quædam, quæ liberæ erant indigna,ait: Pœnitebit te,quòd eiuscemodi mancipium tibi inuideris. Mox mortem sibi ipsa consciuit. Plut.in Apophthegmatibus.

Cùm omnibus cis Iberũ HISPANIS arma Portius Cato ademisset: adeò ægrè passi sunt, ut multi mortem sibimetipsis consciscerent,ferox gens nullam uitam rati,sine armis esse. Cælius lib.18.c.22.Antiq.lect.

CAPTIVITATEM.

Cùm Veneti circa annum MCCCCLXXI.Attaliam Pamphyliæ urbem oppugnarent, ferunt medio certamine FEMINAM Illyrici generis,quę diu inter Barbaros seruiuerat,ex superiore parte clamoribus,nutu, hortatione, Christianos iuuare ausam: quum ex proximis quidam ei flagra minaretur, composita priùs ueste summo muro desiluisse, móxque suo pondere solo afflictam, inter suorum complexus expirasse. Sabellicus lib.9. Dec.3.

P.CRASSVS Mutianus,consul cum L.Valerio Flacco factus, anno Vrbis DCXXIII.simul & pontifex, nouo exemplo contra Aristonicum in Asiam missus, à Thracibus,qui Aristonico familiares erant,interceptus & captus fuit. Vt turpem seruitutem euitaret,in itinere dum duceretur,uirgam, qua ad dirigendum equum utebatur,in oculum Barbari direxit,eumq; excæcauit. Qui ui doloris accensus,latus Crassi sica confodit. Caput mortui Aristonico oblatum,corpus Smyrnæ sepultum.Valerius Maximus lib.3. cap.2. & Frontinus libro 4. cap.5.

PRÆTOR Eubœę ab Icario suo quondam seruo captus,sub Michaele Comneno Palæologo,regiam ingressus, &,ut captiuum decet, ante fores stans, cùm Imperatorem in solio confidentem, Senatumq; omnem splẽdido & modesto habitu circumstantem, Icarium uerò ornata ueste & insolenti gestu introeuntem & exeuntem,& Imperatori in aurem insusurrantem cõspexisset: abrupta statim uita, pronus humi cõcidit,iniquæ fortunę uiolentiam perosus.Gregoras li.4.

C.Iul. Cæsar, occupato Piceno Corfiniũ uenerat. Oppido tũc præerat L.DOMITIVS,uir magni animi,sed exiguæ fortunæ. Is defensionem parans,sed ab oppidanis ad deditionẽ coactus,quum mori mallet,uenenũ à seruo medico poposcit. Quod ille nec dare uolens,nec negare ausus,ut qui domini mores nosset, poculum somniferũ pro ueneno obtulit: quo ille hausto,graui sopore resolutus conquieuit. Experrectus postmodum,& delusum se intelligens,uixq; à seruo manus abstinens,cum multis nobilibus,qui secum sentiebant, uinctus ad Cæsarem est perductus, mori cupiens. Quem Cęsar illicò solui iussit, néue quis eorum à militibus re uel uerbis offenderetur,inhibuit.Io. Gerũd.l.9.Par.Hisp.

Victorinus,legatus Theodosij Augusti,Pictos Britanniæ populos ad leges Romanas cogebat. HEIRGVSTVS rex iã senio grauis (qui Scotos Maximi Rom. legati ductu ex Albione crudeliter eiecerat) ignominiosa seruitute senescendum sibi prospiciẽs, ne diutiùs superesset ad ludibrium, semotis arbitris, uelut secretius quid acturus, cubile ingressus,mortem sibi consciuit. H.Boethius lib.7.

ACTIOLINVS à Romano (quem Eccelinum uulgò uocãt) Friderici II.Rom.Imp.copiarum in Italia dux, rei militaris peritia,& immanitate crudelis ingenij tyrannos omnes superans, à Turrianis Mediolani magistratum gerentibus circa annum MCCXXXIIX uictus, ad Soncinum suo atque alieno cruore perfusus, cùm sese incitato insigni equo eripere conaretur, uiuus in potestatem hostium deuenit, neč multo pòst in tabernaculo Bosij,repudiatis remediis expirauit: cùm nullis uel benignis precibus adduci posset,ut bene speraret,& obligari uulnera pateretur, quinimò obligata in ferę morem unguib.conscinderet.Toruis enim oculis ferociam spirans,neminique respondens, tot scelerum pœnas effugere accersita morte properabat, ne turpi incertæ uitæ desiderio ludibriis ignominiæq; superesset. Iouius in uita Othonis,& Sabel.lib.9.c.3.

TVRCÆ quidam à Siqueira Lusitano Indiæ prætore, anno Salutis humanæ MDXXII, prope Dium capti, cùm mortẽ seruituti longè prætulissent, clauorum attritu scintillas excusserunt:quibus in tormentarium puluerem deiectis,flamma nauem & ipsos captiuos cum omnib. Lusitanis absumsit.Osorius lib.12. rerum Emmanuelis.

EXILIVM, PATRIÆ DESIDERIVM immodicum.

DEMOSTHENES,ob accepta ab Harpalo munera,talentis quinquaginta multatus,fugæ consuluit. Cùm non procul urbe profugisset: ferunt percipientem aliquot ciues ex aduersariis,qui ipsum persequebantur,quęsiuisse latebras. Cęterùm cùm illi nomine eum compellassent,& propè cõgressi petissent, uiaticum ut acciperet ab se (in id enim attulisse domo se pecuniam, atque eius rei gratia insecutos ipsum) confirmarentque ac monerent, ne casum ferret acerbè: in maiorem erupisse lamentationem, ac dixisse: Qui ualeam non grauiter ferre,qui reliqui urbem,ubi tales habeam inimicos,quales non promtũ sit inuenire in alia amicos? Tulit exilium imbecilli animo. Aeginæ & Trœzene ferè sedẽs Atticam lacrymis oppletus respectabat. Vrbe excedẽs,porrectis ad arcem manibus dixit:O domina Minerua,quid bestiis tribus teterrimis delectaris : noctua, dracone,& populo? Illos, qui uisebant se & agebant secum, deterruit à rep. adolescentes. Dixit,si duabus propositis ab initio uiis,una quæ ad suggestum & concionem duceret, altera rectà ad perniciem,impendentia autem in repub. mala prouidisset, terrores,inuidias,calumnias, concertationes : in eam sese, quæ ad præsentem ferret pestem,præcipitaturum fuisse.Plutarchus in Demosthene.

C.MARTIVS Coriolanus perpetuo exilio à populo damnatus,domum profectus,postquam matrem & uxorem complexu salutauit,lacrymarum & eiulatus plenus, eiulantesq; ut casum suum ferrent moderatè monuit, confestim digrediens ad portam est profectus. Quò à frequenti nobilitate deductus,nulla re accepta,uel à quoquam petita,comitantibus tribus aut quatuor cliẽtibus,excessit urbe. Inde cùm paucos dies in uillis quibusdam suis uaria consilia secum uoluisset,quemadmodum pœnas expeteret à populo Romano,graue statuit iis mouere & finitimum bellum.Plutarchus in Coriolano.

M.Tul.CICERO exul,quamuis frequentes eum celebrarent amici, Græciæ quoq; ciuitates officiis erga eum certarent: animo tamen mansit abiecto & mœsto,crebrò Italiam insanorum more amatorum respiciens : itaque fractus calamitate,& deiectus,& ęger animi,ut non expectares de uiro in literis enutrito tam multis.Et quidem ab amicis petiit subinde,ne oratorem se,sed appellarent philosophum. Philosophiam enim se ut opus sectatum:eloquentia ad rempub. gerendam, ubi usus sit, uti tanquam instrumento. Plut.in Cicerone.Testantur idipsum epistolę eius in exilio scriptæ.

PETRVS de Vineis, Capuanus, iurisperitissimus, Friderico II. Imper. carissimus,cùm ab eo propter coniurationis suspicionem in exilium missus esset, doloris impatiens, capite parieti sæpè illiso expirasse dicitur, composito prius de Consolatione libello. Huius meminit Dantes Can. XIII. primæ partis, & Volaterranus libro uigesimotertio Anthropologiæ.

OBSIDIONEM.

MAXIMILIANVS Sforcia Ludouici F. Mediolanensiũ princeps,obsessus in arce à Gallis, labefactatis aliqua ex parte sensibus, mente excedere ita uisus est, ut neglecto priore cultu, non prius interiorem tunicam exueret, capillúmue pecteret, quàm subortis undique pediculis, pedore & fœda illuuie deformis conspiceretur. Horrendæ etiam imminentium rerum species tristi animo per quietem obuersabantur: unde illi grauior morbus, quum relictis stratis, insomnes noctes perducere cogeretur. Proinde & animi & corporis morbis confectus,Ioannes Gonzaga & Hieronymus Gonzaga, iuuenilem animum perfidè suis consiliis corrumpẽtibus, cùm Gallorum opes diu adhuc securè posset sustinere, trigesimo oppugnationis die arcem dedidit: his conditionibus, ut sibi ac præsidiariis militibus res suas atque omnem supellectilem,præter militarem apparatum, efferre liberum foret:atque ipsi ab rege trigintaquinque aureorum millia singulo quoque anno persoluerentur, modò per publicas tabulas paterno iuri cederet, & se iniussu regis, fide data, Galliæ transalpinæ fines minimè excessurũ ullo tempore polliceretur Sabellici Supplementum libro 5. ex Iouio.

AMICITIAM POLITICAM. Non ferre

AMICORVM QVORVMVIS, Sociorum, Subditorum, Ciuium

Odium, Maleuolentiam.

TIMESIAS Clazomenius bene iusteque Clazomeniis præerat,uir omni uirtutis genere ornatissimus. Transibat quodam tempore per scholam. Pueri uerò dimissi à præceptore ludis operam dabant. Cumque duobus de linea incidisset contentio , alter iurabat : Sic ego Timesij cerebrum discusserim. Hoc audito,ille putans,se in communi omnium hominum inuidia esse positum,& uehementer à suis ciuib. odio haberi,siquidem & pueri eum odissent,nedum senes, sponte atque ultrò è patria concessit. Aelianus lib.12.de Varia historia. Plut.in Politicis , pueros ex fossa quapiam talũ eruisse inquit : & cùm quidam dicerent, quiescendum esse unus percutiens talum, Sic Timesiæ cerebrum excutiam, dixit,ut hic est excussus.

Defectionem.

NERO Cæsar postquam Galliam & Hispanias desciuisse cognouit:collapsus, animoque malè fracto,diu & sine uoce, & propè intermortuus iacuit. Vtque resipuit,ueste discissa, capite conuerberato,actum de se pronunciauit. Consolantiq; nutriculæ,& aliis quoque iam principibus similia accidisse memoranti, se uerò præter cæteros inaudita & incognita pati respondit, qui suum imperium uiuus amitteret. Nec eò secius quicquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit uel imminuit. Quinimò cùm prosperi quiddam ex prouinciis nunciatum esset,super abundantissimam cœnam iocularia in defectionis duces carmina, lasciueq; modulata,etiam gesticulatus est : ac spectaculis theatri clàm illatus , cuidam scenico placenti nuncium misit, abuti eum occupationibus suis. Suetonius.

Mortem.

ACHILLES Patrocli mortem impotenter adeò tulit, ut non tantùm cinere caput consperserit,in luto sese uolutarit,cæsariem totonderit:uerumetiam Hectoris cadauer equi caudæ alligatum ter circum Pergama raptarit, & multos Troianorum ad bustum Patrocli immolarit. Homerus Iliad. σ.

ALEXANDER Magnus, Hephæstione amico ex febre mortuo,confestim equos omnes mulosque tonderi lugubriter iussit, circumiectorum oppidorum pinnas detraxit, Glaucum medicum innocentem egit in crucem,tibias musicámque perdiu in castris compescuit: quoad ab Ammone allatum oraculum est,ut Hephæstionem colerent pro deo, eiq; sacrificarent. Ad luctus eleuationem bellum adhibuit, ac sicut ad uenationem hominum egressus, Cussæorum gentem excidit,omnemque ad internecionem deleuit. Ea Hephæstionis parentatio dicta. In tumbam & monumentum eius atque in hæc exornanda decem millia talentûm intendens expendere,operisque pręstantia & exquisita arte superare sumtum, desiderauit præter omnes artifices Stasicratẽ, qui proiectam granditatem & magnificentiam in nouis rebus edendis promittebat.Plut.in Alexandro,& Aelian.lib. 7. Variæ historiæ.

EVENVS Scotorum rex, ob Cadalli Brigantini principis(cui & regnum & uitam contra Gillum tyrannum seruatam debebat)mortem, mœrore contabuit. H.Boeth.lib.2.

AIDANVS Scotorum rex,audito Columbę abbatis in Iona insula,uiri sancti & de se optimè meriti obitu,mœrore magis quàm morbo correptus,breui est extinctus.Idem lib. 9.

IOANNES Capistranus Franciscanus monachus, defuncto Io. Coruino, cui in defendenda Alba Græca contra Turcas præclaram operam nauarat, nunquam ampliùs ridere uisus est,noctes aliquot insomnes exegit, inter contemplandum cum Deo sæpe conquestus,quare cũ collega sibi obire non liceret. Paucis pòst diebus ex mœrore obiit, ad Villacum,in Syrmiensi agro, D.Francisci æde collegioq; sepultus.Bonfinius lib.8. Decad.3.

INIMICORVM QVORVMVIS

Victoriam.

Vide paulo antè, Victoriam non ferre. Illic Victoriæ, hic Victoris inimici habetur ratio.

Insolentiam.

M. BIBVLVS partim pudore, partim dolore, quo C. Iul. Cæsaris collegæ iniuriis afficiebatur, toto consulatu domi mansit: eo excepto die, quo de filiorum morte certior fuit factus. Eo enim frequens in curia munus suum obiuit. Suet.

Honores, Dignitatem.

EQVITES quidam Romani, eo quòd Cn. Flauius, humillimæ sortis homo, præturam adeptus erat, offensi, anulos aureos sibimetipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt, doloris impotentiam testati. Valerius Maximus libro nono, cap. 3.

M. AGRIPPA ex leui rigoris suspicione, & quòd Marcellus sibi apud Augustum Cæsarem anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus, contulit. Suetonius.

AMICITIAM OECONOMICAM. NON FERRE, AEGRE ferre

PARENTVM

Odium.

M. AEMYLII Scauri F. cùm eò, quòd in saltu Tridentino hostibus loco cessisset, in conspectum patris uenire non auderet: uerecundiæ ignominia pressus, mortem sibi consciuit, ut est apud Cæcilium, & Frontinum lib. 4.

Mortem.

Fuisse Alcyonei gigantis filias ALCYONES, Pausanias prodit, ac est ab Apostolio in Ionia repetitum, Phthoniam, Athen, Methonen, Alcippam, Pallenen, Drymo, Asterien: quæ à patris obitu ex Pallenes promontorio in mare se præcipites dederint: uerùm ab Amphitrite in auitiam gentem sunt cooptatæ, ita ut mares ceryli dicantur Theocrito, in Bionis epitaphio (qui consenescentes, inquit Pausanias, à feminis gestantur) femina autem damar: ut est apud Lycophronē, & exposuit Interpres. Cælius lib. 14. capite undecimo, Antiquarum lectionum.

Cleomenis Spartanorum regis in Aegypto exulis FILIVS, cùm ex parentis suę Cratesicleæ lacrymis patris mortem suspicaretur: nulla re dicta à summo ædium culmine se præcipitem demisit, egitq; ea re, ut omnes Cleomenis filium fuisse intelligerent. Plut. in Cleomene.

LIBERORVM

Improbitatem, Impudicitiam.

Consule Tit. Crudelitatis erga liberos, quatenus non ferentes improbitatem suorum, ad uindicandum crudeliter impelluntur.

ARTOXERXES rex, cùm Ochum filium deprehendisset fratribus insidias struentem, animum despondens, uitam finiuit. Plut. de Pietate erga fratres.

AVGVSTVS Cæsar aliquanto patientiùs mortem, quàm dedecora suorum, tulit. Nam Caij Luciiq; ex Agrippa nepotū casu non adeò fractus: de filia Iulia impudicissima absens, ac libello per Quæstorem recitato, notū Senatui fecit, abstinuitque cōgressu hominum diu, præ pudore: etiam de necanda deliberauit. Certè cùm sub idem tempus una ex consciis liberta, Fœde nomine, suspendio uitam finisset: maluisse se ait, Fœdes patrem fuisse. Relegatæ usum uini, omnémque delicatiorem cultum ademit: neque adiri à quoquam libero, seruoque, nisi se consulto, permisit: & ita ut certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis, uel cicatricibus. Post quinquennium demùm ex insula Pandateria in continentem, lenioribusq; paulò conditionibus, transtulit eam. Nam ut omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit. Deprecanti sæpè populo Romano, & pertinaciùs instanti, tales filias, talesque coniuges pro concione imprecatus est. Ex nepte Iulia post damnationem editum infantem agnosci, alique uetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, imò in dies amentiorem in insulam transportauit, sepsitque insuper custodia militum. Cauit etiam Senatuscōsulto, ut eodem loco in perpetuum contineretur: atque ad omnem & eius, & Iuliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam Homericum illud solebat, αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τ᾽ ἔμμεναι, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι: O quàm utile fuisset, & sine uxore esse, & sine liberis perisse. nec aliter eas appellare, quàm treis uomicas, aut tria carcinomata sua. Suetonius.

Stuprum.

EVENVS Martis & Steropæ F. quū stupratorē filiæ Marpissæ, Apharetū nomine, comprehendere nō posset ad suppliciū, coniecit se in Lycormam fluuium præ animi dolore. Plut.

ANIVS Thuscorum rex, filiam habuit Saliam nomine: quam quum rapuisset Catheus adolescens, iratus pater, in fluuiū, Anienem inde cognominatum, priùs Parensium dictum, se se proiecit. Plutarchus, & Sabellicus libro quarto, Enn. 2.

Hippo & Miletia, filiæ SCEDASI inter Bœotios ditissimi, quum eas Spartani adolescētes per uim constuprassent, ac demùm occultandi sceleris causa in puteum deiecissent, pater impatiens mœroris, ad earū tumulos seipsum confecit.

Repudium.

Catone feruidiorem se in Antistia amanda MATER ostēdit: nam cùm uidisset à Cn. Pompeio repudiatam filiam, & pro ea Aemyliam ductam, manu sua sibi mortem consciuit. Fulgosus lib. 5. c. 7. & Sabellicus lib. 3. c. 4.

Captiuitatem.

ROBERTVS III. Scotorum rex, cùm filium Iacobum, quem in Angliam ad Eduardum IV. miserat, ne à patruo regni gubernatore tolleretur, captiuum in Anglia detineri comperit: ex ingenti mœrore, aucto, quo semper laborauerat, morbo, tertium post diem uita excessit, anno regni sui sexto & decimo, & à Christi natali MCCCCVI. Hector Boethius libro decimosexto.

Mortis suspicionem.

AVCTOLIA, Sinonis filia, & uxor Laertæ, quum falso nuncio intellexisset, Vlyssem filium apud Troiam in bello occubuisse, impatientia mœroris uitam proiecit.

AEGEVS Atheniensium rex, procul intuitus nauim, qua filius Theseus ex Creta uictor uehebatur, quia non candida essent illi uela, siue cœrulea (ut alij memorant) quæ lætitiam & filij incolumitatem testarentur, sed funesta & atri coloris, quę à principio abeunti fuerant, Theseum periisse ratus, ex alta specula in subiectum sese pelagus præcipitauit. Sabellicus lib. 3. c. 4. ex Plut. Theseo.

SOLON Atheniensis, falsò nunciatam filij mortem quantoperè defleuerit apud Thaletem, pete ex Tit. Prudentię in reprehendendis aliorum dictis & factis.

Carthaginensium MATRES, cùm tertio bello Punico ex omni nobilitate lectissimi adolescentes in Siciliam mitterentur, eos fletu & lamentatione querula sunt ad naues usque comitatæ: tum ex his quædam à filiorum complexibus auulsæ, ubi oram solutam uiderunt, nauimq; portu egredi, dolore stimulante in subiectos fluctus desilierunt. Sabellicus lib. 3. cap. 4.

Mortem.

INO Cadmi filia, ex Athamante duos peperit filios, Learchū & Melicertam, præterea filiam Euryclеam. Athamas autem uersus in insaniam, reliquos liberos arcu percussit, occiditque. Ino unà cum Melicerta sese in mare abiecit. Et hanc quidem Megaras undis appulsam Megarenses multo cum honore exceperunt, iusta persoluentes, Leucothoe nomine commutato: illum uerò Corinthum delatum, Corinthij sepelierunt, & in eius honorem Isthmios ludos instituerunt: nomine item commutato uocantes Palæmonem. Hinc ortum adagium, ut intolerandum, & exanimantem, ut ita dixerim, dolorem significantes, dicerent, ἰνοῦς ἄχη. Nam ἄχος propriè dolor dicitur apud Græcos, qui prorsus obstupefacit, suiq; sensum adimit homini. Erasmus in Adag.

NIOBE Thebani Amphionis uxor, cùm sex filios totidemq; filias Apollinis & Dianæ sagittis, hoc est, pestilentia confectos amisisset: præ dolore in saxum mutata fingitur, cùm prope Sipylum promontorium eminens procul spectantibus mulieris lugētis speciē exhibere uideat. AMPHION ipse sibiipsi mortem cōsciuit. Quidā Nioben dolore obmutuisse ferunt, & propterea saxi appellationem traxisse. Alij ob mœrorem breui defunctam, & sepultam marmoreo monumento, quod per æstum ratione Physica sudans, lacrymas effundere uideretur. Sic enim Sophocles quoq; Antigonem sepultam Niobi assimulauit. Eustathius Iliad. ω.

PYRENE nympha Cenchriam filium per imprudentiā à Diana interfectum tantoperè luxit, ut in fontem sui nominis mutata fuerit.

PYTHIVM Bithynum aiunt, imparem dolori, quo miserè ob immanem filij necem à Xerxe conflictabatur, in monumentum se coniecisse, quod ipse in tumuli uertice excitarat: atq; inibi flebiliter, quod supererat uitæ, complesse, summittente illi diebus singulis cocta cibaria uxore, cui principatus moderamina per manus tradiderat. Cælius lib. 19. cap. 18. Antiquarum lectionum, ex Herodoto.

SOLON cùm olim propter defunctum filium unicè lugeret, diceretur q; sibi à quopiam: At nihil proficis. respondit Solon: Et propter hoc ipsum lacrymor, quia nihil proficio. Laertius lib. 1. cap. 3.

In Africa ab Automalis iter facientibus occurrit mons, ex utroque latere præruptus, in cuius medio alta est cauerna, ex qua ardua rupes sursum tendit: ad eius radicem antrum insignis magnitudinis, hedera & taxo obsitū. In eo uixisse fabulantur reginam LAMIAM, insignis pulcritudinis mulierem, sed eius faciem postea, propter animi feritatem, in belluinam transformatam ferunt. Cùm enim ei omnes liberi morerentur, hoc casu mœstam, & inuidia aduersus fœcundas motam, ex ulnis infantes abripi, & confestim necari iussisse, fama est. Hinc ad hanc usq; diē manere apud pueros illius mulieris memoriā, atq; iis eius nomen esse summo terrori. Cùm autem ebria esset, licentiam omnibus dedisse quiduis pro arbitrio faciendi, atq; per illud tempus, quoniam ea quæ fierent in illis finibus non inquireret, pro cæca habitam fuisse. Hinc fabulantur quidam, eam oculos in marsupium occuluisse, transferentes eam quæ è uino nascebatur incuriam ad supra dictum crimen, tanquam uinū eam aspectu priuasset. Quòd autem ea in Africæ finib. fuerit, auctor est & Euripides, inquiens, Quis hominum infamenescit genus Lamiæ Libysticæ? Diodorus lib. 20.

PERICLES grauiss. pestilentia Athenas inuadente, reliquorum amicorum funera magno pertulit animo. At postea quam filium amisit Paralum, tùm uerò fractus, quamuis tenderet grauitatem tueri, & retinere animi celsitudinem, cùm coronam tamen ingereret mortuo, oppressus est cùm aspiceret eum dolore: ut quod reliqua in uita nunquam fecerat, erumperet in eiulatum, & magnam uim profunderet lacrymarum. Plut. in Pericle.

BLAVVS, filiusq;, à Triumuiris proscripti, cùm abire in Siciliā decreuissent, ad maritimam urbis partem seorsum profecti sunt, ut minus suspecta eorum profectio haberetur. Cùm autem falsò pater filiū, qui antecesserat, accepisset in Triūuirorum milites incidisse, & ab eis cæsum esse, ad ipsos milites ultrò se contulit, atq; ab eis ut interficeretur impetrauit. Fulg. lib. 5. cap. 7.

Proscriptus à Triumuiris Aruntius, cùm petere Siciliam constituisset, uxoris suasu filium ipsum quoque proscriptū premisit. Qui cùm nauem conscendisset, atq; aduersa tempestate actus, neque procedere posset, neque retrò ad terram reuerti, ita eum fato urgente, fame consumtus est. Quod cùm MATER intellexisset, magis eam premente dolore, quia eius consilij ipsa auctor fuerat, haud multo pòst se ipsam interemit. Idem.

TIBERIVS Imp. Germanicum filium adoptiuum ex Druso fratre in Syria perdidit, à Gn. Pisone ueneno subministrato. Vnde perturbatus animo, secessum Campaniæ petiit, quasi nunquam rediturus Romam. Prohibuit insuper omnes amicos filij sui ac familiares ante faciem suam uenire, ne dolor innouaretur. Ex hoc Germanico natus est Caius Caligula, qui Tiberio mox in Imperio successit. Cuspinianus, ex Iosepho, & Taciti lib. 2.

ORODES Parthorum rex, cùm Pacorum filium in bello contra Ventidium amisisset, præ dolore in rabiem conuersus est. Ea occasione usus filius Phraates, parentem cum XXX filiis interfecit. Xiphilinus in Augusto.

GORDIANVS senior Aphricæ proconsul, ab exercitu Africano aduersus Maximinorum crudelitatem Imp. creatus: cùm filio Gordiano contra Capellianum Maximinorū ducem misso, accepisset uictum atque cæsum fuisse, præ mœroris magnitudine se in cubiculo suspendit. Fulgosus libro 5. capite 7.

HERODIS Attici sophistæ dolorem ex prioris filię Panathenaidis obitu conceptum utcunque lenierant Athenienses, intra urbem eam sepelientes, & obitus diem ceu funestum ex anno sustollentes. Ceterum, cùm Elpinicen alteram filiam exanimem indecorè lugeret, proiectus humi ac uociferans: Quas inferias tibi faciam filia? quid tecum sepeliam? superueniens Sextus philosophus: Maximum, inquit, munus dederis filiæ, si moderatè lugeas. Philostratus.

PROÆRESIVS sophista, professor Atheniensis, gemellis filiabus morte amissis, tantam inde concepit mœstitiam, ut sapientiam propè omnem simul amisisse uideretur. Sed illum Milesius Smyrnæus poeta, Musa cognominatus, à mœrore reuocauit. Eunapius in eius uita.

Rogerius TANCREDI Siciliæ regis filius, postquam Irenem Isaaci Imperatoris filiam duxerat, uita migrauit. Cuius rei dolorem Tancredus adeò acerbè tulit, ut non multis pòst diebus & ipse finem uiuendi fecerit, Gulielmo puero relicto, quem mox Sibylla mater regem Siciliæ coronandū Panormi curauit. Sigonius lib. 15. regni Ital.

In pugna Rauennatensi, anno MDXII. April. XI. commissa, ALEGRIVS Gallicus dux, Viueroem filium ante oculos suos ab Italis peditibus esse interfectum cernens, ne tanto dolori superstes esset, equo in confertissimam hostium turbam immisso, ut fortissimum ducem decebat pugnās, multis iam cæsis interfectus fuit. Guicciard. lib. 10.

Obsessa Buda, erat inter Germanos duces insignis REISCHACVS Sueuus. Huius filius impiger adolescens, quū ignaro patre in aciem prodiisset, strenueq; decertans, spectante ante alios atq; admirante uirtutem patre, à cunctis uel ignotus effusè laudaretur, priusquam se explicaret, à circumfusis Turcis est interfectus. Tum uerò Reischacus casu equitis uehementer commotus, conuersus ad alios duces, Omni, inquit, laude perornandus uidetur hic quisquis sit equitum longè fortissimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id quum ab omnibus pari pietate probaretur, infelicis filij cadauer est relatum. Pater paulo pòst, quum rigentibus oculis stetisset, nihil effatus interiit. Sabellicus Supplem. lib. 24. ex Iouio.

CONIVGVM

Repulsam.

Ex Tit. Procorum, & Amoris insani, huc quædam.

MELITVS Atheniensis non ferens repulsam amatoriam Timagoræ adolescentis, incitato cursu in arcem se proripuit, & de rupibus præcipitauit.

Calyca Stesichori poema est, in quo mulier quædam nomine CALYCA Euathlum adolescentem amauit, atq; Veneri ut illi nuberet supplicauit. Sed cùm eam adolescens despiceret, suspendio uitam finiuit in Leucade. Athenæus libro 14. capite sexto.

SOLOON Atheniensis miles, Thesei uxorem Antiopam Amazonem deperibat. Eam per internūcium allocutus cùm repulsam tulisset, in amnem se præcipitauit in Ponto, q ab eius nomine Soloon dictus est. Plut. in Theseo.

Suspicionem impudicitiæ.

Vide Tit. Zelotyporum. item Vltionis zelotypæ.

HERODES, rex Iudæorum, erga Mariammen uxorem adeò zelotypus fuit, ut propter eam Iosephum patruum occiderit: amicis quoque non semel mandauerit, ut si quid sibi humanitùs contigisset, uxorem statim interficerent, ne quis alius ea potiretur. Iosephus lib. 15. Antiq.

Impudicitiam, Adulterium.

DIOMEDES rex Aetoliæ, Tydei & Deiphiles filius, unus è ducibus Græcorum, ab Homero tertius uirtute post Achillem & Aiacem positus, propter adulterium uxoris Aegiales, quæ rem cum Cylleboro Stheneli filio habuit, redire in patriam noluit, concessitq; in Apuliam, ubi Adriam condidit, & Argyripam, & Sipuntem, & Salapiam, ibiq; sunt Diomedei campi, qui ei cesserunt, regione inter ipsum & Daunum socerum diuisa. Lud. Viues in lib. 18. August. de Ciuit. Dei, cap. 16.

EVRIPIDEM tragicum ferunt, cùm histrionē suum aliquando unà cum uxore sua misceri reperisset, ea causa mulierū genus exosum habuisse, atque in Macedoniam fugisse, Comicorum ueritum calumnias. Gyraldus de Hist. poet.

Repudium.

M. LEPIDVS cùm post Syllæ dictatoris interitum à Catulo dissensione ciuili urbe eiectus in Sardiniam concessisset, audito Apuleiæ coniugis repudio, mortem obiit. Sabel. lib. 3. cap. 5. ex Plin. lib. 7. c. 36.

Raptum.

Ninus Assyriorum rex, cùm Semiramidis amore propter formam admirabilem teneretur, MENONI eius uiro persuadere conatus est, ut illam sponte sibi uxorem donaret: pollicitus, filiam se ei in matrimonium daturum formos. nomine Sosanem. Menon amore coniugis motus, laqueo uitam finiuit. Diodorus Siculus, & Sabellicus lib. 3. c. 5.

L. SYLLANVS Claudij principis gener, maritus Octauiæ, ea sibi erepta, dataq; postea Neroni, præ dolore gladio incubuit. Volater. lib. 19. Anthrop. ex Suetonio.

Deiectionem à dignitate.

Duxerat Franciscus Foscarus Venetus dux, VXOREM secundo loco, priore mortua, ex Nana familia, cum qua diu uixit, & ex qua sobolem quoque suscepit. Verùm abrogato illi principatu, publico patrum decreto, satis constat in Foscareas ædes reuersum illum, intra triduum diem suum obiisse. Quem quum patres publico funere efferri uellent ad Minoritarum templum, uxor nunquam adduci potuit, ut hoc concederet: sibi esse dicens & opes, & uoluntatem erga maritum, ut idipsum præstaret. Tandem per uim domi inclusa est, extractumq; cadauer summa pompa elatum. Egnatius lib. 4. cap. 6.

Mortis suspicionem.

IVLIA C. Cæsaris filia, cùm ædilitiis comitiis Cn. Pompeij Magni coniugis sui uestem cruore respersam è campo domum relatam uidisset, territa metu, ne qua uis ei esset allata, exanimis concidit: partumq;, quem utero conceptū habebat, subita animi consternatione, & graui dolore corporis, eiicere coacta est: atq; ita expirauit, magno orbis detrimento. Val. Max. lib. 4. c. 6. & Plut. in Pompeio.

Mortem.

Senatorij uir ordinis C. PLAVTIVS Numida, morte uxoris audita,

audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit. Interuentu deinde domesticorum inceptum exequi prohibitus, colligatusq; ut primùm est occasio data, scissis fasciis, ac uulnere diuulso, constanti dextera spiritum luctus acerbitate mixtum ex ipsis præcordiis & uisceribus hausit. Valerius Maximus lib. 4. cap. 6.

Eiusdem ut nominis, ita amoris quoq; M. PLAVTIVS, cùm imperio senatus classem sociorum sexaginta nauium in Asiam reduceret, Tarentumq; appulisset, atque ibi uxor eius Orestilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset: funerata ea, & in rogum imposita, inter officium ungendi & osculandi, districto ferro incubuit. Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum, corpori coniugis iunxerunt: ac deinde subiectis facibus, utrumque unà cremauerunt. Quorum ibi factum sepulcrum Tarenti etiamnum conspicitur, quod uocatur τῶν φιλόντων. Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. & Volaterranus lib. 18.

C. Cæsar CALIGVLA, audita morte Drusillæ sororis, iustitium in dixit: in quo risisse, lauisse, cœnasse cum parentibus aut coniuge liberisue, capitale fuit. Ac mœroris impatiẽs, cùm repentè noctuque profugisset ab urbe, transcurrissetq; Campaniam, Syracusas petiit: rursusq; inde properè rediit, barba capilloque promisso. Nec unquam postea, quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per nomen Drusillæ deierauit. Sueton.

PAVLINA, uxor Senecæ, cùm mariti mortem iam imminentem ferret grauiter: Caue, ait Seneca, hanc meam mortem ampliùs ut contumeliosam desleas, ne uel me minùs amasse, uel gloriæ meæ inuidisse uidearis. Auctor uitæ.

HERODES sophista, uxoris Regillæ mortem luxit impotentiùs, adeò ut picturas & ornamenta domus coloribus atraret, uelis pullis tegeret, ac lapide Lesbio obscuraret omnia. nam is funestus ac niger est. Quodam die cùm Lucius, qui frustrà conatus fuerat Herodi persuadere ut lugeret moderatiùs, pueros uideret in fonte ædibus uicino lauantes raphanides, rogabat, Cui pararetur ea cœna? Illi responderunt, Herodi. Tum Lucius: Iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis uescatur in atra domo. Id ubi renunciatum est Herodi, amouit ab ædibus funestam speciem, ne apud probos uiros traduceretur. Philostratus in Sophistis.

Obsessi à Britannis Scoti cum rege Reuthere, famè coacti, eruptionem fecere, sed ab hostibus circumuenti ad unum fuere trucidati. Eorum MVLIERES aut mutuis uulneribus aut laqueo uitam finiuere, ne maritis superesse cogerentur. Hector Boethius lib. 2.

Cæso Asmundo Suconum rege in acie ab Hadingo Danorũ rege, GVNNILDA ne marito superesset, spiritum sibi ferro eripuit, uirumque fato insequi, quàm uita deserere præoptauit. Huius corpus amici sepulturæ mandantes, mariti cineribus adiunxerunt: dignam eius tumulo rati, cuius caritatem uitæ prætulerat. Saxo lib. j.

CÆCILIA Barbadica Veneta, mortuo uiro Philippo Vendramino, nec monitis nec precibus propinquorum ad uescendum aliquo modo impelli potuit: nullo que responso dato, mortua est. Fulg. & Egnat. lib. 4. c. 6.

FRATRVM

Repulsam.

P. RVTILIVS leui morbo impeditus, adeò de fratris dignitate sollicitus fuit, ut in petitione consulatus audita eius repulsa continuò animam efflauerit. Sabel. lib. 3. cap. 7. ex Plinij lib. 7. cap. 36.

Mortem.

Hyam à leone deuoratum, sorores HYADES lamentatione miserabili prosecutæ sunt, adeò ut mœrore uitam finiuerint. Deorum demùm commiseratione relatæ sunt in stellas. Pontanus:

Mox Hyadum chorus Eois emerget ab undis,
Fratris Hyæ quas perpetuus dolor indidit astris.

Sorores Phaethontis, quæ HELIADES & PHAETHONTIDES appellantur, fratrem cœlo deturbatum tantis lacrymis deplorauerunt, ut deorum commiseratione in arbores commutatæ sint. Ouid. in Metam.

ZEANGIRVS, Solymanni Turcarum Imperatoris ex Rossa serua filius, audita & uisa morte fratris Mustaffæ, insidiis nouercæ Rossæ interfecti, gladio incubuit. Ascanius Centorius lib. 6. com. bellorum Transyluaniæ.

VOLVMINIS OCTAVI
FINIS.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Volumen Nonum

DE

TEMPERANTIA & INTEMPE-
rantia circa VOLVPTATES
CORPORIS

QVATVOR LIBRIS
pertractans.

V. Cl.

GVL. ARAGOSIO Tolosati

Philosopho sincero, Theologo uero, Medico Cæsareo Regióq.

THEODORVS ZVINGERVS

Nonum hoc THEATRI uitæ Humanæ VOLVMEN

Quatuor LIBRIS expositum

QVORVM

I. *De TEMPERANTIA & INTEMPERANTIA Voluptatum & Dolorum Corporis uniuersim.*

II. *De ABSTINENTIA & IMMODERATIONE circa Alimenta.*

III. *De CONTINENTIA circa Venerea: cui LVXVRIA in Excessu, in Defectu STVPIDITAS opponitur.*

IV. *De TEMPERANTIA & INTEMPERANTIA Voluptatum Corporis impropriè dictarum agit.*

publici officij, priuati meriti

MON. D.

TOMI NONI LIBRORVM DISPOSITIO.

VOLVPTATVM uaria sunt obiecta, uarij earundem moderandarum habitus, uniuersim quidē trito illo Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου cōprehensi, quorum hoc in Iucundis, illud in Tristibus potiss. locum habet: in specie uerò ex obiectorū distinguendi uarietate: sic ut de Voluptatibus Corporis prius, de Voluptatib. Animi posteriore loco agatur. Σωφροσύνλω, sapientū institituto, populari usu, ὅτι φρόνησιν σώζει, dictā testantur Etymologi. Φρόνησις animi oculus quidā practicus est. Animus corporis famulitio utitur. Corpus, utputa mortale, ad sui conseruationem externis multis indiget: quæ sensuū organis ceu manib. apprehensa, partim indiuiduo, partim specici humanæ conseruandæ propagandæq; inseruiunt. Ad utramq; curā Voluptatis corporeæ illecebra, contrarijq; Doloris fuga, ceu esca quadā, Natura mortales accendit, incitatq;. Voluptas omnibus cōnata sensibus, in Gustu & Tactu cōmunissima uehementissimaq;, in Visu, Auditu, Olfactu, ut hominis propria, ita quoq; remissior. Appetitum utrumq; recta moderatur ratio, uehementiorem maiore, remissiorem minore ui edomās: aliàs alio, hîc Σωφροσύνης Temperantiæúe insignita nomine. Et quidem circa Alimenta & Venerea κυρίως: circa Visus uerò, Auditus, Odoratus obiecta ἀκύρως uertatur Temperātia, mediocritatis ubiq; studiosa. Ab ea exorbitans uitiosus habitus, Ἀκολασία dictus, hominem à statu excellentiæ suæ propemodū diuinæ, ad quem Natura duce, comite Temperantia peruenerat, ad brutorū libidinem ingluuiemq; deiicit. Ab eadem Deficiens uitiosus habitus, ut nomine caret, ita rarus inuētu, superstitionis, contumaciæ, desperationis, similiumq; uitiorum, quæ comitatur, naturā nomenq; frequenter induit. Exempla uitiorum per se turpia, classica prostitutione quodammodo illustriora redduntur. Sed qui reliquorum uitiorum exempla non fastidiūt, ea ipsa quoq; pudicis admittant auribus, non ut spectatores, sed uti censores alienæ improbitatis. Pudicis pudica omnia: impudicis uel pudor ipse suspectus euadit.



LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO

- CIRCA Voluptates & Dolores corporis in uniuersum quidam reperiuntur
  - Moderati, cōsiderandi secundum ipsius Habitus
    - Possessionem. TEMPERANTES *in genere.*
    - Exercitationem. *Quatenus aliorum*
      - Temperantiam *promouent.* TEMPERANTIÆ *magistri.*
      - Intemperantiam *oderunt.* INTEMPERANTIÆ *odium.*
    - Euentum, *Fructum.*
  - Immoderati. *Quoniā peccant uel in amplectendi*
    - Excessu, *quo ad Intemperantiæ*
      - Possessionē. INTEMPERANTES *in genere. Qui uario genere uoluptatum corporis sese coinquinarunt:*
        - Populi.
        - Reges, *Imperatores, Principes.*
        - Duces. Milites.
        - Philosophi, *Oratores, Poetæ.*
        - Hæretici. Pontifices.
        - Monachi. Quiuis *alij.*
      - Exercitationem. *Sic aliorum*
        - Intemperantiā *promouent.* INTEMPERANTIAE *magistri*
          - Populi.
          - Reges, *Principes.*
          - Poetæ, *Philosophi.*
          - Musici. Hæretici.
          - Mulieres.
        - Temperantiam *oderunt.* TEMPERANTIAE *odium.*
      - Euentum, *Fructum.*
    - Defectu. QVI *uoluptates corporis minus quàm uel honestas uel religio requirat amplexi sunt. Voluptatum corporis fuga inhonesta in uniuersum.* Ἀναισθησία ὀλιγῶν.

Voluminis Noni
Liber I.
De Temperantia & Vitiis oppositis in genere.

TEMPERANTES IN GENERE.

Priusquam ad species Temperantiæ singulas accedamus, in genere eos, qui uel in omnibus, uel certè in præcipuis uoluptatibus moderati fuerunt, referamus, in abstinendo simul & sustinendo. Et ueterum quidem Philosophorum raræ quædam exempla in omni uoluptatum genere reperias, sed illa literis diligenter expressa. Apud Christianos uerò plurima, eaq; ualdè illustria, quæ tamen partim copia sua, partim scriptorū, qui ea extollerent, inopia, nō in magna habentur uulgi admiratione: digna interim, tum ueræ pietatis, tum etiam ethicæ uirtutis nomine, quæ ab omnibus legantur, & memoriæ ad imitandum consecrentur. Consule igitur Titulum Abstinentiæ alimentaris. item, Ieiunii. item, Libidinis fuga. Quoniam enim ieiunium libidinis ardorem extinguit, ferè contingit, ut qui in hoc temperans est, in uenere quoque continens esse reperiatur.

AEGYPTIORVM sacerdotum mores præparci in uictu, ac frugi prorsum bonę, & contemplationi dedita mens in stuporem usq;, à Chæremone Stoico narrantur. Eos enim scribit, negotijs omnibus curisque reiectis, semper in templo fuisse, & rerum naturas causasque ac rationes siderum esse contemplatos: mulieribus nunquam se miscuisse: nunquā cognatos & propinquos, ne liberos quidem uidisse: ex eo tēpore quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnib. & uino semper abstinuisse, pane rarò uesci solitos, & nō nisi cū hyssopo, adiuuandæ concoctionis causa. Oua cum lacte uitasse: quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile ex palmarum folijs, quas baias uocant. Bidui triduiq; inediam sustinebant. Cælius lib.13. cap. 25. ex D. Hieronymo, & Diod. Sic. lib.2. c.2.

ATALANTIA, uirgo pudicissima, omne hominū consortiū fugiens, syluis, montib. & solitudine delectata, cōtinuis uenationibus operam dedit. Stratis autem lectoq; utebatur ferinis pellibus, cibo bestiarum carnibus, potione aqua, uestitu tenui incultoq;, & eiusmodi, qui nō abhorreret à Diana, amiciebatur. Aelianus lib.13. de Varia historia.

SOCRATES per omnem suam ætatem temperantissimè ac continentissimè uixit. Ob eam causam cùm bello Peloponnesiaco Atheniensium urbs pestilentia ad uastitatem ferè redacta esset, uoluptatū abstinentia Socrates cōmuni omniū cladi obnoxius non fuit. Gell. lib.2. Noct. Att. c.1. & Ael. lib.13. Var. hist. & Laert. lib.2.

Testa-

Testatur Laërtius in ZENONIS Cittiei uita, philosophū hūc, tum in uictu, tum in uoluptatibus uenereis usqueadeò parcum fuisse, ut crudis duntaxat uesceretur, ac pallio pretenui tegeretur. Vnde & Philemon in comœdia taxat hominem, qui post panē obsonij loco caricis uteretur, aquam uini loco biberet, ac discipulos esuriem doceret. Hinc & in uulgi sermonem abiit, Zenone temperantior.

PYTHAGORAS philosophus olusculis tantùm & frugibus uescebatur, carnibus abstinebat. Potum illi fons tribuit. Castus in matrimonio uixit: mox in cœlibatu Damam suā filiā ad uirginitatis uotum induxit. Laertius.

Quid DIOGENIS Sinopēsis Cynici aut cultu neglectius, aut uictu despicatius, aut cubatu durius habuit uita hominum unquam? Pallio duntaxat uno usus est, cætera nudus, oleribus & pane contentus, humi iacens somnū carpebat: aut cū molliùs, in dolio. Sab. lib.2. c.3. ex Laertio.

GORGIAS Leontinus, sophista clarissimus, cùm centesimū & octauum ætatis annū attigisset, interrogatus, Cur ad tantam peruenisset senectutē? Quòd uoluptatis causa nihil mihi unquam facere permiserim, respondit. Cælius Rhod. lib. 19. cap. 20. Athen. lib. 12. c. 26. XXC fermè annis mentis compotem uixisse scribit.

APOLLONIVM Tyaneum, à coitu, uino & carnibus abstinentissimum fuisse, solisque uestibus lineis amictum, tradit Philostratus.

DEMONAX philosophus Hadriani tempore, inter alias animi dotes uitam quoque continentissimam egit. Volaterranus libro 15. Anthrop.

LACEDÆMONII huiusmodi legem habebant, ut nemo Lacedæmoniorum mollitiem aliquā colore præ se ferret, aut habitior esset, quàm exercitiis conueniret. Nam hoc pigritiam, illud effeminatum uirum ostendere uidebatur. Aelianus de Var. hist. lib.14. Frugalitas & integritas Lacedæmoniorum præ cæteris Græciæ partibus tanta fuit, ut qui castigatè casteq; uiuerent, Laconicè uiuere dicerentur. Erasmus in Adagiis.

ALEXANDER Magnus diluculo prandebat sedēs, cœnabat primis tenebris: potabat, cùm diis sacrificasset, alea ludebat cū Midia febricitans, ludebat iter faciens, unà & sagittare discens atq; è curru desilire. Vxorē duxit sibi unam amore captus Roxanen, Statiram Darij regno & rebus ita postulantibus, intererat enim gentes cōmistione copulari. Cæteris Persidibus tantum præstitit castitate, quantum fortitudine uiris. Nam inuitam aspexit nullam. Quas aspexit magis quā quas non aspexit, præteriit: & qui aliis fuit omnibus popularis, solis se uenustis superbum præstabat. De Darij coniuge femina speciosissima ne uocē quidē, quæ formā eius cōmendaret, auribus admisit. At defunctā adeò funere regio ornauit, tantoq; luxit animi motu, ut eius castitati fidem humanitas abrogaret, comitasq; in crimen incurreret iniuriæ. Plut. orat. 2. de fort. Alex.

AGIS Eudamidæ F. ita longè excessit indole & magnitudine animi, non Leonidā Cleonymi F. modò, sed & qui ab Agesilao magno Spartæ regnauerunt propè omnes: ut cùm nōdum uigesimū ętatis annū excessisset, & enutritus esset in opibus & deliciis muliebrib. matris Agesistratæ & Archidamiæ auiæ, quæ in Lacedæmoniis erant pecuniosissimę, statim uoluptatibus bellum indixerit: ac ne indulgeret eximiæ formæ uenustati, detracto, qui adesse uidebatur, corpori fuco, cultuq; exuto & reiecto omni magnifico, in palliolo sese ostentaret: cœnas, balnea, uictum Laconicum quæreret: iactaretq; nihil desiderare regnum se, nisi leges id per se & maiorum institutionem reciperet. Plut. in Agide.

CLEOMENES Leonidæ F. uti in coniugio cum Agiatide Agidis fuit successor, ita quoq; studiorū imitator, luxus & uoluptatis omnis hostis. Plut. in Agide.

Magnus AGESILAVS Thasiorum delicias reiiciens (miserāt enim placentas & cupedias uarij generis) Nō decet, inquit, fortia meditantes, uoluptates hoc genus admittere: quæ enim seruile deliniunt ingenium, ab homine libero aliena sunt. Athenæus, & Aelianus. Illi certè uictus erat nihilo, quā cōtubernalib. suis, delicatior. Ab ingluuie & crapula prorsus temperabat. Somno indulgebat ita, ut sibi non dominaretur, sed negotiis suis ancillaretur. Ad æstum erat & algorem ita comparatus, solus ut omnibus anni temporib. eadē ueste uteretur. Medus in castris tendens, cubile nullum habebat melius. Admiranti cuidam moderationem in uestitu & cibo eius cæterorūq; Lacedæmoniorū: Pro hac, inquit, uiuēdi ratione, hospes, libertatem metimus. Plut. in Apoph.

NVMA Pompilius secundus rex Rom. uitam egit frugalissimam: Otio non ad uoluptatem & delicias, nō ad quæstum, sed ad, deorum immortalium cultum, & ad ipsorum naturam, quantum ratione poterat, cognoscendam, utens. Plutarchus in eius uita.

M. CATONI [illegible] cessis Epirus, Achaia, Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, prouincia Cypros: unde cùm pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tam auersum animū ab omni uenere, quàm à lucro habuit, in maxima utriusq; intemperantiæ uersatus materia. Nam & regiæ diuitiæ potestate ipsius continebantur: & fertilissimæ deliciarū totius Græciæ urbes, necessaria totius nauigationis diuerticula erant: atq; id Munatius Ruffus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat. Val. lib.4. c.3. Plut. in eius uita, & Florus in Epitome.

TACITVS, uir cōsularis, senex & grauis, factus est Romanus Imp. omniū assensu: uir temperans, sobrius, & librorū lectioni intentissimus. Frugales mensulas holusculis & leguminibus Pythagoricis instructas, multo lautiores esse dicebat, quàm Milesiorum sumtuosa fastidia. Guido Bituricensis.

ORIGENES castitatis & continentiæ fuit ab adolescentulo ita studiosus, ut quaternis obolis in diem uictitaret: idq; per annos cōplures fecit, & humi in storea dormiuit: & breui tēpore noctu quiescens, maiorem eius partem in sacram meditationem contulit: atq; ita & insomnia & inedia & nuditate sese subigens, usq; adeò uigorem corporis edomuit, ut emarcuisse uideretur. Suidas.

PAVLA Romana, nunquā post uiri mortē usq; ad diē dormitionis suæ cū ullo comedit uiro, quāuis eū sanctū & in pōtificali sciret culmine constitutū. Balneas, nisi periclitans, non adiit. Mollia, etiā in grauiss. febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humū stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicēda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesq; iungebat: illud implēs de Psalterio: Lauabo per singulas noctes lectum meū, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hieron. in Epitaphio.

Sacri Annales austeræ usq; adeò uitæ S. GERMANVM fuisse ferunt, ut ubi à beato Amatore sacris initiatus est, mox animo mutato, & erogato in miseros patrimonio, uxorē pro sorore habuerit. Ad nouissimū usq; diē, frumētarium panē, uinum, oleum, legumen, carnesq; sibi interdixit: quinetiā & sal, ne quo gulā condimento excitaret. Pransuro mos fuit, prælibare cinerem, moxq; panē esse hordeaceum, excussum quidē & aqua remollitum: item cucullo simpliciq; tunica & interiore cilicio uti: hæc eadem æstate & hyeme iuxtà ferre, supra dolatas trabes superiniecto cinere dormire, cum acerbissima uitam pœnitentia ducere: omnibus gratuitò hospitium exhibuisse, hospitibus in humilitatis exemplum pedes lauare solitum. Bonfinius lib.4. Dec.1.

MACARIVS, monachus scripsit epistolam, in qua docet neminem Deo seruire posse, nisi qui sit omnino quietus & abstinentissimus ab omnibus uoluptatibus. Gennadius.

IO. ANDREÆ, in iure Canonico excellētiss. scriptor, annos uiginti, pelle tectus ursina, citra lecti delicias, noctib. cubitauit, frequētibusq; ieiuniis inuigilauit. Vol. lib.21. Anthrop.

MAGISTRI TEMPERANTIÆ: NAM VEL ALIORVM

TEMPERANTIAM PROMOVENT, FOVENT.

Vide Tit. Magistri disciplinæ militaris: quatenus Temperantiam militum promouent.

Crotoniatas luxuriosissimos ad frugalem cultum PYTHAGORAS reuocauit, matronas ad pudicitiā, iuuenes ad modestiam traxit: mulieres auratas uestes ornamentaq; lasciuiora in templo Iunoni consecrare fecit. Laertius.

SPARTANA ciuitas, ut Valerius auctor est, seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquādiu ciuiū suorum oculos à contemplanda Asia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius uitæ genus prolaberentur: utpote quę audierat lautitiā inde, & immodicos sumtus, & omnia non necessaria uoluptatis genera fluxisse.

Apud EOSDEM cautū fuerat lege, ut decimo quoq; die ephebi ad unū oēs publicè nudos Ephoris sese exhiberēt. Quòd si essent bona corporis habitudine, ualentesq;, & quasi concisi ex certaminibus atq; perforati, laudibus uehebātur. Sin aliquod membrū inueniretur delicatius & mollius, ob suppositā aut succrescentē ex oscitantia pinguedinē, uerberabātur, & in ius trahebantur. Ephori quotidie inspectiones obibant uestimentorū; si quid in illis à decenti iustoq; ornatu alienum inueniretur. Lacedęmone coquos esse non licebat alios, quàm carnis duntaxat. Aelian. de Var. hist. lib.14.

Plutarchi Chęronei Vxor TIMOXENA, restrictione circa corpus & uitæ austeritate nullū nō philosophorum, quib. nota esset, obstupefecit: nulli non ciui in sacris, in sacrificiis, in theatris spectaculum præbuit tēperantiæ. Plut. in Consolatoria ad uxorem.

Apud Spartanos HARMOSYNI erant magistratus, q mulierum petulantiã immodestiamq; cohibebant. Alex.lib.4.c.8.

Athenis AREOPAGITÆ, cũ Demetrius, Demetrij Phalerei, luxuriosiùs uitã ageret, & Aristagoram Corinthiã domũ duxisset, ut meliùs & honestiùs uiueret, imperarunt. EPHORI quoq;, cũ Gnosius Lacedęmone insolenter se gereret, u-[illegible]ne cũ iuuenibus uersaretur. Athen.lib.4.c.20.

M. Cato adolescens sub Fabio Max. militans, usus hospitio NEARCHI cuiusdam Pythagorici, cùm eum de uoluptatib. ex sentẽtia Platonis differentẽ audiuisset, amplexus est multo aeriùs [illegible]alitatem & continentiam. Plut.

LEONIDAS Alexandri Magni prçceptor, stragulorum repositorium solitus erat adire, uestiariumq;, atq; ea aperire, inspiciens, num quid illi ad mollitiem mater uel ad luxum addidisset. Plut. in Alexandro.

NVMA rex, Romanis mulieribus pudoris adiecit plurimũ, curiositatẽ remouit, sobrietatem docuit, tacere ac abstemias prorsus esse, neq; de necessarijs rebus, a[illegible]o, quicquã eas loqui assuefecit. Nam quũ mulier quãdoq; propriã causam in foro dixisset, misisse senatũ, memoriæ traditur, deos cõsultum, Quid nam ea res ciuitati portenderet? Quoniam Vlpiano tradente, à ciuilibus officiis & publicis feminæ remouentur: proinde iudices esse nõ posse, nec magistratũ gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices existere. Calphurniæ improbitas iudicib. permolesta edicto causam dedit, quo cauetur, ne postulare feminæ liceat. Cælius lib.13.c.33. A.L. ex Plut.

P. SCIPIO Africanus missus in Hispaniã, insolentissimos Numantinæ urbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos, nunquam fregisset, nisi edicto ea omnia, quæ luxuriæ & uoluptatis causa comparata erant, auferri, penitusq; submoueri iussisset. Quamprimùm enim turpis illa & erubescẽda sentina ex Romanorum castris eiecta fuit, exercitus, qui paulo antè metu mortis deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta uirtute animosam Numantiã, incendiis exustam, solo ęquauit. Val. Max. lib.2.cap. de Militari disc. Frontinus lib.4. c.1. Orosius lib.5.c.6. Eutrop.lib.4.c.7. Florus lib.2.cap.18. Sabellicus lib.9.En.5.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. inania & obscena uerba à publicis conuentibus, & luxum uestium ac mensarum, tanquam corruptelam & uitæ pestem, à palatio pepulit. Nicetas Choniata.

INTEMPERANTIAM ODERVNT, castigant, corrigunt.

Vide locum, Iustitiæ correctiuæ.

PHILOXENVS poeta cũ ducta in Siciliã colonia sortẽ accepisset, facultatesq; ad uitã tuẽdã, domũ opulentã: luxui aũt & uoluptati incolas deditos & abhorrẽtes à Musis uideret: Nõ medius fidius, inquit, hęc bona me perdent, sed ea ego. relictaq; aliis sorte sua, nauigauit ex Sicilia. Plut. de Nõ fœn.

C. FABRICIVS Lucinus, legatus ad Pyrrhũ profectus, cùm apud eum Cyneam Thessalum narrantem audisset, quendã Atheniensem clarum sapientia, suadentem, Ne quid aliud homines quàm uoluptatis causa facere uellent: pro mõstro eam uocem accepit, continuoq; Pyrrho & Samnitibus istã sapientiam imprecatus est. Val. Max. lib.4.c.3. & Plut. in uita Pyrrhi: & Florus lib.4.c.3. & Eutrop.lib.2.

ROMANI Alcæum & Philiscum Epicureos ex urbe eiecerũt, eo quòd multarum flagitiosarumq; libidinum auctores essent adolescentibus. MESSENII quoq; Epicureos expulerunt. Aelian. de Var. hist. lib.9.

VOLVPTATIBVS OMNIS GENERIS DEDITI.

INTEMPERANTES in genere.

Pecunia, Voluptatum corporis lena quodammodo uidetur esse. Ideirco sub Tit. Prodigorum, exempla quædam huic loco conferentia reperies: illic Sumtus, hîc Voluptatis immoderatio spectatur. Consule quoq; Tit. Ignauorum principum & Tyrannorum: quatenus uoluptatum illecebris uicti, & officium negligunt, & omnia peruertunt.

POPVLI.

De PHÆACIBVS Homerus Odysseæ libro octauo scribit:

> αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε,
> εἵματά τ' ἐξημοιβά, λοετρά τε θερμά, καὶ εὐναί. id est,
> Nos uero semper capiunt citharæq; choriq;,
> Et uariæ uestes, & balnea calda, thoriq;.

Idem de PROCIS Penelopes, Odyss. lib. α.

> τούτοισιν μὲν ταῦτα μέλει, κίθαρις καὶ ἀοιδή,
> ῥεῖ', ἐπεὶ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν. id est,
> Illos sollicitant hæc, concentus, citharæq;,
> Et facilè, ut qui aliena fient impunè uorantes.

Erasmus in Adagiis.

Celeberrimi omniũ ob delicias PERSÆ, quorum reges Susis hyemabant, æstatẽ degebant Ecbatanis. Susa ob loci amœnitatẽ uocata fuisse, scriptũ reliquit Aristobulus, ac etiã Chares. est enim Susum, liliũ. Versantur per autumnũ in Persepoli, ac reliquã totius anni partẽ in Babylonia. Parthorũ reges Rhagis uere cõmorantur, hyemant in Babylonia.

SYRI leues sunt, & rebus nouandis magnoperè procliues, ludis præterea celebritatibusq; diditi. Perunguntur oleo precioso, & linuntur unguentis. Maximam diei partem in concœnationibus absumunt, & potu. Proni sunt in cachinnos, & scommata. Operosissimi sunt in hortis. Hinc adagiũ, Multa Syrorum olera. Nec caruerunt mollitiei nota. Hinc Syrissare uerbum, est molliter uiuere. Extat adagium, Syrus quũ non sis, ne Syrissa. Rauisius.

BYZANTII notati sunt à Græcis, ut acolasti & intemperantes, quòd in Venerem & uinum ferrentur præcipites. Plurimùm enim uersabantur in caupona. Idem.

IONVM mollities quondam abiit in prouerbium. Primi unguenti, coronarumq; conuiuiis dandarum, & secundæ mensæ consuetudinem repererunt. Hinc Horatius,

> Motus doceri gaudet Ionicos
> Matura uirgo.--

Theopõpus de THESSALORVM deliciis scribit lib.4. quòd cum saltatricibus uiuunt, ac in orchestris, alij in taxillis ac potu diem absumũt. Sumtuosissimi sunt omniũ PHARSALII, ac pigerrimi. Athen.lib.12.c.10.

CYRENENSES, cùm Platonẽ legum scribendarũ causa accersissent, ipse recusauit, propter cõsuetã, & inde usq; ab initio durantem lasciuiam. Testatur etiam Eupolis in Marica, contemtissimos apud eos & abiectissimos decem minarũ baltheos habuisse, mirabiliq; arte sculptos anulos. Aelian. lib.12. de Varia historia.

Stratonicus musicus, RHODIOS quũ uideret deliciis dissolutos, & calido potu utentes, appellauit albos Cyrenæos: & ciuitatẽ illorũ appellauit Procorũ ciuitatẽ. Athenæus lib.8. An allusit ad sponsos Penelopes, quibus nihil cordi erat pter cõuiuia, citharã, choream, talos, discũ, parasitos, atq; id genus alias uoluptates. Vnde Horatius homines luxui deditos, sponsos Penelopes appellat. Erasmus in Adagiis.

Scribit Polybius Megalopolitanus lib.20. Hist. quòd magnam gloriã adepti BOEOTI post res Leuctricas in cõuiuia conuersi ac ebrietates, bonã partẽ rerum suarum in cõuiuia absumserint, sic ut multi essent, quib. plures essent cœnę, quàm dies in mense. Quã consuetudinem ægrè ferentes Megarenses, ad Achiuos defecerunt. Eubulus in Cyclopibus:

> Thebas adiui postea, noctem ac diem
> Cœnant ubi totam, uidetur stercus &
> In ianuis cunctis, ubi nullum est uiris
> Maius bonum, quàm si cacare quispiam
> Velit, procul discedat. Edens at multa uir
> Frequens uidetur, labra qui momorderit.

Athenæus lib.10. cap.2.

Σαμίων ἄνθη, i. SAMIORVM flores. ubi quis extremã uoluptatẽ decerperet. Hoc aũt nomine dicebatur locus quidam, in quo mulieres cũ uiris cõuiuiũ agitabãt, omniq; genere uoluptatũ affatim explebãt sese. Quibus deliciis effeminati, postea subacti sunt à Persis, & in seruitutẽ acti. Stephanus admonet, Samũ insulam olim ἀνθήμουσαν appellatã fuisse, nimirùm à floribus. Eandem παρθενίαν à uirginibus. Athenæus libro 12. ex Clearcho, demonstrat locum ita uocatum, ob uarias formas puellarum, quæ ueluti flores arridentes ad libidinem inuitabant. Erasmus in Adagiis.

LYDORVM mollitiem Athenæus lib.12.c.4. enarrat.

MILESII nondũ corrupti deliciis, Scythis deuictis, ut auctor est Ephorus, ciuitates in Hellesponto condiderũt, Euxinũq; mare splendidissimis ciuitatibus locupletarunt. Verùm ubi uoluptate corrupti sunt, euanuit ciuitatis robur, inquit Aristoteles: atq; inter eos natum est prouerbium,

> Olim fuêre strenui Milesij. Athen.lib.12.c.7.

SYBARITÆ populi Calabrię, deliciis & uoluptatib. adeò indulserunt, ut luxuriosa omnia dicerẽtur Sybaritica. Hinc Sybariticus luxus, & Sybaritici libelli, id est impudici. Cõuiuia celebraturi, anno priùs per feminas sumtuosissimè uestitas inuitabant. Erant & fastu præturgidi. Hinc adagiũ, Sybaritę per plateas. Artes, quæ sono constant, è ciuitate eiiciebant, ne qua ratione interpellaretur quies. Gallos quoq; in urbe eadẽ de causã nutriri nolebant. Habebant in deliciis exiguę staturæ homunculos, & catellos. Diuites si quando rusticatum ire uellent, curru uehebantur adeò lentè, ut diurnũ iter tribus uix diebus conficerẽt. Primi balneatores arte uti docuere

cuere. Agricolarum aspectu uoceq; offendebantur, ne laboris quid inde contraherent. Lacedæmonios mortis contemtores non uirtutis studio, sed cupiditate tam miseram uitã relinquendi esse prædicabant. Vide Athen. libro 12. capite 6. Μέτρῳ ὕδωρ πίνοντες, ἀμέτρως μᾶζαν ἔδοντες. id est, Ad mensurã bibentes aquam, citra mensurã offam edentes. Zenodotus scribit, hunc uersiculum oraculo proditũ in SYBARITAS, in uulgi sermonem abijsse, qui ob immoderatum luxum à Crotoniatis subuersi sunt. Crotoniatæ, posteaquàm Sybaritas deleuerunt, ut auctor est Timæus, ad delicias se contulerunt, ita ut eorum princeps purpurea ueste indutus, per ciuitatem incederet, aureáque corona coronatus & crepidis albis. Athenæus lib.12.cap.6.

SYRACVSANI opibus florentissimi, uoluptatibus ac deliciis addictissimi fuêre. Vnde & Syracusana mensa transijt in prouerbium. Rauisius.

CAMPANI eò deliciarũ prouecti sunt, ut ad gladiatorũ paria conuiuas inuitarent ad cœnam, numerum eorum pro cœnarum dignitate definientes. Cùm uerò Hannibali sese dedidissent, exercitum eius in hybernis ita corruperũt, ut Hãnibal ipse Viros sese introduxisse, Feminas eduxisse affirmaret. Strabo lib.5. Valerius libro nono, capite primo.

TARENTINI, populari primùm dominatione potentissimi fuêre. Posteriorib. annis illecebrosæ inualuêre deliciæ, propter fortunas nimiùm fœcũdas, adeò ut plures dies per annũ impenderent ludis, festisque celebritatibus, quàm reliquis rebus. Athenæus lib.12. cap.7. & Strabo lib.6.

VOLSINIENSIVM urbs erat opulenta, erat moribus & legibus ornata, Hetruriæ caput habebatur: sed postquam per luxuriam in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, seruorum se insolentissimæ dominationi subiecit. Qui primùm admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, mox uniuersam Rempub. occupauerunt. Testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant conuiuia cœtusque ingenuorum fieri uetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant: postremò lege sanxerunt, ut stupra sua in uiduis pariter atque nuptis impunita essent: ac ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatẽ non antè ex numero ipsorum ali quis delibasset. Val.li.9.c.1. Florus, & Plin.c.36. de Viris illust.

TYRRHENORVM regionem nequitię officinam Athenęus lib.12.c.5. multis uerbis describit.

Ἐκ Μασσαλίας ἥκεις, Massalia uenis. de effeminatis & delicatis prouerbio circumfertur. MASSILIENSES enim ferũt muliebrẽ in morẽ uestire, delibutos unguentis, & colligatis capillis, eaq; mollitie turpiter sese gerere. Suidas. Muliebria ob delicias patiuntur: unde tractum est prouerbiũ, Naugas in Massiliam. Athen.li.12.c.7. Sed sunt, qui hoc de Massylis Africæ populis intelligi debere contendũt, non de Massilia Phocensium colonia, in Gallia Narbonensi.

REGES, PRINCIPES, IMPERATORES.

Ex Tit. Tyrannorũ hæc quædam. Illic Improbitas in genere: hîc Voluptuaria consideratur.

Omnes eos reges, qui post Ninum & Semiramidẽ in Asia regnarunt, deliciarum studiosos fuisse scribit Ctesias libro rerum Persicarum tertio: adeò ut pigeat uel regũ nomina uel quanto quisq; tẽpore regnũ tenuerit referre: principatũ tamẽ in nequitia obtinuisse NINYAM, Nini & Semiramis filiũ, parẽtib. dissimillimũ. Etenim pacẽ cũ omnib. colens, nequaquam parentes imitatus, per omne uitæ tẽpus reclusus in regia, conspectumq; hominum uitans, inter pellices & eunuchos otiũ & delicias secutus traduxit. Existimabat enim, incõmoda omnia uitare, in cõtinuis uersari uoluptatibus, uacuum esse curis, summam in rege felicitatẽ esse. Similiter & cæteri reges ad Sardanapalum usq; per annos M CCC LX. uixêre. Diod.lib.2.c.6.

SARDANAPALVS, Anacyndaraxis uel Anabaxari F. à Nino trigesimus rex, ultimus uerò Assyriorum, præterquã quòd à nullis foris cõspiciebatur, uitam muliebrẽ duxit cũ pellicibus, ueste tũ purpurea indutus, tũ molli lana cõtexta. Stola insuper muliebri faciẽ totũq; corpus in modũ meretricis fuco cõponens, ultra luxũ muliebrẽ lasciuiebat: uocẽ femineã loquẽdo imitatus. Nõ solùm cibũ potũq;, qui uoluptatẽ pberent, continuò appetebat, sed luxuriæ quoq; deditus, nũc uiri, nunc mulieris uice abutebatur, omni posthabita sexus ac pudoris cura. Cũ Abraces (aliis Arbaces) unus è ducib. genere Medus, per Eunuchũ Paramezũ impetrasset, ut Sardanapalũ uideret: ubi more muliebri ornatũ cũ pellicib. purpurã tondere, mento raso ac læui, lacte candidiorẽ, oculisq; pictis cõspexit, teste Duride Samio, eũ interemit. At Ctesias ipsum à Babyloniorũ duce Belese astrologo animatũ bellũ regi intulisse asserit: Sardanapalũ uerò obsessum in urbe Nino pyrã CCCC pedũ in altitudinẽ construxisse, CL aureos thoros imposuisse totidẽq; mensas aureas. Fecerat in pyra domicilium hecatompedũ ex lignis, ubi thoros substrauit: ibiq; ipse cũ sua muliere decubuit, aliæque pellices in aliis thoris. Tres filios ac duas filias ad Ninũ misit regẽ, cũ trib. millib. auri talẽtorũ. Domicilij tectũ ex crassis magnisq; trãbibus cõposuit, ac ligna multa magnaq; in circulũ posuit, ne pateret usquã aditus. Intus auri mille myriades posuit, argenti uerò decẽ millia myriadum talentorũ, tum uestes, purpurã, ac multiplices stolas: deinde pyrã incendi iu[illegible] dies quindecim arsit. Hostes & ciues fumũ cernentes, [illegible]rabantur, eũmq; sacrificia peragere existi[illegible]abant, quæ soli norant eunuchi. Athen. lib. [illegible]12. & Diod lib.2.c.7. Eum Græci παχύχοιρον dicunt, hoc est, tota [illegible]a moll[illegible]uiratumque. Erasmus in prouerbiis, & Cælius lib.9.c.11. Antiq. Lect. Sepulcro eius incisi uersus, teste Plutarcho orat.1. de Alex. fortuna tales:

> κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
> τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Quos Cicero in 5. Tuscul. sic uertit:

> Hæc [illegible]
> Hausi [illegible] iacent multa & præclara relicta.

Addit idẽ Cicero, Quid aliud (inquit Aristot.) in bouis nõ in regis sepulcro inscriberes? hæc habere se mortuũ dicit, quæ ne uiuus quidem diutiùs habebat, quàm fruebatur.

ANNARVS siue Naratus Babyloniæ rex, stola muliebri amictus, mero & unguento madens, centum & quinquaginta psaltriis simul accubãtibus, uelut officina nequitiæ, magnis effusionibus cœnitabat. Alex. ab Alex. lib.3. c. 21. Cælius lib. 9.c.11. A.L. Naratum Babyloniæ satrapam uocat.

BACCHIADVM Corinthiorũ magistratus, cùm ad summũ potentiæ gradum peruenisset, tandem per immoderatã luxuriam dissolutus est. Aelianus lib.1. de Var. hist.

Phylarchus libro Historiarum decimo, ISANTHEM regẽ fuisse scribit Thracum eorum, qui Crobyzi sunt nuncupati, atque omnes suæ tempestatis homines deliciarum studio superasse. Athen. lib.12.c.17.

PHILIPPVM Macedonem intemperantissimum fuisse, & ministros uoluptatum habuisse, & suam aulam scholam quodammodo uoluptatum fecisse, Athen. lib.4.c.20. testatur, ex Theopompi lib.40. Hist.

ALEXANDER Magnus, uicto Dario in Parthiam profectus, felicitate nimia corruptus, barbaram primò stolam induit, dubium, ad conciliandos Barbarorum animos, an ut Macedonas tentaret, possent ne à patrio ritu ad barbarum traduci. Inde deorum fastigium æmulatus, iacere ante pedes patiebatur uenerabundos homines, qui ad suũ conspectũ uenirent, sumto diademate, quali Darius fuerat usus, albo purpuram uariante. Literas ad hæc Asiaticas, Darij obsignabat anulo. Pellicibus CCC & LX, ut ille, regiam repleuit. Seqnebantur & spadonũ greges, & ipsi muliebria pati assueti. Ingemiscebant ueterani milites, ac uehementer indignari, eratq; iam propemodũ unus in totis castris sensus, plùs amissum esse tam clara uictoria, quàm quæsitum: Alexandrũ ex imperatore clariss. Darij satrapem factum uideri. Ipse ad cõciliandos sibi Barbarorum animos, Roxanen, ut quidã tradunt, eleganti forma uirginem sibi matrimonio iunxit. Vbi manè surrexisset, post rem diuinam peractam sedens prandebat: pòst reliquum diei dormitabat, & interdum etiam totum diem, aut uenabatur, & nonnunquam per iocum uulpes: sagittabat etiam aliquando, aut citatos currus ascendebat celeriter & descendebat, ut in prælio. Legebat prçterea, aut ius militibus dicebat, singulorumq; desideria cognoscebat. Cœnabat ad altam noctem, trahebatq; potando longissimos sermones, assentatoribus supra quàm dici potest deditus. Sab.lib.5.En.4.

PTOLEMÆVS Philopator usq; eò effeminatus lustris & uino erat, ut ubi sobrius magis & sedulus erat solito, ludos celebraret, sacrificaret, cum tympano circumcursitaret: dũ interim præcipua regni negotia, amica eius Agathoclia, eiusque mater, leno Oenanthes procurarent. Plut. in Cleomene.

ANTIOCHVS Magnus Asiæ rex dies totos dormire solebat, ob uinolentiam Pugnaturus contra Rhodios, captus amore puellæ Chalcidensis, nuptias etiam ipso belli tempore celebrauit, & totam hyemem cum ea uino indulsit & ueneri. Plutarchus in Flaminio.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni Macedonię regis filius, post multa fortia & egregia facta, ab Antiocho captus, & Cherronensi custodiæ traditus, regio sumtu, molliq; uictu, uenationibus omnibusq; uoluptatibus usus, minimùm de salute anxius, in morbum per incontinentiam incidit, atque ex eo perijt. Plutarchus.

COTYS omniũ regum, qui unquã regnarunt in Thracia, uoluptatibus maximè deditus, regionem circumiens, ubi locos arboribus densis, ac irriguos fontibus comperisset, ibi conuiuabatur, & dijs sacrificabat. Athenæus lib.12. cap.14.

Theopompus libro Historiarum Philippicarũ 15. STRATONEM scribit Sidoniũ regẽ Nicoclis æmulatione omnes homines uoluptatibus superasse. Nam qualia fingit Homerus

Phæaces in festis ac potu fecisse, cũ citharœdos audirent, ac poemata canentes, talia faciebat Straton. Phæaces cũ familiarib. mulieribus filijsq; potare consueuerant. Straton uerò cũ tibicinis, saltatricibus ac citharistis: multaq; scorta ex Peloponneso accersebat, & cantatrices ex [redacted] um alias [redacted], alias canentibus, præmium certaminis proponebat, quibuscũ etiam coire sæpiùs delectabatur. Athenæus libro 12. capite 13.

M. ANTONIVS Triumuir, bonis & sanis, ut Cicero ait, non placebat, sed erat ijs inuisus [redacted] antibus intẽpestiuas eius [redacted], & odiosos sumtus, uolutationesque in lustris, somnos diurnos, ambulationes nauseãs, & uino mersi, cõmessationes nocturnas, ludos & cõmotiones in mimorum & scurrarum nuptijs. Ac fertur, cùm ad Hippiæ mimæ nuptias inuitatus totam nocte perpotasset, manè iũ à populo accitus, in forũ esset adhuc cibo plenus progressus, uomuisse, excipiẽte amico quod [redacted] erat Sergius mimus [redacted] qui plu [redacted] poterant, & Cytheris eadem palæstra, quam mulierculam adamabat. Hanc urbes peragrans circũducebat lectica. Lecticam eius non minor comitatus quàm matris ipsius sequebatur. Mordebant etiam homines poculorum aureorum in peregrinationibus eius, tanquam in triumphali pompa translatorum spectacula, erectiones in itinere tentoriorũ, prandiorum apud lucos & flumina exquisitorum apparatus, leonibus iuncti currus, pudicorum uirorum & matronarum domicilia scortis & sambucistrijs ad diuertẽdum attributa. Intolerandum enim uidebatur, Cæsarem bello ciuili extra Italiam pernoctare sub dio, dum magni illius belli magnis sudoribus & periculis reliquias persequitur: alios uerò per illius auctoritatem luxu diffluere ciuibus insultantes.

Est Caprearum insula in ora Campaniæ contra Neapolim, rupibus immensę altitudinis ac profundo mari septa, uno cóque perangusto adeũda tramite. Hanc TIBERIVS Imp. abiecta Reipub. cura, secreti adeptus licẽtiam, & à ciuitatis oculis procul remotus, uitia diu dissimulata, cum imperij suggillatione & hominum pernicie uno uelut impetu profudit, portentosis libidinibus, & ob id recitatu pudendis, intempestiuisque potationibus deditus, ut biduum interdum & noctem unam potando nescendoq; cum paucis absumeret. Proinde non domesticis tantùm flagrauit odijs, sed multæ quidem & præferoces gentes, quæ Augusti maiestatem ueritæ diu quieuerant, fœdissimum uitæ institutum in Tiberio aspernatæ ad res nouas cõsurrexẽre: atque ita accidit, ut Armenia sit à Parthis occupata, Sarmatæque & Daci Mesiã Pop. Rom. prouinciã impunè sint populati, Germani Gallias. Sab. lib. I. En. 7. ex Suetonio.

C. CALIGVLA, lasciuiá uenereque perditus, in odoribus lauabatur, citreo ligno naues ędificabat, ornatis auro gẽmisque earum puppibus. In eis odoratas arbores atque herbas plantabat & uiridaria porticibus atque triclinijs auratis circumsepta construebat: ijs nauibus circum Campaniæ litora, inter sonos cantusque ac scorta nauigabat. In conuiuijs aureo pane, aureisque piscibus in uerorum similitudinem expressis mẽsas instruebat. Pulmenta, quib. excitari stomachus solet, detritis maceratisque margaritis conficiebat, tãquam alia nulla Romani consumendi imperij ratio offerretur. Denique ne intactũ aliquid in uenere relinqueret, sororibus suis se commiscuit. Suetonius.

NERO monstrum naturæ, uoluptatis mancipium. Vide Suetonium & Dionem.

L. VERVS Antoninus ad aleam, scorta, popinasque se conuertit, adeò ut à Marco in Syria ad bellum Parthicum ne uitia eius palàm essent, missus fuerit, ubi maiore longè est debacchatus luxuria. Redijt ex bello comitatus sordidorum hominũ turba, in qua & Agrippus histrio fuit, quem Apolaustũ quasi uoluptuariũ cognominabant. Vol. lib. 23. Anthrop.

COMMODVS Imp. inter trecentas concubinas totidemque pueros medius, nullo ueneris genere abstinebat. Concubinas ut se præsente coirent, cogebat: ac demùm ipse sorores suas incestauit. Veste ac gestu muliebri usus, aureo puluere capillos, ut igne quodam rutilare uiderentur, aspergebat: & cùm nimia crapula nimioque coitu gustũ omnem amisisset, ad id furoris deuenit, ut humanum stercus cibis immisceret: eosq; irrideret, qui eam mixturam abhorrerent. Irrisorũ duos nudos, sinapi totum perfusos corpus, in mensa in patinis ferri iussit, quos statim muneribus locupletauit. Fulgosus lib. 9. c. 1. ex Herodiano & Lampridio.

Omnes omnium delicias, omne libidinis atq; scelerum genus superauit HELIOGABALVS: Semper, inquit Lampridius, sanè aut inter flores sedit, aut inter odores preciosos. Amabat sibi precia maiora dici carum rerum, quę mensę parabãtur, orexin in conuiuio hanc esse asserens. Sexcentorum struthionum capita una cœna multis exhibuit ad edẽda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuiuium, ut haberet uiginti & duo fercula ingentium epularum, sed per singula lauarentur, & mulieribus uterentur, & ipse & amici, cum iureiurando, quòd efficerent uoluptatem. Celebrauit item tale conuiuium, ut apud amicos singulos singuli missus apparentur: & cùm alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter in Cælio, alter trans Tyberim, & ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederẽtur, ireturq; ad omnium domos. Sic unum conuiuium uix toto die finitũ est, cùm & lauarent per singula fercula, & mulieribus uterentur. Sybariticum missum semper habuit ex oleo & garo, quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierũt. Pauonum ac luscinarũ linguis, camelorũ calcaneis, linguis phœnicopterũ, phasianorũ atq; psittacorũ epulas instruebat: quod de auib. supererat, canib. dabat. Mari propinquus, piscibus non uescebatur: eosdẽ mari longinquo appetebat. Ne Neroni cessisse uideretur, tanquam in mulierem cõuersus, uiro nupsit, & cùm se in Veneris forma ostendisset, repẽtè dilapsa ab humero usque in terram tota ueste, altera manu pectus, altera pudenda texit. In urbe Roma lupanar in palatio condidit, scorta magnis muneribus affecit, in curru aureo nudum se à quatuor nudis feminis trahi fecit. Ne autem homines huius uitæ eum unquam pœnituisse arbitrarẽtur, dixit, Hæredes suos obligare se uelle, ut eandem, quam ipse tunc agebat, uitam uiuerent.

ROMANVS Iunior, Romani senioris ex filia nepos, qui cum Constantino patre imperium rexerat, uino & otio deditus, semper uoluptuarios homines infamesque circa se habuit. Volateranus lib. 23. Anthrop.

ALEXANDER Basilij Macedonis Imp. Constantinopolitani filius, in Imperatorem defuncto fratre Leone electus, uiginti annorum iuuenis, singulari desidia, rebus cæteris omissis, tantùm uenationi, equis, canibus, supellectiliq; lautæ ac luxui uacabat. Idem.

INGELLVS, Frothonis IV. Danorum regis optimi F. ignauissimus, fartores, lixas, frixoria, gulę multiplices officinas, uariosq; torrendæ aut condiendæ dapis artifices legere, claritatis loco ducebat. Arma uerò, militiam, bella, nec ipse quidem usu discere, nec alios exercitio celebrare sustinuit. Ita abiecto uirili studio, femineum æmulatus est, quem in omnem culinę nidorem irrestrictus palati pruritus accenderat. Semper crapulam proflans, cunctisq; sobrietatis partibus exutus, indigestam uentris saniem fœtido oris anhelitu eructabat. Cuius intẽperantiæ fastidio Starcatherus ad Suecorum regem Haldanum transiit. Saxo lib. 6.

Kennetho Scotorum regi bellicosiss. qui Pictorum regnum sustulit, suffectus est DONALDVS, diuerso multum à fratre ingenio. Vix duos annos tenuerat magistratum, quum portentosa eius luxuries, in pellicum frequentia, obsoniorumque apparatu, in alẽdis equis ad uoluptatẽ, non belli usum, canibusq; uenatus causa & aucupij alitibus, & ad corũ custodiam fœdissimis mancipiis, neglectis munitionum pręsidiis, ueluti incommodi nihil ab hoste foret extimescendum: totamq; penè gentem in effrenatam intemperantiã, abrogata priscorum patrum modestia, pertraxit. Bello petitus ab Anglis & Britannis, exulum Pictorũ instinctu, acie uictor, à uictis nocturno tumultu uino somnoq; sepultus, atque captus, exercitus maxima parte amissa, turpiss. pacẽ admittere coactus, magna agri parte multatus, domũ remissus, cũ ad uomitũ rediret, à procerib. captus, in carcere sibiipsi manus intulit. H. Boëthius lib. 10.

FERGVSIVS III. Scotorum rex, Eugenium IIX. cui successerat, flagitiis uincere uidebatur: neglecta reipublicæ administratione in maximum euasit helluonem, pellicum gregẽ domi habuit, quibus iustam coniugem uel sordidissimo ministerio seruire coëgit. Id mulier ægerrimè ferens, noctu suis ipsa manibus eum strangulauit. Hector Boëthius libro nono.

VLADISLAVS Locticus ob ignauiam & uoluptates regno à Polonis deiectus est, eique Venceslaus Boemorũ rex suffectus. Cromerus lib. 11.

IOANNES Albertus Polonorum rex ignauus, post cladem à Valachis acceptam Cracouiã reuersus, quasi rem benè gessisset, conuiuijs & compotationibus, amoribusq; mulierum & choreis impensiùs indulsit. Cùm noctu in urbe uno aut altero ministro comitatus, absque lucerna obambularet, exorto temerè iurgio uulnus accepit graue. Cromerus libro trigesimo.

Primislao duci Boemorum ex Libussa tres filij nati, duo immaturo rapti funere, tertius morienti seni hæres dictus, NIMISLAVS nomine, quod Nihil excogitans interpretatur. Fuit enim stupidi ingenij, & prorsus iners: inter scorta & concubinas otio marcescens. Mollitiẽ eius fortuna fouit, quæ pacẽ illi perpetuam dedit, nullo uicinorũ arma mouente, nec seditionibus studente populo, quem diutina uirginũ bella prorsus extenuauerant. Aeneas Syl. in hist. Boem.

IOANNES, Boemorum rex, ad leuitates amatorias, & ad mores externos traductus, intemperantiùs interdum cum peri-

periculo salutis uiuebat. Nocte quadam cũ uno clientulo ad amicam profectus, à custode uigilum propè interfectus fuit, nisi se prodidisset. Maiorẽ noctis partem in comessationibus exigebat, alternoq; iuuenum puellarumq; accubitu discumbebat, alterna etiã poculorum inuitatione, ad alterius sitim perpotabat, & ante potũ alternatim quoq; nouas uerborum facetias adhibebat. Inerat & peregrinus habitus in nutriendis comis, in calciandis pedibus, rostratis calceis, in uestiendo corpore palliolis, uix dimidias nates tegẽtibus. Crebra dein hastiludiorum spectacula, in quæ magni sumtus rapinis insolitis comparati insumebantur: quoniã crebrò magnos hospites rex ad illa spectanda inuitabat, ipse quoq; spectari cupiens, donec cum equo & hasta in terram prolapsus, luxatum longo tempore humerum gestaret. Dubrauius lib. 20.

VENCESLAVS Imp. Boëmiæ rex, se totum compotationibus, lusibus & nequitiæ dederat. Cùm de arcis cuiusdam suæ conflagratione nuncium accepisset? interrogasse dicitur, An cella uinaria incendio superesset. Proinde ita contemtibilis fuit, ut primùm à Pragensibus ciuibus caperetur, & aliquot mensibus asseruaretur: inde uerò cùm euasisset, iterum à proceribus quibusdam, Sigismundo fratre rege Vngarię conscio, captus, Viennam custodiendus deduceretur. Tandem à principibus Electoribus imperio deiectus est. Cromerus lib. 16.

MATHÆVS II. Vicecomes, ignobili otio delectabatur. Ei curæ erant accipitres, atq; ea omnis uenatio, quę uel feminas admittens prorsus sine sudore exerceretur. Diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant, quibus adeò intẽperanter corpus atq; animum effeminauit, ut inter duas sæpe concubinas eneruatis uiribus cubitans, instillaret (ut Corius in historiis auctor est) muliebribus locis unguenta peregrina, quibus intermortuæ ueneris segnitiem prodigiosa titillatione suscitaret. Iouius in eius uita.

DVCES.

ALCIBIADEM Atheniensem, qui supra omnes in repub. fuit industrius & dux inuictus, uitæ dissolutio & ferocitas euertit, neq; fructum capere ciuitati ex reliquis eius uirtutibus permisit luxus & lasciuia. Plut. in præceptis Polit.

L. LVCVLLVS, uicto Mithridate, Romam reuersus triumphauit. Cùm uerò senatus hũc uirum habere arbitraretur se aduersus Pompeij dominationem præsidium & propugnaculum optimatium, ingenti gloria atq; auctoritate subnixum: deseruit abdicauitq; rempub. uel quòd ægram iam difficilè retineri cerneret à lapsu posse: uel, ut nonnulli uolunt, qui cùm plenus esset honorum, ad placidissimam & mollissimã uitam, ex multis certaminibus & sudoribus, quæ non felicissimum habuerant exitum, delaberetur. Itaq; perinde ac spongia, tranquillitate in tabem resolutus, & [illegible], id est, mortificatus, Callistheni ex libertis uni omnium cura delegata, opinionem præbuit, uelut ab eo potionatus foret, ac magicis circumuentus excantationibus. Plutarchus & Cælius lib. 11. c. 1.

M. ANTONIVS Triumuir debacchabatur per omnia uoluptatum genera, intempestiuis conuiuiis, nocturnisque potationibus deditus. Satis constat, coquum, quia lautissime cœnam instruxisset, ab eo amplissimis ædibus donatum. Postremò in Cleopatræ amorem incidit, ac tum demùm quicquid in eo uirtutis fuit, aut ingenui uigoris, muliebres illecebræ extinxerunt. Plutarchus in Antonio.

PLAVTIANVS militum præfectus, qui Seuerum Romanorum Imp. longè superabat crudelitate & insolentia, uomebat in conuiuiis, quòd nihil posset propter cibi uiniq; maximam copiam concoquere: puerisq; & puellis non sine magno probro utebatur. Xiphilinus in Seuero.

In acie Pharsalica Cæsar, captis Pompeij castris, amentiam & leuitatem POMPEIANORVM contemplatus est. Siquidẽ tabernacula erant myrto omnia redimita, & stragulis pictis exornata: instructæ poculis mensæ, & crateres uini expositi, paratusque & cultus sacrificantium, & festos dies agentium potius quàm ad prælium se armantium. Ita spe occæcati, inanisque pleni fiduciæ ad pugnam processerant. Plut. in Pompeio.

MILITES.

Homines nequam & uoluptatibus addictos Horatius in Epistolis Vlyssis remigiũ appellauit, prouerbiali nimirũ figura,

–Remigium uitiosum Ithacensis Vlyssi.

SOCII enim Vlyssis, nec à Circes poculis rẽperarunt, nec à Lotophagis auelli potuerunt, nec à Solis bubus abstinuerunt. Vnde Homerus Odyssee primo,

αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο νήπιοι.

Ipsorum siquidem uęcordia perdidit illos Amentes. Erasmus in Adagiis.

Babylone fuit Alexander quatuor & triginta dies, adeoq; breui illa temporis intercapedine captus est Persicis illecebris exercitus GRÆCORVM, ut hauddubiè lõge debilior futu-

ru [redacted]

αἰεί μοι φίλον ἦτορ ἀ [redacted]
αὐλῶν φθεγγομένων ἱμερόεσσαν ὄπα·
χαίρω δ' εὖ πίνων, καὶ ὑπ' αὐλητῆρος ἀκούων,
χαίρω δ' εὔφθογγον χερσὶ λύρην ὀχέων.

Semper mihi charum cor exultat, quando audio tibias sonantes desiderabilem sonum. Lætor uerò bene bibens, & tibicinem audiens; lætor item dulcisonam manibus lyram tenens. Item:

ἐν δ' ἥβῃ πάρα μὲν ξὺν ὁμήλικι κάλλιον εὕδειν,
ἱμερτῶν ἔργων ἐξ ἔρον ἱέμενον·
ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος ἀείδειν·
τούτων οὐδέν τοι ἄλλ' ἐπιτερπνότερον
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί. τί μοι πλοῦτός τε καὶ αἰδώς;
τερπωλὴ νικᾷ πάντα σὺν εὐφροσύνῃ.

In adolescentia uerò iuxta coæqualem melius est dormire, desiderabilium operum amorem satiantem: estque comessantem cum tibicine canere: his nihil sanè aliud adest delectabilius uiris siue feminis. Quorsum mihi opulentia & pudor? Oblectatio uincit omnia cum lætitia. Item:

τέρπεό μοι φίλε θυμέ· τάχ' αὖ τινες ἄλλοι ἔσονται
ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.

Oblectare mihi chare anime: mox aliqui alij erũt uiri, ego uerò mortuus terra nigra ero. Pariter:

οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πρῶτ' ἐπὶ γαῖα καλύψῃ,
εἴς τ' ἔρεβος καταβῇ, δώματα Περσεφόνης,
τέρπεται, οὔτε λύρης, οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων,
οὔτε Διωνύσου δῶρ' ἐπαειρόμενος.
ταῦτ' ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ
γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.

Nullus est hominum, qui postquam terra illum texerit, inq; erebum descenderit, domumque Proserpinæ, oblectetur, neq; lyram, neq; tibiam audiens, neq; Bacchi dona tollens. Hæc uidẽs, cordi meo persuadebo, ut leuia genua, & caput intremulum proferam.

Q. RHEMMIVS Palæmon Vicetinus grammaticus, sub Tiberio & Claudio principibus, luxuriæ ita indulsit, ut sæpiùs in die lauaretur, nec sufficeret sumtibus, quanquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minùs ex re familiari, cuius studiosissimus erat: cùm & officinas inde carnium & uestium exerceret, & agros adeò coleret, ut uitem manu eius insitam satis constet ei XXXV uasa edidisset. Maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris. Suetonius.

HÆRETICI.

CERINTHVS hæreticus post mille annos futuram anastasim, & regnum Christi in terris dicebat: unde Chiliastes uocatus est. Is autem quia libidinum & cupiditatum impatiens erat, uoluptates ipsas in promissionibus futuri regni sanctis proponebat, abundãtiam ciborum & mulierum copiam. Eusebius lib. 3. Idem sentiebat & NEPOS in partibus Aegypti episcopus. In deliciis enim corporis & uoluptatib. omnibus regnaturos in terra sanctos cum Christo dicebat. Hinc Nepotiani, tam turpis sectæ imitatores uocati sunt. Platina in Sixto II.

PONTIFICES.

[redacted]

libera-

[redacted]

MONACHI.

D. Bernardus Claræuallis abbas sanctiss. in apologia sua ad Gulielmũ abbatẽ MONACHORVM Cluniacensiũ in uictu, uestitu, ædificiis, comitatu luxũ, multũ à sanctorum patrum, Antonij, Macarij, Basilij instituto diuersum, graphicè persequitur, non detrahendi, sed attrahendi studio.

QVIVIS ALII.

DIVES epulo apud Lucam cap.16. non tantũ induebatur purpura & bysso, sed quotidie etiam epulabatur splendidè.

Ἀγαθώνιος αὔλησις, id est, Agathonia cantio. Rectè dicetur de oratione blanda magis, quã frugifera. AGATHON tibicen quispiam erat, cantilenarum suauitate maiorem in modum aures deliniens. Nec huius mores dissimiles musicæ fuisse perhibentur: laborauit enim infamia mollitiei. Auctor & Suidas & Zenodotus. Erasmus in Adagiis.

Athenæus BACCHIDAM Sardanapalo fuisse consimilem dicit: cuius tumulo ita inscriptum refert,

πῖνε, φάγε, καὶ πάντα τῇ ψυχῇ δίδου.
κἀγὼ γὰρ ἕστηκ' ἀντὶ Βακχίδα λίθος.

Cælius lib.15. cap.8. Antiq. Lect.

Ἀβρώνος βίος, id est, Abronis uita, de molliter ac deliciosè uiuẽtibus. Sumtum à moribus ABRONIS cuiuspiam notæ luxuriæ. Græci quicquid delicatum ac molle, ἁβρὸν & παναβρὸν appellant: unde ἁβροδίαιτος, lauti uictus & opipare uictitãs. Refertur à Zenodoto. Erasmus.

ANTHEAS Lindius, qui se Cleobuli sapientis cognatum dicebat, tota uita Dionysium egit, Dionysiacamq; uestẽ indutus incedebat, multosq; nutriebat socios, semperq; per diẽ ac noctem comum educebat, primusq; poësim inuenit, quę fit per composita nomina, qua postea usus est Asopodorus Phliasius prosaicè. Faciebat comœdias, aliaque complura poëmata, quæ canere auspicabatur his, qui phallum secum ferebant. Athen. lib.10. c.15.

PHARAX Lacedæmonius, uoluptatibus ita intẽperanter delectabatur, ut Siculus existimaretur multò magis, quã Spartanus. Athen. lib.12. c.16. ex Theopompo.

PHILOCRATEM Demosthenes auro ait proditorio scorta & pisces mercari. opsoniorum uoracitatem & libidinẽ homini exprobrans. Plut. lib.4. Quæst. conuiual.4.

DEMETRIVS Phalereus, cùm mille & ducenta talenta quotannis haberet, uelut Duris testatur libro Historiarum sexto decimo, ex his perpauca in milites, ciuitatisq; administrationem, reliqua in conuiuia dissipabat. Macedones sumtuum conuiualium magnificẽtia superabat: elegantia Cyprios ac Phœnices. Vnguentorum guttæ in terram decidebant, flori da pauimenta ab artificibus uariegata conspiciebãtur. Aderant & taciti ad mulieres congressus, & nocturni adolescentum amores. Capillos capitis fuluos faciebat, pæderoteque faciem ungebat, ut aspectu iucundus obuiis ac suauis esse uideretur. Athen. lib.12. c.20.

DEMETRIVS eius F. patri simillimus, ut auctor est Hegesander, cùm Aristagoram Corinthiam amicam haberet, sumtuoseq; uiueret, atq; Areopagitæ ipsum ad frugalitatẽ hortarentur, At nunc liberiùs uiuo, dixit: nam & amicam habeo pulcerrimam, neminem offendo, uinum Chium bibo, & aliorum quantum mihi sufficit comparo, cùm priuati mei reditus in has impensas sufficiant. Non uiuo autem sicut uestrûm nonnulli donis corruptus, & stupris delectatus. atque res huiusmodi perpetrantium quorundam nomina connumerauit. Quæ cùm Antigonus rex audiuisset, legislatorẽ eũ constituit. Athen. lib.4. c.20.

Cùm profusorũ NEPOTVM domos accedimus, tibicinã audimus de manè, & cœnum, ut quispiam ait, uini, coronarũ fragmenta, & nauseabundos ad fores cernimus ministros. Amarulenti produntur & morosi seruorum facie, notis, & compedibus,

Semper canens Cocytus solus in domo,
Iræ patentis incidit uiri:

dum castigantur intus dispensatores, ancillæ torquentur: ut dolorum iræ in libidinibus & uoluptatibus misericordiam capiant spectantes. Plut. de Non irasc.

Augustus ad MECOENATEM scribens, eiusdem mollitiẽ & delicias multis expressit locis: sed hoc maximè, Vale Mecœnas mel gentium, ebur Ethruriæ, laser Aretinum, Tyberinũ margaritum, Cilneorum smaragde, iaspi figulorum, berille & carbunculum Porsenæ. Annæus quoque Seneca Mecœnatem uocat discinctum, mollissimasq; eius delicias & portentosam orationem. Idem: Magnum, inquit, Romanæ eloquentiæ daturus exemplum, nisi illum eneruasset felicitas. Macrobius lib.2. & Crinitus lib.24.

Q. Hortensij oratoris clarissimi NEPOS, in tantum dedecus prolapsus est, ut popinas & lupanaria circumiens, domesticum propè splendorem extinxerit.

L. TORIVM Balbum Cicero libro secundo de Finibus ait ita uixisse, ut nulla tam exquisita posset inueniri uoluptas, qua non abundaret.

INTEMPERANTIÆ MAGISTRI. DOCTORES VOLVPTATIS.

POPVLI.

Colophonij bellica fortitudine equitum inprimis clari (unde prouerbium, Colophonem imponere) inita cum LYDIS societate, ita sunt eneruati, ut mollitie cũ quibusuis certare possent. Eorum nonnulli neq; orientem neque occidentem solem unquam conspexerunt: legemq; tulerunt, ut cantatriculæ ac tibicines à matutino tempore in meridiem mercedem caperent, ad lucernarum tempus cessarent, quod tempus & conuiuiis & somno dabant. Athen. lib.12. c.10. & Aelianus lib.1. Var. hist.

ASIA, quam dicunt minorem, unicum semper fuit feminariũ uitiorum, repertis cuiusuis generis ad corrumpendam uitã mortalium illecebris deliciarum. Quapropter Lacedæmonij, luxuriæ contemtores & laboris patientes, diu suorum ciuium oculos, uti Valerius Max. ait, à contemplanda Asia retraxerunt, ne inuitamento eius capti, ad delicatius uitæ ge- [redacted]

tusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei & Albana castra esse ceperunt. Val. lib.9. c.1.

REGES, PRINCIPES.

SARDANAPALI regis Apollodorus, ut citat Aristophanis interpres, tradit sepulcro iuxta Anchialum Ciliciæ, ac statuę, manus in speciem plaudẽtium coaptantis (siue ut Plut. or. 2. de Alex. fort. uelut tripudiantis, digitis supra caput uelut cõcrepitantis) epitaphium huiusmodi literis Assyriis insculptum fuisse: ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τὰ ἄλλα οὐδενὸς ἐστιν ἄξια: id est, Ede, bibe, utere uenere, nam cetera sunt nihil. Suidas hac forma refert ex Callisthene: σὺ δέ, ὦ ξένε, ἔσθιε καὶ πῖνε καὶ παῖζε, ὡς τάγε ἄλλα ἀνθρώπεια οὐκ ὄντα τούτου ἄξια: id est, Tu uerò hospes, ede, bibe, lude, tanquã cæteras res humanas huius non faciens. Hæc uerò pronunciare uidebatur ipse, uelut sonitũ innuens, quem crepantes manus ederent.

Theophrastus in lib. de Regno, ad Cassandrũ, Persarũ REGES scribit magnam argenti copiam per præconem proponere solitos iis, qui nouam aliquam uoluptatem inuenissent. Athen. lib.4. c.4. & 6. & Plut. lib.1. con. quæst. Idipsum de XERXE scribit Val. Max. lib.9. c.1.

TIBERIVS Imp. nouum officium instituit à uoluptatibus, præposito equite Rom. & censorio Prisco. Suetonius.

INGELLVS, Danorũ rex, Suertingi Saxonis, à quo Frotho pater interfectꝰ fuerat, filiis familiarissimè usus, postquã se Teutonię moribus permisit, effeminatæ eius lasciuię succũbere non erubuit. Ex cuius sentina in Danię fauces haud parũ luxuriæ nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mensæ, lautiores culinæ, sordida coquorum ministeria, uariæq; farciminum sordes manauere. Inde licentioris cultus usurpatio

patio à ritu patrio peregrinata est. Itaq; regio Danorũ, quæ continentiam in se tanquam naturalem aluit, luxum à finitimis didicit. Saxo lib.6.

CVLENVS Scotorũ rex, nobili iuuẽtuti ita laxabat habenas, ut licentia maiore, quàm unquã antea, uiuerent. Neq; sceleftos etiã oblatos iusta pœna multauit: neq; delinquẽtes mãdauit exquiri: imò ne perquirentes quidẽ laudauit. Nobiliũ in populares negotiatores & sacerdotes iniurias nemo uindicabat. Horum per primores regni admonitus, respondit, Satis se scire, adolescentes haud nasci senes: instabilẽ illis ætatẽ esse, sed accedẽre stabiliendã tẽpore. H. Boëthius lib.11.

POETAE, PHILOSOPHI.

THEOGNIS Megarẽsis, Gnomologus, sanctiss. sententiis ad uitã rectè instituendã pertinẽtib. intermiscet quædam, leno ne potiùs quàm philosopho digna: qualia sunt & ista:

ἐμοὶ δ' ἀνθρώποις ὑποθήσομαι, ὄφρα τις ἥβης
ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων, καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ,
τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν. οὐ γὰρ ἀνηβᾶν
δὶς πέλεται πρὸς θεῶν, οὐδὲ λύσις θανάτου
θνητοῖς ἀνθρώποισι· κακὸν δ' ἐπὶ γῆρας ἐλέγχει
οὐλόμενον, κεφαλῆς δ' ἅπτεται ἀκροτάτης.

Cõmune autẽ hominib. præceptũ dabo, ut in pubertatis pulcro flore, mẽte sana præditus, suis opibus rectè fruatur. Nõ enim repubescere bis dant dij, neq; fuga mortis mortalib. hominibus: grauis autem senectus inuadit perniciosa, caputq; apprehẽdit summum. Item:

ἡμεῖς δ' ἐν θαλίῃσι φίλον καταθώμεθα θυμόν,
ὄφρ' ἔτι τερπωλῆς ἔργ' ἐρατεινὰ φέρῃ.
αἶψα γὰρ, ὥστε νόημα, παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη·
οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη.

Nos in conuiuia catũ declinemus animũ, quantisper oblectationis opera amabilia ferũt. Statim enim tãquã cogitatio, prçterit splẽdida pubertas: nẽq; equarum impetus est uelocior.

ANACREON Teius, si ullus alius inter Græcos lyricos, insignis nequitiæ artifex, mellitis carminibus impuriss. amores & ebrietatẽ instillans. Et cũ tamẽ magno conatu refodiunt ij, etiã, qui certò sciunt de omni uerbo otioso rationẽ supremo iudicij reddendam esse.

EPICVRVS, filius Neoclis, Atheniensis philosophus, uoluptatem summum bonum statuit: de quo multa Laërtius & Cicero de Finibus, & Strabo lib 54. Exclamat ille in suis scriptis, Nullum ego bonum reperio, palati pudendiq; uoluptate sublata. Athen. lib.7. cap.2. Idem imitatus MIMNERMVS apud Horatiũ, cui sine amore iocisq, Nil est iucundũ,

ARISTIPPVM Cyrenæum Socraticum philosophum, uoluptatis patronum, intemperantissimum fuisse Athen. ostendit lib.12. cap.22. Antisthenẽ frugalitatis nomine irridebat. Ad Dionysiũ Siciliæ tyrannum profectus, potando ueni: induitusque purpura saltationẽ est auspicatus. Plato uerò stola illa repudiata, cùm Euripidis uersus recitasset,

Non possum femineam inducere uestem
Vir natus, & è uirili stirpe:

Aristippus ex eodem poëta subiecit,

— At enim in Bacchica insania
Animus sobrius non corrumpetur. Suidas.

Primus ante Epicurũ uoluptatis introductor extitit SOPHOCLES poëta, qui ita scripserat in Antigone:

—Voluptates enim Vbi uiri spernunt; puto nõ uiuere;
Sed esse animatum corpus, atque mortuum.

Athen. lib.12. cap.25. Dipnosophistarum.

MVSICI.

BATTALVS tibicen, lasciua & uinolẽta carmine complexus est: fecitq; adagio locũ, Battali similis. Cælius ait hunc primum omnium calceis femineis in scena usum fuisse, artemque tibiarum omninò remolliuisse. A quo fluxos, exoletos, & parum uiros Battalos uocant.

HAERETICI.

MAHVMETVS impurissimus docuit uoluptates corporis futuræ felicitati minimè officere, legem suam seruantibus promittens deliciarum hortum paradisum, in quo optatissimis fruituri essent delicijs, & omnis generis uoluptatibus: Puellis uestes ornatas, & angelorum amplexus, cæteris, quas quisque expetere posset carnis uoluptates. Qua uersutia bel luinum suapte natura populum, quò uoluit, traduxit cùm omne genus libidinis ac uoluptatis promitteret. Cuspin.

MVLIERES.

Quemadmodum in picturis Herculi uidemus subtrahi ab Omphale clauam, leoninamq; detrahi: ita frequenter exarmatum M. ANTONIVM Triumuirũ induxit CLEOPATRA, ut amissis è manibus magnis rebus, atq; expeditionibus cõtra Parthos necessarijs, oscitaret, luderetq; secum circa Canopi & Taphosiridis litora. Tandem ut Paris, cùm profugisset ex prælio Actiaco, in illius se sinum abdidit: imò uictus confugit in thalamũ Paris: Antonius Cleopatrã consectãs fugit, & proiecit uictoriam, & in tabernaculum marinum, quod nominabat Timonium ab odio hominum, sese contulit. Nec multò pòst tamen acceptus à Cleopatra in regiam, conuertit ciuitatem ad comessationes poculaq; & se ad donatiua. Cleopatræ & Cæsaris filium inter ephebos asscripsit, togam puram & uirilem Antyllo dedit suo ex Fuluia filio: quamobrem agitauerunt conuiuia per multos dies comessationesque & festum Alexandrini. Illi conuentũ istum inimitabilis uitæ (quo priùs utebantur rebus secundis) dissoluerunt, atq; alium instituerunt, nihilo delicijs, luxu, splendore illo inferiorem, quem Commorientium dixère. Nam amici eorum, qui uolebant commori, nomina dabant, transigebantq; tempus per uoluptates in cœnarum orbibus. Plutarchus in Antonio, & Sab. lib.8. En.6.

TEMPERANTIAE ODIVM.

Hermodorum philosophum Ephesium, quia frugalis & modestus erat, è ciuitate expulerunt MILESII, qui, teste Pomponio, auctor fuit duodecim tabularum ferendarũ decemuiris Rom. Plinius tamen asserit, fuisse decemuiralũ legum interpretem, cui propter id statua publicè dicata fuit. Strabo libro 14. Milesios omnes suspendio dignos esse censet, qui Hermodorum eiecerint, proclamantes: Nemo sit apud nos frugi, alioquin eijciatur.

INTEMPERANTIAE FRVCTVS, SIVE

DIGNVS.

TANTALVS uoluptatum auidus, cùm in deorũ consortium admissus impetrasset optionem petendi quicquid uellet, à Ioue postulauit, ut ad eum modum iugiter uiueret inter epulas, nihil hac re ducens felicius. At indignatus Iupiter promissum præstitit, hominisq; optatis satisfecit. Cæterùm ne frui posset appositis saxum ingens iamiam casuro simile supra uerticem suspendit, cuius metu non audebat quicquam attingere. Athen. lib.6. & Pindarus. Vergilius Aeneidos 6. hoc ad Lapithas, IXIONEM ac Pirithoum refert:

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;,
Quos super atra silex, iamiam lapsura, cadenti
Imminet assimilis? Lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore.

Vsurpat & Pindarus in Isthmijs hymno septimo: ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός. Erasmus in prouerb. Tantali Lapis.

TITHONVM, ab aurora dormientem ad solis occasum usq;, uix uesperi cupiditas cibi excitabat. Vnde cum Aurora dormire dictus est: & quia uoluptatibus in senectutę frui non poterat, in cicadam mutatus fingitur, garriens delicias, quarum fructu destitutus erat. Athen. lib.12. cap.27.

NARCISSVM traditum fabulis est, in aquis imaginem conspicatum propriam, eius irretitum amore mox amplexandi studio desiliuisse, atque eo modo absumtũ. At id esse falsum, perspicuè liquet. Illud uerò certius & grauius, adolescẽtem in terreni corporis fluxu umbrã inspectasse propriam, id est, corpoream uitam, quæ animæ ueræ idolum est postremum. Eam quum is perinde ac ueram primamque amplexari arctiùs festinasset, quod est, quum uitæ corporeæ inhæsisset totus, interijt præfocatus, quoniam uitã ueram, id est, animalem, per inscitiã amisisset. Vnde irrepsit adagium Grecis, δεδιὼς τὴν αὑτοῦ σκιάν Suam ipsius metuens umbram. Cælius libro 26. cap.21. A.L.

VLYSSIS socij, Circes ueneficæ carminibus, id est, fœdissimis uoluptatibus, in bruta animalia ac porcos mutati sunt, ut fingit Homerus.

L. SYLLA Dictator luxuriæ intempestiuisq; cõuiuijs deditus (nullius enim consuetudine magis tenebatur, quã Roscij Pantomimi, & Macrobij Bacchanalium cantoris) sibi & potus intemperie intestinum morbum tùm primũ nascentem aluit. Procedente tempore uitiatũ corpus totum in fœdam pediculorum tabem abijt, ut tunicæ, thermæ, balnea, quæ assiduè frequentabat, dapes quoque, diris pollucrentur sordibus. Nulla postremò cura par fuit tetro morbo in horam renascenti. Sabel. libro 3. En.6.

INDIGNVS.

Hæc eorum exempla [redacted] genere sese alios ne corrupissent, nullam tamen eius improbitatis pœnam tulerunt.

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM
DISPOSITIO

- Virtus dicatur ABSTINENTIA *alimentaris honesta in genere. Vide signum* I.
  - PER *alimenti corpus reficitur, nutritur, & augetur. Alimenti necessitatem fames atque sitis dolore suo urgent; allicit voluptas, ex assumpto cibo uel potu gustu hominis titillando. Circa cibum itaq; & potum*
    - Vitia *occurrunt duo: alterum in Voluptatum*
      - Genere, *quo ad habitus ipsius*
        - Excessu. *Intemperantia alimentaris peccatur in*
          - Acquisitionem. INTEMPERANTIAE *alimentaris ortus. Huc Intemperantiæ*
            - Magistri, Doctores:
              - Qui:
                - Reges.
                - Duces.
                - Patres. Mortui.
              - Quomodo. Nempe
                - Inuentione.
                - Præceptiõe, *institutione.*
                - Submonitione.
                - Præmio. Indicio.
            - Discipuli. *Occasione*
              - Loci. Professionis.
              - Conuersationis.
              - Victoriæ.
          - Possessionem, & exercitationem: *quatenus is, qui Intemperãs est,*
            - Per *se peccat in Alimentorum inhonesta*
              - Acquisitione. ALIMENTORVM *acquisitio immoderata. Veluti p*
                - Impietatem.
                - Simulationem *uoluptatis.*
                - Opum *tuendarum.*
                - Honoris, *Dignitatis contemtum.*
                - Libertatis *tuendarum.*
                - Præparationẽ, *conditurã curiosam.*
                - Peregrinationem *longinquam.*
                - Importationẽ, *Cõuectionẽ sumtuosam.*
                - Inuitationem *indecoram.*
                - Captationem, *Affectationem coenarũ*
                - *Vmbræ gulosæ.*
                - Rapinam, *Furtum.*
                - Conseruationem *neptam.*
              - Fruitione. ALIMENTORVM *inhonesta fruitio. Respectu habita*
                - Personarum. *Qui. Gulosi, circa alimenta uniuersim intemperantes.*
                - Modi
                  - Solus.
                  - Cũ *aliis certat, uorãdo, potando. Certamina cibi potusue.*
                - Finis. *Causa*
                  - Gulæ. Vitæ.
                  - Colloquij.
            - Respectu *aliorum, alienam*
              - Temperantiam *alimentarem odit, impugnat.*
              - Intemperantiam *alimentarem approbat, fouet.*
        - Specie, *utputa respectu*
          - Cibi. INTEMPERANTIA *ciborum secundum*
            - Studiũ, *Cupiditatem uorandi: quatenus*
              - Adest.
              - Abest, *Excitatur.*
            - Qualitatẽ. *Voraces, Helluones. ἀδηφάγοι.*
            - Qualitatem, *& delectũ. Ligaritores. In*
              - Fructibus.
              - Animalium *carne.*
              - Piscibus. *ὀψοφάγοι.*
              - Hominum *carne. Humanæ epulæ.*
            - Modum.
            - Tempus. Locum,
            - Euentum. *Voracitatis fructus*
              - Dignus.
              - Indignus.
          - Potus. *Vide in sequentibus signum* II.
      - Defectu. *Qui nimiũ ab alimentis necessariis abstinent. Respectu*
        - Euentus. *Ex abstinentia nimia*
          - Mors *conciliata.*
          - Morbi.
          - Vocatio *derelicta, abdicata.*
        - Qualitatis. *Qui abstinent ab*
          - Coctis.
          - Puris.
        - Finis. *Causa*
          - Pietatis. Superstitionis.
          - Sanitatis.

- I. Alimentaris abstinentia considerari potest secundum
  - Nõ *fruitur, sed abstinẽt. Quæ ipsa rursus ab stinentia in*
    - Genere, *Ieiunium dici potest, quãdo uel ab omnibus, uel ab aliquib. alimẽtis alij longiore, alij breuiore tempore abstinent. Quod ipsum bonestum Ieiunium honestè*
      - Modi. *Quomodo.*
      - Obseruatur. IEIVNII *honesta obseruatio, ratione habita*
        - Personarum. *Qui:*
          - Prophetæ, *Apostoli.*
          - Episcopi.
          - Sacerdotes, *Monachi, Eremitæ.*
          - Mulieres, *Virgines, Monachæ.*
          - Reges. Duces, *Milites.*
          - Pueri. Ægroti.
        - Finis. *Cur. Causa*
          - Religiosa.
          - Profana. *Puta*
            - Amicitiæ.
            - Valetudinis.
        - Temporis: *Quando, Quamdiu.*
      - Negligitur, *ratione maioris honestatis.* IEIVNII *honesta solutio, intermissio. Causa scilicet*
        - Obedientiæ.
        - Sanitatis.
        - Hospitalitatis.
        - Necessitatis.
    - Specie. ABSTINENTIA *alimentaris dicatur: quatenus à certis alimentis abstinent: à*
      - CIBIS. *Considerando*
        - A quibus. *Vt à*
          - Carnibus.
          - Animalibus. Leguminibus.
          - Opiparis, *Cupediis, Condimentis.*
        - Qui:
          - Philosophi. Sacerdotes.
          - Senes.
        - Cur. *Causa*
          - Religionis. Sapientiæ.
          - Valetudinis. Famæ.
          - Exempli.
      - POTVLENTIS. *Abstinentia*
        - Vini. *Perpendendi*
          - Qui *ab stineant.* Nempe
            - Populi. Reges, *Principes.*
            - Magistratus. Sacerdotes.
            - Philosophi, *Docti.*
            - Milites, *Duces.*
            - Pueri, *Adolescentes.* Mulieres.
            - Ægri.
          - Cur *abstineant. Causa*
            - Religionis.
            - Sapientiæ.
            - Valetudinis. Famæ.
        - Cuiusuis *alterius potus.*
    - Possessionem. *Duplex hic respectus, tum quatenus alimentis honestè*
      - Personarũ. *Qui circa alimenta sobrij fuere. Puta*
        - Populi. Reges, *Duces.*
        - Prophetæ, *Apostoli.* Episcopi.
        - Monachi, *Sacerdotes, Eremitæ.* Mulieres, *Virgines.*
        - Docti, *Philosophi, Sophistæ.*
        - Ægri. Pueri.
      - Fruuntur. FRVITIO *alimentorũ honesta. Vsus frugalis alimẽtorum. Sobrietas in cibo atque potu Ratione habita*
        - Modi *seu Formæ fruendi. Quo ad*
          - Personas:
            - Cum *quibus.* Quo *habitu, uestitu.*
            - Quo *situ, gestu.*
          - Alimẽtorũ
            - Præparationem, *Conditurã, Coctura.*
            - Mixtionẽ. Diuisionẽ, *Distributionẽ.*
            - Copiam. Assumtionem.
          - Vasa.
          - Locum, *Mensam, Conaculum.*
          - Tempus.
        - Finis. *Cur. Causa*
          - Sapientiæ. Religionis. Prudentiæ, *Vigilantiæ.*
          - Hospitalitatis, *Vrbanitatis.* Consuetudinis.
          - Valetudinis. Roboris.
          - Iucunditatis. Securitatis.
    - Communicatio nem. MAGISTRIA *lienæ Temperantiæ quatenus*
      - Abstinentiã & *Sobrietatem docent, fouent, promouent,*
        - Homines *uel*
          - Religione. Præceptione, *Admonitione.*
          - Legislatione. Vita, *Exemplo, Conuersatione.*
          - Exercitio. Laudatione, *Præconio.*
          - Occasionis *remotione.* Periculi *simulatione.*
        - Bruta,
      - Intemperantiã, *Ebrietatẽ, Ingluuiem coercent, oderunt:*
        - Odio. Reprehensione, *Obiurgatione.*
        - Irrisione, *Sugillatione.* Legislatione, *Interdicto.*
        - Animaduersione, *Castigatione.* Pudore, *Dedecore.*
        - Occasionis *amolitione.*
        - Periculi *simulatione.*
  - Euentũ. ABSTINENTIAE *alimentaris fructus*
    - Dignus. *Puta*
      - Integritas, *Probitas.*
      - Sanitas. Gloria.
      - Coniugium *felix.*
    - Indignus.

II. INTEMPERANTIA potus in
- Genere. *Bibaces, Vinoſi.*
- Specie, reſpectu
  - Studii, *Cupiditatis bibendi: quatenus*
    - Appetitus *excitatur.* Corpus *præmunitur.*
    - Vinum *petitur, promitur.* Optatur *uinum.*
  - Quantitatis. *Qui multum bibunt citra ebrietatem, uel cum ebrietate.* Qualitatis & Delectus.
  - Modi:
    - Bibendi.
    - Inebriandi *ſeſe*
      - Potu.
      - Odore.
  - Vaſorum. Loci & *Temporis.*
  - Finis. *Cauſa*
    - Sanitatis.
    - Voluptatis.
  - Euentus. *Ebrietate alij*
    - Non *immutantur. Qui uinum rectè ferunt.*
    - Immutantur: *ſed ita, ut, uel uino*
      - Iuuentur.
      - Lædantur in
        - Genere.
        - Specie, *quoad*
          - Animũ. *Ex uino*
            - Imaginatio *deprauata.* Iudicia *ſtulta.*
            - Obliuio *ſui.* Stuprum, *libido.*
            - Largitio *indecora.* Crudelitas.
            - Immodeſtia, *impudentia.*
            - Arcana *prodita.*
          - Corpus
            - Somnolentia. Morbus.
            - Vitæ *periculum, Mors.*
          - Fortunas
            - Honoris *iactura.*
            - Clades. Captiuitas.

Voluminis Noni Liber II.

De Temperantia & Intemperantia circa Alimenta.

ALIMENTA & neceſſaria ſunt pro conſeruatione humani indiuidui, & iucũda. Abſtinẽtia igitur qualiſcũq;, ſiue neceſſitati, ſiue uoluptati tantũ detrahat, uel in nobis ſita Non eſt, ſed à natura morbóue prouenit (ſic quidã ab ortu, quidã ex morbo reddũtur abſtemij: ſunt & qui nihil omnino cibi potúſue aſſumant. De quibus ſub Corporis bonis maliſq́;, de Appetitu corrupto, actũ fuit) uel in nobis ſita Eſt. Abſtinent proinde ab alimentis tam neceſſariis quàm iucundis alij quidẽ ſponte, alij coacti. Et Spõte quidem iis ut præſentibus uti, ſic abſentia cõparare recuſant, fine uel Inhoneſto (ut qui fame ſeipſos uitæ tædio enecant: quorũ exẽpla aliquot ſub Tit. Fame mortuorũ, referentur) uel Honeſto atq; bono. Quæ abſtinentia huius loci eſt propria, quatenus à cibo abſtinet, & uoluptatẽ moderatur, propter Malũ aliquod Expiandũ (ſic Pœnitentes ieiunare ſolent) Euitandúmue: & ſic abſtinẽt ab alimẽtis ad Corporis morbos edomãdos, præcauendos: ad Animi uitia cohibenda, Luxuriã puta (ſic ſub Tit. Libidinẽ fugere & præcauere, quædã exempla Abſtinentiæ enumerabuntur) Inobedientiã pariter (ſic abſtinent quidam alimentis cauſa præcepti religioſi, milites ob ducis edictũ. Conſule Tit. Magiſtri rei militaris) Quinetiã abſtinẽt ad Bonũ aliquod impetrandũ: puta uel Animi illuſtrationẽ in theorica ſapientia, aut practica pietate: uel Corporis fœcunditatẽ, robur: uel Fortunæ bona, diuitias, honores, uictoriã &c. (ſic ſub Tit. Preces exauditæ. itẽ, Bella di-

uino conſilio confecta, exempla non pauca Abſtinentiæ enumerãtur) Iam uerò coacti abſtinent illi, quib. alimenta eripiuntur uel Diuinitùs, tẽpeſtate, frigore (Vide Tit. Fames memorabiles) uel Humanitùs, puta ab Hoſtibus obſidentibus (qui Tit. ad locum Fortitudinis mala corporis tolerantis pertinet) à Magiſtratu (Vide Tit. Fame in carceribus enecti.)

IEIVNII OBSERVATIO HONESTA.

De inſtitutione ieiunij, ſub religioſa Iuſtitia. Obſeruatio ieiunij, quatenus uoluptatis alimentaris fugam complectitur, huius eſt loci: quatenus religionem habet iunctam, Iuſtitiæ religioſæ ſubancillatur.

QVOMODO.

Non omnib. data eſt eadẽ abſtinentiæ menſura, idẽq; modus. Alius dies multos inediã pati poteſt, alius ne unũ quidẽ. Alij ad ſedandam famẽ dimidiũ panis ſat eſt, alij integer parũ eſt. Tantum ſibi quiſq; ieiuniorum imponat, quantũ ferre præualet: tantũ ergo comedat, quantũ ad regendos corporis ſenſus ſufficiat, nõ ad extinguendos: quodq́; ad continuanda ieiunia congruere uiſum fuerit, nõ ut duorũ aut trium dierũ nimia abſtinentia, ſubſequentiũ repletione indigeat, & probro locus ſit, dicentiũ: Hic homo cepit ędificare, & nõ potuit conſummare. Turrim igitur ieiunij conſtructurus, cõputet ſumtus, atq; ita moderetur, ut futuro operi ad culmen uſq; educẽdo ſuppetere poſſint. Corpus enim ita affligẽdo moderari debemus, ut rationi pareat, non ut occidat. Sicut & paulò durior ſeruus, nõ ut diſpereat, puniri debet: ſed ut mitior ſubmiſſiorq́; fiat, & domini ſui imperiũ magis promto exequi maturet famulatu. Certè nauis ipſa, ſi ſuprà modũ oneretur, ſubſidebit, & fundũ maris citiùs continget quã litus: & ſi infra modũ, ad omnẽ flatum alterna laterũ iactatione periclitabitur. Et ſi laſciuienti iumento plus oneris q̃ ferre præualet, imponatur, in itinere corruet: ſi minus, contra ſtimulũ calcitrabit. Tentandæ ſunt igitur, examinandęq; uires, & æquandũ cũ uirib. pondus, quod ferentẽ neq; grauitate opprimat, neq; leuitate licẽtiùs inſoleſcere ſinat. Nec minùs cauendũ, ne dum abſtinentiæ immodeſtiã fugimus, in uitiũ incidamus guloſitatis. Quo ſubuerſi Adam & Eua, mãdatũ Dei contemſerunt, & de paradiſo eiecti ſunt: Noë pudenda nudauit: Loth inceſtũ cõmiſit: Eſaus primogenituræ ius uendidit: populus Iſraëliticus in deſerto periit: Heli ſacerdotis filij hoſtili gladio cæſi ſunt: Sodomæ quoq; euerſio (ut ait Scriptura) ſuperbia & ſaturitas panis fuit. Ideo Dominus in Euangelio: Attendite, inquit, uobis, ne fortè grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitę, & ſuperueniat in uos repentina dies illa. Et: Væ uobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Mediocritate igitur opus eſt, ut nec nimiũ nec parũ cibis abſtineamus. Alterũ ſeipſum incautè perdere eſt, alterũ uentri, nõ Deo ſeruire eſt. Omni præterea ope & totis uiribus enitendum, ut ſemper à uitiis magis quàm à cibo ieiuni inueniamur. Alioquin nec à cibo ieiunaſſe proderit, ſi inter ieiunandũ peccato locus erit. Non eſt (inquit Apoſtol9) regnũ Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudiũ in Spiritu ſancto. Pietatis igitur & iuſtitiæ cura, curam ſuperet ieiunãdi. Hoc eſt enim ieiuniũ quod elegit Dominus, & propter quod per Eſaiã ait: Suſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Ad hæc, ne quid ſimulatè, ne quid iactanter fiat: Nolite ieiunare, inquit, ſicut uſq; ad hanc diẽ, ut audiatur in excelſo clamor ueſter. Tales quippe Phariſæũ imitantur, qui ait: Non ſum ſicut cæteri homines. Ieiuno bis in ſabbato. Sed dũ inſipienter gloriatur, publicano, quẽ deſpexerat, factus eſt deterior. Hos & per Zachariã arguit Dominus, dicẽs: Cũ ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiuniũ ieiunaſtis mihi? Nõ enim Deo, ſed uanitati & iuſtitiæ ieiunant, qui ieiunãdo, hominũ rumuſculos & inanes gloriolas aucupantur, & dici q̃ eſſe ſancti, malunt: qui ſæpe quidẽ, ut ſe efferant, aliis detrahunt, nec Apoſtolũ audiunt dicentẽ: Qui nõ manducat, mãducantẽ non iudicet. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruũ? Domino ſuo ſtat aut cadit. ſtabit autẽ. Potẽs eſt enim Deus ſtatuere illum. Sint igitur examinata, ſobria, pura, ſimplicia, humilia ieiunia: non immoderata, non lauta, non animi uitio polluta, nõ ficta, non ſuæ laudis cupida, alienæ inuida, & liuoris magis quàm abſtinentiæ pallore infecta. Marulus lib. 4. c. 1. & lib. 3. c. 10.

QVI.

PROPHETÆ, APOSTOLI.

MOSES ter legitur per XL dies & noctes ieiuniũ ſeruaſſe. Primò in monte Sina, cùm tabulas lapideas fœderis acciperet, quas deſcendens confregit. Exodi 24. Secũdò cũ propter ituli aurei idololatriã corã Domino iacuit, ut populo Dominũ conciliaret. Exodi 31. & 32. & tunc tabulis lapideis, quas ipſe fecerat, legẽ excepit. Cũq; 40 diebus & noctib. abſq; omni cibo & potu cũ Domino uerſatus eſſet: eius faciei cutis radiabat ex diuino alloquio, ita ut Iſraëlitæ eius aſpectũ ferre nõ poſſent, ſed uelamẽ faciei obtendere cogeretur. Exodi 34. Tertiò, cùm miſſis exploratorib. terrã Sanctam inuadere noluiſſent, & Dominus in illos ita accenſus eſſet: per totidẽ dies atq; noctes Domino ſupplex factus eſt pro populo. Numeri 11. Semel igitur, ut legẽ ſuſciperet, bis, ut peccatum populi expiaret, ieiunauit Moſes.

HELIAS propheta poſt ſubcinericij panis eſum & aquæ potum, cùm dies XL ieiunus ambulaſſet, peruenit uſq; ad mõtem Dei Oreb, atq; ibidẽ igneo curru ſublatus, tranſuectus eſt in paradiſum. Si illic ſatiari cupimus, hìc ieiunemus. Marulus lib. 4. c. 1. ex 3. Reg. 19.

DANIEL propheta anno Cyri tertio, cùm in luctu ter ſeptem dieb. fuiſſet, nec primario pane ueſcens, nec carne aut uino aut unguentis utens, præclarã illam de regnorũ ſucceſſione reuelationẽ habuit ad flumen Tigrim. Dan. 10. In lacum leonum miſſus, per dies ſex nihil comedit, & inter ferociſſimas beſtias manſit illæſus. Cumq; eſuriret, Abacucus propheta per angelũ Domini de Iudæa tranſlatus in Babylonẽ, appoſuit illi pulmentũ, quod meſſoribus coxerat, & refocillatus eſt. Ieiunus igitur Daniel ſacramenta diſcit, leonum ferociã domat, prandium diuinitùs miſſum accepit. Deniq, de fouea, in quam proiectus fuerat, liberatur. Marulus.

Quadraginta dies ieiunauit SALVATOR noſter: & à diabolo tẽtatus, oſtẽdit quomodo inſidias eius euitare, & uirtutẽ poſſimus uincere, dum ieiunando uincit. In hoc pugnæ genere non eſt uirib. corporis opus ad uincendũ, ſed imbecillitate: ne in illo diabolus fomitẽ inueniat, quẽ concupiſcentiæ igne ſuccendat. Hic eſt enim faber ſufflans in igne prunas, & proferẽs uas in opus ſuũ. Matth. 4. Cùm in mõte trãſformatus totus diuinitatis ſuæ luce reſplenduiſſet, Moſen & Heliã iuxta ſe apparere fecit, quia & ipſi aliquando quadragenarij ieiunij obſeruatores extiterãt. Iam cũ diſcipulis orãdi rationẽ tradidiſſet, continuò ieiunandi documẽta ingeſſit: quia illa demùm fortis & efficax eſt deprecatio, quã cibi comitatur abſtinentia. Hoc enim duplici telo ualidiora inimici machinamenta demoliri ac dirui poſſe monſtrauit, cũ de nequiſſimo ſpiritu effugando diceret: Hoc genus nõ eijcitur, niſi per orationem & ieiunium. Marul. lib. 4. c. 1.

Poſt Dominum Ieſum primi inter Chriſtianos APOSTOLI ieiunio uſi ſunt. Ipſe enim (ut in Euangelio legimus) cùm in Matthęi domo accubuiſſet, quibuſdã interrogãtibus, Quare diſcipuli eius, ſicut Ioannis & Phariſæorũ, nõ ieiunarent? reſpondit: Nunquid poſſunt filij nuptiarum quãdiu ſpõſus cũ illis eſt, ieiunare? Venient autẽ dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Peracta igitur ſpiritalis connubij celebritate, paſſionis ac reſurrectionis tempus aduenit, & ſublatus eſt ab eis ſponſus. Exinde illius deſiderio uehemẽter ſollicitati, ieiunare & eſuritione ſe affìcere cœpére: nec unquã ab his abſtinẽtiæ anguſtiis receſſerũt, donec in cœleſti thalamo ruſum eidẽ, quẽ tam ardẽter deſiderauerant, feliciter iuncti ſunt: ubi nũc ieiuniorũ famem, quã hìc haud multum diu ſuſtinuerunt, æterni perpetuiq́ę conuiuij refectione compenſant. Idem.

In urbe Ioppe, cùm eſuriret PETRVS in domo Simonis coriarij, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & uidit cœlum apertum. Oblata ſunt ei animalia ſecundũ legem uetita. At is comedere renuit, quamuis eſuriret. Actorum 10.

EPISCOPI.

SAMSONIS Dolenſis archiepiſcopi ieiunia fuêre, modò biduana, modò triduana, modò hebdomadæ integræ. Toto Quadrageſimę tẽpore, bis, aut ad ſummũ ter, parciſſimo uictu effœtum corpus recreabat. Marul. lib. 4. c. 1.

EADMVNDVS Cantuariēsis archiepiscopus uirginitatis coronam adeptus est,lasciuiam carnis domans ieiunijs. Feria sexta sicco pane tantū & aqua frigida semper est usus. Nunquam illi curæ fuit,ut pasceret corpus,sed ut sustētaret. Propterea quidem cibauit illum Dominus pane uitæ & intellectus & aqua sapiētiæ salutaris potauit illum. Fuit enim doctor egregius,disciplinis diuinis apprimè eruditus, multis præterea miraculis clarus. Idem.

BONIFACIO martyri,Misniæ archiepiscopo, quotidiana ieiunia pro delicijs erant:atque ita ut inediam per biduū qua triduumque protelaret,dominicis tantùm diebus quintisq; ferijs cibum capiens. Cùm docendo gentiles per Misniam nudis pedibus iter faceret,uiæ ac frigoris asperitate fatigatus ita temperauit ieiuniū,ut quotidiè dimidio panis & aquæ poculo uires reficeret. Idem.

GREGORIVS Agrigentinus, ut scribit Metaphrastes, sæpè totam septimanam ieiunus transegit.

SACERDOTES, MONACHI EREMITAE.

De ANTONIO Aegyptio abbate memoriæ proditum est,ꝙ semel in die hora uespertina panem cum sale comederit,& aquam frigidam biberit. Et cùm perseuerantiùs ieiunaret, nunc bidui,nunc tridui inediam passus:eam rem illi inuidēs diabolus,sumta monachi forma apparuit,cibos porrigens, & ut aliquid sumeret,nec se fame confici permitteret,exhortatus est. Tandem deprehēsa fraude, Antonius crucis signo se munijt,ille euanuit. Marul.lib.4.cap 1.

IVONEM presbyterum omnia ab Ecclesia indicta ieiunia,sola panis & aquæ refectione obseruare solitum legimus. Aliâs etiam abstemium fuisse tradunt,& nunquā uel modico uino usum.Marul.lib.4.cap.1.

STEPHANVS presbyter Constantinopolitanus, qui etiā in infantia sua ieiunium obseruasse dicitur:In tēplo beati Petri apostoli clausuram subiens,herbas cum sale coctas absque alio condimento uesperi comedebat.Presbyter factus,pristino uictui sal ademit:& ne hoc quidem tā fatuo cibo quotidiè uti uoluit,sed aut bis tantū in hebdomada eum sumere, aut ad dominicum usque diem inediam proferre. Postremò cùm in solitudinē secessisset,herbis crudis pascebatur,à cocto abstinebat:& monachum professus, cùm à seniore iuberetur modico uino uti propter stomachum, unicam uilli guttulam in urceum aquæ plenum instillare cœpit,ut & obediret, & aquam tamen nihilo penè quā antè sapidiorem biberet. Pauculas etiam ficus festiuis duntaxat diebus in cibo habuit: neque hoc quidem sua sponte,sed obedientiæ iure. A' duodeuigesimo usque ad septuagesimumtertium ætatis annum in hoc uitæ genere perseuerans,tunc demùm pascuis cœlestibus satiatus est.Idem.

SEVERVS abbas Syrus,dominico quoque die manè sacram communionem,uesperi panem unicum sumebat:altero cibo animam alens,altero corpus sustentās. Reliquis autem diebus cibo pariter ac potu uacuus perdurabat.Idem.

Hoc idem à MEDERICO abbate apud Heduam Galliç urbē obseruatum legimus. Idem.

ELPIDIVS abbas, genere Cappadox, cùm desertū quoddā incoleret,& squallentis antri angusto carcere se occlusisset, per XXV annos tantū bis in hebdomada,id est, Dominicis & quartæ feriæ diebus,uesci solitus dicitur. Idem ex Herac.

EPHESIVM anachoretam annos XL, quos in Scythiotica eremo peregit, sol non uidit manducantem. Nunquā enim antè uesperum quicquā gustauit. Idem.

Diuus Hieronymus testatur, HILARIONEM abbatem nunquam ante solis occasum, nec festis diebus, nec in grauissima ualetudine soluisse ieiunium, cùm tamen duro admodùm parcissimoq; uictu usum dicat,herbarum syluestrium, hordeaceiq; panis, & non coctæ, sed aqua frigida maceratæ lentis:ita ut ei aliquandò caligarent oculi,corpus scabredine rigeret,& tūc oleum pro remedio in cibatu addidisse. Deniq; à LXIII usq; ad XXC ętatis suæ annum, cùm pane quoque abstineret, sorbitiunculis ex farina & olere comminuto sustentatum fuisse. Idem.

Augustinus libro 1. de Moribus ecclesiæ catholicæ, c.31.& 33. de COENOBITIS scribit, eos à carnibus, uino & alijs rebus abstinere tantū,quantū pro domandis libidinibus sufficiat. Item de collegijs uirorum & mulierū cōmemorat, ipsorum abstinentias fuisse institutas lege & ratione charitatis: neq; quenquam coactum, ut hoc uel illo cibo aut potu non uteretur: sed fuisse liberum,ut quisque ualetudinis rationē haberet:neque ullum ad ea, quę recusaret,aut ferre non posset adactum: nec propterea à cæteris condemnatum, si quę illi, ipse non obseruaret. Itaque non reijciendis generibus ciborum,quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ,& dilectioni fratrū retinendæ, inuigilasse omnium industriā : atque ideò multos inter eos esse, qui eos ipsos cibos accipiāt ægroti,à quibus salui & incolumes temperarint.

Crescere per totum orbem indies quasdam obseruationes peculiaris abstinentiæ, ac in Oriente maximè & Aegypto inualescere, tradit Augustinus libro primo, cap. 301. de Moribus Ecclesiæ, ac nominatim dicit, esse quosdā, qui solo pane per certa tēporū interualla sibi allato, & aqua cōtenti, uiuāt in desertis terris, remotissimi ab omnium hominū conspectu. Eodem libro c.33. recitat Mediolani & Romæ quædam suo tempore fuisse COLLEGIA & uirorū & mulierū, quę exercuerint ieiunia penè incredibilia. Nonnullos enim totū triduū & ampliùs sæpissimè sine cibo & potu peregisse, eosq; etiā carnib. & uino abstinuisse. In epistola 86. narrat, in monasteriis multos quinquies in hebdomade ieiunare in tota uita. Similia cōmemorat etiā Euagrius lib.1.c.21. de monachis Palæstinæ, & Cassianus lib 3.c.9. de Canonicorum diurna oratione & psalmorum modo. Arduum quoddā & sublime continentiæ genus consuetum fuisse Aegyptum, narrat idem lib.4.cap. de Institutis renunciantium.

MVTIVM abbatē in solitudine singulis dominicis, singulo pane diuinitùs sibi allato nutritū accepimus: aliis uerò diebus absq; cibo ieiunum permansisse. Marul.lib.4.c.1.

Illos quatuor, quos Paphnucius abbas in remotissima Aegypti eremo cōmorantes reperit, IOANNEM, ANDREAM, THADÆVM, & PHILIPPVM, hebdomadarum cōtinuata ieiunia dominicis diebus soluere solitos ferunt: angelo tunc iuxta eorum numerum panes deferente. In aduentu Paphnucij quintū panē additum fuisse dicūt: Nec sanè mirum uideri debet, quòd quidā sanctissimi homines in solitudine de cœlo receperint alimenta, cùm etiam pręuaricator populus manna in deserto nutritus sit. Ibidem.

Sanctus LIBERALIS, cuius ossa Taruisij posita sunt, dominico die percepta spiritali alimonia, sine ullo alio cibo reliquum tempus perdurabat. Idem.

IOANNES abbas in Thebaidis eremo, quem sub rupe quadam manentem toto triennio nunquam sedisse ferunt, idē præstitit. Ibidem.

HENNIGIL monachus Hybernus pane tantū & aqua usq; ad mortem uixit. Beda lib.5.c 14.

Abbas MOSES, eremita solitudinis Scythiæ, apud Cassianum cap.17. collatione 2. de seipso inquit, frequenter se edendi appetitum prorsum amisisse, ita ut toto biduo aut triduo neq;dem memoria cibi mentem ipsius interpellarit.

VALALICVS totam septimanam sæpe ieiunauit, dominica excepta. VANDRAGISILVS tantùm prima & quinta feria cibū gustauit. Idē ADAMANNVS monachus factitauit. Vincentius lib.23. capitib.24 & 130. Et Beda lib.4.c.25.

HELIÆ eremitæ in finibus Antinos, quæ est metropolis Thebaidis, iam ętate decrepita, exiguus panis & paucissimæ oliuæ cibus erat, robustioribus uerò annis interdū hebdomadarum inediam tolerauit. Marul.lib.4.c.2.

ECBERTVS monachus, qui quadragesimā ter in anno celebrauit, tantùm semel in die gustauit panē, ac lac tenuissimū cum mensura. Beda lib.3.c.28.

NICOLAVS Vnderualdius, Heluetiorū gente, mortua uxore, superstitibus liberis, in eremū secessit, orationib. & ieiuniis intētus, eo ꝓuectu, ut ad extremū multos annos absq; cibo & potu transegerit, uir pietatis eximię, cuius sanctiss. monita de externorū principum societate repudianda utinā Heluetij sequerentur. Stumpfius in Heluetiæ Chron.

MVLIERES, VIRGINES, MONACHÆ.

MARIAM Magdalenam, cùm in solitudine uitam ageret, Eremita quidam presbyter ab angelis in cœlum tolli & iterū loco suo restitui uidit. Deinde quid hoc esset, curiosè sciscitans: didicit, triginta iam annos eam non alio cibo sustentatam, præterquam cœlestium gaudiorum contemplatione, beatis, quemadmodum ipse conspexerat, spiritibus eò perducentibus illam ac reducentibus: & iam finem uitæ huius facturam esse. Marulus lib.6.c.16.

ASELLAM uirginem D. Hieronymus laudibus efferens: Ieiunium, inquit, pro ludo habuit, inediam pro refectione: & cū eam non uescendi desiderium, sed humana conditio ad cibum traheret, pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriem, quā restinguebat. Marul.lib.4 c.1.

Idem PAVLÆ uita iam defunctæ uirtutes enarrans: Tantę, inquit, continentiæ fuit, ut propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret. Exceptis diebus festiuis, uix unquā aliâs oleum in cibo cepit: ut ex hoc uno æstimetur, q̃d de uino, & liquamine, & piscib. & melle, & ouis, & reliquis q̃ gustu suauia sunt, iudicarit: in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, & si ijs uentrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur. Post multa tandem ait: Nulla iuuenum puellarum sano & uegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto & senili, debilitatoq; corpusculo. Postremò dicit, ꝙ cùm febri laboraret, nec medicorum consilio, nec Epiphanij episcopi suasionibus compelli potuerit, ut uinum biberet. Et ipse Epiphanius ab ea exiens, tantum se profecisse dixerit,

ut è contrario sibi iam seni aquā bibere penè persuasum esset. Ibidem.

In Thebaidis monasterio, in quo EVPHRAXIA uirgo omnium spiritualium unguētorum odore fragrauit, quotidiana seuabantur ieiunia, & non carnē, non lacticinia, nō uinum, non oleum, non denique dulcium genera fructuum gustare fas erat. Euphraxia uerò biduo triduoque, & tota interdum hebdomada inediam protrahebat. Idem.

MARIA Aegyptiaca, quæ meretricium quęstum in quęstum uertit paradisi, in solitudinem secedēs, tres tantū panes pro uiatico secum tulerat. Et quoniam ibidē Deo seruiens plus minus XL uixit annos, nec unquā interim hominem uidit, præter anno illo, quo ad Dominū migratura erat, Zosimum abbatem: apparet eam hoc toto ferè tempore sine panis esu perdurasse: & si quicquā ederit, more feræ syluestriū herbarum pastu fuisse sustentatam. Idem.

De FELICVLA uirgine & martyre traditum est, carcere inclusam dies septem nihil gustasse: & iterum in templū deæ Vestę sub custodia translatā, alios septem dies pari inedia peregisse. Itaq; constanti & imperterrito animo martyrij pertulit supplicium: nihil horrescens tyranni sæuitiam, sed mori cupiens, & esse cum Christo. Idem.

MARIA Decegnies, cuius ortu Niuella, Leodiensis episcopi uiculus, nobilitatus est, à festo Exaltationis crucis usq; ad Pascha, ieiunium cum sola panis & aquæ refectione per annos tres obseruauit. Eandem ferunt aliquādo quinq; & triginta dies absque cibo perseuerasse, diuinis fruentē colloquijs. Tres item & quinquaginta dies ante obitum suum nihil aliud gustasse, præter uiaticum Christi. Hinc defunctę animam ab angelis in cœlum ferri uisam, ut quæ à terrenis alimentis identidem abstinuerat, cœlesti pabulo repleretur in æternum. Idem.

CECILIA uirgo, biduanis ieiunijs sese macerās, uirginitatis suæ angelū habuit custodē, & palmā obtinuit martyrij. Idē.

EDILDRINA regina rarò amplius quā semel manducauit in die. Beda lib.4.c.19.

Circa ann. sal. 1420. fuit PVELLA in Hollandia, oppido Schiddam, Christo deuota: quæ intra octo & uiginti annos nullo corporali cibo refecta, solo Dominici corporis sacramento per singulos dies dominicos accepto uictitabat: corpus attenuatum solis neruis cohęrebat & ossibus, carnes consumtæ uires ademerāt. Curiosè experiri statuit sacerdos, si quid subesset aliud: afferebat aliquando puellæ hostiam non consecratā, ut probaret, si Dominici corporis sola uirtus feminam sustineret. Ferunt mox destitutam uiribus, factā uelut in agone: & nisi citiùs Dominici corporis oblatione succurreretur, animam protinus efflasset. Idem quoque alijs in locis usu compertum ferūt. Viuit hodie PVELLA, aut paucos ante annos in Perusio Italiæ ciuitate defūcta est, de qua similia ferebantur per omnia, inquit Cranzius lib.11. Vandaliæ, capite tertio.

REGES.

CAROLVS Magnus ieiunijs, etiam cum periculo ualetudinis, corpus suum exercuit. Mutius lib.8.

DVCES, MILITES.

ISRAELITÆ duodecim tribuum, gemina clade à Beniamitis affecti, fleuerunt corā Domino, & ieiunauerunt die illo, & præualuerunt contra illos. Iudicum 10.

Sauli regis edictum obseruantes ISRAELITÆ, quo die nihil comederūt, ingentes Philistinorum copias, quas paulo antè metu perculsi fugerant, profligauêre. Neminē ex Israëlitis arma tunc habuisse, asserit Scriptura, præter Saulem & Ionatham. Et tamen cùm uix decem millium numerum implerent, aduersariorū autē exercitus essent XXX curruū, LX equitum millia, reliquum uulgus sicut arena, fauente Domino, multitudo cessit paucitati, armatura nuditati, saturitas ieiunio.

IVDAS Machabæus cum suis ad Maspham ieiunauit, centone amictus: & ad Dominum clamans, auxilium contra Antiochi Epiphanis tres duces impetrauit. 1. Machab.3.

CORNELIVS centurio hora diei nona ieiunus Cæsareæ angelum Domini uidit: à quo didicit, ieiunia, eleemosynas & preces suas à Deo acceptatas, uiam sibi ad ueram pietatem patefecisse. Actorum 10.

CAROLVS Magnus expeditione in Auares suscepta, ad Anisum fluuium triduanum ieiunium & litanias celebrauit cū exercitu. Regino lib.2.

STEPHANVS Valachiæ Palatinus, XXX millib. suorū CXX Turcorum millia profligauit, soliq; Deo uictoriā acceptam referens, toto quatriduo deinceps, omni, pręter panem & aquam, cibo abstinuit. Cromerus lib.28.

OTHO Magnus Imp. cum Hūgaris conflicturus, ieiunium in castris indixit, Deiq; auxilium implorauit. Rogerius in uita Brunonis, & Vitichindus lib.3.

PVERI.

De STEPHANO presbytero Cōstantinopolitano traditū est, quòd nōdum editus ieiunia colere cœperit. Nam (ut aiunt) mater eo grauida, non uinum, non carnem, non lacticinia gustare poterat: & si gustasset, præ nausea euomebat. In lucem editus, cùm uberibus applicaretur, sugere matrem nisi ieiunantem nolebat. Marul.lib.4.cap.1.

Apostolicum uirum NICOLAVM Myræ urbis episcopum ferunt, infantulum adhuc in cunabulis uagientem, & fasciarum inuolucris colligatū, cùm nutricis uberibus admoueretur, quarta & sexta quaque feria nō nisi semel sugere lac uoluisse. Idem.

Idem de SISINNIO Thaunensi episcopo fertur. Idem.

AEGROTI.

GREGORIVS Magnus Pontifex, dum adhuc monasticā uitam ageret, æger ieiunium quadragesimale seruare nō poterat. Adueniente sabbathi sancti die, flens Eleutheriū abbatem rogauit, uti precibus à Domino tantillum sibi uirium impetraret, quod satis esset ad eam saltem tam celebrem diem ieiunio excolendam. Quo orante tantū concepit uigoris, ut etiam in alterum diem inediam facilè producere potuerit. Hoc ipsemet in tertio Dialogi sui libro testatum reliquit. Marulus libro quarto capite 1.

LVDOVICI Pij Imp. ægrotantis cibus erat solummodò per quadraginta dies dominicum corpus. Aimoinus lib.5.cap.29. de Francorum historia.

CVR. CAVSA

RELIGIOSA. PLACANDI, IMPETRANDI, DEPRECANDI causa.

Moses in Leuitico pręcipit ISRAELITIS, ut septimi mēsis diem decimam celebrem habentes, ieiunio affligant animas suas usq; ad uesperū, ob uitulum adoratum: unde dies Expiationum dicitur. & quia ieiunio ac precibus exoratus Dominus ueniam illis indulserat, dies Propiciationis nuncupatur. Marulus lib.4.cap.1.

VXORI Manoe liberatorem populi Samsonem concepturæ, angelus apparens abstinentiam indixit. Iudicum 13.

Sub Heli sacerdote bis debellati sunt ISRAELITÆ à Philisteis, & arca Domini capta est. Sed postea sub Samuele ieiunauerunt, & uictoria sunt potiti. 3 Reg.4.& 7.

ANNA Helcanæ uxor non capit cibū, sed luget & orat: & sterilitatem ab æmula exprobratam, Domino miserante, fœcunditate compensat, mœroreq; in gaudium uerso concinit dicens: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vinū, & quod inebriare potest, nunquam bibit: & bibentibus uinum hilarior efficitur, dum prolis generositate exhilaratur. Marulus lib.4.cap.1.

SAMVELIS deprecationes ac populi ieiuniū respiciēs Deus, Philistinorū in Masphat exercitū in ipsos iam irruentem repentino fragore tonitruq; perterruit, & in fugā conuertit.

DAVID rex, à Nathane propheta ob adulterium grauissimè reprehensus, ieiunauit, pœnitentiam in sacco & cinere fecit, & pœnam euitauit.

IOSAPHATVM Iudæorum regem legimus ieiunium cunctis, quibus præerat, indixisse, cùm Moabitæ, Ammonitæ & Idumæi innumera penè multitudine contra illum uenientes, mutuis inter se uulneribus concidêre: & qui cibo uacui erant, non tentato pugnæ periculo repleti sunt spoliis inimicorum. 2. Paralipom.20.

ACHABVS rex, audiens cōminationem factam ab Helia propheta, operuit cilicio carnem suam, & ieiunans domiuit in sacco. Proinde Dominus pœnam distulit. 3.Reg.21.

Baruch legente uerba libri ad aures Iechonię filij Ioachim regis Iuda, POPVLVS uniuersus audiens plorabat, & ieiunabat, & orabat in conspectu Domini. Baruch 1.

ESDRAS cū Iudęis, permissu Xerxis, in Iudęā reuersus, ieiunium triduanū indixit, uti Deꝰ illis in itinere adesset. Pudebat enim eū equites & milites à rege petere: cùm regi dixisset, Deū patrium ipsos ab omnibus insidiis tutos præstiturum. Incolumes igitur per longum & periculosiss. iter in Iudæā peruenerunt. 1. Esdræ 8. IDEM post reditū è Babylone peccatū Iudæorū, qui coniugia cū gentibus contraxerant, deflens, ieiunauit, & à Domino ueniā pro populo petens impetrauit. 1. Esdræ 9. IDEM ter septem diebus ieiunauit, & ter admirabilia mysteria cognouit. Esdræ lib.4.

NEHEMIAS Hachaliæ F. Xerxem regem Susis allocuturus, ut Iudæos in patriam redire permitteret, ieiunauit, & Deū orauit, ut sibi gratiā regis conciliaret. Id quod & impetrauit. 2. Esdræ 1.& 2. & Iosephus lib 11.c.5. & Nehemiæ 9.& 15.

SARA, Raguelis filia, septem iam maritis, antequā ab eis tangeretur, uiduata, octauū Tobiam triduano ieiunio seruauit incolumē. Cumq; coniugū suorū interfectrix ab ancilla diceretur, omni penitùs probro, dum ieiunasset & orasset, meruit liberari. Ipse deniq; Asmodeus dæmon, qui ipsos septē uiros interemerat, unius mulieris uictus ieiunio, religatur in deserto: amittitq; nocendi facultatem, qui habuerat occidendi. Marulus lib.4.c.1. ex Tobiæ historia.

ISRAELITÆ audientes potentiam Holofernis, humiliauerunt animas ſuas in ieiunijs. Iudithæ 4.

IVDITHA Manaſſis uidua, locupletiſſima & elegantiſſima, centone amicta, quotidiè ieiunabat, præterquã pridie Sabbatorum Sabbatis, & pridie Nouiluniorum, feſtisq; & generis Iſraëlitici hilaribus. Iudithæ 8.

IVDÆI Suſis habitantes, regio edicto contra illos promulgato, quòd 13. die menſis XII. ad unum omnes interfici deberent, duce Mardochæo per tres dies ieiunarunt, centones induerunt, puluere capita cõnſperſerunt, Eſtera quoq; regina triduano ieiunio & precibus uſa, Artaxerxem etiam non uocata acceſſit, & pro Iudæis interceſſit. Eſteræ 4. & ſeq.

NINIVITÆ ieiunio & oratione iram Domini imminentem auertunt. Ionæ 3.

ANNA, Phanuelis filia, quotidianis ieiunijs & obſecrationibus ad prophetandi culmen peruenit. Puerum Ieſum, quem Simeon ſacerdos in ulnas acceperat, ipſa ſuperueniẽs adorat, & redemtorem Iſraël confitetur Spiritu ſancto plena, quia cibo uacua. Abſtinendo & orãdo intellexit, quòd ſcribæ & phariſæi legendo non perceperunt. Lucæ 2.

In Antiochena eccleſia ieiunantibus & Dominum orantibus FIDELIBVS, Spiritus ſanctus iuſſit, ut ſibi Barnabam ac Saulum ſegregarent ad euangelizandum gentibus. Illi ergò cùm ieiunaſſent ac ſupplicaſſent, manus eis impoſuerũt, eosque dimiſerunt. Actorum 13.

Paulus & Barnabas euangelizandi cauſa omnes peragraturi gẽtes, ANTIOCHIÆ factis ſupplicationibus cũ ieiuniis, profecti ſunt. Actorum 14.

ZENON Imperator, in electione epiſcopi Conſtantinopolitani, edixit quadraginta dierum ieiunium. Nicephorus libro decimoſexto, capite 18.

QVI de ſacra Domini menſa communicabant olim, ante & poſt ſumptionem ſacræ cœnæ ieiunijs & abſtinentijs ſeſe exercebant: teſte Chryſoſtomo ca. 11. prioris ad Corinthios.

CEDDA uolens ædificare cœnobium, ieiunijs priùs & orationibus locum purgare cœpit: ideoq; per quadraginta dies quotidiè, excepta dominica die, ieiunium uſq; ad ueſperam pertraxit: nec tunc quidem quicquã, niſi modicum panem, & ouum gallinaceum, cum paruo lacte aqua mixto guſtauit. Beda lib 3. cap. 23.

QVI uolebant ſacris Iſidis initiari, illis ieiunium decẽ dierum indicebatur, teſte Apuleio lib. 11.

AMPHIARAVS ſummus uates, iuſſit ſacerdotes, qui reſponſa clara accipere, & ſincerè reddere uellent, integrum diem à cibo, à uino autem triduo abſtinere. Volaterranus libro 13. capite 4. Anthrop.

Apud Trœzenios QVI ad Aridali aram rem diuinam facerẽt, & deorũ reſponſa expeterent, per integrum diem cibo, à uino autem per triduum abſtinebant. Alexander ab Alexandro libro 6. capite 2.

PROFANA. CAVSA

Amicitiæ.

Tarentini cùm à Romanis obſiderentur, ac iam deditio ob rerum penuriam inſtaret: RHEGINI cùm in decimum diem ſuis ieiunia indixiſſent, uictum Tarentinis dederunt, quò patriam diutiùs defendere ab hoſtiũ iniuria poſſent. Ideoq; cùm Romani obſidionem ſoluere cogerentur, Tarentini in perpetuam eius rei memoriam Ieiunij feſtum inſtituerunt. Aelianus lib. 5. de Varia hiſtoria.

Valetudinis.

IVLIVS Viator eques Romanus ſitim pertulit. Vide Tit. Hydropis cura.

QVANDO, QVANDIV.

Præcedentium exemplorum non pauca huc reſpectu temporis pertinebunt.

CAROLVS Magnus in Quadrageſima, ob miniſteria, hora octaua cœnabat: cùm hora nona demùm prandere conſuetudo eſſet, poſt rem diuinã ueſperi factam. Epiſcopum, qui gulæ cauſa anteuerti horam calumniabatur, ieiunium ſeruare præcepit, nec quicquam guſtare permiſit: donec ipſe, hinc duces, & dynaſtæ, & miniſtri reliqui comediſſent. Epiſcopus demùm poſt multum noctis fame tabefactus cœnitare permiſſus, reipſa doctus eſt, quamobrem Imperator anteuerteret horam. Auentinus lib. 4.

IEIVNII HONESTA SOLVTIO, INTERMISSIO. CAVSA

OBEDIENTIAE.

ODILO, Cluniacenſis abbas, quadrageſimale ieiunium ſolicitè obſeruans, cùm panem cinere aſperſum comediſſet, aquam potui popoſcit. Qua accepta, & ſtatim in uinum mutata, miniſtrum increpuit, quòd uinum pro aqua ſibi attuliſſet. Illoque admirante, & rurſum de fonte hauſtam afferente, idem ſecutum eſt miraculum. Vbi tandem agnouit Dei uoluntatem, timuit recuſare quod ab ipſo offerebatur, & aſperiorem cibum molliore poculo temperauit. Marulus libro quarto, capite 1.

ISIRIDVS Raceburgenſis in Vandalia epiſcopus, iuſſerat ſacra die paraſceues à miniſtro aquam afferri pro potu. Allatam guſtauit, toruoque uultu, An non, inquit, iuſſi, ut aquam afferres, non uinum? Territus ille, ſanctè affirmauit, aquam ſe attuliſſe de fonte. Iuſſit iterum haurire, & tertiò haurire, & idem prouenit. Tùm reſolutus in lacrymas, oculos in cœlum ſuſtulit: Quando, inquit, tua uoluntate, mirifice creator, creatura mutatur, cedo quia iubes, ecce in die paſſionis filij tui ſumo quod præſtas. Monſtrant hodiè fontem iuxta domum theſaurariæ in Raceburg, unde hauſta fuit aqua. Cranzius lib. 6. Metrop. cap. 40.

VALETVDINIS.

Gregorius Magnus MARIANO epiſcopo Rauennæ, de uomitu ſanguinis laboranti, præcepit, ut ieiunare minimè præſumat, niſi fortè ſi grandis ſolennitas exigit: quinque in anno uicibus concedit. Lib. 9 indictione quarta, epiſtola 28.

HOSPITALITATIS.

SYLVANVS abbas in deſerto Scythi, ieiunij die unà cũ Zacharia diſcipulo iter faciens, ad quoddam monaſterium diuertit, & humaniter acceptus manducauit. Cùm diſceſſiſſent, diſcipulum in uia bibentem reprehendit, quòd eo potu ieiunium ante tempus ſoluiſſet. Et cùm ille ambos iam ſoluiſſe ieiunium diceret, cùm in monaſterio comediſſent: Minimè, inquit, nam illud non ieiunij ſolutio, ſed charitatis communicatio fuit. Itaque exiſtimauit, abſque ieiunij detrimento poſſe aliquid prægustari in ſodalitio exterorum: id eſt, cùm aut ipſe alios hoſpitio ſuſciperet, aut ab alijs ſuſciperetur. Quem morem apud Aegypti monachos celebrem fuiſſe, auctor eſt Caſſianus: ita tamen, ut illã prægustationem diſtrictiore poſtea ieiunio compenſarent. Vſqueadeò neq; charitatem dimittere, neq; abſtinentiæ quicquam derogare uolebant. Marul. lib. 4. c. 1.

BERNARDVS monachorum pater, abſtinentiæ præcipuus magiſter, cùm aliquandò, uenientibus hoſpitibus, extra ordinem cœnaſſet, idque diſcipuli crimini darent, Non ego, inquit, ſed charitas bibit editque. Aeneas Syluius libro ſecundo Com. in Panormitam.

NECESSITATIS.

ALCIBIADI martyri apud Lugdunum, panis, ſal, aqua uictus erat. Sed tandem in carcerem truſus, ne ſcandalo eſſet ijs, qui ſecum erant, reliqua immunda fortaſsè credituris, cùm adhuc infirmi eſſent, nihil recuſauit eorũ, quibus ipſi utebantur: malens abſtinentiæ aliquid remittere, quàm fidei ſcrupulum proximis generare, monente Apoſtolo ac dicente, Noli eſca illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Marulus libro 4. capite 2.

Tempore Quadrageſimæ CONSTANTINOPOLITANI à carnibus abſtinebant. Sed Imperator Iuſtinianus Magnus propter inopiam aliarum rerum, edicto iuſſit populum ueſci carnibus. Verùm aliqui non obtemperarunt, & uenditores inſuper carnium interfecerũt. Nicephorus lib. 17. cap. 32. Paulus Diaconus lib 16. rerum Romanarum, & Cedrenus.

ABSTINENTIA CIBORVM CERTORVM HONESTA.

A QVIBVS. ABSTINERE À

CARNIBVS, ANIMALIB.

Primi illi humani generis parentes ADAM & EVA, quamdiu in paradiſo fuêre, arborum fructibus aliti ſunt. Eiecti quoque, non niſi pomis, olere, frugibus ueſcebantur, & aquæ frigidæ potu. Carnium uerò & uini uſus ad diluuij uſq; tempora dilatus eſt, id eſt, poſt duo millia & ducentos quadraginta duos annos à mundo condito. Marulus libro quarto, capite ſecundo.

ISRAELITIS, quibus animalibus ueſci interdictum fuerit, pete ex cap. 11. Leuitici, & Deuter. 14.

IISDEM Dominus interdixit adipe bouis, ouis, capræ, ne eo ueſcerentur. Sanguine quinetiam quocunque. Qui ſecus feciſſet, ut is de ſuorum numero tolleretur. Leuitici 7. Sanguine iis ueſci nefas eſt, ſed eum humi fundere iubẽtur, ne cùm ſanguis ſit anima, animam cum carne comedant. Leuit. 17. & Deuteron. 12. Neruo contrahente, qui eſt in cauo femoris, non ueſcuntur: quoniam in eo perſtrictum fuit cauum femoris Iacobi patriarchæ, dum luctaretur cum angelo. Geneſeos, cap. 32.

IVDÆOS carne ſuilla ex legis præſcripto unicè abſtinuiſſe, notum eſt. De quibus ſic Plut. lib. 4. Quæſt. conuiu. 5. ſcribit: Carnẽ ſuillam abominari & defugere Iudæi uidentur: quòd omnium maximè barbari uitiligines albas & lepras odere: ac contagione huiuſmodi morbos depaſci exiſtimant homines. Porcum autem ſub uentre lepra ſcatentem & ſcabiei puſtulis uidemus: quæ quidem, uitioſo corporis habitu exorto ac tabe, infeſtare uidentur haſce animantes. Quinetiã huius pecudis in uictu ſpurcities cum prauitate quadam eſt coniuncta: quando nullam aliam ita capi luto ac locis ſordidis & impuris cernimus, ſi diſceſſerimus ab illis, quæ originem & indolem ex his ipſis trahunt. Oculorum etiam prędicant porcorum ita reflexam aciem eſſe atq; deiectam, ut rem nunquam ullam ſupernam percipiant, neq; ſuſpiciant cœlum, niſi reſupinatorum inuerſæ pupillæ fuerint. Hinc quamuis maximè ſit hoc animal clamoſum, conquieſcere tamen ita locatum, ac ſilere, trepidatione ex inſolentia cœleſtium, metuque maiore repreſſum à clamore. Addit poſt hanc ex ignorantia profectam calumniam: Quòd ſi etiã allegandæ ſunt fabulæ, à ſue Adonim fama eſt exanimatum fuiſſe. Adonim autem non alium quàm Liberum patrẽ iudicant eſſe (quem illos lingua ſua Sabbũ appellare, eidemq; ſacra facere, inſigni mendacio alibi ſcribit) quod multæ ceremoniæ, quæ in ſacris utriuſq; adhibentur, confirmant.

MACHABÆA cum ſeptem filiis, & ELEAZARVS, ſub Antiocho, porcinas carnes guſtare noluere. 2. Machab. 6. & 7.

DANIEL Iudæus, cum ſociis in regia Nabucodonoſoris educatis, ne ſeſe regiis cibis coinquinarent, ab Malaſaro ſpadonum magiſtro contenderunt, ut legumina tantùm ſibi darentur. At ille iram regis ſe uereri dicebat, ne ex facie, illorum abſtinentiam deprehenderet. Periculum tamen fecit, & per decem dies ſolis leguminibus eos pauit. Quibus exactis, apparuerunt & forma lætiores, & corpore pinguiores, quàm ulli iuuenum, qui regio uictu utebantur. Itaque Malaſar in poſterum, cibi uinique demenſo iis detracto, legumina dedit. Dan. 1.

TOBIAS in Niniue urbe captiuus, nunquam gentilium eſcis inquinatus eſt, ſemper legitima alimenta ſeruauit. Marulus libro 4. cap. 2.

Ioſephus lib. 13. & 18. Antiq. ubi deſcribit ſectas Iudæorum, ESSENOS fert ad cœlum laudibus, propterea quòd ab uxoribus & uino, &, ut Hieronymo placet, à carnib. ſemper abſtinuerint.

Scribit in Antiquitatum libris Dicæarchus, Saturni tempore, carnibus reiectis, HOMINES frugibus ac pomis ueſci ſolitos. Triptolemi præcepta circumferuntur tria: Honorãdos parentes, uenerandos deos, carnibus non ueſcendum. Carnium eſum carmine deteſtatur Orpheus. Cælius lib. 28. cap. 2. Antiq. Lect.

BRACHMANES Indorum philoſophi nihil animati edebãt. Euſebius lib. 6. de Præpar. Euang.

Indorum MAGI, ad Solis ſacerdotium euecti, carnibus abſtinuerunt penitùs. Alexander ab Alexandro libro quarto, capite ſeptimo.

Herodotus libro 1 BABYLONIOS piſcibus olim tantùm uictitaſſe dicit.

PYTHAGORICI, animalium eſu, ſed maximè piſcium abſtinent. Ad hunc ſe adiungunt ſexcenti: licèt Athenæus Lyconis teſtimonio Pythagoram animatis uictitaſſe probet, & Philoxeni muſici Gellius libro quarto, capite 11. Plutarchus Conuiu. quæſt. lib. 8. quæſt. 8. duplicem affert cauſam: partim quòd res cum iniuſtitia coniuncta uideretur, perſequi, occidere, uorare animal, quod ipſa natura nullo pacto lædat hominem, aut lædere poſſit. Deinde quòd non ad neceſſitatem, ſed ad luxum, ſuperuacaneamque gulæ uoluptatem pertineat piſcium eſus. Hinc eſſe, quòd Homerus fecerit, non Græcos ſolùm, cùm circa Helleſpontum militarent, à piſcibus abſtinentes, uerumetiam Phæacas ipſos, alioqui helluones. Ne procis quidem lurconibus marinum opſonium appoſuit, cùm utrique inſulares eſſent. Nam apud hos maiorem ferè uidemus tum immanitatem tum luxum. Neque ſocij Vlyſſis unquam aut hamo, aut retibus uſi ſunt, donec farina ſuppeteret: uerùm omni commeatu abſumto, paulo priùs quàm ſacros Soli boues deuorarent, piſcari ceperunt: non obſonij cauſa, ſed ob famem depellendam. Eraſmus in Chiliadibus.

HONORATVS Fundenſis monaſterij abbas (ut Gregorius refert) puerulus adhuc, à parentibus inuitatus, cùm à carnibus abſtineret, per iocum interrogatur, An piſcari in montibus uellet, qui tam procul à mari & fluminibus cõſtitutus, piſcibus non carne ueſci optaret? Cumq; ipſe taceret, ecce is, qui ad aquam hauriendam perrexerat, piſcem de puteo ſitula ſublatum attulit. Quo miraculo effectum eſt, ut omnes conuiuam, cuius continentiam iriſerant, uenerari inciperent. Marulus lib. 4. c. 2.

BALDVINVS Deuonius, facundus, & in philoſophia eruditus, Cantuarienſis archiepiſcopus, totiusque Angliæ primas, nunquam ab eo tempore, quo primùm factus monachus eſt, carnes comediſſe dicitur. Quæ fama cùm ad uulgus etiam manaſſet, quædam uetula ipſi iter facienti occurrit, quæritans, An uerum eſſet, quod uulgò de ipſo iactaretur? Cumque affirmaſſet, reſpondit illa: Falſa eſſe omnia: ſiquidem ſuas eum carnes ita uoraſſe, ut uix oſſa reliqua fecerit. Ranulphus libro ſeptimo, capite uigeſimoquarto, in Polychronico.

OLERIBVS,

BERNARDVS primus Clareuallenſis abbas, olerum loco fagi frondibus ueſcebatur, ac pane hordeaceo, admixto milio & uicia, utebatur. Gaguinus lib. 6. hiſt. Franc.

OPIPARIS, CVPEDIIS, CONDIMENTIS.

Sale Plutarchus arbitratur AEGYPTIOS ſacerdotes abſtinuiſſe, adeò ut ne panibus quidem ueſcerentur ſale conditis, ſi quando purè uiuere uellent: quòd præcipuè libidinem iritare putetur, idque propter calorem. Præterea non eſt ueri diſſimile, illos abdicaſſe ſibi ſalem, tanquam condimentum omnium ſuauiſſimum: ita ut non immeritò opſoniorum opſonium appellari poſſit. Eraſmus in Chiliadibus, ex Plutarchi libro 8. Quæſt. conuiu. 8. & Herodotus libro ſecundo.

REGINA Cariæ Ada, cùm dapes & bellaria exquiſitè per artifices & coquos parata aſſiduè ad Alexandrum Magnum propenſo animo mitteret, meliores habere ait ſe opſoniorum architectos, à Leonida pædagogos donatos, ad prandium νυκτοπορίαν, antelucanam expeditionem, ad cœnam ὀλιγαριστίαν, frugale prandium. Plut. in Apoph. & in Pręceptis ſalub. & in Alexandro.

AGESILAO regi cum exercitu accedenti, oues multiplices bouesque bene nutritos Thaſij miſerunt: atque cum his bellaria multiformesque cupedias. Ageſilaus boues ac pecudes quidem accepit, bellaria uerò & cupedias priùs neque agnouit, quia fuerant obtecta: aſt ubi uidit, eos auferre iuſſit, cùm dapibus huiuſmodi ueſci minimè legitimum eſſe diceret apud Lacedæmonios. Cùm obſecrarent Thaſij, ut acciperet, Date, inquit, iſtis (Ilotas oſtendens) hoſce enim ſeruos corrumpi præſtat, quàm Lacedæmonios liberos. Athenæus libro decimoquarto, capite uigeſimonono, & Plutarchus in Laconicis. Hoc ipſum uerò Aelianus libro tertio Variæ hiſtoriæ LYSANDRO in Ioniam proficiſcenti tribuit.

Diogenes, auctore Laertio, cùm animaduertiſſet PLATONEM in opiparo quodam conuiuio, à reliquis temperantem cibis, & oleis duntaxat utentem, taxauit hominis abſtinentiam: Τί ὁ σοφὸς εἰς Σικελίαν πλεύσας τῶν τραπεζῶν τούτων χάριν, νῦν παρακειμένων οὐκ ἀπολαύεις; id eſt, Quid, homo ſapiens, cùm ob huiuſmodi menſas in Siciliam nauigaris, nunc appoſitis non frueris? Tum Plato: Νὴ τοὺς θεούς, Διόγενες, κἀκεῖ τὰ πολλὰ περὶ ἐλαίας καὶ τὰ τοιαῦτα ἐγινόμην. id eſt, Per deos Diogenes, & illic plerunque oleis, atque id genus cibis utebar. Ad quod rurſum Diogenes: Τί οὖν ἔδει πλεῖν εἰς Συρακούσας; ἢ τότε ἡ Ἀττικὴ οὐκ ἔφερεν ἐλαίας; id eſt, Quorſum igitur attinebat Syracuſas nauigare? Num id temporis Attica non ferebat oleas. Eraſmus in Adagiis.

QVI. NEMPE

SACERDOTES.

AEGYPTIORVM ſacerdotes (ſicuti teſtatur Porphyrius) quum cœperunt diuino cultui deſeruire, carnibus & uino ſemper abſtinuerunt. Lac etiam in cibis & oua fugiebant: quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant, colore mutato. Carnis autem & uini ſaturitatem, libidinis eſſe ſeminarium. Ex Chæremone Stoico, & Herodoto, Alexander ab Alexandro libro quarto, capite decimoſeptimo: & Polydorus libro tertio, capite quinto, de Rerum inuentoribus.

In Creta, ut Euripides tradit, Iouis PROPHETÆ non ſolùm carnibus non ueſcebantur, ſed ne coctis cibis quidem.

FLAMINI Diali apud Rom. capram, carnem incoctam, hederam, fabam, neq; tangere, neq; nominare fas erat. Neque etiam farinam fermento imbutam attingere. Gellius libro decimo, cap. 15.

PHILOSOPHI.

De PYTHAGORA notus est Iuuenalis uersus Satyra 15.

-- cunctis animalibus abstinuit qui,
Tanquã homine, & uentri indulsit non omne legumẽ.

SENES.

Inter pulmenta atro iuri prima laus erat apud Lacones: proinde carnes non petebant MAIORES natu, quas iuniorib. permittebant. Plut. in Laconicis.

CVR. CAVSA

RELIGIONIS.

☞ *Exempla piorum, qui idolothytis uesci noluerunt, pete ex Titulo, Martyrum: item sub loco Iustitiæ religiosæ.*

Ciborum quorundam abstinentiæ in ieiuniis originem recenset Polyd. lib. 6. c. 6. de Rerum inuent.

LVXVS EVITANDI.

CN. Pompeius ægrotans, cùm præcepisset medicus ei, ut turdo uesceretur, negarent autem serui æstiuo tempore eas usquã nisi in Luculli uiuariis reperiri: prohibuit inde peti, sed ad medicũ ait: Ergo nisi Lucullus perditus deliciis esset, nõ uiueret Pompeius? ac aliud, quod parabile esset, iussit parari. Plut. in Lucullo.

VITÆ.

Præcepit Dominus ADAMO dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Gen. 2.

VALETVDINIS.

In commentatione de Euchymia, de se GALENVS prodit, cũ annum agens octauum & uicesimum, abscessum uereri cepisset, qua hepar diaphragma contingit, horæis omnibus bellũ indixit, ficubus exceptis ac uuis egregiè maturescentibus. Cælius lib. 18. c. 9. A. L.

CONSVETVDINIS.

In RHODO insula, qui pisces edunt, ij quasi ingenui & liberales cõmendantur. Quib. uerò magis arridet carniũ esus, Agrestes & Ventres appellantur. Aelianus lib. 1. de Var. hist.

LVCTVS.

NICEPHORVS Phocas designatus Imperator, Theophanonem Romani III. Imp. uiduam uxorem duxit: & cùm ex eo tempore, quo filius suus Bardas inter colludendum à patrueli Pleuse, casu hasta interfectus fuerat, carnib. abstinuisset, tum iis denuò uesci cepit. Zonaras.

ABSTINENTIA POTVS CERTI HONESTA. PVTA

VINI CONSIDErando

QVI ABSTINVERINT: tum

Populi.

INDI adeò abstemij fuère, ut nisi sacrorum causa uinum bibere nulli fas foret. Potus illis ex oryza, sicut etiam cibus. Si temulentum regem mulier occidisset, hoc donabatur munere, ut successori nuberet. Cælius libro 18. cap. 31. A. L. ex Strabonis lib. 15.

Apud TROGLODYTAS reges mulsum bibunt, priuilegio honoris: uulgus uerò abstemium est, & aquam potat cum paliuro. Alex. lib. 4. c. 6.

Reges, Principes.

ALFONSVS Aragonius uino abstinebat sæpiùs, aut non nisi dilutissimo utebatur. Exemplum regis in aulicos & subditos plerosq; manauit. Panormita.

Magistratus.

Plato in sua Republica MAGISTRATIBVS, donec in honore essent, uinum prohibuit. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 11.

CARTHAGINENSES toto imperij tempore magistratibus suis uinũ interdicebant. Abstemios enim & frugales principes reip. prodesse, temulentos autem & luxuriosos maximè obesse putabant. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 6.

Prophetæ, Apostoli.

IACOBVS frater Domini appellatus, cognomento Iustus, uinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit: reliqua uitæ sanctitate sic excelluit, ut multi suspicati sint, propter necem eius Hierosolymam fuisse subuersam. Marulus libro 4. cap. 2.

Sacerdotes.

AARONI & reliquis sacerdotalis ordinis uiris Leuitici 10. præcipitur: Vinum & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini: ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatisq; filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manum Mosis. Idem in Ezechiele 45. cap. repetitur his uerbis: Et uinum non bibet ullus sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. Præcipuè ergo sobrios esse oportet ecclesiæ ministros, quorum uita documentum aliorum est. Marulus lib. 4. c. 2.

MINISTRIS templi uinum prohibitum in Canonicis decretis est, distinctione 35. ne ebrietate grauentur corda eorum, ut uigeat perpetuò sensus & intellectus, néue uenter mero æstuans, facilè despumat in libidines. Cælius Rhodiginus lib. 28. cap. 31. A. L.

Philosophi.

POLEMON Academicus ab anno uitæ suæ trigesimo incipiens, usq; ad finem aquam bibit, ut testatur Antigonus Carystius. Athenæus lib. 2. c. 2.

Scribit Demetrius Scepsius DIOCLEM Peparethium donec uixit aquam frigidam bibisse. Idem.

Libro 6. δειπνοσοφιστῶν Athenæi plures uersus recitantur Aristophontis, in quib. inducitur QVIDAM, qui sibi glorię ducit, quòd patientissimus esset eorum malorum, quæ cæteri mortales summo studio fugerent, atque in illis tolerandis nulli cederet in ipsis fortiter sustinendis præstantium habitorũ: in quibus malis etiam posuit, se in aqua bibenda uinoq; nõ gustando, ranam esse. Videtur autem ille disciplinam Pythagoræ sectamq; secutus: unde fabula ipsa, in qua inclusi erãt, πυθαγορίζουσα nomen habuit. Carminis initium est:

πεινῶν μὲν τὸ πεινῆν, ἐσθίειν τε μηδὲ ἓν
νομίζ᾽ ὁρᾶν πυθαγόραν ἢ φιλιππίδην·
ὕδωρ δὲ πίνειν βάτραχον.

Victorius lib. 1. Var. lect. c. 13.

DEMOSTHENES orator insignis, sobrius & aquam potãs, Aeschinis bene poti aduersarius. Philostratus, & Athenæus lib. 2. cap. 2.

APOLLONIVS Tyanæus apud Philostratum docet, se semper aquã bibisse, neglecto uino: refertq; potores aquæ somnũ leuem capere, neq; uertigines ullas pati, quibus afficiuntur uinolenti. Anima præterea, dicebat, à uino pura, faciliùs conspicit per somnia uaticinationem. Guido Bitur.

Duces, Milites.

☞ *Consule Tit. Milites suo exemplo ad ferendos labores, æstum, sitim animare. Illic Prudentiæ in confirmandis militibus ratio habetur: hæc solius Abstinentiæ à potu.*

CRETENSES, LACEDÆMONII & CARTHAGINENSES militibus, ne efferos militia animos insolentiæ assuefacerent, in omni militia uini potum interdixère. Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 11.

M. CATO potabat in expeditionibus aquã: extra quàm si immenso æstu sitiret, tum potabat acetum, aut fatiscentibus uiribus postremo loco parum uini sumebat. Plut. in Catone.

PESCENNIVS Niger, bellica uirtute ad imperium euectus, exercitui suo uinum, adferri nequaquã permisit. Quamobrem militibus, quibus Aegypti finium cura demãdata erat, cùm uinum poscerent, respõdit, debere eis amnis Nili aquã sufficere. Fulgosus lib. 2. c. de Militari disciplina.

Pueri, Adolescentes.

PERSÆ licèt natalem diem festum summo semper studio conuiuiis celebrarint, filiis tamen indulgentissimi etiam parentes uinum prohibebant. Alexander ab Alexandro libro secundo, cap. 25.

Veterum memoria PVERI puellæq;, donec ad cõiugium accederent, aquam bibebant. Heraclides in Politiis.

Apud ROMANOS uinum ante annum trigesimum bibere, uiris quoq; criminosum fuit: seruo uerò interdictum penitùs, nisi sacrorum causa, & solennibus festisq; diebus. Alexander ab Alexandro ibidem.

Mulieres.

AGAR ancilla cum Ismaële filio eiecta, panem tantùm & utrem aqua plenum secum in solitudinem detulit. Consumpta deinde aqua, puer & ipsa siti uexati, fonte angeli pietate ostẽso refocillati fuere. Abrahamus diues erat, & inuitus illã dimittebat, in angelo diuina uirtus omnia poterat: sed & ille ægrè dimittens, & hic multum miserans, aquam solam ad potũ concessisse ei scribuntur: ut hinc facilè coniici possit, iam tum mulieribus nefas fuisse uinum bibere. Marulus libro 4. cap. 2.

ANNA Helcanæ uxor, Samuelis prophetæ mater, uinum, & quod inebriare potest, nunquam se bibisse dixit. Marulus libro 4. cap. 2.

Massiliensium lex fuit, ut MVLIERIBVS non liceret uinum bibere. Quæ lex, ut Theophrastus affirmat, etiam apud Milesios locum habuit, & Iadas. Aelianus lib. 2. de Var. hist. & Athenæus lib. 10. cap. 9.

Anacharsis Scytha, philosophus, Num in Scythia tibiæ essent? rogatus: Ne uites quidem, respondit: Ebrietatis comes est rustica musica. Sobrij ergo cùm sint SCYTHÆ, omnibus uoq; illecebris carent. Erasl. lib. 7. Apophth.

ROMANIS mulierib. uini usus olim ignotus ex instituto erat, ne in aliquod dedecus prolaberentur, cùm proximus à Libero patre in temperantię gradus ad inconcessam uenerem esse consueuerit. Bibebãt autem loreã, passum, murinam, & id genus dulcia. Institutumq;, ut cognatis osculum ferrent, deprehendendi causa ex odore, an uinũ bibissent. M. Cato in Oratione de dote, uiro uxorẽ multare licere scripsit, si uinum bibisset. Hunc osculandi quotidianũ usum postea Tiberius Cęsar edicto inhibuit. Athen. lib. 10. cap. 13. Suetonius Plin. lib. 14. c. 13. Gell. lib. 10. c. 23. Macrob. lib. 2. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Cælius lib. 28. c. 6. A. L.

Aegri.

ZALEVCI Locrensis, cùm aliæ multæ leges extant, tum illa non in postremis habenda: Si quis Locrensium Epizephyriorum ægrotans uinum intemperatum bibisset, nisi iubente medico, etiamsi ad pristinam ualetudinem rediisset, mortis ei supplicium erat constitutum, quoniam non iussus biberat. Aelianus de Var. hist. & Alex. lib. 3. c. 11.

Nulla iuuenum puellarum sano & uegeto corpore, tãtæ se dederat continentiæ, quantæ PAVLA Romana fracto & senili debilitatoq; corpusculo. Et in ea re pertinacior fuit, ut sibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Mense Iulio feruẽtissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem, cùm dei misericordia respirasset, & medici suaderẽt, ob refectionem corporis uino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens in hydropem uerteretur: & D. Hieronymus clàm beatum papam Epiphaniũ rogaret, ut eam moneret, imò compelleret uinum bibere: illa, ut erat prudens & solertis ingenij, statim sensit insidias, & subridens, Hieronymi esse, quod ille diceret, intimauit. Cùm beatus pontifex post multa hortamẽta exisset foras, quærenti Hieronymo, Quid egisset? respondit: Tantum profeci, ut seni homini penè persuaserit, ne uinum bibam. Hæc refero, inquit D. Hieron. in Epitaphio, non quòd inconsideranter & ultra uires sumta onera probem (monente scriptura, Super te onus ne leuaueris) sed quòd mentis eius ardorem & desiderium fidelis animæ, ex hac quoq; probare uelim perseuerãtia, decantantis: Sitiuit anima mea in te, quàm multipliciter tibi caro mea.

CVR.

☞ *Abstinent à uino alii natura, quos propriè Abstemios uocant, de quibus sub loco Corporis bonorum & malorũ egimus: alii ex instituto honesto, aut saltem non turpi, de quibus nunc acturi sumus.*

Religionis ergô.

NAZARÆIS & sanctificatis Domino præcipit Moses cap. 6. Numer. ut à uino & ab omni quod inebriare potest abstineant: nec quicquã quod ab uua expressum est bibant: uuas ꝑterea neq; recentes neq; siccas gustent, cunctis diebus, quibus ex uoto Domino consecrati fuerint. Marul. lib. 4. c. 2.

RECHABITÆ patris præceptis obsequentes, scyphos uino plenos, cùm sibi propinarentur, respuerũt: &, Non bibemus uinũ, inquiunt, quia Ionadabus filius Rechabi pater noster præcepit nobis dicẽs, Nõ bibetis uinũ uos & filij uestri usq; in sempiternum. Quamobrẽ merẽtur à Domino audire, Nõ deficiet uir de stirpe Ionadabi filij Rechabi, stãs in cõspectu meo cunctis diebus. Marul. lib. 4. c. 2. ex Hierem. 35.

Sapientiæ.

SALOMON rex sapientia plenus, sapientiorẽ se fore putauit, si abstemius uiueret: Cogitaui, inquit, in corde meo abstrahere à uino carnem meam, ut animum meũ transferrem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam, donec uiderem quid esset utile filiis hominum. Marul. lib. 4. c. 2.

Valetudinis causa.

Astyages Medorum rex, cùm rogasset CYRVM nepotẽ puerũ, quamobrem uinum non bibisset? Quòd metueram (inquit) ne in cratere mixta uenena forẽt. Etenim natali tuo, perspicuè didici pocillatorem uobis uenena infudisse. Et quo pacto, inquit ille, ô fili, hoc dignouisti? Quòd uidebam uos, respondit, neque corporis esse, neque mentis compotes. Xenophon Pædiæ lib. 1.

MAHOMETVS pseudopropheta pręcepit abstinentiã carnis porcinæ & uini, quò faciliùs celaret suspicionẽ morbi sacri, qui eũ uino obrutum iampridem corripuerat. Cusp.

Famæ studio.

Alcimus Siculus in lib. Italico inscripto, oẽs scribit ITALAS mulieres uinum non bibere, tali de causa. Cùm Hercules sitiens in domum quandam, quæ erat secundùm uiam apud Crotonem, ingressus esset, accedens, bibere poposcit. Ibi mulier, quæ dolium uini paulo antè clàm releuerat, metuens ne furtum deprehenderetur, ad uirum dixit, eum malè facturum, si peregrini gratia dolium aperuisset, iussitq; ipsum aquam bibere. Hercules in foribus stans, & hæc audiens, uirum ob benignitatem laudauit, & mox ipsum accedere, doliumq; intueri iussit. Is ingressus, lapideum factum dolium reperit. Eapropter nunc etiam inter omnes mulieres indigenas turpe putatur uinum bibere. Athen. lib. 10. c. 13.

MONICA D. Augustini mater, cùm ab ancilla per amarulentam insultationem merobibula uocaretur: tam fœdum, tam erubescendum id maledictum esse cognouit, ut biberit deinceps semper uinum aqua mixtum. D. August. in Confess.

Exempli causa.

☞ *Ex Tit. Militum tolerantiam prudenter excitare, huc quædam.*

ALFONSVS senior Siciliæ rex, cùm Iacobi Caudolæ copias, quæ ex parte Vulturnum amnem traiecerant, reiecisset: illic inclinato iam sole consistere decreuit, ut prohibere Caudolam posset, si iterũ traiicere exercitũ uellet. Sed quia repentè illuc Alfonsus iuerat, sub dio manere in armis exercitũ nulla ad uescẽdum re parata oportuit. Alfonso autem cùm Io. Esernitanus panẽ cũ raphano & paruo caseo Balcatico in tali casu munus ingens misisset, laudató Ioannis animo, munus accipere recusauit, dicens: Non decere, ieiuno exercitu, regem ulla re uesci. Panorm. lib. 3.

POTVS CVIVSVIS alterius.

Cùm Palæstini DAVIDEM Iudæorũ regẽ obsiderent, isq; orandi gratia in arcẽ ascendisset, hostilẽ exercitũ intuitus, ex re una in aliã (ut humani ingenij moris est) cogitando transiens, aquis Bethleemę, q̃ prope portã erãt, multũ laudatis, eas desiderare uisus est. Quod cùm Eleazarus, Iesebes & Semeia, uiri fortes audacesq; intellexissent, per medios profecti hostes, eius aquæ uasculum nõ sine ingenti periculo attulerũt Dauid autẽ, quanquã multum eã desiderasset, quia magno periculo allatã sciebat, & propterea humani sanguinis instar eã haberet, potu abstinuit: Deoq; eã pro trium salute, qui ipsam tulerant, obtulit. Fulg. lib. 4. c. 3.

SOVS, Lycurgi Lacedæmoniorũ legislatoris proauus, à Clitoriis loco difficili & aqua carente obsessus, pactus est, redditurũ se iis terrã, quã bello ceperat, si ipse suiq; oẽs è proximo fonte bibissent. Tum re iureiurando cõfirmata, conductis in unũ locũ suis, ei, qui potu abstinuisset, regnũ promisit. Cæterùm nemine se cõtinente, omnibusq; bibentibus, ipse postremus ad fontẽ descendit, & aqua se conspersit, hostibusq; adhuc præsentibus digressus, terrã, eò q̃ nõ omnes bibissent, retinuit. Is fuit Sous, sub quo Lacedæmonij Helotas dictos in seruitutẽ redegerũt, & Arcadib. multũ agri ademerũt. Plut. in Lycurgo. At in Apophtheg. hoc ipsum tribuit Sœbidæ, paulo ante Leuctricam cladem.

ALEXANDER Magnus dum cõsectatur Dariũ in itinere laborioso & prolixo (nã diebus XI tria millia trecenta stadia cõfecit) pleriq; lassitudine sunt confecti, & præsertim aquæ penuria. Ibi occurrerunt ei Macedones quidã, qui aquã in utribus à flumine mulis portabant: cõspicientesq; Alexandrũ medio iam die siti maceratũ, impleuerunt confestim galeam, eiq; obtulère. Requirente eo, quibúsnã aquam afferrent? Liberis nostris, respondere, uerùm te incolumi alios gignemus, etiãsi hos amiserimus. Sub quorũ dicta accepit galeã. Cęterùm circumlatis oculis, ubi uidit, qui ipsum comitabantur, equites capite inclinato potum respiciẽtes: reddidit illis aquã nõ gustatã, laudauitq; eos. Nã ego, inquit, si solus bibero, hi elanguescent. Regis cõspicati equites continentiã & magnitudinẽ animi, Duceret, & bono animo esset, uociferati sunt, & equos uerberarũt: neq; fatigari se neq; sitire, sed nec mortales ducere esse, quoad talẽ haberent regẽ. Alacritas erat quidẽ omniũ par, sed solos sexaginta ferunt Alexandrum in castra hostium persecutos. Plut. in Alex.

Eo prælio, quod pro Austriæ imperio acquirendo contra Othocarum Boëmiæ regẽ RODOLFVS Imp. feliciter gessit, cùm siti laboraret exercitus, rustico hydriã sicera plenã per uim abstulère gnathones quidam, & Imp. obtulère. At ille, Reddite, inquit, homini uasculum suum: nam ego exercitui non mihi sitiebam. Aen. Syl. lib. 3. Com. in Panorm.

FRVITIO ALIMENTORVM HONESTA. FRVGALITAS ET SOBRIETAS IN CIBO POTV'QVE.

Vsvs frugalis alimentorum.

Non hîc abstinentiam à cibo consideramus, sed usum cibi frugalem & moderatum, quem propriè Ieiunium nemo appellauerit, nisi respectu belluonum moderationem hanc ieiunium esse contendat. Eam autem Frugalitatem hîc intelligimus, quæ præsentibus alimentis contenta, lautiora non expetit, antiquorum mores imitata: qui cùm frugibus solis uescerentur & delectarentur, uirtuti huic nomen Frugalitatis imposuisse uidentur, quam à parcendo alij Parsimoniam dixêre. Nos Frugalitatem ad alimenta, Parsimoniam ad sumtum referimus: & porrò his nominibus sic utemur, ut altera huius loci, altera Liberalitatis propria sit. Ex Tit. Temperantiæ in genere, quædam exempla huc referri possunt, quatenus generis ambitu species quoque comprehenduntur.

PERSONAE. QVI CIRCA alimenta frugales fuerint.

Nempe

POPVLI.

Ante fruges cognitas, GENTIBVS plurimis glãdes fuêre frumenti loco. Sicut pira ARGÆIS & TIRYNTHIIS, ficus ATHENIENSIBVS: quibus Cares adeò abundant, ut illis enutriant pecora. Milium Mæoticis, MEDIS amygdalæ, Ichthyophagis pisces, AETHIOPIBVS locustæ & arũdinum fructus, GETVLIS ferina caro, & pabulum pro pulmentario, Chelonophagis testudines, cardamum PERSIS, palmulæ CARMANIS & Babylonijs, AEGYPTIIS lotus. Alex. libro tertio, cap. 11.

ARABES frugi in conuictu homines, nulla cibi intẽperie uires alunt: temperantia ualetudinem tuentur, multaq́; exercitatione ad inuictum robur habiles artus cõfirmãt. Iouius.

PERSARVM pueri ad magistrum euntes adferunt domo panes quidem in cibos, nasturtium uerò pro obsonio: itemq́; fictile poculũ, ut si qs sitiat, è flumine possit haurire. Quòd si quis eos uel edere iniucundè uel iniucundè bibere putat, is recordetur, quàm dulce sit esurienti, maza uel pane uesci, quàmq́; sitienti suaue, aquam haurire. Ephebi eodẽ uictus genere utuntur, licèt paulò copiosiore. Præterea siquid uenatu ceperint, in obsonium adhibent. Xenophon libro primo Pædiæ.

Phylarchus narrat IBEROS omnes aquam bibere, quamuis omnium hominum sint ditissimi, atq́; semel quotidiè comedere ob parsimoniam, uestibus uerò magnificentissimis indui. Athenæus lib. 2. cap. 2.

IBERORVM mulieres laboriosissimam uitam agentes, inprimis temperantia excellunt alias gentes. Nam certæ mẽsuræ habent zonam, qua si uenter alicuius cingi nequeat, turpe apud omnes uidetur. Ex Nicolao de Moribus gentium, recitat Stobæus sermone 3.

SAMANEI, populi (ut auctor est Bardesanes Babylonius historicus) tantæ sunt continentiæ, ut cũ cibis uesci exquisitissimis possint, arborum tamen pomis iuxta Gangem fluuium tantùm utãtur. Idẽ de BRACHMANIBVS testatur.

ESSAEI, Iudæorum gens, uino, carnibus & uxoribus semper abstinuerunt. Iosephus libro secundo belli Iudaici, Philo Iudæus, Plinius.

GYMNOSOPHISTÆ pomis solùm, oriza & farina aluntur. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

ATHENIENSES ubi in Prytaneo Castori & Polluci prandiũ parant, caseum, physttã mazæ genus, oliuas maturas, & porros in mensis apponunt, uictus antiqui memoriam reuocãtes. Solon placentam, comedentib. in Prytaneo, dari iussit, atq́; per festos dies panem his apponi, quippe quòd Homerum imitaretur. Is enim ubi optimates ad Agamemnonem congregat, Miscebatur autẽ farina, inquit. Athen. lib. 4. c. 3.

Dicæarchus Messenius, qui fuit discipulus Aristotelis, in libro de Alcæo, ANTIQVOS paruis poculis usos fuisse scribit, aquosumq́; bibisse. Vide Athen. lib. 11. cap. 1.

Author ex Posidonio Athenæus est, ITALOS ueteres ita frugalitate insignes fuisse, ut ad Posidonij tempora aquã ferè biberent: ac, quicquid obijceretur, esitarent: sæpiusque filiũ interrogaret parens, Apios in cœna cuperet, an nuces? nec pluribus uescentes quieti se traderent. Adde, quòd Archestratus opsophagorũ Hesiodus, Theognisúe, lupũ laudans Milesium, quẽ θεόπαιδα uocat, nõ admittendũ ad id genus opsonium Italos monet, quoniam in cõdiẽdis piscibus inscitî præcipuè habeantur. Cælius libro septimo, capite 9. Antiq. Lect.

ROMANI ueteres in agris hortos suos habebant. Ex hortis uiuebant, damnantes pulmentaria, quæ alio egerẽt pulmẽtario. Horti maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno: unde & Acetaria dicta. Plinius lib. 19. cap. 4. Prandio tantùm panem adhibebant, carnes uerò cœnæ non elixas, sed assas, & ueru decoctas, aut frixas: licèt postmodum in summam luxuriam prolapsi sint. Alexander ab Alexandro libro quinto, capite uigesimoprimo.

Apud EOSDEM, carnis aridæ, aut lardi pondo tria, & salsamentorum libram quotidianis ferculis apponere criminosum erat. Si quis uerò ultra apponeret, lege plectebatur. De iisdem Iuuenalis scribit:

> Sicci terga suis, rara pendentia crate,
> Moris erat quondam festis seruare diebus,
> Et natalitium cognatis ponere lardum,
> Accedente noua, si quam dabat hostia, carne.
> Cognatorum aliquis titulo ter consulis, atq́;
> Castrorum imperiis & dictatoris honore
> Functus, ad has epulas solito maturiùs ibat,
> Erectum domito referens à monte ligonem.

In secũdis mẽsis poma & mel, sicut ad principia cõuiuij multiformes nuces dare assueuerant. Item semen candidi papaueris cum melle & lactuca. Alex. lib. 3. cap. 21.

Mamaluchis AEGYPTO imperantibus, in uniuersum plebeij pariter ac diuites, ueruecina carne atq́; orizæ pultariis famem explebant: nec quæ aliarum gentium luxuria inuenit, exquisitas dapes uel gulæ irritamenta nouerant: gallinacei tamen generis pullos nobilium admittebant mensæ, quòd eorum magna esset copia Aegyptijs, apud quos gallinæ sua oua non incubant, sed ea in clibanis, tempore sensim adhibito, ita fouentur, ut mirabili arte compendioq́;, pulli intra paucos dies progignantur simul & educẽtur. Sabellici Supplem. libro octauo, ex Iouio.

Incredibile dictu est, quàm tenui uictu & uires & ualetudinem NVMIDÆ tueantur. Nam ficu sicca, dactylis, pulticula, atq́; acido lacte conuiuia finiunt. Tum uerò epulantur, cùm è uenatione falconumq́; aucupiis, quibus maximè gaudẽt, prędam retulerint. Iouius lib. 33 Hist.

SCOTI ueteres tenue sumebant ientaculum in cœnam usq́;, nec cibis pleno uentre grauatus animus ad munia sua obeunda erat ineptus. Cœna utebantur largiore, ut tamen unum non excederet ferculum. Si quando animos exhilarare libebat, potus genus, quam Aquam uiuam uocant, non ex aromatibus exoticis, sed patriis herbis, thymo, mẽtha, aniso, similibusque odoratis, per distillationem, ut nunc quoque fit, conficiebant. Vulgaris alioqui illis quoque potus in usu quotidiano fuit, quam Cereuisiam appellamus. Sed in castris potum latices præbebant. Panem sibi quisque tanta accepta in diẽ farina, quanta uni satis erat, eaque aqua mixta subactaque, atque in massam compacta, subiectis carbonibus faciebant. Carnium illic rarus usus, nisi quas ex præda accepissent, easque semicrudas desumebant, succi ita optimi plurimùm inesse asserentes. Piscium uerò ad solẽ siccatorum crebrior atque adeò solus usus, si pecora nulla hostilis præbuisset ager. Semper autem massam quandam ex farina, butyro, caseo, lacte, atque aceto temperatam, contra extremam famem domo asportabant: multos nonnunquam dies, ubi extrema commeatus inopia premebat, eius suctu appetitum lactando uitam sustẽtatũ. Hector Boëthius in Scotia.

SCETHLANDICARVM insularum ultra Orcades incolæ pisces arefactos ac sole induratos pistillo cõtundunt, mox admista aqua in pastillos componunt, atque ad focum torrent, qui illis panis est. Ignem quoque ex ossibus piscium aridorum construunt. Viuunt tamen, quàm quibus uoluptates omnes affluunt, feliciùs, forteq́; sua magis contenti. Nullę apud eos pro opibus contentiones, nulla dissidia aut rixæ, quisq́; in hyemẽ sibi ac suis prospicit, idq́; piscatu. Ambitiones & bella procul inde exulant. Idem.

REGES, DVCES.

AEGYPTIORVM reges cibo uescebantur simplici, ut quorum mensæ nihil præter uitulum & anserem inferretur. Vini potandi certa statuta erat mensura, qua neque farciri uenter, neque inebriari possent. Denique ipsorum uita ea tenebatur modestia, ut non à legislatore, sed à peritissimo medico ad seruandam sanitatem composita uideretur. Diodorus libro 1. cap. 6.

CYRVS

CYRVS Maior, quum ab hospite quæreretur ex eo, Quid ad conuiuiũ parari iuberet? Panẽ, inquit, solũ: sperare enim cœnaturum se apud flumen. Cęlius lib. 9. cap. 13. Antiquar. Lect. ex Xenophonte.

AGESILAVS Spartanorum rex, quicquid uel insipidi apponebatur, bibebat & comedebat. Xenophon, & Probus.

ALEXANDER Magnus fuit cibi temperantissimus. Quod ex ea epistola, quã dedit ad Adan, quam Cariæ reginã designauerat, potuit intelligi. Miserat illa ad regem, cùm obsonia quædã, tùm optimos coquos, quorum ministerio uteretur. Quibus repudiatis, meliores se habere est professus, quos à pueris Leonidas pædagogus sibi comparasset, ut ad prãdiũ antelucano itinere uteretur, νυκτοπορίᾳ· ὀλιγαριστίᾳ uerò, hoc est, moderatiore prandio, ad cœnam. Sabellicus libro 4. En. quartæ, ex Plutarcho.

Demades prandenti aliquando assistens PHOCIONI, miratusq́; mẽsam eius austeram & frugalem: Demiror, inquit, te Phocion, qui ita prãdere potes, remp. tractare. Quippe concionator ille erat in uentrẽ suum, ac ciuitatẽ Atheniẽsem exiguum ducens gulæ suę subsidium, ex Macedonia frumẽtabatur. Plutarchus de Cupiditate diuitiarum.

HANNIBAL surgere de nocte solitus, ante noctem nõ requiescebat: crepusculo demùm ad cœnam uocabat: neque amplius quàm duobus lectis discumbebatur apud eum. Frontinus lib. 4. cap. 3. Tradunt quidam, cum nec primũ cùm bellum in Italia gessit, nec postea cũ in Aphricam redijt, aut cubantem cœnasse, aut plusquã sextario uini indulsisse. Auctor eius uitæ.

C. FABRICIVS, Lucinus Imperator, post pacem cum Samnitibus factam, cùm grandem pecuniam sibi offerri uideret ad splendorẽ domus uictumq́; necessariam, planas manus ab aurib. ad oculos, & infra deinceps ad nares, ad os & gulam, deinde porrò ad uentrem imum deduxisse, & legatis aurum offerentib. ita respondisse fertur: Dum illis omnibus membris, quæ attigisset, obsistere & imperare posset, nũquã quicquam defuturum: neq́; se pecuniam eam, quæ sibi usui non esset, ab ijs accipere, qui ea maximè opus haberent. Iulius Hyginus lib. 6. de uita illustrium Virorũ. Gell. lib. 1. ca. 14. & lib. 4. cap. 8. & lib. 3. cap. 8. Plut. in uita Pyrrhi. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Frontinus lib. 4. cap. 3.

T. SEMPRONIVS Gracchus Rom. Coss. cibario pane uilíq́; mensa utebatur, ac cum operarijs sæpè uescebatur, in exercitu aquam potare solebat, per ardores æstiuos aliquantulo permixtam aceto. Volaterranus libro decimoquarto, cap. 2. Anthrop.

P. SCIPIO Aemylianus, si quando cum amicis in itinere ambularet, pane tantùm uescebatur, cũ cæteri lautissimè epularentur. Frontinus lib. 4. cap. 3.

M. CATO superior, cũ Celtiberos Hispaniæ populos secundis aliquot prælijs fregisset, & totam iam prouinciam obtineret: semper frugaliter uixit, contẽtus uino ciboque, quo nautæ utebantur. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Frontinus lib. 4. cap 3. Plinius lib. 14. cap. 13. Gell. lib. 13. cap. 18. IDEM non amplius sibi & suis tritici ternis medimnis Atticis mense accepit, ordei iumentis sesquimedimno minus. Adhuc adolescens, cũ stipendia faceret in castris, semper aqua usus est Ad sedandam sitim maiorem, aceti haustu utebatur: interdum uegetandi corporis gratia, nõnihil uini delibare cõsueuerat. Domi, hyeme, sola tunica demtis manicis induebatur: æstate penè nudus labore cum seruis certabat: cum ijsdem sedere solitus, eodem pane eodemque cibo uesci. Plutarchus in eius uita.

C. IVLIVS Cæsar domesticam disciplinã in paruis ac maioribus rebus diligenter adeò seuereque rexit, ut pistorẽ, alium quàm sibi, panem conuiuis subijcientem, cõpedibus uinxerit. Eundem uini parcissimum, ne inimici quidem negauerunt. Verbum M. Catonis est: Vnum ex omnibus Cæsarẽ, ad euertendam Remp. sobrium accessisse. Suetonius.

AVGVSTVS Cæsar cibi minimi erat atque uulgaris ferè. Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficos uirides, biferas maximè appetebat: uescebaturq́; & ante cœnam, quocunque tempore & loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt: Nos in essedo panem & palmulas gustauimus. Et iterum: Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciã cum paucis acinis uuæ duracinæ comedi. Et rursus: Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tã diligenter sabbatis ieiunium seruat, quã ego hodiè seruaui: qui in balneo demũ post horã primam noctis duas buccæas manducaui priùs, quã ungi inciperem. Ex hac obseruantia nonnunquã uel ante initum, uel post dimissum conuiuium solus cœnitabat, cũ pleno cõuiuio nihil tangeret. Vini natura parcissimus erat. Non ampliùs ter bibere eum solitum super cœnam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. Postea quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit: aut si excessisset, reiiciebat. Et maximè delectatus est Rhetico, neque temerè interdiu bibit. Proportione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, uel lactulæ thyrsum, aut recens acidúmue pomum succi uinosioris. Suetonius.

TITI Vespasiani filij conuiuia non profusa, sed iucunditatis plena semper fuêre. Pontanus cap. 1. de Continentia.

TRAIANVS Imperator, cùm omnem contemneret luxum, ipse quoque in uescendo frugalissimus fuit. Alexander libro quinto, cap. 21.

PHRAOTEM Indorum regem de uictus ratione interrogauit Apollonius. At is, Ego (inquit) uini tantùm haurio, quantum soli prolibo: captis in uenatione uescuntur cæteri, mihi exerceri satis est: alimenta mihi sunt ex oleribus, & palmarum cerebro, ac fructibus. Philostratus libro secundo. Quæ Suidas inscitè admodùm ad Porum retulit. Cælius in Antiq. Lect.

CARACALLA Imp. tenui mensa ac perexiguo cibo militari uixit, elegantiora omnia aspernatus, gregario militi perquã similis. Ob hæc uelut homo militaris ac laboriosus, ab exercitu dilectus est. Cuspinianus.

FL. CLAVDIVS Imperator, qui Galieno successit, adeò moderatus in cibo ac potu fuit, ut omnibus esset admirationi. Cuspinianus.

TACITVS Imperator lactucas plurimùm esitabat, identidem prædicans, Se somnum lactucarum usu mercari. Sabellicus libro 7. Enn 7.

CAROLVS Magnus cibi potusque parcissimus erat: in potu tamen temperantior, ut qui ebrietatem in quolibet infimæ etiam conditionis homine, nedum suis, abhorreret: cœna quotidiana quaternis duntaxat ferculis, præter assam, qua maximè delectabatur, & quam uenatores ueribus inferre solebant, constabat. In cœna nõ ampliùs ter ferè, neq́; temerè interdiu bibit. Aestate pro potione sumebat aliquid pomorum. Cranzius libro 2. capite 8. Saxoniæ, & Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

MAXIMILIANVS I. Imp. inter prandia raro bibebat, in mẽsa utplurimùm ter: atq́; ideo ualetudo illi usq́; ad periodum uitæ prospera semper fuit. Cuspinianus.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, cùm interrogaretur, Cur uini expers uiueret, aut uino dilutissimo contentus sitim expleret, contra omnium regum & aulicorum morem? respondit, Vino sapientiam obscurari: ideoque non decere regem, ut hoc immodica compotatione in animo extinguat, sine quo Imperatoris ac regis nomen ritè tueri non posset. Interrogatus, Quid sibi uellet, quòd uinum aqua dilueret? Ne ebrius fiam, respondit. non enim ignoro, quantum uini intemperantia Alexandri Macedonum regis gloriæ obfuerit. Ab amico percontatus, Cur adeò ebrietatis uitium damnaret? Ideo, inquit, quia furorem & libidinem ebrietatis filios esse haud ignoro. Panormita libro 2. de gestis Alfonsi.

FERDINANDVS Catholicus, Hispaniæ rex, summa fuit in cibo temperantia, & in potu sobrietate: quippe qui non multis epulis utebatur, & bis tantùm prandens bisque cœnans potare consueuerat. Marineus libro uigesimoprimo rerum Hispanicarum.

SELYMVS Turcicus Imp. tanta in uictu modestia utebatur, ut nõ nisi ex uno ferculo comederet, quod pleruñq; potiùs è feris uenatione captis, aut eiusmodi uilioribus carnibus, quàm è uolatilibus sibi eligebat, quemadmodum & priuati milites efficere cõsueuerant. Id quod in causa erat, ut etiã inter tot labores, quos in remotissimis regionibus sub uario subinde cœlo sustinebat, prospera semper ualetudine uteretur. Iouius in uita Selymi.

Apud MAGNVM Sforciam mensarum honos nõ delicatis & exquisitis dapibus, sed hilari simplicitate, perenni copia, comitateq́; & frequentia conuiuarum censebatur. Iouius in uita Magni Sforciæ.

EMMANVEL I. Lusitaniæ rex, erat quidem cultu uitæ lautissimus, mensaque illius conquisitissimis epulis extructa, uerùm admodùm temperatè cibis utebatur. A uino semper abstinuit, & diebus solenni ieiunio consecratis, ciborum abstinentiam summa religione seruauit. Osorius lib. 12. rerum Emmanuelis.

PROPHETÆ, APOSTOLI.

HELIAS nil aliud petiit à uidua Sareptana, quàm paulum aquæ, & buccellam panis. 3. Reg. 18. Eundem pauerunt corui carnibus bis in die. Sed angelus Domini ostẽdit ei panẽ, & uas aquæ semel tantùm. 3. Reg. 17. & 19.

HELISEVS propheta uiginti panibus hordeaceis centum pauit homines, ut eo miraculo inuitaret omnes ad frugalitatem uictus. 4. Reg 4.

Christi præcursor IOANNES Baptista, Spiritũ sancto replętus antè quã natus, locustis in deserto & syluestri melle pascitur. Ob quã uictus austeritatem à pharisæis dæmoniũ habère dicitur. A Domino neq́; comedens neq́; bibẽs appellatur: non quòd nihil omnino sumeret, sed quòd iis duntaxat susten-

ſuſtentaretur, quæ alij ut inſipida illiaq; deſpiciebant. Marulus lib.4 cap.2.

APOSTOLI ſpicas ſegetum manibus confricant,& hoc tā ſimplici cibo eſuriem, quomodo poſſunt,leuāt. Cumq; numero XII eſſent,nihil aliud, quā quinq; panes hordaceos, duosq; piſces habuerunt in deſerto,quādo Dominus turbā quinque millium pauit. Iterum nihil omninò præterquā ſeptem panes & pauculos piſciculos,quando quatuor millia uirorum ſatiata ſunt. Rurſum transfretantes obliti ſunt panes ſecum ferre:uſqueadeò cibariorum curā non habebat, dum eius, quem relictis omnibus ſecuti fuerant, dulcedine ſatiantur:& tamen quòd non ieiunarent,adhuc excuſabantur,quia ſponſus cum eis erat. Quantò ergo continētiùs atque tenuiùs eos uictitaſſe cenſebimus, poſtquā ablato ſpōſo,hoc eſt crucifixo Domino, nuptiarum gaudium uerſum eſt in perſecutionis luctū, & iam terrena omnia minùs placere cœperunt deſiderantibus cœleſtia? Idem.

PETRO Apoſtolorum principi poſt aſcenſionē Domini,panis cum oliuis,rarò cum oluſculis cibus fuit:ut moderati uictus exēplum foret ijs, quibus abſtinentię præcepta dabat, iam piſcator hominum factus, qui fuerat piſcium. Idem.

EPISCOPI.

GREGORIVS Lingonenſis epiſcopus panes hordeaceos triticea cruſta oblitos eſitabat:in aquæ poculum tantillū uilli addere ſolitus,ut aqua ſuum ſaporem ſeruaret,colore mutato.Marulus libro quarto,cap.2.

OTHO Bambergenſiū epiſcopus nunquā ad ſatietatē comedit in epiſcopatu panem. Cùm aliquando eius procurator lucium piſcem appoſuiſſet, emtum duobus ſolidis,dixiſſe fertur: Abſit ut miſer Otho ſolus tot denarios hodiè abſumat. Defer igitur ad quendam ęgrotū. Ego enim adhuc firmo corpore me hoc pane poſſum reficere. Auctor uitę libro primo, capite 22.

MONACHI, SACERDOTES, EREMITÆ.

SANCTVS presbyter quanto labore in cremo carnis tētationib. repugnarit recenſet D.Hieronymus ad Euſtochium uirginem ſcribens: De cibis & potu taceo,cùm etiam languentes monachi aqua frigida utantur,& coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Marulus lib. quarto, cap.2. & Sabellicus libro 2. cap.2.

D.Hieron. Pauli Thebani,primi eremitæ,uitam deſcribens,Ieſum & angelos eius teſtatur,in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur,uidiſſe ſe MONACHOS,quorum unus per annos XXX clauſus,hordeaceo pane & lutulenta aqua uixit:alter in ciſterna ueteri,quam gentili ſermone Syri cubam uocant,quinque caricis ſuſtentabatur. PAVLVS (ut idem refert) à ſextodecimo ætatis ſuæ anno uſq; ad ſexageſimum,palmę fructibus uixit,eiuſdemq; foliis tectus fuit. Deinde uſq; ad CXIII, quo terris relictis ad cœlum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie coruo alite deferēte acceptauit. In aduentu Antonij integer allatus eſt, Deo donāte quantum utrique ſatis eſſet. Qui cùm comediſſent, ad fontem accedentes, prono ore manibus concauis aquā hauriendo ſitim expleuerunt.

HILARIONEM abbatem diuus Hieronymus tradit à quintodecimo uſque ad uigeſimum ætatis annum, quindecim caricas poſt ſolis occaſum comediſſe. Triennio deinde dimidium lentis aqua maceratæ ſextarium: ac deinde totidē annis panem cum ſale & aqua: & totidem aliis uirgultorū radices herbasq; ſylueſtres crudas. Deinde annis nouē hordeacei panis uncias ſex,& coctum modicè olus abſq; oleo. Poſtea debilitate corporis compulſum,olei parum addidiſſe,uſq; ad tertium & ſexageſimum uitæ annum. Inde uſque ad XXC pane abſtinuiſſe,ſed ſorbitiunculis uſum de farina & olere comminuto factis, potu ciboq, uix uncias ſex appendentibus. Cæterùm nunquam ante ſolis occaſum quicquam guſtaſſe,& neq; diebus feſtiuis,neq; in grauiſſima febre ſoluiſſe ieiunium.Marul.lib.4.c.2.

ANTONIVM in Aegypto, SERAPIONEM in Arſenoite regione,STEPHANVM abbatem in monte Moreto, pane tantùm & aqua ſuſtentatos fuiſſe legimus. Sed Antoniū, cū iam infirmior ętas priſtinæ auſteritati par eſſe non poſſet,oluſcula & arborum fructus cum pane comediſſe. Idem.

TIMOTHEVS anachoreta in deſerto Aegypti pœnitentiam agens, palmæ fructibus & aqua de fonte hauſta ſuſtentatus eſt. Idem.

DOROTHEO abbati in Aegypto unciæ panis ſex, & oluſculorum faſciculus,& aquæ congius refectio erat. Ibidem, & Volaterranus lib.21.

HOSPITIVS ille, qui Longobardorum in Italiam aduentū longè antè prædixit,pane & pomis ueſcebatur. Quadrageſimæ uerò ieiunia herbarum tantùm radicumq; refectione tranſigebat,ſemper abſtemius. Idem.

ROMVALDVS abbas,ordinis Camaldulenſis inſtitutor, dū in eremo uitam ageret, panem & fabam aqua maceratam comedit. Ibidem.

MAXENTIVS Pictauienſis abbas, pane hordeaceo & aqua uictitauit. Arido in loco cùm monachi ſiti laborarent, terrā uirga percutiens,fontem ſcaturire fecit:ut ſcias elementa ei ſeruire,qui gulæ & uentri dominatur. Idem.

PASTHVMIO Aegyptio abbati panis tātùm & aqua uictus erat,utrāq; appendere ſolitus, ne edēdi auiditate plùs hauriret,quàm quod ſuſtentando corpori ſufficere poſſet. Antehac uerò,dum ſolitarius uiueret, crudæ herbæ illi cibum, fontes potum ſuppeditabant. Idem.

HOR abbas, quādiu ſolitudinem incoluit, herbis, radicibus, aqua ſuſtentatus eſt:pane abſtinuit,donec monaſterio prępoſitus,cōmuni cū aliis cibo uti cepit,ut ipſos lucri faceret, & quadam uitæ æqualitate contineret. Idem.

ONOPHRIVS abbas,cùm ſede incerta per ſolitudinem uagaretur,diu herbis tantùm & fructibus ſuſtentatus dicitur. Demùm pane & aqua nutritus,angelo homini miniſtrante. Ibidem,& Sab.lib.2.c.2.

S.MARTINVS in Gallinaria inſula degens,radicibus herbarum & gramine uictitauit. Helleborum inſcius ſæpe comedit,omneq; ueneni nocumentum in nutrimentum prececō uertit.Bonfinius lib.5.Dec.1.

SISINNIVS monachus, Elpidij ſe in ſepulcrum clauſit, & ibidem pane & aqua contentus uixit. Heraclides.

SERAPION in regione Arſenoite Aegypti fuit pater decem millium monachorum,manibus uictum quærentium, quo pauperes iuuabant:ipſe ſola tunica cōtentus, pane & aqua uiuebat. Ex hiſtoria Tripartita lib.8.

PAMBO abbas,cùm animam ageret, confeſſus eſt, quòd ab eo die,quo ſolitudinem ingreſſus fuerat,panem non guſtarit,neq; quicquā,cuius ipſum pœniteret,prolocutus fuerit: & ſe tamen ſic è uita diſcedere, tāquam qui modò cepiſſet, non tanquam qui profeciſſet. Marulus lib.4.c.2.

PHILORONIVS presbyter in Gallicia annos duodeuiginti in cella clauſus, pane & cocto abſtinuit: dein duobus & triginta annis nullum pomi genus guſtauit: ut omni ciborum dulcedine ſepoſita, edēdi auiditatem coërcere facilius poſſet. Idem.

IOANNEM presbyterum,qui in Gallia apud Caſtreſium pagum martyrio coronatus eſt, crudis herbis & aqua frigida ſuſtentatum ferunt.Idem.

COLVMBANVS in Gallia abbas, annis ſexaginta herbis tantùm ac radicibus ſuſtentatus eſt.Fontem de petra Deum precatus eduxit, qui hodie quoq; effluit ubertim, & terram irrigat. Idem.

AMANDVS Turoni ad beati Martini ſepulcrum XV annos manſit,& hoc toto tempore cibus illi panis hordeaceus, aqua potus fuit.Poſtea Traiectēſis epiſcopus factus, miraculis illuſtratus eſt. Heraclio in Oriente imperante. Idem.

GERMANVS ex Burgundiæ præfecto monachus,mox Altiſiodorēſis epiſcopus,tenuiſſimo uictu contentus , uino abſtinuit: ſolennibus tamen feſtis ita aqua diluto utebatur, ut uinum non ſaperet. Antehac hordeaceo pane & leguminibus uixerat,& his non ſale,ſed cinere conditis, quotidianū ſeruans ieiunium. Ibidem.

EVAGRIVS presbyter XL annos pane,oleo & aqua uſus eſt, deinde annos XVI pomis,coctoq; abſtinuit. Poſtea uerò etiam panē ſibi interdixit,ac per bienniū olere tantùm & lentibus uixit. Duorum Macariorum diſcipulus fuit. Idem.

Iubinenſis cœnobij MONACHI modum uiuendi tam ſublimem aſſumſerunt , ut non ſolùm carne & ſanguine penitùs abſtinerent,ſed & ouis ac lacte,tribusque hebdomadæ diebus ſolo pane & aqua ueſcerentur. Reliquis diebus olera cocta ſeu legumina ſumere licitum erat. Piſcibus rarò,uino rariſſimè utebantur. Sua cuiq; cellula. Gerardus à Nazareth de conuerſatione ſeruorum Dei,capite 18.

MVLIERES, VIRGINES, MONACHÆ.

ASELLA uirgo pane & ſale & aqua cōtenta fuit. PAVLA Romana oleum in cibo non accepit:lacticinia,mel,& alia palato ſuauia guſtare noluit, uinū ne infirma quidē. EVPHRAXIA præter hæc, fructus quoque guſtu dulces repudiauit. MARIA Aegyptiaca uel crudis herbis,radicibusq;, uel cibo nullo uixit. MARIA Decegnies pane reficiebatur. Inediam ſemel ad trigeſimum,iterum ad quinquageſimū produxit diem,rapta in ſpiritu. Marul.lib.4.capite.2.

MARTHA uirgo,Chriſti hoſpita,& Chriſti ſponſa,poſt eius ad cœlos aſcenſum, carnem nullam comedit:à lacticinijs quoq; & uino abhorruit, quotidianum ſeruans ieiuniū: donec rurſum ſuauiſſima hoſpitis & Domini ſui præſentia ſatiari ſibi liceret,iam nunquā ab ipſo receſſura. Idem.

MAGDALENAM ſororē eius in deſerto diuinis magis,quā humanis alimentis fuiſſe ſuſtentatam accepimus, dum partem illam optimam poſſidere nititur, quā elegerat,& quæ non auferretur ab ea. Idem.

OTILIA uirgo,leguminibus & hordeaceo pane laſſum ieiuniis corpus ſuſtentabat, donec in cœleſtibus regnis grano illo frumenti ſatiata fuit, quod cadens in terra multum fructum attulit. Idem.

GENOVEPHA Pariſienſis uirgo, à quintodecimo anno ad quinquageſimum uſq;, hordeaceo tantùm pane & fabis contenta, bis in hebdomade cibum ſumebat. Quinquagenaria, epiſcoporum iuſſu hordeaceo pani lac & piſcem adiecit,ne ad mortem ferè conſcitam feſtinare uideretur. Bonfinius lib.5.Decad.1.

DOCTI, PHILOSOPHI, SOPHISTÆ.

EPIMENIDEM tertio Legum Plato ſcribit, modico & interim uiliſſimo cibo interdiu fuiſſe contentum. Conſtabat is ex aſphodelo & malua, quæ illum ſeruabant alimon & adipſon,hoc eſt, ab fame procul & ſiti. Cælius lib. 7. Antiq. Lect. capite 8.

PYTHAGORAS bibebat parum,frugaliſſimeq; uiuebat, ita ut ſolo melle aliquando contentus eſſet. Athen. lib. 10. c. 3. Vinum interdiu non guſtauit:eius obſonium fuēre ferè herbæ elixæ & crudæ:rarò marinis uſus. Suidas.

SOCRATES,cùm ab amico admoneretur,quòd excepturus hoſpites,tenuē admodum feciſſet apparatum:Si boni ſunt, inquit,ſatis erit:ſi mali,plus ſatis. Laert.lib.2.

Ζωὴ πίθου, id eſt, Vita dolij, prouerbio dicitur uita frugalis,parca, & ab omni ſtrepitu atq; ambitione ſemota. Breuiter talis, qualem DIOGENES nobilis ille Cynicus Athenis egiſſe legitur,unico contētus pallio,baculo, quo canes abigeret, dolio de palo ſuſpenſo pro domicilio libenter utens, crudis herbis & aqua ſimplici uictitans,pane excauato pro catino,manu caua pro poculo utēs, à puero ſumto exemplo, quem forte ad eum modum aquam haurientem uiderat. Porrò ut in dolio habitaret, inde ſibi dicebat in mentem ueniſſe,quòd cochleas contemplatus, nullum aliud æquè cōmodum domicilium iudicaſſet, unde proreperet ad ſolem, & ubi ſe conderet à uentis atq; æſtu. Eraſmus in Adagiis.

ARISTIPPVS Cyrenæus,Socratis auditor, tam abſtinens cibi fuit,ut etiam ipſa Abſtinētia uocatus ſit. Suidas,apud Volat.lib.13.cap.4. Anthrop.

EPICVRVS ſummus uoluptatis aſſertor, uictu frugali & modeſto contentus, aqua & polenta, aut pane hordeaceo uictum quæſiuit, contraque paupertatem inuictum animum geſſit: non quòd uoluptates auerſaretur, ſed quòd in tenui uictu ſe plus uoluptatis experiri aiebat. Cuius rei argumentum eſt,quòd oleribus & pomis,ac uilibus cibis,quibus uiuendum cenſuit,libros referſit. Cælius lib.13.cap.25. A.L. & Alexan.lib.3.cap.11.

CRATES Cynicus Demetrium Phalereum, cum panium peram lagenam uini mittentem, alapis cæcidit, inquiens, Nunquid panes ac fontes ferre licet? Non ſimulabat continentiā STILPON,quippe qui allio tantùm ueſceretur,ac in tēplo dormiret Matris deorū:quamuis interdicebatur ei, qui horum quidpiā comediſſet,uel ingredi. Cùm dea illi in ſomnis aſtitiſſet dixiſſetq;, Cùm philoſophus ſis,ô Stilpon, leges tamen pertranſiſti. reſpondit in ſomnis, Tu mihi dato quod comedam,nec allio ampliùs ueſcar. Athen.lib.10.c.4.

Cùm ARCESILAVS quibuſdam conuiuium præbuiſſet, defeciſſetq; panis, cachinnans, manuſq; concutiēs, Quale,inquit,noſtrum eſt conuiuium,ô amici:nam obliti ſumus tantum panis emiſſe,quantum ſufficeret. Athen.lib.10.cap.4.

DEMOSTHENIS frugalitatem Demades egregiè expreſſit, Luciano teſte. Cæteri quidem, inquit,ad aquam dicunt: Δημοσθένης δὲ πρὸς ὕδωρ γράφει. Cælius lib.5.Antiq. Lect. cap. 13.

ZENO Cittiæus crudis duntaxat ueſcebatur, & palliū prætenue ferebat. Aquam bibebat loco uini, ut diſcipulos ſuo exemplo ad temperantiam inuitaret. Hinc exiit prouerbium, Zenone temperantior. Laërtius.

XENOCRATES, cùm miſſa ſibi ab Alexandro talenta intellexiſſet, legatos ad exiguam cœnā inuitauit. Cumq; ab his quæreretur, Cui numerari talenta uellet? Nónne inquit,heſterna cœna intellexiſtis, Xenocratem huiuſmodi muneribus minimè indigere?

MOSCHVS Antimolus ſophiſta, ſolis caricis ueſci ſolitus erat. Alex.lib.3.cap.11.

CATVLLI cœna quàm frugalis,tam elegās,ad quam Fabullum ſuum inuitat:

Cœnabis bene,mi Fabulle,apud me,
Si tecum attuleris bonam atq; magnam
Cœnam:non ſine candida puella,
Et uino,& ſale,& omnibus cachinnis.

L. Anneus SENECA, Cordubenſis, Sotionis Stoici diſcipulus,& Lucani poëtæ patruus,cibi fuit moderati, ac minimè exquiſiti, potuſq; dilutiſſimi. Hieronymus in Epiſtolis. Eum ſcribit Tacitus, in ſumma opulentia agreſtibus pomis & aqua pura naturæ ſatisfeciſſe: unde & corpore ad eum modum fuerit extenuato, ut apertæ Neronis iuſſu uenæ ſanguinem penè nullum ſtillarint.

GREGORIVS Gemiſtò,qui defenſionem Platonis edidit,ſemel tantùm per totā diem ueſcebatur. Volat. lib. 21. Anthr.

PVERI.

Apud PERSAS pueri in uenatione exercebantur,tanquam in orcheſtra militiæ. Exeūtibus autē in uenationem prandium datur largius ſolito: nō tamē prandēt, ſed ſi ad opus fuerit aut feræ ipſius gratia præſtolari,aut aliter uelint tempus terere uenando, hoc prandio pro cœna uſi , rurſum poſtridie uenantur ad cœnam uſq;:& hos duos dies pro uno ſupputant, quòd unius tantùm diei cibum conſumunt. Hoc autem faciunt conſueſcendi gratia , ut ſi opus fuerit etiam in bello inediam ferre poſſint. Xenophon lib.1.Pædiæ.

AEGRI.

ZENO Citticus,medico columbinum pullum conſulēte:non ſecus quàm Manem , ſi ægrotaret, curari ſe iuſſit. Nimirum nolebat,non ſe molliùs tractandum,quàm ęgrum aliquem ſeruum. Indignum quippe,uirùm bonum uſo ſe ſeruo molliorem præſtare. Muſonius de Alimentis: Stobæus ſermone 15. & Laërtius.

Medicus ualetudine tentato CN. Pompeio,& cibū faſtidienti, turdo ueſci imperauit. Quem cùm non inueniſſēt uenalem, quòd intempeſtiuum eſſet, quidam autem ſubiiceret,inuenturos apud Lucullum,ubi per totum annum aleretur:Et niſi,inquit , luxuria difflueret Lucullus , Pompeius non uiueret? Ita ſalutem dicens medico , uſus eſt cibo parabili. Plutarchus in Pompeio.

FVLGENTIVS Rupenſis epiſcopus, ne morbo quidem affectus,carnis alicuius alimento uel uini poculo uti uoluit: ne ritus,ne infirmitati blandiens,ſemel intermiſſum uitę rigorem ſanus poſtea repetere nollet, ſuperatus gulæ uoluptate.Marulus libro 4.cap.2.

FORMA CONVIVANDI FRVGALIS.

Quo ad

PERSONAS,

Cum quibus.

Conuiuia CRETES Andria,LACEDÆMONII Phiditia nominant: uel quòd amicitiam & beneuolentiam concilient, ἀπὸ τῆς φιλίας, loco λ, δ reponentes : uel quòd ad frugalitatem aſſueſaciant & ad parſimoniam, à dictione φειδώ deducentes. Potuit etiam prima litera aliunde adiecta fuiſſe, ut nonnulli uolūt,ac dicta Editia, ab edendo & uictu:& à conuictu συσσίτια. Cretenſium imitatione à Lycurgo uidentur inſtituta. Cœtus quinumdenum erant, aut aliquanto his pauciorum uel plurium. Singuli conuictores farinæ medimnos menſe,uini congios octonos, caſei quinas libras , ficuum binas libras & ſelibras: præterea ad eſculenta parum admodum pecuniæ conferebāt. Ad hæc qui ſacrificauerat, primitias,uel qui uenatus erat, mittebat portionem ad conuiuium. nam ei, qui ſacrificaſſet uel uenatus eſſet , liberum erat domi cœnare : reliquos oportebat adeſſe. Neque uerò ſumta domi cœna licebat expletis aliis dapib. aut potu ad conuiuia commeare. Inſectabantur cæteri eum , qui cum ipſis non biberet uel ueſceretur,ut intemperātem,& ad conuictum elangueſcentem promiſcuum. Multabatur etiam,ſi quis conuictus eſſet. Hunc conuiuiorum morē retinuerunt accuratè. Ac cùm bello,quo Athenienſes deuicerat, rex reuerſus Agis apud uxorem uellet cœnare,portionem poſtulanti non miſerunt Polemarchi: eidemq;, quia poſtridie ſolennia ſacra offenſus nō fecit,multam dixēre. Athen. Plutar.

Narrat Caſſianus cap.26.lib.5. Gaſtrimargiæ, de quodam SENE eremita,cuius tamen nomen nō exprimit,quòd is nunquam ſolus cibum ſumſerit:ac propterea ad totos quinque dies ſæpiùs reficiendi corporis moram extraxerit : dum uel die ſabbati , uel dominico, cùm ad Eccleſiam accedendum fuit,occaſio obtuliſſet aliquem fratrem peregrinum, quem ſecum adductum menſæ ſodalem adhiberet : atq; idipſum quoq; non tam ſuæ neceſſitatis gratia feciſſe illum , quàm hoſpiti pietatis officium exhibendi cauſa.

Quo Habitu,Veſtitu.

In Monaſterio Tabernenſi, ubi Amos abbas mille quingentis monachis præfuit,FRATRES ad menſam congregati,pendentibus à fronte cucullis , ita oculos tegebant, ut alius alium uidere comedentem non poſſet. Itaq; tantum quiſq; ſumebat , quantum collibuiſſet:& ſingulorum continentia ſingulos latebat , ne inani gloriæ daretur occaſio. Marulus lib.4.cap.2.

Quo Situ.

MASINISSAM regem Numidarum nonageſimum ætatis annum agentē,meridie ante tabernaculum ſtantem uel ambulantem capere ſolitum cibos,legimus. Frontin.lib. 4. c.3.

MITHRIDATES rex Ponti iam ſenex,cibum capturus, non accumbebat,uerùm ſtans ueſcebatur. Rauiſius.

Socrates de PIORE monacho Aegyptio in deſerto Thebai-

dis ex Euagrio retulit, ambulando eum cibum capere consueuisse. Interrogatum autem, Quamobrē sic uesceretur? aliàs respondisse, Nolle se cibo tanquam operis aliquid necessarij facientem uti, sed malle neglectim & obiter. aliàs uerò: Ideo, ne inter uescendum corporalis aliquid delectationis anima perciperet. Socrates lib. 4. cap. 23.

ALIMENTORVM
Præparationem, Cocturam, Condituram.

HEROES simplici & frugali assueti, ut pugiles, uictui (qui cibo omnes illecebras accitas & superuacaneas detrahebāt, adeò ut ne piscibus quidem uterentur) cùm statiua ad Hellespontum haberent, non sustinuerunt absque sale carnes gustare: quare salem solum testati sunt pulmentum, quod reiici nequeat, esse. Vt enim colores ad mouendum lucem, ita sapores salem ad excitandum desiderant sensum. Plutarchus lib. 4. Con. quæst. 4.

ANACHARSIS apud Ciceronem lib. 5. Tuscul. quæst. suam abstinentiam ostendens, ait, Mihi pulmentum fames, cubile solum, uestis Scytharum tegmen est.

Inter pulmenta LACONVM prima laus erat iuri nigro: quare carnes non petebant maiores natu, quas iunioribus permittebant: ipsi decuriati iure uescebantur. Fama est quendam regem Ponti, huius iuris gratia coquum Laconicum comparasse: mox gustu offenso, subiecisse coquum: Hoc ius parandum rex est iis, qui in Eurota lauerunt. Athenæus libro 4. capite 4. & 5. & Plutarchus in Lycurgo. & in Lacon. M. Tullius Tuscul. quæst. libro quinto: scribit, Dionysium tyrannum Syracusanum Spartę in phiditiis cœnauisse, & à cœna negasse, sibi nigrum illud ius, quod cœnæ caput erat, placuisse: Tum qui illud coxerat, respondisse: Minimè mirum si displicuisset. condimenta enim deesse. ac Dionysio rogante, Quæ tandem illa? Labor (inquit) in uenatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. his enim rebus Lacedæmoniorum epulas condiri. Est autem ius nigrum, ut inquit libro sexto Pollux, hæmatia, id est, sanguiculus, seu igne coctus sanguis. Sunt qui sanguiculum, id est, hæmation, esse hœdi sanguinem putent, cibo concinnatum, quod hypotrimma dicatur quoque, ac hyposphagma. Cęlius lib. 13. cap. 25. A. L.

LACEDÆMONE coquos esse non licebat alios, quàm carnis duntaxat. Qui uerò quamuis cupediariam aliam artem nouisset, eiiciebatur Sparta. Aelianus lib. 14. de Varia hist.

Acetum & salem subministrant LACONES coquo, reliqua ex hostia quærere iubent. Plut. in Præcept. sal.

LACON quidam ingressus diuersorium, caupont dedit obsonium, ut appararet. Quum ille posceret caseum, acetum & oleum: Quid, inquit Lacon, si caseum haberem, iam non egerem obsonio? Εἰ τυρὸν εἶχον, οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψου. Caupo, caseum & oleum petebat ad condiendum piscem. at Lacon superuacuum existimabat, cibum cibo miscere: quum alter per se satis esse posset. Plutarchus in Lacon. & orat. 1. de Esu carnium.

ROMANOS diu non pane, sed pulte uictitasse, pistoresq; per annos DC, usque ad Persicum bellum, nullos habuisse, constat. Fiebat autem puls ex aqua, frumenti & fabarum aut ordei farina, quam in sacris oblationibus deorum pro uictima adhibebant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

M. CVRIVS Dentatus, cùm à Samnitum legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est. De eo Iuuenalis Satyra undecima:

—cuius paruo quæ legerat horto
Ipse focis breuibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

APOLLONIVS abbas panem, olus, herbas edere solebat: sed ita sanè, ut ea sale condiret, uel aceto maceraret: coctum gustauit nihil. Marul. lib. 4. cap. 2.

THEONEM monachum cruda comedisse accepimus, nec ignis opera unquam usum. Idem.

PALÆMON monachus in Thebaidis deserto habitans, celebri paschæ die Pacomium contubernalem suum rogauit, ut solito largiùs obsonaret. Coxit ille olus, oleoque & sale condiuit. Sed posita mensa, Palæmon suspensus parumper stetit, ingemuit, lacrymas effudit: &, Dominus meus, inquit, crucifixus, felle & aceto potatus est, & ego oleum edam? Auertentem se ac lugentem, Pacomius hortabatur ut sumeret, & illam olei lautitiam non tam sibi quàm festi solennitati concederet: tantum profecit, ut nec ipse aliud gustarit, quàm quod consueuerant, panē scilicet cum sale, aquámq; frigidam. Sic refecti Deo gratias egēre, hoc tantùm festo tribuentes, quòd escas tunc sapidiores parauerint, quàm comederint: adeò oleum in cibo sumere, luxuriȩ deputabant. Marulus lib. 4. cap. 2.

EVCHARIVS confessor panem comedebat hordeaceū, quē aspergebat cinere, ne præ se ferret suauitatem. Aquam lacrymis suis tepefaciebat: eaq; faciebat balnea, quib. abluebat leprosos, & se postremum. Rauisius.

Mixtionem.

Ion poëta scripsit, uatē quendam Palamedi prædixisse, GRÆCOS nauigaturos, qui treis cyathos ad unum biberent. Athenæus lib. 10.

De modo miscendi uini VETERVM, Athen. lib. 10. cap. 8. & 9. Item de modo propinandi eorundem, idem cap. 10.

Aiunt cùm purum in cœnis uinum datur, omnes deum Sospitem optare bibenti. Cùm uerò post cœnam aqua mixtum sumitur, Iouē inuocari Saluatorem. Nam puri uini potus ad insaniam redigit: aqua Iouis mixtus, uoluptatem lætitiamq; affert, & prohibet insaniam. Diodorus lib. 4. cap. 1.

Diuisionem, Distributionem.

PRISCI epulantes suam quibusque conuiuis obsoniorum portionem separatim diuisimque apponebant. Quam rem cumulatè persequitur Zenobius in parœmia, μερὶς οὐ πνίγει, & Plutarchus Sympoſiacorum libro 2. segmento 10. Probatque ex Homero Athenæus libro 1. & 14. Διονύσιος δ' ὁ τῆ τρύφωνος, τὸ μὲν παλαιόν, περὶ εἰσελθεῖν τὰς δαιτυμόνας, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν κεῖσθαι τὴν ἑκάστου μοῖραν· ὕστερον δὲ πολλὰ ποικίλα ἐπιφέρεσθαι, διὸ καὶ φορήματα κληθῆναι. Brodæus in 2. Epigrā. Proinde cœnas δαῖτας uocabant, conuiuas δαιτυμόνας, structores δαιτρούς, à δαίειν, id est, dispertiendo & distribuendo. Apud Lacedæmonios κρεοδαῖται, id est, carnium diuisores erant non uulgares, sed primarij uiri: ut etiam Lysander ab rege Agesilao carnium diuisor in Asia creatus fuerit. At tunc demum partitiones explosæ fuerunt, postquam irrepsit in cœnas luxus. Neque enim facile erat scilicet bellaria, mellita, lactaria opera, quæ κανδύλους dicunt, condimenta, diuersosque alios cupediarum & esculentorum missus partiri: sed ex impotenti circa ista ingluuie & popinatione portionum æquabilitatem proiecerunt. Argumento est, quòd sacrificia etiamnum & cœnæ publicæ ob simplicitatem uictus & sinceritatem portionibus fiant. Ita partitionem qui refert, simul reuocat frugalitatem. Plutarchus libro 2. conu. quæst. 10. Seleucus apud Athenæū libro primo, cap. 20. inquit, δαῖτα, splendidum apud Homerum conuiuium literarum mutatione esse diætam, nec à diuidendo dici, sedā frugalitate.

Mos est apud GALATAS, ut panes complures fractos susim in mensis apponant, ut Phylarchus libro sexto testatur, carnesque ex lebetibus excerptas, quas nullus priùs gustare audet, quàm regem uiderit aliquid attingere appositorum. Athenæus lib. 4. cap. 11.

Copiam.

Cyrus puer rogatus ab auo Astyage, Vtrū pater ipsius CAMBYSES inebriaretur aliquando? Minimè uerò, respondit. etenim διψῶν πίνειν. sic bibit, ut sitire desinat, uel certè adhuc sitiens desinit. Xenophon lib. 1. Pædiæ.

Apud ARABES, cùm longiori potu indulgerent, nemini supra duodena pocula bibere, fas erat. Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 21.

Vinum Græcum semel tantùm etiam in lautissimis conuiuiis apponere solebant ueteres ROM. quorum conuiuia iucunda magis quàm profusa fuere. Primusque diuus Cæsar triumphalibus cœnis, quatuor uini genera, præter instituta maiorum, dicitur apposuisse, Falernum, Chium, Lesbium & Mamertinum.

Apud ROM. quum apparatu magnifico exquisitissimæ epulæ dabantur, trinis ferculis, sequutis mox temporibus etiā senis cœnam exhibuere: idque ipsum luxuria erat: quomodo Augustus conuiuia inisse fertur, quibus nō ampliùs trinis ferculis, aut quum abundantissimè, senis conuiuabatur. Alexan. lib. 5. cap. 20.

C. IVLIVM Cæsarem uini parcissimum fuisse, nec inimici negauerunt. Vnde dicebat M. Cato, Vnum ex omnib. Cęsarem ad euertendam rempub. sobrium accessisse. Suetonius.

FRIDERICVS III. Imperator extra cœnam nunquam utebatur uino. In cœna lectissimum bibebat, & id aqua perdomitum. Leonoræ Augustæ, quæ paterna in domo nūquam uinum gustasset, suadebant medici in Germania, regione frigida, si mater fieri uellet, uinum biberet. Quod cùm accepisset Fridericus, Abi, inquit Aeneæ Syluio, atque Imperatrici dicito, sterilem me coniugem quàm uinosam malle. Proinde me si amat, uinum oderit. Ad id nuncium Leonora, Etsi uiri iussioni tam libenter pareo quàm uiuo, si tamen uini usum mādauerit Imperator, mori optauerim, quàm parēre. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitam.

Assumtionem.

PYTHAGORÆI lautissima fercula sibi proponi patiebātur. Ipsi interim ea à famulis absumi conspiciētes, frugalissimis contenti erant. Plutarchus.

SOCRATES ut sitis uehemētiam moderaretur, ab exercitio non antè bibebat, quàm cadum aqua ex puteo hausta impleuisset & effudisset. Plut. de Garrulitate.

VASA.

Apud Athenæum libro 11. refert Xenophon, apud PERSAS fuisse uetitum, ne προχοΐδας inferrent in conuiuium (id apparet fuisse uasculi genus, quo uinum è cratere ministri effunderent in cyathum) id factum est, ne supra modum bibētes, & animi; & corporis uiribus destituerentur. & addit, eum morem adhuc apud illos seruari: nec enim inferri prochoidas, sed nihilo seciùs tantum illos bibere, ὥστε ἀντὶ τοῦ εἰσφέρειν αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπειδὰν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἐξιέναι. id est, pro eo quod non inferuntur prochoides, ipsi efferuntur, postea quàm non ampliùs possunt exire saltantes. Erasmus in Adagiis.

AGATHOCLES nunquam sine fictilibus cœnauit, memor paternæ obscuritatis, quòd figulo patre genitus foret. Diod.

LOCVM, TRICLINIVM, MENSAM.

LACONes angustam mensam habent, quo propulsantes industria sua famem ad audendum concitentur, & ad dolos concinnandum. Id cibi penuriæ munus est, atque ideo erat angusta mensa, ut assuescerent saturitatem uitare, & tolerare famem posse. Ita namq; ad expeditiones etiam aptiores fore censebant, si per inediam ualerent laboribus sufficere: temperantioresq; & frugaliores, si perdiu exigua impensa degerent. Item eo quòd non desiderarent pulmentum & quemuis pastum caperent, putabant corpora salubriora reddi, spiritumq; cibi defectu non coactum in profundum & latum attollere in sublime corpora, præterea pulcra reddere: quòd graciles & exiles habitus, ad membrorum conformationem magis ductiles sint, cùm saginati reluctentur suo pondere. Plut. in institutis Laconicis.

Fuit illa simplicitas antiquorum ROMANORVM in cibo capiendo humanitatis simul & continentiæ certissima index. Maximis enim uiris prandere & cœnare in propatulo uerecundiæ non erat: nec sanè ullas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent: erant enim adeo paucis contenti, ut frequentior apud eos pultis usus quàm panis esset. Ideoque in sacrificiis, mola, quę uocabatur, ex farre & sale constat: extra farre spargunt: & pullis, quibus auspicia petuntur, puls obiicitur: primitiis enim ex libamētis uictus sui, deos eo efficaciùs, quo simpliciùs, placabant. Val. Max. lib. 2. cap. de Instit. antiq. Plinius lib. 18. cap. 8.

FINIS, CVR. ABSTINENTES causa

SAPIENTIÆ, ERVDITIONIS, STVDIORVM.

BARTOLVS legum commentator ad pondus comedebat, ut haberet intellectum bene dispositum. Lud. Romanus in sing. 719. Quæro à te.

HENRICVS Glareanus, cùm à quodam importuniùs in conuiuio urgeretur, uti propinanti satisfaceret: Ecquem uerò tu me esse putas, inquit? Cùm is, Virum probum atque doctum, respōdisset: Ergo, ne cane meo sim indoctior, quàm diu sitio, tamdiu bibendum esse scio. Thomæ Plateri acroama.

RELIGIONIS.

Seleucus non fuisse ANTIQVORVM morem attestatur, aut multum uinum bibere, aut aliud suaue sumere, nisi id deorum gratia fieret. unde θοίνας, θαλίας & μέθας nominarunt. Has quia propter deos se ebrios esse oportere ducebant, illas quia deorum gratia congregabantur & conueniebant: hoc est enim conuiuium lautum. At μεθύειν, inquit Aristoteles, est in sacrificiis uino uti μετὰ τὸ θύειν. Athen. lib. 1. cap. 1.

PRVDENTIÆ, VIGILANTIÆ.

IVDITHA, cùm ad interficiendum Olofernē properaret, Abræ suæ ascoperam uini, uas olei, polentam, lapathia, panes & caseum imposuit, & profecta est, ut institutum absolueret. Iudith 10.

Leotychidas primus, requirenti, Qua de causa parci in potu SPARTIATÆ sint? Ne alij, inquit, pro nobis consultent, sed pro aliis nos. Plut. in Apophthegmatib.

ALEXANDER Magnus, cui crapulam nonnulli & temulentiam improperant, habebat hoc, magnis ut esset in rebus gerendis siccus, non imperij licētia ebrius uel bacchabundus: cuius alij exiguæ partis compotes ubi eam gustauerunt, temperare sibiipsi non ualent. Plut. Orat. 2. de Alexandri fortuna uel uirtute.

EPAMINONDAS, cùm festum diem Thebana urbs ageret, & omnes crapulæ studerent: occurrit familiari cuidam sobrius atq; mentis compos. Illo admirante, quid ita solus ambularet? Quò liceat (inquit) omnibus uobis perbacchari. Plut. in eius uita.

ROMVLVS (ut recitat Lucius Piso, qui Romuli regis uitam scripsit, in primo Annali) cùm ad cœnam fuisset uocatus, pauxillum bibit, quia postridie negotium haberet. Dicente quodam, Romule, si istud omnes faciant, uinum erit uilius. respondit, Imò uerò carius. si quantum quisq; uolet bibat: nam ego bibi quantum uolui. Gell. lib. 11. cap. 14.

HOSPITALITATIS, VRBANITATIS.

CLEOMENIS, Leonidæ F. Spartanorum regis, cœna quotidiana in triclinio erat perquam restricta & Laconica. Quòd si legatos uel hospites exciperet, lecti duo alij adiiciebantur, & mensam instruebant ministri paulò splendidiorem, non condimētis uel bellariis, sed fercula ut pleniora essent, & gratius uinum. Etenim castigauit aliquando amicum quendam, cùm intellexisset, hospitibus inuitatis nigrum ius cum & offam pro Laconicorum more conuiuiorum apposuisse. Negauit enim in his uel apud hospites nimium Laconicè agendum. Plutarchus in Cleomene.

Circa uictum C. Oppius adeò indifferentem docet C. IVL. Cęsarem fuisse, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro uiridi appositum, aspernantibus cæteris, solum etiam largiùs dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis uideretur arguere. Suetonius.

CONSVETVDINIS.

EPAMINONDAS cum collegis epulās superbibit acetum: sciscitantibusq;, An id ad sanitatem cōferret? Haud scio, inquit: sed ad reminiscendum domestici uictus salubre esse, id uerò scio. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium 1.

SANITATIS, VALETVDINIS.

[illegible] ad TIMOTHEVM: Noli adhuc aquā bibere, inquit, [illegible] modico uino utere, propter stomachu tuum, & frequentes tuas infirmitates. Cui propter aduersam ualetudinem, modico uino uti præcipit, eum dum sanus esset, aqua usum fuisse ostendit. Sed etiam male affecto paucitatem, non copiam imperat: quòd scilicet ad digerendam stomachi cruditatem satis sit, nō quo etiam sopita genitalium uoluptas excitari possit, ne corporis remediū uertatur in animæ perniciem. Marulus lib. 4. cap. 2.

CALLISTHENES in calumniā apud Alexandrū incurrit, quòd effusiorē uini in cœna usum eius molestè ferret. Quippe calicem quoq; Alexandri dictum, qui grandis erat, ut ad eum peruenit, reiecisse ferunt, nolle satus Alexandri calice hausto Aesculapio (Bacchi comite) opus habere. Plutarc. lib. 1. Quæst. conuiualium 6. & Athen. lib. 10. cap. 11.

Pompeio laboranti turdum præscripserant medici sumere. Qui cùm quæreretur, nec inueniretur, quòd esset intempestiuum, dixit quidam, repertūros apud Lucullum, qui per totum annum eos aleret: Itàne uerò, nisi Lucullus, inquit, luxuria diffluerent, non uiueret Pompeius? missoque facto medico, quæ parabilia erant, cepit. Plut. in Apophthegmatib. & An seni tract. resp.

C. SENTIVS prætor, Chium uinum in domum suam illatum dicebat tum primum, cùm sibi cardiaco medicus dedisset. Plin. lib. 14. cap. 14.

Scribit primo Canonis Auicenna, solitos ANTIQVORVM non paucos manè tantùm carnibus uesci, ac cœnæ modo panem adhibuisse. Cæl. lib. 28. cap. 2. A. L.

Temperans adeò fuit in uictu GALENVS Medicus Pergamenus, postquam certam tuendæ sanitatis rationem iam animaduerterat, ut nunquam postea ob eam in uictu neglectam ægrotarit.

ROGATIANVS nobilis Senator à Porphyrio laudibus celebratur, omnis luxus hostis acerrimus: qui frugalitate sua tantum profecit, ut quum podagra infestaretur priùs, mox tanquam in multos annos impetratis induciis, ita cōualuerit, ut manuum pedumq; munere non uteretur secus ac quilibet maximè uigentium. Qua quidem re factum est, ut uerè sinceriterq; philosophantis insigne esset ac haberetur exemplar. Cælius lib. 7. cap. 11. Antiq. Lect.

IOVIANVS Pontanus uno solo ferculo contentus erat, eoq; parcissimo Rogatus causam, Cibo abstineo respondit, ut à me medici. Imitatus hoc ipso Callisthenem sophistam. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

ROBORIS.

STARCATHERVS Danus pugil nunquam ebrietati indulsit: ne præcipuum fortitudinis uinculum continentiam, luxuriæ uiribus eliderct. Saxo lib. 6.

GNEFACTVM Vecchoridis sapientis patrē, regē Aegyptiorum, dicunt in Arabiam cum exercitu profectum, commeatu in locis desertis atq; asperis deficiente, coactū esse cibum uilem ab idiotis, qui forte occurrebant, sumere. Quo lætatus, cùm præter modum suauis uisus esset, abominatus est Menam, qui primus regum sumtuosiori cibo esset usus. Adeò autem ei tum cibus, tum potus, tum lectus humilis cordi fuit, ut hoc in libris sacris inscribi imperarit, ac Thebis in templo Iouis poni. Eam ob causam nullam Menæ gloriam ad posteros manasse ferunt. Diod. lib. 1. cap. 4. Plut. com. de Iside Technatim regem Bacchoris patrem legit.

SECVRITATIS.

Veteres non solùm escam, uerùm etiam animantis cædem innoxij pro facto execrabili habuere & nefario. Multitudine uerò animantium cùm subacti essent, & oraculo quodam, ut aiunt, Delphico moniti, ut fructibus subuenirēt, qui cor-

rumpebantur, adorti sunt ea immolare. Attamen perculsi ad huc & formidantes, sacrificare uocabāt ἔρδειν καὶ ῥέζειν, facere & agere: quasi magni quid agerēt, cùm, quod animatum esset, immolarent. Obseruant autem in hanc usq; diem diligenter, ne mactent: nisi quod, cùm immolatur, annuat: usq; eò religiosi ad omnem iniuriam erant. Nam si à gallinis tantùm omnes abstinuissent, uel à cuniculis, haud licuisset modico tempore per illorum numerum uel urbem colere, uel fructibus frui. Plutarchus libro octauo Conuiuialium, quæstione octaua.

TEMPERANTIÆ ALIORVM MAGISTRI.

HVC ILLI, QVI

ABSTINENTIAM, SOBRIETATEM docent, fouent, promouent.

Vide Tit. Sobrietati & Abstinentiæ prudenter consulere.

HOMINES. PROMOVENT

Religione.

ANTIQVI, cùm homines ab uoluptatibus abstinere nō posse intelligerent, utile uerò maximeq; conducens his arbitrarentur, si compositè assuescerent, tempus quoddam certum determinarunt, deisq; priùs sacrificantes, sicipsos [illegible] laxationem animi dimittebant, ut deos omnes ad primi[illegible]rum oblationes accedere existimantes, ad sacrificia cum uerecundia quadam ac timore conuenirent. Cùm igitur deos præsentes esse arbitrarentur, festiuitates & ornatè & temperanter transigebant. Quare neq; decumbere mos erat apud antiquos, sed sedentes conuiuabantur: neq; ad ebrietatem sanè usq; bibebant, sed quantum cupiebat animus: ubi sacrificassent, domum suam quiuis redibat. Et hinc uox μεθύειν, uino indulgere, ὅτι μετὰ τὸ θύειν, quòd post sacrificia deorum genio indulgerent. Athen. lib. 8. cap. 13.

Præceptione, Admonitione.

IONADABVS Recabi F. auctor fuit suis posteris, ne uinū biberent. Hieremiæ cap 35.

Ὀρφικὸς βίος, id est, Orphicam uitā, Plato libro de Legibus sexto dixit, uitam innoxiam, & à luxu sanguinolētisq; dapib. puram. ORPHEVS enim suos Thraces instituit, ut sanguine pecudum nec aras deorum, nec carnib. mensas inquinarent, sed libis ac frugibus melle conspersis sacra facerēt, nec aliis ipsi uescerentur. Idem pòst PYTHAGORAS tentauit apud Ionios, NVMA apud Romanos. Erasmus in Adagiis.

HOMERVS omnium uirtutum præco & magister, frugalitatem uictus suis carminibus passim docuit. Assis carnib. quæ minus curæ & impendij requirunt, heroas suos uesci introducit. Nec piscium, nec auium meminit usquam, ne apud Alcinoū quidē uoluptatis studiosum, & in ipso mari habitantem. Bellaria nulla apponit. In uino passim moderatissimos facit. Vide Athenæum lib 1. cap. 4. Dipnosoph.

Fabulosum putant, PYTHAGORAM idcirco necari animalia uetuisse, quia nobiscū ius animæ commune habere arbitraretur: sed ut mortales facilioribus cibis assuescerent, in quibus parandis igni alióue maiore apparatu non esset opus: aquam ut biberent, uelut inde ualetudo corporis maiusq; existeret ingenij acumen. Sab. lib. 7. En. 2.

De ZENONE Cittiæo extant Philemonis seu Posidippi uersus apud Diogenem ex fabula, cui titulus Philosophi, tales:

Εἷς ἄρτος, ὄψον ἰσχάδες, ἐπὶ πιεῖν ὕδωρ.
Φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ,
Πεινῆν διδάσκει, καὶ μαθητὰς λαμβάνει. *id est,*
Post panis esum, cariceumq; obsonium,
Aquam bibens perdurat inde simplicem.
Nouum enim philosophiæ celebrat hic genus.
Docet esurire, ac discipulos ita illicit. Erasm. in Adag.

Polemon, Atheniensis iuuenis, cùm aliquando è compotationibus, uino grauis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida ueste amictus, Academiam intrasset, & clarissimum eloquium, saluberrimaque præcepta temulentiæ lasciuiis eleuaret: orta omnium indignatione, XENOCRATES omissa re, quam differebat, de modestia ac temperantia loqui cepit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemō, primùm capite detractam coronam proiecit: paulo pòst brachium intra pallium reduxit: procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit: ad ultimum totam luxuriam exuit: uniusq; orationis medicina sanatus, ex ganeone philosophus euasit. Val. Max. lib. 6. c. 11.

Ariston philosophus solitum fuisse POLEMONEM Academicum scribit, eos, qui proficiscerentur ad conuiuium, admonere, ut curarēt, ne in præsentia tantùm, sed in crastinum quoque diem cœnam illam iucundam redderent. Victorius lib. 18. Var. lect. cap. 3.

ANACHARSIS primum craterem ad Sitim pertinere dixit, secūdum ad Hilaritatem, tertium ad Voluptatem, quartum ad Insaniam. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

EBVLVS poëta Cyprius, bene sentientibus tria tantùm propinari pocula putauit, Sanitati primum, Amori alterum, tertium Somno: quartū utiq; non nostrum, sed Iniuriæ: ultimū uerò ἱεμῶ appellari uoluit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 11.

Athenæus libro Dipnosophist. 3. heroicum hunc ut prouerbialem adducit,

Τὸν σικυὸν τρώγουσα, γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε. *id est,*
Arrodens sicyon, uxor, subtexe lacernam.

Apparet esse uerba MARITI iubentis, ut uxor tenui contenta uictu, perageret opus suū. Nam sicyon seu sicyos bulbi genus est, aut certè peponis: nonnulli putant cucumeris.

Legislatione.

Xenocrates philosophus ex TRIPTOLEMI legibus, apud Athenienses tria duntaxat præcepta in templo Cereris Eleusiniæ remansisse scribit, honorandos patres, uenerandos deos, carnibus non uescendum. Polyd.

Scribit Xenophon in libro de Republica Lacedæmoniorum, LYCVRGVM cibi tantum habendum censuisse, ut nunquam grauaretur crapula, & indigentiam ferre expertus sciret. Quinetiam ad salubriùs degendum, & ad status proceritatem magis id alimenti conducere arbitratum esse, quod gracilia corpora, quàm quod lita cibo efficeret.

Vita, Exemplo, Conuersatione.

DOMINVS in Euangelio sæpe multiplicauit pisces, non carnes. Vnde ad præceptū Domini concluserunt discipuli multitudinem pisciū copiosam. Luc. 5. Præterea panes & pisces bis multiplicasse legitur, nunquam carnes. De quinq; panibus & duobus piscibus, Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6. De septem panibus & paucis pisciculis ab ipso Domino multiplicatis, habetur Matth. 15. Mar. 6. & 8. Luc. 9. Ioan. 6. Post resurrectionem etiam septem discipulis piscantibus & non prendentibus, manifestauit se Saluator dicēs: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Sequitur, quòd extraxerunt rete plenum magnis piscibus, & de piscibus illis dedit Dominus discipulis suis. Ioan. 21. Populo autem Iudaico carnali dedit carnes ad uescendum. Exod. 16. Saluator noster, cuius actio est nostra instructio, nunquam legitur carnes comedisse, nisi de agno Paschali: de pisce uerò allato ad manducandum comedit. Luc. 24. Ioan. 21.

PERSÆ pueros suos docebant cibi potusq; continentiam seruare. Ad quod illos maximè iuuabat, quòd ante oculos haberent, seniores non priùs abire uentris implendi gratia, quàm principes permisissent: quodq; non apud matres uescerentur pueri, sed apud motum magistrum: ferrentq; domo pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, ad potum uerò capedinem, ut ex flumine aquam haurirent. Xenophon in Cyri pædia. Stobæus sermone 42.

LYCVRGVS inter cætera præclarè instituta Syssitia instituit publica frugalissima. Siquidem non licebat præsumta domi cœna conuiuia inire expletos, sed obseruabant acriter cæteri, atq; eum, qui non biberet cum ipsis, neq; uesceretur, proscindebant, ut intemperantem, & ad cōuictum elanguescentem promiscuum, cōuitiis. Hac potissimum actione, pecuniosos ferunt in Lycurgum exarsisse, eorumq; cateruam coitione facta obstrepuisse ei & insectatam fuisse. Qui postremò lapidibus petitus, proripuit se foro: aliis autem elapsus ad sacram ædem confugit. Vnus fuit adolescens ingenio alioqui non malo, sed acris & ardentior, Alcander. hic fugientis tergo inhærens, percussit respicientem baculo, oculumq; excussit. Lycurgus nihil uulnere deterritus, sed obuersus ad populum, ciuibus faciem cruore oppletam & uiuersum ostendit labefactatum. Ibi tanta uerecūdia concio perfusa & mœstitia fuit, ut dederent ei Alcandrum, & uicem eius dolentes frementesq; domum usq; eum prosequerentur. At Lycurgus hos quidem collaudatos dimisit: Alcandrum uerò introductum nec uerbo læsit nec facto, sed amotis ministris, quibus ad corporis cultum erat uti solitus, iussit eum sibi ministrare. Ille strenuè imperata & obedienter fecit. qui ex consuetudine & contubernio Lycurgi, cùm notaret māsuetudinem & motum animi eius, uitam asperam, labores indefatigatos, cùm mirificè cepit eū admirari, tum apud familiares & necessarios prędicauit, non esse rigidum Lycurgum nec præfractum, sed solum erga alios lenem illum & blandum. Ad hunc modum castigatus ille fuit, eámque luit pœnam, qui ex tetro iuuene & præfracto modestis-
simus

simus uir atque temperantissimus redditus est. Huius casus Lycurgus monumentum, ædem Mineruæ, quam appellauit Optileten, excitauit: quòd huius regionis Dorij oculos ὀπτίλλους uocent. Post id infortuniū tamen destiterunt Lacedæmonij deferre in concionem baculum. Plutarchus in Lycurgo.

LACONVM institutum fuisse legimus, ut filij, & præsertim principum & magnatum, in parentum conspectu, propria & parciore mensa uterentur: ut si quid luxuriam redoleret, statim à parentibus & amicis remoueretur. Xenophon.

ROMANORVM fuit illa simplicitas in cibo capiendo, humanitatis simul & frugalitatis certissima index. Maximis enim uiris prandere & cœnare in propatulo, uerecundiæ non erat: nec sanè ullas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent: erant namque adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus quàm panis esset. Valer. Max. lib. 2. de Instit. antiq. Gell. lib. 12. cap. 15. Macrobius lib. 3.

M. Crassus Rom. locupletiss. in duorum FRATRVM angustis ædibus eadem mensa cum tota familia utērium educatus, temperantiam & frugalitatem didicit. Plut. in Crasso.

TIBERIVS Cæsar, ut parsimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, solennibus ipse cœnis pridiana sæpè, ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq; aprum: affirmans, omnia eadem habere, quæ totum. Suetonius.

Verona à Venetis & Gallis anno Sal. 1516. arctissimè premebatur, defendente urbem Cęsaris nomine M. ANT. Columna. Iam peruentum erat ad summas rerum difficultates. Dux ipse, quum primores exercitus quotidianis cœnis adhiberet, & quadraginta diebus nihil præter aquam bibisset: tanta comitate omnes abstinentiæ & frugalitati insuefecit, ut facilè atque alacriter cæterarum etiam rerum inopiam tolerarent. Iouius.

Exercitatione.

Alexander Magnus Adam matrem adoptauerat, & Cariæ designauerat reginam. Cùm comiter illa multa quotidie fercula ei & bellaria mitteret, coquos deniq; & pistores, quos putabat intelligentissimos: Nihil, ait, his sibi esse opus, meliores habere se coquos à pædagogo donatos LEONIDA, ad prandium νυκτοπορίαν, iter antelucanum, ad cœnam uerò ὀλιγαριστίαν, angustum prandium. Plut. in Alexandro.

Laudatione, Præconio.

TIMOTHEVS filius Cononis ex magnificis ac sumtuosis cœnis militaribus in sympomsium Platonis, quod fiebat in Academia, assumtus, cùm frugaliter & ornatè cœnasset (ἀφλεγμάντοις τραπέζαις, id est, mensis non tumefacientibus, ut inquit Ion, quas somni consequantur puri, cum summa corporis tranquillitate) uidissetque eum postridie, dixit: Vestræ quidem cœnæ non solùm in præsentia, sed etiam postero die iucundæ sunt. Plutarchus autem in Præcept. salub. & Athenæus in X. libro δειπνοσοφιστῶν, narrant, cùm postridie incidisset in Platonem, eleganti uoce, politoque homine digna, indicasse, quantoperè gauisus esset modico illo apparatu: nec tamen omnes eodem pacto eum locutum ferunt. Plutarcho sanè & Athenæo conuenit cum Cicerone. Plutarchus nanque ait: ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνήσαντες, καὶ εἰς αὔριον ἡδέως γίνονται. Athenæus uerò, ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίνονται. Addit tamen Athenęus & Aelian. lib. 2. Var. hist. Hegesandrum in commentariis sic tradere Timotheum locutum: ὑμεῖς ὦ Πλάτων εὖ δειπνεῖτε μᾶλλον εἰς τὴν ὑστεραίαν, ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν. Victorius lib. 18. Var. Lect. c. 3.

BRVTA TEMPERANTIÆ MAGISTRA.

DIOGENES Sinopensis, desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cùm neque propter egestatem ipse quenquam reciperet, neque ipsum hospitio quisquam acciperet. Omnibus enim inuisa erat eius in reprehendendo acrimonia, deinde in agendo loquendoq; acerbitas. Proinde tristitia plenus, summas foliorum extremitates manducabat. Mus accedēs, decidentibus frustulis uescebatur. Diogenes subridens, animo recepto: Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensium lautitia. Et quid tu, ô Diogenes, ægrè fers, te cum Atheniensibus non uitulari? Aelianus libro 13. de Varia historia.

INTEMPERANTIAM, EBRIETATEM, INGLVVIEM COERCERE, castigare, uel

ODIO.

Delicias lautitiamque & luxum adeò execrabiles fuisse apud priscos AEGYPTIOS ferunt, ut pila Thebis in fano Iouis posita sit, in quam incisæ sunt deuotiones in caput regis Minij (Menæ apud Diod) qui Aegyptios principes ex angusta, tenui, & frugali uiuendi ratione laxauerit. Memorant Technatim Bacchoris patrem (Diod. Gnefactum uocat, Vecchoridis sapientis patrē) in expeditione Arabica, cùm morarentur impedimenta, haud grauatim sumtis communib. cibariis contentū fuisse. Inde cùm arctè in toro militari dormitasset, amplexum fuisse frugalitatem. Tum in caput execratum Minij fuisse, comprobantibusque sacerdotibus execrationem in pila consignasse. Plutarchus de Iside. & Diodorus lib. 1. cap. 4.

PERICLES Atheniensis à cœnarum & conuiuiorum apparatibus adeò abhorrebat, ut nec apud amicos cœnaret. Plut.

ZENO Cittiæus negabat uirum bonum esse, qui nimio se uino obrueret: quandoquidem nullus tam imperitus rerum sit, qui aliquid secreti tali uiro cōmittere audeat, qui uino pressus leuiter effutiat. Seneca lib. 12. epistola 84.

CN. POMPEIVS, cùm ualetudine tētato coturnicē medicus præscripsisset, nec posset aliena tempestate comparari facilè, ostenderet aūt quispiā, esse in Luculli uiuariis multas: neque misit neque accepit, fatus: Ergo ni luxuria Lucullus diffueret, non uiueret Pompeius? Plutarchus, An seni tractanda resp. & in Apophtheg.

FRIDERICVS III. Imper. nullum magis horrebat uitium, quàm ebrietatem. Vinum non nisi dilutum bibebat, & singulari amore abstemios prosequebatur. Cuspinianus.

[redacted]

REPREHENSIONE, OBIVRGATIONE.

Cùm PYRRHONEM Eleum ex eius familiaribus quidam magnificè, ut ipse narrat, conuiuio excepisset: In posterum, is inquit, non ampliùs ad te accedam, si ita exceperis: ne ego grauiter feram, cùm te nō necessariò impēdere uideam, ac ne tu etiam exhaustus mala patiaris. Athen. lib. 10. cap. 3. & Aelianus lib. 2. Var. hist.

EPAMINONDAS usque adeò fuit in uictu frugalis, ut inuitatus à uicino ad cœnam, postquam ostendit illic bellariorum, dapum, & unguentorum apparatum, extemplò se receperit, dicens: Sacrificare ego te, non luxuriari arbitrabar. Plut. in Apophthegmatib.

EVNDEM aiunt, quandoque collegis impensarum rationem coquo reddente, olei multitudinem permolestè tulisse: admirantibusque illis, Non, inquit, impendij magnitudo me mouet, sed quòd tantum olei intra corpus receptum sit. Ibidem.

Macedo ALEXANDER quum uictis Persis familiares intueretur suos ampliùs indulgentes sibi, in Persicam dilapsos lautitiam, molestè admodum tulit: mirari se plurimùm astruens, haud nosse illos, seruile censeri, uoluptatibus se mancipi dare: laboribus autē innutriri, principe rem prorsus esse dignam. Cælius lib. 9. cap. 14. Antiq. Lect.

CATO, ut testatur Polybius lib. 31. Historiarum, exclamabat, quoniam peregrinas delicias Romam quidam introduxissent, qui fictile Ponticorum salsamentorum trecentis drachmis emissent, puerosque formosos. Pueros priùs assuefaciebant aquam bibere, ac quodcunque se obtulisset comedere: sæpiùs mater aut pater filium interrogabat, Num pira syluestria, an nuces uellet cœnare? Athen. lib. 6. cap. 8. Idem cùm populi Romani luxum censoriè coargueret, Difficillimum esse dicebat, uerba uentri facere, qui aures non haberet. Plut. in Apophthegmatib.

IDEM inuectus in concione in ciuitatis delicias & luxū, pluris uenundari Romæ ostendit piscem, quàm bouem. Amphoram enim piscium tanti distrahunt, quanti centum boues uerubus tosti non ueneant. Plut. lib. 4. Conuiu. quæst. 4.

AVGVSTVS Cæsar, ut salubrem magis quàm ambitiosum principē scires, quærentem de inopia & caritate uini populū seuerissima coërcuit uoce: Satis prouisum à genero suo Agrippa, perductis plurib. aquis, ne homines sitirent. Eidem populo promissum quidē congiariū reposcenti, Bonæ fidei se esse, respondit: non promissum aūt flagitanti, turpitudinē & impudentiam edicto exprobrauit: affirmauitq; non daturum se, quamuis dare destinarat. Nec minore grauitate atq; constantia, cùm proposito congiario multos manumissos insertosq; ciuium numero comperisset, negauit accepturos quibus promissum non esset: cæterisq; minus quàm promiserat, dedit, ut destinata summa sufficeret. Suetonius.

PERSIVS Satyra 3 ignauiā Rom. iuuētutis mirificè exagitat.

MONICA D. Augustini mater, cùm de more tanquam puella sobria iuberetur à parentibus de cuppa uinum depromere: submisso poculo, quâ desuper patet priusquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia nō poterat amplius, sensu recusante. Non enim ulla temulēta cupidine faciebat hoc, sed quibusdā superfluentib. ætatis excessib. qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi solent. Itaq; ad illud modicū quotidiana modica addendo (quoniā qui modica sper-

ſpernit, paulatim decidit) in eam conſuetudinem lapſa erat, ut ꝑpè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Quodam die ancilla, cum qua ſolebat accedere ad cuppam, litigans cum ea, ſola cum ſola, obiecit hoc crimen amariſſima inſultatione, uocans meribibulam. Quo illa ſtimulo percuſſa, reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimq; dãnauit atq; exuit. Teſtis D. Auguſtinus lib.9. confeſs. cap.8.

Prior Iubinenſis monaſterij in Palæſtina, de rigore monaſtico nonnihil remittẽs, oblata dona, ut pecuniam, paſtellos, dulcia uina, & ſimilia, non faſtidiebat. Sed BERNARDVS Bleſenſis & alij duriter Priorem reprehenderunt. Cùm uerò nihil obtinerent, Bernardus in ſyluas excurrit, potiùs fame periturus, quàm rem tam infandam inſpecturus. At reprehendit iſtam Bernardi uehementiam Gerardus à Nazareth cap.9. de Conuer. ſeruorum Dei. Tandem Hieroſolymam currit, ibi quoque Balduinum II. regem nonnihil reformans. Impetratâ deinceps à patriarcha poteſtate diſcedendi ab illis monachis qui dona acciperẽt, in Machanath propinquum monaſterium diuertit.

IRRISIONE, SVGILLATIONE.

Herodotus libro nono Hiſtoriarum meminit de Laconicis cõ [redacted] da, parare iuſſit. Qui cùm ea quę ſtatuta erant feciſſent, Pauſanias lectos aureos, argenteoſq; inſtratos uidens, menſas argenteas, lautiſſimumq; cœnæ apparatum, omnia eſt admiratus: iuſſitque rurſus ſuos miniſtros Laconicum parare conuiuium. Quo parato, omnes duces ad ſe cõuocauit, & cœnæ utriuſq; apparatum oſtendens, dixit: Vos omnes conuocaui, ut ducis Medorum inſaniam patefacerem: qui cùm huiuſmodi apparatum habeat, ad nos tamen qui talem habemus, acceſſerit. Athen. lib.4. cap.4.

DIPHILVS luxu perditos ac uino madentes homines tria habere capita dixit, ſicuti Artemiſium. id eſt Dianæ ſimulacrum. Cælius.

LEGISLATIONE, INTERDICTO.

☞ *Huc Leges ſumtuariæ pertinent, ratione Temperãtiæ quam ſuadent. At ratione Sumtus quem coercent, ad Frugalitatem ſumtuariam ſpectant.*

IASENSIBVS lege lata indictum erat, ne in celebrandis conuiuiis plures uocarent quàm decem uiros, & totidem mulieres: neq; in nuptiarum celebritatibus ultra biduum producerent. Heraclides in Polit.

LYCVRGVS conuiuiorum apparatus, & menſas lautiores, uelut cupiditatum inuitamẽta ſanctionibus inhibuit, & ad frugalitatẽ ſuos reuocauit. Ne quis in loco abdito uel clauſo cibum ſumeret, conſtituit, ſed publicis omnes epulis in Philitiis uti uoluit. Plutarchus.

CARTHAGINENSIVM legis meminit Plato 2. de Legib. ſub finem. Vt ne quis unquam in exercitu uinum guſtet, ſed illo omni tempore aquæ potu utatur.

ROMVLVS, ut auctor eſt Halicarnaſſeus, legem tulit, ut temulẽtæ mulieres, & qui ſumti meri debaccharentur inſania, morte plecterentur. Viuebant etenim ea tempeſtate mulieres abſtemiæ, abſtemiiq; uiri. Gell. lib.11. cap.14.

NVMA Pompilius edixiſſe fertur, ne piſces, qui ſquamoſi non eſſent, in uiſcerationib. haberentur: nullã aliam ob cauſam, quã ne nimis magno in funeralib. cœnis mercarentur obſonia: quã cœnam Polincturam dixêre. Alex. ab Alex. lib.3. c.7.

ORCHIA lex à C. Orchio Trib. pl. Romæ lata eſt, de ſenatus ſententia, tertio anno quàm Cato Cenſor fuerat: qua præſcribebatur ſumma conuiuarum tantùm, luxui nihil derogabatur. At XXII annis pòſt, FANNIA lex lata fuit, non à prætoribus aut tribunis, ſed ab ipſis Conſulib. qua ſumtus coërcebantur, & modus præſcribebatur aſſibus centum: unde à Lucilio poëta centuſſis feſtiuè uocabatur. Eò enim res redierat, ut gula illecti pleriq; ingenui pueri, pudicitiam & libertatem ſuam uenderent: pleriq; ex plebe uino madidi in comitium uenirent, & ebrij de ſalute Reip. conſulerent. Ea lex ſtatuit, ne quid uolucrum præter unam gallinam, quę altilis non eſſet, apponeretur, neue ſingulis diebus, pręterquã Saturnalibus, & Romanorum ludis, uel plebeiis, plures denis aſſibus domeſticis cœnis impenderentur. Poſt annos XVIII ſecuta lex DIDIA, duplici de cauſa, tum ut uniuerſa Italia, non ſola urbs, lege ſumtuaria teneretur: tum ut non ſoli, qui prandia cœnaſùe maiore ſumtu feciſſent, ſed etiam qui ad eas uocati eſſent, pœna legis tenerentur. Pòſt LICINIA à P. Licinio Craſſo diuite lata eſt, quæ in pleriſque cum Fannia congruit: & quæſita tantùm fuit nouæ legis auctoritas, exoleſcente metu antiquioris. Summa eius fuit, ut Calendis, Nonis, Nundinis Romanis cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſa conſumere liceret. Cæteris uerò dieb. qui excepti nõ eſſent, ne amplius apponeretur, quã carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorũ pondo, libra quod ex terra, uite, arboréue natũ ſit. Has ſecuta lex CORNELIA, à Corn. Sylla dictatore lata, qua non gulæ modus factus, ſed minora tantũ precia rebus impoſita, nimirum ut utilitas eduliorũ animos hominũ incitaret potiùs, quàm legis auctoritas abſterreret. Sylla luxu ipſe diffluens ſumtuoſuſq; (inquit Plut. in Vitis) ciues cõpoſuit ad frugalitatẽ. Eo mortuo, LEPIDVS & ipſe legẽ tulit cibariã (ſic enim Cato ſumtuarias leges appellabat.) Paucis deinde interiectis annis, ANTIVS Reſtio optimam legem tulit, quam tamen uitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Ipſe Reſtio, quoad uixit, foris poſtea non recœnauit, ne teſtis fieret contemtæ legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet. Macrob. lib 3. Saturn. cap.17.

Romæ C. Fannio & M. Val. Meſſala Coſs decretum Senatus factum, uti principes ciuitatis, qui ludis Megalenſib. antiquo ritu mutitarent, id eſt, mutua inter ſe cõuiuia agitarent, iurarent apud Coſs. uerbis cõceptis, nõ ampliùs in ſingulas cœnas ſumtus eſſe facturos, quã centenos uicenoſq; æris, præter holus, & far, & uinũ: neq; uino alienigeno, ſed patrio uſuros: neq; argẽti in conuiuio plus pondo, quã libras centũ illaturos. Sed poſt lex Fannia lata eſt. Gell. lib.2. c.24. Noct. Atticarum, ubi de lege Fannia, Licinia, Aemilia, & ſimilib.

C. TITIVS, qui legem Fanniam ſuaſit, Romanorum temulentiam grauiter taxat. Ludunt, inquit, alea ſtudioſè, unguẽtis delibuti, ſcortis ſtipati. Vbi horæ decẽ ſunt, iubent puerũ uocari, ut Comitium eat percontatũ, quid in foro geſtũ ſit. Inde ad Comitiũ dum eunt, nulla eſt in angiportu amphora, quã non impleant, quippe qui ueſicã plenam uini habeant. Veniunt in Comitium triſtes, iubent dicere. Quorũ negotiũ eſt, narrãt. Iudex teſtes poſcit, ipſus it mictum. Vbi redit, ait ſe omnia audiuiſſe. Tabulas poſcit. Literas inſpicit. Vix præ uino ſuſtinet palpebras. Eunti in conſilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negotij eſt cũ iſtis nugatoribus? quin potiùs potamus mulſum miſtũ uino Græco: edimus turdum pinguẽ, bonumq; piſcem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus ſit. Macrob. lib.3. Saturn. cap.16.

Glires cenſoriæ leges, princepſq; M. SCAVRVS in conſulatu, non alio modo cœnis ademère, quàm cõchylia, aut ex alio orbe conuectas aues. Plin. lib.8. cap.57.

P. Licinius CRASSVS, & L. Iulius Cæſar Cenſores, anno urbis conditæ DCLXXV. ediderunt, ne quis uinum Græcum Aminiumq; octonis æris ſingula quadrantalia uenderet. Plin. lib.14. cap.14.

Cautum cibaria lege apud ROMANOS, ſcribit Atheneus, ne quis in annum carnis fumoſæ plus talentis quindecim abſumeret. Cæl lib.9. cap.17. Antiq. Lect.

TIBERIVS Cæſar annonã macelli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam cenſuit, dato Aedilibus negotio, popinas, ganeaſq; uſq; eò inhibendi, ut ne opera quidem piſtoria proponi uenalia ſinerent. Suetonius.

CONSTANTIVS Imp. lata lege uetuit, phaſianum & ſumen conuiuiis inferri. Suetonius.

CAROLVS Magnus uetuit, ne in caſtris ſeu expeditiõe, alius alium ad bibendum prouocaret, aut cogeret. Auẽtinus lib. 4. Annalium Boiorum.

ARGADVS regni Scoti gubernator ſtatuit, ut omnes publica obeuntes munia ab omnium uſu, quibus inebriandi uis ineſt, abſtinerent. H. Boëthius lib.5.

GOTHARVS, Sueonum & Gothorũ rex, ſub quo Longobardi è Scandia fame pulſi egreſſi ſunt, ſobrietatem lege lata ſubditis perſuadere conabatur. Verùm nobiles eam frugalitatem peroſi, cum Iarmero, Danorum rege, contra Gotharum conſpirarunt. Priuſquam ad manus ueniretur, Gotharus à Faſtone fratre, legum ſeueritatem accuſante, periurgium trucidatus eſt. Ioan. Magnus lib.8. cap.21.

ANIMADVERSIONE, CASTIGATIONE.

INDIS ſic abſtemiis, ut niſi ſacrorũ cauſa, uinum bibere nulli fas foret, conſtitutum erat, ut ſi temulentum regem mulier occidiſſet, hoc donaretur munere, ut ſucceſſori nuberet. Athen. lib.10. cap.11. ex Cteſia.

Apud GALLOS & IBEROS zonæ menſuram habent magiſtratus, quam ſi capere non poſſet mulier ſucci plena, aut puer obeſus, magno afficitur probro. Alexan. lib.2. cap.25. ex Stobæi Sermone 3.

EMPEDOCLI in conuiuio præſcripſit conuiuii præfectus, ut aut biberet, aut uinum in caput illius effunderetur. Eam rem tam indignè tulit Empedocles, ut poſtridie coacto concilio, & inuitatorem, cuius opera id erat factum, & ſympoſiarcham reum peregerit, damnandoſq; curarit. Laert.

CORINTHIORVM morem, quorũ ciuitas erat cęteris corruptior, talẽ deſcribit apud Athen. lib.6. Diphilus:

Τοῦτο νόμιμόν ἐστι βέλτιστ' ἐνθάδε
Κορινθίοις, ἐάν τιν' ὀψωνοῦντ' ἀεὶ
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνειν, πόθεν
Ζῇ, καὶ τί ποιῶν. κἂν μὲν οὐσίαν ἔχῃ,
Ἧς αἱ πρόσοδοι λύουσι ταναλώματα,
Ἐᾶν ἀπολαύειν τοῦτον ἤδη τοῦ βίου.
Ἐὰν δ' ὑπὲρ τὴν οὐσίαν δαπανῶν τύχῃ,
Ἀπεῖπον αὐτῷ τοῦτο μὴ ποιεῖν ἔτι.
Ὃς δ' ἂν δὲ μὴ πείθητ', ἐπέβαλον ζημίαν.
Ἐὰν δὲ μηδ' ὅλως ἔχων ζῇ πολυτελῶς,
Τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτὸν, ἡράκλεις.
Οὐκ ἐνδέχεται γὰρ ζῆν ἄνευ κακοῦ τινὸς
Τοῦτον (συνίης;) ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Ἢ λωποδυτεῖν νυκτὸς, ἢ τοιχωρυχεῖν,
Ἢ τῶν ποιούντων ταῦτα κοινωνεῖν τισὶν,
Ἢ συκοφαντεῖν κατ' ἀγορὰν, ἢ μαρτυρεῖν
Ψευδῆ. τοιοῦτον ἐκκαθαίρομεν γένος. *id eſt,*

Hoc lege cautum eſt hic apud Corinthios,
Si quempiam obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus, unde uiuat, &
Quid faciat operis. Si facultates habet,
Vt reditus harum ſoluere expenſas queat,
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Sin fortè ſumtus ſuperat ea quæ poſſidet,
Prohibemus huic, ne faciat hoc in poſterum.
Ni pareat, iam plectitur multa graui.
Sin ſumtuosè uiuit is qui nil habet,
Tradunt eum torroribus. Proh Hercules.
Nec enim licet uitam abſq; malo ullo degere
Talem (ſcias) ſed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum iungier commercio,
Aut in foro agere ſycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Eiicimus hac ex urbe, uelut purgamina.

Eraſmus in Adagiis.

LACONES, iuuenum corpora ne laſciuirent, ſtatis diebus apud Ephoros exhibebant, nudoſq; inſpiciebant, ut ſi quid inſolitæ pinguedinis cõtraxiſſent, parſimonia & uictus abſtinentia emendarent. Xenophon.

EPAMINONDAM legimus, militem quendam protenſo aqualiculo ab exercitu ſummouiſſe: ratione quoque addita, quòd eius uenter uix tribus aut eo pluribus obtegi ſcutis ualeret, adeoque promineret, ut pudenda oculis ſubiicere nequiret. Plutarchus.

Adeò eos, qui ſe uino ingurgitarent, exoſos habebant ROM. ut Cenſores tanquam indignos, qui honores & publica munera gererent, ſenatu amouerent, notaq; & ignominia perſtringerent. Indignum enim uidebatur, illos qui ingenio temulento & marcido forent, quiq; libidinum maculis notarentur, ad rempublicam accedere, aut de publicis conſultare. Alex. lib.3. cap.11.

Q. METELLVS, bello Iugurthino lapſum militum diſciplinam reſtituens, prohibuit alia carne, quàm aſſa elixáue, milites uti. Frontinus lib.4. cap.1.

C. IVL. Cæſar legem precipuè ſumtuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra uetitum retinerent deportarentq; ad ſe, ſubmiſſis nonnunquam lictorib. atq; militibus: qui ſi qua cuſtodes fefelliſſent, iam appoſita è triclinio auferrent. Suetonius.

AVGVSTVS, cùm accepiſſet procuratorẽ Aegypti Erotẽ, coturnicẽ, qui in pugnãdo ſuperabat omnes & inuictus erat, nundinatum eſſe, atq; aſſum adediſſe: exciuit eum, atque quæſtionem de eo habuit, confeſſumq; malo nauis impera uit ſuffigi. Plut. in Apophtheg.

CAROLVS Magnus mulierem ebriam, aquam in poſterum potare compulit. Auentinus lib.4.

SCOTI ueteres uoraces, manducones ſupra quàm erat humanum, helluoneſq; & perpetuæ ebrietati indulgentes aut addictos, ne tam fœda monſtra in patriæ dedecus ſupereſſent, flumine mergentes, priùs quantum libuit & cibi & potus uorare ac ingurgitare eis præbentes, miti ſupplicio exterminarunt. H. Boëthius in Scotia.

ARGADVS, Scotici regni gubernator, in ordinẽ redacto Conaro rege impuriſſimo, lixas, cupediarios, popinones, ſimileq; hominum genus, ad mortalium uoluptatem magis, quàm neceſſitatem paratum, publicatis fortunis, dirutiſq; ædibus, proſcripſit. H. Boëthius lib.5.

LVDOVICVS, Germaniæ rex, ſumtuariam legẽ ſeueriſſimè exercuit, ſimplici ac parabili uictu, ueſtituq; patrio contentus: cũ infimo quoq; parſimonia & frugalitate certauit, plerunq; carne ac huiuſmodi lautiorib. cibis abſtinuit. Idem.

HENRICVS, princeps Boëmorum, & epiſcopus Pragenſis, diuerſis in locis erexit tribunalia: & ſacerdotum temerũ ganeumque ſectantium intemperiem fame ſitique in carcere coërcuit. Dubrauius lib.14.

PIVS II. Pont. Max. inſtituit quatuor uiros ex collegio patrũ de luxuria coercenda. Primum Germanum, alterum ex Gallis, reliquos in Italia. Sed homines diuerſarum nationum ac morum dum cunctantur, ipſe è uita deceſſit. Ioan. Campanus in uita eius.

DAMNO.

DIONYSIVS Syracuſanus tyrannus, cùm reliquos fontes grauiſſimis plecteret ſuppliciis, ueſtiũ furibus ignoſcebat: ut Syracuſani cœnis & ebrietatibus abſtinerent, non quod illorum temperantiæ cõſuleret, ſed quia tyrannidi ſuæ metueret. Et tamen ex euentu, illorum quoq; frugalitati conſ[redacted]antur.

[redacted]VDORE, DEDECORE.

ANACHARSIS rogatus aliquando, qua ratione quis ebrietatem effugere poſſet? Si ſemper, inquit, præ oculis habeat ebriorum turpiſſimos & indecoros mores. Laertius.

SPARTANI ſeruos inebriatos in conuiuia introducebant, eoſq; ineptientes pueris oſtendebant, ut deformitate ea à uino abſtinere diſcerent. Plutarchus, & Xenophon.

OCCASIONIS AMOLITIONE.

Olim cùm reperto uino, nondum aquam infundere conſueſſent: in amicorum epulis ac feſtis diebus uinum purum ad uoluptatem potantes, ebrij ueteres reddebantur. Qua ex re ligneis baculis quos geſtabant, alteri alteros percutientes, plurimos uulnerabant: quidam peribant ex uulnere. Vt eiuſmodi certamina prohiberentur, BACCHVS, ut modico uino, & pro fuſtibus, ligneis ferulis uterentur, edixit. Diod. libro quarto, cap 1.

Filius Dryantis fortis LYCVRGVS, multis uino ſe mergentibus debacchantibuſque, uites paſſim excidit. At multo rectiùs potuiſſet adducere fontes, atque inſanum deum, ut inquit Plato, ſobrio coërcitum corrigere. Plutarchus de Audiendis poëtis.

Apud Athenæum lib.11. refert Xenophon, apud PERSAS fuiſ[illegible]ctitum, ne προχοΐδας inferrent in cõuiuium. Apparet fuiſ[illegible]uaſculi genus, quo uinum è cratere miniſtri effunderent in cyathum. Id factum eſt, ne ſupra modum bibentes, & animi & corporis uiribus deſtituerentur: & addidit, cum morem adhuc illos ſeruare: nec enim inferri prochoidas, ſed nihilo ſeciùs tantum illos bibere, ὥστ' ἀντὶ τοῦ ἐκφέρειν, αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπειδὰν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἐξιέναι. id eſt, Pro eo quòd non inferuntur prochoides, ipſi efferuntur, poſtea quàm non ampliùs poſſunt exire ſaltantes.

LACONES menſam anguſtam habebant, ut uel ipſius loci anguſtia tum patientiam diſcumbentiũ exerceret, tum ferculorum multitudinem excluderet.

PERICVLI SIMVLATIONE.

ALEXANDER Magnus æſtiuo tempore exercitum præter fluuium incumbentibus hoſtibus, duxit. Conſpicatus autem milites ſitire, & in flumen oculos intendere, ne bibentes ordinem diſſoluerent, neque profectionis celeritatem impedirent, præconem iuſſit proclamare: Contineamus nos ab hoc flumine, nam aquam habet mortiferam. Illi metu commoti, abſtinebant, & iter accelerabant. Alexander perfecto itinere, & caſtris poſitis, ipſe cum ducibus apertè de fluuio bibit. Ridentes milites, & cauſam doli animaduertentes, ſine metu è fluuio aquam hauſerunt.

Polyænus libro quarto.

ABSTINENTIÆ, SOBRIETATIS FRVCTVS

DIGNVS.

☞ *Hic tanquam accidens conſideratur Abſtinentiæ, reſpectu Patientis. Sub Iuſtitiæ loco, Abſtinentiæ præmia data, tanquam effectus Agentis.*

Gloria.

BARTOLVS Iurecoſs. ut intellectus acumen foueret, ad pondus dicitur comediſſe. Anno ætatis XLVI. obiit, cùm tot celebres ediderit lecturas, ut uerisimile ſit illũ plus olei quàm uini conſumſiſſe. Fichardus in eius uita.

Integritas.

Fertur EPAMINONDAS de prandio parco tenuiq; dixiſſe, τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν. id eſt, Tale prandium non recipit proditionem. Senſus autem dicti geminus eſt: uel quia nemo molitur inſidias rebus modicis, uel quia qui modicis contenti ſunt, non facilè corrumpuntur, ut prodant rempublicam. Eraſmus in Adagiis.

Sanitas.

Moderati PERSARVM uictus, quòd alimẽta laborando planè abſumant, id indicium eſt, quòd apud ipſos non ſolùm exſpuere, & emungi, & ſufflato corpore eſſe, hoc eſt, ſubtumido (inquit Varro lib. qui Cato inſcribitur) turpe ducitur: ſed etiã uel meiendi uel ulteriùs alicuius eiuſmodi rei gratia euntem aliquò palàm conſpici. Quæ præſtare non poſſent, niſi & modico nutrimento uterentur, & humorem laboran-

borando ita consumerent, ut aliò quopiam secederet. Xenophon de Instit. Cyri lib. 1.

Frugalitate & temperantia sua effecit SOCRATES, ut, cùm Athenas pestis sæpenumerò uastaret, solus ipse nunquam ægrotarit. Laert. lib. 2.

ROMANI ueteres salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo monimento tuebantur: bonæq; ualetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ uini abundantiæ, & ab omni immoderato ueneris usu auersa. Val. lib. 2. cap. 1.

Coniugium felix.

RVTH Moabitis in agro Boozi, cùm spicas deciduas legeret, benignè ab ipso accepta, panem tantùm iubetur comedere, & buccellam intingere in aceto: & cùm sitiret, easdem aquas potare, quas potabant messores. Quod illa quidē pro magno munere habens, gratias egit: comeditq; & bibit. At ipse, quā uictu tam parco tamq; simplici delectari uidit, dignam cēsuit, ut sibi acciperet [redacted] & ex ea filios procrearet: non dubitans de pudicitia illius, cuius sobrietatem fuerat expertus. Marulus lib. 4. cap. 2. ex 2. 3. & 4. cap. Ruth.

INDIGNVS.

GVIDO, dux Spoletanus, mortuo Carolo Crasso, regnū Franciæ affectans, Metim diuertit, sperans ex composito conuenturos socios, qui arma & suppetias subministrarent. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer eius, illuc præmissus ad alimenta regio more præparāda, ab episcopo Metensi uideret iuxta Francorum consuetudinē multa admodum cibaria parata, petiisse ab Episcopo, ut sibi equum donaret, sese curaturū, ut rex tertia huius obsonij parte esset contentus. Cui Episcopus: Non ferent Franci regnare regē, qui x drachmis prandeat: abeat retrò unde uenit, nemo hūc regē amplectetur, nemo amabit. Francorū igitur rebellione Guido, electo Odone Andegauēse rege, deturbatus fuit. Cusp.

INTEMPERANTIAE ALIMENTARIS ACQVISITIO. HVC

MAGISTRI, [redacted]
QVI, PVTA

Reges.

MENAS Aegyptiorū rex suos populares luxu corrupit. Eámque ob causam nullam Menæ gloriam ad posteros manasse ferunt. Diod. lib. 1. cap. 4.

CVLENVS Scotorum princeps, uoluptatum turpiss. mancipium, ludos sympofiacos instituit: qui potādo uorandóue uictor extitisset, hedera coronabatur, & munus accipiebat ampliss. H. Boëthius lib. 11.

Duces.

SP. ALBINVS, cùm contra Iugurtham magno cum exercitu profectus esset, luxuria totum exercitum perdidit. L. Metellus postea exercitu ad pristinam frugalitatem reuocato, mira felicitate contra hostes pugnauit. Plinius capite 62. de Viris illustr. Frontinus lib. 4. cap. 1. Val. Max. lib. 2. cap. de Militari discip.

Patres.

HENRICVS Goritiæ comes duos filios, media nocte sępiùs uocitare, & an sitirent interrogare solitus erat. Quibus ob somnum tacentibus uinum ingerebat: illisq; recusantibus ac euomentibus uinum, conuersus ad uxorem: Ex alio concepisti meretrix: neque enim filij mei sunt, qui noctem in[redacted]gram nil sitientes dormiunt. Aen. Syl. Com. in Panorm. [redacted] 1. & cap. 20. Europæ.

HVLDRICVS de Noua domo, inter Boëmos proceres opibus & auctoritate facilè princeps, liberos suos primùm ablactatos ad usum uini traducebat generosissimi. Interrogatus à Friderico Cæsare, Cur id ageret? Assuefacti, respondit, liberi, cùm adoleuerint, securi adbibent, quantum uoluerint, neq; uino capientur. Sapis, inquit Fridericus, hoc ipsum Mithridates factitauit. At mihi si filius aliquando fuerit, nec uinum oderit, ego ipsum oderim. Aen. Syluius lib. 1. Commentariorum in Panorm.

Mortui.

ANACREONTIS Teij bibacitatem Iulianus Aegyptius in 3. Epigram. εἰς ποιητὰς carpit, quum uel manes eius clamantes introducit:

Πολλάκι μὲν τόδ' ἄεισα, καὶ ἐκ τύμβου δὲ βοήσω,
Πίνετε, πρὶν ταύτην ἀμφιβάλησθε κόνιν.

QVOMODO. VIDELICET

Inuentione.

Vide Tit. Alimentorum studium immoderatum in Præparatione ciborum.

Secundas mensas, quæ bellaria nuncupantur, IONES primi omnium, teste Val. Max. inuenerunt. Iidem & unguenti & coronarum in conuiuio dandarum consuetudinem, haud parua luxuriæ inuitamenta, repererunt.

Λυδῶν καρύκας, id est, LYDORVM Carycas antiquitùs appellabant quicquid esset opiparū, & uariis conditum cupediis. Nam Caryca cibi genus Lydij ex multiiugis lautitiis & sanguine confectū. Athen. Dipnosoph. lib. 12. tradit, carycarum apparatum primùm repertum à Lydis. Erasm. in Adagiis.

Solidū aprum, Romanorū primus in epulis apposuit P. SERVILIVS Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgauit. Plin. lib. 8. cap. 51.

Q. HORTENSIVS primus pauones cibi gratia augurali aditiali cœna dicitur posuisse. Quem citò secuti multi, extulerunt eorum precia: ita ut oua eorum denariis ueneant quinis, ipsi facilè quinquagenis. Macrob. lib. 3. Saturn. c. 13.

Præceptione, Institutione.

ARCHESTRATVS Syracusanus, uel Gelous, Terpsionis discipulus, terras mariaq; circuiuit, ut ea, quæ ad gulam facerent, describeret. Poëma illius γαστρονομίαν inscriptum esse, Chrysippus prodit: alij γαστρολογίαν, uel ἡδυπάθειαν, δειπνολογίαν, uel ὀψοποιΐαν dixêre. Chrysippus quandam metropolim Epicureæ philosophiæ appellabat, & quandam suam Theogoniam. Athen. lib. 7. cap. 2.

THEOGNIS Gnomologus, ANACREON Teius, SIMONIDES, & pleriq; alij, tum Græcorū tum Latinorū lyrici, præclari ad ebrietatem incentores. Theognidis inter cætera hi sunt uersus:

ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵ τινες οἶνον
μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου.
δεῦρο σὺν αὐλητῆρι παρὰ κλαίοντι γελῶντες
πίνωμεν, κείνου κήδεσι τερπόμενοι.
εὕδωμεν· φυλακὴ δὲ πόλεως φυλάκεσσι μελήσει,
ἀστυφελοῦς ἐρατῆς πατρίδος ἡμετέρης.

IAPONII Indi in propināndo, dum cōuiuantur (id quod sæpè faciunt) habentur diligentissimi. Extant apud primarios de officiis & quasi ceremoniis conuiuiorū rituales libri, quos perlegunt, ne quid per inscitiam peccent. Nox inter primores plerumq; confabulationibus, cātu symphoniæ musico, & conuiuiis teritur: dormitur interdiu. Io. Metellus.

Submonitione.

DEMETRIO Halicarnasseo adscribitur senarius iste:

Ὕδωρ δὲ πίνων, χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις. *id est,*
Aquam bibens probum & utile paries nihil.

quo innuit, à poëtis nihil præclarū, aut posteritate dignum aut uenustum proficisci, si biberint aquam, hoc est, si pauperes fuerint, & tenui uictu. HORATIVS similiter:

Nulla placere diu, neq; uiuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Præmio.

Vide Tit. Certamina belluonum.

MITHRIDATEM, qui bella cum Romanis gessit, in muneribus, quæ edidit, uoracitatis & uinolentiæ fama est præmia proposuisse, eumq; uictorem fuisse utrobiq;, ac planè omnium coæuorum suorum bibisse plurimum: inde fuisse Bacchum nuncupatum. Plut. lib. 1. Quæst. conu. 6.

Indicio.

ELICO Heluetius ob artem fabrilē Romæ sub Tarquinio Prisco commoratus, ficū siccam & uuam oleiq; ac uini præmissa remeans cùm secum tulisset, suauitate fructuū Italiæ Gallos allexit in Italiam. Plin. lib. 12. c. 1. & Liuius.

DISCIPVLI OCCASIONE SCILICET
LOCI.

Videtur hoc SYBARITIS maximū felicitatis argumentū, quòd cùm regio portu careat, mareq; propiùs accedat, omnes ferè fructus à ciuibus absumantur: nam & ciuitatis locus, & oraculi responsum, omnes ad delicias soluteq; sine mensura uiuendum inuitarunt. Ciuitas enim eorum in loco concauo sita, æstatis tempore manè quidem ac uesperè frigus habet egregium, per medium autem diem calorem intolerabilem, ita ut eorum plurimi sanitatis gratia fluuios diducere machinati sint. At neq; orientem neq; occidentem solem in Sybari uidere oportet, nisi quis ante tempus emori cupiat. Athen. lib. 12. cap. 6.

PROFESSIONIS.

Quòd fuerit profusior SOLON & uita mollior, atque in uersibus licentiore usus sit, quàm pro philosopho, de uoluptatibus oratione, id ex uita mercatoria putāt ei hæsisse. Siquidem pro multis & grauibus, in quibus uersatur, periculis, laut-

lautitias [redacted]
Sic ille de seipso in Elegiis.

CONVERSATIONIS.

Edgarus, Angliæ regno à Gulielmo Normanno occupato, regni auiti spe deposita, cum matre & sororibus in Scotiā cōfugerat, & sororē Margaritā Malcolmo III. SCOTORVM regi in uxorem dederat: feminā alioqui sanctiss. Anglorum exemplo, Scotorum sobrietas tum primùm labefactari cepit, ut qui semel tantùm in die cibum sumere consueuerant, bis, & quidem binis ferculis conuiuarentur. Quæ ipsa causa fuit, cur cæso Malcolmo, Donaldū Malcolmi fratrem (filio eius Eldredo neglecto) regem fecerint ij, quibus ueteres mores ac temperantia auita cara erat: quiq; dolebant nouos illos ab Anglis introductos nō summis conatib. extirpari: cùm Donaldum econtrà nūquam luxu Anglico imbutum, semper seueritati Hebridianorum tot iam annos assueuisse crederent: itaque facilè reparaturum pristinas consuetudines, continentiamque à patribus acceptam reuocaturum. H. Boëthius lib. 12. & 17.

VICTORIÆ.

Scribit Liuius, Cn. MANLIO Volsone de Asiaticis triūphum ducente, luxuriæ peregrinæ originem primùm inuectam in urbem. Tum coquus, uilissimum antiquis mancipium, & æstimatione & usu in precio esse cepit: & quod ministerium fuerat, ars haberi cepta. Cælius lib. 7. cap. 12. A. L.

Primus L. LVCVLLVS de Mithridate triumphans, rationémque reddens rei bellicæ, ex antiqua temperantia in magnificam sumtuosamq; diætam se conuertit, primusq; delicias Romanis introduxit, cùm duorum regum Mithridatis & Tigranis opulentiam cepisset. Athen. lib. 6.

ARTHVRI Britannorum regis exercitus contra Pictos & Saxones uictor, occupato Eboraco, unius hyemis luxu elanguit. Ferunt Christi Natalis celebritatem, quam & Angli & Scoti etiamnum hodie tredecim continuos dies perpetua crapula exigere consueuerunt, sub idem tempus sumsisse initium. Itaque ubi exacta hyeme Arthurus in hostes, qui ad Humbri ripam castra posuerant, ducere iussisset: milites perditi mollitie, ueluti nunquam antea laboribus assueti, animis corporibusque deficientes, itinera carpebant: ganearum memores, magis quàm honestæ in hostem expeditionis. Fuit id in causa: ut aliquot exinde annos Saxonibus sub pellibus esse ab initio tutis, Britannorum arma, tametsi Arthurus præstantissimi ducis munia egregiè semper obiret, parum nocuerint. Neq; prius spes ulla Saxonum in Northumbria uincendorum Britānis affulsit, quàm cum Lotho [redacted]orum rege fœdus icisset Arthurus. H. Boethius lib. 9.

ALIMENTORVM CVPID[redacted]TAS, ACQVISITIO IMMODERATA, PER

IMPIETATEM.

Quàm fœda res sit intemperantia, quàm homini grauis & calamitosa, primorum PARENTVM infelix demonstrat exitus, qui à lege aberrantes, sibi & omni posteritati exitium peperêre. Iussi fuerant hi ab initio uitę ligno obstinere. Non potuit contumax animal, & pronum in uetitum, aut certè noluit ab eo gustu temperare. Mors proinde auctoribus culpæ inde orta est: per eos clades attigit omne humanum genus: pauci deliquêre, sed pœnam innumeri luerunt. Sabell. lib. 4. cap. 11. ex Gen. 3.

ISRAELITÆ ex Aegypto ductu Mosis egressi, quamuis præsentem numinis benignitatem experientia ipsa assequerentur: primùm tamen aquæ defectu, deinde cibi inopia contra Mosem & Dominum ipsum murmurarunt. Aquas igitur de petra, cibum ex cœlesti manna desuper pluente habuerunt. Exod. 15. 16. 17.

IIDEM contra Mosem fremebant, recordati ollarum carnis, quis in Aegypto assederant, cùm in solitudine nunc fame conficerentur, parati cum gula libertatem suam, tantis Dei opt. max. miraculis confirmatam, commutare. Dominus igitur magnam uim coturnicum illis dedit, quibus ad satietatem usq; implerentur. Exodi 16.

Qui Atridarum reditum composuit, TANTALVM ad deos accessisse scribit, ac Iouem ei cōcessisse, ut peteret quicquid uellet. Is uoluptatis causa optauit, ut ad deorum epulas admitteretur. Iupiter id quidem concessit, at ne quid ex appositis gustare posset, petra supra caput eius appensa, effecit. Athen. lib. 7. cap. 3. & Pindarus.

De ANV, quæ febricitans uotum fecerat, se centum solibus, hoc est, diebus, uinum non bibiturā, uotiq; rea, per cribrum solem intuens, innumeros soles se uidisse cauillabatur, in 2. Epigram. εἰς μεθύσους hæc habentur:

Ἡ γραῦς ἡ βάκχη, κυλίκων σποδός, ἔν ποτε νούσῳ
κεκλιμένη, ζωὴ τοῖον ἔλεξεν ἔπος·
ἢν ὀλοοῦ διαφεύγω φύξω πυρὸς, εἰς ἑκατὸν σοι
ἠελίους δροσερῆς πίομαι ἐκ λιβάδος,
ἀβρόμιος, καὶ ἄοινος. ἐπεὶ δ' ὑπάλυξεν ἀνάγκην,
αὐτῆμαρ τοῖον μῆχος ἐπεφράσατο.
τρητὸν γὰρ θεμένη χερὶ κόσκινον, εὖ διὰ πυκνῶν
χοίνων ἠελίους πλείονας ἠγάσατο.

SIMVLATIONEM MORBI.

In TONGILIVM, Martialis lib. 2. Epigrammatum:

Vri Tongilius malè dicitur hemitritæo.
Noui hominis mores: esurit, atq; sitit.
Subdola tenduntur crassis modò retia turdis,
Hamus & in mullum mittitur atq; lupum.
Cæcuba siccentur, quæq; annus coxit Opimi,
Condantur parco fusca Falerna uitro.
Omnes Tongilium medici iussere lauari:
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

OPVM IACTVRAM, SVMTVM IMMODICVM.

Consule Tit. Prodigalitatis alimentariæ. Heic Alimenti quod, illic Modi, quo acquiritur, rationem habemus.

CHOERILVS poëta, cùm minas quatuor acciperet singulis diebus ab Antigono rege, obsonando tamen absumebat.

DIOCLES agrum in obsonia abliguriuit. Athenæus libro octauo, capite sexto.

PHILOXENVS, cùm olla coqueretur in caupona, tantisper delectabatur, & seipsum odoris conuiuam præbebat: cùm uerò magis magisq; ei appetitus insurgeret, neq; iam deprauatæ naturæ frenum inijcere posset, iussit filium ollam cum cibis emere. Qui cùm responderet, Cauponem magno precio uendere: Hoc suauior, inquit, & iucundior erit, quo maiori precio eam emero. Aelian. lib. 10. de Varia hist.

P. OCTAVIVS inter gulæ proceres maximè insignis, in mullilicitatione, quem Tiberius Cæsar uendi iusserat, ipsum quoque Apicium superauit. Seneca Epist. 15.

In CALLIODORVM Martialis Epigr. lib. 10. sic scribit:

Addixti seruum nummis, here, mille ducentis,
Vt bene cœnares, Calliodore, semel.
Nec bene cœnasti: mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputq; fuit.
Exclamare libet, Non est hoc, improbe, non est
[redacted]omo est: hominem, Calliodore, uoras.
[redacted]

HONORIS, DIGNITATIS CONTEMTVM.

VENCESLAVM Boëmiæ regem, Electores uelut inertē atq; secordem imperio deiecerunt, Ruperto Bauaro in locum eius suffecto, ad quem ciuitates Teutoniæ omnes defecêre, exceptis Norimbergensibus. Qui cùm hinc iurisiurandi religionem uererentur, inde uim Bauari timerent, legatos ad Vencessaum mittunt, qui se iuramento solui peterent, ac si necesse foret, auri uiginti millia nummum in eam rem offerrent. Rex auditis legatis, liberos Norimbergenses esse iussit, si currus quatuor traderent onustos uino Baccharacensi, quod inter Rhenensia optimum habetur. Aen. Syl. Com. in Panor. lib. 2 & Cranzius lib. 10. Vandal. cap. 1.

CONRADVS gibbosus Strinauiensis dux, Conradi Glogouiensis ducis frater, præpositus Vratislauiensis, uocatus ad archiepiscopatū Salisburgensem, cùm in itinere apud Viennam accepisset, ceruisiæ usum ibi non esse, repudiata dignitate reuersus est, & à fratre compedibus uinctus, tandem liberatus, paruo tempore uixit. Cromerus lib. 11.

LIBERTATIS IACTVRAM.

ESAVS primogenituræ ius pro lentis edulio uendidit fratri suo Iacobo. Sed fortassis in illo fames plus potuit quàm luxus. Vtut sit, uoracitas certè illum à summo bono ad extrema impietatis mala præcipitauit, qui tantilli temporis anticipatam uoluptatem felicitati antepofuerit. Genes. 25.

LYSIMACHVM Thraciæ regem proditum est siti coactum dedisse in Getarum potestatem corpus & exercitum suum: atque ut bibit iam captiuus, dixisse, Heu me hominem turpem, qui uoluptatis causa adeò temporariæ tanto regno [redacted]

No[redacted]

sed

sed crudas,ut eas sibi lautiùs præpararent.1.Reg.2.

SYBARITÆ, SICVLI, ITALI, atq; etiam CHII, coquinariæ rei summoperè studuére. Athen.lib.1.cap.22.

ARISTOXENVS Cyrenæus philosophus, qui uerè paternã philosophiam complexus est, à quo & perna quædam Aristoxenus appellatur, lactucas in horto nascentes mulso uesperi irrigabat, & sub auroram uirides capiens, uirides se habere placentas ex subterraneis missas, dicebat. Athen lib. 1.cap.3.& Suidas.

Gulæ VETERES architecti hoc commenti sunt,ut bos aut camelus totus apponeretur, differtus intus uariis animãtium generibus. Hinc & porcus Troianus uenit in populi fabulam,cui hoc nomen inditum est,quòd ita uarias animantiũ species utero tegeret, quemadmodum Durius equus texit armatos uiros. Macrobius lib. Saturnalium 3. cap. 13. refert Cincium in oratione, qua suasit legem Fanniam de moderandis sumtibus,obiecisse suo seculo,quòd porcum Troianum mensis inferrent.Erasmus in Adagiis.

Gallinas saginare DELIACI cœpère. Lege C.Fãnij Cos. XI. annis ante tertium Punicum bellum, interdictum fuit, ne quid uolucrum poneretur,præter unam gallinam,quæ non esset altilis.Inuentum diuerticulum est,in fraude earum gallinaceos quoq; pascendi lacte madidis cibis:[redacted]tiores approbantur.Plin.lib.10.ca[redacted]

Saginare pauones primus instituit circa nouis[redacted] piraticum bellum M. AVFIDIVS Lurco, exque eo quæstu reditus sestertiûm sexagena M habuit. Plinius libro decimo,capite uigesimo.

Apud Rom.olim in quæstione fuit,quis artem saginandorum anserum inuenisset,SCIPIO Metellus uir consularis,an M. SESTIVS eadem ætate eques Rom. Sed (quod constat) MESSALINVS Cotta, Messalæ oratoris filius, palmas pedum in his torrere, atq; patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit.Plin.lib.10.cap.22.

Varronis ætate ROMANI etiã lepores in caueis locoq; clauso saginare docuerunt,similiter & cochleas.Ex Varronis libro 3.de Agricultura,recitat Macrob.lib.3.cap.13.

VITELLIVS Imp.fecit cœnam unam,in qua (quod factu difficillimum putes) sacrorum piscium iecinora,phasianorum ac pauonum cerebella,linguas phœnicopteri,murænarum lactes, à Carpathio usq; freto Hispaniæ per nauarchos ac triremes petitarum,commiscuit.Suetonius.

Veri COMMODI ab Adriano adoptati fuit commentum illud edulij, quo Adrianus ferè usus dicitur,ut sumen,phasianum, pauonem, & aprugnam, & crustula confunderet. Id Pentapharmacum dixére.Sab.lib.4.En.7.ex Sp[redacted]

Hab[redacted] eam literam genera eduliûm caderent: & item fasianus, fartasicus,& talia. Quare comis habebatur etiam in adolescentia. Spartianus in Geta.

ANTONINVS Heliogabalus,cùm monstrosis conuiuiis Vitellium & Apicium superaret,sæpe è linguis phœnicopterorum,cerebellisque anserum & pauonum sibi cibum præparari uoluit. Lampridius. Masticatum & polentatum excogitauit omnium princeps. Quin & comedit sæpiùs ex Apicij emulatione,ut Spartianus prodit,camelorum calcanea, cristas gallinaceis demtas uiuentibus,pauonum linguas & lusciniarum,quòd qui his uesceretur, epilepsiam non sentiret. Cælius lib.28.cap.7.

Mactemus animantem, sed miseratione & dolore moti, non per insolentiam uel cruciatum:ut nunc ferè faciunt ROMANI (inquit Plut.or.2. de Esu car.) dum hi in necando suem candente uerò transfigunt,qua ferri tinctura extinctus sanguis & diffusus, delicatiorem & teneriorẽ reddat carnem: illi in partui uicinarum suum insiliunt ubera, eaq; calcibus cædunt,quò sanguinem,lac & tabum partuum simul elisorum inter puerperij dolores subigant & uorent, quod in animante maximè est corruptum. Alij gruum & olorum consuunt oculos, inclusosque tenebris saginant, ut monstrosis misturis & condituris certis carnem eorum apparent. Ex quibus perspicuum est potissimùm,non cibarij eos, non penuriæ uel necessitatis causa, sed ex satietate, insolentia, & luxu,flagitia in delicias uertisse.

SVITRIGALVS dux Lituaniæ nunquam peregrè proficiscebatur,quin dispensatorem percõtaretur, An librum,quẽ de arte coquinaria componi curarat,secum ferret. Cœna in sex horas ad minimũ protrahebatur,ferculis nõ minus CXXX [redacted]tebatur. Aeneas Syluius lib.2. Com. in Panormitam.

[redacted]

[redacted] Vitijs

☞ PEREGRINATIONEM LONGINQVAM, PERICVLOSAM.

ARCHESTRATVS omnes terras,omnia maria,ob uoluptatem diligenter inuestigauit,ut,quæ ad gulam spectant,perquireret: atque non minori studio, ubi singula optima edulia nascantur, in Gastrologia sua exposuit, quàm ij,qui descriptionem orbis nauigationesque faciunt. Hunc Chrysippus philosophus ducem fuisse Epicuro eiusque discipulis testatur,ad uoluptatem omnia referendi. Athenæus libro septimo,capite 2.

APICIVS Romanus Minturnas profectus est, ut squillis uesceretur:Alexandriam,ut astacis. In Africã transmittẽs squillarum causa,ubi nullas reperit,execratus prouinciam,ita regredi instituit,ne unquam terras eas attingeret. Traiano in Parthis agẽti ostrea miro ingenio seruata summisit.Seneca.

Liuius & Plin.lib.12.cap.1.GALLOS uini cupiditate, Elicone Heluetio fabro inuitante,primam expeditionem in Italiam sub Tarquinio Prisco Rom.rege suscepisse testantur.

☞ IMPORTATIONEM, CONVECTIONEM longinquam,sumtuosam.

Persarum mores magna ex parte temperati sunt, etsi ob opulentiam REGES eorum in delicias luxumque diffluxerint, adeò ut triticum ex Asso Aeolica afferri uellent, uinum autem ex Syria,quod Chalybonium dicitur,aquam ex Eulæo, quòd ea omnium esset leuissima,ut Atticam heminã drachma minus appenderet.Strabo lib.15.

De corruptis ROM.moribus Petronij carmen extat:

Ingeniosa gula est:Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam uiuus perducitur,atq; Lucrinis
Eruta litoribus uendunt conchylia cœnas,
Vt renouent per damna famem.Iam Phasidis unda
Orbata est auibus,mutoq; in litore tantùm
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.

TIBERIVS Imp. quotannis è Germania, castello Gelduba, Rheno uicino,Siseris radices aduehendas curabat,quarum saporem in frigidis locis natarum suauissimum esse iudicabat. Plinius libro 19. capite 5. Iisdem LIVIA summoperè delectabatur.Suetonius.

Incredibilis fuit VITELLII Imp.uorago atq; ingluuies,& ut Tacitus tradit, epularum fœda & inexplebilis libido, cùm ex urbe atq; Italia irritamenta gulæ etiam in castra gestarentur,strepentibus ab utroq; mari itineribus. Suetonius.

☞ INVITATIONEM INDECORAM.

Inuitatiões faciũt SYBARITÆ feminarũ anno antè,quo per otium cultis ueste & mundo inire cœnam liceat. Plut. Con.

☞ CAPTATIONEM, AFFECTATIONEM COENARVM. VMBRÆ gulosæ.

☞ Αὐτόματοι φοιτῶσ' ἀγαθοὶ ϖρὸς δαῖτας φιλόντων. *Et apud Homerum inuocatus Menelaus ad Agamemnonem fratrem conuiuio excipientem Græcorum principes proficiscitur. Nimirum hoc amicitiæ est, sæpe etiam popularitatis, familiaritatis ergò non uocatum accedere. At qui ingluuiei causa hoc faciũt, præsentis sunt loci: qui Auaritiæ, ut aliena uiuentes quadra sumtibus parcant, inter Auaros commemorandi ueniunt.*

Μῦαι olim dicebantur, QVI delectabãtur aliena mensa, quos Plautus muribus comparat, semper alienum edentibus cibum. Apud Athenæum libro sexto, parasitus quispiam se muscæ confert,

Αὐτὸ εἶν ἄκλητος μυῖα. id est,
Quòd inuocatus cœnitare amo,musca sum.

Aduolat enim hoc insectum ad cibum alienum, & ægrè potest abigi Erasmus in Adagiis.

Μυκόνιος γείτων,id est, Myconius uicinus. In eum, qui inuocatus ad cõuiuium accedit. Nam hoc nomine MYCONIOS notauit antiquitas, quòd liguritores essent, & alienæ appetentes mensæ. Suidas. Apud Athenæum libro primo,capite tertio Dipnosophistarum, Archilochus taxauit Periclem quendam, ὡς ἄκλητον εἰσπαίοντα εἰς τὰ συμπόσια, Μυκονίων δίκην: id est, Velut qui inuocatus irrueret in cõuiuia,Myconiorum more. Addit,Myconios, quòd inopes essent, utpote sterilem insulam incolentes, ἐπὶ γλισχρότητι καὶ πλεονεξίᾳ fuisse notatos. egestas enim facit auidos alienarum rerum. Vnde & Cratinus Ischomachum quendam, gulę mancipiũ, Myconium appellauit. Erasmus.

PHILOXENVS Leucadij filius,parasitus,circuibat ædes,sequentibus cum pueris,qui ferrẽt oleum,garum, acetum, & alia condimẽta:& ingressus ædes alienas,ea quę coqueren tur

tur condiebat,iis iniectis,quibus esset opus, atq; ita conuiuabatur. Ephesum naui aduectus, cùm cauponam uacuam reperisset, quæsitaq; causa, omnia ad nuptias coemta esse audiuisset: lotus accessit inuocatus, cantatoque hymenæo post cœnam, omnes exhilarauit. Ibi sponsus: Et cras, inquit, hîc cœnabis. cui ille respondit: Si nemo opsonium uendiderit. Suidas, & Athen.lib.1.cap.3.

In MAXIMVM, Martialis Epigrammatum lib.2. sic scribit:

Capto tuam,pudet heu,sed capto Maxime cœnam,
Tu captas alias:iam sumus ergo pares.
Mane salutatum uenio,tu diceris isse
Antè salutatum:iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus,tumidiq; anteambulo regis,
Tu comes alterius:iam sumus ergo pares.
Esse sat est seruum,iam nolo uicarius esse:
Qui rex est,regem,Maxime,non habeat.

In SELIVM, idem Epigram.libro eodem hæc habet:

Quòd fronte Selium nubila uides Rufe,
Quòd ambulator porticum terit serus,
Lugubre quiddam quòd tacet piger uultus,
Quòd penè terram tangit indecens nasus,
Quòd dextra pectus pulsat,& comam uellit:
Non ille amici fata luget,aut fratris:
Vterq; natus uiuit,& precor uiuat:
Salua est & uxor,sarcinæq;, seruiq;:
Nihil colonus,uillicusq; decoxit.
Mœroris igitur causa,quòd domi cœnat.

In CLASSICVM, idem loco eodem:

Inuitum cœnare foris te Classice dicis,
Si non mentiris,Classice,dispeream.
Ipse quoq; ad cœnam gaudebat APICIVS ire,
Cùm cœnaret,erat tristior ille domi.
Si tamen inuitus uadis,cur Classice uadis?
Cogor,ais.Verum est,cogitur & Selius.
En rogat ad cœnam melior te,Classice,rectam:
Grandia uerba ubi sunt?si uir es,ecce nega.

De PHILONE Martialis Epigrammatum libro quinto:

Nunquam se cœnasse domi Philo iurat,& hoc est:
Non cœnat,quoties nemo uocauit eum.

In CHAROPINVM idem loco eodem:

Cœno domi quoties,nisi te,Charopine,uocaui,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ:
Meq; petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac,Charopine,gula.
Desine iam nostram,precor,obseruare culinam,
Atq; aliquando meus det tibi uerba coquus.

In CANTHARVM, Martialis lib.9.

Cœnes,Canthare,cùm foris libenter,
Clamas,& maledicis,& minaris:
Deponas animos truces,monemus,
Liber non potes & gulosus esse.

In PHILOMVSVM, idem libro eodem:

Artibus his semper cœnam Philomuse mereris,
Plurima dum fingis,sed quasi uera refers.
Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras,Sarmaticamq; manum.
Verba ducis Daci,Cattis mandata resignas,
Victricem laurum,quàm uenit,antè uides.
Sic quoties Phario madeat Ioue fusca Syene,
Sic quota de Libyco litore puppis eat:
Cuius Iuleæ capiti nascantur oliuæ,
Destinet æthereus cui sua serta pater.
Tolle tuas artes,hodie cœnabis apud me,
Hac lege,ut narres nil,Philomuse,noui.

In VACERRAM, Martialis Epigrammatum lib.11.

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Consumit horas,& die tota sedet,
Cœnaturit Vacerra,non cacaturit.

In PROCILLVM, qui inter pocula iussus postridie cœnatum uenire, uenit serò, iocatur Martialis noto epigrammate, inter cætera Græcum illud afferens, μισῶ μνάμονα συμπόταν.

HYBERNVS quidam ignotus,ingressus aulam principis tempore prandij,non inuitatus accubuit mensæ regiorum satellitum. Qui uidentes auem peregrinã, rogarũt, Cuias esset? professus est patriam. Rogarunt, Num quod officium haberet in aula? Nullum,inquit,sed habere cupio. Illi demirantes hominis impudentiam,iusserunt surgere atq; abire. Hoc,inquit,faciam,pransus. Quid multis? uicit improbitate,nec locum in acie deseruit Hybernus. Tandem ira uersa in risum, rogarũt hominem, Qua tandem fronte ausus esset ignotus & alienus sese in regiam familiam ingerere? Quoniam, inquit,sciebam regem satis esse diuitẽ ad dandum mihi prandium. Erasmus in Adagiis.

☞ RAPINAM, FVRTVM.

Pholus Centaurus hospitem Herculem cùm domi suscepisset: defossum antea uini dolium extulit. Hoc tradunt cuidam Centauro olim à Baccho datum, imperatumq;, ut tunc uinum proferret, cùm adesset Hercules. Quarta postmodum progenie Pholum uerborum Bacchi memorẽ, uini dolium aiunt ob Herculis honorẽ reserasse. Verùm eius odor, tum uetustate uini,tũ uirtute ingens,ad propinquos CENTAVROS delatus,ebrios reddidit. Vnà igitur domum Pholi ma[redacted] ingressi tumultu,ad rapinam uersi sunt. Pholus timens [redacted]isset, [redacted]Hercules illis obstitit,& peremit. Verùm cùm Pholus Centauros,qui in pugna ceciderant,uti cognatos sepeliret, contigit ut sagitta à quodam auulsa seipsum feriret: quo uulnere cùm curari nequiret, obiit. Hunc Hercules magnificè sepeliit sub monte, qui ab ipso cognominatus est. Eodem modo & Chironẽ arte medica insignẽ inuitus sagitta occidit. Diod.lib.4.cap.2.

Obsesso à Gallis Caroli V. Imp. exercitu Neapoli, GERMANI aquæ potum tanquam uisceribus noxium abominantes, eius desiderio, tanquam æquum & debitum postulantes, uniuersas propè urbis cellas cum fremitu scrutabantur,sic ut Dauala ipsius Alphonsi Vastij Cæsariani exercitus imp. domum sæua irruptione uiolare non ueriti, aliquot Græci uini dolia,subter hortum manu factis scrobibus recõdita, ex indicio infidelis serui detegerent: factoq; totius exercitus concursu, perpotando galeis,& aquariis cuppis asportãdo ocyssimè exhaurirent,quum modicè parcendo,omnib. per aliquot dies suffectura crederentur. Iouius lib.25.Hist.

☞ SCVRRILITATEM.

PHILOXENVM Cytherium Eryxidis filiũ,& Siculum GNATHONEM,quibus mirè animus fuit in patinis, ferũt muccum[redacted]os emũgere solitos:quò deterritis reliquis [redacted]fercula uorarẽt. Plut. de dicto [redacted]

E[redacted]scribit Athen.lib.4.capite 3.coquis persuasisse solitum,uti calidissimos cibos apponerent,quò solus ipse uescer[redacted],reliquis spectantibus.

DEMYLVS cùm in cœna boni opsonij olla fuisset apposita, ac nesciret quo pacto solus posset comedere, in ipsam conspuit. Athenæus lib.8.cap.6.

☞ CONSERVATIONEM INEPTAM.

QVATORVPVS, qui apud Morauos ultimus regnauit, cùm se absente regiam conflagrasse didicisset, interrogauit nuncium, An cella uinaria salua esset? eoque respondente, Absumtis cæteris illam intactam igni superfuisse. Et nos, inquit, igitur salui sumus. Aeneas Syluius libro quarto Com. de Alfonso.

Venerat Pragam ad VENCESLAVM VI. regem & Imp. quidam nuncians, arcem Vicegradensem incendio ferè totam esse consumtam: Etiámne,inquit,cella uinaria exusta est? Vt incolumem audiit: Ardeat,inquit,uel denuò arx,totaq; pereat, dummodò salua sit cella cum uino nostro Rhenano. Dubrauius li.23.

EVNDEM ferunt inter proceres sæpe dixisse, siquando cum exercitu peteret Italiam, adesserq; urbium & agrorum uastationibus, edicto prouisurum, ne quis uino noceret: capitale futurum, si quis iniussu suo cellam uinariam inuaderet: cæteras omnes res militibus ad prædam fore expositas. Aen. Syl.lib.12.Boëmiæ, Cranzius lib 10.Vandal.cap.1.

ALIMENTORVM IN GENERE INHONESTA FRVITIO. RESPECTV HABITO

☞ PERSONARVM. QVI GVLOSI IN VNIVERSVM.

Consueuerunt satyrici poetæ DELPHICOS carpere, quòd in sacrificiis conuiuiisq; uersarentur. Athen.lib.4.cap.23.

ILLYRII cœnant bibuntq; sedentes, mulieresq; ducunt in cõuentus, pulcrumq; arbitrantur, ut prouocent quemcunque contigerit ex præsentibus, ipseq; uiros agunt ex symposiis, ac omnes malè uiuunt, uentremque zonis latis cingunt, ubi bibunt: quod quidem primum mediocriter faciunt: cùm uerò uehementiùs bibunt, zonam semper magis contrahunt. Athen.lib.10.cap.14.

SAVROMATÆ triduo ad saturitatem se ingurgitant, & uxoribus ceu dominis per omnia parent. Stobæus sermone 42. ex [redacted] Moribus gentium historia.

Callistratus lib 5. de Tarentinis, Ciuitas,inquit, TARENTINORVM singulis ferè mensibus boues sacrificat, conuiuiaq; publica facit,ita ut priuatorum multitudo semper ferè inter pocula uersetur. Dicunt reliquos homines laborando

rando

rando uictum sibi comparere consueuisse: se uerò solos scire, quid sit uiuere, de uictu non sollicitos. Athen. lib.4.c.20.

Legimus bis die sumtuosiùs TYRRHENOS mẽsam solitos instruere, puellulis etiam nudis administrantibus, ut prodit Timæus & Diodorus. Cæl.lib.7.cap.9.A.L.

LEONTINOS Siciliæ populos scribit Diogenianus, inter pocula obuersari assiduè cũ maxima solitos fœditate, in quã calamitatem Phalaridis sæuitia uidentur recidisse: à quo uicti bello, & armis exuti, ne mox res nouas affectare possẽt, conuiuiorum hilaritatibus & uinolentiæ sunt relicti. Cæl. lib.7.cap.10.Lect.Antiq. Id quod LYDIS quoq; euenit, uictis à Cyro, consilio Crœsi. Vide locum Stratagematum, Victos in officio continere, ne rebellent.

Plato in Epistola ad Dionis amicos, de suo in SICILIAM aduentu sic scribit: Eò quum appulissem, uitam, quam beatam uocant, Italicarum Syracusanarumq; mensarum non potui nõ summoperè improbare. Mos enim illis est iam receptus, bis die saginari epulis, ac distendi: noctu uerò libidinis socium adsciscere, & id genus alia perficere, quæ uitæ sunt eiusmodi ueluti propagines. Nemo enim omnium ita ab ineunte ætate connutritus, etiam si ingenio sit mirus, prudentiam sibi queat uindicare. Hæc ille. Italicas has mensas, Sybariticas intelligi, contendit Cælius lib.7.cap [illegible] doquidem & Italiæ exterior pars Magna Græcia fuerit appellata, quoniam Græci urbes litorales occuparint. Vnde Helenus Aeneid.3.inquit, —cuncta malis habitantur mœnia Græcis. In Italiam itaq; frugalem alioqui, suas delicias Græci intulerunt. Erasmus in prouerb. Syracusia mensa.

SYRI ob ubertatem regionis, semper potationibus indulgẽt, gymnasiis uelut balneis utẽtes: preciosoq; oleo peruncti & unguentis, in ludis literariis (sic enim communium conuiuiorum loca nominãt) quasi in domibus uersantes, bonam diei partem absumunt uentri inseruientes, uinisq; & epulis dediti, ita ut ad hirundinis strepitum multa canentes se cõparent, ac ciuitates uniuersæ resonent huiusmodi clamoribus. Athen.lib.5.cap.9.

ARIÆI singulis diebus fiunt ebrij, conuentusq; faciũt, intemperanterq; se habent ad cibum & potum. Athen.lib.10.c.14.

LITYERSAS Midæ filius nothus, Celænorumq; eorum, qui Phrygiam incolebant, rex, uir aspectu agrestis & insuauis, erat ualde uorax: de quo Sositheus Tragicus scribit hunc in modum in actu Daphnide, siue Lityersa,

Totum clitellarum trium panem ipse edit
Paruo die, mox ebibitq; unam bonam
Vini metretam.— Athen.lib.10.cap.1.

SERVI cuiusdam Gastromargiam his uerbi[illegible] comicus, —γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον·

Αὕτη πατήρ σοι καὶ πάλιν μήτηρ μόνη,
Ἀρετὴ δὲ, πρεσβεῖαι τε, καὶ στρατηγίαι,
Κόμποι κενοὶ ψοφοῦσιν ἀντ' ὀνειράτων.

Victorius lib.5.Var.lect.cap.20.

Agatharchides Gnidius lib.28. rerum Asiaticarum GNOSIPPVM scribit adeò intemperantem Spartæ fuisse, ut eum Ephori prohibuerint cum iuuenib. uersari. Athen.lib.4.c.20.

Diogenes cùm in MARONIA potaret cum quibusdam, dicebat se posse scire ad quem locum spectaret ciuitatis, si tecta facie ipsum ducerẽt. Quum duxissent, rogassentq;, Quò spectaret? Ad cauponam, inquit. Sentiens, totam ciuitatem nihil aliud esse quàm cauponam. Itaq; quocunq; uerteretur tectis oculis, sciebat se spectare cauponã. Maronia porrò Ciconũ ciuitas est, negotiationi dedita. Eras.lib.6. Apoph.

Multum TIMOCREON Rhodius edebat ac bibebat, cùm athleta esset ac quinquertio, uelut Epigramma significat in illius sepulcro:

Πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

Plurima edens, permulta bibens, mala plurima dicens
In cunctos, iaceo hic Timocreon Rhodius.

Scribit in quodam prooemio Thrasymachus Macedo, Timocreontem ad regem Persarum accessisse, & hospitatum fuisse ab illo, multumq; comedisse. Interroganti regi, Quid postea facturus esset? dixit, Se Persas innumeros concisurũ. Die sequenti multos singulari certamine uicit. Athen.lib.1.c.1.

ALEXANDER Magnus refecto in Gedrosia exercitu incessit comessabundus diebus septem per Carmaniam. Illum equi octo composito gradu uehebant, cum amicis, super pulpitum in edito & cõspicuo tabulato erectum quadrato, conuiuiis noctem diebus continuantem. Sequebantur currus frequentes partim purpureis & pictaturis taperibus partim arborum semper recentium & uirentium inumbrati ramis, quibus alij uehebantur amici & duces eius coronati potantesq;. Videres non cetram, non galeam, non sarissam: sed phialis, pateris, calicibus Thericliis milites toto itinere ex grandibus doliis & crateris haurientes: præbibebant inter se, alij simul inter pergẽdum & progrediendum, alij recumbentes. Circumsonabant omnia loca fistulis, tibiis, carminibus, cantilenis, bacchabundis mulieribus. Tam incomposito & incondito itinere comitabãtur pocula bacchabundæ licentiæ ludis, quasi ipso præsente Baccho & comessationis duce. Postquàm in regiam Gedrosiæ uenit, relaxauit deintegrò exercitũ in tempestiuis cõuiuiis. Ferunt temulentum chororum ludos spectasse, amasium eius Bagoam choragum palmam obtinuisse, exornatumq; medio theatro transisse, & ad latus eius consedisse: Macedonas, cùm id uiderẽt, plaudentes ut osculum ei ferret conclamasse: quoad illum complexus & dissuauiatus sit. Plut. in Alexandro.

Amarãthus Alexãdrinus, HERODOTVM scribit tubicinem Megarensem magnitudinis trium fuisse ulnarum cum dimidio, lateraq; fortia habuisse, ac sex panis semodios edisse, carnium libras uiginti: binos uini congios bibisse. Athenæus lib.10.cap.1.

AGLAIS Megalocleis tubicẽ, edebat carnis duodecim libras, quatuorq; semodios panis, ac uini congium bibebat. Ibid.

PHILOXENI plures fuère uoracitate apud ueteres noti, ut fatale quodam modo nomen istud ingluuiei esse uideatur. Vnus fuit Leucadius, qui artem parandi obsonia scripsit, teste Platone Comico, à quo placentæ quædam Philoxeniæ sunt dictæ. Alter Euryxidis filius, Dithyramborum poëta. Tertius Cythereus poëta, Dionysio familiaris, à quo obadamatam Galateam tyranni amicam in lapidicinas relegatus est, in quibus Cyclopem faciens, eam composuit fabulam, quæ ad eius miseriam pertinet: Dionysium ipsum Cyclopem, tibicinam Galateam, seipsum Vlyssem fingens. Athen.lib.1.cap.3. Quartus Eressius, nisi fortè idem Euryxidis est. Hũc siue alium eiusdem nominis φιλόδειπνον & φιλίχθυν & παχύμηρον & ὀψοφάγον uocatum tradunt historiæ. Athenæus addit, πλειονοξίδα.

Fuit HERACLIDES pugil infiniti propè cibi potusq; capax: non reperiebatur illi compar in potando. Plutarchus libro primo Con. quæst.6.

ARCHESTRATVS Syracusanus poëta, uentri gulæq; deditissimus fuit. Ideoq; terras mariaq; circuiuit, ut ea quæ ad gulam facerent, describeret. Poëma illius γαστρονομίαν inscriptũ esse, Chrysippus prodit: alij γαστρολογίαν, uel ἡδυπάθειαν, δειπνολογίαν, uel ὀψοποιΐαν dixere. Chrysippus quandam metropolim Epicureæ philosophiæ appellabat, & quandam suum Theogoniam.

MILO Crotoniata carnium minas XX deglutiuit, & panis totidem. Vini choas persiccauit tres. Idem in Olympia quadrimum solus absumsit taurum, quem per stadium retẽto anhelitu portauerat suis humeris. Athen.lib.10.cap.1.

Pontificum ROM. luxuriosam cœnam, pete ex Macrobij libro tertio, capite 13.

C.Titius, Lucilij poëtæ coæqualis, in oratione, qua legẽ Fanniam suasit, describens ROMANOS homines prodigos, in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quæq; soleant inter se sermocinari, sic ait: Ludunt alea studiosè, unguentis delibuti, scortis stipati. Vbi horæ decem sunt, iubẽt puerum uocari, ut in Comitium eat, percontatũ, quid in foro gestũ sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quot uetuerint. Inde ad Comitium uadunt, ne litem suam faciãt. Dum eunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui uesicam plenam uini habeant. Veniunt in Comitium tristes, iubent dicere. Quorum negotium est, narrant. Iudex testes poscit, ipsus it mictum. Vbi redit, ait se omnia audiuisse. Tabulas poscit. Literas inspicit. Vix præ uino sustinet palpebras. Eunti in consilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negotij est cum istis nugatoribus? quin potius potamus mulsum mistum uino Græco: edimus turdum pinguem, bonumq; piscem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus sit? Macrob.lib.3. Saturn.cap.16.

METELLVM Pium Sallustius in sua historia reprehendit, quòd præter eius & populi Rom. dignitatem & modestiam conuiuijs in Hispania indulgeret, omnique luxu uteretur, à patre suo Metello Numidico apertè degenerãs. Valer.Max. lib.9.cap.1.

CLAVDIVS Cæsar conuiuiis plus nimio deditus, uini cibiq; appetentissimus, usq; adeò ut sæpè stomachum uomitu cogeretur exonerare. Conuiuia agitauit & ampla, & assidua, ac ferè patentissimis locis, ut plerunque sexcenteni simul discumberent. Conuiuatus & super emissarium Fucini lacus, ac penè submersus, cùm emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more uetere ad fulcra lectorum sedentes uescerentur. Suetonius.

M. Tullius celebrauit P. GALLONIVM à Lucilio traditum, idq; locis compluribus. In oratione pro Cæcinna, pro P. Quintio, & lib. de Finib.2. Lucilij uerba sunt: O Publi, ô gurges Galloni, es homo miser, inquit, Cœnasti in uita nunquam bene: quum omnia in isto Consumis squilla, acipensere cum decumano. Hæc Lucilius facit loquentem Lælium lapatho cœnare solitum Gallonio lurconi, & omnia gulæ uentrisq; delectatione metienti. Hinc adagium apud Cic. Viuit ut Gallonius, loquitur ut frugi Piso.

Veteres ante cibum ne aquam quidem hauriebant. At NOSTRÆ ætatis homines, inquit Plut.lib.8.Conuiu.quæst.9. nunc ieiuni priùs onerant se uino, quod πρόπομα uocant, tum gustant cibum: inebriato & ebulliente stomacho, attenuantia, incidentia, & acetosa offerunt, ad appetitionẽ stimulandam: indè aliis se ingurgitant.

VITELLIVS Imp. ad omnem natus licentiam, quum diei ac noctis plurimum uoracitati impenderet, mox ut nouis epulis locum uacuefaceret, uomitu, redundãs ac permolestum onus leuabat, quod scribit Diõ. Hinc Vibius Crispus cùm per morbum cœnis principis non interfuisset: Perieram, inquit, ni morbo fuissem grauiter conflictatus. Cælius lib.13. cap.25. Antiq. lect.

M.APICII cœnas supercilio Stoico conuellit Seneca. Sed & Græci, opsophagi cognomento insigniunt. Traiano in Parthis agenti, quum multorum dierum itinere à mari abesset, ostrea recentia miro ingenio seruata Apicius summisit. Hic in Cinturis Galliæ, uel apud Minturnas, ut scribit Athenæus, magnam pecuniæ uim profudit, dum squillis auidè uescitur, q̃ illic habentur maximæ. Sed & in Alexandriã astacos magna conquirens cura, quum audisset, in Libya squillas quoq; capi prægrandes, ne diei quidem unius moram sustinens, in Aphricam confestim transmisit. Quod ubi falsum comperit, execratus prouinciam, ita regredi institit, ne unquam terras attingeret omnino eas. Hæc Græci. Sed diuersus ab hoc fuerit alter ille, quem nepotum omnium altissimum gurgitem Plinius dixit; cuius in Consolatione ad Albinam, ut iam perfuncti fato, meminit Seneca: quòd in ea urbe, ex qua aliquando philosophi uelut corruptores iuuẽtutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecerit. Commeminit Apicij Epistolarũ decimaquinta idem Seneca, simul & P.OCTAVII inter gulæ proceres maximè insignis, & (quod mirum in primis est) ipso item Apicio in mulli licitatione, quem Cæsar Tiberius uendi iusserat, superioris: Vnde, inquit, inter suos ingentem est gloriam consequutus. Denique ab Apicio propagatum in coquos cognomentum, ut Apiciani dicerentur, quadam philosophorum imagine, auctor est Septimius Florus. Cælius lib.9. cap.11. Antiq.lect.

MAXIMINVS Imp. qui Alexandro Mammeæ filio successit, non magis corpulentus & ualidus, quàm edax & potulentus fuit, quippe qui quadraginta libras carnis uno die esitabat (alij sexaginta scribunt) potabatq; uini amphoram, adeò ubertim sudante corpore, ut calice sudor colligeret, impleueritq; uno die collectus sudor treis sextarios. Sabellicus lib.10. cap.10 & lib.6. Ennead.7.

Flauius Vopiscus indicat, Aureliano in deliciis fuisse PHAGONEM quendam, qui uno die ad mensam Imperatoris ederit apram integrum, centum panes, ueruecem & porcellum: biberit autem infundibulo ori apposito plus orca.

FIRMVS, qui in Aegypto contra Aurelianum rebellauit, crocodilino adipe unctus impunè inter crocodilos annatauit, hippopotamos esitauit, iunctisq; struthionibus uectus, ut quasi uolitare uideret. Fuit cibi appetẽtissimus, ut struthionem uno die comederit: bibit, etsi alioqui uini parcissimus, ex prouocatione duas uini situlas, increpitusq; à comporore, quòd non fecem bibisset: Terra, inquit, stulte, nõ bibitur. Sabel. lib.7. Ennead.7.

FLIOLMVS Gothorum rex, crapulę & ebrietati deditissimus fuit: ut milites suos non solũ commilitones, sed combibones effecerit, cum eis in longam noctẽ potare solitus. Cũq; more solito noctem cum suis potando duceret, ab ipsis ebrietate suffusis, in ingẽs dolium cereali liquore repletum, quod pro explenda bibacium gula in media aula collocatum fuerat, per ludibrium præcipitatus interiit. Ioãnes Magnus lib.7. cap.17.

Cùm Ludouicus Pius regna inter filios diuideret, Aquitaniã PIPINO nepoti suo ex Pipino F. prouinciam dedit. Sed ebrietati deditus ille & crapulæ, cùm prouincia undique uastaretur impunè, malignisq; quibusq; grassantibus, ab indigenis captus, Carolo Caluo traditus est: qui eum consilio episcoporum monasterio inclusit. Cuspinianus.

HVGVTIO Fagiolanus, multis actus fortunę tempestatibus, ad aulam Canis Magni Veronensis, uelut in portum aliquẽ fessus senex appulit: ubi magnificè exceptus (quod in illa domo præcipuum erat) non hospitis, sed parentis locum tenuit. Orta autem (ut fit) super mensas semel edendi mentione, cùm multi magni comestores referrentur, ab aliis expectatus Hugutio, ipse, qui inter maximos habebatur, ut de se aliquid loqueretur, cepissetq; uir immensi corporis de esu suo in ætate iuuenili quædam incredibilia narrare: Petrus Nauus, qui in eadem Canis aula sapientia celebris, sed mordax habebatur, respondisse traditur: Minimè quidem miror hæc quæ dicis, cùm maiora sileas, quæ tamen scimus: Pisas & Lucam uno prandio se deuorasse. Pungentis ioci cuspidem transfixisse senis animum reor. Constans est enim opinio, potuisse die illo, quo de illarum ciuitatum dominio pulsus erat, uulgi tumultus comprimi, si è conuiuio surrexisset. Petrarcha.

MVLSVMANES Turcorum Imp. somno & conuiuiis deditus, quodam tempore cùm phialam manib. teneret, & ceruus in castra penetrasset, in iisq; oberraret: tumultuantibus militibus propter cerui in castra aduentum, interrogauit, Num phialam cornibus gestat? quod si est, hanc redimam. Chalcocondylas lib.4.

PAVLVS II. uaria ciborum genera sibi apponi uolebat, & peiora semper quæq; degustabat. Clamabat interdum, nisi quæ expetebat ex sententia apposita fuissent. Bibacissimus quidem erat, sed uina admodum parua & diluta bibebat. Peponum esu, cancrorum, pastillorum, piscium, succidiæ, admodum delectabatur. Quibus ex rebus ortam crediderim apoplexiam illam, qua è uita sublatus est. Nam duos pepones & quidem prægrandes comederat eo die, quo sequenti nocte mortuus est. Platina.

Vniuersa gens ANGLICA supra cæteros mortales cõuiuiorum studiosissima. Ea enim per uarias & exquisitas dapes, [illegible]positis musicis atq; ioculatoribus, in multas sepiùs horas extrahunt: ac subindè perductis choreis, amoribus feminarum indulgent. Iouius lib.2.Hist.

SCOTOS sensim Anglorum imitatione tanta incessit uoracitas, tanta ingerendi cibi delicatioris auiditas, ut nullis escis pleriq; expleri queant, quoad uenter adeò sit distentus, ut difficulter etiam anhelitum remittat. Quibusdam non satis est, quantum naturæ ui haurire possunt, sed infundibula insuper in os inserunt, aliis munus infundendi præbent, atq; ingentes exhauriunt mensuras, spiritum pariter ac potum arte quadam peruersa trahentes. H.Boethius lib.17.

MODI PROVOCANDO, CERTANDO CVM ALIIS. CERTAMINA Cibi & Potus.

Κραιπάλην, quasi κρανιοπάλην dictam sunt qui putant, [illegible], sicuti Tiberius Cæsar [illegible] dixit.

LEPREVS Neptuni nepos ex Caucone & Astydamia Phorbantis filia (Pausanias Pyrgei F. facit) cum Hercule in uoracitatis certamen, boue integro mactato, descendit: & hactenus non inferior, cùm certandi cupidine, disco, luctaq; primùm, mox etiam armis Herculem prouocasset, ab eo interemptus est. Athenæus lib.10. c.1.& Pausan. libro 5. qui ab eo [illegible]asset Lepreon Elidis urbem.

Chares Mitylenæus in Historiis Alexandri, de Calano Indo philosopho scribit, quòd cùm se in pyram accensam coniecisset, mortuus est. Eius exequias cùm celebraret Alexãder, musicum certamen & palæstram, item ob Indos uini studiosos meri certamen instituit, in quo primum præmium erat talentum, secundum minę triginta, tertium uerò decem. Ex iis qui uinum biberunt, triginta & quinq; continuò ob ingens gelu obortum interierunt: at sex pauco interuallo interposito mortui sunt in tentoriis. Qui plurimum bibendo uicit meri quatuor choas hausit, PROMACHVS Macedo, & propterea ab Alexandro talenti corona donatus est: sed triduo tantum superuixit. Aelianus lib.2. de Varia hist. Athen.lib.10.c.12. Suidas. Plut. in Alex.

Bibebat plurimum PROTEAS Macedo, ut Ephippus testatur in libro de Alexandri ac Hephæstionis sepulcro, corporeq; fuit robustiore, nam potationi erat assuetus. Cùm igitur poculum bicongium ALEXANDER aliquãdo expetisset, bibensq; Proteam prouocasset, ille accepit: atq; cùm regẽ pluribus uerbis laudasset, ita bibit, ut ei ab omnibus applauderetur. Postea uerò exiguo tempore interposito idem poculum expetiuit Proteas, rursusq; bibit regẽ prouocãs. Quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, non tamẽ potuit ferre, sed poculo ex manibus demisso in puluinar decubuit. Cùm Alexander apud Medium Thessalum cœnaret, adessentq; uiginti in symposio, omnes prouocauit, ab omnib. pariter accipiens, ac ex symposio paulo pòst consurgẽs, cessauit. Athen. lib.10.c.11.

Phalæcus mulierem quandam, CLEO nomine, bibacem fuisse narrat in Epigrãmatibus, quam nemo uel potuit uel uoluit bibendo uincere. Idem, cap.12.

Philemon comicus ore coqui, studium CONVIVARVM in eripiendo suaui cibo uni eorum, qui primus cognita uoluptate illius, cum arripuerat, ollamq; congrorum plenã manibus tenens profugerat, & orbe sæpè facto cum ea fugitabat, aliis sectantibus, partemq; inde capere conantibus, significare uolens, & ut planè intelligeretur efficere, inquit: Simile fuisse, atq; cùm gallina ceperit aliquid ore maius q̃ quod subitò deuorare possit: ipsa enim huc atq; illuc cursitat, tempus captans ad illud deuorãdum: altera autem hãc

summo studio sectatur, festinatq; præripere. Victorius lib. 18. Var. lect. cap.17.

LACYDES & TIMON philosophi, cùm uocati essent in duos dies ab amico quopiam, uellentq; cum præsentibus in orbem potare, largiùs biberunt. Primo autem die prior abiuit Lacydes, quòd uinum ferre non posset. Eum Timon uidens abeuntem, ex Iliad. χ uersum protulit:

ἠράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον.

Gloria parta ingens, occidimus Hectora clarum.

Die postea sequente, cùm Timon prior abiisset, propterea quòd calicem haurire non posset, quo fuerat inuitatus, Lacydes ad abeuntem inquit Homericum illud Iliad. ζ.

δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσι.

Inualidis nobiscum ineunt certamina nati.

Athenæus lib. 10. cap. 12. & Eustathius Iliad. χ.

Scribit HEGESANDER Delphus, Cottabum appellatū poculum in sympofia Siciliorum primùm uenisse. Tantum autem studij fuit huiusce rei Græcis, ut uel certámina Cottabia uocata introduxerint in symposia, atque calices postea huic rei maximè idonei efformati fuerint, quos itidem Cottabides uocarunt. Conficiebantur domus præterea circulares, ita ut omnes Cottabo, in medio posito, ex æquo spacio, locisq; non absimilibus, ob uictoriam decertarent. Neq; enim in scopum solùm intendere nitebantur, sed omnia exacto studio conficere contendebāt. Oportebat enim cùm quis se in læuum cubitum firmasset, dextra circumagere, ac λατάγην seu guttam demittere: sic enim humor ille, q ex calice decidebat, appellabatur, ita ut nōnulli magis gloriarentur, quia Cottabis certare essent periti, quàm quòd peritè iacularentur. Athen. lib. 11. cap. 9.

ANACHARSIS Scytha, cùm certamen bibēdi statutum fuisset apud Periandrum, primus præsentium omnium factus ebrius, præmium expetiuit: uelut hic esset finis uictoriæ inter potandum, sicut etiam meta est cursus. Athenęus lib. 10. capite duodecimo.

MITHRIDATEM Asiæ & Ponti regē, cum quo annos duos & quadraginta à Romanis depugnatum proditur, legimus cum cæteris ducibus temulentum quandoque ac uino madentem, aut delectus habuisse, aut arma pertractasse, & cū Stratonica oblectatum muliere. Scribunt Græci, Mithridatem hunc inter alia quæ edebat spectacula, etiam illis certa constituisse præmia, qui ciborum amplius in uentris barathrum constipassent, aut meri plus ingurgitassent, πολυφαγίαν uocant Græci, ac πολυποσίαν. In utrisq; uerò ipsum retulisse uictoriam, imò uerò omnium sui temporis hominū in bibendo modum excessisse, præmium tamen ei, qui post se iudicatus erat primus, concessisse, uidelicet CALLIMANDRYI Cyziceno athletæ. Quo argumento putant nonnulli esse cognominatum Dionysium. Cælius lib. 29. cap. 17. Antiq. lect. ex Athen. lib. j. cap. j. & Plut. lib. j. Con. & Cic. pro Flacco.

Theophrastus auctor est, POTORES in certamine bibendi præsumere farinam pumicis, sed nisi immenso potu impleantur, periclitari: tantamq; refrigerandi naturā esse, ut musta feruere desinant, pumice addito. Plin. lib. 36. c. 21.

Elæomeli in Syria ex ipsis oleis manat, sapore melleo, non sine nausea, aluum emollit, bilem pręcipuè detrahit, duobus cyathis in hemina aquæ datis: qui bibêre, torpescunt, excitanturque crebrò. POTORES certaturi præsumunt ex eo cyathum unum. Plin. lib. 23. c. 4.

Scribit Timæus, quòd Dionysius tyrannus choam bibenti in Choum festo auream coronam præmium posuit, quodq; primus XENOCRATES philosophus bibit, qui auream coronam accipiēs Mercurio dicauit, cui coronas etiam floreas frequenter apponere cōsueuerat, cùm uesperi ad eum accederet. Athen. lib. 10. c. 12.

CLEOPATRÆ reginæ certamen cum M. ANTONIO Triumuiro in cœna sexcentis H-S, Plin. lib. 9. c. 35. describit, & Plut. in Antonio.

Ex Drusi Tiberij Cæsaris filij contubernalibus MEDICVS, q omnes lacessebat poculis, ne tētaretur crapula, semper quinas uel senas amygdalas amaras præsumebat. Verùm deteċtus, cùm prohiberetur & asseruaretur, ne tantulum quidē uino resistebat. Plut. lib. j. Quæst. conuiu. 6.

Apicius opes suas & in amicos, & in ignotos effundebat. Vocauerat ad cœnam multos, & inter eos quendam nomine ISIDORVM, in palæstris attritum, hominem senem illum quidem, & prouectæ ætatis, annos unum & nonaginta natum: sed firmum & membris integris, robustis lateribus, & torosis brachiis, summisq; manibus, qui & acutiū cerneret, & facillimè audiret, ut nemo eum annos LX natum crederet. Is scypho ebibendo certauit cum adolescentibus, & in uoracitatis & bibacitatis certamen descendit. Vna uerò cum re uictum dicunt, quòd citiùs à cœna discesserit. Suidas in Apicio.

Apud Rom. cognomen meruit NOVELLIVS Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usq; è prætura honorib. gestis, tribus congiis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe, in senecta iam seuero atq; etiam sæuo aliàs, sed ipsa iuuēta ad merum pronior fuerat. Eaq; commendatione credidêre L. PISONEM urbis Romæ curæ ab eo delectum, quòd biduo duabusq; noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principem. Plin. lib. 14. c. ult. & Suetonius.

De PATRE quodam & FILIO, qui uoracitate inter se contendebant, Agathius in 2. Epigram. εἰς λαιμαργοὺς:

Υἱὸς καὶ γενέτης δῆριν φιλόνεικον ἔθεντο,
τίς πλέον ἐνδαπανῶν κλῆρον ἅπαντα φάγοι.
καὶ μετὰ τὴν βρῶσιν τὴν χρηματικὴν μάλα πᾶσαν,
ὑστάτιον ἀλλήλους λοιπὸν ἔχουσι φαγεῖν.

HERACLIDEM pugilem ante Plutarchi ætatem Alexandrini Herculem blando nomine uocitarunt. Hic cùm non reperiret constantem combibonem, inuitabat hos ad ἀκράτισμα (ientaculum) illos ad prandium, alios ad cœnam, denique ad comessationem (κῶμον) alios. Recipientibus se primis, succedebant secundi, mox tertij, hinc quarti. Ille sine intermissione ulla omnes sustinebat, quatuorq; illas compotationes perferebat. Plut. lib. j. Quæst. conuiu. 6.

BONOSVS Hispaniēsis, qui imperium in Gallia arripuit sub Aureliano, cum Germanorum legatis, qui ad Imp. uenerāt, solebat poculis contendere: ut ab his per uinum cuncta secreta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper sobrius mentisq; compos & adhuc in uino prudentior erat. De eo Aurelianus sæpe dixit, Non ut uiuat natus est, sed ut bibat. eumq; militiæ causa in honore habuit. Cuspinian. & Auentinus lib. 2. ex Vopisco.

SAXONES & HOLSATI solebant olim dies noctesq; perpotare: ac eum qui alios superasset, laude & honore afficere, corona ei de rosis, aut aliis bene olentibus herbis imposita. Ioānes Petersius in Holsatorum Chronico. Bonifacius in epistola ad Romanum Pontificem, apud Mutium lib. 7. sic scribit: Animales homines tempora quędā anni habent, quibus insaniunt, crapula se degrauantes & inebriantes, comessationibus totos dies & noctes uacantes, clamantes ferino more, saltantes & canentes cantiones obscenas, quę facilè mores corrumpunt bonos. Mulieres se exponunt meretricio quæstu uænales.

Drusi Tiberij Cæsaris filij medicus ANTONIVS Musa superasse in potando Germanorum bibacissimos fertur. Id quò facilius posset præstare, ingenio utebatur: siquidem quinq; aut summū sex amaras prægustabat amygdalas, ne ebrius effici ullatenus posset: quod ubi facere est deprehensus, ac uetitus, mox ne minimo quidem potui sufficiebat. Athen. lib. 2. cap. 11. Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. lect. Plutarchum etiam citat.

FIRMVS Imp. uini patientissimus fuit, citra tamen ebrietatē. Quondam à Barbaro uexillario ad bibendum prouocatus, duas uini situlas hausit, & postea toto cōuiuio sobrius fuit. Quum uerò Barbarus diceret, Qur non & fecem ebibisti? Stulte, inquit, terra non bibitur. Erasm. Rot. lib. 6. Apoph. ex Vopisco.

CAMATHERVS Logotheta, apud Manuelem Comnenum Imp. fuit mortalium omnium gulosissimus, & bibulorum princeps: canere ad lyram, & citharam pulsare, cordacē saltare, & pedes celeriter huc atq; illuc agitare promtus. Quāuis autem uinum auidissimè ingurgitaret, tamē nullum in eo signum ebrietatis apparebat: imò, quò plus biberat, eò prudentiùs, irrigatione illa uini excitato ingenio, loquebatur: erat enim dictionis extemporalis studiosus, eloquentia fontis instar exuberante. Iam quia symposia consectabatur, cùm Imperatori acceptissimus erat, tum regulis prouinciarum, qui comessationes amabant, charissimus. Ad quos cùm legatus ibat, alios potādo superabat, eoq; redigebat, ut longo tempore ad uinum edormiendum & ebrietatē discutiendam esset opus: alios æquabat, quum quidem uentres eorum integra dolia caperent, & amphoras digiti uti calices uersarent, & Herculeum scyphum cœnæ perpetuō subiungerent. Hic pepigit aliquando cum Imp. Manuele se porphyreticam patinam aqua plenam exhausturum, quæ olim in aula Phocæ Nicephori fuit, ad Bucoleontem spectante. Id Imperator admiratus, ei multum lineæ uestis preciosæ & cōplures auri minas promisit, si ita fecisset: sin minus, tantundem ab eo stipulatus est. Ille patinam aqua repletam, quæ ad duas choas capiebat, instar bouis inclinatus, exhausit, semel tantùm recepto inter potādum spiritu, ac statim promissa ab Imperatore munera ex pacto accepit. Nicetas Choniates lib. 3.

TARTARI famis somniq; supra modum patientes, ut ea nōnunquā toto triduo quatriduóue perferant, tandē uerò occasionem ad uorandum nacti, supra modum se cibo & potu ingurgitant, eaq; crapula priorem inediam resarciunt, sicq; cibi & potus superfluitate obruti, biduo triduóue dormiunt, in quos sic somno penè suffocatos, & oppressos, Lithuani & Ruteni (in quorū regiones frequenter excurrunt) derepentè irruentes, incautos profligant, prædasq; repetūt. Guagninus in descript. Tartariæ.

FINIS. CAVSA

GVLÆ.

Sic pleriq; Qui quidem propriè Gulosi dici merentur.

VITÆ.

MYCERINVS Aegyptius, cùm ei uaticinium Latonæ è Bute urbe afferretur, breuitatem uitæ prædicens: oraculum eludere uolens, tempus duplicando, noctes insomnes agens, & perpetuis funalibus illustrans, poculis indulgebat. Aelianus lib. 2. de Var. hist. & Herod. lib. 2.

COLLOQVIORVM.

CATO minor in cœnis sortem mittebat de portionib. Si sors ipsum destituisset, amicis, ut primam tolleret, instātibus: Parum id ait conuenire, inuita Venere. Initiò semel tantùm cū bibisset super cœnam, digrediebatur: uerùm progressu ætatis maximè dedidit se potui, ac subinde in uino usq; ad diluculum transegit. Prætendebānt hîc rempub. amici & publica negotia, in quibus totos dies districtum & prohibitum philosophiæ uacare Catonem, noctu atq; inter pocula serere cum philosophis colloquia. Quapropter cùm Memmius quidam diceret in cœtu, Totas comessari noctes Catonem, subiiciens Cicero: Sed illud non addis, inquit, totos dies cum alea ludere. Plut. in eius uita.

MATHIAS Coruinus Vngarię rex, inter amicos quandoq; liūcētiore comessatione usus est, ut curas abigeret. Bōfin. li. 7.

INTEMPERANTIA ALIMENTARIS RESPECTV ALIORVM. Huc pertinet Alienæ

TEMPERANTIAE ODIVM, INSECTATIO.

Sunt qui SYBARITEM Spartam pererrasse dicant, & cùm in Phiditiis conuiuaretur, Meritò uitæ contemtores esse Lacedæmonios, dixisse: Quisquis enim sanæ sit mentis, decies millies mori priùs eligeret, quàm huius parcitatis esse particeps. Athenæus lib. 4. cap. 4.

INTEMPERANTIAE APPROBATIO.

Ex Tit. Intemperantiæ alimentaris magistri. huc illi, qui aliorum ingluuiem non alio quàm intemperantiæ studio accenderunt. Item Certamina belluonum, quatenus suos habent hortatores, & incentores & fautores.

In SICILIA Addephagię uisebatur templum, id est, Edacitatis: ac Cereris statua, quæ dicitur σιτώ: uelut apud Bœotiæ Scolum Megalarti, & Megalomazi. Cælius lib. 7. cap. 11. Lectionum Antiq. ex Athen. lib. j. c. j.

Alcibiades famam apud GRÆCOS ex ebrietate meruit. Plin. lib. 14. cap. ult. & Plato in Symposio.

Apud BARBAROS laudibus & encomiis ebrietas & uoracitas fouetur, teste Aristoph. in Acarnanibus.

οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.

INTEMPERANTIA CIRCA CIBOS, RESPECTV

CVPIDITATIS, APPETITIONIS, quatenus

ADEST.

GALIENVS Augustus, cùm ei relatum esset, populum Rom. indignè ferre, quòd Valerianus pater eius apud Parthos seruiret, conuersus ad astantes: Ecquidnam habemus, inquit, quod prandeamus? Trebellius.

ABEST, ET EXCITATVR.

HELIOGABALVS amabat sibi precia maiora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur: orexim conuiuij hanc esse asserens. Lampridius.

QVANTITATIS. ΦΑΓΩΝΕΣ, ΑΔΔΗΦΑΓΟΙ. HELLVONES, VORACES, MANdones, Edones, Comedones.

Consule Tit. Voracitatis pœna. Heterognathos, ex Libanii declamatione quadam, Vorax intelligitur, qui nunc in dextram nunc in sinistram cibum lingua conuoluens, uel utraq; oris parte cibaria simul conterens, ita sit nuncupatus. In hos ita affectos sic declamasse Socrates uidetur, quum diceret, Quosdam pane uti uelut obsonio, quosdam obsonio tanquam pane. Cælius lib. 27. cap 22. Antiq. lect.

Athenæus lib. 10. referens olim taxatam fuisse THESSALORVM edacitatem, cœnas illorum uocat ἀμαξιαίας, siue καπανικάς. Adfert carmen Aristoph. ἐν πελαργοῖς:

Τί πρὸς τὰ Λυδῶν δεῖπνα καὶ τὰ Θετταλῶν; Et rursus:
τὰ Θετταλῶν μὲν πολὺ καπανικώτερα. id est,

Ad Lyda quid seu Thessalica conuiuia?
Thessalica sunt multo magis plaustralia.

Porrò Thessali uehicula dicunt καπάνας. Erasmus.

Carpuntur PHARSALII tanquam uoraces. Mnesimachus in Philippo:

Venit quis, ut mensas comedat, ex Pharsaliis?
Hîc nullus est. Agunt bene isti: nunquid &
Vrbem uorant Achaicam coctam simul?

Athenæus lib. 10. cap. 2.

ERISICHTHON Thessalus ita gulæ deditus fuit, ut poetarum fabulis occasionem dederit, qui eum omnia deuorasse fingunt, adeò ut filiam Mnestram prostituerit, & ex eo quæstu se sustentarit. Athen. lib. j. cap. j. Aelianus lib. j. Var. hist. eum Myrmidonis filium, & propter uoracitatem αἴθωνα (ὅτι λιμὸς ἄπληστος βορᾶς) appellatum (corruptè legitur, κάνθωνα) scribunt: quòd instar ignis omnia absumeret. Eadem de causa Germanis bey hungrige leut uocantur. Ouid. 8. Metamorph. Lycophronis interpres, Zezes in historico.

VLYSSIS uoracitatem Athen. lib. 10. cap. j. ex Homero probare conatur.

Ἡρακλῆς ξενίζεται, id est, Hercules conuiuio accipitur. dictitatū, ubi quis diutiùs in conuiuio commorari uideretur: proptérea quòd qui recepissent HERCVLEM hospitio cōuiuióque, his multum temporis erat opperiendum, donec ille satur esset. Nam famelicum commouere parum erat tutum: nec facilè saturabatur edax, adeò ut legatur solidos etiam boues uno deuorasse cōuiuio. Natum hinc prouerb. aliud, Βοῦν ἐν γνάθοις φέρειν, Bouem in maxillis ferre, de hominibus uoracibus, teste Suida. Eandem ob causam Hercules ἀδδηφάγος dictus est: & huic Larum auem consecrarunt, & ipsam βουφάγον. Legitur & certamen iniisse cum Lepreo quodam, uter citiùs bouem conficeret. Athen. lib. 10. Βουζύγης & βουθοίνας, Boū iunctor ac deuorator Hercules dicitur, quòd Hyllo filio esuriente, unum ex bobus aratoribus Theodamantis mactarit, ac deuorarit. Suidas.

CHARYBDIM narrant poetæ feminam fuisse uoracissimā, quæ quòd Herculis boues rapuisset, à Ioue fulmine icta, in mare præcipitata est, & in huiusmodi uersa monstrū, quod adhuc pristinam seruat naturam. Absorbet enim uniuersa: quæq; absorbuerit, ea circa Taurominitanum egerit litus, ut Sallustius est auctor. Vnde tanquam prouerbio scortum uorax, & auiditatis nunquam satiatæ, Charybdim appellat Horatius. Erasmus. At Isacius Mnaseam Patrensem in Nauigatione secutus, furtum hoc SCYLLÆ tribuit, qui illā ab Hercule cæsam scribit, patris uerò Phorcynis opera postea in lebete subiectis lampadibus coctā reuixisse. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap 12.

BOEOTIOS non alia magis ratione fatuos, pingues ac rudes, & ἀναισθήτους, id est brutos, ab Atheniēsibus dici, quàm propter ἀδδηφαγίαν, id est, edendi inexplebilem auiditatē, testatur Plut. lib. περὶ σαρκοφαγίας.

De THYE rege Paphlagonum, quòd multum ederet, Theopompus historicus lib. 35. testatur. Athen. lib. 10. c. 1.

De PHILOXENO Cytherio dithyramborum poeta hęc scripta sunt à Machone Comico,

— egregiè Philoxenum
Nam dithyramborum poetam omnes ferunt
Fuisse gulonem: duorum polypum
Qui emit cubitorum olim Syracusis, ferè
Totum comedit, quem priùs parauerat,
Præter caput. Digestionis captus hinc
Labore languebat graui. Quidam medicus
Ingressus, hunc ut nouit esse tam malo
Pressum graui: Dispone siquid est, ait,
Non dispositum: peribis hora septima.
Tunc ille fatur: Cuncta finem habent mea,
Sunt dispositaq; cuncta dudum. Nam deis
Relinquo primum dithyrambos iam uiros
Factos, coronatosq;, collactaneis
Appono Musis quos meis: tutoribus
Baccho Venereque. —
Obscura Parca me uocat, necesse sit
Audire eam. Sed cuncta habens, quæ sunt mihi,
Vt infra eam currens, mihi iam polypi
Quicquid relictum est terte.

Athenæus lib. 8. cap. 6.

Clearchus lib.5. Vitarum, CANTIBARI Persæ, ubi edendo maxillas defatigasset, familiares scribit in os apertum, tanquam in uasculum, cibum demittere solitos. Athenæus libro j. capite j.

Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis. Iocus est in PARASITVM, gulæ plus æquo deditum, Marulli mimographi, quem M. Antonini Philosophi Imp. temporibus uixisse testatur Iulius Capitolinus. Allusum est autẽ ad Ilij, quo Troia censetur, nomen ambiguum, cum Ili intestino, per quod cibus receptus delabitur. Hadrianus Iunius Centuria 8. Adagiorum.

De ATHLETIS non magnopere mirandum, si uoraces sunt, quando ipsum hoc profiteri uidentur. Propterea in Autolyco primo Euripides, multa quidẽ inter Græcos mala uersari scribit, athletico tamẽ genere nil prorsum haberi peius, ut qui malatum serui sint, ac uentris:

> Κακῶν γε ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα,
> Οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους.

Cælius lib.7. cap.11. A.L. Adstipulatur multis in locis Hippocrates & Galenus.

ASTYDAMAS Milesius, qui ter uicit Olympia, quartò pancratio, ab Ariobarzane Persa ad cœnã fortè uocatus, cùm uenisset, pollicitus est se quæ omnibus parata essent solum esse esurum: quod etiam fecit. A quo cùm petiuisset Persa, ut dignum aliquid ageret suis uiribus, ut auctor est Theodorus, pedem lecti æratum fregit. Huius, cùm mortuus esset atq; combustus, una hydria cineres capere non potuit, ac uix quidem duæ: solusq; ea comedit, quæ nouem uiris in cœnam fuerant parata. Athen. lib.10. c.j.

Indicant Zenodotus & Suidas ortum adagiũ, Bouem in faucibus portat, uel à THEAGENE athleta Thasio, uel à MILONE Crotoniata, quorum alter bouem solidum solus comedit, teste etiam Græco epigrãmate, alter in Olympiis taurum quadrimum humeris sustulit, ac stadij spacio gestauit, eumq; eodem die solus comedit. Eundem scribit Theodorus, carnium minas deglutisse uiginti, & panis totidem: sed & in Olympia quadrimum solus per diem absumsit taurum, per stadium antea humeris circumlatum. Athen. libro 10. cap.j. & Gellius.

ALCMAN poeta fatetur se fuisse uoracissimum. Aelianus libro j Var. hist. & Athen. lib. j. c.j.

CEESIAM quendam infinitæ uoracitatis fuisse, Anaxilas comicus testatur apud Aelianum.

MELANTHIVM tragicum poetam, qui Elegias scripsit, carpunt ob obsoniorum uoracitatẽ, Aristophanes in Pace, Phecrates in Petale, Archippus in Piscibus. Athen. lib.8. c.6.

Erat gulo etiam HYPERIDES rhetor, ut ait Timocles Comicus in Delo, ubi eos narrat, qui apud Harpalum muneribus corrumpebantur. Idem.

Timæus Tauromenites ARISTOTELEM philosophum gulonem fuisse scribit. Athen. ibid. Libro certè 8. cap.8. recẽset ex Epicuri epistola, paterna Aristotelem abligurisse bona, pressumq; inopia, militasse, mox pharmacopœum egisse. Idem Aelianus lib.5. Var. hist. habet.

MATRONEM Sophistam mandonẽ fuisse, testatur apud Athenæum loco citato Antiphanes in Citharœdo.

PITYREVS Phryx inter ἀδηφάγους connumeratur ab Aeliano lib. j. Var. hist.

MÆNIVS scurra uorax, Horatio in 1. Epist. notus:

> Mænius ut rebus maternis atq; paternis
> Fortiter absumtis urbanus cœpit haberi,
> Scurra uagus, qui non certum præsepe teneret,
> Impransus ciuem qui non dignosceret hoste,
> Quælibet in quemuis opprobria dicere sæuus,
> Ingluuies & tempestas, barathrumq; macelli:
> Quicquid quæsierat, uentri donabat auaro:
> Exhaustusq; bonis, patinas cœnabat omasi
> Pinguis, & agnini, tribus ursis quod satis esset.
> Scilicet ut uentres lamna candente nepotum
> Diceret urendos correptus. Mænius idem
> Si quid erat nactus prædæ melioris, ubi omne
> Verterat in fumum & cinerem: Non hercule miror,
> Aiebat, si qui comedunt bona: cùm sit obeso
> Nil melius turdo, nil uulua pulcrius ampla.

FIRMVS Seleucius struthiocamelum, quo nullũ uolucre est maius, uno die comedit. Huius ductu Aegyptus ab Aureliano principe defecit. Idem hippopotamos esitauit: natauit impunè inter crocodilos, eius animalis adipe delibutus. Sabellicus lib.10. c.10. ex Capitolino.

CLODIVS Albinus Imp. in Gallia uno accubitu solitus fuit edere quingẽtas ficus passarias, quas Græci καλλιστρουθίας uocant, centum persica campana, melones ostienses decem, uuarum labicanarum pondo XX, ficedulas centum, ostrea CD, & capones X. Idem.

VLADISLAVS Iagello Polonorum rex, cibi appetẽtissimus fuit. Cromerus lib.20.

QVALITATIS ET DELECTVS. QVI CERTO CIBI GENERE, CERTA CONditura supra modum delectantur. Putà LIGVRITORES, INTEMPERANTES, in

FRVCTIBVS.

GALIENVS Imp. ficus uirides & poma ex arboribus semper alienis mẽsibus, melones quoq; hyeme exhibebat. Trebell.

ANIMALIVM CARNIBVS.

Cùm populus ISRAELITICVS in solitudine Sina fleret, q carnes non haberent, sed mannam tantùm, & in memoriã reuocarent pisces, cucumeres, pepones, porrum, cæpe, allium, quibus in Aegypto uescebantur: Mose intercedẽte, Dominus uento coturnices ex mari correptas in castra dispersit, tanta copia, ut undiq; circum castra unius ferè diei itinere circiter duos cubitos super terra essent. Cepit ergo populus toto illo die & nocte, totoq; die sequenti tantum coturnicum congerere, ut qui minimum congessit, decem modios congesserit: quas passim circum castra exponebant, mensis integri spacio. Erat autem adhuc eis caro inter dentes, necdum conscissa, cùm incandescens Ioua, permagna eos clade affecit. Estq; locus ille nominatus, Busta cupiditatis, quòd illic homines cupidi sunt sepulti. Num.11.

Asclepiades Cyprius, in commentario quem scripsit de Cypro & Phœnice, uiuente Pygmalione narrat cepisse MORTALES carne uesci: quamuis summo studio ipse nouo huic cibo ac σαρκοφαγίας restiterit, ut sceleri alicui ac nefario facto, usus atrocibus suppliciis in eos, qui primi hoc tentarunt. nec tamen gustata iam suauitate carnis ostendit homines inde absterreri pœnis ullis potuisse. Victorius lib.12. Variarum lectionum, cap.12.

CVRTIO equiti Romano, molli ac stomachoso, cũ ad mensam Cæsaris fortè macer turdus obuenisset: quæsiuit, Num quid mittere liceret? Quid ni? inquit Cæsar. Non expectauit ille amplius, protinusq; per fenestram turdum misit. Petrarcha. Iocus est in uerbo Mittere, quod & sportulæ missionẽ, & abiectionem significat.

Plutarchi ætate apud ROM. complura, quæ nemo unquã antè gustauit & uorauit, lautissima sunt facta, ceu mulsum & uulua. Ferunt etiam ne cerebellum quidem priscos esitasse, sed proiecisse ac detestatos fuisse illos, qui in cibo id sumsissent. Testis ipsemet lib.8. Conuiu. quæst.9.

Primus Q. HORTENSIVS orator augurali adiiciali cœna pauones posuisse dicitur. quod protinus factum tam luxuriosi quàm seueri boni uiri laudabant. Quẽ citò secuti multi, extulerunt eorum precia, ita ut oua eorum denariis ueneant quinis, ipsi facilè quinquagenis: grex centenarius facilè quadragena millia sexteria ut reddat: ut quidem Albutius aiebat, si in singulos ternos exigeret pullos, perfici sexagena posse. Varro lib.3. c.6. & Plinius.

C. MECOENAS pullos asinarum primus epulari instituit, multum eo tempore prælatos onagris, quorum saporem Africa commendat. Post eum tamen interiit auctoritas saporis. Plin. lib.8. cap.43.

Varronis ætate ROMANI etiam lepores in caueis logoque clauso saginare docuerunt, similiter & cochleas. Ex Varrone Macrobius.

Gulæ ueteres architecti apud ROM. instituerũt, ut bos aut camelus totus apponeretur, differtus intus uariis animantiũ generibus. Hinc & porcus Troianus uenit in populi fabulam, cui hoc nomen inditum est, quòd ita uarias animantium species utero tegeret, quemadmodum Durius equus texit armatos uiros. Macrob. lib. Saturnal. 3. refert, Cincium in oratione, qua suasit legem Fanniam de moderãdis sumtibus, obiecisse suo seculo, quòd porcum Troianum mensis inferrent. Erasmus in Adag.

PISCIBVS. ὀψοφάγοι.

Extat apud Tharsensem Antipatrum, in commentario de Superstitione, fuisse qui traderent, GATIDA Syrorum reginã opsophagon, id est, gulæ mancipatam eatenus, ut per edictum denunciaret, ne quis ἄτερ γάταδος, id est, sine Gatide, pisciriо uesceretur. per inscitiam uerò plerosq; eandem dicere Atergatin, & abstinere pisculentis. Reginam tamen Atergatin agnoscit Mnaseas immitem, quæ piscibus abstinere iusserit reliquos, quoniam eo cibo ipsa insigniter caperetur. Hanc à Mopso Lydo in mare præcipitatam Xanthus scribit, cum Ichthye filio, & à piscibus deuoratam. Cælius lib.23. cap.5. Antiq. lect.

THEBANOS reprehendunt Græci scriptores, ut micropsychos ac gulæ mancipatos: ut qui thria concinnarent, acenarsilochos, & hallantas, necnon schelidas, quibus etiam Mardonium excepére eum Persarum quinquaginta. Cælius lib.9. cap.7. Antiq. lect.

ARISTIPPVS Socraticus, cùm increparetur à Platone, quia multos pisces emisset: duobus obolis se emisse, respondit. Dicente autẽ Platone, q & ipse tanti emisset: Vides igitur, inquit, ô Plato, quòd ego sum gulo, tu auarus? Athenæus lib.8. cap.6.

ANDOCYDES Cyzicenus, cùm inter opera sua luculentissimè & pulcerrimè pisces, qui apud Scyllam reperiuntur, pinxisset, animi motum potiùs quàm artem uisus est adhibuisse. Fuit enim natura esus pisciũ cupidus. Plut. lib.4. Quæst. conuiualium 2. & 4. Athen. libro 8. capite 6. Androcydem uocat.

DORION tibicen piscium studiosiss. fuit. Cùm bonum esse piscem raiam quidam dixisset: Tanquam si coctam uestem quispiam comederet, respondit. Cùm laudaret alius thynnorum uentres, Et maximè, inquit: sed opus est, sicut ipsi so leo, ipsos comedere. Qui cùm dixisset, Quomodo? Suauiter, ait. Carabos tria habere dicebat, commorationem, epulum, ac speculationem. Cùm cœnaret in Cypro apud Nicocreontem, poculum quoddam laudauit, cui ait Nicocreõ: Artifex tibi alterum faciet, si uolueris: Tibi, inquit, at hoc mihi concede. Cùm puer pisces non emisset, eum flagris cecidit, iussitq; optimorum piscium nomina dicere. Cùm puer autem cernuam, glauciscum, congrumq;, & similes alios commemorasset, Piscium iussi te, inquit, non deorum nomina dicere. Athen. lib.8. c.5.

DIOCLES, cùm interrogatus fuisset à quodam, Vter melior est piscis, conger an lupus? Hic elixus, inquit, ille autem assus. Idem, cap.6.

Quum DROMEAS parasitus interrogaretur à quodam, Nũquid conuiuia quæ Athenis, an quæ in Chalcide fierẽt, sint meliora? Prooemium, respondit, Chalcidensium multò melius esse eo apparatu qui fit in urbe. Appellauit autem conuiuij procemium, multitudinem ostrearum & uarietatem. Idem lib.4. cap.3.

Scriptum reliquit Phanias, PHILOXENVM Cytherium poetam apud Dionysium cœnantem, cùm breuis illi trigla fuisset apposita, illam auribus admouisse, tanquam aliquid de Nereo marino deo sciscitaturus, uel de Galatea. Dionysiũ ridentem dixisse, Quid hoc sibi uellet? Cui Philoxenus: De rebus marinis quum nescio quid fortè rescire cuperem, minor & iunior mea trigla ad tuam longè natu maiorem me relegauit. Delectatus salso ioco Dionysius, maiorem ei triglam apposuit. Cœna quadam ubi atriorem inferri panem animaduertit, Ne multum (inquit) apposueris, ne tenebras fortè inducas. Idem lib.j. c.3.

ANTAGORAS poeta piscem ungi à puero non sinebat, sed lauari tantùm, ut ait Hegesander. Hic cùm cõgros in castris succinctos in olla coqueret, adstitit rex Antigonus inquiẽs, Putásne Homerum cùm facta scriberet Agamemnonis, congros coxisse? Cui ille respondit: Et tu arbitraris Agamemnonem, cùm res illas gereret, solicitum fuisse, num quis in castris congros coqueret? Cùm auem aliquando coqueret Antagoras, dixit se nolle ire in balneum, ne pueri ius fortè absorberẽt. Cui cùm Philoclydes, Mater custodiet, dixisset: Ego, inquit, matri auis ius credam? Idem lib.8. c.6.

In maximo apud prodigos ROM. honore fuit olim Tiberinus lupus, & omnino omnes ex Tiberi pisces: quod equidẽ cur illis ita uisum sit, ignoro. Fuisse autem etiam M. Varro ostendit: qui enumerans, quæ in quibus Italiæ partibus optima ad uictum gignantur, pisci Tiberino palmam tribuit, his uerbis, in lib. Rerum humanarum 11. Ad uictum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus uinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. Hæc Varro. Sed inter eos, præcipuum locum lupus tenuit: & quidem is, qui inter duos pontes captus esset. Id ostendunt cùm multi alij, tum etiam Lucilius acer & uiolentus poeta, qui eum, quasi liguritorem, Catillonem appellat: scilicet qui proximè ripas stercus insectaretur. Macrobius lib.3. Saturnal. c.16. Plin. lib.9. c.17. de piscib. qui apud Rom. in deliciis fuerunt, prolixè agit.

LICINII apud Rom. Murænæ cognominati sunt, quòd hoc pisce supra modum fuerint delectati. Vti etiam SERGIVS Orata cognominatus est, quòd ei auratæ dicti pisces charissimi fuerint. Hic Sergius ætate L. Crassi oratoris disertissimi uixit, primus pensiles balneas habuit, primus ostrearia in Baiano locauit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicauit. Macrobius libro 3. c.15. Saturn.

PHILIPPVS Romanus senator cùm ad Immidium hospitẽ Casini diuertisset, & ei è flumine lupum piscem formosum apposuisset, atq; ille gustasset, & expuisset, dixit, Peream ni piscem putaui esse? Varro libro 3. cap.3.

VEDIVS Pollio seruos coniiciebat in piscinas, ut pisces ipsi humano cruore pasti delicatiores essent. Suet. in Augusto.

Sub SEVERO Imperatore, acipẽser piscis (qui paulo antè sub Traiano in precio esse desierat, teste Plinio Secundo lib.9. cap.17.) ad epulas denuò cum gratia rediit. Ita ut in conuiuio sacro principis quandocunq; acipenser in conuiuiũ inferebatur, coronati ministri cum tibicine eum quasi pompam numinis comitarentur. Macrobius lib.3. c.16. ex Sammonico Seuero.

Cùm esset apud se ad Lauernium Scipio, unaq; PONTIVS, allatus est fortè Scipioni acipenser. Cùm autem Scipio unũ & alterum ex his, qui eum salutatum uenerant, inuitasset, pluresq; etiam inuitaturus uideretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, uide quid agas, acipenser iste paucorum hominum est. Macrobius lib.3. Saturn. c.16.

M. APICIVS Romanus, Tiberij temporibus (à quo multa placentarum genera Apicia nominantur) Minturnis, ciuitate Campaniæ, multũ uersabatur, squillas edens Smyrnæis maiores. Postea cùm audisset maioris magnitudinis eas in Libya nasci, statim, ne die quidem interposito, eò nauigauit, multaq; in itinere perpessus est: ac prius quàm è naui egrederetur (multa enim erat in Libya illius aduenientis fama) adnauigantes piscatores pulcerrimas ei squillas attulerũt. Quas cùm uidisset, nunquid maiores haberent, percunctatus est. Iis autem respondentibus, maiores ibi non reperiri, Minturnensium recordatus, prius quàm terram attigisset, iussit nauis gubernatori, ut Italiã uersus iter arriperet. Traiano in Parthia agenti, & à mari per multorum dierum spacium commoranti, ostrea recentia à se conseruatã misit. Athenæus lib.j. c.3. Hic omnium primus iudicauit linguam phœnicopteri esse optimi saporis.

HOMINVM CARNE. HVMANÆ EPVLÆ.

Humana carne uesci, non humanum est, sed belluinum. Qui uoluptate illecti hoc faciunt, huius sunt loci potissimum: sed & qui necessitate coacti, aut religione persuasi, quatenus Voluptatem ex alimento iunctam habet.

Scribit Xanthus CAMBLETEN regem Lydorum, multũ edere ac bibere consueuisse. Noctu suam uxorem comedit, atque cùm mulieris postea manum in ore sibi mane reperisset, re diuulgata, seipsum iugulauit. Athenæus libro 10. capite primo.

BRASILIENSES eos, quos in bello capiunt, senes præsertim, statim comedunt: reliquos uinciunt. Captiuis cibaria largissimè præbent, eisq; mulieres, cum quibus cubent, elargiuntur. Cùm uerò festos dies agere uolunt, unum ex captiuis, quem iam satis fartum & opimum esse conspiciunt, funibus alligant. Primùm illius amica in amoris signũ in collum funem iniicit, & delicias suas ad supplicium trudit. Homines deinde circumsistunt, & uentrem, & brachia, & tibias illius astringunt: tùm columnæ affixum colorib. depingunt, & plumis uariis exornant. Ne uerò parum humani uideantur, laxant illum uinculis interdum, & cibo atq; potu sanè lautè atq; liberaliter accipiunt. Interim uerò omnes comedunt, & plurimum illius, quam diximus, potionis absumunt. Saltant præterea, & canunt, atq; tripudiant, & tres dies in hoc apparatissimo ludo consumunt. Tandem post triduum, illum pedibus atq; manibus, iam uinculis expeditis, in caueam deducunt. Mulieres atq; pueri uinctum secundùm uentrem funibus trahunt. Homines uerò & mulieres reliquæ mala citria & fructus uarios in eum iaciunt. Ille uerò quæ potest ex coniectis pomis colligere, rursus in illos, à quibus fuit impetitus, intorquet. Bibit interim, ut apparet, iucundissimè, nec enim ei cibus aut potus denegatur. Præ se fert autem non mediocrem lætitiam. Illi forticulum hominem, ut se existimari cupit, conuitiis onerant, & multis contumeliis insequuntur. Dabis, inquiunt, homo perditissime atq; profligatissime, pœnas scelerũ: & sanguine tuo manes eorum, qui in bello ceciderunt, ulciscemur. Te enim contrucidabimus, & dilaniabimus, & assum comedemus. Ille uerò, Nihil moror, inquit: non enim ignaui, neq; timidi pœnam sustinebo. Semper enim uiri fortis officio functus sum. Si me occisuri estis, multos ipse multis in locis occidi. Si carnibus meis saturandi estis, & ipse multorum carnibus saturatus sæpè fui. Præterea sunt mihi fratres atq; cognati, quos scio meam necem haud impunitã relicturos. Ad hũc modum in caueam tandem includitur. Tum ille, cui fuerat captiuus in custodiam traditus, in caueam simul ingredit. Corpus autem habet depictum, & collũ plumeis ornamentis excultum: manibus uerò ingentem gladium uibrat. Tũ saltat, & sibilat, & gladium intentat. At is, ut gladium illi è manibus extorqueat, summo studio contendit. Sed dum in unam partem impetum dat, mulieres atq; pueri eum fune, quo est alligatus, quem manibus tenent, ad se trahũt. Dum rursus in contrariam partem se contorquere nititur, ex illa parte similiter mulierum manibus impeditur. Vtrinq; enim ita distinetur, ut se eodem loco commouere non possit. At strenuus ille gladiator eum gladio contendit & debilitat, atq; tandem medium illius caput ingẽti uulnere diffindit, cerebrumq; dispergit. Manus deinde præcidit. Tum mulieres accedunt, & corpus exanimum in pyram coniiciunt, ut omnibus pilis adustis illud faciliùs abluere queãt. Dissecto

autem uentre, ilia cum extis euellunt: reliqui corpus in frusta discerpunt: & ne plura persequar, illius carnibus omnes cum magna uoluptate uescuntur. Sunt & alij syluestres atque montani homines, qui cum his, qui in domib. habitãt, continenter bella gerunt, eisdemq; se sceleribus & eadẽ immanitate contaminant. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

In obsidione ultima Romanorũ sub Tito & Vespasiano principibus, Mulier quædam ex plebe trans Iordanem habitantium incolarum, MARIA nomine, Eleazari filia, genere ac diuitiis nobilis, cum alia multitudine fugiens, Hierosolymã recepta cum ceteris obsidebatur: ubi cùm à raptoribus rebus omnibus & uictualibus expoliata fuisset, ad extremũ necessitate famis cogente, proprium filium lactentẽ interfecit, partemq; eius coquens comedit, partem uerò in futurum ad comedendum reseruauit: unde & nidore assatæ carnis ipsi raptores excitati, cùm factum reperissent, nimis exhorrescentes recesserunt. Hieron. lib. j. comment. in Lamentationes Hieremiæ, cap. 2.

MODI.

DIOCLES cùm agnum in obsonia ligurisset, ac calidum piscem deuorasset, Cœlum sibi dixit esse combustum. Reliquum est, ait Theocritus Chius, ut mare ebibas: tunc enim tria maxima absumseris, terram, mare, cœlum. Atheneus libro octauo, cap. 6.

PITYLLVM aiunt, cognomento Tenthem, uaginam linguæ membranaceam gessisse, & muniisse linguam ad perfruendas uoluptates. Fertur etiam digitalibus adhibitis esitasse obsonia, ut illa calidissima linguæ admoueret. Suidas in uoce *περιγλωττίς*.

PHILOXENVM Leucadium scribit Chrysippus in balneis calidis manum demittere solitum, & ore calidam gargarizare, ne calidis cibis læderetur. Athen. lib. 1. cap 3.

TEMPORIS, LOCI.

Consule Tit. In alimentorum acquisitione intemperantes: quatenus loci importunitatem iunctam habet.

ANTIPODES uocat Cælius lib. 9. cap. 13. Antiq. lect. scita illusione eos, qui saginę mancipati, ad faces & cereos uiuit, dum inter pocula transfiguntur noctes, somno impendũtur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerso. De his putat Virgilium dixisse:

> Nosq; ubi primus equis Oriens afflauit anhelis,
> Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

SYBARITA quidam puerorum moderator, cùm puer, quẽ manu ducebat, per uiam in ficũ incidisset, & sustulisset, uehementissimè eum obiurgauit: atq; ipse rapto quod muentum erat, deuorauit. Aelianus lib. 14.

CLAVDIVS Cæsar cibi uiniq; quocunq, & tempore & loco appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti foro, ictusque nidore prandij, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur: deserto tribunali, adscendit ad sacerdotes, unaque discubuit. Nec temerè unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, & ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Suetonius.

A. VITELLIVS Imp. non profundæ modò, sed intempestiuę quoq; ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquã, aut itinere ullo temperauit: quin inter altaria ibidem statim uiscus & farra penè rapta è foco manderet, circaq; uiarũ popinas fumantia obsonia, uel pridiana, atq; semesa. Sueton.

EVENTVS. VORACITATIS Fructus

DIGNVS.

ISRAELITICVS populus in deserto per annos XL manna alitur, & aqua potatur. Carnium auiditas atq; esus illis exitio fuit. Vnde in Psalmo dicitur: Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos: occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. Vbi autem sepulti sunt, Sepulcra concupiscentiæ appellata: ut posteros locus ipse admoneat, non concupiscere illud, ob quod alij morte multati sunt. Marulus libro 4. cap. 2.

Cùm nusquam PROSERPINA inueniretur à Cerere, dicta est demùm ab Arethusa nympha à Plutone rapta fuisse, & ad inferos deportata. Tum uerò Iupiter roganti Cereri pro filia, & temeritatem fratris accusanti, promisit se facturum, ut filia sibi restitueretur, si ea conditione ad eam reducendam accederet, ut nihil eorum gustasset, quæ forẽt apud inferos. Verùm cùm illa tria grana mali punici, uel nouem, ut alij maluerunt, edisset, indice Ascalapho, filiam educere nõ potuit. Ad mitigandum Cereris dolorem statuit Iupiter ut alternis sex menses apud maritum, totidemq; cũ matre degeret Proserpina. Scriptum reliquit Theagenes, & Apollodorus Cyrenaicus in lib. j. de Diis, Iouem ad placandã Proserpinam ipsi Siciliam donasse. Natalis Comes Mythol. lib. 3. capite uigesimoquarto.

Lampridius in uita Heliogabali, scribit SYBARITAS eodẽ anno periisse, quo missum ex oleo & garo reperissent, quẽ ob id Sybariticum uocabant.

HVGVTIO Fagiolanus Pisas & Lucam uno prandio deuorauit. Constans enim est opinio, potuisse die illo, quo deillarum ciuitatum dominio pulsus erat, uulgi tumultus comprimi, si è conuiuio surrexisset. Petrarcha.

INDIGNVS.

Hac exempla eorum, qui uoracitatis nomine præmia meruere sub Tit. Certamina uoracitatis.

BARBARIS gentibus hi tantùm uiri dicebantur, quibus uorandi plurima facultas esset. Aristoph. in Acharnensib.

INTEMPERANTES CIRCA POTVM.

IN GENERE, VINOLENTI.

BIBACES.

AGAMEMNONI Græcorum imperatori, Achilles per iurgium obiicit, quòd *οἰνοβαρὴς* esset. Iliad. α. Et Iliad. β. ubi Troianos numero longè inferiores Græcis esse ostẽdere uult, censum, symposiis potiùs quàm militiæ conuenientem instituit, inquiens: Si nos Gręci per decades distribuamur, & singulis decadibus singuli Troiani ministrent atq; propinẽt, multæ decades pocillatore carebunt.

AEGYPTIOS uocat Dion Academicus *φιλοίνους*, id est, in uinum procliues, ac philopotas: quoniam apud eos cõperta primum traditur uitis, in Plinthine ciuitate, quod Hellanicus scribit, ac inde factos uinolentos. Cælius.

SCYTHAS, quòd & robusti sint, ac habitu calidiore, uinosos esse constat, adeò ut cùm ad meraciùs bibendum quẽ Græci adhortantur, illud insusurrare sit moris, ut testatur Herodotus, *ἐπισκύθισον*, id est, Scythisato. Cælius, & Aelianus lib. 2. & 3. Inter pocula & temulentiam, arcuum neruos interim pulsant, quasi uoluptatibus remissum reuocãtes animum. Plut. in Demetrio.

De PARTHIS uetere prouerbio dictum est, Quò plus biberint, eò plus sitire. Habet hoc temulentia, ut posteaquã obsurduit palatum, magis ac magis cupiant haurire. Erasmus in Adagiis.

Cùm alij BYZANTINOS ut ebriosos perstrinxerunt, tum Menander sic eos arguit:

> Byzantium ebriosos reddit hospites,
> Potando noctes perdere integras solent.

Nicetas libro primo.

Carpuntur ARGIVI ac TIRYNTHII uelut uinolenti ab Ephippo in Busiride. Athen. lib. 10. cap. 13. Aelianus lib. 3. Var. hist. CORINTHIOS legit.

Harmodius PHIGALENSES bibaces esse scribit, qui uicini sunt Messeniis, atq; uagari per caupones consueuisse. Athenæus lib. 10. cap. 13.

Ex bibacitate XENARCHVS Rhodius Metretes est nuncupatus. Cælius lib. 29. cap. j. ex Athen. lib. 10. c. 12. qui Euphoonem poetam testem uocat.

AESCHINES orator insignis, moribus à Demosthene planè diuersus, egregius potator dicitur à Philostrati sophistis.

IONEM Chium poetam fama est, modum in bibendo uino non tenuisse. Aelianus libro 2. de Varia historia, & Athen. libro 10. capite 12.

Erat bibax PHILIPPVS Alexandri pater, ut Theopõpus narrat lib. 26. Hist. Tibicinas, Aristonicum citharœdum, Dorionem tubicinem, & quosdam alios sympotas secum semper circumducebat. Cùm totam noctem bibisset, omnes alios discedere iussit, iam die aduentante, petulanterq; egit in Athenienses legatos. Scribit Carystius in Historicis cõmentariis, quòd ubi Philippus ebrius fieri decreuisset, hoc dicebat, Oportet bibere: satis est enim, ut sobrius sit Antipater. Athen. lib. 10. cap. 12. Philocrates & Aeschines, Atheniensium legati ad Philippum missi, cùm domũ redirent, regẽmque eo nomine laudarent quòd strenuè bibisset: respondit Demosthenes, Habet hanc uirtutem cum spongia communem. Plut. in Demosthene.

ALEXANDRVM Macedonem insignia dehonestarũt uitia, uiniq; auiditas inprimis, adeò ut ex uinolentia biduum sæpè obdormiret integrum: quod in Ephemeride ipsius, Cardianus attestatur Eumenes, ut Diodorum prætercam, & in Dipnosophistis Athenæum lib. 10. c. 11. qui eum in curru asinorum lasciuisse scribit. Iactatum paulominus prouerbij loco, *ἀλέξανδρε πλεῖον πέπωκας τοῦ βασιλέως*, Alexandrum bibendo regem præcelluisti. Certè ex ebrietate ueneris usus ei hebetior fuit: quod Theophrastus probat, & in Epistolis Hieronymus Græcus auctor testis. Proinde ualeat Arianus, qui

qui coniecturis rem totò (quod dicitur) cœlo notissimam nititur expurgare. Cæl. lib. 22. cap. 20. A. L. & Plut. in eius uita. Quinta die mensis perpotauit apud Eumæum, sexta crapulam edormiuit: neq; plus illo die uixit, quàm quòd surrexit, & ducibus de crastina profectione mandata dedit, inquiens eam summo mane futuram. Septima deinde die epulatus apud Perdiccam, se rursus uino ingurgitauit, & octauo dormiuit, XV die eiusdem mensis iterum indulsit uino, & sequenti solito more crapulã somno decoxit. XXIV cœnauit apud Bagoam. Pòst triduum dormiuit. Aelian. li. 3. de Var. hist. Ad unumquenq; calicem, multo colloquio sermonem protrahere solitum scribit Plutarchus.

Phylarchus ANTIGONVM regem asserit lib. Historiarum 6. bibacem fuisse, ac dormire consueuisse, rursusq; uesperi expergefactum bibere. Ius dicebat rarò sobrius. Duo erant qui regnum gubernabant, Aristæus & Themison fratres, genere Cyprij. Athen. lib. 10. cap. 12.

ANTIOCHVS etiam Epiphanes erat bibax, qui obses fuit apud Romanos. Athenæus ibidem, & Aelian. li. 2. Var. hist.

Bibax erat & nominis eiusdem ANTIOCHVS, qui contra Arsacem bellum gessit in Media, & ab eo prælio uictus est. Fertur Arsaces cùm eum sepeliret, dixisse, Fefellit te Antioche uinum & audacia, speraueras enim Arsacis imperium in magnis poculis te esse bibiturum. Ibidem.

Polybius lib. 29. TEVTHIONEM asserit Illyriorum regem multa lasciua ob bibacitatem egisse, nocteq; ac die semper fuisse ebrium: tum Pleuratum fratrem suum, qui Menunij filiam in matrimonium erat accepturus, occidisse, puellamq; accepisse, ac subditis eodem pacto usum fuisse. DEMETRIVM etiam affirmat lib. 33. qui ex Roma obses aufugit, Syrisq; imperauit, plurimam diei partem fuisse ebrium. Præterea li. 32. OROPHERNEM narrat, qui breue temporis spacium regnauit in Cappadocia, patriasq; institutiones neglexit, primùm uociferationem Bacchi, ac artificiosam intemperantiam introduxisse. Athen. lib. 10. cap. 12. Ael. lib. 2. Var. hist. Orropherem uocat.

Inter bibaces connumerat Theopompus DIONYSIVM iuniorem, Siciliæ tyrannum, cui etiam oculi erant hebetes ob uinum. Aristoteles in Syracusiorum Republica ipsum narrat continuè ebrium fuisse, aliquando per dies nonaginta. Athenæus ibidem.

Theopompus libro 45. de TIMOLAO Thebano inquit: Cùm multi intemperantes circa uictum quotidianum extiterint, ac potum, nullum tamen in rep. magis uel intemperantem, uel gulosum, uel uoluptatum seruum extitisse. Ibidem.

CRATINVS Comicus uino ita deditus fuit, ut poetam fieri posse negaret, qui nõ uini esset appetentior. uinũ enim uice magni equi poetis esse, nec aqua bonum condi carmen. Sunt qui periisse scribant, cùm pleno uase uinum effundi cerneret. Gyraldus.

Effertur adagium apud Diogenianum,

> *Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ' ἀπολωλώς.* id est:
> Vir Delphus cùm portet serta, siti exanimatur.

Natum est à moribus CONNÆ cuiusdam. Is primùm erat tibicen uinosus, atq; in conuiuiis assiduè coronatus potabat. Nam priscis mos erat, in compotationibus coronas gestare. Deinde è tibicine factus est Olympionices, atq; in Olympiis sæpè uictor coronam tulit, unde Cratinus eum *πολυστέφανον* uocat. Alioqui pauperrimus, neq; tantillo ditior factus suis uictoriis. Nihil enim habuisse fertur, præter oleastrum. Erasmus.

Apud Plautum in Pseudolo, SERVVS ebrius diis proximum putat, manu candida cantharum dulciferum propinare mitissimam amicitiam. Erasmus in Adagiis.

M. CATO minor quamuis omni uirtute esset cumulatissimus, interdum tamen cum amicis dabat operam compotationibus, tota nocte ad auroram usque. Hoc ebrietatis uitium præcipuè illi obiecit Cæsar duobus libris, quos uocauit Anticatones. Plut.

ROMANORVM temulentiam C. Titius in oratione, qua legem Fanniam suasit, graphicè describit. Macrobius libro 3. Saturn. capite 16.

Tergilla CICERONEM Marci filium binos congios simul haurire solitum ipsi obiicit: Marcoq; Agrippæ à temulento scyphum impactum. Nimirum hanc gloriam auferre Cicero uoluit interfectori patris sui M. ANTONIO. Is enim ante eum auidissimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam uolumine de sua ebrietate. Plin. lib. 14. cap ult.

L. COTTA uini appetentissimus, cùm Censor esset, atq; Ciceroni sitienti in foro ad bibendum aqua esset oblata, uocatis amicis: Circuntegite me, inquit, ne si censor uideat me aquam potare, senatu amoueat. Macrobius.

TIBERIVS Imp. uini potum cibos præcedere, edicto instituit. Etiamnũ tyro in castris ob uini auiditatẽ passim pro Claudio Caldius, pro Tiberio Biberius, pro Nerone Mero appellabatur. Sæpissimè quoq; biduo integro potabat. Suetoni⁹.

TRAIANVS Imp. moribus probatissimis fuit: duobus exceptis uitiis, quòd uino & puerorũ libidini indulserit. Dion.

BONOSVS Hispaniensis, origine Britãnus, qui prouinciarũ, quas Germani tum pulsis Romanis occuparunt, dux fuit & legatus, bibit quantum hominum nemo. De hoc Valerius Aurelianus Imp. sæpè dixit. Non ut uiuat natus est, sed ut bibat. Eum in honore habuit Aurelianus causa militiæ. Si quãdo legati Germanorum uenissent, ipsos inebriabat, ut ab his per uinum cuncta secreta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper sobrius mentisq; compos & adhuc in uino prudentior. Quantum bibit, tantum minxit: nec unquam pectore aut uesica, aut uentre grauatus est, neratro crapulam eiicere solitus. Imperium in Galliis arripuit, uictusq; à Probo, laqueo uitam finiuit. Tunc quidem iocus extitit, amphoram pendere, non hominem. Cuspinianus, & Auentinus lib. 2. annalium Boiorum, ex Vopisco.

LICINIVS Imperator Romanus, uinolentorum Achilles nominatus est. Guido Bitur.

In SILBANVM uino somnoq; deditum Palladas in 2. Epigram. sic ludit:

> *Σιλβανὸς δύο παῖδας ἔχων, οἶνόν τε καὶ ὕπνον,*
> *οὐκ ἔτι τὰς μούσας, οὐδὲ φίλους φιλέει·*
> *ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ λεχέων νιν ἐύρροος ἐς φρένα θέλγει,*
> *ἄλλος δ' ἐν θαλάμοις ῥεγχόμενον κατέχει.*

In MYRTALEM Martialis Epigram. lib. 5. sic ludit:

> Fœtere multo Myrtale solet uino:
> Sed fallat ut nos, folia deuorat lauri,
> Merumq; cauta fronde non aqua miscet.
> Hanc tu rubentem prominentibus uenis
> Quoties uenire Daule uideris contrà,
> Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

In FESCENNIAM idem lib. 1. in hunc modum:

> Ne grauis hesterno fragres Fescennia uino,
> Pastillos Cosmi luxuriosa uoras.

PANARETVM potorem, Martialis lib. 6. arguit, quòd solus amplissimam uini lagenam exiccasset.

MATER uinosa filio petenti uinũ negat, in 2. Epig. *ὡς μεθύσους.*

> *Πῶς φιλέεις ὦ μῆτερ ἐμοῦ πλεῖον ἡμῶν οἶνον;*
> *δὸς πιεῖν οἴνοιο, ἐπεὶ γάλα τὸ πρὶν ἐσάωσας.*
> *ὦ παῖ, σὲ μὲν δίψαν ἐμὸν γάλα τὸ πρὶν ἔπαυσε,*
> *νῦν δ' ἴθι πῖνε ὕδωρ, καὶ σβέννυ τὴν σὴν δίψαν.*

MEROE anus ebriosa, Ausonij nota carmine, sic dicta, quòd infusum uinum non dilueret undis,

> Potare immistum fueta merumq; merum.

In APPIANVM ducem ebrium, *ὡς ἀπὸ τοῦ πίνειν* dictum, in 2. Epigrammatum:

> *Γράμμα περισσὸν ἔχεις τὸ προκείμενον· ἢν ἀφέλῃ τις*
> *τοῦτό σοι, οἰκεῖον κτήσῃ ἁπλῶς ὄνομα.*

Glossa in c. Moyses, 32. q. 2. dicit, quòd secundùm opinionem quorundam anima habitat in sanguine: Et hoc argumentum est pro NORMANNIS, ANGLIS & POLONIS, ut possint fortiter bibere, ne anima habitet in sicco.

ALEXANDER, dux Morauiæ, egregius potator, cùm mortẽ obiisset Viennæ, diemq; illi (ut uocant) tricesimum in templo diui Stephani, cui præfuerat, canonici multiq; uiri nobiles celebrarent: sacerdos quidam qui sitibundus cellam uinariam præpositurae intrauerat, uidisse se inter dolia deambulantem asseruit: & ad ecclesiam reuersus, cùm orantes adhuc presbyteros inuenisset, Quid Alexandro inferias (inquit) agitis? Ille in suo templo lætus agit, bibitq;, uos autem hic siti arescitis. Aeneas Syluius lib. 1. Commentariorum de rebus gestis Alphonsi.

IN SPECIE. RESPECTV

STVDII, CVPIDITATIS BIbendi. Quatenus

Appetitus excitatur.

De ROM. sui tẽporis ingluuie sic scribit Plin. li. 14. cap. 22. Nos uinũ bibere & iumenta cogimus, tãtoq; opere, tãto laborẽ & impẽdio cõstat, quod hominis mentẽ mutet, ac furorẽ gignat, millib. scelerũ huic deditis tãta dulcedine, ut magna pars nõ aliud uitæ præmiũ intelligat. Quinimò ut plus capiamus, sacco frangimus uires: & alia irritamenta excogitãtur: ac bibendi etiam causa uenena cõficiuntur, aliis cicutã præsumentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis farinã, & quæ referendo pudet docere. Cautissimos ex his balineis coqui uidemus, exanimesq; efferri. Iam uerò alios lectum expectare non posse, imò uerò nec tunicam: nudos ibi protinus anhelos ingentia uasa corripere, uelut ad ostentationem uirium, ac planè infundere ut statim euomant, rursusque hauriant, idq; iterũ tertiumq;: tanquam ad perdẽda uina geniti, & tanquã eundi illa nõ possint, nisi per humanũ corpus. Huc pertinẽt peregrinę exercitationes, & uolutatio in cœno, ac pectorosa ceruicis repãdæ ostẽtatio. Per omnia hæc prædicatur sitis quæri. Iam uerò quę uasa adulteriis cę

lata?tanquam per se parum doceat libidines temulentia. Ita uina ex libidine hauriuntur, atq; etiam præmio inuitatur ebrietas. Si diis placet, emitur alius, ut quantum biberit, tantum edat: & precium uinolentiæ lege accipit. Alius quantũ alea quæsierit, tantum bibit.

Corpus munitur, ne uinum noceat.

Apud AEGYPTIOS solos legitimum est in prandiis ante omnia edulia elixas brassicas uel semẽ eius comedere: quia illa ebrios fieri non patiuntur. Eadem de causa Sybaritę, priusquam bibant, brassicam comedunt, ut inquit Timæus. Quòd autem Raphanum antiqui Brassicam appellarint, Apollodorus Carystius testatur, & Alexandrides: Si loti fueritis nunc, multumq; raphanum comederitis, quiescetis, grauedinem dissipabitis, & præsentem in fronte nebulam. De brassicæ ui scribit Theophrastus, etiam uiuentem uineam brassicæ odorem fugere. Athen. lib. 1. cap. ult. Dipnos.

Vinum promitur, petitur.

ANACREON Teius suo sepulcro hæc inscribi uoluit,

Ὦ ξεῖνε, τόνδε τάφον τὸν ἀνακρείοντος ἀμείβων,
Σπεῖσόν μοι παρ᾽ ἰὼν· εἰμὶ γὰρ οἰνοπότης.

HENRICVS Goriciæ Comes, absente qui cellæ uinariæ claues haberet, sitibundus ostium calcibus inuasit: arguenteque cum Phœbo de Turri, qui secum nutritus erat, utque se sineret frangere repagulum, orante: Tace, inquit, me sitis, nõ te, cruciat. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitam.

Optatur uinum.

MELANTHIVS sibi collum gruis optabat, quo bibendi uoluptatem diutiùs sentiret. Clearchus apud Athen. lib. 1. cap. 3. Hoc idem PHILOXENO Cytherio tribuitur, & GNATHONI Siculo.

Cùm celebrarentur à Ferdinando rege, Hippolytæ nurus atq; Alphonsi filij nuptiæ, apparatu splendidissimo (erat enim dies decursionis hastatæ, flagrabantq; sub sole cuncta: conuenerant autem mortales omnis generis ad spectandum) cũque plurimi ludorum essent laudatores, uel pleriq; omnes admiratores potiùs: in media laudantiũ frequentia & plausu exclamauit GERMANVS quidam: O' ualeant ludi, quibus nemo bibit. Pontanus.

QVANTITATIS. QVI MVLTVM BIbunt, citra ebrietatem, uel cum ebrietate.

Vide Tit. Certamina cibi potus'ue.

CLEIO non solùm cum feminis, uerùm etiam cum uiris potare ausa, omnes superauit. Aelian. libro 2. de Var. historia, & Athen. lib. 10. cap. 9.

HERACLIDES pugil parem in bibendo non habebat: alios ad ientaculum inuitabat, alios ad prandium, quosdam ad cœnam: quibus omnibus sine interstitio sufficiebat solus. Rauisius.

ANACHARSIM philosophum aiunt plurimum bibisse apud Periandrum. Hoc enim uitium secum è Scythia attulerat. Aelianus libro 2. de Varia historia.

M. CICERO filius, cùm parens eius fuerit abstinentissimus, binos congios haurire solitus est, teste Plinio. Temulentus M. Agrippæ scyphum impegit. Val. Max.

De GERMANIS illud planè monstrificum (inquit Seneca) proximis annis in Gallia hominum in bibendo capacitatẽ fuisse in omnibus miraculo: quippe singulis mensis singuli quaternos quartarios uini exiccarunt, sic ut potores nouem amphoras exinanirent binas. Ne miremur ampliùs bicongium M. Tullij filium, aut Mediolanensem tricongium Torquatum: etiam si apud Tranquillum potorem legerimus amphorarium.

QVALITATIS ET DELECTVS ipsius Potus.

INDOS ferunt ex fructu arundinum, quæ mel gignunt, aut uino ex dactylis, inebriari. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

PERSARVM multi farinam in uinum iacientes bibunt, alij ouorum lutea. Athen. lib. 10. cap. 9.

CARTHAGINENSES & Celtiberi & Thraces mero penitùs utuntur, tam uiri quàm mulieres: atq; uino item uestes perfundunt, præclarum hoc & beatum uitæ genus existimãtes. Cælius libro 28. cap. 6. A. L.

Eò coronarum luxuria processit, ut GRÆCI in conuiuiis symposiisq;, coronis uterentur, infunderentq; in pateris hilaritatis gratia. Cuius rei IONES auctores extiterunt. Hîc illud Cleopatræ exemplum occurrit. Nam apparatu belli Actiaci, insidias ipsius reginæ M. Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, cum eo lusit extremis coronæ floribus uenenatis: sane procedente hilaritate, inuitauit Antonium ut coronas biberent: ecquis scilicet istas timeret insidias? Ergo coniecta in scyphum corona, Antonio incipienti haurire, opposita manu, En ego sum, inquit, illa, chare Antoni, quam tu noua prægustantium diligentia caues: adeò mihi, si possem sine te uiuere, occasio & ratio nocendi adest.

Inde eductum è custodia uinctum bibere iussit: qui sumto potu illicò concidit. Plin. lib. 21. Hist. nat. Ad hunc bibendi morem allusisse putat Polydorus Virgiliũ in Aeneide, cùm inquit, Crateras læti statuunt, & uina coronant: hoc est, crateribus coronarum flores permiscent, uinoq; immixtos bibunt. Polyd. lib. 2. cap. 17. de Rerum inuent.

GRÆCI uinum unguento mixtum bibebant, & suprà quàm satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione utebantur. Vocabatur autem uinum Myrrhinites. Meminit eius Philippus comicus poeta. Aelianus libro 12. de Var. histor. Sambucinum unguentum ac serpyllinum ad potum sunt idonea, similiterque crocinum, quod sine multa myrrha sit confectum. Stacte etiam ad potum conuenit, & nardus. Athen. lib. 15. cap. 15.

Produnt Alpibus coercitas & tum inexuperabili munimento GALLIAS, hanc primùm habuisse causam superfundendi se Italiæ, quòd Elico ex Heluetiis ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ sub Tarquinio Prisco commoratus, ficum siccam & uuam, oleiq; ac uini præmissa remeans secum tulisset. Plin. lib 12. cap. 1. & Liuius.

DRVSVS Tiberij fuit adeò in temulentiam effusus, ut cùm noctu cum stipatoribus suis cogeretur, aquam eis poscentibus, calidam infundi iusserit. Dion lib. 57.

NERONIS principis inuentum est, decoquere aquam, uitroque demissam in niues refrigerare. Ita uoluptas frigoris cõtingit sine uitiis niuis. Plin. lib. 31. cap. 3.

NICOLAVS V. Pont. Max. qui primus nostro seculo literas penè extinctas excitauit, bibliothecam Vaticanam instituit, officium nullum seu magistratum uendidit: inter multas laudes egregias & amplissimas, uitium hoc habuit, quòd nimio bibendi studio arsit, perquisitis undique uinorum generibus. Volat. libro 22. Anthrop.

MODI. TVM
Bibendi.

GRÆCI, mero cyathis salutantes libant, primò deos, deinde amicas suas nominantes: nam toties merum bibunt, quoties & deos & amicas nominatim uocant. Hic est Grecus bibendi mos, teste Asconio Pediano. Bibebãt autem primùm in paruis scyphis, ad irritamentum fortassis sitis (μικροῖς κύλιξι οἷον ἐπισφακελίζοντες, paruis calycibus ueluti irrorãtes. quã quam alia profert in Problematis Aphrodisæus) deinde poculis ingentibus se ingurgitabant. Quod admiratum Anacharsim in eius uita narrat Laertius. Athen. Dipnosoph. lib. 11. cap. 2. priuatos potandi mores diuersarum urbium fuisse ait. CHIVM quidem & THASIVM morem ex magnis calicibus à dextris incipiendo. ATTICVM è paruis à dextris inchoando: THESSALICVM, magno poculo cui libuerit propinare: SPARTANVM, suo quenque poculo uti, & quantum quisq; ebiberit, tantundem à puero infundi. Homerus Iliad. α. θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν οἰνοχόει, hoc est, ἀπὸ τῶν δεξιῶν μερῶν ἀρξάμενος. Brodeus in 2-Epig. Cic. in Verrem Act. 3. de cõuiuio quod apud Philodamum Pergami celebrabat Verres: Fit sermo inter eos & inuitatio, ut Græco more biberetur. Hospes hortatur, poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone lætitiaq; conuiuium. Alij ueterẽ morem Græciæ innui coniectant, quo toties bibere receptum erat, quoties deos & charos nominatim uocassent. Cælius lib. 28. cap. 6. A. L. ubi de legibus modoque bibendi multa congerit. & Alex. lib. 5. cap. 21.

Decreta conuiualia, quæ uocant νόμους, diligenti olim seruabãtur scito. Apud GRÆCOS, inquit Cicero, lex in conuiuiis obtinetur: Aut bibat, aut abeat. Erat & cantio conuiualis, πέντε πῖνε, τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα, Bibe quinque, bibe tres, aut nec quatuor cyathos. Nam Simonidis illud prorsus diuersum est, πῖνε πῖν᾽ ἐπὶ συμφορᾷ. quippe συμφορᾷ, est τῶν μέσων. Proinde sic enunciant alij, πῖνε, πῖν᾽ ἐπ᾽ ἐσθλοῖς. Gynæconomi conuiuia inspectabant cum Areopagitis, & cœtus alios in domibus ac nuptiis, & re diuina, lege ne præfinitus adesset numerus. Cælius lib. 7. cap. 26.

Apud ROMANOS bibendi ars hisce ferè constabat legibus, quod Plinius obseruauit & docuit: Nõ labasse sermone, nõ leuatum uomitione, non altera corporis parte: plurimum hausisse uno potu, plurimum præterea addidisse aliis minoribus, optima fide non respirasse in hauriendo (quod Græci dicunt, ἀμυστὶ πίνειν) neq; expuisse, nihilque ad elidendum in pauimento summum ac postremũ potum ex uino reliquisse. Inde Horatius Carminum secundo:

Absumet hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo,
Pontificum potiore cœnis. Ibidem.

DIOTIMVS Atheniensis, infundibulo in os imposito, sine interspirio uinum infusum absorbebat. Hinc Choes, hoc est, Infundibuli cognomen meruit. Aelianus lib. 2. de Varia historia, & Athen. lib. 10. cap. 12.

ILLYRII

ILLYRII in conuiuio peregrinis & hospitibus permittunt, ut unusquisq; mulieribus propinet, si libeat, etiamsi fœminæ nihil ad illos pertineant. Aelianus lib. 3. de Varia hist.

Μασχάλην αἴρειν: id est, Maschalam tollere dicebatur, qui auidius biberet. Sumtum à gestu BIBONVM, inter ebibendum cyathos, gulam ac mentum intendentium, & altius erigentium cubitos, ne quid resideat in cyatho liquoris. Sunt qui dicant maschalam esse machinam, qua sarcinæ depõnũtur in naues, aut eximũtur è nauibus. Hinc iocus in eos, qui pocula tollunt in altum. Hesychius adfert & hunc trochaicũ tetrametrum citra nomenclaturam auctoris,

Ὡς ἄνω τὴν μασχάλην αἴρωμεν ἐμπεπτωκότες. id est,
Sursum in altum ut irruentes erigamus maschalam.

Fortassis huc allusit Stratonicus citharœdus apud Atheneũ lib. 8. qui notans singulas Greciæ ciuitates, βυζάντιον εἶπεν μασχάλην τῆς ἑλλάδος. id est, BYZANTIVM dixit Græciæ maschalam, quod illic opinor strenuè potaretur, siue quòd esse temporium Græciæ. Erasmus in Adagiis.

Tradunt quidam ALEXANDRVM nõ largè bibisse, sed multum spacij in bibendo & fabulando cum amicis triuisse. Id uanum esse Philinus ex commentariis regiis demonstrat: in quibus frequentissime & passim relatum est, Hunc diem ex crapula Alexãder somno exegit, interim etiam sequentem. Plut. lib. 1. Conu. quæst. 6.

Inebriandi. Siue id fiat

Potu quouis.

Exempla ex præcedentibus mutuanda.

De AMICO suo sic loquitur Theognis.

τῆς κοτύλης αἰεὶ τὴν ἑκὰς πῖ μεθύεις.
ἡ μὲν γὰρ φέρεται φιλοτήσιος, ἡ δ᾽ ἀπόκειται·
τὴν δὲ θεοῖς σπένδεις, τὴν δ᾽ ἐπὶ χειρὸς ἔχεις.
ἀρνεῖσθαι δ᾽ οὐκ οἶδας· ἀνίκητος δέ τοι οὗτος,
ὃς πολλὰς πίνων μή τι μάταιον ἐρεῖ. Calicis semper causa sanè potus es. Hic enim circũfertur amicorum gratia, ille proponitur: alterũ uerò diis libas, alterũ in manu habes: negare non nosti: inuictus uerò ille erit, qui multis bibens nil ineptum dicit.

Odore.

BABYLONII incenso arborum fructu, & fumo hausto, ita ebrij redduntur, ut tripudiis & cantibus exultent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

THRACES epulantes focos ambiunt, herbarum semine ignibus iniecto: cuius nidore capti, ebrios imitantur, & tanquã uino affecti, temulenti iacent. Alex ab Alex. lib. 3. cap. 11. Eundem morem TVRCÆ hodie obseruant.

Scribit Maximus Tyrius, SCYTHAS esse quidem hydropotas. At si ebrietatis uoluptatem requirant quandoque, pyram construere, in eamq; herbas cõiicere odoratas, ac mox circumstare, & odorem uelut crateris haurientes liquorem, fieri ebrios, indeque canere ac saltare. Cælius libro 28. cap. 6. A. L. & Alex. lib. 3. cap. 11.

VASORVM.

Pisander lib. 2. Heracleæ, poculum id, in quo HERCVLES Oceanum nauigauit, Solis fuisse asserit, quod Hercules ipse acceperit ab Oceano. Gaudebat alioqui heros maioribus poculis: quare poetæ historiciq; per iocum eum in poculo mare superasse in fabulis dixerunt. Panyasis autem libro Heracleæ primo, Herculem ait Solis phialam à Nereo accepisse, nauigasseq; in Erythiam. Athen. lib. 11. cap. 6. Veteres Scyphum Herculi, uti Baccho Cantharum affingebant. Hercules poculo tanquam nauigio immensa maria transiuisse dicitur: fortè quia naui nomen fuit Scypho. Macrobius libro 5. Saturn. cap. 21.

LOCI.

PHIGALEI, qui Messeniis adiacent, uino eatenus adlubescunt, ut non alibi quàm in cauponis habitent, hospitibus domos elocantes cum uxoribus, hostilis tubæ ne in somno quidem sonum perferentes. Hos ut in mœnibus contineret belli tempore imperator Leonides, non alia conse qui ratione potuit, quàm structis inibi cauponum tabernaculis. Cælius lib. 18. cap. 28. A. L. ex Pausania.

Phylarchus lib. 6. BYZANTIOS narrat suos thalamos in cauponas afferre consueuisse, ibiq; cum uxoribus ac peregrinis habitare solitos. Obsessa urbe ab hostibus, Leonidas dux tabernas in mœnibus erigi iussit, ne causam abeundi haberẽt, uti testatur Damon in libro de Byzãtio. Athen. l. 10. c. 13.

TARENTINIS à summo mane poculis indulgere mos erat, & in medio plenoq; hominum foro inebriari. Athenæus.

Celeberrimum illud est, COMMODVM Cæsarem in sollicitudinibus & æstuationibus theatricorum certaminũ, quando ex superiore loco ursos iaculis impeteba t (quod refert Dion) ingens poculum dulcis uini solitum haurire ἀμυστί: spectatoribus tritum illud in symposiis acclamantibus, ζήσειας, id est, Viuas. Quod tamen amphibolicè pronunciatum Grammatici contendunt, perinde ac si dicatur, Compleas uiuendi modum, id est, morere. Cælius libro septimo cap. 26. Antiq. Lect.

BASILIVS magnus Dux Russiæ, Moschouiæ ciuitate ędificata, trans fluuiũ pro satellitibus suis cæterisq; extraneis, Polonis uidelicet, Germanis & Lithuanis, oppidum Naleukã dictum, quod cognomen ab infundendis poculis habet, extruxit. Illic omnibus extraneis militibus, & aduenis, satellitibusq; Principis, inebriandi uario potus genere facultas concessa est, Moschouitis non item. Guagninus.

TEMPORIS.

Quo inebriantur.

Amplius largiusq; rei diuinæ causa uino saturare se, VETERIBVS credebatur fas: unde & μεθύειν inflexum Aristoteles putat, quòd ebrij fierẽt μετὰ τὸ θύειν, id est, post sacrificium: aut ab μεθίημι, quia curas laxarẽt, unde & Bacchus Methymnæus. Quin dapes & conuiuia dictitabant θοίνας, ab θεός & οἶνος, uelut deorum gratia uino amplius indulgendum foret. Cæl. lib. 12. cap. 2. A. L. ex Athenæo.

ALCÆVS poeta quouis anni tempore ac statu inuenitur bibere. Athen. lib. 10. cap. 9.

SACARVM festa quæ dicuntur, Anaitidis deæ honori sunt dicata, quando & sacer illi dies uocatur Saca. In iis uerò turba uirorum iuxtà & mulierum miscellanea largius uina ingurgitare assueuit, uel usq; ad stuporem. Celebritatis ratio ex historia est, quòd Cyrus per temulentiam Sacarũ copias ad internecionem deleuisset in castris, quæ differta uino, simulata fuga, reliquisset ipse. Cæl. lib. 18. cap. 29. A. L.

CLEONEM Atheniensem æmulũ Niciæ, qui leuitate & scurrilitate sua populum captabat, ferunt, cùm populus in concione consĩdens diu eum expectasset, accessisse tandem coronatum, atque orasse, ut in diem posterum reiicerent concionem. Nam mihi, inquit, non uacat hodie, quòd sacrificio facto hospitibus epulum præbiturus sim. Ita populum Atheniensem cum risu surrexisse, ac concionem dimisisse. Plutarchus in Nicia.

Clearchus lib. 2. Amicitiæ, cùm STRATONICAS musicus, inquit, esset dormiturus, puerum sibi potum afferre semper iubebat, Non quòd sitio, dicẽs, sed ne sitiã. Athen. lib. 8. c. 7.

TIBERIO Claudio principe institutum, ut ieiuni biberent, potusq; uini antecederet cibos: externis & hoc artibus, ac medicorum placitis, nouitate aliqua sese commẽdantium. Plin. lib. 4. cap. ult. & Suetonius.

MOSCHOVITIS certis tãtùm diebus inebriari licet, uidelicet tempore Natiuitatis & Resurrectionis dominicæ, & pro festo Pentecostes, & in quibusdam solenni oribus festis diuorum, præcipuè uerò Nicolai, Mariæ uirginis. Petri & Ioannis apostolorũ. Ibi tunc uelut carceribus emissæ belluæ, sacris nõdũ peractis, suũ more uario potus genere obruti, temulenti ebrijq; identidem uociferantes, seq; mutuo cædentes, & cõtumeliis uariis afficientes, uagantur. Quòd si huic genti quotidie inebriandi facultas concederetur, sese mutuis cædibus funditus exterminarent. Ebrij etenim mentẽ rationemq; uelut bruta animalia prorsus amittunt, & in se mutuo cultellis, pugionibus, & id genus fraudulentis telis seuiunt. Guagninus in descriptione Moschouiæ, cap. 1.

PRESBYTERVM montis Calui, qui Viennæ imminet, cùm ad meridiem usq; bibisset, hinc usq; ad occasum solis dormiuisset, experrectum ad ecclesiam iuisse, ornasse altaria, sacerdotalia uestimẽta sumsisse, & cãpana plebem ad Missam euocasse tradunt. Interrogatus, Cur tam serò rem diuinam ageret, uersus ad occidentem, quem putabat orientẽ esse, respondit, Imò uerò subdubitò, an tam mane celebrare liceat ante exortum solem. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitam.

Quamdiu poculis indulgent.

In Aegypto, defossis in fimum ouis, pullos excludi, Arist. ait. Syracusis QVENDAM bibulum hominem oua in terram defodisse, impositoq; tegete continenter eò usq; bibisse, dũ oua exculperentur, Antigonus in Mirabil. narrat. & Plinius libro 10. cap. 54.

Aristoteles in Politia Syracusanorum scribit, DIONYSIVM minorem nonnunquam ad nonagesimum usq; diem ebriũ perseuerasse, atque ob eam rem cæcutientibus ac uitiosis oculis fuisse. Plut. in Dione.

De ACERRA Martialis Epigram. lib. 1. sic scribit:

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem semper Acerra bibit.

BASILIVS Ioannes Heroldus, [redacted] cum ad Augustana uenisset comitia, & in Cæsaris [redacted] tam Mineruæ, quàm Cereri Bacchoq; militaret, Ephemerides sibi confecerat, in quas secundùm dierũ seriem omnia priuata sua dicta factaq;, qui mos est Germanis frequens, referret. Inter cętera & quo diẽ cum quibus prin[redacted]bus, comitibus, nobilibus, cœnasset, quam benignè exceptus fuisset (crapula autem & ebrietate, ut pleriq;, be-

riq;,benignitatem hanc metiebatur)notis quibusdam plusquam hieroglyphicis annotare consueuerat. Et hæc quidē inter comitiorum initia. Ast ubi paulatim innotescere, & iā ab omnibus certatim uocari cœpit, cùm dies totos totasq; noctes per integrum mensem debacchatus esset, in Ephemeridum suarum album non dies singulos singulis scyphis (hæc enim nota erat illi œnoglyphica) sed totum mensem uno magno scypho à capite ad basim usque paginæ insigniuit, cum hoc epiphonemate: Nulla dies sine linea. Item:

Nocturno certare mero, putere diurno
Vatibus ut liceat, quis ueret historicis?

FINIS. INEBRIARI CAVSA

Valetudinis.

Κωθωνίζειν siue κωθωνίζεσθαι dicebantur, qui largiùs biberent: & potationem largiorem κωθωνισμὸν appellabant. Eam Mnesitheus medicus apud Athenæum lib. 11. putat conducere ualetudini corporum, Plato corrigendis moribus, Seneca ingenio: excludunt tamen ebrietatem, nec id nisi rarò fieri sinunt. Erasmus in Adagiis.

Voluptatis.

Plurimum bibebat NYSÆVS, Syracusiorum tyrannus cùm cognouisset se paucos mēses uicturum. Athen. lib. 10. ca. 12.

Quidam è conuiuis dixerat ANACHARSIDI, Vxorem duxisti admodum deformem. At ille, Prorsus, inquit, idem mihi uidetur. Sed heus puer, porrige poculum meracius, ut illam faciam formosam. Nempe non solùm amanti, uerum etiam ebrio τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, quemadmodum inquit Theocritus.

EVENTVS. EBRIETATE ALII

Non immutantur. Qui uinum ferre possunt.

CAMBYSES Persarum rex, licèt immodico uino uteretur, tamē nec pede nec manu uacillabat. Indicio id fuit, quòd Prexaspę, qui illum ob ebrietatem reprehenderat, filio cor sagitta transfixit, cùm se id facturum periculi causa dixisset. At in hoc quis mentem lęsam fuisse dubitet? nisi quòd tyranni æquè sobrij atq; ebrij sibiipsis similes sunt. Herod.

DARIVS Hystaspis, Persarum rex, qui magos de medio sustulit, ita inscriptum habebat in sepulcro, Vinum multum bibere potui, idq; perferre. Athen. lib. 10. cap. 11.

CHRESTVS Byzantius sophista, uino deditissimus, cæteris in rebus continens, cùm ad galli cantum sæpè calices protraheret, non priùs tamen somno se quàm studio dabat. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

L. PISO, uigente bello Actiaco, urbis custos, maiorem partem noctis in conuiuiis terebat, usq; ad horam sextam diei fermè dormiebat. Interim tamen tutelam urbis diligentissimè administrauit. Seneca ad Lucilium lib. 11. epist. 84.

SVBARMACHIVS satellitum dux, fidelissimus eunucho Eutropio, plus uini bibebat, quàm capere poterat. Sed tamen eius uenter propter consuetudinem omnia ferebat ad naturalem humorum excessum. Ebrietatem autem dissimulabat, certo pedum ingressu, ob iuuenilem ætatem. Erat autē regij generis Colchus germanus, ex iis qui ultra Phasidem & Thermodontem habitant, sagittarius optimus, nisi immodicus luxus suis cum sagittis confecisset. Suidas.

Iuuantur.

PERSÆ cùm facti sunt ebrij, de rebus maximè seriis consulere consueuerunt. Quod autem consultantibus placuerit, id die postero ædium præfectus ieiunis, ubi consultaturi conuenerunt, proponit. Quod si ieiunis etiam placuerit, tunc id perficiunt: sin minus, omittunt. Rursus uerò de quibus ieiuni consultarunt, ebrij decernunt. Athen lib. 4. cap. 6.

CRATINVS Atheniensis Comicus, scripsit Pytinem fabulā, à uase uinario dictam: & Methen, id est, ebriam. Dictus est inde φιλοπότης. In suis fabulis poetam quempiam fieri posse negabat, qui non uini esset appetentior. Vinum enim uice generosi equi poetis esse. Gyraldus dialogo 6. historię Poet. De eo sic Horatius,

Prisco si credis Mecænas docte Cratino,
Nulla placere diu nec uiuere carmina possunt
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Et Niceratus in 1. Græcorum Epigram.

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ.
[redacted]
κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς [redacted]
τοὶ γὰρ ὑπὸ στεφάνοις μέγας ἔβρυεν, ἄχρι [redacted]
μετώπων, ὥσπερ καὶ σὺ, κεκροκωμένον.

ALCÆVS poeta ARISTOPHANESQVE Comicus, ebrij peruersa scripserunt. Athen. lib. 10. cap. 9.

AESCHYLVS ebrius comœdias faciebat, ut testis est Chamæleon. Quare malè audiuit à Sophocle, quòd conuenientia quidē, non aūt cōuenienter faceret. Athen. li. 1. c. 16.

ENNIVS poeta nunquam accingebat se scribendis carminibus, nisi multo madidus uino. Hinc Horatius:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiliit dicenda.

MARTIALIS de seipso sic scribit:

Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim poetæ.

Læduntur, uniuersim.

THEOGNIS suam ipse in Gnomis alioqui sanctiss. intemperiem deregit, inquiens:

οἰνοβαρέω κεφαλὴν Ὀνομάκριτε, καί με βιᾶται
οἶνος, ἀτὰρ γνώμης οὐκ ἔτ' ἐγὼ ταμίης
ἡμετέρης· τὸ δὲ δῶμα περιτρέχει. ἀλλ' ἄγ' ἀναστὰς
πειρήσω, μή πως καὶ πόδας οἶνος ἔχῃ,
καὶ νόον ἐν στήθεσσι. δέδοικα δὲ, μή τι μάταιον
ἔρξω θωρηχθεὶς, καὶ μέγ' ὄνειδος ἔχω.

Vino grauor caput Onomacrite, & mihi uim infert uinum, & mentis non ampliùs ego sum custos nostrę: at domus circumcurrit. Sed sanè surgens tentabo, num fortè & pedes uinum occupet, & mentem in pectoribus. Timeo autem ne quid stultum faciam ebrius, & magnum dedecus habeam.

De fructu ebrietatis hęc scribit Plinius libro 14. capite 22. Tūc auidi matronam oculi licentur, graues produnt marito: tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, redituras que per iugulum uoces non continent, quàm multis ita interemtis. uulgoque ueritas iam attributa uino est. Interea ut optimè cedat, solem orientem non uident, ac minùs diu uiuunt. Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena uasa, &(quę sit pœna pręsens) furiales somni, & inquies nocturna. præmiumque summum libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus cadi, ac ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ. Rapere se ita uitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant, illi uerò & uenientem.

Læduntur in specie. Huc ex Ebrietate

Imaginatio deprauata.

Apud Euripidem POLYPHEMVS Vlyssis poculo degustato, inquit:

Παπαῖ, σοφόν γε ξύλον τῆς ἀμπέλου.

Mox inebriatus, dū in gyrū uiderētur omnia agi, exclamat:

ὁ δ' οὐρανός μοι συμμεμιγμένος δοκεῖ
τῇ γῇ φέρεσθαι, τοῦ Διός τε τὸν θρόνον
λεύσσω. Cœlum mihi commixtum uidetur terræ ferri: Iouis item sedem uideo.

Indicia iniqua, stulta.

ROMANORVM iudicum intempestam ebrietatem, C. Titius Lucilius poeta in oratione, qua legē Fanniam suasit, his taxat uerbis: Dum ad Comitium eunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui uesicam plenam uini habeant. Veniunt in Comitium tristes, iubent dicere. Quorum negotiū est narrant. Iudex testes poscit: ipsus it mictum. Vbi redit, ait se omnia audiuisse. Tabulas poscit. Literas inspicit, uix præ uino sustinet palpebras. Eunti in cōsilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negotij est cum istis nugatoribus? quin potiùs potamus mulsum mistū uino Græco, edimus turdum pinguem, bonumq; piscem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus sit. Macrobius libro 3. Saturn. capite 16.

MAXIMIANVS Daza dictus, Cæsar quadriennio per Orientem, à Galerio adoptatus, Augustus triennio fuit, amator literatorum, ingenio quieto, sed uini auidior: unde nōnunquam ebrius, quædam corrupta mente iubebat asperius: ut manè ignoraret, quæ præcepisset. Cuspinianus.

Obliuio sui.

De TIBICINIBVS, qui Roma Tibur secesserant, narrat T. Liuius primę Decadis lib. 9. Posteaquam perpelli nequibant, inquit, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominū, eos aggrediuntur. Die festo alij alios, per speciem celebrandarum cantu epularum, inuitant: & uino, cuius auidum fermè genus est, oneratos sopiunt, atq; in plaustra somno uictos coniiciunt, ac Romam deportant. Nec priùs sensere, quàm plaustris in foro relictis, plenos crapulæ lux eos reliquit. Erasmus in Adagiis.

BOGISLAVS Sclauorum dux, à Canuto Danorū rege, & ab Absalone Lundensi archiepiscopo, conuiuio cum amicis exceptus, potu nimis auidè sumpto, adeò uires sensumq; exuit, ut deflendæ seruitutis loco, libertatis gaudia repræsentarit. Igitur è naue elatus in tentorium, ab Absalonis XL armatis ante tabernaculi fores excubantibus custoditus est. Tanta siquidem apud Danos seruandorum hospitum sedulitas existere consueuit, ut eorum saluti perinde ac propriæ studeant. Quo beneficio obligatus Bogislaus, Sclauorum animos Danis conciliando, debitam Absaloni gratiam retulit. Manè expergefactus, Danorum fidem laudās, plus uoluptatis se ex pcepta Absalonis humanitate, quàm tristitiæ ex patriæ iactura sentire dixit. Igitur ad locum, in quo milites eum præstolabantur, relatus, postero die Sclauicæ nobilitatis proceribus adductis, cum coniuge se & liberis ad pedes regis suppliciter abiecit, ueniamq; rebellionis precatus, obsidibus datis, impetrauit. Saxo lib. 16.

Stuprum, Libido.

LOTHVS, quem Sodomorum & Gomorrheorum impietas uincere non potuit, à uino uictus, cum propriis filiabus incestum commisit. Geneseos 19. cap.

CENTAVRI uino madidi in nuptiis Hippodamię & Pirithoi Lapitharum rapturi uxores, cruēto prælio à Lapithis, Thesei & Pirithoi fortitudine superati sunt.

DAPHNIS pastor, quòd ebrius cum alia femina congressus esset, ut à nympha ei fuerat prædictum, utroque est captus lumine. Suidas.

CYANIPPVS Syracusanus ebrius, occurrentem in tenebris filiam Cyanem reluctātem uiolauit. Dositheus lib. 3. rerum Sicularum, apud Plutarchum in Parallelis.

ARVNTIVS hydropota, in Bacchanalibus Romæ ebrietate captus, filiam Medullinam corrupit, quæ demto amatori anulo patrem esse agnouit. Aristides lib. 3. apud eundem.

Largitio, Concessio iniusta.

BELA Vngarorum rex, cæcus, pacato regno, à tumultu Rutenico ocium nactus, cum amicis comessari, & in multam noctem conuiuia protrahere solebat. Multo mero grauatum principem, aulici in petendo impudentissimi adoriebantur, & sæpè impetrabant iniquissima, quæ non facilè rescindere poterat. Pochum & Saulem sacræ religioni initiatos, in conuiuio exoratus, tradidit inimicis trucidandos. Tandem hydropisi correptus, nono regni sui anno naturæ cessit: Salutis 1141. Bonfin. lib. 6. Dec. 2.

Crudelitas.

CAMBYSES rex Persarum, ebrius, cùm à Prexaspe satrapa audiuisset, Persas de eo propter temulentiam malè loqui, ira percitus Prexaspis F. pocillatorem in medium produci iussit, & arcum intendens, sagitta cor eius transfixit. Herod. l. 3.

ALEXANDER Magnus per ebrietatem præcipuos amicos interfecit: Clitum, qui in mensa Philippum Alexandro prætulit: Philotam, Parmenionem & Callisthenem philosophum, Aristotelis propinquum, quem inter charissimos habuerat. Plutarchus.

SCYTHÆ & THRACES ἀκρατοπόται uocantur, id est, merobibi: unde plerunq; conuiuia illorū sanguinolenta sunt & tumultuosa. Erasmus in Adagiis.

M. ANTONIVS Triumuir uolumen edidit de sua ebrietate, quo patrocinari sibi ausus, approbauit planè (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id uolumen euomuit: quò facilè intelligatur ebrius iam sanguine ciuiū, & tanto magis eum sitiens. Plin. lib. 14. cap. ult.

LVCIVS quidam tyranni satelles, uino madidus & furibundus, cùm Miccam Phidoleni filiam moribus & forma præstantem ad stuprum sollicitaret, & illa renueret, occidit in sinu paterno iacentem. Plutarchus capite decimoquinto, de Mulierum uirtutibus.

Mero sese cùm obruisset MICHAELVS Balbus Imp. multa absurda præcepit, quibusdam aures, aliis nares, nonnullis capita amputari. Quæ ne fierent, Basilius Macedo obstitit, non tam de aliis, quam de seipso sollicitus. Cedrenus.

CYRILLI filius omnem patris disciplinam contemnens, & omnia bona abliguriens, ebrius piissimum patrem crudelissimè occidit, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem uiolare uoluit: duas sorores alias ad mortem uulnerauit. Augustinus Tomo 2. ser. 33. ad Fratres in eremo.

Immodestia, Imprudentia.

NOACHVS bibens immodicè uinū quod plantarat, inebriatus, & turpiter nudatus, à filio Chamo derisus est in tabernaculo suo. Genes. 9.

HIPPOCLVS rex, cùm uinolentus sponsam Chiorum adolescentis sibi familiarissimi indecorè amplecteretur, ac immoderatiùs cum ea luderet, obtruncatus est. Plutarchus de uirtutibus Mulierum, cap. 3.

CHII calentes mero, quum Spartam uenissent, itassentq; ad curiam Ephororum, in curulibus magistratuum sellis uentris onera per summam fœditatem deiecerunt. Hinc natum adagium, Chius omnia percacans.

Archelaus rex opiparum lautumque conuiuium amicis suis parauerat. Cumque inter pocula largiùs EVRIPIDES biberet, sensim in ebrietatem est delapsus. Deinde proximè sibi assidentem Agathonem tragicum poetam complexus & exosculatus est, annos circiter quadraginta natum. Agesilao interrogante, Num adhuc in deliciis habendus uideretur? respondens: Per Iouem, inquit. non enim uer solùm est formosorum optimum, uerumetiam autumnus. Aelianus libro 13. de Var. hist.

CRATINVS antiquæ comœdiæ poeta, Atheniensis, uini adeò fuit appetens, ut supra pelles recumberet, & in iisdem etiam meieret. In prouerbium ergo abiit, Cratini κώδιον, id est, Pellis uillosa, turpis & putrida. Gyraldus dialogo sexto, historiæ Poetarum.

SYBARITÆ primi matulas symposiis intulerunt. Athenæus libro 12. capite 6.

CHRYSIPPVS dialecticus insignis, in potationibus dormire solebat, crura agitans: ita ut ancilla diceret, Chrysippi sola crura non esse ebria. Laert. lib. 7.

SERVORVM, quando in Saturnalibus cœnant, uel Bacchanalia ruri circumcursitantes agunt, haud feras ululatum & tumultum, dum præ gaudio & insolentia designant & loquuntur ineptissima. Plut. contra Epicurum.

De ROM. iuuenum temulentia locus est apud Iuuenalem Satyra 5.

—— Laudare paratus,
Si benè ructauit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo.

De eo loquitur, qui postquam calicem exhausit, in ipso fundo ructuanti sibilo crepitum facere non ueretur, idem crimen bis arguens. Vel de eo, qui postquam uini calicem hausit, id quod remansit, ita illidit pauimēto, ut resonet. Quod insolentissimi animi, audacis & petulantis, nimiæque securitatis fuisse liquet: quem abusum apud compotores & helluones impuros, qui scortis uinoque madidi & epulis distenti erant, Græcis inualuisse multi adnotarunt: ita ut ludus inde conuiualis foret, quem Cottabum nominarunt, cùm residuum potum in æneas phialas iactarent: qui si sonantior creperet, se ab amica redamari, & mutuo affectu teneri putabant. Alex. lib. 3. cap. 10. ubi trullam uas uinarium esse conuincit.

Iuuenalis de MVLIERE uinosa satyra sexta sic scribit:

— Tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit & uomit.

M. ANTONIVS Triumuir, ebrius, in cōspectu pop. Romani, negotium publicum gerens, uomuit: ac gremium suum, totumq; tribunal incoctæ cœnæ frustis, uinumq; redolentibus repleuit. Plutarchus.

Arcanorum euulgatio.

TIBERIVS Cæsar pot arcana omnia effutiebat: Suetonius.

Somnolentia.

ALEXANDER Magnus ob temulentiam sæpius duos dies dormiebat ac duas noctes: quod ex Ephemeridibus licet cognoscere, ab Eumene Cardiano, Diodotoq; Erythræo compositis. Athen. lib. 10. cap. 11.

Morbus.

POLYPHEMVS Cyclops hausto largius uino, ab Vlysse excæcatus est. Homerus 9. Odys. & Vergil. 3. Aeneid.

CLEOMENEM Lacedæmonium regem non solùm multum bibisse perhibent, uerùm etiam praua illa Scytharum consuetudine præditum fuisse, ut uinum merum biberet. Itaq; ad insaniam redactus est. Aelianus lib. 2. de Var. hist. Polyb. lib. 5. historiarum, & Herodotus.

Domum quandam in Agrigento huiusmodi de causa fuisse Triremem appellatam, Timæus Tauromitanus scriptum reliquit. IVVENES quidam, uino calefacti, eo usque dementiæ processerunt, ut se in triremi nauigare, & mare magnoperè esse perturbatum, arbitrarentur. Omnem domus supellectilem unà cum lectis proiecerunt, quasi nauis gubernator nauem exonerari oportere dixisset. Iacebant interea nauseabundi, & superuenientes militum duces tanquam Tritones adorabant, & si portum attigissent, σῶστρα iis se persoluturos liberalissimè pollicebantur. Tertio uix demum die ad se reuersi sunt. Hinc domus illa Triremis dicta est. Athen. lib. 2. cap. 1.

ALEXANDER Magnus ob ebrietatem in uenerem fuit segnior: acris tamen & iracundus, quorum causa corporis fuit feruor. Plut. lib. 1. Con. quæst. 6.

DIONYSIVS minor Syracusanorum tyrannus ex ebrietate oculorum debilitate laborauit. Plut. in Dione.

ENNIVS ex[redacted] articularem morbum contraxit, quo [redacted] philinus [redacted]

Vita

Vita periculum, Mors.

☞ *Vide Titulum Crapula mortui.*

AMMON filius Dauidis in cõuiuio ab Absalomo fratre, Thamaris sororis stuprum uindicante, temulentus occiditur. 1. Regum 13.

OLOFERNES Nabucodonosoris regis dux, cùm Iuditham ad conuiuium inuitasset, & multum uini hausisset, eius solli citandæ causa, ab ea dormiens iugulatus est. Iudithæ ca. 13.

SIMON sacerdos cum duobus filiis à Ptolemæo Abobi filio ad conuiuium uocatus & inebriatus, cum filiis occisus est. 1. Machabæorum 15.

ELPENOR Vlyssis socius, apud Circem uino largiùs hausto, impos animi factus, scalarum lapsu exanimatus est. Ouid. lib. 14. Metam.

ALEXANDER Magnus, à magna potatione denegare erubuit Midio inuitanti & conijcienti ipsum denuò in uinum, unde periit. Plut. in Præceptis salubribus.

RIGLVS pancratiasta, uocatus summo diluculo à Tito Cæsare in balneum, uenit lauitq; cum eo: atque postquam semel bibit, ut fama est, correptus apoplexia, extemplò expirauit. Plut. in Præceptis salubribus.

Scribit Polybius libro 2. & Aelianus libro 2. Var. hist. AGRONEM Illyriorum regem, qui magnoperè gloriabatur se Aetolos uicisse, in ebrietatem conuersum, laterum dolore captum interiisse.

PHILOSTRATVS in balneis Sinuessanis ebrius factus, scalarum lapsu penè extinctus est. Martial. lib. 11.

Penè imitatus obit sæuis Elpenora fatis.

ANACREON Teius poeta, cùm uino liberaliùs indulgeret, uuæ acino suffocatus est.

HIPPARINVS tyrannus Dionysij filius, ob temulentiam iugulatus fuit. Athen. lib. 10. cap. 13.

ATISLVS Sueonum rex, dum Roluonis Danorũ regis, à quo tributarius factus erat, inferias per summam animi hilaritatem conuiuio celebraret: potione auidiùs sumta, intemperantiæ pœnas pependit. Ita dum alienum fatum impensioribus lætitiæ modis excolit, proprium sibi adsciuit. Saxo l. 3.

Honoris iactura.

METRODORVS Epicureus ad Timocratem fratrem sic scribit: Nihil refert nos sapientiæ causa à Græcis coronas non consequi: sed plurimũ refert comedere & bibere uinum, sine noxa uentris & cum titillatione. Item: Quantum gaudeo, quòd uentri probè indulgere ab Epicuro didicerim. Etenim circa uentrem, naturæ indagator Timocrate, summũ bonum est. Plut. contra Epicuri sententiam.

Clades.

☞ *Vide Tit. Hostem uino effeminare: item, Securitatem hosti inijcere.*

MASSAGETÆ cùm largiùs uinum bibissent, à Cyro Persarum rege uicti sunt: à quo sobriè uiuentes tuti fuerant. Herodotus libro 1.

Cùm Celtæ cũ ARIÆIS bellũ gererent, cœnã sumtuosissimã pararunt in tentoriis, ac herbam quandam imposuerunt uenenatam. Castra deserta cùm Ariæi inuasissent, uino sese ingurgitantes miserè periẽre. Athen. lib. 10. cap. 14.

Bœotij incursantibus THRACIBVS, cùm in Trophonij antrum fugissent, isq; per somnium dixisset, Bacchum illis adiutorem fore: ebrios aggressi Thraces, Bacchi redemtoris ædem condiderunt, ut scribit Heraclides Ponticus. Aristophanes uerò tradit, hoc eò factum, quòd Thebani uitem à Naxiis redemerint. Suidas in dict. λύσιοι τελεταί.

Captiuitas.

SAMSON uino somnoq; sepultus, Dalilæ perfidia crudelissimis inimicis traditur. Iudicum 16.

SPARGAPISES Tomyridis Massagetarum reginæ F. à Cyro captus, cùm se liberaliùs uino ingurgitasset: postquã ad se rediit, & ubi locorũ esset cognouit: exorauit à Cyro, ut uinculis solueretur. Solutus, manus sibiipsi intulit. Herod. lib. 1.

ABSTINENTIA AB ALIMENTIS NIMIA.

Nimium ab alimentis necessariis abstinent auari homines, sumtum fugiendo: de quibus consule Tit. Auaritiæ in uictu. Abstinent & desperati homines, qui semet ipsos fame exanimant: quorum exempla quædam ex Tit. Fame mortui, petenda erunt. Abstinent denique etiam illi, qui immoderato ieiunio domant quidẽ corporis luxuriã, simul tamen harmoniam illius destruunt. In quibus non tam pietatis studium, quàm cum D. Antonio abbate Discretionem quis desideret. Et enim religioso animo ieiunium amplecti pium sit, attamen ultra quàm ferre possit, illud amplecti, Imprudentiam arguat, & propterea ad Nimiam abstinentiam referri debet.

RESPECTV EVENTVS. HVC

MORS EX NIMIA ABSTInentia proueniens.

Abbas Ioannes fratrum in eremo Scythiæ, ficus miserat cuidam fratri decumbenti in cella, quæ ab ecclesia ad octodecim millia passuum aberat, per duos PVEROS. Hi cùm à recta uia declinassent, in eremi uastitatibus hinc inde errantes, decumbentis casam reperire nequiuerũt. Tandẽ itineris erroribus defatigati, & exhausti, animam potius exhalare quàm ficubus uesci maluerunt. Itaq; ficubus integris ipsi paulo pòst mortui reperti sunt. Cassianus libro quinto, Gastrimargiæ, capite 40.

In eremo ultra Thebaida, quam Antonius olim incoluerat, iter facturi duo FRATRES, in animum induxerant, se nihil cibi prorsus sumturos, nisi quod Dominus per semetipsum exhibuisset. Per deserta ergo errãtibus, & fame penè deficientibus, quidam Mazices, ingenio aliàs crudeli mutato, ultrò panem obtulerunt. Alter eorum, ueluti à Deo oblatum accipiebat: alter quod ab hominibus offerretur, repudians, inedia confectus est. Idem cap. 6. collatione secunda.

MORBI EX NIMIA ABSTINENTIA.

CALVPPANES monachus in Meletensi monasterio, in finibus Aruerni, ieiuniis ita se macerabat, ut operas ab abbate impositas propter imbecillitatem perficere non posset. Eius rei causa in eremum abiit. Gregor. Turon. in Vitis patrum, capite 11.

BATTHÆVS monachus in Cœlesyria, tam frequenter ieiunauit, ut ex eius dentibus uermiculi scaturirent. Sozomenus libro 6. cap. 34.

VOCATIO PROPTER NIMIAM abstinentiam derelicta, abdicata.

[redacted]

D. BERNARDVS Claræuallis abbas, cùm ne in morbo quidem à durissimo uictu abstineret: Gulielmus episcopus Cabillonensis à Cisterciensibus eum sibi in obedientiam per annum tradi impetrauit: & extructo extra monasterium tugurio, paupere quidem, sed largiore uictu eum pristinæ sanitati restituit. Cæterùm anno exacto cùm ad priorem rediisset uiuendi asperitatem, coactus fuit uir alioqui incomparabilis, & qui conuersatione sua plurimum & fratribus & secularibus prodesse potuisset, monachorum conuentus deserere, cùm uomitu crudo omnibus molestus esset. Gulielmus abbas in eius uita.

RESPECTV QVALITATIS EOrum à quibus abstinent. Vtputa à

COCTIS, VESCVNTVR INTERIM crudis præter modum.

Sustinuit uorare DIOGENES crudum polypum, ut ad concoquendum ignis subsidium summoueret. Circumsistentibus sacerdotibus & magna corona populi, cùm iniecisset capiti pallium, admouens ori carnem: Vestra causa, inquit, discrimini me obiicio, & periculo oppono. Præclarum uerò periculum. Nempe non ut pro Thebanorum libertate, quomodo Pelopidas, uel quomodo Harmodius & Aristogiton pro Atheniensium, obtulit in discrimen pro aliis uitã philosophus, qui cum polypo crudo, ut uitam humanã efferaret, colluctabatur. Plut. orat. 1. de Esu carnium.

PVRIS, VESCVNTVR INTErim impuris.

GOTHARDVS Hildesianus, cùm mensæ assidens, Meinuercum Padelbornensem episcopum è rebus humanis exemtũ audisset, utraq; manu panem, qui appositus erat, album, apprehendit: O' benedicte, inquiens, Meinuerce, cùm te albus panis à communi morte non potuerit liberare: ego quamdiu superstes ero, de albo pane nunquam gustabo. Idq; suũ uotum strictè seruauit. Chronicon Cosmidromij.

RESPECTV FINIS. CAVSA

PIETATIS.

MONACHI Claræuallis sub disciplina D. Bernardi manibus laborantes, uictum durissimum & amarissimum è sterili terra productum summa cum delectatione manducabant. At quia uoluptatem corporis perniciosam esse audiuerant, ne hac ipsa delectatione peccarent, uerebantur. Gulielmus Episcopus Catalaunensis super ea re consultus, apertè pronunciauit, Dei dona propter gratiam Dei recusantem, inimicũ esse Dei gratiæ, & Spiritui sancto resistere. Helisæi exẽplum imitandum, qui ollam amaritudinis iniecto farinæ pusillo edulcorarit, ut in alimentum prophetarum apta redderetur. Ipsos quoque è sterili terra amarum summentes uictũ, diuina gratia dulcissimum persentire. Itaque uoluptatem hanc non modò non ut suspectam fugiendam, sed ut symbolum diuinæ benedictionis amplectẽdam. Gulielmus abbas in Bernardi uita.

SVPERSTITIONIS.

☞ *Ex loco Superstitionis huc plura.*

AEGYPTII piscibus marinis omnes non omnibus cæterùm certis temperant. Ceu OXYRYNCHITÆ hamo captis (nam quia colunt oxyrynchum piscem, metuunt ne hamus, cùm adhæserit ei oxyrynchus, immundus) sit phagro SYENITÆ. Siquidem putatur unà cũ intumescẽte prodire Nilo, eiusque auctum lætis ultrò ostendere ipsum nuncium. Plutarchus de Iside.

Ab Aegypto ad Tritonidem lacum pastoritij AFRI sunt, carne uictitantes ac lacte, nihil uaccinum gustantes. At mulieres BARCEÆ non modò gustu uaccinæ carnis, sed etiã suillæ abstinent in uniuersum. AEGYPTII suillum pecus detestantur adeò, ut si quis porcum attigerit, cum indumentis omnibus in flumine abluatur. Propterea subulcis interdicitur templis omnibus. Iidem nec pisces gustant, & arietibus similiter & ouibus abstinent. Herod. lib. 2.

BRITANNIS olim nefas fuit leporem, gallinam, aut anserem gustare. Alebant tamen uoluptatis gratia. Sabellicus lib. 6. Ennead. 6.

Cerebrum in cibis auersabantũr priores (quod scribit Athenæus) perinde ac ominosum opinati, præcipueque ATHENIENSES. Inde pronunciatum astruunt ab Homero, uelut in Sympofiacis meminit Plutarchus, τίω δ' ἶσον ἐγκεφάλοιο, id est, Aequè ipsum honoro ac cerebrum: quod execrati priores, atque abominantes reijciebant, in primis autem suillum. Sunt, qui Homericum illud sic intelligant, ἐν δούλοις τάξει. Nam Caras seruisse perpetuò. Cælius libro 3. cap. 23. Antiquarum Lect.

ANAXIMANDER in piscibus primùm editos homines affirmat: at cùm eo incrementi peruenissent, ut iam ualerent semetipsos tueri, tunc eiectos fuisse, ac terram cepisse. Ergo ne ut ignis materiam, ex qua accensus est, quæ eius est mater & pater, deuorat: sic hominum Anaximander parentem & genitricem esse cõmunem statuens piscem, eius pastum damnauit. Plut. lib. 8. Quæst. conuiualium.

PRISCILLIANISTÆ hæretici, carnes, ut escas immundas, uitabant. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

SANITATIS.

Suem HELIOPOLITANI animal profanum habent. Nam præcipuè admittere luna senescente coitum uidetur: ac qui lac earum bibunt, eorum corpora lepram & asperitates impetiginis, quam psoram dicunt, sentiunt. Plut. de Iside.

LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO

IN ueneris usu, qui ad propagandum genus humanum à natura cõcessus est, reperitur

- Virtus, CONTINENTIA uenerea, Pudicitia, Castitas. Ex D. Thoma secunda secundæ, quæst. 151. Pudicitia in occasionibus Castitas in ipso operẽ spectari solet. Vide signum I.
- Vitia duo: alterum in
  - Excessu. LVXVRIA. Vide in sequentibus signum II.
  - Defectu. PVDICITIA seu Castitas nimia. Pudicitiæ, siue Castitatis nimiæ studiũ, spectatur quo ad
    - Κτῆσιν
      - Δεῖσαι. Fugere indecorè
        - Coniugium.
        - Secundas nuptias.
    - Φυλακῇ. Pudicitiam
      - Suam indecorẽ conseruare, defendere, tueri:
        - Morte.
        - Idololatria.
        - Conuersationis fuga.
      - Alienam inhonestẽ conseruare.
    - Χρῆσιν. Respectu
      - Suiipsius. Huc Morositas in Coniugio.
      - Aliorum. Pudicitiã aliorum
        - Suspectam indecorẽ
          - Explorare.
          - Accusare.
          - Custodire.
          - Punire.
        - Læsam ulcisci.

- I. De hac agemus tum quo ad
  - Κτῆσιν, ratione habita
    - Ἀπόλαυσ. CONTINENTIAE Pudicitiæ, Castitatis acquisitio. Huc
      - Magistri
        - Qui. Puta
          - Deus. Angeli. Reges.
          - Legislatores. Parentes.
        - Quomodo. Videlicet
          - Religione. Benedictione. Cantu, Poemate.
          - Sacrificiis. Institutiõe. Admonitiõe. Legislatiõe.
          - Abrogatiõe moris, legũ impudicarũ. Exẽplo. Cõuersatiõe.
      - Discipuli. Respectu,
        - Occasionis. Perducti
          - Odio mulierum. Senio.
          - Vi, coactione. Auaritia meretricum.
        - Finis. Imitati studio
          - Religionis. Roboris.
          - Indolentiæ.
    - Φυλακὴν, quatenus uel Pudicitia
      - Conseruatur. PVDICITIAE conseruatio considerata respectu
        - Modi. LIBIDINIS occasiones fugere, coercere, extinguere. Quatenus Castitatem tuetur, libidinẽ domando, impediendo, coercendo uel
          - Suam, ipsos fomites extinguendo, quo ad
            - Animũ
              - Precibus. Contemplatione.
              - Conuersationis impudicæ fuga. Nempe
                - Mulierũ aspectum, colloquiũ, conuersationem declinando.
                - Congressum morbo morteue redimẽdo, & ægrotare aut mori malle, quàm congredi.
                - Virorum colloquia, aspectum fugiendo.
                - Domi manendo, Non peregrinando.
                - Cũ uiris cautè uersando, Non conuiuando.
                - Spectacula impudica uitando.
                - Turpia quæuis alia auersando.
              - Occupationibus, Negotio.
            - Corpus, illud subigendo
              - Labore. Castratione. Medicamẽtis.
              - Fame, Siti. Vini abstinentia. Flagris, Verberibus. Vulneribus. Gladij obstaculo.
              - Vstione. Æstu, Frigore.
              - Cubatu duro. Cilicio, Vestitu aspero.
          - Aliena
            - Formæ corruptione per
              - Morbum. Vulnera faciei.
              - Excæcatione. Sordes. Fœtorẽ.
            - Plagis, Verberibus. Morte honesta aliorum libidini sese eripere.
            - Infibulatione. Aspectus, Attactus prohibitione: Occultatione, Fuga. Crucis signo. Vestitu, cultu frugali.
        - Personarũ, à quibus
          - Impugnat. Pudicitiã tueri cõtra
            - Coniuges. Amasios.
            - Amatores. Scorta. Pathicos.
          - Conseruatur. Puta à
            - Deo. Angelo.
            - Hominibus. Brutis.
      - Nõ cõseruata deploratur. CASTITATIS & pudicitiæ nõ cõseruatæ dolor: uiolatæ uel
        - Cogitatione.
        - Actu, opere.
  - Χρῆσιν. PVDICITIAE & Castitatis exercitatio considerata
    - Per se in
      - Genere. PVDICITIAE & Castitatis professio. Tum
        - Qui
          - Populi. Duces. Sacerdotes. Monachi. Hæretici.
          - Philosophi. Medici. Musici. Mariti. Matronæ. Virgines.
        - Quõ. Qui pudicitiam seruarũt, coluerunt
          - Morte. Qui uitã q̃ castitatẽ amittere maluere per
            - Morbũ.
            - Vim.
          - Morbo. Qui ægrotare, quam uenere uti maluere.
        - Quo euentu. Castitatis fructus Dignus, uel Indignus.
      - Specie: quatenus uenerem in coniunctione
        - Inhonesta fugit. VENERIS inhonestæ fuga, tum
          - Naturalis, at ratione psonarũ inhonestæ. Fugere
            - Stuprum
              - Actiuè.
              - Pasiuè.
            - Adulteriũ
              - Actiuè. Qui non tangunt nuptas.
              - Pasiuè. Quæ nõ obsecũdãt amatoribus.
            - Incestum. INCESTVM fugere.
          - Non naturalis. FVGA Sodomiæ, Actiuè, Pasiuè.
        - Honesta siue coniugali. VENERIS honestæ modeatio tũ
          - Ante coniugium. Nuptias scilicet, uel
            - Non contrahendo. VIRGINVM exempla
              - Religiosa:
                - Virorum.
                - Feminarũ.
              - Profana siue ethica.
            - Contrahendo modestè & pudicè.
          - In cõiugio, quia uel
            - Nõ exercet
              - Toto coniugij tempore. CONIVGES uirgines.
              - Post aliqd tẽpus. CONIVGES tãdẽ castitatẽ professi.
            - Exercetur. CONIVGII usus castus, ratione loci, temporis, modi.
          - Post coniugium: qd uel
            - Nõ repetitur. VIDVALIS castitas. Nuptiarũ secundarum fuga inter
              - Iudæos.
              - Christianos.
              - Ethnicos.
            - Repetitur honestè. Nuptiæ secundæ honestæ.
    - Aliorum. CASTITATIS atq; pudicitiæ cultus respectu aliorum uel
      - Absque certamine, quatenus aliorum
        - Castitas: Amatur, colitur, præmiis afficitur: Protegitur, defenditur.
        - Libido odio habetur, castigatur, punitur. Respectu
          - Personarũ, quos coercet:
            - Homines Deos. Filij Parentes.
            - Fratres Sorores. Duces Milites.
            - Profani sacros homines.
          - Rerũ. Coercere
            - Osculum libidinosum. Aspectũ. Sermonẽ turpẽ.
            - Habitũ. Attentationẽ. Scortationẽ: Lupanaria euersa. Raptũ. Stuprũ. Nuptias secũdas.
            - Nuptias indignas. Adulteriũ. Libidinẽ pternãl.
          - Modi. Huc pertinet
            - Redargutio. Reprehensio.
            - Castigatio, Supplicium.
      - Cũ certamine. CERTAMINA pudicitiæ externa, quatenus casti certãt cũ castis, uel cũ incestis.

- II. INTEMPERANTIA uenerea, LVXVRIA, ut amplißimè patet, sic exempla diuidi possunt secundum
  - Κτῆσιν, quo ad possessionem libidinis, in qua ratio habẽda est tum
    - Ἀπόλαυσ, quatenus luxuria acquiritur: siue spectes
      - Affectum. LIBIDINIS acqsitio quo ad Affectum. Huc pertinẽt Libidinis
        - Magistri, Incentores, Suasores:
          - Cuius. Puta
            - Scortationis: Lupanaria instituta, approbata.
            - Incestus. Pæderastiæ.
            - Adulteriorum.
            - Monstruosarum libidinum.
          - Quomodo: Nimirũ
            - Religione. Lege, Imperio.
            - Adhortatione.
            - Doctrina, Exemplo. Scriptis.
            - Cultu corporis.
            - Concesione, Prostitutione
              - Scortorum.
              - Vxorum.
            - Blanditiis.
        - Discipuli. Ad libidinem perducti
          - Lege, Cõsuetudine. Cõuersatione.
          - Peregrinatione. Otio.
          - Pictura. Exemplo bruorum.
      - Subiectum. LIBIDINIS acquisitio quo ad Obiectum siue Subiectum. Sic acquirunt uel saltem conantur acquirere
        - Ipsimet inhonestis & indignis modis. Vt puta
          - Cæde eorum, qui impedire posiint.
          - Vi intentata. Vi illata.
          - Raptu uario
            - Puellarum, Matronarum, Meretricum.
            - Puerorum, Pathicorum.
            - Amatorum, Maritorum.
          - Morbi simulatione. Imperij simulatione.
          - Religionis simulatione. Magia.
          - Sacrilegio. Perfidia & Proditione qualicunq;.
          - Repudio, Diuortio iniusto.
          - Vitæ periculo. Certamine cum
            - Fluctibus. Belluis.
            - Hominibus.
          - Ætatis neglectu. Opum iactura.
          - Honoris, famæ prostitutione. Dignitatis neglectu.
          - Peregrinatione. Exilio.
          - Captiuitatis periculo. Somnio.
        - Alij. Lenones, lenæ, prostitutores, conciliatores. In
          - Genere.
          - Specie:
            - Parentes Filiarum. Mariti Vxorum.
            - Vxores Maritorum. Fratres Sororum.
            - Sorores Fratrum. Duces Militum.
            - Nutrices Alumnorum.
            - Sacerdotes. Hospites.
            - Amici. Medici.
    - Φυλακὴν. LIBIDINIS cõseruatio. Quæ spectatur in
      - Celebrando. Excusando.
      - Cælando, Occultando nefariè.
      - Non ferendo amasiorum
        - Contemtum. Abitum.
        - Elocationem.
        - Mortem.
  - Χρῆσιν, quo ad libidinis Exercitium cõsideratum
    - Per se in
      - Genere. LIBIDINIS exercitium in genere, respectu
        - Personarum. Qui LIBIDINOSI in genere. Qui uel uaria & multiplici, uel assidua libidine infames fuerunt:
          - Populi. Legislatores.
          - Sacri homines.
          - Imperatores, Reges, Principes.
          - Duces. Poetæ.
          - Oratores. Iureconsulti.
          - Senes. Mulieres.
        - Euentus. Libidinis fructus
          - Cuius.
          - Quis, qualis. Nempe
            - Bonus, Indignus.
            - Malus, Dignus. Puta
              - Consiliorum frustratio.
              - Religionis euersio.
              - Proditio. Defectio.
              - Ignauia, Desidia, Mollities.
              - Morbus. Verbera.
              - Mors. Condemnatio.
              - Paupertas. Exilium.
              - Captiuitas. Infamia.
              - Diuortium. Bellum, Inimicitia.
              - Clades bellica.
              - Magistratus, Regni amisio.
      - Specie. Vide signum III.
    - Respectu aliorũ. IMPVDICITIAE, Libidinis Cultus, respectu aliorum: & uel
      - Absq; certamine, quatenus aliorum
        - Pudicitia non
          - Colitur.
          - Defenditur.
        - Impudicitia
          - Laudatur. Ornatur.
          - Fouetur, Promouetur. Nõ punitur.
      - Cum certamine. CERTAMINA libidinis & impudicitiæ cuiuscunque. Tum
        - Laudando. Osculando.
        - Vlciscendo
          - Vi.
          - Stupro.
        - Admittendo
          - Quosuis.
          - Quoties.

- Non est distincta. AMOR suiipsius.
- PERSONARVM. Personæ duæ hîc considerãtur, Agẽs, et Patiẽs: à Patiente tamen fere fit denominatio. Hæc enim ab agente uel
  - Est distincta, siue sit generis
    - Diuersi. Altera persona homo est, altera non homo: utputa uel res
      - Animata
        - Brutum. LIBIDO BRVTA.
        - Dæmon. LIBIDO DAEMONIACA.
      - Inanimata
        - Naturalis
          - Inanimis. LIBIDO cum Meteoris.
          - Animata
            - Viua. Arbor. LIBIDO cum negotiis.
            - Mortua. Cadauer. LIBIDO cum mortuis.
        - Artificialis. Statuæ, Imagines. LIBIDO MECHANICA, cũ Statuis, simulacris.
    - Eiusdem, utputa homo cum homine, qui sit sexus uel
      - Eiusdem. Συνουσία
        - Ἀνδρῶν. Inter hos alij
          - Agentes, PAEDERASTAE.
          - Patientes, PATHICI.
        - Γυναικῶν. TRIBADES.
      - Diuersi, ut cũ femina. Coniunctio horum uel est
        - Illegitima, & inhonesta, extra matrimonium scilicet. Vide signum IV.
        - Legitima unius matrimonio. MATRIMONIVM
          - Promiscuum, Incertum.
          - Certũ, sed impudicij, quatenus libidinosè
            - Contrahitur, respectu
              - Religionis, inter Pios & Impios.
              - Ætatis, inter Senes & Iuuenes.
              - Dignitatis, inter dispares.
              - Connubij præcedentis. Nuptiæ secundæ impudicæ.
            - Prostituitur.
            - Exercetur
              - Religionis neglectu.
              - Valetudinis iniuria.
              - Officij intermissione.
  - PRIMARIA, respectu habito
    - MODI, quo ad
      - Desiderium, Cupidinem, Pruriginem.
      - Numerum, Frequentiam.
      - Impotentiam.
      - Qualitatem.
    - LOCI. Loco
      - Sacro.
      - Publico.
    - TEMPORIS
      - Quando. Pusa
        - Interdiu.
        - Inter sacra.
        - In conuiuio.
        - Die solenni.
        - In expeditione.
      - Quamdiu.
  - SECVNDARIA, quo ad
    - Mores in
      - Genere.
      - Specie. Libido in
        - Aspectu. Denudatione. Olfactu.
        - Osculo. Voce. Conuersatione inhonesta, ridicula,
        - Rixa, Contentione. Obsequio.
        - Defensione. Donatione.
    - Res. Libidinis incentiua
      - Imagines. Scripta.
      - Cibi. Flagra.

III. IMPVDICITIAE species

IV. Illegitima coniunctio considerat. respectu personæ uel

- Vtriusque (siue extra coniugium, siue per cõiugium copulentur) quando impeditur horum coniunctio utrinque causa uel
  - Religiosa. IMPVDICITIA sacræ siue religiosæ. Incestus sacer, inter eos, qui sunt religionis
    - Eiusdẽ, ita quidẽ ut sacra sit persona
      - Alterutra. scilicet uel
        - Agens tantum.
        - Patiens tãtum.
      - Vtraque.
    - Diuersæ.
  - Profana tum
    - Consanguinitatis, quæ sibi mutuò obstringuntur. INCESTVS dicitur. De hoc tum in
      - Genere. INCESTVOSI in genere.
      - Specie. INCESTVS species uariæ: utputa si coeant
        - Parentes & liberi.
        - Nouercæ, priuigni, uitrici.
        - Socer, nurus, gener, socrus.
        - Fratres, sorores.
        - Fratrum nepotes: patrui, auunculi, amitæ, consanguinei.
        - Affines qualibet.
    - Matrimonij, quo persona utraq; alijs obstringitur uiri, alterius maritus: fœmina, alterius uxor. ADVLTERIVM proprie, quando adulter cum adultera.
  - Alterutri us, nimirum modò
    - Agentis, Viri scilicet. Hic uel est
      - In coniugio. ADVLTER cum Virgine, Vidua, Scorto.
      - Extra cõiugium. STVPRATOR
        - Virginum. Virgines constupratæ.
        - Viduarum. Viduæ constupratæ.
        - Matronarum. Matronæ constupratæ
          - Dolo, Persuasione.
          - Vi.
        - Meretricum. Scortatores. Qui scorta amarunt
          - Singillatim.
          - Promiscuè.
    - Patientis, Mulieris scilicet. Quæ uel est
      - In coniugio. ADVLTERA, cum concubino uno pluribusue. Concubini adulterarum.
      - Extra coniugium, ita tamen ut ante hunc congressum uel uirgo fuerit, uel uidua, uel scortum. Et siquidem commiscetur cum
        - Marito, Pellex dicitur & Concubina propriè. PELLICES & concubinæ, quæ cum marito alterius miscentur.
        - Non marito, Scortum dicatur respectu libidinis, à scroto: respectu uerò auaritiæ, Meretrix à merendo. SCORTA, Meretrices, Concubinæ. Considerantur uel
          - Per se.
          - Respectu amatorum, quatenus excellunt bonis
            - Animi. Scorta
              - Rhetorum.
              - Philosophorum.
              - Poetarum.
              - Mechanicorum.
            - Corporis.
            - Fortunæ, uel
              - Principis
                - Profanorum
                  - Regum.
                  - Ducum.
                - Sacrorum, ut Pontificum, Cardinalium.
              - Militum.

IV. Illegitima coniunctio considerat. respectu personæ uel

Voluminis Noni Liber III.

De Moderatione & Immoderatione circa Venerea.

CONTINENTIAE, PVDICITIAE, CASTITATIS ACQVISITIO.

MAGISTRI PVDICITIAE.

Vide Tit. Castitati & Pudicitiæ aliorum prudenter consulere.

QVI. PVTA

Deus, Angeli.

HELIAS eremita pater & rector CCC uirginum, cùm metu incontinentiæ curã illarũ quandoq; detrectaret, in somno sibi præcidi genitalia uidit. Dum euigilasset, ad curam pristinam rediijt, ab omni liber lasciuiæ cogitatione. Volaterranus libro 21. Anthrop.

Reges.

BALDVINVS, Flandriæ Comes, Byzantinus Imp. pius & modestus, ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, bis qualibet hebdomada uesperi proclamari iubebat, Ne quis in suo palatio cubaret, qui alienã mulierẽ attigisset. Nicetas.

Legislatores.

Vide pòst, Legislatione.

Patres.

MAGNVS Sforcia, Franciscum filium grauissimis præceptis monuit, etiam atque etiam caueret, ne amici, aut imperio subiecti uxorem unquam impudicis oculis intueretur. Iouius in uita illius.

QVOMODO. NEMPE

Religione.

Romæ Veneris Ericynæ templum extra portam Collinam magna mole construxit deuicta Sicilia M. MARCELLVS, ne libido inualesceret, utq; luxuria à matribusfamiliâs abesset procul. Ad hãc ædem si quãdo Circus maximus Tiberis alluuione inundaret, ludos Apollinares sæpè celebratos comperimus: in eamq; uirgines ætate adolescẽte Veneri pupas uelut puerilia rudimenta offerre solebant. Ibi quoque pòst Veneris Verticordiæ simulacrum, quod homines ab effusa libidine auerteret, dedicatum fuit. Valerius libro 8. & Ouidius 4. Fastorum, & Plutarchus.

Oratione, Precibus.

PETRVS Apostolus, cùm omnes morbo aliquo laborantes passim curaret, filiam Petronellam uirginẽ febri uexari permisit. Et cùm interrogaretur, Cur qui alios sanasset, filiam ęgrotare pateretur? Sic ei expedire, respondit. Didicit uirgo in infirmitate esse fortior, & iam nec sana de corporis uoluptate cogitare: maluitque casta mori, quàm Flacco consuli (à quo petebatur) nupta. Exaudiuit Deus deprecantem, & uitę pariter, consulisque libidini iam uim parantis, ipsam surripuit. Marulus libro 4. cap. 8.

HILARIVS Pictauiensis episcopus, cùm filiam suam Appiam castè sanctèque uiuendi præceptis imbuisset, & illa aliquandiu in uirginitatis proposito perseuerasset: ueritus, ne mutaret mentem, Dominum deprecatus est, ut ipsam in tuto collocaret. Itaque tàm lætus & alacer mortuã extulit, quàm ne uirginitatem in coniugium uerteret anxius ac sollicitus fuit. Marulus libro 4. cap. 8.

Benedictione.

HELENVS abbas, discipuli, qui carnis petulãtia acriùs quàm ferre posset infestabatur, cellam digito per humũ ducto circumscribens, immundis spiritibus, ne signũ illud transgrederentur, præcepit. Et ille deinceps ab eiuscemodi molestia liber fuit. Marul. lib. 4. cap. 7.

MEDERICVS Eduensis abbas, & ipse malarũ tentationum uictor ac uirgo, monachum quendam assiduis incestæ cogitationis oppugnationibus tantùm non superatum, tunica sua induẽs, à periculo liberauit, ita ut ille deinde omnis huiusce molestię se expertẽ palã affirmare solitus fuerit. Ibid.

Cantu, Poemate.

Homerus libro 3. Odyss. cantorẽ DEMODOCVM custodem & monitorem Clytęmnestræ relictũ ab Agamemnone scribit: qui mulierum laudes percurrens earum, quæ maritis absentibus temperanter & castè uixerunt, desideriũ quoddam honoris & gloriæ & probitatis in eius animo impressit. Neq; priùs illa potitus est Aegisthus, quàm cantorem obtruncauit. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 15.

Sacrificijs.

Sosipatram uiduam Eustathij, formosissimam & sapientissimam mulierem, Philometor consobrinus amare cœperat, & ut ea potiretur, magicis utebatur carminibus. MAXIMVS sophista, sacris operatus, Sosipatram ab hoc furore, ne manus daret amori, liberauit. Eunapius in Aedesio.

Institutione.

PAPHNVTIVS abbas, Thaidem nobile scortum ab impudicitia auertere uolens, cùm ab ea secretiorem congrediendi locum poposcisset, & in abditissimũ domus cubiculum ductus, ibi etiam, ne ab aliquo conspiceretur, uehementer se uereri diceret: Ne dubita, inquit illa, nemo hic iam te uidere præter Deum potest. Captata occasione abbas interrogauit, An Deum esse crederet, quem latere posset, tum qui bonis præmia, & malis proponat pœnas? Annuenti, subiunxit: Cùm hoc non ignores, nónne infelicissima es, quæ propter breuissimi temporis uoluptatem, & te & omnes, quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibusq; æternis deputes? Scelerum conscia mulier, statim in lacrymas prorupit, ac deinceps lasciuiam carnis frenans ieiunijs, orationumq; fatigationibus domans, pudicè sanctèq; uixit. Marulus libro 3. capite 2. & Sabellicus libro 5. cap. 2.

Admonitione.

Nota uox est IOELIS prophetæ iubentis, ut sponsus de cubili suo migret, sponsa de thalamo. Ad excidium & uastitatem, quæ à Chaldæis imminebat, auertẽdam, indixerat ipsi genti Propheta ieiunium & fletum. Cæterùm neutrũ credidit profuturum, nisi à castis fieret. Tanti uirtutem unam insignis fecit propheta. Marulus libro 4. cap. 7.

DIOGENES Cynicus formosa scorta θανάσιμον μελίκρατον, mulsum lethiferum, appellare solebat. Laertius.

ARGEVS, quibusdam non suas, sed aliorum quorundam uxores prædicantibus: Per deos, inquit, de bonis & honestis mulieribus nihil temerè loquendum est, sed in totum, quales sint, oportet ignorari, præter quàm solis maritis, quibuscum uiuunt. Tàm insignis erat apud priscos uirginum & uxorum pudicitia, ut eas ab alijs quàm à parentibus aut suis maritis conspici, gradus aliquis ad impudicitiã haberetur. Erasmus in Apoph.

PAVLA Romana Terram sanctam peragrans, cùm Zoaram uenisset, recordabatur speluncæ Loth, & uersa in lacrymas, uirgines socias admonebat, cauendum esse uinum, in quo est luxuria, cuius opus Moabitæ sunt & Ammonitæ. Hieronymus in epitaphio Paulæ.

Legislatione.

MOSES Israelitis præcipit: Neque Israelitidum meretrix quæquam, neque Israelitarum scortator esto. Deuteronomij capite 23.

CECROPS Atheniensiũ rex primus uenerẽ uagã certis connubij legib. adstrinxit, & marẽ uni feminę consuescere uoluit. Propterea διφυῆ fuisse fabulãtur, biformẽ, ancipitis naturæ, marẽ & feminã, propter introductũ stabilis coniugij morem, & liberorum certitudinem. Athenæus lib. 13. c. 1.

AVGVSTVS Cæsar, legem de maritandis ordinibus, cùm aliquantò quàm cæteras seuerius emendasset, præ tumultu recusantiũ perferre nõ potuit: nisi ademta demũ, lenitãue parte pœnarũ, & uacatione triennij data, auctisq; præmiis. Sic quoq; abolitionẽ eius publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptosq; partim ad se, partim in patris gremiũ, ostentauit: manu uultuq; significãs, ne grauarentur imitari iuuenis exemplũ. Cumq; etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione, uim legis eludi sentiret, tempus spõsas habendi coarctauit, diuortijs modum imposuit. Suetonius.

Romæ, imperante Tiberio, grauiore SENATVS decreto feminarũ coercita libido, cautumq; ne quæstum corpore fecisse uellet, cui auus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. Quippe Vistilia, prætoriis ornata maioribus, stupri licentiam apud ædiles inuulgarat: more ueteribus recepto, quibus pœnarum satis in propudiosas irrogari est uisum, ex ipsa flagitij professione. Cælius lib. 14. c. 4. A. L.

THEODOSIVS Magnus consobrinarum nuptias uetuit, tãquam parum honestas. Cuspinianus.

Lex Alcaroni MAHOMETI, hominis alioqui impurissimi, primum præceptum habet, ut ne cuiuscunq; quis sexus, dignitatis ac eminentiæ fuerit, prouectam assequutus ætatẽ, extra matrimonium uitam agat. Cuspinianus.

Abrogatione Morum impudicorum, Legum turpium.

THEODOSIVS Magnus uicto Maximo Romã ueniens, pœnas meretricum abrogauit, quib. audiendis prauã prætereũntium libido irritabatur. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

CORBREDVS Galdus Scotorũ rex, Eueni regis execrandas leges penitùs abrogare annixus: id solum, ne deinceps plebeiorũ uxoribus nobiles cõmuniter uterentur, obtinuit. Cęteras, aduersante multitudine, prorsùs tollere non potuit. H. Boëthius lib. 4.

Scotorum rex Euenus III. legem tulerat, uti loci cuiusq; dominus nouæ nuptæ primam noctem haberet. Vix tandem barbaram illam consuetudinẽ MALCOLMVS Cammor rex, diua Margarita regina suadente, sustulit, numũ aureũ (Marchetam uocant) à sponsa pudoris redimendi causa loci domino pendendum statuens: quod ipsum Scoti etiamnũ hodie obseruant. H. Boëthius lib. 3. & Polydorus lib. 10.

Exemplo, Conuersatione.

PAVLVS gentium apostolus uiduas uirginesque ad perpetuam castitatis obseruationẽ suo hortatur exemplo, dicẽs: Bonum est eis, si sic permãserint, sicut & ego. Hic ille est, qui raptus usq; ad tertiũ cœlum audiuit arcana uerba, quę non licet homini loqui.

VITALIS monachi in urbe Alexandria mira admodũ caritatis opera extitere. Prostibula adibat feminarum, & cum ea, quæ impudentiore lasciuia diffluere uidebatur, noctem pactus, precium offerebat. Admissus autẽ in fornicis angulo procumbens deprecando, peruigilabat, donec illucesceret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non iam quantũ lucrifecisset, sed quantũ turpiter uiuendo Deũ offendisset. Itaq; multæ ab eo hoc modo conuersæ, uitã correxere. Ipse uerò peruersa hominum opinione iactatus, quoniã circa lupanaria frequens erat, palamq; reprehensus, patienter tolerabat: cùm plus utilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex sua infamia damni. Marulus lib 3. c. 2.

ALEXANDER Magnus, cùm in Illyrios peruenisset, ac in Iouis ara animaduertisset mulierem forma præstantem, pulcritudinem admiratus, diu spectauit. Cumq; Hephæstion diceret, Aequum esse, ut ipse amatã caperet: An non, inquit, hoc indignissimũ esset, ut qui in aliorum incontinentiã animaduertere uelimus, ipsi incontinentiæ seruire ab exteris deprehendamur? Maximus ser. 3.

DISCIPVLI PVDICITIAE.

Respectu

OCCASIONIS. PERDVCTI AD CASTITATEM

Odio mulierum.

Aiunt MELANIONEM quendam odio mulierũ in solitudinem demigrasse: perq; auia montium, cane, quo uno conuictore utebatur, feras insectari solitum, nec unquam domũ reuocari potuisse. Hinc prouer. Melanione castior. Erasmus.

Senectute.

SOPHOCLES tragicus, An consuetudinem habere cum muliere ualeret, rogatus: Bona uerba quæso, inquit. In libertatẽ asserui me, qui rabidos & feros dominos senectutis beneficio effugi. Plutarchus de Cupiditate diuitiarum. Cicer. in Catone, & Val. lib. 4. c. 3.

Necessitate, Coactione.

Agamemnone peremto, nupsit Aegistho Clytæmnestra, qui & principatu potitus est. LAODICE uerò, Agamemnonis filia, cùm neglecta foret, consenuit uirgo: qua ex causa, ab Argiuis Electræ nomen obtinuit, διὰ τὸ ἀμοιρεῖν ἀνδρὸς, καὶ μὴ πειρᾶσθαι λέκτρων, quòd uiri expers fuerit, nec lecti experiens. Cælius lib. 19. cap. 29. ex Xantho Lydio historico, & Aelian. lib. 4. Variæ hist.

Auaritia meretricum.

DEMOSTHENES excitatus ad Laidis Corinthiæ famã, cuius formam tunc Græcia mirabatur, accessit, ut & ipse famoso amore potiretur. Qui ubi dimidium talentum unius preciũ noctis audiuit, decessit, hoc dicto, οὐκ ἀγοράζω τοσούτου μεταμέλειαν. Macrobius lib. 2. c. 2. Saturnalium.

FINIS. INVITATI AD CASTÈ UIUENDUM.

Religionis exercitio.

Ex Tit. Monachorum & Monacharum huc illustria exempla afferri possunt.

Roboris studio.

ICTVS Tarentinus athleta nobilis, quũ certò sciret corporis uires eneruari libidine, toto uitæ tẽpore durauit expers ueneris, ut palæstricis ludis esset accõmodatior. Volat.

ASBYLVS Crotoniates athleta, perpetua castitate præditus fuit, ob cursus studium. Plato de Repub.

CLITOMACHVS athleta, fugiebat & abscedebat, siquis sermones iniecisset amatorios. Plut. lib. 7. Quæst. conu. 7.

Doloris fuga.

Cùm mares omnes DIANA auersaretur, quia uiderat, quæ passa erat mater, cùm illi parienti obstetricata est, impetrauit à patre Ioue, ut perpetuam uirginitatem seruare posset. Sic Callimachus:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Da mihi perpetuò ut sim uirgo, da pater alme.

Arcus prętere & sagittas & puellas socias sexaginta Oceaninas, & alias uiginti, quę illi arcus, cothurnosq; & canes curarent, Iupiter postulanti tribuit, deditq; uenationib. præesse, & uiis & portubus. Natalis Comes Mythol. lib. 3. c. 15.

CONTINENTIAE, CASTITATIS CONSERVATIO, CONSIDERATA respectu

PERSONARVM, à Quibus

IMPVGNATVR. PVDICITIAM TVERI CONTRA

Coniuges.

Alfonsus V. Asturum rex, Tarasiã sororem suã inuitã Abdaliæ regi Toletano Saraceno despõderat. Prima nocte ABDALIAS complexũ suũ refugientẽ Tarasiã, & Christum pudicitiæ suæ ultorẽ fore dicẽtẽ, ui cogere uoluit. Statim aũt percussus ab angelo, uocatisq; familiaribus, oneratis camelis auro, & argento, & uestibus preciosis, & supellectili ualde decora, remisit eam protinus Legionem, quæ ibidẽ in monachali habitu diu uixit, & pòst in monasterio sancti Pelagij uitam finiuit. Rodericus Toletanus lib. 5. rerũ Hisp. c. 18.

ETHELDREDA, Annæ Orientalium Anglorum regis filia formosissima, cum Egfredo Northumbrorum rege iuuene, ætate florente, duodecim annos uixit, & nunquam cum eo corpus suũ cõmiscuit: ut propè nescias, utrũ magis feminæ cõstantia, aut uiri amore flagrãtis patiẽtia laudãda sit. Res ad extremũ, extra tamẽ uim, in certamẽ adducta est. Etenim Egfredus suscipiẽdę plis desiderio agitatus, modò blãdiẽti, modò minitãti similis, uxorẽ urgebat, quò uellet unà secũ, liberis procreãdis operã dare. Etheldreda cõtra, quæ uirginitatẽ suã Deo dedicarat, nullis uoluptatis aut uerborũ illecebris à proposito auertebatur, sed assiduis precib. uirũ fatigans, ut sibi, per eius uoluntatem coniugali uinculo solutæ, liceret priuatã & cælibẽ uitã agere, id tandẽ impetrauit. Polyd. lib. 4. Sigebertus. Beda lib. 4. Hist. eccles. c. 20.

Amasias.

IOSEPHVS Israelis filius, quum in Putipharis domo Memphi seruiret, non herilibus illecebris, non suppliciorum metu subigi potuit, ut muliebrem libidinem secutus, cum hera, à qua procaciter appetebatur, solus stuprum faceret. Maluit castiss. puer in tenebris inter reos & sontes uinctus iacere,

quàm eam domū in qua clementer ac benignè alebatur, flagitio fœdare. Sabellicus lib.1.cap.3. ex 39. Geneseos. Marulus lib.4.cap.7.& Fulgosus libro 4.capite 3.

D. BERNARDO dormienti æquales formosum adiunxerāt scortum. Expergefactus, in latus alterū sese cōuertit, & blanditias illius magno superans animo, pudore & horrore correptum, sua sponte coegit aufugere. Hospita quædam illius forma capta, noctu clam accedebat. Ille ter eā clamore suo, cùm latrones adesse clamaret, abegit, metuentē ne à socijs deprehenderetur. Gulielmus Abbas lib.1.cap.3.eius uitæ.

Amatores.

ALEXANDRINA uirgo sextumdecimū ætatis annum uix nata, ardentissimasq; adolescentis in se flammas uerita, tumulo se ueteri sponte inclusit: in quo duodecim annos constanter uixit, cibo capto indies, necessarijsq; alijs per rimulam sumtis. Interrogataq; sæpiùs ab ijs qui escam ad eam afferrent, cur hoc cepisset consilij, cùr ue tam diu immoraretur? Vereor, inquit, uirgineum pudorem amittere adolescentis ardore nimio. Nec priùs inde amoueri uoluit, quàm adolescentem fato functum pro certo intellexit. Egnatius libro quarto cap.5.& Fulg.lib.4.cap.5.

Scorta.

XENOCRATES Chalcedonius, Platonis discipulus, tantæ continentiæ erat, ut Phryne, nobile Athenarum scortum, deposito cum quibusdam iuuenibus pignore, se in suum concubitum allecturā, in lectuli parte admissa, nullis illecebris, nullo libidinis irritamento, cùm omnia frusta tentasset, incredibilem eius continentiam uiolare potuerit. Quæ cùm à iuuenibus uictoriæ precium posceretur, facetè respondit: se cum illis de uiro, non de statua uel trunco certasse. Valerius Maximus libro quarto, capite tertio.

Eidem discipulos Laidem insignem meretricem, formaq; excellentem iniecisse in in lectulum tradunt: illumq; adeò fuisse continentem, ut cùm se ad libidinem incitari præsensisset, secari & uri uerenda sit passus. Laertius lib.4.cap.2.

D. BERNARDO nocte quadam, puella nuda iniecta est in lectum dormienti ad latus. Et quamuis impudica ipsum irritaret suis illecebris, tamen se continuit. Eodem modo cùm iter faceret, & apud matronam quandam diuerteret, illa ter ad lectum eius uenit. Sed ille ter clamitans, Latrones, ab se eam repulit. Cumq; postero die socij arguerent, quòd toties ea nocte latrones somniasset, eorumq; somnum interturbasset, respondit: Verè latro aderat. Nam hospita castitatem, irreparabilem thesaurum, mihi ablatura ter uenit. Auhor uitæ libro primo, cap.3

Pathicos.

Formosus Antiphates antè amantem defugerat & fastidierāt THEMISTOCLEM. Pòst, ubi ingens nomen eius & opes fuêre, adiens blandiebatur ei. Cui ille: Adolescens, inquit, serò quidem ambo, sed tamen sapuimus. Plut. in regū apoph.

AGESILAVM Spartanorum regem Megabates Spiridatæ F. (Plutarchus habet Spitridatem) more Persarū osculandi eos quos in honore haberent, osculari aggrediebatur. Ille uerò, licèt puerum ualdè amaret, quò minùs id fieret, seriò repugnauit, ita ut se Megabates iniuria putaret affectum. Tùm Agesilaus quendam ex socijs compellabat, qui Megabatæ persuaderet, uti se rursum honore afficeret. Eo quærente, si pareret Megabates, an ipsum osculaturus esset? Tùm uerò subticuit Agesilaus: ac deinde, Minimè, inquit, non si subitò & uenustissimus & robustissimus & celerrimus omnium hominum sim futurus. Sed tamen pugnā eandē pugnare me malle, deos omnes testor, quàm omnia quæ cerno aurea fieri. Xenophon. Plutarchus uerò in Apoph. sic: cùm Megabates Mithridatis filius forma eximia Agesilaum adisset, quòd ardenter amari uideretur ab eo, ad eum salutandum & osculandum, declinauit. Vt destitit ille ipsum adire, requisiuit eum Agesilaus. Amicis ipsum in causa esse subijcientibus, qui formosi illius complexum fugisset: nunc autem me tu adductum non uenire illum: haud exiguo spacio cogitabundus ac tacitus constitit: tū, Haudquaquā est ille, inquit, à nobis inducendus. Ego enim ista uincere præopto, quàm munitissimam hostium urbem expugnare.

Scribit in Historicis commentarijs Carystius, quòd puer formosus aderat Charoni Chalcidonico, quodq; benè eum tractabat. Cùm uerò ALEXANDER eum inter potandum apud Craterum laudasset: iussit Craterus puero ut Alexandrum oscularetur: qui, Nequaquam, inquit: non enim tantum mihi dabit læticiæ quantum tibi doloris. Athenæus libro 13. capite 27.

Philoxenus classis præfectus, cùm Alexādro scripsisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insignioris formæ uenales, si uellet emere: ALEXANDER indignè tulit, apud æquales subinde clamitans: Quid in me Philoxenus tam obscœnū animaduertit, ut mihi tantum probri conciliaret? Plut. in Alexandro.

CONSERVATVR. A
Deo, Angelis.

EVSEBIVS episcopus & martyr, quam uirginitatem ab ineunte ætate sollicitè custodierat, Deo protegēte nullius insidijs amittere potuit. Mulier quædā forma illius capta, cùm ad ipsum impudenter irrumpere uellet, cubiculum aditu aperto intrare non potuit: & culpæ conscia, ac terrore simul perculsa, ante ianuam excito episcopo, crimen confitendo ueniam impetrauit. Marulus lib.4.c.7.

LVCIA Syracusana uirginitatem uita habuit cariorem. Iuueni, cui pacta fuerat, iungi noluit, ut iungeretur Christo: pro huius amore martyrium constanter pertulit, cum illo uiuere recusauit. Paschasius consulari potestate tumēs, puellā duci ad lupanar iussit. Sed illā uis nulla, nulli prorsus conatus mouere potuerunt. Funib. circumligatā mille uiri, mille boū iuga trahere nitebantur. Sed codē loco, quo eā fixerat Dominus, ueluti montis rupes immota stetit: atq, ibi dē uiri cædi, iugulari potuit: abduci, ut prostitueretur, nō potuit, quoniam Deo uouerat castitatem. Marul. lib.4.c.8.

MARTIANAM Cæsareæ defendit paries, inter ipsam & corruptores mirabiliter se interponens. IRENEM Romæ liberauit angelus, iis, qui eam ad lupanar trahebant illudens.

FLAVIAM Domicellam Tarracinæ intactam reliquit repentina eorum insania, qui uim inferre parabant.

SERAPHIAM apud Vendinenses eripuit horrendus fragor, motusq; terræ illos exanimans, qui ipsam polluere nitebantur. Ibidem.

METHODIVS patriarcha Cōstātinopolitanus: olim cū uitā Romæ ageret, à dæmone crebriùs carnis igne correptus est: & cùm libidinis incendium quotidie exardesceret: timēs ne uitæ continentiam amitteret, sanctos apostolos Petrum & Paulum summis precibus rogauit, ut periclitanti opem ferrent. Tum nocte quadam dormiēti astare duo uiri uisi sunt, quorum unus pudenda digitis tangens, Bono esto animo, dixit, mox hic ignis extinguetur: & simul uisus est adurere pudēda, ut præ dolore expergisceretur: A somno excitatus, uirile membrum tabidum reperit & emortuū, nec ab eo tēpore ullam ampliùs molestiam sensit. Cuspinianus.

Brutis.

COLVMBAM uirginē apud Senones passam, cùm inter meretriculas uitiandam pertraxissent, ursus ab iniuria tutatus est. Marulus lib.4.c.8.

MODI RESPECTV. LIBIDINIS QVASCVNQVE OCCASIONES FVgere, declinare, Libidini obsistere.

☞ *Libidinis occasiones partim internæ sunt, partim externæ. Internæ ieiuniis, flagris, ciliciis, & antequam exardescant opprimuntur, & postquam exarserint extinguntur. Externæ, aspectus scilicet, alloquutum, tactus, declinantur, corriguntur. De priore illa sic scribit Marulus lib.4.cap.1. Non solùm diabolus, uerumetiam corpus nostrum aduersatur nobis. Vas electum Paulus, Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Deinde exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quia ipse per se non sufficit, respondet: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quoniam gratia ista sollicitis, non otiosis opitulari solet: ipse quoq; non cessat, quantū potest, reluctari aduersario suo, & flagellationum iugo premere illum, atq; imperare uolētem, ad obedientiam cōpellere. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutē redigo. Igitur si pugnat caro, castigatione reprimenda est: reprimentem Dei gratia adiuuabit. Carnis autem castigatio est ieiunium, uigilia, depreuatio, uerberatio, labor. Hæc ille. Proinde Castigatio carnis per ieiunium & flagella, respectu finis, huius erit loci propriè, quia ad edomādam carnem pertinet. At respectu modi quo domatur, Ieiunia quidem ad primam Temperantiæ speciem, Flagella uerò ad Tolerantiam dolorum referenda erunt. Carnis certè appellatione Christiani Theologi affectum intelligunt, uoluptatem corpoream circa alimenta, sed in primis circa uenerea, consectantem.*

QVO AD SEIPSVM. CERTAMEN
Castitatis & Libidinis internum.

☞ *Sic secum ipse certat, quando brutum Appetitum Rationis rectæ imperio subiicere studet, eiusq; rei causa adminicula quæuis ad fomitem libidinis extinguendum refrænandum' ue ex seipso adhibet.*

Precibus.

AEQVITIVS in Valeriæ partibus abbas, dum in iuuenta immundis tentationibus quateretur, ad precū confugia recurrebat. Postremò somnianti uisum est, astitisse angelum, omnemque sibi genitalium motum ademisse: nec postea sensit se tentari. Quinimò Dei dono fretus, præesse monasterio feminarum cœpit. Interim tamen discipulos admonere non cessabat, ne se in eo priùs æmulari uellent, quàm pari miraculo insuperabiles facti fuissent. Marul.lib.4.cap.7.

CHRISTOPHORVM martyrem, qui mundi opificē in humeris gestare meruit, cui ducenti milites manū inijcere non sunt ausi, quo uiso, Ammonitarum rex est territus, uicissent feminæ, nisi ille repentè ad orationis arma confugisset. Vinctus & in carcere positus, dum illum duæ insignis impudicitiæ sorores Niceta & Aquilina, ad hoc à rege missæ, ut turpi uoluptate delinitum à Christo auerterent, complexu, osculis, alloquijs oppugnare cœpissent: sensit in tali certamine suam sibi haud sufficere uirtutem, & Domini inuocauit. Eo orante carcer illuxit, subitus perstrinxit oculos fulgor: mulieres expauidæ in terram corruunt, mortem sibi timentes, quæ mortem intentauerant uiro. Sed tandem ab eo spe ueniæ recreatæ, Christo crediderunt: dumque ipsū palàm confiterentur, tyranni gladium immotis iugulis excepère. Marulus libro quarto capite 7.

MARTINO Massici Campaniæ mōtis solitario decretum ac deliberatum fuit, ne feminam aspiceret: & dū quædam propositi eius turbandi causa, illi repentè astitisset, pronus humi corruit: uultuq; inter palmas collecto, tàm diu Deum, uti se in tali pudicitiæ discrimine tueretur, orauit, donec illa longioris moræ uicta tædio, inde discessit. Fama est mulierem hanc, simulatque de monte descendisset, uita decessisse. Marulus libro quarto. cap.7.

SARA, in partibus Thedaidis abbatissa, cùm cogitationes eius ad libidinē diabolus incitare soleret, nunquam ut recederet tentatio, orauit: sed ut & illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper uinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello per annos tredecim fortiter contendit. Sed tandem aliquātò acriùs impugnata, quàm ut sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicū, ita ut oranti apparens dæmon diceret: Vicisti me Sara, uicisti. At illa nihil sibi ex hoc laudis uēdicans: Non ego, inquit, uici te, sed Dominus meus Iesus. Marul.lib.5.cap.7.& Sab.lib.10.cap.3.

Contemplatione.

Ad quendam in deserto Aegypti SOLITARIVM, corrumpendum cùm uenisset meretrix (fecerat autem sponsionem cum quibusdā, si illum ad coitum compulisset) finxit se uiam aberrasse: & quoniam iam uesper erat, flens petijt, uti nocte illa susciperetur. Castitatis periculum denegare quod petebatur, suadebat: charitas uerò cedere, ne quid feminę foris manenti aduersi contingeret, cùm locus foris frequens esset. Ergo receptam in uno tugurioli angulo posuit, & se in altero collocauit. Noctu tamen cogitationibus ad impudicitiam pulsatus, iam in eo erat ut uinceretur: cū subitò in mentem uenit, quòd pro tàm breui uoluptate ignem æternum passurus esset. Exurgens igitur accendit lucernā: &, Experiar, inquit, an ignem sustinere possim, quē sustinere cogerer, si deliquissem: digitosq; ad lucernam admotos urere pertinaciter cœpit. Adustionis cruciatus, libidinosas cogitationes dissipauit, & gehennæ timor intimā uoluptatis titillationē repressit. Mulier autem, quæ seruum Christi in mortis foueam præcipitare moliebatur, ipsa ibidem uitam cum morte commutauit. Manè iuuenes illi adueniunt: & quam uicisse putauerant, mortuā iacere offendunt. Sanctus uerò ut pro malo redderet bonum, ipsam, quæ pudicitiæ suæ insidiari ausa fuerat, precibus uitæ restituit. Marul.lib.4.cap.7.

IOSAPHAT, Auenir Indorum regis filius, Barlaam eremitæ industria & disciplina ad Christianitatē conuersus, meretriculæ cuiusdam forma blanditiisq; & procacitate captus fuisset, nisi diuina miseratione contigisset, ut parumper obdormiscens, & sanctorum gloriam, & damnatorum pœnas uidisset. Eo somnio confirmatus, in castitatis proposito perseuerauit. Marulus lib. 6.c.14.

Conuersationis impudicæ fuga. Vtputa

Mulierum aspectum, colloquium, conuersationem declinando.

CYRVS Persarum rex, Pantheam omnium mulierum formosissimam, captiuam in cōspectum suum adduci uetuit, ne amore illius corriperetur. Xenophon lib.5.& 6. Pædiæ.

Cùm Antipatridas formosam psaltriam in conuiuium adduxisset: motus eius forma ALEXANDER, quæsiuit de Antipatride, Ecquid istam amaret? Annuente illo: Non abduces, inquit, actutùm scelus ex cōuiuio mulierem? Plutarchus in Apophthegmatibus.

ALEXANDER Macedo, cùm Darij uxorem, sororem, filias captiuas haberet, mirum in modum formosas, ne uidere quidem eas uoluit: turpe ratus esse, eum, qui uiros uicisset, à mulieribus superari. Athenæus lib. 13. ca.27. Basilius de Lib. studijs, & Gellius lib.6. cap. 8. ubi quæstionem mouet, Alexandérne continentior fuerit, qui uidere noluit, an Scipio, qui uisam restituit?

ANTIGONVS rex Asiæ, cùm Philippum filium animaduerteret aliquando hospitium habere in ædibus, in quibus tres iuuenculæ erant: nullum uerbum huic fecit, sed accito metatore hospitiorum, filio præsente: Quin tu, inquit, filiū meū educis ex istis angustiis? Plut. in Demetrio. Aliter Frontinus lib.4.c.1. Audio, inquit, fili, angustè habitare te, pluribus dominis domum possidentibus: hospitium laxius accipe. iussoq; cōmigrare, edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hospitio matrisfamiliás uteretur.

ANTIGONVS III. Asiæ rex, Dianæ sacerdotē contemplatus forma mirè uenusta, repentè mouit Epheso: ueritus, ne quid preter animi sententiam nefarij admitteret. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PTOLEMÆVS Tryphon, Aegypti rex, cùm speciosa quædam mulier loqui cum eo cuperet: Prohibuit, inquit, mihi soror, ne sermonem à speciosa femina susciperem. At illa mirè lepidè ac festiuè respondit: Atqui à specioso, inquiens, susciperis. Quod cùm audiuisset, eam laudauit. Aelianus de Varia historia lib.14.

DIODORVS tibicen uocatus à Lamia, uenire recusauit: intemperantior Demetrio Poliorcete rege, qui obsidionem urbis scorti amplexibus postposuit. Aelianus lib.12.

ZENO simul & Cleanthes assidebant Chæremondæ: quūq; sentiret affectum amoris Zeno, surrexit. Hoc admirante Cleanthe: Etiā à bonis, inquit, medicis audio, aduersus inflationes optimum esse remedium, quietem. Laert.lib.7.c.1.

ARISTIPPVS, quum Dionysius tyrannus tres uenustas meretrices obtulisset, admonēs, ut ex his, quam uellet, eligeret, omnes apprehendit, dicens, Ne Paridi quidem fuisse tutum, unam cæteris prætulisse: ac puellas deduxit ad aulæ uestibulum, dimisitq;: non minùs in contemnendo facilis, quàm in amplectendo. Laertius lib.1.c.8.

ISÆVS Assyrius sophista, cùm à quodam, qui formosissimam ostendebat mulierem, interrogaretur, Num formosa uideretur? πέπαυμαι respondit, ὀφθαλμιῶν: id est, Desij laborare ab oculis. Non aspexerat, ne amori faceret aditum. Philostratus in Sophistis.

ARCHYTAS Tarentinus, cùm alias modestissimus fuit, tum etiam uerborum obscenitatem assiduè uitauit. Cùm uerò necessitas aliquādo postularet absurdius aliquid dicere, nō profatus est, sed ipsum quidem silentio præteriuit: inscripsit autem in pariete, monstrans, quod dicēdum erat: neq; cùm res exigeret, dixit. Aelian.lib.14.de Var.hist.

Apud ROMANOS in castris mulieres interesse, aut cū militibus turpi consuetudine uersari, non decebat. Domi uerò tāta Romanę uerecundiæ obseruatio & morū exempla fuêre, ut nec pater cum filio pubere, nec socer cū genero lauaret: nudosq; conspicere patentes, ducerent nefas. Val.Max.

C. GRACCHVS quamdiu Sardiniam prouinciā administrauit, nulla meretrix introiuit eius domum, nulli pueri eximia facie ei ad cyathum steterunt. Gellius.

CN. POMPEIVS Demetrij sui liberti uxorem formosissimam nunquam blandè allocutus fertur (quod tamen contra eius ingenium fuit) metuens, ne pulcritudine ipsius, qua quemuis ad amorem pellicere poterat, captus uideretur. Plutarchus in Pompeio.

MARCIA Varronis filia, quum suo seculo sculpendi pingendiq; arte insignis haberetur, abstinuit semper ab effingenda uirili figura, ne pudenda quoq; exprimeret. Rauisius.

LIVIA Augusti Cæsaris uxor, cùm nudos homines uidisset, dixit: eos matronis honestis & continentibus, nihil à statuis differre. Dion Nicæus in Tiberio.

MATERTERAM suam scribit Seneca per sedecim annos, quibus maritus suus Aegyptum rexit, nunquam in publico conspectam esse, neminem prouincialium in domum suam admisisse, nihil ab ullo uiro petisse, nihil à se peti passam. Itaque loquax (inquit) & ingeniosa in contumelias præfectorum prouincia, in qua etiam uitauerunt quidam culpam, non effugerunt infamiam, uelut unicum sanctitatis exemplum suspexit: & quod illi difficillimum est, cui periculosi sales placent, omnem uerborum licentiam continuit, & hodie similem ipsi (quamuis nunquam speret) semper optat. Multum erat, si per sedecim dies illam prouincia probasset: plus est, quòd ignorauit. Ludouicus Viues de Christiana femina lib.2.

IVLIANVS Imp. cōtinentissimus, capta Persidis urbe, in qua formosæ permultæ mulieres erant, non modò nullam ad uenerem coëgit, uerùm etiam ne in conspectum ducerētur, prohibuit. Fulgosus lib.4.c.3.

IOANNES anachoreta in quadam Aegypti præruptæ rupis spelunca obstruso aditu degens, cum feminis nunquam est locutus, rarò cum uiris, ad se tamen intrare permisit neminem. Tribuno roganti, uti se coniugi suæ conspiciendū exhiberet: in quiete se illi appariturum promisit. Proxima itaque nocte mulier somnians ipsum uidit, quem uigilans nūquam uiderat. Marulus lib.4.c.7.& Sab.lib.5.c.6.

CARILEPHVM in Gallia eo loci, qui Cassagalla dicitur, soli tarium femina quædã adiit, uirili amictu sexũ dissimulans, cùm ipse muliebres congressus semper refugisset. Illa dum singula perlustrasset, oculis capitur: æc protinùs factã pœnitens, ueniamq; petens, ipso orante uitam recepit, uitamque correxit. Marulus libro 4. cap. 8.

Helias abbas, cùm XXX. annos natus cœnobij uirginum curam suscepisset, & carnis molestias ferre nequiret, ad desertum Scythi profugit. Deinde in quiete apparentibus angelis, Cur Deo dicatas uirgines reliquisset interrogatus, causam dixit. Et cùm ab eis uitrilia sibi abscissa putasset, somno experrectus, & corpore se integrum & mente comperit, uirginumq; curam securus repetijt: nullum postea pruritum (licèt inter feminas uersaretur) improbæ cupidinis in se sentiens. Marulus lib. 4. cap. 7.

PAPHNVCIVS abbas, dum hospitibus pulmentum lenticulæ, quod atheram appellabant, pararet, & subuolantis flammæ uapor manum eius adussisset, cogitare secũ tacitus cœpit: Cur qui iampridem dæmonum infestationes deuicisset, & illicitos carnis motus mortificasset, tam modicæ flammæ læsionem persentiret? Quiescenti angelus apparuit: Et quid, inquit, Paphnuci, ab igne te offendi potuisse miraris, cùm nec dum ignem, qui in te est, sic penitùs, ut putas, extinctum geras? Tunc te illum extinxisse crede, cùm puellam nudam atq; formosam complexus, nullo te libidinis motu sollicitari deprehenderis. Euigilans ille expauit tale experimentum, & liquidò intellexit, tutiùs esse cum dæmonijs colluctari, quàm iuuẽ ulæ mulieris lateri adhærere: & ab igne offendi, quàm ea tangi. Matul. lib. 4. cap. 7.

AVGVSTINVS interrogatus, Quare cũ sorore habitare refugisset? Quia, inquit, quæ cum sorore mea sunt, non sunt meæ sorores. Et hanc eiusdem sententiam esse perhibent, Malum est mulierem uidere, peiùs alloqui, pessimum tãgere. Ex his igitur corporis nostri ut quisque periculo proximior, ita magis continendus. Sab. lib. 5. cap. 6.

BERENGARIVS Turonensis presbyter feminarũ aspectum deuitauit. Vide Tit. Hæreticorum.

CAROLVS V. Imperator, uxorem adhuc habens, fæpè clausit ipsemet fenestrã, ne inspiceret formosiores feminas, cùm eas ex fenestra eminùs aduentantes aut prætereuntes fortè conspexisset, aut etiam præteriturasinaudisset. Gul. Zenoc. lib. 5. de uita Caroli V. Imp.

Virorum colloquium, aspectum fugiendo.

Confule Titulum, Virginum.

BONA dea, à Græcis Θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro filiam Fauni tradidit, adeò pudicã, ut extra γυναικωνῖτιν nunquam sit egressa, nec nomẽ eius in publico fuerit auditũ, nec uirũ unquã uiderit, uel à uiro uisa sit: propter quod nec uir in templum eius ingreditur. Vnde & mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse: quia Herculi, cùm boues Geryonis per Italiæ agros duceret, sitienti respondit mulier, Aquã se non posse præstare, quòd Feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu uinũ gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum, detestatus est præsentiã feminarum: & Potitio ac Pinario sacrorum custodib. iussit, ne mulierem interesse permitterent. Macrob. lib. 1. cap. 12.

Beatus Martinus episcopus, cùm VIRGINEM quandam uitæ sanctitate percelebrem inuisere uellet, & illa aditu negato ei excusando dixisset: Mi pater sancte ora pro me, quia à uiro nunquã sum uisitata. gratias egisse Deo fertur, quòd illa talibus imbuta moribus castam custodiret uolũtatem: & benedicens eam, abijt lætus. Marul. lib. 4. cap. 8.

Domi manendo, Non peregrinando.

AEGYPTIAS mulieres (inquit Plutarchus) calceis uti patrius mos non fuit, ut domi se faciliùs continerent.

Inter leges, quas Lycurgus rhetor tulisse fertur, hæc erat una: Ne quã MVLIER maritata proficisceretur Eleusinem, ueritus, ne à diuitibus dato precio corrumperentur. Addita est pœna, drachmarum sex millia. Ei legi cũ uxor Lycurgi non obtemperasset, sycophantis, qui deprehenderant ac detulerant, dedit talentum. Ea res cùm illi postridie uitio daretur apud populũ: Atqui ego, inquit, dare conspectus sum, non accipere. Erasmus lib. 8. Apophtheg.

Cum uiris cauté conuersando. Non coniuando.

Homerus pudicam PENELOPEN in consessum procorũ descendisse canit, sed non solam, uerùm duabus comitatam probis ancillis, cùm tamen domi suæ esset, & Telemachus filius inter procos sederet, iam tũ adolescens. Ludo. Viues de Christiana femina lib. 1.

Cum PERSARVM regibus legitimæ uxores ad mensam accumbunt, unaque comessari solent. At quum ludere lasciuireq;, ac se plusculum iuuare collibuerit, summotis illis, citharistrias meretriculas adhibent, nec ullo modo siuunt uxores intemperantiæ ebrietatisque sieri participes. Cælius libro 28. capite 18. Antiq. Lect.

GRÆCORVM consuetudo muliebrem sexum à conuiuijs amouit, neq; ulla in uirorum sympotiis accumbebat mulier, nisi quæ quiduis non audire modò, uerùm etiã perpeti posset. Videbant enim alioqui fore, ut aut matronalem uirginalémue pudorem libertas iocantiũ offenderet, aut iocandi liberatem illius habita ratio retardaret. Inde igitur est, quòd cùm apud Terentiũ Thraso introduci iussisset in conuiuium Pamphilam, indignata Thais, Minimè, inquit, gentium. in conuiuium tu illam? Quòd enim suis integram eam ac pudicam reddere ac restituere cupiebat, uix id consequi posse uidebatur, si hoc, quod postulabat miles, passa esset. Ex eadem consuetudine apud Ciceronem libro primo accusationis in Verrem, Philodamus negauit, moris esse Græcorum, ut in conuiuium uirorum accumberent mulieres. Roma ni innuptas modò uirgines à conuiuijs amouebant: Varronis testimonio. Virgo, inquit, de cõuiuio abducatur ideò, quòd maiores nostri uirginis aceræ aures Veneris uocabulis imbui noluerunt. Muretus lib. 7. Var. lect. cap. 2.

Spectacula impia uitando.

LACONES comœdias & tragœdias non audiebant, ut nec seriò nec ioco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent stupra, incestũ & adulteria: prohibent dolos, iniurias, furta, cæteraq; flagitia: at in tabulis talia poëtæ dijs affingunt. Nec placuit illis quorundam excusatio, fabulas ad uoluptatem fingi, non ad fidem ueri. Voluptas ea corrumpit imbecillium animos. Hanc ob causam Archilochum poëtam, cùm uenisset Lacedæmonẽ, eadem hora expulerunt: quòd intellexerant ab illo scriptum, satiùs esse abijcere arma, quàm mori. Plutarchus in Lacon.

MASSILIENSIVM ciuitas castitatis custos, ut Mimis nullum prorsus aditum in scenam daret, quorum argumenta plurimùm actus continent stuprorum. Cælius libro 16. capite 8.

Augustus spectaculo Athletarum, qui nudi certabant, edicto mulieres ROMANAS submouit. Ab Olympijs etiam spectaculis eædem arcebantur. Viues de Officio mariti.

Turpia alia non aspiciendo.

CLITOMACHVS pancratiastes, si quando canes uiderent coeuntes, sese auertebat: & in conuiuijs si de rebus uenereis sermo incidisset, continuò surgens discedebat. Aelianus lib. 3. de Varia historia. & Plut. lib. 7. Con. quæst. 7.

Apud MONACHOS quosdam in una Cycladũ habitantes, animalia usibus uitæ necessaria in altera asseruabantur, ne ipsi eorũ coitus fortè aspicerent. Lud. Viues de Off. mariti.

ROMÆ in sacris bonæ Deæ, marem ne pictum quidem aspici fas erat. LACEDÆMONE & in DELO, canem intrare templum nefas, propter uulgarem & promtam illius animantis libidinem.

MARTIA Varronis filia cùm uirginitatis candorem illæsum seruaret, & sculpẽdi pingẽdiq; arte insignis haberetur, quia ea ætate imagines statuæq; nudæ fingebantur: ipsa præpudore, ne in uiris pudibunda exprimeret. aut ob id imperfectum opus relinqueret, à fingenda uirili figura semper abstinuit. Fulgosius lib. 6. cap. 1.

Monachatus professione.

FARRA uirgo, cùm à patre Agerico (qui primo loco apud Theodebertum Gallię regem habebatur) ad nuptias urgeretur, sic ubertim fleuisse dicitur, ut nimio lacrymarum humore oculorum aciem hebetauerit. Et cùm uisum beati Eustachij episcopi precibus à Domino impetratum recepisset, rursum patris molestijs infestationibusq;, sed & odio agitata ad ecclesiam confugit. Ille iratus, inde raptã in carcerem detrusit: nec tamen efficere potuit, ut uoto suo filia consentiret, quæ se iam Christo desponderat. Vbi uerò firmam in proposito permanere uidit, non fuit deinceps impedimento, quin inter sacras uirgines perpetuã uirginitatem profiteretur. Marulus libro 4. cap. 8.

GREGORIAM Romanam uirginem, à beato Gregorio traditum est, ipso nuptiarum die ad ecclesiam cõfugisse, & perpetuæ uirginitatis uoto Deo se consecrasse. Ibidem.

IPHIGENIA Egippi Aethiopum regis filia, Matthæi apostoli prædicatione ad ueram religionem conuersa, cùm uirginitatem Domino uouisset, & iã constructo cœnobio multis præesset uirginibus, neque minis neque blanditijs moueri potuit, ut Hirtacum paterni regni successorem acciperet maritum: æterni regis sponsam se esse dicens, nec licere sibi illo relicto alteri nubere. Hirtacus ex amore in furorem uersus, Iphigeniam cũ ipso monasterio cõcremari iussit. Flamma inde se auertens, regiam consumsit: Hirtaci filius à dæmonio correptus interiit: pater elephantia oppressus, morbi dolorẽ non ferens, ipse sibi mortem conscisit. Idem.

Virgi-

Virginitatis amor effecit, ut EVPHROSYNA Alexãdrina domum, parentes, patriam fugeret, & ne iuueni (cui pacta erat) inuita traderetur, sub uirili habitu latens, proximi cœnobij monachos adiret, seq́ue in eorum numerum solenni professione redigeret, dicta Smaragdus. Cur, inquies, unum fugiens tam multis se credidit? quia eos, quibus se credebat, æquè ac se casbos esse nouerat. Quem autem fugiebat, longè disparis uoti esse sciebat. Idem.

ILDEGVNDA uirgo Germanica, Nussiæ orta (quod oppidum haud longè à Colonia urbe in Rheni ripa positum est) multis agitata casibus, post permulta quæ non sine ingenti admiratione ei acciderant, anno Salutis 1188. puerili habitu monasticam disciplinam subijit, in Abbatia quæ propè Vormatiam urbem Schuuabenheim dicitur. In ea diu incognita uixit, sub Iosephi nomine inter uiros singulari continentia ac sanctitate semper uersata, usq; ad eam diem, qua decessit: nec tunc quidem mulier cognita fuisset, nisi dum lauaretur, detecto corpore sexus patuisset. Sic MARINA subMarini appellatione in monachorum conuentu egisse, à sacris scriptorib. perhibetur. Fulgosius lib. 4. cap. 3.

Gunzonis, Arbonæ ducis FILIA, Galli abbatis precationibus à dæmonio liberata, uirginitatem uouit. Cumque à Sigiberto Galliæ rege in matrimonium peteretur, à patre tradita, sponsam se cœlestis regis esse dixit. Quę uox ita exterruit Sigebertum, ut illam in monasterium uirginum abire permiserit. Marulus lib. 4. cap. 8.

SPOLETANA uirgo principis uiri filia, cùm pater ipsam nuptui collocare decreuisset: illo inscio ad monasterium abiens, uirginitatis uelum habitumq́ue accepit. Pater indignatus illam exhæredauit. Sed quæ nihil acceperat à parente, à Domino accepit, ut ab obsessis dæmonia pelleret, sicuti de illa testatus est sanctus Eleutherius abbas. Idem.

EVPHRAXIAM uirginem, Antigoni filiã, quia cuidam Romano patricij generis iuueni à parentib. antè pacta fuerat quàm religioni se dedisset, cũ Theodosij Imp. literis in Thebaidem, quò concesserat, missis, illi nubere urgeretur: respondisse tradunt, sponsum se habere in cœlo, non in terra: & certum sibi esse omnia priùs extrema perpeti, quàm fallere fidẽ illi datã. Cumq́; insuper Theodosius opulentas uiri nuptias suis donis se cumulaturum pollicereturi: Opes meæ (inquit) Christus est, dona tua aliis dato. Ibidem.

Occupatione, Cura quauis alia.

Apud Lucianum sophistam quærit ex Cupidine mater Venus, Cur, cùm Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, se etiam matrem, denique deos omnes iaculis suis cõfigat, MINERVAE, & MVSIS, & DIANAE manum non admoliatur? Minerua (inquit ille) mihi uenienti comminatur, hæc occasioni bus obuiam it & resistit. Musæ uerò reuerendæ sunt & semper honestis exercitijs occupatæ: hæ maiestate sua & negotij intentione ab amore se uindicant. Diana in syluis & solitudinibus errat: hęc amorem non haurit cõsuetudine. Multum enim amoris per sensum se insinuat, quod postea teneris cogitationibus alitur & excrescit. Ludo. Viues de Christiana femina libro 1.

MONACHVS quidam Græcus, cùm nullo alio remedio à libidinis flammis liberari posset, ex instinctu patris monasterij simulato iurgio & falsis criminibus circumuentus, libidinis cogitationes omnes exuit. Marul. lib. 4. cap. 4. ex epistola Hieronymi ad Rusticum monachum.

Labore, Defatigatione corporis.

MACARIVS, Alexandrinus abbas, cùm corporis affectibus paulo improbiùs urgeri se uideret, sacco fabulo repletum, uix homini portabile onus, per eremum incedens humeris baiulauit. Theosebio forte obuiã factus, & Quid ageret, interrogatus, Vexatorem meum uexo, respondit. Marulus lib. tertio, capite decimo.

Diuus Hieronymus in eo libello, quem ad uirgines Deo sacratas conscripsit, uidisse se in eremo affirmat VNVM ex monachis, qui à senione iussus, prægrandem lapidem iam octo annos bis in die per tria fere miliaria gestauerat in scapulis, ita alacri animo, ut intermedio tempore semper noua sibi iniungi opera ultrò patrem rogaret. Marulus libro tertio, capite 10. & Sabellicus lib. 2 cap. 10.

EVPHRAXIAE ad libidinis flammam extinguendã monasterij Thebaidis antistita præter communes cum alijs labores iniunxit, ut quotidiè magnum lapidum acerum de loco ad locum transferret, & translatos rursum restitueret. Quam uis enim iciunijs uigilijsq; haud parum illam fatigari cerneret, timebat tamen, ne si quicquã paulò remissiùs egisset, aliqua residens iuuenili in corpore turpis cogitationis scintillula, incendium excitaret peccati. Marulus lib. 3. c. 9.

Castratione libidinem domare, tollere.

ORIGENES Adamantius, præter continuas uigilias, iciunia, calores, frigora, quę ferebat nudis pedibus, una tantùm tunica tectus, cùm nec carne nec uino unquã uteretur, uitam in graui uoluntariaq; inopia ducens, non satis duxit corpus ab omni uenerea labe mundum seruare: sed ut suspicione quoq; careret, nec minùs famam quàm corpus sine labe teneret, sectis genitalibus membris, eunuchum se fecit. Fulgosius lib. 4. cap. 3.

SACERDOTES Matris deũm Samia testa sibi uirilia amputabant, ut in impura religione casti manerent, & extra concupiscentiam omnem uitam agerent. Alexander ab Alexandro libro 4. capite 17.

Medicamentis.

HIEROPHANTAE Athenienses, sacerdotes Cereris, cicutæ forbitione seipsos suo ętiamnum tempore castrare solitos, scribit D. Hieronymus, & Alex. lib. 4. cap. 7.

In Thesmophoriis Cereris sacris MATRONÆ Athenienses, ut ueneris ictus cohiberent, foliis uiticis cubilia substernebant. Quædam ex garo piscium, qui squamam non haberent, incendia libidinum extinguebant. Dioscorides Anazarbæus in Stirpium historia.

PLATO quum corporis habitudine uteretur nimium prospera, quæ ueluti uitis luxurians foret reſecanda, Academiam, insalubrem Atticæ locum delegit, ut quod redundans nimiumq́; sentiebat, loci intemperie reprimeretur. Cælius libro 21. capite decimo A. L.

Fame, Siti, Ieiunio. Vini abstinentia.

Consule Tit. Ieiuniorum: quatenus carnis castigationem ad utilitatem libidines pro scopo habent.

Ouidius Naso amori tradẽs remedia, EVM, qui castè uicturus sit, temperantem quoque esse monet, eiq; à cibis illis abstinendum, qui uenerii corpora nostra parant: uinumq́; in primis uitandum. illos autẽ mensis inferendos, qui ueneri corpora nostra negant. Viues de Christiana femina lib. 1.

SACERDOTES Aegypti, qui casti sunt, abstinent in totũ à sale, ad uenerem caliditate sua stimulante, & uerò etiam inguiuiem excitante, adeò ut etiam pane uescantur insulso. Plut. lib. 5 Quæst. conuiu. 10.

Romani MVLIERIBVS uino interdixere, ex Numæ instituto, ne in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam sit ueneré. Val. Max. lib. 2. c. 1. & Plut. in Numa. & Cic. 3. de Repub. apud Nonium. Passo interim utebantur. Hinc quę adeò morem illum cognatos salutandi profluxisse scribunt ueteres historici, ut si quæ temetum oleret, specie amicæ salutationis deprehenderetur. Etsi alij alias huius consuetudinis causas afferunt.

ANTONIO Alexandrino abbati diabolus deformi admodũ terraque facie apparens, dixit se fornicationis spiritum, & ab eo superatum esse. Nec tamen ideo Antonius laxauit ieiunij rigorem, precum assiduitatem, laboris q; solicitudinẽ: ueritus, ne diabolo credendo, dum se stare putaret, caderet: & remissis armis, quib. uicerat occasionẽ uincendi uicto daret. Marulus lib. 4. c. 7.

De HILARIONE abbate diuus Hieronymus scribẽs ita ait: Iratus sibi, & pectus pugnis uerberans, quasi cogitationes percussione manus posset excutere: Ego te, inquit, aselle faciam ut non calcitres: nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti: graui onerabo pondere: per æstus agitabo & frigora, ut cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. Horum ergo succo & paucis caricis, post triduũ uel quatriduum deficientẽ animã sustentabat: orãs frequenter & psallens, & rastro humũ fodiens, ut ieiuniorũ laborẽ labor operis duplicaret. Indicauit nobis Hieronymus aduersus libidinem tria præcipua remedia, dum sancti huius uitam recenset, Ieiunia, Orationem. Idem, & Sab. 5. cap. 6.

De ipso HIERONYMVS ad Eustochium uirginem scribit: Repugnantem spiritui carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non tacuit quod olim in eremo secretiùs egerat, ut illam, quam docebat, suopte exemplo magis moueret: & tamen confitetur, cogitationum in corde lateiuentium illecebris uix interdum se resistere potuisse. Pallebant, inquit, ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat: in frigido corpore, & ante hominem suum iã carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Marul. lib. 4. cap. 7.

Vir sanctissimus Gregorius Nazianzenus, Hieronymi magister, VIRGINEM suã pane uult famẽ placare, & sitim aqua.

LVPVS Trecacensium episcopus, ut ab ardentissima concupiscentia corpus arceret, biduano ieiunio semper id afflixit, nullo unquã ientaculo refocillatus, diuinis pro cibo rhythmis uescì solitus. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

APELLES faber Aegyptius in eremum penetrans, quemadmodum ferrum malleis, ita semet cudere cœpit ieiunijs atq;

à Deo

à Deo omni morum ſanctitudine limatus & expolitus euaſit, ut etiam ipſe nihil aliud guſtaret, præterquã dominicis diebus panem ſacramenti.

VALENTINIANVS Imperator moriens, ſe una tantùm dixit uictoria gloriari. Rogatus, Qua? reſpondit, Inimicorum nequiſſimum uici, carnem meã. Bruſonius l.1. de Abſtinẽtia.

Quartæ & ſextæ feriæ dies, MAIORVS Sargienſis epiſcopus, ita ieiunio ſuo conſecrauit, ut in illis nihil prorſus deguſtaret. Alijs uerò diebus pane hordeaceo uictitabat. Itaq; uirginitatem perpetuò ſeruauit.

EVPHRAXIA Thebaidis monacha, ſi libidinoſum paſſa eſſet ſomnium, biduanis triduaniſq; ieiunijs ſeſe macerabat, ut in cinere iacens, etiam cùm obdormiuiſſet, cibos potiùs quàm abominationes ſomniaret. Marulus lib.1. capite 10. & Sab. lib.2. capite 3.

FRAN. Petrarcha tenui uictu & cibis uulgaribus uitam egit, plurimùm fructibus arborum ueſcebatur, ut libidinem extingueret. Cùm ad quadrageſimum ætatis perueniſſet annum, & adhuc ſatis caloris ineſſet & uirium, memoriam libidinis ita abiecit, quaſi nunquam feminam cognouiſſet, ac ſi uir eſſe deſijſſet. Vinum dilutiſſimum bibebat, & ſæpè frigida aqua ſitim ſedabat. Quater in hebdomada ieiunabat, ſextã feriam pane & mera aqua tranſigebat. Hieron. Squarzaficus in eius uita.

FERDINANDVS I. Imp. poſt ſanctiſſimæ coniugis obitũ ſemel tantùm in die cibum ſumpſit, ut carnis ſtimulos eò ualentiùs reprimere poſſet.

Flagris, Verberibus.

PAVLVS apoſtolus caſtigauit corpus ſuũ, & in ſeruitutem redegit, ne fortè cùm alijs prædicaret, ipſe reprobus inueniretur. Ad hæc angelus ſathanę colaphiſat eum, ne reuelationum magnitudine extollatur. Et ſi illi, qui uas electionis erat, in quo Spiritus ſanctus habitabat, non fuit ſatis peregrinando prædicandoq; fatigari, & ubiq; ſæuientibus perſecutionis procellis iactari atque cõcuti: ſed ad domandos corporis ſenſus, aculeoſq; cupidinum retundendos, uerberum quoq; ictibus quati, affligiq; oportuit: quis tutum ſe putabit, & non proprij corporis imperio ſe ſubditum iri timebit, ſi in eo caſtigando non æquè ſollicitus fuerit? Marul. lib.3. cap.10. & Sab. lib.2. cap.10.

Si quis D. HIERONYMI in legendo ſcribendoq́ue laborem conſideret, dicet, Quomodo ſic occupato animo ulla turpis cogitatio potuit irrepere? Tum ſi ad Euſtochium uirginem ſcribenti atq; confitẽti crediderit (Memini me clamantem diem crebrò iunxiſſe cũ nocte: nec priùs à pectoris ceſſaſſe uerberibus, quàm rediret Domino increpãte tranquillitas) planè intelliget, etiã inter labores cogitationum tentationi eſſe locum, eaſq; cùm labor nequit repellere, flagellis ac uerberibus excutiendas, & ſemper auxilium diuinæ miſerationis implorandum. Neq; enim ex nobis ſufficimus (ut Apoſtolus inquit) ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Marulus libro 3. cap.10.

ELIZABETHA Thuringiæ ducis coniux, regia progenies, cùm uiuo adhuc marito Chriſtum induiſſet, in ſecretiore cubiculo ab ancillis ſe flagellari curabat. Idem.

ELIZABETHA Deo dicata uirgo (quam in Comagienſi latentem monaſterio, fama uirtutum mundo prodidit) ſtatutis horis quotidiè flagello ſe cædebat, ut carne mortificata Chriſto uiueret. Marul. lib.3. cap.10. & Sab. lib.2. cap.10.

MARIA Decegnies uirgo, inuita à parentibus uiro tradita, cùm præter quotidiana ieiunia, crebraſq; precationes, etiam flagris acriter ſe diſtringeret, mouit maritũ, ut communi uoto caſtitatem ſeruarent. Idem.

Vulneribus.

NICETAS martyr à patre Maximiniano Nicomediæ rege ob Chriſtianam profeſſionem ſupplicia paſſus, poſtquam omnia conſtanti animo pertuliſſet, ſuper lecto molliſſimo in prato amœniſſimo reſupinus collocatur, uinculiſque ſericeis conſtringitur, ne inde ſe mouendi facultas eſſet. Tùm adducta eſt meretrix forma ꝑdita, ueſtitu comta, arte inſtructa: quę & minùs fortes allicere, & nõ ita cautos poſſet peruertere. At uerò Nicetas, ubi ſe ab illa modis omnibus ad impudicitiam concitari uidit, manibuſq́ue femineis uerenda etiam in parte improbè ac petulanter attrectari, ne laſciuia uinceret, quem non uicerant tormenta: præciſam mordicùs linguam in oſculantis ſe faciẽ expuit, & ui doloris uim repulit uoluptatis. Exhorruit uiri cruore perfuſa mulier, abijtq́ue admirans ac ſtupens, & iam maius quiddam homine illi ineſſe reputans, quem ut libidini ſuæ cederet, ne uinctum quidem cogere potuit. Par huic exemplũ in uita Pauli primi eremitæ, refert Hieronymus, ſub Decio & Valeriano perſecutoribus apud Aegyptum paſſi IVVENIS. Marul. lib.4. cap.7. & Sab. lib.5. cap.6.

BENEDICTO abbati Caſſinenſi in deſerto procul ab hominum conſuetudine commoranti, neceſſe fuit nudum inijcere ſentibus corpus, & totum multo uolutatu cruẽtare, ut uiſæ aliquando feminæ inceſtam recordationem dolore ſedaret. Marul. lib.4. cap.7. & Sab. lib.5. cap.6.

PACOMIVS abbas per dumeta & obducta ſentibus loca nudis ueſtigijs deambulabat, ut uoluptatis aculeos ſpinarum aculeis quaſi clauum clauo expungeret. Marulus libro 3. c. 10. & Sab. libro 2. cap.10.

Gladij obſtaculo.

GORMO III. Danorum rex, ducta Thira Edelfredi Anglorum regis F. ipſo nuptiarum die (rogante ſponſa tridui ſpacium, & ſic occaſionem captante, per impatientiam expectationis, aliquid illi de Chriſti religione ſuggerendi) ut cupidini ſuæ imperaret, nudum gladium ſuo atque puellę lateribus interpoſuit: ut & illa ſecura promiſſi foret, & ipſe nihil imperante libidine pertentaret. Pòſt geminam ex ea prolem procreauit, Haraldum atque Knutonem. Cranzius lib. 4. Danię, cap.18. ex Saxone.

Vſtione.

MARIA Coronella Hiſpana, marito diutiùs militiæ commorante, cùm acri libidinis ardore torqueretur, ardenti face pudenda inuſſit. Sebaſtianus Foxus libro tertio, capite 26. Ethici compendij.

Frigoris, Caloris.

EVAGRIVM presbyterum hybernis noctibus in puteum deſcendere ſolitum ferunt, ut gelidarum aquarum frigore calorem corporis temperaret, caſtitati infeſtum. Marulus libro 4. capite 7.

ANIANVS, Alexandrinus epiſcopus, Marci Euangeliſtæ ſucceſſor ac diſcipulus, mulierem quãdam intuitus, mortẽ ſenſit intrare per feneſtras, & ſcandalizantem oculum eruit, diu in gelidis merſaret corpus aquis, inediaq; & uigiliis fatigaret, ut æſtuantem libidinem extingueret. Et qui tanto labore caſtitatem cuſtodierat, montes dicitur tranſtuliſſe (quod neſcio an ullus alius) monte quodam Numidiæ Babylonem uſque, ad probãdam Chriſtianę religionis ueritatem, ire iuſſo. Idem.

Cùm D. BERNARDVS adoleſcens in ſeſe ardorem libidinis ſenſiſſet (neq; enim caſtitatis donum ipſi datum erat) idque ex cuiuſdã puellæ intuitu: mox ſtagno aquæ gelidæ inſiliit, atq; tamdiu in ea permanſit, donec penè exanguis efficeretur. hoc modo ſibi uolens comparare, quod cœlitùs nõ habebat. Gulielmus Abbas lib.1. c.3. Vitæ eius.

BONIFACIVS Miſniæ inferioris archiepiſcopus, cùm ad illas gentes Chriſtũ euangelizaturus proficiſceretur, equitãtibus iis, qui cum illo erant, ipſe medio brumæ tempore ſine equo nudis pedibus inceſſit. Cùm ad montium aſperiora itinera perueniſſent, equum quidem conſcendit, ſed tamen calciamenta minimè induit, ita ut ſæuiente hyeme, & niue, quæ pedibus inſederat, gelaſcente, plantas de ſtapede amouere nequiuerit, donec aqua feruente ſuperinfuſa glacies ſolueretur. Hanc in illo algoris patientiam imitentur, qui bullientem in medullis libidinis æſtum cupiunt extinguere. Frigeſcente enim corpore, facilè & ipſa frigebit uenus. Marulus lib.3. c.10.

Pater Minorum FRANCISCVS, connubij cogitationibus uexatus, proiectis repentè indumentis, & fune, quo præcinctus fuerat, arrepto, durè admodum ſeſe diuerberauit. Cæterùm ubi uerbera parum profeciſſent, extra monaſterium in alta niue nudum ſe diu uolutauit. Ac deinde fictas ex illa hominum effigies complexus: En tibi, Franciſce, inquit, uxor, en tibi liberi: aut ueſti illos, ne ſic algeant, aut dimitte omnia, & uni Domino ſerui. Marulus lib.3. cap.10. & Sabellicus lib.2. cap.10.

Cubatu duro.

Dormiebant PHARISÆI in anguſtis tabulis, item in ſpinis & ſcrupulis, ne libidine per ſomnum tentarentur. Suidas.

ATTICÆ mulieres in Theſmophoriis foliis uiticis ſubſtratis cubare ſolent, ad libidinis ſtimulos refrænandos. Dioſcorides.

Legimus in MONASTERIO illo Thebaidis, in quo Euphraxia uirgo ſummis effulſit uirtutibus, moris fuiſſe, in terra cilicino ſtragulo tecta cubitare: ac quoties aliqua ſororũ minus pudici ſomnij pręſtigiis ludificatam ſe cognouiſſet, abbatiſſæ confiteri, & quantum uiſa diſplicerent, cinere ſtratis inſperſo teſtari. Marulus lib.1. c.10.

Cilicio. Veſtitu aſpero.

SIMEONEM monachũ accepimus, dum ad puteum aquam hauriret, fune de ſitula ſoluto, nudũ corpus multo uolumine circumduxiſſe, ueſteq; ſuperiniecta uincula illa nullo cõſcio operuiſſe. Sed cũ tandẽ penetrantib. nodis exeſa & iam ſuppurata caro fœtorem ſecretum prodidiſſet, abbatis iuſſu funem detractum, ipſum de monaſterio pulſum fuiſſe, quoniam id facinus magis animi ſtultitiæ quàm deuotioni imputabatur: pulſum autem abiiſſe in ſolitudinẽ. Et cùm ab eodem abbate nocturnis terrificationibus per uiſum agitato reuocandus quæreretur, in ciſterna ſicca inuentum, atq; ad monaſterium reductum. Marul. lib.3. cap.10.

RADEGVNDIS, Clotharij Gallorum regis uxor, ſub precioſis & delicatis ueſtibus uile & aſperum cilicium tulit. Sicq; omnem penitùs uenereæ uoluptatis motum de ſuo excuſſit corpore, & tamdiu à uiro precibus contendit, donec impetrauit uinculi coniugalis diſſolutionem, caſtitatis obligatione. Marulus lib.3. cap.10.

CÆCILIA uirgo Valeriano deſponſata, ne ipſo quidem nuptiarum die ciliciolum ſuum dimiſit. Exteriùs noua nupta auro textis fulgebat ueſtibus, interiùs Chriſti ancilla cilicio ſqualebat. Cumq; feſcennini concinerentur, & muſici generis perſtreperent inſtrumenta, illa tacita uirginitatem Deo commendabat. Deus igitur per angelum ſuum eam ita tutatus eſt, ut integrã inuiolatamq́ue ſeruarit, martyrio coronarit, & pro cilicio, luce induerit immortalitatis. Marulus libro tertio, capite 10. & Sab. lib.2. cap.10.

HOSPITIVS apud Nuceriã ſolitarius (ut Paulus Diaconus refert) ferro ſolido lumbos nudos præcingebat, ut eam corporis partem magis attereret, unde magis uoluptatis motum exurgere ſolere ſciebat. Marul. lib.3. cap.10.

THOMAS Cantuarienſis archiepiſcopus, tunicam & femoralia poplitum tenus cilicina ſub ueſtimentis geſtitauit. Indignum ſe qui eccleſiæ præeſſet arbitratus eſt, niſi & membris ſuis præeſſe poſſet. eaq; tegminis aſperitate ſibi ſubiice re ſtuduit, ne quãdo ipſe illis ſubiectus, appetitum illorum ſequi cogeretur. Marul. lib.3. cap.10.

MAIORVS in inſula Britanniæ Sarina epiſcopus, qui epiſcopali dignitati, ſolitudinis præpoſuit humilitatẽ in eremum penetrans, præter incredibilem cibi potuſq; abſtinentiam, ſemper cilicio eſt uſus.

EADMVNDVS Cantuarienſis archiepiſcopus Quadrageſimæ diebus pro cilicio loricam plumbo contextam induere ſolitus eſt. Itaq; duritia cilicini tegminis, & plumbei grauitate, uirginitatem perpetuò incorruptam ſeruauit.

MEDERICI Eduenſis abbatis cilicium, aliis etiam aduerſus immundas tentationes remedio fuiſſe narratur. Monachus quidam libidinoſæ cogitationis iam ſtimulos ferre non ualens, cùm illud induiſſet, nequam ſpiritu confeſtim recedente, in caſtitatis puritate perſeuerauit. Marul. lib.3. cap.10.

LVDOVICO V. Galliarũ regi multo plus contulit interius cilicium, quàm purpura exterior. Hæc terreni regni inſigne erat, illud cœleſtis conſequendæ deſiderium arguebat. Marul. lib.3. cap.10. Sabel. lib.2. cap.10.

QVIRINA ſenioris Bernardi Iuſtiniani uxor, & uiuente marito, & eo poſtea mortuo, dum filiis educandis operam omnem impenderet, lũbos ſuos lamina ferrea præcinxit. Quid igitur admirabimur ab hoc ueluti materno fonte tres filios eſſe profectos: Laurentium primum Venetiarum patriarcham, inter diuos relatum: Marcum, Bergomi prætorem: Leonardum D. Marci procuratorem, eloquentia facilè ſui temporis principem, Bernardi iunioris Iuſtiniani parẽtem, tria ueluti numina Venetiarum. Egnat. lib.6. cap.1.

QVO AD ALIOS.

Heic Caſtitatis conſeruationẽ ſpectamus propriæ, eos, qui illi inſidiantur, quomodolibet auertendo. Exempla eadem Certaminibus caſtitatis (de quibus ſub finẽ huius libri agetur) accommodari poſſunt.

Formæ corruptione aliorum libidinem refrænare ſiue corrũpere. Per

Morbum.

ANDRAGASINA uirgo in Gallia, Lothario regnante, cùm à parentibus Auiberto principi uiro (qui poſtea Rothomagenſem eccleſiam rexit) inuita deſponſaretur, multis cum lacrymis Dominum obſecrauit, ne ſuam pollui uirginitatem pateretur. Moxq; lepræ morbo totum corpus occupãte, ob fœditatẽ intacta dimittitur: & ne in incerto eſſet, cur id mali ſibi contigiſſet, ubi cœnobium uirginum ingreſſa ſanctum uelamen accepit, continuò ſana euaſit. Marul. lib.4. c.8.

Vulnera faciei.

Antequam Hetruriæ ciuitas Romana daretur, excellẽtis in ea regione pulcritudinis adoleſcẽs, nomine SPVRINA, cùm mira ſpecie complurium feminarum illuſtrium ſollicitaret oculos, ideoq; uiris ac parentibus earum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret, oris decorem uulneribus cõfudit: deformitatemq; ſanctitatis ſuæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis, eſſe maluit. Valer. lib.4. cap.5.

ABBATISSA quædam, cum uirginibus ſuis in Ptolemaide (quæ nunc Arris aut Arca dicitur) Salutis anno 1291. urbe à Saracenis capta, cùm ueneris uim magis ſacræ mulieres quàm mortem uererentur, ipſæ ſibi naſos deſecuerunt: arbitratæ fieri poſſe, ut hac deformitate ab iniuria tutæ forent. idq; eas minimè fefellit. Vt ita affectas Saraceni perſpexerunt, omnes interemerunt. Fulg. lib.4. cap.5. & Egnatius libro quarto, capite quinto.

Excæcationem.

DEMOCRITVS, auctore Tertulliano, cùm non poſſet uidere mulierem aliquam, quin eam concupiſceret, ſibi confeſtim oculos eruit. Guido Bituricenſis.

LVCIA Syracuſana, cùm à pulcritudine oculorum, uirginitati ſuæ periculum intendi à tyranno animaduerteret, oculos ſibi eruit, ne ſcandalo eſſet amatori. Sabellicus lib.4. cap.8.

BRIGIDA uirgo inter Scotiæ puellas pulcerrima, cùm à potentibus (& quidem Chriſtianis) uiris, in matrimonium peteretur, & illa uirginitatem Domino uouiſſet: eundem orauit, ut aliquo corporis uitio ipſam deuenuſtaret, quo procorum inquietudo facilè ſedari poſſet. Itaq; cùm oculorum decore maximè placuiſſet, alterũ ſubito ulcere percuſſum amiſit. Ibidem.

Sordes.

DIANA luto os conſpergens, ne agnoſci poſſet, ſeſe contra inſidias Alphei muniit. Pauſanias lib.6.

Fœtorem.

APPA & GELA Foroiulienſis ducis Giſulfi F. carnis putridæ ſub mamillis poſitæ odorẽ, ſuam defendere caſtitatem. Barbari enim naturã ita fœtere Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere. Auentinus lib.3. Annal. Boiorum, & Bonfinius lib.8. Dec.1.

Plagis. Verberibus.

PACOMIVS quidã in Scythia monachus conqueri ſolebat, annos XII uenereæ uoluptatis cogitationibus multum ſe fuiſſe moleſtatum, & cùm poſtremò diabolus puellæ ætate & forma florentis imaginem gerens, ad genua eius procaciter laſciuiendo procubuiſſet: ipſe facinus deteſtans, atque indignabundus, colaphum illi in faciem intorſit. Quo ictu repulſus dæmon euanuit. & illa tam diutina genitalium titillatio ceſſauit. Marul. lib.5. cap.7.

Sub puellari figura nequiſſimus dæmon PATERNIANVM in deſerto Aegypti abbatem (qui poſtea Vris, illius regionis oppido epiſcopatum geſſit) eſt aggreſſus. Cùm iam diei ueſper eſſet, ei in limine monaſterij ſtanti apparuit, dicens: Seruam ſe cuiuſdam principis uiri nouitiam eſſe, & dum ad aquam hauriendam miſſa eſſet, uiam aberraſſe: proinde orare, ut ſui miſertus, nocte illa ſibi locum intra monaſterij ſeptum concederet, ne fortè foris manentem ſolitudinis beſtiæ laniarent. Pietate motus Paternianus puellam admiſit: & cùm attentiùs eam ſpectaſſet, formam admiratus, concupiſcere cepit. Veruntamen ad ſe reuerſus, illicitum in præcordiis ſenſum non ſine inimici opera prouenire intellexit: ac protinus è foculo, qui iuxtà erat, arrepto torre, faciem puellæ percuſſit, & omnis mala tentatio cum tentatore ſimul diſſipata effugit. Idem.

D. THOMAS Aquinas illã, quæ libidinis furore percita uim caſtitati ſuæ inferre conabatur, abegit: rapto de proximo foculo torre. Marul. lib.4. cap.7.

Morte honeſta aliorum ſeſe libidini eripere.

SVSANNÆ Helciæ F. Ioacimi uxoris in cõiugio fides nuptis omnibus documento eſt, ut mori malint, quàm conſentire corruptori. Melius eſt mihi, inquit, abſque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in cõſpectu Domini. Propterea nec Deus innocentem cædi permiſit, nec impunè pudicam infamari ſuſtinuit. Hi, qui iam ream iudicauerant, Danielis pueri prudentia ſententiam uerterunt in accuſatores: lapidibuſq; obruti ſunt, quos furens & ineffrenata libido ad mendacium egerat & impietatem. Danielis cap.13.

Philodemo fuit filia excellẽti forma, MICCA appellata. Eam quidam militum extraneorum ductor, Leucius nomine, Ariſtotimo Elienſium tyranno ſeruiẽs, ſtuprare tẽtabat. Cùm accerſeret per nuncium uirginem: parentes, qui parendum uidebant neceſſitati, ut iret, iuſſerunt. Puella complexa genitorem ut ſeſe potiùs permitteret iugulari, orabat, quàm ſtuprum per dedecus & nefas inferri. Mora intercedente, cùm libidine flagraret Leucius, ex conuiuio ipſe euolauit: Miccam reperiẽs caput in gremio parentis tenentem, ſe iuſſit ſequi. Non obtemperantem, tunica dilacerata nudã uerberauit. Illa nulla edita uoce ferebat fortiter dolorem. Parentes cùm precibus & lacrymis nihil proficerent, ad deorum & hominum fidem implorandam ſe conuerterunt. Barbarus in furorem uerſus puellam in ſinu patris iugulauit. Plutarchus de Virt. mul.

Corn. Tacitus ſcribit, PONTIAM quandam Romanam feminam, nullis uerborum lenociniis aut pollicitationibus ad adulterium cum Octauio tribuno plebis committendum impelli potuiſſe, quin ab eodem interfici maluiſſe.

PITHOMENA Alexandrina uirgo, Romani ciuis serua, ab eo & propter formam, & propter uirtutem uehementer diligebatur. Eam cùm diu promissis minisq; frustra oppugnasset dominus, tandem amore in odium conuerso, apud iudices eam ceu Christianam detulit. Cùm autem puella de sententia non moueretur, feruenti pici immersa, hoc tormento uitã amittere, quàm pudicitiã uiolare maluit. Fulg. l.6.c.3.

MEZELENDIS, seu Maxelendis uirgo Cameracensis, cũ propter uotum uirginitatis Harduini seu Ardeni sponsi sui recusaret nuptias, interficitur. At illi excæcato post triennium uisum restituit. Anno Domini 670. Sigebertus: Platina in Dono, & Sab. Enn. 8. lib. 6.

Accidit anno 1450. dum omnes Europæ gentes Romam confluerentur, nobilissima Germani sanguinis FEMINA, aliquot comitata equitibus, per Mantuanos & Veronenses fines peregrè transiens, non sine suorum cæde fuerit ad stuprum rapta. Ea uerò scelus auersata, haud precibus minisue ullis adduci potuit, ut raptoris libidini obsequeretur: cæterùm pudicissimum corpus miserabili modo uexatum, priùs ferro uiolari passa est, quàm uiolento scelere fœdari. Sabel. lib. 7 Dec. 5 Pontanus de Immanitate cap. 17. disertè scribit, Sigismundum Malatestam cùm mortua congressum fuisse.

Infibulatione.

NIGRI populi ad Mare rubrum filiarum pudenda, ubi primùm natæ sunt, consuunt. Suturam sponsus prima nocte soluit. Bembus lib. 6 hist. Venetæ.

CANTORIBVS olim, & pueris præsertim symphoniacis, itẽ ATHLETIS fibula addebatur.

Aspectus, Tactus prohibitione: Occultatione, Fuga.

FAVNA, Fauni regis Aboriginum uxor, quàm diu uixit, neminem unquam uirum uidit, præter Faunum. Ideo mortua, nomine Bonæ deæ culta est, eiusq; sacris non modò uiris omnibus interdicebatur, sed nec imaginem licebat cõspici masculi animalis. Lud. Viues de Christiana femina lib. 2.

DRYAS Fauni filia, aspectum uirorum usq; adeò refugit, ut in publicum prodire nunquam uisa sit. Quo factum est, ut uetitum sit, ne eius sacris interessent mares. Plutarchus.

ATALANTA cùm uirgines Peloponnesiacas forma superaret, uirorum commercium fugiẽs, non facilè cuiquã se conspiciendam offerebat, nisi cùm de improuiso, feras persequens, aut aliquem ulciscẽs, apparuisset impetu repentino. At Hyleus & Rhœtus, duo ex Centauris adolescentes, eius amatores, cùm uirginitati eius insidias in syluis struerent, illa non ignara cõsilij, quo pudicitiam defenderet, telis ipsos confecit. Aelianus lib. 13. de Varia historia.

ANASTASIA Constantinopolitana, cùm eã Theodora Augusta, suspicata à Iustiniano Augusto uiro suo diligi, acerbè carpsisset, Alexandriam profugit, atq; illic inter sacras uirgines latuit. Vbi cùm postea Theodoræ audita morte, se impẽsiùs, quàm antea, à Iustiniano diligi audiret: uerita ne uis inferretur, uiriles amicta uestes, ad extrema Aegypti deserta aufugit: & illic Anastasij, nomine sumto, diu austerè ac sanctè uixit. Fulgosus lib. 6. cap. 1.

EVGENIA Romana, Philippi proconsulis Alexandrini filia, cùm à Commodo Imperatore ardenter diligeretur, monachi habitum ac nomen mentita, profugit. In quo statu cùm sub falso nomine occulta maneret, Aemyliana Romana, quæ magno orta genere religionis gratia in Orientem profecta, Alexandriæ morabatur, eam ardenter diligere cepit, & cùm æquè in consuetudinem alium nullum admitteret (quia in uiri habitu erat Eugenia) ob inuidiam, tanquã cum Aemyliana adulteraret, apud proconsulem accusata, necessitate ita premente, proconsuli se & feminam & filiam eius esse detexit: statimq; iudicio liberata, ad uirgines transiuit. Sed postea quia in Christianos persecutio augebatur, cùm abnegare Christum nollet, ut ei cui inseruiebat placeret, occisionis mala pertulit. Marul. lib. 4. cap. 7.

FRIDESVIDA, Ducis Didani filia, uirgo Oxoniensis, Algarum regulum amatorem, ad stuprum cogere uolentem, Oxonium effugit. Quo cùm eam persequeretur, porta excluditur, lumenq; oculorum eodem momẽto adimitur. Quod tamen uirginis precibus ei restitutum fuit. Extat hodie Oxonij collegium Canonicorum regularium Fridesuidæ. Polydorus lib. 4.

Cùm Otho IIII. Florentiæ esset, & inter multas forma atque ætatis flore insignes feminas GVALDRADAM Bertham ipse plurimùm laudaret: puellæ pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit facturum se, si ita eius ferret animus, ut deosculandæ puellæ copiam haberet. Quod cùm puella audisset, respondissetq;, Nullius unquam se, nisi qui uir suus foret, suauium acceptura: adeò modesto & uerecundo Principi res ea placuit, ut indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano collocauit, uiro non armis solum atq; uirtute, uerùm generis quoq; nobilitate insigni: & totam eam uallem, quæ sub Cosentini nomine in Aretino agro censetur, cum Comitatus honore, dono utrisq; dedit. A quibus postea familia manauit, quæ Comitum Guidonum nuncupata est. Fulgosus lib. 6. cap. 1.

SYRITHA, Syualdi Danorum regis F. oculis semper demissis procos auertere solebat. Saxo.

Cùm Boleslaus II. Polonorũ rex cum exercitu per septenniũ in Russia hæreret, & libidinibus domesticis propter absentiam maritorum omnia paterent: MARGARITA, Nicolai Zembocij Comitis uxor, pudicitiæ suæ metuens, grassante passim impunè flagitiosorum iuuenũ licentia, in turri templi Zembocinensis, uno à Prossouia milliario, cum duabus sororibus per multum tempus latuit, familia per funem alimenta ipsi subministrante. Cromerus lib. 4.

Crucis signo.

PACOMIO Aegyptio abbati diabolus apparuit, pulcerrimę feminę formam præ se ferens. Sed qui libidinis ardorem iuniorum frigore iam extinxerat, frontem cruce signans, ipsum crucis fugauit aduersarium. Marul. lib. 5. cap. 7.

Vestitu, Cultu frugali.

Vide Tit. Vestitus & Ornatus corporis neglectus.

Apud LACEDÆMONIOS matronæ uelatæ, uirgines nudæ in publico & in palęstra uersabantur, unde φαινομηρίδες dictæ: illæ quidem, ne aliorum libidini occasionem darent, cùm maritis solis placere deberent: hæ uerò, ut maritos faciliùs inuenirent. Hunc morem PERSÆ. & propè populi omnes orientales tenuerunt: multi etiam Græcorum. Ludo. Viues de Christiana femina lib. 2.

Olim tanta fuit PATAVINARVM mulierum castitas, ut non nisi operta facie prodirent in publicum. Cælius lib. 7. capit 27. Vnde Martialis:

Tu quoq; nequitias nostri lususq; libelli
Vda puella leges, sis Patauina licèt.

CASTITATIS ET PVDICITIÆ NON CONSERVATAE DOLOR.

Posset fortasse ad Pœnitentiam locus iste referri: pertinet tamen non minus ad Castitatem. Casti est, non modò nihil turpe agere, sed & si quid per incuriã fuerit commissum, id ægrè ferre: & si fieri possit, corrigere: quemadmodum iusti est, iusta facere, & iniusta emendare. Quòd si quis tamen omnino ad Pœnitentiam reducere laboret, non repugno: modò id mihi concedat, Pœnitentiæ huius stimulum Castitatem esse. Quatenus autem dolor iste ultionem habet iunctam, ad Seueritatem pertinet, erga pudicitiæ corruptores. Item ad Tit. Impudicitiam aliorum coercere, castigare: ubi exempla eorum, qui iniuriam pudori suo illatam in auctoribus uindicant.

COGITATIONIS impudicæ dolor.

THEOPHILVS Imp. amore captus puellæ uenustissimæ, quæ reginæ seruiebat, licèt nullum cum ea unquam habuisset commercium, Theodora tamen indignante, ueniam petiit, conscientia morsus. Cuspinianus.

LEO I. pontifex dum solenni Paschæ die sacrosanctam corporis & sanguinis Christi communicationem populo daret, à quadam matrona in manu osculum excepit: & cùm ex hoc intimis in medullis improbæ cupidinis excitatum sensisset incendium, manum illam abscidit. Marul. lib. 4. cap. 7.

ANDREAS Fundanæ urbis episcopus, cùm sanctimonialem quandam feminam secum cohabitare, suæ illiusq; cõtinentiæ nimium confidens, permisisset: tandem dæmonis instigatione stimulatus, concupiscere, quod semper abominatus fuerat, cepit. Ac die quadam ludens palma, tantummodo tergũ feminæ leuiter perstrinxit. Cæterùm ubi audiuit à Iudæo quodam (qui ob idipsum ad baptismum uenit) hac ipsa de re diabolum fuisse gloriatum: non solùm monialem ipsam, sed omnes prorsus feminas, quæ sibi in episcopio famulabantur, abegit, & illa fœdæ cogitationis tentatione prurire desiit. Marul ex Gregorij Dialogis.

ACTVS, OPERIS LIBIDINOSI DOLOR.

MVSÆ grauiter ferentes, quòd Venus amoris stimulos sibi intentasset, pudicitiæ amissæ dolore Adonidem interfecerunt Veneris amasium. Natalis Comes Mythol. lib. 7. cap. 15.

THEMISTO, Critonis Oeanthij filia, pudicitię conseruandę causa Philonem, Phricodemi tyranni filium, in lecto secum cubantem ense abscondito interemit, ut ne uox quidem occisi audiretur. Inde ad mare progressa, soluens, nauigauit in Græciam. Polyænus lib. 8.

PAVSANIAS stipator Philippi Amyntę regis, per iniuriã cõstuprandus obiectus mulionib. ab Attalo, cùm rex in Attalũ non auderet animaduertere, indignitate rei motus regem occidit. Diod. lib. 12.

LVCRETIAM matronam Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Huius corpore cùm uiolenter oppresso Tarquinij regis filius libidinosè potitus esset, illa scelus improbissimi iuuenis marito Colatino, & propinquo Bruto, uiris clarissimis & fortissimis indicauit, eosq; ad uindictam permouit: sed fœdi in se commissi impatiens se peremit. Augustinus lib. 1. de Ciu. Dei, cap. 19.

TIMOTHEVS anachoreta in uastissima Aegypti eremo, nulli hominũ cognitus, iam annos triginta peregerat, quando à Paphnutio abbate fuit inuẽtus, toto eo tempore nudus & squallidus, & palmæ tantũ fructib. uitam sustentans, ac lugens peccatũ suum, quòd nimia sui fiducia, cùm primũ secessisset, mulierẽ religiosam secũ habitare passus fuisset. Qua tandem cognita, annos sedecim se abusum fatebatur: & dum fateretur, lacrymas tenere non poterat. Marul. lib. 4. cap. 7.

Moses abbas dicere solebat, Vnã esse omnino libidinem, cum qua usq; ad extremum Christi seruis pugnare oporteret, nec præteritæ castitati confidere: exemplo MONACHI cuiusdam, qui in senectute in stuprum inciderat, ex quo natũ infantẽ ille in cœnobio plorans circumtulit, ad culpam ignominia diluendã: rogans fratres atq; obtestans, ut sibi Deum propitium redderent. Ex Tripartita historia.

Cererem fuisse aliquãdo nominatam Erinnym, Pausanias inquit, quia Neptunus, cùm illius filiam quærentis amore captus esset, illam conatus est uitiare: sed cùm in equam se Ceres uertisset, & ad Oncium inter armenta pasceretur, à Neptuno cognita nihilominus compressa est, cùm is equi formam cepisset. Id illa grauissimè ferens furere cepit, quod Arcades ἐριννύειν dicunt. Natalis Comes Mythol. lib. 3. cap. 10. Phygalenses Arcades Cererem à Neptuno compressam peperisse non equum memorant, sed eam, quæ ab Arcadibus Hera nuncupatur: ac nigram quidem illam uestem, tum ira in Neptunum, tum luctu de Proserpinæ raptu commotam sumsisse: & cùm in specũ se abdidisset, diu lucem uitasse: ita uerò accidisse, ut cũ omnes, quos terra educat, fructus corrumperentur, & homines passim pestis conficeret, diis cæteris Cereris latebras ignorantibus, Pana per Arcadiæ montes inter uenandum errantem, cùm ad Elaum uenisset, ibi Cererem offendisse, tali cum ornatu & uestitu: Iouem re de Panos oratione cognita, Parcas misisse, quibus deprecantibus compressa ira & luctu lenito, placata Ceres fuerit. Pausanias in Arcadicis.

PAVLINA Saturnini uxor, amissæ per dolũ Decij Mundi nobilis adolescẽtis pudicitiæ, qui eam sub persona Osiridis in eius tẽplo cõpresserat, dolore mirifici excruciatus fuit. Iosephi Antiq. lib. 18. cap. 4.

BALDVINVS Hierosolymorum rex, Godofredi frater, graui morbo pressus, Rogerij Siciliæ regis matrẽ, quã iam tertiũ annũ iustę uxoris loco habebat, dimisit: & primã, quã habebat genere Græcã, in coniugalẽ thalamũ reduxit. Nã quanquã impudicitiæ suspectã, postea manifestè meretriciã agere uitã deprehẽdisset: tamẽ quia nullo ecclesiastico antè facto iudicio à se deiecerat, maluit grata à se demissa, eã quã haud iniuria propter impudicitiã odio digna erat, connubio suo restituere, quàm parũ diuinas leges uideri coluisse. Marul. l. 4. c. 5.

COSMVS Cherius, episcopus Fanensis, à Petro Aloysio Farnesio per uim stupratus, sic doluisse fertur, ut præ mœrore & indignitate rei postea sit extinctus. Sleidanus lib. 19.

PVDICITIÆ ET CASTITATIS LAVDE VNIVERSIM CELEBRES.

QVI. CASTI, PVDICI

POPVLI.

De VETERVM pudicitia cùm alij, tum Iuuen. hæc scribit:

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, uisamq; diu: quum frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq; laremq;,
Et pecus & dominos communi clauderet umbra:
Syluestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus, & culmo, uicinarumq; ferarum
Pellibus. haud similis tibi Cynthia, nec tibi, cuius
Turbauit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe nouo, cœloq; recenti
Viuebant homines, qui rupto robore nati,
Compositiq; luto, nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ ueteris uestigia forsan
Aut aliqua extiterant & sub Ioue: sed Ioue nondum
Barbato, nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius: quum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, & aperto uiueret horto.
Paulatim deinde ad superos Astræa recessit
Hac comite, atq; duæ pariter fugẽre sorores.

Apud SPARTANOS olim adulterium fuit inauditũ. Memoratur dictum Geradæ cuiusdam Spartiatæ ex antiquis. qui hospiti sciscitanti, Quæ esset pœna apud ipsos in adulteros constituta? respondit: Adulter, hospes, non inuenitur apud nos. Quo subiiciente: Quid si inuentus sit? Taurum, inquit, luit ingentem, qui capite traiecto Taygetum bibat ex Eurota. Obstupescente illo ac dicente: Qui existat bos tantus? ridens Geradas: Quî, inquit, adulter existat Lacedęmone? Plutarchus in Lycurgo.

CHIORVM feminæ tantæ castitatis, ut neq; adulterium neque illegitimum concubitum ibi accidisse unquam proditum memoriæ sit. Mos præterea inoleuerat ibidem uetus, ut uirgines sacrorum statutis temporibus in unum omnes coactæ per aliquot dies unà uersarentur: quas earundum amatores facto item agmine insequebantur, quo ludentes eas inter se ac saltantes conspicerent: noctu autem eodem agmine singularum domos ingressi, parẽtibus fratribusq;, quæcunq; facto opus esset, administrabant. Eueniebat uerò sæpiùs, ut eandem plures amarent, sed amore tam sancto atque modesto, ut quum primùm tradita uiro puella foret, repentè omnes inde resilirent. Ex Plut. de Mulierum uirtutibus, Cælius lib. 13. cap. 7. A. L.

Cùm LOCRENSIVM uirgines Ilium mitterentur, ex more, per annos circiter mille, nulla obsceni rumoris aut pollutæ uirginitatis fabulã dedit. Viues de Christiana femina lib. 1.

In GERMANORVM olim feminis mira fuit pudicitia, nulla spectandi illecebra, nulla conuiuiorum ratio, rara in tam numerosa gente adulteria: cuius conuicta muliere, resectis capillis nudatam coram propinquis maritus, domo exactam, toto uico uerberib. agebat. Profligatæ pudicitiæ nulla uenia: non ætas, non forma, non opes, connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen uitia ridere. id enim corrumpere seculum, & corrumpi arbitrabantur. Sic unum mulieres maritum accipere, ut unum corpus & unã uitam: nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas: tanquam matrimonium amarẽt, non maritum. Plus apud illos boni mores ualuerunt, quàm alibi bonæ leges. Serus in iuuenibus usus ueneris, atque eo minus exhausta pubertas. Nec connubia uirginum properabantur, ut ualidior esset procreatio. Sab. lib. 2. En. 6.

THRACES quidã, Ctistę, hoc est, Creatores dicti, sine mulieribus agũt, sanctitatis opinione clari. quos Homerus Ἀβίους uocasse uidetur, ut qui sine coniugibus uitam dimidiatã agant, teste Posidonio. At Strabo lib. 7. eò quòd Hamaxobij sint.

ESSENI, gens in Syria, nõ procul ab Asphaltite lacu, celibes, & sine mulierum commercio omni uenere abdicata uitam agebant. Renascebatur gens alioqui interitura aduenarum turba, iis hominum terram ipsam adeuntibus, quos uita fessos ad mores eorũ fortuna fluctibus agitabat. Atq; ita multis ætatibus (incredibile dictu) gens æterna fuit, in qua nemo nasceretur. Sab. lib. 5. cap. 6. ex Plin. lib. 5. cap. 17.

DVCES.

CONSALVVS Magnus nullã unquã Neapoli matronarũ pudicitiæ ex uero maculã inspersit, quanquã summa comitate apud clarissimas feminas sæpissimè iocaretur. Stultũ enim esse dicebat, uiro principi ex parua fugaciq; uoluptate sempiternũ & prægraue odiũ parare: quũ nec planè casto principatus ipse sine iniuria cuiusquã uaria in eam uoluptatem instrumenta suppeditaret. Non procul enim ab immani perfidia scelus esse iudicabat, amicorũ, ut plerunq; fit, uxores attrectare, ne scilicet integris familiis & propinquitatibus, nihil reticente fama, dedecus afferretur. Iouius in Consaluo.

De PARTHENOPÆO Arcade, Atalantæ F. sic loquitur Adrastus apud Eurip. Supplicibus.

πολλὰς δ' ἐραστὰς κἀπὸ θηλειῶν ὅσας
ἔχων, ἐφρούρει μηδὲν ἐξαμαρτάνειν.

Multos amatores, & è feminis mirum quàm multas habẽs, custodiebat ne quid peccaret.

SACERDOTES.

De uita antiquorum Aegypti SACERDOTVM Chæremon Stoicus narrat, referente Hieronymo aduersus Iouinianum lib. 2. quòd se nũquam miscuerint mulieribus: nunquam cognatos & propinquos, & ne liberos quidem uiderint.

A concubitu mundum corpus, & uitam à peregrinorum commercio & contagione reductam, PYTHIA Apollinis Delphici seruabat: & antè, quàm consulant deum, signa capiūt, quòd notum deo esse putent, quando probè cōparata & apta sit, ut numinis afflatū ferat citra noxā. Plut. de Def. orac.

Hedera complexu suo enecat arbores: quod idem amantibus faciunt lasciuæ puellæ. Vnde Romæ Flamini diali nefas erat tangere hederam, atq; adeò ne nominare quidem fas erat. Hoc ænigmate declarauit antiquitas, quanta puritas, quātaq; castitas deceat SACERDOTEM, atq; adeò quanta libertas. nam amare mera seruitus est. Erasm. in Adagiis.

In Achaia Gæum, Telluris Eurysternæ fanum est. Sacerdotium MVLIERI decernitur. Quo statim suscepto, uitam illa agit celibem omne ætatis reliquum tempus: quanquam & antè eam oportuit cum uno tantùm uiro matrimonij causa fuisse. Taurini sanguinis haustu periculum faciunt: quo illa epoto, si legi fraudem fecerit, statim flagitium dicitur mortem luere. Pausanias in Achaicis.

VESTÆ uirgines perpetuam castitatem colebant. Quæ secus fecisset, uiua sepeliebatur. Plutarchus.

MONACHI.

Vide Tit. Monachorum, quatenus castitatem seruarint.

MONACHI D. Martini apud Hungaros castitate dispares, ōsculo iudicati fuere à D. Emerico, Stephani Hungarorum regis F. quem pater eō secum duxerat. Præmissus enim à patre, osculā disparia monachis impartitus est: huic duo, tria illi, nonnullis quatuor, plerisq; septem, pro continentiæ cuiuslibet modo. Septena autem perpetuę castitatis cultoribus exhibuit. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

APELLES monachus, diabolum sub mulieris forma se dolo sè illicientem candenti ferro manu è fornace rapto (erat enim faber) perculit in faciem: & ille edito eiulatu, ut à multis audiretur, fugiens euanuit. Apelli deinde candēs ferrum manu, nū forcipe tenere, cùm opus faceret, moris fuit. Quē cuim libidinis calor diabolo succendente urere nō potuit, iam nec ferri poterat. Marul. lib. 4. cap. 7.

HÆRETICI.

ABELOITAS, rusticanam hæresim, in exigua quadam uilla Hipponensis agri, suo tempore Augustinus extitisse, & euanuisse scribit. Ab Abelo Adami filio se uocabant: non misce bantur uxōribus, cùm tamen sine uxoribus uiuere secta eorum non permitteret. Continenter unà uiuebāt, & puerum & puellam adoptabant ex uicinis, qui curam eorum gererent, & post mortem ipsi quoq; similiter alios adoptarent.

BERENGARIVM hæreticum, quidam narrant, tam castè uixisse, ut nullam feminam passus sit in suum uenire conspectum: atq; eleemosynas largas dedisse.

PHILOSOPHI.

GYMNETÆ philosophi apud Indos, licèt nudi incedāt, unà cum mulieribus, nullo tamen pacto cum mulieribus congrediuntur. Plutarchus.

APOLLONIVM Tyaneum, quem unicè mirantur plerique, ac (quod dictu quoq; impium est) comparem Christo, siue mores contempleris, siue miracula, facere non compauescunt, laudibus efferunt celeberrimi actores: qui iuuenilibus quoque annis incentiua uenereorum & titillationes subinde lacinantes uellicanteśq; ita represserit contuderitque, ut præsignis in eo castitas noscitaretur, à qua nūquam ab eo reclinatum delictumq; sit. Cœlius lib. 14. cap. 16. Antiq. Lect. ex Suida & Philostrato.

MEDICI.

Inter cætera, quæ MEDICI ex præscripto iuramenti Hippocratis iurare cogebantur, hoc etiam additum fuit: quòd ab omni corruptione quum alia, tum præsertim operum uenereorum abstinere uelint: siue mulierbria, siue uirilia, liberorúmue hominum aut seruorū corpora cōtigerint curanda.

MVSICI.

Tanta fuit antiquorum CANTORVM modestia & temperantia, ut neque inter procos quidem Penelopes turpia aut lasciua canerentur, quamuis essent iuuenes: sed canebatur apud eos reditus Græcorum in patriam laboriosus. Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. cap. 15.

MARITI.

IOB unica uxore contentus, Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de uirgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotēs de excelsis? Et paulo pòst ait: Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis usq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. Quibus profectò uerbis & continentissimum se fuisse ostendit, & quàm graue crimen adulterium sit, explicauit. Marul. lib. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

MENELAVS tāto amore & fide erga Helenam uxorem, licèt adulteram, fuit, ut nuspiam ab Homero introducatur pellicis amore correptus, quod ipsum tamen impunè licebat, præsertim cùm etiam præstantissimi Græcorum pellices habere ab eodem introducātur. Decorè id fecit poēta, ut cùm forma omnes suæ ætatis feminas Helena superaret, pellices autem formæ perissimùm causa iuxta legitimas uxores alerentur: Menelaus nullam aleret, cùm nulla posset cum Helena comparari. Hoc mirati Aristotelē scribit Athenæus libro 13 capite 1.

CYRVS, filius Darij & Parisatidis. Aspasiam Hermotimi Phocensis, singulari pulcritudine & uirtute filiam duxit, & cum nulla deinceps alia rem habuit. Aelianus lib. 12.

ROMVLVS, octingentis & ampliùs Sabinis raptis, una contentus fuit Hersilia, atq; ea iam adulta, & quæ alterius, ut creditur, fuerit uxor. Sab. lib. 4. cap. 10.

MATRONÆ.

Tanta erat Lycurgi seculo SPARTANARVM castitas, tantumq; aberat ab ea, quæ pòst est insecuta, earum licētia, ut adulteriū fuerit prius apud eos incredibile. Plut. in Apoph.

THEANO obiter nudauit manū, cùm circumiceret stolam. Ibi cùm diceret quidam: O brachium pulcrum: Verùm non publicum, inquit. Plut. in Præcepris connub.

CAIA Cæcilia, Tarquinij Prisci regis Rom. uxor, singularis modestiæ, probitatis & industriæ femina, lanificij peritissima, ac uelut idea ueræ matrisfamiliās olim habita fuit. Hinc factum, ut plurimæ matronæ apud Romanos Caiæ appellarentur: atque etiam cùm noua nupta ad ædes sponsi deducta intergaretur, Quę nam esset? Caia sum, respondere. Valerius Maximus libro decimo.

Cn. Duellius, qui primus Romæ nauali certamine triumphauit, BILIAM uirginem duxit uxorem, tantæ pudicitiæ, ut illo quoq; seculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non uitium. Is iam senex, & tremente corpore, quodam iurgio audiuit exprobrari sibi os fœtidum, & uitilis se domum contulit: quumq; uxori questus esset, quare nunquam se monuisset, ut huic uitio mederetur? Fecissem (inquit illa) nisi putassem omnibus uiris sic os olere. D. Hieronymus aduersus Iouinianum primo.

HIERON Syracusanus tyrānus, ex inimico audiuit primùm, sibi fœteré animam. Quamobrem commotior ad uxorēmquit, Cur non commonuisti? At illa, ut quæ modesta foret, puraq;, Quoniam, inquit, ita uiris omnibus os olere opinabar. Plutarchus.

SVLPITIA Seruij Patereculi filia, Q. Fuluij Flacci uxor (cùm Senatus libris Sibyllinis per Decēuiros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quòsui liùs uirginum mulierumq; mens à libidine ad pudicitiam conuerteretur: & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima femina iudicium facerent) cunctis castitate prælata est. Val. lib. 8. cap. 16.

QVOMODO. CASTITATEM qui coluerunt

MORTE. QVI VITAM QVAM castitatem amittere malunt, per *Morbum.*

CÙm THÒMÆ II. Eboracensi episcopo ægrotanti medici consulerent, ut feminæ pro remedio misceretur, & amicis idem uehementer urgerent, ipseque assentiri uideretur: adducta pòst decentis formæ femina, noluit eam attingere. Ab amicis reprehensus, respondit: Propter salutem carnis tandem morituræ, immortale decus pudicitiæ nō amittam. Polyd. lib. 1. cap. 3.

CASIMIRVS, Casimiri III. Polonorū regis F. Hungarorum rex delectus contra Mathiam fertur tam castè & continenter uixisse, ut medicis concubitum suadentibus, si sanus esse uellet, mortem oppetere, quàm legem pietatis Christianæ transgredi maluerit. Cromerus lib. 29.

IACOBVS Cardinalis Vlyxipponensis à Calisto III. creatus, regis Portugalliæ F. Florentiæ obiit anno ætatis XXV exacto tento semine, mori malens, quàm ex medicorum consilio coitu uti. Hieron. Garimbertus lib. 3. de uitiis Pontificum.

Vim.

Ex Tit. Virginum & Castitatis coniugalis hue quædam.

MORBO. QVI AGROTARE QVAM castitatem perdere malunt.

ISAACIVS Comnenus Imp. cùm peregrè in morbum incidisset, & à medicis moneretur, ut consuetudine mulieris morbum leuaret: cum ulla, præter uxorem suam, rem habere recusauit. Zonaras.

QVO EVENTV. CASTITATIS FRVCTVS

DIGNVS.

Quàm piè sanctèq; liberos & totam domum instituerit Sodomæus LOTH, quàm procul ab omni labe abstinuerit, memorabile excidium patriæ, quo familia una miraculo seruata est, nihil obscurè declarat. Inuaserat & Gomorram, aliāsque Palæstinæ terræ urbes: atque ita id malum latè serpere ceperat, ut nec ab hospitibus quidem uiolandis abstineretur: inferebatur palàm uis naturæ & uetita libido pro legitima habebatur. Cremauit itaque cœlestis flamma infandam gentem: omnis ætas, omnis sexus cum suis urbibus totaq; regione abiit in cinerem, ut ipsa urbium cadauera interierint. Vnus Loth, unaque cum eo domus tantæ fuit cladis expers: nec uis ignea eos attigit, quos uoluptas non attigerat. Sab. lib. 3. cap. 2.

Pheron Sesostris filius, Aegyptius rex, luminib. orbatus, cùm circiter decennium cæcitati remedia quæsiuisset: tandem oraculo monitus est, ut oculos mulieris urina lauaret, quę alium quàm uirum suum non agnouisset. Quamobrem à regina incipiens, permultas Aegyptias mulieres expertus, ægritudini suæ remedium nullum inuenit, nili per VXORIS urinam cuiusdam olitoris, quæ prodigioso experimento inter Aegyptias sola casta inuenta fuit. Herod. lib. 2.

ALEXANDRVM Magnum traditum est eximiæ pulcritudinis uirgini captiuæ, cùm finitimi gentis principi fuisset desponsata, summa abstinentia ita pepercisse, ut illam ne aspexerit quidem. Qua mox ad sponsum remissa, uniuersæ gentis per hoc beneficiū animos conciliauit sibi. Front. l. 2. c. 11.

Lais Corinthia, cùm EVBATAM Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eum amore eepit flagrare, & de cōtrahendis inter se mutuò nuptiis, sermonem ei detulit. At ille meruēs eius insidias, recepit sese id facturum, si uictor è certamine rediret. Vou compos, ne conuentis non fteriſſe uideretur, pictam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenas: inquiēs, Se Laidem ex pacto ducere. Quam ob causam mulier, quæ ipsi iam antè nupserat, maximam statuam Cyrenis ponendam curauit, si remunerari uoleus ipsius castitatem & modestiam. Aelianus de Var. hist. lib. 10.

INDIGNVS.

Hac omnes ij, quibus Castitatis custodia quocunq; tandem modo male cessit, qui propter hanc ipsam uel Vitam, uel Opibus, uel Honore, uel Patria, uel Amicitia exciderunt.

Tiberius Imp. MALLONIAM perductam, nec quidquam amplius pati constantissimè recusantē, delatoribus obiecit, ac ne reā quidem interpellare desiit, Ecquid pœniteret, donec ea, relicto iudicio, domum se abripuit, seruoq; tranfegit, obscenitate oris hirsuto atq; olido seni clarè exprobrata. Vnde nota in Atellanico exodio, proximis ludis assensu maximo excepta, percrebuit: Hircum uetulum Capreis naturam ligurire. Suetonius in Tiberio.

VENERIS INHONESTÆ FVGA.

Exempla ex Tit. Libidinis quascunq; occasiones fugere, peti possint. Illic conservatio Pudicitiæ, hic Libidinis fuga perenditur.

STVPRVM FVGERE

ACTIVE.

Victo in Cilicia Dario, ceperat quoq; ALEXANDER matrē, uxoremq; Darij, & duas filias uirgines. Quæ ubi uiderunt currum & arcum Darij, plangebant & lamentabantur eum quasi peremtum. Alexander ergo illarum magis quàm sua permotus fortuna, Leonatum mittit, imperatq; ut nunciet eis, nec Darium mortuum, nec esse quòd Alexandrum timeant: quippe bellum cum Dario Alexādrum de imperio gerere, neq; illis quicquam ex priſtina fortuna, quæ regnan te fuerat Dario, defore. Quoscunq; uellent, permisit eis Persas sepelire: utq; uestem & apparatum sumerent de prædaneq; de cultu aur dignatione, quam habuerant, uel minimū detraxit. Annua eis etiā prioribus maiora attribuit. At pulcerrimum & maximè rege dignū beneficiū eius in feminas generosas captiuas & castas extitit: q; nihil neq; audirent neq; suspicarentur, neq; expectarent turpe: sed quasi non in hostium castris, uerùm in sacris & sanctis Vestæ templis seruatæ, in abdito extra aliorum oculos agerent. Et quidem perhibetur Darij coniux longè omnium reginarum fuisse uenustissima, ut uirorum ille pulcerrimus & eminētissimus: filiæ etiam similes fuisse parentum. Sed Alexander profectò temperare sibi, quàm hostes uincere, magis regium ducēs, nec has attigit, nec mulierem ante nuptias cognouit ullam, excepta Barsene uel Barsane. Hæc post Mēnonis mariti Darij ducis mortem uidua, Damasci capta est. Cum ea, quæ literis Græcis instituta, & moribus erat placida, patre Artabazo ex filia regis prognato, concubuit Alexander, incitante eum, ut Aristobulus auctor est, Parmenione, ut elegantem mulierem & præter formam generosam attingeret. Cæteras captiuas ut uidit Alexander specie & statura eximias, dixit ioco: Quàm magni oculorum dolores sunt Persides. Ad æmulationem uero illarum formæ, nitorem ostentans suæ continentiæ & moderationis, sicut inanimatas signorum imagines transmittebat eas. Reuersus ex India, Statiram Darij F. duxit uxorem. Plut. in Alexandro.

Roxanes amore captus, Oxyathris filiæ, quæ inter captiuas sal tabat, non obtulit ei uitium ALEXANDER Magnus, sed duxit uxorem. Plut. orat. 1. de Alexan. fortuna.

SCIPIO maior cùm Carthaginē expugnasset, & milites nonnulli uirginem mira forma captam adducerent, eiq; darent: Libens, inquit, acciperem, si priuatus & nō cum imperio esset. Plut. in Apophthegmatib.

PASSIVE.

Ex Tit. Virginum hue quædam.

Suscepit Atlas Iapeti & Clymenes F. è Pleione Oceani F. septem FILIAS, quas unà cum matre cùm Orion per quinquennium insecutus esset in Bœotia, ut cum iis congrederetur, illæ deos tandem precatæ sunt, ne uim Orionis paterentur. Iupiter igitur earum precibus commotus, illas inter sidera sub PLEIADVM nomine collocauit. Aratus in Astronomicis. Fuerunt nonnulli, qui duodecim fuisse Atlantis filias dixerint, & Hyantem illarum fratrem: qui cùm à serpente ictus obiuisset, quinque illarum ita eius mortem defleuerunt, ut præ dolore mortuæ sint. Iupiter illarum misertus, in Hyadas eas mutauit. Earum nomina sunt apud Hesiodum. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 7. & lib. 8. cap. 13.

Carme, filia Phœnicis, Agenoris F. & Cassiopiæ, Arabij filiæ. Cum hac Carma Iupiter cōgressus, BRITOMARTVM genuit: quæ hominum fugiens consuetudinem, perpetuam uirginitatē amplexa, primùm ex Phœnicia Argos deuenit: inde in Cretam: ut iamque Minos, cùm amore eius captus esset, insecutus est. Ea ad piscatores confugit, ab iisq; subter retia occultata est. unde Cretenses eam Dictynnam (nam dicty rete significat) nuncuparunt, & sacris sunt uenerati. Eutato Minoe, Britomartis cum Andromede piscatore nauigio Aeginam uenit. Cumque piscator eam comprimere conaretur: relicto nauigio, in lucum confugit, ubi nunc eius fanum est, ibique è medio est sublata: & nomen ei Aphea posuerunt, in fano Dianæ. Locum, ubi oculis hominum subtracta est, Aeginetæ consecrarunt, Apheamque dixerunt, & tanquam deæ sacrificarunt. Antoninus Liberalis in Metamorphosi.

ADVLTERIVM.

ACTIVE. HVC ILLI, QVI NON tangunt nuptas.

BELLEROPHON natus est Glauco Sisyphi filio, regnumq; Ephyræ, quæ postea Corinthus dicta est, tenuit: quo priuatus à Prœto Argiuorum rege, ei seruiuit: à cuius uxore Anthia, ut secum cōcumberet, sollicitatus, cùm ille fœditatem rei auersaretur, Anthia illum apud maritum detulit, tanquā ab eo esset prouocata. Prœtus iuuenem ad Ariobatum misit, socerum suum, Anthię patrem, qui Lycię imperabat, cum literis, quibus illi pudicitiam filiæ tuendam mandabat. Ariobatus Chimæræ ipsum obiecit: quam Bellerophon uicit, Pegaso equo aductus. Iliados ζ.

ALEXANDER Magnus adductam ad ipsum profanda iam uespera puellam, quæ concubitura erat secū, rogauit: Quid id temporis uenisset? Qua allegāte, præstolatam se, dum uir suus cubitum iuisset: pueros castigauit, acerbè, quòd penè eorum opera adulter lactus fuisset. Plut. in regum Apoph.

Quartum & uicesimum annum agens P. SCIPIO Africanus maior, cùm in Hispania Carthagine oppressā, maioris Carthaginis capiēdę sumsisset auspicia, multosq; obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ uirginem ætatis adultæ, & iuuenis, & celebs, & uictor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoq; gentis eius Indibili (Plut. Lucium habet) desponsatam, accessitis parentibus & sponso inuiolatam tradidit: aurum quoq;, quod pro redemtione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiam debitam retulit. Valerius libro quarto, capite tertio. Liuius lib. 7. Decad. 3. Plut in uita Scipionis: Plinius cap. 49. de Viris illust. Flor. lib. 2. cap. 6. Eutrop. lib. 3. Valerium tamen Antiatem aduersus cæteros scriptores omnes, eam puellam retentam à Scipione, & in deliciis habitam, asserere, testatur Gellius lib. 6. cap. 8.

Cleopatra Aegypti regina, contracta cum HERODE Iudæorum rege familiaritate, concubitum eius appetiit, mulier

natura intemperans, & dedita libidini, ac fortè etiam amore tacta nonnihil: quamuis uerisimile ſit, tper ſtuprum quęſitam occaſionem ſtruendis inſidiis. Herodes autem iam antè ei parum amicus, quòd noſſet infeſtam ex æquo omnibus, tum uerò etiam abhorrens tam proſtratam impudentiam, & reiecturus, ſi petulantiùs pergeret, renuit: deinde cũ amicis conſultauit, num habens eam in ſua poteſtate deberet occidere: ſic enim multis moleſtiis leuare poſſe eos, quibus uel hactenus infenſa fuerit, uel in poſterum futura ſit. At illi diſſuaſerunt: neq; enim hoc impunè laturum M. Antonium. Ioſephus lib.15. cap.5. Antiq.

C. APPIVS Syluanus, uir nobiliſſimus, cùm à Meſſalina Claudij Cæſaris libidinoſiſſima atq; petulantiſſima uxore, ad fœdam libidinem clàm ſollicitaretur, atq; libidinoſæ adulterę ſatisfacere nollet: apud Claudium à Meſſalina accuſatus tanquam inſidiator uitæ, occiſus eſt. Xiphilinus in Claudio.

FRANCISCVS Sforcia Mediolanenſis, Florentini populi copiarum dux, Caſanouam oppidum ui ceperat. Quidam milites inſigni forma puellam captiuam ducebant, clamãtem ut ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Franciſco Sforcia, Quamobrem ad ſe uenire cupiſſet? reſpondit, Vt eius uoluntati obſequeretur, modò incolumis à militum iniuria ſeruaretur. Franciſcus amanti, uti uidebatur, paruit: cumq; noctu eam cõplecti uellet, puella lacrymarum plena, per uirginem Dei matrem, cuius imaginẽ, lecto de more affixam, Franciſcus ſingulari ueneratione colebat, item per famã, quę de ipſius bonitate apud oẽs erat, rogauit, ne ſe caſtitatis honore priuaret: ſed marito intactã potiùs reſtitueret, qui cum aliis captiuis in uinculis cuſtodiebatur. Franciſcus pudicitiæ eius conſpecto ſtudio, ſtatim lecto proſilit: maneq; accerſito ad ſe uiro eam publicè reſtituit, adiurans nihil cum ea ſibi rei fuiſſe. Hoc ipſo patris Sforciæ præceptum, de alterius nupta non attingenda, ſecutus. Fulgoſus lib.4. cap.3.

LVCHINVS Viualdus Genuenſis, iuuenis opulẽtus, Genuenſem matronam fruſtra deperibat. At cùm in Sardinia mulieris uir captus eſſet: ipſa egeſtate preſſa, cùm non haberet unde ſibi filiiſq; alimenta pararet: miſit qui Luchinum ad colloquium inuitaret. Lętus Luchinus ueniſſe tempus arbitrabatur, amata potiundi. Mulier pedibus eius prouoluta, manantibus lacrymis, dixit: Mentem quidem ſibi ſemper fuiſſe, ut inuiolatam coniugi fidem ſeruaret: ſed extrema inopia preſſam, uictamq; paruulorũ pietate liberorum, quos fame iam confectos uidebat, cogi ſe, ut ſuam filiorumque uitam eius miſericordię commendaret. Quibus uerbis auditis, Luchinus amore in pietatem conuerſo, ne manu quidem mulierem contigit: ſed ſtatim domum reuerſus, omnia uxori narrauit, atq; per eam mulieri pecuniam & cætera ad uictũ neceſſaria miſit. Fulgoſus lib.4. cap.3.

PASSIVE. NVPTÆ QVÆ NON admittunt amatores.

PENELOPE Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, ut abſente per uiginti annos marito Vlyſſe, caſtitatem corrũperet. Ouid. lib.3. Eleg.

Penelope manſit (quamuis cuſtode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

Item Propert. lib.2. elegia 9.

Penelope poterat bis denos ſalua per annos
Viuere, tam multis femina digna procis.
Coniugium falſa poterat differre mineruа,
Nocturno ſoluens texta diurna dolo.
Viſura & quamuis nunquam ſperaret Vlyſſem,
Illum expectando facta remanſit anus.

LACÆNAM quidam de ſtupro per internuncium appellauit, ut ſibi aſſentiretur. Cui reſponſum illa reddidit: Puella cùm eſſem, patri didici dicto audiens eſſe, idq; feci: poſtquã nupſi, uiro. Si ergo æqua à me poſtulat, hunc primùm id aperiat. Plut. in Lacænarum apophthegmatib.

MEDIOLANENSIS matrona quum Marfidium maritum ſuum tenerrimè diligeret, & amator rem ab ea turpem contenderet, idq; per uitã & ſalutem Marfidij: Atqui Marfidius (inquit illa) mallet centies mori, quàm id ſemel à me committi. Quod uerò per ſalutẽ illius à me requiris, ab ipſo eodem petito. Lud. Viues de Chriſtiana femina lib.2.

INCESTVM.

HIPPOLYTVS caſtiſſimus adoleſcens, patris Theſei iram offendere maluit, quàm Phædræ nouercali libidini parère. Dignus (ſi uera ſunt, quæ de eo poetæ ſcribunt) qui mortuus reuixerit, fueritq; curæ illi deæ, quam omnium caſtiſſimam fabulata eſt uetuſtas. Sab. lib.5. cap.6.

BONA Fauni F. inceſtum patris fugit. Macrob. lib 1. cap.12.

TENNES inceſtos concubitus nouercæ Philonomes reſpuit. Quod illa ægrè ferens, eum apud Cycnum uirum ſuum calumniata eſt, quòd ſe inuitam & repugnantem conſtuprare conatus eſſet. Quo mendacio irritatus Cycnus, iuuenem cum ſorore in arcã incluſos in mare abiecit. Qui tamẽ incolumes in inſulam delati fuere Leucophryn, quę poſteà de Tenni nomine Tenedos fuit appellata. Pauſ. lib.10.

CLEMATIVS Alexandrinus à ſocru ſua de ſtupro compellatus, magno animo reſtitit Illa monili gemmato Conſtantiam Conſtantini Maximi filiam, & Galli Cæſaris, qui in Oriente regnabat, uxorem corrupit, ut Clematium indicta cauſa è medio tolleret. Id quod factum & eſt. Fulgoſus lib. nono, capite quarto.

TIMASION Aegyptius adoleſcens, à nouerca ad ſtuprum ſollicitatus, relicta Naucrate Memphim profectus eſt, ibiq; comparata naui nauclerum in Nilo egit. Eo ſolùm conſpecto Apollonius Tyaneus ſociis in alia uectus naui quis eſſet narrauit, & cum eo ſermonem contulit. Inter cætera Timaſion ſe Veneri indies ſacrificia facere dixit, uti propitia ſibi eſſet, & ab inceſtis cogitationibus auerteret. Quod illius conſilium Apollonius ſummoperè probauit. Suidas.

ΠΑΙΔΕΡΑΣΤΙΑΝ, ΠΑΙΔΙΚΑ.

ACTIVE.

Cùm rei maritimæ præfectus ad ALEXANDRVM Philoxenus ſcripſiſſet, eſſe apud ſe Theodorum quendam Tarentinum, qui pueros duos haberet forma præcellenti, quærens An emeret eos? indignatus, atq; identidẽ ad amicos exclamans rogauit, Quam unquã in ſe turpitudinẽ deprehendiſſet Philoxenus, qui deſidens ibi talẽ maculam inureret ſibi. Ipſi autem Philoxeno in epiſtola multis proſciſſo conuitiis Theodorum iuſſit, ut cum mercibus ſuis in malã rem ablegaret. Agnonem adoleſcentem etiã caſtigauit, q ſibi ſcripſiſſet, Crobylum uelle ſe celebris apud Corinthios nominis puerum comparare, atq; ad ipſum mittere. Plut. in Alexan.

AGESILAVS Spartanorum rex, cùm Megabatẽ Perſam formoſiſſimum puerum iuxta Spartanorum morem diligeret, & cum Megabates pro Perſarum conſuetudine deoſculari uellet, cubito eum Ageſilaus auertit. Plut.

PASSIVE.

In Creta MILETVS ex Apollinis & Acacallidis (quæ Minois erat filia) congreſſu eſt natus. Eum mater Minois metu in ſyluam expoſuit: ubi eum lupi accedentes iuſſu Apollinis cuſtodiuerunt, ac per uices lactauerunt. Deinde bubulci ſuperuenientes ſuſtulerunt, ac domi ſuæ enutriuerunt. Puer ut adoleuit, pulcer ſtrenuuſq; euaſit. Minoſq; deſiderio impulſus, eum uiolare intendit. Ibi tum Miletus noctu conſcenſo lembo, conſulente Sarpedone, in Cariam profugit: urbeq; ibi Mileto cõdita, Eidotheam Euryti Carum regis filiam in matrimonium duxit: natiq; ſunt ei gemini liberi, Caunus & Biblis: unde etiamnum ſunt Caunus & Biblis Cariæ urbes. Antoninus Liberalis ex Nicandri lib.2. Mutationum.

DEMOCLES Athenienſis, puer impubes adhuc, habebat formæ cognomen delatorem: Democles enim Formoſus uocabatur. Cùm multis propoſitus muneribus, ſollicitationibus, terroribus ſuperatus eſſet à nemine, palæſtras denique gymnaſiumque declinans contuliſſet ſe lauatum ad priuatum balneum: captata Demetrius Poliorcetes (qui Athenis diuerſabatur, pulſo Caſſandro) oportunitate, ad ſolum eſt ingreſſus. Vbi in ſolitudine deprehenſum ſe & neceſſitatem cognouit, detracto aheni operculo, in aquam inſiliit feruentem, ac ſemetipſe peremit. Ita ille indigno quidem modo periit: ſed ſpiritib. præditus fuit patria & ſpecie dignis ſua. Plutarchus in Demetrio.

VETVRIVS filius eius Veturij, qui in conſulatu ſuo Samnitibus ob turpiter ictum fœdus deditus fuerat à Senatu: cùm propter domeſticam ruinam, & graue æs alienum, *Cælio* Plotio creditori ſe nexum dare, multùm adhuc adoleſcens coactus eſſet: ſeruilibus ab eo tandem uerberibus affectus, quia ſtuprum pati noluerat, querelam ad Conſules detulit: à quibus hac de re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci iuſſit. Nam in quocunque ſtatu poſitam Romani ſanguinis pudicitiam tutam eſſe oportere. Longè diuerſam addicti & ſerui conditionem eſſe: & quam ob cauſam dominus uel ſeruo ſuo carere poſſit: in addicto, creditorem non ſolùm amiſſione pecuniæ, ſed etiã pœna coërcendum. Val. Max. lib.6. cap.1.

TREBONIVS adoleſcens, cùm à C. Lucio, Marij conſulis propinquo, ad ſtuprũ ſollicitaretur, & iam nõ procul abeſſet, quia pollicitationibus nullis flecti poterat, ut uim pateretur, auctorem iniuriæ ferro obtruncauit. Maluit probus adoleſcens caput quàm famam periclitari. Cognouit cauſam C. Marius, ac manifeſtæ cædis reum non modò non aliquo affecit ſupplicio: ſed pro concione laudatum corona donauit. Sab. lib.5. cap.6. ex Plutarchi Apoph.

PVBLIVS adoleſcens, L. Papyrij cliens & libertus, quum domini ſtuprum pati nollet: in uincula & carcerem coniectus, & multis poſtremò plagis affectus eſt. Maluit tamen egregius adoleſcens omnia tormenta corporis experiri, quàm præpoſtera illa uenere contaminari. Rauiſius ex Liuio.

DA-

DAMON Peripolta, inſigni forma adoleſcens, uidens Romanum quendam præfectum Chæronæ ſtuprum ſibi per uim machinari, quia priùs blandiendo nihil profeciſſet, ad pudicitiæ munimen aliquot ſocios conuocauit: qui omnes fuligine tincti, ne agnoſcerentur, præfectum in foro ſacrificantem obtruncarunt. Plutarchus.

Mahometus Turcorũ rex II. cùm amore ardens FRATREM Bladi Draculæ Valachiæ principis uocaret ad coitum, cúmque illecebris & præbibendo delinire ſatageret: puer gladio regis femore uulnerato, celeri fuga ſibi conſulens, conſcenſa arbore, ibidem occultabatur. Vt autem rex collectis omnibus diſceſſit, puer deſcendens ex arbore, non multo pòſt in Ianuas regis incidit, eiuſq; concubinus factus eſt. Chalcocondylas lib.9.

POLONI XII. adoleſcentes Adrianopoli capti, ſtupri uitandi cauſa contra Amurathen Turcorum tyrannũ coniurarãt. Quę cõiuratio cùm detecta eſſet à quodam Bulgaro, ipſi ſe ipſos mutuis uulneribus confecerunt. Cromerus lib.21.

Sigiſmundus Malateſta, qui non exiguæ parti Aemyliæ imperitauit, cùm filium ROBERTVM de ſtupro ſollicitaret: ille caſtitati & pudicitiæ ſuæ conſulens, patrem ſtricto pugione à ſcelere prohibuit. Pont. de Immanitate cap.17.

VENERIS HONESTÆ MODERATIO ANTE CONIVGIVM.

NVPTIAS NON CONTRAHENDO, fugiendo. VIRGINITAS perpetua.

A Virginitatis ſtudio diuerſum eſt Virorum odium, cuius exempla inter Affectuum aut Inimicitiæ locos reponi debẽt: ut ſunt Amazonum, item Dieuizarum Boemicarum, de quib. ſub Tit. Fortes mulieres. Viros oderunt & Virgines, & Viduæ, & Scorta, interdum ſtudio caſtitatis, interdum alias ob cauſas.

RELIGIOSA EXEMPLA.

Conſule Tit. Monachorũ. & Virginum Veſtalium. inprimis uerò Martyrum.

Virorum.

HIEREMIAS diuinum accepit mandatum, ne uxorem haberet uelit, néue prolem ſuſcipere. Itaq; quòd in matris utero ſanctificatus fuiſſet, uirginitate probauit. Vrbe à Chaldæis capta, temploq; direpto, ſolus apud hoſtes liber fuit: & qui Sancta ſanctorum uiolare non timuerant, ipſum munerib. honoreq; affecerunt. Marul. lib.4. cap.7.

Dominus noſter IESVS Chriſtus ita de uirgine naſci uoluit, ut perpetuam illi, de qua naſcebatur, uirginitatẽ conſeruarit: per portam clauſam in mundum hunc ueniẽs, per quam uir nõ tranſiuit: & ipſemet in uirginitate perſeuerans, pudicitiæ puritate ſe plurimum gaudere ſignificauit. Vnde, Sinite pueros, inquit, uenire ad me: talium eſt enim regnum cœlorum. Tales quippe & illi in Apocalypſi, qui canticũ cantant nouum, quod nemo alius canere poteſt, & ſequuntur agnum quocũq; ierit: ſine macula enim ſunt, & cum mulieribus non fuerunt coinquinati. Idem, & Sabel. lib 5. cap.6.

Baptizari uolens caſtus Dominus, caſta editus matre, caſti ſerui IOANNIS Baptiſtæ opera miniſterioq; uſus eſt. Ioãnes pluſquam propheta eſt, quoniam plus eſt, uirginem eſſe, quàm futura prædicere. Ipſe eſt Helias: id eſt, robuſtus dominator, qui carnis laſciuiam animi puritate ſuperauit. Denique inter natos mulierum nemo maior eſt illo: quia perfectæ caſtitatis merito iam inter angelos cõputatus erat. De ipſo enim dictum eſt: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meã. Marul. & Sab. lib.5. c.6.

IOANNEM apoſtolum caſtiſſimum præ cæteris à Domino dilectum Euangelia teſtantur. Eidem matrem commendauit, & illum matri. Virginitatis certè priuilegium fuit, quòd idem & apoſtolus eſt & euangeliſta & propheta: quódq; in feruentis olei dolium miſſus lædi non potuit: & in terra relegatus, quæ in cœlo gerebantur, uidit. Iidem.

IACOBVM apoſtolum, qui frater Domini nuncupatus eſt, in tantum caſtitate ſanctitateq; præſtitiſſe ferunt, ut etiam Iudęis incredulis admirationi eſſet. Soli Sancta ſanctorum intrare permittebãt. Pleriq; deinde ob illius necem Hieroſolymam euerſam putauerunt. Hũc Paulus & Cepham & Ioannem, ueluti reliquorum præſides, columnas uocat, & ab iiſdem ſibi dextras datas ſocietatis gloriatur. Marul. lib.4. c.7.

Eo die, quo AGILVS moriturus erat, Ado poſt matutinas orationes audiuit choros uirginum in ſublimi canentes: Hodie ſanctus Agilus cum ſummis laudibus pergit ad præmium, hodie cum ſanctis in cœlo triũphat: felix ualde: quia ab infantia ſeruauit caſtitatem, & uirgo centenarius aſcendit ad gloriam. Vincentius lib.23. cap.103.

MALCOLMVS IV. Scotorũ rex, caſtus perpetuò uixit: eoq; Virginis cognomen traxit. H. Boëthius lib.13.

GREGORIVS Scotorũ rex perpetua caſtitate & ſobrietate non minus q̃ rerum geſtarũ gloria inſignis. H. Boëth. lib.10.

Feminarum.

Fuit Deipara Chriſti MATER non ſolùm uirgo, ſed omnium etiam uirginum decus & ſpecimen unicum: ut nefas ſit ſanctiſſimum eius nomen in ordinem redigere, niſi pro typo ſit, & uirginitatis idea. Sab. lib.5. cap.6.

Philippi Apoſtoli quatuor FILIÆ, uirgines prophetandi donum accepere, etiam poſt Ioannem Baptiſtam, cùm prophetas ceſſare oportebat. Marul. lib.4. cap.8.

EVSTOCHIVM Paulæ matronæ Romanæ filia, unicum nobilitatis & uirginitatis exẽpli à D. Hieronymo celebratur.

EGITHÆ Edgari regis [illegible] glorioſa filiæ corpus, ubi [illegible] leuaretur, totum in cineres ſolutum erat: excepto pol[illegible], & ei ſubiunctis mẽbris. Nam de pollice, quo crebrò crucis ſigna fronti imprimebat, Dunſtanus dixerat: Nunquam putreſcet iſte digitus. Sed cùm de integritate uenire [illegible] diſputaretur, uirgo de imiẽti eidam aſſurit: Non mirum [illegible], inquiens, quòd membra mea putruerũt, quib. ut puella [illegible] cauit: at uẽter iuſtè à corruptione immunis eſt, quod eum neque libido, neq; crapula, neq; carnalis copula tetigit. Vincentius lib.25. cap.35. & Matalus lib.4. cap.8.

AGNES Premiſlai Boëmorum regis filia, nulla ratione adduci potuit, ut Friderico II. Cæſari coniungeretur, ſed uirginitatem perpetuam Deo conſecrauit, habitauitq; Pragæ in ſodalitio [redacted] à diua Clara inſtituto. Alienum uerò eam à Cæſare animum habuiſſe, propter ſummam illius intemperantiam ferunt, cùm greges aleret pellicum: quarum ipſe deuorato omni pudore, uelut admiſſarium agebat manifeſtarium. Agnes, hanc ſanctitatis gloriam adhuc ſuperſtes emeruit, ut ſigna & miracula ęderet. Dubrauius lib.15.

ETHICA, PROFANA exempla.

Ex Titulo, Mulieres fortes, huc quædam.

Apollodorus apud Zenodotum ait, ERIPHAM anum quandam fuiſſe, quæ dicta ſit γραῦς ἔριφος, quòd in uirginitate conſenuiſſet: perinde quaſi eadem & anus eſſet per ętatem, & puella, quod adhuc innupta. Sic in prouerbium abiiſſe.

Erechthei Athenienſiũ regis FILIAS Parthenos nominarũt, & coluerũt, numero ſex: Protogeniam, Pandoram, Procrin, Creuſam, Orithyiam, Chthoniã. Ex his Protogenia & Pandora mactandas ſe pro patria obtuliſſe dicuntur, exercitu ex Bœotia profecto. Immolatæ autem fuerunt in pago, qui dicitur Hyacinthus, ſupra Sphẽdonios. Qua de cauſa etiam uirgines Hyacinthides uocãtur: ut Phanodemus in quinto Atticæ hiſtorię, teſtatur: & Phrynichus in Monotropo. Suid.

EVCLIAM nonnulli ferunt Herculis & Myrthûs Menœtij filiæ & ſororis Petrocli filiam eſſe. Hanc in uirginitate defunctam coli apud Bœotios & Locros. Eſt eius per omnia fora, ara & ſimulacrum, eiq; ante nuptias ſponſi ſponſæq; ſacrificant. Plut. in Ariſtide.

TRIPTOLEMO, Cereris filio, quũ pleræq; uirgines ampliſſimam offerrent dotem, ut cum eo nuptias contraherent, aſpernabatur omnes, & reiiciebat Ouid. in Ibin:

Filius ut Cereris fruſtrà tibi ſemper ametur,
Deſtituatq; tuas uſq; petitus opes.

DAPHNE Penei fluuij F. Ouidio, Amyclæ Parthenio, uirginitatis ſtudio procos omnes reiecit, ipſum quoq; Apollinem. De qua ſic Ouid. lib.1. Metam.

Multi illam petiêre, illa auerſata petentes,
Impatiens, experſq; uiri, nemora auia luſtrat,
Nec quid Hymen, quid amor, quid ſint connubia curat.

In Peloponneſo uenari ſolebat, & Dianæ ualde grata erat. Incidit in illius amorem Leucippus Oenomai F. habituq; uirgineo cũ ea uenabatur, obſequiis ſuis uirginis amorem captans. Apollo riuali inuidens, auctor fuit uirgini in fonte proximo lauandi. Leucippo cunctanti per uim exũtur ueſtes. Proditus, uirginum ſagittis confixus, repentè euanuit. Daphne Apollinem inſequentem fugiens, deorum commiſeratione in arborem laurũ mutata eſt. Parth. de Amat. cap.15. ex Theodoro Elaite in Elegiis, & Phylarchi lib.15.

DAMA à patre Pythagora ad uirginitatis uotum perpetúumque candorem inducta, uirginitatem ſeruauit, & uirgines ea tempeſtate diſcipulas habuit quàm plurimas, quas uoto uirginitatis firmauit. Timæus.

Diodorus Socraticus quinque FILIAS uirgines dialecticas habuit: quarum uitam Philo, Carneadis magiſter, pleniſſimè deſcripſit. Laertius.

BONA Dea (quæ apud Rom. Calẽdis Maiis colitur) apud Græcos Θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro filiã Fauni tradidit:

adeò pudicā,ut extra γυναικωνίτιν nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditū,nec uirum unquam uiderit,uel à uiro uisa sit: propter quod nec uir in templum eius ingreditur.Macrob.lib.1.cap.12.

LALA Cyzicena,M.Varronis tempore,perpetua uirgo,fuit in pictura Romæ excellens.Plin.lib.35.cap.11.

SORDELLVS Mantuanus,insignis eques, à Beatrice Ecelini Romanensis sorore (qui tyrannus latè rerum in Taruisina marchia potiebatur)nec precibus nec lacrymis,neq; forma aut amore, quo illa furebat, uinci se tulit: quin in secretum quoq; locum inuitatus,cùm à muliere precibus minæ adderentur,omnia spreuit, ne erga eius fratres, à quibus amanter Veronę exceptus erat,ingratus uideretur.Tunc quoque cùm illa à fratribus profuga, uirili ueste, Mantuam cum secuta esset,non antè,quod ab ea optabatur,effecit, quàm Ecelinus frater, ut ipsa ei nuberet, contentus fuit, cùm illius flammis ac dignitati formæ, semper honestatem opponeret: plus ueræ laudis ex hoc occulto periculosoq; prælio, quàm tribus & uiginti perduellionibus assecutus, ex quib. uariis in locis uictoriam reportarat.Fulg.lib.4.cap.3.

☞ NVPTIAS HONESTE ET PVDICE CONTRAHENDO.

REBECCA filia Bathuelis, quum ad Isaacum duceretur, cui erat nuptura, cumq; deambulantem offendisset in campo, rogauit,Quis ille esset?ubi cognouit esse sponsum suū,continuò sese pallio operuit. Prudens uirgo,& probè instituta, alias omnes edocuit, primā ac præcipuā uerecundiā marito deberi.Nam cui exhibenda est maior uerecundia, quàm cui maxima reuerētia? Lud. Viues de Christiana femina l.2.

SARA Tobiæ iunioris uxor in oratione di[illegible]u scis Domine,quia nunquam concupiui uirum,& mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.Tob.3.

Apud Homerū, cùm NAVSICAA per quietem esset à Minerua summonita, uti uestes ablueret, breuiter futura sponsa: currū ab Alcinoo patre petiit, ut in flumine uestes lauaret, aliam tamen prætendens causam. Nam eam uel coniugij meminisse puduit. Quod imitatus Virgilius in duodecimo Aeneidos, cùm Latinum & Amatam coniuges colloquentes fecisset cum Turno, LAVINIÆ illorum filiæ, cui Turnus destinabatur, lacrymas tantùm dedit,& ruborem, non uerba:significans,uirginem non decere interloqui,ubi mater & pater de connubio ipsius deliberant.

ASPASIA,Hermotimi filia Phocēsis ex Ionia,à patre per uim abstracta,cùm primùm sisteretur Cyro,iam cœnatus erat,& bibere uolebat more Persico.Etenim Persæ,postquam cibo saturati sunt,poculis indulgēt. Ergo cū ad cœnā Cyri iunioris inter alias mulieres intro ducta esset,& cæteræ accūbentes alludente illo & cōtrectante ipsas,salesq; iaciente, comitatē eius lætæ exciperent: illa lecto astitit tacita, accersentiq; non paruit Cyro.Parantibus adducere ipsam cubiculariis:Væ ei,inquit,mihi qui admouerit manus. Igitur infestiua præsentibus & inurbana est uisa. At Cyrus delectatus risit, dixitq; ei, qui mulieres adduxerat: Ecquid iam aduertis hanc te mihi solā liberā atq; intactā adduxisse? Ex eo cepit ,ppensus in eam esse,amauitq; eam supra omnes,ac sapientē appellauit. Capta fuit, cùm Cyrus in prælio occubuisset, & diriperentur castra eius,à fratre Artaxerxe,]qui illam postea in deliciis habuit:cūq; Dario filio regi designato se concessurū eam promisisset, at ereptam denuò Dianæ sacerdotem constituisset,Darius contra patrem conspirans,interfectus est.Plut.in Artaxerxe,& Aelianus lib.12.Var.hist.

APHRAANTES Libyes uirginum optimas putabāt, quæ castitatem seruantes plurimum temporis manerent uirgines. Stobæus sermone 42.ex Nicolao de Moribus gentium.

Morem habebant Chiorum VIRGINES,ut uno cœtu ad publica sacra profectæ,ibi inter se diē traducerēt. Spectabant proci ludentes & choreas ducentes.Sub uesperum domum ad unamquamque inuicem ibant,parentibusq; & fratribus mutuò ministrabant,ut lauarent etiam eorum pedes. Sæpe unam plures amabāt, eratq; tam castus & legitimus amor, ut cùm desponsa uni puella esset, amorem statim deponerent reliqui. Caput castitatis muliebris sit,quòd neque adulterium apud eos neque stuprum,non intercedentibus nuptiis,ullum septingentos annos memoria relatum sit fuisse auditum.Plut.de Virt.mulierum.

VIRGO quædam Spartana inops,Quam spōso dotem afferret?interrogata: Patriam, inquit,castitatem. Plut. in Lacon. Huc allusisse uidetur Horatius,quando scribit:

Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius thori
Certo fœdere castitas.

MONIMA Milesia, quanquam haud magnis natalibus orta esset, cùm eam Armeniæ rex Mithridates ingenti pecunia atque promissis in uenerem sollicitaret, assentiri nunquam uoluit,nisi eam uxorem simul atq; ad regium solium duceret.Sic castum pectus aduersus duos ingentes hostes, Auaritiam ac Venerem, pudicitia protexit. Fulg.lib.4.cap.3.& Sab. lib.5.cap.6.

Romanus olim mos fuit, inter matronas illas exemplaria pudicitiæ,ut NVPTA, qua primùm die ad mariti ædes deducebatur,ipsa per se non ingrederetur mariti limen,sed intro ferretur sublata: ceu ui quadam reluctans, & inuita in eum ueniret locum,ubi uirgineum decus esset amissura.Lud.Viues de Christiana femina lib.1. ex Plut.quæst.Rom.

Syualdi Danorum regis filia SYRITHA,cùm ob pulchritudinem ingenti procorum frequentia peteretur, ad neminē ex eis inspectandum adduci poterat. Cuius continentiæ fiducia à patre cum demū sibi coniugem dari depoposcit,cuius blanditiis ad mutuū aspectū perduceretur. Otharus quidā Ebbonis filius,siue gestarum rerū magnitudine,siue facundiæ fiducia accensus,uirginis obtutū omnibus ingenij neruis emollire cōnisus,cùm demissum oculorū eius habitum nulla penitus arte flexisset,inuictæ seueritatis perseuerantiā miratus abscessit. Eiusdē rei cupidus gigas,feminco habitu assumto,uirginē à paternis penatibus digressam rapuit. Eandem uerò Otharus]inuentam, oppresso gigante,secum abduxit. Variis inde irritamentis aggressus puellarē in se prouocare conspectū,uoto suo semper frustratus,eam tamē cōprimere noluit,sed abire permisit. Illa per solitudinē ad syluestris cuiusdā immanis feminæ tugurium perueniēs ab ea pascendis capris deputata,cum denuò per Otharū libertatē impetrasset,luminum tamen habitū immoto palpebrarum rigore continuit.Otharus cùm ne gemini quidem beneficij meritis uirgineum in se uisum concitare quiuisset, pudore & ęgritudine fatigatus,classem repetiit. Cumq; Syritha more pristino in Ebbonis piratæ sedes errabunda peruenisset, auditatis & inopiæ rubore plebeiā se esse dictitabat. Eā Othari mater secū detinuit. nobilitatē quippe uirginis index forma prodebat.Otharus,inde animum eiùs certis experturus,nupturam sibi feminā fingit,eiusq; thorum conscendens,lucernā Syrithæ gestandam committit. Quæ cùm absumtis penè cādelis admoto propiùs igne premeretur,tantum patientiæ specimen præbuit,ut manū absq; motu continere uisa, nullā ardoris molestiam sentire crederetur. externum quippe æstum cohibebat interior. Demum ab Otharo manui consulere iussa, placidos in eum obtutus uerecunda luminum erectione conuertit, statimq; semoto nuptiarū figmento, genialē torū nuptura conscendit. Cumq; postmodū Syualdus comprehensum Otharū ob illatū filiæ stuprum suspēdio necandū duxisset,Syritha raptus sui casibus explicatis,non solùm eum in regis gratiam reduxit,sed etiam patrem ad Othari sororem ducendam adduxit. Saxo libro septimo.

VENERIS HONESTÆ MODERATIO IN CONIVGIO. HVC PERTINENT

☞ CONIVGES PERPETVA VIRGINITATE CELEBRES.

INDORVM Christianorū uiduæ,quæ ante annum post uirorum obitum nubūt,dotem amittunt.Osorius lib 3.

Aegisthus interfecto Agamemnone, Electrā precibus matris Clytæmnestræ seruatam, cùm natura ferociorem uideret, COLONO cuidam Mycenæo in uxorem dedit, ut humilitate coniugij spiritus illius retunderet. Colonus ille,quantumuis pauper,genere tamē animoq; nobilis, uirginē secū domi sanctè pudiceq; habuit,& ab ea abstinuit,tū quia Aegisthum nihil in aliena filia elocāda iuris habere putaret,tū uerò Orestem fratrem ueritus, ne pœnas illi daret uiolatæ sororis.Eurip.in Electra.

DIONYSIVS tragicus histrio ab uxoris congressu penitùs abstinuit.Aelianus lib.3.

AMOEBEAS citharœdus castissimus, uxorem quā habebat pulcerrimā,nunquam attigit. Eum scribit Aristeas,in citharœdorū libro Athenis habitantiū, apud theatrū habitasse: qui ubi cātaturus exiret, Atticum talentum singulis diebus capiebat. Athen.lib.14.cap.9.& Aelianus lib,3.

GALLICANVS Romani dux exercitus,ad religionem Christianam à Constantia Constantini F.sibi desponsata,cōuersus,quamuis formosissima fuerit,intactam reliquit. Marul. lib.1.cap.2.& Sab.lib.2.cap.1.

Arcadius Imp. ex Eudoxia filium Theodosium & tres filias tulit,Flaccillam,Martinam,& PVLCHERIAM: quæ uirginitatē perpetuò seruauit,summa bonitate integritateq; & sanctitate, religionis obseruantissima cultrix. Mortuo fratre Theodosio,iussu eiusdē MARCIANVM sibi in regni cōsortiū adsciuit:ea conditione, ut fidē daret, uirginitatē suam, quam

quam Deo consecrasset,se intactam seruaturum.Hoc stipulatus Marcianus,Imperator est declaratus.Cedrenus.

AMOS,Aegyptius adolescēs,uxorem ducere recusabat. Cùm autem è cognatis quidam urgerent, ne coniugium despiceret,sed uxorem duceret: obtemperat, & init matrimonium: multisq; monitis uirgini persuadet, ut ante congressum,uitæ mundanæ renunciaret. Quod ambo cùm fecissent,in Nitriæ montem secesserunt:& exiguo tempore unà exercitati, pòst seorsim idem fecerunt. Mortui animum in cœlum recipi,uidit Antonius.Marul.lib.4.cap.7.& Sab.lib.5.cap.6.

CÆCILIA uirgo Valerianum,cui desponsata fuerat,ipso nuptiarum die ita perterruit, cùm angelū uirginitatis suæ defensorem esse asseruisset,ut ipsam ne contingere quidem ausus sit. Quinimò deposito gentilitatis errore ad Christum cōuersus, & ipse uisionibus perfrui meruit angelorum. Sed & martyrij coronam cum fratre Tiburtio laudabiliter consecutus est. Ambo rubentibus rosis & candentibus liliis ab angelo coronati fuerunt:ut hoc uirginitatis insigne esset, illud martyrij.Marul.lib.4.cap.8.

IVLIANVS Antiochenus martyr, &Basilissa uirgo, nuptiis inter se celebratis,cùm Iulianus continentiæ uotū suscepisset, brumæ tempore rosarum ac liliorum fragrantiam in cubili collocari senserunt:stupescentiq; puellæ sponsus dixit, odorem hunc mundiciæ uirtutis uirginalis esse. Cuius quidem suauitate illa capta,unà cum ipso in uirginitate perseuerare decreuit.Propositum amborum confirmauit uisio. Christus cum matre Virgine illis apparuit,pudicitiæq; corollis donatos dimisit. Cumq; diu simul castè sancteq; uixissent,religioni sese tradidêre:alter abbas monachis, altera abbatissa pręfuit uirginibus. Iulianus postremò martyrij quoque palma glorificatus, sicut carnis lasciuiam pudicitia, ita tormentorum uim patientia superauit. Marul.lib.4.cap.7.

AMATOR Antisiodorensis episcopus,parentum suorum uoluntati cedens, inuitus puellam genere & forma insignem cùm in matrimonium accepisset,suadendo induxit, ut secū castitatem profiteretur.Suscepto utrinq; uoto,angelum Domini uiderunt,quem antè uidere non poterant,& uirginitatis coronas de manu eius acceperunt. Mox illa uirginū monasterium ingreditur,ipse clericus efficitur,Helladioq; in episcopatu succedit:dignus Ecclesiæ sponsus,qui cùm maritus esset,se maritum nesciuit. Idem.

Ad Ioannem abbatem quēdam seculari habitu HOMINEM uenisse,auctor est Cassianus,primitiasq; obtulisse. Cuius aduentu dæmon ab obsesso, quem sanare abbas non potuerat,repentè effugit,propter eum se fugere confessus. Admiratus Ioannes unde ex illo homine tanta uirtus emicuisset, curiosiùs percūctari cepit:atq; audiuit,cum olim dum monasticę professionis desiderio alliceretur,à parentibus compulsum ducere uxorem, & iam annum undecimum cum illa in uirginitate perseuerare:ipsam deniq; omnib.insciis,sororis,non coniugis loco habere. Quare in stuporem uersus senex,protinus exclamauit, Non immeritò talis uiri præsentiam immundum spiritum ferre nequiuisse,cuius pudicitiæ constātiam ipse imitari formidaret, ne quod illi in laudem, sibi cederet in perniciem.Idem.

ARNVLPHVS natione Gallus, genere clarus, Stambergam Clodouei regis neptim duxerat uxorem. Sed ut spiritu non carne iungerentur,sancto suadente Remigio,inter se conuenerunt. Ne uerò præsentia oppugnaret propositum,ipsa domi resedit, ille peregrè profectus est. Cumq; multa morum sanctitate polleret, Turonensem episcopatum Domino per angelum iubente suscepit: ne scilicet apostolica careret dignitate,qui apostolorū uitā secutus fuerat. Marul.lib.4.c.7.

VANDO abbas,Pipini Gallorū regis nepos,à Dagoberto regni successore(cui inprimis carus erat)compulsus est ducere uxorem:neq; tamē ne castitatem seruaret,cōpelli potuit. Nuptę persuasit,ut Deo potiùs quàm mundo seruirēt.Itaq; illa sacrarum uirginum collegium iniit,ipse monachorum: Abbatisq; officio functus est, & miraculis nobilitatus. Idē.

PHARAILDIS,Vigeri & Amelbergæ neptis, Pipini ex sorore F.Germani, à Gertrude Niuigellensi abbatissa literas & pietatem edocta, in coniugio tandem multos annos illibatam uirginitatem custodiuit.Iacobus Meyer.

RICHARDIS,uxor Caroli Crassi,quam probri cum Luitualdo Episcopo Vercellensi insimulatam dimiserat,iuratus ab se integram esse:Bene habet,inquit,mariti iureiurando uirgo sum. Ita sacrarum uirginum cœtui se dicauit. Ex Sigeberto & Reginone,Aemilius lib.3.

HENRICVS II. Imp. & CVNEGVNDA Sigfridi Palatini Rhenensis F. inuiolatum uirginitatis florem seruauerunt. Hēricus zelotypus in falsam adulterij suspicionem incidit. Cunegunda ut innocentiæ & pudicitiæ coniugalis experimentum ederet, iussit ignitos uomeres in medium adferri. Quòd cùm factum esset,in mariti conspectu nudis pedibus illæsa super ferrum ignitū ambulauit, cùm has priùs uoces proclamasset: Si adultera sum, Deum oro,ut candenti hoc ferro ita comburar,ut punitæ pudicitiæ cōiugalis aliis mulieribus præsentissimū sim exemplum. Quo facto,uidit imperator illæsam coniugis pudicitiam esse. Cranzius lib.4.capite 5.Metropoleos. Henricus cùm horam mortis haud longè abesse animaduerteret,ætatis anno 52.conuocatis parentibus,consanguineis ac cognatis coniugis: Hanc, inquit,illibatam uirginem à uobis in uxorem mihi accepi, eandem intactam & castam uobis reddo commendoq;.Ipsa cùm Babenbergæ in templo SS. Petri & Pauli tumulo mariti inferenda esset,uox incerti auctoris audita est: Cede uirgini uirgo locum. Cranzius lib.3.cap.32.&lib.4 cap.35.Saxoniæ. Auentinus lib.5.Fulg.lib.4.cap 3. Marul.lib.4. cap.7.& Egnat. lib.4.cap.3.Tandem in numerum sanctorum relati. Cuspin.

EDVARDVM III. Britannorum regem cum Egitha uxore uirginitatem custodisse,memoriæ proditum est. Non tam illi urbes,populos, prouincias uicisse gloriosum fuit, quàm quòd seipsum uicerit, nullum uenereæ uoluptati relinquēs locum.Marul.lib.4.cap.7.

EMERICVS siue Almericus,D. Stephani Hungarorum regis F. Vesprinij Diui Georgij ædem uno tantùm ex amanuensibus accito, nocte ingressus, ibiq; inter supplicandum ante aram constitutus,Deum percunctabatur, Quid numini potissimùm præstare posset,quod illi foret acceptissimum? Aedes extemplò ingenti splendore completur, & hinc uox diuinitùs audita: Nil,Emerice,Deo uirginitate gratius futurū putes.Ergo ille Dei auxilium & benedictionem in ea custodienda precatus,patris auctoritate, cui refragari impiū putabat,ducta uxore. nō minori castitatis cōseruandæ studio accensa,nunquam cum ea rem habuit. Nec multo pòst reb. humanis exemtus est. Eius uxor integram utriusq; uirginitatem,dum perpetuam uiri castitatem testari cupit, cogitur profiteri.Amanuensis,quod in Georgij æde uiderat, post eius obitum publicè prædicauit, & intemeratam testatus est eius castitatem. Bonfinius lib.1.Dec.2.

Greg.Turon.lib.de Confessoribus,cap.32.narrat, Aruerni VIRVM quendam cum puella,quam duxerat,castè uixisse per omnem uitam,nec eam unquam cognouisse. Puella autem mortua,cùm sepeliretur,sublatis in cœlum manibus,in hęc uerba prorupisse:Gratias ago tibi omnipotens conditor,quòd hanc puellam, sicut eam mihi tradidisti, impollutam, & ab omni uoluptatis contagio puram,ita tibi restituo. Illa uerò subridens ait:Sile uir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum,nemine interrogante,secretum.

BOLESLAVS V. Polonorum princeps, Cunegundim Belæ Hungarorum regis F.uxorem duxit,anno Christi 1239. puellam moribus & sanctimonia uitæ nobilem. Dos ei quadraginta milliū marcarum fuit. Tali autem coniuge beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam nō attigit. Inde confirmata postea consensu mutuo religione,ambo perpetuam uouêre continentiā. Hinc Bolestao Pudico cognomen inditum. Hæc post mariti mortem, distributis in usus egenorum, & in cultum diuinum omnibus facultatibus suis, in Sandecensi monasterio plùs duodecim annis duram exegit uitam. Sanctimonia uerò eius multis & stupendis miraculis cùm ab ea uiuente, tum post mortem anno 1292. ad sepulcrum eius editis, diuinitùs comprobata fuit. Cromerus lib 9.& 10.

ETHELDREDA Annæ Orientalium Anglorum regis filia formosissima bis nupsit,& corpus tamen uirilis complexus omnino expers seruauit.Sed cū priore uiro Cādeberto Australium Girgiuorum principe, qui statim post factas nuptias mortem obiit,illud facile factu fuit: cum Egfredo uerò Northumbrorum rege iuuene,ætate florente, cum duodecim uixisset annos,& nūquam cum eo corpus ipsa suum commiscuisset, id adeò dignum admiratione est, ut propè nescias,utrum magis feminæ constantia, aut uiri amore flagrantis patientia laudanda sit:atque utrunq; par gloria comitatur. Res ad extremum,extra tamen uim,in certamē adducta est.Etenim Egfredus suscipiendæ prolis desiderio agitatus,modò blandienti,modò minitanti similis, uxorem stimulabat,quò uellet unà secum,uelut ius matrimonij posceret,liberis procreandis operam dare.Etheldreda contrà, quæ Deo uirginitatem suam dedicarat, nullius uoluptatis seu uerborum illecebris à proposito auertebatur. Rex,qui suapte natura placido erat ingenio, licèt quò magis uxor negabat, hòc maiore amore flagraret, manus tamen à uiolentia abstinebat. Vt nihil intentatum relinqueret, eam de sententia deducēdi negotium dedit Vuilfredo Eboracensi archiepiscopo,cui uirgo multum confidebat. Veruntamen ille etiam nihil profecit, adeò mēs illius immota manebat. Etheldreda interim assiduis precibus uirum fatigare nō cessabat,quò sibi per eius uoluntatem,coniugali uinculo solutæ,liceret priuatam & celibem degere uitam: idq; tandem impetrauit. Polyd.lib.4. Sigebertus, Beda lib.4. hist.eccles. cap.20. Adon Viennēsis ætate sexta, scribit eam marito defuncto,uirginum matrem & nutricem egisse:ob quę merita

caro eius, post annos sedecim, in sepulcro unà cum inuolucro integra & incorrupta fuerit reperta.

MARIA Decegnies, puella XII annos nata, parentũ, non sua uoluntate, cuidã Ioanni nuptui tradita, uitæ districtione ac sanctitate commouit uirum, ut intactã dimitteret. In uirginitate ergo perseuerãs, multa uirtute multisq; miraculis celebris euasit. Solutã à corpore animulã cum angelorum comitatu in cœlũ ferri cõspexit episcopus Tolosanus. Marul.

ALFONSVS II. Castus Asturum rex, filius Regis Froilæ, uir uirtutũ, castitate & pietate præcipuus, in coniugio castã duxit uitam. XLI annis regnauit. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hispan. cap. 8.

CONRADVS rex Henrici IV. Imp. filius, in Italia, Mathildi cõsanguineæ adhærens, consilio & auxilio eius honestissimè uitam traduxit: uxorem penè inuitus ducens ducis Siciliæ filiam, cũ ea continentissimè uixit, monacho similior quàm regi. Testati sunt qui defuncto aderant, quum ueneni sumti esset suspicio, crucem se in eius brachio uidisse. Cranzius libro 5. Saxoniæ, cap. 15.

CONIVGES TANDEM CASTITATEM PROFESSI.

PHARON Meldensis antistes, postquã pari cum coniuge cõsensu religionẽ ꝓfessi, altera inter moniales, alter inter monachos diu sanctè uixissent: formæ pulcritudinisq; eius memoria sollicitatus, ipsam ut ad se ueniret rogatum misit. At prudens femina, sagaci mente, id quod erat, concipiens, ire omnino recusabat. Eò ille magis ardere, nec animo conquiescere, nec euocãdo cessare. Venit tandem mulier cilicio induta, squallore obsita, uultu lugubri, & ipsum immundę cogitationis arguens, resipiscere fecit. Marul. lib. 4. cap. 7.

LVPVS Trecacensium episcopus, omnium iudicio uir sanctissimus, Leucorum familiæ decus, Pigniolam Hilarij Arelatensis episcopi sororem, coniugem duxerat. Septimo coniugij anno, utriusque consensu sanctum diuortium decreuerunt, ut arctiùs se in diuina charitate uincirent. Bonfinius libro 4. Decadis 1.

EVPHEMIANVS Romanus, & Aglae uxor, post susceptũ Alexium filium, continentiã postea seruarunt. Marul. lib. 1. c. 2.

RADEGVNDIS Clotharij Galliæ regis coniux, cùm annos aliquot cum marito sine querela uixisset: tandem seruandæ castitatis cupiditate accensa, diuortium impetrat, & monasterio se includit. Quæq; regis uxor fuerat, facta est sponsa Christi: & magis deinde miraculis claruit, quàm ante claruerat Galliç regno quod reliquit. Marulus lib. 4. cap. 8.

MELANIA, urbani prætoris filia, uiro tradita, cùm duos liberos, quos ex eo susceperat, impuberes adhuc, morte immatura amisisset, nequaquã de reparanda prole cogitare cepit, sed de castitate seruanda. Crebris itaq; suasionibus induxit maritum, ut distractis in pauperum usus bonis, ambo animũ ad Dei seruitiũ applicarẽt. Itaq; ille inter monachos, ipsa inter ancillas Christi, quod uitæ superfuit, relicto geniali thoro, laudabiliter peregerunt: uiduitatem seruantes, antequam uidui essent: immo quod plus est, religione se uincientes, ne uxorios actus repetere expeditum foret. Ibidem.

ISAACIVS Comnenus Imperator Rom. paulo ante obitum monachi habitum sumens, in cœnobio uixit: ubi cùm postremò renibus laboraret, medicíq; iuberent remedij gratia coitu uti, constantissimè renuit, etiam uiua & incolumi uxore, à qua diu post sobolem abstinuerat. Volat. lib. 23. Anthr.

PETRVS Vrseolus Venetorum dux, filium ex Felicia coniuge unicum habuit: quo nato, uterq; perpetuam Deo uouit castitatem. Sab. lib. 4. Dec. 1.

Redierat Vitalis Michael, Venetorum dux, ex Constantinopolitana prouincia: quem Venetus populus haud sanè lætis animis acceperat, tum quòd classem magna ex parte lacerã hostium insidiis dimisisset, tum quòd Iustinianæ familiæ uiri omnes aut ferro aut peste penitùs obiissent, senibus tantùm domi relictis, quorum ope reparari familia tam illustris non posset. Hanc inuidiam ut à se auerteret dux, literis ad Pont. Alexandrum missis, haud ægrè obtinuit, ut NICOLAVS Iustinianus, qui quidem monachum ad D. Nicolai phanum ageret, adolescens, religionis initæ uoto solueretur, cui Annam filiam unicam in matrimonium iungeret. Quo facto, Nicolaus ipse, & Anna uxor, susceptis maribus liberis sex, tribusq; feminis, mutuo consensu uterq; religionem repetiere: ille ad D. Nicolai phanum regressus, ipsa cenobio sese includens à marito priùs erecto, in loco, qui de Amianis dicitur. Egnat. lib. 6. cap. 1.

HENRICVS Barbatus, dux Vratislauiẽsis, & Heduigis uxor, post susceptam prolem, per XXX annos disiuncti & continentes uixere. Cromerus lib. 8.

CONIVGES IN VENERE TEMPERANTES, HABITA RATIONE loci, temporis, modi.

ABRAHAM Agare concubina usus est ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potiùs obediens coniugi, quę suæ sterilitati credidit esse solatium, si fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, uolũtate faceret suum: & eo iure, quod dicit Apostolus, Similiter & uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex seipsa. Nulla est hîc cupido lasciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, à marito causa prolis accipitur: ab utroque non culpę luxus, sed naturæ fructus exquiritur. Deniq; cùm ancilla grauida dominæ sterili superbiret, & hoc Sara suspicione muliebri uiro potiùs imputaret, etiam ibi demonstrauit Abraham non se amatorem seruum, sed liberum fuisse genitorem, & in Agar Saræ cõiugi pudicitiam custodisse, nec uoluptatem suam, sed uoluntatem illius impleuisse: accepisse, nec petisse: accessisse, non hæsisse: seminasse, non amasse. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit. O uirum uiriliter utentem feminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. D. August. lib. 16. de Ciu. Dei. cap. 25.

Qui sponsalia ita instituêre, ne primo statim congressu CONIVGES iungerentur: pudicitiæ maximoperè uidentur consuluisse, ne mulier & familiariter uersaretur & rem haberet cum eo, quem fortè nunquam esset priùs allocuta, quod nõ fieret sine magna pudicitiæ ac pudoris iactura: in quibus sita est haud exigua sanè pars bonorum in ciuitate morum, & publicæ quietis per gentes omnes. Sunt nonnulli sponsi impatientes moræ, qui & in sponsas & in seipsos malè consulunt. At IACOB tot annis cum adamata Rachele, dicta iam uxore, & pacta, in communibus pascuis, in solitudine uersatus, sanctissimè se cum ea semper gessit (quapropter uiri illius digamia multorum castitati meritò anteponenda est: quemadmodum de auo eius Abrahamo Augustinus definit) & Rachelem usque ad extremum uitæ constantissimè ac unicè amauit, & uxore usus est spectatæ probitatis, singularique in coniugem pietate. Ludouicus Viues de officio Mariti.

POPVLO Israelitico Dominum de monte Sinai loquentem audituro, Moses, imò per Mosen ipse Dominus præcepit, dicens: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus uestris. Coniugatos alloqui noluit Deus, nisi cùm per triduum sese continuissent. Marul. lib. 4. cap. 7.

VRIAS Hettæus fortitudine militari à congressu uxoris Bethsabę formosissimę abstinuit, quamuis à Dauide rege iussus: indecorum ratus, se sub tecto in uxoris amplexibus cubare, cùm commilitones sui omnes in castris sub dio militiæ labores cogerentur perferre. 2. Regum 11.

Raphaelis monitu, TOBIAS iunior cum Sara Raguelis filia (cuius septem uiros prima nocte Asmodeus dæmonum rex interfecerat) in thalamum nuptialẽ ingressus, per tres dies ab ea abstinuit, precibusque uacauit, cùm priùs corde piscis, suffitu sub Sarę uestes facto, dęmonem expulisset. Tum tandem tertia nocte precibus ad Deum fusis, cum ea rem habuit, liberorum amore potiùs quàm libidine ductus. Et sic Tobias malefici genij tyrannidem superauit. Tobiæ 6. & 8. Operæprecium fuerit uerba audire non hominis, sed Angeli: Audi, inquit, me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus præualere potest dæmonium. Nam qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excutiant, & suæ libidini ita uacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, in eos habet potestatem dæmonium. Tu autem quum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus uacabis cum ea: ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium. Secunda uerò nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filij ex uobis procreentur incolumes. Trãsacta autem tertia nocte, accipies uirginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidinis ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis cõsequaris. Hæc Raphael Tobiæ.

Nouas nuptas amissa uirginitate menses aliquot latere domi conuenit. Sic ELIZABETHA Zachariæ, concepto fœtu, aliquantisper latuit. Hæc quia uetula cum uiro cubuisset, illæ quia uirgines: utrasq; pudere decet facti, quamuis non illegitimi. Ludouicus Viues de Christiana femina. lib. 2.

DEIANIRA apud Sophoclem in prologo Trachiniarum obscurè significauit, quàm rarò contigerit ipsi capere uoluptatem ex uiro. Sumsit autem in ea re exponenda uerba à re rustica, &, cùm filios procreasset, dixit patrem eorum, inde subitò abeuntem, imitatum fuisse genus quoddam agricolarum, qui cùm fundum, ualde remotum & longinquum arens, statim illo sato, domum reuertuntur, nec eò antè redeunt, quàm tempus messis faciendæ uenerit. Verba poëtæ, quibus facit hoc illam edidisse, sunt hæc:

κἀφύσαμεν δὴ παῖδας, οὓς κεῖνός ποτε,
Γήτης ὅπως, ἄρουραν ἔκτοπον λαβών,
Σπείρων μόνον ἐπεσκόπει κἀξαμῶν ἅπαξ.

Victorius lib. 34. Var. lect. cap. 17.

BRACHMANES uiri loca Oceano finitima accolunt: mulieres autem ultra Gangem sunt, qui in Oceanum in parte Indiæ influit. Viri ad mulieres Iulio & Augusto mense traiiciunt, qui apud illos sunt frigidiores, sole ad nos & septentrionem ascendente: & cùm temperati magis sint, in furias illos agere dicuntur: id quod de Nilo quoq; ferunt, qui non more cæterorum fluminũ exundet, sed media æstate inundet Aegyptum. Itaq; cùm Sol septentrioni uiciniores regiones percurrat, & alios quidem fluuios infestet atq; minuat, ab hoc autem plurimum absit, XL diebus cum uxoribus exactis domum redeunt. Cùm uerò uxor duos pueros peperit, uir non ampliùs ad eam traiicit, neq; etiam illa (quæ earum pudicitia est) cum alio rem habet. Si uerò contigerit aliquã ex eis esse sterilẽ, ad quinq; annos maritus ad eã traiiciens, eiusq; consuetudine utens, nisi pepererit, ea deinceps abstinet. Quapropter populosa non est eorum regio, ob castitatem. Suidas.

Fuit apud Iudæos ESSENORVM aliud collegium, cibos quidem & mores legesq; similes cum exquisitissimis habens, distans uerò opinione de coniugio. Maximã siquidem uitæ hominũ partem, successionẽ scilicet, amputare eos qui abstineãt nuptiis arbitrãtur: quippe si in eandẽ oẽs uelint ire sententiam, defecturum confestim genus humanum. Nihilominus autem cum tanta ipsi moderatione conueniunt, ut per triennium explorent ualetudinem feminarũ: & si constanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia adsciscunt. Nemo tamen eorum cum pregnante cõcũbit: ut ostendant, quòd nuptias non uoluptatis sed liberorum causa inierint. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici.

CYRENAICI philosophi interdiu uel etiam noctu ad lucernam ueneri operam dare, impurũ esse censebant, ne si species concubitus animo imprimeretur, sæpius ad libidinem uel nolẽtes excitaret. Plut. lib. 3. Sympos. & contra Epicurũ.

Puella LACÆNA rogante quopiã, Complexáne iam uirum esset? Minimè uerò, inquit, ego: sed me ille. Hic esse mos debet matrisfamiliâs, ut neq; defugiat, neq; auersetur ea exoriente uiro, neq; occipiat ipsa. Hoc enim meretricium & impudens factum, illud est superbum atq; ab amore alienum coniugali. Plut. in Præcept. connub. & in Laconicis.

Theodori tragœdi VXOR, concubitum eius, instantibus ludis, non admiserat. Vt uerò palmam consecutus ad eam est ingressus, complexa illum ait:

Agamemnonis proles tibi illa nunc licent.

Plut. lib. 9. Conu. quæst. cap. 1.

Quum in censura M. CATO senior Maniliũ senatu mouisset, quòd uxorem filia inspectante foret osculatus, intulit, Vxorem se nũquam amplexatum, ni magno tonitru edito. Vnde facetum prodiit id, ὡς μακάριός ἐστι τοῦ Διὸς βροντῶντος: id est, Ioue tonante esse se beatum. Cælius libro uigesimooctauo, capite 21. A. L.

DRVSVS Germanicus, in matrimonio suo continentissimam uitam egisse dicitur. Cæteri enim principes cùm extra matrimonij limites pro more cum concubinis, scortis, ciuiúmque uxoribus libidinem explerent, ipse Antonia consorte (quæ M. Antonij Triumuiri, & Octauię sororis Augusti filia erat) contentus adeò fuit, ut etiam rarissimè cum ipsa concumberet. Val. Max. lib. 4. cap. 3.

Martialis Epigram. lib. 11. de SOPHRONIO sic scribit:

Tanta tibi est animi probitas, orisq;, Sophroni,
Vt mirer fieri te potuisse patrem.

ZENOBIAM Palmyrenorum reginam, scribit Trebellius Pollio, mulierem eruditissimam, & regni administrandi prudẽtissimam, ea castitate fuisse, ut ne uirum quidem suum nisi tentatis conceptionibus nosset. Nam ubi semel concubuisset, à uiro abstinebat usq; ad tempus menstrui: si conceperat, omnino secubabat, quoad peperisset: sin aliter, potestatẽ sui faciebat uiro quęrendis liberis. Quis hanc credat non modò libidini, sed uel mediocri uoluptati concubitũ dedisse? Suspicienda & adoranda matrona, quæ non plus mulieribus ad libidinẽ sollicitabatur, quàm pede aut manu: digna, quæ uel sine cõcubitu pareret, quæ tantùm in pariendi usum petebat: uel sine dolore, quæ implebatur sine uoluptate. Lud. Viues de Christiana femina lib. 2.

CRAIS Scytha, Mariam Andronici Imper. Græci notham filiam socero remisit, ne uenere, bello gerendo occupatus, eneruaretur. Tandẽ deletis Nogæ reliquiis eam repetiit. Pachymerius.

ISAACIVS Comnenus Imp. quum ægrotaret ex renibus, ac à medicis in morbi remedium femina iuberetur congredi, noluit alteram quàm uxorem tentare, morbi potiùs ferens austeritatem. Alij tradunt, tantæ fuisse continentiæ, ut prole ex uxore suscepta, etiam si medici frequentiore coitu uti edocerent pro seruanda sanitate, cum ea ampliùs congredi noluerit. Cuspinianus ex Zonara.

GORMO III. Danorum rex, Anglorũ regis Edelfredi filiam Thiram, Dania sub dotis nomine assignata, in uxorem accepit. Ea prima nocte, qua genialem torum conscendit, sponsum precibus aggressa, in triduum se uenlis concubitus expertem dimitti petiuit, non antè rebus uenereis indulgere constituens, quàm matrimoniũ creandis liberis efficax futurum aliquo per quietem præsagio didicisset. Indulsit hoc sponsæ Gormo, & gladio nudo medio interposito, uim libidinis patienter repressit: mox in somnum solutus, uidit duos alites coniugis suæ genitali parte lapsos, sed alterum altero grandiorem, præpeti cœlum uolatu petere, exiguoq; tempore intercecto reuersos, suis manibus insidere. A somno excitatus, cùm Thiræ somniũ recitasset, illa augurio paruit, & ex eo Haraldum & Canutum suscepit, qui cùm uirilem attigissent ætatem, Sclauos domuerunt, Angliã inuaserunt, & ab auo regni hæredes instituti fuerunt. Saxo lib. 9. & Cranzius lib. 4. Daniæ, cap. 18.

ALOYSIVS de Caballis, Venetus, & uxor patricij sanguinis, uno eodemque consensu nunquam in unum conuenêre, nisi sobolis procreandæ causa: ut quamuis simul hoc nomine iungerentur, nil tamen uenereę licentiæ sit unquam datum: interulis suis ita interim amicti, ut non facilè altera alterum tangeret nuda corporis reliqua parte. Egnatius libro quarto, capite tertio.

VENERIS HONESTÆ MODERATIO POST CONIVGIVM. QVATENVS NVPTIAE NON REPETVNTVR.

Exempla

IVDÆORVM.

IVDITHA Meraris F. ex tribu Simeonis, uiro suo Manasse mortuo, quamuis amplam regeret familiam, & multis afflueret opibus, multis eam cupientibus, in uiduo tamẽ thoro permansit ad extremam usq; senectutem, cùm annos uixisset CV. Viduitatem prætulit nuptiis, molli indumento cilicium, luxuriæ ieiuniũ, somno atq; otio uigilias & orationem: hisque armis instructa, Olophernis ducis Nabucodonosoris amputauit caput, nullum ei ad se corrumpendam relinquens locum. Hinc illi quæ sic uixerat dicitur: Confortatum est cor tuum, eo quòd castitatẽ amaueris, & post uirum tuũ alterum nescieris: & ideo manus Domini te confortauit, & ideo eris benedicta in ęternum. Marul. lib. 4. cap. 8. ex eius historia.

ANNA prophetissa, Phanuelis filia, cùm septem tãtùm annos uixisset cum uiro, in uiduitate ad quartũ usq; & octogesimum uitæ suæ annũ perseuerauerat, quando Christũ uidere, & de illo uaticinari meruit. Didicisti incorruptæ uiduitatis præmiũ: disce & quo sale, ne corrumpi posset, cõdita fuerit. Non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Marul. lib. 4. cap. 8. & Sab. lib. 5. cap. 6.

CHRISTIANORVM.

NATALIAM Hadriani martyris coniugem (quoniam forma multis præstabat) tribunus Nicomedię in coniugium petiit. Denegare non erat quod tribunus peteret, & ancilla Christi iam, quò se uerteret, nesciebat. Impetrat tamen tridui spacium ad deliberandum: atq; interim Dominum uotis precibusq; sollicitat, ut pudicitiam, quam illi uouerat, ipse tueretur. Ergo somnio edocta, inde soluẽs, Constãtinopolim uersus fugam fecit. Quod ut resciuit tribunus, conscensa naui fugientem persequitur. Iam propè erat ut consequeretur, cùm contrario flante uento coactus est reuerti: illa quò uolebat peruenit. Marul. lib. 4. cap. 8.

PAVLAM Romanã Hieronymus scribit, post mariti mortem non solùm nubere noluisse, sed etiam cum uiris nunquã comedisse. Casta mulier uix se uiduam esse putauit, si cui non sui sexus hominum uel ipsa tantùm conuiuendi familiaritate iungeretur. Sic itaq; uiduitatem sanctè pureq; custodiuit, ut in monasterio sacris uirginibus præesset: quas enim æquauerat castitate, eas cæteris uirtutibus superabat. Ibid.

MARCELLA Romana nobiliss. uiro post nuptias septimo mense priuata est. Cumq; eã Cerealis cõsul Romanus propter ætatem & antiquitatem familiæ & insignem decorem corporis ac morum temperantiam ambitiosiùs peteret, suasq; iam grandis natu polliceretur diuitias, & non quasi in uxorem, sed quasi in filiam uellet donationem transfundere: Albinaq; mater tam clarum præsidium uiduatæ domus ultrò appeteret: illa respõdit: Si uellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, utiq; maritũ quærerem, non hæreditatem. Illoq; mandãte, Posse & senes diu uiue-

uiuere,& iuuenes citò mori, elegāter lusit: Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu uiuere non potest. Qua sententia repudiatus, exemplo cæteris fuit, ut eius nuptias desperarent. D.Hieron.in Marcellæ Epitaphio.

ELIZABETHA Lantgrauio Thuringiæ nupta uotum uouit, si marito superesse sibi contingeret, Deo se in castitate seruituram: & casti propositi meritum habuit etiam coniugata. Post uiri obitum, de ingentibus diuitiis ad ultimam deuoluta est paupertatem, rapientibus omnia Lantgrauij successorib. Ab episcopo Babenbergense, qui eam susceperat, ad nuptias inuitata, dotem multā pollicente: respondit, Sibi in animo esse, trūcatis naribus uel scissa facie ita se deformem reddere, ut qui ducere uelit, futurus nemo sit. Marulus libro 4. capito 8.

GALLA, Symmachi consulis filia (ut Gregorius refert) Gothis Italiam uastantibus uiduata uiro, quo cum annum tantùm uixerat, nulli postea nubere uoluit, licèt & ætate integra esset, & non illiberali forma. Aegrotanti, fœdaq; corporis scabie affectæ, medici cōsulebant, rursum uti marito, alioquin eo morbi genere uel perituram, uel certè uillosum mentum habituram. At illa neque oris deformitate, neque mortis periculo territa, propositum dimisit castitatis. Ibidem, & lib.5.cap.4.

EVPHRAXIA, uirginis Euphraxiæ mater, hac unica prole suscepta, cum uiro suo Antigono castè cōtinenterq; uixit. Cæterùm illo defuncto, quoniam ætas, forma, diuitiæ suppetebant, ad secundas nuptias urgeri cepit Theodosij imperatoris Augustæq; suasionib. ac promissis. Illa castitati metuens, rebus occultè nauigio impositis, cum filia in Aegyptum nauigauit: & in Thebaidam perueniens, filiam monasterio tradidit: quæ secum tulerat, pauperibus erogauit: piisq; ipsa operibus incumbens, castitatis propositum nunquam dereliquit. Cumq; abbatissa, cui filiam commendauerat, in quiete uidisset Antigonum in paradiso fulgentē à Domino exorasse, ut cōiugem suam de terris euocatam sibi iam sociam faceret: die qua prædictum fuerat, læta decessit. Idem.

SALABERGA post quinque filios ex Alduino marito, Dagoberti Galliæ regis duce, genitos, ab eodè impetrauit, ut deinceps in castitate Deo seruiret. Itaque cōstructo apud Lugdunum amplo monasterio, trecētis ferè ancillis Christi prefuit, multorum signorum operationibus celebris. Marulus libro 4. capite 8.

EVDOCIA Lazorum siue Colchorum regina, marito defuncto coniugij fidem ut seruaret, omnes nuptias repudiauit. Pachymerius.

Bernardus Iustinianus prior, ex Quirina familia VXOREM pulcerrimā, animiq; dotibus insignem, sibi iunxerat. Ex ea treis mares liberos suscepit, Leonardū diui Marci procuratorē, Marcū, qui primus Bergomo de Philippi Mediolanensis ducis manib. à Venetis extorto, prætor designatus præfuit, & Laurentium, qui Venetiis postea Oliuolēsis antistes declaratus, moxque etiam Patriarchæ dignitate insignitus, moriens postremò inter diuos relatus est. Bernardus iuuenis adhuc uita excessit, relicta uxore, quæ quartum & uigesimum uitæ annum nondum explesset. Illa filios tres sic educare cœpit, ut Christiana pietate dignos eos redderet. Qua ex re uigiliis & ieiuniis quotidianis uacans, pauperumq; cultui assiduè inseruiens, cilicia ueste pro interula tunica utens, lumbosq; suos catena ænea cingens, sic disciplina sua pignora instruxit, ut tria ciuitatis Venetæ numina enixa uideri potuerit. Egnat.lib.4.cap.6.

SCODRENSES feminæ nō multæ sanè numero superstites, dedita Turcarū principi Scodra, Venetias cōmigrarunt: quę tantū pudicitia excelluisse feruntur, ut apud Venetos Scodrenses feminæ, summæ cuiusdam pudicitiæ famam & nomen in hodiernum usq; diem retulerint. Egnat.lib.6.cap.1.

Sueno, Vlphonis Suetici & Estritæ Canuti Danorum regis filius, Danorum rex, sororē siue filiam Sueonum regis Ingonis GIVTHAM (non præmeditato cognationis uinculo) missis legatis in coniugem impetrauit: quæ ad Danos non solùm pacem, sed eximia uirtutū exempla secum adduxit. Hæc à Suenonis mariti toro Pontificum censura ob consanguinitatis uinculum amota, paternos penates repetens, castitatem perpetuam seruauit. Ioannes Magnus lib.18. c.10.

DAVID I. Scotorum rex, Matildis Hundintoniæ & Northumbriæ comitis, coniugis decessu, nullas deinceps contrahere uolens nuptias, primam uxori fidem ad mortem usq; seruauit. H.Boëthius lib.12.

INDI Christiani sacerdotes, uxores ducūt. Prima tamen uxore mortua, est illis in posterū nuptiis omnibus interdictum. Osorius lib.3. rerum Em.

ETHNICORVM.

OLIM tanta erat matrimonij sanctitas, ut quæ semel nupsisset, quamuis mortuo marito, nuptias secundas non repeteret. Hoc etiam Homerum innuere opinantur, quando uxores uocat κουριδίας ἀλόχους, iuuenculas, hoc est, quæ uirgines nupserunt, nondum expertæ uenerem. Et hoc ipso epitheto honorifico secundas nuptias excludere uidetur, quasi parū sint honestæ. Prima Gorgophone Persei filia secundo nupsit, ut testatur Pausanias in Corinth.

Cyro in prælio contra fratrem interfecto, ASPASIA Phocensis concubina illius, in hostium quoq; manus incidit. Eam rex Artaxerxes singulari studio inquiri præceperat. Cùm autem uinctam eam ducerent, excāduit, & huius facinoris auctores in uincula coniecit: iussitque ipsi magnificum splendidumque uestitum dari. Quod cùm audiuisset, cum lacrymis & gemitu deprecata est: attamen induere stolam à rege donatam coacta est magna ui: nā summo luctu, Cyri obitum deplorabat. Eam cùm induisset, omnium mulierū formosissima uisa est: statimq; Artaxerxes igne concepto, primam inter omnes uxores habuit, sperans posse se memoriā Cyri ex animo ipsius euellere. Verùm tarde seroq; tandem spe potitus est. Etenim confirmata in Cyrum beneuolentia, quæ iam in Aspasia radices egerat, quasi philtrum insanabile penitùs ipsi insederat. Ael.lib.12. Var.hist.

RHODOGVNE Darij filia, mortuo marito, nutricem dedit morti, secundas nuptias suadentem. Rauisius.

Apud ROM. olim mulieres, quæ uno contentæ matrimonio fuerāt, corona pudicitiæ donabātur. Existimabāt enim cum præcipuè matronæ syncera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ uirginitatis cubile, in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. Valer.Max.lib.2.cap.1.

Mortuo Tib. Graccho marito, XII relictis liberis, suscipiens liberos & rei familiaris curam, uitam exegit CORNELIA in tanta castitate, tanta pietate, tanta denique animi magnitudine: ut non malè uisus sit consuluisse Tiberius, qui pro tali muliere animum induxit emori. nempe quæ etiam regi Ptolemæo nuptias eius ambienti & ad consortium eam uocanti regni abnuit. Plut.in Gracchis.

VALERIA Messalarum soror, amisso Seruio uiro, nulli uoluit alteri nubere: sibi semper maritum Seruium, uiuere, inquiens.

Simile est MARCELLÆ responsum, à qua cùm esset quæsitum, An gauderet se nupsisse? dixit, Ita quidem ut ampliùs nolim.

Cùm quæreretur à MARTIA Catonis filia minore, Cur post amissum maritum, denuò non nuberet? respondit, Non se uirum inuenire, qui magis eam uellet quàm sua. Hieronymus. EADEM, cùm diutiùs lugeret maritū, rogata, Quem esset habitura diem luctus ultimum? respondit, Quem & uitæ. Eras.lib.8.Apoph. EADEM, quum laudaretur apud eam mulier quædam ut bene morata, quę tamen iterarat matrimonium: Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit nisi semel. Non passa est illam inter bene moratas numerari, quæ citra necessitatem asciscerer alterū uirum. Nam multas huc cogit egestas. Porrò coitus gratia nubere, est non uerè pudicarum. eoq; dixit, Felix, excusans necessitatem. Alij tamen hoc Corneliæ Gracchorum tribuunt. Idem.

ANTONIA, Drusi Germanici uxor, ætate integra & forma insigni, amorem mariti sui egregia fide pensauit. Postquam enim Drusus marit⁹ ex equo delapsus crus fregisset, & post tricesimū diem animā expirasset, cum Liuia socru sua ibi quū uitæ tempus summa cū continentia uidua peregit, & cubiculum socrus pro marito habuit. Val. Max.lib.4.cap.3.

GALBA Imp. amissa uxore Lepida, duobusque ex ea filiis, remansit in celibatu, neque solicitari ulla cōditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem uiduatæ morte Domitij, quæ maritum quoq; adhuc necdum celibem Galbam, adeò omnibus sollicitauerat modis, ut inter conuentum matronarum correpta iurgio, atque etiam manu pulsata sit à matre Lepida. Suetonius.

Scribit diuus Hieronymus ad sua tēpora ex Camilli POSTERIS, nullam uel raram secundos nosse concubitus: ceu sibi unaquæq; illud ex triuio ingereret, ὗς λουσαμένη ἐς κύλισμα βορβόρου ἐπιστρέψασα: id est, Sus lota ad cœni uolutabrum reuersa. Cælius lib.28.cap.22.A.L.

ANNIA, cùm amici hortarentur, ut post defunctum priorem maritum alteri nuberet, cùm ætas esset & integra, & forma præstantissima adhuc: quorū alterum prę beret spem prolis, alterum promitteret amorem mutuum: Nullo, inquit, pacto hoc factura sum. si enim bono uiro nupsero, nolo posthac timere ne amittam: sin uerò malo, quę me caperet dementia, uti post optimum pessimum admitterem? Rauisius.

IVLIANVS Imp. mortua coniuge Helena, quanquam iuuenis admodum, multos annos in celibatu, sine ullo ueneris cōmercio, egisse creditur. Capta certè Persidis urbe, in qua formosæ permultæ mulieres erāt, ut cōtinentior esset, ipsarum quoque conspectum deuitauit. Fulg.lib.4.cap.3. ex Marcel.lib.25.

RE-

REPETVNTVR. VIDVAE QVAE honestè nu[redacted] honesta.

Virginitati primus debetur honos, secundus uiduis. Ma- [redacted]

LEONIDAS Anaxandridæ filius, & frater Cleomenis, cùm proficisceretur in bellum contra Persas, uxori GORGONI roganti, si quid ipsi mandarent? Nihil, inquit, aliud tibi mando, quàm ut nubas, & bonos filios parias. Quo dicto uir fortissimus quasi præsagio ostendit, se periturum in prelio: & admonuit uxorem ut alij uiro nubat, & omnes neruos intendat ut filij probè instituantur. Plutarchus in Laconicis Apophthegm.

DEMETRIVS, quum alteram uxorem ducere statuisset, liberis ipsum percontantibus, Nunquid in ipsis haberet de quo quereretur? Nequaquam, inquit: imò ob id potiùs alteram duco, quòd collaudem uos, cupiamque mihi & alios istiusmodi liberos nasci. Erasmus libro 5. Apophthegmatum.

[redacted]ICITIÆ CVLTVS, RE-[redacted] ALIORVM.

[redacted] *sunt loci. Actio ipsa ad Iustitiam* [illegible] *pertinet, quatenus borum*[redacted]*protegit ac defendit. Basis tamen iustitiæ Castitas est, & castitatis amor. Nisi enim castitatem uenerarentur etiam in alieno corpore, nunquam eius patrocinium susciperent. Quod defendunt, illud amant: amor ex æqualitate prouenit. Itaque scintillæ castitatis in animo latentes, quamprimùm in opus progrediuntur, Iustitiæ naturam nomenq; induunt. Iam cùm aliena castitas & protegi possit ne corrumpatur, & corrupta uindicari: Protectio ipsa huius propriè loci est: Vindicta ratione Iræ ad Seueritatē, ratione Aequalitatis, ad Iustitiam referenda erit. Consule Tit. Scortationē, Stupra uitare: illic proprij corporis, quod ab impudicitia seruatur, hic alieni habetur ratio.*

ABSQVE CERTAMINE. QVAtenus aliorum

PVDICITIA HONESTE'

Amatur, Colitur, Præmiis afficitur.

ABIMELECHVS sacerdos panem ceremonia consecratum, neque Dauidi esurienti, neque sociis eius dedisset, nisi priùs exploratum habuisset, mundos fuisse eos ab omni mulierum congressu. Sab.lib.5.cap.6.

Beatus STEPHANVS, propter castitatem ab Apostolis fuit deputatus ad custodiam mulierum. Act.6.

IOANNI Apostolo Parthenio Christus Dominus in cruce moriens matrem suam semper uirginem commendare uoluit: ut quamuis illa, cuius castissimum cor Spiritus sanctus inhabitabat, custode alio non egeret, haberet saltem in sexus honorem patronum & defensorem.

IACOBVS Apostolus, cui propter sanctitaris & castitatis opinionem soli Sancta sanctorum ingredi licebat, uiduis & uirginibus Christianis Hierosolymæ præfectus & custos datus fuisse, in Actis scribitur. Marul lib.4.cap.7.

HELIAS Abbas, monasterij uirginum custos. Vide Titulum Monachorum.

EVGENIVS barbarus, Aphricæ rex, Floram & Lucillam sorores, Deoq; dicatas uirgines, Latium incursans, captas abduxerat. Sed cùm eas perpetuam castitatem Deo uouisse intellexisset, libertate donauit. Ad bella egrediens earum precationibus se commendabat, uictorque redibat: & frequenti successu lætatus, Christo ab ipsis prædicato credidit, in tantum ut Romam ad martyrium tendentes relinquere noluerit. Fulg.lib.6.cap.1.

Luceiam Romanam uirginem REX quidam Barbarus, nomine Ancias, cùm captam stuprare uellet, Dei cœli sponsam esse audiuit, & ui abstinuit, ac simul liberam fecit: quinetiā ad Christum conuersus, cùm ipsam Romæ martyrio consumtam audisset, captiuæ suæ sorte incensus, relicto regno, Romam perrexit, & pro ueræ religionis assertione supplicia pertulit. Marul.lib.4 cap.8.

Barangus quidam (sic autem uocabantur satellites Imper. Michaelis Paphlagonis) Thracensem mulierem de stupro appellauit, ac recusanti uim inferre aggressus est. Ea barbarū correpto uiri acinace in cor ferit, ac statim necat. Quod factum cùm per uiciniam innotuisset, coiuere cæteri BARANGI, & mulierem coronauêre, omnibus etiam bonis eius qui ipsam uoluerat uiolare donatam: ipsum autem insepultum abiecerunt, ut lex iubet eos qui sibi mortem consciuerunt. Cedrenus.

Protegitur, Defenditur.

PAVSANIAS Cleombroti F. Mardonio ad Platæas ad internecionem cæso, Coam mulierem, Hegeroridæ filiam, Antagoræ neptem, quam Pharandates Persa inuitam abduxerat, & in pallacarum numero habebat, Coon ad uirum suum cum omni muliebri mundo incolumem remisit. Pausanias in Laconicis.

Cùm Philippus Amyntæ F. post Olynthi expugnationem pro concessa uictoria Olympiæ splendidissima perageret sacrificia, multisque suorum munera largiretur: animaduertit ex amicis quempiam SATYRVM admodum tristem. Rogat, cur solus aliquid humanitatis suæ experiri non dignaretur: cumq; promisisset, quodcunq; petiisset, se libentissimè concessurum: hospitis cuiusdam sui uirgines duas adolescētulas nouis maritis desponsatas, quæ essent inter eius captiuos, se libenter recepturum dixit Satyrus: non ut ex eo munere lucri aliquid cōsequeretur, sed ut addita etiam de suo dote, in matrimonium eas traderet: ne iniuriam tenera ætate indignam sustinere cogerentur. Philippus uirgines duas statim Satyro donauit. Diod.lib.16.

Victo in Cilicia Dario, ceperat quoq; ALEXANDER matrē, uxoremq; Darij, & duas filias uirgines. At sic eas protexit, ut non in hostium castris, uerùm in sacris & sanctis Vestæ templis seruatæ, in abdito extra aliorū oculos agerent. Et quāuis omnium essent pulcerrimæ, tamen Alexander temperare sibi, quàm hostes uincere, magis regium ducens, nec has attigit, nec mulierem ante nuptias cognouit ullam, excepta Barsene uel Barsane, Memnonis Darij ducis uidua. Plutarchus in Alexandro.

P.SCIPIO Africanus, anno ætatis uigesimoquarto cùm Carthaginem oppressisset in Hispania, & maioris Carthaginis capiendæ sumsisset auspicia: inter obsides eximiæ formæ uirgo, ætatis adultæ & iuuenis ipsi oblata fuit. At quamuis & celebs & uictor esset, posteaquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoq; gentis eius Indibili (Plut. Luceium habet) desponsatam: accersitis parentibus & sponso, inuiolatam tradidit: aurum quoq; pro redemtione puellæ allatum, summæ dotis adiecit. Val.li.4.cap.3. Liuius li.7. Dec 3. Plut.in uita Scipionis. Plinius cap.49. de Viris illustr. Flor.li.2.cap.6. Eutrop.lib.3.

M. MARCELLVS in occupatione Syracusarum gessit curam pudicitiæ etiam in hoste seruandæ. Nam priusquam oppidam uictor iussisset inuadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum uiolaret. Augustin li.1. de ciuit. Dei, cap.6.

L. LVCVLLVS, cum Mithridatem Tigranemque Armenium reges Asiæ superasset, capta etiam Tigranocerta urbe, mulieribus ab iniuria militum conseruatis, earum uiros, qui cum Tigrane fugiebant, sibi deuinxit. Dion, & Xiphilinus in Pompeio.

DIOCLETIANVS Imperator, cùm bello uxorem filiasque Narsei Persarum regis cepisset, summa diligentia earum pudicitiam custodiri iussit. Qua continentia non minus magnum sibi apud hostes, quàm armis nomen peperit: eaque res Persas mouit, ut quod antè de imperio Romano occuparant, restituerent, pacemque iustis conditionibus admitterent. Fulgosus lib.4.cap.3.

TOTILA Gothorum rex, Cumis & cæteris Campaniæ urbibus captis, cùm ingentem Romanarum mulierum numerū in illis intercepisset, quas Romani ciues ob nouos belli terrores urbi imminentes procul domo ablegarant, ut earum pudicitia in omnem belli euentum tuta esset (eratq; in his omnis Romana nobilitas) captiuas honestè & sanctè Barbarus penes se habuit, honestoq; comitatu ad suos Romam sine precio dimisit. Sab.lib.6.cap.4.

Buda urbe expugnata à CAROLO Magno, matronarum seruata est pudicitia, nulla uis cuiquam illata. Bonfinius Decadis primæ, libro 9.

Friderico I Imp. Mediolanum obsidente, tędio otij, Fridericus Regis Boemorum VLADISLAI filius, permissu patris, ad expugnandum castellum quoddam, in quo uis magna fru-

DdD menti

menti inerat profectus, prædam militi promisit omnem. Eo capto milites, cum cætera præda, uirgines plurimas, quæ ad sacram ædem confugerant, in prædæ partem deposcebant. Prouocat iuuenis ad sententiam parentis. Is ne fidem filij eluderet, néue captarum pudorem proderet, regio animo, Se precium puellarum militibus daturum, suoq; ære illarum pudicitiam redemturum, affirmauit. Curaret filius, ut integræ parentibus & cognatis omnes gratis restituerentur. Dubrauius lib.12.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliæ rex, capta Massilia, cùm illi nunciaretur, matronas omnes & puellas ciuitatis, preciosissimis rebus onustas, in templum D. Augustini profugisse, eas diligentissimè obseruari iussit: cumq; & illæ uim contumeliamq; pertimescentes, regi per internuncium supplicarent, ut tradita omnium eorum gaza, ipsas tantummodo intactas abire permitteret: non solùm intactas, sed ne uisas quidem, cum omni earum supellectile, ad unam omnes tutò abire permisit. Antonius Panormita de rebus gestis Alphonsi lib.2. & Aeneas Syluius de eius dictis. IDEM Vicario Apuliæ oppido capto, cùm milites à direptione cõtinere nequiret, ueritus ne furor tandem baccharetur in mulierum pudicitiam: cõquisitas cum cura in locum extra muros, procul à militum impetu congregauit seruandas, dato negotio Ioanni Alaino uiro amplissimo: & inibi seruatas simul & illibatas cum præsidio, quò uellent, dimisit, ut post paucos diés tutò ad suos redire possent. Panorm. lib. eodē.

☞ IMPVDICITIA, LIBIDO ODIO HAbetur, reprehenditur, refrænatur, coercetur, punitur. Respectu

Personarum. Qui quos. Nempo

Homines Deos.

LEMNII Venerem adeò contemserant, ut nemo illi sacra faceret: nulla alia re moti, quàm quòd scirent, Venerem adulterium cum Marte commisisse. Alex. ab Alex. lib.2. cap.14.

Filij Parentes.

Semiramidem matrem NINYAS de incestu se compellantē interfecit. Sab. lib.1. En.1 ex Ctesia.

Fratres, Sorores.

Caroli Magni Filiæ parum honestè pudicitiam habere, atque cuilibet infimæ conditionis se prostituere dicebantur. Hanc ob causam LVDOVICVS Pius Imp. post mortem patris, ut notam hanc aboleret, ex Aquitania cum copiis Valam, Vernerum, Landbertum, Iungebertum pręfectos & amicos suos Aquisgranum præmisit: mandans, operam darent, ne quid interim flagicij committeretur, néue stuprorum conscij fuga elaberentur. Vernerus communicato cõsilio cum Landberto, cæteris collegis non consultis, Hatuinum quendam, quem stupri consuetudinem in aula fecisse constans erat opinio, ad se uenire imperauit. Is conscientia scelerum se uocari, ut comprehenderetur ratus, Vernerum, nihil mali suspicantem interfecit, Landberto crus fregit, ipseq; à ministris Verneri gladio confossus interiit. Auentinus libro 4. Annalium Boiorum.

Duces, Milites.

ARISTOMENES Messenius, bello Messenico secundo, in Laconia Caryatides uirgines choros Dianæ agitantes, interdiu ex occulto aggressus, parentum opibus & dignitate pręstantissimam quamq; comprehendit, & ad Messeniæ uicum quendam perduxit. Ibi uirginum custodia certis hominib. de sua cohorte mandata, noctem unam quieuit. Interea iuuenes uino & libidine feruidi, uirgines eas uitiandi cupiditate exarserunt, atq; adeò, ut ne ipsius quidem Aristomenis uocibus, negantis id ius fasq; Græcis esse, conatu absisterēt. Quare ut eas ab iniuria uindicaret, adolescentes aliquot, quorum erat maximè uino incitata licentia, occidere coactus, captiuas tam integras quàm antè fuerant, parentibus magna accepta pecunia reddidit. Pausanias in Messenicis.

Genua à Caroli V. Cæsaris militibus capta, omnia plena erant feminarum eiulatu, & horribili strepitu militum effringentium fores, & domos opulentas truculento impetu immaniq; auaricia diripientium: & erant qui omissa præda, in oblatas feminas sæua libidine grassarentur. Sed ALFONSVS Daualus Piscarius peditum dux, in equum sublatus, feminarum pudorem atroci, sed præclaro admodum facto peregregiè defendit. Quum enim uir Genuensis aspectu nobilis ab ipso transeunte tanquam à milite insigni auxilium postularet, quòd uxori à duobus Hispanis inter lacrymas uis inferretur, extemplò ad eum solus ingressus, alterum passis crinibus matronam attrectantem gladio transfixit: alterū uerò per scalas euadere conanti immani ictu tempora discidit. His interfectis, & in publicum è fenestra præcipitatis, & præcone circumemisso, nemo demùm ullam ingenuam uiolauit. Iouius in Piscario lib.3.

Profani Sacros homines.

[redacted] Valtero episcopo Herefordensi, forfice in gula uulneratum occidit. Ranulfus libro 7. capite 2.

[redacted]

Rerum. Sic coërcetu[redacted]

Osculum libidinosum.

Quum Cassander Pythonem Euij tibicinis amasium per uim osculari uellet, idq; Euium ægrè ferentem sensisset: ALEXANDER iratus exiliit in Cassandrum, clamans: Itáne per uos ne amare quidem cuiquam quicquam licebit? Plutarchus in Apophthegm.

M. CATO censor Manilium Senatu mouit, quòd uxorem inspectante filia osculatus foret. Plutarchus.

Aspectus libidinosus.

Candaulis Lydorum regis VXOR, quòd nuda esset Gygi marito ostensa, pudorem læsum cæde mariti ulta fuit. Sabell. lib 3 Ennead.2.

PERICLES Atheniensium princeps, cùm tragœdiarum scriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, ac is publico officio unà districtus, pueri ingenui formam impensioribus uerbis laudasset: intemperantiam eius increpans dixit: Prætoris non solùm manus à pecuniæ lucro, sed etiā oculos à libidine & aspectu continentes esse debere. Valer. Max. lib.4. cap.3 Plut. in uita Periclis, Cic. lib.1. Offic. At Plut. in uita Isocratis tribuit hoc dictum ISOCRATI.

Sermo turpis.

HIERO Syracusanus comico Epicharmo, quòd uxore eius præsente aliquid locutus esset inhonestè, multam irrogauit. Plut. in regum Apoph.

Habitus luxuriosus.

C. SVLPITIVS Gallus uxorem repudiauit, quòd aperto capite foris fuisset, inquiens: Tibi meos unius præfinit oculos lex nostra, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: alijs uelle uideri formosam, in suspicione & crimine hæreat necesse est. Erat. lib.6. Apoph.

Attentatio.

ACHÆVS puer Hipparinū Syracusiorum tyrannum à militia reuertentem & benè potum, de stupro se sollicitantem, aliū quendam esse existimans, in tenebris interfecit. Parthenius in Amatoriis.

Quum in Macedoniam legati Persæ uenissent, petitum à rege Amynta aquam & terram: Amyntas regi se dedens, liberali eos hospitio excepit, petentibusq; more suo Persis concubinas in conuiuium introduxit. Quas cùm illi attrectarent & oscularentur, indignè rem eam ferens Amyntæ F. ALEXANDER, patrem dormitum ablegauit. Ipse postea data optione Persis cum quacunq; liberet concumbendi, iuuenculas dimisit lotum, & mox sub earum specie introduxit adolescentes ephebos iisdem amictos uestimentis, & pugionibus clàm instructos. Quos simulac Persæ attrectarunt, ipsi pugionibus eductis eos interfecerunt. Herod. lib.4.

Scortatio. Lupanaria abolita.

Qui illegitimo essent thoro procreati, neu parentes alerent, SOLON sanciuit. Enimuerò qui meretricio non abstinet congressu, is perbellè demonstrat, se non liberorum procreationi, sed uoluptati studere, seq; ipsum mercede priuat. Sabell. lib.5. En.2. ex Plut. Solone.

P. Ebutius Fecenia Hispalæ, qua fruebatur, indicio Bacchanalium sacrorum turpitudinē (quibus impulsu matris, atq; uitrici initiandus erat) ad Posthumium Consulem detulit. PATRES cùm rei atrocitate, tum periculo perculsi, ædilibus negotium dedêre, ut antistitem sacrorum, in potestatem redigerent: Triumuiri capitales noctu prospicerent, ne qui in urbe motus aut cœtus nocturni fierent. Proposito edicto, ne talium sacrorum causa in urbe, reliquáue Italia conuentus ullus haberetur, magnus terror peruasit ciuitatem. Multi fugam molientes, circa portas nocte, quæ secuta est, à Triumuiris capti. Multi etiam uiri feminæq; sibi scelerum con-

scij, mor-

scij, mortem occupauêre. Conspirasse supra septem millia uirorum feminarumq; dicebantur. M. Catinius de plebe Romana, Faliscus L. Opiternius, & Ninius Cerinius (hi erant sacrorum antistites) cum omnibus qui stupris aut cædibus uiolati essent, aut testimonia uendidissent, capitali sunt supplicio affecti: qui tantùm initiati, in uinculis habiti. Mulieres stupro pollutæ cognatis traditæ sunt, & iussum iis, in quorum manu erant, ut more maiorum suo arbitrio in illas animaduerterent. Si qua erat, cuius idoneus ultor non extaret, publicè necata est. Consulibus inde datum negotium, ut Romæ ac tota Italia Bacchanalia diruerent. Indicibus Hispalæ & Ebutio singulis centena millia æris ex publico data: additum, ut Hispala ingenuo nuberet, nec fortuna, aut quòd quæstum corpore fecisset, apud uirum noxæ illi esset, nec apud quēquam, quòd ipsius indicio fuisset in plures animaduersum: ut Ebutio emerita stipendia essent, nec inuitus militaret. Sab. lib.7. En.5.

P. SCIPIO Aemylianus Maximus, imperator bello Numantino, collapsam militiæ disciplinam, & dissolutum morem in omne genus licentiæ, eiectis multis millibus scortorum, restituisse fertur, ad opusq; milites traduxisse, stantesq; prandere coegisse, & cocti nil uesci. Alex. ab Alex. lib.1. cap.12. ex Val. Max. lib.2. cap. 2.

Cæcilius METELLVS exercitum Sp. Albini in Africa, mollitie corruptum, seuera disciplina correxit, eiectis meretricibus. Front. lib.4. cap.1. & Val. Max. lib.2. cap. 2.

M. CATO senior Pacho seruo alioqui fidelissimo, quem tres puellas captiuas explendæ libidinis gratia coemisse intellexerat, conspectu suo ulterius interdixit. Plut.

THEODOSIVS Imp. uicto Maximo Romam ueniens, pistrinum quo meretrices prostabant demolitus est: ac quo supplicio deinceps punirentur adulteræ deprehensæ, sanciuit.

THEOPHILVS Imp. meretrices cellulis seu lupanari exturbauit, domumq; eam totā expurgatā, Xenonem (hoc est, ædes peregrinis excipiendis destinatas) fecit, à se denominatum, insigni amplitudine atq; pulcritudine. Cedrenus.

Bohuslaus Hasisteynus, genere & doctrina præcellens, cùm PRAGENSES audiret lupanar publicum incendisse: Hoc non est, inquit, tollere uitia ueneris, sed totam urbem malo ueneris ardore implere, ex uno igne scintillis per singulas domos dispersis. Dubrauius lib.31.

Raptus.

OLO Noruegus Syuardi F. robore insignis, quod alij armis, ipse oculis efficiebat, ut sola uisus acie intuentibus horrorē incuteret. Cùm Scatum & Hiallum fratres Esam Olaui Vermorum reguli filiam, nisi propugnator se offerret, ad stuprū rapturos audisset: rustico habitu eò se confert, & se certamen suscepturum profitetur. Consuêrat autem uirgo hospitum uultus prælato lumine contemplari, præsertim cùm ex notis atq; lineamentis oris & animi mores & genus diiudicare posse diceretur. Ergo quum ad Olonem accessisset, inusitato oculorum eius horrore perstricta, penè exanimis cõcidit secundò & tertiò. Rursum iuuenem conspicari conata, ceu mente capta procubuit. Olauus causam interrogat. Illa se truculento hospitis uisu perculsam testante, eundemq; & regibus ortum, &, si raptorum uota cohiberet, suis perquàm dignum amplexibus asserente, rogatur à cunctis Olo, ut remoto pileo, se cognoscendum prēberet. Tum ille omnium in se oculos eximiæ pulcritudinis admiratione conuertit. Flaua quippe cæsarie, nitentiq; capillitio erat: cæterùm pupillas, ne uisentibus formidini forent, palpebris cõniuentibus tenebat. Inter hæc Hiallus & Scatus cum decem seruis superuenientes, tumultuoso cuncta clamore miscebant, regem, ni filiam in expedito sisteret, euocantes ad pugnam. Quorum debacchationem protinus Olo sponsione certaminis excipit, conditione adiecta, ne quis furtim tergū dimicantis incesseret, sed aduersis tantùm pugna congressibus staret. Gladio igitur Logthi dicto, solus duodecim prostrauit, ductaq; uirgine, Omundum ex ea genuit. Saxo lib.7.

In ea pugna, qua Salomon Vngarorum rex, patruele suo Geysa duce, Chunorū copias fudit, LADISLAVS Geysæ frater Chunum quendā equitē rapta uirgine fugientē insecutus, quum uulnere impeditus raptorē capere non posset, ad uirginem exclamat, ut se pręcipitē ex equo dedat, hostemq; secum trahat. Dicto celerius imperata præstitit puella, quam Varadiēsis episcopi filiam esse rebatur, opinione deceptus. At indignum fore ratus, non æquo cum hoste certamine dimicare, ex equo desiliit: eumq; securi, quam Vngarico more gestabat, trucidauit. Nonnulli uirginem à tergo Chunū, cum Ladislao colluctantē, surrepta securi percussisse ferūt: alij, pro hoste supplicasse. Adiiciunt aliqui, equum Ladislai, domini mādata nutumq; mirificè obseruasse, ita ut hostem morsu calceq; impeteret. Bonfin. lib.3. Dec.2.

Stuprum.

TIMOCLEA Thebana, Alexandro Thebas diruente, hipparchum Thracem, suæ insidiatorem pudicitiæ, singulari astu interemit. Deducto enim eo in hortum, in quo puteus erat, quicquid habuisset auri & argenti, se in eum proiecisse persuasit. Quod ille petiturus cùm descendisset, hęc desuper cū famulis multos lapides & saxa in eum deuoluit, Barbarūq; obruit. Polyænus lib.8.

Qua tempestate Romanorum dux Cn. Manlius in Asia fudit Gallogræcos, CHIOMARA Ortiagontis coniux fortè inter reliquas feminas capta fuit. Ordinum ductor, qui eam ceperat, stuprum ei obtulit. Hic cùm & libidinis & auaritiæ proiectæ esset atq; impotentis, cupiditate tamen pecuniæ uictus, magno auri pondere pactus est de muliere liberanda, quam ad certum locum duxit, precio accepto eam dimissurus. Gallogræci flumen, quod eos dirimebat, transierunt, auroq; tradito Chiomaram acceperunt: illa uni innuit, ut amplexantem se & osculantem Romanum feriret. Qui cùm statim caput eius præcidisset, sublatum ipsa sinu illud inuoluit aufugitq;: & ut ad uirum uenit, caput ante pedes eius abiecit. Qui cùm mirabundus diceret: Præclara res, mulier, fides est: Sane quidem, inquit: sed præclarius unum tantùm, qui copiam mei habuerit, uiuere. Polybius scribit, Sardibus se cum ea collocutum, grauitatem & prudentiam mulieris miratum fuisse. Plut. de Virtutib. mulierum.

Nuptiæ secundæ.

Argiua VIRGO Bryantem præfectum, ob uiolatam pudicitiam eadem nocte, cùm somno esset oppressus, oculis priuauit. Pausanias in Corinthiacis.

Acutè, ut cætera, Lucanus, CORNELIAM Metelli Scipionis filiam, Magni Pompeij ultimam uxorem, inducit, pellicem se Iuliæ uocantem: quasi etiam tum, inter uiuentem & manes duraret copula tātæ charitatis. Viues de Officio mariti.

FROTHO III. Danorū rex sanxit, Si quis uirginis stuprum ui petere ausus esset, supplicia abscissis corporis partibus lueret: alioqui mille talentis concubitus iniuriam pēsaturus. Saxo libro 5.

CAROLVS IV. Imp. Boemiæ rex, sanxit legem de uiduis Reginis, offensus nuptiis, quas decoris pristini & maiestatis oblitæ subibant: ut si posthac uidua Regina alij cuiuis, aut Regi, aut Principi nuberet, præter dotem, exilio insuper multaretur. Dubrauius lib.22.

Nuptiæ indignæ.

Cùm superiorum Imperatorum gubernatione, libido atq; luxuria, coercente nullo, inualuisset, auctor Senatui fuit VESPASIANVS Imp. decernendi, ut quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur. Suetonius.

Adulterium.

LYDIS moris erat, ut mulieres, antequam cum maritis concumberent, corpus prostituerent: post nuptias autem omni tempore continentes essent. Si quæ cum alio rem habuisset, sine uenia plectebatur. Aelian. de Var. histor. lib.4.

Ante Cæsarē Augustū nihil legib. in adulteros esse cautū. Nemo enim, quod equidem sciam, causam de adulterio dixit. Nam Clodius de pollutis sacris Bonæ deæ, non de adulterio est postulatus: non prætermissuris id crimen inimicis, si lege esset aliquid de eo constitutum. Primus Augustus legē tulit de adulteriis Iuliam, sed in uiros, & de pudicitia in feminas, sed non ita graui adiecta pœna. Quanquam postea in utrunq; sexum data est actio adulterij, grauiore pœna addita, ut uidere est ex responsis Cæsarum in Codice Iustiniani, & quadragesimoseptimo Pandectarum. L. Viues in 3. lib. Augustini de ciuitate Dei, cap.5.

Præternaturalis libido.

DOMITIANVS Imp. nefandam puerorum prostitutionem lege lata cohibuit. De eo sic Martialis Epigram. lib.9.

Tanquam parua foret sexus iniuria nostri,
Fœdandos populo prostituisse mares:
Iam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida uagitu posceret æra puer:
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater,
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæua libido uiros.
Dilexére priùs pueri, iuuenesq;, senesq;:
At nunc infantes te quoq; Cæsar amant.

C. Cæsar CALIGVLA Spintrias monstruosarum libidinum ægrè, ne profundo mergeret, exoratus, urbe submouit. Suet.

Modi. Huius est loci

Redargutio.

Apud ISRAELITAS adulteræ coarguendæ hic modus erat diuinitùs traditus Mosi. Maritus uxorem ad sacerdotem ducebat, simul & libamentum, decimam partem ephi farinæ hordeaceæ, cui neque oleum neque thus indebatur. Id sacerdos libabat, & ante Dominum ponebat, aquamq; sacrā in uase fictili sumens, puluerem è solo tabernaculi aquę miscebat. Mulierem coram ara sistebat, eique libamentum in

manus tradebat. & ipse aquam amaram diram (quam Redargutionis uocant) in manu habens, iuramento mulierem astringebat, in hæc uerba: Si nemo tecum concubuit, & si stupro non deliquisti in uirum tuum, illæsa esto ab hac aqua amara dira. Sin autem in uirum tuum commisisti, stuprataq; es, & tecum rem habuit uir alius quàm tuus, Ioua exemplum in te statuat dirarũ & periurij apud tuos, femur tibi decutiendo, & uentrem distendendo: ueniatq; hæc dira aqua in tua uiscera ad uentrem distendendum & femur decutiendum. Mulier respondebat, Amen, amen. Tunc sacerdos has diras in scheda scribebat, & aqua amara delebat, eamq; aquam amaram diram mulieri bibendã dabat, sumto prius de manu mulieris libamento, quod ad aram libabat, & aram suffiebat. Aqua epota, si adultera esset, periurij pœnas luebat, uentre distenso & femore decusso: sin extra noxam, illæsa manebat, & prolem gignebat. Num.5.

Achaiæ Gæum, Telluris Eurysternæ fanum est. Ibi taurini sanguinis haustu pudicitia exploratur. Quo epoto, QVI legi fraudem fecerit, statim flagitium dicitur morte luere. Pausanias in Achaicis.

Gangulphi Burgundi militis VXOR, adulterio commaculata, cùm probare uellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si culpã ferret, inde posset leuare. Mira, & à Deo res facta fuit, cùm à fonte manum tolleret, desiccatam extraxit, nõ aliter, quàm si in mediis eam ignibus tenuisset. Itaq; ob prodigium à uiro separata fuit. Fulg.lib.8.cap.1.

Deprehensio.

Indicato à Sole adulterio Martis & Veneris, VVLCANVS minutissimis catenis lectulum cinxit, quibus Venus & Mars ignorantes implicati sunt, & cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum deorum. Hoc dolens Venus, omnem Solis stirpem infandis amoribus prosequuta est. Vnde natus Taurus, quem Minois dicunt, μινοταῦρον. L. Viues in lib.18. Aug. de ciuit. Dei, cap.13.

Procris CEPHALI coniux, à Cephalo marito, qui in uenationem se iturum simulabat, tentata fuit, an matrimonij fidem seruatura esset. Mittit igitur ad eam seruum ignotum, qui multum auri ferens, hoc ei à peregrino uiro quodam, ipsius amore capto, dari ait, si ei corporis sui potestatem uelit facere. Principiò Procris recusat: sed cùm duplum mitteret, consentit. Cephalus ubi eam domum ingredi animaduertit, iamq; ad se, quem alium putabat, accumbere, facem ardentem infert, facinusq; eius arguit. Antoninus Liberalis in Metamorphosi.

Sub id tempus quo Catilina est oppressus, P. Clodius Pulcer, Bonæ deæ sacrarium muliebri habitu ingressus, cum Metelli Põtificis uxore adulterium commisit. Appianus Calphurniam C. Cæsaris coniugem, qui tum Pontifex erat, ab eo adulteratam prodidit. Rectiùs Tranquillus & Plutarchus Põpeiam, Q. Pompeij filiam, quam Cæsar ob id crimen repudiauit, fuisse aiunt, ad quam Clodius media ceremonia penetrauit. Dum huic deæ sacra fierent, nefas fuit uiris interesse, mulierum duntaxat erat id sacrum. Latuit primò Clodius operantium cœtu. Mox Aureliæ ancilla (fuit Aurelia Cæsaris mater) illum ædibus errabundum intuita, quid rei quæreret, sciscitatur. Quum Auram respondisset Pompeiæ pedissequam, perculit uirilis uox mulierculam, suspicataq; quod erat, clamorem repentè extulit. Clauditur continuò domus, & MATRONÆ attentè omnia perscrutantès, Clodium ex tenebroso eruunt cubiculo, turbatisq; sacris dimittunt. Appellatus inde, quòd in operto Bonæ deæ fuisset, allegabatur rei absentia, quòd per id tẽpus, quo in opertum uenisse diceretur, procul ab Roma fuisset. Cicero testis citatus testimonium dixit, Clodium eo die secum Romæ fuisse: testati idem sunt alij quidam illustres. Cæsar post Aureliæ matris testimonium, ab accusatore appellatus, ut diceret, si quid de pollutis ceremoniis compertum haberet, Nihil omnino sibi compertũ respondit, quod de ea re affirmare posset. Nolebat Clodium genere & eloquentia clarum, & quẽ multitudini gratum sciebat, à se alienare. Ab eodem interpellatus, Quid ergo Pompeiam ab se ablegasset? Quoniam, inquit, domum meam non solùm crimine carere oportet, sed etiam suspicione criminis. Sab.lib.5.En.6.

M. Varro testis est, C. Sallustium historiarum scriptorem deprehensum in adulterio ab Annio MILONE, & loris cæsum, dataq; pecunia dimissum. Cicero improperat ipsi Sallustio, quòd paternam domum uendiderit, ut adulterij pœnã declinaret. Macrob. & Gell.lib.17.cap.18.

Castigatio.

Ex loco Iustitiæ correctinæ huc transfer exempla, punitæ Scortationis, Adulterij. Illic Iustitia eius, qui corrigit, hic Puderis studium in aliena libidine coercenda perpenditur.

CVM CERTAMINE. CERTAMINA Pudicitiæ externa, cum aliis, iisque uel

CASTIS.

Pudicitiæ accedit, ut eius causa alter cum altero certet. Id si gloriæ causa fiat, ad Studium quoq; honoris pertinebunt exempla eadem.

ROMANÆ matronæ patriciæ, sacellum Pudicitię, quod in foro Boario fuit ad rotundam Herculis ædem, solæ adire poterãt. Eius ingressu cùm Virginia A. Sulpitij F. patricia quidem, sed L. Volumnio coss. plebeio elocata, adire prohiberetur, ipsa uicissim in parte ædium, quas in Longo habuit uico, aram plebeiæ Pudicitiæ constituit, hortataque est eius ordinis matronas, darent operam, ut ara illa à sanctiorib. castiorib⁹q;, quàm patricia coleretur. Sab.li.7.En.4.

INCESTIS.

Ex præcedentibus locis Pudicitiæ conseruatæ & exercita (Libidinis occasiones fugiendo, quo ad alios) huc non pauca, quatenus certando ab aliena libidine se uindicant.

C. MARIVS (cùm secundo eius consulatu sororis eius filium Lucium uim sibi adhibentem miles quidam forma speciosa Trebonius nomine confodisset: neque multis licet criminantibus, iret inficias se tribunum confodisse, sed causam allegasset probassetque) iussit adferri coronam, quæ uirtutis causa dari solebat, eaq; Trebonium donauit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

LIBIDINIS, LVXVRIÆ ACQVISITIO QVO AD AFFECTVM. Huc pertinent

MAGISTRI, INCENTORES LIBIDINIS & impudicitiæ alienæ.

Consule Tit. Portæ turpes & impudici. Item Tit. Meretricum, quatenus lupanarium illic ratio habetur.

CVIVS, PVTA

Scortationis. Lupanaria instituta, approbata.

VENEREM, quam ex spuma maris procreatam poetæ testimonio sunt, impudicam, ad omnesq; diuulgatam libidines fuisse, propalàm est: quippe quæ plures ex adulterio filios procrearit. Nã ex famoso Martis stupro, genuit Harmoniã, de qua Plut. in uita Pelopidæ meminit: ex Mercurio Hermaphroditũ, ex Ioue Cupidinem, ex Anchisa Aeneã, & ex Bute Erycem. Quas ob res, amorum gratiarumq;, item pulcritudinis & deliciarum & uoluptatũ omniũ, & libidinis atq; coitus dea habita est. Hæc, ne sola impudica uideretur, omniũ prima, teste Lactantio lib.1. ut est in historia, quam prisci Sacrã appellabant, meretriciam artẽ instituit, auctorq; mulieribus in Cypro insula fuit, uti uulgato corpore quæstum facerent. Ex quo apud CYPRIOS, teste Iustino lib.18. mos inoleuit, ut uirgines ante nuptias statutas, dotalem pecuniã quæsituras, in quæstum ad litus maris mitterẽt, pro reliqua pudicitia, libamenta Veneri soluturas. Harum ex numero LXXX admodum uirgines rapi, & in naues imponi iussit Elisa, quum illac transiret è Tyro fugiens, ut iuuentus matrimonia, & urbs sobolem haberet.

Apud BABYLONIOS consuetudo fuit, ut cùm rem domesticam consumsissent, ob uictus inopiam filias suas adigerent ad quæstum corpore faciundum. Item mulieres semel in uita omnibus indigenis communes erant, teste Heród.lib.1.

Athen.lib.12. indicat, POLYCRATEM apud Samios mulieres aliquot uoluptatum architectrices instituisse, ad exemplum Anconis dulcis Sardiorũ, cumq; locum Laura dictũ fuisse, siue Samiorum ἄνθη, hoc est, flores. Idem addit, OMPHALEN eius gentis reginam, per uim uirgines dominorum cum eorum seruis inclusisse ad stuprum, ne sola haberetur impudica. Lydos autem eum locum, in quo feminæ constuprabãtur, γλυκὺν ἀγκῶνα dixisse, sceleris atrocitatem uerbo mitigantes.

THRACES uirgines non asseruant, sed quibus libuit cum uiris, concumbere sinunt. Herod.lib.5.

ILLYRICORVM uirginibus, quas appellant, nonnunquam annorum XX, more patrio non denegatur ante nuptias succumbere quibus uellent, & incomitatis uagari, & filios habere.

habere è quibus uellent. Varro lib.2.cap.10. de Re rustica.

SOLON, ut ab adulteriis cohiberetur iuuentus, coemtas meretriculas Athenis prostituit primus, obuiasque in uenerem esse uoluit, ne matronarum stupro pollueretur. Alexand. libro 4. capite 1.

Quum aliquando adiret scortum ARISTIPPVS, sensit quendam ex adolescentulis, qui aderant, erubescere: quasi turpe esset, philosophum ingredi fornicem. Ad hunc uersus: Huc, inquit, ingredi turpe non est, adolescens: sed egredi nõ posse, turpe. Sensit, ignoscendum, si quis moderatè utatur licitã uenere: non ignoscendum, si quis addictus uoluptati seruiat. Hoc dictum illo seculo probari poterat, quo nulla lex uetabat cum scorto congredi: nunc præter argutiam nihil habet laudabile. Laertius lib.2.cap.8.

CRATES Thebanus, cùm filiũ Pasiclem in meretricis domũ perduxisset, dixit: Hoc tibi est patriũ coniugium. Nã mœchi tragici præmia referunt exilia ac cædes: Comici aũt fornicatores, ex luxu & temulentia lucri faciunt insaniã. Sensit homo ethnicus, quasi tragicã esse rem adulterium, quòd plerunq; crudelis sit eius exitus. Scortari autem esse comicum. Scortatio enim non mortis damnatur supplicio: nihilominus tamen, qui depereunt in meretricem, in comœdiis inducuntur insanis similes. Laert.lib.6.cap.5.

Amantissimus QVIDAM filij, cùm eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate pater inhibere uellet: salubri consilio patriam indulgentiam temperauit. Petiit enim, ut priusquã ad eam quam diligebat iret, uulgari ac permissa uenere uteretur. Cuius precibus obsecutus adolescens, infelicis animi impetum, satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat tardiorem pigrioremq; afferens, paulatim deposuit. Val.lib.7.cap.3.

VENETI è Germania olim quotannis certo stipendio meretriculas conducebant, quæ uulgi prostarent libidini, iuxta carnificinam publicam, ubi D. Matthæi fanum est. Ceterum ea fuit Venetarum mulierum docilitas, ut Barbaris nunc non sit opus scortillis, quando re ipsa ostenderunt, siue copiam, siue artem meretriciam spectes, κρείττονας εἶναι διδασκάλων μαθητὰς. Egnatius lib.6.cap.1.

[redacted]

Incestus.

[redacted]YSATIS auctor fuit filio Artaxerxi incestus cum Atossa filia. Hanc enim cùm animaduerteret regem perditè at occultè amare, suasit ei ut puellam duceret, quamuis eam Tiribazo satrapæ iam despondisset. Legem enim Persis ipsum à deo, honestiq; & inhonesti datam normã dictitabat. Plutarchus in Artaxerxe.

PTOLEMÆVS Aegypti rex, ut sororis suæ coniugio liberè potiretur, passim fratrum & sororum matrimonia permisit. Alex.lib.1.cap.24.

HERACLIVS Imp. incesti fuit legislator amoris, ut commodius Martinam filiam fratris ducere posset. Suidas.

ANDRONICVS tyrannus Irenem, ex consobrina Theodora Comnena natam, & Alexium, Manuelis ex incesto concubitu Theodoræ filium, uoluit iungi matrimonio. Conuentu itaq; tum politicorum tum ecclesiasticorum indicto, breue scriptum publicè recitandum & deliberãdum cœtui exhibet, cuius quidem hæc erat summa: An ferẽdum esset matrimonium, quod cùm parùm aut nihil potiùs incommodi præ se ferret, tamen ad Orientis & Occidentis coniunctionem, & ad captiuorum redemtionem pertineret, & plura alia commoda reipublicæ allaturum esset? Maxima pars largitionibus corrupta, negabat eas personas inter se cognatas esse, quia illicitis nuptiis essent procreatæ. Pauci contrã sentiebant, incestas esse eas nuptias, eamq; ob causam minimè approbandas. Patriarcha Theodosius cùm nihil se proficere cerneret, in insulam Terebinthum, ubi & diuersorium & sepulcrum sibi struxerat, in spontaneum exilium abiit. Andronicus nuptias incestas perfecit, Bulgarorũ episcopo, qui tum in urbe erat, omnia pro uotis Andronici peragente. Mox Camatero Basilio patriarchatum detulit, aut potius uendidit, cùm promisisset, se, quicquid cordi esset Andronico, facturum. Nicetas in Alexio Comneno.

Imperator HENRICVS IV: quum iam alteram sibi iunxisset uxorem, Vtonis marchionis uiduam, nihil modestius in ea se gessit, quàm priore. Nam filium suum Conradum, optimum adolescentem, & qui meliori parente dignus uideretur, ad uxoris fertur inuitasse cõplexum. Quumq; horreret infandum crimen bonus iuuenis, ut eum ad scelus animaret, fertur illi in aurem dixisse, se patrem illius non esse, nati adulterio: & ideo thorum suum non esse illi tantopere refugiendum. Magis magisq; aucto in pudente iuuene horrore, meditatur patris cedere furori: idq; fecit, concedens in Italiam. Ibi præsidio Mathildis nobilissimæ feminæ susceptus est: cùm pater illum iam antè regem iussisset coronari. Regina uerò elapsa de manibus Henrici, peruenit & ipsa in Italiam, ductuq; Mathildis ad Vrbanum pontificem. Pòst reuersa in patriam, monasticam uitam ingressa est. Cranzius lib.5. Metropolis, cap.21.

PÆDERASTIÆ.

Herod. Persas ait à GRÆCIS doctos pueris cõsuescere. Atqui quomodo à Gręcis Persę huius libidinis acceperint institutionẽ, apud quos testantur ferè omnes, prius quàm mare aspexissent Gręcũ, exectos fuisse pueros? Plut. de Herod. mal.

AESCHYLVS & SOPHOCLES, per tragœdias amores in theatra induxerunt: alter Achillis erga Patroclum, alter Niobes erga filios. Quo effectum fuit, ut tragœdiam nonnulli postea pæderastam nominauerint. Athen.lib.13.cap.27.

ADVLTERIORVM.

Lucianus iure optimo, in dialogo de Mercurio & Sole, IOVEM exagitat ut adulteriorum autorem, cùm ante illum Saturni tempore magna esset pudicitiæ existimatio. Iuuenalis Satyra sexta:

Credo pudicitiam Saturno regè moratam
In terris, uisamq; diu, cùm frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq;, laremq;.

In Græcis Epigrammatis poeta quidam nonnulla Iouis adulteria connumerauit:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Fit taurus, cygnus, Satyrusq;, aurumq;, ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopæ, Danaes.

Natalis Comes Mythologiæ libro 2. cap.1.

Ex SOLONIS legibus feminæ, quæ uiros parum ad rem uẽneream idoneos sortitæ essent, unum quem uellent, ex mariti propinquis, impunè admittebant. Sab.lib.5.En.2.

Helius Cinna Trib. Pleb. plerisq; confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam IVL. Cæsar ferre iussisset, quum ipse abesset, uti uxores liberorum quęrendorum causa, quas & quot ducere uellent, liceret. Suetonius.

MONSTROSARVM LIBIDINVM.

TIBERIVM Imp. horrendarum libidinum magistrum Suetonius tradit.

QVOMODO. NIMIRVM

RELIGIONE.

BACCHANALIA sacra uberrimum apud cunctas fermè gẽtes libidinis seminarium fuère: quorum, uti testatur Herod. auctor fuit MELAMPVS Amythaonis filius, primusque ad Græcos detulit ex Aegypto, ubi ea sacra fieri cepere. Feminæ statuas cubitales è neruis compactas, quibus ingens mentula in uentre extabat, per pagos, præeunte tibia, circũferebant, Bacchum canentes. In Parnaso monte Bacchanalia, quæ Græcis Dionysia dicuntur, alternis annis acta sunt, magno cùm hominum multo mero incalentium clamore, tum tympanorum crepitu. Haud ita multo pòst, Gręcus quidam homo ignobilis, eiusmodi sacrorum antistes in Hetruriam uenit, docuitq; ritus. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam penetrauit, ubi mirandum in modum morbi cõtagione matronarum pudicitiam corrupit. Primò sacrarium feminarum fuit, nec quisquam uirorum admittebatur: tres in anno statutos dies habebant, quibus interdiu Bacchis initiarentur, sacerdotes inter se matronæ creabantur. Quum demùm Paculla Minia Campana facta est sacerdos, hæc omnia tanquam deorum monitu immutauit: sanè uiros & cũ primis filios initiauit, nocturnumq; sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quinos in singulos menses dies initiorum sacros fecit. Tum promiscuò sacra uiri feminis permisti facere cœperunt. ubi quum per noctis licentiam quiduis scelerum unicuiq; ędere liceret, nihil flagitij pręter mittebatur: siquidem eo loci stupra pariter atq; cædes redũdabant, quando qui aut ad uenerem pigriores, aut dedecoris minus patientes erant (nam postremò nemo maior uiginti annis initiabatur) morte afficiebantur: nec id multis cognitum: quum nulla uox queritantiũm præ ululatu, tympanorum, cymbalorumq; strepitu exaudiri posset, & mortui ex conspectu illicò in specus abderentur. Summa religionis erat inter eos, uiros uelut mente captos, corporis iactatione fanatica uaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus passis cum facibus ardentibus discurrere, & mactatos dici à diis raptos. Verùm ad extremum tantorum scele-

rum indicio à Fecenia (de qua sub Tit. Meretricum) ad Sp. Posthumium Albinum, & Q. Martium Philippum Coss. delato, religio pestifera extincta est, anno Vrbis conditæ D LXVIII. Polyd. lib. 3. cap. 17. de Rerum inuent.

LEGE, IMPERIO.

MESSALINA Claudij Imp. uxor cogebat etiam cæteras mulieres luxuriosè & petulanter uiuere, efficiebatq;, ut multæ in palatio uiris suis præsentibus ac uidentibus, cum adulteris coirent: eorumq; uiros ipsa diligere, honoribus atq; dignitatibus augere: cæteros qui id non paterentur, odio habere, ac modis omnibus perdere solebat. Claudius autem multo tempore harum rerum erat ignarus, propterea quòd Messalina ancillulas quasdam ei suggerebat, cum quibus rem haberet. Xiphilinus.

NERO Imperator post multa atq; diuersi generis edita spectacula, publicè sumtuosam in theatro cœnam dedit. Cumq; in ea unà cum Tigellino medium ipse teneret locum, concessit ut in tabernas atq; lupanaria, quæ ibi ædificauerat, omnes ingrederentur, atq; cum omnibus mulieribus rem haberent. Aderant autem pulcerrimæ & clarissimæ ancillæ, liberæ, scorta, uirgines, uxores multorum ciuium, nõ solùm plebeiæ, sed etiam nobilissimæ puellæ & mulieres: ubi poterat quisq;, ea quam cuperet, potiri: negare licebat nemini. Tum seruus cum domina, præsente domino suo, & gladiator cũ uirgine nobili, spectãte patre, rẽ habuerunt. Xiphilin.

VITIZA Gothorum rex in Hispania, nullum genus libidinis intẽtatum reliquit: & tam clericis quàm laicis licentiam dedit tot mulieres, quot uellent, ducendi. Hoc modo omnis castitas & honestas proscripta fuit.

EVENVS III. Scotorum rex, centum concubinas ex nobilioribus matronis uirginibusq; delectas habuit. Legem tulit, ut liceret singulis plures uxores, aliis sex, aliis decem pro opibus ducere: ut nobilibus plebeiorum uxores communes essent: deniq; ut uirginis nuptæ florem loci dominus delibandi potestatem haberet. H. Boethius lib. 3.

ADHORTATIONE.

Alex. Magnus, postquã in regiã Gedrosiæ uenit, relaxauit exercitum intempestiuis conuiuiis. Ferunt temulentum chororum ludos spectasse, amasium eius Bagoam choragum palmam obtinuisse, exornatumq; medio theatro transisse, & ad latus eius consedisse: MACEDONAS, cùm id uiderent, plaudentes ut osculum ei ferret: conclamasse, quoad illum complexus & dissuauiatus sit. Plut. in Alexandro.

Cleonymus Spartanus rex, uxorem formosam & familiæ regiæ Chelidonidem, Leontychidis filiam, duxerat: quæ Acrotati amore, Arij (q Cleonymi frater erat) filij, deperibat. Pyrrho urbem oppugnante, Acrotatum & SENES & MVLIERVM caterua præclarè certantem contemplati sunt. Cùm iam media urbe stationem suam repeteret cruẽtus & exultans elatusq; uictoria, celsior ac pulcrior est Lacænis uisus, Chelidonidemq;, quòd talem haberet amatorem, prædicauerunt beatam. Præterea grex senum secutus conclamauit: Perge Acrotate, & complectere Chelidonidem: tantùm bonos Spartæ procrea. Plut. in Pyrrho.

DOCTRINA, EXEMPLO.

BALAAM docuit Balachum regem, quomodo per mulieres posset Israelitas ad idololatriæ peccatum trahere, & Dominum contra illos ad iram prouocare. Num. 25. & 24.

Phocus, Phocionis uiri optimi & fortissimi degener filius, cùm amore cuiusdam puellę apud lenonem degentis teneretur, ac fortè fortuna THEODORVM Atheum in Lycęo ita audisset differere: Si non est turpe soluere amicum, ne amicam quidem soluere turpe erit: si socium, ergo & sociam (ἑταίρας Gręci scorta uocant) liberare licebit. Hunc sermonẽ suæ cupiditati accõmodauit, & puellã redemit. Plut. in Phocione.

Romani ALCÆVM & PHILISCVM Epicureos ex urbe eiecerunt, quòd multarum flagitiosarumque libidinum auctores essent, & uoluptatibus contra rationis præscriptum indulgerent. Messenij quoque EPICVREOS expulerunt, ne aliorum uitam turpissimis moribus inficerent. Aelianus libro 9. Variæ hist.

Amantissimus QVIDAM filij, cùm eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insania cupiditate pater inhibere uellet, petiit, ut priusquam ad eam, quam diligebat, iret, uulgari ac permissa uenere uteretur. Cuius precibus obsecutus adolescens, infelicis animi impetum, satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat, tardiorem pigrioremq; afferens, paulatim deposuit. Valerius libro 7. capite 3.

Idem fecit CRATES Thebanus, cùm filium Pasiclem in meretricis domum perduxisset: Hoc, inquit, tibi est patrium coniugium. Nam mœchi tragici præmia referunt exilia ac cædes: Comici autem scortatores, ex luxu & temulentia lucrifaciunt insaniam. Laert. lib. 6. cap. 5.

CALVIA Crispillina fuit magistra libidinum Neronis, digna discipulo magistra. Tacitus lib. 17.

FLORENTIVS presbyter Benedicto Abbati insidians, quem occulta fraude uincere nequiuit, aperto bello aggredi decreuit. Meretriculas de prostibulo euocatas, in hortũ monasterij adduxit, quæ impudenter inter se lasciuiendo, monachos ad libidinem prouocarent. Abbas cùm iam non uitæ suæ unius, sed animabus cunctorum, qui secum erant, periculum uerti uidisset, loco cessit, & unà cum suis longiùs migrauit. Florẽtinus quòd eos fugere cõpulisset, exultans, repẽtino pauimẽti collapsu elisus, expirauit. Marul. lib. 5. cap. 2.

SCRIPTIS.

Archytas Harmoniacus, ut inquit Chamæleõ, ALCMANEM scribit amatoriorum carminum ducem fuisse, primumq; intemperans carmen edidisse. Athen. lib. 13 cap. 26.

STESICHORVS lasciuus, genus hoc cantilenarum constituit, quæ antiquitùs παιδικὰ sunt dicta. Athen. li. 13. cap. 27.

CRATINVS, de uariis modis concubitus scripsit. Vide Tit. Poetæ impudici.

SOTADES Maronites cinædus & poeta, turpissimos scripsit Iamborum libros, quos appellauit Cinædos, lingua Ionica: in quibus libidinum lasciuę species & descriptiones inerãt. De quo Martialis dicit:

Nec retrò lego Sotadem cinædum.

Retrò enim eius carmina legebantur, ut sensus tegeretur. Volater. lib. 19. Anthrop.

Verè pudicus non de suo tantùm, sed & aliorum pudore sollicitus erit. Quid ergo de CATVLLO sentiendum, qui Aurelio & Furio pathicis dira minatur,

Qui illum ex uersiculis suis putarint,
Quòd sint molliculi, parum pudicum.

Excusationem uerò addit frigidissimam:

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, uersiculos nihil necesse est:
Qui tum deniq; habent salem, ac leporem,
Si sint molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possint.

ELEPHANTIS lasciuissima femina, PHILÆNIS meretrix Leucadia, & ASTYANASSA Helenæ Menelai ancilla, de uariis generibus concubitus libellos [redacted]

ALEXANDER Antigenem, cùm [redacted] fontica causa immiscuisset se, essetq; nomen suum pro[redacted] ut manifestus fuit fictæ ualetudinis, qui ualidus esset: [redacted] militarem, & corpus eius uulneribus conspiciens cõcisum, indoluit Alexander. Quo causam requirente, Telesippæ amore se deperire fassus est, eamq; deducere ad mare, quòd eius desiderium non ferret, uoluisse. Ibi: Cuius est, hæc mulier, inquit, Alexander, & quis de ea appellandus? Ingenuã esse ostendente Antigene: Ergo adducamus, inquit, eam, ut hic maneat, promissis & donis. Adeò cuiuis citiùs amanti quàm sibi ignoscebat. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

In exercitu Q. FABII Max. adolescens merebat Tarentinus: in quem sororis, quæ commorabatur Tarenti, summa fides & pietas extabat. Eius amore Brutius quidam (quem Polyænus lib. 8. Abrentium uocat) præsidij quod Tarento Annibal imposuerat, præfectus deperibat. Is re cum Fabio communicata, in urbem ad sororem contulit se pro transfuga. Brutium accersit mulier, eiq; fratrem conciliat. Mox adiutor hic in amore, cùm magis quàm antè facilem illi & obnoxiam uideretur præstare sororem, ita eum deuinxit sibi, ut non difficulter magnorum spe præmiorum, quæ Fabium ostendit donaturum, perpulerit ad proditionem. Nocte igitur constituta, cùm alio loco tumultus exoriretur, alio Fabij milites scalis ascenderent, captum fuit Tarentum. Plutarchus in Fabio, & Liu. lib. 7. Dec. 3.

Q. FABIO Maximo Coss. militem Lucanum manipulares detulerunt extra castra pernoctare, & signa sæpe relinquere. Fabius, Qualis nam aliàs esset? rogauit. Cùm omnes confirmarent, Nemini militum secũdum esse, simulque eximia quædam eius decora atque facta commemorarent: causam ubi eius absentiæ perquisiuit, amore mulierculæ inuenit captum, & illius fruendæ gratia longum quotidie iter & periculorum plenum à castris commeare. Mittit igitur certos clam milites, à quibus attractam puellam in tẽtorio suo occuluit. Lucano inde remotis arbitris accersito, Non me fefellit, inquit, contra disciplinam militarem te, & contra

contra leges Romanas crebrò extra castra pernoctasse: nec uerò etiam uirtutes ignoraui tuas. Factis tuis strenuis, quã commisisti, condonabo fraudem: posthac alteri mandabo tui custodiam. Stupente milite, producit mulierem, atq; ei tradit, additq;: Hæc spondet te in castris mansurum: tu re ostendes, num quod aliud ob facinus castra deserueris, cuius causæ amorem & hanc prætexueris. Plut. in Fabio.

Vxorum.

Vide paulo pòst Lenonum titulum. Hic Affectus, illic Subiecti, quod acquiritur, ratio habetur.

In Dentonis VXOREM, Martialis libro 8.

Nescio quid de te non bellè, Dento, fateris,
Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab urbe redi:
Nam dum tu longè deserta uxore, diuq;
Tres quæris natos, quattuor inuenies.

BLANDITIIS.

Licinius VALERIANVS Imp. cùm Christianos à sæuitia tormentorum inuictos esse uideret, blãdis rationibus illos expugnare instituit. Inter quas etiã hæc fuit, quòd adolescentes in molli lecto ligatos, probè saginatos, à nudis mulierculis tentari uoluit. D. Hieron. in uita Pauli.

DISCIPVLI.

Vbi Magister, ibi Discipulus. Proinde ex præced. huc pleraq;, personarum tamen respectu diuerso.

LEGE, CONSVETVDINE IMPVDICI FACTI.

Apud BABYLONIOS, omnes mulieres indigenas oportet semel in uita, ad Veneris templum desidentes, cum externis uiris consuetudinem habere. Multæ uerò diuitiis tumẽtes, cùm sui copiam aliis facere apertè nolint, uehiculis tamen cameratis subuectæ, pro templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitij turba. Pleræq; autem hunc in modum faciunt. Ad templum Veneris sedent, corollis tempora reuinctæ: è quibus dum aliæ seorsum abeunt, aliæ regrediuntur: nam transitus undecunq; sic funiculis distincti, aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuiq; libuerit deligendam. Cùm semel illic consederint, non priùs domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in gremium iniecerit, & cum eadẽ à fano seorsum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti egò tibi deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrij Venerem appellant. Pecuniã illam, quantulacunq; sit, non est fas reiicere, sed in sacrum conuertitur usum. Neq; mulieri licet hospitem aliquem repudiare: sed quicunq; is est, qui pecuniam obiecerit primũ, hunc illa sequitur [redacted] dilectum. Postremò ubi iam cõgres[redacted] cum externo mulier, dea expiata, domum reuerti[redacted] deinceps facilè cuilibet commiscetur. Iam quæ for[redacted] sunt elegantiore, citiùs expediuntur: quæ uerò deformes, diutiùs coguntur desidere pro templo, antequam legi satisfaciant. Fitq; interdum, ut uno atq; altero anno, aut etiã triennio, atq; ampliùs, expectare oporteat miseras. Alicubi, nempe in CYPRO similis quædam lex est. Herod. l. 1.

CONVERSATIONE.

BVBVLCVS illic apud Bionẽ, Bucolicis (referẽte Stobęo Ser. 61.) hæc de seipso affert:

Ἁ μεγάλα μοι Κύπρις ἔθ' ὑπνώοντι παρέστα,
νηπίαχον τὸν Ἔρωτα καλᾶς ἐκ χειρὸς ἄγοισα
ἐς χθόνα νεύστάζοντα, τόσον δέ με · ἔφρασε μῦθον·
μέλπειν μοι φίλε βῶτα λαβὼν τὸν Ἔρωτα δίδασκε.
ὣς λέγε. χ' ἁ μὲν ἀπῆλθεν· ἐγὼ δ' ὅσα βουκολίασδον,
νήπιος, ὡς ἐθέλοντα μαθεῖν τὸν Ἔρωτα δίδασκον·
ὡς εὗρε πλαγίαυλον ὁ Πάν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα,
ὡς χέλυν Ἑρμάων, κίθαριν ὡς ἁδὺς Ἀπόλλων.
ταῦτά μιν ἐξεδίδασκον· ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων,
ἀλλά μοι αὐτὸς ἄειδεν ἐρωτύλα, καί μ' ἐδίδασκε
θνατῶν ἀθανάτων τε πόθως, καὶ ματέρος ἔργα.
κἠγὼν ἐκλαθόμαν μὲν ὅσων τὸν Ἔρωτα δίδασκον,
ὅσσα δ' Ἔρως μ' ἐδίδαξεν ἐρωτύλα πάντ' ἐδιδάχθην.

Magna mihi Venus adhuc dormienti adstitit, infantẽ Amorem pulcra manu ducens, in terram nutãtem, ac his me uerbis affata est: En tibi chare bubulce Cupidinem, ut eum canere doceas. sic loquuta abiit. Ego autem mea pastoralia carmina stultus, tanquam discere uolẽtem Cupidinem docebam: quomodo fistulam obliquam Pan inuenerit, Mineruа tibiam, testudinem Mercurius, & citharam dulcis Apollo. Hæc ipsum edocebam, nihil curantem mea carmina. At ipse mihi canebat amatoria, meq; docebat mortaliũ & immortaliũ amores, & matris opera suæ. Tum ego oblitus illorum quæ Amorem docueram, quæcunq; me docuit Cupido amatoria cuncta didici.

SPARTANAS mulieres ob nimiam uiuendi libertatem parum pudicas esse, testãtur hæc uerba Pelei, increpantis Menelaum, apud Eurip. in Hecuba:

—— Οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις,
σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
δρόμους, παλαίστρας τ', οὐκ ἀνασχετὰς ἐμοί,
κοινὰς ἔχουσι. κᾆτα θαυμάζειν χρεών,
εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε;

Neq; si uelit quispiã, casta esse queat Spartana puella: quæ cum iuuenibus relinquentes domos, nudis femoribus, & tunicis dissolutis, cursus & palæstras, non tolerabiles mihi, communes habent: & tamen mirum uidetur, quòd non castas mulieres educatis?

PEREGRINATIONE.

De LÆVINA casta, & ad Baias adultera, Martial. lib. 1.

Casta, nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa uiro,
Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno,
Et dum Baianis sæpe fouetur aquis,
Incidit in flammas, iuuenemq; secuta, relicto
Coniuge, Penelope uenit, abit Helene.

OTIO.

Proci Penelopes, AEGISTHVS, & similes, intemperãtiæ suæ fomitem habuere otium. Vnde Ouidius:

Quæritur Aegisthus, quare sit factus adulter.
In promtu causa est, desidiosus erat.

PICTVRA.

CHÆREA Terẽtianus tabulæ pictæ aspectu, quę Iouis in Danaes gremium aureo imbre sese effundentis fabulam continebat, ad uim psaltriæ inferendam excitatus fuit.

EXEMPLO BRVTORVM.

BARBARA, Sigismundo Cæsare mortuo, cùm ei diceret aliquis, Imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam castitatem seruaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari uolucres iubes, cur nõ columbas potiùs, passeresq; proponis? Aeneas Syluius, de dictis Sigismundi & Friderici Imperatorum.

LIBIDINIS ACQVISITIO QVO AD SVBIECTVM siue OBIECTVM. Quatenus rem amatam acquirunt, uel saltem acquirere conantur, uel

IPSIMET, INHONESTIS, INdignis modis. Putà

HOMICIDIO, CÆDE EORVM, qui impedire possent.

Consule Tit. Perfidiæ Vxorum uel Maritorum erga coniuges. quatenus in gratiam pellicum uel concubinorum coniuges interficiunt.

Phocus Bœotus origine (erat enim ex Clisante) pater fuit Callirrhoes puellæ specie & castitate eximia. Huius nuptias IVVENES triginta totius Bœotiæ spectatissimi petebant. Verũ alias ex aliis moras Phocus, ne uis sibi adferretur timẽs, nectebat. Deniq; obsecrantib. illis, Apollinis arbitrio optionem relinquere uolebat. Ea oratione illi inflãmati, impressione data Phocum obtruncarũt. Medio tumultu puella effugit per campos. Insequentib. iuuenib. rustici, qui in area frumentum coaceruabant, eam absconderunt in frumẽto. Ita salute parta, festum expectauit omnib. Bœotis solenne. Tũc Coroneã profecta, supplex in Iunonis Itoniæ ara sedebat, ac procorũ flagitium nãrrans, nomen cuiusq; & patriã edidit. Misericordia ducti Bœoti puellæ, exarserunt iracundia in iuuenes. Qui de his edocti, Orchomenon confugerunt. Reiecti ab Orchomeniis, contulerunt se ad Hippotas (uicus erat propter Heliconẽ inter Thebas & Coroneã iacẽs) hi receperũt eos. A quib. cùm per legatos exposcerẽt Thebani Phoci percussores, neq; illi dederẽt eos: bellũ intulerũt his cũ cõmuni Bœotorũ duce Phædo, qui per id tẽpus imperiũ Thebanorũ regebat. Circũsidentes uicũ, qui munitus erat, fame eum expugnauerũt, homicidasq; saxis obruerunt: incolas uici in seruitutẽ abripuerũt, mœnibusq; ac tectis disiectis diuiserũt agrũ Thebanis & Coroneis. Nocte, quæ antecessit Hippotarũ deditionẽ, uocẽ ex Helicone ferũt auditam dicẽtis cuiuspiã, Adsum: ac uocẽ eam Phoci esse, procos illos omnes XXX agnouisse. Quo die lapidib. fuerunt obruti, monimentum huius senis in Clisante croco memorant fluxisse. Phædum Thebanorum rectorem & ducem ex bello regressum, cùm nunciatum esset ei natam filiam, accepto omine Nicostratam appellasse. Plut. in hist. Amatoriis.

Cammæ feminæ Galaticæ forma eximiæ Sinato tetrarchę nuptæ, amore SINORIX Galatarum potentissimus flagrãs: quòd ui stuprum ei offerre uiuente Sinato uel inducere nõ posset, interfecit illum. Erat Cammæ solamen & alleuatio doloris paternum Dianæ sacerdotium, ac ferè in delubro degebat, nec ullum ex multis suis & potentibus procis admittebat. At cùm non dubitasset eam Sinorix de connubio appellare, hominis tentationem non reiecit, neq; de admissis cum eo expostulauit: quasi eo Sinorix ipsius charitatẽ & desiderio, nõ alia improbitate, impulsus fuisset. Qua spe fretus ille uenit petitum eius nuptias. Illa processit ei obuiam, comiterq; exceptum Dianæ aræ admouit, libauitq; ex phiala aquam mulsam, ut creditur, uenenatam. Inde cũ prior ipsa fere dimidium eius exhausisset, reliquũ Galatæ porrexit. Quem ut conspexit ebibisse, altè exclamauit, appellato defuncti nomine: Hanc, inquit, dum diem ego charissime uir expecto, mœsta sine te uixi. Nunc accipe me lætus: nam pœnas cædis tuæ ab omnium mortalium sceleratissimo sum persecuta: & consors tibi uitæ, huic mortis cupidè sum facta. Ac Sinorix, dũ in lectica aufertur, breui pòst expirauit. Camma, cùm diẽ illũ & noctẽ superuixisset, dicitur hilari animo exanimata fuisse. Plut. Sermone amatorio.

ASINÆVS & ANILÆVS Iudæi fratres, Neerda Babyloniæ urbe orti, manu facta sceleratorum, Babyloniæ satrapam uicerũt. Artabanus Parthorum rex uirtutem illorum admiratus, Babyloniæ eos præfecit, adeò ut tota Mesopotamia ab Asinæi nutu penderet. In hac felicitate exactis annis quindecim: uenit fortè in eas regiones Parthorum quidam dux cum coniuge. Hanc adamare cepit Anilæus. Cæterùm cùm nulla spes esset potiũdi muliere, bello maritum eius petiit: primoq; conflictu cæso Partho, uxorem accepit: quæ tamẽ religionem Parthicam deserere noluit, sed publicè etiã impiis sacris operabatur. Quod cùm amici reprehenderent, Anilæus mulieris amore uictus quosdam occidit: eademq; Asinæum ueneno sustulit. Itaq; solus rerum potitus, omnia pro libidine agere cœpit: & Mithridatem Artabani generũ incautum cepit. Ille dimissus, maioribus copiis Anilæum adortus, æstu confectos milites miserè trucidauit. Anilæus fuga uix elapsus, tandem simulatione pacis à Babyloniis somno uinoque grauis cum asseclis omnibus cæsus est. Eo tyranno liberati Babylonij, Iudæos omnes exegerunt in Seleuciam. Vbi quinquennio exacto tranquillè, tandem conspiratione Syrorum & Græcorum cæsi sunt supra L uirorũ millia: reliqui Ctesiphontem se contulerunt. Vbi pariter exagitati à Græcis, tandem Neerdam & Nisibim Babylonię urbes redierunt. Iosephus lib. 18. c. ult. Antiq.

L. Sergius CATILINA, ut Aurelia Orestilla frueretur, filium eius ueneno sustulit: quòd is iam adultus terrori esset matri, ne secundùm nuberet. Salust. & Valerius.

NERO Cęsar duxit post alias uxorem Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, uirum eius Atticum Vestinum Coss. in honore ipso trucidauit. Suetonius.

IRENE Augusta Alexij uxor, consuetudine Tryphonis (qui Manuel postea dictus est) usa, mortuo marito conabatur imperium adultero astruere. Cùm enim feminæ auspiciis tantum imperium administrari non posset: principes eã ad nouum hortabantur connubium, ut scilicet ex omni procerum nobilitate, quem sibi uellet, in maritum legeret. Vocato ad se isto exoleto adultero, nefarium aperit consiliũ. Est (inquit) mihi in animo, ne nouo matrimonio locata, fructu nostrę consuetudinis caream, te, si uir uerè sis, ad imperij fastigium promouere. Sed tu intellige, qua id ratione confici possit. Audio te multos familiæ tuæ uiros habere in agris: hos tectis armis in urbem densis itineribus, diuersoq; tempore inducas. Tum proceribus imperij uocatis, stipulari ab eis incipiam, uelint iubeantq; me nubere cui uelim, sint'ne cui nupsero pro Græciæ Imp. habituri? Si id se facturos dixerint, tum ego te & meum coniugem & Imperatorem salutabo, in tua uerba cogam iurare omnes. Quod si facere recusabunt, tum hominibus tuæ factionis ad unum trucidandos obiiciam. Probat ferox & amans iuuenis mulieris consilium, atq; hominibus comparatis, auersati principes tam sordidas nuptias, ad unum omnes ferro cæsi sunt. Cæterùm fabula potiùs quàm historia uidetur esse: neq; enim Alexio, sed Caloioanni successit Manuel. Cuspin.

EDGARVS rex Anglorum Alfredam Etheluoldi uxorem formosissimã stuprauit, maritumq; eius ut ea potiretur interfecit. Polyd. lib. 6. & Ranulphus lib. 6. c. 11. & Gulielmus Malmesburiensis lib. 2. cap. 46.

ADELHEIDIS, Friderici Saxoniæ principis uxor, maritum per adulterum Ludouicum Thuringiæ marchionẽ hoc stratagemate è medio sustulit. Quodam die mœchus equitum turma stipatus, ad colloquium euocat Adelheidem. Quo finito, arci uicinam syluam ingreditur, atq; in ea uenari incipit. Adultera ex composito uirum, magnam animi indignationem simulans, adiit, qui tum in balneo erat, eumq; timiditatis arguit, quòd Ludouicum ad arcem feras agere patiatur: Ego profectò, inquit mulier, nisi sexus obstaret, ipsa ulciscerer hanc iniuriam. Fridericus arma capit, paucisq; comitantibus Ludouicum insequitur. Ibi cùm à uerbis ad uerbera peruentũ esset, Fridericus occubuit. Chronicon Mersburgense lib. 2. c. 12.

VI INTENTATA.

Semiramis uxor Menonis præfecti Syriæ, NINO regi Assyriorum Bactriæ expugnandę rationem ostendit. Admiratus Semiramidis uirtutem Ninus, eam multis donis cumulauit: deinde persuadere uiro eius conatus est, ut illam spontè sibi uxorem condonaret, pollicitus filiam se ei daturum Sosanem. Renuenti comminatus est, ei se oculos, ni paréret, erepturum. Hoc perculsus timore, simul & amore incensus Menon, cùm laqueo uitam finisset, Semiramidem Ninus uxorem cepit: genitoq; ex ea filio Ninya, excessit è uita, imperio uxori relicto. Diod. lib. 2. c. 3.

Oenomaus cùm moreretur, imprecatus est MYRTILO aurigæ, cuius fraude à Pelope uictus erat, ut à Pelope occideretur, quod etiam postea contigit. Nam cùm Pelops asportaret Hippodamiam, eaq; sitim pateretur in itinere, secessit parumper de uia Pelops ad aquam hauriendam. Myrtilus absente Pelope Hippodamiam uitiare conatus est. Hippodamia reuerso Pelope Myrtilum accusauit: eum Pelops apud Geræstum promontorium in mare detrusit, quod ab eo postea Myrtoum dictum fuit. Eurip. in Oreste.

SARDIANI cum Smyrnæis belligerãtes, & castris circa mœnia positis, legatos mittunt, se non antè discessuros, quàm uxores ad coitum concessissent. Quum igitur Smyrnæi magnum ex necessitate probrum perpessuri forẽt: ancilla quædam honesta facie ad herum Philarchum accurrens, Mitte, inquit, ancillas ornatu liberali. Quo facto, earum defatigati coitu, capti sunt. Dositheus lib. 3. rerum Lydicarum, & Plut. cap. 56 Parallelorum.

ATEPOMARVS Gallorum regulus, cum Romanis belligerans, non priùs se cessurum inquit, quàm coniuges suas ad coitum exposuissent. Cæterùm consilio ancillarum seruas mittentes, barbaros libidine somnoq; sepultos interfecere. Ex Aristide Milesio lib. 3. rerum Ital. Plut. Idem.

C. Verres, Cn. Dolabellæ legatus, Lampsacum ueniens, deducitur ad Ianitorem quendam hospitem, comitesq; eius itẽ apud cæteros hospites pro more collocantur. Negotiũ dat suis, ut inuestigent, ecquę uirgo sit aut mulier digna, quamobrem ipse Lampsaci diutius moraretur. Rubrius, qui miro artificio, quocunq; uenerat, hæc inuestigare solebat, defert Philodamum esse quendam genere, honore, copiis, existimatione facilè principem Lampsacenorum: eius esse filiã, quę cum patre habitaret, propterea quòd uirum non haberet, mulierem eximia pulcritudine, sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. Verres sic exarsit, ut statim Philodamum migrare se diceret uelle. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, ueritus ne quid in ipso se offenderit, hominem summa ui retinere cœpit. Ergo Rubrium, tanquã paratum lautè diuersantẽ, ad Philodamum deduci iubet. Philodamus ostendit munus illud suum non esse: se, cùm suæ partes essent hospitum recipiendorum, tum ipsos tamen prætores & consules, non legatorum asseclas recipere solere. Sed Verres totum illius postulatum causamq; neglexit, per uim ad eum, qui recipere nõ debebat, Rubrium deduci imperauit. Philodamus noluit uideri ipsum illum Rubriũ inuitus in domum suam recepisse: magnificè & ornatè conuiuium comparat: rogat Rubrium, ut quos ei commodum sit, inuitet, locum sibi soli, si uideatur, relinquat: ut etiam filium suum foras ad propinquum quendam mitteret ad cœnam. Tum Rubrius illius comites inuitat. Eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. Maturè ueniunt, discumbitur, fit sermo inter eos & inuitatio, ut græco more biberetur. Hospes hortatur: poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone lætitiaq; conuiuium. Posteaquam satis calere res Rubrio uisa est: Quęso, inquit, Philodame, cur non filiam tuam introuocari iubes? Ille, ut aliquid responderet, negauit moris esse Græcorum, ut in conuiuio uirorum accumberent mulieres. Tum seruis suis Rubrius, ut ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterent, imperat. Philodamus seruos suos ad se uocat: his imperat, ut seipsum negligant, filiam defendant: excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nunciet. Clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrij, atq; hospitis. Aqua feruẽti à Rubrio Philodamus perfunditur. Filius statim exanimatus ad ædes contendit: omnes eodem animo Lampsaceni ad ædes noctu conueniunt. Lictor Verris Cornelius, qui cum eius seruis erat, à Rubrio quasi in pręsidio ad auferendam mulierẽ collocatus, occiditur: serui nonnulli uulnerantur, ipse Rubrius in turba sauciatur. Hinc omnes ad eam domum, in qua Verres diuersabatur, profecti, cædere ianuam saxis, instare ferro, ligna & sarmenta circundare, ignem subiicere ceperunt. Ciues Rom. qui Lampsaci negotiabantur, cõcurrunt, orant Lampsacenos, ut grauius apud eos nomen legationis, quàm iniuria legati putaretur. Verres apud C. Neronem, qui Asiæ præerat, de ui legato pop. Rom. illata conqueritur: Cn. Dolabellam permouet, ut relicto exercitu Neronem Laodiceæ conueniat. Condemnatur perpaucis sententiis Philodamus & eius filius: adest, instat, urget Dolabella, ut quamprimùm securi feriantur. Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum & miserum, & graue toti Asiæ prouinciæ. grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius: ille quòd pudicitiam liberorũ, hic quod uitam patris, famamq; sororis defenderat. Cicero libro 3. in Verrem.

VI ILLATA.

Vide Tit. Stupra Virginum, Matronarum, Viduarum quatenus uim illis inferunt.

Vrbs Mesopotamię trans Euphratẽ, Edessa, à diebus Constantini Magni Christiano cultui dedita, & beatissimi Thomæ apostoli allatis ex India reliquiis inclyta, Saracenis omnes ferè Orientis prouincias occupantibus, sola inter medios hostes permãserat incolumis. Mox occupata à Latinis Hierosolyma, Balduinum Godofredi regis fratrem acceperat Principem. Balduino post Godofredum ad regnum Hierosolymorum euecto, principatus demũ ad IOSCELINVM iuniorem peruenit. Illo dominãte, Sanguinus Saracenorũ siue Turcorum Princeps urbi obsidionem admouit. Eo tempore Armenius quidam ciuis Edessæ iure hæreditario turrim quandam mœnibus urbis cõtinentem incoluit. Huius filiam eximia specie uirginem cùm insano deperire amore Princeps cœpisset, nec blanditiis ac promissis ullis ad sui pellicere obsequium potuisset, uim adhibuit. Armenius illatam iniuriam magno dolore ferens, ut Principem ulciscẽretur, clàm urbem prodidit Saracenis. quippe nocte dominicæ Natiuitatis, cùm sacræ in templis uigiliæ agerẽtur, inuitatos occultis conditionibus hostes per turrim suam accepit. Saraceni in urbem intromissi, Christianorum sanguinem sitientes, templa subitò infesto impetu inuaserunt, atque archiepiscopum sacris operantem miserè unà cum clero mactarunt, ac reliquam uirorum mulierumq; turbã stupore metuq; ad omnem sui defensionem obtorpescentem crudelissimè trucidarunt: ac demũ tota Mesopotamia in potestatem adducta, ipsum Hierosolymorum regnũ maximũ in terrorem ac periculum adduxerunt, anno MCXLIV. Sigonius lib. 11. regni Ital.

VELESLAVS Pragensis adolescẽs nobilis, amore puellæ Hebreæ captus, cùm nec mente constare, nec ullo tẽpore quietus esse posset: modò æs mutuum à parente illius accipiendo, aliàs pignus oppignerando, redimendoq;, aspectu puellæ perfruebatur, quando colloquium à parente interceptũ erat. Eo ægrotante uenit clam ad domum illius Veleslaus, latensque in insidiis, egressam puellam è cubiculo parentis adoritur, nolentemq; per uim seducit & constuprat, eiulantemq;, ne uoce eius proderetur, strangulat: proditus tamen continuò à uicino, qui intrantem & exeuntem uiderat. Hebræus dolorem tantum, post recuperatam sanitatem ualde dissimulabat, ne si Veleslaũ in aula gratiosum incestus homicidijq; reum faceret, à iudicibus aulicis nouam insuper aliam contumeliam sibi accerseret. Ad insidias igitur animum conuertit, Veleslai domestico, grandi ęre corrupto, ut herum suum interficeret. Sed cædis auctor Hebræus diu celari non potuit. Itaq; magnæ statim turbæ inter nobilitatẽ & Pragenses concitatæ sunt, utrisq; tumultuantibus, ad armaq; conclamantibus: alteris, ut uim omnibus Iudæis propter unum inferant, alteris ut taurum impetum arceãt, causamq; integram regi cognoscendam referunt. Isti postquã non solùm in certamine, uerùm etiam in causa præualuerunt, indignata nobilitas, odium in ipsum regem concepit, quasi proniorem ad plebis & Iudæorum fauorem, nouasq; rursus res, nouamq; cõiurationem molitur, duce Stiborio, cui cognomen à prudentia fuit Caput canum, penesq; eundem magistratus, qui summum in regno ius reddebat. Et quoniam haud dudum rex edicto pœnam capitalem in iudices, à quibus fraus iustitiæ fieret, sanxerat, nõ minùs alienum ob hanc legem à rege animum habebat, quàm cæteri nobiles, quorum frequens erat numerus, ob cæsum minimeq; uindicatum Veleslaum. Ergo clàm Premislaum filiũ Venceslai ad arma contra patrem sumenda incitãt. Is dum moram nectit, conspiratione detecta, capitur Stiborius, factaq; quæstione, XXIV uiros stẽmate claros edidit, unaq; cum illis iussam pœnam subiit, qualem uidelicet rex cuiq; illorum in piscibus sibi allatis repræsentauit, alios pisciũ capite truncans, alios ueru transfigens, nonnullos membratim discerpens, postremò hanc uocem adiiciens, Quemadmodum obsonarũt, ita cœnare illos oportere. Dubr. lib. 16.

RAPTV VARIO.

Hic Raptum quasi ministrum Libidinis consideramus, qui alioqui ratione Iniustitiæ ad locum Iniustitiæ pertinet.

Puellarum, Matronarum, Meretricum.

SICHEMVS Dinam Iacobi patriarchæ F. rapuit. Genes. 34.

BENIAMITÆ ducenti ab excisione tribus suæ ob stuprũ Leuitæ uxori illatũ, superstites, ut genus repararent, ducentas uirgines Siluntias in matrimonium rapiunt. Iudic. 21.

PHARAO, cùm Saram uxorem Abrahami (sororem eam esse illius credens) matrimonio sibi copulasset, magnis cladib. à Deo fuit affectus, donec eam Abrahamo reddidit. Gen. 12.

ABIMELECHVS Gerarorum rex, cùm Saram Abrahami uxorem rapuisset, à Domino punitus fuit: ita ut tota eius familia sterilis fuerit reddita, quoad Saram Abrahamo cum muneribus restituit. Gen. 20.

Fabulati sunt antiqui, Orithyiam Erechthei Athenarum regis filiam uirginem fuisse forma præstantissima. Quam cùm BOREAS colligentem flores iuxta fontem Cephisi uidisset, illam rapuit, & in Thraciam deportauit. Alij dixerunt apud Ilissum Atticæ fluuium raptam fuisse ludentem cum cęteris uirginibus, ut ait in Atticis Pausan. & Dionysius in Situ orbis. Scripsit Ouid. lib. 6. Metamorph. Orithyiam fuisse in regionem Ciconum deportatam, ibi celebratis nuptiis, Boreæ geminos peperisse filios, Zetem & Calaim. Simonides non ab Ilisso, sed à Brilisso raptam putauit, & ad petrã Sarpedoniam Thraciæ deportatam, non procul ab Hæmo monte. Natalis Comes lib. 8. c. 11. Hesagoras in rebus gestis Megarensium, Boream, qui Orithyiam rapuit, nõ uentum, sed iuuenem fuisse ait Strymonis filium: qui cùm illã in matrimonium à parentibus impetrare non posset, raptam in Thraciam deportauit.

Aiunt PLVTONEM grauiter tulisse, quòd solus omniũ deorum celibem uitam traduceret, cùm tanti imperij deus esset, neque ullam quæ sibi nuptui daretur, inueniret: quippe cùm & Iouis esset frater, & deorum omniũ opulẽtissimus. Nulla enim dea illum ob deformitatem & obscuritatem regni, maritum esse suum pati poterat. Ergo curru conscenso, in Siciliam peruenit. Ibi Proserpinam Cereris filiam inter cæteras uirgines flores colligentẽ rapuit, & in curru ad fluuium Chemarum deportauit, unde ad sua regna, quæ sub terris esse putãtur, deportauit. Natalis Comes Mythologiæ libro 2. capite 19.

CATHEVS adolescens, Saliam Anij Thuscorum regis F. rapuit. Quo facto iratus pater, in fl. Anienem ab eo cognominatum, priùs Parentium dictum, sese proiecit. Plut. & Sabellicus lib. 4. Ennead. 2.

Post Colchicam expeditionem in patriam reuersi DIOSCVRI, Pollux & Castor, cùm Theseus Helenam rapuisset, in Athenienses ad recuperandam sororem militarunt, & expugnata Aphidna, & Helena recepta, in amorem Phœbes & Talayræ filiarum Leucippi, Arsinoesq; sororum inciderũt, quæq; ipsi in Theseo improbauerant, in alios committere non dubitarunt (Zezes non Phœben, sed Ilaeram uocat alteram Leucippi filiarum hist. 48. Chil. 2. quam alij Naciram uocarunt) Fuerant illæ Lynceo & Idæ Apharei filiis despõsatæ. Orto bello ob acceptam iniuriam ad Taygeti montis radices, Castor à Lynceo interfectus est: Lynceus ictus à Polluce columna saxea occubuit, de quo Pollux trophæũ erexit. Cui cùm Idas imminerét, Iupiter Idam fulmine percussit, ut ait Theocritus. Alij Pollucem etiam cæsum dixerunt: nam cùm uterq; se intra annosam quercum occultasset, à Lynceo mortalium omniũ oculatissimo fuisse uisos. Natalis Comes Mythol. lib. 8. c. 9.

Pirithous Ixionis filius, defuncta Hippodamia uxore, Polypœto filio superstite, Athenas ad THESEVM quinquagenarium uenit: cuius uxor Phædra cùm defuncta esset, suasit ei Helenæ Iouis ac Ledæ raptum, quæ tum decimum agebat annum. Alij negant Helenam illum rapuisse: sed raptam ab Ida & Lynceo, apud se seruasse depositam, neq; reposcentibus Castori & Polluci restituisse. Venerunt ambo Theseus & Pirithous Spartam, puellaq; quæ in templo Dianæ Orthiæ saltabat, rapta, fugam cepẽre: pacti inter se, ut cui sors obtigisset, eam haberet uxorẽ, & alteri ad nuptias quærendas alias prestò esset. His legib. missa sorte obuenit illa Theseo. Itaq; uirginem hauddum nubilẽ Aphidnas deportauit, matremq; Aethrã ei adiunctã amico suo tradidit Aphidno. Sabel. lib. 6. Enn. j. ex Plut. & Diod. Duris prodit Samius, raptam à Theseo Helenã annorũ VII, tamq; diu retentã, donec Iphigeniã susceperit filiam, eaq; de causa Lucinæ erectũ ab ea templum Argis, inquit Paus. in Corinth. mox uerò ea fuisse exutũ, & Iphigeniam Clytemnestræ adoptatam. Propterea Lycophron dicit Helenã δυοῖν πελειάδ᾽ ὀρφανισμένην γονοῖν, raptã à Paride. Cæl. lib. 7. c. 23. A. L. Ouid. autẽ in Epist. Helenæ dicit illi uirginitatem à Theseo minimè ereptam.

Cùm

Cùm PIRITHOVS in Proserpinæ desiderium incidisset, iureiurandoq; adstrictum haberet adiutorem Theseum, ambo per Tænarum ad inferos descenderunt rapturi, Proserpinã Plutonis. Ibi cùm super petra quadam cõsedissent, inde cõfugere non potuerunt: donec Hercules ad rapiendum Cerberum profectus, Theseum, ut qui coactus eò accesserat, liberauit: at Pirithoum ibi reliquit, quoniam consultò se in ea pericula coniecerat. Testis Apollonius lib. j. Argonauticorum. Zezes Hist. 41. Chiliad. 2. Theseum scribit in Molossorum regionem unà cum Pirithoo uenisse, cuius regionis rex dicebatur Aidoneus, uxor Ceres, filia Κόρη siue Proserpina (nam mos fuit Molossorum omnes formosas mulieres Proserpinas appellare) canemq; eximiæ magnitudinis, Tricerberum habebat, cum quo proci puellæ certare cogebantur. Hi cùm per insidias filiam regis rapere conarẽtur, re patefacta in uincula coniecti sunt: & quoniam Pirithous auctor illarum insidiarũ fuerat, à Tricerbero laniatus est. Theseus, quia alieno ductu accesserat, in uinculis fuit retentus, donec Hercules eò ab Eurystheo missus ad abducendũ Tricerberũ, illum è uinculis liberauit. Natalis Comes Mythol. lib. 3. c. 16. & Sab. lib. 6. Enn. j. & Diod. lib. 4. c. 5.

NESSVS centaurus, Deianiram Herculis uxorem rapuit. Ouidius lib. 9. Metamorph.

THESEVS ope Ariadnæ cæso Minotauro, clàm Minoe rege rapta secum Ariadna salutis suæ artifice, in Naxon insulam delatus, à Baccho admonitus, ut Ariadnam relinqueret, dũ illam somno mersam uidit, ex insula profugit. Eam postea in Dia insula duxit Bacchus, & ex ea Thoantem, Oenopionem, Staphylum, Euantem, Tauropolim suscepit. Idem, & Athen. lib. 7. c. 16.

De Helenæ raptu à PARIDE commisso, quàm uaria & incerta ferantur, uide apud Sab. lib. 7. Enn. j. Omnes Græcarũ ciuitatum principes Helenam in matrimonium expetiuère. Vnoquoq; eam sibi contingere sperante: in legem à Tyndaro latam iurarunt, se pro uiribus defensuros, si quis illã uiolare, aut legitimo marito rapere conaretur, ut testatur Pausanias in Laconicis. Accidit, ut Paris cum XX triremibus legatus ad repetendam Hesionem, quam Telamon occiso patre Laomedonte rapuerat, nauigaret. Is à Menelao in hospitium perbenignè acceptus est, cui Helenæ nuptiæ contigerant. Verùm cùm re infecta redire cogeretur, neglecto iure hospitij, & Menelai amicitia, Helenã cum magna numorum, regięq; supellectilis copia rapuit, ut scripsit auctor Cypriorum carminum, & Herodotus in Euterpe & Clio. Fama est Paridem uel uentis agitatum, uel consultò cum hac in Aegyptum nauigasse, quia timebat ne Menelaus cũ Lacedæmoniorum classe insequeretur. Cùm appulisset ad Canopicum Nili hostium, templum Herculis in litore inuenit, in quod si quis seruus cõfugisset, à nemine uiolari fas erat. Sacerdotes cognito ex seruis facinore, grauiter tulerũt primùm iniuriam, qua Menelaũm affecerat: deinde legationẽ Memphim ad Proteum misère. Alexandrum conuitiis insectatus Proteus, incolumẽ quidem dimisit cum sociis, at uxorem Menelai & diuitias apud se retinuit, usq; ad Menelai aduentum, iussitq; intra triduum Alexãdrum ex Aegypto discedere. Sunt qui dicant, hinc Alexandrum Troiam confugisse, inter quos fuit Duris Samius: legationesq; Græcorum ad res repetendas missas, ne auditas quidem fuisse à Troianis. Fama est semel tantùm in agro Atheniensium Alexandrum cum Helena congressum: cùm tamen Bunicus, & Corinthus, & Aganus & Idæus nati ferant ex Helena & Paride. Euersa demum Troia, cùm Helena nullibi reperiretur, Græcos Troianis, apud Aegyptios Helenam latere dicentibus, fidem habere cepisse: adeoq; Menelaum eam à Proteo saluam cum opibus recepisse. Herod. lib. 2. Secundùm Euripidem uerò Paris non Helenam ipsam, sed simulacrum eius rapuit, ex nube à Iunone formatũ: indignante Paridi, quòd ab eo in iudicio spreta fuisset. Vera Helena autem in ædib. Protei regis Aegyptiorum iustissimi latens custodiebatur, illuc translata à Mercurio. Inde post mortem Protei, Theoclymenus eiusdem filius, Helenæ nuptias captabat: quas cũ ea auersaretur, ac speraret futurũ, ut saluus aliquãdo ex bello Troiano reuerteret Menelaus, pro idolo Helene cõtra barbaros pugnans: ad Protei monumentum, cuius fidei à Mercurio commissa fuerat, supplex confugit. Paulo autem pòst, cùm Menelaus naufragus post multos errores, destructa iam Troia, in Aegyptum eiectus fuisset, cum paucis quibusdam sociis, afferens secum falsam Helenam ex aere fabricatam à Iunone, eaque iterum ad cœlos euolasset, ueramque Helenam stupens & admirans in Aegypto inuenisset: eam secum abreptam, auxilio Theonoes uirginis uatidicæ, sororis Theoclymeni, in regnum suum lætus reportauit.

Cùm Pirithous Deidamiam uel Hippodamiam Atracij F. ducens, nuptias celebraret, CENTAVRI Deidamiæ affines simul ac uino incaluerunt, sponsam & reliquas Lapitharũ uxores petulantius attrectare, & uiolare conati sunt. Id Lapithis non ferentibus, grauis pugna in regia committitur, multique ex Centauris in ea ceciderunt, Theseo præsertim adiuuante Pirithoum, ut patet in Scuto Hesiodi. Ad extremum uictoria penes Lapithas fuit, ac Centauri in fugã uersi, de suis finibus pulsi, in Perrhebæorum regione consederunt, ut testatur Orpheus in Argonauticis, & Strabo lib. 9. & Ouid. lib. 12. Metamorph. Puellam ipsam ab hoc euentu Propertius Ischomachen uocat:

Qualis & Ischomache, Lapithæ genus heroinæ,
Centauris medio grata rapina mero.

EPOPEVS rex Peloponnensium Antiopen Nyctei regis Thebanorum filiam pulcerrimam ambiens, patre renuente, rapuit. Ortum est bellum cruentissimum, in quo Nycteus ex uulnere obiit, neque ita multo pòst etiam ipse Epopeus uictor, cùm prius ludis & sacris peractis, Mineruæ templum erexisset, ante quod oleum diuinitùs fluxit, dea gratam sibi dedicationem fani fuisse hoc signo ostendente. Pausanias in Atticis.

Cùm Lacedæmonij cum Argiuis bellum assiduè gererent, Argiui sibi statuerunt lectissimorum mille hominum præsidium alendum, quibus dux præfectus BRYAS Argiuus. Is & alia insolenter, ac libidinosè multa in populum fecit, & uirgini cuidam, dum ad uirum duceretur, raptæ, uitium obtulit. At illa eadem nocte Bryantem somno oppressum oculis orbauit. Deprehensa, ubi illuxit, supplex ad populum confugit. Enimuerò populus eam non dedere ad suppliciũ deposcentibus mille uiris. Ad pugnam re deducta, uictor populus nullum supplicij genus prætermisit. Interiecto dein tempore, & alia expiandi ciuilis sanguinis causa facta sunt, & Mansueti Iouis signum dedicatum. Pausan. in Corinth.

PELASGI ab Atheniensibus regione pulsi, cùm Lemnum occupassent, gnari quãdo dies festi Atheniensium celebrarentur, biremibus instructis, insidias manipulatim collocarunt uxoribus Atheniensium, diem festum Dianæ apud Brauronem agentibus, permultisque illarum raptis abierunt, & in Lemnum delatas pro concubinis habuerunt. Hæ feminæ posteaquàm filiis abundauère, lingua eos Attica ac moribus Atheniensium imbuerunt. At illi consuetudinem cum Pelasgidum filiis habere abnuebant: & si quis suorum ab illorum ullo uapularet, cuncti auxilio aderant, & mutuo sese tutabantur: ac dignos se, qui aliis pueris dominarẽtur, existimabant, atque adeò longè præualebant. Qua re animaduersa Pelasgi inter se dicebant: Si nunc, dum pueri sunt, sibi inuicem opitulantur aduersus filios uxorum legitimarum, quas uirgines duximus, quid facient adulti? Itaque filios è matribus Atticis susceptos necarunt, simul & matres. Ex hoc facinore & alio superiore feminarum, quæ uiros suos unà cum Thoante interemerunt, usu receptum est per Græciam, ut teterrima quæque facinora Lemnia appellentur. Herod. libro sexto.

THRASYMEDES, amore erga Pisistrati Atheniensis tyranni filiam magis magisque indies accrescente, assumtis æqualibus suis sociis, puellam in mari sacrificium obeuntem obseruauit. Qui districtis gladiis turbam disiecerunt, inque nauim impetum facientes, Aeginam uersus discesserunt. Hippias adultior Pisistrati filius, mare ab latrociniis repurgans, hanc etiam nauem ob remorum celeritatem latronũ existimans cepit, sororem recuperauit, eosque qui rapuerãt comprehensos reduxit. Thrasymedes, aliique coram tyranno constituti, nullo modo supplices se præbuerunt, sed admodum uiriliter, ut pro libito se tractaret hortabantur: dicentes, ex eo tempore se contemnere mortem, ac pro nihilo ducere cepisse, cùm primùm de raptu consilium iniuissent. Pisistratus admiratus in iuuenibus animi celsitudinẽ, filiam suam Thrasymedi in matrimonium collocauit. Polyænus libro quinto.

APHARETVS Marpissam Eueni (qui Martis & Steropes filius erat) & Alcippæ (Oenomai filiæ) filiam formosissimam ex chorea rapuit. Pater autem fugientem insequens quum prehendere non posset, in Lycormam fluuium se precipitauit. Ex lib. j. rerum Italicarum Dosithei, Plut. in Parall.

CATHEVS nobilissimus adolescens Saliam, Anij Thusci regis filiam, egregia forma, cùm ludentẽ adspexisset, adamauit, & raptam Romam duxit. Pater autem insequens, cùm raptorem deprehendere nequiret, Parensium insiliens fluuium, ei nomen dedit. Anienem enim postmodùm appellatum constat. Aristides Milesius, & Alexander Polyhistor lib. 3. rerum Italicarum. Idem.

Fuit Haliarti, quod oppidum est Bœotiæ, formæ uenustę puella, Aristoclia nomine, Theophanis filia. Huius proci erant Strato Orchomenius, & Haliartius Callisthenes. Opulẽtior STRATO puellæ amore ardentiùs deperibat. Viderat Lebadiæ lauantem in fonte Ercyne. erat enim futura Ioui regi canephora. Verùm superior erat in amore Callisthenes: nã & genere erat ei propinquus. Incertus, quid ageret, Theophanes: quòd Stratonem metueret opibus & nobilitate omnibus penè præcellentem Bœotis, statuit optionem Trophonio permittere. Strato, cui fides facta erat à puellæ domesticis, animũ eius in ipsum propensiorem esse, reiiciebat rem ad puellæ iudiciũ. Vt filiam interrogauit coram omnibus Theophanes, & Callisthenem illa prætulit: in præsentia quidem non dissimulauit Strato iniquo animo se ignominiam hanc ferre: uerũ elapso biduo Callisthenẽ & Theophanem adiit, petiitq;, ut amicitia sibi cum illis integra maneret, licèt eas nuptias sibi quispiam inuidisset genius. Illi probata hac oratione, etiam ad epulum nuptiale eum inuitauerunt. Is subornauit sodalium globũ, famulorumq; manum haud exiguam clã inter hos distribuit. Dũ ritu patrio puella ad fontem, quem Cissoessam dicunt, descendit, ut Nymphis solennia ante nuptias sacra faceret: ibi concursu facto omnes, qui in insidiis erant locati, puellam corripiũt. Trahit ad se illam Strato: retinet altera ex parte Callisthenes: quoad puella inter manus raptantiũ expirauit. Ac Callisthenes quidem protinus nusquam apparuit: siue manum sibi ipse intulit, siue in exilium abiit ex Bœotia, nec, quid eo factum esset, potuit quisquam dicere. Strato palã super corpus puellæ seipsum confodit. Plut. in Amatoriis.

Persequebatur priuato quodã odio PERICLES Megarẽses, quasi interuertissent agrum sacrum. Bellum iis ex Charini rogatione ab Atheniensi populo internecinum & implacabile indicitur. Megarenses causam omnem in Aspasiam detorserunt, & Periclem, qui in Aspasiæ gratiam omnia faceret, allegaruntq; celebratos & uulgatos hosce uersus Aristophanis ex Acharnibus:

Iuuenes profecti Megaram ebrij, auferunt
Simætham ex scortatione nobilem.
Megarensis hinc populus dolore percitus,
Furatur Aspasiæ duo scorta haud impiger.

Plutarchus in Pericle.

ROMVLVS ędificata iam Roma, cùm coniugia deessent, per legatos à finitimis ciuitatibus uxores petiit. Quibus negatis, ludos simulauit. Ad quos cùm utriusq; sexus multitudo uenisset: dato suis signo uirgines raptæ sunt. Liuius libro j. Dec. j. & Sueton. c. 2. de Viris illust. Harum alij XXX, Dionysius DCXXCIII raptas tradunt, Valerius Antias DXXVII. Ad 14 Cal. Sept. quo die Consualia Neptuno equestri celebrata, anno V. C. quarto: aliis mense quarto. Sab. lib. 2. Enn. 2. Vide Tit. Coniugia astutè conciliare.

ANILÆVS Iudæus, ex textore Babyloniæ præfectus ab Artabano Parthorum rege constitutus, Parthi cuiusdam uxore per uim rapta, seq; suosq; perdidit. Siquidem oppugnatus à Mithridate Artabani genero in fugam coniectus, tandẽq; simulatione pacis à Babyloniis somno uinoq; grauis cum asseclis omnibus cæsus est. Iosephus lib. 18. c. ult. Antiq.

Apud ARDEATES contentio ex parua orta, penè ad excidiũ creuit. Petebant puellam indigenam plebeia familia ortam adolescentes duo in uxorem, nobilis unus, alter plebeius. Hic puellæ tutoribus fretus, ille matris fauore, quæ honestissimo matrimonio filiam locatum iri uolebat. Cognitione in forum delata, secundũ matris arbitriũ iudicatur. Tutores de iniuria decreti palàm questi, cũ plebeiorũ manu ui ex domo matris uirginem rapiunt. In hos accẽsus ira iuuenis, optimatũ multitudine septus, impetum facit. Fit pręliũ: plebs urbe eiecta locum mœnib. proximum occupat, nobilium prædia hostiliter populatur. Venere interim his auxilio Volsci, Ciuilio duce, quibus freti exules urbem uallo cingere adoriuntur. Erantq; in aperto discrimine res nobiliũ sitæ, quum eorum legati Romam auxilium imploratum uenere. M. Geganius consul cum exercitu eò profectus, seditionis auctoribus securi percussis, otium ciuitati restituit. Ipse triumphans in urbem rediit, Ciuilio & hostium spoliis ante currum latis. Sabel. lib. 5. Enn. 3.

VTER Britannorum rex, pace cũ Occa Saxone facta, & parte Albionis illi concessa, inter conuiuandũ forte Londini, natali Christiano, in mulierem excellẽti forma conuertit oculos. Erat ea Gothlois Coroneiæ principis uxor. Hanc ad se per cubicularium euocat. Gothlois, ne uxoris pudicitiæ illuderetur, Londino clã cum coniuge abiit. Vter fugientes insequitur, feminaq; potitus, suscepit ex ea filium Arthurũ, qui post patrem regnauit in Britannia: Gothloim uerò maritum longa obsidione fatigatum captumq;, eo prætextu, quòd Nathaliodum, in pugna aduersus Saxones, contra regium imperium in Britãniæ reipublicæ perniciem deseruisset, occidi mandauit. Sunt qui scribãt, Merlini magi opera, Vterum in Gothlois speciem transformatum, eo commento mulieris potitum amplexu. H. Boethius lib. 9.

MOSCOVITÆ, Rutheni, Lituani, Liuonienses, Curetes, maximè plebeiæ conditionis, matrimonia absq; sponsalib. per raptum uirginum contrahũt. Rusticus agnatos, cognatos, cæterosq; uicinos in unum conuocat, illisq; talem in hoc illóue pago puellam nubilem uersari, quam rapi, & suo filio in coniugem adduci cupiat, proponit. Hi commodum tempus expectãtes, armati equites suo more, unius ad ędes cõueniunt, posteaq; ad eam rapiendã proficiscũtur. Puella autem quo ad matrimonij contractionẽ libera, ex insidiis abrepta, eiulãdo opem consanguineorũ amicorũq; ad se liberandum implorat. Victorib. puella cedit. Olaus lib. 14. c. 9.

VTILO Boiariæ rex, Hildrudam filiam Caroli Martelli rapuit, & in uxorem duxit. Sigebertus. Auentinus libro 3. Annal. Regino libro secundo.

GISALBERTVS Caroli Aquitaniæ regis præfectus, filiã Lotharij Imp. rapuit, in Aquitaniamq; profectus, eam sibi connubio iunxit. Quæ res graue incendium inter Lothariũ & Carolum fratres excitauit: quod hoc annuente, factum esse id Lotharius existimaret. Auentin. lib. 4. Annal. Boiorum.

Anno DCCCLXXIII. Morauí nuptiis in Boemia factis, secũ nouam nuptam filiam ducis Boemi domum ducebãt. Vbi id BOII, aduersus Boemorũ crebras in Boiariam irruptiones à Carolomanno missi, per speculatores compererunt, in Morauos impetum faciunt, nouaq; nupta potiuntur: præterea sexcentos & quadraginta quatuor equos stratos muliebribus ornamentis in castra sua abducunt. Hæc uictoria atq; præda in prouerbium de sponsa & nuptiis cessit, Cui fortuna fauerit sponsam abducet, Welcher das glück hat / fürt die braut heym. Idem.

BRETISLAVS siue Bizetislaus, Vdalrici Boemorum principis F. adolescens bellicosiss. Iutham siue Iuditham Othonis III. Imp. filiam, simulata peregrinatione ad D. Vvolfgangum, Ratisponæ è cœnobio rapuit, cũ in horto à cœna deambularet. Catenam foribus oppositã uno gladij ictu dissecuit, equoq; impositam Iutham continuato cursu in Boemiam uexit. Cæsar Henricus II. raptæ cognatus, facinus tã audax tanta indignatione accepit, ut iusiurandum concipere non dubitauerit, se non antè exercitũ suum è Boemia reducturum, quàm in medio regni loco solium suum constitueret. Iurat item magno animo Bretislaus, ignem se in mediam Germaniam tam proximè regiam Cæsaris illaturum, ut splendore illius oculi Cæsaris perstringantur. Bello & copiis utrinq; conflatis, Iutha socerũ permissu ad Cæsarẽ profecta, tantũ apud illum & precibus & blanditiis potuit, grauidum uterum manibus complexa, ut Bretislaum in gratiam reciperet. Cęterùm ne periurio locus daretur, data acceptaque fide, Cæsar Boemis aquilam pro insigni dedit, & Boleslauiam, quæ umbilicum Boemiæ obtinet, inermis ingressus, sedit ueluti uictor in sella Regia. Bretislaus uicissim ignem in solo Germanico, Cæsare prospiciente, tuguriis aliquot subiecit, & paucos agellos proculcauit, quorũ detrimenta, ære mox adnumerato resarciunt. Dubrauius libro 7. Aeneas Sylvius cap. 18. hist. Boem. Bizetislaum Vdalrici F. raptorem facit, & Othonem II. patrem iniuriã eam armis prosecutum ait. Cranzius libro 4. Saxoniæ, cap. 19. Vdalricum raptorem, Othonem II. uindicem, magna strage affectis Boemis.

GRAMVS Danorum rex, Sigthunij Gothorum regis F. rapuit, socerum in bello occidit. Tandem Sibdagerus Noruegię rex ad uindicandam iniuria iniuriam, classe in Daniam uectus, sororem regis Grami stupro uiolatam infami pudore affecit, filiam eius raptam in Noruegiam abduxit, abductã sibi matrimonio copulauit. Et mirum sane est, uirginum raptus eisdem temporibus atque annis apud reges Septentrionales in consuetudinem uenisse, quibus bellum Troianum ob raptum mulierum crudelissimè gerebatur. Gramus considerans suas artes, Sibdageri duplicata astutia superatas: ne sibi spes reliqua esset, quin illic occupatis tot in circuitu regnis & populis, tandem Daniam subiugaret, ingenti conscripto exercitu in acie cæsus est à Sibdagero, & Dani Gothis tributarij effecti. Io. Magnus lib. 2.

SNIO Danorum rex, Gothici regni partem, quam armis non poterat, affinitate ad se pertrahere cupiens, Holstani regis filiã in matrimonium petiit. Holstanus astum animaduertens, legatos improbiùs instantes suspẽdio necauit, & Biornoni Sueonum regi (Cranzius Iarmericum habet) filiam elocauit. Snio iniuriam grauiter ferens, per mendicũ clàm reginam in sui amorem pellexit, & uolentem è balneo raptam abduxit. Hinc bella atrocissima orta, & fames bellũ secuta ingens. Dania ferè desolata, occiso Snione, & recepta adultera, in potestatem Biornonis uenit, eaq; ruina sic afflicta est, ut in posterum uicinis populis rapinæ fuerit. Ranaldus certe, qui Biornoni patri in regno Sueciæ, Gothiæ, atque Daniæ successit, matris raptu efferatus, illustrissimas Danorum coniuges, maritis inspectantibus, ad stupri commercium passim à suis Suecis rapi permisit: sæpeque eas in publica prostibula publicæ omnium libidini seruituras relegauit. Virgines quantò illustriore loco natæ erant, tantò uilioribus cerdonibus elocabantur. Ioannes Magnus lib. octauo, capite uigesimooctauo. At Cranzius libro secundo Sueciæ, cap. 25. Danis uictoriam tribuit.

SVER-

SVERCHERVS siue Suerco Sueonum & Gothorum rex, Magno tyranno suffectus, Nicolaum Danorum regẽ plurimis & domesticis bellis impeditum, insigni iniuria affecit. Is enim Nicolaus, mortua coniuge Margarita, nuptias Vluildę Noruegianæ ambiebat. At Suercherus missis clàm nunciis ipsam in suum amorem, datis pro regia magnificentia muneribus, pellexit, atq; ad se in Gothiam deducendam curauit: ex qua Carolum in regno successorem procreauit. Nicolaus impeditus domesticis bellis, non longo pòst tempore obiit. Suercheri filius IOANNES, Caroli Sueciæ regis frater, collectis copiis Hallandię terram (inter Schoningos, & Vestrogothos limitaneam) ex improuiso adortus, Caroli præsidis coniugem, sororemque uiduam (Cranzio uirginem) matronas pulcerrimas, ad libidinis consortiũ raptas, in Sueciam uexit: easq; alternis noctibus ad stupri uices euocauit: constupratas remisit. Sueno III. rex Danorũ tam enormi flagitio permotus, bellum contra Suecos parabat. Ioannes subsidia & tributum subditis imperabat. Illi raptoris moti impudentia, concionantem obtruncauêre. Sueno in Sueciam irrumpens, à rusticis fugatus est. Ioan. Magnus lib. 18. & Cranzius lib. 5. Sueciæ, cap. 18. ex Saxonis lib. 14.

Mortua Sibylla regina Hierosolymorum, Balduini IV. sorore, Guidonis Lusignani uxore, ISABELLA soror Herfrando Toronio nobili adolescenti desponsata, regnum dotale habebat. Sed Conradus Marchio Mõtisferrati, eam Tyri rapuit, eaq; uxore ducta Hierosolymitani regni titulos usurpauit. Quem postea Assassini duo Tyri in foro deambulantem interfecere. Blondus lib. 7. Dec. 2o.

Patrij moris apud Venetos fuisse ferunt, ut uirgines in templo desponderentur: quò omnis earum supellex cum apparatu dotis delata publicè ostentaretur. Fortè accidit, ut quum in æde D. Petri (quę in parte urbis nunc sita est, quod Castellũ dicitur) sponsalia celebrarentur, TERGESTINI, qui iam palàm hostes facti erant, duabus triremibus nocturno cursu ex alto proxima urbi loca tenuerint: mane uerò ceremoniarum hora in ædem ipsam impetu facto, loci antistitem cum non parua mortaliũ manu rebusq; multis inde asportarint. Erat per id tempus dux Petrus Cãdianus: is in re tam trepida minimè cessandum ratus, confestim ingenti hominum manu ex omni ordine in naues imposita, hostes insequitur: eos in Caprulanis aquis assecutos prædam inter se diuidentes, haud magno negotio oppressit: receptisq; ciuibus cum antistite ac reliqua supellectile, ouans quarto nonas Februarij, biduo postquam in eos mouerat, urbem ingressus est. Verùm quia Purificatio Virginis in eos dies inciderat, à re feliciter gesta ludos primò institutos ferunt, qui Mariarum sunt nuncupati. Quotannis statis diebus duodecim uirgines solenni apparatu frequentissima parte ciuitatis circumuehebantur. Verùm cultus ille à religione ortus in odiosum postea luxum processit. Mansit mos ille usq; ad Genuensis belli tẽpora, ut duodecim uirgines auro & gemmis ornatæ solenni pompa quotannis stata die in rei gestæ memoriam tota urbe circumueherentur. Sed Ligure Clodiam tenente, ciuitate maioribus curis occupata, prorsus euanuit. Sab. lib. j. & 3. Dec. j.

Carolus Caluus Imper. Iudithani filiam Edelulfo Anglo regi nuptum dederat. Eam mortuo marito ad patrem transmittentem in portu Gessoriaco (hodie Slusam uocant) BALDVINVS Arduennæ saltuarius intercepit, excellentisq; ac nobilissimæ formæ amore captus, & ipse pulcerrimus, nec ignobilis, uolentem an inuitam, certè non consulto Caluo, toro sibi iunxit. Armis Francorum obiui amentia poterat. Excidio eius exercitus coactus imminebat. Precibus mulieris, cùm infecta res reddi non posset, animus paternus motus, ex hoste prædoneque sanguinis sui, generum salutauit: Flandriaq; eum donauit, quam utpote syluestrem regionẽ & incultam sub Forestarij nomine tuebatur: eandem Comitatum instituit. Aemilius libro 3. & Cuspinianus, & Cranzius libro 2. Metrop. c. 14.

Anno MCCCCL. omnes Europeæ gentes Romam confluebant. Accidit ut nobilissima Germani sanguinis femina, aliquot comitata equitibus, per Mantuanos & Veronenses fines peregrè transiens, non sine suorum cæde fuerit ad stuprum rapta. Ea uerò scelus auersata, haud precibus minisue ullis adduci potuit, ut raptoris libidini obsequeretur: cæterùm pudicissimum corpus miserabili modo uexatũ, priùs ferro uiolari passa est, quàm uoluntario scelere fœdari. Habebat tum in iis locis castra SIGISMVNDVS Malatesta Ariminensis, qui illis ipsis diebus à Venetis fuerat exauctoratus: uenit in suspicionem, quia iuuenis, & ferox, quòd peregrinæ feminæ pulcritudine captus, in eam manus iniecisset. Sed ille, quia id Patres iniquissimo tulisse animo dicebantur, ad diluendam calumniam quosdam turmarum ductores, quasi eius sceleris conscios, Venetias uinctos misit. Quæstione autem super ea re habita, quia nihil ad eos, qui ad supplicium traditi fuerant, noxam illam attinere cõpertum est, nullo maiore incommodo affecti sunt. Sabel. lib. 7. Dec. 5. Pontanus de Immanitate c. 17. disertè scribit, cũ mortua congressum fuisse.

Mortuo Martino Siciliæ rege, ut regnum commodiùs occuparet BERNARDVS Caprera, Blancam uiduam aliquoties, sed frustra rapere conatus est. Illa enim noctu nuda cũ muliercculis per frigidissimas aquas procurrens ad triremim, clàm euasit. Valla libro 2. Hist.

Cæso ab Heluetiis Carolo Burgundo, Ludouicus XI. Gallorum rex Flandriam bello prosequebatur. Flandri pacis causa, Margaritam Maximiliani Austriaci ex Margarita Burgũda filiam infantem Ludouici filio CAROLO IIX. despõderunt. Carolus rerum potitus, Britanniæ ducatum bello acquirere parabat. Franciscus dux magna clade uictus, pre mœrore contabuit. Anna hæres, in Gallorum odium Maximiliano uiduo per legatos Norimbergæ, anno Sal. humanæ MCCCCXCI desponsata, commeatu à Gallis impetrato, ad maritum honorificè ducebatur. Carolus in itinere illam rapuit, & Margarita repudiata, uxorẽ sibi adsciuit, Britanniam occupauit. Nullos tamen ex perfido & incestuoso matrimonio liberos sustulit. Stumpf. in Chron. Helu.

CÆSAR Borgia dux Valentinus, Alexandri Pp. F. puellam ex Elisabetæ Metaurensium reginæ famulatu, ad Cartatiũ Venetorum militibus præfectum, cui erat nuptui tradita, proficiscentem, medio inter Ariminũ Rauennamq; itinere, missis Cesena suis equitibus ui rapuit, & per uim constuprauit. Bembus lib. 5. Hist. Venetæ.

PVERORVM, PATHICORVM.

IVPITER, præclarus ille deus, Ganymedem Phrygem Trois F. propter formã rapuisse dicitur, in aquilã mutatus. Hom. Iliad. υ. Ouid. Metam. 10. Suidas in uocabulo ἴλιον. Herodianus lib. j. Athen. libro 13. Lactantius in aquilam Iouem mutatum interpretatur, uel quòd per legionem, cuius insigne aquila fuerit, uel naui, quæ aquilã pro signo habuerit, puerum rapuerit. Plato primo de Legibus, Cretenses hanc fabulam uulgasse scribit, ut impunè pæderastiam sequi possent. Phanocles Ganymedem a Tãtalo raptũ, & Ioui in Creta dono datum ait, quem ille pocillatorem suum fecerit, & in signum Aquarij conuerterit. Eusebio & Orosio fuit iuxta Parium urbem in Phrygia locus Harpagium nominatum, quòd inde raptum Ganymedem fama esset. Stephanus.

Ganymedem TANTALVS (ut Phanocles tradit) ad stuprum rapuit. Tenuit is primò regnũ in ea Asiæ parte, quæ postea Paphlagonia dicta est, ex qua iniuria graue est bellum inter reges ortum. Sab. lib. 5. Enn. 1. At Suidas sic scribit: MINOS mari potens, in Asiam profectus, auditaq; in Phrygia fama Trois Troiæ regis, & filiorum eius, urbem Dardanũ est ingressus, in qua Tros degebat. Erant autem ei tres filij: Ilus, Assaracus, Ganymedes, qui ob formam maximè celebrabatur. Trois igitur utens hospitio Minos, strenas & dabat & accipiebat, eiusq; filios uocari iubebat, ut eos uideret, donisque afficeret. Qui cùm in uenatu eos esse dixisset: hic se quoq; unà uenari uelle ait. Sed priùs quendam è famulis eò mittit, ubi pueri uenabantur, ad Granicum fluuium: in eumq; nauibus perductis, paulo pòst ipse pueros cõuenit: & Ganymedis amore, primo aspectu captus, Cretensibus puerum abripere iussis, eo in nauem imposito soluit. Locus is, à raptu, Harpagium dictus est, in quo pulcerrimi nascuntur myrti, teste Athen. lib. 13. c. 27. Puer in Cretam perductus, casu illo dolens, gladio se traiecit: quem Minos in templo condidit: unde Iouis uti consuetudine dicitur Ganymedes.

CRETENSIBVS adolescentib. amasios rapere in more fuit, teste Strabone lib. 10.

Actæon, Melissi Corinthij filius fuit æqualium suorum longè formosissimus ac pudentissimus: cuius multi amatores fuerunt, præ cæteris ARCHIAS de Heraclidarum familia, diuitiis & opibus supra cæteros Corinthios pollens. Quem cùm pellicere non ualuisset, uim statuit adhibere, ac puerũ rapere. Ita comessabundus ad Melissi ædes profectus est cum amicorum & seruorum agmine, tendebatq; abducere puerum. Obluctantibus patre & amicis, accurrentibusque insuper uicinis ac retrahentibus, Actæon ita laceratus interiit. Illi se subduxerunt. Cadauer Melissus pueri in forũ Corinthiorum delatum monstrauit, ab auctoribus facinoris pœnam reposcens. Illi uerò nihil nisi miserabantur eum. Ita hic cùm operam lusisset, domum retulit se, Isthmiorũ solenne operiens. Illic Neptuni delubrum conscendit, conuitiisque lacerauit Bacchiadas, & patris merita Abronis commemorauit, deosque testatus, in præceps se de saxo dedit. Mox squallor regioni & pestilentia ingruit: consulentibusque Apollinẽ de remedio Corinthiis, respõsum fuit à deo, iram esse Neptuni, qui, quoad Actæonis necem uindicassent, non esset placandus. Quo audito, Archias, qui theorus erat, ultrò cessit Corintho, nauigauitq; in Siciliam, ubi Syracusas condidit. Procreatis ibi duabus filiabus Ortygia & Syracusa, à Telepho, qui in deliciis ei fuerat, nauisq; dux eũ in Siciliã secutus, ꝑ insidias interficitur. Plut. in Amatoriis.

ARISTODEMVS præfectus Spartanus, senis cuiusdam filiũ in oppido Hestiæatidis Oreo ad stuprum rapturus è palæstra, cùm succurrissent adolescentes, frustratus suo incepto, sequenti die instructa triremi adolescentem rapuit, & in ulteriorem ripam deuectum stuprare aggressus, nõ permittentem iugulauit. Idem.

Amatorum, Maritorum.

Memoriæ prodidit Pausan. in Lacon. AVRORAM forma Cephali captam illum rapuisse. Rapuit Orionem præterea, ut scripsit Hom. Odyss. ε.

ὡς μὲν ὅτ' ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος ἠώς.
Sic ubi ab Aurora rosea est abreptus Orion.

Eadem Tithonum Laomedontis F. ex Leucippe Scamãdri filia rapuit, & immortalitatem ei à Parcis impetrauit. Tandem senio cõfectum, in thoro relinquere fingitur à poetis. Natalis Comes Mythol. lib. 6. c. 2.

Hercules cum Argonautis, à quib. erat dux creatus, nauigans, unà secum duxit Hylam Ceycis F. adolescentem pulcrũ. Vt ad fauces ponti peruenerũt, & Arganthones procursus preteruecti sunt: tempestate & fluctibus coortis, anchoras iecẽre, nauemq; inhibuerunt. Præbuit tum heroibus Hercules cœnam: puerq; Hylas cum urna ad Ascanium amnem iuit, aquam iis allaturus. Quem ut uiderunt NYMPHÆ, eius fluuij filiæ, amore correptæ, haurientem in fontem deiecerũt. Cùm ad hunc modum è medio sublatus Hylas frustrà expectaretur, Hercules relictis heroibus undiquaq; syluam perlustrat, sæpiùs inuocato Hyla. Nymphæ autem metuentes, ne apud se absconditum Hylam inueniret, puerum illum in Echo commutarũt: itaq; sæpe clamanti Herculi, uocẽ reddidit. Hercules cùm diu multumq; quęsitum Hylam inuenire nequiret, ad nauim rediit, & cum heroib. abiit: Polyphemo ibi loci relicto, si quà is ei posset Hylam indagando reperire. Sed Polyphemus morte est præuẽtus. Incolæ autem in hunc usq; diem Hylæ sacrificant iuxta fontem: eumq; nominatim sacerdos ter uocat, cui Echo ter respondet. Antoninus Liberalis ex Nicandri lib. 4. Alterationum.

Erat Thespiis ISMENODORA, mulier opibus & natalibus clara, quę uixerat in uiduitate Thespiis multos annos, quãuis iuuenis esset & forma liberali, citra probrum. Hæc cùm conciliandarum Bacchoni, necessariæ & familiaris feminæ filio, nuptiarũ, puellæ propinquæ suæ esset interpres, ex frequenti eius usu & colloquio permota in iuuenem fuit, audiendoq; & memorando sermones de eo benignos, ac cœtum spectans egregiorum illius amatorum, fuit eius amore correpta. Statuebat autem nihil admittere turpe, sed nuptias cum Bacchone contrahere. Quæ res cùm mira uideretur, tum mater iuuenis suspectum habebat fastum & fastigium illius domus, ut parum amatori congruentem: tum socij nonnulli uenationis, quòd Bacchonis ætas non conueniret Ismenodoræ, deterrendo eum illudẽdoq; duriores erant, quàm qui seriò obsistebant, in hisce nuptiis aduersarij. Pudebat enim eum, qui adolescens adhuc foret, matrimonium tenere uiduæ. Ismenodora, quę non auersum esse putabat ab nuptiis Bacchonem, sed uereri deterrentes: ex amicis eos, qui maxime moribus erant iuuenilibus, eiusq; amori studebant, & mulieres familiares acciuit & cõtraxit, obseruauitq; horam, qua solitus erat concedens ad palæstram Bacchon præter ædes suas modestè transire. Qui ut accessit cum duobus uel tribus unctus, ipsa ad fores occurrit, chlamydemq; eius attigit tantùm. Amici pulcrum pulcrè in chlamyde & læna correptum conglobati in domum deportarunt, foresq; extemplo obserauerunt. Cõtinuò mulieres intus ablata chlamydula iniecerunt ei palliũ nuptiale. Famuli in omnem partem circumcursantes, oleaginis & laureis sertis fores non modò Ismenodoræ, sed Bacchonis quoq; ornauerunt. Tibicina canens uicum percurrere. Thespienses & peregrini partim ridere, partim frendere & excitare gymnasiarchas (regunt enim adultos hi acriter, attenduntq; diligenter, qd illi agant) Omittebãtur ludi, relictoq; theatro ad limen Ismenodoræ disputabant conflictabanturq; inter se. Nuptię tandem summa actæ celebritate. Plut.

MARTHA filia comitis Carictæ (qui in Africa contra Saracenos cum Lodouico Gallorum rege militans, aeris insolentia periit) cùm in syluis animi gratia uenaretur, obuiũ forte habuit Robertum Bruis, dominũ uallis Annandię in Scotia & Clenelandiæ in Anglia, nepotem ex Isabella secunda filia Dauidis Hundintoniæ comitis: eoq; in castellũ Tuburi deducto, ibi celebrauis quàm citissimè, ne quis fortè impediret, nuptiis, matrimonio illum sibi iunxit. Natus inde Robertus Bruis, qui postea, Alexãdri Scotorũ regis stirpe deficiente, regnum adeptus est. Rex etsi indignè ferret, Marthã adolescenti tantùm semel uiso nupsisse, precibus tamẽ exoratus, hereditatem illi paternam retinendam possidendãq; reliquit. H. Boethius lib. 13.

MORBI SIMVLATIONE.

De LEDA, Martialis lib. 11. quæ hystericã se finxerat, ut ex medicorum præscripto ueneris usus sibi imperaretur, impotente interea marito uetulo:

Sed flens, atq; gemens, tanti negat esse salutem,
Seq; refert potiùs proposuisse mori.
Vir rogat ut uiuat, uirides neq; deserat annos,
Et fieri, quod iam non facit ipse, finit.
Protinus accedunt medici, medicæq; recedunt,
Tolluntur q; pedes. ô medicina grauis.

IMPERII SIMVLATIONE.

Claudij Imp. uxor MESSALINA saltatorem quendam Mnesterem nomine, cuius amore capta erat, cùm nec pollicitationibus nec minis ad concubitum perpellere potuisset: curauit, ut is à Claudio ipsi parère in omnibus iuberetur, quasi ad alias res eius opera usura esset. Sic ille cum ea rem habuit, quasi id quoque ab Imperatore iussus esset. Idem cum aliis quoq; multis ausa, adulteris sui copiã fecit, quasi conscio marito, & ad lasciuiã ipsius cõniuẽte. Zonaras, & Suet.

RELIGIONIS SIMVLATIONE.

☞ *Vide Tit. Astus amatorii, religionis simulatione.*

[redacted]

Mahumetani multas habent sectas. Inter has una est eorum, qui ELAVTED, hoc est, Trunci appellãtur, & uilissimo habitu Africam circumeunt, stellas unũ Deum esse asserentes, & nullam legem neq; fidem erroneam: cuiq; enim adorare licere, quod sibi uideatur. Horum unũ in foro Alcairi se palàm cum primaria femina è balneo egressa congredi uidisse, Ioan. Leo lib. 3. c. 43. Africæ, affirmat: omnes mox accurrisse, & uestes mulieris tanquã sacrosanctas manib. tetigisse. Maritum, cognito facinore, deum benedixisse, solenniq; cõuiuio & eleemosynis gaudium suum testatũ, qui dignus habitus esset, cuius uxorem propheta simulato concubitu diuinis repleret charismatis.

In urbe Sangallensi ante aliquot annos Anabaptistarum secta mirabiliter grassabatur. Erat iuuenis elegans, cui uxor erat puella, item elegans. Hunc adiit ANVS quædam, Spiritus (inquit) iussit, ut habeas rem mecum. Cui iuuenis, Mihi (inquit) diuersum iussit, ne unquam rem habeam cum uetulis, sed cum uxore iuuencula. Gilb. Cogn. lib. 8. Narrat.

MAGIA.

MEDEAM uocatã memorãt, quia omnib. artibus conata sit Iasonis amorem in se uertere, ut est apud Diphilum:

— ἡ γὰρ φαρμακίδιος
Μήδειαν κέκληνται ὅτι κατεμήσατο τέχνας.
— Medea uocata est
Illa ueneficij quòd fraudes repperit omnes.

Hæc dicta est senes nonnullos iuuentuti restituisse per herbas & ignem: quia in sui desiderium eas attraxerit artificiosè, feceritq; ut tanquam iuuenes imprudentes & impudentes essent.

SCLERVS Sethus sub Manuele Comneno Imp. uirginẽ malo persico per lenam misso in sui amorẽ pertraxit. Nicetas lib. 4. Historiarum.

MAGI suis carminib. Phaniæ Porterij Hierosolymitani seruo conciliãrunt herilem filiam. Marul. lib. 2. c. 12.

MAHOMETVS pseudopropheta uxorem duxit Exdigam uiduam opulẽtam, quam artib. magicis in sui pellexit amorẽ. Paul. Diaconus lib. 18. & Vincent. lib. 23. Zonaras Tomo 3.

SACRILEGIO.

Phayllus tyrannus Aristonis Octæorum præfecti VXOREM amans, per internuncium auri & argenti uim magnam illi se daturum pollicebatur: iussitq; dicere, quacunque saltem indigeret re, nihil enim frustrà à se eam petituram esse. Illa ergo multo desiderio monilis tenebatur illius, quod in tẽplo Mineruæ Prouidæ suspensum erat, quod Eriphyles fuisse ferebatur: uehementerq; se dignam uideri cupiebat, quę hoc munus ab eo acciperet. Quare Phayllus detractis reliquis ex Delphis oblationibus, abstulit etiam monile: idq; in domum Aristonis delatum, aliquandiu quidem gestauit eius uxor ualde gloriabunda: non longè uerò postea casus accidit consimilis planè illis, quæ de Eriphyle narrantur. Minor enim natu filius eius furore correptus, domum incendit, matremque simul cum plurimis opibus exussit. Parthenius de Amat. 25.

PERFIDIA ET PRODITIONE QVACVNQVE.

Moses, diuino responso à Pharaone aduersus Aethiopes creatus Aegyptij exercitus dux, urbem Sabam, quā postea Cambyses à sorore Meroen appellauit, obsidere cœpit. Cùm autem oppugnationi difficultas ingēs inesset, THARBIS Aethiopis regis F. ueluti alia Nysi Scylla, à muris Mosem adhuc in iuuentæ flore pubescentem conspicata, adeò eius amore incaluit, ut per secretos nuncios polliceretur, se urbē daturam, si se uxorē duxisset, neq; ultrà Aethiopem aliquē occideret. Assensus Moses, atq; urbem ingressus, in Aethiopes magna peracta cæde, Tharbim postea in matrimonium duxit, neq; post desponsationem factam ultrà quenquā occidit: tempus, quo cædes præfiniebatur, arbitratu suo interpretatus. Fulg. lib. 7. c. 3.

Cùm Iason cum lectissima Thessalorum manu Peliæ iussu in Colchos nauigaret ad aureum uellus rapiendum: periculorum magnitudinem uerita MEDEA, ne iis Iason obrueretur, fecit, data sibi fide quòd se uxorem duceret, ut per magicas artes uim periculorum nullo negotio superauerit, & aureum uellus abstulerit. Mox cùm frater Absyrtus illā insequeretur, fertur illum comprehensum iuxta Absyrtides insulas necasse. Strabo lib. 7. Acusilaus inquit, Medeam fratrē [redacted]

S [redacted] Minoem abeuntem Scylla sequitur. Sed desuper eam infestante Halyaeto, in quem Nisus pater commutatus fuerat, ipsa quoq; in auem mutata abiit. Ouid. in Metam.

PISIDICE Methymnæa puella, insano Achillis amore patriam ei prodidit. Parthen. in Amatoriis c. 21.

DIOGNETVS Erythræorum dux, auxiliarius Milesiorum in obsidione Naxiorum, amore Polycritæ uirginis exercitum suum prodidit. Quum enim plurimū instaret, diceretq; Polycrita se persuaderi non posse, nisi iuramento præstito esse cturum se polliceretur, quicquid ipsa uellet: Diognetus iurauit per Dianā. Tum illa de proditione exercitus eū compellauit. Is ab amore uictus, & prodidit exercitum, & unà cum reliquis per ignorantiam occisus est. Idem.

Inter HIPPODAMIÆ procos erat Pelops. Eius forma capta illa, clàm egit cum Myrtilo, ut uictoriam Pelopi cōciliaret. Ille ergò clauos modiolis rotarum non immisit, atque ita Oenomaus à Pelope uictus est, labentibus rotis. Alij dicūt Oenomaum superatū fuisse à Pelope, quia Myrtilus cereos clauos modiolis infixisset.

TARPEIAM Celtis Capitolium prodidisse, ait Simulus poeta apud Plutarchum in uita Romuli, ut eorum regis amore satiaretur.

TITVS Minutius eques Romanus, amore insano seruæ captus, eam septem talentis Atticis emit: sed cùm soluēdo nō esset, & eam impetrare non posset: conflato CCCC seruorum exercitu Seruile bellum cepit. Diod. li. 36.

Cacanus rex Auarum, Iuliensium munitissimam urbem in Venetiæ recessu obsidebat. Erat totius rei summa penes ROMILDAM, quæ Gisulphi (aliis Gilulfi) Longobardorū ducis fuerat uxor, quem Cacanus non multo priùs prælio uictum interfecerat. Romilda hostis pulcritudine capta, quē uiderat muris obequitantem, urbem hosti tradidit cū duobus filiis, & regia gaza: spem connubij secuta, quod occultè cum Auaro pepigerat. Præstitit fidem Barbarus, ac noctem unam pro legitima habuit coniuge. Cæterùm mulieris intemperiem detestatus, quæ omnem & gentis suæ, & filiorum fortunam intempestiuis nuptiis posthabuisset: duodecim robustissimis militibus cōstuprādā tradidit, atq; per hos malè affectam palo postmodum per pudenda adacto defixit. Sabell. lib. 4. c. 11. & Bonfin. lib. 8. Decad. 1. Sigonius libro 2. regni Italici.

RODOLFVS Burgundorum rex, profectus cum exercitu in Italiam, ut regnum illud occuparet: amore scorti Hermingardæ reginæ libidinosissime inescatus, ipse noctu Papiam ad eam uenit, & mane facto in suos impetum fecit. Cuspin.

REPVDIO, DIVORTIO INIVSTO.

C. CALIGVLA uxorem duxit Lolliam Paulinam, cuius uirū Memmium Regulum coegit eam sibi despondere, ne eam quæ desponsata non esset, cōtra ius fasq; duceret: eandēq; pòst repudiauit. Xiphilinus, & Suetonius.

VORTIGERNVS Britānorum rex, uxori Christianæ Roxienam Hengisti Saxonū ducis filiam insigni forma, idolis addictam, superinduxit. Mox pœnitēs facti, ab Hengisto desertus, à proceribus in uincula coniectus est. H. Boeth. lib. 8.

DVRSTVS Scotorum tyrannus, repudiauit Agasiam Britonum regis filiam, priùs fœdissimè prostitutam: meretricum grege superinducto. Idem lib. 2.

Ioannes, Ioannis regis Boemiæ F. MARGARITA filia Henrici Carinthiæ principis ducta, Carinthiam dotis nomine acceperat. At Ludouicus Bauarus, Boemo Guelfæ factionis patrono infestus, induxit mulierē, ut uirum de impotētia insimularet, ab illoq; diuerteret, offerens ei post diuortiū factum filij sui Ludouici nuptias. Nihil impudentius muliere petulante: accusat quoquomodo potest, insontem maritū, illumq; mox deserit, & dotem repetit Cæsaris uiribus, quibus ille Ludouicum filium præfecit, quemadmodū rex suis copiis Carolum filium, Ioānis fratrem. Atroci & ambiguo prælio depugnatum. ex quo pax inter Cæsarem & regem consecuta est, hac lege, ut filius Cæsaris sibi Carinthiam haberet, quando uxorem quoq; alienam habuit: ac Ioannes regis filius in solatium ademtæ sibi coniugis, eam regionē, quæ Tyrolis nūcupatur, obtineret. Idem mox Ioannes procreato ex concubina filiolo, calumniā uxoris de impotentia apertissimè confutauit. Dubrauius in hist. Boemica. At Cranzius lib. 8. Vandal. c. 18. & lib. 9. Saxoniæ, cap. 16. & 26. Vencesslao (qui pòst Carolus dictus est) fratri Ioannis, Margaritam desponsatam tradit: eamq; ultrò apud Imp. de mariti impotentia & prolis desperatione questam, à filio eius Ludouico marchione, uix admodum à patre persuaso, raptam fuisse. Pontificis inde consilio, qui Ludouicum Bauarum oderat, Carolum Ludouico æmulo datum. Eo defuncto, Carolus excitauit Ludouico æmulū, qui se diceret Valdemarum marchionem prędecessorem, non uita functum, sed ex peregrinatione longinqua reuersum. Post uarias clades quum Ludouicus, patris hęres, imperij teneret insignia, interuentu amicorum Carolo ea tradidit: uicissim Carolus coniugem, quam rapuerat, habere permisit: inuestiuitq; eū marchia Brandenburgensi atque Stiria, & Bauariæ paterno principatu, posthabito adulterino marchione.

VITAE PERICVLO, CERTAMINE CUM

FLVCTIBVS.

LEANDER Abydenus per insanos fluctus Bosphori Thracij ad Ero puellam, quæ in Sesto habitabat, natare ausus, cum sæpiùs furta sua repeteret, tandem fluctuum impetu obrutus periit. De eo Virgil. 3. Georg.

Quid iuuenis, magnum cui uersat in ossibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Cæca nocte natat serus freta: quem super ingens
Porta tonat cœli; & scopulis illisa reclamant
Aequora, nec miseri possunt reuocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere uirgo.

BELLVIS.

PHYLIVS, amore Cygni Apollinis filij, leonē primùm absq; ferro interfecit: uultures deinde duos uiuos cepit, eosque ad Cygnum detulit. Tertiò taurum ab armēto manu ad Iouis atam adduxit. Liberalis ex Nicandri lib. 3. Alteratorum, & Arco Lacone.

Pelias Thessaliæ rex, Alcestidis filiæ PROCIS proposuit conditionem, ei se daturum filiam, qui leoni aprum iunxisset. Ergo cùm Apollo Admeto rationem monstrasset, Alcestidē ei conciliauit. Euripides in Alcestide, & Eustathius Iliad. 6.

HOMINIBVS.

Diogenes & Hegesippus in Palleniacis aiunt, Sithona Hodomatum regem, genuisse filiam Pallenē, pulcram sanè & gratiosam, ut eo nomine plurimum eius fama increbuerit, ueneritq; ad eam PROCI non solùm à Thracia, sed etiam à remotioribus locis, quidam ex Illyride, & ex habitantib. ad fluuium Tanaim. Sithonem autem aiunt, primùm quū uenissent proci, pugnam secum committere iussisse: uictori filiam, uicto mortem præmiū proponendo. Hoc modo ualde multos sustulit. Postea uerò, quum uires ipsum destituerent, filiam sibi placare uolens, duos procos inuicem confligere iussit, Dryantem & Clytum, proposito uictoriæ præmio, ut uictor regno & filia potiretur. Instante die certaminis, Pallene uehementi Clyti amore flagrans, maximè timebat illi: neq; tamen ulli ex familia eius audebat id indicare. Multas itaq; lacrymas incassum effundebat, donec nutritor eius senex Præsyntes clàm conuenit aurigam Dryantis, auroq; multo promisso persuasit, ne fibulas rotis obderet. Quum igitur inueheretur Dryas in Clytum, rotæ ei de curru deciderunt, atq; sic ipsum de curru prolapsum inuadens Clytus occidit. Sithon insidiis filię cognitis, ingentem pyrā extruxit, cui imposuit Dryantem, in animo habēs simulmactare & Pallenen. Sed spectro diuinitùs apparente, ac aqua multa repentè de cœlo effusa, nuptiis apparatis præsentem Thracum multitudinem placauit, filiamq; Clyto in uxorem dedit. Parthen. de Amat. c. 6.

Oenomaus Alxionis seu Martis F. rex Elidis ac Pisæ, cùm percepisset ex oraculo futurum, ut à genero interficeretur, filiamq; haberet eximiæ pulcritudinis ex Eurythoe Hippodamiam, omnib. artib. conatus est homines ab eius coniugio deterrere. Atq; currule certamen proposuit procis, ea lege, ut, qui uictus fuisset, trucidaretur: qui uictor extitisset, Hippodamiæ matrimonium obtineret. Alij tamen, patrem filię amatorem nemini eam uoluisse concedere dicunt, & ad necessitatem excusandam oraculi auctoritatē confinxisse. Cęterùm PROCI numerantur Marmax, Alcathous Parthaonis F. Euryalus, Eurymachus, Crotalus, Acrias Lacedæmonius, Capetus, Lycurgus, Lasius, Chalcedon, Tricolonus, Aristomachus, Prias, Pelagon, Aeolius, Cronus, Erythrus Leuconis F. Pausf. lib. 6. scribit, Marmaca omniū primum uenisse, & quadrigarū cursu uictum ante alios ab Oenomao necatum: illsq; omnib. post necatum Oenomaum, honorificū cenotaphium erectum, ad idq; parentasse Pelopem, q̄ diu Pisæorum imperium tenuit. Cùm forma præstantē Pelopem Hippodamia uidisset, in eius amorem incidit, atque clàm egit cum Myrtilo, ut uictoriam Pelopi conciliaret. Natalis Comes lib. 7. c. 17. Concedebat Oenomaus procis, ut Hippodamia unà conscenderet currum, quò uidelicet illi dum uultu in illam defixi hærerent, aurigandi currus obliuiscerentur, teste Luciano in Charidemo. Cursus initium erat à fluuio Clade, finis ad Isthmū Corinthiacum. Ipse cū hasta in curru sequebatur, q ab equis uelocissimis Psilla & Arpinna trahebat. Victos procos hasta à tergo trāsfigebat.

Amundo Suconum regi fuêre plures filij in militari disciplina instructissimi, Hacho, Heluuinus, Hagbartus, Amundus: qui totum mare Gothicum piratica uexauêre. Incidit inter hos & Sigari Danorum regis filios, Algerum & Alphum, nauale atq; atrox prælium, quod tam pertinacibus utrinq; uirib. agebatur, ut neutrà pars alteri cederet. Sed procerū studio fœdus simul percusserunt. HAGBARTVS cum Sigari filiis Daniā petiit, & à filia regis Signe, tam ob uirtutem, q̄ ob generis nobilitatem adamatus est. Erant eo tēpore multi Dani, & Teutones, qui uirginem ambiebant: in quorū numero pręcipuum locum habebat Hildigisleus, claro inter Teutones loco natus. Is cùm comperisset sibi à regia puella pręferri Hachonem, uel Hagbartum (quòd præter uultus tenuitatem, & claritatem parentum; nullis præclaris facinorib. illustraretur) Boluisium quendam cæcum magnis muneribus induxit, ut fœdus, quod Sigari filij cū Hagbarto & fratribus eius pepigerant, dissolueret, multum licet dissuadente Biluisio uiro pacis studioso. Illius persuasionibus regij iuuenes inducti, Danos contra Suecos nauali prælio armarunt. Cecidêre in eo prælio Amundus & Heluinus: at Hagbartus pugna declinata, bellum instaurans, Alfum & Algerum occidit. Hildigisleus ambas nates telo traiectus elabitur. Quæ res insectandorum Teutonū occasio extitit, quòd opprobrij nota plagæ deformitas nō careret. Post hæc Hagbartus muliebri habitu Signen adiēs, & ab ea benignè receptus, sed ab ancillulis proditus, à Sigari lictoribus comprehensus suspēdio adiudicatur. A regina porrecto poculo bibere iussus, mortis comminationem interfectorum à se iuuenum prædicatione ultus, reiecto in reginam poculo, os eius mero perfudit. Conuenerat ei cum Signe, ut neuter alterius funeri superstes esset. Ergo ubi spōsum in uicino morte supplicio capitali afficiēdum cognouit, famulis priùs in suam sententiam pertractis, uino quinetiā largiùs poto animatis, persuasit, uti signo è speculo dato faces cōclaui subderent, suisq; singulæ peplis collū innecterent, & subducto pedum fulcro strangularentur. Ergo postquam Hagbartus ad montem, qui ab ipso nomen traxit, peruenit, amiculum suum prius à lictorib. suspendi præcepit, uoluptati sibi esse præfatus, si propinquæ mortis imaginem uideret. Speculæ custos Hagbartum eum esse arbitratus, conclusis intra aulā puellis rem denunciat. Quæ mox datis incendio tectis, gulas laqueis fregere. Hagbartus notum conflagrare cubiculum uidens, plus lætitię ex amicę fide, quàm mœroris ex propinqua morte percipiens, laqueo necatus est. Saxo lib. 7. & Ioannes Magnus lib. 7. cap. 5. & seq.

ARNGRIMVS pugil Sueticus Frothonis III. Danorū regis F. postulabat, & Erici Sueciā regentis subsidium flagitabat. Quē Ericus hortari cœpit, ut ab aliquo præclaro opere Frothonis sibi fauorem conciliaret, pugnaretq; aduersus Egtherum regem Biarmiæ, & Thengillū regem Finnimarchię, quòd ij soli Danicum detrectare uiderētur imperium. Nec mora, eò exercitum egit. Finni fugiētes, tribus lapillis post tergum coniectis, totidem montium instar hostib. apparere fecerunt. Arngrimus ab insectādo hoste exercitum reuocauit, magnarum se rupium interiectu coercitū putans. Iidem postera die congressi, uictiq;, coniecta in terram niue ingentis fluuij speciē dederūt, & his prestigiis seruati sunt. Tertio tandē die potestati se permisere uictoris. Quib. Arngrimus hanc tributi legem cōstituit, ut recensito Finnorū numero, theda ferinis pellibus conferta ab unaquaq; decade, loco census, exacto triennio, penderetur. Mox Egtherū Biarmiæ ducem duello prouocatū uicit, & Biarmis multā imposuit, uiritim pellem pro capite persoluendi. Post hæc spoliis trophæisq; auctus, à Frothone filiā Osurā obtinuit. Saxo lib. 5.

OPVM IACTVRA.

Consule Tit. Prodigi in meretrices, in pædica.

HONORVM, NOBILITATIS, Famæ iactura.

Vide Tit. Coniugia disparia. quatenus ex libidine impares iunguntur.

Tiberio imperātе VISTILIA Romanā, prætoriis ornata maioribus, stupri licentiam apud ædiles inuulgauit, more recepto ueterū, quibus pœnarum satis in propudiosas irrogari est uisum, ex ipsa flagitij pfessione. Cuius impudicitia motus Senatus, legē tulit, ne quæstū corpore fecisse uellet, cui auus, aut pater, aut maritus, eques Romanus fuisset. Cæl. lib. 14. cap. 4. Antiq. lect.

PEREGRINATIONE.

THALESTRIS, siue MINOTHEA, Amazonū regina, cum CCC millib. mulierū aduersus Alexandrū Macedonū regē pcessit, magis libidine quàm bello flagrās. Itaq; XXV dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, regem conuenit. Vbi cùm XIII. diebus, otio se de[redacted] pleuisset ex regis concubitu, discessit. Iustinus [redacted]

Ex[redacted].

LA[redacted] desiderio [redacted] endit, & de qua fuit inter duo maria contentio, postquā [redacted] ore correpta [redacted] polochi Thessali;

[redacted] allatrant
Virides, ... profugiensq; cæteros amatores clàm, ac pergens Megalopolim recepit se modestè. Ibi feminę ex inuidia & æmulatione ob eius uenustatem in fanum Veneris deductam lapidib. obruerunt & necauerunt. Vnde nimirū hac quoq; memoria fanum illud Veneris Homicidę uocāt. Plut. in Amatorio.

CAPTIVITATIS PERICVLO.

DEMETRIVS Poliorcetes obsessa Munychia Megaram infessam à Cassandro infestus nauigauit. Cùm esset autem ad eum allatū Cratesipolim, quæ Alexādro Polyperchōtis fuerat nupta, Patris agentē, cupere se ad ipsum cōferre, celebratæ mulierē formæ: relicto in finib. Megaricis exercitu, perrexit illuc cum expeditis. atq; rursus ab his abscedens, ne quis congredientem secū sentiret, reduxit seorsum tabernaculū. Quod quia quidā de hostib. odorati sunt, repentè incurrerunt in eum. Ille pauidus obsoleta sumta chlamydula, concitataq; fuga proripuit se: ac parū abfuit, quin ob libidinē fœdissimè ueneritin hostiū potestatem. Hostes direpto cū pecunia tabernaculo eius, receperunt se. Plut. in Demetrio.

SOMNIO.

Archedicē deperibat quidam in Naucrate Aegypti emporio: At illa fastuosa mercedem largam poscere, cumq; accepisset, paulisper commercio eius, qui numerarat, usa, se subducere solebat. ADOLESCENS ergò cùm ea propter paupertatem potiri nō posset, per somniū cum illa rem habere uisus, cupiditate liberatus est. Aelian. lib. 12. de Var. hist. At Plut. in Demetrio nō Archedicen, sed Thonidē scribit, in iudicium uocato adolescente corā Bocchori, mercedē postulasse. Illū uerò meretricē in uas æneū iactata, quantā illa petierat, pecunia, umbra eiusdē frui iussisse, uti adolescēs imagine meretricis fruitus esset. At Lamia Demetrij iudicium istud reprehendit, quòd adolescens somnio liberatus esset à cupiditate libidinis: Thonis uerò non item sono à cupiditate pecuniæ.

ALII. LENONES, PROSTITVTORES, CONCILIATORES.

Lenones & Prostitutores alienæ pudicitiæ ad uarios locos referri possunt. Quatenus docent, inter Magistros libidinis: quatenus prostituunt pudorem alienum, ad Libidinis exercitia respectu aliorum considerata. Eorundem quinetiam sordidissima opera inter Mechanicas operas, lucri causa pudorem alienum uēdentes, recipi possunt. At hic, quatenus alienæ libidini materiā suggerunt, & oleum camino addunt. Scribit Pedianus, Lenones scortorum dici: Productores uerò etiam inuitarum personarū, & in quibus stupra exercita legibus uindicantur. In Verrinis certè ab Cicerone disparantur uerba hæc. Cælius lib. 14. cap. 8. Antiq. lect.

IN GENERE.

De Cypriis narrat Iustinus lib. 18. Mos, inquit, erat CYPRIIS, uirgines ante nuptias statutis diebus dotalē pecuniā quæsituras in quæstū ad litus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas, credo quòd ex instituto Veneris, quæ, ut Lactantius ex sacra hist. refert, auctor meretriciæ uitæ fuit, docuitq; Cyprias feminas quæstum uulgato

corpore facere. ARMENIIS similem ferè morē fuisse, narrat Strabo. Herodotus LYDIS. Prostituēdi feminas uulgò etiam fuit mos AVGILARVM in Africa, nocte, qua nuberent. Herodotus, Solinus, Mela. SICÆ in eadē terra tēplo Veneris matronę dotē quærebāt uulgato corpore. Valerius. LOCRENSES Iustinus scribit bello pressos uouisse suas se filias festo Veneris prostituturos, si uictores forent.

ASPASIA, Periclis deliciæ, puellas corpore quæstum facientes domi alebat. Plut. in uita Periclis.

CALLISTION, cognomēto Proche, lena, quum à quodam esset conducta seruo, isq;, quoniam æstiuo tempore nudus accumbebat, ostēderet in corpore notas plagarum: Vnde, inquit illa, miser? quumque is dixisset, se puerum iure fuisse perfusum. tum illa, Nimirum uitulino: sentiens, esse flagrorum uestigia. Ex carnibus uitulinis coqui faciunt ius, ex pelle uitulorum fiunt lora. Erasm. lib. 6. Apoph.

Timæus scriptum reliquit, CINNARVM quempiā fuisse, patria Selinusium, arte lenonem, qui hoc quæstu ad summas opes peruenerit. Is quoad uiuebat, pollicebatur, se facultates omnes Veneri consecraturū: cæterū moriens, populo diripiendas exposuit. Eras. in prouerb. Rapina rerum Cinnari.

CROBYLVS leno scelestissim⁹ duo scorta domi alebat, quorum lenociniis quamplurimos adolescentes in perniciē alliciebat, nec his cōtentus, eosdem illectos furto cōpilabat. [redacted], prouerbio dictum, uel φ digni uiderētur, qui tanquā pares improbitate cum hoc copulari deberent, uel φ iugum, id est, par scortorum aleret domi. Erasm.

BALLIONEM inducit Plautus [redacted] dolo, lenonem [redacted] rapacissimum, improbissimum. Nomen confictū est à βάλλειν, φ semper [redacted] uel à βαλλίζω, quòd lasciuiarum ac [redacted] it architectus. M. Tullius in actionibus suis subinde C. Fannium Chæream quendam Ballionem appellat. Erasmus in Adag.

VECTILIVS leno in causa testamentaria à Q. Metello prætore deiectus fuit, & à subsellio prohibitus, quia leno erat, quem pro libero propterea habendum non censuere. Valerius Maximus lib. 7. cap. 7.

GEMELLVS tribunitius uiator, ingenui sanguinis, sed officij intra seruilem habitum deformis, Metello & Scipione Consulibus, ac Tribunis plebis, magno cum rubore ciuitatis, lupanari domi suæ instituto, Mutiam & Fuluiam, tum à patre tum à uiro utrāq; inclytam, & nobilem puerum Saturnium in eo prostituit. Idem lib. 9. cap. j.

SYLO notæ leno improbitatis, ex Catulli uersibus:

> Aut sodes mihi redde decem sestertia, Sylo,
> Deinde esto quamuis sæuus & indomitus.
> Aut si te numi delectant, desine, quæso,
> Leno esse, atq; idem sæuus & indomitus.

P. CLODIVS ut incesti crimine in Bonæ deæ sacris commissi nocens reus absolueretur, noctes matronarum & adolescentium nobilium magna summa emtæ mercedis loco iudicibus erogauit. Quo in flagitio tam tetro, tamq; multiplici, nescias quem primùm detestēre: an qui istud corruptelæ genus excogitauit: an qui pudicitiam sequestrem periurij fieri passi sunt: an qui religionē stupro permutarūt. Val. ib.

TIBERIVS Imp. leno impurissimus fuit. Suetonius.

C. CÆSAR Caligula Romę lenocinium exercens, lupanar in palatio constituit: distinctisq; & instructis pro loci dignitate complurib. cellis, in quib. matronæ ingenuiq; starent, misit circum fora & basilicas nomenclatores ad incitādos in libidinem iuuenes senesq;. Præbita aduenientibus pecunia fœnebris, appositiq; qui nomina palàm subnotarent, quasi adiuuantium Cæsaris reditus. Idem, & Zonaras.

NERO Imp. post spectacula publica, cœnam sumtuosissimā in ipso theatro dedit (in quo tabernas atq; lupanaria ædificauerat, in quib. omnes cum omnib. quibuscū libebat mulieribus, rem haberent) atque adeò publicum sese lenonem tunc præstitit. Xiphilinus.

DIPSAS nomen lenæ, quā Ouid. lib. j. Elegiarum suis carminibus insectatur, φ puellam suā meretricia arte instrueret.

Aphra meretrix (quæ à Narcisso Hierosolymorum episcopo à turpi & immundo quęstu reuocata fuit) matrem habuit HILARIAM, quæ solis lenociniis uictum sibi comparabat.

CAMVL prouincia, Tartarorum subiecta imperio. Incolæ ad prodigium usq; hospitales, peregrinos quoscunq; uel inuitos suscipiunt. Domo cedit hospiti paterfamiliàs, uxorē & liberos illi commendat, nec ante hospitis discessum redit. Moguth Tartarorū Imp. edicto hanc consuetudinem abolere uoluit. Verùm & precib. & precio Camulæi obtinuere, ut sibi more maiorū, uxores ꝓstituere liceret, & ex peregrinorū cōcubitu regionem suā, ceu diuino munere, populosam reddere. M. Paul. Venetus li. j. c. 46. Orientaliū regionū.

Tartari qui sub Bela IV Hung. rege Pannoniā uastabant, quū innumeram multitudinem in syluis fuisse reconditā arbitrarentur: quosdā HVNGAROS dimisere cum his mandatis, Quicunq; ad præstitutū tempus sedes proprias repetissent, licere iis tutò esse domi, colere agros, & curare familiā. Credidere his pars hominū non mediocris, coacti inedia. Itaq; Cumani, Tartari & Hungari mutuò uersabantur. Plurimi è parentib. filiarum, ex uiris uxorum, ex fratribus sororum lenocinio, uita ab hoste donati. Quin & ut gratum Tartari lenocinium sibi fuisse ostenderent, in eorum conspectu, illas sæpè, ferarum ritu, in propatulo inibant. Bonfin. li. 8. Dec. 2.

IN SPECIE. Nempe

Parentes Filiarum prostitutores.

DIOMEDES Thracius solitus fertur hospites suos compellere, ut cum filiabus suis deformissimis rem haberent: quo facto, eos interimebat. Vnde fabula spargit, Diomedis equas homines deuorare solitas, filias à uiris agitatas, equas appellans. Hinc prouerbium in meretrices deformes, Διομήδειος ἀνάγκη, Anus Diomedis. item Diomedea necessitas. Suidas & Hesychius.

ERISICHTHON quidā Thessalus absumtis facultatib. ad extremam deuenit inopiam. Huic erat filia, puella præstanti forma, nomine Metra. Quam ubi prostituisset, adolescētes, qui commeabant ad illā, uaria munera deferebant, alius equos, alius boues, alius uerueces. Nam id temporis nondū auri, argenti, gemmarúmue erat usus. Porrò Thessali periocum dicebant, Metrā Erisichthonis uerti in ea omnia, quæ illi ab amatorib. filiæ donabātur. Atq; hinc prouerbiū, Mutabilior Metra Erisichthonis. Fabulam Erisichthonis tractat Ouid. lib. Metamorph. 8.

THESPIVS rex Bœotiæ, fama rerū ab Hercule gestarū percepta, quinquaginta filias suas ei uocato ad conuiuiū & inebriato prostituit, ut ex filiabus totidē præstantes robore & sapientia filios susciperet. Quas illum omnes præter unam eadem nocte uitiasse testatur Paus. in Bœoticis, singulasq; earum mares filios peperisse, præter maioris & minoris ętatis duas, quæ geminos pepererūt. Nat. Com. Mytholl. 7. c. j.

CHEOPES Aegyptiorum rex, cùm incredibilē pecuniæ uim in pyramide extruenda consumsisset: pecunia defectus, filiā suam in quodam ædificio prostituit, imperans, quantumcunq; faceret quæstum: non enim quantū dicebatur. Ea igitur cùm patris iussa fecisset, tū uerò priuatim de relinquenda sui memoria cogitauit. Itaq; singulos ad se intrantes orauit, ut sibi ad opera singulos lapides donarent. Ex his lapidibus aiunt extructam fuisse pyramidem, quæ stat in medio trium in cōspectu pyramidis magnę, cuius unū quodq; latus sesquiiugerum est. Herod. lib. 2.

MATER Leucippum filium, sororis amore flagrantem, cū filia incestum fecit committere. Parthen. de Amat. c. 5.

BABYLONII posteaquā à Persis expugnati sunt, remq; domesticam absumserunt, unusquisq; plebeius ob uictus inopiā filias suas adegit ad quæstū corpore faciēdū. Herod. j.

Aegeus rex Atheniēsiū, cùm desideraret liberos, PYTHIAM consuluit. Illa respondit:

> τὸν ἀσκοῦ προὔχοντα πόδα, ὦ φέρτατε λαῶν,
> μὴ λύσῃς, πρὶν γουνὸν Ἀθηνάων ἀφικέσθαι.

Ille cùm Trœzenem uenisset, oraculū PITTHEO regi proposuit. Is oraculo intellecto, quòd heros aliquis ex Aegeo nasci deberet, Aethram filiam Aegeo prostituit. Ex eo concubitu natus est Theseus. Plut. in Theseo. At Xenophon ad Peleum Achillis patrem hæc refert.

PARYSATIS, Artoxerxis Persarum regis mater, animaduertens eum filiam Atossam perditè amare, uerùm morbū suū ipsius causa uehementer occultare (quamuis intercederet iam ei tecta cum uirgine consuetudo) cœpit eam magis φ antè fouere, atq; apud Artoxerxem extollere formā & mores eius, ut regalis & præclaræ puellæ. Denique, ut duceret puellam, suasit ei, quamuis eam Tiribazo satrapæ iam despondisset, ac legitimam coniugem faceret, Græcorū existimatione & legib. contemtis. Legem Persis ipsum à deo, honestiq; & inhonesti datum normam. Plut. in Artoxerxe.

T. IVNIVS cohortis prętoriæ præfectus, penes Galbam Imp. plurimū poterat. Is Tigillinum Neronis magistrum, hominem impurissimū, auro corruptus, flagitāte eum populo ad cædem, interfectis reliquis seruauit. Surgens inde ab Imperatoris cœna, ad illū concessit comessatum, ducens secū filiam uiduam, cui propinauit Tigillinus duodecies H-S, & pellicum suarum primariæ monile iussit collo suo detrahere, atq; ex illius suspendere, quod sexcentis millibus numū dicebatur esse. Plut. in Galba.

IOSEPHVS Tobiæ F. Iudæorum princeps, cùm aliquando cum fratre Solymio Alexandriā uenisset, cœnans cum rege Ptolemæo, ingressam in conuiuiū formosam saltatriculam adamare cœpit, folliq; hoc fratri indicauit, rogans, ut quandoquidem lege uetaretur habere rem cum femina alienigena, subseruiret ei, ut clàm ea potiri posset. Frater, qui secum eò duxerat filiam nubilem, ut eam nobili alicui Iudæo elocaret, operam suam pollicebatur. At filiam suam ornatā noctu ad eum adduxit, & in lectum eius collocauit: atq; ita parum

rum sobrius Iosephus pro saltatricula per errorem cum fratris filia congressus est. Factum hoc Solymius postea sic excusauit, φ maluerit filiæ fieri iniuriam, quàm fratrem coitu cum alienigena se inquinare. Iosephus lib. 12. c. 4. Antiq.

Helgo Danorum rex in insula piratarum Thoro uirgini Thoræ stuprum intulerat, & ex ea Vrsam filiā susceperat. THORA nubilem iam filiam patri, in amissæ uirginitatis uindictam, imprudenti meretricio habitu substrauit. Ex eo incestu natus est Roluo F. qui natalium pudorem uirtutis præstantia deleuit. Saxo lib. 2. & Cranzius lib. j. Daniæ, cap. 15.

Mariti Vxorum prostitutores.

Aquariolos inuenio dici, qui uxoris stupra æquo animo patiuntur. Ex Apuleio in Magia Cæl. lib. 12. cap. 16. A. L.

ABRAMVS, nōdum Abrahamus, Saraim regi Aegyptiorum Pharaoni prostituit, uxorem suam esse negās, sed sororem: ne propter pulcritudinem illius interficeretur. Gen. 12.

IDEM cùm Geraris peregrinaretur, & metu mortis Sarā pro uxore sororē esse diceret: Abimelechus rex Gerarorū eam ad se accersendam curauit. Verùm cùm propter Saram Abimelechus à Domino castigaretur, eam cum magnis muneribus Abrahamo restituit. Idem cap. 20.

Comœdia uetus notat POLYAGRVM quendam, uxorē ad quęstum prostituentem, quam cœlestem capram uocat, ob immensum quæstum, ut testatur Plut. in comment. de Aud. poetis: εὐδαίμων Πολύαγρος, οὐράνιον αἶγα πλουτοφόρον τρέφων, id est, Fortunatus Polyager (id est, multorum agrorum possessor) cœlestem capram opes adferentem alens. Erasmus.

Argis Nicostratus aduersarius erat in republ. administranda PHAVLII. Eò cùm commeasset rex Philippus, omniū opinio erat Phaulium per uxorem feminam elegantem, si consuetudinem hæc haberet cum Philippo, aliquam potestatē uel magistratum obtenturū. Quod cùm odoratus esset Nicostratus, & deambularet circa ianuā ædium: Phaullus inductis uxori crepidis, iniectaque chlamyde & causia Macedonica, eam ut unam ex regiis pueris clàm in domum misit. Plut. Sermone amatorio.

BALEARES sponte solebant primos ex amicis, secundos & tertios, usq; ad certum numerum rogare, uti sponsam prætentarent: sponsus ad eam ultimus accedebat. Diodorus.

Per uniuersam insulam BRITANNIAM hic mos seruatur. Quando quis amici domum uocatus ingreditur, ut primū cùm amici uxore cōcumbat, ut deinde benignè hospitio excipiatur. In peregrinationib. quoq; mutuis utuntur uxorib. amici. Eadem consuetudo obseruatur in Vandalorū regione ibi maritima, usq; ad Germaniā. Nec probrosum ducūt, uxores & filias in hunc modū imprægnari. Chalcocōd. l. 2.

Pompeius Festus ita scribit: Non omnib. dormio, natum uide t[redacted]CEPIO, uel Capio, uel Cabba, uel Calba, φ Pararhenclson dictus est, quòd dormientem simularet, quo impunitiùs uxor mœcharetur: cuius etiam Lucilius meminit. Ad hunc sensum illud Satyricum interpretantur Grammatici, [redacted] Doctus & ad calicem uigilanti stertere naso.

Plut. in Serm. amatorio narrat, Galbam scurram Romanū conuiuio Mœcenatem excepisse, cumq; sentiret iam è nutibus hominem inflammatum in uxorem suam, sensim demisisse caput, perinde quasi dormiret. At cùm interea famulus quispiam ad mēsam accedens, uinum clàm tolleret, ibi iam uigil & oculatus: κακόδαιμον, inquit, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω; Infelix, an ignoras, quia soli Mœcenati dormio? Cælius lib. 12 c. 16. A. L. & Erasmus.

C. TICINIVS Minturnensis Fanniam uxorem impudicā de industria fecit, ut eo crimine eam dote spoliaret.

C. Cæsar Enniam Næuiam, MACRONIS, qui cohortib. prętorianis præerat, uxorem sollicitauit ad stuprum, assentiente tamen marito, matrimonium & iureiurando & chirographo promittens: quare in amicitiā per hanc uenit cum Macrone, qui postea Tiberio, iussu Caij, uenenū porrexit. Suet.

NICOLAVS hęresiarcha (cuius Ioan. in Apocal. mentionem facit) cùm post dominicam ascensionem ab Apostolis zelotypiæ redargueretur, uxorem in medium productā cupientibus sponte obtulit. Clemens Alexandrinus in 3. Stromatū lib. & Eusebius lib. 4.

De IVRISCONSVLTO uxorem habente adulteram, sic scribit Ausonius:

> Iurisconsulto, cui uiuit adultera coniux,
> Papia lex placuit, Iulia displicuit.
> Quæritis unde hæc sit distantia? Semiuir ipse
> Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

Alciat. lib. 10. Paretg. cap. 6. sic explicat. Papia placuit, quæ est de maritandis ordinib. & propterea uxorem duxit: Iulia displicuit, quæ pœnam adulteris statuit. nam delectatur uxoris adulteriis. Vnde hæc distantia, ut quis uxorem ducere, & eandem mœcham perferre uelit? Causa est, quòd dum ipse metu Scatiniæ legis muliebria pati, & ex iis quæstū facere desiit: ex uxoris tamen adulteriis fructū percipere gaudet: non metuens Titiam, quæ est in munerum captatores. Ergo dum metuit Scatiniam, Papia ei placuit: dum Titiam non metuit, Iulia ei displicuit. Antithesis pulcra: rerū quidē obscurior, uocum uerò apertior.

VENCESLAVM Imp. ferunt cōiugem propriam in lupanar iussisse prostitui: optimam uerò feminā flagitia mariti execrantem, quum se aliàs in libertatem uendicare nō posset, inedia sibi finem fecisse uiuendi. Cranz. lib. 9. Vandal. c. 6.

Cū HENRICVS, Io. Castulonensis regis F. ad procreationē impotens esset, Elizabetha soror aliquando uerbis cum eo contendens, etiam inuito ipso se post eum regnaturam dixit. Hēricus eo uerbo commotus, ne sorori, quod optabat, succederet: Hispanum iuuenem Belthramum Cuenam, humili fortuna natum, at forma eleganti, ducē Alburchechensem creauit, egitq; ut cum regina cōcumberet. Ex quo concubitu filia Elizabetha prognata est, quæ post Henrici mortem magnorum in Castulonensi regno motuum causa extitit. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

Vxores Maritorum.

Augustus Cæsar ad uirgines uitiandas promtior fuit, quę sibi undiq; etiam ab uxore LIVIA conquirebantur. Sueton.

Fratres Sororum: Sorores Fratrum.

GERTRVDIS regina Hūgariæ Bancbani præfecti, cui ab Andrea rege in Palæstinam profecturo cōm[redacted] fuerat, [redacted] rem fratri, qui eam cōsolandi gratia ex Germaniā uenerat, prostituit. Ille eam quamuis pudicissimā reginæ indulgentia corrupit. Bancbanus intellecto malo, ueniam uxori cōcessit, Gertrudim uerò incautam gladio confodit. Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

[redacted]

Duces Militum.

ALEXANDER Magnus, item Q. FAB. Maximus lenones militum. Vide Tit. Scorta militum.

Nutrices Alumnorum.

HIPPOLYTA nutrix, Smyrnā amore nefario patris flagrantem, Theianti patri supposuit, hoc dolo, quasi puella quædam esset parentū fortunatorum filia, quæ in ipsius cubile clanculum uenire cuperet, tamq; diu hoc facinus latuit, donec Smyrna uterum ferre cœpisset. Antoninus Liberalis in Metamorph. & Ouid. lib. 10. Metam.

Sacerdotes.

SACERDOTES Isidis, corrupti pecunia à Decio Mundo nobili Rom. Paulinam matronam honestissimam simulata religione, quasi deus Anubis ipsius forma captus eam ad cœnam & amplexū uocaret, ipsi conciliarunt. Iosephus Antiq. libro 18. cap. 4.

LEVDEMVNDVS Sedunensis episcopus Berthrudam Lotharij Francorum regis uxorem Aletheo principi Burgundionum conciliare, & ut Lothario relicto, quem intra anni spacium moriturum asserebat, Sedunū sese cum regiis thesauris conferret, persuadere studuit, circa an. DCXX. Cæterum ubi regina casta, nefarias Episcopi illecebras respuit, & Lothario perfidiā hanc detexit, Aletheus securi percussus, Leudemundus in monasterium Luxouiense (quod hodie Plumbariēse dicitur) fugiēs, uix tandē Abbatis intercessione Lothario recōciliari potuit. Stūpfius ex Annonij l. 4. c. 6.

Franciscus Scarolla, legatione aliquando apud regem Africæ functus, missusque eò à Ferdinando rege Neapolitanorum, cùm incidisset inter amicos de gentis eius intemperantia sermo, uidisse se in funere retulit Muliercula, quæ filiū deferret ad sacerdotem, quòd is eam cognosceret. Atque ibi tum SACERDOTEM, de ritu gentis ac sectę eius, dixisse ad eos, intellecta causa: Ne tu posthac mulier fueris illi mater, néue tute ipse adolescens ex hoc die fueris illi filius. His uerbis libertatem sese adeptos arbitrabantur, ac se de cætero soluti ab omni iure, liberē inter sese exercere libidinem possent. Pont. de Immanitate cap. 17.

Hospites.

VIBIVS Pacianus præter quotidianū cibum, quem subministrauit, meretrices quoq; submisit M. Crasso exuli in Hispania, delitescenti in spelunca quadam, non procul à mari: rationem habens eius ætatis, quòd esset admodū adolescēs, atq; aliquid etiam indulgendum uideretur ætatis flori. Plutarchus in Crasso.

Amici.

CVRTIVS Nicia, Gn. Pompeij & C. Memmij amicus, item & Ciceronis. Sed cùm codicillos Memmij ad Pompeij uxorē de stupro pertulisset, proditus ab ea, Pompeium offendit, domoq; ei interdictum est.

Medici.

Antiochus Seleuci Babyloniæ & Asiæ regis F. Stratonicen nouercam solenni patris consensu duxit: conciliatione ERA-

SISTRATI medici: qui uidebat eum ex amore Stratonices extremè laborare. Plut. in Demetrio, & Sabel. lib. 7. Enn. 4. & Val. Max. lib. 5. cap. 7. qui à quibusdam hoc non Erasistrato, sed LEPTINI mathematico tribui testatur.

LIBIDINIS CONSERVATIO. TVM

CAELANDO, OCCVLTANDO NEFARIE'.

DAVID rex, cùm Bethsabam Eliami F. Vriæ Hettæi coniugẽ, in ædibus suis frigida lauantem conspexisset, libidine motus, eam accersiri curauit, cumq; ea rem habuit. Illa cùm sese grauidã esse sentiret, absente marito in expeditione contra Ammonitas, metuẽs ne adulterij damnata lapidaretur, regem de ea re monuit. Is properè Vriam è castris uocandum curat, & simulato colloquio de negotiis bellicis, iussit eum domũ suam descendere, eo consilio, ut à cõiuge blandè susceptus, cum ea concumberet, & sic adulterij suspicio dilueretur. At Vrias ne inebriatus quidem à rege, cum uxore sua rem habere uoluit: indecorũ arbitratus, se sub tecto in uxoris amplexib. cubare, cùm commilitones sui omnes in castris sub dio militiæ labores cogerẽtur perferre. At rex consilium suum non succedere uidens, scelestius aliud excogitat: & Vriam cum literis ad Ioabum amandat, efficeret ut Vrias ab hostibus in oppugnatione Rabæ, à suis desertus, occideretur. Ioabus regium mandatum exequitur. Dauid statim, ne Bethsaba adulterij rea cõuinceretur, eam in uxorem duxit. 2. Reg. 11.

SEMIRAMIDEM reginam constat immoderatæ libidinis fuisse, quæ ne in castris quidem, uel medio belli ardore, uirorum congressu abstineret. Sed quum lectissimum quemque forma appeteret, confestim tabernaculo dimissum occultè interficiẽdum curabat. Ego tam diu crediderim id ab [redacted], Bosonis Thusciæ marchionis F. Dominicum presbyterũ deformissimum, sed egregiè uirum, amabat. Nocte quadam cùm ad consuetum cubile ueniret, canum latratu proditus, laniatu retentus est & deprehensus. Villa tegẽdi sceleris causa acerbè hominem, quod gynæceum suum attentasset, accusare cœpit. Ille minoris criminis confessione maius effugiendi uiam sibi à Villa astutè ostendi arbitratus, unius è pedissequis amplexus se petiisse fassus, testibus exectis pœnam stupri loco adulterij luit. Luitprandus lib. 3. c. 5. rerum in Europa gestarum, & Cuspin. in Othone Magno.

CELEBRANDO.

Huc Statuæ, Monumenta, meretricibus posita.

POLYGNOTVS pictor cùm pingeret in porticu Pisianactia, ut tunc uocabatur, quæ nunc Pœcele dicitur, Troadas: faciem perhibetur Laodices, ad Elpenices Miltiadis F. cũ qua cõsueuerat, reddidisse imaginẽ. Non erat in operariis Polygnotus, neq; pingendã redemerat porticũ illã: uerũ gratuitam eã munificentiã exhibuit publicè, teste Plin. lib. 35. c. 9.

EXCVSANDO.

Ceionius COMMODVS ab Adriano adoptatus, Crispinæ uxori querenti, quòd extraneis sese uoluptatib. addixisset: Patiare, inquit, me in aliis exercere uoluptates: nam uxor dignitatis nomen est, non uoluptatis. Sabell. lib. 4. Enn. 7.

NON FERENDO AMASIORVM ABITVM.

CALLIRRHOE, Lyci regis F. Diomedis amore capta, cũ uoti cõpos fieri nequiret, ac Diomedẽ abnauigantẽ uideret, laqueo sibi mortẽ consciuit. Iubas lib. 3. Africanarũ rerum.

BYSALTIA Massylorũ regis F. Calphurnij Crassi amore capta, cùm satisfacere amori ardentissimo nequiret, Crassum abeuntem deflens unicè, ferro iugulũ transuerberauit. Hesianax lib. 3. rerum Libycarum, & Plut. c. 47. Parall.

SAPPHO Lesbia lyrica amore Phaonis capta, cùm ille eam fugeret, ipsa animi impatientia se præcipitauit in mare de monte Leucade: ut est apud Nasonem.

ELOCATIONEM.

Lex erat apud Persas, ut rex designatus donum peteret: & daret, qui designauerat, modò fieri posset, quicquid esset petitum. Igitur poposcit Darius à patre ARTOXERXE Aspasiam, quã Cyrus olim fuerat unicè amplexus, & erat illa ea tempestate regis pellex. Quanquã autem haberet Atossam filiam Artoxerxes, & alteram Ammistrim, quas cõtra leges duxerat uxores: aleret insuper sexaginta & CCC præcellẽtissima forma concubinas: postulatus illam tamen, liberam ait esse: acciperet eam ipsius uoluntate, uim ne adferret inuitæ. Acciram Aspasiam, ubi præter expectationem regis elegit Darium, dedit quidem ei ex legis necessitate, sed datã paulo pòst eripuit: & Dianæ, quæ Ecbatanis colitur, quam Anitim uocãt, sacerdotem legit: modicam se iocularíamq; hanc de filio sumturum uindictam existimans. At ille seu Aspasiæ amore permotus, seu probro affici se & ludibrio ducens haberi à patre, contra illum conspirans, detectis insidiis in carcere iugulatus est. Plut. in Artoxerxe.

FRANCISCVS Sforcia Insubrum princeps Perpetuam pellicem prægnantem ciui cuidam despondit. Cùm ad uirũ duceretur, impotentia amoris motus, eam in arcem duci curauit. Vbi tandem à Blanca coniuge zelotypa interfecta est, Aeneas Sylnius cap. 50. Europæ.

COMMVNICATIONEM.

Gelous Apollodorus in Philadelphis iudicem Calliopen electam fuisse inquit à Ioue, contendentibus VE. NERE & PROSERPINA de Adonide. Quæ cùm Adonidẽ communem esse indicasset, Venus indignata, mulieres in Orpheũ Calliopes F. concitauit. Natalis Comes Mythol. lib. 7. c. 14.

MORTEM.

Scripsit Euanthes in fabulosis, sororẽ NARCISSO gemellã fuisse, cũ oris forma, tũ coma, & uestitu, & omni corporis parte similẽ. Hi cũ simul uenarẽtur, ferunt sororem [illegible] amatã. Qua mortua, ille desiderij impatiẽs, dicitur ad [illegible] uenire solit?, ut eius imaginẽ ibi intueret. Tandẽ magnitudine desiderij, uel, ut aliis placuit, cũ se in fontẽ deiecisset, periit, ad quẽ ambo solebãt cõuenire. N. Comes lib. 9. [illegible]

CALIGVLA Imp. Drusillæ sororis incestæ mortem ægrè tulit. Suetonius.

SIGNE F. Sigati regis Danorũ, Hagbarti strãgulati spõsi desiderio, semetipsam regia exussit. Io. Magnus lib. 7. c. 5.

LIBIDINOSI IN GENERE. MVLTIPLICI ASSIdua'ue libidine infames.

POPVLI.

Propter incestus uaria & horrenda genera Dominus CANANÆOS, Pherezæos, Iebusæos, Ammonæos, è terra sancta eiecit, quod illorum flagitiis coinquinata esset terra. Leuit. 18.

THRACAS in uenerẽ fuisse, procliues olim, historici tradidere. Cælius lib. 18. cap. 23. A. L.

BALEARIVM incolæ mulieres adeò præ cæteris appetunt, ut mulierem à prædonibus captam, tribus aut quatuor redimant uiris. Diodorus libro 5. c. 6.

Apud BABYLONIOS liberos & coniuges cum hospitibus stupro coire (modò preciũ flagitij daretur) permittebatur. Feminarum conuiuia ineuntium in principio modestus erat habitus, deinde summa quæq; amicula auferebãt profanato pudore. Ad ultimum ima corporum uelamenta proiiciebant, non meretrices tantùm, sed matronæ & uiri, apud quos comitas habebatur uulgati corporis uilitas. Curtius lib. 5. & Herodotus.

Σαμίων ἄνθη. id est, Samiorum flores, prouerbio circumfertur, ubi quis extremam uoluptatem decerperet. Laura apud Samios, angiportus quidam, in quo mulieres cum uiris conuiuium agitabant, omniq; genere uoluptatum affatim explebãt sese. Quibus deliciis effeminati SAMII, postea subacti sunt à Persis, & in seruitutẽ acti. Athen. lib. 12. ex Clearcho, demonstrat locum ita uocatũ, ob uarias formas puellarum, quæ ueluti flores arridentes, ad libidinem inuitabant. Erasmus.

Apud TYRRHENOS, legem esse scribit Theopõpus lib. 43. Hist. qua mulieres communes esse iubentur: quæ corpora maximè curant, atq; sæpius cum uiris nudæ exercẽtur. Cœnare ipsas ait non cum suis quidem uiris, at apud præsentes quicunq; contigerint, & quos uoluerint poculis prouocare. Nutriũt Tyrrheni filios quicũq; nati fuerint, cuius uiri sint minimè scientes. Neq; enim turpe quidpiam apud Tyrrhenos nõ modò agere, sed nec pati quidem uideri cẽsetur. Vbi cessauerint potantes, atq; dormituri sunt, ministri lychnis accensis amicas ad illos introducunt aliquando, aliquando uerò pueros ualde formosos. Cùm postea ab iis cessarunt, robusti adolescentes his adducuntur, qui cum illis ipsis congrediuntur. Cocunt autem ac congrediuntur se inuicem aliquando intuentes: sæpiùs circa thorum operimenta iaciuntur, quæ uirgulis sunt intexta, superiusq; uestes extenduntur. Athen. lib. 12. cap. 5.

Apud CAVNIOS, Cariæ populos, iuuentus frequenter amoris gratia ad compotationes conuenit, tam uiri quàm mulieres & pueri. Herod. lib. 1.

Κορινθιάζεσθαι, ueteres uulgato ioco dicebant eos, qui scortationibus ac lustris indulgerent, quíue lenociniũ exercerent. Tãtus enim apud CORINTHIOS olim honos habebatur meretricibus, ut, quemadmodum ex auctoribus docet Athenæus, illic in templo Veneris prostarent, atq; in solennibus precib. illud addi soleret, Vt dij augerent meretricũ numerũ. Quin & illud refert, meretrices facto sacro Veneri, ciuitatem extremo periculo laborantẽ seruasse, placata Venere. Prouerbij meminit huius Stephanus de Vrbibus, Aristophanis allegans Cocalum. Erasmus in Adagiis.

Stratonicus ubi ex HERACLEA exiuit, circumspiciebat. Interrogante quodam, Quid circumspicis? Pudet, inquit, ne uidear, uelut ex lupanari exiuerim. Athen. lib. 8. cap. 7.

Oscè loqui uetusto prouerbio dicebantur, qui turpiter parũq; pudicè loquerentur. Ab OSCORVM moribus allusione sumta, quòd apud eos spurcarum libidinum impunitus usus fuerit. unde & obscena dicta quidam putant, quæcunque factu dictúue turpia sint: etiamsi refragatur Festus Põpeius. Citat autem Ticinium quẽdam, qui scripserit ad hũc modum: Oscè & Volscè fabulantur, quia Latinè nesciunt. Erasmus in Adagiis.

Romæ in Capitolio ficus enata est, M. Messalæ, C. Cassij censorum lustro: à quo tempore pudicitiam apud ROM. subuersam Piso grauis auctor prodidit. Plin. lib. 17. cap. 25.

VOLSINIENSIVM serui rerũ potiri lege sanxerunt, ut stupra sua in uiduis pariter atq; nuptis impunita essent: ac ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non antè ex numero ipsorum aliquis delibasset. Val. lib. 9. cap. 1.

HERVLI apud Histrum flumen habitantes, impios coitus cum uiris & belluis habuerunt. Procopius de bello Gothorum libro 2.

LEGISLATORES.

MAHOMETVS sibi, tanquã principi prophetarum, uires decem prophetarũ in cocundo diuinitùs datas esse gloriabatur, impurissimus homo. Quin & in futuro seculo pios uxoribus mundis & absq; menstruis abundaturos, nõ sobolis, sed uoluptatis causa. & quo quisq; uir fuisset melior, eo plures habiturũ concubinas, & plus uirium à Deo consecuturũ, ut iis omnib. satisfacere queat. Nic. Clenardus li. 1. Epistol.

SACRI HOMINES.

[redacted]

IMPERATORES, REGES, PRINCIPES.

Ex Tit. Tyrannorum, huc nõ pauca transferri poterunt.

SOLOMON rex Hierosolymorũ, filius Dauidis ex Vriæ uxore Bethsaba, uxores duxit ex Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Sidoniis, præter mandatũ Dei. Vniuersæ aũt illi fuerunt uxores unà cũ Israeliticis, septingentæ: concubinæ uerò trecentæ. Prouecta tandẽ ætate, ab Ethnicis mulierib. deprauato animo, ad idololatriã deflexit. Coluit enim Astartem deam Sidoniorum, & Chamos deum Ammonitarum: & ex mille uxoribus solus illi mas natus est Roboam filius, ex alienigena Naama Ammonitide, indignus imperio. Multitudo coniugiorum orbitatem fecit. Suidas, ex 3. Regum 11.

IVPITER, post insignes è toto orbe uictorias totus in libidines & conuiuia uersus est. Nulla fuit formosa mulier, à qua uisa abstinuerit. Neq; sorori suæ sanè pepercit: cuius concubitũ cùm palàm petere nõ auderet, se in cuculũ uertit, & in Corinthiorũ agrũ ad collẽ, qui ea de causa Coccyx uocatur, aduolauit. Cùm maxima tempestate exorta, Iuno in collẽ Thronacem tunc dictũ conscendisset, cuculus tremẽs super genibus eius cõsedit. Cuius illa miserta, sub uestib. texit, & ab eo uim passa est. Quã in formã nõ mutatus est, ut optatis amorib. potiretur? aut quis formosioris mulieris maritus domo securus discedere poterat? quã multas dolo uitiauit? quàm multas stuprauit? quàm multas extra patriã asportauit? Neq; uerò feminarum complexibus contentus, Ganymedẽ Phrygem in deliciis habuit. Suscepit filios ex Europa Minoem & Rhadamanthum, Arcadem è Callisto, Pelasgum è Niobe, Sarpedonem & Argum è Laodamia, Herculem ex Alcmena uxore Amphitryonis, Amphionem & Zetum ex Antiope, Castorem & Helenam, Pollucem & Clytæmnestrã è Leda, Perseum è Danae, Deucalionem ex Iodama, Britomartim è Carme Eubuli filia, Megarum ex una Sithinidum nympharum, Aethlium patrem Endymionis è Protogenia. Plures alij Iouis filij recẽsentur ex uariis adulteriis. Natalis Comes Mythologiæ lib. 2. cap. 1.

NEPTVNVS fratris libidinum æmulus, licèt Amphitriten uxorem haberet, infinitos propè filios ex uariis nymphis & pellicibus suscepit. Phœnicem habuit è Libya, & Belum & Agenorem: è Calæno una Danaidum Calænum, Nauplium ex Amymone, ex Ori filia Laide Althepum, Ancæum ex Astypalæa & Periclymenum & Erginum: ex Alcyone Atlantis Anthamum, Hippothoum ex Alope Cercyonis, Asopum è Ceelusa, Orionem è Brylle: Tritones alterum cum Eurypylo è Celæno, alterum ex Amphitrite: Palæmonem & Neleum è Tyro, Delphum è Melantho, Minyum è Callirrhoe, Erycem è Venere, Ogygum ex Alistra, Taphium ex Hippothoe, Cygnum alterum è Cayce, alterum è Scamandrodice: Minyas è Tritogenia filia Aeoli, è Midea nympha Aspledonẽ, Parnasum è Cleodora, Eurypylum & Euphemum è Mecionica. Neque uerò hi solùm filij eius commemorantur, sed Euphemus præterea, qui proreta fuit in Argo naui, Amycus, Albion, Aello, Antæus, Amphimanus, Aethusa, Aon, Actorion, Borgion, Brontes, Busiris, Cercion, Crocon, Cromus, Chrysaor, Cenchreus, Chrysogenea, Chius, Dorus, Euphemus, Iteeus, Lelex, Lamia uates & sibylla, Halirrhotius, Læstrygone, Megareus, Messapus, Ephialtes, Nycteus, Melion, Nausithous, Othus, Ocypite, Polyphemus, Pyracmon, Phorcus, Pelasgũs, Onchestus, Pegasus, Phocus, Peratus, Siculus, Sicanus, Steropes, Tarus, Theseus, Tarantus, Tyretus: ut alios infinitos propè prætermittam. Natalis Comes Mythol. libro secundo, capite 8. Neptuni filios olim appellabant illegitimo thoro natos, quorum pater incertus esset. Mysticas rationes alij. an hæc forsasse uerior, quia Neptunus spuriis abundarit?

NINVS Assyriorum rex, Semiramidis filius, suscepto regno post matris obitum inter puellarum greges sedens, sese uoluptatibus immersit: quibus tuipiter captus, aliquanto turpiùs consenuit. Sabell. En. 1. lib. 1.

Omnes libidinum uoluptates experiri uoluit Assyriorum rex SARDANAPALVS, dùm inter pensa purpuras tunicas, in mulierem se transformauit: relictaq; regni cura, lasciuiæ se totũ deuouit. Trogus lib. 1. & Cicero lib. 5. Quæst. Tuscul.

THESEVS defuncta Antiopa Phædrã duxit, cùm sustulisset filium ex Antiopa Hippolytum, ut Pindarus ait, Demophoontem. Anaxo quandã fertur Trœzeniã rapuisse, Sinideque & Cercyone peremtis, ui constuprasse filias eorum: duxisse etiam Peribœam Aiacis matrẽ. Iam Pherebœã, & Iphiclis [illegible] liam Iopam: præterea ob Aegles Panopæi filiæ amorẽ, Ariadnã exprobrãt patum cum rectè uel honestè repudiauisse: Helenæ deniq; raptum inundasse bello terram Atticam, atque in exilium eius euasisse & exitium. Plut. in Theseo.

PTOLEMÆVS Physcon appellatus, Arsinoen sororem natu maiorem, communi fratri nuptã, sibi nubere coegit. Postea filia eius per uim stuprata ipsam dimisit, ut uacuum locum nuptiis puellæ faceret. Valer. Max. lib. 9. cap. 1.

C. IVLIVM Cæsarem pronum & sumtuosum in libidines fuisse constans opinio est, plurimasq; & illustres feminas corrupisse, in quibus Posthumiam Seruij Sulpitij, Lolliam Auli Gabinij, Tertullam M. Crassi, etiã Cn. Pompeij Mutiam. Nã certè Pompeio & à Curionibus patre & filio, & à multis exprobratum est, quòd cuius causa post tres liberos exegisset uxorem, & quem gemens Aegysthum appellare cõsuesset, eius postea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset. Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Seruiliam. Ne prouincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, uel hoc disticho apparet, iactato æquè à militibus per Gallicum triumphum:

> Vrbani seruate uxores, mœchum caluum adducimus.
> Auro in Gallia stuprum emisti: hic sumsisti mutuum.

Dilexit & reginas, inter quas Eunoen Mauram, Bogudis uxorem, cui, maritoq; eius immensa tribuit: sed maximè Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem sæpè protraxit, & eadem naue thalamego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit, nisi exercitus sequi recusasset. Eam deniq; accitam in urbem, non nisi maximis honoribus præmiisq; auctam remisit, filiumq; natum appellare nomine suo Cæsarionem passus est. Suetonius.

AVGVSTI Cæsaris prima iuuenta uariorũ dedecorum infamiam subiit. Sextus Pompeius eum ut effeminatum insectatus est. M. Antonius adoptionem auũculi stupro meritum: item L. Marci frater, quasi pudicitiam delibatam à Cæsare,

etiam Hircio in Hispania CCC millibus numûm substrauerit: solitusq; sit crura suburere nuce ardenti, quò mollior pilus surgeret. Sed & populus quondam uniuersus ludorum die & accepit in contumeliam eius, & assensu maximo comprobauit uersum in scena pronunciatum de Gallo matris deûm tympanizante: Vides'ne, cinædus orbem digito temperat? Obiecerunt ei inimici adulteria & uirginum stupra: licèt quidam non ob libidinem, sed quò faciliùs aduersariorum consilia per cuiusq; mulieres exquireret, adulteria commisisse scribant. Expulsa uxore Scribonia, Liuiam quasi marito concedente sibi coniunxit. Quumq; esset luxuriæ mancipium, eius tamen uitij seuerissimus fuit ultor. Cœna eius secretior in fabulis fuit, quæ uulgò δωδεκάθεος uocabatur, in qua deorum dearumq; habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ singulorum nomina amarissimè annumerantis exprobrāt, sed & sine auctore notissimi uersus:

Cùm primum istorum conduxit mensa choragum,
 Sexq; deos uidit Mallia, sexq; deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
 Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt,
 Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate penuria, ac fames: acclamatumque est postridie, frumentum omne deos comedisse, & Cæsarem planè esse Apollinem, sed & Tortorem, quo cognomine is deus quadam in parte urbis colebatur. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar magna & turpi infamia flagrauit: uix ut referri audiriue, nedum credi, fas sit. Quasi pueros primæ teneritudinis, quos pisciculos uocabat, institueret, ut natanti sibi inter feminas uersarētur, ac luderent, lingua morsuq; sensim appetentes: àtque etiam quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admoueret, pronior sanè ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare Parrhasij quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea H—S acciperet: non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin penè uixdum re diuina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simulq; fratrem eius tibicinem: atq; utriq; mox, quòd mutuò flagitium exprobrabant, crura fregisse. Quum Sextus Claudius eum uocasset ad cœnam, prodigus ac libidinosus senex, nudæ puellæ ministrabant mensæ. Sed portentosæ libidinis auctor in spintriis, cum puellis & exoletis, quæ nescire nullum dispēdium est, ut omnium luxuriosissimus habitus est. Secessu Capreensi, etiam sellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum: in quam undiq; conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, inuicem incestarent se coram ipso. Vt aspectu deficientes libidines excitaret, cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornauit, librisq; Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar imparatæ scenæ deesset. In syluis quoq; ac nemoribus passim uenereos locos commentus est, prostantesq; per antra & cauas rupes, ex utriusq; sexus pube, Paniscorum, & Nympharum habitu, palamq; iam & uulgato nomine insulæ abutētes, Caprineum dictitabant. Suetonius.

C. CALIGVLA fuit in omnes fœdas libidines tam pronus, ut cum tribus sororibus Drusilla, Liuia, & Agrippina stupri consuetudinem fecerit: quarum Drusillam adhuc prętextatus uitiasse creditur, per huius nomen iam princeps ad populum & milites pro concione deierauit. Liuiam Orestillā puellam nobili loco ortam, nuptiarum die, C. Pisoni, cui matrimonio iungebatur, ademit: C. Memmio Iuliam Paulinā: ad postremùm Cæsoniam duxit uxorem, quam ob lasciuiā perditamq; libidinem constantiùs adamauit, ostenditque sæpè eam militibus, chlamyde, pelta & galea instructam. Huius amatoriis potionibus alienatus, minùs iam inde sibi constitisse creditur. M. Lepidum, M. Nestorem pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catullus consulari familia iuuenis, stupratum à se, ac latera sibi contubernio eius defessa, etiam uociferatus est. Super sororum incesta, & notissimum prostitutę Pyrallidis amorem, non temerè ulla illustriore femina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam uocatis, præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lentè, mercantium more, considerabat: etiam faciem manu alleuans, si quæ pudore submitterent. Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, cùm maximè placitam ad se uocasset, paulò pòst recentibus adhuc lasciuiæ notis, reuersus uel laudabat palàm, uel uituperabat: singula numerās bona, maláue corporis, atq; concubitus. Quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, iussitq; in acta referri. Suetonius & Dion Nicæus.

CLAVDIVS Cæsar libidinis in feminas profusissimę erat, marium omnino expers. Suetonius.

NERO Cæsar suam pudicitiam usqueadeò prostituit, ut contaminatis penè omnibus membris, nouissimè quasi genus lusus excogitaret: quatenus feræ pelle contectus emitteretur è cauea, uirorumque ac feminarum ad stipitem deligatorum inguina inuaderet: & cùm affatim desæuisset, conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit: uoces quoque & eiulatus uim patientium uirginum imitatus. Persuasissimum habuit, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum esse: uerùm plerosque dissimulare uitium, & calliditate obtegere, ideoque professis apud se obscenitatem, cætera quoque concessit delicta. Tempore nocturno, mutatis uestimentis pertotam urbem debacchabatur, atque mulieribus puerisque stuprum inferebat, spoliabatq; eos qui fierent obuiam. Super ingenuorum proagogia, & nuptarum concubinatus, Vestali uirgini Rubriæ uim intulit. Acten libertam, paulum absfuit, quin iusto matrimonio sibi coniungeret: submissis consularibus uiris, qui regio genere ortam peierarent. Puerum Sporum, exectis testibus, etiā in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro uxore habuit. Extatque cuiusdam non inscitus iocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem. Hunc Sporum Augustarum ornamētis excultum, lecticaq; uectum, & circa conuentus mercatusq; Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus est, identidem exosculans. Matris cōcubitum appetisse, & ab obtrectatoribus eius, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ præualeret, deterritum, nemo dubitauit: utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre ueheretur, libidinatum incestè, ac maculis uestis proditum affirmant. Suetonius, & Dion.

VITELLIVS Imp. pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuò Spintriæ [redacted] bat, id est asinum, sibi carissimum, quem & ditauit, & sacerdotio Herculis Rustici præposuit. Hinc etiam Onobelos dici coniectant, uelut asini telum præferentes. Cum CCC concubinis, quas ex matronarum meretricumq; delectu ad formæ speciem constituerat, ac trecentis aliis puberibus exoletis (quos ex plebe & nobilitate collegerat in palatio) bacchabatur & lasciuiebat. Lampridius & Herodianus.

HELIOGABALVM, Græculæ meretricis filium, proditur memoriæ, posteaquàm militari temeritate est Imperium adeptus, nil ad senatum retulisse priùs, quàm, Felices prorsum homine futuros, si se Platonis legib. addixissent. Quo sanè argumento, mox tantus Imperator, & bona senatus pars, cum uxoribus cæterisque matronis ac uirginibus nudis nudi ipsi lauari occepēre. Quin illis dignitates contribuebantur, qui renudatas ad Imperatorem filias mitterent, quiq; nudi item inter nudas cum eodem decubuissent in cœna: ut orbi terrarum triennio prostibulum Roma fuerit. Cælius libro undecimo, capite decimotertio Antiq. Lect. Conatus est pro uiribus Tiberij, Caligulæ & Neronis genera libidinum non æquare, sed maluit præstare atq; excellere: utpote qui cogeret scriptores nōnullos de nefanda eius luxuria disputare: omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas Commilitones: disputauitq; de generibus schematum & uoluptatum. Adhibuit in tali concione postea lenones, exoletos undique collectos & luxuriosissimos puerulos & iuuenes, singulisque donatiui nomine ternos numerauit aureos. Lampridius ad Constantinum Imperatorem, de prodigiosa eius uenere scribēs, ait: Quis ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientē, quū ne belluā quidem talem quisquam ferat Romæ? Habuit insuper emissarios, quibus nihil aliud erat negocij, nisi bene nasatos perquirere, eosq; ad aulam perducere, ut illis se cōpolluerct. Medicos ingenti allectauit precio, uti in muliebrem ipsum naturam conformarent, sectione pudendo sexus illius expresso. Cæl. lib. 4. cap. 7. A. L.

GORDIANVS iunior uno tempore duabus & uiginti usus est concubinis, ex quarum singulis ternos quaternósue tulit filios. Itaq; suorum temporum Priamus uocabatur: lepido cauillo à nōnullis pro Priamo, Priapus appellatus. Sab. lib. 6. En. 7. ex Capitolino.

CARINVS Imp. Cari filius, cui pater proficiscens contra Persas, Gallias & totum ferè Occidentem regendum tradidit, adeò libidinosè uixit, ut Carus pater de eo necando sæpe cogitarit, quemadmodum scribit Onesimus. Vxores nouē repudiauit, plerisq; etiam ex se imprægnatis: cum mimis, pantomimis, ac meretricibus, lenonibusque conuersatus, quos in aula secum habuit & conuiuio, plurimumq; illis detulit. Sed ubi Diocletianum audiuit ab exercitu in Perside Imperatorem electum, cum exercitu cōtra eum progressus, & multis tādem præliis apud Margum in Dalmatia uictus, occubuit. Sext. Aurelius tradit, Carinum trucidatum eius tribuni dextra, cuius dicebatur uxorem polluisse. Corrupit enim passim nobilium matrimonia. Cuspinianus.

VICTORINO, qui Gallias post Iunium Posthumium rexit, neminem existimant præferendum, non uirtute Traianum, non Antoninum clementia, non grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura aut seueritate totius uitæ Pertinacem uel Seuerum: sed omnia hæc libido & cupiditas muliebris uoluptatis sic perdidit, ut nemo audeat uirtutes eius literis mandare. Trebellius Pollio.

ANDRONICVS Comnenus tyrānus, cum cœtu scortorum & pellicum loca deserta & temperata, & ferarum more con ualles & herbosos saltus consectari solebat. Ac certis dieb. à paucis aulicis, iisq; intimis ueluti per transennam uidebatur: tibicinis uerò & meretricibus omnem aditum patefaciebat: uirilia unctionibus & deliciis firmabat. Vescebatur itē scinco ad tentiginem excitandam. Nicetas lib. 2.

STAVRATIVS Imp. alterius sponsam duxit: & duas alias uirgines, quas ex cœtu plurimarum delegerat, in die nuptiarū stuprauit. Paulus Diaconus lib. 24. rerum Romanarum, in uita Nicephori.

ANTIBERTVS, uel, ut alij uocant, Theodebertus, Clotharij Francorum regis filius natu maior, omni muliere corruptior, & ad libidinem solutissimus, in complexu pellicum maturè decessit: ex illo multiplici coniugio non plus uno suscepto filio, qui patrem continuò sequutus est. Michael Ritius Neapolitanus lib. 1. de Regibus Francorum.

Clotharij filius DAGOBERTVS Francorum rex, uariis sese polluit flagitiis, & duas uxores duxit, & plurimas concubinas alias, adeò ut quocunq; incederet, comitatæ sint eum pellicum cateruæ: ultra eas, quas complurimis in locis cō-tas, & reginarum instar ornatas habebat. Aimoinus lib. 4. c. 20. de gestis Francorum, & Aemilius.

HVGONIS Arelatensis Comitis, qui rex Italiæ factus est, uxor Alda, ex Francorum Germanorum genere fuit, ex qua filium Lotharium regem Italiæ progenuit, cùm ex concubina Vendelmunda filium Humbertum Tusciæ principem haberet. Licèt enim fortitudine, audacia, religione, sciētia præcelleret, & qui philosophos ac bonarum artium studiosos non modò amaret, sed honoraret insuper, pauperesq; mirum in modum defenderet: tamen in mulierum amorem usque ad ignominiam erat procliuis. Præter Vendelmundā concubinam, habuit & Stephanā concubinā Romanam, quā Semelen uocauit. Habuit & Rosam, filiam iudicis Papiēsis, quam Iunonem solitus est appellare. Ac Beselam uulgarē, quam Venerem dixit: ex qua filium Bosonem episcopū Placentinum genuit, & Bertham filiam, quam Constantinopolim Constantino desponsandam misit. Cuspinianus.

VITISSA Hispanorum rex, cùm nullum libidinis genus intētatum relinqueret, lege quoq; permisit, ut sacerdotes, quotquisq, posset, concubinas alerent. Ritius Neapolitanus lib. 2. regum Hispanorum, & Rodericus Santius parte 2. histor. Hispan. capite 35.

IOANNEM Aragoniæ regem 18. mulierum amatorem fuisse, constat, cùm præter liberos ex uxoribus susceptos plures ex cōcubinis nobilissimis feminis progenuerit. Barcinonæ annorum fere octoginta puellam forma præstantem, Francinam Rosam, adamauit, osculis duntaxat contentus. Nam postea, quum puella nupsisset sponso, à quo die nuptiarum uirginitatis munera poscebat, se non uiolatam fuisse multarum mulierū testimonio probauit. Marineus li. 12. rer. Hisp.

FRIDERICVS II. Imp. optimus alioqui & fortiss. nimius erat in amore mulierum, & plures habebat concubinas, & ubique locorum secum trahebat gregem formosarum puellarum. Collenutius lib. 4.

Temires, aliàs TAMBERLANES, uicto Baiazete Turcorum rege, uoluptatibus operam dās, adolescentes in conspectu suo mulieres constuprare iubebat, sic prouocans naturam, ut & ipse deinde coire posset. Quando autem relictis amoribus ad bellum protrudebatur, bello confecto, ad solitam redibat libidinem. Etiam naturæ suæ uim facere non erubuit, luxuriosiorem sequutus uictus rationem, quò magis rei uenereæ indulgere posset. Chalcocondylas lib. 3.

CVLENVS Scotorum rex, nefanda libidine in matronas atque uirgines ferebatur: ut neque à uestalibus abstineret. Vndique conquirebantur puellarum greges ad stuprum, ut rex primùm mulieres eas faceret: nolentes obtemperare, ab lenonibus trahebātur ui: quibus ubi aulici, inde agasones, secundùm regem fuissent abusi, nonnunquam, quod flagitia exprobrassent, crura frangebantur. Nimio coitu exhaustus, pro ludo habuit, aliorum fœdos congressus coràm & in propatulo intueri, ut deficientes in effœto corpore libidines excitaret. H. Boethius lib. 11.

DAVID, Ioannis II. Scotorum regis primogenitus, flagitiosissimus, in omni genere libidinum uolutabatur, mortua auia. Non uirgines, non matronæ, non moniales sacræ, tutæ fuerunt ab eius cupiditatibus. Per omnia cubilia grassabatur, seu per blanditias & corruptiones, seu per uim. Hector Boethius libro 16.

SVENO II. Danorum rex, liberalitate & religionis studio alioqui clarus, hunc morum candorem sola libidine maculauit. Complurium illustrium puellarum castitate delibata, complures ex pellicibus filios sustulit: è quibus fuere cum Gormone Haraldus, cum Suenone Omundus. His accessere Vbbo & Olauus, Nicolaus, Biorno, atque Benedictus, paterno quàm maximè, materno minimùm sanguini respondentes: Canutus item & Ericus maxima patriæ ornamenta. Sed & filia Siritha, quæ postmodum Guthscalco Sclauico nupsit. Tandem Gutham Sueonum regis F. sed sibi sanguine coniunctam, pro uxore habuit. Eginus Lundensis & Vilhelmus Roskildensis episcopi, regem ab illicito thalamo frustra conantes abstrahere, apud Albertum Bremensium antistitem iniustas eius nuptias accusarunt. A' quo cùm incesti reus ageretur, se ferro, correptionis insolentiam repressurum minatus est. Vilhelmi tamen monitis ad saniorem mentem reuersus, Gutham bona cum pace in Sueciam remisit: ubi illa perpetuæ se castitati deuouit. Saxo libro 11. & Cranzius lib. 4. cap. 13. Metrop.

ERICVS II. Danorum rex, corporis & animi dotibus instructiss. uno luxuriæ nomine infamis, cùm Bouldam haberet uxorem, forma & moribus excellentem, pellicum tamen amoribus insaniuit. Tres illi fuere filij, Haraldus, Canutus, & Ericus: primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus. Filias quoque complures ex concubinatu habuit. Saxo lib. 12.

VENCESLAVS Imp. ignauiss. in Boemia conuiuando scortandoque morabatur, sæpiùs in lupanari quàm in adulterio deprehensus. Ab hac turpitudine cùm Ioanna Hollandię comitissa uxor eum dehortaretur, respondit, se quoque in lupanar illā detrusurum nisi ab hac dehortatione supersederet. Ac paulò post accersit Ioannem sacerdotem, qui reginę confessionibus præerat, arcana reginæ ab eo expiscaturus. Sed uoto suo frustratus, Ioannem de ponte Pragensi deiici, ac submergi iussit. Fluuius de repentè arefactus, corpus detexit submersi, in statuque illo triduum permansit, donec ad sanctum Vitum sepeliretur, ubi in hunc diem, quicumque sepulcro temerè insultauerit, immunis ab infamia non euadit. Regina ex mœstitia & dolore obiit, quem ex iniquissima Regis suspicione conceperat. Dubrauius lib. 23.

PETRVS Vngarorū rex adeò lasciuus fuit, ut nullius ferè ingenuę matronę pudicitia ab eo tuta esset. Hinc & satellites eius, mulieres honestas impunè infestarūt. Bonfin. li. 2. Dec. 2.

VRATISLAVS Pomeranorum dux, iuxta gentilium ritum, quatuor & uiginti concubinas, præter legitimam coniugē, domi suæ aluit. Chronicon Bambergense.

CASIMIRVS II. Polonorum rex, (Magnus cognomine ob præclaras uirtutes, quas tamen crapula & libidine contaminauit) Clarā sororē Feliciani Vngari, adiuuante regina sorore, constuprarat. Felicianus uindictæ studio Carolum regē cum uxore & liberis ferè interemit. Rex creatus Casimirus, Adleidam, siue Heduigim, Henrici Hessorum Lantgrauij filiā, quòd deformior esset, despicatui habere cœpit: & concubinarum, quas pluribus in locis alebat, amoribus & illecebris fascinatus, segregatā à se in Zarnouecensem arcem relegauit, quò maiore licētia libidinibus indulgeret. Præter greges concubinarum, Boemam quandam Rechezauam, captus eius pulcritudine, loco iustæ uxoris habere cœpit, promissa ei conceptis uerbis (cùm aliter potiri ea non posset) fide matrimonij, interueniente abbate Tinecensi, tyara ornata

ara ornato, quem mulier episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed eam deinde cùm caluam & scabiosam esse comperisset, eiecit, & Iudeæ cuiusdam Hesteræ consuetudine usus est: è qua Nemiram & Pelcam filios suscepit. filias uerò, ut in Iudaica religione permanerent, matri indulsit. Huius opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à rege adepta est, cùm nouas, tum quas ipsis olim Boleslaus dux Calissiensis in sua ditione concesserat. Itaq; iusta pœna diuinitùs affectus esse uidetur Casimirus, quòd nullos post se mares liberos reliquit: filias tantùm duas, Annam & Heduigē. Sicque in eo præclara Pasti stirps interiit, & ad exteros regnum translatum est, uidelicet ad Ludouicum Vngariæ regem. Qui ueritus, ne quam filiæ Casimiri nouandarum rerum occasionem Polonis darent, ablegauit eas in Vngariā: & constituto ibi iudicio, perfecit, ut non ex iusta uxore natæ, atque exhæredes pronunciarentur: eodem penè loco, quo olim Casimirus Feliciani filiæ uitium obtulerat. Cromerus lib. 12. & 13.

FRIDERICVS comes Ciliæ (quod oppidum est Stiriæ, Valeriæ olim dictæ) cùm Veronicæ concubinæ incensus amore, legitimam coniugem ex comitibus Croaciæ natam, sua manu interemisset, concubinam uerò pater eius Hermannus in profluentem demersisset: uxores passim maritis abstulit, puellarum greges in palatium rapuit, prouinciales pro mācipiis habuit, ecclesiarum bona diripuit, monetæ falsarios, ueneficos, ariolos, magos undiq; ad se asciuit, & quamuis anno iubilei iam nonagenarius, indulgentiarum causa Romam petisset, reuersus tamen nihilo melior uisus, interrogatus quid sibi Roma profuisset in pristinos mores relapso? Et calceator meus, inquit, ad consuendas ocreas post uisam Romam rediit. Aen. Syl. cap. 21. Europę.

MAHVMETES II. Turcarum rex, quantumuis senex, in ueneris usum quadraginta tum feminas, tum mares, septis tanquam cauea inclusos habebat: apud quos nonnunquam ita perpotabat, ut nimio uino rationem amitteret, & somno captus, ferarum modo humi iaceret: militari gloria, insignibusq; uictoriis, huius uitæ fœditate deturpatis. Fulgosius libro 9. capite 1.

ALEXANDER Medices, Caroli V. Cæsaris gener, Florentinorum princeps, ueneri deditissimus fuit, ut Laurētij patris exemplo nouis semper stupris ac adulteriis obnixè gauderet. Eaq; de causa noctu per urbem cum armatis sæpè ita uagabatur, ut nonnunquam contracto cum obuiis cruento certamine, summum uitæ discrimen adiret. Sabellici Supplementum libro 22. ex Iouio.

DVCES.

PHAYLLVS & ONOMARCHVS, Phocensium duces, hic puerorum, ille mulierum amoribus insaniebat. Athenæus libro 13. capite 28.

PERICLES fuit in res uenereas procliuis, quippe qui cum filij etiā uxore cōgrederetur, uelut testatur Stesimbrotus Thasius, qui floruit illius temporibus. cumq; coràm uidit. Aspasiam meretricem ualde amauit. Ac Cimone illegitimè sorori Elpenice adhærente, eaq; postea Calliæ concessa, cùm is in exilium missus esset, illius reditus præmium accepit Pericles, ut cum Elpenice congrederetur. Athenæus.

ARBAZACIVS Isaurus sub Arcadio Imp. quem ob rapacitatem Harpazacium appellabant, insano amore, ebrietate, auaritia insignis, psaltrias tot in conuictu suo habuit: quot neq; ipse, nec alius quisquā è ministris numerare potuit: ac ratiocinatores eius militarium operum, militum quidē numerum norant, multitudinem uerò scortorum ne ambabus quidem manibus ipse numerare potuisset. Sicut igitur Orontes Persa dixisse fertur, minimum manus digitum & decies mille & unum significare: sic etiam illi scorta & singulatim, & per dena millia numerabant. Suidas.

CÆSAR Borgias, Alexādri VI. Pp. F. (qui regis Galliæ Ludouici XII. regnum Neapol. inuadentis, Vicarij appellatione castra tantummodo cum suis nobilibus & stipatoribus sequebatur) cùm multæ mulieres Capuanæ, quæ primum impetum sæuitiæ in irruptione Gallorum effugerāt, in turrim quandam confugissent, omnes inspicere uoluit, iisq; diligēter inspectis, quadraginta omnium formosissimas retinuit. Guicciardinus lib. 5.

POETAE.

MENANDER Atheniensis nouæ comœdiæ comicus, mente acutus, amore in mulieres insanus fuisse dicitur. Suidas.

Mulierosum Euripidem fuisse, scribit Athenæus, φιλογύνην, mulierumque amatorem immodicum: at uerò, Gellius & Suidas, μισογύνην. Cùm nescio quis Euripidē mulierum osorem esse dixisset: respondisse Sophoclē, tradit Hieronymus in historicis commentariis apud Athen. lib. 13. in tragœdiis illum odisse: quoniam in lecto uxores nostræ non tales sunt mulieres. Gyraldus de Hist. poet.

ORATORES.

HYPERIDES, orator Atheniensis, fuit in uenerem effusus, ut domo eiiceret filium, Myrrhinem autem induceret sumtuosam meretricem, in Pyræeo Aristagoram haberet, Eleusine in prædiis suis Thebanam Philten, quam XX minis ab hostibus redemit. Plut. in Vitis.

ISOCRATES cùm ceruical croco madēs haberet, etiam substramine in cubiculi expanso utebatur: in iuuentute nuptiis abstinebat, grandæuus consuetudine utebatur meretricis Lagisces, ex qua sustulit filiam. Plut. in eius uita.

IVRECONSVLTI.

SVLPITIVS Galba I.C. adulteriorum infamia laborauit. Itaque per iocum citatur ab Horatio:

—— Quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferro. Iure omnes: Galba negabat.

AMINIVS Rebius iureconsultus, pecuniæ ditissimus, famæ non admodum bonæ, ob libidines muliebriter infamis, se, ex misso è uenis sanguine mortem constanter tulit, Neronis anno III.

SENES.

M. CATO defuncta uxore, celebs cum puella, quæ commeabat ad eum occultè, consuetudinem habebat. Verùm ea res angustis in penatibus, ubi nurus erat, non manebat tecta. Ac cùm mulierculam illam contemtim & audaciùs, præter thalamum Filij, in cubiculum Catonis appareret irrumpere: adolescens uerbum quidem nullum fecit, sed rubore perfusus toruè eam aspexit: quæ res non fuit clàm seni. Vt ergo eos animaduertit offendi, nihil incusans aut questus, duxit Salonij clientis sui F. Plut. in Catone.

Carolus VII. Francorum rex, pulsis è Gallia Anglis, uoluptatibus sese iam senex dedidit, suoq; exemplo aulicos omnes ad illicitos amores traduxit: cùm ipse tum alias impudicas, tum præsertim quam Bellam AGNETEM appellabant in aula sua foueret. Claudius Seissellius in hist. Ludou. XII.

EMMANVEL Portugalliæ rex, mortua Maria, ex qua octo liberos susceperat, iā quinquagenarius à Carolo V. Imperatore petiit, ut Leonoram sororem, excellenti pulcritudine & probitate feminam, sibi despōderet. Atqui prius ille, ut Ioanni filio collocaretur, enixè operam dederat, & ea de causa Petrum Goueanum in Germaniam ad Maximilianum Imperatorem legauerat: tunc uerò sic immutatus fuerat, ut eā uxorem ducere, quàm filio in matrimonium collocare mallet. Quæ res apud multos in uarias reprehensiones incurrit. Osorius lib. 11. rerum Em.

TARRVTIVS senex, osculo uictus unico, Laurentiam meretricem duxit uxorē. Vide Tit. Ludicro exercitio [illegible].

MVLIERES.

VENVS Iouis incestuosissimi incesta filia, Adonidis pastoris desiderio capta fuit, è rege Cinyra & Myrrha filia nati. Mars zelotypus aprum illi immisit, à quo necatus est, ut ait Ouid. lib. 10 Metamorp. Cum Anchise congressa Aeneam peperit: ex illo celebri Martis adulterio, suscepit Harmoniam, ut testatur Hesiodus in Theogonia, quam tamen alij Iouis & Electræ filiam putarunt. E Mercurio suscepit Hermophroditum, ut nomē ipsum significat: teste Ouid. lib. 4. Metamorp. Erycen è Bute, uel è Neptuno, quem Hercules palæstra suffocauit. Amauit & Dionysium: quo ad Indicam expeditionem profecto, Adonidis consuetudine fruebatur, mox coronata redeunti Dionysio occurrens & ipsum coronauit, & rogauit ut se sequeretur, in Lampsacū profectam, ut ibi pareret, quod gestabat utero. At Iuno zelotypia capta illius uterum per dolum contrectauit, fecitq; ut deformem puerū pareret, qui ingens haberet pudendum, quem Priapum nominauit. ut ait Posidonius in libro de Heroibus & Dæmonibus. Non defuerunt qui Suadelam quoq; Veneris filiam fuisse dixerint: quæ sententia etiam fuit Sapphus. Suscepit Rhodum filiam è Neptuno, ut sensit Herophilus, quam tamen Epimenides Oceani fuisse scripsit. Dicitur & Electryonem & alios quinq; filios è Sole peperisse. At cùm Vulcanū maritum haberet, nullus ex illo filius commemoratur, cùm multos è uarijs congressibus diuersisq; adulterijs à scriptoribus natos fuisse Veneris acceperimus. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 13.

SEMIRAMIS regina, cùm ob insignem formam à Nino Assyriorum rege Menoni marito per uim erepta esset: defuncto Nino, cùm ipsa imperaret, non alij uiro se legitimo matrimonio coniungere uoluit: sed eos ex militibus elegit, qui in castris erant formosissimi, quos omnes postea uita priuabat. Equum insuper adamasse, & filium de incestu compellare ausa, ab eodē interfecta dicitur. Diodorus Sic. & Iuba apud Plinium, & Plut. in Apoph.

Femina-

Feminarum PATRIS Achaiæ quàm uirorum duplo ferè maior est numerus: & hæ quidem, si quæ aliæ, ad uenerem pronæ. Texendis è bysso Eliaca reticulis, & alia ueste, earum cōplures uictum quæritant. Pausanias in Achaicis.

ELPENICE Miltiadis F. fratri Cimoni se subiecit, priùs etiam Polygnoto pictori. Plut. in Cimone.

FAVSTA L. Syllæ filia duos simul adulteros habebat, Pompeium quendam cognomento Maculam, & Fuluium fullonis filium. Lusit in dedecore domestico Faustus sic: Miror, inquit, sororem meam, cùm fullonem habeat, maculam habere. Macrobius.

IVLIA Cæsaris Augusti filia, cùm conscij flagitiorum admirarentur, quomodo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam frequenter uulgò potestatem corporis sui faceret? respondit: Quia nunquam nisi naui plena uectorem tollo. Macrobius lib. 2. cap. 5. Saturn.

Val. MESSALINA, Claudij Cæsaris uxor, Barbati Messalæ consobrini eius F. saltatorem quendam Mnesterem nomine, cuius amore capta erat, cùm nec pollicitationibus, nec minis ad concubitum perpellere potuisset: curauit ut is à Claudio ipsi parere in omnibus iuberetur, quasi ad alias res eius opera usura esset. Sic ille cum ea rem habuit, quasi id quoq; ab Imperatore iussus esset. Idem cum aliis quoq; multis ausa, adulteris sui copiam fecit, quasi conscio marito, & ad lasciuiam eius conniuente. Appium Syluanum, hominem nobilissimum, ad se clàm uocans, cùm concubitum ab eo postularet, & is parere nollet: hominem tanquā uitæ insidiatorem apud Claudium accusans, in causa fuit, ut innocenter homo castissimus interficeretur. Vicinium, ob stuprum recusatum ueneno sustulit. Porrò adulteriis non contenta, maritos quoq; multos habere concupiuit: ac omnibus suis amatoribus nupsisset, tabulis conscriptis, nisi in primis nuptiis deprehensa periisset. Nam dum Cæsarei omnes cum ea consentiebant, nihil non de communi sententia gerebatur. Postquam uerò Polybium, quamuis eius etiā consuetudine uteretur, per calumniam interfecerat, nemine ei iam fidem habente, ab eorum beneuolentia deserta, periit. Nam cùm C. Silium, Silij à Tiberio interfecti F. maritum sibi adscripsisset, deturbata è matrimonio eius Iulia Syllana nobili femina, profecto Hostiam principe sacrificij gratia, cuncta nuptiarum solennia celebrauit, & ędes illi regias donauit: in quas preciosissima quæq; Claudij ornamenta congesserat: tandem etiam consulem illum designauit. Id cùm Narcissus Claudio renunciasset, in hortis Lucullianis ictu à Tribuno transfixa est: quòd timeret, ne simul cum uxore, quam aliàs ardentissimo amore complectebatur, Imperium quoque amitteret. Occisa est autem assidente matre Lepida, quæ florenti filiæ haud concors, supremis eius necessitatibus ad miserationem euicta erat. Idque epulanti Claudio nunciatum est. Sed ille & tum & sequentibus pluribus diebus neque odij neque gaudij, nec iræ nec tristitiæ, nec ullius humani affectus signa dedit: siue accusatores aspiceret lætantes, siue filios mœrentes. Suetonius, Dion, Zonaras, Cuspinianus.

Petronius Arbiter efferatam MVLIERIS cuiusdam libidinē, & passiuam prostituti pudoris nundinationem exequens, eius ipsius ita uerba contexit: Iunonem meam iratam habeam, si me unquam meminerim uirginem fuisse: nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hāc ætatem perueni. Cælius lib. 14. cap. 8. A.L.

Ausonius in CRISPAM, mulierem impudicam:

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus
Repperit obscenas ueneres uitiosa libido,
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi scenis agitauit Afrani,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno,
Deglubit, fellat, molitur per utramq; cauernam,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

In Antonino Philosopho scribit Iulius Capitolinus, FAVSTINAM Imperatoris uxorem apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias delegisse, id est, bene nasatos ac mutoniatos seu draucos conquisiuisse, qui lastaurum agerent ualidè. Cæl. lib. 17. cap. 29. A.L.

HONORIA Valentiniani III. soror, cùm ad aulæ decus uirginitatem tueri cogeretur, ac libidine inflammata Atilam Hunnorum regem in Italiam ad sui connubium inuitasset, eāq; Atila per legatos petiisset: uoti frustrata (quoniā Atila in nuptiis cum Hildicò contractis ex crapula atq; uenere, interea perierat) libidinem cum Eugenio procuratore suo expleuit: grauidaq; facta, à Valentiniano Constantinopolim ad Theodosium amandata est. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

THEOPHANIA uxor Romani iunioris Imp. cum Nicephoro Phoca Scholarum domestico stupri habebat consuetudinem, & mortuo marito eidē nupsit. Cæterùm liberis suis ex Romano susceptis, Basilio & Constātino metuens, quos intelligebat clàm Phocam uelle emasculare, ac Leonem fratrem suum successorem instituere (iam enim eius consuetudine abstinebat Phocas, uel satiatus amore, uel proposito continentiæ, cùm ne iuuenis quidem satis promtus in amores fuisset) in colloquium uenit cum Ioanne Zimisce Dromilogotheta, quo cum fertur adulterij consuetudinem habuisse: ob decentem formam illius amore capta, eiq; ut cōtra Phocam conspirationem faceret, auctor extitit. Cuspin.

ZOE Constantini VII. Imp. filia, iam quinquagenaria Romano Argyropylo nupsit, quem Theodora soror iunior respuebat. A quo cùm propter sterilitatem negligeretur, impotente præsertim propter ætatem, Michaelem iuuenem elegantissimum adamauit, & inter regis camerarios ut cooptaretur effecit, sæpè regi pedes fricare iussus. Sunt qui credant regem haud ignarum fuisse huius amoris: utpote qui sciret reginæ furorem in rem ueneream, & quo pacto fureret ac insaniret erga Michaelem: ob id eius uicem faciliùs tolerasse, ignorantia simulata, quò ipse ab hoc onere senex iam liber esset, néue uxor deinceps tam apertè mœcharetur. Cæterùm suffocato in piscina Romano, Michaeli stolam iniecit regiam, diademate caput cinxit, & in sede regia collocauit, illi assidens. Omnes qui aderant iussu illum adorare, & regem salutare. Quinimò patriarcham Alexium accersit in Palatium, & mortuum Romanum nunciat, & ut hic inauguretur hortatur, noctuque nuptiale sacrificium perfectum est. Posteaquam autem Michael sacro obnoxius morbo, cœnobium ingressus, nepotem ex sorore Michaelem Calaphaten Imp. fecit, & is ingratus erga Zoen, eam monasterio inclusit: Zoe à populo liberata, & excæcato Michaele, imperium cum sorore Theodora recepit. Interim sollicita, ne Imperium soror sola occuparet, præterea etiam uiri desiderio, Constantinum Dalassenum, quòd ei forma esset digna imperio, qualis ad amores illicere posset animum etiam adulteriis non deditum, licèt obscuris ortum natalibus, ac moribus difficilem, matrimonio sibi iunxisset, nisi morte præuentus fuisset subita, quam uxor eius per zelotypiam machinata est, mortiferum illi poculum temperans, ne maritum uideret reginæ condormientem. Ardor Imperatricis in hoc extinctus, in Constantino Monomacho reuixit, regij stemmatis uiro & illustri, à Romano Argyro Imperatore per neptem in affinitatem accito, & à Michaele Paphlagone zelotypo, quòd familiariùs cum uxore Zoe habitaret, in exilium pulso. Itaque ab exilio Constantinopolim reuocatum, & in itinere ueste regia indutum, & regio satellitio deductum, sibi coniunxit. Patriarcha Alexius, propter trigamiam reginæ, abstinuit manu sua sacrificium nuptiale conficere. Ad coronationem tamen impellitur, & coronatur Monomachus, sceptrūq; Romani accipit imperij, cùm feminarū imperiū uix trib. mensibus exactis perdurasset. Idē.

Adalberti Eporegiæ marchionis uidua HERMINGARDA, Adalberti Eporegiæ in Tuscia marchionis & Berthæ filia, occiso à Veronensibus Berengario rege, totius Italiæ principatum inuasit. Ob pulcritudinem enim, corporis sui copiam passim omnibus fecit, stuproque patebat cunctis: hinc eius dicto audientes omnes erant. Rodulphus rex Burgundorum, morte Berengarij audita, Italię regnum recipere cogitabat. Italiæ primores alij reginæ, alij Rodulpho fauebāt, illi scilicet, qui reginæ concubitu potiri non poterant. Rodulphus Papiā obsedit, ea parte castrametatus, qua Ticinus & Padus confluunt. Regina per alueū fluminis nuncio misso, blanditiis & literis Rodulphum in sui amorem pellexit. Itaq; nocte castris suis desertis, solo nuncio comite, ad reginam uenit Papiā. Cui illa copiam corporis sui fecit, & in amore suo regē insanire fecit. Mane facto, cùm Principes tentorium accederent, & præter morē diutiùs regem dormire admirarentur: ingressi, lectum uacuum cernentes, aut raptum aut occisum esse suspicabantur: quoad superueniēte quodā, Rodulphus cū reginæ militib. in eos impetū facturus nunciabatur. Illi consternati, tā celeri fuga discessere, ut uolare uiderētur. adeoq; Mediolani, archiepiscopo inprimis Lāberto Mediolanense suadente, Hugonem Arelatensem Comitem, regem fecere. Cuius auspiciis Rodulphus Eporegia pulsus, in patriam rediit, & Galliæ regnum obtinuit. Cuspinianus, ex Luitprandi lib. 3. cap. 2.

MAROZIA Guidonis Thusciæ Comitis uxor, ex Sergio III. Pontifice Ioannem XII. Pontificem suscepit, ex Alberico Marchione Hetturię Albericum. Guidone mortuo, Hugonē Arelatensem eius fratrem, Italiæ regem, patria Burgūdum, per nuncios inuitauit, ut Romā occuparet, & se in uxorem acciperet. Is à Romanis susceptus in Hadriani mole, cùm Alberico priuigno, quòd ineptè aquā manibus affudisset, alapā in faciē impegisset, Romanorū armis pulsus est: & Albericus cū Marozia matre, Romanę urbis monarchiā solus tenuit, Ioanne fratre papatui pręsidente, anno Domini 924. Luitprandus lib. 3. cap. 12. & Auentinus lib. 4. Annalium.

Otho III.

Otho III. Imp. coniugem habuit MARIAM de Aragonia, sterilem quidem sed uirorum appetentissimam. Cum iuuene habitu muliebri quotidie congrediebatur. Is deprehensus, uiuus combustus est. Accensa hinc amore Comitis circa Mutinam, sollicitauit eum de adulterio: strenuè recusantem accusauit coram Imperatore, de ui intentata. Imperator præcipiti consilio iussit eum decollari. Comitissa obseruato commodo iudicij tēpore, ubi Cęsar coràm erat, sciscitatur, Quali pœna is iudex dignus foret, qui indicta causa innocētem capitali supplicio afficeret? Cæsar simpliciter sententiā profert, eum capitis pœnam subiturum. Tunc Comitissa: Tu es, inquit, Cæsar ille iudex, qui meum maritum, indicta causa, & insontem iussisti interfici, idque candentis ferri gestatione monstrauit. Cæsar re diligentiùs inquisita, uxorem flammis combuti publicè iussit, uiduam uerò multis muneribus prosecutus est. Iacob. de Strada, & Honorius, & Cusp.

ADELHEIDIS forma uenustā, sed libidinum flammis furēs, posthabito mariti sui Friderici Saxoniæ principis thoro, cū Ludouico Thuringiæ marchione clàm consueuit, & ut honestate coniugij facinus tegeret, cum adultero de tollendo coniuge consilium iniit. Itaque die quodam mœchus equitum turma stipatus, ad colloquium euocat Adelheidem. Quo finito, arci uicinam syluam ingreditur, atq; in ea uenari incipit. Adultera ex composito uirum in balneis tum existentem accedit, magnamque animi indignationem simulans, ipsum timiditatis arguit, quòd Ludouicum ad arcem suam uenari patiatur. Fridericus paucis comitantibus Ludouicum insequitur. Ibi cùm ex uerbis ad uerbera peruentum esset, Fridericus occubuit: anno 1065. Itaq; Ludouicus & Adelheidis matrimonium nefarium contraxère. Chronicon Mersburgense lib.2.cap.12.

VRRACA, Alfonsi VI. Asturum regis F. Alfonso VII. Aragonio nupta, mulier crudelis & ambitiosa, à marito repudiata, ex Gomesio comite de Camposspinæ Fernandum Furatū uulgò dictum clandestino concubitu suscepit. Alfonsus æmulum regni acie uictum occidit. In eius locum Petrus de Lara comes alter successit. Quem Alfonsus Vrracæ ex Raymundo comite Tolosæ F. expulit, matrem cepit, & regnum ab Alfonso uitrico precariò obtinuit. Rodericus Toletanus lib.7. rerum Hisp. cap.2.& 3.

BARBARA, Hermanni Comitis Ciliæ filia, uxor Sigismundi Imp. ex qua unicam filiam Elizabetham genuit, uxorem Alberti II. regis Romanorum, sæpiùs uiros petiit quàm peteretur. Sæpissimè in adulterio à Sigismundo deprehensa: sed adulter adulteræ ignouit, quia & ipse crebrò alienos uiolauit thoros. Vitam omnem censuit inanem, quæ non coitu, luxu ac libidine contereretur, cùm non alia causa uitam expetendam assereret. Virgines, sanctas fabulas esse dicebat, animam cum corpore interituram iudicans: atq; ob id stulti hominis esse, frustrà se macerare & ieiuniis & orationib9. Mortuo Sigismundo, cùm frustra Vladislao Poloniæ regi (quē etiamnum uiuente marito ambiuerat, & eo nomine in uincula fuerat coniecta) nubere uoluisset, uixit postea in Græcio reginæ dotali oppido Boemiæ, magna ex parte uoluptuosissimam ducens uitam. Quotiescunque enim uirum aliquem aut robustum aut libidini aptum uideret, eum accersiri curabat: eoque tamdiu utebatur, quoad uix cruribus incedere posset. Pius quidam sacerdos eam admonebat, ut amore futuræ patriæ cœlestis, pudicam ageret uitam, tunc maximè cùm uidua esset, exemplo turturis. Respondit illa: Si exemplum ex auibus sumendum est, cur non mihi passeres proponis, quorum uitam libentiùs sequerer, quàm turturum; cùm illi semper læti atque hilares cantillent, hæ tristes ac melancholicæ bestiæ semper sileant? Cùm ergo in luxu ueluti sus in uolutabro dies penè omnes transegisset, atque inter greges exoletorum, adulterorum, concubinorūq; consenuisset, necdum uoluptatibus se explesset: peste infecta, in Græcio obiit, & à Boemis Pragā regio funere elata est. Cuspinianus, Dubrauius lib.38.

IOANNA maior, Ladislai Neapolitani regis soror, opulenti hæres regni à fratre relicta, magis sui sexus quàm regiæ maiestatis memor, Pandulpho cuidam adhuc penè adolescenti, cum quo stuprum facere consueuerat, sese summamque rerum omnium permisit: estque ingens inuidia reginę ex ea re orta, sed maior omnino infamia. Ad quam declinādam, Iacobo Marchiæ Comiti ex regia Francorum stirpe, ea conditione nupsit, ut ille regia appellatione contentus, priuatum alioqui ageret, regni administratio mulieris ut antea esset. Gallus primum omnium Pandulphum interficit: Magnum Sforciā, quia non regem se, sed comitem appellasset, in custodiam coniecit. Ioanna regimine priuata, multa hilaritate uirum excipere, cum eo suauiter iocari, dicere ac facere omnia, quibus animus malè affectus tegeretur, quin & de coniuratione in regem appellata, rem totā ad uirum detulit. Flagrabant interea Galli, inexpiabili apud omnes odio. Ergo subito motu populi regina in pristinum statū restituta, renouato cum Iacobo fœdere, ut in muliebri manu esset summa rerum omnium, arcem recepit, Sforciam custodia eduxit. Is Iacobi regis odio, labanteque reginæ animo, haud dubiè regum odiis impar, arte reginam adortus, auctorem se præbuit Caraccioli, quē regina perditè amabat, ab exilio reuocandi: qui sub Sforciæ reditum fuerat publica administratione submotus, atque urbe eiectus. Per eum igitur Ioanna est Sforciæ placabilior facta. Iacobus ubi se proditum ab uxore animaduertit, ueritus Sforciæ opes, fuga dilapsus Tarentum concessit: ubi obsidione à Ioanna fatigatus, urbem Ioanni Vrsino uendidit, & in Galliam abiit. Martinus V. Pontifex mulieris inconstantiam perfidiamq; detestatus, eam titulo priuat regni. Ludouicum Andegauēsem ex regia Francorum stirpe, Sforcia adnitente accersitū, Siciliæ regem declarat: Sforciam iuuat stipendio. Is exercitum studio reparat, bellum reginæ indicit. Quibus illa terroribus perculsa, Alphonsum Aragonum regem filium sibi optat, cuius etiam imperio Sicilia Italię agnata, parebat. Est & Bracchius una stipendio conductus. Vario deinde marte Bracchiani Sforcianiq; aliquandiu bellum traxère, quoad stipendij inopia cœpit Sforcia inferior haberi. Ludouicus Andegauensis ueniens Romam, Siciliæ rex citra ultraq; fretum declaratur. Alphonsus reginæ inconstantiam ueritus, ut totius rei ad se summam traheret, primò Neapolitanas arces, quæ ad mare spectant, firmat presidio, Caracciolum, qui reginæ carissimus stupri consuetudine suo arbitrio omnia administrabat, in pōtestatem redactum in uincula coniicit: reginam in Capuanam urbis arcem compulsam obsidione cingit. Regina Alphonso repudiato, Ludouicum Andegauensem, Sforcię hortatu sibi filium optat. Philippus tandem Vicecomes in Reginæ & Pontificis gratiam Alfonsum regno eiecit. Ioanna humanis defuncta, confestim Neapolitani Renato Ludouici, quem Ioanna adoptauerat, fratri (ille enim eodem anno, quo & regina, fatali consumtus morte est) & regis appellationem, & summam rerum omnium deferunt, ceu moriens regina id testamento mandasset. Traxit machinatio hæc testamentaria illicò regnū in duas partes. Accersitur Alphonsus rex ex Sicilia à primoribus regni. Erant qui regem cùm se probaturos dicerent, quem Romanus pontifex legeret. Affuit confestim Alphonsus, & tandem uictor regnum occupauit. Sab. lib.2. En.10.& Iouius libro 1. Histor.

Luchino Vicecomiti nupserat ISABELLA cognomento Fusca, e Fliscorū gēte apud Ligures apprimè nobili: duobusq; præsertim Pontificibus Innocentio atq; Hadriano, purpuratisq; supra triginta Senatoribus lōgè clarissima: unde illa fastū atq; inde luxuriem parū uerecundo gestu oreq; præferebat. Hæc nobiles Insubrū matronas forma, lepôre, mundiciis, atq; uel præsertim uteri fecunditate, qua Luchinus felix uideri potuit, anteibat. Primo enim partu Luchinū Nouellū, secundo Visinam, tertio gemellos mares eximiæ indolis Borsiū & Forestinū rara quidē felicitate pepererat, nisi tantā prolē ex incesto concubitu cōcepisset. Galeaciū enim, ex Stephano fratre Luchini patruelē, formæ dignitate cūctos mortales superantē, lasciuè adamatū ab ea constat, uti aliquot post annos defuncto iā uiro in extremo uitæ actu confessa est, ut animū eo piaculo liberaret, uel cū certo infaustę prolis exilio, tātiq; subinde imperij hæreditas ad legitimos successores uerteretur. Viro ex podagra decūbente, quum spectare Venetias, festo die Ascensionis Christi, naualibus ludis & priuatarū publicarūq; opū ostentatione mirabiles, cōcupisset, importunę uxori Luchino cūcta cōcedēre, haud difficulter impetrauit, ut ornatissima classe p Padū deueheretur: delectis in comitatu feminarū nobilissimis, quib. ambiguus inesset pudor, nec uiri earū tuendę pudicitiæ curā gererent. Luxuriosæ nauigationis is fuit finis, ut cū insigni probro prostratę pudicitię apud Vgolinū Gonzagā & Dandulum Venetum ducē, redierit, pari infamia deflagrātibus nōnullis illustribus feminis ex comitatu. Mox cū Luchinus hoc flagitiū non impunè laturus uideretur, Fusca lento atq; tabifico ueneno mariti conatus preoccupauit: nullo tamen sceleris extante uestigio. Iouius in Luchini uita.

LIBIDINIS FRVCTVS.

CVIVS.

Ex seq. Titulis, Pæderastiæ, Stupri, Incestus, Adulterii, huc exempla earum, quibus propter libidinem res uel malè uel benè cecidere, transferantur.

QVALIS. NEMPE VEL BONVS, INDIGNVS.

Plato lib.2. de Rep. scribit, GYGEM, pastorem regium, stuprasse Cādaulis Lydorum regis uxorem, & regnum obtinuisse. Confirmat idipsum Herod. lib.1.

Syra

Syra SEMIRAMIS, uernæ regij ancilla, corpore quæstum fecerat. Quæ, cū in ipsam incidisset ipsamq; dilexisset Ninus, ita hominem in potestatem suam redegit contemsitq;, ut licere peteret sibi & permitti unum diem in solio regio sedere, diademate redimitam, & respōsa gentibus dantē. Quod ille cùm concessisset, edixissetq;, ut omnes ei perinde ac sibi parerent & dicto essent audientes: gessit se in primis præceptis, ut periculum faceret stipatorum, moderatè. Quos ut nihil obstrepentes, sed impigrè mandata exequentes uidit, Ninum corripi, mox uinciri iussit, denique etiam obtruncari. Quibus transactis, regnauit per Asiam clarè longo tempore. Plut. in Sermone amatorio.

RHODOPE meretricum omnium in Aegypto fuit pulcerrima. Cui aliquando Fortuna contulit munus, non isto animo, sed fortuna uenustateq; dignum. Cùm enim lauaret, atque uestimenta famulæ custodirent: aquila deuolans alterum calceum abstulit, eumq; secum deportauit Memphim. In ea ciuitate cùm fortè Psammetichus rex iudicium exerceret, aquila in eius sinum calceum iniecit. Psammetichus miratus pulcritudinem calcei, & concinnitatem, & auis factū, mandauit ut per uniuersam Aegyptum quæreretur femina, cuius is calceus esset: eamq; inuentam in matrimonium duxit. Aelianus lib.13. Var.

ASPASIA Milesia meretrix, Pericli gratissima, tāti fuit nominis, ut Cyrus Persarum rex carissimam ex pellicibus Phocēsem, patre Hermotimo, Milto dictam, Aspasiam appellari uoluerit. LYSICLES ouium mercator sordidus, eo quòd post Periclis mortem cum Aspasia rem habuisset, principem locum inter Athenienses fuit consecutus. Plut. in Pericle.

Ferunt regnante Anco Martio IIII. rege Rom. æditum Herculis per ferias otiantem, deum tesseris prouocasse, ipso utriusq; manum tuente: adiecta conditione, ut uictus cœna scortoq; multaretur. Victore itaq; Hercule, illum ACCAM Larentiam, nobilissimum per id tempus scortum, intra ædē inclusisse cum cœna: eamq; postero die distulisse rumorem, quòd post concubitum dei accepisset munus, ne commodum primæ occasionis, cùm se domum reciperet, afferendę aspernaretur. Euenisse itaq;, ut egressa mox templo, à Carutio capto eius pulcritudine compellaretur. Cuius uoluntatem secuta, sumtaq; nuptiis, post obitum uiri, omnium bonorum eius facta compos, cùm decederet, populum Romanum nuncupauit hæredem. Et ideo ab Anco in Velabrico loco celeberrimo urbis sculpta est, ac solenne sacrificium eidem constitutum, quo diis manibus eius per flaminem sacrificaretur, Iouiq; feriæ consecratæ, quia existimauerunt antiqui animas à Ioue dari, & rursus post mortem eidem reddi. Cato ait, Larentiam meretricio quæstu locupletatam, post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerium, & Solinium reliquisse: & ideo sepulcri magnificentia, & annuæ parentationis honore dignatam. Macer historiarum libro primo, Faustuli coniugem Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem esse confirmat. Hanc regnante Romulo, Carutio cuidam Tusco diuiti denuptam, auctamque hæreditate uiri: quam pòst Romulo, quem educasset, reliquit: & ab eo Parentalia, diemq; festum, pietatis causa statutum. Macrob. lib.1. Saturn. cap.10.

MANVEL imperium Constantinopoleos stupro Irenes Augustæ meruit. Vide Tit. Libidinem comparare cædibus.

MALVS, DIGNVS. EX LIBIDINE

Consiliorum frustratio.

Quæcunq; de rebus Troianis IVPITER pernoctans cogitauerat, hæc per diem Iunonis uxoris concubitu illectus euertit. Athen. lib.12. cap.1.

Religionis euersio.

MARCION propter stuprum uirgini illatum ex patria pulsus, hæreseos auctor fuit. Vide Tit. Hæreticorum.

CADVALDVS rex Cantuariorū, Edelberti F. qui primus Ecclesiæ in Anglia hospitium dederat, nouercam suam uxorē duxit. Eoq; scelere occasionem dedit suis subditis ad gentilium superstitiones reuocandas. Beda Ecclesiast. histor. libro 2. capite 5.& 6.

Proditio.

Q. Fab. Maximus sexto die quàm obsidere Tarentum cœperat, noctu occupauit, hoc modo. Habebant Tarentini Brutiorum præsidium in urbe, cuius PRÆFECTVS perditè amabat indigenam puellam, eratq; puellæ frater in Fabianis castris. Qui à sorore per literas factus certior de suo cum nobilissimo Brutiorum congressu, permissu consulis ille pro perfuga in urbem transiit, ibiq; per sororem prefecto insinuatus, quum tempestiuo alloquio, tum sororis illecebris eò hominem perpulit, ut de urbe consuli tradenda nuncium in castra miserit. Fabius silentio noctis cum parte copiarū haud procul ab ea murorum parte, quam Brutij præsidio obtinebant, quietus constitit: inde ab arce & à portu ex cōposito nocturnus est clamor sublatus, uelut ea parte Romanus esset impetum facturus. Multitudine in eū tumultū auersa, Romanus miles scalis diuersa regione admotis, Brutiorum auxilio in urbem transcendit. Hannibal audita Tarenti expugnatione, perculsus animo dixisse fertur, Habent & Romani suum Hannibalem. Amisimus Tarentum ea arte, qua cepimus. Sabell. lib.4. En.5. & Plutarchus in Fabio, & Liuius libro 7. Decadis 3.

Defectio.

MANFREDVS Siciliæ rex, Ioannis Ratæ Casertini comitis uxorē stuprauerat. Cuius sceleris pœnas luit, dum Ioannes (quem scelus hoc ignorare arbitrabatur, cuiq; copias suas, aduersus Carolum Andegauensem, cōmiserat) non solùm ad hostes trāsiuit, uerùm uiam quoq; intra regni fines eisdem aperuit. Fulgos. lib.6. cap.1. & Egnatius lib.6. cap.1. At Collenutius hoc CONRADINO regi tribuit, qui Casertanum comitem honoris specie ablegarit.

ODOACER rex Boemiæ legitima coniuge repudiata, aliam duxerat ex Vngaria. Qua de re in iram uersus Otho Misnensis marchio, frater repudiatæ, & dux Saxoniæ Bernardus, Philippo regi Germanorum coniunctissimi, effecerunt ut Odoacro adultero regnum ademtum traderetur Theobaldo puero, Theobaldi filio, qui literis Magdeburgi studebat. Tulit eam rem indignissimè rex, & Hermanno Turingiæ Landgrauio fœderatus, in Philippum pariter uersi, ad Othonem IV. æmulum transierunt. Cranzius libro septimo Saxoniæ, capite 16.

Ignauia, Desidia, Mollities.

Hannibalis inuictus EXERCITVS Campanis hybernis ita eneruatus est, ut uere ineunte denuò eductus, diuersus planè ab eo, qui Capuam ingressus erat, esse uideretur.

ANTIOCHVS bello contra Rom. suscepto, ab Larissa Demetriadem reuersus, in Chalcidensis uirginis Cleoptolemi uel Neoptolemi filiæ amorem incidit. Qua sibi matrimonio deuincta, nuptias tanquam media pace celebrauit. Tum uerò Græcorum libertatis belliq; cum Romanis suscepti immemor factus, reliquum hyemis in conuiuiis & uoluptatibus temulentiæ pedissequis transegit. Corruperunt uoluptuosa hyberna non magis regem quàm regis præfectos, atque uniuersum exercitum: qua segnitie postea animaduersa, sensit Antiochus quantum militaris detrimenti intempestiuæ illæ nuptiæ sibi ad res gerendas attulissent. Ex Plutarchi Flaminio, & Liuio, Sab. lib.7. En.5.

Morbus.

ALFONSVS V. Legionis rex, Therasiam sororem suam cuidam Abdalæ Saraceno Regi Toleti uxorem dedit, ut ei auxilium præstaret contra Regem Cordubæ. Ipsa autem renitens suasit Abdalæ, ne se tangeret, à Christo filio Dei alioqui percutiendus. At rex impius talia deridens, eam amplecti tentauit: sed illicò ab angelo percussus est quasi ad mortē. Quare uocatis familiaribus, sanctam uirginem auro & argento ac preciosis uestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in monasterio sancti Pelagij uitam celibem fecit. Rodericus Santius parte 3. hist. Hispan. ca.23. & Toletanus lib. 5. rerum Hisp. cap.18.

Verbera.

NERO, cùm Iulij Montani uxori, matronæ optimæ, stuprum uì inferre conaretur: Montanus facto in Neronem impetu, ei multas plagas inflixit, ita ut per multos dies in conspectum hominum non uenerit. Neq; tamen res ea Montano ullum damnum attulit. Xiphilinus in Nerone.

Mors, Cædes.

ORPHEVS Oeagri F. ut Phanocles scribit apud Stobæum sermone 62.

ἐκ θυμοῦ κάλαϊν στέρξε βορηϊάδην·
πολλάκι δ' σκιεροῖσιν ἐν ἄλσεσιν ἕζετ' ἀείδων
ὃν πόθον, οὐδ' ἦν οἱ θυμὸς ἐν ἡσυχίῃ·
ἀλλ' αἰεί μιν ἄγρυπνοι ὑπὸ ψυχῇ μελεδῶνες
ἔτρυχον, θαλερὸν δερκόμενον κάλαϊν.
τὸν μὲν βιστονίδες κακομήχανοι ἀμφιχυθεῖσαι
ἔκτανον, εὐμήκη φάσγανα θηξάμεναι,
οὕνεκα πρῶτος ἔδειξεν ἐνὶ θρήκεσσιν ἔρωτας
ἄρρενας, οὐδὲ πόθους ᾔνεσε θηλυτέρων.

Ex animo Calain Boreæ gnatum amauit, & sæpius in syluis sedit cantans opacis suum amorem, nec animus ei tranquillus erat, perpetuoq; ipsum uigiles in pectore curæ angebant, tenerum uidentem Calain. Cæterùm Bistonides mala ei molientes circumfusæ interfecerunt, cùm enses oblongos acuissent, quoniam primus ostenderat inter Thraces amorem masculū, neq; uenerem approbauerat muliebrem.

TITYVS, Iouis & Elaræ Orchomeni filius, Latonam de stupro interpellans, interemtus sagittis ab Apolline fuit, ut testatur Apollonius Rhodius libro primo. Euphorion non Latonę, sed Dianæ uim inferre conatum ait. Hinc deiectum ad inferos memorant, atque ita ibi ligatum, ut se mouere

nullo pacto posset, quamuis iugera nouem terræ eius corpus cooperiret. Tibullus:

Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ
Assiduas atro uiscere pascit aues.

A duobus uulturibus eius iecur diripi fingunt, quod semper renascatur. Homerus Odyss. λ. Virgilius lib. 6. unum tantùm uulturem Tityo attribuit, non ut Homerus alterum utrinque. Strabo lib. 9. fabulam Tityi ad historiam transtulit. Quo tempore Apollo dictus est è cœlo in terras aduentasse, ac homines mansuefecisse, qui prius arborum syluestriũ fructibus tantùm uescebantur, Tityum tyrannum Panopeæ crudelissimum sagittis confecit, sicuti etiam interemit Pythonem. Atq; ut eius exemplo cæteri ab omni turpitudine deterrerentur, dictus est ea pœna apud inferos torqueri. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 19.

PHAON portitor incognitam Venerẽ quò uellet duxit. Pro hoc officio ab ea unguentum accepit, quo delibutus pulcerrimus & gratus omnibus Mitylenęis apparuit. Tandem mœchus cum Sappho deprehensus, ac interfectus est. Aelianus de Varia historia.

PERSÆ temulenti, cùm impudicè attrectarent Macedonum concubinas, in conuiuio interfecti sunt ab Alexandro rege. Vide Tit. Perfidiæ erga legatos.

LIVIA Germanici soror, tradita semel Seiano pudicitia, homini plus ætate media, ignobili, impuro, abnuere illi non sustinuit Drusi mariti sui, filij Tiberij Cæsaris, hæredis tanti imperij, inuenis formosissimi, generosissimi, animosissimi, ad hæc liberorum, quos ex eo susceperat, necem. Spreta regni certissima spe, excussa pietate filiorum, non reuerita Antoniam matrem, & Augustam auiam, grauissimas seculi sui matronas: immemor nobilissimi sanguinis, tum patris, fratrisque, quos humanum genus de probitate pro diis uenerabatur, paratis sub sagacissimo & sæuissimo socero tormentis, sub quibus & Liuiæ ipsi, & Seiano, & eorum amicis omnibus anima erat (ut euenit) per mille atrocissimas neces exigenda. Nimirum nihil sibi reseruat mulier, quæ pudicitiam abiecit. Ludo. Viues de Christiana femina lib. 2.

PHOEBE, Iuliæ Augustæ liberta, & libidinis socia, cùm non ignoraret libidinem suam Augusto Cæsari (qui ideo filiam relegauerat) cognitam esse, mortẽ sibi psi consciuit. Dion in Augusto.

VALENTINIANVS III. Imp. spreta coniuge formosissima, in stupris & adulteriis uolutabatur. Maximus patricius Rom. cuius uxorem attentarat, eo necato, & Eudoxia coniuge stuprata, imperium inuasit. Zonaras.

Carolus Boemiæ rex (pòst Carolus IV. Imp.) uisus est sibi per quietem uidere, uiri diuina specie prædicti iussu, præstanti iuuenem forma editiorem in locum raptum, detractaque uestę exectum: sibique interroganti, Cur & quisnam tam egregia indole adolescens, tam fœdè atrociterque haberetur? respõsum, DELPHINVM Allobrogũ principẽ, aliena cubilia attrectare solitum, meritas pœnas Numini dare. Et sanè euentus docuit, Allobrogem in oppugnatione oppidi uulnere accepto sub idem tempus decessisse. Aemilius lib. 3. ex Aenea Sylnio.

ZAVISSIVS Rosensis Boemus, religioni Cruciferorum Straconicensium in Boemia præfectus, abiecto sacro cingulo cum Cunigunda Othocari Boemorum regis uidua stupri commercium habuerat, subinde eũ matrimonio iunctus fuerat. Venceslai IV. regis indulgentia, qui matri nihil negare poterat, ad summum in aula locum euectus, crudelitate & auaritia omnibus infestus: mortua tandem Cunigunde sororem regis Hungarorum Ladislai è cœnobio uolentem rapuerat: regiisque nuptiis inflatus, ad regnum Boemiæ aspirabat. Cæterùm detecta coniuratione captus, restituit arces Reginæ dotales, quas ferè omnes possidebat, obstrictis iureiurando præfectis, ne cui de locis sibi creditis nisi domino suo præsenti concederent. Itaque necesse erat, ut per singulas arces circumduceretur. Postremò ad arcem Hlubokam ueniens, æstuare callideque tergiuersari, Czencone affine suo sibi supparasitante, cœpit. Accersitus mox carnifex, caput utrique à ceruice abscidit. Dubrauius libro decimo octauo.

Fernãdo Calderia, in Alfonsi Albuquercij Indię prętoris familia educatę, Goæ uxorẽ duxerat. Nomẽ eius ad regẽ Emmanuelẽ delatũ fuerat, quòd piraticã faceret, & sine ullo discrimine socios Lusitani nominis & inimicos spoliaret. Emmanuel illum ad se perduci confestim imperauit. Is in Lusitania crimina diluit, & ita famam suam purgauit, ut Rex illũ in Indiam liberum, & beneficiis auctum redire permitteret. Rediit uerò in classẽ, qua Lupus Suarius Albuquercij successor in Indiam aduectus fuit. Naui autem, cuius nauarchus erat GOTERRIVS Montoius, uehebatur. Quadam offensione interposita, Calderia asperè in Monroium inuectus est, eaque in eum maledicta congessit, quæ grauiter animum illius stimularunt. Igitur cùm Mozambiquem classis peruenisset, nauem subitò conduxit, & Goam ea, qua potuit, celeritate contendit. Intellexerat autem Goterrium, dum Goæ uersabatur, uxori suæ oculos adiecisse, & Henricum Taurum amoris illius impuri se fatellitem atque ministrum præbuisse. Tauri igitur faciem ingenti uulnere deformauit, & tibiam abscidit. Hoc facto Pondam, quod oppidũ octo millia passuum Goa aberat, & Ancostami, qui Zabaimi Idalcami regis Goensis dux erat, præsidio tenebatur, cõfugit. Monroius ut & iniuriam uindicaret, & Calderiæ ipsius uxore animo magis libero frueretur: Ioannem Gomecium scripturæ magistrum, multis promissis oneratum, ut Calderiam interficeret, Pondam misit. Simulat ille Monroij iniurijs & sceleribus offensum, eò confugere, ut uitam suã Ancostami præsidio tueatur. Accidit interim, ut Ancostamus in campum animi relaxandi gratia prodiret, & utrunque secum duceret. Gomecius cùm Calderiam ab Ancostamo, quasi aliquid arcani uellet cum illo communicare, seiungeret, Calderiam ex improuiso confixit, & admotis calcaribus equum incitauit. Equites hominem consequuntur, & ad Ancostamum perducunt. Qui districto gladio manu sua caput illius abscidit. Id Monroius indignissimè tulit, & Ancostamum contra ius & fas occidere cogitauit. Itaq; ludos simulat, quorum causa Benastarinum contendit, & in pugnæ simulacris diem consumit. Primis tenebris duces admonet, ut Ancostamum interimant: illius morte Emmanuelis Regis imperium firmari. Cùm propter Regis mentionẽ nemo diutiùs aduersari auderet, omnes ad factum se comparant. At detectis insidiis Ancostamus in Monroium tanto impetu inuasit, ut aciem impressione facta dissiparet, & multos interficeret. Hoc facto, Ancostamus Zabaimo Idalcamo nunciauit, rem maximam gestam esse: illum, si adhuc uellet, Goa potiturum. Idalcamus Zafalarimum cum magno exercitu in insulam consestim ire iussit. Is uastitatem & populationem intulit, & ciuitatem inopinato malo perculsam in maximas angustias adduxit: quam facilè cepisset, nisi Ioannes Sylueira, qui Quiloæ hyemauerat, præter spem interueniisset. Itaque ducis unius incontinentia & temeritate ciuitas illa, quæ tanto labore ab Albuquercio capta, tanta sapientis ducis industria, tanta bonorum contentione defensa fuerat, extremi excidij maximum periculum subiuit. Osorius lib. 11. rerum Em.

Paupertas.

☞ *Vide Tit. Prodigalitatis in meretrices.*

Condemnatio.

M. Cl. Marcellus cùm ædilis curulis esset, filium habebat Marcum cùm forma in flore ætatis insigni, tum moribus & eruditione rara, ut eum ciues admirarentur. Hunc lasciuus & audax homo amore deperiens collega Marcelli Capitolinus attentauit. Cuius tentationem adolescens primùm per se reiicit. Vbi ille eum iterum appellat, defert rem ad patrẽ. Id iniquo animo ferens Marcellus, accusat hominem in senatu. Qui appellatis tribunis plebis, uaria diuerticula, uarias præscriptiones molitus: neque his pronocationem recipientibus, inficiatione reiicit crimen. Quia uerò tẽtatio Capitolini remotis arbitris fuerat, placuit senatui puerum accersere. Cuius ruborem & lacrymas præsentis, mixtumque flagrantissima ira pudorẽ cùm cernerent Patres, nullo ultrà quæsito iudicio, damnarunt Capitolinũ, litemq; pecuniã æstimarũt: ex qua mensam argentariã fecit Marcellus, quam diis dicauit. Plut. in Marcello.

C. Cosconius Seruilia lege (cuius de pudicitia caput aliquod fuisse interpretor) reus, & sine ulla dubitatione nocens: tamen cùm VALERII Valentini accusatoris sui recitasset in iudicio carmẽ, quo puerum prætextatum, & ingenuam uirginem à se corruptam poetico ioco significauerat: iniquũ esse iudices existimarunt, eum uictorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Valerius Max. libro 1. capite 1.

Gangulfi Burgũdi militis sub Pipino Francorũ rege UXOR de adulterio suspecta, lapillum ex fonte (quem maritus eius in Burgundia emtum, in Franciæ locum, qui Vuarenna dicitur, miraculosè transtulerat) extrahere iussa, brachium ambustum eduxit. Sigebertus, Vincentius.

Exilium.

Lacedæmonij ARCHILOCHVM urbe expulerunt propter impudicos uersus: & quòd satius esse scripsisset clypeum abiicere, quàm animam amittere.

Aemilius Probus in libro de Imp. Græcorum negat CIMONE, summo Athenięnsium uiro, turpe fuisse, sororem germanam habere in matrimonio, quippè cùm ciues eius eodem uterentur instituto. Andocides uerò in oratione aduersus Alcibiadem ostendit, eam ipsam fuisse causam, cur Cimon in exilium missus sit, tanquam legum contemtor: neque quicquam ei profuisse, quòd & ipse Olympia uicisset, & patres uetères enim illos, non certaminum aut uictoriarum, sed legum & institutorum, in iudicando habuisse rationem. Muretus libro 7. Var. lect. capite 1.

Captiuitas.

IOANNA Pucella, Carolo VII. Gallorũ regi regnum ab Anglis uindicauit. Dum eruptione facta à premente multitudi ne portã Compendij oppidi ingredi prohiberetur, à Ioanne Lucemburgensi capta est: qui illam Anglis continuò uendidit. Angli extemplò Rothomagum eam ducentes accusarunt, quòd uiolatis humani generis legibus, armis ac uestę uirili femina uteretur, ac præterea magicis artibus, ab huma no usu prohibitis, operam daret. Dum se in toro excusare conaretur, subiecto igne concremata est. Aiunt nonnulli, quoad uirginitatem seruauit inuiolatam, nunquam aduersa usam fortuna: at postquam illam contaminasset impudicitia, in ea incidisse mala. H. Boethius lib. 16.

Infamia.

METELLA uxor L. Syllę fuit, cuius adulteria non tantùm Romæ, perq; omnem Italiam, auctore Hieronymo, uulgata erant, sed per totam Græciam passim cantabantur.

Diuortium.

☞ *Vide Tit. Diuortii, quatenus Libidinis causa alter ab altera se segregat.*

Suetonius & Plutarchus scribunt, Iulium Cęsarem diuortium fecisse cum POMPEIA uxore, Q. Pompeij filia, & Syllæ neptę: quòd fama ferret, eam à P. Clodio inter sacra Bonæ deæ adulteratam.

Bellum, Inimicitiæ.

Ducens uxorem Pirithous Deidamiam, Thesea rogauit, ut uenire ad regionem uisendam, & ad contrahendam cum Lapithis consuetudinem. Fortè inuiterat, CENTAVROS quoq;. Qui ut in procacitatem & insolentiam eruperunt, & uino incalescentes non temperauerunt à mulieribus: uertere runt se Lapithæ ad ultionem, atq; alios eorum obtruncauerunt, alios bello inde uictos, socio Theseo & suppetias ferẽte, regione exegerunt. Plut. in Theseo.

Cùm Lacedæmonij cum Argiuis bellum assiduè gererent, Argiui sibi statuerunt lectissimorum mille hominum præsidiũ alendum, quibus dux præfectus Bryas Argiuus. Is præter alia uirgini cuidam, dum ad uirum duceretur, iis ipsis, qui deducebant, ereptæ, uirtium obtulit. At illa eadem nocte Bryantem somno oppressum oculis orbauit. Deprehensa, ubi illud dixit, supplex ad populum confugit. Deposcentibus eam mille uiris populus dedere noluit. Quare ad pugnam re deducta, uictor populus, in persequendis hostibus iræ indulgęs, nullum supplicij genus intermisit. Pausanias in Corinth.

ARISTOCLIDES Orchomeni tyrannus adamauit uirginẽ Stymphalidem. Quæ cùm patre occiso ad templum Dianæ confugisset, & simulacrum eius teneret, nec ui posset auelli, in eodem loco confossa est. Ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publicè sumeret, & necem uirginis ulciscereţur. Ludou. Viues de Christiana femina libro primo.

PERICLES Olympius Aspasiæ Megarensis causa, non iunioris quidem, sed illius, quæ sapienti Socrati adhæsit, ut ait, Clearchus libro Amatoriorum primo, uniuersam Græciam perturbauit. Athen lib. 13. cap. 21. & lib. 12. cap. 16.

Cùm LVCVMON, Arruntis clari apud Hetruscos uiri, apud quem à puero educatus fuerat, uxorem eo clàm & corrupisset & propalam per uim abstulisset: uir iure pœnas persecutus, postquam eum frequentia amicorum, magnitudine pecuniæ, sumtibusque uincere nequiret, ex patria profugit, atque ad Gallos, de quorum uiribus audierat, contulit se, illisq; se in Italiam expeditionis ducem præbuit. Plutarchus in Camillo.

REGNERVS, Danorũ rex, uicto Sorlo, regẽ Suecis dederat Biornonem F. Quum autem Regnerus prouincias filij obiret, primarij in Suecia uiri Hesberni filiã amare cœpit: sumtaque feminea uestę, tandem peruenit ad amatam: & puellam reliquit prægnantem. Pater ubi filiæ crimen deprẽdit, id scelus Biornonis esse falsò suspicans, regem Regnerum aggreditur: uim filiæ queritur illatam, poscit ultionem: uiolatorem, regia inquisitione perquisitum, latere non posse. Tum rex seu uocatam admonuit, quicquid illud foret, quod filia eius gestaret in utero, situm esse: proinde quiesceret. Illeira in tempus dissimulata, amicorum multos in Danorũ odium permouit. Pertentati sunt duces Danorum, si uim passo ad ulciscendum iniuriam accederent. Illi nihil, nisi ex sententia regis sui Biornonis acturos, respondérunt. Tentatus ille quoque, submissa legatione, quæ improbam patris libidinem accusaret, & regni amittendi periculum denunciaret. Sed ille reiecit oratores. Hesbernus suorum fretus armis amicorum (quos non paucos in Suecia atque Norua-

gia habebat) duxit in Regnerum, nepotẽ ex filia (iam enim adoleuerat) Regneri filium, secum ducens. Regnerus Hesbernum fudit: Vbboni filio capto, quòd maternum auum potiùs quàm patrem sequeretur, ignouit. Cranzius libro 5. Sueciæ, capite 4.

Clades bellica.

Spartiatæ & Messenij diu inter se habuere amicitias, in tantũ, ut ob quædam sacra etiam uirgines ad se mutuò mitterent. Quodam tẽpore, cùm quinquaginta Virgines Lacedæmoniorum, MESSENII uiolare tentassent: de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissimè pro pudicitia occubuerunt. Quamobrem graue bellum & longissimum concitatum est, & post multum temporis Messenij euersi sunt. Viues de Christiana femina lib. 1.

Decimo anno belli Messenici, Emperani clari inter Spartanos hominis seruus pastor, cùm quotidie boues ad Nedam flagaret, in Messenij cuiusdam Vxoris amorem, quæ cò etiam aquatum uenire solebat, incidit: feminamq; cùm donis corrupisset, ad stuprum quoq; pellexit. Accidit fortè, ut marito eius nocturna uigilia cum præfidiariis militibus esset obeunda: per effusissimos uerò ea nocte imbres stationem deserere cogerentur. Cùm ergo domum rediisset inopinatò, mulier occultato amatore percontatur uirum, Quã obrem spe sua celeriùs domum ueniret? Hic ille, Tempestatis ui, respondit, non se magis, quàm socios omnes è præsidio pulsos. Pastor hoc audiens, euestigiò in castra Lacedæmoniorum effugit, docetq; appositum illud esse ad Eran ea piendam tempus. Ergo seruum itineris ducem secuti Spartani, uia perdifficili per denssissimas tenebras, nihil imbre remittente, ad arcem peruenẽre, & Era capta, secundo bello Messenio finem imposuẽre. Pausanias in Messenicis.

Scedasi filias SPARTANI adolescentes constuprauerant, cõ stupratas, regendi facinoris causa, in puteum præcipitauerant. Vindictam frustra persecutus pater, cùm nihil apud Ephoros proficeret, diras imprecatus Lacedæmoniis, ad filiarum tumulum sese mactauit. Post aliquot annos Leuctri ea calamitas ab Epaminonda Spartanis illata: constante omnium fama, ea filiabus Scedasi parentatum fuisse. Plut.

Bellum NAXII & Milesij Neæræ causa uxoris Hypsicreontis Milesij gessere. Hæc enim amore capta Promedontis Naxij, nauigantem est secuta. Hospes ille Hypsicreontis erat, & cũ amante Neæra consuetudinem habuerat: quam à uiro meuentem aliportauit in Naxum, supplicemq; apud Vestam collocauit. Quam cum Naxij in gratiam Promedontis, religionis tamen specie, non dederẽt, ad arma itum est. Socios Milesij hoc bello cum multos alios, tum acerrimos inter Ionas Erythræos habuerunt. Diuturnum fuit bellum & calamitosum. Pòst ut Neæræ scelere conflatum fuerat, ita uirtute Polycritæ fuit sopitum. Nam Diognetus, Erythræorum prætor, præsidio uicino præfectus, Polycritam Naxiam capituam amabat. In expeditione cùm Milesiis solenne festũ superuenisset, Polycrita sub specie bellariorum fratres suos monuit, hostes somno uinoq; sepultos facilè opprimi posse. Ergo Naxij occasione arrepta, Milesios adorti cæciderunt. Diognetum sibi à ciuibus Polycrita condonari postulauit, seruauitq; incolumem. Illa, cùm ad portã ei ciues obuiam processissent, ingentiq; gratulatione & coronis excipérent celebrarentq; non ferens gaudij magnitudinem, ibi ad portam mortua concidit, quo loco humata est. Vocatu sepulcrum inuidi, quòd inuida quadam sorte non licuerit Polycritæ sui illis honoribus. Ita Naxiorum scriptores tradunt. Aristoteles refert non captam Polycritam, sed fortè conspectæ captum amore Diognetum, omniaq; dare & facere pollicitum. Illam promisisse, iturum se ad ipsum, si unam rem sibi concederet, iutamento interposito. Itaque Delium (id præsidio nomen fuit) sibi tradi poposcit. Ille tum libidine adductus, rum iactamento, tradidit Polycritæ præsidium, illa ciuibus. Ita rursus pares facti, quibus uoluerunt conditionibus pacem cum Milesiis pepigere. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

Magistratus deiectio, Regni amissio.

APPIVS Claudius Decemuir, Virginiam puellam plebeiam, sed forma excellentem (quam Virginius pater L. Icilio tribunitio uiro, & experto uirtutis homini desponderat) per uim stuprare conatus est, quum nec precio, nec ope posset allicere. Quæ fuit causa abrogandi magistratus Decemuirorum: quemadmodum reges priùs ob stupratam Lucretiam eiecti fuerant. Liuius, & Cicero lib. 2. de Finibus.

RODERICVS rex, Iuliani Comitis Spartiariorum filiam cõstuprarat (alij uxorem) Iulianus uindictę causa Saracenis ex Mauritania euocatis Hispaniam prodidit. Rodericus Toletanus libro 3. rerum Hispan. cap. 18.

IMPVDICITIA VENEREA PRIMARIA RESPECTV PERSONARVM. Huc pertinet

AMOR SVIIPSIVS.

Humani generis hostes, naturæ hostes, quò occultiores, eò [se]uerioribus legibus coercendi. Atque ut impunitatem latebris consequuntur, attamen πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας, tarditatem supplicij grauitate compensabit. Androgyni ab Arist. intelliguntur animalia, quæ ipsa se ineunt, uti inter pisces trochus. Cælius libro 19. cap. 12. A.L.

Narrant LYDOS adeò libidine perditos fuisse, ut non tãtùm noctu uacarent uoluptati uenereæ, uerumetiam ipso meridie lasciuirent manibus. Vnde λυδιάζειν dicunt Græci, pro Lydorum more uitam agere. Erasmus in Adagiis, & Cælius lib. 20. cap. 14. A.L.

DIOGENES Cynicus, hoc est, plusquam canis, hymenæum ipsemet celebrauit. Gal. lib. 6. de Locis aff. cap. 5. Athenæus lib. 4. fœdissimum ipsius de fame & siti simili modo abigendis uotum narrat. Et quod magis mirere, Chrysippus Stoicus in lib. de Rep. hoc ipsum tanquam dignum philosopho apophthegma commẽdat, teste Plut. in Stoicorum pugnis. Vsque adeò naturæ illos superciliosos scrutatores contra naturæ pudorem malus dæmon concitarat.

PONTICVM libro 9. grauiter incessit Martialis ob simile crimen, illudq; ipsum parricidio adæquat.

LIBIDO BRVTA.

Tradunt fabulæ, PASIPHAEN Minois uxorem, Solis filiam, cùm taurum adamaret, signum boui simile à Dædalo factum, coq; modo tauro suppositam, desiderio potitam esse. Ante hoc tempus Minoem quotannis ferunt speciosissimum omnium taurum Neptuno solitum de more sacrificare: cumq; ei taurus esset cæteris præstantior, alium sacrificasse deteriorem. Qua ex re iratus Minoi Neptunus, eius tauri amorem Pasiphae iniecit: cui arte Dædali supposita, decantatum fabulis genuit Minotaurum natura duplici, ut qui usque ad humeros taurus, cæterà homo esset. Ad hoc nutriendum monstrum aiunt à Dædalo Labyrinthum fabricatum, difficiles habentem egressus, & insciis penitùs irremeabiles. In quo recluso Minotauro, septem Athenienses pueri totidemq; uirgines singulis annis dabantur. Dædalus iram Minois ex boue à se fabricato conceptam timens, abscessit ex Creta, Pasiphaes auxilio nauem ad effugiendũ præbentis, uel certè alis ingeniosè effictis. Diod. lib. 4. cap. 13. & Suidas, & Ouidius in Metam.

Thrassam Martis & Terduæ, quæ Strymone nata fuit filiã, Hipponus Triballi F. duxit. Eo ex coniugio nata est filia, nomine POLYPHONTE. Hæc re uenerea ignominiosè spreta, in montem se contulit, & consuetudine ludi ac studiorum Dianæ sociam se præbuit. Venus insanum illi ursi amorem immisit: ita ut cum illo corpus miscuerit. Diana Polyphontem immenso prosecuta odio, omnes in eam conuertit feras. Polyphonte in patris domum se recepit: duosq; filios peperit, Agrium & Oreium (Agrestem & Montanum diceres) maximos, & ingenti præditos robore. Hi & deorũ & hominum contemtores erant: & si in peregrinum aliquem inciderent, eum domum suam abductum deuorabant. Iis infensus Iupiter, Mercuriũ mittit, ut suo arbitratu in eos animaduerteret. Qui cùm pedibus eos & manibus truncare cogitaret: Mars, quando ad ipsum Polyphonte genus suum referebat, ei istos supplicio exemit, & adiuuante Mercurio, eos, homines cũ essent, in aues conuertit. Polyphonte in strygem mutata est, auem noctu canentem: Oreius in leporem, semper mali ominis auem: Agrius in uulturẽ. Ant. Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

Nihil SEMIRAMIDE Assyriorum regina clarius: in nulla unquam femina maior apparuit indoles. Cæterùm tam effrenata & intemperans libido, ut (teste Iuba) domesticum equum libidinis causa adamarit, filiumq; ad incestum conata sit allicere. Sabellicus libro 4. cap. 11. & lib. 1. En. 1. & Plutarchus in Apophth. & Plinius libro 8. capite 42.

In Sebẽnitica præfectura Aegypti urbs est MENDES, ubi Pan colitur, & hircus animal: & (ut Pindarus ait) hoc in loco hirci cum mulieribus coeunt. Strabo libro 17. Herodotus in Euterpe ait, suo tempore hircum palàm coiuisse cũ muliere.

Gallus SECVNDVM pincernam quendam regiũ amauit. Vocabatur hic gallus Centaurus, atq; Secũdus Nicomedis Bithiniæ regis erat domesticus. Nicander sexto libro Euentuum. Anser PVERVM amauit in Agio, teste Clearcho libro primo Amatoriorum. Hunc puerũ scribit Theophrastus Amphilochum uocatum fuisse in Amatorio libro, genere Olenium. Hermias Hermodori filius, genere Samius, LACYDEM philosophum anserem amasse inquit. Ita pauo VIRGINEM adamauit in Leucadia, inquit Clearchus, ut cum ea fuisset mortua, ipse etiam interierit. Delphinum fama est PVERVM in Iaso adamasse, ut asserit Duris lib. 9. Loquitur autem de Alaxendro hoc pacto. Puerum etiam ex Iaso accersiuit: erat enim apud hãc ciuitatem puer quidam Dionysius, qui cùm ex palæstra unà cum alijs rediret, in marina tauit. Delphinus ei ex pelago occurrit, in dorsumq; illum cepit, per multumq; natans spacium, abstulit, mox in terram rursus deportauit. Athen. lib. 13. cap. 30.

CRATHIS pastor Sybarita, capram uti amicam amplexabatur. Hircus, zelotypię œstro concitatus, dormientẽ Crathim cornibus inuasit, & interfecit. Quo tam præclaro facinore, pastori monumentum insigne structũ est, ac de eiusdem nomine fluuio adoptatũ cognomen. Ex concubitu autem brutino natum ferunt infantem, cruribus matrem qui referret, facie uerò patrem. Sed & deorum numero ascitũ, constans tenuit fama: fuitq; mox Hylæum numen Napæumq;. Tanta diaboli in mortalium mentibus occæcandis astutia potuit. Cælius libro 25. capite 32. A.L.

GLAVCAM citharistriam alij ferunt canem, alij anatem, alij anserem, alij arietem adamasse. XENOPHONTIS filium apud Ciliciæ Solos aiunt canem deperiisse: item deformẽ PVERVM Spartæ monedulam in deliciis habuisse. Aelian. lib. 9. de Var. historia.

ARISTON nobilis iuuenis Ephesius, filius Demostrati, retecra autem Martis, genus mulierum exosus, ex asina puellam formosissimam suscepit, Onosceliam ab euentu dictam. Aristocles libro 2. Parad. Stobæus serm. 62. & Plutarchus capite 54. Parall.

FVLVIVS Stellus, odio mulierum equæ sese commiscuit, quę deinde formosam puellam peperit, quam Hipponam appellarunt. Ea est dea, in cuius tutela sunt equi. Agesilaus lib. 3. rerum Italicarum, & Plut. cap. 55. Parall.

Vrsus FILIAM cuiusdam patrisfamiliàs, in agro Suetico cũ ancillulis lusum egressam, deturbatis comitibus rapuit: exceptamq; unguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. Factus ex raptore amator, famem concubitu soluit, ardoremq; gulæ, ueneris satietate pensauit. Bellua tandem à uenatoribus interfecta, puella grauida puerum edidit matri forma, patri pelle similem, cui Vrsinomen inditum. Is posteaquam adoleuit, à patris interfectoribus funesta exegit supplicia. Cuius filius Trugillus Sprachaleg, nihil à paterna uirtute deficiens, Vlphonem genuit, qui astu Estritam Canuti II. Danorum regis sororem in matrimonium consecutus, Suenonem ex ea suscepit. Hinc Danorum regum stemmata, ceu quodam deriuata principio, longo successionis ordine (teste Saxone) profluxerunt. E Saxonis Grammatici lib. 10. Io. Magnus lib. 18. cap. 2. Fuit fortassis hic Vrsus latro aliquis nobilis, qui id facinus perpetrauit: postea hoc scelus poetæ tali modo pinxerunt, cùm auctorem potentem apertè non liceret reprehendere.

Idem equus SCYTHAM & in bellum fert, & secta uena alit, & (ut aiunt) si feminini sexus est, bellumam eius libidinem explet. Nicetas Choniates libro secundo, de rebus Manuelis Comneni Imp.

MAHVMETVM Turcicę sectę auctorem quidam Germanus scriptor, qui Sanctæ terræ Itinerarium ritè conscripsit, & ex perlecto Alcorano multa retulit, Saracenæ cuiusdam, dum per Arabiam iter faceret, amore correptum fuisse tradit: à qua quum efflagitatum coitum impetrare non potuisset, mox asellam, quã inuectus erat, ex indomito libidinis ardore compressit. Bonfinius lib. 8. Decadis 1.

Carolo VIII. Gallorum rege Neapolim tenente, deprehensus est è Britonum gente MILES cum asina mistus. Pontanus cap. 17. de Immanitate.

LIBIDO DAEMONIACA.

Qui cum dæmonibus, incubis aut succubis sese sponte commiscent, quales sunt Magi & Magæ, huius erunt loci, propter libidinem. At propter auaritiam uel uindictam, alterius. Si non sponte, sed per uim coacti, aut per imprudentiam decepti, inter Infelices connumerandi. Huc quoq; amores deorum, seu dæmonum potius, ab Ethnicis poetis decantati, referri possent: nisi mysticum sensum sub ridiculo & turpi fabularum inuolucro contineri, doctissimorum uirorum auctoritate crederemus.

Apud BABYLONEM Assyriæ metropolim supra turres octo sibiinuicem impositos sacellum est, in eoq; lectus magnus, splendidè stratus. In quo Deum suum Chaldæi noctu recubere aiunt, eique mulierem aliquam ex indigenis, quam sibi licet Deus delegerit, adiungunt. Ad eundem quoque modum in Thebani IOVIS fano (si modo Aegyptiis fides habenda est) mulier cubare creditur. Quæ mulieres cum uiris non putantur habere consuetudinem. Idem fit apud PATARA Lyciæ ciuitatem, quando oraculum celebratur. Neque enim id fit perpetuò. Atq; ubi id futurum est, uates noctu in templum concluditur. Herod. lib. 1.

Visus est draco ad dormientis OLYMPIADIS corpus exporrectus: idq; præcipuè Philippi regis Macedonum erga eam amorem & familiarem consuetudinem aiunt extenuasse, ut rarò cubitum ad illam commearet: quòd uel timeret fascinationes eius & ueneficia: uel consuetudinem eius, ut quæ consuesceret cum maiore, deuitaret. Memorant quidam, omnes Samothraciæ regionis feminas Orphicis & Liberi patris sacris antiquitùs contactas, Clodonasq; & Mimallonas cognomento dictas, multa Edonidibus ac Thressis Aemũ accolentibus agere consimilia. unde θρησκεύειν dictio tributa est immodicis & superstitiosis sacrificiis. Ergo & Olympias præ cæteris motum lymphaticum æmulans, & fanaticum peragens ritum, horridiore spectaculo, serpentes mansuefactos trahebat thiasis ingentes, qui ex hedera subinde & mysticis cunis obiter prorepentes, thyrsosque & coronas circumiecti, percellebant uiros. Eadem quoque Aridæum Philippi ex Philine meretrice F. optimæ indolis medicamentis ad insaniam redegisse dicitur. Verùm Philippo, qui post eam speciem Megalopolitanum Chæronem Delphos misit, sortes referunt fuisse ab Apolline allatas, iubente, ut Ammoni sacra faceret, atque hunc deum coleret inprimis: amisisse uerò eum alterum oculum, quem rimæ ostij admouẽs, deum conspexit serpentis figura cum uxore sua concumbentem. Olympias, ut Eratosthenes est auctor, cùm euntem ad bellum prosequeretur Alexandrum, arcanum ortum eius soli detexit: hortata ut pro natalibus gereret animos. Alij hoc illam aiunt abdicasse, ac dixisse: Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem uocare? Plut. in Alexãdro.

De uenerea PSYCHES uelitatione, cum formoso deo Cupidine, qui aliis uenenatus serpens, & sæuissima bestia dicebatur, Apuleius lib. 5. de Asino aureo eleganter fabulatur.

Fuit MENIPPVS Lycius annos natus quinq; & uiginti, ingenio haud inscito, corpore item multa exercitatione ualido, ita ut formosi athletę liberalisq; speciem præ se ferret. Hunc peregrinæ mulierculæ plerique amoribus irretitum putabant: ea uerò, ut tũ uidebatur, speciosa quidem erat & præmollicula, nec non diuitiis ubertim fulta. Cæterùm ea omnia ostentationem modò exhibebant, ueri suberat nihil. In eius se familiaritatem ad hũc modum insinuasse ferebatur. Pergebat quandoq; Menippus Corintho Cenchreas solus. Ecce phantasma quoddam illi occurrit, quod se in mulieris speciem conformauerat, atque ex manu apprehendens Menippum: Iampridem, inquit, se illius amore teneri implicitã: esse uerò se genere Phœnissam, & in suburbano quodam iuxta Corinthum habitare. Idque etiam digito monstrans, illuc ueniret, hortari cœpit. Quod si (inquit) feceris, intentã musicis inuenies me, & uinum bibes, quale non sæpè aliàs, nec te riualis ulla uellicabit suspicio. Pulcra siquidem pulcro contenta uiuam, & moriar. His blanditiis delinitus adolescens, etiamsi philosophiæ mysteriorum haud expers, amoribus tamen obniti obluctarique non ualens, uesperi ad mulierem pergit, ac frequenter deinceps, perinde ac ad suas delicias. Necdum enim, cuiusmodi phantasma esset, callebat. Id intuitus uir quidam magus aut philosophus, ut tũ creditum est, & summæ grauitatis ac prudentiæ, primò statuarij instar Menippum inspectans, hominem expendebat contemplabaturque. Vbi uerò rimatus abundè est uisus: O' formose (inquit) & à formosis expetite mulieribus, ὄφιν θάλπεις, καὶ σὲ ὄφις: id est Serpentem consoues, & is te. Quum in iis mirabundum animaduerteret Menippum: Hoc proinde (inquit) dixi, quoniam mulier est tibi, quæ uxor non est. Sed rogo te, ecquid ab illa te amari putas? Per Iouem (inquit Menippus) & quidem eximiè. An igitur (inquit is) eam tibi in matrimonium adscisces? Equidem, respondit: quid enim iucundius quàm amantem ducere? Quando (inquit ille) futuras opinaris nuptias? Citò, ait: uel fortasse cras. Id quum uir ille inaudisset, obseruans conuiuij tempus, quum iam uocati præstò forent, posteaquam illuc & ipse perrexit: Vbinam (inquit) mulier est, cuius causa conuiuium celebraturi conuenistis? Tunc Menippus: Propè adest, inquit. At is: Argentũ hoc & aurum, cæteraque domus huius ornamenta, tuáne an mulieris sunt? Mulieris, inquit. Ac semilaceram & pilarẽ omnino uestem ostendens: Tales mei, inquit, cultus sunt. At ille ad eos qui aderant conuersus: Tantali, inquit, hortos uidetis, qui sicuti ab Homero proditum est, speciem quidem præferunt aliquam, quum tamen sint nihil. Eiusmodi uerò ornatum hunc omnem concipiatis licet: neque enim quæ uidetur materia, ulla subest, sed simulacrum modò est, ac imago. Quod ut uerum sciatis, bella hæc sponsa una est ex Empusis, quas Lamias & Mormolycias plerique putant. Sunt autem in amorem & uenerem procliues, & humanas carnes uehementer expetunt, uenereorumque cupidine alliciunt multos, quos deglutiant mox. Hæc uerò audiens illa: Age (inquit) meliora loquere. atque inde offensior ac perturbatior, philosophos paulò procaciùs proscidit, eos omnes delirare, inquiens. Vbi uerò aurea supellex & imaginarium argentum uelut fumus effluxère, administrique, & coqui, ac reliqua familia increpita euanuit: Lamia lacrymanti iam similis rogabat, ne se torqueret, néue quid esset, fateri cogeret. Illo autem acriter instante, nec se dimissurum asserente, tandem sese Lamiam confessa est, & uoluisse Menippum uoluptatibus delinitum obuoluere, ut eius postea corpus deglutiret. Esse namque sibi persamiliare formosorum uesci corporibus, ubi ad summam sanguinis abundantiam peruenissent. Cælius libro uigesimonono, capite quinto. Antiq. Lect.

Phlegon Trallianus, Adriani Imp. libertus, libro de Mirabilibus & longæuis, historiam fabulæ similem, quam oculata fide in quadam urbe cognouerit, recenset. Philinnium Damostrati hospitis & Charitus filia, MACHATEM hospitem amare cœpit. Indignè id ferentibus parentibus, prę mœrore occidit, & publicè funerata est. Sexto post obitum mense cùm eò reuertisset Machates, ingressa ad illum Philinnium, hospiti se commiscuit, anulum ferreum & poculum inauratum dono ab eo accepit, inde abiit: ipsi uicissim anulum aureum & fasciam pectoralem dedit. Nutrix spectro obseruato, parentibus id indicat. Accurrunt illi, & altero die filiam cum hospite deprehendunt, cum eiulatu amplectuntur. Tum illa hæc eis dixit: O' mater & pater, quàm iniustè inuidistis mihi, ut cum hospite essem per triduum in domo paterna, absque ullo maleficio. Proinde uos denuò lugebitis, propter uestram curiositatem: ego autem rursum abeo ad locum mihi designatum. Non enim absque diuina uoluntate huc ueni. Hæc locuta, fuit illicò mortua, corpusque eius publicè est exportatum. Populo in theatrum confluenti res gesta fuit narrata, sepulcrum uacuum inuentum, anulus tantùm ferreus & poculum inauratum ibi reperta. Cadauer ex Hylli auguris consilio extra fines sepultum. Mercurius terrestris & Furiæ placatæ, lustrati ciues omnes, diisque manibus sacra facta, & priuatim Phlegon pro salute Imper. & reipub. rem sacram facere Mercurio, Ioui Xenio & Marti, iussus est. Machatas præ mœrore mortem sibi consciuit.

ACCA Laurẽtia, meretrix Romana cum Herculis spectro concubuit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 10.

Hieronymus in Vitis patrum narrat, MONACHVM quendã à dæmone in mulieris uenustissimæ forma, ad obscenos inuitatum fuisse amplexus: qui sua inclinans membra, effectus est sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atque ubi iam carnalem conaretur inire amplexum, illa teterrimæ uocis ululatum emittens, umbra, ut erat, tenuis & phantasma, inter manus amplectentis elabitur, ipsumque miserum cum fœdissima irrisione deserit. Vierus lib. 2. cap. 46 de Præstigiis dæmonum.

Scribit Vincentius lib. 3. Historiarum, in Sicilia sub rege Rogerio IVVENEM quendam strenuum, & natandi peritum, circa noctis crepusculum lucente luna in mari lauasse, & mulierem post se natantem crinibus apprehendisse, tanquam ex sociis aliquem, qui eum mergere uellet. Quam alloquẽs, ne uerbum quidem extorquere potuit: quare opertam pallio, domum duxit, & tandem in uxorem solenniter accepit. Increpatus aliquando à socio, quòd phantasma amplexus fuisset: expauescens, gladio extracto coniugi minitabatur, se filium quem ex ea susceperat interfecturum, nisi ipsa loqueretur, suamque fateretur originem. Quæ, Væ (inquit) misero tibi, utilem perdis uxorem, dum me effari cogis. Tecum mansissem: ac in rem tuam esset, si iniunctum mihi silentium permisisses. Nunc autem me posthac non uidebis: & euestigiò euanuit. Puer autem adoleuit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandem die quodam, coram multis puerum in eisdem fluctibus occurrentem rapuit phantastica illa mulier. Vierus lib. 2. cap. 46. de Præstig. dæm.

Gothi egressi Suecia, ad confinia Mæotidis paludis sub Erico rege peruenerant. Erant in illorum castris MAGÆ, quæ tonitrua, fulgura, tempestates aeris pro arbitrio ciebãt: quod genus frequens in Suecia Noruagiaq; fuit olim. Eas Ericus rex, in ulteriorem ripam paludum relegauit, ne commercio illarum reliqui contaminarentur. Illę dæmonum siue Faunorum congressu grauidæ, primos Hunnos genuere, teste Iordane & Ablabio. E quo semine numerosa illa gẽs, quæ pòst totam Europam inundauit. Sed Cranzius lib. 2. Suecię cap. 15. ex Scythis prognatos putat.

MVLIERIS cuiusdam turpi consuetudine impurus spiritus integro septennio usus, baculo primùm D. Bernardi, inde excommunicatione publica fugatus fuit. Auctor uitæ.

VICTORINVS episcopus dum eremum incoleret, cum dæmone sub forma mulieris concubuit. Ob quod factum ita doluit, ut manibus in fissuram ligni impactis, herba cruda & aqua frigida per triennium se sustentarit. Marul. li. 2. c. 12.

Anno Christianæ Salutis 1486. nauigantibus è Fortheo æstuario negotiationis causa in Flandriam, tanta uentorum oborta est uis, ut uelis, malo, armamentisque ruptis, & naui fœdè inter tumentes undas iactata, certissimam mortem cuncti expectarent. Nauicularius tantam tamq; insolitam aeris inclementiam eo tempore demiratus (suberat enim solstitium æstiuum) quum id non sideri, sed malorum dæmonum insidiis, magnis tribueret clamoribus: reddita est mox ex ima naui MVLIERIS se miserè incusantis, quòd incubo humana sub effigie, qui cum per multos anteactos annos habuisset consuetudinem, iam tum fuisset commixta, & ab eo subacta: mari ergo celeriùs se tradendam, ut ipsa pereunte, quæ tanti mali imminentis causam præstitisset, cęteri Dei benignitate permanerent incolumes. Accedens ad lacrymantem feminam sacerdos, eius atque cæterorum saluti consulendi causa, crimen iam palàm fatentem, horrentem scelus uehementer, altò pectore, suspiriis indicibus, pœnitentemque facti, piè est hortatus, ne sibi deesset, cui certò cognosceret numinis fauorem adesse, crimina lacrymis ac animi pœnitudine deleri. Media sacerdotis adhortatione, quum multis suspiriis afflicta mulier admissum facinus deploraret, cunctis uisa est atra nubes è nauis sentina prosiliisse, ingentique sono, flamma, fumo atque fœtore sese deiecisse in mare. Sedatum est inde cœlum, pacatumq; mare, & negotiatores cum naui, cunctis suis rebus saluis in optatū portum abiêre. H. Boethius lib. 8. hist. Scotorum.

Haud multis annis pòst in Gareotha regione, uico quatuordecim uix passuum millibus ab Aberdonia, ADOLESCENS multa formositate, coram Aberdonensis antistite questus est palàm, sese à dæmone succuba (ut dicunt) gratissima omnium quæ uidisset forma, multos antea menses infestatum: eandem occlusis foribus noctu ad se ingredi, blanditiis in sui amplexus compellere: dubia luce abire sine strepitu penè. Nullo se posse modo, quum plures attentasset, à tanta ac tam turpi uesania liberari. Iubet continuò optimus episcopus adolescentem aliò se conferre, & ut Christiana religione magis laudatis ieiuniis & orationibus plus solito ac commodaret animum: fore, ut piis operibus intento, uictus cacodæmon tandem terga esset daturus. Euenit adolescenti, salubre consilium religiosè exequuto, paucos pòst dies, uti uenerandus antistes erat præfatus. Idem.

In Marrea regione, sub idem fermè tempus, PVELLA nobilissima & formosissima, complurium auersata connubium, in infandam cum cacodæmone incidit consuetudinē. Quæ cùm uterum ferret, parentum rigore coacta edere stupratorem, adolescentem mira pulcritudine frequentiùs secum noctu, interdiu nonnunquam conuenisse: unde uenisset, quóue inde abisset, nescire se, respondit. Parentes etsi filię parum crederent, accuratiùs rem aduertentes, consilio, quis esset, qui puellæ expugnasset pudicitiam, explorandi, cognito tertio pòst die, indice ancilla, stupratorem adesse, reseratis foribus, accensoque tædarum ingenti numero, cubiculum ingressi, horrendum mōstrum, figura supra humanam fidem terribili, in filiæ amplexibus sunt conspicati. Concurrère ocyùs complures ad fœdum acciti spectaculum. Inter eos sacerdos probatæ uitæ, nec sacræ disciplinæ ignarus, cæteris aut trepidè abeuntibus, aut pauore illisis terræ, quum Ioannis Euangelij initium recitare orsus, ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset: malus dæmon horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum asportans, omni supellectile incensa abiit. Femina periculo seruata, post triduum enixa est monstrum undequaque fœdum aspectu, quale nusquam antea (ut ferunt) inter homines uisum: quod obstetrices, ne in familiæ dedecus seruaretur, extructa ingenti pyra, citissimè exusserunt. Idem.

Franciscus Mirandula se agnouisse scribit sacerdotem BENEDICTVM Bernam, ætatis annorum septuagintaquinque, qui annis plus quàm quadraginta cum dæmone familiari, sub forma feminæ illi associato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeò ut astantes, qui nihil uidebāt, eum pro fatuo haberent. Vocabat autem illam Hermelinam, quasi mulier esset. Alium quoque PINNETVM (ait) nomine noui, qui ad octoginta & ampliùs annos peruenerat, cum dæmone alio, qui muliebri forma ei uidebatur, uocabatque cum Florinæ nomine, plus quadraginta annis uenereas uoluptates exercuisse. Vtranq; historiam Cardanus lib. 15. cap. 80. de Var. rerum confutat, & Vierus lib. 2. cap. 47. de Præstigiis dæmonum.

MAGDALENAM, ciuis cuiusdam famulam, scribit Iacobus Ruffus libro quinto, capite 6. de Conceptione hominum, nostra memoria Constantiæ fuisse compressam à dæmonio, eique tandem per pœnitentiam ualedixisse ex institutione ministrorum ecclesiæ: ac postea tantos in utero sensisse cruciatus, ut in singulas ferè horas infantem se crederet enixuram: inde clauos ferreos, ligna, uitra confracta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferrum, & huiusmodi innumera, ex matrice excreuisse. Mea autem est sententia, inquit Vierus; Magdalenæ phantasiam fuisse à diabolo illusam: deinde ab eodem excitatos illos dolores, ut certiùs illum cū ea congressum fuisse crederetur, quod tamen falsum erat. Vt deinde conceptam augeret opinionem, subiecit subdolè res illas prodigiosas.

Mercatoris cuiusdam VXOR circiter sex uel septem milliaria à Vitemberga, Silesiam uersus, absente negotiationis causa marito, peculiarem solebat admittere concubinum. Contigit itaque marito peregrè agente, amasium noctu redire: & post curatam cuticulam, uenereamque peractam uelitationem, ut uidebatur, hora matutina specie picæ assumta, iumento concubinum insidere promtuario, ac concubinæ his uerbis ualedicere, Hic tuus fuit amasius. dictoque citiùs euanuisse, nec rediisse unquam. Vierus libro 2. capite 44. de Præstigiis dæmonum.

LIBIDO CVM METEORIS.

IXION Phlegiæ filius, Martis nepos, cùm Iunonē sollicitasset, eaque marito Ioui id esset questa, Iupiter nubē in speciē Iunonis deformatam Ixioni supposuit, cui Ixion commistus, ex ea Centauros genuit. Hunc Ixionem Thessaliæ fuisse regem, constat, ubi primus equorum domandorum fuit usus. L. Viues in lib. 18. August. de ciuit. Dei, cap. 13.

LIBIDO CVM VEGETABILIBVS.

XERXES rex cùm mari terrisque, Iouis operibus posthabitis, noua itinera & insolitam nauigationem sibi parasset, seruiuit platano, & arborem admiratus est. In Lydia enim, ut rumor fert, cùm uidisset proceram platanum, integrum diem ibi commoratus est, nulla postulante necessitate, & castra posuit in solitudine circa platanum. Sed & multiplicem ac preciosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisque ramos ueneratus: & curatorem ei reliquit, quasi custodem & propugnatorem amasiæ. Aelianus libro secundo, de Varia hist. Quinetiam auream sibi platanum fundi iussit, quæ antimimos foret, id est, amatam effingeret, leniretque æstuationem mentis ex illius absentia. Cælius libro 25. capite 1. Antiq. Lect.

Morum arborem ætate Plinij adamauit PASSIENVS Crispus bis consul, osculari complectiq; eam solitus: atq; etiam cubare sub ea, uinumq; illi affundere. Plinius libro 16. Historiæ naturalis, cap. 44.

LIBIDO CVM MORTVIS.

PERIANDER Corinthius, ex septem Sapientibus Græcianus, cum Melissa uxore mortua coiuit. Suidas, Laertius, & Herodotus lib. 5.

Apud Aegyptios scribit Herodotus, funerum CVRATORES cum iis uenerem exercuisse, quorum corpora sepulturæ mādanda acceperant. Propter quam iniuriam apud Aegyptios mos inoleuit, ut corpora sepulturæ curatoribus quarto die duntaxat post mortem crederentur, ut fœtor ab eiusmodi iniuria mortuorum corpora defenderet. Fulgosus lib. 9. capite 1. ex Herod. lib. 2.

DIMOETES, qùm in cadauer mulierculæ cuiusdam formosæ, à marinis fluctibus eiectæ, incidisset, cum eo rem habuit, donec ob longum situm marcesceret. Illi ergo tumulum extruxit, seque ibidem præ dolore mactauit. Parthenius in Eroticis, capite 31.

FABRIANENSIS quidam ciuis, cùm desciscente populo à Clauellis, eius urbis principibus, ne feminis quidem populi rabies ferrumq; pepercisset, cum mortua Clauellorum uirgine rem habuit. Fulg. lib. 9. cap. 1.

SIGISMVNDVS Malatesta, Arimini princeps, incensus forma Teutonicæ cuiusdam matronæ, Romam è Germania proficiscentis piaculorum gratia, ut diuorum templa Petri & Pauli uisitaret, eam suos per fines iter facientem aggressus, cùm nulla ratione uiuæ afferre uim posset, iugulauit, iugulatamque cognouit. Pontanus libro de Immanitate, capite decimoseptimo.

LIBIDO MECHANICA, CVM STATVIS ET SIMVLACRIS.

PYGMALION quidam statuam formosam dilexit: eamque ceu egregiam aliquam nympham frequentibus osculis sua uiatus & lecto dignatus est. Ouid. in Metam.

ADOLESCENS quidā honesto loco Athenis natus, prope Prytaneum, simulacrum ἀγαθῆς τύχης, id est Fortunæ bonæ, amare feruentiùs cœpit, moxq; in affectionis id genus familiarem ita erupit uesaniam, ut amplexaretur arctiùs, ac blandiùs suauiaretur. Demùm desiderio extabescens, ac uelut œstro cōcitus, & planè furens, in Senatum pergit ire, atq; inibi extētis precibus rogat, fieret sibi statuæ potestas, uim pecuniæ grandē uicissim paratus erogare. Senatus decernit, non uideri è ciuitatis dignitate negotiationem illius modi. Adolescēs rei atrocioris ictus grauitate, ad statuam, ubi uinculis Cupidinis distinebatur animus, celeriter se proripit: illam tæniis multis perornat, corona quoq; iniecta, & cultu item alio indicaturæ non paruæ circumposito: ac re mox diuina obita, desideriū (uti uidetur) non ferens, manum sibi inter affluentiùs manantes lacrymarum riuos admouit. Cælius lib. 13. cap. 12. Antiq. lect. ex Aeliano lib. 9. Variæ historiæ.

Venerem Gnidiam marmoream, Euploiam à Gnidiis nuncupatam, quam Praxiteles fecit, eiq; soli suum nomen apposuit, magni æstimat Lucianus in Amoribus, eam omnium illius statuarum pulcerrimam appellans, ut cui, amore captus MACAREVS Perinthius, cùm in fano delituisset, noctu cohæsit. Val. Max. & Plin. lib. 36. c. 5.

SELYMBRIANVS, ait Clisophus, cùm Pariam imaginē in Samo amauisset, ipsam in templo declinauit, uelut posset congredi. Verùm cùm & ob frigus, & ob lapidis duritiem non posset, eò usq; cupiditatis accessit, ut caruncula prætensa nihilominus concubuerit. Meminit de hoc facinore Alexis poeta in actu Pictura inscripto. Philemon etiam de illo mentionem fecit. Est autem ea statua opus Ctesiclis, ut refert Adæus Mitylenęus in lib. de Statuariis. Polemon, qui Helladicum inscriptum fecit, In Delphis, inquit, siue in thesauro tabellarum, duo sunt pueri lapidei, quorum alterius QVIDAM ex sacrorum ministris amore captus, se in templo conclusit, atq; congressus præmium coronam reliquit. Hic cùm cōprehensus fuisset, deum aiunt, responsum petentibus Delphis, hominem dimitti iussisse, eiq; præmium præbuisse. Athen. lib. 13. c. 29.

ALCIDAS Rhodius adamauit in Pario colonia Propontidis Cupidinē nudum, opus Praxitelis, ex marmore, & cum eo coiuit. Plin. lib. 36. c. 5.

IVNIVS Pisciculus, eques Rom. unam ex signo Thespiadum ad ædem Felicitatis Romæ amauit. Idem ex Varrone.

P. PILATVS, legatus Caij principis, imagines Atalantę & Helenæ nudas à Cleophanto Corinthio pictas, earum libidine captus, rapere conatus est. Rauisius.

LIBIDO MASCVLA. HVC AGENTES, PÆDICONES, PÆDERASTÆ, DRAVCI, SODOMITÆ.

Pudet profectò Tituli, nedum Exemplorum. In re tam turpi exemplis carere optabilissimum foret. Nunc cùm eò & ueteratoris spiritus insidiæ, & mortalium improbitas processerit, ut exempla non pauca detestandæ libidinis inueniantur, tanquam indices pudenda scelestissimorum hominum detegemus. Quemadmodum enim facinorosi non in genere tantùm ut homines condemnantur, sed & proprio & gentis patriæq; expresso nomine: ita quoq; cùm illi, quorum hîc mentio fiet, execrando libidinis genere sese contaminarint, & cum natura rerum bellum gesserint (de quorum suppliciis sub Iustitiæ correctiuæ loco agetur) in præsentia eorum catalogum contexemus: eorum inquam, qui in mutuas libidines, ut D. Paulus inquit, exarserunt, & cum uero Dei cultu humanæ quoque societatis modum peruerterunt. Q[illegible] tiæ & impietatis processerit, ut horum turpitudine [illegible] rum castitatem mutari malit; illum tanquam deploratum [...] gistratus auctoritas corrigere nequit, at certè aliquando æternus castigabit ignis. Consule Athenæum lib. 13. cap. 27. Dipnosophistarum. Vide Titulum, Raptore cinædorum.

Moses, Iosephus, & alij Hebraicę uetustatis scriptores, SODOMITAS aiunt, Gomorræos, & alios quosdā finitimos populos, diuitiis ea tempestate & otio florentes, in omne libidinis flagitium abiisse, ita ut mares uulgò muliebria paterentur. Atq; in tantum fœdissima libido omnium animos incesserat, ut ne ab hospitibus quidem uiolandis abstinerent: ob idq; cœlesti flamma uno tempore extincti sunt. Loth uir iustissimus, & ipse loci huius incola, unus omnium cum coniuge & liberis ea est clade seruatus. Is cœlesti priùs uoce monitus, se suosq; imminenti periculo subtraxit. Incidit Sodomæ deflagratio, in annum ferè alterum ac septuagesimum supra ducentesimum ac ter millesimum ab orbe condito, qui Christi regis aduentum præcessit annos mille nongentos septē & uiginti. Meminit huius excidij Strabo quoque: uerùm naturalem causam subesse existimat, ut in Aetna monte & Aeoliis insulis. Sic astutus dæmon, ne pœnæ genus à scelere tanto homines absterreret, tenebris suis historiam inuoluere studuit. Sab. lib. 2. Enn. j. ex Gen. 18.

GABAENSES Leuitam ad stuprum sollicitarunt. Iud. 19.

CELTÆ cùm mulieres pulcerrimas habeant, magis puerilib. amoribus gaudent, ita ut nonnulli super pellibus sæpiùs cum duobus catamitis concumbant. Athen. lib. 13. cap. 27. Arist. 2. Polit. cap. 9. παιδεραστίαν Celtis tribuit: omnes nationes bellicosas mulierib. deditas esse scribens, ἔξω κελτῶν, pręter Celtas, & similes alios pueris deditos. Budæus in lib. j. Pandectarum ἔξω κελτῶν interpretatur, Vltra Celtas, suæ gentis infamiam in uicinos transferens. Cæterùm Celtarū appellatione Græcos olim cōmuniter usos esse pro Occidentalib. quibusq;, uero simile est: cumq; illi ipsi uix Italiam cognitam habuerint, quę ultra Italiam sunt, planè ignorarint, si uera sunt quæ de Celtis narrātur, de uicinis maximè Gręciæ intelligenda erunt.

Inter GALLOS quandoq; malum id insæuisse adeò, proditū memoriæ est, ut inde nefaria sanciretur lex, Ne cui duxisse uxorem liceret, qui priùs uxoriam non implesset functionem. Cælius lib. 15. cap. 10. A. L.

In tantum GRÆCI & ROMANI concubitus cum masculis uitio laborauerunt, ut & clarissimi philosophorum Græcię haberent publicè concubinos: & inter scorta in fornicibus spectaculorum pueri steterint publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore, & infidelitas uniuersarū gentium & turpitudo deleta est. Hier. com. in Esaiā li. j. c. 2.

CRETENSES adolescentum & puerorum amores primi uidentur usurpasse, citra turpitudinis crimen. Quòd si copia fiat, abducunt eos uel in montana, uel in ædes suas: atque ibi sexaginta continuos dies fruuntur (plures enim non licet) atq; amator dona dat uestem aliaq; munuscula, & bouem. Heraclides in Politiis, & Aristoteles. Eorum amores obscenos, & de iis positas leges, Strabo lib. 10. recenset. Amasium κλεινὸν, id est, illustrem, amatorē φιλήτορα uocabant.

CHALCIDENSES in insula Eubœa populi, comœdiæ ueteris conuitiis notati sunt, quòd auariores essent. Hesychius indicat, eam gentem malè audisse, ob fœdos puerorū amores, & hinc natum prouerbij conuitium in simili morbo obnoxios, χαλκιδίζειν. Erasmus, & Cælius lib. 15. c. 9.

Apud MEGARENSES inter pueros uere ineunte osculorū certamen agebatur: quiq; suauius amantem esset osculatus, corollis onustus abibat. Cælius lib. 15. c. 9.

Fuit THEBIS ἱερὸς λόχος, id est sacra cohors, quam Gorgidas instituit primus, ex electissimis uiris, hoc est, amatorib. amatisq;, ut uoluère nonnulli. Inquit Plutarchus in Pelopida, Iolaum Herculis amasium fuisse certaminum participem ac propugnationis. Prodit autem Aristoteles, uel tempestate sua ad Iolai monumentum, τοὺς ἐρῶντας καὶ παιδικὰ ἱεμένους ἐπὶ τὰς ἰγκαίας, hoc est, amatos amatoresq; fidem solitos obstringere obfirmareq;. Cælius lib. 9. c. 22. A. L. Philippus rex Macedonum quum cohortem sacram Thebanorum, ad id tempus inuictam, ad Chæroneam strauisset, hostium cadauera ex aduerso iacentia conspicatus: Dij perdant, inquit, q tales uiros uel facere uel pati turpia suspicantur. Nec satis liquet, quāto numero cōstiterit cohors illa. Ephorus quingentos cohortem habere credidit: septingentos Callisthenes: quidam alij, & in his Polybius, nonaginta. Sabellicus libro 2. Ennead. 4.

PERSIS quidam pædomaniæ inuentum tribuunt, ea ꝓpter ἀσελγεῖς ὀργανοποιοί in 4. Epigr. Tit. j. uocantur. Athen. uerò libro 13. c. 27. id uitij à Græcis ad eos fluxisse, Herod. auctoritate scribit: repugnat Plut. com. de Herod. malig.

De BACCHO sic scribit Naso Fastorum lib. 3.

> Ampelon intonsum, Satyro nymphaq; creatum,
> Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.

LAIVM aiunt Thebanorum regem primum formosorū puerorum amoribus arsisse, & Chrysippum filium Pelopis rapuisse. Ex quo factum est, ut honestum apud Thebanos haberetur, speciosos & elegantes amare. Aelianus lib. 13. Var. hist. & Athen. lib. 13. c. 27.

ORPHEVM Thraca detestandæ in mares libidinis principē & repertorem aiunt, post amissam Eurydicen. Ouid. lib. 10. Metam. Cælius lib. 15. cap. 9. A. L.

Dum socium insectatur Hyllum HERCVLES imberbem, Argonautas destituit, ac prodidit classem. Plut. in Gryllo.

MINOS rex Cretensium, susceptas cum Atheniensibus inimicitias, ob mortem filij sui Androgei, lubens deposuit, amore Thesei, quem deperibat. Athen. lib. 13. c. 27.

Sunt qui dicant, THAMYRAM primum flagitiosis puerorū amoribus, ac præposteri concubitus fœditate pollutum, quum cœpisset efflictim deperire Hymenæum Calliopes & Magnetis filium. Cælius lib. 15. c. 9. A. L.

Scribit Ibycus Talum à RHADAMANTHO iusto amatum fuisse. At Diotimus Eurystheum narrat in Heraclea HERCVLIS delicias fuisse, in cuius gratiam quoq; certamina subierit. Fama est AGAMEMNONEM amasse Argynnū, cùm eum natantem in Cephiso uidisset, in quo periit: ibidē sepulto sacellum Veneris Argynnidis erexit. Alcymnius autem Chius HYMENÆVM contendit in Dithyrambis Argynnum amauisse. Amator fuit ANTIGONVS rex citharœdi Aristoclis. Erat adolescētū studiosus SOPHOCLES etiam, uelut mulierum Euripides. Vide Athen. lib. 13. c. 27.

AGAMEMNON Bœotiam iniit, uenans Argæum, qui clã aufugerat: falsoq; causatus mare & uentos, inde in Copaida paludem, quasi illic amorem restincturus, seq; expediturus cupidine, pulcrum pulcro seipsum iniecit. Plut. in Gryllo.

ACHILLES ille tantus bellator nulla magis ratione Troilũ creditur peremisse in Thymbræi Apollinis ara, quàm quòd morigerum se illi præstare, foret aspernatus. Quod in Alexandra scribit Lycophron. Cælius lib. 15. cap. 9. A.L.

GYGES rex Lydorum, Magnetem Smyrnæum, eximia pulcritudine clarum, usq; adeò dilexit, ut bellũ in Magnesios mouerit, quòd puero capillos totondissent, quò uideretur deformior.

PHILIPPVS Macedo Arisbam, per quẽ Olympiadis Neoptolemi Molossorum regis filiæ nuptias fuerat adeptus, regno spoliare est adortus. Erat is Epirotarum rex, & patruelis frater Olympiadis, & Alexandri qui in Italia bellum gessit. Alexandrum igitur Olympiadis nomine in Macedoniam accersitum, ad stupri consuetudinem impulit, quem postea annos uiginti natum, regno Arisbæ erepto, infanda stupri mercede donauit, in utroque turpis & iniurius: quippe qui nec in sene cognationis iura seruauit, cui sine causa regnũ ademit, & eum cui dedit, priùs impudicum fecit quàm regem. Sabellicus libro 3. En. 4. ex Trogo libro 8.

ATTALVS Pausaniæ adolescenti uni è regijs stipatoribus stuprum per uim intulit. Hanc iniuriam cùm Philippo Macedonum regi conquestus fuisset, & ille insuper eũ irrideret: Pausanias captata opportunitate Philippum interfecit. Iustinus & Diodorus.

ALEXANDER Magnus Bagoan eunuchũ, illi, spectãte theatro uniuerso, suauiatus est. Atq; cùm spectatores exclamarẽt cũ applausu, statim obtemperans, se rursus flectens osculatus est. Athen. lib. 13. c. 27. Quum Orsines, Persa nobilissimus, Alexandrum, eiusq, amicos munerib. cumularet, soli Bagoæ nihil honoris detulit. Rogatus causam, respõdit, Se amicos regis, non scorta, colere. Cælius libro 15. cap. 9. A.L.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni filius, Democli laudabilis formæ adolescentulo stuprum inferre uoluit. Quum puer non posset aliter effugere, in proximum feruẽtis aquæ lebetem se coniecit, ibiq; mortuus est. Plutarchus.

PAVSANIAS, dux Lacedæmonius, Argillum forma conspicuum adolescentem dilexit. Cælius.

ARISTOGITON Atheniensis Harmodium deperiit: cumq; attentantem HIPPARCHVM Pisistrati filium, de medio sustulit, libidinem hominis magis quàm tyrannidem exosus. Thucydides lib. 6.

CLEOMACHVS Magnesius pugil, ita in cinædi cuiusdam amorem incidit, ut cinædorum & orationem & mores imitatus sit. Strabo.

ANYTVS Anthemionis filius amore deperibat Alcibiadis. Qui cùm hospites nonnullos inuitasset, uocauit hunc quoque ad cœnam. At hic uenire abnuit, sed domi cum sodalibus mersus uino, ad Anytum comessabũdus profectus est: foribusq; triclinij astans, & contemplatus aureis & argenteis refertas poculis mensas, pueris suis iussit dimidium eius auferre, ac domum ad se deferre: nec dignatus tamẽ est introire, uerùm his actis digressus est. Stomachantibus hic hospitibus, indignamq; rem esse frementibus & insolentẽ, quam in Anytum designasset: Imò, inquit, benignam, Anytus: siquidem quæ licebat ei tollere uniuersa, horum nobis partem reliquit. Plut. in Alcibiade.

MELITVS amabat Athenis adolescentem nobilem & diuitem, Timagoram nomine, inexorabilem, qui multa amatori laborum & periculorum plenissima imperabat, ut canes bonos uenaticos peregrè adduceret, & equum hostilẽ cuiuscunq; generosum & ferocem, alterius elegantem chlamydem, & id genus alia. Deniq; aues etiam apportari sibi iussit cuiuscunq; altiles, & seruos miro genere natos. Quæ cùm ille perfecisset, formoso ea donabat. At hic etiam illa repudiauit. Melitus sui contemtum indignissimè ferens, incitato cursu in arcẽ se proripuit, & de rupibus deiecit. Puer auibus acceptis, & in ulnas impositis, illius uestigia persequens, quasi ui traheretur à calamitoso sodali, se post Melitum eodem ex loco præcipitauit. Eius calamitatis simulacrum eo loco positum est, puer formosus & nudus, gallos duos in ulnis ferens, & in caput se præcipitans. Suidas.

CHARITON Agrigentinus ardenter Menalippum amauit. Aelianus de Var. hist. lib. 2.

HIPPARINVS, Syracusiorum tyrannus, puero Achæo pollicitationibus multis persuasit, relicta paterna domo secum cohabitare. Progressu temporis, quum hostiũ incursio nunciaretur, Hipparinus alacri animo abiit, puero autem præcepit, ut si quis intra aulam uim ei inferre pararet, eum ense occideret, quam ea gratia ei donauerat. Victor reuertẽs tyrannus, multo uino inebriatus, præ ebrietate ac desiderio pueri ardens, Syracusas rediit: ingressusq; domum, quisnã esset non indicans, Thessalica simulata uoce Hipparinum adoriebatur. Puer indignatus, Hipparinũ in tenebris ferit. Ille triduo superuixit: & ubi Achæum à cæde sua immunem declarasset, è uita decessit. Parthen. in Amat. c. 24.

Ferunt IBYCVM historicum, patria Rheginum, insano puerorum amore exarsisse. Rauisius.

CRATINVS Atheniensis comœdiographus, notatus est pæderastiæ uitio. Idem.

PINDARVS nouem Lyricorum princeps, turpi amore Theoxenij flagrauit. Athen. lib. 13. c. 27. Testatum est Græcorũ monumentis eum in gremio pueri mortuum, in gymnasio repertum. Val. Max. de Mortibus non uulgarib. & Quintilianus, & Athen. ibidem.

EVRIPIDES ab Archelao rege ad conuiuium uocatus, cùm inter pocula largiùs bibisset, proximè sibi assidentem Agathonem tragicum poetam complexus & osculatus est, annos circiter XL natum. Agesilao autem interrogante, num adhuc in delicijs habendus uideretur? Respondens: Per Iouem, inquit, omnino. Non enim uer solùm est bonorum optimum, uerùm etiã autumnus. Aelianus lib. 13. Variç hist.

PLATO diuinus fœdis quoq; Agathonis & Asteris amoribus exarsisse fertur. Verùm tantam turpitudinem in tam excelsum animum cadere potuisse, incredibile uidetur. Amauit ille Socratico more, non corpus, sed animum. Improbi tamen homines ut suis libidinibus patrocinarẽtur, grauissimis uiris notam hanc inurere non dubitarunt. In 8. Legum scribit, Abstinendum à maribus censeo. Nam qui istis utuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes, ubi radices agere, quod seritur, nunquam poterit. Etsi uerò Athen. lib. 5. cap. 13. sub Masurij persona SOCRATEM quoq; turpi Alcibiadis amore arsisse refert: plus tamẽ apud cordatos sanctissimi philosophi auctoritas, qui grãmatici illius impudentes calumniæ, quando ibi ex professo philosophos criminatur, ualere debent.

ZENON Phœnix philosophus nũquam muliere usus est, sed semper pueris, ut in eius uita scriptum reliquit Antigonus Carystius. Dicit interim, quòd opus est, animum, non autẽ corpora amare: & quòd ad annos octo & uiginti, amatores retinere oportet. Athen. lib. 13. c. 5.

EPAMINONDAS amasios habuit Asopicũ & Cephisodorum: qui ad Mantineũ cum eo occubuit, & iuxtà est humatus. Asopicum uerò, terribilissimum hostibus & fortissimũ, qui primus substitit & sauciauit Eucnamus Amphissensis, honores accepit apud Phocenses heroicos. Plutarchus in Amatorio.

C. Petilio & L. Papyrio Coss. cùm Romæ ingenuus adolescẽs, ob paternum æs alienum L. PAPYRIO fuisset addictus, deferq; ille insigni forma, ætateq; adhuc iniuriæ obnoxia: mala libido Papyrium cepit stupri adolescentulo inferẽdi. Tũ uelut ex flore ætatis aduentitium crediti fructum percepturus, incesto sermone nexum compellat. Qui quum flagitiũ auribus non admitteret, nec minis, quæ secundo loco adhibitæ sunt, moueretur: magis ingenuitatis suæ, quàm præsentis fortunæ memor, Papyrij iussu nudatus, multis afficitur uerberibus. Ille ubi primùm potuit, se in publicum proripuit. ibi in cõcione libidinem & sæuitiam fœneratoris questus, adeò multitudinem cùm misericordia tum rei fœditate commouit, ut cum tumultu & clamore sit in curiam concursum. Ibi impotens iniuria plus ualuit, quàm fœneratoris conspiratio. Iussi sunt cõsules ad populum ferre, populusq; id sciuit, ut Romanus ciuis, nisi noxã meruisset, donec pœnam lueret, nemo in uinculis haberetur. Atq; ita nexi soluti sunt, cautumq; ne in posterum necteretur quispiam. Sab. lib. 4. Ennead. 4. ex Liuio.

CÆLIVS Plotius, cùm Titum Veturium adolescentem propter æs alienum nexum haberet, uerberibusq;, quòd stuprũ pati nollet, cæderet: querela ad Consules delata, in carceres fuit coniectus. Val. Max. de Pudicitia.

Frater T. Quintio erat L. QVINTIVS Flaminius, neq; cætera illius ingenium repræsentãs, & in libidinibus perquàm fœdus & securissimus decori. Huic consuetudo erat cum puero quem adamabat, cumq; in expeditiones abducebat secum: ac dum administraret prouinciam, perpetuò in contubernio suo habebat. Is epulante Lucio aliquando, cùm per lasciuiam cauillaretur, adeò ait se ardenter amare eum, ut spectaculum gladiatorum reliquerit, cùm nunquam hominem spectasset iugulari, obsequiũ in illum suum suæ uoluptati anteferens. Lætus Lucius, Nihil, inquit, incommodi est: nam facilè ego cupiditati tuæ medebor. Mox unum ex damnatis attrahi ex carcere iussit, accitoque lictori inter epulas imperauit, ut eum obtruncaret. Valerius Antiãs hoc puero adamato indulsisse id Luciũ, sed mulieri auctor est. T. Liuius lib. 9. Dec. 4. in ipsius Catonis oratione scriptum refert: Gallum transfugam cum liberis & coniuge ad fores stantem, & introductum in conuiuium, à Lucio in scorti gratiam propria manu occisum. Cæterùm hoc à Catone uerisimile est exaggerandi causa in accusatione dictum. At non fuisse transfugam, sed uinctum illum, qui interfectus fuit, atq; ex damnatis, cùm alij multi, tum Cicero in lib. de Senectute, ubi ipsum inducit Catonem loquentem, narrat. Ea de causa in censura sua Cato, cùm Senatum recenseret, senatu mouit Lucium consularem uirum, & per eum labes imponi fratri uisa est. Quapropter in concionem progressi sordidati & lacrymantes, æquum petere à populo existimati sunt, ut notam Cato & rationem exprimeret, quamobrẽ illustri familiæ tantam inussisset maculam. Nec Cato quicquam dubitauit: sed processit, ac consistens cum collega pro Rostris, rogauit T. Quintium, Ecquid conuiuium illud nosset? Abnuente illo, cùm id exposuisset, sponsione Luciũ prouocauit, ni uera narrasset. Obmutescente Lucio, comprobauit populus notam Catonis, eumque ex Rostris magnificè domum deduxit. Post tamen cùm ludos populus in theatro spectaret, & consideret Senatus de more loco honorato: cõspectus Lucius abiectè & demissè inter infimos sedens, mouit commiserationem: neq; eam speciem plebs sustinuit, sed clamore iussit, ut transiret, quoad transiit ad recipientes ipsum apud se consulares. Plut. in Flaminio.

L. Corn. SYLLA Metrobium Lysiodum scenicũ constanti amore est iuuenis prosecutus: isq; affectus cum ætate creuit, sic ut exoletum quoq; amauerit. Plut. in Sylla.

LVCIVS C. Marij ex sorore nepos, quum Trebonio pudicæ sanctitatis militi uim & stuprum uellet inferre, ab eodẽ interfectus est. Marius reum impunitate & corona insuper donauit. Liuius, & Plut. in Apoph.

Erant in deliciis HERODI Iudæorum regi propter formam eunuchi tres, unus à poculis, alter ab epulis, tertius cubicularius: quorum opera etiam in seriis regni negotiis uti est solitus. Hos quidam ad regem detulit corruptos esse ab Alexandro F. accepta magna ui pecuniæ: & quæstionib. examinati, ecquid cum illo habuissent consuetudinis, rem fassi sunt: Alexandrum innatum contra parentem odium alere: hortatumq; eos, ut Herodem desererent iam inutilẽ, facientemq; fucum ætati, & senium dissimulantem tincto capillitio. Herodes Alexandrum in uincula cõiecit, interfecturus etiam, nisi Archelaus Cappadocum rex, socer Alexandri, intercessisset. Iosephus lib. 16. c. 11.

TIBERIVS Imp. pæderastes monstrosissimus, inter pisciculos natabat. Suetonius.

NERO Romanorum Imp. Sabinæ uxoris occisæ tanto desiderio teneri cœpit, ut Sporum puerum libertũ excari iusserit, quòd ei persimillimus esset: eoque in cæteris rebus pro uxore usus est. Propterea emanarat iocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem. Sporum autem Sabinam appellauit, quia propter eius similitudinem excectus fuerat: atq; ut ei antea Sabina, ita hic in Græcia pactis cõuentis nupsit, eumq; Tigellinus, ut lex iubebat, despondit. Hæ nuptiæ ab omnibus Græcis celebratæ sunt. Occiso Nerone, Vitellius Sporum in formã constupratæ puellæ in theatrum accersiuerat. Quam contumeliam non ferens ille, sibi manum admouit. Eo antè tempore duo simul cum Nerone coibant: Pythagoras pro uiro (cum quo nuptias celebrauit, & dotem quoq; amplissimam numerauit) Sporus pro uxore, qui Domina & Regina appellabatur. Insuper Doryphoro liberto denupsit, uoces & eiulatus uim patientium uirginum imitatus. Suetonius, Dion, Xiphilinus, & Tacitus lib. 17.

NYMPHIDIVS Sabinus prætorio præfectus, oppresso Nerone, Sporũ, qui in deliciis Neroni fuerat, statim a rogo, flagrante adhuc cadauere accitum, uxoris habuit loco, Poppæumq; appellauit. Plut. in Galba.

A. VITELLIVS Imp. oblectabatur liberto Asiatico ob libidinem mutuam, quem sæpè reiecit, & rursus in deliciis habuit: uendidit, & iterum surripuit: ac tandem equestri dignitate ornauit. Cuspinianus ex Suetonio.

TITVS Vespasianus exectos plurimùm amasse dicitur: in cuius postea cõtumeliam Domitianus edixit, ne in posterum quisquam intra fines Romani imperij castraretur. Xiphilinus in uita Vespasiani.

TRAIANVS Imper. naturâ clemens & probus fuisse dicitur, duobus exceptis uitiis, quòd uino, quodq; puerorum libidini plus satis indulserit. Dion.

HADRIANVS Imp. Antinoum concubinum consecrauit in Deum: templumq; ei ac uictimas & sacerdotes instituit: & ex eo Aegypti ciuitas ac regio nomen accepit. Hieron. lib. 1. in Esaiam cap. 2.

De AVLO Martialis Epigrammatum lib. 8.

> Pæstylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin:
>   Forsitan & nostrum sic Hyacinthon amat.
> I nunc & dubita, uates an diligat ipsos,
>   Delicias uatum cùm meus Aulus amet.

Ad Auctum, idem Epigram. lib. 9. sic scribit:

> ARTEMIDORVS habet puerum, sed uendidit agrũ:
>   Agrum pro puero Calliodorus habet.
> Dic uter ex istis meliùs rem gesserit, Aucte:
>   Artemidorus amat, Calliodorus arat.

De LABIENO idem Epigrammatum lib. 12.

> Vt pueros emeret Labienus, uendidit hortos:
>   Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

De CALLISTRATO & Afro, idem Epigram. lib. 12.

> Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
>   Hac, qua lege uiro nubere uirgo solet.
> Præluxere faces, uelarunt flammea uultus,
>   Nec tria defuerant uerba Thalasse tibi.
> Dos etiam dicta est. Nondum tibi Roma uidetur
>   Hoc satis? expectas nunquid & ut pariat?

LIBANIVS sophista Antiochenus, Constantinopoli ob impudicos amores puerorum pulsus est. Demum Nicomedia (quò se receperat) eandem ob causam detrusus.

In MARCVM pullariam felem (ueteres autem pueros olim Pullos uocabant) Corrupit totum qui puerile decus, Peruersæ ueneris postico uulnere fossor, grauissimè inuehitur Ausonius in suis Epigrammatis.

SIGISMVNDVS Malatesta, non exiguæ parti Aemyliæ imperans (quæ nunc est Romandiola) filium suum Robertum cognoscere tentauit. Verùm ille in patrem stricto pugione irruens, à scelere se uindicauit. Pont. de Immanitate c. 17.

TVNETE solennem ac sanctum quendam diem esse, testatus fuit Marinus Minerua, legationis munere functus, quo extra urbem certum in locum conueniat omnis ferè multitudo, ad promiscuam cum maribus uenerem exercendã. Idẽ.

Apud NOVI orbis incolas quosdã, eos potissimùm qui Portum ueterem & Punam insulam habitant, pæderastia tam frequens est, ut in templis catamitos alant pueros formosissimos, muliebri habitu ornatos, uocem, incessum femineũ æmulantes, qui idolorum curam gerunt, & diebus festis in honorem dæmonis sese principibus & regulis prostituũt. Pietrus Cieza Tomo 1. hist. Peruuiæ, c. 64.

MVLEASSES rex Tunetanus pæderastes. Iouius lib. 33.

PATIENTES, PATHICI, CINÆDI, CATAMITI.

E Græcis Epigrammatis [illegible] de CINÆDIS:

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

EVNVCHORVM horrendas libidines ex D. Cyrillo Suidas describit in uoce, Spado.

[illegible] Quinq; talenta CHIORVM urbs propter podicẽ debebit. Hos ut incontinentes & molles Aristophanes cauillatur, qui ex mollitie ampliores podices habeãt, & paratos ad excernendũ. Suid.

In tholo Proij Apollinis quidã clã inscripsit, ACHILLES formosus, cùm filium iam Achilles sustulisset. Plut. in Gryllo.

AGATHOCLES Siciliæ tyrannus, forma corporis excellẽs, corpore quæstum fecit, dum priuatus ageret. Proinde Timæus eum [illegible] appellat. Iustinus lib. 22.

CHOERILVS Samius, Olympiade 75. à Samio domino, plstigus, Herodoto historico additur, & ab eo amatus est.

SMERDIAS Polycratis Teij amasius. Aelian. Var. hist. lib. 9.

PAVSANIAS Macedo, allectus inter eos quib. regij corporis tuendi officium incumbit, Philippo regi, Amyntæ F. ob formæ elegantiã charus erat. Hic cùm alterũ PAVSANIAM sibi cognominem à rege amari animaduerteret: probrosis conuiciis eum grauiter insectatus est, ancipitis sexus hominem appellans, quòd amantium libidini sese exponeret. Is contumeliosa maledicta iniquissimo animo ferens, rem pro tempore silentio continuit. Attalo autem uni ex amicis, quid deinceps fieri deberet, cùm indicasset, ultrò uita se abdicauit. Post paucos enim dies Philippo prælium contra Pleuriam Illyrici regem ineunte, hic ante suum regẽ consistens, quæcunq; in eum tela mitterentur, suo corpore excipiens, mortem ita obiit. Qua re diuulgata, Attalus inter aulicos & potentiores uiros multum pollens apud regem, inuitauit Pausaniam ad conuiuium. Ibi mero multo eum oneratum, mulionibus, qui per contumeliam corpus temulentũ stuprarent, tradidit. Diod. lib. 16.

Aeschines criminosa & uirulenta oratione TIMARCHVM de impudicitia accusauit, apud Athenienses. Gellius cap. 3. lib. 18. Noct. Att.

Diogenes Cynicus interrogatus de quodã ADOLESCENTE, qualis uideretur? Arcadem esse respondit. Siue significans, illum esse stupido ingenio: siue, ut eruditi quidã malunt, mollem & pathicum, quòd Arcades ferantur glandib. uictitare: teste Epigrammate:

> [illegible]

Glans autem apud Latinos interdum obscenam habet significationem. Erasmus Rot. lib. 8. Apoph.

AGATHONEM poetã fœdo amore Pausanias figulus amauit: de quorũ amatoriis cõtentionib. Aelianus li. 2. Var. hist.

PHILO-

PHILOCLEM eximium adolescentem amauit Epicurus, ad quem solitus erat hoc modo scribere: Consumor ac deficio, amabilem tuum ac diuinũ ingressum sustinẽs. Laertius.

PHÆDON Eliensis, Athenis à domino lenone in lupanari prostitutus, ut corpore faceret quæstum. Resipuit tandem, & ab Alcibiade redẽtus, Socrati adhæsit, sic ut philosophus euaserit præstantissimus. Gellius lib. 2. c. 18.

LYCVM puerum adamauit Alcæus poeta lyricus, de quo Horatius lib. j. Carminum:

Liberum & Musas, Veneremq;, & illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigroq;
Crine decorum.

GALETA, Ptolemęi regis amasius, ut pulcerrimus, ita clemẽtissimus. Aelianus lib. j. de Var. hist.

Dionysius apud Cælium testis est, ARISTODEMVM tyrannum Cumanum in Italia, Mollẽ fuisse cognominatũ, quòd parum uir esset, ac pudicitiam substrauisset.

CLEÆNETVS Cleomedontis, cùm patri suo quinquaginta talentûm, quanti ei lis æstimata fuerat, remissionem confecisset, & literas attulisset ad populum à Demetrio Poliorcete regẽ, qui Athenis Cassandrum expulerat: non se modò fœdauit, uerùm etiam concussit ciuitatem. Nam Cleomedonti quidem remisit multam populus, sed plebiscito cauit, nequis ciuiũ à Demetrio afferret literas. Ob eam rẽ irato Demetrio non tantùm refixerunt plebiscitum illud Athenienses, sed & eos, qui tulerant & suaserant id, partim necauerunt, partim exterminarunt. Plut in Demetrio.

Erat in castris Hamilcaris ducis Carthaginensium HASDRVBAL, adolescens illustris, & formosus, quem nonnulli diligi turpiùs, quàm par erat, ab Hamilcare loquebantur. Non enim maledici tanto uiro deesse poterant. Quo factum est, ut à Præfecto morum, Hasdrubal cũ eo uetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quòd morib. eorũ interdici non poterat socero gener. Probus in Hamilcare.

L. SYLLAM Dictatorem, produnt auctores grauissimi, ab primo pubescentis ætatis uestigio in scurrarũ gremiis per damna uenundati pudoris adoleuisse. Qui tamen etiamsi sexus sui nunquam memor, & ultra commendationẽ gratiæ puerilis ætatis, senex exoletus, in aliena ætate flagitia corporis retinens, uitiis obsessus, Romano præfuit imperio. Quin ne quid desit, amplissimi senatus decreto ac populi, prosperæ ac perpetuæ felicitatis nuncupatione ornatus itẽ est. Cælius lib. 15. cap. 10. A. L.

P. ATTILIVS Philiscus meritorius puer, corpore suo quæstum facere à domino cogebatur. Val. lib. 6. c. j.

Q. OPIMIVS consularis, qui in adolescentia malè audierat, festiuo homini AEGILIO, qui uideretur mollior, quũ dixisset: Quid tu Aegilia mea, quando ad me uenis cum tua colu & lana? urbanè Aegilius crimen retorsit: Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famosam uetuit mater accedere. Macrobius.

C. IVL. Cæsar stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi prætoris contubernio: à quo ad accersendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorẽ auxit, intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per causam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. Caluus Licinius Nicomedem uocat pædicatorem Cęsaris. Eum Dolabella pellicem reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ, ac Curio stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicẽ dicunt. Bibulus proscripsit collegam suum, Bithynicam reginam: ei regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum, inquiens, Octauius quidam, ualetudine mentis liberius dicax, conuentu maximo quum Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutauit. Sed C. Memmius etiam ad cyathum & uinum Nicomedi stetisse obiecit, cum reliquis exoletis, pleno conuiuio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus. Cicero uerò non cõtentus in quibusdam epistolis scripsisse, à satellitibus eum in cubiculum regium deductum, in aureo lecto, ueste purpurea decubuisse, floremq; ætatis à Venere orti in Bithynia contaminatum: quondam etiam in Senatu defendente enixè causam filiæ Nicomedis, beneficiaq; regis in se commemorante, Remoue (inquit) isthæc, oro: quando notum est, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis. Gallico deniq; triumpho milites eius inter cętera carmina, qualia currum prosequentes ioculariter canunt, etiam uulgatissimum illud pronunciauerunt:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Curio pater quadam eum oratione, omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem appellauit. Suetonius.

BATHYLLVS Anacreontis poetæ amasius. Item MEGITHEVS, LIGVRINVS, Horatij lib. 4. Car. Item LYCISTVS, de quo in Epodo. Val. Flaccus Setinus AMAZONICVM puerum, cuius formam commendat Martialis. Tibullus CHERINTHVM: Asinius Gallus poeta, filius Asinij uiri consularis, HIPPOLYTVM.

SPORVS Neronis, NERO ipse Pythagorę. Vide Titulum præcedentem.

Catulliano noti carmine, AVRELIVS, FVRIVS, IVVENCIVS, THALLVS. Martialis epigr. PANNICVS taxatur:

Sunt tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
Horrida, sed mens est, Pannice, uulsa tibi.

Item HYLVS, GARGILIANVS, LABIENVS, NÆVOLVS, CHARINVS, AMAZONICVS, PAPILVS: DIDYMVS, cui in equitum sedere scamnis licet, non licet maritorum: TESTILVS Victoris tormentum dulce Voconi.

ANTINOVM puerum, ex Claudiopoli Bithyniæ ciuitate, Adrianus Imp. ad infamiam usq; adamauit: mortuo ciuitatẽ construxit, templumq; erexit cum ara, & eius effigiem curauit imprimendam. Spartianus ait, puerum illum ab Imperatore muliebriter defletum. Dion Cassius.

EARINVS Domitiani Imper. eunuchus, quem aliquandiu in precio habuit: mox tamen, cùm legem de non castrãdis uiris promulgasset, repudiauit. Xiphilinus.

De DRACONE in 1 Epigr. Strato, ὡς πέρνας:

Ἐϛὶ δράκων τις ἔφηβ☉, ἄγαν καλός. δράκων ἂν
πῶς ἂς τὴν τρώγλην ἄλλον ὄφιν δέξεται;

HELIOGALALVS Imp. muliebriter uiros patiebatur. Dracos quærebat ad fœdam libidinem explendam: oculos ad hæc & genas pingebat, eoq; statu, quo Venus ad Paridis iudicium stetisse dicitur, nudum corpus iis spectandum offerebat, quibus ad tam fœdum ministerium utebatur, manu una mammæ applicita, altera uerendis partibus apposita, præcipuum uitæ fructum ratus, si dignus aptusq; plurium libidinibus uideretur. Sab. lib. 6. Enn. 7.

TRIBADES.

Nil dicimus, non dictum prius: sparsa colligimus. Turpitudo ut execratione digna est, ita ab imitatione bonos omnes, nullis licet positis legibus, deterrebit. Qui perditi sunt, ut exẽplis destituantur, exemplaria ipsi sibiipsis facili negotio formabunt.

AMYTHONE, TELESIPPA, MEGARA, ATTHYS, CYDNO, ancillæ fuerunt Sapphûs, quibus ipsa ad libidinem utebatur. Sic illa in epistola ad Phaonem:

Vilis Amythone, uilis mihi candida Cydno,
Non oculis grata est Atthys, ut antè, meis.

ERYNNAM quoq; Suidas & Tacianus Sapphûs concubinã faciunt. Vide Tit. Poetriarum.

Ὀλίσβῳ utebantur MILESIÆ mulieres, & tribades & obscœnæ. Suidas.

EVNVCHORVM, qui mulieres custodiunt, horrendam libidinem ex D. Cyrillo Suidas recenset in uoce, Spado.

In BASSAM tribadem Martialis inuehitur lib. j. Epigrammatum, quæ, ut ille ait,

Commenta est dignum Thebano ænigmate monstrum,
Hic ubi uir non est, ut sit adulterium.

Ipsarum tribadũ tribas PHILÆNIS impudico carmine proscinditur à Martiale lib. 7. Epigram.

GALLA quædam sub stabularij habitu per septennium cauponi apud Blesenses inseruierat. Ducta inde in uxorem ciuis filia, tribadem per biennium egit. Deprehenso facinore uiua exusta fuit. Henricus Stephanus lib. j. cap. 13. Apologię pro Herodoto.

LIBIDO RELIGIOSA. INCESTVS RELIGIOSVS, SIVE SACER. INTER HOMINES religionis

EIVSDEM.

Incestum uocant propriè, quando sanguinis necessitudine inter se iuncti, uel in matrimonio uel extra, coeũt. Transfertur eadem uox ad Religiosum stuprum qualecunq;: quando uel utraq; persona, uel alterutra tantum, castitatem religiosam professa est. Translatio nominis non ita euidens. An quia Religiosi homines parentes nostri spirituales esse uidentur? & proinde si profanus sacram uirginem incestet, cum sua ipsius matre coisse iudicabitur: si sacerdos profanam, cum suaipsius filia. An potius, quoniã religioni addicti, spiritualem necessitudinem fraternam sub eodẽ patre Deo contrahere uidentur? eamq; ob causam Monachus cum Monacha summum gradum Incestus sacri constituit, cùm reliquæ species minus sint propriæ. uti etiam Adulterium eximium illud est, quod inter maritum & uxorem alterius committitur. Quatenus uerò Religiosi homines Deo suam castitatem consecrarunt tanquam sponso, sic non Incestus, sed Adulterii sacri rationem religiosa impudicitia subibit: eademq; simpliciter considerata, quando matrimonii uinculum non intercedit, Stupri sacri appellationem merebitur.

Agens

Agens persona religiosa.

Filij Heli summi sacerdotis Israelitarum OPHINIVS & PHINEES, populares uirgines in templum uenientes sacrorũ causa constuprabant. Sed pœnam incestus mox dederunt. Sabellicus lib. 4. cap. 11.

Missum fanum est in Phocide Herculis: ac qui sacerdotio ibi fungitur, abstinet de more illo anno uxoris consuetudine. Ideoq; sacerdotes ferè grandæuos creant: nisi quòd non ita dudum IVVENIS non malus, sed generosus, qui puellæ deperibat amore, adeptus est sacerdotium. Hic primùm refrænauit se ac refugit illam: Posteaquã uerò quiescenti aliquando post potum & saltationem obtulisset se, compressit. Metu ergo trepidus ad manteum cõfugit, ac de delicto, Nullisne precibus uel luitione expiare id liceret, est Apollinem sciscitatus. Cui hæc data est dictio:

ἅπαν ὅ ἀναγκαῖα συγχωρεῖ θεός.
Necesse quicquid est, id admittit deus.

Plut. de Pythiæ oraculis.

Tradunt nonnulli, VOLMARVM Mindensem episcopum, ab Henrico IV. dictum, inconsulto Gregorio VII. Pp. cæsum nocte media in peccatis suis, gladio: beatumq; Gregorium apparuisse custodibus ecclesiæ, & ostendisse pallam cruentam, nunciasseq; mortem pontificis, ut eam cæteris patefacerent. Cranzius lib. 5. Metrop. c. 35.

Patiens persona religiosa.

AMVLIVS filiam Numitoris fratris sui maioris natu, Rheam nomine, & cognomine Syluiam, Vestæ sacerdotẽ ideo designauerat, ut ex ea prolis spe omni intercepta, regno sine controuersia potiretur. Sed cùm accidisset ut ui compressa uterum gereret, ideoq; consilio matris simulans aduersam ualetudinem, à sacris abstineret: postquam res Amuliũ nõ latuit, puellæ custodibus appositis, Numitor ipse atq; illius uxor ut sceleris participes accusantur. Hi dilatione accepta, didicisse se aiunt filiæ uim allatam esse, neque id ab homine, sed à deo aut genio quodam: ita enim qui uim Rheę Syluiæ attulerit, eidem narrasse, ac prædixisse, hanc geminos parituram esse. Itaq; postulabant expectari partum, ut euentus, fraus humana, an diuina sit prouidentia, detegeret. Igitur cùm geminos edidisset, Numitor dei opus identidem allegabat, inq; puellam innoxiam minimè sęuiendũ esse. Attamen non placuit hoc commentum, atq; ex totius concilij sentẽtia uisum est, lege utendum esse. Iubent Rheã, cuius corpus pollutum esset, uirgis cęsam interfici: & quod natum esset, in profluentem aquam euci, proiici. Aerodius ex Halicarnasseo, lib. j. Liuio Dec. j. lib. j. & Plin. de Viris illustribus, Iulio Floro lib. j.

CORNELIA, uirginum Vestalium maxima, conuicta stupri, iuxta legem uiua defossa est. Eusebius in Chronicis, anno Salutis XCIV.

SEXTILIA, Vestæ sacerdos, in incestu deprehẽsa, secundùm legem pœnas dedit. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12. Similiter & OPIMIA uel Oppia.

CAPRONIA siue Floronia, Vestalis in stupro deprehensa, suspendio supplicium præuenit. Idem ex Liuij lib. 22.

TVCIAM Vestalem incestam, Plin. lib. 28. c. 2. asserit.

MINVTIA Vestalis, suspecta stupri propter mundiorem cultum, ad portam Collinam dextra uia strata defossa est. Scelerato campo inde nomen factum. Liuius lib. 7.

Antoninus Caracalla Romanorum Imp. CLODIAM Lętam uirginem Vestalem, quantum in ipso fuit, uitiauit. Quę deinde iuxta legem uiua sepulta est: cùm tamen exclamaret, scire ipsum Antoninũ se uirginem esse, & propter morbos multos corporis ad rem uenereã ineptã fuisse. Diõ Nicæus.

Heliogabalus VESTALEM templo abductam pro uxore habuit, Senatumq; tali flagitio mœstum libello cõsolatus est, testatus id humanum esse, captũ se illius amore eam in connubium adduxisse: æquum esse sacerdotem sacerdoti nubere. Sabell. lib. 6. Enneadis 7.

[redacted]

Michael Balbus Imp. sacram VIRGINEM ex monasterio rapuerat. Illius exemplum imitatus est Euphemius quidã militaris dux in Sicilia. Sed cùm fratres uirginis iniuriam persecuti ab Imp. obtinuissent, ut Euphemio nasus amputaretur: ille maturè fuga sibi consulens, Saracenis Siciliam prodidit, eorundemq; armis Imperator dictus, dum Syracusas obsidet, à duobus Syracusanis colloquij specie trucidatus est. Cedrenus.

Edgarus Angliæ rex, ex VILEFREDA, Deo dicata uirgine, Editham suscepit filiam. Quamuis alij regiæ patrocinãtes famæ, eam nullis initiatam sacris inter monachas in regis usum asseruatam tradant. Polyd. lib. 6. Angl. hist.

Imperator Henricus III. MONIALEM adeò charam habuit, ut nunquam à suo latere eam discedere permitteret: ac licet nocte quadam de fenestra prospexisset, clericum amatorem ab ipsa per niuem dorso portari extra curiam, nemini tamen rem patefecit, sed mortuo quodam episcopo, clerico dixit: Accipe episcopatum, & uide ne ultrà equites in dorso mulieris. & uacante monasterio, sorori: Accipe abbatiam, & uide ne unquam portes clericum equitantẽ. Ranulphus lib. 6. c. 21. Malmesburiensis lib. 2. c. 67. Vincentius libro 25. cap. 18.

[redacted]

Vtraq; persona religiosa.

Magdeburgi urbe Saxoniæ sub annum DCCCCXL. episcopus fuit, VDO nomine, uir libidinosus, & sacrarum uirginum corruptor. Qui cùm, ne signis quidem ac diuinis uocibus commonitus, ab impudicitia sibi temperaret, uiri religiosi Deum, ut episcopum aut corrigeret aut tolleret, rogare cogebantur. Itaq; cùm noctu in cathedrali ecclesia, quæ sub S. Mauricij nomine in Parthenopoli est, Fridericus canonicus sacris precibus operam daret, non sine ingenti formidine, uehementioris uenti afflatu, omnia quæ in templo erant lumina extingui perspexit: nec multo pòst duos iuuenes uenire, duo candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum parente eius atq; Apostolis subsequi: à quibus cùm essent uocati sancti homines, quorum corpora in eo templo quiescebant, uisus est inter eos Mauricius uenire, qui longa atq; graui oratione Vdonem episcopum accusauit: quem haud multo pòst Christus nudũ afferri à duob. iussit, atq; damnauit. Is autẽ pugno ab ipsorum altero, qui eum portarunt, in mediis renibus grauiter ictus, Christianã hostiam, quã in communione pridie eius diei sumserat, reuomuit in calicem, qui altari impositus fuit: atq; securi percusso Vdone, rerum illarum omnium imago euanuit. Qua re uehementer perterritus Fridericus, cùm ad altare accessisset, calicemq; in eo esse cum Christiana hostia inspexisset, & simul episcopum mortuum humi iacentem: alios religiosos uiros excitauit, qui ablatum inde episcopi corpus in agro sepeliuerũt. Cuius sanguine cùm respersum templi pauimentum esset, sacerdotes ferrea crate cruorem cooperuerunt: quem nouis episcopis ostendere moris habent, ut eo sanguine à scelerate uiuendo deterreãtur. Hæc autem quæ Fridericus inspexerat, confirmauit postea Bruno, episcopi in diuinorum celebratione minister: nõnullis narratis, quæ ea ipsa nocte, qua hęc gesta fuerunt, iter equo faciens uiderat. Fulgosus lib. 9. cap. 12.

DIVERSÆ.

CASIMIRVS II. Polonorũ rex Iudæam Hesterã deperiit, de qua Nemirã & Peleam filios suscepit. Huius opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à rege adepta est. Cromerus lib. 12 & 13.

Alfonsus

Alf[redacted] oc[redacted]regis concubinas, atq; [redacted] ti[redacted]rat ut eas uel in Lusitaniam[redacted] Mariam mi[redacted]ret (erant enim[redacted]Chri stianis sacris initiatas apud Lusitanos matrimonio [redacted] collocarat. Cæterùm post insula rursus eiectus, eas [redacted] xer[redacted]sociis bellum gerens: cùm qu[redacted]iles, uiri [redacted] libidinis æstu, monitore & impulsore RO[redacted] RICO Diazio, [redacted] qui mulierem[redacted] ex illis adamabat, eiq; iam sæpius assueuerat, clàm in [redacted] noct[redacted] ad mulieres, Albuquercij imperio [redacted] abant. Is ubi id resciuit, homin[redacted] Homines nobiles, qui socii criminis fuerant, ad il[redacted] unt, & obnixè precantur, ut illi misero ueniam [redacted] cùm [redacted] postulata reijceret, illi querelis & [redacted] rem expedire contendunt: propter quæ necesse fuit, [redacted] custodiam dari. Postea uerò cùm Albuquercius [redacted] in tam [redacted] eorum opera [redacted] lo custodia liberari præcepit. Fremunt illi, tantam homi nibus a nobilitate præditis illatam contu[redacted]gen tia illa compensari minimè posse, se nolle è custodia [redacted] conditionibus emitti, sed arctissimis etiam uinculis [redacted]si, ut ita ferro uincti, in Lusitaniam deducantur, & apud regem Albuquercij nomen deferant. Is ubi hoc accepit, eos insanire permisit, honoribusq; priuauit, eorumq; præfecturas aliis nobilibus attribuit. Osorius lib. 7. rerum Em.

INCESTVS.

IN GENERE. INCESTVOSI.

BABYLONIORVM institutum fuit, ut cum parentibus filij, cum sororibus fratres coirent, atque ex eis sobolem gignerent. In qua etiam sententia Chrysippum fuisse Plut. asserit. Alex. ab Alex. lib. j. cap. 24.

Persarum MAGI censuére, Socione lib. 23. teste, iustum uideri cum filia & matre congressum. Attigit Catullus de Gellij incestu agens:

> Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
> Si uera est Persarum impia religio.

Parthenius PARTHORVM reges non nisi ex matre & filia natos, pro legitimis haberi asserit.

Scribit Bardesanes Syrus, legem fuisse PERSIS, qua filias, sorores, matres quoq; in connubij iura admittere, non duceretur impium. Quod Strabonis item comprobant monumenta: & Septimius Florens repetit. Cælius libro 18. cap. 18.

I[redacted] postremo, quo[redacted] solùm, uerùm cũ auis quoq; ac filiabus concũbere scribit.

ARABIBVS alterius sanguinis congressus ꝓ adulterio olim fuit. Sic humani iuris obliti, præter incestum, omnem uenerem pro flagitio repudiarunt. Sab. lib. 6. c. j.

De BARBARIS uniuersim hæc sub Hermiones ꝑsona apud Eurip. in Andromacha leguntur:

> —— τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος,
> πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
> κόρη δ' ἀδελφῷ· διὰ φόνου οἱ φίλτατοι
> χωροῦσι· καὶ τῶν δ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος.

Huiusmodi totum barbarorum genus, pater filiæ, filius matri miscetur, & soror fratri: per cædem uerò charissimi feruntur. & horum nihil prohibet lex.

IN SPECIE. INCESTVS

Patris cum Liberis.

LOTHVS ebrius cum filiabus duabus concubuit, quæ non libidine, sed generis humani reparandi spe cum patre dedita opera se miscuerunt: quoniam incendio non Sodomam tantùm, sed uniuersum orbem conflagrasse putabant. Maior igitur natu filia Moabum, minor Benammi, auctores Moabitarum & Ammonitarum, gentium sceleratissimarũ, peperit. Genes. 19.

SMYRNA, Latinis Myrrha, filia fuit Theiantis, Beli F. & Orithyiæ nymphæ, nata in Libano. Hanc ob pulcritudinem formæ plurimi ambiuerunt. Illa multis artibus usa est ad deludendam parentum uoluntatem, & extrahendum tempus: etenim diro amore patrem deperibat. Quem cùm præ uerecundia aliquandiu dissimulasset: uicta tandem, Hippolytæ nutrici rem aperit. Hæc pollicita remedium se malo inusitato inuenturam, Theianti significat, puellam esse parentum fortunatorum filiam, quæ in ipsius cubile clanculum uenire cupiat. Theias approbata re, domi suæ in lectum se in tenebris composuit: nutrix Smyrnam ueste occultatam ei adduxit. Ad aliquod tempus latuit hoc tam fœdum & impiũ facinus, interimq; Smyrna uterum ferre cœpit. At Theiantẽ cupido incessit cognoscendi, quænam ea esset, quæ ex ipso concepisset. itaq; in domo ignem abdit. Cumq; ad eum uenisset Smyrna, subitò igne allato agnita, abortum fecit: sublatisq; manibus optauit, ut neq; uiuis neq; mortuis interesse sibi daretur. Iupiter eam in arborem conuertit cognominem. Huius arboris fructum, quotannis ferunt lacrymas emittere. Theias, ob incestum sibi ipsi manus attulit. Puer louis nutu educatus est, eiq; Adonis nomẽ factum, ob formæ elegantiam à Venere plurimùm adamato. Antoninus Liberalis in Metamorph. & Ouid. lib. 10. Meram. non ex Theiante, sed ex Cinyra patre, qui rex fuit Cypriorum, Myrrham Adonim concepisse scribit. Plut. in Parall. ex Theodori lib. Metamorph. Natalis Comes Mythol. lib. 5. c. 16.

HÆMON Rhodopen filiam pro uxore habuit: diisq; incestũ uindicantibus, ambo in montes conuersi sunt.

THYESTES rem habuit cum Pelopeia filia. Ouid.

NYCTEVS rex Aethiopiæ, cum Nyctimene filia concubuit. Illa in noctuam uersa est, ob uitij fœditatem. Idẽ in Metam.

CLYMENVS, Telei F. uxore ducta Epicaste, filios genuit masculos, Idam & Theragrum: filiam uerò Harpalicẽ, forma præcellentem. In eius amorem Clymenus incidit: & per nutricem conciliauit sibi puellam. Vbi nuptiarum tempus aduenisset, adessetq; Alastor, cui desponsata erat, eam in Nelidarum terram abducturus, pater per amentiam generum transuerberauit, è medioq; itinere rapuit puellã, ductamq; Argos palã habuit pro uxore. Illa iuniorem fratrem mactauit, ac festo sacrificiorum die, in quo publicè omnes conuiuabantur, apparatas pueri carnes parenti apposuit, mutataq; est in Chalcidem auem. Clymenus seipsum interemit. Parthenius de Amat. c. 13. ex Euphorione.

ASSAON cùm filiam Nioben stuprare uellet, illa filios eius in conuiuium adductos exussit: mox sese ex alta rupe præcipitauit, Assaon sua manu concidit. Parthen. in Eroticis, c. 33.

ARTOXERXES Persarum rex non tantùm Atossam filiam, uerumetiam alteram sibi iunxit Amestrim, cùm Aspasiã interim pellicem haberet Phocensem dilectiss. & sexaginta supra CCC concubinas forma præcellentissimas. Atossam quoq; adeò dilexit, ut cùm esset uitiligo corpus eius depastũ, nihil quicquam fuerit ea re offensus: sed Iunonem supplex pro ea unam adorarit ex diis, manib. tellurem contingens: & donorum tantam uim iussu eius satrapæ & amici mitterent, ut interiecta inter fanum & regiam sexdecim stadia auro, argento, purpura, equis implerentur. Plut. in Artoxerxe, ex Heraclide.

PIASVS Thessalus, Larissam filiam suam incesto & insidiũ amore deperiit. Suidas.

Bonam deam (quæ apud Rom. Cal. Maiis colitur) alij Maiam, alij Iunonem, Bœoti etiam Semelen esse credunt: alij etiam FAVNI filiam dicunt, obstitisseq; uoluntati patris in amorem suũ lapsi, ut & uirga myrtea ab eo uerberaretur. Cùmque desiderio patris, ne uino quidem ab eodem pressa, cessisset, transfigurasse se in serpentem pater creditur, & coisse cum filia. Horum omnium hoc proferunt indicij, quòd uirgam myrteam in templo haberi, nefas sit: quòd supercaput eius extendatur uitis, qua maximè eam pater decipere tentauit: quòd uinum in templum eius non suo nomine soleat inferri, sed uas in quo uinum inditum sit, mellariũ nominetur, & uinum lac nuncupetur: serpentesq; in templo eius nec terrentes nec timentes indifferenter appareãt. Quidam Medeam putãt, quòd in æde eius omne genus herbarum sit, ex quibus antistites dant plerunq; medicinas: & quòd templum eius uirum introire non liceat, propter iniuriam, quã ab ingrato uiro Iasone perpessa est. Hæc apud Græcos θεὸς γυναικεία dicitur. Macrob. lib. j. c. 12.

CYANIPPVS, natione Syracusius, uni sacrum non faciebat Libero patri. Hinc infestus deus crapulam ei incussit. Ita hic loco opaco filiam suam Cyanen compressit. Quæ detractũ ei anulum nutrici suæ dedit, ut nota esset ad cognoscendũ corruptorem. Cùm laboraretur autem pestilentia, ac respondisset Apollo, Nõ esse diis cordi, ut diis Victoribus nefarium immolaret: ibi cæteris ignorantibus, quid uellet oraculũ, Cyane id intelligens, [redacted]

pud Aristidem Milesium lib. 3. rerum Ital. Idem.

CICERONI Sallustius impingit, quòd Tulliolam filiam habuerit pellicem matris. Sed inimici uerba fidem nõ capiũt.

SIGISMVNDVS Malatesta filium suum Robertum cognoscere tentauit. Verùm ille in patrem stricto pugione irruẽs, à scelere se uindicauit. Pont. de Immanitate c. 17.

Matris cum Filio.

OEDIPVS, mortuo patre Laio (quem ignotũ occiderat) nescius & imprudens duxit Iocastam matrem suam, ex qua suscepit Eteoclem & Polynicen. Statius lib. j. Thebaidos.

> Scandere quinetiam thalamos hic impius hæres
> Patris, & immeritæ gremium incestare parentis
> Appetiit, proprios monstro reuolutus in ortus.

MENEPHRON cum matre consueuit, apud Ouid. lib. 7. Metamorphoseôn:

> Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
> Concubiturus erat, sæuarum more ferarum.

PERDIX uenator infando matris Polycastes amore correptus, eam contaminauit. Vnde Perdicis libido abiit in prouerbium, pro efferata, turpi ac infami. Cælius.

SEMIRAMIS Assyriorum regina ab infelice expeditione Indica reuersa, nõ multo pòst à Nino filio insidiis excepta periit, quum duos & quadraginta regnasset annos. Diuersa omnino de eius exitu fama est. Ctesias & qui cum eo sentiunt, Semiramidem aiunt filium incesti appellare ausam, tanti sceleris odio, ab eo interfectam. Sab. lib. j. En. j.

SYSIMITHRITAS Persarum satrapa, duos ex matre liberos suscepit. Nam, auctore Curtio, apud Persas parentib. stupro coire cum liberis fas est.

Fertur de PERIANDRO Corinthio, quòd primùm mitis ac benignus fuerit: postea uerò crudelior factus sit, hanc ob causam. Mater eius amore capta, eum ualde adhuc iuuenẽ his uerbis alloquitur: Esse feminam quandam formosam planè, quæ eum immodicè amet: suadere se, ne illam despiceret. Periander primũ se corrupturum negabat eam, quæ esset coniuncta uiro, præter leges & publicos mores. Quũ autem supplicibus uerbis instare non cessaret, se facturũ recepit. Postquam nox statuta uenisset, admonuit ipsum, ne lumen ad thalamum inferret, neque cogeret eam ad colloquium, atq; id illius pudori condonaret. Is quum pollicitus esset omnia se facturum quæ mater iniunxerat, pulcerrimè ornata ad filium ingreditur: ac priusquam aurora illucesceret, clàm rursus exit. Sequenti die interrogat filiũ, quo modo placuerit ei amica, & númne uelit illam rursus se accedere? Periander se illud cupere respondit. Qua re ab hoc tempore non cessabat sæpe ad filium redire, ita ut tandem cupido Periandrum incesseret, cognoscendi eam, cum qua congrederetur. Aliquandiu apud matrem precibus impetrare studuit, ut mutuo colloquio eius, cuius desiderio flagraret, noticiam haberet. Verùm quum id fieri posse ob uerecundiam feminę mater omnino negaret, ipse aliquem ex ministris lumen in cubiculo occulere iubet. Et cùm ea pro consuetudine accederet, exurgens Periander producit lumen: atq; cùm uideret esse matrem, præ animi inpotentia transuerberare eam statuit. Sed à quodam genio subitò apparente retractus, à facto temperauit: ac ex eo tẽpore mente perculsus insaniuit, in crudelitatemq; incidit, & multos suorum ciuium mactauit. Mater uerò multum super genio suo lamentata, seipsam interemit. Parthenius de Amatoriis capite decimosexto.

SECVNDVS philosophus, quum matri nescienti esse filium se commiscuisset, & illa facto cognito, sceleris horrore intulisset sibi mortem: ipse quoq; cùm incestus pœnitẽtia, tum dolore maternę mortis æternũ tacuit, ut ulcisceretur uocẽ, qua in concubitu matri innotuerat. Laërtius.

PHRAATACES, Phraatis Parthorum regis ex Thermusa ancilla F. cum matre rem habuisse creditur. Iosephus lib. 18. cap. 3. Antiq.

AGRIPPINA mulier flagitiosissima, tentauit Neronem filiũ nefario concubitu sibi ob[redacted]entiorem reddere, multisq; illecebris fact[redacted]esset uoti compos, nisi domesticj & ij, quib. suspectum erat ferox Agrip[redacted] ab eo scelere deterruisse[redacted] ite[redacted] fuosè n[redacted]omnium fauore destitueretur. His il[redacted] primò matris congressum, inde adempta [redacted] Palatio expulit. Sabel. lib. 2. Enn. 7. ex Corn. Tac.

GELLII incest[redacted] Catullus suis infamat uersibus:

> Nascatur magus ex Gelli matris[redacted]nefando
> [redacted] Coniugio, & discat Persicum haruspicium.
> Nam magus ex matre & gnato gignatur oportet,
> Si uera est Persarum impia religio,
> Nat[redacted]cepto ueneretur carmine [redacted]uos,
> [redacted]mentum in flamma pingu[redacted]

In AMIANVM, Martialis [redacted] lib. 2. sic debac[redacted]

> O quàm blandus es, Amiane, matri:

[redacted]

> Quàm blanda est tibi mater Amiane:
> Fratrem te uocat, & soror uocatur.
> [redacted] nomina nequiora tangunt?
> Quare non iuuat hoc, quod estis, esse?
> Lusum creditis hoc iocumq;? non est.
> Mater quæ cupit esse se sororem,
> [redacted] matrem [redacted]at esse, nec sororem.

Priuignus cum Nouerca, cum Pellice Patris.

RVBEN Balam concubinam Iacobi patris (erat autẽ illa ancilla Rachelis uxoris) constuprauit. Gen. 35.

Ex Oenone & Alexandro puer natus est CORYTHVS. Is auxiliarius ad Ilium profectus, Helenam amare cœpit: atq; illa ipsum uicissim ualde amanter amplexa est: erat enim forma pulcerrimus. Deprehensum pater occidit. Nicander Helenes & Alexandri filium facit. Parthen. in Erot. c. 34.

PHOENIX Amyntoris F. cum pellice patris rem habuit, persuasus à matre hoc facere, uti pellex contubernio filij delinita, senem odio prosequeretur. Iliad. ι. A patre seuerè reprehensus, parũ abfuit, quin eum interfeceerit. Quos tamẽ uersus Aristarchus ex Iliade sustulit, uti Plut. in lib. πῶς δεῖ ποιημάτων ἀκούειν, testatur.

ANCHEMOLVS filius Rheti, Marrhubiorum regis, nouercam suam Casperiam stuprauit. Virg. lib. 10. Aen.

> Hinc Sthelenum petit, & Rheti de gente uetusta
> Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.

SCYTHES rex Scytharum, Opæam nouercam duxit in matrimonium. Herodotus.

OCHVS rex Persarum, cum Atossa sorore eademq; patris uxore rem habuit. Plut. in Artoxerxe.

ANTIOCHVS Soter, rex Syriæ, quum Stratonicem nouercã impatienter deperiret, indulgẽtia patris obtinuit eã. Volat.

ANTONINVS Caracalla Imp. quum Iuliam nouercam impotenti amore deperiret, & illa quasi per imprudentiã corpus magna ex parte nudasset, pulcritudine illius allectus: O quàm uellem, inquit, si liceret. Quibus uerbis ostendebat, se eius concubitũ appetere. Tum illa: Si libet, licet, respondit. Leges dat Imperator, non accipit. Quibus uerbis audacior factus, nouercam ipsam sibi copulauit, cuius filium Getam paulo ante interfecerat. Cognita Antonini morte, Antiochiæ seipsam interemit. Sextus Aurelius, & Aelius Spartianus.

CRISPVM Constantini Imp. ex Mineruina concubina F. Fausta nouerca de stupro interpellauit, renuentẽ adolescẽtẽ ad [redacted] inferre uoluissẽ, mentita. Cõstantinus credulus filiũ Polæ in Histria interfecit. Tandẽ scelere deprehenso, & ipsa Fausta à Constantino marito, in ardentes balneas coniecta, extincta est. Auentinus lib. 2. Annaliũ Boiorum.

Gener cum Socru: Socer cum Nuru: Pater cum filii Pellice.

THAMAR cùm uideret Selam iam adoleuisse, neq; tamẽ Iudam socerum (cuius duos filios Erem & Onanim maritos habuerat) Selam filium sibi iungere, qui fratrib. defunctis semẽ excitaret, ꝗ uereretur, ne & illi moreretur: habitu meretricio in uia, qua itur Thamnam, sedens, Iudæ prætereunti sese ꝓstituit, & arrhabonis loco, ab eo accipit anulũ, uittam & baculũ, donec hircum ei domũ mitteret. Tribus pòst mensibus, cùm Iudæ nunciaretur, Thamarem esse pregnantem, Iudas igni cremandã præcipiebat. Arrhabonẽ illa ostẽdens, præsenti sese periculo liberat, & perfidiam Iudæ coarguit, qui sibi Selam ex pacto non copulasset. Gen. 38.

Post fugam è Græcia XERXES rex Persarũ Sardibus agens, adamabat uxorẽ Masistis fratris sui. Ea cùm potiri nõ posset, huc euasit, ut filio suo Dario in matrimonium daret Artayntam filiam Masistis: existimans hoc pacto se cõmodiùs matre potiturum. Celebratis nuptiis Susa profectus est. Eò postquam peruenit, & uxorem Dario domum duxit, ita demum ab uxoris Masistis amore cessauit, adamata nuru, Masistis filia. Qui incestus patefactus est, hũc in modum. Amestris uxor Xerxis amiculũ, quod ipsa texuerat, grande, uariũ & spectatu dignum, uiro donauit. Quo ille amictus ad Artayntam se confert, atq; ubi se oblectauit cum ea, iussit à se peterẽ mulierẽ quæcunq; optaret. Mulier intrepidè amictũ popościt. Xerxes recusare, ueritus Amestrim, ne sic illa rem, quæ agebatur, iampridẽ suspicata, deprehenderet: offerre ei & urbes, & immensam uim auri, & copias militũ, quibus neminem præter illam esset præfecturus. Eximiũ autem donum est apud Persas, exercitu donari. Verùm cùm non posset persuaderi mulier, amiculũ dedit. Quo dono illa supra modum læta, eo gestando gestiebat. Amestris ubi mulierẽ habere amiculum sensit, non in puellam concepit odium, sed in illius matrem, quã huius rei auctorem esse falsò credebat. Obseruato itaq; tempore, quo uir suus Xerxes regalem instrueret cœnã, quæ cœna semel quotãnis eo die, quo

rex creatus est, instruebatur (cœnæ autem nomē Persicè Tycta, Græcè τέλειον, id est, perfecta: in qua rex solum caput ornatur, Persasq; strenis donat) à Xerxe petiit, ut se Masistis uxore donaret. Xerxes id indignum factu nefariumq; arbitrari, uxorem germani dono dari, eamq; insontem negotij illius, cuius causa uxor sua eam flagitaret, profiteri. Tandem precibus uictus & instituto, quo nefas est, regia cœna pro[illegible]antem non exorari, inuitus admodum annuit, trāditq; uxori, ac iubens facere, quod liberet, Masistam fratrē ad se accersiuit, & blandis uerbis persuadere conatus est, ut uxorem missam faceret, daturum sese illi filiam suam in matrimonium. Quod cùm Masistes facere recusaret, ut qui uxorem suam summoperè diligeret, Xerxes grauia minantē reliquit, his uerbis: Nondum, Domine, interemisti. Interea Amestris accitis carnificibus uxorem Masistæ excarnificat, mammillas præcidit, easq; canibus abiicit, præcidit nares, aures, labra, linguam, atq; ita excarnificatam remittit domum. Masistes, ubi mutilatam uxorem uidit, inito cum liberis consilio, abiit Bactra, prouinciā Bactrianam cum Sacis ad defectionem inducturus. Etenim præses erat Bactriorū, & à prouincialibus diligebatur. Sed Xerxes missis copiis, & ipsum, & liberos, & copias in itinere trucidauit. Herod. li. 9.

DEMETRIVS minor Antigoni F. Macedoniæ rex, Ptolemæi Aegyptiorum regis filiam Berenicen uxorem duxerat. Ptolemæo mortuo, in Arsinoen socrum conuersus, cum ea stuprum haud multo pòst fecit. Longa deinde consuetudine mulieri addictus, omnium in se odia conuertit. Milites incestum detestati, in Ptolemæi filium fauorem conuertunt. Postremò eò processit militare odium, ut in Arsinoes complexu sit Demetrius à militibus confossus, à Berenice uxore, ut creditur, immissis. Audita certè est uox eius præcipientis, uti matri parceretur: atq; ita illa domesticum stuprū ulta dicitur, incolumi pietate, & in matrimonio sortiendo secuta patris iudicium, Magæ Cyrenarum regis F. suo patrueli nupsit. Sab. lib. 9. Enn. 4.

Emanuel regis Colchorum (qui & Trapezuntis Imp.) filiā uiduam duxit, quæ fuerat Zetinis Turcorum cuiusdam ducis uxor, forma supra modum uenusta. Quam cùm Byzantiū è Colchide adduxisset, uidens eam pater IOANNES Græcorum Imp. forma præditam excellenti, nec non aliis excellere, quæ in muliere dicuntur bona, non dubitauit eam auferre filio, sibiq; connubio iungere, licèt ita afflictus esset podagra, ut ne quidem erectus stare posset. Chalcocond. li. 2.

HENRICVS II. Anglorum rex, Adelam Ludouici Gallorū regis filiam iampridem Ricardo filio desponsam, quam ipse penes se ad spem coniugij seruabat, [redacted] illecebris ad stuprum sollicitauit, atq; eius, uti rumor erat, uirginitatem uiolauit, & Ricardo filio eam sibi iam in matrimoniū dari petenti, amator senex multa excusando, multumq; procrastinando, tradere negabat: statuerat enim, facto cum Aleonora diuortio, eam uxorem ducere, atq; illa affinitate cum Gallo fretus, si ex Adela liberos susciperet, filios ex Aleonora genitos abdicare. At Ricardus patri supra modum iratus, ad Philippum Francorum regem Adelæ fratrem se contulit, quem non multo pòst Ioannes frater secutus est, maximaq; pars militum cum illis ad hostē defecit. Quæ res tantum doloris Henrico iussit, ut statim pòst ex mœrore animi ægrotare cœperit, neq; multo pòst mortem obierit. Tunc Ricardus facto cum Philippo rege fœdere, loca, quæ pater dudū amiserat, cuncta recepit, unà cum Adela. Quam tamen, ob suspicionem uiolatæ uirginitatis, non multo pòst repudiauit, ac cum dote, multisq; munerib. locupletatam, domum remisit. Polyd. lib. 13. & 14. & Lud. Viues de Officio mariti.

BORSIVS Ferrariæ princeps mulierem à filio notho adamatam forma insigni per uim compressit. Nec multo pòst Ciliola Francisci Carrariensis F. quæ Borsio nupserat, amore priuigni ardens, opera parasiti, Borsij iniuriam filio illatam hac sola ratione uindicari posse censentis, sibi conciliauit. Borsius ancillæ indicio deprehensis incestuosis, securi ambos feriri iussit. Anno MCCCC. Chalcocondylas lib. 6.

Soror cum Fratre.

AMNON filius Dauidis, Thamarem sororem suam longè speciosissimā, per uim, simulato morbo, cōstuprauit. 2 Reg. 13.

IVPITER ut Iunone uirgine potiretur, in mōte Thronace dicto, qui est in Peloponneso, uia quæ Helicen ducit, se in cuculum mutauit, quem puella tanquam ludicrum captauit. Hinc monti nomen datum, ut pro Thronace Coccyx diceretur, & in eius uertice Coccygij Iouis templum, in altero Iunonis dedicatum. Quinetiam propè Mycenas in Iunonis fano deæ signum Polycletus fecit ex ebore, altera manu punicum malum, altera sceptrum, cui cuculus auis insidet, tenentis. Pausanias in Corinth.

Cererem Saturni & Opis filiam, sororemq; Plutonis & Iouis & Iunonis fuisse, memoriæ prodidit Hesiodus in Theogonia. IVPITER eam compressit. Nata est inde Proserpina. Cùm NEPTVNVS etiam alter è fratribus eandem cōpressisset, filiam suscepit, quam nefas erat apud Græcos nominare: quam tamen & ipsam & Cererem Heras quidam appellarunt, ut scriptum reliquit Pausanias in Arcadicis. Fuerunt tamen, qui non Heram, sed equum è Cerere natum dixerint: quare fabulati sunt, quòd Ceres ob equum à se genitum, partim ob iram in Neptunum, partim ob pudorem, nigras uestes sumserit eo tempore, atq; lucem deorumque conspectum fugiens, se in specum obscurissimum abdiderit. Deinde cùm omnes terræ fructus corrumperentur, pestisq; passim homines & animalia conficeret, diis omnibus Cereris latebras ignorantibus, Pan, cùm per Arcadiam uenando uagaretur, illam uidit, ac Ioui indicauit. Illic à Parcis placata est. Natalis Comes Mythologiæ lib. 5. c. 14.

Fabulantur poetę NEREVM maris deum iacuisse cum Dori de sorore, & ex ea suscepisse Nymphas, quas Nereides uocant. Rauisius.

DIMOETAS ambiit Trœzenis fratris filiā Euopin. Quū autem perciperet ipsam cū fratre rē habere, indicauit id Trœzeni. Illa ob timorem & pudorem seipsam suspendit: multa mala priùs imprecata ei, qui huius calamitatis sibi fuisset causa. Nec multo tempore pòst Dimœtes in mulierculam quandam incidit specie ualde pulcram, à marinis fluctibus eiectam, atq; cum ea cupidè penitùs congressus est. Cuius corpus quum ob longum situm marcesceret, ingentē eitumulum extruxit: atq; quum ne sic quidem remitteret dolor, insuper seipsum mactauit. Parthenius de Amatoriis capite 31. ex Philarcho.

LEVCIPPVS Xanthij filius, genus à Bellerophonte ducens, omnes sui temporis robore longè superabat. Ille ex indignatione Veneris in amorem incidit sororis suæ, matri supplicans, ne se contemneret pereuntem. Ea puellam condormire fecit fratri. Sponsus puellę re cognita, parente suo adsumto unà cum quibusdam aliis amicis, adiit Xanthium, ac factum ei indicat, nomen tamen non reuelans Leucippi. Xanthius diligentiam adhibebat, ut filiæ corruptorē deprehenderet. Cumq; ad thalamum perductus esset ubi cōcumbebant, puella exiliit per fores, ipse latendi ingrediens. At pater ipsam opinatus corruptorem esse, machæra transuerberauit. Leucippus pię mentis turbatione non præuidens quem peteret, occidit parentē. Ob eam causam relicta Thessalis domo, in Cretam abiit. Inde ab incolis expulsus, in Ephesiam peruenit, ubi regionem occupauit nomine Cretinæam. Captus autem est & ipse postea ex uaticinio, ab his qui missi erant ex Pheris ab Admeto. Idem cap. 5.

HYPERMNESTRA concubitum fratris (quem deperibat) nocturno tempore assecuta est. Ouid. in Ibin:

> Quæq; sui uenerem iunxit cum fratre mariti
> Locris in ancillæ dissimulata necem.

BIBLIS, Mileti & Eidotheæ, uel Cyaneæ Cau um regis F. multis procis spretis, infando amore Caunum fratrem deperiit cepit. Cùm indies magis urgeret malus genius, noctu ad proximum digressa montē, sese præcipitare uoluit. At Nymphæ misertæ eam detinuerunt: multoq; incusso somno, de mortali immortalem fecerunt, Biblidem Nympham Hamadryadem nominantes, inq; suum sodalitiū & contubernium adsciuerunt. Liquor qui è saxo illo destillat, ab incolis appellatur lacruma Biblidis. Antoninus Liberalis ex lib. 2. alterationum Nicandri. Ouid. lib. 9. Metam. Caunum adamatum à sorore ad incestum usq; narrat, cuius pœnitentia postea se interfecerit illa. Alij ante congressum solum uetitisse aiunt, & ad Lelegas penetrasse, ibiq; ex suo nomine Caunū urbem ædificasse: Biblidem baltheo sese à quercu suspendisse, ex cuius lacrymis fons Biblidos nomine scaturierit. Parthen. in Erot. cap. 11.

MACAREVS Aeoli Thuscorū regis filius, amore sororis captus, eam uiolauit. Pater re cognita filiæ mittit ensem, quo accepto necem sibi consciuit: idemq; paulo pòst Macareus fecit. Sostratus lib. 2. rerum Tuscanicarum, ut Plut. cap. 28. Parall. refert.

BIBLIS Caunum fratrem impotenter adamauit, à quo cùm esset repu[redacted]em consciuit. Ouid.

> Biblis [redacted]t, ut amens [redacted] fessa puellæ.

Hinc Caunius amor [redacted] ubi quis ea desideraret, quæ [redacted] ere, neq; liceret assequi. Erasmus in Adag.

Apud SABÆOS regis filia eleganti erat forma, quindecimq; illi fratres: quorum singuli unius amore misera deperibant. Quum unus post alium ad eam irrequieto accessu uenirent, nec puella una par esset tot robustissimorum i[redacted] concubitibus, rem nouam commenta dicitur: baculos occultè comparat fraternis simillimos: inde quum eorum unus ab se exiret, priusquam alius adesset, [redacted] ac paulo pòst aliam, noua insuper arte adhibita, [redacted] quæ sinistre esset: huic quum is gestaret, cuius aduentum expectabat. Accidit tamen aliquando, [redacted]

ut eorum unus cæteros fratres in foro conspicatus ad eam contenderit. Qui domesticum insigne ante fores intuitus, fraudem inesse ratus, adulterumq; à sorore eo prętextu admissum, in forum ad patrem deuolat, filiā in adulteri complexibus esse, trepidè nunciat: ait se rem ex eo compertā habere, quòd quum omnes in foro fratres essent, sororis tamen foribus baculus hæreret, tanquā fratrum unus ad eam esset ingressus. Occurrit eò pater irarum plenus, scelus continuò uindicaturus. Verùm nemine apud filiam reperto, posteaquam puellæ commētum audiuit, tantum abfuit, ut in filiam ob eam causam acerbius quicquā statuerit, ut laudata super ea re illius industria indolem sit in ea identidem osculatus. Sabell. lib. 3. Ennead. 1.

Cùm antehac Persæ sorores in matrimonium accipere nequaquam consueuissent, CAMBYSES rex minoris natu sororum amore captus, cupidusq; deinde ducendi illam uxorē, ne propter rei insolentiam malè audiret, accersit eos qui regij iudices nominantur. Fiunt autem delecti ex Persis uiri: suntq; perpetui, nisi delicti alicuius comperti fuerint. Isti apud Persas ius dicunt, & legum patriarum sunt interpretes, & ad eos omnia referuntur. Hos Cambyses percontatur, num qua lex sit, quæ sinat uolentem cum sorore contrahere matrimonium. Iudices negant ullam se inuenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem: quandam tamen inueniri legem, qua liceat regi Persarum facere quicquid libeat. Ita neq; legem abrogarunt, metu Cambysis: & ne legem tuentes ipsi perirent, aliam inuenerunt, adiutricem eius qui sororem in matrimonium ducere uelit. Tunc itaq; Cambyses eam accepit uxorem. Aliquanto pòst & alteram, natu maiorem, Atossam nomine. Herod. lib. 3.

DARIVS Statyram, iisdem genitam parentibus, connubio sibiipsi iunxit. Alex. lib. 1. c. 24.

OLYMPIAS Pyrrhi Epirotarum regis filia, fratris coniugio potita est. Idem.

PTOLEMÆVS Aegypti rex, ut sororis suæ, quam ardentissimo amore deperibat, cōiugium sortiretur, passim fratrum & sororum matrimonia permisit. Alex. lib. 1. c. 24. EVERGETES Berenicen, PHILADELPHVS Arsinoen sororem duxit. At qua fronte, Theocritus Eidillio 17. Ptolemæi incestū laudare potuit?

CLEOPATRA à fratre (quem pro marito habebat) polluta est. Vnde Lucanus lib. 10.

> Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.

CIMONIS Miltiadis F. adolescentia famosa fuit, quasi sorori suæ Elpenicæ illuderet. Siquidem referunt nec aliàs omninò fuisse Elpenicen pudicam, sed & pictori se Polygnoto subiecisse. Sunt, qui Elpenicen non clàm cum Cimone, sed apertè ferant contractis nuptiis ut uxorem, habitasse: quod sponsum pro generis dignitate non inueniret ob inopiam. Vbi uerò Callias, qui Athenis inter locupletes erat, eius amore captus obtulit patris eius mulctam dissoluere, illam accepisse conditionem, ac Cimonem Calliæ Elpenicen despondisse. Plut. in Cimone. Neq; uerò sororū coniugia Græcorum legibus permissa fuēre, teste Plut. in Artoxerxe, & Artemidoro lib. 5. Onirocrit. Fallitur ergo Aemilius Probus, qui Cimoni id turpe fuisse negat, apud Cælium lib. 18. c. 18. Antiq. lect.

Tuscorū rex Aeolus habuit ex Amphithea filias sex, totidémque stirpis uirilis. Quorum MACAREVS natu minimus ex amore stuprum intulit uni, quæ partum concepit. Vnde detecta, cùm pater ei gladium misisset, damnauit seipsam sceleris, ac sibimet ipsa mortem intulit. Idem fecit Macareus: ut Sostratus scribit lib. 2. de Rebus Tuscorum. Plut. in Græcor. & Rom. comparat.

Papyrius Volucer, qui in matrimonio Iuliam Pulcram habebat, sustulit ex ea filias sex & totidem filios. Horum ætate maximus PAPYRIVS Romanus sororem Canuliā, cuius amore flagrabat, grauidā fecit. Id ubi resciuit pater, ensem filiæ misit, quæ semetipsam morte affecit. Quam imitatus est Romanus. Ita Sostratus lib. 2. rer. Ital. Idem.

P. CLODIVS frater Clodiæ uxoris Luculli, cum lasciuissima muliere stupri consuetudinem habu[redacted] Lucullus Clodiam repudiauit[redacted] in Lucullo. [redacted]

C. Cæsar [redacted] omnibus sororib. suis stupri consuetudinem fecit, plenoq; conuiuio singulas infra se uicissim collocabat, uxore [redacted] cubante. Ex his Drusillam uitiasse uirginem, prætextatus adhuc creditur: atq; etiam in concubitu [redacted] quondam deprehensus ab auia Antonia, apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino [redacted]lari collocatam abduxit, & in modū iustæ uxoris pro [redacted] habuit. Hæredem quoq; bonorum, atq; Imperij æger instituit. Eadem defuncta, iustitium indixit: in quo risisse, lauisse, [redacted] cum parentibus, aut coniuge, liberisue, capitale fuit. Ac mœroris impatiens [redacted] repentè noctuq; profugisset ab urbe, transcurrissetq; Campa[redacted] petiit: rursusq; inde properè rediit, barba capilloq; promisso. Nec unquam postea quantiscunq; de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per nomen Drusillæ deierauit. Reliquas sorores, nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, ut quas sæpè exoletis suis prostrauerit. Quò facilius eas in causa Aemilij Lepidi cōdemnauit, quasi adulteras, & insidiarum aduersus se conscias. Nec solùm chirographa omnium requisita fraude ac stupro diuulgauit, sed & tres gladios in necem suam præparatos Marti ultori, addito elogio, consecrauit. Suetonius.

M. ANTONINVS Imp. consuetudinem ueneris habuisse dicitur cum Faustina sorore, ex qua & Lucillam genuit, quā L. Antonino fratri copulauit.

COMMODVS Imperator sorores constuprauit, suasq; concubinas uidens ac uolens ab amicis constuprari passus est. Lampridius.

Martialis scribens ad Fabullū lib. 12. arguit THEMISONEM quendam incestus cum sorore, ubi ait:

> Quare non habeat, Fabulle, quæris,
> Vxorem Themison? Habet sororem.

MAXIMIANVS Herculeus Imp. ardens libidine, cum duab. sororibus rem habuisse creditur. Cuspinianus.

IOANNES Comes Armeniacus (Pontanus de Obedo uocat Arminensem) falso diplomate pontificio edito, ut ius sibi fasq; esset sororem germanam in matrimoniū ducere, eam sibi incesto thoro iunxit: propterea aqua igniq; illi interdictum. Eum Ludouicus XI. Gallorum rex acie uictum fortunis uitaq; exuit. Aemilius lib. 10. & Fulg. lib. 9. c. 1.

In Britanniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, IACOBVS rex, eius gentis appellatione Genis dictus, publicè quidem matrimonia non contraxit cum duabus sororibus, maritalia tamen iura cum eis exercuit. Fulg. & Egnat. lib. 9. c. 1.

Cum Nepotibus, Neptibus, Patruis, Auunculis, Patruelibus, Consobrinis, quibuslibet deniq; Cognatis, Consanguineis.

MAON Cumanus, cùm tutor esset Critheidis à patre Atelle fratre suo constitutæ, uitium uirgini obtulit, & inde regendi sceleris gratia Phemio ludimagistro Smyrnæo puellam grauidam obtrusit, quæ non multo pòst Homerum diuinū poetam ad Meleten fluuium peperit, unde Melesigenes primum, inde propter amissum uisum Homerus fuit dictus. Plut. in eius uita.

XERXES post fugā è Gręcia, data filio suo Dario in uxorem, Artaynta Masistis fratris sui filia, ut commodiùs potiretur uxore Masistis quam adamabat, ubi uxorem Dario domū duxit, adamata nuru, ab uxoris Masistis amore cessauit. Qui incestus per amiculum, quod ab Amestri uxore dono acceptum, Artayntæ petenti dono dederat, patefactus est. Herod. libro nono.

AMVLIVS rex Albanus Rheæ Syluiæ nepti, Vestali uirgini in Martis luco stuprum offert, ex quo gemelli Romulus & Remus orti sunt. Sab. lib. 2. Enn. 2. ex Liuio, & Strabo lib. 5.

Superduxit CLAVDIVS Imp. Messalinę Agrippinam Germanici fratris sui filiam, nec cessauit omni oratione filiam & alumnam, & in gremio suo natam atq; educatam prædicare. Suetonius. Hanc à se incestatam, suis ad stuprum exoletis subiecisse fertur, mox uerò ut insidiarū aduersus se consciam relegauit. Nupserat Agrippina primò Domitio Neroni, ex quo Neronem, qui post Claudium imperauit, enixa est. Auditam ferunt eius uiri uocem, qui nunciato uxoris puerperio, nihil ex se & Agrippina nisi infelix & perniciosum gigni potuisse testatus est. Sed in Claudio tanta fuit uæcordia, ut quum contra patrium morem fratris sui filiam matrimonio sibi iungeret, deq; ea re pro concione ageret, illam identidem filiam appellauerit, suo gremio natam prædicans, atq; a se educatam. Eius illecebris captus, Neronem priuignum adoptauit, quum Britannicum haberet ex Messalina genitum, & iam adolescere incipientem, cui detestabili facto adiecit & stolidum dictum, Neminem unquā per adoptionem Claudiæ fuisse genti insertū. Sab. l. 2. En. 7.

DOMITIANVS Imp. Iuliam Titi fratris filiam adhuc uirginem oblatam in matrimonium sibi, cùm deuictus Domitię nuptiis pertinacissimè recusasset, non multo pòst alij collocatam, ultrò corrupit: & quidem uiuo etiā tum Tito. Mox patre ac uiro orbatam, ardentissimè palamq; dilexit: ut etiam causa mortis extiterit, coactæ conceptum à se abigere. Suetonius. Hinc Iuuenalis:

> Quum tot abortiuis fœcundam Iulia uuluam
> Solueret, & patruo similes effunderet offas.

AVFILENA quędam proscinditur à Catullo, quòd è patruo genuisset liberos:

> Aufilena, uiro contentam uiuere solo
> Nuptarum laus est laudibus eximiis.
> Sed cuiuis quamuis potiùs succumbere fas est,
> Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

HERACLIVS Imp. post obitum primæ uxoris Fabiæ Eudociæ, alteram duxit, Martinā filiam fratris: ex qua genuit Heraclonam & Dauidem, lata lege, ut idem omnibus liceret. Sed graues postmodū pœnas dedit. Hydropicus enim obiit: & priapismo tam crudeli uexatus est, ut quoties meieret, ne uultum lotio conspergeret, tabula umbilico admoueretur. Martina quoq; paulo pòst execta lingua, cum filio Heraclona (cui facies mutilata fuit) in exilium relegatá est, quia Constantinum Heraclij filium spe imperij ueneno sustulisset. Cuspinianus in Heraclio.

Cùm Basiliscus Imp. HARMATO, ut cognato, liberum aditum ad Zenonidem uxorem permitteret: cùm diutiùs consuetudo duraret, amboq; forma insigni essent, deperire inter se cœperūt. Cùm uerò animos suos Danieli eunucho, & Mariæ obstetrici aperuissent: uix iis medicati sunt lenocinio. Tandem Onoulus quidā Barbarus Zenonis iussu eum interfecit, quem ipse Comitem fecerat, deinde præfectū Illyriorum, & ad conuiuia multo argento instruxerat. Suidas.

ANDRONICVS Comnenus, qui necato Alexio Porphyrogenito, Emanuelis Comneni F. imperium arripuit, ob incestum cum Theodora Emanuelis Imp. patruelis sui filia carceri mancipatus, reconciliatus inde Imp. reique præfectus bellicæ, cùm Philippam Antiocheni principis filiam, cuius sororem coniugem habebat Emanuel, in sui amorem pellexisset, Imperatoris odium denuò incurrit, & ut insidias euitaret, Hierosolymā uenit. Sed cùm Aegyptio bello rex Hierosolymorum occuparetur, & Andronicus suo comitatu hostibus Palæstinæ terrorem incussisset, eum rex domū reuersus Berythensi donauit urbe. Sed pòst Theodoram Balduini Franci, qui toti Palæstinæ nuper imperarat, uiduam, Isaacij Sebastocratoris filiā incestault, eaq; ex Anconensi urbe, quā ex mariti donatione tenebat, abducta, ad Sultanum se contulit. Perpetrata Alexij nece, Alexij nuptam, undecim annorum puellam, quæ Francorū regis filia erat, incestuosis nuptiis sibi adiunxit. Tyrius lib. 20. cap. 2. de Bello sacro. Nicetas lib. 4. de gestis Manuelis.

ANDRONICVS Cōnenus, Imp. patruelis (nam eodē patre Alexio, Ioannes Manuelis, & Andronici pater Isaacius Sebastocrator, nati erant) Eudociæ uiduæ (quæ & ipsa fratrē Manuelis Imp. Andronicum patrem habebat) nefaria consuetudine palàm utebatur. Quoties uerò reprehēdebatur, hanc defensionē in promtu habebat: Solere subditos principum mores imitari, & aquam ex eodem fonte petitā, eundem saporem referre. Quibus uerbis Imp. Manuelem perstringebat, ut iisdem aut etiam deterioribus affectibus obnoxium: qui cum fratris filia nepte sua rem haberet, quūuis ipse patruelis duntaxat filiam cōplecteretur. Nicetas Choniates libro tertio.

THEODERICVS Gallorum rex, qui consilio Brunechildis sese sanguine Theodeberti inquinarat proprij fratris, cùm pacatis rebus, neptem ex fratre occiso reliquā in matrimonium ducere uellet, obstitit Brunechildis, dictitans, Incestū esse connubium, quod cum fratris filia contraheretur. Illud ægrè ferens Theodericus, cùm antea sibi ab eadem persuasum esset, Theodebertum non suum germanū, sed ex adulterino concubitu prognatum fuisse: cum impetu in eam irruit, gladio uolens traiicere. Illa pòst ueneno eum sustulit. Tritenhemius de regib. Francorū, Robertus Gaguinus li. 2.

EDVINVS Anglorum rex dictus, eodem die cōsanguineam suam, uxorem cuiusdam nobilis uiri, inuitā stuprauit, idq; fermè propalàm, brutorum more, sic ut fama sceleris breui per omnē Angliam peruaserit. Cùm Dunstanus, abbas Glasconiensis eum amicè reprehenderet, rex scelus scelere cumulando, illum protinus ablegauit. Northumbri & Mercij regis uitia horrentes defecerunt, Edgarumq; fratrem regē renunciarunt. Ea res tantum Eduino inussit doloris, ut citò deinde perierit, post annum IV quàm regnare cœperat. Polydorus libro 6.

RICARDVS III. Anglorum rex, Elizabethā Edouardi IV. F neptem suam duxit. Sed puella incestum execrāte, ille ab Henrico Richemondiæ comite in acie priùs cæsus est, quā libidini suæ satisfaceret. Idem lib. 25.

HIPPOLYTVS Estensis Cardinalis, cognatæ incesto amore flagrās, Iulium fratrem spurium oculis priuauit, quòd ipsa se ad Iulij amorem ipsius oculorum pulcritudine accendi Hippolyto fassa esset. Guicciard. lib. 6. & 7.

Cum Mariti fratre, Vxoris sorore, quibuslibet deniq; Affinibus.

HERODES Antipas, Magni F. tetrarcha, Romam iter faciens, diuertit ad Herodem fratrē. Huius uxoris Herodiadis amore captus, cōuenit inter eos, ut quamprimùm ille Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium. Iosephus lib. 18. c. 7. Antiq.

ARCHELAVS Herodis F. Iudeæ rex, contemto more patrio, Glaphyram Archelai regis filiam, olim Alexandri fratris sui coniugem, & liberorum ex illo susceptorum matrem, duxit: quamuis Iudæi lege uetentur fratrum uxores ducere. Iosephus lib. 17. cap. 15.

THYESTES Atrei fratris uxorem constuprauit, & stupri precium ab ea tulit aurei uelleris agnum. Quam ob causam sepulcro Thyestæ aries è marmore impositus spectatur in Argiuorum finibus. Paus. in Corinth.

TEREVS Martis & Nymphæ Bistonidis filius, Pandionis Athenarum regis & Zeuxippes filiam Prognem uxorem duxit, cùm ipse Thraciæ & Phocidi imperaret. Precibus Prognes impulsus, ad socerum Pandionem contendit, illumq; rogauit, ut secum Philomelam ad uisendam sororem mitteret. In itinere ad Parnassi urbem Daulidem, Philomelā uitiauit: & ne illa tam turpe facinus sorori indicaret, linguā præcidit, mortuamq; in itinere, sorori Progne nūciauit. Philomela rem clàm per nuncios suo sanguine scriptam ad sororem misit, uel potiùs, ut sensit Nicocrates, & Ouid. lib. 6. Metamorph. acu pictam ad illam clàm deferendā curauit. Progne filium Itym unicum coctum epulandū patri apposuit: & cùm Tereus Itym uocaret, extremas corporis partes eidem ostendit. Tereus ad stringendū ensem accurrit, ut eadem filij ulcisceretur. Deorum consilio Progne in lusciniā conuersa est, ut celerior ad fugam efficeretur: Tereus in upupam, Philomela in hirundinem, Itys in phasianum. Hæc in Thracia iuxta Daulim oppidum contigerunt. Strabo lib. 9. Paus. in Phocicis. N. Comes lib. 7. c. 10.

L. TARQVINIVS fratris Aruntis uxorem, eandemq; uxoris defunctæ sororem, duxit. Sab. lib. 5. En. 2.

M. CRASSVS Romanorum ditissimus, uno è fratribus mortuo, illius uxori congressus est, & ex ea filios aliquot procreauit. Auctor Plutarchus.

CONSTANTINVS Monomachus, mortua secunda uxore, & ducta Zoe uidua Michaelis Paphlagonis, simul etiam Hebræ nepti ex fratre uxoris suæ conuixit: primùm quidem clàm, postea uerò palàm sine rubore. Hæc enim cùm annis iunior esset, formaque eximia & genere illustri, utpote de Sclerorum prosapia, eum in exilium à Michaele Paphlagone eiectum sequuta est, spe principatus, qui illi à quibusdā uaticinabatur. Imperio ergo potitus, Zoen reginam precatur, ut hæc mulier Mitylenis reuocetur. Quod nō renuit regina: quæ iam ob ingrauescentem ætatem decrepita, zelotypiā abiecerat, moderatior longa ætate & experientia facta. Eam Constantinus posito pudore, ut coniugem depetibat, & in aula conuictricē habebat, regina consentiente Sæpe inter ambas in medio prandebat Imperator, quandoq; dominam, quandoq; reginam uocabat. Nec Zoe Imperatorem adiit sola, nisi eam abesse certò sciret. Cusp. ex Zonara.

VALDEMARVS Suconum & Gothorum rex, Iutham Danorum regis F. Sophiæ uxoris suę sororē constuprauit, & prolem ex ea susceptt. Io. Magnus lib. 19. c. 21.

PHILIPPVS frater Alfonsi X Hispaniæ regis, Christianā Daciæ regis filiam & fratris sui uxorem sibi per uim copulauit, spreta religione, ac sacerdotio, quum esset abbas, & præsul Hispalensis. Rauisius.

ADVLTERIA CVM VIRGINIBVS, VIDVIS, SCORTIS. MARITI QVI Virginum, matronarū, Viduarum, Scortorum amore insaniunt.

DAPHNIS pastor, quòd cum alia femina congressus esset, luminibus captus est: ut à Nympha prędictū ei fuerat. Suidas, & Volat. lib. 15. cap. j. Anthrop.

Seruius TAVRVM, ex quo Minotaurus, non bestiam, sed hominem fuisse narrat, seu notarium, seu magistrum militum Minois, cum quo Pasiphae in domo Dædali concubuit: & quoniam geminos peperit, unum de Minoe, alterū de Tauro, fingitur Minotaurum peperisse: quod Virg. exprimit dicens, Mistumq; genus, prolemq; biformem. Euripides media ex parte uirum, & media taurū fuisse arbitratus est. Plutarchus in Theseo Taurum hunc ducem copiarum Minois, siue nauali [illegible] gymnico certamine oppressum esse à These[illegible]inos non inuitus accepit. Nam erat Taurus homo sęuo & imm[illegible] cōstans, cum rem habere cum Pasiphae. Quocirca pueros omnes Atticos Minos Theseo redd[illegible] tributi nomine quotannis in Cretam mittebantur, & eo tributo Athenien. in posterum liberauit. Palephatus Parius Taurum adolescentem formosum fuisse scribit, Minois comitem: cuius amore capta Pasiphae cum eo cōcubuerit, unde natus sit infans[illegible] Minos, cùm tamen rem cognosceret, noluerit occidere, [illegible] trem filiorum suorum: cumq; adolesset, & se insolentiùs in pastores gereret, iussit eum rex comprehendi. Is uerò effodit locum subterraneum, in quo se est tutatus. Illuc deinde rex [illegible]ris alicuius conuictos, ut cū eo pugnarent. Locus erat inexpugnabilis. Ita supplicio afficiebantur damnati, ut iam locus uice esset carceris, & ille pro carnifice. Theseum hostē cùm cepisset Minos, eòdem inermem misit. Ariadne gladiū illi suggessit carcerē intranti, quo Minotaurum confecit. L. Viues in lib. 18. Aug. de Ciu. Dei c. 13.

Apud Persas regina multarū pellicum copiā perpetitur, quia REX uelut dominus imperat uxori, pellices seruiūt reginę, eamq; adorant. Sic etiā PRIAMVS multis utebatur mulieribus, neq; tamē grauiter id ferebat Hecuba. Inqt n. Priam⁹:

> Ter seni ex utero nati mihi, tresq; fuére,
> Hos alios peperêre domi mihi sed mulieres.

Athenæus libro 13. capite j.

Lacon cùm deprehendisset QVENDAM adulterum cum deformi muliere: Quæ tibi miser, inquit, necessitas fuit? Plutarchus in Laconicis.

C. IVL. Cæsar corrupit plurimas illustres feminas, Posthumiā Seruij Sulpitij, Lolliam Auli Gabinij, Tertulliam M. Crassi, & Cn. Pompeij Mutiam. Sed ante alias dilexit M. Bruti Seruiliam matrem, cui sexagies sestertiùm gemmam mercatus est. Corrupit quoq; Seruiliæ filiā Iuniam Tertiam, M. Crassi uxorem. Dilexit & reginas, ut Eunoen Mauram Bogudis uxorem: sed maximè Cleopatrā, cum qua & conuiuia in primam lucem sępe protraxit, & eadem naue thalamoq; penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit. Suetonius.

Exercuit AVGVSTVS adulteria cum Liuia: quā cùm grauidā reddidisset, tegendi sceleris causa, nuptias festinauit, ut obiecit Antonius. Abduxit & feminam consularem è triclinio, uiro coràm, quam rursus ad conuiuium rubentib. oculis & incomtiore capillo reduxit. Rem quoq; habuit cum Tertullia, Terentilla, Drusilla, Saluia. Idem.

TIBERIO Imp. propter stupra matronarū insidiæ multæ fuerunt paratę in cōuiuiis & cōcubitib. Xiphilinus in Claudio.

Catonis Vticensis FILIVS, in Cappadocia diuersatus apud quendam ex familia regia cui uenusta erat uxor: quia diutiùs apud eum, quàm honestum foret, agebat, derisus est à scribentib. in eum hæc: Cras Cato discedet post XXX dies. &, Porcius & Marphadates amici duo, animus unus. Psyche enim nomen erat Marphadatis uxori, quod animum significat. Præterea: Generosus & egregius Cato regium ha[illegible]m. Plut. in Catone.

A[illegible] Cōstantini l. j. C. de concub. in urbe ROMANOS maritos quoq; concubinas habere potuisse, Hotom. in comm. Verb. iuris ostendit.

PIPINVS Magister equitum in Francia, spreta Plectrude coniuge, Alpaidem colebat. Id ausum culpare Lambertum episcopum Traiectēsem, Dodo pellicis frater interemit. Quod parricidium cōtinuò manifesta numinis ira, pœnaq; atrox insecuta est. Ille enim tineis toto corpore repentè scaturientibus, fœdo odore cruciatuq; uexatus, in Mosam per furorem rabiemq; se præcipitem dedit, Lamberto iam enitescēte multis diuinitatis signis. Aemilius lib. j.

CAROLVS Magnus Imp. præter quinq; uxores habuit IIX concubinas. Ex Mathalgardi suscepit filiam Rothildim: ex Gersuinda Saxone filiam: ex Adelthrudi regina Drogonem episcopum Metensem, & Hugonem: ex Adelinda Theodericum: ex Himeltrudi Pipinum gibbosum: ex Rachilde filiam Rothrudam: Luitperga & Leonia steriles fuerunt. Panuinius lib. 3. Imp.

CONSTANTINVS Monomachus, Habram Sclerenam nō modò in exilio, sed etiam in regno habuit: eamq; consentiente uxore Zoe in aulam adduxit. Zonaras Tom. 3.

PHILIPPVS Francorum rex, repudiata uxore Bertha, Fulconi cuidam ereptam coniugem Bertradam pro uxore habuit aliquot annos: donec à Romano pontifice cogeretur, ea dimissa, legitimam recipere. Aemil. lib. j.

SANDALES Illyriorum rex Florentinæ mulieris illecebris uictus, uxorem Lazari Despotæ F. negligebat. Hæc cum filio Ragusium profugit. Filius Turcorum armis patrem persecutus est. Chalcocondylas lib. 10.

PETRVS Castellæ & Legionis rex, filias tres ex Maria Padilla pellice genuit, unà cum filio nomine Alphonso. Hos sua auctoritate legitimos declarauit, iussitq; à populo eo loco haberi, ac si nothi non essent. Ex Blancha uxore filia ducis Borboniensis, nullos sustulit liberos, quam [illegible] iusta causa ab se ablegauit, quę non multo pòst mœrore confecta mortem obiit. Fama tamen tenet Blancham pellicis thori æmulæ odio concitatam donasse uitum cingulo, cui ille compertit uim inesse magicam, arte cuiusdam Iudæi insertā, & ob eam causam, reiectam. Quod factum à Petro fauorem auertit Francorum. Carolus V. Gallorum rex Henricum nothū Petri fratrem, uindictæ causa pulso Petro, in regnum induxit. Polydorus lib. 19.

ANDREAS Hungarus, cùm primùm esset Ioannæ Neapolitanæ reginæ thoro cōiunctus, germanam eius, uenustissimam puellam, quæ Duratij tenebat principatum, amās, furtim se illi coniunxit, grauidamque misit in regnum Hungariæ, ubi peperit filium Carolum, Duratium inde uocatum, qui pòst regnum occupauit, & Ioannem in carcere necauit. Regina zelotypa, & suam & sororis iniuriam ultura, maritum in palatio Auersæ noctu strangulari, & in hortos præcipitari curauit. Cranzius lib. 10. Metrop. c. 16.

GALEACIVS Sforcia Mediolani dux, cùm Caroli Vicecomitis, qui principis cubiculo adscriptus erat, sororem subigeret, eamq; cinædo cuidā suo fruendā dedisset: Carolo fratri occasionem dedit cū Hier. Olgiato & Andrea Lamponiano contra se conspirandi. Iouius in uita Galeacij.

Picenum, quā uulgò Marchiā uocāt, FRANCISCVS Sforcia Eugenio IV. Pontifici maximo, rebus Basiliēsibus occupato, ademerat. Interim capitur amore puellæ, quæ inter uirgines coniugi suæ seruiebat, Perpetua uocata, apud Nouarienses honestis parentibus orta, forma egregia, & ingenuis moribus, nisi potentis domini decepta blanditiis, uirginitatem cum adulterio permutasset. Hæc cùm iam paulatim intumesceret uterus, ad tegēdum facinus quæsito qui eam duceret uiro despondetur. Constituta nuptiarum die, sponsus in oppido (quod à Francisci curia non longè inhabitabat) lætus aduentum nouæ nuptæ præstolabatur. Ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingressa oppidum, cùm descendere in domum sponsi crederetur, iussa ulteriùs pergere, in arcem rapta est, nec ulteriùs infelici uiro uidendæ sponsæ copia fuit. Quod cùm Blanca, Francisci coniux, Philippi Mariæ Insubrū ducis F. cognouisset, submissis percussoribus, puellam interfecit. Franciscus licèt commotus, uxoris tamen iusto dolori ignouit. Aeneas Syl. c. 59. Europæ.

ERICVS rex Daniæ, multis uirtutibus, & præsertim comitate ornatus, plurimas habuit pellices, quas etiam uxor eius Batilda, ex diuersis locis accersitas, suis manib. comsit: & marito, ut eius fauorem sibi conciliaret, misit. Cranzius libro quinto Daniæ.

IOANNEM Andreæ Bononiensem iuris Canonici professorem & commentatorem celeberrimum, cum ancilla uxor deprehendit: &, Vbi nunc (ait) domine Ioannes, est sapientia uestra? Ille hoc unum dixit: In illa, loco admodū sapientiæ accommodato. Poggius in Facetiis.

RVTHENI pro adulterio non computant, si uir habens uxorem cum soluta concubuerit, excepta uxore alterius. Guagninus in descript. Moschouiæ.

STVPRA VIRGINIBVS ILLATA. PVDICITIÆ VIRGINVM INSIDIATORES. QVI Virgines constuprarunt, uel Vi, uel Volentes.

Exempla constupratarum Virginum ex legum instituto apud Barbaras quasdam gentes, pete ex Tit. Nuptiarum tempus.

Dina Iacobi patriarchæ F. unica, cùm ad spectandas Chananeas mulieres egressa esset, à SICHEMO Hemoris Heuęi, Sichemitarū principis F. rapta fuit & constuprata. Gen. 34.

Scriptum reliquit Pindarus in Pythionicis, Cyrenen cū Apolline uenari solitam, diutiùs uirginitatem seruasse. At ubi cū leone fuisset aliquādo colluctata, APOLLO in eius amorem incidit, illamq; in Libyam deportatam compressit, unde natus est Aristæus. Pherecydes, data illi optione, ut quò uellet ferretur, in Libyam portatam fuisse dicit: Agretas uerò in Cretam. N Comes lib. 5. c. 19.

Cùm ORION unà cum Diana uenaretur, illi uim inferre conatus est. At dea irata scorpium è terra excitauit, qui illum interemit. Horat. lib. 3. Carm. illum à Diana sagitta ictū scribit. N. Comes lib. 8.

Ledam cum IOVE in cygnum uerso concubuisse inquiunt. Cùm Ioues olim omnes reges dicerentur, & rex quidā Ledam non in mollibus stratis compressisset, sed apud Eurotā fluuium Lacedæmoniorum, cygnorū more, in locis humidis, locus datus est fabulæ, quòd Iupiter cygnus factus eā compressisset. N. Comes lib. 8. cap. 9.

Danaë Acrisij Argiuorū regis filia à patre in turrim inclusa, à IOVE in specie imbris aurei grauida facta, Perseum peperit. Ouid. in Metam.

Thespius (aliis Thestius) Atheniensis, Erechthei filius, imperans ei, quæ ab se denominata est, regioni, ex multis feminis filias genuit quinquaginta. HERCVLES puer adhuc, sed robore præstans corporis, cupiens ex eis prolem suscipere: uocato ad sacrificium patre, cùm opiparè illi epulas parasset, accersitis filiabus, singillatim (una nocte, teste Pausania) cognouit omnes: ex quibus geniti quinquaginta mares (ex maxima & minima natu etiam gemini) omnes eiusdem fermè ætatis, communi nomine Thespiadæ dicti sunt. Hos in coloniam Sardos misit iuxta oraculi respōsum, præfecto classis Iolao nepote exercitu tradito: cui & Thespiadum coloniæ deducendæ curā Hercules permisit. Ex quinquaginta liberis duo Thebis mansere, quorum progenies in honore fuit septem Thespiis, quos Demuchos appellāt. Diodorus lib. 4. cap. 3. Pausanias omnes ab eo constupra-

tas in Bœoticis tradit, una excepta. Eam, cùm obsequi recusasset, sacerdotem sibi, perpetuæ uirginitatis lege data, legit. Eapropter in templo Herculis apud Thespienses sacerdos perpetua uirginitate fruitur. Herodotus septē diebus, non una nocte, filias Thespiæ mulieres redditas scribit. Qđ ipsum aliqui falsè pro tertio & decimo labore Herculis ponunt, ut in 4. Græcorum Epigram.

τὸ τρισκαιδέκατον τοῖον λυχεῖν ἔσχεν ἄεθλον,
μουνὸν νυξὶ πεντήκοντα ἀμιλλέξας κόρας.

Tyro Salmonis filia à NEPTVNO compressa. Propertius li. j.
Non sic Aemonio Salmonida missus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus.

Chloris, seu Flora, dea florum, ZEPHYRI uim passa est: à cuius nomine dicitur Zephyritis.

Diomedea Phorbantis Lesbiorum regis filia, interfecto patre ab ACHILLE abducta, & in numero pallacarum habita. Dictys, & Eustathius Iliad. ι. Vnde διομήδης ἀνὴρ Achilles dicitur in 3. Epigr. Græcorum.

QVIDAM comes Vlyssis, cùm uirginē ui stuprasset, à Temessensibus oppidanis interemtus est. Cuius postmodum manes, nisi placarentur quotannis oblata uirgine, grassabātur miū in modū. Has Euthymus athleta compressit. Pausan.

MILESIVS quidā, Locris clàm hospitis compressa filia, Hesiodi cædis occasionem dedit. Puellę enim fratres Hesiodū stupri consciū arbitrati, cum inter pascua cum puero occiderunt, & cadauer in mare proiecerunt. Suidas, & Plut.

DIONYSIVS iunior, quum in Locrensium urbem uenisset (erat autem mater eius Doris genere Locrensis) in domo serpyllis rosisq; adornata, nudas uirgines eius loci constuprabat. Pulso paulo pòst in exilium tyranno, ciues illius filios peremēre, impactis sub ungues acubus, ossibusque in mortario attritis. Cælius ex Athenæi lib. 12. c. 19.

PERSÆ Xerxis ductu in Græcia Phocēsium mulieres aliquot captas præ multitudine stuprantium extinxerunt. Herodotus libro octauo.

SATASPES Carthaginensis Theaspis F. stuprum intulit filiæ Zopyri. Eamq; ob causam impositum ei fuit, ut Africam omnem pernauigaret, usq; ad Arabicum sinum. Idem lib. 4.

LYDORVM emollita improbitas illùc progressa fertur, ut alienas uxores uirginesq; in locum producentes, quem à re Agōna uocarunt, omnes constuprarent. Vnde tyrannidem assequuta Omphale, stupratarum una, illatas ulciscens iniurias, seruis dominas prostituit in loco eodem: quē, rei atrocitatem mollientes Lydi γλυκαγκῶνα uocant ἀγῶνα, id est, mulierum certamen: & γλυκὺν ἀγῶνα, id est, iucundam & dulcem luctam. Cælius lib. 20. cap. 14. A. L. ex Athen. lib. 12. c. 4.

Promnesi FILIVS, qui Cephaleniæ regnum obtinuit, omnes uirgines ante connubium cognouit. Antenor muliebribus uestimentis amictus, ipsum in lecto trucidauit. Ob quā causam à populo summis honorib. ornatus, ac demùm in ducem electus est. Heraclides in Polit.

CIMON, stuprator Callirrhoes uirginis hoc astu extitit. Apud Ilienses mos erat patrius, ut quæ uirgines eo anno nupturæ essent, ad Scamandrum fl. accederent, ibiq; lotæ, hæc uerba ueluti sacra, solennia atque legitima pronunciarent, Capo ó Scamāder meam tu uirginitatem. Inter alias etiam ad fluuium uenerat Callirrhoe, illustri orta familia. Cimon se clàm aliis omnib. in fruticeto Scamādri occultauerat, caput arundinibus redimitus, ut fuco facto, deùs esse uideretur. Itaq; cùm ex more Callirrhoe uerba illa recitasset, hoc ornatu è fruticibus prosiliens Cimon respondisse fertur, En Scamāder, accipio lubēs, tibi Callirrhoe charus atq; amantissimus, eoq; dicto puellam rapuisse & occultasse. P. Aerodius ex Aeschine in Epistolis.

Fama est, uirginem Byzantinam illustribus ortam parētibus, nomine Cleonicen, quam stupri causa accersiuerat PAVSANIAS Spartanorum rex, à parentibus fuisse necessitate & metu subactis dimissam. Eam pro cubiculo precatam, ut lumen auferretur, cùm per tenebras silentio ad cubile pergeret sopiti iam Pausaniæ, incurrisse inuitam in lucernam, eamq; euertisse. At illum ex strepitu obturbatum, stricto pugione, qui propè iacebat, quasi ab hoste aliquo peteretur, percussisse ac prostrauisse puellam: quam ex uulnere mortuam, non permisisse Pausaniæ quietem, sed spectrum noctu se offerens in somno hunc uersum cum indignatione ad illum protulisse:

Tu cole iustitiam, teq; atq; alios manet ultor.

Quod factum socij cum Cimone Atheniensi iniquo animo ferentes, arctè obsederunt eum Byzantij. Elapsus tamē est, & uiso illo, uti fertur, exterritus, Heracleam confugit ad manium oraculum: euocataq; Cleonices anima, offensam deprecatus est. Illa in conspectum Pausaniæ uenit, ac breui eū illis malis ostēdit explicatum iri, ubi Spartam uenisset: obscurè, imminentia ei fata designans. Nam Spartæ in Chalciœco fame periit, proditionis cum Persis initæ reus. Plutarchus in Cimone.

PROCVLVS Cæsar Albingaunus genere, sua epistola testatus est, se centum uirgines Sarmaticas bello captas, quindecim dierum spacio ad unum omnes grauidas fecisse, atque ex his decem nocte una. Sabellicus libro decimo, capite 12. Exemplorum.

RODERICVS Gothorum rex, Iuliani Comitis Septensis in Aphrica pro se legati filiam Iacobam stuprauit. Mox à Mauris à Iuliano sollicitatis bello petitus, in acie cecidit. Ritius Neapolitanus lib. 2. regum Hispaniæ.

ATHIRCO Scotorum rex, Natholoci, uiri nobilis in Argathelia filias fœdè stupratas, stipatoribus deinde suis prostituerat. Natholocus iniuriæ impatiens, in regem coniurat. Coniuratis iusto exercitu ad Euonium, ubi regia erat, tendentibus, plurimi se coniungunt. Rex abiectis insignibus in Ilam Hebridum unam traiicere parabat. Cæterùm aduerso uento impeditus, & in continentem reiectus, ubi persequutores adesse sensit, manum sibi intulit, duodecimo regni anno. H. Boethius lib. 6.

Dlua THAMES (Themis aliis) Lothi Pictorum regis filia, uim à nobili adolescente passa (sunt qui asserant Eugenium Scotorum regem fuisse) Kentigernum edidit, qui primariam sacri magistratus sedem Glasgvu in Scotia tenuit. Hector Boethius libro nono.

GVLIELMVS uir sanctus, corrupit Margaritam Flandriæ comitissam, suam discipulam. Aemilius lib. 7.

GERARDVS Campisamperius, Tisonis magni F. Cæciliam Māfredi Baonij F. Acciolino Monacho Bassani domino desponsatam, de uia raptam constuprauit. Quod facinus, Acciolini tyrānidi in Patauinos occasionem dedisse uideri potest. Cęcilia repudiata nupsit Iacobo Dalesmanino. Natam inde stirpem Acciolinus radicitùs postea extirpauit. Bern. Scard. lib. 3. classe 13. hist. Pat.

Cùm COMES Paganus, qui Friderici I. Imp. Patauij uicem gebat, Speronellam Dalesmaninam primariæ nobilitatis uirginem, partim ui, partim dolo è domo paterna turpiter ereptam, & in arcem Pendisij tractam, pro scorto haberet: Dalesmaninus frater, occultè egit cum suis, & cum Albeto Baonio, & cum uicinis ciuitatibus, ut unà omnes ab Imperatore deficerent, & uno eodemq; tempore, ... Respub. uicarios imperiales eiiceret. Paganus Patauio relicto, Pendisium aufugit, ubi à Patauinis obsessus, cùm careret alimentis, se dedidit, uita sibi tantùm donata. Sic Patauium in libertatem restitutū, cōsules rursus creare cepit. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

SOCINVS Vicescarinus Laudensium dominus, uirginē plebeiam uitiarat. Eapropter à Petro Temacoldo puellæ propinquo, in carcere pedore fameq; confectus est: quanquam ab eo Petrus à molēdino ad honestam fortunam esset euectus. Fulgosus lib. 6. c. j.

FRAN. Philelphus Patauio profugus, Constantinopolim uenit, & à Ioanne Chrysolora equite susceptus, eius filiam unicam corrupit: quam pòst intercessione Italorum mercatorum uxorem duxit. Poggius.

STVPRA VIDVIS ILLATA.

C. IVLIVS Cæsar, post uictum Pompeium Athenas etiam cepit, & rerum gestarum gloria sexcentos uicit imperatores. A fœda libidine tamen uictus est: & qui hostes multos cepit, ipse amore Cleopatræ uictus est, quā in Aegypto amauit unicè. Xiphilinus.

STVPRA MATRONIS ILLATA, SIVE DOLO, PERSVASIONE.

ALCIBIADES Spartæ exul, regis Agidis uxorem Timæam in castris agentis & absentis ita peruertit, ex se ut uterū gesserit, neq; id iret inficias. Quæ cùm uirilem stirpem edidisset, foris appellabat eum Leotychidem, domi insusurrabat auribus familiarium & pedissequarum à matre nomen, Alcibiadi erat. Ita ista mulier eius deperibat amore. Ille per insolentiam iactabat, non contumeliæ causa se id fecisse, nec libidine uictum, sed ut progenies apud Lacedęmonios regnaret sua. Hæc ita agi multi detulerunt ad Agim, cui fecit potissimùm fidem tempus: quòd terræmotu exterritus fugisset ex thalamo ab uxore, nec decem mensib. pòst consuetudinem cum ea habuisset, post quos natū noluit agnoscere Leotychidem: quod in causa fuit, ut ab regno postmodum Leotychides decideret. Plut. in Alcibiade & Agesilao.

Antisthenes philosophus, cōspicatus aliquādo MOECHVM fugientem, insequentibus qui illum comprehenderent: Infelix, inquit, quantum periculum unico obolo uitare poteras! scorti scilicet congressu. Laert. lib. 6. c. j.

AVGVSTVM Cæsarem adulteria exercuisse, ne amici quidē negant: excusantes sanè, non libidine, sed ratione commissa, quò faciliùs consilia aduersariorum per cuiusq; mulieres exquireret. Suetonius.

VECTIVS Valens medicus, adulterio Messalinæ Claudij Cęsaris nobilitatus. EVDEMVS medicus Liuia Drusi Cæsaris. Plin. lib. 29. cap. 1.

AVFIDIVS matronarū famosissimus corruptor apud Romanos. Sic Iuuenalis Satyra 9. Notior Aufidio mœchus.

SVETONIVS Tranquillus Adriano fuit ab epistolis, ex eoq; statu depulsus, quòd cum Imperatoris uxore familiariùs egisse ferebatur, quàm decus aulicæ consuetudinis postularet. Io. Bodinus Methodi hist. cap. 4.

CLAVDIVS Felix, Iudeæ procurator sub Claudio Imperatore, uisa Drusilla, Magni Agrippæ F. Azizi Emesenorum regis circumcisi uxore, feminarum omnium pulcerrima: per Simonem Iudæum, genere Cyprium, magum, mulierem solicitauit, ut relicto priore marito sibi nuberet. Illa uolens euadere molestationes sororis Berenices, inuidētis sibi formæ præcellentiam, Felici nupsit. Iosephus libro uigesimo, capite 5. Antiq.

Poppeam Sabinam à marito abductam OTHO Syluius, qui pòst imperauit, Neronis nomine, uti depositum accepit, uti commodato usus est. Suetonius.

Commodum plerique, non Marci, sed GLADIATORIS cuiusdam filium fuisse arbitrantur, cuius insano amore Faustina Marci uxor deperierit: & huic rei attestari gladiatoriē studium ingens, quod Commodo inerat.

Alboinus Longobardorum rex, Gundamundum Gepidarum regem uicerat, & filiam illius Rosimundā duxerat. Cui cùm aliquando Veronæ è cranio Gundamundi patris propinasset, illa HELMICHILDEM iuuenem in concubitum suī pellectum, eò impulit, ut Alboinum interficiat. Quo facto, Rauennam cum eo fugit. Verùm iuuene adultero satiata, LONGINI exarchi nuptias expetit, & Helmichildi è balneo egrediēti uenenum propinat. Ille hausto ueneno, eam quoque ut residuum biberet, stricto gladio coegit. Sic uno eodémque tempore & homicidij & libidinis pœnas dedēre. Paulus Diaconus libro 2. de Longobardis cap. 14. Antoninus Tit. 12. capite 6.

S[redacted]

[redacted] VI.

GABAENSES Leuitæ uxorem peregrini ad mortē usq; constuprarunt. Iud. 19. & 20.

HEGESILOCHVS Rhodius tyrannus, cum amicis suis Rhodiorum matronas stuprauit tanta licentia, ut uel talis inuicem, luderent de liberis mulieribus, differerentq, inter talorum iactum, quam urbanarum uictos ad uictorem adducere oporteret ad cocundum. Athenæus libro 10. capite 15. ex Theopompi histor. lib. 16.

Sex. TARQVINIVS libidine ardens, ex castris Collatiam periit, & domum Tarquinij Collatini irrumpēs, Lucretiæ uim intulit. Liuius.

VALENTINIANVS III. Imp. stuprata Maximi Consulis uxore, semetipsum perdidit. Siquidem Maximus scelere cognito, Transtilam & Octilam Actij milites Valentiniano in campo Martio immisit, à quibus interfectus est. Bonfinius libro 7. Decadis 1.

PANCRATIVS Iberiæ regulus, Liparitæ, magnæ inter Iberos potentię, uxorem stuprauit. Is iniuriæ atrocitate commotus, arma contra Pancratium sumit, uictumq; prælio, ad Caucasum & in interiorem Abasgiam compellit. Ipse regia occupata, dominam suam Pancratij matrem ui stuprat, totaq; Iberia potitur. Cedrenus.

TENDESILLVS Hispanorum rex, cùm uim honestis matronis intulisset: orta apud Hispalim seditione, obtruncatus est. Ritius Neapolitanus lib. 1. regum Hispanorum.

EDMVNDVS filius Erheldredi, uxorem Sigfridi Dani captā formæ præstantis mulierem, ui stuprauit, & post necem uiri matrimonio sibi iunxit. Polydorus lib. 7.

NICOLAVS Trincius Fulginatum dominus præfecti uxori uim intulerat. Præfectus nocte proxima cum eum fratre dormientem in lecto confodit, populumq; ad libertatem uocauit. Fulgosus lib. 6. cap. 1.

Banchani Vngariæ præfecti uxor, à Gertrudis reginæ Vngariæ FRATRE, qui eam consolandi causa ex Germania uenerat, ipsius reginæ indulgentia constuprata fuit. Banchanus uenia uxori concessa, Gertrudim incautam gladio confodit. Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

SCORTATIO. AMOR MERETRIcum immodicus, insanus. Scortatores.

SINGILLATIM.

SAMSON Hebræorum iudex fortissimus, cùm stupenda fortitudinis facinora contra Palæstinos designasset, tandem amore Dalilæ meretricis Palæstinę correptus, suę intēperantiæ pœnas luit, ab ea Palæstinis proditus. Iudicum cap. 16.

Κορινθιάζειν, ueteres uulgato ioco dicebant eos, qui scortationibus ac lustris indulgerent, quíue lenocinium exercerent: qui quæstus hodie nusquam uberior quàm apud Venetos. Sumtum est à meretricibus Corinthiensibus. Tantus enim honos habebatur apud CORINTHIOS meretricibus, ut quemadmodum ex auctoribus docet Athenæus, illic in tēplo Veneris prostarent, atque in solennibus precibus illud [redacted]

IN[redacted] sunt uacare genio. Itaque relictis domi uxoribus, illas sibi asciscunt, non prolis, sed uoluptatis gratia. Vxores uerò adhibent in rebus honestis tantùm: ubi scilicet aut proli uacant, aut præter modum non lasciuiunt, ne nimio luxu corrumpant, quas esse pudicas uolunt. Nec unquam permit[redacted]

H[redacted] do ei genua flectebat, [redacted] coronari non patiebantur, nisi coronaretur etiam Glycera. Athen. lib. 13. cap. 19. & 23.

DEMETRIVS Poliorcetes Asiæ rex, cùm urbem Megaram obsideret: audita Cratesipolis apud Patras insigni forma, omissa urbe Megara, exercituq; sine duce relicto, ad eam a[redacted]

AL[redacted] cùm ad Artaxerxem regem fugeret. Ei tumulum magnificum Timandra extruxit.

EPICVRVS philosophus Leontium & Laidem amicas habuit. Athen lib. 13. cap. 20.

ARISTIPPVS singulis annis duos menses in Aegina Neptunaliorum tempore apud Laidem commorabatur. Reprehensus à quodā domestico, quòd tantum argenti in eā impenderet, cùm sine mercede cum Diogene Cynico esse consuesceret: respondit, Ego multa Laidi tribuo, ut ipse illa fruar, non, ne quis fruatur alius. Cùm diceret ei Diogenes, O Aristippe, cum communi scorto habitas? uel cyniza igitur, ut ego, uel desistito? respondit: Nunquid absurdum tibi uidetur, Diogenem domum aliquā habitare, in qua alij habitarunt priùs? Non profectò, inquit. Quid in eadem naui nauigare, in qua nauigarunt alij cōplures? Neq; hoc sanè. Eodem pacto neq; cū ea muliere esse absurdū est, qua usi sunt complures alij. Athen. lib. 13. cap. 20. Dicebat, multum inter se & cæteros Laidis amatores interesse: quòd ipse haberet Laidem, alij uerò haberentur à Laide. Lactantius.

PLATO Archeanassam Colophoniam deperisse putatur, editis his de ea uersibus:

Ἀρχεάνασσαν ἔχω τὴν ἐκ Κολοφῶνος ἑταίραν,
ἧς καὶ ἐπὶ ῥυτίδων ἕζετο δριμὺς ἔρως.
ἆ δειλοί, νεότητος ἀπαντήσαντες ἐκείνης
πρωτοπλόου, δι' ὅσης ἤλθετε πυρκαϊῆς.

Laertius in eius uita, & Athen. lib. 3. cap. 21.

ISOCRATES omnium oratorum maximè uerecundus, Metanirā Callenq; amicas habuit, ut affirmat Lysias in Epistolis. Demosthenes aūt in oratione contra Neæram, Metaniram LYSIÆ amicam fuisse scribit. Amauit Laidem etiam Lysias, cuius Cephalus orator encomium scripsit: uelut ALCIDAMAS Laites Gorgię discipulus, Naidis amicę & ipse encomium edidit. Athen. lib. 13. cap. 22.

HYPERIDES orator, cùm filium Glaucippum ex pàtria domo expulisset, Myrrhinam amicam sumtuosissimam aluit: atq; hanc in ciuitate habuit, in Pirço Aristagoram, Philáq; in Eleusine, quam cùm multis numis emisset, libertate donauit, rebusq; domesticis præfecit. Fatetur palàm Hyperides in oratione pro Phryne, se illam amasse, ac nondum ab illius amore dimissum fuisse, cùm Myrrhinam domum duxit. Athen. lib. 13. cap. 22.

[redacted]

IOSEPHVS Iudæorũ princeps apud Ptolemæum Euergetã Alexandriæ cœnans, saltatriculæ in conuiuio uetito amore exarsit. Iosephus lib. 12. cap. 4. Antiq.

D. AVGVSTINVS ante conuersionem concubinas habuit. Vide Tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

[redacted]

In EPISCOPVM quendã, qui scortum alebat Εἰρήνην dictam, cùm ipse pacẽ omnibus in Ecclesia inter sacra precaretur, tale epigrãma in 2. Epig. εἰς ἀπλυγῆς habetur, incerti auctoris:

Εἰρήνην πάντεσσιν ἐπίσκοπος εἶπεν ἐπελθών·
πῶς δύναται πᾶσιν, ἣν μόνος ἔνδον ἔχει;

[redacted]

PROMISCVE.

Lysias orator de Alcibiadis narrans deliciis, inquit, Cùm unà in Hellespontum AXIOCHVS & ALCIBIADES nauigassent, in Abydo uxores duxerunt Medontiadem Abydenam & Xenocepem. Postea cùm filia illis esset nata, quam non posse se discernere dicebant, utrius esset, ubi uiro matura fuit, cum hac etiam dormierunt: quam si haberet uteretur; Alcibiades, Axiochi filiam esse dicebat: si Axiochus, Alcibiadis. Athen. lib. 12. cap. 16.

ADVLTERAE CVM CONCVBINIS. CONCVBINI adulterarum.

Exempla quædam ex Tit. Libidinosorum in genere, peti possunt. Item Matronarum stupra. Illic Agentis, hìc Patientis, habetur ratio.

VENVS Vulcani uxor, cùm maritum ob deformitatem corporis non magnopere amaret, clàm cum Marte congrediebatur. Gallum iuuenem secum Mars adducebat custodem, quem relinquebat ad ostium, ut aduentantes obseruaret, Solem præcipuè, quem maximè omnium deorum Mars metuebat, ne rem Vulcano indicaret, propter singularem inter illos amicitiam. At Gallo in somnum uerso, Sol rem conspexit, Vulcanoque indicauit: qui tenuissimum rete ferreum confecit, & circa thorum ita tetendit, ut conspici non posset. Mox utrosque nudos in illo rete implicatos omnibus diis ridendos exposuit. Natalis Comes Mythologiæ libro 2. capite 6.

Duris Samius in eo libro, quem scripsit de Agathocle, PENELOPEN cum omnibus procis rem habuisse scripsit, è quorum congressu Pana natum dicit. Natalis Comes Mythologiæ libro 5. capite 6.

Minotauri, ex PASIPHAE nati, fabulam ad historiã deduxit Zezes histor. 19. primæ Chil. scribens, Taurum ducem cum ingenti classe suppetias Minoi tulisse. Quem cùm uidissent Cretenses, priusquam dimicaretur, regem Minoem salutarunt. Eius Tauri, uiri sanè elegantis & strenui ducis amore capta est Pasiphae Minois uxor, Dædaloque conscio & adiutore, in priuata domo lignea cum illo dicitur concubuisse: ex quo natus est puer, qui & adulteri & legitimi mariti Pasiphaes nomen reportauit. Natalis Comes Mythologiæ libro 6. capite 5.

Indorum MVLIERES alioqui pudicitia celebres, elephanti tamen precio oblato, amatoribus pudorem substernunt, nullo inde præfloratæ famæ dispendio. Quin laudi facinus ducitur, quòd tanti earum forma censeatur. Cælius libro decimooctauo, capite 31.

CLYTÆMNESTRA cum Aegistho adultero in perniciem mariti Agamemnonis coniurauit. Quo interemto, Orestis furor in matrem concitatus est.

EVRYDICE, Macedonum regina, Amyntæ uxor, atq; Philippi mater, ut adultero regnum traderet, Alexandrum ac Perdiccam filios ueneno sustulit: idemq; uiro fecisset, nisi filia scelus detexisset. Fulg. lib. 9. cap. 1.

Phanus cùm VXOREM haberet adulterij suspectam, atrij fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore sonituq; possent aperiri. Verùm illa per tegulas adulterum intromisit. Hinc ostium Phani per iocum dicebant, Phani ostium. quo prouerbio innuebant, aliquid seruatum frustrà.

Cùm Spartani Messenios iam decem annis in Era monte obsiderent, Emperami clari hominis inter Spartanos seruus, cùm domini pecus pasceret, quotidie ferè boues pręse ad Nedi fluuium agebat. Ibi Messenij hominis in suburbano habitantis VXOREM aquatum uenientem conspicatus, eius amore captus est: adeoque feminam primò donis ad colloquium, deinde ad stupri consuetudinem pellexit. Obseruabat hic, quo tempore eius uir custodias obiret: suam enim quisque uicem ciuitatis pars arcis præsidium obtinebat. Fort [redacted] ter. Id ubi sensit mulier, occultato [redacted] etiam multo quàm consueuerat accepit. Percontatur deinde, quamobrem spe sua celerius rediisset. Hic ille, ueram exponit facti causam: Tempestatis ui non se magis, quàm socios omnes è præsidio pulsos. Pastor ubi nudatam arcem præsidio intellexit, quàm raptim potuit in castra Lacedæmoniorum effugit: docet, appositum illud esse ad Eran capiendam tempus. Ergo seruum itineris ducem secuti Spartani, uia perdifficili per densissimas tenebras, nihil imbre remittente, ad arcem peruenêre, & Era capta, secundo bello Messenio finem imposuêre. Pausanias in Messenicis.

Hypsicreon Milesius & Promedon Naxius amici erant. Quum Promedon Miletum uenisset, NEÆRAM ferunt eum adamare cœpisse. Hypsicreonte domo profecto, ad dormientem noctu accedit Neæra, sperans eum persuaderi posse. Sed quum ille nihil concederet, reueritus communem amicitiam, Neæra thalamo occluso, coegit eum sibi misceri. Sequenti die instructa naui abiit in Naxum, eumque Neæra ob timorem Hypsicreontis secuta est. Quam quum illhic quæsiuisset Hypsicreon, supplicem inuenit sedentem in templo Vestæ in Prytaneo. Naxij autem petenti Hypsicreonti daturos se eam negabant: concesserunt autem, ut à se persuasam ultrò abduceret. Hypsicreon uerò impium quiddam admittere timens, ad Milesios redit, eosque, ut Naxijs bellum inferrent, persuasit. Parthen. in Erot. cap. 18. ex Theophrasti lib. 1. περὶ τῶν καιρῶν.

Mithridates Ponti rex dum omnem Asiam ignoto habitu peragrat, LAODICE uxor eadem & soror recepta eius mortis opinione, quæ falsis rumoribus fuerat dissipata, quum se in concubitus amicorum proiecisset, filium marito absente conceptum enixa erat. Cuius culpæ conscia bona coniux, Mithridatem tollere conata est. Venenum ancillæ indicio deprehensum, in auctoris perniciem uersum est. Sabellicus lib. 3. Enneadis 6.

ACCA Laurentia, Faustuli pastoris regij uxor, meretrix insignis, propter formosissimi corporis quæstum turpissimum Lupa appellata (unde ad nostram usque tempestatem meretricum cellulæ Lupanaria dicuntur) Romulum & Remum nutriuit, & educauit. Liuius libro primo, Dec. 1. Plutarchus in uita Romuli.

FABIA, Fabij Fabriciani uxor, dum Petronium Valentinum liberali forma adolescentem (quo cum adulterij consuetudinem habebat) maximè deperiret, maritum interfecit, ut adultero frueretur securiùs. Plut. in Parallelis.

De Milonis VXORE Martialis Epigram. lib. 7. sic scribit:

Milo domi non est. Peregrè Milone profecto
Arua uacant, uxor non minùs inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

De VXORE Galli idem libro secundo:

Gentibus in Lybicis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia. Non solet illa
Accipere omnino. Quid solet ergo? dare.

FAVSTINA, nec M. Antonini (nõ modò principum, sed omnium mortalium optimi, qui ætate illa fuerunt) neq; patris memor, qui & ipse rerum Romæ potitus est, adeò in uenerem præceps abiit, ut in Caietano secessu nauticas sibi conditiones quæreret. Admonitus maritus domestici probri: Aut est, inquit, id dedecus ferendum, aut restituendum est imperium, quod ab ea accepi. Sab. lib. 4. cap. 11.

AVFILENAM Catullus adulteram suis uersibus perstringit. PROCVLINA quoq; LECTORIA & GELLIA, à Martiale notantur ut adulteræ. HIPPIA à Iuuenale:

Promtiùs expediam, quot amauerit Hippia mœchos.

AGLAIA Romana matrona dispensatori Bonifacio sese prostituit. At sub Diocletiani persecutiõe ad pœnitudinem am [...] conuersi, finem perniciosæ uoluptati statuerunt. Maru[...] libro 2. capite 12.

ROSIMVNDA regina Longobardorum, Peredeo se ancillæ habitu supposuit, eundemq; ad Alboini regis necem, in paternæ necis uindictam, impulit.

Gangulphus miles Pipini Francorum regis in Burgundia fontem emto, eundem in Francia in loco, qui dicebatur Vuarenna, emergere precibus ad deum fusis impetrauit. VXOR eius de adulterio accusata, iussa ex fonte illo lapillum tollere, brachium ambustum extraxit. Dimissa proinde à marito cum clerico adultero, cædem illi intulit. Hinc ille pro martyre habitus est, sic ut ad fontem illum ferantur miracula edita. Claruit anno Domini 759. Sigebertus, Erphordiensis capite 67. Vincentius lib. 23. cap. 159.

ZOE imperatrix Romanum Argyropolum maritum interfecit, ut liberiùs mœcharetur cum Michaele Paphlagone, qui in imperio successit. Zonaras.

FREDEGVNDA Gallorum regina, cùm à Chilperico uiro (qui à uenatione reuersus erat citiùs quàm ante consueuisset) post tergum, uelut à blandiente, uirga tacta esset, dum inclinata lauaretur: arbitrata ipsa id ab adultero Landrico actum esse, uirum homine amantis compellauit. Sed ut errorem animaduertit, ultionem uerita, uirum necandum curauit. Fulg. lib. 9. capite 9. & Aemilius.

PHILIPPVS Vicecomes, ductã in uxorem Beatrice, Facini Scaligeri uidua, illius gratia paternum principatum recepit. In hoc gerẽdarum rerum cursu in domesticam cladem, non magis inopinatam quàm turpem incidit, Beatrice, quã iam exacta ætate feminam in matrimonium receperat, adulterij comperta. Adolescens eius pincerna, qui cum illa stuprum fecisse dicebatur, quæstioni subiectus, crimen confessus est, ac securi percussus. Beatrix contrà id flagitium constanter inficiata est. Cæterùm cùm nihilo seciùs ad supplicium traheretur, adolescentis truncum intuita; eius manes execrata est, ut fertur, quòd pudicitiam suam tota uita sanctè à se custoditam, supplicij metu, falso testimonio labefactasset. Fuere qui crederent ex Philippi sententia ea omnia accidisse, quòd intempestiuum cõnubium iam fastidire cœpisset. Sed id ab ea magnitudine animi, qua fuisse fertur, alienum uidetur. Sab. lib. 9. En. 9. & lib. 1. En. 10.

LITVANORVM matronæ palàm concubinos habent, uirorum permissu, quos connubij uocant adiutores: contrà pellicatus uiris probro datur. Adeò gens una à cæteris mortalibus diuerso uiuit ritu, ut non absurdum sit illud Aristippi, honestum non natura, sed consuetudine constare. Soluuntur ab his connubia mutuo consensu. Fulg. lib. 2. cap. 1. Sab. lib. 4. En. 10. Dux quidã Opauiæ, uxori, quam ex Lituania acceperat, obuiam cùm exisset, in comitatu illius adolescentẽ offendit forma egregium, robusto corpore, in plumis iacẽtem, pensili curru aduectum. Interrogauit, Quisnã esset? cõiugis suæ fratrem, aut propinquum existimans. Responsum est ab iis, qui propiùs aderant, apud Lituanos more patrio nuptas, quæ nobiles quidem essent, unum pluresue concubinos pro uiri facultatibus domi alere consueuisse, qui negligente marito onera matrimonij subeat. Illumq; sibi adductum fuisse, qui uices suas suppleat, si quando, ut fit, uel morbo, uel alia quauis causa coniugi debitum persoluere nequiret. Voluit dux laniandum canibus hominem obiicere. Sed prohibitus ab amicis, in Lituaniam quàm celerrimè redire eum iussit. Aen. Syl. lib. 4. Com. de Alfonso.

Henricus VIII. Britanniæ rex, insani propè amoris libidine correptus, Catharinæ uxori repudium misit, anno Sal. 1536. religionis titulum pretendens, quòd Catharina Arcturo fratri suo germano antea nupsisset. ANNAM igitur Boleniam superinduxit, cui regalia tradita sunt ornamenta, & tanquã ex legitimis nuptiis communicatus genialis thorus. Catharina miserabiliter thoro domoq; pulsa, quum dolorem sustinere non posset, fato concessit. Exinde Bolenia, sublata ueluti pellice thoriq; æmula, inauspicatò triumphãs, & masculam prolem affectans, in spem successionis regni, existimauit Henricum ingrauescente iam ætate, & à multo abdomine pigrescentem, parum idoneum fore, qui marem progigneret, quòd antea feminas tantùm suscepisset. Quamobrem nefaria concepta libidine, uteri fœcunditatem adulterino semine experiri constituit, pellecto ad concubitum Georgio fratre germano, ut is detestabilis incestus, ideoq; incredibilis, extra omnem suspicionem scelus contegeret. Sed non multo pòst fraternos concubitus inanes experta, adiecit procacem animum, nec præsentibus contentum, ad Norreium & Brilertonium equites ex aula illustres, sic ut his exaturata, ad Marcum etiam musicæ artis magistrum sibi familiarem inuerecundè descenderet. Hęc flagitia ab ancilla, quæ cum amatore suo ludens, seueriùs ab ipsa Bolenia castigata fuerat, ad regem delata sunt: atq; eo modo tortis atque interfectis adulteris, Bolenia damnata est, astante inter iudices, & suffragium suum ferẽte Thoma ipso Bolenio patre. Producta exinde in uestibulum Londinianæ turris, [...] interrito uultu, pedissequas circa se plorantes seruandi pudoris admonuit, collectaq; subter reticulum coma, lacteam ceruicem, quæ tãtoperè regi placuerat, carnifici latum stringenti gladium porrexit. Iouius lib. 35. Hist.

PELLICES, QVAE CVM MARITO alterius miscentur.

Consule Tit. Adulter cum Meretricibus. Illic Agentis ratio habetur, hic Patientis.

MINTHAM fingunt fabulæ Plutonis fuisse pellicem, quàm Proserpina dolis circumuenerit, & in hortensem mentham commutauerit. Strabo lib. 8. & Ouid. in Metam.

HABRA Sclerena, pellex Constantini Monomachi Imp. fuit, cùm neptis esset ex fratre uxoris suæ: idq; consensu Zoes uxoris, quæ ob ingrauescentem ætatem iam zelotypiam abiecerat. Cuspinianus.

BERTRADA ducissa Aquitaniæ, Philippo regi Francorum causa filij sese prostituit, ut ei paternas opes incolumes præstaret aduersus Asperũ comitẽ Andegauẽsem ducis Aquitaniæ beneficiariũ, à quo acerrimo bello petit⁹ fuerat. Aemil.

Henricus I. Imp. MONIALEM aliquandiu pro concubina habuit. Ex ea Danemarum suscepit: qui pòst in Othonem I. fratrem, sed legitimo natum thoro, conspirans interfectus est. Granzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 15.

Aydna, Cuphece & Mandua tres CVMANÆ captiuæ, concubinæ Ladislai III. regis Vngarię fuerunt, iuxta uxorem Caroli regis Siciliæ filiam, quam neq; pro dignitate tractauit neq; coniugali amore prosecutus est. Bonfin. lib. 8. Dec. 2.

HESTER Hebræa, concubina Casimiri regis Poloniæ, ampliss. priuilegia genti suæ ab amatore impetrauit. Cureus in Silesiæ Annalibus.

PERPETVA Nouariensis, Frãcisci Sforcię pellex, cùm ei paulatim intumesceret uterus, ad tegẽdum facinus, quęsito quĩ eam duceret uiro desponde tur. At constituta nuptiarũ die cùm eã sponsus in oppido præstolaretur, ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingressa oppidum, cùm descendere in domum sponsi crederetur, iussa ulteriùs pergere, in arcem rapta est, nec ulteriùs infelici uiro uidendæ sponsæ copia fuit. Aen Sylu. cap. 59. Europæ.

CONCVBINA Iacobi Appiani, Plumbini Hetruriæ oppidi præfecti, Aethiopem peperit. Aen. Sylu cap. 56. Europæ.

ROSSA Solymanni Turcorum Imp. concubina, ex qua filios quatuor & unam filiam progenuit. Eã postea libertate donatã legitimo matrimonio sibi copulauit. Ascanius Centorius lib. 6. com. bellorum Transyluanię.

EVA Trotina puella nobilis, cõcubina fuit Henrici ducis Brunsuicensis, quam in arce Stauffeburga longo tempore clàm sustentauit, dum alij eam iampridem mortuam opinarentur. Sleidanus lib. 15.

MERETRICES, SCORTA, CONCVBINÆ.

In 7. Epigram. Græcorũ ἑταιρικὰ ex professo tractantur, & ab Athen. li. 13. cap. 19. Nos solis instar etiam fœdissimas cloacas illæsi subire non uerebimur, ut uitiorum & frequentia & turpitudine detecta, diaboli tyrannis in genus humanum euidentius cognoscatur, à qua per Christum opt. max. liberati sumus.

Concubina & amica (ἑταίρα) dicebatur ea, quam quis non mariti animo, sed concubitus tantùm caussa, sine stupri tamen crimine flagitióue domi habebat. Apud Papinianum in l. cũ tabulis, 16 ff. de his quæ ut indig. mentio fit Cassiani uiri clarissimi, qui mulierem ingenuã pleno honore dilexerat, cuius tamen filia ex eo concubinatu suscepta, uulgò quæsita dicitur. Hotoman. de Verbis iuris.

QVO-

QVORVMVIS.

Meretrices olim in uia publica sese prostituebant. Id quod ex historia THAMARIS intelligi potest. Gen.38.

RACHABA meretrix Hierichuntina ad quam duo exploratores à Iosua in Chananæam terram missi, diuerterunt: quosq; cùm ab oppidanis quærerentur, sub tecto, sub lini fasciculis occultauit, & per fenestram fune demissos, incolumes dimisit. Iosuæ cap.2.

DALILA meretrix plurimùm à Samsone Iudice Israelitarum adamata, eius necis causa fuit, cùm crinem fatalem, in quo robur omne continebat, abrasisset. Iudicum 16.

GOMERA Diblami F. meretrix, quam Domini iussu Oseas propheta uxorem duxit, filios ex ea geniturus meretricios, ut hac ratione populi Israelitici idololatriam reprehenderet. Oseæ 1.

MARIA Magdalena, Syri & Eucharię filia, Lazariq; & Marthæ soror, aliquot annis uoluptatibus indulsit, adeò ut Peccatricis meruerit nomen. Ast ubi ad Christi, in Simonis Leprosi domo recumbentis, pedes se prouoluisset, suisque rigasset lacrymis, capillis abstersisset, & unguento unxisset, ueniam impetrauit. Rauisius.

SIRENES tres, partim uirgines, partim uolucres, Acheloi fluuij & Calliopes Musæ filiæ decantantur. Harum una uoce, altera tibiis, tertia lyra canebat: & primò iuxta Pelorum, pòst in Capreis insula habitauerunt, quò illectos suo cantu in naufragia deducebant. Reuera meretrices fuerunt, teste Palæphato lib.1. Incredibilium: quæ quoniam transeuntes deducebant ad egestatem, illis dictæ sunt inferre naufragia. Has quidam Pisinoen, Aglaopen uel Aglaophemen, & Thelxiopiā: alij Molpen, Aglaophonen & Thelxiopen uel Thelxinoen: nonnulli Ligian, Parthenopen & Leucosiam aut Meloessam appellant. De iis Strabo libro primo. Plinius libro 10. capite 49. & Cælius lib.14. cap.14. A.L. Sirenes dictæ, quasi Cathenæ, quia allectos uincirent amore. Natalis Comes Mythol. lib.7. cap.13.

Zetes & Calais Boreæ filij cùm uenissent cum cæteris principibus Colchicæ expeditionis ad Phineum, HARPYIAS à mensa Phinei fugarunt. Et hinc Plotæ insulæ Strophades uocatæ sunt. Crediderunt nonnulli Harpyiam & Erasiam filias fuisse Phinei, quæ cùm parum honestam uiuendi rationem complecterentur, domumque paternam turpiter exhaurirent, eas filij Boreæ secū abduxère. Eapropter uisi sunt Phineum egestate fameque liberasse. Natalis Comes Mythol. libro 8. capite 11.

CIRCE Solis filia, non tam ueneficio suo, quàm forma, amatores uoluptatum illecebris in feras mutasse dicitur. Vlysses Mercurij, hoc est, rectæ rationis ductu insidias illas effugit. Palladas in primo Græcorum Epigram.

—— ἑταίρη δ' ἦν πανοῦργος·
τοὺς δελεασθέντας πλαζομένους ποίει.

Erisichthon quidam Thessalus, quum absumtis facultatibus ad extremam deuenisset inopiam, coactus est filiam (quam habebat liberali forma) METRAM nomine, prostituere. Ad quam qui commeabant adolescentes, corporis copiam non assequebantur, nisi equos, boues, amplissimaque deferrent munera: quia nondum id temporis repertus fuerat nummorum usus. Eapropter Thessali per iocum dicebant, Metram Erisichthonis uerti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus donabantur. Vnde fluxit prouerbium, Mutabilior Metra Erisichthonis.

Tetra libido Diomedis FILIAS in Thracia equarum nomine celebres facit, ut quæ turpissimæ aduentantes uorasse sint dictæ: quanquam interimi à patre solitas, intelligere maluerit Eustathius. Cæl. lib.13. cap.8. A.L.

MEDVSA incredibili sua pulcritudine partim in saxa, partim in bruta uiros conuertit. Saxei nimirum homines fiunt, & in brutorum transeunt naturam, qui muliercularum forma & illecebris capti, uitam agunt intemperantem & libidinosam. Platina dial. ad Stellam contra Amorem.

BABILONIÆ mulieres omnes semel in uita ad Veneris Myllitæ templum sedentes oportet cum externis uiris consuetudinem habere. Herod. lib.1.

LYDORVM mulieres ante connubium hospitibus quibuslibet sese commiscent: eaq; ratione dotem colligunt, dum nubiles ipsæ se elocent. Postquam nupserint, continentissimè uiuunt. Aelian. lib.4. Var. hist. & Herod. lib.1.

Apud Sardes est Alyattis ingens tumulus super crepidine excelsa (ut Herodotus inquit) factus à multitudine ciuitatis, cuius maximam partem ANCILLÆ perfecerunt, quæ (ut ille ait) omnes meretricantur. Nonnulli hanc sepulturā, meretricis monumentum dicunt. Strabo lib.13.

CORINTHIÆ meretrices famosissimę olim fuere: ita ut Platoni Polit. 3. κορινθία κόρη eximiè pro scorto ponatur. Sic etiā Themistio & aliis, κορινθιάζειν idem quod scortari.

Cheopis regis Aegyptiorum FILIA meretrix, à patre, qui incredibilem pecuniæ summam in pyramide extruenda consumserat, prostituta, quæstum fecit maximum. Herod. lib.2.

THONIS, Aegyptia meretrix, ab adolescente quodam eam amante poposcit ingentem summam pecuniæ. At is cùm in somnis sibi uisus esset cum illa concumbere, liberatus est libidine. Ob id Thonis mercedem ab illo instituit iudicio exigere. Cognita causa iussit Bocchoris illi quantum postulauerat argenti in uase numeratum, huc atq; illuc manu iactare, ac meretricem umbra frui: quòd ueritatis opinio umbra sit. Plut. in Demetrio.

Egregia pulcerrimaque scorta Naucratis Aegypti emporium produxit ARCHEDICAM, item DORICHAM, quam Sappho Charaxi fratris sui amicā fuisse scribit, cùm ob mercaturā Naucratem appulisset, quam etiā carpit in poemate, quòd multa Charaxo eripuerit. Herodot⁹ eā appellat Rhodopē, cùm ignoraret, quod ea diuersa esset à Doricha, quæ celeberrimos obeliscos in Delphis deposuit, quorū mētionē fecit Cratinus & Posidippus. Athen. l.13. ca.24. & Herod. l.2.

RHODOPIS Thracia, ancilla Iadmonis Samij, ex urbe Vulcani, conserua Aesopi fabularum scriptoris, in Aegyptū abiit deportata à Xantho Samio, profectā illuc ad quæstum faciendum. Magna pecunia fuit redemta à Charaxo Mitylenæo, Scamandronymi filio, à Sapphûs poematum conditricis fratre. Libertatem nacta Naucrate in Aegypto remansit: gratiosaq; uehementer effecta, ingentes opes coarauit, quæ Rhodopen transcenderent, non quæ ad pyramidem faciendam ascenderent, ut quidam uolunt, qui Mycerini regis pyramidem Rhodopi tribuunt. Cuius opinionis est Plin. lib.36. & Plut. in Nicia. Ex illarum opū decima parte, cùm uellet memoriam sui in Græcia relinquere, fecit opus, quod ab alio excogitatum non esset, neq; donatum, idq; donauit in templo Delphico monumentū sui: uidelicet, tot è ferro ueru a ad boues torrendos, ad quos conficienda sufficeret decima ipsa, quam Delphos misit: quę nunc quoq; posita sunt e regione templi post aram, quā Chij dedicauerunt. Herod. lib.2. Aelian. lib.13. Var. hist. eam à Psammeticho rege in thori consortium acceptam tradit.

Athenarum ciuitas tantā tulit meretricum multitudinē, quantā uirorum turbā, cùm maximè floreret, non habuit. Describit enim centum & triginta quinq; Aristophanes Byzantius: Apollodorus complures: Gorgias etiam plures: PAROENVM, Lāpyridem, EVPHROSYNEM, fullonis filiā. Non ascriptę sunt MEGISTA, Agallis, Thaumātiū, THEOCLEA cognomento Corone, Lenætocystus, Astra, Gnathæna, illiusq; neptes ex filia Gnathęnium & Siga: SYNORIS, Lychnus cognomento, Euclea, Grammæa, THRYALLIS, Chimæra, Lampas. Athen. lib.13. cap.17.

ALCE meretrix. Dicebat Pythagoras se Euphorbum primò fuisse, deinde Pyrandrum, deinde Callidenam: deinde feminam pulcra facie meretricem, cui nomen fuerit Alce. Gell. lib.4. Noctium Attic.

ASPASIA Mileto orta, patre Axiocho, THARGELIAM inter priscas Ioniæ feminas imitatā (quæ corpore suo potentissimos Græcorum, Medorum regi conciliauerat) cū præstantissimis Græcorum rem habuit, ita ut Pericles repudiata legitima uxore eam sibi iunxerit. Quamuis alij ciuilium rerum causa à Pericle cultam asserant, ut & à Socrate, qui ad eam cum familiaribus quandoq; accessit: & mulieres ad eam mittere solebant propinqui & parentes. Parum decoro tamen se sustentauit artificio, cùm puellas corpore quæstum facientes domi aleret. Plut. in Pericle

Ab Apollodoro proditum, meretriculas quasdam fuisse Aphyas, id est Apuas cognominatas, quòd minutulæ forent, albæq;, oculis grandioribus. Nomina eis fuère, STAGONION & ANTHIS. Ex eadē causa in libro de Meretricibus, Nicostratida dici Apuam cœpisse, scribit Antiphanes. Cælius libro octauo, capite decimonono Antiq. lect. ex Athenæi libro 13. capite 19.

GNATHÆNA meretrix Attica uenusta & elegās, eius neptis fuit GNATHÆNIVM. Athen. lib.13. cap.14. & 15.

HOEAM, asserit in libro de amicis Antiphanes, Anticyram fuisse uocatam, siue quòd biberet cum inconstantibus ac insanientibus, siue quòd cùm eam cepisset Nicostratus medicus, ac postea moreretur, plurimum helleborū illi reliquit, nihilq; præterea. Athen. lib.13. cap.19.

Epicurus LEONTIVM habuit amicam, in arte meretricia celeberrimam. Ea ubi philosophari cœpit, mereri destitit, unaq; in hortis erat cum Epicureis, ac cum Epicuro apertissimè, ita ut maximè is illam amauerit. Athen. li.13. cap.20. Eandem Theophrasti libris respondit, Gellio teste.

LAMIA scortum Atticum dixit, Leones Græci, Ephesi redduntur uulpes. Cùm in Græcia corpore quæstum longo tempore fecisset, adeò Græci eius libidine delectati sunt, ut imaginem eius Delphis in sublimi columna erexerint, quæ ex auro purissimo constabat. Aelianus libro nono & 13. de Varia historia. Eandem senescentem Demetrius Poliorcetes rex amauit parum sobriè.

LEÆNA

LEÆNA Harmodij amica, eius qui tyrannum occidit, ab Hippiæ tyranni familiaribus torta, in tormentis mortua est. Athen. lib.13. cap.24.

Stratocles orator LEMEN amicam cognomento, quæ Parorama uocabatur, habuit, quæ duarum mercede drachmarū ad uolentem accedebat. Ex Gorgia Athen. lib.13. cap.24.

Haud nata est LAIS Corinthi, ut fortè Propertius & Claudianus, eam Ephyræam, id est Corinthiam nominantes, atque alij existimant: sed Hyccaris Siciliæ oppido, quod à Nicia duce Atheniensium ui captum & direptum est, ciuesque uenundati. In his à Corintho quodam emta est Lais, & Corinthum dono uxori missa. Ei cùm Venus, Melænis uocata, Corinthi per somnum apparuisset, accessum amantium bene numatorum significauit: teste Hyperide in oratione secunda contra Aristagoram. Cùm eam uirginem adhuc, aquam ex Pirene ferentem Apelles pictor conspexisset, illiusq; pulcritudinem esset admiratus, eam aliquando in amicorum symposium deduxit. Ridentibus autem sociis, quòd uirginem pro amica in symposium adduxisset, Ne admiremini, inquit: eam enim in futuram fruitionem, nondum peracto [illegible] pulcram demonstrabo. Athenæus libro 13. capite [illegible]era erat, ut pictores ad eam accederent, ut mam[illegible]usque mulieris imitarentur. Ob quæstum, & quòd [illegible]ynes zelotypia quibusuis daret, Ἀξίνη sunt dicta, teste Aeliano libro 12. Var. hist. Preciū concubitus erant mille drach[illegible]ue LX minæ, siue talentum, hoc est coronati nostrates DC. Macrobius dimidium talentum ponit. Vnde prouerbium, οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Demosthenes Corinthum nauigans, ut famoso amore potiretur, precij magnitudine territus, οὐκ ὠνοῦμαι, inquit, μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, Pœnitere mille drachmis non emo. Gellius lib.1. cap.8. & Macrobi[illegible] Phocione Peripatetico. In suburbano loco Corinthi, cui Craneo nomen, conspicitur illius sepulcrum, cui leæna insculp[illegible], prioribus pedibus arietem tenens. Ostenditur etiam in Thessalia Laidis monimentum. Venisse enim in Thessaliam dicitur, Hippostratum amatorem secuta. Tantæ fuit Corinthiis admirationi, ut nunc etiam de Laide certet. [illegible]rās in Corinth.

Μεγαρικὰς σφίγγας, Megaricas sphinges, SCORTA quædam uulgus olim appellabat, siue quòd uulgo molles Sphinctæ, παρὰ τὸ σφίγγω, dicuntur apud Græcos, siue quòd apud Megarenses nutrix sphinx appelletur, siue quòd Megarensium mores improbi fictiq;, & populari conuitio quodam notati fuerint. Erasmus.

Narrāt scortum quoddam fuisse nomine CYRENEN, cui cognomētum inditum δωδεκαμήχανον, propterea quòd in peragēda uenere duodecim figuris usa fuisse dicatur. Erasmus in prou. Duodecim artium.

METICHE scortillum Clepsydræ cognomentum sibi adoptauit, quum ad clepsydram concumberet, donec uniuersa deflueret aqua. Athenæus libro decimotertio, capite octauo, ex Asclepiade.

Meminit Hyperides in oratione contra Patroclum NEMEADIS tibicinæ: de qua admiratione dignum est, cui passi sint Athenienses scortum ita nominari, cum celeberrimæ congregationis nomen ea sibi usurparet. Nam non solis meretricibus, uerùm etiam omnibus seruis nomina huiusmodi imponi legibus cauebatur, ut Polemon inquit in iis, quæ scripsit de acropoli. Athen. lib.13. cap.19.

NICO Capra dicebatur, quia Thallum cauponem absumsisset. Capræ gaudent θαλλοῖς, id est, germinibus: quapropter neq; in summam Athenarum arcem animal admittitur, neque Palladi sacrificatur omnino. Athenæus libro 13 capite 19. Suidas Nannio meretrici hoc tribuit, quod Cælius lib.8. cap.8. A.L. reperit.

Per adagium Proscenia dicimus, quæ speciosa extrinsecus uidentur, quum mira intus lateat fœditas: sicut meretricula quædam, ut scribit Athenæus, NANNIVM nomine, Proscenium est cognominata; quæ uestium & auri cultu plurimo speciosa uidebatur, quum exuta foret uel turpissima. Cælius libro 8. capite 8. A.L.

NICARETE Megarensis, & genere & disciplina digna erat, quæ amaretur: audiuerat enim Stilponem philosophum. Athen. lib.13. cap.24.

Celeberrima fuit PLANGON Milesia, quam adolescens quidam Colophonius amauit, licèt Bacchidem amicam haberet Samiam. Plangon Bacchidis forma audita, ut iuuenem ab amore sui diuerteret, congressus postulauit monile Bacchidis preciosissimum. Hic cùm magnoperè amaret, expetiit à Bacchide, ne ipsum mori pateretur: Bacchis monile cōcessit. Cùm uerò cognouisset Plangon Bacchidem ab inuidia esse alienam, suum illi monile remisit. Itaque communem dum uixerunt, habuerunt amasium. Quam rem admirati Iones, ut inquit Menetor in libro de Depositis, Plangonem in posterum Pasiphilam uocarunt. Athen. lib.13. cap.23.

PHANOSTRATEN Apollodorus libro de Atheniensibus meretricibus, dicit nuncupari Φθειροπύλην, quòd in porta stans pediculos colligeret. Suidas, ex Athen. lib.13. cap.19.

Meminit Demosthenes SINOPES in oratione contra Androtionem, & Herodicus Crateticus libro Comœdiarum sexto, quòd cùm esset senex, Abydus appellabatur, quoniam à nemine adiretur. Athenæus ibidem. Hinc Sinopissare, lasciuire. Erasmus in Adagiis.

PHRYNE Thespiensis (quæ ciuitas est Bœotiæ) in iudicium uocata, dum sibi timeret à sententia iudicum, defendente Hyperide oratore, sublatis tunicis corpus denudauit. Cuius pulcritudine permoti iudices, liberam abire permiserunt. Neque tam profuit puellæ oratoris actio & patrocinium, quàm uenustas formæ. Quintil. & Pausanias lib.1. Interpositum mox decretum, ne quis misericordiæ captandæ gratia epilogis uteretur. Hæc quibuslibet sui copiam facere solebat, nullo delectu personarum, seu diuites essent, seu pauperes, in neminem fastidiosa. Itaq; turbam amatorum habuit. Huc respexit Horatius inquiens:

— Me libertina, nec uno
Contenta Phryne macerat.

Apelles Veneris typum, quā Anadyomenen uocant, à Phryne insigni pulcritudine mutuatus est, quum ea in Eleusiniorum panegyri, spectante uniuersa Gręca, speciosissimum nudasset corpus (quod alias ferè nunquam fecisse memoratur) ac soluta coma descendisset in mare. Cæterùm ex eodē archetypo Praxiteles quoque Gnidiam dicitur Venerem cōformasse. Cælius lib.14. cap.15. A.L. Eius statuam fuisse apud Delphos auream scribit Libanius. Commeminit in Præceptis sanitatis etiam Plutarchus, eam dicere solitam prodēs, ubi iam consenuisset, ac flaccida toto foret corpore, τὴν τρύγα πλείονος πωλεῖν διὰ τὴν δόξαν: id est, pluris fecem uendere ex opinione, quàm de ipsa concepissent homines. Hanc denique dixère Græci, lecythum habere in malis: quod exponens Suidas, ad faciei retulit tumorem, quia sit lecythus [illegible]tuticans uas. Ego ad formæ elegantiam referendum contenderim, ut illam intelligamus, naturali specie præsignem, accersitam commendationem, & peregrinas haud magnoperè nugas conquisiuisse, inquit Cælius.

PHILÆNIS meretrix, quam Philocrates poeta Græcus suis carminibus lacerauit. Huius etiam meminit Martialis lib.7.

SAPPHO ex Eresso, formosum Phaonem amauit, ut Nymphis ait in Asiæ nauigatione. Athenæus lib.13. cap.24.

THAIS meretrix insignis, Atheniensis genere, amica fuit Alexandri Macedoniæ regis, quam postea Ptolemæus magnoperè adamauit. Eius suasu Alexander Persarum regiam cremauit. Atticam iuuentutem in sui amorem pellexit. Hanc suis carminibus celebrauit Menander comicus, unde Menandrea dictur Propertio:

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Tradit Xenophon, Socratem aliquando in colloquium cum THEODOTA meretrice uenisse, eamq; ob formam uehementer laudasse. Athenæus libro decimotertio, capite uigesimo. Sed & cum CALLISTE sermonem habuit, quæ cùm diceret: Ego quidem, ô Socrates, multum tibi præsto, nam cùm tu neminem ex meis à me possis abalienare, ego, cùm libitum est, tuos omnes à te auoco. Respondit: Quid mirū hoc est? siquidem tu ad decliuem tramitem omnes rapis: ego ad arduum uirtutis culmen. Aelianus libro decimotertio de Varia historia.

ACCA Laurentia Faustuli uxor fuit, & propter uulgati corporis utilitatem, Lupa inter pastores, id est meretrix nuncupata est: Ad eam Romulum & Remum paruulos, prope ripam Tiberis expositos ab Amulio patruo, Faustulus regij pastor armenti detulit. Ab hac ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ, Lupanaria dicuntur. Lactantius lib.1. Instit. & D. Hieron. in Chronico, & Eusebius.

ACCA Laurētia nobiliss. scortum, Herculis concubitu usa, Carutio Romano nupsit, eiusdēq; hæreditate aucta, pop. Rom. hæredem nuncupauit. Proinde sacrum illi publicum institutum. Macrob. lib.1. Saturn. cap.10.

FLORA meretrix populum Romanum instituit hæredem. Vnde Floralia sacra eidem consecrata sunt. Alio nomine Laurentia uocatur. Gell. lib.6. cap.7.

FACCVLA Cluuia Capuana meretrix, erga Romanos pientissima, Annibale Capuam tenente, alimenta captiuis egentibus Romanis furtim suppeditabat. Liu. lib 26.

MANILIA meretrix Rom. cui A. Hostilius Mancinus diem dixit ad populū, quòd de ambulacro eius noctu lapide ictus esset. Gellius.

Hispala quædam FECENIA ancilla Romę quæstum corpore fecerat: mox libera, uni P. Ebutio adolescenti pupillo animū adiecit, sustentauitq; suis opibus, hæredemq; testamento, consuetudine capta, destinauit: cuius indicio turpissima Bacchanalia Romæ detecta fuere. Sab. lib.7. En.5.

PRÆGIA

PRÆCIA meretrix Romana potens amicitiis fuit, quòd uteretur iis, qui cum ipsa consuetudinem & rationes habebãt, ad amicorum uoluntates & negotia. Itaq; hanc comparauit sibi existimationem, ut amicorum studiosa & negotiosa haberetur. Ad quam sub Cethego opes reip. semel omnes recidere. Plut. in Lucullo.

In fragmentis Arbitri Petronij inquit QVARTILLA: Iunonẽ meam iratam habeam, si me unquam meminerim uirginẽ fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni. Hinc adeò uidetur natum prouerbium illud, ut posse dicatur taurum tollere, qui uitulum sustulerit. Erasmus in Chiliadibus.

BARYNEN Romanam meretricem Horatius suis carminibus illustrauit.

Messalina Claudij Cæsaris coniunx, ad certamen ueneris elegit nobilissimam ex prostitutis ancillam mercenariæ stirpis, nomine LYCISCAM: eamq; die ac nocte superauit, quinto ac uicesimo concubitu. Plin. lib. 19. cap. 62.

LAIS, ELEPHANTIS, SALPE, meretrices, quarum scripta de sanguine menstruo & abortiuis, Plinius libro 28. capite septimo, recenset.

Catulli scriptis celebratæ meretriculæ, IPSITHILLA, ACME tutpiculo puella naso Decoctoris amica Formiani: AFILENA.

Ausonius GALLAM iam uetulam celebrat.

Martialis CHRISTINAM, MAXIMIANAM anum, cui tres tantùm dentes supersunt, sed planè piceiq; buxeiq;, LEDAM à Milicho redemtam: LAVFELLAM, THAIDEM nulli nihil negantem, CHLOEN, FABVLLAM, mammosam SPATALEN.

Immoderatam CÆLIÆ libidinem notat Martialis lib. 7.

Das Cattis, das Germanis, das Cælia Dacis,
Nec Cilicum spernis Cappadocumq; thoros, &c.

CHIONE & PHLOGIS scortilla Martialis celebrata uersibus libro 11. Epigrammatum.

In CATVLLAM idem Epigrammatum lib. 8.

Formosissima quæ fuêre, uel sunt,
Sed nilissima quæ fuêre, uel sunt,
O quàm te fieri, Catulla, uellem
Formosam minus, aut magis pudicam.

MARIA Aegyptia meretrix cùm Hierosolymam uenisset cum illis, qui ad diem festum exaltationis Crucis commeare eò pro consuetudine solebant, ut in sequenti peregrinantium cœtu libidinem expleret: Templi aditu diuinitùs prohibita, pœnitẽtiam egit, sumtaq; cœna Domini in desertum abiit: ubi per XLVII annos extra omniũ hominũ consuetudinẽ nuda uixit. Fulgosius lib. 6. cap. 9. Marul. lib. 4. & lib. 2. cap. 12. Sabell. Ennead. 7. lib. 9.

PELAGIA Antiochena, cùm & diuitiis & corporis facie multum emineret, libidini dedita, usq; adeò frontem fregerat, ut gloriaretur nullam se neq; ornatiorem neq; lasciuiorem in publicum procedere. At ubi Nonij Heliopoleos episcopi prædicationes audiuit, recognouit errorem suum, penitusque immutata ornatum omnem abiecit, & quicquid habebat opum, pauperibus erogauit: atq; impudicitiis finẽ statuens, in mõte Oliueti tuguriolum sibi posuit: tum ne quis in solitudine manenti feminæ insidiari in animum induceret, sexu celato Pelagium se nominari fecit. Tantumq; deinde uitæ sanctitate excelluit, ut de pelago uitiorum facta diceretur pelágus uirtutũ, amarissimas Marath aquas in dulces conuertens. Marul. lib. 2. cap. 12. & Sab. lib. 5. cap. 5.

THAIS Alexandrina meretrix, crebris Paphnucij abbatis admonitionibus ad pœnitentiam conuersa, facultates, quas non modicas corporis uulgatione parauerat, constructa pyra in ignem contecit: & de prostibulo, ubi diu diabolo seruierat, ad monasterium transiens seruiuit Christo. Post trienem eius clausuram Paulo Antonij abbatis discipulo reuelatum est, dimissa esse à Domino Thaidi peccata. Itaque à Paphnucio de cellæ carcere educta, cùm dies XV supersuisset, migrauit ad paradisum. Marulus ibidem.

APHRA meretrix Cretensis, unà cum tribus ancillis, Dimna, Eugenia, & Eutropia, cunctis se prostituebat. A Narcisso Hierosolymorum episcopo persuasa, uoluptati repudium misit, & tandem martyrium passa est. Marul. lib. 2. cap. 12.

NICETA & AQVILINA sorores, quum corporis quæstu mererent, missæ sunt à rege Dagnæ ad corrumpendum beatum Christophorum, inculcandumque ei falsæ religionis cultum. Verum & ipsæ ad fidem conuersæ sunt, & iussu regis interfectæ. Idem.

CERTORVM HOMINVM SCORTILLA. PVIA

Rhetorum.

PHRYNE Hyperidis oratoris summi scortum, qui pro ea causam capitis dixit.

Hermippus Isocratem scribit iam senem LAGISCAM amicam in domum accepisse, ex qua filiam habuit. Athenæus libro 13. capite 22.

Poetarum.

Sophocles tragicus senior THEORIDEM amicam amauit. Similiter ARCHIPPEM, quam & hæredem reliquit. Vbi cum sene Sophocle Archippe congrederetur, Smicrides prior illius amasius à quodam interrogatus, Quid ageret? Archippe, inquit, instar noctuæ sepulcro insidet. Athenæus libro 13. capite 22.

MEGALOSTRATEN poetriam Alcman poeta amauit, quæ amatores uel solo colloquio ad se trahere poterat. Athenæus lib. 13. cap. 26.

LYDAM Antimachus Colophonius, atq; alteram eiusdem nominis Lydam Lamynthius Milesius amauit. Vterq; horũ poetarum cùm in Lydæ barbaræ amorem incidisset, fecit hic quidem in Elegis, ille uerò in Lyricis poema Lydam uocatum. Athen. lib. 13. cap. 25.

THALATTA Dioclis amica fuit, CORIANNO Phereæi, Eunici siue Philyllij ANTHEA, THAIS & PHANNIVM Menandri, OPORA Alexidis, Eubuli CLEPSYDRA. Athenæus lib. 13. cap. 8.

De GNATHÆNA Diphili Comici amica Machon Athenæus lib. 13. cap. 14.

NANNO tibicina Mimnermi, LEONTIVM Hermesianax Colophonij, qui de eã tres libros Elegiacos conscripsit, & uarios poetarum amores recensuit. Athen. lib. 13. cap.

LICINIA Horatij Testis ipsemet lib. 2. Carminum:

Me dulcis dominæ Musa Licinæ
Cantus, me uoluit dicere lucidùm
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus.

Amauit & GLYCERAM lib. 3. Carm.

Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

De LESBIA (quæ uero nomine uocabatur Claudia) Catullus:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Verè, quantùm à me Lesbia amata mea est.

DELIA, SVLPITIA, NEMESIS, NEÆRA, Tibullii:

Vrit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuat quem nihil esse domo.

Propertius elegiographus HOSTIAM puellam mutato nomine (ut L. Apuleius inquit) CYNTHIAM appellauit. De ea Martialis:

Cynthia, facundi carmen iuuenile Properti,
Accepit famam, nec minùs ipsa dedit.

LEVCADIA Terentij Varronis. Hinc illud:

Hæc quoq; perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.

QVINTILIA, Calui Licinij. Propertius lib. 2.

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui,
Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.

Corn. Gallus poeta Foroliuiensis, Aegypti præfectus, CYTHERIDEM amauit, sub nomine LYCORIDIS, libertã Volumnij, quæ eo spreto Antonium eum in Galliam est secuta. Cuius amorem graphicè describit Maro Eclogã 10.

ACME, Septimij. Catullus:

Acmen Septimius (suos amores)
Tenens in gremio: Mea, inquit, Acme,
Ni te perditè amo, atq; amare portò
Omnes sum assiduè paratus annos,
Solus in Lybia, Indiaq; tosta
Cæsio ueniam obuius leoni.

MELÆNIS, Domitij Marsi. Martialis:

Nota tamen Marsi fuisca Melænis erit.

CESENNIA, Cn. Getulici epigrammatistæ.

De PAMPHILA, Valerius Aedituus sic apud Gellium scribit:

Dicere quum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quæram, membra labris abeunt:
Per pectus miserum manat subitò mihi sudor,
Sic tacitus, subitus, duplo ideo pereo.

CHRYSIS, Q. Trabeæ comœdiographi. NEÆRA, Licinij Imbricis Comici.

VIOLANTILLA, Stellæ siue Asteris poetæ, Græcè Hyantis dicta. Martialis libro 6.

Perpetuam Stellæ dum iungit Hyantida uati,
Læta Venus dixit, Plus date non potui.

Statius in Syluis.

BISSVLAM Suetiam, quæ Latias uincit alumna pupas, suo celebrat carmine Ausonius, bello captã, sed manumissam.

Philosophorum.

HERPYLLIS pellex Aristotelis, magni illius philosophi, cui & sacra fecisse dicitur, & ex ea filiũ Nicomachũ suscepisse. Obtinuit aũt eam ab Hermia eunucho, principe Atarneensium: postquam Pythias Hermiæ filia, quam priùs pro uxore habuerat, mortem obiisset. Athen. lib. 13. cap. 21. & Laertius.

ARCHEANASSA Platonis amore celebris.

ARI-

Aristippus cuidam, LAIDEM insectanti apud ipsum, ut nõ amantem sui, respondit, Etiam unum existimare & piscem non diligere se, sed esse iucundam sibi utriusq; usuram. Plutarchus in sermone Amatorio.

Mechanicorum.

GLYCERIVM, Thespiensis meretrix, dono Cupidinem à Praxitele dolo acceptum, Thespiensibus donauit. Strabo. At alij hoc PHRYNE tribuunt.

ELPENICE Miltiadis F. Polygnoto pictori se substrauit. Ibid.

Cùm Alexander Magnus dilectam sibi ex pallacis suis præcipuè, nomine CAMPASPEN, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset, cumq; tum pari captũ amore sensisset: dono eam dedit. Magnus animo, maior imperio sui, nec minor hoc facto, quàm uictoria aliqua, inquit Plin. lib. 35. cap. 10. Quippe se uicit, nec thorum tantùm suum, sed etiam affectum donauit artifici: ne dilectæ quidem respectu motus, ut quæ modò regis fuisset, nunc pictoris esset. Sunt qui Venerem Anadyomenem illo pictam exemplari putãt.

Sacrorum hominum.

THESIA scortum Petri Riarij, Cardinalis Sauonensis, sumtuosissimum.

Regum, Principum.

RESPHA, Sauli Iudæorum regis concubina fuit. 2. Reg. 3.

ESTHERA (Baltassare interfecto) Darij Medi, qui & Artaxerxes & Astyages, concubina.

Cyrus, qui in fratrẽ militauit, sapientissimã formosissimamq; Phocaidem amicam habuit, quæ cum illo militauit: quam Milto priùs uocatam fuisse asserit Zenophanes, postea ASPASIAM. Athen. lib. 13. cap. 13. & Plutarchus in Artaxerxe, qui eam interfecto fratre in consortium thori accepit.

PHÆDYNA, Otanis Persarum satrapæ F. concubina Cambysis primùm, deinde Smerdis magi, quem falsum Smerdem esse deprehendit. Herod. lib. 3.

NITETIS filia Apriis regis Aegyptiorũ ab Amasi interfecti, missa ab Amasi ad Cambysem regem Persarum habitu & loco filiæ, cùm Cambyses Amasis F. in matrimonium postulasset, & Amasis nec propter illius potentiam negare auderet, nec concedere uellet, cùm sciret Cambysem illã tantùm cõcubinæ loco habiturum: ipsa ingenuè ueritatem fassa, Cambysem ad Amasim ulciscendum impulit. Herod. lib. 3.

Philippi Macedonis amica fuit PHILINNA saltatrix, ex qua Aridẽ habuit, qui regnauit post Alexandrũ. Athen. l. 13. c. 13.

Alexãder Magnus THAIDEM habebat Atticam amicam secum: de qua scribit Clitarchus, quòd causa extiterit, ut Persepolis comburetur. Post Alexandri mortem Ptolemæo ei nupsit, qui primus regnauit in Aegypto: filiumq; Leontiscum illi peperit & Lagum, filiã uerò Irenem, quam Solon rex Cypri duxit uxorem. Athen. lib. 13. cap. 13.

Ptolemæus Philadelphus multas habuit amicas. DIDYMAM unam ex indigenis mulieribus aspectu pulcerrimam, & BILISTICHEM & AGATHOCLEAM, præterea & STRATONICAM, cuius monumentum extat in mari: ELEVSINAM, & MYRTIVM, aliasq; complures, cùm maximè in res uenereas esset pronus. Athen. lib. 13. cap. 13. Eius filius IRENEM habuit: quæ, cùm ob Thracũ insidias ipse in Dianæ sacellum in Epheso confugisset, unà cum eo ad aras iugulata est. Idem cap. 23. De iis sic Plut. in Ser. amatorio: Tibicinæ Samiæ & saltatrices Aristonica, & tympanum tenens Oenanthe, Agathocliaq;, regũ diadematibus insultauerũt. BELESTICÆ barbaræ, è foro emtæ mulierculæ, sacra & fana habent Alexandrini, concedente per amorem rege, Veneri Belesticæ dedicatã.

ITHACA seu Irene, Ptolemæi Physconis concubina, regem Iudæis conciliauit, in quos iniratus erat ob Oniam Iudæũ, qui dux & amicus Philometoris, bellum pro Cleopatra sumpserat aduersus Physconẽ filium, qui mortuo patre reginam matrem regno uolebat expellere, Iudæosq; omnes in oppidũ comprehensos, nudos & unctos elephantis uino ebriis subiicere conculcandos. Ioseph. lib. 2. cõtra Appion.

Demetrio Poliorceti LAMIA, quantumuis iam declinante ætate, mirificè placuit. Plut. in Demetrio.

Pyrrhi Epirotarum regis, qui tertius erat ab eo Pyrrho, qui in Italiam militauit, TIGRIS Leucadia, erat amica. quam Olympias mater adolescentis pharmacis interfecit. Athenæus libro 13. cap. 21.

MYSTA, Seleuci regis amica, Seleuco à Galatis profligato, seruæ assumto habitu, capta, ac unà cum suis ancillis uendita, uenit Rhodum: & inde magna diligentia remissa fuit ad Seleucum. Athen. li. 13. cap. 23.

PHILIPPVS Macedoniæ rex è Larrice GNATHÆNIO Pellæum filium, regni successorem suscepit. Plut. in Arato.

Cn. Pompeius Magnus, uicto fugatoq; Mithridate, ex omnib. Mithridatis pellicibus, quæ attractæ ad eum fuêre, nullam attigit: omnes ad parentes & propinquos remisit. Nam duarum ferè & dynastarum filiæ coniugeq; erant. STRATONICE uerò, quæ apud regem summa erat auctoritatis, opulentissimamq; arcem seruabat, cantoris cuiusdam, uti fama est, non abundantis & senis fuit filia. Adeò hæc repentè psallens in conuiuio cepit Mithridatem, ut eum ea illicò cubitum discederet, senemq; ablegaret, molestè ferentem, quòd ne appellasset quidem se benignè. Ea Pompeio & arcem tradidit, & multa munera obtulit: ex quibus ille, quæ ornatum templis & triumpho existimabat præbitura splendorem, sola accepit: reliquis Stratonicen se iussit oblectare. Plut. in Pompeio.

Vespasianus post Flauiæ Domicillæ uxoris obitum CENIDEM Antoniæ libertam adamauit, habuitque penè iustæ uxoris loco, Imperator iam principatum assequutus. In huius defunctæ locum pellices dehinc plurimas constituit, quarum familiaritate & in balneo & in triclinio, & dum gestaretur, utebatur. Cuspinianus, ex Suetonio.

MARTIA Commodi Romanorum Imperatoris, atq; Quadrati eius cubicularij pellex, quã Electus postea in uxorem duxit DAMOSTRATA similitet Cleander, ex seruo Commodi cubicularius factus, in uxorem duxit. Dion.

Mulier Phœnissa, MOESA nomine, siue Varia, ab Emesa urbe Phœnicæ, soror fuit Iuliæ, uxoris Seueri Pertinacis Afri; & nouercæ Antonini Caracallæ. Ea, uiuente sorore, multos annos in aula Imperatoria uixerat, Seuero & Antonino principibus. Sed post mortem Antonini Bassiani ex aulica domo expulsa est per Macrinũ superbiam. Huic erant duæ filiæ, quarum maior natu Sœnis, quæ Symiamira Capitolino dicitur, Sext. Aurelio Semea: & minor filia Mammæa. E quibus & filij sunt nati, ex Mammæa Alexander, ex Sœnide siue Symiamira Bassianus, stupro Antonini: qui & nomen Antonini accepit, & Heliogabalus dictus est: quo nomine Phœnices solem uocant. Moesa igitur militibus persuasit, Bassianum, qui & Heliogabalus dicebatur, filium esse Antonini: & cùm ditissima esset, profusas largitiones militibus dedit, ut legiones à Macrino abduceret. Astu igitur mulieris Imperator declaratur Heliogabalus, & occiditur Macrinus. Cuspinianus.

Galienus Imp. deperiit concubinam barbaram quandam, regis filiam, quam Trebellius Pipcram, Sextus Aurelius PIPAM uocat: quam per pactionem, concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege matrimonij spe acceperat. Cuspinianus.

Carolus Magnus Imp. uxore V. Luitgarda sato functa, concubinas habuit plures: GERSVINDAM, Saxonici sanguinis admodum pulcram, quæ ei filiam Adelrudim peperit: REGINAM, ex qua Drogonem & Hugonem filios genuit: ADELINDAM, ex qua Theodericum procreauit: HIMELTRVDIM, quæ ei filium Pipinum, cognomẽto Gibbosum peperit. Sunt & notatę à scriptoribus, Richildis, Liutpurga, Leomna, & aliæ complures, quibuscum commercium uoluptatis habuit. Cuspinianus.

GONORIA concubina Ricardi Ducis Normanniæ, ab eo post obitum uxoris in matrimonium ducta, nuptiarum nocte prima in lecto dorsum marito obuertit. Insolentiam admirante Duce, Non mirum, inquit, in tuo hactenus lecto tibi morigera iacui: at postquam cum communem recum mihi esse uoluisti, in eo potiò tanquam proprio in utrunque latus securè possum dormire. Aegidius Corrozetus, de Dictis & factis mem.

Fertur Henricus Auceps Imp. ante Mechtildem uxorẽ CONCVBINAM habuisse eiusdem nominis, mirè pulcram, ex monasterio ereptam. E qua suscepit Danquardum, pòst ab Othone, quem ducatu priuare nitebatur, interfectum. Cuspinianus.

Henricus II. Anglorum rex non contentus uxore, multas dilexit feminas, & in primis puellam quandam succi plenam,

quam ipse ROSIMVNDAM, uulgus Rosam mundi appellabat, quòd esset forma prętercæteras liberali atq; uenusta, cui apud pagum Vodestocum miro opere domum ædificauit instar Labyrinthi, ut ne ab uxore pellex facilè deprehendi posset. Sed puella parum superstes fuit, cuius sepulcrum etiam nunc uisitur apud Oxonium, in cœnobio monacharum, quod Godstoucium uocant. Affixum hoc distichon:

Hoc iacet in tumulo Rosa mundi, non rosa munda:
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet. Polyd.lib.13.

Ducum militarium.

HECAMEDE, Nestoris concubina, dicta à prouidẽtia, quòd longè in futurum prospiceret. Suidas.

Antigona muliercula Pellæa, in turba ad Damascũ captarum, (antè ab Autophradate, cùm nauigaret Samothraciam, capta) forma liberali, conciliata Philotę Macedoni, qui multa arcana apud eam effutiuit: Quid fuisset, inquiẽs, Philippus, nisi esset Parmenio? Quid esset Alexander, nisi Philotas foret? Vbi Iupiter Ammonius, ubi dracones, nisi placeat nobis? Ea dicta Antigona apud mulierem quandam ex familiaribus enunciauit, illa apud Craterum. Craterus ad Alexandrũ clàm introduxit Antigonem, eaq; regi Philotę dicta factaq; omnia detexit. Plut.in Alex.& ser.2. de Alex.fortun.

FLORAM meretricem aiunt natu iam grandiorem ferè semper commemorantem cum Cn. Pompeio consuetudinem, dicere solitam, non potuisse se ab illius concubitu sine aculeo discedere. Narrasse præterea Floram, sui desiderio familiarem Pompeij Geminiũ flagrasse, multumq; ipsam attentando fatigasse: cùm negasset Pompeij causa se eum admissuram, egisse cum illo Geminium: ac concessisse quidem id Geminio Pompeium, uerùm nunquam postea ipsam, quãuis amare uideretur, attigisse uel conuenisse. Id se non meretricia leuitate tulisse, uerùm ex mœrore & desiderio perdiu ægrotasse. Plut.in Pompeio.

Robertus, filius Richardi, dux Normanniæ, PVELLAM, cuius in ducendis choreis uenustos & decentes gestus uiderat, aliquãdiu secum habuit, ex eaq; Gulielmum Conquæstorẽ, regem Angliæ primum è Normãnis genuit. Malmesburiensis lib.3.cap.1 Hęc ea nocte, qua primùm cum duce cubauit, pudoris causa, noluit interulam exuere. Sed cùm Robertus expediret se ad operam dandam liberis procreandis, illicò eius partem superiorem interscidit: & interrogata à Duce, cur ita faceret? respondit, non decere se oram interulæ, quæ sibi pedes circuiret, ad os domini sui uertere. Eadẽ puella, prius quàm páreret, somniasse fertur intestina sua in altum ferri, explicatiq; per omnem Normanniã, ac Angliæ ambitum. Ex qua re, futura Gulielmi magnitudo facilè à matre sperari cepit. Polydorus lib.8.

Quum Perusinis Magnus Sforcia stipendia mereret, in hybernaque concessisset ad Martianum oppidum: uirginem admodum nobilem adamauit, LVCIAM Trezaminam, adeò ut amatoriis obsequiis, & spe nuptiarum pellectam, iustæ uxoris loco haberet & coleret. Ab huius felici admodũ fœcunditate auctus est fortunata sobole maximorum ducum & principũ. Sed eam aliquot post annos, uti iam planè imparem, Ludonico Folianeo in matrimonium opulenta dote præbita collocauit. Ex ea natus est Conradus, qui Francisco Sforciæ uterino fratri, pluribus in bellis fortem fidelémque operam nauauit. Subsequentibus uerò annis adamauit & TAMIRAM uenustate admirabili, oriundam è Calle Vmbriæ oppido, iuxta uiam Flaminiam: è qua ad aquas Pendulas in Hetruria suauissimi oris filiam, nomine Honestinam, suscepit. Iouius in uita eius.

CONNVBIA PROMISCVA. MATRIMONII CONTEMTVS.

Exempla plurima ex catalogo Hæreticorum pete, qui nuptias tanquam opus diaboli condemnarunt, & promiscuos concubitus admiserunt.

Macarum in Africa finitimi sunt GINDANES, quorum uxores ferunt fimbrias pelliceas singulæ multas, ob hoc (ut memoratur) quòd ut à quoque uiro uenerem passa est, fimbriam orat: & ut quæque plurimas habet, ita præclarissima censetur, tanquam à pluribus uiris adamata. Herodotus libro quarto.

Ex lege Theopompus refert, ut scribit Athenæus, TYRRHENIS mulieres fuisse communes, quæ corpori studerent impensius, exercerẽturq; cum uiris nudæ: neq; enim illis turpe censebatur hoc. Cœnasse uerò cum iis, in quos incidissent, propinando item pro arbitrio, fuisse quoq; uini capacissimas, sed & forma conspicuas. Cælius libro decimoquarto, cap.8. Antiq, Lectionum.

NOMADES cõmunes habent uxores & filios, & apud SCYTHAS, præter ensem & cyathum, uxores & liberi in communi sunt.

DAPSOLYBIES congregati, omnes uno die uxores unà du-cũt, post Vergiliarũ occasum. Nam post epulas mulieribus seorsum discumbentibus, extincta lucerna, uiri ad ipsas ingrediuntur: & quilibet quamcunq; contigerit, ducit. Ex Nicolao de Moribus gent. Stob.serm.42.

LIMYRNII populi uulgato concubitu connubia habuère promiscua, filiosq; editos post quinquẽnium in unum coactos, suum quemq; similem agnoscere, & pro filio educare feruntur. Alex.ab Alex.lib.1.cap.24.

Argentocoxi Caledonij Britanni uxor, Iuliæ Augustæ, quæ ipsam mordebat, initis fœderibus, quòd SCOTORVM mulieres pro more gentis impudenter cum marib. uersarẽtur, dixisse fertur: Nos apertè cum optimis uiris habemus consuetudinem: uos autem Romanas occultè pessimi homines constuprant. Dion Nicæus, & Xiphilinus in uita Seueri.

FRATERCVLI hæretici promiscuo utuntur concubitu, lucerna extincta. Sab.lib.7.En.9.

ADAMITIS in Morauia connubia promiscua fuère, nefas tamen iniussu Adami mulierem cognoscere: sed ut quisq; libidine incẽsus in aliquam exarsit, eam manu prehendit, & adiens principem, In hanc, inquit, spiritus meus concaluit. Cui princeps respõdet, Ite, crescite, & multiplicam[redacted]

Apud[redacted]

sedem. A conflictu fugiens Antiochus, C[redacted]dit, & puellam abstulit. Plut.in Flaminio.

In NICONOEM uetulam tale carmen extat in secundo Epigrammatum:

Ἠκμασε νικονόη, κἀγὼ λέγων ἠκμασε οἱ αὐτῇ,
ἡνίκα δολιχασιων ἄπληστον εἶδεν ὕδωρ.
ταῦτα μὲν ἢν ἡμεῖς σὺχ αἰσθόμεθ' ἀλλ' ὅτι ταύτην
σὺκ ἄνδρα ζητεῖν νῦν ἔδει, ἀλλὰ τάφον.

Dionysij senioris MATER, cùm quæreret grandæua uiro collocari, Ciuitatis, respondit ille, perrumpere leges se posse, naturæ non posse. Plut.in Apophthegmatib.

M.CATONEM cõciliatę præter dignitatẽ & ætatem nuptiæ, nõ mediocri neq; leui macula asperserũt incontinentiæ. Nã ætate illũ tam graui, filio adulto & nurui suæ alterã inducere puellã uxorẽ, appaitoris & mercenariã operam publicè præbentis filiam, minimè fuerit honestum. Verùm siue libidine stimulatus hoc egit, siue ira, scorti causa ulturus filiũ, & factum & prætextus cum probro est coniunctus. Nam qua usus est ratione, cauillãs apud filium, falsa erat. si enim æquè egregios gignere cupiebat, debebat reã principio deliberata generosam uxorem ducere: non quamdiu occulta fuit sua cum muliere non iusta & uulgari cõsuetudo, temperare: ubi uerò res detecta est, socerum facere eum, quem facillimè assensurus, non affinitate ornamẽto ei erat futurus. Plut.in comparatione Aristidis & Catonis.

AVGVSTINVS Niphus Suessanus, philosophus clariss. suscepti s liberis & senescente uxore septuagenarius senex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus est, usq; ad insaniam, ita ut philosophus senex & podagricus ad tibiæ modos saltarit, nec multo pòst perierit. Iou.in Elog.

IOAN. Manardus Ferrariensis, medicus clarissimus, prolis quàm uitæ cupidior, decrepitus ferè & arthritide cõfectus, iuuenculam duxit uxorem. Itaq; ex intempesto ueneris usu mortẽ sibiipsi accersiuisse creditur: accedente ridiculo quodam Chiromantis cuiusdam præsagio, qui in fouea periturum dixerat. Iouius in Elogiis.

Dignitatis, inter dispares.

Vide Tit. Acquisitio libidinis neglectu dignitatis.

VDALRICVS, Boëmiæ princeps, à uenatu reuertens, incidit in puellam rustici cuiusdam hominis filiam, Beatricem Bozenam, linteolorum sordes in fonte eluentem. Eius amore correptus frustrà dissuadentibus omnib. non pro concubina habere, sed uxorem esse uoluit: se una nocte effecturum dicens, ut quæ pridie uirgo rustica fuisset, perẽdie princeps mulier esset. Sed breui à nuptiis tempore, Beatrix tale generosæ indolis specimen, tum morum elegantia & modestia, tum uerborum comitate & ciuilitate, tum uita denique casta & pudica ostendit, ut non in minorem sui admirationem, quàm priùs inuidia n, matronas etiam nobilissimas traxerit. Dubrauius lib.7.

Connubij præcedentis. Nuptiæ secundæ libidinosæ.

GORGOPHONE Persei filia (cuius tumulus Argis spectatur) prima fuit, quæ Perieri Aeoli filio, qui cum uirgo nupta fuerat, mortuo, alteri uiro Oebalo nupsit: cùm ante sanctum & solenne feminis fuisset, priore uiro mortuo, secundis nuptiis abstinere. Pausanias in Corinth.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. Zoe Imperatrice septuagenaria mortua, amore perditus cuiusdam puellæ, ab Alanis in obsidem Romanis datæ, primatis eius gentis filiæ, Augustam appellauit. Et nisi Theodora regina Zoes sorori obstitisset, quaternas cum ea nuptias celebrasset. Imperatricẽq; dixisset. Sed nõ durauit illi regius honor rege mortuo: sed fortuna mutata, in priorẽ obsidis sortẽ recidit. Idẽ.

CVNIGVNDIS Bulgara, Othocari Boëmorum regis uidua, dum Venceslaus IIII. filius ab Othone Longo Marchione tutore Brandeburgi educatur, nimis familiariter cum Zauisse [illegible]sensi Znoymæ uiuens, peperit primùm, mox cum a[illegible] matrimoniũ cõtraxit. In magno interim metu ambo [illegible] ut in Boëmiã ad possessiones suas redire nõ audebant. Cæterùm Venceslaus domum reuersus, matri ad primũ eius conspectum gratiam delicti fecit: Zauissium tamẽ aspicere dedignatus est, uetuitq; in aula sua eum apparere. Sed mater paulò [illegible] ueniam illi quoque impetrauit, & in eum dignitatis locum prouexit, ut penes eum omnis potestas aulica esset. Dubrauius lib.8.cap.18.

Nostro tempore, inquit Viues, in Flandria MVLIER quædam cùm nupta propè ad L annum sine fœtu mansisset, defuncto uiro, nupsit alteri: id solùm prętendens, ut experiretur, utrũ, quod liberos non haberet, fuisset culpa in se, an in uiro. digna profectò cupiditas muliere uetula, sed delira. Nec illi lætum admodum fuit connubium. nam filium peperit, qualem nulla habere uellet. Ludo. Viues de Christiana femina libro 2.

EXERCETVR.

Variis modis hoc peccari potest, loco, tempore specie, similibusq; circumstantiis. Peccati autem causa in genere unica Libido scilicet effrænis & impotens, quæ sæpe facit ut benedictio diuina in maledictionem conuertatur Ex Tit. seq. Libidinis consideratæ respectu Modi, Loci, Temporis, hæc quædam.

Religionis neglectu.

GENEBAVDVS Laudunensis episcopus, cùm uxorem, cum qua religionis causa diuortiũ fecerat, cognouisset, septem annos in parua cellula clausus peregit, deflens peccatum suum: atq; illud tandem sibi condonatum esse, angelo nunciante didicit. Marul.lib.4.cap.10.& lib.2.cap.12.& Fulg. lib. 6.cap.9. ex Sigeberto, anno 500.

Valetudinis periculo.

Ambrosius in homiliis, quas conscripsit in Euangelium Lucæ, refert hoc adagiũ, χαῖρε φίλον φῶς, ad huiusmodi fabulam. THEOTIMO cuipiam, cùm graui morbo oculorum laboraret, medici interminati fuerant, ne cum uxore rem haberet: si faceret, prorsus cæcitatem imminere. Verùm is libidinis impatiens, non potuit sibi temperare, quin uxorem amplecteretur. Itaq; cũ iam medio ueneris calore ferueret, & in mentem uenisset medicorum interdictum, χαῖρε, inquit, φίλον φῶς, id est, Vale amicum lumen. Nimirum intelligens se uoluptatem eam perbreuem oculorum dispendio emisse. Erasmus in Adagiis.

Officij intermissione.

Inter illos qui uocati sunt ad magnam cœnam, nec iuerunt Is qui uxorem duxit, non petiit se excusatum haberi, sed ait: Vxorem duxi, ideo non possum uenire. Per quod patère potest, quàm longè sint à cœna Domini, luxuriosi homines & immundi, si ducere uxorem ita hominem implicat & inuoluit, ut nihil aliud cogitare sinat. Luc.14.

IMPVDICITIA VENEREA PRIMARIA, CONSIDERATA RESPECTV MODI. QVO AD

DESIDERIVM, CVPIDITATEM, PRVRIGINEM.

Ἱππομανεῖν dicebantur prouerbiali conuitio feminæ uirosæ, ac libidine præter modum prurientes. Arist. lib.6. de Animalib. αἱ μὲν οὖν ἵπποι θήλειαι ἱππομανοῦσιν, ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰ βλασφημίαν τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐπιφέρουσιν, ἀπὸ μόνου τῶν ζώων τῶν ἐπὶ τῶν ἀκολάστων περὶ τὸ ἀφροδισιάζειν, id est. Igitur equæ furiunt in equos. Vnde ab uno hoc animãte ductum est uocabulum, quod in mulieres cõuitio dicitur, circa uenerem intemperantes. Erasmus in Adagiis. Ita quoq; Lustramẽtum, intemperãs & effrænata rei ueneree cupiditas. Lustrari enim scortari significat, & in lustris meretricum ac lupanarib. uersari. Hotom. de Verb. iur. Similiter πασχητιᾶν, pruriginoso diuersæ ueneris, muliebria appetere, apud Aristophanem & Athenæum.

NARCISSVS, amnis Cephissi & Nymphæ Lyriopes filius, teste Ouidio lib.3. Metam. Echo capta eius amore, contabuit, & in solam uocem conuersa est. Fabulantur hunc ad fontem purissimũ labore uenationis fatigatum uenisse, & suã imaginem in fonte inspexisse. Amore suiipsius captus, cùm nullam potiundæ talis formæ sibi spem reliquam intelligeret, suiipsius desiderio contabuit, ac deorum misericordia in florem sui nominis conuersus est. Hinc nomen traxit, Narcissus ἀπὸ τῆς νάρκης, à marcescendo, quia ob id desiderium torpuerit. Is flos Eumenidibus fuit consecratus, ut ait Ister in lib. de Coronis. Scriptum reliquit Phanodemus lib.5 rerum Atticarum, coronas è Narcisso consecratas fuisse Proserpinæ, quoniã florem illũ colligeret, cùm rapta fuit à Plutone. Pausanias in Bœoticis, in finibus Thespiẽsium uicum Hedomacũ fuisse ait, & in eo fontem Narcissum uocatum, in quo se Narcissus inspexerit. Natal. Com.l.9. Mythol.c.16.

Fama est EVTELIDAM, cùm formã suam spectasset in aqua, & uidisset formosam: ex eo, quòd se spectasset, uulneratum, in morbum incidisse, corpusq; cum forma amisisse. Plutarchus lib.5. Quæst. conuiualium 7.

NAVSICAA, Alcinoi Phæacum regis F. cùm Vlyssem in litore errantem uidisset, uiri alloquio & forma delectata, & amore illius correpta, ad famulas conuersa dixit:

αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
ἐνθάδε ναιετάων, καί οἱ ἅδοι αὐτόθι μίμνειν.

Quòd si hæc concubitus cupiditate loquitur, audacia & libido illius reprehendenda. Sin uerò prudentia eius delectata, talem uirum potiùs quàm nauicularium aut saltatorem aliquem ciuium suorum sponsum habere optat, laudanda est puellæ indoles. Ex Odyss.ξ. Plut. de Aud.poet.

Hercules, quum Geryonis boues abduceret, per Celtarum regionem, peruenit ad Brettanum, cui filia fuit CELTINE appellata. Ea Herculis amore incensa, occultauit illi boues: neque reddere uoluit, nisi priùs cum ea coiret. Hercules boues suas recipere cupidus, cum ea coiuit: natusq; filius nomine Celtus, à quo postea Celtæ sunt appellati. Parthenius de Amatoriis, cap.30.

Quum ob Helenam repetendam Diomedes & Acamas uenissent, Laodice multo desiderio flagrauit, ut posset iuueni Acamanti misceri. Et aliquandiu quidem præ pudore se cohibuit: pòst uerò ab effectu uicta cõmunicauit rem PERSEI uxori, nomine Philobiæ, illamq; sic adiurauit, ut quantum posset iamiam pereunti auxilium ferret. Illa puellæ calamitatem miserta, Perseum rogat, ut se in ea re iuuet, iubẽsq; eum hospitalitatem & amicitiam cum Acamante inire. Perseus partim ut uxoris uoluntatem impleret, partim Laodices misertus, omni conatu Acamantem persuadet, ut se in Dardanum conferat, cuius regionis præfectus Perseus erat. Venit ergo eò quoq; Laodice, tanquam ad festum quoddã, Troadibus quibusdã comitata, adhuc uirgo existens. Vbi quum opiparum conuiuium apparasset, in eodem lecto collocat Laodicem cum ipso, inquiẽs, Vnam ex regiis pellicibus esse. Atq; hoc quidem modo Laodice desiderium suum expleuit. Progressu autem temporis filius nascitur Acamanti Munitus, quem sub dio enutritum post Troiæ captiuitatẽ transportauit domum, ipsumq; uenantem in Olyntho Thraciæ serpens occidit. Parthen. de Amat.cap.16. ex lib.1. Hegesippi de rebus Milesiorum.

COTYS rex Thracię, eò prouectus est insaniæ, ut tanquam sibi Pallas nuptura esset, magnificas nuptias instrueret, & deã ebrius expectaret. Quendam ex satellitibus missum, qui uideret an dea uenisset in thalamũ, cùm is nullum esse in thalamo retulisset, sagitta interfecit: aliumq; rursus eodem modo: donec tertius dixit, deam ipsum iam dudum in thalamo expectasse. Athen.lib.12.cap.14.

NVMERVM, FREQVENTIAM.

Vide Tit. Mortui in coitu.

ATILA Hunnorum rex captus specie puellæ, famæ ac nobilitatis inter suos eximiæ, cui Hildico nomen erat, eã sibi matrimonio copulauit. Dum autem nouis nuptiis nimis uino indulget, & uenere se nimium exercet, quũ supinus obdormiret, sanguis per nares erumpens, uitalium spirituum meatus interclusit, subitoq; extinctus est, quinquagesimosexto ætatis anno, quamuis alij plures adscribant. Cuspin.

IMPOTENTIAM.

ANTONINVS Caracalla Clodiam Lætam, Vestalem uirginem,

nem, ſtuprare propter impotentiam non potuit. Illa nihilominus uiua ſepulta eſt. Dion [illegible] uita.

QVALITATEM.

De Cr[illegible] ſuprà, quos ratione loci immutati ad hic. quoque T[illegible] referre poſſemus. Hinc etiam de aliis, qui quamuis aliam corporis partem nefaria accenſaq; damnanda igni-bus libidine aggrediantur & polluunt.

ER Iudæ ex Sua primogenitus, cùm illegitimè cum uxore Sua congrederetur, à Domino interfectus eſt. Similiter & ONAN Eris frater: cui cùm Iudas pater Thamaren Eris uxorem in matrimonium collocaſſet, ut ex ea liberos fratri demortuo excitaret, quia ſciebat non ſuam futuram eſſe prolem, cũ Thamare rem habens, ſemen in terram effundebat. Ob quod facinus à Ioua necatus fuit. Geneſis 38.

LESBII fuere in uenereis fœdiſſimi, [illegible Greek], quod Theopompus ſignificat, & meminit Strati. Hinc eſt λεσβιάζειν uerbum, uti Aelius ſcribit Dionyſius, & meminit octaua Iliados rhapſodia Euſtathius. Cælius lib. 14. c. 5. Antiq. Lect. & lib. 18. cap. 18 Euſtathius Iliad. λεσβιάζειν, & [illegible Greek] appellare ſcribit, fœdo etymo.

Tanta fuit libido AEGYPTIORVM, qui ſunt magnis carnibus, ut nulli parcerent membro, ſed omnia conſtuprarent. Hieronymus lib. 1. com. in Hierem. cap. 2.

CYRENE [illegible Greek] dicta meretrix, quòd in uenereo uſu XII excogitaſſet modos, quibus inceſtori iucundius redderetur libidinis prolunium. Cælius libro decimoquarto, capite octauo Antiquarum Lectionum, ex Suida, & Ariſtophanis interprete.

PISISTRATVS, tyrannus Athenienſium, cùm Megaclis filiam duxiſſet uxorem uiduam (priùs enim Alemæoni nupta fuerat, & ex eo liberos ſuſtulerat, qui crimini piaculari obnoxij eſſe dicebantur) neq; ex ea liberos tollere uellet, haud legitimè cum ea coibat. Vxor ea matri, mater patri indicat. Megacles conſpiratione facta Piſiſtratum urbe eiecit. Ille in Erettiam confugit, & uix undecimo anno pòſt, tyrannidem iam tertiò occupauit. Herod. lib. 1.

POLYMNESTVS, & Ariphrades, & Oeonichus, fellatores fuerunt. Suidas.

DEMOCHAREM nepotem ex ſorore Demoſthenis, [illegible] tum fuiſſe, ſcribit libro 28. Timæus, obiiciente Demochide, indignum eſſe qui ſacrum ignem ſufflet: ſuiſq; actionibus Botryis & Philænidis, aliorumq; obſcenorum ſcriptorum ſuperaſſe commentarios. Polybius autè aduerſus Timæum dicit: Hoc conuicium & has criminationes adeò indignas eſſe uiro erudito, ut ne ſcortum quidem impudiciſſimum dicere auderet. Duris libro 3. Pythea idem obieciſſe DEMOSTHENI ait Suidas.

Q. Hortenſij, qui in maximo & ingenuorum ciuium & ampliſſimorum prouentu, ſummum auctoritatis atq; eloquentiæ gradum obtinuit, nepos HORTENSIVS Corbio, omnibus ſcortis abiectiorem & obſceniorem uitam exegit: ad ultimumque lingua eius tam libidini cunctorum inter lupanaria proſtitit, quàm aui pro ſalute ciuium in foro excubuerat. Val. Max. lib. 3. cap. 5.

Q. RHEMMIVM Palæmonem ſuperbiſſimum grãmaticum, flagraſſe libidinibus in mulieres uſque ad oris infamiam, ſcribit Suetonius.

Satyricus felle aſpergit quendam GELLIVM patrui ſui irrumatorem, matriſq; & ſororis ſtupratorem.

RVFFI cuiuſdam Bononienſis libidinem Catullus amarulenter lacerat, quòd mulieris magæ os pollueret.

HELIOGABALVS naturæ monſtrum, nullam corporis partem (dictu nefandum) intentatam reliquit. Lampridius.

TIBERIVS Cæſar (auctore Tranquillo) ſellariam excogitauit ſedem arcanarum libidinum, in quam accerſiti [illegible] rum & exoletorum greges, monſtroſique concubitus repertores, inceſtarent ſe coram ipſo. Suetonius. Sellariorum & Spintriarum, ex fœditate loci, ac multiplici patientia, priùs ignota uocabula comperta produntur primùm, [illegible] cantur Spintriæ, ἀπὸ τοῦ σφιγκτῆρος, etiamſi nonnunquam uel plures. Sellariorum liquet ratio. [illegible] libro 14. capite 8. Antiq. Lect. ex Suetonio. Eſt de hoc Stratonis in Græcis Epigrammatis tale:

[illegible Greek verses]

IDEM Imp. pueros piſciculos abominãda libidine uocabat. Suetonius.

AEGLE fellatrix apud Martialem in Epigram. SEXTILLVS, PHILÆNIS, LESBIA, LYRIS, POSTHVMVS, GAVRVS, GARGILIVS, CORACINVS, THAIS, CHRESTVS.

PAPILVM quendam Martialis libro 7. taxat uelut irrumatorem, & linguitorem.

Auſonius inuehitur ſuis carminibus in EVNVM, & CASTOREM, conſimili de cauſa.

IMPVDICITIA VENEREA PRIMARIA, CONSIDERATA RESPECTV LOCI, IN QVO EXERCETVR. VENVS IMPORTVNA. PVTA

IN TEMPLO, LOCO SACRO.

Vide Tit. Templa ſtupro profanata. Illic impietatis, hic libidinis habetur ratio.

AIAX Oilei filius Caſſandram Priami filiam in templo Palladis oppreſſit. Dea iniuriam ulciſcente, fulminatus eſt in mari cum aliquot aliis Græcis. Vergilius lib. 1. Aeneid.

In Meſſeniorum finibus Dianæ Limnatidis cognomento templum fuit, commune Dorienſibus, Meſſenijs & Lacedæmoniis, nulli prætereà ciuitati. Ad illud templum miſſas à ſe de more uirgines, uiolatas à MESSENIIS Lacedæmonis cõmemorant, ac regem etiam ſuum Teleclum Archeladæ filium, Ageſilai nepotem iniuriam propulſare conantem, interemtum: ipſas quidem uirgines dedecus uoluntaria morte redemiſſe. Hinc odij inter Meſſenios & Lacones principium, quod tandiu durauit, donec Meſſenios Spartani Peloponneſo exegerunt. Pauſanias lib. 4.

HIPPOMENES, Atalantæ uirginis Arcadicæ procus, aureis pomis & curſu cum ea contendẽs, eam ſuperarat. Mox cùm in templo Matris deûm concubuiſſent, irata Cybele in leones iugales eos conuertit. Ouidius in Metamor.

DEMETRIVS Poliorcetes Athenienſes à Caſſandro obſeſſos liberauit. Ei igitur ut tunc quoq; recentes & noui aſſentationibus appareret, Parthenonis partem poſteriorem attribuerunt pro diuerſorio, ibiq; agebat, & Minerua dicebatur eum hoſpitio excipere non nimium caſtum hoſpitem, neq; ut apud uirginem diuertentem honeſtè. Nam Demetrius, cùm Mineruam debuiſſet, ſi nulla alia de cauſa, certè ut maiorem natu ſororem (id enim dici uolebat) erubeſcere: tanta in pueros ingenuos & urbanas matronas conſpurcauit arcem laſciuia, tunc ut maximè locus ille uideretur mundus, ubi cum Chryſide, Lamia, Demo, Anticyra ſcortis illis in omni laſciuia uolutaretur. Plut. in Demetrio.

DECIVS Mundus adoleſcens Romanus deum Anubim ſimulans, in templo Iſidis ſtuprauit Paulinam matronam, Saturnini coniugem. Ioſephus Antiq. lib. 18. c. 4.

TYRANNVS ſacerdos Saturni Alexandriæ ſub numinis ſpecie ſtuprare ſolebat matronas. Euſeb. lib. 11. cap. 25. hiſt. Eccl. & Vierus lib. 2. c. 41. de Præſtigiis.

PVBLICE.

Scribit in Onirocriticis Artemidorus, MOSSYNES Scythas canum more in propatulo peragere concubitum. Cælius libro 18. capite 30. A. L.

TARTARI ſub Bela IV. Hungaria occupata, cum Hungarorum & Cumanorum mulierib. ſæpe, ferarum more, in publico coibant. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

EX ADAMITIS hæreticis qui continentiores, matrimonijq; tenaciores uideri uolebant, nihilominùs hanc licentiam uſurparunt, ut uxor quouis in loco, ſacro aut profano, item clauſo aut aperto, marito poſtulanti debitum redderet. Dubrauius libro 26.

IMPVDICITIA VENEREA PRIMARIA, RESPECTV TEMPORIS. VENVS INTEMPESTIVA. TVM

QVANDO. PVTA

INTERDIV.

Homerus intemperantiſſimum paſſim deſcribit PARIDEM, tũ præſertim Iliad γ. ubi Veneris ope Menelao ereptus, Helenam ad concubitum ſollicitat, nulla ratione dedecoris habita, quòd à Menelao uictus eſſet. Vix alium reperias apud auctores, qui interdiu ueneri operam dare legatur. Plut. in lib. de Audiendis poëtis. & lib. 3. Con. quæſt. q. 6.

Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ id eſt, Lydus in meridie. In hominem infatiatæ, aut etiam intempeſtiuæ libidinis dictabatur. Narrant LYDOS adeò libidine perditos fuiſſe, ut non tantùm noctu uacarent uoluptati ueneræ, uerumetiam ipſo meridie laſciuirent. unde λυδίζειν dicunt Græci, pro Lydorum more uitam agere. De gentis huius luxu deliciiſque multa commemorat Athenæus libro duodecimo.

INTER SACRA.

P. CLODIVS præter ſtupratas ſorores mulierem mentitus, inter publicas Bonæ deæ cæremonias ad Pompeiam Q. Pompeij filiam furtim penetrauit, eamque adulterauit. Plutarchus in Cicerone.

TIBERIVS fertur in ſacrificando quondam facie miniſtri acerram præferentis nequiuiſſe abſtinere, quin penè uixdum re diuina peracta, ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret, fratremq; eius tibicinem: quibus tamen poſtea crura infregit, quòd flagitium mutuò exprobrabant. Suetonius.

IN CONVIVIO.

In prouerbio circumfertur, Sybaritica menſa, de conuiuio SYBARITICO, in quo & uenus admiſcebatur.

C. CALIGVLA ſuper ſororum inceſta, & notiſſimũ proſtitutæ Pyrallidis amorem, nõ temerè ulla illuſtriore femina abſtinuit: quas plerumq; cum maritis ad cœnam uocatis, præterq; pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lentè, mercantiũ more, conſiderabat: etiam faciem manu alleuans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet egreſſus triclinio, cùm maximè placitam ſeuocaſſet, paulo pòſt recentibus adhuc laſciuiæ notis reuerſus, uel laudabat palàm, uel uituperabat: ſingula numerans bona maláue corporis, atq; concubitus. Suetonius in Caligula.

DIE SOLENNI.

EDVINVS Angliæ rex, ipſo quo rex primùm ſalutabatur die, cõſanguineam ſuam, Comitis cuiuſdam uxorem, ſtuprauit: idq; ferè in aperto, pecorum more fecit. Polydorus lib. 6. Anglicæ hiſtoriæ.

Vrbs eſt in Brabantia Buſcumducis, in qua, ut in aliis eiuſdem terræ, ſtato anni die, quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publicè ſupplicatur, ludique uariis diuis exhibentur. Sunt qui tunc perſonas diuorum induant, ſunt qui dæmonum. Ex his VNVS, cùm uiſa puella exarſiſſet, domum ſaltitando ſe recepit, & correptam, ut erat perſonatus, uxorem ſuam in lectum coniecit, ſe ex ea dæmonium uelle gignere dicẽs. Concubuit, concepit mulier, & infans, quẽ peperit, ſimul primùm æditus eſt, ſaltitare cœpit, forma, quali dæmones pinguntur Margaritæ Auguſtę, Maximiliani filiæ, Caroli V. amitæ, acroama, apud L. Viuem in lib. 12. Auguſt. de Ciuit. Dei, cap. 25.

IN EXPEDITIONE.

VITOLDVS Lituaniæ dux, in uenerem procliuior, ſolebat relictis copiis in hoſtico, domum mutatis equis ad uxorem recurrere. Guagninus in deſcriptione Lituaniæ.

QVANDIV.

METYCHE meretricula ad clepſydram ueneri ſolebat indulgere: unde Clepſydra dicta eſt. Athen lib. 13. c. 8 Dipnoſoph.

IMPVDICITIA VENEREA SECVNDARIA, QVO AD

MORES. IN

GENERE, AMANTIVM ineptiæ.

Vide Vol. primo, ſub loco, Affectuum. Amor inſanus.

De PHÆDRA pleni ſunt poëtarum libri. Seneca in Hippol.

Torretur æſtu tacito, & incluſus quoq;,
Quamuis tegatur, proditur uultu furor:
Erumpit oculis ignis, & laſſæ genæ
Lucem recuſant: nil idem dubiæ placet,
Artuſq; uariè iactat incertus dolor:
Nunc ut ſoluto labitur moriens gradu,
Et uix labante ſuſtinet collo caput,
Nec ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet,
Iterumq; poni corpus: & ſolui comas,
Rurſuſq; fingi: ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus: nulla iam Cereris ſubit
Cura, aut ſalutis: uadit incerto pede,
Iam uiribus defecta: non idem uigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura, iam greſſus tremunt,
Tenerq; nitidi corporis cecidit decor:
Et qui tenebant ſigna Phœbeæ facis
Oculi, nil gentile, nec patrium micant:
Lacrymæ cadunt per ora, & aſſiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri iugis
Tepido madeſcunt imbre proſuſæ niues.

De MYRRHA, patris nefando amore correpta, ſic ſcribit Ouid. 10. Metamorph.

Noctis erat medium, curaſq; & corpora ſomnus
Soluerat: at uirgo Cinyreia peruigil igne
Carpitur indomito, furioſaq; uota retractat:
Et modò deſperat, modò uult tentare, puderq;,
Et cupit, & quid agat non inuenit: utq; ſecuri
Saucia trabs ingens, ubi plaga nouiſſima reſtat,
Quò cadat in dubio eſt, omniq; à parte timetur:
Sic animus uario labefactus uulnere nutat
Huc leuis, atq; illuc, momentaq; ſumit utroq;.

De POLYPHEMO Cyclope Theocritus Idyl. 11. ſic ſcribit:

—ὁ δ' τὰν Γαλάτειαν ἀείδων
αὐτῶ ἐπ' ἀϊόνος κατετάκετο φυκιοέσσας
ἐξ ἀοῦς, ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον.

Cyclops autem cantu Galateam celebrans tabeſcebat illic algoſo in litore à ſummo diluculo, grauiſſimum habẽs ſub pectore uulnus à magna Venere, quæ iecur illius telo confixerat.

Clearchus libro Amatoriorum primo odam quandam ſcribit Paſtorale uocatum fuiſſe ab ERIPHANIDE lyrica, quæ cùm Menalcam uenatorem amaret, per omnia montana diſcurrens, non homines ſolùm, uerumetiam crudeliſſimas feras ſua miſeria mouit. Athen. lib. 14. cap. 6.

DIDONIS reginæ inſanum amorem Virg. 4. Aen. graphicè depingit:

—Eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum uiuit ſub pectore uulnus.
Vritur infelix Dido, totaq; uagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitq; uolatile ferrum
Neſcius: illa fuga ſyluas, ſaltuſq; peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

BALDERVS Othini magi F. Hotherum Daniæ regẽ riualem ſuũ bello proſecutus, nauali prælio uictus, ſed mox uictor, ex inſano amore, quo Nannã, Geuari filiã, Hotheri deſponſatam, deperibat, nocturnis laruarum Nannæ ſpecie ſimulantium ſpectris agitatus, penè contabuit, ita ut pedib. amplius incedere non poſſet. Saxo lib. 3.

De RVFO & Næuia Martialis Epigram. lib. 1.

Quicquid agit Rufus, nihil eſt niſi Næuia Rufo:
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poſcit, negat, innuit, una eſt
Næuia: ſi non ſit Næuia, mutus erit.
Scriberet heſterna patri cùm luce ſalutem,
Næuia lux, inquit, Næuia numen, aue.
Hæc legit & ridet demiſſo Næuia uultu:
Næuia non una eſt, quid uir inepte furis?

SPECIE. QVO AD

Aſpectum.

DIOXIPPVS pugil Olympionices Athenienſis, cùm more pugilum Athenas introiret eques, magnaq; hominum multitudo conflueret, atque alius aliunde ſpectandi cupidine dependeret: in iis femina forma decentiſſima uiſum accurrerat. Quam uideas Dioxippus, ſubitò pulcritudine uictus, indeſinenter fixos in mulierem oculos habuit: conuerſuſq; & uultu in plurimos colores mutato, animaduerſus eſt ab omni multitudine, non oſcitanter mulierem adamare. Aelianus lib. 12. Variæ hiſtoriæ.

Contactum.

Σιφνιάζειν, i. Siphniſſare. Suidas indicat prouerbio dici ſolere, pro eo, quod eſt, manum admouere poſtico: ſumtum eſſe à moribus SIPHNIORVM, qui libidinis cauſa id factitare conſueuerint. Eſt autem Siphnus inſula quæpiam, haud procul à Creta, cui quondam nomen fuerit Merope, uel hoc nobilis elogio, una e Cycladibus. Eraſm. in Adagiis.

L. Sylla dictator, uxore Metella defuncta, quum gladiatorium munus ederet, ſpectareturq; adhuc promiſcuè à uiris & feminis, VALERIA mulier inſigni facie, Meſſalæ oratoris filia, & Hortenſij ſoror, poſt Syllam tranſiens, manu leniter eius ueſti applicita in ſuas ſedes tranſiit. Mulieris audaciam Sylla ſecum miratus, quum intentiorib. oculis intueri perſeueraſſet: Nihil, inquit illa, eſt, ô Sylla, cur mihi grauiùs ſuccenſeas. uolui ego quoq; tuæ felicitatis portiunculam ſortiri. Qua mulieris urbanitate delectatus Sylla, oculorum aſpectu captus, ubi, qua familia orta eſſet, ſatis exploratum habuit, eam in matrimonium recepit. Sab. lib. 3. En. 6.

Denudationem.

Curtius auctor eſt, adeò impudicè BABYLONIOS conuiuari, ut matronæ etiam nobiliſſimæ, abiecto pudore, uelamenta corporis frequenti conuiuio deponant. Sab. lib. 5. En. 4.

CANDAVLES Lydorum rex, nuda uxore Gygi oſtenſa, ad libidinem utrumq; excitauit. Sab. lib. 3. En. 2.

DIONYSIVS Syracusanus, abiecta omni modestia, mulieres nudas hospitibus suis contemplandas introducere & offerre solebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

Narrant ANVM quampiã, cùm nuda libidinari pararet, extinxisse lucernã, ne rugæ situsq; corporis offenderet, & extinguentem dixisse, χαῖρε φίλον φῶς, i. Vale amicũ lumen. Quæ quidẽ uerba suspicor hoc magis in uulgi iocũ abiisse, quod iisdẽ utantur in tragœdiis, exituri è uita: uelut Polyxena in Hecuba Euripidis, Iphigenia in sui nominis fabula, Alcestis & Electra, aliæq; cõplures. Tametsi Plut. Conuiuialiũ quæstiuncularũ decade septima, problemate quinto, indicat dictũ à quodã, qui amicæ prodeunti in conspectũ, quũ ipse uino opinor cæcutiret, χαῖρε, inquit, φίλον φῶς. Erasm. in Adag.

AVGVSTVS Cæsar conuiuiũ libidinosum XII deorũ celebrauit, in quo deorũ dearumq; habitu discubuisse cõuiuas, & ipsum pro Apolline fuisse ornatũ, non modò Antonij epistolæ singulorũ nomina amarissimè annumerantis exprobrant, sed & sine auctore notissimi uersus:

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Sexq; deos uidit Mallia, sexq; deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos. Suetonius.

DIONYSIVS, Dionysij filius, totius Siciliæ deuastator, cùm ad Locrorum urbẽ accederet, quæ illi erat metropolis (Doris enim, quæ mater illius fuerat, genere fuit Locra) quæ maxima foret in ciuitate domus, hanc serpyllis rosisq; sternebat: Locrorũ uirgines accersebat, nudusq; cum nudis nulla pudoris ratione habita super stratis uolutabatur. Athenæus libro 12. capite 19.

IVLIA, Caracallæ nouerca, de industria femur nudauerat. Tũ ille, O quàm uellẽ, si liceret. Illa statim, Licet uerò, modò uelis. Ea uoce ad incestum mulier scelerata impurissimum hominem permouit. Spartianus.

Olfactum.

BERNARDVS Caprera, ipso odore & tepore lecti Blãcæ, reginæ Siculæ, instar canis uenatici ad lustrũ feræ, delectatus est cum ea (quam media nocte capere studuerat) potiri non posset. Valla lib. 2. Historiarum.

Osculum.

PERICLES Aspasiã meretricẽ mirè dilexit: nã siue exiret, siue rediret à foro, salutabat semper eã osculo. In comœdijs noua Omphale, & Deianira, aliis Iuno nominabatur. Plutarchus in Pericle.

MANILIVS, q uxorem suam præsente filia osculatus esset, senatu motus est à Catone maiore. Fulg. lib. 2 cap. 4.

RODOLFVS I. Imp. in more habebat, principum uxores uel reluctantes osculari. Cuspinianus.

Vocem.

Ambraciatarũ tyrãnus PERIANDER cũ percunctatus esset amasium suum, Nondum ne uterum gereret, ille ira inflammatus eum obtruncauit. Plut. sermone Amatorio.

Tradunt morẽ AMAZONIBVS fuisse quondã, ut pueros masculos detorta tibia coxáue claudos efficerent. Porrò cùm bellũ esset illis aduersus Scythas, atq; illi eas conarentur illicere ut ad sese desciscerẽt, dicentes futurũ, ut posthac nõ cũ claudis ac mutilis, sed cũ integris uiris rẽ haberent: Antianira, Amazonũ dux, respondit: ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ. Vsurpauit Athenæus lib. 13. ὄντως ῥ' ἄριστα χωλὸς οἰφεῖς. id est, Verè enim claudus optimè uirum agis. Theocritus φιλοίφαν appellat uirum coitus auidũ, Hesychius φιλοίφης dicit. Erasm. in Adag.

Romæ annis singulis ludi scenici erant Megalesia, in quib. HISTRIONES ad nouũ opus egrediẽtes, mira lasciuia spurcissima & turpissima quæq; in matrẽ deũm, & Atym dictitabant: tũ & alij per id tẽporis etiam honestiss. Romanorum cultu dissimulato, ut nosci non possent, licentiosissimè per urbem uagabantur: nullis uerbis factisq; fœdis parcentes. Herodianus in Commodo.

In C. Caligulã conspirauerãt potẽtissimi liberti præfectiq; prætorij. Cumq; placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea, Tribunus cohortis prætoriæ depoposcit: quẽ CAIVS seniorẽ iã ut mollem & effœminatũ denotare omni probro cõsueuerat: & modò signũ petenti, Priapũ, aut Venerẽ dare: modò ex aliqua causa agẽti gratias, osculandã manũ offerre formatã commotamq; in obscenum modum. Suet. & Iosephus.

In LÆLIAM, Martialis Epigram. lib. 10.

Cùm tibi non Ephesos, nec sit Rhodus, aut Mytilene,
Sed domus in uico Lælia patricio,
Deq; coloratis nunquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater:
Ζωή καὶ ψυχή lasciuum congeris usq;,
Prô pudor, Hersiliæ ciuis, & Egeriæ.
Lectulus has uoces, nec lectulus audiat omnis,
Sed quem lasciuo strauit amica uiro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris,
Nunquid cùm crissas, blandior esse potes?
Tu licet ediscas totam, referasq; Corinthon,
Non tamen omnino Lælia Thais erit.

Conuersationem inhonestam, ridiculam.

CYBELEN Menois uetustiss. Phrygiæ regis F. Diod. lib. 4. scribit à patre expositã in monte Cybelio, à pastore educatam, cũ adoleuisset, iuuenẽ amasse terræ illius, nomine Atym, ex eoque grauidam, à Menoe patre, qui fama de uirtute fadisque eius acceperat, reuocatã pro uirgine: cuius flagitio cognito, Atym & nutrices iussu regis affectos esse supplicio: Cybelẽ amore incẽsam ex desiderio Atys insaniisse, domóque paterna egressam solã cũ fistula & tympano, passis crinib. totã regionẽ peragrasse dementatã, uenisseq; in Nysam ad Dionysiũ: aliquot uerò annis post eam iam mortuã, cùm & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo iuos esse Phryges Atym & Cybelẽ uenerari: hinc sacra cæremoniasq; magnæ Matris deum ortas. Diod. lib. 4.

SARDANAPALVS inter pellices muliebri habitu fila duxit. Diodorus.

HERCVLEM Omphalæ reginæ Lydorum seruiisse notũ est. De eo Seneca in Hippolyto, actu primo:

Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax uasti spolium leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clauam modò qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.

THEMISTOCLES, ut Idomeneus est testis, cùm amicarum currum iunxisset, foro pleno per ciuitatem iuit. Erãt autem ipsæ Lamia, Scione, Satyra, Nannium. Athen. lib. 13. cap. 13.

MILONIS Crotoniatæ uires multorũ sermonibus celebrantur, qui corporis robore adeo ualuit, ut nemo aduersariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuerit. Atqui amasia eius nullo negocio exemit, sæpe cum eo colludens. Ex quo perspicuũ est, Milonem corpore plus quàm uirum, animo autem plus quam feminam extitisse. Aelianus libro 2. de Varia historia.

M. ANTONIVS III Vir Cytheridem mimam circumduxit lectica, cãq; non minor comitatus, quàm matris ipsius sequebatur. Plut. in Antonio.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. monasterium Manganorũ, in gratiam Selerenæ pellicis, extruere cepit: ut eam tum in domo uenatoria habitantem, prætextu contemplandæ structuræ, crebrius inuisere liceret. Zonaras Tomo 3.

Rixam, Contentionem.

AVSONIVS de suis amoribus sic scribit:

Hanc uolo, quæ non uolt: illam quæ uolt, ego nolo:
Vincere uult animos, non satiare uenus.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas:
Nec satiare animum, nec cruciare uolo.

Eiusdem quoque sunt hi uersus:

Sit mihi talis amica uelim,
Iurgia quæ temere incipiat,
Nec studeat quasi casta loqui,
Pulcra, procax, petulante manu:
Verbera quæ ferat, & regerat,
Cæsaq; ad oscula confugiat.
Nam si moribus his fuerit,
Casta, modesta, pudenter agens,
Dicere abominor, uxor erit.

Obsequium.

SALOMON rex ob libidinem lapsus in scelus idololatriæ, coluit Astharten deam Sydoniorum, Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum, circa 46. annum ætatis suæ: & tantũ sex alios annos superuixit. Et licèt priùs nominaretur Idida, id est amabilis Dei: postea mulierum amator uocitatus est, auctore Hieronymo.

ALEXANDER uicto Dario Persepolim reuersus, intempestiuis conuiuiis & immodica temulentia fœdare cepit nobilissimæ uictoriæ laudem. Adhibebantur castrensia scorta regio cõuiuio, & in his Thais Attici generis femina, omniũ, quæ castra sequebantur, ob excellentem formam nobilissima, quam postea Ptolemæus regnans scortum habuit. Hic quum iam in multum uini rex & alij prouecti essent, illa Alexandrum allocuta dicitur: Maximum, inquit, Rex, omnium laborum, quos Asiatica sum expeditione perpessa, hac nocte fructũ percepi, q in superbissima Persarum regia Alexandri regis inuictissimi conuiuium celebro: sed multo maiorem perceptura, si Xerxis regiam, qui nostras olim Athenas cremauit, mea manu incendero, quod & tibi gloriæ sit, si ad posteros tradatur, ut Atticæ mulieres secutæ Macedonum castra, patriæ excidium fuerint ultæ: quod tot classes, tot exercitus, tot duces, ex terra Græcia profecti, ad id tẽpus ulcisci nequiuissent. Hæc illa. atq; unà spectante rege facem accendit. Plausus confestim & tumultus toto conclaui oritur, cæterisq; ad id facinus hortantibus, ebrius imperator, ebrium scortum secutus, facem & ipse corripuit: idẽ alij faciunt, clamoreq; sublato ad regiam incendendam discurrunt. Milites qui extra urbem tendebant, flammam conspicati, rem fortuitam rati, cum aqu. in urbẽ concurrunt. Ibi regem inter cæteros materiam igni suggerentem intuiti, abiecta aqua alacri animo & ipsi faces subdũt. Nemo erat, cui non persuasum esset, excisa regia urbe, Alexandrum retro abiturum, atq; ita fore, ut uictores & præda onusti breui domum reuerterentur. Et domus illa inclyta, tot regum altrix, totius orientis imperatrix & domina, Græciæ & cæterarum gentium terror, hunc infelicem habuit exitum, quæ decem millium nauium classem aliquando instruxerat, exercitus tam numerosos coẽgerat, ut maria pedibus peruia fecerint, montes à continenti absciderint, flumina uno haustu exiccarint, per ludibrium meretricia manu incensa & excisa est. Vrbs quoq; cum regia absumta est, ut procedente tempore, ubi Persepolis fuisset, ignorari potuerit, nisi Araxis uicinitas, qui ad uiginti stadia præterfluebat, insignem locum fecisset. Fuerunt qui eius consilij Alexandrum ignarum fuisse crederent: sed nemo alius tantum fuisset facinus patrare ausus. Sab. lib. 5 Ennead. 4.

Miro amore DEMETRIVS Poliorcetes Lamiã deperiit, in omnib. illi quantũuis uetulæ obsecũdãs, ita ut nõ reliq; modò uxoribus, sed amicis quoq; æmulationem & inuidiam moueret. Mirumq; adeò fuit, eum, qui Philæ deflorescente ætate offensus fuerat initio, succubuisse Lamiæ, & tamdiu iam uergentem annis dilexisse. Plut. in Demetrio.

Demetrius rex successionis Alexandri extremus, MYRINAM amicam habebat Samiam: quæ diademate excepto totius imperij communem habebat auctoritatem, ut asserit Nicolaus Damascenus. Athen lib. 13. cap. 23.

C. FLAMINIVS, uir cõsularis quidem, sed libidinosissimus, cùm Gallum transfugam una cum uxore & liberis hospitio suscepisset, in ipso cõuiuio, ut scorto gladiatoriorum ludorum spectãdi cupiditati obsequeretur, coram interfecit, dum curauit. Liuius.

GALEACIVS Mantuanus, uir impiger, Papiæ cùm hybernaret, fortè in ponte puellam, quam unicè amabat, obuiam habuit. Ea ut per blandam aliquam iocandi speciem amantem ad colloquium inuitaret: Quid tu, inquit, bellissime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, è ponte in amnem amoris gratia desilis? Hoc ille audito, confestim repentè equo sese demisit in flumen. E quo exanimato, uix Ticino ipse natabundus emersit. Pont. libro 1. capite 25. de Fortitudine.

Defensionem.

PERICLES, cùm Aspasia Megarensis de impietate accusata in exilium abisset, multa pro illa uerba faciens lacrymatus est magis, quàm si ipsius uita periclitata fuisset. Athenæus libro duodecimo, capite 13.

GALLI pro amicis leuissimè offensis, auctorem iniuriæ in certamen prouocant, pugnæ legibus propositis, interdum adeò duris, ut in certamen prodeundum sit, corpore maiore parte exarmato: cõcurrendumq. hastis & equis primò, deinde pedibus res gerenda, comminus gladio ac securi. Pontanus lib. 1. cap. 25. de bellica Fortitudine.

Donationem.

☞ *Vide Tit. Prodigi in ueneres.*

Demetrius Poliorcetes LAMIAM amauit iã uetulã. Hæc seorsum cœnam regi parãs, à multis pecuniam comparauit: atque ob immensos sumtus usq; adeò fuit illa celebrata cœna, ut eam Lynceus Samius mãdauerit literis. Quamobrem Lamiam comicus quidam appositè uerè Helepolim uocauit. Demochares Solius Demetrium fabulam appellauit, quòd ei Lamia quoq, esset. Quum de ea rex apud Maniam, quæ & Demo dicebatur, gloriaretur, & apposita bellaria diceret, Vides quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, tibi mittentur à matre mea, si uelis cum ea dormire. Notans, anus solere donare iis à quibus subiguntur. Erasmus libro sexto. Apophthegmatum.

Abutebatur C. IVL. Cæsar uno tẽpore matre & filia: nomẽ matri Seruilia, quæ M. Bruti genitrix fuit: quã, ut ait Suetonius, ante alias dilexit, & cui super alias donationes margaritam ingenti precio mercatus est. Filiæ nomen Tertia, quæ ipsius soror Bruti, & C. Cassij coniux erat. Cùm itaq; bona ciuiũ sub hasta uenderentur iussu Cæsaris, & Seruilia magni ualoris prædium exigua pecunia cõparasset, lusit Cicero: Equidem quò melius emtum sciatis, comparauit hunc fundum Seruilia, Tertia deducta. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2.

☙ RES. LIBIDINIS INCENTIVA uaria. Puta

☙ IMAGINES.

PARRHASIVS, pictor Ephesius clarissimus, minoribus tabellis libidines pingebat, eoq; genere petulantis ioci sese reficiebat. Plin lib. 35. cap. 10. Eius certe tabulam Tiberius Imp. in quã Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet, non modò prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Suetonius in Tiberio.

CRATINVS Atheniensis comicus, uino uenerią; deditissimus, tanta libidine, puerorum præsertim, flagrauit, ut speculis cubiculum ornaret undiq, quo se ta. illius coeuntem spectaret. Quod & Horatio Grammaticorum nebulonum quidam (uti Cælius lib. 14 c. 4 A. L. meminit) tribuunt, sed falsò. Hoc & TIBERIVM Imp. scelestissimum fecisse, Suetonius tradit. Gyraldus Dialogo sexto Historiæ poëtarum.

HOSTIVS obscenitatis princeps usq, in scenam productæ, (quod ex Seneca est) diues auarus, libidinis prætumidæ, Augusti temporibus, tam uirorum quàm feminarum auidus. Fecit quoq; eius notæ specula, quæ imagines longè maiores redderent, ut digitus brachij mensuram & longitudine & crassitudine excederet. Ea ita disponebantur, ut quum uirum ipse pateretur, omnes admissarij sui motus in speculo uideret, ac deinde falsa membri ipsius magnitudine, tanquam uera gauderet. Quin & in balneis draucorum habebat delectum, & apta mensura legebatur emasculator. Cælius lib. 14 cap. 3. A. L.

Surenas Parthorum dux, uicto M. Crasso, in direptione castrorum lasciuos libros Aristidis, Milesiacos inscriptos, in ROSCII impedimentis reperit: eosdemq; Seleucientium Senatui coacto ostendit, ad Rom. suggillandos, qui ne in bello quidem ab huiuscemodi nequitiis abstinerent. Plutarchus in Crasso.

HELIOGABALVS primus schematib. libidinosissimis inquinata ex argento uasa iussit apponi. Cælius libro uigesimooctauo, capite octauo.

TAMBERLANES Tartarus aspectu excitare solebat libidinem, adolescentes in cõspectu suo mulieres constuprare sinens. Chalcocondylas lib. 3.

☙ SCRIPTA.

OVIDIVS 2 Tristium de suis libris sic scribit:

Crede mihi, distant mores à carmine nostro:
Vita uerecunda est, Musa iocosa mea est.
Nec liber indicium est animi, sed honesta uoluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.

MARTIALIS lib. 1 similiter:

Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciua est nobis pagina, uita proba est.

☙ CIBI.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus, medicamentis libidinẽ accendebat, uirilia unctionibus & deliciis firmans. Vescebatur item scinco, ad tentiginem excitãdam. Nicetas l. 2.

☙ FLAGRA.

Io. Picus Mirandulanus lib. 3. contra Astrologos, refert historiam de QVODAM sibi familiari, qui cum summo mulierum desiderio arderet, impotens tamen in uenere erat, nisi priùs flagello in aceti maceratione per diem atq; noctem durato ad sanguinis usq; largam profusionem cæderetur: & quò fæmora uerbera infligebantur ab amasia in id officium multis precibus sollicitata, eò acrior uis libidinis excitabatur. Cælius lib. 11. cap 15. A. L.

IMPVDICITIÆ ET LIBIDINIS CVLTVS QVO AD ALIOS, ET VEL

☙ ABSQVE CERTAMINE. HVIC pertinet, ALIORVM

☙ PVDICITIAM ODISSE.

☞ *Vide Tit. Vltionis Zelotypæ. Item Æstus in ulciscendo.*

VXOR Putipharis, magistri equi um Pharaonis, Iosephum de stupro sollicitauit, & eundem consentire nolentem, de stupro accusauit Geneseos 39.

Deucalion maximus natu filiorum Minois, Cretæ imperauit. Is inita cum Atheniensibus belli societate, Phædram filiam Theseo despondit. Qui cùm post ductam uxorem Hippolytum ex Amazone genuisset, in Trœzenem misit sorori Aethræ nutriendum. Ex Phædra Athamantum suscepit, ac Demophoontem. Hippolytus cùm Athenas ad mysteria uenisset,

nisset, à PHAEDRA propter pulcritudinē amatus est. Mulier repulsam passa, Theseum de ui sibi a priuigno illata persuasit. Ille à Neptuno patre petiit, ut Hippolytus à phocis hoc est, uitulis marinis dilaceraretur. Quod cùm factum esset, Phædra laqueo se exanimauit. Extabat adhuc Pausaniæ tempore in Attica terra myrtus, cuius folia crinali acu Phædra transfixerat, ex amoris ægrimonia delirans. Pauf. in Atticis, & Diodorus lib.4.cap.5.

MELITVS, cùm Timagoræ Atheniensis pueri amore flagraret & ab eo iussus, canes bonos uenaticos peregre adduceret, equū hostilem cuiuscunq; generosum & ferocem, alterius elegantē chlamydem, aues item altiles, & seruos miro genere natos: cùm omnia perfecisset, Timagoras autem ea opera repudiasset: Melitus incitato cursu in arcem se proripuit, & ex ea se præcipitem dedit Suidas.

ARSINOE nouerca Agathoclem priuignum propter denegatum incestum interfici curauit. Pausanias in Atticis.

FLORA meretrix, Cn. Pompeio familiaris, à Geminio, Pōpeii amico, attentata, non nisi concedente Pōpeio eum admittere uoluit. Cùm Pōpeius concessisset, ipsam tamē nunquam postea uel attingere uel conuenire uoluit. Id illa non leuiter meretricia tulit, sed ex mœrore & desiderio quoq; ægrotauit. Plut. in Pompeio.

Othonis III. cōiux MARIA Aragonia, cùm à nobili quodā, quem in amplexū pellicere conabatur, se contemni uideret, accusauit illū apud Cęsarē de tentata pudicitia. Cęsar credulus iussit illum gladio cædi. Moriturus ille innocentiā suam Deo comendauit, uxoriq; suæ iussus innocētiam, occubuit. Illa caput uiri rapiens, ad Cæsarē, pro tribunali sedentē, accurrit, de iniquissima oppressione iudiciū petens. Versus in eam Cæsar ait, Quis te mulier læsit? Et illa, proiecto in mediū capite, Virū, inquit, uirū hic mihi per summā iniustitiā abstulisti. Idq; ferri candentis periculo probauit. Stupuere qui aderāt: præsertim cùm meminissent lac loco sanguinis fluxisse, quum miles ille gladio cæderetur. Cæsar re diligentiꝰ perspecta, Imperatricem iussit cremari, & semetipsum magno ęre mulctauit, rependens mulieri pro morte uiri aliquot arces. Cranzius lib.4. Saxoniæ, cap.26.

LIBIDINEM PROPAGARE
Laudando, Commendando.

CHRYSIPPVS in lib. de Rep. Diogenem fert laudibus, [illegible], iactantemq; ad coronam, Famem utinā æque propulsare queam. Plut. in Stoicorum pugnis.

De M. CATONE sic scribit Horatius in Sermonibus:

Quidam notus homo cùm exiret fornice, Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.
Nam simulac uenas inflauit tetra libido,
Huc iuuenes æquum est descendere, non alienas
Permolere uxores.——

Præmiis afficiendo.

TIBERIVS Cæsar T. Cesoniū Priscū equitē Rom. & censoriū nouo officio a uoluptatib. præposuit, & omnes alicuius in uenere inusitati modi inuentores præmiis affecit. Sueton.

Fouendo, Promouendo.

☞ *Vide supra, Magister Libidinum, Concessione.*

Florā meretricem dilectiss. CN. Pompeius Geminio suo familiari roganti concessit: uerū nunquam postea ipsam, quamuis amare uideretur, attigit uel conuenit. Plut. in Pompeio.

Non puniendo.

☞ *In equalitatis nomine ad Iniustitiā pertinet hic Titulus. Quatenus uerò Impudicitia [illegible] est, [illegible] loci.*

BENIAMITÆ, cùm Gabaesium facinus, qui Leuitæ uxorem hospitis ad necem usq; constuprarant, uindictam reliquis Israelitarum tribubus deposcentibus, non modò non uindicassent, sed & defendendum suscepissent: post uarias clades ad internecionem ferè deleti sunt.

TROIANI, repetentibus Helenam Græcis à Paride raptam, reddere recusantes, semetipsos funditùs perdiderunt.

PHILIPPO Macedonū regi Pausanias stipatorū unus mortē intulit, quòd cùm de stupro, sibi ab Attalo cognato illius illato, apud eum quereretur, non uindicasset. Diod. lib.16.

Scedasus uir tenuiū fortunarū Leuctra uiculū agri Thespiensis habebat. Huic filiæ duæ erant, quę Hippo & Miletia, uel, ut alij, Theano & Euexippe uocabantur. Erat uir humanus Scedasus, & quamuis in re patua hospitalis. Hic Spartiatas duos ad se diuertentes excepit benignè. Quos puellaru amore captos à ui eis inferēda deterruit. Scedasi comites postero die Delphos, quò tendebant, profecti sunt: sciscitatiq; Apollinem, quorum de causa uenerant, retrò domū concessere, ac itinere per Bœotiam facto, declinauerunt iterum ad Scedasi ædes. Ille fortè peregrè erat: cæterùm filiæ ex solito instituto hospites exceperunt. Qui puellas, quas deprehenderunt solas, per uim stuprauerut. Eas cùm uiderent supra modū ea contumelia infensas, peremerunt, abiectisq; in puteū, recessere. Reuersum domū Scedasum, ut puellas desiderauit, omnia aūt, quę reliquerat, inuenit salua, res suspēsum habebat: dum admurmurāte canicula, idētidemq; ad eum accurrente, atq; ab eo ad puteū regrediēte, cōiecit id, quod erat, ac filiarū cadauera extraxit ex puteo. Vt uerò intellexit ex uicinis pridie uisos, quos nuper hospitio acceperat, Lacedæmonios ad ipsum ingressos: illos facinus patrasse coniecturam capiens ex eo, q̃ nuper sine fine laudassent puellas, beatosq; dixissent, qui earū essent potituri nuptiis: Lacedæmonem ad conueniendum ephoros profectus est. Vt appulit in fines Argolicos, appetente nocte, ad cauponē quendā diuertit. Eodē quidā alius senex declinauit ex oppido Oreo Hestiæatidis. Quem gementē diraq; Lacedæmoniis imprecantē cùm Scedatus audisset, requisiuit, Quid mali ipsi intulissent Lacedæmonij? Ille exposuit ei, sub ditione se Lacedæmoniorū esse: Aristodemū aūt, qui ab Lacedæmoniis Oreū missus erat præfectus, multa sęuitiæ exēpla & improbitatis ędidisse. Amans, inquit, filij mei, postquā gratia nihil efficere apud eum potuit, ad uim est conuersus, aggressusq; eum ex palæstra abripere. Insistente ei magistro, succurrentesq; adolescentiū caterua, in præsentiarum quidē recepit se Aristodemus: postremò cōpleta trireme, adolescentē corripuit, traiecitq; in ulterius litus, ubi eum stuprare aggressus eū non permittentē iugulauit, regressusq; Oreū cōuiuia agitauit. Quare citò ad me delata, postquā nulla corpori solui, profectus Spartam conueni ephoros. Cæterùm illi nullam mei rationem habuerunt. Quæ ut accepit Scedatus, perculsus est, suspicatus, nec se quequā SPARTIATAS respecturos: deposuitq; inuicē hospiti suā calamitatem. Ille uerò adhortabatur eum, ut ne adiret quidē ephoros, sed repeteret Bœotiā, filiabusq; tumulū conderet. Haud paruit tamē Scedasus: sed delatus Lacedæmonē, ephoros appellauit. Quibꝰ rē leuiter ferētibus, appellauit reges, mox popularē quęq; cum lamētis. Cùm aūt nihil proficeret, uolitauit mediā per urbem, manus ad solem protendens: hinc terra pulsans, furias ciebat: ad ultimum mortē sibi consciuit. Post tamen supplicia Lacedæmonij præbuere, ad Leuctras à Thebanis uicti. Plutarchus in Amatoriis.

TIBERIVS Cæsar, cùm senatus pœnā iis, qui luxuriarentur, constituere uellet, improbauit: eo addito, Præstare singulos certa ratione castigari, quā cōmune omnib. suppliciū irrogari: sic enim in præsentia quosdā metu dedecoris sibi tēperaturos, ne uitia corā palam fierent. ubi uerò semel legem natura uicisset, neminī eam curæ futuram. Dion lib.57.

CALLIDIVS Bononiēsis in cubiculo mariti noctē deprehēsus, cùm ob id causam adulterij diceret, affirmauit se ob amorem pueri sui eò esse perductū. Suspectus erat locus, suspectū tēpus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiā adolescentia ipsius: sed crimen libidinis, confessio intemperantiæ liberauit. Valer. lib.8. cap.1.

AVRIGA quidā Thessalonicæ, pincernā Butherichi præfecti militariū copiarū in Illyrico Theodosij Imp. de pudicitia tētarat, & eam ob causam in uincula coniectus erat. Veniens Thessalonicā Theodosius, curule certamē exhibuit: supplicauit ergo plebs, ut auriga (qui in eo certamine omnes superabat) solueretur. Quod cùm non impetrasset, seditione mota plerosq; ex Imperatoris principibus, & ipsum quoq; Butherichū interfecerunt. Iratus ergo Theodosius, immissis in circum militibus, promiscuè quosuis usq; ad septem millia interfici præcepit. Nicephorus lib.12. cap.40.

CVM CERTAMINE.

☞ *Hic Certamina [illegible] uenereæ causa considerantur. In præcedentib. [illegible], quæ ad [illegible] facerit, [illegible] sub Tit. Acquisitio libidinis Vitæ periculo.*

LAVDE LIBIDINE CERTARE.

CHARICLES Corinthius adolescens, & CALLICRATIDAS Atheniensis, Luciano iudice, amoris patrocinium suscepiunt, ille feminei, hic masculi. Lucianus atheorum omnium nequissimus, naturæ legem Chariclí, at philosophiæ institutum, si diis placet, Callicratidi astipulari, impudentissime decernit, dialogo de Amoribus.

OSCVLIS CERTARE.

Apud MEGARENSES inter pueros uere ineunte osculorum certamen agebatur, quiq; suauiùs amantē esset osculatus, corollis onustus abibat. Edebatur hoc Dioclis Atheniensis honori, qui Athenis profugus fuerat pæderastes, ac amatū in pugna protegens occubuerat, eo nomine à Megarensib. honorificè sepultus. Cælius lib.15. cap.9. A.L.

VLTIONE LIBIDINIS certare. Tum
Vi, Verberibus.

☞ *Consule Tit. Crudelitatis, Zelotypæ.*

Pitym puellam formosissimam riuales duo dij PAN & BOREAS adamabāt, dari eā sibi semicaper deus, dari eam sibi trux instabat Boreas. Puella Pāna potiùs quàm Boreā, si libera detur optio. Pani ergo cùm mox adhæsisset Pitys, impatiens

patiens repulsæ Boreas deprehensam fortè solam spacioso campo, saxo allisit moribundam: eam tellus intra gremium exceptam in arborem cognominem mutauit. Quamobrem uentos odio prosequitur Pitys, eiusq; arboris folia leni aura insusurrant, quasi pauore & metu uenti tremant. Ex lib. II. Dionysij Vticensis, Brodeus.

MEMMIVS quidā Romanus, cùm ageret Tarracinæ, mulierculam quādam deperibat, sed non citra riualem. Cum hoc igitur cùm aliquādo rixa incidisset, eò iracundię prouectus est Memmius, ut LARGII (nam id riuali nomen) brachium mordicùs arriperet. Ea res postea quādo in popularē abiit iocū, faceti quidā φιλόγελοι senariu hunc in omnib. eius urbis parietibus quinq; literis notarunt, depictis tribus LLL, & duob MM. uidelicet ut aduenis percunctandi ministraret occasionē. Itaq; cū M. Crassus Tarracinā aliquādo uenisset, admiratus nouū literarū ænigma, senē quendam oppidanum percunctatus est, Quidnam sibi uellet eiusmodi literę? Atq; is, exposita fabula, uersiculum explicuit,

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Erasmus in Adagiis.

STVPRO.

AEGYPIVS (ut est apud Bœum libro de Auium ortu primo) Anthei F. Nomionis N. in extremis Thessaliæ habitans finibus, Timandram uiduam pecunia data corrupit. Aegrè id ferens NEOPHRON Timandræ filius, Aegypij æqualis, multis donis Bulidem Aegypij matrē ad se pellexit. Horam deinde cognoscens, qua ad Timandram erat Aegypius uenturus, suam matrem domo emisit, & matrem Aegypij introduxit, se ad eam reditum simulans: itaq; ambobus imposuit. Aegypius cum matre corpus miscuit, quam esse Timandram putabat. Eum somno iam captum Bulis agnouit, arreptoq; gladio, oculos filio eruere, & seipsam necare statuit. Apollinis interim uoluntate somno Aegypius soluitur: intellectisq; Neophronis insidiis, in cœlum sublatis oculis, optauit omnia secū aboleri. Iupiter porrò eos in uolucres mutauit, factiq; sunt Aegypius & Neophron ægypij (id est, uultures) cognomines, minor tamen corpore Neophron. Bulis in mergum abiit, eiq; Iupiter alimentum tale destinauit, ut nihil terra editum edat, sed tantùm oculis piscium, auium, aut serpentum uescatur, quia filio Aegypio oculos erat ademtura. Timandra in parum (siquidem is est Græcorum ægithallus) est mutata: neq; unquam eodem loco hæ aues uisæ sunt. Antoninus Liberalis in Transfor.

Syracusis DVORVM adolescentum familiarium alter amici scorto, quod fidei suæ erat creditum, dum ille peregre agit, stuprum obtulit. Hic reponens illi mutuam, uxorem eius stuprauit. Ibi ex maioribus natu quidā in curiā profectus suasit, ut uterq; urbe pelleretur prius, quā [illegible] contagione ciuitatem infectam perderent. Eum tamen non secuti, sed in partes discedētes, optimum reipub. statum ingentibus calamitatibus euertēre. Plut. in Præceptis polit.

BOLESLAVS II. Polonorum rex, rerum gestarum magnitudine clariss. uictis Russis, & Kiouia eorum metropoli expugnata, deliciis urbis semigrææcæ corruptus, maximorum malorum causam præbuit. Nam dum Poloni, regis ductu, Kiouiæ nulla se nequitia & libidine, quamuis fœda, & sibi insitata priùs, abstinent: VXORES eorum & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnam uirorum absentiam (iam enim septimum ferè annum in Russia & Hungaria militantes domibus aberant) tum etiam libidinibus eorum & iniuriis irritatæ, flagitiis uicissim uiros & ꝓpinquos suos pleręque ulciscuntur: nonnullarum etiam pudor & constantia partim blanditiis & falsa extinctorum uirorum persuasione corrumpitur, partim ui expugnatur, iussa diuini numinis uindicta atque permissu. Hæc ubi uiris in hyberna renunciata sunt, cùm commeatum domos uisendi a rege impetrare non possent, clàm discesserunt. Rex ueritus, ne Russi despecta Polonorum paucitate opprimendi sui consilium inirent, peruenit Cracouiam, conceptam animo in desertores iram in apertum profert: a quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuit & in mulieres, quæ culpæ affines esse uidebantur. Abstractis enim & abiectis infantibus, quos è stupris & adulteriis enixæ erant, catulos ad ubera earum admouisse dicitur. Mox cùm libidine indies magis efferaretur, & Stanislaum episcopum Cracouiensem crudeliter interfecisset, regno pulsus, miserandum in modum periit. Cromerus lib.4.

ADMISSIONE LIBIDINOSA certare. Admittendo]

QVOSVIS.

LAIS æmula PHRYNES, omnis generis homines admittebat, ex multitudine amantiū gloriam captans. Athenæus libro 13. capite 20.

QVOTIES.

Messalina Claudij Imper. uxor, ut ad satietatem sese uenere expleret, Lyciscæ prostitutæ mulieris nomen mentita, sæpe lupanar sub noctem adiit, & cum famosissimis meretricij quæstus SCORTIS coitu certauit, ex re fœdissima palmam sibi uigintiquinque uirorum congressu quærens. Sabell. lib.4. cap.11. Vt Satyricus inquit, Et lassata uiris, necdum satiata recessit.

Regulus HYDRORIVS, multorum liberorum pater, & maritus, cum Comite Melanopyrgæo, qui iuuenis erat & cælebs, sponsione certauit, uter cum scorto exoleto expeditius uenerem perficeret. Conscendunt equos, magno comitatu lupanar adeunt, unam quisq; eligit è grege prostituto. Hydrorius cùm sese uirum expeditissime demonstrasset, ouans ad suos redit, & [illegible] nomine poculum magni pretij, obscenis famosissimarum libidinum iconibus affabre exculptum, sic uti cōuenerat, à Comite accepit. I nunc & Messalinæ impudentiam admirare, cùm talia uirorum monstra Christianus orbis perferat.

PVDICITIA, CASTITAS NIMIA, QVO AD

AHTIN, FVGERE INdecorè

CONIVGIVM.

☞ *Hæc exempla Heretici, etiam, qui nuptias opus diaboli esse contendebant.*

Demotionis Areopagitæ FILIA, de qua scribit aduersus Iouinianum D. Hieronymus, Leosthene sponso mortuo, negauit se alteri nupturam, quòd adulterum acciperet, non maritum. Illum enim uita functum, sibi tamen adhuc uiuū maritū esse. Mox ne ad secundas cōpelleretur nuptias, seipsam interfecit. Viues de officio Mariti.

FRANCISCVS Petrarcha in Valleclausa prope Auinionem Lauretam ita deperiit, ut omnium ferè poematū argumentum faceret: Benedictus, qui Clementi V. in pontificatu successit, ne tantus amor uacuus haberetur, ut illam in uxorem acciperet suasit, & ut facilius adduceretur, concedebat beneficia ecclesiastica ab eo teneri posse, & alia insuper erogare. Sed Petrarcha, qui animum procul à nuptiis habebat, uim tanti amoris pro coniugio amitti non debere respondit. nam quæ de ea indies dicere cogitabat, cùm uxor illa fuisset, omnia peritura. Laureta quæ monstrari digito gaudebat, matrimonium libenter cōtraxisset: sed opinione frustrata, alij nupsit. Hieronymus Squarzaficus in uita Francisci Petrarchæ.

SECVNDAS NVPTIAS.

Carthagine condita à DIDONE Tyriorū duce, florebāt assiduis successibus Tyrię opes, quū Iarbas Mauritaniorū rex Pœnorum principibus ad se accersitis, Elisam sub belli denunciatione, nisi nuptiæ impetrarentur, sibi uxorē deposcit. Legati id reginæ nunciare ueriti (sciebant enim eam ab omni connubio abhorrere) Punico cū ea ingenio egēre, ut dicerēt, poscere Iarbā, qui se & Aphros mansuetiores mores perdoceret, sed neminem inueniri, qui ad Barbaros ferarū ritu uiuentes transmitti uelit. Tū ab regina castigati, qui pro salute patriæ, cui omnia deberentur, asperiorē uitæ cultū, Barbarorumq; commerciū lautos se negarent: Abs te igitur, illi inquiūt, hoc patriæ præstandū est, Dido: ut nominatim ab Iarba non serua, sed coniux deposceris: cui nisi satisfactum sit, haud dubiū est, quin breui te tuamq; urbē graui bello uideas afflictā. His illa difficultatib. circumuenta, Sichæi nomē inuocat cum lacrymis, iturámq; se professa est, quò sua nouæq; urbis fata traherent. Spacio deinde ad nuptias cōparandas sumto, constitutaq; in parte urbis pyra, uelut Sichæi manes in nouo connubio exoratura, daturaq; ob id illi inferias, eodem loco hostias cædit. Inde gladiū dextra tenens, pyram conscendit, populumq; intuita, iturum se ad uirū, ut fuerat ab initio pollicita, dixit. Hæcq; palam locuta, se gladio transfixit: & ne Barbari pateret libidini, suæ se subiecit crudelitati. Hæc certè permutatio tantū est uitij, non euitatio. Quamdiu Carthago incolumis mansit, pro dea culta est. Hæc Trogus, & Sab. lib.9. En.5. & ut inquit Ausonius,

Dum fugeret furias atq; arma procacis Iarbæ,
Seruauit dira morte pudicitiam.

Eam ne secūdas nuptias experiretur, maluisse uri quàm nubere, scribit Tertullianus Monogamiæ patronus. De ea sic norunt hoc omnes: & tamen elegantia & maiestate Vergiliani carminis decepti, id quod maximè uerū esse sciunt, dissimulare malunt, & fabulam hanc pictoribus, fictoribus & histrionibus pro uera celebrandam (tantum fingentis dulcedo potuit) committunt. Macrobius lib.5. Saturn. cap.17.

ΦΥΛΑΚΗΝ.

Consule Tit. Virginitatis studium, Stuprorum fuga, item, Viduales castitas. Exempla illic non pauca laudatæ castitatis reperies, quæ respectu modi, quo conseruatur, reprehensione digna est, huiusq; adeo loci propria.

SVAM PVDICITIAM INDECORE

Conseruare, Defendere, Tueri

Morte.

BRITOMARTIN Cretenses colunt, quæ Carmes filia fuit & Iouis, quæq; cursu delectata fuerit & uenatione, Dianæ grata inprimis. Eam quũ amaret Minos, insequereturq;, illa fugiens in retia capiendis demissa piscibus se præcipitem dedit. Sed deam fecit Diana. Eandẽ colũt Aeginetæ quoq;, compatuisse ipsis opinati: sed ἀφαίαν cognominant, sicut Cretenses δίκτυνναν Cælius lib. 18. cap. 26. A. L.

Captis Athenis à Lysandro Lacedæmoniorum rege, impositisq; triginta uiris, qui ciuitatem regerent, quum adeò superbè insolenterq; sese gererent, ut etiam Tyranni appellarẽtur, illuderentq; multarum pudicitiæ: NICERATI uxor, ne & ipsa eorum libidini seruire cogeretur, uoluntaria morte se subtraxit. Lud. Viues de Christiana femina lib. 2.

In Orchomeniis, qui in Arcadia sunt, dominabatur tyrannus Aristomelidas. Is cùm Tegeatide VIRGINE, quam amabat, quoquo modo potitus esset, ac eam cum præsidio ad se perducendam Chronio cuidam cõmendasset, puella antequam ad tyrannum perduceretur, præ metu & pudore sibinecem consciuit. Chronium Diana oblatis nocturnis uisis ad opprimendum Aristomelidam incitauit. Patrato itaque facinore, cùm Tegeã Chronius cõfugisset, Dianæ templum dedicauit Chroniæ Pausanias in Arcadicis.

Græca femina nomine HIPPO, cùm hostium classe esset excepta, in mare se, ut pudicitiã morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erechtheo litori appulsum, proxima undis humus sepulturæ mandatũ, ad hoc tẽpus tumulo contegit: sanctitatis uerò gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit. Valer. Max. lib. 6. cap. 1.

Nicanor Thebis euersis, unius VIRGINIS captiuæ amore superatus est. Cuius coniugium expetens, & uoluntarios amplexus, quod scilicet captiua optare debuerat, sensit pudicis mentibus plus uirginitatem esse quàm regnum: & interfectam propria manu, flens & lugens amator tenuit. Viues lib. 1. Christ. fem. & Cælius lib. 14. cap. 1. Antiq. Lect.

Synorix captus amore CAMMÆ, cùm nullis pollicitationibus eam posset ad facinus adducere, uirum eius Sinatum dolo malo sustulit. Quo extincto, Cammam ut sibi nuberet compellere fategit. Illa assensum simulat: & ante aram Dianæ phialam tenens, quasi sacrificium factura, poculi partem hausit, partemque Synorigi porrexit (erat autem mulsum ueneno permixtum) quã simul ipse ebibit. Nuptias secundas quòd respuerit, homicidæ præsertim, non damnamus: sed castitatis tuendæ causa homicidium duplex committere, piaculare fuit.

Septem MILESIÆ uirgines Gallorum impetu cuncta uastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt. Hieronymus.

TEVTONVM & Cimbrorum coniuges captiuæ, Marium uictorem orarunt, ut uirginibus Vestalibus dono mitterentur: affirmantes æquè se atque illas uirilis concubitus expertes futuras. Qua re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Val. Max. lib. 6. cap. 1. Hieron. in epist. ad Gerontiam.

Imperante Diocletiano Augusto, qui grauiter Christianum nomẽ insectabatur, MATER cum duabus puellis comprehensa, & plaustro imposita, Diocletiani iussu Antiochiam, & illinc (quia Christianæ ferebantur esse) ad prostituram locũ deducebatur: ut demùm, nisi diis, quibus Imperator uolebat, sacra peregissent, omnes occiderentur. Ipsę uerò cùm neque pudicitiam uiolare, neque Christiano nomini renunciare uellẽt, ut fortè (dũ ducũtur) ad amnẽ quendã peruenerũt, petierũt ut plaustro descẽdere liceret, quasi naturę necessitatib satisfacturę. Cùm secessissent, in amnẽ se coniecerũt, itaq; perierunt. DVÆ quoq; ex eodem loco, in mare ob eãdem causam, cùm Antiochiam deducerentur, è naui sese præcipitarunt. Fulgosus libro sexto, capite 1. PELAGIAM scribit Ambrosius libro tertio, de Virginibus, cum matre & sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne à persequenti milite uiolaretur: eam tamen, ut idem inquit, martyrum numero Ecclesia ascripsit.

EVPHRASIA Antiochena uirgo, cùm sub Diocletiano propter Christũ ad prostibulum duceretur, & in cubiculo cum luxurioso iuuene concluderetur, ueneficam se esse profitetur, mercedemq; ingentem conseruatæ pudicitiæ pollicetur, pharmacum quoddam, quo illitus uulnerari non posset. Accipit ille conditionem, & statim parare iubet. Tum illa ceram oleo liquefactam manibus subigit, & collo suo circumlinit, atq; ut in seipsa periculum faciat, iuuenem hortatur. Ille gladio arrepto, primo ictu uirginis caput amputauit imprudens. Et sic illa corporis castitatem & religionis puritatem integram conseruauit Niceph lib. 7. cap. 13. & Cedrenus. Alij hoc BRASILLÆ Dyrrhachinę uirgini tribuũt, quæ succo herbæ illito iugulo, militem uictorem suæ insidiantem pudicitiæ ita deceperit. D. Hieron. & Lud. Viues lib. 1. Instit. fem. Christ.

SOPHRONIA Romana matrona, nobilitate insigni, præfecti urbis uxor, cùm à Maxentio siue Maximino Imp. sollicitaretur, ita ut nisi uolens Maxentio morem gereret, uim imminere facilè appareret, uiro omnem rem enarrauit. Cùm præ formidine uirum sceleri animaduerteret assentiri, auro gemmisque se quàm impensè potuit excoluit: & cùm eam à Maxentio missi uiri expectarent, ipsa una tantùm comitata ancilla, cubiculum suũ ingressa est. Vbi posteaquam longiore oratione se Deo excusauit, si ante statutã diem uitam relinqueret: cultello sibi ipsi mortem consciuit. Lucretię Romanæ in eo anteferenda, quòd ipsa, ne uel corpus, uel animum, quæ duo insigni pudicitiæ candore fulgebant, labe aliqua inficeret, manum sibi iniecit: illa ut læsum iam pudorem excusaret, sanguinem cum uita effundere uoluit. Fulg. lib. 6. cap 3. ex Eusebij lib. 8. cap. 17. & Viues lib. 1. de Instit. fem. Christianæ.

Anno à nato Christo 730. VANDA filia Craci, unica hæres regni Polonię, pulcritudine sua plurimos principes ad se alliciebat, & ueluti hamo pisces capiebat. Vnde Vanda uel Veda (quæ dictio Slauis hamum, quo pisces capiuntur, sonat) appellata est. Ritagoras princeps Germanorum illam perlegatos ambiens, sed ab ea spretus, bellum Poloniæ indixit. Illa celeriter undecunq; auxiliis coactis, eum cruenta clade fudit. Ipse fuga elapsus, præ pudore, quòd uirginis manu fusus esset, gladio proprio sese interemit. Vanda, quæ Diis uirginitatem uouerat, ut uoti compos esset, de Ponte in Vistulam sese præcipitauit. Cadauer in ostiis Dlubnæ, ubi Vistulam influit, in scopulo, uno miliari à Cracouia, in Mogila, gentili ritu sepultum est. Guagninus in uitis regum Polonorum.

Capta ab Atila Hunnorum rege Aquileia, cùm DVGNA (sic Eutropius) uel Digna (sic Sigonius & Olahus) ingenua mulier à Barbaro hoste capta ad stuprum raperetur, in preces uersa, tanquam secreti cupida, facilè impetrauit, ut in superiorem partem domus abduceretur. Cumque illa prior locum ascendisset, confestim partem illam cœnaculi occupat, quæ fluuio Natisoni imminebat. Inde ad Hunnum conuersa, Sequere me, inquit, si uis me potiri. ac cum his in subiectum flumen se præcipitauit. Bonfinius lib. 6. Dec. 1. & Nic. Olahus in uita Atilæ, & Sigonius lib. 13. Imp. occid.

BLANCA Rubea Patauina, uxor Baptistæ à Porta, cùm eius maritus in expugnatione Bassiani municipij Patauini occubuisset, & illa captiua ad Acciolinum tyrannum deducta esset: is forma eius motus primò blanditiis, mox etiam uiolentius, eam corrũpere tentauit. Ergo cùm alia ratione non posset, per fenestram se dedit præcipitem. Semianimis ex casu uix tandem curatur. Curatam denuò tyrannus aggreditur: & quia consentire nolebat, seruorum opera ligatã constuprauit. Illa dolorem dissimulans, impetrauit ab amicis, ut ad leuandum mœrorem & desiderium, aperto sepulcro mariti fœtidum cadauer semel tantùm aspicere posset. Aperto sepulcro illa magno emisso eiulatu, in sepulcrũ sese præcipitauit: simulq; tanta uiolentia lapidem impulit, ut unà rueret, & Blancæ ceruicem frangeret. Bernard. Scardeonus lib. 3. Hist. Patauinæ.

VIRGO Ethrusca à militibus capta, seruandi pudoris gratia ex Ancisæ ponte in Arnum se deiecit. De ea sic Benedictus Varchius in suis Epigrammatis:

> Perderet intactum ne uirgo Ethrusca pudorem,
> In rapidas sese præcipitauit aquas:
> Cumq; foret cœlo ter reddita flumine ab imo,
> Impauidum toties obruit amne caput.
> Quid dicam? Semel amisso Romana pudore,
> Thusca ter integra uirginitate perit.

Cùm Maximilianus Imp. Patauinum agrũ uastaret, agrestium turba in urbem confugit. Fortè ISABELLA Rauignana rustica puella in urbe deuiarat. A militibus ergo Venetis, qui urbem custodiebant, propter formam ad stuprum rapitur. Cùm alia ratione effugere non posset, sese ex ponte Curuo in Medoacum præcipitat. Inde exanguis extracta, in proxima ripa absque ullo funeris honore sepulta fuit. Bern. Scardeonus lib. 3. classe 34 hist. Patauinæ.

Idololatria.

ORIGENES sub Deciana persecutione ad aram ductus, ut aut diis sacrificaret, aut ab Aethiope turpissimo (qui astabat) stuprum pateretur: maluit thus igni iniicere, quàm castitatem perdere. Eapropter ab Ecclesia Alexandrina excõmunicatus in Iudæam abiit, & illic obiit in summa miseria & paupertate, si non etiam desperatione. Suidas, & Nicephorus libro 5. cap. 32.

Læsam uindicare.

Candaules, unde Herodotus Lydorum regum exorsus est historiam, Heraclidarum ultimus Sardibus tyrannus, Marsi filius, habuit VXOREM eleganti forma, uniceq; eam dilexit: nec frũctum secretæ consuetudinis satis uoluptuosum credere, nisi supra quàm sanum uirum deceret, occultiores etiam corporis partes, quas pudor & uestes abscondunt, cùm Gyge Dascyli filio, suorum satellitum uno, quo omnium familiarissimè utebatur, identidem laudaret. Demum tanquam res ipsa oculorum indigeret testimonio, ut eidem inueniret, eò insaniæ processit, ut inuitum Gygem in secretiorem cubiculi partem traxerit, unde per otium nudatam coniugem contemplaretur. Mulier rerum omnium inscia, nihil tale suspicans, positis uestibus regium cubile ascensura, Gygem sese occultè foras proripientem, non sine rubore est intuita. Turbato igitur animo, præ nimioq; pudore confusa, in ultionem præceps abijsset, nisi Candaules rem in lusum uertens, id sua opera factum affirmasset. Dissimulauit illa ad tempus dolorem suum, ne parum uiro morigerari uideretur: postero die Gygem per fidum nũcium in secretum accersit: ibi turbato uultu hominem affata, Aut tibi, inquit, moriendum est, Gyges, qui, quod nefas fuit, spectare es ausus: aut Candauli, qui id tibi flagitium persuasit. Vide proinde utrum malis, in te, an illo sceleris ultionem quæri. sed illum potiùs plecti uelis: quo extincto, ero tibi ego quod & illi fui, regnumq; simul tibi præmio adiiciam. Tum Gyges, siue imminenti periculo motus, siue regni cupiditate, siue utroq; potiùs, ferro instructus, eadem cubiculi parte, qua nuper in insidiis locatus, nocte, quæ proximè secuta est, regem somno pressum obtruncat, simulq; eius thorum & tyrannidem occupat. Excepit Gygem animorum motus ingens, Lydis imperium noui hominis detrectantibus Caterum Delphicum oraculum Gygi regnum stabiliuit. Meminit huius rei Archilochus Parius, uiuebanturq; apud posteros Delphis donaria Gygiana appellata, quæ ille hoc nomine Apollini dedicauit. Herodotus secundùm ea, quæ Midas ibidem statuit, omnium hæc uetustissima fuisse ait. Sabellicus lib. 3. Ennead. 2.

Triginta Atheniensium tyranni, cùm Phædonem in conuiuio necassent, FILIAS eius uirgines ad se uenire iusserunt, & scortorum more nudari. ac super pauimento, patris sanguine cruentata, impudicis gestibus ludere. Quæ paulisper dissimulato doloris habitu, cùm temulentos conuiuas cernerent, quasi ad requisita naturæ egredientes, inuicem se complexæ præcipitauerunt in puteum, ut uirginitatem morte seruarent. Lud. Viues de Christiana femina lib. 1.

VIRGINES duę Bœotę, cùm absente patre Scedaso, duos iuuenes Spartanos pro ueteri hospitio domi suæ Leuctris excepissent: ab iis uim passæ, eodem ferro, die postera, ambæ concordes, cùm prima eo usa, alteri eius usum concessisset, se interemerunt, uel (ut alij) laqueo uitam finierunt Plut.

PAVSANIAS, Philippi regis, Amyntę F. satelles, ab Attalo per uim constupratus, Philippum regem interfecit, quòd iniuriam sibi ab Attalo illatam, non uindicasset. Diodorus libro decimosexto.

Potuit LVCRETIA, Collatini uxor, satis honestè uiuere post pudicitiam à Tarquinij filio uiolatam (aberat enim inde decus, unde abfuerat & peccandi uoluntas, absoluebaturque domesticorum iudicio interpolatus perpetuæ pudicitiæ tenor) at odium flagitij fecit, ut suorum desiderio deesse maluerit, quàm ultioni superesse. Sab. lib. 5. cap. 6.

MALLONIA, Romana ad Tiberium Cæsarem producta, nec quicquam ampliùs pati constantissime recusans, delatorib. obiecta fuit. Cæsar, ne ream quidem interpellare desiit, Ecquid pœniteret. Illa relicto iudicio domum se arripuit, ferroq; transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido seni clarè exprobrata. Suetonius.

Conuersationis indecora fuga.

ARSENIVS abbas, uirorum quoq;, nedum feminarum declinare solitus consortia confabulationesq;, ut expeditiùs diuinæ contemplationi uacaret: cùm quædam non obscuri generis matrona illum uidere cupiens, de improuiso ante hospitiolum suum ipsi occurrisset, repẽte auertit sese, & muliebrem audaciam gestu pariter ac uerbis incusauit. Rogo, inquit illa, ne indignè feras aduentum meum, quæ sincera mente & pio affectu huc ueni. aut si eo quicquam offensus es, ueniã da, ac pro me Deum (cui soli seruis) deprecare. Precabor Deum, respondit, & quidem multum, ne unquã meminerim tui. Marul. lib. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

PION abbas, Antonij abbatis discipulus, cùm à sorore uidua ualetudineq; affecta accerseretur, dicente, si ipsum uidisset, tam sibi gratum fore, ut inde sanitatem se recuperaturã speraret: ire omnino recusauit. Mox tandem abbate iubente, profectus est, & sororis cubiculũ oculis clausis alterius ductu ingressus, se quidem illi uidendum præbuit: sed illã ipse minimè uidit, nec ab ea cognitus abiit. Cumq; rursum ut ueniret, inuitaretur: Et fui tecum, inquit, & uidisti me. Marul. lib. 4 cap. 7. & Sab. lib. 5 cap 6.

PAVLVS abbas, qui solitudinem Panephiso oppido proximã incoluit, ne feminam uideret, impensè cauit. Et cùm aliquando cum abbate Archebio ad quendam senem pergeret, uidens à longe obuiam uenire mulierem, protinus retulit pedem: & comite frustra renitente, quo relicto, tugurio-lum suum cursu concito repetiit. Cassianus hoc immodestiæ adscribit, Deiq; iudicio factum asserit, ut qui tantoperè femineum conspectum execrabatur, paralysi resolutus, ad cœnobium uirginum deferretur ut languenti mulier assideret. Puritatis eius etiam apud feminas iacentis testimonium fuit, quòd languentes oleo, quo ipse contactus fuisset, peruncti sanabantur, & infirmus infirmis remedio erat. Marul lib 4 cap. 7.

ALIENAM PVDICITIAM INHOnestè conseruare.

VIRGINIVS plebeij generis, sed patricij uir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cùm Appius Claudius decemuir, filiæ eius Virginiæ stuprum potestatis uiribus fretus, pertinaciùs expeteret, deductam in forum puellam occidit: pudicæq; interemtor, quàm corruptæ pater esse maluit. Val. lib. 6. cap 1.

QVIDAM Zeugmini Pannoniæ urbis ab Manuele Comneno Imp. expugnatæ ciuis, nobilis & diues, quum uxorem suam, excellenti forma mulierem, ad stuprum à milite rapi uideret, nec eius pudicitiam aliter tueri posset: acinace miseram confodit. Nicetas lib. 4.

ΧΡΗΣΙΝ. SIVE

RESPECTV SVIIPSIVS. Huc pertinet

In Coniugio morositas.

Virginitatem D. Paulus coniugio non immeritò præfert: monet tamen qui se continere nequit, ne uratur, uxorem ducat: dum honestè tractet: ne, nisi illius modò pia sit, & uerè christiana) consensu d. si uel bonum aliquam attentet. Vt enim certè coniugalis si lonitibus necessitate & generationis circumscribatur, ad species primùm conseruationem (quod præcipuum est coniugij finum) deinde etiam indiuiduo conducit, ad animi corporisq; pudicitiã retinendam, & morborum, qui ex retentu feminæ grauissimi oboriuntur, profligationem, ut Gal. in Arte med. contra Epicureos docet.

Pythagoras ab inferis reuersus, inter alia fabulosa etiam istud narrasse dicitur, puniri grauiter ILLOS, qui cum uxoribus suis rem habere noluit. Suidas.

VASTHIS regina, Artoxerxi inobediẽs, repudiata fuit, superducta Esthera Hebræa.

Herodes Iudæorum rex, à Cæsare domum reuersus, cùm meridiano tempore quietis causa in cubiculum se recepisset, MARIAMMEN uxorem formosiss. & dilectiss. pro coniugali affectu accersiuit. Illa introgressa quidem est, sed unà cubare noluit, rogantem contemnens, & Alexandri patris ac fratris Aristobuli necẽ illi exprobrãs. Quod ipsum rex indignissimè tulit, sic ut uix ab inferendis mulieri manib. abstineret. Qua occasione usa Salome soror Herodis, illã falsò insimulauit adulterij Iosephus lib. 15. cap. 11. Antiq.

RESPECTV ALIORVM.

Zelotypia affectus est, de quo sub loco Affectuum. Eum si recta ratio moderari nequeat, præstantius erit consideratione, cùm in pudore defendendo, uindicandoq;, tum in impudicitia aliena præcauenda, cognoscenda, castiganda.

Suspectam Pudicitiam aliorum præter decorum.

Explorare.

CEPHALVS Deionis F. Procrin Erechthei filiam in Thorico Atticæ duxit. Eum pulcritudine illecta rapuit Aurora, sibiq; maritum adsciuit. Cephalus Procrin tentauit, an matrimonij fidem seruatura esset. Ficta occasione, uenatum se ire simulat, ad Procrin autem mittit seruum ignotum: qui multum auri ferens, hoc ei à peregrino uiro quodam, ipsius amore capto, dari ait, si ei corporis sui uelit potestatem facere. Principiò Procris recusat: sed cùm duplum mitteret, consentit. Cephalus ubi eam domum ingredi animaduertit, iamq; ad se, quem alium putabat, accumbere, facem ardentem infert, facinusq; eius arguit. Procris præ pudore Cephalum deserit, & ad Minoem Cretæ regem confugit. Quem cùm offendisset nullam habere prolem, pollicita est ei fœcundi-

cunditatem. Moriebantur mulieres, quibus cum rem habebat, cùm serpentes & scorpios & scolopendras parerent. Ergo ueficam capræ in membrum mulieris inserit, & Minoa serpentes priùs excernere iussit in ueficam: deinde cum Pasiphae uxore coire. Postquam prolem adepti fuerunt, dat Minos Procridi iaculum & canē, quæ nulla fera euitare poterat, sed omnes iis capiebantur. His sumptis, Procris Thoricum Atticæ uenit, ubi Cephalus habitabat, & ei in uenatione adfuit mutato habitu in uirilem, & tonso capillo, ita ut à nemine agnosceretur. Cephalus animaduertens, se uenando nihil consequi, omnia Procrin, iaculum istud accipiendi cupiditate est captus. Procris id ei promisit, conditione concubitus. Cumq; Cephalus conditionem accepisset, Procris se prodidit: eiq; exprobrauit, quòd multò turpiùs atq; ipsa peccasset. Antoninus Liberalis in Metamorphosi. Suspicata maritum Cephalum alterius feminæ amore captum, eundem in syluas secuta est, delituitq; in dumis, ut obseruaret clanculum quid maritus faceret. Quum autem uepres (in quibus latebat) aliquantum mouisset, Cephalus arbitratus esse feram, eam iaculo confixit. Plutarchus in Paral. & Ouid. 7. Metamor.

In Thessalia Cyanippus, filius Pharacis, in amorem puellæ LEVCONES uel Leuconoës uenit, quam etiam à parentibus impetratam, uxorem duxit. Erat autem plurimùm dedi tus uenationi, ita ut per diem leones & apros insequeretur: noctu autem fatigatus pentiùs, accederet puellam, adeò ut aliquando neque sermone cum ea habito in profundum somnū deferretur. Illa ut cognosceret, quid faceret tandem Cyanippus, qui ita perpetua delectaretur circa montes uersatione, clàm ministris omnibus syluam ingreditur. Cyanippi canes fortè cerum insequebātur: & quia ob longam uenationem ex mansuetis ferociores erant redditi, quum puellam olfecissent, eam inuaserunt, neminēq; prohibente dilaniarunt. Cyanippus superueniens, ubi lanitatam deprehendit, uocatis ministris, illam in extructum rogum composuit, & primùm quidem canes suos ad rogum mactauit, postea uerò seipsum interfecit. Parthen. de Amat. & Plutarchus cap. 42. Parall.

Aemilius apud Sybarim Italiæ oppidum spectatæ uenustatis adolescens, uenandi studiosus, cùm VXOREM haberet nouellam, quæ in alterius puellæ complexus uirum ire opinaretur, in saltus egressa delituit. Motis autem arbusculis, canes accursant, & ferā arbitrati, puellam discerpunt. Clitonymus lib. 2. rerum Sybariticarum, & Plut. cap. 43. Parall.

Accusare.

CAROLVS Crassus Imp. habuit uxorē Richardem, regis Scotiæ filiam, feminam sanctimonia uitæ & castitate insignem. cui cùm adulterij crimen obiiceret, quòd familiāriùs ageret cum Luituualdo Vercellensi episcopo, unico suo consiliario, cui rerum suarum administrationem omnem concesserat: factus zelotypus ac delirus, uxorem in concionem uocat, iurat ab se integram hactenus relictam, nec ullo concubitu cum ea se commiscuisse. Casta femina, quæ impotentiam uiri tot annis celarat: Bene (inquit) res se habet, mariti iureiurando uirgo: afferte obstetrices & mulieres honestas, quæ meam integritatem attestentur: nec ampliùs tali marito cohabitabo. Si uultis insuper, ignitis uomeribus castitatem meam palàm cunctis faciam. Facto itaq; dissidio, acceptis bonis suis, in Alsatia monasterium construxit sacrarum uirginum, quod hodie Andalauu appellatur, ac se Deo dicauit, ubi sepulta iacet. Quæres ut multis commiserationem, ita Augusto peperit extremam calamitatem. Cusp.

HENRICVS II. Imp. licèt cum sanctissima cōiuge suā Cunegunda, quam unicè dilexit, coniunctissimè uixerit, demùm tamen Sathan iniecit illi zelotypiæ scrupulum. Cuneguda, ut maritum à falsa suspicione liberaret, pudicitiam coniugalem ferro ignito comprobauit. Cranzius lib. quarto, capite quinto Metropoleos.

Custodire.

PERSÆ & PARTHI uxores & concubinas in secretiore domus parte à uiris semotas habitare uolunt, neque in publicum prodire sinunt: in itinere autem faciendo curribus uelatis utuntur. Eo commento Themistocles ad regem Persarum tutò profugit, cùm comites Græcam mulierculam ex Ionia se regis cuidam cubiculario adducere asserentem. Plutarchus in Themistocle.

THRACES uxores asseruant uehementer, easq; magno ære à parentibus coëmunt. Herod. lib. 5.

PHANVS quum uxorē haberet adulterij suspectam, atrij fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore sonituq; possent aperiri. Verùm quum illa per tegulas adulterum intromitteret, uicini per iocum dicebant, Phani hostium. Quo prouerbio innuebant, aliquid seruatum frustrà.

Punire.

Exempla pete ex Tit. Vltronis zelotypæ nimiæ. Illicita, heic immodici Studij pudoris habetur ratio. Pudor sanè custodiendus est honestus, sed honestè.

COTYS Thracum rex, zelotypus uxorem suam ab imo utero ad summum mediam discecuit. Athen. lib. 12. cap. 14.

C. SVLPITIVS Gallus uxorem suam repudiauit, quòd aperto capite ædes egressa esset: Ex, inquiens, tibi meos unius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his festo speciosa, non aliorum oculis placens. Erasmus lib. 6. Apoph.

Hercules Strozza HIPPOLYTÆ & CALLIMACHI amantium mortem eleganter his uersibus explicat:

Ruperat Hippolytæ data fœdera, patre coactus
Aemiliam uxorem ducere Callimachus.
Illa furit, sed dissimulat, noclemq; cupitam
Pollicita, incautum transfadigit gladio,
Et spectante illo (quid non mulierbria cogit
Corda amor?) usa sua dextera & ense perit.
Non graue obiit proco, sed non obiisse repentè
Non doluit proprio uulnere, sed dominæ.

Læsam aliorum pudicitiam ulciscitur inhonestè.

Consule Tit. Crudelitatis erga Stupratores, Adulteros.

Rodericus Gothorum rex, IVLIANI legati sui filiam stupratuit. Quod Iulianus adeò immoderatè tulit, ut Mauros contra eum concitarit: cum quibus ille congressus, in acie cecidit. Ritius libro secundo de regibus Hispaniæ. Ioannes Magnus Gothicæ historiæ lib. 16. cap. 27.

LIBRI QVARTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.



- Ad Virtutis moderatio spectatur partim quoad
  - Κτῆσιν. TEMPERANTIAE Voluptatum corporearum impropriè dictarum acquisitio. Temperantiæ
    - Magistri in
      - Genere.
      - Specie: circa
        - Vestitum.
        - Stragula.
        - Vnguenta.
        - Exercitia.
    - Discipuli.
  - Χρῆσιν, in
    - Seipso. INTEMPERANTIA Voluptatum corporearum impropriè dictarum, ex obiectis considerati
      - PER SE, ut sunt Res aliquæ subsistentes: nimirum
        - Aer. Alimenta. Victus munditiei.
        - Vestimenta frugalia, uilia, contemta:
          - Qui illis sint usi. Videlicet
            - Homo Deus. Prophetæ.
            - Apostoli. Episcopi.
            - Monachi. Monachæ.
            - Reges. Duces.
            - Politici. Philosophi.
            - Mulieres.
          - Cur. Causa
            - Religionis.
            - Humilitatis.
            - Necessitatis.
            - Roboris.
            - Insidiarum.
        - Strata, Stragula.
        - Habitationes.
        - Balnea:
          - Rara. Pudica.
          - Frugalia. Grata.
        - Vnguenta.
        - Instrumenta. Suppellex.
        - Excrementa, Purgamenta.
      - RESPECTV ipsius
        - SVBIECTI corporis cui insunt, adsunt, accommodantur, uel
          - Actiuè. Sic Voluptas alia referri uidetur ad
            - Sensum
              - Visus, quæ percipitur ex Colorum, Imaginum aspectu.
              - Auditus, ex Sonis iucundis.
              - Odoratus, ex Odoribus.
              - Gustatus, ex Saporibus gratis, licet ad alimoniam non facientibus.
              - Tactus, ex obiecto Qualitatum tactilium primarum potissimum & secundarum.
            - Motũ, hoc est, ad
              - Exercitationẽ, quamuis, puta
                - Deambulationis.
                - Vectionis.
                - Frictionis.
                - Luctationis.
              - Quietem.
          - Passiuè. Sic Voluptas nõ tã agendo, quã patiendo corpori accidit, partim
            - Internè à
              - Somno.
              - Vigilia.
            - Externè in
              - Genere, à CVLTV corporis.
              - Specie, secũdum ea, quæ corpori aliquid
                - Addũt gratum. Cultus ornans ipsum corpus, in
                  - Coma alenda, curanda.
                  - Vestium elegantia.
                  - Auro, Gemmis.
                  - Coronarũ usu.
                - Detrahũt ingratũ. Cultus q corpus purgat per
                  - Lotiones.
                  - Abstersiones.
        - FRVCTVS uel
          - Digni.
          - Indigni.
    - Aliis. TEMPERANTIA Voluptatum corporis impropriè dictarum respectu aliorum, quorum intemperantiam oderunt, puniunt, castigant, quo ad
      - Cultum.
      - Vestitum.
      - Ædificia.
      - Vnguenta. Balnea.

Voluminis Noni Liber IV.

DE TEMPERANTIA & INTEMPERANTIA CIRCA VOLVPTATES CORPORIS MINVS PROPRIAS.

VOLVPTATVM corporis earum, quæ nobis cum brutis maximè cõmunes sunt, enarrationem præcedẽtibus Libris executi sumus. Nũc eas, quæ homini potissimùm, ut omnium creaturarum domino, sic omnium quoq; famulitio uel necessario uel honorario indigenti, cõueniunt (quarum uestigia in brutis quoque reperiuntur) ex Coloribus, Odoribus, Sonis, Calore atque Frigore, ex Motu & Exercitatione, ex Vestimentis, Vnguentis, Habitationibus, & similibus prouenientes, persequemur. Quas ipsas propter minorem mouẽdi efficaciam uoluptates Minus proprias appellant, quandoquidem multo remissiùs, quàm priores illæ, corporis organa afficiunt. At respectu Subiecti, cui insunt, cũ in ijs homo præ cæteris animalib. maximè uideatur peccare, Hominis propriæ censeri possunt. Et quidem Delectationis corporeæ causa huius sunt loci. Sin uerò à Corpore ad Animũ quoque transferantur, ut qui uel Vestitu uel Vnguentis uel Coronis sese elegantes præstare, & eos, quibuscũ uersantur, oblectare uolunt, ad Popularitatis classem quoq; pertinebunt. Iam si Sumtum spectes, qui in conciliandis perfruendisq; uoluptatibus istis impenditur, & Liberalitatis & Prodigalitatis & Auaritiæ locis eadem exempla inseruient: & uicissim ex illis huc transferri poterunt, contraria ratione.

TEMPERANTIAE VOLVPTATVM CORPOREARVM impropriè dictarum ACQVISITIO, INTRODVCTIO.

MAGISTRI.

Ex Tit. Magistri Temperantiæ in genere, exempla quædam huc referri possunt. item ex Tit. Magistri Parsimoniæ. Illic Sumtus, hîc Luxuriæ habetur ratio.

IN GENERE.

LYCVRGVS Lacedæmoniorũ legislator, quũ ex uirtutib. spectandas feminas suas, nõ ex cultu ornatuq; censuisset, fucum omnẽ muliebrẽ ciuitate sua legib. expulit, omnibusq; comẽdi & ornandi corporis artificib. Sparta interdixit, tanquam corruptoribus uirtutis & bonarum artium. Plut.

Apud Xenophontem in Oeconomico ISCHOMACHVS Socrati narrat, quomodo uxori suæ persuaserit, ne fucatis coloribus, & ὁρμοῖς ὑποξύλοις, i. monilib. quæ solida non forẽt, sed intus lignũ pro auro, lacunasq;, haberẽt, aliisq; huiúsce modi fallaciis, uteretur, ut formosior uideretur, quàm esset.

CLEOMENES Leonidæ F. rex Spartanus, qui sublatis Ephoris ad Lycurgi leges ciuitatẽ reuocauit, omniũ ipse erat doctor. Frugalẽ, simplicem, nulla re licẽtiorem aut splendidiorem cæterorum, cultum suum, tanquam temperantiæ exemplum, proponebat. Plutarchus.

ALEXANDER Magnus cũ amicos suos in totũ cerneret luxu perditos, uictuq; & sumtib. licẽtiores, atq; Agnonẽ Teiũ clauis argẽteis suffigere crepidas, Leonato multis camelis puluerẽ ex Aegypto usq; ad exercitatiões supportari, Philotam ad uenationẽ centũ stadiorũ aulæas habere, unguento plures quàm oleo delibutos ad balneum ire trahere eos secũ frictores & cubicularios: castigauit eos placidè & philosophicè, mirari se dicẽs ipsũs, q tot & tãta certamina decertauissent, excidisse, eos iucundius, alios qui fatigãt, quàm fatiscentes, quiescere: neq; animaduertere, Persarũ moribus æquiparantes suos, nihil esse seruile magis, quàm indulgere deliciis, nec magis regiũ, quàm labores suscipere. Et quidẽ qui cures, inquit, tua opera equũ, uel hastam galeámue polias, si inducere animum nõ potes, ut corpori, quo nihil carius, admoueas manus? An ignoratis, finem nobis uincendi esse, ne eadem ac uicti faciamus? Plut. in Alex.

LVDOVICVS Pius Imp. codicẽ de ordine & ritu Ecclesiastico uiuendi cõdidit, quem per omnia sua regna iussit circũferri. Cuspinianus, & Auentinus lib. 4.

IOANNES Aragonum rex XIIX constituit, ut ne quis lugubres uestes à tergo longiores per terram traheret, sed equa-

 les,

les, & ad talos usq; duntaxat. Qui uerò longiores indueret, & uestes amitteret, & solidos sexaginta pauperibus erogãdos persolueret: totidemq; sartores, qui contra statutum uestes longiores fecissent. Marineus lib.12. rerum Hisp.

IN SPECIE, TEMPERANTIÆ magistri circa

Vestitum.

PYTHAGORAS Crotoniatarum mulieres sua sanctitate & uitæ abstinentia eò adduxit, ut auratas uestes, ornamentaque lasciuiora in templo Iunonis consecrarent. Volaterranus lib.18. Anthrop.

Phylarchus libro Hist. 25. legem apud SYRACUSIOS fuisse scribit, qua cautū erat, ne mulieres auro ornarentur, neq; floridas uestes gestarent, neq; purpureos habentes contextus, nisi si qua se publicā meretricem esse fateretur. Atq; aliā fuisse legem, ne quis uir se auro ornaret, superuacaneisq; uestibus uteretur differētibus, nisi se mœchum esse fateretur, aut cinædum. Prohibebantur liberæ mulieres noctu incedere, ubi sol occidisset, nisi adulterium essent cōmissuræ: prohibebantur per diem etiā sine institutoribus exire, ac ut una serua saltem sequeretur. Athen. lib.12. c.6.

Iustino teste, docebat PYTHAGORAS matronas pudicitiā & obsequia in uiros, inter hæc uelut genetricem uirtutum frugalitatem omnibus ingerebat: consecutusq; est assiduitate disputationum, ut matronæ auratas uestes, cæteraque dignitatis suæ ornamenta, uelut instrumenta luxuriæ deposuerint: uera ornamenta matronarum dicens pudicitiam, non uestes esse.

SOLON Atheniensis plus tribus uestibus quenquam uti, lege prohibuit. Alex. lib.5. c.18.

EPHESII, cùm pecuniis egerent, legem posuêre, ut mulieres aurum non gestarent: quantum uerò in præsentiarum haberent, mutuarent ciuitati. Arist. in Oecon.

LEONIDAS Alexandri præceptor, stragulorum ipsius repositorium solitus erat adire uestiariumq;, atq; ea soluere, inspiciens, nunquid illi ad mollitiem mater uel ad luxum addidisset. Plut. in Alex.

ZALEUCUS Locrensis legislator mulierum luxum in uestitu prohibuit, neque aureis ornamentis uti permisit, neque contextis indumentis, atteq; laboratis uenustari, nisi cùm scortari atque amatorem sibi moliri studuerit. Diodorus libro duodecimo.

Apud ROM. sponsæ coma cuspide hastæ discriminabatur: ut disceret, uiri pugnacis & bellicosi matrimonio iuncta, non mollem & luxuriosum, sed modestum cultum sibi adhibere. Plutarchus in Cent. Rom.

Bello Macedonico contra Philippum Romæ magna altercatio inter ordines orta de lege Oppia. Eam M. OPPIUS tribunus plebis, Quinto Fabio, & T. Sempronio consulibus, medio Punici belli secūdi ardore tulerat, ut ne qua mulier plus semuncia haberet auri: neu uestimento uersicolori, iunctoque uehiculo, nisi sacrorum causa, uteretur. Tribuni legem tuebantur, & iam turba fauentium legi aduersantiumque Capitolium compleerat, multiq; nobiles ad suadendam dissuadendamq; abrogationem in publicum prodierant, & in his M. Porcius Cato, qui tum consul erat, urbanæ luxuriæ acerrimus hostis, pro lege locutus est. At L. Valerius trib. plebis, contra legem. Tandem omnes ad unam tribus legē abrogarunt. Sab. lib.6. En.5.

C. IULIUS Cæsar usum conchyliatæ uestis, & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, ademit. Suetonius.

TIBERIUS Cæsar, Statilio & L. Libone consulibus, usum sericarum uestium interdixit. Dion.

ALEXANDER Seuerus Imp. ne coniugem quidem preciosioribus uti gemmis, quàm cæteræ Romanæ ciues, permisit: & si quæ dono datæ erant, eas uel uendi iussit, uel templis dedicauit. Lampridius.

TACITUS Cæsar, auro clauatis uestibus uti prohibuit. Alex. lib.5. capite 18.

LUDOVICUS Pius Imp. exteros habitus edicto prohibuit. Aquisgrani, anno 820. synodum multorum episcoporū habuit, in qua constitutum est, ne Episcopi & clerici cuiuscūque gradus preciosas uestes, utpote sericas & coccinei coloris aut bractearas ferrent: neue in digitis gemmas, nisi dū præsules sacrificant: ne in cingulis, calceis, aut crepidis aurū & argentum ferrent. Platina.

LUDOVICUS XI. Francorum rex habitu plebeio utebatur, uti suos à luxurioso serici & pellium peregrinarum uestitu, cuius precio regni opes ad alienos trāsferrentur, ad frugalitatē traduceret. Cl. Seissellius in hist. Ludouici XII.

VENETI luxum uestium edicto cohibuere. Bembus libro 1. Historiæ Venetæ.

Stragula.

LACON, cùm die priore ipsum hospes defugeret, postridie cōmodato sumtis stragulis excepisset liberaliter, conscidit stragula, calcauitq;: addens, Horum causa heri nec in storea se quieuisse. Plut. in apophth. Laconicis.

CATO senior, quòd pellib. hœdinis in publico epulo p stragulis usus esset, nō mediocrē laudem tulit, quòd frugales mores & continentissimos exemplo iuuaret. Alex. lib.3. c.11.

Unguenta.

LYCURGUS unguētum sicut olei corruptelam & perniciem amouit: infecturam item, ut sensus blanditias: omnibusque pigmentariis aditum Spartæ præclusit, uelut malis artibus ueras adulterarent. Plut. in Apophtheg.

SOLON è rep. Atheniēsiū unguentū sustulit, tanquā olei corruptelā ac perniciem. Nam oleum odoribus uitiatum, nullum habet usum, nec ad esum, nec ad membrorum unctionem. Plut in Laconicis. Veteres certè μύρα quasi μυρά, quòd uino madentibus & delitis placeant, uidentur appellasse. Cælius lib.27. c.24 A.L.

Antiocho rege Asiaq; deuictis, urbis anno quingentesimo sexagesimoquinto, P. LICINIUS Crassus, L. Iulius Cæsar censores edixere, ne quis uenderet unguenta exotica: sic enim appellauere. Plinius lib.13. c.3.

Supellectilem.

C. FABRICIUS censor summos duces plusquā pateram & salinum ex argento in castris habere, edicto inhibuit.

TIBERIUS Imp. uetuit, ne quis ad sacra portāda uasis aureis uteretur. Cumq; postea dubitaretur à quibusdā, an ea quoque, quæ haberent emblemata, interdicta essent? de hoc etiā edixit. Dion Nicæus.

PESCENNIUS Niger summoto omni argēto, in uasis ligneis milites uesci iussit. Alex. lib.2. c.29.

Exercitia.

C. IUL. Cæsar lecticarum usum, nisi certis personis & ætatib. perq; certos dies ademit. Suetonius.

CONSTANTINUS Scotorū rex edixit, ne sacerdotes alerēt equos nec canes uoluptatis causa: arma non ferrent: causas non agerent profanas. H. Boethius lib.10.

TEMPERANTIA VOLUPTATUM CORPOREARUM impropriè dictarum, ex OBIECTIS per se consideratis.

TEMPERANTES circa

ALIMENTA. VICTUS munditiēs.

Non heic uel Quantitatem uel Qualitatem in perfruendis alimentis spectamus (de quib. inter primarias Tēperantiæ abstinentiæ species egimus) sed externam tantùm Munditiem, quæ cibum per se necessarium gratiorem facit.

HORATIUS in Epistolis, à Ioue petit inter cætera mundū uictum, non deficiente crumena.

VESTIMENTA.

Vestium usus duplex: necessitatis alter, alter elegantiæ & uoluptatis. Quorū ille uoluptati tactus cōmodat, in Dolore, qui ex aeris intēperie prouenit, placendo, amoliendo'ue: hic uerò ad Cultum corporis pertinet. Nos heic uniuersim de Vestitu simplici & frugali agemus. De Vestitu alioqui etiam Libro Sexto Secundi Voluminis inter Secundaria Corporis bona actum fuit.

QUI. PUTA

Homo Deus.

Fuit CHRISTO regi summo unica uestis arte ineffabili contexta uerùs quàm sarta. Magnū in opificio miraculum, sed maius adhuc in usu: neq, tritior facta est perpetuo uestitu, neq; min⁹ habilis, sed ad corporis modulū augescere. estq; uestis hæc fatidico spiritu multo antea præuisa, quæ Caluariæ teste abiit in sortem, ne scinderetur. Sab. lib.2. c.8.

Prophetæ.

IOANNES Baptista, quo non surrexit maior inter natos mulierum, de pilis camelorum uestem contextam, & pelliceam zonam circa lumbos habuisse dicitur. Et de illo ad turbam Dominus: Quid existis, ait, in desertum uidere? hominē mollibus uestitum? ecce, qui mollibus uestiuntur, in domib. regū sunt. Aspera utiq, uestis & cilicina continentioris uitæ indiciū est, mollis & delicata lasciuioris. Et ut habitacula quoq; de moribus hominum nonnihil attestari cognoscas, desertum prælatum est aulis regum. In his namq; uoluptatis mūdanæ mancipia uersari solent, in illo Christi serui. Marulus lib.3. cap.8. & Sab. eodem.

Apostoli.

APOSTOLIS in Euangelio mandatum legimus, ne solliciti essent in perquirendis quibus operirentur: sed considerent in eo, qui lilia tam eximio uestit candore, multo magis uestiturum ipsos, quos ad imaginē suam rationis capaces, æternæq; uitæ destinatos cōdiderit. Quærite, inquit, primùm regnū Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiiciētur uobis. Marul. lib.3. c.8. Veruntamē quia modicū quid terrenę opis adiumentiq; sufficere debet ei, cui multa reposita sunt in regno cœlorū: iisdem præceptū est, ne duas tunicas habeant, nō ut simplici tunica cōtenti sint, si frigoris intemperies nō patitur: sed ne metu futurorū aliam induāt, aliam reseruēt. Superflui itaq; amictus sollicitudo reprimitur, non necessarii cura. In calciatu quoq; sandaliis tantū usos constat, quæ in Actorum libro alio nomine caligę appellantur. Quod sanè calciamenti genus nō operit pedem, sed suffulcit. Igitur ne calciarium saltem paulò cupidiùs nobis expetendū duceremus, exemplo ostenderunt, satis esse, si ea pars pedis tecta sit, quæ terram terit, nuda relicta quæ cœlū spectat. Rectè enim & religiosè incedentē cœlo patere, non terræ, decet: Deo, non hominibus. Sab. lib.2. c.8.

Apostolorum principi PETRO nihil amplius tegumēti fuisse creditur, præter tunicam & palliū: nihil aliud calciamenti, præter caligas. Illud in Clemētis libro relatū dicunt, hoc in Apostolicis Actis legimus, dicente ad eum angelo: Præcingere, & calcia te caligas tuas. [redacted]

BARTHOLOMÆUM apostolum collobio albo, palliologq;, purpureo, & sandaliis usum, memoriæ proditū est: sed hoc miraculi adiicitur, q quinq, & XX annos uestimenta eius nec sordes ullas, nec uetustatem contraxerint, nec sandalia subtrita sint. Veruntamē hunc etiā cōmunis nuditas piscatoribus parē fecerat, nisi purpureus color regiæ stirpis insigne fuisset. Sed hic ideo reseruatus est, ut indicio foret, quāta ille reliquerit, ut Christū sequeretur. Marul. lib.3. cap.8. & Sabellicus lib.2. cap.8.

IACOBUS Iustus, frater Domini ob formæ similitudinem appellatus, & ut Egesippus ait, ab utero matris suæ sanctus, non laneum, sed lineum habuit amiculū. Ad hæc quod ad corporis cultum pertinet, nunquàm attonsus est, nec oleo unctus, nec balneo usus. Sic indutus, sic oblitus, etiā apud Iudæos in tanta ueneratione fuit, ut soli permissum sit Sancta sanctorū intrare, & Deo laudis sacrificiū pro populo offerre. Idem.

IOANNEM apostolum sola sindone amictum Hierosolymis aliquando incessisse, ex Euangelio constat: quoniam dum à Iudæis apprehenderetur, ea relicta nudus effugisse dicitur. Nudi ergo nudum Christum sequamur, ne ab aduersariis comprehendamur. Sab. ibidem.

Episcopi.

Aur. AUGUSTINUS episcopus Hipponensis ueste non magis comta, magisue ambitiosa, quam illi quibus præerat, uti uoluit. Si quis excultionem sibi dono offerret, acceptam uenum iubebat dari, ut pecuniam inde exactam cum aliis communicaret, quando quidem uestis ipsa communis esse non posset. Itaq; clericis suis dignitate præstitit, habitu atq; uestitu par fuit. Sab. lib.2. c.8.

VULSTANUS Vigorniensis episcopus uestitu utebatur uilissimo ex ouinis pellibus: & causam afferebat, quòd non Feles dei, sed Agnus dei in templis cantaretur. Ranulfus lib. 7. cap.8. Polychronici.

Monachi, Eremitæ.

BERNARDUM abbatem Clareuallensem ueste quidem satis uili, sed minimè squallenti usum, memoriæ proditū est: ac etiam dicere solitum, tunicam sordib. obsoletam, testem desidiæ atq; socordiæ esse: & eius immunditiem interdum ad hypocrisim spectare, quæ inanis gloria dum uideatur, contemni quæritur. Cùm ergo etiam cilicio sub ueste lateri carnem attereret, ubi id rescitū est, & ipsum deposuit. Nec unquam deinde asperius indumētum, quàm cæteri fratres, ferre uoluit, ne fortè illis prestare sanctitate uideretur, quorum se ipse minimum reputaret. Sab. lib.2. c.8.

STEPHANO abbati, Grandimontensis ordinis auctori, qui in Moreto Aquitaniæ monte uitam solitariā duxit, tametsi rudis modicusq; amictus fuerit, hoc tamē admirationē auget, q sub eodem & æstiuos calores, & brumæ frigus pertulerit, nunquam quicquā panni sibi uel addens, uel demens. Vtramq; profectò diuersorū temporū molestiā leuare posset solertia, nisi utrāq; tolerare mallet in Deū caritas. Marul.

APOLLONIUS apud Thebaidam in finib. Hermopolis, collobio stupeo, quod lebithen uocabant, operiebatur: neque tamen ullum capitium habuit, sed lineo linteolo collum caputq; obuoluebat. Et hoc magis mirandum, quòd cū XL annos in deserto manens peregerit, eius tegmina neq; usu consumta, neq; uetustate labefactata ferantur: ut inde facilè appareat, quanti apud Deum sit humilis habitus, & absque ulla simulatione contemtus. Idem.

PAULUS primus eremita, cùm nihil haberet, nisi quod inculta solitudo suppeditare poterat, tunica de palmę foliis contexta nuditatē texit. Et qua ille ueste in necessitate usus est, hanc ipsam Antonius, cùm defunctum sepelisset, habuit in deliciis, non nisi festis solennib. eam induens: quā etiam diuus Hieronymus plurimi faciens: Si mihi, inquit, Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli cū meritis eius, quàm regum purpuram cum regnis suis. Idē.

Palmeis tegminibus & illi quatuor, in uastissima Aegypti eremo à Paphnucio inuēti, IOANNES, ANDREAS, THADDEUS & PHILIPPUS, amicti erant. Hunc tamen tam sylvestrem uestitum, haud multo tempore pòst, cum ueste immortalitatis commutarunt. Tanto nunc feliciùs cœlesti lumine illustrantur, quanto antea perusta solis ardoribus cute contemtiùs squallebant. Idem.

SERAPIONEM abbatē primitùs quidem sola tunica simplici, palliolo contentū, deinde his etiam carere pietas compulit: quippe seipsum despoliās, pauperes cōtexit. Nec erubuit nudus incedere, dū nuditatē misereretur alienam. Idem.

TIMOTHEO in Aegypti solitudine degēti, ea duntaxat corporis pars non fuisse nuda perhibetur, quā barba comaq; nunquàm tonsæ contexerant. Et hunc Paphnucius inter bestias incedentem cùm uidisset, syluestre magis quàm humanum animal ratus expauit. Mox cùm loquentem attendisset, agnouit Dei seruum: simulq; didicit, satis indutū esse, qui cum Christo nudus esset. Idem.

ONOPHRIUS nudus in ulteriori deserto ab eodē Paphnucio repertus, uerenda tantummodò foliis arborū operuerat. Continuus enim uestibus, quæ secum attulerat, alia deinde quàm quæ natura dabit, nō quæsiuit. Cumq; uita functus esset, castam animulam eius uisibili specie ab angelis in cœlum ferri animaduadunt. Et quisquam nostrûm paululum usū detritos terrę dedignabitur pannos, cùm nudi etiā ab angelis honorentur? Idem.

HILARIONEM abbatē accepimus, nihil aliud quo corpus suum operiret habuisse, præter saccum ac pelliceum ependytem, rusticumq; sagum. Capillum semel in anno, paschæ die totondisse; nunquam lauisse: quòd superuacaneum esse diceret munditias in cilicio quærere: neq, tunicam alteram sumsisse, nisi cùm prior penitus discissa esset. Idem.

D. HIERONYMO saccea tunicā erat. Hanc Eusebius discipulus eo defuncto accepit, honoriq; habuit, tactu eius ualetudinarios curans, & ad uitam mortuos reuocās. Cuius quæso regum auro gemmisq; refulgens, aut cocco purpuraq; rubens uestimentum, tantæ unquàm uirtutis fuit, quantæ sancti huius saccus iste cilicinus? Idem.

Nihil habuit ABRAHAMUS anachoreta in solitudine præter cannum, & cilicinam uestem, cum sago rustico mixtoq; talibus deliciis contentus, quamdiu in humanis fuit. Id homini tutius, quàm si opes affluxissent, & ad diuinorum meditationem multò habilius. Sab. lib.8. c.5.

FRANCISCUS Minoritarū pater, tunica unā, & ea sanè crassa admodum fili, rupostaq; textura utebatur, quā pro cingulo præcoxerat funis nodo adstrictus, ubi committebatur, non fibula. Caput & ceruix cuculla uelabantur: pedes prorsus nudi erant, nisi fortè ligneis socculis uelut sandaliis, ne terram contingerent, suffulti. Multis tūc habitus iste ludibrio erat. Cuidam nuditatem hanc hyemis tempore calumnianti, ac petenti ut guttulā sibi sudoris uenderet: Eam se Christo, nō hominib. uendere, respōdit Frāciscus. Marul.

Monachæ.

MARIA Aegyptiaca, turpis aliquādo uoluptatis quæstui dedita, omni ornamentorum genere sese decorabat: nec à pigmentis sacoq; abstinens, ut placeret uiris. At postquā conuersa Christo seruire cœpit, tantæ illi uestitus nullius curæ fuit, ut eo consumto quē secum ad eremū tulerat, nuda in solitudine uiueret. Et quia sine tecto degebat, æstus pluuiasque corpore nulla in parte uelato exceptās, nigriciē quandam cutis situmq; contraxerat, sed iam non paucis miraculis clarebat. Vide ergo quantum intersit inter ornatum illum, & nuditatem istam. Ille impudicitiæ fomes fuerat, iste meritum præbuit mirandæ sanctitatis. Marulus.

TORAM Deo dicatam uirginē in monasterio Thebaidis memorant, nunquam noua tunica, aut nouo melote, aut nouis calceis usam: semper aliis sororib. recētia cessisse, & abiectiora sibi sumsisse uetustiora uilioraq;, ut quāto cæteras forma præstabat (erat enim omnium pulcerrima) tanto incontaminatiori magisq; inepto habitu se deuenustaret. Neq;

enim ignorabat, animi non corporis decore sponsam Christi excellere debere, ut cœlesti thalamo digna sit. Idem.

Reges.

AVGVSTVS Cæsar, uestę non temerè alia quàm domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia neptibusq; confecta. Togis neq; restrictis, neque fusis: clauo nec lato, nec angusto: calceamentis altiusculis, ut procerior, quàm erat, uideretur. Forensia, & calceos nunquam nō intra cubiculum habuit, ad subitos repentinosq; casus parata. Suetonius.

VESPASIANVM uestę & habitu neglecto, & uix à gregatio militę differente, in publicum sæpissimè processisse, memoriæ proditum est. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 18.

TACITVS Imp. Rom. simili cultu cū æqualib. usus est. Nā in toga, qua priuatus utebatur, in imperio sæpe usus est. Idē.

SEVERVS imp. usi amiculo & exigua uestę adopertus, & à plebe uulgari nihil differens, in publicum processit. Idem.

Holoserica uestę AVRELIANVS Imp. nunquā usus est, nec alium uti permisit se principe. Eutropius, quod mitior, cùm diademate regio more usum tradidit, & aurata uestę ac gemmata, quod Romanorū nullus ad id tempus fecisset. Quū uxor ab eo precibus contenderet, ut filiæ unicæ adhuc uirgini id daretur: Absit, inquit, ut filia auro pensetur. Enimuerò sericū ea tempestate auro rependebatur. Sab. lib. 7. En. 7.

CAROLVS Magnus, uestitu, calceatu, & cætero habitu patrio, hoc est, Teutonico utebatur, nō multum à uulgari abhorrente. Celebri festo, aut quando exterarum gentium legati uenissent, uestę, gladio, diademate aureis atq; gemmatis prodibat: peregrina atq; exotica uestimenta, preciosa licet, omnino contemsit. Romę bis duntaxat, Hadriano, itēq; Leone pont. enixius orantibus, togam, chlamydem, calceosq; more Romanō sumsit. Auentinus lib. 4.

ALPHONSVM Aragonum regē, cùm morib. & auctoritate potius quàm purpura & diademate suis regem se ostendere niteretur, uestitu cultuque corporis tam moderatē usum legimus, ut hac in re parum à popularibus suis discrepasse sæpenumero usus sit. Admonitus à quodam, ut regio ornatu incederet, respondit: Malo moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpura. Panormita lib. j. de rebus gestis Alphonsi. Aen. Syl. de eius dictis.

LVDOVICVS XI. Francorum rex ornatu corporis neminē suorum unquam antecessit. Aemilius lib. 10.

Duces.

EPAMINONDAS Thebanus magnus ille dux, munerumq; contemtor, unicam tantùm habebat uestē, eamq; sordidā: quam si fortè mitteret ad fullonem, ipse se domi continere, ob indigentiā alterius, cogebatur. Aelianus lib. 7. Var. hist.

AGESILAVS Spartanorum rex, cùm haberet exercitum optimis uestimentis & armis ornatissimum, ipse tamen uilissimo corporis uestitu semper utebatur. In Aegyptum profectus, ab Thaco Aegypti rege accitus stipendio, ob corpus incultum, ac uestis uilitatem, uenit in contemtum eius gentis hominibus, qui sperarant se uisuros Spartanum regem talem, qualis esset rex Persarum, corpore decentissimè ornatum. At ille nihil quidē de cultus ac uictus simplicitate mutauit: sed interim ostendit, maiestatem dignitatemq; regiā non uestium splendore, sed prudentia ac fortitudine parari oportere. Plut. in Lacon. & Athenæus.

Quinq; & XL magistratus gessit PHOCION Atheniēsis: sed quo sit uestis genere interim usus, calceandi ratio in eo demonstrat. Inoleuit adagium inter urbanos, ut cùm immensum frigus & intolerabile significare uellent, Phocion, dicerent, calceatus est. Sab. lib. 2. c. 8.

Politici.

LYCVRGVS orator Athenienſis, quamuis esset pecuniosissimus, pallium unum idemq; ætate & bruma gestabat, calceosq; inducebat, quando dies postulabant. Plutarchus.

M. CATO Censorius, nunquam toga usus est pluris quā drachmis centum emta. Plut.

CATO Vticensis huius pronepos, sine calceis, sine tunica, funiculo cinctus, per forum cum familiaribus post prandium deambulabat. Itē nudis pedibus, uestę fusca, & sine tunica, sola toga accinctus, ius in foro dixit, idq; ex ueteri instituto. Cū purpurā uideret affatim rubore fulgentē, & saturam in precio esse, ipse ferebat nigrā, non ꝙ gloriā ex hac nouitate aucuparetur, sed quò affuefaceret sese ob solam turpitudinem erubescere & infamias contemnere reliquas. Plutarchus in Catone.

Philosophi.

CRATES philosophus Cynicus mantica & sordido palliolo amictus, in publicum sæpe prodire solebat. Laertius.

ZENO nullum discrimen uestis esse inter ciues, sed eosdē amictus uiros ac mulieres ferre præcipiebat. Eundem etiam tenui pallio in publicum processisse tradunt. Idem.

Mulieres.

PHOCIONIS uxor, uestem Phocionis gestabat, neq; opus habebat uel crocotō, uel anabola, uel encylio, uel cęteris phalo, uel peplo, uel tinctis & coloratis tunicis: sed primū inducebat temperantiam, deinde quæ supperetarent. Ael. lib. 7. de Var. hist. Cùm hospita quædam ei Ionica aureū gemmisq; distinctum mundum cum monilibus & torquibus ostendisset: Mihi, inquit, Phocion mundus est, uigesimū iam annum dux Athenienſis. Plut. in Phocione.

Philonis sapientiæ sectatoris VXOR, cùm sine aurea corona processisset in publicum, & aliæ gestarent, rogata cur non ipsa ferret? Vxori (respondit) satis ornatus esse, uiri uirtutem & laudes. L. Viues de Christiana fœmina lib. 2.

Mulierum (quibus apud omneis gentes ornatus est corporis peculiarior ferè quàm uiris) unū apud Romanos inclaruit exemplum: nec ad unam aliquam feminam, sed ad uniuersam pertinens familiam. In SARRANORVM gente nulla unquam est linea ueste usa, ob mollitiem & luxum repudiata. Sab. lib. 2. c. 8. ex Plinio.

EX ROMANORVM feminis multæ eosdē cum uiris calceos gestare consueuerant.

In QVINTIORVM Rom. familia aurum ne fœminas quidē habere mos fuit. Plin. lib. 33. c. j.

Plinij tempore GERMANORVM mulieres pulcriorem uestem non nouere linea. Plin. lib. 19. c. j.

TVRCORVM feminæ utuntur simplicissimo habitu, nullum luxum repræsentante. Nec unquam sine uelo aut aperta facie, in conspectum uirorum, uel domi uel foris prodeunt. Mitra caput tegunt, extremitas ueli faciem tegit, ut soli oculi [illegible] quàm nobiliores faciunt. Nul[illegible]



Religionis.

Ex præced. Epititis, Monachorū & Monacharū & Episcoporum & Apostolorum hucpleraq. Nisi religionis Zelus subesset, plurima horum ad uitium in excessu referri possent.

ESSENI, qui squallorem alioqui decorem esse putant, uestę semper candida nihilominus utūtur. Neq; tamē uestiū aut calceos mutant, nisi aut omnino conscissis priorib. aut longi temporis usu consumtis. Iosephus lib. 2. c. 7. belli Iud.

Humilitatis.

ELIZABETHA Pannonum regis filia, & Christi ancilla, quæ poterat abiectiore amictu se uelabat. Scissuras, alterius interdum coloris panno assuto, quò uilior appareret, refarciebat. Itaq; una de grege mendicantiū uidebatur: cōtemniq; gaudebat, ut humilitatem conseruaret. Maluit ergo sic pannosa, sicq; despecta in xenodochio pauperculis morbo affectis ministrare, quàm in regis patris aula, cùm amissorito ab eo in Pannoniam accersiretur, serico auroq; renitere, atq; omnibus uenerationi esse. Christo enim placere uolebat, non mundo. Marulus.

Necessitatis.

ADAM & EVA in paradiso nudi erant. Tunc illis parandæ uestis cura irrepsit, cùm propter mandati transgressionem inde eiecti, terram colere, hoc est, terrenis occupare senegotiis cœperunt. Sed ne tunc quidem usqueadeò conditionis humanæ obliti sunt, ut carnem iam morti obnoxiam luxurioſè uestiendam putarent. Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, tūnicis deniq; pellicęis contenti uixerunt. Marulus lib. 3. c. 8. & Sab. lib. 2. c. 8.

Roboris.

SPARTANI pueros suos radebāt cute tenus: sine calceis incedere, nudosq; ferè consuefaciebant eos luſicare. Vbi autem gerunt annum duodecimum, iam sine tunica agebant: nec accipiebant quotānis palliū Plut. in Lycurgo, & Laconicis.

Insidiarum.

ARIPERTVS II. Longobardorum rex, aduenientibus ad se gentium exterarum legatis, uilibus indutus uestibus, occurrebat, quò minùs ipſis Italiæ deliciis caperentur. neq; apparatis epulis illos excipiebat, neque præsentibus illis magnificas ullas in aliis rebus impensas edebat. Sigonius libro 2. regni Italici.

☞ STRAGVLA, STRATA.

Ex seq. ubi de Voluptate ex Quiete agetur, huc quædam, quatenus locus, cui incubant, siue lectus sit, siue quid aliud, stragulis uestiri consueuit.

PHORMIO dux quispiam militum fuit, in perferendis militiæ incommodis, notæ (sicut coniicio) patientiæ. Inde Phormionis thori abierunt in prouerbiū, de stratis minimè delicatis, qualia sunt cubilia militaria, & quale sibi apud Homerum parat Vlysses, ex arborum congestis frondibus, ac ramis humi substratis. Erasmus in Adagiis.

TVRCO-

TVRCORVM Imp. nonnunquā uidetur cū duob. aut tribus balneum ingredi, ac reuplum religiosè adire, ubi non in cathedra ac solio regali, sed in terra substratis tapetib. sine reliquo ornamento, ut cæteri, sedet. Cuspinianus.

Io. ANDREÆ Iurecons. XX annis, pelle tectus ursina, citra lecti delicias, noctu cubauit. Volaterranus libro uigesimoprimo Anthrop.

☞ HABITATIONES.

De Habitationibus Volumine secundo inter Secundaria bona corporis egimus. Hoc Moderationem circa eam, quæ ex habitationum usu percipitur, Voluptatem spectamus.

MYROCLES inter oues hyeme, æstate in sacrarum ædiū uestibulis regē, hyberna, agentem Babylone, æstiua in Media, ad certamen de felicitate Persarum prouocauit. Plutarchus An improbus etiam infelix.

☞ BALNEA.

De Balneis egimus quoque Volumine secundo, quatenus ad Cultum corporis faciunt. At hoic Moderationem in Voluptate, quæ uel ex qualitate, uel ex effectu earundem, quoniam abluunt, refouent, lenant, mitigant, percipitur, consideramus.

Rara.

LACONES perpetuò agebant sine tunica, squallidi corpore, à balneis & unctionibus ferè abstinentes, præterquā paucis diebus per annum. Plut. in Laconicis, & in Lycurgo.

DARDANENSES Illyrides ter solūmodo per unumquemq; uitam lauantur: post partum, cùm nuptias celebrant, & cùm mortem obierunt. Aelian. lib. 4. de Va[illegible]

Pudica.

Tanta ROMANÆ [illegible] diæ obseruatio & morum exempla fuēre, ut nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauaret, nudosq; conspicere parentes ducerent nefas. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25. ex Val. lib. 2. c. 1.

Frugalia.

Consuetum illud ueteribus ROM. fuit, ut uel nobilissimi ædiles eo fungerentur officio, ut loca balneorum intrarēt, quæ populum receptabant, exigerentq; munditias, & utilem ac salubrem temperaturam: non hanc (inquit Seneca) quæ nuper inuenta est, similis incendio, adeò quidem ut conuictū in aliquo scelere seruum inuitū lauari oporteat: nihil enim iam uideatur interesse, ardeat balneum, an calceat. Cælius libro 30. cap. 19.

Grata.

CAROLVS Magnus delectabatur uaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu se exercens: cuius adeò peritus fuit, ut nullus cum illo certaret. Ob hoc etiā Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremos uitæ annos clausit. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c. 8.

☞ VNGVENTA.

Horum quoque exempla aliquot ex secundo libro Secundæ Voluminis petantur, quatenus moderatus illorum usus est.

☞ VSVRPATA honestè.

Iesus Christus Dominus noster bis unctus est unguento nardi no pretiosissimo unius, in memoriā sepulturæ suæ. Semel à MARIA Magdalena (cùm Bethaniæ cū Lazaro discumberet sabbatho, Ioannis 12. quando Iudas Iscariothes id factū reprehendit) quæ pedes illius unxit, & capillis extersit. Iterum in domo Simonis leprosi itidem Bethaniæ quatuor diebus pòst, à MVLIERE ἀνωνύμῳ, quæ non pedes Christi reunxit, sed fracto uase alabastri totum unguentum in caput Saluatoris effudit. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22.

☞ NEGLECTA honestè.

VIRGINES olim unguentis non utebantur, sed nuptæ tantùm. Itaque Catullus comam Berenices, dum uirgo illa esset, nunquam gustasse unguenta ait: posteaquam uerò nupta fuit, plurimùm unguenti bibisse. Xenophon in Sympolio mulieres, præsertim sponsas, unguentis uti testatur, & Electra apud Sophoclem comam suam nocat ἀλουσίαν, id est squallidam, utpote unguentis non delibutam. Victorius libro 33. cap. 7.

ESSENI Iudæi probro ducunt oleum, & si quis uel inuitus unctus fuerit, munditijs corpus abstergit: quoniam squallorem decorem putāt: dummodo uestę semper sint candidæ. Iosephus lib. 2. c. 7. belli Iud.

HISPANIS nullę fuerūt balneorū aut unguentorū delicię, q̄ uirorū animos effeminatos reddunt: nullus ibi festus dies, nullus epularum apparatus: aqua calida lauari post secundum bellum Punicum à Romanis didicere. Rodericus Santius parte 1. hist Hispan. c. 4.

☞ EXCREMENTA, Purgamenta.

In TVRCORVM castris omnium ordinum tabernaculis territoriola coniuncta sunt, quibus latrinæ insunt, eo instituræ ordine, ut nouæ scrobes quotidie fiant, repletæq; statim arena iniecta tegantur. In macellis quoq; pariter profundæ fossę uisuntur, in quib. lanij totius exenterati pecoris exta sedulò tumulant. Ita fit, ut castra nullo odore tetro afflata, nō ad salubritatē modò, sed ad iucunditatē, repurgatis omni in parte regionibus, non Barbarorū, sed eorum, qui militiæ disciplinā cōdidissent, castra censeantur: prędamnatis hac in re statuis Christianorū, in queis præter ingratā narib. atq; oculis multarū rerum fœditatem, pestilentes nasci morbos sæpissimè uidemus. Sab. supplem. lib. 24. ex Iouio.

TEMPERANTIA VOLVPTATVM CORPOREARVM impropriè dictarum, ex OBIECTIS consideratis RESPECTV EIVS, CVI accommodantur. Sic alia obijciuntur

☞ ACTIVÆ, QVATENVS AGENDO uidentur delectari, quo ad

☞ SENSVM

Visus. Sic Moderatio duplex, partim

Spectando.

Hic moderata oblectatio ex spectaculo rerum iucundarum, oculos prius quàm animos oblectantium.

Non spectando.

Ex loco Castitatis conseruatio, Aspectū declinando, huc quædam, quatenus externa oculorum delectatio internæ uoluptati lena existit.

SARA in Scythi uirginib. præposita, cū ad fluminis ripā positō monasterio annos LX habitasset, hāud sustinuit, ut aliquando aspicere per fenestrā uellet leniter præterlabētes aquas, pratiue adiacentis amœnitatem, nec ex eo aspectu aliquid caperet uoluptatis. Marulus lib. 3. cap. 10. & Sabellicus lib. 2. cap. 10.

AMOS Aegyptius monachus nunquam se nudum uidit: indecorum esse monacho dicens, uel suum ipsius corpus conspicere nudum. Suidas, & Marulus libro 4. cap. 7. & Sabellicus libro 5. cap. 6.

Auditus, Sonorum iucundorum.

Consule Titulum, Musicæ studium. Illic certe Artis habetur ratio, hoic Voluptatis, quæ artem comitatur.

Tactus.

Ex superiore loco Temperantiæ circa Vestitū quædam, quatenus frigus & calorem arcet.

Lycurgus pro uestium uaritate instituit uno amictu quotannis LACONES assuefieri, ratus & aduersus frigora & aduersus calores melius hoc pacto munitū Xenophon in Repub. Laconum.

Apud Diogenem Laërtium obiicit Philemon comicus CRATETI, quòd æstatē gereret pallium crassum, hyeme lacerā tunicam: uidelicet quò disceret temperantiam ac tolerantiam. Erasmus in Adagiis.

M. CATO domi tunica sine manicis per hyemem induebatur. Plut. in eius uita, & Laconicis.

☞ MOTVM.

Libro quinto & sexto Secundi Voluminis de Exercitiis agimus, illo tanquam de Functionibus, hoc ut, de Secundarijs boni Corporis. Hoic uerò ratione Moderationis considerari possunt atque debent.

Vectionis.

Equo DIALEM flaminem uehi apud Rom. religio erat. Gellius lib. 10. c. 15.

☞ QVIETEM.

VECCHORIS Aegypti rex, ut ab omni luxuria & mollitie se alienum ostenderet, simplicissimo uictu contentus, humi iacere ac dormire solebat. Herodotus.

PERSARVM ephebi decem annos, postquam è pueris excesserūt, circū archiua cubāt, quū reip. custodiendæ, tū exercendæ temperantiæ gratia. Nā hęc potissimū ætas requirere curā studiumq; singulare uidetur. Xenophon lib. 1. Pædiæ.

AGESILAVS,& Pharnabazus Phrygiæ præfectus ad colloquiũ uenere. Prior in locum constitutum uenit Agesilaus, ac sub umbra in altã herbã se abiiciens, prestolatus est Pharnabazũ. Qui postquã uenit, uillosis mollibusq; pellib.& uersicolorib. sibi substratis tapetibus ita recumbentẽ erubescens Agesilaũ, etiã ipse, licèt ueste mira subtilitate & tinctura esset amictus, neglectim humi decubuit. Plut. in Agesilao.

Iuuenes SPARTANI unà quietẽ turmatim & gregatim capiebant in toris, quos ipsi construebant ex arundine secus Eurotam nascente: cuius panniculam manibus citra ferrũ confringebant. Per brumam Lycophanas, quos uocant, substernebant, torisq; miscebant: quòd ea materia uim quandam obtinere excalfactoriã putatur. Plut. in Institutis Laconicis.

In oratione pro L. Muræna, cùm duritiam uictus SPARTIATARVM ostendere uellet Cicero, inquit: Qui quotidianis epulis in robore accumbunt. Significauit aũt eos non consueſſe in lectulis accumbere, ut mos erat reliquorũ Græcorum, sed in dura quapiam materia ac ligno (ἐπὶ τῶν ξύλων, inquit Athen. lib. 12. Dipnos.) Robur enim dicens, lignum intellexit. Victorius lib. 3. Var. lect. c. 15.

HANNIBAL, cùm sub Asdrubale patre militaret, plerunque super nudam humum sagulo tectus, somnos capiebat. Frontinus lib. 4. c. 3.

C. IVL. Cæsar, compulsus aliquando in itinere per tempestatẽ in hominis pauperis casam, ubi nihil extra unum cubiculũ reperit, quod capere uix posset unum: dixit amicis, ampla loca principibus concedenda, necessaria debilissimis: atque Oppium illic iussit capere quietem, cum cæteris ipse in protecto ianuæ cubauit. Plut. in Cæsare.

Beatum HILARIONEM Hieronymus refert, super nuda humo, stratuq; iunceo, usq; ad mortẽ cubitasse. Sciebat enim, eos, qui exquisitioribus culcitris per luxum urũtur, prophetæ uerbis deuoueri, dum ait: Væ uobis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis uestris. Marulus lib. 1 cap. 10. & Sab. lib. 2. c. 2.

MARTINVS Turonẽsis episcopus (sicuti de illo Eusebius ad Seuerum scribens testatus est) substrato humi cilicio cubãs, frangebat somni mollitiem lectuli rigore. Idem.

IDEM cùm in monasterio quodam suæ diœcesis reuerenter susceptus, hora quiescendi cellam ingrederetur: cubiculo paulo apparitiùs instructo offensus, stragula paleasq; euertit: & in nudis tabulis (sicut uestitus erat) sese collocauit: iamque delibutis leni sopore membris quiescebat, cùm stramẽta, quæ eiecerat, igni succẽsa iacentem excitarunt. Illicò exurgens ac trepidans, cùm cellæ exitum, per quem effugeret, fumo omnia inuoluẽte, non inuenisset: ad orationem se uertit. Mox flammæ uis illa omnis extincta, fumusq; cõsumptus illæsum reliquerunt. Idem.

PASTVMIO quamdiu in eremo moratus est, nudum, atque interdum sparsis ex industria scrupulis asperatũ solũ, lectus fuit. Quid hoc est, nisi nolle unquã ita resoluto corpore obdormiscere, ut mens ad Deum non uigilet? Marulus lib. 1. c. 10. & Sabellicus lib. 2. c. 2.

GERMANVS Antisiodorensis episcopus, lectulum suum cilicio saccoque & cinere strauit, ut non lectum, sed luctum, & doloris potiùs quàm quietis locum diceres. Insuper ipse quoque (ut in uita eius scriptum legitur) sic iacens, identidem suspirare ingemiscereque audiebatur, ita ut cùm parũper iacuisset (ad nocturnas enim cæremonias celebrandas primus exurgebat) multò minus dormisse putaretur, quàm iacuerat. Idem.

Beatus HIERONYMVS ad Eustochium uirginem scribens, dum quibus in eremo corporis fatigationibus contra urbanarum uoluptatum cogitationem contenderit, enarrat, de ipsa etiam cubandi austeritate mentionem faciens: Si quando, inquit, repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo uix ossa hærentia collidebam. Marulus libro primo, cap. 10.

PAVLA Romana, quæ summam generis nobilitatem superauit uitæ sanctitate, in grauissima etiam febre (ut Hieronymus inquit) mollia lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum in stragulis ciliciniis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesq; iungebat. Idem.

Idem Hieronymus ASELLÆ uirginis sanctitatem efferẽs laudibus, ait: Vnius cellulæ clausæ angustiis, latitudine paradisi fruebatur: idem terræ solum & orationis locus extitit, & quietis. Idem.

OTILIÆ uirgini, quamuis monasterij in quodam Bauariæ monte siti præposita esset, pro stragulo ursina pellis, pro puluillo saxum erat. Solebat enim ut in cæteris religiosæ conuersationis laboribus, ita & hac in parte grauius onus sibiipsi, quàm aliis quibus præerat uirginibus imponere. Super ursi autem pelle cubans, magisq; uigiliæ, quàm somno indulgens, conculcauit ursum illum, quem Dauid typum gerens Christi scribitur interfecisse: & de quo per Hieremiam dicitur, Vrsus insidians factus est mihi. Lapidem uerò capiti supponens, placuit lapidi illi, qui factus est in caput anguli, qui fecit utraq; unum. Idem.

PASSIVE, QVATENVS PAtiendo uidentur delectari. Talis est Voluptas ex

SOMNO, VIGILIA.

Somnij ueluti allectamentum est Cubatio. Proinde ex præcedenti Quiete pleraq; huc transferri possunt.

Abbas MOSES in eremo Scythiotico de seipso narrare solebat, sæpe somnum à suis oculis pluribus diebus depulsum, adeòut necesse habuerit precibus Domino supplicare, pro immittendo uel exigui temporis somno. Cassianus cap. 17. collatione 2.

ONOPHRIO eremitæ neq; tectum ullum, neq; certus quietis locus fuit. Ibi somnus erat, ubi per desertũ uaganti nox occurrisset. Sed & ipsa quoq; nox peruigilio magis quã dormitione peragebatur, ut illud seruaret à propheta dictũ, In noctib. extollite manus uestras in sancta, & benedicite Dominum. Marulus lib. 1. c. 10. & Sab. lib. 2. c. 3.

CVLTV CORPORIS, IN GENERE.

De Cultu corporis, qui ornatus causa adhibetur, Libro secundo secundi Voluminis egimus. Ex eo loco ea, quæ ad Moderationem faciunt, huc transferri possunt.

Eleganti.

Ἀκαδημαϊκὸν ἥκεις. id est, ex Academia uenis. De seuero & composito seu docto. Sumtũ à PLATONIS schola. Athenæus uerò lib. 12. significat dictũ in nitidos & cultu insigni, quòd his Plato delectaretur munditiis. Erasmus in Adagiis.

Simplice, Vili.

Consule Tit. Milites ad frugalitatem suo exemplo traducere.

AGIS Eudamidæ F. rex Spartanorum, omnem corpori fucum detraxit, cultuq; exuit. Plut. in eius uita.

VIRIATVS Lusitanus, qui annos quatuordecim cum populo Romano uaria fortuna pugnauit, tantis rebus gestis, nõ armorum, non uestis cultum, non deniq; uictum mutauit: sed, ut scribit Florus, in eo habitu, quo primùm bellum ceperat, perseuerauit, ut quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior uideretur.

CVLTV CORPVS ORNANTE. In

Coma alenda, curanda.

Ex Tit. Pilorum cultus, huc moderata omnia.

NICANDER siue Charillus quærenti, Quare comam & barbam promittant Lacones? Quia omnium, inquit, speciosissimus est, & minimæ impensæ uiro suus proprius ornatus. Plutarchus in Apophth.

Excolebãt SPARTIATÆ comam, commemorantes dictum quoddã de ea Lycurgi, Formosiores ab ea speciosiores, deformes effici horridiores. Idem.

AVGVSTVS Cæsar omnis elegantioris cultus negligens, uno etiã tempore pluribus tonsoribus operam dabat. Suet.

Vestium elegantia.

Vini usus olim ROMANIS feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam uenerem esse consueuit. Cæterùm ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt: & quò formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & uidere sanctè, & aspici, mutuo pudore custodiebatur. Val. lib. 2. c. 1.

Auro, Gemmis.

ALEXANDER Seuerus Imp. dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas uendidit: muliebre esse existimans gemmas possidere, quæ neq; militi dari possint, neq; à uiro haberi. Cùm quidam legatus uniones duos uxori eius per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, uendi eos iussit: qui cùm precium non inuenirẽt, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo uteretur, quod emi non posset, in auribus Veneris eos dicauit. Lãpridius in Seuero.

Coronarum usu.

Vide Tit. Coronarum usus, inter Corporea.

TVRCÆ more ueterum Græcorum & Latinorum in conuiuiis & lætis temporibus coronati sunt, cùm floribus supra modum delectentur: & Byzantij multi extant, qui illos è uicinis montibus petunt. Victorius libro uigesimonono Variarum, cap. 22.

Homerus VLYSSEM manus lauantem facit, priusquam cibũ capiat: quod in Iliade facientes nusquam reperiuntur. Nam in Odyssea uita est otiosorum, & delicatè in pace uiuentiũ, quamobrem corpora curant, balneis lauacrisq; indulgent, atq; in politia eiusmodi talis ludunt & pila, ac saltant. Athenæus libro 1. cap. 12.

CVLTV CORPVS PVRGANTE, per

Lotiones.

Vide Balnea, quatenus sordes abluuntur.

Abstersiones.

ASTYAGIS Medorum rex Cyrum nepotem puerum opiparà cœna exceperat, eique uarij generis pulmentaria & embammata proponebat. At illis Cyrus uesci noluit. Causam rogatus, Quoniam te quoque hæc eadem lenocinia auersari uideo, ô aue. Nam quando panem attigisti manum uti puram nõn abstergis: at contactu embammatum, & apomagdalio pane, & mappa digitos manumque totam ueluti coinquinatam purgas. Mos nimirum hic fuit ueterum, ut pane manus loco mappæ abstergerent: quem deinceps panem, ἀπὸ τοῦ ἀπομάττεσθαι dictum, abeuntes secum contra nocturnos terrores asportabant, obiecturi nimirum canibus irruentibus. Xenophon libro 1. Pædiæ.

TEMPERANTIA VOLVPTATVM CORPORIS impropriè dictarum, respectu FRVCTVS uel

DIGNI.

Geradas Spartiata, interrogatus ab hospite, Quid apud eos adulteri paterentur? nam se nullam uidere legem hac de re à Lycurgo latam dicebat. Respondit: Nullus, ô hospes, apud SPARTANOS est adulter: subtracta sunt profectò ueneris irritamenta, uidelicet indumenta: quãdoquidẽ spectata species decora maximè luxuriam accendit. Plut.

INDIGNI.

PHILOPOEMENES Achæorum dux, præcipuè inter Græcos clarus, diuertere uolebat ad hospitium ueteris amici. Quo cognito, iussit hospes apparari quæ necessaria essent alia ab uxore, dum interim ipse obsonia pararet. Inter hæc Philopœmen solus (ut res ipsa ferebat) ad hospitium properat. Quem uenientem, ut solum, ut deformẽ, ut qui nihil ornatus haberet eximij, arbitrabatur mulier ex administris esse aliquem, qui herum præueniret: cumq; esset de aduentu Philopœmenis mirificè sollicita, etiam blandiendo rogauit eum, se uti adiuuaret ad dominum comiter excipiendum. Tum Philopœmen confestim securi accepta & cuneo, cepit ligna findere, ad coquendã cœnã, malè interim multatus à seruo, inscitiam eius arguente. Hospes domum ingressus: Prò Iupiter, inquit, quid hoc Philopœmẽ? quid agis dux maxime? Ad ea Philopœmen: Pro deformitate, inquit, oris totiusq; corporis pœnas luo. Voluit ipsemet præbere de se hospiti & sibiipsi risum. Plut. in eius uita.

TEMPERANTIA VOLVPTATVM CORPORIS impropriè dictarum, respectu ALIORVM, quorum

TEMPERANTIAM, LAVdant, ornant.

Ex loco Iustitiæ, præmia Temperantiæ huc referantur.

INTEMPERANTIAM ODERVNT, coërcent, castigant, circa

CVLTVM.

ANTIPHANES philosophum elegantius cultum ubi depinxisset, τί μακρὰ δεῖ λέγειν; inquit, ὅλως αὐτὴν ὁρᾶν τὴν Ἀκαδημίαν δοκῶ. id est, Quid necesse est plura dicere? ipsam uidere uideor mihi academiam. Erasmus in Adagiis.

Cùm adolescens quidã comtior DIOGENI proposuisset q̃stiunculã: Non tibi priùs, inquit, respõsurus sum, quàm sublatis uestibus ostenderis, utrum masculus sis, an femina. Ex cultu parum uirili, notauit illius mollitiem. Laertius lib. 6.

IDEM cùm uideret adolescentem alium sese ornantem: Si ad uiros, inquit, frustrà: si ad feminas, iniustè. Hoc dictum festiuius est Græcis, ob uocum affinitatem, ἀτυχεῖς & ἀδικεῖς. Nã frustra se mas parat masculo, inter quos non potest esse cõiugium: & iniquè facit adolescens, si cultura formæ insidietur infirmo sexui, cùm uxor non lenocinio, sed honestis moribus concilianda sit. Ibidem.

Quum DIOGENES uidisset generosum quendam adolescẽtem muliebriter uestitum: Non te pudet, inquit, qui peiùs tibi uelis, quàm ipsa natura uoluit? Illa siquidem te uirum esse uoluit: tu uerò te ipsum ex uestitu mulierem facis. Laertius libro 6.

Aristagoras Milesius, legatus Spartam profectus, ut auxilia Ionibus contra Persas impetraret: insolita uestitus munditie aliisque deliciis Ionicis affluens, quidam ex EPHORIS, eũ hoc dicto submonuisse fertur, οἴκοι τὰ μιλήσια. id est, domi Milesia. Suidas.

Posthumia Vestalis de incesto causam dixit. Elegantior cultus & longè amœnior, quàm Vestalem deceret, inuidiæ illi fuit. Eam ampliatam PONTIFICES pro collegio absoluerũt. Iussa est à Pontifice maximo abstinere iocis, & ut sanctè potiùs quàm scitè se coleret. Sab. lib. 6. En. 3.

VESTIMENTA.

Apud LACEDÆMONIOS in luxum uestimentorum non tantùm leges latæ erant, sed Ephoris etiam mandatum, ut quotidie inspectiones obirent uestimentorum: & si quid in illis fortè à decenti iustoque ornatu alienum inueniretur, delinquentem iuxta legis rigorem punirent. Aelianus libro 14 Variæ historiæ.

ÆMYLIVS Pauli filius, P. Sulpitio Gallo, quòd tunicis manus totas operientibus uteretur, ut probrum obiectauit. Talares enim & manicatas aut distinctas induere tunicas, flagitij loco habitũ apud Romanos est. Alex. ab Alex. lib. 5. ca. 18. Sic etiam apud Verg. obiiciunt ITALI Phrygibus:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

M. BRVTVS in Philippis, tribunis fibulas aureas ut probrum obiectauit. Alex. lib. 5. c. 18.

Franci inter Gallos militare soliti, eorum sagis uirgatis, breuioribusque uti iam ceperant: CAROLVS ergo Magnus, uisa quondam bracchatorũ turba, indignabundus exclamauit: En liberos Francos, qui eorũ, quos uicêre, uestimenta mauspicatò usurpant. Quid ista pittaciola prosunt? Totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt, neq; à pluuiis uentisq; defendunt. Edixit deniq;, ne de cætero huiusmodi Gallica saga in Germania aut uenderetur aut emerentur à quopiam. Cùm apud Forum Iulium hybernaret, ac uideret Francos exoticas pelles, peregrina uestimenta à Venetis mercatoribus magno emtitare: omnes, uti uestiti erãt, secũ uenatum pluuia imminente proficisci imperauit, uestibusq; hisce imbre corruptis, dilaniatis, sanguine oblitis, domum reuerti iussit, uniuersos mox secum certatim considentibus, cõuiuium ad multam noctem protraxit. Postridie iisdem induros amictibus, cunctos apparere iubet. Tum ubi huiusmodi indumenta: partim imbre, pluuia, sentibus dilacerata, cruore oblita: partim igne, rugis constricta, & proinde rupta discissaq; conspexit, lupinas pelles integras ostendit: & Stolidissimi mortalium, inquit, quod uestimentũ nũc utilius preciosiúsue est? Meúmne drachma cõparatũ, an uestra tot libris, atq; integro patrimonio coemta? Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

LVDOVICVS Pius Imperator, usum auri sericique precipuè militibus ademit. Si quem in exercitu sericatum, aut inauratum conspicatus fuit: Eho mortalium stultissime, non satis est tibi (inquit) ut solus pereas, nisi & res tuas hostib. tradas, atque eos locupletes, quò diutiùs faciliusq; nobis resistant? Auentinus lib. 4.

NOGAS Scytha preciosissimas uestes missas à Michaele Palæologo aspernatus, rogauit, Nunquid calamitates, morbos aut mortem depellere possent? Neq; enim margaritis, sed utilitate mouebatur. Pachymerius.

TVRCORVM mira est simplicitas in uestitu, habitu, equitatu: deridentes in primis Christianos, qui uestium uarietate gaudent, cùm apud ipsos tam uiri quàm feminæ, tam nobiles quàm ignobiles, nihil curiositatis aut leuitatis in habitu ostendant. Cuspinianus.

IDEM dicere solebat, portentum abominabileq; inferorum ludibriũ esse, aris addictũ, deuotumq; sacris (qui paupertatem Christi amplecti, crucem eius portare deberet) ad gloriam luxumq, prophanorum aspirare.

EDITHA, regio Anglorũ stemmate nata, cùm splendidiorib. inter moniales uteretur uestibus, quàm eius professio fer-

ret, ab Etheluoldo archiepiscopo ob id reprehensa fuit. Cui illa respondit: Infallabile Dei iudicium sola operitur conscientia. Puto itaq; sanctam & incorruptam mentem tam latére posse sub istis deauratis uestibus, atq; sub tuis discissis pellibus. Ranulphus lib.6.c.9.in Polychronico.

PHILIPPVS Maria Mediolanensium dux, cùm ipse cultus & munditiei negligens esset, pulcris indutos uestibus ægrè ad se uenire permisit. Aeneas Syl.c.49. Europæ.

AEDIFICIA.

LEONTYCHIDAM maiorem referunt Corinthi cœnantē, cùm tectum ædium magnificè structum & laqueatum cerneret, rogasse hospitem, Num ligna apud eos quadrata nascerentur? Disciplinæ nimirum Spartanæ assuetus, serra tantùm & securi fores & fastigium ædium struendum putabat. Plutarchus in Lycurgo, in Apophthegmat. & orat. 2. de Esu carnium.

Fur. Camillo inter crimina obiecit Sp. CARVILIVS quæstor, quòd ærata ostia haberet in domo. Plinius libro trigesimoquarto, cap.3.

VNGVENTA.

Herodotus libro tertio scribit, Cambysem Cyri filium misisse legatos cum maximis donis ad Aethiopum Macrobiorum REGEM, inter quæ unguenti alabastrum fuisse. Regem uerò quum ab Ichthyophagis (hi enim missi fuerant) rationem confecturæ huiusmodi unguenti didicisset, id penitus aspernatum fuisse.

VESPASIANVS Imp. Romanum iuuenem pro data præfectura gratias agentem, quia unguenta olebat, non contentus manu reiecisse, contumeliam hoc uerbo antè præfatus (Mallem allium oboluisses) literas quoq; datæ præfecturæ reuocauit. Suetonius.

BALNEA.

Phocion Phoco filio cupienti desultorem certare Panathenæis concessit, non uictoriæ appetens, sed quò corpore exercitatus & meditatus euaderet melior. Fuit enim alioqui uinosus & dissolutus adolescens. Victori multis petentibus epulum uictoriale præbere, reiecit Phocion cæteros, atq; VNI hanc munificentiā concessit. Vt uenit ad conuiuium, & cùm alium aduertit fastuosum paratum, tum pedum lauacra ex uino cum aromatibus conuiuis oblata, appellato filio: Non cōpesces, inquit, amicum nostrum, Phoce, quò minus uictoriam deformet tuam? Plut. in Phocione.

INTEMPERANTIÆ SIVE LVXVRIÆ CIRCA VOLVPTATES CORPORIS non propriè dictas ΚΤΗCIC. Huc LVXVRIAE

MAGISTRI.

Ex Tit. Intemperantiæ magistri in uniuersum, hæc ea, in quibus impropriè dictarum Voluptatum quoq; mentio fit.

CN. Manlius de Gallogræcis triumphum egit. Tum primùm lecti ærati, uestis stragula preciosa, plagulæ, & aulæ, & alia textilia Romam inuecta dicuntur. Monopodia adhæc, & abaci, psaltriæ, sambucistriæ, & conuiualia ludionum oblectamenta epulis adhibita, & coquus in precio haberi ceptus. Sabellicus lib.7.En.5.

Victoria Cn. POMPEII de Mithridate primùm ad margaritas gemmasq; mores Rom. inclinauit: sicut L. Scipionis & Cn. Manlij ad cælatum argentum, & uestes Attalicas, & triclinia ærata: sicut L. Mummij ad Corinthia & tabulas pictas. Plinius lib.37.c.1.

DISCIPVLI.

Oppia lex, bello Punico secundo lata de moderando luxu uestitus muliebris, durauit, quoad Asiana luxuria inuasit ciuitatem. Tunc mulieres ROM. tanquam furibundæ in publicum se proruerunt, licentiam sibi cuiusuis ornatus flagitantes. Ne hoc fieret, uir grauissimus M. Cato consul, oratione sapientiæ plena, dissuasit, suaserunt duo Tribuni plebis, quorum oratio scripta est apud Liuium, diluta sanè, & auribus stultæ multitudinis accommodatior, quàm sapientum. Peruicerunt tamen importunitate & peruicacia sua mulieres, ut superbiæ suæ frena laxarentur, liceretque quantum liberet. Vnde quæ mala euentura essent, prædixit Cato: ut aliis multis suis dictis, ita & hoc uates uerissimus. Viues de Christiana femina libro primo.

LVXVRIÆ XPHCIC, PER SE CONSIDERATO OBIECTO.

IN GENERE.

Ex Tit. Voluptatibus omnis generis deditorum, hæc quædam.

Ἐκ μασσαλίας ἥκεις, id est, Massilia uenisti. Suidas ait dici solitum de iis, qui cultu parum uiris decoro uterentur. quòd MASSILIENSES luxu perditi, muliebrem fermè in modum ornarentur, comis unguento delibutis, capillisque religatis. Erasmus in Adagiis.

Propertius corruptos suo tempore mores ROMANORVM taxans, inquit:

Luxuriæ nimium libera facta uia est:
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et uenit è rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

IN SPECIF. SIC VERsatur circa

ALIMENTA.

Huc pertinet Affectata suprà modum in uictu elegantia & mundities.

VESTIMENTA.

Ex Corporeis bonis huc ea, quæ Immoderatum usum uestium habent iunctum. Item ex loco Prodigalitatis & Ambitionis quædam luxuriosi uestitus exempla. Heic Voluptatem corpoream spectamus: illic eam, quæ huius uel proxeneta est Prodigalitatem, uel affecla Ambitionem.

TARENTINI gestabant omnes texturam pellucidam uestiū, teste Cleantho, quibus nunc muliebris uita gloriatur. Athenæus lib.12.cap.7.

DEMOSTHENI oratori Atheniensi κομψηχλαινὶς, ϗ μαλακοὶ χιτωνίσκοι ab æmulis probro sunt dati, quòd nimis accurato corporis cultu uteretur: atque inde etiam nomen Batali illi inditum. Gellius lib.1.c.5. Noct. Atticarum, & Plut.

Cicero VERREM, quòd cum talari tunica & pallio purpureo incederet, notauit: cùm eo tempore substrictas breuesq; tunicas citra humerum desinentes Romani haberent. Alexander lib.5.cap.18.

LENTVLVS Spinter in ædilitate bis tincta purpura indutus est primò, cuius ualor denariis mille in libras taxabatur. Idē.

C. IVL. Cæsar mollioribus uestibus utebatur, & interdum caligis paulo altioribus, ac rubri coloris, laticlauo quoq; fimbriato laxiore cinctura. Quam mollitiem corporis L. Sylla adeò suspectam habuit, ut cum occidere etiā uoluerit. Deprecantibus autem nonnullis: Ego (inquit) hoc uobis gratificabor: uos uerò hunc malè præcinctum puerum cauete. Itaq; Cicero, cū interrogaretur, Cur ita aberrasset Pompeiū Cæsari præferendo? Præcinctura (inquit) me decepit. Suet.

IVLIA Augusti Cæsaris filia, licentiori quàm par erat uestitu ædes paternas ingressa, cùm parentem grauiter offendisset: postero die mutato uestitu, iterum Augustū salutauit. Quā ubi uidisset, ait: Quanto probabilior est hic cultus, tam honestus, in filia Augusti? Cui respondit: Hodie me parentis, heri uerò mariti mei ornaui oculis. Macrobius libro 2. capite 5. Satum.

CALIGVLA cū deorum insigniis, aurea barba & fulmine, aut cū fuscina & caduceo, plerunq; Veneris habitu, aut gemmatus, manuleatus & cycladatus, semperq; triumphalia ornamenta gestauit. Suetonius.

LOLLIA Paulina, Caij principis uxor, sestertio quadringenties æstimatam tunicam ex margaritis habuisse fertur. Solinus, & Plinius.

NERO Cæsar nullam uestem bis induit: plerunq; synthesin indutus, ligato circum collum sudario, prodiit in publicū, sine cinctu, & discalceatus. Suetonius.

HELIOGABALVS primus Romanorum holoserica ueste usus fertur, cùm iam subserica in usu essent. Lampridius in Heliogabalo.

GALIENVS, cum chlamyde purpurea, gemmatis fibulis, & persæpe tunica etiam aurata prodiit. Alex.lib.5.c.18.

STRAGVLA, STRATA.

Non satis est PERSIS lectos molliter substrauisse, uerumetiā lectorum pedes super tapetibus collocarunt, ne pauimentum contranitatur, sed tapetes cedant. Athen.lib.12.cap.4.

SMINDYRIDES Sybarita quodam tempore in rosarum foliis recumbens, somnumq; in iis carpens, expergefactus dixit, Se tubera ex nimia lecti duricie inflicta habere. Aelianus de Varia historia lib.9.

Ex opulentia urbis ingenti in tantas prolapsi sunt delicias AGRIGENTINI, ut cùm obsidione premi cœpissent à Carthaginensibus, decreto populi de his, qui in uigiliis ad custodiam pernoctabant, caueretur, ne cui plus culcitra eiusque circumstamento habere liceret, tum ne plus ueste fulsulta, duobusque puluinaribus. Cùm hæc itaque lecti in custodiis sternendi durissima conditio uideretur, hinc coniicere licet, quanto tum fuerint in reliqua uita luxu delibuti. Diodorus libro 13.

Verus COMMODVS ab Adriano adoptatus lectos sibi fecit ex reticulis, quæ rosarum foliis refersit, stragula autem ex liliorum foliis. Spartianus.

Scribit Lampridius, HELIOGABALVM primùm triclinia, lectos ac porticus omni florum genere strauisse, liliis, uiolis, hyacinthis & narcissis, perque eos ambulasse: neque in culcitris, seu accubitis (ut appellant) facilè cubuisse, nisi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas subalares. Cælius lib.26.cap.29.A.L.

BALNEA.

Inuentæ sunt apud SYBARITAS caldariæ cellæ, in quibus sedentes calefiebant. Primiq; adeò balneatorum artem docuere. Athen.lib.12 cap.6.

Ἀπαλοὶ θερμολουσίαις, ἁβροὶ μαλθακευνίαις, Molles calidis balneis, teneri mollibus lectulis, prouerbiò circumfertur, de iis qui luxu & mollitie diffluunt. Suidas.

C. SERGIVS Orata pensilia balnea primus facere instituit, quæ impensa leuibus initiis cœpta, ad suspensa calidæ aquæ tantùm non æquora penetrauit. Val.lib.9.cap.1.

C. CALIGVLA cùm nesciret quònam uoluptatis genere animum explere posset, nouum balnearum usum excogitauit, & calidis frigidisq; unguentis lotus est. Pontanus capite 1. de Conuiuentia.

Dominici Syluij Venetorum ducis VXOR ex guttis roris, maximo labore collectis, corpus in balneis lauit. Vincentius libro 25.capite 53.

VNGVENTA.

IVNO Angelum filiam ex Ioue susceptam, eo quòd unguentum, quo fuci loco ipsa utebatur, Europę Phœnicis F. communicasset, summo odio prosequi cepit, donec tandem Iupiter illam in Acherusiam deportari & expiari curauit. Inde Hecate dea credita. Natalis Comes lib.3.Mythol.cap.15.

Cùm uires unguentorum Homerus cognouisset, nullum heroum præter PARIDEM unguentis unctum narrat. Athenæus libro 1.capite 12.

IONAS unguenti coronarumq; in conuiuia dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem primò reperisse, testatur. Val.Max.lib 2.cap.1.de Institutis antiquis.

BATYLLI populi unguentis madent, auctore Plinio: ut Cyprij, Cicyzeni, Corinthij, & Parthi.

Bæton Alexandri iudex in inscriptis Diuersoriis itineris Alexandri, ac Amyntas in Diuersoriis, TAPYRORVM genus ita uini studiosum esse scribit, ut nullo alio utatur unguento, præterquàm uino. Hæc eadem scripsit & Ctesias in libro de Tributis Asiaticis, qui & iustissimos eos esse inquit. Athenæus libro 10.cap.13.

VETERES Græci lauabant Aegyptio unguēto pedes & crura, Phœnicino maxillas ac mammas, sisymbrino alterum brachium, amaracino cilia & cæsariem, serpyllino genua & collum. Athen.lib.15.cap.15.

Fuit consuetudò quædam ATHENIS, ut qui deliciis dediti essent, pedes etiam unguentis perungerent, ut asserit Cephisodorus in Trophonio,

Vt corpus ungam, emo mihi unguentum: placet
Nam plurimùm irinum, roseúmue, Xanthia.
Emam seorsum mox pedibus & baccharim.

Athen.lib.12.cap.30.

Possidonius scribit, in SYRIA in conuiuiis regiis, ubi coronæ datæ fuerunt conuiuis, quosdam Babyloniorum unguentorum paruos utres habentes ingressos, coronas accumbentium conspersisse unguentis, sic ut nihil aliud externum rigarent. Athen.lib.15.cap 18.

Non sola SARDIANORVM gens unguentorum fuit studiosa, sicut Alexis inquit in poculorum artifice: uerumetiam ATHENIENSES, qui omnibus hominibus optimorum uitæq; conferentium introductores extiterunt: apud quos cùm intolerabile esset unguentorum precium, non tamen idcirco ab unctionibus abstinebant. ALEXIS columbas quatuor dimittebat perfusas, non eodem unguento omnes, sed singulas proprio, quæ circumuolitantes conuiuarum uestes strataq; conspergebant. Athen.lib.15 cap.17.

GRÆCI odorum ita studiosi, ut & corollas & unguenta in potu assumerent. Aelianus libro 12. de Varia histor. & Athenæus libro 15.capite 15.

ALEXANDER conspergebat precioso unguento, uinoque odorifero pauimentum, myrrhaq; & aliis suffimentis sibi suffumigari patiebatur. Athen.lib.12.cap.18.

DEMETRIVS Poliorcetes unguentis tum ipse, tum pauimentum eius diffluebat: & singulis anni partibus flores recentes ei substernebantur, ut in ipsis uestigia poneret. Aelianus lib.9. Var.hist.

L. PLOTIVM, L. Planci bis consulis censorísque fratrem, proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra unguenti odore proditum cōstat. Plin. lib.13.cap.3.

M. OTHO Neroni monstrauit uestigia etiam pedum unguentis illinere. CAIVS Imp. etiam solia unguentis temperare. Priuatus quidem parietes balnearum aspergere instituit. Aquilas & militaria signa Rom. festis diebus unguentis illiniri, incertum est quis docuerit. Denique in potu etiam unguenta adhibere non erubuerunt. Plin.lib.13.cap.3.

CORONAS.

Corollarum, & corollariorum apud ROM. luxū, pete ex Plin. lib.21. cap.2. & seq. Apud GRÆCOS comessabundi coronis redimebantur, id quod ex Platonis symposio intelligi potest. Mnestheus certè & Callimachus medici de coronis scripsere, quæ nocerent capiti. Plin. ibidem.

C. IVLIVS Cæsar post multa præclara facinora, atque actos triumphos, petiit, ut publico decreto in conuentibus regia ueste indui, coronaque laurea ornari perpetuò sibi liceret. Suetonius.

HABITATIONES.

M. ANTONIVS Triumuir apud lucos & flumina epulas exquisitissimas instruere consueuerat. Plut. in eius uita.

Flauius Vopiscus, cùm nimio luxu CARINVM diffluentem & perditum describit, nihil quo uirum taxaret acrius habuit, quàm cum rosis Mediolanensibus triclinia cubiculaque constrauisse. Arlunus Hist. Mediolan. Sect.1.

INSTRVMENTA QVÆLIBET.

NERO Cęsar, auctore Suetonio, reti aurato, funibus purpura coccoq; nexis, piscari solebat. Erasmus in Adagiis.

Dominici Syluij ducis Venetorum VXOR, Constantinopolitana femina, exquisitarum deliciarum supra modum studiosa, cibos manibus contrectare nolebat, sed ab Eunuchis frustillatim concisos, aureis fuscinulis ori inferri patiebatur. Vincentius lib.25.cap.53. At hodie uel infimi ciues argenteis furculis utuntur.

LVXVRIÆ XPHCIC, OBIECTO CONSIDERATO REspectu Corporis cui offertur

ACTIVE. QVO AD SENSVM

Visus. Supra modum aspectu

Gratis delectari.

Huc immoderatio in Coloribus, Imaginibus, Picturis, Aulæis; Tabulis spectandis.

Ingratis tristari.

SYBARITÆ ne aspectum quidem agricolarum squallidum, & præsertim opus facientium, ferebant, quòd uel hac ratione laboris communionem sibi imponi uererentur. Athen. lib.12. cap.6.

Iniucunda affligi, auersari.

SYBARITÆ adeò molles erant, ut agricolarum uocem asperiorem ferre non possent: sed neq; gallorum cantum, neq; sedentariorum artificum strepitum, quos iccirco urbe omnes expulerunt. Athenæus lib.12.cap.6.

LEPIDVS Triumuir deductus à magistratib. in nemorosum hospitium, minaciter cum iis postero die expostulauit, somnum ademtum sibi uolucrum concentu. At illi draconem in longissima mēbrana depictum circumdedere loco. Eoq; terrore aues tum siluisse narratur, & postea cognitum est ita posse compesci. Plin.lib.35.cap.11.

Auditus. Supra modum auditione

Iucunda oblectari.

Consule Tit. Musicæ studium: item Λογολεσχίαν & Ἀδολεσχίαν.

Olfactus. Odores

Suaues supra modum sectare.

THRACES pulcrum esse arbitrantur, uinum per uestes effundere, & uinum olere. Athen.lib.10.cap.9. & Suidas.

CLAV-

CLAVDIVS Cæsar cognoscens quondam in Augusti foro, ictusq; nidore prandij, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, unaque discubuit. Suetonius.

SVLTANVS olim Aegypti tyrannus solebat cereis immiscere ambram, uoluptati atq; ualetudini simul consulens. Cardanus de Subtilitate, libro de Mistis.

Dominici Syluij Venetorum ducis VXOR Constantinopolitana genere, cubiculum suum ea odorum uarietate referciebat, ut nimia suauitate ingredientium penè sensus obrueretur. Sab. lib. 4. Dec. i.

MVLEASSES Tunetanus rex, ex infelici prælio fugiens, odore uestimentorum, quo supra modum delectabatur, proditus fuit & captus. Iouius.

Fœdos supra modum fugere.

In MYRTALEM Martialis Epigram. lib. 5. sic ludit:

Fœtere multo Myrtale solet uino:
Sed fallat ut nos, folia deuorat lauri,
Merumq; cauta fronde non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus uenis
Quoties uenire Daule uideris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

In FESCENNIAM Martialis lib. 1. in hunc modum:

Ne grauis hesterno fragres Fescennia uino.
Pastillos Cosmi luxuriosa uoras.

Betre INDI, suauioris halitus gratia, cum aliis mixtum, potentiores masticant. Idemq; faciunt plebei, cum potentioribus locuturi. Vel, qui eo carent, manum ori apponunt, ne eos halitu offendant. Os enim non habere odoratum, summæ apud eos est inciuilitatis. Mulieres quoq; uiris congressuræ illud Betre masticant: lasciuiæ maximum id esse illectamentum arbitrantes. Sed ab eius esu abstinent, cùm defunctos propinquos lugent. Io. Metellus.

Tactus. Secundùm Qualitates

Primas. Frigoris, Caloris.

☞ *Vide suprà Vestitus immoderationem. Item Balneorum.*

Hyemis tempore non caput solùm corpusq; & pedes texisse PERSIS sufficit, uerumetiam chirothecas habent ac digitalia circa summum manuum. Athen. lib. 12. cap. 4.

MOTVM. MOLLITIES QVO AD

Incessum, Deambulationem.

REX Persarum de curru descendens, neque desilit, quamuis exigua sit altitudo à terra, neque hominum manibus fulcitur, sed aureâ sedes illi semper apponitur, in quam descendit. A' mulieribus CCC custoditur interdiu noctuq;, & per aulam harum p[…]es incedens, Sardiacis tenuibus tapetibus suppositis, super quibus nulli præterquam regi incedere licet, ubi ad extremam aulam peruenit, ascendit in currum, aut equum: nam pedes nunquam extra regiam conspectus est. Quòd si ad portam exiret, aderant illi etiam pellices, thronusq; in quo ius diceret erat aureus, circa quem quatuor aureæ columnæ lapillis distinctæ mirum in modum circumponebantur, inter quas purpurea uestis uariegata extendebatur. Athen. lib. 12. cap. 4.

Equitationem.

Circa annum Domini 630. pontifices BRITANNI & prælati ANGLI primùm cœperunt equis ire: cùm priùs pedes, & in necessitate non nisi super equas ueherentur. Beda, Ranulphus, Fabiænus, Balæus Centuriæ 1. cap. 74.

PERSÆ plura strata in equis habent, magis molliter sedere, quàm rectè equitare cupidi. Athen. lib. 12. cap. 4.

Vectionem.

SYBARITÆ rusticatum ituri, curru uehebantur tam lentè, ut diurnum iter uix tribus diebus conficerent. Athenæus libro duodecimo, capite 6.

ALEXANDER Magnus per Carmaniam equis octo cum amicis in pulpito comessabundus uectus est. Plut. in Alexan.

SPEVSIPPVS, quum uehiculo ferretur in Academiam, obuium habuit Diogenem. Cui cùm, Salue, dixisset: At tu, inquit, nequaquam salue: quia eiusmodi cùm sis, non diu uiuere cupis. Notauit autem molliciem hominis, quæ plerùque multorum morborum causa est, ut labor & exercitium sanitatis. Brusonius lib. 4. cap. 6.

Gymnasiorum usum.

Plutarchus in commentario Quæstionum Romanarum: Non aliud quicquam, inquit, GRÆCIS seruitutem ac mollitiem attulisse Romani putant, quàm gymnasia & palæstram: quòd iis languescant adolescentium animi, ac effeminentur penitùs. Quæ si quis effugere studeat, in puluerem prodire, &(ut Græcè dicam) εἰς ὕπαιθρον, hoc est in subdiale spatium, oportet. At qui domi & in umbra, balneis & unctionibus molliter se curant, hæc subire necesse est. Cælius libro 30. capite 10. Antiq. Lect.

QVIETEM.

Domi manendo.

SYBARITÆ eos derident, qui ex patria discedunt, ipsiq; magnoperè gloriantur, cùm super fluuiorum pontibus consenuerint. Athen. lib. 12. cap. 6.

Sedendo.

ATHENIENSES ueteres in publicum prodeuntes, seruos ducebant secum sellas gestantes, quibus defatigati commodè sederent. Aelianus lib. 4. Var. hist.

Membra non mouendo.

Clitarchus libro 5. Vitarum, SAGARIM Mariandynum scribit ad senectutem usque ob delicias, nutricis uberibus fuisse educatum, ne cibum mandendo defatigaretur: nunquam etiam manus inferiùs umbilico tulisse. Quare XENOCRATEM Chalcedonium cauillatur Aristoteles, quòd manus pudendis non admorit, cùm meieret, inquiens:

Castæ manus sunt, mens habet piacula.

Athen. lib. 12. cap. 12.

PASSIVE. QVO AD SOMNVM, VIGILIAM.

ANTIPODES uocat Cælius lib. 9. cap. 13. Antiq. lect. scita illusione eos, qui saginæ mancipati, ad faces & cereos uiuunt, dum inter pocula transfiguntur noctes, somno impenduntur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerso. De his putat Virgilium dixisse:

Nosq; ubi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

SMINDYRIDES Sybarita cùm uellet demonstrare quàm feliciter ageret: se neq; orientem, neq; occidentem solem intra spatium uiginti annorum uidisse dictitabat. Manè enim dormiebat, tardeq; expergiscebatur. Athen. lib. 6. cap. 8. & Aelian. lib. 9 & 12. Var. hist.

ALEXANDER Macedo, ex uinolentia biduum sæpè obdormiuit integrum: quod in Ephemeride ipsius, Cardianus attestatur Eumenes. Athenæus libro 10. capite 11.

CVLTVM CORPORIS IN genere.

☞ *Quatenus cultus, uestitus, fucusq; corporis ueluti lenocinium formæ est, ad Tit. Libidinis accendendæ referri potest. Huc solius uoluptatis, quæ ex aspectu ornatorum nascitur, ratio habetur.*

IEZABEL Sidoniorum regis F. Achabi Israelitarum regis uxor, mulier stupris & flagitiis nobilitata, cùm filius eius loramus à Iehu diuinitùs in regem uncto interfectus esset, faciem nihilominus sibi fucauit, & caput comsit. Iussu igitur Iehu à tribus eunuchis de fenestra præcipitata est, & ab equis Iehu conculcata, tandem à canibus ita dilaniata, ut præter caluam & pedes manuumque palmas nihil inueniretur. 4 Regum 9.

FEMINÆ, quæ fuco tinctæ, unguentis delibutæ, auro excultæ sunt & purpura, luxuriosæ habentur: balneum, unctionem, & comæ comtum carpit nemo. Eleganter Homerus discrimen in Iunonis cultu ostendit:

Ambrosia primùm florentis Iuno coloris
Detersit sordes, udoq; perunxit oliuo.

Hactenus cura & mundities est. At ubi iam aureas fibulas addit, atque elaboratas arte inaures, ac denique ad præstigias se conuertit cesti: ibi luxus est & abhorrens à matrefamiliâs lenocinium. Plutarchus libro 6. Con. quæst. 7. His lenociniis Iouem decepit, eumque soporauit, ut interea eius præsidio destituti Troiani, à Græcis cæderentur. Iupiter expergefactus, eam rem indignissimè tulit. Sub hac fabula ostendit Homerus Iliados ξ. formam fucatam uxorum non tam conciliare gratiam maritorum, quàm eorundem odiũ, cùm non honestæ Iunoni, sed Veneri impudicæ conueniat. Plut. de legendis Poetis.

BACCHI mollitiem Seneca in Hercule furente his exprimit uerbis:

Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli leuem
Vibrasse thyrsum, quum parum forti gradu
Auro decor syrma barbaricum trahit.

Tincturam capillorum, teste Clemente, MEDEA primùm inuenit. Hinc dicta senes mutasse in iuuenes.

Indorum REGIS corpus emtitiæ mulieres curant. Seruis alio qui non utuntur. Strabo lib. 15.

INDI in cultu corporis nimij, & aurum gestant, & lapillis ornantur, & sindonem candidissimum induunt, & umbellas secum portant. nam pulcritudinem excolentes, omnia faciunt

faciunt, quæ ad decorandam faciem pertinent. Strabo libro decimoquinto.

Cultus PERSARVM regis luxuria præcipuè erat insignis. Purpureæ tunicæ medium albo intexebatur. Palla uerò pictura erat, aureis accipitribus uelut rostris mutuò se petentibus. Zona succingebatur aurea, sed muliebriter. Ab ea propendebat acinaces, uagina gemmata. Capitis insigne à Persis nuncupatur cidaris. ambit id cerulei coloris fascia, albo intermicante. Cælius lib. 8. c. 2. A. L.

SARDANAPALVS ultimus Assyriorum rex, luxuriosissimus, & muliere corruptior, cùm muliebri habitu inter mulieres uersaretur, à coniuratis interfectus est. Orosius libro primo, capite 19.

MAVRORVM comæ cincinnis exornantur, & barba, & auro, & tersura dentium, & unguium cultu. Raro uideas inter se contingere, dum ambulant, ne capillorum ornatus perturbetur. Strabo lib. 17.

ARISTOTELES gaudebat mundo cultu, & elegante, comamq; delicatius tondebat: anulis preterea digitos onerabat, & in hoc placebat sibi nimiũ. Quo factum est, ut mollitiei suspectus haberetur. Laertius & Athenæus.

ALCIBIADES cùm pulcerrimus esset aspectu, comã per plurimam partẽ ætatis nutriuit, calceosq; uarios gestabat, qui ab ipso postea Alcibiades dicti sunt. Vbi uerò ludos ederet, cũ pompa purpureã uestem gestabat, ac ingrediens in theatrum, non hominibus solùm omnibus, uerumetiã mulieribus erat admirationi. Athen. lib. 12. c. 16.

HERACLIDES Ponticus natus est Heracleæ in Ponto. Eum narrat Laertius, cùm delicata ueste uteretur, & in cultu corporis magnum studiũ poneret, nec non in incessu speciem quandam retineret, ac sedato gressu uteretur, Atticos immutato leuiter nomine πομπικὸν solitos uocare. quæ enim in pompa ferebantur, splendoris ac magnificentiæ plena erãt. Victorius lib. 19. Var. lect. c. 1.

LYCON ex Troade, Stratonis discipulus, habitu mollis fuit. Laertius.

DEMETRIVS Phalereus ob corporis cultum Lampeto, & Charitoblepharus ob ciliorum elegantiam dictus. Suidas.

DEMETRIVS Poliorcetes, occupata Macedonia, non solùm amiciebat se, & caput ornabat nullo exemplo dimitris, causiis, atq; auro intertextis purpuris: uerumetiam pedibus adhibuit auratas ex pura purpura cõpacta soleas. Chlamys ei longo tempore texebatur, superbũ opus, ad simulacrũ mundi & siderum, quã rudem in rerũ conuersione reliquit: neq; ista sustinuit quisquã uti, quãuis successerint ei non pauci in Macedoniã fastuosi reges. Plut. in Demetrio. Capillos decorè pectendo disponebat, & rufos faciebat, faciẽq; inungebat: itemq; aliis unguentis utens, summũ studiũ suæ inertiæ impendebat. Aelianus lib. 9. de Var. hist.

De ROM. mulierum luxu Plautus Pœnulo hæc introducit:

Apagesis, negotij quantum in muliere una est:
Si uerò duæ, sat scio, maximo uni
Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt;
Atq; hæc ità loquor, nunc modò docta dico.
Nam nos usq; ab aurora, ad hoc quod diei est,
Postquam aurora illuxit, nunquam cessauimus
Ex industria ambæ, nunquam concessauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & unà,
Binæ singulis, quæ datæ nobis, ancillæ,
Eæ nos, lauando, eluendo operam dederunt,
Aggerundaq; aqua sunt uiri duo defessi.

Q. HORTENSIVS, orator post Ciceronẽ summus, uir alioqui ex professo mollis, & in præcinctu ponẽs omnẽ decorẽ, fuit uestitu ad munditiem curioso. Et ut bene amictus iret, faciẽ in speculo quærebat: ubi se intuens, togã corpori sic applicabat, ut rugas non fortè, sed industria locatas artifex nodus astringeret: & sinus ex cõposito defluens, modũ lateris ambiret. Is quondã cùm incideret elaboratus ad speciẽ, collegæ de iniuriis diẽ dixit, quòd sibi in angustiis obuius, offensu fortuito structurã togæ destruxerat: & capitale putauit, quòd in humero suo locũ ruga mutasset. Macrobius lib. 3. Satur. cap. 13. L. Torquatus subagresti homo ingenio, cùm de causa Syllæ in iudicio quæreretur, non iam histrionis, sed Dionysiæ notissimæ saltatriculæ nomine eum appellauit. At Hortensius uoce molli atque demissa: Dionysia, inquit, Dionysia malo equidẽ esse, quàm quod tu, Torquate, ἄμουσος, ἀπροδίονυσος, ἀπροσόνυσος. Gellius lib. 1. Noct. Att. cap. 5. & Macrobius.

POSTHVMIA Vestalis de incestu causam dixit, ob suspicionẽ cultus elegantioris, ingeniumq; liberius quàm uirginem deceret, parum adhorrens à fama: absoluta tamen pontificum sentẽtia, qui eã abstinere colereq; sanctè potius quàm scitè iusserunt. Liuius lib. 4. & 2. & 22.

MOECENAS unus ex Hetruriæ regibus (quem Horatius & Propertius ad sidera usq; attollunt) deliciosus nõ solùm cultu & moribus, uerùm etiam stylo dicendi. Quare Augustus eũ Malacinum uocabat, exagitabatq; frequenter, teste Tranquillo, ut Cacozelum & μυροβρεχία, id est unguento madidum. Volat. lib. 17. Anthrop.

OTHO Imp. fuisse traditur munditiarum penè muliebrium, uulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignosceret. Quin & faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consueuerat, ne barbatus esset. Suetonius.

CVLTVM IN SPECIE. Nempe quo ad ea quæ

Addunt ornatum

Faciei, Oculis. Fucus faciei.

Lucilij lepidissimum extat epigr. in VETVLAM fucatam:

τὴν κεφαλὴν βάπτεις, τὸ δὲ γῆρας οὔποτε βάψεις,
οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ἐκτανύσεις.
μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλάττε,
ὥστε προσωπεῖον, κ' οὐχὶ πρόσωπον ἔχειν·
οὐδὲν γὰρ πλέον ἐστί. τί μαίνεαι; οὔποτε φῦκος
καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην.

Cælius libro 29. cap. 7. Antiq. lect.

Cyrus etiamnum puer in Mediã cũ matre profectus, quum uideret ASTYAGEM auum regem subpicturatione oculorum, & coloris infricatione, & appositiis comis Medorum more ornatum, Quàm pulcrũ (inquit) auum habeo, mater. Illa uerò quũ rogaret, Vter ipsi pulcrior uideretur? hiccine, an pater? respondens Cyrus, Persarum quidem, ait, ô mater longè pulcerrimus est pater meus: Medis autem, quotquot equidem uidi quum in uiis, tum ostiis, multũ auus hic meus elegantia præstat. Xenophon 1. Pædiæ.

Turpis belluæ excremento uti solitas olim delicatas MVLIERES pro fuco, crocodili inquam stercore, indicauit etiam Horatius carmine, quo deformem mulierem uetulamq; uexat: —nec illi Iam manet humida creta, colorq; Stercore fucatus crocodili. Antiphanes comicus (apud Clemẽtem Alexandrinũ in tertio libro Pædagogi) intra plura medicaminum genera, hoc etiam nominauit: κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι, & σηπεδόνων ἀφροῖς ἐγχριόμεναι, καὶ τοῖς ὀφρύσι τὴν ἀσβόλην ἀναμαρτόμεναι, καὶ ψιμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντριβόμεναι. Victorius lib. 11. Var. lect. c. 4.

Capillis. Capillorum fucus.

In PHOEBVM, Martialis libro sexto:

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calua comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum:
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

[redacted]

LYSICRATES quidam in uulgi fabulam abiit, quòd capillos iam canos nigro tingeret, quò iuuenis etiam dum uideretur. Cuiusmodi ridetur apud Martialem OLLVS, comã tingens, cùm barbam non posset. Erasmus in Adagiis.

L. VERVS Imp. capillorum adeò curiosus, ut eos ramento auri illiniret. Sab. lib. 5. En. 7.

GALIENVS, & ante eum COMMODVS Imperatores, comas prolixas scobe auri aspergebant. Lampridius, & Herodianus.

In LENTINVM, Martialis Epigram. lib. 3.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras.
Non omneis fallis. Scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

NERO Cæsar circa cultum habitumq; adeò pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam ponè uerticem summiserit. Suetonius.

Digitis. Anuli.

☞ *Ex Volumine Secundo huc referantur eorum exempla, qui Anulis ad pompam atque luxum, sunt abusi.*

Testatur EVPOLIS in Marica, Cyrenæorum contemtissimos apud eos & abiectissimos decem minarum baltheos habuisse, mirabilique arte sculptos anulos. Aelianus libro 12. de Varia historia.

Staturæ.

Mos erat GRÆCARVM mulierum, in calceis suberem gestandi, ut grandiores uiderentur. Id perspicitur ex longo carmine Alexidis comici, à Clemente Alexandrino in tertio libro Pædagogi posito. Xenophon in Oecon. VXOREM Ischomachi ὑποδήματα ὑψηλὰ habentem introducit, ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι ἢ ἐπεφύκει. Victorius libro decimoquinto Var. lect. cap. 23.

Habitui.

ATTICARVM matronarum studium, quod ponerent in extenuando corpore filiarum, commemorat apud Terentium Eunucho Chærea, cùm speciem uirginis, quam uiderat, habitudinemque corporis summis laudibus tolleret. Verba adolescentis, repentino amore capti, hæc sunt. Haud similis uirgo est uirginum nostrarum, quas matres student Demissis humeris esse, uincto pectore, ut graciles fient. Si quæ est habitior paulò, pugilem esse aiunt, diducunt cibum. Tamet si bona natura, reddunt curatura iunceas. Primùm igitur, ut apparet, fasciis pectus deuinciebant, ne habitiores fierent: quæ ratio ualde utilis est corporis amplitudini coercendæ, ut medici quoque testãtur. Victus deinde ratione, detractioneque cibi, si qua plenior natura fuisset, tenuiorem reddebant. Plutarchus tamen, qui & ipse huius laudis mulieres cupidas esse tradit, alio etiam remedio ipsas uti solitas docet: cùm enim in commentariolo, quem inscripsit, αἰτίαι φυσικαί, uoluisset rorem uim quandam mordendi, erodendique habere, hoc etiam tanquam signo quodam testimonioque id confirmauit, quòd meatus corporis tenues redderet eorum, qui ipsum uorare consuessent: Vnde, inquit, pingues mulieres, uestimentis aut uelleribus mollibus rorem excipientes colligentesque, uidentur hoc remedio consumere ac minuere pinguitudinem. Victorius libro secundo Var. lect. cap. 6.

Auferunt ingrata, noxia. Videlicet

Aestum, Solem. Vmbracula.

Per æstatem non arborum aut saxorum umbræ PERSIS sufficiunt, sed homines in his alia umbracula machinantes adesse solent. Athen. lib. 12. c. 4.

Clearchus libro secundo Vitarum, LYDI (inquit) uiridaria ob delicias parantes, in umbra nutriuntur. Maximè ad delicias spectare putant, si radij solis eos prorsus non attingant. Ibidem.

SYBARITARVM nonnulli umbraculis uias in agros ducentes, ne solis radiis offenderentur, muniebant. Athenæus libro 12. cap. 6.

COTYS rex Thracum per regionem suam [redacted] sabatur, teste Athen. lib. 12. cap. 14.

ALEXANDER Magnus [redacted] & uirentium ramis [redacted] chus in Alexandro.

Quis non iure miretur, ar[redacted] ex alieno petitam orbe ab iis [redacted] tur? Platanus hæc est, per [redacted] eiusdem tumuli gr[redacted] trãsgressa, atque inter pr[redacted] inos usque peruecta, ad trib[redacted], ut gentes uectigal & pro umbra pendant. DIONYSIVS prior Siciliæ tyrannus Rhegium in urbem transtulit eas, domus suæ miraculum, ubi postea factum gymnasium. Apud ROMANOS tantum honoris iis increuit, ut merò infuso enutriantur: cõpertũ id maximè prodesse radicibus. THESSALICVS Claudij Imp. libertus prædiues, ueluti alter Dionysius, in suburbana sua in Italiam è Creta transtulit. Plinius libro 12. capite 1. & Theophrastus libro 4. CAIVS princeps etiam in platano Veliterni ruris, tabulata cuius laxisque ramorum trabibus scamna patula miraculo fuerant, epulatus est: eamque cœnam appellauit ille Nidum. Cælius libro 25. cap. 1. Antiq. lect.

Pilos.

☞ *Vide Titulum, Tonsuræ. Illic Cura corporis, heic Voluptatis, quæ ex illa percipitur, habetur ratio.*

Omnes illi BARBARI, qui ad Occidentem uergunt, unguento perfunduntur, corporaq; raduntur: & apud TYRRHENOS officinæ complures & artifices huiusce rei reperiuntur, uelut sunt apud nos tonsores: ad quos cùm accesserint, seipsos ad omnia tradunt, neq; uidentium aut accedentium aspectum ullo pacto formidant. Athenæus libro duodecimo, cap. 5.

Πιττῶν Græcis aliquando artificium quoddam turpe significat improborum hominum, qui pice illita pilos detergebant è partibus corporis, quas natura uestitas esse uoluit. A materia enim, qua uterẽtur in fœdo ministerio, studium illorum appellatur. Vsus est sæpè Clemens Alexandrinus hoc uerbo in 3. libro Pædagogi, ubi tam molle delicatumq; institutum accusat, queriturq; de moribus sui temporis, quibus nefaria hæc uenus flagraret, inueniretur q; tanta copia cinædorum, ut extarent, qui hoc unum studium haberent. Victorius libro 8. Var. lect. capite 14.

Clearchus libro Vitarum quarto, TARENTINOS scribit in tantum deliciarum deuenisse, ut totam cutem lęuem facerent, nuditatisq; huius reliquijs sacrificarent. Athenæus libro 12. cap. 7.

C. IVL. Cæsar circa corporis curã morosior erat, ut non solùm tonderetur diligenter, ac raderetur, sed uelleretur etiam: ut quidam exprobrauerunt. Suetonius.

Capillos.

☞ *Huc nimiæ cura Tonsuræ, Discriminis, & similium.*

CÆVS quidã, ætate prouectus, uenit Lacedæmonem: & cùm aliàs turgeret superbia, propter senectutem reuerenter habebatur: tamen canos occulere conabatur tinctura. Inde cùm in conspectum Lacedæmoniorum prodijsset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia uenerat. Consurgẽs autem Archidamus rex Lacedæmoniorum: Quid, inquit, hic sani diceret, cuius non solùm animus, uerùm etiam caput fucis contaminatũ est? Aelian. lib. 7. de Var. historia.

Diogenes CVIDAM, habenti capillos unguento delibutos, Caue, inquit, ne capitis suaueolentia uitæ maleolentiam adducat (ut Græcarum uocum iucundam affinitatem utcunq; reddamus, εὐωδίαν & δυσωδίαν) Vnguentum in uiro arguit uitę mollitiem. Fama uelut odor hominis est. Simile quiddam dixit Martialis:

Nęuole non bene olet, qui bene semper olet.

Laertius lib. 6. & Stobæus. Erasmus.

Sordes.

☞ *Vide supra, Luxus circa balnea, quatenus detergunt sordes.*

Neronis uxor POPPEA Sabina, quocunque tenderet, secum ingentes asinarum greges trahebat, ut earum lacte lauaretur. Plinius.

Aristophanes in Pluto: Abstergemus nos non pumicibus amplius, sed clauiculis allij, præ luxu. Ridiculè hoc dictum, pro sapone, de ATHENIENSIBVS, olim comedentibus allium: quasi nunc locupletati ueterem uictus rationem contemnerent. Suidas.

TEMPERANTIA NIMIA ET INDECORA circa VOLVPTATES non principes.

IN GENERE.

Ζωὴ πίθου, id est, Vita dolij, prouerbio dicitur uita parca, sordida, & ab omni strepitu atq; ambitione semota: breuiter talis, qualem DIOGENES nobilis ille Cynicus Athenis egisse legitur, unico contentus pallio, baculo, quo canes abigeret, dolio de palo suspenso pro domicilio libenter utẽs, crudis herbis & aqua simplici uictitãs, pane excauato pro catino, manu caua poculi uice solitus uti: idq; à puero quodã didicisse se prędicabat, quẽ fortè ad eũ modũ aquã haurientem uiderat. Porrò ut in dolio habitaret, inde sibi dicebat in mẽtem uenisse, quòd cochleas cõtemplatus, nullũ aliud æquè cõmodũ domicilium iudicasset, unde prorepere ad solẽ, & ubi se conderet à uentis atq; æstu. Erasmus.

IN SPECIE. QVO ad

ALIMENTA. VICTVS SORDIDE PARATVS.

Verum illud Herodoti est, AEGYPTIORVM esse, lutum manibus tractare: massam uerò, ex qua panis fit, pedibus. Strabo libro decimoseptimo.

VESTITVM.

Moris erat THRACIBVS, in compotationibus, cùm compotores uini quantum potuerant hausissent, uini reliquum in eorundem uestes effundere: idq; dicebatur [illegible] spergere. Suidas ex Athen. lib. 10. c. 9.

Her-

Hermippus Theocritum Chium in uestem ANAXIMENIS minus aptè compositam irasci solitum fuisse cõmemorat, & Callistratus Aristophanius contumeliosè ARISTARCHVM in cõmentario quodã insectatur, quia incõpositè esset indutus: cùm nonnihil hoc etiam ad philosophiæ cõmendationem faciat. Quare Alexis:

Vnum hoc puto esse liberalibus parum
Decorum, abire uestibus sumtis minus
Aptè, licet quando decorè sumere.
Cuius negoti finis haud grauis, nihil
Cùm demus, ipsi possumus lucro frui.
Accedit his utentibus decus bene,
Cumulus uoluptatis simul uidentibus,
Et corpori ornatus. Quis hæc uult præmia,
Mentem sibi dicens adesse, spernere?

Athenæus lib. 1. cap. 16.

ANTIGONVS Macedoniæ & HIERO Siciliæ reges, agresti & regibus uix decoro habitu in publicum processerunt. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 18.

Proditum memorię est, Africani superioris FILIVM, cùm pręturæ candidatus in campum descenderet, candidam quam induerat togam, turpitudinis maculis obsolefactam, ostendisse, magnoq; dedecore, totius populi suffragio, repulsam tulisse. Alex. lib. 4. cap. 3.

CATO minor prætor factus, nõ tantum habitus est magistratui maiestatis & fastigij rectè administrando adiecisse, quantum detraxisse & deformasse; quòd frequenter sine calceis & tunica ad tribunal accederet, & de capite illustrium uirorum dispensaret eo habitu iudicia. Nonnulli autumant etiã à prandio, postquam potasset, ius eum dicere solitum: uerùm id falsum est. Plutarchus in Catone.

VNGVENTA.

DIOGENES Cynicus nactus unguentum, eo pedes inunxit, præter morem publicum. Id demirantibus, dixit: Quoniam unguentum capiti infusum exhalatur in aërem, à pedibus autem ascendit ad nares. Similiter alius reprehendit publicam consuetudinem, qua coronas capiti imponunt: quum magis conueniat infra nares ponere, quòd fragrantiæ uapor non tam descendat, quàm ascendat. Laërtius libro 6. & Brusonius lib. 4. cap. 6.

CVLTVM CORPORIS.

IBERI cùm in uictus munditia elegantes existant, in una re uidentur immundi, spurcitieque pleni. Vniuersum enim corpus lauant urina, dentesq; fricant: hanc optimam corporis curam existimantes. Diodorus lib. 5.

CANTABRI sibi suisque uxoribus humano stercore dentifricia faciunt. Ex lotio diutius intra cloacas seruato, lauacra conficiunt. Strabo libro tertio.

VOLVMINIS NONI FINIS.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Volumen Decimum

DE

MODERATIONE & IMMODERATIONE
circa PECVNIAS & OPES
quaslibetcunque

SEX LIBRIS
pertractans.

Generosi Baronis

HARTMANNI à Leichtenstein & Nicolspurg

Velspergi & Eisgrubæ domini

S. C. M. Consiliarij prudentiss. fidissimiq.

opt. studiorum mœcenatis literatiss.

non minoris expectationis F.

CAROLO

Decimum hoc THEATRI Volumen

Sex LIBRIS expositum

QVORVM

I. *De* MODERATIONE *& Immoderatione circa* PECVNIAS *uniuersim agit.*

II. *De* LIBERALITATE, *seu Magnificentia sumtuaria,* ἐν Δαπανῇ.

III. *De* LIBERALITATE *Muneraria,* ἐν Δόσει.

IV. *De* LIBERALITATE *Fructuaria,* ἐν Κτήσει.

V. *De* PRODIGALITATIS *speciebus.*

VI. *De* AVARITIAE *differentiis pertractat.*

THEODORVS ZVINGERVS Rauracæ diatribæ quantumuis ephemeræ XENION.

TOMI DECIMI LIBRORVM DISPOSITIO.

ΜΕγαλοψυχία, uirtutum parens omnium, quatenus honestatis studio cuncta contemnunt, profligant, superant: eximiè autem moderationis diuitiarum & honorum genetrix, uel nomine ipso attestante, quandoquidem illa μεγαλοπρέπεια, hæc μεγαλοφροσύνη nuncupatur. Vtraque sanè uoluptate honestissima animos bonorum perfundit, diuitias in alios conferendo, honores ab aliis suscipiendo. Cæterùm quia homo aliis potius quàm sibi natus est, moderatio diuitiarum moderationi honorum & dignitate & loco præferenda uidetur. Quò uilior dominus, eò grauior seruitus, libertas gratior. At mente simul & oculis cæcus Plutus. Proinde κατ' ἐξοχὴν ea uirtus, quæ à seruitute rei inanimatæ turpissima in libertatem iucundissimam mortales asserit, ἐλευθεριότης Græcis, Latinis appellatur LIBERALITAS. Hæc ueluti promus condus est reliquarum uirtutum. Promus quidem, sumtum faciendo, munera dando. Condus uerò, quæ non habet comparando, quæ habet conseruando. Itaque uel ut Organum uel ut Subiectum habet Diuitias: quarum appellatione Pecuniam inprimis, nec minus bona reliqua complectimur, Animo, Corpori, Fortunisue commodantia: quacunque Materia, agrorum, alimentorum, seruorũ, brutorum: quacunque Forma, salarij, donatiui, lytri cõstent: quatenus pecuniaria æstimatione tanquã mensura circumscribi possunt & definiri. Itẽ Religiosa, Profana: Politica, Oeconomica: Publica, Priuata: Vrbana, Bellica: ex Personæ agentis patientisq; diuersitate: quinetiam Misericors, Honorifica, Officiosa, Fida, Grata, ex fine particulari nuncupatur. Vniuersalis alioqui finis Honestas est, siue Libertas pecuniaria. Iam uerò in specie Liberalitas in usu erga alios splendida, in possessione quoad seipsam cõmoda existit. Vsus τῶν χρημάτων sumtuarius ἐν δαπάνῃ, muneratius ἐν δόσει: in paruis nomen habens generis: in magnis μεγαλοπρέπεια Græcis in uniuersum: Latinis fortè distinctius, hìc Munificentiæ, illic Magnificentiæ appellationẽ subit. Possessio uerò τῶν χρημάτων partim ἐν λήψει, partim ἐν φυλακῇ, utraq; χρηματιστικῆς οἰκονομικῆς famula, subiecti merito huius loci propria est. Porrò Liberalitati Immoderatio pecuniaria opponitur, quã in genere ἀνελευθερίαν non ineptè diceremus, nisi hoc nomen alteri extremo impositum fuisset. In excessu quidem PRODIGALITAS, à prodigendo, à profundendo Profusio, à perdendo ἀσωτία, in χρήσει Sumtuaria & Muneraria, in κτήσει Acceptante & Conseruante. In defectu uerò ἀνελευθερία, ipso nomine summam cum liberalitate pugnam denotans, AVARITIA Latinis, quasi auri auiditas, eademque ratione φιλαργυρία Græcis, in Vsu cir-

ca δαπαίλω Sumtuaria, circa δόσιν Muneraria: in paruis nomen habens generis, Latinis Sordes: in magnis μικροπρέπεια. In Possessione uerò secundùm λῆψιν Auiditas, secundùm φυλακὴν Tenacitas. Et hi quidem fontes sunt Liberalitatis splendidæ, Prodigalitatis insanæ, Auaritiæ sordidæ. Qui habitus ut frequentissimi sunt in uita quotidiana, ita uarias trahunt appellationes. Et quia Magnificentiam Prodigalitas, Parsimoniã Auaritia imitatur: non rarò eadem exempla diuerso respectu, nunc uitij, nunc uirtutis classem subire uidentur.



LIBRI PRIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.





Voluminis Decimi
Liber I.
De Virtvte & Vitiis circa Pecvnias in genere.

LIBERALITAS per se huius est loci, quatenus ad habẽtem refertur. Quatenus uerò ad alios fructus eius pertingit, sic Beneficentiæ species est, & Iustitiæ Distributiuæ propria. Hanc ob causam grauissimi auctores Liberalitatẽ Iustitiæ subiecisse, aut saltẽ coniunxisse uidentur. Beneficiũ alioqui, cùm bonum significet qualecunq; in alterũ collatum, inter Effectus animi primo Volumine referri meruit.

MODERATIONIS CIRCA OPES IN GENERE ACQVISITIO. Comprehendens sub se

MAGISTROS. TVM CONTEMTVS OPVM.

Plutarchus in uita Lycurgi, laudat LYCVRGVM, qui κατέστησε τὸ δέσποτον effecerit Spartanos τοῦ πλούτου ἄνους, μᾶλλον ἢ ἀξύλους, καὶ ἀπλούτους, ut nec essent obnoxię furibus ac prędonibus, nec admirabiles, nec omnino pro diuitiis haberẽtur. Eapropter ulgò olim circumferebatur, In una omnium, quæ sub sole sunt urbiũ SPARTA, seruari Pluton diuitiarũ deũ, & ceu ẽ iacentem, ut picturam inanimatã ac immobilem. quòd ibi uigilus facilitare, & cõmuni cœnãdi instituto efficeretur, ne furto diuitiæ conciliarentur, marsupio (ut inquit Hieronymus) suffocato, uel potius (ut ait Theophrastus) ne honori haberentur. Cælius lib. 20. c. 23. A. L. ex Plut. Lycurgo.

AGESILAVS amicos suos monuit, ne argento, sed fortitudine & uirtute studerent diuescere. Plut. in Apoph.

Interdixit castris suis SPARTACVS, ne quis aurum haberet aut argentum. Plin. lib 33. c. 3.

Ferunt in SALADINI potentiss. Aegyptiorũ Sultani, qui Hierosolymis Latinos expulit, funere, interiorẽ eius tunicã lanceæ trunco suspensam, instar trophæi prælatã, præcone clamante, Saladinus Asiæ dominator ex tanto regno, tantis q; opibus, nihil secũ præter hoc unum defert. Fuit certè spectaculum tanto rege dignum, cui nihil aliud ad summã laudẽ defuit, nisi ueræ religionis cognitio. Polyd. lib. 14.

LIBERALITATIS AMPLECTENDÆ, EXERCENDÆ.

Apud Israelitas v. 11. quoq; anno debitorũ omniũ remissio à Dño per MOSEM indicta erat, neq; creditori debitorẽ interpellare fas erat: ab alienis tamẽ exigere licebat. Deut. 15.

MOSES ad fouendos peregrinos hortatur suos, inquiẽs: Dominus Deus noster amat peregrinum, & dat ei uictum & uestitum: & uos quoq; amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ. Deut. 10.

ARTAXERXES Longimanus, subditis addere, dictitabat, q̃ detrahere, esse magis regium. Plut. in Apoph.

PHILOPOEMENES, Achæorũ prætor, eripere semel cũ nõ posset uanum & inane, quod perdiu insẽderat animos suorum, desiderium circa amœniorem uestium cultum, strata purpurea, sumtuosas cœnas, mensasq;: à non necessariis cupidos elegantiæ ad necessaria deflectere & honesta instituit, breuiq; omnes mouit atque inflammauit, ut quotidianis repressis in corpus sumtibus, gestirent in militari & bellico ornatu ostentare se splendidos & comtos. Quippe profusio aliis in reb. animos eneruat utentiũ, cõtrà impẽsa in huiusc̃emodi res roborat eũ, extollitq;: sicut Achillẽ induxit Homerus nouis armis propè sub oculis positis quasi exultantẽ & ardentem, ut ea in opus educeret. Plut. in Philopœm.

M. CATO Censorius filium adhortans, negat uiri, sed mulieris esse uidæ, aliquid de suis fortunis diminuere. Quinetiã insignem uirum & diuinum ad gloriam ausus est appellare eum, qui in rationibus plus relinquat quod adiecerit, quàm quod acceperit. Plut. in Catone.

LVCRETIA uirgo ad liberalitatẽ erga pauperes matrẽ Euthychiã hortabatur. Illa, ut uitæ suæ finẽ expectaret, inferente (tum enim sẽ quod uellet, de opibus suis facturã esse) Non est, inquit Lucia, admodũ gratũ. ô mater, Deo munus, quod, qui offert, ideo offert, quia illius usum suprema sibi interdicit dies. Da, dũ tua esse tua esse si moriens dederis, inuita dediisse arguaris, remotio, uolens nolẽs relinquere coacta. Eutychiæ hoc fauit libẽs tententiam. Marulus lib. 1. c. 1.

SYNODVS Romana censuit, episcopos eò collocandos, ubi prædia abundent, quæ alendis pauperibus suppetant: oportere enim episcopum penu & alimoniæ pauperum promũ condum & procuratorem esse. Auentinus lib. 3.

Cum in partem prædæ Deo atq; prophetæ, & propinquis, & ẽ hanis, & mendicis ac pauperibus deberi asserit MAHOMETVS Azoara 18.

PRODIGALITATIS fugiendæ circa Sacra.

LYCVRGVS simplicissimas hostias Spartæ præscripsit: quã semper deos ex iis, quæ ad manum essent, colere promtè & facilè uolerent. Plut. in Apophtheg.

ALEXANDRO Magno adolescẽti diis largè, & subinde thus in ignẽ inii, ienti, assistens pædagogus Leonidas, Tam profusè, fili, inquit, adolebis, quando thuriferã regionẽ in dicionẽ redegeris. Quã ut est potitus, scripsit ei epistolã. Misi tibi talenta thuris & casiæ quingenta, ut desinas in deos esse parcus, certus oram nos odoriferam subiugasse. Idem.

Alimenta.

Vide Tit. Frugalitatis circa alimenta magistri, quatenus sumtus, qui in alimenta fit, coercetur.

CLAVDIVS Imp. nimias delicias, quæ fuerant C. Caligulæ temporibus, sustulit: latis legibus, quæ eam ad rem spectare uidebantur. Cauponas enim, in quib. cõporare solebant; ceuerit: ueruitq; ne caro cocta, aut aqua calida usquam uenderetur. Xiphilinus.

C. FANNII cõsulis lege ante tertiũ bellũ Punicũ introductũ est, ne quid apud Rom. uolucrũ præter unã gallinã, quæ altilis non esset, apponeretur. Atq; ut modus cœnarũ luxuria nõ diffluceret, singulis diebus, præterquã Saturnalibus, & Romanorũ ludis, uel plebeiis, denos asses, qui domesticis cœnã impenderentur, præfiniuit. Macrobius, & Gellius.

Sub NERONE Cæsare adhibitus sumtibus modus, publicæ cœnæ ad sportulas redactæ: interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera ueniret: cùm antea nullum non obsonij genus proponeretur. Suetonius.

THEODOSIVS Magnus Imp. quia uel diuturna Orientis cõsuetudine, uel superiorum principum remissione maximus quotidã luxus inserat: ne quis se pati iniuriã putaret, à se uoluit incipere censurã. Nã modico ac castrẽsi cibo ieiunia longa leniuit: aulã omnẽ laboris, patientiæ & frugalitatis exẽplis adeò instruxit, ut nemo unus inueniretur, qui auderet ad penũ regiã flagitare remotorũ litorũ piscẽ, peregrinã aëris uolucrẽ, alieni tẽporis floreũ ue ũ epulas suas mẽsis cõmunibus parciores tempestiuis fructibus locorum instruxit. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Finito Rhetico bello, quòd exhilarata pacis nomine ciuitas VENETA iam etiã antè in omnẽ luxũ domesticũ sese effu-

derat,leges sumtuariȩ reuocatæ fuerunt. Itaq; cœnis pauones,phasianę aues,lautioresq; epulæ,cubiculis stragulę uestes ex auro,argēto,purpura interdictę: oīs ornatus muliebris decē auro libras excedere uetitus: ampla delatorib. p̄mia, seruis insuper libertas decreta. Bembus lib.1.hist.Ven.

Vestimenta.

Heic Sumtus moderationem perpendimus. At sub Temperantia ipsam Voluptatis corporeæ à Vestitu ortæ mediocritatem.

Cùm natalitium equestre certamen in honorē noui Imp. TIBERII III. ageret,partesq; gestarēt stolas imbricatas,fuco nariū purpuræ infectas, chlamydesq; Imperatoriæ assimiles:prohibuit earum usum,ne pecunia intēpestiuè prodigeretur:definiitq;, ut ornas tantùmodò duorum digitorū latitudine ornatus causa gestarent. Cedrenus.

IOANNES Ducas Imp. uidens Romanas diuitias in peregrinas ac sumtuosas uestes,sericas,Assyrias, Babylonias atque Italicas,uario ac solerti artificio confectas effundi: decreto sanxit,ne quis subditorum iis uteretur,nisi in ordinem cogi ac notari ignominia uellet:sed iis contenti essent, quas Romanæ prouinciæ ac manus præberent. Gregoras lib.2.

Aedificia.

LYCVRGVS in tribus legū suarū tabulis, quas dixit rhetras, sanciuit: ut serra & securi fores ædiū struerentur & fastigiū, neq; instrumentum afferretur aliud:non profectò quo terebris & asciis aliisq;,quib. opus fieri solet,bellū indiceret:sed quòd sciret per huiusmodi opera nō illaturū te in ædes lectulū inauratū:neq; animū inducturū, ut in tectū sordidum argenteas importes mensas,tapetes purpureos,gēmas preciosas:uerùm consentaneā esse domicilio,lecto, mensæ, & calici tali etiam cœnā frugalem & prandium cōmune. Plut. in Lycurgo & orat.2.de Esu carnium.

AVGVSTVS Cęsar,cùm uideret Romanos ciues maximis impensis ædificare domos,edixit ne quis supra septuaginta pedes sublimius ædificaret. Alex.lib 5.c.24.

D.BERNARDVS Theobaldum Comitem,magnos faciētem sumtus ad uarias abbatias construendas, nouaq; templa ędificanda:monuit,ut domesticis fidei inseruiret, ut templis immortalibus ædificandis plurimum operæ impenderet:eleemosynas ita faceret,ut semper aliquid suppeteret. Xenodochia ipsum uisitare,causas pupillorum & uiduarum tueri:bonis laudi,& malis terrori esse iubebat. Auctor uitæ libro secundo,cap.8.

Sepulcra.

Propter sepulcrorum amplitudines,quæ ATHENIS in Ceramico uisebantur,sancitum lege est,ne quis sepulcrum faceret operosius,quàm quod decē homines effecerint triduo, néue Hermas liceret imponi:nec de mortui laude, ni in publicis sepulturis,nec per alium,nisi per eum, qui publicè ad eam rem constitutus foret,dici licebat. Verùm,mox ubi increuit luxuria,spectariq; ea cepit sepulcrorum magnificentia, quæ Romæ uisebatur frequens: DEMETRIVS Phalereus lege sanxit,ut ante lucem efferrentur,& nouis sepulcris etiam statuit modū. Nam super terræ tumulū erigi columellam iussit,quæ trium cubitorum mensum nō excederet: aut mensam,uel labellum. Cælius lib.17.c.20.

PLATO XII. legum sepulcrum exstrui uetat altiùs,quàm uiri quinq; diebus totidem excitare possint: lapides non maiores, quàm ut possint defuncti laudes quatuor solum heroicis uersibus æditas comprehendere. Quos,ut Cicero inquit,longos uocauit Ennius.

Sepulcrali apud ROMANOS lege cautum erat, ne ampliori opere excitaretur sepulcrū, quàm quod tribus uel quinque dieb. absolueretur:nec maiori lapide, quàm qui laudes sepulti & titulos honorum acciperet. Cic.2.de Legib.

L.SYLLA legem promulgauit, qua funebres impensæ & ambitiosæ exequię,atq; ad rogū munera, nec non cōuiuiorū impendia,præscripto fine taxabantur. Alex.lib.6.c.14.

Spectacula.

TIBERIVS Cæsar ludorum ac munerum impēsas corripuit: mercedibus scenicorum rescissis, paribusq; gladiatorū ad certum numerum redactis. Suetonius.

Romæ,cùm Præsidum licentia in edendis spectaculis multum damni prouincialibus inferret, eosq; quotidie nouis collationibus exhauriret: NERO uetuit, ne gladiatoriū munus, aut ferarum spectaculum Præsides in prouinciis ederent. Alex. ab Alex.lib.4.c.6.

Dotem.

Apud VENETOS uetus institutum fuit, ut quicunq; diuitiis etiam excellerent, millenos non ampliùs aureos dotis nomine legitimo matrimonio natis puellis tantùm impenderent. Egnatius lib.9.c.1.

AVARITIÆ VITANDÆ. CIRCA

Possessiones, Prædia.

Veterum Italiæ AGRICOLARVM, in seculi sui pudorem, monita, quæ suis dabant liberis, Iuuenalis Sat.14. recenset, his uerbis:

Viuite contenti casulis,& collibus istis,
O pueri,Marsus dicebat,& Hernicus olim,
Vestinusq; senex.panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis.—

EDVARDVS I. Anglorum rex edicto statuit, ut nemini homini liceret dare prædia collegiis monachorū: utq; non liceret etiā monachis,aut aliis sacerdotib. emere possessiones, quò ne possessiones eiusmodi cœnobiorū aliorúmue sacerdotiorū dotes fierent. Et legem hanc ad Manumortuā uocarunt,quòd res semel datæ collegiis sacerdotum, non utique rursus uenderentur,uelut mortuę,hoc est,usui aliorum mortalium in perpetuū ademptæ essent Polyd.lib.17.

Dignitatem.

LEONIS II. Pp. institutum est, ac quidem sanctum, ne ad archiepiscopatum assumtus, pro usu pallij aliorúm ue officiorum quicquam Ecclesiæ persoluat, cum ex hac largitione multa quotidie mala orirentur. Platina.

Cùm in ecclesia Mediolanensi mos inoleuisset, ut quicunque clericales ordines acciperet,subdiaconatus nomine numos duodecim, diaconatus octodecim, presbyteratus uiginti quatuor penderet: præsente Petro,Ostiensi episcopo,legato Nicolai II. Pontificis,Vido Archiepiscopus Mediolanensis eam Simoniacam hæresim detestatus, se & clericos & successores suos nihil in posterum exacturos, spopondit,anno 1059. Sigonius lib.9.regni Ital.

Anno Sal.1238. Lutetiæ disputatum,auctore GVLIELMO episcopo,de plura sacerdotia obtinentibus. Decretum tandem ac constitutum fuit,ut nemo nisi uni præesset, nisi lethali noxa se uellet obstringere. Annales Francorum.

Dona.

Saturnalibus apud Rom. munera missitare moris erat. Ac cùm multi occasione hac per auaritiam à clientibus ambitiosè munera exigerent, idq; onus tenuiores grauaret: PVBLICIVS Tribunus plebis tulit, ut non nisi cerei ditiorib. missitarentur. Macrobius lib.1 Saturn.c.7.

CINTIVS Romæ legem tulit muneralē, qua grauissimis pœnis affecit eos,qui à quouis candidato munus suffragij causa donúmue acciperet.

VICTORINVS, Romanæ urbis præfectus, cùm aliquando præesset Germaniæ, conatus est domi,remotis arbitris,persuadere legato suo,ne se pecuniis corrumpi sineret. Cùq; ille non parēret,in tribunal conscendit:iurauitq; in eo, se nunquam accepisse pecuniā,aut munera alia:neq;, quàm diu uiueret, accepturum. Mox præcepit illi, ut se eodem iureiurando obstringeret. Cumq; legatus peierare nollet, iussit,ut se abdicaret magistratu. Dion Nicæus.

Vitæ industriam.

Inter cætera bona & felicitatem,quæ putabatur suis ciuib. parasse LYCVRGVS,unum fuit otij copia: quibus artes sordidas in totum est interdictum attingere. Pecuniam quęrere,quæ magno labore & negotio accumulatur, quòd iacerent planè sordescerentq; diuitiæ,non operæ erat. Plut.in institutis Laconicis.

C.CLAVDIVS Tribunus plebis,legem tulit ad populum,ne quis senator senatorisúe pater maritimam nauem haberet, quæ plus quàm trecentarū esset amphorarum capax: satis eā esse ratus ad fructus ex agris conuectandos, omnē alioqui patribus quæstum indecorum. Ea lex,ut erat popularis, non auctori tantùm,sed suasori etiam C. Flaminio apud plebem fauorem conciliauit,secundumq; illi cōsulatum peperit,bello Punico secundo. Sab.lib.1.En.5.

VENETORVM uetus fuit institutum,uti Patricij ab omni continentis terræ cura penitùs abstinerent:sacris sacerdotiis,ut à re funestissima,interdictum constantissimè uellent iis, qui patricij ordinis essent:mercatura reliqua omnis exerceretur cum magna laude,à frumentaria autem re penitùs abstinerent: præstitores alieni periculi,ut portenta quædam execrarentur. Egnatius lib.9.c.1.

Locationem.

Apud LACONES locationis pensionem nefas erat intendere: ut alteri quidem lucro illecti libentes seruirent, alteri uerò plus iusto non desiderarent. Plut. in institutis Laconicis.

Fœnus. Mutuum, Creditum.

SOLONIS extat lex aduersus fœneratores,qua cautū fuit,patre uiuente,filio,qui sub patris iure est, credi pecuniam non licere: & qui credidisset,petitionem non habere, ne filiusfamiliâs ære nexus alieno,ut creditum redderet, uel necē patri machinaretur,aut aliunde eam inhonestiùs quæreret. Alex.ab Alex.lib.1.c.7.

AEGYPTIOS & ATHENIENSES ferunt, cū fœnoris contagio latiùs serperet,plurimis decretis cauisse, ne ob fœnus corpora adiudicari uel addici possent,néue super corporib. fœnerari fas foret,nec citra debitoris facultatē sæuire. Quæ lex

Sisachthia & Chreocopia dicta est. Idē ex Plutarcho. Cū omnis Aegyptus fœnore obruta esset,lege sancitum fuit, ut ita demùm mutuam pecuniā accipere liceret, si cadauer patris fœneratori pignori daretur, penes quem esset potestas paterni sepulcri debitoris oppignorandi.

AGIS Spartanorum rex, omnium fœneratorum tabulas igne supposito in foro concremauit:quo igne nullum clarius lumen uidisse Agesilaus dixit. Ibidem.

Cùm fœneratores magna licētia pro arbitrio apud ROM. fœnerarent,cautum fuit primò XII. Tabulis, de modo credendi,ne quis plus unciario fœnore fœneraret. Mox tribunitia rogatione ad semiuncias fœnus redactum, deinde ad semissem,postea ad trientem. Demùm L. Genutius tribunus plebis,tulit ad populum,ne ullo modo fœnerari liceret. Post aliquod uerò tēpus, SVLPITIVS Trib. plebis, ut credendi modū præfiniret,legē tulit, ne quis ordinis senatorij, ultra duo millia drachmarum æs alienum conflaret: qui postea decedens,contra legem à se latam,trecentas myriadas æris alieni conflasse inuentus est. TIBERIVS Imp. ut fœnus tolleretur omnino,disposito per mensas millies sestertio,cauit ut singulis facultas creditum accipiendi fieret in trienniū sine usuris, si debitor in duplum populo cauisset. Postremò pluribus plebiscitis nō modò fœnus,sed uetita uersura fuit; cautumq; perpetuo senatusconsulto, ne filiofamiliâs credere liceret. Causam ferunt fuisse, quòd Cælius Plotius fœnerator T. Veturium nexū & addictū, ob reliquū fœneris non redditū,stuprare uoluit, & uerbere affecit. Sicut de Papyrio traditur,qui Publium nexum ad libidinē pellicere coactus fuit:quæ causa traditur fuisse,ut nexi soluerētur,néue in posterum quisquam necteretur. Ibidem.

S.C.ROM. uetitum olim fuit,Ne quis filiofamiliâs mutuā pecuniam daret,etiam post mortem parentis, cuius in potestate fuisset:néue si dedisset, ei actio petitioq; daretur. Vt scirēt, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifamiliâs bonum nomen,inde expectata sui patris morte,fieri Id S.C. CLAVDIVS Cæsar, longo abusu obliteratum, ne filiisfamiliâs pecuniam fœnori darent,seuero edicto seruari mandauit. VESPASIANVS,cùm censuram ageret,saluti parentum & liberorum consulens, illud denuò ex longo interuallo reuocauit. Suetonius.

Laudatur M. ANTONINVS Pius & ALEXANDER Seuerus,quòd Romę fœnus trientarium constituerint,cùm nonnullos fœnoris causa agro paterno auitoq; exutos comperissent: semissem uerò induxerint & abrogarint. Ibidem.

Rapinam.

PESCENNIVS Niger ea moderatione tum seipsum,tum milites rexit, ut decretis sibi prouinciis,miles nō operam, non oleum,nec lignum quidem à prouinciali extorserit, ipse nihil unqam à militibus acceperit. Pontan.cap.46 de Liberal.

ALEX. Seuerus Imp. palàm edici iussit, ne ullus, qui in magistratu munera acciperet,aut aliter aliena raperet, coram se appareret: conuictum enim huius se capite multaturum denunciauit. Lampridius.

BELISARIVS dux exegit à militibus seuerè abstinentiā, ut ne ex humili quidem plebe pateretur uiolari quenquā, nec militaribus uiis ex proximis arboribus fruges pomá ue temerè decerpi. Sab.lib.3.En.8.

CAROLVS Magnus uetuit,ne quicquā ex agris amicorū,pręter herbam,ligna,aquam,à militibus suis inter proficiscendum attingeretur. Auentinus lib.4 Annalium Boiorum.

FROTHONIS III. Danorū regis bellicosiss. lege tantū alieni cibi in cōmeatus assumere licebat, quantū uni cœnæ sufficeret. Quam si quis in capiendo mensuram excederet, furto obnoxius habebatur. Saxo lib.5.

DISCIPVLOS. AD LIBERALITATEM quamcunque traducti.

A' QVO. A'

Dæmone.

EDVARDVS III. Anglorum rex, cùm exactores tributi populo impositi aliquando ingentem aceruum pecunię,ex eo tributo congestæ, delectandi ipsius gratia, coràm adduxissent:ille subitò dæmonem circa ipsum aceruum ludentem uidere uisus est,& ob id huiusmodi pecuniam, ut rem funestam,abhorrens, illicò auferri ab oculis, restituiq; populo iussit. Polydorus lib.8.

Tempore.

Instituto Mosis apud ISRAELITAS quinquagesimo quoq; anno,debitæ relaxabantur pecuniæ,donabantur serui libertate,quæ uiliùs uęnissent,antiquis possessoribus reddebantur,ut tellus immunis eo anno haberetur: ac quascunq; sua sponte fruges tulisset,tribulibus essent & hospitibus cōmunes. Sabellicus lib.6.c.1.

QVOMODO.

Reprehensione.

In mensa CAROLI Magni nobiles & monachi & Canonici splendidè solebant epulari: humi uerò decumbentes duodecim pauperes uestitu sordido,tenui uictu pascebātur. Aigolandus Saracenorum rex pacis causa in castra Caroli,profectus,sciscitatus eius rei causam,cùm intellexisset,duodecim illos,Apostolorum referre typum,qui fuissent nuncij magni Dei,respōdit: Abi sis cum tua pietate: ità ne Deum honoras, cùm aliis lautissimè refectis,nuncios Dei contemtui & ludibrio habeas? Hac exprobratione effecit,ut Carolus illos bis senos pauperes honestiùs uestiret, & lautiùs tractaret. Sab. ex Turpino Remensi,En.8 lib.8.

Reuelatione.

PETRVS Constantinopolitanus, cognomento Telonarius, cùm opibus afflueret, dubitatum est, utrum ditior an auarior esset. Hinc inter mendicos ortum est certamē: unus profitebatur se ab eo eleemosynam elicitūrum: cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui se facturum promiserat, accessit cum multo precum ambitu: & dum hominem auertentem sese urgere cepisset,in iram concitauit, ita ut furore ardens repentè arreptum panem (panes autem casu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciem precantis intorqueret. Qui cùm declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem uoti sui compotem factum sociis nunciauit. Petrus inde aduersa ualetudine correptus,horis aliquot exanimis iacuit. Vbi reuixit,narrauit sibi uisum fuisse,se ante tribunal Dei in cœlo sisti,ab aliis accusari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata sua appendi: in altera unicū panem illum,quem ipse quōdam proiecerat iratus. Et cùm exæquatum utrinq; pondus staret, reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præponderaret iussum. Vbi conualuit, quæ cupidè conflauerat,liberaliter cepit effundere, neminē indigentem opis suæ expertem fieri passus. Cùm die quodam conspexisset hominem attrito laceroq; amictu, tātùm non nudum ad se euocatum, ueste,qua ipse induebatur, donauit. Eam pauper(quia splendidior erat, quàm ut personæ suæ conueniret) in forum delatam uendidit. Petrus indignū se ratus, cuius uestibus pauper tegeretur, animo æger, per quietem noctu uestimento illo indutum Christū uidit. Hoc uiso animatus,elargitis,quę supererant,omnibus,Hierosolymā profectus,uenum seipsum dedit,ut haberet, quo aliorum subueniret inopiæ: seruusq; factus est hominis, ut precium offerret Deo. Marul.lib.1.c.2.

MODERATIONIS PECVNIARIÆ IN GENERE POSSESSIO, EXERCITATIO, PER SE CONSIDERATA, quatenus utitur, fruitur.

SECVNDVM PERSONAS.

QVI. LIBERALES, MAGNIFICI, Non auari, in genere.

Pontifices.

D.GREGORIVS Pontifex,non contentus uulgi tantùm subuenire inopiæ, omnibus ubiq; Christi seruis, quantū Romanæ census ecclesiæ suppeditare potuit, necessaria ministrauit: & ministrando effecit, ut in monasteriis monachorum cresceret numerus,in solitudine degentibus incōmoda solitudinis minùs grauia forent: per Syriam dispersis & in Sina usq; habitantibus, Roma non ita abesse,ut abest, uideretur. Marulus lib.1.c.2.

LEO X. Pp. nulla in re ardentiùs & effusiùs, quàm ad liberalitatis gloriam anhelauit, eos principe loco indignos existimans,qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus uterentur. Nemo enim uel ciuis, uel peregrinus, qui paulò nobilioris artis famam teneret,nemo uel malesanus poeta, nemo alicuius optimarum literarum partis non ignarus unquam fuit, qui benignitatem humanissimi principis nō senserit. Quinetiam ipsum cœnantem spectantes, & ex his aduentitios,& parū notos homines, ultrò pecunia donare erat solitus,eò præsertim libentiùs, quum obsoleta ueste indutos conspiceret. Purpuream etenim crumenam quotidie aureis numis sibi repleri iubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones. Sacerdotes quoq; fraterculos, & sacras uirgines,quę intra septa religiosè pudicitiā custodirēt, menstruis subsidiis eleemosynæ nomine iuuabat. Magnum ueteranorum militum ac exulum alebat numerum: nihilq; uehementiùs contendebat, quàm ut nemo calamitatem & for-

& fortunæ aduersæ mala & incōmoda pateretur. Tāta āgrestium populorū omniū gratulatione atq; lætitia excipiebatur, ut cuncti eius aduentū se uel fructuosis. messibus fertiliorē sentire faterentur: utpote, qui senibus ac pueris, puellisq; in uiam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largissima manu rependeret, sed etiā appellando humaniter, ac sciscitando, quānam maximè in parte rei domesticæ acriùs à fortuna premerentur, uirgines dote præbita subleuaret: affectis autem morbo ac ætate, uel numerosæ familiæ onere prægrauatis, æs alienum protinus dissolueret. Iouius in Leone X. lib. 4.

Reges, Imperatores.

CYRVS, Persarum regno potitus, nullum in suos liberalitatis genus prætermisit: non pecuniam, sed amicos. quibus ipse plurimùm contulisset diuitiarum, suos esse thesauros ducens. Quanquam nō modò familiares & amicos, sed è subiectis unumquemq; adeò gauderet copia rerum abundare, ut boni regis proprium officium, quin & opus esse diceret, etiam ciuitates beatas efficere. Pontanus de Principe, ex Xenophontis Pædia.

ALEXANDRVM Macedonem ingentis spiritus terrarū principem, inter alia quibus eum natura dotatum cœlo quodāmodo inseruerat, magna sua gloria solitum prædicare legimus, à nemine se unquam benignitate fuisse superatum. Cælius lib. 7. cap. 28.

PTOLEMÆVS Philadelphus, rex Aegyptiorum, maxima cū uoluptate amicos suos locupletes effecit. Dicebat enim: Meliùs est ditare, quàm ditescere. Aelianus.

CLEOMENES & PTOLEMÆVS, rex Aegyptiorum, adeò benefici ergā cunctos extiterunt, ut inde Beneficorum cognomina deportarint, Euergetæ dicti. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 11.

HERODES Iudæorum rex, magnificus fuit in omnibus rebus, ita ut Augustus & Agrippa sæpe dixerint, quòd maior quàm pro præsenti ditione esset Herodis magnanimitas, qui dignus uideretur totius Syriæ atq; Aegypti imperio. Iosephus lib. 16. c. 9.

AGRIPPA Iudæorum rex, erat adeò natus ad liberalitatem, ac beneficiis demerendos populos, ut magnis sumtibus pararet sibi celebritatem nominis, pro magna uoluptate ducens quæsitam munificentia gloriam. Iosephus lib. 19. cap. 7. Antiquitatum.

C. IVL. Cæsar omnibus remp. tractantibus opulentiam propinauit Gallicam affatim hauriendam. Curionem tribunum plebis magno ære alieno liberauit, consuli donauit Paulo septuagies quinquies H-S. quo argento celebrem illā basilicam iuxta forū loco Fuluiæ ædificauit dedicauitq;. Pompeius cùm mitteret repetitum milites, quos ei ad bellū Gallicū cōmodauerat, eos Cæsar donatos millenis numis remisit. Plut. in Cæsare.

AVGVSTVS Cæsar liberalitatē omnibus ordinib. per occasiones frequenter exhibuit. Nam & inuecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam numariæ rei effecit, ut fœnore diminuto, plurimum agrorū preciis accesserit. Et postea quoties ex damnatorū bonis pecunia superflueret: usum eius gratuitū iis, qui cauere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Suetonius.

VESPASIANVS fecit templum Pacis foro propinquū. Item amphitheatrum in media urbe. Expleuit censum senatoriū. Consulares inopes quingentis sestertiis annuis sustentauit. Plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas in melius restituit. Primus è fisco Græcis Latinisque rhetoribus annua centena constituit. Præstantes poetas & artifices coemit. Colossi refectorem magna mercede donauit. Cuidam sumtum increpanti, respondit: Sineret se plebeculam pascere pane. Dedit Appollinari tragœdo CCCC sestertia, Tarpeio Diodoroq; citharœdis ducenta. Apophoreta dabat uiris in Saturnalibus, & feminis Calēdis Martiis. Ibidem.

TITVS Vespasianus Imp. natura beneuolentiss. cùm ex instituto Tiberij oēs dehinc Cæsares beneficia à superiorib. concessa principibus, aliter rata non haberent, quàm si eadem iisdem & ipsi dedissent: primus præterita omnia uno cōfirmauit edicto, nec à se peti passus est. In cæteris uerò desideriis animū hominū obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quàm præstare posset: Non oportere, ait, quenquam à sermone principis tristem discedere. Atq; etiam recordatus quondā super cœnā, quòd nihil cuiquā toto die præstitisset, memorabilem illam, meritoq; laudatam uocem edidit: Amici, diem perdidi. Idem.

HADRIANVS (quē tradunt reges omnes uicisse munerū magnificentia) ut fuit in conferendis muneribus magnificentissimus, sic alieni continentissimus, & in delectu habendo etiam prudentissimus. Amicos, & quidem non petentes, locupletauit, & petentibus nihil negauit. Aurū coronariū Italiæ remisit, prouinciis minuit, multos etiam populos tributis leuauit. Pontanus c. 19. & 22. de Liberalitate.

ALEXANDER Seuerus Imp. cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid præstitisset: & si quos sciret, uel nihil petisse, uel non multum, unde sumtus suos augerent, uocabat eos & dicebat: Quid est, cur nihil petis? an me uis tibi fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris. Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam eius non læderent: bona punitorum, sed nunquam cum auro, argento uel gemmis (nā id omne in ærarium reponebat) dabat præposituras locorū ciuiliū, non militū: dabat eas administrationes, quæ ad procurationes pertinerent. Lampridius in Alexandro Seuero.

NERVA Imp. à Domitiano spoliatis ea reddidit, quæcunq; in aula ac fisco reperta sunt, summa fide. Ciuibus autem egenis, ut uitā sustentarent, decies & quinquagies centena millia numûm erogauit. Iussu insuper eius Senatores delecti, agros emerent, diuiderentq; egenis. Puellas puerosq; parentibus pauperibus natos, sumtu publico per Italiæ oppida ali iussit. Ad hæc afflictas ciuitates releuauit: & quicquid antea pœnæ nomine tributo accesserat, indulsit. His aliisq; laudatissimis sumtibus exhaustus pecuniis, uestes, uasa argentea aureaque, ac supellectilem omnem, cum agris und & domibus, auctioni subiecit ac uēdidit, necessariis paucis reseruatis, ut amicos iuuaret, quibus ingentia contulit. Sed ut impēdia releuaret, sacrificia multa, equestres cursus, spectaculorum & ludorum genera sustulit. Nec sibi aureas argenteásue poni statuas passus est. Cuspinianus ex Aurelio Victore, & Xiphilino.

PERTINAX Imp. imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, dictitans, Nō esse illas proprias imperatium, sed communes Romanorum & publicas. Vectigalia omnia penitùs remisit, atque in antiquam libertatem reuocauit. Donatiua & congiaria, quæ Commodus promiserat, exoluit: annonæ consultissimè prouidit. Aes alienum ab initio imperij contractum, facta auctione supellectilis Commodi imperatoris, dissoluit. Operibus publicis certū sumtum constituit, stipendia debita soluit, præmia militantibus posuit. Cuspinianus.

TACITVS Imp. omne patrimoniū suum publicauit. Pecuniā, quam habuit, militib. stipendij nomine numerauit. Paternā domum demolitus in Thermarum usum uertit, quæ populo paterent. Centū Numidicas columnas ex domestico apparatu Hostiensibus dono obtulit. Sab. lib. 7. En. 7.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. Athenis initiatus, magnos honores tribuit Atheniensib. quorū in urbe doctores omnis doctrinę annua mercede conductos constituit, ad omniū gentiū utilitatē. Romā rediēs, uiritim octo aureos dedit, quæ fisco ærarióque publico debebantur remisit omnesque syngraphas scriptas de iis rebus in foro comburi iussit. Pecuniā multis etiam ciuitatib. largitus est: & Smyrnā, quæ ingenti terræmotu conquassata fuerat, restaurauit. Restregit Beneficentiæ templum Romæ in Capitolio nuncupauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

M. ANTONINVS Pius Imp. prouinciarum præfectos locupletauit, & ornamentis consularibus donauit: rhetorib. & & philosophis non solùm salaria, uerùm etiam honores & prouincias decreuit. Mox etiam liberalitatem suam testamento plurimis legatis manifestissimam fecit. Pontanus, ca pite 11. & 42. de Liberalitate.

ALEXANDER Seuerus nullum diem prætermisit, quo non pium aliquid, liberale humanumq; fecerit: publici tamen ærarij ratione habita: ut quamuis imperaret, sciret tamē moderatum se prudentemque Reipublicæ dispensatorem esse debere. Amicos, quos bene de se meritos intelligeret, etiam ad petendum inuitabat: Quid est, quòd nihil petis, inquiēs, an me uis tibi fieri debitorem? Pete, ne sit quod priuatus de me querāre. Lampridius.

CONSTANTIVS Chlorus Imp. utilitati ac commodis prouincialium & priuatorum studuit. Ac sicut quondam Cyrus dixit, Se thesauros sibi parare, dū amicos diuites redderet: ita Constantius in ore sæpe habuisse fertur, Melius esse, opes publicas à priuatis haberi, quàm intra unum ærarium conseruari. Eutropius.

CONSTANTINVS Magnus Imp. si quos priuatus dilexit, opibus honestauit, non dignitate prætoria aut consulari, ut principes priores fecerant. Cuspinianus.

ISAACIVS Angelus Imp. Græcorum, liberalitate in templa & monasteria superiores Imperatores oēs superauit. Ruinosa suffulsit, uetustate deformata incrustationibus & picturis illustrauit. Domum Isaacij Comneni Sebastocratoris in pandochæū trāsformauit. Regias ædes Andronici Comneni ad ædem S. Quadraginta martyrum Nosocomium: domum Magni Drungarij similiter. Cū urbis pars septentrionalis conflagrasset, eos, qui uel ædiū uel bonorū iactura fecerant, distributione pecuniæ subleuauit. Imperio potitus, quinque auri centenarios diuisit. Magna hebdomade, quæ Pascha præcedit, uiduas eleemosynis, pauperculas uirgines dote iuuabat. Neq; uerò singulos duntaxat homines, domos, familias, munificentia sua recreabat, sed interdū urbibus integris tributum remittebat. Nicetas lib. 3.

ROMANVS Argyropolus Imp. suscepto imperio, ut omniū fauorem in se conuerteret, in primis tributum illud, quod Allagangium uocant (à Basilio II. Imp. institutum, quo rerū consumtarum expensæ exigebantur) sustulit: ministrisq; magnæ ecclesiæ clericis ingentem largitionē fecit: haud ignarus, non sufficere, quæ illis priùs data fuerant. qui obærati multa creditoribus debebant, eorum debita dissoluit, pauperes episcopos datis muneribus restituit, languores ac cęcitates curās: spoliatis bona restituit, aliterq; quoslibet afflictos consolatus est. Cuspinianus.

HENRICVS I. tantæ fuit liberalitatis, quantæ uix ullus regū aut Imperatorum. Nullum suorum Saxonum indonatum à se dimisit: nec quenquam fidelium ministrorum absq; honesto officio reliquit. Hedio in Chronico Germanico, & Cranzius lib. 3. Saxoniæ, c. 11.

CAROLVS IV. Imp. ad liberalitatem sic propensus erat, ut sępiùs etiā ultrò ad accipiendum prouocaret eos, quos munificentia sua dignos putabat: cùm interim subditos nullo tributo, nisi iure sibi debito, oneraret, illudq; receptum non in sumtus superuacaneos & inutiles, sed ad redimendas arces à parente proceribus obligatas cōuerteret. Aurū coronariū in ipsa coronatione acceptum, totū ad creditores, qui arces possidebant, transtulit, ut ex suis potiùs, quàm ex alienis fructibus & censibus uiueret. Dubrauius lib. 22.

VENCESLAVS III. Boëmorum rex, liberalitate maximè inclaruit. Dubrauius lib. 16.

CHRISTIERNVS I. trium Aquilonis regnorum rex, humanitate & clementia illustrissimus, ob liberalitatem sæpe ad indigētiam redactus est: etsi non potuit egere diu in regnis opulentissimis. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, c. 31.

IOANNIS Aragoniæ regis liberalitas si ex animi potiùs magnitudine, quàm ex fortunis & opibus existimetur, non immerito inter munificentissimos principes connumerabitur. Nemo unquā ab eo pecuniā petiuit, cui, si plures non haberet, saltem centū numos argenteos non dederit. Si pares animo facultates habuisset, omnes principes munificentia superasset. Marineus lib. 12. rerum Hisp.

IOANNES II. Lusitaniæ rex, solebat dicere, sibi non tam propositū esse, ut operis hominum ad aurum quęrendum abuteretur, quàm ut aurum quæreret, ut opibus suis hominum inopiam subleuaret. Osorius lib. 1. rerum Em.

ALFONSVS Aragonius, Neapolis & Sicilię rex, oblatrātibus canib. offulā obiiciēdā esse dictitabat, h. est, maleuolos homines beneficiis & liberalitate uincendos esse. Prouocabat etiā, quos liberalitate sua dignos putasset. Honesto loco natos, & magistratibus atq; honorib. functos, quos inopia rei familiaris laborare intelligebat, dum tamen neq; per luxum patrimonia absumsissent, neq; inopiā simularent, alios aliis [illegible]dis, agris, seruis, armentis, & quo quē egere intellexisset, iuuabat. Quinetiā magnificas domos à se extructas, integris & incorruptis uiris amicitia secum iunctis donabat: ut nō modò quid daret, sed quib. etiā daret, exactè adeò pensitare uisus sit, ut histrionibus atq; adeò in scena se exercentibus, nihil aureū aut argenteum, quin perraro numos dederit. Pontanus de Liberalitate.

Othomāni I. Turcorū regis F. ORCANNES, paternis uirtutibus immēsam animi magnitudinē, ac subtiliorē in acquirēdis finitimis regionibus artē adiunxit. Liberalitatē erga milites pro comite perpetuò habuit: qua uirtute nullā uiuidiorem princeps aliquis habere potest, ut magnus atque adeò immortalis citò efficiatur. Iouius in Orcanne.

AMVRATHEM. Mahometi II. Turcarum regis patrem, liberalitas & splendor etiam apud hostes plurimùm cōmendauit. Pontanus c. 27. de Liberal.

Principes uiri.

M. AGRIPPA sub Augusto nō solùm magnifico sumtu diuersa urbis ædificia propriis impensis restaurauit: sed etiā cū in circo [illegible] homines animaduerteret, in numero circuituū, quos Græci διαύλους uocant, delphinos & ouata opera fieri [illegible] ut ex iis circuitus curriculorū ostenderētur. Adhæc o[illegible] omnibus dedit ciuibus: balneaq; gratis per annū mulierib. ac uiris concessit, in quibus lauarentur. Cōduxit etiam tonsores in mercatu, ut nemo quicquā impenderet [illegible]. Præterea missilia de loco superiore in theatrū iecit, in quibus argentum erat, atq; alia permulta. Res quoq; [illegible] multas in medio positas, populo ad diripiendū de[illegible] [illegible]æus in Augusto.

De PROBO insignes sunt Claudiani uersus in Panegyrico:

Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, sed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.
Quippe uelut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat populis undare penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluuios superabat Iberos
Aurea dona uomens.——

PHILIPPVS Maria Vicecomes, Mediolanēsis dux, nō solùm aduersus hospites & peregrinos multa liberalitate usus dicitur: sed si quem fortem & clarum uirum in Italiæ urbibus, aut finitimis regionibus agere intelligeret, munera mittebat, & se & illo digna. Pōtanus c. 28. Superauit maiores suos domestici splendoris munificentia, cùm clarissimos hospites acciperet, in queis fuere Martinus Columna Pōtifex maximus, cui marmoreā statuā posuit, & Sigismundus Imperator, ingētibus donis cum uniuerso comitatu liberaliter expletus. Iouius in Philippo.

MAGNVS Sfortia in exercenda liberalitate mediocritatē tenuit uaria admodum fama, quum in erogando distribuendoq; meditata & prouisa largitione uteretur: quasi ducem ad gloriā & ad magna imperia semper aspirantem pensitata ratione uti non deceret: quū militi præsertim improuisa & festinata potior uideretur. Sumtuarias rationes, cēsu oppidorū & stipendiis æquabat: ne, ut ipse dicebat, temerè decoqueret. Creditores raro contemsit, nunquam elusit: quoniam opum & diuitiarum opinionem, fide potiùs & incorrupta existimatione, quàm præsenti pecunia constare iudicabat. Iouius in eius uita.

COSMVS Medices Florentinus erat priuatis in rebus suis, domesticisq; sumtibus, natura & consuetudine minimo cōtētus, utpote qui ciuili cultu uixerat, frugaliq; & mūditiis potiùs referta, quàm lauta mensa uteretur. At quum clari hospites, & præsertim aduenæ uirtute insignes occurrerent, nullis uel maximis sumtibus parcendum putabat. Iouius in Leone X. lib. 1.

DIDACVS Mēdocius, Infantasiorū regulus, splēdore uitę ac liberalitate magnis regibus æquatus. Iouius Piscario lib. 7.

Duces bellici.

EPAMINONDAS Thebanus amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios subleuandos sæpe sic usus est, ut posset iudicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut ciuium suorum aliquis ab hostib. fuisset captus, aut uirgo amici nubilis, quæ propter paupertatem collocari non posset: amicorum consilium habebat, & quantū quisque daret, pro facultatibus imperabat: eamq; summā cùm faceret, priusquā acciperet pecuniā, adducebat eū, qui quærebat, ad eos, qui conferebāt, eiq; ut ipsi numerarent faciebat, ut ille, ad quē ea res perueniebat, sciret quātum cuiq; deberet. Probus in Epaminonda.

CIMON Miltiadis F. rebus cōtra Persas gestis amplissimis, imperij sui cōpendia, quę pręclarè ab hostib. parauerat, præclarius impendit in ciues. Prædiis suis septa detraxit, ut & peregrini & ciues, quotquot quærerent, liberè sumerent poma. Cœna domi apud eum frugalis illa quidem, sed multis tamen sufficiens erat quotidie instructa: quò quilibet pauper admittebatur, ubi alimenta habebat citra laborē suum, ut uacare solis negotiis publicis posset. Aristoteles uerò auctor est, nō omnib. Atheniēsib. sed curialiū eius Laciadarum cuiuis paratā cœnā fuisse. Comitabātur eū familiares adolescentes honestè amicti: quorū quisq;, ubi occurrebat Cimoni ex ciuib. maior natu obsoletius uestitus, palliū cū eo cōmutabat. Iidem in foro adiungebāt se inopibus, & numos illis silentiò iniiciebāt in manū. Eapropter Gorgias Leontinus Cimonē refert pecuniā quęsisse, ut uteretur: usum, ut honorē assequeretur. & Critias unus è XXX tyrānis, Scopadū diuitias, uictorias Agesilai, & Cimonis liberalitatē optare solebat. Aedes certè suas pro cœnatione publica aperiēdo, & ruri fructus tēpestiuos capiendos, ac quæcunq; anni tempora gignūt bona fruenda sumenda peregrinis prębendo, quasi fabulosam illā, quæ Saturni regno fuit, rerū cōmunionem in orbē reduxit. Plut. in Cimone, & Athen. lib. 12. c. 15.

Monachi.

☞ *Ex Tit. Monachorum huc non pauca.*

Per Aegyptum MONACHI ad labores & manuum suarum opera ita adacti sunt, ut non tantùm peregrè aduenientes fratres cōmodè excipere potuerint, uerùm etiā per loca Libyæ, quæ sterilitate & annonæ penuria laborabāt, imò etiā iis, qui per ciuitates in carcerum squalloribus contabescerent, alendis, plurimum alimoniæ mittentes, contulerint. Cassianus lib. 19. de Spiritu acediæ, c. 22.

Ciues quiuis.

THEAGENES, uir potēs & diues, Athenis sua beneficētia publicè & priuatim multa laude dignissima gessit. Suidas.

MARAM ferūt fuisse quēpiā apud Berœā Syrię ciuitatē, ut ditissimū, sic humanū & officiosum in omneis, tū ciues, tū hospites. Vnde uulgò receptū, ut id uocabuli tribueretur uiris, qui ad multorū utilitatē nati uiderentur. Eras. in Adagiis.

Agri-

Agrigentinus GILLIAS, propemodũ ipsius liberalitatis pręcordia habuit. Erat opibus excellens, sed multo etiã animo quã diuitiis locupletior: semperq; in erogãda potiùs, quàm in cõtrahẽda pecunia occupatus: adeò ut domus eius quasi quędã munificẽtię officina crederetur. Illinc enim publicis usib. apta monumẽta extruebãtur: illinc grata populi oculis spectacula edebãtur: illinc epularũ magnifici apparatus, lætitiq; animo annonæ subsidia tribuebãtur: & cũ hęc uniuersis, priuatim alimẽta inopia laborãtib. dotes uirginib. paupertate pressis subsidia, detrimẽtorũ incursu quassatis solatia erogabãtur: hospites quoq; tũ urbanis penatib. tũ etiã rusticis tectis benignissimè excepti. uariis munerib. ornati dimittebãtur. Quodã uerò tẽpore quingentos equites Gelenses ui tẽpestatis in possessiones suas cõpulsos aluit, ac uestiuit. Quid multa? nõ mortalẽ aliquẽ, sed proprię fortunæ benignũ esse diceres sinũ. Ergo quod Gillias possidebat, omniũ quasi cõmune patrimoniũ erat, pro cuius salute & incremẽtis tum Agrigẽtina ciuitas, tũ etiã uicinæ regiones uotis excubabant. Val. Max. lib. 4. c. 8. & Athen. lib. 1. c. 1. qui Telliam, & Diod. lib. 13. qui Gelliam uocat.

Philosophi, Sophistæ.

HERODES Atticus sophista, liberalitate sua nõ priuatos modò, sed & ciuitates & gentes inopia adobrutas subleuauit: dictitans, Thesaurum hunc esse præstantissimum, indigẽtib. opem ferre, ut desinant indigere: non indigentibus item, ne fortè quandoq; indigeant. Cælius lib. 20. c. 23 A. L. De eo sic Philostratus: ὁ πλοῦτος καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἐδόκει τυφλὸς, ἀλλ' ἐπί γε Ἡρώδου γε ἀνέβλεψεν. ἔβλεψε μὲν γὰρ ἐς φίλους, ἔβλεψε δ' ἐς πόλεις, ἔβλεψε δ' ἐς ἔθνη, πάντων ἀθεοπίαν ἔχοντος τοῦ ἀνδρὸς, καὶ θησαυρίζοντος τὸν πλοῦτον ἐν ταῖς τῶν μετεχόντων αὐτοῦ γνώμαις. ἔλεγε γὰρ δὴ, ὡς προσήκει τῷ ὀρθῶς πλούτῳ χρωμένῳ, τοῖς μὲν δεομένοις ἐπαρκεῖν, ἵνα μὴ δέωνται τοῖς δὲ μὴ δεομένοις, ἵνα μὴ δεηθῶσιν. ἐκάλει δὲ τὸν μὲν ἀσύμβολον πλοῦτον, καὶ φειδοῖ κεκλεισμένον, νεκρὸν πλοῦτον· τοὺς δὲ θησαυροὺς, ἐς οὓς ἀποτίθενταί τινες τὰ χρήματα, δεσμωτήρια· τοὺς δὲ καὶ θύειν ἀξιοῦντας ἀποθέτοις χρήμασιν, ἀλωάδας ἐπονόμαζε, θύοντας Ἄρει μετὰ τὸ δῆσαι αὐτόν.

Pictores.

Plinius lib. 35. ubi opera NICIÆ, pictoris eximij, enumerat, inquit: Athenis Necya Homeri hãc uendere noluit Attalo regi talentis LX. potiusq; patriæ suæ donauit, abundans opibus. Eiusdem tabulæ meminit Plutarchus in commentario, quò declarare conatur, uitam ab Epicuro institutam ne iucundam quidem esse.

Pueri.

☞ *Consule Tit. Liberalitatis Indoles.*

ALEXANDER Magnus etiamnũ ephebus cùm thus largiore manu diis adoleret, reprehensus fuit à pręceptore Leonida, hac uoce, quæ ominis loco fuit, Vbi Sabeos subegeris, hac liberalitate uteris. Plut. in Alex.

Seuerus Imp. etiamnũ priuatus, cùm in uilla sua cũ amicis satis parcè cœnaret, infantemq; filium ANTONINVM partiri aliis largiùs poma de secunda mẽsa uideret: monito eo, quòd supra fortunam largior in partiendo esset, respondit filius: Si tunc parcior esset fortuna, ut pater dicebat, habiturum aliquando ampliorem.

ERGA QVOS.

☞ *Erga Deos, erga Homines: erga Peregrinos, Hospites, Ciues, Domesticos: erga Pauperes, Viduas, Pupillos, exerceri potest. Proinde ex Magnificentiæ & Munificentiæ locis exempla specierum ad generalis tituli illustrationem transferri possunt. Illic Sumtus uel Munus, heic Erogatio uniuersim consideratur.*

Erga Sacros Homines, Sacerdotes.

Hieronymus ABDIAM prophetam, secundũ Hebræos, cũ ait fuisse, qui sub rege Samarię Achab & impiissima Iezabel pauerit centũ prophetas in specubus, qui non curuâuerant genu ante Baal, & de septem milibus erant, quos Helias argui tur ignorasse, sepulcrumque eius usq; hodie cũ Mausoleo Helisæi prophetæ, & Baptistę Ioannis in Sebasta uenerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hic igitur, quia cẽtum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus, factus est dux ecclesiæ. Lud. Viues in lib. 18. August. de Ciu. Dei, c. 31.

Beatrix Henrici II. Imp. soror, Bonifacij Lucensis uxor fuit, uiri inter Italos fama & diuitiis affluentibus longè principis. Quo extincto, Beatrix potita est illius principatu. Dein per MATHILDEM, Beatricis filiã, ad Godofredum res deuoluta est. Parebant itaq; Godofredo Luca, Parma, Regiũ Lepidi, Mantua, & ea pars Hetruriæ, quæ ad posteros patrimonij est nomẽ adepta. Mathildis, Godofredo extincto, cui admodũ puella nupserat, Azoni Estensi cessit, uiro impigro, quẽ breui pòst Gregorij interdicto dimisit. Enimuerò attingebat Azon tam arcto cõsanguinitatis uinculo priorẽ maritũ, ut legitimè mulierẽ sibi matrimonio iungere nequiuerit. Hæc est illa, quę Rom. pontificũ partes cõplexa, Hẽrico IV. Imp. ausa sese opponere, prælioq; cũ eo congressa, acie superatũ Italia eiecit, cùm Conradus Henrici filius sub ipsum pugnæ tẽpus à patre defecisset. Moriens iam grandis natu, quicquid intra mare & Apenninũ montem iacet, à Quirico Senensis agri ad Ceperanum, Apostolicę sedi testamento legauit, & cum his Ferrariã, quæ iam inde facta est Rom. pontificum uectigalis. Vincentius Mathildem scripsit Vicentiæ periisse eo incẽdio, quo magna pars urbis deflagrauit: qua clade duo millia hominũ consumta sint. Alij Mantuæ diem obiuisse aiunt. In Mãtuano est agro sita ad Benedicti cœnobium, quod uiuens priua construxit impensa, rem Anselmo Lucensi antistite procurãte, qui multis postea miraculis inclaruit. Sab. lib. 3. & 4. En. 9.

CAROLVS IV. Imp. Canonicos regulares, & Carmelitas, & Ambrosianos, & Augustinianos, in Nouam Pragam à secõditam inuexit. Legit item seorsim contubernales, qui se Sclauos cognominabant, auctorẽ religionis suæ diuũ Hieronymũ cientes, quẽ hoc nomine Carolus peculiariter ueneratus est, quòd in Illyria natus fuerit, unde Boẽmi originẽ trahunt. Sub nomine Caroli collegium sacerdotum cõstituit, & alterum ad D. Apollinarem, ex doctoribus sacerdotibus, qui alios quoq; sacras literas docere possent. Dubrau. li. 22.

In Studiosos literarum.

☞ *Consule Titulum Academiarum.*

Aristippus naufragio facto, in litus apud RHODVM nudus eiectus, ob doctrinam inuenit non modò, qui necessaria ad uictum, uerumetiam, qui uestes ipsi atq; comitibus præberent. Fulgosus lib. 7. c. 2.

Aristoteles fertur Stagirites octingenta talenta ab ALEXANDRO in Historias animalium accepisse. Athenæus libro nono, cap. 20.

CLAVDIVS Licinius historicus consularis, Iulium Phrygiũ à Cæsare Romam aduectum aluit, propter ingenium & studium assiduum: cumque admodum pauperem sua liberalitate, quoad uixit, sustentauit. Tranquillus apud Volaterranum lib. 10. Anthrop.

TRAIANVS Imp. urbibus per Italiam ad alendos pueros, ne uel hæc ætas beneficiorum suorum expers foret, multa largitus est. Cuspinianus.

CONSTANTINVS Magnus iuuit pauperũm scholasticorũ studia: maiori tamẽ eos amore cõplexus, qui in [illegible] studium suũ posuissent. Eusebius lib. 4. de uita Constantini.

BARDAS Imp. Constantinopolitanus nihil fecit boni, nisi quòd eruditionis prouehẽndæ magnũ studium habuit. Ni philosophia neglecta iacebat, ac propè omnino extincta erat, ut ne scintilla quidem eius superesset: in causa fuerat imperatorum inscitia. Sed hic cuiq; disciplinæ scholas constituit, & doctores designauit, & singulis publica stipẽdia decreuit, & omnibus magnũ & cõmunem doctorem præfecit Leonem philosophum. Zonaras.

ALEXIVS Comnenus Constantinopoleos Imp. Musæũ literariũ extruxit, in quo publicè docerentur pauperũ liberi magistris & pædagogis constitutis, uictuq; tam docentibus quàm discentibus ordinato. Zonaras tomo 3. Annalium.

ALVREDVS Anglorum rex, scholas publicas uariarum artium apud Oxonium instituit, & tertiam partem suorum bonorum in scholasticos contulit. Ranulphus lib. 6. cap. 1. in Polychronico.

HEDVIGIS Vladislai Iagellonis Poloniæ regis uxor, Pragæ domum peramplam Lituanis, qui honestis disciplinis operam darent, siue emit, siue condidit: possessiones quę peramplas, unde eis sumtus suppeditarentur, adiecit. Moriẽs quicquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandam Cracouiæ & consummandã Academiam, quam Cazimirus magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit. Ex illius ergo testamento, & cumulata liberalitate regis, anno 1401. duæ domus siue collegia constituta: alterum Philosophis & Theologis in platea, quæ Iudæorum tunc fuit, nunc diuæ Annæ nomine nuncupatur: alterum Iureconsultis & Medicis, quà ex urbe ad arcem itur. Acciti magistri & doctores omnis generis è Pragẽsi academia [illegible] susq; his in perpetuũ attributi à rege è salinis [illegible] adiuncta omnia sacerdotia apud diui Floriani, præter praeposituram, ut uocant. Cromerus lib. 15. & 16.

LAVRENTIVS Medices optimarum literarum [illegible] bus, exquisitarum artium magistris, cùm earum esset intelligentissimus, adeò perhumanè ac liberaliter fauit, ut cæteri principes felici eo seculo, quo uera uirtus pro [illegible] batur, ab uno se Laurentio Medice superari indignarentur. Tum enim de paranda gloria eximiis inter se studiis [illegible] bãt Matthias Pannonius, regum optimus ac [illegible] Ferdinandus Aragonius, & Ludouicus Sfortia [illegible] uideri potuerit, Laurentium ab ea ciuili potiùs quàm principali potentia aliquanto longiùs nominis atq; familię claritatem munificentiæ ac literarum auspiciis extẽdisse, quàm quisquam alius æqualis famam uel militarium operum fulgore protulerit. Iouius lib. 1. de uita Leonis X.

IO. Neuius, Augusti Saxoniæ Ducis medicus, adolescentibus studiosis tribus, perpetua constituit stipendia, quibus in Academia honestè uiuentes literis, linguis, artibusque erudirentur. Cuiusmodi beneficium suis quoq; popularibus olim tribuerat Linacer Britanus medicus, præter doctrinæ summæ famam, pietatis etiam beneficæ gloria insignis. Quamuis autem ea benignitas præcipuè spectaret ad suæ prosapiæ adolescentes, tamen primã eius partem ad Georgij Fabricij Chemnicensis sororis filium Georgium sponte detulit. Georgius Fabricius in scholæ Christianæ puerilis præfatione.

In Discipulos.

Aeschines cùm cuperet esse ex numero discipulorũ SOCRATIS, suamq; apud præceptorem excusaret paupertatem, molestè ferens, quum alij Socratis amici multa subinde largirentur, se solum nihil posse: An non intelligis, inquit Socrates, quàm magnum munus mihi dederis? nisi fortè teipsum parui æstimas. Comiter suscepit discipulum egenum, & nihil mercedis postulauit ab eo, quem pauperem esse nouerat. Laertius.

ISOCRATES à ciue mercedem nunquam exegit. Plutarchus in uita Isocratis.

LTABERIVS Heros, siue Hieras, propter literarum studium manumissus ab hero, docuit inter cæteros Brutum & Cassium. Temporibus Syllanis proscriptorum liberos gratis & sine mercede in disciplinam recepit. Tranquill. de illustr. Gramm. capite 12.

CLAVDIVS, Rabanus, Alcuinus, omnes olim Bedæ discipuli, è Scotia uenięntes, gratis se docturos Lutetiæ professi imperante Carolo Magno sunt. Indeq; Parisiense gymnasium initium sumsit. Polyd. lib. 4. & Auentinus lib. 3. & Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 2.

In Medicos.

☞ *Vide Tit. Medicinæ cultus in Euocandis, conducendisue medicis.*

In Notarios, Scribas.

☞ *Vide Tit. Sumptus in Libros transcribendos.*

[redacted]

In Milites.

M. Cato quæstor cum P. SCIPIONE ad bellum in Africam missus, ubi uidit eum pecuniam effundere in milites, admonuit eum liberè: nec tanti sumtus demõstrauit se facere, sed quòd militibus ad uoluptates & luxum affluentia ultra res necessarias traductis, patriam frugalitatẽ labefactaret. Cui cùm respõdisset Scipio, Non indigere se quæstore nimiùm attentò, qui ad bellum plenis ueheretur uelis: discessit Cato ex Sicilia, & cum Q. Fabio Max. infinitæ pecuniæ dissipationẽ Scipionis, eiusq; luxuriosas in palęstris & theatris cõmorationes apud patres insectans, quasi non exercitum ductaret, sed dies festos agitaret: effecit ut mitterentur ad eum Tribuni plebis, qui si ita rem habere comperissent, retraherent eum Romam. At Scipio cùm in belli apparatu ostendisset uictoriam, notassentq; illi eum uiuere per otium cum amicis hilariter, ac minimè esse ob liberalitatem in seriis & grauibus rebus socordem, profectus est ad bellum. Plutarchus in Catone.

IOAN. Galeacius Vicecomes serendis bellis uiginti millia equitum & totidem peditum perpetuò alebat, nec ullis omnino sumtibus parcebat, modò fortissimum quemque detractum hosti sibi adscisceret. Profiteri enim erat solitus, nihil esse ea mercatura nobilius, qua uiri insignes pararentur. Iouius in eius uita.

ALEXANDER Mammeæ militibus cibaria ordinatim dispo suit, ne egerent: ægrotantesq; per tentoria uisitauit, matronisq; distribuit per ciuitates, reddens impendia donec aut conualerent, aut perirent. Cuspinianus.

LVCIANVS Auria, cùm Genuensi classi præfectus aduersus Venetos in Illyrico bellum gereret, nec à Genua stipẽdium mitteretur, & iam classis rerum omnium inopia laboraret, quanquam ipse neque rem propriam gereret, neque piraticam exercere uellet, ut ex rapto undequaq; classem aleret: eo quoque, quod postremum relinqui uidebatur, etsi iustè poterat, uti noluit, ut imperfecto bello cum classe domum rediret. Igitur impensa omni pecunia, quam è suo habebat, argenteaque supellectile inter naues diuisa, ut ea se nauales socij sustentarent: cùm eorum unus pecuniam peteret, neque iam ultra quod daret, aliquid superesset, à baltheo ornamentum argenteum, quod pendebat, abscidit, atque ei dedit. Fulg. lib. 4 cap. 8.

IACOBVS Vrgellensis comes, cùm Ferdinando Aragonum regi rebellans, in oppido Ballagerio diuturna pressus obsidione se dedere pararet, & miserabili habitu portam egrederetur: obuius ei fit miles quidam, nondum obducta ingentis cicatrice uulneris, quod pro illo pugnans in capite acceperat: orans, ne militem suum plagæ, morbo, fami, nuditati conficiendum relinquat. Comes, cùm aliud non haberet, præter loricam hamis contextam, non cõsertam, eam protinus sibi detractam militi dedit. Valla lib. 3. Hist.

FRANCISCVS Foscarus, dux Venetus, à Francisco Sforcia Mediolanensium duce apud Carauagium memorabili pręlio uictus, ut penè nullus euaserit: cõuocato senatu, magna ui auri & argenti profusa conuersus ad patres ipsos: Nihil est, inquit, P. C. quòd ad unam pugnam, licèt calamitosam, territi desperetis, ut uel Philippi ipsius hostis exemplo bene sperare de summa rerum debeatis, qui à nobis ad Maclodium fusus, captis ferè ducibus omnibus, exercitum facilè restituit. Agite igitur meipsum secuti, pecuniam huc conferte, quò numerosiorem uestrûm quisq; possit: infra enim triduum copias omnes nostras reparandas polliceor. Quod certè mox ita subsecutum est, ut uictor ipse Sforcia pacem ultrò petierit. Egnat. lib. 2. cap. 2.

In Satellites.

Persarum REGES trecentos sexagintaquinque iuuenes puniceis uelatos amiculis, pro numero dierum totius anni, qui lateri astarent, promtos & expeditos habuêre. Alexand. libro 1. capite 14.

In Seruos.

Athenodorus in lib. de Studio ac disciplina, ARCHYTAM Tarentinum scribit, uirum, cùm urbanum, tum etiam philosophum, multos habuisse seruos, his gaudere solitũ, quod spectat ad uictum, in symposia dimissis. Athen. lib. 12. cap. 6.

M. SCAVRVS princeps Senatus Daphnidem Grammaticum IIIMDCC sestertiis à Cn. Pisaurense emit. Quo maius precium serui ad Plinij usq; tempora non fuit. Plin. lib. 7. c. 39.

TVRCARVM procerum splendidissimus quisq; nihil preciosius in censu habet, nec sibi honestiùs quicquã ducit, quàm plura seruitia, decore militaris formæ præstantia, pompæ modo ad decus ostentare. In hunc siquidem unũ præcipuè sumtum omnes fortunas conferunt, propterea quòd exquisitis epulis minimè studeant, nec sumtuosè ædificent, neq;

ullis omnino [redacted] lis per otiu [redacted] cuniæ quæstum [redacted]

In Rusticos.

LEO X. Pont. Max. erga rusticos mirum in modum munificus, ut etiam eius aduentum se uel fructuosissimis messib. fertiliorem sentire faterentur: utpote qui senibus ac pueris puellisq; in uiam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter, ac sciscitando quânã maximè in parte rei domesticæ acriùs à fortuna premerentur, uirgines dote præbita subleuaret: affectis autem morbo ac ætate, uel numerosæ familiæ onere prægrauatis, æs alienũ protinus dissolueret. Iouius in Leone X. lib. 4.

In Pueros.

Alimentarios pueros ex Iulio Capitolino intelligimus, qui publicè alẽtur. Puellas, inquit in M. ANTONINO Pio, alimentarias in Faustinæ honorem Faustinianas cõstituit. Cælius lib. 13. cap. 24. A. L.

In Reges.

Capto ab Anglis Ioanne Francorum rege, Carolus Sapiens Delphinus ciuitates circumibat, opem rebus afflictis & patri petens. Apud singulas perfecit, quod apud uniuersas nequiuerat. OCITANI in Prouincia Narbonensi, auctore Armeniaco Comite, nõ expectatis precibus Delphini, aurum matronarum, & omnia ornamenta contulêre: legem etiam sumtuariam & de mundo muliebri repetiuêre: octo millia bellatorum armaturos se tuturosq; professi sunt, quoad domũ rex restitueretur. Eos Campani secuti sunt. Quem secundiorum rerum cursum Parisij inhibuêre, factionum studia Carolo Nauarro excitante. Aemilius lib. 9.

PHILIPPVS Maria Vicecomes Mediolanẽsis, captum nauali pugna Alfonsum Aragonium regem, cum duobus fratribus, altero etiam rege, multis item regulis, non modò liberos esse uoluit, uerùm nullum liberalitatis, comitatis, mansuetudinis genus in eos prætermisit. Pont. lib. 31. de Liberal.

In Duces.

L. Sylla cum uictore exercitu ex Asia rediens, contra Cinnam & Marium, ex Dyrrhachio transuecturus exercitum Brundusium, cùm uereretur ne ubi Italiam attigissent, dilaberetur quisq; per oppida: primùm adiurarunt ultrò MILITES ad signa se mansuros, nec Italiam uolẽtes uexaturos. Deinde, quia magna pecunia considerabant eum indigere: intulerunt obtuleruntq; ei pro suis quisq; facultatibus argẽtum. Non admisit tamen istam munificentiam, uerùm collaudatis illis & excitatis transmisit, ut ipse ait, contra quindecim partium aduersarum duces, qui cohortes quinquaginta & quadringentas habebant. Plut. in Sylla.

In Legatos.

Artoxerxes Persarũ rex, legato Atheniensiũ TIMAGORÆ, qui per Belurim scribam epistolam miserat ad ipsum priùs de rebus arcanis, mille Daricos donauit, & lactis bouini ualetudinis causa indigẽti boues octoginta dedit ad mulgendum, quæ eum comitabantur. Adhæc lectum ei, uestem stragulam, & stratores, quasi rudibus ad sternendũ Græcis, misit: baiulos itẽ, qui ad mare infirma ualetudine affectum deportarent. Cœna quoq; præsenti lautissima missa. Vnde frater regis Ostanes: Memineris, inquit, huius Timagora mensæ, neq; enim leui de causa ita tibi instructa apponitur. Ea improperatio proditionis potiùs, quàm beneficij erat suggestio. Harũ sordium nomine Timagorã capitis damnauerũt Athenienses. Plut. in Artoxerxe. & Aelian. lib. 1. Var. hist.

Erga Amicos.

ALEXANDER Magnus omnino succensebat magis, si non acciperes, quàm si posceres. Phocioni per literas mandauit, si non admitteret dona sua, renunciare ei se amicitiam. Serapioni uni ex grege eorum, qui secum lusitabant pila, quia nihil petebat, nihil largiebatur. Cùm autẽ ad ludum accessisset Serapion, adiecit pilã aliis. Cui ubi dixit rex: Quin mihi das? Non petis, inquit. Risit rex, atq; ampla largitione est eum prosecutus. Proteę cuidam in dicteriis inter pocula nõ infestiuo uidebatur infensus. Cùm deprecarentur amici pro eo, atq; ille lacrymas profunderet: Redire, dixit, se cũ eo in gratiam. Tum ille: Igitur rex, inquit, pignus primùm mihi aliquod dato. Atq; huic quinq; talenta iussit numerari. In ditandis amicis & stipatoribus suis quàm fuerit prolixus, declarat Olympias epistola, quam ad eum scripsit. Bene merere aliàs, inquit, de amicis, & splendore utere. Enimuerò nũc omneis regi efficis pares, multosq; amicos eis paras, temetipsum uerò reddis solitarium. Ea cùm identidem ad illum scriberet Olympias, seruabat in abdito epistolas: nisi semel Ephæstioni, ut assueuerat, solutam epistolam secum legenti non uetuit: uerùm detracto digito anulo, sigillum ori illius admouit. Plut. in Alexandro.

PHILOTAS Parmenionis F. munificus & effusus in amicos fuit adeò, ut secundùm Alexandrum alius nemo. Ac fertur, cùm necessarius quidam illius, argentum ab ipso posceret, iussisse dari. Negante procuratore, esse: Quid ais, inquit, ne poculum quidem aut uestem habes? Plut. in Alex.

M. ANTONIVS III uir amico cuipiam decies H. S iusserat dari. Obstupescente dispensatore, & quò summæ magnitudinem ei ostenderet, argentum in medio proponente, transiens, Quid hoc esset? rogauit. Vbi respondit dispensator, id quod donari iusserat: liuorem eius coniiciens Antonius: Ego uerò maiorem summam, inquit, esse decies putaui. Hoc exiguum est. Itaq; alterum ei tantum adiice. Plut. in Antonio. Hoc NERONI Imp. erga prætorianum militem, Agrippina succensente, tribuit Xiphilinus.

COSMVS Florentinus, per alios sæpenumerò munera mittebat amicis suis, ut à quo mitterentur ignoraretur. Quo docuit, seruandum in quibusdam & erga quosdã tritum illud Christianorum prouerbium, Ignorare sinistram debere, quod ipsa dederit dextra. Pontanus de Liberal. cap. 27.

Erga Peregrinos.

Et hæc Hospitalitatis species est. Vide Hospitalitatem.

Difficile est enarrare, quanta HERODES Iudæorum rex contulerit in urbes tam Syriæ quàm Græciæ, & ubicunq; illum peregrinari contigit. Plurimas enim adiuuit, aut extruendis publicis operibus, aut sicubi incœpta pendebant propter inopiam, pecuniis in absolutionem eorum erogatis. Inter hæc præcipua sunt, quod Rhodiis Pythium templũ suo sumtu exædificauit; & ad compingendas naues multa argenti talenta præbuit. Nicopolitanis urbem ad Actium à Cæsare conditam habitantibus, maiorem partẽ publicorum operum suis perfecit impendiis. Antiochensib. urbem maximã habitantibus, secante mediam eius longitudinem platea, hanc ipsam utroq; latere ornauit porticibus, & uiam eius subdialem lapide polito strauit, nõ tã ad ornamentũ urbis, quàm ad incolarum commoda. Olympica quinetiam certamina annuis reditib. auctiora & illustriora reddidit. Iosephus lib. 10. c. 9. Antiq. & lib. 1. cap. 10. belli Iudaici.

PIASTO Crusuicensi agricolæ, erga peregrinos duos hospitalitas, regnum conciliauit Poloniæ. Cromerus lib. 2.

Erga Pauperes.

[redacted]

fernum. Nec patriæ suæ largitate contentus, misit Hierosolymitanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ tantum auri, quanto multorum possit inopiæ subueniri. Hieronymus in Epitaphio eius.

De PAVLA Romana sanctissima uidua hæc scribit D. Hieron. Quid memorem amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ, omnes penè diuitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum, & bonitatem etiam in eos, quos nunquam uiderat, euagantem? Quis inopum moriens, non illius uestimẽtis obuolutus est? Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos curiosissimè tota urbe perquirens, damnum putabat, si quisquã debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur. Vsuram tribuens, uersuram quoque sæpius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. Cùm in largiendo esset profusior, arguebat illam D. Hieronymus, illud proferens de Apostolo: Non ut aliis refrigerium, nobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in hoc tempore, ut uestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad uestram inopiam. Et hoc de Euangelio: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Et prouidendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset. multáque huiuscemodi, quæ illa mira uerecundia, & sermone parcissimo dissoluebat: testem inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere, & hoc habere uoti, ut mendicans ipsa moreretur, ut unum numum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Ad extremum inferebat: Ego si petiero, multos inueniam qui mihi tribuant: iste mendicans si à me non acceperit, quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? Hieronymus eam cautiorẽ in re familiari esse cupiebat: sed illa ardentior fide, toto Saluatori animo iungebatur: & pauperem dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consecuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam Eustochium dereliquit. Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferrẽ, & in paucos largitate profusa, manum à cæteris retrahere: quo illa [redacted] carebat uitio. Ita enim singulis [redacted] ut singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum uacuus reuersus est. quod [redacted] non diuitiarum [redacted], sed prudentia [redacted]: illud semper replicans, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et, [redacted] uobis amicos de iniquo mammona, qui uos recipiant in æterna tabernacula. Et, Date eleemosynã, & ecce om[redacted] sunt uobis. Et, uerba Danielis, regem Nabuchodonosor monentis [redacted] eleemosynis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt: sed in uiuis lapidibus, qui uoluuntur super terram, [redacted] quibus in Apocalypsi Ioan[redacted] magni regis extrui tur: quos in sapphyrum, & smaragdum, & iaspidem, & cæteras gemmas esse uertendos, scriptura commemorat. Hieronymus in Epitaphio eius.

FABIOLA Romana omnem censum quem habere poterat (erat autem amplissimus, & respondens generi eius) dilapidauit, ac uendidit: & inde pecuniã congregatã usibus pauperum præparauit, & prima omnium νοσοκομεῖον instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumta languoribus atq; inedia miserorũ membra foueret. Quoties morbo regio & pedore confectos humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentam uulnerum saniem, quam alius aspicere non ualebat? Præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat. Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum, [redacted], Omnia morborum percurrere nomina possim: quæ Fabiola in tanta miserorum refrigeria commutauit, ut multi pauperum sani languentibus inuiderent. [redacted] monasterium eius opibus non est sustentatum? quem nudum & clinicũ non Fabiolæ uestimenta texerunt? in quorum se indigentiam non effudit præceps & festina largitio? Angusta misericordiæ eius Roma fuit. Peragrabat ergo insulas, & totum Etruscum mare, Volscorumq; prouinciam, & reconditos curuorum litorum sinus, in quibus monachorum consistunt chori, uel proprio corpore, uel transmissa per uiros sanctos & fideles munificentia circumibat. Romam è Palæstina reuersa, quodam præsagio futurorum, ad multos scripserat monachos, ut uenirent, & se graui onere laborantem ab[redacted] tent, faceretque sibi de iniquo mammona amicos, qui eam reciperent in æterna habitacula. Venerunt, amici facti sunt: dormiuit [redacted] quomodo uoluit, & deposita tandem sarcina, leuior uolauit ad cœlum. Hieron. in Epitaphio eius.

EVPHRAXIA Romana, genere nobilis, opibus pollens, ætate florens, forma præstans, post mortem uiri Antigoni neque rursum cuiquam nubere uoluit, licèt multum suaderet Theodosius Augustus: neque Romæ manere: neque diuitias possidere, tametsi honestissimè posset. Procis remotis mare transmisit, ad Thebaidem uenit: & eo loci confidens, quicquid secum attulerat facultatum, partim erogauit egenis, partim ecclesiis: neque aut sibi, aut filiæ paruulæ Euphraxiæ quicquam residui fecit. Quinimò moriens eidem in monasterio manenti sollicitè iniunxit, ne tardaret, quod reliquum Romæ fuerat, simili liberalitate distribuere. Marul. lib. 1. cap. 1.

LVCIA uirgo, cùm matrem Eutychiam ad erogandas pauperibus facultates hortaretur, illaque diceret, uti uitæ suæ finem expectaret, ipsa postea quod uellet de opibus suis factura: Non est, inquit, admodum gratũ, ó mater, Deo munus, quod qui offert; ideo offert, quia illius usum suprema sibi interdicit dies. Da, dum sana es: ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris, rem utique, quam uelis nolis relinquere cogeris. Victa rationibus Eutychia, laudauit filiæ sententiam. Lucia uerò iam bonis omnibus ad uotum erogatis, cùm diis sacrificare compelleretur, ait, Sacrificium Deo acceptissimum esse, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum. Marul. lib. 1 cap. 2.

EPIPHANIVS Cypriorũ metropolis Salaminæ episcopus, facultates suas pauperibus distribuit. Ad eum tanquam ad communem œconomum pecuniæ, quæ pauperibus darentur, undiq; mittebantur. Quodam tempore cùm totum exhausisset ærarium, Ecclesiæ œconomus ægrè id ferebat, & prodigum appellabat. At non multo pòst incerto auctore loculi auro referti in ædes œconomi illati, diuino testimonio Epiphanij pietatẽ confirmarunt. Sozomenus lib. 8. c. 14.

Pontifex maximus VRBANVS, cùm Cæciliæ martyris thesauri, quos dispensandos acceperat, quærerentur, quoniã eos iam indigentibus impenderat, dixit: Cæciliæ thesauros pauperum manus in cœlum sustulerunt. Marul. lib. 1. cap. 2.

LAVRENTIVS Leuita à Decio tyranno quæstione agitatus, ut argentum indicaret, quod Philippum Philippi Augusti filium olim Ecclesiæ obtulisse constabat: protensa in pauperes manu, quibus iamdudum erogatum erat: Apud hos, inquit, Philippi argentum depositum seruatur. At Decius sibi proculdubiò illudi putauit: quia ubi ueræ diuitiæ essent & uera gloria, ignorauit. Ibidem.

CYPRIANVS Afer primò rhetoricam docuit: deinde suadẽte presbytero Cæcilio, ut Hieronymus ait, à quo & cognomen sortitus est, ad Christianos transiens, omnes facultates suas pauperibus erogauit. Presbyter primò, deinde Carthaginensis episcopus creatus, sub Gallo & Volusiano martyrij pœna afficitur. Platina in Lucio.

Sub Iustiniano Imper. Synesius episcopus Alexandrinus EVAGRIVM philosophum ad fidem cõuertit, & auctor ei fuit, ut CCC auri libras inter pauperes diuideret, data syngrapha, eum centuplum à Deo recuperaturum. Cedrenus.

STEPHANVS papa fuit pupillorum & uiduarum defensor. Ioannes de Oppido.

IOANNES Eleemosynarius, Alexandrinus episcopus, in pauperes liberalis fuit, & xenodochia, & nosocomia, & ptochotrophia extruxit, eisque frumentum distribuit. Pauperibus feminis, quibus non erãt habitacula ad pariendum, septem domos præparauit. Simeon Metaphrastes in uita eius.

SERAPION monachus, cùm nihil præter tunicam & pallium, & Euangeliorũ codicem haberet, duobus pauperculis obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit: & cùm nudus sederet, interrogatus, quis eum despoliasset? protento codice illo quem manu tenebat: Hic, inquit. Iterum alios mendicantes conspicatus, etiam codicem uendidit, & uenditi precium illis distribuit, dicens à Domino præceptum esse: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdum se istud implesse putauit, donec semetipsum quibusdam gentilibus uendidit: ita tamen ut ipsos Domino lucraretur. Cumque eos ad Christum conuertisset, pecunia quam acceperat se redemit. Rursus idem Lacedæmone fecisse dicitur, eodem successu, conuerso diuite quo- [redacted] cap. 8. & Egnat. eodem.

GERMANVS Antisiodorensis, Burgundiæ præfectus, ingenuisq; artibus eruditus, pari cum uxore castitatis religionisq; suscepto uoto, magistratum ultrò deposuit: & tantas opes, quantas ea præditus dignitate habere poterat, pauperibus erogauit. Marulus lib. 1. cap. 2.

GALLICANVS, Romani dux exercitus, postquam Scythis Dacisque & Thracibus pugna superatis, Constantiam, Constantini Augusti sororem, sibi pactam uictor accepisset:

ab ea conuersus, Christianusque factus, continuò dignitatis abiecit insignia, detrectauit militiam, & quicquid plurimorum annorum stipendiis uictoriisque pararuerat, repentè sustentaculum fecit debilium. Denique sponsam uirginem, forma insignem, & quod maius est, Imperatoris filiam relinquens intactam, humilis, pauper, castus, uoto se obligauit religionis. Marul. ibid. & Sab. lib. 2. cap. 1.

LEONARDVS natione Gallus, inter aulicos regis primo loco habitus, relicta regia, dilargitisque facultatibus, religioni se tradidit: monasticisq; sacris initiatus, in Aquitaniam est profectus, atque operam prædicationibus dedit. Marulus lib. 1. capite 1.

LVPVS, Senonum archiepiscopus, regia stirpe in Gallia ortus, opes amplissimas in pauperes largiter effudit. Ibidem.

NICOLAVS, Myreæ urbis episcopus, cùm Pataræ Lyciæ oppido patri matrique unicus esset, eique hæreditas satis ampla obuenisset: nihil priùs animo agitasse dicitur, quā quo pacto distractis in pauperum alimenta rebus, expeditiùs liberiusque soli Deo seruiret.

PLACILLA, Theodosij Romanorum Imp. uxor pientissima, cùm reprehenderetur à suis, quòd ægrotos uisitaret, atque pauperibus etiam liberaliter facultates suas elargiretur: respondit, Imperatrici largitionem, sibi manuū opus pro imperij adepti gratiarum actione conuenire. Nicephorus Callistus lib. 12. capite 42.

TIBERIVS III. Imp. quum ab initio palatium gubernaret, & diligentissimè prouincias curaret: quoniā iustus, sapiens, strenuus, & utilis Reipub. erat, omnium commeruit fauorem liberalitate & munificentia sua. Nam quicquid longa auaritia Iustinus II. contraxerat, Tiberius egentibus largitus, largissimas pauperibus erogauit eleemosynas. Eam ob rem à Sophia Iustini uxore aliquando obiurgatus: Confido (ait) in Domino, nec deerit pecunia fisco nostro, modò pauperes eleemosynas accipiant, & captiui redimantur. hi enim sunt thesauri illi nullis obnoxij periculis, quos ipse Dominus colligere iubet Matth. 6. Aurum cum lacrymis & querelis subditorum collectum, regiq; oblatum, adulterinum & uenenosum esse dicebat. Euagrius lib. 5. cap. 13. Paulus Diaconus lib. 17. rerum Rom.

ELIGIVS, Nouiomensis episcopus, quum antè aurifex esset, quicquid ea arte consequebatur lucri, dabat pauperibus. Rauisius.

DOMINICVS Hispanus, dum Valentiæ bonis artibus perdiscendis operam daret, ciuitas annonæ caritate laborare cœpit. Ille multorum famem miseratus, cùm pecuniam non haberet, qua indigētibus pro tempore subueniret, libros uendidit: nec dubitauit literarum studiis, studium præponere pietatis. Marulus lib. 1. cap. 2.

Anno Sal. 660. fames maxima Galliam inuasit: cui ut succurreretur, CLODOVEVS II. aurum & argentum, quo ædem D. Dionysij Dagobertus pater impensè magnificeque ornauerat, egentibus distribuit. Thesaurum etiam in capsis & ferculis, brachiumque D. Dionysij fregit & asportauit. Id si pauperum gratia fecit, religiosè fecit: quamuis illum uita defunctum mentis impotem finxerint, eò spectantes, ne posteri Principes hoc sibi exemplum ad imitandum proponerent. Chronicon Francorum.

SERVVLVS (ut Gregorius in Dialogo refert) paralysi resolutus, cùm se mouere non posset, iacebat in carruca sub porticu sancti Clementis Romę, à prætereuntibus uictum mendicans. Quicquid in diem sibi residui erat, cæteris offerebat, nihil sollicitus in crastinum. Marul. lib. 1. cap. 2.

GREGORIVS III. Pontifex, tantæ largitatis fuit in oēs, pręcipuè pauperes, quasi omnes ipse genuisset. Cranzius libro secundo, Metropol.

CALISTVS III. eleemosynas pauperibus Christi & seruis Dei frequentes dabat, tum publicè, tum priuatim. Virgines pauperes collata dote maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos, sua impensa in uita retinebat. Platina.

EVGENIVS II. Pontifex ad munificentiam & liberalitatem uersus, adeò rem frumentariam curauit, ut nullibi uiliùs quàm Romæ annona uēderetur. Præterea uerò pauperum, pupillorum, uiduarum causas & uitam ita tutatus est, ut ab omnibus meritò pauperum pater diceretur. Platina.

[redacted]

GVALTERIVS Burgensis minister Turoniæ, quem ob sanctitatem prodigiis claruisse dicunt, magnum æs alienum, benignè pauperibus faciendo, contraxit. Volat. li. 12. Anthr.

CONSTANTINVS Magnus sciēs Esaiæ illud, fore ut Reges essent Ecclesiæ nutricij, liberalissima munificētia pauperes, seu adultos, seu liberos qui à parentibus ali non possent, ex fisco iuuit: idque ut ubique fieret, ad prouinciales legem misit: in ore illud frequenter habens, Opulentos subire publicas necessitates oportet, pauperes uerò Ecclesiarū diuitiis sustentari. Hic agros, illic frumentorū largitiones ad subsidiū pauperū, uirorū, puerorumq; orphanorū, ac mulierū miserabiliū largitus est. Deniq; & multa cum solicitudine nudis uestimenta curauit. Eusebius lib. 4. uitæ Constantini.

ALEXIVS Comnenus, filius Isaacij Imperatoris, in orphanos & senes benignus, quibus etiam Orphanotrophium extruxit, & Museon: in altero pueros puellasq; parentibus orbos alendos, in altero erudiendos curauit, sumtusq; his ex regio uectigali dedit.

Magna hebdomade ISAACIVS Angelus Imperator uiduas eleemosynis, pauperculas uirgines dote & sumtu nuptiarum iuuabat. Nicetas lib. 3. de Imperio eius.

ANDRONICVS Comnenus, tyrānus licèt, subditos tamen pauperes largitionibus fouebat, modò spes esset, eos sibi ob scelera non infensos esse. Nicetas lib. 2.

CRODEGILDIS, regina Francorum, eleemosynas ita distribuit, ut potiùs propria Dei ancilla, quàm regina uideretur. Gregorius Turonensis lib. 3. Historiarum, cap. 17.

Adelbertus, Eporœdiæ Marchio, qui Berēgarij gener erat, atque ex filia eius Gisla Berengarium genuerat, eum, qui pòst & ipse regnum Italiæ tenuit. Nam tanta sanctitate ab ineunte pueritia fuit, ut si à uenatione fortè recedēs in pauperem incidisset, neq; præsentem pecuniam, quam ei daret, habuisset, cornu, quod preciosum collo gestabat, elargiretur, & pòst ab eo quanti æstimaret, redimeret. At mox regnandi libidine accensus, ut Lambertum regem, sic pòst etiam socerum de regno deturbare studuit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

CAROLVS Magnus in Constitutionibus imperat, ut pauperes in plateis aut quadriuiis iacentes, Ecclesię alant. At in alio loco inquit: De mendicis, qui per patrias discurrunt, uolumus, ut unusquisq; fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia enutriat, & non permittat alicubi ire mendicando: & ubi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborent, nullus ei quicquam tribuere præsumat. In Syria, Aegypto, Aphrica, Hierosolymis, Alexandriæ, & Carthagine, Christianos à Saracenis oppressos, & rerum inopia conflictantes, eleemosynis iuuit. Cranzius in Saxonia lib. 2. cap. 8. Vrspergensis. Sigebertus anno 790. A quodam admonitus, ne cuilibet petenti, præsertim indignis, benefaceret, respondit: Qua charitate nos tulit hactenus pater cœlestis? ad cuius legem nos collati sumus, ipsa iniquitas & iniusticia, latrones & fures. Munsterus lib. 8.

LVDOVICVS Pius, Germaniæ rex, in pauperes pietatem, benignitatem, liberalitatem exercuit. Dum Ratisbonæ concordiæq; sacras ædes muro hærentes, mœnibus solo æquatis ampliari iubet, auri thesauros reperto egenis largitus est. Christianis in Asia & Africa opē eius exposcentibus, denarios singulis regiis [illegible] exactos, ad inopiam subleuandam misit. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

OTHO Magnus Imp. deuictis Hungaris, prædam diuino cultui, & pauperū dedicauit usibus. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 8.

OTHO II. animā agens, in quatuor æquas partes regiū diuisit thesaurum: quarum primam ecclesiaū, secundam pauperum, tertiam filiorum, quartā uerò ducum, qui relicta patria malorum participes fuerant, esse uoluit. Chronicon Saxon.

FRIDERICVS I. Imp. eleemosynas pauperibus plerunque ipse sua manu distribuit, pecuniarum suarum decimas ecclesiis & monasteriis fideliter elargitus. Radeuicus libro quarto, capite 80.

HENRICVS IIII. Imp. à suis nuptiis, quas celebrauit cum Agnete, filia ducis Aquitaniæ, repulit scurras, histriones, mimos, & eius fecis homines: horum autem loco cibauit pauperes, mendicos, debiles. Munsterus in Cosmogr. & Cuspinianus, & Cranzius.

ELIZABETHA, nondū marito Ludouico Lantgrauio Thuringiæ uiduata, ob assiduam in pauperes benignitatem, mater eorum cognominabatur. Sanis uitæ subsidia mittebat, afflictos cōsolabatur, ægrotos uisitabat, mortuis funus sua procurabat impensa. Quos in plebe magis inopia oppressos animaduertebat, ex his compatres atq; commatres sibi comparabat, ut eis liberiùs subueniendi causam haberet. Si quando pecunia non suppeteret, uestimenta uendebat. Cernens pauperculum quendam nudum efferri, detracto sibi capitis uelamine, inuolui iussit cadauer. Quo tēpore fame laboratum est, uim magnam frumenti diuisit: & id quidem absente uiro, atq; inconsulto: uel quia approbaturum speraret: uel quia, quod unius erat, aliis quoq; commune esse debere facilè persuaserat necessitas multorū. Deniq; cùm esset regis Pannonum filia, nere, texere, suere suis ipsa manibus non est dedignata, ut de laboris sui peculio eleemosynare posset. Eō de illa ergo non incōgruè dici potest, Manum suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Tandem marito Hierosolymis peregrè defuncto, ab iis qui eius Tetrarchiam iure hæreditario acceperant, eiecta, cùm uix tandem dotalia ab illis extorsisset bona (erant autem duo millia pondo argenti infecti factique. Bonfinius quinque habet) pauperum & peregrinorum satis amplum Marpurgi construxit receptaculum: ibique iis humiliter ministrauit. Cùm à patre, ut in Pannoniā rediret, missis nunciis sollicitaretur, non acquieuit, malens alienigenarum opprimi iniuriis, quàm suorum blandimentis deliniri. Marulus lib. 1. cap. 2. & Bonfinius lib. 7. Dec. 2. qui illam fila traxisse, & pecuniam inde collectam pauperibus distribuisse, nullumque adeò genus uel sordidissimæ operæ, quæ illis prodesse posset, detrectasse scribit.

D. THOMAS, Cantuariensis archiepiscopus, pauperes quotidie XIII. ad manus summo mane habebat, quib. primùm pedes deosculabatur, postea etiam lauabat & detergebat, quaternos distribuens in singulos argenteos. Maximam diebus singulis, præter illos, mendicantium turbam aluit, ita ut magno ad ipsum numero confluerent. Historia passionis eius.

Henrici VII. Lucelburgensis Imp. uxor MARGARITA, ducis Brabantiæ filia, rei diuinæ apprimè studiosa, sacerdotes liberalitate & munificentia fouebat, egenos & mendicos datis alimentis sustentabat. Cùm Mediolani esset, die quo cœna nostri Saluatoris celebratur, pauperibus pedes sua manu lauit, uestimentaque liberaliter distribuit, multorum astantium oculos in fletum & lacrymas resoluens. Virum Romam sequuta est. Sed Genuam ueniens, mortua, in æde Minorum fratrum sepulta est. Cuspinianus.

HENRICVS de Aslo, archiepiscopus Magdeburgensis, in lecto decumbens lauit quibusdam pauperibus pedes, liberaliter distribuens illis eleemosynas. Cranzius in Metropoli libro quinto, capite 27. & 32.

RODINVS dux Francus, erga pauperes beneficus, dum mortuum sepeliri curat, aperto monumento thesaurum reperit. Eum pauperibus largitus, talentum sibi creditum cum fœnore per manus reddidit egenorum. Aimoinus libro tertio, capite quadragesimo.

OTHONIS Bambergensis episcopi tēpore in Orientali Francia tanta panis penuria fuisse dicitur, ut magna multitudo pauperum inedia perierit, & mortuorum cadauera in uiis iacuerint: illa episcopus ipse sepeliuit, uel sepeliri curauit. Reliquos passim uisitauit & pauit, non solùm diurno, sed etiam nocturno tempore. Auctor uitæ lib. 1. cap. 35.

EMMA, soror Menuuerci, Paderburnensis episcopi sanctissimi, uidua per annos quadraginta, ingentem thesaurum à Ludero Comite marito relictum, ferè totum pauperibus & ecclesiis distribuit. In Bremensi ecclesia condita. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 26.

Adalgothus, undecimus archiepiscopus Magdeburgēsis, instituit sub Henrico IV. ut quotannis per Quadragesime singulos dies centum pauperibus singuli panes cum singulis halecibus tribuantur. Cranzius lib. 5. Metrop. cap. 32.

LEOPOLDVS, Austriæ dux, instituit, ut quotannis in eius memoriam, quicunque pauperum Neoburgense cœnobium piè ingrediuntur, pane, carne, uino alantur, atque obolo donentur: teste Cuspiniano in Austria.

NICOLAVS, episcopus Lubecensis, ann. 1439. instituit eleemosynam, de peculio suo ante episcopatum conquisito, in porticu ecclesiæ Lubecensis, erogando singulis diebus tredecim personis, talentum butyri electi, & trium denariorum panes: assignauit perpetuos reditus ducentarū quinquaginta marcarum, quater mille marcarum in sorte principali. Cranzius lib. 11. Metrop. cap. 37.

RICARDVS, Anglorum rex, testamento cauit, ut pecunia & cætera priuata supellectilia in tres diuiderētur partes: quarum unam Otho Imperator ex sorore nepos, alteram sui domestici, tertiam pauperes haberent. Polyd. lib. 14.

ALFREDVS rex Anglorum, cunctos suos reditus in æquas duas partes diuidebat, rursusque primam in tres: quorum primam ministris suis curialibus: secundam operatoribus, quos iugiter in nouarum ædium extructionibus, mirabili & ignoto Anglis modo habebat: tertiam aduenis. Secunda pars redituum ita diuidebatur, ut prima portio pauperibus regionis suæ, secunda monasteriis, tertia scholasticis, quarta transmarinis Ecclesiis daretur. Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2. cap 16. de gestis Anglorum.

PETRVS Vrseolus, Venetorum dux, omne patrimoniū suum tripartito diuisit: partem unam filiis distribuit, alteram in pauperum alimoniam, sacrarumque ædium restitutionem impendit: quod reliquum fuit, in spectaculis publicoq; congiario est ab eo adhuc in humanis agente consumtum. Moritur inde quum duodeuiginti annis rempublicam administrasset. Sabellicus lib. 2. Ennead. 9.

SEBASTIANI Ciani, Venetorum principis legato, piam numorum dispensationem primò institutam ferunt, qua hoc quoq; tempore diui Marci procuratores orphanos ac pauperrimum quenque ære publico subleuant. Sed diuersam omnino dandi rationem ueterem illam ab hac recentiore fuisse, putat Sabellicus: & quò honestiorem, eò sanè magis probabilem. Per se, ut aiunt, uiri illi scrutabantur, qua cuiq; opus re esset: inde demissis in papyraceos cucullos peculiis, singulorum nomina habentes (eorum sanè quibus dic illo consultum uolebant) primis tenebris conuentis domesticatim pauperibus, quàm occultissimo pietatis fungebantur munere. Nec tum uidisses (quia nō opus erat) in illorum uestibulis pauperum multitudinē, ut hodie: nec apud quenquam ualebat amicorum aut propinqui cuiusquam intercessio: sola inopia, modò cognita esset, satis erat ad opem consequendam. Sab. lib. 8. Dec. 1.

ALEXANDER V. adeò munificus fuit in pauperes, & uiros sua benignitate dignos, ut breui nil sibi reliquerit. Vnde per iocum dicere interdum solebat, se diuitem episcopum fuisse, pauperem cardinalem, mendicum pontificem. In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ unà cum re & ætate accrescit simul. Platina.

NICOLAVS V. eleemosynas multas in pauperes erogauit, maximè uerò in nobiles, ad inopiam ob uarios rerum humanarum casus redactos. Virgines inopes sua pecunia & munificentia maritis elocauit. Platina.

PETRVS Barocius, Patauinorum episcopus, uir politioribus literis & sacrarum ac multarum disciplinarum doctrina insignis, moribus uitaq; sanctiore, subleuandis egestate pressis ciuibus, sacerdotij sui fructus omnes largiebatur, ut unius illius liberalitate non parua oppidanorum pars uxerit. Eo mortuo, neque numi neque supellex preciosa ulla inuenta, præter bibliothecam. Eas ob res sepulcrum ei marmoreum in templo Patauino faciendum publica pecunia, Patres conscripti censuerunt, anno 1506. Bembus libro septimo Historiæ Venetæ.

AMADEVS, Sabaudiæ dux, à legatis principum rogatus, Haberétne uenaticos canes? Imò uerò optimos & sagacissimos, respondit. & in aula amplissima magnam turbam pauperum, quos alebat quotidie, illis ostendit. Canes religiosę uenationis uidetis, inquit, quorum odoris precibus in saltus usq; cœlestes uenando indies excurro. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem. & Munsterus lib. 2. Cosmog.

VENETIIS, cuius urbis opes terra mariq; insiguiter pollent, inter præclara ciuitatis instituta & hoc est, quòd uirgines furto conceptas, & ad limen Pietatis expositas, ex publico ad nubiles usq; annos, in operto, sub tetrica disciplina instituunt. Quæ sunt elegantiore forma, quoniam sint ingenuè institutæ, uel sine dote matrimonio locantur, iis præsertim, qui periculo aliquo, aut graui morbo seruati, uotorū damnati, eas sibi in uxores deposcūt. Alij pudicitiam secuti, aut formam, sine dote ipsas sibi uirgines iungunt, modò ij sint, qui liberaliter quas duxerint, habituri existimentur. Aut si nihil horum sit, minus graui dote nubunt, quæ forma præstant, quàm si facie fuerint parum liberali, etsi pari disciplina institutæ. Sab. lib. 6. En. 2.

MEDIOLANI in xenodochio quina uicenaq;, plus minúsue florenorū ex annuo reditu millia, in afflictos & inopes dispensantur, bonorum ciuium munificentia. Arlunus hist. Mediolanensis sectione 1.

NEAPOLITANI, hospitalitatis iura sanctissimè seruantes, in Mariæ domo omnes pauperes hospitio excipiunt, educant, omnia necessaria præbentes ad uictum & uestitum: ita ut eodem loci una uice expositities puellas noningentas educari multi boni uiri uiderint. Quod quanquam abundè mirandum: illud tamen multo admirabilius, quòd easdem pudicè liberaliterque institutas, qui domui præsunt, honestis uiris bona cum dote elocant. Pontanus de Liberalitate, capite 19.

Misericordiæ loca plurima, ad eleemosynas clàm & apertè pauperibus erogandas, in urbe & extrà, instituēre BERGOMENSES ciues, circa annum Domini 1135. quæ in hunc usque diem adeò excreuerunt, ut in orbe Christiano locus aliquis huic similis uix inueniatur. Bergomensis lib. 12.

Profana, Ethica exempla.

PELOPIDAS, Hippocli filius, nobili Thebis genere, sicut Epaminondas, fuit. Hic amplis innutritus opibus, cùm adolescens adhuc splendidas facultates ex hæreditate accepisset: ut ostenderet dominum se reuerà, nō seruum esse pecunię, ad bene merendum de bonis uiris, qui premebantur inopia, conuertit animum. Plut. in Pelopida.

DEMOSTHENES dicere solebat, æquum esse, ut pauperes piè foueantur, cum delectu tamen: ita ut dimissis improbis, illorum ratio potissimùm habeatur, qui præter culpam egestate premuntur. Stobæus.

ARISTOTELES, cùm nefario cuidā homini eleemosynam dedisset, & ob id castigaretur à quodam: Non mores, inquit, sed hominem respexi. uel, ut alij quidam referunt, Non homini dedi, sed humanæ sorti. Laertius libro 5. capite 1.

Erga Clade affectos.

MASSILIENSES, audita clade, qua Romanos Galli affecerant, publi.o funere mortuos Romanos prosecuti, aurum quoq; Rom. populo miserunt, ut faciliùs se à Gallis redimerent. Atq; hoc Massilienses egerunt, nondum aliqua societate aut fœdere Rom. coniuncti. Fulg. lib. 4. cap. 8.

HIERO Syracusanorum rex, audita clade, qua Romani apud Thrasimenum lacum afflicti erant, trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, auriq; ducenta & XL pondo illis muneri misit. Nec ignarus uerecundiæ illorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formauit: ut eos religione motos, munificentia sua uti cogeret. Voluntate mittendi priùs, iterum prouidentia cauendi ne remitteretur, liberalis. Val. lib. 4. cap. 8.

PAVLA Busa Canusina, muliér Apulà, Hannibale contrà Romanos bellum gerēte, populanteq; totam Italiam igne ferroq; postquàm apud Cannas ferè confregisset omnes Italicas uires, ex eo conflictu circa decē millia per deuia noctu Canusium peruenerunt. Eos omnes exangues, nudos, inermes, affectosq; uulneribus, ipsa Busa, propriis in ædibus comiter excepit hospitio: adhibitisq; medicis, uulneratos curari fecit: nudis uestimenta concessit, inermibus arma cæteráque necessaria munificentissimè largita est: & quod excedit reliqua, omnibus refocillatis, & abire uolentibus, cunctis uiaticum ultrò uoluit impartiri. Val. Max. lib. 4. cap. 8.

CAMPANI exercitū Rom. cum Coss. apud Caudinas furcas sub iugum à Samnitibus missum, nec inermem tantùm, sed etiam nudum, urbem suam intrātem, perinde ac uictorem, & spolia hostium præ se ferentem, uenerabiliter exceperūt: protinusq; consulibus insignia honoris, militibus uestē, arma, equos, commeatū benignissimè præstando, & inopiam & deformitatem Romanæ cladis mutarunt. Quo animo si pro imperio Rom. aduersus Hānibalem quoq; usi fuissent, truculentis securibus materiam sæuiendi non præbuissent. Valer. Max. lib. 5. cap. 1.

PAGANVS Turrianus, multa cum laude liberalitatis & pietatis, Mediolanenses à Friderico II. Cęsare, ad Cohortisnouæ oppidum, cruento prælio, anno 1232. profligatos, ad se recepit, incredibilique benignitate omni humana ope adiutos fouit, domumque dimisit. Cui non multo pòst optimè de se merito gratiam retulere, demandato ei Præturæ magistratu, ipsoq; cum uniuersa familia ciuitate donato. Iouius in Othone Vicecomite.

Erga Naufragos.

PHASIANI populi naufragium passis uiaticum præbent, & rursus abnauigantibus tres minas dāt. Heraclides in Polit.

Aristippus naufragio facto, in litus apud RHODVM nudus eiectus, ob doctrinam inuenit non modò qui necessaria ad uictum, uerumetiā qui uestes ipsi atq; comitibus præberet. Cùm autem redeuntes domum quidam ex ipsis comitibus petiissent, si quid suis Aristippus mandare uellet: respondit, Hoc tantùm se mandare, nomine suo cognatos monerent, ut filiis opes eas pararēt, quas aduersa maris tempestas perdere non posset. Fulg. lib. 7. cap. 2.

Ad D. GREGORIVM Magnum, dùm adhuc abbatis officio fungeretur, uenisse quendā, atq; eleemosynam poposcisse legimus, quòd se naufragium fecisse diceret: & cùm sex numos ab eo accepisset, mox reuersum, totidem pari facilitate impetrasse. Perendiè rursum accessisse lamentantem, minimum quid præ iis quæ in mari amiserat, sibi fuisse emendicatum: proinde ad opem eius implorandam iterum atq; iterum necesse se habere confugere. Tunc murmurante multùm dispensatore, ac dicente, Iam aliud nihil quod dari possit, præter argenteam lagenam in monasterio restare: continuò eam ipsam à Gregorio tradi iussam. Neq; uerò multo pòst summus pontifex designatus, cùm duodecim tantùm peregrinos pauperes (in illis Apostolos Domini ueneraturus) inuitari præcepisset, discūbentes intuitus, præstituto numero unum superesse animaduertit: & cùm inuitatorē criminis argueret, quòd plures quàm iussus fuerat conuocasset, ille econtrariò nequaquā plures esse asseueraret, eos de integro cōsiderare cepit: atq; cum ipsum, quē ut solus uidere potuit, ita solus residuū esse adnotarat, subinde mutari deprehendit, & modò iuuenis, modò senis speciē uultu pręferre. Tali ostento attonitus, silentiū tantisper tenuit, donec peracto cōuiuio seorsum euocatū, quisnam esset, interrogauit. Ille se non hominē, sed angelū esse respondit, cui aliquādo sumta naufragi forma mendicanti, ipse & pecuniā & argenteā lagenā largitus esset. Cumq; subiunxisset, tum demùm illum à Deo electum, qui præesse ecclesiæ post Pelagium pōtificem deberet: e uestigiò tenues dilapsus in auras conspectum eius dereliquit. Marul. lib. 1. cap. 2. Narrat Sigebertus in Chronico, Romanos cùm parū in ærario Ecclesi reperissent, post obitum Gregorij, uoluisse libros eius cōburere, & memoriam illius delere: sed prohibitos fuisse à Petro Diacono, qui iureiurando fidem eis fecerit, quòd Spiritum sanctum sępè uiderit, in specie columbæ, capiti eius insidentem inter scribendum.

CONSALVVS Magnus, dum Tarentum regis sui Ferdinandi nomine obsidet, peruenit à Lesbo insula tū fortè ad proxima Calabriæ litora sæuissimis eiectus tempestatibus Philippus Rauastenius Belga, Gallicæ classis præfectus, nauib. partim naufragio amissis, partim ui uentorū dissipatis: ipsa uerò prætoria naui adeò quassata, ut cū uiolenter ad Cythream insulā scopulis illisa, magnis rimarū hiatibus aquam undiq; admisisset, ipse seminudus cum nobiliorib. euaserit. Ad eum itaq; Consaluus, cùm nausea confectū, tum recentis periculi imagine, reiq; malè gestæ dolore cōsternatum, omniq; castrensi & domestico exutū apparatu, cōtinuò dona misit, quæ & pręsenti rerū fortunæ maximè congruebāt, & (si multitudinem preciumq; spectares) regiā liberalitatē superare uidebantur. In his præter omnis generis commeatus uim ingentem fuêre sericę uestes preciosis sibellinarum ceruariorumq; luporum pellibus suffultæ: itemq; lecti serici, stragulæ, tapetes, & uasa argentea in mēsarum usum, nobilesq; aliquot equi phalerati: tātusq; earū rerum numerus fuit, ut ad [illegible] quoq; comites ferè omnes ea liberalitas perueniret. Quibus munerib. adeò sibi Gallorum animos obligauit, ut tantum uirum cùm omni laude, tum eo ipso, quod regebat, regno dignum prædicarent. Iouius in Consaluo.

Erga Exules.

XERXES Persarū rex liberaliter alimenta dedit, exulāti apud se Themistocli. Diod. lib. 11. & Plut. in uita eius.

Vastante Xerxe Phocidem, Athenienses, auctore Themistocle, relicta urbe naues conscenderunt: liberos, uxores, seruos, parentes pleriq; Trœzenen deportauerunt deponendos, quos receperunt TROEZENII benignè: siquidem sciuerunt iis publicè alimenta, binis in singulos obolis die pręstitis: & pueris poma ut liberū esset, unde liberet, sumere: merces insuper præceptoribus eorum solueretur. Hoc plebiscitum Nicagoras scripsit. Plut. in Themistocle.

CÆRITES, Hetruriæ populi, capta urbe Roma à Senonibus Gallis, sacra Romanorum à Vestalib. inuecta perbenignè receperunt, usq; eoq; seruarunt, dum patria à Camillo esset recuperata. Liuius lib. 5. Cuius beneficij Rom. memores, postea omnia, quæ ad religionem colendam pertinerent, Cæremonias nuncuparunt.

Erga Peregrinos.

IANVS Saturnum profugum hospitio suscepit. CALYPSO naufragum Vlyssem diu fouit: fouit & ALCINOVS Phæacum rex, æterno poëtæ celebratus ob idipsum testimonio.

TYRRHENVS nauigans in Italiam, à Cybele & Corybanto, tanquam ex Herculeis, hilari hospitio exceptus, & ciuitate Razenua donatus est. Bérosl. ult. de Chaldæorū dignitate.

TYCHIO coriarius, Homerum cæcum, corā officina sua uersus recitantem, hospitio liberaliter suscipit. Vnde in Iliade sua Tychium celebrat, quòd Aiacis scutum fabricarit.

CREOPHYLVS Samius, ludimagister, suscepto in hospitio Homero, accepit ab eo donum inscriptionem poëmatis, quod Occhaliæ captiuitatem uocant. Sed Callimachus epigrammate quodam contrarium ostendit, quòd quanquam Creophylus opus composuerit, Homeri tamen dicatur, propter dictum hospitium. Quidam hunc Homeri magistrum tradunt, alij Aristæum Proconnesium. Strabo lib. 14.

GLAVCVS caprarius hospitio errantem in Chio Homerum benignè fouit. Postero die eūdem domino suo in Bolisso ita commendauit, ut eum dominus filiis suis præceptorem daret. Herod. in Homeri uita.

MENTOR Ithacensis Homerum ex oculis laborantem hospitio excepit, quoad conualuit. Eapropter Homerus gratus eum postea Odysseæ suæ inseruit, & Vlyssis sociū finxit; cui abiens domū totā cōmendauerit. Herod. in Hom. uita.

Euergetas genti ARIMASPORVM prope Arianos nomen ab eo inditum, quòd Cyri regis exercitum frigore & fame cōfectum, tecto & commeatibus olim iuuissent. Euergetas in potestatem redactos Alexander Magnus ob egregiam fidem, quam Cyro olim præstitissent, grandi pecunia donauit. Sab. lib. 5. En. 4. ex Diodoro.

LYCAS Lacedæmonius, gymnicis agonibus peregrinos Lacedæmonem uenientes comiter excipiebat, benignoq; fouebat hospitio. Sab. lib. 7. cap. 6.

Ἀεί τις ἐν Κύδωνος. id est, Semper aliquis in Cydonis domo. CYDON Corinthius adeò insignis fuit hospitalitate, ut etiam prouerbio locū fecerit. Suid. Zenod. & Aristoph. interpres.

Xerxes expeditione contra Athenienses suscepta, Gręcis urbibus, per quas transibat, imperabat, ut exercitum suum hospitio susciperent. Græci igitur eo sumtu ad summam inopiam deuenêre, adeò quidem, ut suis laribus efficerentur extorres. Dum THASII pro suis, quæ in continente sunt, urbib. Xerxianas accipiunt copias, ANTIPATER Orgisi filius, uir inter populares illustris, erogauit in cœnam quadringenta argenti perfecti talenta. Eam rem ubi accepêre, qui præerant aliis circà urbibus (tale enim conuiuium iampridem indictum fuerat, & diu celebratum) præconibus passim indicantibus, oppidani frumentum, quod in urbibus erat, inter se distributum molebant, farinamq; triticeā hordeaceamq; in complures menses faciebant. Optima quæq; pecora & altiles aues terrestres palustresq; in cortibus & uiuariis seruabant. Quinetiam aurea argenteaq; pocula, & cętera quæ mensæ imponuntur, ipsi regi, & iis qui cum illo uescebantur, faciebant: reliquo autem exercitui, quæ ad esum duntaxat præcepta erant. Sub aduentum exercitus, tabernaculum, ubi exercitus maneret, statuebatur, reliqui sub dio agebant. Milites per noctem conuiuantes, manè reuulso tentorio, omniq; apparatu sumto discedebant, omnibus asportatis. Vnde Megacreō Abderites suasit Abderitis, ut uniuersi mares pariter ac feminæ delubra adirent, deosq; precarētur, ut posthac dimidium futurorū malorum à se propulsarent. Nam de præteritis magnam se gratiam illis habere, quòd rex Xerxes non bis quotidie cibum capere consuesset. Fore enim, ut Abderitæ, si iuberentur etiam prandium simile cœnę instruere, aut non præstolarentur Xerxem aduenientem, aut præstolati, pessimè inter omn[illegible] affligerentur. Herodotus lib. 7.

PROTAGORAS Abderites, Menandri Thracum locupletissimi filius, Xerxem contra Græcos proficiscentem hospitio excepit. Philostratus.

PYTHIVS Atygis F. habitabat Celenis Phrygię urbe. Hic Xerxem & omnem eius exercitum ex decies centenis millibus hominum constantem, ob diuitiarum affluentiam hospitio excepit. Miratus rex hominis liberalitatem, sciscitatus est, ecquis hic Pythius esset? Vbi Celenium esse, mortaliumque omnium secundùm se ditissimum haberi cognouit, pro magno habuit negotio, talem uirum appellare. Erat enim iam inde à Dariana illa in Scythiā expeditione pluribus notus: dederatque tunc ille regi auream platanum dono, & uitem auream. Xerxes hominem ad se accersitum, Ecquātum pecuniarum possideret? interrogauit. Cui ille, Haud te, inquit, celabo, regum maxime, neq; dissimulare fas est. Postea quam accepi te celerrimè ad mare uenturum, uolens tibi ad bellum pecuniam dare, subducta mearum pecuniarum ratione, comperi mihi esse argenti bis mille talenta, auri uerò quadragies centum millia numûm Daricorum, septem millibus minus, quæ omnia ad usum belli huius. tibi Xerxes dono: nam mihi uictus ex mancipiis & agricolis abundè suppetit. Hæc ille. Cui hilari uultu Xerxes: Ego (inquit) Lyde hospes, ex quo Persidem egressus sum, neminem adhuc sum nactus, qui in meum exercitum tali sit hospitalitate usus, tantumque auri ultrò dono obtulerit. Ob quæ uicissim ego te meū facio hospitem, & ne ad ista quadragies centena millia aliquid desit, septem millia aureorum numûm tibi ex meo numerari iubeo. Tu hæc & cætera, quę ad hunc diem possedisti, liberè habeto, talemq; te semper geras hortor: neque enim unquam pœnitebit te, tuæ in regem liberalitatis. Sab. lib. 2. En. 3.

Amyclis domus est, quam inhabitasse tradunt Tyndari filios: interiecto dein tēpore, eam Spartanus tenuit PHORMIO. Ad hunc hospitū ornatu Castores uenisse dicuntur, ac è Cyrene se uenire simulantes, rogasse, ut hospitio se acciperet. Eam uerò sibi cellam depoposcisse, qua delectabantur maximè, dum inter homines ętatem agerent. At illum in quam mallet ædium partem diuertere eos iussisse, cellam illam unam excepisse, quòd filia uirgo in ea habitaret: postero die & uirginem, & eius famulatum omnē euanuisse. In eo tantùm cubiculo signa Castorum, & mensam, ac super ea laserpitij fruticem reppererunt. Pausanias in Laconicis.

PTOLEMÆVS senior, Aegypti rex, Cleomenem Spartanorū regem, ab Antigono Peloponneso expulsum, amicè & benignè suscepit: attribuit etiam ei annua uiginti quatuor talenta: quibus ille se & amicos frugaliter ac modicè tolerabat, & reliqua in beneficentiam & munificentiam impendebat erga illos, qui Gręcia extorres in Aegyptum se contulerant. spem quoq; fecit, cū pecunia & nauibus eum se in Græciam remissurum. Plut. in Cleomene.

Rex Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petēdi auxilij gratia cū paucis admodū seruis squallore obsitus Romā uenerat, ac se in hospitiū Alexandrini pictoris cōtulerat. Id postquā SENATVI relatum est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione usus est, quod nec Quæstorē illi more maiorum obuiā misisset, nec publico hospitio eum excepisset: eaq; non sua negligentia, sed ipsius subito & clandestino aduētu facta dixit: & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit: hortatusq; est, ut depositis sordibus, adeūdi ipsius diem peteret: quinetiā curæ habuit, uti munera ei per Quæstorē quotidie darētur. His gradib. officiorū iacentē ad regiū fastigium euexit: effecitq;, ut plus spei in auxilio Pop. Rom. quàm metus in sua fortuna reponeret. Val. Max. l. 5. c. 1.

T. POMP. ATTICVS, fugientem è patria Ciceronem sestertiis ducentis & quadraginta millibus donauit. Cedenti Italia M. Bruto sestertia centum millia muneri misit. In Epiro agenti sestertia trecenta numerari absens iussit. Familiares quosdam M. Antonij ex urbe profugientes, quibus rebus egere intelligebat, sponte iuuit. In P. Volumnium tam multa contulit, ut plura proficisci à parente non potuerint. Corn. Nepos in eius uita.

HENRICVS IIII. reginam Hungariæ cum filio Salomone, nuruq;, in exilium pulsam, benignè suscepit: iisq; in occidentalem Bauariam migrare iussis, sumtus ex fisco tribui mandauit. Auentinus lib. 5.

Anno 1347. III. Non. Aug. Calitium obsessum ab Anglis, deditū fuit Eduardo Anglorū regi ea lege, ut ciues incolumes cū singulis uestimentis quò uellent, se conferrēt. In Frācia à rege PHILIPPO Valesio institutū, ut qui primùm uacarēt magistratus, Calitio expulsis ac proscriptis cōferrentur pro genere uitæ & statu: tū ut eis pensatio quædā ac remuneratio beneficiorū, tū ut urbis fortiter defensæ honestū testimoniū esset. Ex eo tēpore Calitium ab Anglis recuperari non potuit ad Henricum usq; II. Auctor Chronici Francorum.

XYSTVS IIII. Rom. pontifex, miseros atq; à Turcis eiectos principes, Bosnæ Cyriq; reginas, præterea Andream Palæologum Peloponnesi, & Leonardum Toccum Epiri despotas aluit. Volat. lib. 22. Anthrop.

Rubrij Parmēses principatu deiecti à Ludouico Sforcia, à VENETIS benignè accepti, iisq; datum ex ærario magnū auri pōdus. Decretū inde Guidoni & Iacobo fratribus annuū stipendium duûm & triginta millium aureorum numûm: tertio, qui initiari cupiebat, sacerdotium in Veronensi opulentissimum. Sab. lib. 2. Dec. 4.

CAROLVS V. Imp. Muleassem regem Tunetanum, à naturali filio Amida excæcatū, & ad se in Germaniā profugum, in Siciliam misit, ut illic publico Siculorum sumtu aleretur. Sab. supplem. lib. 27. ex Iouio.

In Tyrannide oppressos.

☞ *Consule Tit. Pios homines armis defendere. quatenus Liberalitatem coniunctam habet religiosa defensio. item Tyrannicidas.*

Vbi à Marathonio marte & pugna nauali Salaminia, à Platæis Thermopylisq;, & rebus ad Thermodontē atq; circa Cyprū Cimonis gestis discesseris, omnibus præliis Græcia aduersus semetipsam decertauit ad seruitutē, omneq; eius trophæū ad suā excitatum calamitatē & probrum est, quæ penè fuit ducum improbitate & ambitione prostrata. Alienigenæ uerò, qui paruas scintillas & exigua antiquæ propinquitatis cū iis uincula habere uidebantur, à quib. uel uerbis uel consilio aliquid extitisse in Græciam beneficij mirū esset: hi maximis periculis & laboribus, Græciā grauib. soluerunt dominis & tyrannis, atq; in libertatē restituerunt. Plut. in Flaminio. Etenim cùm Philippi armis Græcia Macedonū iugo subiecta fuisset, post Alexādri Magni obitū magna cupido incessit ANTIGONVM Asię regē & DEMETRIVM Poliorcetē eius F. oppressam à Cassandro Macedone & Ptolemæo Aegyptiorū, uniuersam liberandi Gręciā. Eo bellum nullus regū splendidiùs gessit uel iustiùs. Quas enim ex barbarorū præda collegerant opes, eas in Græcos pro gloria & laude profundebant. Vt primùm Athenas nauigare stetit sentētia, cùm subiiceret quidā ex amicis Antigono, hanc urbem, si essent ea potiti, pręsidio ipsis quasi pro scalis Gręcię retinendā: non est eū Antigonus secutus, sed scalas ait præclaras esse & firmas, Beneuolētiam: Athenas uerò ut orbis terræ speculā mox res gestas suas laudib. apud omnes mortales illustraturas. Nauigauit Athenas Demetrius quinque millib. talentûm argēti, & nauiū ducentarū succinctus classe. Vrbē Demetrius Phalereus Cassandri nomine regebat: Munychia tenebatur præsidio. Sed secunda fortuna simul & prouidentia usus, repentè ad Piræeū die 26. mensis Thargelionis ex improuiso applicuit. Vt propè in conspectū uenit classis, omnib. ut Ptolemæi naues recipere eam parantibus, tandē re intellecta duces institerunt occurrere: fuitque tumultus, qualem uerisimile est, cùm hostium descensionē arcere nec opinatā cogerentur. Siquidē fauces portus nactus apertas Demetrius, inuectus est iam omnibus conspicuus: signoq; ex naui dato, audientiā & silentium postulauit. Quo dato, pronunciauit per præconē, parentē se, quod felix faustūq; esset, ad liberandas Athenas præsidiumq; eiiciendū misisse, atq; ad leges illis pristinamq; Rempub. reddendā. His pręedicatis, uulgus depositis ad pedes clypeis, ingēti plausu & clamore, ut exiret de naui Demetrius, hortatū sunt, Seruatorēq; & Benefactorē appellauêre. Phalereū Demetrius, dignitatis eius & uirtutis ueneratione, Thebas, utī petebat, addito præsidio deduci iussit. Vrbē ipse negauit se, quamuis desiderio teneretur, priùs uisurū, quàm pulso præsidio libertatem ei reddidisset solidam. Munychiam uallo fossaq; cinxit. Postquàm uerò deiecit præsidiū, arcēq; excîdit: tum deniq;

denique inuitantibus eum & excipientibus Atheniensibus, urbem iniit, concioneq; aduocata, ueterem restituit iis Reipub. formam. Addidit promissum, missurum ipsis patrem suum centum quadraginta millia medimnûm tritici, & materiam ad centum triremes faciendas. Et sic populus Atheniensis anno quintodecimo popularē Reipub. formam recuperauit. Nam intermedio tempore à bello Lamiaco & pugna ad Cranonem commissa, uerbo paucorum, reuerà unius, propter Demetrij Phalerei potentiam, uiguerat dominatus. Plut. in Demetrio.

DEMETRIVS Poliorcetes & PTOLEMÆVS inter sese certarūt de liberanda Græcia. Demetrius è Munychia præsidiū eiecit, interfecto Dionysio duce: ac Demetrium Phalereum, qui rem ad paucorum potentiam Athenis reuocarat, amouit: patriam Atheniensibus, Megarensibus libertatem restituit. Ptolemæus autem in maiorem etiam libertatis spem Græcos erexit, Græcas urbes plerasque omnes libertate donauit, & fœdus Isthmiacum denunciauit, & Isthmia, ut libertate recepta, oleaginos ramos ferentes spectare iussit. Cæterùm pacta ista inter Ptolemæum & Demetrium non diu steterunt. Suidas.

Iam cùm denuò & Philippi regis, Demetrij filij, & Mithridatis Ponti Asiæq; regis seruitute premeretur Græcia, à ROMANIS libertatē recepit, à T. Quinctio Flaminio primùm, deinde uerò à Nerone Imperatore. Atq; adeò urbi Corinthiorū delatū est, idem ut ibi beneficium bis Græcis sit declaratum. Siquidem Quinctius Corinthi tunc, & post aliquot annos Nero iterū Corinthi, Isthmia item celebrās, Græcos liberos suis legibus iussit esse: ille per præconem, hic pro tribunali in foro concionem ad populum habens. Plut. in Flaminio.

ROMVLVS, auo Albæ defuncto Numitore, licèt regnum ad ipsum pertineret, Rempub. in populi gratiam iussit liberam esse, ac magistratum supremum Albanis quotannis creauit. Plut. in Romulo.

PIPINVS Gallorū rex, Gregorij III. Pontificis precibus, contra Aistulfum, bis in Italiam cum ingenti exercitu descendit aduersus Longobardos. Quibus cùm Rauennam Exarchatumque ademisset (hæc enim Longobardorum dignitas erat: atq; in ea Aemiliæ uiæ pars, sub Romandiolæ nomine designata, Ferrariaque continebatur, item quicquid inter Ariminum Placentiamque comprehensum est) spreto magno auri pondere, quod Constantinus Imperator offerebat, si sibi ea loca restituerentur, Pontifici omnia dono dare maluit. Fulgosus, & Egnatius libro quarto, capite 8. ex Reginonis lib. 2.

Non minus liberalē se, quàm Pipinus pater, CAROLVS Magnus ostendit: qui, ut Adrianum pontificem aduersus Desiderij Longobardorum regis arma tueretur, bis in Italiam descendit: domitaque Longobardorum rabie, dono data à Pipino patre confirmauit: eisq; Parmam, Mantuam ac Lucam, & cum eis haud contemnendam Ethruriæ partem addidit: quæ omnia, si uoluisset, retinere sibi poterat. Regino lib. 2. Ranulfus lib. 5. c. 26. Fulg. & Egnat. ibidem.

VRSVS, dux Venetorum, Gregorio tertio in recuperanda Rauenna, à Longobardis occupata, opem tulit. Sabellicus Enneadis 8. libro septimo.

ALFONSVS Aragonius, cùm hortatu & precibus Eugenij pontificis expeditionem in Picenum agrum (qui à Francisco Sforcia potentissimo ac præstantissimo duce occupabatur) instituisset, atque Sforcia expulisset, Eugenius unam atque alteram urbem ex receptis Alphonso obtulit. Verùm rex repudiatis omnibus, non quæstus gratia hanc expeditionem se suscepisse ait, sed Ecclesiæ. Panormita lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.

Erga Hostes.

☞ *Ex Tit. Clementiæ erga hostes, huc quædam, quæ Liberalitatem iunctam habent.*

PHILIPPVS Macedonum rex, ut scribit Plutarchus, Nicanora proprium inimicum & detractorem, inopia uehementer afflictum, munere donare præcepit.

PORSENA rex Hetruscorū, pace cum Romanis iuncta, cùm aliam ciuitati exhibuit ingentem munificentiam, tum nihil præter arma ut deportarent Thusci, castra cōmeatu & omnis generis opulentia referta relinquerent, imperauit, eáque donauit Romanis. Vnde mos usque ad nostram ætatem in honorem & memoriam perpetuam illius beneficij manet, in sectionibus primùm bona Porsenæ regis proclamandi. Statua ei posita ærea iuxta curiam rudis & opere prisco. Plutarchus in Poplicola. Liuius dubitat, quid esset, quòd bona Porsenæ hostiliter uendi dicerentur, quæ res à tam pacato digressu abhorrere uideretur. Ego uetustæ illius liberalitatis monumentum id fuisse crediderim, ut eo modo, quo ea à Quæstoribus post regis discessum uendita sunt, grata apud posteros memoria, talis sit auctio inter cætera urbis solennia celebrata. Tantum enim abest, ut Hetruscorum ab urbe discessus hostilis fuerit, quòd statua sit deinceps Porsenæ iuxta curiam publicè constituta. Sabellicus lib. 6. Enneadis 2.

VESPASIANVS Imp. Vitellij hostis sui filiam splendidissimè maritauit, dotauitq; etiam & instruxit. Suetonius.

STENO Iunior, Sueonum rex, Christiernum II. Danorum regem Stocholmiæ sese obsidentem, & summa rerū omnium inopia, uentoq; aduerso ad extrema redactum, commeatu liberaliter donauit. Anno 1518. Io. Magnus lib. 23.

CONSALVVS Magnus Gallos hostes, Caieta dedita, regno Neapolitano excedentes, multis equis liberaliter donauit. Iouius in Consaluo.

In Mortuos.

☞ *Huc omnia ea, quæ in Funera, in Sepulcra, conferuntur liberaliter, siue Sumtus in iis, siue Munus spectetur.*

Regum SCYTHARVM sepulcra apud Gerrhos sunt, ubi Borysthenes iam nauigabilis est. Ibi cùm rex eorū decessit, ingentē scrobē effodiunt forma quadrata. Accipiun[illegible] corpore incerato, aluo euulsa atq; expurgata (ut etiā Plin. lib. 9. c. 45 docet) quā ubi illere cōtuso & thymiamate, apioq; sem[illegible] expleuerunt, consuunt rursus: impositumq; plaustro[illegible], ad aliā gentē ferunt. Quod qui excipiunt, eadē agunt quæ regij Scythæ aurē decidunt, crinē circumdent, brachia incidūt, frontē nasumq; sauciāt, sinistram manū sagittis traiiciunt. Mox idē ad populos alios, quib. uiuet imperitarit, cadauer transfertur. Deniq; contumulantes, cōcubinarū aliquā præfracta gulā simul sepeliunt: sed & pincernā, coquū, equi agasonē, ministrūq; itē, qui fuisset à nunciis, nec non equos & omnium primitias. Rursumq; anno circumacto hæc obeunt: quinquaginta ex ministris, qui nō alij sunt, quàm Scythæ ingenui, strangulant, totidemq; interimunt equos. Herod. lib. 4.

XERXE in expeditionē contra Græcos apud Acanthum urbem agente, contigit, ut Artacheus, uir Xerxi spectatus, qui fossæ ad Athon montem faciundæ præfuerat, morbo decederet. Xerxes magno damno ducens, maximum hominum fato functum (quippe cui quatuor omnino digiti deerant à longitudine quinq; regiorum cubitorū) apparatissimè eum funerauit, exhibito etiam epulo, eiusq; tumulum omnis exercitus extruxit: cui tanquam heroi Acanthij ex oraculo sacrificant, nomine eum nuncupantes. Herod. lib. 7.

Hephæstione Babylone mortuo, ALEXANDER Magnus in summo erat luctu. Duces & amici oēs regis uoluntati inseruientes, signa ex ebore, auro, & materia alia preciosa fieri curarūt. Ipse aūt architectos & diligentiores fabros multos conquisiuit: ac primùm mœniū stadia decē deiecit, lateresq; omnes colligi & exportari mandauit, quò locus ad pyram extruendam æqualis fieret. Eam aūt quadratam erexit, ac latus quodq; in stadij longitudinē produxit. Reliquā aream partitus est in domos triginta, quæ extructæ sunt cum tabulatis è ligno palmæ arboris. Totius aūt ædificij formā quadratam effici uoluit. Deinde circumquaq; ornamenta applicabantur. Ad imā quidem partem posita sunt quinqueremium aurea rostra ducenta quadraginta numero: in eorum prominente utrinq; assere, ut solet in proris nauium, sagittarij bini, quatuor cubitorū magnitudinis, genu innitebatur. In medio quinq; cubitorū statuæ armatæ erāt. Loca omnia intermedia tegebantur obductis uelis purpureis. In secundo loco supra hæc erant quindecim cubitorum lampades, queis circa partē, quæ manib. capitur, annexæ erant coronæ aureæ: in summo, ubi ignis excitatur, aquilæ alas protendebant, ac deorsum uersus intuebātur: ad infima iacebant dracones, aquilas & ipsi toruū inspicientes. Tertiū superiorem locum ferarum omnium, quæ uenando capiuntur, ingens tenebat multitudo. Quartus locus habebat Centaurorum pugnam, factā ex auro. Quintus tauros & leones alternos aureos. Super hæc omnia in sexto ordine erant ubiq; Macedonica & Barbarica arma: altera in uirtutis testimoniū: Barbarica, uti gentium deuictarum darent significationē. Summum fastigium tenebant Sirenes introrsus cauatæ, in queis conditi homines funebrem næniā canerent. Totius operis altitudo credita est fuisse cubitorum plus centum triginta. Quumq; simul duces, milites, legati, & indigenæ homines, summo studio pompæ eius apparatum adiuuissent, impensa sunt talentorum millia plus quā duodecim. Ad magnificentiæ huius rationē reliqua omnia in funere, summo cum splendore sunt celebrata. Diod. lib. 17.

Alexandri Magni Babylone mortui corpus ad Ammonis delubrum deportandū MACEDONES statuēre, currus & deductionis cura Aridæo demandata. Primùm aureum fabricatum est feretrum ductile, corpori quadrans, idq; refertum aromatis, quæ possent corpori fragrantiam simul & perdurationem præstare. Feretro impositum erat tegumentum aureum, ad unguem quadrans, summamque superficiem comprehendens. Hoc insuper comprehendebat purpureus pannus auro uariegatus, cui apposuerant arma defuncti, uolentes tota imagine exprimere eius res gestas. Postea adhibuere currum, qui illud portaret, cuius uerticem tegebat aurea testudo, tectorio gēmis ornato, latitudine octo, longitudine duodecim cubitorum. Tecto præter totum opus suberat aureum solium forma quadrata, habens tragelaphorum prominentes partes anteriores, quibus affixi erāt anuli aurei, de quibus pendebant insignia ad spectaculum fabricata, uariis coloribus decenter florida. In summis erat fimbria reticularis, habens prægrandia tintinnabula, ut ex longo spacio perueniret sonitus ad propinquantes. In huius testudinis angulis erat in unoquoq; latere aurea Victoria trophæum gestans. Quod uerò testudinem undiq; sustinebat columnium, erat aureum, columnarum capitulis Ionicis. Intra columnium rete erat aureum, macularum crassi [redacted] lium instructas. Apud aditum testudinis erant [redacted] intuentes in eos qui intrarent. In singulis intercolumniis erat aureus acāthus, paulatim usq; ad capitula columnarum exporrectus. Supra testudinem in medio uertice purpureus pānus erat subdialis, habēs auream lauream permagnam, quam radiis feriens sol, splendorem reddebat fulgentem atque tremulum, quæ res procul spectantibus fulguris speciem præbebat. Sella testudini subiecta duos habebat axes, quib. circumuertebāntur rotæ Persicæ quatuor, quarum erant orbilia & radij deaurati, quæ uerò pars terram pulsat, erat ferrea. Axium prominentes partes erant auro fabricatæ, habentes anteriores partes leonum, pila mordicùs tenentium. In media longitudine polum habebant arte accōmodatum in media testudine, ita ut per eum posset testudo inconcussa esse, in succussionibus inæqualibusq; locis. Cumque essent temones quatuor, unicuiq; quadruplex ordo iugorum subiunctus erat, quatuor mulis unicuiq; iugo alligatis, ita ut in uniuersum muli essent sexaginta quatuor, tum robore tum proceritate electi. Horum unusquisq; coronatus erat aurata corona, & ad utramq; genam pendēs habebat tintinnabulum aureum, & circum collum torquem gemmis ornatum. Igitur ARIDÆVS consumtis duobus ferè annis in operū apparatu, deportauit corpus regis de Babylone in Aegyptum. Ptolemæus ei obuiam processit cum copiis usq; in Syriam, acceptoq; corpore, decreuit illud in præsentia ad Ammonem non deportare: sed in condita ab illo urbe, omnium fermè totius orbis urbium clarissima, reponere. Igitur delubrum extruxit magnitudine & apparatu Alexandri gloria dignum, in quo ei iusta persoluit, eumque heroicis sacrificiis, & magnificis certaminibus honorauit. Diodorus lib. 18.

HERODES Iudæorum rex, cùm Aristobulum pontificem interficiendum curasset, quod ad magnificentissimum funeris apparatū attinet, nihil sibi ad summā liberalitatem fecit reliquum, tam in exornando conditorio, quàm in cōgerendis eò aromatibus, & aliis rebus preciosissimis, quò Alexādræ socrui, & Mariammæ uxori afferret solatium. Alexandræ enim filius fuerat Aristobulus. Iosephus lib. 15. cap. 3.

Herodis Iudæorum regis funus, ARCHELAVS F. regni successor relictus, quàm splendidissimum fieri curauit. Ferebatur in lectica aurea, distincta uariis gemmis preciosis, & instratā purpura: corpus amictū erat purpura, imposito capiti diademate, & desuper corona aurea, sceptrūq; in manu dextera. Lecticam stipabant filij & cognatorum numerus. Hos sequebantur milites distributi per nationum genera: primùm satellites, deinde Thraces, post hos Germani, & deinceps Galli, omnes instructi uelut ad prælium: reliqua deinde exercitus multitudo armata sub suis ducibus ac centurionibus. Hos sequebantur quingenti famuli, ferentes aromata. Ea pompa processit Herodium usque per octo stadia: ubi, quemadmodum antè mandauerat, sepultus est. Archelaus per septem dies iuxta patriam legem luctu parentis celebrato, & in fine luctus funebri epulo multitudini præbito, in templum ascendit: & quacunque transiret, excipiebatur gratulationibus, ac faustis acclamationibus. Tū conscenso suggestō sublimis in aureo solio residens, accipiebat lætus gratulatrices uoces fauoris indices, & ipse uicissim omni comitate respondebat multitudini, agebatque grates, quòd obliti patris sui duriciæ, nihilo deteriùs erga ipsum affecti essent, pollicebaturque parem pro eorum studiis gratiā. adhuc tamen abstinere se à regis nomine, quòd ab auctoritate & assensu Cæsaris pendeat, penes quem sit testamenti à patre scripti confirmatio. Iosephus lib. 17. c. 10.

MITHRIDATES rex Ponti pecuniam in sepulturam Thoridoracis, licèt hostis, impendit magnam. Vide Titulum Clementiæ, bellicæ ergà hostes mortuos.

NERO Imp. in Poppeæ suæ nouissimo die tantum aromatum concremauit, quantum annuo fœtu Indiam & Arabiam ferre non posse, periti rerum astruunt. Plinius libro duodecimo, capite 18. [redacted]

HADRIANVS Imp. in iis spectaculis quæ in honorem Traiani patris edidit, balsama & crocum per theatri gradus diffundi iussit. In honorem etiam socrus aromata populo dedit. Pontanus cap. 15. de Magnificentia.

ALFONSVS Aragonius quàm fuerit effusus in Ferdinandi patris sui sepultura, difficile explicatu est, cùm suprà decem & septem aureorum millia in illius funus effuderit. Pontanus capite decimoquinto de Magnificentiā, & Ritius libro 4. regum Siciliæ.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum, non Isabellæ solùm uxoris, aut Heleonoræ filiæ, atq; Hyppolytæ nurus funera singulari pōpa edidit, uerùm & Francisci & Blancæ Mediolanensium ducibus, Hippolytæ ipsius parentibus, ac Ioanni Aragoniæ regi patruo: Mathiæ Hungariæ regi genero, Friderico quoq; Imperatori, qui diuersis ac longinquis in locis è uita migrauerant, exequias rara quadam magnificentia splendoreq; persoluit. Pontanus cap. 15. de Magnif.

Nostra ætas uidit in Alphonso Agidario (qui dux confecto Bætico bello Mauros iterum rebellātes circa Arundam oppugnabat, in qua pugna, suorum negligentia fortiter pugnando occubuit) tantam funeris pompā, ut præter regios propè exequiarum apparatus, singulę CIVITATES Hispaniæ suis quæq; locis iusta persoluerint: neq; minor nunc eius sit interfecti apud Hispanos fama, quàm Consalui fratris celebritas, qui Neapolitanum regnum incredibili felicitate Gallis ademit. Sepulcro talis inscriptio regum decreto est addita, ut appareat illum tanquam numen ab omnibus cultum. Huius memoria resq; ab eo præclaræ gestæ ne penitùs interirent, Iacobi Agidarij cura effectum, qui tropheæ & alia monimenta illi erigenda in agro Brixiano curauit. Sabellicus libro 10. capite 15.

SECVNDVM RES, IN QVIBVS Liberalitas sese exerit. Sic uersatur circa

MVNERA.

☞ *Ex Munificentiæ loco illustretur. Huc enim Donatiua, Congiaria, Sportulæ, & similia referri possunt omnia.*

DOTEM.

☞ *Vide Tit. Sponsis data munera.*

ATHENIENSIS populus Aristogitonis ex filia neptē, quam uiuere acceperat in Lemno sordidè, illocabilē ob inopiam, reduxit Athenas, atq; nobili uiro nuptum dedit: in dotem largitus prædium in Potamo. Plut. in Aristide.

ALEXANDER Macedo, Perillo cuidam suorum amicorum dotem pro filia petenti, quinquaginta dedit talenta. Eo tamen dicente, Decem satis esse: Tibi (respondit) accipere quidem satis est, at mihi dare nequaquam. Plut. in Apoph.

ROMANI filiam L. Mummij Achaici ex publico dotarūnt. Cicero lib. 2. Officiorum.

PLINIVS orator, historici nepos, Quintiliano rhetori dedit abundè pecunię, qua nubilem dotaret filiā. Quod ad ipsum scribens edocet, his uerbis: Et tanquam parens alter puellæ nostræ confero quinquaginta millia numûm. Rauisius

VRSVS comes Nolanus singulis annis, quibus Nolæ præfuit, satis bonam pecuniam puellis collocandis decreuerat: unde & uiuus maximè charus Nolanis fuit, & mortuus ab omnibus desideratus. Pontanus de Liberal. cap 20.

Immensas ærarij BARNABÆ Vicecomitis principis Mediolanensis diuitias, uni dotales sumtus exhaurire facilè potuissent, quum numerosam prolem nobilissimis Europæ principum domibus insereret. Viridem enim Leopoldo Austrio Norici regulo, Thadeam Stephano, Magdalenam Federico Baioarlis Vindeliciæ principibus, Valentinam Friderico Cypri regi collocauit: quum Agnetem Francisco Gonzagæ, Catharinam Ioanni Galeacio fratris filio, Antoniam & Anglesiam Conrado & Friderico Virtembergensibus Sueuiæ regulis, nuptui dedisset: Lucia subinde Edemundo Britanniæ regis filio tradita, ut in remoto etiam Oceano sobolem propagaret. Ex filiabus autem nequaquam ex Regina uxore susceptis, generos sibi adsciuit bellica uirtute clarissimos, quum Ioanni Aucuto Britanno Donninia, Laucia Lando Germano ad Brigantinum lacum illustri traderetur. Quarum omnium dotes cum luculento mundi muliebris apparatu, uicies centena millia aureorum excessisse constat: nec tot sumtus tamque immodici Barnabam deterrebant, ut quicquam de splendore uitæ remitteret, quin filios

lios diuersis magnis in domibus cum frequenti & liberaliter ornata familia alendos arbitraretur. Iouius in eius uita.

GEORGIVS Heltus, Impp. Ferdinandi I. & Maximiliani II. Cancellarius, qui à primæ pueritiæ annis castissimè cœlebs uixit, certæ pecuniæ summæ fructum annuum honesti & pauperi alicui dotis nomine, quò faciliùs in matrimoniũ collocari posset, de suis bonis destinauit. Ioach. Camerarius [redacted].

SALARIVM, STIPENDIVM, MERCEDEM.

Hic ea, quæ in Milites, in Professores, in Mercenarios liberaliter erogantur, siue Sumtus, siue Munera.

AVGVSTVS Imp. cum suis successoribus, cẽsum senatorum, qui ad numorum octingenta millia olim fuerat, ad duodecies cẽties sestertiûm auxisse scribitur, ne quis eorum inops & egens foret. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

NERO senatoribus Romanis, qui tenui re familiari essent, annua salaria statuisse dicitur. Alex. lib. 4. cap. 11.

HADRIANVS Cæsar feminis plurimis, unde familiam honestè alerent, salaria constituit: nescias liberaliúsne, an magis consideratè. Pontanus cap. 11. de Liberalitate.

MVTVVM, COMMODATVM, CREDITVM, liberaliter

Datum.

ANTONIVS Criticus, M. Antonij Triumuiri pater, cùm non amplas haberet facultates, eamq; ob causam ab uxore Iulia prohiberetur, ne sua liberalitate ex animi sententia uteretur, & amicus ad eum pecuniæ causa petendæ accessisset: deficiente pecunia, mandauit puero, uti aquam in argẽteo scypho afferret, atq; ea genas abluit, tanquam barbam rasurus: puero autem alterius negotij causa digresso, scyphum amico tradidit, eoq; uti iussit. Vt uerò scyphum à seruis requiri sensit, uxoremq; indignè ferentem, & uelle de singulis seruis quæstione habita inquirere, fassus est factum, ueniam petiit. Plutarchus in Antonio.

Cùm hæreditas CATONI iuniori uenisset patruelis Catonis centum talentûm, redegit eam in argentum: & cui opus erat ex amicis, mutuo dabat sine fœnore. Alij prædia quoq; & seruitia eius, concedentis & auctoritatem accommodantis ærario oppignorabant. Plut. in Catone.

Franciscus Carrarius principatu Patauino à Ioanne Galeacio Mediolanensi principe deiectus, in exiliumq; ad Astam oppidum missus, à CAROLO Zeno, qui tum exercitui Venetorum præerat, propter ueterem amicitiam, non paruam pecuniæ summam petiit, ut uitam produceret, seseq; alere unum posset. Eam is illi perlibenter numerauit: iussitq; ut omnem operã à se expectaret, quæ præstari ab se sua cum dignitate illi posset. Egnat. lib. 5. cap. 1.

LEONARDVS Pratus, è Lupis Apuliæ oppido, ex societate Rhodiorum militum, se ad Venetos contulit, homo & gentis nobilitate, & rei militaris scientia clarus: cui paulo pòst, ut uirtuti eius honos haberetur, equites leuis armaturæ centum quinquaginta, reliquorumq; omnium eiusdem modi equitum præfecturam Senatus tradidit. Is cùm ad urbem quinquaginta auri libras domo secum attulisset, Patribus dixit, tanto se auro in præsentia non egere: decemq; ex ea summa suos in usus retẽtis libris, reliquas quadraginta eis obtulit, atq; à curia in diuersorium abiẽs, statim misit. Tam prona in alieno homine atq; aduena liberalitas cum beneuolentia in Remp. extitit. Bembus lib. 7. Hist. Venetæ.

ANTONIVS Grimanus, classis præfectus à senatu Veneto aduersus Baiazetem II. designatus, antequam conscenderet, propterea quòd ab ciuibus tot superiorũ defessis continentium bellorũ muneribus lentè ac morosè tributa exigebãtur, libras auri octoginta in remigum stipendia Reipub. mutuò dedit: alteras octoginta secum se laturum est pollicitus, quibus Corcyræ reliquisq; in locis ad classem constituendam uteretur. Bembus Venetæ historiæ lib. 5.

Remissum. Aes alienum liberaliter condonare.

Apud HEBRÆOS ex Mosis instituto, quæ tellus sua sponte ferret, quinquagesimo anno tribulibus & extraneis cõmunia erant. Hunc Hebræi annum Iobeleum dixere, qui quinquagenarius dici potest. Id enim Iobel Hebraice ualet, ut Eusebius scribit. Hoc annorũ spacio uidentur mihi Hebræi à Protoplasto tempora dimensi, ut Græci postea Olympiadibus, Romani Lustris. Quinquagesimo igitur quoq; anno debitæ relaxabantur pecuniæ, & Mosis instituto libertate donabẽtur serui, prædia quæ uiliùs uenissent, antiquis possessoribus redhibebantur. Sab. lib. 3. En. 1.

Cùm IVDÆI è captiuitate Babylonica in patriam rediissent, egeni ab opulentis ære alieno contracto ita urgebantur, ut omnes suas possessiones illis oppignorare & filias emancipare cogerentur: suadẽte Nehemia duce, cõsanguineis suis egentibus nomina omnia remiserunt: ne quos ipse & ante eum Esdras & Zorobabel è captiuitate redemtos in libertatem uindicassent, ipsi iam redemtos emerent. 2. Esdræ 5.

Auri numûm centum millia CIVIS quidã Pragensis, recepto chirographo, Carolo IIII. Imperatori mutuo dedit; eũq; postridie ad prandium inuitauit, conuocatis aliquot regulis, & conuiuium more Boëmiæ splendidissimum apparauit. Cùm uerò potioni & caseo, ut illi consueuerunt, locus esset (neque enim sacchareis confectionibus utuntur) chirographum in catino aureo iussit adferri. Admirantibus conuiuis, &, Quid hoc sibi uellet? quærentibus: Cætera, inquit, fercula, Cæsar communia tibi cum hisce optimatibus fuere: hoc tui solius erit. Nam aurum, quod mutuaui nudius tertius, tibi dono, omneq; debitum remitto. Aen. Syl. lib. 4. Com. de Alfonso.

[redacted]

Dissolutum. Aes alienum alterius dissoluere.

SPARTIATARVM defuncto rege, alter qui succedit, liberat ære alieno omnes eos, qui uel regi uel reipublicæ aliquid debebant. Herod. lib. 6.

ALEXANDER Magnus, Asia uicta, fuit cùm in cæteris mirificè largus, tum æs alienum exercitus creditoribus de suo die uno dissoluit. Eius impensæ uniuersa summa centum & uiginta minus ad decem millia talentûm peruenit. Plut. in Alex. & Diodorus lib. 17.

Quinqueuiri apud ROM. creati, ut æs alienum pro his, qui soluendo non essent, de publico soluerent, qui Mensarij nũcupati: quæ res quantum ad patrum plebisq; conciliandos animos profuerit, difficile dictu est. Quippe cùm esset plebs obruta fœnore, pecuniis in foro positis, uim ingentem æris alieni dissoluerunt. Alex. lib. 3 cap. 16.

IVSTINVS II. ab initio principatus sui, suasu Sophiæ coniugis, liberalis, æs dissoluit alienum, conquisitis omnibus fœneratoribus, extinctis chirographis, & redditis pignoribus. Quo facto animos simul ciuium & militum plurimùm sibi conciliauit. Cuspinianus ex Zonara.

Imperator ROMANVS Lacapenus, pœnitentia uiolatorum iuramentorum ac perfidiæ correptus, ut Deum placaret, æs alienum ciuium nomine dissoluit, diuitum ac pauperum: in quam rem dicitur impendisse centenarios undeuiginti, ac tabulas nominum combussit in purpureo, qui est ad Chalcen, umbilico. Precia quoq; domorum pro conductoribus pependit, à maximo ad minimum. Cedrenus.

Coercitum.

Consule Tit. Auaritia castigata, quatenus fœneratorum tyrannis erga debitores χρεοκοπίᾳ dissoluitur & σεισαχθείᾳ.

HÆREDITATEM CONCESSAM, communicatam alteri.

Consule Tit. Hæreditate acquisita bona.

AGESILAVS Leontychide deiecto, ad regnum Spartanum euectus, hæreditatẽ quoq; Agidis patris Leontychidis solus creuit. At cũ ꝓpinquos Agidis maternos honestos homines uideret, sed inopes: ad beneuolẽtiam & laudem pro inuidia & maleuolentia captandam, semissem his hæreditatis concessit. Plut. in Agesilao.

DEMOCRITVS Abderites fratribus suis hæreditatem paternam amplissimam concessit: ipse paucis assumtis pecuniis, quantum pro uiatico satis fore uidebatur, philosophiæ studio peregrinatum abiit. Gellius, Sab. lib. 2. cap. 1.

PROCVLEIVS fratres suos Scipionem & Murænam, impendiis bellorum ciuilium attritos, & spoliatos, partito iuuit patrimonio. Vnde Horat. lib. 2. Carminum:

Viuet extento Proculeius æuo
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

De VESTINO, Martialis Epigrammatum lib. 4.

Cùm grauis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per Stygias esset iturus aquas,
Vltima uoluentes orabat pensa Sorores,
Vt traherent parua stamina pulla mora,
Iam sibi defunctus, caris dum uiuit amicis.
Mouerunt tetricas tam pia uota deas.

Tam

Tam largas partitus opes, à luce recessit,
Seq; mori posthac credidit ille senem.

ATHENODORO frater fuit natu maior, Xeno nomine, qui magna ex parte rem familiarem procurator fisci decoxit: deniq; ob raptum mulieris iudicatus, bonisq; suis est multatus, quæ in publicum addicta fuere. Erat etiam tum adolescens imberbis Athenodorus. Hic uendita quæ fuerat ei attributa bonorum portione, non abiecit fratrem, sed posuit omnia in medio, diuisitq;, ac magna iniuria in partitione affectus, non indignè tulit, neq; pœnituit eum facti, sed placidè & hilariter fratris amentiam tulit, quæ per Græciam fuit diuulgata. Plut. de Pietate erga fratres.

LYTRVM, REDEMPTIONIS PRECIVM

Datum

Pro se.

LYCVRGVS orator, obiiciente quodam, Quòd se pecunia redemisset à calumnia: nõn est inficiatus, sed clarissima uoce populum appellans: Bene habet, inquit, uiri Athenienses, quandoquidem tot annos in Repub. uersatum dedisse me, non accepisse pecuniam, criminantur obtrectatores. Erasmus lib. 6. Apoph.

C. IVL. Cæsar à piratis Cilicibus captus, duplum eius summæ, quam exegerant, illis persoluit. Sed mox circumuentos cruci affixit. Plut. in eius uita.

BERTRANDVS Guesclinius Henrici Hispaniæ regis partes contra Petrum fratrem illius secutus, in prælio captus, redemtionis nomine centum aureorum millia obtulit. Hoste, uel quarta parte se contentum dicente, quòd tantas illius opes non esse sciret: honoris tamen causa LX millia spontè numerauit, & alta uoce exclamauit, LV millibus regnum Henrico comparaui, cum uel inuito fratre in solium collocabo: λόγῳ partem ipse, partem rex Gallus restituet. Hic est ille Bertrandus, qui postea Magister equitum sub Carolo V creatus, res maximas gessit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Pro alio.

PTOLEMÆVS Philadelphus Aegypti rex, Aristæi amici sui, uiri optimi, consilio usus, cùm Iudæorum legem in Græcã linguam transferendam curaturus esset, Iudæos omnes captiuos in suo regno liberari septem dierum spacio iussit, numeratis in singula capita ex fisco regio centum uiginti drachmis, in eam redemtionem 460 talentis, cùm domini etiam pro infantibus id precium exigerent. Et sic centum uiginti millia Iudæorum libertate donata. Iosephus libro 12. Antiq. capite 2.

ANNICERIS Cyrenæus, Platonem ab Aeginetis captum, & inter mancipia uænalem expositum, ne quid indignum pateretur, minis aliquot mercatus est, & honesto comitatu Athenas ad suos remisit. Quam pecuniã quum à Platone sibi remissam intellexisset: Profectò, inquit, peccatũ uideri potest, quòd maiore summa nõ iuuerim tãtum uirũ. Rauisius.

BIAS Prienæus, cùm diues esset, puellas quasdam Messenias redemit, & pro filiabus educauit: postea dote data eas Messanam ad parentes remisit. Breui pòst inuento aureo tripode, cùm ex oraculo deberetur Sapientissimo: puellæ cũ patre suo in concionem prodierunt, & Biantis liberalitate exposita, appellarunt eum Sapientem, auctoresq; fuerunt ut tripus Bianti mitteretur. Laertius lib. 1.

LYCVRGVS orator Atheniensis, cùm improperaretur ei, ꝗ sycophantam quendam redemisset: Gaudeo, inquit, quòd tam diu uestra Rep. gesta, priùs datę pecuniæ arguar, quàm captæ. Plut. in uitis Niciæ & Crassi.

GILLVS Tarentinus exul in Iapygia, Darij regis exploratores captos sua pecunia redemit. Ob quod meritum cùm rex paratus esset ei donare quicquid uellet, optauit tantùm se in patriam reduci per Gnidos, regis intercedente auctoritate: Gnidi tamen à Tarentinis id impetrare non potuerunt. Herod. lib. 3.

Obtulerat Alexander Magnus PHOCIONI C talenta argẽti, & unius è quatuor ciuitatibus, Chio, Elea, Mylasa, Pataraue, annuum fructuum. At Phocion cùm neque argentum neq; ciuitatem accipere uellet, tamen ne planè promissa Alexandri nihil facere & contemnere uideretur, hac re eum honorauit. Eos qui in arce Sardis captiui tenebantur, liberos sibi dimitti rogauit: Echecratidem sophistam, Athenodorum, Himeræum & Demaratum, qui duo fratres erant, & Rhodij. Aelian. de Var. histor. lib. 1 & Plut. in Phocione.

PERICLES, inuictum à pecunia animum, multa largiendo egentibus, dum redimit suis numis captiuos, demonstrauit. Non fuit hæc ingens summa, tamen ad sex talenta. Plut. in Comparatione Periclis & Fabij.

Conuenerat inter Annibalem & Q. FABIVM Dictatorem, de permutandis captiuis: & quæ pars plures recepisset, ea ut argenti pondo bina & selibras in militem præstaret. Vt facta commutatione in capita reliqui apud Annibalem Romani CCXL fuerunt, argentum pro his debitum negauit senatus mittere. Insuper castigauit Fabium, quòd non rectè, nec ordinè, neq; è Republica homines, qui ignauia sua hosti prędę fuissent, liberaret. His Fabius auditis moderatè tulit iram ciuium: uerùm cùm pecunia deficeretur, neq; fallere Annibalem, nec ciues sustineret negligere: misit Romam filium, agrum ut uenderet, & argentum ad se in castra confestim ferret. Adolescens prædiis distractis properè redit. Tum precium ille Annibali mittit, & recipit captiuos: idq; postea restituere cùm multi uellent, à nemine accepit, sed condonauit omnibus. Plut. in Fabio, & Val. Max. lib. 4. cap. 8.

THEODORICVS Ostrogothorum rex, pacato Italiæ statu, pro magno negotio habuit in Galliam mittere, qui Italos à Burgundis in prædam abductos redimerent: missusq; est Epiphanius Ticinensis antistes, cum magno auri pondere, quod ex fisco est illi datum. Multi mortales publicè redemti sunt: sunt cum his quinq; millia gratis recepta, quæ Gundobaldus rex Christiani nominis, Epiphanio uiro christianissimo sine precio restituit. Sab. lib. 2. En. 8.

ALFONSVS X. Hispaniæ rex Imperatorem Constantinopolitanũ à Soldano captũ, ingenti redemit pecunia. Pontanus.

Remissum.

Cùm inter MEGARENSES & Corinthios de imperio certaretur: captiuos in bello uelut hospites inuicem tractabant, & sine precio dimissos Doryxenos appellabant. Illis enim Iupiter ξένιος, id est hospitalis, in præcipuo cultu erat. Quare milites cum hostibus extra aciem familiaria iura seruabant, in acie uerò pugnabant uehementissimè. Alexander libro 4. capite 10.

DROMICHÆTES Getarum rex, Lysimachum Thraciæ regẽ captum liberaliter dimisit, hoc unum monens, ut pauperib. amicis quàm hostibus, deinceps uti mallet. Strabo lib. 7.

Victis ad Chæroneam Atheniensibus, PHILIPPVS Macedonum rex, Demadis oratoris captiui persuasione, Athenienses captiuos omnes gratis remisit. Diod. lib. 16.

PTOLEMÆVS rex, fugato Demetrio Poliorcete, quos prælio ceperat Demetrij amicos, unà cũ eius supellectile statim remisit: missis qui dicerent, de imperio & gloria magnis uiris certandum esse. Pontan. cap. 31. de Liberalitate ex Plut.

DEMETRIVS non multo pòst classe Ptolemæi superata, eorum qui ceciderant corpora, magnificè sepeliri, captiuos autem omnes liberos abire iussit. Plut. in Demetrio.

ANTIOCHVS rex Asię, Scipioni filium carissimum captum, sine dono lubens remisit. Plutarchus in uita Scipionis. Plin. de Viris illustribus.

PYRRHVS rex captiuos C. Fabricio legato Rom. gratis concessit, hac lege: Si pacem abnuisset Senatus, ut salutatis propinquis & Saturnalibus celebratis, ad se remitterentur. Plutarchus in Pyrrho.

Cùm Carthaginensium legati ad captiuos redimendos in urbem uenissent, SENATVS protinus his nulla pecunia accepta reddidit iuuenes, numerum duûm millium & septingẽtorum quadraginta trium explentes. Tantum hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemtam, tot Punicis iniuriis ueniam datam, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secum dixisse: O munificentiam gentis Romanæ, deorũ benignitati æquandam. O etiam nostram legationem supra uota felicem: nam beneficium quod nunquam dedissemus, accepimus. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

P. SCIPIO, capta Carthagine noua, obsides, quorum in ea urbe ingens copia erat, ciuitatibus Hispaniæ restitui iussit, ex quo maximè humanitatis & clementiæ nomen sibi comparauit, multosq; populos hac indulgentia mouit, ut ad Romanum redirent à Punico imperio. Auctor uitæ Scipionis.

A Quæstore hastæ subiectos captiuos uendente, puer eximiæ formæ & liberalis habitus missus est. De quo cùm explorasset P. SCIPIO Africanus posterior, Numidam esse, orbum relictum à patre, educatum apud auunculum Masinissam, eo ignorante immaturam aduersus Romanos ingressum militiam: & errori illius ueniam dandam, & amicitiæ regis fidissimi pop. Rom. debitam uenerationem tribuendam existimauit. Itaque puerum anulo fibulaq; aurea, & tunica laticlauia, Hispanoq; sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus, ad Masinissam remisit: eos uictoriæ maximos fructus ratus, diis templorum ornamenta Romanos, regibus sanguinem suum restituere. Val. Max. lib. 5 cap. 1.

Constantinus Monomachus Imp. Liparitam Meschiæ præfectum uti à Turcis captum liberaret, misso ad SVLTANVM legato cum muneribus, simul & hunc sibi reddi, & pacem componi postulabat. Sultanus acceptis legatis, ut magnificus uideretur potiùs rex, quàm qui bellum cauponaretur, pro dono Imperatori mittit Liparitam: & quæ eius redimẽdi causa Imperator miserat, accepit quidem, sed omnibus

iis Liparitam donauit, hortatus ut eius in posterum diei memoriam coleret, neque contra Turcas porrò arma sumeret. Cedrenus.

ROLLONE Normannorum duce per Scaldim fluuium Frisiorum terram populante, Reynerus dux insidiis Danorum captus fuit: & uicissim duodecim Rollonis milites strenuissimi intercepti, ad uxorem Reyneri pertracti fuere. Dolet illa captum maritum: sperat interim duodecim capitum permutatione facilè unum redimi posse. Mittit mulieri mandata Rollo, nisi protinus remittat captos milites, cum omni auro suo atq; argento (adhibito Christianæ religionis iureiurãdo, quòd omne aurum miserit) illicò Reynerum gladio periturum. Territa mulier, omne aurum & argentum, signatum & rude, adhibito iuramento, misit cum militibus. Rollo mulieris pietate collaudata, Reynerum uinctum iussit adstare: &, Quid, inquit, in te Reynere cõmisi, ut cum Frisiis me in Valacris oppugnares? Vides qua fortuna sis: ferrum tibi ademtum cum libertate: aurum tuum atq; argentum in manibus meis est. Quod in me munus non conferres, in te libet collocare. Liberum te remitto coniugi ac tuis: dimidium auri à te accepti pondus rependo, donum meq; teq; dignum adiicio. Vade memor beneficij: potiusq; quid amicus, quàm inimicus possim, experire. Ille gratias habens cõcessit illicò ad suos. Cranz. lib. 2. Noruegiæ, cap. 20.

BOLESLAVS dux Monsterbergensis in Silesia, à Carolo Ioannis Boemiæ regis, cui parere recusabat, filio Francosteni obsessus, cùm facta eruptione plurimos Boemos & Morauos nobiles in castris cepisset, eosdẽ uxoribus illorũ (quas Carolus, in castra euocatas, regio prandio, quo Boleslaum per inducias excipiebat, interesse uoluerat) liberali manu restituit. Eam in hoste uirtutem admiratus Carolus, pacem ei æquissimis dedit conditionibus. Ioachimus Curcus in Silesiæ Annalibus.

AVXILIVM CONTRA HOSTES VEL ope uel opera sua liberaliter

Oblatum, præstitum.

Consule Tit. Defendere armis insontes, sub loco Iustitiæ.

CORINTHII Atheniensibus sociis naues uiginti rogantibus, cùm lege eas dono dare non possent, uendiderunt illis singulas quinis drachmis. Herod. lib. 6.

Ligustico bello dum Contarenus dux ad Clodiam recipiendam contendere uellet, quam Genuensis hostis expugnatã obtinebat, non parua ciuium VENETORVM copia magnã uim auri argentiq; in publicum contulit: ad aliosq; bellicos usus omnes se paratos obtulerũt, ut Veneta dignitas atq; libertas staret. Eorum magnã partem post pacem initã, patricio donauit ordine Senatus & in iis Iacobum Caballum, qui terrestri bello ea ferè tempestate summa sua cum fide & laude præfuit. Egnat. lib. 4. cap. 8.

Repudiatum.

Vide Tit. Certamina liberalitatis, Non acceptanda ea, quæ offeruntur.

HOSPITIO. HOSPITALITAS liberalis.

Hospitalitatis exempla hic in genere adducuntur, quatenus à Liberalitate prouenit. Hospitalitas alioqui ad diuersos locos reduci potest. Requirit in primis Fidem, tanquam internum quid: deinde, causa externæ significationis, partim Liberalitatem in δαπάνῃ, simul atq; δόσει, partim Humanitatem in conuersando. Si Fidem spectes, ad Iustitiam pertinet: si Sumtum, ad Liberalitatem: si Humanitatem in uoce, uultu, gestu, ad Popularitatem.

ABIMELECHVS Gerarorum rex in Palæstina, Abrahamum difficillimo tempore famis hospitaliter excepit. Similiter etiã altera fame ingruente Isaacũ Abrahami filiũ. Genes. 26.

IETHRO recepit peregrinum Mosen hospitio, eidemq; filiam elocauit. Exod. 2.

ABDIAS, qui sub rege Samariæ Achabo & impiissima Iezabel pauerat centũ prophetas in specubus, qui non curnauerant genu Baal (cuius sepulcrum usq; hodie cum Mausoleo Helizæi prophetæ & Baptistæ Ioannis in Sebaste uenerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur) accepit gratiã prophetalem, de duce exercitus dux ecclesiæ factus. Tunc in Samaria paruum gregẽ pauerat: nunc in toto orbe Christi pascit ecclesias. Hieronymus in Abdiæ cap. 1.

VIDVA Sareptana, cui nihil aliud erat præter pugillum farinæ in cado, & paululum olei in gutto, totum id quod habuit, petenti Heliæ prophetę concedere non dubitauit, quãuis & ipsam & filium fames tantoperè urgeret, ut ea farina absumta mori statuisset. Et ex illa die cadus ei farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terrã. Deniq; paruulum filium, quem mors abstulerat, pietas uiuum in sinu matris restituit, annuente Domino precibus prophetæ, quem illa & cibo pauerat, & fouerat hospitio. Marulus libro 1. cap. 2. ex 3. Regum 17.

MVLIER Sunamitis transeuntem Helisæum legitur tenuisse, & secum panem comedere cõpulisse, tam familiariter, ut deinde non tæderet prophetam ad illã uirumq; eius frequenter diuertere, eorum consuetudine uti, cum ipsis unà cibum sumere. Multus hospitis aduentus non tãtùm non restinxit studium eorum, sed magis inflammauit, ut etiam cœnaculum illi construerent, in quo ueniens requiesceret, & diutiùs apud se manendi occasionem haberet. Itaq; precante Helisęo, & filium genuerunt, cùm antea steriles fuissent: & eundem, cùm decessisset, uitæ restitutum receperunt. Marulus lib. 1. cap. 3. ex 4. Reg. 4.

IOB dicebat: Foris non mansit peregrinus, ostium meum uiatori patuit. Iob 31.

MARTHA, postquam excepit Iesum in domum suam, ministerio intenta, parandiq; conuiuij sollicitudine ardens, nequit facere animo suo satis. Proinde Mariam sororem, ut se adiuuet, secumq; collaboret, uocat. Itaq; quali cura, quantoq; affectu hospes honorandus sit, documento nobis est. Nec ideò nos negligentiores esse debemus aduenã aliquẽ suscipientes, quia seruum, non Dominum suscipimus, cùm ipse protestetur ac dicat: Qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Et iterum: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec quẽquã moueat, quòd Maria sedens secus pedes Iesu, & uerbum illius audiens, optimã partem dicitur elegisse. Non enim propterea hospitalitatem Marthæ improbatã credimus: sed bono melius prælatum, actioni contemplationem. Ad quã tamen nõ potest peruenire, qui non priùs iustitiæ exercitationibus labem expiauerit delictorum. Vt tunc demũ ad consideranda Dei inuisibilia animus attollatur, cùm liberum se esse persenserit onere peccatorum. Marul. lib. 1. cap. 3.

Gaudens accepit Dominum ZACHÆVS publicanus in domo sua: & Dominus ipsum magis gaudentẽ effecit, dicens: Hodie salus huic domui facta. Lucæ 19.

Apostoli hospitabantur utplurimùm in domibus ARTIFICVM, & hominum mediocrium. Vnde legitur de Petro, quòd hospitabatur apud SIMONEM quendã coriarium, iuxta mare. Actorum 10.

LYDIA purpuræ uenditrix Philippis Ecclesię hospita effecta, liberalitate sua pios omnes fouit. Act. 16.

Commendat GAIVM beatus Ioannes in tertia sua epistola, dicens: Carissime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

ONESIPHORVS Ephesius, discipulos Christi suscipere solitus, sic ab apostolo Paulo benedicitur. Det, inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & cathenam meam non erubuit: sed cùm Romam uenisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi? Marulus lib. 1. cap. 3.

SYLVESTRVM hospitalitatis præter cætera studiosum fuisse ferunt. Timotheum ab Antiochia uenientem presbyterũ, & ipse presbyter domi suæ benignissimè suscepit. Eundem mox, quia Christum prædicabat, martyrio coronatum, condidit ac sepeliuit. Ad pontificale officium promotus, effecit ut omnibus ad urbem aduentantibus, apud se hospitandi ius esset. Ita ut cum beato Iob iure suo dicere posset: Foris non mansit peregrinus, ostium meum uiatori patuit. Idem, & Sabell. lib. 7. cap. 6.

Laudat Pindarus in primo hymno Nemęorum CHROMIVM Aetnæum, à Nemæa uictoria, à patria, ab hospitalitate: Quam erga peregrinos quosuis, tum uerò etiam sibi exhibuerit, sic scribens:

ἵσταν δ᾽ ἐπ᾽ αὐλείαις θύραις
ἀνδρὸς φιλοξείνου, καλὰ μελπόμενος
ἔνθα μοι ἁρμόδιον
δεῖπνον κεκόσμηται· θαμὰ δ᾽ ἀλλοδαπῶν
οὐκ ἀπείρατοι δόμοι
ἐντί. Steti ad portas magnificas uiri hospitalis pulcra facinora celebrans: ubi mihi cœna cõueniens apparata est. Frequenter autem ædes illæ peregrinorũ non sunt ignaræ.

Dolonci Thraces, qui Chersonnesum Hellesponti tenebant, cùm ab Absinthiis bello uexarentur, reges suos, ut de bello consulerent, Delphos miserunt. Quibus Pythia respondit, ut coloniæ in suã terram deducendæ eum auctorem adsciscerent, qui primus eo templo abeuntes hospitio inuitasset. Dolonci sacrã uiam ingressi, per Phocenses atq; Bœotios iter fecerunt. A' quorum nemine inuitati, Athenas diuerterũt. Ea tempestate Athenis omne quidem imperium tenebat Pisistratus: dominabatur tamen & MILTIADES Cypseli, è familia Tethrippotrophi, ab Acaco & Aegina oriundus, nuper familia facta Atheniensi, cuius auctor extitit Philæus Acaci filius. Miltiades hic, ut sedebat in domus suæ uestibulo, cernens Doloncos prætereuntes, non illius loci uestem gerentes neq; tela, homines inclamauit: accedentibusq; obtulit domicilium & hospitium congiarium. Illi in domum excepti, & hospitaliter excepti, aperuerunt ei oraculum, precesq; addiderunt, ut deo obsequeretur. Miltiades ea oratione audita, confestim persuasus est, ut qui pertæsus imperiũ Pisistrati, cuperet illinc emigrare: protinusq; Delphos se cõtulit oraculum consulturus, nunquid faceret quod à Dolõcis rogaretur. Iubente Pythia, ita Miltiades Cypseli, qui quadrigario curriculo priùs Olympiacam palmam reportauerat, unà cùm Doloncis nauigauit, sumtis Atheniensium uoluntariis quibusque ad expeditionem ineundam: & ubi locùm tenuit, ab iis, qui se deduxerant, tyrannus creatus est. Herodotus libro 6.

Semus libro quarto rerum Deliarum, Delphicis, inquit, in Delum accedentibus, salem, acetum, oleum, ligna, & lectum DELII præbere sunt soliti. Aristoteles & Theophrastus in Magnetibus commentationibus, MAGNETES, qui apud fluuium Mæandrum incolunt, sacros deo, Delphicorumq; coloniam, tectum, salem, oleum, acetum, lucernam, cathedram, lectum, mensas peregrinantibus accommodare scribunt. Athen. lib. 4. cap. 23.

ALCMÆON Megaclis F. Atheniensis, eos Lydos, qui Sardibus à Crœso Delphos ad oraculum ierant, comiter accepit. Cuius beneficentiam cùm Crœsus audisset, hominem accersiit: & tanto auro donauit, quanto semel corpore suo ferre posset. Herodotus lib. 6.

Circa Olymp. 93. qua Agrigentinorum ciuitas à Carthaginensibus excisa est, GELLIAS ditissimus Agrigentinorum habitus, in plerisq; domus suæ locis hospitalia constituerat habitacula, certosque ex familia ad id delectos; ut aduenas quoscunque ad hospitium inuitarent. Aliquãdo cùm quingenti equites ex urbe Gela eò accessissent, brumali tempore, ut refert Timæus in decimo libro, ipse unus eos cunctos intra lares suos excepit: moxq; introductis indumenta, tunicasq; singulis distribuit. Diod. lib. 13. Athenæus uerò lib. 1. cap. 1. & Suidas Telliam uocant, Val. Max. Gilliam.

CIMON Atheniensis, priuatos lares in publicum uelut hospitium uertit, quod iuxtà ciuibus peregrinisque pateret: prædiorum fructus omnibus legere uolentibus proposuit: nullum fuit tempus, quo non hospitalitati indulgeret. Est proinde & à Cratino diuinus, & in hospites officiosissimus hominum iudicatus: & Critias tyrannus cùm Scopadum diuitias sibi optaret, & uictorias Agesilai, adiecit Cimonis liberalitatem. Atheniensis ciuitas (quod satis constat) publicum illud in hospites studium tota Græcia celebratum, Cimonis munificentiæ tulit acceptum. Sab. lib. 7. cap. 6.

Cùm Stratonicum citharœdum perhumaniter QVIDAM excepisset, mirũ in modum gauisus est uocatione. Neq; enim hospitem aliquem habuit, quippe qui in peregrinam regionem uenisset. Cùm uerò mox uideret alium introire, iterũq; alium, atq; hoc modo nulli diuertere uolenti, domum illius non patere: Facessamus, ô puer, hinc, inquit ad suum comitem. Etenim pro columba, palumbum, pro hospite pandochæum inuenimus. Aelian. de Var. hist. lib. 14.

Inter Indum & Hydaspem est Taxila, magna ciuitas, & iustitiæ studiosa. Circumstans uerò regio frequens & ualde ferax iam campis uicina. Huius urbis incolæ & TAXILVS eorum rex perhumaniter Alexandrum susceperunt, unde & plura sunt ab illo consecuti, quàm ipsi præbuêre, adeò ut Macedones illis inuiderent, quasi Alexander non haberet quibus benefaceret, priusquam Indum traiiceret. Strabo libro 15. & Plut. in Alexandro.

PTOLEMÆVS Philadelphus septuaginta senes Bibliacæ historiæ scientissimos, ab Iudęa usque in Aegyptum uocauit: quos regia urbe acceptos hospitaliter & benignè coluit, eorumq; interpretationem cupidè complexus, magnis à se muneribus donatos honorificè dimisit. Neq; id genti datũ magis, quàm doctrinæ, credere est: cùm nulla tum gens esset in terris inuisior omnibus, aut despicatior, quàm Iudæi. Sab. lib. 7. cap. 5. ex Iosepho.

PYRRHVS Epirotarum rex, legatis Romanorum ad redimẽdos captiuos castra sua petentibus, quò tutiùs uenirent, Lyconem Molossum obuiam misit: quò honoratiùs exciperẽtur, ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit secundarum rerum prouentu adeò non corruptus, ut officij prospectum in iis deponeret, qui tunc maximè armis cum eo dissidebant. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

Confecto Macedonico bello, Musicanes Masinissæ filius, cum equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab imperatore Paulo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa, Brundusium æger delatus est. Quod ubi SENATVS agnouit, continuò illò Quæstorem ire iussit, cuius curà & hospitium adolescenti expediretur, & omnia quæ ad ualetudinem opus essent, præberentur: impensæque liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui præstarentur: naues etiam ut prospicerentur, quibus ipse benè ac tutò cum suis in Africã traiiceret. Equitibus singulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperauit. Quæ tam promta & tam exquisita Patrum humanitas efficere potuit, ut etiamsi expirasset adolescens, æquiore animo desiderium eius pater tolerarer. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

IDEM Senatus, cùm ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem, Perse Macedonum rege deuicto, uenire audiuisset: obuiam illi P. Cornelium Scipionem Quæstorem Capuam misit: censuitq;, ut ei domus Romæ quàm optima conduceretur: & copiæ non solùm ipsi, sed etiam comitibus eius publicè præberentur. In eoq; excipiendo tota urbs unius humani amici uultum habuit. Ibidem.

IVBII Paciaci Hispani opera, hospitalique affectu octonos menses M. Crassus profunda spelunca latuit, in extrema Hispania. Nã quo tẽpore pater eius & frater à C. Mario ciuili bello interfecti sunt, ipse celeri fuga eò delatus, cum decem comitibus in altam sese speluncam illatebrauit. Hic non solùm tutus fuit dubij silentio, sed benignè etiam cultus, ut non modò cætera corpori necessaria non defuerint, sed superfuerint etiam omnium uoluptatum instrumẽta. Sab. lib. 7. cap. 6. ex Plutarcho.

L. Lucullum in Aegyptum ad contrahendam classem à L. Sylla missum, PTOLEMÆVS rex, etsi societatem renueret, mirifica humanitate excepit, & quod duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini, diuersorium & cœnationem ei in regia dedit, & impensarum atq; sumtus quadruplum eius quod aliis tribui consueuerat. Plut. in Lucullo.

L. Corn. SYLLA quæstor C. Marij bello Iugurthino, amicitiam sibi regis Numidarum conciliauit Bocchi. Nam legatos eius è manibus latronum Numidarum elapsos excepit, & liberaliter habuit, dona insuper dedit eis; atque cum præsidio, quod eos in tutum deduceret, dimisit. Bocchus rex Syllæ gratificatus, Iugurtham socerum uinctum tradidit. Plutarchus in Sylla.

HERODES Iudæorum rex, ab Augusto Cæsare præter spem confirmatus, redeuntem ex Aegypto Cæsarem regia magnificentia excepit apud Ptolemaidem: exercitui quoque omnem hospitalitatem exhibuit, & rerum ad uictum accõmodarum copiam. Quo factum est, ut in intimam familiaritatem reciperetur, unà obequitare solitus dum traducuntur copiæ, tractansq; tum ipsum tum amicos ministerio uirorum CL, ditissimo & sumtuosissimo cultu insignũ: quin & squallida ac inaquosa loca transeuntibus nihil deesse passus est, non uinum, non aquam, qua miles tum magis etiam delectabatur. Ipsum Cæsarem talentis DCCC donauit: adeoque satisfactum est omnibus, ut luculentiùs etiam quàm pro eius regni facultatibus tractatos se faterentur: rursumq; ab Aegypto redeuntes alios Romanorum primates tot officiis prosecutus est, ut nemini mortalium hac parte cederet. Iosephus lib. 15. cap. 10.

CAROLVS Magnus peregrinos & hospites humanissimè (qui uetus est Germanorum mos) excepit. Multa in eos beneficia effusiùs contulit. Eorum multitudo non solùm aulam, uerùm totum Francorum quoq; regnum prægrauare uidebatur. At Carolus fisci detrimentum, fama genuinæ hospitalitatis benignitatisq; gloria compensabat. Auentinus libro 4. Annalium Boiorum.

VANDALI olim in suscipiendis hospitibus populariter alacres fuere, hospitium ultrò offerentes. Quicquid ex agricultura, piscationibus aut uenatione conquirebant, totũ in largitatis opus conferebant, eò fortiorẽ quenq;, quò profusiorem, iactitantes. Cuius ostentationis causa multi ad furta & latrocinia prouehebãtur, ea excusantes hospitalitatis palliatione. Vandalorum enim legibus, quod noctu furatus fueris, crastino die hospitibus disparties. Si quis peregrinũ hospitio expulisse deprehensus esset, eius domum & facultates uel diripere uel incendio licebat cõsumere. Cranzius lib. 4. Vandaliæ cap. 23.

Alemanni, qui ductu & auspiciis Friderici Barbarossæ Palæstinam in libertatem uindicare cogitabant, ad Phrygiæ LAODICEAM castra posuerunt: ibique humanissimè suscepti sunt. Fridericus manibus in cœlum sublatis, genibus humi flexis, orauit, ut quicquid uitæ prodesset, quicquid animis salutem afferret, id Deus illis tribueret. Nicetas lib. 2.

CILICES, primo Gallorum, qui sepulcrum Christi, profligatis Turcis, recuperare cupiebant, conspectu territi, eos ut amicos transire passi, & forum præbuerunt, & uiæ duces dederunt, omniaq; amicitiæ & hospitalitatis officia præstiterunt. Gregoras lib. 4.

Otho III. Imp. ignoto habitu Venetias uenisse dicitur, exoluendi uoti causa: & cum PETRO Vrseolo principe, ad quẽ de suo aduentu prius occultè scripserat, noctu diui Marci ædem subiit, fuitq; plures apud Vrseolum dies in hospitio. Cuius præsentia ut commodiùs celaretur, manè dux Venetus prandebat in aperto, noctu cum eo familiariter conuiuabatur. Tum Otho aureum pannum, qui annuus Cæsari-

bus ex fœdere debebatur, in perpetuum Veneto nomini remisit. Ipse contrà multis & amplis muneribus donatus, Rauennam, unde uenerat, reuertitur. Triduo pòst Vrseolus populum pro concione docuit de Othonis ad urbem appulsu, quòd apud se plures dies in hospitio fuisset, & quę essent ab eo publico nomine impetrata. Fecit ea res, ut Vrseolus ex grato sit gratissimus factus uniuersæ ciuitati. Laudata est ab omnibus eius fides, laudata & industria in tanti hospitis præsentia occultanda: datum est igitur illi, ut filium sibi collegam cooptaret. Sab. lib. 2 En. 9.

Fama est, antiquissimum ex gente Lusitanorum regem cum paucis olim Venetias appulisse, eiusque uisendæ studio aliquandiu in urbe uersatū, dissimulata interim personæ quā gerebat magnitudine. Igitur benignè appellatus, in publicū est hospitium adductus: dati adhæc ex patricio ordine pleriq; qui urbem illi per otium monstrarent, quiq; ipsius latera stipantes, benignè ac comiter hospitem haberent: data & abeunti ex publico munera, missiq; non pauci, qui eum procul urbe officij causa comitarentur. Hæc VENETI, cùm se priuato homini id præstare, non regi arbitrarentur. Regi publica illa hospitalitas eò gratior fuit, quò magis omni ambitionis suspicione caruit. Vbi itaq; in Iberiam uenit, rem omnem posteris tradidisse dicitur, Venetamq; in se liberalitatem perpetuò monumēto suis constare uoluisse: atq; ob id ipsum mutuum hospitium Venetis cum regia illa familia in hunc diem durat. Circa annum certè Sal. 1484. cùm Colūbus iunior pirata tres Venetas triremes in mari Iberico expugnasset, & captiuos Vlyssiponem perduxisset, rex eos hospitio & commeatu iuuit, totoq; regno uetuit quenquā ex Veneta præda à piratis quicquam coemere. Sab. li. 3. Dec. 4.

BORSIVS Ferrariæ dux omnes qui Ferrariam peregrini diuertissent, renunciari sibi uolebat: demandata ministris quibusdam eius rei cura, ut qui & quales essent, diligenter sciscitarentur: ne qui erga notos abundè liberalis esset, erga ignotos & peregrinos parum benignus haberetur. Ad eum quoq; multarum Italiæ urbium exules sic profugiebant, ut ab eo nemo repelleretur. Pontanus cap. 28. de Liberal.

CAIETANI Ladislaum Neapolitanorū regē regno exutum, collata è publico pecunia sustentarūt. Idē ca. 32. de Liberal.

PHILIPPVS dux Mediolanensis, Martinum V. Pont. Max. honorificè & magnificentissimè hospitio excepit. Volaterranus libro 22. Anthrop.

ALFONSVS rex eos qui ad se diuertissent, non solùm accipiebat liberaliter ac splendidè, uerùm donis quoq; magnificentissimè prosequebatur, pro cuiusq; dignitate, nullum adeò honestandi ac munerandi genus omittens. Oratoribus populorum aut regum, tum claris uiris ad se publico aut priuato nomine uenientibus, ædes exornari iubebat: & uictū, quādiu apud se essent, lautissimè ministrari, nec nisi egregiè à se donatos abire. Pontan. de Liberal. cap. 18. & 19.

IVLIVS Fortis Messanensis tam liberaliter Iouianum Pontanum graui morbo laborantem & exulantem tractauit, ut non tantùm omnia sua studia, uerùm & uitam ei acceptam ferret. Pontanus de Liberalitate cap. 20.

Post Ferrariense bellum (siue Sociale potiùs appellare mauis, quando uniuersa Italia in VENETOS exarsit: quo Ferraria capi expugnariq; à Venetis poterat, si fides in Italiæ principibus fuisset) cùm facta pace Hercules dux Venetias inuiseret, adeò benignè iucundeq; exceptus est, ut & ædes publicæ, iam pridem à Venetis donatæ maioribus ipsius, uario ornamentorum genere sternerentur, & ipse publica impensa cum comitatu suo magnificentissimè aleretur. Egnatius libro 5. capite 1.

Anno 1502. Anna Candala, natione Aquitana, Ludouici XII. regis Gallorum propinqua, ad Vladislaum Pannoniæ regem, cui erat nuptui per legatos tradita, proficiscens, Venetias uenit cum magno utriusq; regis comitatu. Ei fines VENETORVM ingressæ, sumtus est publicè atq; largiter factus. Ad urbem ubi fuit, omnia in illam liberalitatis & beneuolentiæ officia profuse collata, ut cùm exacto mense discederet, Leonardo Lauredano Principi dixerit, tum primùm se reginam sibiipsi uisam, cùm apud illum fuit. Postea uerò quàm in Pannonia regiam exercere dignitatem cœpit, amica & beneuola Reipub. omnibus in rebus semper fuit. Bembus lib. 6. Hist. Ven.

Leonora Ferdinandi regis Neap. filia, Herculis Atestini uxor, cum duabus filiis, altera Ludouici, altera Francisci Gonzagæ uxore, atq; Alfonso cum filio, & eius uxore Anna Ioannis Galeacij sorore, conscensis ad Padi ripam nauibus, secūdo flumine in æstuaria Venetiasq; se contulit, ut urbem lęto pacis tempore inuiseret. Quibus quidem feminis uti quàm amplissimi honores haberentur, Senatus VENETVS decreuit. Itaq; & obuiam eis publicè itum in Bucentauro naui, qua in naui à magna Senatus parte, atq; à matronis cētum triginta, tota penè ciuitate circumfusa, atq; adnauigantes, sunt exceptæ: & per eos dies, quos in urbe confecerunt, nullum eis genus publicæ uoluptatis aut liberalitatis defuit. Nam & choreæ electissimarum feminarum à principum liberis in comitio celebratæ sunt, & bellaria magni & operosi sumtus data, & ludi tota urbe, certaminaq; multifariàm edita: quibus ex omnibus unum nouum ciuitati fuit, ut cōplures cymbæ, quibus in singulis quatuor feminæ remigarent, cursu propositis præmiis contenderent. Quo in certamine propè mira res accidit: quæ à ciuitate animaduersa, diei spectaculique lætitiam & hilaritatem conduplicauit: ut quemadmodum Leonora duabus cum filiis & nuru aderat, quarum causa ea fiebant, ita cymba, qua in cymba mater cum duabus filiis ac nuru remos impellebat, uicerit. Bembus lib. 1. Ven. Hist.

SPONSIONEM. SPONSIO LIBERALIS.

C. Iul. Cæsar præturæ anno circumacto, qui in Ciceronis consulatum incidit, Hispaniam prouinciam sortitus, cùm à creditoribus fortè retineretur, M. CRASSI opera, qui octingentorum triginta talentorum se sponsorem obtulit, eos à se remouit. Erat hauddubiè Crassus Romanorū ditissimus, Pompeioq; iam inde à consulatu, quem cum eo gesserat, inimicus, ad cuius potentiam in Rep. infringendam C. Cæsarem, ac promtissimum quemq; omni officio affectabat. Sab. lib. 5. En. 6. ex Plut. Crasso.

T. POMPONIVS Atticus Fuluiæ M. Antonij uxori pluribus modis & litibus uexatæ sic adfuit, ut nullum ea sine Attico uadimonium præstiterit, quin ipse sponsor rerum omnium fuerit: necessariamque pecuniam non tantùm sine fœnore, sed sine ulla stipulatione crediderit. Pontanus capite 43. de Liberalitate.

DAMNI INFECTI PRÆSTATIONEM.

Pius Aurelius Senator questus mole publicæ uiæ ductusq; aquarum labefactatas ædes suas, auxilium Patrum cùm imploraret, resistentibus ærarij Prætoribus, eo quòd dicerent Aurelio Pio imputandum esse, qui secundùm uiam publicam ædificasset, neque damni infecti à Republica sibi cauere postulasset: nihilominus subuenit TIBERIVS Imperator, preciumq; ædium Aurelio tribuit. P. Aerodius ex lib. 2. Annalium Corn. Taciti.

ALEXANDER Mammeæ multis ciuitatibus terræmotu obrutis ad instaurationem pecuniam ex uectigalibus dedit. Lampridius.

VENETI, uigente adhuc bello Pisano, ut more institutoque maiorum, ciuibus ædium suarum incendio damna perpessis publicè subministraretur, quò faciliùs amissa restituerēt, legem tulerunt, ut Petri Molini filiis auri libras uiginti, Hieronymo & Marino Albertis quindecim, quibus utrisq; ędes ad Cassiani & Apollinaris conflagrauerant: Andreæ Ripæ, cui suburbium in Muriano, alteras totidem: Veneriis, quibus domum cum taberna mercium Indicarum maximè celebri ad Bartholomæi ignis absumserat, auri libras triginta, Quinqueuirùm sale procurando magistratus daret. Neque multo pòst, onerariis nauibus duabus naufragio amissis, Philippo Bernardo, Aloysio Contareno, quorum illæ fuerāt, auri libræ LX, æquis partibus. Bembus lib. 3. Ven. hist.

SECVNDVM FINEM. CVR EROGENTUR. CAVSA

PIETATIS RELIGIOSÆ. LIBERALITAS SACRA.

Huc ea, quæ in Sacra, in Sacros homines conferuntur, uel Sumtus, uel Munera. Quorū ex speciebus Magnificentiæ & Munificentiæ petenda exempla.

PLATÆENSES Atheniensibus agrum donarunt, ut iuxta oraculum in propriis finibus pugnantes aduersus Mardonium, in Eleusiniæ Cereris & Proserpinæ campo uictoriam reportarent. Plut. in Aristide.

NICIAS cùm in choragio seruus eius ornatus Bacchi persona transisset, forma & proceritate corporis eximia, etiamnū imberbis, commoto eius aspectu populo & applaudente, exurgens dixit, Nefas arbitrari se esse, ut corpus, quod deo omnium uocibus esset declaratum simile, in seruitute teneretur: atq; adolescentem manumisit. Plut. in Nicia.

MISERICORDIÆ. ELEEMOSYNA PROPRIÈ.

Huc omnes Sumtus, omnia Munera, quæ in Pauperes, Calamitosos, quouis genere infortunii affectos, conferuntur, ex locis Specierum petenda.

OFFICII. Liberalitas OFFICIOSA.

Huc Munificentiæ, item Sumtuariæ, quæ ex officio fit, exempla referantur.

HERMONI Thessali magistratum ob paupertatē defugienti lege lata attribuerunt lagenam uini menstruā, & medimnū farinæ, quarto die cuiusq; mēsis. Plut. in Præceptis politicis.

ANTIGO-

ANTIGONVS senex, qui alioqui ciuiliter & scitè petitiones improbas amoliri sciebat, à Biante crebrò fatigatus: Date, inquit, Bianti talentum. ita necesse est. Plutarchus de Verecundia immodica.

Cùm M. Attilius prorogatum in proximum annum imperium cognouisset, consulibus de successore sibi mittendo scribit. Inter causas, cur prouincia uellet decedere, illam attulit præcipuam, quòd agellus suus septem iugerum, quem solū habebat, à mercenario uastaretur: quòd si ita pergeret facere, non fore unde uxor & liberi sui alerentur. SENATVS dato ædilibus negotio, patrimonio Attilij prospexit. Viues in August. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 24.

FIDEI DATÆ. LIBERALITAS FIDA.

Notū est Hesiodi illud, εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι Αὐτῷ τῷ μέτρῳ (quod ipsum Iustitiæ est fidæ) ἢ λώϊον, αἴκε δύνηαι (quod ipsum Liberalitatis est fidæ, cumulatius rependere, quàm acceperis.)

CÆSAR, qui primus dictus est Augustus, admodum adhuc adolescēs, ab Antonio millies H-S ex hæreditate primi Cæsaris interfecti (quam pecuniam domum suam asportauerat Antonius) reposcebat: quo repręsentaret populo Romano, cui legauerat Cæsar, uiritim trecenos nummos. Incubante autem argento Antonio, atq; repetitionem istam, si saperet, ut missam faceret, consulente, patrimonium suum proscripsit ac distraxit, legatoq; soluto, studium sibi, illi ciuium conciliauit odium. Plut. in Apoph.

MERITI. LIBERALITAS ET GRATA.

Ex loco Gratitudinis illustranda. quatenus liberalius remetitur beneficium, quàm acceperit.

NECTENABIS in regno Aegyptio Agesilai uirtute confirmatus, contendit ab eo amicè & ambitiosè, ut subsisteret ibi, secumq; hybernaret. Verùm festinauit ille ad bellum domesticum, certus rempubl. suam ærarij inopia laborare, & externum militem alere. Igitur honorificè & munificè illum prosecutus, pręter alios honores & munera, ad bellum domesticum argenti ducenta triginta talenta ei donauit. Plutarchus in Agesilao.

Archimelum epigrammatum poetam, qui epigramma in nauim Hieronis Syracusij scripsit, HIERO centum frumenti medimnis decorauit, & quidem suis sumtibus misit in Piræum. Epigramma recitat Athen. lib. 5. cap. 8.

ATTALVS, ne fraterna charitate EVMENIS uinceretur, qui ei, posthabito suo filio, regnum Asiæ reliquerat, etsi multos quoq; haberet liberos, fratris tamen filio iterum regnum liberaliter obtulit, priuatā ipse uitam agens. Fulg. lib. 5. cap. 5.

LYCVRGVS obiicientibus, quòd eloquentiæ studio rhetoribus daret mercedem: Si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium facultatum dimidium effunderem. Plurimum ab hominum uulgo discrepans, qui periisse existimant, quod liberis instituendis impenditur. Eras. Rot. lib. 2. Apoph.

Darij Persarum regis MVLIERES Democedem medicū amplissimis muneribus affecerunt, ob seruatum regem ex pedis luxatione. Singulæ enim earum auri phialaam cū theca succutientes tanto eum donauerunt munere, ut excidentes fortuitò statēres, famulus Sciton, qui sequebatur, collegerit, non paruam auri summam. Herod. lib. 3.

Vulnerata in bello PHILIPPO Macedoni clauicula, cùm qui eum curabat, quotidie postularet aliquid medicus: Sume, inquit, quantum libet: nam clauem habes. Plut.

TIBERIVS Cæsar erga benemeritos fuit omnium liberalissimus: qui eam pecuniam, quam largissimè depromebat, atque alia munera, iubebat coràm numerari atq; repręsentari, ne dantium perfidia aliquid supprimeretur. Intelligebat enim, Augusti temporibus magnam diminutionem de donis eius sæpenumero à ministris esse factam. Dion Nicæus.

Keto Iutiæ præfectus (quam Atislus II. Succiæ rex inuaserat) regem Daniæ VERMVNDVM per primipilarium Folconem de hostium irruptione certiorem fecerat. Rex tū forte prandiū capiebat: & mandata exponenti centurioni pręcepit, ut accumberet. Ille moram excusans, redeundum sibi testatur ad dominum. Rex subinde, quia edere nollet, aureū poculū porrigit. Ille porrectū exhausit. Alacritate proinde iuuenis & proceritate delectatus, poculū illi dono permisit: testatus, in ipso itinere festinanti non esse decorum manu aquam haurire. Ille promittit se tantum in acie sanguinis hausturum pręsente rege, priusquam terga eius quisquā uideret. Interea Succiæ rex Iutiam uastat. Vermundus hosti obuiam pergit. Graue prælium: multa utrinque eduntur funera. Ibi se regi suo Folco centurio sub oculos infert, operā militarem strenuè nauans. At ubi congressus hosti uulnus accepit, parumper secedens, poculum cruore impleuit, ac se oculis regiis reddens haurit: Ecce, inquit, rex, adsum, memor promissi: hæc dextera faciet, ut hodie uideas hostem fugientem. Hortatus cæteros fertur in aduersam aciem. Nec longè pòst Succiæ acies perrumpitur, multi ineunt fugam: rex ipse suos secutus, in naues refugit. Ita Dani uictores hostem retro egere. Cranz. lib. 1. Succiæ, c 22. ex Saxonis lib. 4.

PIVS II. Pont. Max. architecto ad summam futuræ impensæ longè præmetito, post perfectum opus addi centum iussit, dicens, desipere architectum, qui de impensa, quam nemo sit facturus, antè præfiniat. Campanus in eius uita.

IOCI.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, dum sacro interest, animaduertit presbyterum ignobilem in angulo Ecclesiæ dormientem. Ei igitur Canonicatum opimum, qui tum primùm uacauerat, nescienti contulit. Causam rogatus: Vt uerum id reipsa deprehendat esse, respondit, quod uulgò dicitur, Opes dormientibus superuenire fortunatis. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

OPERIS.

AVGVSTVS Cæsar XX mille seruos manumisit, ad restaurādum aggerem inter Misenum & Puteolos ab Hercule pelago oppositum. Sab. lib. 6. En. 1.

MODERATIO PECVNIARIA PER SE CONSIDERATA, quatenus non VTITVR, non fruitur. ET VEL

CONTEMNIT. DIVITIARVM Contemtus in GENERE.

POPVLI.

In Tygris alueō oppidum est BABYTHACE, cuius incolæ mortalium soli aurum odio habent. Rauisius.

Apud MACROBIOS Aethiopæ populos, æs pluris æstimabatur quàm aurū: cuius tam uilis erat usus, ut eò pfecti Cābysis legati, sontes uiderint aureis cathenis in custodia uinctos. Herod. lib. 3. & Sabell. En. 1. lib. 2.

SCYTHARVM in contemnendis opibus libertatis, tum alij, tum Horat. 3. Car. 24. meminit:

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra uagas ritè trahunt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ:
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumq; laboribus
Aequali recreat sorte uicarius.

Sustulerunt è medio omnem auri & argenti usum SPARTANI, ex Lycurgi instituto, ferrumq; prætulerunt, utpote rem magis uitæ utilem, numo ex eadem materia percusso: certa persuasione, nullam ciuitatem diu duraturam, in qua luxus & auaritia præualerent. Sab. lib. 6. cap. 1. Xenophon in Laconum rep. & Plutarchus in Lycurgo. Anaxander Eurycratis quærenti, cur pecuniam in ærarium non cogerent: Ne, inquit, qui custodes ei præfecti sint, labefactentur. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PROPHETÆ.

SAMVELIS prophetæ integritas, qui nihil unquam à quoquam acceperit, 1. Reg. 12. & Ecclesiast. 20. commendatur. Neminem uerò moueat illud, quod in primo Regum libro legimus, Saulū uolētem ire ad SAMVELEM dixisse puero suo, ad eum se ire non posse, quia precium quod offerret pro uaticinio non haberet, & puerum respondisse: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli pecunię, & dabo uiro Dei, & annunciabit nobis uiam nostram: nō enim scriptum est, quòd Samuel acceperit, aut quòd illi obtulerint, quin potiùs à propheta pascuntur & inuitantur ad prandium. Sed fac eum accepisse, stipes magis æstimandæ sunt tabernaculi, quàm munera prophetiæ. Hieron. li. 1. com. in Micheā c. 3.

REGES, DVCES, MAGISTRATVS.

PELOPIDAS Thebanus in splendido fuit matrimonio: tulit etiam liberos. At nihilo attentior ad rem, omnemq; uitam in procuratione reip. consumens, facultates attriuit suas. Cùm autem admonerent illum amici, suggererentque rem ipsum necessariam negligere, pecuniæ comparationē, Necessariam hercle huic, inquit, Nicodemo: commonstrans claudum & cæcum quendam. Plutarchus in Pelopida. In Apophtheg. Nicomedem habet.

PERICLES cùm urbem & remp. XL annis administrasset, quam magnam acceperat, maximam reddidisset atq; opulentissimam, potentia uerò multos reges & tyrannos superaret, quorum aliqui etiam liberis dominatus suos testamēto reliquerunt: nec uno numo fortunas suas, quas pater ei reliquerat, reddidit ampliores. Plut. in Pericle.

L.PAVLVS Aemilius, deuicto Perseo, uim ingentem auri, ingentē argenti ex regiis coactam thesauris, ne aspicere quidem sustinuit, sed quęstoribus, ut in ærarium deferrent, permisit. Libros regios tantùm studiosis literarū cōcessit filiis. Aelio Tuberoni genero suo phialam quinq; talentorū dono dedit, idq; argentum primum in eam familiam deuenit, quum ad id tempus ita pauper fuisset: ut Tubero cum quindecim eiusdem cognationis, modicis ædibus, paruoq; fundo uixisset. Sab.lib.8.En.5. Eo mortuo cùm germani eius filij P.Scipio & Q.Maximus uxori dotē reddituri essent XXV talentùm, iis conflictati sunt difficultatibus, ut id nullo modo possent, nisi & supellectili & mancipiis & quibusdā fundis distractis. Suidas & Plut.

C.GRACCHVS ex Sardinia rediens, orationem ad populū habuit, inter cætera dixit, Versatus sum in ꝓuincia, quomodo ex usu uestro existimabā esse, non quomodo ambitioni meæ cōducere arbitrabar. Ita uersatus sum in prouincia, ut nemo possit uerè dicere, assem aut eo plus in munerib. me accepisse, aut mea opera quēpiā sumtū fecisse. Itaq; cùm Romā profectus sum, zonas quas plenas argenti, extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alij uini amphoras, quas plenas tulerūt, eas argēto plenas domū reportauerūt. Gell.li.15. ca.12.

TIBERIVS Cæsar primis annis pecuniæ causa neminem occidit, neq; bona cuiusquam publicauit, neq; ultra constitutum quicquam exegit. Zonaras.

M.ANTONINVS Pius ab omni lucri genere abstinuit, quo ꝓuinciales offendi possent: quadruplatores amouit: si qui repetundarum damnati essent, eorum liberis bona restitui iussit, modò ea quæ parentes malè accepissent, ipsi prouincialibus redderent. Pontanus cap.44. de Liberal.

MAGNVS Sforcia opes semper contemsit adeò liberali iudicio, ut à signatæ pecuniæ nota oculos semper auerteret, uituperatis qui diro eius conspectu, & uenenata libidine gauderent. Iouius in eius uita.

LAVRENTIVS Lauretanus, dux Venetus nullum munus donùmue inferri intra ædes suas publicas passus est: nulla publicæ, nulla priuatæ pecuniæ uestigia sunt uisa, quæ iniustè obseruari possent. quod liberi quoq; eius post XX principatus patris annos, constantissimè, dum uiuerent, sunt amplexi. Egnatius lib.4. cap.3.

Io.PICVS Mirandula, triennio priusquam diē obiret, ut posthabitis dominandi curis in alta pace degere posset, securus quo sceptra caderent, cuncta patrimonia, quæ Mirandulæ Concordięq; possidebat, hoc est, tertiam partem earum, Io. Francisco nepoti ex fratre Galeotto tradidit. Quicquid autē ex hoc pecuniarum acceperat, partim pauperibus elargitus est, partim in emendis agris, unde & ipse, & eius familiares alerentur, exposuit, nominatimq; Corbulas in agro Ferrariensi multis aureorum millibus nummum sibi comparauit. Multa itidem uasa argentea, preciosasque supellectilis partes in pauperū usus distribuit. Io. Franciscus in eius uita.

DOCTI HOMINES, PHILOSOphi, Poetæ.

SOCRATES in pōpa cùm magna uis auri argētiq; ferretur, Quàm multa nō desidero, inquit. Cic.l.5.Tuscul. Laertius uerò, non auri argentiq; copiā tradit ipsum in pompa prospicientem id dixisse, sed multitudinem rerum uenalium, ut suspicari licet, in foro. Victorius lib.15. Var.lect.cap.18.

NAVMACHII iudiciū de diuitiis (quod deinde D. Augustinus & Bernardus imitati sunt, qui terram albam & rubram uocarunt) in Fragmentis poeticis extat:

χρυσός τοι κόνις ἐστὶ καὶ ἄργυρος, ἠδὲ ὡς αὐτοὶ
λᾶες ἐπὶ ῥηγμῖνι πολυψηφῖδος θαλάσσης·
πολλοὶ δ' ἐρρίφαται ποταμῶν παρὰ χείλεσιν αὔτως.
εἵματα δ' εἰναλίης ἐρυθαίνεται αἵματι κόχλου,
τοῖς ἔπι φυσιόωσι δ' ἀλίφρονες ἀστυλιῆες.

Aurum sanè & argentum puluis sunt, & qui reperiuntur lapilli in calculosa maris crepidine: multi aūt iacent ad ripas fluuiorum temerè. At uestes marinæ purpuræ cruor inficit, quibus inhiare solent stolidi nautæ.

DIOGENEM ut uidit in sole Alexander apricantem assistēs rogauit, Ecqua re opus haberet? Quo, Nulla, respōdente, nisi quòd peteret, ut paulum ex sole recederet: stupens ingentes eius spiritus, amicis ait: Nisi Alexander essem, Diogenes esse uellem. Plut. de Exilio.

ALPHÆI poetæ inter uetera Epigr. Græcorum extat tale:

οὐ στέργω βαθυληίους ἀρούρας,
οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης.
αὐτάρκευς ἔραμαι βίου, Μακρῖνε·
τὸ, μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.

Agros ego haud porrectiores appeto,
Non auream aut Gygis beatitudinem.
Quæ sit satis sibi uita, sat eadem est mihi:
Illud, Nihil nimis, nimis mihi placet.

TIBVLLVS li.1. Eleg.1. uotū suū liberale his uerbis explicat:

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor assiduus uicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas uitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

PARCENDO. FRVGALITAS, PARsimonia decora in genere.

Ouidius de AVREA ętate sic scribit lib.3. Amorum 7.

At quum regna senex cœli Saturnus haberet,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus:
Æraq; & argentum, cumq; auro pondera ferri
Manibus admorat, nullaq; massa fuit.
At meliora dabat, curuo sine uomere, fruges,
Pomaq;, & in quercu mella reperta caua:
Nec ualido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite fossor humum:
Non freta dimissi uerrebant eruta remi:
Vltima mortali tum uia littus erat.

NABATHÆI continentes sunt, & rei parandæ atq; conseruandæ intenti, & cùm pauci apud eos seruiant, frequentiùs consanguinei ministrant, uel alter alteri, uel quisquis sibi, ut etiam hic mos ad reges perueniat. Strabo lib.16.

In septentrionali Tigris alueo oppidum est BABYTACE: abest à Susis centum XXXV M. passuum. Ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt: id defodiunt, ne quo cui sit in usu. Plin.lib.6.cap.27.

ALCAMENEM Telecri filiū cùm quidā obiurgaret, ꝙ tā parcè frugaliterq; uiueret, cū tamē amplissimas possideret diuitias: Decet, inquit, cū qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine uiuere, significans, perniciosas esse diuitias, nisi adsit animus diuitiis superior, qui possit earū usum non ex copia, sed ex necessitàte moderari. Plut. in Laconicis.

M.ATTILIVS Regulus, cùm summis rebus præfuisset, adeò pauper fuit, ut se, coniugem, liberosq; toleraret agello, qui colebatur per unum uillicum. cuius audita morte, scripsit senatui de successore: destitutis enim rebus obitu serui, necessariam esse præsentiam suam. Front.lib.4.cap.3.

P.SCIPIONEM Africanum iuniorem memorant, annis quatuor & quinquaginta, quibus ferè in humanis egisse narratur, μηδὲν πωλῆσαι, μηδὲν ἀποδόσθαι, μηδὲν οἰκοδομῆσαι, id est, Nil emisse, nil uendidisse, nil ædificasse. Libras autem argenti treis & triginta duntaxat in magna substantia, & auri duas reliquisse: quum tamen in eius potestate uicta fuisset Carthago, ab unoq, imperatorū omniū milites locupletatos, ueteribus testatū memoriis sit. Plut. in Apoph. & Aelian.l.11.

M.CATO uestē nunquā induisse ait se, q̄ pluris esset centū denariis: uinū in prætura & cōsulatu idē quod & operas bibisse, epulas ad cœnā ex foro triginta cōparasse assibus. idque facere reip. causa, quò corpus suū esset ad perferendā militiā robustū: Stragulā uestē cùm ex pictis Babylonicā hæreditate accepisset, statim distraxisse: nullā uillā suā tectorio inductā: mancipiū nunquā plus mille quingentis denariis emisse: ꝙ nec molles nec formosos, uerū operosos & ualentes, ut equisones & bubulcos, quęreret: quos, ubi cōsenuissent, uenūdandos putabat, neq; alēdos inutiles. Breuiter nihil uilis esse precij, quod superfluū foret: sed quo nō indigeas, etiāsi uel asse ueniit, se carū ducere, cōparare arua & pascua potiùs, q̄ irriguos & nitidos hortos. Hęc sordibus eius adscribūt aliq: alij, quasi ad emēdandos & reprimēdos cęteros astringeret semetipse arctiꝰ, cōprobant. Plut. in Catone.

M.Tul.Cicero L.CRASSO & Q.SCÆVOLÆ nō merā elegātiā, sed multā parsimoniā mistā laudi dedit: Crassus, inquit, erat parcissimus elegantiū, Scęuola parcorū elegātissimus. Olim nāq;, usq; ad ætatē M. Catonis, Elegans de eo dicebatur, qui nimis læto amœnoq; cultu uictuq; esset. Postea elegans reprehendi quidem desiit: laude tamen nulla dignabatur, nisi cuius elegantia erat moderatissima. Gell.li.11.c.2.

T.POMPONIVS Atticus, nobilis eques Romanus, & familiaris Ciceronis, singulari abstinētia ꝓditus fuit, ut qui ab omni ꝓcul egerit ambitiōe, & ꝑter patrimoniū nihil ęquā appetierit, nec ædificator, neq; emax fuerit. Corn. Nepos.

NICOLAVS Cusanus Cardinalis, doctrina magnus, uirtutum omni genere clarus, tanta frugalitate fuit, ut in cœna etiam lucernis oleo infuso cādelarum loco uteretur. Quod æmulis reprehendendi ansam dedit, quasi piaculum foret Apostolorum imitatorem ad lucernas cœnare. Hieron. Garimbertus lib.3. de Vitis Pontificum.

FRIDERICVS III. Imp. tenacior & nimis ad rem attentus plerisq; uisus est. Id fecēre Sigismundus & Albertus Cæsares præcedentes, quorum prodigalitati collata cuiusuis liberalitas, auaritia uideri poterat. Aen. Syl. cap.22. Europæ.

BEATVM Rhenanū uirum doctiss. ob nimiam parsimoniam sui seculi homines reprehēderūt: unde uulgatus ille uersus,

Beatus est beatus, attamen sibi.

Io. Sturmius tamen frugalem, non parcum fuisse prædicat.

MODE

MODERATIO PECVNIARIA, LIBERALITAS, MAGNIFICENTIA, IN GENERE CONSIDERATA, Respectu aliorum. Et uel

ABSQVE CERTAMINE.

QVI ALIORVM LIBERALITATEM FOuent, ornant.

☞ *Ex loco Iustitiæ Distributiuæ huc quædam.*

NABATHÆI eos, qui opes suas imminuūt, publicè multāt: eos uerò qui augent, honore afficiunt. Strabo lib.16.

PRODIGALITATEM

Accusant, Reprehendunt.

PHOCION filium suum Phocum, qui plura solito obsonia coemerat, obiurgans, ita comminatus est ei: Si plura quàm secundùm naturam uesceretur, uel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. Docuit filium uir sapientissimus, frugaliter esse uiuendum, cùm natura paucis contenta esse soleat: q̄ si obsōnio obruitur nimio, pœna statim in promtu est, quæ in uariis morbis illicò se ostendit. Stobæus Sermone 20. & 15.

Diogenes Babylonius in lib. de Nobilitate, Phocum, inquit, Phocionis filium, nullus est ex ATHENIENSIBVS, q nō oderit, cui quisquis obuius fiebat, O deturpans antiquorū tuorum nobilitatem, dicebat. Athen.lib.4.c.20.

Spectantibus aliquando nouos tragœdos Atheniensibus histrio, qui proditurus erat in scenam, personam poposcit choragum reginę, ac multas eximiè cultas pedissequas. Nō præbente illo, stomachabatur, tenebatq; suspēsum theatrū, progredi abnuens. At choragus MELANTHIVS propellens in medium clamauit: Non cernis Phocionis uxorē unā cum ancilla semper incedentem? tu uerò insolens es, peruertisq; mulieres. Hanc uocem exauditam excepit theatrū ingenti plausu & strepitu Plut. in Phocione.

M.CATO quæstor cum P. Scipione ad bellum in Africā missus, ubi uidit eum pecuniam effundere in milites, admonuit eum liberè: nec tanti sumtus demonstrauit se facere, sed ꝙ militib. ad uoluptates & luxū affluentia ultra res necessarias traductis, patriam frugalitatē labefactaret. Cui cùm respondisset Scipio, non indigere se quæstore nimiùm attento, qui ad bellū plenis ueheretur uelis (factorum enim debere se, nō pecuniæ, populo rationem reddere) discessit Cato ex Sicilia, & cum Q. Fabio Maximo infinitæ pecuniæ dissipationem Scipionis, eiusq; luxuriosas in palæstris & theatris cōmorationes apud patres insectans, quasi non exercitum ductaret, sed dies festos agitaret, effecit, ut mitterentur ad eum Tribuni plebis, qui si ita rem habere cōperissent, retraherent eum Romā. At Scipio cùm in belli apparatu ostēdisset uictoriā, notassentq; illi eum uiuere per ociū cū amicis hilariter, ac minimè esse ob liberalitatem in seriis & grauibus reb. socordē, profectus est ad bellū. Plut. in Catone.

IDEM eum, qui prędiū maritimum uenum dederat, demirari finxit se, ut pelago ualidiorē. Quod enim, inquit, illud ægrè lambit, id hic facilè deuorauit. Plut. in Apoph.

HYBREAS liberè reprehendit M. Antonij profusionem, qua unius anni spacio CC talentorum millia Asiæ tributis exacta profligauit. Quærenti enim aliquando pecuniæ inopiā fertur dixisse: Si tui ad te, Antoni, exactam pecuniam non deferunt, eorum iniuriam meritò accuses. Cæterùm si delata est, nec tanta uis auri te explere potuit, nulla nobis spes reliqua eorū quæ supersunt. Plut. in Antonio, & Sab.lib 8.

ALEXANDER Seuerus sapientissimè dicere solebat, Malum pupillum esse Imperatorē, qui ex uiscerib. prouincialiū, homines nec necessarios, nec reipublicæ utiles, sua prodigalitate pasceret. Pontanus lib. de Liberal. c.11.

ALFONSVS rex profusos homines cisternæ rimosæ persimiles dicebat, quas ut nullꝰ impleret imber: sic hos nulli, quātuis magni prouentus, rerumq; compendia exatiarent: fieriq; propterea, ut haud multo pòst dissipando exhausti egerent. Idem cap.9.

Refrænant.

VESPASIANVS Cæsar ad luxuriam nepotum coercendam auctor fuit Senatui decernendi, ne filiorum familiâs fœneratoribus exigēdi crediti ius unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Suetonius.

Castigant, Puniunt.

☞ *Vide Tit. Prodigalitatis pœna, sub loco Iustitiæ Correctiuæ.*

TIBERIVS Cæsar, præterquam quòd censum senatorium iuuit, & honestam paupertatem innocētium subleuauit, prodigos uel senatu mouit, uel loco cedere coegit. Suetonius.

Reuocant, Rescindunt. Donationes prodigas reuocare.

IPHORI, cùm Agesilaus semper, ut quisq; inter senes renunciatus esset, ei bouē honoris causa mitteret: multam ei dixerunt, adiecto elogio, ꝙ blandimētis & beneficiis cōmunes ciues, proprios suos redderet. Plut. de Pietate erga fratres.

GALBA Imp. liberalitates Neronis nō plus decimis cōcessis, per quinquaginta equites Rom. ea conditione reuocandas curauit exigendasq;: ut & si quid scenici, aut xystici donatū olim uendidissent, auferretur emtoribus, quādo illi absumto precio soluere nequirēt. Sueton. & Plut. in eius uita.

BASILIVS Macedo ut primùm occœpit imperiū, senatu ac magistratib. aduocatis, ærariū Imperatoris aperuit: inq; eo de tanta pecuniæ copia nihil reliquū inuenit, ꝑter tria centenaria. Re deliberata, consentientib. suffragiis, est decretū, Vt q pecuniā malis rationib. accepissent, eā ærario restituerēt. Ipse Basilius mitigata sentētia dimidiū reddi iussit. Hoc modo CCC auri cētenaria ęrario recuperata sunt. Cedren.

HADRIANVS VI. Pont. primo aduētu ex Hispania Cardinales oēs offendit: nā præmia quæ illi triumuirali magistratu, ipso absente, benemeritis de republ tribuissent, ita antiquatis decretis irrita fecit, ut officia aliquot, uel grauissimis de causis dono data, repeteret. Dicebat.n. sibi inopi, postquam ærarium penitus esset inane, ea pecunia opus esse ad tuendam pontificij nominis dignitatem: nec debuisse Cardinales, alioqui rei suę minimè profusos, liberalitatis laudē ex aliena pecunia quæritare. Eodem etiam consilio uenalitia officia his omnibus protinus ademit, quę singulari benignitate Leo X pontifex literatis uiris & præcellentib. ingeniis uirtutis causa tribuisset: ita tamen ut eius inusitatæ acerbitatis inuidiam humanissimis uerbis deliniret: cùm ea detrimenta se totidem sacerdotiorum reditibus pensaturum polliceretur. Mox cùm equitum S. Petri, & annonæ præsidentium officia, sublatis aut dimidiatis redditib. deteriora reddidisset, multis ordinibus aulæ & ciuitatis inuisus esse cœpit: nam pleriq; uniuersam patrimoniorum substantiam & totius uitæ laborum atq; industriæ fructus, in officia contulerant, allecti scilicet ubertate prouentus, cùm pecuniæ sub fide publica pontificib. creditæ, supra decumam in annum liquidissimè responderent: sed oppigneratis prouinciarum uectigalib. atq; portoriis tantæ facultates minimè supererant, ut debitæ pecuniæ tenore illo ueteris instituti persolui possent. Hinc fiebat, ut pontifex contra naturam suam ab inopia tenacior & illiberalior effectus, iniquitatis & auaritiæ calumniam subiret: ne, uti ipse crebrò dicere solebat, dum omnibus satisfacere contendit, omnibus demùm decoquere cogeretur. Eo decreto exacerbatis officialium animis, quando quisq; se impotenter exutum bonis, & sub fide publica deceptum graui uociferatione quereretur: Marius Placentinus, uir togatus, sacratiq; nominis, desperatis honestæ uitæ commodis, immane facinus confodiendi pontificis uæcordi animo cōcepit: ita ut cùm egressurum cubiculo aliquandiu expectauisset, sese demùm eodem ferro transuerberaret, siue impetu commotę bilis, siue atrocioris supplicij timore, quòd rem communicasset, nec constituto in loco socius facinoris, uti crediderat, esset repertus. Iouius in Hadriano VI.

AVARITIAM

Oderunt, Vituperant, Reprehendunt.

☞ *Consule Tit. Auaritiæ prudens, item libera reprehensio.*

THEBANIS lex data est, ut ad publica munera nemo accedat, nisi annis X à mercimoniis cessarit. Adeò exosam habuerunt usuram, quam Reipublicæ pestem esse putabant. Alex.ab Alex.lib.4. c.6.

ALEXANDER Magnus uicta Asia æs alienum exercitus creditoribus de suo dissoluit. Ibi tum Antigenes luscus obęratum simulans se, falsò nomē dederat, adductoq; certo ad mēsam, q affirmauit se ei dedisse mutuò, repręsentauit ei pecuniā. Eo postea mendacij cōperto exarsit rex, summouitq; eum aula, atq; præfecturā ademit. Fuit bello bonus Antigenes, ac iuuenis etiamnū, cùm obsideret Philippus Perinthū, intorto ex catapulta in oculū suū telo, nō paruit eximere telum uolētibus, neq; pugnā remisit priùs, q̄ urgēs pepulisset atq; intra muros redegisset hostes. Nō modicè ergo tulit in ꝓsentia ignominiā: uerū præ se tulit, dolore & mœrore manus sibi ipsum allaturū. Id timēs Alexander, irā deposuit, & ipsum pecuniā eā iussit habere. Plut. in Alexan. & Diod.l.17.

DROMICHAETES Getarum rex, in Thracia capto Lysimacho Hellesponti rege, admiratione uirtutis eius, eū humanissimè tractauit, suamq; paupertatē ei ostendens, monuit, Ne talibus mortalibus bellum inferret, sed eis potiùs amicis uteretur. Inde donatum hospitaliter Lysimachū, & amicitia sibi deuinctum, libertati restituit.

ANACHARSIS dicebat, nidere se ad nihil aliud numis utẽtes Græcos, quàm ad numerandũ. Plut. de Virt. prouectu.

DIONYSIVS senior ingressus domum ad filium, ubi cõspexit poculorum aureorum & argẽteorum magnam uim, exclamauit: Non es ad dominatũ natus, qui tam multis, quæ à me accepisti, poculis, amicũ tibi nullum comparasti. Plut. in Apophth egmatibus.

CLEOMENES Spartanorum rex, reprehẽdit amicum nimiũ frugalem, quòd hospitibus nigrum ius & offam pro more Laconicorum conuiuiorum apposuisset. Negauit enim in his uel apud hospites nimium Laconicè agendum. Plutarchus in Cleomene.

ANTIGONVS rex, uno de amicorũ grege Aristodemo, qui patre prognatus dicebatur coquo, cõsulente sibi, ut impensas & dona præcideret: Oratio tua, inquit, Aristodeme, olet ius. Plut. in regum apoph.

De M. CRASSO peculiare hoc narratur, cùm esset ipse intentissimus lucro, odio & conuitio persecutum fuisse sui similes. Plut. in Crasso.

D. HILARION unum de fratribus ad quintũ, ferè à se miliariũ manẽtem, quia comperiebat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem, & pauxillum habere numorum, ab oculis abegerat. Qui uolens sibi recõciliare senem, frequenter ueniebat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille uehementissimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem ureitis, sicut in mensa ad uesperum, exclamauit senex, se fœtorem eius ferre non posse: simulq; unde esset, rogauit. Respondente autem Hesychio, quòd frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis, inquit, putorem teterrimum, & in cicere fœtere auaritiã? Obice bubus, offer brutis animalibus, & uide an comedant. Quod cùm ille in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus solito mugientes, ruptis uinculis in diuersa fugerunt. Hieronymus in uita eius.

Castigant, Puniunt.

Vide Tit. Auaritiæ pœna, sub loco Iustitiæ Correctiuæ.

EPAMINONDAS armigerum suum odoratus à captiuo multum argenti cepisse, Mihi quidem, inquit, redde clypeũ, tibi uerò cauponam, in qua uitam trãsigas, mercare. Quia enim unus ex pecunioſorũ & beatorũ numero euasisti, noles posthac æquè discrimina subire Plut. in Apoph.

Procis, qui nuptias ambierant Lysandri filiarum, mox inopia eius post uitæ exitum erumpente, illis renunciauerunt, multam EPHORI dixere: quòd eum, cùm pecuniosum arbitrarentur, coluissent: iustum & probum ex tenuitate compertum repudiauissent. Idem.

CALPHVRNIA lege his, qui mercede corrupti, aut munere deliniti, candidatis obuiam issent, quiq; precio illos sectarentur, aut si prandium ad captandos animos, aut quid muneris exhibitum foret, præter pœnas legibus constitutas, etiam pecuniaria multa dicta fuit. Alex lib. 3. c. 17.

Cùm epulum Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo Romano daret, rogatus est Q. Aelius Tubero à Maximo, ut triclinium sterneret, cùm esset eiusdem Africani sororis filius. Atq; ille homo eruditissimus, ac Stoicus, strauit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & exposuit uasa Samia: quasi uerò esset Diogenes Cynicus mortuus, & non diuini hominis Africani mors honestaretur: quem cùm supremo eius die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quòd ille uir in Republica Rom. potissimum natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperiũ, ubi ille esset. Huius in morte celebranda, grauiter tulit P. R. hanc peruersam sapientiam Tuberonis. Itaq; homo integerrimus, ciuis optimus, cùm esset L. Pauli nepos, P. Africani sororis filius, his hœdinis pelliculis prætura deiecto est. Odit POP. Rom. priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas, sordeis & inhumanitatẽ multo minus: distinguit rationem officiorum ac temporum, uicissitudine laboris ac uoluptatis. Cic. pro Murena, & Val. Max. libro 7. cap. 5.

ANDRONICVS Comnenus, tyrannus cætera, in coercẽdis tamen suorum rapinis princeps optimus, ut eo imperante multæ prouinciæ colonis auctæ sint. Quæstores ad Andronici appellationem ita terrebantur, ut rapaces alioqui manus facilè ab alieno abstinerent, ac munera ultrò à prouincialibus oblata tanquam pestes auersarentur. Cùm magistratus in prouincias ablegabat, larga eis stipendia dabat: simulq; denunciabat, quas pœnas sua iussa negligentib. irrogaturus esset. Neq; enim publica munera uendebat, sed gratuitò habitoq; delectu magistratus ordinabantur. Itaq; multi olim profugi, & publicis calamitatibus penè immoriti, reuixerunt, pristina felicitate recuperata. Nicetas lib. 2.

FRANCISCVS ordinis Minorum pater (quibus solis [illegible] possidere lex est, ut mendicare necesse sit) dum iter ageret, incidit in hominem, cuius uestimenta diutino usu detrita, uix pudenda corporis operuerant: & nuditatem eius dolens subtristi, suspirauit, ingemuit. Frater uerò qui illum comitabatur: Quid, inquit, ita tristaris, pater? etsi hic indumentis eget, forsan abundat concupiscentiis. Tunc Franciscus, fraterni erroris non dissimulator, sed corrector, iussit protinus, ut ille sua se tunica exuens, pauperem tegeret: & quia de ipso perperàm opinatus fuerat, ab eodem ueniam rogaret: ac tandem disceret, nefas esse, miserorum mores fugillare, indigentiam negligere. Vtinam talem subire coganur mulctam, ne pœnis grauioribus obnoxij sint, qui medicor ob hoc solum interdum improbitatis arguuntr, & increpationibus repellũt, ut, quòd eis subuenire nolũt, iudicij esse uideatur, non impietatis. Marulus lib. j. c. 2.

IOANNES Aragonum rex XIIX. Christianos, qui cum fœnore pecuniam mutuassent, & omnes lenocinium facientes, ãmissis bonis, infames esse iussit, & tanquam latrones & nefarios homicidas exterminauit. Marinæus lib. 12. rerũ Hisp.

GALEACIVS Sforcia, dux Mediolanensis, cùm plebeiæ uidue lamenta audiuisset, defuncti mariti cadauer iam pertidũ domi asseruãtis, quòd sepulcri ab auaro parocho redimendi facultatem, egestatis causa, non haberet: præsentis tim locum redimi, terrã egeri, impio parocho cadauerinii. ci, eidẽq; contumulari uoluit, curauit, imperauit. Augustinus Gallus com. de Agricultura dialogo 19.

Refrænant.

M. CATO in fœnore coercendo asperior & durior, ex tota Sicilia fœneratores exegit, illamq; ære alieno obrutam, inpristinum decus restituit. Plut.

L. LVCVLLVS uicto Mithridate conuertit se inde ad urbes Asiæ. Eas publicani & fœneratores depopulantes, & similem in modum uexantes, prouinciales distrahere priuatim filios decoros filiasq; uirgines, publicè ornamenta, picturas, signa cogebant. Ipsis hic erat exitus, ut addicti seruirẽt creditoribus. Hunc quæ antecedebant, atrociora erant, fidiculæ, carceres, equulei, stationes sub dio per æstum in sole, hyeme in luto uel glacie. Eas pestes cùm Lucullus in oppidis reperisset, omnibus breui læsos uindicauit. Primùm censimam usuram nec suprà præcepit duci. Deinde eas, quæ sortem excessissent, circumduxit. Tertium & maximum fenxit, ut acciperet creditor debitoris quartam partem prouentuum. Si quis usuras capiti adiunxisset, his uniuersi credini exigendi ius denegauit. Ita intra quadriennium omnia nomina dissoluta, & possessiones sunt dominis restitutæ liberæ. Erat publicum hoc æs alienum nomine XX millium talentum, quæ Asiæ imperauerat luere Sylla. Huius summæ solutum creditoribus duplum est: quæ usuris redacta ing ab illis fuerat ad CXX. millia talentum. Illi uerò uelut magna iniuria icti Lucullum insectati sunt Romæ. Plut. in Lucullo. Hinc Ciceronis illa magis eloquens quàm probabilis actio pro Pompeio, qua simul & Luculli fama perstringitur, & afflictæ publicanorum fortunæ multa querela explicantur: nulli enim ordini eloquentia illa libentius suum præstitit patrocinium. Hinc ut arbitror res Luculli aliquot magnificæ & amplæ, in suspicionem sunt ad populum adductæ. Sed clades illa Asiana à XX millium talentorum tributo, quod uictor Sylla ipsi genti imperauit, originem habuit, & incrementum: quam prouinciæ calamitatem Lucullus magis ad tempus leuauit, quàm tollere potuerit. Sabellicus libro 4. Ennead 6.

TIBERIVS Cæsar, præsidibus onerandas tributo prouincias itadentibus, rescripsit: Boni pastoris esse, tondere pecus, nõ deglubere. Suetonius.

TRAIANVS Imp. correptus ab uxore Plotina, quòd calumniis suorum procuratorum prouinciæ diuexarentur, detestari cœpit improbos istos fisci liones. Sicut enim crescente in corporibus nostris liene, artus reliqui tabescunt: ita turgente principis fisco, reliqua ciuitatis membra macrescunt & ægrotant. Cuspinianus.

D. GREGORIVS Pp. cõsuetudinem quantumnis uetustam, illicitam tamen, [illegible] remouit ecclesia, loca sepulturæ pro pecunia uendendi, exemplum Abrahæ & Sichimitarũ imitatus, & consilium idipsum dat episcopo Messanensi lib. 7. Epist. c. 4. Idem epistola 55. Ianuarium episcopum Sardiniæ uehementer reprehẽdit, quòd à Nereide clarissi. fœmina centum solidos pro filiæ sepultura exegerit, adeoq; de terra cõcessa putredini quæstum fecerit, quod ne paganus quidem Ephron Sichimita erga Abrahamũ peregrinum cõmisit.

A MALCOLMO IV. Scotorum rege archiepiscopus Eboracensis Rogerus, summi Pontificis id tẽporis legatus, & publicè ob auaritiam male audiret, Scotia prohibitus est. Indignum enim, existimabat, temperantis aulã regis, regnumue, flagitiosis hominibus, quantumuis magnos gerentibus nores, patere. H. Boethius lib. 13.

Moris fuit apud Anglos, ut hæredes executoréue rationẽbo norum relictorũ reddãt episcopo uel archidiacono, coram eis iureiurando promittãt, se executuros, quæ demortui facienda constituissent: ex quibus bonis æstimatis ipsi episcopi aut archidiaconi uectigal aliquod, & idem pergrãde fœnumerò capiebant, non sine maximo hæredũ detrimento. At HENRICVS IIX. rex illud ad minimam pecuniæ summam redegit. Quo facto tam pio & sancto quàm iusto, ualde sũi populi commodis consuluit. Polyd. lib. 27.

PATAVINI, Monte pietatis uulgò dicto circa an. MCCCCXCI. instituto, Iudæorũ XXII mensas fœneratorias, quintam sortis annuatim exigentes, sustulere: Monte uigesimam tantùm accipiẽte. Bern. Scard. lib. 2. hist. Pat. classe 5.

VENETI iudicum auaritiam in ueneficis & strigis puniendis corumq; pòst bonis occupandis sustulere. Cardanus de Rerum uarietate lib. 15. cap. 80.

CVM CERTAMINE. INTER AGENTES. Contenduut

Hospitalitate.

Landinus scribit, BRETINORIVM urbem esse Romandiolæ splendidam, in monte supra Fõrum Liuij sitam, Guidonis à Prata (id uillæ nomen est intra Fauentiam & Rauennam) ac eius gentilium, aliarumq; familiarum insigni liberalitatis æmulatione inclytam: inter quos persæpe contentiones oriebantur, quum aduenis in urbem accedentibus, eos hospitio habere suo quisq; prę cęteris annitęretur. Qua de causa columnam in foro statuẽre, anulis pro numero familiarum appensis, suaq; cuiusq; nota insignitis. Ad quẽcumq; autem hospes deligasset equum, eius domum deducendi ac honorificè tractandi potestatem sibi factam esse magni muneris loco ducebat. Leander in descript. Ital.

Libertatis restitutione.

DEMETRIVS Poliorcetes Munychia præsidiũ eiecit, interfecto Dionysio duce: ac Demetrium Phalereum, qui rem ad paucorum potentiam reuocarãt, amouit: patriã Athenienses autem Philadelphus, in maiorẽ etiam libertatis spem Græcos erexit, Græcas urbes pleraſq; omnes libertate donauit, & fœdus Isthmiacum denũciauit, & Isthmia, ut libertate recepta, oleaginos ramos ferentes spectare iussit. Suidas.

Muneribus.

Primum in concionem accessum ALCIBIADIS largitionẽ ferunt habuisse pecuniæ, non quidem ex composito: sed cũ præteriret strepente populo Athenienſe, causam requisiuisse motus. Intellecto donatiuum populo datum à quibusdam, accessisse atq; largitum item de suo. Plaudente populo, clamoremq; tollente, oblitum ex gaudio fuisse cotumnicis, quam forte in pallio ferebat. Qua territa & auolãte, intendisse populum clamorem, ac consurrexisse frequentes, ut præstò essent ei ad auem capiendam. Cepisse autem Antiochum gubernatorem auem, atq; ei restituisse: inde charissimum fuisse Alcibiadi. Plut. in Alcibiade.

Norũagiæ rex GOTO, à Berone & Resone Tylensibus saluta tus, Resonem magni ponderis armilla donauit. Quo quidã aulicorum conspecto, neminem Gotoni parem humanitate affirmauit. At Reso quanquam gratiam beneficio deberet, GOTRICVM Daniæ regem ei prætulit. Vluo in dictæ laudis fidem etiam pignus deposuit. Eius proinde consensu Reso in Daniam pergens, Gotricum stipendia inter milites partientem inuenit. A quo? Quisnã esset, rogatus: Vilpeculæ sibi nomen esse, respondit. Cumq; risu quosdam, allios admiratione compleſſet, Et uulpem, inquit Gotricus, ore prædam excipere cõuenit. moxq; detractum torquem eri eius iniecit. Quem Reso dentibus exceptum confestim dextro carpo applicans, illum cunctis auro ornatum ostentabat: sinistrum uerò perinde atque ornamenti inopem occultabat. Quo ioco à rege alterum insuper accepit. Igitur reuersus in Norũagiã Reso, concertatorẽ pignus exoluere recusantem occidit, filiamq; Gotonis captiuam Gotrico adduxit. Saxo lib. 8. & Cranzius lib. j. Norũagiæ, c. 35.

Aedificatione.

Cùm PERICLES magnificis ædificiis Athenienſium urbem impleret, inimici eum maximè mordebant, traducebantq; in concionibus: fœdum uociferantes id populo esse & probrosum, quòd publicam Græciæ pecuniam ex Delo ad se transtulisset. Contra id autem, quo uti speciosissimo, aduersus exprobrantes, obtentu poterat, metu se id inde sustulisse Barbarorum, ut rem communẽ tuto loco seruaret: hunc Periclem præcidisse, neq; uulgari uideri Græciã affici iniuria, imò planè opprimi tyrannide, cùm cernat, quæ necessariò ipsa in bellũ contribuit, his Atheniẽses urbẽ deaurãtes, & exornantes signis delubriſq; sumtuosissimis: insolentis more mulieris, quæ gẽmis seſe preciosis excolat. Igitur demonstrauit Pericles populo, cùm ipse defendat socios, & Barbaros arceat, nõ esse ipsum obstrictũ, ut referat rationes illis, qui nõ equũ, non nauẽ, non militẽ, sed pecuniã solùm præbeant, quæ non dantiũ sit, sed accipientiũ: modò præstent id, cuius gratia recipiãt. Debere uerò, quia abundẽ ciuitas necessariis instructa ad bellum sit, conuertere eam copias suas in hæc, quæ perpetrata sempiternam gloriam, dũ in molimine sunt, quæstum pariant præsentem. quòd uaria opificia instituerentur, uaria etiam ministeria: quæ quia omneis excitatura artes essent, & manus omnes motura, ciuitatem facerent penè aniuersam mercenariã, dum semetipsam decorat & alit. Oratores, qui Thucydidis erãt assecle, Periclem sumtuosis ædificiis pecuniã dilapidare, & uectigalia euertere criminabantur. Ibi pro concione, an multũ impensum esset, requisiuit ex populo. Permultũ uerò, cùm respondisset: Ne ergo uobis, inquit, sed mihi referatur expensum, meumq; ipsius nomen his monumentis inscribã. Sub hoc Periclis dictũm uel uiri magnitudinem animi obstupescentes, uel de operum eum eo certantes gloria, sublata uoce, Ex ærario impenderet, erogaretq; , nullo sumtus respectu, iussere. Plut. in Pericle.

Vti AVGVSTVS Vrbẽ pro maiestate imperij ornauit, & quã lateritiam acceperat, marmoream reddidit, ita quoq; eiusdem hortatu principes uiri, publica quædam statuerunt opera. Martius PHILIPPVS Octauij uitricus ædẽ Herculis & Musarũ. L. CORNIFICIVS Dianæ. ASINIVS Pollio atriũ Libertatis. Numatius Planeus ædem Saturni. Theatrũ Corn. BALBVS. STATILIVS Taurus Amphitheatrũ. M. AGRIPPA tot opera & tam egregia, quàm nemo alius, & in his plures aquarum ductus. Nota uox est Augusti principis ad populum uini copiam impudentiùs efflagitantem, Satis ab Agrippa genero suo prouisum, ne ciuitas siti laboraret. Sab. lib. j. Enn. 7. ex Suetonio.

Sozomenus lib. 5. c. 2. refert, suo tempore adhuc in uiuis fuisse, qui indicarint, se ex aliis, qui suis oculis spectarint, audiuisse, quòd cum GALLVS & IVLIANVS Impp. Maximæ martyris monumentum maxima æde cingere instituissent, & partiti id opus fuissent, ut alter alterũ excellere magnificẽtia & honore certarẽt: Galli quidẽ ædificationẽ successisse, uerùm Iuliani opera alia subruisse, alia ex fundamẽtis, p ducta, ubi pauimentũ attigerint, nõ subsistitisse. Terra enim, ut Greg. Nazianzenus in oratione prima infamatrice in Iulianum ait, euomebat id quod à Iuliano laboratum erat. Et Nicephorus refert lib. 10. c. j. cementa & materiã aliam iectam, & in terrã tanquã uento ualido prostratã esse, & quosdam etiam lapides coniungi conglutinariq; nõ potuisse: & multos inde coniectasse, Iuliani animũ erga religionẽ minùs esse sincerum, sed propter Gallũ, eum pietatẽ simulare.

Ludorum magnificentia.

ANTIOCHVS Epiphanes L. PAVLI Aemilij magnificentiã in ludis superare nitebatur, legatos speculatoresq; in ciuitatem mittens, qui ea certamina nunciarẽt, quæ ab ipso in honorem Daphnes essent facienda: ita ut multum studium per uniuersam Græciam ad eum eundi conciaretur. Quorum triumphum & pompam Athen. lib. 5. c. 4. recenset.

AGENTEM ET PATIENTEM. Quatenus PATIENS beneficium

Accipit.

PHILIPPVS Amyntæ F. post Olynthi expugnationem pro concessa uictoria Olympiæ splendidissima peregit sacrificia: & conuocata ingenti hominum multitudine, certamina edidit pulcerrima: multosque hospites conuiuio accepit. Ibi sermonibus eo loco accommodatis usus, multis pocula manu sua porrigebat à se prægustata: non paucis munera est largitus. Animaduertens autẽ ex amicis quempiam SATYRVM nomine præ se ferentem nescio quid triste, rogauit, cur solus aliquid humanitatis suæ experiri non dignaretur? Illi munus aliquod ab eo se cupere dicenti, sed ulcereri ne intentione sua patefacta frustrà haberetur: Philippus exhilaratus, cùm promisisset quodcunque petiisset, se libentissimè concessurum, hospitis cuiusdam sui uirgines duas adolescentulas nouis maritis desponsatas, quę essent inter eius captiuos, se libenter recepturũ dixit Satyrus: non ut ex eo munere lucri aliquid consequeretur, sed ut addita etiam de suo dote, in matrimonium eas traderet: ne iniuriam tenera ætate indignam sustinere cogerentur. Philippus hanc petitionem libentissimo animo accipiens, uirgines duas statim Satyro condonauit. Diod. lib. 16.

IOANNES Alexandrinus patriarcha, qui pauperes dominos suos appellare solebat, cùm à DIVITE quodã, uile ac fordidum grabatuli illius tomentum miserãte, plumeam culcitram dono missam accepisset: ubi primùm ea substrata cubauit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se iacere quàm dominos suos. Cùq; illuxisset, culcitram uenundari, pecuniam pauperi erogari [illegible]dauit. At diues ille ab emtore redemtam, iterum misit, precatus ne munus suum ultrà uenale haberet, sed eo ipse

illis, qui nõ equũ, non nauẽ, non militẽ, sed pecuniã solùm præbeant, quæ non dantiũ sit, sed accipientiũ: modò præstent id, cuius gratia recipiãt. Debere uerò, quia abundẽ ciuitas necessariis instructa ad bellum sit, conuertere eam copias suas in hæc, quæ perpetrata sempiternam gloriam, dũ in molimine sunt, quæstum pariant præsentem. quòd uaria opificia instituerentur, uaria etiam ministeria: quæ quia omneis excitatura artes essent, & manus omnes motura, ciuitatem facerent penè aniuersam mercenariã, dum semetipsam decorat & alit. Oratores, qui Thucydidis erãt assecle, Periclem sumtuosis ædificiis pecuniã dilapidare, & uectigalia euertere criminabantur. Ibi pro concione, an multũ impensum esset, requisiuit ex populo. Permultũ uerò, cùm respondisset: Ne ergo uobis, inquit, sed mihi referatur expensum, meumq; ipsius nomen his monumentis inscribã. Sub hoc Periclis dictũm uel uiri magnitudinem animi obstupescentes, uel de operum eum eo certantes gloria, sublata uoce, Ex ærario impenderet, erogaretq; , nullo sumtus respectu, iussere. Plut. in Pericle.

Vti AVGVSTVS Vrbẽ pro maiestate imperij ornauit, & quã lateritiam acceperat, marmoream reddidit, ita quoq; eiusdem hortatu principes uiri, publica quædam statuerunt opera. Martius PHILIPPVS Octauij uitricus ædẽ Herculis & Musarũ. L. CORNIFICIVS Dianæ. ASINIVS Pollio atriũ Libertatis. Numatius Planeus ædem Saturni. Theatrũ Corn. BALBVS. STATILIVS Taurus Amphitheatrũ. M. AGRIPPA tot opera & tam egregia, quàm nemo alius, & in his plures aquarum ductus. Nota uox est Augusti principis ad populum uini copiam impudentiùs efflagitantem, Satis ab Agrippa genero suo prouisum, ne ciuitas siti laboraret. Sab. lib. j. Enn. 7. ex Suetonio.

Sozomenus lib. 5. c. 2. refert, suo tempore adhuc in uiuis fuisse, qui indicarint, se ex aliis, qui suis oculis spectarint, audiuisse, quòd cum GALLVS & IVLIANVS Impp. Maximæ martyris monumentum maxima æde cingere instituissent, & partiti id opus fuissent, ut alter alterũ excellere magnificẽtia & honore certarẽt: Galli quidẽ ædificationẽ successisse, uerùm Iuliani opera alia subruisse, alia ex fundamẽtis, p ducta, ubi pauimentũ attigerint, nõ subsistitisse. Terra enim, ut Greg. Nazianzenus in oratione prima infamatrice in Iulianum ait, euomebat id quod à Iuliano laboratum erat. Et Nicephorus refert lib. 10. c. j. cementa & materiã aliam iectam, & in terrã tanquã uento ualido prostratã esse, & quosdam etiam lapides coniungi conglutinariq; nõ potuisse: & multos inde coniectasse, Iuliani animũ erga religionẽ minùs esse sincerum, sed propter Gallũ, eum pietatẽ simulare.

Ludorum magnificentia.

ANTIOCHVS Epiphanes L. PAVLI Aemilij magnificentiã in ludis superare nitebatur, legatos speculatoresq; in ciuitatem mittens, qui ea certamina nunciarẽt, quæ ab ipso in honorem Daphnes essent facienda: ita ut multum studium per uniuersam Græciam ad eum eundi conciaretur. Quorum triumphum & pompam Athen. lib. 5. c. 4. recenset.

AGENTEM ET PATIENTEM. Quatenus PATIENS beneficium

Accipit.

PHILIPPVS Amyntæ F. post Olynthi expugnationem pro concessa uictoria Olympiæ splendidissima peregit sacrificia: & conuocata ingenti hominum multitudine, certamina edidit pulcerrima: multosque hospites conuiuio accepit. Ibi sermonibus eo loco accommodatis usus, multis pocula manu sua porrigebat à se prægustata: non paucis munera est largitus. Animaduertens autẽ ex amicis quempiam SATYRVM nomine præ se ferentem nescio quid triste, rogauit, cur solus aliquid humanitatis suæ experiri non dignaretur? Illi munus aliquod ab eo se cupere dicenti, sed ulcereri ne intentione sua patefacta frustrà haberetur: Philippus exhilaratus, cùm promisisset quodcunque petiisset, se libentissimè concessurum, hospitis cuiusdam sui uirgines duas adolescentulas nouis maritis desponsatas, quę essent inter eius captiuos, se libenter recepturũ dixit Satyrus: non ut ex eo munere lucri aliquid consequeretur, sed ut addita etiam de suo dote, in matrimonium eas traderet: ne iniuriam tenera ætate indignam sustinere cogerentur. Philippus hanc petitionem libentissimo animo accipiens, uirgines duas statim Satyro condonauit. Diod. lib. 16.

IOANNES Alexandrinus patriarcha, qui pauperes dominos suos appellare solebat, cùm à DIVITE quodã, uile ac fordidum grabatuli illius tomentum miserãte, plumeam culcitram dono missam accepisset: ubi primùm ea substrata cubauit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se iacere quàm dominos suos. Cùq; illuxisset, culcitram uenundari, pecuniam pauperi erogari [illegible]dauit. At diues ille ab emtore redemtam, iterum misit, precatus ne munus suum ultrà uenale haberet, sed eo ipse

frui uellet. Verùm nullo modo Ioannes tenere se potuit, qn rursum itidem faceret, ut priùs. Diues autem iam secundò recuperatàm eidem referri iussit: Videbimus, dicens, uter nostrûm citiùs defatigabitur, tu uendēdo, an ego redimendo. Ille modesto admodum risu excipiens: Deo gratias ago, inquit, quòd inituri sumus certamē, diuiti salubre, pauperi commodum, mihi iucundum. Itaq; quoties id muneris missum sibi accepit, toties uendendum curauit. Marulus libro primo, cap. 2.

Non accipit, Repudiat.

☞ *Huc refer Tit. Non accipere munera honesta quæ offeruntur. Nam qui offert, ἐν χερσὶ: qui repudiat, ἐν ψυχῇ liberalis est. Proinde certamen pulcerrimum certant.*

DAVID rex ab ARAVNA Iebusæo aream pro dedicanda ara liberaliter cum bobus oblatam, pari liberalitate respuit. Ex lib. 2. Reg. cap. ult.

ANTIPATER Macedonū rex dicere solebat, ex duob. quos Athenis haberet amicis, PHOCIONEM ut acciperet, Demadem ut satiaretur, efficere se nondum potuisse. Plutarchus in Phocione.

ALEXANDER Magnus, PERILLO cuidā ex amicis dotem filiabus suis petenti, talenta quinquaginta dari iussit. Qui cùm dixisset, Satis esse decem: Nempe tibi, inquit, accipere: mihi non satis donare. Plut. in Apoph.

ALCIBIADES Socrati præceptori lautissima munera miserat. Ea SOCRATES magno animo accipere recusauit. Xāthippe plurimùm instante, Sua est Alcibiadi, inquit, nobis etiam nostra sit ambitio. Alcibiades dando, Socrates non accipiendo, suam ostendit liberalitatem. Aelianus.

ATHENIENSEM quendam hominem, aiunt, non admodū locupletem, cùm omnia distraxisset, & quod inde erat redactum ad centum stateras, offerret Alcibiadi, quem deperibat, ut acciperet, orans: arridens lætusq; ALCIBIADES aurum homini reddidit, iussitq; ut redimentes postero die uectigalia publica, licitatione superaret, se sponsorem polliceus. Publicani itaq; ut hominem à redemtione pellerent, magnam illi uim pecuniæ obtulerunt. Plut. in Alcibiade.

PHILIPPVS Macedo PHILONI Thebano benè de ipso merito & hospiti, cùm ageret Thebis obses, qui pòst nullū ab se munus admittebat, Noli me, inqt, si beneficiis & meritis uictus sim, inuicti gloria spoliare. Plut. in Apopht.

Senatus populusq; ROMANVS, longo ac graui Hannibalis bello exhaustus, contra Antiochum Syriæ atq; Asiæ regem sumere arma coactus est. Itaq; cùm Aegypti rex PTOLEMÆVS, præter magnam uim frumenti, mille auri, atq; totidem argenti pondo ei offerret: PHILIPPVS quoq; Macedonum rex, milites auxiliares, pecuniam & frumenta: Senatus populusq; Romanus uerbis grauissimis cùm gratias egisset, nulla re accepta à Philippo, hoc solū accepturum se dixit, ut Romanis ducibus aduersus Antiochum eam opē, quæ ipsi uideretur, ferret, ubi re aliqua eis opus esse contingeret. MASINISSÆ quoq; regis oratoribus, qui quingenta frumenti modiorum millia, ducēta ac quinquaginta hordei, præterea equos quingentos, elephantosq; uiginti offerebant, responsum fuit, Senatum populumq; Romanū frumentum duntaxat uenale accepturum. At CARTHAGINENSIVM legatis, qui post ēos, de quibus dictum est, ingentes commeatus classemq; offerebant, atque insuper tributum multorum annorum, qui nondum elapsi erant, dici iusserunt: Nihil Senatum ac populum Romanum à Carthaginensibus, nisi quod pacto tenerentur, uelle. Fulgosus libro 4. capite 3.

Anno Salutis MCCLIIX, cùm in Syria propter priuatas contentiones inter Genuenses Venetosq; graue bellum ortum esset, non sine Genuensium detrimento, quòd eodem tempore Pisani quoque hostes erant: LVCENSIS ciuitas oratores GENVAM misit, qui marcarum auri duo millia Genuensibus dono offerrent: rogantes ne munus Genuenses, sed animos mittentium inspicerent: eoq; interim auro uterentur, dum Lucenses aliam quoque pecuniam pararent. Genuenses hilari uultu Lucensium munus postridie integrum oratoribus restituerunt: atque ut ad grauiores casus Lucenses eam pecuniam seruarent, hortati sunt. Idem.

NEAPOLITANI, durante adhuc Annibalis bello, Romam XL aureas pateras magni ponderis per legatos munus populo Romano miserunt, omnesq; alias fortunas suas obtulerunt. Cæterùm non minor populi ROMANI grauitas atq; abstinentia fuit, qui minima lance ex munere accepta, alias ingentibus actis gratiis restituit: quanquam diuturno bello impensarumq; magnitudine pressus, in magnam necessitatem coniectus esset. Idem cap. 8.

Remetitur.

☞ *Vide Tit. Grati pro Muneribus, pro Hospitalitate, quatenus gratia gratiam parit.*

Cyrus, qui à Medis ad Persas imperium transtulit, quū in expeditione quadam coactus fuisset intrare regionem desertā, & omnium uitæ necessariorum inopem: tam graue subiuit discrimen, ut eius milites ob uictus indigentiam commilitonum corpora in cibum uertere compulsi fuerint. Ibi quū ARIMASPI currus frumento onustos ad XXX millia adduxissent, præter spem ab ingenti calamitate omnes sunt liberati: & CYRVS populum eum deinceps à tributis omnibus immunem esse uoluit, magnisq; insuper affecit muneribus, & priori demto nomine, pro Arimaspis Euergetas appellauit. Diodorus lib. 17.

XERXES cùm exercitu ex decies centenis millibus hominū constante in Græciam proficisceretur, PYTHIVS Atygis F. Phryx Celenius, regem cum exercitu hospitio excepit. Xerxes hominem ad se accersitum, Ecquantum possideret? interrogauit. Cui ille, Haud te, inquit, celabo, regū maxime, neq; dissimulare fas est. Posteaquam accepi te celerrimè ad mare uenturum, uolens tibi ad bellum pecuniam dare, subducta mearum pecuniarū ratione, comperi mihi esse argenti bis mille talenta, auri uerò quadragies centum millia nummûm Daricorum, septem millibus minus: quæ omnia adusum belli huius do tibi, Xerxes, dono: nam mihi uictus ex mācipiis & agricolis abundè suppetit. Cui hilari uultu Xerxes: Ego (inquit) Lyde hospes, ex quo Persidem egressus sum, neminem adhuc sum nactus, qui in meum exercitum li hospitalitate sit usus, tantūq; auri ultrò dono obtulerit. Ob quæ uicissim ego te meum facio hospitem: & ne ad ista quadragies centena millia aliquid desit, septē millia aureorum numûm tibi ex meo numerari iubeo. Tu hęc & cętera, quæ ad hunc diem possedisti, liberè habeto, talemq; te geras semper, hortor: neq; enim unquam pœnitebit te tuæ in regem liberalitatis. Sab. lib. 2. Enn 3.

ARTOXERXES Persarùm rex (qui iuxtà censebat regium esse & benignum, capere candido & alacri animo exigua, atque ingentia donare) cùm HOMO pertenuis & plebeius, cui nihil erat aliud, sumtam ex amne ambabus manibus aquam ei equitanti in itinere obtulisset, accepit hanc grato animo, arrisitq;, ex propenso animo dantis, non ex dati precio munus æstimans Plut. in Apoph.

EIDEM cùm malum punicum OMISES quidā inusitata magnitudine obtulisset: Per Solem, inquit, etiam urbē uir hic, si ei concredita sit, ex pusilla citò reddat amplam. Dum alia alij offerūt, in itinere homo tenuis, cùm nihil subitò ad manum haberet, ad amnem cucurrit, haustamq; manib. aquā obtulit ei. Ea re delectatus Artoxerxes, misit ei phialam auream cum mille Dariccis. Plut. in Artoxerxe.

COTYS Thraciæ rex illum, qui pardalim ei donauerat, remunerauit leone. Plut. in Apoph.

Cùm Taxiles unus ex Indiæ regibus occurrēs prouocaret ALEXANDRVM, ne dimicarent, nec bellum gererent: sed si cederet sibi, beneficia acciperet: sin præstaret, daret: De eo ipso esse certādum, respondit, uter meritis esset futurus superior. Idem.

DEMETRIVS Poliorcetes uictus à PTOLEMÆO Philadelpho, cùm ille omnes captiuos sine precio ad eum remisisset: non multo pòst simili liberalitate eundē superauit. Plut. in Demetrio.

Consuli C. FABRICIO scripserat Pyrrhi medicus epistolā, ostēdens se, si iuberet, sublaturū ueneno Pyrrhum. Eam epistolam transmisit Fabricius Pyrrho, ut consideraret monēs, pessimum ipsum esse amicorum & hostium æstimatorem. Compertis insidiis, PYRRHVS medicum suspendit, ac Fabricio captiuos sine precio reddidit. Quod munus nōn admisit: uerùm, ne capere uideretur mercedem, totidem inuicem restituit. Neq; enim gratificandi gratia Pyrrho detexisse insidias se: sed ne uiderentur eum Romani dolo necasse, quasi uincere nequissent. Plut. in Apopht.

ACHÆI quanquam honores T. QVINTIO Flaminio ob libertatem datam cumulatè decreuerant, nulla re tamen assequi uidebātur beneficia eius, nisi uno dono, quod omnib. ille prætulit. Id hoc fuit. Ciues Romani, quos belli Punici secundi perculerat clades, passim uenundati & distracti in seruitute erant. Græcia (Liuius habet Achaia) mille & CC numero habebat: semper quidem ob fortunæ uices miserabiles, sed tunc haud immeritò magis, cùm alij liberis, fratrib. alij, pars familiaribus, liberis serui, & uictorib. occurrerent captiui. Hos Quintius, quamuis illorum causa affligeretur, non extorsit dominis: sed Achęi eos quingentenis denariis in capita redemerūt, contractosq; unum in locum omnes paranti iam conscendere Quintio obtulerunt. Itaq; ille departit gaudio delibutus ob præclara facta, egregias remunerationes magnoque uiro & ciuium amante consecutus dignas. Quod profectò omnium ei uidetur ornamentum extitisse in triumpho splendidissimum. Plut. in Flaminio.

L. SYLLA nunquam ab ullo suorum amicorum se beneficentia superatum gloriabatur. Plut. in eius uita.

THEO-

THEODOSIVS Iunior Imp. multū pecuniæ misit ad archiepiscopum Hierosolymitanum, egenis distribuendæ: ac crucem auream lapidib. preciosis exornatam, quę in Cranio figeretur. ARCHIEPISCOPVS uicissim ei dono misit reliquias dextræ manus Stephani primi martyris. Eæ cùm essent Chalcedonem perlatæ, ea ipsa nocte Pulceria S. Stephanum uidit sibi dicentem: En impetrasti quod precibus petebas, & ego Chalcedonem ueni. Itaq; ea assumto fratre, obuiam sacris reliquiis istis profecta est: iisq; in Palatium illatis, magnificum templum B. Stephano condidit, inq; eo reliquias deposuit. Cedrenus.

MALCOLMVS II. Scotorum rex, uictis Danis, Sconam omnium ordinum indicto conuentu, regnoq; in partes, quas Baronias uocant, diuiso, cunctas opes agrosq; regios meritorum habita ratione ita diuisit, ut uestibulis publicis tumuloq;, in quo lapidea tum stabat cathedra, pauculisq; reditibus Christi ecclesiæ donandis exceptis, ad sui atq; familiæ sumtus prorsus nihil relinqueret. BARONES uerò (ita illius tēporis Equites appellabantur) ne non suppeterēt ad regiam dignitatem facultates, ut cuiuscunq; agri domino excedente ex humanis, hęres, cuiuscunq; sexus, usq; ad alterum supra uicesimum ætatis annum, regis esset sub tutela, grata liberalitate statuerunt: ea quidem lege, ut quicquid per id tempus eo ex agro emolumēti prouenirет (Vardiam eum usufructum uocant) unusq; inde anni eiusdē agri census (quem Releuiam uulgò aut Releuatam dicunt) uniuersa cum hæredis dote, si nullam eius desponsationem uiuēs pater fecisset, quum in hæreditatem admittitur, fisco penderetur regio. Cuius facti cùm regem post aliquot annos pœnituisset, & leuiss. de causis Barones aliquot capitali supplicio affecisset, prædia eorundem publicasset: à cōiuratis noctu interfectus est. H. Boethius lib. 11.

VENETI Imperatori Romano pannum aureum tributi loco debebant quotannis. Is ab OTHONE III. Imp. Veneto nomini in perpetuum remissus fuit, cùm ignoto habitu Venetias exoluendi uoti causa uenisset, benigneq; à Petro Vrseolo principe hospitio exceptus esset. Sabellicus libro 2. Ennead. 9.

CLEMENS VII. Pp. & FRANCISCVS I. Gallorum rex muneribus certarunt. Acceptum enim à Pōtifice dono monocerotis bicubitale cornu, aureæ cælatę basi inclusum, ad depellenda epulis uenena: Rex latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte, suprema Christi cœna cum discipulis serico atque auro intexta uisebatur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis transmiserat. Iouius libro trigesimoprimo Historiarum.

MODERATIONIS PECVNIARIÆ, LIBERALITATIS IN GENERE, FRVCTVS

DIGNVS.

☞ *Ex loco Gratitudinis huc non pauca transferri poterunt, quatenus Liberalitati par rependitur uel eiusdem uel alterius generis gratia.*

DEI FAVOR, AMOR.

ZACHÆVS publicanorum princeps, & ipse diues, eodē die, imò eadem hora, qua se bonorum suorum partem dare dixit pauperibus, oraculum accepit, salutem factam esse domui suæ: seq; non iam inter publicanos & peccatores, sed inter Abrahæ filios computari. Marul. lib. j. c. 2. ex Lucæ 19.

CORNELII, Italicæ cohortis centurionis, eleemosynæ (ut in Actibus Apost. legimus) ascenderunt in memoriā in conspectu Dei: atq; ad illum adhuc gentilem, angelum de cœlo, & Simonem Petrum ab Ioppe, Cæsareā usq; euocarunt: dignum utiq; reddentes, qui cum angelo colloqueretur, ab apostolo baptizaretur, à Spiritu sancto, priusquā baptizatus sit, uisibiliter illustraretur. Adeò ut & qui aderant ex circumcisione fideles, mirati sint, Spiritus sancti gratiam etiā in gentibus esse effusam: & Petrus in ueritate se comperisse dixerit, quia non est personarum acceptator Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiā, acceptus est illi. Idem.

EVSTOCHIVS sub Cæsare Traiano magister equitum, super cornibus cerui, quem uenando insecutus fuerat, Christum in cruce fulgentem uidit. Qui dum, ob ipsius erga inopes beneficia, ei se apparuisse diceret, ut mysteria ueritatis reseraret, credentem baptizari iussit. Sic, qui charitate iuuerat miseros, fide inter uerè felices receptus fuit. Idem.

D. MARTINVS catechumenus adhuc, cùm militem ageret, in porta Ambianēsi occurrit ei pauper nudus. Verùm cùm præter arma & chlamydē nihil haberet, gladio uestem mediam discidit, & pauperi eam dedit. Ea deinde nocte Martino in somnis Christus uisus illa chlamydis parte cōtectus, hac uoce, Martinus catechumenus hac me ueste contexit. Seuerus Sulpitius in eius uita, & Bonfin. lib. 5. Dec. j.

IDEM postea Turonensium episcopus factus, cùm in uestibulo ecclesiæ offendisset hominem detrita lacerna seminudū, in sacrarium euocato, tunicam quam sub pallio solam habebat, dedit. Allato sibi demùm collobio, indutus ac superindutus podere, reliquisq; sacerdotalib. ornamentis, dū sacra peragit, atq; inter agendum ambas suppliciter manus ad cœlum tollit, delabentibus lineis brachia nudata ostendit. Sed priusquàm ea demitteret, amicta apparuēre tegumento mirabili. Vt scilicet miraculo admoniti crederemus, eum qui indigentes uestierit, uestiendum cœlestis gloriæ lumine, cùm Dominus Iesus Christus transformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suę. Marulus lib. j. c. 2. & Fulg. lib. 4. c. 8.

LEO IX. pontifex, summa erga pauperes liberalitate, cùm ante fores suas leprosum pauperem inuenisset, eumq; in lecto suo collocari iussisset: apertis mane à ianitore foribus, nuspiam pauper inuentus est, sed Christum pauperis habitu ibi recubuisse creditum. Platina.

Ioannes Diaconus in uita Gregorij refert, GREGORIO Magno tribus uicibus angelum in specie naufragi apparuisse, ab eoq; eleemosynam petiisse, ac consecutum quoq; esse. Tandem uerò tantis miraculis condecorasse Gregoriū, ut omnibus exemplo ac terrori esset. Lib. 2. cap. 22. commemorat, Christum in formà peregrini uenisse ad Gregorium: cui cùm aquam fundere uellet ad lauandas manus, euanuerit: eademq; nocte per uisionem ei dixerit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Addit, à Gregorio non expectante dum aduenirēt peregrini, sed etiam per fora & compita eos quærēte & inuitante, angelum susceptum hospitio: qui postea aperiens sese, promiserit ei, propter liberalitatem quam erga egenos & pauperes exercuisset, pontificatum Dei nomine.

Greg. Magnus in Euāgelia, homilia 32. recitat historiam miraculosam de MATRONA orante: quòd egrediēs, duos peregrinos sub habitu monachorum inuenerit angelos, quibus cùm uellet erogare eleemosynam, subitò euanuerint.

BEATITVDO. VITA ÆTERNA.

THOMAS apostolus ad Gondophorum Indiæ regem ꝑ architecto nō terreni (ut ille putauit) sed cœlestis ædificij missus, cùm magnam pecuniæ uim in ædificandæ regiæ sumtus accepisset, profecto in aliam prouinciam rege, argentū omne pauperibus diuisit. Quod ubi innotuit regi, uinctus ductus est in carcerem. Interim Gad frater regis elatus, cùm die quarto reuixisset, testatus est uidisse se in cœlo mirabilis structuræ basilicam, gemmis auroq; fulgentem, atq; audiuisse à Thoma regi conditam, nisi ea se ipse fecerit indignum. Rex itaq; rediuiui fratris tum miraculo attonitus, tum uerbis permotus, apostolum uinculis liberat, Christū prędicanti credit: & credens intelligit, nō in terra, sed in cœlo eleemosynis paranda esse mortalibus habitacula. Marul.

EVAGRIVS philosophus Alexandrinus, inter alia Christianę religionis dogmata, etiam de hoc dubitabat, quòd eleemosynam pauperi largiendo, recepturus esset centuplum cum uita ęterna. A Synesio Alexandriæ episcopo cōuersus, attulit ei CCC auri libras, quas ille pauperibus distribueret: dæta sibi cautione manu propria scripta, Deum ista redditurum. Episcopus pecunia accepta, dataq; syngrapha, eam inter egenos distribuit. Philosophus autē aliquot annis pòst moriturus liberis suis præcepit, ut sibi in manum insererēt syngraphā istam, atq; sic sepelirent. His ita factis, tertio pòst die episcopo in somnis uisus est Euagrius, ita loquens: Accede ad sepulcrum meum, episcope, & recipe syngrapham tuam: redditum est enim mihi debiti centuplū, neq; habeo quod à te exigam: sed & quò pleniùs tibi caueretur, manu mea subscripsi. Diluculo episcopus, philosophi filiis ad se uocatis, clero comitante, ad sepulcrum accessit. Eo aperto, inuenerunt philosophum sedentem, manumq; cū charta protendentem. Qua aperta, in conspectu omniū episcopus inuenit recēns manu philosophi subscriptum ita: Euagrius philosophus sanctissimo episcopo, domino meo Synesio S. Scias, pater, me centuplum debiti recepisse, neq; eo nomine habere, qd' abs te exigam. Hoc audito iussit episcopus schedā in armario asseruari. Cedrenus.

VITA RESTITVTA.

Pro TABITA Dorca, pauperum, quibus illa se benignā conficiendis uestibus præbuerat, obsecrantium uoces apostolū Petrum compulerunt, ut illi iam conclamatæ, ad pristinam uitam reditum à Domino impetraret. Act. 9.

Pro DRVSIANA egenorum Ephesi turba Ioāni apostolo occurrens, ut quam illi tunc efferebant, ipse protinus susciraret, obtinuerunt, dum uestes ab ea acceptas ostentant,

dum

dum illa incolumi se nunquam famam timuisse affirmant. Mulier igitur ad uocem Apostoli à morte uelut à somno exurgens, illum suscepit hospitio, solitaq; subsidia pauperculis misit: nunquam pietatis deserens officium, ob quam & ad hanc uitam redire illi licuit, & proficisci ad æternam. Marulus lib. j. cap. 2.

Incorruptibilitas.

Narrat Beda lib. 3. c. 6. Ecclesiast. histor. Aidanum OSVALDO regi Anglorum, pauperibus de mensa sua dapes & argenteum discum in frusta contusum minutatim distribuenti, dixisse: Nunquam inueterascat hæc manus. idq; sic cueniſſe. Nam eam manum cum brachio, in acie à reliquo corpore auulsam, adhuc durare incorruptam.

Fœcunditas.

EVPHEMIANVS Romanus, & Aglaë uxor eius, quotidie positis tricliniis, pauperes domi conuocatos reficiebant, propriis manibus ministrantes. Steriles priùs susceperunt sanctissimum uirum Alexium. Quo unico contenti, deinceps continentiam inter se perpetuò seruarunt. Tot igitur fructus produxit eleemosyna, ut sterili partum daret, partui sanctitatem, parētibus castitatem, omnibus paradisum. Marulus lib. j. cap. 2.

Pulcritudo.

PHAON portitor Lesbius, cùm Venerem incognitam gratis transuexisset, ab ea unguentum accepit: quo delibutus, omnium euasit formosissimus, ita ut nō Sappho tantùm, sed omnes alias puellas in sui amorem pertraheret.

VTILITAS, LVCRVM, INCREMENTVM BONORVM. CENTVPLVM.

ISRAELITA quidam, inter eos, qui à Salmanassare abducti sunt, dives auarus fuit, qui cùm sacerdotem cōuenisset, hæc uerba Salomonis regis legentem, Qui miseratur pauperis, is Deo fœneratur: pœnitentia ductus, bona omnia pauperibus distribuit, duobus numis aureis seruatis. Ad summā igitur redactus paupertatem, iter Hierosolymam instituit, ut cum Deo suo coràm ageret, quasi fraude eius promissis inductus, sua erogasset. In itinere obuios habuit duos mendicos inter se contendentes de gemma quam inuenerant, cuius precium ignorabant, colorem tantùm admirabātur: & reprehendēs illorum stultitiam, offert illis duos numos, quos habebat reliquos, ut illōrum rixam dirimeret. Gemmam aurifici ostendit, mox Pontifici, qui monitus priùs ab Angelo, propediem affuturum peregrinum, qui gemmam ex Ephodo amissam reperisset: eam magna ui auri redemit, simul alapam impegit: Hæc, inquiens, Angelus Domini me tibi nunciare iussit: quòd bona tua pauperibus distribueris, triplum tibi diuinitùs redditum agnosce: néue Deo amplio dissidas, alapa quam tibi infligo monitus abito. Ille gaudio plenus, è templo discessit, relictis ad diuinum cultū omnibus. Cedrenus in Hist. compendio.

TIBERIVS III. Imp. quandò plus donauit pauperibus, tandò plus inuenit. Nam in palatio sub marmorea tabula reperit ingentem Iustini thesaurum, dum Crucis simulacrū pedibus calcare uetuit: & Narsetis thesaurum in Italiæ puteo defossum, senę quodam indicante reperit, post Narsetis interitum. Ex Sigeberto Cusp.

HADRIANVS II. pontifex, adhuc priuatus existens, Sergio II. pontifici familiaris fuit. A quo cùm aliquādo denarios XL. dono accepisset, domum rediens dispensatori mandauit, ut eos peregrinis & pauperibus, qui in uestibulo domūs suæ stabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cùm uideret, ne minimæ quidem parti tantula re satis fieri posse, ad Hadrianum rediens, rem ipsam exponit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes ueniens, & ternos denarios singulis præstitit, & toridē sibi, rei familiari satisfacturus, reseruauit, attonito dispensatore miraculo rei. Cui Hadrianus, Vides, inquit, quàm benignus & largus sit Dominus, his præsertim, qui liberales sunt in pauperes? Platina, & Antoninus Tit. 16. c. j. §. 10.

Diuus GERMANVS episcopus, quum eleemosynam oraretur, diaconum dispensatorem suum, quodcunq; pecuniarū est, in eos erogare iussit. At illi numorum inopiam causanti, Pauperes (inquit) situs pascit Deus: tu uerò, quod habes, pauperibus distribuito. Diaconus è tribus aureis duos erogauit, ut futuræ prospiceret necessitati. Paulò pòst quidam equites ducentos pontifici numos dono dant. Ergo ad diaconum mox conuersus, Accipe (inquit) quæ traduntur, & recognosce, te fraudem feciſſe pauperibus: quando si, quic quid tibi erat, inopibus erogasses, remunerator noster trecentos hodie reddidisset. Contremuit ille, conspicatus clam destinam suam culpam uirum sanctissimū latere nequiuisse. Bonfinius lib. 4. Dec. j.

BRIGIDA abbatissa cum aliquot sororibus curru uehebat, & occurrens pauperculis lignorum fasces dorso baiulantibus, solui iugales equos iussit, eisq; tradi. Oneratis iumētis læti abierunt. Ipsa cum suo comitatu in uia residens, præstolabatur Domini auxilium. Ecce autem eandem uiam quidam regulus ingrediens, ubi causam moræ earum intellexit, suos illis equos largitus est. Marulus lib. 1. c. 2.

IODOCVS, cùm ad fluminis ripam in solitudine sibi domicilium constituisset, unō duntaxat discipulo contentus, partem quartam panis, quem tunc unicum habebat, mendicanti dedit: mox iterum, & tertio, & item quarto, diuerso semper, ne agnosceretur, habitu petitum, reuertenti semper partem largitus, nihil sibi, neq; discipulo, nisi certam in Domino spem dereliquit. Et dum hæc sitantem discipulum consolatur, ne de uictu dubitaret, ei seruiens, qui irrationabilia quoq; pasceret animalia, aspiciunt duos lembos proximæ ripæ applicuisse uectore nullo. Cumq; comperissent omni ciborum genere, quo ipsi uescī solebāt, plenos, Deo gratias egerunt, qui pro uno pane pauperi dato, de tam ubere alimentorum copia sibi sine cunctatione prouidisset. Idē.

SABBA monachus, dum Hilarionem abbatē cum trium millium monachorum comitatu uenientem excipiens, in uinea sua ad uuas, quæ iam maturę erant, inuitasset, & omnes earum pastu refocillati essent: usque adeò multiplicatum inde collegit fructum, ut uinea quæ integra centum lagenas ferre mata fuerat, depasta, trecentas redderet. Idem.

Othonis II. Cæsaris VXOR, erga pauperes ualde liberalis erat. Die quodam dominico Cæsar mendici habitu cleemosynam ab ea petit, manicam uestis preciosissimæ, qua induta erat. Paret illa, eamq; largitur. Domum reuersa, uestē mutat. Habitus mutati causam imperator quærit, & ut preciosam uestem in medium proferri curet, imperat. Affertur, & miraculosè aliam manicam in eius locum, quam pauperili beraliter cōcesserat, suffectam esse, obstupescit Imperator: qui eam, quam dono incognitus acceperat, sub uestis oculi tabat: manifesto argumento, centuplū nos accepturos eorum quæ in pauperes erogauerimus.

Circa an. Sal. MCCCXV. sæuiit fames usque adeò, ut multa hominū millia perierint: periissentq; plures in diœcesi Bremensi, nisi IOANNES Bock, ecclesiæ Bremensis decanus, largissimas fecisset eleemosynas in granis & farina, dudum in eos casus collectis. Erogabat ille largissimè. Quum admoneret familia, parum superesse, quod propriis necessitatibus uix sufficeret ad dies paucos: Ite, inquit, donate, perquirite angulos omnes diligēter. Illi autem pridem uacuata uasa relinquentes, ubi redierunt ad iussum domini, plena omnia repererunt: stupefacti, renunciant. Ille iubet largiūs erogari: Scio, inquiens, beatum Petrum non deserturum suos, cui dictum est à Domino: Modicę fidei, quare dubitasti? Cranzius lib 9. Metrop. c. 2.

Nobilis quidā de Blucher, Raceburgensis EPISCOPVS, granarium suum plenū farina & frumento totum pauperib. distribuit. Superuenere pauperes, qui eleemosynam efflagitarent. Vocato procuratore, iussit ut pauperibus daret, quicquid superesset: erat enim annonæ caritas insignis. Procurator respondit, Nihil superesse. Fiducia plenus dixit illi episcopus: Vade, & uide, si fortè uel modicum supersit, ne uacui discedant pauperes: uade in nomine Domini, & da tis. fortè arbitratus, quòd dispensator timidiùs consuleret suis rō tempori, cùm reuerà nihil supereſſet. Procurator granarium aperiens, frumento atq; farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitus est. Vbi innotuit res gesta pōtifici, resolutus in lacrymas, Deo omnium largitori largas gratias persoluit. Is Schonenberge lapideam domū eam cellario à fundamentis extruxit. Cranzius libro 1. Metropol. cap. 29.

TIADMARVS, relicto decanatu Bremēsi, Vicelinum episcopum Aldenburgensem per Holsatiam & Vandaliam secutus, eleemosynarius eius factus, miræ erga pauperes liberalitatis, ut propè ad egestatem uideretur in magna fame cœnobium Falderæ redegisse: eoq; nomine deinceps prouisores clausa illi omnia habuere. Quid faceret uir misericordiarum? Eiulatum pauperū non sustinuit: circuibat horrea, loca pridem uacuata, & penora cuncta, si quid forte superesset, in consolationem miserorum. Reperit quod mortalis nemo posuerat: erogabat largissimè, cunctis stupentibus, unde essent, quæ ille inter pauperes distribueret. Renouata sunt uetera Heliæ prodigia. Ille cunctis præbebat alimoniam: monasterio interim nihil decedebat. Cranzius lib. 4. Vandaliæ, c. 4. & 14.

DIGNITAS, REGNVM.

M. ANTONII III uiri liberalitas, & quòd nihil patres manu neq; astricta militibus & amicis largiretur, additum præbuit ei ad potentiam amplum, eiusq;, cùm iam magnus euasisset, maiorem in modum amplificauit opes: quas insita aliā euertebant uitia. Plutarchus in Antonio. Apud Babirium poetam M. Antonius quum fortunam suam ad alios emigrantem ingemiscereret, Hoc habeo quodcunq; dedi, inquit.

Cælius libro 20. capite 24. Antiquarum lect.

GVLIELMVS, uir simplex & religiosus, plebanus in Catzēhusen. Imperatorum aliquis uel Ludouicus uel Conradus, cernuum in uenatione insecutus, longiùs à suis satellitib. recesserat: & dum in densissima sylua, locorū ignarus, in multam noctem oberraret, fortè in hunc plebanū incidit, eiusq; hospitiū petit. Is perbenignè eum accepit, & pro sua tenuitate tractauit. Iussus autem ab hospite splēdido aliquid petere, corrigām de ceruina pelle, qua cinguli loco uti posset, sibi dari petiit. Breui interiecto temporis spacio, Bertoldo Monasteriensi episcopo apud Vestphalos mortuo, in locum ipsius hunc substituit, ordine VI. Cranzius in Metrop. libro 2. capite 29.

PIASTVS, Cossisconis F. agricola, Crusuiciæ Poloniæ oppido uiuens, homo iustus & simplex & hospitalis erga pauperes, ex uxore Repicha unicum filium susceperat: eiq;, uiuente adhuc Popielo II, primam comam gentili ritu tonsi rus, & nomen impositurus, amicos ad eam cæremoniā arq; conuiuium, porco mactato, & aquæ mulsæ uase defuso, inuitarat. Priusquam stata dies adesset, fortè obtulerunt ei sese ignoti duo homines, habitu peregrino: quos ille, cùm regia excluderētur, comiter intuitatos, hilarè in domum suam introduxit: instruxit mensam, appositit affatim ex his, quæ ad futurum conuiuiū præparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redundauit ex uase mulsa, excepit Piastus, nafis admonitu hospitum cō quisitis. Iisdemq; auctoribus, nō ciues modò, uerūm etiam principem ipsum cum omni comitatu conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus, sub tempus comitiorū (mortuo iam Popielo) reuertentibus & iubentibus, Piastus ex tenui penu suo conuentum illum omnem, penuria laborantem, augescente rerum earum, quæ promebantur, copia, refecit. Quo miraculo animaduerso, uulgatoq;, una uoce omnes Piastum non humanis suffragiis, sed diuino iudicio principem sibi dari cōclamarūt. Itaq; ut erat uestę & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primorib. deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo, disparuerunt. Existimantur autem ij fuisse angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alienos à uera religione remunerātis. Cromerus lib. 2. Guagnus in uitis regum Polonorum, Paulum & Ioannem martyres Romanos uulgò perhiberi ait.

LAVS.

CIMON Athenien sis sua beneficentia consecutus est, ut Comœdiæ testimonio diuinus sit homo appellatus, omniūq; Græcorum optimus. Sab. lib. 8. c. 2. ex Plutarcho.

Cùm in summa annonę caritate HERODES Iudæorum rex, ex Aegypto conuectis frugibus, calamitatem publicā subleuasset: hæc illius cura & tam oportunè collata gratia tantum apud Iudæos ualuit, omniū sermone celebrata, ut positis odiis, quicqd hactenus uel in administrādo regno, uel transgrediendis patriis ritibus peccauerat, libenter obliuiscerentur, bene compensatum putārtes eius liberalitate, quia usi essent difficillimo tempore. Nec minor uel gratia uel gloria parta est apud Syros quoq; uicinos: ut per hæc mala non medio criter nomen regis illustratum sit, & quantū damni domi acceptum est, tantum foris ad celebritatē nominis accreuerit. Iosephus lib. 15. c. 12.

NICOLAVS V. Pontifex max. [redacted] ob insignem [redacted] liberalitatem semper laudatus est. Pontanus cap. 23. de Liberalitate.

FIDES, AMOR SVORVM.

ALCAMENES Telecri roganti, Quemadmodum quis optimè regnum conseruaret? Si sese à lucro uinci non patiatur, respondit. Plut. in Apophthegmatibus.

ANTONIVS Leoninus, Genuensis mercator, cùm æger graūiter laboraret, seruos ac seruas, qui ægro ministrabant, testamento, si ad pristinam salutē restitueretur, omnes liberta te donauit. Quòd si decedere eum contingeret, omnes in seruitute retineri iussit. Et sic prudenter ministris desiderii salutis suæ iniecit, proposita eis libertatis spe: utque in eius curandā ualetudine diligentiores essent, causas auxit. Fulg. libro 7. capite 8.

GEORGIVS Costa, Cardinalis Lusitanus, uixit annos CII. Si quando morbo corripiebatur, amplissima dona ministris suis, si conualesceret, promittebat, eaq; magnificè præstabat. Hac ratione effecit, ut incredibili studio ea, quæ ad sanitatem patroni facere possent, familiares omnes procurarent. Garimbertus lib. 5. de Vitis Pontificum.

VICTORIA.

ALVREDVS Anglorum rex, continuis Dacorum bellis attritus, sese in paluſtria loca Somersetti, comitatus cum paucis suorum, recepit. Hic magnis sollicitudinum scrupulis pressus, dum opem Deum poscebat, ac quid consilij capiendū foret, sedulò agitabat, aliquot dies per dubitationem consumserat: cùm ecce tibi, obuium habuit hominem admodum inopem, sicut præ se ferebat, qui frustum panis suppliciter petiit. cui rex libens dedit. At postero die, quàm id muneris dederat, per quietem uidit diuum Cuthebertum attestantem, se pauperem illum fuisse, cui panē dedisset: iussitq; eum bono animo esse. Aluredus confestim ad suos milites redit, ac magnis præsidiis auctus deintegrò bellum susce pit, & in pristinum statum restitutus est. Polyd. lib. 5.

RECONCILIATIO.

IACOBVS ex Mesopotamia post aliquot annos domum repetens, ueteris in fratrem offensæ non immemor, præmisit qui Esaum precibus & donis delinirent, si qua adhuc in eo ueteris iniuriæ ira insideret. Per quæ facilè consecutus est, ut quàm inuisus patrium solum uerterat, tam iucundus sit postliminiò reuersus. Genes. 32.

Nabal Ziphæus, ex posteris Calebi, homo dives, at ut nomine, ità & re stultus, inhumanus, ingratus, cui in Carmelo monte pascebāt tria ouium millia, & mille capræ: nuncios Dauidis regis, exulis propter Sauli insidias, commeatū petentes placidissimis uerbis, inhumaniter reiecit: neque sibi quid negotij cum fugitiuis illis fore, pronunciauit. Dauid ea re commotus, cum CCCC militibus ad excindendā Nabalis domum ascēdebat. Verùm ABIGAIL uxor Nabalis clàm marito missis muneribus Dauidem placauit. Domū reuersa, Nabali postero die, cùm crapulam hesternam exhalasset, rem omnem indicauit. Ille territus, tanta animi defectione & corporis saxeo quodam stupore diriguit, ut intra X dies interierit. 1 Reg. 26.

M. Cato cùm populum à Cæsare animaduerteret in Catilinæ coniuratione solicitari, atq; ad nouandas res præcipitem esse: induxit SENATVM, ut inopi plebi frumenti congiarium daret. Eo munere populares procellæ conquieuerūt, & fuerunt mores compressi. Plut. in Politicis.

IACOBVS, cognomēto Grandis, primus fuit, qui ex Carrārienſi familia uniuersi populi Patauini cōsensu ciuitatem rexit: anno Sal. MCCCXIIX. Hic antequam princeps fieret, cùm patrocinium laturus cuidā amico ad prætoris uenisset tribunal, ut amici causam iudici commendaret, & aduersæ partis patronus, omissa causa, quam agebat, liberiore lingua, & indignis in eum conuitiis inuehi cœpisset: ei ille summa modestia respondit, Vt benè causam diceret, desineret de se maledicere. Cùm uerò inde uterq; discederet, lacobus illi in aurem insurrauit: Linguam tibi præcidam maledico. At ille hoc uerbo audito ad iudicem conuersus, in absentē debacchatus est. Iacobus uerò, ubi primùm domum sese recepit, iussit quantū frumenti curru imponi poterat, & suem domesticum magni ponderis ad illum deferri, suoq; eidem nomine donari. Accepit ille lubens, & gratias agens dixit: Prorsus sanè dominus meus, placidè, sine ferro linguam mihi præcidit, & contra se mutum reddidit. Bern. Scard lib 3. classe 13. hist. Pat.

INDIGNVS.

Fuit apud Mariandynos HIERAX, uir iustus & illustris, templa Cereri posuit, primosq; ex ea fructus percepit. At postquam Teucri legitima sacra Neptuno non persoluerūt, sed ea præ negligentia omiserunt: indignatus Neptunus, fruges eorum perdidit, ingentemq; à mari cetum ipsis immisit. Teucri ad Hieracem miserunt, qui auxilium aduersus sæmem ab eo poscerent: isq, cùm triticum, tum alia misit alimenta. Irritatus eo facto Neptunus, in auem ipsum conuertit, quæ nunc Græcis Hierax, Accipiter Latinis dicitur. Mores quoq; eius pristinos prorsus immutauit: eum enim, qui hominibus fuerat carissimus, uolucribus inuisissimū reddidit, & qui ab interitu multos homines uindicauerat, fecit, ut is plurimas necaret aues. Antoninus Liberalis ex Bœi lib. de Ornithogonia.

D. GREGORII Magni Pp. ob ecclesię thesauros in pauperes piè exhaustos, defuncti memoriam ex sacris libris æmulos deleturos fuisse, ni Petrus Diaconus obstitisset, Sigebertus in Chron. testatur.

GVIDO dux Spoletanus, mortuo Carolo Crasso, regnū Franciæ affectans, ad Mediomatricum urbem Metensem, in regno Lotharij nobilem, diuertit, sperans ex composito conuēturos socios, qui arma & suppetias subministrarēt. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer eius illuc præmissus, ad alimenta regio more præparanda, ab episcopo Metensi uideret iuxta Francorum consuetudinem multa admodū cibaria parata, petiisse ab Episcopo, ut sibi equū donaret, sese curaturum, ut rex tertia huius obsonij parte esset contentus. Cui Episcopus: Non ferent Franci regnare regem, q X drachmis uile prandeat obsonium: abeat rētrò unde uenerit, nemo hunc regem amplectetur, nemo amabit. Francorum itaq; rebellione turbatus rex Guido, qui Odonē Andegauensem regem elegerant, desperans de Francia, Italicum regnum, quod sibi iam Berengarius dux Foroiulienſis usurpauerat, cœpit desiderare. Cusp.

STEPHANVS Hungarorum rex, quadam nocte clàm sine eo

mite è regia prodiit, distentos numorum loculos ferens, quos pauperibus distribueret. Quò quũ uenisset, stipemq; uiritim daret, inter petulantes rogatores mox orta seditio, regi per contumeliam ab auidioribus plerisq; barba euulsa est. At is solido quodam gaudio agitatus, in ædem properauit, ac ante aram in terram procidens, ingẽtes Deo gratias egit. Bonfin. lib. j. Dec 2.

CAROLVS Danus Flandriæ Comes, VII annis rerum potitus est, aduersa semper nobilitate, commodis uoluntatiq; plebis omni popularitate inseruiens: & casus temporaque tulere, ut parens à plebe diceretur, habereturq;. Angustissimè frumenta prouenerant. Quendam è gratiosissimis aulicis Tamardum Eleemonem constituerat, hoc est, alendis è fisco egentibus præfecerat: ipse cum loculis in uulgus prodibat, templaq; circumibat, stipem manu sua mēdicis promens. Lambertus Stratēsis, frater Bertolfi præfecti ædis Donatiani, permultorum templorum decimas in multos annos redemerat, plena horrea habebat. Tunc in fame inopiâque, ac agrorum sterilitate, ab Eleemone egentibusq; insimulabatur ut auctor communium miseriarum, quòd suppresso frumento, clausisq; horreis, populares ante oculos suos perire fineret. Ea iussu Comitis refracta: triticiq; uim ingentem egentibus gratis mensus est Tamardus: qui uerò soluendo forent, certum precium numerantibus: illaq; pecunia, cùm eam Lambertus, ut indignè habitus, oblatã cõtinuò à Tamardo uelut iniquo ac propè hoste accipere noluisset, inopibus diuisa. Quæ res Comitem Eleemonemq; plebi gratiorem iucundioremq; effecit, & Stratensem Decumanum noua indignatione incendit. Itaq; facta Stratensium suorum manu, sacrorum Cinerum die Comitem Carolum in æde Donatiani diuinæ rei intentum ueluti uictimam mactant. Tamardum scelere audito accurrentẽ in eodem templo interficiunt. Fugantur cæteri. Lambertus consciorum clientiumq; perditissimorum manu stipatus, Donatiani ædem ac turrim in modum arcis emunit, firmatq;. Rector Flandriç salutatur Gulielmus Hyprensis Philippi filius. Is se ducem uolentibus ad expetendas à parricidis pœnas præbet. Multitudo ipsa tunc Dani corpus ut sanctas reliquias uenerabatur. Ludouicus Crassus rex Francorum, ne ea prouincia Anglo in omnem occasionem intento iungeretur, simul ne exemplum beneficiariorum Franciæ regiæ Principum coniuratione suorum occidendorum inultũ sineret, cum copiis affuit. Stratenses obsidionem oppugnationemq; per aliquot dies sustinuēre. Nulla res eos æquè terruit, atq; quòd cùm omnis generis salsamenta commeatumq; intulissent, omnia uitiata tetrum odorem spirare cœpere. Id uelut miraculo, ac haud dubia superûm ira perculsos compulit ad deditionem. Ad ducentos è turri in templum, quò iam irruperant regij, inermes descenderũt: procumbentesq; ad regis pedes, eius fidei se tradebant. Is iussit eos unde descenderant uniuersos se recipere, ac binos deinde in aream fani reuerti. Ita bini ad supplicium traditi: & retracti ex fuga, pœnas pependēre summis cruciatibus, alij rotarum radiis districti, alij palis induti, alij nouo & inaudito antè supplicij genere absumti: maxima pars lenta grauique morte, cæteri ex editioribus locis præcipitati, atq; ita laceris corporibus resti sunt suspensi. Nulli coniuratorum temperatum. Nec noxiorum modò morte piacula cæsi Comitis expetita, sed quicunq; aliqua necessitudine eos cõtingebant, atq; adeò paulò notiores, aut ferro pulsi, aut metu uoluntarium sibi exilium longinquumq; consciuere, finitimis eos detestantibus, execrantibusq;. Aemilius lib. 5.

PRODIGALITAS IN GENERE.

Vti Liberalitatem comitatur Splendor, sic Prodigalitatem Luxus: quoq; modo Liberalitati Prodigalitas, eodē Splendori Luxus opponitur. Luxus porrò & Luxuria ut re, ita & nomine conueniunt. Luxuria enim, quamuis generali significatione omnes intemperantiæ species comprehendere uideatur: tamen in specie ad uenеream libidinem referri ab auctoribus consueuit. Atqui sine Cerere & Baccho friget Venus. Quare Luxus quoq; cum Luxuria ferè semper coniungi solet, uelut irritamentum gulæ uenerisq;, tanquam faces utriq; incendio suggerens. Nos hîc & Impensas & Expensas immodicas consideramus. Quarum finis si Libido fuerit, ad Intemperantiam: si Gloria, ad Ambitionem referri poterit.

ACQVISITIO PRODIGALITATIS.

QVI. PRODIGALITATIS Magistri. Quoad

Alimenta.

Consule Tit. Intemperantiæ alimentaris magistri. quatenus Intemperantiæ ueluti conciliatrix est Prodigalitas.

Murenarum uiuaria excogitauit C. HIRRIVS, qui cœnis triumphalibus Dictatoris Cæsaris sex millia murenarum mutua appendit, & dedit in pondus. Macrobius lib. 3. cap. 15. & Plinius lib. 9. cap. 55.

LICINIVS Murena reliquorum piscium uiuaria primus instituit. Plinius lib. 9. cap. 54.

Ostrearum uiuaria primus omnium SERGIVS Orata inuenit, optimumq; saporem Lucrinis adiudicauit. Idem.

Cum Iacobo I. Scotorum rege, qui per XIIX an. in Anglia captiuus fuerat, in patriã reuertẽte uenerũt ANGLI auliciq; complures, præsertim cùm rex Anglam duxisset uxorem. Quorum imitatione Scoti maximis impẽsis & deliciis conuiuia instruere didicere. Cui malo ut obuiam iretur, in synodo Perthi indicta, censentibus quibusdam morem hunc penitus ex ipsa etiam regis aula exterminandum, placuit tamen plerisq;, ut magnatibus quidem liceret, sed solennibus duntaxat diebus, uti artocreis (quorũ ante eam ætatẽ nunquam usus Scotis fuerat) ac delicatioribus eduliis. Qua lege effecere, ut precio atq; honore luxui insuper addito, sensim contemto edicto, maiori intemperantiæ occasio fuerit data. H. Boethius lib. 17.

Aedificia.

L. CRASSVS orator, primus peregrini marmoris columnas habuit in Scauri palatio, Hymettias tamen, nec plures sex, aut longiores duodenûm pedũ. Ob id M. Brutus in iurgiis Venerem palatinam eum appellauit. Plin. lib. 36. c. 3.

Supellectilem.

Triclinia ærata abacosq; & monopodia Cn. MANLIVM Asia deuicta primùm inuexisse triumpho suo, quem duxit urbis anno DLXVII, L. Piso auctor est: Antias quidẽ L. Crassum hæredem L. Crassi oratoris, multa etiam triclinia ærata uendidisse. Plin. lib. 34. c. 3.

Testudinum putamina secare in laminas, lectosq; & repositoria his uestire, CARBILIVS Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij. Idem lib. 9. c. 11.

Discipuli. Ad prodigalitatẽ inuitati

Amore.

Vide Tit. Prodigi in Meretrices.

Cupidinum crumena porri folio uincta est, Πράσῳ φύλλῳ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντιον, Plut. j. Sympos. Suidas ostendit hoc adagium dictum de iis, qui per amorem immoderatos faciunt sumtus, luxuiq; indulgent, quemadmodum solent in comœdiis amantes. Plut. in libello quem inscripsit ἐρωτικὸν, hoc quoq; inter cæteras Cupidinis siue amoris laudes commemorat, quòd è sordido splendidum, è parco liberalem, [illegible] audacem reddit hominẽ. Proinde Cupidinis loculi, porri folio uincti [illegible]tur, quòd facilè soluantur: uel quòd admodum fragile sit porri folium: uel quòd huius genuina uis, calefacere, urinam, menses mouere, uenerem irritare. Erasmus.

Desperatione.

Cùm Xerxes exercitum in Græciam traducere pararet, ut auctor est apud Zenodotũ Dicæarchus, GRÆCI desperatis rebus facultates suas absumserũt, ne multum reliquum fieret, quod hostis tolleret, ita dicentes, Hæc Medus non obseruabit. Eaq; uox in adagiũ abiit, ubi quis largiùs impenderet sua, ne uenirent in aliorum manus. Erasm. in Adag.

Proditionis spe.

Consule Tit. Proditorum. quatenus pecunia conciliantur.

Argenteis hastis pugnare dicuntur, qui cùm negotium aliò pacto confici nequit, muneribus & largitione perficiunt. Ortam aiunt parœmiam ab oraculo quodã Apollinis Pythij, qui PHILIPPO regi consulẽti, quo pacto posset uictoria potiri, responderit ad hunc modum,

Ἀργυρέαις λόγχῃσι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις. id est,
Argenteis pugna telis, atq; omnia uinces.

Videlicet innuens, ut quosdam largitionibus ad proditionem solicitaret, atq; ita consecuturum quæ uellet. Erasmus in Adagiis.

Defectionis spe. Ad Defectionem inuitare præmio.

C. Corn. SYLLA, quò corrumperet & ad transitionem pelliceret

ret aliorum milites, prolixus & profusus fuit in suos. Itaq; cùm pariter alios ad proditionẽ, & suos peruerteret ad luxuriam, grandi pecunia opus habebat. Plut. in Sylla.

Perfidiæ tegendæ consilio.

ROMANVS Lacapenus Imp. cùm Constantinum Porphyrogenitum Imp. (cui iure imperium debebatur) depulisset, & ipse imperio pro arbitrio frueretur: nõ secus ac qui uicino bouem furatus in sacrificio intestina offert, distributisq; pedibus ac extremis ipsis pauperibus, corpus totum depascitur: sic Romanus Deum placare quibusdam donis cupiẽs, donaria diuersa obtulit, & obæratos usura liberauit, danistis debita soluit, scripturas igne combussit: precium insuper iis, qui conductitias domos habuerant, gratis præstitit; rem magnã se arbitratus fecisse, cùm publica & aliena donaret, qui Constantinũ priuarat regno hæreditario. Cusp.

Exemplo aliorum.

Alexander Magnus suos familiares & socios luxu & luxuria corrupit. Itaq; AGNON (alij Agamenceũ uocant) aureos clauos in crepidis gestare solebat. CLETVS uerò, si quando tractare causas uellet, purpureis uestibus induebatur, at que sic apparebat corãm iis qui negotia sua proponerent. PERDICCAM uerò & CRATERVM deditos arti pugillandi sequebantur stadiales magnitudine diphtheræ, quib. amplissimum locum comprehendebant in castrametationibus, ut in eo se exercerẽt. Sequebatur etiã eos multus puluis per iumenta uectus, qui ad exercitiorũ certamina pertinebat. LEONATVM & MENELAVM, uenandi studio deditos, auleæ centum stadiorum sequebantur. Athen. lib. 12. cap. 18. & Aelianus lib. 9. Var. hist.

Scribit Liuius, CN. Manlio Volsone de Asiaticis triumphũ ducente, luxuriam peregrinam primùm inuectam in Vrbem. Inde lectos primò æratos, & uestem stragulam preciosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificç supellectilis habebantur, monopodia, & abacos adduxẽre milites. Tũc psaltriæ, sambucistriæq;, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis: tunc coqui in precio esse ceperunt. Cælius lib. 7. c. 12. Antiq. lect.

EXERCITATIO PRODIGALITATIS per se considerata.

QVI. PRODIGI, PROFVSI in genere. NEPOTES, ΑΣΩΤΟΙ.

Nequitia in prodigis dicitur apud Ciceronem Tusculan. 3. frugalitati contraria. Frugalitas, ut opinor, à fruge: qua nihil melius è terra oritur. Nequitia ab eo, quòd nequidquam est in tali homine: ex quo idem Nihili dicitur, Grçcis ἄσωτος. Hotom. de Verbis iuris.

Narrantur omnium Græcorum prodigentissimi fuisse THESSALI & in uestitu, & omni uiuendi ratione: quç etiam causa illis extitit, ut Persas in Græciam allicerent, quum Persæ deliciis huiusmodi inuidissent. Scribit Cratinus de eorum luxu in eorum Republica. Athen. lib. 12. c. 10. & lib. 14. c. 32.

ASIATICVS luxus à multis ubiq; proclamatur, à quib. omnes lauticiæ & immodici sumtus ad Romanos defluxerũt. Val. Max. lib. 2. cap. de Instit. antiq.

AGRIGENTINOS Plato quum intueretur substructiones (ut planè dicam) insanas, impendio excitare magnificó, ac compari modo instruere conuiuia, dixit, τοὺς ἀκραγαντίνους οἰκοδομεῖν μὲν ὡς ἀεὶ βιωσομένους· δειπνεῖν δὲ, ὡς ἀεὶ τεθνηξομένους. id est, Perinde Agrigentinos ædificare, ac si uicturi perpetuò forent: itemq; conuiuari, uelut semper morituri. Eosdem Timæus prodit, lecythis quoq; & xystris usos argenteis, etiamq; lecticas ex ebore habuisse totas. Cælius lib. 13. c. 10. Antiq. lect. ex Aelian. lib. 12. Var. hist.

Athenæus in 4. lib. Dipnosoph. cùm luxuriosos, quos Græci ἀσώτους uocant, numerare inciperet, primùm DIODORI meminit, quem in fabula quadã, Cnidia uocata, Alexis his uerbis notauerat:

Διόδωρος ὁ πίτραπτος ἐν ἔτεσι δύο
σφαίραν ἀπέδειξε τὴν πατρῴαν οὐσίαν,
οὕτως ἰταμῶς ἅπαντα κατεμασήσατο. Idemq; poeta

alia in comœdia EPICHARIDEM uexat, dicens:

χολῆγε, νὴ τὸν ἥλιον χολῇ, λέγεις.
ἐπιχαρίδης ὁ μικρὸς ἐν πέντ' ἡμέραις
σφαίραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν οὐσίαν,
οὕτω συνεστρόγγυλεν ἰταμῶς καὶ ταχύ. hoc est, adeò im-

pudenter celeriterq; ad rotundam formam rem tibi à patre relictam redegit. συστρογγύλλειν, euertere patrimonium, & effundere. Item lib. 2. inducitur perditus QVIDAM in turpi hacuoluptate, qui cõmemorat se relictam sibi à patre rem paucis mensibus dissipasse, atq; in uentrem condidisse:

ᾠδεῖον γὰρ καταλέλοιπέ μοι τοῦ πατρὸς,
οὕτω συνεστρογγύλισα κἀξεκόλλυσα,
ἐν μησὶν ὀλίγοις, ὥσπερ ᾠὸν τις ῥοφῶν.

Victorius lib. 23. Var. lect. cap. 18.

PHOCVS, Phocionis uiri opt. F. uinosus & dissolutus adeò, ut ne Spartana quidẽ disciplina corrigi potuerit. Cùm Menyllus Phocionem munus respuentem, saltem ut Phoco filio acciperet, rogaret: Phoco, inquit, si mutata uita ad frugem redeat, sufficiet patrimonium. Nam ut nunc se gerit, nihil ei sit satis. Plut. in Phocione.

CALLIAS apud Grçcos quispiam fuit, qui per luxum ac libidinem patrimoniũ abligurierat. In eum uulgaris iocus extitit, Καλλίας πτερορρυεῖ, id est, Calliæ defluunt pennç. Eius meminit Athenæus Dipnos. 4. & 12. & Aristophanes in Concionatricibus. Qua dementia permotus, facultates omnes abligurierit ac dilapidauerit; ipse in Xenophontis Symposio non obticet.

Timotheus in ARISTOPHONTEM prodigum grauissimè inuehebatur, inquiens: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe. Aelian. lib. 14. de Var. hist.

DEMETRIVS Poliorcetes cùm obsidione cœpisset urbes, abusus sua luxuria, talenta mille & ducenta singulis annis ab iis exegit: atq; huius summæ minimam partem in exercitum insumsit; reliqua autem omnia in libidinem luxuriamq; contulit. Vnguentis enim cùm ipse, tum pauimẽtum eius diffluebant, & singulis anni partibus flores recentes substernebat, ut in ipsis uestigia libidinis poneret. Aelianus lib. 9. Var. hist.

DEMADES orator, cùm & pecunia & opibus tantum ualeret, ut nihil sibi deesse fateretur: ingentes tamẽ diuitias per luxum & libidinem ita perdidit, ut eiectus ex ciuitate (septies enim accusatus fuerat) non habuerit, ut pecuniã, qua illum Athenienses multarant, solueret. Plut. In eum solebat Antipater cauillari, nihil ei, sicuti & cæsis uictimis, præter uentrem & linguam superesse.

CTESIPPVS, Chabriç filius, paterni etiam sepulcri, in quod populus Atheniensis mille drachmas impenderat, lapides prodegit. Diphilus in Expiantibus:

Ni Phædimo domesticus certè foret,
Ex Chabria Ctesippus editus, diu
Legem tulissem non inutilem, ut puto,
Quòd ipse rursus conderet sumtu suo
Patris sepulcrum: singulis annis tamen,
Quod dico parcè ualde, plaustri lapidem.

Athenæus lib. 4. cap. 20.

ANTIOCHVS Epiphanes, qui obses fuit apud Romanos, bibax fuit, & ad Indicas comessationes ebrietatesq; cõuersus, multa absumsit. In uiis publicis consistens, dicere solebat, Cui fortuna dedit, accipiat. tum argentum proiiciens, abibat. Sæpiùs coronam ex rosis compactam habens in capite, auroq; intextum indumentum, circumibat, lapides habens sub ala, quibus suos pedissequos percutiebat. Lauabatur in lauacris publicis, unguentis perfusus. Quem cùm priuatus quidam uidisset, Beatus es dixit, ô Rex, qui ita magnificè oles. Lætatus, Ego, inquit, huius satietatem tibi inducam: ac uas plus quàm duas choas capiens crassi unguenti, in caput illius effundi iussit: & lubrico facto loco, ipse etiam Antiochus cecidit ridens, & eorum complures qui lauabantur. Polybius eum Epimanem, id est, insanum appellat lib. Hist. 26. non autem Epiphanem, illustrem, ob res gestas: nõ enim solùm uersabatur cum uiris popularibus, sed cum peregrinis etiam eò accedẽtibus, cumq; abiectissimis bibebat. Quòd si iuniorum conuiuium aliquod intelligeret, ubicunque esset, cum symphonia illuc accedebat, ita ut multi ob inexpectatum rei euentum surgentes aufugerent. Sæpè uestem regiam abiiciens, paludamentumq; accipiẽs, abibat in forum. At lib. 31. ait idem Polybius: Cùm omnes Græcos & alios ad spectaculum conuocasset, ad certamina Antiochena, omnes aureis uasis excepit, croceoq; unguento, & nardino, amaracinoq;, & liliorum. Cumq; eos ad conuiuium uocaret, aliquando mille triclinia, aliquando uerò mille & quingenta sumtuosissimo apparatu replebat. In ingressu consistens alios introducebat, alios iubebat discumbere, ipseq; ministros introducebat, qui portabant fercula. tum locum circumiens, alibi assidebat, alibi considebat. Mox frustum panis deponens, nunc poculum, exiliebat, surgebat, symposiumq; circuibat, rectus aliquando ab aliis propinationes excipiens: nunc uerò unà cum recitatoribus ludebat, totusq; uelatus inferebatur à mimis, atq; in terrã deponebatur, quasi unus esset ex mimis. Concinnitatç deinde euocãte, rex exiliebat, tripudiabatq;, & iocabatur cum mimis, ita ut omnes ipsius puderet. Idem lib. 10. c. 12.

Omnes Philadelphi regis seruatæ diuitiæ, ab ultimo PTOLEMÆO, qui bellum Gabiniacũ excitauit, dissipatæ fuerunt: qui non uir fuit, sed tubicen potiùs. Athenæus libro quinto, capite 7.

De MENIPPO Luciani epigramma extat apud Stobæum [illegible] mone 15. & in 2. Græcorum epigrammatum:

τὸν πατρικὸν πλοῦτον νέος ὢν θήσων ὁ Μένιππος,
αἰσχρῶς εἰς ἀκρατεῖς ἐξέχεεν δαπάνας.

ἀλλά μιν εὐκτήμων πατρικὸς φίλος, ὡς ἐνόησεν
 ἤδη κεφαλὴν τειρόμενον πενίῃ,
καί μιν δακρυχέων ἀνελάμβανε, καὶ πόσιν αὐτῆς
 θῆκε θυγατρὸς ἑῆς, πολλ' ἐπιμείλια δούς.
αὐτὰρ ἐπεὶ Θήρωνι παρ' ἐλπίδας ἤλυθε πλοῦτος,
 αὐτίκα τῆς αὐτοῖς ἐτρέφετ' ἐν δαπάναις,
γαστρὶ χαριζόμενος πᾶσαν χάριν, οὐ κατὰ κόσμον,
 τῇ θ' ὑπὸ τὴν μιαρὴν γαστέρα μαργοσύνῃ.
οὕτω μὲν Θήρωνα τὸ δεύτερον ἀμφεκάλυψεν
 οὐλομένης πενίης κῦμα παλιρρόθιον.
εὐκτήμων δ' ἐδάκρυε τὸ δεύτερον, οὐκέτι κεῖνον,
 ἀλλὰ θυγατρὸς ἑῆς ἕδνα τε καὶ θάλαμον·
ἔγνω δ' ὡς οὐκ ἔστι κακῶς κεχρημένον αὐτὸν
 τοῖς ἰδίοις, εἶναι πιστὸν ἐν ἀλλοτρίοις.

Theron Menippi filius, patrimonium omne adhuc iuuenis turpiter lasciuis sumtibus dissipauerat. Postquam uerò Euctemon, paternus amicus, ipsum uidit iam excruciari arida pauperie, illacrymans ad se recepit, & maritũ suæ filiæ coniunxit, magnam dotem largitus. Vt primùm autem Therõ præter spem ditatus est, statim pristinos sumtus repetebat, nihil non deliciarum indulgens uentri indecenter, ac nefariæ sub uentre libidini. Ita Theronem obruit secundò noxiæ paupertatis reciproca unda. Cæterùm Euctemon denuò defleuit, non quidem illum, sed filiæ suæ dotem, & nuptias: cognouit autem, quòd quisquis malè usus est rebus propriis, non possit esse fidus in alienis.

Q. FABIVS, Fabij Rutiliani filius, ob deuoratum in luxu patrimonium, Gurges cognominatus est. Macrobius.

Fabij Allobrogis FILIVS, adeò luxuriosam perditamq; egit uitam, maioribusq; indignam, ut Pompeius prætor urbanus paternis bonis ei interdixerit. Valerius.

M. LIVIVS Drusus, Tribunus plebis, Latinis ciuitatem, plebi agros, Equitibus curiam, Senatui iudicia permisit, tanta facilitate, ut professus sit, nihil cuiquam ad largiendum se reliqui fecisse, præter cœlum atq; cœnum. Plinius de Virtut. illustr. & Volater. lib. 16. Vib. Com.

Corn. LENTVLVS, dominãte Sylla, Quæstor, magnam summam profuderat abligurieratq; pecuniæ publicæ. Stomachante Sylla, ac rationes ab eo in curia reposcente, procedens in medium securè admodum & contemtim, rationes ait se reddere non posse, sed præbere suram, puerorum scilicet more, cùm in ludo pilæ offenderũt. Hinc appellatus est Sura. Protractus iterum in iudicium, cùm nonnullos iudices pecunia redemisset, atq; duabus duntaxat sententiis superasset absolutoriis damnatorias: quod alteri iudici dedisset, nequicquam ait impensum fuisse: satis enim esse, modò una tantùm sententia plus esset liberatus. Hunc ob uitã flagitiosam Senatu motum Catilina in suas partes pertraxerat: & cum uani insuper uates & præstigiatores spe dementauerant inani, carmina conficta & sortes canentes, quasi ex libris Sibyllinis prænunciantes in fatis esse, ut tres Cornelij Romæ rerum potirentur: eorum duos fatum iam implesse, Cinnam & Syllam: tertio, qui superesset, Cornelio deos ipsi dominationem deferre. Quin susciperet, nec cunctando, sicut Catilina, corrumperet oportunitatem. Igitur totum statuit senatum interficere, & ex cæteris ciuibus, quos posset, urbem ipsam incendere, parcere præter Pompeij liberos nemini: hos incolumes suæ potestatis facere, & pignora retinere suæ ad Pompeium securitatis. Plutarchus in Cicerone.

M. Cato festiuiter in ALBIDIVM quendã, q patrimoniũ uniuersum luxu absumserat, unis exceptis ædibus, quæ incendio conflagrarant, Proteruiam, inquit, fecit: propterea quod ea quæ comesse non potuerit, quasi combussisset. Macrob. lib. Saturnal. 2.

Omnium ferè luxum & prodigentiam nepotinis helluationibus superauit APICIVS, de quo Martialis lib. 5.

 Dederas, Apici, bis trecenties uentri,
 Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
 Hoc tu grauatus, ne sitim & famem ferres,
 Summa uenenum potione duxisti.

Quod sic interpretatur Budæus: Apicius sexcenties sestertium, id est, quindecies centena aureorum coronatorũ millia, inexplebili illa ingluuie helluatus, quum posset adhuc CCL millibus (quod Centies laxum appellat) uitam lauto & eleganti uictu producere: tamen uenenum miser hausit, ne patrimonio tanto superesset, quod iamiam se deserturum uidebatur.

LICINIVS Crassus, quum omnia decoxisset, occurrentium tamen cachinnis uocabatur Diues, his uerbis: Qui in Parthos militauit, non fuit appellatus diues primus, sed hic.

RHEMMIVS Palæmon grammaticus, luxuriç ita indulsit, ut [illegible]s in die lauaretur; nec sufficeret sumtibus, quamuis ex schola quadragena annua caperet, & non multo minus ex re familiari. Suetonius.

L. LVCVLLVS post Mithridaticum triumphum Reipub. cura præter spem omnium abiecta, ad otium se contulit: dubius quia illam iam pronam in lapsum cerneret, an cautiùs facturus, quàm C. Marius fecisset, qui clarissimas res priùs gestas turpissimis certaminibus extremo uitæ tempore fœdauit. Multi uoluptatis causa omnem publicam ab eo curam neglectam arbitrati sunt. Satis constat togatorum nullum sumtuosiùs uixisse. Quo contigit, ut quidam adolescentem in senatu obiurgaturus, quòd quum intemperãs esset, longam & intempestiuam de parsimonia & modestia traheret orationem: Tacebisne, inquit, hodie, diues ut Crassus, uiuens ut Lucullus, loquens ut Cato? Lucullanos hortos, quod satis constat, inter sumtuosissima urbis opera mirata est posteritas. Et in Tusculano agro, & circa Neapolim, totaq; ora Campaniæ, adeò superbè & sumtuosè ædificauit, ut à Tuberone, qui Stoicæ affectator fuit disciplinæ, Xerxes togatus sit haud infacetè appellatus. Ex lautissimo epularum apparatu, conuiuandiq; ratione famam quæritabat, ut singulis tricliniis certus esset conuiuij sumtus adscriptus, ita ut in Apolline (sic enim cœnatio illa dicta est) decem millibus discumberetur. inde ei materia quæsita est famosæ illius cœnæ, Pompeio, Crasso & Ciceroni in eodem conclaui datæ, cùm ab his secum cœnaturis ęgrè impetrasset, ut famulum ire domum iuberet ac nunciare, ut in Apolline pararetur. Sabel. lib. 4. Enn. 6.

M. ANTONIVS unius anni spacio CC talentorum millia ex Asiæ tributis exacta absumsit. Plut. in Antonio, & Sabellicus lib. 8. Ennead. 6.

C. IVLIVS Cæsaris rapacitatem & prodigalitatem Catullus suis insectatus est iambis sub Mamurræ nomine, inter cætera inquiens:

 Paterna primùm lancinata sunt bona,
 Secunda præda Pontica, inde tertia
 Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
 Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ,
 Quid hunc (malum) fouetis? aut quid hic potest,
 Nisi uncta deuorare patrimonia?
 Eóne nomine urbis opulentissimæ
 Socer generq; perdidistis omnia?

AGRIPPA, Iudæorum rex, ex annuis reditibus percipiebat cùm plurimum MCC myriadas. Nec his tamen contentus, mutuum accipiebat pecunias. Cùm enim esset munificus, impensis non sufficiebant reditus, quòd liberalitatem exerceret sine parsimonia. Iosephus lib. 19. c. 7.

C. Gæsar CALIGVLA nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superauit: commentus nouum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atq; cœnarum: ut calidis frigidisq; unguentis lauaretur: preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet: conuiuiis ex auro panes & obsonia apponeret: Aut frugi homines esse oportere, dictitans, aut Cæsarem. Quin & numos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, uersicoloribus uelis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaq; etiam uitium & pomiferarum arborum uarietate: quibus discumbens de die, inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In extructionibus prætoriorum atq; uillarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Et iactæ itaq; moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montib. aggere æquati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumq; illud Tiberij Cæsaris, uicies ac septies millies H-S non toto uertente anno absumsit. Suetonius, & Dion.

NERO Cæsar diuitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos, uereq; magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat, mirabaturq; auunculum Caium, nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes in breui spacio prodegisset. Quare nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. In Tyridatem, quod uix credibile uideatur, octingenta numum millia diurna erogauit, abeuntiq; super H-S millies contulit. Menecratem citharœdum, & Specillum Mirmillonem triumphalium uirorum patrimoniis ędibusq; donauit. Cercopithecum Paneotem fœneratorem, & urbanis rusticisq; prædiis locupletatum, propè regio extulit funere. Nullam uestem bis induit. Quadragenis in punctum H-S aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura coccoq; funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum amaxicorum turba, atq; cursorum. Sueton. Annis XIV, quibus imperio præfuit, bis & uicies millia donationibus effudit: id est, quingenties & quinquagies centena millia aureorum. Plinius scribit, felicem Arabiam nõ tantum cinnami, casiæ, aliorumque odorum annuo fœtu parere, quantum Nero princeps nouissimo pompæ suæ die concremauit.

OTHO Imp. à prima adolescentia prodigus ac procax fuit, adeò ut sæpè flagris obiurgaretur à patre. Noctu uagabatur, inualidum quemq; obuiorum uerberans. Suetonius.

VITELLIVS IIX. M. V. D. tantùm potitus est imperio. Cui si longior uita contigisset, ne totum quidem imperium eius luxuriæ sufficere potuisset. Iosephus libro quinto, capite 13. belli Iudaici.

DOMITIANVS Imperator, cùm ingẽtes opes summa prodigalitate, ludis atque spectaculis & conuiuiis edendis dilapidasset, atque pecunia iam egeret, multos ex potentioribus occidit: partim reos factos in senatu, partim absentes accusauit, nonnullos etiam ex insidiis & clandestinis ueneni sustulit, quo haberet ut tantos sumtus faceret. Xiphilinus in Domitiano.

In CINNAM Martialis Epigrammatum lib. 9.

 Dixerat astrologus periturum te citò, Cinna,
 Nec puto mentitus dixerat ille mihi:
 Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
 Hausisti patrias luxuriosus opes.
 Bis quartum decies, non toto tabuit anno.
 Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire citò?

In PHILOMVSVM Martialis Epigrammatum lib. 3.

 Constituit Philomuse pater tibi millia bina
 Menstrua, perq; omnes præstitit illa dies:
 Luxuriam premeret cùm crastina semper egestas,
 Et uitiis esset danda diurna tuis:
 Idem te moriens hæredem ex asse reliquit:
 Exhæredauit te, Philomuse, pater.

COMMODVS, M. Antonini & Faustinę filius, erga alios parcissimus, immoderatis sumtibus seq; ærariumq; ita exhausit, ut deficiente pecunia, quo itinerarium æs exigeret, in Africam se ad constituendam prouinciam transmissurum finxerit. Herodianus, & Lampridius.

HELIOGABALVS in priuata adhuc fortuna intectis auro lectis utebatur, argenteisq; centum pondo uasis. Ex colorũ ratione conuiuia dabat: primo die rubentia omnia, secundo prasina, persa tertio. Vini rosis cõditi primus fuit inuentor: triclinia, lectos atq; abacos rosis, uiolis atque liliis integebat. In piscinis odoriferarum aquarum natabat: lectos leporino pilo, aut quæ sub perdicum alis crescunt plumis conficiebat. Nunquam uestem ullam uel preciosissimã bis induit, nec cum femina ulla præter uxorem congressus est iterum. In lucernis balsamum exhibuit. Rosacea aqua piscinas impleuit. Calceamẽtis applicuit gemmas, nobilissimorum artificum manu sculptas: semper aurea, aut, quod minimum fuit, setica tunica est usus. Nunquam minus centũ cœnauit sestertiis, interdum tribus millibus. Phœnicem se conuiuiis appositurum est pollicitus. Nunquam non floribus suffultus, odoribusq; exquisitissimis conuiuatus est: appellabatq; preciosa obsonia, quæ etiam plurimi emtã sibi dici uolebat, ut suauiora essent, conuiuij orexim. Pomis gẽmas miscuit. Sexcenta struthionum capita una cœna apposuit, ut ex his cerebella duntaxat assumerentur. Circensibus ludis nauale certamen dedit in euripo uini pleno. Naues sępè iocans cum onere ipso demersit. In maritimis locis nunquam piscibus conuiuatus est: quum uerò procul mari abesset, omnia marina exhibuit. Murenarum & luporum lactibus rusticos in mediterraneis pauit. Totum triclinium instrauit croco, quum primores ciuitatis ad cœnam uocasset, eiusmodi fœno dicẽs dignos, qui conuiuio adhibiti essent: porticum scobe auri, dolens quòd nequiret & electri. Ventris excrementa aureis trullis excipiebat, myrrhino & gemmatis scaphiis urinã. Testatus est fore, ut si filius sibi nasceretur, tutorẽ illi daret, qui cogeret cum eadẽ facere. Domesticè aliquando rogatus, an timeret pauper fieri? Cui, inqt, melius hæres fuero quàm mihi, & uxori meæ? Negauitque ob id se filios optare, ne quis sibi frugi nasceretur. Vectatus est nunc à canibus in quadrigarum speciem iunctis, nunc à ceruis, nunc à leonibus, tigribusúe, & quod proximum prodigio fuit, nudis mulieribus interdum, quæ ut quadrupedes currum trahebant. Et quia ex Syriis sacerdotib. cognouerat fore, ut uiolenta periret morte, in aureis item uasis uenenum parauit: item sericeos laqueos, gemmatosq; cultellos, si uel appendere se, uel iugulare, ut casus ferret, uoluisset: atque si, ut præcipitem se ex alto daret, in animum uenisset, turrim auratam totam extruxit, ex marmore auroq; constrato circa eãm solo. Lampridius, & Sabell. lib. 6. En. 7.

GALIENVS Imp. Valeriani filius, nihil unquam cuiquam petenti denegauit. Liberalitatis hæc officia uideri poterant, nisi hæc eadem improbitate & stultitię contaminasset.

In QVINCTVM Martialis Epigrammatum lib. 3.

 Centenis quòd emis pueros, & sæpè ducentis,
 Quòd sub rege Numa condita uina bibis:
 Quòd constat decies tibi non speciosa supe[redacted]
 Libra quòd argenti millia quinq; rapit:
 Aureo quòd fundi precio carrucã paratur,
 Quòd pluris nulli est, quàm domus emta tibi:
 Hæc animo magno credis te, Quincte, parare?
 Falleris. hæc animus, Quincte, pusillus emit.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. à uirtute magnificentiæ in uitium profusionis deuolutus, publicam pecuniã ita dilargiebatur, ut neq; quibus, neq; quantùm, neq; quando esset tribuendum obseruaret. Nam cùm monasterium quoddam Manganorum ędificaret, fisco & publicis thesauris exhaustis, nec illicitis quæstibus abstinuit: sed cùm prouinciæ quædam essent immunes, quæ pro omnibus uectigalibus locorum angustias tuerẽtur, & Barbaros aditu Romanarum ditionum prohiberent: custodiis abolitis, tributa iis prouinciis imperauit. Vnde Barbaris sine ullo negotio patuerunt. Illud certè quidem ei acceptum ferri potest, quòd Oriens Barbarorum armis est subactus. Zonaras.

PHILIPPVS Bardanius rerum potitus, magnã pecuniæ uim à superioribus Impp. cumulatã temerè in nullius rei usum breui consumsit: ut si diutius regnasset, omnium fuisset factus egentissimus. Cuspinianus.

ISAACIVS Angelus Imp. Græcorum, regaliter insaniens, inprimis uerò substructionibus delectatus, diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis, furore quodam ad ea ruens, quę desiderabat, officio in plerisq; neglecto. Nicetas lib. 3.

CAROLVS VI. Francorum rex, quòd profusissimus prodigentissimusq; esset, modica ui auri contentus esse non poterat. Nullus in eo largitionum modus. Auctores summarũ, cùm rationes in fiscum referrentur, eas magna ex parte inducebant, tabellisq; quibus nomina muneraq; data continebãtur, hæc uerba subscribebãt, Immodicè datum: &, Repetatur. Aemilius lib. 9.

SIGISMVNDVS Imp. Hung. & Boemiæ rex, in amicos prodigebat omnia, ut nil etiam in his, quæ uitæ sunt usui, sibi superesse pateretur. Sæpe quũ in regia nihil esset, quod suo prandio præpararetur opiparè, amicos inuitatus adiuit: sępè etiam ab his symbola corrogauit. Bonfinius libro 3. Decadis tertiæ.

In aula LVDOVICI, Boemorũ & Hungariæ regis, nullus ordo, nullus dispensandi modus inerat, sed profusio intemperantissima, nullo prorsus modesto dispensatore existente: sed omnibus ad se omnia rapientibus, diesq; & noctes in aula cum grege suorum comessantibus, aut perpotantibus, quando nulli cella, nulli coquina clausa esset. Dubrauius libro 33.

VLADISLAVS Iagello, Polonorum rex, non modò fiscum exhausit, uerùm etiam magnam partem regiarum possessionum immerentibus, & maximè uenationum ac similiũ uoluptatum, assectis & ministris dilargitus est, ac tota interdum singulis donauit territoria: sic ut quodã tempore Martinus V. Pontif. max. prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad archiepiscopum Leopoliensem mandato, ut donationes eius rescinderet. In peregrinos hospitalis & munificus. Nullum quamuis exiguũ munus adspernabatur, nec eos, qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à se, ferè dimidium eius quod petissent, largiebatur. Itaq; duplum petebant, qui simplum auferre cupiebant. Cromerus lib. 20.

ALEXANDER, Polonorum rex, militibus atq; aulicis benignè facere solitus, cantoribus etiam, citharœdis, atq; tibicinibus impendiò delectatus est. Prodigum potius quàm liberalem fuisse multi existimauêre, ita ut in tempore cũ decessisse dicerent, priùsquàm Poloniam & Lituaniam omnẽ prodigeret. Bonorum quidem regiorum magnam partem oppignerauit. Cromerus lib. 30.

ALEXANDER V. Pp. in Creta insula natus, Minoritanæque familiæ à puero addictus, à Ioanne Galeacio Mediolanensium principe ob eruditionem & eloquẽtiam primò ad Vicetinum, mox ad Nouariensem episcopatum, hinc ad Mediolanensem archiepiscopatum promotus: tandem Pisani concilij auctoritatem secutus, ut schisma tolleretur trium Pont. omnium iudicio cardinalium Põtifex maximus creatus est: qui morum elegantiam, eiusq; excellentem doctrinam [redacted] se olim episcopum, pauperem ca[redacted] mia liberalitate pontificem esse: in qua dignitate octauo pòst mense obiit. Egnat. lib. 4. c. 8. & Fulg. eodem.

SIXTI IV. Pont. liberalitas summa eum ferè ad inopiã redegit. Indicat hoc notissimus ille uersiculus:

 Mitra caue! instituit dicere, Sum, quod eram.

Humili enim genere natus, & ad summam [redacted] tem, ad extremam denuò paupertatem, ob largition[redacted] Ecclesiæ bonis dilapidatis, redactus fuit. Fulg. lib. 4. c. 8.

PETRI Riarij, qui ex mendicantium ordine à Sixto IV. [redacted]

[redacted] Cardinalatum præter meritum euectus est, luxum & prodigalitatem ætas illa & admirata est & detestata. Regio sumtu familiam alebat, & cùm apud delirũ Pontificem omnia posset, thesauros pauperibus debitos profano usu ità exhausit, ut nisi mors profusionem eius coercuisset, de ærario pontificio actum uideretur. Vnica cœna, quã Leonoræ filiæ regis Neapolitani, sponsæ Herculis I. ducis Ferrariæ exhibuit, priscorum nepotum æmulatione in stuporem uertit Romanorum animos, deliciis hisce plus satis alloqui assuetos. Garimbertus lib. 6. de Vitis Pontificũ. Vir fuit natus perdendæ pecuniæ. Nam biennio quo tantũ postea uixit, C C aureorum millia in luxu uictitãdo solùm absumsit: L X millia æris alieni, argẽteorum item C C C pondo dimisit. Discessit itaq; tabidus uoluptate annorum X X I I X. opificibus maximè desideratus, quorum officinas nouis semper operibus replebat. Volaterranus libro uigesimosecundo Anthropologiæ.

ZVCHARVS cum Poggio nuptias spectans, Isti, inquit, matrimonium consummarunt, ego iam patrimonium cõsumsi. facetè in seipsum dicens, qui uenditis paternis bonis patrimonium omne comedendo ludendoq; absumsisset, Apicio hac una æquanimitate melior. Poggius in Facetiis.

HARTVICVS Reginoburgensis episcopus æs ecclesiasticũ dilapidare, canes, equos, uenatores alere, pauperum curam nullam habere, populum non docere, neq; literis operã dare, adulteros, assentatores, ꝓpinquos ditare solebat. Auentinus libro sexto.

ALEXANDER VI. quam dum Cardinalis esset, pompam in uestibus, gemmis, aulæis, equis, famulis, omnium cum reprehensione fouerat, eandem in Pontificatu ampliauit, ut ne cæteris uitiis unicus luxus deesse uideretur. Garimbertus lib. 6. de Vitis Pontificum.

ALFONSVS Neapolitanorum rex, licet plurimis & populis & nationibus imperaret, ac pace otioque permulto frueretur, faciendis tamen ingentissimis sumtibus, edẽdis magnificentissimis ludis spectaculisq;, & omnis generis rerum effusionibus eò processit, ut conflato ingẽti ære alieno, cùm satis facere creditoribus nequiret, tandem decoxerit: ac dolore iraq; permotus, regij census ministros plerosq; multæ nomine penè bonis omnibus spoliauerit, quòd in exigendo per fas & nefas cõtinentiores fuissent, quàm ipse in prodigendo. Pontanus de Liberal. cap. 9.

IACOBVS de S. Andrea, Patauinus nobilis, à Dante Aldigerio apud inferos collocatus inter prodigos, cũ magno comitatu ex uenatione rediens, imbre madidus, & algens, paleariam tegetem cuiusdam rustici accendit, ut repentè se & socios sine mora exiccaret. Pro eo damno illato dedit uillico decem terrę iugera, maioris prouentus & precij, quàm tres tegetes, quippe qui Cortarodulum, & Marsangum, ac Manfredolium uicos Citadellæ subiectos penè totos possideret. Quin tanto ei ludibrio fuere diuitiæ, ut cùm Venetias aliquando ueheretur, nec haberet quibus cũ alea luderet, ne prorsus otiosus sederet, argenteos atq; aureos numos perinde atq; lapillos è nauis prora in subiectũ amnem iactaret, quot quisq; saltus faceret in summa undã annumerans. Dum ruri esset, & amicos quosdam per noctem aduentantes præstolaretur, & luminis & gaudij testandi causa, iussit agrestes aliquot atq; humiles casas, seorsim ab aliis iuxta uiam positas, incendi. Tandem ob immensas diuitias & amicitiam cum Accio Estensi habitam, Acciolino tyrãno suspectus redditus, cum aliis multis occisus est. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

ERGA QVOS.

NICIAS Atheniensis, uir optimus, in agro Lauriotico argentifodinas tenebat fructuosas. Ac cùm non pauci sectarẽtur eum, non secus improbis ob metum quàm probis ob uirtutem largiebatur. Plut. in Nicea.

Apud Plautum in Trinumo Stasinus seruus narrat X L minas ab HERO intra X V dies fuisse consumtas, utpote in comessationes, compotationes, balnea, in piscatores, pistores, lanios, coquos, olitores, myropolas, & aucupes dissipatas, non aliter quàm si papauer obiicias agmini formicarum. Mox enim distrahitur aceruus, dum unaquęq; suum arripit granulum. Erasmus in Adag.

[redacted]

EXERCITATIO PRODIGALITATIS RESPECTV ALIORVM considerata. Et uel

ABSQVE CERTAMINE, HVC [redacted] LI, QVI ALIORVM

Frugalitatem oderunt.

Vr[redacted]omanæ secundi belli Punici finis, & Philippus [redacted]Macedoniæ deuictus, licentioris uitæ fiduciam dedit. Eò tempore MATRONÆ Brutorum domum ausæ sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quã feminæ tolli cupiebant: quia his nec ueste uarij coloris uti, nec auri plus semuncia habere, nec iuncto uehiculo propius urbem mille passibus, nisi sacrificij gratia, uehi permittebat. Et quidem obtinuerunt, ut ius per continuos X X annos seruatum aboleretur. Val. lib. 9. c. j.

Guido dux Spoletanus, mortuo Carolo Crasso, regnum Franciæ affectans, Metim urbem Mediomatricum diuertit, sperans ex composito conuenturos socios, qui arma & suppetias administrarent. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer eius, illuc præmissus ad alimenta regio more præparanda, ab episcopo Metensi uideret iuxta Francorum consuetudinem multa admodum cibaria parata, petiisse ab episcopo, ut sibi equum donaret, sese curaturum, ut rex tertia huius obsonij parte esset cõtentus. Cui episcopus: Non ferent FRANCI regnare regẽ, qui X drachmis uile prandeat obsonium: abeat retrò unde uenit: nemo hunc regem amplectetur, nemo amabit. Francorum itaq; rebellione turbatus rex Guido, qui Odonem Andegauensem regem elegerant, ad Italicum regnum animum conuertit. Cusp.

Prodigalitatem laudant, amant.

NERO laudabat mirabaturq; auunculum Caium, nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes breui spacio prodegisset. Suetonius.

CVM CERTAMINE. CERTAMINA PRODIGORVM

In genere.

Maxima cùm ambitione contendebant NICOCLES Cyprius & STRATON Sidoniorum reges, uter suauiorem pigrioremq; uitam ageret. Eò usq; certaminis peruenerunt, ut domorum apparatum sacrificiorumq; magnificentiam alter alterius superare contenderet. Tandem ambo cæde uiolenta interfecti fuerunt. Athen. lib. 12. c. 14. & Aelianus lib. 7. Variæ historiæ.

Paulus II. luxu plerosque pontifices uicit, uictus est tamen à LVDOVICO Mediarota uel Scarampa Patauino Cardinale & Patriarcha Aquileiense ad æmulationem usque. Hic namq; Cardinalis, Lucullus uulgò appellatus, primus fuit, qui assidua conuiuia delicatissima instituit, & alea magnã pecuniæ summam perdidit. Illud constat, unica die ab Alfonso rege Neapolitano Ludouicum ludendo X X V aureorum millia abstulisse. Garimbertus libro 6. de Vitis Pontificum.

Anno Sal. MDCCL. FRANCISCVS I. Galliæ & HENRICVS IIX. Angliæ reges, constituto in finibus Morinorum loco, ad certam diem in colloquium deuenerunt. Gallus qui cum ornatissimo totius Galliæ procerum comitatu descenderat, sumtuosissimi operis tabernacula, multiplicesq; papiliones patentibus in locis erexit. Britannus autem attulit ligneam domum, amplissimæ regiæ instar, cum luculentissimis ac amplissimis porticibus atque cœnaculis, quæ constabant ex materia miris modis elaborata, picta simul atq; inaurata, tanto fabrorũ architectorumq; ingenio, ut aptissimis| iuncturis atque uertebris tota plicatilis membratim diuidi, & quum luberet, iucunda commutatione tolli adsportarique, & rursus in uarias formas distingui atq; erigi posset. Cæterùm eo colloquio nihil plus, quo homines admiratione tenerentur, enituit, quàm duorum maximè insignium Europæ principum, humaniter sese complectentium, aspectus atque maiestas. Ambo namque ætate, opibus & uictoriis nuper partis, famaq; bellicæ uirtutis florentes, id oris decus pręferebant, ut spectantes in admirationem adducerent: quando ex his nemo qui adesset utriusq; gentis spectator, uel decore formæ, uel habitu proceri corporis, tractandorumq; armorum peritia, comparari posse uideretur. Nam præter equestria spectacula in gratiam illustrium feminarum, quæ utrinque cultissimis cœtibus aduenerant, edita, & sæpius instaurata, nihil plus actum fuisse apparuit, quàm ut uterq; sese in mutuam comparationem luxuriantis elegantiæ prolatis opibus ostentaret. Iouius libro 20.

In specie. Puta in

Alimentis.

Cùm expeditionem fecissent Aegyptij contra OCHVM Persarum regem, atque captiuus eorum rex ductus esset, benignè admodum ad cœnam eum Ochus inuitauit. Cumq; apparatus splendidus factus fuisset, risit AEGYPTIVS, quasi parcè uiuerent Persarum reges. At si uis, inquit, ô Rex, quo pacto potentissimos reges uiuere oporteat cognoscere, impera meis coquis, ut Aegyptiam cœnam parent. Ochus ea cœna degustata, Iam te malum, inquit, ô Agyptie, malè dij perdant, quando cœnas huiusmodi relinquens, cõuiuium appetisti

appetisti frugalius. Athenæus libro quarto, capite 10.

Marci ANTONII Triumuiri expensæ in cœnam solitæ conferri, sola unionis à Cleopatra uxore consumti, æstimatio-[redacted]Altera die Cleopatra pertent[redacted] cibilem sanè cœnam parauit, sed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnosceret. Tunc regina arridens, phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc unionem demtum ex aure altera festinabunda demisit: cumque maturè dissolutum, ut natura est eius lapidis, absorbuit. Et quamuis eo facto sponsione uicisset, quippe cùm ipsa margarita centies sestertiũm sine contentione eualuisset: manũ tamen ad alterius unionis aurem similiter admouit, nisi Numatius Plancus, iudex seuerissimus, superatum Antoniũ maturè pronunciasset. Ipse autem unio cuius magnitudinis fuerit, inde colligi potest, quòd qui superfuit, uicta regina, & capta Aegypto, Romam testatus, dissectusque est, & factæ ex una margarita duæ, impositęque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis, in templo, quod Panthéum dicitur. Macrobius libro 3. Saturn. cap. 17. & Plutarchus in Antonio.

Mullum insignem dono datum Tiberius Imper. in macellum deferri & uęnire iussit: Amici, aiens, omnia me fallunt, nisi istam mullum Apicius emerit, aut P. Octauius. Neque eum coniectura fefellit. Etenim in licitatione illius APICIVS & P. OCTAVIVS, inter gulæ proceres celeberrimi, certauere seriò, uictore tandem Octauio. Suetonius, & Seneca epistola X V.

Cùm Alphonsus rex Hispaniæ & Neapolis uiueret Tyburi, & œconomus illius subinde commearet in forum Romanum: quodam die orta est ambitiosa altercatio inter OECONOMOS regis & Pontificis, qui simul ad forum conuenerant. Exposita erat uænum in macello unica murena, eaque pro natura piscis, qui quatuor libras nunquam excedit, satis grandis. Expetebat eam uterque Oeconomus. Piscator ansam hanc arripiens, Auferat, inquit, murenam, qui plurimum numorum offert. Pontificius obtulit aureos tres, Regius sex: Rursus Pontificius decem, Regius uiginti. Crescente altercatione, inquit piscator: Tollat piscem, qui numerauerit X X X aureos. Obmutuit Pontificius: Regius uerò data pecunia, murenam abstulit. Laudauit factum Oeconomi sui Alphonsus, illique munera dedit. Ioachimus Cureus in Annalibus Silesiæ.

Vestitu.

Leuchouiæ, ubi Vladislaus Hungariæ rex cum fratre Alberto Poloniæ rege conuentum agebat, cùm Polonorum & Hungarorum principum quisque gemmis certatim & margaritis ad inanem diuitiarum ostentationem sese ornaret: POLONVS quidam se totum preciosissimis unionibus onerauit. Tum Palatinus Hungariæ STEPHANVS, qui per eos dies nullum gestamen unquam tulit, quod non minimum tribus numûm aureûm millibus censeretur, quasi à Polono prouocatus, euestigiò lapidem adeò preciosum exposuit, ut ad primum eius aspectum Polonus se uictum confessus, gemmatam illam uestem, qua se oculos Hungarorum perstricturum putarat, exuerit. Bonfinius libro 4. Decadis quintæ.

Aedificiis.

CN. DOMITIVS Lucio Crasso collegæ suo in censura altercatione orta obiecit, quòd columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem cùm continuò Crassus, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogaret. atque ut responderet, Sexagies sestertiûm: Quò ergo eam (inquit) minoris fore æstimas, si decem arbuscula inde succidero? Ipse tricies sestertiûm, inquit Domitius. Tunc Crassus: Vter igitur luxuriosior est? egóne, qui decem columnas centum millibus numûm emi? an tu, qui decem arbusculorum umbram tricies sestertiûm summa compensas? Valerius Maximus lib. nono, capite primo. Sed paulo aliter Plinius libro decimo-[redacted]

Muneribus. [redacted]

C. IVLIVS Cæsar è duobus consulatus competitoribus L. Luceio, & M. Bibulo, Luceium sibi adiunxit, pactus ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, numos de suo, communi nomine, per centurias pronunciaret. Qua cognita re OPTIMATES, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, cõcordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi, ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem è repub. fieri. Igitur cum Bibulo consul creatus est. Suetonius in Cæsare.

FRVCTVS PRODIGALITATIS, VEL

DIGNVS. VERBI CAVSA

Desperatio.

Posteaquam PERICLEM, CALLIAM filium Hipponici, & NICIAM, defecit pecunia, tres simul cicutam inuicẽ propinantes, in extrema potione quasi è conuiuio ad inferos migrarunt. Aelianus lib. 4. de Var. hist.

ALBIDIVS adolescens decocto uniuerso patrimonio, unas (quæ supererant) ædes rerum desperatione incendio dedit. Quod uidens M. Cato: Hic, inquit, proteruiam fecit. Id erat priscum sacrificij genus, in quo si quid superfuisset, seruare religio erat, sed igni cremabatur. Plut. in Catone.

M. APICIVS quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum, & ingens Capitolij uectigal singulis comessationibus hausisset, ęre alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit, superfuturum sibi sestertiũm centies computauit: & uelut in ultima fame uicturus, in sestertio centies si uixisset, ueneno uitam finiuit. Seneca in consolatoria ad Albinam. Idem ferè tradit in Tiberij rebus Dion quoq;: sed ait Apicium comperisse, ducentas & quinquaginta myriades sibi reliquas fieri.

Paupertas.

Ex Tit. Pauperum huc quædam.

PHOCVS Phocionis F. cùm omnia bona paterna intemperanter absumsisset, parasitum postea egit, & hæredipeta fuit, omniumq; ludibrio expositus. Athen. lib. 4. cap. 20.

Regni amißio.

CONARVS Scotorum rex, Mogalli scelesti patris scelestior F. uoluptatũ mancipium, ne prodigentiæ suæ sumtus deessent, in consilio procerum de regiæ magnificentiæ familia, mensis, epulis, multa præfatus, quibus regij prouentus reditusq; minimè sufficerent, censum populi institui petiit. Proceres deliberatione habita regem inertem in uincula coniecere, regniq; gubernaculum Argado, Argatholiæ principi, commisere. H. Boethius lib. 5.

Bella.

THESSALORVM luxu inuitati Persæ, Græciæ inuadendæ consilium cepere. Athen. lib. 12. cap. 10.

Cùm HARTVICVS Ratisponensis episcopus bona ecclesiæ in canes, uenatores, equos, adulatores & propinquos pro animi sui sententia distraheret, pauperum & doctrinæ studiorumq; nullam haberet rationem: Dux Bauariæ Hẽricus Stausium regiam & uicum episcopi occupauit, tutoremq; ei constituit. Bello orto, cùm ciues in contraria studia abiissent, alij ducis, alij episcopi partibus fauerent, Eberardus episcopus Bauarorum dissidium composuit. Auent. lib. 6.

Coniuratio.

L. Sergium CATILINAM ad coniurationem cõtra patriam inter cætera inopia rei familiaris stimulatũ ferunt, cui profusissimo & sumtuosissimo nihil satis erat. Nam sub Sylla multa rapuerat, multa à Sylla dono acceperat: ut quo ille cùm in aliis permultis, tum in occidendo M. Mario fuerat usus carnifice. Ludouicus Viues in librũ secundũ August. de Ciuitate Dei, cap. 23.

Infamia, Ignominia.

Apud GRÆCOS lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegisset, sepulcro patrio non humaretur, sed externo. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14.

INDIGNVS.

M. TIGELLII Hermogenis profusissimi mortẽ tibicines, histriones, parasiti, gnathones, mimi, epulones, balatrones, mendici, unguentarij, caupones, reliquiq; otiosæ & perditæ uitæ homines, multis lacrymis defleuerunt. Horatius libro j. Sermonum:

> Ambubaiarum collegia; pharmacopolæ,
> Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
> Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli,
> Quippe benignus erat.

[redacted]

AVARITIA IN GENERE. QVO AD

ACQVISITIONEM. AVARITIAE

MAGISTRI.

Spartani nullam omnino acquirendæ pecuniæ rationem habebant, quòd ex quodam oraculo acceperant, Spartæ solā pecuniæ cupiditatem fatalem fore. At LYSANDER uir frugaliss. & auri continentiss. quibus ipse temperabat, his inundauit ciuitatem. Nam captis Athenis immensam auri uim Spartam misit. Plut. in Lycurgo.

Incunabula corruptionis & morbi respub. habuit Lacedæmoniorum, ab eo fermè tempore, quo euerso Atheniensiū imperio refersferunt se auro & argento. Verùm cùm retinerentur tamen sortes hæreditatum, quarum Lycurgus seruari in successionibus numerum sanxit, & pater filio sortem suam relinqueret: idem ordo & æqualitas utcunq; permanens, ciuitatem ex aliis alleuauit peccatis. Vt uerò Ephorus fuit uir factiosus quidem, sed præfractis & acerbis moribus EPITADEVS nomine: hic simultate ei cum filio exorta, rhetrā promulgauit, ius ut cuique esset hæreditatem suam & sortem, cuicunq; uellet, & inter uiuos donandi, & relinquendi testamento. Atq; hic quidem, quò iræ suæ priuatæ indulgeret, eam tulit legem: quam auaritia consultrice comprobantes & sescentes alij, optimum ordinem conuulsere. Nam citra delectum iam possessiones quærebant præualentes, propinquos pellentes successionibus breuiq; opulentia ad paucos confluente, occupauit ciuitatem inopia, quæ expulsis bonis artibus, occupationem illiberalem traxit secum in sordidis cum inuidia & odio locupletium. Superauerūt ergo non plus septingenti Spartiatæ, atq; horum fuerunt fortasse centum, qui agrum & sortem tenerent: reliqua turba inops & abiecta residebat cum illis in urbe. Hæc & bella foris illata ignauiter segniterq; propellebat; & semper opportunitatem aliquam captabat mutationis ac rerum nouarum. Plut. in Agide.

In Romana historia latet prorsum, qui omnium princeps largitione grassari adortus sit (etiamsi præclarè dixit quidam, ὅτι πρῶτος κατέλυσε τὸν δῆμον, ὁ πρῶτος ἐπιδοὺς καὶ δικάσας, opinor) quia clàm καὶ κατὰ μικρὸν id obrepsit malū. ATHENIS iudices ab Anyto primùm corruptos legimus, proditionis reo, Peloponnesiaci belli exitu ferè. Cæl. lib. 23. cap. 14. A. L.

PERICLES primus Atheniensium populum ad agrarias diuisiones, ad sportulas theatrales, & mercenarias largitiones accipiendas deduxit. Pericles in Plutarcho.

Ὀβολὸν εὗρε Παρνοίτης, id est, Reperit obolum Parnœtes. Accommodari poterit ad illos, qui nouum aliquod excogitarunt præmium, quo illectent. Natum aiunt à CALLISTRATO Atheniensium reipublicę principe, cui cognomen additum Parnœtes. Is enim instituit, ut in iudiciis & concionibus nummi quidam distribuerentur. Quam rem Comicorum insectatio uertit in prouerbium. Erasmus.

BRENNVS, Gallos ducens in Græciam, cùm Delphis aureas statuas conspexisset, accersiuit Delphos captiuos: eosq; per interpretem interrogauit, An solidum esset aurum anathematum? Quibus affirmantibus, intus ferrum esse, foris autē aurum leuiter aspersum: mortem omnib. minabatur, si hoc aliis enunciarent: imò contrarium dicere iussit, nihil esse pręter aurum fabricatum. Tum duces intrò uocauit, & ad eundem modum captiuos interrogauit. Quibus, ut imperatum erat, respondentibus, aurum esse purum: iussit eos multitudini renunciare, ut sperantes se maximos auri thesauros accepturos, alacrius pugnam facerent. Polyænus.

Voces, quas AVARI homines, ac minuti animi, insusurrare filiis solerent, retulit Horatius in Satyra prima ad Mœcenatem, qua uitium illud accusauit, & quanta maximè diligentia potuit exagitauit: At bona pars hominum, decepta cupidine falso, Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis. Plutarchus quoq;, in commentario, de Nimio amore auri, celebratas itidem illas in Græco sermone ostendit: docens inueniri multos, qui dum præcipere aliquid hæredib. uolunt, quod prosit, corrumpunt ipsos ac deprauant, inserentes in animis ipsorum sitim pecuniarum uehementiorē, Κέρδαινε, καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς. Addit autem statim, id non esse, præcepta dare & excolere, sed contrahere atq; consuere tanquam marsupium, ut continere custodireq;, quod iniectum eò fuerit, possit. Victorius libro 23. Var. lect. cap. 10.

NERO nunquam cuiquam officium delegauit, nisi hæc adiiceret: Scis quibus mihi est opus: &, Hoc agamus, ne quis quid habeat. Vox prædone quàm principe dignior. Suetonius, & Dion.

[redacted]

BICCIVS & MVSCHIATTVS Franci, Florentini mercatores, Philippo Pulcro Gallorum regi monetæ adulterandæ auctores fuere, cum incredibili nominis infamia, & detestatione totius orbis Christiani, an. 1302. paulo ante cladē Cutracensem. Io. Villanus lib. 8. cap. 55. Historiarum.

DISCIPVLI.

De ROM. auaritiæ fomite sic scribit Ouid. lib. 1. Fastorum:

Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis,
  Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
At postquam fortuna loci caput extulit huius,
  Et tetigit summos uertice Roma deos:
Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
  Et cùm possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumta requirere certant,
  Atq; ipsę uitiis sunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,
  Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In precio precium nunc est, dat census honores,
  Census amicitias: pauper ubiq; iacet.

Vergiliarum occasu ROMANI institores olim de hyeme augurabātur. Nubilo occasu, quia pluuiosa denunciaretur hyems, augebant lacernarum precia. Sereno, reliquorum uestium precia accendebant, quoniam aspera esset hyems futura. Plin. lib. 18. cap. 25.

INDORVM ex Hispana militari crudelitate superstites in nouo orbe reliquiæ, etsi olim res externas nihili propemodum facere, & ab auaritia remotissimi esse consueuerant, tamē, paucis exceptis, eas res & opes, Hispani militis exemplo, studiosè quærere, in casq; uelis ac remis incumbere dicerunt. Io. Metellus.

EXERCITATIONEM PER SE consideratam.

QVI. HVC AVARI

Populi.

PHOENICES omnes dicti sunt, qui quęstus essent auidi. Vnde Pindarus in Pythiis hymno secundo, Φοίνισσαν ἐμπολὰν, id est, Phœniciam negociationem dixit. Erasmus in Adagiis.

Elegans est apud Gręcos uerbum χαλκιδίζειν, id est, Chalcidissare, quod significat auidius pecunię inuigilare, quoniam eiusmodi fuisse CHALCIDENSES feruntur. Cęlius libro 20. cap. 23. Antiq. Lect.

De ROM. auaritia Petronij Arbitri hæc leguntur:

Orbem iam totum uictor Romanus habebat,
Quâ mare, quâ terræ, quâ sidus currit utrunq;,
Nec satiatus erat. grauidis freta pulsa carinis
Iam peragrabantur: si quis sinus abditus ultrà,
Si qua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisq; in tristia bella paratis
Quærebantur opes. non uulgò nota placebant
Gaudia, non usu plebeio trita uoluptas. Item:
Nec minor in campo furor est, emtiq; Quirites,
Ad prædam sonituniq; lucri suffragia uertunt.
Venalis populus, uenalis curia patrum:
Est fauor in precio: senibus quoq; libera uirtus
Exciderat, sparsisq; opibus conuersa potestas,
Ipsaq; maiestas auro corrupta iacebat.

HISPANIS olim, ut scribit Philarchus, micrologia propria fuit, qui res uel minimas plurimi faciebant, & auaritiæ studio semel tantùm die cibum capiunt. Sunt, inquit, & hydropotæ, & in tam auido ingenio uestibus tamen amiciuntur uel preciosissimis.

Sacri homines.

LAVRENTIVS Pucius Cardinalis, magnus pœnitentiarius sub Leone X. [redacted]. Is enim natura officiosus atque beneficus, sæpissimè à ueterum decretorum seueritate, uel exigua cum spe mercedis, industriam suam & auctoritatem ad implenda petentium uota facile transferebat. Acciditque nonnunquam ut Pontifex de pudore sollicitus, quum libelli de grauissimis rebus subscribendi porrigerentur, ipsius maximè Pucij, quòd diuini iuris (hoc est, pôtificij) esset peritissimus, fidem imploraret, obtestando, ne se imprudenter in errorem labi pateretur: quando mox ab aliqua enormi concessione æquitatis fines transgresso, pœnitentia simul atq; infamia laborandum foret. Iouius in Leone X. l. 4.

[redacted]

ALBICVS medicus, Sbinconi Archiepiscopo Pragensi à Venceslao Ignauo rege & Imper. suffectus, propter auaritiam pharmacopolis potiùs quàm pontificibus adnumerādus; clauem penoris & cellæ uinariæ penes se gestabat semper, nec alium, quàm anum abstemiam, intromittebat: domi quasi cauponam & macellum instituerat, uina meraciora, pisces, aues, ferinam aliis uendens, & cum familia sordida & pauca panem atrum cum secundana cereuisia rodens. Palàm prædicabat, se multò patientiùs serræ stridorem ferre posse, quàm equorum per noctem dentibus hordeum confringentium strepitum. Proinde non minùs à suis, quàm ab aduersariis Hussitis contemnebatur. Cùm inualescentibus Hussitis cerneret sacerdotes suos templis expelli, metuens, ne iacturam faceret Pontificatus, quem à rege emerat, Conrado Vestuallo subcamerario regio illum uendidit. Dubrauius lib. 23. Interrogatus aliquando, sonorum omnium quē molestiùs audiret? Maxillarum, inquit, ossa frangentium. Cùm familiam edentem bibentemq; ferre nō posset, dignitate sese abdicauit, minori contentus officio, cuius reditus simul & impensa parcior esset. Aen. Syl. cap. 35. & 42. hist. Bohem. & Bonfin. lib. 2. Dec. 3.

Reges, Imperatores.

Mortuo Proteo, Aegyptiorum regi FILIVS successit, per omnem uitam uectigalibus, & ad cumulandum undique thesaurum intentus: uir pusilli animi, atque auarus, ut qui neque deorum muneribus, neque ulli beneficentiæ uacarit: ita ut non rex, sed ut dispensator auidus, pro uirtutis gloria plus auri argentique, quàm præteriti reges omnes (quadringenta talentorum millia ea fatilg. tradunt) reliquisset. Diodor. lib. 1. cap. 5.

TIBERIVS Cæsar quotidiana oscula prohibuit edicto: item strenarum commercium, ne ultra Calend. Ianuarias exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam & de manu reddere: sed offensus interpellari se toto mēse ab iis, qui potestatē sui die festo non habuissent, ultrà non reddidit. Suetonius.

VESPASIANVS cùm rapacissimum quemq; promoueret, ut mox ditatos condemnaret, uulgò dictus est officiarios suos habere pro spongiis: quòd ueluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Cādidatis honores, reisq; tam innoxiis quàm nocentibus absolutiones uenditasse dicitur. Suetonius, & Dion.

PERTINAX, qui Commodo successit, auaritiæ suspicione priuatus non caruit. Nam & sordidè se gessit in prouinciis consularibus regendis: & cùm paternum patrimoniū perexiguum esset, subitò factus est diues. Quinimò apud uada Sabatia mercaturas Imp. exercuit per homines suos, non aliter quàm priuatus solebat. Neq; uerò multum amatus est à ciuib. suis, cùm ipse lucri libidine munera reciperet. Cusp.

CARACALLA Imp. præficiebat certaminibus unum ex libertis, cæterisq; locupletibus, ut in ea magnos sumtus facerēt, eosq; colebat sub flagello, atq; aureos ab iis quasi homo abiectissimus petebat. Igitur quamdiu principatum tenuit, adeò omnis orbis terrarum, qui erat sub eius imperio, uastatus atq; direptus est, ut ludis Circensibus populus Romanus ita conclamauerit: Nos uiuos perdimus, ut mortuos sepeliamus. Crebrò dicebat, pecuniam sibi soli esse oportere, pręterea nemini, nisi eam daret militibus. Cumq; Iulia ipsum argueret, quòd nimios sumtus faceret in milites, diceretq;, iam sibi nullos redditus iure aut iniuria partos reliquos esse, gladium ostentans respondit: Bono sis animo, inquit, mater. nam nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit. Dion & Xiphilinus.

PHOCAS Imp. parricida auarissimè tributa exegit. More Persico cum suis aulicis secreta tractabat, qui magistratus & iudicia uendebant. Stipendia parcissimè dabat: chariores habuit, qui inexplebili rapacitate populos uexabant. Ob id cōiuratione Prisci patricij & prętoris, cui filiam Domnentiam desponderat, & Heraclonæ magistri militum, & eius filij Heraclij, qui proprætor Aphricam administrabat, tumultu militari occiditur. Cuspinianus.

VISBVR Gothorum rex auarissimus, nunc mutuo, nunc dono, nunc minis omnium ciuium bona in suum fiscum congregauit: nullus procerum aut populi conuentus, in quo non conquereretur de inopia regiæ coronæ. Cuius conseruandæ prætextu tot rapinas, tot spolia, tot furta in ciues, totq; sacrilegia in deorum templis, commisit, ut publicus patriæ hostis existens, minus nocere non potuerit: & tamē nihil unquam præclari per eas ingentes diuitias, sudore & sanguine pauperum comparatas, efficere curauit. Ioannes Magnus libro 7.

ADOLFVS Nassauiensis Imp. pessimè audiuit, quòd adulterinam monetam cuderet, clam fana expilaret, quodq; centūm millia aureorum ab Edoardo Anglorum rege stipendij nomine accepta interuertisset. Itaque datus illi à Pontifice Bonifacio æmulus Albertus Austriæ dux, à quo ad Vangionas cæsus est. Dubrauius lib. 18.

Duces bellici.

Roma à Totila Gothorum rege obsessa, Gręci duo duces BESSA & CONON, frumento omni in suam redacto potestatem, ingenti pecunia uendiderunt ditioribus Romanorum, quibus etiam bouem unum aureis quinquaginta uendebant: erantq; putida equorum, canum, & huiusmodi animātium cadauera inter Romanas delicias: promiscua uerò hominum turba urticas coctas duntaxat edebat. Procopius.

Philosophi.

SPEVSIPPVS Platonis ex sorore nepos, ad nuptias Cassandri regis Macedonum profectus, frigida sua poemata spe præmij recitauit. Vnde φιλοχρήματος à Philostrato in uita Apollonij appellatur. Gyrald. Dial 3. Hist. poet.

ARISTIPPVS Cyrenis natus, primus ex Socraticis mercede docuit, ut etiam doceri uoluit: (tametsi precium Socrates nunquam accepit, dicens prohiberi se à dæmone) tum etiā inferiori Dionysio Syracusano assentari & perferre ab eo cōtumelias sustinuit, quæstus gratia. Corporis uoluptatem summum bonum posuit. Laertius. Ab hoc philosopho Cyrenaicorum secta est constituta.

Poetæ.

Refert Aristoteles lib. Rhet 3. in certamine mulorum, quum is, qui uicerat, dixisset exile precium pro carmine: SIMONIDES recusauit, indignans mulos celebrare suo poemate. Verùm ubi uictor dedisset satis magnum premium, carmen tale fecit:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων. id est,
Saluetote uolucripedum soboles equorum.

PINDARVS taxatur ut φιλάργυρος, quòd multus in laudando auro. Nam hoc pacto statim auspicatur Olympia, ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου, id est, Optima quidem aqua, cæterùm aurum, uelut ardens ignis, eminet noctu, magnificas supra opes. Rursum in Isthmiis hymno iij. καὶ μεγασθενῆ νόμισαν χρυσὸν ἄνθρωποι ἔξοχον ἄλλων. id est, Et multipotens iudicarunt aurū homines eximium in cæteris. Erasmus in Adagiis.

Oratores.

DEMOSTHENES cepit de Ephialte concionatorum uno aurum: qui ad regem functus legatione, clàm attulit pecuniam, qua concionatoribus diuisa, bellum aduersus Philippum consciseeret: atque ipsum seorsum ab rege aiunt Daricorum redemtum fuisse tribus millibus. Plutarchus in uita Demosthenis.

Cùm Polus histrio EIDEM aliquando dixisset, quòd duos dies in scena egisset, talentum se mercedis accepisse: Ego, inquit, quinq; talenta, quòd biduum tacuerim. Idem.

Musici.

Nicostratus & Laodocus citharœdi, quum inter se concertarent, dixit Nicostratus, LAODOCVM esse in magna arte paruum, se autem in parua magnum: satiusq; ilibi esse non domum diuitiis, sed artem studio & diligentia augere. Aelianus lib. 4. de Var. hist.

Iureconsulti.

Ex loco Auaritiæ in Acquirendo huc quædam.

Medici.

PETRVS Aponensis, Patauinus, Côciliator dictus, Bononiæ docuit. Vocatus ad ægros extra urbē, non minus [redacted] L florenis in diē conduci se patiebatur. Ab Honorio [redacted] pontifice in singulos dies centum exegit. Sed cùm ill[redacted] aliter, mille donatus fuit. Octogenarius obiit, cùm

Cùm illi Inquisitores hæreseos propter uetitas artes dicam scripsissent grandem.

IACOBVS Syluius Parisiensis, Medicinæ professor regius, insignem eruditionem auaritiæ sordibus ad miraculum usq; contaminauit. Auaritiam comitabatur pari gradu inuidia, sic ut non collegis tantùm suis, qui ex arte quæstū facerent, sed & ex studiosorum numero iis; qui ob ingenij felicitatē aliquando fructum percepturi uiderentur, inuideret. Ad regiam profitendi functionem adscitus, eam habuit de Medica arte eiusq; doctoribus orationem, ut præter id quòd uniuersam encyclopædiam in Medico requirebat, pauperes omnes ab arte tanquam profanos & indignos & ineptos ablegaret, quòd nunquam in ea emersuri essent, quorū uirtutibus obstaret res angusta domi. Hēricus Stephanus lib.1. Apologiæ Herodoti, cap.16.

Mercatores.

NEGOTIATORVM genus nihil habet sacrū, pter unū pecuniæ lucrum, cui se totos ceu deo consecrarunt. Hoc pietatē, hoc amicitiam, hoc honestum, hoc famam, hoc diuina pariter & humana omnia metiuntur. Reliqua nugæ. Erasmus in Adagiis.

Senes.

SIMONIDES iis, qui auaritiam ei obiiciebant, respondit, aliis se uoluptatibus ob senectutem orbum, ab una ætatem suam foueri quæstuaria. Plut. An seni tract. resp.

Vxores.

De VXORE Galli Martialis libro 2.

Gentibus in Lybicis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia. non solet illa
Accipere omnino. Quid solet ergo? dare.

Meretrices.

Vide Titulum Meretricum.

Priuati quiuis alij.

Ἐκ πατροκλέους, id est, E Patroclis domo, prouerbium in sordidos: sumtum à moribus PATROCLIS cuiusdam Atheniensis, prædiuitis quidem, uerùm impendiò parci sordidiq;, quem uetus comœdia talem fermè depingit, qualem Plautus Euclionem, teste Aristophanis interprete, cuius uerba Suidas quoq; refert, qui & prouerbium esse uult. Est autem in Aristophanis Pluto. Is quum esset squalidus, incultus & sordibus obsitus, rogatus unde uenisset,

Πόθεν οὖν φροῦδον αὐχμῶν βαδίζεις; id est,
Vnde igitur adeò sordidus squalensq; uenias dicito.

Tum ille respondet,

Ἐκ πατροκλέους ἔρχομαι,
ὃς οὐκ ἐλούσατ', ἐξ ὅτουπερ ἐγένετο. id est,
E' Patroclis domo,
Qui haud lauit unquam, posteaquàm natus est.

Erasmus in Adagiis.

Apud Aristophanem in Pluto, Carion seruus stomachatur in HERVM, quòd ipse uidens, Plutū oculis captū sequeretur,

Ὅς τις ἀκολουθεῖ κατόπιν ἀνθρώπου τυφλοῦ,
τοὐναντίον δρῶν, ἢ προσήκει αὐτῷ ποιεῖν·
οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα,
οὗτος δ' ἀκολουθεῖ, κἀμὲ προσβιάζεται. id est,
Luminibus ut qui captum & orbum homunculum
Sequatur à tergo, hoc agens præposterè.
Nam qui uidemus, ducimus cæcos: at hic
Sequitur, simulq; cogit eadem facere me.

Erasmus in Adagiis.

VNIDII auaritiam describit Horatius libro primo Sermonum in hæc uerba:

Vnidius quidam (non longa est fabula) diues
Vt metiretur numos, ita sordidus ut se
Non unquam melius seruo uestiret, ad usq;
Supremum tempus; ne se penuria uictus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum.

Obliuione alioqui dignus, at Iuuenalis satyra XII notus est PACVVIVS, quando inquit:

Viuat Pacuuius, quæso, uel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet: nec amet quenquam, nec ametur ab ullo.

Stroza pater auaritiæ inurit notam cuidam SCAVRO, de eo sic scribens:

Scaurus habet uillas, urbana palatia, numos,
Pinguiaq; in numeris prædia bobus arat.
Huic tamen assiduè maior succrescit habendi
Nunquam diuitiis exatiata fames.
Ditior est igitur patrio contentus agello,
Qui uiuit nullo fœnore, Fabricius.

EXERCITATIONEM, RESPECTV aliorum consideratam, & uel

ABSQVE CERTAMINE.

Qui aliorum

[redacted]

Cùm D. [redacted] culum immineret à Normannis, curauit [redacted] tifex, ut Altisiodorum transferretur: ubi propter sacros denarios MONACHI, qui D. Germanum uenerabantur, lite contra Martini SACRIFICOS mouerunt. Platina.

Orta de SACERDOTVM decumis lite apud Boemos: his conquerentibus fruges ex agris priùs quàm decumanus decimas æstimasset, ab agricolis exportari: RVSTICIS uerò decumani ignauiam atq; moram accusantibus, qui non nisi pluuia corruptas aut à pecoribus arrosas fruges censeret: Vdalricus & Iaromirius fratres principes, litem ita moderati sunt, ut aratoribus permitterent manipulos ex agris in aream tempestiuè asportare: sed his duntaxat, qui cū pontifice iusto precio, aut certis in singulos actus & iugera frumenti mensuris decidissent. Eadem lege in Morauia in pontificatu Olomucensi, quem Helichardus episcopus unà cum Pragensi procurabat, decimas exegisse dicitur. Dubrauius libro septimo.

Sundensis urbs (in solo Vandalorum, insigni circa an. sal. 1407. facinore malè inclaruit. CONRADO Bonouio pastori (q per omnes ecclesias in ea urbe unus est) ciues non satis obsecundabant, oblationes minuebant, numismate minuto cupreo excogitato: quas ille aliquanto tempore collectas, in ollam conflauit, documenti causâ. Concilium urbis publicum (consulatum uocant) etiam rationem facti prætendere uidebatur, ne communitas sumtuosis funerationibus grauaretur, quū alter alterum funeris sumtu exuperare contenderet. Pastor imminutionem sui iuris & ecclesiasticæ cōsuetudinis non patiens; incendiis, rapinis & uastationibus omnia fœdauit. Baiulos nonnullos urbanos extra urbem aperto instantes, truncatis manibus & pedibus, in cruore palpitantes reliquit. Populo eam ab causam tumultuante, sed ante omnes baiulis, clerus omnis unâ cogitur in domum ueluti cremādus. Ex omni numero tres, ecclesiarū tribunum rectores, excitato medio in foro igni iniecti sunt, quod ardentibus uillis dixissent, Ecce collucent cerei funerales. Zuerinensis episcopus urbi sacris interdixit. Diu pertinaciter tulere pœnam. Sed quum supplicem nuncium Romam mitterent, ueniam postulantes, Papa misit fratres prædicatores, pœnitentiam pro qualitate facti cuiq; imponendi. Episcopus pòst eam diem nunquam in ea urbe diuinum peregit officium. Inscripta est memoria satisfactionis testudini cathedralis ecclesiæ Zuerinensis, in populi contumeliam. Octennio pòst Conradus pastor à Degenardo Buggenhago Marescallo in pugna cæsus est. Cran. l.10. Vād. cap.27.

Eleemosynam.

MENDICI inter se de eleemosyna à Petro Telonario Constātinopolitano extorquenda certabant. Cùm enim opibus afflueret, dubitabatur; ditior an auarior esset. Cæteris id fieri posse negantibus: unus profitebatur se ab eo eleemosynam eliciturum. Itaq; cum multo cum precum ambitu accessit: & dum hominem auertentem sese urgere cœpisset, ad irā concitauit, ità ut furore ardens repentè panē arreptū recens coctū, in faciem precātis intorqueret. Is cùm declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem uoti sui compotem factum sociis nunciauit. Marul. lib.1. cap.2.

Statuam.

Herculis simulacrum rati insertum, è Tyro mari delatum, primùm ad Heram, quæ è portu Erythræorum Chion soluentibus propemodum media est, appulit. Cumq; iam terram attigisset, conspecto signo summis uiribus IONES & CHII certatim ad se illud pertrahere conati fuêre. At somnio cuiusdam Phormionis Erythræi moniti, ratem fune ex capillis mulierum Thracum complicato in portum suum perduxerunt. Pausanias in Achaicis.

Monasterij ius.

Sophia Othonis III. soror, sacro uelamine in cœnobio Gandersheimensi induenda, MOGVNTINVM accersiuit antistitem, Hildesiano, ad quem potiùs illæ partes spectassent, cùm ipsius sit ditionis monasteriū, neglecto. Ea occasione Moguntinus deinceps eius cœnobij ius sibi arrogauit. Imperator Henricus II. in idem cœnobium Germaniæ episcopos conuocauit. Horū iudicio Moguntinus Hildesiano suū ius salùum relinquere coactus fuit, petita simul illatæ iniuriæ condonatione, anno 1022. Chronicon Magdeburgense.

Salarium.

Cùm citharœdus TIMOTHEVS, qui maiorā sperauerat, & minus acceperat, non dissimularet queri de Archelao rege, atq; aliquando hunc canens uersiculum;

Tu nempe terrigenum argentum effers laudibus,

taxaret eundem: retorsit hic in illum, Sed tu petis. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Captiuos.

Venetis Ferrariam oppugnantibus, eruptione à ciuibus facta, multi à nobilibus capti sunt, & inter eos Hercules Cantelmus, eximiæ expectationis iuuenis, cuius maiores olim in regno Neapolitano Sotæ fuerant duces, à quibusdam ILLYRICIS militibus in triremem captiuus perductus: ac dum cuius ipsorum esse deberet, dissidium inter eos ortum esset, ab uno illorum, inaudito barbaræ immanitatis exemplo, ei miserè caput est truncatum. Guicciard. lib.8.

Ea in pugna, qua Veneti anno 1513. VII. Octobris die, à Maximiliani I. Rom. Imp. exercitu, ad Vincentiam magnam cladem acceperunt: Lauredanus legatus Venetus duobus MILITIBVS, utrius captiuus esse deberet; inter se dimicantibus, ab altero illorū immaniter interfectus fuit. Guicciar. l.11.

Prædam.

Consule Tit. Milites auari, quatenus inter se de præda certant.

Cùm captis Athenis Lysander uim pecuniæ ingentem misisset Spartam: SPARTANORVM prudentissimi numorum exhorrescentes uim, quæ ciues labefactasset non uulgares, & Lysandrum sunt insectati, & testato denunciauerunt Ephoris, reiiciendum quasi pestilentes illecebras aurum & argentum. Hi rem ad concilium retulerunt. Sciraphidam Theopompus refert, Ephorus Phlogidam fuisse, qui non recipiendam in urbem monetam auream uel argenteam censuerit, sed retinendam patriam. Ea ferrea erat, primùm aceto tincta adhuc candens, ut neq; procudi neq; duci ob tincturam, neq; posset tractari malleo: ponderosa deinde & ad portandum inhabilis, cuius esset magnus numerus & moles exigui precij. Ac uetus moneta fuit fortassis omnis eiuscemodi, quia obeliscis utebantur ferreis numis, quidam æreis. Vnde durat ad hæc usque tempora, ut multum pecu- [redacted] in Lysandro, & Aelian. [redacted] & Athen. lib.6. cap.4.

Mithridates ad Cabiras à Lucullo uictus, cùm nemo apud eū ne apparitor quidem uel equiso remansisset, in caterua se cæterorum extulit castris, ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuit: uerùm cùm serò tandem in fluctu fugæ illius conspexisset iactatū eunuchus Ptolemæus, cui equus erat: desiliit, præbuitq; equum regi. Iam ergo premebant eum instantes ROMANI: cùm interea mulus ex iis, qui gazam regis portabant, coniecit se inter regem & consectantes. Ita illi rapiendo colligendoq; auro, atq; inter se digladiando, cessauerunt illum corripere. Itaq; ad Tigranem generum in Armeniam euasit. Plut. in Lucullo.

MANTONIVS Triumuir bello ciuili, quo publicā proscriptionem priuatæ libidinis instrumentum esse uoluit, Nonium Senatorē proscripsit, uti gemma eius Opalo, sestertiis uiginti millibus æstimata, potiretur. NONII non minor in conseruando auaritia, qui fugiens, hunc è fortunis omnibus anulum abstulit secum: cùm castor uitę redimendę causa uesicam castoreo plenam suis ipse sibi amputet dentibus, ut hac ueluti præda uenatores à persequendo remoretur. Plin. lib.37. cap.6.

Vbi Totilam regem creatum, Ioēnes, Bessas, Vitalis, & cæteri, qui à Belisario relicti ad defensionem Italiæ fuerant, audiuerunt: decreuerunt Veronam extemplò ducere, eamque cum Gothis ibi morantibus in potestatem redigere: deinde aduersus Totilam in Picenum redire. Sic igitur præfecti undecim exercitum duodecim hominum millium Veronā adduxerunt. Statuta nocte centum delecti uiri, Artabaze Armenio duce, præmissi, portam, custode ex composito aperiente, occuparunt. Gothi re intellecta, per auersas portas urbe se eiecere, atq; in rupē imminentē euasere, unde facilè urbem, & campos omnes, despicere poterant. Post paulò præfecti Romani, ab Artabaze acciti, ad urbem procedere cum copiis incœperunt: uerùm in itinere, altercatione inter illos de præda Veronensi dispertienda coorta, frustra temporis aliquid consumserunt. Itaq; Gothi, luce orta, ex alto paucitatem hostium, qui urbem inierant, & longinquitatem eorum, qui ad eam accedebant, conspicati, incitato cursu urbem repetiuerūt, ac Romanos in murorū propugnacula se referre cōpulerunt. Interim præfecti, diuisa, quam partituri non erant, præda, ad portam uenientes, cùm eam clausam reperissent, celeri inde se fuga proripuerunt: & suos de muris pugnantes, &, ne se desererent, obsecrantes, destituerūt. Illi saltu sese ex mœnibus deiecerunt. Sigonius lib.19. Imp. occid. & Blondus lib.5. ex Procopio.

Belli impensas.

Anno 1430. Principes inferioris (ut uocant) Alemanniæ, Vilhelmus dux Brunsuicensis, Guntherus archiepiscopus Magdeburgensis, Ioannes Halberstadensis, Magnus Hildesemensis, episcopi: Ludouicus puincialis Turingiæ, Ioannes marchio Brandenburgensis, multi præterea Comites & barones, magnis agminibus duxere in Boemos. Et quoniam in Misnia confligendum uidebatur, uoluere principes, ut (iure militari) is, in cuius principatu prælium iniretur, accipienda dāna refunderet, caueretq; de infecto. Marchiones Misniæ, se tam magnis & multis principibus de damno cauendo putabant impares: simul quòd non eorum expeditio, sed communis populi Christiani causa ageretur, & (si bene cogitarent) singulorum res essent in medio. Superatis enim Misnensibus, facilè Boemos peruenturos ad proximos. Cōtentione crescente, soluitur expeditio. Vilhelmus dux desertus à sociis, omissa expeditione, profectus est in terram Sanctam: & inde reuersus, Sigismundo Romanorum regi aliquandiu militauit: aliquot prælia in Boemos, sed leuia fecit. Quum igitur Orphani tantum propter se collectum à principibus exercitum diffluxisse uiderent: tripertito agmine se diuidunt: pars in Vngariam, alia in Poloniam, tertia in Austriam duxit, igni ferroque omnia fœdantes uastantesq;. Cranzius lib.11. Vandaliæ, cap.20.

FRVCTVM VEL

DIGNVM. AVARITIÆ FRVCTVS.

In genere.

TIBVLLVS lib.2. elegia 3. Auaritiam comitantia mala graphicè depingit, inquiens:

Ferrea non Venerem, sed prędam secula laudant:
Præda tamen multis est adoperta malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorq; uenit.
Præda uago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cùm dubiis rostra dedit ratibus.

In specie. Puta

Paupertas.

Lucillij apud Stob. ser.10. tale extat in THRASYMACHVM:

Θρασύμαχε πλοῦτον πολὺν ὤλεσας ἐξ ἐπιβουλῆς,
εἰς οὐδὲν δ' ἥκεις ἄθλιος ἐξαπίνης·
φειδόμενος, δανείσας, τοκίους ἔχων, ὑδροποτήσας,
πολλάκι μηδὲ φαγών, ὥστε τι πλεῖον ἔχειν.
ἀλλ' εἴ μοι λογίσαιο τὸ πίνειν καὶ τότε καὶ νῦν,
οὐδὲν ἔλαττον ἔχεις, ὧν τότ' ἔδοξας ἔχειν.

O Thrasymache, multas opes per insidias perdidisti, & subitò ad nihilū redactus es: cùm fueris parcus, fœnus & usurā exercueris, aquam biberis, imò sæpe nihil comederis, ut aliquid amplius haberes. Verùm si consideres quantum nunc bibas, & quantū olim, nihil minus habes, q̄ olim uidebaris habere.

Iactura qualiscunque priuata.

Alcimus Sicul' in lib. Italico inscripto omnes scribit Italas mulieres uinum non bibere, tali de causa. Cùm Hercules sitiēs in domum quandam, quæ erat secundùm uiam apud Crotonem, ingressus esset, accedens bibere poposcit. Ibi MVLIER, quæ dolium uini paulo antè clàm releuerat: metuens, ne furtum deprehenderetur, ad uirum dixit, cum malè factu rum, si peregrini gratia dolium aperuisset, iussitq; ipsum aquam bibere. Hercules in foribus stans, & hæc audiens, uirum ob benignitatem laudauit, & mox ipsum accedere, doliumq; intueri iussit. Is ingressus, lapideum factum dolium reperit. Eapropter nunc etiam inter omnes mulieres indigenas turpe putatur, uinum bibere. Athen. lib.10. cap.13.

Facta uindemia, FRATREM quendam parcum multo minus solitò collecturum, & id, quod antè habuerat, in acetum conuersum iri propter inhospitalitatem, multis fratribus antè futurum prædixit.

D. HILA-

D. HILARION cùm exiturus esset ad uisenda monasteria (id singulis annis facere consueuerat) & digereret in scedula apud quos maneret, quos in trāsitu uisitare deberet: scientes monachi, QVENDAM de fratribus parciorem, simulq; cupientes uitio eius mederi, rogabant, ut apud eum maneret. Et ille: Quid, inquit, uultis & uobis iniuriam, & fratri uexationem facere? Quod postquam frater ille parcus audiuit, licèt annitentibus cunctis, uix impetrauit, ut suum quoque monasterium in mansionum ordinem poneret. Post diem ergo decimum uenerunt ad eum, custodibus iam in uinea, qua uenirent illi, dispositis: qui cùm lapidibus & glebarum ictu fundæq; uertigine accedentes detererent, sine esu uuæ manè omnes profecti sunt, ridente sene, & dissimulante scire quod euenerat. D. Hieron. in eius uita.

Alfonso adhuc adolescente, regnorum Siciliæ & Hispaniæ gubernacula in Aragonia suscipiente, accidit, ut cuiusdam seruula ex domino prægnans facta, mox patiens, ad libertatē proclamaret, ex lege Hispaniensi siue Catalanensi (quæ est, Serua, q̄ ex domino liberos susceperit, libera esto.) DOMINVS autem ueritus seruā amittere, negabat ex se filiū procreatum: ratus hoc pacto se seruam non amissurum, & filiū simul habiturum. At illa acriùs instante, & natum ex domino conceptum asseuerante, cùm eius rei difficilis probatio & ueritatis periculosa coniectura esset, ingenti ancipiti: Alfonsi prudentia iam inde ab adolescentia statim resplenduit. Decreuit ergo, ut infans sub licitatore uenundaretur. Cumq; uni, qui maius precium attulisset, infans traderetur: pater pietate uictus, à lacrymis temperare nequiuit, & suum esse filium fassus est. Quare rex & patri filium & seruæ libertatem non cunctanter adiudicauit. Panormitanus lib. 2. de Rebus gestis Alfonsi, & Fulg. lib 7. cap. 3.

Reipublicæ calamitas.

Valens Imp. Gothos Teruingos ab Alanis pulsos susceperat, & Ariano dogmate imbutis Thraciam inhabitandam dederat. Præerat tum Thraciis LVPICINVS Comes, & MAXIMVS dux, homines temeritatis atq; auaritiæ summæ. Hi Teruingis circa ripas Danubij adhuc uersantibus nec uictū idoneum ex pacto præbuerunt, nec cætera necessaria ministrarunt, eosq; loco seruorum uili emtorum precio habuerunt. Itaque agmine facto Gothi per Mœsiam, Thraciamq; effusa populatione, nemine resistente, dispersi sunt. Sigonius lib. 8. Imp. occid.

Modum agri in primis seruandum antiqui putauere. Quippe ita censebant, Satius esse minus serere, & melius arare. Qua in sententia & Virgilium fuisse uideo. Verumq; confitentibus, latifundia perdidere ITALIAM: iam uerò & prouincias. Sex domini semissem AFRICÆ possidebant, cùm interfecit eos Nero princeps. Plin. lib. 18. cap. 6.

ALEXIVS Angelus Imp. ex uirtute cuiusque, non ex gratia scmagistratus collaturum ediderat. Verùm eius Cognati, omnes auari homines, & crebris Imperatorum mutationibus nihil aliud edocti, nisi depeculari, & cumulare diuitias: si ab aliquibus ut apud Imp. gratiosi adibantur, eos spoliabant, & coactam pecuniam in suam rem conuertebant, quæ tanta erat, ut priuatorum hominum conditionem superaret. Vnde cùm aliis in rebus ita peccatum est, ut in nullo alio imperio, tum Romana Respub. funditùs interiit, & magistratus peiùs quam priùs, uenales extiterunt. Cuiuis licebat præesse prouinciæ, & summum dignitatis gradum consequi. Harum rerum omnium primaria causa fuit Imp. facilitas: eò accedebat familiarium eius ingluuies & inexplebilis auaritia. Nicetas libro 2.

Andronico Palæologo Imp. Consiliarij auari suasērūt, ut classis sumtus, quibus fiscus Imperatorius exhauriretur, tolleret. Quo facto ROMANORVM maritima potentia imminuta est, & hostiū firmata, adeò ut piraticæ triremes Byzantium usque per ludibrium accesserint. Gregoras lib. 6.

CREVOMYSLIVS Boemorum princeps, cùm adeuendā metalla rusticos traduxisset, fames grauissima Boemiam uastauit. Dubrauius lib. 2.

Mors.

Brennus Gallorum rex, cùm Asiam depopulatur, Ephesum delatus, ibi PVELLÆ popularis amore est captus. Illa, sicut mos illis & mundum muliebrē sibi daret, promisit, ei concubitum, ac prodituram se ei Ephesum. Rex mirabundus, impetrauit, ut aurum, quod haberent, in sinum conijcerent auare. Parentibus illis, copia auri uiua est obruta. Id prodit Clitophon in primo historiæ Gallicæ. Plutarchus de Græcor. & Roman. comparat.

TARPEIA una ex honestis uirginibus Capitolij custos, bello, quod gerebat pop. Romanus cum Albanis, ostendit Tatio, intromissuram se eum in arcem Tarpeiam, si mercedē acciperet monilia, quæ pro ornamento gestabant. Eam Sabini re deliberata spitantem scutis obruerunt. Ita Aristides Milesius in rebus Italicis. Idem.

CYRO Tomyris Scytharum regina, M. CRASSO Parthi, AQVILIO Mithridates, cæsis aurum infudere monuitq; ut quo, uiui non potuissent, mortui implerentur.

Tempore Iustiniani Magni Imp. Constantinopoli DIVES quidam cùm ægrotaret, mortemq; timeret, XXX libras argenti in pauperes erogauit. Restitutus autem præter spem suæ bonæ ualetudini, fraude diaboli eò est inductus, ut factionis ipsum pœniteret, hocq; cuidam fideli ac diuiti suo animi aperiret. Monet iste hominem, ne huic malæ assentiatur cogitationi, Deumq; iritet, qui eum miseratus sanitate donauerit: alioqui fore, ut subita morte, nondum mutato fœdo pereat. Cùm non moueretur ille, sed magis magisq; quæritaretur: Amicus, quando (inquit) salutare consilium non admittis, aliud tibi subiiciam. Poscenti hoc, uerè misericors ille: Agedum, ait, in templum abi, & non te, uerùm meis tam in pauperes elargitum fuisse pecuniam dicito. ipse tibi statim XXX illas libras reddam. Consentiens infelix ille, ad templum abiit, auroq; accepto ita uti alter præceperat, locutus est. inde egrediens, ad ipsam templi portam mortuus concidit. Clericis ad rei nouitatem stupentibus, omnibusq; aliis qui tum forte aderant, iubentibusq; alterum pecuniam recipere suam: ille non obtemperauit, sed omnem intergenos diuisit, quòd diceret Deū nō pati sannas. Cedrenus.

Hæres iniquus, perfidus.



IN INDIGNVM.

Hinc omnia ea, quæ præter meritum Auaris bona quæliacunque, quecunque auctore accidunt.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM
DISPOSITIO.



- **I. Loca particularia in seruiunt hominib. uel**
  - Immediatè, tù
    - Viuis, & uel sūt
      - Religiosa, pro
        - Deorum *cultu. Templa ædificata, restaurata, dedicata, exornata.*
        - Hominum *religiosorū conseruatione: utputa*
          - Cœnobia, *Monasteria extructa.*
          - Xenodochia *ædificata.*
      - Profana, *ut his ædificiis homines*
        - Agant *& obeant exercitia*
          - Animi
            - Theorica
              - Scholæ.
              - Theatra, *Amphitheatra, Circi.*
            - Practica: *ut Fora, Curiæ.*
          - Corporis. *Huc*
            - Gymnasia.
            - Viæ *publicæ munitæ, Stratæ.*
            - Pontes *extructi.*
        - Patiantur: *nimirum*
          - Defendātur *cōtra iniuriā cœli hostiumue: ut*
            - Arces *magnificæ.*
            - Turres *excelsæ.*
            - Muri, *Aggeres, Mœnia, Propugnacula, excelsa, fortia.*
            - Domus
              - Regiæ, *Basilicæ, Palatia.*
              - Priuatæ.
            - Porticus.
          - Mundentur. *Thermæ, Balnea magnifica.*
    - Mortuis
      - Publica. *Cœmeteria publica.*
      - Priuata. *Sepulcra magnifica, Labyrinthi, Pyramides.*
  - Mediatè, *quoniam conferunt eorum usui, quibus homines utuntur, utpote*
    - Animatis
      - Brutis
        - Stabula.
        - Viuaria.
      - Stirpibus. *Horti.*
    - Inanimatis tum
      - Artificialibus:
        - Libris. *Bibliothecæ.*
        - Pecuniis. *Aeraria.*
        - Nauibus. *Portus, Naualia.*
      - Naturalibus, *nimirum*
        - Annonæ. *Horrea, Cellæ.*
        - Aquis. *Aquæductus. Putei.*
        - Stercori. *Cloacæ.*

Voluminis Decimi Liber II.

De Magnificentiae & Liberalitatis Vtentis prima specie, Sumtuaria, EN ΔΑΠΑΝΗ.

NE qua confusio hîc oriatur, animaduertendum de solo Sumtu magno nos loqui, siue is per se magnus sit, siue respectu Personæ: quandoquidem Magnos magna, paruos decent parua. Res ipsæ, in quas fit sumtus, si donentur alteri, ad Munificentiam ἐν δόσει pertinent. Ipsa uerò Possesio, inter Fortunæ bona connumeranda uenit.

LIBERALITAS SVMTVARIA CONSIDERATA respectu PERSONARVM, erga QVAS exercetur.

Titulus hic ex sequentibus illustrari potest. Hîc monuisse sufficit, eadem exempla diuerso respectu diuersis locis adaptari posse ac debere.

LIBE.

LIBERALITAS SVMTVARIA RESPECTV RERVM IN QVAS impensa fit, PER SE consideratarum SVMTVS facti

IN LOCA MAGNIFICE EXTRVCTA, exculta, conseruata, refecta.

Loca magnificè extructa ad Volumen Topicum referri debent, quatenus locant. Hic ipsum Efficientem consideramus, magnifici operis magnificum.

IN GENERE. MAGNIFICI IN AEDIFICIIS.

PERICLES Atheniensem urbem magnificis ædificiis exornauit. Plutarchus.

CLAVDIVS Cæsar opera magna potiùs, quā necessaria, quàm multa perfecit: sed uel præcipua, aquæductum à Caio inchoatum: item emissarium Fucini lacus, portumq; Hostiensem: quanquam sciret ex his alterum ab Augusto, precantibus assiduè Marsis, negatum: alterum à D. Iulio sæpiùs destinatum, ac propter difficultatem omissum. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. præterquam quòd ciuitates plurimas terræmotu aut incendiis destructas restituit, fecit & noua opera, templum Pacis foro proximū, diuiq; Claudij in Celio monte, cœptum quidē ab Agrippina, sed à Nerone propè funditùs destructum. Item amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum. Suetonius.

DOMITIANVS Imp. plurima & amplissima opera incendio absumta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Nouam autem excitauit ædem in Capitolio Custodi Ioui, & forum quod nunc Neruæ uocatur. Item Flauiæ templum gentis, & stadium, & odeum, & naumachiam: è cuius postea lapide maximus circus, deustis utrinq; lateribus, extructus est. Suetonius.

M. ANTONINI Pij opera hæc extant Romæ: templum Hadriani, honori patris dicatum, Græcostadium post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum, sepulcrum Hadriani, templum Agrippæ, pons sublicius, Phari restitutio, Caietæ portus, Tarracinensis portus restitutio, lauacrum Ostiense, Antiatium aquæ ductus, templa Ianuuiana. Multas etiam ciuitates adiuuit pecunia, ut opera uel noua facerent, uel uetera restituerent: ita, ut & magistratus adiuuaret & senatores urbis ad functiones suas. Capitolinus.

SEVERVS Imp. in sumtu faciendo omniū parcissimus, noua ædificia extruxit, uetera restituit: atq; Baccho Herculiq; tēplum maximum ædificauit. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

TRAIANVS Imp. & ante illum NERVA, multos sumtus fecit, belli pacisq; temporibus. Multa, eaq; apprimè necessaria ædificauit: cuius generis sunt uiæ, porticus, ædificia publica: quorum tamen causa nullius unquam sanguinem effudit. Magnificus enim natura, & magnanimus erat. atque postquam Circum collapsum restituit, maioremq; reddidit atque pulcriorem: inscripsit in eo, perfecisse se, ut populo Romano sufficeret. Dion Nicæus, atq; Xiphilinus. Galenus Medicorum princeps æmulum se Traiani perhibet, quòd ut ille urbis ruinas post Neruam, sic ipse post Hippocratem medicinam restaurarit.

DIOCLETIANI Imperatoris magnificentiam testantur nō pauca, quæ extant Romæ & in Dalmatia, monumenta. Pont. cap. 12. de Magnificentia.

PROBVS Imperator, diuersis in locis pontes, templa, porticus regias construxit, multorum fluuiorum hostia patefecit, paludesq; exiccauit: quinetiam in sepeliendo Aradione, quem singulari certamine uicerat, animi magnitudinem testatus est, structo sepulcro, cuius latitudo trecentorum esset pedum. Ibidem.

THEODOSIVS Imp. inter magnificos principes iurè collocandus est. Capta Constantinopoli à Mahometo, multa eius monumenta Turcarum immanitas diruit. Ibidem.

THEODERICVS Ostrogothorū rex in Italia, præter ea quæ in Romana ædificia reficienda impendit, Papiæ & Modoetiæ (quæ oppida post Rauennam amauit) palatia: Arimini sancti Stephani, & Rauennæ sancti Martini in Cœlo aureo basilicas, Spoleti quoq; amplas ædes magno sumtu ædificauit. Sipontinam ciuitatem, iam tum in ruinam uergentē, ut instauraretur, tributorū uacatione donauit. Apponi balnea, quæ ager Paduanus habet, muro concludi, ædesq; superædificari curauit. Cranz. li. 3. Suециæ, c. 13. ex Cassiodoro. Pataniū item restituit: sed Rauenna regni caput, tunc maximè aucta est; excultaque ædificiis, ex urbe Roma & Constantinopoli marmoribus aduectis. Ioannes Magnus libro nono, capite 25.

LEO IIII. uel V. Romanorum pontifex, Solariū à Leone III inchoatum absoluit: arcem S. Angeli instaurauit, & in uestibulo atrij Lateranensis ex marmore sedilia fecit. Turrim in Vaticano apud S. Petrum extruxit, urbis mœnia & portas uetustate collapsas restituit: & propugnacula quindecim fundamentis adiecit, quorum duo ad exitum Tyberis collocata erāt, ad retundendam uim hostium, qui nauibus ad urbem accedere hactenus poterant. Vaticanum muro cinxit, atque in urbis formam redègit, quam Leoninam uocauit, & consecrauit. Platina.

BARNABAS Vicecomes, princeps Insubrium, præclaris structuris nobilis, ponte Tritianæ arcis: arce quoq; ad Romanam portam, quæ Conchanæ domui iungebatur: ponte pēsili supra tecta priuatarum ædium perducto, instar longissimæ porticus, cuius adhuc aliquot intercisa membra, supra Crassorum domos spectantur: Brixiæ arce, quæ ex molli cliuo urbi imminet. In suburbanis Modoetiā maiorum opus luculenter imitatus, ad Lambri amnis ripas Melenniano in uico domum peramplam munitæ arci persimilem cum latericio ponte construxit. Iouius in uita eius.

FRIDERICVS rex Siculus arces, templa, regias etiam plurimas magnificentissimè factas reliquit in Apulia, Calabria, atq; Sicilia. Pont. cap. 12. de Magnificentia.

PIVS II. pontifex ædificandi studio uehementer delectatus est. Impensa eius, scalæ templi ad Vaticanum uetustate collapsæ instauratæ. Vestibulum ædium ad dignitatem & tutelam loci munitum. Aream pro templi foribus, ruderib. purgatam sternere parabat. Porticum, unde pontifex populo benediceret, inchoauerat. Tyburе arcem perfecisse priùs quàm inchoasse uisus est. Senis quadrato saxo gentilibus suis porticum fastigiatam & ornatissimam extruxit. Corsinianum, quod Pientiam à Pij nomine in pontificatu accepto appellauit, ciuitatem fecit, templumq; testudineum, celebre id quidem, & ornatissimas ædes extruxit. Sepulcrū marmoreum paternis maternisq; ossibus Senis in templo beati Francisci condidit. Platina.

COSMVS Medices imitatus est priscam magnificētiam, tum in condendis templis ac uillis, tum in bibliothecis faciendis: nec solùm imitatus est, sed primus reuocauit morē conuertendi priuatas diuitias ad publicum bonum, atque ad patriæ ornamentum. Pontanus cap. 11. de Magnificentia. Antequam Florentinæ reip. principatum adeptus esset, præter sacras ædes, quæ aut Florentiæ permultæ, aut extra urbem magnificentissimæ extructæ ac regio more conspiciuntur: Hierosolymis quoq; Xenodochium instituit. Atque his omnibus extruendis, quemadmodum ex tabulis animaduersum est, quas diligentissimè confecit, ad quingenta numûm aureorum mille expensa tulisse fertur. Brutus libro 1. histor. Florent.

NICOLAVS V. pontifex ædificauit magnificè & splendidè, tum in urbe, tum in Vaticano. In urbe ædes pontificias apud sanctam Mariam ad Præsepe. Restituit & templum sancti Stephani in Cęlio monte: à fundamentis uerò erexit sancti Theodori templum inter Palatinum & Capitolinū montem in plano situm. Panthèon quoq; in medio urbis positum templum, uetustissimum M. Agrippæ opus, plumbeo tecto restituit: in Vaticano autem & pontificias ædes sumtuosis operis in hanc formam, quam nunc cernimus, redegit, & muros Vaticani prealtos & latos inchoauit, iactis in sanis fundamentis ad turres & maiorem molem superædificandam, quibus coerceri hostes possent, ne ædes pontificis & beati Petri templum diriperentur. Inchoauit preterea ad caput templi beati Petri amplam testudinem, quam uulgò Tribunam uocant, quō templum ipsum augustius, & hominum magis capax esset. Pontem quoq; Miluium restituit, & ædes egregias ad balnea Viterbiana ędificauit. Iuuit & multos pecunia, qui in urbe ædificabant. Eius etiam mandato uici urbis ferè omnes strati sunt. Platina.

SIXTVS IIII. pontifex, qui Paulo II. successit, pontem Tyberis, qui ab eo dictus est, fecit: uias urbis magna ex parte strauit, templa quædā noua ædificauit, uetera instaurauit, nullisq; in exornanda urbe sumtibus pepercit, ut urbis alter Romulus dici possit. Pontanus capite 12. de Magnificentia. & Platina.

CAROLVS IV. Imp. quàm magnificus in ædificiis fuerit, uel sola Praga abundè declarat: cuius magnitudine non contentus, alteram de integro condidit, diuisis areis, positisque domorum de suo insulis, ut ad illas plateæ, uicique & forum dirigerentur, uocauitque Nouam ciuitatem, nouis illam templis, nouisque sacerdotiis, & omnibus rebus uitæ necessariis instruens. Arcem Vicegradensem muro, propugnaculis, crebris turribus cinxit. Quanquam una illa turris, quam ponti Pragensi superposuit, facilè alias uincat o-

mnes, decore, elegantia, artificio. Dubrauius libro uigesimo secundo.

❧ VRBES MAGNIFICE CONDITÆ.

ROBOAMVS Salomonis filius, Iudæorum rex, ciuitates munitissimas ædificauit quatuordecim, quarum nomina uide secundo Paralipomenon 11. & Iosephum libro octauo Antiq. capite decimo.

NEPTVNVS muros Troiæ extruxit. Verg. lib. 9. Aeneid. Ferũ tur autem habuisse in ambitu XL millia passuum: nec aliam ob causam adscribũtur deis auctoribus, quàm propter magnificentiam. De his Lucanus lib. 6.

Nunc uetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatq; deis.

OSYRIS, cùm per Arabiam iuxta Rubrum mare iter faceret, ad extremos Indos perueniens, plures constituit urbes: ex quibus unam Nysam appellauit, in eius memoriam, à quâ nutritus fuerat. Diodorus Siculus libro primo, capite secundo Rerum antiquarum.

BYSYRIS rex Aegypti urbem condidit magnam, Solis urbẽ ab Aegyptiis, à Græcis uerò Thebas appellatam: cuius mœnia centũm quadraginta sint stadia ambitu complexa. Eam magnis ædificiis, ac speciosis deorum templis, aliisque ornamentis pulcerrimis exornauit. Simili modo & priuatorũ domos usque ad quartam aut quintam contignationem construxit. Vrbem insuper omnem, non Aegypti solùm, sed aliarum orbis omnium reddidit felicissimam. Diod. libro 1. capite 4. Neque uerò horum tantùm, sed totam urbem pen silem fuisse tradunt, exercitus armatos subter educere solitis regibus, nullo oppidanorum sentiente, flumine medium oppidum interfluente. At hæc si fuissent, non dubium est Homerum dicturum fuisse, cùm centum portas ibi prædicaret. Plin. lib. 36. cap. 14.

VECHOREVS Aegypti rex Memphim condidit ambitu stadiorum centum & quinquaginta, urbem omnium Aegypti præclarissimam, opportunissimo totius eius oræ loco, ubi Nilus in plures scissus partes efficit formam Delta. Quo fit, ut tanquam in Nili claustro posita, aditum præbeat prohibeatq; ad superiora loca nauigantibus. Ob talem urbis opportunitatem posteri reges fermè omnes, relictis Thebis, & regiam & habitationes in ea ædificarunt. Eapropter diminuta Thebarum magnificentia, aucta Memphis est usque ad Alexandri Macedonis tempus. Is urbem sui nominis iuxta mare condidit, in augmentum cuius postea reges Aegypti omnes incubuerunt. Diod. lib. 1. cap. 4.

NINVS Assyriorum rex, qui XVI annorum spacio uniuersam Asiam subegit, ingentem urbem in Aturiæ campis, quæ Assyriæ regio est, ædificauit, CCCC stadiorum ambitu. Vrbem à suo nomine Ninum dixit. Bibliaci libri & Iosephus Niniuen uocant. Celeriùs quàm fides rei haberi possit, immensum alioqui opus est ad exitum perductum. Mille & quingentas in orbem turres urbs complexa est, mœnia centum pedum altitudine, amplitudine uerò tanta, ut muforum fastigia ternis essent plaustris peruia. Noua huc ex Assyriorum primoribus transcripta est colonia: cætera multitudo proposita uberrimi agri partitione eódem sua sponte confluxit. Sab. lib. 1. En. 1. ex Diod. Sic. lib. 2. cap. 1.

SEMIRAMIS regina, mortuo Nino cupiens uirum rerum gloria excellere, urbem in Babylonia condere aggressa est, accersitis undiq; opificibus atque architectis, cæterisq; quæ ad tantam rem pertinebant paratis. Adhibuit ad id opus perficiendum ex omni regione hominum millia terdecies centena. Vrbs ab utroq; latere Euphratis, ut medius interfluat, ædificata: cuius mœnia ambitu stadia trecenta & sexaginta complectebantur, frequentibus turribus ac magnis. Erat tanta operis magnificentia, ut in muri latitudine sex equorum currus unà ire possent. Altitudo incredibilis audientibus, ut Ctesias Cnidius ait: ut autem Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam profecti sunt, scripsere, pedum trecentorum sexagintaquinq;. Addiderunt etiam, unoquoq; anni die stadium muri absolutum, ut tot sint stadiorum circuitus, quot dies annum conficiunt. Mœnia ex lateribus asphalto facta: quorum altitudo, ut Ctesias tradit, est passuũ quinquaginta: ut quidam posteriores scribunt, cubitorum quinquaginta: latitudo amplior quàm qua duo currus uehierentur. Turres ducẽti & quinquaginta numero, quarum altitudõ latitudoq; magnificentiam æquat murorum. Cùm plurimæ paludes urbem circumstarent, ea parte turres construere nõ fuit opus, quum loci natura esset admodum munita. Inter murum atq; ædificiũ, pomerium duo iugera concesserunt. Reliqua Diod. lib. 2. cap. 4.

SARDANAPALVS Mediæ rex, ut ait Aristobulus, uno die Anchialum & Tarsum condidit. Strabo.

NABVCODONOSOR Magnus Assyriorum rex, postea quã patri Nabulassaro in regno successit, ab expeditione Aegyptiaca rediens Babylonem, ex manubiis templum Beli ac reliqua munificẽtissimè excoluit: & ueteri urbi alteram extrinsecus adiecit. Prouidit etiam, ne posthac possent hostes fluuium deriuare, & ad urbem accedere: tres interiori citati per circuitum muros, totidem exteriori: hos coctos later, illos addito etiam bitumine, circundedit: tum sic communitæ portas, quæ uel remplum deceant, addidit. Ad hæc iuxta paternam regiam, alteram sumtuosiorem multo amplioremq; extruxit: cuius ornatum exponere fortasse longum esset, illud memoratu dignum, quòd hæc adeò superba supraq; fidem magnifica, quindecim dierum spacio perfecta est. Iosephus lib. 1. contra Appionem ex Beroso, quite prehendit Græcorum nugacitatem, asserentium à Semiramide Babylonem ædificatam fuisse.

ARPHAXADVS Medorum rex Ecbatana urbem regni caput circummuniuit lapidibus quadratis, ternos cubitorũ tis, senos lõgis. Murum fecit in altitudinem cubitorum 70, in crassitudinem 50. Eius turres centenũm cubitorum extruxit, in latitudinem 60 cubitorum fundatas, quarum quatuor latera utraq; uicenos pedes patebant. Portas in altitudinem cubitorum 70, in latitudinem 40, erexit. Eum Nabucodonosor anno regni sui 17, in campo Ragau uicit, & interfecit, urbemq; Ecbatana cepit, Iudith. cap. 1. At Plin. libro 6. capite 14. Ecbatana à Seleuco conditam ait, & caput Mediæ constitutam.

DARIVS rex Persarum cùm in Budinorum Scytharum regionem cum exercitu uenisset, octo urbes ingentes condidit, pari inter se spacio distantes, sexagenorum ferè stadiorum: quarum ad Herodoti usque tempora ruinæ extabant. Herodotus libro 4.

ALEXANDER Magnus urbes plus septuaginta in solo barico excitauit, conserendoq; Asiam Græcis mysteriis, sitorum uitam cicurauit. Plut. de Alexan. fortuna orat. 1.

Margiana regio Mediæ uicina, apricitatis inclytæ: quæ solit eo tractu uitifera est, undiq; montibus inclusa amœnis: ambitu stadiorum mille quingentorum penè inaccesso, oliscommodum arenosæ solitudinis, quæ per centum uigini millia passuum undique uersum circumfusa est: cuius amœnitatem ALEXANDER Magnus usqueadeò miratus est, ut ibi primam condiderit Alexandriam, quam mox à barbaris excisam, Antiochus Seleuci filius instauranit, & Seleciam uocauit; cuius circuitus in stadia septuaginta quinq; diffunditur. Margus fluuius eam interluit. In hanc Orodes rex Romanos Crassiana clade captos deduxit. Tradunt illum octo urbes in Bactriana & Sogdiana condidisse. Strabo libro undecimo.

IDEM cùm in Aegypto urbem ædificare decreuisset, eis, quæ negocio præfecerat, iniunxit, inter paludem & mare, quem locum ipse diligenter metatus, & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat, eam extruerent, uoluitque Alexandri de suo nomine appellari. Cuius positio commoda ualde lecta est, ob uicinitatem portus Phari. Rectéq; in uicis disponendis illud fuit consideratum, ut omnes flatu uentorum, qui anniuersarij dicuntur, inspirarentur. Ij per latissimum pelagi æquor effusi, urbis aerem refrigerant, unde salubrima temperies redditur habitantibus. Circuitum ipsum mœnium, & magnitudine & munitionibus admirabilem prorsus effecit. Cùm enim inter magnam paludem & mare posita sint, duos tantùm terra aditus habent, qui beneficio mati sunt, ut facilè defendi possint. Vrbis forma propè clamydi consimilis, habet plateam, à qua urbs ferè media dimidi tur, magnitudinis & elegantiæ incredibilis. A porta enim ad portam pertingens, in longitudinem stadia quadraginta, in latum pedes centum perficit: domibusque & templis magnificentissimis undiq; est exornata. Iussit Alexander, ut ipsa regia & ampla & operibus præclaris admirabilis maximè fieret. Diod. lib. 17.

ANTIGONVS Magnus in superiore Syria urbem ad Orontem fluuium Antigoniam à se appellatam sumtuosè ædificauit, quæ ambitu suo LXX stadia contineret. Erat is locus commodus ad imminendum Babyloniæ, & superioribus satrapiis, & rursus inferiori satrapiæ, præterea Aegypti satrapiis idoneus. Haud longo tempore stetit urbs, quippe quàm Seleucus Babyloniæ, rex uicto Antigono extirpauit, & oppidanos habitatum duxit in eam quæ ab ipso condita, & ab eodem Seleucia fuit appellata. Diod. lib. 20.

Fama tenet Annibalem Pœnum deuicto ab Romanis Antiocho contulisse se ad Armenium ARTAXAM: cui cùm alia multa utiliter suasisse & docuisse, tum notata eius loci, qui iners negligebatur, eximia indole atq; amœnitate, formam ibi urbis delineasse, eamq; deducto eò Artaxæ ostendisse, hortatumq; ad eam condendam. Quo regi cùm placuisset, atque ab eo contendisset, ipse ut operis curam susciperet: amplam excitauisse & magnificam urbem, eamq; accepisse ab rege appellationem Artaxata, Tigranis posteriore giam, atq; caput factam Armeniæ. Plut. in Lucullo.

TIGRANES Armeniæ rex Mesopotamiam subegit, Syriam Phœniciamq; ui cepit, Euphratem transgressus. Inde plorimum ce-

latus, urbem condidit prope Iberiam, inter hanc atq; Zeugma, quod iuxta Euphratem est, quam Tigranocerta nominauit, hominibus duodecim Græcarum urbium, à se euersarum, congregatis. Sed Lucullus, qui aduersum Mithridatem bellum gessit, continuò subsecutus, habitatoribus in sedes suas dimissis, opus, quod adhuc erat imperfectum, demolitus est, atque in paruum uicum redegit. Tigrane ex Syria ac Phœnicia pulso Strabo libro duodecimo. Græcos autem præbito uiatico remisit in patrias suas, Barbaros item, qui cò commigrare coacti fuerant. Itaq; accidit, ut una conulsa urbe, multæ receptis ciuibus suis instaurarentur, à quibus ut bene de ipsis meritus & conditor est cultus Lucullus. Plutarchus in Lucullo.

CN. Pompeius, uicto Mithridate & Tigrane, condidit alias alibi urbes. In minori Armenia Nicopolim, ubi Mithridatem præsto uicerat. In Ponto, ubi Eupatoria fuerat à Romanis diruta, Magnopolim. In Cappadocia aliam, ubi Mazaca fuit: & in Cilicia, ubi Palæsoli, Pompeiopolim. Sabellicus libro 4. Enneadis 6.

HERODES Iudæorum rex, cùm in Cæsaris Augusti gratiam omnia facere instituisset, animaduertens in maritimis locũ condendæ urbi oportunissimum (cui pridem Stratonis turris nomen fuerat) & formam eius magnificè descripsit, & quidissiliis marmoreis totam exornauit accuratissimè, tam regiis palatiis, quàm priuatorum ciuium ædibus, & quod fuit omnium operosissimum, portum à tempestatibus tutum addidit: magnitudine Piræo parem, stationibus instructum & diuersoriis, admirandum structura, eo quòd propter loci naturam omnis materia tantæ fabricę aliunde magno sumtu conuehenda fuerit. Perfecta est decimo anno postquam ædificari cœpta est, regni VIII supra uigesimum, Olympia de CXCII. In eius dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti sunt sumtuosissimi. Exciti enim sunt ad certamen artifices musici, & athletæ gymnicorum certaminum, ad hæc gladiatorum ac ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid huius generis in precio est tam Romæ quàm apud gentes cæteros. Consecratum est autem hoc quoque certamen Cæsari, instaurandum per singula quinquennia. Hunc omnem apparatum rex suo sumtu magna ambitione undecunque curauit conuehi, multa in hoc contendente etiam uxore Cæsaris Iulia, & mittente permulta pretiosa ex Italia, ut omnibus computatis sumtus ad D talenta accederet. Iosephus libro decimoquinto, capite 13. & libro 16. capite 9. Antiq.

CONSTANTINVS Magnus Byzantium denuò condidit, & de suo nomine appellauit, multisq; monimẽtis exornauit, quę ex omni orbe in eius dedicationem aducta sunt, adeò ut diuus Hieronymus eleganter scribat, omnes penè urbes nudasse Constantinum, ut Neam Romam exornaret: quem admodum in foro Trajani exornando ueteres principes laborarunt. Ex arce enim quę fuerat Ilij, transtulit Palladium. Ex Troade æneam statuam Apollinis, mirandæ magnitudinis. Ex Roma cochlidem columnam Porphyreticam, quam uariis signis circundatam in foro lapidibus strato locari iussit. Cuspinianus.

TAMBERLANES Scytha, fessus potiùs quàm satiatus cruore uastitateque terrarum, in Scythiam reuersus, urbem Mercatũ nomine condidit, magnificentissimam: ex subactisq; gentibus delectis qui eò coloni deducerentur, frequentissimam exornauit spoliis & trophæis nationum regumq; deuictorum. Aemilius lib. 10 & Sab. lib 9. En. 9.

FRIDERICVS II. Imp. cum sexaginta millibus armatorum Parmam obsedit, eamq; funditus statuit delere, & in loco castrorum aliam condere. Prospero successu ab initio res cœpta est, fossa uallumque in modum urbis deducta, urbs Victoria est dicta, Victorini numi percussi, basilica in honorem Victoris martyris extructa. Duobus annis bellũ atrox uariumque fuit. Victoriæ urbi conditæ, omnia ea affuêre, quæ nulli unquam principes habuerint, nulla postea ciuitas simul uiderit. Vestis uaria & preciosa, animantes feræ sicuręsque diuersi generis, Elephantes, Dromedarij, Panthęræ, Pardi, Vrsi albi, Leones, Lynces, Bubonesque barbati, quos ex Africa, Asia & Aegypto legati Friderico adduxerant: hominum portentosæ formæ, & in iis Saracenicus miles, illi in primis acceptus. Tanta prætereà incolarum frequentia, commerciis etiam multarum gentium aucta, ut ni hil ad amplissimæ urbis formam deesset. Quum autem Fridericus Parmæ obsidionem continuans, paulò atrociùs in captos desæuiret hostes, quos ex balistis maioribus nonnũ quam in urbem iacularetur: egressus (ut fit in summa desperatione) urbanus populus, cum Apostolico legato, factaq; irruptione in Victoriam urbem, ciues stragem passi sunt, & miles dissipatus: sed breui reparato exercitu, Placentiam Imp. euertit. Cuspinianus.

VALDEMARVS Gothorũm & Sueonum rex consilio patris sui Birgeri Ierl Ostrogothorum ducis, præcipuam Sueonũ ciuitatem & regiam Stocholmiam à fundamentis erexit, munisque & mœnibus fortissimis communiuit, anno Salutis 1256. Est locus torrentibus undiq; circundatus, atq; inter aquam salsam & dulcem ita positus, ut porta totius Suetiæ appellari possit. Priùs Estones, Moscouitæ, Russi, Tauesti, per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandestinis incursionibus Sueones ádorti prædabantur. Sed extructa Stocholmia, ciues perpetuam pacem assecuti fuerunt. Ioannes Magnus lib. 19. cap. 19.

❧ VRBES MAGNIFICE REPARATÆ, restitutæ, munitæ.

EPAMINONDAS post Leuctricam uictoriam natura magnarum rerum appetens, & sempiternæ gloriæ cupidus, Arcadibus, cæteris q; sociis suasit, rursus ædificare Messanam, quæ CLXXXVII antè annis à Lacedæmoniis diruta erat, & situm ad infestandam Spartam commodissimum tenebat. Consentientibus igitur uniuersis, omnes qui de Messanensibus reliqui mãserant, extra Peloponnesum requisiuit, item alios, qui uellent, ciuitate donauit, Messanam condidit, conditam multis habitatoribus ornauit, iis terram instauratam sorte dispertiuit, atq; ita urbem Græciæ nobilem insignemq; restituit & reparauit, laudemque apud omnes mortales magnam est consecutus. Diodorus libro 15. & Pausanias in Messenicis.

Opificiorum mole, templorumq;, atque ædificiorum substructionibus, quibus Athenas exornauit PERICLES, cuncta quæcunque ante Cæsares Roma habuit ornamenta, haud quaquam sunt conferenda: sed longè lateq; sine ulla comparatione, magnificentia & nobilitate præ his obtinent illa primas. Plut. in comparatione Periclis & Fabij. Maximã certè urbi Athenarum uenustatem ornatumq; conciliauit, cæteris uerò mortalibus summum stuporem: ac sola Græciæ testimonio est, haud esse uanum, quod de illius ipsius prisca prædicatur potentia & opulentia, operum & ornamentorum urbis molitio. Idem in Pericle.

AVGVSTVS Cæsar, ne quem noui status pœniteret, Vrbem pro maiestate Imperij ornaram, & inundationibus incendiisq; obnoxiam, excolunt adeò, ut iure sit gloriatus, *urbem* marmoream se reliquere, quam *latericiam* accepisset. Tutam uerò, quantum prouideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit. Publica opera suo nomine extruxit, forum cum æde Martis Vltoris; quam Philippensi bello uouerat. Templum Apollinis in ea parte Palatinę domus, quam ictam fulmine à deo desiderari pronunciarant aruspices. Condidit & Tonantis Iouis ædem in Capitolio, Cantabrico bello uotam, quum nocturno itinere fulguripsius lecticam perstrinxisset. Fecit & porticum basilicam q; Lucij & Caij nomine, quos per assem & libram ab Agrippa patre emtos sibi, Marcello sororis filio extincto, cuius nomine theatrum extruxerat, adoptauit. Est & altera porticus, Liuiæ coniugis & sororis Octauiæ nomine ab eo extructa. Suetonius.

HERODES Iudæorum rex Samariam, quæ iam dudum in ruinam fuerat redacta, mœnibus cinxerat, abrogato urbi uetere, nouum nomen Sebastes imposuit, agrosq; eius naturaferaces habitatoribus diuisit; ut mox ab initiis esset locupletes: firmissimum deinde murum circumdedit, natura etiam loci accliuioris adiutus, & præter ueterem ambitum tantum spacij complexus, ut nulli celebrium urbium cederet. erat enim XX stadiorum circuitus. In eius meditullio sanum sesquistadij amplitudine esse uoluit, modis omnibus ornatissimum, in quo remplum extruxit, cum quouis alio pulchritudine & magnitudine conferendum: reliquas etiam urbis partes procedente tempore magis ac magis excolere studuit, securitatem captans ex firmitate loci, quo arce uti uoluit, pulchritudine uerò loci suæ liberalitatis ac magnificentiæ monumentum relicturus ad posteros. Iosephus libro 15. capite 11. Antiq.

TIBERIVS Imp. multa restituit in urbe ædificia, quæ corruerant: nullumq; prorsus sibi uendicauit, sed eis reddidit nomina eorum, à quibus ædificari cœpta essent. Augustale tamen ab imis fundamentis ipse extruxit Dion.

Cùm Lyciorum & Carum urbes, Coon etiam, & Rhodon terræ ingens motus euertisset, eas M. ANTONINVS Imp. infinitis propè sumtibus, & summa in colonijs deducendis diligentia restituit. Pausanias in Arcad. Smyrnam ex grauissimo terræmotu laceratam miserè, sua pecunia restaurari mandauit. Xiphilinus in Antonino.

ALEXANDER Seuerus complurib⁹ oppidis, quæ terræmotu corruissent, instaurandis ædificiis tum publicis, tum priuatis, pecuniam è uectigalibus subministrari iussit. Pontanus 16. cap. de Liber.

THEODERICVS Ostrogothorum rex, Romã ueniens, præfectos architectosq; instituit, sacris ædibus, Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, cloacis, aquæductibus, & cuiusq; opificij officinis in pristinam formam meliorémue restauran

dis. Præfecit uigiles, qui curam die noctuque susciperent, ne Vrbis ornamenta, statuæ, & ingeniorum monimenta, æri aut marmori incisa, exportarentur. Sepulcrum Augusti in ualle Martia, Tiberim inter & uiam Flaminiam, instaurari mandauit. Amphitheatri itẽ (quod iam maiori ex parte corruerat) saxa moueri; nisi in solam murorum Vrbis instaurationem, prohibuit. Statuas principum æneas aut marmoreas, equestres pedestresq;, nominatim multas, & generali edicto omnes iussit conseruari, adhiberiq; curam, ne illæ interirent, quibus fides posteris fieret, uiros illos fuisse præstantissimos, uirtuti magis quàm fortunæ innixos, p quos in id magnitudinis res Romana creuisset. Cassiod.

IDEM urbem Patauinam, quæ per annos LX ab Atilæ excidio inculta iacuerat, uallo & fossa munitam, in pristinam dignitatem restituit. Cassiodorus.

OTHOCARVS Boemorum rex gloriari solebat, plura se ædificia noua relicturum, quàm ut ad ea instauranda, farciendaq; & tegẽda, unius heredis cura sufficeret. Dubrauius libro decimoseptimo.

CASIMIRVS Magnus rex Poloniæ omnes ferè ciuitates & arces in Polonia muro cinxit, plurimasq; arces & basilicas condidit. Guagninus in uita eius.

ALPHONSVS rex Neapolitanus, portus pulcerrimam molem pluribus locis euersam restituit, aquæ ductus subterraneos expurgauit ac refecit, ueteres fontes instaurauit, nouos nonnullos plurimis & magnificis impensis extruxit, aquas publicas diu iam magna ex parte dispersas; in aquæ ductus alueum reduxit, uias urbis omnes uetustate detritas atq; conuulsas, nigra silice constrauit, paludes omnes ad aeris serenitatem salubritatemq; exsiccauit. Panormitanus lib.1. de Rebus gestis Alphonsi.

MAGNVS Sforcia patriam Cotignolam fortuito incendio absumtam, priuata liberalitate instaurandam suscepit, singulos ciues cohortando, ut ædificare luculentiùs uellent: quando ipse lateres, materiam, calcem, se gratuitò collaturum profiteretur. Factumq; subinde est, ut celeriter restitutis, adornatisq; domibus, & directis regionum uiis, priuatim & publicè magnificentissimo principi gratiæ ingentes agerentur, quòd oportuna liberalitate, & priuatæ commoditati, & elegantiæ publicæ consuluisset. Iouius in uita eius.

SVMTVS MAGNIFICI IN INSVLAS, ISTHMOS. HVC

Insulæ manu factæ.

ANYSIS rex Aegyptius, cęcus, expulsus in palustria à Sabaco Aethiopum rege, insulam ibi fecit, cinere & humo eam exaggerans. Nam ut quisq; Aegyptiorum iussus illuc ibat, portans frumentum, ei mandabat, ut clàm Aethiope, ad se domo etiam cinerem ferret. Nomen insulę indidit Elbo, decem stadiorum magnitudine. Herod. lib.2.

Iuxta Dicæarchiam Tyrrhenorum oppidum, qui Puteoli iam dicuntur, calidæ efferuescunt in mari aquæ. Ibi iactis molibus exstructa est ab INCOLIS insula cum balneis aquarum calidarum, ut earũ usus aliquis esset. Pauſ. in Arcadicis.

Terra à continenti abscissa. Isthmi perfossi.

Leucadia peninsula in sinu Ionio, quondam Neritis appellata, opere ACCOLARVM abscissa à continenti, ac reddita uentorum flatu, congeriem harenæ accumulantium, qui locus uocatur Dioryctos, stadiorum longitudine trium. Oppidum in ea Leucas, quondam Neritum dictum. Plin. li.4.c.1.

Herodotus lib.1. prodidit, CNIDIOS Isthmum, quâ angustissimo spacio, nempe quinq; stadiorum, spectabat continentem, perfodere adortos, quò insulam facerent: cæterùm ictos scopulos in fodiẽtium oculos resiliisse: deinde Delphicum Apollinem ab eis consultum, trimetris respondisse:

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ᾽ ὀρύσσετε.
Ζεὺς γὰρ κ᾽ ἔθηκε νῆσον, εἴ κ᾽ ἐβούλετο. id est,
Neq; cingite Isthmum mœnibus, neq; fodite.
Nam si Ioui id uisum, locasset in salo.

Attestatur Pausanias in Corinth.

Nicanor SELEVCVS aggressus est Isthmum, qui dirimit Euxinum & Caspium mare, nec perfecit, à Ptolemæo Ceranno interfectus. Erasmus in Prouerbiis.

ALEXANDRO Magno id unum ex animi sententia non cessit, quòd Mimantem fodere non potuit. Pausan. in Corinth.

DIONYSIVS maior, Syracusanus tyrannus, Italiæ extremã partem ad Terinæum sinum, ubi XX. tantùm M.P. latitudo est, circa portum, qui postea Hannibalis dictus est, intercidere, & Siciliæ adiicere uoluit. Plinius libro 3. capite 10. A' Gręcorum ora, quæ & magna Græcia dicta est, Ausonium mare hanc Italiæ alluit partem, ac tam crebrò lancinat, ut in tres breuis ora curuetur sinus, adeò interdum sese extenuans, ut nullibi sit Italia angustior. Sabellicus libro primo, Enneadis 7.

Isthmum perfodere dicebantur, qui magno quidem conatu, sed irrito molirentur aliquid. Ductum ab Isthmo Peloponnesiaco seu Corinthiaco, qui efficiebat, ut naues longo & ancipiti ambitu iuxta Peloponnesum circumagerentur. Vnde complures illum adorti sunt, qua erat angustissimus, perfodere, nẽpe DEMETRIVS Poliorcetes rex, Dictator CÆSAR, CAIVS princeps, Domitius NERO, infausto, ut omnium patuit exitu, incepto. Plinius lib.4. cap.4. Erasmus in Adagiis. Operis inchoati uestigia superfuisse tradidit Pausanias in Corinthiacis. Demetrius Isthmum perfringere conatus, ut classibus nauigationis transitum præberet, ab architectis prohibitus fuit: qui renunciauerunt, Ionium mare altius esse, quàm Aegæum. Itaq; intermedium si incideretur locum, uniuersum ad Aeginam transitum, cum ipsa pariter Aegina & proximis insulis, demersum iri. Nec ipsum nauigationi utilem fore alueum, ob assluxus rapidam uarietatem. Strabo libro 1. Nerò ad Isthmios ludos profectus, Isthmi commoditate animaduersa; eius perfodiendi consilium cepit. Progressus in scenam, hymnum Amphitrites & Neptuni cecinit, & canticum quoddam non magnum Melicertæ & Leucotheæ. Cùm autem aureum ipsi ligonem porrexissent, Græciamq; tanquam in tutelam commendassent, ad fodiendum profectus est, plausu cantuque prosequentibus illum tum omnibus. Atq; ubi terram ter, opinor, tetigisset, deinde & quibus præfecturæ atque imperia credita erant, opus unà capessere iussisset: Corinthum rediit, Herculis adeò res gestas omnes sibi uisus superasse. Qui in uinculis fuerant, petricosis atq; difficilibus conficiendis exercebantur: exercitus autem ea, quæ terrea ac plana erant, fodiebat. Vbi iam septimum & quintum diem fodissent, rumor quidam è Corintho uenit, Neronem pœnituisse cœpti operis, & Aegyptios geometras altitudinem metientes, haudquaquam eandem atq; æqualem utriusq; maris superficiẽ deprehendisse: sed cùm eam partem, quę Lechæum aspicit, altiorem iudicarent, de Aegina in timorem uenisse, ne si tantum pelagus contra insulam effunderetur; illa aquis obruta in profundum demergeretur. At Neronem à fodiendo Isthmo ne Thales quidem absterriturus fuerat, quanquam sapientissimus, & naturalium rerum peritissimus, cùm incidendi illius maiore studio teneretur, quam publicè canendi: sed motus Occidentalium gentium, & Iulius Vindex reuocauit ex Græcia & ab Isthmo Neronem, frigidè adeò maria dimensum. Nam æquè altè à terra utrunq; assurgit, eandemq; superficiem habet. Lucianus in Nerone. Philostratus in uita Apollonij negat Neronem destitisse uictum operis difficultate: sed quòd timeret, ne admissum mare perderet Aeginam, & res nouas in imperio Romano cooritura pot tenderet: nam id prædixerant Aegyptij uates.

Memorabile id est, HERODEM Atheniensem sophistam, tot tantisq; fuisse diuitiis instructum, tantaq; fuisse animi magnitudine, ut quamuis plurima passim non tota modò Gręcia, sed in Italia quoq; opera edidisset, quæ uiro haud dubiè immortalitatem comparatura uidebantur: tamen altior & inquies animus, nil se dignum perfecisse opinabatur: quoniam Isthmum non perfodisset. Splendidum siquidem arbitrabatur, continentem abscindere, maria diuersa coniũgere, ambitum sex millium & uiginti stadiorum (tot enim ferè nauigando conficiuntur) in breue conicere. Affectabat ille quidem hoc, ut magnificũ & illustre: uerùm ut posset, ab Imperatore non ausus impetrare, destitit: ueritus ne uitio illi uerteretur, uelut id animo agitanti, cui ne fuisset quidem Nero par. Cæl. lib.21. cap.19. A.L.

Insulæ continenti adiectæ, adaggeratæ.

Legimus ab Plethone Gemisto proditum, EVBOEOS Peloponnesiaci belli tempore, post Atheniensium in Sicilia cladem, quum ab eorum defecissent ductu, fretum Chalcidicũ adaggerare sic adortos, animaduersa Atheniensium potentia, ut singulis modò triremibus meabilis pateret transitus: ad tanti moliminis rem assumtis Bœotiis quoque. Quin & angustias ponte iunxerunt. Id quum prohibere Athenienses conarentur, in cassum laborarunt: conatu excidit Philippus quoq;. Cæl. lib.21. cap.19. A.L.

Cogitabat ALEXANDER Magnus Clazomenas Ioniæ urbem, ducto à continenti solo ad insulam aggere, in peninsulæ formam redigere. Pausanias in Achaicis.

Cherronneson insulam Propontidis IDEM continenti adiunxit, Cyzicum dictam, quæ urbem cognominem habet. Duobus autem pontibus continenti iungitur. Plinius, Apollonij scholiastes, & Strabo.

SVMTVS FACTI IN AQVAS. HVC

Aquarum, Fluminum, Lacuum, Marium, deriuationes, corriuationes, expurgationes.

Scriptũ reliquit Herodotus in Polymnia, Thessalos dicere solitos, NEPTVNVM lacunã fecisse, per quam fluat Peneus: idq; iure putari censuit ab iis, quia Neptunum tridente terram concutere existimãt. Nã loca distantia interiecto marĩs spacio sunt opus terræmotus, cuius auctor Neptunus dicitur. Natalis Comes Mythol. lib.2. c.8.

Charybdis & Scylla uicinæ inter se, illud iuxta Messanam, hoc iuxta Rhegium, promontoria nauigantibus infesta: & quia scopuli procul intuentibus muliebrem figuram exprimũt, datus locus fabulæ, marina hæc monstra esse. Cùm HERCVLES iuxta Scyllã & Charybdim nauigasset, magnamq; partem illarũ boum, quas secum uehebat, amisisset, dictus est interemisse Charybdim, quia machinis quibusdam locũ illum expurgauit, & in posterum nauigabilem fecit, ita ut neq; Scyllæ neque Charybdis ullum ad posteros uestigium manserit. Dicta fuit autem Scylla ἀπὸ τοῦ σκυλᾶν, à spoliando scilicet, uel à σκύλλειν uexando, quãuis ἀπὸ τῶν σκυλάκων à catulis quidam putarint. Charybdis ἀπὸ τοῦ χάσκειν ab hiãdo, & ῥοιβδεῖν sorbeo. Idem lib.8. c.12.

IDEM in Calydoniorum regis Oenei gratiam fluuium Acheloum, in alium cursum diuertens, plurimos agros ex aquæ irrigatione fertiles præstitit. Cuius rei & poetæ quidam meminere, scribentes cum Acheloo Herculem sub tauri specie certasse: qui cùm in congressu tauri alterũ cornu fregisset, Aetolis illud, quod Amaltheæ cornu uocant, dono dedit, fructuum omnium, uuarum, malorum, aliorumq; eiusmodi pomorum copia repletum. Subintelligunt poetæ, per Acheloi cornu, fossam à fluuio ductam: pomis uerò & malis punicis ac racemis monstrari regionis fertilitatem, quã fluuij humor prestet, & agros reddat feraciores. Amalthęę cornu durum esse aiunt: qua ex re operis eius labor notatur. Diod. lib.4. c.2. Eo merito Deianira Oenei F. Herculi connubio locata. Sab. lib.6. Enn. j.

IDEM in Arcadia ad Orexim & Sciathum mõtes, ingentes fossas effodit, quæ aquam pluuiam campos inundantẽ exciperent: fossam quoq; per medios Pheneatici agri campos duxit, ut per eam Olbius amnis laberetur, longitudine stadiorum L, altitudine pedum XXX. Pausan. in Arcadicis.

Nilum ferunt olim circa Sirij canis exortum (tunc enim maximè crescere consueuit) maiorẽ Aegypti partem, & eam maximè, cui Prometheus imperabat, inundasse. Absumtis fermè omnibus eius regionis incolis, Prometheũ dolore motum se interficere uoluisse. Fluuium uerò propter cursus uelocitatem, profunditatemq; aquarum, Aquilam tũc appellatum. HERCVLEM, Osiridis polemarchum, tum consilij magnitudine, tum uirtute euestigiò compressisse aquarum impetum, ductis aggeribus, & ad priorem cursum conuertisse. Vnde & Græci quidam poetæ rem gestam in fabulam uertentes, Herculem tradunt aquilam Promethei iecur depascentẽ occidisse. Fluuij nomen uetus, Oceanus fuit: postquam eius cõpressus decursus, Aquila: deinde à rege quodam Aegyptus est appellatus. Postmodum à Nileo rege, Nili, quo nunc utuntur, nomen accepit. Diod. lib. j. c.2. Cælius uerò lib.7. c.20. A.L. ex Agrœtæ lib.13. rerum Scythicarum, & Herodoto recenset, Prometheum Scythorum regem, ob Aquilę fluminis impetũ agros uastatos, à subditis in uinculã coniectum: Herculem uerò corriuato fluuio in mare, regem liberasse.

Post Phlegræam pugnam, HERCVLES inter Misenum & Puteolos aggerem mille passuum pelago opposuit, in Auernum restagnanti, quâ Hibericas præ se egit boues. Id opus Octauius Cæsar multas post ætates fluctibus penè exesum instaurauit, XX millibus seruorum manumissis, remo destinatis, operi hyberno tempore admotis. Sunt qui Agrippæ eam instaurationẽ adscribant. Obiectũ molis tutiùs est iam inde, commodiusq; Lucrinus enauigatus. Sab. lib.6. Enn. j.

Montes ab utroq; latere continentis mari Oceano occidẽtali imminent, in quibus statuit columnas HERCVLES. Cupiens enim sempiternum sui nominis monumentum esse, aiunt utrunq; montem congesta humo adeò ampliasse, ut Oceani maris aditum antea inter utrumq; continentem latum, arctiorem longioremq; redderet, quò magna cete in nostrum pelagus adire nequirent, utq; ad posteros perpetua eius operis gloria manaret. Tradunt alij coniunctis priùs montibus ab eo effossis, peruium Oceanum ad nostrũ mare factum. Sic & Plin. lib.3. c.j. Abilam montem Africæ, Europæ Calpen metam esse dicens. Antea huic simile opus in Græcia effecerat. Nam à locis quæ Tempe appellantur, ut latè stagnabat in campis aqua, ducta fossa aquam deduxit, Thessaliæ circa Peneum fluuium campos fertiles præbens. In Bœotia secus egit. Nam alueo Minei fluminis effosso, omnem regionem stagnantem inutilemq; reddidit. Sed Thessaliæ opera in Græcorum gratiam acta sunt. Aduersus uerò Bœotos, in pœnam mitigandam urbem incolẽtium, ultionemq;, quos illi in seruitutem redegerant, Thebanorum. Diodorus lib.4. c.3.

Daneon portus maris rubri, ex quo nauigabilem alueũ perducere in Nilum, quà parte ad Delta dictum decurrit, LXII M.P. interuallo (quod inter flumen & rubrum mare interest) primus omnium SESOSTRIS, Aegypti rex, cogitauit, antè res Troianas (nõnulli eum à Psammeticho puero mortẽ intercipiente solùm incoatam putant, teste Strabone) mox Darius Persarum, deinde Ptolemæus sequens: qui & duxit fossam latitudine pedum C. altitudine XXX. in longitudinem XXXVII. MD passus usq; ad fontes amaros: ultrà deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quã terra Aegypti. Aliqui non eam afferunt causam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet. Plinius lib.6. cap.29. Sed aliter hac de re Diodorus, inquiens: In Aegypto ab ostio Pelusiaco fossa est opere sumtuoso ad Arabicum sinum ac rubrum mare ducta. Hanc primùm à Nechao Sammatychi filio agi cœptam, DARIVS Persarum rex perficere aggressus, imperfectam reliquit: admonitus à quibusdam, si locus inter iacens effoderetur, fore, uti Aegyptus omnis, cum mari rubro esset depressior, ab aquis mergeretur. Secundus postmodum PTOLEMÆVS illam perfecit, oportuniore loco fossam summa arte efficiens. Hanc cùm nauigare cuperet, aperiebat: eam rursus cùm usus esset, claudens. Flumen quod in fossam defluit, à nomine auctoris Ptolemæum uocant. In exitu urbs condita est, Arsinoe appellata. Hæc Diod. lib. j. c.3. cui Strabo lib.17. consentit. At Herod. lib.2. NECVM Psammetichi F. fossam hãc primum aggressum scribit, quã Darius secundo loco depressit: longitudinis quidem quatuor dierum nauigationis: latitudinis, ut per eam duæ possent simul agi triremes. In ea fodienda sub rege Neco centum uiginti millia Aegyptiorũ periisse tradit, inq; eius medio opere Necum destitisse, territum oraculo, cum id opus Barbaro præmunire. Aegyptij Barbaros omnes uocãt, qui non ipsorũ lingua loquuntur. Hæc fossa demùm oblimante uetustate, arenis scilicet alueum sensim opplẽtibus, quam quàm pernauigari nequiret, Niloticam tamen aquã, secundùm amnis incrementa, ad ipsas Arsinoes cisternas deferebat. Sed huius quoq; salubris aquæ copia atq; usus ferè omnis, aduentu Arabum Mahometanæ sectæ, qui illac irruperunt, & totã ferè Africã, superato Nilo, usq; ad Atlanticũ Oceanum inuaserũt, ita est interceptus, ut eius regionis incolæ à remotis quibusdam puteis salsiores & iniucundos ad potum latices, per utres camelis impositos, petere cogãtur. Iouius libro 36. Historiarum.

NITOCRIS regina Assyriorum, quinq; ætatib. posterior Semiramide, animaduertens imperium Medorum ingens, ac turbulentum, subactaq; ab his multa oppida, præmuniuit se omnibus quàm potuit maximè. Ante omnia fluuium Euphratem, qui priùs mediam Babyloniorum urbem interfluens, rectus erat, tortuosum reddidit, fossis superiùs depressis, adeò ut quendam Assyriæ pagum, nomine Arderica, ter interfluat, & qui nunc è mari per Euphratem Babylonẽ uersus subuehuntur, ter ad hunc eundẽ pagum applicent, idq; triduò. Aggerem quoq; ex utroq; fluminis labro aggessit, mirandæ magnitudinis & sublimitatis. Multo supra Babylonem, aliquantulum seorsum à flumine, effodit paludis eluuiem: profunditate quidem ad aquam semper ducta, latitudine uerò eius quoquò uersus CCCCXX stadiorũ. Hæc fossitia humus ad fluminis ripas aggesta est. Quem locum ubi depressit, crepidinem ambitus eius lapidibus induxit. Hæc duo, ut flumen flexuosum, & lacuna tota fossa esset, ideo fecit, ut & fluuius per multos anfractus retentus, sedatior mearet: & nauigationes in Babylonem essent tortuosæ, & ex ipsis nauigationibus longus ambitus lacunæ exciperetur. Ad hæc, quacunq; erat regio ad inuadendum oportuna, & compendiaria ex Medis uia, hanc intersepsit, ne Medi, commercio Assyriorum, ipsius negotia cognoscerẽt. Herodotus lib.j. & Curtius.

SABACVS Aethiopũ rex, Aegypto potitus, Anysi rege cæco expulso, urbes contra Nili illuuionem excelsiores reddidit: cùm neminem facinorosorum morte plecteret, sed pro delicti magnitudine ad aggerem urbis, quã inhabitarent, effodiendum cõpelleret. Sesostris primus humũ aggessit, quando Nilũ in riuos diuisit: sed Sabacus maximè auxit. Her. l.2.

SESOSTRIS, uel, ut alij uocant, Sesoris, Aegyptiorum rex, permultos erexit post conditas ciuitates aggeres, ut homines & pecora ab inundatione Nili tuta essent. In omni ora, quæ à Memphi ad mare spectat, frequẽtes à Nilo fossas duxit, quò fructibus breuiori itinere faciliusq; inuectis, maior rerum copia esset. Diodorus lib.2.

AVGVSTVS, uicto M. Antonio & Cleopatra, Aegyptum in prouinciæ formam redegit, & inundatione Nili accessu difficilem inuiamq; paludibus, ut annonam Vrbis copiosam efficeret, fossas incuria uetustatis limo clausas labore militum patefecit. Ob id huius tẽpore ex Aegypto Vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur, ut Aurelius scribit. Cuspinianus.

SELEVCVS Nicanor perfodere cogitarat ſpacium à Boſphoro Cimmerio ad Caſpium mare, quo tempore à Ptolemæo Ceraunno interfectus eſt. Eſſe uerò id interuallum centum quinquaginta millia, prodidit Claudius Cæſar. Plinius lib. ſexto, capite undecimo.

MYRIS Aegyptiorum rex, ſupra Memphim decem ſtadiis lacum effodit, ab auctore lacum Myrios dictũ (ſiue Mœrios, ut Herodotus) miranda utilitate, magnitudine operis incredibili: cùm pateat ambitu ſtadiis tribus millibus ſexcẽtis, profundum eius quibuſdam in locis ſit ulnarum quinquaginta: ut qui rei magnitudinẽ aduertat, eius in omnes Aegyptios beneficentiam, regiſq; prudentiam nullus pro meritis ſatis laudare poſſit. Nam cùm Nili incerta ſint incrementa, & pro eorum modo fructus terra præbeat, lacum hunc effodit aquæ inundantis receptaculum: ne cùm ſupra modum excreſceret, ſtagnantibus præter ſolitum aquis, limo ſuperfluo patria inutilis redderetur, néue ex defectu aquæ fructus ex ſiccitate perirent. Foſſam uerò à fluuio duxit ad lacum ſtadiis octogintaquinq;, iugeri latitudine. Per hanc fluuij aqua & recepta & prohibita præbet agricolis fertilitatem, nunc aperto ore foſſæ, nunc clauſo, iuxta incrementi modum, non abſq; magna impenſa: cùm quinquaginta talentis opus ſit, ſiue claudere, ſiue reſerare os foſſæ uelint. Relictus eſt à rege qui eum effodit, in eius medio locus, in quo ſepulcrum ędificauit, duabus ſuperimpoſitis pyramidibus altitudine ſtadij: una ſibi, altera uxori. Super has ſtatuas quoq; duas lapideas collocauit in throno ſedẽtes. Diodorus lib.j. cap.4. Aqua ſtagni natiua non eſt, utpote ſolo illo admodum arido: ſed è Nilo deriuata, ſex menſib. in ſtagnum fluens, totidem retrò in Nilum refluens. Illiſque ſex menſibus quibus effluit, auget regium fiſcum talentis argenti ſingulis in ſingulos dies, prouentu piſcium cùm influit XX minis. Hoc ſtagnum dicunt indigenæ euadere in Syrtim Africæ, perforato ſub terram meatu in mediterranea Heſperiam uerſus, ſecundùm montem Memphi imminentem. Herod.lib.2. Conſule Strabonem lib.17.

EVROTAS Mylis F. tertius rex Lelegum, ſiue Lacedęmoniorum poſtea dictorum, cùm ſtagnantem in campis aquam ad mare alueo duxiſſet, quod fuit aquarum reliquum in iuſti amnis morem deflũens, de ſuo nomine Eurotan nuncupauit, qui fluuius Spartam urbem præterlabirur. Pauſanias in Laconicis.

Conſtruxẽre AGRIGENTINI magnis impenſis natatoriam VII ſtadia circumuectam, XX cubitos profundam. In quã cùm fluuiales aquæ riuuliq; fontium elicerẽtur, tum pabulo loci, tum aquarum temperamento gigni atque ali piſces primùm cœpti: pòſt, per tempus mirum in modum aucti, piſcinam eam fecêre, quæ non ad uſum ſolùm ſatis, uerùm etiam ad delicias piſces ſuppeteret, cygnorum quoque phalanges in eam deuolantes, ibiq; uerſatæ, conſpectu pulcrũ atq; amœnum locum reddebant. Tandem curſu temporũ diu neglecta computruit collapſaq; eſt. Diod.lib.11.c.j.

C. MARIVS Coſſ. IV. ubi Cimbros propè eſſe intellexit, raptim ſuperauit Alpes, ac caſtris ad amnẽ Rhodanum communitis, conuexit affatim eò commeatum: ne unquam, niſi poſtulante uſu, ex neceſſariorum inopia dimicare cogeretur. Subuectionem eorum, quæ eſſent exercitui opus, cùm antè longinqua & ſumtuoſa mari fuiſſet, expeditam effecit & celerem. Nam oſtia Rhodani, maris refluxu magna ui limi oppleta, arenaq; alto cœno à fluctibus adſtricta, periculoſum moroſumq; & anguſtum nauibus frumentariis eò reddebant decurſum. Huc exercitum otioſum conuertit, foſſamq; grandem duxit: quò magna fluuij parte detorta, deduxit illam ad oportunum litus, altam, ac magnorũ nauigiorum patientem, quæ planum haberet & tranquillum ad mare oſtium. Hæc nomen ab illo etiam hodie retinet. Plut. in Mario.

AVGVSTVS Cęſar ad coercendas inundationes, alueum Tyberis laxauit, ac repurgauit, completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapſionibus coarctatum. Suetonius.

CLAVDIVS Cæſar lacum Fucinum emittere aggreſſus eſt, non minùs compendij ſpe, quàm gloriæ, cùm quidam priuato ſumtũ emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autẽ paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſoluit ægrè, & poſt XI annos, quamuis continuis XXX hominum millibus ſine intermiſſione operantibus. Idem, & Plin.lib.36.c.15.

NERO Imp. incoauit piſcinam, à Miſeno ad Auernum lacũ, contectam, porticibus concluſam, quò quicquid totis Baiis calidarum eſſet, committeretur. Foſſam ab Auerno Hoſtiam uſq;, ut nauibus nec tamen mari iretur, longitudinis per CLX milliaria: latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique eſſet cuſtodiæ, in Italiam deportari, etiam ſcelere conuictos non niſi ad opus damnari, præceperat. Suetonius.

TRAIANVS, Parthis deuictis, uoluit foſſa Euphratem in Tigrim deriuare: ſed ab incepto deſtitit, ubi Eufratis alueum excelſiorem Tigri multo eſſe comperit: Cteſiphonemque ſe mox recepit. Ac tũ Parthici cognomen Senatus confirmauit, ſupplicationeſq; & triumphos decreuit. Cuſp.

CAROLVS Magnus, à flumine Rheno, fluminibúſue in Rhenum decurrentibus, foſſam nauigabilem in Danubium, ad debellandos Hunnos Pannoniam occupantes, ducere conatus eſt. Renunciatum eſt inter duo flumina Radantiã & Alomotam (Rhedoneſſum & Alemannum Naruſcorum fl. legit Auentinus) breuiſſimum omnium interuallum eſſe: illum Mœno Bambergæ, Mœnum Rheno Moguntiaci miſceri: hunc uerò iuxta oppidum Kelheim in Danubium ſe exonerare: magno quidem molimine, ſed regio tamẽ animo opereq; fieri poſſe, ut omni parte Europa terra aquaq; peruia foret, latrociniaq; tollerentur, ac bella incruentiùs finirentur: ut cùm ex mari mediterraneo in Rhodanum, ex hoc in Ararim nauigaretur, ex Arariq; (ut priſci duces, ſi Tacito creditur, excogitauêre) aperiri in Moſellam alueus poſſit, qui flumini Rheno committatur: ſi item ex Rheno in Danubium, quò Pontus petatur, nauigaretur: commercia rerũ in promiſcuo forent, ac orbis terrarũ arcana paterent, armiſq; Francorum nihil eſſet inacceſſum. Iam opus Boiorum, Francorum, Sueuorum ſtudio proceſſerat ad trium millium paſſuum longitudinem, trecentorum latitudinẽ (altitudo non traditur: pro natura loci depreſſam, ut patiens magnarum militariumque nauium eſſet, neceſſe fuit) cum quo longius tendebatur, eo magis uelut paluſtri limo in ſe reſidente, quicquid interdiu exhauriebatur, noctu explebatur: quo quaſi miraculo pauefactæ operæ ac curatores, id religioſum rati, ut conatu deſiſteret rex, peruicere. Atq; ita facies rerum naturæ, quam mutare Francus ſtatuerat, ut ab æuo fuerat, permanſit. Aemilius lib.2. Immenſi acerui frumentorum, & omnis generis granorum reperti in campis: quæſi pecus guſtarat, eueſtigiò peribat: farina inde facta ſub manibus euaneſcebat. Noctibus auditæ ſunt uoces mugientium, & laſciuientium confuſi ſtrepitus circum ſuperiorem foſſam. Accedebant continui imbres, in loco alioqui paluſtri. Ideò quicquid terræ interdiu egerebatur, noctu humo relabẽte ſubſidebat. Auentinus lib.4. Annalium Boiorum, & Aimoinus lib.4.c.84.

Perſuaſum erat CAROLO Magno, poſſe perfacilè ex Danubio in Altimonam, & inde in alterum uicinum, fluuios precipuos coniungi, ſi foſſa duceretur nauium capax: quia horum alter Rheno, alter Danubio miſcetur. In hoc opere laboratum eſt duũ millium paſſuum longitudine, & ducentorum pedum in latitudine, ſed fruſtra: quia paluſtribus locis, propter iuges pluuias, opus non poterat conſummari. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.17.

CAROLVS IV Imp. & rex Boemię, in fines Bauarię, qua parte Vultauia, ſiue Moldauia fluuius, qui Pragã interfluit, ortum habet, miſit libratores, qui locum idoneum per libellam inuenerunt, in quo Danubius cum Vultauia commiſſus, omnes ex Italia & Germania aduectas merces Pragam tranſmittere poſſet. Apparent etiamnum tanti conatus ueſtigia, ſed irrito effectu, uicinis nouum opus prohibẽtibus, ne in iacturam illorum Danubius auerteretur. Dubrauius libro uigeſimoſecundo.

COMENSES, an. MCXXII. bello contra Mediolanenſes ſuſcepto, cùm Vallem Mellam tenere, amiſſa per defectionem Lauenna, uellent, nec per Lauenneſes tranſitum impedientes poſſent, ingens atq; opulentiſſimorum regum opus aggreſſi ſunt: quippe montem intercedentem perfoderunt, lacuq; ualli coniuncto, Lauennam acceſſerũt, ibiq; multa naualia prælia proſperè ediderunt: ac poſtremò Lauenneſibus in fidem reuerſis, arcem, quam hoſtes tenebant, diu oppugnatam redegerunt in poteſtatem. Sigonius libro 10. regni Italici.

MARTINVS Turrianus, Mediolanenſium prætor, ad confirmanda populi ſtudia, declinandamq; inuidiam, quũ ſumtuoſiùs ædificare diceretur: omnes operas ad Ticinum conduxit, ut non procul ab Abiato oppido emiſſarium nauigabile deriuata parte amnis ad urbem perduceret, ad facillimas ſubuectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quotidianos uſus perpetuò frueretur. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

PIVS II. Pont. Max. cogitauerat Anienem ad Tybur uſq; nauigabilem reddere, portum quoq; Traiani repurgare, & in Picentino lacum facere, Orcia flumine occluſo, ac riuo ex Amiantæ radicibus eodẽ deriuato. Campanus in eius uita.

Aquarum, Fluminum exiccationes.

Magna intra Padum pars paludib. obtinebatur, per quas Annibal magnis difficultatibus iter fecit in Thuſciam. Cæterũ SCAVRVS deductis ex Pado uſq; in Parmenſium agrum foſſis, nauigationibus commodis, paludes ipſas exiccauit è campis. Strabo lib.5.

CLAV-

CLAVDIVS Cæſar Fucini lacus emiſſarium aggreſſus eſt, non minus compendij ſpe quàm glorię, cùm quidam priuato ſumtu emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autem paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſoluit ægrè, & poſt XI annos, quamuis continuis XXX hominum millibus ſine intermiſſione operantibus. Suetonius.

Pontinæ paludes à CORNELIO Cethego, cui ea prouincia euenerat, corriuatis multifariam aquis, ſunt exiccatæ, atq; ex his ager factus, locus olim quatuor & XX urbiũ, ut Mutianus prodidit. Sab.lib.8.En.5.

SVMTVS IN TEMPLA MAGNIFICE ædificata, reſtaurata, dedicata.

Pietas Iuſtitiæ religioſæ eſt: ſumtus magnificentia huius loci propria. Conſule Tit. Templa religioſè extructa.

IVDÆI, qui ex captiuitate Babylonica cũ Zorobabele redierunt, ad templum reſtituendum contulerunt auri drachmarum unum & LX millia, argenti minarum quinq; millia, & ſacerdotales tunicas centum. 1. Eſdræ 1.

ONIAS, pontificis Oniæ filius, poſteaquam Menelao patruo ſublato põtificatum Alcimo profano homini ab Antiocho Eupatore rege conceſſum animaduertit, cùm ſibi tamen hęreditario iure deberetur: profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem. Vidẽs Iudæam uaſtatam à Macedonibus eorumq; regibus, & ſibi æternam memoriam parare uolens: decreuit à rege Ptolemæo & regina Cleopatra per literas petere, ut ſibi liceret in Aegypto inſtar illius Hieroſolymitani templi ędificare, & in eo Leuitas & ſacerdotes ex ſuo genere conſtituere. Hoc autem conſilium cepit, fretus maximè prophetæ Eſaię uaticinio, qui ante DC ampliùs annos prænunciarat, fore omnino, ut templum aliquãdo Deo maximo ędificaretur in Aegypto, idq; hominis Iudæi opera. Ptolemæus annuit, & in regione Heliopolitana locum conceſſit. Ioſephus lib.13.c.6. Antiq. & lib.7.cap.30. belli Iud.

HERODES rex Iudæorum ad templi Hieroſolymitani ædificationem X anno ſui regni mille plauſtra parauit, quæ lapides conueherent: & ex omni artificum copia peritiſſimos ſelegit ad X millia, & inſuper mille ſacerdotes ſtolis ſacerdotalibus ſuo ſumtu ueſtitos, partim cæmentarię, partim lignariæ fabricæ non imperitos: hoſq; omnes adhibuit operi, materia iam antè conuecta. Sublatis deinde ueterib. fundamentis, & nouis repoſitis, deſuper templum exſtruebat, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem, & XX ampliùs. Fertur toto tempore quo templũ ſtruebatur, nunquàm interdiu pluiſſe, noctu tantùm imbribus deſcendentibus, ne interrumperetur ædificatio. Opus totũ ſpacio nouem annorum perfecit, admirabile tam manus artificio, q̃ materiæ precio. Quemadmodum Ioſephus lib.15. c.14. Antiq. & lib.6.c.6. belli Iud. fuſiſſimè deſcribit. Perfecto opere ingens gaudium exortum eſt in populo, omnibus gratias agentibus Deo pro tam celeriter finito opere, & regi fauſta ominantibus, & inſtaurationem templi magna feſtiuitate concelebrantibus. Ibi rex CCC boues Deo mactauit, & alij pro ſuis quiſq; facultatibus tantum uictimarum, quantũ uix comprehendi poſſit numero, fallente uerã æſtimationẽ earum multitudine. Incidit enim in hanc celebritatem abſolutæ templi fabricæ etiam natalis regni, quem Herodes anniuerſaria hilaritate ſolitus eſt colere, ut hoc pacto conduplicaretur lætitia publica. Ioſephus lib.15.c.14. Antiq.

SEMIRAMIS, Babylone urbe condita, in urbis medio templum Ioui erexit, quem uocant Babylonij Belum. Conſtat ob illius mirandam altitudinem, à Chaldæis tum Orientẽ tum Occidentem uerſus aſtrorum in eo obſeruationes factas. Id ex latere atq; aſphalto ſumma arte magnaq; impenſa eſt conſtructum. In ſummo templi tres ingẽtes aureas ſtatuas, Iouis, Iunonis Opiſq; erexit: Iouis longitudine pedũ XL, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis ſimili pondere in ſella aurea reſidet: ad cuius genua duo adſtant leones, iuxtaq; ſerpentes argentei ingentis magnitudinis: ponderis quiſq; eſt talentorum XXX. Iunonis ſtans ſignũ, ponderis eſt talentorum DCCC. Huius dextera caput ſerpentis tenet, ſceptrum lapideum ſiniſtra. His omnibus communis erat menſa aurea manufacta, longitudinis pedum XL, XII latitudinis, ponderis talentorum L. Duo præterea carcheſia talentorum XXX erant, totidemq; thuribula, utrunque talentorum XXX. Crateres ex auro tres: quorum Ioui dicatus talenta mille & CC & alius Ionica pendebat, aliorum quiſq; DC. Diodorus lib.j.c.4.

Magnificentiæ uera admiratio extat templum Epheſiæ Dianę CCXX annis factum à tota ASIA. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico atq; inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea ſubſtrauêre carbonibus, dein uellerib. lanæ. Vniuerſo templo longitudo eſt CCCCXV pedũ, latitudo CCXX. Columnæ CXXVII à ſingulis regibus factæ, LX pedum altitudine: ex iis XXXVI cœlatæ, una à Scopa. Operi præfuit Cherſiphron architectus. Summa miracula, epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe. Id conſecutus eſt ille peronibus harena plenis, molli puluino ſuper capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut ſenſim totũ inſideret. Difficillimè hoc contigit in limine ipſo, quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit, nec ſedit in cubili, anxio artifice mortis deſtinatione ſuprema. Traduntq; in ea cogitatione feſſum nocturno tẽpore, in quiete uidiſſe præſentem deam, cui templum fiebat, hortantem ut uiueret, ſe compoſuiſſe lapidem. atq; ita poſtero die apparuit, pondereq; ipſo correctus uidebatur. Cætera eius operis ornamenta plurium librorum inſtar obtinẽt, nihil ad ſpecimen naturæ pertinentia. Plin. lib.36. c.14. Solinus cum Mela ab Amazonibus fanum hoc conſecratum & fabricatum uolunt, nec non Dionyſius. ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν ἀμαζονίδες τετύκοντο. Pauſanias in Achaicis à Crœſo uiro indigena & Epheſio Iſtri fluminis credito filio ędificatum tradunt. Nec diſſentire eos inter ſe opinamur, ſepties reſtituto templo, inquit Brodeus. Tectum eius è cedrinis trabibus. Deæ ſimulacrum alij ex ebeno, Mutianus uitigineum & nunquã mutatum, ſepties reſtituto templo. Valuæ ſunt è cupreſſo. Materia omnis nouæ ſimilis, cùm XL iam annis durarit. Plin. lib.16. c.40. Illud Heroſtratus Epheſius incendit, ut ſibi perpetuitatem nominis compararet. Incendium accidit circiter Idus Sextilis, quo die natus eſt Alexãder Magnus, ut ait Plut. in eius uita. Sanxerunt Epheſij, propoſitis grauiſſimis ſuppliciis, ne quis in poſterum Heroſtratum nominaret. Exinde EPHESII aliud præſtantius conſtruxerũt, mulierum ornamentis & multis operib. ad id collatis, non ut Timęus Tauromenitanus ait ex Perſarũ depoſitis, cùm nulla eſſent, & ſi qua fuerant, cum templo conflagrauerant. Ferunt Alexandrum Magnum, cùm templum inſtaurari accepiſſet, factas & futuras impenſas pollicitũ, ſi eius rei titulus ſibi adſcriberetur: illos autem renuiſſe, Epheſiumq; laudib. quendam extollunt, qui regi dixerit, Non decere deum diis quicquam dedicare. Strabo lib.14.

Sicyone ad portam Sacram dictam templum Mineruæ ab EPOPOEO rege dedicatum, magnitudine & ornamẽtis omnibus eius temporis operibus præſtitit. De cœlo tactum conflagrauit. Pauſan. in Corinth.

GELON Syracuſanus Cereri & Proſerpinæ templa ex manubiis ſpoliiſq; Carthaginenſium ingenti magnificentia miroq; artificio extruxit. Diod. lib.11. c.j.

ALEXANDER Magnus ex præda barbarica X millia talentũm ad ædificãda diis delubra in Græciam miſit. Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna.

In Iouis Capitolini ædis fundamenta impendit TARQVINIVS Superbus Rom. rex XL millia pondo argenti. At eius, quod Domitianus extruxit, uel maximæ unius priuati Romani reputatæ opes non ſuppeditarint in deaurationẽ, in quam plus duodecim millia talentũm exhauſta. Columnæ ſunt ex marmore Pentelico exciſæ quadrato, quarum elegantiſſimè reſpondebat craſſitudini longitudo: eas enim uidimus Athenis. Nec deſecatis denuò expolitiſq; tantum acceſſit uenuſtatis, quantum deceſſit ſymmetriæ, apparuitque exilibus redditis exhauſtus decor. Plutarchus in Poplicola.

NERONE principe in Cappadocia: repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam qua parte fuluæ inciderant uenæ, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxit ille ædem Fortunæ, quam Sciam appellãt, à Seruio rege ſacratam, Aurea domo complexus. Quare etiã foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa. Plinius lib.36. cap.22.

Poſt triumphos & Romani imperij firmiſſimum ſtatum, VESPASIANVS Paci templum ædificauit mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret. Magna autem diuitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornauit. Omnia nanque in illud fanum collecta ac depoſita ſunt, quorum uiſendorum ſtudio per totum orbem antiquitatum ſtudioſi uagabantur. repoſuit etiam illic Iudæorum ſacra uaſa. Legem uerò eorum, & penetralium uela purpurea in palatio condita ſeruari præcepit. Ioſephus libro ſeptimo, capite uigeſimoquarto belli Iudaici.

CONSTANTINVS Magnus, eccleſias duas, unam S. Petri Apoſtoli, alteram S. Pauli, ſibi inſtaurandas atq; augendas ſuſcepit: quarum illa erat in Vaticano, quòd ibi Petrus ſub Nerone actus in crucem eſſet: hæc uia Oſtienſi, quòd eo in loco Paulo eodem die amputatum caput fuiſſet. Singulas uerò baſilicas auratis trabibus, ac multiplici columnarum ordine, ut omnem ſuperarent templorum ueterum opulentiam,

tiam, exornauit, ac patrimoniis toto Occidente dispersis ad ecclesiarum usum ac magnificentiam auxit. Quibus mox Syluester Pp. dignitatem etiam ac uenerationem adiunxit, sacris ipsorum Apostolorum corporib. illuc ex propinqua, ubi hærebant, sede translatis. unde procedente tempore limina ipsa Apostolorum pio ciuium aduenarumq; concursu, certatim uota donaq; ferentiũ, supra omnia templa sunt celebrata. Basilicæ quidem Vaticanæ splendoris illud est argumento, quòd Ammonius monachus, teste Socrate, cùm Romæ unà cum S. Athanasio, Iulio pontificatum post Syluestrum administrante, diuersaretur, ex admirãdis tam multis urbis operibus, nullum nisi hoc, sibi uisendum existimarit: uenerationis uerò, quòd, quemadmodum D. Ioannes Chrysostomus scripsit, cùm cæteros uel remotissimos homines, tum præcipuè Imperatores ipsos eò uenientes pio quodam horrore ac religione perfuderit. Sigonius libro 3. Imperij occidentalis.

IDEM basilicam nobilẽ Nicomediæ Christo instituit: & cùm apud quercum Mambre in Palæstina Abrahamũ olim consedisse audisset, indignatus, locum tam uenerabilem simulacris esse fœdatum, ipsum purgari, ac templo ornari, literis ad Macarium Hierosolymorum, & Eusebium Cæsariæ episcopos datis mandauit. Idem lib. 4.

Nobilissimi Hierosolymorum templi consecratione CONSTANTINVS Magnus tricesimum Imperij sui annum insignem relinquere cupiens, concilio Tyri peracto, ad episcopos literas dedit, ut omnes Hierosolyma properarent, ac templum concordibus animis dedicarent. Quo mandato accepto, uniuersi euestigiò sese Hierosolyma contulerũt: ac lautissimè omnes egregia Constantini cura ac liberalitate accepti, templum martyrib. magna cæremonia unà cum omni thesauro, quo ecclesiam ille donauerat, consecrarũt. Ibidem.

VALENTINIANVS III. Saluatoris & Apostolorum imagines aureas supra Confessionem S. Petri locauit, & fastigium argenteum in basilica Constantiniana, quod à barbaris fuerat ereptum, restituit, & Confessionem B. Pauli laminis argenteis incrustauit, & basilicam S. Laurentij à Xysto Pp. conditam preciosa sacrorum uasorum supellectile instruxit. Idem lib. 12.

Anno DXXXIIX. Constantinopoli IVSTINIANVS Imp. templum magnum S. Sophiæ dedicauit, quod olim à Constantino Maximo ædificatum, & nuper conflato in seditione incendio cõsumtum, ipse tanta operis magnificentia restituerat, ut se uicisse in eo officio uel ipsam Salomonis gloriam prædicaret. Idem lib. 18.

Post ingentem terræmotum, qui an. DLVII. Constantinopolim quassauit, IDEM inter alia præcipuè trullam templi S. Sophiæ restituit: eamq; XX amplius pedibus supra templi tectum, quàm ante fuerat, extulit: aliasq; ædis partes debilitatas, magnificentiore quàm erant, opere instaurauit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Templum D. Marci VENETIIS non tam magnitudine & uastitate sua, quàm ornatu insigne, & inprimis angustũ, si primùm ingrediare, crucis figuram præferre uidetur: cuius anguli in altissimas consurgunt testudines. Quarum fastigia, ut reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centũ uiginti stadia ex alto ad urbem nauigantibus inter eminentissima urbis ædificia decurrant. Superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes, totam molem fulciũt. Quicquid operis est, à media templi parte purissimo fulget auro, mussino opere mirificè uariatum. In ipso testudinũ connexu Græcanici operis uetustissimæ imagines, mœsta quadam uenerabiliq; præsentia, horrorem cum religione mixtum spectantium animis inferunt. Marmoreæ undique tabulæ, ad pauimentum usque ipsum, uarij marmoris occurrunt, tanto artificio sibi adinuicem compositæ, ut eædem inter se similes uideri possint. Sedilia circum ædem marmorea. Pauimentum uermiculato opere, marmoreis frustis distinctum. Columnæ complures Parij lapidis, uel Tapsici aut Numidici, cum duplici suggestu marmoreo. Cautum publico decreto fuerat, ut quicquid egregij operis Veneti ipsi nauigantes quocunq; terrarum ambirent, idipsum Venetias deferrent. Vestibuli aurei fornices trecentis & amplius fulciuntur columnis, magnitudine & colorum uarietate conspicuis: intercolumnia, & quicquid in area ipsa operis est, cum ipso pauimento marmoreis tabulis pro tectorio renitet. Vestibuli partem superiorem equi quatuor ænei, diuerso statu narioque exornant. Templi supercilium senis sese pinnaculis explicat: quorum singula in tabernaculi speciẽ surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij: aliaq; splendissimi aspectus simulacra, suo quæq; statu operib. inserta, miro quodã modo, ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Extructũ fuit sub Seb. Ziano duce, ab architecto Cõstantinopolitano. Egnat. li. 6. c. 5.

LVITPRANDVS Longobardorũ rex, ut inquit Paulus, multa in Christi honorem per singula loca, ubi degere solebat, templa cõstruxit. Monasterium S. Petri ad Cœlum aureum extra Papiæ mœnia, & alterum Bardonis in monte Bercetum dictum ædificauit. In Olonna uerò miro opere in honorem S. Anastasij martyris Christo domicilium statuit, in quo & monasterium excitauit. In suo palatio oratorium S. Saluatoris condidit, &, quod nulli alij reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie diuina officia celebrarent. Sigonius lib. 3. regni Ital.

PERTHARITVS Longobardorum rex, regno recepto, ab ea Ticini parte, quà olim Grimoaldi regis manus euaserat, monasterium nouum S. martyri Agathæ cõdidit; idq; multis uirginibus aggregatis, & possessionibus attributis cohonestauit. Cuius exemplum uxor Rodelinda sequuta, ædem S. Dei Genitrici extra mœnia ædificauit, quæ ad Perticas dicta. Idem lib. 2.

HILARIVS I. Pp. sacris basilicis preciosa ornamenta à Genserico, urbe capta, detracta ex ære, auro atq; argento, quod ad usum & decus necessarium esset, in toto suo pontificatu restituit: atq; Oratoria multa, pluresq; basilicarum Confessiones laminis argenteis strauit. inq; ea re prioris sæculi magnificentiam superauit. Adeò breui Roma, dato paulisper ad respirandum spacio, ex tenebris captiuitatis ac deprædationis, pristinę fortunæ apparatu magna ex parte recepto, emersit. Sigon. lib. 14. Imp. occid.

Saraceni basilicam DD. Petri & Pauli Romę fœdè diripuerãt. Parta de iis uictoria nauali, LEO IV. Pp. an. DCCCL. eam nouo ad usum rei diuinæ, eoq; magnifico campanario exornauit: &, ne eiusmodi in posterum obnoxia impressionibus ac direptionibus esset, Vaticanum ipsum munire, & lapideis muris, qui ad diem nulli fuerant, sepire instituit: Sigonius lib. 5. regni Ital.

HENRICVS II. Imp. Boleslao Sclauorum rege deleto, an. CVII. uoti compos, Bambergæ episcopium cum basilica condidit, eamq; eximiis prædiis honestatam D. Georgij nomini dedicauit. In eadem etiam urbe cœnobia duo magnifica inprimis extruxit: quorum unum S. Stephano dicatum Canonicis Augustinianis attribuit: alterum sub nomine S. Michaelis monachis Benedictinis indulsit. Eam basilicam XIII pòst anno consecrare cupiens, Benedictum Pontificem ob id in Germaniam aduocauit. Cuius perspecta uoluntate Benedictus trans Alpes contendit, atq; Henrici auctoritati obtemperauit. Ob id Henricus se in singulos annos equum album, & centenas marchas argenti S. Petro & successoribus eius daturum spopondit. Idem lib. 8.

MALCOLMVS II. Scotorum rex, uictis ad Murthlacum Danis, ædem D. Moloco sacram ingenti sumtu construxit: quã siue quòd uoto ita sese adstrinxerat, siue quòd regionum, quas Dea Speaq; flumina claudunt, maiori quàm par esset intercapedine eorum ab episcopio disiungerentur, episcopalem sedem factã; prædiis agrisq; de Murthlaco, Cloueth & Dummeth cum reditibus ad põtificios sumtus donauit. Estq; sacra sedes ad Dauidis primi Scotorum regis tempora Murthlacensis appellata, qui eam Abberdoniam transtulit. H. Boethius lib. 11.

SPITIGNEVS II. Boemorum rex, festo die translationis D. Venceslai uidẽs ad sepulcrum tantam domesticorum aduenarumq; frequentiam confluxisse, quantum locus ille propter sui angustiam capere non potuerat, religione tactus, quòd laxiora ipse Palatia, quàm diui templa haberent, nouo operi excitando curam intendit: dirutoq; sacello utroque, quorum alterum D. Vito, alterum D. Adalberto consecratum fuerat; aream longè ampliorem mensus, omnibus in illa magnificum Pragæ extruxit templũ. Dubr. lib. 8.

CAROLVS IV. Imp. ueteri Pragensi templo, cui & decor & amplitudo deesse uidebatur, noua fundamenta circumposuit; decimamq; argenti partem ex montib. Cuthnensibus prouenientem, pro ædificio futuro assignauit. Intercaq; uigintiquatuor ministros templo assiduos, quos ideo Mansionarios uocabat, constituit: illisq; largos sumtus destinauit, ut die noctuq; Deo hymnos & laudes psallerent: cùm paulò antè, opibus adhuc priuatis, sacellum elegantissimũ, in eadem arce Pragensi, permissu patris, sub titulo Omniũ sanctorum ædificasset; lecto in id descriptoque cœtu sacerdotum honestissimo. Idem lib. 22.

HILBORCH, nobilis femina, sub episcopatu Mindẽsi, quũ maritum in peregrinatione terræ sanctę absentẽ iam desperaret rediturum, ex omni patrimonio, nouem ecclesias construxisse dicitur, cum monasterio Mœlenbeke, an. DCCCXCIIX. Quum autem ille insperatus rediret, placatura indignantem præuenit, dicens nouem se filias absenti peperisse, nondum in Christo regeneratas. Intellexit uir Deo deuotus quid loqueretur: & annuens per omnia, quæ facta sunt approbauit. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 8.

RAIMVNDVS Berengarius, Barcinonæ comes, cõfectis nuptiis cum Petronilla Ramiri monachi, regis Aragonum filia, Aragoniæ etiam princeps factus, trecentas ædificauit ecclesias. Marineus lib. 10. rerum Hispan.

FERDINANDVS & ISABELLA Hispaniæ reges in Abila ciuitate templum D. Thomæ, Toleti S. Ioanni Euãgelistæ, Segouiæ monasterium S. Crucis, Granatæ templũ Deiparæ, & D. Francisci, & D. Hieronymi monasteria, & Carthusianorũ & Prædicatorum: Compostellæ D. Iacobo templum cum hospitali: Romæ templum D. Francisco extruxerunt. Marineus libro 19. rerum Hispan.

SVMTVS IN MONASTERIA. COENOBIA.

GVLIELMVS, Scotorum regis Achaij frater, Caroli Magni militiam cũ IV. Scotorũ millibus secutus, ut Christũ haberet hæredem, compluria cœnobia in Germania Italiaq; struxit, prædiis & agris ad sumtus dotata: sanciens, ut hospitales essent pro Christo, literis & uirtuti impenderent laborẽ, mortalesq; recta monerent: nullum autem, nisi Scotici sanguinis uirum, unquam in monachum aut cœnobiarcham adoptarent. Extant in rei monimentũ cœnobia haud pauca in Alemania, constanti Germanorum fide à primæua institutione uel hac nostra ætate nihil mutata. H. Boeth. lib. 10.

Quindecim cœnobia DAVID Scotorum rex in suo regno extruxit. Hector Boethius lib. 12. Scoticæ hist.

OTHO Bambergensis episcopus, Pomeranorum Apostolus, unum & uiginti extruxit cœnobia & oratoria monachorũ. Bambergensis historia.

SVMTVS IN XENODOCHIA.

HIRCANVS Iudæorũ princeps (ut refert Egesippus) primus xenodochia, id est peregrinorum receptacula, nosocomia ægrotorum, orphanotrophia puerorum parentibus orbatorum, ptochotrophia mendicorum, gerontocomia senum & infirmorum, cœnotrophia promiscuorum, pædotrophia infantium magnificè instituit. Guido Bitur.

D. IOAN. Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus, nosocomium Constantinopoli suis ędificauit sumtibus.

BASILIVS Magnus, episcopus Cæsariensis, pauperum hospitia & xenodochia extruxit: unum nobilissimum, Basiliada de suo nomine dictum. Sozomenus lib. 6. c. 33.

BELISARIVS uictis Vandalis Romæ duo xenodochia, quæ nos domos hospitales appellamus, sua impensa ædificauit: quorũ alterum in uia lata, alterum uia Flaminia extabat. Cõdidit & monasteriũ sancti Iuuenalis apud Ortam urbẽ, additis fundis, unde monachi pascerentur. Platina.

ALEXIVS Comnenus orphanotrophion erexit, in quo puellas & pueros parentibus orbatos sua pecunia refouebat. Fecit & Museum, in quo alios iubebat erudiri, pecunia ex regio uectigali data. Rauisius ex Zonara.

CONSTANTINVS Monomachus Imperator templum instituit, in quo grauati senio, & ad laborem inutiles fouerentur. Rauisius.

THEOPHILVS Imp. Xenonem, hoc est hospitale fecit proprio nomine, in loco ubi priùs meretricum diuersorium fuerat. Cuspinianus.

MAVRICIVS Imp. domum condidit, in qua senes morbosi alerentur, quod Viuarium sumtuosum dicitur, multosque ei suppeditauit sumtus ad sustentandos morbis confectos fratres. Cedrenus.

ISAACIVS Angelus Imp. domum Isaacij Comneni Sebastocratoris, Manuelis Imp. fratris, in Pandocheum mutauit, ubi centum uiri cibum capere, totidem lectis cubare, & totidem equi stabulari possent. Basilicam Andronici Comneni in nosocomium conuertit: similiter quoq; domum Magni Drungarij dictam. Nicetas lib. 3.

PELAGIVS II. Pontifex domum paternam in xenodochiũ pauperum senum redegit. Platina.

PETRVS Vrseolus, dux Venetorum, templum diui Marci incendio absumtum restituit, & pauperum xenodochiũ extruxit. Rauisius.

D. LVDOVICVS Francorum rex, Lutetiæ ualetudinariũ pro æde Virginis extruxit. Minoribus & Prædicatoribus nondũ ad culmen perductas sacras ædes planè absoluit. Cæcis egentibus ædem & domum: Carthusiensibus item ædem & cœnobium: eadem Carmelitis. Aemilius lib. 7.

COSMVS Medices etiamnum priuatus, Hierosolymis quò peregrini exciperentur, qui eò religionis causa accederent, hospitalem domum suis sumtibus ædificandam, certo assignato agro, ex cuius uectigalibus, quæ ad illos alendos necessaria essent, suppeditarentur, siue pietatis studio, siue gloriæ & nominis, curauit. Brutus lib. 1. hist. Flor.

D. REMBERTVS, Hamburgensis archiepiscopus, Xenodochium Bremæ, quod ad sustentationem pauperum à D. Ausgario erat institutum, insigniter auxit: & non modò in suo episcopatu, sed ubicunque erant pauperes, alimoniam illis cum omni uigilantia curauit exhiberi: nobile posteris uerbum exhortationis relinquens: Non est, inquit, hæsitandum cunctis subuenire pauperibus: quia in quo sit Christus, seu quando ad nos ueniat, ignoramus. Cranzius lib. 2. Metropol. cap. 11.

SVMTVS IN SCHOLAS ET GYMNASIA LITERARIA.

Consule Tit. Academiarum, quæ illic ut loca Institutionis considerantur, heic tanquàm opera Magnificentiæ.

AEGIDIVS Carilla, Cardinalis, rerum bellicarum nomine clariss. Bononię collegium impensis propriis construxit, cui & reditus magnos pro scholasticis Hispanis pauperib. perpetuò alendis assignauit. Tarapha de reb. Hispan.

HADRIANVS VI. Pont. ab sacerdotio parochiali in Hollandia, quo eum Margarita, Maximiliani Imp. Rom. F. honestauit, & Decanatu Louaniensi cum collegij Viceccancellariatus magistratu cõiuncto ditior factus: nihil mox antiquius duxit, quàm Louanij collegium, ut quintũ adiiceretur, sub Hadriani nomine luculenter ædificare, adiunctis prædiis, quibus studiosi adolescentes oppressi inopia, cum doctoribus alerentur. Gratissimo namq; animo, quum Porcij collegij, in quo puer educatus fuerat, benignitatem agnosceret, priuati beneficij gratiam publica liberalitate repouendam statuebat. Quod adeò supra eius uires Louaniensibus est uisum, ut non minùs ambitiosè quàm piè tantæ rei incoandæ consilium suscepisse diceretur, quãdo facultates eius, quæ erant mediocres, uix iaciendis fundamentis sufficturas appareret. Sed quum parsimonia, & sancta frugalitate auctiores sibi efficeret rerum omnium reditus, adeò ingenti animo cuncta est complexus, ut sibi iam tum ampliorem, & supremę quidem proximam fortunam præsagire uideretur. Ferunt, Bernardinum Caruaialem Hispanum, qui erat inter Cardinales auctoritate atq; opibus insignis, quum id collegium tam felici ausu ceptum, quàm facili successu ope ris perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore concepto, fortunæ suæ indignantem suspirasse: quoniam id opus ad laudem sempiternam Decanus haud planè diues condere fuisset ausus, quod ipse tantus Cardinalis, sicuti ab antiquo animi decreto destinasset, nondum incoare potuisset. Iouius in Hadriano VI.

SVMTVS IN THEATRA, AMPHITHEATRA, CIRCOS.

I. TARQVINIVS Priscus, Rom. rex, extruxit Circum maximum, qui inter Palatium panditur, & Auentinum, triũ stadiorum longitudine, cæmentitiis sedilibus circa aream ædificatis, quum antea sub ligneis tabernaculis arida tectis arundine spectare moris esset. Liuius locum Circi tum primũ designatum ait. Sabellicus lib. 4. Enn. 2. Huius descriptionẽ lege apud Blondum de Roma instaurata, Marlianum, & Alex. lib. 5. cap. 16.

Paulo ante Punicũ bellum tertium, pop. Rom. per aliquot annos spectauit ludos stans, usq; ad deletam Corinthum, quo tempore L. MVMMIVS ludis, quos in triumpho fecit, theatrum erexit, sed temporarium.

Mansurum theatrum è quadrato lapide, ut ait Cornelius Tacitus lib. 14. primus Romæ construxit CN. POMPEIVS Magnus, cuius exemplar ex eo, quod Mitylenæ erat, post deuictum Mithridatem sumsit, teste Plutarcho. In cuius dedicatione ludos dedit in circo. In eo leones quingenti, diebus quinque absumti sunt: præterea elephanti decem & octo cum armatis hominibus certauerunt, quorum pars statim, pars non multo pòst interiit. Sunt tamen, qui hoc theatrum non esse à Pompeio, sed à Demetrio eius liberto, ex pecunia, quam cum eo militando quæsierat, ædificatum putent: Pompeium autem id sibi uendicasse, ne propterea malè audiret, quòd libertus eius tam magnam pecuniam cõflasset, ut tantos sumtus potuisset sustinere. Capiebat XL millia hominum. Theatrum hoc Nero in unum diem totum auro operuit, ut Tyridati regi Armeniæ illud ostenderet. Xiphilinus in Pompeio.

Amphitheatrum primus omnium, teste Cornelio de gestis Neronis, in campo Martio posuit C. IVLIVS Cæsar: quod paulo pòst, auctore Tranquillo, Augustus Mausoleum ædificaturus destruxit: qui & ipse amphitheatrum destinauit media urbe, quod à Vespasiano conditum fuit, & à Tito consecratum. Suetonius.

M. MARCELLVS, theatrum Romæ sumtuosissimi operis, ad infimum Argilæti, iuxta templum Pietatis condidit, quod deinde Augustus Marcelli nomine inscripsit. Alexander libro 4. cap. 24.

CORN. Balbus Romæ theatrum magnis impensis extruxit, cui quatuor columnæ ex ophite lapide pro miraculo fuẽre: licèt hodie nulla earum uestigia uideamus. Alexander libro 4. cap. 25.

C. IVL. Cæsar circum fecit longitudine trium stadiorum, latitudine unius: sed cum ædificiis iugerum quaternûm, ad sedem

dem CCLX millium. Idem solum tantùm foro extruendo sestertiis mille ducentis emisse dicitur. Suetonius.

AGRIPPA, Iudæorū rex, Berytum urbē theatro & amphitheatro magnificentiss. ornauit. Ioseph. lib. 19. c. 7. Antiq.

Martialis lib. 1. DOMITIANI Imp. amphitheatrum omnib. miraculis, superbisq; ædificiis anteponit, dicens:

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

SVMTVS IN CVRIAS, FORA.

CIMON Athenis forū platanorū consitione & ambulationibus ornauit. Plut. in Præceptis politicis.

C. IVLIVS Cæsar, Romanum forum de manubiis, unà cū æde Veneris genitricis, magnifica impensa & profusis sumtibus construxit, cuius area supra sestertiūm millies constitit. Plinius lib. 36. c. 15.

Fuit Romæ TRAIANI forum, regione octaua, cum tēplo & equo æneo ac columna cochlide, cuius erat altitudo centū & uigintiocto pedum: intus erant gradus centum & octoginta quinq;, fenestellæ quadragintaquinq;. Illud Ammianus Marcellinus scribit singularē sub omni cœlo fuisse structurā, & uel numinū assensione mirabilem. Id quū Imp. Cōstantius spectaret, hærebat attonitus, per giganteos cōtextus mentē circumferens, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Cælius lib. 28. c. 10. & 12.

PHILIPPVS Pulcer rex Palatiū in insula, quā Sequana Lutetiæ facit, extruxit magnificentissimè. Huic negotio pfuit Engerranus Marinius, regis consiliarius, & fisci præfectus: cui propterea statua ad scalas dedicata est. In eo palatio forum est, quod Parlamentum uocāt: ubi certæ sedes summis iudiciis datæ ac constitutæ sunt. Illic etiam ratiociniorū, aliorumq; plurium iudiciorum subsellia. Ad hæc regia principis. Gaguinus scribit ibi Parlamentum constitisse ordinarium Hutino rege. Chronicon Francorum.

VIÆ PVBLICÆ MVNITÆ, STRATæ, purgatæ, incisæ.

SEMIRAMIS, cùm ad Iarceum montem Mediæ multis stadiis per plura præcipitia ac conualles esset aditus, cupiens tum immortale sui monumentum relinquere, tum breuiorem facere uiam: abscissis anfractibus, locisque concauis ad planum deductis, magno sumtu iter breuius reddidit, quod usque ad hoc tempus Semiramidis appellatur. Diodorus lib. 2. cap. 5.

C. GRACCHVS Tribunatu suo elaborauit potissimū in uiis muniendis, tam utilitatis, quàm oblectamenti & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directæ ad amussim per agros uiæ: atque hinc lapide quadrato sternebantur, hinc glareæ aggeribus aduectis referciebantur. Complebat, & pontibus iungebat lacunas, torrentibus uel specubus excauatas: ac lateribus pari inter se fastigio utrinque comparatis æquabilem habebat & uisendam undique opus faciē. Adhæc uiam omnem per milliaria dimensus (capit autē paulo minùs octo stadia milliare) columnas lapideas spacij signandi gratia locauit. Alios lapides modicis inter se interuallis hinc inde secundum uiam disposuit: quibus equitantes sine subiicibus ephippariis conscenderent commodiùs equos. Plut. in Caio.

Clara censura fertur APPII Claudij, qui uiam Appiam è Roma Brundusium strauit, & aquam, quæ Appia dicta est, inuehendam curauit. Vias perpurgasse, & itinera imperuia muniuisse, SCAVRVM Aemilium usque Sabatios, M. LEPIDVM, & C. Flaminium in consulatu Ariminum usque, & deinde in Aquileiam, Flaminiam strauisse legimus. C. IVLIVS Cęsar, commissa sibi Appiæ cura, dum illius refectioni uacat, magnas opes effudisse fertur. M. AEMYLIVS Cōsul pacatis Liguribus, uiam à Placentia, ut Flaminiæ committeretur, Ariminum usque strauit: & FLACCVS in censura uiam per Formianum montem perduxit. Fuit quoque inter celebres Latina & Valeria: altera usque Sinuessam, altera ad Marsos. Nam Salaria & Nomentana haud multę lōgitudinis per Sabinos constratæ sunt. Alex. lib. 3. c. 13.

C. IVL. Cæsar non satis habuit exiccare Pontinam paludem, qua è re mirum in modum uicinis populis cōsuluit: sed per mediam illam strauit uiam pontibus pluribus erectis, quò iter in urbem & breuius esset, & commodius. Quorum uestigia cùm hodie quoque singulari cum magnificentia plurimis in locis extent, ipsæ etiam ruinæ admirationi uidentibus atque contemplantibus sunt. Pontanus cap. 11. de Magnificentia, ex Suetonio.

AVGVSTVS Cæsar, quò faciliùs undique urbs adiretur, desumta sibi Flaminia uia Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus uiris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Suetonius.

PORTA Petræ pertusæ prope Basileam Romanæ uestigium magnificentię. Vide Tit. Viæ oportunæ.

TRAIANVS strauit paludes Ponticias lapidibus, extruxitq; iuxta uias ędificia, pontesq; magnificentissimos fecit. Dion & Xiphilinus.

CAROLVS Magnus uiam ab Agrippinensi Colonia, Parisiorum Lutetiam uersus, muniisse, atq; strauisse, uulgò fertur. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

PONTES MAGNIFICE EXtructi.

Ne bellici quidem pontes hinc excluduntur, quatenus Magnificentiæ attestantur: qui Prudentiæ alioqui bellicæ nomine ad Stratagematum locum pertinent, ubi de traducendo exercitu agitur.

NITOCRIS, Assyriorū regina, supra Euphratem fluuiū, qui mediam Babylonem rectus præterfluit, pontem erexit, trium stadiorum, difficillimum factu propter paludes, quæ urbem ambiunt. Herodotus & Curtius.

Bosphorum omnium primus DARIVS Persarum rex, ponte iunxit. Eum Mandrocles Samius posuit. Ipse Ionibus Istrum cū classe sexcentarum nauium adnauigare, pontēq; fluuio imponere: ac se ibi præstolari iussis, terrestrem exercitum, in quo septingenta millia equitum peditumq; fuisse dicuntur, in Europam ponte transmisit. Sab. lib. 8. En. 2.

Euripus Chalcidis ab Sunio stadia distat LXX. superque illo pons à BOEOTIS factus, duorum imminet iugerū: utrinque autem turris, una quidem ex Chalcide, altera uerò ex Bœotia. Ipsius refluxus, die quolibet ac nocte septies cursum mutat. Strabo lib. 9.

Est Hidruntum Ionij maris & Ausonij discrimē, modico aquarum interuallo Aulonis litoribus respondet. Id maris spacij quod Italiā à Macedonia dirimit, quinq; habet & quinquaginta millia passuū. PYRRHVS rex cogitasse dicitur utramq; terram alteri actis pontibus cōmittere, mox & M. VARRO piratico bello, quum Pompeij classibus præesset. Sed utrumq; aliis distractus curis, tam memorabile opus intactum reliquit. Sab. lib. 7. En. 10.

ANCVS Martius, Rom. rex, sublicium pontem Tyberi imposuit. Hunc quia Pontifices (qua potissimùm religione adducti, haud facilè dixerim) reficere cōsueſſent, ab ea re nomen accepisse traduntur. Sab. lib. 4. En. 2.

C. IVL. Cæsar, uno die pontem in Arari constituit: alium supra Rhenum, mira celeritate decem diebus absoluit.

TRAIANVS Imp. Danubio pontem imposuit: opus inter cætera, quæ sumtuosè magnificeq; sunt ab eo edita, in primis memorabile. Pilas uiginti numero ex quadrato lapide, centenis septuagenisque pedibus inter se distantes, alto uiolentoq; fluuio ab imis uadis ad fastigium centenûm quinquagenū pedum primò statuit. Crassitudo in singulis sexagenū fuit pedum. Arcus inde fornicatim interiecti pontem statuere, qui à citeriore ripa ad ulteriorem stadia habuit septem, pedes ducentos triginta: quod spacium, si ad notiorē mensuram redigas, habebit passus noningentos & unum. Sed nihil fuit tam mirum in difficili opere, quàm quæ fundandi ratio aduersus uim fluminis iniri potuerit, ut quæ primo alteróue loco statuerentur, solida manerent, præsertim cœnoso uado, fluuioq; minimè corriuabili, atq; ibi loci maximè profundo. Sab. lib. 4. En. 7. ex Dione, Xiphilino. Huius pontis magnam partem Adrianus princeps diruit, ueritus, ne si Transistrani aliquādo pontis præsidium expugnassent, nullo in Mysiam negotio irrumperent.

ADRIANVS Imp. sacris Eleusinæ initiatus, multa Atheniensibus dona contulit, eorumq; pontē restituit, quē Cephisus fluuius inundatus alluuione dissoluerat. Fecit & Romæ sui nominis pontem, qui adhuc extat. Platina.

CONSTANTINVS Magnus, Germanię perdomandæ intentus, pontem instituit ad Coloniam Agrippinæ, non ut facultatem traiiciendi pararet (nam totum armatis nauibus Rhenum instruxerat, & ripis omnibus milites disposuerat) sed ut gloriam Imperio, & limiti ornatum adiungeret, si quà ferocissimus amnis esset, uel inuito pontem imposuisset. Hoc ubi institui opus hostes uiderunt, properè legatos, qui pacem peterent, obsidibus pollicendis miserunt. Sigonius libro 2. Imp. occid.

CAROLVS Magnus Moguntiaci Rhenū ponte iunxit, cuius longitudo erat quingentorū passuum: tanta ibi est latitudo amnis. Decē annis per uices, opera Europæ extructus est, perpetuus fore uisus. Anno antequā decederet Carolus, de cœlo tactus, tribus horis cōflagrauit: adeò, ut ne uestigium quidē relinqueretur. Pro ligneo lapideū restituturus, prius ex hac uita migrauit. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorū, & Aemilius lib. 2. & Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c. 7.

Inter nobilia opera BARNABÆ Vicecomitis præstantiss. fuit Tritianæ arcis pons, admirabili fornicis structura amni Abduæ impositus, usqueadeò in altum exurgens, ut tribus superædificatis transitoriis aditibus, infimo currus cū machinis & impedimētis, medio equites, summo peditatum uno tempore transmitteret. Iouius in eius uita.

GA-

GALEACIVS II. Vicecomes pontem lapideum Ticino amni Papiæ imposuit, mirabilis structuræ, cùm perpetuæ contignationis tectum aduersus soles & pluuias sustinentibus ab utroque podio siliceis columnis superinduceret, & utraque pontis capita singulis propugnaculis muniret. Iouius in uita eius.

MAHOMETES II. Turcarum rex, Lemnum ac Mitylenem insulas cepit, incredibiliq; apparatu ponte supra Euripum constructo, Nigropōtem expugnauit, Christianis fœda stragę affectis, ob classis Venetæ prouisoris inertiam, qui uentis etiam prosperis flantibus non ausus est pontem triremibus inuadere. Iouius in eius uita.

SIXTVS IIII. pontem super Tiberim (quē ab ipso Sixti pontem uocāt) miro artificio, maxima impensa extruxit, aliisq; ædificiis Romam sibi adeò adstrinxit, ut non iniuria ipsius alter Romulus uocandus sit. Platina. Pontis inscriptio talis est: Insigni hoc ponte extructo te Xyste Quirites, Nunc possunt uerè dicere Pontificem.

ARCES MAGNIFICÆ EXTRVCTÆ.

DEIOCES à Medis iustitiæ nomine rex designatus, iussit eos oppidum condere: atq; eo uno cōmunito exornatoq;, aliorum non ita magnam curam habere. Obsequentibus igitur Medis, mœnia cōstruxit ampla simul & ualida, ea quę Ecbatana appellantur, in quib. murus unus alteri in ambitu ueluti contiguus erat: sic nimirum constitutis mœnibus, ut ambitus singuli alteris gradatim essent sublimiores, solisq; pinnis prominerent. Adiuuabat huc loci ipsius commoditas, qui collis instar erat eleuatus. Accessit etiā maius quiddam singulari studio factum: ut ambitus isti numero essent septem contigui, singuli suis distincti coloribus: in quorum postremo regia erat, & thesauri. Primi ambitus pinnæ colore erant albicante, secundi nigro, tertij purpureo, quarti cæsio, quinti sandaracino: postremi uerò duo, alter argentatas, alter inauratas habebat pinnas. Atq; hisce munimentis Deioces se suamque cinxerat regiam: reliquum uerò populum iussit seorsim iuxta mœnia circumquaque habitare. Herodotus lib. 1.

BONIFACIVS IX. anno 1400. Romę molem Adriani, quæ diu antè dumis obsita, in caprarū pascua fuerat destinata, additis circà mœnibus, & turri in medio excitata, in eam quæ nunc extat arcem, restituit, Romanosque domuit, Vexilliferorum eligendorum potestate illis erepta. Blondus lib. 10. Decad. 2.

FRIDERICVS II. Imp. in præcipuis urbibus regni Apuliæ, & insulæ Siciliæ, innumera splendida curauit extrui ædificia. Inter alia condidit in Brutiis ciuitatem Aquilam, Neapoli arcem Capuanam, turrim & pontem Capuæ, arcem Tranensem: in Thuscia arcem Prati, & arcem Sancti Miniati in rupe edita: consimilem in rupe Cesenæ, Fauentiæ, & Ceruiæ, atq; hinc inde Palatia & Templa. Collenutius lib. 4.

FRIDERICVS III. Imp. Viennæ & in noua ciuitate Austriæ arces magnificè instaurauit, ut Sigismūdus olim Budæ. Aeneas Syluius lib. 1. Commentariorum in Panormitam de Alphonsi rebus gestis.

ALPHONSVS, Aragonum rex, arcē regiam, quam Nouam Neapolitani uocant, à fundamento restituit: & ita demum nouis operibus ampliauit, ut cum omni uetustate possit de magnificentia contendere. Panormita de Rebus gestis Alphonsi lib. 1.

TVRRES EXCELSÆ ET magnificæ.

DANIEL propheta cùm ab omnibus Deo charus existimaretur, & propter hanc de se opinionem apud reges Persarum esset illustrissimus: ædificauit apud Ecbatana Medię turrim, opus pulcerrimum, & singulari admiratione dignū, quod in hodiernum usq; durat, & spectantibus recentissimæ structuræ uidetur, ac si ea ipsa die quā spectatur, esset absolutum: tantam nouitatis speciem, & tam integram pulcritudinem habet, nihil omnino à tam longo tempore læsam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem, quæ æquè atque homines uetustatis iniuriam sentiunt, nec firmitatem solùm, sed etiam decorem sensim deperdunt. Mos autem durat usq; in præsens tempus, ut in ea turri sepeliantur Medorum reges, & Persarum, atq; Parthorum: eiusq; custodia sacerdoti Iudaici generis concreditur. Iosephus lib. 10. cap. ult. Antiquitatum.

PTOLEMÆVS Philadelphus in Pharo insula, non ad alium usum, quàm ad nocturnos ignes nautarū cursui ostendendos, turrim cōstituit talētis DCCC. Gnidio Sostrato architecto, qui structurę tātę suū inscripsit nomē. Plin. lib. 36. c. 12.

C. MOECENAS, tum in aliis multis tulit magnificentiæ laudem, tum in turri illa editissima, quæ postea Mœcenatiana dicta est. Suetonius.

CAROLVS Magnus in ora Oceani Germanici Belgiciq; sitæ urbis Bononiæ litore turrim instaurauit, cuius usus nocturno nautarum cursu ignes ostendere, ad prænuncianda uada, portusq; introitum. Ipse ignem incendit primus in uerticę turris, quam Pharon nuncupauit, Aegyptiæ imitatione. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Aimoinus.

VENETIIS, duce Dominico Mauroceno, Marciana turris, quæ è regione fori est D. Marci, fundata dicitur, opus sanè admiratione dignum. Ferunt molem ipsam tam altis fundamentis impositam, ut penè plus operis illa hauserint, quàm id reliquum sit quod extat. Eius fastigium, quod ex purissimo fulget auro, in eam assurgit altitudinem, ut non solùm urbem, quam circumquaq; subiectam habet, contemplari inde liceat: sed ad ortum quoq; & meridiem, longè lateq; in ipsum mare aperiat prospectum, ita ut ex Histria Dalmatiaq; introrsum nauigantibus, ad ducenta & ampliùs stadia fulgor ille, tanquam sidus quoddam salutiferum, occurrat. Sab. lib. 7. Dec. 1 & lib. 4. En 9.

VALLA, MOENIA, MVRI, AGGERES, excelsi, firmi, magnifici.

SESOSTRIS, Aegyptiorū rex, muniit ea loca, quibus ad Aegyptum patere hostibus ingressus posset. Duxit & murum ab eo latere Aegypti, quod Orientem uersus ad Syriam atque Arabiam spectat, à Pelusio usq; ad Solis ciuitatem per desertum stadiis mille & quingentis. Diod. lib. 1. cap. 4.

Babylonis muros (qui inter septem orbis miracula recensentur) ut Iustinus lib. 1. docet, SEMIRAMIS condidit, aut talē ruinosos reparauit, coctilibus laterculis & bitumine ferruminatis, ducentûm pedū altitudine, latitudine uerò quinquagenûm pedum: adeò ut quadrigas inter se occurrentes reciperent, turresq; haberent CCC. plures multo habitori, nisi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuissent. Huic autem operi portentoso adhibita sunt trecenta hominum millia. Propert. lib. 3.

Persarum statuit Babylone Semiramis urbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in aduersum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Euphratem medium, quâ condidit arces,
Iussit & Imperio surgere Bactra caput.

Herodotus lib. 1. scribit, muros Babylonis habuisse crassitudinem quinquaginta cubitorū regiorum, celsitudinem ducentorum. Per ambitum cētum portæ stabant æreæ, omnes cum cardinibus. Traianus Babylonē profectus, maximum aggerem reperit, quem excitasse ferebatur Semiramis. Fuit altitudine pedum uigintiquinq;, latitudine quinquagintas longitudine continebat stadia 70. Suidas in uoce Χῶμα.

Ἱππάρχου τειχίον, id est, Hipparchi murus: dicebatur res quæpiā, quæ magnis constaret impensis. Hinc natum, quòd HIPPARCHVS, Pisistrati filius, Academiam muro sepsit: atq; huius rei nomine, magnam pecuniæ uim ab Atheniensibus exegit. Auctor Suidas. Erasmus in Adagiis.

In Thracia est urbs, quam Græci μακρὸν τεῖχος uocant, quòd illinc inciperet murus supra fidem ingens usq; ad sinum Melicum, excluderetq; Cheronnesum à reliqua Thracia. Eum MILTIADES dux Athen. fecit. L. Viues in lib. 15. August. de Ciuitate Dei, cap. 27.

DEMOSTHENES rhetor sua pecunia muros Atheniensium refecit. P. Aerodius ex Demosthene pro Corona, Plutarcho, Libanio & aliis.

DIONYSIVS tyrannus, Syracusis areas omnes ad portum uergentes incredibili opere & celeritate XX dierum spacio muro inclusit inexpugnabili, LX millibus delectis ad opus faciendū, muro ad trecenta stadia producto. Diod. l. 14.

L. TARQVINIVS, rex Rom. muros urbis rudi priùs materia eductos, grandioribus saxis ad regulam formatis, primus moliri est adortus. Cloacæ, quibus aquæ subterraneis fornicibus in Tyberim laberentur, eiusdem opus fuisse creduntur. C. Aquilius auctor est, cloacarum repurgationem mille postea talentis à Censoribus locatam. Sab. lib. 4 En. 2.

Murum à lacu Lemano ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, C. IVL. Cæsar duxit millium passuum XIX. altitudinis pedum XVI. Cæsar primo Comment. belli Gallici.

CYRVS, urbis Constantinopolitanę præfectus, homo sapientissimus atq; industrius, terrestrem Constantinopolis murum demolitus est: aliisq; duobus interuallis additis, alium murum intra sexagesimum diem extruxit. Cuius operis ad pulcritudinem & festinatam absolutionem obstupescens populus, Imperatore Theodosio in Circo sedente, exclamauit: Constantinus condidit, Cyrus instaurauit. Eapropter in inuidiam uenit: & Græcis rebus studere per calumniam dictus, publicatis eius bonis, raso capite Smyrnæ episcopus deligitur. Georgius Cedrenus.

ANASTASIVS Imperator longum murum struxit LX millibus ante urbē à septentrionali mari uersus meridiem, milliaribus L extētum, latitudine pedum XX, qui μακρὸν τεῖχος ab auctoribus passim ex re dicitur: ne incursiones Mœsio-

rum, Bulgarorum & Scytharum officerent Reipub. Suidas, & Cuspinianus.

ASANDRVS, Cherronesi Thraciç dominus, Cherronesi Isthmum ductis mœnibus uallauit ad Mæotidem, CCC ac LX stadiorum spacio, ad singula stadia turres decem ædificãs, ad Barbarorum impetum propulsandum. Strabo lib. 7.

GRÆCI, irruente in Græciam Xerxe, Corinthiacum Isthmum muro claudere statuêre. Ad quam rem cùm haud segniter quæ necessaria uidebantur, aduecta essent, matureq; opus tum incitato omnium studio, tum multitudine operãtium surgeret, ad quadraginta stadia murus munitioq; illa porrecta est: omnisque aditus quàm lato à Lecheo in Cenchreos spacio patebat, eo septus opere claususque extitit. Diod. libro II. CONSTANTINVS Palæologus, qui nouissimè Byzantij imperauit, Isthmum Corinthiacum, quem Hexymilum Græca uoce nuncupant, instaurandum curauit quodam Christianorum successu, tributumq; Turcorũ regi statuit non reddere. Verùm Pãnonibus & Polonis ad Varnam ingenti prælio uictis, pecunia ab Amurathe multatus, murum diruere iussus est. VENETI bello Peloponnesiaco contra Mahometum, Turcorum regem, Corinthiacũ Isthmum munire adorti, adeò festinarunt, ut totam muri longitudinem, quæ ab Ionio ad Aegeum quadraginta circiter stadia patet, quindecim dierum spacio duplici fossa subitariaque molitione firmarint. Triginta millia hominum eo loco operata dicuntur: sed ueteris structuræ saxa, quæ ad manus fuêre, materiam præbuerunt operis celeriùs consummandi. Verùm Turcorum multitudine territi, qui cum LXXX millibus equitum appropinquabant, ad mare se receperunt. Et sic Isthmi munitio, sæpè alias infeliciter tentata, parùm profuit. Sabell. lib. 6. Ennead. 10.

ADRIANVS Imp. cùm magna strage L. Antenous legatus à Mogallo Scotorum rege affectus esset, ipsemet in prouinciam cum legionibus Gallicanis contendit. Cæterùm cùm hostes sese in paludes & syluas & montes inaccessos abdidissent, ut prohiberentur saltem Pictorum Scotorumq; hostiles incursiones, in eam Albionis partem, quæ prouincia erat Romanorum, uallum portentosæ molis, ex cespitibus è terra excisis, montis instar altissima fossa obiecta, à Tinæ amnis ostiis ad Eskam fluuium, à mari Germanico ad Hibernicũ usq; Oceanum, primus omnium duxit. Id uallum octoginta millia passuũ affirmat Spartianus. M. ANT. PIVS Britannos per Lollium Vrbicum legatum bello uicit, alterumq; rebellib. insulanis obiecit murum, cespitibus & gleba extructũ. Sab. lib. 4. En. 7. Britannorum uerò annalibus, ab Adriano inchoatum, à Seuero Imperatore (sed aliquot post annos) absolutum, memoriæ est proditum. Vnde Scoticarum rerũ uulgati scriptores id Septimij Seueri uallum appellant. Nam cùm defectione Fulgentiana dirutum esset, Seuerus Imp. anno imperij XII. per Antoninũ filiũ reficiendũ curauit, per CXXX M. passuum: propugnacula superaddidit lapidea, & turres editas: ea tamen intercapedine, ut tubæ sonus, uel aduerso uento ex una editus, in altera facilè audiretur. Vnde Britannici cognomen meruit. Aeneatores singuli singulis turribus adhibiti, quorum clangoribus, si quando hostes urgerent, incolæ præmoniti, armati ad uallum tutandum concurrerent. H. Boëthius lib. 5. Eusebius an. 210. Sed Polyd. lib. 3. de eo sic scribit: Valentiniano imperante, Scoti fœdere cum Pictis inito, Britanniã inuaserunt. Aetius, Honorij dux, legionem unam Britannis auxilio misit. Sunt Picti & Scoti uariis inde cladibus ab Aetianis affecti, resq; Britannica perbono cepit esse loco. Ergo ne deinceps ea quies ab hostib. turbaretur, uisum est ducibus legionariis peroportunum, ut murus construeretur inter Romanam prouinciam, & Pictorum fines: id quod, teste Gilda, factum est. Verùm cùm cespitibus magis quàm lapidibus esset ædificatus, haud satis firmus postea ab hostium impetu fuit. Atque tum ille demùm murus confectus est ab Aetianis ducibus, non ab Hadriano, neque à Seuero Imperatore, sicut nonnulli falsò memoriæ prodiderunt, si Gildæ auctori Britanno credimus. Non multo pòst ex lapidibus factus est, quò ualidior esset, ad arcendam uim hostium: sic ut minus nocere iam tum ceperint Scotorum Pictorumque latrocinia.

THIRA, Gormonis Danorum regis uxor, Haraldo filio post patrem regnante, iam bis recolens Germanorum factã terrestri itinere in Iutiam irruptionem, à Slesuico in mare Britannicum uallum grande fecit, fossaque præcipiti cinxit: cuius hodie cernitur labor, à mari Baltico in mare Britannicum. Cui primus Valdemarus rex murũ superaddidit, portarumque claustra firmauit. Hodie quoq;, in conspectu arcis Gottorp, opus Danorum appellatur. Cranzius libro 4. Daniæ, capite 20.

ALFONSVS, Calabriæ dux, nouis & amplissimis muris Neapolim cinxit, noua propter id uectigalia suorum instituens. Pont. cap. 7. de Magnificentia.

DOMVS MAGNIFICÆ, TVM *Regiæ, Basilicæ, Palatia.*

ALCINOI Phæacum regis domum auro, argento, electro & ebore fulgentem describit Homerus lib. 7. Odyss.

INDORVM regum regia argẽteis imaginibus tota distinguitur: eamq; ex auro uites percurrunt, fultæ aureis columnis. Alexan. lib. 5. cap. 24.

SALOMO rex, templo Domini septem annis absoluto, nemorensem Libani domum construxit tredecim annis. Cuius splendorem pete ex 3. Reg. 7. & Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 5.

Septem orbis miraculis quidam addunt domum CYRI Medorũ regis, quam fabricauit Memnõ, illigatis auro lapidib.

AMASIS, Aegyptiorum rex, inter reliqua ædificia præclara admirabile attulit in urbem Saim ædificium ex solido saxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium consumserunt duo millia delectorum uirorum, qui omnes erant gubernatores. Eius tectum extrinsecus est unius & uiginti cubitorum longitudo, quatuordecim latitudo, octo sublimitas. Hæc est dimensio exterior tecti ex uno lapide. Introrsum tamen duodeuiginti & amplius cubitorum est longitudo, quinque sublimitas. Domus hæc ad ingressum templi Mineruæ collocata est. Nam ob id aiunt in templum non fuisse pertractam, quòd tecto aducto, cùm suspirasset eius uehendi architectus, utpote pertæsus diutino temporе operæ: ea de re stomachatus Amasis, non permiserit hominem ulteriùs trahere. Nonnulli aiunt, quẽdam ex his, qui uectibus lapidem agebant, à lapide fuisse oppressum, ideoque lapidem non intro ductum. Herod. lib. 2.

Socrates dicebat, ARCHELAVM Macedoniæ regem, quadraginta minas in domum suam impendisse, conducto mercede Zeuside Heracleota, qui picturis eam exornaret: in seipsum uerò nihil. Et ob hanc causam multos è longinquis terræ partibus, magno studio contemplandæ domus causa uenire: ipsius uerò Archelai gratia neminem in Macedoniam proficisci, nisi si quem fortè persuaderet, pecuniis & muneribus inescaret: quibus tamen honesti bonique uiri capi non possent. Aelianus lib. 14. de Varia historia.

PERSEPOLIS, regiæ Persarum arcem, describit Diodorus Siculus lib. 17. Vide infrà, Arces magnificæ.

ADRIANVS Imp. Tyburtinam uillam miro sumtu ædificauit, quæ quidem hodie Tybur uetus appellatur: in eaq; prouinciarum & locorum celeberrima nomina inscripta erant. Platina.

MAXIMIANVS Herculeus Aquileiæ Palatium siue nouum construxit, siue antiquum ornauit, atque imaginem ad ipsum Conuiuij aspectum effingi iussit, ubi Fausta filia nondum nubilis Constantino adolescenti galeam auro gemmísque nitentem offerebat. Quinetiam Brixiæ Palatium condidit, quod Herculeum appellauit: cuius ad hancusque ætatem nomen, atque illustria parietinarum uestigia permanent. De Amphitheatro etiam Veronensi, quod hodie quoque à parte interiori propè integrum uisitur, aliquid iure possumus suspicari, quando à quo sit conditum ne ipsi quidem ciues ostendunt. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

Luitprandus Ticinensis libro 6. capite 2. rerum in Europa gestarum narrat, se à Berengario missum legatum ad CONSTANTINVM Imperatorem Græcum, ubi ad conspectum illius admissus est in domo regia, quam uocant Megauram (rectiùs fortassis μέγαρον) uidisse æneam quercum deauratam totam, cuius ramis uariæ uolucres insiderent. Non procul thronum imperatorium, leonibus aureis adiacentibus, qui mechanica arte pro libito modò ad lacunar usque attolleretur, modò ad pauimentum usque descenderet. Admissis legatis, quorum singuli duobus eunuchis inniterẽtur, aues primùm in quercu æneæ suauissimos sonos edebant. Propiùs accedentibus, leones horrendum in modum rugiebant. Imperator in throno sedens, & propemodum insensibili motu in sublime ascendens, Dei cuiusdam faciem præ se ferebat, & non nisi per interpretem cum legatis procul stantibus uerba faciebat.

Priuatæ.

TYRIOS adeò editas maximis contignationibus domos aliquando struxisse legimus, ut parum abfuerit, quin tota terræ motu corrueret. Alex. lib. 5. cap. 24.

ARABES & SABÆI domorum tecta habẽt augustissima, ex ebore, auro, argento, sumtuoso lapide & smaragdo. Ibid.

L. CRASSVS orator fuit in primis nominis Romani: domus ei magnifica. sed aliquanto præstantior in eodem palatio Q. CATVLI, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo uerò pulcerrima consensu omnium ætate ea in colle Viminali C. AQVILII equitis Romani. Plin. lib. 17. cap. 1.

Agrũ apud Baias habuit C. MARIVS, in quo calidę aquæ erūperẽt, ut memorię prodidit Plutarchus in ipsius uita, narrãs cũ eligẽdus esset imperator cõtra Mithridatẽ, populusq; dicisus esset (pars nãq; ciuium Mariũ ipsum gerere id bellum cupiebat: pars aũt L. Syllæ fauebat) qui aduersabãtur Mario in comitiis dicere solitos, iubereq; ut ad Baias iret, atq; illic aquis calidis se foueret, senio ac morbo confectus, ut ipse quoq; aiebat. Adiũgit enim: Erat enim illic Mario prope Misenum magnifica domus, quæ deliciis abundaret, uictúsque haberet molliores, quàm uiro conueniret, qui tot tantasque res bello gessisset. Victorius libro uigesimo uariarũ Lectionum, capite tertio.

L. CRASSVS atque Cn. Domitius Aenobarbus censuram post consulatum simul gessere, anno conditæ Vrbis DCLXII. frequentem iurgiis, propter dissimilitudinem morum. Tum Domitius, accensus odio, grauiter increpuit tantũ censorẽ habitare, pro domo eius sestertiûm millies identidem promittens. Et Crassus, faceto lepôre, Addicere se respondit, exceptis sex arboribus. Ac ne uno quidem denario, si adimerẽtur, emta uolente Domitio: Crassus, Vtrúmne igitur ego sum, inquit, quæso, Domiti, exemplo grauis, & ab ipsa mea censura notandus, qui in domo, quæ mihi hæreditate obuenit, comiter habitem: an tu, qui H S millies sex arbores æstimes? Eæ fuêre loti, patula ramorum opacitate lasciuæ. Durauerũtque ad Neronis prinpis incendia, quibus cremauit urbem, annis CLXXX postea, cultu uirides iuuenesque, ni princeps ille accelerasset etiam arborum mortem. Pręterea columnas quatuor Himettij marmoris, ędilitatis gratia ad scenam ornandam aduectas, in atrio eius domus statuerat, cum in publico nondum essent ullæ marmoreæ. Plin. lib. 17. cap. 1.

C. OCTAVIO multum contulisse auctoritatis & gratiæ inter ciues, Cicero refert, quòd domum magnificam ædificasset. Pont. cap. 11. de Magnificentia.

C. AQVILIVS Gallus, eques Romanus, acutus & exercitatus & promtus in respondendo & agẽdo, reguum quoddam iudiciale uidebatur habere. Habitauit in colle Viminali, ædibus ea ætate sumtuosissimis, ducẽtis circiter millibus nostratium aureorum.

PORTICVS MAGNIFICÆ.

Præter Q. CATVLI ex manubiis Cimbricis ædificatam porticum, plures Romę porticus insigni nomine fuêre. Alexan. libro 3. capite 23.

HERODES Iudæorũ rex, in Chium insulam ueniens, quum animaduertisset porticum urbis dirutam bello Mithridatico iacentem adhuc, quòd propter inopiam reparari nõ posset ad pristinam pulcritudinem & amplitudinẽ, tantum pecuniarum contulit in eius fabricam, quantũ abundè ad absoluendam sufficeret, hortatus ut quàm primùm ueterem ornatum urbi redderent. Iosephus lib. 16. cap. 3.

IN BALNEA, THERMAS, NATAtoria factæ impensæ.

Scribit Diodorus Siculus in Bibliotheca, AGRIGENTINOS locum natanti aptum Geloni magnificè præparasse, cuius ambitus septem stadia continebat, profunditas uerò erat cubitorum uiginti: in quẽ cùm fluuij, fontanæq; aquæ inducerentur, aderat etiam piscina, quæ multos pisces ad delicias fruitionemq; Geloni præbebat. Tum etiam cygnorum multitudo aduolabat, ita ut iucundissimum foret spectaculum. Athen. lib. 12. cap. 20.

Apud PVTEOLOS Cãpanię, cùm in mari calidæ efferuescerent aquæ, iactis molibus insula cum balneis aquarum calidarum excitata est. Pausanias in Arcadicis.

MOECENAS, Romæ primus aquæ calidæ balneum construxisse fertur, in usum populi Romani. Dion in Augusto.

M. AGRIPPA, ut populo placeret, CLXX balnea seu lacus in prouinciarum formam Romæ gratuita præbuit: in quibus etsi calida prius abluerent, postea, ut à balneis corpora multa frigida stringerent constitutum ferunt. Alex. lib. 4. cap. 20.

M. ANTONINVS Imp. ob popularem gratiam balneum sine mercede exhibuit, cùm antea singuli quadrantem expromerent. Alex. lib. 4. cap. 20.

ALEXANDER Seuerus Imp. ne quid populo incommodaretur, nocturna balnea, oleo pro luminibus præbito, cõcessit. Quæ cùm antea promiscua essent, uiris æquè & mulieribus, ipse post Antoninum Philosophum lauacra mista submouit. Alex. lib. 4. cap. 20. ex Lampridio.

ANTONINVS Caracalla thermas suo insignes nomine struxit, quarum cellam solearem, id est, in qua forent balneo destinata solia, negant architectonicæ consulti, ulla posse exprimi imitationẽ. Nam ex ære uel cupro cãcelli fuêre superpositi, quibus concameratio concredebatur tota. Cælius libro 30. capite 17. Antiq. Lect.

TACITVS Imp. domum suam est demolitus, ut thermas illic publicas priuato sumtu extrueret. Cuspinianus.

DIOCLETIANVS Romæ, MAXIMIANVS Carthagine thermas instituerunt. Romanarum admiranda in hunc usque diem uestigia immensam animi Diocletiani uastitatem quandam ostendunt. Maximianus suas ita curauit perficiendas, ut propterea Christianos miserè admodũ habuerit, cũ eos & lapides cædere, & arenas eruere operis eius causa coëgerit. quod in uetere S. Marcelli uita scriptum inuenitur. Maximianus item alteras Mediolani thermas construxit, quæ Herculiæ Thermæ, siue Lauacrum Herculeum dictæ sunt. quarum meminit Ausonius. Sigon. lib. 1. occ. Imp.

THEODERICVS, Ostrogothorum rex, in Italia Aponi balnea, quæ sunt in agro Paduano, muro clausit, ædesque balneis apposuit, ut commodiùs frequentarẽtur. Cassiodorus.

IN COEMETERIA FACTI sumtus.

MAXIMIANVS monachus idiota, pietatis laudẽ adeptus, quòd propriis sumtibus monumenta defunctorum extruxisset, Nestorio hæretico ab episcopatu Constantinopolitano deiecto substitutus fuit, anno Christi 434. Nicephorus libro decimoquarto, capite 37.

IVLIVS pontifex Romanus, sub Constantino Imperatore extruxit tria cœmeteria in totidem uiis, Flamina, Aurelia, & Portuensi. Basilicas duas: alteram iuxta forum Romanum, trans Tyberim alteram. Volat. lib. 22. Anthrop.

SEPVLCRA MAGNIFICA.

Ratione Honoris, aut Possessionis, inter Fortunæ bona cõnumeranda sunt: ratione Pietatis, ad Humanitatem: ratione Sumtus, ad hunc locum pertinent, quædam etiam ad Prodigalitatem.

SIMON Iudæorum dux, à Basca oppido Galilææ fratris Ionathanis per dolum à Tryphone occisi ossa in Modim & paternum sepulcrum transtulit, publico luctu honorati: ubi amplissimum monumentum extruxit patri simul & fratribus suis è marmore polito & candido. Excitato enim in latè conspicuam celsitudinẽ, porticus circumdedit & columnas singulas è singulis lapidibus, opus admiratione dignissimum: ad hæc pyramides septem parentibus & fratribus cuiq; unam erexit, mira tam magnitudinem quàm pulcritudinem, quæ durauit usque ad tempora Iosephi. Testis ipse, lib. 13. cap. 11. ex 1. Machab. 13.

Sepulturæ locus, turris apud Ecbata Medię, à DANIELE propheta extructa. Iosephus lib. 10. c. ult. Antiq.

AEGYPTII omnino paruifaciendum præsentis uitæ tempus esse putant: futuræ uerò gloriam, quæ uirtute comparatur, maximi æstimandam. Domos nostras diuersoria appellãt, tanquam breui tempore à nobis inhabitandas. Defunctorum sepulcra sempiternas domos, quoniam apud inferos infinitum sit tempus, uocant. Ideo domus ædificandæ curam contemnunt: circa sepulcrorum magnificentiam summum studium operamq; impendunt. Diodorus lib. 1. cap. 4. & Cic. lib. 1. Tusculanorum quæst.

HELENA, Adiabenorum regina, ad Iudaismũ cõuersa, cum Izate F. rege, Hierosolymam profecta sacrorum causa, ad mortem usque filij ibi commorata, tres pyramides tertio ab urbe stadio extruxit, in quibus ossa illius & Izatis fratris Monobazus regni successor reposuit. Iosephus libro 20. capite 2. Antiquit.

ARTEMISIA, regina Cariæ, Mausolo marito mortuo sepulcrum erexit inter orbis miracula annumeratũ, cuius altitudo attollebatur XXV cubitis: cingebatur columnis XXXVI. Patebat ab Austro & Septentrione LXIII. pedes. Toto circuitu continebat pedes CCCCXI. Ipsum ab oriente cælauit Scopas à septentrione Bryaxis, à meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Regina opere nondum absoluto concessit fatis: artifices tamen non recesserunt, nisi eo consummato. Plin. libro 36. capite quinto. Ab hoc sepulcro omnia regum & imperatorum monumenta, quæ preciosa sunt, uocantur Mausolea: & καρικὸς τάφος, Caricum monumẽtum, de re sumptuosa prouerbio dici consueuit.

Pausanias in Arcadicis de Helenæ & Mausoli sic scribit: Cùm multa norim admiratione digna sepulcra, duorum tamen duntaxat hoc loco mentionem faciam. Alterum Alicarnassi est: in Hebræis alterum. Erectum illud fuit Mausolo, qui Alicarnassi regnauit, ea operis operis magnitudine, atque omni ornamentorum magnificentia, ut Romani rei miraculo adducti, magnificentissima quæq; monumenta Mausolea appellarint. At apud Hebræos in Solymorum urbe, quã Romanorum Imp. Titus funditus excidit, Helenæ indigenæ mulieris sepulcrum miri operis est. In eo enim hostium fabricatum est è marmore, uti cæteræ sepulcri partes: id anni stato die atq; hora, occulto machinæ cuiusdam motu aperitur, neque ita multo pòst occluditur: quod si alio tempore aperire conatus fueris, effringas faciliùs, quàm ulla ui recludas.

ALEXANDER Magnus in Ephæstionis tumbam & monumentum decem millia talentûm expendere uolens, Stasicratem siue Dinocratem, artificem celeberrimum, desiderauit. Plut in Alexandro.

Ferunt in Cypro insula tumulo reguli HERMIÆ iuxta cetarias marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumẽta refu-

gerent thynni, diu mirantibus nouitatem piscatoribus, donec mutauere oculis gemmas. Plinius libro trigesimosc. primo, capite 5.

STESICHORVS poëta in oppido Catana splendidè sepultus fertur, monumento diligenti quadam ratione ex omnibus octonis constructo, octo columnis, octo gradibus, angulis octo. Atq; hinc prouerbiũ increbuisse, ἀπὸ στησιχόρειον. Meminit huius & Iulius Pollux in nono, agens de lusu taxillorum, quem ait numeris constare, in quibus sit unus, qui Stesichorius appelletur, nimirum octo, idq; cognominis sumtum esse ab eius monumento. Erasmus in Adagiis.

TRAIANVS Imp. in foro ingentem columnam extruxit, ut hoc simul opere & sibi sepulcrum, & testimonium ipsi operi cõplanato foro perpetuum pararet. Nam excidi quaquà uersum extra designatam columnę molem iussit, donec pro crassitudine ad iustam altitudinem columna extaret, ubi adhuc infra basim legitur inscriptio. Cuspinianus.

Moles HADRIANI Imperatoris sepulcrũ fuit, spectatu proculdubiò dignum. Pario namq; ex lapide ædificatum est. Saxa quadrata illi inuicẽ nexa, alia nulla commixta materia, & quaternis partitum pari dimensione lateribus. In medio uerò huius quadrati, moles rotunda insurgit, excelsa quidẽ altitudine, latitudine uerò tanta, ut in suprema eius parte area sit, cuius diameter uix iactu lapidis transigatur. Habet uerò pontem super Tybetim amnem, qui ab ipsa mole ad aliam ripam extenditur. Procopius.

CONSTANTINI Magni in sepulcro Petri Apostoli exornãdo magnificentiam, pete ex Platina in uita Syluestri primi.

MICHAEL Imperator sepulcrum Tarasij patriarchæ nonaginta quinque libris argenti obduxit. Paulus Diaconus lib. 24 rerum Rom.

PROBVS Imperator cùm Aradionem singulari certamine uicisset, sepulcrum, cuius latitudo trecentorum esset pedum, ei condidit. Pontanus cap. 12. de Magnif.

IN SVMTVS IN VIVARIA.

In uilla Ostiensi M. SEIVS habebat greges magnos auserum, gallinarum, columbarum, gruum, pauonum, nec non glirium, piscium, aprorum, & cætera uenationis. ex quibus tebus scriba librarius libertus in annos singulos plus quinquagena millia è uilla carpere dicebat. Appij Claudij materteræ fundus in Sabinis, qui est ad quartum & uicesimum lapidẽ uia Salaria à Roma, ornithonem habebat: ex eo uno quinque millia uenere turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno uillæ, bis tantum quam fundus ducentũm iugerũ. Reate, nimirum cùm tunc triumphus esset Scipionis Metelli, & collegiorum cœnæ innumerabiles excandescerent annonam macelli. Varro libro tertio, capite primo de Re rustica.

Q. FVLVIVS Lippinus habuit in Tarquiniensi septa iugera XL, in quo fuerant inclusi lepores, cerui, apri, capreæ, oues feræ: in Gallia uerò trãsalpina T. Pompeius tantum septum uenationis, ut circiter ∞ ∞ ∞ ∞ passuum locum inclusum haberet. Varro lib. 3. cap. 12.

Cn. Pompeius ægrotans, cùm præcepisset medicus ei, ut turdo uescereturi, negarent autem seruti æstiuo tempore eas usquã, nisi in L. LVCVLLI uiuariis reperiri: prohibuit inde peti, sed ad medicum ait: Ergo nisi Lucullus perditus deliciis esset, non uiueret Pompeius? Ac aliud, quod parabile esset, iussit parari. Plut. in Lucullo.

M. VARRO Quiritium doctiss. & elegãtiss. in ornithone, quẽ animi causa constituit sub Casino, longè uicit non modò archetypon inuentoris ἐφευρετοφάνων M. Lenij Strabonis, qui Brunduſij primus in peristylo habuit exhedra conclusas aues, quas pasceret obiecto rete, sed etiam in Tusculano magno ædificio Luculli. Cuius descriptionem ipsemet libro 3. cap. 5. de re Rustica tradit.

GORDIANO Imp. etiamnum priuato erat sylua, in qua habuit ceruos ducentos, Britannos equos feros XXX, oues feras albas mille, decem capreas, quas inaurari fecerat, struthiones Mauros miniatos CCC, onagros XXX, apros CL, ibices CC, damas CC. Quæ omnia populo dirigenda concessit, die muneris ædilitatis, quod sextum edebat. Sabellicus lib. 6. Ennead. 7.

MATTHIAS Coruinus, cùm omnes ferè ante se Reges, qui in Pannonia regnarunt, gloria rerum gestarum uicisset, in piscinaria quoque magnificentia rationem reperit, qua uel gloriosissimos in Boëmia uinceret piscinarios. Mariones enim, porculo maximo similes, carceris impatientissimos, foliuſq; Danubij & Boryſthenis liberos incolas, pisces delicatiss. & exosses planè (quorũ Plinius libro nono, capite 25. meminit) in piscinam, quam sibi ad arcem Tattam extruxerat, ex Danubio deduci curauit: eosque Beatrici Reginæ legato quę, Romani pontificis, qui cognatus reginæ erat, atque multis ex Boëmia proceribus, paulò minus sexaginta spectandos in piscina proposuit. Dubrauius libro primo de Piscinis, cap. 2.

IN HORTOS FACTÆ IMPENSÆ.

SEMIRAMIS in Mediam profecta, animaduersa in quodam clato campo stupendæ altitudinis ac magnitudinis petra, hortum in medio illius fecit: ubi sumtuosa uoluptatis deliciarumque causa ædificia, ex quibus & hortum & omnem exercitum (is in campis erat) spectare posset, erexit. Hoc in loco diutius commorata est, quieti deliciisq; dedita. Diodorus libro secundo, capite 5.

Babylone erat Hortus pensilis iuxta arcem, non à Semiramide, sed à quodam Syro REGE in gratiam pellicis factus. Quæ, cùm Persa esset genere, cupiens in montibus uidere iuxta morem Persarum prata, uiro persuasit, ut artificio excitaret hortum, qui arboribus pratisque patriam repræsentaret. Huius horti singula latera iugeribus quatuor retendebãtur. Aditus ueluti in mõte erat, ædificiis alterolibet per alterum constructis, ut ex eo conspectus longè lateque pateret. Testudines in solo positæ erant, quæ totius hortipondus sustinerent: inde alteæ super alias, excrescente semper magnitudine ædificatæ. Nam superiores, in quibus horti murorumq; superficies continebatur, altitudine quinquaginta cubitorum eminebant: earum latitudo pedum erat duodecim. Muri magna impensa constructi spissitudinem erant pedum uigintiduorum. Solum hoc modo constabat. Erant positæ lapideæ trabes, longitudine pedum sedecim, sex latitudine. Super has pro pauimento stratæ arundines asphaltho compactæ. Desuper cocti lateres duplici ordine gypso structi, tertiò tegulæ plumbeæ, ne qua humiditas ad testudines manaret. Aquarum insuper receptacula, quibus humor effluere. In hoc pauimento congesta humus profunda, ut magnarum arborum radicibus satis esset, hortum efficiebat. In eo proceræ omnis generis arbores aspectum iucundum reddebant. Lumen quoque dedẽ testudines inuicem præbebant, ut in eis regia diuersoria haberentur. Præterea aquæductus occultè fabricatus ingabat hortum. Diod. lib. 1. cap. 4.

NABVCODONOSOR Magnus Babylone lapideas moles excelsas excitauit, aspectu montibus assimiles, omnique genere arborum consitas. Hortum quoque pensilem fecit, fama nobilem: eo quòd uxor eius montanum prospectum desideraret, in Medorum regione educata. Iosephus libro primo, contra Apionem.

Palmæ omnium nascuntur clarissimæ (quas regias appellauere ab honore, quoniam regibus tantùm Persidis seruarentur) BABYLONE uno in horto Bagoi (Ita enim uocant spadones, qui apud eos etiam regnauere) Hortuli. Ne nunquam nisi dominantis in aula fuit. Plinius libro decimotertio, capite 4.

Indorum regis NIZAMOXÆ horti amplissimi omnium peregrinarum arborũ, etiam nostratium, quæ fructiferæ sunt, genere sunt excultissimi. Io. Metellus.

IN BIBLIOTHECAS.

☞ *Vide Tit. Bibliothecarum. Illic Loci, here Sumtus habetur ratio.*

IVLIANVS Apostata Constantinopoli portum unà cum portico ad austrum uergente construxit: atque in portico bibliothecam ædificauit, eamq; nobilium omni genere monumentorum refersit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Multi erant Florentiæ Græcarum ac Latinarum literarum clarissimi professores, aliique ingenio atq; facundia insignes, quibus cum LAVR. familiarissimè uiuebat: in iis fuere Picus Mirandula, Politianus, Marsilius Ficinus, Christophorus Landinus: & ex Græcis Ioannes Lascaris, & Demetrius Chalcondyles, & Marullus Tarchaniotes, qui præclaris ingenij operibus editis, cum immortali laude in omnem posteritatem uiuent. Horum eruditione ac diligentia fretus, bibliothecam, quam Cosmus incoarat, nobilioribus per eutustisque codicibus, ac in ipsa præsertim Græcia conquisitis, refersit. Iouius in Leone X. lib. 1.

IN AERARIA.

MINYÆ regis Orchomeniorum ærarium, unum est de Græciæ miraculis: nulli omnino eorum, quæ uspiam alibi sint, operum magnificentia secundum. Lapidei sunt omnes parietes: rotunda operis forma, non ualde in acutum se tollente fastigio: supremum lapidem toti ædificio modum inconuenientiæ esse dicunt. Pausanias in Bœoticis.

IN PORTVS, NAVALIA.

Cùm Phalereæo portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, THEMISTOCLIS consilio triplex Piræei portus constitutus est: isque mœnibus circundatus, ut ipsam urbẽ dignitate æquipararet, utilitate superaret. Probus in Themistocle.

HERODES, Iudæorum rex, portum Cæsareę magnificum in struxit. Vide Iosephum lib. 15. cap. 13. Antiq.

CLAVDIVS Cæsar portum Hostiæ extruxit, circundatis dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam solo

mole obiecta. Quam quò stabilius fundaret, nauem antè demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat aduectus; congestisq; pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Suetonius.

IN HORREA, CELLAS.

Procopius testatur, THEODERICI, Ostrogothorũ regis, in Italia horrea fuisse trium milliarium Italicorum in longitudine, & amplitudine unius milliaris continuata mensura.

Polydetus in historiis narrat de GELLIÆ Agrigentini hominis liberalissimi ædibus, & imprimis de domus cella uinaria. Fuisse in ea trecenta dolia ex eodem saxo excisa, quorum unumquodq; centum amphoras caperet. Habebat iuxta labrum ingens natatorium, parietibus undiq; incrustatis, amphorarũ capax mille, ex quo defluebat liquor in uasa. Diodorus lib. 13.

IN AQVÆDVCTVS, PVTEOS.

Puteos, auctore Plin. in 7. DANAVS ex Aegypto aduectus in Græciam, quæ uocabatur Argos Dipsion, fodit. Quod sanè absurdum est: nam constat, primò ABRAHAMVM & Isaacum, sicut patet ex Gen. 26. ac deinde alios Hebræos de Aegypto egressos, duce Mose, per solitudines multos fodisse puteos, CCCXCIII annis ante Danaum. Iosephus contra Apionem.

ἀγαμεμνονικὰ φρέατα, id est, Agamẽnonij putei, de nouis & admirandis operibus dicebatur. Aiunt enim AGAMEMNONEM & circa Aulidem, & passim in omni Græcia puteos effodisse, ne per æstum aquarum inopia laborari posset. Auctor Zenodotus, & Erasmus in Adagiis.

SEMIRAMIS Ecbatanis regiam ædificauit. Verùm cùm aqua urbs, nullis propinquis fontibus, careret, aquæductum in eam urbem admodum necessarium magna impensa laboreque perduxit. Est mons urbi propinquus stadiis duodecim, nomine Orontes, asper & accessu difficilis: ut cuius recto itinere ascensus usque ad summum stadiorum sit uigintiquinque. Ex altera mõtis parte lacus magnus fluuium efficit: quem illa effosso ab radice monte, in urbem induxit. Erat fossæ latitudo pedum quindecim, altitudo quadraginta quinque. Diodorus lib. 2. cap 5.

CN. POMPEIVS, ne in ludorum spectaculis populo æstus offeret, aquæ decursum per subsellia theatri duxisse non sine grauissimis expensis, dicitur. Alexexander ab Alexandro libro quinto, capite decimosexto. Valerius Maximus libro secundo, capite primo.

Q. MARCIVS rex, iussus à Senatu aquarum, Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, nouam à nomine suo appellatam cuniculis permontes actis intra præturæ suæ tempus adduxit. M. AGRIPPA uerò in ædilitate sua, adiecta Virgine aqua, cæteris corriuatis atque emendatis, lacus DCC fecit: præterea salientes CV, castella CXXX, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa CCC ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore CCCC, eaque omnia annuo spacio. Adiicit ipse in ædilitatis suæ commemoratione & ludos undefexaginta diebus factos, & gratuita præbita balnea CLXX, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimũ impendium operis incoati à C. CÆSARE, & peracti à CLAVDIO, quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis mõtes leuarentur, influxêre Curtius (siue Albudinus) atque Ceruleus, fontes. Erogatum in id opus sestertium ter millies. Riuum quinetiam Anienis nouo lapideo opere Claudius in urbem perduxit, diuisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Quòd si quis diligentiùs æstimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, uillis, spacioq; aduenientis extructos arcus, montes perfossos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Plinius lib. 36. cap. 15. & Dion in Augusto, & Suetonius.

ADRIANVS I. Pontifex in aquæductibus, uel hostium uel temporis iniuria labefactatis, reparandis liberalissimus extitit. Platina in eius uita.

IN CLOACAS.

Cloacarum opus in urbe Roma omnium maximum & penè incredibile erat. Cùm eas rex TARQVINIVS Priscus plebis manibus & opera faceret, esset que labor incertum an longior an periculosior, passim conserta nece Quiritibus hoc tædium fugientibus: tale remedium inuenit Tarquinius, ut omnium, ita defunctorum corpora crucibus figeret, spectanda unicuiq;, simul & feris uolucribusque laceranda. Plin. lib. 36. cap. 15.

MAGRIPPA cloacas ita purgauit, ut per eas in Tiberim nauigaretur. Dion Niceus in Augusto.

IN LOCATA SVMTVS FACTI. Puta

IN ANIMALIA. VIDELICET IN *Aues.*

AVGVSTO Cæsari post Actiacam uictoriam redeunti Romam, inter gratulantes occurrit quidam coruum tenens, quem instituerat hoc dicere, Aue Cæsar, uictor, imperator. Miratus Cæsar officiosam auem, uiginti millibus numũm emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate peruenerat, affirmauit Cæsari, habere illum & alium coruum, quem ut afferre cogeretur, rogauit. Allatus, uerba quæ dicerat expressit, Aue uictor, imperator, Antoni. Nihil exasperatus Augustus, iussit illum diuidere donatiuum cum contubernali. Salutatus similiter à pitacо, item & à pica, utramque uolucrem redemit. Sutor pauper eo exemplo persuasus, coruũ domi instituebat ad parem salutationem, qui impendio exhaustus, sæpè ad auem non respondentem dicere solebat, Opera & impensa periit. Aliquando tamen dictitatam salutationem dicere cepit. Hac audita, Augustus dum transit, respondit, Satis domi salutatorum talium habeo. Coruus memoria tenens, quæ dominum quærentem sæpe audiuerat, subrexuit, Opera & impẽsa periit. Ad quod Cæsar risit: emiq; auem iussit, quanti nullam adhuc emerat. Macrob. 2. Saturn. cap. 4.

Asinos.

Asinum CCCC numũm emtum Q. AXIO senatori, auctor est M. Varro, haud scio an omnium precio animalium uicto: opera sine dubio geruli mirifica, arando quoq;, sed mularum maximè progeneratione. Plin. lib. 8. cap. 43.

IN ARAS.

VENETI an. 1105. arã S. Marci tabula argẽtea uariis pretiosarum gemmarum generibus mirificè intertexta ornarunt, quæ in hunc usque diem peregrinis urbem intento studio inuisentibus præcipuũ inter alia eius miracula præbet spectaculum. Sigonius lib. 9. regni Italici.

IN BAPTISTERIA.

EVSTORGIVS secundus ad ecclesiam Mediolanensem gubernandam ascitus an. 513. ad fontem Baptisterij à se constructum mirifico artificio aquam per tectum templi adduxit. Signonius lib. 16. Imp. occid.

IN SVPELLECTILEM SACRAM qualemcumque.

IVSTINIANVS Imp. Sacrã mensam fecit, opus imitatione nulla æquandum. Constabat auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusq; rebus quas terra fert, & mare & totus mundus. Ex omni materia preciosiora plura, utiliora pauciora collegerat: liquatisq; iis quæ fluunt, sicca illis immiserat, atq; ita formã mẽsæ aboleuerat. Itaq; uarijs illud opus contrectibus stupore iniiciebat. Cedrenus.

Constãtinopoli organa erant ex auro facta, quæ MICHAEL Imperator constituit. Zonaras tomo 3. Et CAROLVS Magnus per Georgium, organa more Græcorum fieri curauit. Aimoinus lib. 4. cap. 113. de Francorum gestis.

HENRICVS I. Imperator lanceam Dominicã, cui claui crucifixi Christi artificio è affixi erant, à Rudolpho Burgũdionum Duce, cùm magnis præmiis pollicitationibusq; nihil proficeret, ui tandẽ extorsit, cùm se regnũ eius ferro & igni depopulaturum cõminaretur. Quod tamen munus Imperator non tantùm auro & argento copioso, sed & magna Sueuorũ prouinciæ parte eidem Duci cõpensauit, ut Luitprandus lib. 4. c. 12. & Otho Phrisingensis lib. 9. c. 8. narrant.

ALFONSVS Castus, Asturum rex in Hispania, ex lapidibus preciosis crucem auream fabricare statuerat. Ab ecclesia ad palatium uenienti occurrerunt duo angeli habitu peregrinorum, se esse aurifices asserentes. Rex autem datis auro & lapidibus, etiam dedit domum, in qua possent secretiùs operari. Hora prandij misit nuncios ad aurifices, sollicitans qui nam essent. Cumque nuncij accessissent, inuenerunt crucem miro opere consummatam, & coruscо splendore totius domus penetralia illustrantem. Rex conuocato clero, & populo, & pontifice, gloriosam crucem altari obtulit Saluatoris: & à Leone III. Pp. obtinuit, ut in Ouetensi ecclesia Archiepiscopus crearetur. Rodericus Toletanus libro 4. rerum Hisp. cap. 9.

IN TABELLAS, IMAGINES, Picturas.

☞ *Consule Tit. Picturæ amatorum, quatenus in eam impendant.*

IN STATVAS, OBELISCOS, Colossos.

☞ *Horum Possessio ad Opulentiam pertinet. Effectio uerò, si artem spectes, Mechanica est: si sumtum, huius loci: si dedicationem, Munificentiæ erit: si meritum eius cui ponitur, ad Iustitiam uel religiosam uel profanam.*

Deorum, Diuorum.

Scriptum reliquit Lucianus in Philopseudo, miraculum illud statuæ MEMNONIS fuisse celeberrimum, in templo Serapidis, Aegyptiis Thebis. Nam sponte sua manè cùm radiis solis tāgeretur, suauem sonum emittebat, & nescio quid lacrymabile sub solis occasum, cùm matris aduentu lætari, tristari discessu putaretur, ut testatus est etiam Corn. Tacitus. Hanc statuam etiam reddere responsa consueuisse, antiqui dixerunt. Fama est statuam nigri lapidis fuisse, quæ sonum illū emitteret. Scribit Strabo lib. 17. se Thebas in Aegyptum aliquando cōtendisse, ubi duo altissimi erant colossi ex integris lapidibus inter se propinqui: quorum alterius superiores partes iam corruerant ob terræ motum: huius pars illa, quæ reliqua erat super base, circiter horam primam, ut inquit, sonum emisit, haudquaquam magnum, ingenti præsente multitudine. Zezes Chil. 6. hist 64. cippū ait uocatum fuisse Memnonem ab Aegyptiis, & columnam rubri uarij lapidis fuisse, quæ sonū illum emitteret: lætum quidē per diē, quia lætaretur matris præsentia: at lugubrem per noctem, quia doleret illius discessu. Natalis Comes Mythol. li. 6. c. 3.

PRISCI homines pro sua erga deos pietate non aliis materiæ generibus ad simulacra deorum usi sunt, quàm ebeno, cyparisso, cedro, quercu, hedera cilicia, loto: uerùm Mercurio Cyllenio è citro signum ædificatum est, pedum haud minus VIII. altitudine. Pausanias in Arcad.

GRÆCI quàm splendidi, & magnifici, ac minimè omnium parci in colendis diis fuerint, magno illud documento est, quòd ex India & ab Aethiopibus ebur ad signa deorum facienda aduehendum curarint. Pausanias lib. 5.

ATHENIENSES Phidiam tulerunt, quamdiu is marmore potiùs, quàm ebore, Mineruam fieri debere dicebat, quòd diutiùs nitor esset mansurus: sed ut adiecit, Et uilius, tacere iusserunt. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, suis temporibus uicit omnes ætatis illius reges, cùm in iis comparandis atq; exhibendis, quæ ad sacrificiorum apparatum & sacerdotum spectarent ornatum, tum in sanctorum statuis. Nil ætas illa aut sacris solennibus, aut publicis ludis ab eo editis, uidit magnificentius. Pontanus cap. 13. de Magnificentia.

Hominum.

Robertus, Normannorum dux, pœnitēs quòd Ricardum III. fratrem ueneno necasset: cùm Hierosolyma uoti causa esset iturus, Romam profectus, ut Benedictum IX. pōtificem Romanum abeūdi facultatem, pro more, rogaret: magnas fecit largitiones: uestiuit etiam statuā CONSTANTINI Imperatoris pallio aureo, dictitās Romanos esse ingratos, qui talem principem non donarent in annos singulos ueste. Templis uaria donaria intulit. Polyd. lib. 8.

☞ IN ARMA, MACHINAS.

SOLOMO rex ducenta scuta ex auro ductili fecit, insumtis in singula sexcentis auri siclis: item trecentos clypeos ex auro ductili, in quos singulos trinæ auri minæ impensæ sunt. Et hæc in nemorensi Libani domo reposuit. 3. Reg. 10.

DEMETRIVS Poliorcetes, dux in exercitu instruendo quàm tractando uidebatur melior, quòd omnia ad usum suppetere uellet affluenter, essetque in classe machinamentisque splendidè parandis, atque in iis cum uoluptate commentandis, nimium curiosus. Nam solers cùm esset atque intelligens: non ad ludicra, neque ad studia futilia applicuit ingenij sui præstantiam, aliorum regum more, tibiis canentium, pingentium & tornantium: sed erant etiam uulgaria opificia regalia, granditatemque ratio fabricæ habebat, unà cum artificio & solertia celsitudinem quandam mentis & magnanimitatem auctoris repræsentantibus operibus: ut non ingenio tantùm & opulentia, uerùm etiam manu regia uiderentur digna. Quippe mole uel amicos percellebant, uenustate retinebant & hostes. Senûm denûm & quinûmdenûm ordinum nauigia eius stabant stupentes hostes, cùm litora sua præterueherentur. Iam Helepoles uelut spectaculum erant obsessis. Siquidem ex omnibus regibus Lysimachus Demetrio infestissimus, qui ad repellendum eum ab obsidione Solorum in Cilicia uenerat, misit ad eum oratum, ut machinas suas & classem ostenderet sibi in cursu. Vbi ille ostendit eas, discessit cum admiratione. Rhodij diu ab eo obsessi, bello composito machinas aliquot ab eo petiuére: quò & illius potentiæ pariter & uirtutis suæ haberent monumentum. Helepolis machina tantæ uastitatis erat, ut ingenti labore ponderis & amplitudinis causa uix duo stadia duob. mensib. promoueretur. Huius fuit quadrata basis, habuitq; singula imæ quadraturæ latera octonûm & quadragenū cubitorū. Assurrexit sexaginta cubitos in fastigiū subuexa, superiorib. laterib. basi contractiorib. Intus contignationibus frequentibusq; cameris intercepta fuit. Frons eius hostium ex aduerso aperta, & per quamque contignationem fenestrata. Hinc omnis generis missilia mittebantur. Nam referta militibus erat omni genere armorum præliantibus. Quòd uerò non uibraret, neque nutaret, cùm moueretur, uerùm recta in basi ac nihil fluctuans in æquilibrio cum stridore & ui magna promoueretur: id pauorem simul animo & oculis oblectationem exhibebat spectantium. Plut. in eius uita.

DIONYSII tyranni Syracusani in apparatu bellico contra Carthaginenses magnificentiam pete ex Diodori Sic. lib. 14. Conuocatis ex uariis regionibus fabris omnis generis, feruntur centum & triginta millia facta clypeorum, gladiorum uerò & galearum idem numerus: thoraces uariis structuris cuiusq; formæ compacti, supra quatuor millia. Hos equitib. & tribunis centurionibusq; militū, nécnon mercenariis, quorū custodiæ corpus suū stipandū crediderat, distribuere decreuerat. Tum catapultæ cuiusq; generis, & innumera aliorum telorū constructa multitudo. Naues ædificatæ supra ducentas, uetustæ refectæ centum decem.

☞ IN VESTIMENTA.

Scribit Aristoteles, in Deliciarum admirabilibus Alcisthenem Sybaritam huiusmodi magnificentiæ uestem ob delicias comparasse, ut in Lacinio in Iunonis congressibus poneretur, ad quos Itali omnes conueniebant: atq; omnib. ostensis sola illa admiratione digna iudicabatur: quam cùm haberet senior Dionysius, pro cētum & uiginti talentis CARTHAGINENSIBVS tradidit. Athen. lib. 12. cap. 19.

OTHOCARVS, Boëmiæ rex, bis singulis annis totam suam aulam uestiebat. Inter sacerdotes deinde quoscunque obuios, quotannis pannum lautiorem, qualem ei uectigalia ex Danubio suppeditabant, assiduè distribuebat. Postremò per tempus cuiusq; Quadragesimæ, quingentos simul mendicos nouis uestibus induebat: ac præterea cibo suo eosdē alebat: sic interim superstitionē perosus, ut illam supplicio puniendam duxerit. Dubrauius lib. 17.

☞ IN THRONVM.

SOLOMO rex fecit solium eburneū, sex gradibus, cum XII leonibus, idq; auro probatissimo operuit. 3. Regum 10.

☞ IN SVPELLECTILEM QVAlemcunque.

SOLOMONIS regis uasa omnia, omnisque supellex ex auro purissimo erat, sine argento, quippe quod Solomonis tēpore nullius habebatur precij. 3. Regum 10.

Scribit Euphorion in Historicis commētariis, DIONYSIVM iuniorem, Siciliæ tyrannum, candelabrum in Tarentinorum urbe deposuisse, quod tot habere lychnos accensos poterat, quot dies in ipso anno connumerantur. Athenæus lib. 15. capite 22.

Cùm tabernaculum NERO octangulum, mirum elegantia & splendore spectaculum, parauisset: Ostendisti te ipse, inquit, pauperem, Seneca. quippe hoc si perdideris, tale haud comparabis aliud. Et uerò ita cecidit, ut merso nauigio tabernaculum periret. Ac Nero Senecæ memor tulit id moderatiùs. Plut. de Non irascendo.

CAROLVS Magnus tres mensas argenteas habuit, quarum unam (in qua urbs Constantinopolitana insculpta erat) basilicæ beati Petri: aliam (ubi imago urbis Romæ cernebatur) ecclesiæ Rauennati dono dedit. Tertiam filiis reliquit, ubi inerat orbis terrarum descriptio. Sunt item qui scribāt, hanc auream fuisse. Platina.

☞ IN LIBROS.

☞ *Impensa libraria duplex, aut ut qui non sunt libri edantur, aut ut qui editi sunt, comparentur. Editio alia Theorica, doctorum uirorum propria, qui componunt, & interpretantur: alia Mechanica, tum scriptorum & librariorum, tum typographorum. Acquisitio autem, sic uti cæterarum rerum, pecunia fit.*

Comparando libros.

☞ *Vide Tit. Bibliothecarum.*

PLATO Philolai Crotoniatæ Pythagorici libros tres centum minis, etiam in difficultate rei familiaris, mercatus est, ex quibus multa in suum Timæum usurpauit. Id quod ei Timō in Sillis suis palàm obiecit: καὶ σὺ πλάτων· καὶ γὰρ σε μαθητείης πόθος εἶχε, πολλῶν ἀργυρέων ὀλίγην ἠλλάξαο βίβλον, ὅθεν ἀπαρχόμενος τιμαιογραφεῖν ἐδιδάχθης. Gell. lib. 3. cap. 17. Noct. Att.

ARISTOTELES Stagirites pauculos libros Speusippi philosophi emit talentis Atticis tribus: ea summa fit numi Romani H-S duo & LXX millia. Gell. lib. 3. cap. 17.

APELLICON Teius, ciuis Atheniensis, Athenionis tyranni amicus, Aristotelis bibliothecam emit. Athen. lib. 5. cap. 11.

Dionysius lib. 4. scribit, anum quandam incognitam tulisse libros nouē ad TARQVINIVM Superbū, affirmantem esse eos deorum oraculis plenos, dixisseq; uelle se uendere non minus trecentis Philippeis aureis: & rege rem ludibrio habente, illam tres corâm combussisse: ac rursus pro reliquis idem precium postulantem, rege tum magis anus insaniam deridēte, tres alios exussisse: atq; iterum rogasse, ut precium daret. Tum regem miratum constantiam mulieris, emisse libros tres: & quia anus accepto precio nusquam postea uisa est, iam tum creditum, eam Sibyllam fuisse: cui, quemadmodum Poeta ait, magnam mentem animúmq; Delius inspirasset uates: nam Sibylla dicta est, quòd Dei nosset consiliū. σιὸς enim lingua Aeolica deus uocatur, βουλὴ autem consilium. Polyd. lib. 4. cap. ult. de Rerum inuent. ex Plin. lib. 13. c. 13. & Gellij lib. 1. cap. 19. Noct. Att.

LVCVLLI commendanda fuit & perhibenda in librorum supellectilem impēsa. Multos enim & eleganter descriptos cumulauit. Erat etiam eorum usus quàm cōparatio liberalior, quòd bibliothecæ omnibus paterent, atq; in adiectas ambulationes scholasq; reciperentur omnes Græci, uelut ad Musarum hospitium (ἑστίαν καὶ πρυτανεῖον ἑλληνικὸν) diuertentes, tempusq; inter se traducentes, ubi libenter se ab negotiis aliis reficiebant. Ingrediebatur subinde ipse ambulationes, ac cum studiosis conferebat, atq; negocia procurantibus publica, ubi operam ipsius requirebant, erat præstò. In summa erant conuiuium & prytaneum Græcum omnibus Romam commeantibus eius penates. Plut. in Lucullo.

DOMITIANVS Imp. liberalia studia in initio Imperij neglexit: bibliothecas tamē incendio absumtas impensissimè reparari curauit, exemplaribus undiq; petitis: missisq; Alexandriam, qui describerent, emendarentq;. Suetonius.

FIDVS Optatus grammaticus, librum Aeneidos Vergilij autographum in Sigillariis XX. aureis redemit. Gellius libro secundo, capite 3.

Plinius iunior refert, potuisse se (quū procuraret in Hispania) uendere suos Commentarios LARGIO Licinio quadringentis millibus numûm. Quis nunc regum (inquit Budeus) emere bibliothecam confertissimam decē aureorū millibus uelit, quanti à Plinio ciuis unus priuatus regesta quædam extemporanea licitari ausus est? Plin. lib 3. Epistolarum.

IO. PICVS Mirandula, septem aureorum numûm millia in bibliothecam priuatam erogauit. Io. Franciscus in eius uita.

Interpretando.

PTOLEMÆVS Philadelphus bibliothecæ studio, sacros quoq; Hebræorū thesauros habere concupiuit. Eius rei causa centū uiginti millia Iudæorum libertate donauit, qui in Aegypto seruitutem seruiebant: scripsitq; ad Eleazarū Pontificem Hierosolymitanum, ut ad sacram Hebræorum historiam in Græcum sermonem uertendā, ex senioribus Iudæorum, & qui sacrarum essent literarum peritiores, ad se mitteret, ex unaquaq; tribu petitos. Cæterū Eusebius septuaginta missos prodidit: cui magis scriptorū usus, quàm ueritas astipulatur. Lex duorum & septuaginta dierum spacio in Græcum uersa est, Phalerij Demetrij procuratione, qui tum regiæ præerat Bibliothecæ. Is roganti regi quid esset, quòd Græcorum nemo diuinæ legis meminisset? religionem dixit obstitisse. Deterritos Theopompi & Theodectis clade cęteros scriptores, diuinum arcanum nihil attingere ausos: quoniam horum uterq; pauca suis scriptis ad eam legē attinētia immiscere ausus: hic luminib. aliquandiu captus, ille mēte alienatus, suæ impietatis suppliciū expendissent. Qui ab Eleazaro in Aegyptū missi fuerant, post conuersionē legis, in Palæstinam, magnis muneribus à rege donati, abierunt. Magna adhæc donaria Philadelphus Hierosolymis in templo dedicauit. Eleazari epistola triginta aureas pateras fuisse significat, & argenteas totidem, crateres quinq;, centum talenta. Iosephus mensam ex solido auro, eximij ponderis, aducit. Eusebius auctor est, quarto Philadelphi anno hæc contigisse. Eutropius in trigesimum ferè annum reiicit. Sabellicus lib. 8. Ennead. 4.

FRIDERICVS II. Imp. libros Aristotelis omnes, & pleraq; alia, in sacris & prophanis literis, uniuersamq; philosophiæ supellectilem ex Græco atque Arabico sermone, per interpretes doctissimos uertendam curauit, & Academiis legendam exhibuit. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum, & Collenucius lib. 4.

Augustanus patricius LEONARDVS Beck à Beckenstain, ad Laonici Chalcocondylæ de rebus Turcicis historiam Græcam Latino simul & Germanico idiomate conuertendam sumtus liberalissimè suppeditauit, & trecentos florenos integro triennio absque ullo fœnore utendos Io. Oporino concessit.

Transcribendo.

☞ *Suprà de Sumtu in Notarios, tanquam in Personas. Heic de re Subiecta.*

CONSTANTINVS Magnus Imp. suis sumtibus libros sacros in plurima exempla transfundi curauit. Eusebius lib. 3. & Socrates lib. 1. cap. 9.

AMBROSIVS Alexandrinus, uir nobilis & diues, per Origenem à secta Valentini & Marcionis cōuersus, Origenem ad sacras literas commētandas cohortatus est, suisq; sumtib. aluit, septem ei notarios & complures puellas ad scribendum exercitatas adiungens, qui inuicem sibi per horas succederent. Suidas, & Origenes in epistola quadam. Hic igitur uelut ἐργοδιώκτης, operis pensum exigēs, omne, quod ab Origene scribebatur, ceu proprium sibi uendicans, amicis passim citra delectum legendum offerebat, atq; secretò scripta in publicū emittebat. Et hoc est, quod Origenes de Ambrosio conqueritur in quadam epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis episcopum.

NICOLAVS V. Pont. Max. bibliothecam Vaticanam mirum in modum auxit, libros sacros plurimos sumtibus suis describendos curauit: ut cùm in cæteris rebus publicè & priuatim liberalis fuerit, in hac ipsa magnificus quoq; uideri potuerit. Platina in eius uita.

Excudendo.

☞ *Liberalitas in Typographos huius est loci, si subiectam rem inspectes: sin Personas, superioris.*

Biblia multiplici lingua, Hebraica scilicet, Chaldaica, Græca atq; Latina imprimi curauit tomis sex, chartis septingentis uigintiquinq;, an. Domini 1515. FRANCISCVS Simenius de Cisneros, Cardinalis Hispaniæ, & archiepiscopus Toletanus, ac regnorum Castellæ archicancellarius, quæ editio Complutensis uulgò dicitur à loco suæ natiuitatis. Michael Neander in Erotematis linguæ sanctæ.

IOANNES Potken, præpositus ecclesiæ S. Georgij Coloniensis, Psalterium Chaldaicum Aethiopicis characteribus imprimi curauit, cùm Indos Aethiopes Romæ familiares habuisset. Michael Neander in Erotem. linguæ sanctæ.

FERDINANDVS Imp. Viennæ Testamentum nouum Syriaco sermone ad conuertendā Turcorū gentē excudi curauit.

IOANNES Vngenad, Baro in Sonneg, & fortitudine & magnificētia Christiana admirabilis adeò, ut nostra quoq; secula Cornelium Centurionem tulisse uideantur, immensis sumtibus characteres Dalmaticos & Croaticos sculpi, iisq; religionis Christianæ præcipuos libros excudi curauit, ut exemplaria uel inuitis Turcis obtruderentur. Vidit enim generosissimus uir, libris potiùs quàm armis Turcorum tyrannidem deleri posse. Itaq; dum alij uenaticos canes, equos generosos, exercitus profusis sumtibus alunt: aleæ, poculis, ueneri indulgent: ille diuino illustratus spiritu, uerìq; solis iustitiæ radios in sese colligens (cuius omen cognomina ipsa fecisse uidentur) talentum sibi à Domino concreditum multo cum fœnore exercet & auget.

PIVS IIII. officinam libris sanctorū Patrum accuratè & integrè imprimendis adornauit, accito magnis præmiis Paulo Manutio Aldi filio, uiro tum in ea facultate, tum uario literarum genere celeberrimo. Panuinius.

Est uerò in hoc ipso genere regia PHILIPPI Hispaniarū regis magnificentia, qui per Christophorū Plantinū, typographum Antuerpiensem, & elegantia & diligentia nemini secundū, Biblia sacra ea specie excudenda curauit, ut Cōplutensem editionē tanto superent interuallo, quanto & Mœcenatis dignitate & seculi felicitate antecellunt. Itaq; licet amplissimam gloriā Ferdinandus & Elizabetha, pulsis Mauris è tota Hispania, sibi uendicarint: attamen Philippus tanto maiorē, quo præclariùs est armis Christianis contra impios pugnare, quàm externa ui. Tulêre illi quidem Catholicorum nomē, quia bello uictores: sed hic longè iustiùs, qui arma Christianis militibus contra hæreticos portasq; inferorum nunquam interitura subministrarit.

IO. SAMBVCI Tirnauiēsis Hungari, Medici & philosophi summi, Historici Cæsarei, priuata licèt, at maximorū regum studiis anteferēda liberalitas. Patrimonij ille fortunati non minimam partē in uetustissimorum auctorum redemptionē per Gallias, Germaniā, Italiam & Hungariam contulit, cumq; sibi in omni genere antiquitatū, siue numismata, siue signa, siue uolumina spectes, thesaurum cōparauit, ut cum plerisq; etiam publicis & principalib. bibliothecis certare posse uideatur. Nimirum hic unus uerum diuitiarum usum in consimili genere studij & perspexit, & consecutus est. Nam præter eorum morem, qui tanquam formicæ Indicæ literariis insident thesauris, & quàm in comparando prodigi sunt, tam incommunicādo auari & tenaces: animo non modò philosophico, sed planè heroico, quæcunque multo labore, magno sumtu comparauit, liberali manu typographis tum reliquis, tum inprimis Christophoro Plantino communicat: ea quidem ratione, ut cùm nihil aliud quàm Reip. literariæ utilitatem uel cum rei familiaris detrimento spectare uideatur, dignus sit, cuius nomen grata posteritas nunquam intermorituris laudibus celebret.

☞ IN NAVES, NAVES MAGNIFICÆ.

ARGONAVTÆ celebratissimi & historicorum & poëtarum monumentis. Quorum audacia in tam longinqua peregrinatione suscipienda prodita est, magnificentia uerò in naui ipsa tam celebri instruenda. Argonauticôn quarto Apollonius scribit, in carina nauis Argûs à Pallade lignum fuisse impactum ex Dodonide phago, quod humana uoce fungeretur quandoq;. Lycophronis interpres Iasonem cum

sociis quadragintanouem inscendisse Argo scribit, quæ

λαλήστατον εἶχε τὴν τρόπιν ἐκ τῆς Δωδώνης δρυός.

id est, carinam habebat loquacissimam ex Dodonę quercu. Propterea Lycophron alicubi λάληθρον κίσσαν, id est, garrulam nuncupat picam. Porrò scribit uetus Arati Phænomenon interpres, Danaum ab Aegypto se fratre proripientem, auxilio Mineruam inuocasse, à qua primùm sit compacta nauis, quæ Argo est appellata, eaq; Argos petierit Danaus. Auctor autem Aeschylus, ab Minerua eadem materiâ quandam loquentem naui insertam: quod repetit Hyginus quoque. Cæl.lib.29.cap.15.A.L.

Primus POLYCRATES, Samiorum tyrãnus, cùm naues fecisset, Samias ex patria appellauit. Athen.lib.12.cap.19.

Nauem fecit SESOSTRIS, Aegyptiorũ rex, ex cedro ducentorum octoginta cubitorum longitudine, deauratam exterius, intus uerò deargentatam: quam dono obtulit deo, qui Thebis colitur. Diod.lib.1.cap.4.

Scholia quæ feruntur in Aristophanem, tradunt ATHENIS duas fuisse naues usui publico destinatas, è quibus Salaminia subueheret ad iudicium euocãs, Paralus aueheret. Nam Theoris eos uehebat, qui uoti aut religionis ergò Delphos aut aliò quopiam proficiscerentur. Brodæus in Epigram. Aliter Suidas, inquiens: Paralus & Salaminia, fuerunt triremes sacræ & publicæ: quæ cùm celeres essent, ad usum Reipub. mittebantur, tanquam celeres ministræ: quarum altera spectaculis & sacrificiis, altera Reipublicę seruiebat. Athenienses mittunt Paralum, ut Alcibiadem ad iudicium arcesserent. Et alibi: Paralus dicitur quoq; Salaminia. Postea aliæ duæ accesserunt, Antigonia & Demetriaca.

ATHENIS nõ longè ab Areopago nauis fuit olim maxima, ad Panathenęorum pompam fabricata. Eam tamen & omnes alias superauit ea quæ in Delo fuit, è cuius foris nouenis eminebant remigibus transtra. Pausanias lib.1.

Athenis trecenti ciues opulentissimi, & qui oneri ferendo essent, deligebantur, qui TRIERARCHI, ab instruendis triremibus pro patriæ defensione dicebantur. Ideo uerò opulentissimi, quia patrimoniale esset hoc munus: suisq; sumtibus Trierarchis naues præparare necesse fuit. Attamen si quis erat, qui diceret se propter facultatum mediocritatem, imparem oneri esse: ita excusabatur, si alium ex reliquis ciuibus, se opulentiorem esse indicaret. huic enim incumbebat, aut munus omnino subire: aut si se contrà in minoribus facultatibus esse contenderet, quàm ille esset, qui ut assiduus atq; idoneus electus erat: fortunas suas omnes cum illius opibus commutare. Ita enim fore, ne falsa inopiæ occasione quisquam debita patriæ munera prodere ac deserere audeat. Hæc actio περὶ τῆς ἀντιδόσεως appellabatur. Igitur cùm ea Lysimachus aduersus Isocratem in iudicio contendisset, Isocratis Trierarchiæ munus esse, iudices pronunciarunt. Isocrates in oratione περὶ ἀντιδόσεως.

Sacra ANTIGONI triremis celebris est, qua Ptolemæi duces circa Leucollam Coæ superauit: eamque postea Apollini deposuit. Et tamen illa neque tertiam partem, ne dicam quartam fortasse habuit nauis Syracusiæ Hieronis. Athen. lib.5 capite 7.

Multos reges opulentia PTOLEMÆVS Philadelphus superauit, multitudine etiam & magnitudine nauium omnes alios antecelluit. Trigintiremes naues quidem duæ, una uigintiremis, tredeciremes quatuor, duodeciremes duæ, undeciremes quatuordecim, nouiremes triginta, septiremes triginta & septem, sexremes quinque, quinqueremes decem & septem. A triremi usque ad sesquialteram proportionem habentes, harum duplex erat numerus. Eæ naues, quę in insulas, aliasque ciuitates, quibus imperabat, & in Lyciam missæ fuerunt, trium millium numerum superabant. Athenæus lib.5.cap.5.

Quadraginta ordinum nauem PTOLEMÆVS Philopator fabricatus est, ducentorum octoginta cubitorum longitudine, altitudine autem usque ad summitatem puppis duodequinquaginta: nautis extra remiges quadringentis instructam, remigum quatuor millibus. Adhæc milites armatos capiebat in foris & tabulato paulo minùs tria millia. Verùm spectaculum tantùm exhibuit illa, atque perparum ab immobilibus ædificiis specie differens, ad ostentationem, non ad usum magno periculo & labore mota fuit. Plut. in Demetrio, & Athen.lib.5.cap.6.

De naue HIERONIS Syracusij, cuius Archimedes geometra procurator fuit, quidam Moschio commentarium edidit, è quo recitat Athen. lib.5. cap.8. Posteaquam in mare deducta est, frumenti sexaginta millia in nauim congesta fuerũt, decem millia fictilium plenorum salsamentis Siculis, carnium uiginti millia talentorum, atque aliorum onerum uiginti millia, præter id quod aderat etiam nauigantium commeatus. Hieron posteaquàm omnes portus cognouit, atque hos quidem posse nauem excipere, in illis autem inesse periculum: Ptolemæo in Alexandriam domũ misit, quandoquidem magna erat annonæ penuria in Aegypto. Archimelum epigrammatum poetam, qui epigramma in nauim conscripsit, centum frumenti medimnis decorauit: quod etiam suis sumtibus misit in Piræum. Epigramma recitat Athenæus ibidem.

A DIONYSIO tyranno quinqueremes primùm ædificari cœptæ. Nam cùm audisset, Corinthi triremium prima fuisse corpora ædificata: primus quoq; in urbe Syracusana, quæ ab illis olim deducta fuisset colonia, structuræ nauium aliquid adiici, corporaq; nauigiorũ ampliora cõpingi posse, machinatus est. Diodorus lib.14.

Nauis admirationis pręcipuę fuit, quę ex Aegypto CAII principis iussu, obeliscum in Vaticano circo statutũ, quatuorq; truncos lapidis eiusdẽ ad sustinendũ eum adduxit: CXXM modiûm lentis pro saburra ei fuêre. Longitudo spaciũ obtinuit magna ex parte Ostiẽsis portus latere læuo. Ibi namque demersa est à Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano puluere, aduectisq;. Plin.lib.16.cap.40.

Vetus est mos ciuitatis VENETÆ, in regum & principum ad urbem accessu, Bucentaurum purpura & auro insternere. Est hæc nauis totius Senatus urbanorumq; magistratuum capax, agiturq; nunc remo, nunc uelis, sæpius remulco. Sedet princeps in puppi auro strata, aureo & ipse ferè pallio amictus: assidet summus ille ordo dextra læuaq; maiestatis & silentij plenus, aurum, holosericum, & quod minimũ est, purpura hunc uestit ordinem: tubæ, tibiæq;, & alia id genus instrumenta circumsonant, Bucentaurum suburbana præcurrunt nauigia, Paraschermos patrio sermone uocant. Hęc publico sumtu aulæis, & festa fronde, in topiarij operis modum inflexa, ad tempus instruunt, à prora & puppi pulpita altiusculè attolluntur: quorum fastigiis pueri puellæque eleganti forma, cultuq; exquisitissimo, alij alios mentiti genios, latẽti machina subnixi, puro apertoq; librantur aere: hi aurea systra, illi thyrsos, aliaq; deorum dearúmue gestantes insignia: inferiore gradu adolescentes in Tritonum & Nympharum speciem figurati, suo quisq; statu, concentu tamen uno subuehũtur. Aurea adhæc signa toto nauigio defixa, uentoq; agitata, spectaculum præbent tam uoluptuosum, ut nullum sit propemodum aliud, quod meritò huic uni comparari possit. Bucentaurum tãta uis cymbarum sequitur officij gratia, ac spectandi studio, ut interdum quàm longè lateq; toto stagno fert prospectus, tegantur aquæ frequenti comitatu. Quam rerum pompam si quis uetustarum rerum peritus diligentiùs spectet, haud multum diuersam agnoscat ab ea, quam ueterum scriptorum quidam in Quiritium triumphis prodidêre, etsi rerum formæ diuersæ, quia in diuerso elemento: ut ornatissima illa nauis ac longè maxima sit currus, etsi nullus reperiri possit, qui cũ tanta queat mole meritò comparari: suburbanæ naues, quæ insigni apparatu præcedunt, urbium simulacra, earum expugnationes, ac totum rerum gestarum schema: cymbarum ille frequens comitatus, ciuium officia, currum longo ordine comitantium. Sab.lib.8.En.10.

GOSTAVVS, rex Sueciæ, tantæ magnitudinis nauẽ habuit, ut mille armatos, nauclerosq; trecentos reciperet. Idem primus usum biremium, triremium ac quadriremium circa annum Domini MDXL. in mari Gothico ac Suetico, manu artificum Venetorũ liberali stipendio conductorum, introduxit, cõtra prædones Moschorũ ac Esthonũ. Olaus lib.10.c.1.

LIBERALITAS SVMTVARIA RESPECTV RERVM IN QVAS fit sumtus, quatenus hominis sunt ACTIONES uel PASSIONES quædam. SVMTVS facti

IN NATVRALIVM RERVM INVESTIGATIONEM.

ALEXANDER Magnus rex, inflãmatus cupidine animaliũ naturas noscendi, delegataque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina uiro: aliquot millia hominũ in totius Asiæ Græciæque tractu, quos uenatus, aucupia, piscatusque alebant, quibusque uiuaria, armenta, aluearia, piscinæ, auiaria, in cura erant, adhibuit, ne quid usquam genitum ignoraretur ab eo. Quos percontando, quinquaginta fermè uolumina illa præclara de animalibus Aristoteles condidit. Plin.lib.8.cap.16.

IN SACRIFICIA.

TELETAS maiores festiuitates Homerus appellauit, cum sacra quadã constitutione, ob impensas quæ in eas fiunt magnificas. Nam τελεῖν impendere significat: unde πολυτελεῖς multa impendentes: εὐτελεῖς pauca impendentes. Athenæus libro 2. capite 1.

ALEXANDER Magnus, etiamnum puer diis largè thus adolens, à Leonida pædagogo reprehensus fuit, dicente, Tam profusè adolebis, quando Sabæos subegeris. Plutarchus in Regum apophtheg.

IDEM Asiatica expeditione suscepta, magnifica deis sacrificia [illegible] Macedoniæ urbe, Iouique & Musis scenica fecit certamina, per nouem dies, cùm Musis singulis diem unum dedicasset. Scenam uerò tam amplam struxit, ut centum lectos caperet, ubi amicos, & qui ordines in exercitu ducebant, legatosque ciuitatum conuiuio accepit. Splendidissimi apparatus conuiuio cùm multi interfuissent, militibus etiam omnibus sacrificiorum & conuiuij partes distributæ sunt. Diodorus lib.17.

ANTIOCHVS Epiphanes, in sacrificiis, quę ciuitatum causâ in honorem deorum celebrabãtur, omnes, qui ante ipsum regnauerunt, magnificentia longè superauit: quod uel ex Olympio Ioue, qui extat apud Atheniẽses, & ex statuis quæ sunt in Delo circa aram, facilè quispiam coniectari queat. Athenæus lib.5. capite 4.

SELEVCVS, Asiæ rex, de suis bonis, tẽpore Oniæ summi pontificis, præstitit Hierosolymitanis omnes sumtus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 2. Machab.3.

Praxinoe in Charitibus Theocriti, laudans PTOLEMÆVM, quòd Adonidis festum magnificis sumtibus apparasset, nõ sine prouerbij specie dixit,

—ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα. *id est:*

In diuite ditia cuncta.

IN LVDOS ET SPECTACVLA.

De Ludis sub Munificentia. Hic Sumtus, illic Munus consideratur.

Athenis, edente puerorum chorum Platone, DION exul Syracusanus chorum exercuit, & sumtum omnem à se præbuit. Hanc Plato admisit illius apud Athenienses munificentiam: quæ illi potiùs beneuolentiam, quàm gloriã sibi conciliaret. Plutarchus in Dione.

Apud ROMANOS quæ in spectaculis absumeretur pecunia, Lucar dicebatur: quoniam lucorum prouentus, qui plures circa urbem dicati diis erant, in ludos erogarentur. Cælius lib.8. cap.9. Antiq. Lect.

Circus unus Romæ dicitur Flaminius: quòd cùm FLAMINIVS quispiam ex ueteribus agrum præbuisset, impenderent eius uectigal in ludos Circenses. Cùm autem adhuc pecunia superesset, uiam munierunt, quam item uocauerunt Flaminiam. Plut. in quæst. Rom.

HERODES, rex Iudæorum, ludos Olympios non satis respondentes suæ celebritati propter inopiam, adiuuit, attributis annuis reditibus, quo splendidiùs & sacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conuentum pertinerẽt. Pro qua munificentia perpetuus agnotheta declaratus est. Iosephus lib.16. c.9. Antiq. & lib.1. c.16. belli Iud.

IN POMPAS. TVM

SACRAS.

NICIÆ Atheniensis cùm alia, tum commemorantur eius in Delo magnifica & religiosa munera. Nam cùm chori, quos ciuitates ad canendum mittebant in Apollinis honorem, appellerẽt promiscuè: & quia naui turba repentè occurrente canere iubebantur, nullo ordine, sed nimia festinatione incompositè simul descenderent de naui, coronas sumerẽt & uestes: ille cum theorus esset, traiecit secum in Rhenenchorum, uictimasq; & reliquum apparatum trahens: ad hęc pontem Athenis paratum competentem, atq; eximiè excultum auro, pictura, sertis, tapetibus deportans, nocte fretum inter Rhenen & Delum medium, quod non est latũ, eo iunxit. Mox ubi diluxit, pompam deo & chorũ magnificè comptum cantantemq; traduxit per pontem. Secundum sacra, ludos & epulum, palmam æneã Apollini posuit: prædiúmque sacrauit, quod decem millibus drachmarum comparauerat, cuius uectigali impenderent in solenne epulum Delij, multam felicitatem à diis Niciæ precantes. Id est enim incisum in pilam, quam pro doni custode reliquit in Delo. Palma illa à uento elisa in Naxiorum excelsam statuã procidit, atq; eam deiecit. Plut. in Nicia.

PIVS II. Pont.Max. Viterbij festum Eucharistiæ peregit insolito apparatu, strata undique sagis purpureis urbe, uelatáque linteis, quibus aureæ stellæ, ueluti cœlesti affixæ globo interlucebant, ut excluso cœlo inter flores ad digiti crassitudinem, & diuersi generis cantus, supplicatio procederet. Syluestres etiam homines hedera uestiti cum leonibus atq; ursis congredi uidebantur artificio mirabili, & uersus passim heroici canebãtur: fontiumq; fistulæ utrinq; ex aduerso sese ferientiũ murmure cõtinenti demulcebãt: strauitq; omnem tẽpli ambitũ purpura. Anton. Campanus in eius uita.

INAVGVRALES.

Vide Tit. Inaugurationum. Illic Dignitatis, hic Sumtus tantùm habetur ratio.

REGIAS.

INDORVM rex ubi se publicè uisendum præbet, præcurrunt cum argenteis thuribulis ministri, qui uniuersum iter odoribus uaporant. Ipse autem gestatur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Lucet amictus auro & purpura. Lecticam muniunt corporis custodes, circumpendentibus aucuriis, quas ad hoc imbuunt. Regia fulcitur auratis columnis; quæ nulla non hora patet uolentibus. Vbi rex incumbit ornamento capitis, tunc admittuntur legationes, & redduntur populis iura. Rauisius.

TRIVMPHALES.

Ex Triumphorum loco petantur exempla. Illic Honoris, hic Sumtus magnifici ratio habetur.

FVNEBRES.

Vide Tit. Funerum. Heic Sumptus, illic Officium mortuis impensum honorificum consideratur.

IN NVPTIAS.

Hic Sumtum consideramus. Dona singulis datã nuptialia ad Munificentiam pertinent.

ARTAXERXES, rex Persarum, Vasti repudiata, Esteram Iudæam uxorem duxit, & nuptias per integrum mensem celebrauit, omnibusq; gentibus diem festum indixit. Esteræ 2. & Iosephus lib.11. cap.6.

Erat CLISTHENI, Sicyoniorum tyranno, Aristonymi filio, Myronis nepoti, Andrei pronepoti, filia nomine Agaristia: quam pater destinabat nuptum dare ei, quem præstantissimum Græcorum omnium comperisset. Cùm igitur ludi Olympici celebrarentur, & ex eis Clisthenes curriculo quadrigali uictor extitisset: nunciari iussit uoce præconis, ut quisquis sese dignum putaret, qui Clisthenis gener esset, is ad sexagesimum diem aut priùs Sicyone præsto foret: quoniam Clisthenes intra annum, à sexagesimo die incepturus, exequi nuptias destinasset. Itaq; omnes Gręci, aut sua ipsorum, aut familiæ claritate confidentes, eò proci contenderunt: quibus Clisthenes & curriculum, & palæstrã ad certandum præparauerat. Ex Italia illuc se contulit Smindyrides Hippocratis Sybarita (florebat maximè Sybaris ea tempestate) qui unus uir ad extremum deliciarum processerat: & Siritanus Damas, Samyris filius, eius qui Sapiens appellabatur. Ab Ionio autem sinu Amphimnestus Epistrophi Epidamnius. Aetolus uerò Males, germanus Titormi illius, qui Græcos robore fuerat supergressus, & in extrema Aetoliæ homines fugerat. E Peloponneso Leocydes Phidonis, Argiuorum tyranni F. eius qui spacia Peloponnensibus statuit, longè omnium Græcorũ insolentissimus: qui summotis Heliensium agonothetis, ipse agonotheta extitit in Olympia, & certamen præmiumq; proposuit. Necnon Amiantus Lycurgi Arcas, ex Trapezunte: & Laphanes Azenus, ex urbe Pęo, filius Euphorionis eius, qui (ut in Arcadia fertur fama) in domum suã excepit Castorem & Pollucem, & ob id in omnes homines hospitalis: & Heleus Agæi, uir præclarus. Isti ex ipsa Peloponneso uenerunt. Ex Atheniensibus autem Megacles, Alcmæonis eius filius, qui ad Crœsum se contulerat: & alter Hippoclides Tisandri, diuitiis ac forma inter Athenienses præcipuus. Ex Eretria Eubœæ, quæ per id tempus florebat, Lysanias: è Thessalia à Scopadeis Diactorides Cranonius: ex Molossis Alcon. Tot proci fuêre. Qui cùm ad diem præstitutam adfuissent, Clisthenes ante omnia patriam singulorum familiamque percontatur. Deinde eos annum apud se detinens, explorauit uniuscuiusque & uirilitatem, & iracundiam, & eruditionem, & mores: nunc cum singulis, nũc cum uniuersis congressus, & iuniores in gymnasia educens, præcipuè tamen in conuiuiis experiebatur. Sed ei inter procos præcipuè cordi erant Athenienses: & illorum magis Hippoclidem Tisandri strenuum esse iudicabat, cùm præsertim eius maiores, Cypselis Corinthiis propinqui fuissent. Cùm autem destinatus nuptiis dies illuxit, quo ipse Clisthenes edixerat, iudicaturum se quem ex omnibus deligeret: mactatis centum bobus, in conuiuium tum ipsos procos, tum omnes Sicyonios accepit. Postea uerò quàm cœnatum est, proci certamen de Musica habere cœperunt, pariter & de oratione habenda in medium. Procedente potatione, Hippoclides cùm longè alios antecederet, iussit tibicinem sibi canere ἐμμέλειαν; id est, sedatum quoddam saltationis genus. Tibicine obsequente saltauit, sibi quidem placens: sed Clisthenes omnem rem cernens dissimulabat. Post hæc aliquantulum interquiescens Hippoclides, iussit sibi inferri mensam. Qua illata, primùm super eam Laconicos saltauit modulos, mox alios Atticos, tertiò super mensam capite statuto, cruribus ueluti brachiis modulabatur. Ad cuius primã ac secundã saltationẽ, etsi stomachabatur Clisthenes tã impudentẽ sibi generũ fieri: tamẽ sese cõtinebat,

bat, nolens in eum erumpere. At ubi uidit cruribus ueluti manibus gesticulantem, iam se ultrà cōtinere non sustinēs, inquit: Fili Tisandri, desaltasti matrimonium. Cui excipiens ille ait: Non est istud curæ Hippoclidæ. Tunc Clisthenes silentio imposito, in medium hæc protulit: Viri proci meæ filiæ, uos equidē omnes laudo, uobisq; omnibus si fieri posset gratificarer, neque unum è uobis præcipuum probans, neque cæteros improbans. Verùm fieri non potest, ut de unica uirgine deliberans, omnium uotis satisfaciam. Itaque singulis uestrûm, qui compotes huius matrimonij nō estis; tanquam dignis meæ filiæ nuptiis, quodque domo peregrè abfuistis, singula argenti talenta dono do: Megacli autem Alcmæonis filio, meam filiam Agaristiam despondeo, ritu Atheniensium. Annuente conditioni Megácle, nuptiæ apud Clisthenem celebratæ sunt. Ex eo coniugio natus Clisthenes, qui Atheniēsium tribus statumq; popularium instituit, tum Hippocrates. Ex Hippocrate uerò alius Megacles, & alia Agaristia, ab Agaristia Clisthenis nomen habens, quę nupta Xanthippo Ariphronis, cùm prægnans esset, uisa est sibi in somnis párere leonem, paucosq; post dies peperit Xanthippo Periclem. Herod. lib. 6.

ALEXANDER Magnus Susas ex India rediens, Statyram Darij filiam uxorē duxit. Locauit & alias nobilissimas feminas Macedonū primorib. Qua nuptiarū celebritate, quū nouem millia conuiuarū accubuissent, singulis aureā phialam ad sacrorum usum dono à rege datā, Plutarchus scribit. Nec ea liberalitate contentus, exercitum alieno ære liberauit, pecunia creditorib. ex fide repręsentata. Sab. lib. 6. En. 4 Erant autem qui uxores ducerēt, nonaginta, totidemq; thalami. Locus uerò, in quo recipiebantur & accumbebant, centum habebat mensas, quarum unaquæq; argenteis pedibus nitebatur, ipsius uerò aureis: & omnes purpureis stragulis erāt ornatæ, uariaq; ueste texturæ barbaricæ & preciosissimæ. Recepit etiam in conuiuium peregrinos hospites, quas sibi eregionè accumbere iussit. In aula uerò conuiuia agitabant copiæ pedestres & nauales, equites, legationes & peregrini Græci: atq; ante cœnam tubis dabatur signum, quo conuocarentur, si ad mensam ueniendi tempus esset: alterum uerò, quo surgerent ab epulis. Quinq; dies integros & continuos ordine, nuptiales epulas celebrauit. Aduenerūt etiam musici & histriones, tā comici quàm tragici permulti. Aderant insuper circulatores mirifici ex India, quòd genus reliquis ferè cæterarum nationum præstare uidebatur. Aelian. lib. 8. de Var. hist. fusissimè uerò Athenæus lib. 12. cap. 18. ex Charete. De iisdem sic Plut. orat. 1. de Alex. fortuna: Alexander uno sub tabernaculo auro intertexto coēgit in eosdem penates, & ad communem mensam, centum sponsas Persidas, centumq; sponsos Macedonas ac Græcos, atque coronatus ipse hymenæum princeps orsus, quasi conuiuale carmen accinēs, in consortium coeuntibus maximis & potentissimis populis, unius ipse sponsus, omnium uerò auspex simul & pater conciliatorq;, fœdere nuptiali coniunxit.

Constantinus Cæsar Eusebiā mulierē nobili ac splendido loco natam sibi despondit. Ea spōsalia CONSTANTINVS Magnus Augustus pater summa hilaritate ac magnificētia celebrauit: nam & ipse sponsum manu duxit, & conuiuium splendidè apparauit, ac separatim singulos uirorum ac mulierum choros muneribus eximiis coluit. Sigonius libro 4. Imperij occidentalis.

HONORIVS Imp. an. 398. nuptias cum Maria filia Stilichonis Vandali & Serenæ (quæ Theodosij Magni fratris filia fuit) quadriennio antè sibi desponsa, iam maturis utriusque ad ineūdum matrimonium annis, Mediolani apparatu magnifico celebrauit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Nuptias SIGEBERTVS, rex Frāciæ, cum Brunechilde, Athanagildi Hispaniæ regis filia, celebrauit, maximo luxu. Sponsa quoque ei magnos thesauros attulit. Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 26.

HENRICVS, Friderici II. Imp. F. à patre Cæsar dictus, habuit uxorem Margaritam filiam Leopoldi ducis Austriæ, dicti Gloriosi, in qua uetus Austriacorum principum familia defecit. Cum qua tam insignes maxima principum frequentia nuptias Norimbergę celebrauit, ut ob ingentem hominum pressuram multi interierint. Cuspinianus.

ALFONSVS X. rex Castellæ, quum nuptias primogeniti filij Ferdinandi celebraret, omnes primores Francorū, Angliæ, Hispaniæ & Castellæ regnicolas, cum omni nobilitate conuocauit: tantoq; apparatu instituit conuiuia, ut Metelli, Cleopatræ, Antonij, Caligulæ & Vitellij superare cœnas uisus sit. Nobiles omnes magnificis muneribus ornati, ipsi quinetiam plebeij, ut Annales Hispaniæ habent. Idem.

FRIDERICVS Pulcer, dux Austriæ, electus rex Rom. & LEOPOLDVS frater, Gloria militū cognomine, Basileæ magnificas celebrarunt nuptias: ille quidē cum Elizabetha Iacobi Aragonum regis filia, hic uerò cum Catharina Sabaudiæ Comitis filia. Idem.

BONIFACIVS Marchio & dux Thusciæ, mortua Richilda coniuge, Beatricē, Conradi II. Imp. filiā duxit, ac sponsalia maximis impēsis, atq; effusa, ut erat omniū illa ætate ditissimus, in omnē luxuriam magnificentia apud Minciū celebrauit. Siquidē, si famæ credimus, ad eam ducendam profectus, equos soleis argenteis calciatos habuit, & domum reuersus, pistrina publicè ad molenda libero, omnium usui aromata excitauit, & uinum uulgò omnibus bibentibus impertiuit. An. 1037. Sigonius lib. 8. regn. Ital.

VENCESLAVS IV. Boemorum rex, cum Iuditha, Rodolfi Imp. F. nuptias Pragæ celebrans, quotidiano epulo non minus cētum millia hominum excepisse fertur. Dubrau. lib. 18.

FRIDERICVS III. Cęsar, Italiam, nouo more, inermis & pacato agmine, non autem cum exercitu, ut alij Cæsares, iniuit, & togatum quoq; agmen ita per uiam distribuit, ut alij antecederent, alij subsequerentur, ne cui multitudo grauis aut formidabilis existeret. Quare etiam aduentus eius lætus omnibus & gratus fuit. Leonoram Regis Portugallię filiam, ex sorore Alphonsi Regis Neapolitanorum prognatam, ex Hispania Senas aduectam excepit, nihil prætermittentibus Senensibus, quæ ad instauranda, denuoque celebranda sponsalia, pertinebant. Romam cum sponsa ingressus, ad scalas sancti Petri, Nicolaum V. Pontificem obuium habuit: à quo in templum introductus, solenni more copula matrimonij cum noua nupta copulatus fuit anno 1451. ac mox uterque eorum Imperatoria corona donatus; nuptiis Neapolim dilatis: quas Alphonsus rex tanto apparatu, tantaque pompa apparauit, quantam illa ætas apud nullum alium Regem uiderat. Omnis ferè Germaniæ nobilitas nuptiis istis interfuit: complurimi Hispaniæ principes sponsam ex Hispania deduxerunt. Venatio adhibita est quatuor millibus passuum à Neapoli, qui locus à regibus uenationi statutus est. Fixa tētoria in campis, secundùm Anguianam paludē: fontes è uario uini genere passim ad litus facti: mensæ apparatæ, in quibus supra triginta hominum millia discubuére. Huc accedit, quòd qui spectandi gratia conuenerant plurimi mortales, onerati esculentis plurimorum dierum domum rediêre. Pontanus cap. 16. de Magnificentia, & Dubrauius lib. 28.

FERDINANDVS, Neapolitanorum rex, in Hippolytę Marię & Alfonsi filij nuptiis celebrandis singularem quendam splendorem ac magnificentiam ostendit. Omnes principes & populos Italiæ inuitauit. Missi ab iis oratores singulari comitate sunt excepti: ludi plurimis diebus editi, orchestris ac gradibus ad spectaculum magnis sumtibus dispositis, iisque partim purpura ac serico, partim uariato panno intectis: equestres concursiones magno apparatu hominum atque equorum factæ, epulæ lautissimæ ac largissimæ præbitæ. Pontanus ibidem.

PETRVS Genuara, comes Arianensis, cùm uxoris Ariani nuptias celebrasset dies octo, non populares modò suos, sed finitimos quoque, qui ad nuptias uocati uenerant, ita accepit, ut nil uisum fuerit in eo genere opulentius: fuitque opulentiæ admista lautities. Et quia principes quoq; multi conuenerant, certatum est etiam, ut neq; ciborum conquisitio & concinnatio, neq; apparatus domesticus uinceretur à copia. Pont cap. 1. de Conuiuentia.

GALEACIVS Vicecomes, Beatricem, Atestini Actij Ferrariensis ducis sororem, in matrimonium duxit. Ludi nuptiales regio sumtu editi, totius Italiæ urbes inusitatæ magnificentiæ fama compleuerunt. Nam & simulacra certaminum, & castellorum expugnationes, quæ armatis cohortibus & turmis interse concurrentibus edebantur: & publici epuli apparatum, & matronarum saltationes, quæ ad spectacula conuenerant, uehementer omnes mirati sunt. Mille ibi per tres classes discumbentibus conuiuis singulæ uestes cum sericæ aureæque tum laneæ coccineæque aut acu pictæ, dono datæ sunt, Burra socru eas miro ordine perspicacique iudicio sublatis mensis distribuente. Tot uerò nouæ nuptæ collata sunt munera gemmarum atque monilium, cælatiq; argenti & purpuræ, à legatis sociarum urbium patriciisque ciuibus, ut opulentissimorum regum diuitiis æquarentur. Iouius in uita Galeacij.

Nuptiarum MATHIÆ Coruini Hung. regis cum Beatrice Aragonia celebritatem, uide apud Bonfinium lib. 4. Dec. 4.

LEO X. Pontifex factus anno 1513. Iuliano Medici fratri in spem sobolis Philibertam, Caroli Allobrogū principis sororem, matrimonio iunxit: quam demùm, uti sine dote expetitam, ultrò regiis exornatam muneribus, premisso ad Niceam insigni comitatu, Romam acciuit. Steterūt Leoni eæ nuptiæ centum & quinquaginta millibus aureis, cùm eam sine dote, penitùs nobilitandæ familiæ causa plurimùm appetisset. Quum aūt nullam ex ea prolem suscepisset, Iuliano Florentiæ mortuo, Philiberta cum omni mundo muliebri, preciosissimisq; insignium gemmarum monilibus, in Galliā ad Ludouicā sororem transmissa est. Iouius in Leone X.

IN CONVIVIA.

Sumptum hic perpendimus, qui in Conuiuia impenditur. Ipsum Conuiuium, quatenus Munus est, ad seq. librum pertinet.

SOLOMO rex, sumtu regio magnificè utebatur. Habebat e- [redacted] ginta, boues altiles decē, [redacted] tum, præter ceruos, capreas, bubalos & uiuaria. 3. Regum 4.

PERSÆ lautè cœnant, integra & multa & uaria apponentes. Lecti & poculorum ornatus splendidissimus, auro & argento refulget. Strabo lib. 15.

Athenæus lib. 4. tradidit ex Herodoto, apud PERSAS diebus natalitiis fuisse morem, ut diuites bouem, ceruum, agnum, asinum, equum & camelum apponerent, totos in clibano aut camino coctos.

ALEXANDRI Magni cœna erat semper splendida, atque unà cum secunda fortuna sumtus assurgebat, postremò ad decem millia drachmarum progressus est. Hîc substitit, tantæque impensæ Alexandrum inuitantibus fuerunt præfinitæ. Plut. in Alexandro.

Hecatæus Abderites memorat, EOS, qui uxores ducūt, ad solenne conuiuium complures inuitare: quò ingenuos se esse, & ingenuorum parentum filiam ducere uxorem, multi sciant & testes sint. Plut. lib. 4. Quæst. conuiualium 3.

OTHO I. Imp. singulis septimanis in cibū aulicum mille porcis, uiginti octo tauris, mille modiis frumēti, octo plaustris uini, decem plaustris ceruisię utebatur: exceptis oleribus, piscibus, ouis, gallinis, carnibus ferinis, butyro, adipe, lardo, & caseo. Ernestus Brotuffus lib. 2. Chron. Mersb. cap. 1.

In Aquilonaribus regū aulis integri boues, tam uolatilibus, quàm terrestribus animalibus grauidi, assantur, atque centurionibus ordinatim sedentibus distribuuntur. Ita & apud INDOS in aula Preciosi Ioannis bos ingens, uel aliud quoduis animal magnum, omnigenis animantium generibus fartum, assatur, porcusque dicitur Indianis. Olaus lib. 17. capite 25.

Veteri consuetudine bos eo die torretur, quo Aquisgrani IMPERATOR inauguratur, farctus aliis animalibus: ex eo pars aliqua defertur ad Cæsarem, reliquum est multitudinis: uinum etiam, duabus fistulis ad eam rem comparatis, toto die publicè profunditur. Sleid. lib. 2.

Ferdinandū Gomecium Lemiū, Alfonsus Albuquercius, Indiæ prætor, ad ISMAELEM Persarum Imperatorem legauerat an. 1516. Ismaël postquam iucundo sermone tempus aliquod cum legato comiter insumsit, mensam insterni, & dapes apponi iussit: aliam uerò mensam conquisitissimis epulis extructā, prope suam, legatis & principibus qui aderant similiter apparari præcepit. Celebratur omnium sermone conuiuium: Mahumetis interim uinū uetantis iussa contemnuntur: aquam uino admisceri summum nefas existimatur: maioribus inuicem poculis inuitantur. Dux quidam instat, & urget, & per Ismaëlis uitam conuiuas obtestatur, ut totum uinum hauriant. Ismael maximum poculum uino plenum ostentabat, &, Num satis oppletum esset, interrogabat: deinde totum, quasi præclarum facinus ederet, ebibebat. Tunc se iactabat, quòd ille solus tantum uini hausisset, quātum illi omnes, qui aderant, bibere minimè potuissent. De mensa dapes & uinum, si quid esset quod suauius uideretur, legatis mittebat. Multis interim iocis inter se ludebāt, & omni ratione dabant operam, ut animos ab omni cura ad hilaritatem traducerent. Nullis cæremoniis, nullis mysteriis erat locus relictus. Conuiuium cùm duabus ante meridiem horis institutū fuisset, sub occasum solis finitum fuit. Legati uestibus atque muneribus ornati, in tabernacula dimissi sunt. Osorius lib. 10. rerum Em.

Carolo IIII. Imp. nuptias quartas celebrante Cracouiæ cum Elizabetha, nepte Casimiri Poloniæ regis, an. 1363. VERNICVS Germanus, consul Cracouiensis, thesauris regiis præfectus, XV. reges, qui nuptiis intererāt, domi suæ regio epulo excepit: Casimiro primum, Carolo secūdum discubitum dedit: muneribus regiis conuiuas omnes prosecutus, Casimiro decem aureorum myriades dono obtulit. Ioach. Cureus in Silesiæ Annalibus.

IN VENATIONES.

ALEXANDER Magnus castra Arzariam promouerat. Ibi nemora longo murorum ambitu ueterum regum iussu circundata, nobilium ferarum uim ad uenatorium usum alebant ingētem, eratq; nemus quatuor ætates intactum. Huc productum exercitum iussit Macedo feras agere, ipseq; leonem immani magnitudine Lysimacho, qui se obiecerat, repulso, fortiter prostrauit. Atq; ex hoc casu Curtius fabulam credidit ortam, quòd quidam Lysimachū à rege leoni obiectum falsò prodiderint. Quatuor millia ferarum ibi cæsa dicuntur, atq; rex eodem nemore cum uniuerso exercitu hilarè epulatus, Maracadam rediit, ubi Sogdianam, Artabazo ætatem excusante, Clyto destinauit prouinciam. Sabellicus lib. 6. Ennead. 4.

FRIDERICI III. Imp. nuptiæ cum Heleonora splendida uenatione celebres fuêre Neapoli. Quatuor enim millib. passuum à Neapoli uenatio adhibita est, in loco uenationib. à regibus destinato. Fixa tentoria in cāpis secundùm Anguianam paludem: fontes è uario uini genere passim ad litus facti: mensæ apparatæ, in quib. supra triginta hominum millia discubuere. Quòd qui spectandi gratia conuenerant plurimi mortales, onerati esculentis plurimorum dierum, domum redirere. Pontanus cap. 16. de Magnificentia.

ISMAEL Sophus, Persarum rex, an. 1516. spectante legato Lusitaniæ ad eum misso, montes, qui in ambitū duodecim passuū millib. parebāt, exercitu circūducto cinxit. Deinde cùm paulatim undiq; bestiæ pellerētur, in campi planiciē, quam montes omni ex parte claudebant, compulsæ sunt. Tum legatum cum sociis, & paucos præterea uiros primarios accersiuit, & sagittis maximum earum numerum confixit. Postremò aduncum gladium distrinxit, quo multas in duas partes uno ictu dissecuit, & quandam secundùm longitudinem uno tantùm uulnere discidit: erat enim summis uiribus, & singulari in armis dexteritate præditus. Tandem cædendi labore defatigatus, reliquis, ut bestiarum stragem ederent, permisit. Mox quatuor millia passuum progressus, piscationi operam dedit: & ipse manibus suis retia iaciebat, & Lusitanis pisces humanissimè porrigebat, omnique ratione pugnabat, ut eos omnibus facilitatis signis ad sui studium alliceret: quod quidem non erat simulatione aliqua fraudulenter elaboratum, sed in natura illius penitus insitum. Osorius lib. 10. rerum Em.

IN VECTIONES.

A LODOVICO XI. circa annum Christi 1477. stathmi & diuersoria cursoriis equis primùm in Gallia constituta. Chronicon Francorum.

IN AVRIGATIONES.

ALCIBIADIS in equis alendis magnificentia etiā curruum numero fuit celebris. Solus enim hic, præterea nemo, ad Olympiæ ludicra, neq; priuatus, neq; rex, septē misit. Palmam uerò quòd retulerit primam & secundam & quartam, ut auctor est Thucydides, uel, ut Euripides, tertiam, ea re excellit splendore & gloria omnibus, qui in eo genere elaborauerunt. Hanc eius gloriam fecit munificentia hostium illustriorem. siquidem tentorium ei Ephesij posuerunt eximiè adornatum: pabulum equis & copiam uictimarū præbuit Chiorum ciuitas: Lesbij uinum & cæteras epulas, largè multos inuitanti. Plutarchus in eius uita.

IN PEREGRINATIONES.
VIATICA LIBERALITER DATA.

MENTES, Leucadius mercator, cùm Smyrnam frumenti coēmendi gratia uenisset, & illic Homerum, qui ludimagistrum agebat, inuenisset: sirene illius ductus, persuasit illi ut secū peregrinaretur suis sumtibus. Homerus cùm iam in animo poëseos argumentum præconcepisset, occasionem hanc non neglexit, quòd mores gentium, situs regionum & urbium, oculata fide tantùm percipi posse existimaret. Cum Mente igitur & Hispaniam & Italiam, totum deniq; mare Mediterraneum percurrit. Herod. in Homeri uita.

ANIVS instruxit uiatico Græcos Aulide portu Bœotiæ proficiscentes ad Troiam. Huius filiæ Oenotropæ dictæ, quòd habuerint potestatem producendi uinum, oleum & frumēta, quandocunq; uellent. Dictys Cretensis lib. 1. & Lycophr.

FERDINANDVS, rex Hispaniæ, cōfecto decēnali bello Granatense, nouarū rerū laude, tum studiis excitatus, & Christophori Colūbi constātia propè uictus, octauo demùm anno perbenignè, ea, quæ ad nauigationē occiduā, explorandis iis locis faciundā pertinebant, suppeditauit. Pecuniā Ludouicus Sanctāgelus, Regiarū rationū scriba, Colūbo numerauit. Erat septemdecim tantùm milliū ducatorum: eamq; regi, propter Granatense bellum illud exhausto, mutuā dederat. Sed tantilla pecunia tantum postea ei Regi ex Indiis auri argentiq; tulit, ut summa, præter margaritas & gemmas, quæ innumerę fuerunt, sexaginta, quos uocant, milliones, feratur excessisse. Io. Metellus.

PARSIMONIA SVMTVARIA. IMPENDIA SVMTVSQVE PARCI

IN GENERE.

CELEVS, rex Eleusine, pater Triptolemi, cui Ceres, quòd esset ab illo excepta hospitio, commonstrauit omnem agriculturæ rationem, ut in reliquo uictu, sic etiam in supellectile frugalissimus: ita ut in prouerb. abierit, Celei supellex. De eo Ouid. lib. Fastorum 4.

Sors sua cuiq; loco est: quæ nunc Cerealis Eleusis
 Dicitur, hic Celei rura fuêre senis.
Ille domum glandes excussaq; mora rubetis
 Portat, & arsuris arida ligna focis.
Filia parua duas redigebat monte capellas,
 Et tener in cunis filius æger erat.

PERICLES cùm continuum in annuis magistratibus imperium & arbitrium obtinuisset per annos XL, animũ tamen præstitit à pecunia inuictum: non negligens alioquin rei familiaris, imò paternas & iustas facultates, ut nec inertia dilaberentur, nec multum interpellarent uel distinerent occupatum, certa ratione, quàm censebat expeditissimam & exactissimam, dispensauit. Quippe annuos fructus simul omnes distrahebat: inde necessaria quæq; mercabatur ex foro, atq; ita uitam uictumq; quotidianum procurabat. Vnde parum iucundus filiis erat iam adultis, nec splendidè mulieres habebat: quæ ægrè ferebant, quòd ita uiueret in diem, & sumtus ita ad unguem circumcideret: ubi, ut par erat ampla in domo & opibus affluentibus, nihil efflueret, uerùm omnes impensæ, omnia emolumenta certo essent numero & modo constituta. Huius tam exquisitis rationibus unus seruus moderabatur Euangelus, præclara supra cæteros indole præditus, aut à Pericle ad domesticam institutus disciplinam. Plutarchus in Pericle.

M. CATO Coss. bello, quod in Hispania citeriore gessit, habebat seruos quinq;: horum unus nomine Pacus tres pueros emit de manubiis. Quod ubi resciuit Cato, priùs quàm in conspectum eius ueniret, strangulauit se: pueros Cato sub hasta uendidit, preciumq; retulit ad quæstorẽ. Prouinciam sortitus Sardiniam cùm superiores prætores accipere publicè tẽtoria, lectos, togas soliti essent, magnoq; famulitio, caterua amicorum: sumtuq; & paratu cœnarum onerarent prouinciales: ille disparitatem incredibilem fecit frugalitatis. nulla enim in re impensa publica indiguit. Oppida ipse sine uehiculo pedibus obibat. unus sequebatur accensus, qui ei uestem & cymbium ad libandum portabat. Ferebat per expeditiones ipse in agmine arma, seruus eum sequebatur unus, qui cibaria eius portabat: cui dicitur prãdium uel cœnam apponenti nusquam succensuisse aut obiurgasse, imò expletis muneribus militaribus, cum ipse adiuuisse ferè, atq; unà manũ admouisse. Plut. in Catone. & in Apopht.

Victus M. ANTONINI Pij talis fuit, ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, piscatores & uenatores instrueretur. Balneum quo usus fuisset, sine mercede populo exhibuit: nec omnino quicquam de uitæ priuatæ qualitate mutauit. Capitolinus.

ALBERTVS Magnus, philosophus doctiss. episcopatum Ratisponensem consecutus, æs alienum, superiorum pontificum luxu contractum breui dissoluit, parsimonia loco amplissimi uectigalis usus. Hier. Ziegl. de Viris illust. Ger.

IN TEMPLA.

PAVLA Romana, uidua sanctiss. nolebat in lapidib. pecuniã effundere, qui cũ terra & seculo transituri sunt: sed in uiuis lapidibus, qui uoluuntur super terram, de quibus in Apocalypsi Ioannis ciuitas magni regis extruitur: quos in sapphyrum & smaragdum & iaspidem, & cęteras gemmas esse uertendos, Scriptura commemorat. Hieronymus in Epitaphio eius.

IN SACRIFICIA.

ANTISSEVS, cùm ciuitas indigeret pecuniis, & ciues cõsueuissent splẽdidè celebrare Dionysia, in quibus uaria & multa consumebant quotannis, atq; præparabant: persuasit illis, ut Baccho uouerent, duplum sequenti anno se daturos: illa autem congregantes, uicinis urbibus uenderent. Quæ cùm ita fecissent, collectę sunt pecunię ad eorum usum non modicæ. Arist. in Oecon.

SOCRATES sacrificia uolebat quàm minimis impẽdiis constare: quòd dij, ut non egent rebus hominum, ita magis spectant affectus immolantium, quàm diuitias. Alioqui cùm improbissimi quiq; maximè abundent diuitiis, actum esset de rebus humanis, si malorum potiùs quàm bonorum uictimis delectarentur. Eoque uersum Hesiodi magnoperè probare consueuit:

καὶ δὴ λυώμεν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

[redacted] Eandem frugalitatem adhibendam docuit in excipiendis hospitibus, eodem utens uersiculo. Eras. lib. 3. Apophthegm.

Apud ROMANOS immolatarum hostiarum exta ad quæstores ęrarii delata ueniebant, sacrificiisq; Pop. Rom. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat: Imperatoribus, quàm sacras manus habere debe rent, apud ista altaria discentibus. continentiæq; tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, qui prouincias sincerè administrauerant, à Senatu persolutum sit. Nam quorum opera rempublicam, auctoritatem splendoremque suum procul obtinuisse uiderant: eorum dignitatem domi collabi indignum, sibique deforme esse, arbitrabantur. Valer. Max. libro 2, cap. 1.

L. PAPYRIVS Coss. aduersus Samnites dimicaturus, uictori Ioui pocillum mulsi pro re magna uotum fecisse dicitur. Bibebant enim murinum aut passum, sapam aut defrutum, aliaq; eius generis potu dulcia. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

IN LVDOS ET SPECTACVLA.

Circenses ludos primus Romę fecit ROMVLVS, quarto mense ab Vrbe cõdita (ut scribit Fabius Pictor) quo die Sabinas rapuit. Lõgius tẽpus alij tradunt: quod magis crediderim. Circenses dictos scribit Seruius, quòd ensibus circumdarentur. Nam cùm rudis uetustas non loca huiusmodi ludis apta ędificasset, inter enses & flumina eos agebãt, ut ignauis utrinq; præsens esset periculum. Postea Tarquinio Prisco rege locus est designatus circo, qui postmodum Maximus est dictus.

M. Fauonio ædili creato cùm in cæteris magistratus muneribus præstò fuit M. CATO minor, tanquam amico, tum ludos eius in theatro curauit, deditq; coronas thymelicis nõ aureas, sed ut Olympiis ex oleastro: dona loco magnificorum, Græcis betã, lactucã, raphanũ, pira: Romanis uini amphoras, carnẽ suillam, ficus, cucumeres, lignorũ fasciculos, quorũ uilitatẽ alij irridebant, alij oblectabãur, Catonis austeritatem & contractionem uidentes transire sensim in remissionem. Postremò Fauonius immiscens se plebi, atque inter spectatores considens, plausit Catoni: ac donaret honoraretque merẽtes, clamauit: testatusq; spectatores esse, in illius potestate se omnia posuisse. In altero theatro collega Fauonij Curio splendidum exhibebat munus. Spectatores tamen relicto illo huc transierunt, applauseruntq; effusè agenti Fauonio & Catoni agonothetæ. Hæc designauit Cato, quò ei rei obtrectaret, doceretq; ludentem oportere ludo uti, ac benignitate potiùs defungi cõmuni, quàm apparatibus & sumtibus, in rebus nihili magnas curas & sollicitudines ponentes. Plut. in Catone.

HENRICVS III. Imp. uxore ducta Agnete, Aquitaniæ ducis Gulielmi filia, & nuptias celebraturus in Ingelheim, quum immensa histrionum & mimorum affluxisset multitudo, omnes licèt famelicos abegit, & in eorũ locum pauperes & egenos accersiuit. Cuspinianus, & Cranzius lib. 4. Metropol. capite 32.

IN POMPAS FVNERVM, TRIVMPHORVM, &c.

GELO rex Syracusanus absq; splendore funeris sepultus est. Vide Tit. Regum qui se legibus subiecere.

SOCRATI, cicutã bibituro, Apollodorus preciosum palliũ obtulerat, ut eo indutus moreretur. At ille recusans donũ: Quid, inquit, hoc meum pallium, quod uiuenti conuenit, mortuo non conueniet? Erasm. lib. 3. Apopht.

M. AEMILIVS Lepidus, princeps senatus decedens, pręcepit filiis, ut sine linteis, sine purpura & tibicine funus sibi facerent Et Atticus POMPONIVS, multiq; clari uiri sine pompa funeris efferri uoluêre. Alex. lib. 3. cap. 7.

ROMANÆ mulieres stolas in luctu candidas uittasq; candidas olim ferebant. Nam tenuitas in hisce potissimum & simplicitas decet. Infecta autem referunt partim luxum, partim curiositatem. Neq; enim minus est de atro quàm de purpureo dicere, Fucatæ uestes, fucati & colores. Nam sua sponte quod atrum est, non ab arte, sed est à natura tinctum, mistumq; umbroso tẽperatur. Vnum ergo albũ est sincerũ, nec cõfusum, sed defecatum infectura, nec fucatum, candidum. Siquidem ita est iis, qui efferuntur, accommodatissimum. mortuus euasit simplex quiddam atq; à contagione liquidum: corpore ut ueneno inficiẽte liberatus. Argis feruntia luctu candida, ut Socrates ait, aqua abluta. Plutarchus in quæst. Rom.

NVMÆ regis Posthumia lex est: Vino rogum ne respergito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. Plinius lib. 14. c. 12.

M. AEMYLIVS, qui princeps senatus sexies fuerat, uitã decedens, filiis mandasse fertur, ut lecto purpura & linteis nudo suum efferrent corpus, in funus haud plus denos æris insumerent: imaginum specie, non sumtibus, funera nobilitari ratus. Sab. lib. 8. En. 5.

IN EXERCITVM.

LLVCVLLVS, cùm Senatus ei ad classem parandã tria millia talentũm decreuisset: negauit per literas ea pecunia sibi opus esse, iactans sine sumtu & tanto paratu Mithridatem se sociorum nauibus exacturum pelago. quod Dei ope præstitit. Plut. in Lucullo.

M. CATO Censorius quæstor cum P. Scipione ad bellum in Africam missus, immodicos sumtus P. Scipionis in milites reprehendit: eoque nomine eundem apud patres accusauit. Plut. in Catone.

IN NVPTIAS.

CLAVDIVS Cæsar filiam unam L. Iunio Sillano, alteram Cn. Pompeio Magno despondit, nullo immodico apparatu. Nã & ipse dieb. illis ius dixit, & Senatus conuenit. Suet.

IN CONVIVIA ET ALIMENTA.

Voluptatum corporis ueluti redemtor est pecunia. Et propterea Frugalitas in conuiuiis, quo ad Sumtum, spectat ad Liberalitatis locum: quo ad Voluptatem, quæ percipitur ex alimento, Temperantiæ propria est.

Cùm expeditionem fecissent Aegyptij contra OCHVM Persarum regem, atque rex eorum captus esset: benignè admodum ad cœnam cum Ochus inuitauit. Cumque apparatus splendidus factus esset, risit Aegyptius, quasi parcè uiuerent Persarum reges. At si uis, inquit, ô Rex, quo pacto potentissimos reges uiuere oporteat, cognoscere, impera meis coquis, ut Aegyptiam cœnam parent. Ochus ea cœna degustata, Iam te malum, inquit, ô Aegyptie, malè dij perdant, quãdo cœnas huiusmodi, relinquens, conuiuium appetisti frugalius. Athen. lib. 4. c. [redacted]

Xerxes [redacted], PAVSANIAS Lacedæmoniorum rex, cùm eum apparatum uidit in congesta præda, iussit pistores & coquos, cœnam sibi, uti Mardonio instruerent. Quo facto, tum Pausanias lectos intuens aureos argenteosque probè instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, magnificumque cœnę apparatum: imperauit per iocum suis ministris, ut Laconicã instruerent cœnam. Id cùm illi fecissent, accersiuit Græcorum duces, & ridens dixit: Hac ego uos de causa conuocaui, ut amentiam Medorum ducis intelligeretis, qui cùm talem uitam duceret, ad nos subigendos uenit, qui tam miserè uicti [redacted] lib. 9.

An[redacted]næum libro 4. facit quendam queren-[redacted] id est. Non habeo boum corpora, neq; [redacted] purpureos tapetes, sed animum beneuol[redacted] musicam, & Bœoticis in poculis (infusum) uinũ dulce, inquit BACCHYLIDES, Iouis filios Pollucem & Castorem inuitans, apud Athen. lib. 11.

Athenæus in secundo tradit IBEROS, cùm essent opulentissimi, tamen ob parsimoniam semper ὑδροποτεῖν solitos, & μονοσιτεῖν, hoc est, aquam bibere, & semel in die cibum capere: cæterùm uestitu fuisse sumtuosissimo. Citat hoc ex Athenæo Stephanus. Erasmus in Adagiis.

Horatius ueterum ROM. frugalitatem in Sermonibus celebrat lib. 2. Sat. 2. inquiens:

Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus
Illis nullus erat: sed credo hac mente, quòd hospes
Tardiùs adueniens uitiatum commodius, quàm
Integrum edax dominus consumeret.--

ROMANIS probrosum censebatur alienis uesci. Proinde ferebant singuli, quod essent ac biberent, quò non dicerentur ἀλλοτριοφάγοι. Hinc tollendæ ignominiæ causa Romulus, qui cum fratre ab Laurentia foret educatus, Brumalia instituit, quibus conuiuio excipiebatur Senatus, quum necessarium diceret, ab rege suo ali senatum hyeme, nullis obstrepentibus bellis. Cælius lib. 27. c. 24. A. L. ex Suida. Apud HELVETIOS similiter etiamnum hodie ea cõuiuandi ratio uiget, ueteris frugalitatis index, ut qui ad conuiuium accedunt patresfamiliâs, licèt uocati, panem & uinum secum ferant. Etsi hic mos sensim cum uictus parsimonia obliterari incipit.

M. CRASSI mensa, cùm quos ad cœnas inuitasset, ciuilis erat & popularis. At habebat munditiem & comitatem iucundiorem hæc frugalitas sumtuosa. Plut. in Vitis.

M. CATO scripsit, uinũ in prętura & consulatu idẽ quod & operas bibisse, epulas ad cœnam ex foro triginta cõparasse assibus. idq; facere reip. causa, quò corpus suũ esset ad perferendam militiam robustum. Plut.

AVGVSTVS Imp. utebatur conuiuiis cœnisq; moderatis sine nimio sumtu. Conuiuabatur sæpè, alacri comitate omnes assidentes prouocans: minimi enim erat cibi, & uulgaris, uini autem parcissimus. nam diu rarenter bibebat. Si tamen sitis urgeret, perfusum aqua frigida panem aut fructus aliquos edebat. Cuspinianus ex Suetonio.

IN LVCERNAS.

NICOLAVS Cusanus Cardinalis, in cœna etiam lucernis oleo infuso, candelarum loco utebatur. Quod æmulis reprehendendi ansam dedit, quasi piaculum foret Apostolorum imitatorem ad lucernas cœnare. Hieron. Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.

IN VESTIMENTA.

Parsimoniã sumtus heic spectamus in uestitu tenui. Quatenus uerò ille idem luxuriæ occasionem amolitur, ad Temperantiæ locum pertinet. Exempla non pauca ex Tit. Eremitarum & Monachorum peti possunt.

M. CATO uestem nũquam induisse ait se, quæ pluris esset centum denariis. Plutarchus.

IN SERVITIA.

ANTIQVORVM frugalitatem in familia alenda, inde quis colligat, quòd uxores etiam regum olim coquinariam exercebant. Herod. lib. 8. Apud Euripidẽ in Helena PROTEI Aegyptiorum regis ianitrix est anus, Menelaum naufragũ stipem petentem excipiens.

PALAMEDES Argiuus, uir sapientissimus, ad Troiam nauigans, absq; seruo & ancilla, cùm Achilles ad eũ dixisset: Rudior plerisq;, ô Palamedes, uideris, quòd qui tibi ministret in bello, neminẽ adduxeris: tum ille ambas protendens manus: Quid ergo hæc ô Achilles? respondit. Philostratus.

Phocionis ALTERA uxor non minùs castitatis nomine & frugalitatis fuit Athenis celebrata, quàm ob probitatem Phocion. Spectantibus autem aliquando nouos tragœdos Atheniensibus, histrio, qui proditurus erat in scenam, personam poposcit choragum reginæ, ac multas eximiè cultas pedissequas. Non præbente illo, stomachabatur, tenebatq; suspensum theatrum, progredi abnuens. At choragus Melanthius protrudens eum in medium clamauit: Non cernis Phocionis uxorem unà cum ancilla semper incedẽtem? Tu uerò insolens es peruertisque mulieres. Hanc uocem exauditam excepit theatrum ingenti plausu & strepitu. Plutarchus in Phocione.

M. CVRIVS Dentatus, cùm à Samnitum legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est: cui duos calones in castris fuisse asserunt, cùm summam imperij gereret. M. uerò Antonio consulari octo seruos, Carboni septem solùm ministrasse. Alex. lib. 3. c. 11.

P. SCIPIO iunior, cùm legatus mitteretur ad Carthaginenses, unum tantùm comitem Panætium philosophum & amicum secum habuit, & famulos quinq;: quorum uno in peregrinatione defuncto, alium emere noluit, sed è Roma unũ in defuncti locum accersiuit. Potuisset Scipio multis comitatus uiris & seruis, legationem suam absoluere pro Romanorum consuetudine. Verùm ne cæteris ostentationis & superbiæ exemplum esset: his contentus, Reipublicæ negotia expedire uoluit. Plutarchus in Rom. apoph. Posidonius, Polybius. Athen. lib. 6. c. 8.

IDEM ad orbis terrarum componenda regna missus à senatu Rom. quò cuique sua tribueret, post duos inclytos consulatus, totidemque triumphos, septem tantùm seruis sequentibus officio legationis functus est, cùm ex Carthaginis & Numantiæ spoliis plures sibi comparare potuisset, nisi operum & factorum suorum fructum ad patriã redundare maluisset. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. Plin. cap. 58. de Viris illust. Alex. lib. 1. c. 18.

ENNIVS poëta, qui primus Latinorum heroica attigit, in Auentino domuncula & unius ancillæ ministerio contentus fuit. Alex. lib. 3. c. 11.

M. CATO mancipium nunquam plus mille quingentis dena-

riis emit: quòd nec molles, nec formosos, uerùm operosos & ualentes, ut equisones & bubulcos, quæreret: quos, ubi consenuissent, uenundandos putabat, neq; alendos inutiles. Plut. in Catone.

Cùm M. CATO Cos. bello, quod in Hispania gessit, seruos quinq; haberet: quæstor in Sardinia unico accenso contentus esset, in expeditionibus ipse arma ferret, seruus unus cibaria: multum à prisca continentia spacio annorum posterior Cato discessit, utpote in ciuitate iam diuite & lautitia gaudente natus: is tamen cùm bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens, duodecim seruos habuit: numero plures, quàm superior, temporum diuersis moribus pauciores. Valerius lib. 4. c. 3.

C. IVLIVS Cæsar, qui primus omnium hominum in insulas Britannicas cum mille scaphis penetrauit, tres domesticos omnino secum adduxit, uelut Cotas est auctor, qui tunc secundum locum in castris obtinebat, in cõmentario suo de Romanorum Republica. Athen. lib. 6. c. 8.

ALEXANDER Seuerus Imp. cursore nunquã utebatur, nisi seruo suo, dicens: Ingenuum carrere, nisi in sacro certamine nõ debere. Cocos item, piscatores, fullones & balneatores non habuit, nisi seruos suos: nolens quenquam ingenuum sordidis ministeriis dehonestare. Lampridius.

IVLIANVS Imp. cũ eunuchis & coquis seruos etiã ex palatio eiecit. Rogatus uerò cur id faceret? ait: His non opus esse, cũ minori sumtu uiuere posset. Eras. lib. 8. Apoph.

INNOCENTIVS VI. Pp. impẽsam domesticam, quę magna erat, imminuit, familiam suam ad certum & honestum redigens numerum: nec domi noluit nisi uiros habere probatissimos. Idem ut facerent cardinales, acerrimo edicto mãdauit, dictitans, suam ac omnium ecclesiasticorum uitam cæteris exemplo esse debere, ad imitationem Saluatoris nostri, cuius tota uita ad institutionem humani generis respexisset. Platina.

FRAN. Petrarcha famulitio modico usus, seruorum multitudines inquietum hominem facere aiebat. Hier. Squarzaficus in eius uita.

IN EQVOS.

ISRAELITARVM regibus multitudo equorum interdicta fuit à Domino, ne propter equorum studium populus reduceretur in Aegyptum equorum feracissimam, & cum Aegyptiis conciliaretur. Deut. 17.

M. CATO equum, quo in expeditionibus consul usus fuerat, ne Reipub. imputaret naulum, reliquit in Hispania. Plutarchus in Catone.

IN SVPELLECTILEM TAM Sacram quàm Profanam.

Tum

IN GENERE. SVPELLEX FRVGALIS, PARCA, PAVCA.

SCYTHICA narratur supellex, iugum boum, aratrum, sagittarum pharetra, quibus cum amicis utantur, & aduersum inimicos. Adiici & quo uectantur, currus potest: sunt enim ἄοικοι, hoc est, domibus nullis: qua in re uel nimium sibi placent, quòd solari quadam circumuectentur imagine. Cælius lib. 23. c. 10. A. L.

ARABIBVS totum familiæ censum una implet tenuis supellex, quæ nobili equo Numidico, lancea & iaculis constat. In mundo muliebri, neq; aurum, neq; argentum uisitur: sed lanea uirgata uestis, & pro geniali toro ex centone leuis culcitra: primores tantùm, argentum uermiculato opere fabrefactum, pictumq; in phaleris gestãt: argenteasq; item bullas collo suspendunt, quas incluso amuleto Thaheles uocant, quarum præsidio aduersus pericula se probè munitos arbitrantur. Sab. supplem. lib. 8. ex Iouio.

Hellanicus in Denominationibus, quosdã esse ex Libycis NOMADIBVS scribit, qui nihil aliud possideant, quàm calicẽ, cultrum & hydriã: quodq; domos habitant ex culmis confectas, easq; perexiguas, quãtæq; faciant ad arcendas temporum iniurias, quas etiã circumferunt, quocunq; proficiscantur. Athen. lib. 11. c. 1.

SARDOLIBYES aliud uas aut instrumentum non possidẽt, præter calicem & gladium. Ex Nicolao de Moribus gent. Stob. Serm. 42.

EPAMINONDAS dux Thebanorum, in supellectili sua, præter ahenum & ueru unicum, nihil habuit. Frontinus libro 4. cap. 3.

SOCRATES per forum obambulans, quum aspiceret mercium copiã, quæ illic uendebantur, ita secũ loqui consueuerat: Quàm multis rebus ego non egeo. Alij cruciantur animo, ita cogitantes: Quàm multa mihi desunt. Socrates sibi gratulabatur, quòd iuxta naturã uiuens, ac paucis assuetus, aurum, purpurã, gemmas, ebur, aulæa, reliquasq; diuitium delicias, nec cuperet, nec egeret: quas dicere solebat magis necessarias agendis tragœdiis, quàm ad usum uitæ. Brusonius lib. 5. c. 22. In hanc autem sententiam usurpabat uersus Iambicos poëtæ nescio cuius:

Ταδ' ἀργυρώματ' ἐστιν, ἥ τε πορφύρα,
ἐς τοὺς τραγῳδοὺς χρήσιμ', οὐκ εἰς τὸν βίον. id est,
Argentea isthæc uasa simul, ac purpura,
Tragœdiarum accommoda histrionibus
Sunt, ad beatam conferunt uitam nihil.

Laertius libro secundo.

In eandem ferè sententiam HORATIVS quoq; in præclara illa epistola ad Iulium Florum, sic inquit:

Aurum, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, uestes Getulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant. Est qui non curat habere.

De DIOGENE Cynico Ausonius sic scribit:

Pera, polenta, τρίβων, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namq; cauis manibus cernens potare bubulcum,
Cur scyphe te, dixit, gesto superuacuum?

PTOLEMÆVS Lagi F. apud amicos cœnitare assuetus, sæpe etiam dormire, si quãdoq; illis reponeret, uasa cõmodato eisdem sumere non uerebatur: stragula item, ac id genus alia plura: quòd ipse in domestica supellectile nil admodum prȩter necessaria haberet. ἀλλὰ τὸ πλουτίζειν ἔλεγε τοῦ πλουτεῖν βασιλικώτερον, Nã ditare quàm ditari, magis uideri regium, asseuerabat. Plut. in Apoph.

AVGVSTVS Cæsaris instrumenti & supellectilis parsimonia apparet etiã nunc: residuis lectis atq; mensis, quorũ plerasq; uix priuatæ elegantię sint. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili, & modicè instrato. Suetonius.

MATHIÆ Coruino Vngariæ regi nulla domi gemmata pocula, nullis atria auleis uestita: nullus, uel certè rarus, & is incultus ac rudis apparatus: sordidæ in quadrata mẽsa mappæ, cultus omnis ad equos & arma translatus: ibi aurum, gemmas & argentum gestare mos erat. Bonfinius libro septimo Dec. 4.

IN SPECIE. SVPELLEX Sacra.

ALEXANDER Seuerus Imp. teste Lampridio in templis nunquã præter quatuor aut quinq; argenti libras, aurine guttulam quidem, aut bracteolã posuit, identidem uersum Persij repetens, In sacro quid facit aurum? Idem in conuiuiis suis aurum planè nesciuit. Pontanus c. 2. de Splendore.

[redacted] ZEPHERINVS postea mãdauit, ut in uitreo uase, non in ligneo, ut antea, sacrificaretur. Antiquatum est id decretum paulatim, cautumque, ne in ligneo uase sacerdos rem diuinã faceret, propter materiæ raritatem, qua liquor imbibitur: neque uitreo, quia fragile: neque ex metallo, ob tetrum saporem, quem inde concipit: sed in auro, aut argento, aut si utrunque desit, in stanno. Auctor Gratianus. Sunt tamen, qui hoc primùm VRBANO I. assignent. Linteolum, super quo intersacra corpus Christi ponitur, SIXTVS I. pontifex iussit, ne ex alio quàm ex lineo panno, & quidẽ purissimo fieret: id corporale uocãt. Eiusdem quoq; sanctio, ne sacra uasa profanæ attrectarent manus, præsertim feminarum [redacted]

Profana. Cuiusmodi sunt

Vasa.

PRISCOS ex bouinis cornibus, quæ κέρατα dicuntur, bibere solitos perhibent, unde & cornutus Dionysius fingitur, & taurus à compluribus poetis nuncupatur, atq; taurina facie conspicitur in Cyzico. Hinc uerbum κεραννύειν & κεράσαι, pro eo quod est uinum aquæ miscere: & uas ipsum in quo uinum miscetur, Craterem appellant, quasi ceraterem, quoniã potus in cornu infundatur. Nostris etiã temporibus cornuum apparatus cernitur, quæ rhyta nonnulli appellãt, atq; poëtarum complures antiquos inducunt ex cornibus bibẽtes. Athenæus lib. 11. c. 8.

Polemon apud Athenæum libro 11. c. 10. tradit, ad ipsius etiã num ætatem GRÆCOS quosdam bibere solitos ex fictilibus: uelut ARGIVOS in publicis conuiuiis, ac LACEDÆMONIOS in Phiditiis festis, aut epiniciis, aut nuptiis uirginum. Erasmus in Adagiis.

AGATHOCLES, tyrannus Siculorum, nunquam sine fictilibus (memor paternæ obscuritatis, quòd figulo patre genitus fuerat) cœnauit: adeò quidem, ut inter uasa aurea, figulina semper admiserit. Alexander libro quinto, capite 21. ex Diodoro.

C. FABRICIVS Censor, ne duces plusquam pateram & salinum ex argento in castris haberent, & milites uasis ligneis tantùm uterentur, edixit. Alexander libro secundo, capite 29. ex Plutarcho.

Carthaginensium legati, cùm ROMÆ apud omnes eodem argento cœnitauissent dixisse, feruntur, Nullos hominum inter se benigniùs uiuere quàm Romanos. Plinius libro trigesimotertio, cap. 11.

M. CVRIVS Dentatus, cùm interuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit, iurauitque, se nihil ampliùs de præda homini in domum suam conuertisse. Si iureiurando Curij actio decisa fuerit, aut aliis etiam rationibus, non constat. Plinius de Viris illust.

Aelius CATVS, cùm legati Aetolorum in consulatu prandentem in fictilibus adissent: missa ab his uasa argentea nõ accepit, neq; aliud habuit argenti ad supremũ uitæ diẽ, quàm duo pocula, quæ L. Paulus socer ei ob uirtutem deuicto Perseo rege donasset. Plinius lib. 33. c. 11.

CONSTANTIVS Chlorus à Diocletiano adoptatus, Magni Constantini pater, diuitiarum contemtor, & modici cultus fuit, ut etiam a fictilibus non abhorreret. Quoties enim feriatis diebus epulum dabat, uasa argentea ab amicis accipiebat mutuò, ut abacum exornaret, & triclinia sterneret, studens diuitiis prouincialium ac priuatorum, non fisco. Solitus dicere, Melius esse publicas opes à priuatis haberi, quàm uno claustro detineri frustrà. Cuspinianus ex Suida, & Eutropio.

D. AVGVSTINVS uestitu mundo usus est, nec sordido, nec nitido nimium. Cochlearia argentea erant: cætera uasa omnia testacea, lignea, aut marmorea. Possidonius capite uigesimosecundo.

Stragula.

M. CATO superior, qui Celtiberos Hispaniæ populos, robur prouinciæ, secundis præliis fregit, cùm totam illam prouinciam administraret, pellibus hœdinis pro tapetis usus est. Val. Max. lib. 4. cap. 3.

Arma.

LACONES strigilibus utebantur non ferreis, sed arundineis. Plut. in institutis Laconicis.

Sellæ.

LACON, cùm in peregrinatione uidisset homines in sellis curulibus sedentes: Absit, inquit, ut in talibus sedeam sellis, unde non liceat assurgere seniori. In his enim sedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exurgere. Plut. in Lacon.

TVRCI, in terra comedentes omnes sedent, nec scamnis nec sedilibus utentes: quadã tamen decenti cõpositione, multũ naturæ ipsi deferentes. Mensam habẽt ex corio ceruino, plerũq; attonso ac rotundo, latitudine quinq; aut ampliùs palmarum, cum circulis ferreis, quibus immissa corrigia instar bursæ clauditur, aperitur & portatur. Cuspinianus.

IN BALNEA.

Antiquitùs in usu erant balneola perangusta, tenebricosa, uti Seneca inquit: neque enim calida uidebantur, nisi obscura. Eiusmodi fuisse legimus P. SCIPIONIS Africani balneũ apud Linternum. In eo ille horror. Carthaginis, cui Roma debebat, quòd semel tantùm foret capta, abluebat corpus laboribus fessum rusticis: quoniam se exercebat opere, terramque, ut mos fuit priscis, ipse subigebat. Cælius libro 30. capite 17.

IN DOMOS, VILLAS, AGROS, POSSESSIONES.

SPARTÆ in campo interiecto inter pontem & amnem Gnacionem (quem uocant Oenuntem) conciones habebant, ubi neque porticus erant, neque alia structura ulla. Nihil enim ea arbitrabatur Lycurgus ad consilia rectè capienda interesse: quin citiùs officere, quòd futiles & fluxas inani sensu congredientium mentes efficiant: cùm in signa & tabulas, uel proscenia theatrorum, uel lacunaria fabrefacta, illi, qui ad concionem ueniunt, defigunt oculos. Plutarchus in Lycurgo.

AGESILAI regis clarissimi domũ, ab inopi & priuata haud dissimilem fuisse, historiæ testantur.

LYCVRGVS serra & securi ianuas, fenestras & fastigia ædiũ fabricari sanxit, neq; omnino instrumẽtum adhibere aliud: omnia arguta & exquisita opificia exterminans. Plutarchus in Quæst. Rom.

Scandula contectam fuisse ROMAM, ad Pyrrhi usq; bellum annis quadringentis LXX, Cornelius Nepos auctor est. Plinius lib. 16. c. 10.

M. CVRIVS post insignes triumphos in concione dixit, Perniciosum esse ciuem, cui septem iugera non satis essent. Hęc autem mensura plebi post exactos reges assignata fuerat. Plinius lib. 18. cap. 3.

AELIORVM familiam, & Tuberonum, cùm decem & septẽ eiusdem cognominis forent, modicis ædibus, cum uxoribus & liberis, eosdem lares incoluisse, eundemq; agrũ Veientanum arasse, & ex eius fructu uictitasse, legimus. Alex. libro 3. cap. 11. ex Liuio.

M. CATO Censorius publicis iam priuatisque opulentus tebus, uillas suas inexcultas & rudes, ne tectorio quidem prȩlitas habuit, ad annum usque ætatis suæ LXX. & ita de seipsemet scribit: Neque mihi ædificatio, neque uasum, neque uestimentum ullum est in manu preciosum, neque preciosus seruus, neque ancilla. Si quid est, quo utar, utor: si non est, ego sum, cuique per me uti atque frui licet. Vitio uertũt, quia multa egeo. At ego illis, quia nequeunt egẽre. Gellius lib. 13. cap. 22.

Antiquæ ROM. uillæ auiaria duo duntaxat habebãt: in plano cohors, in qua pascebantur gallinæ: & earum fructus erant oua & pulli. Alter sublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut summa ulla. Contrà, nunc auiaria sunt nomine mutato, quòd uocantur ornithones, quæ palatum suaue domini parauit, ut tecta maiora habeant, quàm tum habebant totæ uillæ, in quibus stabulentur turdi ac pauones. In leporario, præterquam lepusculum è uenatione, nihil habebant. Neque enim erat magnum id septum, quod nunc, ut habeãt multos apros ac capreas, complura iugera maceriis cõcludunt. In tertia parte quis habebat piscinam, nisi dulcem, & in ea duntaxat squalos ac mugiles pisces? Quis contrà nunc Rhinton non dicit sua nihil interesse, utrum iis piscibus stagnum habeat plenum, an ranis? Varro lib. 3. c. 3.

CN. POMPEII domus ad tertium usq; triumphum, non magnificentiùs extructa fuit, quàm priuati & egeni ciuis. Alex. lib. 5. cap. 25.

AVGVSTVS Cæsar habitauit in Palatio: sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neq; laxitate neq; cultu conspicuis: ut in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pauimento cõclauia. Ac per annos ampliùs XL eodem cubiculo hyeme & æstate mansit: quamuis parum salubrem ualetudini suæ urbem hyeme experiretur, assidueque in urbe hyemaret. Si quando quid secretò, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & τεχνόφυον uocabat: huc transibat, aut in alicuius libertinorũ suburbanum. Aeger autẽ in domo Mœcenatis cubabat. Ampla & operosa prætoria grauabatur, & neptis quidẽ suæ Iuliæ profusè ab ea extructa etiam diruit ad solum. Sua uerò, quamuis modica, non tam statuarum tabularumq; pictarũ ornatu, quàm xystis & nemoribus excoluit, rebusq; uetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt, Capreis immaniũ beluarum, ferarumq; membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heroum. Suetonius.

TVRCI simplicitatem ostendunt in ædificiis suis, nullam penitùs habentes delectationem in construendis domibus: licèt sint auro atque argento ditissimi, superfluitatem tamen esse iudicant. Raró ex lapidibus, frequenter ex lignis domus construunt. Ridẽt itaq; mirum in modum Christianos, cùm tanta uident ædificia: quæ ideo putant extructa, quasi credant se perpetuò uicturos. Nobiliores autem, ęstatis tempore relinquentes urbes, in campo sub papilionibus degunt, uenationibusque utuntur. Qui uerò pecudibus operam dant, nullas penitùs habent domos, sed cum pecoribus terras pro pascuis quærunt: hyeme calidiora & inferiora loca, æstate superiora: quamuis ditissimi sint auro, tuguriis exilibus contenti: ostendentes se mundi peregrinos. Cuspinianus.

IN SEPVLCRA.

INDI operosa sepulcra, ut grauia defunctis, aspernati, humili tumulo mortuos suos sepeliunt. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Honesta dare. DONATIO Liberalis (cuius species est MVNIFICENTIA, in muneribus publicis spectata) qua tanquam maxime illustri totum genus appellare possemus; si loquendi usus permitteret) perpendere uidetur alia quidem
  - Accipientis
    - Miseram, & Indigentiã. DONATIO Miseriecors appellatur. Considerãda
      - Res, Quæ dantur. Puta
        - Alimenta, *Frumenta.*
        - Agri, *Domus.*
        - Refticulatio, *Racematio, Spicilegium.*
        - Mensa. Pecunia.
        - Vestes. Stragula.
        - Libri. Cornu.
        - Anuli. Vasa *argentea.*
        - Templorum *ornamenta.*
        - Carbones, *Lapides.*
        - Sanitas. Libertas.
      - Modus, Quo modo:
        - Seipsum *defraudando.*
        - Decoquendo. Vendendo *seipsum.*
        - Vendendo *carissima.*
        - Dissimulando. Cælando.
      - Tempus, Quãdo:
        - In *Studio.* Die *festo.*
        - In *Nuptiis.* In *Victoria.*
        - In *Morte, Testamento.*
      - Locus, Vbi. In:
        - Triuio.
        - Atrio, *Aula.*
        - Mensa.
    - Dignitatem, *Meritum.* DONATIO *iusta, uel*
      - Fida. *Huc*
        - Salaria.
        - Merces.
      - Officiosa.
      - Grata.
  - Dãtis *Affectu, Consilio, uel*
    - Religiosi. DONATIO Religiosa. Considerandum
      - Quæ dantur in
        - Genere.
        - Specie. Donariorum alia faciũt ad
          - Vsum *fructũ. Videlicet*
            - Regiones, *Insulæ, Vrbes, Agri, Prædia.*
            - Vectigalia, *Reditus, Fructus annui Permissiones, Decimæ.*
            - Priuilegia *uaria.*
            - Animalia *in usum sacrificiorum.*
            - Thura. Supellex *sacra.*
            - Libri. Pecunia. Lateres.
          - Honorẽ, *Memoriã. Vt sunt*
            - Reliquiæ *sacræ.* Imagines *sanctæ.*
            - Naues. Sellæ. Vestes,
            - Monilia, *Gemmæ.* Arma.
            - Vasa. Mensa. Coronæ.
            - Cathenæ. Trabes. Equi.
      - Quomodo.
    - Profanum. *Vide signum Aa.*
  - Inhonesta *non data.* PARSIMONIA *in ἀόσει,* DONATIO *Parca, respectiu*
    - Personarum, *Erga quas. Nõ dare*
      - Regibus. Filiis.
      - Mendicis. Militibus.
      - Auaris.
    - Rerum, *Quæ. Non dare, uel Parcè dare*
      - Congiarium.
      - Stipem *sacram.*
      - Ludos. Dotem.

LIBERALITAS *in ἀόσει, Muneraria, ut ita dicã, Personas potius qb. dat, quãm Res in quas sumtum facit, spectare uidetur. Officiũ illiũ duplex est. Nimirum Dona*

Aa. Pro-

- Vtilitatis, *Commodi cuiuscunque.* DONATIO *prudens. Munera, quæ utilitatis honestæ causa dantur.*
  - Honoris. DONATIO HONORIFICA. *In qua considerãdæ*
    - Res, Quæ. *Dantur ergo honorificè*
      - Vrbium, *Hortorum fructus, singillatim.*
      - Altilia. Carnes.
      - Pisces. Panes. Lac.
      - Vinum, *Mustum.* Sal.
    - Ciuitates. Agri, *Prædia.*
    - Domus. Dignitates *fructuosæ.*
    - Vestimenta.
    - Vtensilia. *Supellex uaria. Cuiusmodi sunt*
      - Vasa
        - Aurea, *Argentea.*
        - Fictilia.
        - Vitrea.
      - Aulæa. Candelabra.
      - Horologia. Campanæ.
      - Organa *musica.* Mensæ.
      - Alueoli *lusorij.* Libri. Calx.
    - Ornamenta. Vt
      - Vitis. Cathenæ, *Compedes.*
      - Corona. Columnæ.
      - Mundus *muliebris.*
    - Sacræ *reliquiæ.*
    - Thus. Pecuniæ, *Numi.*
    - Tributi, *Vectigalis exactio.*
    - Serui. Pellices.
    - Animalia *rara, dono missa, ita*
      - Genere.
      - Specie:
        - Canes. Elephanti.
        - Pantheræ. Asini.
        - Equi. Aues.
    - Opera *gratuita.*
    - Spectacula *exhibita:*
      - Cur. *Huc*
        - Natalitia.
        - Inauguralia
          - Ædilitatis.
          - Imperij.
        - Imperij *Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia.*
        - Vrbium
          - Dedicationis, *Ortus.*
          - Ætatis: *Seculares ludi.*
        - Victoriæ.
      - Quę. In
        - Genere.
        - Spę. cie:
          - Theamata
            - Hominum
              - Gymnica, *Athleticæ.*
              - Gladiatoria.
              - Curulia, *Auvigarum.*
              - Pugnæ
                - Terrestris.
                - Naualis.
            - Ferarum.
            - Volucrum. Plantarum.
          - Acroamata.
  - Profani *usus causa datur munera uel causa*
    - Epulæ, *Conuiuia publica:*
      - Quæ:
        - Publica.
        - Priuata.
      - Cur. *Epulæ*
        - Religiosæ, *Sacræ.*
        - Funebres, *Exequiales.*
        - Victoriales, *Triumphales.*
        - Inaugurales. Pacis.
        - Nuptiales. Hospitales.
        - Philosophicæ.
    - Munera *alimẽtaria, Sportulæ, Visceraliones: in*
      - Genere. *Commeatus.*
      - Specie:
        - Villarum, *Hortorum fructus.*
        - Fructus *singillatim.*
        - Altilia. Carnes.
        - Pisces. Panes. Lac.
        - Vinum, *Mustum.* Sal.
    - Ciuitates. Agri, *Prædia.*
    - Domus. Dignitates *fructuosæ.*
    - Vestimenta.
    - Vtensilia. *Supellex uaria. Cuiusmodi sunt*
      - Vasa
        - Aurea, *Argentea.*
        - Fictilia.
        - Vitrea.
      - Aulæa. Candelabra.
      - Horologia. Campanæ.
      - Organa *musica.* Mensæ.
      - Alueoli *lusorij.* Libri. Calx.
    - Ornamenta. Vt
      - Vitis. Cathenæ, *Compedes.*
      - Corona. Columnæ.
      - Mundus *muliebris.*
    - Sacræ *reliquiæ.*
    - Thus. Pecuniæ, *Numi.*
    - Tributi, *Vectigalis exactio.*
    - Serui. Pellices.
    - Animalia *rara, dono missa, ita*
      - Genere.
      - Specie:
        - Canes. Elephanti.
        - Pantheræ. Asini.
        - Equi. Aues.
    - Opera *gratuita.*
    - Spectacula *exhibita:*
      - Cur. *Huc*
        - Natalitia.
        - Inauguralia
          - Ædilitatis.
          - Imperij.
        - Imperij *Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia.*
        - Vrbium
          - Dedicationis, *Ortus.*
          - Ætatis: *Seculares ludi.*
        - Victoriæ.
      - Quę. In
        - Genere.
        - Spę. cie:
          - Theamata
            - Hominum
              - Gymnica, *Athleticæ.*
              - Gladiatoria.
              - Curulia, *Auvigarum.*
              - Pugnæ
                - Terrestris.
                - Naualis.
            - Ferarum.
            - Volucrum. Plantarum.
          - Acroamata.
    - Modus: *Quomodo dantur.*
    - Tempus. *Quando.*

Voluminis Decimi Liber III.

De Liberalitate Mvneraria, en ΔΟΣΕΙ, quæ in Dando Donandoq. ſpectatur.

IN priore Liberalitatis Vtentis ſpecie Sumtũ & Impẽſam cõſiderabamus Magnifici eximiè dicti: hîc Dationẽ ipſam, ſiue Donũ Munifici: atq; ut illic Rei in quam fit ſumtus, ita hîc Perſonæ, cui uel res datur, uel ſumtus confertur, habenda ratio. Proinde eadem ſæpe exempla utriq; loco inſeruient, diuerſo tamen reſpectu. De Doni & Muneris differentia ambigunt Grammatici, ambigunt quoque Iureconſulti. Seruius Donum ſuperioribus diis, Munus inferiorib. dari ait: Donatus illud Deorum, hoc Hominũ eſſe (cùm ſecũdùm Varronem, qui Mutuo animo ſunt, illud dent officij cauſa) Paulus I.C. Donũ genus eſſe ait, Munus ſpeciẽ: cõtrà Marcianus in hoc genus, in illo ſpeciẽ conſtituit. Vt proinde Donũ ſui ambitu etiam Munus comprehendere, in ſpecie uerò maiorum tantũ rerum eſſe uideatur, Munus minorum. Nos uniuerſim Dona & Munera appellamus, quæcunq; Liberaliter alteri ab altero uel in præſens uel in futurum dantur. Sic etiam Dona Caio dicuntur, quæ poſt mortem hæredibus relinquuntur: & Donaria tum quæ diis dantur, tum quæ Imperator militibus, quæ eadẽ Donatiua: uti quæ populo Congiaria. Munera itẽ pro ſpectaculis & ludis, qui à magiſtratu uel principe quaſi muneris loco exhibẽtur: unde Munifici, qui munera talia exhibent, & Munificentia propriè, in his exhibendis ſplendor. Nempe penes populum arbitrium eſt & ius & norma loquendi. Nobis ſatis ſit digitum ad fontes intendiſſe.

DONATIO MISERICORS. ELEEMOSYNA DATA PAVPERIBVS, EGENTIBVS.

QVI DEDERINT.

APOSTOLI.

THOMAS apoſtolus ad Gnodophorũ Indiæ regẽ pro architecto nõ terreni (ut ille putauit) ſed cœleſtis opificij miſſus, cùm magnã pecuniæ uim in ædificãdę regiæ ſumturus accepiſſet: profecto in aliã prouinciã rege, argentũ omne pauperibus diuiſit. Quod ubi innotuit regi, uinctus ductus eſt in carcerẽ. Interim Gad frater regis elatus, cũ die quarto reuixiſſet, teſtatus eſt, uidiſſe ſe in cœlo mirabilis ſtructuræ baſilicam, gemmis auroq; fulgentem, atque audiuiſſe à Thoma regi conditam, niſi ea ſe ipſe fecerit indignum. Rex itaq; rediuiui fratris tum miraculo attonitus, tũ uerbis permotus, apoſtolum uinculis liberat, Chriſtum prædicanti credit: & credens intelligit, non in terra, ſed in cœlo eleemoſynis paranda eſſe mortalibus habitacula. Marulus.

PONTIFICES, Epiſcopi.

Ex Tit. Liberalitatis erga pauperes in genere, huc exempla plura pertinent.

RABANVS Maurus, Fuldenſis antiſtes, mox archiepiſcopus Moguntinus, cùm tanta fames Germaniam occuparet, ut etiam pater filium ſuum deuorare uellet: multã beneuolentiam pauperibus exhibuit. Sigebertus in Chron.

ANASTASIVS IV. Pont. max. pauperes pauit ſua pecunia, quũ uniuerſam propè Europã torqueret fames. Rauiſ.

BASILIVS Magnus, epiſcopus Cæſarienſis, in fame grauiſſima facultates ſuas uendidit, ſiumẽtum comparauit, ex quo pauperes omnes, etiam Iudæorum liberos, aluit. Sozomenus lib. 6. cap. 34.

Synodus Romana cenſuit, EPISCOPOS eò collocãdos, ubi prædia abundent, quæ alendis pauperibus ſuppetant: oportere enim epiſcopum penu & alimoniæ pauperum promũcondum & procuratorem eſſe. Auentinus lib. 3.

REGES.

Anno regni HERODIS XIII. ſiccitas diuturna accidit, eãq; inſecuta eſt ſterilitas, & peſtilentia, cùm ægroti in tanta penuria nec curam ſibi conuenientem, nec alimentũ congruũ habere

poſſent. Abſumtis ueterib. frugibus, neq; terra reddente debitum, cùm ne regi quidẽ amplæ facultates ſuppeterent, dum fraudatur agrorũ reditibus, abſumta in ædificationem urbiũ pecunia: quicquid erat in regia ſupellectilis tam aureæ, quàm argenteæ, id totum concidit, & pecuniã miſit in Aegyptum, quam tũc Petronius obtinebat pro Cæſare. Is quia priuatim amicus erat Herodi, præ aliis eis conceſſit frumenti exportationẽ. Herodes itaq; eximiã laudem beneficentiæ & prouidentiæ retulit. Nam primùm his, qui ſibiipſis frumentũ quærere non poterant, diuiſit, omnibus accuratiſſimè diſpenſans. Deinde quia multi erant, qui propter ſeniũ uel aliã debilitatẽ cibos parare non ualebant, his quoq; prouidit, adhibitis piſtoribus, ut in promtu alimenta haberent. Quin & aduerſus hyemis aſperitatẽ prouidit, ne qui periclitarentur inopia ueſtium, abſumtis pecoribus, & lanis aliisq; tegumẽtis deficientibus. Vbi uerò etiã huic neceſſitati proſpectum eſt, propinquis quoque Syrorum urbibus ſollicitudinem impendit, diſtributis ad ſementem faciendam frugibus: ita ut reuocatis ad rationem, quæ in exteros tantùm inſumſerat, reperta ſint frumenti cororũ X millia, corus autem capit X medimnos Atticos: intra regni uerò ſui pomœria LXXX millia cororum expenſa ſunt. Ioſephus lib. 15. c. 12.

HELENA Adiabenorum regina ad Iudaiſmum conuerſa, uiſendi templi cauſa Hieroſolymã uenit. Cumq; per id tẽpus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia: regina ex ſuis alios miſit Alexandriã comparaturos uim magnã tritici, alios in Cyprum, qui copiã ficuum paſſarum inde aduherẽt. Quibus omnibus breui reuerſis, cibos egenis diſtribuit, atq; hoc beneficio memoriã immortalem ſibi apud Iudæorũ gentem peperit. Filius quoq; eius Izates Adiabenorum rex, cõperto quanta fame laboraret illę populus, multum pecuniæ miſit Hieroſolymitanorũ primatibus. Ioſephus lib. 20. c. 2.

Ab Imperatore HENRICO IV. agmina pauperum ſuſtẽtata ſunt: qui eũ domi in cubilibus, in campis, in caſtris ſequebantur. Nã & liberaliter eis proſpexit, & in demortuorũ locũ mox alios ſubſtituit, ac in prædiis ſuis erogari eleemoſynas largas præcepit, ut in uita eius annotatur.

Quum Ludouicus Thuringiæ Landgrauius Cremonam ad Imperatorem Fridericum proficiſceretur, eius uxor ELISABETHA Andreæ Vngariæ regis F. ſæuiente annonę caritate, coactam eſurientium turbam exinanitis horreis aluit. Maritus explorata ſanctitate coniugis ſuccenſus, liberam diſtribuendarum rerum ei poteſtatem dedit. Bonſinius lib. 7. Decad. 1.

DVCES.

CORNELII, Italicæ cohortis centurionis, eleemoſynæ (ut in Actibus Apoſt. legimus) aſcenderunt in memoriã in cõſpectu Dei: atq; ad illum adhuc gentilẽ, angelũ de cœlo, & Simonem Petrum ab Ioppe, Cæſaream uſq; euocarunt.

EVSTOCHIVS, ſub Cæſare Traiano magiſter equitum, ſuper cornibus cerui, quem uenando inſecutus fuerat, Chriſtum in cruce fulgentem uidit. Qui dum, ob ipſius erga inopes beneficia, ei ſe apparuiſſe diceret, ut myſteria ueritatis reſeraret, credentem baptizari iuſſit. Marulus libro primo, capite ſecundo.

PHILOSOPHI.

EVAGRIVS philoſophus Alexandrinus, inter alia Chriſtianæ religionis dogmata, etiam de hoc dubitabat, quòd eleemoſynam pauperi largiendo, recepturus eſſet centuplum cum uita æterna. A' Syneſio Alexandriæ epiſcopo cõuerſus, attulit ei CCC auri libras, quas ille pauperibus diſtribueret: data ſibi cautione manu propria ſcripta, Deum iſta redditurum.

QVIBVS. Nempe

PIIS, RELIGIONI ADDICTIS.

ABDIAS procurator domus Achabi Iſraelitarum regis ſceleſtiſſimi, uir pius, cùm Iezabel regina omnes Domini uates perdere conaretur, centum prophetas, in quolibet antro quinquagenos, abſcondit, eosq; pane & aqua ſuſtentauit. 3. Regum 18.

MICHAEL Imperator & Procopia Auguſta (teſte Paulo Diacano libro 24. rerum Rom.) Chriſtianis ex Aegypto & Syria ob Saracenorum crudelitatem ad ſe confugientibus, hoſpitia & aliquot auri talenta præbuere.

LVDOVICVS Pius Imp. Chriſtianis in Aſia & Africa opem eius expoſcentibus, denarios ſingulis regiis prædiis exactos ad inopiam ſubleuandam miſit. Auentinus lib. 4. Analium Boiorum.

CAROLVS Magnus in Aegyptũ, Syriã, Africã cum ingenti ui auri miſit, qui pios, ſub imperio impiorũ regũ uitã inopem agentes, ope ſubleuarent, ſolarentur. Aemilius lib. 2.

SYMMACHVS Pontifex laude piæ liberalitatis inſignis, ad cætera beneficia epiſcopis, quos Tranſamundus Vandalorum rex poſt perſequutionem in Africa renouatam in Sardiniã relegarat, aſſiduè ueſtes atq; alimenta ſuppeditauit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

CIVIBVS.

CIMONIS Athenienſis comites per urbem incedentes ſecretò ſacculos pecunia plenos geſtabant, egentibusq; omnib. numos impartiebant: modò non indigni hac ope uiderentur. Itaq; Leontinus Gorgias Cimonem dixit opes paraſſe, ut uteretur: uſumq́, eſſe, ut ex eis ſibi honorem pararet. Plutarchus, & Athen. lib. 12. c. 15.

TVLLVS Hoſtilius Romanorum rex, quot agrorũ cæteri reges in uſum ſuũ ſeruabant, publicè pauperibus diuiſit: multorũ regum moribus diſſimilis, qui quod pauperum eſt, ſibi uſurpare conſueuerunt. Fulg. lib. 4. c. 8. ex Liuio.

Non latus initiò ager fuit Romanus, ſed eum magna ex parte quæſiuit Romulus bello: quem diuiſit totũ NVMA egenæ plebi, quò præciſa ini iriæ neceſſitate inferendæ, inopia traductum ad colendos agros populũ arua mitigarent. Quippe inſtitutũ aliud nullum tam acrem amorẽ & celerẽ inducit pacis, quàm uita ruſticana, quæ audaciã bellicã, quatenus propugnatio poſtulat proprij, retinet: libidinẽ uiolentiæ & rapiendi reſecat. Quãobrẽ agriculturæ Numa & quietis illecebris implicãs ciues, atq; hãc, ut morum magiſtram potiùs quàm opulentiæ conciliatricem amplectens, diſtribuit agrũ in partes, quas Pagos uocauit, ſingulis cuſtodes præfecit & arbitros. Plut. in Numa.

NERVA Imp. ciuibus egenis, ut uitam ſuſtentarent, decies & quinquagies centena millia numûm erogauit.

BASILIVS Macedo Imperator, progreſſus olim de more ad Apoſtolorum ædem ſacrã, ciues quoſdam triſtes conſpicatus, mœſtitiæ cauſam rogauit. Qui intrepidè Imperatori, O' Domine (reſponderunt) quid ni triſtemur, qui mortem noſtrã ac liberorum præſentem oculis uidemus, quũ duos modios frumenti aureo uno mercari cogimur: & cùm iam pecunia deficiat, nunquid propediem deficiet & uita? His auditis rex ingemuit, & pecuniis mœrorem diſſoluit. Tum eos, qui ciuilibus præfecti erant negotiis, quòd tantæ indigentiæ non feciſſent certiorem, magiſtratu amouit, ac dignitate priuauit. Cuſpinianus in Nicephoro.

Obſidione Longobardorum Romam ad ſummam rei frumẽtariæ penuriam adductam TIBERIVS tertius Imp. miſſis multis nauibus, frumentum ex Aegypto apportantibus, à famis periculo liberauit, anno V. ſui imperij, Mariano Scoto teſte. Paulus Diaconus lib. 17. rerũ Rom. & de geſtis Longobardorum lib. 3. c. 5.

Anno IV. ROMANI Argyropoli Imp. fames ſimul ac peſtis Cappadociam, Paphlagoniam, Armeniam & Honoriadem ita afflixerunt: ut incolæ patriis relictis, alias ſibi quærerent ſedes. Quibus imperator à Meſanactis in urbem rediẽs cùm occurreret, neq; ignoraret migrationis cauſam: coegit eos domum redire, pecunia & aliis ad uitam neceſſariis reb. eos conſolatus. Cedrenus.

ALFONSVS Ateſtinus dux, Ferrarienſis, defuncto patre Herculę, initio ſtatim principatus, oborta in populo ſęua fame, malignitate exuſtæ ſegetis, ſingularis erga patriam pietatis ſpecimen præbuit, aduectitio frumento per tribus atq; familias liberaliter diuiſo, & egentibus infimæ plebis officioſa atq; admirabili caritate non ſemel inuiſis & ſubleuatis. Nam recrudeſcente indies malo, quod toti ferè Italię eo anno commune fuit, ægrorum corpora tabe lurida miſerè deformata, enectaq;, paſſim cadebant. Et quum publicæ hoſpitales domus ægros noui caperent, peſtilentia, quæ uaſtaret urbem in proximo ſpectabatur. Quibus malis atq; periculis inſigni cura, benignitate & munificentia, ab Alfonſo obuiam eſt itum, tanta ciuium gratia, ut Borſio, huiuſmodi beneficiis populariter commendato, æquaretur: eoq; ſtudioſiùs, quòd dudum paterna uectigalia minuiſſet, armariisq; paternæ gazæ patefactis, ornamentorum omnis generis precioſam ſupellectilem amicis benignè diuiſiſſet. Iouius in eius uita.

ORPHANIS.

ADRIANVS Imp. factus, pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta ſtatuerat, incrementa dedit. Suetonius.

NERVA Imp. puellas puerosq; parẽtibus pauperibus natos, ſumtu publico per Italiæ oppida ali iuſſit. Cuſpinianus.

Anno Chriſti M CCCC LXXX IIX, ut infantib. uulgò quæſitis, qui publicè alebantur, quorumque magnoperè numerus excreuerat, largiùs uberiusq́ue eſſet, in Senatu VENETO lex eſt perlata, ut naualium urbanorum magiſtratus in annos ſingulos tritici molita ſeſtaria, quæ appellant, ducenta, ulni amphoras duodecim, eorum curatoribus darent: iisq́ue rebus ex reipub. horreis ſyluæ cæſæ ad ignem domeſticum carros ducentos eorum præfecti adderent. Bembus lib. 1. Ven. Hiſt.

PRÆGNANTIBVS.

IOANNES Eleemoſynarius, Alexandrinus epiſcopus, pau-

peribus feminis, quibus non erant habitacula ad pariendum, septem domos præparauit. Simeon Metaphrastes in uita eius.

AMICIS.

PTOLEMÆVS rex liberaliter donauit Aratum Sicyonium, eiecto Nicocle tyranno. Misit enim ei dono primùm uiginti quinq; talenta: quæ is egenis suis ciuibus, cùm in alia, tum ad redimendos captiuos, dilargitus est. Quia uerò placari non poterant exules, qui prædiorum suorũ possessores fatigabant, & ciuitas in extremum ueniebat periculum, perrexit Aratus iterum ad regem, rogans ut argento sibi ad conciliandam ciuitatem suam subueniret. Magnis igitur periculis in Aegyptum nauigans à rege accepit dono ciuitati suæ centum quinquaginta talenta. Plut. in Arato.

AMASIIS.

LVCHINVS Viualdus Genuensis, iuuenis opulẽtus, Genuensem matronam frustra deperibat. At cùm non haberet unde sibi filiisq; alimenta pararet, misit, qui Luchinum ad colloquium inuitaret. Lætus Luchinus, uenisse tempus arbitrabatur, amata potiundi. Mulier pedibus eius prouoluta, manãtibus lacrymis, dixit: Mentem quidem sibi semper fuisse, ut inuiolatam cõiugi fidem seruaret: sed extrema inopia pressam, uictamq; paruulorum pietate liberorũ, quos fame iam confectos uidebat, cogi se, ut suam filiorumq; uitã eius misericordiæ cõmendaret. Quibus uerbis auditis, Luchinus amore in pietatem conuerso, ne manu quidem mulierẽ contigit: sed statim domum reuersus, omnia uxori narrauit, atque per eam mulieri pecuniam & cætera ad uictum necessaria misit. Fulgosus lib. 4. c. 3.

HOSTIBVS.

Theodosio iuniore, cõtra Persas suscepto bello, regionem Azazenam uastante, capti erant à Rom. circiter septem Persarum millia. Quos cùm regi Persarum reddere nollẽt Romani, fame ceperunt periclitari. Ibi tum ACACIVS Amydenus episcopus conuocato ecclesiastico collegio omnes cò duxit, ut uasa & donaria ecclesiæ preciosissima uenderẽt, & eo precio captiuos redimerent. Quos cibo refectos, & uiatico insuper donatos, ad regem remisit. Qui tanta Acacij pietate motus, à Theodosio impetrauit, ut Acacium coràm uidere, eiusq; colloquio frui posset. Socrates lib. 6. c. 21.

Recepta Clodia Genuenses capti plurimi à Venetis, & ad finẽ belli usq; custoditi. VENETÆ matronæ tantũ pecuniæ in medium cõtulère, ut Genuensibus, qui seminudi è custodia educti erant, tunicæ aliaque uelamenta corporis, ut cuiq; hac uel illa re opus fuit, sint abeuntibus præbita: uiaticum adhæc datum, ne mendicare cogerentur. Sabellicus libro nono, Enneadis 9.

EXVLIBVS.

BERZELÆVS Galaadites Rogelimus, Dauidi exuli, cùm à filio Absalomo regno pulsus esset, apud Mahanaim trans Iordanem cibaria liberalissimè suppeditauit, cum omnibus rebus necessariis. Idem quoque fecit SO[illegible] Nahæ F. ex Rabba Ammonitarum, & MACHIR Ammielis F. Lodabarensis. 2. Reg. 17.

CAPTIVIS.

Consule Tit. Liberalitatis in Captiuos, Lytrum Datum, Remissum. Heic sola δόσις perpenditur.

MERCATORIBVS.

IOANNES Eleemosynarius, patriarcha Alexãdrinus, mercatori infeliciter negotianti, primùm quinq;, postea decem libras auri dari iussit, & postremò nauem Ecclesiæ cũ frumento. Simeon Metaphrastes Tomo 5. in uita eius.

SENATORIBVS.

TIBERIVS Cæsar, multos ordinis senatorij ad egestatẽ redactos locupletauit: eæq; largitiones statim ipso uidente numerabãtur, ne quid inde, ut sub Augusto factũ meminerat, per dispensatores subtraheretur. Zonaras.

VESPASIANVS Imp. consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentauit. Suetonius.

PHILOSOPHIS.

Ad HERODEM Atticum palliatus quispiam & crinitus, barbaque propè ad pubem usque demissa accessit, ac sibi εἰς ἄρτους, ad panes scilicet emendos, dari petiit. Interrogatus Quisnam esset? irato uultu, Se philosophum esse, respõdit. At Herodes, Video, inquit, barbam & pallium, philosophũ non uideo & iussit dari precium panis XXX dierum: Demus, inquiens, tanquam homines, nõ tanquã homini. Conuersus postea ad discipulos: MVSONIVS, inquit, philosophus æruscanti cuipiam, & philosophum sese ostentanti, dari iussit mille numum. & cùm plerique dicerent, nebulonem esse hominem, malum, & nulla re bona dignum, subridens dixit, ἄξιος οὖν ἐστὶν ἀργυρίου. Gellius lib. 9. cap. 2.

QVAE. DATA PAVPERIBVS

ALIMENTA, FRVMENTA, PANIS.

PATIENS Cabillionum episcopus, gratis frumẽta distribuit per desolatas Gallias. Sidonius in epistola ad Patientem.

HENRICVS princeps Boemorum & episcopus Pragensis, in maxima annonæ caritate, frumento à se coëmto indigentibus gratis exhibito, adeò factus est popularis, ut ad eũ defendendum contra Premislaum & Vladislaum fratres regnum affectantes uniuersi confluerent. Dubrauius lib. 14.

ALVREDVS Anglorum rex, continuis Dacorum bellis attritus, sese in palustria loca Somerseti, comitatus cum paucis suorum, recepit. Hic magnis sollicitudinum scrupulis pressus, dum opem Deum poscebat, ac quid consilij capiendi foret, sedulò agitabat, aliquot dies per dubitationem consumserat: cùm ecce tibi, obuium habuit hominem admodù inopem, sicut præ se ferebat, qui frustum panis suppliciter petiit. cui rex libens dedit. At postero die, quàm id muneris dederat, per quietem uidit diuum Cuthebertum attestantẽ, se pauperem illum fuisse, cui panem dedisset: iussitq; eũ bono animo esse. Aluredus confestim ad suos milites rediit, & magnis præsidiis auctus deintegrò bellum suscepit, & in pristinum statum restitutus est. Polydorus.

AGRI, DOMVS.

ARCHEBIVS Aegyptius monachus, cùm eremum in Aegypto incoleret, cellulam, quam sibi iam quinquagenarius ipse ædificauerat, Ioanni Cassiano monacho, qui illuc ab altera regione se cõtulerat, cum omni suppellectile donò dedit: sub eo nomine, quòd cuicunq; monacho deinde contigisset illuc uenire, eam daturus esset. Cæterùm ut cella Cassiano cessit, statim aliam ædificare cepit, quã similiter aduentanti peregrino monacho dedit: tertioq; idem repetiit. Tecum igitur reputa lector, quid inopi eremitæ hãc toties danti remanere poterat: & comparatum ei Macedonem Alexandrum, auarum iudicabis. Fulg. lib. 4. c. 5.

DOROTHEVS Aegyptius monachus pauperrimus, ex lapidibus collectis quotannis habitaculum construebat, ad hospites excipiendos. Volat. 21. Anthrop.

NERVÆ Imp. iussu Senatores delecti, qui agros emerent, diuiderentq; egenis.

RESTICVLATIO, RACEMATIO, SPICILEGIVM.

ISRAELITIS Dominus inter cæteras leges unam dedit liberalitatis erga pauperes, inquiens: Cùm agri uestri messem facietis, fundi tui extremum ne permetito, néue messis tuæ spicilegium facito, neu uineam tuã racemato, neu relictas uuas relegito: pauperi & peregrino ea relinquito. Leuit. 19. Idipsum iterata lex præcipit: Si in fundo tuo messem facies, mergitẽ omiseris in agro, ne eũ repetito: sed is peregrini, pupilli, uiduæ esto: ut tibi Ioua Deus tuus omnia tua opera benefortunet. Oleam cùm stringes, ne relegito: peregrinus, pupillus, uidua habento. Vineam cùm uindemiabis, ne racemato: peregrini, pupilli, uiduæ esto. Deut. 24.

MENSÆ.

CAROLVS Magnus præter alia, quæ liberaliter pauperibus legarat, auream quoque mensam, item tres argenteas, in quarum una Neoroma (Constantinopolis) in altera uetus Roma, in tertia Orbis terrarum descriptus erat, quas multo auro comparauerat, uendi, & precium pauperibus distribui iussit per Archiflamines: iuxta quorum numerum legata pauperibus in unam & uiginti portiones diuisit. Quippe tot primariæ urbes seu metropoles in imperio Caroli erat. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

PECVNIA.

EPIPHANIVS, Cypriorũ metropolis Salaminæ episcopus, facultates suas pauperibus distribuit. Ad eũ tanquã ad cõmunem œconomũ pecuniæ, quæ pauperib. darẽtur, undiq; mittebantur. Quodã tẽpore cùm totum exhausisset ærarii, Ecclesiæ œconomus ægrè id ferebat, & prodigum appellabat. At non multo pòst incerto auctore loculi auro referti in ædes œconomi illati, diuino testimonio Epiphanij pietatẽ confirmarunt. Sozomenus lib. 8. c. 14.

Pontifex maximus VRBANVS, cùm Cæciliæ martyris thesauri, quos dispensandos acceperat, quærerentur, quoniã eos iam indigentibus impenderat, dixit: Cæciliæ thesauros pauperum manus in cœlum sustulerunt. Marulus lib. 1. c. 2.

LAVRENTIVS Leuita à Decio tyranno quæstione agitatus, ut argentum indicaret, quod Philippum Philippi Augusti filium olim Ecclesiæ obtulisse constabat: protensa in pauperes manu, quibus iamdudum erogatum erat: Apud hos, inquit, Philippi argentum depositum seruatur. Ibidem.

THEODOSIVS Iunior Imperator multum pecuniæ misit ad archiepiscopum Hierosolymitanum, egenis distribuendæ. Cedrenus.

Sub

Sub Iustiniano Imp. Synesius episcopus Alexandrinus EVAGRIVM philosophum ad fidem cõuertit, & auctor ei fuit, ut CCC auri libras inter pauperes diuideret, data syngrapha, eum centuplum à Deo recuperaturum. Cedrenus.

LVDOVICVS Pius, Germaniæ rex, dum Ratisbonæ Francofordiæq; sacras ædes muro hærentes, mœnibus solo æquatis, ampliari iubet, auri thesauros repertos, egenis largitus est. Auentinus lib. 11.

MACHETAD Scotorũ rex, anno Domini 1050. Romæ argentum seminando, pauperibus distribuit. Marianus Scotus.

VESTES.

Pro TABITA Dorca, pauperum, quibus illa se benignã conficiendis uestibus præstiterat, obsecrantium uoces apostolũ Petrum compulerunt, ut illi iam conclamatæ, ad pristinam uitam reditum à Domino impetraret. Act. 9.

Pro DRVSIANA egenorum Ephesi turba Ioãni apostolo occurrens, ut quam illi tunc efferebant, ipse protinus suscitaret, obtinuerunt, dum uestes ab ea, acceptas ostentant. Marulus lib. 1. c. 2.

D. MARTINO catechumeno adhuc, cùm militem ageret, in porta Ambianensi occurrit pauper nudus. Verùm cùm præter arma & chlamydem nihil haberet, gladio uestẽ mediam discidit, & pauperi eam dedit. Ea deinde nocte Martino in somnis Christus uisus illa chlamydis parte contectus, hac uoce, Martinus catechumenus hac me ueste cõtexit. Seuerus Sulpitius in eius uita, & Bonfinius lib. 5. Dec. 1.

IDEM postea Turonensium episcopus factus, cùm in uestibulo ecclesiæ offendisset hominem detrita lacerna seminudũ, in sacrarium euocato, tunicam, quam sub pallio solam habebat, dedit. Allato sibi demùm collobio, indutus ac superindutus podere, reliquisq; sacerdotalibus ornamentis, dum sacra peragit, atq; inter agendum ambas suppliciter manus ad cœlum tollit, delabentibus linteis brachia nudata ostendit. Sed priusquam ea demitteret, amicta apparuère tegumento mirabili. Marulus lib. 1. c. 2. & Fulg. lib. 4. c. 8.

PETRVS Telonarius Constantinopolitanus sese nudans, pauperes uestiuit. Marulus lib. 1 c. 2.

EGIDIVS Atheniensis, regio genere nobilis, dum adhuc sub tutela patris ætatem ageret, mendico ægrotanti (quoniam aliud quod daret non habebat) suum amiculum dedit. Quo quidem ille indutus, euestigiò sanus consurrexit. Postea uerò quàm defunctis parentibus liberam suscepit bonorum possessionem, tam promto animo omnia egenis dispertiuit, ut ea non priùs habuerit, quàm donauerit. Idem.

COSMAS Atticus patriarcha, patria Aegineta, benignitate erga pauperes insignis fuit, adeò ut aliquando pallium & tunicam & lineam calyptram capitis, pauperibus misericordia motus distribuerit. Neque de suo tantùm largiebatur, sed alios etiam, ut pauperum inopiæ subuenirent, impellebat. Nicetas lib. 2.

IORDANES Saxo, ordinis Prædicatorũ princeps, cùm pauperi cuidam uestem, quam habebat, largitus esset, eãdemq; paulo pòst mẽdicus cauponi oppignorasset: ob intempestã liberalitatem reprehensus, Satius fuit uestem perdere, quàm caritatem, respondit. Leander lib. 1. de ordinis Prædicatorum Viris illustribus.

SERAPION monachus, cùm nihil præter tunicam & palliũ haberet & Euangeliorum codicem, obuiam factus duobus pauperibus, alteri pallium, alteri tunicam dedit. Marulus libro 1. cap. 2.

CIMONEM Miltiadis F. comitabantur familiares adolescentes honestè amicti: quorum quisque, ubi occurrebat Cimoni ex ciuibus maior natu obsoletius uestitus, pallium cum eo commutabat. Plutarchus in Cimone, & Athenæus libro 12. cap. 15.

STRAGVLA.

IOANNES Alexandrinus patriarcha, qui pauperes dominos suos appellare solebat, cùm à diuite quodam, uile ac sordidum grabatuli sui tomentum miserante, plumeam culcitram dono missam accepisset: ubi primùm ea substrata cubauit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingeminscens, mollius tunc se iacere, quàm dominos suos. Cumque illuxisset, culcitram uenundari, pecuniam pauperi erogari mandauit. At diues ille ab emtore redemtam, iterum misit, precatus ne munus suum ultrà uenale haberet, sed eo ipse frui uellet. Verùm diuitis preces superabat patriarchæ in egenos misericordia: neq; modo ullo Ioannes tenere se potuit, quin rursum itidem faceret, ut priùs. Atq, adeò quoties id muneris missum sibi accepit, toties uendendum curauit. Marulus lib. 1. cap. 2.

LIBRI.

DOMINICVS Hispanus, dum Valentiæ bonis artibus perdiscendis operam daret, ciuitas annonæ caritate laborare cepit. Ille multorum famem miseratus, cùm pecuniam non hãberet, qua indigentibus pro tempore subueniret, libros uendidit: nec dubitauit literarum studiis, studium præponere pietatis. Marulus lib. 1. c. 2.

CORNV.

Adelbertus Eporœdiæ Marchio, qui Berengarij gener erat, atque ex filia eius Gisla Berengarium genuerat, eum, qui pòst & ipse regnum Italiæ tenuit, tanta sanctitate ab ineunte pueritia fuit, ut si à uenatione fortè reuertens in pauperem incidisset, neq; præsentem pecuniam, quam ei daret, haberet, cornu, quod preciosum collo gestabat, elargiretur, & pòst ab eo quãti æstimaret redimeret. At mox regnandi libidine accensus, ut Lambertum regem, sic pòst etiam socerum de regnò deturbare studuit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

ANVLI.

EDVARDVS III. Anglorum rex pauperi cuidam eleemosynam petenti anulum dedit. Polydorus lib. 8.

VASA ARGENTEA.

S. GERMANVS Galliæ episcopus, cùm Rauennam uenisset, à Placidia, quę cũ Valẽtiniano filio imperabat, honorificè excipitur: & quum ab ea delicatissimi cibi in argentea patina, sine carnis intermixtione, mitterẽtur, cibos inter discipulos distribuit, patinam in pauperum cõmodum erogauit. Pro regio munere, panem hordeaceum in patella lignea remisit. At illa utrunq; cum maximo plausu accipiens, patellã auro exornauit, & panem ad uarios languẽtium usus reseruauit. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

D. GREGORIVS dum adhuc abbas esset, cùm nil aliud præstò haberet, lagenam argenteã dedit petenti. Marulus libro primo, cap. 2.

OSVALDVS Northumbrorum rex, in sacro die Paschatis dũ pranderet, discumbente fortè cum eo Aidano episcopo, à ministris intellexit frequentes pro foribus domus circũstare pauperes cibum petentes. Tum pius princeps caritate motus, lancem argenteam cum cibariis, quæ ad manus prima aderat, pauperibus minutatim diuidendam dedit. Aidanus ob huiusmodi præclarum liberalitatis facinus ad regem cõuersus, & eius dexteram prehendens, inquit: Nunquam putrescat istã manus. Quod, ut credere par est, uir utique sanctus, diuino afflatus spiritu, cecinit. Et quidem illa manus, consumto posthac corpore, integra semper mansit, quæ capsula decenti condita in urbe Regia, in diui Petri templo, multa cum ueneratione, diu seruata est. Polydorus lib. 4. ex Bedæ lib. 3. cap. 6.

IOANNES rex XIIX. bellum gerens, cùm pecuniarum nihil penitùs haberet, cuidam equiti pro uxore & liberis, quos fames urgebat, pecuniã petenti, sex argentea uasa, quæ sibi sola ad mensæ usum relicta erant, impertiuit. Marineus lib. 12. rerum Hispan.

TEMPLORVM ORNAMENTA.

Anno DCLX. fames maxima Galliam inuasit: cui ut [illegible]retur, CLODOVEVS II. aurum & argentum, quo [illegible] D. Dionysij Dagobertus pater impensè magnificeq; ornauerat, egentibus distribuit. Chronicon Francorum.

CARBONES, LAPIDES.

In SCOTIA pauperes penè nudi ad templa mendicantes, acceptis lapidibus eleemosynæ gratia datis, læti abeunt. Id genus lapidis, siue sulphurea siue alia pingui materia preditũ, pro ligno, quo regio nuda est, comburitur. Aeneas Syluius cap. 45. Europæ.

SANITAS.

PETRVS cum Ioanne in templum ascendẽs, claudum stipem petentem sanauit, eleemosynæ loco. Dignum est obseruatione, quòd Christus Iesus semper fidem requirebat ab iis quos sanaturus erat: quandoquidem illi non eleemosynã, sed beneficium sanitatis expetebant. At Petrus nõ explorata fide claudi, & nihil minus quàm sanitatem expectantẽ, sanum fecit. Actorum 3.

Mos erat ALPHONSO Aragonio, Siculorum regi, quocunque in loco Eucharistiã ferri conspexisset, relicto equo quo uehebatur, pedibus eã prosequi in locũ, ad quẽ perferebatur. Dum hoc peragit, contigit semel in uetulæ domum ingredi, sanguinis fluxu laborantis. Cùm autem certior factus esset, eiusmodi morbo plurimùm iaspidem conferre, misit statim, qui unum quem habebat perferret: ipseq; mulieris manui eum inseruit, breuique à morbo ægra liberata fuit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

LIBERTAS.

Consule Tit. Liberalitatis erga Captiuos. Illic generalis locus liberalitatis tractatur: hic ipsa Liberalis δόσις consideratur.

QVOMODO.

SEIPSVM DEFRAVDANDO.

SIMON monachus Sotionis filius, cùm in cœnobio in uesperum edundi mos esset, uiritimq; cibaria fratribus diuiderentur: sæ

tur: sæpenumerò cœnulã suã integrã seponebat, & pauperculis eò uentitantibus offerebat, hebdomadarũ interdũ inediam passus, ut aliis alimenta præbere posset: famẽ interim non sentiens, dum fami prospicit aliorum. Marulus.

BERNARDINVS, ordinis Minorum secunda gloria, cũ parentibus orbatus, sub Dianæ materteræ disciplina degeret, prandiolum suum cum pauperculis partiri consueuerat. Et dum in panario, die quodam, uix, qui domesticis sufficeret, panis extaret, ac materfamiliâs mendicanti defectum excusaret: eam Bernardinus tamdiu orare non destitit, donec exorauit id saltem petenti concedi, quod sibi reseruabatur: affirmans semet esurire malle, quàm esurientem non pauisse. Marulus lib.1.c.2.

DECOQVENDO.

ALEXANDER V. adeò munificus fuit in pauperes, ut breui nil sibi reliquerit. Vnde per iocum dicere interdum solebat, se diuitem episcopum fuisse, pauperem cardinalem, mendicum pontificem. Platina.

De PAVLA Romana hoc scribit D.Hieron. in eius Epitaphio: Pauperes curiosissimè tota urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur.

VENDENDO SEIPSVM.

Possidebat FRATER quidam (is SERAPION est Marulo) solum Euangeliorũ codicem. Hũc uenditum contulit in cibũ pauperum, ac uerbum hoc memoratu dignum subiecit: Ipsum, inquit, uerbum uendidi, quod dicit, Vende, quæ habes, & da pauperibus. Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 23. Marulus lib.1.c.2.

PETRVS Telonarius, Constantinopolitanus, ut pecunias cõpararet in usum pauperum, seipsum uendit. Marulus libro primo, cap.2.

Memorabile est, quod de PAVLINO, Nolanę urbis episcopo, refert Gregorius. Is urbe sua expugnata à Vandalis (sub Iustino seniore Imp. & ciuibus captis, plurimos ab hostibus emit, pecunia pro eis soluta, donec omnem substantiam suã ita dispensauit. Tandem cùm nihil ei superesset, ac uidua quædã λύτρον pro filio capto ab eo peteret, ipse se pro captiuo, hosti tradidit, & uiduæ suum filium restituit. Gregorius libro 3. Dialog.cap.1.

VENDENDO CARISSIMA.

A CYRILLO Hierosolymitano episcopo uendita fuisse preciosa aliquot ornamenta Ecclesiæ, in magna fame, ut ex eorum precio multitudini pauperi prospiceret, [redacted] scripsit lib.4.[redacted]

D.REMBERTVS, Ripensis episcopus in Dania, inde Hamburgensis archiepiscopus, quum plures tenerentur captiui à [redacted] andalis, [redacted] illius possent ære redimi: sacra e[redacted]rum uasa distraxit, & impẽdit: sanctiùs arbitratus, preciosas [redacted]o animas libertati restituere, quàm aurum intra sa-[redacted]ongerere. Cranzius lib.2. Metrop.c.10.

D.[redacted]RIVS Pp.lib.6. Epist.177. Fortunato episcopo Fariensi sacrorum uasorum distractionem pro redemtione captiuorum promitit. Idipsum quoq; Epistol. 199. Domino Messanensi episcopo.

DISSIMVLANDO.

NICOLAVS, Myreæ episcopus, dum uicinus quidam, urgente in scelus inopia, prostitutis trium natarum corporibus, uictum sibi quærere decreuisset: ille accedens ad domum eius, nocte intempesta, ut eleemosyna in occulto fieret, tantum auri per fenestram iniecit, ut inde & uirgines honestè locarentur, & pater ipse in spem sustentandi se non iniquã simul deueniret. Nicolao uerò, quoniam bona sua prudenter dispensauerat, ecclesiastica credita sunt, & in episcopum Myreæ diuinitùs est electus. Marulus libro 1. capite secundo: & Sabellicus lib.2.c.1.

IOANNES Alexandrinus patriarcha, cùm aliquando mendico sibi obuiam facto, sex numos dispensatorem dare iussisset: ille acceptis diuertit paululũm de uia, & progredientium præuertens uestigia, gestu habituque alium mentitus, alios sex, non quia non agnosceretur accepit: sed quòd talem nactus fuerat datorem, qui etiam deprehensa fraude manum poscenti subtrahere nesciret. Et iam tertiò pari astu uso, cùm patriarcha duplicatam pecuniam numerari præcepisset, succlamare dispensator in malitiam hominis cœpit. Conuersus uerò Ioannes: Tace, inquit, fili: nam fortasse hic Dominus noster est Iesus Christus, periculum nostri faciẽs, an tandem offensi crebris repetitionibus, cessaturi simus misereri. Hic quia maximè in dando propensi animi erat, cognomento Eleemosynarius dictus fuit. Marulus libro primo, capite 2.

Alexandrinus ciuis, Macarius nomine, in magnis opibus à patre relictus, paruo tempore iuuentæ libidinem secutus, omnibus consumtis ad inopiam redactus est: quę idcircò ei infestior erat, quòd mendicitatem erubescebat. Hoc cùm APOLLINARIS, Alexandriæ patriarcha, resciisset, arbitratus id quod erat, Macarium (qui postea inter sanctos relatus est) ut aliquid eleemosynæ nomine acciperet præ pudore nunquam adductum iri: nouum inueatum, ut eum iuuaret, excogitauit. Finxit enim, in antiquis Alexandriæ ecclesiæ scripturis uetus instrumentum esse inuentum, quo ostendebatur superioribus temporibus Alexandrinam ecclesiam contracto nexu quinquaginta auri libras annuas eius patri debuisse. Ergo Macarium ad se accersiuit, orauitq;, ut unius anni pensione contentus, pro reliqua summa ecclesiã liberare uellet. Lætus Macarius conditionem accepit. Prudenter igitur patriarcha, & Macarij pudorem, & suam largitionem texit. Fulg.lib.4.cap.8.

CÆLANDO.

ARCESILAVS philosophus, Ctesibium ægrotantem inopiaque rerum pressum inuisens, plenum numis sacculum clàm eius puluillo subiecit. Quo reperto: Arcesilai (inquit Ctesibius) hic ludus est. Arcesilaus dicere solebat, se malle liberalitatem, quàm auream argenteamque supellectilem. Guido Bitur.

PETRVS Vrseolus, dux Venetorum, sæpè clanculum ęgrotos uisitabat, ipsorumq; inopiam uerbis & eleemosynis subleuabat. Bergomensis lib.11.

D.Marci Veneti PROCVRATORES sub Sebastiano Ciano Duce primũ instituti, pauperrimũ quẽq; ære publico subleuabant. Sed diuersam omnino dandi rationem ueterem illam ab hac recentiore fuisse, putat Sabellicus: & quò honestiorem, eò sanè magis probabilem. Per se, ut aiunt, uiri illi scrutabantur, qua cuique opus re esset: inde demissis in papyraceos cucullos pecuniis, singulorum nomina habentes (eorum sanè, quibus die illo cõsultum uolebant) primis tenebris conuentis domesticatim pauperibus, quàm occultissimo pietatis fungebãtur munere. Nec tum uidisses (quia non opus erat) in illorum uestibulis pauperum multitudinem, ut hodie: nec apud quenquam ualebat amicorum aut propinqui cuiusquam intercessio: sola inopia, modò cognita esset, satis erat ad opem consequendam. Sabellicus lib.8. Decadis 1.

COSMVS Florentinus, per alios sæpenumerò munera misit amicis suis, ut à quo mitterentur ignoraretur. Quo docuit, seruandum in quibusdam & erga quosdã tritum illud Christianorum prouerbium, Ignorare sinistram debere, quod ipsa dederit dextra. Pontanus de Liberal.cap.27.

QVANDO. ELEEMOSYNAM dare

IN STVDIO.

AVICENNA, perlecto cõmentario Albumasaris in metaphysica Aristotelis, lucem maximam ad ea de quibus priùs dubitauerat intelligenda percipiens, actis Deo gratiis, sequenti die largas pauperibus dedit eleemosynas. Nic. Massa ex Sorzano Arabe.

DIE FESTO.

Amane à rege Ahasuero interfecto & suspenso, IVDÆI festũ diem instituerunt, in quo pauperibus munuscula largiebantur. Esther 9.

IN NVPTIIS.

HENRICVS III. in nuptiis suis Ingelheimę actis prohibuit, tibicinibus, mimis & scurris, quorum ingens caterua confluxerat, cibos, uestes, & pecuniam aut alia munera dari: sed ciborum reliquias pauperibus distribui iussit. Chronicon Magdeburgense.

IN VICTORIA.

Hungari, tributum à Saxonibus repetentes, ab exercitu HENRICI II. Imperatoris occisi sunt, aut capti: iisque usque ad internecionem deletis, tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarumactione in ecclesiis pauperibus exoluerunt. Sigebertus in Chron.

IN MORTE. TESTAMENTO.

LVCIA uirgo ad liberalitatem erga pauperes matrem Eutychiam hortabatur. Illa, ut uitæ suæ finem expectaret, inferente (tum enim se quod uellet de opibus suis facturam esse) Non est, inquit Lucia, admodum gratum, ô mater, Deo munus, quod, qui offert, ideo offert, quia illius usum supremà sibi interdicit dies. Da, dum sana es: ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris, rem utique uolens nolens relinquere coacta. Eutychia laudauit filiæ sentẽtiam, illud sibi ex sacris certò persuadens, hilarem datorem diligere Dominum. Marulus libro 1 cap.1.

AVICENNA, medicus & philosophus summus, moriens facultates suas, quas habuit amplissimas, pauperibus legauit. Sorzanus in eius uita.

VBI

VBI. VIDELICET.

IN TRIVIO.

Apud Græcos olim sub nouilunium DIVITES mittebant uespere cœnam Hecatæ in triuia, quam pauperes deuorabãt. Aristophanes in Pluto:

παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστι τοῦτο πυθέσθαι,
εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον. φησὶ γὰρ αὕτη
τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆν᾽ ἐπιφέρειν,
τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν, πρὶν καταθεῖναι. id est,

Hoc ex Hecate, si uis, didicisse licebit,
Vtrũ potius, ditẽ esse, an egenũ. Quãdoquidẽ iubet illa
Hos quib. est res, quoq; benignã mẽse uno ponere cœnã,
Cæterũ egenos hãc prædari, priùs ac deponere possunt.

Erasmus in prouerb. Vocabatur Hecate Sordida, propter id cœnæ genus, & Parca, quia umbrę porro, malua, mænidib. & triglis uesci creditæ sunt. In Triuiis præcipuè colebatur, quòd ibi exposita fuit, ut quidam putarũt, ab Aeolo & Pheræa parẽtibus, à bubulcis Pheretis educata. Natalis Comes Mythol.lib.3.c.14.

IN ATRIO, AVLA.

ADRIANVS I. Instituit, ut singulis diebus centum pauperes in atrio Lateranensi pascerentur, in quo etiam discumbentes pauperes picti cernebantur. Platina.

IN MENSA.

Ad mensam CAROLI Magni humi decumbentes XII pauperes quotidie uictu tenui pascebantur. Aigolando Saracenorum regi causam quærenti, respondit, illos magni sui Dei nunciorum typum referre. Tum ille, Ergo ne tu Dei tui nuncios tam sordidè tractas? Ea uoce ictus Carolus, pauperes illos deinceps honestius uestiri & lautius excipi uoluit. Ex Turpino Remensi, Sabellicus lib.8.En.8.

DONATIO IVSTA. EAQVE VEL FIDA. HVC

SALARIA.

M.ANTONINVS Philosophus Imp. Athenis initiatus, magnos honores tribuit Atheniensibus, quorũ in urbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos cõstituit, ad omnium gentium utilitatem. Dion.

M.ANTONINVS Pius Imp. rhetoribus & philosophis nõ solum salaria, uerùm etiã honores & prouincias decreuit. Põtanus c.11. & 42. de Liberalitate.

ALEXANDER Mammeæ Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruspicibus, Mathematicis, Mechanicis, Architectis salaria instituit, auditoria decreuit, pauperum filios publicè aluit. Cuspinianus.

FERDINANDVS Neapolitanus rex grandẽ pecunię summã quotannis ex ærario pendendã statuit Rhetoribus, Philosophis, Theologis, qui publicè Neapoli docerent. Egregiũ sanè factum, & perpetua cõmendatione dignũ, eos alere, quorum utilitas non tantùm ad parẽtes & sanguine cõiunctos, uerùm etiã ad totã patriam, & totum terrarũ orbem redundare potest. Pontanus de Liberal. c. 29.

FRANCISCVS I. Galliæ rex, laudatissimis Impp. & eruditione & rerum gestarum gloria par, pietate etiam superior, uerus Musarum mœcenas, Parisiis in omni literarum genere professores annuo stipendio C D librarum in singulos constituit, quos Regios uocant, qui absq; stipe docerent publicè. Hacq; ratione factũ est, ut rudis illa & bellicosa Gallia literis quoq; & pacis studiis ornaretur. Nam regis ad exemplum totus cõponitur orbis. Cæsar Veneris natus Gallias armis subegit: at hic noster Minerue filius & armis protexit, & literis ornauit atq; illustrauit.

MERCES.

VELAMENTVM est artis precium, id est, operæprecium uelat atq; abscondit ipsius artem, facit ut nulla eius ducatur ratio. Econtrà Honorarium est artis, quod datur sponte ob artem, non ob operam.

OFFICIOSA.

Euergetis, genti Arimasporum prope Arianos, nomẽ ab eo inditum, quòd Cyri regis exercitum frigore & fame cõfectũ, tecto & cõmeatibus olim iuuissent. Euergetas in potestatẽ redactos ALEXANDER Magnus ob egregiã fidem, quam Cyro olim præstitissent, grandi pecunia donauit. Sab. lib.5. En.4. ex Diodoro.

CORINTHII Atheniensibus sociis naues uiginti rogantibus, cùm lege eas dono dare non possent, uendiderunt illis singulas quinis drachmis. Herod.lib. 16.

PLATÆENSES, ut feliciter à Græcis contra Xerxem in campis Eleusinæ Cereris (ut oraculum præceperat) pugnaretur, neq; tamen locus ille ad pugnandum aptus esset, quantum erat agri inter Atticam & urbẽ suam, id Eleusinæ Cereri dono dederunt. Plut. in Aristide.

PORSENA rex Hetruscorum, pace cum Romanis iũcta, cùm aliam ciuitati exhibuit ingentem munificentiam, tum nihil præter arma ut deportarent Thusci, castra cõmeatu & omnis generis opulentia referta relinquerent, imperauit, eaq; donauit Romanis. Vnde mos usq; ad nostrã ætatem in honorem & memoriam perpetuam illius beneficij manet, in sectionibus primùm bona Porsenæ regis proclamãdi. Plut. in Poplicola.

NERO senatoribus, qui tenui re familiari essent, annua salaria statuit. Alex.lib. 4. c.11.

Victor de Eugenio tyrãno THEODOSIVS Magnus, sicut crediderat, & prædixerat, Iouis simulacra, quæ aduersus eũ fuerant nescio quibus ritibus uelut cõsecrata, & in Iuliis Alpibus cõstituta, deposuit: eorũq; fulmina, quòd aurea fuissẽt, iocãtibus (quod illa lętitia permittebat) cursoribus, & se ab eis fulminari uelle dicentibus, hilariter benigneque donauit. Sigonius lib.9. Imp. occid. ex D. Aug. lib.5. de Ciu. Dei.

ANASTASIVS Imp. cognitis rebus à Clodoueo Francorum rege contra Vestgothos in Gallia gestis, uirtutem hominis admiratus, eximia ad eum dona, & codicillos de consulatu ex ipsa, ubi bellum contra Persas gerebat, Mesopotamia misit. Quibus acceptis, Clodoueus filium Theodericum accersiuit, ac solenne Francis indixit. Qui cùm frequentes cõuenissent, in basilica Sancti Martini Turonensis semet muneribus Augustalibus, tunica blattea, chlamyde, & corona aurea preciosis gẽmis distincta ornauit: inde, equo insesso, urbẽ specioso suorũ agmine comitatus perambulauit: ac cõmunis lætitiæ causa, stipem auream argenteamq; in populum sparsit, tanquam Consul & Augustus passim à populo salutatus. Quo die nullus pulcrior Francis post festum diẽ Christianæ regenerationis illuxit. Addidit inde huic gloriæ insigne religionis decus: quippe eximiam illam coronã, quam missam ab Imperatore gestarat, parum sibi congruere arbitratus, Romam dono sancto Petro misit, atque ea caput regali longè augustius exornauit. Ea corona postea Regnũ, ut notauit Sigebertus, est appellata. Sigonius libro decimosexto Imp. occid.

GRATA.

[redacted] demq; cõsiti agri iugera, post patris mo[redacted] etiã quatuor drachmis, quæ de publico diebus singulis penderentur. Pontanus, c.23. de Liberal.

Alcmæon Megaclis F. Atheniensis, eos Lydos, qui Sardibus à Crœso Delphos ad oraculum ierãt, comiter accepit. Cuius beneficentiam cùm CROESVS audisset, hominem accersiuit, & tanto auro donauit, quanto semel corpore suo ferre posset. Herodotus lib.6.

HIERON Syracusius cùm tripodem Victoriamque ex illaborato auro deo esset depositurus, uiros misit in Græciam, qui aurum perquirerent: qui uix tandem Corinthum accedentes, diuque inuestigantes, apud Architelem Corinthiũ inuenerunt, qui longo tempore paulatim emens, thesauros non exiguos comparauerat. Dedit is igitur Hieronis procuratoribus quantum uoluerunt, ac sui ipsius postea manum implens, illis insuper tribuit. Qua de causa nauigium frumento onustum, aliaque dona complura misit ei Hieron ex Sicilia. Ex Phanię libro de Tyrannis Siculis, Athenæus libro 6.cap.3.

TRIBVNVS Palæstinus medicus, à Cosroë rege, quem sanitati restituerat, muneris loco id unum petiit, ut sibi captiuos quosdam Romanos donaret. Quos rex præmij loco libenter concessit, supra tria millia. Suidas.

Anianus episcopus Aurelienses, cùm pro inauguratione cum solennitate urbem esset ingressurus, petiit ab urbis præfecto AGRIPPINO, ut captiuos omnes sibi dono daret. Quod cùm Agrippinus recusaret, ex ruina lapidis ex alto cadentis grauiter uulneratus, & ab Aniano curatus, concessit demùm, quod antè recusarat. Vincentius lib.19.c.12.

Seuerinus Romanos captiuos à GISA, Filithei Rugiorum reguli coniuge imperiosa & crudeli, sibi donari petebat.

Saper-

Superbè pium senẽ à se illa repulit, & statim filius eius morbo graui correptus est. Petiit illa ueniã à S. Seuerino, eiq; captiuos omnes donauit. Seuerinus uicissim filium eius sanitati restituit. Otho Phrisingensis lib.4.c.30.

HENRICVS II. Imp. Bambergæ monasterium sub nomine S. Michaelis monachis Benedictinis indulsit. Eam basilicam XIII pòst anno consecrare cupiens, Benedictum Pontificem ob id in Germaniã aduòcauit. Cùm Benedictus Henrici auctoritati obtemperasset, is se in singulos annos equũ album, & centenas marchas argenti S. Petro & successoribus eius daturum spopondit. Sigonius lib.8. Imp. occid.

IACOBVS Vrgellensis Comes, Ferdinando Aragonum regi rebellis, cũ ex oppido Bellagerio egrederetur se dediturus: obuius ei fit miles quidam, nondum obducta ingentis cicatrice uulneris, quod pro illo pugnans in capite acceperat: opem orans, ne militem suũ plagæ, morbo, fami, nuditati, tanquam immanibus feris conficiendũ relinquat. Huic Comes, Tu quidem rectè, sed ego te miserabilior, qui non modò nihil qd' dem, sed ne me quidẽ metipsum habeo. Quid loquor? habeo quod dem. Gerebat loricã hamis contextã, non consertam, non paruæ pecuniæ: eam protinus sibi detractam militi dedit. Valla lib.3. Hist.

M. Ant. Brasauola medicus Ferrariensis, BORSIO Duci, de duritie alui conquerenti, & tamen clysmata respuenti, suaserat, ut à cœna in pauimento aqua frigida consperso sensim deambularet. Hic cùm statim aluus moueri cœpisset, decocto herbarum calidarum rursus pedes fouit. Hoc curationis compendio delectatus princeps, eum centum aureis donauit. Testis ipsemet in Examine simplicium.

FERDINANDVS I. Imperator Ioannem Lãgium pro uersione Nicephori Callisti quingentis aureis donauit, & Ioannem Oporinum ad illius editionem spe amplissimorum præmiorum inuitauit.

DONATIO RELIGIOSA. MVNERA RELIGIONIS nomine data.

QVIBVS. PVTA

CHRISTO.

MAGI ex Oriente diuinitùs excitati, ad Christum adorandum Bethlehemam maximis itineribus peruenerunt, & pietatẽ suam regia munificentia comprobarunt, thus Deo, myrrhã Homini, aurum Regi offerentes. Matthæi 2.

ECCLESIIS.

CONSTANTINVS Magnus certum uectigal à ciuitatibus pendi solitum, Ecclesiis prouincialib. cleroq; distribuit. Dationem uerò ipsam, decreti sui auctoritate ualidam in perpetuum esse uoluit. Vt autem uirginibus, & qui in cœlibatu uiuerent, testari liceret, aliquidq; sacerdotibus ex testamento relinquere (qua ex re uidetur Ecclesiæ patrimonium auctũ esse) legem sustulit antea latam ad propagandam sobolem, qua illi uetabantur hæreditatem adire, qui 25 ætatis anno uxorem non duxissent. Hinc ius illud trium liberorũ inuentum à principibus est, quo in amicos prole carentes plerunque utebantur. Hæc Sociates & Sozomenus in Tripartita sua accuratè scribunt. Platina. Ecclesiarum ministros & clericos ubiq; locorum immunes esse constituit. [redacted]

Theodoretus lib.4. cap.4. hoc IOVINIANVM Imp. in primis laudat, quòd lege edita iusserit ecclesiis restitui frumentum, quod iis de publico olim præstari iusserat Constantinus, Iulianus uerò prohibuerat.

ROMANVS Argyropolus præter omnem spem atq; expectationẽ oculorũ amittendorũ periculo euitato, Imperator cum Zoë Augusta media Cõstantini Imp. defuncti F. factus, initio imperij, cùm sciret magnæ ecclesiæ reditus non sufficere, ut qui superioribus temporib. dispensator eius fuisset, LXXX auri libras quotannis ex ærario imperatorio ei pendi iussit, decreto ea de re condito. Cedrenus.

CONSTANTINVS Irenes filius cõmerciũ nundinariũ centum librarum auri largitus est ecclesiis Ephesi, ad famulatũ Ioannis apostoli. Paulus Diac. lib.23. rerum Rom.

PONTIFICIBVS, EPISCOPIS.

CONSTANTINVS Magnus Imp. Miltiadi papæ Rom. cùm prædia ac dona multa, tum in primis Augustale Palatium in Laterano (sic dicta à Laterani basilica, cæsariano truncati gladio) impertiit, atque ipse aliò ad habitandum perrexit. Quinetiam Saluatori continentem Palatio basilicam inchoauit, quæ postea basilicæ Saluatoris Constantinianæ ac Lateranensis nomen inuenit. Sigonius libro tertio Imp. occidentalis.

MICHAEL Imp. patriarchæ libras auri quinquaginta, & clero uigintiquinq; donauit. Paulus lib.24. rerum Rom.

Cùm THEOPHYLACTVS coronaretur Imp. patriarchę dedit libras uigintiquinq; auri, & clero centum. Idem.

CAROLVS Magnus moriens, duas partes relictæ à se pecuniæ iussit dari episcopis, præsertim metropolitanis, pro reficiendis ecclesiis, & pauperibus adiuuandis: tertiam filiis ac filiabus, cuiusq; ratione habita, cum seruis & ancillis, reliquit. Erant inter cæteros thesauros tres argenteæ mensæ, & una aurea iustæ magnitudinis. Quarum unam, quæ Constantinopolitanæ urbis similitudinem referebat, Basilicæ Petri Romæ: alterã, in qua forma urbis Romæ uisebatur, ecclesiæ Rauennati dono dedit: tertiam, quæ totius orbis descriptionem continebat, cum aurea, filiis suis reliquit. Cranzius lib.1. Metrop. c.18.

HENRICVS II. Imperator, uictis Boëmis, Sclauis, Polonis, episcopatus Merseburgensem, Madeburgensem, Misnẽsem, & paulo pòst Argentinensem, qui incursione Barbarorũ euastati fuerant, auxit & locupletauit, reditibusque suis denuò ditauit, ædificia collapsa renouauit, & in pristinum dignitatis gradum pontificalem multis additis ornamẽtis restituit. Cuspinianus.

SACERDOTIBVS.

LEVITIS Israelitæ ex præcepto Domini, occupata terra sancta, XLIIX oppida cum suis pomeriis assignarunt ad habitandum, cùm alioqui nullam illi hæreditatem, pręter Dominum, haberent. Vide Iosuam cap.21.

LVDOLFVS II. Raceburgensis episcopus, ordinauit uiginti marcarum perpetuos redditus: decem apud capitulum, & alias decem apud mensam episcopalem (sequutus prædecessoris exẽplum) pro canonicis ecclesiæ suæ in publicoli terarum studio sustentandis. Cranzius libro undecimo Metropolęos, c.50.

MONIALIBVS.

ALFONSVS rex Neapolitanus erga uirgines Deo initiatas liberalis fuit: pecunia templis oblata, quã dotis nomine acciperent. Pontanus de Liberalitate, c.16.

MILITIBVS sacris.

PHILIPPVS Deodatus Francorum rex, Ioanni Brenno Hierosolymorum regi exuli, & duobus magistris Templariorũ Hospitaliumque, sexagena millia aureorum ad sacri belli necessitates moriens legauit: filioq; præcepta dedit rei Christianæ iuuandæ, sacrique belli gerendi, ac pacis domi colendæ. Aemilius lib.6.

FRIDERICVS II. Imp. legauit multa millia unciarum auri militibus Templariis, Hierosolymitanis, & Hospitalariis S. Ioannis: ueluti compensationem faciens eorum fructuum, quos debitos ex ipsorum beneficiis, in regno Neapolitano sitis, per bella nunquam potuerant percipere. Reliquit & aliam ingentem summam pecuniæ ad Terræ sanctæ recuperationem, pro illorum arbitrio impendendã. Collenutius.

QVAE. DONARIA sacra

IN GENERE.

Ad construendum tabernaculum oraculare, quod Mosi Dominus in monte Sina indicarat, & ad reliquum cultum religionis, ISRAELITÆ sponte sua contulerunt quæcunque habebant, aurum, argentum, æs, gemmas, uestes, operam denique suam, tanta alacritate, ut cùm offerendi finis non esset, operum præfecti Mosen admonere fuerint coacti, ediceret, Ne quis ultrà aliquid conferret. Impensa autem sunt in sacrum opus auri oblati talenta 29. sicli sacri 730. Argenti ex censu ciuium redacti talenta centum, sicli sacri 1775. Exodi 35. & 38.

Redeuntes de Babylone IVDÆI obtulerunt sponte secundũ uires suas, ad extruendum Domini templum. 1. Esd.2.

Ante GYGEN Lydiæ regẽ, Pythiũ fuisse ἀνάργυρον καὶ ἄχρυσον, id est, sine argento & auro, scribit Athenæus, quæ hic obtulerit primus. Cælius lib.6. c.11. A.L.

Cùm Amphyctiones templum Delphicum (quia illud priùs sua sponte deflagrauerat) CCC talentis construendum locassent: Delphi, quos quarta pars sumtus contingebat, circa ciuitates uagi, cùm aliunde, tum uerò non minimum ex Aegypto retulerunt. Nam AMASIS rex Aegyptius, eis mille talenta aluminis: GRÆCI autem qui Aegyptum incolebant, uicenas minas donauerunt. Herod. lib.2.

AGESILAVS Delphos deportatus ad ludos Apollinares, festum Apollini celebrauit, ac decimam partem de manubiis Asianis, quæ C talentorum erat, sacrauit. Plut. in Vitis.

CONSTANTINI Magni donaria uariis data Ecclesiis, pete ex Platinæ Syluestro.

CONSTANTINVS, Leonis Philosophi F. in processibus ad fana, donaria quouis tẽpore obtulit magnifica. Cedrenus.

CAROLVS Magnus, uicto Desiderio rege Lõgobardorum, urbem ingressus, omnes basilicas inuisit, ac muneribus quibusdam ornauit. Platina.

IDEM de thesauro, quem Henricus Foroiulianorum dux ei miserat, multis ecclesiis & monasteriis dona obtulit. Regino lib.2. Iacobi ædem Calecianam inuisens, prædiis amplissimis ditauit, & donariis instruxit. Sab. Enn. 8. lib.8. & Henricus Erford. cap.68.

OFFA rex Merciorũ, loco satisfactionis pro peccatis suis, decimam partem bonorum suorum sacerdotibus & pauperibus distribuit. Polyd. lib.4. hist. Anglicæ.

IN SPECIE. DONARIORVM ALIA faciunt ad

Vsum. Puta

Regiones, Insulæ, Vrbes, Agri, Prædia.

ARAVNA Iebusæus aream suam pro ara Domino ædificanda, cum bubus, Dauidi gratis obtulit. Dauid tamen accipere noluit. 2. Reg. ult.

NICIAS Atheniensis post sacra & ludos prędiũ sacrauit, qd' X millibus drachmarum comparauerat: cuius uectigal impenderent in solenne epulum Delij, multam felicitatem ab diis Niciæ precantes. Id est enim incisum in pilam, quam pro domi custode reliquit in Delo. Plut. in Nicia.

Rex CLODOVEVS Francorum conuersus, donauit ministerio Remensis ecclesię tantum agri, quantum ipso à meridie somnum capiente, antistes Remigius interea pedes circumeundo conficere potuit. Hincmarus.

DAGOBERTVS rex, oppidum Rubiacum, cum omnib. suis redditibus & facultatibus Argentinensi Ecclesiæ donauit, propterea quòd filius eius Sigebertus, infans XXX dierũ, baptizatus ab Amando Argentinensi episcopo, cùm ad orationem eius de more nemo respõderet, ipse expedito sermone Amen dixerat: & quòd idem Sigebertus postea mortuus, ab Arbogasto eiusdem Ecclesiæ episcopo à mortuis ad uitam reuocatus fuerat. Nauclerus Volum.2.

LVITPRANDVS rex Longobardorum, nõ solùm quatuor ciuitates, sed insuper Sabinense patrimonium, & Narniam & Anconam & Cumanã, ciuitates, & uallem Sutrini agri, pontifici Zachariæ donò dedit. Blondus Decadis j. lib.10. Cranzius in Dania lib.3. cap.35. Et postea cùm idem rex Rauennam obsedisset, ab Eutychio Exarcho rogatus Zacharias, ad eum accessit: & effecit, ut cuncta quæ de Aemilia aut Rauennatibus cepisset, sibi redderet, exceptâ Cesenatis oppidi parte. Blondus ibidem.

IDEM admonitus à Gregorio III. donationem patrimonij Alpium Coctiarum, quam Herebrertus rex fecerat, & ille repetierat, denuò confirmauit. Beda de Ratione temporum: & Paulus de gestis Longobardorum lib.6. c.13. Adon ætate sexta, Blondus Decadis j. lib.10.

Aistulphus Longobardorum rex, Romam obsidens, obsidionem ueniente Pipino Francorum rege soluit, postulata fecit. Pentapolin, quæ est una pars Exarchatus, in qua sunt Rauenna, Cesena, Classis, Forum Liuij, Forũ Popilij: & Aemiliam alteram partem restituit, quę habet Bononiam, Rhegium, Parmam, & Placentiam, & quicquid ad Adriam usq; spectat. Desitq; per hæc Græcorum Exarchatus esse in Italia, anno, quàm fuerat institutus, supra centesimum, quinto & septuagesimo. Qua tempestate imperium Oriẽtale labare manifestè cœpit. Hæc loca omnia PIPINVS Pontificis fidei permisit: sed pòst CAROLVS Magnus eius filius, qui Longobardorum regnum euertit, Ecclesiæ donauit. Regino lib.2. & Adon ætate 6. Cuspinianus. Est ea regionis pars à posteris Romandiola dicta, ex urbis Romæ nomine, cui fidissima olim fuit. Cuspin. Carolus certè nudiusquartus posteaquam urbem ingressus fuerat, quæ dono pater Pipinus Gregorio tertio dederat, eadem ipse Hadriano primo amplioribus priuilegiis confirmauit, iureiurando interposito. Quæ quidem (ut Bibliothecarius refert) hæc sunt, quicquid in Liguria ab urbe Luca iampridem euersa usq; ad Alpes Italiæ fines pertinet: huic ditioni additur & Corsica insula, & quicquid Lucam & Parmam interiacet. Additur & Forumiulij cum hexarchatu Rauennatum, cumq; Beneuentano & Spoletino ducatu. Platina.

IDEM Arnoni episcopo Iuuauiensi, eiusq; successoribus subiecit omnem prouinciam à Drauo flumine Anassum uersus, unde Hunos & Auares eiecerat. Auentinus librò quarto Annalium.

IDEM Roma in Franciam reuersus, terram Saxonum inter episcopos diuisit, & singulis suos fines assignauit. Chronicon Quedlinburgense.

LVDOVICVS Pius Imp. ut Bibliothecarius ait, cùm Paschali primo rescriberet, ne deinceps seditio ex re incerta oriretur: ciuitates Hetruriæ imperio subiectas literis declarauit, Aretium, Volaterras, Clusium, Florentiam à patre Carolo restitutam & auctam, Pistorium, Lucam, Pisas, Perusiam, & urbem ueterem: cætera uerò Ecclesiæ Romanæ adscripsit. Addidit & Tudertum in Vmbria, & ultra Apenninũ Flaminiam, ac Rauennæ urbis hexarchatum. Platina.

MATHILDIS Comitissæ mater fuit Beatrix, Henrici II. Imperatoris soror, quæ Bonifacio cuidam nupsit nobili & ditissimo proceri, Luca urbe Hetrusca, uel potiùs agro illius oriundo. Incertum tamen est, an ex hoc marito, an ex alio Beatrix Mathildim genuerit. Mathildis cũ uiro Godofredo Lucam in Hetruria, Parmam, Rhegium & Mantuã in Longobardia possedit, & terram, quæ nunc S. Petri patrimoniũ appellatur. Bonifacio mortuo, Azonem Marchionẽ Estensem, qui prioris uiri consanguineus fuerat, & sibi quarto gradu coniunctus erat, ignorans accepit maritũ. Cùm per aliquot menses illi concubuisset, re cognita, GREGORII VII. Pontificis hortatu à consortio noui uiri abstinuit, & Pontificem opibus atque armis contra Henricum III. Imper. strenuè adiuuit. Hæc anno Christi MCXVII. Paschali Pontifice sedente, senio confecta obiit, & à Pissia & S. Quirico agri Senensis usque ad Cæperanum, quicquid in medio iacet inter Alpes & mare, Romanæ ecclesiæ dono dedit. Blondus Decadis 2. lib.4. Nauclerus Volum.2. gen.38. Auentinus libro 6.

RODOLPHVS I. initio Imperij sui Ecclesiæ Rom. restituit Bononiam cum Romandiola, quam prædecessores eius, præsertim Fridericus II. p̄ Gibellinos sibi conciliarãt. Cranzius lib.8. Metrop. c.39.

EDILVAH rex australium Saxonum, totam insulã Vituli marini Vilfrido episcopo donauit: ubi is monasterium sibi extruxit, & omnes eius loci homines baptizauit: inter quos CC & L serui ac ancillæ fuere, quibus ipse libertatem donauit. Beda lib.4. c.13.

HENRICVS II. Imp. Bambergensibus mystis pleraq; prædia, uicos, syluas, castella, arces, oppida Austriæ, Boiariæ, Charionum, Styriorum, Lyburniæ, Noricorũ, perpetuò donauit, quæ adhuc possident. Insuper Abudfacum, incunabula sua, adiecit: patrimonium præterea suum dotemque Chunegundæ. [redacted]

BERNARDVS comes de Saxonia, Bonifacio seu monachis Fuldensibus dimidiam partem suæ hæreditatis dedit de agris, mancipiis, ædificiis, & arcibus: ut patet ex epistola abbatis Fuldensis ad comitem quendam.

Vectigalia, Reditus, Fructus annui, Decimæ, Primitiæ.

ABELVS Adami filius, primitias pecudum Deo obtulit, maiori religionis studio, quàm rei domesticæ cura. Cainus econtrà, terræ frugum non primitias, sed decimas dedit. Illius itaque munus accepit, huius uerò repudiauit Dominus. Genes.4.

TOBIAS Nephthalensis, cùm cæteri sui populares uitulis aureis seruirẽt, ipse statis temporibus primitias atq; decumas Hierosolymam ferebat. Tobiæ j.

INAS Occidentalium Saxonum rex, regnum suum Romano pontifici uectigale fecit, singulis argenteis numis, quos denarios uocant, in singulas domos impositis. Fecit idem eius exemplo ductus OFFA Merciorum rex, qui non multo post id tẽpus regnauit. Fuit is annus Sal. circiter DCCXL. uti testatur Ranulfus lib.5. cap.25. Polychronici. Hoc uectigal, prout quidam scribũt, auxit pòst ETHELVOLPHVS seu Athulphus rex, qui totius ferè insulæ imperium obtinuit, & Romam uoti causa profectus, à Leone IV. benignè acceptus, fecit pontifici eam quoq; insulæ partem, quã Egbertus pater ad regnum adiũxerat, uectigalem: sanciuitq;, ut qui ex suis possessionib. XXX denariorũ uectigal in singulos annos caperent, aut plures domos haberent, pro iis, quas habitarent, singuli singulos denarios quotãnis Rom. pontifici, ad diem festum apostolorũ Petri & Pauli, uel summum ad uincula Petri, soluerent: quã legem quidã, licet fal

sò, Aluredo eius filio assignant, anno DCCCXLVII. Numi illi argentei uocantur uulgò denarij D.Petri, quos pontificius quæstor, quem Collectorem nuncupant, exigit. Polydorus Vergilius Vrbinâs eam olim quæsturam aliquot per annos gessit, eiusq; muneris obeundi causa primùm in Angliam uenit. Testatur ipsemet lib.4.&5.

LESCVS Niger, Polonorum princeps donauit episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnibus metallis, in cuiuscunq; solo essent, intra ipsius diœcesim. Crom.lib.10.

PRÆMISLVS Polonorum rex, Cracouiensi episcopo uicesimam redituum de salinis Cracouiensibus iure sempiterno donauit. Cui donationi postea Venceslaus Boemus alterũ tantum adiecit, ita ut deinceps episcopo non uicesima, sed decima penderetur. Cromerus lib.11.

STEPHANVS Hungariæ rex, deuicto Cupa, qui regnum affectabat, uniuersum populum in prouincia Cupæ, decimas frugum ac pecorum suorum cœnobio S.Martini perpetuò dare iussit. Nauclerus Vol.2. Gener.34.

Priuilegia uaria.

Bibliothecarius scribit, LODOVICVM Pium Imp. liberã eligendorum episcoporum potestatem Paschali I. Pp. dedisse, cùm antea ea quoq; in re Imperatores consulerentur: quã potestatem ab Hadriano pontifice Carolo cõcessam, idem refert. Platina.

ETHELVOLPHVS rex Angliæ, cum episcoporum suorũ assensu ecclesias & monasteria in regno suo exemit à publicis oneribus. Gulielmus lib.2.c.7. & Rahulphus lib.5.cap.30. Polychron.

BOLESLAVS rex Poloniæ, hominibus Ecclesiasticis omniũ onerum, laborum & pensionum regi & reipublicæ præstandarum, immunitatem sempiterno iure concessit. Cromerus lib.3. de rebus Polonorum.

BOLESLAVS Pudicus rex Polonorum, Cracouiensem episcopum, & ecclesiam, eorumq; adscriptitios, omni prorsus onere seruitutis atq; pensionis duci debitæ, etiam telonij, liberauit: & ab omni suorum iudicum & magistratuũ, suaq; ipsius iurisdictione exemit. Episcopum ducali iure in bonis suis esse iussit, modò ut semel quotannis principem hospitio acciperet, subuectionesq; ipsi ut præberet, quando ei usu ueniret per episcopalia prædia iter facere. Adhęc fecit potestatem singulis prælatis, ut uocant, & canonicis basilicæ Cracouiensis, senos ex nobilitate, aut duodenos è plebe, quos uellent, ab expeditione bellica eximẽdi, ministerij sui causa: inferiorum uerò ecclesiarum collegiis dimidium eius numeri. Cromerus lib.9.

Animalia in usum sacrificiorum.

☞ *Consule Tit. Magnificentiæ circa sacrificia. Hic solam δόσιν spectamus liberalem (δαπάνη superioris fuit loci.)*

ISRAELITARVM tribuum Duces XII. in oracularis taber- [redacted] los singulorum LX. Num.7.

DAVID rex, cùm Salomonem filium [redacted], eumq; populo commendasset, uitulos mille, totidẽ boues, cum mille arietibus holocaustum obtulit, multaque millia ouium populus immolauit. Iosephus lib.7. Antiq.c.15.

SOLOMO rex, XI anno regni, templum extructum Domino dedicauit, immolauitq; pro salute, boum XXII millia, & balantum CXX millia. 3.Reg.8.

IOSIAS Iudæorum rex, in Paschatis celebratione restauranda populo largitus est XXX pecudum millia, & boum tria millia. 2.Paralip.35.

ANTIOCHVS Magnus, Syriæ rex, cùm Hierosolymarum urbem eo tempore obsideret, quo Tabernaculorum festa celebrantur, atq; à populo Hierosolymitano rogatus esset, septem dierum inducias ad ea sacra colenda dare: nõ solùm postulata concessit ac seruauit, uerùm etiam ut non minus à se quàm à Iudæis religionem coli ostenderet, taurum auratis cornibus, ac multa aurea uasa cum thure, ad urbis portas sacerdotibus ferri iussit: atq; eos rogari, ut illa Deo offerrent. Iosephus lib.12 c.3.

XERXES rex, contra Grę cos profectus, Pergami mille boues Mineruæ Iliadi immolauit: eorumq; sanguine degustato, Magi heroibus parentarunt. Herod.lib.7.

M.AGRIPPA, ab Herode rege, summo amico in urbem Hierosolymitanam perductus, occurrentibus populariter omnibus amictu & cultu festiuo, cũ faustis acclamationibus: Deo hecatombe immolata, populo epulum præbuit. Iosephus lib.15.cap.2. Antiq.

Aromata. Thura.

DATIS Medus à Dario contra Græcos missus, cùm Delũ uenisset. Deliis omnibus pepercit, & CCC thuris libras super aram adoleuit. Herod.lib.6.

ALEXANDRO Magno in pueritia sine parsimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo cùm deuicisset thuriferas gentes, supplicaret. At ille Arabia potitus, thure onustã nauem misit ei, exhortatus ut largè deos adoraret. Plin.lib.12.c.14. & Plut. in Apopht. sic ad eum scripsisse testatur: Misi tibi talenta thuris & casiæ quingenta, ut desinas in deos esse malignus, certus oram nos odoriferam subiugasse.

EMPEDOCLES, ubi Olympia uicisset equis, quòd animatis ex præscripto Pythagoræ abstineret, ex myrrha, thure, aromatibus aliis bouem concinnauit, quem ad panegyrin conuenientibus distribuit. Cælius lib.19.c.7.A.L.

Supellex sacra.

ISRAELITARVM tribuum Duces XII. à Mose instituti, in oracularis tabernaculi & aræ inunctæ dedicatione sex uehicula tecta & XII. boues obtulerunt, quibus Leuitæ in sacris uehendis uterentur. Item scutellas argenteas XII. totidem phialas, & lanceas aureas totidẽ. Vasa argentea 2400. siclis sacris pendebant: aurea CXX. Num.7.

Rex CYRVS protulit uasa templi Domini aurea & argentea, quę abstulerat Nabucodonosor, & remisit ea Hierosolymã ad quinq; millia quadraginta. 1.Esd.1.

IVSTINIANVS Imp. Hypatum & Demetriũ Episcopos Romam cum muneribus misit, qui & Romanum Pontificem suo nomine salutarent, & munera hæc beati Petri tẽplo offerrent, scyphũ aureum circundatũ gemmis librarũ sex, scyphos argenteos duos librarum XII, calices argẽteos duos librarum XV. Platina, & Sab.lib.2.Enn.8.

Duas cruces aureas, discum & calicem, & thuribulum, omnia aurea, possedit Sergij sacra sedes, liberalitate COSROIS regis Persarum. Euagrius lib.6. c.21.

IVSTINVS Imper. Romam misit patenam auream librarum XX cum hyacinthis: scyphum aureum gemmis circundatum. Platina.

CHILDEBERTVS Francorũ rex, calices preciosissimos sexaginta, & quindecim patinas, & uiginti capsas Euangeliorũ in auro cum gẽmis cælatas, Ecclesiis diuisit. Adon in Chronico, & Greg. Turonensis lib.3. Hist.c.9.

MICHAEL Imp. Constantinopolitanus obtulit preciosissimum stemma in sancto altari, in uasis aureis, & lapidibus uenustis & quadrangulis, uelis antiquiũs ex auro & purpura clarè contextis, atq; admirabilibus sanctis imaginibus uariatum. Paulus Diaconus lib.24. rerum Rom.

BONIFACIVS pontifex, cùm fecisset oratorium in cœmiterio sanctorum martyrum Felicitatis & Syluani, ingentia donaria ex argento addidit, patinam, scyphum, calices, coronas, & similia, magno pondere. Liber Põtificalis, & Platina.

Tulit CELESTINVS in templum Iuliæ, quod ipse consecrauerat, dona amplissima: inter quæ recensentur præter alia, etiam canthari, & cerostrata ænea 24. magni ponderis, & argentea candelabra. Platina, & Sabellicus.

CAROLVS Magnus Galliæ & Germaniæ sacras ædes uasis uesteq; ac supellectili preciosa locupletauit: ac ne ianitores quidem templorũ profano cultu ornari siuit. Aemil.lib.2.

CAROLVS Magnus pannum ad altare Petri, de uestimentis suis aureis compositum, misit. Aimonius lib.5.c.27.

ANASTASIVS III. Pp. calicem magni ponderis Lateranensi ecclesiæ dedit, teste Platina: uiginti marcarũ pondo, iuxta Martini Chronicon.

SIXTVS obtulit in dedicatione templi Mariæ maioris, præter alia, etiam thymiamaterium, fundos quoq;, & ceruũ argenteum, fundentem aquam in fontem baptisterij. Platina.

AGNES, Henrici III. Imp. uxor, D. Benedicto Cassinensi obtulit aureas purpureasq; uestes. Chronicon Cassinense.

Natalitiis Christi Saluatoris diebus, cùm rex Anglorum RICARDVS auro gemmisq; sacram ædem, quã in palatio habebat, pro more exornasset, atq; Aquensis episcopus Bonifacij Pontificis legatus manè in ea sacrificium peregisset, dum is pontificias exueret uestes, ex aræ ornamentis nihil moueri rex iussit: apprehensoq; postea humanè per manũ legato, cùm ad aram accessisset, dixit: Aequum non uideri, ea die Pontificium legatum in aliena ueste ornamentisq; sacrificasse: & propterea quæcunque tunc in ea æde essent, ei dono se dare. Fulg.lib.4.c.8.

GISALA Henrici II. Rom. Imp. soror, & Hungarorum regis Stephani uxor, femina religiosissima, Vuessobrunum extruxit, singulaq; ibi tẽpla lustrauit. Quæ ad ceremonias ritusq; spectabant, magnificè simul & munificẽtissimè largiebat, Phrygionum uice functa, uestes sacras suis manibus nebat, texebat ac farciebat. Auentinus lib.5. Annal. Boiorum.

Libri.

Delata Romam Euangelia cum tabulis aureis, gemmis distinctis à IVSTINO Imp. uoti gratia. Platina.

AGNES, Henrici III. Imp. uxor, D. Benedicto Cassinensi obtulit Euangeliorum codicem, cuius tabulæ argenteæ, auro erant

erant obductæ. Chronicon Cassinen. libro 3. capite 30.

Pecunia.

Alexandrides Delphus deposuisse tradit LYSANDRVM Delphis argẽti talentũ, minas duas & quinquaginta, insuper stateras undecim. Plut. in Lysandro.

EVDOCIA Theodosij coniux, episcopalem domum Constantinopoli exornauit, & mille numũ annuatim attribuit. Nicephorus lib.14.cap.2.5.& 9.

MAVRICIVS Imp. XXX libras auri Romam, distribuendas sacerdotibus & egenis, misit. Gregorius lib.8. Indictione 3. epistola 2.

Sedente Bonifacio IX. LVDOVICVS rex Pannoniæ, Caroli regis F. Romam ad annum Iubileum profectus, quatuor aureorum millia ædi D.Petri obtulit. Rauisius.

Lateres.

CROESVS Halyattis mille aureos lateres dono misit Delphico Apollini, teste Zeze Hist.1. ut aurea tota ara ex iis strueretur. Herod.lib.1.

Honorem, Memoriam. Anathemata. Cuiusmodi sunt

Sacræ reliquiæ.

☞ *Hic Liberalem donationem consideramus. Quæ superstitiosè dantur, ad Prodigalitatem potius referri debent.*

PVLCERIA Arcadij F. Virgini deiparæ nobile templum ædificauit Blachernis, in quo inclusas argenteo tabernaculo preciosas Mariæ uestes, quas è Palæstina suis manibus tulerat, summa cum ueneratione posuit. Cuspinianus.

Hierosolymitanus ARCHIEPISCOPVS dono misit Theodosio iuniori reliquias dextræ manus Stephani primi martyris. Eæ cùm essent Chalcedonem perlatæ, ea ipsa nocte Pulceria S.Stephanum uidit sibi dicẽtem: En impetrasti quod precibus petebas, & ego Chalcedonẽ ueni. Itaq; ea, assumto fratre, obuiam sacris reliquiis istis profecta est: iisque in Palatium illatis, magnificum templum B.Stephano condidit, inq; eo reliquias deposuit. Cedrenus.

Recaredus Vestgothorum rex munera S. Petro misit, ac pro iis à GREGORIO recepit crucẽ, in qua erat de ligno Domini, & de capillis Ioannis Baptistæ. Greg. testis lib.7. Indict.2. epist.126.

Anno Sal. MCCXXXIX. spinea corona, & sacrosancta Christi passi monumenta, quæ Balduinus Constãtinopolitanus Imp. Venetis oppignerauerat, à D. LVDOVICO rege Frãcorum redemta sunt: qui apud sacrum Palatij sacellum, quod Lutetiæ erigebat, ea deposuit, & asseruanda commisit. Chronicon Francorum.

Imagines, Statuæ.

Agaclytus in XXC Olympiade sic ait: Aedes Iunonis antiqua est, condita à Scilluntiis Eleorum colonis. In ea inest colossus aureus, CYPSELI Corinthiorum tyranni donarium: qui uouerat, se regno potitum, opes omnes intra annos X consecraturum: iisq; decimis exactis, colossum illũ consecrasse. Sed Didymus à Periandro factum affirmat, ut luxum & audaciam Corinthiorum reprimeret. Fertur epigramma de illo tale:

Ipse ego aureus fabrefactus sum colossus:
Vtinam intereat Cypselidarum familia. Suidas.

Maximum omnium æneorum signorum, quæ Olympiæ in Alti posita sunt, Iouis est colossus ab ipsis ELEIS cõfecto Arcadico bello dedicatus, altitudinis pedum septem & uiginti. Pausanias lib.5.

LYSANDER, uictis ad Aegos flumen Atheniensibus, & captis Athenis, Delphis statuam suam æream & cuiusq; nauarchorum suorum, stellas quoque aureas Tyndaridarum fratrum de manubiis dedicauit, quæ fuerunt ante pugnam Leuctricam sublati. Plut. in Lysandro.

NICIAS Atheniensis post sacra & ludos Delio Apollini factos, palmam æneam Apollini posuit. Palma illa à uento elisa, in Naxiorum excelsam statuam procidit, atq; eam deiecit. Plut. in Nicia.

Romanorum omnino nullus neq; plebeius, neq; patricius ante L. MVMMIVM, quod ego sciam, in Græcorum templis donum ullum ponendũ curauit. Primus Mummius de manubiis Achæorum Iouem in Olympia æneum dedicauit ad læuam eius, qui à Lacedæmoniis dedicatus fuerat, proximè ad primam templi columnam. Pausan.lib.5.

IDEM capta Corintho plurima signa, tabulas, statuas secum Romam auexit, magis amicorũ causa, quàm quòd illis multum delectaretur. Quidam ædem Fortunæ dedicaturus, statuas Mummij ornatus causa cõmodari sibi periit, eas pòst restituturus. Acceptas deæ unà cum fano dedicauit. Mummio de fraude querenti, non se prohibere, respondit, quin dedicatas etiam auferat, uideret modò, quàm piè id facere. Mummius religione tactus, liberalitate maiore eas deę reliquit, quàm alter obtulerit. Strabo libro octauo.

ADRIANVS Imp. Iunonis templo in Eubœa pauonẽ ex auro & lucidis preciosissimisq; lapillis dicauit. N. Comes Mythol.lib.2.cap.4.

CAROLVS Magnus, uicto Caiano Hunnorũ rege, qui ex toto orbe spolia congesserat, prædæ non minimam partẽ cœnobiis & monasteriis liberaliter concessit. Hinc illæ diuitię templi Maguntiacensis, ubi crux ex solido auro fuit, nomine Benna, pondere MCC marcarum: unde uersiculus,

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Fuerunt insuper illic duo calices aurei, uterq; gemmis preciosissimis exornatus, minor XIIX marcas, siue IX libras auri purissimi habebat, uini sestarium capiens. Multa præterea alia uasa argentea. Verùm hunc thesaurũ primus imminuit Rodulfus Clobelouchus episcopus, frater ducis Zeringensis, dum pallio redimendo quærit pecuniam, & Bennæ crucifixi alterum brachium abstulit. B. Rhenanus lib.2. rerum Germ. At Chronicon Saxoniæ GVLIELMVM Moguntinum, Othonis II. fratrem, ex tributo, quod Lõgobardi quotannis pendebant Imperatori, crucẽ illã fecisse, eaq; Padebornense donasse templum, scribit.

OTHO III. Imp. Spirensi ecclesiæ auream Christi crucifixi donauit imaginẽ, in qua simul ipsius Imperatoris uiua expressa erat imago. Bruschius.

Naues.

SESOSTRIS rex, nauem ex cedro fecit ducentorũ octoginta cubitorum longitudine, deauratam exteriùs, interiùs uerò deargentatã, quam dono obtulit deo, qui maximè Thebis colitur. Diod.lib.1.c.4.

Delphis in Brasidę & Acanthiorũ thesauro triremis sacrata bicubitalis fuit ex auro & ebore facta, quã CYRVS ei uictoriæ causa gratulatoriam miserat. Plut. in Lysandro.

Sellæ.

MIDAS Gordij F. Phrygiæ rex, primus regiam sellam, in qua iura dicere solitus fuerat, Delphico Apollini dono misit. Herodotus libro 1.

Vestes.

AVRELIANVS Imp. pacato Orientis statu, Romam reuersus est. Scribit Vopiscus, inter cætera spolia, quę & multa & preciosa sunt ab Aureliano templis defixa, fuisse purpureũ pallium in templo Capitolini Iouis suspensum, diuini, ut eius uerbo utar, coloris, qualem neq; priùs, neq; postea Roma uiderit. Imperatoris purpura nobilissimarumq; matronarũ illi admota cinericij uidebatur coloris. Id munus Aurelianus à Persarum REGE post Palmyrenam uictoriã dono accepisse ferebatur, ab interioribus Indis in Persidẽ missum. Fuit inde curę ipsi principi, mox Probo & Diocletiano, per nobilissimos infectoriæ artis opifices id genus purpuræ conficere. Sed neq; ratio, neq; materia initi potuit. Sandyx Indica quum ritè curata esset, credita est eum colorem conficere. Sab. lib.7. Enn.7. ex Vopisco.

PIPINVS Vayfiri ducis Aquitanorum chirothecas, unionibus & preciosis gemmis intertextas, in templo Dionysij ad crucem auream, quæ supra aram maiorem erat, appendit. Ganguinus lib.3. de Francis.

Gemmæ. Monilia.

LIVIA Augusta in Capitolio crystallum librarum circiter L. dicauit. Plin.lib.37. cap.2.

HENRICVS Magnopolensis princeps moriens, in monasterio Dobran, in sepultura patrum suorum, se cõdi iussit, eiq; legauit monile, licitatum ad quadringẽtas argenti marcas: dextrarium quoq; suum, centum argenti marcarum precio æstimatum. Cranzius lib.8. Vandal. c.7.

Arma.

LVITPRANDVS rex Longobardorum armillas, baltheum & ensem, ad aram maximam Petri dedicauit. Sab. En.8. li.7.

OTHO I. Imp. baculum pastoralem preciosum de ligno hebeni, beato Petro & ecclesiæ Mindensi obtulit. Cranzius libro 3. Metrop. cap.33.

Vasa.

GYGES Dascyli F. qui Candaule obtruncato regnum Lydorum inuasit, eo quòd regnum ei confirmarat Pythia, præter auri & argenti immensam uim, crateres aureos sex, pondo triginta talentorum, muneris loco obtulit. Locus, in quo reposita sunt, Gygadas dicitur. Herod.lib.1.

Gygis Lydorum regis abnepos HALYATTES, Sandyattis F. cùm à morbo conualuisset, dedicauit Delphis grandem ex argento craterem: itemq; alterum ex ferro paruulum, compactilem, inter omnia Delphorum donaria spectatu dignissimum: opus Glauci Chij, qui primus omnium ferri compactionem excogitauit. Idem.

EVELTHON rex Salaminis Cypriæ, Delphis dedicauit thuribulum spectatu dignum, quod est in thesauro Corinthiorum. Idem lib.4.

SAMII è decima quæstus ex mercibus Tartessiacis cõtracta,

ahenum sex talentorũ, instar crateris Argolici, Iunonis templo obtulerunt. Idem.

CICERO poculũ argenteũ diis dedicãs, initia nominũ suorũ literis expressit, Ciceronis loco cicer insculpsit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Mensa.

CAROLVS Magnus mensam auream, quæ forma quadrangula descriptionem Constantinopolis continebat, inter alia donaria Romam ad basilicam Petri misit. Eginhardus in uita eius.

Coronæ.

Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas, primus omniũ in templis Capitolij atq; Pacis dicauit Imperator VESPASIANVS Augustus. Radix eius magni ponderis uidebatur in Palatij templo, quod fecerat D. Augusto LIVIA Augusta, aureæ pateræ imposita: ex qua guttæ æditæ annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumtum est. Plin. lib. 12. c. 19.

CLODOVEVS Francorum rex, auream coronam gemmis ornatam Petro apostolo Romam misit, tempore Hormisdæ. Hincmarus in eius uita, & Platina.

Sophia socrus, & Constantina uxor, MAVRITIO Imp. coronam fecerant quondam. Eam ad se delatam ille in ecclesia Deo obtulit. Cuspinianus.

HORMISDA Pontifex, locauit ante altare Constantinianæ basilicæ coronam argenteam librarum XX, cantharos argenteos sex. Platina, & Sigebertus.

HENRICVS II. Imp. Cluniacũ religionis causa profectus, coronam auream gemmis redimitam Deo in mysteriis sacris obtulit, fratribusq; illic congregatis prędia quædam in Alsatia contribuit. Cuspinianus.

Catenæ.

C. Cæsar AGRIPPAM Iudæorum regem è carcere liberauit, & catenam auream paris ponderis illi ferreæ, qua ligatus à Tiberio fuerat, dono dedit, quam ille in templo Hierosolymitano suspendit. Iosephus lib. 19. c. 5. Antiq. & lib. 18. c. 8.

Trabes.

Ornauit templum B. Petri THEODERICVS rex Gothorũ, trabe argentea M & XL librarum: cerostratis argẽteis duobus librarum LXX. Platina.

Equi.

HENRICVS II. Imp. Babenbergæ episcopatum in honorẽ DD. Petri & Pauli, ac martyris Georgij erexit, prædiis ditauit. Instituit etiam, ut quotannis albus equus phaleris adornatus Romano præsuli, tanquam huius sedis defensori, ab episcopo mitteretur. Cuspinianus.

QVOMODO.

Iesus Christus in templo ad gazophylaciũ sedens, VIDVAM pauperem, quæ quadrantem immiserat, plus obtulisse dixit, quàm diuites, qui amplissima munera offerebant. Matthæi 23. Marci 12. & Lucæ 21.

Pro decima prædæ parte, captis Veiis, craterem aureum Delphos mittere ROM. decreuerant. Quia uerò auri Romæ copia deerat: magistratibus unde compararent consultantibus, matronæ ultrò cœtibus ad eam deliberationem habitis, aurea ornamenta corpori suo dicata omnia, octo talentorum pondere accommodauerunt ad donum. Honos iis à senatu meritus est habitus, decreto ut in matronarum laudem oratio funebris, ut fieri uiris solet (neque enim laudari publicè feminam defunctam antè fuerat receptum) haberetur. Plut. in Camillo, & de Non fœnerando.

DONATIO, MVNIFICENTIA PRVDENS. MVNEra quæ utilitatis honestæ causa dantur.

Vide Tit. Liberalitatis fructus Reconciliatio. Item Tit. Prudentiæ in amicitia concilianda, conseruanda.

IACOBVS ex Mesopotamia post aliquot annos domum repetens, ueteris in fratrem offensæ non immemor, præmisit qui Esaum precibus & donis delinirent, si qua adhuc in eo ueteris iniuriæ ira insideret. Per quæ facilè consecutus est, ut quàm inuisus patrium solum uerterat, tam iucundus sit postliminiò reuersus. Genes. 32.

CLISTHENES oppugnabat Cirrham. Oraculum habebant Cirrhenses, inuictam urbem fore tantisper, donec mare sanctam terram attingeret. Qua procul à mari dissita (Cirrha sacram terram attingente, & ad mare porrecta) Clisthenes oraculo percepto, tum urbem tum regionem Cirrhensem deo consecrauit, ut uniuersa sancta facta, secundùm oraculum mare contingeret. Cùm id fecisset, superauit, terramq; deo dedicauit. Polyænus lib. 3.

ALEXANDRVM Magnum in expeditionem Asianam stipẽdium militibus LXX. talenta non amplius habuisse, memoriæ prodidit Aristobulus: Duris XXX duntaxat dierum cibaria: Onesicritus insuper talenta CC cum habuisse æris alieni. Qui quamuis subsidiis rem suscepit adeò exiguis & angustis, non antè tamen conscendit, quàm consideratis rationibus omnium amicorum, erogasset huic agrum, illi pagum, alteri uici prouentum uel portus. Cùm iam essent uectigalia penè omnia distributa regia, & diplomatibus consignata, Perdiccas: Tibi ipsi rex, inquit, quid reliquum fecisti? Cui cùm ille respondisset, Spes meas: Ergo nos quoq;, inquit, qui auspicia sequimur tua, harum erimus consortes. Repudiantem assignatum sibi diplomate prædium Perdiccam, nonnulli alij ex amicis sunt imitati. Accipientib. & petentibus largitus est benignè. Ac patrimonium quidẽ Macedonicum distributum hoc modo profudit. Hoc impetu & alacritate animi transmisit Hellespontum. Plutarchus in Alexandro.

IOSEPHVS Tobiæ F. Iudęus, cùm Ptolemæo Euergeti carissimus esset propter prudẽtiam & fidem, muneribus regem & domesticos illius assiduè magis magisq; deuinxit: optimum ratus, partas opes ex ipsis tueri reditibus. Iosephus libro 12. capite 4.

M. Cato cùm populum à Cæsare animaduerteret in Catilinæ coniuratione solicitari, atq; ad nouandas res pręcipitem esse: induxit SENATVM, ut inopi plebi frumẽti congiarium daret. Eo munere populares procellæ conquieuerunt, & fuerunt motus compressi. Plut. in Politicis.

Romæ fuit obseruatum, ut PRINCIPES, assumto imperio, ad conciliandum fauorem, congiarium darent populo. Alexan. lib. 5. cap. 24.

CIMBRI Augusto Cæsari lebetem sacrum dono miserunt, eius amicitiam postulantes, ut iniurias, quæ priùs fuberant, obliuione deleret. Strabo lib. 7.

Duces VENETI quater in anno publica conuiuia nobilibus exhibent, ut ab uniuersa ciuitate inprimis amentur. Primũ 4. Aprilis luce, D. Isidoro sacra. Alterum Ascensionis dominicæ die, Iunio mense. Die Viti & Modesti tertium. Quartũ D. Stephani luce sacra. Egnat. lib. 2. c. j.

NEAPOLITANORVM regum institutum fuit, annis singulis, statis quibusdam diebus, parare nobilitati epulum ad ædem Mariæ Coronatæ, adhibitis etiã præstantissimis matronis, ut nobilium & clarorum in urbe hominũ animi reconciliarentur. Pontanus c. j. de Conuiuentia.

PETRVS Moldauiæ princeps, cùm ad dicendam causam Byzantium mitteretur: ut Solymanni purpuratos sibi deuinciret, Bassę Luphtibeio amplissima dona detulit, ut prępotentem ex aula patronum sibi in dicenda causa cõpararet. Dedit & gemellos uniones, superbi pyri magnitudinem adæquantes, qui ex Andreæ Gritti præda fuisse dicebantur, ut his pro inauribus Solymanni filia Rostani despõsata in nuptiis ornaretur. Sab. Supplem. lib. 24. ex Iouio.

DONATIO, MVNIFICENTIA HONORIFICA.

QVI. PVTA

PONTIFICES.

CLEMENS VII. Pont. quum Massiliæ neptis suæ Laurentio iuniore Medice genitæ nuptias cum Henrico Francisci Gallię regis F. anno MDXXXIII. celebraret: Frãcisco regi monocerotis bicubitale cornu, aureę cælatę basi inclusum, ad depellenda epulis uenena, dono dedit. Id rex Franciscus latissimo aulæo rependit, in quo Belgarũ arte suprema Christi cœna cum discipulis, serico atq; auro intexta uisebatur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, quũ ingenuo pudore maiora dona repudiasset, mansuefactũ leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis transmiserat. Iouius lib. 31. Hist.

REGES.

ALEXANDER Magnus, bis Persarum ciuitatem ingressus, toties mulieribus erogauit numos, pręgnantibusq; munus duplicari iussit. Plut. in Alex.

HENRICVS II. Imp. regem Franciæ, eiusq; ministros, ac alios quoq;, qui ad Carum fluuium, ubi reges de statu regni & Ecclesiæ consilia contulerunt, conuenerant, tanta liberalitate donauit, ut opib. Persicis & Arabicis eius munificentiam compararent. Sigebertus anno MXXIII.

DVCES.

L. PAVLVS Aemilius, uicto Perseo, Græciæ populos adiit, eosque

refocillauit, instituta dedit, ac dona cõtulit: aliis frumentum ex horreis regiis, oleũ aliis. Tantam. n. eorum, quę recõdita fuerãt à Philippo & Perseo, uim memorant inuentam, ut priùs qui acciperẽt & desiderarẽt, deessent, quàm numerus exhaurietur eorũ quæ fuerũt reperta. Plut. in Aemilio.

POPVLVS. STIPES A' POPVLO COLLATA.

Pop. ROM. stipem spargere cœpit, Sp. Posthumio, Q. Marcio Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam cõferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit. Nã quod Agrippæ Menenio sextantes æris in funus contulit, honoris id necessitatisq; propter paupertatem Agrippæ, non largitionis fuit. Plin. lib. 33. c. 10.

CIVES.

CIMON Miltiadis F. cœnam domi frugalem illam quidẽ, sed multis tamen sufficientem quotidiè instruebat, quò quilibet pauper admittebatur, ubi alimenta habebat citra laborem suum, ut uacare solis negotiis publicis posset. Aristoteles uerò auctor est, non omnibus Atheniensibus, sed curialium eius Laciadarum cuiuis paratam cœnam fuisse. Plut. in Cimone, & Athen. lib. 12. c. 15.

QVIBVS. LIBERALITER DARE

PONTIFICIBVS.

Anni MDXIV. uere primo legati EMANVELIS regis Lusitaniæ Romam uenerunt, Leoniq; X. pontifici è uictoriis Indicis dona tulêre magnifica, elephantẽ, ab multis seculis Romæ non uisum animal, leænamq;, & diuini cultus uestes innumerabilibus margaritis exornatas: in quibus operosis artificum texturis pictæ acu diuinarum rerum imagines uisebãtur. Erat legationis princeps Tristanus Cunnius, siue Cugna, uir triumphalib. insignibus & rerum in India gestarum gloria clarus. Iouius lib. 12. Hist. & Osorius lib. 9. rerũ Emm.

REGIBVS.

NICAVLA Aegypti & Aethiopiæ regina, regi Solomoni centum XX auri talenta donauit, pręter gemmarum & aromatum ingentem uim, sapientiam eius admirata. Aiunt etiam balsami plantam Solomoni ab ea dono datã, in Iudæa deinceps germinasse. 3. Reg. 10. & Iosephus lib. 8. c. 6. Antiq.

Lege apud PERSAS sancitum est, seruatum quoq; pertinacissimè, ut quandocunq; in Persas pergat rex, pro facultate unusquisq; cum muneribus, quæ honoraria dici ualent, aut aduentitia, salutatum eat. Ferunt autẽ, ut qui agricolationi fermè intendant, nil precij grandioris, qualia multa plerunque per iniuriam comparantur, & contumeliam: sed bouẽ hic, alius ouem: sunt qui frumentum aut uinum. Dicuntur uerò hæc, Dona. Quòd si quidem, uti assolet, amplius premat penuria, lac profert, aut palmas: caseum quoq;, uel id genus primitias alias, ut πρωϊλὰ ὡραῖα, id est, maturas fruges. Cælius lib. 13. c. 16. Antiq. lect.

Xerxes, cùm exercitu ex decies centenis millibus hominũ constante in Gręciam proficiscebatur, PYTHIVS Atygis filius Phryx Celenius, regem cum exercitu hospitio excepit. Xerxes hominem ad se accersitum, Ecquantum possideret? interrogauit. Cui ille, Haud te, inquit, celabo, regũ maxime, neq; dissimulare fas est. Posteaquam accepi te celerrimè ad mare uenturum, uolens tibi ad bellum pecuniam dare, subducta mearum pecuniarũ ratione, comperi mihi esse argenti bis mille talenta, auri uerò quadragies centum millia numûm Daricorum, septem millibus minus: quæ omnia ad usum belli huius do tibi, Xerxes, dono: nam mihi uictus ex mãcipiis & agricolis abundè suppetit. Cui hilari uultu Xerxes: Ego (inquit) Lyde hospes, ex quo Persidem egressus sum, neminem adhuc sum nactus, qui in meum exercitũ tali hospitalitate sit usus, tantũq; auri ultrò dono obtulerit. Ob quæ uicissim ego te meum facio hospitem: & ne ad ista quadragies centena millia aliquid desit, septẽ millia aureorum numûm tibi ex meo numerari iubeo. Tu hæc & cætera, quæ ad hunc diẽ possedisti, liberè habeto, talemq; te geras semper hortor: neq; enim unquam pœnitebit te tuæ in regem liberalitatis. Sab. lib. 2. Enneadis 3.

TAXILES Indiæ rex, præter aureas coronas, quas Alexãdro Magno & primoribus dono dedit, octoginta signati argenti talenta Alexandro obtulit. Quæ ille Taxili nõ solùm reddidit, sed mille etiam talentã de manubiis superadiecit, uasa adhæc ex auro & argento, cùm Persicis uestibus, & equis XXX insignibus. Vix regia liberalitas tantum Taxilem Macedoni deuinxit, quantum amicorũm animos offendit. Sabellicus lib. 6. Enneadis 4.

ORSYNES, Sagaræ terræ Satrapes à prisco Cyro oriundus, obtulit dono Alexandro Macedoni regi aurea uasa; gemmas, uestes, & quatuor millia talentorum signati argẽti: largaq; ad hæc in omnes Alexandri principes usus munificentia, Bagoan eunuchum stupro Macedoni conciliatum, nullo prosecutus est munere, fassus se regis amicos, non scorta colere. Idem.

HIERON Syracusanorum tyrannus, nauim, frumento, salsamentis Siculis & carnibus onustam, donauit Ptolemęo Aegyptio, magna annonæ penuria laboranti. Athen. lib. 5. c. 8.

ROMANI Asiam captam Attalo Pergamenorum regi munc ris loco possidendam tribuerunt: eo excelsius & speciosius urbis suæ futurum imperium credentes, si ditissimam atq; amœnissimam partem terrarũ orbis, in beneficio, quàm in fructu suo reponere maluissent. Ipsa uictoria donũ felicius: quia multum occupasse, habere inuidiam potuit: tantũ tribuisse, gloria carere non potuit. Val. lib. 4. c. 8.

TIBERIVS III. Imper. Sigeberto Francorum regi L aureos numos librales misit. Sabellicus libro 5. Enneadis 8.

CONSTANTINVS Copronymus Imp. Pipino Gallorũ regi Organon musicum instrumentum, antea in Occidẽte nõ uisum, muneris loco misit. Auentinus lib. 4.

EMMANVEL Græcorũ Imp. misit Friderico I. Imperatori cũ literis munera preciosa: inter quæ fuit cantharus smaragdineus, capiens sextarium balsami pistici, & plurimæ gemmæ preciosæ, anno MCLXXVII. Cranzius lib. 6. Saxonię, capite trigesimoseptimo.

Legati REGIS Persarum, Carolo Magno Imperatori preciosissima detulêre munera, tria tentoria capacissima pulcerrimaq;, omnia byssina, tam funes quàm uela, pallia serica, unguenta, balsamum, horologium ex orichalco, arte mechanica mirificè fabrefactum, in quo XII horarum cursus ad clepsydram uertebatur, cum totidem pillulis, quæ in completione horarum cadebant, & casu suo subiectum cymbalum tinnire faciebant: additis XII equitibus, qui per totidem fenestras completis horis exibant, & impulsu suo fenestras priùs apertas claudebant: & alia multa miraculo digna. Idem lib. 2 Saxoniæ, cap. 19.

ALFONSVS Asturum rex in Hispania, ut amicitiam cum Carolo Magno testaretur, papilione preciosæ artis aulæa, apud Francos incognita, donauit, aliaq; munera misit. Vlyssippone capta, Maurorum ad LXX millia cecidit, qui fines Asturum ferro igniq; depopulati fuerant, & de præda loricas, mulos & Mauros Carolo misit, anno DCCXCIIX. Regino, Adon, Auent. lib. 4. Ritius de regibus Hispaniæ.

Turcorum IMP. sępè antea ab Imp. Sigismundo oppugnatus, perpetuæ pacis fœdera cum eo initurus, misit Basileam solennes ad id perficiendum oratores. Imperator in ecclesia iussit apparari suggestum, in quo imperialibus fultus ornamentis consederat. Antè oratores ibant qui dona ferrent, uiri XII (alij XII uirorum paria fuisse contendunt) qui manu singuli gestarent aureos scyphos apertos Imperatori dono. Successit alius ordo ferentiũ uasa aurea geminata, proculdubio nõ uacua, sed aureis nummis plena. Inde tertius ordo ferentiũ pannos è ueluto & auro preciosos. Post omnes, quidam ferebant uestem, serico, auro, gemmis incomparabilem. Quæ omnia suo ordine Imperator excepit. Et perfecto propter quod uenerãt negotio, honoratos, & pro magnificentia sua donatos remisit domino suo: quem etiã non paruis muneribus uicissim cohonestauit. Crãzius lib. 11. Saxoniæ, cap. 22.

Ioannes Boemiæ, & Vladislaus Locticus, Polonorum reges, opera CAROLI Hungariæ regis (qui mortua Ioãnis sorore, filiam Loctici in uxorem acceperat) in arce Hungariæ Vissegrado, anno MCCCXXXV. reconciliati fuere his legibus, ut Locticus summam pecuniæ Ioanni debitam in solidum statim adnumeraret, atq; de tota Silesia eidem cum omnibus ducibus concederet. Ioannes uicissim, ne ampliùs titulum regis Poloniæ usurparet, néue ullo posthac tributo Locticum cum posteritate sua oneraret. Huiusque libertatis redimendæ gratia Carolus de fisco suo quingentas auri puti libras appendit, quibus gutturniũ cum pelue accessit pondo ducentarum librarum, & insuper quinquaginta crateres bellè inaurati, gemmaq; preciosa ex qua bibitur: gemmatum item alueolum, in quo simulacrum pugnæ latrunculis luditur, adiecta fuêre. Dubrauius lib. 21.

Ioannes Boemiæ rex, eiusq; F. Carolus, item Casimirus Poloniæ rex, annò MCCCXXXV Vissegradum, ut de pace agerent, ad CAROLVM I. Hungariæ regem profecti, magnificentissimè sunt excepti. Rex Boemiæ, præ cæteris uasis argenteis, quinquaginta duabus phaleris, totidẽq; baltheis, insuper latrunculorum tabula, mira arte auroq; multò elaborata, ubi angulares pyrgos instructas utrinq; peditum acies, cataphractos equites & reges, collatis signis pugnæ ueræ simulacrum referentes, cernere erat: quos omnes, aurata & gemmata arma, campiq; pauimentum iaspidibus & smaragdis tessellatum, ad certamen irritabat: item duobus ephippiis, nõ tam auro quàm ordine lapillorum excultis, à Carolo donatus est. Adiecta sunt his pocula gẽmata duo, alterum ducentis argenti pondo appensum: alterum è solido auro confectum, in conchæ speciem, & arte & gemmarum multitudine sanè cõspicuum. Casimirus cùm Boemiæ regi tributa penderet, quippe cui Poloniæ ius omne paulo

antè ille concesserat, quingentis pondo ab Hungariæ rege donatus est, ut debita Ioanni stipendia persolueret. Demũ illic confecta pace, perpetuaq; societate, cõuenit inter eos, ut quicunq; ex his regibus primus, ui armisue ab aliis læderetur, cæteri continuò auxilia pacta conferrent. fœdus grauissimè à cunctis iuramento percussum & confirmatũ est. Bonfinius lib. 9. Dec. 2.

REGINIS.

Venerat cum cõiuge Leonora Fridericus III. Imp. Venetias. Apparatu sumtuosiss. excepti. Leonorę in publicum uenienti bullam auream, tribus gemmis, precio duûm millium ac sexcentorum aureorum numûm præditam, VENETI dono misere: palliolũ præterea futuræ sobolis omen, cũ stragulo cunali, ex purpura margaritis inserta. Sab. lib. 7. Dec. 3.

CONSALVVS Magnus per Mauricam uxorem, Isabellæ reginæ, cui supellex fortuito incendio noctu ad Granatã conflagrârat, supellectilẽ lineam preciosissimi operis, textilisq; materiæ conopœa reticulatis cõmissuris, insuto passim auro, & purpura undiq; limbos depingente, obtulit. Iouius.

POPVLO. CONGIARIVM, SPORTVLA, MISSILIA.

Congiarium uas est cauponarium, congii unius capax, hoc est, sextariorum senum. Inde Congiariũ, pro munere seu sportula, quæ dabatur diurni cibi nomine clientibus, comitib. assectis. Translata inde uox ad principis donum, siue alimentare sit, siue quoduis aliud.

Apud ROMANOS, congiarium populo, donatiuum militi à principibus dabatur, ut & magnificentiam suam testarentur, & illorum sibi animos ratione hac conciliarent. Pontanus cap. 15. de Magnificentia. Atq; hoc annuum plerunque, homines clarissimi & summis honorib. functi, pro officio & clientela uelut stipendium capiebant. Alex. lib. 5. c. 24.

M. CATO iunior nouo more tribuit sportulas: Græcis ex tritico, raphano, blito & apio: Romanis autẽ uini amphoras, carnes porcinas, ficus, & lignorum fasces. Idem.

C. IVL. Cæsar populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque numos, quos pollicitus olim erat, uiritim diuisit: & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ usq; ad bina millia numûm, in Italia nõ ultra quingenos sestertios remisit. Adiecit epulum ac uisceratio nem, & post Hispaniensem uictoriam duo prandia. Nam quum priùs parcè, neq; pro liberalitate sua præbitum iudicaret, quinto pòst die aliud largissimum præbuit. Suetonius.

AVGVSTVS frumentum plebi gratuitum & menstruum dedit. Idem quoq; tricenos & quadragenos, nonnunquã singulis quinquagenos & ducentos numos largitus fuit, & ne minores quidem pueros præteriit. Suetonius.

TIBERIVS trecentenos uiritim numos dedit, & prandium mille mensis. Ibidem.

C. Cæsar CALIGVLA congiarium populo bis dedit trecenos H-S. toties abundantissimũ epulum Senatui, equestriq; ordini, etiam coniugibus ac liberis utrorumq;. Posteriore epulo, forensia insuper uiris, pueris ac feminis fascias purpuræ ac conchylij distribuit. Et ut lętitiam publicam in perpetuum quoq; augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellauitq; Iuuenalem. Idem.

NERO Imperator plebi congiarium quadragenos numos uiritim dedit. Editis in urbe spectaculis magno apparatu, magnificentissima quæq; & lautissima, quib. homines uescuntur, cæteraq; omnia preciosissima, equos, mancipia, uehicula, argentum, uestem diuersi generis, agros, tabulas pictas, naues, insulas, gemmas, in signis & notis quibusdã dabat. Iaciebat enim ad plebem paruos globos inscriptos, tanquam in singulis eorum aliquid inesset: & ut quisq; signũ collegerat, ita ei largiebatur. Xiphilinus, & Suetonius.

GALBA dedit epulum populo, senatui & equestri ordini: ac præter epulas forensia uiris, feminis ac pueris fascias purpuræ & conchylij, quibus ueteres pro caligis utebantur. Alexand. ab Alex. lib. 5. c. 24.

In TITO scribit Dion, Sphæria lignea ex alto in theatrũ sparsa, sic insculpta, uti alia esculenti cuiuspiam, uestis alia, uel edomiti equi, aut serui, aut argentei aureiq; uasis imagunculas præferrent. Ea qui excepisset, πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν, id est, ad distributores eorum proferre necesse erat, ut quod sphæria prætulissent, acciperet. Cælius lib. 25. c. 2. A. L.

DOMITIANVS congiarium populo numorũ CCC ter dedit, & inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimõtiali sacrorum die senatui & equitib. panaria & sportellas cum obsonio distribuit. Cùm omne genus rerũ in theatro sparsisset, & pars maior inter popularia decidisset: ne indonati abirent senatorius & equester ordo, per singulos cuneos quinquagenas tesseras pronunciauit.

HELIOGABALVS aurea & argentea pocula, ac uestes magni census in plebem sparsit.

TRAIANVS Imp. cùm congiarium populo daret, infantes quoq; ad sportulas admisit. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 24.

ADRIANVS nouo more aromata, balsama & crocũ in congiario populo dedit. Idem.

M. ANTONINVS Imp. ex Africa Romam rediens, octo aureos in cœnam uiritim dedit, quantam summam anteà nunquam acceperant Romani. Xiphilinus.

COMMODVS Imp. singulis denarios septingenos uicenos quinos dedit. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 24.

AVRELIANVS Imp. addidit unciam ponderibus, ut uilior esset annona, sua testatus epistola, nihil Romano populo saturo esse lætius. Ter populo congiarium dedit ad oleum & panem, addidit etiam porcinam & tunicas albas manicatas, item alteras tunicas ex Afro & Aegyptio lino: adhæc oraria, quibus populus uteretur ad fauorem. Vinum quoque daturus, nisi morte præuentus fuisset.

TACITVS Imp. optimus patrimonium suum publicauit, & quam domi pecuniam congesserat, in militum stipendium uertit. Cuspinianus.

Quum corona redimitur Romanus PONTIFEX, IMPERATOR, & REX, aliiue principes aliquo insigni honestantur honore, mos est spargere in populum non uestes, non unguenta (id quod Romani Imp. solebant) sed numos argenteos uel aureos: quò sic futurę liberalitatis signum ab initio statim dignitate appareat. Polydorus libro 5. cap. 2. de Rerum inuentione.

ALPHONSVS X. rex Hispaniæ, in nuptiis filij sui & Blãchæ, D. Ludouici Gallorum regis F. cõgiarium populo dedit, & pauperes uestimẽtis uiritim ornauit. Pont. de Magnificẽtia.

MILITIBVS. DONATIVVM, DONARIVM, STELLATVRA.

STELLATVRA in militaris annonæ erogatione frumentariis tesseris persimilis erat, quibus acceptis, plebi gratuitũ distribuebatur frumentum: quippe hac contributa, uilius constabat militibus annona. Meminit in Alexandro Lampridius. Frumentaria perceptio nuncupatur Iulio Capitolino in Antonini Philosophi uita. In Pescennio Nigro Spartianus Tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit. Cælius libro II. cap. 8. Antiq. lect.

CN. Pompeius uicto Mithridate & Tigrane, singulis militibus M & D drachmas Atticas, prædæ nomine diuisit, inde cæteris ducibus sua cuiq; præmia: tam larga pecuniarum profusione, ut ad sexdecim millia talentorum ea largitio absumserit. Sabellicus lib. 4. Enneadis 6.

C. IVL. Cæsar ueteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina H-S (quæ initio ciuilis tumultus numerauerat) in equites uicena quaterna millia numûm dedit. Assignauit & agros, sed non cõtinuos, ne quis possessorum expelleretur. Suetonius.

SEVERVS Imp. uicto Albino Romã cum exercitu reuersus, posteaquàm Iouis templũ ingressus, sacrificia de more peregit, reuersus in Palatium, milites muneribus nomine uictoriæ, ac multis numis donauit: largitusq; est plurima dona, simulq; alia multa indulsit, quę nunquam antea acceperat. Quandoquidem & frumenti summam primus adauxit, & aureis anulis uti, & domi habere mulierem permisit, quæ priùs militibus interdicta fuerant. Dion. Victo Pompeio diuisit in singulos milites millenos denarios, agrumq; latum assignauit in Italia. Plut. in Cæsare, & Suetonius.

SELIMVS Turcorum imperium Prætorianorum fauore consecutus, pecuniam, quę in ærario erat, recognouit, diuisitq; militibus pro donatiuo uicies centena millia aureorum: & quò magnitudinem animi perpetua liberalitate testaretur, ad ueterem stipendij summam in singulos dies equiti quatuor, pediti uerò duos argenteos addidit. Sabellici Supplementum lib. 4. ex Iouio.

CONSALVVS Magnus, expeditione in Italiam ad pellẽdos Gallos frustratus, militibus sua signa sequutis donatiuum dedit. Id constabat partim signata pecunia, quæ gregario præsertim militi præberetur: tum uerò argento elaborato, auro textili purpuraque, & sericæ telæ omnis generis, coloribusque in uestes copia ingenti, equis item nobilibus: pictisque tentoriis, inauratis armis, & castrensibus lectis, quę tot tantaq; fuerant, quòd ea omnia mercatores lucri causa tam quam ad nundinas Corduba, Hispali, Medina, Valentia, Granataque attulissent, ut centum millium aureorum numûm summam superasse credantur. Ea uerò tanta liberalitate diuisit, ut nec domesticæ supellectili parceret, ipseque iam multorum fœneratorum malum nomen fore putaretur, quum oppignoratis aliquot oppidorum reditibus ex graui usura planè decoqueret: ridẽtibus æmulis, quòd inani sumtu, ut regiæ opulentiæ odiosum specimen præberetur, domum suam rebus omnibus exhauriendam superbè temereq; suscepisset. Iouius in Consaluo.

LEGATIS.

Consule Tit. Liberales in non accipiendo, legati. Illic Non accipientis, hic Donantis habetur ratio.

A rege PERSARVM, undecunq; adessent legati, muneribus affici assuerant. Ea uerò ferè genus hoc erant. Vnicuiq; argenti signati (quod ἐπίσημον nuncupant Græci) Babylonium talentum, phialæ argenteæ talentorum duorum indicatura. His accedebant psellia item cũ acinace ac torque, σρεπτὸν uocant: nec medica deerat stola, quam dicunt dorophoriã. Ex Aeliani lib. 1. Var. hist. Cælius lib. II. cap. 28. A. L.

Timagoræ Cretensi, uel Entimo ex Gortyne, ut uoluit Phanias Peripateticus, qui Themistoclis imitatione ad regem ueneran di gratia uenit, tentorium egregiæ pulcritudinis & magnitudinis largitus est ARTOXERXES Persarum rex: lectum præterea argenteos pedes habentem, & stromata magnifica, & eum qui sterneret, Græcos enim sternere nescire dicebat. Accersebatur ad cognatorum etiam conuiuium uir hic Cretensis, ita regem oblectans, ut nullus antea Græcorum, sed neq; postea: nam inter affines etiam honor ei præbebatur. Timagoras uerò Atheniensis genua regi flectens, & maximè ueneratus, eadem non consecutus est: ex iis quæ regi apposita fuerant, quędã ex mensa ei missa sunt. Antalcidæ Laconi suam coronam unguentis perfusam misit. In Entimum & multa alia conferebat, atq; in consanguineorum conuiuia accersebat. Quam rem grauiter ferre Persæ uisi sunt, quòd honor aliò transferebatur, & militia rursus in Græciam esset transitura. Misit & lectum pedibus argenteis ad illum, & stratum, & umbraculum, summitatem habens floridam, cœloque persimilem, & cathedram argenteam, pileum auratum, phialas aureas, gemmisque distinctas, & centum magnas argenteas, crateres argenteos, adolescentulas, seruas centum, & totidem pueros: aureorum numorum sex millia, præter ea quæ ad usum quotidie suppeditabat. mẽsas etiam misit eburneis pedibus ex orbibus uocatæ sphendamni compositas. Athen. lib. 2. cap. 6.

PTOLEMÆVS Philadelphus, Aegyptiorum rex, septuaginta duos interpretes Bibliorum è Iudæa missos honorificentissimè excepit, & 70 dierum spacio interpretatione absoluta, humanissimè eos dimisit, singulos ternis uestibus optimis, & binis auri talentis donatos, singulisq; unius talenti calicibus, & toris discubitoriis. Pręterea Pontifici per eosdem misit decem lectos cum argenteis pedibus cum competenti apparatu, & calicem talentorum triginta: ad hæc decem uestes purpureas, & coronam insignem, & telas byssinas centum, præterea phialas & trullas & libatoria, & crateras duas Deo dicandas. Iosephus lib. 12. cap. 2. Antiq.

Natalitiis Christi Saluatoris diebus, cùm rex Anglorum RICARDVS auro gemmisq; sacram ædem, quam in palatio habebat, pro more exornasset, atq; Aquensis episcopus Bonifacij Pontificis legatus manè in ea sacrificium peregisset, dum is pontificias exueret uestes, ex aræ ornamentis nihil moueri rex iussit: apprehẽsoq;, postea humanè per manum legato, cùm ad aram accessisset, dixit: Aequum non uideri, ea die Pontificium legatum in aliena ueste ornamentisque sacrificasse: & propterea quæcunq; tunc in ea æde essent, ei dono se dare. Fulg. lib. 4. cap. 8.

OTHOCARVS Boemorum rex ad imperium à Germanis uocatus, licet non acceptarit, nihilominus legatos preciosissimis muneribus ornauit, neq; eorum comites sine purpura aut serico, neq; infimum quemq; sine uestibus ex rario re uellere confectis, uacuum à se dimisit. Dubrauius lib. 17.

PEREGRINIS.

SAMII Theræis, qui in Platæam insulam Africæ causa explorandæ regionis missi, duce Corobio, alimentis destituebãtur, cibaria in annum dederũt, cùm illac fortè iter fecissent. Quo facto ingens amicitia inter Theræos & Samios contracta fuit. Herod. lib. 4.

VICTIS, HOSTIBVS.

Ex loco Clementiæ erga hostes, exempla aliquot huc possunt transferri, si quæ coniunctam habent liberalitatem.

ALEXANDER Porum Indorum regem hostem, ęgrum curauit, & in amicorum numerum recepit, & ampliore donauit regno quàm priùs habuisset. Q. Curtius.

MAZEI, cuius apud Darium summa fuerat gratia, filio satrapiæ præfecto IDEM alteram adiecit ampliorem. At ille recusans ait: Tunc, ô rex, unus erat Darius, nunc tu multos effecisti Alexandros. Plut. in Alexandro.

DEMETRIVS Poliorcetes Antigoni filius, cùm cepisset Atheniensium, qui defecerant, urbem, eaq; grauiter rei frumentariæ penuria laboraret, protinus conuocata concione, dilargitus est illis frumentum gratis. Plut. in uita Demetrij.

STENO Iunior, Sueonum rex, Christiernum II. Danorum regem Stocholmiæ sese obsidentem, & summa rerũ omnium inopia, uentoq; aduerso ad extrema redactum, commeatu liberaliter donauit. Anno 1518. Io. Magnus lib. 23.

CONSALVVS Magnus Gallos hostes, Caieta dedita, regno Neapolitano excedentes, multis equis liberaliter donauit. Iouius in Consaluo.

HISTRIONIBVS.

Cùm esset Athenodoro histrioni tragico ab Atheniensib. multa dicta, quòd ad Bacchanalium ludos non occurrisset, atq; ab ALEXANDRO Magno ille, ut pro se deprecaretur literis, postulasset: id ei denegauit, sed multã misit de suo. Plut.

Cùm Lycon Scarphensis in theatro placeret, intexuissetque in comœdia uersum, qui petitionem continebat decem talentûm, arridens largitus est ea ALEXANDER. Plutarchus in Alexandro.

SPONSIS. MVNERA NVPTIALIA, sponsalia, Dotem.

Vide superius, Liberalitas circa Dotem.

Iupiter Harmoniam, Martis filiam & Veneris, dedit in matrimonium Cadmo. Ad eas nuptias dij omnes uenêre. Inter alia præclara munera peplum & monile admirabilis pulcritudinis, Vulcani opus, CADMVS donauit sponsæ, & ex illa suscepit Ino, Semelen, Agauen, Antonoen, & Polydorũ. Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap 14.

Celebratæ sunt Pelei & Thetidis nuptiæ in Pelio monte, ad quas omnes dij præter Discordiam conuenerunt: quæ pomum aureum in locum nuptiarum iniecit, hac inscriptione, ἡ καλὴ λαβέτω. Contulerunt huic omnes DII munera: Pluto smaragdum insignem, Neptunus equos Xanthum & Balliam, Vulcanus cultrum, & dij cæteri alia. Nam ita mos fuit antiquorum, ut cum donis ad nuptias conuenirent. Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 2.

Cadmum Agenoris Europam quærentem, cùm ad Samothracas peruenisset, perceptis cæremoniis, Harmoniam Iasionis sororem duxisse uxorem perhibent, & has nuptias à DIIS primùm celebratas. Cereremque in gratiam Iasionis ei ex frumento panem attulisse, Mercurium lyram, Palladem decantatum monile, peplum, ac tibias. Electram uerò Magnæ deorum matris sacra celebrare ostendisse cum cymbalis, ac psallentium tympanis. Apollinem quoq; cithara usum, & Musas tibiis, cæteros deos plausu nuptiarum iucũditatem auxisse tradunt. His actis, Cadmus iuxta oraculi responsum condidit in Bœotia Thebas. Diod. lib. 5. cap. II.

Alexandro Magno nuptias cum filia Darij Statyra Susis celebrante, coronæ, quæ missæ sunt à legatis GENTIVM, & à reliquis, quindecim millium fuêre talentorum. Athenæus libro 12. capite 18.

RVSTICIS.

LEO X. Pont. Max. erga rusticos mirum in modum munificus, ut etiam eius aduentum se uel fructuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur: utpote qui senibus ac pueris puellisq; in uiam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter, ac sciscitando, quánã maximè in parte rei domesticæ acriùs à fortuna premerentur, uirgines dote præbita subleuaret: affectis autem morbo ac ætate, uel numerosæ familiæ onere prægrauatis, æs alienũ protinus dissolueret. Iouius in Leone X. lib. 4.

QVAE DANTVR. Cuiusmodi sunt EPVLÆ, CONVIVIA. Considerando

Quæ, Qualia. Conuiuia

Publica, Epulæ.

REGES Persarum quotannis regiam cœnam instruunt, quam sua lingua Tyctam, hoc est τέλειον siue perfectam uocant. in qua rex solum caput ornatur, Persas strenis donat, & quicquid oratus fuerit, concedere cogitur. Celebratur autem quotannis eo die, quo rex creatus est. Herod. lib. 9.

ARTAXERXES Persarum rex, post susceptum imperium, & constitutos ab India usq; Aethiopiam CXXVII satrapas, anno regni tertio, amicos & duces gentium Susis accepit epulo sumtuosissimo, ut decebat regem opulentum, magnificos centum octoginta dierum apparatus ostentãtem: cui plurimæ gentes: & earum legati, per continuos septem dies interfuerunt. Id erat instructum in hunc modum. Tabernaculum fixit suffultum aureis & argenteis columellis, prætextum telis linteis & purpureis, multorum millium capax. In eo ministrabatur aureis & gemmeis poculis, ad delectationem simul & miraculum factis. Mandauit etiam ministris, ne quem more Persarum ad bibendum cogerent, sed arbitratu suo quenq; appositis frui sinerent. Dimissis etiam per totam ditionem nunciis, edixit, ut feriati ab operib. festum pro incolumitate regni diebus aliquot agerent. Regina quoque Vaste pari modo mulierum in regia celebrauit conuiuium. Esteræ 1. & Iosephus lib. II. cap. 6.

Sedent Heroes in conuiuiis apud Hom: non autem decumbunt. Eius imitatione quoque ALEXANDER, ut auctor est Duris, cùm quadringentos duces aliquando conuiuio excepisset, in argenteis curribus sedere fecit, & in sellis purpureis: uestibus substratis, collocauit. Athen. lib. 1. cap. 11.

Eumeniani, cùm peruehissent in Persepolim regiam, PEVCESTES eius regionis satrapa & dux, magnificũ sacrificium fecit diis & Alexandrò & Philippo. Ac accersita ex uniuersa ferè Perside multitudine uictimarum, & aliorum conducentium ad epulas & publicum conuentum, conuiuio excepit exercitum. Repleuit autem sacrificio celebrantium festum orbes quatuor, qui alij intra alios erant, & ab uno maximo continebantur, cuius erat ambitus decem stadiorum, quem adimplebant tam stipendiarij quàm auxiliariorum multitudo. Secundus autem erat octo stadiorum, in quo erant partim Argyraspides Macedones, partim alij, qui cum Alexandro militarant. Sequentis uerò ambitus stadiorum quatuor. Locus autem replebatur ducibus secundis rerum bentibus, & iis qui essent extra ordinem, & amicis, & ducibus, & equitibus. Intimi ambitus erat duorum stadiorum: lectos diuiserant duces & præfecti equitibus, præterea Persarum illustrissimi. In medio horum erant aræ deorum, & Alexandri & Philippi, & lecti ex fronde facti fuêre, cooperti aulæis & uariis tapetibus, Perside suppeditante omnia copiosè ad delicias & uoluptatem. Orbes autem inter se adeò distabant, ut nullus epulantium interturbaretur, & omnes apparatus in promtu essent. Diod lib. 16.

LVERNIVS, pater Bitytis, qui à Romanis interfectus fuit, Celtarum rex, cùm multitudinis gratiam uenaretur, ferebatur in curru per agros, auruméq; & argentum Celtarum myriadibus seminabat, qui eum sequebantur. Septum stadiorum duodecim quadratum fecit, in quo magnifica torcularia potus impleuit: tantamq; ciborum copiam comparauit, ut per multorum dierum spacium, uolentibus ac ingredientibus, paratis cibis uesci liceret, qui nullo interuallo administrabantur. Cùm statutum conuiuiorum diem is finiuisset, poeta quidam barbarus tardiùs accessit, atq; obuius eius amplitudinem cecinit: conquestusq; est, quòd paulò seriùs accessisset. Eius cantu delectatus Luernius, auri loculum petiit, atq; ei accurrenti obiecit. Quem cùm ille accepisset, cecinit rursus, quòd quacunq; hic curru uehebatur, terræ uestigia aurum beneficiaque hominibus producerent. Hæc libro uigesimo tertio Posidonij Stoici scripta, testatur Athenæus libro 4. cap. 13.

Narrat Philarchus libro tertio, ARIAMNEM, qui ditissimus erat Galatarum, pollicitum fuisse se omnibus Galatis per anni spacium epulas esse traditurũ, atque hoc ita perfecisse. Peroportuna primùm uiarum loca pro regione in statuis excepit, in quibus ex arundinibus, calamis, uiminibusque scenas, circiter quadringentos homines, uel etiam plures, si locus ita ferret, capientes, facere aggressus est: tũc ex ciuitatibus & uicis multitudinem excipere cœpit, atque hic multiplicibus carnibus plenos magnos lebetes constituit, quos ante annum, quàm id facturus esset, fabris ærariis ex ciuitatibus accersitis facere iusserat. Postea sacrificia taurorum, suum, ouium, aliorum iumentorum singulis diebus multa persoluit: uini dolia, farinæq; integræ magnam copiam parauit, ita ut non solùm ij ut Galatæ, qui ex uicis ciuitatibusq; conuenerant, his uescerentur, uerùm etiam omnes qui accedebant externi, non priùs à pueris dimittebantur, quàm cibum sumsissent. Athen. lib. 4. cap. 11.

Habebant ROM. conuiuiorũ celebrationes, quæ aut erant conuiuia Pontificialia, quæ in sacrificiis à sacerdotibus parabantur: aut Triumphalia, quæ post uictoriam imperator uel dux populo dabat: aut Funebria, ut ita honor haberetur demortuo. Dabantur item Viscerationes, id est, caro cruda, congiaria & missilia, quæ spargebantur, utputa linea, odores, unguenta, cùm aliis temporibus, tum maximè Saturnalibus in theatro, ut Suetonius in Caligula. Polyd. lib. 4. cap. ult. de Rerum inuent.

Clientibus olim ROMÆ ab his, quos sectabantur, frequens sportula dabatur, quæ priùs centum quadrantes fuit: deinde rectam dari institutum: quare Vocatores principis dicti, qui ad cœnam conuiuas admittebant: quorum nonnulli mercede accepta, aliquos subdititios principum sæpè cœnis aduocarunt. Quam Nero ad sportulas rẽuocauit: Alex. libro 5 capite 24.

ROMVLVS, rex Romanorum, cum fratre Remo expositus, à Laurẽtia Faustuli pastoris uxore susceptus est & educatus. At quia turpe erat eo tempore aliena uiuere quadra, sic ut unusquisque in symposiis suum & cibum & potum afferre soleret, ne parasitus audiret, alleniq́ue deuorator (qui mos etiamnum apud Germanos, quando amici se mutuò inuitant, obseruatur) huius infamiæ dilucidæ causa, & simul pari aut maiori liberalitate ciues sibi obligãdi, Brumalia festa instituit, quibus à rege Senatus & milites alerentur. Brumalia enim nihil aliud lingua Romana significat, quàm de alieno uictitare. Suidas.

L. SYLLA, deposita Dictatura, uniuersi patrimonij sui conferens Herculi decimam, præbuit splendidum epulum populo per multos dies: tantoque exuberantior ubi apparatus fuit, ut quotidie magna copia cibariorum in amnem proiceretur, uinum diffunderet quadraginta annis uetustius. Plutarchus in Sylla.

Magnificum epulum C. IVL. Cæsar in Libyco triumpho populo Romano dedit, in quo duobus & uiginti millibus tricliniorum est accubitum. Ciuibus uiritim denos frumenti modios, totidemque olei libras, trecentosque numos diuisit. Suetonius.

DOMITIANVS sportulas ad cœnas reduxit, in qua frequens obsonium, panis, oleum & porcina caro dari solita, abiecto uino. Alex. lib. 5. cap. 24.

Priuata.

ELISÆVS Eliam secuturus, boues duos mactauit, populoq; epulandos dedit. 2. Regum. 19.

Auctor Plutarchus est, CIMONEM, Miltiadis F. Athenienſem, liberalitatis fama insignem, domum suam ciuibus fecisse πρυτανεῖον κοινὸν, id est publicum prytaneum, quoniam munificè illos epulo identidem exciperet, ut uolentibus patet perpetuò. Cælius lib. 13. cap. 32. A. L.

L. LVCVLLVS domum suã ita instituit, ut cùm uideret propter conuiuarum diuersitatem non unam conuiuiorum rationem sequendam esse: diuersa cœnacula constituerit, denito singulis precio & apparatu. Siquidem in Apollinei (sic cœnaculi nomen erat) quinquaginta millibus cœnari consueuerat. Habebat enim cuncta adeò apparata, ut satis esset admonere dispensatorem de cœnaculo, ubi esset conuiuendum. Pontanus cap. 6. de Conuiuẽtia, ex Plut. Lucullo.

Cur. Vt sunt Epulæ

Religiosæ, Sacræ.

Posidonius libro Historiarum uigesimo octauo, ANTIOCHVM scribit regem, cognomento Grypum, dapes splendidas parasse, cùm conuentus fierẽt in Daphnes honorem: & primùm integrorum eduliorum distributiones fecisse, postea iuuentium etiam, anserum scilicet, leporum, & dorcadum. Concedebantur & aureæ coronæ cœnantibus, argenteorumque uasorum, seruorum, equorum, camelorum, non exigua multitudo. Oportebat omnes camelum ascendere ac bibere, camelumque accipere, quæque ad camelum spectarent, unà cum astante puero. Athen. ibidem, & libro 12. capite 19.

SACERDOTES in Rom. ecclesia quum primam celebrant missam, consacerdotes & amicos conuiuio accipiunt, eandemque diem non minus religiosè, quàm natalem colit, ut auspicatò sacerdotalem introitum faciant. Ita apud ueteres, idem dies quo quis sactis initiabatur, natalis sacrorum appellabatur, religioso q; ictaculo celebrabatur. ex Apulcio libro undecimo Asini aurei Polydorus libro quinto, capite primo, de Rerum inuent.

Funebres, Exequiales.

ATHENIS per funeris præfectos epulum apud defuncti necessarios dari consueuerat. Alex. lib. 3. cap. 7.

C. SERVILIVS Geminus in P. Licinij funere uiscerationem dedit, & ludi funebres per triduum fuêre, ac secundum lectos epulum: in quo quum totò foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis orta, coegit tabernacula statuere in foro: eademque ubi discrenauit sublata, ciuitatem, uani terroris ex oraculo cõcepti admonuerunt, quòd inter cætera fatidica uates ceciniſſet futurum, ut aliquando in Romano foro necessariò tabernacula statuerentur. Sabell. lib. 7. Ennead. 5.

C. IVL. Cæsar munus gladiatorium, & epulum populo in filiæ Iuliæ memoriam pronunciauit, quod ante eum nemo fecerat. Sab. lib. 6. En. 6.

ARCHELAVS rex, mortuo patre Herode, per septem dies iuxta patriam legem luctu parentis celebrato, in fine luctus funebre epulũ multitudini præbuit. Ioseph. l. 17. c. 10.

Victoriales, triumphales.

NABVCODONOSOR, Chaldæorum rex, Arphaxadẽ Medorum regem interfecto, captiſq; Ecbaranis metropoli, Niniuen reuersus, cum omni exercitu ocia & conuiuia per dies centum uiginti agitauit. Iudith cap. 1.

CONON (non Alexander, ut Suidas) cùm apud Cnidiũ Lacedæmonios bello nauali superasset, Piræumq; munibus munisset, centum boues mactauit uerè, non autem fide, atque omnes Athenienses ad conuiuium conuocauit. ALCIBIADES, cùm in Olympicis primus secundus & quartus curru uicisset, quarum uictoriarum Epinicium scripsit Euripides, Ioui Olympio sacra initiatus, uniuerso populo congregato conuiuium exhibuit. Idem fecit & LEOPHRON in Olympiis, cuius Epinicij auctor est Simonides Cæus. EMPEDOCLES Agrigentinus, cùm equestri certamine Olympia uicisset, boucm ex myrrha, thure & pretiosissimis aromatum generibus composuit, cumq; spectatoribus occurrentibus distribuit, quippe qui Pythagoricus erat, & ab animatis omnibus abstinebat. Athenæus lib. 1. ca. 1. Dipnosophistarum.

Prima pugna ad Naxum ciuitas Athenienſis per se sola, post quam capta fuit à Lysandro, conflixit cum Græcis, uictrixq; Chabriam mirificè complexa est, & Phocionẽ ut uirum æstimauit imperio dignum. Parta uictoria est Magnis mysteriis: cuius causa decimosexto die mensis Boedromionis dabat populo Athenienſi quotannis CHABRIAS uini congiarium. Plut. in Phocione.

L. PAVLVS Aemilius, quum deuicto Perseo epulum exhiberet uictoriale, admirantibus Græcis, quòd in magno splendidoq; apparatu curiosus esset, dicere solebat: Eiusdem esse animi, & aciem & cõuiuium bene struere. illam quidem, ut formidolosus hostibus: hoc, ut amicis gratus esset. Plutarchus in Rom. apoph. & in Aemilio.

C. IVL. Cæsar Dictator, triumphi sui Africani cœna, uini Falerni amphoras, Chij cados in conuiuia distribuit. Idem Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit. Epulo uerò in tertio consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum: quo primùm tempore quatuor genera uini apposita constat. Plin. lib. 14. cap. 15.

TIBERIVS Cæsar triumphi Germanici die prandium populo mille mensis, & congiarium tricenos numos uiritim dedit. Suetonius.

Inaugurales.

Dum CAROLVS V. Bononiæ coronatur, è lacubus, qui in summo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per siphones rubra & alba uina fundebantur: panes ab alto in subiectos milites spargebantur, torrebaturque in machina uestatili bos integer, ingens, hœdis, ueruecibus, ac omni ferè uolucrum genere farctissimus: ut in tanta festa hilaritate milites sub armis in acie stantes, ad manum paratis obsoniis cum iucunditate uescerentur. Iouius lib. 57.

Pacis.

MATHIAS Coruinus Vngariæ rex, Vladislaum Boemiæ regem, ad conuentum Olmuzensem in Moraula firmandæ amicitiæ gratia inuitatum, magnifico apparatu & luxu excepit. Vide Bonfinium lib. 5. Dec. 4. Quum ad Vratislauiam Silesiorum metropolim cum Casimiro Poloniæ rege, qui bellum prior indixerat, in gratiam rediſſet, Casimirum ad urbem inuitatum honorificè excepit, incredibili luxu. Idem libro 3. Decadis 4.

Nuptiales.

Si in his Sumtum spectes, ad Magnificentiam eò quæ res pertinent, Sumtus in Nuptias, sin uero ipsum Manus, quoniam alia tribuuntur, huius erunt loci proprie.

Neapoli, in Friderici III. Cæsaris aduentu pluribus diebus nobilissima uina in speciem aquæ extẽporariis fontibus ubertim fluxêre, ALFONSI regis magnificentia. Sab. li. 8. cap. 7.

Hospitales.

Cùm Mardonius à Xerxe Persarum rege in Græcia relictus cũ exercitu Thebis ageret, ATTAGINVS Phrynonis filius Thebanus, conuiuio magnificè apparato, Mardonium ipsum & Persarum honoratissimos quinquaginta inuitauit, cum quinquaginta Thebanis: & in singulis lectis alternos, Persam & Thebanum, discumbere fecit. Herod. lib. 9.

LICHAM scimus Laconem nulla re celebrem alia in Græcia euasisse, quàm quòd ludis gymnicis esset solitus cœna excipere peregrinos. Plut. in Cimone.

Philosophicæ.

Philosophi olim conuentus & sympoſia publica in ciuitatib. agebant, sumtibus publicis EORVM, qui huic uel illi sectæ fauebant, ciuiſq; propagandæ studio pecuniam conferebãt. Reliquit pecuniam THEOPHRASTVS in ciusmodi conuentum: non ut intẽperanter agerent unà conuiuantes, sed ut moderatè eruditeq; in sympoſiis disserere liceret. Curæ erat ipsis præterea philosophis, ut iuuenes statuto quodã ordine ad conuiuium secum adducerent: nam & Xenocratis lex erat in Academia, & Aristotelis conuiualia quædam instituta. Athen. lib. 5. cap. 1.

MVNERA ALIMENTARIA. TVM

In genere. Commeatus.

ABIGAIL, Nabalis uxor, erga Dauidem cibaria per suos nuncios petentem liberalis fuit. Clàm enim marito, qui eos inhumaniter excepcrat, ducentos panes, duos uini utres, quinque oues apparatas, quinque sata polentæ, centum uuas passas, & CC ficuum palathas asinis imposuit, iiſq; dem iratum placauit. 1. Reg. 26.

SOLOMO rex Iudæorum, Hiramo regi Tyriorum quotannis uiginti millia cororum tritici, & uiginti coros expressi olei ad alimenta familiæ illius liberaliter suppeditabat. Ipse uicissim Hiramus operas suas Solomoni in templo ædificando locabat 3. Regum 5.

LACEDÆMONII cum rogantibus annonã misissent Smyrnæis, atq; beneficium illi in cœlum ferrent laudibus: Nihil esse dixerunt id magni. Hanc enim subtracto nobis iumentiſq; nostris in unum diem prandio coegimus. Plut. de Discernendis adulatorib.

HERMONI Thessali, magistratum ob paupertatem defugienti, lege lata attribuerunt lagenam uini menstruam, & medimnum farinæ quarto die cuiusque mensis. Plutarchus in Præceptis politicis.

MANIVS Marcius ædilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donauit. MINVCIVS Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris precium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus plebei tribunus: qua de causa statua ei extra portam Trigeminam, à populo stipe collata, statuta est. TREBIVS in ædilitate assibus populo frumentum præstitit. Quam ob causam & ei statuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ sunt. Ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est. Plin. lib. 18. cap. 3.

Annona existente arctiore, ob assiduas sterilitates, CLAVDIVS Imp. cogitauit hyberno tempore inuehendos commeatus, susceptoq; in se damno, si quid per tempestates accideret. Cuspinianus ex Suetonio.

M. ANTONINVS Pius Imp. uini, olei, & tritici penuriam, per ærarij sui damna emendo, & gratis populo dando, sedauit. Capitolinus.

THEODERICVS Ostrogothorum rex, qui Odoacro Herulo cæso, totius Italiæ adeptus est imperium, Romanis, singulis annis dedit uiginti millia modiorũ tritici. Paul. Diacon.

HIERONYMVS Adurnius Genuensis princeps, Hadrianum VI. ex Hispania Romam ad ineundum pontificatum contendentem, liberaliter cum tota ciuitate excepit, ingentia dona recentis præcipuè commeatus cùm publico ciuium, tum suo etiam nomine Pontifici detulit: quæ tanta fuêre, ut Hadrianus, quasi non omnia oculis planè contemplatus, singularum rerum indicem deposceret, ut grato ad eius officij memoriam animo, cuncta consideratius æstimarentur. Iouius in Hadriano VI.

Ferdinandus, Castellæ & Asturum rex, Coimbriam Lusitaniæ arcta obsidione premebat. Cæterùm commeatus inopia urbem relinquere cogebatur: cùm MONACHI pij Lorianẽses, qui sub Saracenis uiuebant, laboribus manuum suarũ uictitantes, horrea sua subterranea, quæ suum ipsi defraudantes genium frumento, ordeo, milio clàm instruxerant, regi liberaliter obtulere. Quo subsidio confirmatus, urbem tandem expugnauit. Rodericus Toletanus libro 6. rerum Hispan. capite 12.

In specie. Cuiusmodi sunt

Villarũ, Hortorũ fructus.

PISISTRATVS Athenienſium tyrannus, neq; in uillis, neq; in hortis custodes constituebat, ut narrat Theopompus libro uigesimo primo: sed uolentibus ingredi concedebat, quæcunq; uellent capere: quod & CIMON Miltiadis F. postea fecit, cùm illum imitaretur: uti testatur libro Philippicarum decimo Theopompus. Athen. lib. 12. cap. 15. & Plut.

PERICLES ex suis prædiis macerias sustulit, ut ad fructus indepercipiendos omnibus pateret aditus: Anaxagoræ credo, cui operam dedit, exemplum secutus, qui animi magnificentia, diuinoq; ut Plutarchus scribit, furore percitus, agrum pecoribus compascuum reliquit. Sab. lib. 5. En. 3.

EPHIALTES proprios fundos, omnibus, qui cuperent, fruendos permisit, ex isdemq; plurimis uictum præbuit. Heraclides.

Fructus quilibet.

Artoxerxi regi cùm malum punicum OMISES quidam inusitata magnitudine obtulisset: Per Solem, inquit, etiam urbem uir hic, si ei concredita sit, ex pusilla citò reddat amplam. Plut. in Artoxerxe.

Poma græca Alexandro Magno dono missa, Cliti amici cædis occasio. Rex enim uiriditatem eorum & speciẽ miratus, acciuit Clitum, ut ei ostenderet illa & impertiretur. Clitus ad cœnam ueniens, cùm audiret decantari Pranychi cuiusdam carmina in ignominiam Macedonum, uino iam grauis eã ob rem regem reprehendit. Rex ira commotus, ex malis istis appositis uno coniecto percussit Clitum, hastaq; satelliti ablata cum transfixit. Plut. in Alexandro.

NICOLAVS patria Damascenus fuit, disciplina Peripateticus, quamuis historiam etiam uariam copiosamq; scripserit. Qui cùm Cæsaris Augusti familiaritate usus esset, domique postea uineret, palmulas nobiles, q̃ ab ipso Nicolai uocatæ sunt, Imperatori mittebat: illo enim cibo uehementer delectaba-

delectabatur Augustus. Athenæus in XIIII libro δειπνοσοφιςῶν. Plutarchus in VIII. συμποσιακῶν, quæstione quarta, uidetur potiùs existimare, nomen illis impositum à similitudine animi eius philosophi, & colore faciei, quàm à studio, quod in illis serendis ac colendis Nicolaus adhiberet: cùm præter ceteras pulcerrimas possideret, unde fortunatissimo uiro missitaret. Narrat enim, cùm Imperator eximiè hunc philosophum diligeret, qui moribus suauis erat, prolixitate autem corporis gracilis, faciemq; idem haberet punicei ruboris plenam, inde maximas pulcerrimasq; palmulas Nicolaios uocasse. Victorius lib.25. Var.lect. cap. 13.

Ludouicus XI. Caroli VII. patris metu apud Burgundos exulans, cùm uenationibus indulgeret, saltuarij cuiusdam CONONIS familiaritate se oblectabat. Cui ad regnum euecto, rusticus ille rapa aliquot ab uxore accepta, quibus Ludouicum post uenationis laborem auidè uesci uiderat, oblaturus, Parisios proficiscitur. In itinere fame urgente, omnes rapas, grandissima excepta, deuorauit, eamq; regi dono dedit. Rex hominis simplicitate delectatus, mille donauit aureis, & rapam inter thesauros suos collocari iussit. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

Pisces.

L. SYLLAE post uictoriam de Mithridate apud Aedepsum thermis utenti ob podagram, & deambulanti in litore, obtulerunt piscatores quidam eximios pisces. Lætus donis, ut audiuit Alæos esse: Et aliquis, inquit, adhuc superest Alæorum? Cùm enim uictor prælio ad Orchomenon consectaretur hostes, obiter oppida tria Bœotiæ, Anthedona, Larymnam & Alæas euertit, quæ cum Mithridate fecerant. Ob murescentibus pauore, arridens, abire eos bono animo iussit: neq; enim cum uilibus uel contemnendis ipsos uenisse deprecatoribus. Alæi erecti inde oppidum aiunt se de integro frequentasse. Plut. in Sylla.

Altilia.

Theopompus Chius in rebus Græcis, & rerum Philippicarum libro tertiodecimo, Agesilao, inquit, Laconi in Aegyptum proficiscenti, anseres uitulosque saginatos AEGYPTII miserunt. Athen. lib.9. cap.11.

Carnes.

Rex ANTIOCHVS, Demetrij filius, ut inquit Posidonius, cū tumultuariò conuiuas interdiu excepisset: præter ea quæ erant absumpta, singulis conuiuis concessit, ut cumulatè terrestrium, uolatilium, aquaticorumque animalium integras carnium partes auferrent, easque non diuisas paratas, ita ut plaustrum possent implere: magnam præterea mellitarum placentarum copiam, & coronarum ex myrrha & thure, cū aureis pileis in corymbi morem ad mensuram hominis accedentibus. Athenæus libro 5. capite 9.

ALEXANDER Seuerus ter militibus donatiuum dedit, item populo congiarium, in quo carnem quoq; distribuit, uix antea præberi solitam. Pontanus cap.15. de Magnificentia.

Panes.

AVRELIANVS Imp. ad Parthicum profecturus bellū, cùm bilibres coronas singulis promisisset, & aureas populus expectaret: siligineas dedit, nouo genere panis, quo deinceps usi fuêre. Alex. ab Alex. lib.5. cap.24.

Palatini, genus panum, quos populo CONSTANTINVS Magnus in suo consulatu largitus est: ita dicti, quòd ex Palatio præberentur. Adiecit his etiam carnes, uinum & oleū: quorum aliquandiu ciuitas fructum cepit, cùm notas corū, quas ille proiecisset, ferret. Suidas.

Lac.

Apud antiquissimos ROM. sestarij lactis dabantur, uini nunquam. Alex. lib.5. cap.24.

Aqua.

Artoxerxes, Persarum rex, qui iuxtà censebat regium esse & benignum, capere candido & alacri animo exigua, atque ingentia donare: cùm HOMO pertenuis & plebeius, cui nihil erat aliud, sumtam ex amne ambabus manibus aquam, ei equitanti in itinere obtulisset, accepit hanc grato animo, & phialam ei auream cum mille Daricis misit. Plut. in Apoph. & in Artoxerxe.

Vinum, Mustum.

Mustum rutatum populo datum est à CORN. Cethego, in cōsulatu collega Quintij Flaminij, comitijs peractis. Plinius libro 19. capite sexto.

AVRELIANVS Imp. uinum gratuitum populo dare cogitauerat, ut oleum, triticum, & suillam carnem. quod ut aliquādo fieret, à Valeria uia per Hetruriam ad Alpes usq;, omnia aprica Apennini iuga uitibus serere in animo habuit, captiuorum multitudine inducta, si locorum domini nouellare noluissent. Rem iamdudum incoatam auctoris præmaturus exitus discussit Fuerunt qui crederent, Cari præfecti pretorio monitu incœpto destitisse, qui diceret futurum, ut si gratuitum populo uinum daretur, gallinacei & anseres dādi essent. Sab. lib.7. En.7.

Post eum PROBVS Imp. Romanis in uoluptates uinū dedit. Cuspinianus.

Vladislaus, Boemiæ & Hungariæ rex, ob œconomiæ negligentiam ad eam non semel penuriam peruenit, ut nihil in penu esculenti, nihil in cella uini haberet, cogereturque aliunde sibi prandium emendicare. Videram Budæ, inquit Dubrauius lib.32. quando ministri aulici cum aliquot lagenis uacuis ad domum GEORGII, Episcopi Quinqueecclesiensis, currerent, uinum pro regis prandio impetratum. Interrogat Episcopus, An uinum in arce non haberent? Nullum quidem obsonium, respondent. Indignitate rei ille concitus, ad regem properat: accersitoque mox quæstore, cum illo, rege coràm, grauissimis uerbis expostulat, quòd præ quæstu suo officium turpissimè deserat, regnumque ad indignam tum infamiam, tum inuidiam adducat, quasi non haberet unde regem suum aleret: cùm ipsius quæstoris tam plena sint promutuaria, ut ex hoc in illud cotidie eructent, iussitque protinus complura uini uasa de domo sua in arcem transuehi.

Aromata.

HADRIANVS Imp. in iis spectaculis, quæ in honorem Traiani patris edidit, balsama & crocum per theatri gradus diffundi iussit. In honorem etiam socrus aromata populo dedit. Pontanus cap.15. de Magnificentia.

Sal.

ANCVS Martius rex, salis modia sex millia congiarium populo erogauit, & salinas primus instituit. Plin. lib.31. ca.7.

☞ CIVITATES.

Magnus CYRVS Pytharcho Cyziceno, suo familiari, septē urbes largitus est. Is ea fortuna elatus patrię tyrānus effecit. Athenæus lib.1. cap.27.

Themistocles exul magnis muneribus ab ARTOXERXE donatus est. Inter cætera tres urbes in uictum, Magnesiam, quę panē præberet (ex qua regione quinquaginta talenta quot annis redibant) Lampsacum, unde uinum sumeret, & Myuntem, ex qua obsonium haberet. Athen. lib.1. cap.27. Probus in Themistocle.

ALEXANDER Magnus Phocioni Atheniensi centum argēti talenta misit, & quatuor Asiæ ciuitates nominauit, Chium, Elæam, Mylasim, & Pataram (Plut. Gergythum habet) quarū quamcunq; libitum esse, deligere iussit, ut eius census & reditus in propriā utilitatē cōuerteret. Aelian. lib.1. Var. hist.

ROMANI Acarnanibus, Leucadem & Anactorium oppida, quæ Corinthijs ademerāt, sua sponte donationis titulo obtulerunt. Pontanus cap.34. de Liberalitate.

Iudæorum rex Herodes, in Aegypto cum Cæsare AVGVSTO congressus, magnis ab eo beneficijs ornatus est. Augustus attribuit eius regno Gadara, Hippon, & Samariam, & in maritimis Gazam, Anthedonem, Ioppen, Stratonisque turrim: quæ illi non mediocris fuit ad regium splēdorem accessio. Iosephus lib.15. cap.11. Antiq.

☞ AGRI, PRÆDIA.

Eo bello quod toti Græcię Xerxes intulerat, cùm Aristidi, Grecorum omnium nomine consulenti, Delphicum respondisset oraculum, ut in sacris Eleusinæ Cereri campis dimicarent: neq; alibi locus esset ullus Cereri Eleusinæ, nisi in Atheniēsi agro sacer: nemini dubium erat, quin iuxta oraculū, in Atheniensem agrū redeundū foret. Quod si fieret, gerendi belli rationibus uehementer id aduersari putabatur. Itaque cùm cōsilio incerti omnes manerent, dicerentq; aut oraculo aut militarib. consilijs, in quibus cōmunis salutis spes posita erat, parere oportere: PLATÆENSES, qui cæteris populis uiciniores Athenis erant, in quorū agro Grecorū tunc castra erant, ne ab eo loco exercitus cederet, qui rebus fœliciter gerendis oportunus uidebatur, & ut simul oraculo satisfieret: quod agri inter urbem suā Athenasq; possidebant, Atheniensibus donarunt. In quo cùm & Græcorū castris, & ad pugnandum satis esset spacij, idq; dono Atheniensiū esset factum, & propterea Eleusinæ Cereri sacrū dici iam deberet: egerūt Platęenses, ut cum oraculo militare quoq; cōsilium congrueret: atq; ita penes Græcos eius prælij uictoria iam maneret. Huius rei gratia Alexander non liberalis solùm ipse, uerùm etiam liberalium amator & studiosus, cùm Platæarum urbem muro nudatam offendisset, pecunia sua muro sepsit in liberalitatis præmium, quo Platæenses uniuersam affecerant Græciam. Fulgosus libro quarto, cap.8. ex Plutarcho.

M. Syl. OTHO, qui postea imperauit, cùm adhuc priuatam ageret uitam, à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controuersia, & alteri contendentium dono dedit: atq; ita inter ipsos litem sustulit. Suetonius.

Vniuersitas Parisiensis à CAROLO Magno conditore suo campū Clericorum uulgò dictū accepit, spacio longo lateque ab insula Maquerella secundùm Sequanæ ripā ad hortos Nigellæ, murosq; urbis, & Franciscanorum portam, D. Germani macellum & cœnobiū, indeq; à Diui Martini Hordeacei sacello rectà ad eandem insulam comprehensum ac definitum: regia intercurrente uia diuisum, unde maius mi nusq; pratum uulgò nominatum est. PHILIPPVS quintus rex anno 1317. iudicium fecit, ut pratum illud neq; sordibus fœdaretur, nec à pecore compasceretur: ut scholastici honestè ualeât (sicuti ipse loquitur) in eo spaciari. P. Ramus oratione de Sua legatione.

☞ DOMVS.

ALEXANDER Magnus, uicto Dario, Parmenioni donauit Bagoæ domum, in qua ad cultum pertinentium uestiarium mille talentûm inuenit. Plut. in Alexandro.

BORSIVM Estensem principem ferunt amplissimas semper & magnis sumtibus ædes ædificasse, quibus familiares suos donaret. Pont. de Magnificentia, cap.7.

☞ DIGNITATES FRVCTVOSÆ. TVM

Sacræ, Sacerdotia.

CAROLVS VII. Gallorum rex, solenni episcoporum concilio Pragmaticam instituit sanctionem, ut literati ad sacerdotia prouehe rentur. Prius enim curæ animarum (quas uocāt Beneficia) mulionibus, aut etiam lenonibus præsulum dabantur: ita ut utilius multo uideretur, in aulica uita eius rei gratia parasitari, & scurram agere, quàm studium literis impertiri. Asini enim portabāt mysteria: doctos oportebat sua fama contētos uiuere, nec aliud sperare quicquā. Rauisius.

Profanæ.

☞ *Ex Tit. Magistratus acquisitio huc quædam, quatenus honoris ergo dantur.*

☞ VESTIMENTA.

Darius Cambysis satelles, cùm uidisset SYLOSONTEM Aeaci F. fratrem Polycratis Samiorum tyranni, purpurea amictum ueste elegantissima in foro Mempheos deambulantem, petiit sibi uestem uendi. Syloson uerò gratis obtulit. Aliquanto tempore pòst cùm Darius rex creatus esset, Syloson Susa profectus, regi sese exhibuit. Darius igitur cùm humanissimè hominem excepisset, quæcunq; uellet, postulare iussit. Petiit ille, ut in Samum patriam incolumis reduceretur. Nam Polycrate per Orœtem sublato, Mæandrius scriba tyrannidem occuparat. Darius Sylosonti paruit. Non tamē absq; cæde Samum intrare potuit. Herod. lib.3.

ARTOXERXES Persarum rex Teribazo lacera ueste sibi occurrenti uestem donauit regiam. Plut. in Artoxerxe.

CIMON Atheniensis, cùm è domo in publicum egrederetur, magno nobilium iuuenū numero septus erat: qui pulchris nouisque uestibus amicti, si in probos uiros, cæterùm tritis uestibus tectos, incidissent, cum eis uestes suas commutabant. Plut. & Athen. lib.12. cap.15.

DIONYSIVS tyrannus Lysandri Lacedæmonij filiabus preciosas misit uestes, quas tamen non accepit Lysander: addens uereri se, ne uiderentur ex illis deformiores. Plutarch. in Lysandro.

Fuit in templo Iouis Capitolini pallium breue purpureum, lanestre: ad quod cùm matronæ atque ipse Aurelianus Imp. iungeret purpuras suas, cineris specie decolorari uidebātur cæteræ, diuini cōparatione fulgoris. Hoc munus REX Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano de Polmyrenis uictori dedisse perhibetur, scribens: Sume purpuram qualis apud nos est. Nam postea diligentissimè & Aurelianus, & Probus, & proximè Diocletianus, missis diligentissimis confectoribus, requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur autem sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur. Erasmus ex Fl. Vopisco.

IOANNES Aragoniæ rex XVIII. uestem nullam unquam induit, quam non eodē die petenti sub hac conditione concesserit, Cùm deposuero: cubiculario que iubebat, ut ei, quū aliam indueret, traderet. Marineus lib.12. rerum Hisp.

ALFONSVS rex, quum nouam induisset uestem, eam familiarium cuipiam non multo pòst tradendam curabat. Pontan. cap.22. de Liberalitate.

CONSALVVS Magnus cùm reginæ Isabellæ supellex fortuito incendio noctu ad Granatam conflagrasset: incundæ gratiæ occasionem agnoscens, Manricam uxorem in proximo Hilore castello considentem admonuit, ut reginæ toto tunicarum & lodicū necessario ornatu exutæ, quicquid ipsa haberet ex mundo maritali, & domestico multarum ancillarum acu pingentium labore, linteæ uestis copiā largiretur. Dono celerrimè opportuneq; transmissa sunt tot & tanta muliebris usus ornamenta, ut regiæ opulentiæ æquari posse censerentur. In his erant preciosi operis textilisque materiæ conopæa reticulatis commissuris, insuroque passim auro, & purpura undiq; limbos depingente, nuptialibus regum thoris dignissima. Sed interularum tunicarum & lodicum sudariorumq; omnis generis scitissimè acu pictorum operosas amœnitates usqueadeò regina lætis oculis mirata est, ut quum sumptum subtilissimæ preciosæque artis inæstimabilem iudicaret, una maximè diligentiæ & celeritatis admiratione teneretur, ut ea dona tāquam in eum incendij casum multis antè annis opportunè prouisa atque elaborata crederentur. Superueniente autem Consaluo, Regina cum eo his erga eum uerbis blandè iocata est, repentinum eius incendij casum sibi magno commodo cessisse, quòd ab incenso tentorio suo importunus ignis in ipsius Consalui domum rapaci uiolentia peruasisset. Ea liberalitas inexpectato munere Reginæ animū ita obstrinxit, ut ea omnibus sermonibus unum Consaluum uirtutis atq; elegantiæ nomine cunctis præferre, effuseque laudare nō dubitaret, usqueadeò, ut nonnulli Consaluum à Regina tenerius adamari crederent. Iouius in Consaluo.

☞ VTENSILIA, SVPELLEX VARIA.

Huc pertinent data

Vasa qualiacunque. Tum

Aurea Argentea.

ALEXANDER Magnus rex, nuptias cum Statyra celebrans, nouem millibus Macedonum ad conuiuium uocatis, singulos aurea phiala donauit. Plut. in eius uita.

EVRIPIDEM tragœdiarum poetam nobilem & scenicum philosophum, uti ab Atheniensibus iactatum scimus, Archelao regi Macedonum sola uirtutis admiratione fuisse persamiliarem ferunt, adeò ut in conuiuio, ubi aureo scypho donari se à rege quidam frugis non satis bonæ amplius deprecaretur, puero innuerit Archelaus, Euripidi poculum traderet: quumque is uideretur etiam atque etiam admirari, σὺ μὲν γὰρ εἶπεν αἰτῶν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστι καὶ μὴ αἰτῶν. Tu quidem (inquit) qui petas, hic uerò quamuis non petens, dignus est qui capiat. Cælius lib.24. cap.7. A.L.

PHILOTAS Parmenionis F. cùm necessarius quidam argentum ab ipso posceret, iussit dari. Negante procuratore, esse: Quid ais, inquit, ne poculum quidem aut uestem habes? Plut. in Alex.

MOECENAS quotannis natali eius Augustam phiala aurea donabat. Plut. in Apoph.

RICARDVS Britannus rex, cùm mirè apparato conuiuio animaduertisset duos ex equitibus suis attentiùs quædā mirari uasa aurea, & unà sermones serere: ad eos accessit, petijtque quibus de rebus unà loquerentur. Qui cùm respondissent, inter se locutos, quòd satis se opulentos fore putarent, contentique uiderentur, si duo tantùm ex eorum uasorum numero haberent: subridens rex dixit, Ne ob id contenti esse desinerent: se enim ea ipsa hora dono uasa dare. eaq; in ipsorum manu poni iussit. Verùm quòd sculpturæ in eis excellens erat opus, neque sine tantæ artis iniuria deleri posse uidebantur, in medio conuiuio inspici eorum pondus iussit, & pro uasis duodecim aureorum numūm milia (tanti enim esse censebantur) ambobus repręsentauit. Fulgosus lib.4. cap.8.

Fictilia.

ION Chius, cùm Tragœdiam Athenis uicisset, unicuiq; Atheniensium dedit fictile Chium. Suidas ex Athen. lib.1. cap.1.

Vitrea.

Munera uitrea uarij generis & magno artificio fabrefacta Maximiliano I. Imp. à VENETIS data fuerāt, pro quibus gratias quidē egit. At ut intelligerēt legati Veneti, non moueri ipsum raritate muneris, quod uilitate precij sorderet: instruxit clàm, qui id agerent, ut pocula omnia quasi fortuitò de mensa, in qua erant posita, deturbarentur. Hoc nimirum facto significans, maiorem gratiam habitura fuisse uel aurea uel argentea potiùs, quæ corrumpi casu non potuissent, & corrupta nihilominus profuissent: quàm uitrea, quæ destructa nihil prosunt. Bruno lib.5. cap.21. de Legationib.

Aulæa.

IACOBVM I. Scotorum regem à suis redemtum cum Ioanna uxore, filia comitis Sumerseti, Scotiam repetentem magno honore prosecuti sunt Angli ad regni usque fines: & Ioannes Beufurd socer, præter aurea argenteaq; uasa preciosissima, cum aulęis byssinis, in quibus miro artificio Herculis labores intexti fuerant, haud pari in tota Europa opere donauit. H. Boethius lib.17.

FRANCISCVS I. rex Gallorū aulæū donauit Clemēti VII. Pp. in quo suprema Christi cœna cum discipulis artificiosissimè serico atq; auro intexta uisebatur. Cùm ab eo priùs monocerotis bicubitale cornu, aureæ cęlatæ basi inclusum dono accepisset. Iouius lib.31. Hist.

Candelabra.

DIONYSIVS iunior Siciliæ tyrannus in prytaneo Tarentino candelabrum dicauit, in quo totidem succenderentur ly-

tur lychni, quot in anno numerantur dies. Cælius libro 6. capite 18. A.L.

Horologia.

REX Persiæ misit Carolo Magno æneum horologium, & duo candelabra, quæ Aquisgrani in templum Mariæ reposuit. Chronicon Saxoniæ.

FERDINANDVS rex, cùm regnum Hungariæ per legatos à Solymanno peteret, qui tum Budæ erat, dona misit excelsum Germanico more ex auro poculum, lectissimis exornatum gemmis, eruditæque insuper admirationis argenteam machinam, in qua non horarum modò spatia, sed errantiū etiam siderum motus, menstruique solis ac lunæ coitus, exactissima ratione monstrabantur: intus scilicet dentatis rotis certisq; ponderibus, admirabili momento, uel in multū æuum minutissimas temporum mensuras dispensantibus, quum inter celeres tardosq; orbes, in tam uario inæqualique polorum ordine, audaci quadam supremi motoris æmulatione cuncta congruerent. Ea à peritissimis astronomis excogitata perfectaque, Maximiliani Cæsaris fuisse dicebatur, cuius ingenium nobili semper studio, nec deterrente unquam sumtu, rara atque admiranda concupiuit. Ea succollātibus duodecim seruis illata, Solymanni animum, & Barbarorum oculos admiratione compleuit. Adduxerāt enim artificem, qui solutis machinæ fibulis interiora admirabili rotatione circumacta repanderet: is libellum quoque detulerat, attritæ uel luxatæ machinæ remedia continentē, tradentemq; præcepta, quibus tot orbium cursus nunquā interitura ratione regeretur. Sab. sup. lib. 24. ex Iouio.

Campanæ.

VRSVS Particiacus Venetorum dux anno Sal. 865. Saracenos classe uicit prope Gradum auxilio Basilij Imp. Græci, cuius est postea Protospatharius factus. Gratitudine proinde animi & officio cum Basilio certans, duodenas magni ponderis artificij q; non uulgaris dono ei misit campanas, suntq; Venetorum munere tum primùm Græci campano ære usi. Sab. lib. 1. En. 9. & lib. 3. Dec. 1.

Organa musica.

CONSTANTINVS Copronymus Imp. Pipino Gallorum regi organa musica, antea in Occidente non uisa, donauit. Auentinus libro 4.

Mensæ.

LVDOVICVS Pius Imp. mandatis patris Caroli Magni insistens, mensam argenteam, quæ forma quadrangula descriptionem urbis Constantinopolitanæ complectebatur, basilicæ Vaticanæ largitus est: alteram uerò, quæ rotunda Romanæ urbis effigiem exprimebat, Ecclesiæ Rauennati. Sigonius lib. 4. regni Ital.

Alueoli lusorij.

CAROLVS I. Vngariæ rex Ioannem Boemiæ regem alueo latrunculorū preciosissimo donauit. Vide, Munificentia honoraria, Regibus. ex Bonfinij lib. 9. Dec. 2.

Legati ab VSAN Cassano Persarum rege, ad Mahometū II. Imp. Turcarū cum amplissimis donis Byzantiū uenēre. Fuit alueus inter regia munera, tabulas habens & tesseras gemmeas, & in his labor nihilo materia inferior. Reperit preciosissimum id munus Vsan Cassanus, ut legati testati sunt, in thesauris Demiri Persarum regis, quem bello uictum regno & uita spoliauerat. Sab. lib. 6. En. 10.

Libri.

☞ *Huc Librorum dedicationes referas licet, eas scilicet, quæ liberali animo, non fœneratorio, fiunt.*

Aeschinem Socraticum ob dialogos admirantur tanquā moderatum & facilem, quos ei donatos fuisse post mortē Socratis à XANTHIPPE illius uxore, Idomenei familiares attestantur. Athen. lib. 13. cap. 35.

MICHAEL Constantinopoleos Imp. Ludouico Pio Imperatori libros Dionysij Areopagitæ de Hierarchia misit, qui Parisiis in templum eius repositi sunt. Sigebertus.

COSMVS Medices Alfonso Aragonio regi aliquot Decades Liuij nuper repertas, summi loco muneris misit. Panormitanus libro 1.

Calx.

THEODERICVS Ostrogothorum rex in Italia, ad ruinas ueterum ædificorum reparandas, calcarias in quibusdam Italiæ insulis fieri procurauit, calcemque postmodum ciuibus, quorum principia ædificiorum cernerentur, sine precio est largitus. Cassiodorus.

MAGNVS Sforcia ad Cotignolam patriam, quæ fortuito incendio conflagrarat, magnificentiùs instaurandam ciues suos permouit, lateribus, materia, calce, & quæcunque alia fuere necessaria, gratuitò subministratis. Iouius in eius uita.

❧ ORNAMENTA. VTPVTA

Vitis, Platanus.

PYTHIVS Atygis F. habitans Celenis Phrygiæ urbe, Dario regi Persarum dedit auream platanum dono, & uitem auream. Sab. lib. 2. En. 3.

Cn. Pompeio Cœlesyriam obeunti, misit insigne donum ARISTOBVLVS Iudęorum rex, uitem auream D talentorum. Cuius muneris meminit etiam Strabo Cappadox his uerbis: Venit & ex Aegypto legatio, cum corona facta ex aureorum quatuor millibus: & ex Iudæa siue uitis, siue hortus, quod opus τερπωλή, id est, delectamentum uocabant. Hoc donum uidimus etiam nos Romæ dedicatum in Iouis Capitolini templo, cum inscriptione Alexandri regis Iudæorum: æstimabaturque quingentis talentis. Ferturautem missum à dynasta Iudæorum Aristobulo. Iosephus libro 14. capite quinto.

Cathenæ, Compedes.

DARIVS Persarum rex, pede luxato à Democede Crotoniata medico curatus, ei duo paria aurearum compedum dono dedit. Herodotus.

CAIVS Imperator factus, Agrippam uinculis solutum regem Iudæorum fecit, imposito in eius caput diademate, & pro ferrea cathena dedit auream pari pondere. Iosephus libro 18. capite 8.

Coronæ.

VOLOGESVS Parthorum rex coronam auream Tito Cæsari dono misit, quòd Iudæos uicisset. Iosephus lib. 7. cap. 24.

Columnæ.

* TACITVS Augustus columnas centum è lapide Numidico Hostiensibus dono dedit, quarum singulæ pedum trium & uiginti esse dicuntur, donum undiq; circumspectum: fuit enim & magnum, & ipso atq; Hostiensibus dignum. Pont. 19. de Magnificentia.

Mundus muliebris.

P. SCIPIO matri, mortua uxore, mundum eius muliebrem omnem donauit. Suidas.

❧ SACRÆ RELIQVIÆ.

PATRIARCHA Hierosolymitanus Theodosio Imper. misit dextram D. Stephani protomartyris. Cedrenus.

Quū Carolus Magnus Rom. Imp. Romæ ab Leone III. Pont. coronaretur: Zacharias domesticus sacerdos Caroli, & duo monachi legati PATRIARCHÆ Hierosolymitani, ad Carolum ueniunt, & adferunt claues, & hastam, signa urbis & monumentorum Christi seruatoris nostri, quæ honoris & boni ominis causa missa Carolo, ipsi omnia patescere, undiq; cuncta significabant. Monachos aliquot menses secū detinuit Magnus. Auent. lib. 4. Annalium Boiorum.

Ethelstanus Anglorū rex, ab OTHONE Magno ensem Constantini Magni, cuius in capulo clauus, quo Christus affixus credebatur, hærebat: ac lanceam, qua latus eius transfossum: uexillum Mauricij martyris: partem S. Crucis, & spineæ coronæ impetrauit: quorum partes aliquot idem rex Malmesburiensibus donauit. Ranulphus lib. 6. cap. 6.

OTHO II. Imperator imaginem crucifixi Christi donauit episcopo Volckmaro Padebornensi, quæ precio constitit sexaginta millibus aureorum Hungaricorum: conflata ex tributo Longobardico per triennium. Hedio in Chronico German.

LEO V. Imp. Venetis publicè misit muneri Zachariæ corpus, cum parte sanctissimæ crucis ac Dominicæ uestis, & alterius quæ Deiparæ fuit uirginis. Cuspinianus.

CAROLVS Simplex Francorum rex, à factiosis captus, Henrico Aucupi Germanorum regi brachium S. Dionysij auro gemmisque inclusum, fœderis & perpetui amoris pignus clàm misit, unicum Francorum solatium. Quod quidem munus summa cum ueneratione religiosus rex accepit: & Carolo suppetias dedisset, nisi in custodia fuisset defunctus. Cuspinianus, & Cranzius lib. 3. Saxoniæ, cap. 6.

Quum Hadrianus per literas Gerundensis episcopi cognouisset se pontificem Romanum creatum esse: & tamen, quòd ad tantæ rei famam confirmandam à senatu nihil penitus aliquādiu adferretur, suspensus hæreret: à CÆSAREA Augusta os mandibulæ Diui Lamberti martyris ad eum pro insigni munere delatum, incredibili cum lætitia suscepit: id enim ántea uel assiduis precibus impetrare nequiuerat, quū uis id Leo pontifex ab ipsis Cæsaraugustanis sacerdotibus per epistolam flagitasset, & Carolus V. Cæsar eos etiam atque etiam hortaretur. Hinc est illud perfacetum Hadriani dictum ad familiares, languidiore spe in ea tristi mora literas de pontificatu ab urbe præstolantes, Si non uobis, arridendo inquit, at mihi ipsi factus sum pontifex, quando iam Diui Lamberti reliquias (quod unum in tota uita uehementer optaui) uel ad falsam delati pontificatus famam feliciter mè sim consecutus. Iouius in Hadriano.

Rodulfus

Rodulfus Burgundionum rex, à Samsone comite Italo, dum aduersus Berengarios pugnat, dono acceperat lanceam Constantini Magni Imp. iuxta mediam spinam fenestellis intercisam, crucibus de Dominico ligno insignitam. Eam multis uix tandem precibus à Rodulfo impetrauit Henricus I. Cæsar: & uicissim eum donauit magna Sueuiæ parte transrhenanæ, Burgundiæ scilicet imperialis. Diu inter thesauros Imperatoris asseruata, tandem ad Norimbergenses incerto modo peruenisse dicitur. Cranzius lib. 3. cap. 6. Saxoniæ, & Cuspinianus.

❧ THVS.

ALEXANDER Magnus, uicto ad Issum Dario, & Arabia subacta, cùm Olympiadi, Cleopatræ, & amicis multa de præda mitteret: Leonidæ quoq; misit pædagogo thuris talenta quingenta, & myrrhæ centum, ubi spes puerilis subiit eum. Quippe Leonidas ingereti in sacrificio ambabus manibus & libanti thymiama Alexandro: Vbi potitus eris, inquit, regione odorifera, tum munificè adolebis: nunc modicè utere præsentibus. Hic ergo, scripsit ei Alexander: Thus tibi & myrrham affatim misimus, quò tādem desinas esse in deos parcus. Plut. in Alexandro.

❧ PECVNIA, NVMI.

PYTHIVS Atygis F. Celenius, Xerxem & omnem eius exercitum ex decies centenis millibus hominum constantem hospitio excepit. Eiq; in sumtus bellicos de suo argenti bis mille talenta, auri uerò quadragies centum millia numûm Daricorum dono obtulit. Sab. lib. 2. En 3.

Gregarius quidam Macedo mulum onustum auro regio agebat. Defesso iumento sarcinam ipse in humeros sublatam portabat. Vidit rex ALEXANDER onere oppressum, ac re intellecta, cùm ille id depositurus esset: Ne defatigeris, inquit, sed absolue reliquum itineris; atq; in tentorium tuum hoc defer. Plut. in Alexandro.

ALEXANDER Magnus Anaxarcho philosopho dare iussit dispensatore, quantum postulauisset. Vbi ostendit dispensator, eum centum talenta postulare: Rectè, inquit, facit, qui esse amicum nouit sibi; qui tantum & possit donare & uelit. Plut. in Apophtheg.

IDEM Xenocrati quinquaginta talenta dono misit. Plutar. oratione 1 de Alex. fortuna uel uirt.

IDEM Pyrrhoni Eleo, ut primùm ipsum conuenit, mille aureos donauit. Ibidem.

M. ANTONIVS III uir amico cuipiam decies H-S iusserat dari. Obstupescente dispensatore, & quo summæ magnitudinem ei ostenderet, argentum in medio proponente, transiens; Quid hoc esset? rogauit. Vbi respondit dispensator, Id quod donari iusserat: liuorem eius coniiciens Antonius: Ego uerò maiorem summam, inquit, esse decies putaui. hoc exiguum est itaq; alterum ei tantum adiice. Plut. in Antonio. Hoc NERONI Imp. erga pretorianum militem, Agrippina succensente, tribuit Xiphilinus.

Aratus Sicyonius, eiecto Nicocle tyranno, accepit dono à rege PTOLEMÆO uiginti quinq; talenta: accepta egenis ciuibus suis, cùm in alia tum ad redimendos captiuos dilargitus est. Quia uerò placari non poterant exules, qui prædiorum suorum possessores fatigabant, uenit ciuitas in periculum extremum exitij. Quare unicam spem uidens Ptolemęi liberalitatem, perrexit nauigare & rogare regem, ut argento sibi ad conciliādam ciuitatem suam subueniret. Magnis igitur periculis in Aegyptum nauigans, à rege dono accepit ciuitati suæ centum quinquaginta talenta, quę in exules partim distribuit, ut eos reuocaret; interq; ciues amicitiam concinnaret. Plut. in Arato.

TIBERIVS III. Imp. thesauris ad munificentiam & liberalitatem usus est, teste Sigeberto in Chron. Ad Sigebertum namq; Francorum regem, qui se per legatos inuiserat, cum reliquis muneribus, quæ magna fuere, aureos etiam quinquaginta, singularū libratū singulos misit: quorū pars una imagine principis signata erat his literis, Tiberij Cōstantini perpetuò Augusti: altera uerò pars quadrigam continebat cum ascensore his literis, Romanorum gloria. Platina, & Sabellicus libro 5. Enneadis 8.

SEVERVS Imp. cùm attigit decennium sui principatus, congiario populo pretorianisq; militibus dato, eis tot aureos, quot annos imperauerat, dedit. Quam ob causam sibi mirum in modum placebat, cùm nemo unquam simul tantundem eis dedisset. Consumta sunt in ea largitione aureorum decies centena millia. Xiphilinus & Cuspinianus.

VENCESLAVS III. Boemorum rex Viennam deditione acceperat. Eam Fridericus dux Austriæ ab eo redemit, uiginti aureûm numûm millibus. Quam summam ille confestim, inter suos qui aderant, pro sua cuiusq; conditione, distribuit: non tam ambitione ductus, quàm ingenita quadam ad liberaliter agendum naturæ suæ inclinatione. Cuius uel hoc specimen insigne fuerit: Attulerat absenti dispensator ingentem auri massam, in montibus Gilouensibus de saxo auulsam, pondo duodecim pendentem. Hanc cubiculi præfectus acceptam in lectulum Regis seposuit, oblitus interim præsenti Regi illam repræsentare. Ibat Rex cubitum, totamque illam noctem peruigil transegit. Manè palàm de insomnio conquerens, iussit lectulum excuti, si quid inesset, quod somnum adimeret. Massam auream cubicularij in conspectum Regis afferunt, eamq; in lectulo se inuenisse, & præterea nihil aliud, dicunt. En, inquit Rex, ueneficium illud, quo ego uelut fascinatus dormire nequiui: auferte hinc malum ab oculis meis, & ne amplius ad ius redeat, inter uos diuidite. In ore semper illud habebat, liberalibus omnia liberaliter adfluere. Dubrauius lib. 16.

SIGISMVNDO Imp. dum Basiliensi concilio interest, quadraginta millia aureûm numum ex Pannonia (Syluius habet ex Burgūdia) allata fuerant, ac tum reddita, cùm iret cubitum. Excitatus non semel à somno, secumque cogitans, cuinam potissimum usui aurum illud destinaret: manè ad se uiros aliquot ingenio & doctrina præstantes uocat, quorum studio & opera concilij res non feriabantur: iubensq; sinum quemq; suum pādere, uim auri illius maiorem apud illos abscondit. Dubrauius libro 25. & Aeneas Syluius libro 4. de Alfonsi gestis.

ALPHONSO, Aragonum regi, cùm à quodam deferrentur aureorum decem millia, dixissetq; qui fortè aderat, ea duntaxat summa se diuitem & beatum fore: Accipe, rex inquit, quantacunq; ea est, & beatus esto. Panorm. lib. 4. de rebus gestis Alphonsi.

VERNICVS Germanus Casimiro, Poloniæ regi, decem myriades obtulit. Vide Tit. Magnificentiæ in conuiuiis.

PRAGENSIS quidam ciuis, Carolo IIII. Imp. chirographū C mille aureorum æris alieni, muneris loco obtulit. Aeneas Syluius lib. 4. com. de Alfonso.

❧ TRIBVTI, VECTIGALIS EXIGENDI IVS.

☞ *Vide paulò antè, Ciuitates datæ.*

Anaxenorem Magnesium patria ualde extulit: sed magis M. ANTONIVS, qui quatuor ciuitatum ei tributa legenda tribuit. Strabo lib. 14.

Matthæus Afflictus iurecōsultus in opere Sētentiarū c. 392. recitat de quodam, cui rex FERDINANDVS primus beneficij locò permisit, in mole magna ciuitatis Neapolitanæ pharonem seu laternam (sic enim ipse loquitur) prò incolumitate noctu nauigantium exstruere, eoq; nomine ab ipsis certum quoddam exigere uectigal.

Dauidi Brusio, Scotorum regi, magna ui auri redemto à suis, & in Scotiam reuerso, summi PONTIFICIS ac prælatorū consensu ecclesiasticorum redituum decima pars liberaliter donata est. H. Boethius lib. 15.

❧ SERVI.

NICIAS Nicerati, magnificentia sua pop. Atheniensem sibi conciliauit. Fertur in choragio quodam seruus eius ornatus Bacchi persona, transisse forma & proceritate corporis eximia etiāmnum imberbis. Commoto eius aspectu populo, ac diu applaudente, exurgens Nicias, nefas dixit arbitrari se esse, ut corpus, quod deo omnium uocibus esset declaratum simile, in seruitute teneretur, atq; adolescentem manumisit. Plut. in Nicia.

AVGVSTVS quadringentorum Gallorum Cleopatræ satellitium Herodi donauit, & regionis partem reddidit, quam illa priùs occupauerat. Iosephus lib 15. cap. 11.

HADRIANVS Imp. notum sibi olim in militia, cùm scabie laborantem animaduertisset in uia, seruos illi donauit, & necessaria illi administrare iussit. Dion.

❧ PELLICES.

ALEXANDER Magnus, cùm dilectam sibi ex pallacis suis præcipuè, nomine Campaspen, nudā pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset, eumq; tum pari captum amore sensisset, dono eā dedit. Magnus animo, inquit Plin. maior imperio sui, nec minor hoc facto, quàm uictoria aliqua. Quippe se uicit, nec thorum tantum suum, sed etiam affectum donauit artifici: ne dilectæ quidem respectu motus, ut quæ modò regis fuisset, modò pictoris esset. Sunt qui Venerem ἀναδυομένην illo pictam exemplari putent. Plin. li. 35. cap. 10. Naturalis historiæ.

❧ ANIMALIA VTILIA, RARA, DONO MISSA

In genere.

Cùm Fridericus I. Imp. an. 1154. in Italiam uenisset, LEGATI Genuensium in conuentum Roncaliis institutum, regem salutatum uenerunt, ac leones, struthiones, psittacos, pannosq; holosericos, Saracenicæ prædæ nuper in ora Hispaniæ partæ munera preciosissima, detulerunt. Sigonius libro duodecimo regni Ital.

In specie. Puta

Canes.

SOPITHES rex Indus, Magno Alexandro præter multa & splendida dona alia dedit centum quinquaginta canes, qui prægrandes, robustissimi, aliisque naturæ donis præstantes ualde erant, atque cum tigribus commisceri dicebantur. Eorum uirtus ut Alexandro reipsa innotesceret, leonem fortissimum intra septa duci fecit, duosque imbecilliores è numero canum, quos donauerat, contra feram immisit. Qui quũ succumbere uiderentur, duos alios addidit, simulq; quatuor leonem prostrauerunt. Tunc à Sopithe quispiam cũ gladio missus, crus dextrum unius canis cœpit abscindere. Ibi Alexandro inclamante, regij spiculatores adcurrerunt, manumq; hominis retraxerunt. Iussit Sopithes æquo animo id ferrent, pro eo cane tres à se dono accepturi. Igitur uenator, reprehensum crus paulatim concidere, neq; unquam canis aut latratum, aut clamorem quempiam edidit: tantummodo frendens dentibus, carnificinam eam sustinuit, donec exanimatus super leonem expirauit. Diod. lib. 17.

Indiam petenti Alexandro Magno, REX Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis canem: cuius specie delectatus, iussit ursos, mox apros, & deinde damas emitti, contẽtim immobili iacente eo. Qua segnicie tanti corporis offensus Imperator generosi spiritus, eum interimi iussit. Nunciauit hoc fama regi. Itaque alterum mittens, addidit mandata, ne in paruis experiri uellet, sed leone elephantóue. Duos sibi fuisse: hoc interemto, præterea nullum fore. Nec distulit Alexander, leonemq; fractum protinus uidit. Postea elephãtum iussit induci, haud alio magis spectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum corpus uillis, ingenti primùm latratu intonuit: mox ingruit assultans, contraque beluam exurgens hinc & illinc, artifici dimicatione quà maximè opus esset infestans atque euitans, donec assidua rotatum uertigine afflixit, ad casum eius tellure concussa. Plinius libro octauo, capite 4.

Germania gignit canes uenaticos, uelocitate & ferocia insignes, feritq; omnibus infestos, quibus ad uenandum cupiditatem ingenerauit natura, ut in uulnere prędę dentes moribundi quoque infigant. Tales, præter alia munera, CAROLVS Magnus regi Persarum cum ipsius legatis (quos rex Persarum Aquisgranum miserat) eo munere sic delectatus est, ut Carolo Palæstinam reddiderit. Verùm quoniam Carolus aberat longiùs, quàm ut eam administraret: ipse quidem Parthus eam retinuit, atq; pro prætore gubernare decreuit, uectigalia reditusq; fisco Caroli attribuens. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

HVGO Arelatensis comes, rex Italiæ creatus anno 927. omnibus se, quibus poterat, domesticis externisq; præsidiis confirmauit, & Græcum Imperatorem Romanum, missis muneribus exquisitissimis, sibi conciliauit. Cùm præter cætera duo ad eum canes magnitudinis in Græcia inusitatæ missi essent, ubi in conspectum eius adducti sunt, regij uestitus nouitate permoti, in eum tanquam in feram tanto se impetu intulerunt, ut ab eo laniando uix multorum manibus potuerint coerceri. Sigonius lib. 6. regni Ital.

Elephanti.

Anno 801. mense Octobri, Isaac Iudæus REGIS Persarum nomine Carolo Magno Imp. ex Africa elephantem adducens, portum Veneris attigit: & quia propter niuium altitudinẽ superare Alpes non potuit, hyemem Vercellis traduxit. Immanis bellua propter sui raritatem ingenti spectaculo uniuersæ Italiæ fuit. Tertiodecimo Cal. Augusti Isaac cum elephante & cæteris muneribus, quæ à rege Persarum mittebantur, Aquas peruenit, & regis nomine omnia Carolo obtulit. nomen Elephanto erat Abulabaz. Sigonius libro quarto regni Italici.

LVDOVICVS Francorum rex, misit dono Henrico III. Anglo elephantum, animal post hominum memoriam rarissimè in Anglia uisum, anno 1256. Polyd. lib. 16.

EMMANVEL rex Lusitaniæ, an. 1513. Leoni X. Pp. misit elephantum Indicum miræ magnitudinis. Itaq; non solùm Romæ (ubi homines, post inclinatam Romanæ maiest. amplitudinem, illud animal nunquam oculis aspexerant) sed quacunque gradum inferebat, nemo circunfluentem undique turbam, admiratione obstupefactam, submouere poterat. Cùm Pont. è fenestra spectaret, elephantus ter gẽnibus flexis & demisso corporis habitu uenerabundus illum salutauit: quod non mediocrem admirationem spectantibus incussit. Tum proboscide in dolium ingens aqua refertum immissa, aquam hausit, qua omnes, qui in fenestris altioribus insidebant, aspergeret. In plebem deinde conuersus, eã aqua, quasi ludum exhibere uellet, immodicè perfudit. Pontifex ut elephantum & pantheram uideret, in hortum descendit. Osorius lib. 9.

Leones.

COTYS Thraciæ rex, illum, qui pardalim ei donauerat, remunerauit leone. Plut. in Apoph.

FRANCISCVS I. Gallorum rex, dedit cupiditati Hippolyti Medici Cardinalis mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis transmiserat. Iouius lib. 31. Historiarum.

Pantheræ.

Ab EMMANVELE Portugalliæ rege Leoni X. anno 1513. panthera uenatica missa fuit: quod munus haud scio an olim Romæ Aediles, cùm ludos magnificentissimos apparabãt, & præter alias immanes belluas, pantheras etiam in publicis spectaculis exhibebant, præstare potuerint. Ea namque mansuefacta, non in circo cum bestiariis, sed in syluis cum apris atq; ceruis prælium committebat, & principibus, qui uenationibus oblectantur, plurimum uoluptatis afferebat. Ea insidebat equi Persici tergo, integumentis auratis elegãter instrati. Equum regebat Persa uenator eximius, qui ad id munus obeundum ab Armuzij Rege cum equo & panthera missus fuerat. Panthera repentè à uenatore, qui eam regebat, in bestias immissa, in illas insiluit, easq; celeritate incredibili iugulauit. Osorius lib. 9. rerum Em.

Asini, Cameli, Camelopardales.

ASSYRIORVM rex ad Ferdinandum regem Neapolitanum inter alia munera camelum, pardalim & asinum misit, quẽ ex ultimis Orientis partibus adduxerat: ad quem spectandum multi remotissimis è locis uenêre, quòd esset miraculoso pilo, uirgatum corpus ostendens diuersicoloribus ac paribus lineis. Pontanus cap. 19. de Magnificentia.

CAYTBEIVS Memphiticus Sultanus, quo nemo tum bellica uirtute felicior fuit, studium suum atq; beneuolentiam erga Laurentium Medicem ingentibus admirandisq; muneribus, Florentiam transmissis, cum insigni Laurentij gloria testatus est. In his enim camelopardalis fuit, animal Indicum, enormi proceritate & conspicua uarietate mirabile, quod à multis seculis Italia non uiderat: atque eo etiam admirabilius, quòd neque modò Lusitani, India perlustrata, neque Hispani, inuento ac peragrato nouo terrarum orbe, eius generis animantem hactenus inuenerint. Iouius in Leone X. libro 1.

Equi.

CN. Martius Coriolanus ob captum oppidum Volscorum Coriolos ex omnibus quæ illi oblata sunt ab imp. muneribus, nihil præter unius captiui hospitis salutem, & equum, quo in acie uteretur, accepit. Liuius libro secundo, Decadis 1. & Plutarchus.

TRAIANO cum exercitu Armeniam ingresso, reges ac regionis illius satrapæ cum muneribus occurrerunt. In quibus equus erat edoctus prioribus pedibus procidendo adorare, ac caput pedibus submittere. Cuspinianus.

Quum Galli Caieta dedita regno Neapolitano excederent, & à CONSALVO Magno multis terrestri itinere abeuntibus equi darentur: Obegninus eorum imperator alacri ore renidens, Consalue (inquit) te obsecro ut ualidos nobis & robustos equos dari cures, ut abeuntibus & citò redituris nobis sufficiant: quasi se renouaturum bellum non obscurè promitteret. Agnouit Consaluus uafrè dictum: statimq; respondit, Reditore ut lubet: nam hæc eadem quæ uobis libens præsto, uestes, equos, diplomata, quum reuertemini, ex clementia liberalitateq; mea facilè impetrabitis. apertè denunciãs, eos si redirent, eandem omnino belli fortunam subituros. Iouius in Consaluo.

Vaccæ.

ARTOXERXES Persarum rex, legato Atheniensium Timagoræ, lacte bouino ualetudinis causa indigenti, boues octoginta dedit ad mulgendum, quæ eum comitabantur. Plut. in Artoxerxe.

Aues.

Alphonso regi Siciliæ coruum candidissimũ dono misit REX Britannorum: alium etiam rex Scytharum, aucupio mirabilem, quo reliquos coruos & phasianos uenari solebat. Olaus libro 19. capite 19. ex Perotto.

CORNV.

CLEMENS VII. Pp. Francisco I. Gallorum regi dono dedit monocerotis bicubitale cornu, aureæ cælatæ basi inclusum, ad depellenda epulis uenena. Id Rex latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte, suprema Christi cœna cum discipulis serico atque auro intexta uisebatur. Iouius libro 31. Historiarum.

OPERA GRATVITA qualiscunq;.

POLYGNOTVS gratuitò pinxit Atheniensibus porticum Pœcilem, in qua Stoici philosophabantur. Plutarchus in Cimone.

SPECTA-

SPECTACVLA, LVDI, MVNERA publica, respectu FINIS considerata.

Hic non sumtum, sed id quod datur, consideramus: cui domo accidit, ut uel sumtuosum sit, uel saltem sua raritate & insolentia magnificam præ se speciem ferat. Vocabantur certè hanc ipsam ob causam à Rom. Munera, ut Munus gladiatorium, Munus ædile, quòd populus his ueluti muneribus, ab iis qui magistratus mirent, afficeretur & delinıretur: maiore horum prodigalitate, an populi insania, dubium.

Natalitia.

ADRIANVS Imp. spectacula suo natali die populo gratis dedit: ubi ita magnus numerus bestiarum cæsus est, ut simul leones centum, ac totidem leænæ confectæ sint. Athenis mille dedit feras in stadio, & gladiatorium munus per sex dies habuit. Dion Nicæus.

Inauguralia. Puta

Aedilitatis.

AEDILES plebis aut curules apud Romanos, munera magnificentissima, & ludos apparatissimos, ad conciliandum populi fauorem, publica aut priuata impensa, aut ex multatitia pecunia, curare & instaurare consueuerant: in quibus uenationes belluarum, multa nonnunquam gladiatorum paria, qui digladiarentur, exhibuêre. Quæ munera cùm magnificentissimè per ædiles edita fuissent, gradus ad amplissimos honores magistratusque illis fecére. Alex. ab Alex. lib. quarto, capite 4.

GORDIANVS, qui postea Imperator factus est, ædilis, singulis anni mensibus singula dedit populo spectacula, eaq; adeò sumtuosa, ut ad quingena gladiatorum paria interdũ exhibuerit, nunquam minus centenis quinquagenis: mille ursos uno die, feras Lybicas centum. Habuit syluam, in qua fuerunt cerui palmati, equi syluestres triginta, alces decem, tauri Cypriaci centum, struthiones trecẽti, onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducenti, ac totidẽ damæ. quæ omnia populo diripienda dedit, eo die quo sextum edidit munus. Idem Romanorum primus palmatam togam & tunicam pictam suam habuit, quum ex Capitolio peti consuesset. Sab. lib. 6. En. 7. Imperator factus, eodem tempore, iisdem etiam diebus, in omnibus Hetruriæ, Campaniæ & Vmbriæ urbibus, Scenicos & Iuuenales ludos quatriduò dedit. Pont. cap. 14. de Magnificentia.

Imperij.

CARINVS Cæsar ludos sumtuosissimè edidit ab initio principatus. Aerobates exhibitus est, qui cothurnatus uentis ferri uidebatur, & Tœchobates per aduersam supinãq; murorum faciem ursos ludificans: centum salpistæ uno crepitu concinentes: multaq; adhæc oculorum & aurium oblectamenta adhibita, quibus populorum stultæq; multitudinis emitur fauor. Sab. lib. 8. En. 7.

Imperialia, Regia. Huc Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia.

DIOCLETIANVS Antiochia Nicomediam reuersus, uota Imperij sui decennalia soluit, an. 294. Maximianus autem, & Constantius, Gallia Britanniaq; pacata, Romæ sua item decennia peregerunt. Ea pompa ex more institutoq; ueterum repetita, insigni populi Rom. concursu, ac lætitia totius Italiæ celebrata. Maximæ Diocletiani & Maximiani felicitati tribuit Eusebius, quòd uterq; decennia ac uicennia, splendidissima ludorum, pomparum, ac uoluptatum hilaritate, ediderint. Sigonius lib. 1. occid. Imp.

IDEM Nicomediæ, Maximianus Romæ anno 304. Imperij uicennalia eadem pompa, ut inquit Eusebius, qua decẽnalia celebrarant, egerunt. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

GALIENVS Imp. cùm multa feliciter in Gallia & in Illyrico gessisset, Scythasq; apud Byzantium uicisset, Romam reuertens, decennalia celebrauit, nouo genere ludorum, maximoq; apparatu. Volat. lib. 23. Anthrop.

CONSTANTINVS Magnus, cùm ad quintum Imperij sui annum feliciter peruenisset, quinquennalia uota sibi soluẽda, ac decennalia concipienda putauit: ac Treuiris ludos in eiusmodi celebritate solennes magna populorum frequẽtia edidit: deinde natalem etiam diem urbis eius, quæ à se restituta, atq; ornata erat, magno apparatu peregit. Sigonius libro 2. Imp. occid.

CONSTANTINVS Magnus decimo imperij anno uetere de more uota Imperij decennalia soluere, ac uicennalia cõcipere cupiens, ludos uictoriæ causa ingenti omnium lætitia edidit: & quidem primos cruenti, ut Eusebius dixit, sacrificij expertes, ac decẽnalia apparatu magnifico celebrauit: atq; ad cumulandã illius celebritatis hilaritatem, Crispum & Constantinum filios Cæsares declarauit: quibus ut sartã cum Licinio sororio gratiã confirmaret, Licinium etiam eius filium, nondum uiginti mẽses natum, eadem dignitate ornatum adiecit. Sigonius lib. 3. imp. occid.

IDEM uicto Licinio sororio suo, & concilio Niceno habito, Nicomediæ, quòd is annus Imperij sui esset uicesimus, ibi uicennalia, ut in urbe Orientalis Imperij sede, ingenti magnificentia atq; incredibili populi frequentia celebrauit: ac populis cùm per agros, tũ per oppida dissipatis, magnam uim pecuniæ ad eam recolendam memoriam dedit. Quinetiã, ut decennalibus Crispum & Constantinum filios Cæsares declarauerat, atq; prouinciis Occidentalib. exornauerat: sic uicennalibus Constantium eadem appellatione affecit, atq; Imperio Orientali præposuit. Seq. anno eadem Romæ celebrauit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

An. sal. 335. CONSTANTINVS Magnus tricennalia Imperij celebrauit, eò maiore, quàm unquam, apparatu, quòd hæc prima uota in noua urbe Constantinopoli persoluebat, quam magnifica institutorum omnium nouitate decorari uolebat: in iis tertium filium Cæsarẽ appellauit, atq; ei partem Occidentalis Imperij Italiam, Africam, Illyricumq; mãdauit. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

VALENTINIANVS III. an. sal. 435. Imperij sui decimũ feliciter ingressus, Romã contendit, atq; ibi decennalia uota solẽni ludorũ magnificentiã celebrauit: ac pacem per Trigetium cum Genserico in Africa composuit, Numidia Hipponensi ad habitandum concessa: & Belgica bello Burgundionico liberata per Aetium, fœdus cum Gundicario rege renouauit: quæ res ingenti gratulatione ab omnibus Italiæ populis est excepta. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

THEODOSIVS Magnus an. 387. quinquennalia Arcadij filij magna lætitia Constantinopoli celebrauit. Sigonius libro 9. Imperij occid.

Anno 422. HONORIVS Romæ Imperij sui tricennalia celebrauit, ludis omnis generis regia magnificentia editis, ac tristem superioris calamitatis memoriam prorsus obliterare nouæ huius hilaritatis ac pompæ lætitia studuit. Dum autem ludos, populo præsente, spectabat, Maximus & Iouinus, Aruerniæ tyranni, à Castino & Bonifacio ducibus capti, conspectui eius redditi, eius ludicri gaudium cumularunt, omnibus bonum omen animo concipientibus, finem adesse ciuilium seditionum, domesticarumq; turbarum, ex oblatis in tãta populi gratulatione tyrannis. At non multo post Honorius ex hydrope periit. Sigon. l. 11. Imp. occ.

Vrbium causa. Vel quo ad

Aetatem. Secularia.

Cæsar CLAVDIVS fecit Seculares ludos, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos. Circo maximo marmoreis carceribus, auratisq; metis exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscuè spectare solitis: & super quadrigarum certamina, Troiæ lusum exhibuit. Exhibuit & Thessalos equites, qui tauros per spacia Circi agebant: insiliebantq; defessos, & ad terram cornibus detrahebant. Item pantheras, quas conficiebat equitum prætorianorum turma, ducibus tribunis. Suetonius.

PHILIPPVS Imp. è Persica expeditione reuersus, XI. Calẽd. Maij seculares ludos, quòd esset millesimus annus Vrbis conditæ, celebrauit: uenationesq; dedit, ubi feras omnis generis confecerunt. Dati sunt elephãti XXXII, tygres XX, leones mansueti LX, hyænæ C, gladiatorum fiscalium paria mille, rhinoceros unus, archoleõtes X, camelopardi X, equi feri XL, leopardi mãsueti XXX. Gordianus enim pro Persico triumpho elephantes, alces, tygres, leones, leopardos, hyænas, camelopardalos, onagros, equos feros, & innumera alia animalia uoto publico reseruauerat, ut natali Vrbis triumpharet: quæ ille Secularibus ludis & Circensib. dedit & occidit. Gladiatorum pręterea paria mille in Circo maximo exhibita. Et Scenicos ludos in Pompeij theatro, tribus diebus, totidẽq; noctibus peruigil populus spectauit, funalibus atq; lychnis tenebras uincentibus. Et cùm multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est: Theatrum Pompeij exarsit, & ei propinquum Hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus, Centenariam porticum appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus est numeratus. Hæc omnia ludis secularibus exhibuit: licet Christianus esset. Cuspinianus.

Ortum, Dedicationem.

In dedicatione urbis Cæsareæ, ab HERODE Iudæorum rege in Cæsaris Augusti honorem extructæ, exciti sunt ad certamen artifices musici, & athletæ gymnicorum certaminum: adhæc gladiatorum ac ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid huius generis in precio est tam Romæ quàm apud gentes cæteras. Consecratum est autem hoc quoque certamen Cæsari, instaurandum per singula quinquennia. Iosephus lib. 15. cap. 17. & lib. 16. cap. 9. Antiq.

Victoriæ causa.

M.ANTONIO Triumuiro hybernanti Athenis,primæ Ventidij res prosperè gestæ nunciatæ sunt,Parthis fusis, Labienũ & summum regis Herodis ducem Pharnapatem ab eo interfectos.Huius uictoriæ gratia præbuit Græcis epulum,lúdos gymnicos populo Atheniensi edidit:in quibus esse ipse uoluit gymnasiarches:relictisque domi insignibus imperatoriis, cum uirgis gymnasiarchicis in pallio & phæcasiis processit:correptosq; iuuenes,ubi satis certassent, diremit. Plut.in Antonio.

Teridati deuictis Barbaris Romam redeunti,NERO obuiam uenit, benigneq; & comiter eum excepit, ac præter cætera ludos etiam gladiatorios Puteolis in eius honorem fecit: quorum tanta fuit magnificentia atq; sumtus,ut unius diei spacio nemo præter uiros & mulieres & pueros Aethiopes amphitheatrum ingrederetur. In his Teridates de superiore loco,in quo sedebat,belluas iaculo traiecit, duosq; tauros uno ictu uulnerauit atq; cõfecit. Ludos item maximos & magnificentissimos in honorem Agrippinæ matris fecit. Nam simul in quinq; sexúe theatris complures dies festos egit.Quo tẽpore elephas intro ductus in theatrum, in summum eius fornicem conscendit, atq; inde uehẽs hominem in fune ambulauit.Cùm in theatro spectacula præberet,primùm eodem theatro derepentè aqua maris expleto,in qua pisces & alia animalia natabant, bellum nauale Persarum cum Atheniensibus fecit:deinde subitò aquam eduxit,exiccatoq; solo rursum multos pedites, non modò binos, sed etiam confertos, paribus utrinque congredi iussit. Xiphilinus in eius uita.

Victo Decebalo edidit TRAIANVS Romæ per totidem dies tria & 20 diuersi generis spectacula, tam sumtuose & magnificè instructa, ut in quibusdam dena millia ferarum sint confecta, quina gladiatorum paria commissa, ut plures uno tempore dimicarent.Sab.lib.4.En.7.ex Dione.

Per totam hyemem anni 1534, quo Solymannus Turcarũ Imp. Babyloniam occupauit,magnæ celebritatis spectacula edita sunt: acciditque ut iisdem ferè incoati iam anni Saturnalitiis festis, diuerso ritu CAROLVS V. Cæsar ex Africa uictor Neapoli equestres ludos ederet:& à SOLYMANNO Assyriæ & Mesopotamiæ regnis potito, apud Babyloniam festæ hilaritatis, diuersiq; apparatus spectacula celebrarentur.Iouius lib.33.Hist.

MVNERA PVBLICA QVÆ, QVALIA. Tum

In genere.

AVGVSTVS Cæsar spectaculorum & assiduitate & uarietate atq; magnificentia omnes antecessit.Fecisse ludos se ait suo nomine quater: pro aliis magistratib. qui aut abessent, aut non sufficerent,ter & uicies.Fecitq; nonnunquam uicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones : non in foro modò, nec amphitheatro, sed in circo & in septis. Athletas extructis in campo sedilibus ligneis,nauale prçliũ circa Tyberim. Ad scenicas quoq; & gladiatorias operas, equitibus Romanis quandoq; usus est.Milites secreuit à populo.Multis è plebe ordinem assignauit. Prætextatis cuneũ suum, & proximum pædagogis: feminis gladiatores uidere solùm ex superiore loco concessit.Virginibus Vestalibus locum in theatro separatum, contra Prætoris tribunal dedit. Voluit primũ subselliorum ordinem uacuum senatoribus relinqui. Athletarum spectaculo muliebrem semouit sexum. Athletis priuilegia conformauit. Histrionum licentiã compescuit. In circo aurigas, cursoresq; & confectores ferarum produxit. Troiæ ludum frequentissimo puerorum delectu edidit.Nulli Græco certamini interfuit,quo nõ pro merito certantium quemq; honorauerit. Spectauit studiosissimè pugiles,maximè Latinos : nec legitimos & ordinarios solùm, sed & cateruarios oppidanos, inter angustias uicorum pugnantes temerè ac sine arte. Postquam fames, quo diu urbs laborauerat, cessasset, Germanici atq; fratris eius nomine ludos Circenses fecit,in quibus elephantus superauit rhinocerotem:& uir equestris ordinis,qui fuerat olim locupletissimus,obiit munus gladiatorium.Post pugnã Actiacã Olympicorum ludorum imaginem,& ludos illis çmulos, apud Actium in sinu Ambracio Apollini consecrauit:illorumq; curã,multis propositis coronis, Lacedæmoniis mandauit. Solebat deniq; etiã citra spectaculorũ dies, si quid inusitatum, dignumq; cognitu aduectum esset, extra ordinem quolibet loco publicare : ut rhinocerotẽ apud septa:tigrim,in scena:anguem triginta cubitorum, pro comitio.Suetonius,Dion Nicæus,Plutarchus.

C.Cæsar CALIGVLA munera gladiatoria partim in amphitheatro tauri, partim in septis aliquot edidit: quibus inseruit cateruas Afrorum Campanorumq; pugilum,ex utraq; regione electissimorum. Neq; spectaculis semper ipse præsedit:sed interdum aut magistratibus, aut amicis præsidendi munus iniunxit.Scenicos ludos & assiduè, & uarij generis,multiuariam fecit: quondam etiam & nocturnos,accensis tota urbe luminibus. Sparsit & missilia uariarum rerum, & panaria cum obsonio uiritim diuisit. Qua epulatione,equiti Rom.contra se hilariùs auidiusq; uescenti,partes suas misit:sed & Senatori ob eandem causam codicillos,quibus Prætorem eum extra ordinem designabat.Edidit & Circenses plurimos à manè usq; ad uesperam,interiecta modò Africanarum uenatione,modò Troiæ decursione: quosdam autem præcipuos, minio & chrysocolla constrato circo: nec ullis nisi ex senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, cùm lege Luciana apparatum circi prospicientẽ pauci ex proximis menianis postulassent. Edidit & peregrè spectacula : in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoq; Græcæ Latinęque facundiæ. Quo certamine ferunt uictoribus præmia uictos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè displicuissent, scripta sua, spongia linguáue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.Suetonius.

NERO Cæsar spectaculorum plurima & uaria genera edidit: Iuuenales,Circẽses,Scenicos ludos, Gladiatorium munus. Iuuenalibus senes quoq; consulares,anusq; matronas recepit ad lusum.Circensibus loca equiti secreta à cæteris tribuit:commisitq; etiã camelorum quadrigas.Ludis,quos pro æternitate Imperij susceptos appellari Maximos uoluit,ex utroq; ordine & sexu pleriq; ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques Ro. elephanto supersedens per catadromum decurrit. Inducta est Afranij togata, quæ Incendium inscribitur:concessumq;, ut scenici ardentis domus supellectilem diriperent,ac sibi haberent.Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia.Auium cuiusq; generis multiplex penus,tesseræ frumentariç, uestis,aurum,argentum,gemmæ,margaritæ,tabulæ pictç, mancipia,iumenta,atq; etiã mansuetæ feræ : nouissimè naues,insulæ,agri.Exhibuit & naumachiã marina aqua innãtibus beluis, item pyrrhicas quasdã è numero epheborum, quibus post editam operã diplomata ciuitatis Romanę singulis obtulit.Inter pyrrhicarũ argumẽta, taurus Pasiphaen ligneo iuuencæ simulacro abditã iniit, ut multi spectãtium crediderunt. Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumq; cruore respersit. Nã perrarò præsidere,cæterùm accubans primùm paruis foraminibus,deinde toto podio adaperto spectare consueuerat.Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex,musicum,gymnicum,equestre,quod appellauit Neronia.Dedicatisq; thermis atq; gymnatio, Senatui quoque & equiti oleum præbuit.Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, sede prætorum : deinde in orchestrã Senatumq; descendit : & orationis quidem carminisq; Latini coronã, de qua honestissimus quiq; contenderat,ipsorum consensu concessam sibi recepit.Citharã autem à iudicibus ad se delatã adorauit, ferrique ad Augusti statuam iussit: Gymnico,quod in septis edebat,inter buthysię apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & preciosissimis margaritis adornatam Capitolio consecrauit. Ad athletarum spectaculum inuitauit & uirgines Vestales : quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.Suetonius.

TITVS Vespasianus,posteaquam Romę amphitheatrum dedicasset,grues certauerunt inter sese, præterea quatuor elephanti : ac pecorum ferarumq; millia nouẽ interfecta sunt, quæ mulieres ignobiles confecerunt:multi obierũt munus gladiatorium, multi quoque conferti pedestria ac naualia prælia commiserunt. Amphitheatro derepentè aqua impleto, in ipsum equos taurosq;, aliaq; mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra consueuerant. Corcyrenses & Corinthij prælio nauali decertauerũt. Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Caij & & Lucij,quem Augustus perfodi eã ob causam iusserat. Ibi enim primo die bellum nauale, cædesque belluarum facta est,lacu,qua parte statuas spectat,tabulis ædificato,ac fixis undique trabibus. Postridie eius diei ludi Circenses facti sunt. Tertio die nauale prælium hominum trium millium: post hæc pedestris pugna consecuta est. Fuêre per centum dies spectacula eius generis. Titus missilia, hoc est paruos globos ligneos de superiore loco iecit in amphitheatrum, in quibus inscripta erat nota alicuius esculenti,uestisue,aut uasis argentei, aut aurei,equorumq; & iumentorum ac mãcipiorum. Quos globos qui rapuisset, attulissetque ad eos quibus imperatum fuerat ea munera largiri, quod scriptũ erat consequebatur.Xiphilinus.

DOMITIANVS Imp.spectacula edidit magnifica in amphitheatro & circo ; ubi præter bigarum & quadrigarum cursus duplex etiam commisit prælium, equestre ac pedestre, & in amphitheatro nauale quoque. Venationes & gladiatores exhibuit noctibus etiam ad lychnos.Pugnas præterea non uirorum modò, sed & feminarũ. Toto gladiatorij spectaculi tempore habuit ante pedes suos puerulum coccinatum,portentoso paruoq; capite, cum quo plurimũ fabulabatur. Edidit nauales pugnas effosso circa Tyberim lacu, quas inter maximos imbres spectauit:in quo non solùm omnes ferè, qui pugnauerunt,mortui sunt,sed etiam multi ex spectatoribus,propterea quòd maximo imbri & uehementi tempestate repentè cõmota,nemini permisit abire ex spectaculo.Fecit etiam ludos Seculares. Instituit quinquennale certamen,Capitolino Ioui triplex, musicum, equestre, & gymnicum.Fecit certamen Græci Latiniq; sermonis. Celebrauit & in Albano monte quotannis Quinquatria Mineruæ.Dion,& Suetonius.

Theamata.Eaq; rursus

Gymnica, Athletica.

L.SYLLA Olympiade CLXV.athletas & reliqua ex Olympiis certamina Romam traduxit,& solum stadij cursum Græcis reliquit. Plut.

Olympicorum ludorum imaginem à Græcis ad Romanos M. CATO primus transtulit, cùm in theatro spectacula edidisset:uictoribusq; non ex auro,sicut olim, sed ex oleastro coronas proposuisset.Alex. lib.5.c.8.

M.SCAVRVS athletarum certamẽ suis impensis instituit. Valerius Max.lib.2. cap.1.

Gladiatoria.

Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario,Appio Claudio,Q.Fuluio Coss.Dederunt M. & DECIVS filij Bruti funebri memoria, patris cineres honorando. Val.Max.lib.2.c.1.

M.DECIVS Brutus munus gladiatorium in honorem patris sui defuncti primus Romæ in foro Boario edidit. Liuius:Valerius Max.lib.2.c.1.

C.IVL.Cæsar,ædilis, gladiatoriũ munus instituit,sed aliquãto paucioribus,quàm destinauerat,paribus.Nam quũ multiplici undiq; familia cõparata inimicos exterruisset, cautũ est de numero gladiatorum,quo ne maiorem cuiquã habere Romæ liceret.Suetonius.

A FABIO producta CCC. gladiatorum paria, & in his Blemyarum nonnulli. Sab.lib.7.En.7.

Curulia, Aurigarum.

OENOMAVS primus apud Elidem Olympiæ, equorum cursum edidit.Apud Romanos ROMVLVS in Sabinarum raptu.Rauisius.

Terrestris pugnæ.

Inter C.IVLII Cæsaris spectacula fuit equestris pugna, cui Troia nomen erat, à pueris nobilissimis antiquo more pugnatã, cum quibus iuuenes itidem nobilissimi ex curribus certauerunt.Xiphilinus.

GALEACIVS Vicecomes in nuptiis cum Beatrice Atestina, Actij Ferrariensis ducis sorore, ludos bellicos edidit. Nam & simulacra certaminum & castellorum expugnationes, armatis cohortibus & turmis inter se concurrentibus, edebãtur.Iouius in uita Galeacij.

DIDACVS Mendocius,Infantasiorum regulus,spectaculum pugnę Francisco Galliæ regi captiuo exhibuit.Populos nãque imperio sibi subiectos militaribus instructos armis in dicta die in proximam uiæ planiciem euocauit, digestosq; in cohortes & turmas,decurrere iussit. Fuêre supra duodecim millia peditum & equitum:docuitq; Mendocius admirabundum regem,multos esse in Hispania regulos ipso admodum potentiores.Iouius in Piscario, lib.7.

Naualis pugnæ.

A C.IVL.Cæsare defossus est in monte Cælio lacus ad naualeprælium, in quo biremes ac triremes Tyriæ & Aegyptiæ classis magno pugnantium numero conflixerunt.Dion.

Nauales ludos VENETI exhibuere Leonoræ, reginæ Neapolitanæ. Sab.lib.7.Dec.3.

Acroamata.

NICIAS Atheniensis,uir opt.& locupletiss.oblectabat populum choragiis, gymnasiarchiis, & muneribus huiuscemodi aliis.Choragus frequenter uicit,superatus est nunquã. Plutarchus in Nicia.

C.IVL.Cæsar exhibuit ludos regionatim urbe tota, & per omnium linguarum histriones.Dion.

ALFONSVS Aragonius rex, ludos Christianos magnificentissimo apparatu, deuotissima ac solenni repræsentatione, ingenti hominum frequentia ac celebritate quotannis edidit:& cùm accepisset,Hetruscos istiusmodi ludos singulari industria cõmentos esse,ne hac saltem in re, quæ ad diuinũ cultum pertineret,à quoquam mortaliũ uinceretur, omnia perscrutatum atq; exploratũ eò misit: explorataq; iam longè præclarius atque artificiosiùs expressit. Panormita lib.1. de Rebus gestis Alfonsi.

Ferarum.

PTOLEMÆVS,Lagi F. duo quædam inusitata in Aegyptum induxit,camelum bactrianam insigniter nigram,bicolorem item hominem,ita ut medietas quidem ex æquilibrio summè foret nigra,reliqua portio albedinem præferret eximiã. Conuenientibus igitur in theatrum Aegyptiis, alia utique non pauca spectaculo digna exhibuit.Demùm stuporẽ nouitate rei,ac inusitata specie iniecturus, camelum produxit, & semialbum hominem.Cæterùm Aegyptij cameli aspectu territi,paulò minùs prosilientes mandarunt fugæ præsidiũ, etiam si auro esset ornata egregiè,ac purpura instrata:freno quoq; lapillis interlucentibus conspicuo, è thesauris Darij regis,uel Cambysis, aut ipsius Cyri. Ad hominis autẽ illius ita coloribus distincti,& (ut sic dixerim)uariegati,intuitum partim fusiùs riserunt, partim ut monstrificum quiddam auersati sunt. Hinc Lucianus, δέδοικα δὲ,μὴ καὶ τἀμὸν κάμηλος ἐν αἰγυπτίοις ᾖ: Sum ueritus, inquit, ne libelli mei perinde fiant ac camelus apud Aegyptios. Cælius libro 7. capite 18. Antiquarum lectionum.

CN.Pompeij triumpho Africano ludis Roma primùm uidit rhinocerotem Aethiopiæ,lupum ceruarium Galliæ:cephos item ex Aethiopia, quarum pedes posteriores pedibus humanis & cruribus,priores manibus fuêre similes. Hoc animal postea Roma non uidit.Plin.lib.8.c.19.& 22.

M.SCAVRVS ædilitatis suæ ludis primus Romæ hippopotamum & quinq; crocodilos ostendit.Plin.lib.8.c.26.

Elephantos Italia primũ uidit Pyrrhi regis bello, & boues Lucas appellauit,in Lucanis uisos,anno Vrbis CCCCLXXII. Roma autem in triumpho, septem annis ad superiorem numerum additis. Eadem plurimos anno quingentesimosecũdo,uictoria L.METELLI pontificis,in Sicilia de Pœnis captos.Centũ quadragintaduo fuêre transuecti ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerant. Verrius eos pugnasse in circo,interfectosq; iaculis tradit, penuria consilij: quoniam neq; ali placuisset,neq; donari regibus. L.Piso inductos duntaxat in circum, atque ut contemtus eorum incresceret,ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos. Nec quid deinde iis factum sit, auctores explicant,qui non putant interfectos.Plinius lib.8.c.6. Auctor Seneca est in libro de Breuitate uitæ,principem omniũ Curium Dentatum elephantes duxisse in triumpho. Cælius lib.13.cap.19.A.L.

Elephantos Romæ pugnasse Fenestella tradit primũ omnium in circo, Claudij Pulcri ædilitate curuli,M. Antonio,A.Posthumio Coss.anno V.C.cap.655.Item post annos XX.Luculorum ædilitate curuli, aduersus tauros. POMPEII quoq; altero consulatu, dedicatione templi Veneris uictricis, pugnauêre in circo uiginti;aut,ut quidam tradunt, XVII,Getulis ex aduerso iaculantibus,mirabili unius dimicatione, qui pedibus cõfossis repsit genibus in cateruas,arrepta scuta iaciens in sublime, quæ decidentia uoluptati spectantibus erant in orbem circumacta, uelut arte non furore belluæ iacerentur.Magnum & in altero miraculum fuit, uno ictu occiso.Pilum sub oculo adactum,in uitalia capitis uenerat.Vniuersi eruptionem tentauêre, non sine uexatione populi,circumdati clathris ferreis. Qua de causa Cæsar dictator postea,simile spectaculum aditurus,euripis harenã circumdedit:quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens. Sed Pompeiani,amissa fugæ spe misericordiam uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauêre; quadam sese lamentatione complorantes:tanto populi dolore,ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens uniuersus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Pugnauêre & CÆSARI dictatori tertio consulatu eius; uiginti contra pedites quingentos : iterum totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus,eodem quo priores numero peditum, & pari equitum ex aduerso dimicante: postea singuli,principibus CLAVDIO & NERONI,in consummatione gladiatorum. Plinius lib.8.cap.7.

Elephantes Romæ iuncti primum subiêre currum Cn. POMPEII Magni Africano triumpho, quod priùs India uicta triumphante Libero patre memoratur. Procilius negat potuisse Pompeij triumpho iunctos ingredi portam. Germanici Cæsaris munere gladiatorio ; quosdam inconditos motus ædidêre, saltantium modo. Plinius lib.8.c.2.

Sergius GALBA Imp.honoribus ante legitimum tempus initis, Prætor cõmissione ludorum Floralium, nouũ spectaculi genus,elephantos funambulos edidit. Suetonius.

Iugo subdidit leones, primusque Romæ ad currum iunxit M. ANTONIVS,& quidem ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporũ, generosos spiritus iugum subire illo prodigio significante: nam quòd ita uectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit. Plin.lib.8. c.16.

Leonum simul plurium pugnã,Romę princeps dedit Q.SCÆ-

VOLA, P. filius, in curuli ædilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. SYLLA, qui poſtea dictator fuit, in prætura. Poſt eum POMPEIVS Magnus in circo DC, in iis iubatorum CCCXV. CÆSAR Dictator CCCC. Plinius libro 8. cap. 16.

Senatuſconſultum fuit uetus, ne liceret pantheras ſeu uarias Africanas in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populū Cn. Aufidius tribunus plebis, permiſitq; Circenſium gratia importare. Primus autē M. SCAVRVS ædilitate ſua uarias centum quinquaginta uniuerſas miſit, dein POMPEIVS Magnus quadringentas decē, diuus AVGVSTVS quadringentas uiginti. Idē Q. Tuberone, Fabio Max. Coſs. IV. Nonas Maias, theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romæ oſtendit in cauea manſuefactam. Claudius uerò ſimul quatuor. Plinius lib. 8. c. 17.

Camelopardalis, Dictatoris CÆSARIS Circēſib. ludis primū uiſa Romæ, aſpectu magis quā feritate conſpicua: quare etiam Ouis feræ nomen inuenit. Plinius lib. 8. c. 18.

Annalibus notatum eſt, M. Piſone, M. Meſſala COSS. ad XIV. Kal. Octob. Domitium Aenobarbum ędilem curulem urſos Numidicos C. & totidem uenatores Aethiopas in circo dediſſe. Miror adiectum Numidicos fuiſſe, cùm in Africa urſos non gigni, conſtet. Plin. lib. 8. c. 36.

M. ANTONINVS Pius munera edidit, in quibus elephanti, crocutæ, rhinocerotes, crocodili, hippopotami, & omnia ex omni terrarum orbe animalia, etiam tygres fuēre. In munere publico centum leones una miſſione ſimul exhibuit ſagittis interfectos. Herodianus.

P. SERVILIVS prætor trecentos urſos Cæſaris Auguſti temporibus, totidemq; alias feras Lybicas in theatro occidit. Xiphilinus in Auguſto.

PROBVS Imp. Romæ ſpectacula edidit uaria. Syluam in Circo maximo ad tempus fecit ex arboribus radicitùs conuulſis, ac militari manu tranſlatis, altiusq; defoſſis. Habuit id nemus plures aditus, in cunctis diuerſa animalium genera, ut ſingula millia ſuum obtinerent aditum. Sunt & centum iubati leones uno miſſu in amphitheatrum producti, atq; à iaculatoribus confecti. Sab. lib. 7. En. 7.

FRIDERICVS II. Imp. Parmam obſidens, eamq; funditùs delere ſtatuens, in loco caſtrorum aliam cōdere cepit. Cūq; proſpero ſucceſſu rem cepiſſet, foſſa ualloq; in modum urbis deduxiſſet, urbs Victoria dicta eſt. Huic urbi omnia afſuere ea, quæ nulli unquam principes habuerint, nulla poſtea ciuitas uiderit. Veſtis uaria & precioſa, animātes feræ cicuresq; diuerſi generis, Elephantes, Dromedarij, Pantheræ, Pardi, Vſi albi, Leones, Lynces, Bubonesque barbati, quos ex Africa, Aſia & Aegypto legati Friderico adduxerāt. Cuſpinianus.

Volucrum.

Allatus eſt Phœnix in urbem, CLAVDII principis cenſura, anno Vrbis DCCC. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quem falſum eſſe nemo dubitaret. Plinius libro 10. cap. 2.

Plantarum.

Ebenum Romæ Magnus Pompeius in triumpho Mithridatico primùm oſtendit. Plinius lib. 12. c. 4.

QVOMODO.

HIERO, Syracuſanorum rex, audita clade, qua Romani apud Thraſimenum lacum afflicti erant: trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, auriq; ducenta & XL pondo illis muneri miſit. Nec ignarus uerecundiæ illorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formauit: ut eos religione motos, munificentia ſua uti cogeret. Voluntate mittendi prius, iterum prouidentia cauendi ne remitteretur, liberalis. Val. lib. 4. c. 8.

ALEXANDER Magnus Proteæ cuidam in dicteriis inter pocula non infeſtiuo uidebatur infenſus. Cùm deprecarentur amici pro eo, atq; ille lacrymas profunderet: Redire, dixit, ſe cum eo in gratiā. Tum ille: Igitur rex, inquit, pignus primùm mihi aliquod dato. Atq; huic quinq; talenta iuſſit numerari. Plut. in Alex.

COMES olim Fuxi, ſiue Foiſſeius, in Catalaniā profectus, ut erat homo liberalis, turba petentium obſeſſus, nihil ſibi reliquerat præter mulam, quam uentricoſus ſenex equitabat. Reditum paranti non defuit, qui calcaria inſuper precibus extorquere niteretur. At ille protento pede ſubridens: Accipe, inquit, modò mihi aliquem expedias, qui mulam meam Fuxum uſq; ſollicitet. Petrarcha de Iocis.

QVANDO.

M. ANTONIVS, è pugna fugiens Actiaca, à Tænaro in Africam tranſmiſſurus, nauem unam onerariam magna pecuniæ ui, magni precij, etiam aureo & argenteo inſtrumento regio onuſtam ſelegit, donauitque amicis, iubens, ut ea partirentur inter ſe, & ſaluti ſuæ proſpicerent. Abnuentes flentesque ſanè quàm placidè & humaniter conſolatus, precatusq; ut reciperent ſe, dimiſit, ſcriptis ad Theophilum procuratorem ſuum Corinthi literis, ut ſecuritatem expediret illis, abſconderetq; eos, quoad placare Cæſarem quiuiſſent. Plut. in Ant.

PARSIMONIA DONANDI, SIVE ΕΝ ΔΟΣΕΙ. PARCA donatio qualiſcunq;

Duæ ſunt perſonæ, Dantis altera, altera Accipientis. Illius reſpectu, qui conſeruat ſibi ea, quæ non dat alteri, ad φυλακὴν: huius uerò, cui non dantur, ad Parſimoniam ἐν Δόσει pertinent. Exempla quædam pete ex Tit. Iuſtitiæ diſtributiuæ, Indignos præmiis non afficere.

ERGA QVOS NON dare, Parcè dare

DIIS.

LYCVRGVS legiſlator Spartanorum percontanti, Cur inſtituiſſet, ut minutis ac uilibus rebus ſacrificaretur? Ne unquā, reſpondit, deficiat nos, quo numen honoremus. Quis non diceret, in ſolenni deorum cultu magnificentiam ac ſplendorem adhibendum? At uir prudens intellexit, numen magis delectari frugalitate, quàm opimis uictimis, ne ſub religionis obtentu luxus irreperet, aut certè rerum penuria. Deus enim non eget noſtris impendiis: amat autem homines, quorum neceſſitati poterat illis impendiis ſuccurri. Plutarchus in Lacon.

REGIBVS.

EVRIPIDES Archelao Macedonum regi hoſce uerſus occinuit:

> οὐ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης,
> μή μ' ἄφρονα κρίνῃς, ἢ δίδους αἰτεῖν δοκῶ.
> Ego diuiti nolo donare quicquam inops,
> Ne fatuus uidear tibi, uel dans poſcere.

Plut. de Ei Delphico, ex Dicæarcho.

FILIIS.

CALPHVRNIVS Piſo conſul, cùm in bello fugitiuorū prouinciam Siciliam obtineret, quam ſexaginta ſeruorum millia occupauerant: re bene geſta, milites omnes, qui ſtrenuā operam nauaſſent in eo bello, militaribus donis donauit: & filium ſolum, qui fortiſſimè etiam dimicauerat, & ſuæ uirtutis præclara documenta dederat, munerū omnino fecit expertem. Non æquum eſſe dicens, à magiſtratu, è publica pecunia quicquam erogari, quod in ſe aut familiæ ſuæ uſum rediturum eſſet. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Liuius. Plutarchus in Craſſo, & Oroſius lib. 5.

PHOCION miſſa ab Antipatro per Menyllum munera, nec ſibi, nec Phoco filio accipere uoluit: Si mihi ſimilis erit, inquiens, paternæ ei ſuffecerint opes. Sin diſſimilis, quo opulentior, eò deterior erit. Plut. in Phocione.

CLEMENS IV. Guido Fulcodij Narbonenſis, aduocatus cōſiſtorialis in Francia, ex uxore duas filias ſuſtulit: inde Narbonenſis archiepiſcopus, poſtea Sabinenſis cardinalis, tandem pontifex creatur. Ad eum cùm duæ filiæ, quas antè ex matrimonio ſuſceperat, ueniſſent, fretæ illius opera ſe matrimonia ex pontificatus magnitudine conſequuturas, illarum poſtulatis reſpondit: Pontificibus Rom. filios non eſſe: neq; eis licere, quod ſuum non eſſet, propinquis dare. Et propterea contentas debere eſſe, ſi fortunas, quas antè Pontificatum habebat, omnes eis reliquiſſet. Quibus opibus cùm conditionem in matrimonio ex ſententia ſua non inuenirent, ambæ ſacrarum uirginum pudicitiā matrimonio prępoſuerunt. Nepotem quoq; è tribus Canonicatibus, quos habebat duos dimittere coegit. Fulgoſus lib. 4. c. 3. & Egnatius lib. 4. c. 3. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 1. ſcribit, filiarum alteram in monaſterium collocaſſe, triginta librarū paruorū Turonenſium dote: alteram maritaſſe, dote CCC. librarū Turonenſium.

MENDICIS.

THRASYLLO Cynico ab Antigono drachmam petente: Id uerò non eſt, inquit, donum regium. Quo ſubiiciente: Da ergo mihi talentum: Enimuerò, inſit, non eſt id accipere cynicum. Plut. in Apophth. & de Verecundia.

Mendico LACON ab ſe petenti: Enimuerò, inquit, tibi ſi dedero, magis mendicus eris: ac inuerecundiæ huius tuæ primus, qui tibi eſt largitus, fuit auctor, quòd oſcitātem te reddiderit. Plut. in apoph. Laconicis.

AMICIS.

Ad Quinctianum, MARTIALIS Epigram. lib. 5.

> Quòd tibi Decembri menſe, quo uolant mappæ,
> Gracileſq; ligulæ, cereiq;, carthæq;,
> Et acuta ſenibus teſta cum damaſcenis,
> Præter libellos uernulas nihil miſi:
> Fortaſſe auarus uidear aut inhumanus.
> Odi doloſas munerum & malas artes.
> Imitantur hamos dona: namq; quis neſcit,
> Auidum uorata decipi ſcarum muſca?
> Quoties amico diuiti nihil donat,
> O Quinctiane, liberalis eſt pauper.

MILITIBVS.

ANTIGONVS II. iuueni, qui parentem uirum fortem habuerat, ipſe non habitus ſtrenuus, poſcenti ſtipendium, quod patri Antigonus pendere ſolebat: Ego uerò, inquit, adoleſceps, propriè uirtutis non paternæ mercedē & præmia do. Plut. in Apophthegmatibus.

AVARIS.

Rex Macedonum ARCHELAVS, cùm ab eo ſuper cœnā quidam, qui nihil niſi munera capere duceret honeſtum, poculum aureum peteret, imperauit puero, id Euripidi ut daret: coniectiſq; in iſtum hominem oculis: Tu quidem, inſit, qui petas, dignus es, nec accipias: hic, qui accipiat, etiam ſi non petat. Plut. de Immodica uerecundia, & in Apoph.

IN QVO NON DARE, uel Parcè dare

CONGIARIVM.

PHOCION, flagitante congiarium ad ſacrificium quoddam populo Athenienſe, aliiſq; præbentibus, identidem appellatus, ait: Hoſce poſcite diuites. Me uerò puderet, uobis ſi largirer, huic non ſoluerem. monſtrans Calliclem fœneratorē. Vbi non ceſſarunt uociferari & increpare eum probris, hāc narrauit eis fabulam: Quidam ignauus homo parabat ad bellum proficiſci. Crocientibus autem coruis, poſuit arma, tenuitq; ſe domi. Mox recipiens ea, inſtitit pergere. Illis denuò crocientibus, ſubſtitit, & tandem ait: Etſi uos quàm maximè crociuiſtis, non guſtabitis me tamen. Plutarchus in Phocione, & in Apoph.

STIPEM SACRAM.

LACON, cùm uideret quendam exigere collectā diis: Nihil curare dixit deos magis, quàm ſe, mendicos. Plut. in apophtheg. Laconicis.

LVDOS.

DIOCLETIANVS Imp. omnibus gētibus aduocatis ludos circenſes, ac ſcenicos, ſed magna cum parſimonia edidit: quòd diceret, caſtiores eſſe oportere ludos, quos cenſor ſpectaret. Cùm autem quidam largitionalis eius ludos à Caro proximè editos commendaret, atq; eum principem ualde populo placuiſſe illa ludorum editione aſſereret: Ergo, inquit, bene riſus eſt in Imperio ſuo Carus. fuit enim princeps tam ſeueritatis eximiæ, quàm ſolertiæ ſingularis. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

AGROS.

M. CVRIVS incuſantibus eum nonnullis, quòd de agro bello capto exiguam in capita portionem aſſignaſſet, ac partem magnam publicaſſet: optauit neminem exiſtere ciuem Romanum, qui pro exiguo habiturus eſſet agrum illum, qui alere ipſum ualeret. Plut. in Apophth.

DOTEM.

Victus frugi atq; modeſtiæ MASSILIENSIVM illud nō minimum argumentum eſt, quod Strabo inquit, lib. 4. Dotem illis ampliſſimam centum fuiſſe aureos, ad ueſtem quinq;, ad mundum aureum quinq;, ampliùs uerò nullo pacto licuiſſe. Cælius lib. 16. c. 8. A. L.

ALEXANDER Mammeæ nihil auri unquam in templis repoſuit, illud Satyrici ſubiiciens, -in ſancto quid facit aurum? Sabellicus libro 6. Enneadis 7.

LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

LIBERALIS *Ετέρω*... *minorem ſplendorem quàm χρῆσιν eſſe, & in negando magis quā in affirmando ſpectari cenſemus, in eo ſcilicet, ut non accipiat, nō conſeruet, potius quàm ut accipiat, aut conſeruet. Conſideretur dupliciter, ratione ſubiecti, quatenus uerſatur circa ea quæ*

- Nondum *habet, ut ea acquirat, uel negligat* LIBERALITAS ἐν λήψει. *Vide ſignum* I.
- Habet, *ut ea conſeruet, uel nō cōſeruet. φυλακὴ dicitur, cōprehēdēs & eorū, quæ honeſtè cōſeruari poſſunt conſeruationē, & eorum quæ honeſtè conſeruari nequeunt abdicationem.* LIBERALITAS ἐν φυλακῇ: *Conſeruatio opum liberalis: quando opes honeſtè uel*
  - Conſer- *uantur: ratione habita*
    - Perſonarum, *Qui conſeruāt:*
      - Principes.
      - Patres *familiâs.*
    - Rerum, *quæ conſeruantur.* Puta
      - Hæreditatem.
      - Annonam.
    - Modi. v. G.
      - Oeconomia *diligente, frugali.*
      - Denegatione *petitionis inhoneſtæ.*
      - Prohibitione *exactionum.*
      - Animaduerſione.
  - Non *cōſeruātur, conſiderando*
    - Qui. Puta
      - Apoſtoli.
      - Philoſophi.
    - Quæ. Nēpe
      - Hæreditatem.
      - Prædam.
    - Quomodo. *Videlicet*
      - Deſerere. Abiicere.
      - Deponere *apud alium.*
      - Communicare *aliis.*
      - Reſtituere. Non *uendicare.*
    - Cur. *Cauſa*
      - Religionis, *Pietatis.*
      - Philoſophiæ. Virtutis.
      - Fidei *liberandæ.* Reipublicæ.
      - Tranquillitatis, *Quietis.*
      - Salutis. Amicitiæ.



VOLV

Voluminis Decimi Liber IV.

De Liberalitate Possidente, EN KTHCEI, in Diuitiarum Acquisitione, Possessione, Conseruatione.

ACQVISITIO, uti etiam Custodia opum moderata, Liberalitatis propria existit: quandoquidem cupiditati nimiæ frenum imponit. Modus interim acquirendi, ad Prudentiam œconomicam pertinet, de qua Volumine septimo egimus.

LIBERALITAS EN AHΨEI, QVATENVS NON CAPTAT, NON PETIT, NON EXIGIT, NON accipit. Considerata respectu

PERSONARVM. TVM

AGENTIVM. QVI NON ACCIPIVNT, NON EXIGVNT. VT SVNT

Prophetæ, Apostoli.

DANIEL propheta oraculi diuinitùs in pariete descripti mysterium exponuntus regi Babylonio, dona dignitatemque polliceti ait: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius ostendam tibi. Quòd uerò deinde legitur, eum mox purpurâ fuisse indutum, torque aureo circumdatum, potestate præditum: argumento est, licere aliquando peracto opere oblata recipere: non tamen ex pacto, sed ex donantis liberalitate: nõ ad luxuriã, sed ad necessitatẽ. Daniel 5.

PAVLVS apostolus ἀpud Ephesios gloriatur, nullius sese aurum, aut argentum, aut uestes concupiuisse: sed manuum suarum artificio se uitam suam & aliorum sustentasse, cùm tentoriorum artifex esset. Act. 21.

Medici.

ELISÆVS propheta X argenti talenta, VI aureorum millia, & splendidas uestes X à Naamo Syro, quem à lepra curauerat, accipere noluit. 4 Reg. 5.

BARTHOLOMÆVS apostolus, Polemo Indiæ rege offerẽte sibi camelos argento auroque oneratos, eo quòd filiam eius ab immundo spiritu liberasset: nõ ob hoc se uenisse dixit, ut munera acciperet, sed ut in Christum credentibus uiam adipiscendæ salutis monstraret. Hæc res profectò non minus, quàm miraculum sanatæ filiæ, impulit regem ut baptisma susciperet. Marul. lib. j. c. 7.

IVDAS Thaddæus, cùm Abgarum gentis ultra Euphratẽ positæ regem graui ualetudine laborantem, solo tactu sanitati restituisset, magnam uim argenti atq; auri pro eo sibi oblatam constanter recusauit. Si nostra, inquit, dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? Itaq; tantũ diuitiarum contemtum in tam paupere uiro rex admiratus, non ita cupidè paulo antè expetiuerat sanitatem, ut tunc Christi susceperit fidem. Idem.

CYRIACVS martyr, Roma ad Persas nsq; ab Sapore eorum rege euocatus, cùm filiam illius Iobiam à dæmoniaca uexatione liberasset, dona quibus uel lõgi itineris labor compensari potuisset, oblata repudiauit. Idem.

COSMAS & DAMIANVS germani fratres, medendi arte clari, sed pietatis officio clariores, gratuitò curationem exercebant. Et cùm Damianus Palladia matrona morbo liberata, munusculi aliquid ab ea, precibus coactus, accepisset: adeò id ægrè Cosmas tulit, ut mandasse dicatur, ne eo dem tumulo cum fratre componeretur, quandocunq; ipsis uita defungi contigisset. Idem.

LEONARDVS S. Remigij discipulus, quoniam Gallorum regis coniugem difficili partu laborantẽ, medicis tam desperantibus, à periculo liberarat, regi amplissima dona offerenti: haudquaquam se iis indigere respondit, cùm ipsa Veritas dicat: Quærite primùm regnum Dei. Idem.

HILARION abbas Orioni, à quo legionem dæmonum expulerat, dona porrigẽti, Nónne legisti, ait, quid Giezi, quid Simon passi sint? quorum alter accepit precium, alter obtulit: ut ille uenderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur. Cumque Orion flens diceret, Accipe, & da pauperibus: respondit, Tu meliùs potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, & nosti pauperes: ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est, misericordia uerò artem nõ habet. Nemo meliùs erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem, & in terra iacenti: Noli, inquit, contristari fili: quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio reuerteretur. Ibidem.

IDEM purpurato cuidam Constantini Imperatoris, à dæmone liberato, X auri libras dono offerenti, hordeaceum porrexit panem, dicens: Qui tali cibo aluntur, non pluris aurũ æstimant quàm lutum. Eidem Siculus quidam de primoribus uiris, morbo aquæ intercutis ea ipsa die qua ad eum uenerat curatus, obtulit plurima munera. At ille Saluatoris illud respondit: Gratis accepistis, gratis date. Idem.

EVGENIA uirgo dum sub persona abbatis sexu dissimulato uirorum præesset collegio, Melaniam Alexandriæ nobilem matronam, desperato morbo affectam, precibus curauit: neq; tamen dona accepit. Se Christi paupertatem præferre diuitiis dicens, & pro eius amore ea quæ cum seculo transeunt contemnendo, ad nunquam deficientes delicias anhelare. Idem.

D. MARTINVS, cùm Leontij cuiusdam ædes à peste liberasset, isq; uicissim pro beneficio centum argenti libras offerret, eas repudiauit. Aegrè id ferentibus discipulis, & pauperta tem causantibus, respondit: Nos Ecclesia & pascat & uestiat, dummodo nil nostris usibus quæsisse uideamur. Seuerus Sulpitius in eius uita.

EPIMENIDES Cretensis summis laudibus atq; ingentibus honoratus donis à populo Atheniensi ob expiatam ciuitatem, præter furculum ex sacra olea, nulla re petita aut accepta, discessit. Plut. in Solone, & Plato 1. & 2. de Legibus.

HIPPOCRATES Cous medicus à rege Persarum Artoxerxe euocatus præmiis amplissimis, parere noluit, λόγῳ, inquiens

quiens, ἐμοὶ σοφίης χρυσοῦ πλέον ἠξίωται. Accerſitus idem ab Abderitis ad liberandum ab inſania Democritum, præmia maxima offerentib. ἴσθι, inquit, ἐλευθέρης τέχνης ἐλεύθερα τὰ ἔργα· ἐγὼ οὐ καρποῦμαι νόσους, Non ego è morbis fructũ aucupo.

AVSONIVS Burdegalenſis, gratis medicinam exercuit. Sic enim de ipſo ſcribit filius illius Auſonius poeta in Epicedio:

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemtæ,
Officiumq; meum cum pietate fuit.

TRIBVNVS Palæſtinus medicus à Coſroe rege, quem ſanitati reſtituerat, muneris loco id unũ petiit, ut ſibi captiuos quoſdam Romanos donaret. Quos rex præmij loco libenter conceſſit, ſupra tria millia. Suidas.

Philoſophi.

Alcibiades ambitione quadã munificus, cùm plura magnaq; munera SOCRATI dono miſiſſet, & Xanthippe admiraretur donorum amplitudinẽ, eaq; cuperet eum accipere, Socrates dixiſſe fertur: Imò nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea quæ mittuntur ab ipſo non capiamus. Aelianus lib. 9. de Var. hiſt. Idem quum ſpacioſam aream dono offerret Socrati, in qua ſibi domum ædificaret: Quid, inqt, ſi mihi calceis opus eſſet, num corium mihi dares, unde mihi calceos conficerem? Et ſi dares, ánnon ipſe ridiculus eſſem, ſi acciperem? Hac ſimilitudine munus inutile recuſauit. Eraſmus lib. 3. Apopht. Obiurgatus à Xanthippe, quòd multa miſſitantibus amicis, nihil acciperet, dixit: Si omnia quæ dantur, ſtatim acciperemus, ne ſi peteremus quidẽ in poſterum, ut darent, habituri eſſemus. Stobæus Serm. j. de Prudentia.

Archelaus rex, SOCRATEM ad ſe uocarat, multa pollicens. Socrates reſpondit, ſe nolle ad eum uenire, à quo acciperet beneficia, cùm illi reddere paria non poſſet. Hoc dictũ improbat Seneca: quòd philoſophus, perſuadens auri argentique contemtum, plus dat, quàm ſi det aurum & argentũ. Eraſmus lib. 3. Apopht. Quum Ariſtippus, ex quæſtu, quem Socraticorum primus facere inſtituit, præceptori miſiſſet XX minas, remiſit ilicò Socrates ad illum pecuniã: dicens, Genium ſuum hoc nequaquam permittere. Dicebat enim Socrates, ſibi peculiarem eſſe dæmonem, à quo prohiberetur arcano ſigno, ſi quid tentaret parum honeſtum. Geniũ autem illum, opinor fuiſſe Rationem. Atq; interim ciuiliter indicauit Ariſtippo, ſibi non probari, quòd philoſophiam doceret mercede. Laertius.

Cùm magnam uim pecuniæ & crebrò Dionyſius tyrannus offerret PLATONI, nec ille acciperet: præſens Ariſtippus Cyrenæus, ſine periculo magnificum Dionyſium dixit eſſe. Ipſis enim qui multis opus haberent, eũ pauca donare: Platoni multa, qui nihil caperet. Plut. in Dione.

Alexander cognomen inuicti aſſecutus, continentiam DIOGENIS Cynici uincere non potuit. Ad quem cùm in ſole ſedentem acceſſiſſet, hortareturq;, ut ſi qua ſibi pręſtari uellet, indicaret: O rex (inquit) cætera nil moror, interim uelim ut à ſole mihi non obſtes. Quibus uerbis illa nimirum inhęſit ſententia: Alexander Diogenem gradu ſuo diuitiis pellere tentat, celeriùs Darium armis. Syracuſis, cùm olera ei lauanti Ariſtippus dixiſſet, Si Dionyſio adulareris, iſta non eſſes. Imò (inquit) ſi tu iſta eſſes, Dionyſio non adulareris. Valerius lib. 4. cap. 3.

Alexãder Magnus ad XENOCRATEM philoſophum Athenienſem legatos cum triginta (Plutarchus quinquaginta habet) talentis miſerat: quos in Academiam perductos, ſolito ſibi, id eſt, modico apparatu, & admodum paruulis copiis excepit. Poſtero die interrogantibus, Cuínam adnumerari pecuniam uellet? Quid uos (inquit) heſterna cœna non intellexiſtis, ea me non indigere? Ita rex philoſophi amicitiam emere uoluit: philoſophus regi ſuam uendere noluit. Valerius lib. 4. cap. 3. Alij teſtantur, eum acceptis ſolùm tribus millibus Atticis, reliquum remiſiſſe, dicẽtem: Illi opus eſſe pluribus, qui plures nutriret. Laertius libro quarto, capite ſecundo, & Cicero libro quinto Tuſculanarum quæſtionum. Id ubi intellexit Alexander, rogauit, An ne amicum quidem haberet Xenocrates? Nam mihi quidem, inquit, uix Darij opes ad explendos amicos ſatis fuerint. Plut. in regum Apopht.

IDEM ampliſſimum auri argentiq; pondus, ab Antipatro Macedoniæ rege dono miſſum, accipere noluit, ſed ſtatim remiſit. Laertius.

Demetrius, Antigoni F. cùm Megaram cepiſſet, iuſſit Stilponis domum ſeruari incolumen. Admonitus STILPON, ut libellum daret rerum omnium quas amiſiſſet: Ego, inquit, nihil bonorum meorum amiſi: nam eruditio & eloquentia mihi ſunt incolumes. At hæc uerè ſunt οἰκεῖα, hoc eſt, domeſtica propriaq; bona. Eraſmus lib. 7. Apophth. ex Diogene Laertio, & Plutarcho.

DEMETRIVS Cynicus, quum Cæſar ducenta talenta ei attuliſſet, ridens reiecit: Si tentare, inquit, me conſtituerat, toto illi fui experiendus imperio. Bruſ. libro primo, cap. 9.

APOLLONIVS Tyanæus à Veſpaſiano munera magnifica oblata renuit, dicens: Auaris hominibus, & harum rerum indigis, eſſe tribuenda. Philoſtratus in uita Apollonij.

Iureconſulti, Aduocati.

CICERO ualde commendatus fuit, quòd patrocinij cauſa neq; mercedem neq; munera caperet, præcipuè cùm Verrẽ ſuſcepiſſet accuſandum. Damnato enim Verre, Siculi, quo gratos ſe oſtenderent, in ædilitate eius multa ex ea inſula aduecta obtulerunt ei: quorũ in ſuos uſus nihil uertit, tantùm ad leuandam annonam illorum hominum uſus liberalitate eſt. Plut. in Cicerone.

Petrus PHILIPPVS Corneus Peruſinus I. C. operã amicis, affinibus, ipſis deniq; ciuibus, in aduocationib. & patrociniis gratuitam impendebat. A' cæteris id demùm accipiebat, etiam pro redactis in ſcripta & libellos reſponſis, quod ſponte ſua offerebant. Neq; cum quoq; paciſcebatur unquam, quantumuis laboris ſubiturus foret & difficultatis: ſordidũ enim putabat mercedulas inſtar operariorũ exigere: & nouerat parui animi eſſe amare pecunias. Monaſteriis, orphanotrophiis, xenodochiis, & quibuſcũq; locis Deo & religioni dicatis, ſi quando ad opem ſuam decurrerent, præſtò ſemper erat: tantumq; aberat, ut emolumenti inde caperet quicquam, ut & ſua pecunia contra potentiorũ defenderet iniurias. Qua bonitatis fama id conſecutus eſt, ut quocunq; conſilia eius ſcripta eſſent perlata, ut omittã doctrinam, quę ſumma erat, ferè & rata haberent, & ſequerentur iudicantes. Fran. Maturantius Peruſinus in eius uita.

THOMAS Morus Anglus, cùm aduocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum uerumq; conſilium, magis illorum commodis proſpiciens, quàm ſuis: pleriſq; ſolitus perſuadere, ut litem componerent, minus enim hic fore diſpendij. Id ſi minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua poſſent quã minimo diſpendio litigare: quando quibuſdã hic animus eſt, ut litibus etiam delectentur. In urbe Londinenſi, in qua natus eſt, annos aliquot iudicem egit in cauſis ciuilibus. id munus ut minimum habet oneris (nam non ſedetur, niſi die Iouis uſq; ad prandium) ita cum primis honorificum habetur. Nemo plures cauſas abſoluit, nemo ſe geſſit integriùs, remiſſa pleriſq; pecunia, quam ex præſcripto debent, qui litigant. Siquidem ante litis cõteſtationem actor deponit ſex drachmas, totidẽ reus, nec amplius quicquam fas eſt exigere. Eraſmus in eius uita.

Duces.

EPAMINONDAS, Thebanorũ dux, unam ſolùm habebat ueſtem, eamq; ſordidam. Si quando eam miſiſſet ad fullonem, ipſe ſe domi continere ob indigentiam alterius cogebatur. His facultatibus prædirus tamen, cùm ei Perſarũ rex magnam uim auri dono miſiſſet, non accepit. & magnificentior fuit is qui aurum non accepit, quàm qui donauit. Aelianus lib. 5. de Varia hiſtoria.

CALLICRATIDAS, cũ miſiſſet militib. Cyrus ſtipendiũ, & huic munera: accepit modò ſtipẽdium, munera remiſit: addens, nihil eſſe, quòd amicitia ſibi cum eo priuata intercederet: ſed quæ facta cum Lacedæmoniis cunctis publica eſſet, eam etiam ſibi competere. Plut. in Apopht.

LYSANDER Lacedæmonius id præcipuum habuit & peculiare, quòd ſapienter cùm paupertatem ferret, neq; uſpiam pecuniæ ſuccubuerit ipſe, uel ab ea labefactatus fuerit, patriam diuitiis & diuitiarum impleuerit cupiditate, gloriãq; ei contemtarum diuitiarum ademerit: qui à bello Attico ingentem auri & argenti uim eò inuexit, neq; ſibi drachmã ſumſit unam. Cùm filiabus eius Dionyſius tyrannus exquiſitas tunicas miſiſſet, non accepit eas: addẽs uereri ſe, ne uiderentur ex iſtis deformiores. At breui pòſt legatus ad eundem tyrannum ex eadem miſſus ciuitate, oblatis ab illo ſibi ſtolis duabus: cùm iuberet ille, utra placuiſſet, eam ut acciperet, & ad filiam ſuam deportaret: illam ait ipſam potiùs electuram, abſtulitq; ambas. Cyrum Sardeis cõuenerat. Eum Cyrus parantem diſcedere conuiuio excipiens rogauit, ne repudiaret munera ſua: ſed quicquid cordi eſſet, poſceret & aperiret, omnia prorſus impetraturum. Cui occurrens Lyſander: Quando adeò te, Cyre, inquit, propenſum demonſtras in me: peto abs te atq; oro, ut nautarũ ſtipendio obolum addas, ut pro ternis ferant quaternos. Cyrus illius animi celſitudine delectatus, donauit ei X millia Daricorum. Ex quibus ſuppleto nautis obolo, magnificus breui exinaniuit claſſem hoſtium. Complures enim ad eos, ubi ſtipendium eſſet uberius, tranſibãt: qui uerò remanebant, ſegnes redditi ſunt & ſeditioſi, ac negotia ducibus quotidie exhibuerunt. Plut. in Lyſandro.

PHILOPOEMENES turbatis rebus Spartæ ciuitatem impulit, ut corpori ſe Achæorum contribueret. Quo facto, mirum quantum quæſiuit apud Achęos laudis, quòd tantę urbem amplitudinis & potentiæ iis adiunxiſſet. Conciliauit etiam ſibi optimates Lacedæmoniorum, qui libertatis ſe illum cuſtodem habituros ſperabant. Vnde Nabidis tyranni domum & bona uenum dederunt: ex quibus coacta XX & C talenta dono ei ſuffragiis dare decreuerunt, atq; ad id offerendum ei legatos miſere. Et quidem primùm nemo Spartiatarum eum uirum ſuſtinebat de capiendo munere appellare: ſed uerentes detrectanteſq;, hoſpitem eius nominarunt Timolaum. Qui ut uenit Megalopolim, ac conuiuio à Philopœmene exceptus, grauitatem ſermonis eius & uitę frugalitatem integritatemq; animaduertit morum, ad quos haudquaquam aditus proprior aut inſidię à pecunia paterent: oppreſſit mentionem doni, ac prætextu aduẽtus ſui allegato alio, domum eſt regreſſus. Iterum miſſus, nihilo plus egit. Tertia legatione uix tandem eius rei mentionẽ inferens, propenſum animum declarauit ei ciuitatis. At Philopœmenes grato animo auditis mandatis, perrexit ipſe Lacedęmonem, conſuluitq; eis, ne bonos amicos, quorum liceret uirtute frui gratis, largitionibus inſtituerent labefactare: ſed improbos, & eos qui ciuitatem in concilio premant, redimerent & corrumperent, ut munere deſiniti minùs ipſis obſtreperent: quippe inimicis ait præſtare liberã uocem, quàm amicis præcidere. Adeò fuit celſo aduerſus pecuniam animo. Plut. in Philopœmene.

Ter ex hoſtibus uictis triumphauit P. VAL. Poplicola: fuit idẽ Romanæ libertatis uindex. Cæterùm tam pauper deceſſit, ut publico ſit ſumtu funeratus, quoniam domeſtico nõ potuit: indubitato argumento, reipub. domi foriſq; continenter & ſanctæ adminiſtratæ. Sab. lib. 2. c. j.

C. FABRICIVS ad Pyrrhũ legatus, illius aurum, regnumque opulentiſſimum, in cuius partem recipiebatur, eſt aſpernatus: dignus cui hoſtis non ſolùm captiuos ciues gratis reſtituerit, ſed eius quoq; ciuitatis optauerit amicus fieri, quæ tantũ fortita eſſet ciuem. Sab. lib. j. c. 5. & lib. 2. c. j. Front. libro 4. cap. 3. Strategem. & Plut. in eius uita.

M. CVRIVS Dentatus, cùm ex uictoria de Pyrrho rege parta magnam prædam collegiſſet, eam tamen lubens militibus urbiq; conceſſit, neq; ex ea quicquam attingere uoluit, prę ter guttum faginum, quo ſacrificaret. Plin. lib. 16. c. 38. Præmia quoq; uirtutis pro re tam bene feliciterq; geſta cùm à ſenatu ſibi populoq; decernerentur, æquari omnibus uoluit, cùm ſibi multò maiora quàm populo darentur. Quippe ſeptenis tantùm populo, ſibi uerò quinquaginta campi iugeribus pro ſua dignitate decretis, indignũ ciuem & reipublicæ minimè idoneum eſſe putauit, qui plus æquo appeteret. Plin. c. 33. de Viris illuſt. Frontinus lib. 4. c. 3. Nonnullis reprehendentibus, quòd ex agris bello partis partẽ exiguam unicuiq; militum diſtribuiſſet, magnam uerò reipublicę optauit à diis, ne quando exiſteret quiſquam Romanus, cui ager exiguus uideretur, qui poſſet alere dominum. Plut. in Apophthegmatibus.

IDEM Conſul cùm Samnites uiciſſet, eorum legati pacẽ petituri ad eum uenerunt, auroq; corrumpendum putarunt, ut æquas pacis cõditiones admitteret. Ille ubi munera oblata aſpexit, ſubridens ait: Ite potiùs & renunciate ciuibus ueſtris, malle me habentibus aurum imperare, quàm aurũ habere, & aliorũ imperio ſubditus eſſe. Valerius Maximus libro 4. cap. 3. Cicero in Catone Maiore. Florus lib. j. cap. 18. Plinius lib. 33. cap. 12. & libro 16. cap. 93. Sabellicus libro 8. Enneadis quartæ.

L. Quintius CINCINNATVS, Dictator, Aequis uictis, ſelecta ex omni præda quædã, manubiarũ nomine, haud quidem attigit. Et quum neceſſarij & propinqui plura pollicerentur, ut in urbe permaneret: continuò ubi poteſtate abiit, in agrum, quem colebat, ſeſe recepit, paupertate magis, quàm diuitiis contentus. Sab. lib. 3. Enn. 3. ex Dionyſio.

Q. TVBERO Catilius conſul bello Macedonico, cùm prouinciam illam propemodum Romano ſubegiſſet imperio, Aetolorum legati de uictoria gratulaturi ad eum in caſtra uenerunt, & fictilibus uaſis utentẽ in menſa uiderũt. Quod cùm in patriam reuerſi ſuis ciuib. retuliſſent, Aetoli argentea illi uaſa artificioſè elaborata mittenda cenſuerũt. Quæ cùm obtuliſſent, eos ſtatim in patriam cum donis redire iuſſit. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. Plinius autẽ hoc de Sex. Ael. Cato, uiro conſulari, ſcribit, lib. 33. cap. 11. qui nihil aliud argenti ad extremum uitæ diem habuit, quàm duo pocula, accepta à L. Paulo ſocero ſuo.

L. PAVLVS Aemilius, cùm deuicto Perſa Macedonum rege, quem duxit in triumphum, tantam ex ea prouincia prædã in patriam reportaſſet, ut repleto ærario tributis præſtãdis modus ac finis impoſitus fuerit: nihil ex ea attingere, nedũ accipere uoluit, ut glorioſus magis quàm diues ex eo bello rediiſſe uideretur. Plutarchus in eius uita, quoſdam ex ea præda libros eum ſibi retinuiſſe ait. Genero certè ſuo Aelio Tuberoni phialam argenteam quinque pondo uirtutis cauſa donauit: quod ferunt primum fuiſſe in Tuberonum domum argentum factum illatum. Cic. libro j. Offic.

Iuſtinus lib. 33. Val. Max. lib. 4. c. 3. Plinius c. 56. de Viris illuſt. Sabell. lib. 8. Ennead. 5.

L. MVMMIVS Achaicus, qui Corintho capta, non Italiam ſolùm, ſed etiam prouinciã tabulis ſtatuiſq; exornauit, adeò nihil ex tantis manubiis in ſuũ uſum conuertit, ut filiã eius inopem ſenatus ex publico dotauerit. Frontinus lib. 4. cap. 3. & Cicero lib. 2. Offic.

M. CATO maior plures cepiſſe urbes ait ſe, quã fuiſſet dies in prouincia moratus, ac nihil præter eſculenta & poculenta accepiſſe. Militibus uiritim libras argenti partitus, ſatiùs eſſe ait multos cum argento, quàm cum auro paucos domũ redire. Nam ducum decere nihil aliud in prouinciis quàm gloriam amplificari. Plut. in Apopht.

Milites.

BALEARES refert Diodorus nullum habuiſſe auri & argenti uſum olim. Meminerant enim Geryonẽ, Chryſaori filiũ, ob maximas diuitias ab Hercule peremtum. Ergo quum à Carthaginenſibus ſemel fuiſſent conducti, nihil pecuniæ, neque auri, neq; argenti habere curarunt, ſed tantummodò mulieres & uinum pro ſtipendio acceperunt.

CN. MARTIVS Anci Rom. regis clara progenies, cui Corioli Volſcorum oppidum captum cognomen adiecit, cùm editis conſpicuæ fortitudinis operibus à Poſthumio Comminio conſule accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri centum iugeribus, & decem captiuorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoq; quantum portare ualuiſſet, donaretur: nihil ex his præter unius captiui ſalutem hoſpitis, equumq; quo in acie uteretur, accipere uoluit. Liuius lib. 2. Dec. j. Plut. in Coriolano. Dionyſius lib. 7. & 8. Plinius cap. 19. de Viris illuſt. Florus lib. j. c. 22. Val. lib. 5. c. 4. & lib. 4. cap. 3. Eutropius lib. j. c. 11.

Præfecti.

C. GRACCHVS ex Sardinia rediens, oratione ad populum habita, inter cætera dixit, Verſatus ſum in prouincia, quomodo ex uſu ueſtro exiſtimabam eſſe, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. Ita uerſatus ſum in prouincia, ut nemo poſſit uerè dicere, aſſem aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut mea opera quempiam ſumtum feciſſe. Itaq; cùm Romam profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alij uini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt. Gellius lib. 15 cap. 12.

VESPASIANVS ſub Nerone ſortitus Africam, rediit nihilo opulentior, ut qui propè labefactata iam fide, omnia prædia fratri obligarit: neceſſarioq; ad mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis cauſa deſcenderit, propter quod uulgò Mulio uocabatur. Suetonius.

Quæſtores.

ARISTIDES, filius Lyſimachi, qui multa præclarè domi militiæque geſſit, deſcripto Græcis tributo, tanto reuerſus eſt pauperior, quantum in profectione impenderat. Fecerat in Amphiaraum Aeſchylus hoſce uerſus:

Neq; enim uideri iuſtus hic, ſed eſſe uult,
Alta receſſum mente poſſidens, ſcatent
Ex quo ſalubria conſilia per Græciam.

dũ hi recitãtur, Ariſtidẽ omnes intuiti ſunt. Plut. in Apoph.

Legati ſacri.

Cardinalis presbyter MARTINVS, functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeauit, ut penè expenſis & equis deficientibus, uix perueniret Florentiam. Ibi epiſcopus loci donauit ei equum, quo Piſas uſq; Hetruriæ urbem peruectus eſt. Poſtridie ſecutus epiſcopus (erat enim illi cauſa cum aduerſario, & agendi erat dies) cœpit requirerẽ ſuffragia amicorum. Cumq; per ſingulos ſolicitaretur, uentum eſt ad Martinũ. Fiducia erat maior in illo, qui non poſſet immemor eſſe recentis beneficij. Tum Martinus: Decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt. Et hora eadem reſignauit illi. Nónne alterius ſeculi res eſt, inquit D. Bernardus lib. 4. de Conſideratione, rediſſe legatum de terra auri ſine auro, tranſiſſe per terram argenti, & argentum neſciſſe: donũ inſuper quod poterat eſſe ſuſpectum, illicò reieciſſe?

D. Bernardus erat cum GAVFRIDO Carnotẽſe, legationem per annos plures in partibus Aquitaniæ propriis ſumtibus ſtrenuè adminiſtrante. Cui cùm à quodam presbytero oblatus eſſet piſcis ſturio, percontatus Quanti uæniſſet? ſtatim ſolidos quinq; inuito & uerecũdo numerari iuſſit. Eidẽ cũ in quodã oppido domina illius oppidi obtuliſſet pro deuotione cũ manutergio duas uel tres paropſides pulcras, ligneas tamen: eas aliquandiu intuens laudauit, ſed noluit accipere. Quãdo argẽteas recepiſſet, qui ligneas reſutauit? Non fuerũt, qui potuiſſent legato dicere: Ditauimus Abraham. Ipſe uerò cum Samuele liberè concionabatur ad oẽs: Loquimini de me corã Domino, & corã Chriſto eius, utrũ bouem

bonem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manù cuiuſquã munus accepi, & cõtemnam illud hodie, uobiſcũ reſtituam. O ſi taliũ daretur uirorum copia, quales perſtrinximus nũc, quid te felicius (inquit D. Bernardus ad Eugenium ſummũ pontificem) quid illo iucundius ſeculo? Nõnne ſecunda ab æternitate illorum tibi temporũ beatitudo uideretur, cùm te quaquauerſum procedens, ſtipatum uideres tam inclyto agmine beatorum? D. Bernardus lib. 4. de Conſideratione.

Legati profani.

Dionyſius ſenior CORINTHIORVM legatis ad ſe miſſis donaria, prout mos eſt, obtulit. Quæ cùm illi negarent ſe accepturos, eo quòd lex eſſet apud ipſos, uetans ne legationes ſungentes munera acciperẽt à principe: Rem, inquit, abſurdam facitis, qui quod unum bonum habet tyrãnis, hoc tollitis: dùm docetis, etiam beneficium à tyrannis accipere periculoſũm eſſe. Ille grauem contumeliam iudicabat oblata recuſare munera, quum hac una re tyranni ſe poſſint aliis commendare. Tyrannidem enim adeptis ſupereſt, ut potentiæ inuidiam munificentia comitateq; leniant. Plutarchus in regum Apophthegmatibus.

Legati ad Pyrrhum de captiuis redimendis uenerunt, atq; inter eos C. FABRICIVS: cuius apud pop. Rom. ingens nomen eſſe, ut uiri boni & bello inſignis, ſed admodum pauperis, oſtendit regi Cineas. Hunc Pyrrhus, cùm priuatim benignè haberet, contendit, ut aurum acciperet ab ſe, nullam quidem ob rem turpem: uerũm amicitiæ id & hoſpitij appellauit pignus. At ille abnuit. Plut. in Pyrrho.

APPIVS Clodius, legatus à Lucullo ad Tigranem Armeniũ miſſus pro Mithridate petẽdo. Tigranes dona Appio ſplendida miſit, quæ cùm non caperet, alia adiecit plura. Ex his Appius, ne ea uideretur offenſione aliqua repudiare, phiala una accepta remiſit reliqua, ac celeri curſu eſt ad Imperatorem regreſſus. Plut. in Lucullo.

Q. FABIVS Gurges, C. Numerius, Fabius Pictor, & Q. Vgolinus, cùm miſſi eſſent legati ad Ptolemæum regem Aegypti pro pace cum populo Romano iungenda, & eos Ptolemæus liberaliter exceptos regiis muneribus donaſſet, munera renuerunt. Interiectis autem diebus cùm eoſdẽ ad cœnam inuitaſſet, aureas coronas dono dedit: quas illi honoris quidem gratia acceperunt, ſed poſtera die abituri ſtatuis regis impoſuerunt: ut docerẽt, Romanos non adeò amare diuitias, ut donis corrumpi ſe paterentur. Iuſtinus lib. 18. & Valerius lib. 4. cap. 3.

Arnulfum Mediolanenſem archiepiſcopum, Otho 1. Imp. ad Ioannem Zimiſcem Imperatorem, anno DCCCCLXXI. Conſtantinopolim ablegauit, ut Theophaniam neptem eius filio ſuo Othoni in matrimoniũ poſtularet. Is maximo principum epiſcoporumq; comitatu aſſumto profectus, & comiter ab Imperatore acceptus, cùm ab eo ad theſaurum ſuum uiſendum adductus rogaretur, ut aliquid pro animi ſententia ſumeret: anulo ingentis precij ſibi detracto, atq; ad theſaurum adiecto, ſerpentem æneum ſumſit, quem Græci ex eo conſtatum ære aſſerebant, ex quo olim Moſes ſuum in deſerto conflauerat. Is deinde Mediolanum delatus, atque in æde D. Ambroſij collocatus, nunc quoque religione ſua clarum eius facti teſtimonium reddit. Sigonius libro ſeptimo regni Italici.

DOMINICVS Triuiſanus (qui uniuerſa Europa, & magna Aſiæ parte luſtrata, dum publicis muneribus obeundis uacat, Venetiis tandem magiſtratibus omnibus eum ſumma innocentiæ fama obitis, D. Marci procurator omniũ aſſenſu declaratus eſt) quum legationis munere apud Innocentium pont. max. fungeretur, illiuſq; Pontifex liberis ampliſſimas dignitates & opulentiſſima ſacerdotia ultrò offeret: nunquam adduci potuit, ne abſens poſtea quidem ab ipſo Pontifice requiſitus, ut aliquid dari ſibi paſſus ſit. Erant illi quidem liberi mares ſex, erant priuatæ rei fortunæ nõ grandes: neq; tamen hæc omnia pellicere eius animum potuêre. Egnatius lib. 4. c. 3.

ANTONIO legato reip. Venetæ apud regem Galliæ Ludouicum XII. uti domum reuerteretur, regij in Gallia interpretes edixerũt, cùm ei prius torquem aureum dono regis nomine attuliſſent. Antonius autem non egere ſe inimici regis muneribus pronũcians, torque repudiato uię ſe dedit. Bembus lib. 7. Hiſt. Venetæ.

Politici.

CIMON Miltiadis, capturis publicis alios extra ARISTIDEM & EPHIALTEM omnes cernens inhiantes, incorruptum ſe & intactum à quæſtu in repub. præſtitit: omniaq; gratis & innocenter per totam uitam & fecit & dixit. Ferũt Roſacem quendam barbarum, qui à rege deſciuerat, Athenas cum magna pecunia ſe contuliſſe. Hunc, cùm fatigaretur à ſycophantis, confugiſſe ad Cimonem, ac phialas duas aureas ad veſtibulum eius poſuiſſe, unam argenteorũ Daricorum, alteram aureorum plenam. Cimonem uerò, ubi uidit, arriſiſſe, atq; hominem rogaſſe, Mercenario Cimone, an uti mallet amico? Qui ut reſpondit, Amico: tum dixiſſe, Ergo aufer iſta tecum. Vtar iis, quia amicus tuus fuit, ubi opus habuero. Plut. in Cimone.

PERICLES cùm continuum in annuis magiſtratibus imperium & arbitrium obtinuiſſet per annos XL, animũ tamen præſtitit à pecunia inuiolatum: non negligens alioquin reſtè militaris. Plut. in Pericle.

Grammatici.

TABERIVS Hiera, inſignis grãmaticus, tam pius in ſuos diſcipulos fuit, ut temporibus Syllanis proſcriptorũ liberos gratis & ſine mercede ulla in diſciplinam receperit. Suetonius de Claris grammaticis, cap. 12.

M. ANTONIVS Gniphon, homo Gallus, C. Iulij Cæſaris preceptor, nunquam cum diſcipulis de mercede pactus eſt. Verũtamen multa diſcentium liberalitate conſequutus eſt. L. Viues in exordium Suetonij de Cæſare.

PHILIPPVS Beroaldus grammaticus & orator Bononienſis nunquam de mercede pactus eſt, eoq; plura ex liberalitate diſcentium conſecutus, quæſtum ſine crimine ſordis fecit. Barth. Blanchinus in eius uita.

Pictores.

POLYGNOTVS pictor Athenienſibus porticum, à qua Solci philoſophi ſuum traxêre nomen, pinxit. In eam cùm omnes ingenij ſui uires cõtuliſſet, arti nullum dignum præmij tribui poſſe iudicans, inſigni liberalitate gratuitam eam in operam ſuam urbi clariſſimæ contulit. Sed qui pecuniam reſpuit, gloriam non operis tantùm excellentia, ſed & magnificentia ſua, æternam meruit. Ab hoc certè picturæ genere deinceps ποικίλης nomen ea meruit porticus, à uarietate emblematum. Plutarchus in Cimone, ubi Elpenices Cimonis ſororis à Polygnoto adamatæ faciem ibi ad uiuum expreſſam ſcribit.

Q. FABIVS Pictor Romæ ædem Salutis ſuapte manu, non lucri, ſed gloriæ cauſa pinxit, anno V. C. CCCCL. Quæ pictura durauit uſq; ad Claudij principatum, ædẽ exuſta. Plinius libro 35. cap. 4.

A QVO NON ACCIPIVNT, NON EXIGVNT. PVTA A

Tyrannis, Regibus.

☞ *Vide paulo antè, Legati qui non accipiunt.*

PITTACVS pecuniam à Cræſo miſſam recuſauit, reſpondens, ſibi dimidio plus eſſe quàm uellet. Laertius.

Ariſtagoras Mileti tyrannus, cupiens Spartanos ad ſocietatẽ contra Darium inducere, ſumto oleę ramo, ad domũ Cleomenis ſe contulit, eamque ingreſſus iubebat precabundus ad ſe audiendũ mitti illius filiam. Aſſiſtebat enim Cleomeni filia Gorgo, unica proles, eaq; octo aut nouẽ annos nata. Cleomene iubente eum dicere quæ uellet (filiolæ enim gratia nolle prohibere) Ariſtagoras incœpit polliceri illi XI talenta, ſi precibus ſuis annueret. Abnuente Cleomene, ſubinde adiiciendo eò peruenit, ut L talenta polliceretur. Ad quod puella: Pater, inquit, hoſpes te corrũpet, niſi hinc abis. Conſilio puellæ delectatus CLEOMENES, in aliud conclaue abiit: & Ariſtagoras è Sparta protinus diſceſſit. Herodotus libro 5.

CLEOMENES Anaxandridæ F. rex Spartæ, à Maeandrio Samij tyrãno (qui à Perſis pulſus, Lacedæmonem profugerat) pretioſiſſima oblata munera reſpuit, & ne quis ciuitãti illis corrumperetur, Ephoris auctor fuit, ut Maeandrium eodem die è Peloponneſo ablegarent. Herodotus libro 3. & Plutarchus in Laconicis.

Cùm Theſſalorum princeps Iaſon Thebanorum ſocius in urbem ueniſſet, atq; aureorũ duo millia EPAMINONDÆ, cui anguſtiæ erant rei familiaris, miſiſſet: aurum repudiauit, ac Iaſonem contemplatus: Iniquis, inquit, manibus imperas. Ipſe autem drachmis L ab uno ciuium fœnori acceptis, ꝓ expeditionis uiatico, arma Peloponneſo intulit. Alio tempore miſſis ei ab rege Perſarum XXX millibus Daricorum, corripuit Diomedontem aceter, quòd tanti æquoris ad redimendum Epaminondam traieciſſet: atq; regi renunciare iuſſit: Si reipub. Thebanorum conſultum uellet, animum eum habiturum gratis Epaminondam: ſin ſecus, hoſtem. Plut. in Apopht.

Cùm Cyrus ſtipendiũ miſiſſet militibus, CALLIGRATIDI Spartano ſeorſum xenia, amicitiæ monumenta: ſtipendium quidem accepit, xenia uerò remiſit: negãs ſibi cum ipſo pernotam habendam amicitiam: ſed quam haberet publicam cum Lacedæmoniis omnibus, eandem illi ſecum quoq; intercedere. Quid hoc animo incorruptius, qui totus ad rempublicæ commoda ſpectabat? Plut. in Lacon.

PHOCION cùm à rege Philippo inuitera magnæ pecuniæ repudiaret, legatiq; hortarentur acciperet: ſimulq; admonerent, ſi ipſe his facilè careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet in ſumma paupertate, tantã paternam uerè gloriam. His ille: Si mei ſimiles erunt, idem hic (inquit) agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit. Sin diſſimiles ſũt futuri, nolo meis impenſis illorum ali augeriq; luxuriam. Probus in eius uita.

Alexander Magnus amicitię ergò PHOCIONI dono miſit ex Aſia centum talenta. His Athenas deportatis, quæſiuit ex miniſtris eius Phocion, quã de cauſa in multis Athenienſib. tantum munus ſoli ſibi Alexander largiretur? Vbi reſpondẽrunt illi: Quòd te exiſtimet uirum bonum & honeſtum. Ergo ſinat me, inquit Phocion, talis ut & habear & ſim. Qui ut domum eum ſecuti inſignem aduerterunt frugalitatem eius, uxorem pinſentem, & Phocion ipſe hauſta ex puteo aqua pedes lauit: magis ac magis inſtiterunt, ſtomachatique ſunt, turpe allegãtes eſſe regis amicum tam uiuere duriter. Ibi conſpiciens inopem ſenem Phocion in obſoleta læna prætereuntem, rogauit, Num eo ſe arbitraretur deteriorem? Bona uerba, inquiunt illi. Atqui hic, inſit, ex re minore uiuit, & eſt contẽtus. Breui, aut ſi minùs utar, inquit, pecunia hac, ne quicquam tantum auri poſſi debo: aut ſi utar, me ipſum iuxtà atq; illum in calumniam coniicim ad populum. Ita regortata ex Athenis pecunia eſt: oſtenditq; Græcis ille, locupletiorem dante eſſe non indigentem. At cùm Alexander offenſus ſcripſiſſet ad Phocionem iterum, nõ habere ſe pro amicis eos, qui nihil ab ſe uellent accipere: numos Phocion neſcio quidem cepit: poſtulauit autem, ut Echecratidem thorem & Imbrium Athenodorum, præterea Rhodios duos Demaratum & Spartonem, certis de criminibus comprehenſos, & Sardibus uinctos, liberaret. Eos Alexander extemplò ſoluit, Craterumq; in Macedoniam mittens, ex oppidis quatuor Aſiæ, Cio, Gergitho, Mylaſis, Elæa, unum iuſſit, quod eligeret, ut traderet Phocioni: ac multo uehementiùs inſtitit, indignè laturum oſtendens ſe, ni acciperet. Cæterùm nec accepit Phocion, & breui Alexander deceſſit. Plutarchus in Phocione.

Cùm facti bello Athenienſes, præſidium ab Antipatro accepiſſent, Menyllo præſidij præfecto pecuniam ſibi offerenti PHOCION cum ſtomacho reſpondit, Neq; illũ Alexandro præſtantiorem, & deteriorem eſſe cauſam, quare nunc caperet, qui tunc non accepiſſet. Antipater dicebat, Ex amicis duobus, quos haberet Athenis, neque Phocionem iudicere ſe, ut quicquam acciperet, neque Demadem dando explere potuiſſe. Plut. in Apoph. & in Phocione.

Galatarum rex Deiotarus iam grauis annis accuſit M. CATONEM minorem in Aſia peregrinantem, ut liberos ſuos & domum ei commendaret. Quem poſtquàm aduenit, uaria dona ei offerens, inſtanſq; atq; enixè rogans, ut acciperet, adeò exacerbauit, ut ueſperi cùm ueniſſet, & ibi pernoctaſſet, poſtridiè abierit tertia hora. Progreſſus tamẽ unus diei iter, offendit Peſſinunte plura etiam prioribus, quæ ipſum manebant dona. literaſq; regis, quibus orabat eum, ne ea repudiaret: ſin abhorreret, at permitteret ea amicis, qui omninò ipſius cauſa beneficiis forent digni: præſertim, quòd non perinde haberet lautum patrimonium Cato. Vetũm ne his quidem indulſit, quantumuis nonnullos amicos fleſti perciperet & conqueri. Cæterùm nulli nundinationi deſuturum demonſtrauit prætextum: amicos uerò in cenſorium uenturos eorum, quæ honeſtè & iuſtè poſſideret. Itaque dona Deiotaro remiſit. Plut. in eius uita, & Strabo li. 12.

Coniugibus.

Apud ROM. munus capere uiro ab uxore, aut uxori à uiro uetitum fuit: ne muneribus capiendis aſſuetæ, etiam alienos admitterent. Plut. in quæſt. Rom.

Amicis.

Cùm Thebanus Pelopidas tiiris bonis omnibus benefaceret: unum tamen ex amicis EPAMINONDAM, ut in ſortem ueniret ſuarum fortunarum, non induxit. Nam paupertatẽ, quam familiarem acceperat & hæreditariã, philoſophiam colendo, uitamq; à prima ætate inſtituendo cœlibem, expeditiorem etiam atq; leuiorem reddidit. Plut. in Pelopida.

EPHIALTES, Sophronidæ filius, pauperrimus, decem talenta dono data ab amicis non accepit: Hæc, inquiens, me cogerent, aut in ueſtri gratiam turpe quid agere, aut certè ingratiſſimum haberi. Aelianus lib. 11. de Varia hiſtoria.

Hoſtibus.

C. FABRICIVS Lucinus, cùm à Samnitibus, quos uniuerſos in clientela habebat, decem æris & quinq; pondo argenti, totidemq; ſeruos ſibi dono offerri uideret: præſentibus Samnitum legatis manu primùm caput, deinde os, oculos, poſtmodum gulam uentremq; tetigit, ac reſpondit: Dum hæc membra in ſuo uigore eſſent, ſatis ſe pecuniarum habere: neque opus eſſe ut acciperet pecuniam ab iis, qui maximè opus haberent. Plinius lib. 6. de Viris illuſtribus. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Gel. lib. 1. c. 14. & lib. 4. c. 8. & lib. 3. c. 8.

Pyrrhus, Epirotarum rex potentiſſimus, beneuolentiam populi ROMANI, quòniam uirtutẽ debilitare nequiuerat, mercari cupiens pecunia, penè totum regiarum opum apparatum per Cineam Theſſalum Romam miſit. Vetùm cùm & magni precij & uarij generis à legatis eius, tam uirorum quàm fœminarum apta uſui, munera circa domos ferrẽtur, nullius cuiuſquam lanua patuit. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Plut. in Pyrrho. Iuſtinus lib. 18. & Plin. cap. 34. de Viris illuſt. Aelianus in Varia hiſtoria. Romanæ mulieres, uiſis Pyrrhi muneribus, dixerunt: Videre quidem ſe, decere ſe illa, & digna eſſe eo qui miſiſſet Pyrrho, ſed geſtare illa ſibi eſſe nefas. Suid.

CN. Pompeius, uicto Mithridate, cùm rex liberũ lectum, menſam & ſellam ei omnia aurea miſiſſet, precaretúrq; ea ut acciperet: hæc quoq; quæſtoribus, ut referrent in tabulas publicas, tradidit. Plut. in Pompeio.

Priuatis.

DAVID rex noluit accipere gratis ab Arauna Iebuſæo aream, in qua aram Domino conderet, ſed iuſto precio emtam. 2. Regum 24. & 1. Paralip. 21.

XERXES rex diuertens apud Pythium, Atygis F. cum uniuerſo exercitu, profecturus in Græciam, cùm ſibi ab eo dono offerrentur bis mille argenti talenta, auri uerò quadragies cẽtum millia, minus ſeptem millibus, Daricorum numũ: oblata dona accipere noluit: ſed potiùs ne ad iſta quadragies cẽtena millia aliquid deeſſet, ſeptem millia aureorum numũm ex ſuo numerari iuſſit. Sab. lib. 2. En. 3.

Damnatis. A Damnatorum bonis abſtinere.

Cùm Tarquinius Roma pulſus per legatos regno ſe abdicare, & arma poſiturum aſſereret, bona modò & pecuniã repetere ſuã amicorumq; & familiariũ liceret, unde in exilio ſe tolerarent: quamuis L. Bruto plurimum renitente, uicit tamen ea ſententia apud populum ROMANVM, parta libertate, pro qua pugnabant, ne pecuniæ cauſa profunderent pacem, uerùm unà cum tyrannis pecuniam exterminarent. Atqui Tarquinius eam in minimis ponebat, ſed repetitio illa ſpectabat eò, ut ſimul & populum pertentaret, & conſilia ſtrueret proditionis: eamque moliebantur legati, cauſa moræ illa bona prætexentes, dum partim diſtrahere, partim ſeruare, alia auchenda curare ſe iactant: quoad corruperunt duas familias, quæ magna in æſtimatione habebantur, Aquiliorum, in qua tres ſenatores, & Vitelliorum, in qua duo erant, omnes Collatini conſulis ſororum filij. Plutarchus in Valerio.

L. Domitium, Corſinij præfectum, C. IVL. Cæſar à ciuib. deditum, ſtatim ſolui iuſſit. Quin & pecuniæ pondus ingens, Domitij depoſitum, & ab oppidanis oblatum, quamuis & pecunia publica eſſet, & in ſtipendium numerata, Domitio reſtituit, ne ſanguinis, quàm pecuniæ, abſtinentior uideretur. Nihil poſtremò ex ea uictoria, uel prædæ cuiuſpiam, uel ultionis accepit, niſi quòd Domitij milites ſacramento adegit. Io. Gerund. lib. 9. Paralip. Hiſpaniæ.

HADRIANVS Auguſtus damnatorum bona non in priuatum fiſcum, ſed in ærarium publicum referri iuſſit, ut auaritiæ notam & ſuſpicionem fugeret. Pont. cap. 44. de Liberal.

M. Aur. ANTONINVS delationes, quibus fiſcus augeretur, audire contemſit: ne plus ſatis ad rem attẽtus iudicaretur. Ibidem.

AVRELIANVS Auguſtus Heraclemonem occidi paſſus eſt, ueritus ne fidem frangeret, quam pœtiæ non ſeruarat. Eius tamen bona liberis reddidit, ne quis pecuniæ cauſa locupletem hominem occiſum eſſe diceret. Pontanus capite 44. de Liberal.

Victo captoq; ab ALFONSO rege Antonio Caudola Carpenone, cùm uxor & filij & fortunæ omnes Antonij eſſent in poteſtatem regis redactæ, omnes in libertatem pro ſuo more incolumes reſtituit, theſauros uxori dedit: ſibi ex preciosa & diffamata ſupellectile nihil omnino, niſi uitreum poculum aſſumens. Panor. lib. 3. de Alfonſi rebus geſtis.

Colluſoribus.

AVGVSTVS in alea benignè, liberaliter ac iucundè luſſiſſe dicitur, ut nullam habere occaſionem largitatis ſuę maiorem aut commodiorem uideretur. Sic enim in epiſtola eius ad Tiberium Suetonius: Nos, mi Tiberi, Quinquatriis iucundè egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit. Ad ſummam tamen perdidit non multum: ſed ex magnis detrimentis, præter ſpem, paulatim retractus eſt. Ego perdidi uiginti millia nummũm, meo nomine: ſed cùm effuſè in ludo liberalis fuiſſem, ut ſoleo plerunque. Nam ſi quas manus remiſi cuique exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuique donaui, uiciſſem uel L. millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœleſtem gloriam efferet. Suetonius.

RERVM, QVAE NON CAPTANTVR, NON EXIGVNTVR, NON acceptantur. Nempe

DONA, MVNERA.

Arauna Iebusæus, in expugnatione Hierosolymorum, solus à Dauide rege Iudæorum seruatus fuit, propter amicitiam, quæ ei cum Dauide intercedebat. Eo autem tempore, quo pestilentia maxima populum afflixit, propter censum populi inconsulto Domino institutum, genius gladium contra urbem quoque Hierosolymorum uibraturus, in area Araunæ Iebusæi constiterat. Dauid eum conspicatus, ueniam à Domino rogauit: & in ea area aram extruere iussus est à Gado propheta. Arauna gratis eam cum bobus regi obtulit. At DAVID se gratuitas uictimas immolaturum negauit, & argenti siclos quinquaginta ei persoluit. Quo in loco olim Isaac ab Abrahamo patre immolandus fuerat: & templum postea à Solomone fuit constructum. Eam totius populi Aream Dauid nuncupauit. 2. Regum ultimo, & Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 13.

Solomo rex Iudæorum, cùm cedrinam pineamq; materiam ex monte Libano, ab HIRAMO Tyriorum rege liberaliter accepisset: gratitudinis ergò præter triticum, oleum & uinum, quod annuatim misit, ei uiginti oppida in Galilæa donò dedit. Quæ cùm Hiramus uidisset, ei non placuerunt, eaque accipere renuit. Quapropter adhuc hodie terra Chabul, hoc est, displicentiæ appellatur. 3. Regum 9.

PALAMEDES, cùm ei Græci ex uectigali ob amplissima merita pecuniam offerrent, accipere noluit, inquiens: Non capiam: nam & ego uos pauperes fieri iubeo, nec tamen obsequimini. Philostratus.

XENOCRITA Cumæa, cùm eius opera Aristotimus uir, qui Cumas tyrannide premebat, occisus fuisset, uellentq; eam ciues honore commodisq; cumulare, quòd ipsa ob patriæ charitatem, & mariro à quo diligebatur, & principatu se priuasset: præ modestia animi omnibus quæ offerebantur spretis, solum Aristotimi uiri sui corpus ad sepeliendum petiit. Fulgosus lib. 4. cap. 3.

Martio Dentato CVRIO ad focum sedenti, magnū auri pondus Samnites cùm attulissent, repudiati sunt: non enim aurum habere præclarum sibi uideri dixit, sed eis, qui haberēt aurum, imperare. Cic. in Catone. & Plut. in Apopht. Athenæus in X. libro δειπνοσοφιστῶν, ex Megacle addit, Curium tunc, cùm legati uenerunt, rapa coxisse. quare monstratis illis dixisse, se auro non egere, donec huiusce modi aliquo cibo contentus sit. peccat tamen, quòd Sabinos aurum misisse, non Samnitas ait. Victorius lib. 10. Var. lect. cap. 5.

FERDINANDVS, rex Siciliæ & Neapolis, uehemēter laudatus est, quòd populis quibusdam strenam remisisset, antiquis principibus inueterato quodam iure quotannis uendi solitam. Pontanus cap. 4. de Liberal.

MVTVVM.

L. MVMMIVS, capta Corintho, plurima signa, tabulas, statuas secum Romam auexit. Has quidam ædem Fortunæ dedicaturus ornatus causa commodari sibi petiit, eas pòst restituturus. Acceptas deæ unà cum fano dedicauit. Mummius, quamuis de fraude quereretur, religione tamen tactus, liberalitate maiore eas deæ reliquit, quàm alter obtulerit. Strabo libro octauo.

DEBITVM, AES ALIENVM.

Cùm Iudæi è captiuitate Babylonica in patriam rediissent, egeni ab opulentis ære alieno contracto ibi urgebantur, ut omnes suas possessiones illis oppignorare, & filias emancipare cogerentur. Nehemias igitur, Hachaliæ F. qui Iudæos Babylone eduxerat, concione uocata, OPVLENTIS persuasit, ut pietatis ergò nomina omnia cognatis suis remitterent: neue quos ipse, & ante eum Esdras & Zorobabel, è captiuitate Babylonica redemtos in libertatem uindicassent, ipsi iam redemtos emerent. 2. Esdræ 5.

Pecunias despexerunt, animiq; celsitudinem declararunt Corinthij THEOCLES & THRASONIDES, Mitylenę PRAXIS: qui cùm ipsi in amplissimis opibus uersarentur, & uiderent ciues suos penuria laborantes, omne debitum non tantùm ipsis remiserunt, sed hortatores etiam aliis fuerunt, ut paupertatis onus egentibus releuarent. Aelianus libro 14. de Varia historia.

SOLON Salaminius, primus σεισάχθειαν inuexit apud Athenienses, hoc est, corporum possessionumq; redemtionem. ἀπὸ τῆ ἀποσείσασθαι τὸ βάρ@ τῶν δανείων, ab excutiendo onere æris alieni. Plurimi enim propter inopiam nectebātur à fœneratoribus. Solon igitur cùm septem sibi talenta ex patrimonij sui iure deberētur, ea debitoribus remisit, & reliquos ciues suo exēplo ad idem prouocauit. Quo initio usus, ad cæteras quoque leges condendas uiam sibi fecit. Laertius, & Plutarchus in eius uita.

Q. CONSIDIVS, Catilinæ furore ita consternata rep. ut ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ, propter tumultum preciis possessionum diminutis, solui creditoribus possent: cùm centies atq; quinquagies sestertiûm summam in fœnore haberet: neq; de sorte quenquā debitorum suorum, neque de usura appellari à suis passus est: quantumq; in ipso fuit, amaritudinem publicæ confusionis priuata tranquillitate mitigauit: oportunè mirificeq; testatus, se nummorū suorum, non ciuilis sanguinis esse fœneratorem. Val. lib. 4. c. 3.

HADRIANVS Imp. ingentem auri summam, quæ à priuatis debitoribus fisco debebatur, in urbe prouinciisque remisit, syngraphis etiam in foro Traiani patris incēsis, ne unquam ea summa repeti posset. Pont. cap. 19. de Liberalitate.

IVLIANVS Augustus plurimis ciuitatibus debita, longà diuturnitate contracta, cōdonauit: quinetiam sua illis uectigalia restituit. Pont. ibidem.

M. ANTONINVS Imp. remisit id quod fisco ærarióue publico debebatur, ab annis quadraginta, absq; sedecim annis Adriani: iussitq; syngraphas omnes scriptas de iis rebus in foro comburi. Xiphilinus.

PLINIVS Iunior ducenta millia numûm pro accessione precij agrorum contemsit, emtrice Cornelia hoc petente, ut suis ipse uerbis docet ad eandem feminam scribens: Tu quidem (inquit) honestissimè, quòd tam impense & rogas & exigis, ut accipi à te iubeam precium agrorum, non ex DCC millibus, quanti illos à liberto meo, sed ex nongentis, quanti à publicanis partem uigesimam emisti. Inuicem ego & rogo & exigo, ut nō solùm quid te, uerùm etiam quid me deceat, aspicias. Budæus.

Ioannes νηστευτής ob uitæ abstinentiam dictus, episcopus Amasenus, multa talenta ab Imperatore MAVRICIO mutuò sumserat: eiq; dederat syngrapham, in qua hypothecæ loco totam suam substantiam oppignorabat. Moriens nihil præter lectulum ligneum, laneum amiculum & penulam deformem reliquit. Quæ ipsa Imperator libens accepit, & syngrapham discerpsit. Nicephorus lib. 18. cap. 34.

HÆREDITAS. NON ADIRE, Aliis cedere hæreditatem.

Quatenus non aditur, ad λῆψιν: quatenus adita relinquitur, ad φυλακὴν: quatenus alteri relinquitur, ad δόσιν pertinet.

ABRAHAM Aegyptius grandem (iam defessis ætate parentibus) hæreditatem mox aditurus, non expectauit: sed ut nudus discedens, in solitudine sibi cellam constituit. Deinde illis uita defunctis, cùm ad capiendum tantarum opum patrimonium uocaretur: tanti illud fecit, ut loco pedem non efferret. Porrò per procuratorem ita egit, ne quid sibi reliquum foret: sed rebus diuenditis, pecunia omnis mendicantium turbæ, uiduisq; & pupillis diuideretur. Igitur diuitias & cùm non haberet, contemsit: & cùm haberet, ne respexit quidem, sed alteri dilargiendas commisit, maiores diuitias existimans Christi paupertatem. Marul. lib. 1. cap. 1.

L. Pauli Aemilij mortui facultates uix tricenorum septuaginta millium denariorum ferunt fuisse, quarum ambos filios reliquit hæredes. Cæterùm hæreditatem minor SCIPIO, qui in domum locupletiorē adoptatus fuerat Africani, fratri concessit solidam. Plut. in Paulo.

AVGVSTVS, quamuis minimè appeteret hæreditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit: amicorum tamen suprema iudicia morosissimè pensitauit: neq; dolore dissimulato, si parciùs, aut citra honorem uerborū: neq; gaudio, si gratè pieq; quis se prosecutus fuisset. Legata, uel partes hæreditatum, & à quibuscunq; parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere: aut si pupillari ætate essent, die uirilis togæ, uel nuptiarum, cùm incremento restituere consueuerat. Suetonius.

Duæ Herodis regis Iudæorum filiæ uirgines præter relicta sibi à patre, accepēre ex Cæsaris AVGVSTI munificentia ducena quinquagena signati argenti millia, & elocatæ sunt Pheroræ fratris Herodis filiis: imò totum etiam regis legatum mille quingentorum talentorum æstimatione Cæsar cessit ipsius filiis, paucis aliquot uasis sibi retentis, non tam ob precium charis, quàm ob amici memoriam. Iosephus libro 17. cap. 13. Antiq.

DOMITIANVS Imp. relictas sibi hæreditates ab iis quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex testamento Rustcij Cepionis: qui cauerat, ut quotannis ingredientibus curiam Senatoribus, certam summam uiritim præstaret hæres suus, irritum fecit. Suetonius in Cæsaribus.

M. ANTONINVS Pius Imp. cùm institutus à quibusdam hæres testamento esset, ubi cognouit liberos illis esse, repudiauit hæreditatem, licèt absq; ulla reprehensione capere potuisset. Ad paternū patrimonium cùm sorore diuidendum à matre uocatus, uniuersum sorori concessit, auitis tantùm bonis contentus. In imperio quoq; constitutus, nihil magis aut timuit, aut deprecatus est, quàm auaritiæ infamiam, ut deterrimum malum, & imperij labem. Capitolinus.

Lex erat apud Rom. ut socij, qui iure Quiritium donati essent, si eorum liberi in officio non permansissent, quòd scilicet cum Græcis censeri se mallent, bonorum partem aliquam alienis relinquerent: uel si collibitum fuisset, in principis fiscū referrēt. Licere uoluit M. ANTONINVS ipsis etiam filios ex asse hæredes facere: cùm satiùs esse duceret, laudem humanitatis mereri, quàm appositam illam ad pecuniam accumulandam legem seruare. Pausanias in Arcad.

ARSENIVS stirpe senatoria, Honorij principis aulicus, relictam sibi paternam hæreditatem respuit: & uitam agere solitariā cepit, cùm uocem hanc audisset, Fuge, tace, & quiesce. Volaterranus lib. 13. cap. 4. Anthropologiæ.

Apud LEODIENSES lex erat, quæ Manus mortua dicebatur, qua unusquisq; uita defunctus ab episcopi subiectione pignore redimi iubebatur, aut equo aut boue magis præstanti, aut supellectile preciosiori. Eam legem Albero abrogauit, qui circiter annum 1122. ei ecclesiæ præsedit. Catalogus episcoporum Leod.

VECTIGALIA, TRIBVTA, REDItus publici.

NEHEMIAS, Iudeæ præfectus, XII annis sub rege Xerxe, cū decessores eius prætores populum onerauissent, quadragenos argenti siclos panis uiniique nomine assiduè exigendo, ipse uictu prætorio non uixit: sed propriis sumtibus, & CL ex Iudæis magistratibus sua aluit mēsa, ita ut quotidie bos unus, & sex balantes opimæ, præter aues mactarentur. 2. Esdræ 5.

CYRVS primus Persarum rex, tributum nullum à Persis exegit. Ideoq; Pater ab eis appellatus fuit, quòd omni ratione de subditis benè mereri studeret. Herod. lib. 3.

Apud Persas qui REX creatus est, omnibus ciuitatibus tributum, quod debebant, remittit. Herod. lib. 6.

P. VAL. Poplicola orphanis & uiduis tributum lubens remisit. Plutarchus in eius uita.

C. IVL. Cæsar, uicto Pompeio, cunctis Asiam incolentibus remisit tertiam tributi partem. Plut. in Cæsare.

TIBERIVS Cæsar centesimam rerum uenalium, in ducentesimam partem relaxasse dicitur. Publicanis quibusdam & præsidibus prouinciarum augenda esse uectigalia dicentibus, respondit: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Suetonius.

NERO Imp. initio sui principatus, ut gratiam popularem aucuparetur, quintam & uigesimam uenalium mancipiorum remisisse dicitur. Suetonius.

IDEM aliquando animum induxit, omni genere uectigalis ademto, pulcerrimo munere mortaliū genus donare. Quam eius uoluntatē, licèt ex liberalitatis fonte deriuatam intelligerent, publicæ tamen utilitati obesse quamplurimum putabant. Suetonius.

VITELLIVS, Syriæ præfectus sub Tiberio, peruenit Hierosolyma, in ipsa festiuitate Paschatis: ubi exceptus honorificentissimè, remisit ciuibus totum uectigal fructuum uenalium: & stolam cum ornatu pontificio permisit in templo asseruari à sacerdotibus, quæ priùs in Antonia arce à Rom. præsidibus seruabatur. Iosephus lib. 18. cap. 6.

M. ANTONINVS, exhausto ob bellum Marcomannicum ærario, quòd nollet prouinciales extraordinario tributo grauari: auctione augustalium ornamentorum in foro diui Hadriani facta, etiam pocula crystallina, quæq; in deliciis habebat, uendidit. Pontanus cap. 44. de Liberal.

Elegantissimum est illud, quod in Iuliano Sextus Aurelius prodidit: TRAIANVM exactiones improbantem detestantemq; solitum dicere, Fiscum esse ueluti lienem, quòd eo excrescente, artus reliqui contabescerent. Cælius libro 4. capite 18. Antiquarum Lect.

CONSTANTIVS Chlorus Imp. amicis admonētibus, quòd in augendo fisco uideretur indiligentior: respondit, Publicas opes rectiùs à priuatis haberi, quàm intra unum claustrum reseruari. Bonus princeps, qui magis à suis diligitur, quàm timetur, habet quicquid ciues possident. Eras. lib. 8. Apophthegmatum.

CONSTANTINVS Magnus in omnibus Imperij sui locis census publicos diminuit, & quartam eorum partem agrorum dominis remisit. Eusebius lib. 4. in eius uita.

Pauperibus parcēs BASILIVS, Romani III. Imp. F. publicū tributum solitus erat non ad diem dictum exigere, sed dilationem aliquam concedere. quo factum est, ut eo moriente duorum annorum tributum deberetur. Non id modò, sed & trium insequentium (tot enim imperauit) annorum tributum exegit Constantinus, Basilij frater. Quare non egeni tantùm, sed & opulenti attriti sunt, triennio quinque annorum pendere coacti tributum. Cedrenus.

ANASTASIVS Dicorus Imp. tributum Chrysargyrum aboleuit. Id tale fuit: Quiuis mendicus, quæuis meretrix, quęuis repudiata, quiuis seruus, quiuis libertus, ærario aliquid pendebant: atq; etiam de mulo, de fimo, de iumentis & canib. in urbe & rure degentibus. Homo siue mas esset, siue femina, numum argenteum pendebat: tantundem equus, bos & mulus: asinus autem & canis obolos sex. Et erat cùm in agris, tum in urbe magnus eiulatus, cùm id tributum absq; ulla miseratione exigeretur. Huius tributi tabulas descriptionem continentes in Circo coram toto populo Anastasius concremauit. Cedrenus & Euagrius lib. 3. cap 39.

VENETI Imperatori Romano pannum aureum tributi loco debebant quotannis. At ab OTHONE III. Imp. Veneto nomini in perpetuum remissus fuit, cùm is ignoto habitu Venetias exoluendi uoti causa uenisset, benigneq; à Petro Vrseolo principe, hospitio exceptus esset. Sabellicus libro 2. Enneadis 9.

STEPHANVS Anglorum regno potitus, ut suorum animos sibi deuinciret, illud tributi genus, quod alij reges per singula iugera terræ sæpè exigere à populo solebant, prorsus sustulit: atq; promisit se curaturum, ut deinceps episcopatus & aliæ præfecturæ sacerdotales, ne puncto quidem temporis uacarent: nec recepturum alienas syluas, licèt priuati homines in illis uenati fuissent. Polyd. lib. 12.

Rex Danię CHRISTIERNVS, ab urbe Roma domum reuersus, an. sal. 1474. exemplo regionum, quas peregrinatus uiderat, per Italiam perque superiorem Alemaniam, suā quoque prouinciam instituit. Incolæ urbium mercatores Germani prætendebant priuilegia iam olim indulta: literasq; in eam partem ostendebāt: promissionem etiam regis præferentes, quòd nullis nouis ab illo uectigalibus in futurum tempus grauarētur. Cessit tandem princeps humanissimus, & qui præter profusionem non haberet quod in eo carperetur. Cranzius lib. 13. Vandaliæ, cap. 14.

LVDOVICVS XII. Francorum rex, nullis negotiis aut belli necessitatibus, quæ in Italia plurimæ obtigerunt, adduci potuit, ut uectigalia suis ciuibus augeret: ad extremum tamen intra fines à uicinis bello lacessitus, coactus est aliquanto maiora tributa exigere. Auctor Chronici.

EVGENIVS IV. Romæ ad sanctum Petrum iturus paratis de more supplicationibus, pontificio habitu per urbem incedens, tumultuantem populum intellexit ob duplicatum tributum uectigalq; nouum uino impositum. Hanc ob rem facto silentio, audientibus omnibus, exactionem illam ut minùs liberalem sustulit. Quo facto, statim succlamatū ab omnibus est, Viuat Eugenius. cùm antea clamassent, Moriantur noua uectigalia, eorumq; inuentores. Platina.

Imperator MAXIMILIANVS I. cùm ordines Imperij pro conseruanda salute Imperij deberent illi quingenta millia aureorum contribuere, ibi uix dimidium accepit. Nihilominus, ut ipse Germaniam in pace retineret, ex suis opibus plus quàm centies centena millia aureorum expendit. Eius rei rationem reddidit Constantiæ in comitiis, anno Christi 1507. Hedio in Chronico Germ.

AVXILIVM CONTRA HOSTES.

Libro primo generaliter locum tractauimus, Auxilium contra hostes liberaliter repudiatum. Heic solius δόσεως rationem habemus.

Cùm VENETI à Ludouico XII. Gallorū rege, Maximiliano I Imp. Iulio II. Pp. & Ferdinādo Hispanię rege toto cōtinentis imperio exuti essēnt: omnibus illorum fortunæ insultantibus, uni omnium Turcæ, pacis paulo antè confectæ memores, non modò fidem seruarunt, uerùm auxilia in id bellum amicè studioseq; obtulerunt. Sed barbaro regi, quòd fidē pacemq; egregiè tueretur, gratias egēre Veneti, quum huiusmodi auxiliis uti, nequaquam è republica esse, censuissent. Iouius lib. 9. & Guicciardinus lib. 8.

AGER HOSTILIS.

Scripserat ad BOLESLAVM II. Boēmorum regem, qui Cracouiam occupauerat, dux Crasota, si maiora sibi auxilia è Boēmia submitterentur, confidere se ultra acquisitos Cracouiæ limites, aliquid præterea finiū adiicere posse. Rescripsit paucis: Christianum esse, quod adest boni consulere, alienis abstinere. Tu igitur rectè feceris, si parta tueberis, alienam messem non messueris. Nos te neq; subsidio, neq; annona, quoties usus uenerit, egere sinemus. Dubrau. lib. 6.

PRÆDA, MANVBIÆ, SPOLIA.

ABRAMVS quinque regulos, qui Baram Sodomæ regem prælio uicerant, noctu cum suis seruis aggressus, cæcidit, & prædam omnem recepit. Sodomorum regi homines omnes, quos receperat, reddidit, præter uictum duntaxat iuuenum nil petens. Genes. 14.

Miltiades Datin Persam in Marathone fuderat. Reliquis ad urbium defensionem properantibus, in Marathone ARISTIDES cum tribu sua relictus, captiuorum & prædæ custos: cùm in tentoriis & nauibus captis auri & argenti esset affluentia, magna copia omnis generis uestis & opimæ prædæ, nec ipse concupiuit eam attingere, nec alium permisit: præterquàm si qui eo inscio quid surriperent. Plutarchus in Aristide.

THEMISTOCLES ad Salaminem cadauera in litore eiecta inspiciens, ubi exornata uidit armillis aureis & torquibus, ipsa præteriit, sed comitanti ostendit ea, dixitq; amico: Tolle ea tibi: neq; enim tu Themistocles es. Plut. in Themistocle, & in Præcept. polit. & Aelianus lib.13.

Cùm frumentum ex Hispania abundè Fabius Proprætor misisset, suasit C. GRACCHVS Senatui, ut distracto frumēto remitteret ciuitatibus precium: Fabiumq; insuper castigaret, quòd inuidiosum & intolerandum redderet prouincialibus imperium. Quæ res ei in prouinciis magnam parauit cum beneuolentia laudem. Plut. in Caio.

Q. FABIVS Max. Tarentinæ euersor urbis, à simulacrorū deprædatione abstinuisse laudatur. Nam cùm ei scriba suggessisset, quid de signis deorum, quæ multa capta fuerant, fieri iuberet, continentiam suam etiam iocando condiuit: quæsiuit enim, Cuiusnodi essent? & cùm ei non solùm multa grandia, uerumetiam renunciarentur armata: Relinquamus ergo, inquit, Tarentinis deos iratos. August. lib.1. de Ciuitate Dei, cap.6.

Populi ROMANI abstinentia mirifica fuit in illa procella, quam C. Marius & L. Cinna reipub. inflixerant. Nam cùm à se proscriptorum penates uulgi manibus diripiendos permisissent: nemo inueniri potuit, qui ciuili luctu prædam peteret. Plut. in Mario & Sylla. Val. Max. lib.4. cap.3. Appianus lib.1. Bellorum ciuilium, & Lucanus lib.2.

AVGVSTVS, Alexandria capta, nihil sibi preter unum myrrhinum calicem ex instrumento regio retinuit, & mox uasa aurea assiduissimi usus conflauit omnia. Suetonius.

PROBVS Augustus ex plurimis uictoriis præter tela & arma nihil sibi è præda retinuit. Pont. de Liberal. cap.11.

Roma ab Alarico capta, cùm GOTHVS quidam uirginē consecratam ætate prouectam in transitu reperisset, eam modestè admonuit, ut si quid apud se auri argentiq; haberet, sponte exhiberet. Illa fideli conscientia, quod habuit, reuelauit. Cumq; ille uasorum formam & pulcritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, uirgo ait: Hec uasa mihi de sacrario beati Petri Apostoli sunt commissa. tāge, si audes: ego sacra non audeo tibi dare. Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc Regi nūnciauit. Is confestim reportari omnia ad sacrarium sancti Petri curauit, dicens: Cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Iesu Christi. Rediit igitur uirgo reuerentissimis officiis honorata, redeirunt & cum illa omnes qui ei se sociauerāt, super capita sua uasa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Concurrerunt undiq; ad uoces canentium de latibulis agmina Christiana: concurrerunt & pagani Christianis admixti, & dum seruos Christi se esse fingerent, calamitatis excidium euaserunt. Rodericus Toletanus libro 2. rerum Hispan. cap.5.

CAROLVS Zenus, Petri F. bello Genuensi uastata magna ex parte omni Liguriæ ora, & naui Genuensium cognomento Bichinionia, quæ ea tempestate celeberrima atq; inuictissima credebatur, expugnata: ducentorum & amplius milliū aureorum prædam in ærarium retulit. Post multa alia præclarè gesta opes tantæ taleiq;, summi alioqui ciuis, extitere, ut uix hæredem inuenerint. Egnat. lib.6. cap.3. & 8.

MAXIMILIANVS I. Cæsar, contra Vladislaum regem Hungariæ profectus an.1490. Albām regalem dedit militi in prædam: excepto tamen templo, in quo reges Hungariæ coronantur & sepeliuntur. Expugnata & crudeliter direpta Alba fuit: iamque miles edicti immemor, templo etiam admouere manus ceperat, cùm Maximilianus magna ui turbam à templo remouit. Templum ingressus, donis & monumentis gemmeis, aureis, argenteis refertissimum, nihil ex tantis copiis extulit, præterquam unicam crucem auream, perparuam, quæ maiorum suorum principum Austriæ fuisse dicebatur. Budam exercitum ab Alba deducenti, Vladislaus copias longè maiores obiecit: consertoq; prælio, uictoriā de regno Vladislao concessit. Dubrauius lib.31.

HELVETII triplici agmine dimicantes, sesquihorę spacio & memorabile prælium & grauissimum bellum confecerunt, uictis Gallis & Germanis ad Nouariam. Nec tamen uel tanta hostium strage edita, ad prædam discursum est, quanquā preciosa supellex ducum, & cuncta opulenti exercitus impedimenta multorum animos allicerent. Viri enim patriæ disciplinæ memores, quòd neminem armatum in acie uiuum capere, nec uertentem terga insequi liceret: medio in campo confertis ordinibus in multam diem immoti constiterunt, ne Galli equites, aut ducum astu aut suo pudore concitati regrederentur, & spoliandis cadaueribus occupatos opprimerent. Iouius.

GERMANI in pugna Papiensi Caroli V. Cæsaris stipendia facientes, extra ordinem nullum sunt persequuti, & ad extremum pugnæ exitum immoti & erecti in omnem casum, in acie perstitērunt: quando seuera & maximè nobili disciplinæ lege, donec debellatum foret, extra aciem progredi, hostem capere, & quæ alij auidè raperent spolia, lege uetaretur. Ob id constat, neminem ferè illustrem captiuum & exiguam admodum prædam ad Germanos peruenisse. Iouius in Piscario lib.6.

NAVLVM.

Hilarion Eremita in Siciliam nauigās cum discipulo suo Zanano, nec aliud habens quod pro mercede VECTORI daret, euangelium manu sua olim exaratum cepit offerre. Sed qui accipere rogabatur, cùm nihil eos habere cerneret præter codicem illum, & ea quibus tecti erant, oblatum recusauit. Marulus libro primo, capite octauo, & Sabellicus lib.8. cap.8. ex D. Hieronymo.

LYTRVM.

☞ *Vide sub Tit. Liberalitatis erga captiuos, Lytrum remissum, non exactum.*

P. Clodius Pulcer in PIRATAS Cilices incidens, imperatos sibi redemtionis precio, misit ad Ptolemæum Cypri regem, orans, ut se redimeret. Rex quidem precium misit, sed perexiguum: adeò ut piratæ id accipere erubescerent: quare pecuniam regi remiserunt, P. Clodio sine precio dimisso. Strabo lib.14.

SALADINVS Aegyptius, captis Hierosolymis, quū passim illi feminarum uulgus & matronarum comitatus occurreret, quæ & maritos suos in acie interfectos deflerent, & supplices peterent, ne pactam pro redemtione sua pecuniam, quæ illis nulla superesset, exigere uellet: benignè adseuocatas, numerata singulis pecunia, uariisq; muneribus ornatas, ultrò dimisit: datis etiam ducibus, qui eas, quocunque abire uellent, tutò deducerent. Egnat. & Fulg. lib.5. cap.1.

ALPHONSVS Aragonum rex, Ludouico Podio (quo propter eius singularem diligentiam ac fidem perpetuo fecit oratore in Italia usus est) renunciāte, pro pace, quam Venetis & Florentinis daturus esset, plus quàm ducēta millia aureorum extorqueri posse: respondit, Pacem dare se, non uendere solitum esse. Panor. lib.3. de Reb. gestis Alphonsi.

HOSPITIVM.

CATO minor, cùm in animo haberet priùs, quàm ad remp. accederet, peragrare & uisere Asiam, moresq; & instituta atque uires cuiusq; prouinciæ contemplari: simul Deiotaro Galatarum regi ob ius hospitij & amicitiam paternam, ut inuiseret se, oranti, non abnuere: hoc modo instituit iter suum. Præmittebat lucis principio, quò diuertere intenderat, pistorem & coquum. Illi perquàm modestè & sedatè oppidum ingressi, si nullum ibi amicum paternum aut notum haberet, parabant ei in diuersorio publico cibum, neque erant ulli importuni: si diuersorium non esset, tum demùm magistratibus aditis hospitium accipiebant, contenti attributo. Sæpè his pro uanis habitis despectisq;, quia non exigebant hoc à magistratibus strepitu uel minis, superueniebat Cato, nulla dum re parata. Magis autem ipse cōtemnebatur, ubi fuit conspectus, præbebatq; super sarcinas tacitus sedens imaginem hominis abiecti & trepidi. Veruntamen accersitis aliquando magistratibus dicere solebat: Deponite, improbi homines, hanc inhospitalitatem: non omnes ad uos uenient Catones. Comitate licentiam eorū refrænate, qui occasionem quærunt, ui ut capiant, quasi non impetrent à uolentibus. Plut. in Catone.

XENIVM.

GVLIELMVS, plebanus in Catzenhusen, cū Imperatorē Ludouicū uel Cōradum, qui ceruum in uenatione insecutus, in dēsissima sylua, locorum ignarus, in multam noctē oberrarat, hospitio benignè accepisset: iussus ab hospite splendido aliquid petere, corrigiam de ceruina pelle, qua cinguli loco uti posset, sibi dari petiit. Breui interiecto temporis spacio, Bertoldo Monasterieñ episcopo apud Vestphalos mortuo, Imp. hunc substituit, ordine VI. Cranzius in Metropol. libro 2. capite 20.

THESAVRI INVENTI NEGLECTI.

BOEOTVS ampliùs septuaginta annos natus, cùm in thesaurum incidisset: sublato crure contemsit, & præteriit, quasi iam nihil ad se pertinentem. Ex Phauorini Commentariis recitat Stobæus, Serm.12.

Persarum & penè totiùs Oriētis rex TAMBERLANES, quodam tempore cùm iter per Syriam faceret, obtulit se ei arator, qui tunc in ingens uas aureæ monetæ arando impegerat. Cùm autem omnes qui cum rege erant, regis aurum illud esse dicerent) quoniam inuenti, qui occultantur, thesauri, fisci putātur) iussit rex agricolam ad se monetam deferre, qui iam omni spe retinendi inuenti auri deciderat. Inspecta moneta rex, ab astantib. petiit, Putaréntne ne patris sui imaginem esse, quam pecunia impressam habebat? Cui cùm respōdissent, Romanorum principum effigiem esse: rex dixit: Si ergo hæc pecunia maiorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem deus eam detulit. Abstinentia profectò singularis, & quæ in permultis principū nostrorū optanda sit. Neq; enim contenti sunt, inuentos sibi rapere thesauros: uerùm quotidie illa quoq; rapiunt, quæ priuatorum multo labore ac sanguine parta, ad coniuges liberósque eorum alendos necessaria sunt. Fulg. lib.4. cap.3.

QVÆSTVS TVRPIS, INHONESTVS, sordidus repudiatus.

☞ *Aristoteles in primo Politicorum* κτητικὴν *œconomicam, etiam uiris bonis permissam scribit:* χρηματιστικὴν *uerò omnem, tum eam præsertim, quæ Fœneratio dicitur, reprehendit & uituperat. Hanc nos hoc in loco Inhonestam rationem acquirendarum opum uocamus.*

Ex Mercimoniis. Mercaturæ sordidæ odium.

☞ *Non heic Artis, sed Auaritiæ, quæ artem comitatur, rationem habemus.*

THEBANI Aegyptij iuxta legem patriam neminem ad magistratum & publica munera admittebant, nisi priùs à mercimoniis destitisset annos decem. adeò exosa apud illos fuit auaritia, & nimium lucri studium. Alex. lib.4. cap.6.

LYCIOS historiæ tradunt ciuiliter adeò & continenter uixisse, ut quum feliciter in Italiam usq; mari quandoque dominarentur: tamen nullo turpi lucro unquàm se extulerint, iuxta patriæ morem in Lyciaci conuentus administratione permanentes. Erant autem uiginti & tres urbes, quæ suffragiorum erant participes. Ex quaque ciuitate in commune collegium conueniebant, id statuentes, quod maxima pars comprobasset. Maximarum ciuitatum unaquæque ferre poterat suffragia tria, mediæ duo, cæteræ unum. Cælius lib.29. cap.20. A.L.

THEOPHILO imperante Constātinopoli, appulit aliquando ad Regiæ portum nauis oneraria, pondere sarcinarum grauis, eoq; usque ad extremum uinculum demersa. Imperator supernè prospectans, nauemq; admiratus, per pedissequum, cuius ea sit, percontatur. Vt Augustæ esse cognouit, recèns à mercatura reductam, quā ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent: Si quid sarcinarum in naui haberent, id statim efferre iussit, & nihil quod ad Augustam pertineret, attingere. Quo facto, pulsis inde nautis, Græco igni iniecto, nauim cum ipsis sarcinis cremauit, Imperatricem maledictis insectatus. Nam cùm me Deus (inquit) Imperatorem designarit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem, mercaturam priuatis hominibus esse concessam, ut ea tolerandæ uitæ occasionem habeāt. Quòd si nos præter Imperij opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undénam subditi uictū cōparabūt? Zonaras tomo 3.

Ex Emtione.

Non fraudandus magnitudine hac quoque sua CN. POMPEIVS, qui nunquam agrum mercatus est conterminum. Plinius lib.18. cap.6.

Ex Fœnore.

☞ *Consule Tit. Creditum sine fœnore.*

Dono fœneratorio.

MARTIALIS lib.V. Epigram. nihil sese Quinctiano donare scribit, ne donum grandius captasse uideretur.

Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

FINIS. CVR NON EXIGANT, non captent. CAVSA

ROBORIS CONSERVANDI.

Thasij, prouinciam suam peragranti AGESILAO Spartanorum regi cum exercitu, farinam, anseres, bellaria, dulciaria, dapesque multiuarias & exquisita poculenta misere. Ille uerò accepta modò farina, reliqua eos, qui apportauerant, reportare iussit, ut sibi nihil utilia. Precantibus & instantibus illis, ut omnino caperet, iussit Ilotis præberi. Causam sciscitantibus: Virtutem, ait, meditantibus non conuenire eiusce modi gulæ iritamenta admittere. Illecebras enim mancipiorum ab ingenuis esse alienas. Plut. in Apoph.

FORTITVDINIS IN ADVERSIS ostendendæ.

Senatus populusq; ROMANVS, longo ac graui Hannibalis bello exhaustus, contra Antiochum Syriæ atq; Asiæ regem sumere arma coactus est. Itaq; cùm Aegypti rex Ptolemęus, præter magnam uim frumenti, mille auri, atque totidem argenti pondo ei offerret: Philippus quoq; Macedonum rex, milites auxiliares, pecuniam & frumenta: Senatus populusq; Romanus uerbis grauissimis cùm gratias egisset, nulla re accepta à Philippo, hoc solùm accepturum se dixit, ut Romanis ducibus aduersus Antiochum eam opem, quæ ipsi uideretur, ferret, ubi re aliqua eis opus esse contingeret. Masinissæ quoq; regis oratoribus, qui quingenta frumenti modiorū millia, ducenta ac quinquaginta hordei, præterea equos quingentos, elephantosq; uiginti offerebant: responsum fuit, Senatum populumq; Rom. frumentum duntaxat uenale accepturum. At Carthaginensium legatis, post eos de quibus dictum est, cùm ingentes commeatus classemq; offerrent, atq; insuper tributum multorum annorum, qui nondum elapsi erant, dici iusserunt: Nihil Senatum ac populum Romanum à Carthaginensibus, nisi quod pacto tenerentur, uelle. Fulg. lib.4. cap.3.

Bello Punico secundo, cùm res ROM. uehementer accisæ essent, à legatis Neapolitanis quadraginta aureæ pateræ magni ponderis sunt Romam allatæ, atq; ita uerba facta, ut dicerent magnitudine belli, quod in præsentia gereretur, ærarium Pop. Rom. in dies magis exhauriri: æquum proinde Neapolitanos censuisse, quando pro urbibus & agris sociorum, pro capite & arce Italiæ urbe Roma bellum gereretur, si quod auri sibi à maioribus ad fortunę subsidium esset relictum, eo Pop. Rom. iuuarent. Gratum sibi patres & omne Romanū nomen facturum, si omnes Neapolitanorum fortunas suas ducerent, dignosq; iudicarent, à quibus præsens donum, eo animo, quo daretur, acciperent. Legatis gratiæ actæ, pateraq; minimi ponderis accepta est. Legati ex Pesto pateras aureas Romam attulerunt: his, ut Neapolitanis responsum, nec aurum acceptum. Sab. lib.1 Ennead.5.

Cùm eo bello, quod aduersus Pyrrhū gerebatur, Carthaginēses centum ac triginta nauium classem in presidiū ROMANIS Hostiam ultrò misissent: Senatui placuit, legatos eorū ad ducem ire, qui dicerent, populum Romanum bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reducerent. Val. Max. lib.3. cap.7.

Anno Salutis 1258. cùm in Syria propter priuatas contētiones, [redacted] LXM. Traianus uerò III thoracibus [redacted] nia seruare ipsum iussit. Suidas.

ALEXANDRVM Macedoniæ principem, & Orientis debellatorem tradit historia, dum orbis terrarum affectaret imperium, ingenti animo Persarum regi Dario indixisse bellum. Quo tempore is audaciam iuuenis reformidans, simulque uirtutem admiratus, quibuscunq; modis incūbens exitium euadere moliebatur: missisq; ad hostem legatis, primùm auri uim magnam illi obtulit, alia item eximia: quod uerò potissimum, Asiæ imperium portionibus æquis cum eo se diuisurum repromisit. Ea quum forent audita Parmenioni, inter Alexandri amicos præpotenti: Accepissem (inquit) si Alexander essem. Et ego per Iouem (inquit) si Parmenio forem. Iussit uerò legatos Dario renunciare: Neq; mundum soles duos, neq; duo summa regna, saluo terrarū statu, posse concoquere. Plut. in Apoph.

A Constantio Imp. an.359. missis per Illyricum, Italiam, Africā, Hispanias Galliasq; magistris officialibus, acciti aut coacti quadringenti & ampliùs Occidentales episcopi, Ariminum conuenere. Quibus omnibus annonas & cellaria præberi iussit. Sed id AQVITANI, GALLI ac BRITANNI indecorum putantes, repudiatis fiscalibus, priuatis sumtibus uiuere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia, inopia proprij, publico usi sunt, cùm oblatam à cæteris collationem repudiassent, præstareq; putantes, fiscum grauare, quàm singulos. Sigonius lib.6. Imp. occid. ex Seuero.

RELIGIONIS. NON ACCIPERE EA quæ offeruntur, causa

Idololatriæ, Apostasiæ, Hæreseos.

Præfectus Cæsareæ sancto BASILIO blandiens, suadebat, ut in gratiam Imperatoris Iuliani, fidem negaret: promittens ei imperatoriam amicitiam & opes. Cui Basilius: Hæc mihi homini Christiano, inquit, non conueniunt: sed adolescentibus, & illorum similibus, qui talia promissa respiciunt. Tripartita historia lib.7. cap.36.

HORMISDA martyr Persa, cùm uestimentis quibusdam donatus à Varane Persarum rege esset, qui eum beneficiis uin-

cere conabatur, excandescens, tunicam conscissam abiecit, & uoce magna exclamauit: Si huius, inquit, gratia me religionem longè optimam mutaturũ putas, en munus tuum unà cum impietate habe. Rex tam forti illum animo esse cernens, nudum regia exegit. Niceph.lib.14.cap.20.

Gratiæ spiritualis uendendæ.

PETRVS & IOANNES Apostoli missi Samariam, baptizatis imponebant manus, iisque dabant Spiritum sanctum. Tunc Simon magus & ipse baptizatus, sed magis ad auaritiam, quàm ad fidẽ corde conuerso, pecuniam Apostolis offerre cepit: ab eis petens, ut simili euentu, quibus ipse manum imposuisset, Spiritum sanctum acciperent. meruitque audire: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. Marul.lib.1.cap.7.

Dignitatis sacræ consequendæ.

LVDOVICVM Pium Imp. nemo muneribus corrumpere potuit, neque quisquam ab eo ecclesiasticam aut politicam dignitatem assecutus est pecunia. Regino lib.2.

Mortuo Remigio Biturigum episcopo, cùm multi GVNTHRANNO regi munera offerrẽt ad episcopatum acquirendum, respondit: Non est principatus nostri consuetudo, sacerdotium uenundare precio: sed nec uestrum, eum præmiis comparare. ne & nos turpis lucri infamia notemur, & uos Simoni mago comparemini. sed iuxta Dei præscientiam Sulpitius nobis erit episcopus. Gregor. Turonensis libro 6. capite 39.

NICOLAVS V. auaritiæ adeò expers fuit, ut neq; officium ullum uendiderit unquam, neq; beneficium simoniaca prauitate ductus ulli collocauerit. Platina.

LEO X.Pp. sacerdotium nullum unquam uenale proposuit, [redacted]

ADRIANVS VI. pontifex noua officia super ordinariis Romanæ sedis prouentibus à Leone X. instituta, ex quib. precio datis, plurimum quæstus fisco accesserat, paulatim aboleuit: & quotquot eius generis deinde uacassent, nulli precio dedit, etiamsi ipse id temporis grauiter re numaria laboraret. Sciebat quippe, quantum illa sedi Apostolicę onerosa essent, & sic data amplissimam passim materiã offendiculis & obtrectationibus præberent. Abrogabat quoq; ea nonnullis, qui gratis nacti fuerant, ratus satis ei esse debere, ꝙ inde annis plurimis sine ullo sumtu onereq; commoda non exigua accepissent. Damna tamẽ illa ademtorũ officiorum, censu sacerdotiorũ pensaturum se pollicebatur. Indulgentias, quas uocant, parciùs longè quàm antecessores concedebat, propterea quòd profusiore largitione ad uilitatẽ contemtumq; apud plebem recidissent. Adde ꝙ reseruas, accessus, regressus, coadiutorias, præsertim concessas sine assensu eorum, quorum erant sacerdotia, & id genus alia, Romani aucupij nescio quo nomine appellata retia, quę facilitate Leonis I. supra modũ propagata erant, magna ex parte sustulit: præsertim ꝙ ea uia plurimi probrosi ineptiq; ad opima sacerdotia obreperent, qui pecuniã haberẽt, qua nihil nõ parare est maximè Romæ, probi literatiq;, qui hãc nõ haberẽt, ab eis excluderẽtur. Auctor uitæ eius, & Iouius.

FIDEI. NON ACCIPERE EA QVÆ OFFERVNTVR CAVSA

Oraculi ementiti.

Lysander cùm clàm iniisset consilia, reges Lacedæmoniorum tollere: & sentiret id sine deorum ope facere non posse, ꝙ Lacedæmonij omnia ad oracula referre consueuerant: primùm DELPHICAM uatem corrũpere est conatus. Cùm id non potuisset, DODONAM adortus est. Hinc quoque repulsus, dixit se uota suscepisse, quæ Ioui Hammoni soluere, existimans se Afros faciliùs corrupturum. Hac spe cùm profectus esset in Africam, multi eum ANTISTITES Iouis fefellerunt: nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarunt, quòd sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Probus in Lysandro.

Pacis iniustæ.

Fuso in Lydia Tisapherne, Tithraustes regis præfectus, Sardeis cum AGESILAO rege Spartano egit, ut pacto fœdere remearet domũ: misitq; eam in rem legatos, pecuniam qui ei offerrent. Verùm respondit ille, pacis penes ciuitatem suam arbitrium esse: se uerò malle milites ditare, quã ipsum ditescere: & haberi alioqui præclarũ apud Græcos, nõ dona, sed manubias referre ab hostib. Quo Tithrausti tamen indulgeret, in Phrygiam inde signa mouit, uiatico accepto ab eo triginta talentorum. Plut. in Agesilao, & in Apoph.

Cædis iniquæ.

CALLICRATIDAS nauarchus, amicis postulantibus Lysandri, largiretur ipsis unum certum ex inimicis suis interficiendum, daturos ei se quinquaginta talenta: ille, quamuis in magna rei numariæ difficultate foret ad commeatum nautis expediendum, haud annuit tamen. Ibi consiliarius eius Cleander: Ego uerò, inquit, si tu essem, acciperem: Sanè ego quoq;, inquit ille, tu si essem. Plut. in Apoph.

Societatis iniustæ.

Cùm tyrannus Sami, incursionis Persarum metu, Mæander Spartam profugisset: ostendissetque CLEOMENI, quantam argenti uim secum adduxisset: quantumque liberet, ei obtulisset: nihil cepit: cæterùm solicitus, ne aliis ciuibus largiretur, profectus ad Ephoros, è rep. esse ait, ut hospes suus Samius ex Peloponneso discederet, ne peruerteret quempiam ex ciuibus. Qui ei auscultantes, edixerunt Meandro, ut eodem die de finibus suis excederet. Plutarchus in Apophthegmatibus.

ALÇAMENEM Telecri filium Spartanum quum quidam interrogasset, Cur munera à Messeniis oblata non accepisset? respondit: Quoniam si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem. Plut. in Laconicis.

Diomedõ, Cyzicenus rogatu Artaxerxis, EPAMINONDAM pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas uenit, & Michitum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit uoluntatem, quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Michitus Epaminondam conuenit, & causam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram: Nihil, inquit, opus pecunia est. Nam si ea rex uult, quæ Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atq; argenti satis: namque orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ charitate. Tu qui me incognitum tentasti, tuiq; similem existimasti, non miror, tibiq; ignosco. Sed egredere properè, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu Michite argentum huic redde: aut nisi id confestim facis, ego te tradã magistratui. Hunc Diomedon cùm rogaret, ut tutò exire, suaque, quæ attulisset, liceret efferre: Istud, inquit, faciam: neq; tua causa, sed mea: ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me ereptum peruenisse, quod delatum accipere noluissem. A quo cùm quæsisset, quò se duci uellet? & ille Athenas diceret: præsidium dedit, ut tutò perueniret. Probus in Epaminonda.

IDEM, cùm legati uenirent ferentes munera animo corrumpendi, ad prandium eos uenire iussit priùs, ut in eodem causam aduentus explicarent. Apposita est mensa uilis, bibebantq; uinum acidum. Subridens igitur Epaminondas, ad legatos ait: Abite, & domino uestro mea prandia narrate: quibus me contentum, non facilè suis muneribus ad proditionem alliciet. Stobæus Serm. de Prudentia.

Legatus Antiochi Heraclides Byzantius missus ad L.Scipionẽ Cos. ut de pace ageret, cum publicè expositis mandatis æquas conditiones impetrare non potuisset: priuatim, sicut præceptum erat, P.SCIPIONEM Aphricanũ adiisse traditur, qui fratri comes additus erat expeditionis, ac multis modis tentasse animum uiri, ut in regis desiderium traheret. Nam & filium eius adolescentem, quem captum in potestate haberet, Antiochum remissurum dixit, & Aphricanũ in totius regni societatem, titulo tantùm sibi reseruato, libentissimè suscepturum adiecit. P. autem Scipio, sicut multis aliis uirtutibus, ita fide & probitate præstãs, cæteris post habitis, filium ut gratum munus se accepturum respondit, & pro priuato officio, quantum in eo esset, priuatã gratiam relaturum: sed ante omnia regem hortari, ut abiectis belli consiliis, quascunq; dederit senatus populusq; Romanus conditiones, accipiat. Auctor uitæ Scipionis.

Præconij falsi.

Cùm Antipatri Milesij patrem, Dionysij Syracusani legati, ad Olympium Iouem cum muneribus missi, pecunia corrupissent, ut filium Syracusanum renunciari uellet, quòd in pugilatu Olympiæ Clinopatri filios perculisset: ANTIPATER gloriam patriæ amplissimis præmiis propositis uendere noluit: sed Milesium se esse, & ex Ionibus primum suam in Olym-

pia statuam dedicasse elogio testatus est. Pausanias libro sexto.

Patrocinij iniusti.

Postquam Harpalus, cum magna ui pecuniæ, Alexandrum fugiens, in Atticam ex Asia appulit, & concionalium hirudinum, hoc est, Rhetorum fuit certatim concursatio, operas suas ei uenditantium: modicam his ille ex multis obtulit & obiecit escam: PHOCIONI uerò per internuncios septingenta talenta obtulit, cæteraque omnia & cum omnibus semetipsum fidei eius unius commisit. Cùm respondisset asperè Phocion, haud impunè Harpalum laturum, si pergeret ciuitatẽ redimere: ita in præsentia quieuit mœstus. Paulo pòst cùm haberet populus Atheniensis de ipso cõsilium: aduertit illos, qui ab se numos acceperant, factos sibi aduersarios, ne detegerentur, oppugnare se: Phocionem uerò, qui se abstinuerat, cum bono publico simul aliquam etiam salutis suæ habere rationem. Igitur denuò incumbẽs, captauit eum enixè. Verùm omnibus circumspectis, aduertit eum, ut arcem, auro undique inexpugnabilem. Plutarchus in Phocione.

Proditionis.

NICOSTRATVS, Argiuorum prætor, ab Archidamo solicitatus, ut magnæ summę præmio & nuptiarum Lacęnę, quã optasset, extra regias, præsidium quoddã proderet: responsum reddidit, Non esse stirpẽ Herculis Archidamum. Quippe lustrantem terras coërcuisse improbos Herculem: Archidamum probos improbos facere. Plut. in Apopht.

INVIDIÆ DECLINANDÆ.

Cyro iuniori hormus preciosissimus à Scopa iuniore, Thessaliæ præfecto (quẽ ex Sicilia acceperat) missus fuit. Hoc monile mirabili quadam arte uarietateq; confectum esse uidebatur. Omnibus itaque, quibus id ostendisset Cyrus, mirantibus, gauisus thesauro, repentè circa meridiem ad ASPASIAM se contulit, & extractum de cista monile, monstrauit ei, dicens: Hoc certè uel filia, uel matre regia dignum est. Cumq; annuisset illa: En, inquit, id tibi possidendum dono: tu uerò cura, ut è collo suspensum gestes. Illa nõ recepit munus, sed prudentissimè respondit: Et quomodo, inquit, ausim, cùm hoc donum potiùs matrem tuam Parisatidem deceat? illi igitur mittito. Ego uerò sine ornamẽto hoc tibi collum satis uenustum præstitero. Hoc responso delectatus Cyrus, epistolam ad matrem unà cum monili misit. Parisatis accepto munere, gauisa est, & regiis muneribus Aspasiam remunerata est: quòd, tametsi uel sola apud filium excelleret, tamen se uellet superari à matre ipsius. Aspasia munera quidem collaudauit, sed remisit ad Cyrum: Tibi (inquiens) hæc usui possunt esse, qui magnam hominum multitudinem alis: mihi uerò sufficit, si te simul amem, & ornamento utar. Aelianus lib.12.

LYSANDRI filiabus, tyrannus Siculus, stolas & monilia magnæ dignationis misit. Ea non admisit Lysander, inquiens: Mundus hic deturpauerit quàm exornauerit potiùs meas filias. Ante Lysandrum id dixit Sophocles.

Ornatus hic non est miser, sed fœditas
Videatur; ac mentis uæcordia tuæ.

Plut. in præceptis Con. In Apoph. hoc ipsum quoq; tribuit ARCHIDAMO, Zeuxidami F.

PERICVLI EVITANDI.

EVMENES in Orcyniis, Cappadociæ campis, ab Antigonò per proditionem fusus, incidens in Antigoni impedimẽta, cùm capere ex facili ualeret multa libera capita & magnam uim seruitiorum opumq; collectarum ex tot bellis & populationibus: ueritus est, ne repleti & onusti præda sui, euaderent ad fugam ignaui, molliores q; ad sustinendũ errores ac tempus, in quo potissimùm spem collocauerat belli, ut aliò auersurus Antigonum. Sed quia prorsus operosum erat opibus illis sub manu positis retinere Macedonas: iussit, ut corpora curarẽt, & pabulum darent equis, inde hostes adorirentur. Mox in occulto ad Menandrum, qui hostium impedimentis præerat, mittit, quasi de eo pro ueteri amicitia & consuetudine esset sollicitus, ut muniret se monens, maturaretq; quamprimùm ex locis equitabilibus & planis se ad proximi montis latus recipere inequitabile, ut cingi non posset. Fama est, cùm hæc testaretur apud Antigonum Menander, atq; Eumenem collaudarẽt Macedones, in partemq; humaniorem uerterent: quòd liberos suos in seruitutẽ redigere & cõstuprare uxores cùm posset, abstinuisset & prætermisisset: Atqui ille, dixisse Antigonum, non nostri causa, boni uiri, abstinuit illis: uerùm ne tot se pedicis fugientem intricaret. Plut. in Eumene.

LIBERTATIS CONSERVANDÆ.

[redacted]

LIBERALITAS EN ΛΗΨΕΙ, QVATENVS HONESTE PETIT, EXIGIT, ACCIPIT, RECIPIT.

QVI A QVIBVS. VT

MAGISTRATVS A SVBDITIS.

☞ *Consule Tit. Munificentiæ. quatenus ea quæ honesto dantur titulo ab aliis, moderatè acceptãtur. Illic Dantium, heic Acceptantium respectus habetur.*

PITTACVS, qui è septem sapiẽtum numero est habitus, cùm ei Mitylenæi, posteaquam se sponte magistratu abdicasset, multa millia iugerum agri muneri darent: Nolite, rogo uos (inquit) mihi dare, quod multi inuideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo ampliùs, quàm centum iugera, quæ & meam animi æquitatem, & uestram uoluntatem indicent: nã parua munera, diutina: locupleta, non propria esse consueuerunt. Probus in Thrasybulo. Aegrè sibi à Mytilenæis relicti dimidium resecuit, auctore Sosicrate, dicens, Dimidium præstabilius esse toto. Laërtius.

IVRECONSVLTI A CLIENTIBVS.

IASONIS Mayni Mediolanensis I.C. tanta fuit auctoritas, ut cùm qui ante illum responsa edebant Iurecons. tribus aut ad summum quatuor aureolis honorarentur, ipse primus L, C, & plus eo à cliẽtibus acceperit, sicq; iunioribus uiam aperuit, qua extra ueterum sordes emergerent, & locupletes opulentaq; penu agerent. Ante illum professores ducentos, aut ad summum CCC aureos à fisco percipiebant: is primus millenos à Ludouico XII. exegit: nec unquam iuniores Decius, Ruinus, Alciatus, eum numerũ excessissent, nisi iam ille sic præiuisset, atque principalis ærarij portas reserasset. Alciatus Parergon iuris lib.5.cap.26.

PRÆCEPTORES A DISCIPVLIS.

ARISTIPPVS reprehensus à quodã, ꝙ Socratis discipulus, cõtra Socratis morem pecuniam acciperet: Meritò, inquit, hoc facio. nam Socrati plurimi diuites, amici mittebant triticum & uinum: è quibus pauca in usus necessarios reseruans, remittebat reliquum. Nimirum habebat ille dispensatores Atheniensium primores: ego uerò Eutychidem, seruũ meum emtitium. Laërtius lib.2, cap.8.

TIMOTHEVS tibicen, aduentantem discipulum interrogauit, an sub alio etiam præceptore Musicæ operam dedisset? Qui cùm id affirmasset: Duplicem igitur dabis mercedem, ait, quoniam duplex mihi labor subeundus est: dedocendi uidelicet uetera, & docendi noua. Plutarchus.

AB AMICIS.

ARISTIPPVS Socraticus reprehensus, quòd pecuniã acciperet ab amicis, ait: Se non ideo accipere ut uteretur ipse, sed ut illi discerent, ad quas res utendum sit pecuniis. Vulgus enim diuitum aut in equos, aut in operosas structuras, aut in luxum perdit pecuniam: quum ea bonis uiris, si egeant, sit eroganda. Laertius lib.8.

AB HOSPITIBVS.

Apud Gulielmum plebanum in Catzenhusen, magna humilitate & sanctitate conspicuũ, Imperator uel Ludouicus III. uel Conradus I. qui Arnulpho successere, in uenatione ceruum insecutus, per longissimos recessus nemoris aberrans, pernoctauerat: xeniiq; loco aliquid petere iussus, petiit, ut quem primum ceruum in uenatione cepisset, corrigiam sibi de pelle eius daret, qua cinguli loco uteretur. Annuit Imperator: & uidens sanctitatem uiri, pollicitationemque factam alta mente reponens, quamprimùm uacauit episcopatus Mimigardeuordensis ecclesiæ, eum, licèt renitẽtem, cõ promouit. Cranzius lib.2. Metrop.cap.29.

VICTORES A VICTIS.

CN.POMPEIVS Magnus à Tigrane Armeniæ rege uicto ingentia munera accepit, eumq; liberalitatis ergò in regnum restituit: filium uerò, qui tanti se cœnã Pompeij emere nolle dicebat, in triumpho duxit. Plut. in eius uita.

QVAE. VIDELICET
tanquam
DONA, MVNERA

OCTAVIVS Augustus strenam ab infimis accipere dedignatus non est, uicissim in ea mittenda largus admodum ac liberalis. Suetonius.

VRBANI I.Pp.institutum fuit,ut Ecclesia prędia ac fundos à fidelibus oblatos reciperet,partireturq; prouentus clericis omnibus uiritim, nihilq; cuiuspiam priuatum esset, sed in commune bonum.Platina.

ROLANDVS de Placiola,I.C.Patauinus,sua ætate clarifs.cu ius etiã Baldus honorificè meminit,patriæ nomine legatus ad Pontificẽ missus, cùm rogaretur à fratre, ut opimum ali quod sacerdotiũ impetraret: optione sibi data à Pp. simplicem clericatum petiit.Demirante id Pontifice,& causam ro gante,Frater enim meus,inquit,pro quo posco, non est plu ris. Ex Zicci Polentoni lib.5. Exemplorum refert Bern.Scardeonus lib.2.classe 8.hist.Pat.

TRIBVTA, VECTIGALIA.

DARIVS rex, Xerxis pater, quum tributum indixisset subditis,accersitos prouinciarum præfectos percontatus est cùm aliis de rebus, tum etiam an grauia essent populo tributa. Quum illi respondissent, esse mediocria: iussit, ut singuli di midiã tantùm partem exigerent. Qua beneuolentia & clementia admodum conciliauit sibi subditorum animos, ut meritò ab omnibus diligeretur. Plutarchus in Regum & Imperatorum Apoph.

ALEXANDER Magnus,cùm quidam admoneret,lõgè plus uectigalium à ciuitatibus auferri posse:respondit,καὶ κηπωρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα.id est, Et olitorem odi, qui radicitùs olera excindat.Max.Ser.13.

ANTIGONVS,Macedonum rex, pecuniam exigebat rigidè. Cùm autem diceret quidam,At nõ fuit eiuscemodi Alexander:Meritò,inquit. ille enim demetebat Asiam,ego lego spi cas.Plut.in Apophtheg.

TIBERIVS Cæsar centesimam rerum uenalium in ducentesi mam relaxasse dicitur.

NERO,initio sui principatus, quò gratiam popularem aucuparetur,quintam & uigesimam uenalium mancipiorum re misisse dicitur.Traianus dicitur uectigal uigesimarum sustu lisse.Alex.lib.4.cap.10.

M.ANTONINVS Pius,procuratores suos modestè suscipere tributa iussit,excedentes modum [illegible] rum reddere præcepit [illegible] prouincialis oppressus est. Contra [illegible] [illegible]

[illegible]

Theoricæ. [illegible]

☞ *Vide Tit. Præmia data Grammaticis, Rhetoribus, &c. Illic causa dandi iusta in Dante: hic λῆψις in Accipiente perpenditur.*

Mechanicæ.

☞ *Vide Tit. Mechanicorum.*

Bellicæ.

CALEBVS,Iephonis F. Cenezæus, à Mose cum cæteris missus exploratum in Chananæam, cùm suo officio integrè functus esset, promisit ei Dominus, cum terram quam explorasset,post XL annos ingressurum & obtenturum,cæteris omnibus,qui Domino non fidissent, eo tempore in deserto pereuntibus. Itaq; cùm in Terram sanctam uenissent, petiit à Iosua duce Israelitarum, ut sibi Hebronis montem in hæreditatem assignaret, in quo Enaquini gigantes habitabant,oppida munitissima incolentes. Annuit Iosua illius uotis. Itaq; Calebus auspiciis diuinis Hebronem obtinuit, expulsis & cæsis tribus Enaquinis.Iosua cap.14.

Cùm Israelitæ Terram sanctam in suos fines partiti essent,IOSVA Nunis.F. dux illorum, oppidum Thamnathsaram, in monte Ephraimitico positum, in medio Terræ sanctæ, poposcit sibi dari, idque ædificauit & incoluit. non urbem aliam magnam & munitam pro tot laboribus petiit:sed rerum gestarum gloria & Dei opt.max.fauore contentus, locũ tantũ, in quo domiciliũ habere posset,elegit. Iosua c.19.

Victis à Dauide rege Amalechitis,de præda contentio fuit inter eos MILITES qui prælio certauerant, cum iis qui præ cæteris fessi longo itinere, iussi erant in castris subsistere. Nolebant qui certamini adfuerant, & qui Dauidem secuti erant, quorum ui, uiribus ac uirtute hostes fusi fugatique essent, aliis quicquam ut otiosis, & qui ad uictoriam nihil contulissent, prædæ distribui. Nam iniquum esse, quod san guine suo quæsiissent,huius fieri participes, qui intra castra securi quieuissent. At hi contrà, etsi fatigati quidem:tamen non sua uoluntate, sed iussu & imperio Dauidis in castris remansisse. Præterea non minore præmio dignos esse, qui interim dum alij certant, totius exercitus sarcinulas,impedimenta, commeatus in castris custodiunt, obseruant: atque ipsa adeò castra, perfugium uictis, uictoribus tutum ac iucundum solatium. Rex decreuit prædam æquè diuidi: atque imposterum semper apud Iudæos ita obseruatum est. Aerodius ex libro 1. Regum,capite trigesimo. & ex Iosephi libro sexto Antiq.

Bello inter Athenienses & Mitylenæos de Sigæo exorto, cùm dux Atheniensium Phrynon prouocasset ad pugnandum extra ordinem secum, cuicunq; placeret: obtulit se PITTACVS, qui plagis implicatum hominem robustum & uastum obtruncauit. Huic cùm offerrent Mitylenæi magnifica dona, misso iaculo, cum fundum tantùm postulauit, quatenus telum occupasset, uocaturq; etiam nunc Pittacium. Plut.de Herod.mal.

HORATIVS Cocles Romanus tantum agri cepit, quantum ipse uno die claudus circumarauit.Plut.Præcept.politicis.

CN.MARTIVS Coriolanus,cũ post egregia facinora à Posthumio Comminio omnibus donis militaribus,& agri certum iugeribus,decem captiuorum electione,& totidem ornatis equis,centenario boum grege,argẽtoq; quantum sustinere ualuisset,donaretur:nihil ex his pręter unius captiui salutẽ,& equum quo in acie uteretur, accipere uoluit. Liuius lib. 2. Dec.1. Plut. in Coriolano. Plinius de Vir.illustr. Val.Max.lib.4.cap.3.& lib.5.cap.4.Flor.lib.1.cap.22.Eutrop. lib.1.cap.11.

Ludouicus Bauarus Cęsar contra Fridericum Austriæ ducem ęmulum bellum gerens,magnam uictoriæ spem in IOANNE Boëmorum rege reponebat, si eum in commilitium pertraxisset. Itaque Valdemari Brandenburgensis Marchionis, qui sine liberis decesserat, successionem bonorum se attributurum Ioanni promisit, si opera eius adiutus, Cæsaream dignitatem retineret. Victo igitur ad Mildorfum Friderico, Ludouicus ampliùs sexaginta nobilium proceres,Boëmos Morauosque, baltheis & aliis militaribus donis exornauit.Regi uerò magnifici promissi immemor, Budissinam duntaxat, quam Marchio dudum oppignoratam tenebat,sine precio restituit: Brandenburgensem ditionem ad filium suum Ludouicum transferens. At Rex sola Budissina non contentus, Gorlitium præterea & alia oppida in Lusatia, quæ superior appellatur, nuper à regno abalienata, suo milite recuperauit: molestè quidem Cæsare ferente, sed molestiam illam tamen deuorante, tanquam fraudis in Regem commissæ sibi conscio. Dubrauius lib.20.

[illegible]ETRVS Mendoza, etiamnum adolescens, Christianorum tria millia, à Granatensibus Saracenis in monte obsessa, trecentorum ope liberauit:hostibus ancipiti periculo circumuentis & disiectis. Mendozæ uirtuti honos habitus, ut quęcunque uellet ex præda eligeret: ausi mallet, omnia sumeret. At is prædam distribui iussit:sibi sociisque suis trecentis tertiam partem,reliquas uirilibus partibus inter se diuidendas censuit, quando par periculum, labor, industria extitisset. Laur. Valla lib.1. Historiarum.

PRECIVM REI VENDITÆ, ELOCATÆ.

☞ *Consule Tit. Fidei in Contractibus uoluntariis, quatenus exigitur precium.*

SIBYLLA Cumana, anus hospita & incognita Romæ, Tarquinium Superbum adiit,nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula:eos maximo precio regi obtulit. Qui anum ueluti deliram irrisit. At illa in foculo tres libros exussit. Et utrum sex reliquos eodem precio emere uellet, rogauit. Verùm Tarquinius id multo magis risit. Mulier ibidem statim tres alios libros igni tradidit: atque idipsum denuò placidè rogauit,treis reliquos eodem illo precio emat. Tarquinius anus constantiam admiratus, & iam serij quid inesse suspicans: tres reliquos eo precio, quod pro omnibus à principio exegerat,mercatus fuit. Mulier à Tarquinio digressa, nusquam postea comparuit. Libri tres in sacrarium conditi, Sibyllini sunt appellati. Ad eos quasi ad oraculum XV uiri adeunt, deorum uoluntatem indagaturi. Gell.lib.1. Noct.Att.cap.19.& Plin.lib.13.cap.13.

Viginti talentis unam orationem uendidit ISOCRATES rhethor Atheniensis. Plinius lib.7.cap.30.

M.POPILIVS Andronicus opusculum quoddam Annalium XVI millibus numûm uendidit. Tranq. de Gram.illustrib.

QVOMODO. NEMPE

ARTE MECHANICA. V. G.

Agricultura.

PHILOPOEMENES Megalopolitanus compendia bellica quidem absumebat in equos,in arma,in redimendos captiuos:rem uerò familiarem ex aruo studebat iustissimo quæstu agere.neq; id faciebat transitoriè: uerùm curandam potissimùm rem domesticam censebat ei, qui temperare uellet ab alienis.Plut.in eius uita.

M. CATO Censorius agriculturam in oblectamento potius ponebat, quàm in fructu. Emolumenta in rebus securis & certis collocans, lacus parauit, aquas calidas, loca fullonibus idonea, prædia quæ pascua haberent, & syluas natiuas,unde magnum compendium faciebat,quibus nec Iupiter posset,ut ipse ait,nocere.Plut.in eius uita.

Q.RHEMMIVS Palæmon,Veicetinus, Grammaticorũ princeps Romæ,cùm maximos sumtus faceret,tum etiam in re familiari diligentissimus erat: cùm & officinas promercalium uestium exerceret, & agros adeò coleret, ut uitem manu eius insitam satis constet CCCLXV uasa edidisse. Plin.

Mercatura.

LAMPIS Aegineta negotiator interrogatus, Quomodo sibi parasset diuitias? Magnas,inquit, haud difficulter, exiguas uerò cum labore ac tardè. Sentiens, initiò paulatim magnaque uigilantia propria corradi pecuniam. Cæterùm parata iam ingenti sorte, facile esse amplis lucris uel per ser uos suos ditescere. Plutarchus in bello, An seni sit capessenda respublica.

C.CLAVDIVS Tribunus pl.lege ad populum lata,ne quis senator senatorisue pater maritimam nauem haberet, quæ plus quàm trecentarum esset amphorarum capax, mercaturas honestas Senatoribus Rom. permisit. Sabellicus libro primo, Enneadis 5.

ALFONSVS Atestinus, dux Ferrariensis, à quibusdam non obscura subagrestis quæstus sugillatione notabatur, quòd salsamentorum & pomorum omnis generis atq; olerum monopolia per institores suos exercere diceretur. Nam opimæ piscationis circa Padusas usitatæ, & fructus ex amplissimis ipsius hortis collecti expositiq; uenales,non toti modò aulæ, uerumetiam urbanæ multitudini expetitam moderati precij copiam suppeditabant. Aggeres namq; uniuersos intra pomerium per decliuia planaq; , uti locus poscere,frugiferis arboribus, & inflexis uinetis, digestisq; areolis perpetua uiriditate uestiuerat: quæ omnia diligenti cultura & perenni irrigatione,ad id lata & nauigabili fossa ex Pado perducta, ad miram ubertatem omnium terra nascentium & peramœnæ deambulationis uoluptatem instituta,clari hospites mirarentur. Verùm imperiti homines temerè probra principibus affigere soliti, nesciebant certissimos atq; sanctissimos redditus ex una maximè industria & parsimonia, quæ neminem læderet, facilè prouenire: utpote qui principem prodigum & inconsultæ liberalitatis mal lent,quàm tenacem iusti & æqui patriæq; amantissimum,& minimè largitorem. Iouius in eius uita.

VENDITIONE, AVCTIONE.

NERVA Imp. laudatissimis sumtibus exhaustus, uestes, uasa argentea,aureaq;,ac supellectilem omnem, cum agris unà & domibus,auctioni subiecit ac uendidit, necessariis paucis reseruatis,ut amicos iuuaret.

IVDICIO.

MILES quidam argenteam patinam à D.Ladislao Hungarorum rege, suo patri dono datam,apud procerem oppignerarat. Cùm pignus repeteret, alter impudenter pignus negabat. Prætor patinam D. Ladislai sepulcro imponi iussit, ac illi adiudicari, qui eam impunè è loco sacro accepisset. Qui pignus negarat, prior numen periclitans, neque patinam capere, neque loco mouere potuit. Miles uerò quum supplex orasset, ut quod patri quondam primipilo dono dedisset, filio ratum faceret, patinam accepit impunè. Bonfinius lib.4.Dec.2.

ARMIS.

CONSTANTINVS Magnus æquum esse existimans, se illius uictoriæ, quæ suis quoque armis quæsita esset, præmium aliquod reportare: partem prouinciarum, quas Licinius collega Maximino Augusto in Oriente ademerat, repetiuit. Vbi uerò legatos ac postulatum suum ab eo uidit repudiari, exercitibus suis in eam rem conuocatis in Pannoniam maturauit. Victus à Constantino Licinius, legatos ad Constantinum de concordia misit. Neque Constantinus grauatè eam accepit orationem, præsertim Constantia sorore, Licinij uxore, ut mitiora consulere uellet, orante. Itaque pax his conditionibus conuenit, ut Licinius Constantino Illyricum, id est Dalmatiam, Macedoniam, Pannoniam, Mœsiam Daciamque dimitteret: ipse Thraciam cum Asia, Aegypto, & Oriente sibi haberet: Valens autem, quem Licinius Cæsarem appellauerat, tanquam artifex eorum malorum, abdicaret. Atque ita fœdus utrinque conscriptum, & iureiurando firmatum est. Eusebius bellum hoc Cibalense Licinianum uocauit: gestum autem ob eam, quam diximus caussam, & eo, quo expositum est, ordine, Zosimus retulit. Sigonius lib.3.Imp.occid.

OTHO IV. ab Innocentio III. Romæ coronatus, in eiusdem odium incidit, cùm per Italiam antiqua Imperij iura reposceret, quorum iam quædam transierant ad ecclesiam: sed & Mathildis potentis per Italiam feminæ locupletem hæreditatem reposceret, quam illa legasse dicebatur Ecclesiæ: duplici iure ad se pertinentem. Nam legitimus hæres uidebatur amitæ suæ, quæ nata erat ex marchionibus Saxoniæ: & uacantis feudi directum dominium redibat ad Imperium. Abiens urbe Imperator, prædia Romanæ ecclesiæ inuasit, montem Faliscum & urbes conterminas. Ergo Papa illum anathematis mucrone percussit, cohortatus principes Electores, ut quoniam ipse excommunicatum & deinde depositum Imperio Othonem deiecisset, alium deligerent, Fridericum scilicet adolescentem annorum XX. Siciliæ regem, Henrici VI. Imperatoris filium, Friderici I. nepotem. Is mortuo Othone rerum potitus est. Cranzius libro 7. Saxoniæ, cap.33.

OECONOMIA PRVDENTE & frugali.

Raceburgensis episcopus PARDAMVS Knesebeck, cùm ob prodigalitatem prædecessorum ecclesiastica prædia ita grauata essent ære alieno, ut non sufficerẽt prouentus ecclesiæ fratribus sustentandis: quinimò singulis annis ad necessariã sustentationem CCCC marcas, ad reditus annuos persoluendos, mutuò accipere cogerentur: ad implorandam diuam Virginem se contulit: fratribusq; indixit, ut humili prece implorarent auxilium ab alto. & statuerunt, ut, dum cantaretur Sequentia, Aue præclara, uersus illos, Audi nos, & Salua nos, flexis genibus in honorem & reuerentiam Virginis, humilimè corda inclinarent. Quo diligenter impleto, non multo pòst sanctissima uirgo immisisse creditur spiritũ prouidentię prouisoribus, ut omnia cum singulari parsimonia dispensarent: & deinde prouentus frugũ bonos fecisse, ut paulatim ære alieno dissoluto, ad suæ sustentationis sufficientiam peruenirent. Cranzius lib.11. Metrop. cap.15.

PETITIONE MODESTA.

ANAXAGORAS philosophus, à Pericle occupationibus distracto neglectus, corpore obuelato iacuit, & uitam inedia finire uoluit. Pericles territus accurrit: & summis ab eo precib. contendit, ut sui misereretur, cui tantũ consiliarium adimeret. Tum Anaxagoras reducta ueste dixit: Qui lucerna opus habẽt, ô Pericles, oleũ affundunt. Plut. in uita Periclis.

DONI SIMVLATIONE.

D.GERMANVS, Autissiodorẽsis episcopus, legatus missus ab Armoricensib. ad Valentinianum III. Rauennam uenerat. Cùm Placidia Augusta uas argenteum cibis refertum ad eũ misisset: ille, cibis ministris suis distributis, argentũ sibi in necessitates pauperũ conferendũ retinuit, & patinã cũ hordeaceo pane remisit. quę Placidia libens accepit, atq; ad salutaria ægritudinũ remedia cõseruauit. Sigon. l.13. Imp. occ.

RESCISSIONE DONATIONVM prodigarum.

Nobiles proceresq; regni Scotorũ indignabãtur fructus suos (quos Verdas uocant & Releuationes) ab rege occupari, quos ex liberalitate parentis eius ac superiorum liberè soliti fuissent ipsi recipere. Rex, conuocato concilio palàm omnes rogauit, Vtrum æquius ipsis uideretur, regem suis, id est regiis prouentibus uiuere, an ipsorum? Ad quod quum ab omnibus, regiis potiùs esse, responsum esset, demonstrauit: non ipsorum, sed regios eos esse prouentus, quos Verdas Releuationésque uocant, suumque patrimonium absumtum per prodigalitatem superiorum gubernatorũ. Verdas autem uocabant, quum parẽtes, antequam liberi ad XXI annum peruenirent, uita decederent: tum Rex omnes reditus occupabat, hæredisque interea curam suscipiebat. H. Boëthius lib.17.

CVR. CAVSA, SCILICET

POPVLARITATIS.

ARTAXERXES Persarum rex (qui iuxtà censebat regium esse & benignum, capere candido & alacri animo exigua, atque ingentia donare) cùm homo pertenuis & plebeius, cui nihil erat aliud, sumtam ex amne ambabus manibus aquam ei equitanti in itinere obtulisset, accepit hanc grato animo, arrisitq;: ex propenso animo dantis, non ex dati precio munus æstimans. Plut. in Regum apoph.

ARTAXERXES Mnemon, malum conspicuę magnitudinis, quod homo pauper ei obtulit, cepit uultu hilari: ac, Per solem, inquit, hic meo iudicio etiam urbem paruam, si permissa ei sit, efficiat magnam. Plut. in Apophtheg.

FIDEI IN PATRIAM.

Vt classis Xerxis Aphetas applicuit, expauescens multitudinem Eurybiades Lacedæmonius, frontem obtinentium nauium, aliasque accipiens supra Sciathum ducentas circumuehi: statuit quàm ocyssimè in interiorem Græciam se recipere, & quam proximè tenere Peloponnesum, atque sic classi pro subsidio terrestres copias circumfundere: quòd uires regis maritimas censeret insuperabiles. Hic metuentes Eubœi, ne à Græcis desererentur, miserunt cum ingenti summa pecuniæ Pelagontem ad colloquendum occultè cum THEMISTOCLE. Quam ubi ille accepit, dedit eam, ut tradit Herodotus, Eurybiadi. Cùm autem ex ciuibus reluctaretur ei Architeles, qui sacræ nauis erat trierarchus: pecunię uerò, quã prębeteret sociis naualibus, inops, properaret se cum naue subducere: incendit in eum uehementiùs

mentius Themistocles ciues, ut concursu facto cœnam eius diriperēt. Quare attonito Architeli, ac grauiter id ferēti mittit in cista Themistocles panem & carnes in cœnam, sub iicitque argenti talentum in fundo, adhortans ut in præsenti cœnet, & postero die socios nauales curet. Sin minus, laceraturum ostendit ipsum se ad ciues, quasi nummos ceperit à Barbaris. Hæc Lesbius Phanias memorat. Plutarchus in Themistocle.

LIBERALITAS ἘΝ ΦΥΛΑΚΗ. CONSERVATIO OPVM LIBERALIS. OPES HONESTAE VEL

CONSERVANTVR, RATIONE habita

PERSONARVM, QVI CONSERVARINT.

Parsimonia ἐν δυνάμη & δόσει ad hunc quoq; locum pertinet, quatenus sumtum, quem nō facit, & donum quod non dat aliis, sibiipsi seruare intelligitur.

Principes.

ALEXANDER Mammeæ annonam diligenter inspexit, ad aurum colligendum attentus, ad seruandum cautus, ad inueniendum solicitus, sine cuiusquam excidio. Cuspinianus.

ALFONSVS Atestinus, dux Ferrariēsis, aduersus parsimoniæ & totius disciplinæ suæ obtrectatores sine iactantia disserendo, hoc graui edito proloquio sæpissimè prædicabat, Principis inane esse nomen: & id contemtui atque iniuriæ semper expositum uideri, nisi eius ærario prægrandem signatæ pecuniæ uim, ante pericula congestam, contineri seruarique omnis generis homines existimarent. Iouius.

Patresfamiliās.

Ex loco Prudentiæ œconomicæ, huc quædam commodè transferri possunt.

RERVM, QVÆ CONSERVANTVR. Conseruare, Tueri honestè

Hæreditatem.

Cùm Moses iussu Domini Salphaadi FILIAS propter parentis memoriam patri defuncto in diuisione Terræ sanctæ succedere uoluisset, & illæ aliis, quàm tribulibus suis (erant autem è tribu Manassis) nupturæ uiderentur: MANASSITÆ cæteri ueriti ne hac ratione agro suo aliquid decederet, Mosen conuenerunt. Itaq; lata lex, ut filia hæres instituta à patre, suo arbitratu nuberet, modò in tribus paternæ gentem nuberet. Numerorum 36.

Annonam.

IOSEPHVS ex somnio Pharaonis famem septennem præuidens, septennio integro quintas cuiusq; anni fructuum congregauit, & hac ratione Aegyptum à grauissima fame liberauit. Geneseos cap. 41.

MODI, QVOMODO CONSERVENTVR. PVTA

Oeconomia diligente, frugali.

NABATHÆORVM continentiam laudibus efferunt celeberrimi auctores, nec non cumulandis asseruandisq; diuitiis curam exactissimam. Cælius lib. 18. cap. 36. Antiq. Lect. ex Strabone.

PERICLES Atheniensis cùm magistratum annuum adeptus esset, inuictum se à pecunia præstitit: alioquin non negligēs omnino rei faciendæ. Nam bona paterna, quæ iusto titulo possidebat, cùm neque incuria dilabi pateretur, neque iis tractandis multum sibi negocij molestiæq; esse uellet: eam domesticæ rei rationem iniit, quam & expeditissimam esse & certissimam putabat, ita ut omnes annuos fructus uenderet simul quotannis: quæ autem ad uictum & rem familiarem erant necessaria, singula in foro quouis tempore emeret. Ea ratione neque pubescentibus filiis grata erat, neque largum præbitorem eum mulieres habebant: reprehendebantq; istam impensarum rationem indies, & accurato calculo computatam, cùm in magna familia & opibus splendidis nihil abundaret, sed omnes sumtus, omnes reditus ad certum numerum mensuramque reuocarentur. Totam autem rem familiarem accuratissimè administrabat Euangelus famulus, siue natura, siue institutione Periclis ad id negocium ita egregiè paratus, ut nemo quisquam. Plutarchus in Pericle.

ANNA Gandala, è Vasconum gente, Vladislao Hungariæ & Boëmiæ regi nupta, diligentissima acerrimaque fuit in tuendis uectigalibus, censibusque & arcibus regiis conseruandis, in quas proceres inuadebant uilissimo obtruso precio: breuique insignem thesaurum coaceruauit, ac prima reginarum abacum regis ex solido auro planè regium instruxit: aggressa dein mensas argēteas adornare, ne quid aliud in cœnaculo regio nisi aurum & argentum purum putumque resplenderet. Post illius obitum in regis bona impetus sensim factus est ab harpyis aulicis, qui tempora rapiendi obseruare, nimiaque regis bonitate ad suum quæstum abuti nouerant. Dubrauius libro uigesimotertio.

Denegatione petitionis inhonestæ.

Albertus I. Cæsar à Bonifacio IIX. Pp. instigatus cōtra VENCESLAVM IV. Boëmorum regem, petiit ab eo decumas argenti, quod in Boëmia ex montibus puteisque argenteis, ac præcipuè Cuthnensibus erueretur, inquiens, Eodem iure, atque eadem conditione obligatam esse imperio Boëmiam, qua cæteræ principum in Germania prouinciæ, quæ à Cæsare iurisdictionem suam accipiunt, ut merito Cæsar uicissim ab illis decumas metalli exigat. Venceslaus inter suos subridens: Non uanū, ait, hoc in aulis iactatum dicterium: Rex pauper idem calumniator. Vndénam tam euidēs calumnia, nisi ex pera Alberti uacua? Itaque hæc respondi iussit, Se non obstare, quo minus Albertus uectigalibus Cæsari debitis iure suo utatur fruaturque, modò ab alienis sibi temperet: quorum in possessione perpetua semper fuerint, non solùm Reges, sed etiam ante illos Principes Boemiæ: qui sic à Germanis Cæsaribus in amicitiam & fidem recepti sint, ut præter honorem, quem maiestati Cæsareæ deberent, cætera immunes & liberi essent. Hanc adeò libertatem maiores suos, seque in hodiernum diem usurpasse, eandem uelle inuiolatam posteris quoque suis tradere. Albertus ingenti exercitu conscripto, Boëmiam ingressus, in aciem prodire noluit, sed re infecta exercitum reduxit. Dubrauius lib. 18.

Ludouicus, Boëmiæ & Hungariæ rex, instinctu aulicorum si quem uideret preciosis pellibus uel torquibus aureis insignem, iis se donari petebat. Nemo erat qui non inuenientem regem demereri cuperet. Munus acceptū ille primo cuique petenti dare solebat. Viderat quadam die HENRICVM Tunkel exuuiis muriū Ponticorū indutū, dariq; sibi uestē illā petierat. Has ego, inquit ille, pelles, honoris tui causa, ut in conspectu maiestatis tuæ ex dignitate mea apparerem, haud paruo ære permutaui, & ex illis ita concinnari mihi uestem iussi, ut corpori meo apta esset, illudque accedente iam senecta calefaceret. Isti autem qui illam uenantur iuuenes sunt, possuntque adhuc sanguinis & pellis suæ calore esse contenti: at si pellibus indiguerint, benè pulcrè & honestè pro ætate illorum uulpinis contegentur. Quo responso audaciam cæteris negādi addidit, & pudorem aulicis petendi aliena, incussit. Dubrauius lib. 33.

Cùm Gregorius XI. ab omni omniū prouinciarū clero decimā posceret, restitere tres ARCHIEPISCOPI Rhenēses: Satis emūctā argēto Germaniā, iā omne aurū à barbaris (quos Itali uocabāt) subtili ingenio ablatū. Obierat per id tēpus archiepiscopus Moguntinus. Papa, ut haberet qui illi in tribus archiepiscopis uel unus gratificaretur, prouidit de ecclesia illa episcopo Bambergēsi: sed Capitulum postulauit Spirēsem, qui etiam prædia & arces prior occupauit. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 42.

Prohibitione exactionum.

Anno salutis 1270. missus est legatus Pontificis in Scotiā, sacræ pecuniæ in Saracenos exigēdæ causa. ALEXANDRI III. Scotorum regis iussu extra fines subsistere, & per literas mandata exponere iussus est. Petiit itaque à quaqlibet ecclesia parochiali quatuor marcas Sterlingas: ab Abbatibus uerò singulis octoginta. Rex tantam pecuniæ uim nulla habita prouentuum ratione conflari nec posse nec debere, respondit: sibi tamen curæ fore, ne ei bello deesset. Misit proinde mille marcas argenti Clemēti quarto in subsidium profectionis: ad Ludouicum uerò Galliæ regem, ut ipse per legatos postularat, mille milites in Africā, qui partim ferro, partim peste, æstū regionis, frigidissimo assueti solo, ferre non ualentes, occubuere. H. Boëthius lib. 13.

Circa an. sal. 1464. REX Poloniæ non satis æquo ferebat animo, Marinum de Fregeno, nuncium apostolicum, qui iam dudum in Suecia multas opes contraxerat, etiam suas in Polonia oues tondere. Duci iussit hominem, ut diligentius perquireret, quos in usus ueniret tanto molimine aceruata per prouincias pecunia, suo regno magis quàm Italiæ necessaria, cū à Turcis Tartarisq; quotidie laboraret. Ea fama quum percrebuisset Lubicæ, nuncius quoque regis Daniæ opes

opes ex Suecia illuc à Marino deuectas sequestrari curauit. Apostolicus quoque collector, decanus Hamburgensis, iisdem manus iniecit. Marinus tamen astutè elapsus est. Cranzius lib. 12. Vandaliæ, cap. 33.

Animaduersione.

Quum Otho I. Imp. rogante uxore Editta, Angliæ regis filia, quæ Albi flumine delectabatur, Magdeburgi urbem exædificaret, & nundinis donaret, ad inuitandos mercatores, episcopatum ibi instituere constituit, Vandalis ad fidem Christi multiplicatis. Cùm deesset territoriū, egit rex primùm placidè cū BERNARDO, Halberstadensi episcopo, Burggrauio Magdeburgensi, ut cederet partem ditionis nouo episcopatui. Cæterùm cùm neq; suasionibus, nec precib. proficeret, captum episcopum incarcerauit. Aderat sacra Iouis Dominicæ cœnæ. Episcopus quasi chrisma consecraturus, iussit sibi dari pontificialia ornamenta: quibus indutus regem acciuit. Credens iam emollitum rex, & malis perdomitum, uenit. Vbi adstitit, episcopus incoat, In nomine, inquiēs, supremæ Trinitatis anathematizo te, rex, cum omnibus qui te non deserendum putant, quòd manum iniceris, & detines Christum Domini. Rex cachinno excipiens digreditur: altiùs tamen deinde descendit in pectus eius pontificalis imprecatio. Mox intra se reuersus, misit qui episcopū laxarēt, impetrata uenia. Ita obtinuit episcopalis seueritas, ne se uiuo aliquid ecclesiæ detraheretur. Sed morte eius post annum XLVIII. interueniente, omnia ex sententia regis processerunt. Cranzius lib. 3. Metropol. cap. 10.

NON CONSERVANTVR.

QVI NON CONSERVENT.

Consule locos Magnificentiæ & Munificentiæ, quatenus sumtus, qui fit in res honestas, non conseruatur: & quatenus id quod datur honestè, honestè etiam non conseruatur.

Apostoli.

Vide post, Religionis causa.

Philosophi.

CRATES Thebanus omnium fuit contemtor, quæ uulgò admirationi sunt, tum præsertim pecuniarum ac patriæ. Non enim tantùm facultates suas Thebanis tradidit omnes, sed Thebas etiam, quas antea inhabitauerat, reliquit: Non opus esse, inquiens, ut eam ciuitatem incoleret, quā Alexander uel alius subuersurus sit. Plut. de non Fœnerando.

QVÆ. NON CONSERVARE

Hæreditatem.

P. SCIPIO Numantinus integram Fabio fratri hæreditatem concessit. Plut. in Paulo.

Prædam.

ALEXANDER Magnus, cùm expeditionem in Indos suscepisset, graues autem & impeditos uideret præda Persica Macedonas: primus flammam subdidit regiis plaustris: inde cæteros induxit, ut se imitati ad bellum agiles & expediti pergerent. Plutarchus in Aemilio.

QVOMODO NON CONSERVENT. OPES

Deserere.

DEMOCRITVS Abderites fratribus suis (alij patriæ malunt) hæreditatem paternam concessit (fuit autem illa amplissima, quandoquidem pater eius Xerxis exercitui epulum dare potuit) ipse paucis assumtis pecuniis, quantum pro uiatico satis fore uidebatur, philosophiæ studio peregrinatum abiit. Gellius. Sab. lib. 2. cap. 1.

Abiicere.

CLEANTHES Assius collectam pecuniolam aliquādo proiecit coram familiaribus, dicens: Cleanthes alterum Cleanthem alere posset, si uellet. Laert. lib. 7. cap. 2.

Philostratus in uita Apollonij, & Diocles, substantiam CRATETEM Thebanum Cynicum aiunt omnem in mare proiecisse, ut eo liberiùs philosopharetur.

Apud Horatium lib. 2. Sat. 3. ARISTIPPVS Socraticus seruos proiicere aurum in media iussit Lybia, quia tardiùs irent, propter onus segnes. Hoc ipsum de illo retulit etiam Laertius, auctorem secutus Bionem, qui non aurum fuisse, sed argentum pecuniámue inquit: neque iussisse ut omne onus abiiceret, sed quantum ferre posset, gereret: de uno nanque seruo loquitur, non de pluribus, ut Horatius. In Africa præterea id usuuenisse non docet, uerùm simpliciter in itinere contigisse. Victorius lib. 8. Var. lect. cap. 18.

Deponere apud alium.

CRATES Thebanus, Cynici Diogenis discipulus, in pecuniā omnem substantiam redigens, apud trapezitam deposuit, hac lege, ut si filij philosophi essent, eam indigentibus ciuibus distribueret: nihilo enim philosophos indigere existimans. sin idiotæ, eis redderet, ut uacuis uirtute, saltem opes opitularentur. Laërtius, & Suidas.

MAXIMILIANVS I. Imp. ingentem pecuniarum summam penes se nunquam retinuit, sed ad quæstores referri iussit, dicens, Se regendis hominibus præpositum, non auri sibi custodiam demandatam: quo si quis semel capiatur, mox à rege seruum futurum. Iacobus Spieg. in Aeneæ Syluij commentaria de rebus gestis Alphonsi.

Communicare.

AGESILAVS, rex Spartanorum, cùm intelligeret cognatos Agidis regis in carcere necati inopia pressos, bona Agidis ex æquo cum illis diuisit, licèt iure ac ciuium iudicio ad se solùm pertinerent. Pontanus de Liberal. cap. 11.

Restituere.

ANACREON Teius, à Polycrate quinq; talentis donatus, cùm duabus propterea noctibus insomnis iacuisset, reddidit ea. Suidas.

PLANGONEM Milesiam adolescēs quidam Colophonius amauit, licèt Bacchidem amicā haberet Samiam. Plangon Bacchidis forma audita, ut iuuenem ab amore diuerteret, congressus precium postulauit monile Bacchidis preciosissimum. Hic cùm magnopere amaret, expetiuit à Bacchide, ne se mori pateretur. Bacchis monile concessit. Cùm uerò cognouisset Plangon, Bacchidem ab inuidia esse alienam, suum illi monile remisit. Itaque communem, dum uixerūt, habuerunt amasium. Quam rem admirati Iones, ut inquit Menetor in libro de Depositis, Plangonem in posterum Pasiphilam uocarunt. Athen. lib. 13. cap. 23.

[redacted]

Non uendicare.

PERTINAX Imp. iis, quæ cæteri Imperatores sibi usu uendicarant, uetuit suum nomen adscribi, negans illa esse principum, sed Po. Ro. fassus in curia, sanctiùs sibi uideri se pauperem remp. obtinere, quàm per scelera & flagitia ditescere. Sabellicus lib. 5. Enneadis 7.

CVR. NON CONSERVARE OPES CAVSA

Religionis, Pietatis.

Ex Tit. Monacharum, Monachorum, & Eremitarum, qui uoluntariam paupertatem amplexi sunt, non pauca exempla relictarum opum huc transferes. Illic sanè religiosi affectus tanquam causæ, heic derelictionis tanquam effectus & adiuncti, ratio habetur. Quòd si uerò derelictio non sit simplex, sed coniunctam habeat largitionem in pauperes factam, Munificentia hæc erit misericors, duplici laude digna: & quia opes sua causa negligit, & quia opes in aliorum usum conuertit.

MATTHÆVS ex quæstuosissimo hominum ordine (erat enim publicanus) à paupertatis magistro accersitus, grandem pecuniam reliquit, cœlestium rerum spem secutus: sed in nulla re quæstuosior, quàm in paupertatis cōplexu. Rem terrenam & caducam contemsit, & quæ aut casu aliquo amittenda erat, aut in morte relinquenda: estq; tanto maiora adeptus, quātum ille ueritatis auctor, à quo uocatus est, omnes qui unquam fuêre in terris uirtute & sapientia antecelluit. Sab. lib. 2. cap. 1.

BARTHOLOMÆVS, regio stemmate fulgens, piscatoribus se æquari passus est, diuinarum rerum cupiditate captus. Contemsit ille diuitias, hic seipsum: ille fœnerare desiit, hic regnare: quod tanto præclarius est hominū opinione, quanto turpius & calamitosius seruitutem seruire. Iidem.

Omitto nunc alios APOSTOLICI ordinis uiros, non quia in contemnendis rebus minùs constantes fuerint: sed quia & ante apostolatū humiles inopesq; extitisse eos apparet, stulta tunc & infirma Deo eligente, ut sapientia fortiaque confunderet. Quamuis uerissimum sit, eos quoq; non minùs multa reliquisse, qui sibi nihil reseruauerint. Hinc est quòd tantùm piscatoriam nauim, & quæ resarciebant retia dimittentes, audacter proloquuntur: Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis præmij? Et responsum merentur accipere Domini, dicentis: Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

Israel. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Marul. lib. 1. cap. 1.

POLEMVS, potentissimus Indorum rex, Bartholomæi apostoli prædicationibus ad fidem conuersus, atq; baptizatus, relicto imperio eidem constanter adhæsit: discipulusq; maluit esse apostoli, quàm Indiæ dominus. Idem.

MARIA, MARTHA, & LAZARVS, cùm inter se partiti essent hæreditatem: Mariæque Magdalum oppidum, Marthæ Bethania, Lazaro pars urbis Hierosolymę sorte obuenisset: omnibus post ascensum Domini distractis ac diuenditis, pecuniam ad pedes Apostolorum proiecère in terram, ut corda erigere possent in cœlum, quò Christum iam præcessisse conspexerant. Hunc morem sedulò à fidelibus ea tempestate obseruatum, Lucas in Apostolorum Actis testatur, dicēs: Omnes etiam qui credebant, erant simul, & habebant omnia communia: possessiones & substantias uendebant, & diuidebant illa, prout cuique opus erat. Et iterum: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo pòst: Possessores agrorum aut domuum uendentes, afferebāt precia eorum quæ uendebant, & ponebāt ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Subiungit etiam IOSEPHVM, Barsabam cognominatum, agrum quem habebat uendidisse, pecuniamque Apostolorum conculcandam pedibus apposuisse: ut scilicet ea contemta, agrum sibi illum de Euangelio parare posset, in quo absconditus est thesaurus regni cœlorum. Marul. lib. 1. cap. 2. & Sabellicus lib. 2. cap. 1.

Philosophiæ.

ANAXAGORAS sapientiæ amore captus, ut expeditior ad eam accederet, campestre prædium ad compascui usum suis reliquit ciuibus, cætera domesticis partitus est: & hōc affectu ad philosophandum fecit sibi aditum. Estq; facilè expertus sublimi uir ingenio, nihil his quæ contemserat sibi opus fuisse, ut prædicere posset, quando saxum esset è cœlo casurum. Rogatus aliquando, Ad quid natus esset? Vt cœlum, inquit, spectem. De patria appellatus, ceu parum hæc foret ei curæ: Imò hanc curo, respondit, digitum cœlo intendens. Sabell. lib. 2. cap. 1.

Thebanus CRATES, qui à nullo appellabatur creditore, neque oberatus erat, sed ipsis rei familiaris procurationibus, curis & negotiis sollicitabatur: patrimonio suo octo talentorum relicto, obsoletum pallium & peram sumsit, refugitque ad philosophiā & paupertatē. Plut. de Non fœnerādo.

Virtutis.

Poëta PHILOXENVS, ex colonis unus, qui in Siciliam missi fuerant, quum inibi domum & agros sortitus esset feraces, unde alibi abundè posset: indigenarum uerò mores prælautos animaduertisset, ac nimio plus delicatos, & mulierum preferentes inconcinnitatē: Μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα: Non per deos, inquit, hæc mea perniciem bona dabunt, sed ego ipsa potiùs. Et cum dicto relicta sociis sorte, enauigauit inde. Cælius lib. 7. c. 10. Lect. Antiq. & Gyraldus dialogo 9. Hist. poet.

Fidei liberandæ, seruandæ.

☞ *Huc ij, qui Depositum, qui Creditum bona fide reddunt.*

Reipublicæ.

AGIS, Lacedæmoniorum rex, non solùm augendi fortunas suas desiderio abstinuit: uerùm renouatis quoq; Lycurgi legibus, uoluit ut inter ciues omnes fortunæ æquarentur: & ut à se huius rei exēplum proficisceretur, omnes opes suas in commune transtulit, atq; aliis Lacedæmoniis se opibus æquauit. Plutarchus in eius uita.

Tranquillitatis, Quietis.

ANACREON Teius poëta, quinque talentis à Polycrate Samiorum tyranno donatus, cùm duabus ferè noctibus excogitatione somno caruisset, reddidit ea Polycrati, inquiens, οὐ τιμῶμαι αὐτὰ τῆς φροντίδος, quasi diceret, Tanti curam non emo. Gyraldus dialogo 9. Hist. poet. ex Suida.

Fuerant SIGISMVNDO Cæsari ex Hungaria allata quadraginta millia numûm aureorum. Quæ ubi noctu aduentante, in quos conuerteret usus, sollicitè cogitaret, per cubicularios ocyus consiliarios omnes ac militum duces ad se uocauit: & aperta arca, Ecce (inquit) crudelissimi hi hostes ac carnifices (numos ostendens) somnium mihi eripuerunt: accipite ac inter uos diuidite, ut mihi tranquillè dormire liceat. Distributa itaque pecunia inter eos, cùm exirent uiri à consiliis: Recedit iam (ait) à me tortor ille, qui me flagellauit: securiùs iam quiescam. Cuspinianus, & Aen. Sylu. lib. 4. Commen. in Alfonsum.

Salutis.

ARISTIPPVS Socraticus, in nauigatione, pᵖter opes quas uehebat insidiis appetitus, eas in mare abiecit: Harum, inquit, interitus, mea salus erit. Suidas.

Amicitiæ.

DONATELLVS Florentinus, statuarius, pecuniam omnem in cistella ex officinæ tigno suspensa semper habuit, ut cuiuis amicorum quandocunque quantumcumque uellet, inde accipere, & tanquam sua uti, fruiq; liceret. Pomponius Gauricus Neapol. lib. de Sculptura.

Ephori, cùm ACESILAVS semper, ut quisq; inter senatores renunciatus esset, ei bouē honoris causa mitteret: multā ei dixerunt, adiecto elogio, quòd blandimentis & beneficiis communes ciues proprios suos redderet. Plut. de Pietate ergà fratres.

LIBRI

LIBRI QVINTI TITVLORVM DISPOSITIO.

- LIBERALITATI secundùm Excessum opponitur PRODIGALITAS, ἀσωτία, tū quo ad
  - Χρῆσιν euidētissimè, sic ut Prodigalitatis nomen eximiè mereatur, tum ἐν
    - Δαπάνῃ. PRODIGALITAS sumtuaria, respectu
      - PERSONARVM, Quarū causa fit sumtus. Vt in
        - Deos.
        - Homines. In
          - Meretrices.
          - Coquos.
          - Eunuchos.
      - RERVM, In quas fit sumtus, consideratarū ut
        - Sunt, Per se. Vide signum Aa.
        - Insunt, tāquam ACTIONES & PASSIONES quædā. Sumtus prodigi in
          - Spectacula.
          - Pompas
            - Regias.
            - Inaugurales.
            - Bellicas.
            - Triumph ales, Victoriæ.
            - Legationum.
            - Funebres
              - Hominum.
              - Belluarum.
          - Nuptias.
          - Conuiuia in
            - Genere.
            - Specie. Prodigi in ea quæ
              - Assumitur in
                - Aquam.
                - Pisces.
                - Aues.
                - Geminæ absorptæ.
              - Non assumuntur, quæuis alia.
          - Vestimenta.
          - Vnguenta.
          - Lumina nocturna.
          - Aleæ ludum.
          - Exercitia.
          - Venationes.
    - Δόσει. PRODIGALITAS muneraria respectu
      - Personarum, Quibus dātur. Puta
        - Regibus. Sacris hominibus.
        - Pauperibus. Improbis, indignis in genere.
        - Amasiis, Meretricibus.
        - Musicis. Ministris gulæ.
        - Potoribus, Helluonibus.
        - Scurris. Proditoribus.
      - Rerum, Quæ dantur. Vt
        - Vinum. Coronæ.
        - Pocula.
        - Domus, Prædia.
        - Dignitates.
        - Ludi, Spectacula.
      - Modi, Quomodo. Quæ prodigè dantur
        - Dono. Legato.
        - Multa. Venditione.
        - Dispersione.
        - Corruptione, Destructione, Iactura.
  - Κτῆσιν, etsi minus euidenter, si cum priore illa maximè illustri cōparetur. Peccat secundùm
    - Λῆψιν. PRODIGALITAS ἐν λήψει, Non accipiens exigēsue ea, quæ honestè iureue poterat:
      - Qui. Vt
        - Meretrices.
        - Medici.
      - Quæ. Vt
        - Vectigalia.
        - Salarium.
    - Φυλακῇ. PRODIGALITAS ἐν φυλακῇ, Non conseruans conseruanda:
      - Qui.
      - Quæ. Vt
        - Prædium, Agros.
        - Lucrum aleæ.
      - Cur. Præ
        - Desperatione. Insania.
        - Luxu, Voluptate, Gula. Abliguritores & Decoctores propriè dicti.
        - Ambitione.
        - Negligentia.



Voluminis Decimi Liber V.

DE PRODIGALITATE, eiúsque SPECIEBVS.

PRODIGALITAS SVMTVARIA. PRODIGI CIRca IMPENSAS & SVMTVS, qui fiunt respectu PERSONARVM.

IN DEOS.

ATHENIENSES prodigi erant in sacris deorum, nihilominus aduersus Lacedæmonios infeliciter pugnauerunt. Itaq; Hammonis Iouis oraculũ consulentes: Quidnã causæ foret, cùm ipsi lectas hostias ad aras mactarent, nihilq; huiusmodi facerent Lacedæmonij, uictoria tamen penes Lacedæmonios semper esset? Responsum acceperunt Athenienses, Tacitã & minimè ambitiosam Lacedæmoniorũ orationẽ magis, quàm Athenienſium pompam inanẽ diis probari: quibus semper est peculiare, multo magis dantis animũ, quàm munus intueri. Guido Bitur.

IN HOMINES. V. G. IN

EVNVCHOS.

SYTORIVS Priscus Pæzontẽ è spadonibus Seiani IIII M D. licitatus est: quod precium libidinis, nõ formæ fuit. Plinius lib. 7. cap. 39.

COQVOS.

SMINDYRIDES Sybarita, cũ ambiret Agaristiã, Clisthenis Sicyoniorum tyranni F. Sicyone mille coquos, totidemque aucupes, atq; mille piscatores conduxit. Aelianus lib. 12. de Varia historia. Athen. lib. 6. c. 8. Agoraſtem uocat.

MERETRICES.

CALLIAS quidam confectandis meretricibus uniuersum dilapidauit patrimonium. Hinc per iocum dicebatur à scortis deplumatus. Rauisius.

Fertur HELIOGABALVS meretricẽ & notissimã & pulcerrimã redemisse CH-S: eamq; intactam, uelut uirginem, coluisse. Lampridius.

PETRVS Riarius Cardinalis, ne quid deesset, in quo ordinis sui seueritatem non contemsisse uideretur, amicam Tiretiã sumtuosissimã aluit, quę calcęis margaritarum tegmẽto insignibus utebatur. Fulg. lib. 9. c. 1.

SCVRRAS, Moriones.

Vide Tit. Scurrilitatis studium in aliis.

HVGLETVS, Hybernię rex, neminem ex honestis liberalitate prosequi solitus, circa mimos ac ioculatores munificentiæ studiis uti cõsueuerat. Eo uicto occisoq;, Starcatherus quicunque ex histrionibus cepit, uirgis cædendos curauit, iocularis ministerij, fordidæq; conditionis cæteruam obscenoruerborum ludibrio multare contentus. Saxo lib. 6.

PRO-

PRODIGALITAS SVMTVARIA RESPECTV RERVM IN QVAS FIT SVMTVS. Siue considerentur

PER SE. PRODIGI IN

AEDIFICIA VNIVERSIM.

Plato philosophorum summus, uidens AGRIGENTINOS magnis impensis multa ædificia extruentes, dixisse fertur: Agrigentini quasi semper uicturi ædificant, & comedunt quasi semper morituri. Aelianus lib. 12. Var. hist.

Post ingentes uictorias in Oriente partas, Romã reuersus L. LVCVLLVS, luxuriæ atq; deliciarum inuentor ac parens habitus est. Nam quocunq; in loco eum uoluptas cepisset, nunc in mari, depulsis undis, immensa palatia ædificabat: nunc montibus ædificando occupatis, aquas superinducebat, ut in his cum natura contẽdere uideretur: nullaq; eum impensæ magnitudo deterreret, quo minùs perageret, quæ omnino fieri non posse uiderentur. Sanè uel hac ætate, ita glisćente luxu, horti tamen Lucullani inter principis sumtuosissimos habentur. Opificia eius maritima & ad Neapolim, ubi tumulos suspendit fossuris, euripis & riuis pisculentis ædificia sua circumiecit, diætas marinas extruxit, cũ Tubero Stoicus contemplatus esset, appellauit eum Xerxem rogatum. Iam habebat in Tusculano diętas mediterraneas & speculas amœni prospectus. Extruxerat ibidem laxa prętoria ambulationesq;. Quæ cùm uiiseret Pompeius, reprehendit Lucullum, quòd uillam optimè ad æstatem comparasset, uerùm habitationi brumali feciſſet incommodam. Ille uerò arridens: Putásne minus me, inquit, quàm grues & ciconias sapere, quin cum temporum articulis commutem diætas? Plut. in Lucullo.

C. CALIGVLA in extructionibus prætoriorum atq; uillarũ, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Et iactæ itaq; moles infesto ac ꝓfundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere ęquati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cùm morę culpa ca pite lueretur. Suetonius.

ISAACIVS Angelus Imp. furore quodam ad ædificandũ rapiebatur, decore omni neglecto. Nicetas.

TERRARVM ABSCISSIONES, PERFOSSIONES INSANAS.

Ex Tit. Magnificentiæ, Isthmi perfossionem non malè huc transferes.

XERXES rex Macedoniæ mõrem Athon à copiis naualibus, quæ ad Eleuntem Chersonnesi in statione erant, in Isthmo à continente præcidi imperauit, opus maioris ostẽtationis quàm usus. Quinq; urbes cum suo monte sunt à continenti ora rescissæ, Dion, Olophyxos, Acrothoon, Thyssus, Cleone. Euripus classiariorum opera factus duarum triremium capax. Sabellicus lib. 2. Ennead is 3.

De insania HOMINVM in cædendis marmorib. Plin. lib. 36. cap. j. hæc scribit. Montes natura sibi fecerat ad quasdam compages telluris uisceribus densandas, simul ad impetus fluminũ domandos, fluctusq; frangendos, ac minimè quietas partes coercendas durissima sui materia. Cędimus hos, trahimusq; nulla alia, quàm deliciarũ causa, quos transcendisse quoq; mirum fuit. In portento propè maiores habuere Alpeis ab Annibale exuperatas, & postea à Cimbris: nũc ipsę cęduntur in mille genera marmorũ: promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum. Euchimus ea quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant, nauesq; marmorum causa fiunt, ac per fluctus, sæuissimam rerum naturæ partem, huc illucq; portantur iuga montiũ, maiore etiam uęsania, quàm cùm ad frigidos potus uas petitur in nubilą, cœloq; proximæ rupes cauantur, ut bibatur glacie. Secum quisq; cogitet, quæ precia horũ audiat, quas uehi trahiq; moles uideat: sed & quàm sine his multorum fuerit beatior uita, ad quamq; multorum neces sit necesse ista facere, imò ueriùs pati mortaleis, quos ad usus, quáfue ad uoluptates alias, nisi ut inter maculas lapidum iaceant, ceu uerò non tenebris noctium dimidiæ parti uitæ cuiusq; gaudia hæc auferentibus.

AQVARVM DERIVATIONES, CORRIVATIONES.

CYRVS Persarum rex contra Babylonẽ tendens, cùm in Gyndamnę unus è sacris equis candidis submersus esset: ægrè ferens hanc, sibi à flumine illatam iniuriam, expeditione omissa, tota æstate cum uniuerso exercitu in eo fuit, ut Gyndem, qui priùs unico alueo fluebat, in C & XXC riuulos diuideret. Quo ipso facto dubium est, utrum Cyri stultitia, an iracundia, an prodigalitas maiore sit digna reprehẽsione. Stultitia certè occasionem præbuit iracundiæ, iracũdia ultionis, uindicta insanæ prodigalitati. Herodotus, lib. j.

TEMPLA, MONASTERIA.

CONSTANTINVS Monomachus Imperator, in gratiã Habræ Sclerenæ, in extruendo Manganorum monasterio tantos sumtus fecit, ut exhausto ærario, prouinciis, quæ ꝓpter immunitatem tributorũ angũstias tueri, atq; Barbaros aditu finium prohibere solebant, imponeret exactionem pecuniarum. Abolitis itaq; custodiis, aditus patuit Barbaris facillimus. Zonaras Tomo 3.

EPISCOPI nostri hodie, inqt Hugo Parisiensis, domos non impares ecclesiis magnitudine construunt, pictos delectantur habere thalamos: pauper autem sine uestibus incedit, & uacuo uentre clamat ad ostium. O mira delectatio: Troianos gestat paries pictus, purpura & auro uestitur, & Christianis negantur uteres panni: Hectori clypeus datur auro splendens, pauperi uerò ad ianuam clamitanti non porrigitur panis. Et ut uerum fatear, spoliantur pauperes sæpè, ut uestiantur lapides & ligná. Vincentius lib. 27. c. 18. ex 1. lib. Hugonis Parisiensis de Clauſtro animæ.

AEGYPTIIS templa substruere erat moris, marmore antiquis artificum manibus elaborato surgentia, auro splendida, picturis mollioribus egregiè perornata, summa colorũ uarietate distincta, omni demũ cultu nitida. Sed quod præcipuum fuerat, si deum requisisses, cuius exquisitio honori tantus impensus fuisset labor, bone deus, quàm ridicularia inuenisses, quàm prorsum ã rationis dictamine ac præscripto dissitum & sequestratum? Simia erat ea, aut ibis, aut hircus, aut id genus aliquid. Itaq; in prouerbium abiit, Aegyptium templum, de eo qui forinsecus perpolitus est, introrsum uerò turpissimus. Cælius lib. 16. c. 5. A. L.

THEATRA.

Omnium prodigorum insaniã uicit priuato opere M. SCAVRVS, cuius ædilitas maximè prostrauit mores ciuiles, maiusq; fortassis Syllæ malum tanta priuigni potentia, quàm proscriptio tot millium. Hic fecit in ædilitate sua opus maximum omnium, quæ unquam fuére humana manu facta, non temporaria mora, uerùm etiam ęternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinẽ CCCLX columnarum, in ea ciuitate quæ sex hymettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è uitro, inaudito etiã postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, ut diximus: imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas, fuerunt tria millia numero. Cauea ipsa cepit hominum XXC millia: cùm Pompeij amphitheatri, toties multiplicata urbe, tantoq; maiore populo, sufficiat largam XLM. Sed & reliquus apparatus tantus Attalica ueste, tabulis pictis, cæteroq; chorągio fuit, ut in Tusculanam uillam reportatis quę superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa uilla ab iratis seruis, concremaretur ad H—S. M. Plinius libro 36. cap. 2. & 15. Huius amplitudo tanta fuit, ut in eo sedere hominũ octuaginta millia potuerint: cùm Circus maximus, quem Pompeius lapide calceque extruxit, ultra sexaginta millia non caperet.

Maior fuit insania è ligno, C. CVRII, qui bello ciuili in Cæsarianis partib. obiit, funebri patris munere, cùm opibus apparatuque non posset superare Scaurum, ingenio usus est. Itaque theatra duo iuxtà fecit amplissima è ligno, cardinũ singulorum uersatili suspensa libramento: in quibus utriusque antemeridianò ludorum spectaculo ædito, inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis ut contrà starent, postremo iam die descendentib. tabulis, & cornibus inter se cocuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat. Variauit hanc suã magnificentiam festis turbatisq; cardinibus, & amphitheatri forma custodita, nouissimo die duabus per medium scenis athletas edidit, raptisque è contrario repentè pulpitis, eodem die uictores è gladiatoribus suis produxit. Nec fuit rex Curio aut gentium imperator, non opibus insignis, ut qui nihil in censu habuerit, præter discordiam principum. Plinius libro 36. cap. 15.

HERODES rex Iudæorum, contra patrios mores Theatrum & Amphitheatrum Hierosolymis ædificauit, & certamina edidit sumtuosissima. Iosephus lib. 15. c. 11. Antiq.

PONTES.

C. Cæsar CALIGVLA, Baiarum medium interuallum, & Puteolanas moles trium milliũ & sexcentorum ferè passuũ ponte coniunxit, contractis undique onerariis nauibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, superiectoq; aggere terreno, ac directo in Appiæ uiæ formam. Per hunc põtem

ultrò citroq; cõmeauit,biduo continenti. Primo die phalerato equo,insignisq; quercina corona, & securi, & cetra,& gladio,aureaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculoq; biiugi famosorum equorum præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine,& in essedis cohorte amicorum. Scio plerosq; existimasse,talem à Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquantò angustiorem Hellespontum contabulauerit. Alios,ut Germaniã & Britanniam, quibus imminebat,alicuius immensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebã, inquit Suetonius, causam operis ab interiorib. aulicis proditam, quòd Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio,& in uerum nepotem proniori, affirmasset,nõ magis Caium imperaturum, quàm per Baianum sinum equis discursurum. Dion libro 58. Iosephus libro 19. capite primo Antiquitatum,pontẽ è Puteolis(Dicearchia dicta)Messenem usq; in Siciliam triremibus constructum ait;manifesto errore.

TVRRES.

Turrim, quæ præ altitudine uix oculis terminari poterat, in eo loco quæ deinceps Babylon uocata est, impij post diluuiũ Noachi, uim aquarum formidantes, suadente NEMROTHO, primùm construxere.

PYRAMIDES, OBELISCOS.

Inter Aedificia hæc ipsa numeremus. Alio respectu ad Sepulcra etiam pertinent.

Regina SEMIRAMIS ex Armeniorum montibus lapidẽ excidi fecit, longitudine pedum centum quinquaginta, latitudine uerò spissitudineque quatuor & uiginti. Hunc magna curruum multitudine ad flumen delatum, nauiq; impositũ, Babyloniam detulit, inq; uia nobilissima erexit. Res mirabilis aspicientibus, quã à forma Obeliscum dicunt, inter VII miranda opera annumeratum. Diodorus lib.2.c.4.

Sunt Obelisci trabes lapideæ Solis numini sacratæ, eaq; propter ad radiorum similitudinem fiebant, minores pyramidibus deorsum uersum quadratæ, sursum in angustum desinentes uerticem, paulatim gracilescentes. Apud AEGYPTIOS nomen habent à radio, & planè talis est radij forma, dum per fenestrã intrat. Græci à ueru similitudine nuncupant, apud quos ὀβελὸς ueru est. Obelisci primùm in Aegypto, inde Romæ plures erecti sunt. Polydorus lib.3. cap. 11. de rerum Inuen. De quibus ita Plinius lib.36.cap.9.& 10. Obeliscum, Solis numini sacratum, primus omnium facere instituit MITRES Aegyptiorum rex, qui in Solis urbe regnabat, somnio iussus, & hoc ipsum inscriptũ est in eo. Postea & alij regũ in supradicta urbe, SOCHIS quatuor numero, quadragenûm octonûm cubitorũ longitudine: RAMISES autem is, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum. Idem digressus inde, ubi fuit Mneuidis regia, posuit alium, longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. Opus id fecisse dicũtur XXM hominũ. Ipse rex cùm subrecturus esset, uereretur q; ne machinæ ponderi non sufficerent: quo maius periculum curæ artificum denunciaret, filium suum adalligauit cacumini, ut salus eius apud molientes prodesset lapidi. Hac admiratione operis effectum est, ut cùm oppidum id expugnaret Cambyses rex, uentumq; esset incendio ad crepidines obelisci, extingui ignem iuberet molis reuerentia, qui urbis nullã habuerat. Sũt & alij duo, unus à SMARRE positus, alter ab ERAPHIO sine notis, quadragenûm octonûm cubitorum. Alexandriæ statuit unum octoginta cubitorum PTOLEMÆVS Philadelphus, quem exciderat Nectabis rex purum: maiusq; opus fuit in deuehendo statuendóue multò, quàm in excindendo. A Satyro architecto aliqui deuectum tradunt rate, Callixenus à Phœnice: fossa perducta usque ad iacentem obeliscum è Nilo, nauesque duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirẽt obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrinque: postea egestis laterculis alleuatas naues excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, & artificem donatum talentis quinquaginta. Hic autem obeliscus fuit in Arsinoe positus à rege supradicto, munus amoris in coniuge, eademq; sorore Arsinoe. Inde eum naualibus incommodum Maximus quidam præfectus Aegypti transtulit in forum, reciso cacumine, dum uult fastigium addere auratũ, quod postea omisit. Et alij duo sunt Alexandriæ in portu ad Cæsaris templum, quos excidit MESPHEES rex, quadragenûm binûm cubitorum. Non minor Romanorum luxus, qui moles illas stupendis nauibus Romam deuexêre. Is obeliscus, quem diuus Augustus in Circo magno statuit, excisus est à rege SEMNESERTEO, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, centum uigintiquinq; pedum, & dodrantis, præter basim eiusdem lapidis; is uerò qui est in campo Martio, nouem pedum minor, à Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Aegyptiorũ opera philosophiæ continent. Ei qui est in campo, diuus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumq; ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romę, confecto die, sexta hora: paulatimq; per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret. Manlius mathematicus apici auratã pilam addidit, cuius uertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atq; alia incrementa iaculantẽ apice, ratione(ut ferunt) à capite hominis intellecta. Hæc obseruatio XXX iam ferè annis non congruit, siue solis ipsius dissono cursu, & cœli aliqua ratione mutato, siue uniuersa tellure aliquid à centro suo dimota, ut deprehendi & in aliis locis accipio, siue urbis tremoribus ibi tantum gnomone intorto, siue inundationib. Tiberis sedimento molis facto: quanquam ad altitudinẽ impositæ rei, in terram quoq; dicantur iacta fundamenta. Tertius obeliscus Romæ in Vaticano, Neronis circo, quem fecerat Nuncoreus, Sesostridis F. ex omnibus unus omnino fractus est in molitione. Plinius lib.36.cap.9.& 10.

SESOSTRIS rex fecit duos obeliscos ex lapide duro, utrũq; altum cubitis centum uiginti: in quibus tum imperij magnitudinem, tum multitudinem uectigalium descripsit: addidit & quas subegit nationes. Memphi in Vulcani templo suas & uxoris lapidis unius statuas altitudine cubitorũ triginta, filiorum uerò uiginti ob hanc rem collocauit. Diodorus lib.j.cap.4.

PHERON, Aegyptiorũ rex, spiculum in medios fluminis Nili uortices contorsit: & propter id euestigiò amisso uisu, decennio cæcus fuit. Vndecimo anno ab urbe Buti oraculum accepit, uisum sibi rediturum, si oculos abluisset lotio mulieris, quæ suo tantùm uiro contenta fuisset. Ea calamitate liberatus, cùm alia in aliis templis donaria posuit, ad diuturnitatem memoriæ: tum maximè memorabilia ac spectaculo digna in templo Solis gemina saxa, quos Obelos uocant à figura ueru, centenûm cubitorum lõgitudinis, octonûm latitudinis. Herodotus lib.2.

CYPSELVS tyrannus Colossum aureum ex decimis Corinthiorum conflauit. Suidas.

Moles statuarum Colossos uocant, turribus pares. Talis est in Capitolio Apollo, translatus à M. LVCVLLO ex Apollonia Ponti urbe XXX cubitorum, CL talentis factus. Talis in campo Martio Iupiter, à CLAVDIO Cęsare dicatus, qui uocatur Pompeianus à uicinitate theatri. Talis & Tarenti factus à Lysippo XL cubitorum. Mirum in eo, quòd manu ut ferunt mobilis, ea ratio librameti est, nullis conuellatur procellis. Id quidem prouidisse & artifex dicitur, modico interuallo, unde maximè flatum opus erat frangi, opposita columna. Itaq; propter magnitudinem difficultatemq; moliendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cùm Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret. Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus RHODI, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supradicti discipul9. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrũ post quinquagesimumsextum annum terræmotu prostratum, sed iacens quoq; miraculo est. Pauci pollicem eius amplectũtur. Maiores sunt digiti quã pleræq; statuæ. Vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliuerat constituens. Duodecim annis tradunt effectum CCC talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrij, relicto moræ tædio. (Saraceni Rhodo capta ære huius statuæ DCCCC camelos onerasse feruntur. Ab hoc colosso Rhodij uocati Colossenses, & Rhodos Colossicola. Vide Sabel. lib.6. Ennead.8.) Sunt alij minores hoc in eadem urbe colossi centum numero: sed ubicunq; singuli fuissent nobilitaturi locũ. Præterq; hos deorũ quinq;, quos fecit Bryaxis. Factitauit colossos & ITALIA: uidemus certè Apollinẽ in bibliotheca templi Augusti Thuscanicum L pedum à pollice: dubium ære mirabiliorem, an pulcritudine. Fecit & Sp. CARVILIVS Iouẽ, qui est in Capitolio, uictis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, è pectoralibus eorum ocreisq; & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur à Latiario Ioue. Verùm omnem amplitudinem statuarum eius generis uicit Zenodorus, Mercurio facto in ciuitate Galliæ Aruernis, per annos X, H-S CCCC manipretio. Postquam satis ibi artem approbauerat, Romam accitus est à NERONE: ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit CX pedum lõgitudine, qui dicatus Solis uenerationi est, damnatis scelerib. illius principis. Ea statua indicauit interisse fundendi æris scientiam, cùm & Nero largiri aurum argentumq; paratus esset, & Zenodorus scientia fingendi cælandiq; nulli ueterum postponeretur. Quantoq; maior in Zenodoro præstantia fuit, tanto magis deprehendi æris obliteratio potest. Plinius libro 34 capite 7.

VILLAS.

Villam in Misenensi propè Baias C. MARIVS amœnã & mollius habebat instructam, quàm conueniret uiro, qui tot bella & expeditiones perpetrauerat. Eam ferunt LXXV millibus denariorum Corneliã emisse, nec multo interlapso spacio L. LVCVLLVS quingentis millibus & ducentis est licitatus. Adeò adoleuit breui luxuria, tantumq; ciuitas incrementi ad luxum cepit. Plut. in Mario.

ROM. prodigalitatem in uillis cum antiquarum frugalitate comparat Varro lib.j. de Re rust. cap.13.

In M. SCAVRI uillæ incendio bis millies sestertiûm absumtum legitur.

C. IVLIVM Cæsarem, uillam in Nemorensi à fundamẽtis incoatam, magnoq; sumtu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse scribunt, quanquam tenuem adhuc & obæratum: in expeditionibus tessellata & sectilia pauimenta circumtulisse. Suetonius.

DOMOS. VEL

Aedificando.

Legimus ACHABVM, regem Israel, tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit. Pro eburneis, domos dẽtis, id est, elephantinas in Hebræo inuenimus. Hieron. lib.j. in Amos cap.3.

C. MARIVS duos ac LXX annos natus, primus omnium Romanorum septimum Consulatum attigit. Hic quum domum magnificam instruxisset, quæ multis regiis ædib. clarior erat: fortunam suam crudelem appellabat, quòd priusquam cõsilia desideriaq; sua peregisset, obiret. Io. Gerund. lib.8. Paralip. Hispan.

M. Lepido, Q. Catulo consulibus, ut constat inter diligentissimos auctores, domus pulcrior non fuit Romæ, quàm LEPIDI ipsius. At postea intra annos XXXV eadem centesimum locum non obtinuit. Sed eas omnes duæ domus uicerunt. Bis uidimus urbem totam cingi domibus principũ, Caij & Neronis: & huius quidẽ (ne quid deesset) aurea. Plinius lib.36. cap.15.

NERO Cæsar non in alia re damnosior, quàm in ædificãdo. Domum à palatio Exquilias usq; fecit. Quam primò Transitoriam, mox incendio absumtam, restitutamq;, Aureã nominauit. De cuius spacio atq; cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo colossus CXX pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circunseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper aruis atq; uineis & pascuis syluisq;, uaria cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionũq; conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis uersatilibus: ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerẽtur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus uice mundi circumagerentur: balineæ marinis, & Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cùm absolutam dedicaret, hactenus cõprobauit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. Manarunt incerto auctore uersiculi duo, immensi illius operis indices:

Roma domus fiet. Veios migrate Quirites.
Si non & Veios occupat ista domus.

Sab.lib.2.En.7.ex Suetonio. Ad eam peragẽdam Otho qui Galbæ successit, quingenties sestertiũ, id est, duodecies centena & quinquaginta millia aureorum nostrorũ attribuit, quum tamen nihil deesset operi. Atqui hoc tam prodigiosum ędificium à theatro M. Scauri uictũ, contendit Plinius. Ingenti sumtu ædificauit triclinium grande, in cuius fornice stellæ, sol atque luna, gemmis expressæ, colore ipsorum siderum proprietatibus congruente, ex cœlestis cursus ratione mouebantur: sedilia aurea atq; eburnea aderant, muri argenteis floribus tecti, auesq;: locus assiduè omnium odorum fragrantiam spirabat. Fulg.lib.9.c.j.

Quibus facit Capitolij magnificentia admirationem, hi unã si in DOMITIANI domo uideant porticum, uel basilicã, uel balneum, uel pellicũ diætam: cuiuscemodi est Epicharmi ad gurgitem dictum:

Non benignus es, habes morbum, gestis tu largiens:

consimile quid ad Domitianum cogatur dicere: Nõ tu quidem religiosus, nec magnificus es, morbo teneris, gaudes cùm in ædificia omnia profundas: qui ut Midas ille omnia tibi aurea fieri & gemmea cupis. Plut. in Poplicola.

BELFLORIVS Siculus, homo non indoctus, ingenio tamen non satis constanti: cùm non paruam pecuniæ summam sibi comparasset, senex iam magnificam Catinæ domum incoauit, in cuius iaciendis fundamentis omnem illam summam absumsit. Qua absumta, cùm ab incœpto destitisset, accusareturq; à familiari quodam suo, quòd tantam molẽ, quæ regias facultates exigeret, uir priuatus & haud magna cum re aggressus esset: At, inquit, hoc ipsum ago, ut ubi è uita excesserim, magnũ me quendã fuisse uirũ, his è fundamentis posteri suspicentur. Pont. c.10. de Magnificentia.

HENRICVS II. Anglorũ rex, Rosimundæ concubinæ apud pagum Vodestocum domũ extruxit magnificam, instar Labyrinthi: ne ab uxore pellex facilè deprehendi posset. Polydorus lib.13.

Anno MDXXI. Frãciscus I. Galliæ, & HENRICVS IIX. Angliæ reges, constituto in finibus Morinorum loco, ad certã diem in colloquium uenerant. Gallus qui cum ornatissimo totius Galliæ procerum comitatu descenderat, sumtuosissimi operis tabernacula, multiplicesq; papiliones patẽtibus in locis erexit. Britannus aũt attulit ligneam domũ, amplissimæ regiæ instar, cùm luculentissimis & amplissimis porticibus atq; cœnaculis, quæ constabant ex materia miris modis elaborata, picta simul atq; inaurata, tanto fabrorum architectorumq; ingenio, ut aptissimis iũcturis atq; uertebris tota plicatilis membratim diuidi, &, quum luberet, iucsida commutatione tolli asportariq;, & rursus in uarias formas distingui atq; erigi posset. Iouius lib.20.

Ornando.

Secandi marmor in crustas, nescio an Cariæ fuerit inuentum. Antiquissima, quod equidem inueniam, Halicarnassi MAVSOLI domus Proconnesio marmore exculta est, latericiis parietibus. Is obiit Olympiadis C anno II. urbis Romę anno CCCII. Primùm Romæ parietes crusta marmoris operuisse totiùs domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit MAMVRRAM Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia, quem Catullus Veronensis carminibus suis proscidit, quòd domus ipsius haberet quicquid habuisset comata Gallia: Adiecit idem Nepos, cum primũ totis ædibus nullam nisi è marmore columnã habuisse, omnes solidas è Carystio aut Lunensi. Deniq; M. LEPIDVS, Catuli in consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione. Is fuit consul anno Vrbis DCLXVI. Post hunc Lepidum fermè quadriennio L. LVCVLLVS consul fuit, qui nomen Lucullęo marmori dedit, admodum delectatus illo: primusque Romam inuexit, atrum alioqui, cùm cætera maculis aut coloribus commendẽtur. Nascitur autem in Nili insula, solumq; penè horum marmorum ab amatore nomen accepit. Inter hos primùm (ut arbitror) marmoreos parietes habuit scena M. Scauri, non facilè dixerim sectos, an solidis glebis positos, sicuti est hodie Iouis tonantis ædes in Capitolio. Nondum enim secti marmoris uestigia inuenerat Italia. Harena hoc fit, & ferro uidetur fieri, serra in prætenui linea premente harenas, uersandoq; tractu ipso secante. Plin.lib.36.c.6.

Cn. DOMITIVS Lucio Crasso, collegæ suo, in censura altercatione orta obiecit, quòd columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem cùm continuò Crassus, Quanti ipse domum suam æstimaret, interrogaret, atq; ut responderit, Sexagies sestertiûm: Quò ergo eam (inquit) minoris fore æstimas, si decem arbuscula inde succidero? Ipse, Tricies sestertiûm, inquit Domitius. Tunc Crassus: Vter igitur luxuriosior est? egóne, qui X columnas C millib. numûm emi? an tu, qui X arbusculorum umbram tricies sestertiûm summa compensas? Valerius Maximus lib.9.c.j. Sed paulò aliter Plinius lib.17.c.j.

NERO cubicula uiatoria unionibus construebat. Plin.lib.37. capite 2.

ALFONSVS rex Neapolitanorum, regiam in qua habitabat, & templum ubi sacra faciebat, & multorum legatorum domos mirificè ornabat, & quidem uario ornamentorum genere: nihilominus tanquam parum abundaret, Galliam ulteriorem aulæis, Syriam gemmis penè spoliauit, ingentib. preciis propositis. Quinetiam artifices ac mercatores corrupit, ne quid præter cætera insigne, nisi sibi soli, uenderet. Pontanus cap.4. de Splendore.

Comparando.

M. Tul. CICERO non minoris quinquaginta millibus aureis habitauit. Quam pecuniam furto & rapina comparatã, scripsit Sallustius in sua contra eum Inuectiua.

P. CLODIVS, quem Milo occidit, sestertiûm centies & quadragies octies domo emta habitauit. Plin.lib.36. c.15.

THERMAS.

Crescente apud ROM. luxu, creuit & thermarũ magnificentia. Pauperes sibi uidebãtur, ac sordidi, nisi parietes magnis & preciosis orbibus refulsissent: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis fuissent distincta, nisi illis undiq; operosa, & in picturæ modum uariata circumlitio fuisset prætexta: nisi uitro absconderetur camera, nisi thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas circũdedisset, in quas multa sudatione exanimata corpora demittebant: &, ut inquit idem Seneca, nisi aquam argentea epistomia fudissent. Neq; uerò in iis statuas modò innumeras

& columnas nihil ſuſtinentes uiſere erat: ſed eò quoq; peruentum eſt deliciarum, ut nihil niſi gemmas calcare uellēt, ſicuti prodit Seneca : blattariaq; uocabāt balnea, ſi qua nō ita aperta eſſent, ut totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis reciperent, niſi & lauarentur ſimul & colorarentur. Cælius lib.30.cap.17.& 19.

SEPVLCRA. TVM

Hominum.

Sepulcrorum regum AEGYPTIORVM portẽtoſam magnificentiam pete ex Diod.Sic.lib.j.c.4. præſertim uerò Simandij regis, in quo minæ ter decies centenæ, & CC millia millium impenſa feruntur. Vide Titulum, Prodigi in Pyramides, Coloſſos.

Labyrinthus ſtultorum regum magnificum opus. Quatuor numero commemorantur: & quia non pauci in eo conſentiunt, ſepulcra regum fuiſſe, ſub Titulo Sepulcrorū eos complecti cum Pyramidibus uoluimus. De quibus Plin.lib.36. cap.13. & Sab.lib.6.Enn.j. Primus fuit MENIDIS ſiue Meridis regis Aegyptij, ut Diodorus lib.j.cap.5. teſtatur, quem alij regiam Mothærudis principis fuiſſe exiſtimant: alij Solis honori extructum ferunt. Hunc Plin.lib.36. c.13. ait, à Peteſuco rege, ſiue à Tithoe eſſe conditum. At Herodotus lib. 2. commune Aegyptiorum regum populariter quodãmodo præ nimia ambitione, inſanientium opus appellat, inquiens, Labyrinthus in Aegypto à XII regibus ædificata, paulò ſupra ſtagnum Mœrios, uerſus urbem Crocodilorū: quo nihil admirabilibus in toto orbe. Etenim XII eius aulæ ſunt tecto opertæ, portis oppoſitis altrinſecus: ſex ad Aquilonem contiguæ, totidem ad Auſtrum uergentes, eodē extrinſecus muro præcluſæ. Bifaria in eo ſunt domicilia: una ſubterranea, altera ſuperiora illis impoſita, utraq; numero tria millia quingenta. Subterranea dicunt ſepulcra eſſe eorum regum, qui ædificādi labyrinthi fuēre auctores, tum ſacrorum crocodilorum. Superiora quæ aſpici poſſunt, humanis operibus maiora. Egreſſus per tecta, & regreſſus per aulas diuerſiſſimi. Ex aula in conclauia tranſitur, ex cōclauibus in cubicula: è cubiculis in ſolaria alia, è conclauibus in alias aulas. Horum omniū lacunar, quemadmodū parietes, lapideum eſt, ſculptilibus paſſim figuris ornatū. Singulæ aulæ maxima ex parte digeſto lapide albo, columnarum ambitu redimitæ. Angulo, quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta paſſuum, in qua grandia ſunt inſculpta animalia, ad quam iter ſub terra fit. De eodē Strabo lib.17. Secundus in Creta, architecto Dædalo, qui ab Aegyptio ſumſit exemplar: ſed centeſimam tantùm portionē eius imitatus eſt, quæ itinerum ambages occurſuſq;, ac recurſus inexplicabiles continet: crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundumq; in errores eoſdem. Plin. lib.36. Tertius in Lemno fuit, quem, Plinio auctore, fecēre architecti Zmilus & Rholus, & Theodorus indigena, habēs CL columnas, ita libratis turbinibus, ut puero circumagente tornarentur. Quartus fuit in Italia, PORSENÆ regis Ethruſci monumentum. De quo ſic M.Varro : Sepultus eſt, inquit, ſub urbe Cluſio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato : ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm, inq; baſi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quò ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum inuenire nequeat. Supra id quadratum ſtāt pyramides quinq;, quatuor in angulis, in medio una: in imo latæ pedū ſeptuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm : ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus & petaſus unus omnib. ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ uento agitata, longè ſonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ extant, altæ pedum centenûm. Supra quas uno ſolo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adiicere. Fabulæ Hetruſcæ tradunt, eandem fuiſſe quam totius operis. Plin.lib.36.c.13.

De pyramidibus Aegyptiis, ſtolidæ prodigalitatis monumentis, multi ſcripſere. Herodotus, Euhemerus, Duris Samius, Ariſtagoras, Dionyſius, Artemidorus, Alexāder Polyhiſtor, Butorides, Antiſthenes, Demetrius, Demoteles, Apion, teſte Plinio lib.36. cap.12. qui regum pecuniæ ſtultam & ocioſam oſtentationem uocat: cùm faciendi eas cauſa à pleriſque tradatur, ne pecuniam ſucceſſoribus aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet ocioſa. Ioſephus libro 2. Antiq. Iud. dicit, Aegyptios coegiſſe Hebræos pyramides ædificare, ut eos huiuſmodi labore attererent. Erant aūt moles lapideæ infernè quadratæ, ſurſum uerſus acutæ.

Tres pyramides, auctore Plin. inter Memphim & Deltam fuiſſe conſtat: quarum unam ac reliquarum maximā, teſte Diodoro lib.2. CCCLX hominum millia annis XX conſtruxiſſe produntur: quam ſibi fecit, ut in ea ſepeliretur, CHEMIS rex, quem Herodotus Cheopem appellat. Continebat octo ſoli iugera, quatuor angulorum paribus interuallis per DCCCXXCIIX pedes; laterum altitudo pedes XXV. Herodotus in Euterpe ſcribit, Cheopem Aegypti regem feciſſe pyramidem ex Arabicis lapidibus, cuius longitudo erat quinque ſtadiorum, latitudo decem paſſuum, altitudo octo paſſuum, in qua decem annos fuiſſe conſumtos memorat, & in operarios pro cepis, apio & aliis erogata MDC talenta affirmat. Fecit & aliam uiginti annis abſolutam, in qua tantum profudit pecuniæ, ut nimio ſumtu attritus, filiam (quam habebat formoſiſſimā) coactus ſit proſtituere. Ea eſt, in qua MDCCC talenta in cepis & raphanis erogata ſunt.

Poſt hunc regnum obtinuit, ſicuti Diodorus ait, Cephus eius frater: aliis filius Chabreus. Herodotus non Chabreū, ſed Cephrenem: & non filium, uerùm fratrem illius, qui primā condidit pyramidem, facit. Hic alteram pyramidem ædificauit, arte priori ſimilem, magnitudine quidem imparem, cuius ſingula interualla per quatuor angulos pares MMDCCXXXVII pedes comprehendebant. Et hæ duæ, auctore Strabone, inter VII ſpectacula mūdi numeratæ ſunt.

Hunc regem, ut Herodotus & Diodorus produnt, ſequutus eſt MYCERINVS filius. Is tertiam pyramidem longè minorem paterna uicenis (uelut teſtatur Herodotus lib.2.) pedibus ex omni parte reliquit, ex Aethiopicis lapidib. Hanc quidam, teſte Strabone, Rhodopes meretriculæ ab amantibus poſitam uolunt, narrantes huiuſmodi fabulam. Quę ea aliquādo lauaretur, aquila alterum calceum è manu ancillæ rapuit, & in gremium regis iura Memphi dantis dimiſit. Rex demiratus, perquiri mulierē iuſſit, quā in urbe Naucratitarum inuentam uxorem duxit, & mortuæ inde pyramidem conſtruxit. Quod Herodotus prorſus falſum eſſe dicit, quum Rhodope mulier longè pòſt fuerit quàm reges qui pyramides feciſſent. Iſti igitur reges pyramidum auctores traduntur: etſi Diodorus lib.2. & Plinius lib.26. Natur. hiſt. à quibus factæ ſint, non ſatis conſtare dicant, iniquiſſimo caſu obliteratis tantæ uanitatis auctoribus.

ASYCHIS, rex Aegypti, poſt Mycerinū, reges ſuperiores antecellendi cupidus, reliquit memoriam ſui pyramidem lateritiam, inciſis lapidi literis in hæc uerba: Ne me cæteris pyramidibus compares, qui tantū illis præcello, quantum Iupiter cæteris diis. Nam fundum lacus conto uerberantes, quòd luti conto adhæreſcebat, id colligentes, me compoſuerunt, & in talem menſuram redegerunt. Herod.lib.2.

NINVS, Aſſyriorum rex potentiſſ. in prælio contra Zoroaſtrē Bactrianum cæſus, prægrandi eſt pyramide ſepultus. Gnidius Cteſias auctor eſt, apud Diod.lib.2. c.3. molis altitudinem nouem ſtadiorum fuiſſe, lateraq; aliquāto ſpacioſiùs euagata. Eam media planitie conditam memorāt, aliquot ſtadia à Nino urbe diſtantem. Regium id ſepulcrum diu poſtea ſuo mãſit ueſtigio, quum Ninus ipſe ſub id tempus intercidiſſet, aut certè non multò poſtquam Aſſyriorū eſt regnum à Medis euerſum. Sabel.lib.j. Ennead.j. ex Diodoro.

In Lydia ſepulcrum eſt HALYATTIS, Crœſi patris, inter omnia & Aegyptiorum & Babyloniorum opera in primis admirandum. Cuius baſis è grandioribus eſt lapidibus, reliqua ſepulcri pars agger terræ. Quod ſepulcrum conſtruxiſſe feruntur homines emtitij atque operarij, & unà cum his adiuuantes meretrices & ancillæ. Ad noſtram uſq; ætatem tumuli ſummitas quinq; terminis diſtinguitur: quibus literæ inſculptæ indicant, quantum quiq; hic laborauerint, apparetq;, ſi metiāre, ancillarum opus eſſe maximum. Lydorū ſiquidem filiæ omnes meretricantur: atq; hoc nimirū quæſtu tantiſper dotem colligunt, dum nubiles ipſæ ſe elocent. Sepulcri autem huius ambitus ſtadiorum eſt ſex, & duorū iugerum : latitudo, iugerum tredecim. Herod.lib.j.

Pythonicæ uel Pythionicæ meretrici defunctæ, quā adamauerat, filiamque ex ea ſuſtulerat, cùm HARPALVS, qui ab Alexandro cum magna ui pecuniæ ad Athenienſes confugerat, monumentum ſumtuoſum locare uellet faciendum, eius rei demandauit Charicli, Phocionis genero, curā. Hoc miniſterium per ſe turpe fœdauit inſuper ſepulcrum abſolutum. Extat enim & hac ætate in Hermio, quà Athenis Eleuſina itur : neq; in eo triginta talenta, quantam ſummā expenſam tuliſſe in id opus Harpalo autumant Chariclem, comparent. Plutarchus in Phocione, & Pauſanias in Atticis, & Athenæus libro 13. cap.23. qui ex Theopompo tradit, illū in hoc & in alterū, quod Babylone extruxit, CC talenta abſumſiſſe, Veneriſq; Pythionicę templū nuncupaſſe.

C. CÆCILIVS Claudius Iſidorus, obiens mortem, ſe funerari iuſſit ſeſtertiorum undecim millibus. Plin.lib.24. cap.10. & Volater.lib.14. cap.2. Anthrop.

LICINIVS tonſor ſepulcrum magnis ſumtibus & grauiſſimis impenſis ſibi fieri uoluit : qua ſepultura illa ætas nihil indignius iudicabat, quàm hominē ignobilem iacere tam regiè. Vnde ob rei indignitatem poeta ille:

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo, Credimus eſſe deos?

HARAL-

HARALDVS IV. Danorum rex, tota regni claſſe producta, iunctis hominum bouumque uiribus, inuſitatæ magnitudinis ſaxum, Iutico litore repertum, ad matris Thyræ tumulum adducere ſtudebat. Interea qui cum Suenone eius filio claſſi præerant, Haraldi imperium, tum quia Chriſtianam religionem introduxiſſet, tum quia inuſitatis plebem oneribus adigeret, peroſi, Suenonem ad arma aduerſus patrem ſumenda induxere, eumque regem ſalutauere. Haraldus interea quendam ſuorum è claſſe ſuperuenientem percontari cœpit, An tantam aliàs molem mortali manu trahi conſpexiſſet? Ille ſe maioris ponderis onus humanis uiribus confectum nuper admodum uidiſſe aſſeruit. Nam cùm tibi à filio, inquit, tota quanta illa eſt Dania ſubduceretur, intereram. Bello à Suenone uictus, in Sialandiam primùm, deinde Iulinum fugit. Vbi dum pacis inſtituto colloquio liberiùs euagatus, exinaniendi uētris gratia arbuſtis inſidet, à Tokone, Suenonis milite, ſagitta uulneratus, & à ſuis Iulinum relatus, obiit. Saxo lib.10.

Turcæ CHRISTIANORVM inſaniam ſatis admirari nequeunt, qui magnos ſumtus in ſepulcra faciant, quaſi nunquam reſurrecturi ſint. Cuſpinianus.

Brutorum.

TYNDAREVS, conuocatis Helenæ filiæ procis, ſuper execti equi teſtibus iuſiurandum concepit, cuicunque Helena deſponſaretur, armis ſe illius iniuriam, ſi à quoquā illæ nuptię uiolatæ fuiſſent, uindicaturum. Cùm hoc illos ſacramento adegiſſet, eo ipſo in loco equum defodit, eiq; monumentum erexit. Pauſanias in Laconicis.

Apud PERSAS equi, apud MOLOSSOS canes ſepulcra & exequias meruerunt. Vnde Statius lib.2. Syl.

—— gemit inter bella peremtum
Parthus equum, fidoſq; canes fleuere Moloſſi:
Et uolucres habuere rogum: ceruuſq; Maronis.
Item Strozza filius,
—— ſuos de more Moloſſa uetuſto
Condit terra canes, cineres nec lædit opertos.

In Aegypto fuiſſe paludem aiunt, quæ dicta Myridis eſt, propè quam fuerit Crocodilorum ciuitas, atque inibi uiſitatum quandoque cornicis ſepulcrum, cuius hanc opinati rationem ſint Aegyptij. Fuit Aegypti rex MARRHES nomine, qui cornicem impendiò mitem, ac prorſum habuerit cicurem, educationis ſolertiore cura eò prouectam inſuefactāque, ut pterophori curſoriſq; uice exuperantiſſimi fungeretur. Quò enim cōcupiſſet altor, ceu rationis planè compos, epiſtolas deferebat: commonita noſcens callidè, quà tranſuolandum, quóue dirigendus impetus, ac ubi ſidendum foret, interquieſcēdúmue. Quamobrem obſequio miti adeò, ac nullius ſtipendij indigo, & utcunque parato, quum obiiſſet, dignam à rege habitam, quæ ſepulcro ſteleq; honeſtaretur, propagandæ in æuum longiùs memoriæ facti tam inopinabilis, rarenterque auditi aliàs. Cælius libro 25. capite 28. Antiq. Lect.

AGRIGENTINI equis ſepulcra & pyramides erexēre. Plin. libro 8. capite 42.

Diodorus libro 1. capite 7. ſuo tempore QVENDAM fuiſſe ſcribit, qui in animalium ſepulturas haud minus centum talentis contulerit.

CIMON & XANTHIPPVS Lacedęmonius equos & canes parentis affectu luxerunt, & tumulo honorarunt. Namque Cimon Athenienſis equabus, quibus tertiùm uicerat in Olympico certamine, ſepulcrum ſtatuendum prope ſuum monumentum curauit: Xanthippus uerò cani ſuo, illudq; Cynotaphium appellauit. Pontanus cap.36. de Liberalitate, & Alex.lib.6.cap.14. ex Plutarcho.

Honori defuncti canis ciuitatem conſtituiſſe Magnum ALEXANDRVM, Theopompus ſcribit. Nobilis eſt Atalantę canis Aura nomine: quam quum Calydonia ſus peremiſſet, bruto ſepulcrum CALYDONII conſtruxere. Sicut in Helleſponto quod uocant Cynoſema. Geryonis canis, Gargittios nomine, Cerberi frater, ab Hercule cæſus, in Iberia quoque monumentum habet. Cælius lib.17. cap.28. Antiq. Lect.

C. IVL. Cæſaris equus, qui priores pedes humanis ſimiles habuit, nec alium ſeſſorem tergo recipiebat, ante Veneris Genetricis ædem marmorea fuit effigie conſecratus. Plinius libro 8. cap.42. Statuam eius graphicè deſcribit Statius libro 1. Syluarum.

Equus AVGVSTI Cæſaris mortuus, tumulo honoratus eſt. de quo Germanici Cæſaris carmen eſt. Plin.lib.8.cap.42.

HADRIANVS Romanorum Imperator, Boryſtheni equo, quo in uenationibus utebatur, mortuo, monumentum ædificauit : erexitque columnam, inſcripto epigrammate. Dion, & Xiphilinus.

M. ANTONINVS Verus, equo ſuo uiuēti ſimulacrū aureum fieri iuſſit, & mortuo ſepulcrum. Petrarcha.

COMMODVS praſinæ factionis equo mortuo, ſepulcrum in Vaticano fecit. Alex. ab Alex. lib.6. cap.14.

VIVARIA. TVM

In genere.

VIVARIA, ſepta quædam loca, in quibus feræ uiuæ paſcuntur, M.Varro lib.3. de Re ruſtica, Leporaria dicit appellari, inquiens: Villatica paſtionis tria ſunt genera, Ornithones, Leporaria, Piſcinæ. Alij Roboraria uocarunt, à tabulis roboreis, quibus ſepta eſſent. Gellius libro 2. capite 20. Noct. Att. Itali hodie Parcos uocant ſepta ferārumq; uiuaria uulgari nomine, quòd principis edicto parcendum ſit feris. Iouius in Piſcario lib.5.

Clitus Ariſtotelicus in iis, quæ ſcripſit de Mileto, & Alexis li.3. de Samiis, aſſerunt POLYCRATEM Samium tyrannum omnia quæ erant alibi ob delicias congregaſſe, canes ex Epiro Moloſſos & Lacænas, ex Scyro & Naxo capras, oues ex Mileto & Athenis, ſues ex Sicilia. Athen.lib.12.cap.19.

Volatilium. Auium.

Auiaria primus inſtituit, incluſis omnium generum auibus, M.LÆLIVS Strabo, Brunduſij, equeſtris ordinis. Ex eo cœperunt Rom. carcere animalia coercere, quibus natura cœlum aſſignauerat. Plin.lib.10.cap.50.

Columbarum amore inſaniunt multi, ſuper tecta exædificant turres iis, nobilitatemq; ſingularum & origines narrant, uetere iam exemplo. L. AXIVS eques Romanus ante bellum ciuile Pompeianum denariis quadringentis ſingula paria uenditauit, ut M.Varro tradit. Plin.lib.10. cap.37.

L.LVCVLLVS habuit auiaria tanta, ut omnibus temporibus auium, ſicut piſcium oſtrearumq;, copia ingens ſuppeteret. Plut. in Lucullo.

Terreſtrium.

Viuaria aprorum & glirium, cæterorūq; ſylueſtrium, primus togati generis inuenit FVLVIVS Lippinus, qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit. Nec diu imitatores defuēre L. LVCVLLVS, & Q.HORTENSIVS. Plin.lib.8.cap.51.& 57.

In fundo Tuſculano, quem emit M. Varro à M. PVPIO Piſone, ad buccinam inflatam certo tempore apri & capreæ conuenire ſolebant ad pabulum: cùm è ſuperiore loco è palæſtra apris effunderetur glans, capreis uicia, aut quid aliud. Apud Q.HORTENSIVM in agro Laurenti ſylua erat ſupra quinquaginta iugerum, maceria ſepta, quod non leporarium, ſed θηριοτροφεῖον appellabat. Ibi erat locus excelſus, ubi triclinio poſito cœnabatur. Quintus Orphea uocari iuſſit: qui cùm eò ueniſſet cum ſtola & cithara, & cantare eſſet iuſſus, buccinam inflauit: ubi tanta circumfluxit ceruorum, aprorum, & cæterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formoſum eſſet ſpectaculum, quàm in circo maximo ædilium, non ſine Africanis beſtiis cùm fiunt uenationes. Varro lib.3.cap.13. de Re ruſtica.

Aquatilium.

C.SERGIVS Orata, ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumq; diuerſos greges ſeparatis molibus includendo, ut nulla tam ſæua tempeſtas incideret, qua nō Oratæ menſæ uarietate piſciculorum abundarent. Aedificiis etiam ſpacioſis & excelſis, deſerta ad id tempus ora Lucrini lacus preſſit, quo recentiore uſu conchyliorum frueretur. Vbi, dum ſe publicæ aquæ cupidiùs immergit, Conſidij publicani iudicium nactus eſt. In quo Lucius Craſſus aduerſus illum cauſam agens, errare amicum ſuum Conſidium dixit, quòd putaret Oratam remotum à lacu, cariturum oſtreis. nanq; ea, ſi inde petere non licuiſſet, in tegulis reperturum. Valerius Max.lib.9.cap.1. Plinius tamen lib.9.ca.54. non gulæ ſed auaritiæ cauſa inſtituta cenſet, cùm uillas ita mangonizatas ſubinde uenderet.

Eadem ætate prior LICINIVS Murēna, reliquorum piſcium uiuaria inuenit. Cuius deinde exemplum nobilitas ſecuta eſt, Philippi, Hortenſij. L. LVCVLLVS exciſo etiam monte iuxta Neapolim maiore impendiò quàm uillam ædificauerat, euripum & maria admiſit. Qua de cauſa Magnus Pompeius Xerxen togatum eum appellabat. Tricies ipſius piſcinæ à defuncto illo ueniēre piſces. Ibidem.

Murenarum uiuarium priuatim excogitauit C.HIRIVS (Macrobio Hirrius) ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero murenarum mutuò appendit. Nam permutare quidem precio noluit; aliáue merce. Huius uillam intra quàm modicam quadragies ſeſtertium piſcinæ uendiderunt. Inuaſit deinde ſingulorum piſcium amor. Apud Baulos in parte Baiana piſcinam habuit HORTENSIVS orator, in qua murænam adeò dilexit, ut exanimatam fleuiſſe credatur. In eadem uilla, ANTONIA Druſi, murenæ quam diligebat inaures addidit, cujus propter famam nonnulli Baulos uidere concupiuerunt. Plinius libro nono, capite 55. & Macrobius libro 3. capite 15. Saturn. & Varro lib.3. de Re ruſtica, cap.17.

Q. HORTENSIVS cùm piſcinas haberet magna pecunia

 ædificatas

ædificatas & loculatas,ſemper tamen in cœnam piſces Pu-
teolos mittere ſolitus erat. Piſcatores qui cibũ miniſtrarent
habebat complures, & piſciculos minutos aggerebat fre-
quenter, qui à maioribus abſumerentur: ſalſamenta quin
etiam emta in eas coniiciebat, cùm mare turbaretur. Maior
illi cura de ægrotis piſcibus, quàm de ſeruis minus ualenti-
bus: minuſq; laborabat, ne ſeruus æger, quàm aquam frigi
dam biberent ſui piſces. Eaq; propter incuriæ damnabat
M. Lucullum, quòd piſcinæ eius æſtuaria idonea non habe
rent, ac reſidem aquam in locis peſtilentibus habitarent
piſces eius. Contrà ad Neapolim L. LVCVLLVS cùm per-
fodiſſet montem, ac maritimum flumen immiſiſſet in piſci-
nas, quæ reciproce fuêre, ipſe Neptuno non cedere de piſca
tu, cùm ſcilicet piſces ſuos in loca frigidiora propter æſtus
duxiſſet, ut Apuli pecora ſolent. In Baiano autem tanta ar-
debat cura, ut architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam con
ſumeret, dummodò perduceret ſpecus è piſcinis in mare,
obiectaculo, quo æſtus bis quotidie ab ortu lunæ ad nonã
proximã introire ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrige-
rare piſcinas. Piſcinas haſce maritimas Axius apud Varronẽ
lib.3. de Re ruſtica cap.17. magis ad oculos quàm ad ueſicã
pertinere ait, & potius marſupium exinanire, quàm reple-
re: quandoquidem magno ædificantur, magno implentur,
& aluntur magno.

OCTAVIVS præfectus claſſis, ſciens ſcarum adeò Italicis li-
toribus ignotum, ut nec nomen Latinum eius piſcis habe-
retur: incredibilem ſcarorum multitudinem in uariis naui-
bus aduectam inter Hoſtiam & Campaniæ litus in marẽ
ſparſit. miroq; ac nouo exemplo piſces in mari tanquam in
terra fruges aliquas ſeminauit. Idemque, tanquam in ſum-
ma in hoc utilitatis publicæ uerteretur, quinquennio dedit
operam, ut ſi quis inter alios piſces ſcarum fortè cepiſſet,
incolumem confeſtim & inuiolatum mari redderet. Macro
bius lib.3. Saturn. cap.16.

Piſcinas quàm refertas habuerint precioſiſſimis piſcibus Ro-
mani illi nobiliſſimi principes, L. PHILIPPVS, & Q. HOR
TENSIVS, quos Cicero Piſcinarios appellat, etiam illud
indicium eſt, quod M. Varro in libro de Agricultura refert,
M. Catonem, qui pòſt Vticæ periit, cùm hæres teſtamento
Lucilij eſſet relictus, piſces de piſcina eius XL millibus uen
didiſſe. Acceſſebantur autem murænæ ad piſcinas urbis ab
uſq; freto Siculo, quod Rhegium à Meſſana diſpicit. Illic e-
nim optimæ à prodigis eſſe creduntur, tam murænæ quàm
anguillæ. Et utræq; ex illo loco, Græcè πλῶται uocantur, La
tinè flutæ: quòd in ſummo ſupernatantes, ſole torrefactæ,
curuare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt, atq; ita faci
les captu fiunt. Macrobius lib.3. Saturn. cap.15.

Pauſilypum uilla eſt Campaniæ, haud procul Neapoli: in ea
in Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio coniectũ piſcem, ſexa-
geſimum poſt annum expiraſſe ſcribit Anneus Seneca, duo-
bus aliis æqualibus eius ex eodem genere etiam tunc ui-
uentibus. Plinius libro 9. cap.53. VEDIVS Pollio, quum pi-
ſcinas magno ſtudio coleret, ſolebat ſeruos ſuos occidere,
eoſque piſcibus uorandos præbere, ut hominum cruore pa
ſti delicatiores eſſent.

Reptilium.

Cochlearum uiuaria inſtituit FVLVIVS Hirpinus in Tarqui-
nienſi, paulò ante Ciuile bellum, quod cum Pompeio Ma-
gno geſtum eſt, diſtinctis quidem generibus earum, ſepara-
tim ut eſſent albæ, quæ in Reatino agro naſcuntur: ſepara-
tim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, qui-
bus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin & ſagi-
nam earum commentatus eſt, ſapa & farre, aliiſque generi-
bus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent: cuius ar
tis gloria in eam magnitudinem perducta ſit, ut octoginta
quadrantes caperent ſingularum calices, auctor eſt M. Var-
ro. Plin. lib.9. cap.56.

HORTOS.

☞ *Vide Tit. Magnificentiæ in hortis. Siquidem eadem ex-
empla ab auctoribus nunc ſplendori, nunc luxui
attribuuntur.*

GEMMAS, INSANIS PRECIIS COM-
paratæ gemmæ.

☞ *Conſule ſub locum Affectuum, Gemmarum amor.*

PLANTAS, ARBORES.

☞ *Conſule Titulum, Amor arborum.*

Primus Cn. MATIVS ex equeſtri ordine, diui Auguſti amicus,
inuenit nemora tonſilia. Plin. lib.21. cap.2.

ANIMALIA. PVTA

Aues.

Apud ROM. olim luſciniæ immenſo precio uendebantur, am
pliore etiam quàm olim armigeri. Plinius libro 10. capite
29. ſeſtertiis ſex candidam alioquin (quod eſt propè inuſi-
tatum) ueniſſe ſcribit, quæ Agrippinæ Claudij principis con
iugi dono daretur.

Columbi Romæ, ſi ſunt formoſi, bono colore, integri, boni
ſeminis, paria ſingula uulgò ueneunt ducenis numis, nec
non eximia ſingulis millibus numûm: quas nuper cùm mer
cator tanti emere uellet à L. Axio equite Rom. minoris qua
dringentis denariis daturum negauit. Varro lib.3. cap.7.

Equos, Aſinos.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Amor brutorum, ſub
loco Affectuum.*

Nefas ſit (credo) in SALOMONE rege, qui fuerit omnium ſa
pientiſſimus, fatidicoque patre genitus, luxum conſecta-
ri: quin ſi quid minus ciuile in illo fuit, ſi cum uirtute pen-
ſetur, iure diſſimulabitur. Poteſt tamen proximum luxuriæ
uideri, quòd citra omnem belli uſum tot millia equorum
aleret, præſertim iugatorum: quòd in pellicatu ad extremũ
uſq; uitæ hæſerit, ſitq; frequenti connubio uſus: ut niſi ſobo
lis procreatione excuſetur, non parua detur anſa, luxum in
eo calumniari uolentibus. Sab. lib.8. cap.7.

GLAVCVS Potniæus ex Potnia Bœotiæ uico, Siſyphi & Me
ropes filius, equas ſuas humana carne paſcebat, à quibus &
ipſe ſacra Veneris ſpernens poſtremò dilaceratus atq; deuo
ratus eſt, ut Virg. ait lib.3. Georgicorum:

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumſere quadrigæ.

Palæphatus ad mores retuliſſe uidetur, ut qui operas & mi
niſteria ſua neglexerit domeſtica, & equos magnis impen-
ſis aluerit. Quare poſtremò in extremam redactus eſt egeſta
tem. Ea de cauſa ab equarum malis conſumtus fingitur. Co
gnatus lib.2. ſyluæ Narrationum.

DIOMEDES Thraciæ rex in equos omnes ſuas opes prode-
git. Amici igitur equos illius ἀνδροφάγους appellarunt. Hinc
fabula orta, quòd equos ſuos hoſpitum ſanguine ſaginarit.
Palæphatus.

Vartonis memoria, aſinus Reatinus ueniit ſextertiis millibus
LX, & unæ quadrigæ ROMÆ conſtiterunt quadringen-
tis millibus. Varro lib.2. cap.1.

POPPÆA Sabina equos ſuos auro calceabat. Plinius.

THEOPHYLACTVS Romani Lacapeni Imp. F. Patriarcha
Conſtantinopolitanus, fertur habuiſſe ultra duo equorum
millia: iis alendis perpetuò erat intentus. Neque uerò iis fœ
num & hordeum proponebat edendum, ſed metarum fru-
ctus, thaſia, & piſtacia, ac palmulas, uuas paſſas, caricas,
eaque omnia lectiſſima, uino fragrantiſſimo temperata,
admixtis etiam croco, cinnamomo, balſamo, aliiſque aro-
matibus. Cuſpinianus.

Canes.

☞ *Vide infrà, Prodigi in Venationes.*

SVPELLECTILEM. TVM

In genere.

ANTIOCHVS Aſiæ rex tam prodigæ luxuriæ exercitum du
xit, ut præter frena & monilia, phaleras & armillas atque
ephippia, galeas & arma, etiam clauos aureos crepidis ſub
iectos, & argentea uaſa ad ſpurciſſimos uſus, reliquamque
ſupellectilem ex argento auroq; intertextam, militibus fer-
re permiſerit. Alex. lib.2. cap.29.

A Theſſalo SCOPA cùm quiddam ex inſtrumento domeſti-
co poſtulatum eſſet tam ſuperfluum quàm inutile: Nos ue-
rò, inquit, hiſce felices & beati ſumus ſuperfluis, ſed non il-
lis neceſſariis. Plut. de Cupiditate diuitiarum.

ALFONSVS rex cados & dolia & ſitulas ex argento habuit,
crateres etiam ex auro, toralia & mappas è tela cõquiſitiſſi
ma. Pontanus cap.2. de Splendore.

MATHIÆ Coruini Vngariæ regis luxum in ſupellectile de-
ſcribit Bonfinius lib.5. Dec.4.

In Vaſa. Et uel

Generatim.

Diogenes ANAXIMENIS philoſophi ſeruos conſpicatus
multa uaſa ferentes, Cuius ea eſſent? interrogauit. Cùm au-
tem illi, Anaximenis eſſe, reſpondiſſent: An non pudet
eum, inquit, tam multa habere, cùm ſeipſum non habeat?
Maximus ſerm.12.

Vaſa murrhina ante tertium Pompeij Magni triumphum Ro-
mæ nulla fuêre, qui ſex pocula Capitolino Ioui dicauit.
Mox tamen ea ad hominum uſum tranſiere, abacis etiam
eſcariiſque uaſis inde expetitis. T. PETRONIVS conſula-
ris moriturus, trullam murrhinam CCC ſeſtertiis emtam
fregit, ne ea Nero potiretur. NERO tamen uicit omnes,
CCC ſeſtertiis capidem unam parando. Naſcuntur in Ori-
ente, in Carmania præſertim, nitore, maculis & odore com
mendantur. Plinius libro 37. cap.2.

In Lances, Patinas.

DRVSILLANVS Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerio-
ris ſub Claudio, lancem quinquagenariam habuit argen-
team, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat: &
comites eius lancis octo quinquaginta librarum. Plinius
libro 33. capite 11.

VITELLIVS in principatu ſuo CC ſeſtertiis condidit pati-
nam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quo-
niam eò peruenit luxuria, ut etiam fictilia pluris conſtent,
quàm murrhina. Propter hanc Mutianus altero conſulatu
ſuo in conquiſitione exprobrauit patinarum paludes Vitel
lij memoriæ. Plin. lib.35. cap.12.

In Pocula, Crateres.

MITHRIDATES Ponti rex, cùm per totã ſuã ætatem ſplen-
dorem excoluiſſet, moriens, ad duo millia poculorum ex o-
nychite lapide, auro politorum, phialas permultas, & mira
uarietate uaſcula, & alia ſplendorem multum præ ſe feren-
tia poſt ſe reliquit. Pont. cap.3. de Splendore.

In Salina.

IOANNES Varadienſis epiſcopus, legationis (quã Mathias
Coruinus Vng. rex, adducendæ ſponſæ ſuæ Beatricis gra-
tia Neapolim miſerat) princeps, ab Vrbinate duce honorifi-
centiſſimo exceptus hoſpitio, in menſa ſalinum expoſuit,
quod principem etiam ditiſſimum in admirationem addu-
xit. Id monti erat impoſitum, à latere arbor creuerat ſalino
prominens, quæ pomorum loco gemmis, optimiſq; lapil-
lis onuſta, pro umbra conſpicuo nitore micabat. in monte
latebræ affabrè factæ, quæ gemmarias apothecas refere-
bãt Item aureum prochyton, cui emiſſoriæ loco fiſtulæ dra
co proſtabat anhelans: è conchiliis huic corpus erat, promi
nebatq; arduo capite: ad pedes, in ſpiras aureas caudam re
uocabat: gemmata inſuper anſa, tegmẽtum oris in faſtigia-
tæ teſtudinis morem ſeſquipedale conſurgebat: cætera ex
auro omnia. Supra editiſſimam baſim tripedalis moles ex-
creuerat. Bonfinius lib.4. Dec.4.

In Orbes. Quadras.

PHILIPPVM MARIAM, ducem Mediolanenſium, quodã
in conuiuio ſtatuiſſe legimus, ne argenteis quadris, ſed li-
gneis, tamen nouis, carnes in menſa conuiuis apponeren-
tur: ipſas autem quadras, alias poſt alias ſtatim mutari, mu
tatasq; abiici iuſſiſſe, eaq; ratione grandem quandam ſum
mam effudiſſe. Pontanus cap.2. de Splendore.

In Matulas, Amides, Trullas, Scaphia.

SYBARITÆ amidas excogitarũt primi, id eſt matulas, quas
conuiuiis intuliſſe Græci gaudent. Ex Athen. lib.1. cap.6. Cœ
lius lib.7. cap.9. Antiq. Lect.

Cryſtallinam trullam unam H-S. CL M. mercatam à matrefa-
miliâs ROM. nec diuite, Plinius ſcribit.

Meſſala orator prodidit, M. ANTONIVM Triumuirum au-
reis uſum in omnibus obſcenis deſideriis, pudendo crimi-
ne etiam Cleopatræ. Summæ apud exteros licentiæ fuerat,
poculo aureo puluino ſubdito, Philippum regem dormire
ſolitum: Agnonem Teium Alexandri Magni præfectum au
reis clauis ſuffigere crepidas: Antonius in contumeliam na
turæ uilitatem auro fecit, opus proſcriptione dignum. Pli-
nius libro 33. capite 3.

BASSAM Martialis lib.1. notat, quòd excrementa corporis
aureo exciperet uaſe, ubi ait:

Ventris onus miſero (nec te pudet) excipis auro.
Baſſa, bibis uitro: cariùs ergo cacas.

HELIOGABALVS uentris excrementa aureis trullis exci-
piebat, myrrhino & gemmatis ſcaphiis urinam. Lãpridius.

PETRVS Riarius Sauonenſis Cardinalis argenteis uaſis
onus uentris excipere conſueuerat. Fulg. lib.9. cap.1.

Menſas.

M. CICERO menſam cedrinã emit H-S X. & Gallus Aſinius,
H-S XI. Venundatæ ſunt & duæ Iuba rege uendente: qua-
rum alteri precium fuit H-S. XV. alteri paulò minus. Inte-
riit hæc incendio, à Cethegis deſcendens, H-S XIIII per-
mutata, latifundij taxatione, ſi quis prædia tanti mercari
malit. Plin. lib.13. cap.15.

CARVILIVS Pollio citreas menſas, quæ elephantinis pedi-
bus ſuſtentarentur, primus habuit. Alex. lib.5. cap.21.

HELIOGABALVS menſas argenteas primus inſtituit.
Lampridius.

Lectos.

PERSÆ neglectà auita parſimonia in tantam luxuriã prola-
pſi ſunt, ut lectos auro fulgentes, & gemmis ornatos inſtru
xerint. Alex. ab Alex. lib.5. cap.31.

Luxum ROMANORVM in lectis & tricliniis argenteis, item
in poculis, pete ex Plin. lib.33. cap.11. Quo in loco CARVI-
LIVM Pollionem equitem Rom. tricliniis primum argen-
tum addidiſſe ſcribit. Et C. GRACCHVM Delphinos qui-
nis millibus ſeſtertiis in libras emtos habuiſſe: L. uerò
CRASSVM oratorem duos ſcyphos Mentoris artificis ma
nu cælatos ſeſtertiis C. confeſſum tamen, nunquã ſe his uti
propter uerecundiã auſum. Eundem uaſa habuiſſe VI mil-
libus ſeſtertiis in ſingulas libras emta.

Fiebant antiquitùs ex teſtudine lecti precioſi, quod Plinius, Iu
uenalis, Martialis & cæteri prodidêre. Cuius rei Iureconſul
ti quoq; meminerunt his uerbis: Nunc ex ebore, aut teſtudĩ
ne, aut argento, iam ex auro etiam atq; gemmis ſupellectili
utuntur. Plinius portentoſa ingenia appellat, quæ materiã
in mari quæſiuêre ad lectos, teſtudinemq; in hoc ſecuêre.
Feneſtella dicit, Tiberij Cæſaris in principatu teſtudineos
lectos in uſum ueniſſe. Guido Bituricenſis.

ATILÆ Hunnorum regis lectus, quo cubabat, tum menſæ
& conuiuiorum, præterea culinæ, inſtrumenta, ephippia,
phaleræ, & alia equorum ornamenta, auro gemmiſq; deco
ra fuere. Bonfinius lib.7. Dec.1. & Olahus cap.3.

Stragula, Linteamina.

HELIOGABALVS in priuata adhuc fortuna intectis auro
lectis utebatur, argenteiſq; centum pondo uaſis.

IDEM lotum nunquã attigit, mendicos dicens, qui linteis lo-
tis uterentur. Lampridius in Heliogabalo.

GALIENVS Imp. ignauiſſimus, aureis linteaminibus lectum
ſuum ſterni uoluit. Alex. lib.5. cap.21.

PETRVS Riarius Sauonenſis Cardinalis, non lectos aureis
ſtragulis integere ſatis habuit, ſed lectorum etiam ipſorum
culcitras & ſericeis & aureis pannis confecit. Fulg. li.9. ca.1.

Arma cibaria.

Dominici Syluij Venetorum ducis VXOR Græca, ſuſcinulis
aureis cibos ori admouiſſe, magno luxuriæ argumento,
ſcribitur. Sabellicus.

IN TENTORIA.

ATILA Hunnorum rex tentoria habebat uaria, ex more re-
gnorum, quæ antea ſubegerat, mira arte contexta. Id quo i-
pſemet utebatur, ex ſerico, auro, gemmis intextum orna-
tumq; erat, precioſis interiectis lapidibus. Huius mali au-
rei, quorum commiſſiones atq; iuncturas uniones ſplendi-
di ornabant. Aliud, in quo equi ſtabulabantur, ſericeum tõ-
tum. Bonfinius lib.7. Dec.1.

IN SIGNA, STATVAS, TABELLAS.

GRÆCI ſigna uſq; ad inſaniã amplexati ſunt. Siquidem pro-
dunt eminentiſſimi auctores, Rhodi fuiſſe ſignorum ad ſe-
ptuaginta tria millia. Nec pauciora Athenis ac Olympiæ,
Delphis etiã ſuperfuiſſe creditum eſt. Plin. lib.34. cap.7. Mul-
ti iis, quæ uocant Corinthia, in tantum capiebantur, ut ſecũ
etiã circumferrent, ſicut Hortenſius orator Sphingem Verri
reò ablatam: propter quam Cicero illo iudicio, in alterca-
tione, neganti ei ſe ænigmata intelligere, reſpondit, Debe-
re, quoniã Sphingem domi haberet. Circumtulit Nero prin
ceps Amazonem. C. Ceſtius conſularis ſignum etiã in præ-
lio ſecum habuit. Alexandri Magni tabernaculum ſtatuæ ſu
ſtinebant. Cælius lib.29. cap.24.

Hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam GORGIAS
Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit, LXX circiter O-
lympiade. Tantus erat docendæ oratoriæ artis quæſtus. Pli-
nius lib.33. cap.4.

In M. SCAVRI ædilitate tria millia ſignorum in ſcena tãtùm
fuere temporario theatro. MVMMIVS deuicta Achaia re-
pleuit urbem: ipſe exceſſit non relicturus filiæ dotem. Mul-
ta & LVCVLLI inuexere. Plin. lib.34. cap.7.

C. IVLIVM Cæſarem toreumata, ſigna tabulaſq; antiquiſſi-
mas magna cura comparaſſe legimus, ut ædes ſuas ſplendĩ
das redderet. Pont. cap.3. de Splendore.

NERO princeps iuſſerat coloſſeũ ſe pingi centum uiginti pe-
dum in linteo, incognitũ ad hoc tẽpus. Ea pictura cùm per-
acta eſſet in Lamianis hortis, accẽſa fulmine cũ optima hor
torũ parte conflagrauit. LIBERTVS eius cùm daret Antij
munus gladiatoriũ, publicas porticus inueſtiuit pictura, gla-
diatorum miniſtrorumq; omnium ueris imaginib. redditis.
Pingi autem gladiatoria munera atque in publico exponi
cœpta à C. TERENTIO Lucano. Is auo ſuo, à quo adopta
tus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulã-
que pictam in nemore Dianæ poſuit. Plin. lib.35. cap.7.

IN LIBROS, BIBLIOTHECAS.

Quadraginta millia librorum Alexandriæ arſerunt. Pulcherri-
mum regiæ opulentiæ PTOLEMÆI Philadelphi & ſequẽ
tium regũ monimentum. Alius laudauerit, ſicut Liuius, qui
elegantiæ regum curæq; egregium id opus ait fuiſſe. Non
fuit elegãtia illud, aut cura, ſed ſtudioſa luxuria, imò ne ſtu
dioſa quidem, quoniã non in ſtudium, ſed in ſpectaculum
comparauerat: ſicut pleriſq; ignaris etiam ſeruilium litera-
rum libri, non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum or-
namenta ſunt. Seneca lib.4. de Tranquillitate uitæ.

IN NAVES.

CAIVS, qui Tiberio Auguſto ſucceſſit, liburnicarum nauiũ
gem-

gemmatis puppibus, ac diuersicoloribus uelis usus est: in quibus etiam thermas, porticus & triclinia magna laxitate statuit, uitibus etiã ac pomiferis arbusculis dispositis. Suet.

PASCHASIVS, episcopus Campanus, oblitus officij sui, naui ædificandæ totus intentus erat, sic ut quotidie cum uno aut duobus clericis ad mare descenderet, ab omnibus contemtus, iamq; supra CCCC solidos eo stultitiæ genere profuderit. Scribit ergo Anthemio subdiacono D. Gregorius Pp. ut nisi monitus sapere discat, Romam docendus mittatur, lib.11. Epist.cap.29.

IN NAVTICA INSTRVMENTA.

ALCIBIADES Atheniensis, purpureis in prætoria naui usus est uelis: tanquam concharum sanies, quia marinæ sunt, magis ad naualem expediret cursum, quàm candens linum. Sab.lib.8.cap.7.

CILICES piratæ, cùm omne internum mare latrocinio insedissent, purpureis sunt uelis usi, auratis rudentibus, remis argento præditis. Sab.lib.8.cap.7. ex Plut. Pompeio.

CAIVS, qui Tiberio in imperio successit, liburnicarum nauiũ gemmatis puppibus, ac diuersicoloribus uelis usus est suis in nauigationibus: in quibus etiam thermas, porticus & triclinia magna largitate statuit, uitibus etiam ac pomiferis arbusculis dispositis, quarũ umbra de die tectus, inter choros & cantus litora Campaniæ comessabundus discurrit. Pontanus cap.3. de Magnificentia, ex Suetonio.

IN VEHICVLA, LECTICAS.

AGRIGENTINI habebant lecticas totas ex ebore. Aelian9.

NERO Cæsar nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum amaxicorum turba, atque cursorum. Suetonius.

HELIOGABALVS habuit gemmata uehicula & aurata, contemtis argentatis & eboratis & æratis. Lampridius.

IN PISCATORIA ARMA.

CAIVS Cæsar piscatus est rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Suetonius.

NERO aureo sericeoq; rete piscabatur. Fulg.lib.9.cap.1.

IN CHORAGIVM.

Prætor quidam magnificos ludos edere parabat. Hic ad ornãdum chorum petiit ab L. LVCVLLO chlamydes purpureas. Ille respondit, consideraturum se: si haberet, daturum. Postero die rogauit, quot opus haberet? Qui cùm centum diceret satis fore: iussit eum bis totidem capere. Horatius dicit quinq; millia, & annectit epiphonema hoc:

Exilis domus est, ubi non & multa supersunt,
Et dominos fallũt, & prosunt furibus. Plut. in Lucullo.

Per hæc ille consecutus est, ut inter rara luxuriæ exempla tẽpestatis illius censeretur. Notum est illud in ore Quiritum celebre: Loquitur ut Cato, uiuit ut Lucullus. Sab.lib.8.cap.7. & Pont.cap.4. de Splendore.

IN MORTIS INSTRVMENTA.

HELIOGABALVS, quia ex Syriis sacerdotibus cognouerat fore, ut uiolenta periret morte: in aureis uasis uenenum parauit: item sericeos laqueos, gemmatosq; cultellos, si uel appendere se, uel iugulare, ut casus ferret, uoluisset: atq;, si ut præcipitem se ex alto daret, in animum uenisset, turrim auratam totam extruxit, ex marmore auroque constrato circa eam solo. Lampridius, & Sabell.lib.6.En.7.

RESPECTV HOMINIS, CVIVS SVNT ACTIONES uel PASSIONES quædam. Prodigi in

SPECTACVLA, EORVM'QVE apparatum.

Vela in theatris ad umbram faciendã primus inuenit Q. CATVLVS, cùm Capitolium dedicaret. Carbasina deinde uela primus in theatro duxisse traditur LENTVLVS Spinter Apollinaribus ludis. Mox CÆSAR Dictator totum forum Romanum intexit, uiamque Sacram ab domo sua ad cliuũ usque Capitolinum, quod munere ipso gladiatorio mirabilius uisum tradunt. Deinde & sine ludis MARCELLVS Octauia sorore Augusti genitus, in ædilitate sua, auunculo XI. Coss. Calend. Augusti, uelis forum inumbrauit, ut salubrius litigantes consisterent: quantum mutatis moribus Catonis Censorij, qui sternendum quoque forum muricibus censuerat? Vela nuper colore cœli stellata per rudẽtes, terra etiam in amphitheatris principis Neronis rubente. Plin. libro 19. capite 1.

Eques Rom. à Iuliano, curante gladiatorium munus NERONIS principis, missus ad litus Oceani Germanici succini gratia, tantã inuexit copiam, ut retia arcendis feris podium protegentia succinis nodarentur, arma uerò & libitina totusq; unius diei apparatus esset è succino. Maximum pondus is glebæ attulit XIII. librarum. Plin.lib.37.cap.3.

CÆSAR Dictator, primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu harenæ argenteo usus est, ferasq; argenteis uasis incessere, tum primùm uisum. Mox, quod etiã in municipiis æmulantur, C. ANTONIVS ludos scena argentea fecit. Itẽ L. MVRENA & CAIVS princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIIII. Plinius libro trigesimotertio, capite 3.

CLAVDIVS Pulcer scenam uarietate colorum adumbrauit, uacuis antè pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus prætexuit. Versatilem fecerunt Lucius & Cinna locum, quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinter adornauit. Translatum antea Phœniceis indutum tunicis, M. Scaurus exquisito genere uestis cultum induxit. Valer. Max. lib.2, cap.1. & Alexan. ab Alexan. lib.5.cap.16.

Q. CATVLVS Campanam imitatus luxuriam, primus spectãtium consessum byssinis uelamentis & umbraculis texit. Plinius lib.15. Val. Max. lib.2.cap.1.

C. IVL. Cæsar Aedilis, spectacula gladiatorum, uenationes & ludos, pompas atq; conuiuia profusissimis sumtibus exhibuit, ut priorum munificentias omnes obliteraret, plebẽq; sibi obsequiosissimam efficeret, adeò ut defuncto Metello ipse sit creatus Pontifex maximus, licèt potentissimos & clarissimos uiros Q. Catulum & Seruilium Isauricum haberet competitores. Suetonius & Plutarchus. Ne sol spectatoribus molestus esset, peripetasmata serica suprà extensa fuerunt: qui panni facti primò ad Barbarorum uoluptatem, ab illis ad Romanos, ad muliebres delicias, fuerunt importati. Xiphilinus in Cæsare.

NERO auri ramenta pro harena in ludis & spectaculis strauisse, & uela stellata colore cœli posuisse, totumq; Pompeij theatrum in unum diem auro operuisse dicitur, quod Teridati Armeniæ regi ostenderet. Alex. ab Alex. lib.5.cap.16. ex Plinij lib.33.cap.3.

ADRIANVS Imperator in ludis & spectaculis Rom. balsama & crocum per gradus theatri strauisse fertur. Alexan. ab Alex.lib.5.cap.16.

HELIOGABALVS Circensibus ludis nauale certamen dedit in euripo uini pleno. Lampridius.

POMPAS VARIAS, TVM Regias.

CLEOPATRA Aegypti regina ab irato M. Antonio amatore in iudicium uocata, cùm ex Aegypto in Ciliciam nauigaret, flumen Cydnum incredibili pompa subiuit. Nauis eius aurata puppi, uelis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiarum, fistularum & cithararum modos. Recũmbebat illa sub tabernaculo auro intexto eleganter exculta, ut pingitur Venus. Pueri pictis Cupidinibus assimiles hinc inde stabant, & uentulum ei faciebant. Ancillæ itidem, quæ forma præcellebant, Nereidum & Gratiarum modo amictæ, partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant ripas odores ex suffituum copia fragrãtissimi. Homines autem alij statim à fluuio ex utraq; ripa comitabantur eam, alij ad spectaculum descendebãt ex urbe. Effusa forensi turba, ipse deniq; pro tribunali sedens Antonius relictus est solus. Manauit autem per omnes rumor, Venerem ad salutem Asiæ uenire ad Bacchum comessatum. Egressam postea naui, cùm pro iudicio res in conuiuiorum certamen deducta esset, inter cætera quæ nimis profusè delicateq; egit, cùm pepegisset cum M. Antonio se plus impẽsæ uno bolo, quàm Antonium magno conuiuio absumturã: ingentem unionem, cui similis magnitudine specieq; nũquam uisus erat, ab aure detraxit, atq; aceto maceratum absorpsit. Et cùm iam manum ad alterius auris unionem apposuisset, ab Antonio, cùm uicisse eam declarasset, prohibita abstinuit. Plut. in Antonio.

NERO nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum. Suetonius.

HELIOGABALVS iter priuatus nunquam minus sexaginta uehiculis fecit, auia sua Varia reclamãte, quòd omnia perditurus esset. Imperator uerò etiam sexcenta uehicula dicitur duxisse, asserens decem milibus camelorum Persarum regem iter facere, & Neronẽ quingentis carrucis iter iniisse. Causa uehiculorũ erat lenonũ, lenarũ, meretricũ, exoletorũ, subactorum etiã benè nasatorum multitudo. Lãpridius.

Inaugurales.

M. ANTONIVS III. uir duobus aureis thronis Alexandriæ fabricatis, quibus argentei erant gradus, uno ipse residens, altero Cleopatra, omni multitudine ad id spectaculum circunfusa, Cleopatram Aegypti, Cypri, Libyæ, Syriæ, Cœles reginam appellauit, unà cum ea Cæsarionem regnare iussit, quem Cleopatra ex Dictatore Cæsare conceperat. Plutarchus hunc posthumum fuisse significare uidetur: sed Oppius siue Hircius in Commentariis auctor est, quum Cæsar adhuc in Alexandria esset, puerum ex eo & Cleopatra natum, quem à suo nomine ille sit passus Cæsarionem uocari. Mox Antonius secundo loco suos & Cleopatræ filios, Reges regum nominauit, assignauitque Alexandro Armeniã, Mediam & Parthiam, si quando regna ipsa bello subigi contigisset: Ptolemæo natorum alteri Phœniciam, Syriam & Ciliciam. Atque horum utrunque uario cultu circumtulit. Alexandrum Medica ueste & tiara præditum & tectum cidari, qui Medorum erat regum habitus. Ptolemæus in crepidis processit cum chlamyde & diademate, quo cultu usi fuerãt omnes ab Alexandro reges. Augebat hanc inuidiam Cleopatræ insolentia, quæ in stola Isidis se plurimum offerebat. Sabellicus lib.9.En.6.

NICOLAVS Lubicensis episcopus an. 1439. solenniter inauguratus, fecit impensas tam in die consecrationis, quàm sequenti die suæ primæ Missæ pontificalis, pro bonore ecclesiæ suæ, ad mille marcas. Cranzius lib.11. Metrop.c.37.

LEO X. eo die, quo coronam pontificiam accepit, centum aureorum numûm millia effudisse fertur. Guicciardinus libro undecimo.

Bellicas.

DARII ultimi Persarum regis luxum in exercitus contra Alexandrum Magnum pompa, pete ex Sabellici libro quarto, Enneadis 4.

ALEXANDER Magnus mille semper habuit elephantos, deferentes eius aurum: quadringentas quadrigas oneratas, mille ducentas bigas, equitum trecenta millia: camelorum, mulorum & dromedariorum innumerabilem multitudinem, quæ uel exercitui necessaria, uel annonam uehebãt. Plutarchus.

ANTIOCHVS Demetrij frater, Syriæ rex, bellum Parthis ultrò intulit. In quo ornando non minor luxuriæ fuit, quàm uirtutũ ostentatio. Octingenta millia armatorum sub signis illi fuisse dicuntur, alteriusq; hominũ colluuionis trecenta millia & ampliùs. Argenti & auri adeò ingens copia, ut uel gregarij milites caligas auro figerẽt, proculcarentq; materiã, cuius amore cęteri mortales ferro dimicãt. Culinarum argentea instrumenta, uelut ad festas epulas, nõ ad bellum, exercetur. Fuit sic quoq; fortuna belli Antiocho prospera. Parthus triplici prælio uictis, intraq; patrios fines coniectis, Babylonam occupauit: inde pleraq; recepit gentes à Phraate deficientes. Sed non multo pòst acie uictus occubuit. Sabellicus lib.1.En.6.

M. ANTONIVS & CLEOPATRA classe octingentarum nauium contra Octauium Ephesο nauigauerunt Samum, ubi genio indulsere. Vt enim regibus, dynastis, tetrarchis, gentibus & ciuitatibus inter Syriã, Mæotin, Armeniã, & Lauria positis indictum omnibus fuit, ut mitterent deportarentq; apparatum bellicum: ita erat iniunctum cunctis, qui ludicrã artem faciebãt, Samum occurrere. Ac cùm uniuersus penè circumcirca lamentis & gemitibus orbis creparet, una per multos dies insula tibiis & cantu personabat, ubi referta erant theatra certãtibus choris. Iam ad sacrificium singulæ ciuitates boues mittebãt, & certabãt inuicem cõuiuiis & muneribus reges, ut sermonibus iactaretur, Quî erunt in triumpho uictores, cùm belli tantis sumtibus celebrent apparatum? His peractis, sedes scenicis Prienen donauit. Hinc nauigauit Athenas: ubi deintegrò effudit se in ludos & spectacula. Plut. in Antonio.

NERO Cæsar in præparãda expeditione in Gallos deficiẽtes primã curã habuit deligendi uehicula, portandis scenicis organis, concubinasq;, quas secum educeret, tondendi ad uirilem modum, & securibus peltisq; Amazonicis instruẽdi. Mox tribus urbanas ad sacramentum citauit: ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorum numerum indixit: nec nisi ex tota cuiusq; familia probatissimos, ne dispẽsatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiã census omnes ordines conferre iussit: & insuper inquilinos priuatarum ædium atq; insularum, pensionem annuam repręsentare fisco. Suetonius.

Triumphales, Victoriæ.

Olympiade secunda & nonagesima, quum Exænetus Agrigẽtinus stadij uictor palmã referret in patriã, curru uectum & triumphantem cõcomitatæ sunt præter aliã innumerã multitudinem bigæ trecentæ albis equis uectæ, AGRIGENTINORVM omnes. Diod.lib.13.

Legationum.

IOANNES Varadiensis antistes ab Mathia Coruino Vngariæ rege missus in Galliã orator, legatum Gallorum secũ reducturus, trecentos equos eodem colore omnes, & magnitudine: trecentos quoq; iuuenes ex uniuersis ordinibus, & tota nobilitate delegit, qui per singulas urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterẽtur: intonsi omnes, eadem proceritate ætateq; consimiles. Ex his torquatos multos cernere erat: cæteros, quibus aurei crines fuerãt, gẽmatis capita sertis obductos. Supellex adhæc plusquã pontificis. Bonfinius lib.7. Dec.4.

Funebres. Et uel

Hominum.

HARPALVS Macedo, depeculator Alexandri Magni opum, Pythionicen scortum insano prosecutus amore, ei mortuę etiã sepulcrum triginta talentis extrui curauit. Plut. in Phocione, & Athen.lib.13.c.23.

NERO cercopithecum Panerotem fœneratorem, & urbanis rusticisque prædiis locupletatum, propè regio extulit funere. Suetonius.

Belluarum.

AEGYPTII, cùm feles, aut ibis, aut cornix, aut quoduis aliud animal moritur, cuius superstitioni addicti sunt, sindone contectum, & sale atq; aromatibus delibutum animal sepeliunt. Alex. ab Alex.lib.6.cap.14. Diodorus Siculus lib.2.c.2. de Rebus antiq.

IIDEM sacrum taurum, quem uocãt Apim, publicè lugent, magnificeq; sepeliunt. Quærunt ad id delecti sacerdotes uitulum priori persimilem: quo inuento, populus luctui demùm finem imponit. Post Alexandri obitum boue in Memphi ex senecta mortuo, is qui illius nutriẽdi curam ceperat, pecuniã, quæ in eius sumtum data erat, permagnã, ac insuper quinquaginta talenta argenti mutuò à Ptolemæo Lago sumta, in eius sepulturam impendit. Diodorus Siculus lib.2.c.2 de Rebus antiquis.

ALEXANDER Magnus Bucephalo suo, qui regio ornatu instructus, neminem nisi regem patiebatur insessorem, duxit exequias, & urbem illius nomine construxit. Plinius libro octauo, cap.42.

POLIARCHVM ferunt ad eã molliciem peruenisse, ut canes etiã & gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè: & amicos suos conuocaret ad funus, splendideque eos sepeliret: atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum insculpebat. Aelianus lib.8. de Varia historia.

Coruus fuit Romæ docilis admodum, qui è cortina, ubi curiosiùs alebatur, in publicum euolans, Tiberium Cæsarẽ, Drusum & Germanicum, totum deniq; ROMANVM populum nominatim salutauit: tanta plebis gratia, tantoq; singulorũ fauore, ut cùm eum uicinus quispiã, uel inuidia uel ira motus, occidisset, occisos ipse primũ ex ea uicinia pulsus fuerit, demũ à populo interfectus. Ea populi Romani fuit in coruũ amicitia. Coruus autem operosis exequiis & solenni funere elatus à duobus Aethiopibus, præeũte tubicine, traditus est sepulturæ. Plinius lib.10.c.43.

NVPTIAS.

DEMADES Atheniensis ditissimus, accusatus est, quòd in filij sui nuptiis regium magis, quàm honesto ciue dignũ splẽdorem adhibuerit. Decet enim in primis esse suipsius memorem. Pont.cap.16. de Magnificentia.

Comici ILLOS, qui grandi & superbo splendore cœnarũ & apparatu nuptias agunt, non stabili neq; fideli cõnubio iungunt: uelut Menãder ei, qui palmis iubebat thorum genialẽ sepiri, dixit scitè: Non spectat ad sponsam, quod prædicas. Plut.lib.4. Quæst. conuiu.3.

ANTISTHENES Agrigentinus, cognomento Ruffus, in nuptiis filię ciuibus cunctis conuiuia fecit, paratis per uicos & angusta uiarum, ubi quisq; habitabat, opiparè mensis: tum egredientem ad uirum sponsam supra octoginta iuga sunt comitata. Pręterea non equites modò, qui in urbe erãt, uerùm multi ex finitimis accersiti ad nuptias oppidis, spõsam duxêre. Aras, quæ in templis ubiq; erãt, quæq; per uicos & uias in tota urbe stabãt, omnes lignis extrui iussit, atq; ex officinis fragmina lignorum & sarmenta congeri mandauit. Quo tẽpore sponsa educebatur, simul procedente cum facibus ingenti multitudine, urbs tota latè effusa luce in igniũ splendore micabat. Publicæ deinceps quàm longo lateq; patebãt progressu uię, tam producto ordinem agmine procedentium turbã comitantem capere nõ poterãt, cunctis simul magno studio celebrantibus eius uiri magnificentiam & apparatum splendidissimum. Diod.lib.13.

Alexãdrides in Protesilao, symposium nuptiarũ Iphicratis describit, qui COTYIS regis Thracũ filiã duxerat. Purpurea stragula in foro substrata erãt. Hominum squallidos capillos habentium multitudinem infinitã propè butyrum cœnasse ferũt: lebetesq; æreos maiores fuisse duodecim clinis lacubus: & ipsum Cotym succinctum, ius in choa argentea tulisse, cratheresq; gustãtem, priùs cęteris omnibus ebriũ fuisse. Tibia illis Antigenidã cecinisse, Argã cantasse, Cephisodotũ Acarnanẽ citharã pulsasse. Dotẽ dedisse duo flauorũ equorũ armẽta, scutũ aureum, phialã, Lepastã, niuis gutturnium, ollam milii, uas bulborum duodecim cubitalem, centumq; polypodas. Athen.lib.4.c.2.

CARANO Macedoniæ rege nuptias in Macedonia parante, ut scribit Hippolochus Macedo, uiginti conuocati uiri ad illas accesserunt: quorum singulis argentea phiala, cùm primùm sederunt, fuit donata: coronauerat autem priùs omnes strigili aurea, cuius precium erat aureorum quinq;. Vbi phialarum uinum ebiberunt, panis unicuiq; latitudinis æquæ in ærea lance arteq; Corinthiaca laborata, illatus fuit, auesq; anates, palumbi, anseres, & multa accumulatissimè horum ciborum copia, quæ illi cum lancibus ipsis accipientes, pueris, qui astabant à tergo, præbuêre. Plurima deinde alia, multiformiaq; edulia circumferebantur. Post quæ altera rursus lanx argentea, in qua magnus inerat panis, anseres, lepores, hœdi, panesq; uariè laborati, columbæ, turtures, perdices, & quodcunq; est uolatilium genus. Hæc etiã data seruis. Atq; cùm satis cibi sumsissent, manus lauissent, illatæ fuerunt coronæ floribus compositæ, in quibus omnibus aureæ erant strigiles. Hinc Proteas omnibus præbibit. Mox tibicinæ, citharistriæ, & Rhodiæ quædam sambucinæ ingrediuntur nudæ. Ingressæ postea sunt aliæ, quarum singulæ duas lecythos unguento plenas, aureisq; loris reuinctas, attulerunt, hanc quidem argenteam, illam uerò aureã, cotylæ capacem, atq; singulis conuiuis obtulerunt. In lance argentea inaurata porcus supinus, uentrem auibus plenũ habens, illatus est: cui inerant turdi, ficedulæ, ouorum uitelli, ostrea, & pectunculi: quæ singulis deinde in lancibus cocta apposita fuerũt. Postea hœdum in alia lance simili, & aureis mystris ornatã, accepêre. Coronæ rursus, & aurea dilecythus unguento plena, alteraq; argentea, pari pondere primis, illatæ fuerũt. Ithyphalli deinceps lusores, & quædã mulieres mira facientes, in enses præcipites saltantes, ignẽq; ex ore nudæ profundentes, accesserunt. Spectaculis absolutis, meraciorem potum aggressi sunt. Thasia uina, Mendæa & Lesbia, in amplis poculis aureis allata. Post potum lanx uitrea bicubitali diametro in aureo loculo posita, omni genere assatorum piscium plena, qui singulis postea fuerunt distributi. Cista argentea panibus Cappadocibus plena. Manibus lotis, coronati sunt, & strigiles aureas duplo maiores primis, & alteram bilecythum unguenti, accepêre. Omnib. aliis quiescentibus surgens ex sede Proteas amplum scyphũ expetiuit, quem cùm uino Thasio impleuisset, parũq; aquæ infudisset, bibit, inquiens: Qui plurimùm biberit, plurimùm etiam erit lætus. Tunc ait Caranus, Quoniam tu primus bibisti, primus etiam donum habeas scyphum, quod erit præmium & cæteris bibentibus. His auditis surrexerunt & alij, decem & nouem scyphos omnes corripientes, atq; alius alium præuenientes. Inter eos quidam misellus sedens lugebat scyphi honore priuatus, quia bibere nõ poterat. Cui Caranus uacuum poculum nihilominus largitus est. Venit interea centum hominum chorus carmen nuptiale canentiũ. Post hos saltatrices, Nereidum more & Nympharum indutæ. Procedente potandi certamine in noctem usq;, domum aperiunt, in qua omnia candidis uelaminibus in circulũ cõprendebãtur, quibus extensis faces per clandestinas machinationes apparuerunt. Tum sepimentis patefactis, Amores, Dianæ, Panes, Mercurij, & alia complura huiusmodi idola in argenteis candelabris faces prætendentia, uidebantur. Cùm id artificium admirarentur, apri Erymanthei in lancibus quadrangula figura, aureis cingulis, & bullis argenteis transfixi, unicuiq; circumferebantur. Collegerunt pueri in sportulas, & cœnæ receptui cantatum est, Macedonum more. Cùm potum Caranus rursus incepisset, iussit pueros propinationem paruis poculis in orbem circumferre. Biberunt igitur læti, quasi remedium quoddam primæ eius meri potionis. Mandrogenes interea præstigiator uenit, & cum muliere quadam, quæ octoginta annos pertransierat, saltauit. Vltimæ demum bellariorum mensæ accesserunt, atque omnibus bellaria in sportulis elephantinis data sunt, placentæque Cretenses, eaque omnia in propriis bellariorum loculis. Tandem surgentes cum suis quisque donis discessere. Athenæus lib. 4. c. 1.

GALEACIVS II. Vicecomes Mediolanensium princeps, externas affinitates, decoras quidem regio fastu, sed sibi & posteris damnosas & ferè exitiales quęsiuit: Isabella scilicet Caroli V. Galliæ regis sorore Ioanni Galeacio filio expetita, Leonatoque Clarentio Britanniæ regis filio in generum adscito. huic enim ex nuptiis Violantis quum ducenta millia aureorum numûm dotis nomine recepisset, Mons etiam Regalis atque Alba Pompeia urbes cesserunt. Isabella autem, quę Mediolanum uenerat usque adeò socero grauis fuit, ut ducentis millibus aureorum constiterit, quanquam Virtutis oppidi ditio, honestissimæq; appellationis titulus, nouo sponso nomine dotis accessisset. Leonati porrò aduentu tãtæ opes admirabili liberalitate profusę sunt, cùm & nuptiale epulum daret, & equestres ederet ludos, & Britannos ex generi comitatu supra ducentos eximiis donis adornaret, ut opulentissimorum regum splendorem superasse censeretur. In cõuiuio enim, in quo Franciscus Petrarcha inter principes conuiuas discubuit, singulos ferculorum missus, qui supra triginta fuêre, totidem insusitatæ magnificentiæ munera sequebantur: ea omnia Ioannes Galeacius delectæ iuuentutis princeps, ad mensam perducens, Leonato obtulit. Fuêre in uno tantùm missu septuaginta equi insignes argenteis & sericis ephippiis strati: in aliis uerò uasa argentea, hic rofalcones, uenatici canes, equestria arma, nobiles loricæ, solidoq; ferro splendidi thoraces: galeæq; item & cassides præaltis conis exornatæ, indumenta margaritis picta, balthei militares: postremò præstantes aliquot gemmæ aureis emblematibus insertæ, & aureæ purpureæq; telæ ad uiriles uestes uis ingens. Is porrò conuiuij apparatus fuit, ut relatę à mensa dapes, decem millibus hominum abundè sufficerent. Iouius in uita Galeacij.

CONVIVIA.

In genere.

Vide Tit. generalem, Certamina prodigalitatis circa Conuiuia. Item Tit. præcedentem, quatenus etiam Nuptiis adhibentur Conuiuia.

Cùm expeditionem fecissent AEGYPTII contra Ochũ Persarum regem, in qua rex eorum captus fuit: benignè admodum ad cœnam eum Ochus inuitauit. Cumque apparatus splendidus factus fuisset, risit Aegyptius, quasi parcè uiuerent Persarum reges. At si uis, inquit, ô Rex, quo pacto potentissimos reges uiuere oporteat, cognoscere, impera meis coquis, ut Aegyptiam cœnam parent. Ochus ea cœnã degustata, Iam te malum, inquit, ô Aegyptie, malè dij perdant, quando cœnas huiusmodi relinquens, conuiuium appetisti frugalius. Athenæus lib. 4. c. 10.

PERSARVM regum luxum in conuiuiis, pete ex Athenæo libro 4. c. 6. ex Heraclidis Cumani rebus Persicis.

Alexander in PERSARVM regia prandium regis & cœnam in ærea columna inscriptam reperit, in qua cæteræ quoque leges inerant, quas Cyrus scripserat. De omni triticea farina, artabæ ad cœnam mille. Artaba autem Medica modiũ Atticum conficit. De hordeacea farina artabæ mille. Grani auenarij artabæ ducentę. Pollinis in polentam admixtę pro offis, decem artabæ. Nasturcij incisi, decem artabæ. De sinapis semine tertia pars unius artabæ. Oues masculi quadringenti, boues centum, equi triginta, anseres saginati quadringenti, turtures trecentæ, auiculæ omnis generis sexcentæ, agni trecenti, pulli anserini centum, damæ triginta. Lactis recentis decem maries: Maris autem decem ualet choas Atticas. Oxygalactis dulcorati decem maries. Allij talentum, cœparum semitalẽtum. Sacri ex pomis musti quarta pars artabæ. Grana panici, tria talẽta pondere. Musti ex uino quinq; maries. Rhaphanorum seu gongylidum sale conditarum quinque maries. Aethiopici cucumeris, sex capetes: Capetis autem est chœnix Attica. Anethum aridum triginta minarum pondere. De apij semine quatuor capetes. Olei sisamini decem maries. Olei de amygdalis dulcioribus tres maries. Amygdalarum aridarum dulciũ tres artabæ. Vini quingentæ maries. Quòd si Babylone aut Susis cœnam faciant, dimidium uinum de palmis præbet, dimidium de uitibus. Lignorum ducenti currus, materiæ centum currus. Fluentis mellis centum palathæ quadrangulæ, quæ circiter decem minas capiebant. Croci duas minas. Hæc in cœnam & prandium. Consumit autem largiendo triticeæ farinæ purę quingentas artabas. Hordeaceę farinæ puræ mille artabas, aliarumque mille artabas. Siliginis quingentas artabas. Chondri ex farre quingentas marias. Hordeum pro iumentis uicies mille artabas. Palearum decies mille currus. Festucarũ quinquies mille currus. Olei sesamini ducentas marias. Nasturtij concisi tenuis artabas triginta. Hæc omnia dispertit copiis, quę sunt enumerata. Rex autẽ cum prandio cœnaq;, & iis, quæ insumit largiendo, tantum impendit quotidie in hunc cœnæ apparatum. Reliqui Macedones hæc legentes, tanquam beatum admirabantur. Alexander uerò, tanquam infelicem & miserum deridebat, atq; multis negotiis impeditum. Itaq; columnam etiã, in qua hęc scripta extabãt, conuellere iussit, dicens ad amicos: Nequaquã utile esse regibus, tam intemperanter & prodigè cœnare discere. Necesse enim esse, ut magnum luxum ac prodigalitatem eximia timiditas atq; mollities consequatur. Videri autẽ, eos, qui tãtis cœnis impleri solent, in pugnis etiã celeriter hostibus uictoriam dare. Polyænus lib. 4.

Alexander Magnus, cùm frequenter unà cum amicis cœnaret, centum minas uno die absumebat, circiter sexaginta aut septuaginta amicis apud eum cœnãtibus, ut Ephippus Olynthius in Commentariis de commutatione Alexandri Hephæstionisq; testatur. At REX Persarũ cum quindecim millibus uirorum cœnabat, atq; quadringenta talenta in cœnam absumebat, quæ si ad Romanam pecuniam æstimentur, sunt quadringentæ ducentæq; myriades: quæ si in quindecim millia hominum diuidantur, singulos homines circiter centum & sexaginta numos Italicos absumsisse continget, ita ut æqua sit hæc impensa illi Magni Alexandri: is enim centum minas, ut Ephippus asserit, absumsit. Athenæus libro 4. capite 6.

Theopompus libro Historiarum 35. regem asserit Paphlagonum THYN dum cœnaret, centum ex omnibus in mensa apposuisse, à bobus incipientem, & captiuum adductum ad regem Persarum, atque in custodia seruatum, mox rursus ea nihilominus splendidè uiuentem apposuisse. Quam rem cùm audisset Artaxerxes, dixisse aiunt, quòd hic sibi uiuere uidebatur tanquam citò moriturus. Idem Theopompus li. 14. Rerum Philippicarum, Cùm rex Persarum, inquit, ad aliquos, quibus imperat, accedit, uiginti talenta in eius cœnam, aliquãdo etiam triginta, absumuntur. Hi uerò multo etiam plura absumunt: unicuiq; enim ciuitati pro ipsius amplitudine, ueluti tributum, antiquitùs cœnam parari est iussum. Athen. lib. 4. cap. 6.

LAMIA meretrix cœnam adeò sumtuosam Demetrio Poliorceti regi apposuit, ut eam Lynceus Samius mandauerit literis. Plut. in Demetrio.

STRATON Sidonius dicitur omnes homines luxu & munificentia superare studuisse: & Theopompus Chius comparat eius uitã Phæacum comessationibus, apud Homerum. Huic præstò erant cœnanti, multæ mulieres musices peritę, fistulicines, lupæ decora facie, & saltatrices. Egregiè certabat cum Nicocle Cyprio, de nulla re honesta seriaque, sed de cupediis. Nam cùm audiret uterque ab iis qui adueniebant de alterius rebus, uterque alterum cum quadam æmulatione superare conabatur. Vterque tandem uiolenta morte de medio sublatus est. Aelianus libro 7. de Varia histor. & Athenæus lib. 12. cap. 14.

CHOERILVS poeta, cùm quatuor minas quotidie ab Archelao Macedonum rege acciperet, eas tamen obsonando absumebat. Athenæus lib. 8. cap. 6.

Quum quidã ARISTIPPO philosopho probro daret, quòd lautè nimisq; splendidè uiueret: Id, inquit, si uitium esset, in deorum celebritatibus non fieret. in his enim magnificè uestiri, & lautissimè epulari solent. Laertius.

SYBARITÆ faciunt complura frequentiaq; conuiuia publica, eosq; aureis coronis decorare solent, qui splendidissimè pararint, & per præcones in publicis sacrificiis celebrant, ac in certaminibus, non ob beneuolentiam, sed ob sumtum in cœnas factum. Athen. lib. 12. cap 6.

ALCIBIADES ubi peregrinaretur, quatuor ex sociis ciuitatibus tanquam seruis utebatur. Scenam Persicam illi faciebant Ephesij, equis eius pabulum præbebant Cei, sacra ministrabant in sacrificia & carnium diuisiones Cyziceni, uinum Lesbij suppeditabant, cæteraq; omnia, quæ spectant ad uictum quotidianum. Athen. lib. 12. cap. 16.

Scribit in Moralib. Plutarchus, illud fuisse ueteris apud EOSDEM moris, ut conuiuia celebraturi, anno priùs per uocatores feminas inuitarent, quæ luxuriosiùs gemmis, auro, unguentis, uestibus exquisiti impendij cultæ, omnium in se ora conuertebant. Idem.

AGRIGENTINORVM tantus fuit in omni re luxus, ut Plato diceret, eos ædificare, ac si uicturi perpetuò forẽt: ita conuiuari, uelut cras morituri. Aelianus.

L. LVCVLLVS in conuiuio prodigentissimus, dicitur Græcos aliquos, qui Romam commeauerant, per multos dies inuitasse: qui ut germani Græci, rubore adducti, abnuerint uenire, quòd tantum eorum nomine quotidie sumtus fieret. Cęterùm Lucullus his arridens dixisse: Aliquid horum, Græci, uestra causa fit, pleraq; fiunt tamen causa Luculli. Soli cœnãti cùm una mensa & cœna parata modica esset: accitum seruum, qui super his erat, obiurgauit. Vbi is causatus est, nemine uocato non ratum se requiri ab eo aliquem splendorem: Quid ais, inquit: nesciebas hodie apud Lucullum cœnaturum Lucullum? Cùm de eo nimirum rumor in urbe percrebuisset, conuenerunt eum in foro ociosum Cicero & Põpeius: ille singularis amicus & familiaris: Pompeio intercedebat cum eo simultas ex prouincia, nihilominus usus erat inter eos, & crebrò colloqui familiariter solebant. Cicero igitur salutatum rogauit, uacarétne ei colloqui? Quo annuente, & ad fabulandum inuitante: Nos hodie constituimus, inquit, apud te cœnare, uerùm cœna solita tua. Hîc recusare Lucullo simulante, atque in diem posterum eos reiiciente, negauerunt se concessuros, neque alloquendi potestatem ei fecerunt seruos, ne quid parari quotidiano præciperet ampliùs. Id modò largiti sunt petenti, palàm ut uni seruo diceret, hodie ipsum in Apolline cœnaturum. Id uni ex splendidis tricliniis nomen erat. Quod eius commentum fefellit illos. Nam singulis scilicet tricliniis certa summa erat in cœnam taxata, peculiaresq; impensas & paratum habebant: ut audito serui, ubi cœnare uellet, scirent quantum impendendum, quo esset cœna ordine & digestione instruenda. Cœnare in Apolline quinquaginta millibus denariorum solenne habebat. Ea tunc insumta summa obstupefecit Pompeium, in sumtus immensitate celeritas apparatus. Atque in his opulentiæ uelut reuerà captiuæ & barbaræ insultauit. Plutarchus in Lucullo.

M. ANTONIVS à Cleopatrá inuitatus, & postero die illam inuitans uicissim, splendorem illum & accuratum paratum enisus est superare. Vtrobique inferior & uictus in his ipsis, primus derisit cœnæ suæ sordes & rusticitatem. Erat cõgressus quidam illis uitæ, quam Inimitabilem uocabant, inuitabantq; indies se inuicem incredibili sumtuum profusione. Philotas Amphissensis medicus erat Alexandriæ studiorũ causa. Cui quòd consuetudo cum uno ex cocis regiis intercederet, impulsus est ab illo, ut splendorem & paratum cœnæ unius M. Antonij & Cleopatræ contemplaretur. Inductus igitur in culinam, ut inter alia multa uidit apros octo assari, numerum miratus est conuiuarum. Ibi risit coquus, ac dixit, non esse frequentes conuiuas, sed circa duodecim, uerùm quodq; ferculum ponendum in uigore, qui momento deflorescat. Etenim fieri posse, euestigiò ut cœnare Antonius uelit, uel paulo pòst, uel fortè traducat tempus poculo poscendo, uel sermone aliquo illato. Vnde non una, inquit, sed multæ parandæ sunt cœnæ. Siquidem difficile coniectu tempus est. Plut. in Antonio. Socrates Rhodius lib. 3. de Bello intestino, ita scribit: Cùm Cleopatra obuiam Antonio in Cilicia iuisset, regium ei conuiuium parauit, in quo omnia erant aurea, magnificeq; & gemmis ornata, & artificio laborata: erant præterea parietes purpureis aureisq; uelaminibus obtecti. Hæc cùm triclinia duodecim strauisset, Antonium cum his, quos uoluit, cõuocauit. Qui cùm apparatus magnificentiam admiraretur, subrisit Cleopatra, atq; omnia ei se largiri, inquit: Antoniumq; rursus cum amicis & ducibus suis in diem posterum ad cœnam inuitauit. Cùm multò splendidior, honorificentiorq; hic conuiuij apparatus uisus esset, effecit, ut prima illa exigua friuolaq; uiderentur, deinde rursus hæc Antonio donauit. At thorũ, in quo quisque ducum consederat, & calices, sicut etiam sellas, omnibus distribuit, auferreq; iussit. Cùm uerò discederẽt, iis qui in dignitate essent constituti, lecticas unà cum ferentibus, reliquis autem equos argenteis ornamentis paratos, donauit. Omnibus pueros Aethiopes, qui candelabra ferrent, assistere iussit. Quarto postea die magna precia, ut flores coemerentur, tradidit, pauimentaq; ad cubiti altitudinem retibus circumuolutionibusq; extensis substrata fuerunt. Athenæus lib. 4. cap. 7. De unione ab ea absorpto, Plin. lib. 9. cap. 35. Post Actiacam pugnam M. Antonius & Cleopatra non abstinuêre conuiuiorum lautitia regalis impendij, quæ συναποθανουμένων nuncupabãt, id est Commoriturorum. Quin & conuenientes, συναποθανουμένους seipsos uocabant. Cælius libro 27. capite 25. A. L.

AVGVSTVS Cæsar cœnam clandestinam magno sumtu studioq; fecerat, qua ipse quidem Apollinis habitu, cæteri conuiuæ XII deorum dearumq; gestu discubuerant. Eius cœnæ inuidiam infamiamq; cumulauit publica fames atque inopia, quæ illis diebus urbem inuaserat. Itaq; præter apertas inimicorum exprobrationes, & effusos in populum uersus sine auctore famosissimos, conclamatum est, omne frumentum deos comedisse. Item uerè Cęsarem esse Apollinẽ, sed Tortorem: quo quidem cognomine Apollo quadam urbis parte colebatur. Suetonius.

NERO Cæsar epulas è medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpiùs calidis piscinis, ac tempore æstiuo niuatis. Versatilia cœnationum laquearia commentus fuit, ut cùm fercula admittebantur, alia facies cubiculi desine-[redacted] Indicebat familiaribus cœnas, quorum uni metellita quadragies H-S constiterunt, alteri pluris aliquanto ab Sirtio rosaria. Suetonius.

A. VITELLIVS Imp. præcipuè luxurię sæuitięq; deditus, epulas triuariam semper, interdum quadriuariam dispertiebat: in ientacula, & prandia, & cœnas comessationesque: facilè omnibus sufficiens, uomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus numûm constiterunt. Famosissima super cæteras fuit cœna ei data aduentitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita tradunt[redacted]oq; exuperauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Mineruę, αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac scarorum iecinora, phasianorũ & pauonũ cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarũ lactes à Carpathio usq; fretoq; Hispanię, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit. Suet. Rectè igitur Hegesippus, Si diutiùs (inquit) uixisset, luxuriæ sumtibus & precio mensarum Romani imperij opes abligurisset.

AELIVS Verus Imp. luxuriosiss. Nota est infamis eius cœna, quam Romæ princeps duodecim conuiuis dedit, sexagies centenis millibus sestertiis instructam. Singuli conuiuæ sin-

gulis sunt pincernis donati, eleganti forma structoribus singulis, quorum ministerio in cœna usi sunt. Congestaq; sunt uasa argentea, aurea, crystallina, myrrhina: nam potantibus nunquam idem est calix appositus, sed alius recens, diuersę preciosæq; materiæ: quot ciborum genera, tot uina: animalia ex omni genere omnibus data, coronæ cum aureis lemniscis, & floribus alieni temporis. Postremò abeuntibus triclinio mulæ, quibus sedentes domum abirent, & muliones dati. Sab. lib. 5. En. 7.

GETA Imp. maxima prandia per singulas literas parari sibi uoluit: ut pullum, perdicem, pauonem, porcellum, piscem & pernam: quæ unis epulis apponerentur. Alex. lib. 5. ca. 20.

HELIOGABALVS Imperator luxu perditissimus, adeò ut uulgò dictus sit Apicius, semper aut inter flores sedit, aut inter odores preciosos. Amabat sibi precia maiora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur, orexin in conuiuio hãc esse asserens. Sexcentorum struthionum capita una cœna multis exhibuit, ad edenda cerebella. Aliquando in conuiuio exhibuit uiginti & duo fercula ingentium epularum, sed ut per singula lauarent, & mulieribus uterentur & ipse & amici, cum iureiurando, quòd efficerent uoluptatem. Celebrauit item tale conuiuium, ut apud amicos singulos singuli missus appararentur, & cùm alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Celio, alter trans Tiberim, & ut quisq; mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturq; ad omnium domos. Sic unum conuiuium uix toto die finitum est, cùm & lauarẽt per singula fercula, & mulieribus uterẽtur. Lãpridius. IDEM Imp. cœnas sibi exhibere tales solebat. Vna die nõ nisi de fasianis tantùm edebat, oẽsq; missus sola fasianorum carne struedet. Item alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionib⁹, alia de holerib⁹, alia de pomis, alia de dulciariis, alia de opere lactario. Sybariticum missum semper habuit ex oleo & garo, quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. Nunquam minùs centum sestertiis cœnauit, hoc est triginta argenti libris: nunquam minùs tribus millibus cœnatus est. Ibidem.

ISAACIVS Angelus Imp. Græcorum, erat in uictu sumtuosissimus, & de ferculis distribuebat iis, qui mensæ astabant. Mẽsam omnino Sybariticam habebat, & nouis uestibus quotidie utebatur: nec erat conuiuium eius aliud, quàm collis panum, saltus ferarum, piscium mare, uini oceanus. Nicetas.

ALBERTVS archiepiscopus Bremensis, ex ducibus Brunsuicensibus, anno sedis 33 obiit, sal. 1395. in conuiuiis ita prodigus, ut eò paupertatis reduxerit ecclesiam, ut in Romana curia, procuratione successoris Othonis ex fratre nepotis archiepiscopi, iuris beneficium de rebus cedendo, cùm æs alienum omne persoluere non posset, cogeretur implorare. Inde nata est occasio impetrandarum à Pontifice, quarum erat largus, pro ecclesia Bremensium indulgentiarum per integrum octennium. Cranzius libro decimo Metrop. capite quadragesimotertio.

Famosa fuit illa cœna centum conuiuis, recenti adhuc memoria, à priuato homine, cæterùm patricij ordinis, VENETIIS instructa, à prima hora noctis inita, per omnia luxuriæ instrumenta, usq; ad solis ortum extensa, uariantibus per noctem dapibus, nouo semper concentu præcinente: & ut cætera dissimulentur (quæ tanta fuêre, ut nescias maiorine admirationi fuerit uarietas, an nouus & sumtuosus apparatus) illud portento similius fuit, quàm edulio, quòd ex gobiorum lactibus centena fercula (tot enim conuiuæ accubuerunt) sint triclinio illata. Egnatius libro nono, capite primo, & Sab. lib. 8. cap. 7.

PETRVS Riarius Sauonensis, Cardinalis, [redacted] Heleonoræ Aragoniæ, cùm Ferrariam Herculi Estensi duci nupta proficisceretur, cõuiuium Romæ fecit: quod propter ferculorum numerum, quæ preciosis atq; delicatissimis cibis constabant (inter quæ ludi insignes plurimis interuallis edebantur) horas septem perdurauit: architricliniq; in eo, atq; ministri omnes, sæpiùs, ut conuiuij magnitudini respõderent, amictum pro ferculorum genere mutauère: populoq; ea ex cibis spargebantur, quæ de mensis auferri contingebat. Fulg. lib. 9. cap. 1. In eo conuiuio XX aureorum millia consumsit. Brutus li. 5. hist. Flor. de eodẽ sic scribit Garimbertus: Petrus Riarius Cardinalis, [redacted] unica cœna, quã Leonoræ filiæ regis Neapolitani, sponsæ Herculis I. ducis Ferrarię exhibuit, priscorum nepotum ęmulatione in stuporem uertit Romanorum animos, deliciis hisce plus satis alioqui assuetos. Garimbertus lib. 6. de Vitis Pontificum.

CÆSAR Borgia, Alexandri VI. F. quotidianis conuiuiis ducentos aureos dicauit. Rauisius.

Quo ad Assumta. Prodigi in

Aquam.

PARTHORVM reges aquam Choaspis & Eulæi fluminum immensis sumtibus, maiore luxu an luxuria, in longinquas secum uehunt peregrinationes, potus causa. Athenæus libro duodecimo, capite 4.

Pisces.

ARISTIPPVS Platoni obiurganti, quòd multos pisces emisset: respondit, Se illos emisisse obolo. quumq; Plato dixisset, Tanti & ipse empturus eram: Vides, inquit, igitur ô Plato, me non esse obsoniorum auidum, sed te pecuniæ amantem. Idem cùm aliquando perdicem quinquaginta drachmis iussisset emi, cuidam detestanti luxum in philosopho: Et tu, inquit Aristippus, si obolo uenalis esset, non emeres? Quum is respondisset, se emturum: Et mihi, inquit, tãti sunt quinquaginta drachmæ. Quod ille luxus nomine damnabat, hic detorsit in contemtæ pecuniæ laudem. Laertius.

PHILIPPVS cùm ad Minidium hospitem Casini diuertisset, & ei è suo flumine lupum piscem formosum apposuisset, atque ille gustasset, & expuisset, dixit, Peream ni piscem putaui esse. Sic ætas illa luxuriam propagauit, leporaria ac piscinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piscium reuocauit. Vnde etiam cognomina sunt adepti Sergius Orata & L. Murena: nec quis propter nobilitatem ignorat piscinas Philippi, Hortensij, & Lucullorum. Varro libro tertio, de Re rustica.

Mullus piscis antiquorum prodigo luxu adeò insignis & preciosus fuit, ut sæpiùs argenti pari pondere à priuatis etiam Quiritibus emeretur, quum pedis longitudinem superaret. Mullum ingentis formæ (quatuor pondo & ad selibram fuisse aiebant) Tiberius Cæsar missum sibi cùm in macellum deferri, & uenire iussisset: Amici (inquit) omnia me fallunt, nisi istum mullum aut APICIVS emerit, aut P. OCTAVIVS. Vltra spem illi coniectura processit, licitati sunt. Vicit Octauius: & ingentem consecutus est inter suos gloriam, cùm quinq; sestertiis emisset piscem, quem Cæsar uendiderat, ne Apicius quidem emerat. Suetonius.

ASINIVS Celer, uir consularis (ut Serenus Sammonicus refert) mullum unum septem millibus numûm mercatus est, Caio principe. In qua re luxuriam illius seculi eò magis licet æstimare, quòd Plinius Secundus lib. 9. cap. 17. temporibus suis negat facilè mullum repertum, qui duas pondo libras excederet: cùm hodie longè maioris ponderis reperiantur, & precia tamen hæc insana nesciamus. Macrobius libro 3. Plin. lib. 9. cap. 17. octo habet.

Iuuenalis Satyricus de CRISPINO quodam sic scribit in Satyris:

—— Mullum sex millibus emit
Aequantem sanè paribus sestertia libris.

HELIOGABALVS Cæsar ad mare piscem nunquam comedit: in longissimis à mari locis omnia marina semper exhibuit: murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis rusticos pauit. Lampridius in Heliogabalo.

Aues.

Maximè insignis est CLODII Aesopi tragici histrionis patina, sexcentis H-S taxata: in qua posuit aues cantu aliquo aut humano sermone uocales, numis sex singulas coemtas: nulla alia inductus suauitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet. Plin. lib. 10. cap. 51.

Horatius lib. 2. Sat. 3. de duobus FRATRIBVS sic scribit:

Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia & nugis, prauorum & amore gemellûm,
Luscinias soliti impenso prandêre coemtas,
Quorsum abeant sani? creta, an carbone notandi?

HELIOGABALVS sexcentorum struthionum capita una cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Lampridius.

IDEM se Phœnicem cõuiuis appositurum est pollicitus. Ibid.

Gemmas. Gemmæ absorptæ.

Marci Antonij Triumuiri expensæ in cœnam solitæ conferri, sola unionis, à CLEOPATRA uxore consumti, æstimatione superatæ sunt. Nam cùm Antonius quicquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gigneretur, ad satiandam ingluuiem suam natum existimans, faucibus ac dentibus suis subderet: eaque re captus, de Romano imperio facere uellet Aegyptium regnum. Cleopatra quæ uinci à Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione prouocauit, insumere posse in unam cœnam sestertiûm centies. Id Antonio mirum uisum: nec moratus, sponsione contendit, pignus custodiente Numatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra pertentãs Antonium, pollucibilem sanè cœnam parauit, sed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnosceret. Tunc regina arridens, phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc unionem demtum ex aure altera festinabunda demisit: eumque maturè dissolutum, ut natura est eius lapidis, absorbuit. Et quamuis eo facto sponsione uicisset, quippe cùm ipsa margarita centies sestertiûm sine contentione eualuisset, manũ tamen ad alterius unionis aurem similiter admouit, nisi Numatius Plancus, iudex seuerissimus superatum Antonium maturè pronunciasset. Ipse autem unio cuius magnitudinis fuerit, inde colligi potest, quòd qui superfuit, uicta regina, & capta Aegypto, Romam delatus, dissectusque est, & factæ ex una margarita duæ, impositæque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis, in templo, quod Pantheum dicitur. Macrobius libro tertio Saturn. capite 17. & Plutarchus in Antonio.

CLODIVS Aesopi tragœdi filius, ut experiretur in gloria palati (ut inquit Plinius) quid saperent margaritæ, singulos uniones conuiuis absorbendos dedit. Quo facto ipsam quoque Cleopatram luxu superasse uidetur, quòd nec prouocatus; nec solus tanto precio gulæ satisfacere non erubuit. Plinius libro 9, capite 35. Valer. libro 9. cap. 1. De eo sic Horatius libro 2. Satyr. 3.

Filius Aesopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum exorberet, aceto
Diluit insignem baccam: quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretue cloacam?

CALIGVLA Imperator, preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorpsit. Suetonius.

HELIOGABALVS pomis gemmas miscuit. Lampridius.

Quo ad quæuis alia, quæ non assumuntur.

Plutarchus in Conuiuio septem sapientum, tradit apud SYBARITAS hunc fuisse morem, ut mulieres ab usque anno priore ad conuiuium uocarentur, quò se per otium auro uestibusq; possent exornare.

Narrat Agatharchides Gnidius li. 8. rerum Asiaticarum, quòd AMICIij, qui Alexandrum Philippi filium ad conuiuium uocabant, omnia bellaria, quæ erant apposituri, priùs deaurabant, atq; cùm illa uellent comedere, aurum unà cum putaminibus & crustis abiiciebat, ut amici magnificentiæ illius essent spectatores, familiares autem haberent. Athenæus libro 4. cap. 17.

CALIGVLA, conuiuis ex auro panes & obsonia apposuit. Cælius lib. 28. cap. 3. A. L.

HELIOGABALVS, totum triclinium instrauit croco, quum primores ciuitatis ad cœnam uocasset, eiusmodi fœno dicens dignos, qui conuiuio adhibiti essent: porticum scobe auri, dolens quòd nequiret & electri. Lampridius.

VESTIMENTA.

Luxus in uestibus olim Elegantia dicebatur, usque ad ætatem M. Catonis, eratq; uitij, non laudis nomen, teste Gell. lib. 11. cap. 2. Vide Tit. Luxuriæ in uestibus. Illic ut fomes est Libidinis, hic ut effectus Prodigalitatis.

Antilla ciuitas Aegypti, non multum distat ab Alexandria. Eius tributa illius ætatis REGES, & Aegyptij, & Persæ, uxoribus in zonas dono dederunt. Athen. lib. 1. cap. ult.

Veteres ATHENIENSES, purpureas uestes induere soliti sunt, & uariis amiciri tunicis. Corymbis implicarunt capillos: & os aureis cicades, aliisque ornamentis ex auro appositis circumdantes, in publicum processerunt. Ael. lib. 4. Variæ historiæ.

Theopompus libro Historiarum 15. mille uiros scribit ex COLOPHONIIS stolas purpureas gestantes per ciuitatem incedere consueuisse, cùm id uestimenti genus & apud reges rarissimum esset & magnificum: nam purpura ęqui ponderis argento olim redimebatur. Ob hanc uitæ rationem in tyrannidem & seditiones lapsi, cum patria ipsa perierunt. Athenæus lib. 12. cap. 10.

LYDI non contenti natiuo lanæ candore, eam primi omniũ infecerunt: tanquam, si id utilius fuisset, aut magis necessarium, natura omnium parens non potuerit in re tam parua humano generi gratificari, aut (quod stultum sit credere) nõ luerit. Sab. lib. 8. cap. 7.

TYRII magis detestabiles, qui hanc Lydorum insaniam studiosiùs tractarunt. Detestabilior & Asia, quæ aurum prima intexuit: Babylon, quæ uestem uariis coloribus acu distinxit: Ethruria, quæ purpuram uestibus prætexuit. Sabellicus libro 8. capite 7.

Philarchus libro Historiarum 23. & Agatharchides Cnidius libro Asiæ 10. amicos Alexandri mirum in modum deliciis fuisse delectatos testatur. AGNON aureos clauos in calceis & crepidis gestabat. CLITVS cognomento Albus cùm ius dicturus esset, uestibus purpureis indutus ambulabat, ac cum uiris, quicunque obuij fuissent, differebat. Athenæus libro 12. capite 18.

Tentatum est tingi linum, & uestium insaniam accipere, in ALEXANDRI Magni primùm classibus, Indo amne nauigãtis, cùm duces eius ac præfecti in certamine quodã uariassent insignia nauium, stupueruntq; litora flatu uersicoloria implente. Velo purpureo ad Actium cũ M. Antonio CLEOPATRA uenit, eodemq; effugit. Hoc fuit imperatoriæ nauis insigne. Plin. lib. 19. cap. 1.

ALEXANDER Magnus scripsit aliquando ciuitatibus iis, quæ sunt in Ionia, prioribusq; Chiis, ut purpuram ipsi mitterent, quoniam omnes amicos purpureas uestes gestare uolebat. Cùm legissent Chij epistolam, Theocritus sapiens pręsens se dictum illud Homeri legisse inquit,

Purpurea hunc mors cepit, & hunc crudelia fata.

Athenæus lib. 12. cap. 18.

ANTIOCHVS Syriæ rex, luxuriosissimus fuit. Eius cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit: argenteaq; uasa ad usum culinæ comparauit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Auaro potiùs hosti pręda optabilis, quàm ulla ad uincendum strenuo mora. Val. Max. lib. 9. cap. 1.

Plurimas MVLIERES luxu & luxuria diffluxisse, testatur Aelianus, quæ corollam sublimem capiti imponebant, pedes uerò sandaliis induebant, ex auribus longas inaures depẽdentes habebant. Tunicarum uerò eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus, non consuebant, sed continuis fibulis aureis & argenteis constringebant. Aelianus de Varia histor. libro 1.

SYBARITÆ gestabant uestes ex Milesiis lanis. Amabant Tyrrhenos ex Italia, extra Italiam Iones, quia utebantur deliciis. Cùm plures quinq; millibus essent Sybaritarum equites, crocotas induti supra thoraces, procedebant in pompam. Athenæ. lib. 12. cap. 6.

Sic deliciarum magnificentiæq; studium apud antiquos uigebat, ut uel PARRHASIVS pictor purpuream uestem gestare consueuerit, & coronam habuerit auream in capite: uelut Clearchus narrat in Vitis. Athen. lib. 12. cap. 21.

DEMETRIVS Macedoniæ rex dimitro, hoc est, caussa duarũ mitrarum, auro intexta purpura, auroq; litis utebatur soleis. Mundi quoq; imagine ac astrorũ texebatur illi chlamys, quum Macedoniæ principatu excidit: nec regum quisquam illam gestare est ausus, adeò inuidiosa erat impendij magnificentia. Cæl. lib. 16. cap. 9. ex Plutarcho.

CAIVS Cæsar nullam uestem bis induit. Eius itidem imitatione NERO. Suetonius.

HELIOGABALVS, calceamẽtis applicuit gemmas, nobilissimorum artificum manu sculptas: semper aurea, aut, quod minimum fuit, serica tunica est usus. Lampridius.

GALIENVS gemmatas caligas habebat, Caligulã imitatus.

Leuchouiæ, ubi Vladislaus Hungariæ rex cum fratre Alberto Poloniæ rege conuentum agebat, cùm Polonorũ & Hungarorum principum quisq; gemmis certatim & margaritis ad inanem diuitiarũ ostentationem sese ornaret: POLONVS quidam se totum preciosissimis unionibus onerauit. Tum Palatinus Hungariæ STEPHANVS, qui per eos dies nullũ gestamen unquam tulit, quod non minimũ tribus numûm aureûm millibus censeretur, quasi à Polono prouocatus, e uestigiò lapidem adeò preciosum exposuit, ut ad primum eius aspectum Polonus se uictum confessus, gemmatam illam uestem, qua se oculos Hungarorum perstricturum putarat, exuerit. Bonfin. lib. 4. Dec. 5.

PETRVS Riarius Sauonensis, ordinis Minorum fratrum (quẽ Sixtus quartus pontifex ad Cardinalatum titulo S. Sixti extulit) inter domesticos aureis uestib. utebatur. Fulg. li. 9. c. 1.

VNGVENTA.

Nero amicitia utebatur OTHONIS & consuetudine ob profusionem eius: ac cùm ab eo derideretur subinde sordium & parcitatis causa, lætabatur. Fama est, cùm Nero aliquãdo precioso unguento, quo unctus fuerat, Othonem aspersisset, illum contrà insequenti die excipientem Neronem repentè fistulas aureas & argenteas diuersis locis proposuisse, quæ quasi aquam magna ui fuderunt unguentum. Plutarchus in Galba.

LVMINA NOCTVRNA.

Posteaquam CLEOPATRA ad M. Antoniũ profecta est, Antonius misit certos, qui eam ad cœnam inuitarent. Illa uerò Antonium potiùs uenire censebat ad se debere. Qui ut sub aduentum illius facilitatem aliquam & comitatem ostenderet, morem gessit ei ac uenit. Apparatum cùm offendisset incredibilem, imprimis frequentiam obstupuit luminum. Tam crebra enim undiq; simul demissa & exorta perhibentur fuisse, iisq; inter se posituris & sedibus distincta & composita in quadrum & orbiculatim, ut illud inter celebrata literis & eximia spectacula fuerit unum. Plut. in Antonio.

HELIOGABALVS in lucernis balsamum exhibuit. Rosacea aqua piscinas impleuit. Lampridius.

IACOBVS de S. Andreæ, Patauinus nobilis, dum ruri esset, & amicos quosdam per noctem aduentantes præstolaretur: & luminis & gaudij testandi causa iussit agrestes aliquot atque humiles casas, seorsim ab aliis iuxta uiam positas, incendi. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

ALEÆ LVDVM.

CALIGVLA Imp. quadragenis in punctum sestertiis aleam lusit, id est denis aureorum millibus in singula puncta, non in singulos aleæ casus. Cælius lib.20. cap.24. Antiquarum Lectionum, ex Suetonio.

IOANNES Gonzaga alea magnam pecuniæ uim, inspectante Alexandro F. idq; molestè ferente, amiserat. Conuersus ad astantes: Alexander Magnus uictoria patris audita, mœrore affectus dicitur, nil sibi quòd uinceret reliqui fore metuens: at meus Alexander iacturam nostram ægrè fert, nil sibi quod perdat, reliqui fore suspicans. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

CÆSAR Borgia Valentinus dux, cùm multa aureorum millia una sessione aleæ perdidisset, Sic merentur, inquit, peccata Germanorum. Ex tributo enim ueniali eam pecuniam pater Alexander VI. collegisse dicebatur.

LVDOVICVM Mediarotam uel Scarampã Patauinum Cardinalem & Patriarcham Aquileiensem, unica die ab Alfonso Aragonio rege Neapolitano ludendo XXV aureorũ millia abstulisse constat. Garimbertus libro sexto de Vitis Pontificum.

EXERCITIA.

PERDICCAM atq; CRATERVM Alexandri Magni duces, exercitationum studiosos, diphtheræ stadij magnitudine sequebantur, quibus locum complectentes in castrametationibus exercebantur: subsequebantur & multa iumenta, quæ ad palæstræ usum puluerem conferebant. MENELAVM uerò & LEONATVM uenatores tentoria stadiorum quinq; sequi solebant, quibus feras circundantes uenabantur. Athen. lib.12. cap.18.

VENATIONES.

Fuit ACTÆON, ut scripsit Zezes hist. 61 Chil. 6. Autonoes Cadmi & Aristei filius: qui cùm mirum in modum uenatione delectaretur, utpote à Chirone educatus, ut ait Apollodorus libro secundo, fertur super saxo quodam defessus dormire solitus, quod fuit non procul à Megaris Plateam contendentibus, quod Actæonis saxum uocatum est. Scripsit Pausanias in Bœoticis, Actæonem in fonte illi saxo proximo se lauantem, Dianam uidisse: quod illa molestè ferens, rabiem canibus Actæonis immisit, ut illum laniarent. Eam fabulam multis uerbis complexus est Ouidius libro tertio Metamorphosis, qui non super saxo illum dormire solitum scribit, sed in spelunca quadam fonti propinqua. Dictus est in ceruum conuersus, & à suis canibus in Cithærone laniatus, quòd multas assiduè feras nutriebat, ut significauit Euripides in Bacchis. Stesichorus tradit, Actæonem cerui pelle à Diana tectum laniatum fuisse à canibus, ad eum lacerandum incitatis, ne Semelem uxorem duceret. Acusilaus uerò, quia illam compresserit. Alij Actæonem non uersum in ceruum arbitrantur, sed opinionem canibus immissam ut feram putarent. Natalis Comes Mythologiæ libro sexto, capite 24.

BARNABAS Vicecomes Mediolani princeps, diuiserat per pagos uenationibus oportunos multa millia uenaticorum canum, grauissimo incolarum sumtu alenda, curandaque: seuero etiam supplicio illis irrogato, qui uel strigosiores uel obesiores, uel impexis uillis malè curatos produxissent. Iouius in eius uita.

ALPHONSVS, qui ex Aragonum gente primus Neapoli regnauit, incredibile studium in alendis ad uenatum canibus, & ad aucupium alitibus adhibuit, ut mille circiter pondo auri in portentosum illum apparatum quotannis (ut sæpe fando audiui) insumeret. Sab. lib.8. cap.7.

PRODIGALITAS MVNERARIA, EN ΔΟΣΕΙ, RESPECTV

PERSONARVM, QVIBVS DANTVR. Puta

DIIS.

Herodotus nihil præclari tribuit CROESO Lydorum regi, nisi quòd deos multis donis & magnificis honorauerit. At quomodo? Fratrem cùm eo Pantaleontem de regno uiuo etiamnum patre disceptasse: Crœsum pòst, ut regnum est adeptus, ex familiaribus & amicis nobilibus Pantaleontis unum super tumulum dilacerasse atq; occidisse, ex cuius pecunia donaria confecta diis miserit. Plutar. de Herodoto.

REGIBVS.

NERO in Teridatem regem Armeniæ octingenta numûm millia diurna erogauit: abeunti, super sestertium millies contulit. Suetonius.

SACRIS HOMINIBVS.

CARTHAGINENSIS quidam ciuis, quamuis haberet liberos, omnia nihilominus sua bona ecclesiæ testamento legauerat, reseruato sibi tantùm usufructu, dum uiueret. At legatio ista Aureliani Carthaginensis episcopi sanctione rescissa fuit. Fulg. lib.7. cap.7.

Cùm AMMONIA domum ecclesiæ legasset, Gregorius Magnus curauit eam Calixeno filio Stephaniæ, ad quam iure pertinebat, restitui. Ex Gregorij lib.7. Indict.2 Epistola 23.

GODOFREDVS Bolionius, rex Hierosolymorũ, patriarchæ Hierosolymitano Dauidis turrem, & maiorem urbis partẽ reliquerat. At Christiani principes exequi eã partem, ceu regno Hierosolymitano damnosam, recusarunt. Fulg. li.7. c.7.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, postremo uitæ suæ tempore in Gallico regno, Romæq; & alibi, templis immensos reditus assignauit. At licèt in cæteris decreta eius maiori ex parte seruata fuerint, in hoc tamen, quod ad ecclesiasticas constitutiones extendebatur, ex toto quæ sanxerat, à Senatoribus Gallorum abolita fuerunt, ceu quæ nimium profusa essent. Fulgosus lib.7. cap.7.

PAVPERIBVS.

ISAACIVS Angelus Imp. Græcus ita propensus erat ad misericordiã & beneficentiã erga pauperes, ut quicquid undecunq; per uim & iniuriã partũ acceperat, id rursus utraque manu effunderet. Eaq; de causa etsi pecuniã à pauperib. exigebat, in eo errore uersabatur, ut se non peccare persuasum haberet, quòd hoc modo iisdem restitueretur. Nicetas li.3.

IMPROBIS, INDIGNIS, IN GENERE.

L. SYLLA hastam bonorum publicatorum adeò superbè & tyrannicè sedens pro Rostris exercuit, ut ereptionibus eius grauiores essent condonationes: qui uenustis mulieribus, lyricinibus, histrionibus, & scelestis libertis gentium agros & ciuitatum concederet uectigalia: nonnullis nuptias, inuitis ad connubia adactis feminis. Plut. in Sylla.

AMASIIS, MERETRICIBVS.

Consule Titulum, Scortatorum & Meretricum.

ATHENIENSIS quidam bonis suis omnibus distractis, precium Alcibiadi, amoris ergò, donauit. Cui tamen ad cœnã uocato aurum omne reddidit. Plut. in Alcibiade.

Scribit Theopompus, PHAYLLVM fuisse mulierum studiosum, qui Phocensium erat tyrannus. At ONOMARCHVM puerorum, atq; ex his, quæ deo fuerant deposita, Sicyonij Pythodori filio Delphos profecto, comamq; tondenti, cùm esset formosus, cum ipso congressum, quatuor aureas strigiles Sybaritarum donaria largitum fuisse. Bromiæ tibicinæ Diniadæ argenteum carchesium Phocensium donarium Phayllus tradidit. Ipsa etiam Pythia erat cantatura, nisi fuisset à populo impedita. Lycollæ uerò Tricolei F. Physcidæ formoso admodum Onomarchus coronam Daphnes donauit, quod erat Ephesiorum donarium. Cùm ad Philippũ hic puer esset adductus à patre suo, ibi etiam prostitutus, nullo quæstu facto abiuit. Damippo Epilyci Amphipolitæ filio ob formam Plisthenis donarium donauit Onomarchus. Pharsaliæ Thessalicæ saltatrici PHILOMELVS auream coronam Daphnes tradidit, quod Lampsacenorum erat donarium. Ipsa uerò Pharsalia, cùm uox reddita esset in foro uatibus ex ærea Daphne in Metaponto, quam Metapontini erexerant tempore peregrinationis Aristei Proconnesij, cùm se ex Hyperboreis accedere dixisset, quàm citissimè uisa est in forum irrumpere, ac dementibus factis uatibus ab ipsis est discerpta. Cùm postea quæreretur causa ab hominibus, compertum est eam dilaniatam fuisse, quoniam deæ habebat coronam. Athenæus lib.13. cap.28.

ANYTVS Anthemionis F. amore deperibat Alcibiadis. Qui cùm hospites nonnullos inuitasset, uocauit hunc quoque ad cœnam. At hic uenire abnuit, sed domi cum sodalibus mersus uino ad Anytum comessabundus profectus est: foribusque triclinij astans, & contemplatus aureis & argenteis refertas poculis mensas, pueris suis iussit dimidium eius auferre, ac domum ad se transferre: nec dignatus tamen est introire, uerùm his actis digressus est. Stomachantibus hic hospitibus, indignamque rem esse frementibus, & insolentem: Imò, inquit Anytus, benignam: siquidem quæ licebat ei tollere uniuersa, horum nobis partem reliquit. Plutarchus in Alcibiade.

DEMETRIVS Poliorcetes Athenas à Cassandro Macedonum rege liberauerat. Multis admissis id temporis in urbe illa delictis & flagitiis, illud momordit, ut fertur, Athenienses potissimùm: quòd cùm ducenta quinquaginta talenta ipsis properè imperata ab Demetrio fuissent, præcipitataque exactio, & acerbè exercita: ubi coactum argentum uidit, Lamiæ iussit id, cæterisq; meretricibus, quæ circa eam erant, ad smegma præberi. Pupugit enim ciues pudor magis quàm iactura, & uerba, quibus est usus, quàm exactio. Sunt qui Thessalis hoc, non Atheniensibus referant accidisse. Plut. in Demetrio.

DIOGENES Epicureus, qui genus à Seleucia Babylonię ducebat, à rege Syriæ Alexandro Antiochi Epiphanis F. aliquãdo exceptus fuit: quamuis Stoicis non delectaretur disceptationibus, ob ridendi occasionem, quum neq; ab regibus abstineret. Hic cùm quidpiã à philosophia longè alienũ peteret, ut uestem scilicet ferret purpuream, coronamq; aureã, quæ in medio Virtutis faciem præ se ferret: concessit ei coronam rex. At ille eam amicæ cuidam Bacchanalia canenti donauit. Hoc cũ audiuisset Alexander, philosophorum insignium symposium congregauit, & inter eos ipsum etiã Diogenẽ cũ corona uesteq; accumbere iussit. Atq; cùm hic præter decorum id fore diceret, cãtatores introducti sunt: & inter eos etiam mulier illa, corona Virtutis coronata, uesteq; purpurea induta accessit. Cùm multus inde risus esset exortus, exurgens philosophus, mulierem Dionysia canentẽ laudauit. Hunc Diogenem Antiochus ille, qui postea in regnũ successit, cùm dicta illius molesta ferre non posset, interfici iussit. Athen. lib.5. c.10.

De MARSÆO, dum adulteriũ uitat, scortatore prodigentissimo, sic scribit Horatius lib.1 Satyra 2.

> ——quondam Marsæus amator Originis, ille
> Qui patrium mimæ donat fundumq;, laremq;,
> Nil fuerit mî, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
> Verùm est cum mimis, est cum meretricibus, unde
> Fama malum grauius, quàm res, trahit.

C. IVLIVS Cæsar, M. Bruti matri Seruiliæ sexagies H-S. margaritam mercatus est: & bello ciuili super alias donationes, amplissima prædia ex auctionibus hastæ minimo addixit. Idem Mauræ, Bogudis uxoris, immensa tribuit. Cleopatrã in urbem accitam, maximis honoribus præmiisq; auctã remisit. Suetonius.

LONGINVS una domo mulieris unicum congressum emere solitus erat: ut habetur in lege secunda. & in lege, mercalem. C. de con. obtutus cau. Guido Bituricensis.

T. Iunius cohortis prætoriæ pręfectus, penes Galbam Imp. plurimum poterat. Is Tigillinum Neronis magistrum, hominẽ impurissimum, auro corruptus, flagitante eum populo ad cædem, interfectis reliquis, seruauit. Surgens inde ab Imperatoris cœna, ad illũ concessit comessatum, ducens secũ filiam uiduã: cui propinauit TIGILLINVS duodecies H-S. & pellicum suarum primariæ monile iussit collo suo detrahere, atq; ex illius suspendere, quod sexcentis millibus numûm dicebatur esse. Plut. in Galba.

Fertur HELIOGABALVS una die ad omnes circi & theatri & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur, ingressus, omnibusq; meretricibus sine effectu libidinis aureos donasse, addens: Nemo sciat, Antoninus hæc donat. Lampridius.

MVSICIS.

Canus choraules & tibicen cũ GALBAM in cœna oblectasset, Imp. ei denarios quinque donauit, prolatos manu sua peculiaribus loculis suis.

MINISTRIS GVLÆ.

De NOMENTANO, Horatius libro 2. Sat.3.

> Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
> Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
> Vnguentarius, ac Tusci turba impia uici,
> Cum scurris fartor, cum Velabro omne Macellum,
> Manè domum ueniant. Quid tum? Venêre frequentes:
> Verba facit leno, Quicquid mihi, quicquid & horum
> Cuiq; domi est, id crede tuum: uel nunc pete, uel cras.
> Accipe quid contrà iuuenis responderit æquus:
> In niue Lucana dormis ocreatus, ut aprum
> Cœnem ego: tu pisceis hyberno ex æquore uellis:
> Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer,
> Sume tibi decies, tibi tantundem, tibi triplex,
> Vnde uxor media currat de nocte uocata.

POTORIBVS, HELLVONIBVS.

Consule Titulum, Certamina ebrietatis.

ALEXANDER Macedo Promachum, bibacissimum hominem, uictorem in uini certamine aurea corona donauit. Curtius.

SCVRRIS.

SIGISMVNDVS Augustus Burram Hispanum, celebrẽ scurram, quodam in conuiuio argento onerauit adeò, ut sub pondere deficeret. Pontanus cap.16. de Liberalitate.

PRODITORIBVS DATA præmia.

Consule Tit. Proditorum, quatenus præmiorum illis datorum mentio fit.

RERVM, Quæ dantur. Puta

VINVM.

Heliodorus scribit ANTIOCHVM Epiphanem, quem Polybius Epimanẽ, hoc est, insanũ, ob res gestas appellauit, fontem in Antiochia uino miscuisse, quod & Midam Phrygium dicit Theopompus fecisse, quãdo Silenum capere per ebrietatẽ uoluit, qui fons est medius inter Medos & Pæonas, Innaq; nominatur, ut ait Bion. Athen. lib.2. c.2.

L. SYLLA uinum etiam quadragenarium exhibuit suis conuiuis. Post finita fercula & exaturatũ populum, magnam reliquiarum uim in flumen transfundi iussit.

IVLIVS Pomponius Secundus cœnam olim Caio principi dedisse dicitur, in qua uinum CLX annorum propinauit. Plinius.

CORONÆ.

M. CRASSVS diues, primus argento auroq; folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Plin. lib.21. c.3.

POCVLA.

Philotas Amphissensis medicus, Alexandriæ allectus inter clientes ANTYLLII filij M. Antonij natu maximi, cùm apud eum cum aliis familiaribus cœnaret, medicum aliquando insolentem, qui multa negotia cœnantibus ipsis exhibebat, hac cauillatione repressit. Febricitanti aliquatenus frigida propinanda est: Omnis autem febricitans aliquatenus febricitat: Omni ergo febricitanti propinãda frigida. Icto homine atque obmutescente, oblectatus Antonij filius risit ac dixit: Hæc tibi Philota cuncta dono: ostendens multis & grandibus poculis cumulatam mensam. Plut. in Antonio.

DOMVS, PRÆDIA.

NERO Menecratem citharœdum, & Spicillum Mirmillonem, triumphalium uirorum patrimoniis ædibusque donauit. Suetonius.

DIGNITATES.

IOANNES XVI. miro odio in clericos exarsit, unde meritò ab ipsis clericis odio habitus est, maximè uerò quòd diuina humanaq; omnia cognatis & affinibus suis elargiebatur, posthabito Dei honore & Romanę sedis dignitate. Platina.

NICOLAVS III. Pontifex, cognatos & affines suos omni ratione extollere studẽs, Cardinales eos & legatos creauit: reges etiã Tusciæ & Lõbardiæ creaturus, nisi mors anticipasset. Hieron. Garimbertus lib.3. de Vitis Pontificum.

LVDI, SPECTACVLA.

Ex Prodigalitate sumtuariã huc transferantur exempla. Illic Sumtus qui fit, hîc Munus in quod fit, perpenditur.

MODI, QVOMODO DANtur. Puta

DONO.

Annis XIV, quibus imperio præfuit CAIVS, bis & uicies millia donationibus effudit: id est, quingenties & quinquagies centena millia aureorum.

NERO nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. In Tyridatem (quòd uix credibile uideatur) octingenta numûm millia diurna erogauit, abeuntiq; super H-S. millies contulit. Menecratem citharœdum, & Specillum Mirmillonem triumphalium uirorum patrimoniis ædibusque donauit. Suetonius.

LEGATO.

RVSCIVS Cepio testamento cauerat, quotannis curiam ingredientibus Senatoribus certam summam uiritim ab hærede suo dari. Cùm poscerent legatum annuum Senatores: hæres autem hoc nomine recusaret, quòd ei turpe & ambitiosum hoc legatũ esse uideretur (Nã & quod ciuitati relictum est, legibus peti non solere, si aliã ob causam, quàm ad ornatum, relictum est. minimè enim tutum esse, ne de cõmuni tantòue ciuium ordine priuatus unus ac locuples benemereri uideatur: ideoq; largitiones in uulgus, ac nimiam quoq; popularitatem multis olim exitio fuisse: certè suspectam semper esse oportere. Et hac quoq; ratione, si ut uenatio aut spectacula edantur legatum sit, uetitum esse in eas causas erogari. Deniq; ullo alio quàm bono publico, Senatores unquam in curiam uenire, id uerò omnibus modis esse indignissimum) His motus Imperator, legatum irritum fecit. Suetonius in Domitiano.

IANVARIVS, cùm religioni initiaretur, quamuis apud Augustinum Hipponensem episcopum duos filios marem ac feminam in diuersis haberet monasteriis, bona tamen sua in pauperum usum diuisit. At partem eius pecuniæ sub filij nomine retinuit, ut eam usque in maturum ætatis tempus illi reseruaret. Contigit, ut is mortem obiret. Itaq; antẽ testamentum condidit, detexitq; pecuniam quam habebat, suã esse, & ut suam monasterio relinquere. Augustinus eam pecuniam ceu fraudulentam accipere recusauit, sed filijs testatoris tradi iussit. Fulgosus, & Egnatius lib.7. c.7.

CASIMIRI Magni regis Polonorum testamentum ob profusas & regno noxias donationes à Ludouico Vngaro & proceribus Polonis rescissum scribit Cromerus lib,13.

MVLTA.

DEMADES orator diuitiis sibi placebat,uel per nefas. Quippe cùm Athenis id temporis lege cautum esset, ne ludis publicis saltaret peregrinus, aut mille drachmas Choragus multam solueret:omnes peregrinos saltatores centum numero exhibuit,simulq; multam pro singulis in theatrũ attulit millenas drachmas. Demeæ filio uxorem despondens: Cùm ego,inquit,matrem tuam,fili,ducerẽ,ne uicinus quidem sensit. Ad tuarum uerò nuptiarum sumtus conferũt etiam reges & dynastæ.Plut.in Phocione.

L.NERATIVS homo egregiè improbus(auctore Gellio)quũ pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palma uerberare:seruum comitem habebat,crumenam plenam assium portitantem.Et quemcunq; depalmauerat, numerari statim secundùm duodecim Tabulas XXV asses eidem iubebat.

IACOBVS de S.Andrea,Patauinus nobilis cũ magno comitatu ex uenatione rediens,imbre madidus,& algens,paleariã tegetem cuiusdam rustici propinquam, ut repentè se & sociossi ne mora exiccaret,incẽdit. Pro quo damno illato dedit uillico decem terræ iugera,maioris prouentus & precij, quàm tres tegetes: quippe qui Cortarodulũ, & Marsangũ, ac Manfredolinum uicos Citadellæ subiectos penè totos possideret. B.Scard.lib.3.hist.Pat.

VENDITIONE.

C.IVLIVS Cæsar è duobus consulatus competitoribus,L.Lucceio,& M.Bibulo,Lucceium sibi adiunxit,pactus ut is, quoniam inferior gratia esset,pecuniaq; polleret,numos de suo cõmuni nomine per centurias pronunciaret. Qua cognita re OPTIMATES,quos metus ceperat,nihil non ausurum cum in summo magistratu,concordi & consentiente collega,auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi,ac plerique pecunias contulerunt,ne Catone quidem abnuente eã elargitionem è repub.fieri.Igitur cum Bibulo cõsul creatus est.Suetonius in Cæsare.

Scribit in Boëmia sua Aeneas Syluius, centum aureorũ millia cuiq; Electorum à Carolo IV.Imp. cõstituta, ad Vencessai F.successorem creandũ, & in pignus tradita fuisse quæ sunt ad Rhenum uectigalia,certissimum quondam Imperij patrimonium,nũc Electorum principum diuisa hæreditas.Sic deplumatur aquila.Suscepere in pignus: sed inde firmauerunt,ut sacramentis præstitis ab Romanorũ rege nunquam liceat reposci.Cranzius lib.8.Vandaliæ cap.ult.& lib.10.Saxoniæ,cap.3.

Secesserat LVDOVICVS Hungariæ & Boëmiæ rex Agriam, quam morte episcopi uacuam, ipse per præfectum suum aliquamdiu tenuerat.Præfectus uulturem cicurem, & ad aucupium edoctam habuit,aucupem præterea uario præstigiarum genere,quo Rex maximè delectabatur, insignem. Petit utrumq; sibi dari Rex.Ad hæc Præfectus,Hac,inquit,conditione dono,ut liber sim à ratione uillicationis reddenda. Annuit Rex,nutumq; literis & anulo suo firmauit. Sic quadraginta millia aureûm numûm decoxit. Dubrauius lib.33.

LVDOVICVS Bauarus Imp.ciuitatibus Italiæ uilissimo precio libertatem uendidit:ita ut Florentini sex millib. aureorum eam redemerint.Cranzius lib.11.c.1.

DISPERSIONE.

Notatus est apud Athenæum ANTIOCHVS Epiphanes rex, qui quod erat reliquum pecuniæ soleret effundere uerius quàm largiri.Interdum in uiis publicis stans dicere cõsueuerat, τίνι ἡ τύχη δίδωσι λαβέτω.id est,cui fortuna dat,capiat: & abiecta pecunia discedebat.Erasmus in Adagiis.

CORRVPTIONE, DESTRVCTIONE, IACTVRA.

C. IVL. Cæsar uillam in Nemorensi à fundamentis inchoatam,magnoq; sumtu absolutam,quia non tota ad animum ei respõdebat,totam diruit,quanquam tenuis adhuc & obæratus.Suetonius.

HELIOGABALVS naues sæpe iocans cum onere ipso demersit.

PRODIGALITAS EN ΛΗΨΕΙ, NON ACCIPIENS EXIGENSVE EA, QVAE VEL HONESTE, uel saltem iure suo poterat.

Liberalitas ἐν λήψει inhonesta non accipit,honesta accipit.Prodigalitas uerò dum iniustam acceptionem fugit, iustam quoq; magno cum rei familiaris dispendio stultè negligit. Alio itaq; respectu ad Stultitiam,alio ad hunc locum pertinet.

QVI. VERBI causa

MERETRICES.

PHYLLIDIS meretricis stultam prodigalitatẽ hisce uersibus persequitur Martialis lib.12.Epigram.

Formosa Phyllis nocte cùm mihi tota
Se præstitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem munus,
Vtrúmne Cosmi,Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus acre lanarum,
An de moneta Cæsaris decem flauos:
Amplexa collum,basioq; tam longo
Blandita,quàm sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cepit Phyllis amphoram uini.

QVAE. NON accipere

VECTIGALIA.

PIVS II.Pont.pecuniarũ usq; ad uitiũ negligẽs fuit,ut ne aspicere quidẽ sustinuerit.Itaq; contracto ære alieno in sumtus bellicos paulò laxiore,& exhaustis uectigalib. unde suppeditare domesticis sumtib.pecuniã posset, coactus unũ in triclinium & ipsum admodũ frugi familiã omnẽ redigere,exclamauit:Et qui appeteret,& qui cõtemneret pecuniã, stultũ esse.Sed neq; rationẽ fisci uectigalib. aut portoriis auxit, neq; decimas antea exegit,quã bello Turcis indicto, & tũc quoq; moderatione adhibita, ne prophani ultra quàm trigesima grauarẽtur, néue ad maiorẽ summã infimi magistratus,quàm supremi:utq; Iudæorũ uigesimæ non ex prouentibus,sed ex capite deducerentur. Campanus in eius uita.

PRODIGALITAS EN ΦΥΛΑΚΗι, NON CONSERVANS CONSERVANDA.

Prodigalitas utraque, Sumtuaria scilicet & Muneraria,huc referri potest, quatenus non conseruat sua,sed profundit,absumit,perdit.Et quidem ex fine distingui potest,cùm ea non conseruet uel luxuriæ causa,ut Helluones & Scortatores: uel ambitionis,ut qui ex hac profusione laudem qualemcunq; aucupantur.

QVAE. NON conseruare

PRÆDIVM, AGRVM.

Aeschines effudisse patrimonium omne TIMARCHVM declarare uolens, inquit,Matrẽ eius filium orasse,ne fundum certum quendam alienaret,ut si nihil aliud inde commodi caperet,saltem haberet ubi mortua condi ac sepeliri posset. at illum ne ipsi quidem prædio pepercisse.Victorius lib.14. Var.lect.cap.21.

LVCRVM ALEÆ.

Buræ COMES,quum aliquando à Gallorum rege quadraginta aureorum numûm millia in alea uicisset, ac tum Rex diceret,Pulcrum hercle lucrum ad Buræ Comitem: cõfestim, ut poterat,numos omnes corripiens per fenestras proiecit: non lucri,sed animi causa se lusisse testatus. Pascasius Iustus lib.1.de Alea.

CVR. NON conseruare ob

DESPERATIONEM.

Cùm Xerxes exercitum in Græciam traducere pararet, ut auctor est apud Zenodotum Dicearchus,GRÆCI tantis uiribus, quibus uix uniuersus orbis resisteret, impares se fore metuentes, neque tamen Persis aquam & terram dare uolentes, desperatis rebus facultates suas absumserunt,ne multum reliquum fieret,quod hostis tolleret,ita dicentes, Hæc Medus non obseruabit.Eaq; uox in adagium abiit, ubi quis largiùs impenderet sua,ne uenirent in aliorum manus. Veluti si quis pecunias suas erogaret amicis,ut eas liberis turpiter absumturis subducat,rectè dixerit, ταῦτα μῆδος οὐ φυλάξει.Erasmus in Adagiis.

INSANIAM.

HELIOGABALVS Imp.naues diuitiis onustas mergi iussit. Lampridius.

LVXVM, VOLVPTATEM, GVLAM. Abliguritores, Decoctores propriè.

Ex Tit.Voluptatis studiosi in genere,huc eorum exempla, qui in uoluptates omnia sua impendunt.Item Intemperantiæ fructus dignus.

AMBITIONEM.

CRATO philosophus,dum Ephesi contemnendarum opum ederet spectaculum,gemmas immodicæ æstimationis contundens,à Ioanne Apostolo reprehensus fuit.Nam si pietati magis quàm gloriæ studuisset, nunquam profectò illas contriuisset:sed potiùs uenditarum precio indigẽtibus succurrisset.Quam quidem sententiam & ipse postea est secutus.Lapillis quippe ab Apostolo pristinæ integritati restitutis,miraculo ad fidem Christi conuersus,quod ad suam ipse iactantiam instituerat,ad proximorum uertit usum: iam satis edoctus, sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum.Marulus lib.1.cap.2.

NEGLIGENTIAM.

IO.PICVS Mirandula diuitiarum tantus fuit contemtor, ut uulgò furti occasionem dispensatori dedisse coargueretur. Tabulas accepti & expensi confirmari petente dispensatore,Et fidei & perfidiæ campum habuisti amplissimũ, respondit.Quid censura mea opus est?Si tibi quid debeo, quamprimùm illud accipies:si tu mihi,uel in præsentia si potes,uel in posterum soluito.Io.Franciscus in eius uita.

LIBRI SEXTI TITVLORVM DISPOSITIO.

AVARITIA spectatur partim in Diuitiarum
- Χρήσει, quo ad ipsum
  - Sumtum. AVARITIA Sumtuaria, ἐν Δαπάνῃ.Sordities in sumtu, uel non faciens omnino, uel minorem quàm par sit. Μικροπρέπεια.Respectu
    - Personarũ. Erga
      - Populum. Senatores. Doctos,*Literatos.*
      - Filios. Hospites,*Conuiuas.*
      - Comites. Milites.
      - Captiuos. Animalia.
    - Rerum: ut
      - Per *se sunt.Sordes in*
        - Sacra. Ligna. Ædificia.
        - Vrbes. Sepulcra.
        - Mortis *instrumenta.* Equos.
      - Respectu *hominis, tãquã Actiones & Passiones illius Sumtus nullus uel sordidus in*
        - Ludos,*Spectacula.*
        - Nuptias.
        - Conuiuia,*Alimenta.*
        - Cultum *corporis.*
        - Mortis *instrumenta.*
    - Modi,v.G.
      - Contendendo *ne sumtus fiat.*
      - Conquerendo *de sumtu facto.*
      - Occasionem *sumtus præcidendo.*
  - Munus. AVARITIA Muneraria, ἐν Δόσει, uel
    - Non *dans, uel parcius dãs quàm oporteat:*
      - Quibus. Vt
        - Diis. Pauperibus. Amicis. Militibus.
        - Dispensatoribus. Præceptoribus. Mulieribus.
        - Causidicis. Legatis. Poetis.
        - Medicis. Musicis. Viatoribus. Cursoribus.
      - Quid:
        - Spectacula. Alimenta,*Conuiuia.*
        - Dona *quælibet.* Vestimenta.
        - Salarium,*Mercedem,Honorarium.* Mutuum.
      - Quomodo. v.G.
        - Permutando. Pœnitendo *dati.*
        - Reprehendendo *datum.* Denegando.
        - Incerta *dando.* Indignanter *dando.* Cunctanter.
        - Occasionem *dandi uitando.*
        - Differendo. Promissa *non præstando.*
    - Dans *spe talionis siue amplioris beneficij.* AVARITIA ἐν Δόσει *fœneratoria:*
      - Quibus.Vt
        - Regibus.
        - Senibus,*Viduis.*
      - Quid. v.G.
        - Hospitium.
        - Equum.
      - Cur.*Causa*
        - Spiritus *sancti.* Sacerdotij *obtinendi.*
        - Imperij. Auxilij *bellici.*
        - Hæreditatis *consequendæ.*
        - Proditionis.
- Κτήσει,*tanto grauior,quanto magis cum alterius iniuria coniungitur.Vide signum I.*

- 1. Κτῆσις auara subdiuiditur in
  - Λῆψιν, quæ ipsa rurſus ſui ambitu & cupiditatis internam & externã Captationem, Exactionem, Acceptationemq; cõplectitur: partim
    - Accipiendo. AVARITIA ἐν λήψει captans, exigens, acceptans, reſpectu habito
      - Perſonarum:
        - QVI petant, accipiant, exigant. Auari
          - Populi. Grammatici. Rhetores. Poetæ.
          - Hiſtorici. Muſici. Philoſophi.
          - Theologi, Vates, Sacerdotes.
          - Medici. Iureconſulti, Cauſidici, Patroni, Aduocati.
          - Reges, Principes, Tyranni.
          - Politici. Præfecti. Iudices. Duces belli.
          - Milites. Legati. Pictores. Argentarij.
          - Mercatores. Nautæ, Portitores.
          - Iuuenes. Carnifices.
        - A' QVIBVS. Nimirum à
          - Diſcipulis. Sacris hominibus.
          - Sacrificantibus. Monaſterium ingredientibus.
          - Diuerſæ religionis ſectatoribus.
          - Meretricibus. Litigantibus.
          - Subditis. Sociis. Hoſpitibus.
          - Hoſtibus. Mechanicis. Baiulis.
          - Mercatoribus. Mortuis.
      - Rerum, QVAE captantur, exiguntur, tum
        - Materialiter. Auarè accipere, exigere,
          - Sacerdotia. Sportulas.
          - Munera alimentaria.
          - Commeatum.
          - Signa, Statuas. Ædificia.
          - Regionem, Habitationem.
          - Arces. Prædia, Agros.
        - Formaliter. Accipere, exigere, captare, petere auarè
          - Tributum, Vectigalia, Decimas.
          - Lytrum. Prædam.
          - Stipendium militare. Salarium.
          - Commodatum, Mutuum, Creditum.
          - Cenſum, Reditum. Dotem.
          - Hæreditatem. Donum.
          - Fœnus, Vſuram. Multam.
      - Modi, QVOMODO. Nempe uel
        - Petitione, importuna, impudente, mendace. Petaces.
        - Liberalitate ſimulata, fœneratoria. Magica arte.
        - Somnio. Vitæ periculo. Mortis contemtu.
        - Coniugij prætextu. Diuortio. Corporis proſtitutione.
        - Lenocinio. Opera, Labore. Alea.
        - Mercatura ſordida, indecora.
        - Venditione
          - Sordida. Damnoſa, Indigna, Iniuſta.
          - Sacrilega, Impia, Simoniaca.
        - Emtione
          - Sordida.
          - Iniuſta. Impia, Simoniaca.
        - Condemnatione, Proſcriptione, Iudicio falſo.
        - Cæde, Homicidio. Veneficio. Caſtratione.
        - Damni fortuiti illatione.
        - Impiorum protectione. Improborum prouectione.
        - Abſolutione, defenſione nocentum, damnatorum, proſcriptorum.
        - Perfidia erga
          - Patriam. Parentes. Hoſpites, Supplices.
          - Socios. Coniuges. Præceptores.
        - Falſa accuſatione, teſtimonio. Suffragij uenditione.
        - Sacrilegio. Latrocinio, Piratica. Furto.
        - Peculatu. Vectigalis, portorij defraudatione.
        - Monetæ adulterio. Imperij, Regni imminutione.
        - Libertatis iactura. Cadauerum iniuria.
        - Sepulcrorum ſpoliatione.
    - Non accipiendo, non exigendo. AVARITIA ἐν λήψει, non accipiens, non exigens, ſpe amplioris præmij.
  - Φυλακὴν. AVARITIA ἐν φυλακῇ, Auara conſeruatio, reſpectu
    - Perſonarum, Qui:
      - Morientes. Periclitantes.
      - Meretrices.
    - Rerum, Quas conſeruant. Puta
      - Frumentum. Vinum. Fercula. Theſauros.
      - Gemmas. Mancipium. Tributum.
    - Modi, Quomodo. v. G. ea quæ
      - Habet
        - Recondendo. Deuorando. Deponendo apud alios.
        - Denegãdo aliis. Illudendo aliis. Cõmunionẽ probibẽdo.
        - Clam ſubtrahendo. Officium negligendo.
        - Vitiis aliorum conniuendo. Conſcios necando. Vim inferẽdo.
        - Famam negligẽdo. Excuſando. Recenſendo, Numerãdo.
      - Non habet amplius, ſed amiſit, Impotenter lugendo.

Voluminis Decimi Liber VI.

DE AVARITIA, eiúſque SPECIEBVS.

ANELEYΘEPIOTHTA, quæ Liberalitati opponitur, & Μικροπρέπειαν, quæ Magnificentiæ contraria eſt, hîc complectimur: quia non habitu, ſed ſubiecti tantùm accidente inter ſe differunt. Quot autem Liberalitatis ſunt ſpecies, totidem Auaritiæ.

AVARITIA SVMTVARIA. SORDITIES IN SVMtu faciendo in res decoras. Μικροπρέπεια.

RESPECTV PERSONARVM. SVMTVS NVLLVS uel PARCVS in

POPVLVM.

Q. AELIVS Tubero prætura deiectus fuit & deſpectui habitus, quòd in funere Aphricani populum Romanum publico epulo hœdinis pellibus, & teſtis Samiis, ac lectis ligneis excepiſſet, quòd incultam parſimoniam in rebus publicis non exhorruiſſet. Alex. lib. 3. c. 11.

SENATORES.

TIBERIVS Cæſar, paucorum Senatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negauit ſe aliis ſubuenturum, niſi Senatui iuſtas neceſſitatum cauſas probaſſent. Suetonius.

DOCTOS, LITERATOS.

CLEMENS VII. Pp. ſalaria in gymnaſio antiquitùs ex certo uectigali liberaliter conſtituta, liberalium artium profeſſoribus cum perenni infamiæ nota ſubtraxit. Iouius in Pompeio Columna.

IVSTINIANVS Imp. profeſſoribus liberalium diſciplinarũ, admonente præſide ſuo Tribonio, conſtituta in urbibus ſalaria ſubtraxit, teſte Zonara, ut quædam inſcitia & ruſticitas urbes inuaſerit. Cuſpinianus.

FILIOS.

De AVLO Lucillius in 2. Epigram.

> γεννηθὲν τέκνον κατεποντίσεν Αὖλος ὁ κνιπὸς,
> ψηφίζων αὐτῷ σωζομένῳ δαπάνας.

HOSPITES, CONVIVAS.

Ammiani elegans epigramma extat apud Stobæum Ser. 10.

> Ὡς κῆπον τεθυκὼς, δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς,
> οἰόμενος βόσκειν αὐτὶ φίλων πρόβατα.
> ἦν ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλις, θρίδακες, πράσον, βολβοὶ,
> ὤκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον, ἀσπάραγος.
> δείσας δ᾽ ἐκ τούτων μὴ καὶ χόρτον παραθῇ μοι,
> δειπνήσας θέρμους ἡμιβρεχεῖς ἔφυγον.

Quaſi mactaſſet hortũ, cœnã appoſuit APELLES, oues pro amicis paſcendas ſibi ratus. Radicula erat, intybũ, fœnogræcum, lactucæ, porrum, bulbi, ocymum, menta, ruta, aſparagus. Hinc ego timens, ne fœnum quoq; mihi apponeret, cùm lupinos comediſſem ſemimaceratos, aufugi.

Cùm AMICVS quidam hoſpiti in phiditiis nihil appoſuiſſet niſi ius nigrum & panem igni duratum, ſuccenſuit homini Cleomenes Spartanorum rex, dicens: Erga peregrinos nõ oportere nimium λακωνίζειν. Seueritas eſt, ſi quis à ſeipſo exigat uictum duriorem: at inhumanitatis eſt, hoſpitem eodẽ compellere. Plut. in Laconicis.

Automedon apud Stobæum in QVENDAM ſic inuehitur:

> Ἐχθὲς δειπνήσας τράγεον πόδα, καὶ δεκατταῖον
> καννάβινης κράμβης μήλινον ἀσπάραγον,
> εἰπεῖν τὸν καλέσαντα φυλάσσομαι· ἔστι γὰρ ὀξὺς,
> καὶ φόβος οὐχ ὁ τυχὼν, μή με πάλιν καλέσῃ.

Heri cœnatus hircinum pedem, & decem partes cannabinæ braſſicæ, unam uerò lutei aſparagi, nominare illum qui inuitauit non audeo: eſt enim iracundus, & non parum timendum eſt, ne denuò me uocet.

SALAMINII in excipiendis conuiuis ſordes Palladas apud Stobæum Ser. 10. ſic taxat:

> πάντες ἅπαξ τρώγουσιν, ὅταν δ᾽ ἡ τρέφῃ Σαλαμίνιος,
> οἴκαδ᾽ ἀριστῶμεν δεύτερον ἐρχόμενοι.

Omnes ſemel in diè cibum capiunt. Vbi uerò apud Salaminum conuiuium fuit, domum reuerſi prandemus iterum.

Ibidẽ incerti auctoris in AVARVM quendã talis iocus extat:

> Ἀργυρέῃ λιμῷ τις, ἐς εἰλαπίνην με καλέσσας,
> ἔκτεινε, πειναλέους τοὺς πίνακας προφέρων.
> ὀχθήσας δ᾽ ἀρ᾽ ἔειπον ἐν ἀργυροφεγγέϊ λιμῷ,
> ποῦ μοι χορτασίη ὀστρακίνων πινάκων;
> ἐζήτουν πινάκων πόθεν οὔνομα τοῦτο καλεῖσθαι,
> καὶ παρὰ σοὶ κληθεὶς, εὗρον ὅθεν λέγεται.
> πείνης γὰρ μεγάλης, μεγάλους πίνακας παρέθηκας,
> ὄργανα τοῦ λιμοῦ πειναλέους πίνακας.

Argentea fame quidam inuitatum me ad conuiuium cruciauit, famelicos apponens orbes. Suſpirans autem dixi, in fame argento coruſcante; ubi mihi ſaturitas eſt orbium fictilium? Quærebam unde πίνακες, id eſt orbes, nomen iſtud haberent: & inuitatus à te etymologiam inueni. Nam appoſuiſti nobis magnos orbes magnæ pinæ (id eſt, eſuriei) famis inſtrumenta famelicos orbes.

Ad CALENVM auarum, Martialis Epigr. lib. j.

> Non plenum modò uicies habebas:
> Sed tam prodigus atque liberalis,
> Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
> Optarent tibi centies amici.
> Audit uota deus preceſq; noſtras,
> Atque intra, puto, ſeptimas Calendas
> Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
> At tu ſic quaſi non foret relictum,
> Sed raptum tibi centies, abiſti
> In tantam, miſer, eſuritionem,
> Vt conuiuia ſumtuoſiora,
> Toto quæ ſemel apparas in anno,
> Nigræ ſordibus explices monetæ,
> Et ſeptem ueteres tui ſodales
> Conſtemus tibi plumbea ſelibra.
> Quid dignum meritis precemur iſtis?
> Optamus tibi millies, Calene:
> Hoc ſi contigerit, fame peribis.

In VARVM, Martialis Epigrammatum lib. 4.

> Ad cœnam nuper Varus me fortè uocauit;
> Ornatus diues, paruula cœna fuit.
> Auro, non dapibus oneratur menſa, miniſtri
> Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
> Tunc ego, Non oculos, ſed uentrem paſcere, ueni:
> Aut appone dapes, Vare, uel aufer opes.

In FABVLLVM Martialis lib. 3. ſic inuehitur:

> Vnguentum fateor bonum dediſti
> Conuiuis heri, ſed nihil ſcidiſti.
> Res ſalſa eſt bene olere & eſurire.
> Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle;
> Hic uerè mihi mortuus uidetur.

In POSTHVMVM quendam ſic ludit Henr. Stephanus:

> Conuiuis dubiam dico te apponere cœnam,
> Poſthume: ſed dubiam nomino more nouo.
> Non etenim dubia eſt cœna, ut fuit illa Terenti;
> Quum dubitat primum quem uelit eſſe cibum:

Sed

Sed quoniam hanc dubitat quisquis cœnatus abiuit,
Verè an per somnum sit data cœna sibi.

In AVLVM quendam, idem:

Herbida cœna à te nobis apponitur Aule,
(Ni cœnam malis dicere gramineam)
Et multa interea uentres aduersus obesos
Declamas. Quid tu, quid (precor) Aule times?
An me ne efficias Epicuri de grege porcum,
Ex Epicuri hortis dans olus omne mihi?

Item:

Conuiua es quoties, grata est tibi prodiga cœna:
Quum conuiuator, parca & auara placet.
Vnde hoc? Actiuus (liceat sic dicere) luxus,
Sed non passiuus displicet, Aule, tibi.

In PAVLVM idem:

Hesterna quum nos ad cœnam luce uocasti,
Dicebas umbris pluribus esse locum.
Sed nobis & eis pariter quas duximus umbris
Pro cœna cœnæ uix leuis umbra fuit.

COMITES.

TIBERIVS Cæsar pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumq; nunquam salario, cibariis tantùm sustentauit. Suetonius.

MILITES.

DEMETRIVS Nicator Syriæ regnum, superato Alexandro, adeptus, cùm milites omnes dimitteret, exceptis peregrinis, neq; iis, uti superiores reges, quamuis à bello feriantibus, stipendia persolueret: eos ita à se abalienauit, ut ad Antiochum Sedetem Alexandri F. defecerint. Iosephus lib. 3. cap. 10. ex 1. Machab. 11.

PERSEVS Macedoniæ rex, bello contra Romanos moto, Bastarnas Gallos, Danubium accolentes, in subsidium acciuit, decem millia equitum, par numerus peditum, qui iungebant cursum equis, & inuicem prolapsorum equitum uacuos capiebant equos, omnes mercede militiam sequẽtes: qui nec agriculturam nec nauiculariam nossent, nec pecore pascendo uitam tolerare, uerùm unum opus, unam meditarentur artem, perpetuò præliari & uincere acie hostes. Hi postquam in Medica unis castris fuerunt cum Macedonibus commisti, proceris corporibus uiri, mirabili exercitatione, grandiloqui, & mirificè aduersus hostes minaces, confirmauerunt Macedonas. At Perseus simul ut postulati ab eo sunt milleni in duces aurei, ad tantam auri summam uertigine hebescens, & dementia præ sordibus captus, renunciauit repudiauitq; hanc societatem: tanquam dispensator, non hostis esset populi Romani, & exactam impensæ esset rationem relaturus his, cum quibus bellum gerebat. Itaq; Gallos remisit delusos. Plut. in Aemilio.

TIBERIVS Imp. missiones ueteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Suetonius.

Anno XIIX. Mauricij Imp. exercitus Rom. à Chagano Auarum duce cæsus, reliqui capti sunt. Tũ Chaganus in MAVRICIVM cædis populi culpam conferens, paratum se ait captiuos, accepto in singula capita numo, rursusque binos uno numo, deniq; singulos IV ceratiis acceptis, dimittere. Cùm ne sic quidem eos redimere uellet Mauricius, iratus Chaganus omnes occidit. Fuere autem XII millia. Hoc facto Mauricius populi odium in se concitauit, qui pluris aurum quàm Christianos, eosq; subditos, fecisset. Cedrenus, & Nicephorus lib. 18. cap. 38. Nulla item stipendia militibus erogauit, iis potissimùm, qui Sarmatico limiti, contra Scytharum impetum loco sterili positi, præerant, difficilia quęque tolerantes. Sed & Petro fratri, qui copiis præerat limitaneis, iniunxerat, ut necessarios commeatus & frumentũ, quod dari solitũ erat, traiecto Danubio ex hostili terra peteret, nempe ut milites ex præda sustentarentur. Quod talẽ commouit in exercitu tumultum, ut statim centurionẽ tũc Phocam salutarint Imperatorem. Cuspinianus.

HERACLIVS stipendio Saracenos fraudauit, quorum opera fideli contra Persas usus fuerat. At is dolus Orientis imperium ei extorsit. Illi enim cùm tanquam canes à quæstoribus maledictis incesserentur, ira accensi, Damascum occupant, Aegyptum uastant, Arabiam subigunt, Persarum denique imperium sibi uendicant. Blondus Dec. j. lib. 9. Regino lib. j. Otho Phrysingensis lib. 5. cap. 9. Cuspinianus.

IOANNES Puzenus, publicorum uectigaliũ curator & quęstor supremus apud Manuelem Comnenum Imp. Ioannis F. cùm plurimùm apud Imp. posset propter solertiã in corradenda pecunia: uectigalia nautica, olim in classem conferri solita, in fiscum referenda curauit: ac triremes, quæ ex edicto ab insulis præbebantur, penè cum ipsis uectoribus in mari demersit: cùm diceret, triremes non semper reipubl. esse utiles; sumtus uerò qui in eas fierent, & annuos esse & immensos: eos igitur in fiscum referendos, necessitate uerò postulante, ex Imperatoriis thesauris stipendia promenda esse. His uerbis Imperatorem sumtuum magnitudine decepit, & paruitate impensarum rursus exhilarauit. Itaque piratæ optatissima occasione mare tenuerunt, & maritimæ prouinciæ latrociniis uexatę fuerunt. Nicetas lib. j. de rebus Manuelis.

CONSTANTINVS Ducas Imp. decreuit cum nulla gente bellum gerere, sed muneribus aliisq; illecebris placare, aut conciliare Romano Imperio, ob solum auaritiæ studium: quòd scilicet in expeditiones plus se quàm in munera expensurum iudicaret, & quietus pecuniarum aceruationi uacaret. Ideo neglecto militum delectu, fortissimum & strenuissimum quemque conscriptorum ob præmij magnitudinem dimisit. Vnde Barbari animosiores facti, & res Romanorum deterere, & exercitus subiugare non neglexerũt. Sic multæ Orientales regiones partim diripiebantur ac excindebantur, partim hostibus dedebantur. Nec minus Occidentales aduersa patiebantur, propter militum paucitatem ac incommoditatem. Cuspinianus.

Boleslaus II. Boemorum princeps, occupata Cracouia, Crasotam præfectum illic ad reprimendos Polonorum insultus constituerat. Mortuo Boleslao successit BOLESLAVS III. F. qui dum sumtibus parcit, nec subsidia noua mittit, per inertiam & auaritiam Cracouiã amisit, nec multo pòst à Polonis perfidè luminibus priuatus est. Dubrauius libro sexto.

Exulante Mediolano Othone Vicecomite, Martinus Turrianus moritur, & PHILIPPO fratri reipubl. gubernacula committuntur. Ille confirmatis opibus ad principatum apertè contendens, se prætorem in decem annos creauit, & affinitatibus atque coniugiis amicitias sibi parans, dispersis iam atque attritis exulum uiribus, ut impensæ parceret, Vbertum Pallauicinum exacto stipendij quinquennio à fratre Martino cõstituto missum fecit, singulari Turrianæ gentis incommodo. Nam ille contumelia accensus, per occasionem quantis maximè potuit artibus, patritiis adhęrens, Turrianos semper oppugnauit. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

LVDOVICI Sforciæ principis Mediolanensis natura ad res, quæ maximos exigerent sumtus, suscipiendas, propensissima, & contrà à sumtibus faciendis uel in summis necessitatibus alienissima, causam ei, ut suas fortunas omnes in summum discrimen adduceret, præbuit. Etenim stipendiorum paruitate factum est, ut paucissimi Germanorum militũ ad Galliæ regis Caroli IIX. ex Neapolitano regno sibi in patriam uiam parantis exercitum intercludendum conducto rum uenirent: eademque de causa, qui cum Galeacio Sanseuerinate erant, paulatim dilaberentur: contraque Gallorum copiæ nouis è Gallia delectibus continenter augerentur, qui quòd ad regi suo suppetias ferendas acciti essent, magna celeritate contendebant. Guicciardinus lib. 2.

Ludouici XII. Gallorum regis copiæ bello Neapolitano graui clade affectę sunt, tum temporum iniuria, tum quàm maximè EORVM, qui à rege commeatui & stipendiorum solutioni præfecti erant, auaritia: qui proprio quæstui intenti, nec ullum fraudis genus prætermittentes, militum numerum imminui patiebantur, neque ut commeatu exercitus abundaret, curabant. Quas ob causas multæ ægritudines exercitus inuaserunt, & militum numerus plurimũ imminutus est. Idem lib. 6.

CLEMENS VII. Pont. Fran. Armellino Cardinale auarissimo quæstore usus, ita extenuauit equitũ suorũ stipendia, ut nemo ne militia quidem, nedum corporis atque prætorij custodia dignus conspiceretur. Præterea quum bellico sumtu mirum in modum angeretur, nihilq; magis cuperet, quàm milites missos facere, ut ærario parceretur, improbantibus cunctis, & detestantibus, dimisit cohortes, fatalique socordia exutus omni præsidio, sese iniuriæ inimicorum, atque adeò hostium oportunum præbuit. Itaque Pompeius Columna ubi Clementem nudatum omni præsidio conspexit, eum, ut apertè Gallis contra Carolum V. Cæsarem fauentem, urbe pellere cogitauit. Quam rem maturauit odium militum & populi Rom. ex auaritia pontificis natum. Adeò ut quum iam Pompeium cum ualidis copiis ad Murenæ uillam, Albanumque lacum peruenisse nunciaretur, uix demum aliquot prætorianos equites emitteret ad explorandum. Qui Cælimontana egressi porta, segni excursione intra suburbanas uineas facta, quum signa aciesque aduentantium hostium facilè conspici possent, retrò equos uerterunt, falsò cuncta pacata renunciantes. Dixerat enim decurio, nequaquam longiùs esse procurrendum, postquã ea essent Clementis stipendia, quibus neque equi hordeo pasci, neque ipsi præ inedia & uestium sorde uitam traducere posse uiderentur. Eo die turmas cohortesque Pompeij urbem ingressas suo ordine, & composito quidem incedentes gradu, populus Rom. otiosè spectauit, atque etiam salutauit: ipsiq; opifices, uti in nullo metu, nec occlusis quidem tabernis, effusi in Tyberinam ripam, sub Ianiculo trã-

euntes

euntes spectauere, quum à Pompeio præcones in foro & compita dimissi pronunciarent, Nemini esse timendum, quando nulla grauiore de caussa intulissent arma, quàm ut Romanum populum auarissimi pontificis tyrannide liberarent. Iouius in Pompeio.

CAPTIVOS, REDIMENDO.

PTOLEMÆVS, Cleopatrę patruus, Cypri rex, sublatus est, & insula à Romanis occupata, & prætoria prouincia facta est. Tollendi regis auctor fuit P. Claudius Pulcer, qui in piratas incidens, quo tempore Cilices uigebant, imperato sibi redemtionis precio, misit ad regem, orans ut se redimeret. Rex quidem precium misit, sed perexiguum: adeò ut piratæ id accipere erubescerent: quare pecuniam regi remiserunt, P. Claudio sine precio dimisso. Qui liberatus, utrisq; gratiam retulit. Nam Tribunus plebis creatus, euicit ut M. Cato in Cyprum mitteretur, eam ab rege ablaturus. Ptolemæus re intellecta, prius quàm ille aduentasset, se ipse interemit. Cato insulam accepit, & regis opes uenundedit, pecunia omni in publicũ ærarium relata. Ex illo Cyprus prætoria prouincia fuit. Quanquam paruo tempore interiecto Antonius eam Cleopatræ & sorori eius Arsinoæ tradidit. Quo sublato, omnia eius acta rescissa sunt. Strabo lib. 14.

MAVRICII Imp. exemplum in X millibus suorum perdẽdis paulò antè posuimus.

ANIMALIA.

De ASCLEPIADE ludicrum tale extat in Epigram. & apud Stobæum Ser. 10.

μῦν ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
τί ποιεῖς, φησίν, φίλτατε μῦ παρ' ἐμοί;
ἡδὺ δ' ὁ μῦς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησί, φοβηθῇς·
οὐχὶ τροφῆς παρὰ σοὶ χρῄζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

Murem domi uidit Asclepiades auarus, Et quid agis, inquit, carissime mus apud me? Mus autem suauiter ridens: Nihil, inquit, amice timeas, non comedere tecum, sed habitare desidero.

RESPECTV RERVM, IN QVAS
VEL NVLLVS VEL EXILIS
fit sumtus, considera-
tarum ut
SVNT. V. G. IN

Sacra.

Φασηλιτῶν θῦμα, id est, Phaselitarum sacrificium, tanquam uile, citraq; sanguinem. Sordidum ac tenuem sumtum hoc adagio significabant. Tradũt. n. apud PHASELITAS Pamphyliæ gentem moris esse, ut pisciculi salsi diis sacrificẽtur. Auctor Zenodotus. Eudemus item scribit, eos Capro deo salsamentis [redacted] citat Callimachum. Finitimum est illi, Sine fumo sacrum. E[redacted]

In Cusalina monasterio erat sacerdos quidã FOLCARDVS nomine, minister mensæ, qui primus ad Falderam cum Vicelino episcopo Aldenburgense, Vandalorum apostolo, uenerat. Hic eleemosynas pro episcopi anima constitutas dare aliquando neglexit, fortè non necessarium ducens pro beato dare ad suffragia quicquam. Apparuit Vicelinus mulieri cuidam in pago Zegeberge, cultu sacerdotali, dixitq; ad eam: Vade, & dic Folcardo sacerdoti: quoniam impiè egit (subtrahens ea quæ pro remedio animæ meæ fratrũ mihi deuotio addixit) suppleat id quod subtraxit: & nouẽ insuper post me expleat officia. Sacerdos culpam fassus & emendatione promissa, nouem post episcopum hebdomadibus uixit solis. Cranzius lib. 4. Vandal. c. 19.

Vestimenta.

In CINNAM Martialis Epigr. lib. 7. sic inuehitur:

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?
Collige Cinna togam, calceus ecce perit.

Ligna.

QVIDAM ex iis, qui nostro æuo in medicina clarum sunt nomen consecuti, uti aiunt, in domesticis expensis sordidissimus, ne sumtus quotidianos maiores cogeretur facere, ne uxorem quidem cum ampla dote ducere uoluit. Vnico famulo & serua contentus uetula, medicè semper, ex demenso scilicet, uixit. Hyeme compendium sese citra impẽsam calefaciendi mirificum excogitauit. Lignum rude & põderosum, cùm prandendum esset uel cœnandũ, humeris impositum, quantò poterat impetu per scalas ascendens, in summum usq; solarium portabat, & sic ad sudorem usq;, Ixionis instar, eodem sæpiùs repetito curriculo, sese exercebat. Dominum imitabatur famulus, & cùm foris pranderet (tũc enim ne ignem quidem accendere licebat) etiam ancilla.

Aedificia.

TIBERIVS Cæsar opera nulla magnifica fecit. Nam & quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit. Sueton.

Vrbes.

Bello Mediolanensi à Galliæ rege LVDOVICO XII. anno MD feliciter confecto, copiisq; dimissis: quatuor Heluetiarum ciuitatum, quæ Bellizonæ oppido in montibus posito propinquiores sunt, milites, in patriam redeuntes, id oppidum auidè occuparunt. Quem locum rex ab initio parua pecuniæ summa ab illis redimere potuisset: sed quemadmodum sæpè sua natura, ut exiguæ pecuniæ parceret, rerũ magnarũ occasiones amittebat, recusauit: secuta pòst sunt tempora & occasiones, quib. sæpè & libenter magna ui auri id ab ipsis redemisset: est enim locus ad Heluetios in Insubriam descensu prohibendos ualde oportunus. Guicciardinus libro 4.

Sepulcra.

In PHIDONEM sic ludit Nicander in 2. Epigram. Stobæus Platoni tribuit:

δακρύει Φείδων ὁ φιλάργυρος, οὐχ ὅτι θνήσκει,
ἀλλ' ὅτι πέντε μνῶν τὴν σορὸν ἐπρίατο.
ταῦτ' αὐτῷ χαρίσασθε, καὶ ὡς τόπος ἐστὶν ἐν αὐτῇ,
τῶν πολλῶν τέκνων ἕν τι παρεμβάλετε.

Lacrymatur Phidon auarus, non quia moritur, sed quia minis quinq; arcam sepulcralem emit. Hoc igitur ei gratificamini, & pro capacitate arcæ, unum de multis filiis ad cum simul inicite.

Equos.

Ad CÆCILIANVM, Martialis Epigram. lib. 4.

Cùm tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti latè uectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinumq;
Ruperunt numi: factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
Dij reddant sellam, Cæciliane, tibi.

INSVNT SIVE ACCOMMODANTVR
HOMINI. VT IN

Spectacula.

TIBERIVS Imp. spectacula nulla edidit, & iis, quę ab aliquo ederentur, rarissimè interfuit, ne quid exposceretur: utique postquã comœdum Actiũ coactus est manumittere. Suet.

Nuptias.

ISAACIVS Angelus Imperator, per legatos Belæ Hungariæ regis filiam, nondum decem annos natam, ambijt: dum nuptias ex fisco celebrare reformidat, & sumtus illos ab urbibus & prouinciis affatim exigit, cùm alias urbes afflixit, tũ Barbaros Hæmi montis accolas infestissimos reddidit. Nicetas libro primo.

Alimenta, Cibos, Conuiuia.

Micrologia IBERORVM propria est, ut Phylarchus scribit: res namq; minimas plurimi faciũt, & auaritiæ studio semel tantùm die cibum capiunt, quã rem μονοσιτίαν Græci uocãt; Sunt & hydropotæ, & in tam auido ingenio uestibus tamẽ amiciuntur uel preciosissimis. Cælius lib. 18. c. 22. A. L.

Apud Plutarchũ com. de Tran. animi, CHIVS quidam uinũ optimum diuendere aliis, sibi uappã seruare solebat. Proin de seruus, scitante quodam, Quid rei gerentem reliquisset dominum? respondit, ἀγαθῶν παρόντων κακὸν ζητοῦντα, In bonorum affluentia quærentem malum.

Telemachi olla prouerbio dicebatur. Cuius Athen. lib. 9. meminit, tradens TELEMACHVM Acharnensem fuisse quẽpiam, qui plerunq; uictitarit fabis. Vnde coniicere licet in sordidos dici consuesse. Erasmus in Adag.

De ARTEMIDORO in 2. Epigr. Græcorum:

πολλὰς μυριάδας ψηφίζει Ἀρτεμίδωρος,
καὶ μηδὲν δαπανῶν, ζῇ βίον ἡμιόνων·
πολλάκις αἱ χρυσοῦ πάμφορτα φόρτον ἔχουσαι
πολλὸν ὑπὲρ νώτου, χόρτον ἔδουσι μόνον.

AVARORVM esuriem Horat. lib. 2. Sat. 3. exagitat:

Si quis ad ingentem frumenti semper aceruum
Porrectus uigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potiùs foliis parcus uescatur amaris:
Si positis intus Chij, ueterisq; Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum millibus, acre
Potet acetum: age, si & stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula uestis,

Blatta

Blattarum ac tinearum epulæ putrescat in arca,
Nimirum insanus paucis uideatur: eò quòd
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam libertus ut ebibat hæres,
Dis inimice senex custodis, ne tibi desit.

De AVIDIENO sic scribit Horatius in Sermonibus:
—Auidienus,
Cui Canis ex uero dictum cognomen adhæret,
Quinquenneis oleas est & syluestria corna,
Ac, nisi mutatum, parcit diffundere uinum: &
Cuius odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, nataleis, aliósue dierum
Festos albatos celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat ueteris non parcus aceti.

Ad SCÆVOLAM, Martialis Epigrammatum libro primo sic scribit:
Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum Scæuola factus eques,
Qualiter ô uiuam, quam largè, quamq; beatè?
Riserunt faciles & tribuêre dei.
Sordidior multo post hoc toga, penula peior,
Calceus est sarta terq; quaterq; cute:
Deq; decem plures semper seruantur oliuæ:
Explicat & cœnas unica mensa duas:
Et Veientani bibitur fex crassa rubelli:
Asse cicer tepidum constat, & asse uenus.
In ius, ô fallax, atq; inficiator, eamus:
Aut uiue, aut decies Scæuola redde deis.

Ad CINNAM, Martialis lib. 5.
Profecit toto Mithridates sæpe ueneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.
Tu quoq; cauisti cœnando tam malè semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

PERTINAX Augustus inter priuatum & Imperatorem nihil interesse putabat. Dimidiatas lactucas, carduos etiam dimidiatos apponere conuiuis solitus. Herodianus.

GVLIELMVS Harselius, Laudunensis medicus, qui moriens ad XV millia coronatorum in annuis reditibus reliquit, quotidianas expensas familiæ duobus solidis circumscribere solebat, aliorumq; cœnas studiosè captare. Froissardus libro 4. cap. 50.

FERDINANDVS Ponzetta Cardinalis circa alimenta sordidissimus fuit, ita ut cùm coquus piscem emisset non iusto tempore, uilitate precij adductus, Ponzetta indignante, precio restituto, piscem cum amicis absumserit. Cardinalis siue odore obsonij, siue sumtus compēdio adductus, se quoque in symbolæ societatem admitti postulauit. Neque uerò pudebat eum cum rusticis & mulierculis res uenales gestantibus de fenestra causa oboli contendere, sic ut quotidie egregium aliquod auarissimi senis dictum factúmue à Romanis aulicis cantaretur. Garimbertus libro 6. de Vitis Pontificum.

QVIDAM cùm maximas congessisset diuitias, filij autē adolescentes domi sumtuosiùs cœnitarent inter symphonias & cantus: magno dolore tacitus hęc ferens, semel tandem excitatus perstrepentium conuiuarum uocibus, summa cū anxietate prodiit, tanquam è carcere, ex camerula sua, infulatus, coruino uultu, ac subraucido, uix conspiciens lucem, ac desuper contemplans discumbentes, magna uoce appellauit dispensatorem: &, En, inquit, postquam filij bona hęc meo sudore parta comessationibus ac delicijs consumere pergunt, ego quoque mihimet uolo indulgere, & dare me uoluptati. Mihi acta est ætas: illi de se uiderint: perdant omnia ut libet, dùm ipse mihi prospiciam. Atq; inde proferens ex sordido loculo æreum numulum, Accipe, ait, profligemus dùm res suppetit, eme lactucas mihi, ut nos etiam conuiuemur. Poggius in disceptatione de Auaritia.

Eboræ fuêre olim in familia Leonoræ reginæ, uxoris Emmanuelis Lusitanorum regis, aulici duo: Gallus alter, alter LVSITANVS. Quorum hic fastu externo uincebat, ille cœnabat lautiùs. Gallus non ignarus istorum morum, curiositate quadam & arte nactus est libellum, in quo alterius referebantur sumtus diurni. Incidit in locum satis ridiculū & planè Lusitanicum. Cùm enim sic quotidie scriptum esset: In aquam quatuor sectilia, in panem duo regalia, in raphanum sesquiregale, & ita tota hebdomada tam magnificis impensis decurreret: ratus aliquanto lautiorem futurū diem Dominicum, sic scriptum reperit, Hodie nihil, quia in foro non erant raphani. Hæc Nic. Cleonardus libro j. Epistol. epistola 2.

Risu digna est CVIVSDAM ex non obscuris nostra ætate medicis auaritia, qui cùm substantias, accidentium ueluti lenocinio, gratiores apparere ex philosophia didicisset, ut qualitatum permutatione, familiæ gustum corrumperet, æstate uinum calidum, hyeme frigidum propinabat, quòd ex Hippocratis decreto uentres hyeme calidissimos, æstate frigidissimos esse diceret, miro illorum sanitatis tuendæ desiderio se teneri simulans.

Medicamenta.

In CRITONEM Lucillius in Epigrammatis:
ὁ γλήχωνι κρίτων ὁ φιλάργυρος, ἀλλὰ διχάλκῳ
αὐτὸν ἀποσφραίνει θλιβομένου στομάχου.

Cultum corporis.

Græci prouerbiali conuitio sordidos & impendio parcos, ῥυποκονδύλους appellant, ducto cognomine ab iis, quibus sordes in unguibus insident, nec tantillum sumtus facere uolunt, ut tonsori dent numulum, qui repurget ungues. Nam ῥύπος propriè sordes eas significat, quæ in summis unguibus manuum ac digitorum colliguntur, & κόνδυλος articulum digitorum. Iul. Pollux lib. 6. c. 4. eosdem uocat τρυγοβίους, quasi fęce uiuentes. Erasmus in Adag.

PATROCLEM quendam Atheniensem, uetus Comœdia talem fermè depingit, qualem Plautus Euclionem, teste Aristophanis interprete, & Suida. Aristophanis Plutus qui esset squallidus, incultus, & sordibus obsitus, rogatus unde uenisset, respondit:
ἐκ πατροκλέους ἔρχομαι,
ὃς οὐκ ἐλοῦσατ᾿, ἐξ ὅτουπερ ἐγένετο. id est,
E Patroclis domo,
Qui haud lauit unquam, posteaquam natus est.
Erasmus in Adagiis.

Mortis instrumenta.

De PHIDONE Nicander in 2. Epigram. Stobæus Ser. 10. Nicarcho tribuit:
ἐχθὲς ἀπάγχεσθαι μέλλων διάναρχος ὁ φείδων,
γλαῦκε, δι᾿ ἓξ χαλκοῦς δύσμορος οὐκ ἔθανεν
(ἓξ χαλκῶν ἦν γὰρ τὸ σχοινίον) ἀλλ᾿ ἐδυσώνει,
εὔωνον ζητῶν ἄλλον ἴσως θάνατον.
Heri suspensurus se Dinarchus Phidon, ô Glauce, propter sex chalcos non mortuus est: tanti enim constabat funis: sed ægrè ferebat sumtum, Aliam fortè quærens uilioris precij mortem.

QVOMODO. AVARI IN SVMTV, VEL

CONTENDENDO, NE SVMTVS FIAT.

FERDINANDVS Ponzetta, Neapolitanus medicus auarissimus, [redacted] Nec puduit cum cum rusticis & mulierculis res uenales gestantib. de fenestra causa oboli [redacted] dem ingenti thesauro accumulato, [redacted] reliquit, ea pompa elatus, quam [redacted]
Garimbertus lib. [redacted]

CO[redacted]E, SVMTV [redacted]

GALBA Imp. [redacted] ægrè fer[redacted]

ALBERICVS Boemus, [redacted] tiæ homo, rogatus, Quem sonum molestiùs audiret? Maxillarum (inquit) ossa frangentium. Bonfin. lib. 2. Dec. 3.

OCCASIONEM SVMTVS PRÆCIDENDO.

De ASCLEPIADE auaro Lucillius in Epigrammatis:
μῦν ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
καὶ τί ποιεῖς, φησίν, φίλτατε μῦ, παρ᾿ ἐμοί;
ἡδὺ δ᾿ ὁ μῦς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησί, φοβηθῇς,
οὐχὶ τροφῆς παρὰ σοὶ χρῄζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

AVLVS auarus, puerum natum in mare præcipitem deiecit, alimentorum sumtum metuens. Sic Lucillius in Epigrammatis:
γεννηθὲν τέκνον κατεπόντισεν αὖλος ὁ κνιπός,
ψηφίζων αὐτοῦ σωζομένου δαπάνας.

In PROCVLEIAM, Martialis Epigram. lib. 10.
Mense nouo Iani ueterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factum est, subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares:
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Dissidium non est hoc, Proculeia, lucrum est.

AVARITIA MVNERARIA, EN ΔΟΣΕΙ. NON DANS, uel PARCIVS dans, quàm oportet.

QVIBVS. PVTA

DIIS.

CAINVS agricola auarus, non primitias, sed decimas frugū Domino offerebat. Abelus uerò frater, pastor, primitias. Eapropter huius munus Deus acceptauit, illius repudiauit. Geneseos 4.

Tradunt apud PHASELITAS Pamphyliæ gentem moris esse, ut pisciculi salsi diis sacrificentur. Zenodotus. Eudemus item scribit, eos Capro deo salsamentis rem diuinam facere, eiusq; rei testem citat Callimachum. Hinc prouerb. Phaselitarum sacrificium. Erasmus.

PAVPERIBVS.

ADOLESCENS qui quæsiuit à Domino, quomodo posset habere uitam æternam, multas habebat possessiones. Et idcirco abiit tristis, cùm audiuit, Iret, uenderet omnia, daret pauperibus, se sequeretur. Matth. 19.

DIVES ille purpuratus, quia luxuriæ suæ deditus Lazari pro foribus iacentis non respexit ærumnas, impietatis pœnas tulit, sepultus in inferno. Et qui dudū panis micas de mensa cadentes non concesserat mendicanti: nec ipse postea in igne positus, uel unam aquæ guttulam, qua linguam refrigeraret, potuit impetrare. Quoniam sine misericordia iudicium fiet illi, qui non facit misericordiam: & qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & nō exaudietur. Marulus lib. j. cap. 2.

Vidi nuper (inquit D. Hieron. ad Eustochium de Cust. uirgin.) sed nomē taceo, ne satyram putes, nobilissimam Romanorum MVLIEREM, in basilica B. Petri, semiuiris antecedentibus, propria manu, quo religiosior putaretur, singulos numos dispertire pauperibus. Interea (& usu nosse perfacile est) anus quædam annis pannisq; obsita præcurrit, ut alterum numum acciperet. Ad quam cùm ordine peruenisset, pugnus porrigitur pro denario, & tanti criminis reus sanguis effunditur.

MILITIBVS.

TIBERIVS Imp. militi post duplicata ex Augusti testamento legata nihil unquam largitus est, præterquam singula millia denariorum Prætorianis, quòd Seiano se nō accommodassent; & quædam munera Syriacis legionibus, quòd solę nullam Seiani imaginem inter signa coluissent. Sueton.

GALBA rerum potito, milites non soluto donatiuo spes initiò protrahebat, si non tantum, at quantum dederat Nero, Galbam numeraturum. Quos ut conqueri accepit, uocem misit magno principe dignam, Legere, dicens, militem se, non emere solere. Id intelligentes, ingens & asperū aduersus eum odium cepit. Quippe uidebatur non ipse fraudare militem solùm, sed legem quoq; præscribere, & docere secuturos principes. Germanorum cohortem, à Cæsaribus ad custodiam corporis institutam, dissoluit, & sine ullo commodo remisit in patriam. Suetonius, & Plut. in Galba.

MAVRICIVS Imp. audiēs Phocā à militib. Sarmaticis Imp. salutatum, cùm Philippicus sororis maritus ei suaderet, Liberalitas, inquiens, optimum est militibus remedium, qua uulnera ipsorum sanantur, tamen surdis auribus illa excepit. Cuspinianus.

BAIAZETES Turcorum Imp. suos milites longa oratione contra Tamberlanem Tartarum cohortatus, donatiuū militibus licet intercedentibus Bassis dare noluit. Ibi tunc unus è ducibus, Deaurandi sunt tibi, inquit, non orandi milites, Imperator. Sed quantum uideo, pecunia tua Tamberlanis effigie insignita est. Ominosum certè dictum fuisse exitus comprobauit. Viuus enim in potestatem Tamberlanis cum exercitu & thesauris peruenit. Chalcocondylas lib. 3.

AMICIS.

Vide infrà, Non dare mutuum.

Dionysius senior ingressus domum ad FILIVM, ubi conspexit poculorum aureorum & argēteorum magnam uim, exclamauit: Non es ad dominatū natus, qui tam multis, quę à me accipis, poculis amicum tibi nullum comparasti. Plut. in Apophthegmatibus.

DISPENSATORIBVS.

GALBAM Imp. ferunt ordinario dispensatori breuiarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse. Suetonius.

PRÆCEPTORIBVS.

QVIDAM cum Aristippo agebat, ut filium suum susciperet erudiendum. Sed quum philosophus pro mercede peteret quingentas drachmas, alter deterritus magnitudine precij: Minoris, inquit, emerem mancipium. At sic, inquit, habebis duo. Sensit, eadem pecunia illum sibi paraturum & philosophum utilem, & filium obsequentem. Laertius.

ZENO Cittieus, ad Polemonē, ut in Dialecticis exerceretur, clā commeabat. Vnde Polemon dicere solitus est: Sat scio, ô Zeno, te per posticū irrepere, & furari dogmata, quæ postea uendas. Notauit hoc dicto Zenonem, qui furtim & gratis à præceptore discere uolebat, ut aliis postea multa mercede uenderet. Laertius lib. 7. c. j.

MVLIERIBVS.

OCHVS rex Persarum, urbem nunquā ingrediebatur, ne mulieribus congiarium impertiretur. Nam Cyrus legem sanxerat, ut ubi primū Persarum rex ingrederetur, mulieres, quot quot adessent, singulos auri numos ab ipso rege acciperēt. Plut. in Alexandro.

CAVSIDICIS.

Ad FLACCVM Martialis Epigrammatum lib. j.
Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit. Hæc chiragra est.

LEGATIS.

ARTOXERXIS regis magni erga Antalcidam Laconem legatum magnificentia sanequam putida & rustica uisa est, cùm coronam ex rosis & croco commixtis mersans in unguentum illi misit: interim genuinam & propriam dotem extinxit & conspurcauit florum. Plut. lib. 7. Conu. quæst. 8.

THEODATVS Gothorum rex auarissimus cùm propter iniustam Amalasuentæ cædem bellum à Iustiniano Imp. metueret, legatos ad eum misit pacis causa Senatores Rom. & Agapetum summum Pontificem, cui tamen nullum in itineris expensas sumtum dedit, sic ut coactus fuerit uasa sacra D. Petri oppignorare. Quæ tamen postea à Theodato, populi gratiam captante, redemta fuēre. Procopius.

POETIS.

AVGVSTVS Cæsar erga Græculum poetam, qui descendenti à Palatio sæpè honorificum aliquod epigramma solebat offerre, ualde sordidus fuit: neq; enim ei unquam aliquid remuneratus est. Aliquantò post, iterum occurrenti sibi poetæ Augustus breue manu sua in charta exarauit Græcum epigrāma: pro quo ille paucos Cęsari denarios exhibuit, adiiciens: Non secundùm fortunā tuam Auguste: si plus haberem, plus darem. Tum demum dispensatorem ei sestertia centum millia numerari iussit. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.

In XYSTVM IIII. Pontificem sic ludit Angelus Politianus:
Verba dedi Xysto (decet hæc dare dona poetam)
Aera decet Xystum reddere: uerba refert.
Verùm habet ille alios qui dent sibi uerba, fatemur:
Aera tamen, qui nunc det mihi, nullus adest.

MEDICIS.

Theophrastus Paracelsus cùm Basileæ medicinam uernacula lingua profiteretur, Canonicum quendam LIECHTENFELSIVM nobilem, grauissimis stomachi cruciatib. ita debilitatum, ut pro deplorato à Medicis haberetur, tribus pilulis ladani sui refecit. Cumq; Canonicus, ut solēt ægri, centum aureis se sanitatem redemturum ab initio sponte professus esset, at uoti reus numerare recusaret, nil sibi præterquam tres murini stercoris pilulas (sic enim per iocum uocabat) exhibitum dictitans, in iudiciū uocatur à Theophrasto. Iudices ex legibus municipalibus, non tam artis quàm sumtuum & laboris habita ratione, exiguam mercedē constituêre. Qua re sic irritatus fuit Paracelsus, ut cùm more suo imperitiam & iniustitiam iudicum accusaret, seséq; quodammodo maiestatis reus properè è foro domū sese proripuerit, inde monitu amicorum clàm urbe excesserit, relicta Io. Oporino uniuersa supellectilē chymica. In uicina Alsatia per biennium errauit, comitante & famulante Oporino, tam felix in curando, quàm in uiuendo dissolutus.

MVSICIS.

AVGVSTVS Cæsar delectatus inter cœnam erat pueris symphoniacis Turonij Flacci mangonis, atq; eos frumento donauerat: cùm in alia acroamata & ludiones fuisset liberalis numis. Eosdem postea Cæsare inter cœnam quærēti, sic excusauit Turonius, Ad molas sunt. Macrob. li. 2. Satur. c. 4.

GALBAM Imp. ferunt Cano choraulæ, mirè placenti, denarios quinque donasse, prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis. Sueton. & Plut. in Galba.

VIATORIBVS, CVRSORIBVS.

VESPASIANVS Imp. classiarios, qui ab Hostia & Puteolis Romam pedibus per uicos commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearij nomine: quasi parū esset sine responso abegisse, iussit post hæc excalceatos cursitare: & ex eo ita cursitant. Suetonius.

QVID. NON DARE

SPECTACVLA.

Superius ea quoad Sumtum considerauimus. Hîc ut Munera sunt publica.

DONA.

Ad RVFFVM, Martialis libro nono:
Dum me captares, mittebas munera nobis:
Postquam cepisti, das mihi, Ruffe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoq; munera mitte,
De cauea fugiat ne malè pastus aper.

Hyberniæ insulæ rex HVGLETVS, adeò auaritiæ obnoxius erat, ut datis aliquando calceis, quos excellẽtis manus commendabat opificis, ligamenta detraheret, submotisq; loco suo corigiis, donum ad iniuriam transferret. Saxo lib.6.

In MVNNAM, Martialis Epigrammatum lib.10.
Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,
A te Munna uenit: miseris tu mittis amicis,
Per freta, per longas toxica sæua uias.
Nec facili precio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non uenias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto, causa tibi est, ne tua uina bibas.

In LABVLLVM, Martialis Epigram. lib.12.
Libras quattuor aut duas amico,
Algentemq; togam, breuemq; lenam,
Interdum aureolos manu crepanteis,
Possint ducere qui duas Calendas,
Quod nemo nisi tu Labulle donas,
Non es, crede mihi, bonus. Quid ergo?
Vt uerum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasq;, Memmiosq;,
Et Crispos mihi redde, sed priores,
Fies protinus ultimus bonorum.
Vis cursu, pedibusq; gloriari?
Tigrin uince leuemq; Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellas.

In LVPVM, Martialis Epigram. lib.11.
Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis,
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes uocare,
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis inuenitur herba,
Quam costi folium, piperue crudum:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tuta possit.
Erucam malè pascit hortus unam:
Consumto moritur culex salicto:
Et talpa est mihi fossor, atq; arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut uiolæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur:
Et sublata uolantis ungue Prognes
In nido seges est hirundinino:
Et cùm stet sine falce mentulaq;,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, littera sed una,
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

Ad SEXTVM, Martialis Epigram. lib.10.
Argenti libram mittebas, facta selibra est,
Sed piperis. Tanti non emo, Sexte, piper.

ALIMENTA, CONVIVIA.

In GALLVM, Martialis Epigram. lib.3.
Nunquam me reuocas, uenias cùm sæpe uocatus:
Ignosco, nullum si modò, Galle, uocas.
Inuitas alios. Vitium est utriusq;. Quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

In HABENTEM amœnas ædes, Martialis Epigr. lib.12.
Daphnonas, platanos, ac aëreas cyparissos,
Et non unius balnea solus habes:
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusq; tuo sub pede lucet onyx:
Puluereumq; fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubiq; sonat.
Atria longa patent. Sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno locus est. Quàm benè non habitas?

PERTINAX Imp. si quando ad amicos de cœna mitteret, binas tantùm offulas, aut paucula poma: atque ubi opiparè magis egisse uideri uellet, gallinaceos lumbos mittebat. Herodianus.

MARTINVS Pontifex instituit, ut crudi familiaribus pisces à dispensatore in sportula traderentur, quos antea coctos præberi mos esset. Vnde hodie quoque decantatur familiaris cuiusdam eius uersiculus:
Vnusquisque suam digitis contrectat arengam.

VESTIMENTA.

Apud Iuuenalem queritur quispiam uestes donari, uillo crasso, coloreq; malo,
Et malè percussus textoris pectine Galli.
Erasmus in Adagiis.

SALARIVM, MERCEDEM, HONORARIVM.

☞ *Vide paulò antè, Causidicis, Medicis, Præceptoribus.*

ALCINOE Polybi Corinthij filia, uxor Amphilochi Dryantis, Mineruę indignatione insaniuit, quòd à se mercede conductam mulierculam artis texendi doctam Nicandrã, quæ totum annum in eius opere fuerat, postremùm ædibus expulisset, neq; integram mercedem persoluisset. In tantã autem insaniam uenit, ut relicta domo & filiis nuper genitis, naue abiret unà cum Xantho Samio hospite. In medio cursu quum rem altiùs memoria repeteret, multas lacrymas profudit: ac inclamauit nunc quidem iuuenem domi maritum, nunc etiam natos. Ad finem uerò, Xantho licet multa promittente, ac se eam pro uxore habiturum spondẽte, seipsam præcipitauit in mare. Parthen. de Amat. c.27.

MVTVVM.

Crœsus Lydorum rex, filius Halyattis, princeps antè designatus fuerat Adramyttij & Bebij campi. Pater autem suscepta in Cariam expeditione, inter cæteros præfectos, Crœso etiã filio natu maximo denunciauit, ut copias suas Sardeis adduceret. Quod cùm ille, ut aiunt, præ luxu facere non posset, in crimen uenerat apud patrem. Cùm autem criminatã cinore præclaro diluere uellet, nec ad conducendum militem (mercenariis enim auxiliis utebatur) pecunia suppeteret: HALYATTEN mercatorem Lydorum ditissimũ adit. Is uerò primùm ante fores eum expectare iussit, dum lauisset. Deinde respondet, multos esse liberos Halyattis quibus pecunia si danda esset, non suffecturam. Se igitur petenti illi nihil dare. Ab hoc cùm nihil impetrasset, Ephesum facienda pecuniæ causa uenisse fertur: & uotum fecisse Dianæ, se regem factum ei totam domum mercatoris illius consecraturum. Habebat autem amicum ibi Iononum Theocharidis filium, hominis admodum locupletis. Is aurum à patre acceptum, Crœso tradidit. Crœsus uerò pòst rex factus, currum auro plenum illi misit, & mercatoris opes Dianæ consecrauit. Suidas.

In CAIVM, Martialis Epigram. lib.2.
Mutua uiginti sestertia fortè rogabam,
Quæ uel donanti non graue munus erat.
Quippe rogabatur felixq;, uetusq; sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, Diues eris, si causas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto consilium.

In SEXTVM, idem libro eodem:
Emi seu puerum, togámue pexam,
Seu tres, ut puto, quattuórue libras,
Sextus protinus ille fœnerator,
Quem nostis ueterem meum sodalem,
Ne quid fortè petam, timet, cauetq;,
Et secum, sed ut audiam, susurrat;
Septem millia debeo Secundo,
Phœbo quattuor, undecim Phileto,
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis.
Durum est, Sexte, negare, cùm rogaris.
Quantò durius, antequam rogeris?

In AVARVM amicum, idem lib.4.
Millia misisti mihi sex, bis sena petenti.
Vt bis sena feram, bis duodena petam.

Ad CÆCILIANVM, idem lib.6.
Rustica mercatus numis sum prædia multis;
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes? Tacitum te dicere, credo,
Non reddes. Ideò, Cæciliane, rogo.

In PHOEBVM, idem Epigrammatum libro 6.
Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogaui:
Cùm mihi dixisses, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meq; diebus
Teq; decem crucias. Iam rogo, Phœbe, nega.

In BACCHARAM, idem lib.7.
Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, terq; dic.
Appellat rigida tristis me uoce Secundus:
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Esse queror gelidasq; mihi, tritasq; lacernas:
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.

Hoc

Hoc opus est, subitò fias ut sidere mutus,
Dicere ne possis Bacchara, quid sit opus.

In T[redacted]
Ecce reum Carus te detulit: adsit [redacted]
Exilij comitem quæris? agellus erat.

QVOMODO. VTPVTA

PERMVTANDO.

Petenti PELOPI donarium agnæ aureæ, ut eius loco alia reponeret, respõdit Apollo: Quod uolo, dato: ne dato, quod nolo. Suidas.

Intulerat CLODOVEVS Francorum rex bellum Gothis & Aquitanis. Equum pro uictoria uouit: damnatusq; uoti, tenui est pecunia conatus quadrupedem redimere. Cæterùm tãdiu bellator equus stetit immotus, donec maius sit precium pro eo datum. Tum rex, Bonus, inquit, propitiusque fuit mihi in prælio diuus Martinus, cuius hic equus est (huic enim cœlitus res nota erat) sed negotiator nimis auidus. Sabell. lib.3. Enn.10. & Io. Magnus lib.16. c.2.

POENITENDO DATI.

Duo IVVENES Ioãnem Apostolum secuti, cùm angi animo cœpissent, quòd facultates suas in pauperum usus erogassent, nec iam Apostolo meliora certioraq; sperare iubenti acquiescerent, uirgis in aurum mutatis, & lapillis in gemmas, plus etiam receperunt quàm reliquerant. Mox cuiusdam (cui Stacteo nomen erat) à morte suscitati uerbis credentes, quibus ille se uidisse affirmabat, quàm ingentẽ gloriam in cœlo paratam amisissent, ad Apostolum reuersi, restituto quicquid ab eo acceperant, paupertatem in uita coluere, ut pòst obitum diuites fierent. Marulus lib.5. c.7.

REPREHENDENDO DATVM.

Cùm ad communem OECONOMVM pecunię, quæ pauperibus darentur, undiq; mitterentur: quodam tempore Epiphanius, Cypriorum episcopus, totum per eleemosynas exhausit ærarium. Quod ægrè ferens œconomus, prodigum eum appellauit. At non multo pòst incerto auctore loculi auro referti in ædes œconomi illati, diuino testimonio Epiphanij pietatem confirmarunt. Sozom. lib.8. c.14.

DENEGANDO.

In CINNAM, Martialis lib.7.
Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut citò, Cinna, neges.
Diligo præstantem: non odi, Cinna, negantem.
Sed tu nec præstas, nec citò, Cinna, negas.

QVIDAM senator Cumanus, Homerum cæcum non esse alendum calculo suo euicit, cæteris alendum esse dicentib. Inter alia enim hęc quoque protulit: Quòd si semel ὁμήρους, hoc est, cæcos alendos suscipiant, futurum, ut continuò turbam habeant & multam & inutilem. Atq; hic primùm Homerus dictus est, à cæcitatis calamitate, qui antea Melesigenes uocabatur. Herodotus in uita Homeri.

NABAL diues, at illiberalis erga Dauidis nuncios commeatum petẽtes, cum opib. uitam ferè amisit, nisi Abigail eius uxor iratum regem muneribus leniuisset. 1. Reg. 2.

Sabiniano Pontifice, pauper quidam, cùm à NAVTIS eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero: Desiste eleemosynam petere à nobis, qui nihil hic præter lapides habemus: cùm subiecisset pauper, Omnia ergo uertantur in lapides: quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, forma rerum earundem permanente. Sigebertus in Chronicis.

INCERTA DANDO.

Ad PHOEBVM, Martialis lib. 9. Epigrammatum:
Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas:
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam uano munere iactes.
Quod tibi non possum soluere, Phœbe, meum est.

INDIGNANTER DANDO.

PETRVS Telonarius Constantinopolitanus, pauperi stipem obstinatè petẽti panem è furno extractum iratus in faciem proiecit. Marulus lib.j. cap.2.

DONATELLVS Florentinus, statuarius egregius, homũcio non inurbanus, cùm importunè mendicanti stipem obtulisset, & ille diis acceptam diceret: tunc ipse, Non diis, inqt, sed tuæ importunitati, ne me efflagitando occideres. Pontanus de Liberalitate, cap.22.

CVNCTANTER DANDO.

CLEMENTIS VII. Pont. prudentiam fatalis auaritia penitùs elisit, utpote qui in proferenda pecunia, quum opus foret, adeò suspẽsus & anceps tristi cunctatione torqueretur, ut in perleui momento gerendarum rerũ occasio facilè deperiret. Iouius lib.32. Hist.

OCCASIONEM DANDI VITANDO.

Cyro, ab Astyage rege & Medis, acie profligato, cùm hostes penè uno agmine cum fugientibus Persis in urbem irrumperent: occurrerunt eis ante urbem feminæ, nudatisq; pudendis: Quò ruitis, inquiunt, homines ignauissimi? neque enim huc, unde prodistis, uobis fugæ receptus esse poterit. Hæc species & uox ruborem Persis incussit: qui seipsi increpantes ac conuersi, pugnam repetierunt, & hostes fuderunt fugaueruntque. Vnde auctore Cyro lege cautum fuit, cùm rex in urbem iniret, ut singulis mulieribus aureus daretur. OCHVM autẽ ferũt deflexisse semper & prætergressum urbem, ut munere mulieres fraudaret. Plut. de Virtutibus mulierum, & Polyænus lib.7.

TIBERIVS Cæsar spectacula nulla edidit: & iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissimè interfuit, ne quid exposceretur, utique postquam comœdum Actium coactus est manumittere. Suetonius.

Ad AVCTVM, Martialis lib.12.
Genus, Aucte, lucri diuites habent iram:
Odisse quàm donare uilius constat.

In GELLIVM, Martialis lib. 9. sic scribit:
Gellius ædificat semper, modò limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emitq; seras:
Nunc has, nunc illas mutat reficitq; fenestras:
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit:
Oranti numos ut dicere possit amico
Vnum illud uerbum Gellius, Aedifico.

DIFFERENDO.

In MARONEM, Martialis Epigram. lib.11.
Nil mihi das uiuus, dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

PROMISSA NON PRÆSTANDO.

In POSTHVMVM, Martialis Epigram. lib.12.
Omnia promittis, cùm tota nocte bibisti,
Mane nihil præstas, Posthume: mane bibe.

In CAIVM, Martialis Epigram. lib.10.
Si donare uocas promittere, nec dare, Cai,
Vincam te donis muneribusq; meis.
Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in aruis,
Aurea quicquid habet diuitis unda Tagi.
Quicquid Erythræa niger inuenit Indus in alga,
Quicquid & in Indis unica seruat auis.
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

OFFERENDO ASTVTE.

In NASICAM, Martialis Epigram. lib.2.
Inuitas tunc me, cùm scis, Nasica, uocatum.
Excusatum habeas me, rogo, cœno domi.

AVARITIA EN ΔΟΣΕΙ, FOENERATORIA, DANS quidem, sed spe talionis, aut maioris doni. BENEFICII fœneratio.

☞ *Veteratoria hæc calliditas ad Astutiam χρηματιστικὴν pertinet, respectu consilij. At respectu subiecti, quandoquidem opes erogat, non quòd hac erogatione delectetur; sed quòd hoc ueluti hamo maiora captet; cùm liberalis δόσις non sit, δόσις certè auara erit: Respectu denique ipsius Finis, ad λῆψιν auaram pertinebit.*

QVIBVS. NEMPE

REGIBVS.

THOMAS Volsæus, Cardinalis & legatus Apostolicus per Angliam, auaritiæ & ambitionis mancipium, regem Henricum IIX. suis blanditiis possidebat totum. Si quid ab Henrico impetrare uolebat, munusculum aliquod, utputa uasculum fabrè elaboratum, aut gemmam, aut anulum, & id genus dona deferebat: atq; dum ille munus studiosè mirabatur, ipse, quod animo destinasset, oportunè & appositè subiiciebat. Polyd. lib.27.

SENIBVS, VIDVIS.

In GARGILIANVM, Martialis Epigram. lib.4.
Munera quòd senibus uiduisq; ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, uocem.
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona uocare tuas.

Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare docebo,
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

Ad GAVRVM, idem lib. 8.

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, seniq;,
Si sapis, & sentis, hic tibi ait, Morere.

Ad SOSIBIANVM, idem lib. 11.

Nemo habitat gratis, nisi diues & orbus apud te:
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

QVID. PVTA

HOSPITIVM.

THESTORIDES Phocensis ludimagister, Homerum hospitio suscepit, ut carmina illius suffuraretur. Descriptis enim plerisq; in Chium concessit, ubi erecto ludo, carmina illa pro suis euulgans, egregiam sibi laudem parauit. Herod. in uita Homeri.

EQVVM.

GALLVS quidam nobilis animaduertẽs Ludouicũ XI regẽ pro rapo, sibi à rustico donato, mille eũ donasse aureis, beneficium fœneraturus, generosum equũ regi dono dedit. Hilari eum animo rex suscepit, & rapum sindoni inuolutũ ex ærario depromtum homini dari iussit. Explicato munere, indignabundo nobili, & se delusum conquerenti: Quæ uerò hæc ludificatio, inquit rex, mille emtum aureis rapum equo centum aureorum precium uix æquanti opposuisse? Aegid. Corrozet. de Dictis & factis memor.

CVR. CAVSA

SPIRITVS SANCTI COMPARANDI.

Cùm uidisset SIMON Samaritanus, per impositionẽ manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem. Ab eo postea omnes, qui sacras dignitates pecunia mercantur, Simoniaci sunt appellati. Act. 8.

SACERDOTII OBTINENDI.

MENELAVS argento, quod promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium. Per uasa aurea, è templo furtim ablata, & Andronico data, curauit fratrem Oniam occidi. 2. Machab. 4.

ALCIMVS accedẽs ad Demetrium regem, accusauit Iudam Machabæum, & obtulit regi coronam auream, & alia dona: quibus effecit, ut summum sacerdotium acquireret. Machab. 7. & 2. Machab. 4.

[redacted]

IMPERII.

Didius IVLIANVS Mediolanensis, Pertinace Imp. à seditiosis militibus interfecto, largitionibus uiam ad imperium sibi fecit. Emebant igitur Sulpitianus & Iulianus, factis contra se mutuis licitationibus (ille intus, hic foris) ut singulis militibus ducentos aureos daturos se promitterent. Nam milites utrinq; separatim renunciabant, quantum alterorum daret: dicebantque Iuliano; Sulpitianus nobis hanc summam dat, quid tu adiicis? Itemque Sulpitiano: Iulianus nobis tantundem promittit, quid tu præterea polliceris? Potior autem fuisset Sulpitianus: quippe intra castra, & præfectus urbis erat, priorq; ducentos aureos promiserat: nisi Iulianus non sensim ampliùs, sed simul ad superiores ducẽtos aureos, alteros quinquaginta adiecisset, eamq; summam magno edito clamore in manibus ostendisset. Quibus adnumeratis, Imperator dictus est à militibus, qui tum temporis omnem potestatem in manibus habebant. Xiphilinus in Iuliano.

AVXILII BELLICI.

ALEXANDER VI. Pp. ut filio suo Cæsari Borgiæ, regnum affectanti, ualida auxilia ab Galliæ rege Ludouico XII. impetraret, Rhotomagensi cardinali Georgio Amboysio, qui apud regem largiter poterat, in decem & octo mẽses Galliæ regni legationem concessit. Quod munus, quia nouum erat, & quia, quamuis citeriorem Britanniam non complecteretur, multa negotia, & plùrimos quæstus à Romana curia ad se pertrahebat, ualde amplum existimabatur. Guicciardinus libro 5.

HÆREDITATIS CONSEQVENDÆ.

Vide paulo antè, Senibus, Viduis data munera.

PRODITIONIS.

PHILIPPI regis Macedonum auara magis, quàm liberalia dona uulgò celebrantur, quibus paulatim Græcarum urbium libertatem emit. Vnde non temerè dictum illud manauit in populos, Philippi auro Græciam euersam esse. Pontanus de Liberali tate cap. 18.

AVARITIA ΕΝ ΛΗΨΕΙ, CAPTANS, EXIGENS, ACCEPTANS.

Tertia hæc Auaritiæ species est, quam αἰσχροκέρδειαν, *&* πλεονεξίαν *appellare possumus.* Πλεονεξία *iniustitiæ species, plus sibi quàm aliis tribuens, in genere ad quamuis cupiditatem quorumuis bonorum pertinere potest. In specie uerò, quatenus circa hoc uel illud genus bonorum uersatur, ratione scilicet materiæ subiectæ, modò ad Auaritiam, modò ad Ambitionem referenda uenit. Sit ergo hoc in loco nimium acquirendæ pecuniæ studium* πλεονεξία τις *: quemadmodum prima species, in erogando consistens,* ἀνελευθερότης *&* μικροπρέπεια *dicebatur. Nisi quis tertiam hanc Auaritiæ speciem diuidere uelit, quòd partim in appetitione auara, partim in acquisitione consistat. Appetitio interna est, &* πλεονεξία *fortassis appellari posset, quando uel inhonestas opes & lucra appetunt, & ab aliis petunt: uel honestas diuitias atque munera plus satis expetunt. Acquisitio iam ueluti in opus progreditur, eaq; propter* αἰσχροκέρδεια *dici commodè posset, sub qua omnis illicita & inhonesta acquirendarum opum ratio continetur. Obseruandum hîc porrò & illud, quòd Corruptela munerum respectu Accipientis ob inhonestam causam, ut dicat facidtue indecorum quid, huius est loci: at respectu Dantis, ad* δόσιν *auaram & beneficij fœnerationem pertinet.*

QVI. AVARI

POPVLI.

LACEDÆMONIOS fuisse sordidos, præparcos, ac smicrologos (quo nomine significatur is, qui parua & precij propè nullius, nimio plus magnifacit, & admiratur) quum multa coarguunt, tum uel oraculum egregiè comprobat: cuius in Bœotiis meminit Pausanias quoque:

ἡ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δ' οὐδέν.

Hoc est, Pecuniæ studium ad interitum Spartam ducet, aliud uerò nihil. Cælius libro decimooctauo, capite 5. Antiquarum lectionum.

Ἀττικὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα καὶ ἀποθνήσκων, id est, Atticus porrigit manum, etiam cùm moritur. Huic adagio locum fecit ATHENIENSIVM in muneribus captandis, & aucupãdis lucris insatiata cupiditas. Vnde & apud Aristophanem frequens iocus in τοὺς δωροδοκοῦντας. Auctor Diogenianus, & Erasmus, & Cælius lib. 18. cap. 25.

Dionysius Halicarnasseus in uolumine de Arte dicendi testatur, Platonem in 4. de Rep. & 5. de Legib. dixisse, PHOENICES & AEGYPTIOS maris oportunitate usos, à natura factos ad pecuniam cogendam, mercaturamq; exercendã,

TARTARI nulla furta, rapinas, latrocinia, uim, usuram, prætermittunt. Fœnerat pro uirili quisque sua, decimam crediti æris partem quoquo mense pro ære exigit. Item uectigalia crebra, ac grauia. Tributa in primis regi, deinde sacerdotibus, post hæc prouinciarum præfectis, nunciisq; soluuntibus planè soluuntur. Bonfin. lib. 8. Dec. 2.

GRAMMATICI.

SP. Carbilius, Sp. Carbilij libertus, primus ludum Grammaticæ aperuit, mercede docens. Plut. in Problem.

RHETORES, CAVSIDICI.

Olim tantus erat artis oratoriæ quæstus, ut GORGIAS Leontinus auream statuam solidam sibi posuerit Delphis. Plinius cap. 4. lib. 33.

DEMOSTHENES quæstuariam habuisse magno cum dedecore eloquentiã perhibetur: qui aduersariis in iudicio scripsit clàm orationes Phormioni & Apollodoro. Obiectum quoque ei de regiis pecuniis fuit, & damnatus ob Harpalias. Quanquam à Philippi & Macedonum pecunia inuictus fuit: superioribus tamen ex regionibus Susis & Ecbatanis allato auro expositus & demersus, prædicare maiorũ uirtutes præclarissimè potuit, imitari non potuit. Plutarchus in Demosthene. Critolaus eũ à Milesiis auxilia postulantibus corruptum scribit: neque id obscurè tulisse. Nam cùm interrogasset Aristodemum actorem fabularũ, Quantum mercedis ut ageret, accepisset? & Aristodemus, Talentum, respondisset: At ego plus, inquit, accepi, ut tacerem. Caius Gracchus in oratione sua, qua legem Aufeiam dissuasit, DEMADI hoc tribuit, non Demostheni. Gellius libro 11. cap. 9. & 10.

Harpalus, malè sibi ex luxu conscius, & Alexandrum iam terribilem amicis, tremens, DCCL talenta depeculatus, profugit ex Asia Athenas. Huic ad populum confugienti, seq; in fidem eius cum pecunia & nauibus permittenti, cæteri oratores auro oculos adiicientes præstò fuerunt, consuluerunt q; populo, ut supplicem reciperet ac tutaretur. DEMOSTHENES suasit primùm, Harpalum ut abigerent, & Antipatro traderent, cauerentq;, ne nullo necessario aut iusto prætextu ciuitatem implicarent bello. Inde paucis diebus cùm recenseretur pecunia, conspicatus delectatum calice regio Harpalus, cælaturamque considerantem & speciem, iussit ut manibus eum tractaret, & libramentum pensaret auri. Admirante pondus Demosthene, atque, Quantũ penderet, requirente, arridens: Pendet, inquit, tibi Harpalus uiginti talenta. Mox insequente nocte calicem ei cum XX talentis misit. Acutè autem Harpalus ex obtutu, fronte expor recta, coniectu oculorum notauit cupidi auri hominis sensum. Neque enim restitit Demosthenes, sed ictus munere, ut si præsidiũ recepisset, adiunxit se Harpalo. Postridie collo lana & fasciis diligenter obligato in concionem progressus, cùm excitaretur ad dicẽdum, nutu ostendit præclusam sibi uocem esse. Ibi homines faceti cauillantes, non angina dixerunt, sed argentangina oratorem nocte correptum, ἀργυράγχην, ἀλλ' οὐ συνάγχην. (Alij tamen hanc simulationem non Harpali, sed Milesiorum causa auxilium petẽtium factam putant.) Pòst ubi uniuersus populus donis sensit labefactatum, purgareq; se parantem atq; placare, ipsum nõ audiuit, sed obstrepuit infensus: exurgens quidam salsè ait: Non audietis, Athenienses, istum, qui calicem habet? Harpalum autem urbe extemplò interdixerunt, ac ueriti ne rationem reddere cogerentur Alexandro pecuniæ, quam ceperant oratores, quæstionem accuratè habuerunt, domósque perscrutati sunt. Demostheni lis æstimata talentis quinquaginta. Quam cùm pendere nollet, in exilium abiit. Plut. in Demosthene, & Gellius. Cùm ab Harpalo poculum ingens dono accepisset: Hic, inquit Corydus, alios acrocothonas, hoc est bibulos appellat, quum ipse magnam pateram attraxerit. Cothon cyathus est fictilis: attrahit, qui accipit donum: & attrahit uinum, qui bibit. Erasmus lib. 6. Apophtheg.

IDEM, cepit de Ephialte concionatorum uno aurum: qui ad regem functus legatione clàm attulit pecuniam, qua concionatoribus diuisa bellũ aduersus Philippũ pop. consciscere: atq; ipsum seorsum ab rege aiunt Daricorum redemtũ fuisse tribus millibus. Plut. in uita Demosthenis.

Cùm Polus histrio EIDEM aliquando dixisset, quòd duos dies in scena egisset, talentum se mercedis accepisse: Ego, inquit, quinq; talenta, quòd biduum tacuerim. Idem.

HORTENSIVS orator defensionis mercedem à Verre acceperat Sphingem argenteam. Is quum M. Tullio obliquius quiddam & inuolutius loquuto dixisset, Non didici soluere ænigmata: Atqui, inquit Cicero, Sphingem habes domi. Nota est fabula de monstro Sphinge, quæ præmiis præpositis edebat ænigmata: non soluentibus autem, mors erat præmium. Plut. in Rom. Apopht.

VINCENTIVS quidam aduocatus erat homini prædiuiti, sed auaro. Cùm multoties illi in causis affuisset, neq; quicquam tulisset præmij, tandem difficiliori in causa, qua sibi adesse ad eum defendendum rogarat, die ad tuendam causam præscripto (eo autem die cliens ficus & persica aduocato miserat) ad tribunal accessit. Aduersariis multa contra illum dicentibus, semper clauso ore tacuit, neq; uerbum ullũ quamuis lacessentibus illis unquam protulit. Admirantib. singulis, cùm cliens, Quidnam illud silentiũ sibi uellet, percontaretur: Persica, inquit, ficusq; quos misisti, ita os meũ congelarũt, ut nequeã uerbũ proferre. Poggius in Facetiis.

POETÆ.

SIMONIDES poeta rogatus à quodam, ut encomium in eius scriberet laudem, gratiam loco muneris accepturus: respondit, Duas se habere arcas, unam gratiarum, alteram argenti. Hanc quum aperiret domi, subinde plenam reperire, illam uerò inanem & uacuam. Pecuniæ studio in Siciliã ad Hieronem tyrannum nauigauit. Vnde σιμωνίδου μέλη, in eos prouerbio iactatur, qui lucri causa uersus faciũt. Ipsum certè Chamæleon κίμβικα appellauit, id est, pecuniæ auidum. Ab Hieronis uxore interrogatus, Meliúsne esset diuitem an sapientem esse? respondit, Longè se frequentiùs intueri sapientes in diuitum ianuis, quàm contrà. Interrogatus, Cur senex esset auarus? respondit, Cùm moriar, inimicis malo pecuniam relinquere, quàm uiuens amicos egens experiri. Gyraldus Dialogo 9. hist. Poet. Refert Aristot. lib. Rhet. 3. in certamine mulorum, quum is, qui uicerat, dixisset exile precium pro carmine, Simonides recusauit, indignans mulos celebrare suo poemate: uerùm ubi uictor dedisset satis magnum præmium, carmen tale fecit:

χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων. id est,
Saluetote uolucripedum soboles equorum.

SPEVSIPPVS Platonis ex sorore nepos, ad nuptias Cassandri regis Macedonum profectus, frigida sua poemata spe præmij recitauit. Vnde ἐρασιχρήματος à Philostrato in uita Apollonij appellatur. Gyraldus Dial. 3. Hist. poet.

PINDARVS hymnum secundũ Isthmiũ Xenocrati Agrigentino scripsit, & transmisit eum per Nicasippum ueluti legatum, ad Thrasybulum filium Xenocratis, ut & ipse eum legeret. A' principio statim expostulat cum eo, quòd non dignam pro conscripto priore hymno à Xenocrate mercedem acceperit:

Οἱ μὲν πάλαι, ὦ Θρασύβουλε,
φῶτες, οἳ χρυσαμπύκων
ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον,
κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι,
ῥίμφα παιδείους ἐτόξευ-
ον μελιγάρυας ὕμνους,
ὅς τις ἐὼν καλὸς, εἶχεν Ἀφροδίτας
εὐθρόνου μνάστειραν ἁδίσταν ὀπώραν.
ἁ Μοῖσα γὰρ οὐ φιλοκερδής
πω τότε ἦν, οὐδ' ἐργάτις·
οὐδ' ἐπέρναντο γλυκεῖαι
μελίφθογγοι ποτὶ Τερψιχόρας
ἀργυρωθεῖσαι πρόσωπα
μαλθακόφωνοι ἀοιδαί.
νῦν δ' ἐφίητι τὠργείου φυλάξαι
ῥῆμα, τᾶς ἀληθείας ἄγχιστα βαῖνον,
χρήματα χρήματ' ἀνήρ·
ὃς φᾶ, κτεάνων θ' ἅμα λειφθεὶς καὶ φίλων.

Veteres quidem, ô Thrasybule, homines, quicunq; pulcrarum currum Musarum scandebant, inclytam tractantes citharam, facilè in pueros condebant mellitos hymnos, & ut quisque pulcer erat, sic Veneris habebat formosæ ad uenerem allicientem suauissimum florem. Musa enim non lucri studiosa aliquo pacto tunc fuit, neq; mercenaria: neq; uendebantur à Terpsichore dulces, mellisonæ, deargentatæ faciem, molliloquæ cantiones. Hodie uerò permittit (Aristodemi Spartani) nobis Musa hoc Argiui obseruare uerbum, proximè ad ueritatem accedens, Pecuniæ, pecuniæ uir. Sic dixit, qui cùm opibus, tum quoq; amicis destitutus erat.

HISTORICI.

Decem talenta HERODOTVM ab Atheniensibus dono accepisse ex Anyti rogatione ciuis Atheniensis, Diyllus narrauit. Plut. de Herodoti malignitate.

PAVLVS Iouius in sua historia Lusitanorum res parcè attingit, iratus uidelicet, quòd cùm Lusitanæ historiæ scribendæ munus Ioanni III. Lusitaniæ regi uenale proponeret, rex optimus non illum muneribus Indicis ad res Lusitanorum uirtute gestas monimentis illustrandas inuitarit. Osorius lib. 6. rerum Emm.

MVSICI.

Nicostratus & Laodocus citharœdi, quum inter se concertãrent, dixit Nicostratus, LAODOCVM esse in magna arte paruum, se autem in parua magnum: satiusq; sibi esse non domum diuitiis, sed artem studio & diligentia augere. Aelianus lib. 4. de Var. hist.

TIMOTHEVS, cùm in arte musica omnium præstantissimus esset, duplicem mercedẽ exigebat ab his, quos ab aliis magistris malè institutos acciperet (quòd hi priùs dedocendi quàm erudiendi erant) à rudioribus uerò & ignaris, simplicem. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

PHILOSOPHI.

PLATO ter Siculam Charybdim, ob Siculas opes emensus esse fertur. Apollonius Tyanæus arguebat eundem, quòd pecuniæ causa secutus esset Dionysium in Siciliam. Proinde dicebatur in eum tritum illud, ἠρᾶτο ὀπτῶ ἀλεύρω, id est, Concupiuit assam farinam, quòd domesticam tenuitatem pertæsus, apud alios lautiorem uitam quæsisset. Quam quidem profectionem probro illi datam fuisse, testatur etiam Aristides in Oratione, qua tuetur oratores quatuor, aduersus Platonis calumniam. Erasmus in Adag.

ARISTIPPVS Cyrenæus, & HELICON Cyzicenus, & PHAETHON, cùm Rhegio exularet, ita Dionysij subierũt thesauros, ut uix inde eminerent. Atque etiam Cnidium aiunt EVDOXVM aliquando uenisse in Aegyptum, ac professum, se pecuniæ causa adesse, eaque de re locutum esse regi. SPEVSIPPVS Atheniensis ad Cassandri nuptias in Macedoniam comessatum profectus & poemata frigida compo-

composita à sese, mercede cantillauit. Suidas.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, primus Socraticorum quæstu philosophatus est. Hic ab eo, qui sibi filium commendarat, quingentas petiit drachmas. Cui ille cùm dixisset, Tanti emere mancipium ualeo: Eme, inquit, & habebis duo. Laërtius.

ARISTIPPVS quondam petiit talentũ à Dionysio: quúmq; rex redarguendi nactus occasionem, diceret: Nónne tu prędicabas, philosophum non egere? Da, inquit, & postea de hoc disputabimus. Cùm accepisset pecuniam: An non, inquit, rectè dixi, philosophum non egere? Non eget, qui quum opus est, habet unde accipiat. Laërtius libro secundo, capite octauo.

HERMODORO Siculo, auditori Platonis, uitio datũ, quòd quæstui philosophiam habuerit, & dicta quæ sub præceptore audiuerit colligendo, ac dein in Sicilia uenditando, mercaturam quodammodò exercuerit. Volaterranus lib. 15. Anthropologiæ.

ANTISTHENES Cynicus interrogatus, Cur tam paucos haberet discipulos? inquit: Quoniam depello illos uirga argentea. Sentiens, ideo paucos uenire, quòd magna mercede doceret. Vulgus autem magis amat pecuniam, quàm sapientiam. Scire uolunt omnes, mercedem soluere nemo. Laërtius lib. 6. cap. j.

Adolescens quidam Ponticus pollicebatur se rationem ANTISTHENIS habiturum, si nauis sua, quæ salsamenta uehebat, appulisset. Antisthenes accepto nouo uase, unà cum adolescente ibat ad mulierem, quæ uendebat farinã: & impleto uase, cœpit onustus discedere. Mulieri uerò poscenti farinæ precium, commonstrato adolescente: Hic (inquit) dabit, si nauis cum salsamentis appulerit. Significans, inanes esse in diem pollicitationes, quum farina quotidie sit præsenti pecunia emenda. Idem.

DIOGENES Epicureus uestem purpuream & coronam auream, ab Alexandro Antiochi Epiphanis filio extorserat, quam postea meretrici cuidam dono dedit. Athenæus lib. 5. capite decimo.

THEOLOGI, MAGI, VATES, SACERDOTES, MONACHI auari.

☞ *Pontificium exempla aliquot è sequentibus locis petantur.*

Apud ISRAELITAS, dum adhuc Silunte templum esset, põtifices hoc ius habebant in populum, ut quocunq; sacrificium faciente, dum caro coquebatur, ueniret puer pontificis, fuscinam tridentem ferens, qua in lebetem aut ahenum immissã, quicquid extrahebat fuscina, id sibi pontifex uendicabat. Etiam ante incensum suffitu adipem, ueniebat põtificis puer, & immolatori iubebat, ut carnem daret assandam pontifici: pontificem enim, ab eo non esse coctam, sed crudam carnem sumturum. Filij igitur Eli pontificis duo nequissimi, PHINEES & HOPHNIS, hac libertate abutebantur, & rapiebant etiam nolentibus per uim, præter stupra quæ inferebant mulieribus illuc uenientibus. Ob quæ scelera graui clade à Palæstinis affecti sunt Israelitæ, & arca domini ab iisdem capta, Phinees & Hophnis in acie cæsi. 1. Regum 2.

SACERDOTES Iudæorum uolentes populum frequenter offerre, permittebant ut ea quæ offerri poterant, uenderentur in templo. Hac etiam de caussa dicebatur aurum templi sanctius esse templo: & donum quod erat super altare, maioris esse reuerentiæ, quàm ipsum altare. Matth. 23.

Sophocles in Oedipo tyranno, inducit Oedipodem insimulantem proditionis Creontem, ac TIRESIAM augurem criminantem, obiicientemque illi cæcitatem: Ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσι Μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός. Victorius lib. 3. Var. lect. cap. 20.

PYTHIA pecunia corrupta fuit ab Atheniẽsibus, ut quoties uiri Spartiatæ uenirent, siue priuato siue publico agmini petentes oraculum, proponeret ipsis, liberare Athenas. Herod. libro quinto.

ANTIOCHVS Ptolemaidis Phœniciæ episcopus, tempore Arcadij, uir mirè facundus, & ob id à multis Chrysostomus dictus, Constantinopolim se contulit, & ibi concionando magnas opes collegit, quamuis aduersus auaritiam longũ uolumen composuerit. Diem suum tandem malè obiit: ut & alij inimici Ioannis Chrysostomi, episcopi Constantinopolitani. Sozomenus lib. 8. cap. 10. Eius exemplum imitatus est SEVERIANVS, Gabalanorum in Syria episcopus, Antiocho sola pronunciatione Syriaca & crassa inferior: qui episcopatui Ioannis Chrysostomi insidiatus est, & tandem malè periit. Sozomenus lib. 13. cap. 36. sub Theodosij Iunioris imperio.

MEDICI AVARI.

AESCVLAPIVS auro allectus Hippolytum uitæ restituit, Quod indignè ferens Iupiter, utrunq; fulmine percussit. Sic de eo Pindarus ode 3. Pythiorum:

ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται.
ἔτραπε κἀκεῖνον, ἀγάνορι μισθῷ, χρυσὸς ἐν χερσὶ φανείς,
ἄνδρ' ἐκ θανάτου κομίσαι,
ἤδη ἁλωκότα. χερσὶ δ' ἄρα Κρονίων
ῥίψαις δι' ἀμφοῖν, ἀμπνοὰν
στέρνων καθεῖλεν
ὠκέως, αἴθων δὲ κεραυνὸς ἐνέσκηψε μόρον.

Sapientia certè etiam ipsa lucro uincitur. Euertit & Aesculapium, ingenti precio, aurum in manibus apparens, dum ab inferis ad uitam reuocaret Hippolytum, qui tunc morte captiuus tenebatur. Manibus itaque suis Iupiter deiecto per amborum pectora uitam eis ademit celeriter, urensq; fulmen mortem intulit.

DEMOCEDES Crotoniensis, Darium Persarum regem curauit, cùm pedem luxasset. Ob quam curationem, cùm eũ rex duobus aurearum compedum paribus donasset, interrogauit Democedes, Nunquid ideo se duplici malo remunerandum putaret, quòd ab eo sanatus esset? Hoc dicto Darius delectatus, ad suas uxores hominem misit. Quæ ipsum tanto donauerunt munere, ut excidentes ex percussione phialarum stateres famulus Sciton collegerit, non paruam auri summam. Herod. lib. 3.

MELAMPVS, cùm ab Argiis mercede conduceretur, è Pylo, ad compescendum morbum furoris mulierum Argiarum, deposcebat pro mercede dimidium regni. Recusantibus id Argiis, atque digressis, cùm plures è mulieribus insanirent, Melampo quæcunque petierat, concesserunt. At ille statim plura petiit, nimirum ut fratri quoq; suo Bianti tertiam partem regni darent. Argij in arctum redacti, hoc quoque annuerunt. Itaq; tertia sola pars Anaxagoræ, qui tunc Argis imperabat, reliqua mansit, teste Pausan. in Corinth.

Philippus auarum nactus MEDICVM, & indesinenter efflagitantem, cùm ea parte, qua collo adnectitur pectus, quæ Græca uoce κλεὶς, Clauicula dicitur, uulneratus esset, & curaretur, insusurrauit medico auaro:

λάμβανε ὅσα θέλεις, τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις.

Cape, inquit, quantum libet, quando clauem habes. Erasmus in Apopht. ex Plut.

CHARMIS Massiliensis ab ægro uno ex prouincialibus Romæ H-S ducenta extorsit. ALCON uulnerum medicus H-S C damnatus à Claudio Imp. & relegatus, è Gallia tandem restitutus, non minus intra paucos annos acquisiuit. Plinius lib. 29. cap. j.

MATTHÆVS de Gradis Florentinus, medicæ artis scientissimus, multa in eo genere scripsit. Nullus unquam carius suã operam locauit: nullius principis curationem recepit, nisi grandem mercedem pactus. Accersitus ab Honorio IIII. pontifice, non priùs eum adiit, quàm tres libras auri sibi in singulos dies pollicitus. Cæterùm pontifex diligenter curatus, centum auri libras libens illi obtulit. Sab. lib. 7. En. 9.

GVLIELMVS Harselius, medicus Laudunensis, cùm Carolum VI. Gallorum regem ab insania liberasset, mille coronatis aureis donatus est: homo ut singulari medendi felicitate celeberrimus, ita insigni auaritia notissimus. Vltra XXX Francorum millia possidebat, ampliss. ex arte quæstũ quotidie faciebat: & tamen ne ultra duos solidos in diem expenderet, ægrorum prandia & cœnas studiosè captabat. Io. Froissardus lib. 4. c. 50. historiæ Gallicanæ.

IACOBVS Cotterius medicus, ita dementarat Ludouicum XI. Gallorum regem, qui nemini hominum alioqui fidebat, ut auarissimi medici nutus iussaq; omnia obseruare cogeretur. Quinquagintaquatuor coronatorum aureorum millia, quinq; mensium spacio, dum castra sequitur, à regẽ meticulosissimo extorsit: suoque nepoti episcopatum Ambianensem, amicis dignitates amplissimas, impetrauit. Regi non de insolentia salarij, sed uerborum, quibus erga regem tanquam erga mediastinum dominus utebatur, apud intimos conquerenti, Quære ergo tibi alium medicum, inquit, cæterùm certò scito, me dimisso te, ne per octiduum quidẽ superuicturum. Hisce minis regem eò compulit, ut quem tota Gallia & uicinæ gentes metuebant, is medicum sordidissimum tanquam uitæ suæ arbitrum omni officiorum genere & adulatione coleret. Philippus Cominæus.

THADDÆVS Florentinus medicus, ad curam ægrotorum extra urbem uocatus, non uiliùs quàm quinquaginta aureorum mercede in singulos dies peregrinabatur: uocatusque ab Honorio IIII. centum sibi statui uoluit, præter mercedem. A' quo curato decem millia reportauit. Volaterranus.

ZERBVS medicus Italus, quum accitus grandi pecunia pepẽgrasset ad Triballos, ut Scanderbassam, recenti & luctuosa in Euganeos irruptione clariss. intercutis morbo liberaret: nec demùm quòd inflatè promiserat, morienti præstaret, à Barbari seruis interfectus est. Iouius in elogio Turriani.

Lippiens anus MEDICI operam implorauit, conuentione facta, si se curaret, pactam mercedem ei daturam: sin minùs, ne obolũ numeraturam. At medicus quoties ab ea imposi tis collyriis recederet, furto secum aliquid de domo auferebat. Demum cùm conualuisset, & de mercede à medico interpellaretur, Atqui, inquit illa, minus nunc quàm olim uideo: plura enim in domo uasa instrumentaq; lippiens conspiciebam, quàm nunc sana conspicari possim. Gilbertus Cogn. libro 1. Narrat.

PETRVS Aponensis, Conciliator dictus, uocatus ad ægros extra urbem, non minoris quàm L. florenis in diem condu ci se patiebatur. Ab Honorio IIII. põtifice in singulos dies centum exegit. Sed cùm ille sanitatẽ recuperasset, mille donatus fuit. Octogenarius obiit.

IVRECONSVLTI, CAVSIDICI, PATRONI, ADVOCATI.

☞ *Auaritia in exigendo à clientibus huius est loci. Ea dem ipsa quatenus cum iniuria aliorum coniuncta est, ad Iniustitiæ locum pertinet.*

TREBONIANVS sub Iustiniano Imp. præfectus & quæstor, Macedoniani F. auaritiæ usq; eò deditus erat, ut ius & fas uenale haberet. Singulis diebus & leges ferebat, & latas reuocabat, uti indigentium usus, à quibus pecuniam acceperat, postulare uidebatur. Cùm diu post indeptum honorem superuixisset, morbo tãdem decessit: ab aliquo prorsus nulla affectus iniuria, quòd uidelicet sermone comi blandoq; erat, & auaritiæ morbum doctrinæ præstantia uelaret. Cuspinianus, ex Suida.

ANGELVS RAVS, iurisconsultus Neapolitanus, nudatis uertebris lignea pala grauiter se ab ancilla uerberari iussit, grani pœna, ni obtemperasset, ancillæ proposita, quia oblatam sibi à cliente pecuniam, quòd argentea non esset, repudiasset. Pro qua mutanda cùm à se clientem acerbiùs obiurgatum dimisisset, ille indignè id ferens, statim cum aduersario pactus liti cessit, neq; ad aduocatum rediit. Nihil hoc homine abiectius: quem cur auarum potiùs quàm seruum nominem, causam nullam uideo. Pont. cap. 7. de Liberal.

IASON Maynus, iurecõss. clarissimus, consilia sua graui uendebat precio: ea tamen pactione, ut si causa decidissent consultores, se continuò redditurum polliceretur. Iouius in elogiis. Quod ipsum erit fortasse qui bonę fidei tribuãt, cùm cuilibet mercem suam quanto libeat precio, addicere liceat. Atqui ut hoc licere uideatur, nõ decere tamen hominẽ eruditum, eundemq; Iustitiæ sacerdotem, cordati facilè per spexerint. Confidentia insignis fuit quam de sua habebat eruditione: eandemq; pari passu stipabat auaritia.

Aduocatis de quota litis pacisci lege interdicitur. RAPHAEL Fulgosus, maximi nominis I. C. cùm iuuenis esset, à consultore partem litis euictæ salarij nomine acceperat. Cæterum ætate maturior cùm in l. sumtus, ff. de pactis incidisset, quo loco disertè pacta ista prohibentur, quæcunq; acceperat, cum fœnore restituit. Cuius exemplum utinam multi alij imitarentur.

Parisiis tempore Ludouici duo fuerunt ADVOCATI compatres. Ad horum alterum cùm uenisset bonus quidã uir, sed fortunæ tenuioris, rogat ut causam ipsius in foro aduersus rusticum antagonistam, opibus magis instructum, agat. Annuit ille atq; horam cõstituit. Cæterùm paulò pòst cùm rusticus alterius partis aduersarius rogasset eundem ut & si bi aduersus alterum adesset, multoq; maiorẽ polliceretur prædam quàm ille, etiam huic operam suam promittit. Redeunte primo se excusat, quòd cùm aduersarij partes acturus sit, ei promissam operam præstare nequeat. Ablegat tamen eum ad alterum procuratorem, compatrem suum, cũ hac commendatione: Compater mi, uenerunt ad me duo capones pingues: ego pinguiorem cepi, alterum uobis mitto: plumetur is à parte uestra, & ego plumabo alterum. Fr. Oliuerius Maillardus in explicatione ferię 1. Dom. aduẽtus.

REGES, PRINCIPES, TYRANNI AVARI.

☞ *Ex Tit. Auari in genere, quædam exempla huc traduci possunt, quatenus ad* λῆψιν *pertinent. Ex Tit. quinetiam Principum improborum, siue Tyrannorum. Illic Improbitas in genere, siue multiplex perpenditur: hic sola improbitas pecuniaria.*

PROTEI filius, in Aegyptiorum regem electus, uectigalibus & accumulando thesauro intentus, neque deorum muneribus, neq; ulli beneficentiæ uacans, plus auri atq; argenti, quàm præteriti reges omnes, reliquit. Diodorus Sic. lib. 2. cap. 2. de Rebus antiquis.

CLEOPATRA Aegypti regina apud M. Antonium Triumuirum multum poterat irretitum suis amoribus. Cumq; natura esset alieni appetens, nihil sibi putabat illicitum. Primò fratrem, cui debebatur regni successio, ueneno sustulit, agẽtem annum XV. Deinde Arsinoen sororem suam, Ephesi in templo Dianæ supplicem, interfecit per Antonium. Pecuniarum etiam ubicunq; spes affulgeret, neq; templum, neq; sepulcrum, neq; asylum ullum unquam uiolare dubitauit, modò ad illam redirent spolia quæsita uel sacrilegio: miscebatq; sacra, profana, fas nefas, ut augeretur lucris uel iniquissimis. Ad summum nihil satis erat mulieri sumtuosæ & uoluptatibus deditæ, cuius cupiditates uix totius orbis expleri potuissent opibus: quamobrem & Antonium continuò solicitabat, ut aliis ablatã sibi largiretur. Ioseph. lib. 15. cap. 4. Antiquitatum. Sic semper uitia uitiis ministrant, & Prodigalitati ueluti subancillatur Auaritia.

C. IVL. Cæsar fuit in primis χρηματοποιός, duo esse astruens, quibus paretur principatus, custodiatur item ac augescat quoque: milites, & numariam uim. Sed hæc mutuis necti auxiliis: quippe alimentis contineri milites, illa uerò militari opẽ accumulari. Cæl. lib. 20. cap. 24. A. L.

IDEM in Hispania à Proconsule & à sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quanquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaq; deũm donis referta expilauit, urbes diruit, sæpiùs ob prædam, quàm ob delictum: unde factum, ut auro abundaret, ternisq; millibus numûm in libras promercale, per Italiam prouinciasq; diuenderet. In primo Consulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates ac regna precio dedit: ut qui uni Ptolemæo propè sex millia talentorum suo Pompeijq; nomine abstulerit. Postea uerò euidentissimis rapinis ac sacrilegiis, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac munerum sustinuit impendia. Suetonius.

M. ANTONIVS Triumuir in Asiam profectus, expoliabat hómines nobiles facultatibus, quas uerberonibus & adulatoribus largiebatur. Multorum fortunas uiuentium petebant accipiebantq; aliqui quasi mortuorum. Ciuis Magnetis bóna coco, qui unam cœnam, ut fertur, parauerat scitè, donauit. Postremò cùm ciuitates altero tributo oneraret, ausus est Hybreas, qui pro Asia agebat, quiddam dicere, urbanum illud quidem, atq; ad Antonij aures non illepidum: Si bis anno tributum uales exigere, uales bis etiam æstatem nobis & bis fructus efficere. Sed cum acrimonia & confidentia adiecit, ubi ducenta millia talentûm intulit Asia: Hæc, inquit, si non accepisti, ab illis, qui acceperunt, repete. Sin quę accepisti, hæc non habes, perimus. Eo dicto uehementer pu pugit Antonium. Nam pleraque, quæ agebantur, ignorabat: non quòd ita foret socors, sed quia ex simplicitate credebat suis. Plut. in Antonio.

TIBERIVS Cæsar occidit Cn. Lentulum augurem, patriciô genere, uitæq; modestia ac uirtutẽ insignem, posteaquam is eum hæredem scripserat. Veneficij Lepidam feminam innocentissimam condemnauit, ut Quirino diti atque orbô morem gereret: fretus ob nauatam eam operam, se eius futurum hæredem. Vononum quoq; Parthum, qui per seditiô nem regno pulsus, ad eum confugerat, posteaquam opibus spoliauit, quas ingentes attulerat, interemit. Fulgosus lib. 9. cap. 4. ex Suetonio.

C. Cæsar CALIGVLA exhaustus sua prodigalitate atq; egẽs, ad rapinas conuertit animum, uario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & uectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam usurpare eos, quorum maiores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filij essent. Neque enim intelligi debere posteros ultra hunc gradum. Prolataque diuorum Iulij & Augusti diplomata, ut uetera & obsoleta deflebat. Arguebat & perperàm editos census, & quibus põstea quacunque de causa quicquam incrementi accessisset. Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberij, neq; illum, neq; se hæredem reliquissent, ut ingrata rescidit. Item cæterorum, ut irrita & uana, quoscunq; quis diceret hærede Cæsare mori destinasse. Quo metu iniecto, cùm iam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palàm hæres nuncuparetur, derisores uocabat, quòd post nuncupationem uiuere perseuerarẽt: & multis uenenatas mattyas misit. Cognoscebat autem de talibus causis: taxato priùs modo summæ, ad quem conficiendum consideret, confecto demùm excitabatur. Ac ne paululum quidem moræ patiens, super XL. reos quondam ex diuersis criminibus una sententia condemnauit, gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ, quantum egisset, dũ ea meridiaret. Superante demùm cupiditate atq; auaritia, feminarum mariumque lupanar in palatio condidit: ac misit, qui per urbem cursitantes, obuios, ut fructuosum uectigal principi redderent, inuitarent. Coacta igitur ex eo uectigali ingenti pecunia, in ea nudum se prouoluebat,

ut auri auiditatem expleret. Sororum ornamenta, & supellectilem, & seruos magno precio uendidit. Vectigalia noua & inaudita exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis (quæ tota urbe uænibant) certum statumque exigebat. Fulg. lib. 9. cap. 4. ex Suetonio.

NERO ad ædificandi furorem super fiduciam Imperij, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opū impulsus est: ex indicio equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa uastissimis specubus abditos, ac posse erui paruula molientium opera. Verùm ut eum spes fefellit, destitutus, atq; ita iam exhaustus, & egens, ut stipendia quoque militum, & commoda ueteranorum protrahi, ac differri necesse esset: calumniis, rapinisq; intēdit animum. Ante omnia instituit, ut è libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogeretur ei, qui sine probabili causa eo nominē essent, quo fuissent illæ familiæ, quas ipse contingeret: deinde ut ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impunè esset studiosis uiris, qui scripsissent, uel dictassent ea: tum ut lege maiestatis facta dictaque omnia, quibus modò delator nō deesset, tenerentur. Reuocauit & præmia coronarum, quæ unquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent. Et cùm interdixisset usum amethystini ac Tyrij coloris, submisissetque qui nundinarum die pauculas uncias uenderet: præclusit cunctos negociatores. Quinetiam inter canendum animaduersam matronam è spectaculis, uetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis creditur: detractamque illicò non ueste modò, sed & bonis exuit. Nulli delegauit officium, ut non adiiceret: Scis quid mihi opus sit: &, Hoc agamus, ne quis quicquam habeat. Vltimò, templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro uel argē to fabricata conflauit: in his Penatium deorum, quæ mox Galba restituit. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. ob solam pecuniæ cupiditatem culpari meretur. Non enim contentus omissa sub Galba uectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, & auxisse tributa prouinciis, nonnullis & duplicasse: negociationes quoque uel priuato pudendas propalàm exercuit, coemendo quædam tantùm, ut pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reisue tam innoxiis quàm nocentibus absolutiones uenditare cunctatus est. Creditur procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem uulgò pro spongiis dicebatur uti, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei à sene bubulco: qui negata sibi gratuita libertate, qua Imperium adeptum suppliciter orabat, proclamauerit, Vulpem pilum mutare, non mores. Sunt contrà qui opinentur ad manubias, & rapinas necessitate compulsum, summa ærarii fisciq; inopia: de qua testificatus sit initio statim principatus: professus quadringenties millies opus esse, ut respublica stare posset. Quod & uerisimilius uidetur, quando & malè partis optimè usus est. Suetonius.

Flauius DOMITIANVS Imp. exhaustus operum ac munerum impensis, stipēdioq; quod adiecerat: tentauit quidē, ad releuandos castrenses sumtus, militum numerum diminuere. Sed cùm obnoxium se Barbaris per hoc animaduerteret, neq; seciùs eo in explicandis oneribus omnibus hæreret: nihil pensi habuit, quin prædaretur omnimodò bona uiuorum & mortuorum usquequaq;: quolibet & accusatore & crimine corripiebantur. Satis erat obiici qualecunq; factum, dictumq; aduersum maiestatem principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates: uel existente uno qui diceret, audisse se ex defuncto, cùm uiueret, hæredem sibi Cæsarem esse. Preter cæteros Iudaicus fiscus acerbissimè exactus est: ad quem deferebantur, qui uelut professi, Iudaicam intra urbem uiuerent uitam, uel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, inquit Suetonius, cùm à procuratore, frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circunsectus esset.

ANTONINVS Caracalla quādiu principatum tenuit, adeò omnis orbis terrarum, qui erat sub eius imperio, uastatus atq; direptus est, ut ludis Circensibus populus Romanus ita conclamauerit: Nos uiuos perdimus, ut mortuos sepeliamus. Crebrò dicebat, pecuniam sibi soli esse oportere, preterea nemini, ut eam daret militibus. Cumq; Iulia nouerca ipsum argueret, quòd nimios sumtus faceret in milites, diceretque non sibi multos reditus iure aut iniuria partos reliquos esse: gladium ostentans, respondit, Bono sis animo, mater. nam nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit. Dion & Xiphilinus.

MAXIMVS tyrannus, cæso Gratiano Imp. Gallia & Hispania occupata, omnibus rebus ad uoluntatem fluentibus usque adeò est elatus, ut fortunæ prosperitatem animo capere nō potuerit, ac Italiæ etiam occupandæ consilio suscepto, cogendæ pecuniæ caussā omnia auaritiæ ac rapacitatis exempla ediderit. Si quidem, ut Pacatus dixit, uacuauit municipibus suis ciuitates, impleuit exulibus nobilibus solitudines, perfunctorum honoribus summis uirorum bona publicauit, capita diminuit, uitam ære taxauit: stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutusq; trutinarū palleus atq; inhians exigebat: comportabātur interim spolia prouinciarum, exuuiæ exulum, bona peremtorum: hic aurum matronarum manibus extortum, illic raptæ pupillorum ceruicibus bullæ, istic dominorum cruore perfusum pendebatur argentum: numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, uasa concidi, cuiuis ut intuenti non Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum uideretur. Et Italiā quidem Valentinianum expulit, eaque simul & Africa potitus est: uerùm à Theodosio Magno & uita & imperio exutus fuit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

MAVRITIVS genere Cappadox, & successor in Romano Imperio Tiberij soceri, ob auaritiā desertus à militibus, à Phoca centurione limitis Scythici captus, & securi percussus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

PHOCAS post Mauricium ob auaritiæ morbum primùm cō tumeliis adfectus, è medio sublatus est, cùm imperasset annos 13. Ibidem.

ANASTASIVS Rom. Imperator, uniuersum imperium Aristocratiam effecit, magistratibus omnibus uendendis, & delinquentibus ignoscendo, inexplebili pecuniæ auiditate incensus. Vnde factum, ut prouinciæ militaribus catalogis exhaustis, prouinciales rebus insuetis & peregrinis percellerentur. Neq; enim armis infestos Barbaros propulsabat, sed pecunia subinde pacem redimebat. Ad hæc, in bona defunctorum inquirebat, & communem omnibus paupertatem donabat. Quorum enim ipse rem familiarem auferebat, iis paulo pòst, pietatis nomine distribuebat: & quarum urbium incolas nudabat, earū ædificia renouabat: ut & patriā studiosè exornaret, tribusq; coronis circūdaret. Suidas.

IVSTINIANVS Imper. in pecunia effundenda immodicus, ad congerendam intemperantissimus, plurima impendebat ædificationi. Argenteam statuam Theodosij Magni cō flauit, plumbum ab aquæductu abstulit, cùm in alium usum conuerteret illud: ob quam rem fermè semper angusta re numaria laborabat. Nam & in aliis rebus peragendis, quarum cupido eum corripuerat, inq; re bellica præsertim, atque iis quos sibi infensos nouerat perdendis, nulla utebatur parsimonia. Atque ideò modis parum honestis pecuniam corradebat, illisque, qui ad hanc rem operam præstabant, summas habebat gratias. Nullus itaque auaritiæ suæ modus, cùm & Theodora Augustā turpium rapinarum & nouorū uectigalium inuentrix, populum geminato onere premeret. Quibusdam annua tributa indicebat, quasi malè de Christiana religione sentirent: aliis, quòd lasciuè uiuerent: nonnullis, quòd inimicitias & simultates inter se exercerent. Cuspinianus, & Euagrius lib. 4. cap. 30.

IVSTINVS iunior, senatores & opulentiores pecunia emunxit: nec pauperibus, nec ecclesiis pepercit, sed res earū questus gratia diuendidit. Paulus Diaconus lib. 16. cap. 2.

NICEPHORVS Phocas Imp. prætextu bellorum, nouis tributis atq; exactionibus subditos expilauit, parum discriminis inter militem & hostem faciens. Senatui donatiua subtraxit, indigentiam causatus ob crebras ac uarias expeditiones. Sacris item ædibus annuos reditus imminuit: & nouo decreto, ne immobilibus bonis ecclesiæ ampliarentur, cauit. Vnde antistites, rei diuinæ curam deserere cœpere. Defuncto aliquo episcopo, in uiduatam ecclesiam aliquem regium ministrum mittebat: cui necessarias tantùm expensas concedebat, reliqua cōuertens in suū usum. In prouincias item descriptores cēsendis pro capitibus misit, qui per phas & nephas subditis graues imposuerunt exactiones, ne pauperibus quidem præteritis. Ordines militares perturbauit, terrestres in naualem militiam, ac nauticos in pedestrem ordinem annumerando ac confundendo. Numismata corrupit, & pondus consuetum imminuit, adeò ut reditus ponderosiore numo, erogationes autem siue expensas leuiore faceret. Graui oborta fame, maiore precio frumentum uendidit, quàm cæteri mercatores. Cuspinianus.

ALEXIVS Comnenus Imp. modos insolitos comparādæ pecuniæ inuenit: falsos creditores contra quosdā inducens, qui suas illis res auferrent, quum eis nihil deberetur. Inde apographi ubiq; in agris ac territoriis diuersis litigātes possessionibus abigebant. Sed & nouationes nominū excogitauit plurimas & iniquissimas. Sacra quoque ex templis sunt detracta. Numismate æreo in expensas imperij utebatur: tributa uerò in auro exigebat probatissimo. Semiaureos & æreos numos pro aureis spargebat. Itaq; ære indigēs plurimo, obolos quoq; in numisma transcudit, & ærea publica opera conflauit. Nouas decimas instituit. Cuspin.

GVLIELMVS Ruffus Anglorum rex auarissimus fuit, ne sacris quidem parcens. Polyd. lib. 10.

ADOLFVS Nassauiensis Imp. pessimè audiuit, quòd adulterinam monetam cuderet, clàm fana expilaret, quodq; centū millia aureorum ab Edoardo Anglorum rege stipendij nomine accepta interuertisset. Itaq; datus illi à pontifice Bonifacio æmulus, Albertus Austriæ dux, à quo ad Vangionas cæsus est. Dubrauius lib. 18.

VENCESLAVS III. Boemorum rex, cùm modum liberalitatis nesciret, egere paulatim cœpit, æsque alienum primùm contrahere, dein cùm soluendo non esset, tributa alia super alia indicere, uectigalia augere, Iudæos compilare, nec ullum genus exactionum prætermittere. Apud nobilitatem quoque magnam sibi inuidiam conflauit, quòd nonnullos eorum in carcerem detruserat contradicere ausos, magis etiam, quòd Proceres ne audire quidem uoluerit ueniam deprecantes. Ergo in Morauiam abeuntes, filium eius Premislaum ad rebellandum instigarunt. Dubrauius lib. 16.

ERICVS, ex Pomerano duce rex factus Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ, diuturni belli contra Slesuicenses duces prætextu, tria regna exhauriebat, sed Sueciam imprimis, utpote locupletiorem. Proinde Engelberti unius è proceribus ductu sese in libertatem Sueci, eiectis Danorum præsidiis, uindicauere. Cæso per insidias Engelbertò, maritimarum tandem ciuitatum intercessione sic conuentum: Vt Ericus regni Sueciæ gubernacula quidem teneret, sed Suecos arcibus præficeret, non Danos: regium censum, præsens totum acciperet, absens dimidium: ueterem oppidis & uillis libertatem, mercatoribus priuilegia seruaret. Subinde tamen tales in [redacted] omnes mortales [redacted] regibus infam[redacted] rum alter pecuniæ gratia eam ciuitatem, quam sæpius in fide sua esse dixerat, & cuius (ut postea cognitum fuit) sponte deditæ magnus Consaluus eius nomine imperium acceperat, deserendam statuit: alter eorum, quæ sæpiùs Florentinis promiserat, immemor, uel iustam Pisanorum libertatē turpi precio uēdidit, uel Florentinos, ut propriarum rerum iustè recuperandarum facultatem ab se emerent, coegit. Tā tum hodie passim plus auri uis, quàm honesti ratio potest. Guicciardinus lib. 8. Hist.

POLITICI, PRÆFECTI AVARI.

Quærendæ pecuniæ oppidò fuisse intentum THEMISTOCLEM ob munificentiam, affirmant. Cùm enim assiduè immolaret, atq; in excipiendis esset splendidus hospitibus, magna facultate pecuniæ eum opus habuisse. Critias affirmat eum, antequam ad rempublicam accederet, trium solùm talentorum hæreditate paterna rem habuisse. Deinde uerò cum remp. gessisset, & tandem in exilium pulsus esset, dum bona publicarentur, inuentas fuisse centum talentorum facultates, quas congesserat. Aelianus lib. 10. de Varia historia, & Plut. in eius uita.

CLEON antequam remp. capesseret, non habuit dignam libero homine substantiam: pòst uerò quinquaginta talentorū rem reliquit. Aristophanes in Equitibus de eo inquit, Λάρος κεχηνὼς ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν. ob rapacitatem Larum uocat, quòd quemadmodū ea auis in scopulis obuersatur, si quid piscium possit uenari, ita ille uersaretur in Reipublicæ negotiis administrandis, suum interim agens negotium. Item,

τὼ χεῖρ' ἐν αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν κλωπιδῶν.

In Aetolis manum habere, mentem in Clopidis, inquit, qui nil suauius opinaretur, quàm accipere. Ioci gratia ex uerbi Græci notione consurgit: nam αἰτεῖν, petere significat: Clopidæ autem in Leontide tribu censebantur. At hic allusit ad κλοπὴν, id est, ad furtum. Cælius libro uigesimo, capite uigesimoprimo Antiq. Lect. In eadem comœdia iocatur in eundem, quòd nullam aliam musicam discere potuerit quàm

Doricam: alludens ad notissimas harmoniarum species, Doricam, Lydiam, Phrygiam & Bœoticam. Ludit autem uerbo perperàm deprauato, δωροδοκησὶ pro δωριστί. ἄττος, inquiens, οὐ δύναται μαθεῖν, ἢν μὴ δωροδοκηστί, id est, Iste discere haud potest præterquam δωροδοκηστί. Est autem Græcis δωροδοκεῖσθαι, muneribus corrumpi, ut in gratiam alicuius dicas sententiam. id quod Pythagoras appellat κυάμους ἐσθίειν, id est, Fabas edere. Nam antiquitùs fabis suffragia ferebantur. Itaque συμβολικῶς, fabas edebant, qui quæstum ex ea re facerent. Erasmus in Adagiis. Apud Athenæum legimus, Aetolicum fuisse, rapere.

Agesilaus Spartanorum rex, biennio in Asia res maximas contra Persas designauerat. Domum reuocatus, quia numi Persici sagittario erant signati, deportans exercitum, Mille sagittariis, ait, Asia se ab rege summoueri. Tot enim delatis Athenas & Thebas, diuisisque inter CONCIONATORES, populi illi ad mouendum Spartiatis bellum incensi fuerant. Plut. in Agesilao.

Quæstus gratia ad rempub. accedentes STRATOCLES & DROMOCLIDES, ad auream messem (ita ioco nuncupabant suggestum) se mutuo hortabantur. Plutarchus in præceptis Politicis.

THRASYBVLVS Lacedæmoniorum legatis responsurus, qui fœdus petebant, largitione corruptus, se ex ἀχεράδων, id est, syluestrium pyrorum esu in rauim incidisse simulans, tacuit. Suidas.

C. VERRES perfunctus quæstura & prætura urbana, successit in Sicilia prætor C. Sacerdoti: ubi multum auri argentique corrasit. Inde decedens tandē, succedente Metello, repetundarum reus à Siculis postulatus est. Pedianus. De eo sic Cic. Diuinatione in Verrem: Verris quæstura, quæ fuit primus honoris gradus, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum à quæstore suo pecunia publica? nudatum & proditum Consulem? desertum exercitum? relictam prouinciam? sortis necessitudinem, religionemque uiolatam? Cuius legatio exitium fuit Asiæ totius, & Pamphyliæ: quibus in prouinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est, cùm in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renouauit, & instaurauit quæstorium: cùm eum, cui legatus, & pro quæstore fuisset, & in inuidiam suis maleficiis adduxit, & in ipsis periculis non solùm deseruit, sed etiam oppugnauit, ac prodidit. Cuius præturа urbana ædium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio: simul in iure dicendo bonorum possessionūque contra omnium instituta addictio & condonatio. Itē: Verre prætore Siculi neque suas leges, neque Romani Senatus consulta, neque communia iura tenuerunt: tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis auarissimi & libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut societati superfuit: nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, iudicata est: nulla res cuiusquam tam patria atque auita fuit, quæ non ab eo, imperio istius, abiudicaretur: innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis nouo nefarioque instituto coactæ: socij fidelissimi in hostium numero existimati: ciues Romani seruilem in modū cruciati, & necati: homines nocentissimi propter pecuniam iudicio liberati: honestissimi atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati, & eiecti: portus munitissimi, maximæ tutissimæque urbes, piratis prædonibusque patefactæ: nautæ militesque Siculorum, socij nostri atque amici, fame necati: classes optimæ atque oportunissimæ, cum magna ignominia Pop. Romani, amissæ & perditæ. Idem Orat. 2. C. Verres in Siciliā multis audientibus sæpe dixit, se habere hominem potentem, cuius fiducia prouinciam spoliaret: neque sibi soli pecuniam quærere, sed ita triennium illud præturæ Siciliensis distributum habere, ut secum præclarè agi diceret, si unius anni quæstum in rem suam conuerteret, alterum patronis & defensoribus suis traderet, tertium illum uberrimum quæstuosissimumq; annum totum iudicibus reseruaret.

Batto, qui Dalmatis sæpenumerò defectionis auctor fuerat, & Romanis magna damna attulerat, cùm à Tiberio interrogaretur, Cur ei deficere, tamq; diu contra Romanos bellarē uisum sit? Vos, inquit, causam dedistis, qui ad greges uestros custodiendos non mittitis canes aut pastores, sed lupos. Dion in Augusto.

PRÆFECTVS Romæ à D. Laurentio Diacono Ecclesiæ thesauros exigebat, amara ironia, apud Prudentium:

Depromе thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendiis
Ducet, iuuet pecunia.
Sic dogma uestrum est audio,

Suum quibuſq; reddito.
En Cæſar agnoſcit ſuum
Numiſma nummis inditum.
Quod Cæſaris ſcis, Cæſari
Da: nempe iuſtum poſtulo.
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm ueniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta ſed uerbis dedit
Inanis à marſupio.
Implere dictorum fidem,
Quæ uos per orbem uenditis:
Nummos libenter reddite,
Eſtote uerbis diuites.

Claudianus auaritiam RVFFINI Orientis præfecti ſub Arcadio Imp. his inceſſit uerbis:

Plenus ſæuitiæ, lucriq; cupidine feruens:
Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas precioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli: totumq; exhauſerit Hermum,
Ardebit maiore ſiti. ——

ARVANDVS præfecturam primam in Gallia geſſerat cū magna popularitate, ſecundam uerò cum maxima populatione. Onere inde alieni æris oppreſſus, metu creditorum ſucceſſuros ſibi optimates æmulabatur, omnium colloquia deridebat, conſilia explorabat, officia contemnebat. donec odio publico flagrans, & priùs cinctus cuſtodia, quàm poteſtate diſcinctus, capi ab Imperatore, & Romam duci eſt iuſſus. Eum Aruernorum primores publico nominè accuſaturi ſequuntur. Hi inter cætera, quæ ſibi prouinciales agenda mandauerant, interceptam epiſtolam deferebant, quam Aruandi ſcriba exceptus dominum dictaſſe profitebatur. Hæc ad regem Gothorum epiſtola mittebatur, pacem cum Leone Imperatore diſſuadens, Britannos ſuper Ligerim ſitos oppugnari oportere demonſtrans, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & ad hunc fermè modum plurima inſana complectens, quæ irā regi feroci, miti pudorem accenderunt. Hanc epiſtolam ad læſæ maieſtatis crimen pertinere iuriſconſulti dixerunt. Quā cùm Aruandus ultrò ſe dictaſſe, imminentis periculi ignarus, aſſereret, ſtatim à iudicibus atq; ab accuſatoribus acclamatur, reum eum læſæ maieſtatis teneri. Quo conſenſu perſpecto, Aruandus exanimatus expalluit, ſerò intelligens, poſſe reum maieſtatis etiam pronunciari eum, qui non affectaſſet habitum purpuratorum. Subitò igitur iure geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis faſcibus geſſerat, ſpoliatus, & plebeiæ familiæ redditus, publico carceri adiudicatus eſt. Inde iudicio comperendinato capite mulctatus, in inſulam eſt coniectus, ubi uſq; ad inimicorum dolorem deformatus, ex ſenatuſconſulto Tiberiano triginta dierum uitam poſt ſententiam traxit, uncum, & gemonias, & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc Sidonius & Caſſiodorus an. 469. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Sub Michaele Paphlagone Imp. Nicopolis à Rom. ad Bulgaros deſciuit, ob intolerabilem auaritiam IOANNIS Cuzomytæ Byzantini, quem miſſum ad exigendum tributū, cū iniquius tractaret incolas, in fruſta conciderunt. Cedrenus.

Præerat Etruriæ THEODAHATVS, Amalafredæ olim reginæ filius, homo literis egregiè eruditus, atq; in primis diſciplinæ Platonicæ ſtudioſus: uerùm plus, quàm ferre Tuſcorū animi poſſent, auarus, ac congerendæ, ſpoliandis populis, pecuniæ cupidus. Hic, cùm ſe odio flagrare apud Etruſcos atq; Amalaſuentā Athalarici Gothorum regis matrē eo nomine intelligeret, cupiditate prodendæ Iuſtiniano Tuſciæ, atq; Italiæ relinquendæ accenſus eſt, eo animo, ut, cùm ingentē uim pecuniæ recepiſſet, & conſularem dignitatē adeptus eſſet, reliquum ætatis Conſtantinopoli degeret. Interea Etruſci ipſum de repetundis apud Amalaſuentam poſtularunt, atq; ab ea exerceri quæſtionem eiuſmodi popoſcerunt. Amalaſuenta hominem coràm adeſſe iuſſit, ac iudicio conſtituto conuictum ab accuſatoribus condemnauit, ac ſua cuiq; ablata reſtituere compulit. Quem tamē pòſt ad regnū euexit, magno ſuo cū incōmodo. Sigon. li. 17. Imp. occi.

IVDICES AVARI, MVNERIBVS CORRVPTI.

De OPHNI & PHINEA filiis Samuelis dicitur: Declinauerunt poſt auaritiam, acceperunt munera. Et ſtatim ſequitur, Peruerterunt iudicium. 1. Regum 8.

Ariſtoteles in Athenienſium Repub. citante Suida, tradit CALLICRATEM quendam è iudicum ordine fuiſſe, qui iudiciarias exactiones ſupra modum auxerit: atq; hinc natam parœmiam de immodicis exactionibus, ὑπὲρ τὰ Καλλικράτους. Eraſmus.

P. Clodius ut inceſti crimine in Bonæ deæ ſacris commiſſi nocens reus abſolueretur, noctes matronarum & adoleſcentium nobilium magna ſumma, em tæ mercedis loco, IVDICIBVS erogauit. Val. lib. 9. cap. 1.

STATENVS ſenator, cùm iudex eſſet, in eodem iudicio ab reo pecuniā accepit, quam iudicibus diuiſit, & ab accuſatore, ut reum damnaret. Cicero lib. 2. in Verrem.

FELIX Iudeæ præſes, cùm Paulum in uinculis captiuum haberet, magnum aliquod munus ab eo ſperans, frequenter ad ſe uocabat. Verùm cùm pecunia nulla offerretur, Feſto ſucceſſori ſuo uinctum reliquit. Act. 24.

Agonis quædā Lilybetana, liberta Veneris Erycinæ, ante CÆCILIVM quæſtorē copioſa planè & locuples fuit. Ab hac præfectus Antonij quidam ſymphoniacos ſeruos abducebat per iniuriam, quibus ſe in claſſe uti uelle dicebat. Tum illa, ut mos in Sicilia eſt omnium Venereorū, & eorum quā Venere ſe liberauerunt, ut illi religionem Veneris nomenq; obiiceret, dixit & ſe & omnia ſua Veneris eſſe. Vbi hoc quæſtori Cæcilio nunciatum eſt, uocari ad ſe Agonidem iubet: iudicium dat ſtatim, ſi pateret eam, ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe. Iudicant Recuperatores id, quod neceſſe erat; neq; enim erat cuiquam dubium, quin illa dixiſſet. Iſte in poſſeſſionem bonorum mulieris mittit, ipſam Veneri in ſeruitutē adiudicat: deinde bona uendit, pecuniam redigit. Ita dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis ac religione retinere uult, fortunas omnes libertatemq; ſuam quæſtoris iniuria perdidit. Lilybeum C. Verres prætor uenit poſtea, rem cognoſcit, factum improbat, cogit quæſtorem ſuum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegiſſet, eam mulieri omnem adnumerare & reddere. Sed repentè ex homine tanquam circeo aliquo poculo factus Verres, ex illa pecunia magnam partem ad ſe uertit, mulieri reddidit quantulum uiſum eſt. Cicero diuinatione in Verrem.

[redacted]

DVCES BELLI AVARI.

PLISTONAX rex Spartanorum à Pericle Athenienſiū duce muneribus corruptus exercitum reduxit.

LEOTYCHIDES rex Spartanorum in locum Demarati ſubſtitutus, in Theſſaliam contra Aleuadas profectus, facilè totam Theſſaliam armis ſubigere potuiſſet, cùm ſemper ei præliis omnibus uincere contigiſſet. Sed quòd ab Aleuadis fuiſſet pecunia corruptus, de maieſtate poſtulatus, Tegeam ad aram Aleæ Mineruæ ſupplex confugit. Pauſanias in Laconicis.

ARCHIDAMVS Ageſilai F. Lacedæmoniorum rex, Phocenſibus, qui Delphicum templum ſpoliarant, auxilia tulit contra Thebanos, corruptus pecunia ſacra à Phocenſium primoribus tum ipſe, tum uxor eius Denicha. Illud tamen in eo laude dignum, quòd cùm Phocenſes omnem Delphorum militarem ætatem trucidare, liberos & uxores in ſeruitutem rapere, ipſam deniq; urbem funditùs euertere in animo haberent, unus tam inſignem cladem deprecatus eſt. Pauſanias in Laconicis.

C. Fabricius P. CORNELIVM, hominem (ut putabatur) auarum & furacem, ſed egregiè fortem ac bonum imperatorem, ſuo ſuffragio fecerat conſulem. Huic quum Cornelius ex more gratias ageret, quòd immemor ſimultatis, ipſum feciſſet conſulem, bello præſertim magno & graui: Nihil eſt, inquit, quòd mihi gratias agas, ſi malui compilari quàm uænire. Compilamur furto, uæneunt bello capti. Proinde inimico fauit, cuius dexteritate ſperabat fore, ne Romani uenirent in manus hoſtium. Eraſmus libro 6. Apophthegm.

A. POSTHVMIVS Albinus miſſus ad inferendum Iugurthæ bellum, pecunia corruptus deſtitit. Liu. lib. 64.

M. CRASSVS Parthicis inhians opibus, exercitu inſtructiſſimo aduerſus eos mouens, quum per Galatiam duceret, Deiotarum regem extrema iam ſenectute confectum, nouam ædificare urbem comperit. Quod quum mirari ſatis nequiret, ſcommate in illum ita luſit: Quid hoc, inquit, rex eſt, duodecima iam tibi tantùm non inſtat hora, & nouam nihilominùs urbem ædificare pergis? Ad ea renidens Deiotarus: Nec tu, inquit, imperator ſatis matutinus, ut res habet, in Parthos moues. annum ſiquidem ſexageſimum tūc agebat Craſſus, grandiorem tamen præ ſe ætatem ferebat. Poſteaquā cum filio & toto exercitu miſerè interiit, Parthi auro in os Craſſi demortui fuſo, hominem irriſerunt, dicentes: Bibe fortiter, bibe aurum, quod ſitiſti. Plut. in Craſſo.

PERENNIVS militaris diſciplinæ peritiſſimus; auaritiæ uitio fuit execrabilis: in quo, ſicuti refert Herodianus, fuit inexhauſta diuitiarum ſitis: nihilq; pendens quæ acquiſierat, nouis ſemper lucris inhiabat.

CARAVSIVS (inquit Eutropius) cùm apud Bononiam Gallicam per tractum Belgicæ & Armorici pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis barbaris ſæpè captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut Imperatorib. miſſa, cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admitti barbaros, ut tranſeuntes cum præda exciperet, atq; hac occaſione ſe ditaret, à Maximiano iuſſus occidi, purpuram ſumſit. Oroſius, & Beda.

Quum Viſigothi Valentis Imp. permiſſu in Thraciam Mœſiāque tranſmigraſſent, cœpit nouis cultoribus, qui necdum terram ſubegiſſent, rerūm inopia ſuccreſcere. Duces autem limitanei, LVPICINVS atq; MAXIMVS, quos regioni Valens præfecerat, occaſionem auaritiæ exercendæ nacti, Gothos primùm ære, deinde mancipiis nudarunt: ita ut etiā de diſtrahendis liberis agere inciperent. Duces Viſigothorum Fritigernus, Alatheus atq; Safra, de indignitate fruſtra queſti ſunt. In conuiuio orta rixa, Romani duces ad unum omnes necati fuere. Quā iniuriā dū bello perſequitur Valēs, ſaucius in ruſtica caſa à Gothis ſubiecto igne exuſtus fuit. Crāzius lib. 2. Sueciæ, cap. 27. & Bonſinius lib. 2. Dec. 1.

Totila Romam obſidente, cùm ad extremam famem Romani redacti eſſent, præfecti tamen duo, BESSA & CONON frumenti maximum numerum, fraudatis ſua neceſſitate militibus, in urbe ſe poſitum, maximo precio uendebant. Medimnus ſeptē aureis ſtetit, bos quinquaginta. Interea cùm Beliſarius ſubſidio adueniret, nuncium ad Beſſam, ut poſtridie, eductis copiis, caſtra turbaret hoſtium, miſit. Quod ille exequutus non eſt, utiliorem ſibi uidens eſſe obſidionem, cùm adhuc aliquid frumenti haberet, quod ſenatoribus uēderet. Interea cùm Beliſarius ponte Gothorum reſciſſo, uiam in urbē patefeciſſet, Iſaaci tamē temeritate uictoriam è manibus amiſiſſet: Beſſa frumentum impenſius, precium egentium neceſſitate augente, uendebat, & murorum cuſtodias negligebat: itaque, nemine muros obeundo cuſtodias inuiſente, Gothi mœnibus liberiùs inſultabant. Hac negligentia inuitati quaterni cuſtodes Iſauri, ſtationes ad portā Aſinariam nacti, nocte concubia è pinnis ad terram reſte ſe demiſerunt, & Totilam adeuntes, intra urbem ipſius exercitum receperunt. Magna in ædibus nobilium præda eſt inuēta: ſed quam Beſſa fugiens reliquit, magnitudine reliquam anteceſſit, ut qui nefarium illud frumenti diuēditi precium in Totilę commoda cumulaſſet. Sigonius libro decimonono Imperij occidentalis.

LISCANVS, Hiſpanus dux, cùm graui obſidione Solymannus Strigonium urgeret: auro ſuo metuens, deditionis maturādæ auctor fuit. At opinione ſua fruſtratus, ab Haly Turcorum duce omnibus bonis ſpoliatus fuit. Sabellici ſupplem. libro 26. ex Iouio.

MILITES AVARI.

☞ *Conſule Tit. Auari in præda exigenda, partienda: item, Seditionem caſtrenſem ob non ſoluta ſtipendia prudenter componere.*

Poſt bellum contra Gorgiam commiſſum, uenit Iudas Machabæus cum ſuis, ut cæſorum corpora ſepeliret. Inuenerunt autem ſub tunicis interfectorum IVDÆORVM denarios idolorum, à quibus lex abſtinere prohibet Iudæis. Ob hanc cauſam creditum eſt, eos periiſſe. 2. Machab. 12.

CARES populi, mercede cœperunt militare, ac proinde ut uiliores paſſim infamati ſunt. Hinc adagium, Homunculus ex Caria.

SPARTANI, corrupto muneribus rege Ariſtocrate, bello cōtra Meſſenios, læſa fide iuriſiurandi, primi martiam uirtutem uenalem fecerunt. Alex. lib. 5. cap. 10.

HIPPARCHVS Thrax miles, occupatis Thebis ab Alexādro, Timocleam Thebanā uitiauerat. Ab illa, amorem ſimulāte, deductus in hortum, in quo puteus erat, perſuaſuſq; in eo multum auri argentiq; latere, cùm deſcendiſſet theſaurum quæſiturus, ab illa deſuper cum famulis multos lapides & ſaxa in eum deuoluente, obrutus fuit. Polyænus lib. 8.

Cato ſenior in militia quinq; famulos habebat, quorum VNVS tria captiua corpora emit. Quod ubi ſenſit reſciſſe Catonem, priuſquam in eius conſpectum ueniret, ſeipſum laqueo præfocauit. Adeò quæſtum oderat in milite, adeò ueniam deſperabat qui peccauerat. Plut. in Rom. Apoph.

M. Antonius ex Parthis reducebat exercitum. Cum ferè ad amnem ueniſſent Araxem ROMANI, nihil negocij faceſſentibus hoſtibus, noctem ſibimet ipſi omnium illam effecerunt laborioſiſſimam & terribiliſſimam. Nam eos qui aurum uel argentum haberent, interficiebant ſpoliabantq;: & pecuniam, quæ iumentis portabatur, diripiebant. Poſtremò impedimenta Antonij adorti, pateras & menſas precioſas diſſecabant, partiebanturq;. Ingēti tumultu & errore uniuerſum occupante exercitum (incurſu enim hoſtili fugam fieri & diuulſionem ordinum arbitrabantur) accitum Antonius unū ex libertis ſuis, qui eum ſtipabant, Ramnum nomine, adegit iureiurando, ut ubi præcepiſſet, confoderet ſe gladio, caputq; detruncaret, ne ueniret uiuus in hoſtium poteſtatem, neq; cognoſceretur mortuus. Effuſis in lacrymas amicis eius, alleuauit Mardus itineris dux Antonium, propè eſſe docens fluuium: quippe aura inde emanans liquidior, atq; gelidior aer afflans, lætiorem reddebat ſpirationem. Simul alij turbam nunciarunt ex propria iniuria & auaritia militū natam. Itaq; ut componeret agmē confuſum & diuulſum, ſignum dari caſtris metandis imperauit. Plut. in Antonio.

Cùm quidam IVDÆI iuſſu Iudæ Machabæi obſiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles: accepta pecunia, quoſdam effugere permiſerunt. Eos Machabæus tāquam proditores interfecit. 2. Machab. 10.

In obſidione Hieroſolymitana ſub Tito Veſpaſiano, cùm Iudæorum transfugarum unus ex ſtercore ſuo aurum deuoratum ſeligeret: SYRI milites una nocte Iudæorum bis mille uentres auri fame diſſecarunt. Idem fecere ROMANI milites. Ioſephus lib. 6. cap. 15. belli Iudaici.

Auguſtus Cæſar exercitum PRÆTORIANORVM Romæ conſtituit, qui ad principis cuſtodiam excubaret, paratus etiam Italiæ ſubitis caſibus. Nullum principis illius inſtitutū æquè infeliciter cecidit Reip. His cohortibus (erant enim triginta) inſecuti deinceps principes turpiſſimè ſeruierunt: & hi milites maximorum in imperio motuum ac malorum origo atq; auctores fuerunt, nec imperij cuſtodes, ſed prædones ſe ac dilaceratores præſtiterunt: ut non immeritò Plutarchus dicat, mutationes illas Cæſarum pòſt Neronis mortem breui tempore tàm crebras (ſeſquianno enim quatuor fuerunt principes) non tam imperandi cupiditati principali aſſignandas eſſe, quàm luxui & cupiditatibus militaribus. Nullum regnum per orbem, nulla dominatio, tyrannis paucorum, multorum poteſtas, æquè fuit inſtabile, ut Romana monarchia, occiſis eodem anno, eodem menſe Cæſaribus, ab ipſis eiſdem militibus, qui elegerant, etiam propoſito uenali imperio, tanquam ueſte uel anulo in auctione, addicturi pluris licenti. Quid, quòd Principes cogebant ſæuè ac impotenter habere ſuos populos, & omiſſa iuris & legum cura, militariter in caſtris inſanire, quò ſe militibus approbarent, gratique eſſent illis ob uitæ ſimilitudinem, alioqui non habituri imperium diuturnum? Ludou. Viues de Concordia & diſcordia lib 3.

PRÆTORIANI caput Iunij, cum Galba Imp. interfecti, filiis eius uendiderunt decem millibus numûm. Plut. in Galba.

IIDEM interfecto à ſe Pertinace Rom. Imp. Sulpitiano & Iuliano imperium uendidere. Dion, Xiphilinus, Herod.

Ioannes Boemorum rex, Henricum Carinthium tyrannum expellere uolens, Pragam obſidebat, ſed ab oppugnatione abhorrebat, ſanguini ſuorum parcens. Interea lixa quidā Friderici Marchionis Miſnenſis, qui Henrico militabat, grandē argenti maſſam in latrina reperit. Ea re in uulgus edita, certatim à MISNENSIBVS ad ſcrutanda ſordida eiuſmodi loca per domos locupletum concurritur. Hæc tam indigna direptio, cauſam ſpoliatis ciuibus præbuit, ut ciuitatem Ioanni proderent. Signum irrumpendi per portam, quæ in lōgam urbis ducit plateam, hoc datum, ut ad tertium pulſum tintinnabuli maioris, quando ad ædem diuæ Virginis in Læta curia illud pulſaretur, Ioannes cum armatis preſtò eſſet, inuenturus portam illam diluculò ſtatim patefactam. Primus Henricus à Lyppa ingreſſus, agmina antecedebat, pacatum Ioānis introitum fide interpoſita ſua ciuibus pollicens. Multi extemplò arma proiecère: nonnulli illa pro Ioanne contra Henricum retinuerunt, ſi is de arce ſancti Viti, in quam cum Marchione confugerat, noluiſſet cedere. Dubrauius libro 19.

Eo bello, quod Teutonici fratres circa an. 1454. cōtra Boruſſos, qui ſe Caſimiro regi Polonorū dederāt, geſſere, in ſtipendiarios SVEVOS, BAVAROS, FRANCOS, omnes ſuos theſauros expoſuêre. Tandē ipſam arcē primariā ordinis Mariæburgum, quæ robore & pulcritudine parem in multis prouinciis creditur non habere, ſedem magni Magiſtri, hypothecam pro ſtipendiis dare ſunt coacti, manantibus per ora lacrymis. Aliquandiu eam ſeruauere ordini, ſi fortè ſoluendæ pecuniæ uiam inueniret. Vbi omnis expectatio uana fuit, hoſti eam obtulere redimendam. Rex, quum eſſet ęris cu-

ris cumulati summa maxima ad quadringenta triginta millia Vngaricorum aureorum, remisit illos ad Prussiæ urbes. Ciues Gedanenses rati finem esse bello, si primariam arcem hostium occuparent, pacti sunt cum militibus, ut in tribus terminis ea pecunia solueretur. Sed ea conditione, ut nisi secundus & tertius terminus in suo puncto seruarentur, amissis quæ priùs dedissent, irrita pacta essent. Tum uerò in urbibus, præcipuè Gedano, corrosa est pecunia. Tertiam unam in primo termino persoluerunt. Ad secũdum terminum accepere mutuam pecuniam, pignoribus datis. Iam penè consumta spe omni ulterioris pecuniæ, quum tertius propinquaret terminus, & amissio priorum timeretur: à singulis ciuibus, datis cuiq; publicis literis, uix summa difficultate æs collectum. Tam erat propinquus terminus, ut iam sperarẽt milites se priorem lucraturos pecuniam. Sed ea numerata, arx, regis imposito præsidio, ordini erepta fuit. stipendiarij, qui pecuniam accepere, in patriam reuersi, pro infamibus & sceleratis sunt habiti. Multos ex his malo ferũt exitu periisse. Cranzius lib.12. Vandaliæ, cap.20.

Occulto quodam Dei iudicio uidetur euenisse, ut, quod ab HISPANIS, in priuatum tantummodò luxum & utilitatem, ex Indicarum regionum spoliis, magna cum crudelitate parum iustè congestum erat: id omne plerunque prius quàm aut ad ipsos dominos, aut ad primos saltem eorum hæredes transmitteretur, uel naufragio perierit, uel in piratarum manus inciderit. Io. Metellus, & Petrus Cieza.

In pugna Tarrensi Italorum contra Carolum VIII. Gallorum regem ex regno Neapolitano reuertentem, cùm GRÆCI equites, qui Veneta merebant stipendia, ad impedimenta Gallorum inuadenda emissi, ea citra negocium diripere cœpissent, & alij mulos, alij equos agminales, aliaq;, ut fieri solet, trans flumen Tarrum abducerent: non modò altera Grecorum pars, cui Gallos à latere inuadere iniunctum erat, sed & qui in ipsum certamen erant ingressi, suos commilitones præda onustos in sua castra redire conspicati, prædæ cupiditate incitati, ad impedimenta diripienda & ipsi sunt cõuersi. Quorum exemplo equites peditesq; eadem de caussa è pugna turmatim discedebant. Ex quo, Italis non solùm suo subsidio destitutis, uerumetiam per fœdam confusionem numero decertantium diminuto, Galli Franciscũ Gonzagam Venetorum Imp. qui solus cum suis resistebat, in fugam coniecêre, hostesq; ad fluuium usq; nocturnis auctum imbribus, magno furore passim sternentes, captiuum nullũ facientes, prædam lucrúmue susq; deq; facientes, sunt insecuti: illud modò crebrò inclamantes: Redeat uobis in mentem commilitones Guineguastium. Est autem Guineguastium in Morinis, quorum hodie regio Picardia uocatur, prope Teruannam locus, ubi postremis Ludouici XI. annis, Gallorũ copiæ in pugna cũ Maximiliano I. rege Rom. commissa, iam propemodum uictrices, prędandi studio perturbatæ, fusæ fugatæque sunt. Guicciardinus libro 2. Ea res omnium consensu Gallis salutem peperit. Iouius libro secundo Historiarum.

In pugna, qua Veneti anno 1513. VII. Octobris, à Maximiliani I. Rom. Imp. exercitu, ad Vincentiam magnam cladem acceperunt, Lauredanus legatus Venetus, duobus MILITIBVS, utrius captiuus esse deberet, inter se dimicãtibus, ab altero illorum immaniter fuit interfectus. Guicciard. lib.11.

Venetis Ferrariam oppugnantibus, eruptione à ciuibus facta, inter multos nobiles Hercules Cantelmus eximiæ expectationis iuuenis, à quibusdam ILLYRICIS militibus in triremem captiuus perductus, ac dum cuius ipsorum esse deberet, dissidium inter eos ortum esset, ab uno illorum ei miserè caput est truncatum. Guicciardinus lib.8.

Cæso ab Heluetiis ad Nanceium Carolo Burgundo, Ludouicus XI. Francorum rex Burgundiã subiens, eo bello HELVETIORVM mercenariis auxiliis consensu gentis usus, sex illorũ millia perpetuo stipendio alere cœpit. Victoria itaq; de Burgundo memorabilis Heluetiæ perpetuò funesta erit. uinci quàm uicisse præstiterat. Admiratione uirtutis eorũ non destitit Gallus fortissimos uiros muneribus sollicitare, quoad operam suã ei locare, & sub fœderis prætextu animas suas auro uendere sensim assueuerunt. Aemilius lib.10. Cæterùm de iisdem audiamus Guicciardinum lib.10. Heluetiorum, inquit, nomen concordiæ & armorum gloria illustrarunt: quibus à natura insita ferocitate, & militari in seruandis ordinibus disciplina, non modò suã regionem fortiter defenderunt, uerumetiã militiã extra suos fines summa cum laude exercuerunt. Quæ procul dubio longè maior extitisset, si proprij imperij causa, non aũt stipendiis, atq; ad aliena imperia propaganda eã exercuissent: & si generoso animo præstantiores fines, quàm pecuniæ studium sibi proposuissent: cuius amore eneruati, occasionem, qua toti Italiæ potuissent esse formidabiles, amiserunt. Cùm enim nunquam nisi uelut mercenarij milites fines suos egrediantur, nullum publicum ex uictoriis fructum retulerunt: lucri cupiditate in bello immoderatis multis imponendis, aliaque ex aliis petendo, penè intolerabiles facti: præterea in commerciis, & eorum, quorum stipendiis militant, imperiis exequendis, admodum morosi, & contumaces.

IIDEM conducti à Carolo VIII. rege Francorum ad Nouariam, cùm sibi trimestre stipendium, ex more iam inde à Ludouico XI. usurpato, licet nec promissum, nec promeritũ, persolui uellent, nec Gallus pecunia exhaustus assentiretur: de rege ipso deq; aulæ præcipuis retinendis agebant. Equo periculo tametsi repentino discessu rex euasisset, tamẽ cùm illi Engelbertum Diuionis præfectum, aliosq; à quibus conducti fuerant captiuos retinuissent, ut eis obsidibus datis & promissis, de eo quòd petebant caueretur, obtinuere. Guicciardinus libro 2.

Anno 1552. Segedinum Vngariæ obsidentes Christiani, Bassam Budensem magna strage affecerant. VNGARI ab hoste persequendo ad prædam conuersi, Aldanæ Hispani Polemarchi incuria, occasionem Turcis dedere sese recolligendi. Qui facta impressione, Vngaros insperata uictoria ad unum cecidêre. Hispani euasêre. Ascanius Centorius libro 4. bellorum Transyluaniæ.

Expugnata direptaque à Caroli V. exercitu anno 1527. Romæ GERMANI milites in auro ab obsidibus extorquendo inhumaniter auari fuerunt. Horum enim manibus ferreas cathenas statim iniecerunt, uinctosq; in Pompeiana domo custodierunt. Postmodum supplicij metu iniecto in Floræ campum ad furcas cathenatos latronum more traxerunt, bisq; sententiis de eorum supplicio in corona militum graui & infesto concionis fremitu disputauere. Iouius in Pompeio Columna.

LEGATI AVARI.

SPARTANVS quidam missus legatus ad Dionysium tyrannum oblatis ab illo sibi stolis duabus: cùm iuberet ille, utra placuisset, eam ut acciperet, & ad filiam suam deportaret: illam ait ipsam potius electuram, abstulitq; ambas. Plutarchus in Lysandro. Idem in Apophthegm. hoc ipsemet LYSANDRO tribuit.

ARISTODEMVS, ut Demosthenes scribit, legatus ad Philippum profectus est cum Demosthene ipso & Aeschine. Aristodemũ cùm rogasset Demosthenes, Quid mercedis accepisset ut ageret? illeq; Talentum respondisset: At ego, inquit Demosthenes, plus accepi ut tacerem. Auctor Critolaus. L. Viues in lib.2. August. de ciuitate Dei, cap.10.

GVALO Cardinalis, lucri mancipium, Ioannis Anglorum regis pecunia delinitus, Innocentio III. persuasit, ut Ioannis causam, à proceribus tam sacris quàm profanis ob exactiones deserti, & à Ludouico Franco & Alexandro II. Scoto bello petiti, susciperet: præsertim cùm Innocentius Anglorum regi ob pensionem, quã in septenos recipiebat annos, admodum faueret, & quadantenus se dominum Angliæ profiteretur. Romæ habito concilio Innocentius uniuersos Ioannis regis Anglorum licet defuncti hostes excommunicari per Gualonem Cardinalem in Angliam legatum mandauit: imprimis Ludouicum Delphinum Franciæ, & Alexandrum Scotiæ regem, omnesque eorum comites & asseclas: inde Barones ac Episcopos omnes, qui Ioannis uoluntati aduersati Ludouico sese iunxerant, insimulans eos inuasionis bonorum ecclesiæ Romanæ, quòd Anglia Pontifici maximo obnoxia, ac quadantenus subdita esset. Nec prius Gualo Angliæ proceres ac præsules, qui Ludouici partes secuti erant, in gratiam recepit, quàm ingentem numerassent pecuniæ summam. H. Boethius lib.13.

Emmanueli Lusitanorum regi (quamuis prædecessores suos opibus lõgissimo interuallo superaret) Leo X. Pp. concessit anno 1513. ut tertiæ atque decimæ partes uectigalium, quæ alendis sacerdotibus & sacris usibus destinata sunt, in belli, quod in Mauritania gerebat, sumtus illi tribuerentur: ut bona pars Ecclesiarum (sic enim trito sermone templorum bona nominare solemus) cum monachorum etiam quorundã uectigalibus, in usus eorum, qui in Christianæ militiæ ordinem cooptantur, conuerteretur: & diplomata publicata, quibus iis, qui uellent bellum Africanum pecunia iuuare, cœlestia beneficia concederentur. At uerò LEGATORVM opera, qui sacræ pecuniæ lucris inhiabant, adiectum fuit, ut illa uectigalia non modò pro Christi religione militantib. sed quacunq; alia ratione benè meritis à rege donari possent. Hoc introitu ad hominum cupiditatem patefacto, factum est, ut uectigalia sacra multis in locis hominibus lautissimis, qui non solùm nunquam hostis uultum aspexerũt, sed illata Africani belli mentione contremiscunt, donarentur. Itaque post illius muneris concessionem, nec Africæ bellum eadem felicitate gestum fuit, & nobilitas maiore inopia conflictari, & pluribus querelis uti cœpit, & Regis ærarium, quò plures uectigalium accessiones fiunt, eò sumtib. minus necessariis, & casibus interdum acerbioribus exhauritur. Osorius libro 9.

PICTORES AVARI.

ZEVXIS Heracleotes, cùm pinxisset Helenam, magnum ex eo opere quæstum fecit. Non enim gratis, neq; quemuis obuium impudenter ad id contemplandum admittebat: sed primùm oportebat certam pecuniæ summam numerare, deinde potestas uidendi permittebatur. Vnde Græci, qui eo tempore uiuebant, Helenam scortum uocabant, quòd forma quæstum faceret. Aelianus lib.4. de Varia historia.

PAMPHILVS pictor neminem docuit minoris talẽto annis decem. Quam mercedem Apelles & Melanthius ei dedere. Plinius lib.35. cap.10.

ARGENTARII AVARI.

Paulo apud Ephesum multa miracula faciẽte, DEMETRIVS quidam argentarius, faciens ædes argenteas Dianę, præstabat artificibus non modicum quæstum. Quos conuocans dixit, quòd Paulus auertebat populum à cultu deorum. Et ita turbauit ciuitatem, quòd impleta est confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Caio & Aristarcho, comitibus Pauli. Act.19.

NAVTÆ, PORTITORES.

Ioan. Capistranus Frãciscanus, & Iacobus Piceus, ab Nicolao Pont. Rom. ut Germanos, Polonos & Hungaros ad expeditionem contra Turcas suscipiendam hortarentur, missi, quũ Padum traiicere uellẽt, & à PORTITORE pertinacissimè repellerentur, qui è suæ sectæ præscripto pecunia carerent, quã pro naulo darẽt, in diffusum super undas pallium cum comitibus consedere: & ueluti quadã naufragij tabula, in ripam alteram, non sine auari stupore portitoris, diuina ope tutò translati sunt. Bonfinius lib.8. Dec.3.

MERCATORES.

☞ *Vide Tit. Mercimoniis sordidis quæstum facere.*

Sectores dicti sunt, inquit Asconius, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proq; iis pecunias pensitabant singulis: ac postea pro compendio suo singulas quasq; res pecunia populo uenditabant.

IVVENES.

LACEDÆMONIVS quidam adolescẽs, cùm uilissimo precio fundum emisset, ad magistratum accersitus est, & multa affectus. Ratio uerò, quamobrem iudicaretur supplicio dignus, illa fuit: quòd cùm iuuenis esset, nimiùm lucro inhiaret. Fuit autem apud Lacedæmonios laudatissimum, nõ solùm aduersus hostem in acie, uerùm etiam cõtra auaritiam & argentum audere pugnare. Aelianus lib.4. de Var. hist.

CARNIFICES.

Mithridates rex omnes Gallogræcos sibi insidiantes iusserat necari. Mox cum fortè in memoriam uenisset ei adolescentis excellentissimæ & florentissimæ formæ, misertus eius pœnituit, ostenditq; grauiter se ferre, quòd inter primos necatus esset. Misit tamen cum mandatis, si adhuc incolumis esset, ut dimitteretur. Bepolitanus adolescens uocatus fuit, & mirifica quadam fortuna usus est. Cùm arriperetur, ueste nitida & preciosa amictus erat, quam à cruore mundam cùm seruare CARNIFEX cuperet, dum sensim adolescentem exuit, conspicit accurrẽtes regis ministros, & iuuenem nomine inclamãtes. Ita quæ multos perdidit, Bepolitanum nec opinantem seruauit auaritia. Plut. de Virt. mul.

A QVIBVS EXIGERE, Accipere à

DISCIPVLIS.

☞ *Huc Præceptores auari, cuiuscunq; professionis.*

IACOBVS Syluius Parisiensis, medicinam priuatus in collegio Triquetico docebat, mercede capitati numi argentei in mẽses singulos. Auditores habebat suprà CCC. Ex iis cùm duo uel tres paupertate pressi stipem non numerassent, publicè eos ut ingratos, ut depeculatores, ut fures accusare cœpit, & nisi à reliquis expellerentur, à docendo se cessaturum minatus est. Eapropter Georgius Buchananus Scotus, uiuenti etiamnum tale fecit epicedium: Syluius hîc situs est, gratis qui nil dedit unquam, Mortuus &, gratis quòd legis ista, dolet. Hen. Stephanus in Herod. apol. cap.16.

SACRIS HOMINIBVS.

☞ *Ex Tit. Sacrilegiorum huc quædam pertinebunt.*

NICEPHORVS Imp. census ab ecclesiis & monasteriis exegit, ad expeditionem contra Bulgaros. Paulus Diaconus libro 24. rerum Rom.

Sub annum Salutis 1195, cùm RICARDVS Anglorum rex neruis ad bellum gerendum necessariis destitueretur (nam fiscus iam exhaustus erat, tum sui ex uinculis redemtione, tum continuis cum Gallo bellis) ab episcoporum bonis manus non abstinuit. Quod indignè ferens Gualterius Rothomagensis, regi præ cęteris alioqui familiarissimus, statim sacris in uniuersa sua diœcesi cessantibus ad Romanum papam confugit, inq; eius gremium querulas uoces cum lacrymis effudit. Subsequuntur & regij legati, ac necessitatẽ sui domini, qua urgeatur, exponunt. Ibi pontifex pro rege pronũciauit: sed & Gualterium delinitũ atq; placatum ad sua remisit. Post longam tandem simultatem ipse quoque rex & episcopus in gratiam rediêre, rege de damno olim illato satisfaciente. Neubrigensis lib.5. cap.21. & 24.

SACRIFICANTIBVS.

Apud Israelitas, dum adhuc Silunte templum esset, pontifices hoc ius habebant in populum, ut quocunq; sacrificium faciente, dum caro coquebatur, ueniret puer pontificis, fuscinam tridentem ferẽs, qua in lebetem aut ahenum immissa, quicquid extrahebat fuscina, id sibi pontifex uẽdicabat. Etiam ante incensum suffitu adipem, ueniebat pontificis puer, & immolatori iubebat, ut carnẽ daret assandam pontifici: pontificem enim ab eo non esse coctam, sed crudam carnem sumturum. Filij igitur Eli põtificis duo nequissimi, PHINEES & HOPHNIS, hac libertate abutebantur, & rapiebant etiam nolentibus per uim. 1. Reg.2.

MONASTERIVM INGREDIENTIBVS.

Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, ad Augustinũ scribẽs, tradit fuisse MONASTERIVM quoddam in Thebaidis partibus ducentarum ferè feminarum, apud quas consuetudo inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Vni illarum apparuit in somnis D. Hieronymus, iubens cęteris nunciari, nisi ab ea exactione desisterent, ultionem ipsarum capitibus imminere. Hæc à reliquis cum risu ridiculè excepta sunt, existimantibus delirare mulierculam. Secunda deinceps & tertia nocte eadem uisa replicantem, eiecere: Deo pro illa disponente, ne scilicet Loth cum Sodomitis disperiret, iustus cum impiis. Vix mulier septa monasterij egressa fuerat, cùm monasterium ipsum terribili fragore corruit. Marul. lib.1. c.7.

DIVERSÆ RELIGIONIS sectatoribus.

DOMITIANVS Imp. stipẽdia ab his exigebat, qui Iudaicam sequerentur superstitionem. Suetonius.

IVLIANVS Imp. Apostata, exactionibus & multis pecuniariis persecutionem Christianorum auxit, occasione sumta ab expeditione, quam contra Persas instituerat. Lege igitur proposita, sacrificare nolentibus multam imposuit grauissimam, breuiq; spacio ingentem pecuniarum aceruum cumulauit. Socrates lib.3. cap.3. Nacti hanc occasionem prouinciarum præsides, ipsi etiam emolumenti sui causa longè grauioribus exactionibus Christianos exhauriebant. De iniuriis pręfectorum querentibus, Vestrum, inquit, est ferre, cùm affligimini: hoc enim Dei uestri præceptum est. Socrates lib.3. capite 14.

MERETRICIBVS.

CAIVS Cæsar ex capturis prostitutarũ, quantum quæq; uno concubitu mereret, exegit. Additumq; ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, quæúe lenocinium fecissent: nec non & matrimonia obnoxia essent. Suetonius in Caligula.

LITIGANTIBVS.

CALIGVLA uectigalia noua atq; inaudita exercuit. Pro litibus atq; iudiciis ubicunq; conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse uel donasse negotium, conuinceretur. Suetonius.

SVBDITIS.

☞ *Vide Titulum, Auari Reges.*

HOSPITIBVS.

Xerxe cum multis myriadibus in Græciam descendente, Abydeni ei cœnam parare iussi, ad extremam paupertatem sunt redacti: uti etiam reliquæ urbes. Nam præter ea quæ in exercitum reliquum distribuebantur cibaria, triclinium regium aureis & argenteis uasis, reliquaque supellectile instruebatur: quæ omnia mane MILITES, tanquã hæc quoque donata essent, secum auferebant. Herodotus.

HOSTIBVS.

☞ *Vide Tit. Auaritiæ in præda.*

BENADADVS Syriæ rex in exigenda præda ab Israelitis auarus fuit. Oppugnans enim Samariam, Achabus rex Israelitarum se suaq; omnia in eius potestate futura asseruit. At ille eo non contentus, postero die legatos misit, qui regiam omnem & singulorum domos perscrutarentur. 3. Reg.20.

Græci post pugnam felicem ad Salaminem, Andrum insulam, quæ cum Medis senserat, obsederunt, animo illam delendi. Nam primi ex insulanis Andrij pecunias poscenti THEMISTOCLI denegauerant: eiq; alleganti, Athenienses illuc ire duobus magnis numinibus fretos, Suadela, & Necessitate, & ita sibi dandas utiq; esse pecunias: responderant, Athenas magnas esse atq; felices, & diis propitiis bene processisse: se uerò ad maximam soli tenuitatem redactos, Andriorumq; insulam totidem propitia numina nũquam derelinquere, Inopiam & Impossibilitatem: quibus diis obnoxios Andrios, pecuniam non daturos. Nunquam enim Andriorum impossibilitate ualidiorem fore Atheniensium po-

rentiam. Hæc illi cùm respondissent, nec pecuniam dedissent, obsidebantur. Themistocles uerò (neque enim unquã acquirendo cessabat) ad cæteras insulas, minacia uerba mittens, pecuniam flagitabat, eisdem nunciis, eisdemq; uerbis utens, quibus apud Andrios fuerat usus: nisi pecuniam darent quam poscerentur, exercitum se Græcorum illuc adducturum, & eam insulam obsessam deleturum. Hæc dicendo ingentem pecuniæ uim coëgit à Carystiis & Pariis. Herodotus lib.8.

M. CRASSVS facilè docet, inexplebilem hominum auiditatem nullis auri cumulis, nulla bonorum myrmecia, aut drachmæ grãdine expleri: sed crescere semper, & augeri copia. Nam quum esset ditissimus Romanorum, haberetq; tãtum agri, quantum nec miluus oberret: sibi tamen modum præscribere, aut temperare non potuit, quin Parthos (quorum opes sitiebat) aggrederetur. A quibus cum toto exercitu fusus, immodicæ libidinis dedit pœnas. Flor. & Plut. in Crass.

NICEPHORVS Imp. Græcus, aduersus Bulgaros bellum suscepit. Chrumnus eorum rex pacem orabat, munera non magna mittens. Dederat Græcus Persis ingentia munera: æqua uel maiora à Chrumno inopis gentis rege postulabat. Indignitate rei furens Barbarus rex, congredi maiore exercitu, minore ira ausum Græcum, ipsum maximamque nobilitatis partem interemit: capiteque cæsi purgato, caluam argento induxit: eaq; cùm ipse libasset, proceres suos ebibere iussit: sic fore, ut auri cupidissimus Cæsar mero post fata expletus, alienam sitim elueret sedaretque. Aemilius lib.3. & Cuspinianus.

MECHANICIS.

ALEXANDER Seuerus Imp. brachariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorũ, argẽtariorum, aurificum, & aliarum artium tributa instituit. Alex. ab Alex. lib.4. c.10.

BAIVLIS.

CAIVS Imp. ex gerulorum diurnis quæstibus partem octauam exegit. Suetonius.

MERCATORIBVS, OPVLENTIS.

NICEPHORVS Phocas Imp. si quos reperisset ab egestate ad diuitias quacunq; uel fortuna uel industria euectos, ab iis ueluti reperto thesauro emulgebat quantum poterat. Mercatoribus & artificibus quicunq; lucrum facere uidebantur, inhiabat. Externos mercatores & nautas, Constantinopoli negociantes, agros ibi mercari cogebat, quò posset ab illis tributa honesto titulo exigere. Cerularius quidam ex apibus rem faciẽs, diues euaserat. Eo accersito, Imperator ait: Pone manum tuam in uertice meo, & iura quantum sit tibi aurum. Qui aliquandiu, tanquam indignus, recusans, coactus est ab eo facere hoc: & centum se libras habere dixit. Quas eadem hora auferri præcepit, dicẽs: Tu his opus non habes, prande mecum, & tolle libras decem, & his uade contentus. Zonaras & Cedrenus.

MORTVIS.

DOMITIANVS Imp. operum & munerum impensis exhaustus, nihil pensi habuit bona uiuorum prædari & mortuorum. Si qualecunque factum aut dictum aduersus maiestatem principis alicui obiectum esset, confiscabatur eius hæreditas. Suetonius.

MARGARITA, Danorum regina, Sueonas uictos exhausisse non contenta, etiam mortuorum testamenta irrita fecit: ut eorum esset hæres, quorum fortunas nunquam uel uno saltem teruncio adauxisset. Io. Magnus lib.21. cap.19.

QVID. EXIGERE scilicet

SACERDOTIA.

Apud VENETOS olim summo probro id passim fuit, cùm publicè tum priuatim, si quis domi filium haberet, qui sacerdotia uenaretur. At hodie uix unam aut alteram familiam inuenias, quæ non ex liberis unum domi habeat, qui amplissima sacerdotia possideat. Egnatius lib.8. cap.6.

SPORTVLAS. MVNERA ALIMENTARIA.

In CÆCILIANVM, Martialis Epigram. lib.2. sic scribit:

Quicquid ponitur hinc & inde, uerris
Mammas suminis, imbricemq; porci,
Communemq; duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumq; totum:
Murænæq; latus, femurq; pulli,
Stillantemq; alica sua palumbum,
Hæc cùm condita sunt, madente mappa
Traduntur puero domum ferenda:
Nos accumbimus otiosa turba.
Vllus si pudor est, repone cœnam,
Cras te, Cæciliane, non uocabo.

COMMEATVM.

Alexander Magnus unum ex Abulitis filiis Oxiartem hasta transuerberauit. ABVLITI, qui nihil præparauerat cõmeatus, tantùm argenti signati tria millia talentûm attulerat, equis obiicere iussit pecuniam. quibus eam non gustãtibus, Quò igitur nobis, inquit, hic paratus? Ita Abulitem in uincula compegit. Plut. in Alex.

SIGNA, STATVAS.

VERRES prætor monumenta antiquissima, partim regum locupletissimorum, quæ illi ornamento urbibus esse uoluerant, partim etiam Rom. imperatorum, quæ uictores ciuitatibus Siculis aut dederant aut reddiderant, spoliauit nudauitq; omnia: neq; hoc solùm in statuis publicis, ornamentisq; fecit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus cõsecrata, depeculatus est: deum denique nullum Siculis, qui ei paulò magis affabrè atq; antiquo artificio factus uideretur, reliquit. Cicero diuinatione in Verrem.

IDEM Delum ueniẽs, ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clam sustulit signa pulcerrima atque antiquissima, eaq; in onerariam nauem suam coniicienda curauit. Postridie cùm spoliatum fanum uiderent ij, qui Delum incolebant, grauiter ferebant (est enim tanta apud eos fani religio atq; antiquitas, ut eo in loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur) uerbum tamen facere non audebant, ne fortè ea res ad Dolabellam ipsum pertineret. Tum subitò tempestates coortæ sunt maximæ, ut nõ modò proficisci, cùm cuperet, Dolabella non posset, sed uix in oppido consisteret: ita magni fluctus eiiciebãtur. Nauis expulsa atq; eiecta fluctu frãgitur in litore, signa Apollinis reperiuntur, iussu Dolabellæ reponuntur, tempestas sedatur, Dolabella de loco proficiscitur. Cicero lib.3. in Verrem.

NERO expilauit prouincias, spoliatis etiam in Vrbe templis, quod triumphis & religioni uniuersus populus Romanus in metu sacrauerat. Per Asiam & Achaiam, non dona tantùm, sed ipsa etiam numinum simulacra quantulicunque ornata diuitiis abripuit. Suetonius.

Constantinopoli in magno templo ibidem à Cõstantino condito, sterit columna, argenteam statuam Magni Theodosij Imperatoris sustinens, ab Arcadio filio parenti positã, pondere 7400 librarum. Eam IVSTINIANVS demolitus est, & direpto argento, in eius loco aliam columnam collocauit, cui equestrem suam statuam imposuit. Zonaras tomo 3. in Iustiniano.

CONSTANTIVS III. Imp. Romam ueniens, quinque diebus in perlustranda urbe consumtis, ad eam spoliandam conuersus est. Vbi quicquid antiqui operis ex ære & marmore fuit, quicquid oculos potuit delectare, sublatum, aut ui reuulsum: ad naues deferri iussit, ut plus ornamentorum unus septem dierum spacio urbi detraxerit, quàm Barbari ducentorum quinquaginta octo annorum interuallo: tot sanè anni intercurrerant à prima imperij inclinatione, ad luctuosam illam cladem, quam Romanorum compilator uerius quàm imperator, miseræ ciuitati intulit. Et urbe per hęc deformata, duodecimo quàm uenerat die Roma digressus, Neapolim primò, inde in Siciliam transiit. Eo interfecto, Saraceni facta irruptione, captaq; Panormo, ornamenta Romanæ urbis illuc à Constantio congesta, omnemq; Syracusanam gazam in naues imposuerunt, opimaq; præda onusti Aegyptum repetierunt. Sunt qui scribant à Constantino Constantij filio omnia, quæ pater Romanis ademerat, Byzantium delata: qui paterna cæde audita, continuò in Siciliam nauigarit, ac Missesso feliciter oppresso, quicquid spoliorum ibi fuerit, naui secum extulerit. quòd multò propius uero mihi uidetur, quàm quod aliqui dicunt, Barbaris prædæ concessisse, qui post uindicatam Constantij cædem insulam inuasere. Accedit huc non leuis coniectura, quòd Byzantium huiusmodi ornamentorum fuit iam inde abundans, ut tradunt quidam. Sab. lib.6. En.8.

AEDIFICIA.

ANTONINVS Caracalla Imp. ciues omni pecunia exhausit: & supra alias pecuniæ exactiones innumerabiles, senatores coëgit, ut propriis expensis complures domos, & sumtuosissima diuersoria in mediis itineribus ædificarent: in quibus non modò habitauit nunquam, sed neq; magnam eorum partem uidit unquam. Præterea amphitheatra & circos in omnibus locis, in quibus hyemaret, aut se speraret hyematurum, extrui alienis sumtibus curauit. Præficiebat certaminibus unum ex libertis cæterisq; locupletibus, ut in ea magnos sumtus facerent: eosq; colebat sub flagello, atq; aureos ab iis quasi homo abiectissimus petebat. Dion.

Post Romã à Gothis uastatã, praua cõsuetudo ROM. incesserat, ut ad publica ædificia reparanda saxa ex antiquis operibus sumerentur. eaq; ratio sensim post Vandalicam cladem ad priuatas etiam constructiones erat translata. Quod cùm magno cum urbis ueteris dehonestamento committeretur, Maiorianus Imp. rem nõ ferendam ratus, edicto uetuit. Sigonius lib.14. Imp. occid.

HENRICVS I. Anglorum rex statuit, ut unicuiq; liceret castellum uel arcem, quo uellet loco, condere, quòd speraret ea munimenta sibi aliquando præsidio fore. Polyd. lib.12.

REGIONEM, HABITATIONEM.

RVBENITÆ & GADINI pecoribus abundabant. Itaque cùm terram Amorræorum & Basanæ, pascuis aptã esse uiderent, petierunt à Mose, ut sibi eam concederet possidendam cis Iordanẽ, ultra Iordanem terræ Chananeæ nullam portionem habituris. Moses eorum auaritiam primùm accusans, terram tamen illis eam cõcessit ea lege, ut uxores liberosque suos in illis oppidis relinquerent, ipsi uerò armati cum cæteris Israelitis Iordanem traiicerent, nec nisi subacta Chananæa reuerterẽtur, eo solo tractu contenti, neque ullam aliam terræ Sanctæ partem occupaturi. Numeri 32.

ARCES.

NICOLAVS III. Pp. suos ita amasse dicitur, ut aliunde raperet, quod eis donaret. Quibusdam nobilibus Romanis castella ui abstulit, ac suis dono dedit, maximè uerò Surianũ: ubi subita morte correptus periit. Platina.

PRÆDIA, AGROS.

GVLIELMVS Conquestor, quia per uim & iure belli regnum Angliæ ceperat, illius statum deintegrò collocare suo iure uoluit. Itaque legem tulit agrariam, qua se possessionum multarum similiter urbanarum ac rusticarum dominum dixit, quò priores domini eas postea redimerent, quarum bonæ partis proprietatem retinuit, sic, ut qui in posterum tempus possiderent, uelut fructuarij, in singulos annos, aliquid uectigalis, sibi & suis successoribus, dominij causa persoluerent. Sed excepit præscripto casus aliquot, quibus eiusmodi fundi ad se tanquam dominum redirent. Et id iuris uoluit alios dominos in suos habere fructuarios, quos Tenentes uocant. Ex hoc fonte res agraria manauit, quæ adeò aucta est, ut paulatim magnam imposuerit fundis seruitutem. Vnde fit, ut nihil hodie penè incertius sit in Anglia ipsa agrorum possessione, nec aliunde plus litium existat. Polydorus lib.9.

Circiter annum Salutis humanæ MCCLXXIX. EDOVARDVS I. Anglorum rex pecuniæ egens, cùm pro iure regio esset bene multarum possessionum dominus, & non ignoraret tabulas siue syngraphas, quas uulgò Euidentias aut Copias uocant, partim ob temporis longinquitatem, partim ob assiduas bellorum iniurias, aut consumtas, aut amissas esse: publico edicto iussit, uti omnes prædiorum urbanorum siue rusticorum possessores docerent, quo iure quó ue nomine illa retinerent: ut per hunc modum possessiones ad se dominum pertinentes, constituta auctione, aut uenderentur, aut redimerentur. Est ita cum multis de tali negotio disceptatum: donec Ioannes Varanius Comes Surræ, unus de multis homo popularis, uidens regem ad prædã faciendam iam expandere rete, & neminem unum esse, qui reclamaret, sibi actioni tam acerbæ intercedendum statuit. Itaque citatus coram magistratibus, quos Iustitiarios dicũt, comparuit: interrogatusq; Ecquo iure possessiones retineret? educto repentè gladio, Hoc inquit, iure prædia auita possideo, hoc quoque eadem defendam. Non nemo, quod non abhorret à uero, tradit, commissa rixa, Comitem occidisse Alanum unum ex magistratibus. Cæterùm ubi id facinus rex rescîuit, ueritus ne seditio fieret, ab incepto destitit. Polydorus libro 17.

ALBERTVS, Megapolensis ducis F. Sueonum & Gothorum rex creatus, cùm consiliariorum pessimorum rapinis ita euacuatum esset regnum, ut nusquam alicuius auri uel argenti uestigium appareret, coactus est uim suis subditis inferre. Contractis ergo ad publica comitia põtificibus, proceribus, & omnibus, qui in regno prædia possidebãt, quodlibet tertium prædium ab eis pro sua curia sustentanda postulauit: statimq; sine consensu possessorum omnia, quæ uoluit, nullo seruato numero, occupauit. Ob quam tyrãnidem proceres cum Margarita Daniæ regina conspirantes, eum regno eiecerunt. Io. Magnus lib,21. capite 12.

TRIBVTVM, VECTIGAL, DECIMAS.

Vide Tit. Astus in uectigalibus extorquendis. Illic Astutiæ, hic Auaritiæ, cui illa famulatur, habenda ratio.

ROBOAMVS rex Iudæorũ, Deo non placuit, cùm populum suum uectigalibus nimis grauare uellet. 3. Reg.12.

DARIVS Persarũ regnum adeptus, uiginti prouincias, quas ipsi Satrapias uocant, constituit: iisq; præsides præfecit, qui tributum exigerent: cum hoc edicto, ut qui argentum, in Babylonici talenti pondere: qui aurum, in Euboico pondere afferrent: ualet autem Babylonicum talentum septuaginta mnas Euboicas. Sub Cyro, atque deinde sub Cambyse, nihil fuerat circa tributa institutum, sed munera afferebantur. Ob hanc tributi ordinationem & alia huiusmodi, Persæ aiunt Darium fuisse institorem, Cambysem dominum, Cyrum patrem: quoniam Darius res omnes quæstui habebat, Cambyses asper erat ac morosus, Cyrus omni ratione de Persis bene mereri studebat. Supputatione igitur facta, colligebat Darius annuatim ex Asia & parte quadam Africæ, argenti talenta Euboica nouies millena, quingena & quadraginta: auri quatuor millia talentorum, sexcenta & octingenta. India sola, ut populosissima est, ita etiam maximum dabat tributum, 360. talenta aureorum ramentorum: Præter pecuniam Cilices equos albos 360. annuatim pendebant, ad quos educandos 140. talenta erogabantur. Aegyptus certum frumenti numerum, 120. Persarum millibus, qui in albo muro Memphitico stationem habebant, eorúmque auxiliariis: insuper etiam prouentum piscarium ex lacu Mœrios: Babylonij castratos pueros quingenos. Herod. l.3.

PISISTRATVS Atheniensium tyrãnus, omnium rerum decimas exigebat. Is cùm ignoto habitu progressus ruri rusticum in solo petroso serentem uidisset, Quid ageret? interrogauit. Tum ille respondit: Sphacelos sero, & horum tamen uectigal quoque Pisistratus exigit. Mouit libera uox tyrãnum, ut tributum id subditis remitteret. Plut. in eius uita.

HIPPARCHVS, Pisistrati filius, Academiam muro sepsit. Atque huius rei nomine, magnam pecuniæ uim ab Atheniensibus exegit. Suidas.

DEMETRIVS Poliorcetes, talenta mille & ducenta singulis annis ab urbibus captis exegit. Aelian. lib.8. Var. hist.

ANTIGONVS rex Macedoniæ in extorquendis pecuniis acer erat ac rigidus. Cuidam dicenti: At non talis fuit Alexãder. Meritò, inquit: nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens, opulentissimam Asiam priùs ab illo spoliatam: sibi à spoliatis corradendum quod posset. Plutarchus in Apophthegmatis Regum.

ANTIOCHVS Epiphanes in Persidem ad tributa exigenda cũ exercitu profectus, cùm sumtus non suppeterent ad bellũ Iudaicũ, Elymaida urbẽ oppugnauit. At turpi fuga Babylonem rediit, neque ita diu pòst ex animi mœrore obiit. Vide Tit. Pœna sacrilegij, ex 1. Machab.6.

DIONYSIVS senior exegerat pecunias à Syracusanis: deinde quum uideret illos lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere quod darent, indixit alteram exactionem: idq; iterum atq; tertiò fecit. At posteaquam, ubi maiorem summam imperasset, audiret illos in foro obambulantes ridere, & scommata in regem iácere, iussit præfectos ab exigendo quiescere: Iam enim, inquit, nihil habent, posteaquam contemnunt nos. Plut. in Regum Apoph.

Queritur Sicilia tota C. VERREM ab aratoribus, cùm frumentum sibi in cellam imperauisset, & cùm esset tritici modius H-S V, pro frumeto in modios singulos duodenos sestertios exegisse. Cicero diuinatione in Verrem.

C. CASSIVS, interfectorum Cæsaris unus, oppresso ad Laodiceam Dolabella, Tarsensibus adeò graue tributum imposuit, acerbeque exegit, quòd Dolabellam aurea corona donassent, ut omnia publica & priuata uendere sint coacti: suntque cum cæteris bonis uirgines puerique à parentibus precio alienati, parentes quoque à filiis uenditi, à fratribus sorores. Sabell. lib.8. Enneadis 6.

LICINIVS Iulij Cæsaris libertus, quẽ Augustus Galliæ præfecerat, cùm solerent singulis mensibus à Gallis tributa cõferri, ipse quatuordecim menses fecit, ut cumulatiùs ditesceret. At cùm grauiter apud Augustum à Gallis eo nomine accusaretur, ac uitæ periculum sibi imminere non dubitaret: ea quæ diu cumulauerat, dedit Augusto, ut uitam eriperet. Dion Nicæus in Augusto.

Tiberius Cæsar cùm deprehendisset AEMYLIVM Rectum, quem Aegypto præfecerat, nimium à populo exegisse, super ea re iratus, rescripsit: Se tonderi uelle suas oues, non deglubi. Dion Nicæus in Tiberio.

CALIGVLA uectigalia noua atq; inaudita, primùm per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunosque prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota urbe uænirent, certum statumque exigebatur. Pro litibus atque iudiciis ubicunque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse, uel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, quæúe lenocinium fecissent: nec non & matrimonia obnoxia essent. Suetonius.

GALBA ex Hispaniis Romam profectus, ciuitates Hispaniarum, Galliarumq;, quæ cunctantiùs sibi accesserant, grauioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione puniuit, & præpositos procuratoresq; supplicio capitis affecit, cum coniugibus ac liberis. Suetonius.

VESPASIANVS Rom. Imp. expugnata Hierosolyma, Alexandriam ingressus, magnam ab incolis pecuniam exegit: ut ne mendicis quidem pepercerit. Multa uectigalia renouauit, auxitque multa: idemque in cæteris prouinciis sub-

ditis imperio Romano, ac postea in urbe fecit. Quam ob causam Alexandrini multa conuicia in eum iactabant: dicebantque præter cætera, eum sex obolos exigere. Vnde Vespasianus tanta ira commotus est, ut uiritim sex obolos persolui iusserit, statueritq; supplicium de iis capere. Quorum pœnam cùm Titus deprecaretur, eis nihilo magis pepercit. Neque uerò Alexandrini eam ob causam desistebant, sed publicè exclamabant: Ignoscimus Vespasiano regnandi imperito. Quæ cùm temerè effutirent, eadem petulantia, qua discedebant è uita, inferos explebant. Suetonius & Dion. Tito filio ægrè ferente, quòd super alia sordida lucra urinæ uectigal excogitasset, coactam ex ea re pecuniam eius naribus admouit, rogauitque, An illius odore offenderetur? negante ille offensam inde ullam sentiri: Atqui, inquit, è lotio hæc tibi est. Suetonius.

COMMODVS Imper. natali suo die, uxoribus senatorum, eorumque liberis singulis binos aureos, tanquam aliquas primitias imperauit, idque tributum pendere coëgit. Itémque ab senatoribus, qui in reliquis ciuitatibus erant, quinque drachmas exegit. Dion Nicæus, & Xiphilinus. Deficiente pecunia, quo itinerarium æs exigeret, in Africam se ad constituendam prouinciam transmissurum finxit. Herodianus, & Lampridius.

PESCENNIVS Niger Imp. Palæstinis rogantibus, ut ipsorum censitio leuaretur, eo quòd regio esset grauata: respondit, Vos terras uestras leuare uultis, ego etiam aerem uestrum censere cuperem. Aelius Spartianus.

LEO Isaurus Imp. classe, quam aduersus Italos parauerat, in Adriatico mari naufragio amissa, furore percitus, tertiæ Siculi ac Calabri populi parti tributum in singula hominum capita imposuit. Patrimonia quoque templorum Romæ principibus Apostolis consecratorum (quæ pecunia quotannis pendebatur talentorum trium semis) in ærarium publicum referri iussit: & mandauit inspici atque describi infantes, qui nascebantur, ut census iste de singulis capitibus (Cephalationem uocant) exigi posset. Eum tamen deinde ad condendos muros, qui terræ motu conciderãt, auxit. Cedrenus.

NICEPHORVS Phocas Imp. quæstores instituit, per quos uectigalia augerentur, quique supra Chartiaticum, id est, id quod iam scriptum erat & taxatum, peterent in unoquoque numismate duo ceratia. A tributo fumario non ecclesiarum cultores, non pauperum hospitalia, nõ gerocomia, non denique monasteria erant tuta. Zonaras, Cedrenus.

CONSTANTINVS Monomachus Imp. cùm monasterium quoddam Manganorum ædificaret, fisco & publicis thesauris exhaustis, nec illicitis quæstibus abstinuit: sed cùm prouinciæ quædam essent immunes, quæ pro omnibus uectigalibus locorum angustias tuerentur, & Barbaros aditu Romanarum ditionum prohiberent: custodiis abolitis, tributa iis prouinciis imperauit. Vnde Barbaris sine ullo negotio patuerunt. Illud certè quidẽ ei acceptum ferri potest, quòd Oriens impiis Barbarorum armis est subactus. Zonaras.

AISTVLPHVS, Longobardorum rex, Romanis iratus, ab uniuscuiusq; capite tributũ exegit. Sigebertus in Chronicis.

BONIFACIVS IIX. Pontifex Maximus ut auri argentique thesaurum corraderet, uectigalia prædiorum instituit. Volater. lib. 22. Anthrop.

GOTRICVS, Danorum rex, Fresiis Germaniæ populis subactis tributum tale imposuit. Ducentorum quadraginta pedum longitudine domus erat, bissenis distincta spaciis, quorum quodlibet uicenorum pedum intercapedinem habebat, prædictæ quãtitatis summã totalis spacij impendio redděte. In huius domus altero capite regius cõsidebat quæstor, in altero uerò rotundus clypeus, in quẽ numos aureos tributi nomine coniicerent: sed ij soli in numerum uenirẽt, quorum tinnitus ad quæstoris procul sedentis aures peruenisset. Eoque fiebat, ut compluribus numorum iactibus quæstorias aures frustrantibus maior pars pecuniæ Fresiis periret. Cuius tributi onere per Carolum Magnum posteà liberati produntur. Saxo lib 8. & Cranzius libro quarto Daniæ, capite secundo.

FROTHO IIII. Danorum rex, Saxones uictos, primò pro quolibet homine, deinde pro cubitalium membrorum quolibet, tandem pro quolibet membro indicem seruitutis stipem quotãnis pendere coëgit. Saxo. Gamm.

MARGARITA, Noruegiæ & Daniæ regina, à Suecis quoq; uicto Alberto in regnum assumta, Sueonas & Gothos grauis. tributis exhausit: ita ut certam pecuniæ summam pro qualibet cauda iumentorũ exigeret, florenũ pro foco quolibet indixeret. Eodem anno marcã unam Stocholmeniem à quolibet coniugio exegit. Cætera tributa, quæ singulis mensibus & septimanis extorquebantur, uix poterant numerari. Io. Magnus lib. 21 cap 19.

IOANNES Boëmorum rex, ad extorquendas pecunias, intentus, nouum in Boëmiam uectigal inuexit, nullo rerum promercalium genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret: uocauitq; Germano uocabulo (nam Boemiam non inueniebat) Vngelt, quòd uacuũ pecunia faceret marsupium. Dubrauius lib. 21.

ALPHONSVS, Siciliæ rex, erat liberalis naturâ: uerùm cùm pecunia deficeret, à suis extorqueri per iniuriam non grauatè ferebat. Instituto nouo magistratu, quem pecuniæ præsidem Neapolitani gentiliter appellant, ei consiliarios adiunxit, qui neminem re uel fama diuitem relinquebant intactũ. Ille autem non modò exactam, sed etiam quam suos in posterum putabat exacturos, temerè profundebat. Ritius Neapolitanus lib. 4. Regum Siciliæ.

Vidi, inquit Erasmus in Adagiis, cùm agerem rure Bononiensi, IVLIO II. eius urbis ditione potito, extremæ paupertatis agricolas, quibus uniuersæ facultates in duobus bubus erant (nam horum labore totam familiam sustinebant) pro singulis singulos ducatos dependere.

FERDINANDVS rex Neapolitanus, nõ caruit publica Campanorum nota & accusatione, quòd aurum sitiens, Capuæ urinarium uectigal instituisset, sub priuatæ utilitatis prætextu. Pontanus cap. 38. de Liberalitate.

ANTONIVS Leua, Mediolano præfectus à Carolo V. ut milites suos stipendiorũ liberalitate in officio retineret, à quoquam ciue Cererem coqui uetuit: quum uenalis tãtùm panis ederetur, constitutis eius monopolij tabernis, unde esurientes magno precio panem coëmerent, tanta edicti atrocitate, ut pleriq; inopes laquei metu, fame passim interirẽt. Tanta fæuitia crudelissimæ legis auctoritatem tuebatur, ut uel ab egentibus mulierculis, quæ desiderio panis subcinericias conficerent offulas, & in sartagine placentas oleo suffrixissent, contusoq; in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraues pœnas exigeret: sic ut non infacetè, quanquam amarissimè, M. Antonius Canicula, quæstorij ordinis ciuis, in corona diceret, Peramplam, uti reor, ciuis hic noster Antonius à Cæsare gratiam proculdubiò referet, quando ei supra tot clara cognomina summæ maiestatis, nouæ nobilitatis ergô, Furnarij titulum adiecerit. Nam & tabernæ furnariæ, & uenales panes Cæsareæ aquilæ nota signati, Imperiales uocabantur. Sab. supplem. lib. 11. ex Iouio.

LYTRVM.

ALEXANDRO Magno, Asiam occupante, ciuitas quędã obtulit illi partem agrorum, & præterea rerum omnium dimidium. Cui ille respondit: Hoc animo ueni in Asiam, non ut acciperem quod dedissetis, sed ut uos häberetis quod reliquissem. Plut. in uita Alexandri.

Galli capta Roma, & obsesso Capitolio, Romanos ad eam necessitatem adegerant, ut mille pondo auri obsidionem redimere cogerentur. Rei fœdissimæ per se adiecta indignitas est: pondera à Gallis allata iniqua, & Tribuno Romano recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius: auditaq; Romanis intoleranda uox, Væ uictis esse. Priusquã infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, Dictator Camillus interuenit, & quòd iniussu suo ab inferioris iuris magistratu facta esset, pactionẽ ratam esse negauit, Gallosq; commisso prælio in fugam uertit. Liuius lib. 5. Decadis I.

GOTHI cùm Macedoniam, Epirum, & Thessaliam diripuissent, nec pro captiuis redimendis pecuniam idoneam ab Anastasio Imperatore accepissent: coràm captiuos trucidarunt. Volater. lib. 23. Anthrop.

ARABES, qui Mauritaniam incolũt, cùm sint auarissimi, propter pecuniæ cupiditatem hostium uitæ parcunt, ut ex redemtione pecuniam comparent: & præterea multos à se in bello captos esse maximè omnium gloriantur. Osorius lib. 8. rerum Emman.

Ricardum, Angliæ regem, è sacra expeditione domum per Austriam mutato habitu redeuntem, Humboldus dux cepit. HENRICVS VI. Imperator, Ducem terrore armorum illato, ad eum sibi dedendum induxit. Ita Ricardus sub certa pecuniæ conditione dimissus, Henrici in conspectum in Palmarum festo peruenit. Henricus inde pridie Natalitia Apostolorum iurauit, se Ricardum libris cẽtum millibus argenti solutis, quarum tertia pars Duci Austriæ destinabatur, liberaturum. Ea pecunia rebus etiam sacris diuenditis in Anglia est exacta, & Imperatori repræsentata. In quo ille grauia Pontificis, & piorum hominum omnium conuitia subiit, quòd regem optimè de Christiana republica meritum, & ab expeditione sacra reuertentem, expilauerit. Sigonius lib. 15 regni Italici.

TEIAS Aquillarius, leuis armaturæ equitum Cæsarianorum præfectus, immanis sæuitiæ, Hispanus, capto in Vrbe, anno 1527. expugnata, Laurentio Granio Signino episcopo, Romana florenti eloquentia, quum ille egens pecuniæ & direpta domo, redemtionis precium ægrè expediret, sacratum caput insolenti uulnere propè discidit. Iouius libro 25. Histor.

PRÆ-

PRÆDAM.

Aliquot exempla pete ex Tit. Hostium manibus elabi, Prædæ obiectu.

SAVLVS rex Iudæorum, propter auaritiam præcipuè reprobatus fuisse uidetur: propterea quòd prædę ex Amalechitis ductæ inhiarit. Itaq; dixit ei Samuel: Quare non audisti uocem Domini, sed conuersus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? I. Regum 25.

Ad Agesilaum defecit Spithridates Persa à Pharnabazo Phrygiæ præfecto. Consectatus Pharnabazum Spithridates, adiuncto ERIPPIDA Spartiatæ, exuit eum castris, ac præda est omni potitus. Ibi acerbus interuersæ prædæ Erippidas scrutator, Barbaros eam cogens reddere, omniaq; inspiciẽs & excutiens, asperauit Spithridatem, ut extemplò cum Paphlagonibus Sardeis discederet. Id Agesilao omnium dicitur fuisse molestissimũ. Nam cùm dolebat, quòd strenuum uirum Spithridatem & cum eo non modicam manum amisisset, tum pudebat eum notę sordium & illiberalitatis: quibus non se solùm, sed & patriam semper studuerat præstare mundam. Plut. in Agesilao.

Harridas, rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, imbellem multitudinem in Aetoliæ urbes abire iussit, tanquã urbes suas Aetolis concederet. Ipse cũ his, qui arma ferre poterant, insidias in montibus & locis confragosis distribuit. ILLYRII timentes ne, quæ Molossorum erant, ab Aetolis occuparentur, uelut ad prædã festinantes, neglectis ordinibus, accelerare ceperũt. Quos Harridas ex insidiis fudit fugauitq;. Front. lib. 2. c. 5.

PRÆFECTI Romani, à Belisario in Italia relicti, Veronam noctu occupauerant, per Artabazem Armenium, centum uiris delectis. Gothi in arcem confugerant. Pòst paulò præfecti, ab Artabaze acciti, ad urbem procedere cum copiis inceperunt: uerùm in itinere, altercatione inter illos de præda Veronensi dispertienda coorta, temporis aliquid consumsérunt. Itaq; Gothi, luce orta, ex alto paucitatem hostium, qui urbem inierant, & longinquitatem eorum, qui ad eam accedebant, conspicati, incitato cursu urbem repetierunt, ac Romanos expulerunt. Sigonius lib. 19. Imp. occid. & Blondus lib. 5. ex Procopio.

SCLAVI, qui Sialandiam Suenone III. regnante inuaserant, in fugam à Danis acti, tanta nihilominus prædandi cupiditate tenebantur, ut arietibus, quos abigere non poterant, mactatis pelles detraherent. Saxo lib. 14.

THABORITARVM mulieres & ipsę latrocinio assuetæ, spoliandi partes sibi plerunque sine uiris assumebant, scrutantes in nudo etiam corpore mulierum locos, ne quid in illis auri aut argenti abstruderetur. Dubrauius lib. 26.

STIPENDIVM MILITARE.

Cùm Valentem Orienti præfecisset Valentinianus I. Mediolanum uenit. GERMANI eò legatos miserunt pro more, ut ad principem nouum, pacemq; uenalem obtulerunt. Sed cùm minora, quàm sperauerant, munera accepissent, asperius quinetiam habiti ab Vrsacio officiorum magistro, abiectis donis in Germanias reuersi, grauiter in auaritiam perfidiamq; Romanorum perorantes, sæuissimas concitarunt nationes, ita ut Gallias, Rhetias, Vindeliciamq;, Alemanni: Sueui, Quadi, Noricum, Pannonias & Mœsias: Gothi Thracias: Scoti, Picti, Saxonum nationes, Britannias, oramq; Gallicam inuaserint. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Stilicho, pacem cum ALARICO Gothorum rege uicto constituit, ac militarem ei præfecturam palàm ab Honorio impetrauit: occultè autem ei præcepit, ut se ad inuadendum Illyricum Arcadij Orientale pararet. Itaque Alaricus hoc consilio ex Pannonia Honorij prouincia cessit, atq; in Epirũ Arcadij rediit: ibiq; expectare promissa ac iussa Stilichonis incepit. Mox literis Honorij ab ea expeditione deterritus, ex Epiro in Pannoniam & Noricum cum Gothorum multitudine rediit, atq; inde legatos misit ad Stilichonẽ, pecuniam poscẽs pro mora, quam rogatu eius in Epiro traxisset: ni daret, se in Italiam descensurũ, ac damna sua prædandis agris sarciturum, ostendit. Stilicho, cum Honorio & senatu de re proposita consultauit: ac ceteris bellũ cũ Alarico gerẽdum esse censentibus, ipse pacem decreuit. Percontantibus autẽ, Cur pacem redimere pecunia uellet? Quia ob commodum principis, inquit, Alaricus in Epiro moratus est, ut mecum Illyricum inuaderet, idq; Honorij Imperio adderet. quod futurum erat, nisi me Honorius ab illa expeditione deterruisset. ac simul literas eius protulit, & culpam in Serenam coniecit, quæ utriusq; principis conseruare gratiam uoluisset. Quare ęqua dicere Stilichonem senatus cẽsuit, atq; Alarico nomine pacis quadraginta librarum millia soluenda decreuit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Ostrogothorum REGES in Pannonia considentes, cùm munera à Marciano Imp. sibi dari statuta, ut pacem tuerentur, non mitti à Leone uiderent, legatis ea de re Constantinopolim missis, animaduerterunt, Theodoricum Triarij filium genere Gothum, cum suis prosperitate florentem, & Romanorũ amicitiis insignem, annuis muneribus onerari. Qua re commoti, quasi ipsi dignitate inferiores iudicati fuissent, repentè arreptis armis, Illyricum inuaserunt, ac prædas inde multas impunè egerunt. Leo uerò Imp. & præterita & præsentia dona persoluit, & in posterum diligenter solutu rum promisit: pacisq; renouatæ obsidem Theodomiri filiũ Theodoricum, iam octo annos natum, accepit. Sigonius libro 14. Imp. occid.

TERBELLIO, Bulgarorum duci, Iustinianus II. & Cõstantinus Heraclij filius tributarij fuerunt, eius ope ab Auarum incursione liberati. Is scutum, quo utebatur in bello, supinũ collocabat: & equi sui flagellum, & pecuniam, dum utrunque tegeretur, ingerebat: & hasta in terra extensa usque ad ambas oras sericam uestem altè admodum accumulabat: ac cistulas auro & argento refertas militibus dabat: dextram auro, sinistram argento replens. Suidas, & Bonfinius libro I. Decadis I.

Quarto anno Mauricij, Longobardi bellum aduersus Romanos mouerunt Mauricius CHILDEBERTO regi Francorum quinquaginta millia solidorum dono misit, ut Longobardos ex Italia pelleret. Is cum exercitu rem aggressus, dona à Longobardis etiam accepit, & rediit domum. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 3. cap. 8.

HELVETII, communi hominum de se opinione elati, cùm uictorias, quibus rex Galliæ Ludouicus XII. proximéque rex Carolus VIII. in Italia potiti fuerant, præcipuè ab ipsorum uirtute, suorumque armorum terrore profectas, seque eam ob caussam de Galliæ regno non parum meritos existimarent, à rege fœdus innouare petente, sibi pensiones sexaginta millium Francicorum in singulos annos, à rege Ludouico XI cœpta, & ad ea usq; tempora perducta, præter eas, quę clàm multis priuatis dabãtur, augeri postulauerant. Quæ cùm audaciùs flagitarent, rex eorum insolentia, quòd sibi adeò imperiosè tributum imponerent, motus, magis è regia dignitate, quàm ex præsenti ratione, uerbis iracundis eos reiicere, ac ferè cõtemnere cepit. Eam igitur ob causam ipsi promissis auctoritateq; Iulij II. Pontificis permoti, & à Sedunensi Cardinale concitati, maximo in Lucernatibus comitiis multitudinis consensu, ei bellum inferre decreuerant. Sex millia igitur eorum, anno 1510. ab Iulio II. Pp. euocati, à Ciamontio Gallicarum copiarum in Italia præfecto, ad Tresiæ põtem, ad extremam panis pecuniarumque inopiam redacti, suas quisq; domos redierunt. Guicciardinus lib. 9.

SALARIVM.

Vide Tit. Grammatici, Medici, Iureconsulti, Theologi auari.

COMMODATVM, MVTVVM, CREDITVM.

C. VERRES Milesios nauem poposcit, quæ eum præsidij caussa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe ornatum atque armatum dederunt. Hoc præsidio Myndum profectus, milites remigesque Milesium Myndo pedibus reuerti iubet: ipse myoparonem, pulcerrimum de decem Milesiorum nauibus electum, L. Magio, & L. Rabio, qui Myndi habitabant, uendidit. Quo illi nauigio ad omnes populi Rom. hostes usque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quę in Ponto est, nauigauerunt. Cicero lib. 3. in Verrem.

Erat in hospites prolixus M. CRASSVS, siquidem patebat omnibus domus eius, atque amicis mutuò dabat sine fœnore. Verùm elapso tempore, id quod crediderat, repetebat pcisè, & euadebat hoc gratuitũ multis odiosiùs usuris. Plut.

Ad PÆTVM, Martialis Epigrammatum lib. II.

Soluere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis,
 Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
 Bis centena potes perdere, perde decem.

PETRVS Medices, mortuo patre Cosmo Florentinorum principe, qui largitiones suas debitorum nomine texerat, & ne populi uoluntatem à se abalienaret, nihil à quoquam exigere curauerat, cũ domesticos thesauros exhaustos, & hoc ipso dominatũ sibi à patre relictũ non diuturnum fore uideret: nomina compellare & de solutione agere cepit. Ea re sic offensus est populus, ut hanc occasionẽ inimici contra Petrum conspirandi arripuerint. Brutus lib. 2. hist. Florent.

CENSVM, REDITVS.

GVLIELMVS Ruffus, Anglorum rex, humana pariter ac diuina sibi quæstui prædæq; esse constituit. Itaq; ut facinora illa, quæ deinceps editurus erat, leuiora minoraq; iudicarentur: sui commodi ex rebus sacris augendi initium sumens, mortuo Lanfranco neminem surrogauit, sed in quatuor annos archiepiscopatus Cantuariensis uectigalia grandi pecunia plus offerenti locauit. Fecit itidem quoties contigit,

 ut

ut aliquod cœnobium ſuo rectore careret: adeò ut habēdi auiditate captus, in publica etiam auctione paſſim ea uecti galia uenire pateretur. REGES qui ſucceſſerunt, Ruffi inſtitutū ſecuti, conſueuerunt tam epiſcopatuum uacantium, quàm cœnobiorum, quæ maiores eorum condidiſſent, uectigal unius anni capere: eſtque eiuſmodi conſuetudo ita deinde rata habita, ut etiam nunc regibus fas ſit, uectigal quoddam capere ex cœnobiis uacantibus. Per idem ius ipſis regibus licet & epiſcopatuum uacantium prædia recipere, ac fructus in ſex mēnſes, uel in integrum annum debitos capere, aut ab illis, quibus ea ſacerdotia dātur, exigere: quemadmodum interea dum uacant, primus prouinciç antiſtes in epiſcopatibus ipſis iuriſdictionem habet, & quicquid emolumenti inde eſt, ei cedit. Polyd. lib. 10.

Roberto Lincolnienſi antiſtite mortuo, epiſcopatus Lincolnienſis decem & ſeptem uacauit annos, HENRICO II. Anglorum rege interim illius uectigalia capiente, exemplo poſt homines natos peſſimo. Polyd. lib. 13.

MOERKERKE ciuis Lubicenſis, quum in prædiis militariū de Bœckvuelde redditus coëmiſſet, & retardatā ſolutionem ipſe ſua auctoritate pignorationib. extorqueret: indignati prędiorū domini, tormentis eū propè exanimauēre. Ex amicis nonnulli fidem interpoſuere, uiuum aut mortuū ſe reddituros, ut in ſua domo recrearetur. Ille ex uulneribus & iniuriis multiplicibus contabeſcens, quum dies propinquaret reditus, ſpiritum efflauit. Amici itaq; mortuum retulere. Militares in mortuum ſæuierunt: defectum caput palo infixerūt. Lubicēſes priuatū latrociniū ulturi, uaſtarunt Bœckvueldenſium prædia. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 39.

DOTEM.

Hipponicum alij, alij filium eius Calliā deſpōdiſſe ALCIBIADI Hipparetem tradunt, addita dote decem talentorum. Deinde cùm peperiſſet, altera inſuper decem Alcibiadē extorſiſſe: quaſi ita conueniſſet, ſi nati eſſent liberi. Callias uerò inſidias metuens, hæredem eum coram populo ex aſſe, ſi ipſe deceſſiſſet ſine liberis, nuncupauit. Plut. in eius uita.

Cæſar CALIGVLA filia nata, paupertatem, nec iam imperatoria modò, ſed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atq; dotē puellæ recepit. Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitq; in ueſtibulo ædium Calen. Ianuariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat. Suetonius.

HÆREDITATEM.

CHARICLES & ANTIOCHVS Opuntij, in diuidunda hęreditate paterna, patera argentea conciſa ueſteq;, diſſecta, abripuerunt ſe, quaſi ex deuotione aliqua tragica, domum acutis enſibus partiti. Plut. de Pietate erga fratres.

Fannius quidam (non ille Lælij gener, hiſtoricus) ante Vergilium, poëta ineptus, ſed garrulus & locuples, cùm ſine liberis eſſet: HÆREDIPETÆ carmina eius laudabant, & in bibliothecas transferebant: ſtatuas quoq; & imagines ponebant, ut ſcilicet ab eo hæredes ſcriberentur. Gyrald. dialogo 4. hiſt. Poët.

Cùm admodum locupleti L. Minutio Baſilio falſum teſtamentum quidam in Græcia ſubieciſſet, eiuſdemq; confirmandi gratia potentiſſimos ciuitatis Romanæ uiros, M. CRASSVM & Q. HORTENSIVM, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inſeruiſſet: quanquā euidens fraus erat, tamen uterq; pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiauit. Quantam culpam quàm leuiter retuli? lumina curiæ, ornamenta fori, quod ſcelus uindicare debebant, inhoneſti lucri captura inuitati, auctoritatibus ſuis texerūt. Valer. lib. 9. cap. 4.

CAIVS Caligula Cæſar, ſi quos prouectioris ætatis uiuere patiebatur: eos patres, & auos, & matres, & auias appellando, tum uiuentium adhuc bonis fruebatur, tum defunctorum hæreditatem cernebat. Zonaras.

Ad BITHYNICVM, Martialis Epigrammatum lib. 2.

Quòd querulum ſpirat, quòd acerbum Næuia tuſſit,
Inq; ſuos mittit ſputa ſubinde ſinus,
Iam te rem factam, Bithynice, credis habere.
Erras. blanditur Næuia, non moritur.

De MARONE, Martialis Epigrammatum lib. 12.

Pro ſene, ſed caro uotum Maro fecit amico,
Cui grauis & feruens hemitritæos erat,
Si Stygias æger non eſſet miſſus ad undas,
Vt caderet magno uictima grata Ioui.
Ceperunt certam medici ſpondere ſalutem:
Ne uotum ſoluat, nunc Maro uota facit.

PAVLVS II. Cardinalis adhuc, curabat, ut uni ſibi magis quàm alteri ægrotantium teſtamenta committerentur, quę poſtea ex arbitrio ſuo partiebatur: & ſi quid inerat quod ad rem ſuam pertineret, facto tamen ſub haſta precio, id ſibi pecunia uindicabat. Platina.

FOENVS, VSVRAM.

Exempla quædā è Tit. Perſidiæ fœneratorum peti poſſunt.

MENIPPVS Phœnix, Cynicus, ἡμεροδανειστὴς fuit. namq; uſura nautica fœnerabatur: & ut plus lucri conquireret, pecunias ab aliis mutuò ſolebat accipere. Tandem ex inſidiis omnibus priuatus, ſeipſum laqueo ſuffocauit. Laërt. lib. 6.

ZENO Citticus cùm Athenas ueniret, pluſquam mille talenta habuit, iiſq; fœnerari ſolitus fuit. Dedit poſtea operam philoſophiæ. Laërt. lib. 7.

CHARICLES nomen eſt fœneratoris apud Plutarchum in Phocione.

RVTILIVS Romæ compellans Muſonium: Iupiter ſeruator, inquit, Muſoni, quem tu ſectaris & æmularis, pecuniam fœnebrem non ſumit. Cui Muſonius arridens: Nec fœnebrem, inquit, dat. Rutilius, qui fœnus ipſe exercebat, exprobrabat ei, quòd æs alienum contraheret. Plut. de Non fœnerando.

Notus eſt ex Horatio FVSIDIVS diues poſitis in fœnore nūmis. uti etiam

—fœnerator ALPHIVS,
Omnem redegit idibus pecuniam.

Iulius Capitolinus ſcribit, M. ANTONINVM Pium Imperatorem fœnus trientarium exercuiſſe, ut patrimonio ſuo plurimos adiuuaret.

FLORENTINVM fœneratorē ſenem acceſſit ſacrificus, mutui cauſa, crucem argenteam, cui incluſa erat portio ligneæ crucis, pignoris loco offerens. At ille, ab hoc peccato iam pet ætatem deſtiti, inquit. Abi autem ad filium meū: is quia iuuenis eſt, & animæ paruam curam habet, tibi morem geret. Simulq; puerum adiungit ductorem. Cùm iam abiſſet, puerum reuocat ſceleſtus ille: &, Dic, ait, filio ut meminerit deducere de precio ligni pondus. uilius argento lignū dominicum æſtimans. Poggius in Facetiis.

MVNVS, DONVM.

MIDAS Phrygiæ rex, Gordij filius, omnium regum ſuæ tempeſtatis fuit ditiſſimus. Fabulantur ad hunc aliquando Silenum, cùm iter facere cum Baccho ebrius non poſſet, adductum fuiſſe: quem ille perhumaniter tractauit. Bacchus cognita illius humanitate. ipſe etiam hoſpes ad Midam proficiſcitur. A quo benignè acceptus, illi propoſuit, ut quicquid uellet, expeteret. Midas expetiuit, ut quidquid contingeret, continuò aurum fieret. Cùm autem cibaria etiam, quibus ueſcebatur, contacta repentè fierent aurea, deum deprecatus infauſtum donum, ſe lauit, & liberatus eſt. Itaq; Natalis Comes lib. 9. cap. 15. Mythol. ex Ouid. 11. Metam.

CONDALO, Mauſoli Cariæ regis prefecto regionē peragrāti, ſi quis ouē aut uitulū attuliſſet, dāti imperabat ut domū referret & nutriret. Longo demùm pōſt tēpore ipſum repetebat, & ſi quid inde foret natū emolumēti. Ariſt. in Oecon.

CAMBYSES, Perſarū rex, ſubacta Aegypto, munera, quæ ab Afris uenēre, perbenignè accepit: quæ autem à Cyrenæis, ſuccenſens quòd exigua erant (quingentas enim minas argenti miſerant) ſua manu diſperſit in milites. Eo namq; tempore nullum adhuc tributum imperabatur, ſed munera tantùm à uolentibus mittebantur. Herod. lib. 3.

ALCMÆON Megaclis F. qui primus Alcmæonidum Athenis illuſtrauit familiam, conſueuerat ſponte ſua regis Crœſi legatos, qui Delphos cum donariis mittebantur, comiter accipere. Crœſus ergo cùm eum in Lydiam accerſiuiſſet, fecit illi poteſtatem, ut tātum auri ex ſuis theſauris ſibi ſumeret, quantum uno ferre poſſet complexu. Ille ergo pregrandem tunicam induit, eaq; in ſinum complicata, laxioribuſq; cothurnis calceatus, in aceruum auri procumbens, cothurnos primò, inde ſinum referſit: coma deinceps ramento obuoluta, faucibuſq; auro refertis, cuicunq; rei ſimilior quàm homini proceſſit. Eū Crœſus intuitus, hilari uultu cachinnóq; ad ſe receptū, omnia habere permiſit. Sab. lib. 1. En. 3. ex Her.

LYSANDER, cùm miſiſſet ei Dionyſius ſtolas duas, iubens ut eam, quę placuiſſet, caperet, ut filiæ ferret: Illam ipſam ait melius optaturā. acceptiſq; duab. abſceſſit. Plut. in Apoph.

GALBA, antequam imperaret, Hiſpaniarum procōſulatum ſub Nerone gerens, cùm ei Tarraconenſis ciuitas dono coronā auream offerret, quam ponderis quindecim librarum dixerant eſſe: ſtatim adhibita ſtatera, iuſſit pondus inſpici. Et cùm inueniſſet tribus libris minus, quàm dictum fuerat, pondus eſſe, munere, tanquam deberetur, in obligationem conuerſo, poſtpoſito pudore, à Tarraconēſibus tres libras, quæ coronæ deerant, exegit. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. nunciantibus legatis decretam ei ſtatuam haud mediocris ſummæ, continuò cauam manum oſtendit, atq; ut ſtatim eam ponerent hortatus eſt, eam fore ſtatuæ baſim dicens. Suetonius.

In POLYCHARMVM Martialis Epigrammatum lib. 12.

Aegrotas uno decies aut ſæpius anno,
Nec tibi, ſed nobis hoc, Polycharme, nocet.
Nam quoties ſurgis, ſoteria poſcis amicos.
Sit pudor, ægrota iam, Polycharme, ſemel.

In CLYTVM, idem lib. 8. Epigrammatum:

Vt poſcas Clyte munus, exigaſq;,

Vno naſceris octies in anno:
Et ſolas puto tréſue quattuórue
Non natalitias habes Calendas.
Sit uultus tibi læuior licebit
Tritis litoris aridi lapillis,
Sit moro coma nigrior caduco,
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut maſſam modò lactis alligati:
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda uiro puella ſeruat:
Tu nobis, Clyte, iam ſenex uideris.
Tam multos quis enim fuiſſe credat
Natales Priamíue, Neſtoríſue?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quòd ſi ludis adhuc, ſemelque naſci
Vno iam tibi non ſat eſt in anno,
Natum te, Clyte, nec ſemel putabo.

HADRIANO ſophiſtæ miſerat quidam piſces in diſco argenteo, picturato auro. At ille delectatus uaſculo, non remiſit, tantùm ei qui miſerat, reſpondit: Bene facis, quòd etiam piſces, quaſi diſcus eſſet dono miſſus, piſces tantùm nouitatis gratia additi. Quidam autem dicunt ioco factum, ut caſtigaret diſcipuli uitium, qui ſordidior eſſe dicebatur. nam eo admonito, diſcum reddidit. Philoſtratus.

ISAACIVS Angelus Imper. erat adeò mercatorio ingenio, tam inexplebili accipiendi fame flagrabat, ut non aurum & ueſtes duntaxat acciperet, ſed & alia minuta, uſque ad pepones, & cætera eſculenta, & omnis generis poma. Nicetas lib. 3.

Quum eſſet D. Eraſmus Rot. apud Coloniam Agrippinam, Senatus honoris gratia miſit uinum in cantharis teſtaceis, quos repeti mos non eſt. Id admiratus, rogauit cauſam. Reſponſum eſt, olim uinum ſolere mitti cantharis argenteis. Hoc honoris quum eſſet habitum CVIDAM ex eorum numero, qui magnam nobilitatis partem exiſtimant rapto uiuere, poſtridie manè profectus eſt cum argenteis cantharis. Re comperta, miſit ad illum Senatus, qui cantharos repoſceret. At ille: Vltrò, inquit, dono dediſtis, & ego gratias egi. Hoc caſu admoniti, mutarunt conſuetudinem. Eraſmus in Apophthegmatibus.

MVLTAM.

Aedem Caſtoris P. Iunius habuit tuendam. Is mortuus, reliquit pupillum filium. Cùm L. Octauius, C. Aurelius Coſs. ædes ſacras locauiſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neq; ij prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos & M. Cælius: factum eſt S. C. quibus de ſartis tectis cognitum & iudicatum nō eſſet, uti C. Verres, P. Cælius prætores cognoſcerent & iudicarent. Qua poteſtate permiſſa, VERRES, qui ſemper palàm ita dictitaſſet, pupillos & pupillas certiſſimam prædam eſſe prætoribus, optatum negotium ſibi in ſinum delatum eſſe dicebat. L. Rabonio ædem Caſtoris tradi oportebat: is caſu pupilli Iunij tutor erat teſtamento patris. cum eo ſine ullo intertrimēto conuenerat iam quemadmodum traderetur. Iſte ad ſe Rabonium uocat: quærit ecquid ſit, quod à pupillo traditum non ſit, quod exigi debeat. Cùm ille diceret, facilem pupillo traditionem eſſe, ſigna & dona comparere omnia, ipſum templum omni opere eſſe integrum: indignum iſti uideri cepit, ex tanta æde, tantoque opere ſe non opimum præda, præſertim à pupillo, diſcedere. Venit ipſe in ædem Caſtoris: conſiderat templum: uidet undique tectum pulcerrimè laqueatum, præterea cætera noua, atque integra: uerſat ſe: quærit quid agat: dicit ei quidā ex illis canibus, quos circa ſe multos habebat: Tu Verres hîc quod moliare, nihil habes, niſi fortè uis ad perpendiculum colūnas exigere. Quærit quid ſit Ad perpendiculū? Dicunt ei, ferè nullam eſſe columnam, quæ ad perpendiculum eſſe poſſit. Nam mehercule, inquit, ſic agamus: columnę ad perpendiculum exigantur. Rabonius qui legem noſſet, qua in lege numerus tantùm columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret ſibi expedire, ita accipere, ne eodem modo reddendum eſſet: negat id ſibi deberi, negat oportere exigi. Iſte Rabonium quieſcere iubet, & ſimul ei nonnullam ſpem ſocietatis oſtendit: hominem modeſtum, & minimè pertinacem facilè coercet: columnas ita ſe exacturum eſſe confirmat. Veniunt ad Verrem amici & tutores pupilli, petunt ab eo, ne per ſummam iniuriam pupillum Iunium fortunis patris conetur euertere: petunt à Chelidone meretrice (quæ iſto prætore, non modò in iure ciuili, priuatorumque omnium controuerſiis populo Romano præfuit, uerùmetiam in his ſartis tectis damnata eſt) ſed nihil impetrant. Cum Rabonio tutore, quod erat uix H-S. quadraginta millium, tranſegere ducentis millibus. Cic. lib. 3. in Verrem.

Ab HENRICO I. Anglorum rege, excogitatum fuit, ut illi agrorum poſſeſſione regi cederent, qui in iis eius damas ceruoſue cepiſſent. adeò uenatio id temporis quæſtuoſa erat. Polydorus lib. 12.

QVO MODO. ACQVIRERE, EXIGERE, OBTINERE

PETITIONE IMPORTVNA, impudenti, mendaci, Petaces.

GIEZI miniſter, cùm Heliſæus propheta Naamanem Syrum à lepra curaſſet: donaq; nullo modo accipere uellet, quaſi à magiſtro miſſus, argentum & ueſtes ab eo accepit. Ideoque lepra, qua Naaman fuerat liberatus, adhæſit illi & ſemini eius in ſempiternum. 4. Reg. 5. & Marulus lib. 1. cap. 7.

Meretrix Aegyptia ARCHEDICE ab amatore pro concubitus inſomnio mercedem exigere non erubuit.

Αἰτωλιτιῳ dicti ſunt olim ioco prouerbiali, qui iuxta mores Aetolorum petaces eſſent & improbi. Alluſum eſt enim ad uocem: Quemadmodum auidi munerum Doricè loqui dicebantur: ſic αἰτωλοὶ dicti uidentur, quòd omnia petant, παρὰ τὸ ὅλον αἰτεῖν. Meminit Stephanus. Eraſmus in Adagiis.

Ἀττικὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα κἀποθνήσκων, i. Atticus porrigit manū, etiā cū moritur. Huic adagio locū fecit ATHENIENSIVM in muneribus captandis, & aucupandis lucris inſatiata cupiditas. Vnde & apud Ariſtoph. frequens locus in τὰς δωροδοκοῦντας. Auctor Diogenianus. Eraſmus in Adagiis.

Fracta per bellum Philippo Macedoni clauicula, cùm qui eum curabat, quotidie omnino poſtularet aliquid MEDICVS: Sume, inquit, quantum libet: nam clauem habes. Plut.

Philippus Macedo, quum ATHENIENSES, quotquot apud Chæroneam capti fuerant, gratis dimiſiſſet, illi uerò etiam ueſtes ſtragulaſq; repoſcerent, atque hac de cauſa Macedones in ius uocarent: riſit Philippus, dicens: Quid? nónne uidentur Athenienſes arbitrari, ſe à nobis in talorum ludo uictos eſſe? Tam ciuiliter tulit uictor uictorū ingratitudinem, qui non ſolùm gratias non agerent, quòd ipſi & incolumes & gratis fuiſſent dimiſſi: uerùm etiam criminarentur, quòd non ſimul & amictus & ſtragulas redderet, quaſi neſcirent quale eſſet ius belli: quaſiq; nihil aliud eſſet certare armis, quàm certare talis: qui ludus eſt puerorum. Plut. in Apoph. Regum & Imper.

C. CALIGVLA, nata filia, paupertatem, nec iam imperatoria modò, ſed & patria conquerens onera, edixit ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in ueſtibulo ædium Kalen. Ianuarij ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu, omnis generis turba fundebat. Suetonius in Caligula.

Libelli in ſcriniis Othonis principis reperti ſunt à Vitellio centum uiginti PRÆTORIANORVM, poſtulantiū pręmium pro cæde Galbæ, quem unus occiderat. Eos omnes Vitellius, rerum potitus, ut Tacitus & Plutarchus tradūt, conquiri iuſſit, & interfici.

Friderico Barbaroſſæ Imp. Romæ appropinquanti occurrit Senatus Romani LEGATVS, de ipſius erga Imperatorem uoluntate & beneuolentia ſumma referens, ſi more ſolito ipſe ingrederetur: nempe in curru aureo purpuratus, hoſtibus, quoſcunque Roma haberet, domitis, currumque præcedentibus: & denique ſenatui quindecim argēti librarum millia diſtribueret: quod niſi præſtaret, nullum ei in urbem patére ingreſſum. Cui rex ſubridens reſpondit: Grata quidem promiſſio, ſed cara emtio, cùm hæc uires noſtras longè exuperent. Sed magis fortè Romanis conſultum fuerit, amicitiæ potiùs noſtræ quàm armorum experimentum capere. Ergo euocato Hadriano Pp. Romanis iuriſdictionem omnem ad conſules transferre conantibus infenſo, armatus ædem D. Petri occupauit, & inauguratus fuit. Helmoldus, Otho Friſingenſis lib. 2. cap. 21. de reb. geſtis Friderici, & Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 16.

IACOBVS de Sirck, epiſcopus Treuerenſis, princeps Elector, uir magni conſilij, ſed ad augendam eccleſiæ ſuæ potentiā nimis attentus, Fridericum Cæſarem apud nouam ciuitatem cùm adiiſſet, & alia atque alia petens impetraſſet, ſed plura tamen petendo inſtaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certè negandi finem facilè inueniā. Aeneas Syluius lib. 2. de geſtis Alphonſi.

Cùm EQVES quidam, Ioannes Calaguritanus nomine, ab hoſtibus captus, & ab iiſdem emiſſus carcere, Alphonſum regem adiiſſet, in ſolatium calamitatis multa poſtulauit ab eo, & impetrauit. Quo digreſſo, rex dixit ad familiares: Diſperream, inquit, ni metui, ne uxorem etiam meam poſceret eques meus. Panormita. lib. 2. de Alphonſi rebus geſtis: & Eraſm. lib. 8. Apophtheg.

EQVES quidam, cùm ſubinde ab Alphonſo Aragonum rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petiit. Cui rex ait: Si pergam tibi dare quæ petis, citiùs me pauperem effecero, quàm te diuitem. Ibidem.

In aula LVDOVICI Hungariæ & Boëmiæ regis iuuenis & prodi-

prodigi, inuentum fuit nouumrapiendi genus. Vt enim quemque à prima nobilitate, ornatum torque uel cathena, uel aurea ueste conspexerant AVLICI: Regem continuò adibant, impudenter petentes, ut Rex alios decore illorum spoliaret, & aulicos suos adornaret. Nemo sanè erat, quem iuuenis Rex de re quauis preciosa appellaret, quin statim ei donaret. Tunc e uestigiò ille donū ad aulicū transferebat. Dubrauius lib. 33.

LIBERALITATE SIMVLATA, FOENERATORIA.

De hac sub Auara δόσει egimus ex professo. Quæ ipsa tamen respectu Finis huc potiùs pertinet. Specie quidem liberalis est datio: sed reuera auara acceptio, captatio.

MAGICA ARTE.

Ex Tit. Magicorum Miraculorum, item Thesauri inuenti, huc quædam.

SOMNIO.

Macedonij Hypati de auaro QVODAM in somnio aurum captante, tale extat:

Φειδωλός τις ἀνὴρ ἀφθόνῳ θησαυρὸν ὀνείρῳ,
ἤθελ' ἀποθνήσκειν, πλούσιον ὕπνον ἔχων.
ὡς δ' ἴδε τὴν προτέρην σκιόεν μετὰ κέρδος ὀνείρου
ἐξ ὕπνου πενίην, αὖτις κάτθανε πάλιν.

Vir quidam parcus thesaurum in somnio contrectans, optabat mortem propter diues somnium. Vt uerò pristinam uidit, post umbratile somnij lucrum, experrectus à somno paupertatem, denuò dormiuit.

Apud Theocritum PISCATOR somniat aureum piscem. Erasmus in Adagiis.

VITÆ PERICVLO, MORTIS CONTEMTV.

Ex loco, Thesauri inuenti magica arte, huc quædam.

Cùm POLYCRATEM, Samiorū tyrannū, Oretes Lydium præfectus, in animo haberet capere, & auarum esse sciret: simulans se à rege Cambyse uelle deficere, & Polycrati se coniungere: Impleuit octo scrinia lapidibus, superficieq; tenus aurum instrauit, & Mæandrio legato Polycratis ostendit. Polycrates re comperta, spe auri potiundi profectus, captus, & in crucem suffixus fuit. Herod. lib. 3.

MILITI, qui per expeditionem, annona arctissima, residuum cibariorum, tritici modium, centum denariis uendidisse arguebatur, uetuit Galba, simul atque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri: itaque fame extabuit. Et apud Prænestinos inualescente fame, dei iudicio factum est, cùm modius frumēti CC drachmis uenijsset, ut uenditor ipse cū magna sua pecunia interiret, emtor euaderet. Strabo lib. 5. & Suetonius in Galba.

Euphorion Chalcidicus scriptum reliquit, apud ROMANOS minas quinque ijs exponi, qui pati uoluerint, ut caput sibi securi amputetur, ut eorum hæredes hoc lucrum consequantur: sæpiusque si multi nomen dederint, de primo loco contendunt. Athenæus lib. 4. cap. 17. Sed Græci hominis hæc sunt mendacia.

RICARDVS, Anglorum rex, exhaustus erat omni propè Anglico auro, partim ad se redimendum, partim ad Othonem, Henrici Saxoniæ ducis fratrem, Imper. designatum, contra Philippi partes, subleuandum depromto: ad hoc belli Francici necessitatibus exinanitus. Ad Calacum, oppidum in Lemouicum finibus ingentem uim auri reconditam fama ferebat. Lemouices ipsius beneficiarij erant, & Aquitanis contribuebantur, sed à Franco rege stabant. Dum ergo Calacum tentat, è muro ictus scorpione, in castra inter manus relatus paulò post expirauit. Aemilius l. 6.

CONIVGIO, MATRIMONIO.

AESCHINES Socraticus, Hermæi unguentarij uxorem septuaginta annis natam se amare simulans, ita testari fecit, ut maritum filiosque mēdicos reliquerit. Tum ipse Hermæi facultates adeptus, pro caupone se unguentarium declarauit. Ita puellam cum amore accepit, ætate illius oportuna fruens, ut multò esset faciliùs, paucioréſne dentes haberet connumerare, an manus digitos. Athenæus libro tertio, capite ultimo. Hæc de eo Lysias.

Multi ROMANI nuptiarum fœdus ineunt, & liberos gignūt, non quò hæredes habeant, sed quò hæredes esse queant. Plut. de Natiua in progeniem caritate.

Quum PHILIPPO Vicecomiti, post interfectum fratrē Ioan. Mariam, paternum imperium repetenti pecunia deesset: à Beatrice Tenda, uidua Facini Canis, celeriter impetratur, propositis cum nouo principe nuptiis, quas ipse Facinus in extremo uitæ actu suasisse ferebatur. Nec eas abnuit Philippus, quanquam ætate fortunaq; impares. Itaque leuis mulier, intempestiuæ libidinis, & maioris imperij auida, uix deterſis lacrymis inauſpicati coniugij thorum ſubiit, quaterque centena millia aureorum numûm dotis nomine dinumerauit. Iouius in Philippo.

DIVORTIO.

TICINIVS cum Fannia diuortium fecerat: dotem uerò repetenti adulterium obiecerat. Re in iudicio agitata, cùm Fanniam constaret impudicam fuisse, & uirum, qui talem sciret esse, eam duxisse, diuque cum ea in matrimonio uixisse: C. Marius VI. Cos. uirum iussit dotem ei restituere: mulieri infamiæ damnatæ quatuor asses multam dixit. Valerius Maximus, & Plutarchus in Mario.

CORPORIS PROSTITVTIONE, Meretrices auaræ.

Consule Titulum, Meretricum.

Græci meretrices, quæ ob elegantiam uenustatemque formæ grandem pecuniam demerebant, πολυμίσθους uocabant. Lupas uerò, plebeculæ ac seruis prostantes, quæque duobus obolis ducerētur, Diobolares, Prosedas, & Prostibulas nuncupauit Plautus Comicorum elegantissimus.

Aurea Venus passim apud poëtas, quòd auro conciliatur amor. Iupiter bouis figura assumta EVROPAM, LEDAM cygni, aurei imbris DANAEN uitiauit. Cremissus fluuius Phœnodamantis Troiani VXOREM cani assimilatus compressit. Has metamorphoses Eustathius Iliad. ψ. ad munera refert, quibus allectæ, amatoribus sui copiam fecerint. Sic etiam Homerus passim uirgines ἀλφεσιβοίας uocat, quòd propter formam facilè amatores inueniant boum largitores.

DANAEN auro prostituisse pudicitiam, Ouidius 3. Amorum 7. scribit:

Iupiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ precium uirginis ipse fuit.

Carchesium antiquissimum est poculum. Siquidem Iupiter cùm ALCMENAM compressisset, dono dedit ei hoc poculum pro mercede: uelut lib. 2. Historiarum testatur Pherecydes, & Herodotus Heracleotes. Athen. lib. 11. cap. 7.

Mreetrices SARDIENSES ex corporis quæstu sepulcrum Halyatti Crœsi patri cōstruxerunt, inter omnia & Aegyptiorum & Babyloniorum opera inprimis admirandum. Herodotus libro I.

INDORVM matronæ, celebres alioqui pudicitia, oblato elephanti precio, pudicitiam amatoribus substernunt, nullo inde præfloratæ famæ dispendio. Aelianus.

Cùm QVIDAM apud Spartanos, forma prestans, in amorem sui pertraxisset hominem locupletem, cùm ipse pauper esset: Ephori irrogarunt illi pecuniariā multam, plectentes, ut apparet, pecuniarum illicitam cupiditatem, ablatione pecuniæ. Aelianus lib. 3.

LAIS Corinthia cuidam amatori, qui misso sigillo iubebat illam uenire: Non possum, inquit, lutum est. Olim terræ genere signabant: at illa lutum esse dixit, quasi ob lutum uiarum non posset accedere. Luteum sigillum nihil morabatur, argenteum quærebat. Plutarchus.

In PHYLLIDA, Martialis Epigrammatum lib. 11.

Nulla est hora tibi, qua non me, Phylli, furentem
Despolies, tanta calliditare rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto,
Gemma uel à digito, uel cadit aure lapis.
Nunc furtiua lucri fieri bombycina possunt:
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emam grandémue lupum, mullúmue bilibrem,
Indixit cœnam diues amica tibi.
Sit pudor, & tandem ueri respectus, & æqui:
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

LENOCINIO. LENONES AVARI.

Consule Titulum, Lenonum.

VLYSSES cùm mendici habitu procos uxori Penelope munera dantes conspicit, animo clàm delectatur, Odyss. σ.

οὕνεκα τῶν μὲν δῶρα παρέλκετο, θέλγε δὲ θυμόν.

Quòd si pecuniarum cupiditate lætatur, lenone quouis deterior est. Sin uerò spe procos incautos, & Penelopes blanditiis illectos faciliùs opprimendi, laudanda est illius prudentia. Plutarchus de Audpoëtis.

M. CATO Vticensis, insimulatus est auaritiæ à Cæsare, quum Martiam coniugem Hortensio amico roganti concessisset, eamque postea Hortensij recepisset hæredem: Dimisit, inquit, ut locupletem reciperet. Plutarchus.

C. CALIGVLA, ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit: distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent, misit circum fora & basilicas nomenclatores, ad inuitandum in libidinem iuuenes, senesq;: præbita aduenientibus pecunia fœnebris, appositique qui nomina

palàm subnotarēt, quasi adiuuantium Cæsaris redditus. Suetonius in Caligula.

ADVLATIONE.

Consule Tit. Adulatorum, quatenus auaritiæ causa adulantur.

Fannius quidam (non ille Lælij gener historicus) poeta malus, sed locuples, & absque liberis. Huius carmina HÆREDIPETÆ in bibliothecis reponebant, & statuas ei ponebant, ut ab eo hæredes scriberentur. Gyraldus dialogo 4. Historiæ poeticæ.

OPERÆ LOCATIONE. EX ARTE quæstus inhonestus.

Consule Tit. Auari Medici, rhetores, grammatici, Iureconsulti, Theologi.

LABORE, OPERE FACIVNDO.

PYTHIVS Bithynus, ciues suos omnes in metallis fodiendis occupatos habebat: idque unum auri congerendi studium tantoperè coluit, ut ob laboris illius magnitudinem interirent plerîq;. Vnde mulieres agminatim ad Pythij uenerunt uxorem, instāter orantes, ut huic malo mederetur. Illa ergo adhibitis artificibus, panes & alia id generis edulia ex auro confici præcepit: eaq; omnia Pythio, parari cœnam postulanti, apposuit. Quorū aspectu delectatus primùm Pythius, posthæc cibos afferri imperauit. Verùm cùm uxor cuncta, quæ postulabat, ex auro concinnata iuberet apponi: & is ira percitus sese clamitaret esurire, nec ampliùs auro opus esse: respondit illa, Omnis ciuium tuorum cura, tuo iussu, in parando tātùm auro uersatur: iam propter id nullos agros colit, iam totius rusticationis cura intercidit. Hac uxoris castigatione motus Pythius, animum ab incœpto reuocauit opere. Hic fuit is, qui platanum auream nobilemq; uitem Dario regi donauit: quiq; Xerxis exercitū hospitio excepit, iisq; stipendium frumentumq; pollicitus est. Polyænus.

QVIDAM ex fratribus Nitriæ centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens reliquit. Monachi, qui in eodem loco circiter quinq; millia diuisis cellulis habitabant, consultabant quid facto opus esset. Alij pauperibus distribuendos dicebant, alii dandos Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius uerò & Pambo & Isidorus, & cæteri, quos patres uocant, sancto in eis loquente spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecū sit in perditionem. Apud monachos certè per totam Aegyptum, unum solidum dimisisse, crimini datur. D. Hieron. ad Eustochium de Cust. uirgin.

ALEÆ LVDO.

C. CALIGVLA ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio, atque etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori, demandata uice sua, progressus in atriū domus, cùm prætereūtes duos equites Rom. locupletes sine mora corripi, confiscarique iussisset: exsultans rediit, gloriansque, nunquam prosperiore alea usum. Suetonius in Caligula.

LVDOVICVS Scarampa, Cardinalis & Patriarcha Aquileiensis, unica die ab Alfonso rege Neapolitano ludendo XXV aureorum millia abstulit. Garimbertus lib. 6. de Vitis Pontificum.

MERCATVRA INDECORA.

IOANNES Giscaleus, Giscalæ patriæ suæ in Galilæa præfectus, latronum fautor, quæstus causa talem fraudem excogitauit. Oleum omne, quod non à gentilibus Iudæis expressum esset, tanquam immundum extra fines exportari, & diuendi præcepit. Ipse subornatis quibusdā, numo Tyrio (qui quatuor Atticos facit) quatuor amphoras emit, eodemque precio amphoræ dimidium Iudæis iterum uenundedit. Eo astu magnam pecuniæ uim corrasit. Iosephus lib. 2. cap. 26. Belli Iudaici.

PERTINAX, qui Cōmodo successit, apud uada Sabatia mercaturas Imp. exercuit per homines suos, nō aliter, quàm priuatus solebat. Cuspinianus.

NEAPOLITANORVM regum quidam, erepta suis mercaturæ facultate, quæstum spectantes, prouinciales ad inopiā redegêre.

[redacted]

VENDITIONE VEL *Impia, Sacrilega, Simoniaca.*

Propter munera quæ dedit & promisit ambitiosus Iason regi Syriæ ANTIOCHO Epiphani, obtinuit summum sacerdotium. Cùm aūt misisset pecuniam regi per Menelaum, Menelaus supplantauit eum, & obtinuit principatum, cùm interuertisset Iasonis talenta argenti trecenta. 2. Machab. 14.

[redacted]

Indigna, Damnosa, Iniusta.

Consule Tit. Ambitionis in comparandis magistratibus, quatenus id pecunia fit.

Cantharides obiectæ sunt CATONI Vticensi, ceu uenenum uendidisset in auctione regia, quoniam eas sestertiis sexaginta addixerat. Plin. 29. cap. 4.

Post Syllana tempora, Cn. Pompeio, M. Crasso, & C. Iul. Cæsare Remp. prementib. ea fuit ROMANÆ reip peruersitas: ut honorum cādidati, positis in medio mensis, sine ullo rubore nundinarentur plebem. Descendebat in campum mercenarius populus, non suffragiis pro præbitore, sed telis, gladiis, fundis decertans. Identidem sanguine & cæde fœdatis Rostris diremti sunt, ciuitatem ad interregnum quasi sine gubernaculo relinquentes delabentem: ut præclarè agi putarent sapientes, si Resp. in malū non grauius, quàm regnū ex tanta insania & tantis fluctibus euaderet. Plut. in Cæsare.

CAROLVS IIII. Imp. Vicecomitibus Mediolanensibus per

[redacted]
CO [redacted]
borin uias procumberet, fructus ipse dec[redacted]
ne[redacted]
TH[redacted]
lig[redacted]
Plutarchus in [redacted]
V[redacted]
Ostrearum uiuaria prim[redacted] omnium S[redacted]
[redacted]
Pli[redacted]
TIB[redacted]
di[redacted]
C.[redacted]
instrument[redacted]
[redacted]
ne propol[redacted]
[redacted]
torium uirum,[redacted]
ret: ne licendi f[redacted] H-S.
nonagies ignoranti a[redacted]
Go[redacted]
Be[redacted]
rat.[redacted]
te, IO A[redacted]
[redacted]
co æstuoso patri, in mo[redacted]

Roma à Totila Gothorū rege obsessa, Græci duo duces BESSA & CONON, frumento omni in suam redacto potestatem, ingenti pecunia uendiderũt ditioribus Romanorum, quibus etiam bouem unum aureis quinquaginta uendebant. Procopius.

NICEPHORVS Phocas Imperator, afflictis suis omnium rerum grauissima penuria, frumentum suum magno uendens, ac ex calamitate suorum lucrum faciens, quasi re prę claré gesta iactauit, se modium aureo nummo uendi solitum, duobus uendidisse. Cedrenus.

IOANNES Puzonus, quęstor Manuelis Comneni Imp. adeò sordidus erat, ut esculenta & pisces maximos ac pinguissimos sibi missos, ter aliquando in foro uenditos, toties reciperet ab iis redemtos, qui opera eius egebant. Ita pro piscatoribus erant ei pisces, sorte commutata, quibus magnitudo pro hamo, pinguedo pro esca erat: itaque prætereuntes ad se emendos atrahebat. Nicetas Choniates lib. 1.

Populum Romanum CLEMENTIS VII. auaritia offendit, & ad defendendum Pontificem, à Pompeio Columna uexatum, tardiorem reddidit, quòd nequaquam agrorum magnitate, sed certis conuectionum atque horreorum monopoliis, magno fisci quæstu annona ad triplum creuisset. Iouius in Pompeio.

EMTIONE TVM
Sordida.

Iunius Bassus, quærente DOMITIA Bassiani, quòd taxans eius sordes, calceos eam ueteres diceret uendere consueuisse: Non mehercule, inquit, hoc unquam dixi: sed dixi, emere te solere. Bruson. lib. 1. cap. 1.

FERDINANDVM Ponzettam Cardinalem nõ puduit cum rusticis & mulierculis res uenales gestantibus de fenestra oboli causa contendere: sic ut quotidie aliquod egregium auarissimi senis dictum factúmue à Romanis aulicis cantaretur. Garimbertus lib. 6. de uitis Pontif.

Impia, Sacrilega, Simoniaca.

SIMON Magus Samaritanus, omnium hæreticorum pater, auro Spiritum sanctum ab Apostolis mercari uoluit. Ab eo omnis sacrorũ uenũdatio & negociatio Simonia dicta est.

Iniusta, Fraudulenta.

GVLIELMO Normanno Angliæ regi, bello inuicto, mortuo sepultura interdictum fuit. Templum extruxerat alienain area, nec persoluerat precium domino: qui tunc egens, põpam funebrẽ, cœtumq; procerum nihil ueritus, in mediam prosequentium regium funus celebritatem se intulit, ita clamitans: In quem effertis istum hominem locum, meus est. In alienum solum inferendi mortui ius nemini esse defendo. Henricus regis mortui filius, rem præsenti pecunia fundi domino luit. Aemilius lib. 3.

LVDOVICVS Sforcia, dux Insubrum, dum in Nouariensi latifundium ad eximiam fertilitatem magno studio conderet, quod de nomine suæ gentis Sfortiadam appellauit, uicina prædia impotẽter ab inuitis dominis coëmendo, ipsis Sforciadæ finibus inclusit, corriuatísque priuatorum ciuium aquis, ut sua pleniùs irrigaret, alienos agros solito humore destitutos, penitùs infelices reddidit. Iouius li. 2. Hist.

LOCATIONE SORDIDA.

In thesauro IOANNIS Basiliadis, magni Ducis Moschouiæ, uestes plurimæ elegãtes, ad id sunt repositæ, ut cũ triumphus celebratur, uel cũ legatus alicuius Principis excipitur, singulis aulicis ad tempus accommodentur. Cæteri quoque nobiles ad conuiuia amicorum, ad nuptias profecturi, uel diuorum festa celebraturi, de magni Ducis uestiario certo precio secundùm temporis spacium uestes accipiunt, easdémque cum usura thesaurario restituunt. Quòd si aliquantulum uestis commaculata fuerit, pecuniam pro ea numerare cogitur, uerberibusq; insuper corrigitur. Ad regem quinetiam Poloniæ, uel ad alios exteros principes oratores missurus, omnibus nobilibus eos comitantibus, uestes & arma, & id genus ornamenta, ex thesauro suo sub usura commodare solet: additur quinetiam curator, qui ea unicuique, quoties opus fuerit, subministrat, rursusq; ea ab eisdem recipit. Guagninus in descriptione Moschouiæ, cap. 4.

CONDEMNATIONE, PROSCRIPTIONE, Iudicio falso.

☞ *Vide Titulum, Iudices auari.*

ACHABVS rex Israelitarum, cùm uineam Nabothi acquirere cuperet, IEZABEL regina innocentem uirum, duobus falsibus testibus productis, lapidari curauit 3. Reg. 21.

M. CRASSVM in Brutiis proscripsisse quendam ferunt inscio Sylla, tantùm quæstus gratia. Quapropter re comperta, in nullo usus est eo postea publico negotio. Plut. in Crasso.

In Syllana proscriptione, eorum qui ex ira uel odio à SYLLANIS necabantur, exiguus numerus erat præ illis, qui bonorum causa tollebãtur. Imò poterant dicere homicidę, Hunc occiderunt amplæ ædes, illum horti, alium thermæ. Q. Aurelius cùm in forum uenisset, legit proscriptos, ac repetito nomine suo: Væ misero mihi, inquit, fundus Albanus me perdidit, paulumq; progressus, est interẽtus. Plut. in Sylla.

Pro[redacted]
uiginti millibus æstimatum. Plinius[redacted]

FVLVIA M. Antonij uxor, non tam odio impulsa, quàm studio pecuniæ quærendæ, sæpenumerò morte affecit homines, uiro suo incognitos. Is, ut caput cuiusdã ad se perlatũ uidit, Hunc hominem (inquit) ignorabam. Val. lib. 9. cap. 5.

TIBERIVS Cæsar, ad rapinas conuerso animo, multos, quia opulenti essent, interfecit. Sat constat Cn. Lentulum Augurem, cui cẽsus maximus fuerit, metu & angore ad fastidium uitæ ab eo actum, & ut ne quo nisi ipso hærede moreretur: condemnatam & generosissimam feminam lepidam, in gratiam Quirini consularis prædiuitis, & orbi, qui dimissam eam è matrimonio post uigesimum annum ueneni olim in se comparati arguebat: præterea Galliarum, & Hispaniarum, Syriæque & Græciæ principes confiscatos, ob tam leue ac tam impudens calumniarum genus, ut quibusdam nõ aliud sit obiectum, quàm quod partem rei familiaris in pecunia haberent. Plurimis etiam ciuitatibus & priuatis ueteres immunitates, & ius metallorũ ac uectigalium ademta. Sed & Vononem regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem P. R. cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidè, & occisum. Suetonius.

CALIGVLA cùm omnes eas, quas congesserat Tiberius, pecunias, decoxisset, animum ad rapinas cõuertit, reosque una sententia quadraginta condemnauit. Alea ludens, proximo collusori demandata uice sua, progressus in atrium domus, quum prætereuntes duos equites Romanos locupletes sine mora corripi confiscarique iussisset, exultabundus in domum rediit, glorians se nunquam prosperiore alea lusisse. In Gallia ad motus Celtarum comprimendos profectus, hostibus quidem nihil nocuit: sed subditos, & socios, & ciues plurimùm afflixit: & cùm aliquando in lusu aleæ sibi deesse pecuniam sensisset, Gallorum descriptiones postulauit, ac ditissimis interfici iussis, ad collusores reuersus: Vtuos, inquit, de paucis drachmis laboratis? Ego uerò interea centies quinquagies millies mille coëgi. Iunio Prisco prætore aliis quidem criminibus accusato, sed pro diuite interfecto, ubi didicit eum nihil morte dignum possidere: Decepit me, inquit, frustraque periit, cùm uiuere potuisset. Zonaras, & Suetonius.

DOMITIANVS Imperator, cùm ingentes opes summa prodigalitate, ludis atque spectaculis & conuiuiis edendis dilapidasset, atque pecunia iam egeret, multos ex potentioribus occidit: partim reos factos in senatu, partim absentes accusauit, nonnullos etiam ex insidiis & clandestinis uenenis sustulit, quo haberet ut tantos sumtus faceret. Xiphilinus in Domitiano.

COMMODVS Imperator alienæ mortis facultatem cupientibus facilè pecunia permisit: omniumque aliorum criminum impunitatem auro condonauit: palam litium capitaliumque criminum iudicia uendidit: haud secus quàm si publicis nundinis uenundandę merces essent. Herodianus.

CONSTANTIA, Constantini Magni Augusti filia, & Galli Cæsaris, qui Orientem regebat, coniux, iussit Clematium Alexandrinum, uirum innocentem, indicta causa interfici: gemmato monili corrupta à Clematij socru, generum quæ inuisum habebat, quia stupri ab ea interpellatus, tanta turpitudine abstinuerat. Fulg. lib. 9. cap. 4.

BVCICALDVS ab Carolo V. rege Galliæ Genuæ præpositus, Gabrielem Ioannis Galeacij filium auaro truculentóque iudicio Genuæ securi percussit, ut prægrandi ea pecunia potiretur, quæ illi obuenerat, quum Pisas Florentino senatui uendidisset. Iouius in Ioanne Maria.

CONRANVS, rex Scotorum, Toncetum iustitiarium Morauiæ, in fisco augendo ex damnatorum proscriptorumque bonis ingeniosissimum, magni faciebat. Is negotiatores quosdam Forestæ (erat id tum primarium Morauiæ oppidum) uocatos in ius, leui de causa, quo eorum potiretur fortunis, necari fecerat. Morauiæ nobiles, Forestæ præsertim accolæ, negotiatorũ propinqui, Toncetũ in foro, dum ius diceret, interemere. Quæsiti cædis auctores ad supplicium, in asperos mõtes abiere: & Donaldi Atholorum pręfecti dolo regem in cubiculo interemere. Boeth. lib. 9.

CÆDE, HOMICIDIO.

PYGMALION, rex Tyri, Didonis maritum
—Sichæum
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ——
ut illius thesauris potiretur. Vergilius 1. Aeneid.

Quo tempore Annibal premebat Campanos bello, VAL. Bestius Ruscium, Imbrici soceri sui filium, quem acceperat seruandum, morti dedit, ut eius auro potiretur. Plutarchus.

Victo ad Cabiras Mithridate, Callistratũ captũ, qui regi à secretis, [illegible] duci Lucullus, illi castra imperauit. Qui uerò illũ ducebant MILITES, succinctum quingẽtis aureis sentientes, occiderunt. Plut. in Lucullo.

ROMANI milites, cùm Hierosolymas Titus obsideret, Iudæos transfugas medios ferro diuidebant, ut in intestinis aurum, quod deuorauerant, inquirerent: cùm eam moram, qua uentrem exonerantes inter stercora aurum effunderent, præ nimia cupiditate ferre non possent. Biduo itaque duo Iudæorum millia per hunc modum milites interemerunt: pluresque occidissent, nisi Titus graui proposita pœna, eam rem interdixisset. Fulgosus libro nono, capite 4.

ex Iosépho de bello Iudaico.

Balduini II. Hierosolymorum regis MILITES, Turcas plurimos, quos expugnata Cæsarea ceperant, auri spe exenterarunt. Fulgosus lib. 9. cap. 4.

ROHOVITIVS, Vogẽni Boëmorum principis tutor, senem [redacted], liberis orbum, frustra sibi concilia-[redacted]

MILITES auari Lauredanum V[redacted] Cantelmum occiderunt. Vide Tit. Auaritiæ certa[illegible]

AEVARVS Norogna, Azamoris urbis anno 1519. sub rege Lusitaniæ Emmanuele præfectus, in ea Mauritaniæ parte, quæ Enxouia nominabatur, in castra Nacerbendumæ (is erat unus ex Enxouiæ principibus) impetum dedit: duas illius uxores, & duos filios, & unam filiam, & multos illius cognatos, cum magna aliorum hominum multitudine captiuos abduxit. Maura quædam eleganti forma, quam Nacerbenduma filio suo desponderat, armillis argenteis magni ponderis brachia & suras ornarat. At ANTONIVS Leitanus eques Lusitanus, argenti cupiditate inductus, ut illud facilius captiuæ detraheret, manus atque pedes miserè precidit. Norogna illum in [illegible] tradidit, & in Lusitaniam cum dedecore redire compulit. Osorius libro undecimo rerum Emmanuelis.

VENEFICIO.

Cineas Pyrrhi Epirotarum regis medicus, Senatui Romano pollicebatur se Pyrrhum pharmaco interemturum. At Romani Pyrrhum, licet hostem, admonuerunt, ut sibi à medico caueret. Aelianus libro decimo de Varia historia. Sed fallitur nomine. Cyneas legati nomen fuit. Medicum Curtius NICIAM, alij TIMOCHAREM uocant.

NERIVS fœnerator notissimus, morte coniugum locupletatus, in Satyris:
—N[illegible]o iam tertia ducitur uxor.

MILES[illegible] quædam mulier, in Asia, quòd ab hæredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis damnata est. neque iniuria, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hęredem familiæ, designatum reipub. ciuem sustulisset. Victorius lib. 27. Va[illegible]

CASTRATIONE.

Sunt Amasgi Alanis (quos olim Albanos uocabant) uicini, ut testatur Procopius libro 2. qui sub duobus erant PRINCIPIBVS, generis affinitate iunctis: quorum alter Orientales, alter regebat Occidentales. Amborum principum eò creuerat auaritia, ut parentibus pueros, qui indole & corporis elegantia præstabant, ui rape[illegible], & testibus exectis, magno precio Romanis eunuchorum studiosis uenderent, patribus interfectis, ne ob filiorum orbitatem aliquid molirentur cõtra ipsos. Iustinianus II. Imperator per quendam ex eunuchis seuerè illis mandauit, ne quem posthac inuitum exciderent. Eo edicto Amasgi excitati, principes suos trucidarunt. Iustinianus illis uiros religiosos, qui cultum diuinum illos edocerent, misit: templumque Deiparæ apud Amasgos erexit. Ex Zonara Cuspinianus in Leone III.

DAMNI FORTVNARVM ILLATIONE.

Est in Asia planicies quædam undique cincta monte, quinque locis interciso, quæ aliquando fuit Chorosmiorum, cum ipsorum finibus, & Hyrcanorum, & Parthorum, & Sarangæorum, & Thomaniorum: sed posteaquam Persæ rerum potiti sunt, facta est regis. Ex hoc circumiecto monte ingens amnis profluit, nomine Aces, qui quondam per singulas undique intercisiones ductus ac distributus, totidem gentium regiones irrigabat. Vbi uerò in potestatem regis uenerunt, hoc ab illo passæ sunt, quòd anfractibus montium ab rege DARIO abscissis, & ad eorum singulos portis inditis, aqua ab exitu interclusa est: interfluenteque introrsum amne, planities, quæ intra montes erat, pelagus facta, cùm fluat in interiora amnis nulla ex parte exitum habens: atque ita ipsæ gentes pristino aquæ usu fraudatæ, afficiuntur permagno detrimento. Nam hyberno tempore deus illis, quemadmodum aliis hominibus, pluit: sed æstate, cùm serant pisum & sesamum, aquam desiderant. Igitur cùm nihil eis aquæ tribueretur: ad Persas uenerunt uiri atq; mulieres, stantesque præ foribus regis, cum eiulatu uociferabantur. Tunc rex his, qui maximè indigebant, portas referari iussit, utiq; eas quæ ad illos ferrent: easdem, cùm illorum terra humore hausto satiata est, rursus obserari. ita deinceps alias, ut quique cæterorum populorum maximè aqua indigerent. Id faciebat rex pecuniæ exigendæ gratia, præter tributum. Herod. lib. 3.

CLEMENTIS VII. iussu dirutæ funditus, aut miserabilem in modũ deformatæ fuêre multorum domus, ignobiliúmque præsertim atq; egentium, æquandis scilicet frontibus, dirigendisq; ad normam urbis regionibus, tanta Duumuiralis magistratus auaritia sæuitiaque, ut non maiore[redacted] bari immanes uastitatem attulerint. [redacted]

IMPIORVM PROTECTIONE.

Idololatræ in Sardinia insula Mauricij Imp. PRÆFECTO prẽmium soluebãt, ut id sibi facere liceret. Quorum dum quidam baptizati essent, & immolare idolis desiissent, ab iis tamen nihilominus exigebatur. Qua de re D. Gregorius Pp. ad Constantiam Augustam scripsit lib.4 Epist.77.

GVLIELMVS Conquestor, Anglorum rex, pecunia accepta, Rhotomago Londinum Iudæos transtulit. Eosdem à rege, multo auro liberam sibi in Christianos sæuiendi potestatem redemisse, Antoninus Tit.16. capite 5. & 15. refert. Et Malmesburiensis lib.4. capite 13. inquit, Ruffum regem Iudæis, ut liberè cum Christianis suas conferrent sententias, mediante precio concessisse: facta simul ipsis amplissima promissione, Si illi uictores extitissent, obuiis eorum religionem se amplexurum ulnis.

VENCESLAVS, rex Hussitarum, motus (quos ipse hæreticorum deterrimos esse censebat) in Boëmia non modò non compescuit, sed compendij sui causa aluit, cùm dictitaret, Anserem (hoc enim Hussi cognomen apud Boëmos sonat) aurea sibi oua parere. Cromerus lib.16.

IMPROBORVM PROVECTIONE.

Defensione, Absolutione reorum, damnatorum, proscriptorum.

Ptolemæus, Aegypti rex, Romam perfugit, ibique muneribus corrupit potentissimos quosque, ut in regnum restitueretur. Aegyptij centum legatos ad regem accusandum Romam misere, quos rex ueneno necauit. Cuius sceleris nullas pœnas dedit. Cn. POMPEIVS enim eius pecunia uictus, defendit ipsum. Xiphilinus.

Q. CASSIVS in Hispania Silium & Calphurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehẽsos, quinquagies sestertiũ ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. At quis dubitet, si alterum tantum daretur, iugulum quoq; suum æquo animo illis fuisse præbiturum? Val. lib.9. cap.4.

VESPASIANVS, cùm rapacissimum quemq; promoueret, ut mox ditatos condemnaret, uulgò dictus est officiarios suos habere pro spongiis: quòd ueluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Suetonius.

C. Iul. Cæsar cùm Marianarum partium studio in Sabinis lateret, incidit in Syllanos milites, qui illa loca scrutabantur, cõprehendebantq;, si qui delitescerent: quorum ducem CORNELIVM duodecim millium denariorum mercede induxit, ut dimitteretur: ac conscensa protinus naui, in Bithyniã ad regem Nicomedem est profectus. Plut. in Cæsare.

VESPASIANVS reis tam innocentibus quàm nocentibus absolutiones uenditasse dicitur. Suetonius & Dion.

IOANNES quidam cognomento Lagus, prætorij custodiæ ab Imp. Alexio Anglo præfectus, noctu fures uinculis liberatos carcere educebat, qui ædibus clàm perlustratis, furta ad illum deferebant. Nicetas lib.3.

PERFIDIA QVALICVNQVE. Erga Patriam.

Consule Tit. Proditorum. Perfidiæ illic habetur ratio: hic Auaritiæ, cuius uelut instrumentum est perfidia.

SOTADES, longioris curriculi uictor Olymp.99. Cretensis, pecunia corruptus ab Ephesiis, Ephesium se proclamari fecit, eoq; nomine à Cretensibus exilio multatus est. Pausanias libro 6.

Galatarum rex Brennus, quum depopularetur Asiam, Ephesum cum exercitu uenit, ac in Ephesię PVELLÆ amatorios incidit laqueos. Ea uerò congressuram se pollicita est, insuper & Ephesum prodituram, si psellia (ea sunt manuum ornamenta) sibi & mundus contribueretur muliebris. Adnuit Barbarus, ac militibus imperauit, in eam conijcerent, quod haberẽt aurum. Eo auara puella adobruta periit: sicuti prodidit Rerum Galaticarum primo Clitophon apud Plut.

PAVSANIAS, Lacedæmoniorũ rex, eo bello quod Persæ aduersus Græcos susceperãt, quinquaginta auri talenta à Xerxe accepit, ut Spartã proderet. Quem pater usq; ad Chalciœci Palladis tẽplum insectatus est: ubi cocto latere fores templi clausit, & filium ibidem fame cõsumsit: mater uero insepultum abiecit. Chrysermus lib. 2. Hist. & Plut. in eius uita.

GRÆCI pecunia à Tithrauste præfecto Artoxerxis regis Persarum corrupti, bello Lacedæmonios aggressi sunt, & ita Agesilaum, qui res maximas in Asia contra regem gesserat, in Græciam redire coegerũt. Pausanias in Laconicis, & Plutarchus in Artoxerxe, & Polyænus lib.1.

Philippus Amyntę F. magis auri copia, quàm armis imperium auxit. Inflammabat ATHENIENSES maximè ad propugnationem Græciæ Demosthenes, tunc temporis Græcorum omnium acerrimus in dicendo. Sed nullo pacto reprimi ualebat indomita libido, quæ plerosque GRÆCOS occupauerat, urbes suas prodendi. Tam latè pestis illa Græciã tunc infecerat. Propterea aiunt Philippum, cùm urbem quandam egregiè munitam capere conaretur, ac eius loci quidam contra omnem impetum tutissimam, ac fermè inexpugnabilem eam esse diceret, quæsiuisse: Num etiam aurum urbis mœnia transcendere posset? Expertus nimirum erat Philippus, quæ armis capi non possint, auro facillimè expugnari solere. Præparans igitur largitione in urbibus proditores, eosque qui tantam fœditatem in se admittebant, honestis nominibus nunc amicos, nunc hospites appellitans: per eiusmodi infanda commercia munerum uerborumque mores hominum maximè corrupit. Diodorus libro decimosexto.

TARPEIA uirgo Vestalis, se Sabinis Capitolium nocturno tempore tradituram promisit, si ornamenta aurea, quæ in sinistris manibus haberent, darent. Promiserunt illi, & scutis, quæ in sinistris manibus habebant, eam obruerunt. Liuius libro primo. Decad.1.

CASSIVS Brutus, bello Romanorum aduersus Latinos, dicta mercede urbem se proditurum promiserat. Verùm deprehensus à patre, in æde Palladis occlusis foribus necatus fame, & insepultus fuit abiectus. Clitonymus lib.9. Rerum Italicarum apud Plut. cap.22. Parall.

Principes.

ARGYRASPIDÆ post Magni Alexandri mortem ab Eumene Cardiano conducti, qui unus successorum Alexãdri fuit, cum eo aduersus Antigonum bella gerebant: & ut impedimenta recuperarent, paulo antè ab Antigono adempta, nulla fidei atque honoris habita ratione, Eumenem captum, Antigono prodiderunt. Plut. in Eumene.

Perpenniani, ditissimæ in Hispanię aditu urbis, aut stolidè, aut certè nimis properè à Carolo VIII. rege Galliæ Ferdinando Hispaniæ regi restituti, grauis inuidia perstrinxit STEPHANVM Petitium, inter præcipuos consiliarios notæ auaritiæ quæstorem. Sed & hac pariter arsit AMBROSIVS Albiensis cucullatus, professione sanctitatis à confessione criminum Ludouicum regem expiare solitus. quòd utrunque rex Hispanus singulis lagenis signato auro pro uino repletis callidè corrupisset, ut adolescentis regis animo religionem incuterent, contestando scilicet eum impiè facturum, nisi manes patris apud Tartara cruciatos eo atroci piaculo exolueret: quoniam morientis Ludouici suprema uoluntas excepta piis alloquiis fuisset, ut Perpennianum tanquam malè partum ueteri domino redderetur. Iouius libro 1. Historiæ.

Socios, Amicos.

Rex Syriæ BENADADVS fœdus habebat cum Baasa rege Israelitarum. Sed propter munera, quæ misit ei Asa rex Iuda, rupto fœdere Baasam grauiter oppugnauit. 3. Reg.15.

GVNDISSALVVS Vascius Goes nauarchus Lusitanus, nauem Saracenorum, quæ Cananore ueniebat, quantumuis se literas fœderis Laurentij Brittij, qui arcis Cananorensis præfectus erat, ostenderent, adulterinas esse falsò criminatus, oppressit: hominesq; miserrimos in uelum insuit, & nauem exinanitã, tormentorum ictibus perforatam depressit. Hoc facinore tam immani, incumbẽte bello Calecutiensi grauissimo, imperio nõdum fundato, Lusitanum nomen illis nationibus odiosum & inuisum est redditum. Osorius libro 4. rerum Emman.

Coniuges.

Palæstini DALILÆ meretricis opera, muneribus corruptæ, Samsonem Iudicem Hebræorum inuictum ceperunt. Iudicum 16.

ERIPHYLE desiderio habendi [redacted] Adrastus, rex Argiuorũ, Amphiaraum maritum [redacted] didit, qui se occuluerat, ne Thebas ad bellũ raperetur, quod ex uaticinio præuideret se ibi periturum. Rauisius.

Hospites, Supplices.

CHII Pactyam Lydum, qui à Cyro defecerat, & ad se supplex confugerat, tradiderunt, pro mercede Atarnei, qui locus est Mysiæ, Lesbo è regione situs. Herod. lib.1.

M. LIVIVS Drusus Magulsam, Mauritaniæ principem, ob regis simultatem profugum, accepta pecunia, Boccho prodidit, quem ille elephanto obiecit. Sueton. de Viris illustrib.

CAIA-

CAIANVS Auarum rex, pecunia corruptus à Leone Imperatore, Iustinianum Imperatorem prodidisset, nisi is de insidiis certior, ad Trebellium Bulgarorum regem confugisset. Sigebertus in Chronicis.

Gemes Othomanus, Rhodum confugerat: illincq; in Galliam ductus, tandem Põtificis potestati traditus est. Baiazeres eius frater ALEXANDRO VI. Pp. quotannis sumtus, qui in eo tum alendo, tum custodiendo fieret, nomine, aureorum numûm quadragena millia persoluit, ut ad eum dimittendum, siue aliis principibus, qui eo in se uterentur, tradendũ, esset tardior. Hunc sibi à Pontifice tradi omnino uoluit rex Carolus VIII. ut eius auctoritate expeditionem, quam in Turcam moliebatur, redderet faciliorem. Guicciard. lib.1.

Præceptores.

IVDAS Ischariotes, accepta pecunia à Iudæis, Christum dominum prodidit osculo. Matthæi 26.

FALSA ACCVSATIONE, TESTIMONIO.

MILITES accepta pecunia, Iesum Christum, quem à mortuis resurgentẽ suis oculis conspexerãt, à discipulis noctu clàm sublatum per urbem proclamarunt. Matthæi 28. Lucæ 24.

Athenis in foro, ubi causæ agebantur, Lycus quidam genius sculptus stabat, lupina specie. Apud hanc statuam SYCOPHANTÆ pecunia corrupti uersari consueuerant, uelut apud deum quempiã sui quæstus præsidẽ, eiq; in dies singulos triobolus secabatur. Zenodotus, & Hesychius. Suidas addit, Sycophantas fuisse decem numero, ueluti decem uiros referentes. Meminit huius Aristophanes in Vespis:

Θ' ἡρῷον ὅπως ἐκκομίσαιμι τὸ τοῦ Λύκου. id est,
Si quà simulacrum efferre possies Lyci.

Erat hoc quæstus genus apud ueteres inuisissimum, eorum qui in ius uocabant, ut ex damnato dicta multa portionem aliquam præmij loco ferrent. Vnde & Sectores dicti sunt, & Quadruplatores. Hinc prouerb. Λύκου δεκάς, in eos qui largitionibus corrumpunt, uel corrumpuntur. Erasmus.

NICEPHORVS Imp. diuitum seruos subornabat, qui falsò suos dominos accusarent: delatoribusq; honorẽ habebat, calumnia circumuentos argento multans. Cedrenus.

SVFFRAGII VENDITIONE.

Pythagoras uetat κυάμους ἐσθίειν. id est, Fabas edere. Antiquitùs fabis suffragia ferebãtur. Itaque συμβολικῶς, fabas edebant, QVI quæstum ex ea re facerent. Erasmus in Adagiis.

Aristophanes in Equitibus iocatur in CLEONEM, quòd nullam aliam musicã discere potuerit quàm Doricã, uidelicet alludens ad notissimas harmoniarum species, Doricam, Lydiam, Phrygiam & Bœoticam. Ludit autem uerbo perperàm deprauato, δωροδοκηστὶ pro δωριστὶ, inquiens, ὃ ἀλλ' ἁρμονίαν μαθεῖν, ἢ μὴ δωροδοκηστί. id est, Iste discere haud potest preterquam δωροδοκηστί. Est autem Græcis δωροδοκεῖν, muneribus corrumpi, ut in gratiam alicuius dicas sententiam. Eras.

SACRILEGIO.

Consule Titulum, Sacrilegorum.

IVLIANVS Apostata, Cæsariensium facultates omnes, & aliarum etiam uicinarum ecclesiarum torturis inquisiuit, & trecentas auri libras in ærarium publicum confiscauit. Antiochiæ per auunculum suum Iulianum plurima & preciosissima anathemata abripuit. Theodoretus lib.3. cap.12.

PECVLATV.

CONSTANS II. Imp. re contra Longobardos infeliciter ad Beneuentum gesta Romam ueniens, à Vitaliano Pontifice, & uniuerso clero populoq; Romano obuiam ad quintum lapidem honoris caussa progresso exceptus, III Nonas Iulias Vrbem iniuit, anno DCLXIII. atque ad basilicam Vaticanam uenerabundus accessit, & precationem adhibuit, ac dona tulit. Duodecim dies in Vrbe moratus, omnia ex ære ornamenta, quibus Vrbs antiquitùs fuerat insigniter exornata, surripuit, ita ut ne tegulis quidem nobilissimi tẽpli S. Virginis ad Martyres abstineret. Sigon. lib.2. reg. Ital.

FVRTO.

Vide Tit. Furum. Illic Perfidiæ, heic Auaritiæ, cui perfidia famulatur.

ACHAN Israelita, cùm ex deuota Hierichuntis præda paludamentum sustulisset, grauiter uniuersus exercitus fuit af[redacted] duce cognita, lapidibus obrutus ipse [redacted]osue 5.

BOETHVS Tarsensis poëta à M. Antonio III uiro, Tarsensi gymnasio præfectus, deprehensus est tum reliqua, tum etiam oleum surripere. Accusatus apud Antonium: Iniquum esse dixit, Homerum à Græcis apud Agamemnonem aut Achillem, quorum res gestas decantasset, accusari. (Scripserat autem Boëthus carmen gratulatorium Antonio pro uictoria Philippica.) Tunc accusator excipiens: Sed nec Homerus, inquit, Agamemnonis aut Achillis oleũ surripuit. Boëthus tamen obsequio & blanditiis Antonij iram effugit. Gyraldus Dialogo 4. Historiæ poëtarum ex Strabone.

LATROCINIO, PIRATICA, RAPTV.

Anno 846. SARACENI prædæ libidine stimulati, ex Africa, procursu ad urbem facto, opimas apostolorum Petri & Pauli suburbanas basilicas diripuerunt: ac ipsas etiam basilicę Vaticanæ ualuas argenteas asportarunt. Sequenti anno cùm armis ad egregia Campaniæ monasteria circumlatis, in primis opulentissimum omnium Cassinas ante profectionem expilare statuissent, ad flumen proximum sub noctem accesserunt: postridie uerò tranare cupientes, effuso repentè per noctem imbre latè restagnasse omnia reperêrunt. Ita frementes, quòd tantæ iacturam prædæ fecissent, plerique fœdis factis naufragiis periêre. Sigon. l.5. reg. Ital.

Scotorum Brigantiæ accolarum simul & Pictorum exules aliquot, uallem Annandiam, angusti aditus, & tum mari cinctam, tum cœnoso & sabuloso solo inuiam, Britannis pulsis, occupauêre, ORDACI dicti, Corn. Tacito Ordouices: ad eam tandem feritatem prouecti, ut feminæ cum uiris proficiscerentur ad bellum, uictis nunquam parcerent, uiuos capi in prelio nefas arbitrarentur: mori pulcerrimum ducerent: ualetudinarios autem domesticos, uel parentes, ne conficerentur ægritudine, mactarent. Cauernis habitabant & antris: latrociniis & prædationibus uictitantes. H. Boëthius lib.1. & 18.

DANI olim, ut & SAXONES & VANDALI, piraticæ quæstum iustum esse credidere, brutorum exemplo, inter quæ uiribus potentiori inferiora cedere & parere cogũtur. Cranzius lib.1 Daniæ, cap.38.

Quum assidua inter marchiones Brandeburgenses & Vandaliæ principes de finibus esset cõtentio: uiri militares, VANDALI & BRANDEBVRGENSES, ueteri licentia, ex itinerantibus, quomodo solebant ex hostibus, petebant prædam. Nam quo modo mercatores fraudes suas solent excusare, dicentes, sibi magno merces suas constare, per mare, per terras, magnis discriminibus quæsitas: ita hi capitũ suorum obtendebant pericula, & iustam prædam esse asserebant, tanto cum uitę periculo partam. Cranzius libro 10. Vandaliæ, capite 19.

VECTIGALIS, PORTORII DEFRAVDATIONE.

Quum anno 1530. Carolus V. Cæsar, ex fœdere cum pontifice Clemente VII. contra Florentinos percusso, Mediceos in patriam reductũrus, Florẽtiam obsidione diuturna premeret: legati ad Pontificem à Florentinis missi fuêre, leuissimæ alioqui auctoritatis, uerùm egregiè populares homines, ALOYSIVS Soderinus, ANDREOLVS Nicolinus, & ROBERTVS Boncius. Hos, ubi Bononiam peruenerunt, Pontifex adeò contemsit, ut effusè rideret, quòd ad se pro eximiis senatoribus mercatores, nec primæ quidem classis, è Florentia misissent. Nam quod ad eleuãdam legationis existimationem maximè pertinuit, apparitores ministrique uectigalium Bononiensium, in ipsorum sarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas magnam uim, mercimonij causa, ut portorium subterfugerent, deprehenderant. Atq; ita Clemens, ridente etiam Cæsare, mercatorum auaritiam atque imperitiam, in maximarum rerum consilio periculósque ad exiguam lucri spem reuocatam, stomachatus, pertinaciam insaniæ proximam exprobrauit, ut inde non obscurè explosi dimitterentur. Iouius lib.28. Hist.

MONETÆ ADVLTERIO.

ALEXIVS Comnenus Imp. cùm monetam à decessoribus suis adulteratam reperisset, æneam fecit, qua in Imperij expensis uteretur: in uectigalibus uerò probos aureos exigebat. Zonaras.

IOANNES, Boëmorum rex, Auinionem profectus ad Pontificem, indeque reuersus Pragam, absumto omni uiatico peregrinationibus, cõuiuiis, ludis, spectaculis: domi, ex ueteribus bonis numis, nouos malos recudere cepit, pusillo illis argẽto superinducto, cætera planè æreos. Argentum omne è tẽplis passim auferens, inuituari se dicebat, sed nunquam redditurum: sacro hoc argento aduersus impios Lituanos se usurum prætexens. Dubrauius lib.21.

IMPERII, REGNI IMMINVTIONE.

RODOLPHVS I. Imp. cancellarium suum è gente Flisca in Hetruriam misit, qui populos omnes, ad libertatẽ seriò aspirantes, liberos faceret, & eos potissimùm, qui se pecunia redimerent. Persoluêre autem ob eam rem Lucenses duodecim millia numûm auri: Florentini sex millia. Non displicuit hæc uenditio Honorio IIII. Pontifici; quòd ea ratione ecclesiastica ditio futura securior uidebatur, cùm non ampliùs Imperatori liceret liberas ciuitates uexare. Sabellicus libro 7. Enneadis 9. Cuspinianus, Platina, Cranzius libro 8. Metropoleos, cap.40.

VEN-

VENCESLAVS Boëmorum rex, Norimbergēses à data fide sibi tanquam Imperatori, absoluit, quatuor curruum uino Rhenense onustorum præmio. Aen. Sylu. com. in Panor. l. 2.

LIBERTATIS IACTVRA.

ROMANI ut Bonifacium IX. Pp. Romam pertraherent, ne quæstus Iubilei qui instabat an. 1400. aliò deuolueretur, per legatos ei se obediētes fore, & Banderesios sublaturos promisere. Platina.

CADAVERVM INIVRIA.

ACHILLES cadauer Hectoris Priamo exposuit uenale. Vergil. lib. 1. Aen. Exanimumq; auro corpus uendebat Achilles.

L. SEPTIMVLEIVS, cùm C. Gracchi familiaris fuisset, caput eius abscindere, & per urbē pilo fixum ferre sustinuit, quia L. Opimius consul auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradant, liquato plumbo eum cauati partem capitis, quo ponderosius esset, explesse, ita ut XVII libras & semissem appenderit. Val. lib. 9. c. 4. & Plin. lib. 33. c. 3. & Sab. lib. 1. En. 6.

Odetus Lotrechius Gallus Neapolim obsidens, pestilētia obiit. Subtractus est sine ullo apparatu funebris pompæ, & in eadem uilla Aragonij Montalti, ubi prætorium fixerat, cumulo arenæ tumulatus. Eius cadauer postea HISPANVS quidam, sabulo erutum, è castris in urbem retulit, & in regione, quam Sellariam uocant, recondidit subterranea in cella, si quem reperiret, qui repenso multo auro in Galliam ad Fuxiæ gentis sepulcra referret. Sed nemo unquam uel propinquorum, uel magnorum ducum, qui sepulturæ iacturam magnifaceret, aurumque rependeret, comparuit. Sabellici supplem. lib. 11. ex Iouio.

SEPVLCRORVM SPOLIATIONE.

DARIVS rex, cùm recuperata Babylone Semiramidis sepulcrum aperuisset, secundùm monumenti inscriptionem (que talis erat: Quisquis rex pecuniis eguerit, aperto monumento, quantum uoluerit, capiat) nihil pecuniarum inuenit, sed ex altero saxi latere hoc scriptum reperit: Ni uir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres. Herodotus & Plutarchus.

Corinthus excisa à Mummio, ab diuo Cæsare est restituta, ob loci commoditatem. COLONI eò missi sepulcra refodientes, plurima inueniebant fictilia toreumata, permulta etiam ænea. Ornata subinde mirati opera, nullum indiscussum dimisere sepulcrum. Vnde inuentis talibus locupletati, urbem Romam Necrocorinthiis repleuēre. Sic enim de sepulcris exceptam prædam nominabant, & præsertim fictilem. Strabo libro 8.

IOANNES Antonius Tarentinus dux, dum Andegauensium partes contra Aragonios bello Neapolitano sequitur, Boemundi Tarentini principis fortissimi sepulcrum, in Sabini tēplo extra Canusium inuasit. Pont. lib. 4. belli Neapolitani.

AVARITIA ΕΝ ΛΗΨΕΙ, NON ACCIPIENS, NON exigens, SPE amplioris præmij.

Cùm moueret in Persas Alexander Macedo, non antè cōscendit, quàm cōsideratis rationibus amicorum erogasset huic agrum, illi pagum, alteri uici prouentum uel portus. Cùm iam essent uectigalia penè omnia distributa regia, & diplomatibus consignata, PERDICCAS, Tibi ipsi, Rex, inquit, quid reliquum fecisti? Cui cùm ille respondisset, Spes meas: Ergo nos quoq;, inquit, qui auspicia sequimur tua, harum erimus consortes. Repudiantem assignatum sibi diplomate prædium Perdiccam nonnulli alij ex amicis sunt imitati. Accipientib. & petentib. largitus est benignè. Plut. in Alex.

Ad ALEXANDRVM Magnū, uict⁹ in Cilicia Darius Persarū rex misit cum epistola amicos, qui orarent, ut precio decem millium talentūm redderet sibi captiuos, offerretq; ad amicitiam eius & societatem impetrandam, quicquid terrarum citra Euphratem esset, atq; unius filiarum suarum nuptias. Cùm Parmenio diceret: Equidem si Alexander essem, has conditiones acciperem: Et ego quoque hercule, inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario uerò rescripsit, Neque terram duos soles, neq; Asiam duos reges ferre posse. Idem.

AVARITIA ΕΝ ΦΥΛΑΚΗ. AVARA CONSERVATIO. TENACITAS IN CONSERVANDO.

Auaritia ἐν δαπάνῃ & δόσει huc referri potest, quatenus aliis non dat, ut sibi suisue opes conseruet. Diuerso respectu, diuersis locis inseruient eadem.

QVI VERBI CAVSA
MORIENTES.

De HERMOCRATE Lucillius in secundo Epigrammatum Græcorum:

Θνήσκων ἑρμοκράτης ὁ φιλάργυρος, ἐν διαθήκαις
αὑτὸν τῶν ἰδίων ἔγραψε κληρονόμον.
ψηφίζων ἀνέκειτο πόσον δώσει διεγερθεὶς
ἰητροῖς μισθοῦ, καὶ τί νοσῶν δαπανᾷ.
ὡς δ' εὗρε πλείω δραχμὴν μίαν ἢν διασωθῇ,
λυσιτελεῖ θνήσκειν, εἶπε, καὶ ἐξετάθη.
κεῖτο δὲ γ' οὐδὲν ἔχων ὀβολοῦ πλέον, οἱ δὲ τὰ κείνου
χρήματα κληρονόμοι ἥρπασαν ἀσπασίως.

Chrysippus in libro de iis, Quæ per se non expetenda sunt, scribit, AVARVM quendā, cùm in extremis laboraret, multos aureos numos deglutisse, deinde mortuum esse. Atque ALIVM sago aurum insuisse, eoq; se induisse, suosq; mandasse, ut se ita indutum sepelirent, neq; urerent, aut cultū quempiam adderent. Athen. lib. 4. cap. 18.

Cùm ægrotaret ANT. VRCEVS Codrus Grammaticus, & arcæ numariæ clauem nocte clàm surreptam è puluinari animaduerteret: in tātam incidit animi angustiam, ut duobus diebus continuis, antequam animam efflaret, nihil fermè aliud uociferaretur, quàm ut scrinij clauem sibi darent. Bartholomæus Bononiensis in eius uita.

Fuit ætate nostra AVARVS (inquit Poggius in disceptatione de Auaritia) qui in ipso mortis limine afferri iussit peluim numis aureis plenam, opem subsidiumq; uitæ ab eis orans, quos tam diu uelut animam seruasset: subinde murmurans, Eheu quibus uos relinquam.

PERICLITANTES.

PERSEVS ultimus Macedonum rex, à Paulo Aemilio superatus, cùm Cretensium præsidio in tuta se loca recepisset, pollicitus se pecuniam daturū: uasa quę illis pignoris loco dederat, recepit, & cum uasis pecuniam quoq; retinuit. Plutarchus in Paulo.

Cn. Pompeij facilitate Tigranes Armeniæ rex in gratiam receptus: pax dicta, ut iniuriarum illatarum multam sex millia talentûm pēderet, Sophenes regnum FILIVS haberet. Has conditiones Tigranes approbauit: at filius ægrè tulit, uocatusq; ad cœnam respondit, Facilè se carere Pompeio, qui tales honores sibi haberet: nam alium se ex Romanis inuenturum. Inde in uincula coniectus, atque ad triumphum seruatus est. Plut. in Pompeio.

PTOLEMÆVS Cypriorum rex, cùm anxiis sordibus magnas opes acquisiuisset, propterque eas periturum se uideret, & ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset ut classe perforata suo arbitrio periret, & ut hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum, sed futurum suæ necis præmium domum reuexit. Valerius Maximus lib. 9. cap. 4.

Mahometes II. Turcus anno 1463. Bosnæ regem STEPHANVM cum primaria arce Iaice in deditionem acceptum, contra fidem datam, ad palum alligauit, & sagittis confixit: exprobrans ei auaritiam, quòd cum argento & auro perire, quàm ad defendendum sese & suos eo uti maluerit. Cromerus libro 25.

MERETRICES.

Apud Plautum in Trinumo amanti reposcenti quæ dederat, respondet SCORTVM: Nam itidem ut Acheronti hic ratio accepti scribitur, Intrò receptum, quando acceptum est, nō potest ferri foras.

QVAE CONSERVENT. VT
FRVMENTVM.

LAMBERTVS Stratensis, frater Bertolfi præfecti ædis Donatiani, sub Carolo Dano, Flandriæ comite, permultorum annorum decimas in multos annos redemerat, plenaq; horrea habebat. Cùm annonæ caritate ea egenis communicare nollet: iussu Comitis horrea eius refracta: triticiq; uis ingens egentibus gratis dimensa. Aemilius lib. 5.

VINVM.

ALBERICVS siue Albicus, archiepiscopus Pragensis cellę uinariæ claues nulli alteri quàm sibiipsi credidit, & animalia uiuentia dono accepta mox uendidit. Aeneas Sylu. capite 35. & 42. historiæ Boëm. & Bonfinius libro 2. Decadis 3. & Dubrauius lib. 23.

ALI-

ALIMENTA.

Pausicape, appellata fuit machinula, seruorū collo ab auaris DOMINIS circumposita orbicularisq;, qua ori manus admouere prohibebantur, ne farinam uorarent (quod κάπτειν dicunt) intus dum operarētur. Congruit id ipsum & iumentis. Cælius lib. 25. cap. 21. A. L.

XENOCRATEM tradunt sæpenumerò opsonia iam rancida facta abiecisse, neq; rarenter euenisse, ut cùm cadum aliquem relinire uellet, iam uinum reperiret in acorē uersum. Inde Xenocratis caseolus in prouerbium abiit.

TIBERIVS Cæsar diebus etiam solennibus pridiana sæpè obsonia & semesa apposuit suis, & sibi quoque dari passus est. Alex. lib. 5. cap. 21. ex Suetonio.

Didius IVLIANVS, Saluij Iuliani iuriscōsulti pronepos, consul cum Pertinace, mox Imperator, porcellū leporémue ad se missum in triduanas partiebatur cœnas. Herodianus.

De ANNIO Martialis Epigrammatum libro 7.

Cùm mensas habeat ferè ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros:
Transcurrunt gabatæ, uolantq; lances.
Has uobis epulas habete lauti:
Nos offendimur ambulante cœna.

In NÆVIAM, Martialis Epigrammatum lib. 3. sic inuehitur:

Dum non uis leporem, dum non uis carpere mullum,
Et plus quàm patri, Næuia, parcis apro:
Accusas rumpisq; coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit: nunquam sic ego crudus ero.

In RVFFVM, idem libro eodem:

Ecce negas coctum leporem, poscisq; flagella.
Mauis Ruffe coquum scindere, quam leporem.

IOANNES præfectus prætorio Belisarij, bello Vādalico, nauticū panem, ne bis coctus pōdere leuior redderetur, adhuc crudum, ad publici balnei fornacem assari fecerat, ne quid ponderi decederet. At uix Methonem peruenit, cùm panes dissolui cepere: & militibus per modios distributi, grauiss. morbos inuexere. Procopius lib. 3.

THESAVROS.

Horatius lib. 1. Sermonum, satyra prima, TANTALI fabulam ingeniosè ad auarum transfert, qui

—congestis undique saccis
Indormit inhians: & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

GEMMAS.

M. Antonius Triumuir bello ciuili, Nonium senatorē proscripsit, uti gemma eius Opalo, sestertiis uiginti millib. æstimata, potiretur. NONII non minor in conseruando auaritia, qui fugiens, hunc è fortunis omnib. anulum abstulit secum: cùm castor uitæ redimendæ causa uesicā castoreo plenam suis ipse sibi amputet dentibus, ut hac ueluti præda uenatores à persequendo remoretur. Plin. lib. 37. cap. 6.

MANCIPIA.

Cato post cladem Pharsalicā & alteram ad Thapsum cùm Vticæ omnes Romanos conuocasset, & seruos dominis manu mittentib. armare uellet, omnes senatorij ordinis seruos extemplò manumissos armabant. At TRECENTI, nauicularij scilicet & fœneratores, qui maximā facultatum partem habebant in seruitiis, Catonem precati sunt, in cæteris ut opera sua uteretur ac fideret ipsis: ꝙ aūt Catones non essent, neq; animos caperēt Catonis, ignosceret infirmitati suę. Decreuisse se deprecari Cæsarē, atq; legatos ad eū mittere: qui pręcipuè pro ipso essent & primò deprecaturi. Plut. in Cat.

TRIBVTVM.

ONIAS Simonis Iusti F. Pont. Hierosolymitanus, auarus, tributum, quod pro populo maiores eius de suo solebant regi Ptolemęo Euergeti pendere, talēta argenti uiginti soluere renuit. Rex misso Hierosolyma legato minatus est, se regionem eius militib. diuisurum, & nouas colonias eò deducturum. Iosephus lib. 12. cap. 3. Antiq.

S. Canutus Danorum rex, cùm summo studio contenderet, ut Christi ministris liberaliùs & commodiùs de decimis & primitiis prouideretur: cuiusdam Blacconis proditione à DANICA plebe trucidatus fuit. Quo facto, summa penuria Daniam inuasit. Nec priùs fœcunditas restituta est, quàm populus pœnitentiā ageret, ꝙ tam sanctū regem occidisset. Io. Magnus lib. 18. cap. 13.

QVOMODO. CONSERuantur Opes uel
PRÆSENTES, TVM

Recondendo.

EVCLIO apud Plautum quū haberet aulam siue ollā pecunia refertā, & abditam terra, domo non audebat egredi, ne quis eā suffuraretur. Omnes qui ad eū itabāt, habebat suspectos furti. Neq; tantū aurū & argentū, sed uilissima quæq;, ut aquā, plorabat, ꝙ lauando eam effundere cogeretur. Deniq; unguium præsegmina è tonstrina domum referebat.

BASILIVS II. Imp. Romani F. ingentē auri & gemmarum copiam undiq; ex ærariis corrasit, & omnib. promptuariis adimpletis, reliqua in subterraneis cuniculis tortuosis instar labyrinthi effossis condidit. Cuspinianus.

Anno Christi 1066. CRAFTO Goslariensis præpositus, suscepto Misnensi episcopatu, Goslariā reuersus, à prandio cubiculū, in quo ingentes thesauros antea clàm occulerat, ingreditur. Vbi dū diutiùs solito, somno indulgere uideretur, famuli, qui neq; pulsu ostij, neq; uociferationibus dominū excitare poterant, effractis forib. irrūpentes, inueniunt hominem exanimem, fracta ceruice, atro colore, thesauris mirabili modo incubantem: ut refert Schafnaburgensis.

Deuorando.

IVDÆI, Hierosolymis à Tito obsessis, aurum uorarunt: hinc ad hostes, urgente fame, transfugerunt. Romani milites cū fortè uno illorū trucidato, aurū è uulnere abdominis profluere animaduertissēt, arbitrati omnes deuorasse pecuniā, duo hominū millia trucidarunt, resectisq; eorum uētribus, aurum sunt scrutati. Iosephus, & Egesippus de bello Iud.

Deponendo apud alios.

Lacedæmonij cùm ex lege prohiberentur Spartā aurum inferre, apud ARCADES finitimos id deponebant. Ex quo accidit postea, ut illos hostes pro amicis habuerint, ut prætextu inimicitiæ, suæ latebram quærerent auaritiæ. Athenæus lib. 6. cap. 4. ex Posidonio.

Denegando aliis.

☞ *Consule Tit. Perfidiæ in Deposito.*

Ei qui palliū à Diogene repetebat, lepidissimè respondit DIOGENES: Si donasti, habeo: si commodasti, utor. significās, sibi non esse in animo reddere, siue dono, siue commodato accepisset. Laertius lib. 6.

Quo tempore Alexander Nearchum clàm ad Oceanum parabat mittere, poposcit ab amicis argentum, quòd non esset in ærario. Vbi ab EVMENE Cardiano postulauit trecenta talenta, & ille centum duntaxat obtulit, certis ministris occultè imperauit, ignem ut Eumenis tabernaculo subiicerēt: quò in exportanda pecunia manifestè mendacem comperiret. Cùm tabernaculū incendio haustū esset, pœnituit eius Alexandrum, ꝙ monumenta sua fuissent absumta. Auri uerò uel argenti, quod fuerat per flammam cōflatum, erutum fuit plus mille talentis. Plut. in Eumene.

Cn. Pompeium in campis Pharsalicis à socero SCIPIONE fuisse ferunt deceptum. Siquidem quò pecuniam is maiore ex parte, quam deportauerat ex Asia, interuerteret & supprimeret, quasi deficiente stipendio, Pōpeium incitauit ad maturandā pugnam. Plut. in Pompeij & Agesilai cōparatione.

Illudendo aliis.

CANDIÆ dux apud Catalanos, habuit scrinia aureis argenteisq; pro regionum diuersitate numismatis referta, & quidem malleo cuneata, non auaritiæ modò, sed lusus ac contumeliæ gratia. Hospites enim, qui permulti ad eum diuertebant, sciscitabatur, Cuiúsnam generis pecunia indigerēt? Respondentes eius generis, ut in quam quisq; prouinciam iter haberet: adducebat ad scrinia, & quantum uellent, capere iubebat: frustraq; conantes capere, deridebat. & hos sibi de amicis iocos comparabat, nouo genere dissimulandæ auaritiæ, iactandarumq; opum, quod haud ab re diuinitùs esset castigandum. Successit enim filius Alfonsus: qui dum mortuo Martino regnum Aragonum affectat, breui exinanitis scriniis obæratus uixit, & ex iis nihil sibi, nisi curas mœroresq; contraxit, ad extremum quoque, perniciem, dum nimis improbè Ferdinandum regem iam declaratum negligit. Valla lib. 3. Historiarum.

Communionem prohibendo.

Fabas Aegyptias, neq; priùs satas fuisse, testis est Philarchus, neq; si quis eas seminari, in aliquo loco prouenisse, quā in Aegypto. Apud Thyramim tamen Thesprotiæ fluuium, qui est in Epiro, in palude quadam Alexandri Pyrrhi regis temporibus, per biennium fructum feraciter admodum protulerunt, & creuerunt. ALEXANDRO postea custodiam statuente, neq; carpere solùm eos, qui cupiebant, prohibente, sed ad lacum etiam accedere, palus illa exiccata est: nec fructum postea ampliùs tulerunt, quamuis aquam locus habuerit. Athen. lib. 3. cap. 1.

In Edepso aqua quædam frigida ex fonticulo scatēs apparuit non procul à mari, quam ægri bibentes plurimùm iuuabantur: quare efficiebatur, ut multi ex longinquis regionibus illuc ad bibendum accederent. Cùm uerò DVCES Antigoni regis hanc parciùs dispensare cœpissent, aliamq; multū differentē bibētib. dari iuberent: fonticulus statim exaruit. Idē.

In Troade licebat uolentibus Tragasæum salem capere. Ast ubi LYSIMACHVS rex tributum imposuit, continuò euanuit. Cùm postea locum ob admirationem immunem reliquisset, sal iterum creuit. Ibidem.

Clam

Clam subtrahendo.

MARTINVS V. Pontifex clanculũ cereos extinguebat, qui diuersis basilicæ locis succensi à ministris essent, nocturni luminis gratia. Pontanus de Liberal. cap. 7.

ANGELOTTVS Fuscus, Cardinalis, sordido genere natꝰ, in accumulandis opibus adeò sordidus, ut noctu præsepia equorum accedens, auenam detraheret: à tabuli præfecto deprehensus, & tanquam ignotus fustigatus est. Garimbertus libro 6. de uitis Pontificum.

Officium negligendo.

PERSEVS Macedonũ rex, in belli societatem contra Rom. Illyriorum regem Gentium spe trecentorum talentorum pel lexit. pecuniamq; legatis eius annumerauit, & signare permisit iis. Vbi credidit tenere se, quæ popoſcerat, Gentius, legatos Romanos, qui missi ad se erant, apprehensos coniecit in custodiam. Ibi Perseus nihil iam pecunia ratus ad concitandum in Romanos Gentium opus esse, cum trecentis illis talentis defraudauit. Plut. in Aemilio.

ROMANVS quidã miles Luculli, amissa zona, omnibus sese periculis prædæ cupiditate obiecit, & castellum Mithridatis opulentissimum cepit. Ditatus inde, metu ne denuo ea amitteret, ad omnia pericula subeunda cunctantior factus, urgenti Lucullo & ad maiora animũ addenti respondens (ut est apud Horat. in Epistolis)

—Quantumuis rusticus ibit,
Ibit eò, quò uis, qui zonam perdidit, inquit,

TIBERIVS Cæsar spectaculis raro interfuit, ne iis qui placiti essent munera uel libertatem dare cogeretur. Sueton.

Constantinopolis urbs à Mahometo Turcorũ tyranno capta, an. 1453. eruti CIVIVM thesauri absconditi: quos si in communem usum uertissent, non triumphasset scelerat⁹ uictor de Christiano sanguine. Cuspinianus.

Anno 1512. Mantuæ per legatos suos Iulius II. Pp. Maximilianus I. Imp. & Aragoniæ rex Ferdinandus cum Venetis, Medicęos Florentiam reducere pacti sunt. FLORENTINI, si parcitate, ut imminentia pericula postulabant, depositã, Cęsari petitam pecuniam dedissent, & proregem Neapolitanũ Raymundum Cardonam in summa necessitate cõstitutum aliqua auri summa iuuissent, facilè hanc tempestatem euasissent. Guicciardinus libro 11.

Vim inferendo,

ROSTOCHIENSES portũ à Bugislao Duce Volgastẽsi loco ualde oportuno munitũ ui euertere, ne portui urbis suæ aliquãdo incõmodaret, an. 1395. Cranzius lib. 9. Vand. c. 32.

Vitiis conniuendo.

Byzantinum quendam SAPRAGORAM memorant, cùm apud deformem uxorem suam adulterum offendisset, dixisse: Qui compedes misere Sapragora sunt dos? Plutarchus de Cupiditate diuitiarum.

MANTONINVS Philosophus, quum Faustinã duxisset Antonini Pij filiã, nõ ausus est adulteram repudiare, ne de dote, hoc est, de Imperio ueniret in controuersiam. Ludouicus Viues de Officio mariti.

Conscios necando.

Fusis in Marathone Persis, ad CALLIÆ tædiferi pedes Barbarus quidam ex coma & fascia regem ratus, abiecit se. Cùm adorasset eum, & dexteram apprehendisset, magnum pondus auri ostẽdit in puteo quodam defossum. Ibi Callias aurum abstulit: & hominem, ne proderet rem aliis, interfecit. Hinc dictos aiunt à Comicis posteros eius Laccoplutos, quasi ex puteo diuites. Plut. in Aristide.

Famam negligendo.

ATHENIENSIS quidam, teste Horat. lib. 1. Serm. Sat. 1.

Sordidus, ac diues, populi contemnere uoces
Sic solitus: Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac numos contemplor in arca.

Excusando.

In PATERNVM, Martialis libro duodecimo:

Numi cùm tibi sint, opesq; tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus,
Largiris nihil, incubasq; gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poetæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed causa, ut memoras & ipse iactas,
Diræ filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rudesq; quæris,
Illudas quibus, auferasq; mentem?
Huic semper uitio pater fuisti.

Recensendo. Numerando.

VLYSSES dormiens à Phæacensibus expositus in Ithaca, experrectus, munera, quæ ab Alcinoo & aliis acceperat, dinumerare cepit, utrum quid desideraretur, quod secum nauem abeuntes abstulissent. Odyss. ν. Quòd si auaritia ductus ea dinumerat, detestandus est, ut qui magis de pecunia quàm de uita propria sollicitus fuerit.

Anacharsis interrogante quodã, Ad quid argẽto GRÆCI utuntur? Ad numerandum, dixisse fertur. Athen. lib. 4. cap. 8.

De AMISSÆ, IACTVRAM ILLARVM non ferendo.

Pusillanimitatis ista, si Opes spectes, quarum amissionem ægrè fert, huius est loci. Sin uerò ipsam Diffidẽtiam, ex iacturæ tum, ad utilium in defectu Fortitudinis referri potest.

GERGESENORVM in Galilæa detestanda fuit auaritia, qui propter acceptã cladẽ à dæmonibus duob. à Christo ejectis, & porcos amissos, Christum è finibus suis excedere rogarunt, pluris facientes porcos, quàm homines, quorum innumeri à Christo quotidie sanari potuissent. Matthæi 8.

GADARENI similiter, cùm Christus è dæmoniaco legione dæmonum eiecisset, & ij permissu Domini bis mille porcos in lacu submersissent: eo damno turbati, Iesum è suis finib. excedere rogarunt. Marci 5. Lucæ 8.

Maria Magdalena Christi domini pedes unguento nardino pretiosissimo unxit. IVDAS Ischariotes id indignè ferre, nõ quòd pauperum curam haberet (in quorũ tamen usus precium unguenti erogari potuisse dicebat) sed quia ex copercio ad se quoq; aliquid utilitatis redundaturũ sperarent. Etenim quæstor erat, & fur. Ioan. 12.

QVIDAM habentes puellã Pythonyssam, à qua Paulus eiecit dæmonium, uidentes q̃ amiserant quæstũ suum, apprehenderunt Paulum apostolum & Silam socium eius, & duxerũt eos ad principes ciuitatis: accusantes eos, q̃ ciuitatẽ turbarent, & mores illicitos nunciarent. Magistratus autem fecerunt eos uirgis cædi, & in carcere custodiri. Act. 16.

De HERMONE, Lucilius apud Stobæum serm. 10.

Πολύυπνος ἀνεπεύλευ ἐν ὕπνοις ὁ φιλάργυρος Ἕρμων,
ὅτι καθεύδων ὡς ἐωυτὸν ἀπηγχόνισεν.

Cùm sumtus feciſſet in somnis auarus Hermon, præ nimio dolore seipsum strangulauit.

QVIDAM amisso quẽ deposuerat thesauro semetipsum strangulauit. De eo sic Plato uel Antipater in Epigrammatis:

Χρυσὸν εὑὼν, ὁ μὲν εὗρεν, ὁ δ' ὤλεσεν. ὧν ὁ μὲν εὑρὼν,
Ῥίψεν ὸ δ' ἐξεύρων, λυγρὸν ἔθηκε βρόχον.

Aurum quidam inuenit, alter perdidit. Quorum ille quia inuenit, abiecit: qui uerò non inuenit, dirũ sibi nexuit laqueũ.

PERSEVS, Macedonũ rex, ad Pydnam prælio uictus à L. Paulo, à suis omnib. desertus est: soli secuti sunt eum Cretenses, thesauro eius uelut sauo affixi. Ex eo depromsit ille aurea & argentea uasa Cretensib. diripienda, ad quinquaginta talentorũ precium. Cùm uerò Alepsum peruenisset (Liuius habet Calipsum) remisso paulatim timore, lamentatus apud amicos est, ex Magni Alexandri aureis uasis quædã se Cretensib. imprudentẽ obiecisse: precatusq; supplex & lacrymabundus illos, ea ut sibi permutarent pecunia. Quib. acceptis non soluit argentum, sed quæstu triginta talentorum ab amicis facto, nauigauit Samothracam, atq; ibi captus est. Plutarchus in Aemilio.

Sub Iustiniano Imp. CONSTANTINOPOLITANVS quidã diues ægrotans, sanitatis recuperãdę gratia XXX argẽti libras in pauperes erogauit. Posteaquã cõualuit, factã pœnitens, ab amico quodã nulla ratione ad meliorẽ animum reduci potuit. Amicus tandem, Ergo abi, inquit, & in templo pauperibus denũcia, pecuniã meo nomine à te impensam: eo facto, ego tibi tantum argenti restituam. Abit ille, & nuncio dicto, in porta templi mortuus corruit. Cedrenus.

ANGELVS Raus I. C. Neapolitanus, dolore lucri auersi pala lignea se ab ancilla uerberari præcepit, graui pœna ni obtemperasset ei proposita. Pecuniã enim, q̃ argentea non esset, repudians, clientem acerbiùs obiurgatũ pro ea mutanda dimisit. Ille indignè id ferens, statim cum aduersario pactus, liti cessit, neq; ad aduocatũ rediit. Pont. c. 7. de Liberal.

FR. Armellinus Perusinus, cardinalis quarissimus, cũ Clemente VII. ex arce S. Angeli, in qua obsidebatur, oppugnãte partas à Cæsarianis militibus diripi spectans, præ mœrore obiit, eorum quæ militum furori superfuerant, Pontifice hærede existente. Garimbertus lib. 6.

VOLVMINIS DECIMI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vndecimum

DE MODERATIONE & IMMODERATIONE circa GLORIAM & Honores

QVINQVE LIBRIS pertractans.



Augustalium Senatorum Nestoris

FLORIANI GRISPECCI

à Grispach, EQ. AVR.

magnanimi

Kazerouiæ, Rosenthali, Floria-nobrugæ D.

VII Filiorum generosa sobole diuinitùs pharetrati

natu minimo, sed spe maximo

BLASIO

Vndecimum hoc THEATRI Volumen

Quinque LIBRIS explicatum

QVORVM

I. *De* STVDIO *&* CONTEMTV *Honoris moderato uniuersim agit.*

II. *De moderata* ACCEPTATIONE *Honorum.*

III. *De moderata* CONSERVATIONE *Honorum.*

IV. *De* AMBITIONE, *in Excessu peccante.*

V. *De* PVSILLANIMITATE, *per Defectum.*

ΠΡΟΤΕΛΕΙΟΝ ΦΙΛΙΚΟΝ

THEODORVS ZVINGERVS

M M

TOMI VNDECIMI LIBRORVM DISPOSITIO.

HONOR uirtutis est præmiũ, ciusq; studiũ tam naturale est, quàm uirtutis: nisi quòd pleriq; hominũ propter improbitatẽ, Penelopes frustrati cõnubio, ancillas sectantur. Etsi igitur in omni uirtute magnitudo animi humani sese exerit, affectuũ impotentiã refrænans: tamẽ circa honores, uirtuti debitos, maximè elucescit. Eapropter uirtutẽ hãc μεγαλοψυχίαν Græci, Latini eadẽ ratione MAGNANIMITATEM dixêre, cùm nihil sit aliud quàm Moderatio circa honores. Pleriq; Exemplorũ rhapsodi titulum habent, De animi moderatione, eũq; potiss. ad honores referunt. Cupiditas profectò in omni irrationali anima cõspicitur: quæ si rationis moderationem subterfugiat, Immoderatio & Impotentia animi, Græcis propriè ἀκολασία dicitur: sin rationi obtẽperet, animi Moderatio appellatur, & σωφροσύνη generatim appellatur. Quare nõ uirtutẽ tantùm circa honores, sed eã quoq;, quæ circa pecunias, circa uoluptates corporeas, circa timorẽ & confidentiã uersatur, cõprehendit. Ex naturæ enim instituto Appetitus irrationalis Rationis rectæ imperio exercẽdus est & dirigendus. Quot ergo impetus sunt species, totidẽ quoq; moderationes & uirtutes erũt. At quia Honoris studiũ optimo cuiq; natura sic insitũ est, ut uirtutis perpetuus uideatur comes: eximiè ei uirtuti, quæ in honoris cupiditate moderanda uersatur, Moderationis & Magnanimitatis nomẽ tribuetur inditũ: uti uirtuti, quæ circa pecunias, Liberalitatis & Magnificentiæ. Porrò Moderatio, uelut forma huius uirtutis, perspicitur partim ἐν πλήθει honorũ, partim ἐν φυλακῇ: utraq; ad κτῆσιν pertinet. De χρήσει honorũ, siue δόσει, nihil in præsentia. Honores enim uirtutis præmia sunt. qui si dignis cõferantur, ad Iustitiã distributiuã pertinent: si indignis, ad Iniustitiã. Aliter se res habebat in Liberalitate, quæ potiùs ἐν χρήσει quàm ἐν κτήσει cõsistebat. Pecunia enim & opes nõ tantùm uirtutis sunt præmia, sed quibusuis etiã indigentibus & oppressis liberaliter erogari debent: ut nõ Iustitiæ hîc sola ratio habeatur, digni sint, nécne: sed ut omnibus iis, qui egent, distribuantur. Vt ergo species quædã Liberalitatis, quæ scilicet digna pro meritis erogat, ad Iustitiam distributiuam refertur: ita quoq; tota honorum distributio ad eandem referẽda erit: neq; χρῆσις honorum ad Magnanimitatem ullo pacto pertinebit, sed ad Iustitiam tãtùm. Hæc causa est, cur in Liberalitate χρῆσις simul & κτῆσις spectentur: at in Magnanimitate sola κτῆσις. Etsi autem μεγαλοψυχία ex ui nominis propriè circa magnos honores spectatur: tamen quia genus ipsum nomine deficitur, illud speciei appellatione cõprehendemus, atq; adeò Magnanimitatẽ uocabimus uirtutem, quæ circa honores uel amplectendos

dos uel negligendos quoſcunq;, qualeſcunq;, quantoſcunq;: circa ipſam quinetiã Ατιμίαν, h. e. Ignauiam & infamiã calcandã, declinãdámue uerſatur. Inmõderatio circa honores quoslibet quomodolibet ſecundùm exceſſum in magnis quidem ἠλιθιότης Stoliditas, ſiue χαυνότης Inepta oſtentatio dicitur: in paruis uerò φιλοτιμία, Latinis ab ambitu AMBITIO, à qua ſpecie euidentiſſima totum genus nomen trahit. At ſecundùm defectum in magnis μικροψυχία, Puſillanimitas, in paruis ἀφιλοτιμία, quanto magis naturæ humanæ contraria, tanto rarior.

- IN *Honoribus ſpectatur*
  - Virtus *circa honores. Nomine carẽs, ex ſpeciei principis appellatione* MAGNANIMITAS *uocatur. De hac agamus tum in*
    - Genere. LIBER PRIMVS.
    - Specie. *Sic ſpectatur, partim in*
      - Λήψει *honorum, quos non habet, uel abſolutè uel quadantenus.* LIBER SECVNDVS.
      - Φυλακῇ *honorum, quos habet. De qua* LIBRO TERTIO.
  - Vitia *duo. Alterum in*
    - Exceſſu, AMBITIO. LIB. IV.
    - Defectu, PVSILLANIMITAS. LIB. V.

LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.

- Acquiſitio. MODERATIONIS *circa honores acquiſitio. Videlicet*
  - Magiſtri
    - Cõtemtus *honorũ, Humilitatis, tum*
      - Reuelatione. Perſuaſione.
      - Admonitione.
      - Doctrina, *inſtitutione.* Exẽplo.
    - Studij *honoris.*
  - Diſcipuli
    - Contemtus *honoris.*
    - Studij *honoris.*
- Exercitatio. MODERATIONIS *circa honores exercitatio conſiderata*
  - Per *ſe, in honore*
    - Amplectendo. *Magnanimi, Gloriæ ſtudioſi*
      - Reges. Literati.
      - Pueri.
    - Cõtemnendo, *fugiẽdo, Gloriæ contemtus. Humiles in genere:*
      - Qui:
        - Reges. Principes. Duces. Politici.
        - Religioſi: *homines.* Senatores.
        - Philoſophi. Oratores.
      - Erga *quos. Erga*
        - Pauperes. Monachos.
        - Diſcipulos.
  - Reſpectu *aliorum uel*
    - Abſq; *certamine. Aliorum*
      - Gloriæ *non inuidendo.*
      - Ambitionem
        - Refrænando, *Caſtigando.*
        - Reprehendendo.
      - Humilitatem *laudando, ornando, promouendo.*
    - Cũ *certamine.* CERTAMINA
      - Humilitatis.
      - Gloriæ:
        - Qui *inter ſe gloria certant:*
          - Philoſophi. Sophiſtæ, *Rhetores.*
          - Duces *belli.* Mechanici.
        - De *quo inter ſe certant. De gloria prouenient ob bona*
          - Animi *ob*
            - Eruditionem, *Doctrinam.* Prudentiam.
            - Fortitudinem
              - Contra *bellicas.*
              - Bellicam.
            - Liberalitatem.
          - Corporis: *ob* Robur: *ob* Formam.
          - Fortunæ. *Certare de*
            - Auctore *generis.*
            - Nobilitate, *antiquitate generis,*
            - Ciuibus *præclaris.*
            - Cõiugũ *probitate, pudore.* Victoria.
- Fructus. MODERATIONIS *circa honores fructus. Puta*
  - Humilitatis.
  - Magnanimitatis.

Voluminis Vndecimi Liber I.

DE GLORIAE ſtudio & Contemtu uniuerſim.

MODERATIONIS CIRCA HONORES ACQVISITIO.

MAGISTRI, TVM CONTEMTVS HONORVM, HVMILITATIS. SIVE

Reuelatione.

ANTONIVM abbatem tradunt in ſpiritu raptum uidiſſe, orbem terrarum quaqua uerſum laqueis oppletum: & cùm mirabundus, Quis illos euadere poſſit, quæſiſſet: reſponſum fuiſſe, Humilitas. Marul. lib. 1. cap. 5.

Perſuaſione.

ARATVS Sicyonius perſuaſit Lydiadi primùm Megalopolitano, deinde Ariſtomacho Argiuorum tyranno, ut tyrannidem deponerent. Plut. in Arato.

DIOCLETIANVS Imp. Maximiano quoq; collegæ licet inuito, deponere imperium perſuaſit. Sigonius.

Admonitione.

Philippus Macedo, Græciæ potitus imperio, ad refrænandum animi faſtum PVERO delegauit hoc officium, ut ſingulis diebus manè ter acclamaret, Philippe memento te hominem eſſe, φίλιππε, μέμνησο ὅτι ἄνθρωπος εἶ. Aelianus lib. 8. de Varia hiſt.

Alexandro ARISTOTELES: Non modò, inquit, qui multis imperant, his ingentes animos gerere licet: ſed & illis, qui de diis ſentiunt rectè. Plut. de Sui laude.

IDEM ad Antipatrum ſcribens, Alexandrum Macedoniæ regem monere iubet, ne tot uictoriis elatus, deum contemnat, cuius nutu omnia mouentur. Platina libro primo, de optimo Cive.

Conſtantinus Magnus Auguſtus, & filij eius Conſtantius & Conſtans, Cæſares, magnitudine uirtutis ac ſanctitatis ANTONII monachi Aegyptij audita, multis eum literis ad re ſcribendum prouocarũt: quibus ille acceptis haudquaquã elatus, conuocatos monachos ita eſt alloquutus: Reges ſeculi literas ad nos ſcripſerunt: uerùm quid Chriſtianis hoc æſtimandum? nam licèt diuerſa ſit dignitas, tamen eadẽ eſt naſcendi, moriendiq; conditio. Illa ſunt nobis magnificenda, quòd Deus hominibus legem ſcripſerit, & quòd per filium ſuum eccleſias propriis eloquiis exornarit: quid monachus rationis habet cum regibus? cur ego literas eorum accipiam, quibus ſolita reddere ſalutationis officia neſciam? Monentibus autem fratribus, uidendum eſſe, ne ille ſilentio ſuo animos regum aduerſus ſe irritaret, reſcripſit, laudans eos primùm, quòd Chriſtum colerent, deinde monens, ne regiæ poteſtati tantum tribuerent, ut præſentis imperio carnis inflari, ſe homines eſſe, & à Chriſto iudicandos fore obliuiſcerentur, & ut clementiæ ac iuſtitiæ erga ſubditos inſeruirent. Quarum ex literarum lectione ſummam principes uoluptatem ceperunt. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

PLACILLA Theodoſium Imperatorem maritum admonere ſolebat, ut ſe olim priuatum hominem fuiſſe cogitaret: & præ cæteris ad Romanæ reipub. gubernacula aſſumtum, non ut ſuperbiret, ſed ut hominem ſe eſſe cogitans, uariis fragilitatibus non minùs quam ſubditi obnoxium, ritè gubernaret imperium, tanquam Dei ſeruus. Nicephorus Calliſtus lib. 12. cap. 42.

D. Gregorius ad AVGVSTINVM Anglorum apoſtolum ſic ſcribit: Scio quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi uoluit, magna miracula oſtendit. Vnde neceſſe eſt, ut de eodem dono cœleſti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas. Gaudeas uidelicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam perrahuntur: pertimeſcas uerò, ne inter ſigna quæ fiunt, infirmus animus in ſui præſumtione ſe eleuet, & unde foras in honore attollitur, inde pernianem gloriam intus cadat.

Item: Reſtat, ut inter ea, quæ operãte deo exteriùs facis, ſemper te interiùs ſubtiliter iudices, ac ſubtiliter intelligas & temetipſum qui ſis, & quanta ſit in eadem gente gratia, pro cuius conuerſione etiam faciendorum ſignorum dona percepiſti. Et ſi quando creatori noſtro ſeu per linguam, ſiue per opera reminiſceris deliquiſſe, ſemper hæc ad memoriam reuoces, ut ſurgentem cordis gloriã memoria reatus premat: & quicquid de faciendis ſignis acceperis uel acceperis, hæc non tibi, ſed illis reputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt. Gregorius lib. 9. epiſt. cap. 58.

Doctrina, Inſtitutione.

Non nobis, dixit Propheta ſummus DAVID, ſed nomini tuo da gloriam: quum cœli numen alio quereretur. Clamat fatidicus ille Vates, teſtatur, admonet, dementis & ſtulti eſſe, tribuere homini, quod proprium ſit numinis, ad quod bona cuncta ſunt referenda. Omnes humanæ uitæ ſucceſſus inde ſunt: inde & quicquid in terris boni nomen habet, uelut ex ubertimo manat fonte. Sab. lib. 10. cap. 1.

CHRISTVS opt. max. non exemplo tantùm, ſed & præceptis ambitionis exitiale uirus ſuis eximere uolens, Cùm ieiunatis, inquit, nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes. Tu, cùm ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam láuá, nẽ uidearis hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito. Ex Palæſtinorum mollitie metaphora utitur, per quam lætari & gaudere iubet, ut hypocritarum ſimulatæ ſanctitatis triſtitiam arguat. Marul. lib. 4. cap. 1. Gloriabãtur Apoſtoli, quòd dæmonis imperarent, & audiunt à Chriſto: Nolite gaudere in hoc, quia dæmonia ſubiiciuntur uobis: gaudete autẽ, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. Et, Videbam Sathanam, inquit, ſicut fulgur de cœlo cadentem. Marulus libro quinto, capite 7.

APOLLONIVM Abbatem monachis præcipere ſolitum trãdunt, ne quis propterea ſe aliis excellere exiſtimaret, quòd aliquo miraculi oſtento inſignitus eſſet: quandoquidem & Dominus diſcipulos ſuos non ideo gaudere iuſſerit, quia dæmonibus imperarent, ſed quia in libro uitæ æternæ ſcripti cenſiq; eſſent. Iterum admonebat, ſi quam aliquis ex illis uel ſecretæ uiſionis, uel ſpiritalis fruitionis dotem à Deo accepiſſet, nemini, niſi neceſſitate coactus, proderet. Aliquin ſi illum præ cæteris in exiſtimatione haberi contigiſſet, haud facilè uanæ gloriæ uitio cariturum. Eo autem ſurrepẽte, gratiam ominem, quam aſſecutus fuerat, irritam fore, dicente Scriptura: Qui in uno peccauerit, multa bona perdet. Deniq; domicilia eorum ob hoc cellas appellari, quòd in his celarentur quæ occulta eſſe uelint. Marul. lib. 1. cap. 4.

NICO Galenum Pergamenum filium ſuum, medicum clariſſ. præter cætera docuit etiam gloriam & honorem, uti illecebras omnium malorum, & ueritatis hoſtes, contẽnere. Gallib. de Dignoſc. & cur. animi morbis. cap. 8.

Exempla:

SALVATOR noſter, ut humilitatis exemplum nobis inculcaret, in Galilæa concipi & educari uoluit, regione tẽporis contemtiſſima. Humili matre naſci, in præſepio reponi, cum pauperibus conuerſãri, honores oblatos reſpuere, nudis pedibus obambulare, aſino uehi, pedes diſcipulorum lauare, inter latrones crucifigi, deniq; uſq; ad mortem crucis ignominioſiſſimam in extremo probro, paupertate atq; dolore patri obediens eſſe uoluit.

THEMISTOCLES Neoclis filius, audiens quoſdam ambire magiſtratum: Si mihi, inquit, duas oſtenderetis uias, quarũ una ad infernum, altera ad tribunal duceret, multo libẽtiùs ingrederer eam quæ rectà ad infernum tenderet. Aelianus libro 9. Variæ hiſtoriæ. Hoc Plut. DEMOSTHENI tribuit.

PERTINAX Imp. filios suos in Palatio nutriri noluit, cùm imperium cogitaret deponere, & ad priuatam uitam redire. Memorat Herodianus, filium iam adolescentem nunquã in aulam Palatinam deductum, se intra priuatos parietes continuisse, [illegible] ludum literarium atq; gymnasia de more itasse, ut nihil priuato absimilis erudiretur. Cuspinianus.

TOTILAS Gothorum rex, Roma capta, conuersus ad suos, Videte, inquit, rerum fluxam cõditionem humanarum, cernite fortunæ mutationes. Paucis ante nos annis, ducenta Gothorum millia septem millibus expugnauit & uicit Belisarius. Ego non totis quatuor millibus, uiginti Græcorum millia superaui: & iam urbem Romam, orbis quondam dominam, sub pedibus tenemus. Proinde non superbiendum nobis, sed Deum præ oculis habentes, fortunæ mutationes extimescamus. Cranzius lib. 3. Sueciæ, cap. 12.

SALADINVS Aegyptius Sultanus, tantum ab inani laude & ambitione remotus, quantum uix ullus tunc Christianus rex, suos commonefecit, ut sibi mortuo, lineam interulam hastili adpensam præferrent, uociferante præcone, Saladinum Asiæ domitorem, ex tantis opibus, nihil aliud secum ferre. Dubrauius lib. 14.

STVDII HONORIS.

SPARTANI liberos suos mox à prima ætate duci cupiunt gloria, ut infamia ingemiscant, & exultẽt laudibus. Quem non tangant ea neq; commoueant, ab omnibus is despicitur ut degener ad uirtutem & ignauus. Plut. in Lysandro.

Apud SPARTANOS ante pugnam rex Musis sacrificabat. Eudamidas rogatus causam: Quo res gestæ, inqt, ornatam historiam consequantur. Plut. in Apoph. & Lycurgo.

ATHENIENSES quotannis stato tempore omnibus ciuib. coctilis quadratæ formæ terram (quam Greci Ostracum nominant) dabant. In ea terra is, cui dabatur, nomen, cuiuscunque ei uideretur, describebat. Collectis autem cum hac nominum inscriptione testis, si numerus earũ sex millia transcenderet, is, cuius nomen frequentius in ipsis ostracis notatum inueniebatur, decem annos exulatum abibat. Hoc modo in urbe libera potentium ciuium ambitio, effrenatiq; animi continebantur. Fulg. lib. 2. cap. 1.

Xenophon primo ἀπομνημονευμάτων, commemorat SOCRATEM familiares suos ab inani laude, falsaq; gloria deterruisse, neq; ullam esse certiorem uiam ad gloriam capessendã docuisse, quàm si quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis esset. Victorius lib. 5. Var. lect. cap. 11.

Alcibiades fuit admodum adolescens in expeditione contra Potidæam suscepta, habuitq; contubernalem & in certaminibus latus suum cingentem SOCRATEM. Cùm aliquando acris pugna esset, præ cæteris ambo dimicauerunt strenuè: saucium autem Alcibiadem protexit & defendit Socrates: & uerò, quod constitit omnibus, eum cum armis conseruauit. Debebatur ergo optimo iure præmium militare Socrati. Sed cùm ob dignitatem apertè contenderent duces deferre Alcibiadi honorem: Socrates, quo eius in rebus preclaris intenderet ambitionem, primus testis fuit & auctor, ut donaretur ille corona & decoris armis. Iam pugna in Delio terga dantibus Atheniensibus, Alcibiades equo uectus Socratem pedibus se cum paucis recipientem, ut eum conspexit, non est præterlatus, sed stipauit texitque eum, quamuis instarent hostes, & multos obtruncauit. Plut. in Alcibiade, & Plato in Symposio.

ANTIGONVS rex Macedonum cùm mitteret filium suum Demetrium cum numerosa classe ad Græcos liberandos, dicebat, Gloriam à Græcia uelut à specula in orbem terrarum accendi. iuuenem gloriæ studio exstimulãs, uti strenuè rem ageret, quòd eius laudis rumor non intra Greciæ fines esset continendus, sed ob Græci nominis celebritatem per omnes mundi plagas diuulgãdus. Roterodamus lib. 4. Apoph. ex Plutarchi Demetrio.

ROMANI ut ad recentia semper uirtutis monimenta cõparãda suos accẽderent (quando uirtutis gloria cumprimis deflorescere consueuit) inter ea quæ diis sunt dicata solas manubias nec extergebant, nec excolebant, nec restituebant. Plut. in Centuriatis Rom.

CATO maior præclara facta præclaris decorãda orationibus demõstrauit, ne gloria defraudarentur. Plut. in Apoph.

Bertrandus Guesclinius ducta uxore nobiliss. TIPHANIA, à consuetis armorum exercitiis amoris causa feriabatur. Illa generoso animo iisdem artibus, uirtute scilicet & gloria, amorem suum conseruari posse, quibus illum sibi conciliasset, professa, eò maritum impulit, ut post multa egregiè gesta Magister equitum in Gallia fuerit creatus. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

D. LVDOVICVS Francorum rex, ambitum coercuit. Decuriẹ honoresq; in sua cuiusq; ciuitate largitionibus parari cœperant: hunc morem graui edicto soluit: sibi primùm imperãs, quod uirtuti meritisúe deberetur, fortunæ auróue non dari. Aemilius libro 7.

DISCIPVLI. TVM STVDII HONORIS.

ACHILLES tanti gloriam militarem nõ fecisset, si solum nactus esset Thersitem nactus fortitudinis suæ spectatorem, atque arbitrum: sed subdebant ei stimulos Aiaces, Diomedes, Vlysses, Nestor, & filij Atrei, & Hector hostis, qui non erat occasioni defuturus ad nocendum, si quid ille de uiribus & ardore animi remisisset. Quin & illud non segne erat calcar:

Heu socij, quanto mœrebit Græcia luctu,
Gaudebitq; domus Priami, & Troiana iuuentus.

Ludouicus Viues de officio Mariti.

Acutissimè illud in HOMINVM moribus ac natura deprehendit, qui dixit, Honore ali artes. Excellere enim quisq; cupit, & honore affici: quare, ut id consequatur, ei se tradit studio, quod in precio esse uidet. Ita fit (quàm rectè, non disputo) nec solùm in magnis ciuitatibus atq; populis, sed in quocunq; cœtu, in quacunq; consuetudine & familiaritate hominum, uirorum, feminarum, senum, iuuenum. Sic eloquentia maximè in liberis ciuitatib. floruit, uel ut Athenis & Romæ: quòd is certissimus esset gradus ad maximos honores ac potentiam. In Academiis publicis pleriq; alliciuntur illis honorum nominibus, tum iis quæ magno æstimantur. Vnde Lutetiæ tanta Theologorum copia, Aureliæ Iurisconsultorum: apud Nitiobriges, quẽ nunc Montempessulanum uocant, Medicorum. Et sub principibus, ut quisq; est arte aliqua delectatus, ita ea in eius regno tractata est & exculta. Sub Alexandro militabant plurimi: sub Augusto nemo non èudebat carmen: Neronis tẽpore multi per urbẽ cantores, histriones, phonasci, multi magi. Adrianus oẽs faciebat obseruatores ueterum scriptorum. Romæ Leone X. pontifice omnia perstrepebant cantibus: Iulio II. armis. Phœnices nauticas artes multùm exercuerunt ad suum quæstum. Ludouicus Viues de Causis corruptarum artium libro I.

ROMVLVS, qui parens fuit & cõditor Romanæ urbis, & NVMA, qui ei successit, etsi inter deorũ aras hic uixit, ille inter lituos & arma, neuter tamẽ tantum suscepisset laboris, si omnia cũ corpore interitura credidisset. Aliquid ambo sperarunt diuersum à mortalitate: quapropter laboriosè uiuere, non uoluptuosè maluerũt. Ac CVRII paupertas, fides REGVLI, FABRICII constantia, CATONIS sanctitas, BRVTI & TORQVATI seueritas, multo longius prospexere, quàm breuis sit humanæ uitæ terminus, nisi uirtutis operibus longiùs extendatur alia atq; alia uia. Cæterùm omnes immortalitatis spem complexi tales fuerunt, qualium uirorũm fama sit omni æuo duratura. Sab. lib. 5. cap. 5.

CONTEMTVS HONORIS, HVMILITATIS.

EPAMINONDAS solitus aliàs prodire unctus & fronte exporrecta: postridie conflictus cum Spartanis ad Leuctra, quantumuis uictor, sordidatus & uultu deiecto est progressus. Requirẽtibus, Nunquid ei tristius accidisset? Nihil, inqt: uerùm heri animaduerti maiores me, quàm decebat, animos gessisse. Quare nimiam animi effusionem hodie coërceo. Plut. in Apoph.

ANTIGONVS rex, ut ex morbo assurrexit: Haud male, inquit, actum est nobiscum. Commonuit enim morbus nos, ne spiritus, cùm mortales simus, sustollamus. Plut. in Apoph.

Institutũ fuit ROMANORVM, ut qui triumpharẽt, eoq; diutius uiuos hostiũ duces seruarẽt, his per triumphum ductis pulcerrimum spectaculum fructumq; uictoriæ populo exhiberent: at cùm de foro in Capitolium currum flectere inciperent, illos duci in carcerem iusserunt: nimirum ut idẽ dies & uictoribus imperij, & uictis uitæ finem faceret. Cicero in Verrina VII.

ROMÆ tanta uitæ integritas & disciplinæ obseruantia ex legibus contra ambitum latis, nata est, ut post longa tempora M. Catonem ambitus diem dixisse illis, qui largitiones fecerant, pro miraculo fuerit. Alex. lib. 3. cap. 17.

Multi Romæ clari adolescẽtes & nobili orti familia uocati in crimẽ fuére, q molliter se & contra disciplinã militarẽ gessissent in stipẽdiis faciendis. His ad M. Tul. CICERONEM pretorẽ Siciliẹ remissis, egregiè patrocinatus est & liberauit eos. Quibus reb. elatus, Romã regredienti quiddã sibi accidisse ridiculũ ipse ait. Nã cùm in Cãpania incidisset in quendã ex primoribus, qui cum sibi existimabat intercedere gratiã: Qui sermo esset, quæsisse se, inter ciues de rebus suis gestis, & quid sentirent? arbitratũ nomine & gloria se actionũ suarũ totã implesse ciuitatẽ. Respondisse illũ: Tu uerò Cicero ubi hoc spaciò fuisti? Ibi animo se planè cõcidisse, si mentio sui in Vrbe tanquã in uastũ incidens pelagus, nihilo se ad gloriã reddidisset conspectiorẽ. Pòst collectis rationibus suis uidens rem immẽsam esse, ad quã contenderet, gloriã, cuius nullũ cerneret exitum, multum de ambitione remisit. Verũenimuerò auebat supra modũ celebrari, tenebatq; eũ perpetuò cupiditas immensa gloriæ: quæ multa eius preclara consilia frequẽter interpellauit. Plutarchus in Cicerone.

MODERATIONIS CIRCA HONORES POSSESSIO, EXERCITATIO, PER SE CONSIDERATA. In HONOR[illegible]

AMPLECTENDO. MAGNANIMI, GLORIÆ STVDIOSI IN genere

REGES.

Fuisse CYRVS Persarum rex ita comparatus à natura perhibetur, ut & forma pulcerrimus, & animo humanissimus, & discendi adipiscendiq; honores cupidissimus esset: adeoq; nullum non laborem perferret, nullum non periculum laudis gratia sustineret. Xenophon de Instit. Cyri lib. j.

ALEXANDER Magnus, neq; undiq; neq; gloriam aucupabatur omnem, ut Philippus, qui sophistarum more facundiam suam ostentabat, & uictoriis currũ Olympiacis suis nummos signabat: sed cùm tentarẽt eum ministri, quia pernix erat pedibus, an Olympiis certare curriculo uellet: Sanè, si habiturus sim, inquit, aduersarios reges. Plut. in Alex.

LITERATI.

Musarum nutricem fuisse Euphemen fingunt, quòd pleriq; ex iis, QVI eruditione sua clarum sunt consecuti nomen, gloriæ immortalis spe ingenij sui monumẽta ad posteros transmiserint.

PVERI.

ALEXANDER etiamnũ puer agilis cùm foret ac uelox, atq; à patre ad currendum ludis Olympiæ stadium excitaretur: Sane, inquit, si reges habiturus sim aduersarios. Plut. in regum Apophtheg.

CONTEMNENDO, FVGIENDO. GLORIÆ contemtus. HVMILES in genere.

De Humilitate primo Volumine, tanquam de Affectu egimus. Quem ipsum si recta moderetur ratio, habitũ eum constituit, de quo nunc agimus, in honoris potissimùm abiectione elucescentem, & propterea ad Moderationem honoris propriè referendum, ἐν λήψει simul & ἐν φυλακῇ. At si causam huius abiectionis respicias, ad alias quoq; uirtutes referri poterit. Nam si conscientia suæ tenuitatis honores respuat, ad φιλαλήθειαν: si amore hominum, quibus cum conuersatur, ad Popularitatem: si ob delicta commissa, ad Iustitiam tam profanam quàm religiosam releganda erit, sub Tit. Pœnitentiæ.

QVI. Puta

Reges, Imperatores.

DAVID quamuis in regem unctus esset, tamen iussu patris cibos fratribus suis rus portare non erubuit. 1. Reg. 17. Cæso Goliatho, Sauli regis gener factus, non tamen elatius sese gessit. 1. Regum 19.

TIBERIVS Cæsar imminentium ab inimicis discriminum liberatus metu, ciuilem se admodũ inter initia, ac paulominùs quàm priuatum egit. Ex plurimis maximisq; honorib. præter paucos & modicos non recepit. Natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, uix unius bigæ adiectione honorari passus est. Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit; etiam statuas, atq; imagines, nisi permittente se, poni: permisitq; ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta ędium ponerentur. Intercessit & quo minus in acta sua iuraretur: & ne mensis September Tiberius, October Liuius uocarentur. Prænomen quoq; Imperatoris, cognomenq; Patris patriæ, & ciuicam in uestibulo coronam recusauit. Ac ne Augusti quidem nomen, quanquam hæreditarium, ullis nisi ad reges ac dynastas epistolis addidit. Nec ampliùs quàm tres Consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usq; in Idus Maias gessit. Suetonius.

NICOLAVS Danorum suscepto regno, animum ab omni fastu auersum habuit, totamq; præteritæ uitæ consuetudinẽ retinens, cum fortuna animum mutari passus nõ est, ne potius fortunæ mores, quàm moribus fortunam subiicere uideretur: nec sumtuosiorem regem quàm militem egit. Saxo libro decimotertio.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, Caroli VII. filius, multis uictoriis clarus, cùm alij reges auro sericoq; amicirentur, lana aut bombyce induebatur: asinumq; pro equo nõnunquam in usum adhibebat: & quo preciosiore ueste ut fulgerent alij curauerant, ipse ut uiliore amictus inspiceretur operam dabat. Fortasse ob eam causam, ut cùm inter Christianos reges omnium maximus liberalissimusq; haberetur, qui uiderent eam habitus humilitatem, mirarentur. Fulgosus lib. 3. cap. 6.

Principes.

Ioan. PICVS Mirandula humanam gloriam pro nihilo habe[illegible] mortuis [illegible] mè profuturam: [illegible] quantum utilitate ecclesiæ, & eliminandis explodendisque aduersis erroribus conduceret. Quin etiam ad eam perfectionis metam peruenit, ut parum curaret, si eius commentationes non sub proprio nomine ederentur, dum tamẽ id ipsum, quod sub Pici nomine facturæ fuerant, afferrent hominibus emolumenti. Io. Fran. in eius uita.

Duces, Politici.

CAPANEVM fuisse talem prodit Euripides, ut opum affluẽtia intumesceret nihil, nec elatius saperet, quàm pauperum quis, τ' ἀρκεῖν ἐπαινῶν. Cælius lib. 20. c. 23. A. L.

ARISTIDES Lysimachi F. honoribus non inflabatur, & reflantem uentum sedatè ferebat & leniter: atq; æquè censebat præstare se patriæ debere, ut non sine pecuniæ solùm, sed & sine gloriæ præmio uel mercede eam administraret. Plut. in Aristide.

Supplicem se non præbere, neq; blandum plebi, id METELLVS, & ARISTIDES, & EPAMINONDAS habuẽre: q uerè floccifacerent ea, quorum erat in nutu posita populi delatio & ereptio. In exilium pulsi decennale, repulsam passi, & damnati sæpiùs, non fuerunt infesti ciuibus insolẽtiæ eius causa: uerùm amplexi eos sunt, ubi fuerunt pœnitentia ducti, & in gratiam redierunt cum petentibus. Vt enim quisq; minimè obsequitur plebi, ita minimè debet eam ulcisci: quòd maxima offensio ob repulsam ex immodica nascatur glorię siti. Plut. in Coriolani & Alcib. comparatione.

TIMOLEONTI Corinthio nihil unquam neq; insolens, neque gloriosum ex ore exiit. Probus.

P. SCIPIONIS Africani maioris maxima merita paribus ornamentis decorare conati sunt Romani. Voluerunt illi statuas in comitio, in rostris, in curia, in ipsa deniq; Iouis opt. max. cella ponere: uoluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam Capitolinis puluinaribus applicare: uoluerunt ei continuum per omnes uitæ annos consulatum perpetuamq; dictaturam tribuere: quorum sibi nil neq; plebiscito dari, neq; S. C. decerni patiendo, penè tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum egerat in emerendis. Valerius Maximus lib. 4. cap. j.

Homines religiosi.

Ex Tit. Monachorum huc illustria transferantur.

BARTHOLOMÆVS apostolus Iesu Christi, regio stemmate fulgens, piscatoribus se æquari passus est, diuinarum rerum cupiditate captus. Sab. lib. 2. cap. j.

PAVLVS Apostolus donis sibi diuinitùs cõcessis minimè superbiens, fratrum orationibus confidens, Adiuuãtibus uobis in oratione pro nobis, ait 2. Corinth. j. Item: Obsecro uos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per caritatem Spiritus sancti, ut adiuuetis me in orationibus. Rom. 15. & 1. Corinth. 4. & 1. Thess. 4. Verbis quoque humilitatem suam exprimebat 1. Corinth. 15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus uocari Apostolus. Et: Iesus uenit in hunc mundũ peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. 1. ad Tim. j.

ALEXIVS Euphemiani consularis uiri filius, spreta generis nobilitate, Roma excedens, Edessam Syriæ urbem uenit, & inter alienigenas XVII annos incognitus mendicauit. At postquam uulgatum est, uocem diuinitùs allatam, Alexiũ mendicum in ecclesiam recipiendum: ne miraculum illud honori sibi esset, Laodiceam profectus, rediit Romam. In paterna domo pro peregrino susceptus, alios XVII durauit annos in summa rerum inopia, nec ipsis genitorib. suis sese manifestans, ob hoc solum, ne agnitum honore afficerent. In exitu uitæ & quis & quantus esset apparuit: hoc signis prodigiisq; instanter editis, illud chirographo in manu defuncti reperto, ac rei ordinem indicante, tunc scilicet, cùm iam [illegible] ambitionis periculo [illegible] humilitas ad [illegible] properabat, ueræ & immortalis [illegible] gloriæ honore semper fruitura. Marulus lib. j. c. 5.

PETRVS Telonarius distractis pro amore Christi facultatibus, Byzantio Hierosolymam [illegible] seruumq; se uenalitiũ fecit. Et cùm in aliena domo à conseruis [illegible] dictis uerbe[illegible]busq; afficeretur, gaudebat in contumeliis, nunquam de iniuria sibi illata conquestus. At ubi Byzantij hospitis indicio cognitus, in honore apud illos cepit esse, profugit cùm coleretur ut liber, non cùm spernereturut seruus: displicere cupiens hominibus, ut Christi seruum se exhiberet. Idẽ.

GREGORIVS Magnus Pp. ad affectati principatus suspicionem atque inuidiam apud homines euitandam, seruum se seruorum Dei appellare instituit. Sigonius lib. [illegible] regni Ital.

Acne dictu illi id quàm factu facilius fuisse putes, aduenienti Ioāni abbati assurrexit, & prior honoris gratia in terram prouolutus est pontifex, quàm abbas. [redacted] Marulus libro primo, capite quinto.

GALLICANVS monachus (quem & Consulem & uictorē, & Constantini Augusti generum fuisse aiunt) omnib. pro Christo contemtis, tam ardenter in monasterio serui functus est officio, quàm priùs in castris Imperatoris ac ducis. Nec magis olim militaris gloriæ auidus fuit, quàm postea humilitatis. Operæprecium erat uidere pauperum lauantē pedes, monachorum manibus aquas dantem, mensas parantem, pauimenta uerrentem, & reliqua id genus exercentem: paulo antè tot clientium patronum, tot seruorum dominum, tot militum ductorem, quot conuenire potuit principi uiro, Cæsaris genero, Romani exercitus præfecto, sępè uictoria potito, nunquam uicto. Idem.

PINIFIVS abbas (ut liberiùs ueræ humilitatis incumbere operibus posset) diuersa perquisiuit loca, in quib. minùs notus maneret. Ab Aegypto transmigrauit in Thebaidem, & inde ad Palæstinam, semper inter alienos serui fungens officio, donec agnitus cogebatur simul relinquere & locum. Postquam nullibi se diu ignotum futurū uidit, ad suos tandem monachos reuersus, aliam conseruandæ humiliationis rationem iniit, ut quò plus honorabatur, eò magis corpus suum ieiuniis inediaq; maceraret. Idem.

MOSES abbas, si qs uisendi eius studio aduenisset, raro aditus copiam faciebat, tanti se haberi molestissimè ferens. Quamobrem præsidi quoq; prouinciæ, spe cōueniendi primùm quidem decepto, deinde iterum aduentanti, obuiam tandem profectus, cùm interrogaretur, Vbinam esset Moses abbas? (nam fama tantùm ipsi notus erat) Quid tibi, respondit, cum stulto illo ac deliro sene? Deniq; de semet quasi de alio licentiùs obloquendo, discedere hominem compulit: non mediocriter mirantem, quòd tam diuersa de illo, quem iam secundò quæsitum uenerat, sibi audire contigisset. Qui reuersus didicit ab indigenis, eum quidem ipsum Mosem fuisse, à quo eiusmodi responsum accepisset: & magis mirari cœpit, tam gratum illi esse sui contemtū. Marulus lib. j. cap. 4.

D. BERNARDVS Clareuallensis, honores ecclesiasticos summos, quantū potuit, summa cum modestia declinauit, nec illustribus donis ad superbiam abusus est: & quamuis ab omnibus reputabatur summus, ipse tamen sese omniū infimum esse iudicauit. Auctor uitæ lib. j. c. 15.

PAVLA Romana matrona (ut Hieronymus refert) maternū genus à Scipionibus Gracchisq;, paternum ab Agamemnone potentissimo quondam Græciæ rege ducens, liberos è Toxotio susceperat, qui ab ipso Aenea Iulioq; trahere originem credebatur. Posteaquam autem contemtis omnib. Christo cœpisset seruire, tanta se humilitate deiecit, ut quæ eam uideret (uidere autem propter nominis celebritatem multi gestiebant) ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam. Quamuis enim frequentibus uirginum sacrarū cingeretur choris: ueste tamen, uoce, habitu, incessu minima omnium apparebat. Intellexit profectò sapientissima mulier, hominis nobilitatem non genere, non potentia, sed uirtute constare: inter uirtutes autem Christianæ professionis nihil esse præstantius humilitate, nihil fructuosius. Marulus libro j. cap. 5.

EVGENIA uirgo, Philippi Alexandriæ præfecti filia, quoniā parentibus idolorum cultui deditis Christo seruire nō poterat, eos reliquit. Et sexu dissimulato, uirorum monasteriū ingressa, monachi habitum induit, & se Eugenium uocari fecit. Tandem ob sapientiam, morumq; integritatem in abbatem electa, hoc primū à fratribus exegit, ut quamuis dignitate præstaret, permitterent tamen se interdum officia obire infimorum, ne per otium insolesceret, præsertim in illo præpositurae honore constituta. Impetrata igitur uenia, aquam portauit, ligna concidit, pauimenta uerrit, cellulam sibi omnium despectissimā elegit. Deniq; quo feruore concita parentes fugerat, eodem primatum inter monachos tenens, humilitatem coluit, & tandem martyrij palmam obtinuit. Idem.

Senatores.

Veneti Senatorum certum habent numerum, quos ROGATOS Patres, Pregai sua lingua uocant, penes quos totius ferè Reipub. summa consistit. Nominis hanc fuisse causam audio. Veneti olim mercaturæ dediti, parum otij, quod Reipubl. darent, habebant. Rogabantur ergo à uiatoribus, ut constituta hora Reipub. adesse uellent, & in commune consultare. Tantus tunc temporis honorum erat contemtus. Erunt fortasse, qui illis hoc ipso auaritiæ crimen inurere conentur, sed diuina benedictio illorum attestatur innocētię.

Philosophi.

SOCRATES ex philosophis omnibus summus gloriæ contemtor, quàm sese quotidianis congressibus humilem præstiterit, docent Platonis Dialogi. Et tamen qui uirtutem in omni uita unicè coluit, umbram quoq; uirtutis, gloriā scilicet solidissimam, apud omnes homines meruit. Sic nempe fugientem sequitur, sequentem fugit gloria.

ARCESILAI apparet gloriam non mediocriter in Epicuri oculos incurrisse, quòd illo seculo prę cæteris philosophis esset celebratus. Quippe eum perhibet, cùm nihil de suo adferat, existimationem inprimere atq; opinionem illiteratis hominibus, quasi literatus & eruditus sit. Arcesilaus uerò tantum abfuit, ex nouitate ut gloriam aliquam affectaret, ut ei exprobrarent illius temporis sophistæ, quod Socrati, Platoni, Parmenidi, & Heraclito dogmata de assensus retētione, & nihil comprehendi posse, delegaret, qui illud non quærerent: sed quò quasi reduceret illa ad uiros illustres, atq; eorum confirmaret auctoritate. Plut. contra Colotem.

Oratores.

ISOCRATES alienus fuit ab artis suæ ostentatione: ut, cùm tres aliquando ad eum audiendum adessent, duos retinuerit, tertium dimiserit, dixeritq;, rediret postridie, in præsentia spectaculum sibi in fastigio domus esse. Plutarchus in uita Isocratis.

ERGA QVOS, VT ERGA

Discipulos.

CHRISTI Domini humilitas mysteriosa ex eo quoque patuit, quòd discipulorum suorum pedes lauit. Ioan. 3.

Monachos.

HELENA imperatrix, Magni Constantini mater, omnibus ornata uirtutibus, modestia Christi imitatrix cùm erga omnes, tum uerò erga monachas. Sæpè etenim eas quæ per omnem uitam uirginitatem tuerentur, conuocauit, & ipsa in lectulis collocauit, eisque ministrauit, tam epulas apponendo, & calices præbendo, quàm aquam manibus affundendo, ancillæ partes obiens. Suidas.

ROMANVS Imp. cùm in monasterio, quò à filiis regnandi cupiditate ardentibus detrusus erat, à monachis, quòd domum uerreret, redargueretur, respondisse fertur: Luculentiùs regnat, qui seruorū Dei humilitatibus deseruit, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperat. Luitprandus libro 5. cap. 11.

Pauperes.

ADELBERTVS Hamburgensis archiepiscopus sub Henrico III. ædificiorum & pompæ splendore etiam cum regibus certans, humilitatē solis exhibuit seruis Dei, pauperibus & peregrinis: adeò ut sæpè, antequàm cubitum iret, triginta aut ampliùs mendicantibus ipse genu flexo pedes lauaret: principibus autem seculi & coæqualibus suis humiliari nullo modo uoluit. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 31. Sed hoc alij fortassis ambitioni tribuerint: maioribus uel paribus cedere nolle, ne te inferiorem esse fateare: minoribus per omnia cedere, quib. te superiorem esse nemo non sciat.

MODERATIONIS CIRCA HONORES POSSESSIO, EXERCITATIO, RESPECTV ALIORVM considerata, uel ABSQVE CERTAMINE.

ALIORVM GLORIÆ NON INVIDENDO.

Cæsis in Hispania Scipionibus, P. CORN. Scipio Africanus eò cum exercitu missus, collaudatis militibus, quòd de republ. non desperassent, ante omnes Ludouicum Martium equitem Romanum qui reliquias belli collegerat, in præcipuo honore habuit, ut ostenderet uirum, qui suis uirtutibus consideret, alterius gloriæ non inuidere.

Cn. Pompeius proconsul in Hispaniam contra Sertorium missus, ubi METELLO obuiam processit, atque in conspectu utrinque fuerunt, honoris Metelli causa dignitate prioris summitti fasces iussit. Id prohibuit ille, præbuitquē cætera moderatum se Pompeio, neq; ullam sibi ut consulari & ætate maiori sumsit prærogatiuam: nisi quòd signum, cùm unis in castris tenderent, toti exercitui daretur à Metello. Nam castra ferè separata habebant. Plut. in Pompeio.

Metium

Metium [redacted] IVSTINIANVS Augustus, per [redacted] ratis Persis, Vandalorūq; rege Gilimere, atq; recepta Africa, nō solùm non occupauit duos illos triumphos: sed illi concessit, qui sudore ac sanguine suo rebus feliciter gestis eos meruerat. Itaq; postremus fuit Belisarius, qui sub Imperatoribus post Augustum triumphauit. Fulg. lib. 2. c. 3.

POMP. Lætus Platinam & Marsum seniorem unicè dilexit. Petrum Cæsensem, & ipsum cognomento Marsum, Volscū Sulpitium, & alia recentiora Romanæ Academiæ lumina, patria caritate fouit, tantumque abfuit, ut horum crescenti laudi sit officere conatus, ut illorum etiam studia homo minimè ambitiosus præferret suis. Per quæ consecutus est, ut eum cuncti Patris appellatione dignarentur, paterenturque sine controuersia Academiæ principem haberi. Sabellicus in eius uita.

AMBITIONEM. ALIORVM

Refrænando, Castigando.

Consule Titulum Prudentiæ in refrænanda ambitione aliorum.

Xerxes LEONIDÆ, Lacedæmoniorū regi, scripserat: Si desinas θεομαχεῖν, id est, cū diis bellare, & meis te copiis adiungas, poies Græciæ fieri monarcha. Huic respōdit Leonidas: Si nouisses, quę sint in uita honesta, abstinuisses à cōcupiscēdis alienis. Mihi potiùs est pro Græcia mori, quàm in populares meos gerere monarchiam. Plut. in Lacon.

Atheniensibus mari potentissimis, cùm Aegyptum quidam, alij Siciliam & Carthaginem imperio adiicere somniarent: PERICLES effrænatam dominandi libidinem compressit, & opes omnes conuertit ad tuenda ea, quæ iam habebant. Plut. in Pericle.

Cùm peruenissent ad Susianam, qui sequebantur partes Eumenis Cardiani contra Antigonū, publicā concionem indixerunt, in qua multiplex ambitio suborta est de imperio militari: Peucestes enim & propter multitudinē sociorū in pugnando, & propter prærogatiuā quā ab Alexādro habebat, putabat seipsum esse præficiendum omniū imperio. At Antigenes, dux Macedonum Argyraspidarū declarauit deferēdam esse potestatem electionis Macedonib. qui bello subegissent Alexādro Asiā, & propter fortitudinē inuicti permansissent. EVMENES autem formidās, ne propter mutuā discordiā facilè uicti subiicerenrur Antigono, consiliū dabat, ne unus dux constitueretur: sed omnes satrapæ & imperatores è multitudine præpositi, in aulam regiā conuenientes, singulis diebus consultarent publicè de iis, quæ conducerent. Omnibus ergo iudicantibus utilē esse sententiā illam, confessus conueniebat singulis diebus, tanquā ciuitatis cuiusdam populari imperio administratæ. Diod. lib. 19.

Sesostris, Aegyptiorum regis, adeò diuturna gloria, ingensq; ad posteros manauit, ut cùm multis postea seculis, Persis Aegypti imperium tenentibus, Darius Xerxis pater uellet in Memphi suam ante Sesostris statuam ponere, princeps sacerdotum publicè contradiceret, asserens illum nondum Sesostris opera æquasse. Quod responsum haudquaquam ægrè ferens rex, sed lætatus admodum libertate loquendi, Se curaturum, inquit, ut nihilo illius uirtute, si tantundem uiueret, esset inferior: hortatusque est, ut ætatis eiusdem conferret gesta: id uerum argumentum esse uirtutis. Diodorus lib. 1. c. 4.

Post Romam conditam longo tempore, nullam de ambitu legem fuisse latam, multorū literis proditum est: scilicet quia in dandis Magistratibus & cōferendis honoribus, prisci Romani non largitione & ambitu, sed uera uirtute nitebantur: propterque res egregiè gestas domi militiæque, meritos ciues prætura, ædilitate & consulatu, amplissimisque honoribus honestabant. Prima lex contra ambitus illorum, qui magistratus appeterent, per tribunos plebis latā fuit, quò tempore post decemuiros tribuni militum consulari potestate reipub. præfuēre, qua ne cui albo in uestimento petitionis causa quenquam adire liceret, cauebatur. C. deinde PETILIVS Trib. pleb. legem tulit ad populum, qua largitiones illorum, qui honores pecunia mercarentur, graui damno & pœna mulctauit: fuitque seuerissima disciplina & sub graui censura lex seruata, qua ambitioni & cupiditati obuiam sępeitum est; ita ut inter exempla relatum sit, Q. Coponium, quòd uini amphoram ei, cuius suffragio magistratum petebat, dono dederat, ambitus condemnatum pœnas luisse. CINCIVS deinde legem tulit muneralem, qua grauissimis pœnis affecit eos, qui à quouis candidato munus suffragij causa donúmue acciperent. Inde cautum, ut in petendis honoribus candidati sine toga ad comitia descēderent: ne pecuniis in sinu reconditis, tribuum suffragia mercarētur. Sed quum quotidie hoc malum serpere uideretur magis, & ambitus petentium coërceri oporteret: L. PAVLVS Aemylius consul legem tulit ad populum, qua, ne cui suffragij causa munus dare liceret, multiplici pœna interdixit. Postea lege CALPHVRNIA his, qui mercede corrupti, aut munere deliniti, candidatis obuiam issent, quiq; precio illos sectarentur, aut si prandium ad captandos animos, aut quid muneris exhibitum foret, præter pœnas legibus constitutas, etiam pecuniaria multa dicta fuit. Id quod FABIA lege cauebatur, qua præfinitur numerus sectatorum, prosequentium in comitiis candidatos, pœna adiecta, si quis plures aduocaret: quam legem Marius etiam in suo tribunatu cōtra illos, qui tribuum suffragia ambirent, seuerissimè tulit. Intantumq; ambitus honorum inhibitus fuit: ut Licinia lex & Ebutia, non modò illi, qui de nouo creando magistratu ad populum ferret, sed nec ipsius collegæ & affini curationem potestatemúe demandari, graui documento sanciuerit. Demum C. MARIVS in consulatu denuò ita ambitum osum habuit, ut aduersus Cottam collegā, & Metellum tribunum pleb. legem promulgarit, ne quis largitione aut donis magistratum honorésue assequeretur. Mox CN. Pompeius Magnus, quum unicus esset consul, aliam pertulit, qua peruicax illorum cupido, qui magistratus appeterent, graui censura multatur: mansitq; diu Romæ hæc uitæ integritas & obseruantia disciplinæ, ut procul ambitione officium & uirtus pluris, quàm census, æstimaretur: adeò ut post longa tempora, CATONEM ambitus diem dixisse illis, qui largitiones fecerant, pro miraculo fuerit. Tandem degenerantibus iam moribus M. TVLLIVS, & mox C. IVLIVS, deinde AVGVSTVS, ne qua occasio fraudis pateret, seuera correctione ambitus illorum, qui largitionibus suffragia captabant, inhibuere. Et deinde à LVRCONE Tribuno pleb. ut qui numos in trib. pronūciasset & dedisset, quoad uiueret, annua sestertia pœnæ nomine singulis tribubus pendere cogeretur, salutari edicto cautum fuit. Sed quum effrenatæ cupiditati nondum obuiam irent, corruptionesque suffragiorum nihilominus immodicæ fierent: senatusconsulto prouisum est, ut candidati ante inita suffragia, nec conuiuentur, nec munera mittant, neque pecunias deponant. Alexander lib. 3. cap. 17.

P. SCIPIO Nasica in Censorem electus, statuas, quas consulum quisq; in foro per ambitionem habebat, sustulit. Volaterranus lib. 19.

M. CATO præturam adeptus, adulterato candidatorum largitionibus populo, plebeque nundinationem sicut opificium exercente, cupiens hunc morbum radicitùs è repub. excindere, suasit in senatu, ut lex ferretur: ut designati magistratus, si nullum haberent accusatorem, ipsi cogerentur iudicio iurato se offerre, atq; ibi rationem reddere parati magistratus. Id candidatos offendit, magisq; mercenariā multitudinem. Itaq; cùm manè Cato progrederetur ad tribunal, magna manus incurrens obstrepuit ei, cōuitia ingessit, lapidibus incessit, ut à tribunali diffugerent omnes: ipse Cato à multitudine impulsus, iactatusq;, ægrè euaserit in rostra. Ibi restitans uultus fidentia & constantia ilicò compescuit turbam, & clamorem sedauit. Cùm uerò disseruisset, quæ ad rem pertinebant, & esset magno silentio auditus, tumultum semel compressit. Ibi laudante eum senatu: Ego uos, inquit, non laudo: qui prætorem deseruistis in discrimine, neq; ei succurristis. At candidati omnes malo fluctuabāt ancipiti: quòd quisq; hinc timeret largiri numos: hinc uereretur, ne si id fecisset alius, decideret à magistratu. Visum igitur iis est, ut ex compromisso deponerent singuli quingena sestertia, deinde magistratum omnes peterent legitimè: qui secùs fecisset, & largitionem adhibuisset, is ut eā pecuniam perderet. Hęc pacti custodem, arbitrum, & testem capiunt Catonem, pecuniam allatam ei offerunt, atq; apud eum pacta conscribunt. Ille pro pecunia prædes accepit, cū pecuniam nollet. Vt dies comitiorum uenit, assistens Cato Tribuno, qui præerat comitiis, obseruatisq; suffragiis, unū ex iis, qui comprom[redacted]

VE[redacted]

BO[redacted]

tificē

tificis aut episcopi subrogaretur, nisi tertia saltẽ post obitũ eius die:néue ullus largitione & gratia ad pontificatum uel episcopatum aditum sibi quæreret. Voluit item electionem episcopi à clero pariter & populo fieri, eamq; ita ratam fore, si à principe ciuitatis approbata esset, & si summus pontifex deniq; his uerbis auctoritatem suam interposuisset, Volumus & Iubemus. Platina.

HILARIVS Sardus, Leone I. imperante, instituit ne Pontifices sibi deinceps successorem deligerent, Anno 463. Volaterranus lib.22. Anthrop.

Eousq; Germanorum principum, qui se Electores uocant, ambitio exarserat, ut primũ sibi quisq; locum, præcipuamq; auctoritatem in eligendo Imperatore, assidendoq; uẽdicaret, nedum ut alius alium in honore deferendo præueniret: unde simultates inter illos, & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur. Approbante igitur senatu principum frequentissimo, decretum CAROLVS IV. Imp. promulgauit Norimbergæ, anno 1356. 10. Ian. quo gradus, potestasq; principum & aliorum ordinũ ita discreuit, ut nullus de iure suo, tanquã imminuto, queri potuerit, sed cõtrà potiùs, ut tenuiores cũ potentioribus se quodãmodò æquari gauisi fuerint. Sic item uetera Cæsarum de eligendo Rege Romanorum placita renouauit, ut in hodiernum diem Carolina sanctio, de mandãdis suffragiis, sola apud principes uigeat. Dubrauius lib.22.

Anno 1506. quoniam apud VENETOS, magistratibus comitiis maioribus creandis, leges iubent, ut ij, quib. id sorte munus obtigerit, ut nomen alicuius ciuis ad honores publicos suffragiis prouehendi palàm ederent, optimum quemque ciuem renuncient ac nõnulli diuites ex ciuibus: qui essent, nonnihil donarent eis, qui illos ad suffragia legissent, quò proniores ad eos in posterum renunciandos fierent: legem Decemuiri tulerunt, Qui ciui cuipiam, qui eum ad suffragia legisset, uti magistratus crearetur, pecuniam aut quid aliud ob eam rem dederit, donauerit, qua in insula Decẽuiris placebit, exul esto: eo relicto loco captus, fœdiore in urbis carcere uitam producito, ac relinquito: eam pœnam minorẽ, nisi omnibus ad unum suffragiis, collegium ne facito: qui facere uolet, ei decem auri libræ multa esto. Bembus libro 7. Historiæ Ven.

VENETI, cùm in creãdis magistratib. ambitus anno 1511. magnoperè niguisset, ut prensandis ciuibus, qui suffragia in comitio daturi essent, à candidatis & candidatorũ propinquis clientibusq; nullus modus fieret, nulla eos modestia contineret, legem tulere, Qui deinceps ciuis ciuem rogauerit, ut sibi aut alicui suorũ in dando suffragio fautor sit, is ad ullũ magistratum, aut omnino reip. in comitio munus intra X annos ne admittatur: & si in magistratu fuerit, ab eo reiiciatur: cui autem rogari se cõtigerit, is rogatoris nomẽ ad Decemuiros deferat: id si non fecerit, quinq; annos eandẽ multam subeat. Ita magnæ ciuium modestiæ à Patribus obuiã est itum. Bembus lib.11. Hist. Ven.

IVLIVS II. Pp. à morbo, quo quarto ægritudinis die anno 1511. adeò oppressus fuit, ut per aliquot horas à suis ministris pro mortuo fuerit habitus, leuatus, sequenti die Cardinalibus, quasi iniustum senatum congregatis, legem ambitus in eos, qui uel pecuniis, uel aliis corruptelis ad pontificatum aspirarent, horrẽdis pœnis refertã promulgauit: eãq; electionem aduersum hanc legem factã prorsus sustulit: & cuius Cardinali ad eam impugnandã admodũ facilem aditum patefecit: quã legem, iam tũ cùm Bononiæ esset, in nõnullos Cardinales, qui palàm, ut post eius obitũ ad pontificatum assumerentur, cum aliis Cardinalibus paciscebãtur, indignatus tulerat. Guicciardinus lib.10.

Reprehendendo.

☞ *Consule Tit. Reprehensio libera ambitionis.*

M. CATO eos, qui consulatũ ambirent sæpiùs, dicebat more illorũ, qui uiã ignorent, semper cupere, ne errẽt, incedere cũ lictoribus. Increpabat ciues, quòd crebrò eosdẽ cõsules designarent: Videbimini, inquit, aut non magni consulatũ aut non multos consulatu ducere dignos. Plut. in Catone.

[redacted]

D. BERNARDVS diuitias & comitatum, tanquam retia diaboli, in sorore germana ita detestatus est, ut cùm ad Claruallem eius uidendi causa illa uenisset aliquando, colloquio & aspectu eam non sit dignatus. Tum illa ad fratrem Andream, à quo duriùs increpabatur: Etsi peccatrix sum, pro talibus Christus mortuus est. Quia etiã peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Lib. I. c.6. uitæ Bernardi.

TVRCI superstitionem insignẽ, & potissimùm ridendã Christianorum censent, qui arma atque insignia sua in templis ædibusque sacris suspendunt, cùm ipsi ne sigillo quidẽ utantur, etiam in literis regiis, contenti nudis literis, si nomẽ adsit mittentis, aut syngrapha: cætera inutilia, uanaque reputantes. Cuspinianus.

HVMILITATEM LAVDANDO, ORNANDO, PROMOVENDO.

☞ *Hæc omnes ij, qui Humilitati alienæ commodando, alios ad eandem incitauere.*

CVM CERTAMINE. HONORIS, Gloriæ æmulationes honestæ.

QVI. PVTA

Philosophi.

PLATO & XENOPHON, Socratis discipuli, philosophi summi, æmuli fuisse uulgò dicuntur, atque adeò Xenophontem libris Politicis Platonis suos libros de Cyri institutione opposuisse aiunt. Cæterùm Gellius libro 14. capite 3. Noct. Att. falsam hanc calumniam esse autumat: neque enim eos æmulos fuisse: sed suspicionem hanc ex eo natam, quoniam illorum amici de iis, uter præstantior esset, certarunt. Nam cùm uiri illustres pari sunt fama: oritur apud diuersos fautores eorum laudis æstimandæ contentio. Tum postea ex alieno certamine ad eos quoque æmulationis suspicio uulgi iudicio pertingit.

ZENO, cũ uideret Theophrastũ magni fieri, laudariq;, quòd plures haberet auditores, dixit, Ἐκείνου μὲν χορὸς μείζων, οὑμὸς συμφωνότερος. id est, Maior quidem est illius chorus, at meus suauior. Laertius.

ARISTOTELES, quum Isocrates rhetoricen doceret, æmulatione cõmotus, cepit & ipse pomeridianis illis suis ἀσκήσεσι dicendi artem docere, dicens illud, αἰσχρὸν σιωπᾶν, λαλεῖν δ' Ἰσοκράτην. i. Turpe silere loquẽte Isocrate. M. Tullius de Oratore sic scribit: Aristoteles quum florere Isocratem nobilitate discipulorum uideret, quòd ipse suas disputationes à causis forensibus & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutauit repentè totã propè formã disciplinæ suæ, uersumq; quendam de Philoctete paulò secùs dixit. Ille enim turpe sibi ait esse tacere cum Barbaris: hic autem, quum Isocratem pateretur dicere. Erasmus in Adagiis. Laertius uerò Xenocratis æmulatione ad philosophiæ explicationẽ in Lyceo accessisse scribit, hac uoce usum, αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ξενοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν.

Sophistæ, Rhetores.

SECVNDVS Atheniensis, quẽ alij Epithyrum uocant, quòd architecti filius fuerit, multæ doctrinæ, mediocris eloquentiæ, æqualis & æmulus fuit Herodis Attici: ex quo Herodes illud Hesiodi eleganti mutatione in eum cauillatus est:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ῥήτορι τέκτων.

qui nihilominùs senem postea morientem & epicedio & lacrymis honorauit. Philostratus.

Duces belli.

Victis à C. MARIO & Luctatio Catulo Cimbris in Italia Cispadana, spolia, signa militaria, tubas in castra Catuli ainnt fuisse relata: quo potissimùm indicio penes se uictoriam isse Catulum demonstrasse. Et uerò etiam concertatione inter milites orta, legati Parmensium, qui aderãt, arbitri sunt: quos per hostium stragem ducentes milites Catuli, pilis suis ostenderunt confossos. Cognoscebantur pila literis, quòd Catuli nomen hastili eorum incidissent. Mario tamen totum illud factum & superior palma & consulatus maiestas asscripsit. Atq; adeò illum plebs urbana tertium Romæ conditorem appellauit, quòd Gallico hoc non leuius auertisset discrimen: lætiq; cum liberis & coniugibus quisq; domi in cœna diis & Mario libauerunt, soliq; uoluerunt utrũque triumphum decernere: quo tamen non est ille usus. Cęterùm, quo cõmendaret tãtis rebus gestis modestiam suã, unà cum Catulo triumphauit. Adhæc nõnihil milites illius formidabat obstinatos, si Catulus eo honore spoliaretur, nec sibi permittere triumphum. Plut. in Mario.

MAGNVS Sforcia excitabatur die noctuque ad magnorum ducum nomen, qui tum bellica uirtute prouecti ad ingentes opes ac imperia peruenerant, adeò ut in corona, quum aliquid bello præclarè gestum nunciaretur, commoto ueluti animo suspiraret, utpote, qui honesta æmulatione indu ctus, felicitati eorum haud mediocriter inuideret. Paulus Iouius in eius uita.

BRACCHIVS & SFORCIA duces clariss. & militaris gloriæ æmuli, periêre anno 1424. hic aquis, ille ferro. Sabellicus libro I. Enn.10.

Mechanici.

☞ *Consule locum Mechanicarum artium, item Tit. Imitationis mechanicæ.*

MYRON & POLYCLETVS statuarij celeberrimi condiscipuli & æmuli non arte tantùm, sed & materia. Myron bonem æreum, qui Romæ postea in foro boario spectabatur, ex ære Aeginetico: Polycletus Iouem Tonantem in Capitolio ex Deliaco ære fecit. Plin. lib.34. cap.2.

DE QVO. CERTARE DE GLORIA PROVENIENTE EX bonis

Animi. Puta ex

Eruditione, Doctrina.

☞ *Consule Tit. Certamina Grammaticorũ, Poetarum, Musicorum, Theologorum, & cæterorum. Illic Habitus præstantiæ, heic Laudis habitum concomitantis ratio habetur. Item, Imitationis theoricæ.*

Prudentia, tum politica, tum bellica.

☞ *Consule Tit. Certamina consiliariorum, quatenus scilicet prudentum hominum consultationibus, laudis quoque concertatio subest.*

Fortitudine contra belluas.

THESEVS Herculis temporibus natus, ita se gessit, ut pari cũ eo gloria floreret. Nec enim simili armorum genere duntaxat sese ornarunt, sed eadem quoque studia habuerunt, ut decebat eorum necessitudinem. E fratribus enim geniti, alter Ioue, Neptuno alter, fraternas etiam cupiditates habuerunt. Nam hi soli ex omni memoria, pro defensione humani generis, ut pugiles, semper uelut in procinctu steterunt. Sic autem contigit, ut alter celebriora & maiora, alter utiliora & coniunctiora Græcis certamina subiret. Nam illi Eurystheus imperabat, ut boues ex Erythea abigeret, ut mala Hesperidum afferret, ut Cerberum adduceret, & alios eius generis labores susciperet, quibus nihil aliis profuturus, sed ipse in pericula uenturus erat. Hic uerò, cùm sui iuris esset, ea certamina delegit, quibus uel Græciam, uel patriã suã beneficiis sibi obligaret. Isocrates in Helena.

Fortitudine contra hostes.

THEMISTOCLES Atheniensis stimulis uirtutum agitatus & ob id noctes inquietas exigens, quærentibus, Quid ita eo tempore in publico uersaretur? respondit, Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirum animum eius, & Artemisium, & Salamis, naualis gloriæ fertilia nomina illustranda, tacitis facibus incitabãt. Idem theatrum petens, cùm interrogaretur, Cuius uox auditu illi futura esset gratissima? dixit: Eius à quo artes meæ optimè canerentur. Dulcedini gloriæ penè adiecit gloriam. Val. Max. libro octauo, capite decimoquinto.

Confugerant in munitissimam quandam petram, cui Aorno erat nomen, Arianorum terræ habitatores, uti ab hostium ui incolumes essẽt. Ad hãc quoq; ALEXANDER Magnus uenit. Cumq; fama esset, antiquum Herculem eam quondam oppugnare adortum, ob tremores terræ & alia prodigia, quæ eum perterruissent, re infecta discessisse: eò magis hoc audito inflãmatus est ad negotiũ perficiendum, ut dei illius gloriæ æmulus appareret. Saxi eius circuitus erat stadiorũ centum, sexdecim autem in altum erigebatur: habebatq; undiq; æqualem & sese in circulum uertentem speciẽ. Partem quæ ad meridiem spectat Indus, inter Indiæ fluminamaximus, alluebat: partes alias præruptæ ualles præcipitem rupem cingentes tutabantur. Speculatus Alexander omnes loci difficultates, desperabat ui se aliquid posse efficere. Tunc ad eum senex quidam cum duobus filiis accessit (is erat homo extremæ paupertatis, multosq; annos in eis locis uixerat. Inhabitabat cauum quoddam ad radices eius petræ, excisum hactenus, ut tres lectulos caperet) & de toto statu suo reddidit certiorem, pollicitusq; est per angustias quasdam ad id loci eum ducturum, unde Barbaris, qui petram occupauerant, uim inferre posset. Cuius consilio patens, locum occupauit. Diodorus lib.17.

Castra Ciceronis, qui legat⁹ erat C. Iul. Cęsaris bello Gallico, in Aduaticis & Neruiis ab Ambio rege defectionis Gallorum principe atrociter oppugnata, egregiè defensa sunt. Hostes cum clade maxima tantoq; contemptu sunt à uallo repulsi, ut porta repentè patefacta, inuitatiq; ut in castra irrũperent, congredi non sint ausi. Erant in his castris Q. PVLLO, & L. VORENVS cẽturiones, qui pluribus annis inter se de uirtute certarant, exieratq; æmulatio illa in apertas inimicitias. Hic Pullo Voreno appellato: Hic (inquit) dies Vorene est, qui de nostris controuersiis planè decerner. atq; cũ his ex castrorũ munitionibus, ubi acrior pugna erat, in hostes desiluit. Nec Vorenus, ut pari uirtute uideretur, quicquã cunctatus loco desedit, quin eũ secutus, hostẽ secundũ Pullonẽ ferro hausit. Atq; ita ambo, in hostiũ globo aliquãdiu præliati, ad suos sese incolumes receperunt. Sab. lib.6. En.6.

Liberalitate, Magnificentia.

Alcibiades cùm SOCRATI magnifica misisset munera, & Socrates respuere uideretur: Xanthippe auida dissuasit: & donum magnificum, atq; indignum ut non acciperetur, esse dixit. Tum Socrates: Alcibiades, inquit, hæc mittit ambitiosè, (ut laudetur) & nobis nostra est ambitio (contemnendo.) Erasmus lib. 8. Apoph.

Athenienses oratores Periclem sumtuosis ædificiis pecuniam dilapidare, & uectigalia euertere criminabantur. Ibi pro cõcione, an multum impensum esset, requisiuit ex populo. Permultum uerò, cùm respondisset: Ne ergo uobis, inquit, sed mihi referatur expensum, meumq; ipsius nomen his inscribã. Sub hoc Periclis dictũ uel uiri magnitudine animi obstupescentes ATHENIENSES, uel de operũ cũ eo certantes gloria, sublata uoce, ex ærario impenderet, erogaretq;, nullo sumtus respectu, iussêre. Plut. in Pericle.

CONSTANTINVS Magnus, Gothos & Sarmatas magnitudine rerum opumq; suarũ exterritos, posthac quieturos ratus, castella & præsidia in ripis Istri à Diocletiano restituta remouit, ac milites limitaneos in proxima oppida disperti- uit, ac pontem lapideum in Istrum fecit, ne TRAIANO, qui illud idem gloriæ cupiditate perfecerat, uideretur inferior: cuius æmulatione duci uidebatur, ipsum herbam parietariã uocans, quòd plerasq; ædes suis titulis inscripsisset. Sigonius lib.4. Imp. occid.

Corporis. Verbi caussà, ex

Robore, Celeritate.

☞ *Consule locum Corporis exercitiorum. Plurima illic exempla partim Magnanimitatis, partim Ambitionis reperies.*

ICTYS Tarentinus, nobilis palæstrita, ideò toto uitæ tempore ueneris expers fuit, ut arti accõmodatior esset. Tanta illi gloriæ cupido fuit. Aelianus de Var. hist.

Pulcritudine.

☞ *Consule Tit. Pulcritudinis certamina: quorum alia honesta sunt, huiusq; loci propria: alia inhonesta, quæ ad Ambitionem pertinent.*

Fortunæ. Certare de

Auctore generis.

Olymp.86. in Italia inter THVRIOS, cùm in eã urbẽ (ex ruinis Sybaris ædificatam) uarij ex uariis gentibus urbibusq; coloni cõmigrassent, orta contentione, disceptari ceptum, quæriq;, cuius potissimùm gentis urbisúe coloniam eã appellari fas esset, quémue præcipuè conditorem colere. Nam & Athenienses eam coloniam sibi uendicabant, contendentes plurimos habitatores Athenis eò uenisse. Cæterùm Peloponnesij populi, sibi palàm Thuriorum coloniæq; deberi cõditionem adscribi, paribus animis affirmabãt. Postremò Thurij ueluti in re ambigua, nec humano ingenio satis explicabili, Delphos percontatũ mittunt, quẽ eis deus conditorem decerneret oraculo. Responsum accepêre, conditorẽ urbis Apollinẽ scribendũ. Hoc modo pacata altercatione, & explicato dubio, conditorem suum declararunt Apollinem: seditioneq; sedata, plebs in pristinam concordiam rediit. Diodorus lib.12.

Nobilitate & Antiquitate gentis, generis.

De HOMINVM ortu primo, & quæ gens prima fuerit, certamina uaria. De quibus Polydorus Verg. libro primo, capite 3. de Inuent.

Inter GRÆCIÆ populos maximè de antiquitate & deorum muneribus cum Atheniensibus certant Argiui: non aliter quàm inter BARBAROS cum Phrygibus Aegyptij. Pausanias in Atticis.

AEGYPTII ante Psammetichi regis tempora, se mortalium uetustissimos arbitrati sunt. Ille nouo commento inueteratí erroris gentem coarguit. Cepit eum cupido explorandi, qui

qui hominũ primi extitissent, quiúe sermo homini peculiaris esset à natura datus. Infantes duos iam inde à suo ortu in stabulo iussit à pastoribus nutriri, qui caprarum uberib. ambos admouerent, iussi nullã interim uocẽ emittere, sed silentium tantisper tenere, dum puerorum explerẽtur desideria, mox clausos in solitudine relinqui. Post bimatum igitur pastori stabulum recludenti, ambo porrectis manibus procidentes Beccus clamabant. Tenuit pastor indictũ silentium. Sed quũ illi id uerbum sæpiùs iterarent, rem pastores renũciant. Mandat ille pueros silentio ad se deferri. Ac quum id per se postea explorasset, sciscitatus est cuius gentis uox illa esset, & quid potissimùm significaret. Constitit PHRYGAS beccum panem appellare. Atq; iam inde Aegyptij eo argumento uicti, uetustatis palmã Phrygibus concessẽre. Hæc se Herodotus Memphi à Vulcani sacerdotibus cognouisse ꝓdidit. Alij, quibus haud grauatè accedo, à mutis nutricibus infantes educatos memorant. Cæterùm quoquo modo res acta est, satis constat Aegyptios tali coniectura uictos, uana de se opinari desiisse. Sabel. lib. 3. En. 1. ex Herod. lib. 2. Snidas uerò pueros à capra nutritos uocem capræ naturaliter emisisse, & stultũ regem illusisse putat. Hinc βεκκεσέληνος, de homine antiquissimo, & propter senium deliro, apud Græcos in prouerbium abiit. ARCADES sese Προσελήνους quasi Antelunares iactabant, quòd ante lunam nati essent. Io. uerò Goropius Becanus Medicus Antuerpiensis uocem è Germanico corruptam tradit. Germanis Beck & Vveck panis à figura nomen habet. Zellen uerò numerare est. Itaq; Panis numerationis, hoc est, series temporum à primis uerisq; repetita originibus, uerè Beccesselenos facit. Græci ex aliorum contemtu captantes gloriam, cùm rem assequi nõ possent, uocem quoq; ludibrio habuẽre.

SCYTHARVM gens quàm antiquissima semper habita fuerit, sua cũ Aegyptiis cõtentio prorsus ostẽdit. AEGYPTII hoc argumento primã hominũ originem sibi uendicabant. Asserebant enim terras ab initio rerũ, quæ aut intolerabili frigore, aut nimio feruore afficiebãtur, primos homines adire nequiuisse: præsertim quũ aduersus hæc, nulla adhuc uelamenta ars inuenisset. Aegyptũ in medio sitã nimia soli fœcunditate, cœliq; tẽperie præpolluisse: quinetiã Nilum è limo, fouente sole, innumera animalium genera procreasse: hinc facilè colligi, primos homines ibi fuisse uisos, ubi educari facillimè possent. Contrà Scythæ, Deũ & Naturam nil frustra statuisse: nulla protulisse loca, quæ omni ex parte uacarent in animalium ac cæterarum rerum procreatione, pro loci aërisq; conditione omnia generasse: in frigidis oris dura corpora collocasse: cætera, patientia caloris intolerandi, plãtas & fruges pro loco & cœlo aptissimè disposuisse. Adhæc à principio rerũ, siue unio fuerit congeriesq; rerũ, siue aquarũ illuuies terras exsuperãs, siue ignis cuncta occupârit, quẽ mundum genuisse uolunt, Scythas origine omnino prętare oportere. Nam si ignis Dei nutu terris cedere iussus est, nil rigente Septentrione priùs ab igne liberatũ fuisse, credendum est: Aegyptum uerò, ac cætera, quæ ad solis exortũ spectant, tardissimè tẽperata, quinetiã adhuc solis æstu non carere. Si aquarũ illuuie demersa tellus, nihil editissimo Septentrione desidentib. aquis celeriùs emersisse: quod nulli priùs quàm Scythiæ accidere potuit, quæ quàm alta sit, hinc facilè intelligi potest, quòd omnes fluuij è Scythia orti, in Ponticum Aegyptiumq; mare decurrunt: contrà Aegyptus, adhuc tot regum seculorumq; studio & impensa, aduersus incurrentium uim aquarũ uix muniri potuit. Ex quo facilè colligitur, Nilum nõ à Meridie, sed ex Atlante mõte ad Occasum ortũ defluere. Si distincta unione, rerũq; congerie, leuia sursum, grauia deorsum planè desidũt: nimirum Scythia cœlo propior, sub editiore polo sita, prior emersit. Quare Aegyptij nõ modò argumentis, sed ui quoq; armorũ superati sunt. Nã indicto à Beroso, Aegyptiorũ rege quondã, bello, non modò eum in finibus aduenientem expectârunt, sed prodeuntes longiùs occurrerunt, tanquam prædæ obuiam ituri, quando cũ eis rex nil lucri facere posset. Quod ubi hostes acceperũt, relictis impedimẽtis & castris, dicto citiùs in fugã conuersi sunt: patrataq; magna cęde eorũ, uix in Aegyptũ rex incolumẽ se recipere potuit: quinetiam, nisi Scythas paludes inhibuissent, uniuersum ille regnũ amisisset. Isti dũ redeunt, uniuersam Asiã domitarunt, & in imperij titulum minimo indicto tributo stipendiariã fecerũt. Bonfinius lib. 2. Dec. 1. ex Trogo & Diodoro, & Sab. lib. 1. En. 1.

Ciuibus præclaris.

☞ *Consule Tit. Ciuium illustrium. Illic inter Fortunæ bona cõnumerantur: heic eorundem habetur ratio, quatenus ex iis gloria captatur.*

Coniugum Probitate, Pudore.

Bello Ardeates premebant ROM. Celebrabãt inter se regij iuuenes cũ æqualibus cõuiuia, ociumq; mutuis comessationib. terebãt. Accidit itaq;, ut nobilium iuuentute apud Sextum Tarquinium cœnante, & in his Collatino Egerij filio, sermo de re uxoria sit illatus. Hîc uerò quum quisq; suã studio uxorẽ probaret, certamine accẽsi iuuenes, quum nemo alij laude cederet, Quid, inquit Collatinus, uerbis opus est, breuis uia ad urbẽ ducit: paucis horis, si periclitari iuuat, cõstare poterit, quę sit omnium optima. Agite, ac citatis equis Romã profecti, ipsi nostrarũ ingenia qualia sint, improuiso accessu oculis exploremus. Id cuiq; spectatis, erit uitæ argumentum in sua, quòd inopinatò occurrerit. Nec mora deinceps fuit, incaluerãt enim uino, unà Romã iter intendunt. Vbi regiis nuribus in conuiuio & luxu inter æquales repertis, Collatiã primis sese tenebris intendentib. abeunt: ibiq; Lucretiã non epulis & choreis, sed lanæ deditã inter lucubrantes ancillas mediis ædibus sedentẽ inueniunt. Tum illa præ cunctis laudata. Cepit interim Sextum Tarquinium libido Lucretiæ stuprandæ, cuius non minùs spectata castitas, quàm forma accẽdebat. Quo stupro & patri exilium, & Romanis libertatem conciliauit. Sab. lib. 6. En. 2.

Victoria.

Mahumetes II. Turcarũ rex, in oppugnatione Albę, ad Saui & Danubij cõfluẽtes, sub papilla uulneratꝰ, turpiter fugit. Eius uictoriæ gloriã tres IOANNES in se quisq; transferre conati. Ioãnes Cardinalis S. Angeli, qui à Calixto III. in Germaniã ad cruces: signatos excitandos missus fuerat Ioãnes Capistranus è Minoritarum collegio monachus, qui Hũgaros suis concionibus exciuerat: & Io. Huniades dux clariss. Auctorẽ singuli Deum, se uerò ministros uictoriæ profitebãtur. Aen. Syl. c. 8. Europæ. Fertur Mahometes ad memoriã eius cladis iam inde suã barbã demulcere solitus, ac cum fremitu execrari diem, quo ad Albã prẹlio pugnasset. Persuasum multi habuerunt, si Huniadis equites maturiùs affuissent, ut fusos dispalatosque hostes insectati essent, potuisse eo die Othomannorum imperium deleri. Sic quoq; aduiginti millia hostium cæsa dicuntur. Sabellicus.

Gloriã Tarrensis pugnæ inter GALLOS è regno Neapolitano redeuntes & ITALOS, qui illorum reditum præpedire conabantur, consertæ, utriq; ad se pertrahere conati sunt. Itali, quòd eorum castra atq; impedimenta intacta atq; integra fuêre, cùm Galli bonã partẽ, & in his regis ipsius Caroli IIX. tentoria amisissent. Gloriabantur præterea, se hostes debellaturos fuisse, nisi pars ipsorum ad pugnandum destinata, prædæ cupiditate à conflictu (quod quidem uerũ esse haud abnuebant Galli) abstinuisset: atq; usq; adeò hãc sibi gloriam adscribere Veneti adnitebãtur, ut in omnibus eius imperij urbibus, ac Venetiis præcipuè, ipsorum iussu ignes de more atq; alia lætitiæ signa edita fuerint. Nec segniùs publicum exemplum priuati sunt secuti. In sepulcro enim Melchioris Triuisani, quod est in Franciscanorum, quos Minores uocãt, fano, in eius morte uerba illa exarata fuêre: Eum ad Tarrum flumen cum Carolo rege Francorum prosperè pugnasse. Nihilominùs tamen omnium ferè mortalium cõsensus, palmam Gallis adiudicauit, tum ex eorum, qui in ea pugna cecidêre numero tãto minore, quàm in parte aduersa: tum quòd hostem trans flumẽ profligauerunt: tum quòd ipsis expeditum ulteriùs progrediendi iter, de quo erat contentio, & propter quod in certamen erat uentum, remansit. Guicciardinus lib. 11.

MODERATIONIS CIRCA HONORES FRVCTVS.

HVMILITATIS.

MARIA Virgo, ab cœlesti nuncio salutata, pręclarumq; & ineffabile mysteriũ edocta, non se Domini matrẽ, nõ filiam, non sponsam dixit: sed ancillam. Cæterùm quò se abiectiùs depressit, eò sublimiùs in cœlum euecta est, hac humilitate summã inter mortales gloriã cõsecuta, regis regũ mater & filia, æternis celebranda ençomiis. Sab. lib. 10. c. 1.

DIOGENES Sinopensis nunquam se tantum abiecisset, ut pueris contemtui esset, si ex uana uulgi opinione & multitudinis plausu pependisset. Maluit ille esse uir bonus, quàm prædicari: magis naturæ æmulus, quàm gloriæ cupidus: estq; propterea post mortem assecutus, quod uiuus repudiauit. Sabellicus lib. 10. c. 1.

MAGNANIMITATIS.

☞ *Ex seq. Titulis illustretur, quatenus boni aliquid mali'ue ex Honoris legitimo studio ad auctores aliosue peruenit.*

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

- MODERATIO gloriæ ἐν ἄθλῳ, spectatur in Gloriæ usufructu: nimirũ quatenus Gloriæ acquisitioni
  - Nõ studet, sed contemnit, negligit. GLORIAE contemtus quo ad ἆθλον, respectu habito
    - Rerum, hoc est
      - ΑΞΙΩΜΑΤΟΣ, siue Honoris qui contemnitur. Cuiusmodi sunt
        - Honores *diuini.*
        - Pontificatus. Cardinalatus.
        - Episcopatus, *Sacerdotium.*
        - Regnum, *Imperium.* Consulatus.
        - Insignia *imperij.* Vestimenta.
        - Triumphi. Trophæa.
        - Statuæ, *Imagines.* Hospitia *honorifica.*
        - Tituli *magnifici, superbi.*
        - Inscriptiones. Encomia, *Laudes.*
        - Salutatio *honorifica.*
      - ΑΞΙΑΣ, *hoc est, Meriti, cui honor debetur. Ob*
        - Prophetiæ *donum.*
        - Miraculorum *donum.*
        - Eruditionem.
        - Fortitudinem *bellicam.*
        - Ædificiorum *magnificentiam.*
        - Fidem *erga patriam.*
        - Coniugia *præclara.*
        - Victoriam.
    - MODI, *quo cõtemnitur, quo ad*
      - Cupiditatem
        - Per *se, Non affectando.*
        - Respectu *aliorum.* Non
          - Petit.
          - Exigit. Certat.
          - Odit *obstantes.*
      - Facultatẽ. Honorem
        - Declinando:
          - Deprecatione.
          - Reprehensione, *Castigatione.*
          - Fuga. Occultatione.
          - Morbi *simulatione.*
          - Mutilatione. Morte.
        - Respuendo.
        - Deriuando, *Trãsferendo in alium: in*
          - Deum.
          - Collegam.
          - Quosuis *alios.*
        - Acceptando *ægrè.* Qui *acceptãt*
          - Inuiti, *Coacti.*
          - Flentes.
          - Cum *conditione.*
    - FINIS. *Causa scilicet uel alicuius*
      - Boni *conseruandi, declarandi, cõsequendi.* Vt
        - Pietatis.
        - Fidei *erga*
          - Patriam.
          - Principes.
          - Subditos.
          - Amicos.
          - Hostes.
        - Quietis.
        - Dignitatis.
      - Mali *præteriti, præsentis uel futuri.* Quoniã *uel acceptare non*
        - Decet *propter*
          - Infelicitatem.
          - Ignobilitatem.
        - Licet *propter*
          - Imperitiam *literarum.*
          - Impotentiam *ex morbo, senio.*
        - Morositatem.
  - Studet. *Vide signum* Aa.



Voluminis Vndecimi Liber II.

DE Moderata CONSERVATIONE Honorum.

GLORIAE CONTEMTVS secundùm AHΨIN, respectu AΞIΩMATOC siue HONORIS, qui contemnitur.

Μικροψυχία haec uideri posset, nisi ita distinguerentur, quòd scilicet μεγαλοψυχ& honores minores, etsi non offerantur, non magnopere curat (nam & maioribus se dignum esse nouit: & in paruis, si uel propter imprudentiam, uel propter contemtum non offerantur, paruam inesse iacturam existimat) ἀμεγάλοψυχ& uerò non modò honores minores, sed etiam pares eripi sibi patitur, quòd nec his nec illis dignum se arbitretur.

DIVINOS HONORES, SACRA, TEMPLA OBLATA contemnere.

Lystrenses Lycaoniae, cùm claudum à Paulo sanatum conspexissent: deos humana specie esse arbitrati, Paulum quidem propter concionãdi uim, Mercurium, Barnabã uerò Iouem appellantes, sacra illis immolare uoluere. At APOSTOLI uix eos à proposito abducere potuere. Act. 14.

A[redacted]

Cùm Thalij AGESILAO regi, quòd iudicarent multa se habere eius beneficia, delubra & diuinos honores decreuissent, atq; huius rei causa legationem misissent: lectis, quos deuulerant ei legati honoribus, rogauit, an patria eorum sacere homines ualeret deos. Annuentibus: Agite, inquit, facite primùm uos. Quòd si feceritis, tũ uobis posse & me deos efficere credam. Plut. in Apoph.

AVGVSTVS Cæsar templa quamuis sciret etiam Proconsulibus decerni solere: in nulla tamẽ prouincia, nisi cõmuni suo Romæq; nomine recepit. Nam in urbe quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar neq; statuã sibi erigi, neq; tẽplum ædificari permisit: edixit palàm, ne ciuitas ulla, neue priuatus quidquã id faceret: edicto addidit hæc uerba, Nisi ego permisero. mox adiecit, Atqui non permittam. Dion Nicæus in Tib.

PON-

PONTIFICATVM NEGLIGERE.

IONATHAS Anani F. põtificatu Hierosolymitano delectus à L. Vitellio Syriæ præside, cùm à rege Agrippa ei dignitas restitueretur, acceptare noluit: & ut in fratrem suum Matthiam, uirum sanctiorem conferret, monuit. Rex ea modestia delectatus, uotis eius annuit. Iosephus lib. 19. cap. 6. Antiquitatum.

Pelagio mortuo uniuersus clerus populusq; GREGORIVM Magnum pontificem creabant: ipse contrà omnia malebat quàm pontifex creari. G[redacted]

[redacted]. Gregorius ubi maiora erga se uidit hominum studia; quàm ut reluctando par illis esse posset, occultè ad Mauricium Imp. Constantinopolitanum (cuius filium ex sacro fonte susceperat) dedit literas, quibus impensiùs ab eo precibus petebat, ne quid Populo Romano & clero de se gratificaretur. adeò ille ex cœlestibus pendens, terrena par uisacere, repudiareq; id decus, cuius causa tam ambitiosè cæteri contenderent. Gregorij literas & nuncium Germanus, qui ab Exarcho præfecti nomine fuerat Romam missus, intercepit, [redacted]

[redacted]. Sicq; omnium ordinũ consensu & fauore uictus Gregorius põtificatum adiit. Sabellicus lib. 5. Enn. 8. & Platina, & Sigonius lib. 1. regni Ital.

Benedicto NICOLAVS I. in pontificatu succedens, cùm se electũ intelligeret, clàm ab urbe Roma profugit: magnóq; labore à Romanis inuentus, maiore ui, collatum accipere pontificatum ut uellet, cogi uix potuit. Fulgos. & Egnatius libro 4. capite j.

CLEMENS III. pontifex electus, mendicantis religiosi habitum indutus, Perusium incognitus peruenit. Eò deinceps profecti Cardinales, quem absentem in pontificem elegerant, cum Viterbium honorificè perduxerunt. Platina.

Petrus Moronus (qui postea CELESTINVS V. est dictus) [redacted]

[redacted]. Mortuo Nicolao IV. cùm iam biennio interregnum continuasset sacer senatus, demùm Petrum omnium suffragiis elegit. Cùm autem diu laboratum esset, ut is delatum acciperet honorem, spreta omni pompa, quantum fieri poterat, seruare eremiticæ uitæ, cui antea deditus fuerat, formam nitebatur: & tandẽ pontificias curas fastumq; abhorrẽs, nulla necessitate compulsus, quin potius multis contrà nitentibus, atq; ne id ageret obtestantibus, post quintum mensem pontificatum in Cardinalium manu deposuit, eremiticamq; uitam resumsit. Fulgosus lib. 4. cap. j. Marulus lib. j. cap. 6. Volaterranus lib. 22. & Platina.

DIGNITATEM QVAMVIS SACRAM, EPISCOPATVM, SACERDOTIVM, Cardinalatum negligere.

Beatus LEONARDVS inter aulicos regis Galliarũ aliquando primo loco habitus, cùm Dei seruitio sese addixisset, episcopatum sibi à rege oblatum recusauit. Ac ne deinceps huiusce rei illectatione aliqua tentari capiue posset, inde in Aquitaniam discedens, operam prædicationibus dedit. Marulus lib. j. cap. 6.

AMBROSIVS Romanus patricius, cùm Mediolanẽsem præfecturam gereret, uideretque à populo Mediolanensi ad se deferri episcopatum, abiectiore uitæ genere contentus, sequenti nocte Mediolano profugit. Cæterùm à populo retractus, coactusq; episcopatum assumere, ea integritate uitæ utq; administrauit, ut postea eius memoriam ceu sanctissimi hominis Mediolanenses ciues semper coluerint. Fulg. lib. 4. cap. j. & Egnat. lib. 4. cap. j.

CALLISTVS III. Põtifex in omni uita integerrimus est habitus: sed hæc eius præcipua laus est, quòd dum Episcopus esset aut Cardinalis, beneficium aliquod in cõmendatione nunquam uoluit, dicens se una sponsa, & quidem uirgine contentum esse, hoc est, ecclesia Valentina, ut ius pontificium mandat. Platina.

Mediolanẽsi antistite, an. MCXXIII. mortuo, ea dignitas ad BERNARDVM Clarævallis abbatem ob miram sanctitatis eius opinionem delata est. Eo uerò repudiante, Anselmus Pusterla suscepit. Sigonius lib. 10. regni Ital.

ANDREAS Minorum ordinem professus, ingẽti animo Cardinalatum abnuit, quem ei patruus Alexander IV. offerebat. Fulgos. lib. 4. cap. j.

[redacted]

IOANNES Actij Vicecomitis patruus à pseudopontifice Nicolao V. suffragante Cæsare Ludouico Bauaro in senatu Cardinalis creatus est. Sed uir ille summæ grauitatis atque prudentiæ gratias agens, beneficium quidem agnouit, ne ipernere uideretur: uerùm usu purpuræ galericque honore semper abstinuit, non obscurè in gratiam Ioannis XXII. legitimi pontificis, insigni quidem ipsius cum laude commodoq;: nam ei episcopatum Nouariensem postea contulit. Quo permutato demum cum Aycardo Camedoio, Mediolanensis archiepiscopus effectus est. Iouius in uita Actij.

Io. PICVS Mirandulæ dominus sæpe oblatas & sacras & profanas dignitates magno respuit animo: Deo & studiis se addictum respondens. Cùm Pandulfus Collenutius Pisaurẽsis Iurecoss. amicorum suasu eum ad Cardinalatus dignitatem petendam, uel certè si offerretur amplectendam subtimidè hortaretur: Non sunt cogitationes meæ cogitationes uestræ, respondit. Bona ecclesiæ pauperum bona sunt. Io. Fran. in eius uita.

Eskillo Lundensium archiepiscopo in Dania Alexander III. Pp. diploma deponendæ dignitatis, & alterum eiusdem in quem uellet transferendæ obtinuerat. Ergo annis fessus, Valdemaro rege Danorũ & proceribus conuocatis, id muneris in ABSALONEM Roskildensem episcopum transtulit, omnium consensu. Quod tamen Absalon constantissimè renuit: cumque ui ad sacram sedem traheretur, non nisi prouocatione ad Pontificem se ab illorum manibus liberare potuit. Interea tum precibus tum precio frustra intercedente, Romam missi legati ab utraq; parte, ea Romani pontificis industria sunt excepti, ut utriq; sibi pro uotis consultum gauderent. Nam & Absaloni Lundensem pontificatũ assumere iussum, & Roskildẽsem administrare permissum. Ita geminum ecclesiæ regimen in eius iuis ditionemq; concessit, alterum præcepto, alterum indulgentia sortiẽtis. Recusanti pallium ingestum est, iisq;, quod petentibus egrè præstari solet, repugnanti uioleater impositum. Saxo libro decimo quarto.

Paulo Iouio, doctrinę ætatis honore maiora promerito, in petitione pontificatus patriæ suæ Paulus III. Pp. quendã præculit, hominem ex arcanis cubiculi fordibus in lucem repentè productum. Ea re offensus Iouius, ad literatum otium sese contulit. Gratulatur ei AND. Alciatus de libertate serò tandem parta, epistola quadam, quæ tomo 1. Hist. Iouij præposita est: longeuerò magis sibiipsi, quòd ab ineuerati aetus sene principe decipi se non sit passus: Quum me, inquit, uti scis, magnis propositis præmiis Ticino, Ferraria atq; Bononia in Vrbem accerseret. Tum enim ex iure meo magis cautus fui, quàm tu ex Sapientiæ præceptis prudens philosophus. Cur enim pro inani aut incerta spe purpuræ hos tantos primi suggestus honores reliniquerem? opimis præsertim firmatos stipendiis. Cur has tantas contemnetem circumfusæ iuuentutis salutationes? & hanc denique, tot consultoribus iamiam pulsantibus, existimationẽ, magno lucro & nisi obscura cum laude quæsitam, ineptè stulteq; desererem. Hæc Alciatus de seipso. Sic etiam Vlpianus rhetor fecit: Plus est sophistam esse, quàm præfectum prætorio.

REGNVM, IMPERIVM CONTEMNERE.

Regnum & Tyrannis cumulum quendam fortuitorũ bonorum, Opum dico, Honorum, Potentiæ, Amicitiæ, comprehendere uidentur. Illorum proinde acceptio uel repudiatio respectu Opulentiæ ad Liberalitatem referri debet. At hîc eximiè Honorem præfulgentem consideramus. Vide infrà, Gloriæ contemtus, respectu Emis. item respectu Modi, Declinare Deprecatione, Fuga, Morte. Item, Transferre in alium.

GERMANICVS, pater Caligulæ, cùm à militibus suis Imperator contra Tiberium nominatus esset, post Augusti mortem, pluribus uerbis seipsum excusauit. Quibus cùm nihil proficeret, & eos dimoueri de sententia nequaquam posse uideret, gladium distrinxit, tanquam sibi ipsi manus inferre uellet. Cõfectis quinetiam sub Tiberij nomine literis, quibus illis munera & alia quædam promittebantur, seditionem compescuit. Sic ille imperium cùm occupare posset, aspernatus est. Suetonius.

GORDIANVS senior Imp. cùm eum milites strictis gladiis Augustum salutassent, senex fessus à grabato surgens, imperium oblatum detrectauit, humi proiectus supplicando: tandem minis compulsus est dignitatem suscipere. Volaterranus lib. 23. Anthrop. ex Lampridio.

Quum Henrici IV. Imp. Pontificis q; discordiam Germani in quo animo tolerarent, LADISLAVM Hungariæ regẽ ad

[redacted] bro 4.Decad.2.

ALBERTVS Bauariæ dux, cùm splendida ad eum legatio,totius Boemiæ populorum nomine profecta esset: ostenderetq; mortuo ipsorum rege Alberto II. Austrio, qui Ladislaum infantem filium in cunis reliquerat, quia tandiu expectare infantis grandiorem ætatem populi nolebant, ipsum omnibus suffragiis regem electum esse: ingenti animo renuit: ac multis sanctè facundeq; in hanc sententiam dictis, populus ut regem suum paruum expectaret, hortatus est. Fulgosus lib.4.cap.j.& Bonfinius lib.4.Decad.3.Ergo Hungari statim accepere paruulum,regemq; consalutarunt. Mater eum Friderico Romanorum regi commisit tutandum. Cranzius lib.12. Vandal.cap.8.

SIGISMVNDVS Polonorum rex,à Suecis post eiectũ Christiernum regem, & item ab Hungaris atq; Boemis post miserabilem Ludouici fratris filij interitum,ut illa regna susciperet,expetitus,utrunq; regnum repudiauit. Cromerus.

CONSVLATVM NEGLIGERE.

L.QVINTIVS Cincinnatus Cos. cùm honorẽ eius P.C.continuare uellent,non solùm propter illius egregia opera,sed etiam quòd populus eosdem tribunos in proximum annũ creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat: utrunq; discussit:senatus studium simul inhibendo, & tribunos uerecundiæ suæ exemplum sequi cogendo: atq; unus causa fuit,ut amplissimus ordo, populusq; tutus esset ab iniusti facti reprehensione.Val.lib.4 c.j.

Capua recepta, Cn. Fuluius Romam ad habenda comitia reuersus,iuniorum prærogatiua T. MANLIVM Torquatum consulem renunciauit. Qui quum præsens esset,& multitudo gratulabunda eum circumstetisset: excusata oculorũ ualetudine,centuriam, quę tulerat suffragium,reuocari iussit: pessimum exemplum ac periculosissimum inducturũ se testatus,si alienis oculis remp. tali tempore administrandam susciperet:atq; ita hortatus est,ut in alium magis idoneum id munus conferret. Instantibus autem cunctis: Alium,inquit Manlius, quærite Quirites,ad quem hunc honorẽ trãsferatis. Nam si me gerere eum coegeritis,nec ego mores uestros ferre,nec uos meum imperium perpeti poteritis. Suffragio igitur iterum inito,M. Marcellum & Valerium Leuinum consules ex seniorum sententia, quos super ea re consuluerant, retulerunt.Sab.lib.4.Enn.5.

INSIGNIA REGNI CONTEMNERE.

Tigranes Armenię rex,à Lucullo uictus,paucis comitatus cõtinuò acie excessit, filioq; lacrymans diadema sibi ademtũ imposuit, hortatus ut diuersum iter ingressus salutem sibi quęreret. Cęterum ADOLESCENS uiuo patre id insigne non recepit,nec receptum multũ profuisset:nam haud multo pòst ad Lucullum captus perductus est.Sabellicus lib.4. Enneadis 6.

CN.Pompeius,licèt se Imperatorem siuerit appellari,nunquã tamen in fascibus insignia laureæ coronæ detulisse legitur. Quo exemplo arguitur, imperatorum fascibus laureas apponi consuesse, quò iustum imperium & legitimus triumphus notaretur.

ODOACER Herulorum rex,occiso Oreste,& F.eius Momyllo Imperij dignitate se abdicare coacto, Occidentis dominationem ille quidem inuasit:sed honesta maiestatis Augustalis uerecundia captus, haudquaquam se Imperatorem, sed Regem tantùm Italię nominauit: atq; Occidenti imperare nomine regio,sed sine purpura,cœpit.Sigonius lib.15. Imperij occidentalis.

GODOFREDVS Bolionius à Latinis Hierosolymorum rex creatus,diademate coronari noluit in ea urbe,in qua Christus Seruator spineam coronam gessisset: & quamuis potestatem accepisset, regio tamen nomine in sacra urbe abstinuit: eaque religione apud animos mortalium sanctior fuit,& supra regum fastigium gloria euectus. Aemilius lib. 5.& Ricius de regib.Hierosolymorũ,& Bonfin.lib.5.Dec.2.

Cùm HENRICO I.Saxoniæ duci,suasu Conradi I.Cæsaris, imperium delatum esset: ei,si in Italiam prędecessorum more uenire dignaretur,diadema cum consecratione,Ioannes X.pontifex promisit.Henricus autem satis sibi uideri respõdit, quòd primus ex sua familia ad regni culmen immeritus peruenisset: diadema Imperij, maioribus debitum, se non ambire. Leuauere in cœlum manus uiri prudentes, quòd tali modestiâ principem haberẽt. Cranzius lib.3.Saxoniæ, cap.5.& Hedio,& Cuspin.

RODOLFVS Imp. coronationem & inaugurationem apud Pontificem Romæ suscipere renuit, apologum Aesopi de leone & uulpe referens.

—— Quia me uestigia terrent
Plurima te aduersum spectantia, pauca retrorsum.

Significans, antecessores suos & maiores sæpiùs Italiã ingressos, sed magnis ultrò citroq; datis & acceptis cladibus difficulter reuersos esse. Hed.in Chron.Germ.& Cusp.

Otho I. Imper. in Vormaciensi conuentu D.VENCESLAO Boëmorum principi eum habuit honorem, ut potestatem ei petendi concederet, quicquid petendum sibi à Cæsare putaret. Existimabat autem Cæsar, gloriosa eum & ambitiosa petiturum. At is brachium diui Viti ex Gallia,sub Lu- [redacted] translati, magnaq; reli- [redacted] regis, propterea quòd Vandalicæ nationis fuerit, [redacted] sibi dari postulauit. Ad quæ postulata Cæsar subridens, Feres tu,inquit, primo quoq; à reditu nostro in Saxoniã tempore, quas habere cupis reliquias: interim dona Cæsare digna à nobis accipe: regium inprimis decus, quo te ex dignitate tua merito decoramus: deinde tributo absoluimus, quod Carolus quondam soluendum Cæsaribus instituerat. Iussit postremò & insignia sua Vencessaum ferre, fuscã aquilam in clypeo candido. Facilè hoc, & illud alterum de [redacted] lo pacto sustinuit: quanq[redacted] & principibus, rex in epistolis salutaretur. Dubrauius lib.5.

D. Eduardus Angliæ rex, liberis carens, EDVARDVM nepotem ex fratre Edmundo, ex Hungaria (quò Danorum & Anglorum regis Canuti insidias fugerat) euocatum, regio nomine exornare uolebat. Cæterùm nepos modestia incredibili se nunquam commissurum respondit, ut patruo uiuo regnum acciperet. At non multo pòst & iunior Eduardus defunctus est, & patruus haud ita diu superuixit. H. Boethius libro 12.

VESTITVM HONORIFICVM NON ACCIPERE, NEGLIGERE.

[redacted]

Cũ [redacted] cus,tulit ei tunicam ex preciosa lana, pulcreq; textam, simile item pallium: & rogauit, ut indutus tunica, amictusque pallio, sic demùm uenenum biberet. Dicebat enim, eũ magnificæ sepulturæ non expertem fore, si in iis mortem obiret: sic enim non prorsus indecorè cum ornatu mortuũ iaciturum. Hæc ad Socratem Apollodorus. At ille non passus est, sed dixit ad Critonem, Simmiam, & Phædonẽ: Quã uerò præclaram opinionem de nobis habet Apollodorus, si sperauit, post propinationem ab Atheniensibus factam, & ueneni absorptionem, se ita uisurum esse Socratẽ. Nam si crederet me paulo pòst infra pedes proiectum & prostratũ iri, certum est, eum me non agniturum esse. Aelianus lib.j. de Varia historia.

VESPASIANVS, sumta toga uirili, latum clauum, quanquã fratre Sabino adepto, diu auersatus est: nec ut tandem appeteret, compelli nisi à matre potuit. Ea demùm extudit, magis conuicio quàm precibus uel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam Anteambulonem fratris appellat. Suetonius.

TRIVMPHOS CONTEMNERE.

M.FABIVS, is qui collegam in consulatu habuit Cn. Manliũ, superatis cruenta pugna Veientibus atq; Hetruscis, cùm senatus triumphum ei decreuisset: Facilè quidem se passurũ respondit, pro eximia eo in prælio militum opera, triũphare exercitum, si triumphare sine imperatore exercitus posset: se uerò lauream non accepturum, amisso ea in clade fratre. Pontanus lib.2.de Magnanimitate, & Alex.lib.6.c.6.

P.SCIPIO Nasica, consul, Delminio Dalmatiæ urbe capta, imperatoris nomen à militibus, & à senatu triumphum ob latum recusauit. Volat.lib.19.Anthrop.

C. CL. NERO, Liuij Salinatoris in Hasdrubale opprimendo particeps gloriæ, cum triumphantem equo sequi, quàm triumpho, quem ei senatus æquè decreuerat, uti maluit: quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphauit: eo quidem clariùs, quòd illius uictoria tantummodò laudabatur, huius etiam moderatio. Val. Max. lib.4. cap.j.

CN. FVL.Flaccus, tam expetendum aliis honorem triumphi, decretum sibi à senatu ob res bene gestas, spreuit ac repudiauit. Nimirum non plura præcerpens, quàm acciderant. Nam ut urbem intrauit, continuò quæstione publica afflictus, exilio multatus est: ut si quid religionis insolentiæ [redacted] bii.

bri ad Athesim Catulum Coss. fugassent, reuocatus ad urbem est. Vt uenit, cùm omnes triumphum arbitrarentur ducturum, atque eum senatus uolens decreuisset, ipse noluit: uel quòd milites & periculorum consortes priuare sua gloria nollet, uel quò populum in præsentia confirmaret, tanquã apud fortunam urbis deponẽs rerum priùs gestarũ decus, quod repositurus in secundis esset illustrius. Plut.in Mario.

TIBERIVS Imp. de Illyriis parta uictoria, triumphare noluit, cõsternata tunc ciuitate propter Varianam cladem, cùm tamen iurè triumphare potuisset. Alex. ab Alex.lib.6.c.6.

TRAIANVS Imp. mortuo Nerua, magnis reb. gestis in Germania, cui præerat, floruit: subiugatisq; Marcomannis ac Iazygum & Pannoniæ populis, cùm ad successionem imperij Romam rediret: minimè triumphans, aut quadrigis, cũ ei per senatum liceret, sed tantùm equo insidens, in Capitolium inuectus est. Volat.lib.23.Anthrop.

ADRIANVS ex Syria Romam reuersus, triumphum Traiano debitum, sibiq; à senatu oblatum, recusauit, quin dedit operam, ut triumphi pompa traduceretur, Traianiq; imago triumphali curru sit ante oculos ciuitatis præteruecta. Sabel.lib.4. Ennead.7.

SEVERVS Imp. posteaquam Pescennium Nigrum apud Cyzicum interemisset, plerosque populos partim subegisset, partim in officio continuisset: triumphum recusauit, eo quòd pedum ualetudine laboraret. Volat.lib.23.Anthrop.

FRANCISCVS Sforcia, Mediolanẽsium totiusq; penè Lombardiæ parto imperio, urbem Mediolanum initurus, paratum cum triumphali honore auratum currũ renuit: dicens, eiusmodi ornamenta Imperatoribus deberi. Eodem enim facto & uictoria illa, quæ rara hominibus contigit, hostes, & insolentis animi affectus, qui plerunq; uictoriarum sunt comites, superauit. Nam rebus feliciter gestis triumphum mereri, haud paucis commune fuit: cæterùm honore illo, quem meritus esset, & paratum haberet, præ modestia non uti, fortasse unius ipsius Francisci Sforciæ, aut si pluriũ, certè perpaucorum aliorum fuit. Fulg. lib.2.c.3.

TROPHAEA NEGLIGERE.

NICIAS Atheniensis, Corinthiis prælio uictis, cùm moris esset, eorum, qui uicissent, trophæum, ubi uictoria parta esset, erigere: id decus planè aspernatus est. Sab.lib.5.c.2.

STATVAS, IMAGINES SPERNERE.

STASICRATES architectus nihil, quod amœnum, quod iucundum & blandum foret uisui, sectabatur: uerùm & opus grande instituebat, & argumentum rege non indignũ præbitore. Ad Alexandrum in superiores prouincias profectus, pictas, sculptas, & fictas eius imagines, ut artificũ opificia ignauorum & illiberalium carpsit: Ego uerò, inquit, immortalẽ, rex, & spirantem materiam, æternisq; innixam radicibus, ac moli immotæ & incõcussæ statui corporis tui effigiem imprimere. Thracius Athos, quã maximus est, & culmen eius assurgit maximè conspicuum, congruentiq; latitudine & altitudine est subnixus, membris item præditus & artubus ad humani corporis modum distinctis, poterit, ubi elaboratus & figuratus erit, simulacrum Alexãdri & dici & esse: basibus qui attingat mare, altera manu amplum frequentissimumq; oppidum complectatur feratq;, dextra amnem perennem ex phiala libet in pelagus effusum. Aurum uerò, æs, ebur, ligna, pigmenta, effigies minutas, quæ comparari, furto subtrahi & cõflari ualent, missa faciamus. Ita fati Alexander spiritus excelsos & fidẽtiam admiratus, laudauit hominem: Verùm sine, ut suo loco maneat, inquit, Athos. satis est enim, quòd unius sit regis monimentum ludibriorum (à Xerxe iam olim perfossus.) Me uero Caucasus ostendet, & Emodi montes, & Tanais, & mare Caspium. hæ meorum sunt actuum imagines. Plut.orat.2. de Alexan.fortuna.

Cùm nationes Græciæ Asianæ statuas AGESILAO in celeberrimis urbib. collocare decreuissent, scripsit ad eas: Mea sit nec picta nec ficta nec sculpta imago. Plut. in Apophth.

Scribit Xenophon, eum corporis imaginem sibi statui summa ui abnuisse. Cæterùm animi elaborare monumẽta nunquam destitisse, quum ita conciperet, illud statuariorũ, hoc suum ipsius esse opus: rursumq; id esse locupletum, hoc autem bonorum. Cicero in epistola ad Lucceium.

IDEM cùm discessisset ex Aegypto, patriam repetens, morbo implicitus in portu qui Menelai dicitur, ac breui pòst moriens, mandauit iis, qui aderant, ne quam fictam aut sculptam corporis sui imaginem facerent: Si quod, inquit, prę clarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, cùm sint uilium ac nullius rei opificum opera, illustrabunt mei memoriam. Plutarchus in Laconicis.

AVGVSTVS Cæsar argenteas statuas olim sibi positas conflauit omnes: ex quibus aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit. Suetonius.

HOSPITIA HONORIFICA REPVDIARE.

PAVLA, Romana uidua, Hierosolymam ueniente, proconsul Palæstinæ, qui familiam eius optimè nouerat, præmissis apparitoribus iussit parari prætorium. Illa uerò elegit humilẽ cellulam. D.Hieron.in eius Epitaphio.

TITVLOS MAGNIFICOS, SVPERBOS NON CVRARE.

CASSANDER cùm omnibus libellis & epistolis Rex salutaretur, tantæ moderationis fuit, ut nunquam regium sibi usurparit nomen. Alex. ab Alex.lib.2. c. 19.

ANTIGONVS ille senex, cùm Hermodotus quidam in poëmatibus suis Solis filium deumq; ipsum prædicaret: Nihil, inquit, in me eiuscemodi agnoscit, qui lasanum meum portat. Plut. de Iside, & Osiride, & in Apopht.

P.SCIPIO capta Carthagine noua, & Asdrubalis castris expugnatis, consuetudine sua omnes captiuos Hispani generis ad se uocari, & sine precio dimitti iussit. Adolescentẽ ex his regij generis, Masinissæ nepotem, comiter benigneque acceptum ad Masinissam remisit, magnificentissima quoq; adiecit dona, ut ostenderet imperatorem exercitus non minùs liberalitate & domesticis uirtutibus, quàm bellicis artibus ornatum esse oportere. Hispanorum multitudo hanc indulgentiam Romani ducis admirata, contineri non poterat, quin eum honoris & uirtutis gratia appellaret Regem. Sed Scipio hanc uocem Romanis auribus insuetam, subitò oppressit. Silentio enim per præconem facto, sibi maximũ nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent: regium nomẽ alibi magnum, Romæ intolerabile esse: regalem animum in se esse: si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacitè iudicarent, uocis usurpatione abstinerent. Liuius, ex Polybij lib.10.

CN.POMPEIVS, cùm post egregias in Aphrica res gestas toto conspirante exercitu Imperatoris nomine honestaretur, honorem renuẽs, nunquam epistolis aut chirographis hoc nomen usurpare uoluit. Alex.lib.j.cap.2. Vide Tit. Securum hostem opprimere.

M.ANTONIVS, quum Rhodum insulam ui cœpisset, & in ingressu salutaretur rex atque dominus: Nec rex sum, inquit, nec dominus, sed regis ac domini interfector. Plutarchus in Antonio.

Q.TVRNIVS, cùm Garamantes, ultra Aethiopes, horridos & incultos populos bello uicisset: honoris tamen & gloriæ inanis contemtor, Garamantici nomẽ respuit, cùm omnes ferè Romanorum duces à subactis prouinciis cognomina sibi sumserint. Alex.ab Alex.lib.j.cap.11.

AVGVSTVS Cæsar Domini appellationem ut maledictũ & opprobrium semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronunciatum esset à mimo, O Dominum æquum & bonum: & uniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: statim manu uultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto: dominumq; se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, uel seriò, uel ioco passus est: atq; huiusmodi blãditias etiam inter ipsos prohibuit. Suetonius, & Dion.

Menses Septembrem atq; Octobrem, Antoninum atq; Faustinum appellandos decreuerat senatus. Sed id M.ANTONINVS Pius Imp. respuit. Capitolinus.

ALEXANDER Seuerus Imp. uix annos sexdecim natus, cũ à Senatu Imperator creatus, ob uirtutis magnitudinem Patriæ quoq; parentis, & Antonini & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum ut hos acciperet honores induxit. Oportere enim aiebat, ut res gestæ maturiorq; ætas ea nomina pararent. Fulg.lib.4.c.j. ex Lampridio.

Victis ad Argentoratum magno prælio Germanis, Chonodomario rege capto, IVLIANVS, Cæsar à Constantio Imp. iampridem dictus, acclamatione cõcordi totius exercitus Augustus appellatus, eum honorem increpito milite iureiurando repudiauit. Sigonius lib.6. Imp. occid.

[redacted]

INSCRIPTIONES NEGLIGERE.

PERTINAX Imp. imperatoriis possessionibus nomen suum

inscribi prohibuit: dictitās, non esse illas proprias imperantium, sed communes Romanorum & publicas.

ENCOMIA, PRAECONIA NON ACCEPTARE.

Cùm iactarent amici ALEXANDRI, supergressum eum reb. gestis Herculem: Enimuerò ego, inquit, res gestas meas cū imperio non existimo esse uni æquiparandas Herculis uerbo. Plut. in Apopht.

Quum quidam ALBINI, qui Seueri Imp. æmulus fuit, gesta uellet scribere: Quin ea potiùs scribas, inquit, quæ Marius gessit, aut Hannibal, ut illa imitemur. nam res gestas illius scribere, à quo præmium expectes aut pœnam, lusus est. Sabellicus lib.5. Ennead.7.

COSMVS Medices, is qui Sapientis nomen tulit, cùm suprà quadringenta aureorum millia in templa, xenodochia, monasteria impendisset, & à quodam propter hanc magnificentiam summis laudibus extolleretur, certamq; pro tantis meritis à Deo pauperum patrono mercedem expectare iuberetur: Ego uerò, inquit, nulla penitus harum impensarum in meis rationibus nomina reperire hactenus potui. Vox christiano digna uiro, qui cùm Dei benignitate omnia se accepisse putaret, si quid eiusdem iussu in pauperes effudisset, non illud suo merito (quod à Christo solo penderet) sed gratæ tantùm uoluntati tribuendum putaret. Lud. Guicciardinus in Diludiis.

SALVTATIONEM HONORIFICAM FLOCCIPENDERE.

Cùm introisset Cæsaream PETRVS, obuiam uenit ei Cornelius centurio, & procidit coram eo. At Petrus, Surge, & ego ipse homo sum, ait. Act.10.

Cn. POMPEIVS Magnus, Pharsalica in acie uictus à Cæsare, cùm postero die Larissam intraret, oppidique illius uniuersus populus obuiam ei processisset: Ite (inquit) & istud officium præstate uictori. Dicerem, non dignū qui uincerer, nisi à Cæsare esset superatus: certè modestus in calamitate. Nam quia dignitate sua uti iam non poterat, usus est uerecundia. Val. lib.4. c.5.

MAXIMINVS senior Imp. nunquam ad oscula pedum quenquam admisit, dicens: Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. Capitolinus.

Rusticiana Patricia suis ad D. GREGORIVM Pp. epistolis sæpiùs formulam hanc, Ancilla uestra, inculcauerat. Cui ille: Cùm per episcopatus onera seruus omniū sim factus, quomodo ancillam eam habeam, cuius ante episcopatum proprius fui? Et ideo rogo per omnipotentē Deū, ne hoc uerbū in scriptis uestris aliquādo ad me inueniā. Lib.9. epist. c.38.

GLORIAE CONTEMTVS SECVNDVM ΛΗΨΙΝ, RESPECTV ΑΞΙΑΣ; SIVE MERITI; cui Honor debetur. Ob

PROPHETIAE DONVM.

IOANNES Aegyptius monachus, cùm Spiritu sancto reuelante multis futuri euentus responsa daret, inferebat: Non suis meritis eam reuelationem sibi factam, sed illorum qui rogatum aduenerant. Sab. lib.10 cap.j.

MIRACVLORVM DONVM.

CHRISTVS Iesus ut gloriæ æternæ plenus erat, ita gloriam humanam omnem contemsit: adeò ut iis, quos à uariis liberarat morbis, interdixerit, ne id cuiquam enunciarēt: Dæmonum certè clarissima testimonia, quòd Dei filius esset, semper repudiauit.

ANTONIVM abbatem tradunt Martiniano militum præfecto pro filia, quam nequitiæ spiritus possederat, supplicanti, respondisse: Ne se opem posceret, cùm & ipse peccator esset: sed si in Christo confideret, eidem supplicaret, iuxta fidei meritum gratiam ab ipso impetraturus. Credidit Martinianus: & domum rediens, Deum precatus, filiam à dæmonio liberauit, ut prædictum ab Antonio fuerat. Pulcrè igitur unico responso Antonius tria simul expressit bona: humilitatis obseruationem, fidei uirtutem, infirmitatis remedium. Marulus lib.j. c.4.

IOANNES Aegyptius monachus, morbo affectos coram se curationis gratia adduci uetuit, quoniam ultrò citroq; cōmeantium agmen ostentationi esse potuisset. Oleum eis benedictum mittebat, quo peruncti conualescebāt, atq; à languoribus liberabantur. Sab. lib.10. c.j. & Marul. lib.j. c.4.

AEGIDIVS Atheniensis, quoniam miraculis clarere cœperat, iactationis occasionem fugiens, patriam reliquit, & ad eremum se contulit. Et dum apud Veredenium eremitam in agro Arelatensi habitaret, sabuloso ac sterili solo ab ipso terræ conditore Deo fœcunditatem precibus impetrauit. Mox inde discedens, uastioris solitudinis latebras petiit: ibi quærens domicilio locum, ubi non facilè mortalium de se rumores audire posset. Marul. lib.j. c.4.

IODOCVS, fama sanctitatis, regumq; Britanniæ stirpe clarus, dum solitarius habitaret, & signorum quæ fecerat rumor multos ad uisendum eum à diuersis partib. exiuisset: uidens in tanta se adeuntium frequentia periclitari humilitatem, in ulteriorem deserti angulum sedem transtulit, ut tam ab inanis gloriæ cupidine semotus esset, quàm à consuetudine hominum. Idem.

EVLALIVS monachus, criminis olim suspectus, ut innocentiam probaret, iubente abbate, fiscellam, quam de palmeis foliis ipse texuerat, igni imposuit: atq; ubi à flammis eam [redacted]

HI[redacted] dille se atq; in uita mercedem recep[redacted] cupientem inhibebant. Deniq; biennio in tali animi solicitudine peracto, cū postremò comedere nollet, donec discessum impetraret, & iam dies septem nihil gustasset: ne inedia cōficeretur, dimissus reliquit Palæstinam. Præterea gloriā semper fugiendo, dum crebrò sedem mutat, Bethilum, Pelusium, Theubaton Babylonemq; peragrauit: deinde Aphroditon, eremum Antonij, rursum Aphroditon, Alexandriam, Osam, Brutium, Parætonium, Siciliam, Epidaurum, ac post hæc Cyprum. In cuius insulæ uastiore minusq; noto angulo, cùm sese abdidisset, diu latēre nō potuit, miraculis eum ubiq; prodentib. Quia tamen uiribus partim ætate, partim labore exhaustis, inde iam emigrare illi incommodū erat, ibidem & fugæ finis & uitæ fuit. Hunc tantū in ipso honoris contemtum præter cætera extollens Hieronymus: Mirentur, inquit, alij signa quæ fecit: mirentur incredibilē abstinentiam, scientiam, humilitatem: ego nihil ita stupeo, q̄ gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant episcopi, presbyteri, clericorum & monachorū greges, matronarum quoq; Christianarum grādis tentatio, & hinc & inde ex urbibus & agris uulgus ignobile: sed & potentes uiri & iudices, ut benedictū ab eo panē uel oleū acciperēt. At ille nihil aliud quàm solitudinē meditabatur. Marulus idem, & Fulgosus lib.4. cap.j.

BONIFACIVS Maximini tempore monachus, & cœnobij pater, iam senex inde clām aufugit ad aliud interioris Thebaidis cœnobium, honoris uitandi gratia & cōmodi: ignotusq; in humili ministerio uersans, cognitus est tandem, & ad pristinum officium remissus. Ex Heraclide.

TABITHA uirgo sacra monasterij magni Thebaidis, cùm se omni humilitate deiecisset, insanire putabatur. Verū quia stultum Dei sapientius est hominibus, sancto Pierio abbati, in eremo degenti, reuelata fuit illius sanctimonia. Proinde ad uisendam eam perrexit. Ipsa ut uidit se nō iam ut stultam contemni, sed ut sanctā honorari: clàm discedens, monasterium pariter honoremq; dereliquit, & in solitudine uitam duxit. Marulus lib.j. c.4.

MARIA natione Gallica, de uico Niuella episcopatus Leodiensis, ignobilis genere, celebris sanctitate, frequentiā hominum illuc ad se uisendam turmatim accurrentiū molestè ferens, reuelatione accepta tridui iter arripuit: peruenitque ad ecclesiā sancti Nicolai cognomento Decegnies, & ibidē solitaria consedit. Ferunt sacelli illius fores, cùm clausæ obserateq; essent, aduentanti sua sponte protinùs patuisse. Marulus idem, & Sabel. lib.10. c.j.

ERVDITIONEM.

GALENVS medicus Pergamenus gloriā & popularem aurā sic perpetuò neglexit, ut nulli librorū suorum suum nomen præscripserit, & amicos etiā ne id facerēt rogārit, utpote μόνης τῆς ἀληθείας καὶ ἐπιστήμης ἐπιθυμῶν, καὶ οὐδὲν εἶναι νομίζων θειότερον ἀνθρώποις, οὔτε κάλλιον κτῆμα, ut ipse de se scribit septimo Therapeutices. & mox subiūgit, διὰ ταῦτ' οὖν οὐδ' ἐπιγεγράφθαι τε ἐμὸν ὄνομα τῶν ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένων βιβλίων οὐδενί. In libelli quidē De libris ꝓpriis principio, non simpliciter ullis suorū librorū, sed illis, quos introducēdis siue in discipulorū aut amicorū rogantiū gratiā ad priuatū ipsorū captum usūmq; conscripsisset, non ad editionē, nomen suū se addidisse negat. Imperfectis ergo, quia indigni essent, perfectis uerò, ne ambitiosus uideretur, suum inscribere nomen supersedit.

ANTONIVS Nebrissensis Hispanus, pro uaria & latè patenti eruditione, quum esset diligenter in omni scriptorum genere

generé uersatus, potuisset quodcunq; nomē usurpare, non solùm cum bona professorum eiusce artis uenia, sed cum magna etiam lætitia, quòd non parum gloriæ professioni suæ accessurum ex huiusmodi hominis splendore & nominis celebritate existimassent: nihil tamen dici & haberi maluit, quàm Grammaticus. Nec PIVS II. pontifex urbis Romæ nomen eiusmodi abhorruit. Lud. Viues de Causis corruptarum artium libro 2.

FORTITVDINEM BELLICAM.

Bello seruili uoluntaria stipendia CATO minor fecit fratris causa Cæpionis, qui Tribunus militum erat: atq; explicare, quantam cupiebat, alacritatem & exercitationem uirtutis, quòd dux gereret rem imperitè, nequiuit. Dum tamen in magna militum illorum ignauia & luxu præstitit disciplinā, atq; ubi usus quæreret, uirtutem, omnibusq; in rebus audaciam & prudentiam: nihil concedere existimatus est ueteri Catoni. Vnde Gellius præmia ei & eximios honores tribuit: quos ille non accepit neq; admisit, nihil gestum ferens honoribus dignū. Hinc peruersus habitus est. Plut. in eius uita.

Rollonem Normannorum ducem Alstenus Anglorum rex in Neustriam irrumpentem commeatu iuuerat. Eundem, cùm occupato Rotomago in Neustria pedem fixisset, Alstenus ciuili bello impetitus in auxilium euocarat. ROLLO nihil moratus, regi fortem & fidelem nauauit operam. Victis rebellibus, Rex permisit illi regni dimidiū, limitesq; fecit utriusq; ditionis. Rollo imperat uictis, obsides seruandæ pacis statuuntur, ut diuisim & regi & sibi sint pignora pacis seruandæ. Nihil horum recusatum est: exhibent. Tum dux regi, Quando, inquit, & hospitio primùm, deinde etiam commeatu me rex egregiè & insigniter munerasti, gratuitam tibi operam libens rependi: ut aliqua ex parte tuis in me meritis responderem. Regni partem quam exhibes, nō accipio: totum tibi iure tuo possideto. Mihi in Franciam redeundum est: obsides tuorum tibi habeto: quo plura tenes pignora, solidiorem pacis habiturus conditionem. Senior solutus in lacrymas, quas potuit gratias dixit, regalibus donis afficiens amicum, cùm regni partem aspernaretur. Vnum petēti Rolloni libens permisit, ut qui ex Anglia sua sponte militiam eius sequi uellent, bona regis uenia sequerentur. Cranzius lib.2. Noruegiæ cap.23.

AEDIFICIORVM MAGNIFICENTIAM.

TIBERIVS cùm multa restituisset in urbe ædificia, quæ corruerant (nullum enim extruxit nouum, præter Augustale) nullum tamen prorsus sibi uendicauit: sed eis nomina reddidit eorum, à quibus ædificari cœpta essent. Multa impendit in usus ciuitatum & priuatorum hominum: cuius rei causa nullum honorem postulauit, nullam omnino laudem admisit. Dion.

HADRIANVS Imp. & patrē Traianum, & superiores Impp. sumtuosis ædificiis superauit: & tamen in uno tantùm Traiani patris templo nomen suum inscribi uoluit. Pontanus cap.12. de Magnificentia.

FIDEM ERGA PATRIAM.

ARETAPHILA Cyrenæa, Nicostrati tyranni coniux, patriæ caritatem tyranni amori præponens, Nicostrati fratrem Leandrum impulit, ut Nicostratum occideret. At cùm se Leander fratre immitiorem gereret, effecit eadem ut Læander quoque occideretur, liberæq; Cyrenæ eius morte remanerent. Cùm igitur eius opera duobus liberatæ immanibus tyrannis Cyrenæ, principem eam publicorum consiliorum atque totius Reip. facere uellent, ipsa omnibus spretis, se in sacrarum uirginum conuentum contulit. Plut. de Mul. uirt.

CONIVGIA PRAECLARA.

NVMA Pompilius ex illustri inter Sabinos genere natus, cùm Tatij Sabini, qui simul cum Romulo regnauit, filiam in uxorem duxisset: non tamen eo connubio elatus migrauit ad socerum: sed patrem iam seniorem fouens & nutriens in Sabinis cum Tatia uxore, priuati uiri quietem regno soceri prætulit. Plut. in eius uita.

VICTORIAM.

Vide pòst, Trophæa, Triumphos respuere.

PYTHON, quem, quòd interfecisset Cotyn, magnifaciebant Athenienses & honorabant: Deus hoc, inquit, manu usus mea perpetrauit. Plut. in Præceptis Politicis.

TIMOLEON excisis in Sicilia tyrannidibus, templum Αὐτοματίας, h.e. Casus excitauit, deum consortem faciens laudis suæ. Idem.

Capto saxo inexpugnabili in India, ALEXANDRVM Magnū cùm eius amici iactarēt supergressum rebus gestis Herculē: Enimuerò ego, inquit, res gestas meas cū imperio non existimo esse uni æquiparādas Herculis uerbo. Plut. in Apoph.

Gentes finitimæ ob Iudaicam uictoriam (teste Philostrato) TITVM salutabant Imperatorem. At is tali se honore indignū respondit, asserens auctorem talium operum Deum. Cuspinianus, & Philostratus in Apollonio.

GLORIAE CONTEMTVS SECVNDVM ΛΗΨΙΝ, RESPEctu MODI, quo contemnitur.

NON AFFECTANDO.

XENOCRATES cuidam commemorāti, quòd ipsius laudes ubiq; prædicaret: Ego, inquit, pro isto officio bonā repono gratiā, efficiēs ut uera ꝓdices. Vera uirtus nihil moratur hominū laudes. Eas qui prædicant, plus debent iis quos laudant, quàm ipsis debent qui laudantur. Eras. lib.8. Apoph.

M. CATO senior, conspiciens multorum erigi statuas: Malim, inquit, ut de me quærant homines, quam ob rem Catoni non sit posita statua, quàm quare sit posita. Sentiens, se malle res præclaras gerere, ut olim scientes illum promeruisse statuam, mirentur non esse positam. Plut. in Rom. Apoph. & Plinius libro de Viris illustribus.

D. AVGVSTINVS rhetoricæ professor Mediolani, cùm religionis studio eam deserere, & baptismum suscipere uellet: ne suspicionem aliquā ambitionis daret aliis, si in medio curriculo professionem relinqueret: uindemiales ferias expectare uoluit, qui professionum terminus esse consueuerat: atque etiam tūc se propter respirationis difficultatem potiùs quā alia de causa, munus illud deserere asserebat: ne ex hac uoluntaria opimæ conditionis desertione gloriolę fumum captare uideretur. Testis ipsemet lib.9. Confess. cap.2.

NON PETENDO.

PHOCIONI, cùm nunquam supplicare populo sustinuisset, & ideo comitiis interesse nollet, absenti & inuito honores delati sunt. Plutarchus.

L. CRASSVS nunquam adduci potuit, ut præsente Q. Scæuola, more candidatorum, populo supplicaret. Alexander libro 4. capite 1.

OBSTANTES, IMPEDIENTES TOLERANDO.

Cùm defuncto Leosthene Lamiaci belli duce & fomite, uererentes aliqui, ne dux ad exercitum PHOCION missus bellum transigeret, hominem quendam subornassent obscurum, qui exurgens in concione diceret, quòd amicus & condiscipulus esset Phocionis, monere se, ut parcerent ei, reseruarēt que, cùm parem non haberent alium: Antiphilum autem exercitui præficerent: atque id populus probaret: progressus Phocion, demonstrauit, neque se unquam istius condiscipulum, neque aliàs notum uel familiarem fuisse. uerùm nunc, inquit, ex hodierno die amicitiam & necessitudinem ineo tecum, quandoquidem, quæ è re mea sint, consuluisti. Plutarchus in Phocione.

DECLINANDO. SIVE ID FIAT DEPRECATIONE.

Vide suprà, Contemnere Regnum, Consulatum, Dictaturam.

GEDEON angelo dicente sibi, Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israel: respondit, Ecce familia mea minima est inter Manassenses, & ego minimus in domo patris mei. Iudicū 5.

HIEREMIAS ad prophetandum uocatus, humiliter recusauit. Herem. cap.1.

Q. FABIVS Max. ultimum consulatum recusauit: dicens se iam senem ac perfunctum laboribus, laborum præmiis nō sollicitandum, cùm nec temporis nec animi uigor ille idem adesset. Ex qua recusatione tantam laudem assecutus est, ut non minor inde illi auctoritas increuerit, quàm ex iis quæ postea fortissimè in ipso consulatu gessit. Pontanus libro 2. de Magnanim.

Q. FAB[illegible] Rutilianus, cùm [illegible] se quinquies, & à patre, auo, proauo, maioribusque suis sæpenumerò consulatum gestum animaduerteret, in comitiis, quibus filius suus summo consensu Coss. creabatur: quàm potuit constanter cum populo egit, ut aliquando uacationem huius honoris Fabiæ genti daret: non quòd uirtutibus filij diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione [illegible] aut [illegible]tius? quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superauit. Valerius Maximus libro 4. capite 1. & Plinius de Viris illustr. cap.32.

AVGVSTVS Cæsar, Dictaturam magna ui offerente populo,

genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Suetonius.

GORDIANVS iam senex in Imperatorem electus, è grabbato surgens, imperium oblatum detrectauit, humi proiectus supplicando: sed uerò minis compulsus est suscipere. Volaterran. lib. 23. Ant.

Annius TACITVS iam senex post Aurelij Imperatoris mortem, Metio Falconio adhortante, in Imperatorem electus est, licèt plurimùm propter ætatem se excusaret. Optatianus, & Vopiscus.

ANDREAS Grittus ubi sibi Venetorum Imperium delatum iri resciuit, Patribus literas dedit, non esse è Repub. se, qui non magnum in re militari usum haberet, tot fortibus & claris bello uiris, qui in eius exercitu essent, præfici: neq; id eos æquo animo laturos: itaq; alia omnia cogitarent: sese nolle imperium cùm inuidiosum, tum suis maius uiribus accipere. Bembus lib. 10. Histor. Venetæ.

REPREHENSIONE, CASTIGATIONE.

P. SCIPIO Africanus populo Romano succensuit, quòd se perpetuum Consulem & Dictatorem uellet facere. Auctor uitæ illius.

M. RVTILIVS Censorinus, censor iterum creatus, ad concionem populum uocatum, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset: cuius maiores, quia nimis magna uideretur, tempus coarctandum iudicassent. Vterq; rectè, & Censorinus, & populus. Alter enim, ut moderatè honores crederent, præcepit: alter se moderato credidit. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

MATHIAS Vngariæ rex, cum Vladislao Boemiæ rege Olomuciæ causa pacis colloquium instituerat. Conuiuio regio Germanus histrio rhythmis germanicis, qua lingua rex cū primis delectabatur, principum Christianorum uires & arma socia contra Turcas ueluti è catalogo prosecutus, Mathiam tandem belli ducem adiunxit, robur illi giganteum & formam Absaloniam affingens: ad extremum elogij huius præmium regium flagitauit. Mathias in maximorum principum consessu personatum sese introduci molestè ferens, hoc unum respondit: Non plus sese illi quàm sibimet ipsi credere, & hanc ab illo decantatam uirtutum ideam calcar sibi in posterum fore, ut qualis non esset, talis euaderet. Tuis uerò oculis si magis credas, quàm poeticæ fictioni, me nec gigantem nec Absalonem in posterum dixeris, ne eorum quoque, quæ soli deo cognita sunt, uirtutis encomiorum fidem, mendacio eorum, quæ sub sensus rusticorum quoq; cadunt, eleues. Præmium plusquàm regium tunc se se daturū pollicitus, quāprimùm socias Christianorū uires sibi Sirene sua excitas adduxisset. Vna eadéq; opera & mimi adulationem & Christianorum principum ignauiam reprehendens. Ioach. Cureus in Silesiæ Annalibus.

FVGA.

Vide Tit. Pontificatum, Episcopatum, Regnum contemnere.

CHRISTVS quinque panibus & duobus piscibus quinquies mille uiros, præter mulieres & paruulos, in deserto Bethsaidæ cibauit. Cumq; cum populus rapturus esset, & uel inuitum regem creaturus, Iesus in mōtem secessit. Matthęi 14. Marci 6. Lucæ 9. Ioan. 6.

Triarium MATERNVM post Commodi Imperatoris mortē, quia Pertinax senior, & tanto oneri parum idoneus uidebatur, Exercitus creare imperatorem uolebat. Retinentibus ergo eum militibus, & electioni assentiri cogentibus, relicta ueste, quam milites apprehenderant, nudus ab eis profugit. Fulg. lib. 4. cap. 1. ex Herodiano.

Scribit Flauius Vopiscus legisse se in Elephantinis libris Vlpiæ Bibliothecæ, P. Annium TACITVM, ubi primùm in curia moueri sensit de imperio sibi decernendo, in Baianum suū secessisse, ubi duos menses procul ab urbe fuerit, eam dignitatem ut sibi exitialem auersatus. Sab. lib. 7. En. 7.

ODDO Cluniacensis monachus, à Bennone abbate proximè decessuro suffectus, cùm fugam pararet, à fratribus cōprehensus, episcoporum iussu regimen inuitus accepit, & multis miraculis nobilitatus est, Deo humilitati eius gratiā conferente. Marul. lib. 1. cap. 8.

GEMINIANVS Mutinensis clericus, defuncto Antonio episcopo, à populo electus fugit. Dum autem latitaret, & quæri dignus fuit, & inueniri. Iouiniani Imperatoris filiam à dęmonio liberauit. Atila Italiam uastante, suos non repugnando incolumes seruauit. Ipso enim orante, hostis apertis portis urbem mediam innoxius percurrit. Marulus lib. 1. cap. 5.

GREGORIVS Magnus Pp. cùm pontificatum palàm repudiare sibi integrum non esset, inhibente populo, clandestina fuga ab urbe decedere decreuit. At cùm exitum omnem diligenti septum custodia uideret, dolio se exportari fecit in uicinum montem, & in eius antro latuit. Cæterùm cùm quęreretur, lucida nubes loco incumbens, prodidit latentem. Marul. lib. 1. cap. 5.

ISAAC monachus cùm resciisset decerni sibi presbyteratum, de Scythia transmigrauit in Aegyptum, uastæ solitudinis secessum quæritans, ut hominum effugeret conspectum. Sed qui diuinitùs eligebatur, latere non potuit. Cùm enim fratres in Aegyptum usq; illum quæsitum profecti essent, & asellus quem secum habebant, per desertum fugiens, ad speluncam ipsius substitisset: eò insecuti, dum asellum comprehendunt, monachum inueniunt. Ille ubi se muti animalis indicio deprehensum agnouisset, fratrum uotis annuens, presbyteri officium suscepit. Marulus lib. 1. cap. 6.

EPHREM Nisibensis, eremita doctissimus, quiq; multa scripsit, oblatum episcopatus honorem simulatione insaniæ respuit. Inde fuga elapsus, tantisper latuit, donec alius episcopus legeretur. Sozomenus lib. 7. cap. 34.

Mortuo Ioanne Dandulo Venetorum duce, nominatim IACOBVM Teupulum ducem populus postulabat. Quam uulgi temeritatem uir optimus, & publicæ quietis amicus, uehementer auersatus, clandestinè urbe egressus, Marochiū se contulit: ubi dissimulata persona tam diu latuit, donec sedato tumultu Petrus Gradonicus ex Patricij ordinis sententia dux fuisset declaratus. Sab. lib. 10. Dec. 1. Idem lib. 7. En. 9. in suburbanis eum latuisse inquit. At Fulg. lib. 4. cap. 1. in Africam eum nauigasse auctor est.

ANDREAS Contarenus Venetorum dux creatus, præsagio quodam futurorum dignitatem adire recusauit: concesseratq; ob idipsum in Patauinum agrum, tamdiu urbe abfuturus, quoad noua alterius ducis declaratio secuta esset. Sed cùm ab amicis moneretur, nisi decreto Patrum obsecundaret, publicatis omnibus bonis exilium ipsi imminere, Venetias rediit. Et sanè constat, eo principe Remp. externis bellis uehementer iactatam, & in urbe magnoperè annona laboratum. Sab. lib. 4, Decad. 2.

OCCVLTATIONE.

SAVLVS à Samuele rex unctus, apud Maspham denuò sorte electus, apud impedimenta latebat. 1. Reg. 10. & 11.

Dominus noster IESVS Christus leprosos mundat, cæcos illuminat, infirmos curat, surdo & muto aurium linguæque officium instaurat. Et tamen singulis nemini quicquam dicant, iniungit. Archisynagogi filiam à morte suscitaturus, turbam iuxta cadauer tumultuantem abscedere præcepit: nec in publico sed domi uitale operatus est remedium, ne popularem gloriam expetere uideretur. Marul. lib. 1. cap. 4.

APOSTOLI Dominica uestigia secuti, ad confirmationem prædicatæ fidei in propatulo quidem miracula operabantur: reuelationes autem uisionumq; mysteria, nisi necessariò in uulgus proferenda essent, occultabant.

PAVLVS apostolus, cùm raptus in tertium cœlum, siue in corpore siue extra corpus, audisset arcana uerba, quæ non licet homini loqui: annos quatuordecim rem tantam silentio texit, conscientia sua contentus, donec Corinthiis (ueritus ne pseudoapostolos sibi uel sui similibus præferrent, alienati à ueritate, quam ab ipso didicerant) eam aperuit, palamq; fecit. Sed & hanc gloriandi necessitatem insipientiam uocat. Factus sum insipiens, inquit, uos me coegistis: ego enim à uobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab iis qui sunt supra modum apostoli, tametsi nihil sum. Marulus lib. 1. cap. 4.

Venerat Hilarion ad Isaacum & Pelusianū monachos, D. ANTONII discipulos in Thebaide, & ut sibi locum tumuli eius ostenderēt, rogabat. Qui cùm seorsum eum abduxissent, utrum monstrauerint, nécne, ignoratur: causam occultandi iuxta præceptum Antonij fuisse referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad uillam suam sancti corpore, martyriū fabricaretur. Hieron. in uita Hilarion.

ANTALCIDAS, cùm in Samothracia sacris initiaretur, interrogatus à sacrorum antistite, Quid nam præclari gessisset in uita? Si quid, inquit, feci quod laude dignum est, deos nequaquam latet. Et sic modestè tacuit, ne se uel immodicè laudare, aut turpiter uituperare diceretur. Plutarchus in Laconicis.

Venit DEMOCRITVS Athenas, nec studuit cognosci, ut qui gloriam contemneret: nec Socratem cognouit, nec ab eo cognitus fuit. Laertius.

MORBI PRÆTEXTV.

Fur. CAMILLVS quartū Dictator ad sedandam populi seditionem factus, ualetudinem simulauit, & alter ei surrogatus est. Volater. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

MVTILATIONE.

D. MARCVS Euangelista, ut sacerdotio reprobus haberetur, pollicē sibi amputasse dicitur. Veruntamen (ut ait Hieronymus) tantū consentiens fidei prędestinata potuit electio, ut nec sic in opere uerbi perderet, qđ priùs meruerat in genere. Cùm enim ex Leuitis esset, ut Alexādrię episcopus fieret, eò cōpelli dignior fuit, quò magis refugit. Marul. li. 1. cap. 6.

ANTONIVS Anachoreta, ne eligeretur episcopus, læuam sibi auriculam ferro præsecuit. Cælius lib. 10 cap. 4. A. L.

AMMONIVM, Origenis Didymiq; discipulum, aurem sibi præcidisse ferunt, ne idoneus episcopali officio haberetur: & cùm nihilominus ad eam dignitatem suscipiendam ab omnibus urgeretur: etiam linguam sibi se amputaturū, nisi missum facerent, protestatus est. Tam periculosam rem episcopatum putauit, ut inde membrorum mutilatione se redimere non dubitarit. Marul. lib. 1. cap. 6.

MORTE.

LAMON monachus mori præoptauit, quàm episcopus uiuere. Hierapoli enim electus, nullis suasionibus adduci potuit, ut electioni assentiret. Cumq; Theophilus episcopus forte ex itinere eòdē loci diuertisset, atq; itidem suaderet: quādo iam tantæ auctoritatis uiro apertè refragari difficile erat, diem ad deliberandum impetrauit. Dum autem in solo loco genibus prouolutus, toto eo tempore secretæ precationi intendisset, inuentus est efflasse animam. Hoc ipsum petenti illi diuinitùs indultum credi par est, uerenti utiq;, ne si episcopū gereret, quæ episcopi sunt, præstare non posset: aut si præstitisset, ne uel ex hoc in elationem aliquā mentis incidens, illis iam tandem comparandus euaderet, quibus dicitur, Væ uobis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Marulus lib. 1. cap. 6.

Sanctus GOAR monachus, in Gallia à rege Sigeberto ad Treuerēsem episcopatum uocatus, postquam recusando nihil se proficere uideret, triginta dierum manendi in monasterio moram, quasi res suas expediturus, petiit. Interim in cellula sua se includens, Dominum precatus est, paratum se ad omnia dura pro illius amore sustinenda, tantùm hoc episcopalis officij onere se grauari nō sineret. Mox ergo febri correptus, reliquum uitæ in lectulo æger peregit: ne sanus ad præsulatum cogeretur. Ibidem.

RESPVENDO.

Pylij cùm decreto statuissent THEOPOMPO summos honores, ipse renuit: Mediocres honores ipsum tempus augere, immodicos uerò abolere, dicens. Plut. in Lacon.

Cùm Hermodotus ANTIGONVM regem in carminibus Solis filium appellasset: Non idem dicat, inquit, lasanum qui mihi subiicit. Plut. in Regum Apoph.

Libanius Sophista, tempore Iuliani Apostatæ Constantinopoli professus, IO. CHRYSOSTOMVM moriens successorē nominauit. Verùm is gratia Spiritus sancti illustratus, meliorem partem elegit. Middendorpius de Academiis.

DERIVANDO, TRANSFERENDO IN ALIVM.

Honorem hic perpendimus, quatenus offertur. At quatenus possidetur, sic ad φυλακῆς modum pertinet. Vide suprà, Contemnere Imperium, Regnum, Pontificatum, Consulatum.

IN DEVM.

A piscatoribus, in Milesia regione uerriculum trahentibus, quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa, orta controuersia est: illis piscium se capturam uendidisse affirmantibus, hoc fortunæ ductus emisse dicente. Qua contentione propter nouitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad uniuersum eius ciuitatis populum delata: placuit Apollinem Delphicum consuli, Cuinam adiudicari mensa deberet? Deus respondit, Illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret, his uerbis:

ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς,
ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tunc illi uno consensu Thaleti mensam dederunt: ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alij: deincepsq; per septem SAPIENTVM orbem. Vltimò ad Solonē peruenit: qui & titulum amplissimę prudentiæ, & pręmium, ad ipsum Apollinem transtulit. Val. lib. 4. cap. 1. & Laertius in Thalete.

PYTHO, Atheniensibus ob res feliciter gestas ipsum admirātibus ac prædicantibus, quòd Cotyn regem Thraciæ interemisset: Diis, inquit, habenda est gratia, quibus auctoribus hoc facinus præclarè gestum est. nam ipse nihil aliud quàm manum & operam meam commodaui. Plut. in Politicis.

TIMOLEON Corinthius, cùm suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm se in ea re maximas diis gratias agere atq; habere: quòd cùm Siciliam recreare constituissent, tum se potissimùm ducem esse uoluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat. Itaq; suæ domi sacellum αὐτοματίας constituerat, idq; sanctissimè colebat. Probus in eius uita, & Plut. in Politicis.

TITVS Vespasianus, captis Hierosolymis, cùm omnia loca cadaueribus impleuisset, & à finitimis gentibus ob uictoriam corona aurea ei offerretur, respuit: dictitans, se tali honore indignum. Non enim se talium operum auctorem, sed Deo, iracundiam contra Iudæos demonstranti, suas manus præbuisse. Philostratus in uita Apollonij.

CONSTANTINVS Magnus, uicto Maxētio tyranno, nec in laudes acclamantis populi, nec in plausum tantæ urbis animos relaxauit: neq; suæ uirtuti rem gestam, sed diuino muneri attribuit. Mox ubi imagines sibi triumphanti Senatus erexit, uexillum Dominicæ crucis in dextera sua iussit depingi, & subter adscribi: In hoc Signo singulari, quod est ueræ uirtutis insigne, urbem Romam senatumq; & populum Romanum iugo tyrannicæ dominationis ereptum, pristinæ libertati nobilitatiq; restituit. Euseb. lib. 9. cap. 9. & Nicephorus libro 7. capite 30.

IN COLLEGAM.

S. P. Q. R. cùm ei propter externa bella Sabinorum ciuilesque motus necessarium uideretur, Dictatorem dicere, T. LARGIO & Q. CLOELIO Coss. quorum uirtuti fidebat, alteri ipsorum Dictatorem dicendi munus demandauit. O ingentem temperati animi modestiam. Quicquid contentionum alij suscepissent, ut ipsis hic honor demandaretur, id totum inter eos consumtum est, ut ipsum honorem collega acciperet. Biduoq; consumto in tam honesta mutuò transferendi in collegam honoris concertatione, uix tandem Senatus ac collegæ precibus uictus, Dictaturam T. Largius suscepit: semper affirmans, eo honore Clœlium se digniorem esse. Fulg. lib. 4. cap. 1. ex Dion. Halicar. lib. 5.

IN QVOSVIS ALIOS.

Henricus Castellæ rex, moriens, Ioannem puerum ut regni successorem reliquit: eiq; tutores dedit tres, præcipuum uerò Sancium Rodericum Daualos militiæ præfectum: FERDINANDO fratre præterito. Præfectus militię (cuius uoce is, qui rex futurus est, pro more nuncupari debet) quid ageret hæsitabat, etsi regnum puero datum uolebat. Monebatur autem cùm suo ipsius iudicio, tum procerum populorumque fremitu. Non enim esse ex usu regni expectare, donec anniculus adoleuerit, si modò adolescere daretur, cùm Ferdinandus iam adultus præstò sit: expectare qualis puer ille sit euasurus, cùm assit is, qualis uoto expetendus esset: committere regni gubernacula regiis satellitibus, & eum qui sit Rege patre, fratre, regali animo clarus, excludi à paterno regno, ac subiici cum tanta sobole regij generis libidini tutorum, ut per speciem administrationis in exilium agant, in carcerem coniiciant, in necem cum omni stirpe pręcipitent, quò ipsi impuniùs tyrannidem occupent, uel fato uel fraude extincto pupillo, ut florentissimæ domus familia breui tempore omnis in nihilum recidat. Præstare igitur, ut Ferdinandus succedat in regnum, illudq; postea Mariæ primigeniæ fratris, Alfonsoq; primigenio suo, quos priùs iurauerant populi in se regnaturos, per manus tradat, aut Ioanni, si dignior qui regnet uideretur. Hæc atque huiuscemodi uerba exaudiens præfectus, ut tenebat manu uexillum, stabatque ante Ferdinandum atque omnem cœtum, uti se omni inuidia exolueret, Quem, inquit, me iubes fili Regis Ferdinande, nuncupare Regem? te ne, an Alfonsum, an Ioannē? Fecit hac interrogatione, quod ipse erat in aliena, illum in sua ipsius causa arbitrum. Tot causis, tanta occasione, tanto hominum consensu, ad tantam spem uocatus, protinus, Ec quem, inquit, alium nuncupabis, quàm Ioannem? Quod si non audes, me imitare ipsum. & assumto in humero infantulo, sicut erat statura sublimi, ex loco superiore exclamauit: Ioannes est rex. dicite omnes, Rex Ioannes. Quam uocē admirati uniuersi, & ipsi subsecuti sunt, clamantes identidē, Rex Ioannes. Ita Ferdinandus, hac consilij celeritate non dato hominibus spacio deliberandi, rapuit eorum excussitq; iudicium: ac tacitè defuncto Regi exprobrauit inconsultam suspicionem, qui talem fratrem, se quoque meliorem, non bellè tractasset. Ac nequid de animo eius in dubium reuocari queat, omne reliquum uitæ tempus declarat Ferdinandum non aliter perseuerasse quàm inceperat. Valla lib. 1. de Ferdinando, & Pontanus lib. 1. de Magnanimitate.

Vitali Michaele Duce Venetorum, populari tumultu interfecto, inclinabant omnium suffragia in AVREVM Mastropetrum. Cæterùm eius admonitu Sebastianus Zianus, uir sapiens atq; admodum diues, qui ea temporum nouitate, ob amplum patrimonium, multò utilior reipublicæ futurus uidebatur, prærogatiua illa suffragiorum antiquata, dux declaratus est. Sabell. lib. 5. En. 9.

Mortuo Rodolfo Cęsare, filius eius Albertus prēsabat magno studio imperium: sed in suffragiis Electorum principum ad huc tacitis, longè præualebat VENCESLAVS IV. Boemiæ rex, Rodolfi gener: ad quem deinde apertè à maiore Electorum parte, ut olim ad patrem Othocarum, honor ille ultrò deferebatur. Cæterùm non eodem filius, quo pater, fastu & contemtu, sed per summam animi moderationem, qua se intra fines curasque regni sui continebat, honorem sibi delatum accipere grauabatur: prætcritoque Alberto &

Alberto & familiaritate & necessitudine deuincto, ut dolũ eius in occupanda Austriæ parte, uxoris suæ dote, ulciscere tur, Adolphum Nasouiæ Comitem, nec opibus nec dignitate illi parem, ac fama tantùm notum, Imperatorem nominauit, cæteris quoq; principibus eam nominationem comprobantibus. Dubrauius lib. 18.

Hungari VENCESLAVM regem Boemiæ & Poloniæ contra Carolum Robertum, à Bonifacio VIII. Pp. illis obtrusum, elegerant. Legati properè missi, rati eum alacrem cum gaudio illud accepturum, audiuere eum uultu demisso gratias benignè agentem, quòd se dignum duxerint, quem regem Hungariæ appellarent: sed sibi nullo ampliùs regno opus esse, cùm duobus istis, quæ possideat, plus satis oneretur. Nec ulla persuasione de hac sententia dimoueri potuit. Ad extremum tamen exorari se, quanquàm cunctanter admodum, passus est, ut filium sibi cognominem Venceslaum uix decennem daret Hungaris Regem. Venceslaus inde uidẽs, filium dissolutiore educatione ab Hungaris corrumpi, & propter intestina odia in magno uersari periculo, cum exercitu in Hungariam profectus, misit Budam ad filium, ei iniungens, ne Danubium traiiceret, néue in conspectu parẽtis prodiret, nisi coronatus corona illa, quam Hungari sanctam uocarent. Iussa facit filius. Venceslaus aliquandiu coronam contemplatus, seponi illam iussit, quasi diligentiùs paulò pòst consideraturus: nec deinde illam Hungaris restituit, prætendens futura pericula, si illa uel amitteretur, uel per uim ab æmulo interciperetur: sed unà cum filio secum in Boemiam asportauit, Patermanno Budæ relicto, qui præfecturam gereret. At in eo ad sedandos grauiores tumultus inualido, & ciuibus per auaritiam, proceribus per contemtum inuiso: ab Hungaris electus fuit Otho Bauariæ princeps. Nec is regnare abnuit, si Venceslaus pro derelicto regnum illud haberet. At Venceslaus tam nobile regnum nullo in fructu suo, sed in mero planè beneficio reponens, largitus est promtissimè Othoni gratuitam coronam, cum omni iure, quod filius in regnum Hungariæ habebat. Dubrauius libro decimooctauo.

Vladislao rege Poloniæ & Hungariæ ad Varnam cæso, solliciti Poloniæ proceres de successore, FRIDERICVM Marchionem Brandeburgensem, qui pueritiam in regno transegerat, linguamq; gentis & mores tenebat, ut regnum acciperet, rogauerunt. Respondit ille, Casimirum Lituaniæ ducem, qui frater esset defuncti, hæredem extare: sciscitari eius animum oportere. Itaq; Casimirus non tam Polonorũ gratia, quàm Friderici iustitia, regnum consecutus est. Aen. Syl. cap. 26. Europæ, & Fulg. lib. 4. cap. 1.

FRIDERICVS Elector dux Saxoniæ, à reliquis Electoribus Germanorum Imperator electus est, anno Christi 1519. post obitum Maximiliani. Sed ingenti animo delatum Imperium recusauit, suoque suffragio Carolum V. Imp. designauit. Oblatam eo nomine magnam pecuniæ uim à legatis Caroli reiecit, neque suos uel teruncium accipere permisit. Sleidanus lib. 5.

ACCEPTANDO AEGRE. QVI HOnores acceperunt

INVITI, COACTI.

EPAMINONDAS Thebanus, primus qui patriæ lumen nomenq; inter Græcos attulit, imperia magistratusq; inuitus gessit: ita tamen, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati uideretur. Iustinus lib. 6. & Plut. in eius uita.

NVMA Pompilius ad regnum à Romanis uocatus, diu restitit: nec nisi post multas Pompilij patris & Martij amici preces & admonitiones illud suscipere uoluit. Plut. in Numa.

VESPASIANVS Iudaico bello occupatus, mortuo Nerone, cùm ei Galba successisset, eoq; interfecto Otho, mox Vitellius, à militibus uel inuitus, strictis etiam gladiis Imperatoris nomen suscipere coactus est. Iosephus libro quinto, capite 10. belli Iudaici.

SATVRNINVM Gallum Aurelianus orientalis limitis exercitui præfecerat, simulq; præceperat, ne Alexandriam adiret, uelut ita futurum præsensisset, ut Alexandrinorum incõstantia ille ad res nouas aliquando consurgeret. Potuit tum Saturninus inhiberi, sed fatum tolli non potuit. Inuisit ille Alexandriam, etsi Aureliano extincto, Probo imperante, at simul urbem ingressum Alexandrini tumultuosè Augustũ salutarunt. Is ubi parum abesse sensit, ut iam pro hoste habe retur, ueritus ne accensæ multitudini resistendo uim paterretur, In apertum uitæ discrimen me trahitis, inquit, uerũ hoc mihi erit solatium, malorumq; omnium leuamen, quòd nõ solus cadam. Ac quasi diuinasset, haud multo pòst à Probi principis militibus obsessus ac captus est, absenteq; & inuito iugulatus. Sabell. lib. 7. En. 6.

P. Annius TACITVS à Senatu Imp. dictus, multum diuq; reluctatus, nunc ætatem iam propemodum decrepitam, nunc corporis infirmitatem excusare. Cui reclamatum est: Traianus iam senior imperium cepit, Adrianus cepit, Antoninus cepit: Imperatorem se creasse non militem: Imperatoris esse præcipere, militis pugnare. Nec à Seuero principe frustra prædicari solitum, Caput imperare, non pedes. Quo ille cõsensu uictus, præsenti patrum studio cessit. Vopiscus.

DECIVS Imp. creatus à militibus Illyricis inuitus & repugnans, ius quintæ relationis, proconsulare imperium, ius tribunitiæ potestatis arbitrio S.P.Q.R. permisit, contentus Patris patriæ cognomine. Cuspinianus.

Gratianus Imp. bello Germanico à persequendis in Thracia Gothis reuocatus, Sirmij conuocatis optimatibus, in Comitium uenit: ac palàm præsentem THEODOSIVM ducem Hispanum alloquutus, ipsi se committere uelle Orientem ostẽdit. Ei Theodosius gratias egit, atq; honorem, cuius magnitudinem sustinere nõ posset, uerbis, quoad potuit, à se auertit. Verùm Gratianus in bene cœpto persistẽs, illum, licet reluctantem, Augusti nomine insigniuit. Sigonius libro 8. Imp. occid.

BAMBA nobilitate sanguinis illustris, cùm post mortem Recinsuindi magno omnium procerum consensu in regẽ Vestgothorum in Hispania eligeretur, ægrè post longam deliberationem induci potuit, ut suam libertatem tam graui seruitute permutaret. Nec passus est se regem nominari, donec per manus Pontificum inunctus & coronatus esset.

Post Henricum V. Imp. liberis orbum LOTHARIVS Saxoniæ dux inuitus à Proceribus imperij electus est Moguntiæ, quatuor competitoribus aliis principibus potentissimis præteritis. A. D. 1126. Cuspinianus.

Mortuo Gregorio VII. Pp. cardinales atq; episcopi omnes in unum Desiderium abbatem Cassinatẽ consenserant. Quorum ille repudiato iudicio, ad monasteriũ se retulit, & Romanos ac Lombardos, quoscunq; potuit, literis ac nunciis ad complectendam ecclesiam incitauit. Vbi uerò calores æstatis deferbuerunt, Iordanes Desiderium Romam perducere conatus eo animo, ut ipsum etiam reluctantem Pontificem declararet, persuadere non potuit: atq; ita res pontificia prorsus anno 1085. refrixit. Sequente episcopi & cardinales multi ex diuersis partibus Romam sub Pascha profecti, Desiderio renunciarunt, ut Romam accederet, ac secum omnes episcopos & cardinales, qui Cassini erant, unaque Gisulfum Salernitanum principem duceret, ut primo quoque tempore de constituenda ecclesia consultarent. Quorum mandato ille, omni prorsus de se suspicione post tot menses abiecta, obediuit. Pridie autem Pentecostes comitiis aduocatis, omnes & clerici & laici Catholicæ partis fautores ipsum orarunt, ut Romanum pontificatum suscipere uellet, neq; ecclesiam Dei ab adulterino teneri Pontifice pateretur. Ille uerò eadem, qua antè, constantia preces eorum repudiare, seq; omnia passurum potiùs, quàm ut tantum onus acciperet, respondere. Qua uoce audita, quia serum erat diei, omnes domos suas abierunt. Postridie uerò obsecratus, ut quem idoneum maximè iudicaret, exprimeret, ille, re cum Cincio consule Romano communicata, Othonẽ Ostiensem episcopum nominauit, seq;, quem ipsi legissent, in Cassinati cœnobio contra Clementis III. Antipapæ ab Henrico III. Imp. dicti potentiam custoditurum subiecit. Plerisq; inde in Ostiensem inclinantibus, tum uerò cardinalis quidam: Ne Deus siuerit, inquit, quin Desiderium Pontificem habeamus. Qua uoce erecti cæteri, Desiderium uno consensu prehenderunt, & ad ædem S. Luciæ perduxerunt, & ritè electum, ac Victoris tertij nomine affectum, chlamyde coccinea exornarunt: albam enim renitenti non potuerunt imponere. Post quatriduum Victor Roma egressus, Ardeam & Tarracinam adiit: ibiq; Põtificem se esse nolle professus, crucem, chlamydem, & cætera pontificia ornamenta deposuit, & Cassinum reuersus, nulla ratione Romã reduci potuit. Sequenti, per Quadragesimę tempus conuentus Capuæ actus est, cui Victor cum episcopis & cardinalibus præfuit. Eo peracto, repentè clerici & laici omnes nouis illum solicitare precibus institerunt, ut pontificiam dignitatem resumeret. Quas cùm per biduum spreuisset, demum Duce, Principe, episcopis & cardinalibus ad pedes obsecrandi caussa procumbentibus, cessit: ac XII. Kalend. Aprilis in festo Palmarum superiora comitia, cruce & chlamyde resumta, confirmauit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

LVDOVICVS Vngariæ rex à Casimiro Magno rege Poloniæ in successionem regni adoptatus, petentibus Polonorum legatis & Vngarorum proceribus, ut prouinciã susciperet, respondit: Non satis intelligere, neq; hos quid suadeant, neque illos quid petant. E neutrorum enim id rẽ fore: sicuti ne duobus quidem gregibus expediat unum habere pastorem. Satis & abundè esse negotij, uni populo præesse. Duas respub. uix ulla ratione sine alterutrius, siue adeò utriusq; malo & incommodo ab uno administrari posse. Ita tunc Ludouicus. Sed tandem uictus precibus oratorum, annuit. Cromerus libro 13.

IACO-

IACOBVS Sadoletus à Leone X. Carpentoractensi Ecclesiæ præfectus absens, parere noluit priùs quàm sub obedientiæ uoto parere cogeretur, hac conditione uicissim extorta, ut ne ultra tres menses à Carpentoractensi grege suo abesset. Paulo III. galerum cardinalitium remissurus fuerat, nisi amicorum precib. & minis prohibitus fuisset. Hieron. Garimbertus lib. 2. de Vitis pontificum.

FLENTES.

PASTHVMIVS monachus, à Macario abbate morituro in locum suum succedere iussus, diù recusauit. Verùm obedientiæ pressus iugo, flens tandem regendi monasterij munus suscepit. Et quia ex humilitate sibi prorsus diffidebat, ab angelo præcepta institutionesque accepit, quibus fratres instruendo, in omni sanctitatis genere reddidit perfectos. Marulus lib. 1. c. 6.

BENEDICTVS III. Pontifex maximus, post Leonem ad pontificatum uocatus, diu lacrymis restitit, dùm se tanto honore indignum diceret. Sed tandem eum honorem assumere coactus, ita se gessit, ut electionis auctores nunquã pœniteret. Fulgosus libro quarto, capite primo.

AENEAS Syluius, pontifex Rom. sub Pij II. nomine in Comitiis cardinalium proclamatus, prorupit in lacrymas. Attonitus aliquamdiu cùm excitaretur, & lætandum esse contenderent, dixit: Lætari tanto fastigio imperij eos posse, qui labores & pericula non cogitarent: sibi uerò iam omnia præstanda aliis fore, quæ ipse ab alijs & in Germania, & Pannonia, & in Italia toties postulasset. Cùm à Cardinalibus & cœtu antistitum, ac postridie à ciuibus per ordines singulos consalutaretur, eodem perstitit uultu. Campanus in eius uita.

CVM CONDITIONE.

IOVIANVS, quum post Iulianum Apostatã in Perside ad imperium raperetur, clamabat: Nolle se infidelibus imperare, quum ipse esset Christianus. Cui responsum est à militibus omnibus, sese quoque Christi fidei esse obnoxios. Nicephorus libro decimo, capite trigesimooctauo. Eutropius libro 11. Socrates libro tertio, capite 22.

GLORIÆ CONTEMTVS secundùm ΑΙΤΙΑΝ, respectu FINIS. CVR contemnatur. CAVSA scilicet alicuius

BONI CONSEQVENDI, declarandi, conseruandi V. G.

PIETATIS.

Israelitæ à GEDEONE Ioæ F. post uictoriam illam insignem de Madianitarum 135. millibus partam postularunt, ut sibi imperaret tum ipse, tum filius eius atq; nepos. At Gedeon renuit, Iouam in eos imperiũ habere dictitans, & domi suæ priuatus uixit. Iudicum cap. 8.

FIDEI ERGA

Patriam.

ANDREAS Auria Genuam patriam uariis agitatam uicissitudinibus dominationis Fregosiorum, quibus Galli, & Adurniorum, quibus Cæsar fauebat, tandem Gallorum amicitiæ ualedicens, libertati restituit. Cohortantibus quibusdam ciuium primatibus, ut dominatum ciuitatis, quem bona fors offerebat, suscipere uellet, eius rei peramplum munus mira animi integritate atque constantia renuit, quum diceret sibi exactæ propè ætatis seni, & satis opulento, nullisq; innixo liberis, ineptum fore principatus nomen, satiusq; omnino esse & multò gloriosius, id donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquàm priuato ciue uel externo principe, qui sua ope ad imperium prouehi posset, amicitiam & gratiam promereri, quando nihil ad ueram laudẽ uberius, uel ad dignitatem honestius, uel deniq; ad reliquæ uitæ felicitatem firmius atq; splendidius fore iudicaret, quàm æternæ suæ erga patriã munificentiæ trophæum, post excussum ipsius auspiciis diuturnæ seruitutis iugum, in foro memoriaq; hominum, liberatæ à se patriæ statuisse. Iouius lib. 26. Hist.

Principes.

Gothi uicti propemodum à BELISARIO, apud eum egerũt, ut qui ipsos Iustiniani auspicio armis persequebatur, Italiæ se regem faceret: polliciti, si id agere uoluisset, se sine cõtentione imperatã facturos, adeò eum propter immensas uirtutes amabant, Iustiniani autem auaritiam abhorrebant. Is cùm ambiguis uerbis annuisse uideretur, dicto audiẽtes per aliquod tempus Gothos habuit, Rauennaq; & Vitige potitus est. Cæterùm posteaquam ob eius rei suscipionem ab Italia Iustinianus eum reuocauit: Gothi cùm intelligerent, profectionem eum parare, Papiæ Idoaldum regem crearũt: qui statim ad Belisarium misit, si ipse Italicum regnum suscipere uellet, se ad eum iturum, & regno, quod à Gothis accepisset, ei cessurum. At id Belisarius apertè abnuit se facturum. Fulgosus & Egnatius lib. 4. c. 1.

Subditos.

Neapolitani ciues, cùm ob uirtutem & clementiam ALFONSI regis decreuissent uno consensu omnes, arcum regi triumphalem ad memoriam honorificè struere, elegerunt locũ super gradus marmoreos maioris ecclesiæ. Id uerò quãdoquidem fieri non poterat, ni magna ex parte dirueretur Nicolai Mariæ Buzutij, magnanimi & strenui militis domus, rex fieri omnino hoc prohibuit: Haud tanti se facere, inquiens, huiusmodi saxorum struem uentis imbrique obnoxiam, ut amici domum ideo euerti pateretur. Panormita lib. 1. de Alfonso.

Amicos.

VRAIA post Vitigem Gothorum regem patruum, bello captum, quem Belisarius Constantinopolim captiuum miserat, cùm ad eum ob singulares uirtutes Gothi regnum deferrent, minimè assentiri uoluit. Affirmabat enim, quanquã captiuus esset Vitiges patruus, tamẽ quia legitimus Gothorũ rex esset, locũ se eius, dum uiueret, quia iniustè id fieret, occupaturum non esse. Gothi cùm sine rege manere nollẽt, Idoaldum crearunt. Io. Magnus lib. 12. ex Procopio.

MICHAEL Zilagius, quum in regiis comitiis Mathiã Coruinum, ex sorore nepotem, Vngariæ regem declarandũ graui oratione suaderet, pars magna procerum Michaelẽ ipsum optandum regem esse prædicabat. Ille uero nepotis gratia obnixè recusauit. Bonfinius lib. 9. Dec. 3.

Alberto Ladislai patre uita functo, Boemi & Hungari FRIDERICVM Cæsarem sibi regem petebant. Fridericus ubi oblatum sibi honorem animaduertit: Absit à me, inquit, hoc scelus, ut patrueli meo pate[rnam] hereditatem auferam. Aeneas Sylu. lib. 2. Com. de reb. [ge]stis Alfonsi.

Ho[stes].

Argiuis iterum à trecentorum marte signis collatis ad internecionem cæsis, monebant POLYDORVM Lacedæmoniũ socij, occasionem ne elabi sibi sineret, sed adoriretur hostiũ muros, urbemq; reciperet. Pronum id fore uiris cæsis, relictis feminis: respondit eis, Pari marte præliantem uincere hostes, est mihi honestum. Enimuerò eum, qui de finibus dimicauit agri, affectare urbem capere, haud censeo uerum. Adsum namq; ad recipiendum agrum, non ad potiundum urbe. Plut. in Apoph.

QVIETIS.

ION ad Xuthum patrem, Atheniensium regem, cupiebat potiùs manere in templo Apollinis, ubi uitam agebat quietã, & tranquillam, quàm Athenis esse rex uel dominus: ubi ipsi cùm inter pericula tum curas & labores, perpetuò uiuendũ esset, apud Eurip. in Ione.

DIGNITATIS.

LIBANIVS sophista Antiochenus, præfectura palatij Constãtinopoli ornatus (par enim erat administrandæ reipub. & caussis ciuilibus) accipere noluit. Sophistam præfecto maiorem esse inquiens. Eunapius in eius uita.

MALI PRAETERITI, PRAEsentis, futuri. Quoniam uel

NON DECET ACCEPTARE, propter

Infelicitatem.

Confregit Remp. TERENTIVS Varro, Cãnnensis pugnæ temerario ingressu. Idem Romã reuersus honorificè à patrib. exceptus, actæ insuper gratiæ, quòd Remp. deserere mortè noluisset, delatam sibi ab uniuerso Senatu & populo Dictaturam, recipere non sustinendo, pudore culpã maximæ cladis redemit: effecitq;, ut acies deorum iræ, modestia ipsius moribus imputarẽtur. Itaq; titulo imaginis eius speciosiùs non recepta Dictatura, quàm aliorum gesta, adscribi potest. Valerius lib. 4. c. 5.

Ignobilitatem.

Sydone capta ab Alexandro Magno, obtinebat regnum inter Sydones Strato Darij amicus. Is, quia deditio ab oppidanis facta est, indignus ab Alexandro habitus, cui regnum restitueretur: Ephęstioni permissum, ut quem Sydonij regno dignum arbitrarentur, ex illorum sententia regem declararet. Erãt Ephęstioni hospites Darianorum QVIDAM: hi oblatum ultrò regnũ pertinaciter recusarunt, prædicantes id fastigiũ patrio more non recipi, nisi ab iis, qui regia essent stirpe procreati. Laudati iuuenes ab Ephęstione, quòd magnitudine

rudine animi spernerent ea, quæ per ignem & ferrum cæteri mortales peterent, iussi sunt cum aliis bonis circumspicere, qui omnium optimè esset id nomẽ inter Sydonios laturus. Sab.lib.4.Enn.4.

NON LICET ACCEPTARE
propter
Imperitiam literarum.

Pius pontifex scribit, ætate sua LVDOVICVM Thuringiæ Lantgrauium, Imperatorem electum, uirum armis clarum, iustitiaque insignem, cùm literas se nescire diceret, rem imperio pernecessariam, electionẽ de se facta uti noluisse. Fulgosus lib.4.cap.2.

Impotentiam ex Morbo, Senio.

Sept. SEVERVS Imp. deuictis Parthis triumpho uti recusauit. Nam cùm uehementer podagra laboraret, triumphalis currus agitationem ac tædium uitare, quàm sequi triumphalis pompæ cupidinem maluit. Fortasse Vespasiani memoria cõmonitus, qui cùm de Iudæis triumpharet, fastidio longi apparatus, tantæq; agitationis affectus, ea se meritò perpeti tædia dixit, quia iam senio confectus triumphalis pompæ uanitatem appetiisset. Fulgosius lib.2.c.3.

Cùm occiso in Persica pugna Iuliano, Romanum imperiũ ad interregnum uenisset: magnis precibus egit uniuersus exercitus apud SALLVSTIVM, palatinam præfecturam sustinentem: qui non solùm diligens, uerumetiam audacis animi uir erat: ut Imperij honorem susciperet uellet. Sed frustra laboratum est, Sallustio parùm prosperam ualetudinem seniumq; excusante. Quæ res exercitum mouit, ut Iouinianũ ferret, qui nulla publica auctoritate eum honorem usurpauit. Ibidem ex Marcellino.

Contra Carolum IV. Electores Edoardum Angliæ regem Cæsarem elegerant, A.D. MCCCXLIIX. At is bella, quæ cum Gallo habebat allegans, aliaque plurima obstantia recensens, promisso interim suo auxilio Principibus, electionem cum multa gratiarum actione recusauit. Principes ergo uocarunt FRIDERICVM Marchionem Misnensem, abnepotem Friderici Imperatoris, qui ex filia gener Ludouici Imperatoris defuncti erat, ut Imperatricem uxorem duceret & regnum ambiret. Marchio autem quia arthritide uexabatur, licèt iuuenis esset, à Carolo accepit decem millia marcarũ, & feudorum inuestituram, iuramentumq; præstitit fidelitatis: eo excepto, ne unquam contra filios Ludouici auxilia præstare cogeretur. Cuspinianus.

Mortuo Arnulfo Imp. cùm procerum Germanorum concursus fieret ad OTHONEM Saxoniæ Ducem, eumq; rebus gestis sanguineq; nobilissimum, ac summa prudentia uirum, sed senecta inualidum, Augustum salutarent: ætatis excusatione usus, illis persuasit, uti Conradum Sueuum designarent Augustum, qui cum Francis societatem ac amicitiam iunxit. Aemilius lib.3.

NON EXPEDIT. Propter
Morositatem.

Cũ instaret apud PHILOPOEMENEM Antigonus, ut secũ militaret, eique præfecturam & pecuniam offerret, abnuit: præcipuè ingenium suum conscius ægrè & grauatè ferre superiorem. Plu. t in eius uita.

GLORIAE STVDIVM secundùm AHΥIN, respectu AΣIΩMATOC siue PRAEMII, ipsius scilicet HONORIS, cui studet. HONOREM amplecti

PONTIFICATVS.
Vide infrà sub Modo, Acceptare modestè.

REGNI, IMPERII.

Regni πλοῦτον hoc consideramus respectu Honoris. Sin opes spectes, ad Liberalitatem & πλοῦτον pertinebit. Vide infrà, Acceptare modestè.

Endymion Elidis secundus rex, cùm tres haberet filios, PAEONEM, EPEVM & AETOLVM, proposuit filiis cursus certamen in Olympia. Ex eo uictor discessit Epeus: & Epei primùm populi ab eodẽ dicti. Pausanias lib.5.

DANAVS, cùm Argos uenisset, de regno cum Gelanore Sthenelæ filio contendit. Ac cùm eorum uterque ad populum multa, & ea maximè probabilia, & iuri cõsentanea dixisset: neque omnino, quæ Gelanor afferebat minùs æqua uiderentur, causa ampliata est in crastinum. Postera die prima luce, in boum gregem in pomœrio pascentium lupus impetũ fecit, atque is taurum ipsum gregis ducem adortus est. Visum est Argiuis, Gelanori cum tauro, cum lupo esse Danao aptissimam conuenientiæ rationem: quòd scilicet uti lupus animal est homini minimè familiare, sic propemodum ad id temporis nulla fuisset Danaus Argiuorum usus consuetudine. Quare cùm taurum lupus confecisset, & re nata Argiui Danao imperium adiudicarunt. Tunc Danaus lupum ab Apolline immissum interpretatus, Lycij Apollinis ędem dicauit. Pausanias in Corinth.

Cùm MEDON, & NELEVS, Codri Athenienſium regis filij de regno dissiderent: negaretq; Neleus regnum se Medontis ferre posse, qui pede altero claudicaret: rei cognitione Delphico oraculo permissa, respondit uates, deberi Medonti Athenienſium regnum. Dimissi itaq; in coloniam Neleus, alijque Codri filij, & ex Athenienſibus quicunque nomina dedissent, & multò maximam Ionum manum abduxerunt in Asiam. Pausanias in Achaicis.

Darius rex Persarum, priusquam regnum adeptus esset, ex alia uxore Artobazanem, Xerxem deinde rerum potitus ex alia susceperat. Cùm de successore cogitasset, magnaq; inter consanguineos dissensio fuit, ac utrinque res coram ipso Dario rege summis fauẽtium studiis agitata. Dicebat ARTOBAZANES, omnium se fratrum maiorem natu esse: quare iure gentium, primiq; geniti prærogatiua, imperij spẽ ad se pertinere. Nam patri aduenientem dignitatem, etiã antè susceptis liberis proficere: & nihilominus (si decet paruis magna componere) senatoris aut equitis filium appellari, qui nondum patre senatore uel equite natus est: præterea & illegitimè susceptos per subsequens matrimonium nõ minùs patri suos effici, quàm qui postea legitimè suscepti sunt. XERXES ex aduerso, cõueniens esse, ut qui patre imperante nasceretur, hic regno succederet: quasi reuerà id sit regale semen, stirpsq; regia, quæ tũ orta est, cùm quis regnare ceperit. Et sanè uicit hęc sentẽtia, magis secũdę uxoris illecebris, falsoq; Demarati testimonio, qui hoc iure uti Lacedæmonios malitiosè recitauit: quàm lege, aut moribus, aut exemplo. Quamobrem ita iudicatũ fuisse nihil postea Cyro profuit, cũ idẽ Artoxerxi maiori fratri obiiceret: ualuitq; ius naturæ, non studiũ matris Parysatidis. Iustinus aliter scribit in hæc uerba. Darius cùm aduersus Athenienses bellũ restauraret, in ipso apparatu decedit, relictis multis filiis, & integno & ante regnũ susceptis. Ex his Arthemenes maximæ natu ætatis priuilegio regnũ sibi uẽdicabat: quod ius & ordo nascendi & natura ipsa gẽtibus dedit. Porrò Xerxes contouersiam non de ordine, sed de nascẽdi felicitate, afferebat. nã Arthemenẽ primũ quidẽ Dario, sed priuato prouenisse regi primũ natũ. Fratres itaq; suos, qui antè geniti essent priuato, priuatũ patrimonium, quod eo tẽpore Darius habuisset, non regnum sibi uendicare posse: se esse primũ, quẽ in regnum rex pater sustulerit. Huc accedere, quòd Arthemenes non patre tantũ, sed & matre priuatæ adhuc fortunæ, & uno quoq; materno priuato, creatus esset: se uerò & matre regina natum, & patrem non nisi regem uidisse: auum quoq; maternum Cyrum regem habuisse, non hæredem, sed conditorem tanti regni. Itaq; etsi æquo iure utrumq; fratrem pater reliquisset, materno se tamen iure & auito uincere. Hoc certamen tandem concordi animo ad patruum suum Artaphernem, ueluti ad domesticum iudicem deferunt. Qui cognita causa, Xerxem præposuit: adeoq; fraterna contentio fuit, ut nec uictor insultauerit, nec uictus indoluerit: ipsoq; litis tempore inuicem munera miserint, & iucunda quoque inter se, non solùm credula conuiuia habuerint: iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine conuitio fuerit. Tantò moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quàm nunc exigua patrimonia partiuntur. P. Acrodius ex Herodoto, libro septimo, & Plutarcho in Artoxerxe, & Iustino libro secundo & 16.

AGESILAVS Lacedæmonius de regno cum LEONTYCHIDE, fratris filio, habuit contentionem. Mos enim erat à maioribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis quàm imperio, ex duabus familiis Procli & Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis, Spartæ reges fuerunt. Horum ex altera, in alterius familiæ locum fieri non licebat. Itaque uterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui maximus natu esset, ex liberis eius, qui regnans decessisset. Sin is uirilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai: filium reliquerat Leontychidem. Flagrabat is infamia, quasi susceptus ex Alcibiade: qui quo tempore exul Spartæ agebat, stupri clandestinam consuetudinem cum uxore Agidis Timæa

Timæa habuerat. Agis autem, uti fama est, collegerat ex tẽpore uxorem non esse ex se prægnantem. Vnde Leontychidem negligebat, ac non obscurè reliquo tempore abdicabat. At ubi æger est Heræam delatus, iã morti uicinus, hinc abipso adolescẽte, hinc ab amicis obsecrantib. inductus est, ut adhibitis multis filium agnosceret Leontychidẽ: & cùm orasset assistentes, ut horum essent apud Lacedæmonios testes, expirauit. Testificabantur hi Leontychidi ea. Insuper Agesilaum inclytum aliàs uirum, & suffragatore subnixum Lysandro amatore, celebris uates lædebat Diopithes: qui hoc uaticinium in Agesilai citauit clauditatem:

Tu quamuis animo tumeas ô Sparta superbo,
Te ualidam pedibus prorsus circumspice claudum
Ne lædat regnum: longi te namq; labores
Et subiti cingent, Martisq; agitaberis undis.

Igitur multis oraculo assentientibus; atq; ad Leontychidẽ uersis, negauit Diopithem Lysander sortes rectè accipere. Neq; enim si, qui offensauerit pedem, regnet apud Lacedæmonios, id deum auersari: fed esse regnum claudum, si adulterini & degeneres inter posteros Herculis agant regnũ. His suasionibus & opibus ingentibus suis persuicit, ut rex sa luxaretur Agesilaus. Verumenimuerò post Leuctricam cladem, cùm uictor Epaminondas & successu sublatus inuasurus expectabatur Peloponnesum, oracula recurrerunt in mentem de Agesilai claudicate, atq; ingens perculit Sparta nos mœstitia religioque, quasi respub. ideo afflicta esset, quòd rectum regno deiecissent, claudum uerò luxatumq; legissent: quod deus ipsos imprimis erudierat perpendere & deuitare. Plut. in Lysandro & Agesilao.

Albani Romanorum incrementis intuidentes, arma ceperant. Res indigna uisa est, cognatas gentes inter se prælio decertare: & ternis utrinque delectis pro patria pugnandi condicio delata, præsertim quia Tergemini fratres in utrisque castris essent, uiri fortissimi, & ad omne facinus parati. Erant hi ex duabus Seduinij Albani filiabus, uno partu nati: carũ altera Romæ Horatio, altera Curiatio Albæ nupserat: uterque parens fœcundum uxoris puerperium, ut sibi patriæq; prosperum, diligenti cura educauerat. Icto fœdere, initoq; certamine, Liuius primo congressu duos ait Horatios concidisse, tribus Curiatiis uulneratis: ibique simulata fuga, qui Horatiorum reliquus fuit, Curiatios paribus interuallis sequentes adortus, duos priores, priusquam uterque alteri opem ferre posset, unum post alterum subitario congressu duobus ictibus confecit. Tertium inde fessum cursu grauique uulnere affectum, his uerbis affatus, Duos, inquit, Curiatios meorum fratrum manibus dedi, iam tertiũ, ut Romanus Albano imperet, dabo: uibrato gladio uix arma sustinentem obtruncauit, spoliauitq; iacentem. Romani, quò res propior fuerat periculo, eò maiore gaudio elati, Horatium multa gratulatione, multisque laudibus accipiunt. Inde utrique ad sepeliendos suos nequaquam paribus animis uersi, hilaritia gestientes, quia imperio auĉti: illi quum liberi nuper fuissent, alienæ ditionis facti, mœrore & tristitia affecti. Sab. lib.4.En.2.

Lesco I. Polonorum principe sine liberis defuncto, & multis PROCERVM principatum ambientibus, placuit indicto ad certam diem maculosorum equorum cursu, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus ut princeps esset cunctæ Poloniæ. Figitur meta apud Prandinicum amnem, in aperta planicie ad Septentrionalem plagam Cracouiæ. Ibi Lescus quispiam, procerum & competitorum unus, cùm stadium uafro consilio stratis clàm in sabulo ferreis hexagonis, siue stylis cæcis, quibus currentium equorum pedes laederentur, impediuisset: ipse obliquo & minimè impedito tramite primus, cæterorum equis in cursu offendentibus accessitantibus, ad metam peruenit. Munierat is etiam equi sui calces ferreis soleis, ut ne offenderet in stylis, si fortè cum impetu currens in eos incidisset, cùm omnes omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberent. Rei prorsus ignaris & miraculo attonitis omnibus, & iam uictorem atq; principem diuinitùs sibi oblatum Lescũ conclamantibus, techna deprehenditur: protrahitur Lescus in medium, conuincitur, damnatur, concerpitur. Notarant commentum illud duo quidam iuuenes tenues & obscuri. Cùm enim, nemine etiamdum præsente, in stadio illo pede sti cursu sortè certarent, ioco principatum inter se pacti, offendunt in stylis: subsistunt: inuestigant rem curiosiùs: notant tramitem in stylis uacuum. Eorum alter, equitibus à carceribus procurrentibus, procurrit & ipse pedester noto iam sibi tramite, omnibus effuso risu eum prosequentibus. Omnium uerò equis, cùm ad stylos uentum esset, cespitantibus, iuuenis ille pedester primus post doli fabricatorem ad metam peruenit. Eum igitur, Lesco interfecto, principẽ populus omnis salutauit. & ne quid ad auctoritatem ac maiestatem ipsi deesset, Lescus II. commutato nomine appellatus fuit. Atq; is cùm tam insperato euentu rei mirabundus atq; dubitabundus principatum suscepisset: sedulò dedit operam, ne tanto munere indignus iudicaretur: nec modò repressit finitimorum uim & incursiones, sed quibusdã etiam populis ultrò bellum intulit. Cromerus lib.2. & Guagninus in Vitis regum Polonorum.

Philippus Pulcer rex Franciæ, tres ex Ioanna uxore creauit filios, Ludouicum Hutinum, Philippum Longum, & Carolũ Pulcrum: filia Isabella nupsit Edouardo secundo regi Angliæ, ex qua natus est Edouardus tertius. Successit Philippo patri Ludouicus, qui Clementiam, filiam Martelli, qui pater fuit Roberti Siciliæ regis, moriens grauidam reliquit, quæ puerum peperit, cui nomẽ Ioannes est impositum, qui pauculos dies uixit. Post hunc Ioannem, regnauit Philippus Longus, quamuis nonnullis inclamantibus regnum Ioannæ Hutini filiæ deberi: id quod Odo Burgundiæ dux auunculus puellæ cum primis faciebat. Cæterum ex legis Salicæ præscripto. Longus rex salutatus, trium filiarum maximam Odoni despondit, dote Burgundiæ Comitatu. Philippo sine liberis mortuo, Carolus Pulcer regnum obtinuit. Is septimo post anno mortem obiuit, relicta Ioanna uxore grauida, quæ paucis post diebus filiam Blâcham enixa est, quæ statim patris fatum secura est. Per hunc igitur modum regia uirilis stirps Philippi Pulcri in Carolo filio defecit: ex quo de regno inter GALLOS & ANGLOS contentio orta est. Edouardus enim III. secundi F. sibi ut legitimo hæredi Frãciæ regnum uenire contendebat, quòd ipse solus ex stirpe regia esset, qui Philippum Pulcrum auum maternum proximo cognationis gradu attingeret, utpotè qui ex Isabella eius filia genitus esset. Quocirca primo quoq; tempore per legatos cum Frãcis principibus egit, uti se regem dicerent. Sed legati nunquam gratè auditi, domum re infecta rediêre, cùm ipse statim post se utriusque regni & Franciæ & Angliæ regem appellare cepit, aliquando armis, quam iure nõ poterat, recuperaturus hæreditatem. At Franci qui iniuriam filiæ Ludouici Hutini regis paucis antè annis factam pro iure habebant, prædicantes iam inde à principio suorum regum, lege exceptum esse, ne regnum Franciæ ullo unquam tempore femineo sexui deberetur, Philippum Valesium filium Caroli Valesij, qui Philippi Pulcri frater fuerat, regem fecerunt, quem memoriæ proditum est Flandros finitimos populos illudentes, Regem Repertum extra iocum appellasse, tanquam non iure creatum. Aemilius libro octauo, Polydorus libro decimonono.

Aragoniæ atque Siciliæ rex Martinus cùm sine liberis decessisset, asserebant hi singuli ad se regni successionem pertinere: LVDOVICVS ex Iolâte fratris filia nepos. nam ut aliquid sexus matri fuisset impedimento, id nunc in sua persona nõ obstare. Contrà, IACOBVS Comes Vrgellensis, se Ioanne patre susceptum, quem Petrus defuncti pater, quòd maior natu fuisset, eo duntaxat à successione repulerat. Itaq; cùm masculus ex masculo descendat, Ludouico anteferri oportere, ad quem solans mater nihil plus iuris transmittere potuit, quàm ipsa haberet. Cæterùm legibus Aragoniæ, feminas regni esse incapaces. Item FERDINANDVS ex Helianora, quæ fratrem ex utroque parente Martinum habuit, dicere bona omnia naturali iure ac legibus ad proximum de ferri. Ideo quia sint ultimi cuiusque possessoris, non ampliùs eorum à quibus longa successione profecta sunt: itaque inspici oportere duntaxat, quis ei, cuius de successione agitur, sit proximus. Et quòd dicitur feminas non succedere (et si non sit cautum nominatim legibus Aragoniæ) intelligi tamen, quando & mares ipsi æquè proximi sunt, ac eodem cũ feminis gradu coniuncti. Denique etiam FRIDERICVS ex filio defuncti nepos, sed illegitimus, mouebat controuersiam. Habere se iudicium defuncti; quanquam reuerà non postremum: nam tandem moriẽs, cuius regnum esse iusserat, cui iurè deberetur: haud ferè aliter quàm Alexander Magnus, qui interrogatus quem imperij faceret hæredem, respondit, Dignissimum. Se non omnino illegitimum dici posse, qui ex patre cœlibe ac matre innupta natus sit, quorum iustæ nuptiæ esse potuerunt. Vtut sit, iniquum esse, delictum patris (si quidem summorum Principum in his rebus ullum delictum appellatur) filio nocere. Se à patre & auo, pro filio, pro nepote habitum. Res postquam ui, armis, ac dubio marte antè omnia gesta est, tandem iudicio ac legibus eam transigi placuit: in nouem conuenére arbitros. Nũquam post hominum memoriam res ferè tanta in iudiciis uersata est. Ex Aragonia cepêre Dominicum Ramum Oscẽsem episcopum, Franciscum Arundum philosophum, Berẽgarium Bardessinum Iurisconsultum. Ex Valentia, Ferrariũ dominum Cartusiæ iurisconsultum, atq; fratrem eius Vincentium sodalem ordinis Prædicatorum, Petrum Berrandũ Iurisconsultum. Ex Catalonia Franciscum Sagarrigua Terraconensem archiepiscopum, Bernardum Vallissicæ iurisconsultum, Gulielmum Graspem: summæ doctrinæ, probitatis atq; prudentiæ uiros. Hi sacris anteà ritè peractis, per trigin-

ta dies Aduocatos partium audierunt, toties & quandiu cuique libuit dicere. Postremò re cognita, ac dispectis omnibus causæ instrumentis, conclusi in arce, ita ut hinc abire non liceret, nisi rege antea declarato: octauo die progressi in publicum, summa cùm totius atque infiniti populi attentione, spe atq; expectatione, de scripto Ferdinandum regẽ pronunciarunt. P. Aerodius ex Laur. Vallæ lib. 2. Hist.

Mortuo Vngariæ rege Mathia Coruino, quinque legationes pro nouo rege missæ, regia comitia sollicitarunt. Cæsaris FRIDERICI III. prima erat, secunda BOEMORVM, tertia POLONIÆ regis pro filio Alberto, quarta Aragonia, quæ BEATRICIS Coruini uxoris haberi rationem postulabat. His accedebat CORVINI ducis Mathiæ ex pellice F. petitio. Bonfinius lib. 9. Decadis 4.

Mortuo Maximiliano I. imperiũ ambiebant FRANCISCVS I. Gallorum rex, & CAROLVS Austriacus. Huic Moguntinus & Fridericus Saxoniæ dux (qui oblatum sponte imperium magno animo recusauerat) fauebant, illi Treuerensis. Pontifex Gallo fauens, Carolum impedire studebat, quia Neapolitanorum rex Pontificis beneficiarius esset, & iuramento imperium suscipere prohiberetur. Heluetij à Gallo rogati, ut apud Electores intercederent, pluris patriam fecêre Germaniam, quàm eius preces. Tandem Saxonis auctoritatem secuti reliqui, Carolum Imp. designarunt. Repulsam Galliæ rex eò grauiùs tulit, quò malus impendere suis rebus periculum ab illo sciebat: nam cuiuis alij dignitatem hanc deferri malebat quàm Carolo, cuius & iam antè suspectam habebat, & hac ratione mirabiliter augeri uidebat atque confirmari potentiam. Auri uim maximam, ut sui haberetur ratio, frustra profuderat. Sleidanus lib. 1.

CONSVLATVS.

Anno quinto belli Punici, quum Romæ iuniorum prærogatiua T. Octacilium & M. Aemylium Regulum consules retulisset: uehementi Q. FAB. Max. consulis oratione factum est, ut centuriæ in suffragium missæ, Fabiũ ipsum & M. Cl. Marcellum, Octacilio frustra indignante, consules crearint. Nec quisquam Fabium imperij cupidum, quia se consulem refici passus esset, existimauit: quin ab omnibus est laudatus, quòd sua animi magnitudine nixus, minoris inuidiam suam faceret, siqua inde oriri potuisset, quàm Reipublicæ salutem, cui optimis ducibus opus esse ea tempestate uidebat. Sab. lib. 3. En. 5.

MAGISTRATVS INSIGNIVM.

Iudæorum reges ab aliis Iudæis solo nomine discerni mos erat. Cæterùm posteaquam DAVID rex Ammonitas bello superauit, urbẽq; eorum munitissimam nomine Rabatham ui cepit, diadema assecutus, quo eorum rex utebatur (quod magni erat precij) gestare cœpit, & imperij maiestatis & uictoriæ insignis monumentum. Fulg. lib. 3. cap. 6.

ARISTOBVLVS cùm patri Hircano in Iudæorum pontificatu atq; principatu successisset: deuictis Ithuræis primus Assamonæorum Machabæorum anno uno & octogesimo, tribusq; mensibus post quadringentos, à prima Babyloniorũ captiuitate, Iudaicum principatum in regni nomen conuertit: gentiq; suæ diadematis insigni restituto, primus illud capiti suo imposuit, atq; Pontifex & Rex appellatus est. Idem.

Q. FAB. Max. Dictator contra Annibalem creatus, ut ilicò imperij sui populo uim speciemq; ostentaret, quò magis obsequentibus uteretur, & dicto audientibus ciuibus, processit cum uiginti quatuor fascibus. Cùm autem alter consul ad ipsum progrederetur, misso apparitore dimittere iussit ei lictores, & insignibus depositis imperij, priuati more sibi occurrere. Plutarchus in Fabio.

Absens Iulius Cæsar Dictator, curam Vrbis Lepido magistro equitum, præfectisq; Vrbis mandauerat. PRÆFECTI, lictores, uestem ac sedem curulem usurpauerant. Quo nomine accusati, ideo absoluti sunt, quòd horum insignium usus iis magistratibus permitteretur, qui à Dictatore creati atque ordinati essent. Sed & quod in ea re admiserint, non tam id fecisse uiderentur quasi præfectorum loco, quàm pro magistris equitum: ideo quia Cæsar eos in Vrbe pari potestate, itaque & honore esse cum Lepido uoluisset. Dion lib. 43.

AVRELIANVS Imperator multis partis uictoriis aduersus Barbaros atq; tyrannos, cùm triennio totum pacasset orbẽ, quem uix expeditus homo peragrare posse uidebatur, Augustorum primus regio diademate uti uoluit: cùm usq; ad id tempus alij Imperatores, quibus modestia inerat, haud à cæteris disparem habuissent habitum, nisi quòd soli cũ magistratibus purpura utebantur. Fulg. lib. 3. cap. 6.

LEONEGILDVS Gothus Hispanorum rex, partis ingentibus uictoriis, ac multis gentibus subactis, regio diademate primus uti cœpit: cùm ante id tempus alij Gothorum reges non alia re magis, quàm nomine, à cæteris gentis suæ hominibus dignoscerentur. Fulg. lib. 3. cap. 4.

CAROLVS Magnus Romam ueniens ad reparandum Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus transegit: eoq; tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit: quod decus primò intantum auersatus est, ut affirmaret ea die, quamuis præcipua festiuitas esset, ecclesiam se non fuisse intraturum, si præscire potuisset Pontificis Leonis consilium. Inuidiam tamẽ suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus nõ dissimulantibus, magna superauit pecunia: uicitq; eorum contumaciam humanitate. Cranz. lib. 2. Saxoniæ, cap. 8.

TRIVMPHI.

L. VALERIVS Potitus, primus Cõsul post Decemuiros, cùm Volscos Aequosq; ad Algidum magna clade debellasset, & triumphus ei à patribus negaretur, suadente Icilio Tribuno plebis, primus sine auctoritate Senatus triumphauit, ideoq; Maximi cognomen adeptus est. Plutarchus.

Cn. POMPEIVS uicto Sertorio & Perpenna Romam rediit, ibiq; triumphum petiit. Cui se obiecit Sylla: Consuli enim tantùm, & non Proconsuli aiebat triumphum lege permitti. Itaque Scipionem, quum magnis & arduis prælijs superauisset in Hispania Carthaginenses, triumphum tamen non postulasse: quia nondum erat Consul, nec id bellum suis gerebatur auspiciis. Obstabat præterea triumpho Pompeij, quia uix pubescebat, quiue ob ætatem nondum in Senatũ admissus fuerat. Sed quum denuò instaret Pompeius, admiratus iuuenis fiduciã bis exclamauit, Ergo triumphet. Qua ex re quum indignatio complures caperet, grauiterq; id ferretur, optans Pompeius eos grauiori molestia afficere, conatus est currũ à quatuor elephantibus ducto triumphum ducere: angustiori tamen porta urbis prohibitus, equis usus est. Plut. in Sylla.

LVCTATIVS Consul & Q. Valerius Prætor, circa Siciliam, insignem Pœnorum classem deleuerant: quo nomine Luctatio Consuli triumphum Senatus decreuit. Cùm autem Valerius sibi eum quoque decerni postularet, negauit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur. Prætor Consuli: pertinaciusque progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, Non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa. nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaque iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus: apud quem Valerius egit in hunc modum: Consulem ea pugna in lectica claudum iacuisse: se uerò omnibus functum imperatoriis muneribus. Tunc Calatinus, priusquam Luctatius dicere inchoaret, Quæro (inquit) Valeri abs te: Si dimicandum nec ne esset, contrariis inter uos sententiis dissedissetis: utrũ, quod Consul, an quod Prætor imperasset, maius fuerit momentum habiturum? Respondit Valerius, Non facere se controuersiam, quin priores partes Consulis essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Consulis: Iam mehercule, inquit, cùm de imperio & auspicio inter uos disceptationem susceperim, & tu utroq; aduersariũ tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est quod ulterius dubitem. Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris, secundùm te litem do. Equidem Valerius dignum præmium uirtute sua petere uidebatur, sed non legitimum. Semper enim amplissimus honor, qualis est triumphus, ei debetur summo imperatori, cuius mens & consilium, uel si in lectica iaceat, aut sola uincit, aut uincitur. Valerius Maximus, libro secundo, capite tertio.

Cn. MANLIO Volsoni Proconsuli de Antiocho & Gallogræcis triumphum à Senatu postulanti: decem Legati, qui cum eo missi fuerant ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, contradixerunt. Legatos sese Cn. Manlio datos, pacis cum Antiocho faciendæ causa, fœderisq; & legum ferendarum. At Manlium summa ope contendisse, ut eam pacẽ conturbaret, & Antiochum, si sui potestatem fecisset, insidiis exciperet: Gallogræcis bellum intulisse neq; ex Senatus sententia, neq; Populi iussu: cùm antea (quod moris & religionis erat) nec legati missi, nec res repetitæ, nec amandati qui bellum indicerent. Ab infinitis aliis populis stipem ac mercedem accepisse, ut exercitum ab eorum finibus abduceret; quo nullo iussu, nullo iure belli adduxerat. Nec quidem prælium ipsum cum Gallogræcis, æquo loco & tempore suo gestum. Fortuna Pop. Rom. uicisse, non uirtute. Etenim ad eius terribile nomen, atq; recentem Annibalis, Philippi, Antiochi ruinam, consternatos & attonitos hostes, citò aufugisse. Nam qui se hostes uicisse dicat, eundem latrunculos Thracas, cùm in eos incidisset, ferre ac sustinere non potuisse. Certum de his hostibus triumphum postulari non debere, quos nec Senatus, nec Populus dedisset: quibus ipsis nedum ad præsidiũ aliquod bellum nunciatũ non esset. Etsi iacturam religionis fieri placeat, tolli fœcialia iura, nullos esse Fœciales: at certè ab iis triumphum impetrari non posse, quibus auctoribus bellum gestũ non fuerit. Manlius respondit,

spondit, Tribunos plebis suæ petitioni non aduersari, quibus, non legatis, intercedendi ius sit. Legatos dispensandæ cohonestandæq; uictoriæ causa imperatoribus datos à maioribus, non ut eis pro aduersariis uterentur. Negari nõ posse, cum centum millibus ferocissimorum hostium sæpiùs se collatis signis decertasse: plus quàm quadraginta millia hominum cepisse aut occidisse. Reuera à Senatu se non postulasse, ut Gallis, qui in Asia essent, bellum inferret; quia ab iis quibus successisset imperatoribus (hi L. & P. Scipiones erãt) eos hostes accepisset, non fecisset. Quinimò ubi Senatus cũ Antiocho bellum decreuit, & Populus iussit: simul & decreuisse ac iussisse, cum iis, qui inter eius præsidia fuissent. Cæterùm in exercitu Antiochi, Gallorũ legiones fuisse. Pace cum Antiocho sociisq; facta, qui cũ eo fuissent, reliquos mãsisse Gallos: quos posteaquam indomitos atque implacabiles uidit, ui atq; armis censuit esse coercendos. Quod de ratione gesti belli obiicitur, iniquũ esse calumniæ subiici, quæ dij prospero euentu comprobarunt. Ad Thermopylas æquó ne loco M. Attilium cum rege Antiocho pugnasse? nũ Philippum iuga montium tenentem, T. Quintium deiecisse? Cæcam inuidiam esse, nihil quicquam aliud scire, quàm detrectare uirtutes, corrumpere honores ac præmia fortium uirorum. Facere ac præstare non potuisse; ne alicubi notis latebris delitescerent latrones Thraces, nec ut non quid sarcinarum raperent. Placuit, cùm sine exemplo esse diceretur, ut imperator, qui perduellibus deuictis, confecta prouincia, exercitum reportasset, sine curru & laurea priuatus inhonoratusque Vrbem iniret, triumphum Cn. Manlio decerni. P. Aerodius ex Tito Liuio, Decad. 4. libro 8. & Plinio de Viris illustribus.

LOCI PRIMATVS.

EXTRA BELLVM. IN CONSESSIBVS. Προεδρία.

Exempla pleraq; respectu alterutrius contendentium ad Ambitiosa pertinent certamina.

Post pugnam Pharsalicã Scipio, Pompeij gener, & Appius Varus Africæ præfectus, ad Iubam Mauritaniæ regem confugerant. Superuenit illis M. CATO minor. Iuba cùm congressurus primò esset cum Catone, sellã suã mediam posuit inter Scipionẽ & Catonẽ. Quod ut uidit Cato, transposuit ad alterum latus sellam suã, mediumq; Scipionem, quamuis inimicum, qui ediderat etiã in ipsum probris refertum scriptũ, accepit. Igitur & Iubam retudit, qui Scipionem & Varũ tantùm non pro satrapis suis habuerat, & illos reduxit in gratiam. Plut. in Catone.

Longobardorum rex Andoinus Gepidas uicerat. Milites regẽ orant, ut ALBOINVM suum filiũ, qui in acie Thorismundum obtruncarat, in solenni conuiuio secũ accubare patiatur. At ille, Scitis, inquit, Longobardorum esse morem, regis filium non priùs patris esse conuiuam, quàm ab externo rege arma suscipiat. Hoc ille audiẽs, ad Thurisindum Gepidarum regẽ, quo cũ bellum gesserat, proficiscitur. A quo honorificè exceptus, Thorismundi à se priùs cæsi arma concedente patre retulit: & ad Longobardos reuersus, regale conuiuium iure promeruit. Bonfinius lib. 7. Dec. 1.

Imperante Nerone, cũ orta esset inter Germanos cõtrouersia, Germani quidam legati FRISII Verritus & Malorix Romam uenerunt: & theatrum ingressi, ut populi Rom. magnitudinem inspicerent, mirati eius in sedendo ordinem, nonnullos minimè Romana ueste amictos inter senatores sedere animaduerterunt. Cùm, qui essent illi, interrogassent: ut intellexerũt, urbiũ, quæ fide ac uirtute alias antecedebãt, legatos esse: propria uirtute ac fide freti, ipsi quoq; sessum inter senatores iuerunt, dicẽtes, Nationẽ nullã esse, cui ob militarem uirtutem ac fidem locus ille iustius, quàm sibi, deberetur. Ob id à Senatu læta fronte accepti, Romani ciues creati fuerunt. Fulg. lib. 3. c. 7.

Carolo Sapienti Carolus F. in regno successit. Rhemis coronationis die, quum sacris magna (ut assolet) ceremonia factis, ad epulum in ædes Archiepiscopi peruentum esset, summũque locum rex lotus cepisset: contentio de proximo assidendi iure nata: quòd DVX Andium, idem & Rector Franciæ, & patruorum regis maximus natu, cùm honore nominis, tum ætatis ueneratione anteiret. Philippus Audax se ducem Burgundiæ, atque ea re principem Parium Franciæ, secundas ab rege partes dignationis obtinere se, æquum esse contendebat. Frequentes proceres aderant. De eorum sententia rex decreuit, uti cùm is dies, is locus, id epulum, festũ celebreque religione maiestateque coronationis esset, quare præcipua Parium munia forent, Burgundiæ Duci Parium nemo in præsentia anteferretur. Sed iam lateri sinistro regis Dux Andium iunctus assederat. Audax prosiliens, medium se inter regem rectoremque uelut interseruit, inculcauitque: unde illi Audaci cognomen inditum, sunt qui ferant. Cæterùm in acie Pictauiensi contra Anglos defenso, quoad per fortunam licuit, patre Ioanne, id partum magnificentius sit, quàm rixa fraterna, mensæque iurgio. Aemilius libro 9.

IN BELLO.

ATHENIENSES & LACEDÆMONII ad Artemisium de imperio classis certabant. Cessit tandẽ Themistocles Eurybiadi, & Athenienses placauit: recipiẽs iis, si se uiros fortes præbuissent in bello, effecturum se, ut Græci ultrò summam rerum ipsis essent in posterum delaturi. Plut. in Themist.

Mos erat apud Lacedæmonios, ut rex hostes aggrederetur, præcedente hieronica, qui in certamine sacro uictor aliquã do tulisset coronã. Quum igitur LACON quidam in Olympiis multo cum sudore deiecto aduersario coronam tulisset, cuidam dicenti, Quid emolumenti tibi adferet uictoria, ô Lacon? ille alacer respondit: Ante regem, inquit, coronatus incedens, pugnabo cum hostibus. Plutarchus in Lacon. & in Lycurgo.

Cùm Græci contra Mardonium ad Platæas pugnaturi essent, TEGEATÆ de loco in acie ambigentes cũ Atheniensibus, postulauerunt, quia uetere more dextrum cornu Lacedæmonij tenebant, ut item attribueretur ipsis læuum: atq; hîc multum maiores suos extulerunt. Indignantibus ATHENIENSIBVS, procedens Aristides dux, Tegeatis, inquit, ut de claritate & uirtute reclamemus, præsens non permittit tempus: apud uos uerò, Spartiatæ, & reliquos Græcos dicimus, loco neq; adimi neq; conferri uirtutem. Quem uos ordinem nobis assignabitis, eum dabimus operam ut ornemus atque tueamur, nec decora deformemus priora. Neq; enim ut tumultuemur contra socios adsumus, uerùm ut cũ hostibus dimicemus: neq; ut patres nostros laudibus feramus, sed quo nosmetipsos præstemus Græciæ uiros fortes. Siquidem præsens mars declarabit, quanti quæq; ciuitas, & dux & priuatus sit apud Græcos æstimandus. Hæc ubi dicta dedit, consilium & duces collaudatis Atheniensibus alterum cornu attribuêre. Iam cùm Mardonius aciem instruxisset, Pausanias Lacedæmoniorũ rex ab Aristide postulabat, ut Athenienses in dexterum cornu traduceret, eosq; Persis opponeret: melius enim dimicaturos, cum illis doctos pugnare, & pristinis subnixos uictoriis: sibi sinistrum cornu traderet, in quod, qui stabãt à Medis, Græci pugnaturi erãt. Ac cæteri quidem Atheniensium præfecti insolentiã & importunitatem reprehendebant Pausaniæ: quòd cùm immotam aciem reliquam relinqueret, solos se sursum ac deorsum tãquam Ilotas transferret, robori hostilis exercitus obiiciẽs. Verùm Aristides rursus longè errare docuit eos, qui nuper de læuo cornu obtinendo decertauerant cũ Tegeatis, prælatiq; exultauerãt: nunc Lacedæmonijs ultrò sibi dextro cedentibus, atq; imperium quodammodo tradentibus, neq; hoc decus amplecterentur: neque quòd non cum popularibus suis & propinquis conserturi manus, sed cum barbaris & naturalibus hostibus essent, in lucro ponerent. Hinc locũ Athenienses cum Spartiatis cõmutauerunt alacriter, ac frequens sermo peruasit eos sese mutuò cohortantes; non cũ præstantioribus hostes armis, neq; animis maioribus quàm illos in Marathone accessisse: uerùm cum iisdem atq; illos arcubus, cum iisdem picturatis uestibus & auro, in corporibus mollib. & effeminatis animis: sibi paria & arma & corpora, animũ uictoriis maiorẽ. Certamẽ esse, non ut illis pro agro & urbe tantùm, sed & pro trophæis Marathonicis & Salaminiacis: ut illa ne Miltiadi & fortunæ, sed adscribantur Atheniensibus. Eam rem edocti à perfugis Thebani indicant Mardonio. Qui mox, siue timens Athenienses, siue concurrere cum Lacedæmoniis affectans, Persas in dextrum cornu traduxit contra Lacedæmonios: Græcos, quos in exercitu suo habebat, comparauit Atheniensibus. Visa ea ordinis conuersione, Pausanias transgreditur iterum in dextrum: & Mardonius, ut initio constiterat, repetit aduersum Lacedæmoniis sinistrum. Ita dies sine effectu transacta. Plutarchus in Aristide.

Obsederant Cæsariani duces, RAYMVNDVS Cardonius & PROSPER Columna Patauium anno 1513. Populato agro, circumuenti propemodum à Liuiano Venetorum duce retrò abire maturabant. Cardonius paulo antè quàm dilucesceret, uasa colligi, & sine tumultu signum profectionis militibus dari iubet. Sed dum præmissis impedimentis, Prosperum, qui ex instituto primum agmen ductare consuesset, ad capiendum extendendumq; iter hortaretur, suborta est grauis & decora contentio inter eos de ordine acierum: negante scilicet Prospero se antecessurum, quãdo sibi tum postrema acies certo iure conuertendæ in hostẽ frontis, insignisq; ineundæ pugnæ prærogatiua deberetur. Differebat enim ex lege militari nequaquam eam esse primam aciem, quæ in itinere incedẽteq; toto exercitu cæteras omnes anteiret: sed eam omnino uocari primam, quæ opinione uirtutis firmissima, graui iudicio institutoq;, uel à fronte uel à tergo occurrenti

cùrrenti hosti opponenda censeretur. Id quum præfecti ueteres approbarent, Cardonius pro suo ingenio altercanti facilè cessit: adeoq; expeditè prægressus est, ut Alarco uir falsus, & cautè mordax, Imperatorem rectè probeq; facere diceret, quòd absq; alienæ laudis obtrectatione, ut instantis pugnæ periculo honestè subduceretur, legibus parére didicisset. Ex euctu enim prælij ad Rauennam, unde intactus euaserat, non magnoperè repugnax, sed cautus habebatur. Sab. supplem. lib. 2. ex Iouio.

TITVLORVM illustrium.

Vrbes ab ALEXANDRO Magno nominatæ in India, apud Assyrios, Aegyptum atque Asiam: item à SELEVCO Seleucia, Antiochiæ ab ANTIOCHO, Cæsareæ quoq; per terrarū orbē à CÆSARIBVS conditæ, nihil aliud indicāt quàm immensum famæ desiderium: quia sperabant huiusmodi urbium conditores, ea appellatione, additis simul præclarè gestis rebus, se æternitati nomina sua consecraturos. Fulg. lib. 8. c. 15.

PYRRHVS rex Epirotarum, quum rebus feliciter gestis domum redisset, & à suis aquila diceretur: Per uos, inquit, aquila sum. Quî enim non essem, quum uestris armis ueluti pennis subleuer? Gloriosi cognominis causam in suos milites transferens, uitauit inuidiam. Plutarchus in Regum & Imperatorum apoph.

CN. Pompeius in Africa uicto Domitio, Imperator ab uniuerso exercitu appellatus, se eam dignitatem haud quidem admissurum respondit, nisi priùs esset hostium castris potitus. Nec ulla quidem mora fuit. Castra momento temporis oppugnata captaq; sunt. Dux quoq;, & qui cum illo prelio superfuerant, ad unum interfecti. Sab. lib. 3. En. 6.

TIBERIVS Cæsar Dominus à liberis hominibus, aut Imperator, præterquam à militibus, uocari noluit. Patris patriæ nomen omnino repudiauit, Princepsque Senatus, ut erat uetus consuetudo, nominari tantùm uoluit. Crebrò autem dicebat se dominum seruorum, imperatorem militum, & principem reliquorum esse. Cùm Senatus statueret Nouembrem mensem, eo quòd in eo natus erat, Tiberium appellare, ridens ait: Si uobis Cæsares erunt tredecim, quid facietis? Dion.

Fuit tam ciuili animo PERTINAX Augustus, ut neque uxorem passus sit Augustam appellari, neque filium in Palatiū accersiuerit, sed in priuatis ædibus esse uoluit, ludumque literarium cum æqualibus, ut antea, frequentare. Sabellicus libro 5. Ennead. 7.

In Armenia res prosperè gestæ Armeniacum nomē M. ANTONINO Philosopho, & L. Aur. Vero principibus, attulerunt. Et mox bello Parthico confecto, uterque Parthicus appellatus est. Quæ nomina Marcus per uerecundiam primò repudiauit: sicut & Patris patriæ nomen, quod ei absente fratre est oblatum, sed in eiusdem præsentiam distulit. Postquā enim frater uictor è Syria rediit, ambobus id nomen decretum est. Capitolinus.

Erico rege circa ann. 1249. fatis absumto, proceres Sueci mutuis odiis diuisi, BIRGERIVM Ostrogothorum ducē præter spem omnium regem fecere. Qui cùm sciret nobilitatem sibi parum fauere, nec nisi ob mutuam inuidiam sibi regnū detulisse, populum sibi quàm maximè poterat conciliabat. Mercatores quoque, datis priuilegiis & immunitatibus plurimis in regnum inuitauit. Neque uerò regis nomine usus est, contentus ducis solo titulo. Cranzius lib. 5. Sueciæ, c. 23.

LADISLAVS Vngariæ rex, ubi multis optimatū precibus uictus, mortuo fratre Geysa, regni habenas accepisset, regio diademate ornari noluit, quia Salomonem patruelem legitimum regem (qui cùm fratres hosce per insidias è medio tollere conaretur, ipsemet regno excidit) uiuere intellexerat. Quinetiam Salomoni regium stipendium sponte pependit, & eidem regno cessisset, nisi Salomon malis artibus illud sibi comparare studuisset. Quas cùm Ladislaus intellexisset, perfidum hominem cepit, non multo pòst tamen emisit. Salomo Chunorum opibus fretus, bis Vngariam inuasit, bis fortiter repulsus, in eremum tandem abiit. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

FERDINANDVS Castellæ Infans ad regnum Aragoniæ uocatus, regem Siciliæ se dici noluit, priusquā illius possessionem oppresso Bernardo Caprera regnum affectante, recepit. Valla lib. 2. Historiarum.

PRIVILEGII honorifici.

PHERENICE filiū suum ad Olympia certaminis causa adduxit: & cùm Hellanodicæ prohiberent eam à spectaculo ludorum, ad ius cum ipsis descendit: dicens se patrem habere uictorē Olympiorū, atq; tres fratres, itemq; filium adduxisse pugillatorem. His rationibus causam cōtra populū obtinuit, legemq;, quæ feminas à spectaculis arceret, infregit, & Olympia spectauit. Aelianus de Varia hist. lib. 10.

MVNERIS honorifici.

DAVID rex honorem sibi à Ioabo polemarcho oblatū, urbis Rabbæ Ammonitarum metropoleos, quæ iam ad deditionem compulsa fuerat, capiendæ, non renuit. 2. Reg. 12.

Cn. Pompeius ab Achilla in litore Aegyptio obtruncatus fuerat. Philippus libertus truncum, è nauicula nudum à percussoribus in litus eiectum aqua marina abluens, nauiculæ piscatoriæ marcidis reliquiis comburere parabat. Ei rogum iam componenti QVIDAM graui ætate ciuis Romanus assistens, qui prima stipendia iuuenis sub Pompeio fecerat: Tu, inquit, quis hominum es, qui Magnum Pompeium funerare paras? Qui ubi respondit, libertum eius esse: Atqui hoc decus, inquit, non apud unum te residebit. Admitte me quasi pij lucri consortem, ne undequaque de hac conquerar peregrinitate, pro multis molestiis id certè nactus, ut manibus meis contingam & cooperiam summum populi Romani imperatorem. Ita funeratus est Pompeius. Eius reliquiæ relatæ ad Corneliā sunt, easque illa in Albano humauit. Plut. in Pompeio.

Sancto uiro Baldredo Scoto, Pictorum doctore, in Bassa (is cis est nomen in Laudonia loci natura omnium munitissimæ, in scopulo altissimo ampliùs duob. passuum millibus à continenti, undique mari cincto, sitæ) mortuo, quum tunc parochiarū SCOTI, Aldhamæ, Tiningamæ, & Preston, pro efferendo funere decertarent: spectaretq;, res propè ad iniuriam: placuit omnium consensu, sequentem noctem, piis assistentes precationib. sacras agere uigilias: postridie quod loci pontifex in re faciundum diceret, ratum haberi. Exacta nocte, tres loculi tribus cum corporibus, uestimentis sacris decenter ornati, nullo penitùs discrimine, à sacerdotibus sub dubiam lucem inuenti, iubente episcopo, ad tria uicina templa sunt delati: idemq; funus tribus in locis ductū, & tribus sarcophagis tumulata tria unius corpora. Hector Boëthius lib. 9.

Anno 1512. Galliæ regi Ludouico XII. Mediolanense imperiū ereptum est ab Iulij II. Pp. & Aragoniæ regis Ferdinandi copiis, consentiente quoque Maximiliano I. Roman. Imp. præcipuè tamen Heluetiorum uirtute profligatis Gallis, & Maximiliano Sforciæ Ludouici F. restitutum. Eo ad imperij possessionem accipiendam Cremona proficiscente, inter RAIMVNDVM Cardonam Proregem Neapolitanum & MATTHÆVM Schinerum Sedunensem Cardinalem, uter ipsorum ei claues ad portam possessionis traditæ signum dare deberet, non parua altercatio fuit. Nihilominus tandem Prorege cedente, Cardinalis communi Heluetiorum nomine claues ei tradidit: & eo die, qui fuit sub finem Decembris, omnia, quibus Maximilianus ab ipsis imperium accipere significaretur, munia obiuit. Guicciardinus libro undecimo.

ENCOMIORVM, LAVDVM

SVARVM.

THEMISTOCLEM dixisse aiunt, cùm ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius uocem libentissimè audiret? Eius, à quo sua uirtus optimè prædicaretur. Cic. pro Archia. Plutarchus in commentario. An senis officium sit Reip. dare operā, hoc à XENOPHONTE dictum ostendit, in Hierone, ubi inducit Simonidem cum rege illo loquētem dicentemque, eius loci homines superare priuatos in his uoluptatibus, quæ auribus percipiuntur: Suauissimo enim, inquit, acroamate laude nunquam caretis. Victorius lib 19. Var. lect. c. 14.

AGESILAVM libenter memorat Xenophon solitum laudari ab illis, qui etiam uellent ipsum uituperare. Plutarchus de Dignosc. adulat.

C. MARIVS Rusticanus, quamuis in studiis literarum nō esset uersatus, literatos tamē homines dilexit: poetas præsertim, à quibus res suas gestas immortalitate donandas esse sperabat. Itaq; L. Poltium eximiè dilexit, & A. Licinium Archiā familiarem habuit. Cic. pro Archia.

GREGORIVS Magnus pontifex, cuidam probato uiro ipsum extollenti respondisse fertur: Deum deprecare, frater, ut his, quæ de me prædicas, dignus efficiar: sicuti & tu dignus es, cuius opinio improbari non debeat. Sed plerunque euenit, ut ea quæ de iis, quos amamus, in medium proferimus, maiora uero sint. Itaq; quamuis ista cōmendatione tua longè inferiorē me esse agnoscam, caritati tamen gratias ago. Marulus lib. 1. c. 4.

Lucas Medicus, cùm orationē apud ALFONSVM Aragonū regem eloquentissimam habuisset, eumq; exquisitis & heroicis laudibus extulisset: rex hæc audiens, dixisse fertur: Si uera sunt, Luca, quæ de me prædicas, Deo optimo maximo gratias ago: sin aliter, uera ut isthæc faciat, oro atq; obsecro. Panorm. lib. 1. de rebus gestis Alfonsi.

SVORVM.

Brasida in Thracia cæso, missi Lacedæmonē legati matrē eius ARCHILEONIDĒ cōuenere. Tū illa rogauit, occubuisset ne Brasidas honestè. Celebrantibus eum Thracibus, prædicantibusq;, neminem extare parem alium: Erratis, inquit, hospites. Fuit quidem uir bonus Brasidas, sed sunt Spartæ meliores illo multi. Plut. in Apoph. & in Lycurgo.

INSCRIPTIONVM.

Plut. com. de Pythiæ oraculis narrat, euersa Cypselidarum tyrannide, CORINTHIOS auream statuam Pisis & Thesaurum Delphis à Cypselo positum urbi suæ inscribere uoluisse. Quod Delphi illis concessere. At Delios id negantes, ab Isthmiorum ludis semouerunt.

EPITAPHII.

M. PACVVIVS poeta uiuus epitaphium sibi conscripsit, uerecundissimum, purissimum, & dignum eius elegantissima grauitate, quod Gell. lib. 1. Noct. Att. cap. 24. recitat:

Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias: deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt poetæ Pacuuij Marci sita
Ossa. Hoc uolebam nescius ne esses. Vale.

FRONTINVS iam moriturus sibi monumentum extrui uetuit, his uerbis: Impensa monumenti superuacanea est: memoria nostri durabit, si in uita meruimus. Erasmus libro 8. Apophthegmatum.

VESTIVM.

TARQVINIVS Priscus tunica aurea triumphauit, teste Verrio. Plin. lib. 33. cap. 3.

AGRIPPINA Claudij principis, ædente eo naualis prælij spectaculum, assidens ei, induta fuit paludamento, auro textili, sine alia materie. Plin. lib. 33. cap. 3.

BASILIVS, Cæsariensis episcopus, splendidis uestibus in die Epiphaniæ pontificalem dignitatem augustiorem reddit. Marul. lib. 5. cap. 1.

LEOVIGILDVS Gothorum in Hispania rex, primus inter suos regali ueste usus est in regali solio. Ante eum Reges uestitu cōmuni utebantur. Rodericus Toletanus lib. 2. rer. Hisp.

ARMORVM.

XENOPHON, eloquentissimus & fortissimus Atheniensium dux, arma pulcra & expolita semper habebat, quòd hæc & decorem uiuenti, & mortuo iacenti auctoritatem aliquam apud hostes parerent. Habuit igitur scutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equū Epidaurium. Elegantiam scilicet uir sapientissimus laudauit, quæ fortitudinis opera non modò non impediret, uerumetiam promoueret. Ael. lib. 3. Var. hist.

AGESILAVS milites suos pulcris armis instructos esse uoluit: quamuis alioqui frugalissimus esset, & uilissimo uteretur amictu. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

ALPHONSVS II. Aragonius, patre Ferdinando primo ortus, posteaquam Turcas deuicit, à quibus magno Italiæ periculo Hydruntum urbs in extrema Calabriæ ora occupata fuerat, armatus falcato ense in Turcarum morem (fortasse ut nobilis uictoriæ memoriam excitaret) persæpe utebatur. Fulgosus lib. 3. capite 6.

GLORIÆ STVDIVM SECVNDVM ΑΗΨΙΝ, RESPECTV ΑΞΙΑΣ siue MERITI, propter quod Honorem meretur. Respectu

ANIMI. OB

ELOQVENTIAM.

HERODES Atticus, Atheniensibus sic admirantibus eius eloquentiam, ut dicerent illum esse de numero decem oratorum, nihil elatus est hac laude, quæ uidebatur maxima: tantùm respondit, Certè Andocyde sum melior. Is erat sophista quispiam notæ uulgaris. Philost. in Sophistis.

ERVDITIONEM.

HISTORICI pleriq; actuū alienorū uelut fabularum histriones sunt: & dum imperatorum & regum res conscribunt, in laudes eorum irrepunt, ut quasi in splendoris alicuius & luminis partem ueniant. Resultat enim ab rerum auctoribus ad scriptores relucetq; decoris effigies alieni: dum tanquā in speculo per scripta actiones repræsentantur. Plut. Bello an sapientia clariores Athen.

PERSIVS Satyra 1. de seipso sic scribit:

Non ego, cùm scribo, si fortè quid aptius exit,
Quando hæc rara auis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neq; enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemq; extremumq; esse recuso
Euge tuum, & bellè.

INVENTA PRÆCLARA.

OSYRIDEM Aegyptiū regem ferunt ingentē exercitū coegisse, ut peragraret orbem, doceretq; mortales plantare uites, ac tritici & hordei segetem, pecorūq; fructum: existimans, si homines ab agresti uita ad cultiorem mitioremq; traduceret, honoribus se (quod & consequutus est) potiturū immortalibus. Ergo rerū omniū cura Isidi uxori permissa, tradidit ei MERCVRIVM consiliariū & scribā, cuius consilio, quoniā prudentia uideretur excellere inter amicos, uteretur. Ducē exercitus, omniūq;, quæ suæ ditionis erant, reliquit Herculem, tum quia genere proximus, tum quia fortitudine roboreq; corporis erat admirabili. Phœniciæ & maritimæ oræ Busiridem, Aethiopiæ Libyæq; proximis regionibus Antæum præfecit. Secuti sunt eum agris colendis experti: qui uineas plantare nosset, Maro, qui triticum serere, Triptolemus. Aethiopibus agriculturam ostendens, insignibus in ea urbibus à se ædificatis & præfectos dedit, & tributa institui præstari. Per Hellespontum in Europam cùm transiisset, Lycurgum in Thracia Barbarorum regem sibi obsistentem peremit. Illi prouinciæ Maronem iam senem præfecit: qui ædificauit urbem, quam à se Maroneam nominauit. Macedonem filium regem statuit eius prouinciæ, quæ ab eo Macedonia dicta est. Triptolemum colendis Atticis agris præfecit. Denique cùm orbem totum peragrasset, mitissimis fructibus excoluit hominum uitam. Si qua regio uitibus inepta esset, docuit ex hordeo potum fieri, haud multum uirtute gustuq; uino inferiorem. Diod. lib. 1. cap. 2.

LIBER pater gloriam inprimis secutus uideri potest, qui uitem, & uini usum, rem magis gratam homini quàm necessariam, primus omnium demonstrauit. Sab. lib. 5. cap 5.

CERES demonstratione tritici, an est aliud quàm famæ immortalitatem spem intuita? Nunquam tantum terrarū mortales docendo mulier perlustrasset, nisi spes magna, omniū conatuum mater, in commune laboranti affuisset. Idem.

FORTITVDINEM BELLICAM.

THEMISTOCLES Atheniensis, parta de Xerxe Persarum rege uictoria, cùm in Olympicis ludis ab uniuersa Græcia, ingenti omnium admiratione exceptus esset, ad amicos conuersus: Tunc se optatum præmium laboris periculorumq;, quæ pro Græciæ salute subiuerat, à Græcis accepisse dixit. Plutarchus.

Scipionem, dona militaria iis qui strenuam operam ediderāt, diuidentem, T. Labienus, ut forti EQVITI aureas armillas tribueret, admonuit: eoq; se negante id facturum, ne castrēsis honos in eo uiolaretur, ipse ex præda Gallica aurum equiti largitus est. Nec tacitè id Scipio tulit. Nam equiti, Habebis, inquit, donum uiri diuitis. Quod ubi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, uultum demisit. Idem ut audiuit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Val. lib. 8. cap. 15.

LIBERALITATEM, MAGNIFICENTIAM.

ONIAS, pontificis Oniæ F. exul Alexandriæ apud Ptolemæū Philometorem, uidens Iudæam uastatam à Macedonibus: ut æternā sibi memoriam pararet, impetrata à Ptolemæo & Cleopatra uenia, in Aegypto in regione Heliopolitana tēplū instar Hierosolymitani illius extruere cepit, & in eo Leuitas & sacerdotes ex suo genere constituere: fretus maximè prophetæ Esaiæ uaticinio, qui ante DC ampliùs annos prænunciarat, fore omnino, ut templū aliquando Deo maximo ædificaretur in Aegypto, idq; hominis Iudæi opera. Iosephus lib. 13. cap. 6. Antiq. & lib. 7. cap. 30. belli Iud.

PHILIPPVS Macedo, Philoni Thebano bene de ipso merito & hospiti, cùm ageret Thebis obses, qui pòst nullum ab se munus admittebat: Noli me, inquit, si beneficiis & meritis uictus sim, inuicti gloria spoliare. Plut. in Regum apoph.

ANTIGONVS rex, Demetrium filium cum frequenti iuuentute & copiis ad Græcos mittens in libertatem asserendos, gloriam memorauit ex Græcia sicut ex specula facem in orbem terræ emicaturam. Plut. in Apoph.

MATHIAS, Hungarorum rex, in congressu cum Vladislao rege Boemorum Olomucij, pacis causa instituto, non uideri solùm, sed haberi etiam lautus & magnificus ubiq; studuit: ac præsertim in excipiendis illustrioribus hospitibus, singularē præ se tulit liberalitatem, nulli sumtui parcens, siue in conquirendis epularū conuiuiorumq; apparatibus, siue in edendis quotidie spectaculis, siue in donis mittendis: non ipsi Vladislao modò, uerùm etiam comitatui eius, pro cuiusq; dignitate: deniq; omnes ad infimū usq; largis alimentis sustentauit. Dubrauius lib. 31.

CLEMENTIA.

Quibusdam PHILIPPO Macedoni consulentibus, ut cum Atheniensibus asperiùs ageret: respondit, illos absurdè face

re, qui homini cuncta ad gloriam tum agenti, tum patienti, suaderent, ut gloriæ suæ theatrum abiiceret. significans sese hoc agere, non ut Athenas euerteret, sed ut ciuitati celeberrimæ, doctissimorum uirorum copia florenti, suas uirtutes probaret. Erasmus lib. 4. Apoph.

Athenienses fame domiti DEMETRIVM Poliorceten, præmissis qui ab eo ciuium salutem deprecarentur, in urbē accepere. Ille non solùm receptis dedit ueniam, sed obnixè etiam curauit, ut dira illa fames commeatibus undiq; inuectis confestim tolleretur. Sab. lib. 7. En. 4.

IDEM de Ptolemęo Aegypti rege naualem uictoriam insignē facilitate & humanitate sua decorauit, hostes qui ceciderant magnificè funerando, atq; captiuos dimittendo: ingenuè fassus, non tam se uictoria ipsa lætari, quàm quòd occasionem gratæ clementiæ erga Ptolemæum exercendę nactus esset. Plut. in Demetrio.

Cùm Demetriꝰ Poliorcetes, uictus à genero SELEVCO, eius fidei salutē suā permisisset: negauit Seleucus ipsius fortunā incolumem esse Demetrium, sed sua: quæ cum reliqua felicitate humanitatis sibi & clementiæ materiā ostendendæ pręberet. Itaq; quamuis eū in suum conspectū adduci non permitteret, sed in Cherfonnesum Syriæ remoueret: ibi tamen adhibita custodia Seleuci iussu cultus sufficiens ei præbitus fuit, pecuniaq; & ad uictū necessaria quotidie subministrata prolixè: curriculi pręterea assignati & ambulationes regię, & instructa feris uiuaria. Adhæc amicis, qui fuerant fugam eius comitati, quicunque uellent, potestas facta cum eo uiuendi. Plut. in Demetrio.

FIDEM IN *Patriam.*

C. Martio Coriolano exule Romam obsidente, quem neq; legati neq; sacerdotes flectere potuerant, Volumnia mater & Veturia uxor, stipante matronarum turba, ut exercitum abduceret, flexerunt. Pro quo beneficio cùm Senatus decreuisset, quicquid postulassent, quod ad ipsarū laudem & pręmium pertineret, id consules facerent & pręstarent: nihil postulauerunt aliud, quàm ut templū Fortunæ muliebri ædificaretur: impensas ostēderunt se collaturas, uictimę & reliqua, quæ ad honorē deorum pertinerent, ut publicè præberentur. Quam munificentiam cùm collaudassent patres, & de publico tamen templum & simulacrum posuissent: non eo minùs pecunia feminæ collata alterum signum fecerunt, quod Romani memorant in æde locutum, uocem huiuscemodi misisse: Pia me religione feminæ dedicastis. Bisq; hāc uocem fabulantur auditam Plut. in Coriolano.

Sociis.

Solebant Romani principes, ob multa in rempublicā merita, Massiliensibus, exterarumq; gentiū legatis ab ultimis oris, locū inter senatores spectādi pro insigni munere largiri. In quo proditur memoriæ de FRISIIS lepidè factū: qui cùm alios de Romanis benemeritos in senatorum subselliis spectassent, ne inferiores officio uiderentur, licet non admissi sua sponte subsellia adiuere & unà cōsedere. Alex. l. 5. ca. 16.

Maritum.

ARTEMISIÆ Cariæ reginæ coniugalis amor sepulcri Mausolo construendi auctor fuit, rei operè & materia memoratissimæ: fuit enim inter rara mundi miracula id opus celebre. Vel si extincti coniugis famam insigni monumento tueri uoluit (nam impatienter eum amasse dicitur) suam interim non neglexit. Sab. lib. 5. cap. 5.

CORPORIS. OB MORTEM GLORIOSAM.

IPHIGENIA Agamemnonis, gloriæ studio, pro Græciæ exercitu uictimam sese præbere non subterfugit apud Eurip. in Iphig. Aulid. inquiens:

εἰς ἐμὲ Ἑλλὰς ἡ μεγίστη πᾶσα νῦν ἀποβλέπει·
κἀν ἐμοὶ πορθμός τε ναῶν,
καὶ Φρυγῶν κατασκαφαί·
τάς τε μελλούσας γυναῖκας, ἤν τι δρῶσι βάρβαροι,
μηκέθ' ἁρπάζειν ἐᾶν τοὺς ὀλβίας ἐξ Ἑλλάδος,
τὸν Ἑλένης τίσαντας ὄλεθρον,
ἣν τιν' ἥρπασεν Πάρις.
ταῦτα πάντα κατθανοῦσα ῥύσομαι· καί μου κλέος,
Ἑλλάδ' ὡς ἠλευθέρωσα, μακάριον γενήσεται.

HECTOR Homericus in ultimo congressu cum Achille gloriæ calcar sibiipsi subdit, apud Homerum,

μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

LEONIDES rex Spartanorum ad Thermopylas contra Xerxem pugnaturus, quamuis certò sciret sibi oppetendū, aut Spartam euertendam, gloria conseruatæ patriæ accensus, sociis dimissis, ipse cum 300. suorum, Thespiensibus 700. & mille Phocensibus remansit. Herod. lib. 8.

FORTVNAE. OB IMPERII MAIESTATEM.

CAROLVS IV. Imperij corona Romæ exornatus, Pragam rediens, nouum uelut genus uitæ instituit, splendidius uidelicet quàm antea, tum à sumtu, tum à cultu, & ab omni apparatu, non qui ambitionis, sed maiestatis potiùs terminos prolataret. In aula sua ornatissimos principes habere noluit assiduos. Dubrauius lib. 22.

VICTORIAM.

GRÆCI coronas ex oleastro, ex picea, ex apio, ex lauro, tanti faciebant, ut certamina sacra uocata uel cum uitæ & fortunarum periculo subire non uererentur. Xerxe contra Græcos exercitum ducente, cùm illi Olympia otiosi spectarent, Eheu contra quales uiros, inquit Artabanus, mouemus, qui gloriam, non pecuniam quærunt? Herodotus. Et Lacon quidam rogatus, Cur tanto studio in Olympiis uincere desideraret? Vt coronatus ante regem in prima acie pugnem. Id enim moris erat apud illos. Plut. in Lacon.

CONIVGIVM PRÆCLARVM.

Phocionis VXORI, cùm à nobilissima quadā Ionici generis matrona, in amicitiā recepta, aurei torques, monilia, preciosusq; mundus muliebriter ostentaretur: At meus, inquit, ornatus non est talis, sed Phocion me ornat, iā uicies Atheniensium imperator. Sab. lib. 8. cap. 5.

GLORIÆ STVDIVM SECVNDVM ΑΗΨΙΝ, RESPECTV MODI quo acquiritur.

AFFECTANDO.

Ibat in hostem rex Spartanus præcedente uictore sacri certaminis. Ac referunt QVENDAM, cùm offerretur ei Olympiis grandis pecunia, non accepisse eam: sed ut magno labore superauit aduersarium lucta, & quispiam diceret ei: Quo tibi hæc Lacon uictoria? occurrisse subridentem: Ante regem in acie consistens cum hostibus decertabo. Plutarchus in Lycurgo.

AGESILAVS carpentes & fatigantes agmen eius Pharsalos quingentis equitibus fudit fugauitq;, ac trophęum sub Narthaciis excitauit. Eam uictoriam fecit inter omnes maximi, quòd equitatu, quem ipse per se conscripsisset, solo plurimùm gloria equestri elatos superasset. Plut. in Apoph.

PHILIPPVS Macedo illos, qui suadebant, ut duriùs in Athenienses consuleret, esse dictitauit ineptos, qui iuberent uiro gloriæ causa nihil non facienti & perpetienti, ut proiiceret gloriæ theatrum. Plut. in Apoph. Regum.

ALEXANDER Magnus cùm templum Ephesium instaurari accepisset, factas & futuras impensas pollicitus dicitur, si eius rei titulus sibi ascriberetur, illos autem renuisse. Ephesiumq; laudibus quendam extollunt, qui regi dixerit, Nō decere deum, diis quicquam dedicare. Strabo lib. 14.

Quum Alexander Thebanorum mœnia diruisset, PHRYNE meretrix pollicita est de suis impendiis reposituram, modò ciues paterentur hoc insculpi elogium: ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη. id est, Alexander quidem subuertit, sed Phryne restituit. Hîc meritò quis dubitet, utrùm sit admiratione dignius: an quòd scortum corporis usura tantas opes collegerit: an quòd tanto nominis amore teneretur, ut titulum tam carè uoluerit emtum. Nam ut præclarius est restituere, quàm demoliri: ita speciosior fuisset laus Phrynes scorti, quàm Alexandri regis. Eras. lib. 8. Apoph.

OPTANDO.

ALEXANDER Magnus, cùm mirè hilarem nuncium accurrentem conspiceret, dextramq; porrigentem: Heus tu, quid mihi, inquit, es nunciaturus? ecquid reuixisse Homerum? quòd nihil fastigium suum, præterquam nomen ad posteros, desiderare arbitraretur. Plut. de Virtutis prouectu.

PETENDO.

IASON Aesonides XX annorū institutione apud Chironem Cētaurū usus, domū rediēs incognitꝰ, à Pelia regni partē postulauit, apud Pindarū Ode 4. Pythiorū inter cętera ingens:

Οὐ πρέπει νῶιν χαλκοτόροις ξίφεσιν
οὐδ' ἀκόντεσσι μεγάλαν προγόνων
τιμὰν δάσασθαι. μῆλά τε γάρ τοι ἐγὼ
καὶ βοῶν ξανθὰς ἀγέλας ἀφίη-
μ', ἀγρούς τε πάντας, τοὺς ἀπούρας
ἁμετέρων τοκέων,
νέμεαι, πλοῦτον πιαίνων·
(κού με πονεῖ τεὸν οἶ-
κον ταῦτα προσφόρον' ἄγαν)

ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον μόναρχον,
καὶ θρόνος, ᾧ ποτε Κρηθεΐδας
ἐγκαθίζων, ἱππόταις
εὔθυνε λαοῖς δίκας.
τὰ μὲν ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας
λῦσον ἄμμι, μή τι νεώτερον ἐξ
αὐτῶν ἀναστάσῃ κακόν.

Non decet nos ambos ferro uulnerantibus gladiis neq; telis magnum progenitorum censum diuidere. Siquidē pecudes ego armentorumq; flauos greges dimitto, agrosque omnes, quos auferens à parentibus meis occupas, & regis diuitias quidem cumulans (nec me fatigant hæc adeò tuas ædes amplificantia nimis) sed sceptrum solum, & thronus cui Crethei filius Aeson insidens olim equestribus populis iura dabat. Hæc igitur citra communem mœrorem, solue nobis, ne quod nouum ex ipsis malum suscites.

Deletā Cypselidarum tyrannide, CORINTHIOS illam, quę Pisæ erat, auream statuam, & thesaurum Delphicū urbi suæ inscribere uoluere, quantumuis à tyranno datū. Quod Delphi eis meritò dederunt & concesserūt. At Delios, qui id denegabant, summouerunt Isthmiorum ludicro. Hinc nullus ultrà Isthmiis decertauit Delius. Plut. de Pythiæ oraculis.

Apud ROM. petentes consulatum rogabant & prensabant ciues, togis in comitiis siue tunicis amicti: siue quo magis ea specie submitterent se ad petitionem: siue quo subiicerent oculis, qui cicatrices habebant, perspicuas uirtutis notas. Neq; enim populus, suspicione largitionis & ambitus, discinctum uolebat & sine tunica ad comitia progredi candidatum. Serò & multis pòst seculis nundinatio & redemtio subiit, interuenitq; comitialibus suffragiis pecunia. Plut. in Coriolano.

ANAXAGORAS delatos sibi honores repudians, periit, die illa, qua uita excessisset, ut permitteretur pueris ludere, & à literis feriari. Plut. in Politicis.

Lege lata, ne candidati nomenclatores haberent, tribunatum militum petens CATO minor, solus legi paruit, & per se elaborauit salutare atq; appellare ciues. Quamobrem nō caruit inuidia uel apud eos ipsos, qui eum commendabant, quòd quò magis laudabilia studia, quæ sectabatur, considerarent, hoc grauarentur magis eorum, quam non ualerent imitari, excellentiam. Cicero pro Murena dicit eum nomenclatorē habuisse. Cùm incitaretur à multis ad ambiendum tribunatum plebis: alienum existimauit, magnæ potestatis & magistratus sicut ualidi uim medicamenti in rebus exhaurire non necessariis. Quòd autem eadem tempestate uacatio esset negotiorum publicorum, deportans secum libros & philosophos, ad prædia sua profectus est in Lucaniam, ubi uillas non inamœnas habebat. Hinc multis in itinere iumentis, impedimentis, & ministris occurrens, audito Metellum Nepotem Romam ad petendum tribunatum plebis contendere, restitit cogitabundus, ac mox conuerte re suis retrò iter præcepit. Stupentibus amicis: Nescitis, inquit, ob stoliditatem Metellum sua sponte formidabilem esse, & nunc adesse ex Pompeij sententia, atq; instar fulminis in rempub. casurum, omniaq; perturbaturum. Non est igitur in præsentia nec feriandi nec rusticandi locus: uerùm reprimendus iste est mihi, aut pro libertate pugnanti honestè cadendum. Monitu amicorum tamen profectus ad prædia sua est: & cùm non diu esset ibi commoratus, regressus est ad urbem. Vesperi ingressus, ilicò summo mane in forū ad petendum tribunatum descendit, uelut aduersarius futurus Metello. Fama est Catonem, cùm multi illius studio & fauore ad eum ruerent, ægrè ob frequentiam potuisse in forum euadere. Tribunus creatus est cum aliis & cum Metello, eiq; Pompeium cum exercitu reducere tentanti, specie quidem ut urbem à seditiosis tueretur, reuerà autem ut tyrannidem ei stabiliret, acriter restitit: ita ut Metellus in Asiā ad Pompeium fugerit. Plut. in Catone.

EXIGENDO.

Q. Fabio Maximo populus Romanus cùm alios habuit eximios honores, tum FILIVM eius cōsulem designauit. Cū iniisset ille magistratum, & in negotio quopiam ad bellum pertinente esset intentus, pater uel præ senio & imbecillitate, uel tentandi gratia filij equo per appellantes & circumstantes consulem aduehebatur. Quod iuuenis ut uidit, nō tulit, sed misso lictore, ut descenderet ex equo pater, iussit: & siquid consulem uellet, pedibus accederet. Fabius confestim desiliens citato gradu properauit ad filium, complexusque eum & data salute, Macte consilio, inquit, & uirtute fili es: sentis quibus imperas, & quàm ingentem suscepisti magistratum: his artibus nos quoq; & maiores rempubl. auximus, dum parentibus liberisq; priorem reipub. dignitatem habemus. Plut. in Fabio, & Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. & Gellius lib. 2. cap. 2.

LAVRENTIVS Celsus Venetorum dux, cùm à patre obtinere non posset, ut sibi tanquam duci assurgeret, meritosque honores tribueret: crucem auream ducali pileo affigi iussit, quam uel inuitus pater reuereri cogeretur. Egnatius libro nono, cap. 2.

ALBOINVS arma Thorismundi à se in acie cæsi, à patre illius Thurisindo obtinuit. Vide paulo antè, Honorem amplecti προεδρείας.

GVNTHERVS Schuartzenburgensis Comes, electus in regem Rom. contra Carolum IV. Boemum, cùm Francofordiam introire uellet, à ciuibus est prohibitus. Mos enim est ciuibus (quam quidem consuetudinem pro lege habent) ut nullum regem in urbem intromittant, cui sit æmulus imperij aut aduersarius regni, nisi aliquot mensibus urbs obsessa uim patiatur, & interim aut armis aut compositione discordia componatur. Guntherus ingenti coacto exercitu, urbem obsedit duobus penè mēsibus. Dehinc in urbem est regiò more acceptus. Cuspinianus.

CERTANDO.

Consule Tit. Certamina Formæ, Roboris: quatenus illic simpliciter in unoquoq; certantium gloriæ studium ex Pulcritudinis uel Roboris dono consideratur.

Mortuo Achille, AIAX & VLYSSES de illius armis pro concione Græcorum certabant. Græci Troianorum captiuorū sententiam secuti, qui se maiora damna ab Vlysse quàm ab Aiace perpessos dicebant, Vlyssi arma adiudicarunt, teste Pindaro hymno Nemeo IIX. & Homero Odyss. λ. & Pausania in Atticis. At iudicium hoc iniustum fuisse euentus ipse declarauit: de quo sic in 1. Græcorum Epigram.

Ἀσπὶς Ἀχιλλῆος, τὴν Ἕκτορος αἵματι πίνουν,
λαερτιάδης δαναῶν εἷλε κακοκρισίῃ·
ναυηγοῦ δ' ἡ θάλασσα κατέσπασε, καὶ παρὰ τύμβον
Αἴαντος νηκτὴν ὤρμισεν, οὐκ Ἰθάκῃ.

Anno V. C. CCCX. M. Genutio & P. Curiatio Coss. C. Canuleius Trib. pleb. de connubio patrum & plebis rogationem promulgauit: mox etiam alteram, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri. Victi tandem patres, connubij legē permisere. Tribuni etiam consulatum concedi postularunt. Bonorum tandem consiliis, quia externus hostis urgebat, eò deducta res est: ut Tribunos militum consulari potestate promiscuè ex patribus ac plebe creari sinerent. Comitiis indictis, euentus docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisq;, alios secundùm deposita certamina incorrupto iudicio esse. Tribunos enim omnes patricios creauit. Pop. ROM. contentus eo quòd habita ratio plebeiorum esset. Liuius Dec. j. lib. 4.

L. Corn. SCIPIO & C. LÆLIVS Coss. creati, cùm uterq; consul sibi Græciam prouinciam deposceret, certamine ad patres delato, Aphricanus in curia professus est, se legatū fratri iturum, si extra sortē illi ea prouincia decerneretur. Quæ uox omne certamen è medio sustulit. Experiri libuit utrum plus præsidij Antiocho in Hannibale esset, an consuli & Romanis legionibus in Scipione. Atque ita Scipioni Græcia, Lælio Italia prōuinciæ sunt datæ. Sabellicus libro 7. Enneadis quintæ.

Cùm inter multas præturas illam, quæ maximæ est dignationis, & urbana dicitur, omnium opinione M. BRVTVS obtenturus uel CASSIVS esset: aliqui eos ex antecedentibus nonnihil dissentientes in contentionem de ea multò maiorem aiunt uenisse, quantumuis necessarios. Quippe sororē Bruti Cassius Iuniam habebat in matrimonio. Alij Cæsaris opera concertationem hanc fuisse utrique in secreto spem ostentantis excitatam, quoad ita impulsi & incitati decertauerunt inter se. Pugnabat Brutus cum Cassij magnificis aduersus Parthos factis nominis claritate & uirtute. Quos ut Cæsar audiuit, atq; adhibitis amicis deliberauit: Iustior est, inquit Cassij causa: Bruto tamen dandæ sunt primæ partes. Cassio alia prætura data. Qui nō tantum gratiæ habuit ob hanc, quam accepit, quantum in eum exarsit ob repulsam illius. Plut. in Bruto.

Expugnata Carthagine noua, P. Scipio ob bene nauatam operam collaudatis donatisq; militibus, cum ei, qui primus murum ascenderat, muralis corona danda esset, & contentio inter duos MILITES orta omnem propè exercitum in certamen traxisset, extemplō concione aduocata, compertum se habere dixit, ambos pariter murum ascendisse, atq; ambos coronis muralibus donandos esse: quo factum est, ut omnis contentio, quæ iam ad summum peruenerat, tolleretur. Auctor uitæ Scipionis.

ACCEPTANDO.

MODESTE.

ESTERA Iudæa, à rege Artoxerxe in matrimoniū ducta propter formam, non uoluntate, sed necessitate paruit: & dia-

dema, superbiæ insigne appellans, in publicum tantùm prodiens gestabat, domi nunquam: neq; regis conuiuium decorauit, neq; libatorium unum bibit, humilitatis & religionis suæ ratione habita. Esteræ 4.

Traianus Imp. habuit uxorem POMPEIAM Plotinam, fœminam modestissimam ac optimam, sanctissimam à Plinio dictam. Quę Palatium ascendens, ubi maritum Imperatorem factum cognouit, ex gradibus ad populum circumfusum conuersa; Talis (inquit) huc ingredior, qualem etiam egredi opto. Et quidem per omne tempus, quo in imperio fuit, ita se gessit, ut de ea nullus conqueri potuerit. Cuspi.

P. VALERIVS, qui populi maiestatem uenerando, Poplicolæ cognomen assecutus est, cùm exactis regibus imperij eorum uim uniuersam, omniaq; insignia sub titulo Consulatus in se translata, cerneret: inuidiosum magistratus fastigium, moderatione sua ad tolerabilem habitum deduxit, fasces securibus uacuefaciędo, & in concione populo summittendo. Numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, ultrò Sp. Lucretio collega assumto: ad quem, quia maior natu erat, priores fasces transferri iussit. Legē etiam comitiis centuriatis tulit: ne quis magistratus ciuem Romanū aduersus prouocationem uerberare aut necare uellet. Ita quò ciuitatis conditio liberior esset, imperium suum paulatim destruxit. Quid quòd ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere uidebantur? nónne quantum domo inferior, tantum gloria superior euasit? Valerius Maximus lib. 4. cap. j.

APOLLONIVS abbas, cùm annos XL. in deserto solitarius uixisset, iussus uoce sibi è cœlo delata iam tandem ad frequentem locum pergere, cœnobium construere, discipulos comparare: Dominum rogasse dicitur, ne qua se deinde inter homines uersantem iactantię aura perstringi sineret. Malulus lib. j. cap. 4.

Otho III. Imp. in Italiam ueniens, Classensem abbatiam ordinare cupiens, optionem monachis fecit, ut quem uellēt, abbatem eligerent. Illi ROMVALDVM legerunt. Is tum in Pereo insula XII. millibus passuum à Rauenna distanti uitam solitariam breui in cellula traducebat. Otho diffidens sanctum uirum ad regiam aulam per nuncium euocatū ad se uenturum, ipse ad cellam eius sole iam occidente processit, & comiter ab eo receptus, per noctem cum eo mansit: manè uerò secum in urbem ductum, ut monachos Classenses abbas regeret, exoranit. At triennio pòst Romualdus abbatiam in ipsius & Rauennatis antistitis conspectu reddita uirga dimisit. Sigonius lib. 7. regni Ital.

HADRIANVS VI. commendatione Maximiliani I. Rom. Imp. à Leone X. punicei pilei honore donatus est. Eum arridentis Fortunæ prorsus ignarum, nec tale quicquam tranquillo ingenio cupientem, is qui pileum ab Vrbe detulerat, operandis sacris occupatum inuenit: ita ut quieta admodū & lenta quadam hilaritate uenientem excipere, nec paulò iucundiùs & liberaliùs tanto munere lætari uideretur: qui animi habitus ea moderatione definitus erat, ut nihil ad inuidiam propter fastum, sed propter incorrupti animi simplicitatem ad gloriam omnium testimonio uerteretur. Iouius in Hadriano VI.

LEGITIME.

FVRIVS Camillus, cùm præsidium eius ciues capta urbe à Gallis Ardeæ exulantis petiissent, non priùs Veios ad accipiendum exercitum iuit, quàm de Dictatura sua omnia solenni iure acta comperisset. Magnificus Camilli Veientanus triumphus, egregia Gallica uictoria, sed ista cunctatio longè admirabilior. Multò enim multo q; seipsum quàm hostē superare operosius est, nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. Val. lib. 4. cap. j.

Posterior CATO Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia & sanctitate in urbē deportauerat. Cuius ministerij gratia Senatus relationem interponi iubebat, ut prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. Sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans, quòd nulli alij tribueretur, sibi decerni: ac ne quid in persona sua nouaretur, campestrem experiri temeritatem, quàm curiæ beneficio uti, satiùs esse duxit. Idem.

ADRIANVS Antiochiæ Imp. declaratus, petiit literis à Senatu imperium sibi firmari: nullum aut honorem aut titulum, quem non iussisset Senatus, expetens, ut Dion prodit. Spartianus inquit, eum ueniam petiisse à Senatu literis, quòd de imperio suo iudicium Senatui non dedisset: salutatus scilicet præproperè à militibus Imperator, quòd esse Respublica sine Imperatore non posset. Cuspin.

DAMASO II. mortuo Henricus III. Imp. Brunonem Tullensem episcopum inuitum sublegit, ac primo quoq; tempore decedere in Italiam iussit. Bruno Cluniacum uenit. Ibi Hildebrandus Soanensis ex Tuscia monachus, qui postea pontificatum adeptus, Gregorius VII. est appellatus, hominem admonuit, caueret, ne sacrosanctam dignitatē profani hominis arbitrio delatam iniret, nisi ante se suffragiis cleri populique Rom. antiquo institituto permitteret. Quod ubi is audiuit, continuò purpuram dimisit, & peregrini habitu sumto, atque ipso secum Hildebrando adducto, ad Vrbem ire contendit: Romamque ingressus, comitia ut desceritè haberentur, postulauit. Ibi clero populoque consentiente, atq; in primis ipso etiam Hildebrando fauente, pontifex confirmatus, & consecratus, LEO IX. est appellatus. Platina, & Sigonius lib. 8. regni Ital.

BOEMVNDVS Normannus, qui sub crucis signo ad Syriacam expeditionem cum Godofredo Bolionio se contulit, dum urbem Antiochiam ipse permultiq; alij principes obsiderent: Pyrrhus Antiochenus dedendæ urbis spem ei fecit, si ipse principatum eius susciperet. Boemundus conditionem antè non accepit, quàm re exercitus ducibus narrata, eorum consensu princeps creatus est. Fulgosus lib. 4. capite 1. & Acmilius.

DEFERENDO, CEDENDO ALTERI.

Irrumpente in Græciam Xerxe, & iam tenente Thessaliā, THEMISTOCLES missus fuit cum classe ad Artemisiū, ut fauces illas tueretur. Hic Græcis Eurybiadi & Lacedæmonijs deferentibus imperium: Athenienſibus autem, quòd nauiū numero reliquos uincerent fermè uniuersos, detrectantibus aliis parere: perspiciens Themistocles discrimen, cùm ipse cessit Eurybiadi imperio, tum Athenienses placauit: recipiens iis, si se uiros fortes præbuissent in bello, effecturū se, ut Græci ultrò summam rerum ipsis essent in posterū delaturi. Quare apparet potissimam causam eum Græciæ fuisse salutis, & præcipuè ad gloriam Athenienses prouexisse, ut qui uirtute hostibus, sociis antecelluerit facilitate. Plut. in Themistocle.

P. SCIPIO Africanus cum Annibale Ephesi congressus, cùm in deambulatione honestiorem locum sibi uendicaret Annibal, eum non inuitus ei concessit. De ducum indepræstantia quæstione oborta, cùm Annibal primū locum Alexandro Magno, secundū Pyrrho, tertium sibi tribueret, placidè subrisit Scipio, inquiens: Quid ergo, si te ego non uicissem? Tunc Annibal: Vtiq; Scipio, tum non tertium mihi, sed primum tribuissem locum. Plut. in uita Flaminij.

T. LARGIVS & Q. CHLOELIVS Coss. Rom. cùm Dictator dicendus esset, alter in alterum transtulit. Tandem Largius post multam contentionem inuitus suscepit. Dionysius libro quinto.

Magna cum inuidia, Fortuna prætoriis comitiis Africani superioris filium Cn. Scipionem, & scribam CICEREIVM in campum deduxerat: utq; nimis impotens sermone uulgi carpebatur, quòd tanti uiri sanguinem clientelamq; comitiali certamine confunderet. Cæterùm crimen eius in famam laudem Cicereius conuertit. Nam ut uidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit: abiectaque candida toga, competitoris sui suffragatorem agere cœpit, ut scilicet Præturam meliùs Africani memoriæ concederet, quàm sibi uendicaret. nec non, etsi maximo uerecundiæ precio, Scipio tunc honorem adeptus est: Cicereio tamen magis gratulati sunt. Val. lib. 4. c. 5.

Cæsaris interfectores M. BRVTVS & Cassius conuenerūt ad Smyrnam, postquā primò in Piræeo distracti alter in Syriā, alter in Macedoniam perrexit. Parem uolebat Cassius habere & tribuere Bruto honorem: uerùm occupauit Brutus plerunque ad eum uentitans: quòd & ætate ille superior esset, & corpore minùs ad laborem ferendum comparatus. Plutarchus in Bruto.

Mortuo Balduino Hierosolymorū rege, successor ei delectus est Balduinus Edessæ Comes. Is Ioscellinum, uirum fortissimum, comitatu Edessæ donauit, quo & ipse donatus fuerat ab utriusq; cognato Balduino. Cùm ad famam primi Balduini defuncti EVSTATHIVS eius frater, Comes Bononiensis, ut in regnū fratri succederet: iter ingressus Brundusium iam peruenisset, inde in Orientē soluturus: ubi Rhemensem uirum fortissimum in defuncti locum suffectū regem accepit, auctoribus amicis ut ire pergeret, illum enim neq; uiribus neq; causa parem futurum: Deus meliorē, inquit, mentem mihi det, quàm ut regnum cruore meorum Christo redditum, per me domesticis bellis antequam coalescat euertatur. Acmilius lib. 5.

Robertus rex Francorum, Henricum F. moriens hæredē nuncuparat, ut nonnulli scribunt, minorem filium. Huic consilio Constantia mater obstabat, & ROBERTVM ducē Burgundiæ alterum filium regem salutabat: Odoque Campaniæ, ac Balduinus Flandriæ Comites, ac non pauci præterea nec contemnenda nobilitate in armis ei aderant. At ea Robertus dux nihil moueret, silentioque ac dissimulatione regnum Henrici comprobaret, ac iure regni cedere acerrimo,

mo, & qualem tempora postularent, fratri, iudicio que optimi patris uideretur, Ducatu Burgundię nobilissimo opulentissimo q; contentus: mater Constantia facilè adducta est, ut ipsa quoque bello pacem præferret, eadem maiestate apud Henricum futura, quàm à Roberto expectasset. Nec ipsa modò, sed & Flandrus, cæterique proceres, armis positis dextras interiunxerunt, in mutuumque complexum uenerunt. Acmilius lib. 3.

Mortuo ERICO II. Danorum rege in sacra peregrinatione, cùm duo Erici fratres Vbbo & Nicolaus superessent, & populi suffragio propter ætatem Vbboni summa decerneretur: Nicolaus solus, qui id ægrè laturus putabatur, maximo fauore concionis suffragia comprobauit, quòd Suenonis regis filij ætatis prærogatiua regni inter se successionē uersare consueuerint, semperq; minorem maior honoris huius hæredem habuerit. Vbbo uerò tanto oneri humeros suos subiicere recusans, fratrem eo munere digniorem asseuerauit. Dani ignari prudentem uirum fugiendi oneris rationē inertiæ simulatione quæsisse: quem perseuerantia superare debuerāt, negligentiā præterire sustinuerunt. Itaq; Nicolao regnum decreuere. Saxo lib. 12.

IOANNE II. Lusitaniæ rege mortuo sine legitimis hæredib. Georgius Ioan. F. propter ea quòd nothō esset, quāuis illius mater fuisset ualdè nobilis, legibus & institutis regni hęres esse non poterat. Successit igitur Emmanueli Ioannes patrus elis. Georgius interim Emmanuelem non tam propter sanguinis propinquitatem, quàm propter regiæ uirtutis indolem, quam in illo cernebat, egregiè carum habuit, & quibuscunq; poterat ornamētis, illius dignitatem amplificauit. Osorius lib. 1. de reb Emman.

COMMVNICANDO ALTERI.

PERICLES etiam cum Cimone imperium est partitus, ipse ut urbi præesset, ille completa classe res cum barbaris gereret. Quippe fuit hic ad arma, ad togam ille magis factus. Plut. in Præceptis politicis.

Defuncto M. Antonino Pio, M. ANTONINVS Philosophus à Senatu coactus regimē publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit L. Aur. Verum Commodum, Cæsaremque atque Augustum dixit: & ex eo pariter Rempub. rexere. Ipse nomen Antonini recepit, quasi pater L. Cōmodi esset, & Verum eum appellauit, addito Antonini nomine: filiamque suam Lucillam fratri despondit. Adepti imperium, Armenia simul atque Parthia pacata, cùm Marcus urbi præesset, Patres patriæ fuēre appellati, primi omnium in Romano imperio collegæ. Cùm autem Marcomannicum bellum suboriretur, finito iam Parthico, quod Lucius quinquennio confecerat, per Senatum sunt ambo decreti huic bello Imperatores. Id Marcus solus cum summa & felicitate & uirtute transegit. Lucius in uehiculo sedens, dum iter faceret, apoplexia periit. Cuspinianus, ex Capitolino & Eusebio.

DIOCLETIANVS Imp. rebus Orientis satis pro præsenti necessitate compositis, Romam ueniens, templ. ub. constituere de more ingressus, semetipsum unà cum Aristobulo homine priuato consulem in proximas Kalendas Ianuarias designauit. Quod factum, ut noui in Augusto exempli, sic insignis etiam moderationis animi fuit. Deinde præfecturā urbis Ceionio Varo continuauit, prætorianas uerò aliis commisit, quorum uirtutem præcipuè commendabat. Sigonius lib. 1. Imp. occid.

Ferdinandus Neapolis & Siciliæ rex, morti uicinus, ALFONSVM natu maiorem successorem reliquit, rogauit tamē uti Ioanni suo fratri Castellæ regnum sponte concederet. Tum Alfonsus, Iure quidem ad me etiam Castellæ regnum spectat, sed iure, quod à te accepi, quia pater es. Vitam hanc, qua fruor, à te accepi, & ut reliqua auferas omnia, semper tamen me tibi summa quæq; debere libens fatebor. Pater ea filij magnanimitate perspecta, felicem se mori, beatum fore populum suum confessus est, tantæ uirtutis successore relicto. Lud. Dominicus lib. 1. Variæ historiæ.

LIBRI TERTII TITVLORVM DISPOSITIO.



I. Stu-

I. Studiũ *moderatum in*

- Gloria cõ*seruãda respectu*
  - Rerum, *hoc est, ipsius*
    - ΑΞΙΩΜΑΤΟΣ, *hoc est*, Honoris *qui cõseruatur*. GLORIAE *conseruandæ Studium respectu* Honoris. *Conseruare*
      - Sacerdotium, *Episcopatum, Pontificatum.*
      - Regnum, *Imperium.*
      - Ius *regni.*
      - Nobilitatem *generis, familiæ.*
      - Libertatem *honorificam.*
      - Ornamenta *publica.*
      - Spolia *honorifica.*
    - ΑΞΙΑΣ, *siue Meriti, cuius ueluti nota & indicium est honor, qui conseruatur.* GLORIAE *conseruandæ Studium respectu Meriti, cui honor debetur. Conseruare honorem debitum*
      - Eruditioni, *Sapientiæ.*
      - Fortitudini *bellicæ.*
      - Religioni.
      - Dignitati
        - Sacræ, *Sacerdotali, Pontificiæ.*
        - Regiæ, *Maiestati imperij.*
        - Magistratus.
      - Nobilitati
        - Reipublicæ.
        - Generis, *Familiæ splendori.*
        - Professionis.
      - Victoriæ.
  - Modi, *quo conseruatur, quo ad*
    - Res *per quas propagatur, ampliatur.* Vt *per*
      - Scripta. Inscriptiones.
      - Ædificia. Anathemata, *Donaria sacra.*
      - Statuas, *Imagines, Picturas.*
      - Columnas. Machinas.
      - Comitatum. Pompas, *Comitatum.*
    - Personas, *contra quas conseruatur.*
- Ignominia, *Dedecore; Infamia auertenda, detergenda.* IGNOMINIAE, *detractionis, depulsio, ratione habita*
  - Rei. *Sic depellitur honori inimica*
    - Calumnia. Accusatio.
    - Historia *inepta.*
    - Pax *ignominiosa.*
    - Hospitij *ereptio.*
    - Sessionis *ignominia.*
  - Modi. *Puta*
    - Occasionem *præcidendo.*
    - Ægrè *ferendo, Expostulando.*
    - Amoliendo.
    - Vlciscendo.
    - Detestando, *Imprecando.*
    - Deprecando.

Voluminis Vndecimi Liber III.

De Moderata Honorum Conservatione.

GLORIAE CONSERVANDAE studium, respectu HONORIS, qui conseruatur.

EPISCOPATVM, SACERDOTIVM.

Ioannes Orphanotrophus Imp. Michaelis Paphlagonis frater, pontificatus cupiditate flagrans, quosdam ex primariis sacerdotibus sibi conciliauit, qui ei pollicebantur, se loco moturos ALEXIVM Patriarcham, ut qui non communibus suffragiis, sed Imperatoris auctoritate creatus esset. Ille uerò, *Si*, inquit, contra Canones me patriarcham esse factum asseritis: ij etiam, qui à me electi sunt, loco moueantur. Id responsum effecit, ut Orphanotrophus impos uoti redderetur. Zonaras.

IOANNES Vicecomes, Archiepiscopus & princeps Mediolanensis, cùm Bononiam occupasset, à Clemẽte Pont. max. per legatum repetebatur: & ut uel ecclesiam solam uel rempublicam capesseret, sub excõmunicationis pœna urgebatur. Ille ergo cùm sacra fecisset in templo, sinistra crucem arripuit, dextra gladium eduxit, & alta uoce pronunciauit: Hæc Ecclesiæ, hic uerò Reipublicæ conuenit: neque est cur uel crucem Domini, uel arma Reipublicæ abiiciam, ne aut religionis, aut pietatis erga patriam proditor uidear. Hoc igitur sanctissimo patri meo nomine refer, cum cruce & gladio me ad extrema etiam perferendã paratum fore. Bernardus Corius lib. 3. historiæ Mediolanensis.

Raceburgensis episcopus CONRADVS, iam senex, inuitus admodum se eligi passus, præfuit ecclesiæ non paucis annis: quumque à familiari quodam ex fratribus interrogaretur, Penè inuitum te assumsimus ad episcopatum: nunc essent, si cedere liberet, qui onus susciperent. interroganti nihil respondit: ut facilè intelligeretur, susceptum onus nõ esse tam facilè deponere, quàm assumere: simul fortè & illud perpendit, esse rem non boni exempli, per ambitionem alios conscendere, alios detrudi. Igitur permansit in pontificatu ad finem usque uitæ. Cranzius libro 8. Metropoleos, capite quadragesimoquarto.

RE-

REGNVM, IMPERIVM.

Apud Heduos cùm singularis magistratus antiquitùs creari, atque regiam potestatem annum obtinere consueuisset: attamen duo magistratum gerebant, & se uterque dicebat legibus creatum esse. Horum alter erat CONVICTOLITANES florens & illustris adolescens: alter Cotus antiquissima familia natus, summæ potẽtiæ & magnæ cognationis: cuius frater Vadetiacus proximo anno eundem magistratum gessisset. Itaque propter hoc dissidium ciuitas omnis erat in armis, diuisusque & Senatus & populus, & eorum cuiusque clientelæ. Ergo quia legibus Heduorum, iis qui summum magistratum obtinerent, ex finibus excedere nõ liceret: ne quid de iure aut de legibus eorum diminuisse uideretur, & quòd magni faciunt omnes prouinciales atque municipes, sibi suas seruari consuetudines ac prærogatiuas: Iulius Cæsar eò ipse profectus est, rem iure ac legibus terminaturus. Cùm itaq; omnis propè ciuitas conuenisset, atque Cæsar didicisset: paucis clàm conuocatis, alio loco, alio tempore atque oportuerit, fratrem à fratre renunciatũ esse: cùm leges duos ex una familia uiuo utroque non solùm magistratus creari uetarent, sed etiam in Senatu esse prohiberent: Cotum imperium deponere coegit: Conuictolitanem, qui per sacerdotes more ciuitatis, intermissis magistratibus, creatus esset, potestatem obtinere iussit. Aerodius ex Cæsare lib. 7. Com.

SEVERVS Imp. cùm podagra laboraret: & propterea impediri, quam susceperat, expeditio uideretur: exercitus maiorem natu filium eius Bassianum Augustũ salutauit. Quod Seuerus cùm audisset, lectica se ad tribunal deferri, citatisq; primis huius consilij auctoribus eos securi percuti iussit. Qui omnes cùm humi prostrati, & cum eis unà reliquus exercitus lacrymans, miserabili uoce erroris sui ueniam peterent: uix tandem adduci potuit, ut petentibus in hæc uerba erumpens ueniam daret: Nunc demùm intelligitis, non pedes, sed caput imperare. Fulg. lib. 2. c. 2.

Antiochiam Syriæ metropolim BOEMVNDVS dux Tarentinus proditione ceperat, re priùs cum Latinis cæteris communicata, ut dolo succedente è sententia urbis principatũ sibi darent: atque adeò arcem insederat. Raymundus uerò Comes Tolosas regiam, quæ Cassiani fuerat, & portam quæ ad pontem ducit, præsidio tenebat. Reliqui duces iudicium facere supersedebant: quia eorum neutrum offensum uolebant, segniorémue reddi ad reliquias belli persequendas. Milites contentione ducum cõsenescere Sacrum bellum indignè ferentes, minitabantur ex corpore suo creaturos se ducem, qui non cupiditati suæ, sed Christo militet, debelletque, ut domum tandem redire fas sit. Tolosas natus causam Boemundi iustiorem militibus uideri, dissimulato dolore in hosticum decem millia militum sese ultrò offerentium eduxit. Proceres uerò Tarentinum in ea urbe reliquerunt: ut qua solertia id caput rerum Orientalium pepererat, eadem tutaretur: caueretq; ne quid ea parte moueri posset. Aemilius lib. 4.

IVS REGNI.

EDOVARDVS I. Anglorum rex, graui bello rebelles Scotos premebat, rege eorum capto. Bonifacius IIX. pontifex à Scotis precibus fatigatus, interdixit Edouardo, ne ampliùs posthac Scotos bello uexaret, qui iampridem in Romani pontificis fidem & potestatem concessissent: & ideò asseuerabat sibi soli integrum esse, cuicunque libêret dare auferréue. Edouardus, habito principũ concilio, pontificem docuit, ius proprietatis terræ Scotiæ ad se pertinere, secumq; facere, & propterea non passurum se eo perperam priuari. Itaque Bonifacius quieuit, ne si pertinaciùs contenderet, causa caderet. Polyd. lib. 17.

NOBILITATEM GENERIS, FAMILIÆ.

Hic Nobilitatem quæ conseruatur, tanquam gloriam antiquam generis, consideramus. Paulo pòst eius gloriæ, quæ Nobilitati debetur, conseruationem edocturi.

Minos cùm Theseum cæteramque puerorum Atheniensium manum in Cretam abduceret, amore Peribœæ captus est. Cuius cùm THESEVS libidini aduersaretur, & alia in illũ maledicta contulit Minos, tum etiam Neptuni sobolem esse negauit: quòd quam habebat cælatam gemmam, in mare si abiecisset, non esset eam ad se reportaturus. Vix ea locutus, gemmam dicitur Minos abiecisse. Theseum uerò memorant cum ea, & corona, quam ab Amphitrite dono acceperat, è mari emersisse. Paus. in Atticis.

Ioannes Luthomirski, Thesaurarius regius supremus, quendam tenuioris fortunæ nobilem Polonum Mikolaievuski iniuria affecerat. Ille collecta manu consanguineorũ cum magno comitatu proficiscentem occidit, in frustaque dissecuit. Ergo cùm NOBILIS iste aut honore priuandus, aut capite plectendus ob prædictum facinus esset: honorem uitæ præferens, citatus ad comitia Lublini celebrata, alacriter comparuit, ibiq; honore integro ex sententia Regis decollatus est. Guagninus in descriptione Poloniæ, annò MDLXIIX.

LIBERTATEM HONORIFICAM.

HVGO Cardinalis S. Angeli à Pp. legatus missus in Scotiam, Scotis persuadere conatus est, uti archiepiscopo Eboracensi subiicerẽtur. Omnib. enim episcopis aliarum regionũ patronum quendam ac ueluti caput esse cui subsint, ne protinùs querelæ causæq; omnes ad Pontificem, summis cùm laboribus, tum expensis, deferantur. Responderunt illi, nulli se alteri præterquam Pp. subesse uelle, nec per regem posse, ne inimicæ Anglorum genti tacitè manus in spiritualib. dare cogerentur, cum quâ quotidie bella gererent. Hector Boethius libro 13.

Quum Carolus Magnus Bauariam, Tassilone duce ob perfidiam cum filio in monachum attonso, redegisset in prouinciam: remansit nobilis quidam Ethico, dominus de Rauensberge, cuius filiam Iuditham Imperator Ludouicus, prima uxore defuncta, in uxorẽ acceperat, quæ peperit ei filium Carolum Caluum. Habuit idem ETHICO filium Henricum, qui suasu germanæ se subdidit Imperio. Quod pater detestatus, fertur abiisse cum duodecim uiris primariis in montẽ auium, quẽ nemo facile inuenire poterat: præponens ibi uiuere, & mori in libertate, quàm in deliciis agere sub Imperio. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, c. 26.

PHRISII Occonem uirum primarium, quòd inter Germanos militans, militare cingulum accepisset, factus eques auratus, occiderunt circa añ. Sal. MCCCXCI. arbitrati illum à patria libertate degenerâsse, cui peregrinam inducere tentauerit nobilitatem. Vxor Ockonis, ad comites de Aldenborg & Delmenhorst profecta, arma comparauit in tumultuantes: & templo, quod de more gentis incastellauerant, oppugnato deiectoque, ibi repertos ad ducentos iussit capite plecti. Cranzius lib. 10. Saxoniæ, cap. 14.

ORNAMENTA PVBLICA.

M. Porcius CATO cùm Censor esset, basilicam Porciam ædificauerat. In ea tandem sedebant Tribuniplebis, eos auditu ri, à quibus auxilium suum peteretur. Sed quia tribunali columna aliqua officiebat, hanc ideò tollere parabant, aut aliò transferre, ni ad populum Cato Vticensis interdicto certauisset. Nam id familiare suum ac gentilitium opus esse, hinc se inuito nihil cuiquam tollere, immutare, transferre licere. Etenim si licebit, fore ut imposterum reuocentur similes ciuium in Remp. liberalitates ac munificentiæ. Præterea, facillimè Tribunorum sedem alibi reperiri & collocari posse: at non ita columnam adimi, sine reliqui operis uel ruinæ metu, uel deformitate: cuius tamen in Vrbe uitandæ causa Decemuiri adeò tigni uindicatione sublata, aliisq; modis olim prospexerant. Quòd si sacrosancti sunt Tribuniplebis, multumq; pro potestate sua possint: hac in id, quod publicum, sanctum & inuiolabile sit, abuti non debere. Nam basilicam Porciam uti nunc est ut ita sit, totius etiam populi referre maximè: cùm id quod postulant Tribuni, sua intersit modo. Igitur populus columnam à Tribunis separari uetuit, noluit. Plut. in Catone maiore.

Hostasius Rauennas miles, in arcem urbemq; Ticinensem, ab Odetto Foisseio Lotrechij regulo, & Gallici exercitus in Italia imp. anno MDXXVII. expugnatam, primus irrupit. Is à Lotrechio in præmium nauatæ operæ, æneam equestrẽ statuam, quæ Antonini Cæsaris esse dicitur, impetrauit: quum ea antiquitùs Rauennatium fuerit, sed post Gothica tempora à Longobardis Rauennam diripientibus, trophæi modo in signum uictoriæ, abducta Ticinum fuerit, & in foro constituta. Eo modo Hostasius decorũ sibi fore existimãs, si uetus patriæ spolium recuperaret, & suæ pietatis memoria, eo in loco, ubi ablatum olim fuerat, renouata dedicatione poneretur, in forum descendit: & permittente Lotrechio, cum manipularib. suis atq; item fabris deiicere statuã sede sua, atq; excindere columnam basi suppositam superbo molimine conabatur. Quo spectaculo (id enim lõgè miserrimũ TICINENSES iudicabãt) usqueadeò tumultuosus complorantis & deplorantis populi concursus fuit, ut oblitus domesticæ calamitatis, furiosè in forũ decurreret, nullo modo passurus, ut patriæ, quæ fortunarum omniũ & publici decoris iacturam dudum fecerat, etiam nobilissimæ & uetustissimæ memoriæ monumentũ eriperetur. Res cò erat perducta, ut cùm armatis ab inermibus ex iurgio certandũ foret. Verùm Rauẽnate imperatoris Lotrechij diploma proferẽte, omnis ea Ticinensiũ turba suo recẽti mœrore & cultus deformitate miserabilis, ad prætoriũ contẽdit: atq; ibi patricij ordinis Franciscus Boticella, proiectus ad pedes Lotrechij effecit, ut is ad misericordiam uersus, Rauennatem ex aduerso promissum muralis coronæ præmiũ

ex

ex diplomate repetentem, blandis uerbis admonuerit, ut præmium potiùs nauatæ fortiter operæ ex sua liberalitate oblatum accipere uellet, quàm tanta acerbissimè direptę ciuitatis miseria lætari, ardereq; demùm inuidia aliquando ei & Rauennatibus nocitura. Itaq; uel indignabundus miles pro ænea statua pecuniam à quæstoribus accepit, quantum satis est, pro murali corona ex auro puro fabricanda, q in fidem uirtutis suæ, cum elogio Rauennate in templo poneretur. Iouius lib.25.Hist.

SPOLIA HONORIFICA.

M. ANTONINVS Pius Imp. sellam regiam Parthorum regi repetenti, quam Traianus ceperat, pernegauit. Iul. Capitolinus.

GLORIAE CONSERVANDAE STVDIVM, RESPEctu MERITI, cuius præmium gloria uidetur esse. Conseruare honorem debitum

SAPIENTIAE, ERVDITIONI.

Plutarchi frater Lamprias narrat apud Plut. in com. de Ei Delphico, Sapientes illos, qui à nonnullis appellati fuerunt sophistæ, numero quinque fuisse, CHILONEM, THALEM, SOLONEM, BIAM, PITTACVM. Postquam uerò Cleobulus Lindiorum tyrannus, inde Corinthius Periander, qui nulla ornati uirtute uel sapientia fuerunt, sed opibus, amicis, & beneficiis uim fecerunt gloriæ, ac nomen inuaserunt sapientum, sententias aliquas & dicta emiserunt & diffuderunt in Græciam, illorum dictis affinia: stomachantes sanè, illos noluisse quidem istorum detegere insolentiam, neq; publicè de gloria offensionem suscipere, & digladiari cum hominibus prępollentib. sed conuenisse eos solos Delphis, collocutosq; inter se, literam, quę ordine est quinta, & numerum quinarium significat, sacrasse, contestantes pro se ipsi apud Apollinem, esse quinq; se, repudiantesq; & reiicientes ut ab se alienos septimum & sextum.

ERATOSTHENES Cyrenæus inuentam à se cubi duplicandi rationem, duabus datis, in tabula descriptam anathematis loco diis in templo dedicauit. Proclus.

D. HIERONYMVS in eo libro, quem de Viris illustribus scripsit, in eorum catalogo se ipsum quoq; connumerat: diligenti etiam cura omnibus uoluminibus, quæ usq; ad eam diem scripserat, titulos ac nomina sua indens. AVGVSTINVS quoq; in Cōfessionib. propriam uitam doctrinamq; luculenter, cùm aliud agere uideretur, expressit.

L. ACTIVS tragicus C. Iulio Cæsari in poetarum collegium uenienti nunquam assurrexit, quòd in comparatione communium studiorum maiorem se eo in loco esse consideret.

VERGILIVS cùm duos hosce uersiculos ualuis Imp. Augusti noctu affixisset, sed absq; nomine,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet:

Bathyllus quidam sciolus ἄδηλον illud sibi tribuit, & ex alieno labore quæstum gloriæ fecit. Id ubi Maro animaduertit, honoris sui causa asserendi, & alienæ ambitionis detegendæ causa, quater hoc hemistichion, Sic uos non uobis, iisdem ualuis affixit. Quærente Augusto ut compleretur, cùm pleriq; id frustra conati essent, Vergilius pręposito monostichio, sic suppleuit:

Hos ego uersiculos feci, tulit alter honores.
Sic uos non uobis uellera fertis oues.
Sic uos non uobis fertis aratra boues.
Sic uos non uobis nidificatis aues.
Sic uos non uobis mellificatis apes.

Donatus in uita Vergilij, & Gyraldus Dialogo 4. Historiæ poetarum.

FORTITVDINIS BELLICAE.

Cùm LACEDÆMONII & ATHENIENSES à Gelone Syracusanorum tyranno auxilia contra Xerxem implorarent: Gelo se maximas copias missurum respondit, ea lege, ut ipse esset aduersus Xerxem Græcorum imperator. Syagrus Spartanus liberè respondit; O quàm eiularet Pelopides Agamemnon, si audiret Spartiatas imperium commisisse Geloni & Syracusanis. Atheniensiū uerò legatus similiter, non imperatorum, sed exercitus indigam Gręciam respondit: & primas se quidem Lacedęmoniis terra mariq; tribuere, illis uerò recusantibus, ad se id muneris spectare. Gelon legatis auditis, eos Sicilia excedere iussit, renunciaturos Græciæ, uer illis ex anno exaruisse. Comparabat enim exercitum suum ueri, tempori præstantissimo totius anni, quo tanquam uere destituti, nullos uictoriæ fructus contra Barbarum habituri essent. Herodotus lib.7.

Tyrtęus Atheniēsis ludimagister, Spartanis ex oraculo dux datus ab Atheniēsib. bello Messenico, ciuitate donatus est à LACEDÆMONIIS. Pausanias Cleombroti interrogatus, Quid ita? Ne, inquit, nobis unquam peregrinus fuisse dux uideatur. Cælius lib.18.c.5.A.L.

MECHANICAE PERITIAE, INDVSTRIÆ.

Darius contra Scythas profectus, Bosphorum Thracium ponte sublicio iungi fecit. Eo ponte delectatus, auctorem eius MANDROCLEM Samium donauit decuplo. Ex cuius primitiis Mādrocles pictis animalibus, commissionē Bosphori, & regem Darium Medico solio sedentem, ac suas copias traducentem, effinxit, eamq; picturam templo Iunonis dedicauit, cum inscriptione.

SOSTRATVS Cnidius architectus, Ptolemæo regi fabricatus maximam illam pulcerrimamq; in Pharo Aegypti turrem, unde nautis nocturna lumina ostenderentur, suū quidem nomen in lapide muri ipsius clàm incidit: calcem deinde superinducens, Regis nomen inscripsit: fore id, quod accidit, auguratus, ut non multo pòst literæ illæ cum lorica sua defluerent, atq; insculptum saxo nomen suum appareret. Hæc autem erat inscriptio: Sostratus Dexiphanis Gnidius diis salutaribus ob nauigantes. Aelianus.

MAMVRII fabri, & CONSTANTINOPOLITANI architecti studium in fama nominis perpetuanda, uide sub Tit. Mechanicarum artium honor.

RELIGIONI.

Pompam sacrificiorum ueterum Apuleius lib. 11. Asini aurei graphicè describit, quibus auctoritatem & maiestatem religioni per se stultæ & ridiculæ conciliare studebant.

HVGO Cæsariēsis, Gallus eques, ab Almarico Hierosolymorum rege legatus ad Elhadechum Calypham Cayri missus, ut aduersus Calypham Baldacensem cum eo fœdus iniret: cùm è more data utrinq; dextra, res stabilienda esset, ut uidit Hugo Calypham non dignari eum dexteræ suæ contactu, & idem Sulthanum Suar & Admiratos facere, dicentes Calyphæ personam humanam excessisse conditionē, & ceu sacram, fas non esse ab homine contingi, præsertim qui diuersa coleret numina: denūciauit se infectis rebus inde abiturum, nisi Calypha eo modo, quo ipse Almarici regis nomine, dextera data ac iureiurando fœdus sanciret. Coactus igitur, cùm ita rerum necessitas urgeret, Calypha, dexteram Hugoni, sed sericeo uelatam panno porrexit. Contingere autem eam Hugo abnuit, nisi cùm ipse nudam porrigeret dextram, nuda etiam à Calypha porrigeretur. Itaq; Hugonis grauitas extorsit, ut nudam ipse quoque dextram Calypha daret. Fulg. lib.6.c.4.& Egnatius.

LEO X. Pont. sacra confecit, singulaq; cæremoniarum obiit munia singulari cum maiestate, ut non falsò nemo superiorum Pōtificum eo augustiùs & decentiùs sacrificasse diceretur. Iouius in eius uita lib.4.

DIGNITATI.

SACRÆ, SACERDOTALI, PONTIFICIÆ.

MARTINVS Turonensis episcopus, à Maximo tyranno inuitatus, cùm à multis principibus uiris unà recumbentib. primus poculum accepisset, in quo circumferendo (sicuti tūc mos erat) dignitatis ratio habebatur, eo gustato, presbytero suo post se hauriendum porrexit: neminem ex illo conuiuarum numero digniorem decernens, cui secundū honoris locum daret. Mar. lib.3. c.5.

Cùm Eusebia Constantij Imp. uxor, superbia elata, ab episcopis adoraretur: solus LEONTIVS Tripolis Lydiæ episcopus domi mansit. Pollicetur illa se ecclesiam illi maximam extructuram, & affatim pecuniæ præbituram, si se conueniret. Cui ille: Non mihi, inquit, sed Deo gratificaberis, hoc faciens. Tu uerò si me ad te uenire uoles, sic agito. Vbi intuum uenero conspectum, de solio descende, caput benedictioni manuum mearum submitte. Ego in tuo sedens throno, tibi cùm uidebitur sedendi potestatem faciam. Illa uehementer commota, rem marito exponens, eum ad suppliciū de episcopo sumendum instigauit. Is Leontij animo collaudato, uxorem in gynæceum ablegauit. Suidas.

PIVS II. Pontifex Perusiam ingressus est, equo uectus candidissimo, duodecim eodem candore præcedentibus, stratis purpura, sine sessore, frenis aureis, magistratibus purpureā umbellam auro intextam pręferentibus, sub quam ipse candida syndone, stola aurea commissa, & purpureo galero uehebatur. Pompæ causam prætendit, quòd post eiectum Bonifacium septuaginta iam annis Perusini Pontificē intra urbem non aspexissent. Campanus in eius uita.

Fuit is dies, quo LEO X appellatus, Romæ anno MDXIII. XI Aprilis coronatus est, omnium qui à Gothicis temporibus Romanę urbi feliciùs illuxerint, longè clarissimus. Nunquam enim ullum uel ampliore uel ornatiore hominū concursu spectaculum celebratum fuisse, uel legendo, uel audiendo, meminerant. Protectæ erant aulæis regiones, ridebant ianuæ ciuium festa fronde, & floribus fenestræ stratæ tapetibus ornabantur: in omnibus biuiis triumphales arcus occurrebant, ad ueteris Romanæ magnitudinis exemplum picturis & statuis mirū in modum exornati: Cardinalium & antistitum comitatus usq; ad humiliora seruitia serico & purpura, multoq; item auro præfulgebat: ipsi Cardinales sacras aureas & pictas induti uestes, militarib. equis uehebantur. Prætulit Romanæ Ecclesiæ uexillum Alphonsus Ferrariæ Princeps, qui ad componendā controuersiam, & ad præstandum officium benignis literis accitus aduenerat. Affuit & Franciscus Vrbinas Vrbis præfectus. Rhodię uerò militiæ uexillum armatus detulit Iulius Medices, quum neq; ipse, neq; ullus omnino uel sapiens crederet, in tanta Senatorum & Seniorum turba, quod in abditis fatis erat, eum mox Romæ regnaturum: & fortè ea die coronationis ad felix augurium, mortuo Pactio Cosmo, antistes Florentinus uixdum exutis armis est effectus. Sparsa est à quæstoribus per omnes regiones larga manu aurea argenteaque pecunia, tanta Leonis liberalitate, ut ipsi centum millibus aureis eam pompam pontifici constitisse faterentur. Iouius in Leone X. lib.3. & Guicciardinus lib.11.

REGIÆ, MAIESTATI IMPERII.

PERSARVM regis currum affectabantur armatorum decem millia, hastis argento coruscantibus, spiculis etiam auro præfixis. Si quando mouenda forent castra super regis tabernaculum, quod augustale dicimus, conspicua omnibus promicabat solis imagūcula, crystalli inclusa globo. Quum progredi cepisset agmen, ignis, quem ipsi sacrum æternúmque uocabāt, argenteis altaribus præferebatur. Sicuti apud Græcos irroborauerat mos, ut in prima staret acie uates laureos gestans ramos & corollas, quem uocabāt pyrphorum (cuius meminit Pollux, & Suida) quoniam lampada itē præferret. Eum iure belli uiolasse, summum habebatur scelus. Ignem sacrum insequebantur magi, magos trecenti sexaginta quinq; iuuenes puniceis uelati amiculis. Ii tot erāt, quot in anno dies. Mox erat Ioui sacer currus, quem albi traherēt equi. Post quos insigni magnitudine uisebatur equus Solis, sic enim dicebatur. Equorum moderatores aureis uirgis ornati, albis item uestibus nisendos se præstabant. Aderant pòst, uehicula auro cælata & argento. Insequebantur, quos Persæ Immortales uocant, decem millia numero. Ante omnes Barbaros hi luxu prædiuite honestabantur. Torquibus inter eos aureis exculti quidam incedebant. Auro distincta uestis decorabat alios, tunicis manicatis quidem, sed gemmarum specie ornatissimis. Ab iis constituebantur, quos regis cognatos uocabant, quindecim millia numero, feminas diceres, ita ornamentorum luxu ac deliciis diffluebant. Doryphoræ uocabantur, ueluti satellites, regis currum anteibant regio insignes cultu. Currus latera deorum simulacris erant decora, auro argentoq; conflatis. Iugum gemmis collucebat. Eminebant ex eo simulacra duo aurea, cubiti mensura, interiacente expansis alis aquila, materiæ eiusdem. Sphragida, id est, anulum regis signatorium, uel id genus aliud, Cyri prætulisse imaginem, proditur memoriæ: etiamsi tradunt alij fuisse Darij equum: quo adhinniente regnum is arripuit. Sunt & qui regis fuisse ipsius malint. Cælius lib.8.cap.2. Antiq. Lect.

ALEXANDRVM Macedonem puerum adhuc inter eiusdem ætatis æquales constitutum, quidam cùm percunctarentur, Liberéne certaturus esset in stadio (pedum enim præstabat pernicitate) Atqui perlibenter, respondit, si certaturi secum reges essent. Plut. in Apopht.

ALEXANDER Mammeæ Imperator, sibi fecit argyroaspidas & chrysoaspidas milites, cum clypeis auratis & argentatis, Alexandrum Macedonem sequutus: quem tradunt militum armis argenteas laminas, equis uerò frenos aureos addidisse: loricas demùm quasdam auro, quasdam argento magnificenter donasse. Lampridius.

VALENTINIANVS I. Imp. electus, cùm instarent milites, ut sibi imperij socium deligeret: Vestrum quidem (inquit) fuit, priuatum me ad imperij extollere dignitatem: res autem administrare, non iam uestri, sed nostri erit arbitrij esse. Itaque uos deinceps imperata facere, & quietos esse: me autem, quid facto opus sit, curare decet. Nicephorus Callistus lib.11.c.1. Eccles. hist. Assumsit ergo Valentem fratrem.

MAGISTRATVS.

Anaxilas miranti, cur regibus non assurgant EPHORI, idq; cùm ab regibus creentur: Eandem ob causam, inquit, ob quam Ephori præsunt. Plut. in Apophtheg.

PERICLES populi partes contra suum secutus genium, falsum ut Cimonis potentiæ, qui optimatibus nitebatur, se opponeret, institutum uitæ commutauit. Vna uia uideres in urbe ad forum & ad curiam euntem. Conuiuia, cámque comitatem ac consuetudinem omnem abrupit, tantóque spacio quo in repub. est uersatus, nemini amicorum cœnam condixit: Euryptolemo excepto consobrino, cuius nuptiis, dum libatum esset, interfuit, inde surrexit. Detrahunt enim familiaritates illæ facilè fastum omnem, & maiestas existimationis haud temerè in contuberniis retinetur. Enimuerò uera in uirtute pulcerrima illa uidentur, quæ apparent maximè: neque est in bonis uiris perinde alienis admirabile quicquam, atque uita quotidiana familiaribus. Hic uerò etiam assiduitatem refugiēs & fastidium populi, quasi ex interuallis progrediebatur, neque omni de re dicebat, neque semper prodibat in concionem: uerùm sicut Salaminiam triremē dicit Critolaus, ad negotia se reseruabat grauiora: cætera per amicos transigebat & oratores familiares suos. Plut. in Pericle.

THEMISTOCLES Atheniensis, quòd fides pulsare recusarit, indoctior habitus est. Abstinuit uerò consultò à cithara, quòd eam amplitudini suæ nequaquam conuenire arbitraretur. Platina lib.2. de Optimo ciue.

NOBILITATI. TVM

REIPVBLICÆ.

Persarum reges neminem in conspectum admiserūt, nisi priùs ante pedes eorum procubuissent. Quam consuetudinem cùm ISMENIAS Thebanus, qui legatus ad eos missus à Thebanis erat, sciret: in regis conspectum ueniens, anulum de industria ad pedes cadere permisit, quem se flectendo collegit. Atq; hoc modo & Græcorum dignitati, & regis superbiæ satisfecit. Aelianus de Var. hist.

Tisaphernis accusandi gratia CONON Atheniensis à Pharnabazo ad Regem Artaxerxem missus, posteaquam uenit, primùm ex more Persarum ad Chiliarchum, qui secundum gradum imperij tenebat, Tithraustem accessit, seque ostendit, cum Rege colloqui uelle: nemo enim sine hoc admittitur. Huic ille, inquit, Nulla mora est: sed tu delibera, utrùm colloqui malis, an per literas edere quę cogitas. Necesse est enim, si in conspectum ueneris, uenerari te Regem (quod προσκυνεῖν illi uocant) hoc si tibi graue est, per me nihilo seciùs editis mandatis conficies, quod studes. Tum Conon: Mihi uerò, inquit, non est graue quemuis honorem habere Regi: sed uereor, ne ciuitati meæ sit opprobrio, si cùm ex ea ciuitate sim profectus, quæ cæteris gentibus imperare consueuerit, potiùs Barbarorum, quàm illius more fungar. Itaq; quæ huic uolebat, scripta tradidit. Probus in Conone.

Ciuitate Romana, Cannensi clade perculsa, cùm admodum tenui filo suspensa reipublicæ salus ex sociorum fide penderet, ut eorum animi ad imperium Romanum tuendum constantiores essent, maiori parte Senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat. Anius autem Campanus etiam consulem alterum Capuæ creari debere asseuerabat. Sic contusus & æger Romani imperij spiritus erat. Tunc MANLIVS Torquatus, filius eius, qui Latinos apud Veserim inclita pugna fuderat, quàm poterat clara uoce denunciauit: Si quis sociorum inter Patres C. sententiam dicere ausus esset, continuò se ipsum interemturum. Hæ unius minæ & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad ius ciuitatis exequendam consurgere passæ non sunt: nanq; ut patris armis, ita uerbis filij fracta cessit. Val. Max. lib.6. cap.4.

In conditionibus, quas cum Mithridate aduersus Romanos SERTORIVS iniuit, misso in Asiam Mario prętore, ut suo, ac populi Romani nomine eam prouinciam obtineret: cauit, ut cum fascibus Mithridatem Marius præcederet, donec in ea prouincia Mithridates maneret. Plutarchus.

Legatis exterisque gentibus in senatum admissis, Romanos consules nisi Latinè responsa dare consuesse fertur Alexander lib.4. capite 11.

GENERIS, FAMILIÆ SPLENDORI.

OEDIPVS Creonti tyranno supplex fieri, quamuis infinitis malis pressus, renuit apud Eurip. in Phœnissis, inquiens,

Οὐ μὴν ἑλίξας γ' ἀμφὶ σὸν χεῖρας γόνυ,
κακὸς φανοῦμαι. τὸ γὰρ ἐμόν ποτ' εὐγενὲς
οὐκ ἂν προδοίην, οὐδ' εἰ πράσσω κακῶς.

Non tamen implicans circa tua manus genua, ignauus uidebor. Meam enim pristinam nobilitatem non perdam, neque quamuis infelix sum.

ORESTES ob parricidium morti adiudicatus ab Argiuis, cum Pylade consilium capit de Menelao & Helena, à quib. desertus fuerat, interficiendis, inquiens:

Ἀγαμέμνονός τοι παῖς πέφυχ', ὃς Ἑλλάδος
ἦρξ' ἀξιωθείς, οὐ τύραννος, ἀλλ' ὅμως
ῥώμην θεοῦ τιν' ἔσχεν, ὃν οὐ καταισχυνῶ,

ἄλλον περσαρχῶν θάνατον, ἀλλ' ἐλευθέρως
ψυχὴν ἀφήσω, Μενέλεων δ' ἀτίσομαι.
ἑνὸς γὰρ εἰ λαβοίμεθ', εὐτυχοίημεν ἄν.

Agamemnonis profectò filius natus sum, qui Græciæ imperium obtinuit, dignus habitus, non tyrannus, sed tamen uires dei cuiusdam habuit: quem non dehonestabo, seruilem exhibens mortem, sed liberè animam amittam: Menelaum uerò ulciscar. Vnum enim si adepti fuerimus, rectè negotium succedet.

Boleslaus cæso D. Venceslao fratre, principatum Boëmiæ adeptus, cùm uindicem metueret Othonem I. Cæsarem, Hunnorum ad Augustam uictorem, uicum, quem inhabitabat, Boleslauiam dictum, fossis, uallis, mœnibus cingendum muniendumque suscepit, & quò celeriùs susceptum opus perficeret, uicinæ nobilitati iniunxit, ut certum quisque pa terfamiliâs colonorum suorum numerum operi continuando attribueret. Cepit abnuere operâ eiusmodi SENEX quidam nobilis, inquiens: Exemplum se à maioribus non accepisse, ut ædificandis muris operam aliquam locaret, sed potiùs ut pro salute principis in campo & in ipsa acie seu èques seu pedes, dimicaret. Eum Boleslaus euestigio confodit. Dubrauius lib. 5.

PROFESSIONIS.

LIBANIVS sophista, ex Antiochia Cœlesyriæ ciuitate, cùm in Iuliani principis dignationem uenisset, præfecturam prętorij respuit: dictitans esse plus sophistã, quàm præfectum. Suidas apud Volat. lib. 16. Anthrop. Idem de LIBANIO scribit Eunapius.

ARISTIDES sophista è ciuitate Hadrianorum Mysiæ, cùm Smyrnæ doceret, adueniente fortè M. Antonino principe, unus ex omnib. non processit obuiam. Philostratus.

VICTORIAE.

AESCHYLVS Atheniensis, suum nomen & patriæ, inscripsit carmini de pugna Marathonia. Pausanias in Arcadicis, & Gyraldus in eius uita.

Fuit antiqua Imperatorum consuetudo, ad quæ loca extrema cum exercitu uel classe penetrassent, ibi aliquod suæ expeditionis relinquere monimentum. Sic BACCHVS columnas duas erexit in Oriente: ALEXANDER Indicæ militiæ terminos aras apud extremos Indos instituit. Strabo lib. 3. HERCVLES apud Gades duos montes, teste Dionysio de Situ orbis, suæ fortitudinis testes reliquit.

Victo ad Zamam Annibale memorabili strage, Carthaginenses consternati animo, legatos ad P. SCIPIONEM mittũt, qui clementiam uictoris implorent, & multis precibus pacem exposcant. Iam Romæ de prouincia Aphrica contentiones erant, & alter ex nouis consulibus in exercitum properabat pari imperio ad gerendum bellum. Quamobrem ueritus Scipio, ne tanti belli confecti gloria ad alium perueniret, æquo animo à legatis Carthaginensium se exorari passus est. Auctor eius uitæ.

ALCIBIADES cùm Hellespontum Atheniensibus subiecisset, in patriam reuertens, Atticas triremes oleaginis ramis, tænijs & coronis coronauit: tum captiuas naues con iungens extremis amputatis partibus ad ducentas, uectandis equis fabrefactas, spoliis plenas, armisque Laconicis ducens, adnauigauit. Triremis, in qua ipse nauigabat, ad claustra usque Piræi purpureis uelis accurrit. Ast ubi fuit intus, remigesque remos ceperunt, Chrysogonus Pythicam stolam indutus, naualem rhythmum cecinit: Callipides autem tragicus scenæ stolã indutus, gesticulatus est. Quam obrem perueunstè dixit quidam, Neque duos Lysandros Sparta tulit, neque duos Alcibiades ferrent Athenæ. Athenæus lib. 12. cap. 16.

Veterum GOTHORVM ac Sueonum antiquissimus mos erat, ut ubicunque locorum uictorias essent consecuti, illic saxa ingentia erigerent: quibus præclara gesta breuissimo titulo insculperent. Id quod ex uetustissimis rhythmis intelligere licet. Sunt in Septentrionalibus locis apud Helsingos potissimùm, montes cinericij coloris, marmoream duritiem longè exuperantes: qui plerunque terræ motu, fulgure, uel alio naturæ impulsu ita concuti solent, ut disiecta saxa, partim formam pyramidis, partim quadratarum columnarum, partim obeliscorum suscipiant. Saxa uerò à Gigantibus ac pugilibus erecta, nullibi frequentiùs, quàm apud Ostrogothos & Vestogothos, ac superiores Sueones in triuiis conspiciuntur, etiam in uastis solitudinibus. Habent hæc saxa, in plerisque locis erecta, longitudinem X, XV, XX, aut XXX, & ampliùs: latitudinem quatuor uel sex pedum, mirabili situ, ordine, ac charactere: literato rectoque & longo ordine pugilum certamina, quadrato turmas bellantium, sphærico familiarium designant sepulturas, cuneato equestrium ac pedestrium acies triumphasse. Scripturæ uerò à dextro latere in pede saxorum inchoatæ, usque in uerticem, & tandem reflectendo in sinistro pede finitæ, uel iterum eodem ordine interiùs eleuatæ depressæque terminantur. Habentque singulæ literæ spissitudinem atque longitudinem digiti maioris humani. Olaus Magnus lib. 1. cap. 30.

ATILA, Hunnorum rex, Ioannis episcopi Rauennatensis Ariani pollicitis placatus, pacem quidem urbi dedit, certam tamen mœniorum partem dirui iussit, & per ruinas cum toto exercitu ingressus est, ut hac ratione posteris testatum relinqueret, uiribus subigi urbem potuisse, nisi clementia seruata fuisset. Nicolaus Olaus cap. 15. in Atila.

OTHO Viceccomes, superatis Turrianis, Mediolani imperio potitus, insigni pompa in speciem triumphi receptus, cunctos qui aduersarum partium fuerant metu liberauit, habuitque orationem, ciuili clementia & Christiana pietate plenissimam: pacatisque omnium animis, respublica ad eius nutum constituta est. Dedicauit subinde aram in templo maximo diuæ Agneti, quam in prælio uouerat, addiditque agros in alimenta sacerdotum, qui quotannis eius diei memoriam celebrarent. Idque adhuc in urbibus Mediolanensi imperio contributis, prætores decurionesque ad tubarum cantum instauratis sacris, religiosè repetere quotannis post ducentos & sexaginta annos constat. Iouius in eius uita.

IO. Huniades, regni Hungarici administrator, miserat ad Huldricum Ciliæ comitem suæ uitæ insidiantem, ut ad se ueniret in castra. Comes legatis respondit: Non ego comes & princeps, & tam nobili familia natus, ad te ueniam, hominem nouum, & nostra ætate nobilitatum. Tum Ioannes: Non ego (respondit) tuis maioribus, sed tibi me comparo: quanquam neq; illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meæ comparaui. atq; ut in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me domus Nistricensis splendidè exoritur. Aeneas Syluius de dictis Sigismundi & Friderici Impp.

GLORIAE CONSERVANDAE STVDIVM, RESPECTV MODI, QVATENVS SCILICET GLORIA propagatur, ampliatur. Respectu

RERVM, PER QVAS. Vt per

SCRIPTA.

LYSANDER Lacedæmonius, Chœrilum poetã secum semper habebat: ut carminibus ea celebraret, quæ ipse armis atque uirtute gessisset. Plutarchus in Lysandro.

P. SCIPIO Africanus maior, Ennij poetæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari uoluit, quòd ingenio eius opera sua illustrata indicaret: non quidẽ ignatus, quàm diu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus esset subiecta, totiusq; terrarum orbis summum culmen arx Capitolina possideret, eorum extingui memoriam nõ posse: si tamen illis literarum quoq; lumen accessisset, magni ęstimans. Val. Max. lib. 8. cap. 15. & Cic. pro Archia.

CN. POMPEIVS Magnus, Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit, beneficium per se amplum accurata etiam & testata oratione prosecutus. Quo effectum est, ne quis dubitaret, quin referret potiùs gratiam, quàm inchoaret. Val. Max. lib. 8. cap. 15. & Cicero pro Archia.

Decius BRVTVS, familiari cultu & promta laudatione Accij poëtæ delectatus, eius uersibus templorum aditus, quæ ex manubiis consecrauerat, adornauit. Val. Max. lib. 8. cap. 15. & Cicero pro Archia.

M. TVL. Cicero, longa epistola à L. Luceio, ciue Romano, enixè petiit, ut Catilinariæ coniurationis historiam seorsim ab aliis rebus, ad propagandam nominis sui famam, scribere uellet: neque abstinuit illud quoque deposcere, ut in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsoque uiuente eam ederet, ut uiuens gloria sua perfrui posset. Fulg. lib. 8. cap. 15. Testatur φιλοτιμίαν suam Cic. passim alioqui præsertim in oratione pro Archia.

C. MARIVS etsi illiteratus, literatos tamẽ fouit, quorum scriptis res suas ęternitati cõsecrandas sperabat. Cicero pro Archia, & Plutarchus.

AVGVSTVS Cæsar cùm testamentum suum scripsisset, libellos etiam quatuor adiecit: in quorum secundo res ab se gestas ideo annotauit, ut in columnis æneis ad sepulcrum suum inscriberentur. Dion.

ADRIANVS Imp. magna diligẽtia rerum suarum historiam scripsit: & ne ei nominis sui inscriptio fidem adimeret, sub libertorũ suorum nomine edidit. At Imp. SEVERVS, non alterius, sed suum imposuit titulum. Fulg. lib. 8. c. 15.

COSMVS Medices, Leonis X. Pp. proauus, studiosis egregiisq; rerum scriptoribus fauendo, donandoq;, immortalitatẽ, literarũ beneficio, gloriosa quadã auiditate concupiuit: quòd ciues, quibus ipse permulta pecuniæ atq; honorũ beneficia contulisset, uel immemores aliquando futuros, uel omninò interituros diceret: itemq; prætoria, uillas, tẽplaq; ab se regio sumtu ædificata, haud multo pòst uel temporis uel hominũ iniuria labefactari posse, ac absumi penitùs arbitraretur. Iouius in uita Leonis lib. 1.

ALFONSVS Aragonius, Siciliæ rex, apud se Antoniũ Panormitã, insignem eo seculo poetã, item Bartholomæũ Facciũ, historiæ scribendæ peritum habuit, qui gestas ab eo res scri pserunt. Fulgosus lib. 8. c. 15.

INSCRIPTIONES.

SEMIRAMIS columnæ gesta sua inscripsit, his uerbis: Me natura quidem mulierem finxit: at ego rebus gestis nullo fortissimorum uirorũ inferior extiti. Eoniiq; regnum tenui, ad orientem terminans fluuium Hinamanem, ad meridiem eã terram, quæ thure ac myrrha abundat: ab hyeme Saccas & Sogdos. Mare antea nemo Assyriorũ uidit: ego uerò quatuor, quibus propter longinquitatem appropinquare nemo potest. quis enim ea impetus continet? Fluuios coëgi fluere, quocunq; uellem. uolui autem, quò conduceret. Terram sterilem fœtam reddidi. fluuiis enim meis eam temperaui. Munitiones inuictas cõstitui. In uia petras ferro domui. Vias meis pecuniis straui, quas ne feræ priùs ambulauerant: & à rebus gerendis satis mihi superfuit temporis, quod mihi & amicis impertiui. Polyænus lib. 8.

DARIVS rex, ad Tearum amnem Thraciæ cippum erexit cũ inscriptione gestorum suorum. Herodotus.

Artemisium Eubœæ est supra Hestiæam ad Boream expansum litus: ubi prima uelitatione Xerxis classem GRÆCI superarunt, ductu Eurybiadis Lacedæmonij, prudentia Themistoclis Atheniensis. Fanum habet nõ amplum, Dianę Orientalis cognomine. Ei est lucus circumiectus, & cingũt pilę, lapide candido coactæ. Lapis, si manu confricetur, colorem & odorem repræsentat croceum. Earum pilarum in una hæc carmina sunt incisa:

> Diuersas Asiæ gentes certamine quondam
> Nauali hoc fudit uentisono in pelago
> Victor Cecropidum populus, Medisq; peremtis
> Dictynna hæc posuit clara trophæa tibi.

Monstratur huius litoris locus, qui ex multa circumiecta arena cinereum puluerem & atrum ex imo edit uelut adustum, ubi naufragia & cadauera putantur cremasse. Plutarchus in Themistocle.

AEDIFICIA.

Oratores, qui Thucydidis erant asseclæ, PERICLEM sumtuosis ædificiis pecuniã dilapidare, & uectigalia euertere criminabantur. Ibi pro concione, An multum impensum esset, requisiuit ex populo. Permultum uerò, cùm respondisset: Ne ergo uobis, inquit, sed mihi referatur expensum, meumq; ipsius nomen his monumentis inscribam. Sub hoc Periclis dictum uel uiri magnitudinem animi obstupescẽtes, uel de operum cum eo certantes gloria, sublata uoce, Ex ærario impenderet, erogaretq;, nullo sumtus respectu, iussere. Plutarchus in Pericle.

AVGVSTVS Cæsar, ut Actiacæ uictoriæ memoria celebrâtior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit: & ampliato uetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum naualibus spoliis, Neptuno ac Marti consecrauit. Suetonius.

TRAIANVS quum Mysios & Dacos domuisset, in suæ uictoriæ monumentũ Nicopolim in Istri ripa condidit, & præ cęteris duas colonias deduxit, quas Vipianas à suo nomine denominari iussit. Itẽ in Danubio pontẽ erexit, opus perquã admirabile, ut Dion in Traiano scribit: cuius hodie quoque pilæ nonnullæ spectantur. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

ANATHEMATA, DONARIA SACRA.

Pausanias Lacedæmoniorum rex, cùm tyrannidem affectaret, inscripsit donis, quæ dedicauit apud Delphos, hoc epigramma:

> Græcorum postquam dux Medorum agmina fudit
> Phœbo Pausanias hæc monumenta dedit.

Quod cùm GRÆCI non ferrent & improbarẽt, missis Delphos legatis Lacedæmonij hoc eraserunt: & ciuitatũ nomina, ut ęquum erat: inciderunt. Plut. de Herod. malig.

HANNIBAL Carthaginensium dux, circa Laciniæ Iunonis templum castra habens, aram deæ dedicauit, cum titulo rerum omnium à se gestarũ, Græcis Punicisq; literis sculpto. Sabellicus lib. 5. Enn. 5.

T. Quintius FLAMINIVS plurimùm ob liberatam Græciam gloriatus, cùm Delphis clypeos argenteos & scutũ suũ dedicaret, inscripsit iis:

> Dicite iò celeri, quibus est equitare uoluptas,
> Voce, Iouis soboles, dicite Tyndaridæ
> Iò Lacedæmonij reges: nam munera dextra
> Vobis summa Titus præstitit Aeneades:
> Nam libertatem reparauit Graiugenarum,
> Triste tyrannorum quæ tulit antè iugum.

Donum etiam Apollini coronam auream tulit cum hac inscriptione:

> Hanc tibi fulgentem dedit auro, Phœbe, coronam,
> Diuinum cupiens condecorare caput,
> Aeneadum ductor magnus. Sed Apollo uicissim
> Virtutis tribuas tu decus alme Tito.

Plutarchus in Flaminio.

BELISARIVS, posteaquam in Italia sæpius Gothos deuicit, regemq; eorum Vitigen, & in Africa Vandalorum regem Gilimerem cepit, Africam quoq; & Siciliam recepit, & de Persis triumphauit: Cruci aureæ, gemmis contextæ, centũ pondo, Græcis Latinisque literis, uictorias suas inscripsit, atque eam Romæ S. Petro apostolo munus dedit: ratus ob religionem, perpetuũ atq; insigne omnib. seculis militaris uirtutis suę monumentũ fore. Fulg. & Egnat. lib. 8. c. 15. ex Procop.

ALFONSVS Ferrariensis Dux rostra Venetarum nauium in Pado ad Pulisellam captarum in templo maximo Ferrariæ suspendit, uictoriæ monumẽta. Iouius in Alfonso Atestino.

STATVAS, IMAGINES, PICTVRAS.

SEMIRAMIS quum & lapis deficeret, & maius aliquid concupisceret, quàm quod ære posset assequi: apud montẽ Mediæ, qui Bagistanus dicitur, in petra stadiorum septem & decem suam insculpsit effigiem, quam uiri centum donis uenerarentur. Cęlius lib 29 c. 24.

ALEXANDER Magnus edicto uetuit, ne à quoquam pingeretur, præterquam ab Apelle: aut à quoquam ære sculperetur, præterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis pręstantissimis. nam hoc quoque indicabat ad principis dignitatem pertinere.

HENRICVS II. Imp. Vngaros in Saxonia magna strage uicit. Pugnam in cœnaculo domus regiæ Merseburgi depingendam curauit. Cuspinianus.

CONRADVS Imp. occupata Neapoli anno Sal. 1253. mœnia deiici, propugnacula solo adęquari uoluit. In cathedrali tẽplo ęneus equus absq; freno antiquitatis monumentũ spectabatur. ei frenum addi, & hos uersus inscribi iussit:

> Hactenus effrenis, domini nunc paret habenis:
> Rex domat hunc ęquus Parthenopensis equum.

Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

OTHO Vicecomes ad Caracam profligatis Turrianis, anno Salutis 1277. atque ita debilitatis, ut Mediolanenses eum receperint, eius summę uictoriæ historiam pingendam curauit in Angleriana arce, regio sumtu ab se ædificata: extantq; adhuc in maximo testudinatoq; conclaui incorruptæ præliorum cum ueris ducũ uultibus imagines, Latinis elogiis passim singula rerum argumenta indicantibus. Iouius in uita Othonis.

EVGENII IV. Romani Põtificis studio dissidens Græcia inter se reconciliata fuit, concilio œcumenico Florentiæ indicto. In quo Palæologus ipse Constantinopolitanus Imperator interfuit, ipseque Patriarcha cum uniuerso suo clero præsens affuit. Quare tunc expetita per tot annos concordia inter Latinos Græcosque homines felicissimè successit. Id quod Eugenius ipse non literis tantùm Græcis Latinisq; mandari curauit, sed reliquis etiam subministrauit, foribus ex ære ad diui Petri templum fabrefactis, quæ rem perpetuam etiam uulgò testarentur. Egnatius & Fulgosus libro octauo, cap. 15.

HOSTASIVS Rauennas statuam Antonini Cæsaris, quam Ticinenses olim Rauennatibus eripuerant, suæ patriæ in uictoriæ præmiũ reponere nititur. Vide suprà, Ornamẽta publica conseruare.

SOLIMANNVS Turcorum Imp. per deditionem accepta Buda, interfecto rege Ludouico, duas statuas æreas per probatissimos olim artifices Matthię regis iussu fabrefactas, Constantinopolim duci, ac super bases è marmore pulcerrimo ornatu constructas, ueluti uictoriæ trophæum, in foro erigĩ curauit, anno M D X X V I. Iouius in uita Solymanni.

COLVMNAS.

HERCVLES ubi ad Oceanũ uenit, ab utroq; ibi latere in extrema terrarũ ora columnas rerum à se gestarũ metas statuisse fertur. Vetus fuit ac quodãmodo heroicum, columnas & tropheą, aut quid aliud, quod quęsitę esset uictorię monumentum, posteris spectanda relinquere. Fuerunt, qui eas columnas ultra Gades insulam fuisse arbitrati sint. Alij Gaditani freti angustias Herculeas esse metas autumant. Non-

nulli Calpen & Abylen promontoria, quorũ Calpe Hispaniæ est, contrà Abyle modico interluente freto ex Mauritania respondet. Id Atlantis partem esse scripsere quidam. Nõ defuerunt, qui duas opinarentur esse insulas, ipsis promontoriis propinquas, earumq; alterã Iunonis dictã, seu, ut Artemidorus credidit, Iunonis templum. Alij errabundos his locis scopulos, Herculis columnas appellatos, Pindari fortasse testimonio adducti, qui eas Caderitas portas nominauit, ad quæ usque loca Hercules peruenerit. Dicæarchus, Eratosthenes, & Polybius ad Euripi angustias metas statuẽre. Apollinis oraculum ad Herculis columnas Tyriis respõdit coloniam mittendam, quum Gades insula demõstraretur. Fuerunt, qui dicerent eas debere Herculis metas existimari, quæ in Gaditani Herculis phano fuisse dicũtur octonum cubitûm altitudine, quibus magnificentissimi templi sumtus inscriptus esset, nautæq; uota Herculi reddere, nouisq; se obligare cõsueuerant. Sab.lib.5.En.1.

BOLESLAVS I. Polonorum rex bellicosissimus, cùm ad Albim & Salam & Ossam fluuios omnia uastasset, in ripa Salę tres ferreas columnas uictoriæ monimentum & Poloniæ limites posuit, an.1008. Idem de Russis uictor, an.1003. totidẽ columnas ferreas in Borysthene seu Nepro, qua Zula fl. influit, statuisse dicitur. Cromerus lib.3. & Guagninus in Prussiæ descriptione.

MACHINAS.

DEMETRIVS fœdere, cũ Rhodiis pacto Helepolin apud eos reliquit, magnificentiæ documentũ ad posteros suæ, atq; illorum fortitudinis. Plut. in Apoph.

COMITATVM, POMPAM magnificam.

☞ *Consule Tit. Magnificentiæ in pompis. Illic Sumtus habetur ratio, heic uerò Gloriæ, quæ huiusce sumtus ueluti finis est.*

PERSONARVM contra quas conseruatur.

☞ *Conseruatur honor & defenditur contra eos, qui illum nobis præripere conantur. Proinde in iisdem exemplis partim Magnanimitas ἐν φυλακῇ conseruantium, partim Ambitio ἐν λήψει auferentium, obseruanda erit, atq; adeò diuersis locis accommodanda. Exempla ex præced. Tit. quatenus antagonistas habent, peti possunt non pauca.*

Meneclides Thebanus orator, Pelopidæ & Epaminondæ gloriæ infestus, Pelopidã cùm criminari nõ posset, Charonis res gestas ad Platęas extollere, & tabulam prælij cuiusdam, quo perstringeret Pelopidæ & Epaminondæ ornamenta, suasit populo, ut inscripto Charonis nomine dedicaret. Hãc rogationem PELOPIDAS, ut aduersus legum interdicta latam detulit, urgens non esse ex more Thebanorum aliquẽ ornare priuatim, sed patriæ publicè titulum tribuere uictoriæ. Plut. in Pelopida.

DEMOSTHENES Athenis curator datus muris reficiendis, cos cùm pecunia sua refecisset, nullis officij relati rationibus, Ctesiphon scitũ populi fecerat, ut corona aurea donaretur: eaque donatio fieret in theatro populo cõuocato, ac præsente omni Gręcia, sub hoc titulo, Ea corona donari Demosthenẽ uirtutis ergô beneuolentięq;, quã erga populum Atheniẽsem haberet. Aeschines Ctesiphontẽ ideò uiolatarũ legũ accusauit, quòd cõtra leges rogationẽ tulisset, quibus cauebatur, ne quisquã populi scitũ faceret, ut quis corona donaretur in magistratu, priusquã administrati officij rationes retulisset. quod adeò sanctè obseruari placuit, ut ei qui rationes nõ reddiderit, neq; peregrè proficisci, neq; facultates suas consecrare, neq; donaria diis offerre, nec legare, nec in alienã familiã transire, & aliũ honorẽ in Rep. subire non liceat. Item quod contra eam legem fecerit, quæ iubet eos, qui corona donantur, in concione donari, non in theatro, non in conspectu totius Græciæ. Deniq; falsum esse quod de uirtute Demosthenis adscripserit: quoniam nec uir bonus esset, nec bene meritus de Republica. Demosthenes pro Ctesiphonte, aut adeò pro se sub persona Ctesiphontis, respondebat: Se non fuisse in magistratu: quia exactio atq; instructio murorum, non in officio & magistratu posita est, uerùm in nudo ministerio & curatione duntaxat. Eos magistratus appellari, quos Sexuiri in Thesei templo sortitò distribuunt: quibusque populus suffragio suo in comitiis imperia, equitatus decernit. Præterea, ut hoc, Muros reficere, magistratus esse uideretur: tamen se de suo muros refecisse, nec quicquam de publico accepisse: ergo non fuisse obnoxium reddendis rationibus. Nam expensi tabulas, rationes & inquisitores: donationem autem, gratiarum actionẽ atq; laudationem postulare. Atqui ob liberalitatem in Rempublicam, & plures alios coronatos esse, Nausiclem, Diotimum, Charidemum, Neoptolemum. Cæterùm quod de cõcione aut theatro affertur ab aduersario: aliam legem esse, quæ ibi coronam promulgari iubet, ubi populus uoluerit, iusserit: certè ut in theatro & ludis solennibus donaretur, imperasse. De sua uirtute ac benemeritis erga Rempublicã, habere se testem ac iudicem uniuersum populum Atheniensem. Etsi replicabat Aeschines, nihilominùs fuisse Demosthenem reddendis rationibus obnoxium, quanquam pecuniã publicam non tractasset: nam & sacerdotes, & præcones, & triremium præfectos iuberi rationes reddere, licet pecuniã publicam non tractent. Præterea lege ipsa nominatim contineri de iis, qui nihil ex publico uel sumserunt, uel insumserunt, ut hoc ipsum inscribere ac profiteri teneantur, se nec sumsisse quicquam è publico, nec insumsisse. Denique quod à populo concedi solet, ut corona in theatro proclametur, tum fieri, cùm ab aliis ciuitatibus, sociis, aut fœderatis, ciui Atheniensi corona præmio datur: non cùm à populo ipso: tunc enim designatum esse locum ubi id fieri debeat. Attamen reus dimissus est Ctesiphon, urbeque ut calumniator pulsus est accusator, quia uerum erat hanc eum accusationem suscepisse, non tam puniendi Ctesiphontis, quàm Demosthenis insectandi & ulciscendi causa, à quo ipse antea malè obitæ legationis damnatus esset. P. Aerodius ex Demosthene pro corona. Plutarcho, Libanio, & aliis.

IGNOMINIAE, INFAMIAE, DEDECORIS, OBTRECTATIONIS, DETRACTIONIS depulsio, propulsatio. RATIONE habita

REI, hoc est, DEDECORIS quod depellitur. Puta;

CALVMNIA.

☞ *Consule Tit. Prudentiæ in auctoritate sua tuenda. item Veritatis.*

EPAMINONDAS Thebanus, cùm in conuentũ uenisset Arcadũ, petens, ut societatẽ cũ Thebanis & Argiuis facerẽt: cõtraq; Callistratus Atheniensiũ legatus postularet, ut potiùs amicitias sequerentur Atticorũ, & in oratione sua multa inuectus esset in Thebanos & Argiuos, in eisq; hoc posuisset: Animaduertere debere Arcadas, quales utraq; ciuitas ciues procreasset, ex quib. de cæteris possent iudicare. Argiuos enim fuisse Orestem & Alcmæonem matricidas: Thebis Oedipum natum, qui quum patrem suum interfecisset, ex matrẽ liberos procreasset. Huic in respondẽdo Epaminondas, quum de cæteris perorasset, posteaquam ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animaduerteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso, quum patria essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus. Probus in uita Epaminondæ.

ACCVSATIO.

Petilius quidã Atteius Trib. pleb. à M. Catone inimico P. SCIPIONIS cõparatus in eũ atq; immissus, desiderabat in senatu instãtissimè, ut pecuniæ Antiochenę, prædęq; quæ in bello capta erat, rationẽ redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imp. in ea prouincia legatus. Ibi Scipio exurrexit: & plato è sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisq; prędæ. Ille tũ, ut palàm recitarentur, & ad ærariũ deferretur. Sed enim id iam nõ faciã, inquit, ne me ipse afficiam cõtumelia. Eumq; librũ statim coràm discidit suis manibus, & concepsit: ægrè ferens, quòd cui salus imperij ac reipub. accepta ferri deberet, ab eo ratio pecuniæ prędatitię posceretur. Gellius lib.4.c.18.

HISTORIA INEPTA.

L. SYLLA, cùm hasta posita in foro proscriptorũ quorundam ciuium bona uenderet: & ei quędã carmina, in ipsius laudẽ scripta, non bonus poeta dedisset: famę desiderio motus, ex his, quæ subhastabantur, nonnulla munus poëtæ dare iussit: ea lege, ne in posterum de se scriberet. Tanta eũm famæ suæ cura tenebat. Cicero pro Archia.

ALEXANDER Magnus, cùm de rebus suis nõ bonũ poetam Chœrilum scripsisse intelligeret (quanquã sæpe dicere soleret: Homeri se Thersitem esse, quàm Chœrili Hectorem aut Achillẽ malle) ut alios tamẽ ad scribẽdũ inuitaret, singulos uersus eius bonos Philippeo numo redemit, pro malis colaphum impegit. Pręcipitem ille idem in Hydaspem amnem deturbare Aristobulũ uoluit, cùm falsas ipsius laudes recitasset: ademtum profectò ei librum in amnẽ demersit. Plut. in Alexandro, & Curtius.

PAX IGNOMINIOSA.

Ingenti grauitate Romanus SENATVS usus est, cùm urbe à Coriolano & Volscis obsessa, quanquã Senatus consultum de pace conscripsisset: aperiri tamen nunquam uoluit, nisi prius Romano agro Volsci cum exercitu excessissent: ne aliquãdo diceretur, Timore coactos Romanos, pacem cum Volscis fecisse. Fulgos. lib.6. cap.4.

HOSPITII EREPTIO.

Euio tibicini attribuit Ephæstion ædes, quas pueri Eumenis priores ceperãt. Adiit EVMENES ad Alexandrum, ac cum Mentore uociferatus est, Præstare proiectis de manibus armis tibia canere uel tragedias agere. Tulit autem iniuriam eius Alexander molestè, lacerauitq; probris Ephestionem. Mox tamen mutatus flagrauit ira in Eumenem, quasi contumelia potiùs aduersus se, quàm libera lingua esset aduersus Ephæstionem usus. Plut. in Eumene.

SESSIONIS IGNOMINIA.

ROBERTVS Normannorum dux, ob interfectum Ricardum III. fratrem, Hierosolymam uoti causa petens, Constantinopoli fuit perbenignè à Constantino Duca Imp. acceptus. Is cùm antea audiuisset, ducem liberalem & urbanum esse, dedita opera prohibuit illi atq; aliis heroibus Normannis sellas apponi, pede & dimidio altiores, in quibus prandendo sederent. Quo factum est, ut dux exuerit continuò uestẽ, ac super eam instar globi implicatam sederit. Fecerunt itidem & Normanni principes: & mox finito prandio, relictis uestibus abierunt. At Imperator subridens admonuit, ut uestes suas resumerent. Ad ea dux: Non est, inquit, mos Normannis sedes secum ferre. Polyd. lib.8.

MODI IGNOMINIAM fugere

OCCASIONEM PRÆCIDENDO.

PHILIPPVS rex, quum deprecaretur Harpalus, ut Crateta familiarem ac gentilem suum, qui iniuriarum esset postulatus, iudicio liberaret: atq; ita, ne tamen illi remitteretur multa: Eum (inquit Philippus) rectiùs est, quàm nos ob ipsum, malè audire. Plut. in Regum Apoph.

ADRIANVS VI. cùm adolescentes aliquot honestæ tum indolis tum stirpis in gratiam parentum in familiam ascitos, ex Hispaniis secum in urbem duxisset, intellexissetq; Italos ex conuictu illorum, nescio quæ abominanda, Germanis insuitata suspicari, statim in Hispanias remisit, in Academia Salmaticensi pleniùs literis imbuendos. Auctor uitæ.

EXPOSTVLANDO, AEGRE FERENDO.

ARISTOTELES Stagirites philosophus, cùm quidam ei decretum Delphis honorem eripuisset, scribens de his ad Antipatrum, inquit: Ea quæ Delphis mihi decreto sunt assignata, quibusq; nunc priuatus sum, animum meum afficiunt, ut neq; magnopere mihi cordi sint, neq; tamẽ omnino non cordi sint. Aelianus lib.14. Variæ historiæ.

Cùm Gedeon trecentis uiris 155. millia Madianitarũ in fugam uertisset, EPHRAIMITÆ, qui belli reliquias persecuti, reges duos Orebum & Zebum occiderant, cum Gedeone expostularunt, quòd bello Madianitas adorturus, se in belli societatem non uocasset. At Gedeon respondit, racemationem Ephraimitarum (qui scilicet belli reliquias persecuti fuissent) præstantiorem esse Abiezerianorum suorum (qui hostes in fugam uerterant) uindemia. Eos enim reges ipsos de medio sustulisse: sese tantùm ignobile uulgus. Hac oratione cohibitus fuit Ephraimitarum contra Gedeonem impetus. Iudicum cap.8.

AMOLIENDO.

☞ *Ex Tit. Monomachiæ, huc quædam, quatenus infamia illata singularis certaminis euentu diluitur.*

LVCRETIÆ pudicitia, etsi à Tarquinio læsa, tantum facinus non esset ausa, nisi honoris studium interuenisset: cuius uis tanta est, ut uictura perimat, proferat peritura, neglecta fatorum lege. Sab. lib.5. cap.5.

CLAVDIA Vestalis pudicitiæ læsæ suspicionẽ naui, quæ nulla ui humana loco moueri poterat, è Phrygia Matris deũm simulacrum aduectãs, baltheo suo religata, & per Tiberim subuecta diluit. De ea Ouid.3. Fastorum, & Silius lib.17.

Cælicolûm genitrix numen, quod numina nobis
Cuncta creas, cuius proles terramq;, fretumq;,
Sideraq; & manes regnorum sorte gubernat,
Si nostrum nullo uiolatum est crimine corpus,
Testis, diua, ueni, & facili me absolue carina.
Tum secuta capit funem, fremitusq; leonum
Audiri uisus subitò, & grauiora per auras
Nulla pulsa manu sonuerunt tympana Diuæ.
Fertur prona ratis, uentos impellere credas,
Contraq; aduersas ducentem præuenit undas.

M. CATO, Censorij filius, in acie ad Pydnam contra Perseum decidente equo prolapsus, cùm se recollegisset, animaduertissetq; gladium excidisse uagina, ueritus ignominiam, rediit in hostem: ex eoq; aliquot uulneribus recuperato gladio, demùm reuersus est ad suos. Frontin. lib.4. c.5. & Plut.

Cùm superiores Imperatores tributa Scythis (hoc est, Gothis) pependissent: id alienũ esse Romana maiestate ratus CONSTANTINVS Magnus, Christi auxilio fretus, crucis uexillo in eos illato, breui omnes subegit: ac reluctãtes quidem armata manu coërcuit, reliquos uerò disertis legationibus mulcens, ab inculta & fera uita ad humanam ciuilemq; traduxit. Sigonius lib.4. Imp. occid.

VLCISCENDO.

☞ *Hac refer Seueritatis exempla in uindicando Contemtu ab obtrectatoribus orto.*

Nicolaus Pisaurus, classis Venetæ legatus, ęstatis circa annum Christi 1498. exitu, cùm in mari Aegæo apud Mitylenẽ cum triremibus quatuor iter faceret, & naui onerariæ bellicæ unius ex Imp. Baiazethis II. ducibus, quos Bassas uocãt, militibus, tormentis reliquisq; rebus omnib. ad pugnandum idoneis instructissimę, amphorarum plus trecentarũ, quam uento ferri uiderat, appropinquauisset, uela uti demitterẽt uectores admonuit. Illi autem non uela modò non demiserunt, sed pilis ferreis tormentis emissis, Nicolai præfectum interfecerunt, ac nonnullos ex remigibus sagittis celeriter coniectis uulnerauerunt. Quod ubi fieri Nicolaus uidit, arma suis uti caperent imperauit, atq; in nauem Thraciam impetu facto eam expugnauit: cumq; omnib. qui pugnæ super fuerant, depressit. Erant ea in naui homines circiter ducenti quinquaginta. Bembus lib.4. Venetæ hist.

DETESTANDO, IMPRECANDO.

OEBOTAS, cùm primus ex Achæis Olympiæ coronam meruisset, neq; tamẽ à ciuib. suis eo nomine honorẽ esset adeptus, imprecatum Achæis aiunt, ne quis ipsorũ unquam palmam Olympicã ferret. Respondit uoto euẽtus. Quod tum demum resciuerunt Achæi, cùm se mirantes Olympicarum palmarum compotes fieri nunquam amplius potuisse, Delphos ad oraculum miserunt. Et tunc quidem cùm & alia in Oebotæ honorem instituissent, uiriq; statuã in Olympiam misissent, mox Sostratus Pellenæus in stadio pueros uicit. Pausanias in Achaicis.

CALLICRATIDAS, Lacedęmoniorũ classi pręfectus, in Lydiam Sardeis abiit, ut à Cyro minore, Lacedæmoniorũ socio, contra Artoxerxem pecuniã peteret. Ferunt ad illius ianuã stantem petiisse regij iuuenis colloquium. Cui quũ diceretur, non esse potãti Cyro otiũ audire quempiã: idemq; etiã altero & tertio die: tum secum Callicratidas, homo excelso animo, iniquè ferens regium fastũ, multa iis mala imprecatus dicitur, qui Persicis opibus allecti, tã turpiter Græciam societatis specie, Barbaris, apud quos nihil boni præter aurũ esset, irridendam obiecissent: deos testatus, quamprimùm Spartam uenisset, enixè operam daturum se, ut Gręci in pristinam gratiam redirent, ut perpetuo terrori Barbaris essent. Atq; ita Cyri congressu sæpiùs frustra petito, sine pecunia ad naues rediit, Lacedęmonem missis, qui inde pecuniam in stipendium peterent. Sab. lib.9. Ennead.3. ex Plutarchi Apophtheg.

DEPRECANDO.

AMPHITRYON, cum Herculis liberis ad aram à Lyco tyrãno comburendus, precatur Chorum, ne patiatur se exuri ad aram supplicem cum liberis, apud Eurip. in Hercule fur.

ἡμᾶς δ' ἐπειδὴ δεῖ θανεῖν, θνήσκειν χρεὼν,
μὴ πυρὶ καταξανθέντας, ἐχθροῖσι γέλων
διδόντας, ὃ μοι τοῦ θανεῖν μεῖζον κακόν.

Nos uerò quoniã oportet mori, mori cõuenit nõ igne ambustos, hostibus risum exhibentes: quod mihi ipsa morte maius malum.

GLORIAM ET HONOREM NON CONSERVARE.

QVEM, QVALEM. V.G.

PONTIFICATVM, SACERDOTIVM.

Callisto II. Põtifice mortuo, diuisis cardinaliũ studiis, duo suffecti sunt, Lãbertus episcopus Ostiẽsis, & Theobaldus presbyter cardinalis: atq; ille Honorius secũdus, hic Cœlestinus secundus est appellatus. Plerisq; autem ad Honorium accedentibus, Cœlestinus se abdicauit. HONORIVS cùm ne ita quidem suam probari electionem ab omnibus intelligeret, post duodecim dies, conuocatis cardinalibus, insignia ultrò deposuit, & se item honore abdicauit. Episcopi uerò, presbyteri ac diaconi cardinales humilitatem eius perspicientes, atq; in posterum ne quid noui in ecclesiam inferretur cauentes, quod perperam factum fuerat, emendarunt: atq; eodem Honorio deintegro lecto, ad eius pedes procubuerunt, atq; ei tanquam uniuersali Pontifici obedientiam præstiterunt. Sigonius lib.10. regni Italici.

PETRVS Moroneus, ex consecraneis D. Benedicti, pontifex

factus, Cœlestinus Quintus appellatus: dum inuitis Romanensibus asello uehitur, paupertatem Christi æmulari conatus, infestos sibi sensit flamines. Quamobrem lege lata atque promulgata, qua liceret pontifici Rom. se abdicare, sexto mense, relicto regno Ecclesiastico, ad priuatam rediit uitam. Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum, & Platina.

COSMAS patriarcha Constantinopolitanus, cùm Alexium Comnenum Imp. Constantinopolitanum exactionum nullum ponere modum, omnemq; emendationis spem sublatam uideret, ministro dixit: Tolle Psalterium, & sequere me. & simul æde sacra egressus est: in quam nũquam rediit. Zonaras Tomo 3.

Philippum I. Francorum regem ob superinductam iustæ uxori pellicem, Vrbanus pontifex diris deuouerat. Rex propositi tenax pro libito sacras dignitates distribuebat. HENRICVS Suessionum pontifex ultrò ad Vrbanum pontificem max. iuit: pontificatuque, quem à Philippo acceperat, se abdicauit, certo consilio eius dignitatis deinde non recipiendæ. Vrbanus permotus diœcesis necessitate, sedem inuito eidem restituit, iureiurando adacto, temperaturum se ab eorum communione, quos sedes Romana societate fidelium amouisset: neq; interfuturũ consecrationibus eorum, qui sedes à profanis accepissent, utraq; in causa Philippum regem notans. Aemil. lib. 3.

REGNVM, IMPERIVM DEPONERE, ABDICARE.

Cùm DIOCLETIANVS iam ætate prouectiori mobilitatẽ fortunæ, tanquam solertissimus & sagacissimus princeps contemplatus esset, decreuit imperio se abdicare, & priuatus uiuere: utpote qui diceret nihil esse difficilius, quàm scire bene imperare. Adhæc ætas imbellis, & rerum humanarum instabilium metus, quæ rarissimè continuo successu ad exitum eodem tenore perueniunt, suaserunt Diocletiano imperium deponere. Diocletianus uerò mira difficultate ferum & asperum Maximiani collegæ ingenium frenauit, ut ei consentiret. Qui etsi naturâ ferox erat, naturam tamen suam frangens, consiliis Diocletiani obsequutus est. Igitur eodem die, cùm iam conuenissent Reipub. habenas iunioribus mandare, Diocletianus Iouius Nicomediæ, Herculius Maximianus Mediolani, imperiales fasces deponũt, Constantio & Galerio Maximiano Augustis priùs appellatis, anno Salutis 307. rem memoratu admirabilem, & prioribus seculis non uisam peragentes. Cùm post decem annos, quibus priuatus uixit, Diocletianus à Constantino ac Licinio uocaretur ad festa nuptiarum Constantiæ, causatus senectutem per literas, scripsit se priùs peste liberatum, nolle iterum uenena imbibere. satis se pro Repub. elaborasse: nunc uerò in patria sua, hoc est Salonis holera serere, hortum curare, & priuatum agere malle. Cùm uerò hi Imperatores rescripsissent minacibus literis, se non admittere excusationem, quòd fauisset Maximino, suspectans necem dedecorosam, dicitur uenenum hausisse. Quidam tamen dicunt, stupore mentis & longa ægritudine confectũ, animam inter suspiria efflasse. Vixisse dicitur quibusdam sexagintaocto annis: nonnullis LXXIIII. secundùm quosdam, duobus de octoginta. Imperauit annis uiginti. Mansit priuatus Salonis, rei rusticæ indulgens, annis decem: & post mortem inter diuos relatus est. Cuspinianus.

TYRANNIDEM.

CADMVS, cùm tyrannidem Coorum à patre Scythæo accepisset satis ualidam, nullo aduerso casu, sed ob iustitiam suâ sponte eam in media ciuitate deposuit, atque in Siciliam abiit. Vbi unà cum Samiis urbem Zanclam, cuius nomen in Messanam mutatum est, incoluit, & postea apud Gelonem Syracusiorum tyrannum in magna fuit gratia. Herodotus libro septimo.

LYSIADES Megalopolitanus (uel Lydiades) suæ ipsius patriæ tyrãnus gloriæ amore factus, breui molestiarum, quas trahit se cũ dominatus, pertæsus, accito Arato Sicyonio deposuit dominationem, contribuitque ciuitatem suam Achæis. Hinc extollentes eum Achæi prætorem creauêre. Eius rei causa cùm à Lacedæmoniis in prælio interfectus esset: à Cleomene rege pulcerrimè ornatus, Arcadibus remissus fuit ad sepeliendum. Plutarchus in Arato, & Pausanias in Arcadicis.

Aratus Sicyonius, Achæorum prætor, iniquo animo ferens uicinam ipsis Argiuorum tyrannidem, egit per nuncios cum Aristomacho tyranno, ut Lysiadis exemplo mallet Achæorum gentis cum laude & honore esse prætor, quàm cum periculo & inuidia unius tyrannus ciuitatis. Itaque ARISTOMACHVS tyrannide deposita, anno pòst Achæorum prætor creatus est. Plut. in Arato.

DICTATVRAM.

SAMVEL propheta ad Galgala, confirmato Saulo rege, magistratu sese abdicat. 1. Reg. 12.

Belli Hetrusci cura omni discussa, AEMILIVS Mamercus, ne non aliquid in sua dictatura egisse uideretur, cẽsuram, quæ ab initio quinquennalis fuit, in annum & semestre spacium lege ad popul ũlata contraxit. Et ut sciatis, inquit, Quirites, quàm mihi diuturna non placeant imperia; dictatura me abdico. Censores eum in ordinem redactum, quia magistratum Pop. Rom. minuere esset ausus, tribu submouerunt, octuplicatoque censu fecerunt ærarium. Tulit Mamercus eam ignominiã ciuili animo, causam potiùs quàm rem intuitus. Contrà tanta populi in Censores, exarsit ira, ut nullius præterquàm ipsius Mamerci auctoritas, ne multitudinis incursu uiolarentur, Censores protexerit. Sab. lib. 5. En. 3.

CN. QVINTILIVS Dictator dictus, cùm fixo clauo ciuium mentes sui compotes fecisset, discordesq; animos conciliasset, statim dictatura se abdicauit. Alexand. ab Alexand. libro primo, capite sexto.

L. Q. CINCINNATVS quæstionibus exercendis Dictator factus, cùm Sp. Melius Romanum affectaret imperiũ, sumto post rem exploratam de reo supplicio, continuò se dictatura abdicauit. Rursus cùm ex agro suo trans Tyberim uocatus, & Dictator dictus esset, sumtis insignibus, Minutium consulem in Algido monte obsessum, obsidione liberauit: & deuictis quoque bello aliis, XVI die quam acceperat dictaturam deposuit, & in agrum reuersus est, neima nis gloriæ cupidus uideretur. Post annos XX reuocatus, iterum Dictator dictus est contra Fidenates, ut est apud Liuium libro 3. & 4.

Plutarchus auctor est, neq; ui morbi, neq; somnij portento L. SYLLAM Dictatorem adduci potuisse, ut Reipub. curam abiiceret. Appianus præterquam quòd dæmonẽ quendam per quietem illi uisum scribit, qui imminens fatum nunciarit, ultrò eum se dictatura abdicasse prodidit, quippe qui in medium progressus, populo & patribus nihil tale expectantibus, media concione uirgas & secures fregerit, lictores & corporis custodes à se dimiserit, professus se eo consilio dictaturam deposuisse, ut omnium quæ in Republica egisset, priuatus rationem redderet. Tantum animi & felicitatis uni uiro superfuit, ut qui in ea ciuitate, in qua centum millia ciuium & ampliùs occidisset, & in his duo millia & sexcentos equestris ordinis, senatores XC, quindecim consules, qui multos insepultos abiecisset, multorum bona publicasset, priuatam ausus sit uitam agere, non imperij potestate filio, ut Ptolemæus in Aegypto fecit, Ariobarzanes in Cappadocia, Seleucus in Syria, sed iis qui ipsius tyrannidem infensè oderant, cum ulciscendi facultate relicta. Satis constat eum in ordinem redactum, domumq; se recipientem, adolescentis cõuicio exceptum, nemine interea reperto, qui illius intemperiem castigaret. Tulit Sylla patiẽter ætatis intemperiem. Cæterùm ubi domum uentum est, siue cõiectura, siue diuinatione quadam futurorum ad eos, qui propè aderant, conuersus, dixisse fertur, Intempestiuam illam insectationem in causa fore, ut quicunq; post se dignitatem illam inuaderet, nunquam nisi cum morte deponeret. quod haud multis inde pòst annis, in C. Iul. Cæsare euenit. Sabellicus lib. 3. Enneadis 6.

PRINCIPATVM.

IOANNES ex Patriciaca familia dux III. Venetorũ, nõ paucis rebus domi forisq; præclarè gestis, quum diuturniore morbo laboraret, Petrum Candianum subrogari sibi expetiit, eiq; insignia propria manu tradidit. Iterum post illius mortem populi precibus adactus, principatu assumto, non multo pòst domum priuatam reuisit, atq; ita principatum bis deposuit: quod nunquam antea contigerat. Egnat. lib. 4. cap. 1. & Fulgos. lib. 4. cap. 1. qui Ioannem Patriciatium, cognomine Baduarium uocat.

SEBASTIANVS Cianus, Venetorum dux, qui in Cretam insulam patricij sanguinis & plebeij familias non paucas tanquam in coloniam misit, post duos & uiginti annos florẽte Rep. sponte sua principatu se abdicauit. Egnat. lib. 4. c. 1.

IACOBVS Teupulus, dux Venetorum, recepta Iadera, quæ iam quintùm rebellarat, legibus Venetis in unum corpus redactis, Vatacio Lesbi domino nauali prælio uicto, Byzãtio ab obsidione liberato, uigesimo tandem pòst anno dignitate principis sponte se abdicauit. Egnat. lib. 4. cap. 1.

PRÆFECTVRAM.

Post pugnam ad Platæas, cùm Pausanias Spartanus sua potestate abuteretur erga Græcos, defecerunt ab eo, transitionemque fecerunt ad Athenienses. Insignis grauitas hic extitit ciuitatis SPARTANÆ. Vt enim deprauari ex amplitudine potestatis senserunt duces suos, deposuerunt ultrò principatum, ac destiterunt ad bellum mittere duces: malueruntque modestos habere & disciplinæ patriæ inhærentes ciues, quàm uniuersæ Græciæ imperium obtinere. Plutarchus in Aristide.

LOCI DIGNITATEM.

Cùm ad Platæas cum numerosissimo Persarum exercitu, duce Mardonio, Græci conflicturi essent: LACEDÆMONII, quibus dextrum cornu debebatur, Atheniensibus, qui in sinistro cornu stabant, locum suum sponte dederũt, eo quòd uidebant, Mardonium Persas sibi opposuisse, cum quibus Athenienses olim in Marathone feliciter pugnassent, & eorum pugnandi rationem callerent. Herodotus lib. 9. & Plutarchus in Themistocle & Pausania.

Cùm Græci classem 271. nauium ad Artemisium contra Xerxem coëgissent, quamuis ATHENIENSIBVS maris imperium cõueniret, uti terrestris exercitus Laconibus, tamen cùm socij negarent se secuturos, nisi Lacon esset imperator classis, Græciæ salutem priuato honori anteponentes, cesserunt Laconibus, qui Eurybiadem Euryclidæ filium nauarchum elegerunt. Herodotus lib. 8. & Plutarchus.

Bernardinus Carauaia Cardinalatui restitutus per Leonem X. eundem locum, quem sub Iulio II. obtinuerat, occupare uolens, cum HADRIANO Cornetano Cardinale contendebat. Hadrianus cessit, sed mordaciter incessuit, inquiens, Præcedat ergo, quãdo & panis nauticus (qui bis coctus est) quouis alio pane diuturnior est. Garimbertus lib. 3.

TITVLOS.

☞ *Vide Tit. Gloriæ fuga in Titulis. illic Non accipere id quod offertur, in censum uenit: hîc Eius quod semel acceptatum fuit, abiectio.*

QVOMODO. NEMPE

AFFECTANDO ABDICATIONEM.

AVGVSTVS non semel cogitasse dicitur de administratione Reipublicæ pópulo Romano reddenda: nec desiit, ut Seneca tradit, quietem sibi precari, & uacationem à Republica petere. Suetonius.

Cùm GREGORII Magni sanctimoniam inuidia subsequeretur, adeò ut iam alius in eius locum clàm ordinaretur episcopus, ipse sentiens quid fieret, dixit: Absit, ut mei causa aliqua simultas in Dei sacerdotibus oriatur. Si propter me est ista tempestas, tollite & mittite me in mare, & desinet à uobis quassatio. Petrus de Natalibus Eccles. hist. lib. 11. cap. 9.

RELINQVENDO.

TIMOLEON Corinthius, euerso Dionysij principatu, & libertate Syracusanis parta, è medio sua sponte cessit: maluítque priuatus, & in prædiorum secessu solus uagari, quàm officiorum frequentia septus in urbe conspici. Sabel. lib. 10. cap. 1. ex Plutarchi Timoleonte.

P. SCIPIO Africanus publicam rerum administrationẽ sponte reliquit, ut priuatus ageret.

Ex rebus à CN. POMPEIO Magno gestis, magnam partem earum, etsi præclaræ sunt, quas nullus ex ueteribus Romanis adæquauit, alij fortunæ tribuêre, alij militum fortitudini. Hoc uerò omnium est maximum atque pulcerrimum (si Dioni Nicæo credimus) quòd cùm à bello rediens Mithridatico, magnis stipatus exercitibus, & facilè Italiam obtinere, & imperium sibi Romanæ urbis posset uendicare, noluerit: sed αὐτεπάγγελτος, nil super ea re populo decernente, uel senatu, Brundusium appulsus, milites dimiserit. Cælius lib. 3. capite 5, Antiquarum lectionum.

AVITVS Imperator post Valentinianum à Senatu electus, paucos dies tenens imperium, ultrò secessit Placentiam, ibique est episcopus ordinatus. Cuspinianus.

ABDICANDO, DEPONENDO.

☞ *Vide paulo antè, Dictaturam, Tyrannidem, Principatum non conseruare.*

CEDENDO alteri.

Cùm Artabanus Parthorum rex, conspiratione regno pulsus cum cognatis & familiaribus, ad Izatem Adiabenorum regem uenisset: Izates scripsit pro eo ad Parthos, suadens, ut suum regem reciperent. Parthi se id posse negabant, quòd iam principatum dedissent alteri nomine Cinnamo. CINNAMVS autem uoluntate procerum cognita, cùm esset alumnus Artabani, scribit ei, ut accepta à se fide reuerteretur: eidemq; obuiam profectus, adorato & regis appellatione salutato, diadema suo capiti detractum imposuit. Iosephus lib. 20. capite 2. Antiq.

Leo Armenius, Orientalium copiarum dux, dum MICHAEL Imper. cum Crumno Bulgarorum principe confligit, & in fugam uertitur, suos à reliqua acie auellit, fugienteque Michaele imperium occupat, & à ducibus coactus, inuito similis, diadema sumit. Michael ut erat pacis studiosus, suorum quendam ad Leonem cum diademate, purpura ac calceis coccineis (qui Imperij insignia erant) misit, imperio se ei cedere indicans, quòd uel uitam amittere, quàm guttulam unam Christiani sanguinis effundere mallet. Cedrenus.

MICHAELIS Senioris parsimoniam exosi milites cum populo, Imperatorem salutarunt Isaacium Comnenum, patriarcha adiuuante ac comprobante: qui cùm Comneno plurimum faueret, Imperatorem senem regia egredi iussit. Cùm Imp. pontificibus à patriarcha missis dixisset: Quid mihi pro imperio redditis? hi uerò cœleste regnum illi pollicerentur: illicò abiectis imperij insignibus, regia exiit, cùm nõ ampliùs uno anno imperasset. nec diu pòst obiit. Cuspin.

TRANSFERENDO IN ALIVM.

☞ *Hîc eius Honoris, quem iam possidet, translationem in alium consideramus: sub λήψει eum, qui offerebatur.*

ARISTIDES, cùm ipse Miltiadesque inter decem Prætores ab Atheniensibus contra Darij exercitum in Marathone creati essent, & propter ducum multitudinem disciplinam bellicam corruere animaduerteret (per uices enim ad singulos imperandi munus transibat) ut ei sors imperãdi contigit, partes suas in Miltiadem militaris artis peritissimum transtulit, atq; exemplo suo aliis ut idem facerent auctor fuit. Plutarchus in Aristide.

PTOLEMÆVS Philometor insidiis appetitus ab Alexandro Epiphane genero suo, exercitum contra eum duxit, & Antiochiam ingressus, à ciuibus rex consalutatus est, & ab exercitu coactus duo sibi imponere diademata, alterum Asiæ, Aegypti uerò alterum. Cæterũ aduocata Antiochensiũ concione, persuasit eis, ut Demetrium Nicatorem reciperent: se quoque monstratorem ei fore rectè administrandæ reipub. Iosephus lib. 13. cap. 8. Antiq. ex 1. Machab. 11.

CONSTANTIVS Chlorus, cum Galerio Maximianoque Imperator creatus, cùm sortè ei ad regendum Italia Africáque ac Gallia obtigissent: relictis aliis duabus regionibus collegis suis, ipse sola Gallia contentus fuit. Fulgosus libro 4. capite 1. ex Eutropio.

CVR. CAVSA

APOSTOLATVS.

ADELBERTVS Pragensi episcopatu dimisso, ut Christianũ cultum augeret, in summa inopia ad Prutenos idololatras profectus, dum prædicando ad Christi fidem eos adducere conatur, ab eis crudelem in modum occisus est. Fulgosus libro 4. capite 1.

PHILOSOPHIÆ.

☞ *Vide Tit. Contemplationi philosophicæ dediti. Item, Philosophiæ studium.*

HVMANITATIS.

SABACVS, Aegyptiorum rex, regno se sponte abdicauit, & in Aethiopiam priuatus rediit, quòd etiam sontes plectere, inhumanum esse putaret. Diodorus Siculus.

RELIGIONIS.

☞ *Ex Tit. Monachorum, hæc quædam.*

Diocletianus in Christianos religionis odio ita desæuiit, ut omnes sacramento militari solueret, atque è castris eiici per Veturium magistrum militiæ iusserit, nisi sacra gentilium suscepissent. Quod cùm ille curaret, OMNES Christi confessionem humano honori ac commodo ita prætulerunt, ut etiam, si opus fuisset, mortem se non recusaturos ostenderent. Itaque Veturius eorum multitudine & constantia deterritus, incœptũ omisit. Sigon. lib. 1. Imp. occid.

IVSTITIÆ.

Periander Corinthius, initio populariter ac moderatè gerebat imperium: postea uersis moribus tyrannicè agere cepit. Id simul atque cognouit PITTACVS Mytilenæus, qui uoluntate ciuium suorum iam per decennium imperauerat, diffisus de sui ipsius animi constantia, magistratum deposuit. Percontantibus deinde quibusdam, Qua gratia fugisset imperium? respondit, ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. quòd admodum esset arduum, probum esse, propter mutatum Periandrum. Quibus auditis, Solon illum taxans, addidit suum apophthegma, χαλεπὰ τὰ καλά. Laertius lib. 10.

QVIETIS.

SIMILIS, deposita Palatina præfectura, sub Adriano Cæsare, quæ dignitas Augustorum magnitudini proxima erat, in agro priuatus per septennium uixit, & tumulo suo inscribi iussit, Hîc Similis iacet, cuius ætas multorum fuit annorum, & tamen ex eis septem solùm uixit. Annorum enim in ambitioso magistratu multitudinem in mortis sorte computauit: solos paucos, quos in priuato otio degit, ad uitam referens. Fulgosus lib. 4. cap. 1.

MATTHÆVM Magnum Vicecomitem æmuli principatu deiicere conantes, ut Guelfam factionem introducerent, cum Beltrando Vascone cardinale, legato pontificio, egere, uti eum falsò incusatum hæreseos sacris arceret, & cum eo Mediolanenses omnes. Qui interdictum ægrè ferentes, de pellendo Matthæo consilia ceperant. At Galeacius F. Placentiæ præfectus senem patrem inimicorum insidiis eripuit. Sedato tumultu, Matthæus duorum & septuaginta annorum se-

nex, principatu ſpõte ſe abdicans, Galeacioq; militaris imperij uexillum tradens, ad templum maximum deductus (inuſtam enim hæreſis notam ferre non poterat) ad arã aduocatis ſacerdotibus, Chriſtianæ fidei ſymbolum præclara uoce recitauit, teſtatuſq; eſt iureiurando, ſibi immerenti ſacra eripi, itidemq; Dei maximi ultoris numen inuocauit, poſtquàm iniquiſſima factioſi legati ſententia condemnatus, patria excedere cogeretur. Ionius in eius uita.

IACOBVS Contarenus, dux Venetorum, poſt quintum principatus annum, quando ætate confectus, publicæ curæ par eſſe non poterat, ſponte ſe imperio abdicauit. Egnatius.

PACIS, CONCORDIÆ.

RAPHAEL Adurnus, Genuenſis dux, hortantibus ciuibus, quibus patriæ libertas curæ eſſe uidebatur, ut principatu cedere uellet (ſublato enim factionis metu, concordes fore ciuiũ animos) ſponte ducalem dignitatẽ depoſuit, atq; ab uniuerſo populo in priuatas ędes deductus eſt. Fulg. l. 4. c. 1.

AMADEVS Sabaudus, in concilio Baſilienſi in pontificem electus, & appellatus Felix V. filio Ducatum relinquens, in eremum priùs ſeceſſerat: idemq; poſtea Nicolao V. papatu ceſſit, ad ſchiſma tollendum legatione apud ſuos cõtentus. Anno 1440. Chronicon Francorum.

IGNOMINIÆ, DEDECORIS, OBTRECTATIONIS, DETRACTIONIS CVIVSCVNQVE, CONTEMTVS.

Ariſtoteles Magnanimitatem ἐν τιμῇ tantùm, non etiam ἐν ἀτιμίᾳ ponere uidetur: hoc eſt, in ſola uoluptate, quæ percipitur ex honoribus: non etiam in dolore, qui ex ignominia prouenit, concoquendo. ἀτιμίαν enim ferre, uel eidem ſuccumbere, potiùs ad Fortem uirum (quatenus ex ignominia & obtrectationibus φοβᾶσθαι conſueuit) quàm ad Magnanimum pertinet. Reuerà tamen ſi in ἀτιμίᾳ ſpectes confidentiam, Fortitudinis erit: ſi uerò quam ex hac ipſa captat laudem & gloriam, huius loci cenſebitur.

QVID. CONTEMNERE

ACCVSATIONEM.

EPAMINONDAS, ab obiectis criminibus ſe purgare noluit, ſed exurrexit, & medio theatro ad gymnaſium eſt digreſſus. Plut. in Præceptis politicis.

OBTRECTATIONEM, CALVMNIAM.

Qui calumnias & obtrectationes forti ferunt animo, quatenus non diffidunt, ad Fortitudinẽ: quatenus uerò gloriæ ſtudio nõ nimium in declinanda ignominia efferantur, præſentis ſunt loci.

Venerat ex Dania Haraldus, ſcurra, multis ornatus ueſtibus precioſis: auri & argenti ſigna plurima, quæ à principibus dono acceperat, in pectore ferens. Hunc expectantẽ magnũ aliquid à NICOLAO comite Holſatiæ, iuſſit aſſidere muſicis ſuis, nec magno xenio honorauit abeuntem. Dixere nonnulli in aurem Comiti, ut honeſtatis cauſa multorum principum communem famulum, ſolenni donatiuo ornaret: huiuſmodi homines lingua ſua uel extollere uel deiicere poſſe famam principum. Cui Comes, Veſtibus ille precioſis etiam me uincit. Ego me notiorem principibus eſſe confido, quàm ut illius pręconio egeam. Cranzius lib. 10. Saxoniæ, capite decimoſeptimo.

OFFICII ERROREM.

ALEXANDER Magnus, uicto ad Iſſum Ciliciæ Dario, cùm eius matrem Siſyngambrim, uxorem & liberos cepiſſet, aſſumto Hephæſtione ad eas ſalutatum intrauit. Cùm autem uterque conſimilem ueſtitum haberet, magnitudineque & ſpecie regi Hephæſtio præſtaret, Siſyngambris eum regem eſſe rata, ſupplex adorauit. His uerò qui adſtabant, nutu & digito, quinam Alexander eſſet, indicantibus, ob errorem commiſſum pudore affecta mulier, Alexandrum repetita ſalutatione uenerata eſt. Ibi Alexander: Nihil eſt, inquit, ô mater, quod ſollicita ſis: hic enim etiam eſt Alexander. Diodorus libro decimoſeptimo.

Cùm Rhodiorum magiſtratus, quòd literas publicas ſine ſubſcriptione ad ſe dederant, euocaſſet TIBERIVS, ne uerbo quidem inſectatus, ac tãtummodo iuſſos ſubſcribere remiſit. Suetonius. At Dion ait, literas ad Imp. datas fuiſſe, ſed in extrema epiſtola omiſſam ſalutationem: & legatos, poſteaquam uota, quæ deerant, ſubſcripſiſſent, impune dimiſſos.

LOCI DEDECVS.

AGESILAVS, Lacedæmoniorum rex, cùm in ludo quodam ſolenni in locum parùm honorificum collocatus eſſet: Bene habet ſanè, dixit: oſtendam enim non locum uiris, ſed uiros loco conciliare dignitatem. Plut. in Laconicis.

OCCVRSVM TVRPEM.

Iuuenes aliquot, qui nudi LIVIÆ Auguſti uxori fortuitò occurrerant, capitale ſupplicium meruiſſe uidebantur. Eos uerò illa ſeruauit, dicens, Tales nihil differre à ſtatuis ei, quæ pudica ſit. Zonaras.

QVOMODO. Nempe

APPROBANDO, CONFIRMANDO.

CONSTANTIVS, Anconitanæ eccleſiæ monachus, cùm è longinquis partibus quidam (ut ipſum uideret) aduenìſſet, oſtenſumq; deſpexiſſet, eo quòd ſtatura admodum breui eſſet: irriſorem ſuum oſculo excepiſſe dicitur, lætari ſe affirmans, quòd tandem nactus eſſet hominem, à quo iure paruipendendus exiſtimaretur. Marul. lib. 1. cap. 4.

IGNOSCENDO.

Quandoquidẽ obtrectatio quæuis dedecus habet iunctum, illi qui obtrectatores non ſunt ulti, reſpectu iræ ad Clementiam pertinent. at ob contemtum dedecoris, & per conſequens, ob non affectatum honorem, huc quoq; loco inſeruire poſſunt. Conſulendus eſt igitur Tit. Clementiæ erga obtrectatores.

Chij quum apud Lacedæmonios peregrinarentur, poſt cœnam uomuerunt in curia EPHORORVM, quorum apud eam gentem erat ſumma auctoritas: quin & in horum cathedras, in quibus ſedere conſueuerant, incacarunt. Vbi tandem deprehenſum eſt, id à Chiis factum, per præconem edixerunt, Chiis permiſſum eſſe intemperanter agere. Eraſmus in prouerbio, Chius cacans.

LEVITER VLCISCENDO.

Diogenes grammaticus, diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus, uenientem TIBERIVM Cæſarem, ut ſe extra ordinem audiret, non admiſerat: ac per ſeruulum ſuum in ſeptimum diem diſtulerat. Hunc Romæ ſalutandi ſui cauſa pro foribus aſtantem, nihil amplius, quàm ut poſt ſeptimum annum rediret, Tiberius iam factus Imperator admonuit. Suetonius.

Cùm quidam Tribunuſplebis ſeruum CLAVDII Auguſti in publico percuſſiſſet: Claudius Imperator, etſi ſeruo ſuo allata eſſet iniuria, ſeruò tamen allatam eſſe cùm ſapientiſſimè iudicaſſet, nihil in alium ſtatuit, quàm quòd Tribunoplebis miniſtros abſtulit, & aliquo poſtea interuallo reſtituit. Dion libro decimoſexto.

VESPASIANVS Imp. Demetrium Cynicum oblatrantem, Canem appellaſſe, quòd neq; aſſurgere, neq; Cæſarem ſalutare dignaretur, ſatis habuit. Suetonius.

NON OCCVLTANDO, NON DISSIMVLANDO.

SOCRATES philoſophus, cùm in theatro ab Ariſtophane exagitaretur, & peregrini plurimi, Quiſnam ridiculus ille Socrates eſſet, inquirerent: ſurrexit, & donec peracta eſſet fabula erectus ſtetit, ut omnes quis eſſet cognoſcere poſſent. Itaque una eademq; opera innocentiam ſuam texit, conſtantiam declarauit, & famam populi famoſam contemſit.

CVR. CAVSA

PATRIÆ.

Q. FABIVS Maximus, ne Cunctatoris quidem nomen repudiauit, modò cunctatio illa patriæ profutura eſſet: nec prætulit ille rumores hominum publicæ utilitati. maluit dux utilis eſſe, quàm uana & ſtulta prædicatione nobilitari. Sabellicus lib. 10. cap. 1. ex Plut. Fabio.

RELIGIONIS.

Ex loco Monachorum, huc quædam.

LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

VITIVM in exceſſu, AMBITIONEM uocatũ, LIBRO QVARTO perſequemur, eiuſq; rationẽ habebimus tũ in

- Genere. AMBITIONIS
  - ACQVISITIO. Videlicet
    - Magiſtri
      - Qui. Vt
        - Pontifices, *Sacri homines*. Patres. Matres.
        - Vxores. Diſcipuli, *Studioſi*.
      - Quomodo: *aliorum*
        - Ambitionẽ *accendendo, fouendo*,
          - Electione. Conſilio, *Adhortatione*.
          - Voto. Decreto. Religione.
          - Precio. Armis. Cæde.
        - Moderationẽ, *Honoris contemtum*
          - Diſſuadendo.
          - Reprehendendo.
    - Diſcipuli. *Ambitioſi facti ex*
      - Conſilio, *Adhortatione*. Æmulatione.
      - Victoria. Fertilitate *loci*.
  - EXERCITATIO:
    - Qui. *Ambitioſi*
      - Populi. Pontifices, *Epiſcopi*. Reges, *Principes*.
      - Duces *bellici*. Politici. Pij *homines*. Hæretici. Cinædi.
      - Philoſophi. Rhetores. Poetæ. Muſici. Medici.
      - Iureconſulti. Mechanici
        - Coqui.
        - Architecti.
      - Pueri. Mulieres.
    - Quomodo: *uel*
      - Per *ſe, abſq; certamine: Honorẽ, gloriam*
        - Deſiderando. Mentiendo.
        - Iactando. Oſtentando.
      - Reſpectu *aliorum, cum quibus uelati certãt. Æmulationes ambitioſæ:*
        - Inuidendo. Non *ferendo laudationes*.
        - Cõgreſſum *declinando*. Reprehẽdẽdo, *Obtrectãdo*.
        - Scriptis *lacerando*. Diſſentiendo.
        - Factis *detrahendo*. Calumniãdo. Facta *imitando*.
        - Occaſionem *gloriæ præcidendo, auertendo*.
        - Monumenta *gloriæ corrumpendo, abolendo*.
        - Vitæ, *fortunis inſidiando*.
  - FRVCTVS
    - Bonus:
      - Virtutis *ſtudium*. Beneficentia.
      - Imperium, *Regnum, Dignitas*. Abſolutio.
    - Malus, *in*
      - Genere.
      - Specie. *Videlicet*
        - Deorũ *ira, indignatio*. Odiũ, *Inimicitia*. Deſperatio.
        - Bella. Clades *bellica*. Regni *amiſſio*. Reipub. *euerſio*.
        - Multa. Excæcatio. Mors. Exilium.
- Specie. *Verſatur enim uel in Honorum*
  - Αὔξει. *Vide ſignum* I.
  - Φυλακῇ, *idq; dupliciter. Aut enim ſpectatur in Honoris*
    - Poſſeſſi conſeruatione: AMBITIOSA *honoris conſeruatio, reſpectu*
      - Rerũ, *uidelicet*
        - Ἀξιώματος, *ſiue Præmij, ipſius. ſ. Honoris poſſeſſi, quem cõſeruare & retinere ſtudet. Vtputa*
          - Pontificatum, *Sacerdotium*.
          - Regnum, *Imperium*.
          - Iuriſdictionem.
        - Ἀξίας, *ſiue Meriti, propter qđ honorem poſſeſſũ conſeruare cupit. Conſeruat ergo honorem debitũ*
          - Eruditioni. Peritiæ *mechanicæ*.
          - Fortitudini *militari*.
          - Dignitati, *Maieſtatem imperij*.
          - Nobilitati *generis*. Victoriæ:
      - Modi, *quo cõſeruatur: reſpectu*
        - Suipſius
          - Spe, *dum Sperat*.
          - Actu, *quãdo*
            - Oſtentat *ſua*. Deponere *tardat, renuit*.
            - Mentitur
              - Potentiam. Sexum.
              - Staturam. Partum.
            - Monumenta *honoris*
              - Erigit. Vindicat.
              - Negligit *ambitioſè*.
            - Ignominiæ *occaſiones tollit*.
        - Aliorũ, *ſibi*
          - Fauentiũ, *quos ſibi conciliat* Idololatria, Cõiugio.
          - Inſidiãtiũ, *inuidẽtiũ, obſiſtentium. Conſeruat igitur*
            - Cæde. Mutilatione.
            - Bello. Accuſatione, Ob*trectatione*. Cõtemtu.
    - Erepti *uindicatione*. AMBITIOSA *uindicta honoris erepti, intercepti: ratione habita*
      - Honoris læſi
        - Vaticinij *fruſtratione*. Interdicto *ſcriptionis*.
        - Translatione *imperij, dignitatis*.
        - Repulſa
          - Sacrorum *communium*. Societatis *imperij*.
          - Officij *honorifici*. Primæ *ſedis*.
        - Contemtu
          - Conſilij. Mandati. Ætatis.
          - Habitus, *Veſtitus*. Dignitatis.
        - Titulo *parũ honorifico*. Reprehenſione. Officio *inepto*.
      - Vindictæ. *Vt per*
        - Proditionem. Defectionem.
        - Cædem. Monomachiam.



VOLV-

Voluminis Vndecimi Liber IV.

De Ambitione.

AMBITIONEM in genere pro uitio in excessu circa honoris cupiditatem ponimus, qualescũq; sint honores, tam diuini quàm humani: & inter humanos, imperia, regna, magistratus, triũphi, coronæ, statuæ, &c. Comprehendit ergo χαωότητα simul & φιλοτιμίαν: quarum illa in magnis honoribus, hæc in paruis posita est. Apud Romanos, quoniam euidens maximè erat honoris studium in magistratuum petitione, nimiam hanc gloriæ cupiditatem, ab ambiendo, & populi fauorem in comitiis conciliando, Ambitionem uocarunt: Ambitum uerò, si munera quoque, quibus suffragia emendicarentur, accessissent. Hunc seuerè puniebant: illam non item, utpote beneuolentia ciuili & tacita uirtutis existimatione nitentem. Vsus postea loquendi obtinuit, ut omne nimium gloriæ studium, Ambitio appellaretur. Quam uocabuli significationem nos hîc quoque retinebimus, ex quibuscunque rebus, quomodocunque gloria immoderata captetur. Exempla non pauca Liberalitatis & Prodigalitatis huic loco inseruire possunt, quatenus ex his actionibus laudem immodicè affectant. Potest etiam Superbia huc transferri, propter coniunctam ambitionẽ: quum alioqui ratione Perturbationis, & Mẽdacij, & Inhumanitatis alterius sit loci. Potest quinetiam Iniustitia & Perfidia, quatenus honoris causa fidem, quibus minimè debebant, frangunt, huc transferri.

AMBITIONIS ACQVISITIO IN GENERE.

MAGISTRI QVI. V. G.

Sacri homines, Pontifices, Sacerdotes.

Vide infrà sub ἀνῦψίᾳ, Pontificatum appetere, quatenus Clerus, Cardinales, aliorum ambitionem fouere uidentur.

Ludouicus Balbus Caroli Calui Imp. F. fœdus cum Germanis regibus fecit, his legibus, ut Lotharingia inter Francos Germanosque æquis partibus diuideretur: de Imperio neutris ius esse, alio loco quã in Italia dimicare. Id triste miserũmque Pontifici maximo fuit, pati Italiam belli alieni mala, immunibus malorum his, inter quos bellum foret. Idcirco anteuertit IOANNES IX. Pontifex maximus, in Franciam que uenit, turbatis etiam in Italia rebus, cùm exagitaretur contrariarũm factionum de Imperio certaminibus. Ipse Francicarum partium erat, ac præiudicij sui esse ducebat, ut cùm Caluum Augustum creasset, Balbum filium in eius defuncti locum sufficeret. Aduersa factio Carolum Crassum, Germanum Cæsarẽ appellabat. Ioannes à proceribus Galliæ officiosissimè exceptus, Balbum Augustum creauit, coronauitque. Et hunc in modum ob imperij cupiditatem cognatas domos inter sese commisit. Annum in Francia mansit. Coactus est in urbem redire, quòd à Saracenis Italia uexabatur. Carolus Crassus in Barbaros summam uirtutem religionemque præstitit. Italia defensa, cum Augustum salutatum Ioannes Pontifex non inuitus tandem coronauit (quod nescio an ulli alij Pontifici contigerit) intra quatuor annos trium Imperatorum coronatione nobilis. Aemil. l. 3.

IOANNES abbas Cassinatum, cùm ætate confectus se morti proximum esse sentiret, nepotem suum Ioannem, cognomento Rotundulum, quem non multos ante dies monachum fecerat, abbatem sibi substituit. Quod cùm plerique monachorum indignè ferrent, post menses aliquot Pandulfum Principem Beneuentum accersiuerunt, eiusque filium ATENVLFVM abbatem designarunt. Sigonius libro sexto regni Italici.

ALBERICVS Marsorum episcopus, ab Othone Magno Imp. ius monasterij S. Angeli de Barregio, quoad uiueret, impetrauit: quo defuncto, ad Cassinenses ut rediret, interipsos conuenerat. Is ob ætatem Guinisio filio notho episcopatum regendum dedit, ac Cassinense quoque monasterium in filij potestatem redigere laborauit. Capuanorum igitur, quibus inuisum Cassinensem abbatem sciebat, animos tentat, promissa ingenti pecuniæ copia, ut abbatem oculis priuent. Eius pecuniæ dimidiam partem in præsentia, alteram, cùm exculptos abbatis oculos in suis tenuerit manibus, se soluturum pollicetur. Abbas Capuanorum, se in urbem iuris dicundi causa inuitantium, dolum sentiens, uenire recusat. Instant illi, interposito iuramento, saluum & incolumem se ipsum ad S. Benedicti monasteriũ (non Cassinense, sed Capuanum intelligẽtes) perducturos. Itaq; abbas cum ipsis Capuam contendit. In monasterium autem S. Benedicti, quod Capuæ erat, honorificè introducto abbati (sic enim fidei suæ satisfactum putabant) uincula inijciuntur, oculique effodiuntur: ij mox linteolo inuoluti,

pẽ

per legatos ad Albericum ferri curantur. Legati ex uiatore quodam, episcopum ea ipsa hora, qua abbatis oculi exculpti fuerant, uita functum esse cognouerūt. Chronicon Casſinenſe libro 2. capite 4.

Reges.

CHANGIVS primus Tartarorum rex ſanciuit, cum nulla uſquam gente pacem ineundam, quæ parêre nollet: neq; unquam ceſſandum, quouſq; aut rerum potiantur, aut ad interitum redigantur. In fatis eorum eſſe, annos octoginta pugnare oportere, & regnare duodeuiginti, mox ab alia gente uictum iri: & qui euaſerint, legē illam ſuſcepturos, quam uictores planè ſeruarint. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

Vxores.

DEMARATA uxor Andronodorum maritum admonuit uocis, quam Dionyſius maior Syracuſanorum tyrannus uſurpare ſolebat, Non equo inſidentem, ſed pedibus tractū, debere relinquere tyrannidē: ꝙ facili momēto eſſet, quo quis uellet die cedere poſſeſſionem magnæ fortunæ: facere & parare eam, difficile atq; arduum eſſe. Liuius Decad. 3. lib. 4.

HERODIAS Agrippæ regis Iudæorum ſoror, indignè ferēs Agrippam, qui decoxerat, & Romæ adulando Caligulę ad regnum peruenerat, ad tantum faſtigium honoris peruenisse, ſuum uerò maritum Herodem tetrarcham tantùm Galilææ & Peręæ eſſe: maritum impulit, ut ipſe etiam Romam profectus, falſis criminationibus apud Caligulam, Agrippam regno exueret. Sed contrarium euenit. Agrippa enim re intellecta, Fortunatum libertum ſuum Puteolos ad Caium miſit, & Herodem conſpirationis cum Artabano Partho accuſauit. Regno igitur exutus Herodes, exilio ꝑpetuo unà cum Herodiade ad Lugdunum Galliæ urbem damnatus fuit. Ioſephus in Antiquitatibus.

AMALABERGA ſiue Amelberga, Hermenfredo regi Thuringorum marito, conuiuium habituro, dimidiam omnino triclinij partem ſtrauerat: interroganti q;, Quid tandem id rei eſſet? nihil cunctata reſpondit, Qui parte regni exueretur, eum etiam triclinij parte cedere conuenire. Subinde per Iringum militem ei ſuggeſſit, ut Theoderici Metenſium regis, fratris ſui, ditionem inuaderet. Theodericus ad Hermenfredum legatos mittens, commonefecit: ut regibus Franciæ fidem ſeruaret, ſe illi futurum non dominum, ſed amicum. Inſolens mulier, ſtimulat regem, ut reſpondeat legatis, regnum iuſtiori titulo ſibi deberi per coniugem, quæ nata ſit de regina matre, quàm Theoderico, qui ex concubina natus erat. Theodericus irritatus, infeſto exercitu Turingiā inuadit. Ad locum Rumberg integro triduo pugnatum. Victus magna ſtrage Hermenfredus in urbem Chidingam ad fl. Onſtrit ſe recepit. Interea Franci in ſocietatem militiæ Saxones quoq; recepere. Obſeſſa diu urbe, Turingi eruptione facta magnam cladem accepere. Itaque Hermenfredus legatos de pace ad Theodericum miſit Iringum, & uix tandem impetrauit. Verùm dum reges deliberant de forma paciſcēdi, egreſſus Turingus quidam urbe, ad fluminis ripam accipitrē emiſit in columbas, in aduerſam ripam fugiētes. Saxonum quidam accipitrem manu cepit. Tum Turingus recipiendi accipitris cupidus, Saxonem magno clamore ad colloquium uenire iuſſit, habere ſe rem occultam quam indicet, pactus priùs ſibi reddi accipitrem. Dixit igitur, inter reges iam de pace conueniſſe: prouidendum Saxonibus, ne coniunctis inter ſe amborum armis opprimantur: proinde nocte proxima ad ſalutem, ſi ſapiant, utantur. Saxones de fuga cogitantes, ſenis unius uoce confirmati, urbem nihil hoſtile metuentem inuadunt, & diripiunt. Elapſum regem eò reſpicere rex Theodericus arbitratus, ut bellum reſumptis uiribus renouaret, miſit legationem, ut ad pacta inchoata reuertatur: nihil ſe imperante factum, Saxones ſponte tumultuatos eſſe. Credidit rex, & quod uerum eſſe cupiebat, facilè perſuaſum habuit. Iam egerat cum Iringo Theodericus, ut in ſuo conſpectu dominum ſuum perimeret. Ergo ubi Hermenfredus procidit, ut genua regis amplecteretur: Iringus ſtricto gladio eū cōfodit. Theodericus, ꝓditorē mox abire pręcepit. Iringus furens iam, certus mori, gladium intorſit, ut Theodericum cæderet: ſed fruſtratus, in ſe uertit enſem, & dominū cadens amplexu petiuit. Theodericus promiſſam Saxonibus terram donauit: urbem quam expugnauere, perpetuò conceſſit habitandam. Hæc ex Saxonum hiſtoriis. Cranzius lib. 1. Saxoniæ, cap. 27. & 28. & Aemil. lib. 1.

HERMENGARDA, Ludouici Auguſti filia, quam pater Baſilio Græco Auguſto deſponderat, Boſſoni Papienſium duci, fratri Iudithæ uxoris Caroli Calui Imp. elocata fuit. Ea ꝙ Cæſaris ſponſa fuiſſet, ac patre, auo, proauo, abauo, Auguſtis tumens, uirum ducem maiori cupiditate impleuit, negans iucundam ſibi uitam fore, niſi uirum regem amplecteretur. Caluus ut non duces modò, ſed & reges crearet, eiſq; iura diceret, uxoris fratrem Prouinciæ regem appellauit: quæ Hermengardæ illius uxoris patri auoq; Auguſtis parui ſſet: ita faciliùs, & ſanctiore iure, minoreq; apud mortales inuidia Prouinciam ad Frācorum imperium rediturã. Aemilius libro 3.

Carolus Comes Phocenſis, frater D. Ludouici Francorum regis, ad capeſſendum regnum Siciliæ, ab Vrbano IV. contra Manfredum, ſtimulis uxoris BEATRICIS, quæ filia erat Comitis Prouinciæ, incitabatur. Ea trium iam Reginarum ſoror, moleſtè ferebat ſe omnino Comitem ſalutari, ſcribereq;: duas ſorores reginas, tertiam etiam Auguſtam. Vrbanus ergo purpuratum legatum miſit ad ſanctum regem, uti fratrem prouinciæ Phocenſis Comitem ad res Siculas capeſſendas mitteret: ſimul ſacrum in Manfredum, ſanctæ eccleſiæ hoſtē, bellum ut redintegraretur, omnes pios proceres literis hortatur. Pontifici mortuo ſucceſſit Clemēs IV. Caroli etiã, quã Vrbanus fuiſſet, ſtudioſior. A Clemēte euocatus Carolus, triginta triremib. cùm Maſſilia ſoluiſſet, Romam ipſe uxorq; delati, in æde Lateranenſi à purpurato legato iuſſu pontificis reges Siciliæ Hieroſolymorumq; deſignantur. Vxor Caroli, ut nomen tam cupidè quæſitum retineret, omnem mundum ſuum diſtraxit ad alendum militem. Vno prælio ad Beneuentum debellatum. Occiſo Manfredo Francus regno & cis fretum, & inſulæ Siciliæ potitus, cùm iam conſilia Syriaci belli agitaret, quòd Hieroſolymorum quoque rex, Siciliæ regno potitus, creatus eſſet, occupatus nouo eſt bello. Conradinus tandē in Italiam deſcendit. Quo fuſo, capto, & ſecuri cæſo, Carolus regno Siculo abſolutè potitus eſt. Aemil. lib. 7. & Cranz. lib. 8. Metr. c. 30.

Boleſlaus III. Polonorum rex bellicoſiſs. inter quatuor filios, Vladiſlaum, Boleſlaum Criſpum, Mieciſlaum & Henricum, principatum diuiſerat. Vladiſlaus belli pacíſque arbiter cōſtitutus, CHRISTINÆ uxoris, Henrici V. Imp. F. mulieris auaræ & ſuperbæ ſuaſu, quæ Polonos omnes porcorum loco habebat, nec eos ad miniſterium, ac uix ad conſpectum ſuum admittebat, Germanis ſuis impendio delectata, inflãmatus, quòd eum præter mores iuraq; gētium ad quartam modò partem principatus detruſum eſſe dictitaret, qui in uniuerſum principatum patri, utpote natu maximus, ſuccedere debuiſſet: fratres è regno pellere Ruſſorum auxiliis fretus ſtatuit, nec iis etiam ſupplicibus nihilq; meritis ueniam dare uoluit. Tandem Poſnaniam obſidens, uiribus ſuis frētus, à fratribus uictus, regnoq; exutus, in Germania exul cōtabuit. Cromerus lib. 6.

Patres.

PYRRHVS Epirotarum rex, tulit ex Antigone Ptolemęum filium, ex Lanaſſa Alexandrum, Helenum ſtirpis minimum ex Bircenna. Omneis uerò bello bonos & acres educauit, eoſq; acuit ad hoc à prima ætate. Ab uno eorum puero etiamnum interrogatus, Cuínam relicturus regnum eſſet, reſpōdit: Ei, qui ueſtrum acutiſſimum habuerit gladium. Hoc uerò nihil abeſt à tragica illa execratione:

Fratres domum ſortiri acutis enſibus.

Adeò eſt inſociabile & ferum cupiditatis inſtitutum. Plutarchus in Pyrrho.

Galatarum rex DEIOTARVS, pater cùm eſſet multorū filiorum, uni autem regnum cuperet & hereditatem relinquere, omnes illos trucidauit, quaſi uitis palmites putaret & reſecaret: quo iſte, quem relinqueret, pollens foret & magnus. Plutarchus de Stoicorum pugnis.

HENRICVS II. Anglorum rex, Henrico filio inſolentiæ auctor fuit, conſortem eum regni conſtituens. Polydorus lib. 13. & Aemilius.

Matres.

AGRIPPINA nupta Claudio Imp. metuens, ne Britannicus ex priore uxore Meſſalina Claudij F. à patre Claudio acciperet ſucceſſionem imperij, uolenſque principatum ſuo filio Domitio Neroni (quē ex Domitio Aenobarbo ſuſceperat) quærere, procurata ut fertur morte Claudij ueneno: confeſtim ad prætorianos milites miſit præfectum eorum Burrum cum tribunis & libertorum potentiſſimis, qui Neronem ad eos perductum Imperatorem conſalutarent. Nero principatum ſic adeptus, Britannicum clàm ueneno ſuſtulit. Ioſephus lib. 2. cap. 5. Antiq.

Mahometes Tunetanus rex Maimonem inter duos & uiginti filios natu maximum legitimo iure regni hæredem ſcripturus eſſe uidebatur, niſi LENTIGESIA uxor, corruptis precio regiis ſatellitibus, maritum in ſupremis uitæ anguſtiis fatigatum precibus, doliſque deceptum, præuertiſſet, ut in filium Muleaſſem regij nominis fortuna transferretur. Itaq; Maimo, deinde Proſcettes, & reliqui, partim occiſi, partim excæcati iuſſu Muleaſſis fuere. Iouius lib. 33.

Diſcipuli, Studioſi.

Chriſtophorus Caſtellioneus, Baldi antagoniſta, Papiæ: quo tempore factiones STVDIOSORVM Iuris, pro doctorū ſuorum celebritate contendentium, cepiſſe Portius teſtatur, Inſtit. de ſuſpect. tut. §. ſuſpectus.

ſœ QVO-

ſœ QVOMODO. Nempe ALIORVM

Ambitionem accendendo, fouendo, tum

Electione.

MONACHI Cantuarienſes inſcio rege IOANNE Reginaldum monachum in Huberti archiepiſcopi demortui locū ſurrogatant anno MCCV. Is clàm Romam petiit, acturus cum Innocentio Rom. pontifice, ut monachorum legitimã electionem confirmaret. Pontifex noluit priùs electionem probare, quàm teſtimonio fide digno ſibi conſtaret, eam eſſe legitimam. Monachi cùm accepiſſent Reginaldū ipſius, uelut illi arbitrabantur, culpa nondum eſſe pōtificis decreto confirmatum, ut regem iratum placarent, continuò rogarunt, ut de eius conſilij ſententia ſibi liceret archiepiſcopum optare. Annuit rex libēs petitioni: ſimulq; monachos eſt hortatus, ut Ioannem Nordouicenſem epiſcopum domeſticum ſuum, ac ſui familiaris ſenatus caput, renunciarent archiepiſcopum. Paruerunt illi, & Romam procuratores miſerunt, qui hanc ſecundam electionē à pontifice probandam curarent. Romæ lis ſub iudice erat de Cantuarienſi pontificatu inter Reginaldum & Ioannem Nordouicenſem epiſcopum à monachis priùs electos. De quorum electionibus poſteaquàm Romanus pontifex rectè cognouerat, utranque irritam fecit: atq; ſua auctoritate egit, ut monachi, qui ea de cauſa frequentes Romam conuenerant, poſtremò optauerint Stephanum Langtonum Cardinalē, Anglum: quem ipſe poſtea archiepiſcopum fecit. Tulit rex per iniquo animo repulſam Ioannis: & publicatis omnibus bonis, in exilium egit monachos, qui Cantuariæ erant, & qui Romam iuiſſent, patriæ hoſtes decreuit. Innocentius monitum fruſtra Ioannem, tandem diris deuouit, & toto regno à ſacris ceſſari fecit. Rex in ſacerdotes debacchatus, bona illorum diripuit. Tandem pontifex, urgentibus ante omnes Anglicis epiſcopis, primùm cunctos populos, qui ſub Ioannis imperio eſſent, iureiurando abſoluit, quo tenebantur: deinde ipſum Ioannem regni adminiſtratione abdicauit, ac poſtremò regem Franciæ Philippum cęteroſq; Chriſtianos principes de huiuſmodi abrogatione certiores fecit, admonuitque, ut Ioannem ita repudiatum tanquam dei publicū hoſtem perſequerentur. Philippus comparata claſſe in Angliam properabat. Ioannes metu territus, Pandulfo pontificio legato ſponſionem fecit, ſe pontificis arbitrio ſtaturū. Itaque non multo pòſt, perinde ac Innocentius mandarat, primùm diadema capiti ademtū Pandulpho tradidit, nunquam id ipſe aut hæredes accepturi, niſi à pontifice Romano: deinde promiſit ſe benignè recepturum in gratiam Stephanum Cantuarienſem cum cæteris epiſcopis atque aliis exulibus, & illis de iniuriis cumulatiſſimè ſatisfacturū, parſurumque, ſic, ut nulli illorum fraudi ſit, quòd defeciſſent. Tum Pandulphus, tanquam Romani pontificis uicarius, diadema illi reſtituit. Ex quo fama eſt, Ioannem cupientē perpetuare memoriam muneris accepti, ea lege feciſſe ſe Innocentij beneficiarium, ut reges deinceps à pōtifice duntaxat Romano iura regni cōſequerentur. Cæterùm has reconciliationis leges, qui ſecuti ſunt reges, minimè ſeruarūt. Tandem cùm promiſſis rex ſtetiſſet, pontifex per legatū anno Salutis humanæ MCCXIV, interdictum ſuſtulit, poſt annos ſex ac menſes tres, dieſque duodecim, quàm Anglia eo terrifico fulmine percuſſa fuerat. Polydorus libro decimoquinto.

Adhortatione, Conſilio.

HERMOCRATES ſiue Hermocles ſophiſta, Pauſania Macedone Philippi ſatellite interrogante, Quánam uia aliquis clariſſimi nominis poſſet euadere? Reſpondit: Si uirum, qui res maximas geſſerit, interficiat. dum enim illius mētio habeatur, eius etiam à quo interfectus ſit, meminiſſe oportere. Hoc ille ſtimulo uſus, Philippum regem Aegis Macedoniæ interfecit. Diodorus libro 16. & Valerius Maximus libro 8. capite 15.

ALCIBIADES conſuluit populo Athenienſi, maris imperiū obtinenti ut terram quoque aſſereret: & obiecto iuuentuti ſemper illo, quo adiguntur, Agrauli iureiurãdo, id ut pręſtarent re, admonuit. Iurant enim, terminos ſe Atticæ habituros triticum, hordeum, uineas, oleas: quo ſuggerebatur iis, omnem ut aſſererent terram cultam & frugiferam. Siciliæ uiuo Pericle adiecerat oculos populus Athenienſis, & defuncto manus admouit: atque ſocietatis ſpecie auxilia & ſubſidia armorum mittebat aſſiduè iis, qui ab Syracuſanis infeſtabantur, gradum faciens ad maiorem expeditionem. Alcibiades autem eum inflammauit ardorem, induxitque ut ingenti claſſe expeditionem ſuſciperent & ſubigerent eam inſulam. Nicias quidem, quòd ardua foret res capere Syracuſas, reuocabat populum ab eo conſilio, etiam cùm iam prætor deſignatus eſſet, qui ſua cautione Alcibiadis & Lamachi temperaret audaciam. Alcibiades uerò Carthaginem ſomnians & Africam, horum acceſſione Italiam & Peloponneſum iam amplexus, tantùm non pro promtuario belli ducebat Siciliam. Ac iuuentutem habuit ſtatim ſua ſponte ſpe arrectam. Senes hi audiebant mira de ea expeditione memorantes: ut multi in palæſtris ac hemicyclis ſedentes, figuram inſulæ, ſitum Africæ & Carthaginis depingerent. Plut. in Alcibiade, & Thucyd. lib. 6.

BRVNECHILDIS Gallorum regina, alio nomine Bruneuſta, parùm ducens impiam matrem ſe eſſe, ſceleratiſſimam quoque auiam ſe præſtitit. Nàm poſt Sigeberti uiri regis mortem, ſeminatis diſcordiis inter Theodericū atq; Theodebertum, ex Childerico filio nepotes, oratione ſua Theodericum impulit, ut Theodebertum interimeret, cuius ipſa liberos adhuc infantes manu ſua occiderat, atque inter ipſos Meroueum, adhuc in cunis agentem, pedibus apprehenſum, ſaxo alliſerat: & ut ſola regnaret, Theodericum quoque poſtea ueneno petiit. Fulgoſus lib. 9. cap. 11. & Aemilius, & Aimoinus.

Voto.

Nero cùm primùm natus eſſet, prima luce, antequam ſol ortus uideretur, radij circum eum fulſerunt. Qua ex re, tum etiam animaduerſo ſtellarum curſu, qui tum erat, atque earum coniunctione, quidam aſtrologus duo ſimul prędixit: eum regnaturum eſſe, & matrem necaturum. Quod cùm AGRIPPINA intellexiſſet, ſubitò exclamare cœpit: Occidat, dum regnet. Præſagio uotoq; reſpōdit euentus. Suet.

Decreto.

[redacted]

Religione.

VIRGINIA, A. Sulpitij F. Volumnio plebeio nupta, plebeiæ Pudicitiæ aram extruxit, ut non minùs plebeiæ quàm patriciæ, de pudore triumpharent. Sabellicus libro ſeptimo, Enneadis quartæ.

Precio.

CAROLVS IV. Imp. Venceſlaum filium natu maiorem, in imperio ſucceſſorem adhuc uiuens facere cupiens, cùm Electores haud facilè ad eam rem trahi poſſent: quod uirtute obtinere non potuit, precio comparauit, promiſſis cuiq; Electori centum millibus aureorum. Quos cùm repræſentare non poſſet, publica illis Romanæ reipublicæ uectigalia obligauit, perpetuum Imperij malum. Hinc Romana poteſtas ad nihilum redacta: nec poſthac extollere caput Imperium potuit, cùm principes Electores omnia ſibi retinerent, Imperatorémque iureiurando adigerent, ne pignora reuocaret. Aeneas Syluius capite 32. hiſtoriæ Bôemicæ, & Cuſpinianus.

Armis.

CALLISTVS III. Pp. Petrum Borgiam nepotem ſuum ad principatum euehēdi deſiderio ardens, niſi mors eius conſiliis interueniſſet, Ferdinando regi arma mouiſſet, ut eum regno Neapolitano, quod in pontificatus iura reciderat, ſpoliaret: parū memor Alfonſi (qui pater fuerat Ferdinandi) opera, in cuius erat natus regnis, & cui diu inſeruierat, ſe cùm cæteros obtinuiſſet ſuæ dignitatis gradus, tum uerò ad pontificatum adipiſcendi haud leuia adiumenta conſecutum. Guicciardinus lib. 1.

SIXTVS IV. Pōtifex, cùm in eodem fortunæ gradu, quo per paucorum hominum ſtudia eſſet euectus, collocare ſuos conſtituiſſet: & in primis Hieronymum Riarium [redacted] quod minùs aliis rationibus licebat, id atque armis aſſequi conatus, bella inter Principes, diſcordias in liberis populis inter priuatos ferendo, pernicioſum Pontificatum Chriſtianæ reipub. Italiæ in primis ciuitatibus, ſibi ſuiſque parùm honeſtum futurum, perpetuò geſſit. Quæ una cura ut uiuentem illum exercuit, ita cùm bellum tandem pax inter omnes Italiæ principes ſuſtuliſſet, quã ille aut ſibi parū honeſtam eſſe, aut minùs certè conducere ſuis priuatis rationibus arbitrabatur: mœrore animi & dolore uictū confecit. Brutus lib. 8. hiſt. Florentinæ.

ALEXANDER VI. Pontifex, ut amplum Cæſari Borgiæ filio imperium pararet, cum Ludouico XII. Gallorum rege fœdus iniit, cui & Venetus adaugendi imperij maximè auidus aderat ea conditione, ut Ludouico Sforcia Ciſalpinæ Galliæ imperio depulſo, Venetus Cremona urbe: Alexāder uerò Togatæ Galliæ urbibus, circa Flaminiam uiam potirentur: & reguli omnes, qui pontificiæ ditionis eſſent, multandi delendiq; Cæſari Borgiæ traderentur. Ita Columnij nim imminentis procellæ felici coniectura metuentes, ſpōte atq; opportunè diffugerunt. Secutus eſt Iubilei ſecularis annus, funeſto totius Italiæ motu inſignis: quo Ludouicus Sforcia & Aſcanius Cardinalis frater opera Heluetiorū capti detruſiq; in Gallicum carcerem, paterno imperio exciderunt. Catharina Sforcia bello capta Forocornelij & Foroliuij

roliuij possessione cessit. Eustorgius Manfredus adolescens necatus, & in Tyberim proiectus, Fauentiam cum uita reliquit. Varanij Camertes reguli quatuor strãgulati. Vrsini nullo salubri cõsensu ad Borgiam coeuntes necati. Baptista Cardinalis Vrsinus in arce cantharidum ueneno sublatus. Bernardinus & Iacobus Sermonetæ in Latio reguli, hic ferro, ille aconito extincti. Præterea Malatestę Arimino, Sforcię Pisauro, Feltrij Vrbino pulsi, & in exilium acti: ita ut uni omnium Columnij proceres, admodum prudenter in ea turbulẽtissima tempestate egisse sint uisi, quòd paternis oppidis, quæ Borgiarum nefariæ cupiditati inuadenda reliquerant, salutem prætulissent. Iouius in Pompeio Colũna.

Cæde.

Saracenis, Beneuento urbe spoliata, ad oppugnandam Romã redeuntibus, Ioannes XI. pontifex GVIDONEM Thuscię comitem rei bellicæ præfecit. Qui rebus feliciter contra hostes gestis, pontificem optimè de se & Romanis meritũ (Maroziæ uxoris instinctu, suum ex Sergio III. papa filiũ, qui Ioannes XII. dictus est, ad pontificiam dignitatẽ promouere conantis) trucidato priùs in conspectu fratre eius Petro, in carcerem coniecit: ubi à militibus Guidonis, ceruicali super os eius imposito, suffocatus est, cùm pontificatũ tenuisset annos circiter tredecim. Anno DCCCCXXIX. Luitprandus lib.3. cap.12. item Sigebertus, & Blondus lib.2. Decadis 2. In locum eius substituitur Ioannes XII. Verùm quia clerus & populus Romanus in eius electione nõ consenserant, [redacted]

Moderationem aliorum

Dissuadendo.

Cùm Lydis Crœsus imperaret, fratrem in consortium imperij assumsit. tum QVIDAM ex Lydis accedens, dixit: Omniũ in terra bonorum, ô rex, maximum est sol: neq; quicquam extaret in terra, sole non illustrante. At si gemini soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrãtia pessum irent. Ita & regem unum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos uerò simul tolerare non possunt. Stobæus Sermone 45.

Reprehendendo.

Apud Plutarchum in Solone, quidam AMICI Solonis reprehendebãt eius consilium, quòd tyrannidem sponte oblatã non acceptasset, illud inculcãtes: Si regno Athenarum uno tantùm die potiri potuisset, nullum supplicij genus recusare debuisse, patiq; æquo animo, ut acerbissimis cruciatibus postea afficeretur, omnisq; ipsius familia funditùs periret. Tam pręclarum bonum putabant, breuissimo etiam spacio frui posse omnibus uoluptatibus, uel potiùs ulcisci semel grauiter inimicos. Victorius lib.12. Var. lect. cap.10. & Muretus lib.j. Var. cap.13.

DISCIPVLI AMBITIOSI FACTI, EX

Consilio, Adhortatione aliorum.

☞ *Vide paulo antè, Vxores magistræ ambitionis.*

Aemulatione.

De HECTORE & ACHILLE æmulis, Horat. lib.j. Sat.7.

Hectora Priamiden, animosum atq; inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima diuideret mors,
[redacted] aliam ob caussam, nisi quòd uirtus in utroq;
Summa fuit. Duo si discordia uexet inerteis,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedet pigrior ultrò
Muneribus missis.——

ALEXANDRVM Macedonem in tantos istos furores præcipitem egit Achillis æmulatio. Ducebat exercitum per Asiã. Alexandrum exercitus, Alexander cæcam ambitionem sequebatur: ut liceret naturæ finibus inscribere: Huc usq; bellabundus, hoc est latrocinabundus, peruenit Alexander.

C. IVLIO Cæsari quæstori ulterior Hispania obuenerat. Vbi cùm mandato P.R. iure dicundo conuentus circumiret, Gadésq; uenisset: animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quòd nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionẽ continuò efflagitauit ad captandas quamprimùm maiorũ rerum occasiones. Suetonius.

CAROLVM Burgundię ducem, admiratio gestorum Alexandri coegit iis se bellis intricare, in quibus ipse periit, & in extremum discrimen uniuersam Belgicã adduxit, ex quo Mariæ hæredi ademta est à Ludouico Franciæ rege Burgundia. Ludouicus Viues de Concordia & Discord. lib.j.

Dignitate.

TERTVLLVS Consulatus honore ab Attalo tyranno Alarici auspiciis affectus, de mittendo in Africam exercitu uerba Senatui facturus, stolida quadam arrogantia elatus, ausus est dicere: Loquar uobis P. C. ut Consul & Pontifex: quorum alterum teneo, alterum spero. At non multò pòst, capta ab Alarico Roma, magistratu excidit. Sigonius lib.10. Imp. occid. ex Zosimo.

HERACLIANVS Comes, ob Stilichonem interfectũ ab Honorio Africæ præfectus, propter defensam aduersus Attalum tyrannum Africam, cõsulatus honorem adeptus, adeò superbia est elatus, ut aduersus Honorium cum Sabino genero coniurarit. Qua re incensus Honorius, ipsum cũ suis hostem pronunciauit. Ille postquam se damnatum audiuit: dolore uictus, classem maximam comparauit, eamq; infestam Latij littoribus intulit: ac Romæ maximum, si quando unquam aliàs, terrorem incussit. Verùm simul atque in litus egressus cum agmine militum ad urbem ire perrexit; occursu Marini Comitis cum ualido se Romanæ iuuentutis robore obiicientis exterritus: repentè in fugam se dedit, & arrepta nauicula solus Carthaginem rediit: atq; ibi mox militari manu, tanquam tyrannidem affectans, oppressus, interiit. Sabinum generum, cùm Constantinopolim aufugisset, retractum inde, Honorius in exilium egit: atq; his rebus exacerbatus decreuit, ut Heracliani nomen ex omnibus publicis, & priuatis monumentis aboleretur, delerenturq; omnia, quæ sub eo gesta esse dicerentur. Sigonius lib.11. Imperij occid. ex Orosio.

Victoria.

Platæensi uictoria elatus PAVSANIAS Spartanus plurima miscere cœpit, & maiora concupiscere. Cùm ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia: Suo ductu Barbaros apud Platęas esse deletos, eiusq; uictoriæ ergò Apollini donum dedisse: hos uersus Lacedæmonij excalpserunt, neq; aliud scripserunt, quàm nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Persæ erant uicti. Probus in Pausania.

Deuictis Samiis, PERICLEM Ion scribit supra modum animum sustulisse: quòd cùm barbaram urbem Agamemnon decem annis, mensibus nouem ipse principes Ionũ & opulentissimos subiugasset: neq; iniuria gloriatus est, imò tam anceps sors, & discrimen tam ingens fuit huiusce belli, ut quod tradit Thucydides, Samiorũ ciuitas penè imperio maris exuerit Athenienses. Plut. in Pericle.

ALEXANDER Magnus, Dario uicto, Persarum regno potitus, ueluti felicitate multa ebrius, sapere supra hominẽ cœpit, ac sibi deniq; uideri deus. Quo nomine datis ad Gręcię ciuitates literis, ridiculè satis instituit petere, decreto publicitùs ipsum statuerent deum. Aelianus lib 2.

Cùm Demetrius Ptolemæum insigni uictoria apud Cyprũ superasset, hîc primùm Antigonum & Demetrium uulgus reges Asię consalutauit, atq; Antigonum confestim diademate amici cuinxêre. Demetrio pater diadema misit, scriptaq; epistola regem appellauit. Aegyptij quoque his nunciatis, ne ob cladem abiecisse uiderentur animos, regem PTOLEMÆVM dixêre. Ea res pariter æmulatione omnes successores Alexandri peruasit. Etenim cœpit diadema Lysimachus in Hellesponto gestare, & Græcos Seleucus Babyloniæ alloquens, quando barbaris eo ornatu antè quoq; ut rex responsa dederat. Id non additamentum nominis & habitus tantũ habuit uariationem, uerumetiam illorum inflauit spiritus, & animos sustulit, moribusq; & congressibus eorũ fastum addidit, & supercilium, tragicorum histrionum more unà cum persona incessum, uocem, accubitum, salutationemq; uersantium. Hinc euaserunt in puniendo quoq; uiolentiores: ubi illam, quæ ipsos multo faciliores & leniores antè popularibus reddebat, detraxerunt potestati dissimulantiam. Tantũ uox una ualuit adulatoris ARISTODEMI Milesij, qui nuncius uictoriæ ad Antigonum missus, cũ regem primò salutauerat, tantaq; orbẽ terræ impleuit conuersione. Plut. in Demet.

CLITVS ad Amorgum tribus uel quatuor Græcorũ depressis nauibus Neptunus salutatus, tridentem gestauit. Plutarchus orat. 2. de Alexandri fortuna.

DEMETRIVS Poliorcetes, cui modicam particulam fortunæ ex Alexandri opibus adiecit, Iouem desultorem uocari se sustinuit. Idem.

RICIMER Sueuus, Seueri Imp. magister militiæ, Beorgorem regem Alanorum, qui è Gallia in Italiam irruperat, ad Bergomum oppidum nactus, ad prælium sic adduxit, ut non solùm exercitum profligarit, sed regem etiam congressum acie interemerit. Qua uictoria elat⁹, magnificos inde adeò spiritus sumsit, ut Seuerum etiam ipsum contemnere cœperit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

Fertilitate regionis.

Strabo auctor est, non aliam ob causam in campis PHLEGRÆIS (in Campania prope Neapolim hodie dictam) Gigantomachiam poetas finxisse scribit, quàm ut indicarent eam esse illius loci hominum naturam, ut ob loci fertilitatem, quæ plerisq; uitiis fomenta subministrat, assiduis bellis, seditionibus inter se agitentur, rectèq; P. Sulpitius Coss. apud Liuium CAMPANOS non, nisi desit cui rebellent, à perfidia cessare posse asserit. Et etiamnum hodie maiorib. motibus ea pars Italię ob Aragoniorum & Andegauensiũ Gallorum & Hispanorum factiones quàm ulla alia fuit agitata. Pandulfus Collenutius lib.j. de regno Neapol. & lib. 3. regnum NEAPOLITANVM palæstram ambitionis & auaritiæ uocat, rapinis & calamitatib. expositum, propter fertilitatem & diuitias à multis expetitas.

AMBITIONIS EXERCITATIO IN GENERE.

QVI HVC AMBITIOSI POPVLI.

Mycenas ARGIVI sola æmulatione moti exciderunt, indignè ferentes, quòd ipsis quiescẽtibus, Mycenæ missis octoginta militibus, Lacedæmoniorum gloriæ ad Thermopylas participes essent redditi. Pausanias in Corinth.

LACEDÆMONII, cùm duce Cleomene Athenas tyrannide Pisistratidarum liberassent, & eas mirum in modum crescere uiderent, oraculis etiam felicitati illarum consentientibus: inuidia metuq; exagitati, eas rursus opprimere, & tyrannidi Pisistratidarum subiicere tentarunt: eoq; Hippiam Pisistrati F. à Sigæo Hellesponti, quò confugerat, accersiuerunt. Herodotus lib.5.

Superbos fuisse ROMANOS, & aliis superbis superbiæ eorũ gratia succensuisse, declarant Catonis Censorij uerba, ex oratione quã pro Rhodiẽsibus in Senatu habuit: Rhodienses, inquit, superbos esse aiunt: id obiectantes, quod mihi de liberis meis dici nolim. Sint sanè superbi. Quid ad nos attinet? Id ne irascimini, si quis superbior est quã nos? Addit his uerbis Gellius lib.7. Nihil prorsus hac compellatione dici potest neq; grauius, neq; minutius, aduersus homines superbissimos facta, qui superbiam in sese amarent, in aliis reprehenderent. L. Viues in c.j. lib.j. Aug. de ciuit. Dei.

THIETMARSI, populus paludum oportunitate libertatis studiosissimus, sæpè uictus, nunquam subiugatus, in perpetuam Holsatis positus palęstram, difficulter ab iniuriis temperat: quòd se omnibus nobilitate (ut ferunt) & robore (ut putant) anteponunt, nec se patiuntur æquari cæteris. Occisos de sua gente magno licitantur: sed quos ipsi ex aliis cedunt, nullo æstimant precio. Iniuriantes primi ueniunt ad querimoniam, difficulter conquiescunt: nisi duplo maiore damno aduersantibus illato, iram non ponunt. Cranzius lib.10. Saxoniæ, cap.10.

MOSCHOVITÆ in honore captando uenandoq; mirabilibus & superstitiosis ceremoniis utuntur. Tenuioris etiam fortunæ hominibus, intra portam alicuius præstantioris uiri equitare non licet. Proceres & consiliarij, sed & tenuioris fortunæ nobiles, in publicum rariùs prodeunt, ut maiorem auctoritatem suiq; obseruantiã apud populũ captent: nullusq; nobilium ad quartam uel quintam domum pedes progreditur, nisi equus subsequatur, ostentationis causa. Nobilis, quamuis egenus, ignominiosum putat, si manu laboret. Guagninus in descriptione Moschouiæ cap.4.

IAPONVM gens cibi parca, honoris auidissima, quem etiam in summa egestate, cognominum incremento, quæ rex benemeritis attribuere solet, metitur. Io. Metellus.

FLORENTINI tanta ambitione, tamq; superbo liuore prędīti sunt, inquit Iouius: ut cùm quisq; ad clauum gubernandæ reipub. sedere, potiri quoquo modo communis patriæ imperio, & publicas opes priuato commodo complecti cupiat, ea inexplebili cupiditate ardeãt omnes, & prorsus insaniant: quòd neminem tanquam ex æquo ciuem, uel opibus, uel dignitate superiorem ferre uelint: & clariorẽ quoque uirtutem, melioremq; fortunã in aliena domo nisi ægris oculis conspiciant, quando eadem ex pari meritò sibi deberi iudicent. Sic ut nequaquam mirari lubeat, si elati & peracris ingenij, notæq; tenacitatis homines plerunq; decus in lucro præsentiq; pecunia, & immoderatis sæpeq; etiam parum piis quæstibus reponant: eò etiam maiore reliquarum gentium admiratione, quòd domi nequaquam sumtuosam, ut pleræq; aliæ ciuitates, sed parcam in uniuersum, & bonæ frugis disciplinam exemplo ueterum Græcorum, ex quibus orti sunt, institutam sequantur. Quanquam alioqui, uti sunt pecuniosi mercatores, supra censum, & totius industriæ spem, magnificis ædificiis laudem quærant. His uitiis facilè euenit, ut intestinis discordiis ferè continenter per trecentos annos grauissimè laborarint: tanta quidẽ rabie, ut modò patritios, modò populares, alternãte uictoria, è ciuitate in exilium expellerẽt, sæuis cædibus integras sæpè familias delerent, & crudelibus incendiis in nobilissima tecta grassarentur: nec in his malis, nunquam mitigata feritate, dispuderet à sordidissimo opifice iugum accipere, ultrò Barbaros tyrannos, qui liberis leges darent, adsciscere: uti miserabili conditione experti sunt, ex Michaelis Landi, Gualteriiq; Athenarum reguli, & Caroli Andegauensis abominandis casibus. Per hunc modum ciuitatem magnis perturbatam iactatamq; fluctibus, Medicei per integrum ferè seculum saluberrimis legibus compositam, confirmarũt & auxerunt. Iouius lib.25. Hist.

PONTIFICES, SACERDOTES.

☞ *Vide Tit. Pontificatum, Primatum ambitiosè expetere.*

[redacted]

SABINIANVS (Palmerius Sabinum, Nicephorus Innocentium uocat, lib.18. cap.56.) cùm Gregorio Magno (cuius legatus fuerat ad reges) successisset, ut uidit sibi defuncti laudes obstare, nihil non tentauit, quo memoriam eius penitùs tolleret. Finxit crimina multa in Gregorium, quòd ædificia collabi permisisset, ærarium ecclesiæ expilasset. Intercedente tamen Petro archidiacono, nihil efficere potuit. uixit anno Christi DCIV. Sigebertus. Parum absuit, quin eius scripta aboleuerit. In summa annonę caritate monitus, ut in subleuanda inopia Gregorij pietatem imitaretur: Gregorius (respondit) homo nequam & ambitiosus, popularẽ auram captans, ecclesiæ patrimonium consumsit. Fuerunt qui crederent Sabinianum, Romanorum quorundam impulsu habuisse Gregorium inuisum, quòd pontifex statuas & reliqua urbana ornamẽta sustulisset. Sed à tã atroci calumnia uindicat se præcipua uiri pietas. Sab.l.6. En.8. ex Plat.

Arctissima obsidione Christiani Damiatam Aegypti premebant, duce Ioanne Brenno rege Hierosolymorum. Coradinus Damasci & Hierosolymorũ Sultanus, per oratores sibi Aegyptioq; pacem petebat: pollicebatur inprimis se sacrosanctam Crucem, & quicquid de Christianis in Syria Phœniceq; ipse paterue aut Saladinus cepisset, redditurũ. Franci, Angli, Itali, leges comprobabant. PELAGIVS apostolicus legatus hanc pacem aspernabatur: bellum pro religione aduersus impios Mahumeticamq; superstitionem susceptum, cuius sedes arxq; sit Aegyptus: eam perdomandam, sanandãq;. Legatus auctoritate ac sanctitate nominis obtinuit, ut Damasceni oratores pace infecta dimitterẽtur. Nõ multò pòst capta quidem Damiata est: sed Latini dum Cayrum obsidere parant, intra Nili aggeres ab hoste intercisos interclusi, turpissimam pacem accipere coacti sunt, & Damiatam reddere. Aemilius lib.6.

PIVS II. Põt. max. uir moribus castissimus, religionis amantissimus, literis ac studiis pertinacissimè deditus fuit. Sed tot uiri laudes unum tantùm ambitionis uitium commaculauit: quum semper promotionum appetentissimus fuerit, & gloriæ, eaque de causa labores plurimos susceperit. Volat lib.22. Anthrop.

ADELBERTVS siue Albertus, Bauariæ Comes, ab Henrico III. Imp. archiepiscopatum Hamburgensem & Bremẽsem assecutus, metropolitanus Aquilonarium regnorum, regio luxu in ædificiis & comitatu utebatur: metropoli suæ XII episcopatus subiicere, eamq; in Patriarchatum conuertere studebat. Sumtibus immensis comitatus aliquot Bremensi ecclesiæ adiunxit, nullo cum fructu: eoq; nomine thesauros sacros omnes conflauit. Iam cùm sub Henrico IV. puero imperij gubernacula teneret: in eos, qui uel in regem Henricum manus iniecissent, uel ecclesiastica bona inuasissent, animaduersionem meditans: cõspiratione principum, Hannonis pręsertim Coloniensis archiepiscopi, ex aula pulsus, ab Ordulfo & Magno Saxoniæ ducibus, fortunis omnibus exutus, aliena misericordia per triennium exul uixit. In gratiam receptus ab Imp. cum Coloniense quoq; in gratiam rediit, & Vicedominatum adeptus est. Gloriæ tantũ indulsit, ut non iam Latino more ecclesiastica uellet obire ministeria: sed nescio qua Gręcorum consuetudine per tres missas, quibus adstitit, ubicunq; esset, XII modulari præcepit

efficia: omnia magna quærẽs, omnia mirabilia, omnia glo riosa, diuinis & humanis in rebus. Et ideo dicitur fumo delectatus aromatum, & fulguratione luminum, & tonitruis altè boantium uocum: quæ omnia traxit à lectione ueteris Testamẽti, ubi maiestas Domini scribitur apparuisse in mõte Sinai. Statim sub initia suæ dignitatis superbè asserebat, omnes prædecessores suos obscuros fuisse atq; ignobiles: solum se generis ac diuitiarum titulis excellere, quippe qui esset comitis Bauariæ filius: porrò dignum, qui maiorẽ sortiretur cathedram, uel ipsam Apostolicam. Talia non semel iactantem uisio magna perterruit. Vidit nocte intempesta, se in conuentum ecclesię rapi, ubi missarum solennia essent celebranda, adstãtibus quindecim suis ex ordine prædecessoribus, ita ut proximus, qui ante eum fuerat, Alebrandus perageret missarum solennia. Quumq; lecto euangelio, fa- [redacted] persedit: quòd diceret ille, meliùs populum erudiri per suę nationis homines (qui & mores & linguã & ritus callerent in quaq; gente) quàm per alienigenas. Itaq; muneribus earum nationum homines ad euangelizandum incitauit. Periitq; illa hominis iactantia, qua solebat gloriari, tres se euangelistas in regnum præcessisse, Ansgarium, Rembertũ & Vnni: sibi quartum seruari locum. Petebatur ergo ab omnibus etiam remotissimis gentibus, de Islandia & Gronlandia per legatos: & se adiri ab omnibus passim permittebat, in omnes regiones & insulas ordinans episcopos. Gaudẽs enim repetere solebat, Messis quidem multa, sed operarij pauci. Nunquam tam erat solitarius, ut non aut quatuor aut quinq; episcopis stiparetur. Sub finem uitæ melancholia correptus, quod ecclesiæ cætera bona recuperare non posset, noctes peruigilans, dies totos stertebat, uel fabellas audiebat: pauperibus detrahebat, dabat adulantibus: obuios pugno cædebat: Palatino comite Friderico fratre frustra reprehendente. Monachatum assumere aliquoties desiderauit, aut in ministerio legationis suæ in Vandalia, uel in Suecia, siue in Islandia pro Christo immolari. Dum medicorum auxilio studet ualetudinem recuperare, in grauiorẽ recidit morbum: graui insuper casu equi sublabentis attritus, correctionem suæ uitæ Deo promittens, statim conualuit: totumq; superuiuens triennium, multa compleuit, nõ tamen omnia quæ promisit. Decimaquarta die ante obitũ suum Goslariæ grauissimo dysenteriæ morbo correptus, & usq; ad ossa attenuatus, suæ adhuc immemor salutis, reip. negotia usq; ad extremam sui transitus tractauit horã. Aderat ibi Magdeburgensis episcopus Vvesselus, & alij fratres, petentes ut admitterentur: quos tamen ipse excludi præcepit, dicens, Se prę immunditia infirmitatis indignum, ut ab aliquo uideretur. Soli Henrico IV. regi concedebatur aditus. Tandem quum adhuc de hac uita speraret, cæteris ad epulas sedentibus, solus spiritũ exhalauit, anno MLXXII. Cranzius lib. 4. & 5. Metropoleos.

THOMAS Volsęus presbyter, obscuro loco natus, Vintoniẽsis episcopi opera Henrico IIX. Anglorum regi cõciliatus, Eleemosynarij primò dignitatem & consiliarij consecutus, mox Lincolniensis pòst Eboracensis archiepiscopus, inde regni Cancellarius, tandem Cardinalis & Dunelmensis episcopus creatus, regibus sese æquatum existimans, cepit uti sella aurea, puluino aureo, uelo aureo ad mensam, habere galerum, Cardinalium ordinis insigne, loco cuiusdã idoli sacri, qui, cùm ille pedibus iret, sublimè à ministro præferebatur, in sacelloq; regio super altare collocabatur tantisper, dum res fieret diuina. Ius dicebat iuris imperitiss. emendicatis Iurecoss. responsis sese corniculæ instar muniens. Apostolicæ legationis munus à pontifice consecutus, nihil priùs habuit, quam ut aliqua insigni re doceret, se alios dignitate exuperare: & quia nullum iam propemodum ceremoniarum genus erat, quod non usurpasset, placuit ad extremum per sacra, per crucem Christi, ostentare mundo adeptum decus: cœpitq; adeò frequentiùs solito, cùm dies aliquis solennis adesset, & rex cum tota sua cohorte interesset, rem diuinam ritu pontificali facere, & adhibere administros ad inseruiendum, tum episcopos & abbates, tum duces & comites, qui aquam manibus, qui mantilia darent: item non contentus unã cruce, qua utebatur, quòd archiepiscopus esset Eboracensis, alteram præ se ferri uoluit, per duos sacerdotes statura elegantes, & equis magnis insidentes, qui aperto capite, quocunq; anni tempore incederent. Henrici IIX. & Francisci I. Galliæ regis congressum absq; causa Guinis fieri procurauit, ut pontificalem suam auctoritatem Gallis quoq; notam faceret, & Gallũ pecunia emungeret, & Carolum æmulatione quadam ad suam amicitiã auro redimendam extimularet. Edouardũ Buchyngamiæ ducem falsis circumuentum criminibus capitè plecti curauit. Ad cõciliandum sibi populi fauorem, quem rapinis suis & ambitione penitùs amiserat, cùm appropinquaret quadragesima, pronunciandum per concionatores, ad crucem D. Pauli curauit, ut per eos quadragesimæ dies, cunctis generatim liceret uesci lacte, caseo, ouis: & ut id nemo hominũ perhorresceret, sua auctoritate delictorum remissionem uescentibus pollicitus est. Polyd. lib. 27.

REGES, PRINCIPES.

Infrà sub λῆψει, exempla eorum qui Regna ambitiosè obtinuerunt.

DE OZIA rege leproso, qui per suam superbiam corruit, scribitur, quòd homo fuerit terræ operibus incubans, & multas superbiæ turres ædificarit in angulis, & lacus foderit. Hieronymus lib. 10. in Ezech. cap. 32.

REX Persarum omnes existimabat seruos, extra coniugẽ suã, in quam tamẽ potissimum ei esse ius debebat. Plut. ad Principem indoctum.

ALEXANDRI Magni uirtus & felicitas tribus insolentię gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouẽ Hammonem patrem asciuit. Tædio morum, & cultus Macedonici, uestem & instituta Persica assumsit. Spreto mortali hábitu, diuinum caput æmulatus est. Nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem dissimulare. Val. Max. lib. 9. cap. 5. & Plut. in eius uita.

PYRRHVS Epirotarum rex, sciẽtia quidem rei militaris, manu atq; animo longè omnium suæ memoriæ regum habitus est primus: uerùm quæ factis comparauerat, ea semper noua spe corrumpere: quòd siti illorum, quæ nondũ habebat, nihil horum, quæ habebat, conseruaret, ut rectè uteretur. Vnde comparat eum Antigonus aleatori, qui multa & secunda iacit, sed uti nescit iactu. Plut. in Pyrrho.

C. IVL. Cæsar non honores modò nimios recepit, ut continuum cõsulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamq; morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter reges, suggestũ in orchestra: sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia, & pro tribunali, thensam, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Quum sacrificio Latinarum reuertente eo inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam è turba statuæ eius coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset: & Tribuni plebis Epidius Marullus, Cæsetiusq; Flauius coronæ fasciam detrahi, hominemq; duci in uincula iussissent: dolens seu parum prosperè motam regni mẽtionem, siue, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos grauiter increpitos potestate priuauit: neq; ex eo infamiam affectati etiam regij nominis discutere uoluit: quanquã & plebi regem se salutanti, Cæsarem se, non regem esse respõderit: & Lupercalibus, pro Rostris à Cos. Antonio admotum sæpiùs capiti suo diadema repulerit, atq; in Capitolium Ioui opt. max. miserit. Quinetiam uaria fama percrebuit, migraturum Alexandriam uel Ilium, translatis simul opib. imperij, exhaustaq; Italia: delectibus & procuratione urbis amicis permissa. Proximo autem Senatu percrebuit fama, L. Cottam XV uirũm sentẽtiam dicturum: ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi à rege, non posse uinci, Cæsar rex appellaretur. Quæ causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Suetonius.

C. CALIGVLA Romanorum Imp. in eam prolapsus est insolentiam, ut deorum uestimenta indueceret, in quibus nunc bellicosam uirginem, nunc mulierem repræsentabat. In sacrificiis deorum ornatu induebatur, in plateis serico & triumphali uestitu incedebat. Xiphilinus.

NERO pro Palatij gradibus Imperator consalutatus, lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantùm Patris patriæ nomen recusauit, propter ætatem. Erat illi æternitatis perpetuæq; famæ cupido, sed inconsulta. Ideoq; multis rebus ac locis uetere appellatione detracta, nouam induxit ex suo nomine. Mensem quoq; Aprilem Neroneũ appellauit. Destinauerat & Romam Neropolim nuncupare. Suetonius.

HERODES Iudæorum rex, cùm honoris esset cupidissimus, incitabatur ad magnificentiam, sicubi spes esset aut in præ-

sens laudis, aut in posterum memoriæ. Quare cùm in alios erogaret plurimum pecunię, necesse erat eam à subditis malè quærere. Deinde sciens se ob eas iniurias inuisum subiectis, abutebatur suorum odio in suum commodum. Nam si quis illorum non per omnia seruitutem toleraret, aut uideretur uelle dominationem eius excutere, in tales impotenter sæuiebat, non aliter quàm in hostes, nullo cognatorum aut amicorũ discrimine, quòd solus uellet honorari ab omnibus. Quàm autem honoris cupidus fuerit, colligere licet ex his ipsis honorib. quos ille Cæsari & Agrippæ cæterisq; eius amicis exhibuit. Volebat enim exemplo esse suis, ut quemadmodum ipse præstantiores coleret, sic etiam coleretur ab omnibus. Sed Iudæis per leges patrias non licebat statuis & templis demereri regis gratiam, & similibus adulationibus explere insanam cupiditatem gloriosi hominis. Atq; hæc causa uidetur, cur Herodes erga subditos & familiares & consiliorum participes iniquior, erga exteros & alienos tanto beneficẽtior fuerit. Iosephus lib. 16. c. 9. Antiq.

IVLIANVS Apostata ad imperium mortuo Constantio euectus, legationibus remotissimarum gentium cultus, & nuncio uictoriæ Aquileiensis elatus, supra hominis spirare con ditionem cœpit. Itaq; qui primò omnibus facilem se præbuerat, pòst paulo Christianis acerbior esse instituit. Nam Constantinopoli Gentiliũ sacra renouari, ac patefieri templa præcepit. & Christum appellans, Galilæũ ad contumeliam nominauit: & Christianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores literas aut docerent, aut discerent, interdixit. nimirum ne quæstum ex iis artibus facerent, quarũ religionem respuerent, aut ne doctrinis Gentilium eruditi aduersus eos abuterentur. qui uerò à Christiana fide nõ recesserunt, eos & Palatio expulit, & militiæ munere spoliauit, ex quibus alij baltheum posuerunt, atq; omnes cruciatus perferre, quàm à Christo deficere maluerũt (inter quos fuit Iouianus, Valentinianus & Valens, qui post ipsum deinceps Imperium tenuerunt) alij propter imbecillitatem ad immolandum se receperunt. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

ISAACIVS Angelus Imp. alternis diebus lauacris se reficiebat: pastillis & ungentis omnis generis delibutus, instar pauonis superbi se ostentabat.

HENRICVS Leo, Saxoniæ & Bauarię dux, subacta iam Vandalia, & fœdere cum Danorum rege Valdemaro renouato (nam gratiam Imp. Friderici I. iamdudum promeruerat, magnis rebus in Italia cum illo & pro illo gestis) superbire cepit: & in summo fortunæ fastigio nullum ruinæ incommodum suspicatus, subiectos intolerabili acerbitate uexabat, ęquè ciuibus ac hostibus grauis. Ergò cùm Fridericũ I. Imp. in quartã expeditionem Italicã, superioribus præclarè de illo meritus, sequi recusasset, contumaciæ causa proscriptus fuit. Inde facta est coniuratio magna omnium cõtra illum, anno MCLXIV. fueruntque inter conspiratores primi, Vvichmãnus Magdeburgensis archiepiscopus, Hermannus Hildesemensis pontifex, Ludouicus Landgrauius Turingiæ, Albertus marchio Brandenburgẽsis, Otho marchio de Camburg, Albertus comes Palatinus de Sumeresberg, & Reinoldus Coloniensis archiepiscopus. Magnis odiis certatum, sic tamen ut ad extremum reuersus ex Italia Fridericus pacem composuerit. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 20. & Saxo lib. 14.

CAROLVS Burgundus princeps non ferendæ ambitionis, inani ostentatione uerborum crebrò illud iactare diceba tur, Mediomatricibus atq; Heluetiis, qui medij intercederent, bello subactis, unum se futurum Principem, qui ab Oceano Britannico ad Superum atque Inferum mare productis imperij finibus, Christianam remp. ab immani Turcarum tyrannide, exercitibus in Græciam & Macedoniã transportatis, uindicaret. Brutus lib 6. hist. Flor.

FRANCISCVS I. Gallorum rex, pace cum Carolo V. Imp. facta, non diuturnam fore asseruit. Nam nec ille parem, inquiens, nec ego superiorem ferre possum. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

POLITICI.

Cùm Athenæ Pisistratidarum tyrannide liberatæ essent, in republ. duo uiri præpollebant, CLISTHENES Alemæonides, & ISAGORAS Tisandri F. Hi per factiones de potentatu contendebant. Clisthenes, cùm uinceretur, populũ amplectendo, ex quatuor tribubus mox decem effecit, cognominibus Iouis filiorum, Pelcõtis, & Aegicoris, & Argadei, & Hopletis: in alia commutatis quæ ipse inuenit, aliorum heroum indigenarum, præter quàm Aiacis: quem etsi hospitem, tamen adiecit, utpote finitimum ac socium. Herod. libro quinto.

THEMISTOCLES ab initio statim graues sustinuit cum potentibus in rep. & principibus inimicitias: præ cæteris cum ARISTIDE Lysimachi, qui semper ab eo dissentiebat. Amauit uterq;, ut Ariston philosophus scriptum reliquit, formosum Stesilaum, Cea oriundum. Hinc fuit perpetuum inter eos & de republica dissidium. Veruntamen uitæ & morum uidetur dissimilitudo eam exaggerasse distractionem. Nam Aristides cùm mansueto ingenio & probis esset moribus, neq; in rep. gerẽda quicquam gratiæ populi daret uel gloriæ seruiret suæ, sed omnia ad honestatem cum securitate & iustitia coniunctam dirigeret: nõ poterat facere, quin incitanti ad multa populum, ingentesq; res nouanti Themistocli, quo incrementum eius reprimeret, subinde repugnaret. Tandem cùm opes eius assurgerent, & esset populo gratus, Aristidem inuidia ei cõflata & factione sua oppressit, atq; in exilium decennale exegit. Plut. in Themistocle.

PERICLES cum CIMONE simultates gerebat, Reipub. causa: cùm hic optimatibus, ille populo faueret. Tandem ostracismo Cimonem urbe eiecit: eundem postea scripto plebiscito uel in populi gratiam reuocauit: uel certè postquam occulta pactio inter eos, Cimonis sorore interprete Elpinice, intercessisset, ut classe Cimon ducentarum nauium accepta, foris præesset exercitui, & prouincias regis deuastaret, Pericles imperium domi haberet. Mortuo Cimone, optimates, quanquam sentirent iamdudum ualidissimas in ciuitate euasisse opes Periclis: uolebant cum eo aliquem tamẽ in ciuitate comparatum, qui potentiam eius, ne planè erumperet in tyrannidem, retunderet. Itaq; aduersarium ei obiecerunt affinem Cimonis, moderatum uirum, Alopecensem THVCYDIDEM. Qui cùm minus bellicis laudibus esset quàm Cimon celebris, sed fori artiumq; peritus ciuiliũ: urbem colens, atq; in concionibus cum Pericle decertãs, breui remp. ad æquilibrium reduxit. Neq; enim eos, qui optimates uocabantur, immisceri & confundi permisit, ut antè, cum plebe, ubi multitudine offuscabatur dignitas eorũ: sed secreuit eos, contractisque in unum omnium opibus, quæ hac ratione factæ sunt ualentiores, fecit tanquam in lance momentum. Ac horum uirorum contentio & ambitio, ingenti diuisit ciuitatem fissura, effecitq; ut hæc pars Populares, altera appellaretur Pauci. Postremò de decennali exilio cum Thucydide contracto certamine depugnans, illum exterminauit, factionẽq; dissoluit aduersam. Plut. in Pericle.

NICIAS Nicerati, & CLEON in Repub. Atheniensium ęmuli: hic quidem homo sceleratus & audax, ille uerò optimus ciuis. PERICLES quidem, qui solida uirtute & ui dicendi ciuitatem gubernabat, nullo fuco ad multitudinem opus habebat, nec gratia artificio colligẽda. Quibus Nicias cùm deficeretur, pręcelleret autem opibus, his deliniebat plebẽ. Quia uerò erat ad Cleonem, qui leuitate & scurrilitate populum Atheniensem mulcebat, similibus æquandum artib. ineptus: oblectabat choragiis, gymnasiarchiis, muneribúsque huiuscemodi aliis populum, splendore antecedens & munificentia, quâ prioris quâ suæ memoriæ omnes. Iam uerò ubi mortuo Pericle ALCIBIADES, Niciæ studiis pacis & gloriæ inuidens, ad bellum Syracusanum populũ accendit: non modò à tam perniciosa expeditione Atheniẽses reuocare potuit Nicias, uerùm etiam à populo collega datus est Alcibiadi & Lamacho, qui illorum præcipitantiam sua maturitate moderaretur. Exitus ipse tandem declarauit, Niciæ consilium patriæ saluberrimum futurum fuisse, si ei paruissent. Plut. in Nicia.

PII HOMINES.

IOANNES Apostolus & reliqui DISCIPVLI, cũ uidissent quendã in nomine Iesu dæmonia eiicientẽ, qui tamẽ Christum non sequeretur: Iesum rogarunt, ut illum hoc facere prohiberet. At is, Qui aduersus nos non est, inquit, pro nobis est. Matt. 18. Luc. 9. Marci 9.

D. AVGVSTINVS de studio honoris, apud Dominũ, l. 10. Cõfess. c. 37. his uerbis cõqueritur: Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid? nisi delectari me laudibus? Veruntamen nollem ut uel augeret mihi gaudiũ cuiuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget, fateor, non solùm, sed & uituperatio minuit.

HÆRETICI.

THEMISON, assecla Maximillæ fuit. De eius martyrio Apollonius, in oratione contra Cataphrygas (referente Eusebio lib. 5. cap. 18.) in hunc modum scribit: Themison indubitata auaritia circumdatus, confessionis signum nõ gustauit, sed multa se pecunia uinculis exemit: cumq; ipsi ob eam caussam humiliter esset agendum, tamen quasi martyr gloriabundus, ad exemplum Apostoli catholicam quandam epistolam ausus est scribere, & eos instituere qui melius quàm ipse credebant: & hortari, ut unà secum pro nouis doctrinis decertarent, ac Dominum & Apostolos eius & sanctam ecclesiam blasphemarent.

ALEXANDER, Priscillæ & Montani sectator, iudicatus est Ephesi ab Aemilio Frontino procõsule, propter temerè perpetrata latrocinia, cùm iam esset pręuaricator. Deinde cùm falso sibi nomen Domini prætexeret, seductis eius loci fidelibus, dimissus est. Parœcia uerò eius, unde erat, propterea ipsum, quòd latro erat, non recepit. Sed pòstea se ipse mar-

tyrem esse dixit, & à multis est adoratus: multis peccatorũ absolutionem impertiuit, ut martyres solebant. Eusebius lib.5. cap.18. ex Apollonio.

CINÆDI.

THEMISON Cyprius, Antiochi regis deliciæ, Hercules dici uolebat, eoq; nomine rem sibi diuinã fieri patiebatur:aderatq; ipse leonis pelle instratus, arcum item ferens Scythicum & clauam. Cælius lib.11.cap.16. A.L.

PHILOSOPHI.

DEMONAX ad Agathoclem Peripateticum, arroganter iactantem, sese & solum & primum esse dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? Erasmus lib. 8. Apopht.

HERACLIDES Ponticus, Athenas iuuenis concessit: ubi cũ molliore uestitu uteret', corpore obeso, ac ideò incessu tardo, pro Põtico Pompicus cognominabatur. Multa scripsit, multa etiam ab aliis furatus est, gloriæ auidissimus. Laërt.

COLOTES, quem Epicurus solebat blandè Colotarã & Colotarium appellare, emisit librum de sectæ Epicureæ præstantia, cui titulum fecit, Ne uiui quidem ex aliorum philosophorum placitis posse: qui liber regi Ptolemæo nuncupatus est. Plut. contra Coloten.

RHETORES.

AMPHICRATES Atheniensis rhetor exulasse dicitur Seleuciæ super Tigrim positæ. Rogantes autem ciues, ut ludum ibi aperiret, reiecit, inquiens: Nec patinam delphini capacem esse. Cùm inde contulisset se ad Mithridatis filiam Tigrani nuptam, pressus calumniis, atq; interdicta sibi Græcorum consuetudine, uitam inedia finiuit. Plut. in Lucullo.

M. TVLLIVS Cicero, cùm Romæ multos adolescentes nobiles, quòd se contra disciplinam militarem gessissent, accusatos, egregiè defendisset: elatus eo, è Sicilia Romam contendens, in Campania incidit in quendam ex primoribus, qui cum sibi existimabat intercedere gratiam: Quiq; sermo esset inter ciues de rebus suis gestis, & quid sentirẽt? quæsiuit. Respondente illo: Tu uerò Cicero ubi hoc spacio fuisti? animo planè concidit, quòd mentio sui in urbem tanquam in uastum incidens pelagus, nihilo se ad gloriam reddidisset conspectiorem. Auebat enim supra modum celebrari, tenebatq; eum perpetuò cupiditas immensæ gloriæ: quæ multa eius præclara consilia frequenter interpellauit. Plutarch. in Cicerone.

Plinius minor in epistola quadã ADOLESCENTIVM quorundam ridiculam in agendis causis arrogantiam & ambitionem taxans, sic ait: At hercule ante memoriam meam (ita maiores natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producẽte: tanta ueneratione pulcerrimum munus colebatur. Nunc refractis pudoris & reuerentiæ claustris, omnia patẽt omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redemti mancipes. Conuenitur à cõductis & redemtis in media basilica, ubi tam palàm sportulæ quàm in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari mercede transitur. Inde iam non inurbanè σοφοκλεῖς, ἀπὸ τοῦ σοφῶς καλεῖσθαι, uocantur. Iisdem Latinum nomẽ impositum est, Laudiceni. Hactenus Plinius. Vtroq; uerbo notantur, q facũdi dici malebant & uideri, quàm esse. Sophocles enim Græcè dicitur ἀπὸ τοῦ σοφὸς & κλέος. At illi dedita opera perperàm interpretabantur, ἀπὸ τοῦ σοφῶς καλεῖσθαι, id est, ab eo quod sapientes uocarentur. In hoc igitur est allusio festiua ad poetæ tragici nomen: in Laudiceni uocabulo, ad gentis nomen alluditur. Erasmus.

ATHENIENSES doctores, Constantini & Iuliani Impp. ætate, hoc habebant, ut cùm ipsi inter se simultates exercerent, adolescentes aduentantes naui per emissarios suos allicerent, & ad se singuli pertraherent. Sic nauclerus in Proæresij rhetoris domum turbam peregrinorum maximam, & in his Eunapium introduxit, quamuis in ipso portu ab aliis interpellatum: & Libanium Diophanti rhetoris auditores uenati sunt, ne Proæresium accederet. Eunapius in uita utriusque.

POETÆ.

CALLIPHANES diuersorum carminum & orationum initia conscribere solebat, ad tres aut quatuor uersus, eaque pronunciare & ostentare: quo commentum ignorantibus, multiscius & eruditus uideretur. Athenæus Dipnosophistarum lib. j. ait cognomen fuisse Parabryconti. In prouerbiũ certè abiit, pro homine ambitioso.

Q. ENNIVS, Homeri animam se habere iactabat. Gyraldus.

MVSICI.

Cùm in Isthmiis lex esset, ut neq; comœdia certaret quispiam, neq; tragœdia: Neroni placuit tragœdos superare. Ac prodierunt ad hoc certamen plures quidem: EPIROTA autẽ quidam, ut qui uoce optimè ualeret, & ob eam artem etiã celebraretur, & in admiratione esset: clariùs solito fingebat & coronã amare se, & nihil de studio remittere uelle, priùs quàm à Nerone decem talenta pro uictoria acciperet. At ille exasperabatur, simul & insani more ferebatur: nam & auditus iam sub scena fuerat, in ipso uidelicet certamine. Acclamantibus autem Græcis, Epirotæ mittit scribam, qui iuberet hunc submittere sibi sese. Sed pergẽte eo, & supra modum attollente uocẽ, populariterq; ac liberè cum ipso contendente, immittit Nero in pulpita suos histriones, tanquã qui ad hoc negotium pertinerent. nam & libellos elephantinos & duplices habebant, quibus præ se intẽtis, uelutì pugionibus utebantur. Atq; hi Epirotam ad proximã columnam erigentes, guttur ipsius fregerunt, cædentes obuersis in rectum libellis. Lucianus in Nerone.

MEDICI.

MENECRATES medicus, cùm morbos quosdam desperatos sanasset, Iouem deorum summum seipsum appellauit. Ad Philippum Macedonum regem scribens tali usus est exordio: Philippo Menecrates Iupiter salutem. Ad ea respondens Philippus, sic orsus est: Philippus Menecrati sanitatẽ. Significans hominem non esse sanæ mentis, qui se Deũ fingeret. Aelianus lib. 12. de Var. hist.

EMPEDOCLES philosophus Agrigentinus cùm Panthiam Agrigentinum in graui morbo curasset, atq; ob id se penè pro numine coli animaduerteret: immortalitatis atq; famę studio incensus, ut in numerum deorum translatus uideretur, Aetnam insiliit, atq; medios ipsius in ignes se coniecit. Fulg. lib. 8. c. 15. & Alex. lib. 6. c. 4.

IVRECONSVLTI.

Sigismundus Imp. in Basiliensi cõcilio uidens GEORGIVM Fiscellum I. C. quem nuper equestris militiæ insignibus decorarat, in publico consessu animi dubiũ, legúmne doctoribus, an equitibus sese coniungeret, tandem ad equites discedere: Stultè hoc quidem, dixit: nam ego mille equites uno die fecerim, doctorem unum in mille annis nõ fecerim. Aeneas Syluius lib. 4. com. in res gestas Alfonsi. Neq; uerò unum, sed multos ætate nostra Fiscellos reperias: qui postquam per literas sic emersere, ut nobilibus indoctis nõ modò æquentur, uerumẽtiam præferantur: summo tamen studio id agant, uti ne deinceps iis per quos inclaruẽre titulis uetis, sed emendicatis tantùm fictę nobilitatis imaginibus, salutentur.

ALEXANDER de Tartagnis, Imolensis, Patauij professus, collegam habuit Bartholomæum Cepollam Veronẽsem, & præcedendi causa acrem cum eo habuit contentionem: cùm, quamuis seniori, doctrina sua fretus, cedere nollet.

MECHANICI. VT

Coqui.

COQVORVM nationem olim propter artis usum superbiuisse, testimoniis comicorum intelligitur, qui huiuscemodi ipsos in fabulis inducunt. In primis autem garrulũ uanúmque finxit quendam eius generis hominẽ Philemon in Milite, atq; artem studiumq; suum, supra quàm ferri posset, extollentem. Cùm enim multa iam, quæ eò pertinerent, dixisset, addidit impudentiæ plenam uocem, se rationem inuenisse, qua homines nunquam extinguerẽtur, cùm mortuos iam odore epularum à se conditarum ad uitam reuocare posset. Versus Philemonis hi sunt:

Ἀθανασίαν εὕρηκα· τοὺς ἤδη νεκροὺς,
Ὅταν ὀσφρανθῶσιν, ποιῶ ζῆν πάλιν.

Coquus etiam Plautinus in Pseudulo, & ipse non discrepans ab ingenio reliquorum, magnificè se iactans atq; artẽ suam celebrans, similem sententiam pronunciauit, cùm alios antea pro se spreuisset, atq; eorum studia irrisisset:

Nam uel ducenos annos poterunt uiuere,
Meas qui esitabunt escas, quas ego condiero.

Victorius lib. 20. Var. lect. c. 23. Leguntur quinetiam hi uersus apud Menandrum in Dyscolo:

οὐδεὶς μάγειρον ἀδικήσας ἀθῷος διέφυγεν·
ἱεροπρεπής ἡμῶν ἡ τέχνη.

Architecti.

SOSTRATVS Gnidius, cùm Ptolemæo regi turrem speculare in Pharo Aegypti ædificasset, suum nomen in muri lapide incidit, calceq; illita, Regis nomen superinduxit: forè auguratus, ut breui pòst tempore, decidente lorica, insculptum nomen suum appareret. Plinius.

Accerserant Veneti, Sebastiani Ciani ducis auspicio, ARCHITECTVM ex Constantinopolitana urbe, ut aureã D. Marci ædem ab ipsis fundamentis extruerent. Græcus id se præstiturum pollicitus est, ea tamen conditione, ut absoluto opere, ad æternam sui memoriam, paterentur in oculatissima templi parte statuam marmoream sibi poni. Quũ iam præcipuam templi partem absoluisset, coram Patribus elabi sibi ex ore passus est, se multo celebrius templum ipsum fuisse extructurum, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quæ illum prudentiorem fecissent. Tunc subridens Dux: At neq; nos, inquit, omnia, quæ de statua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in uestibuli fronte marmoream statuam collocarunt, manu ad os obiecta, quasi illum dicti sui pœniteret. Egnatius lib. 6. cap. 5.

PVERI.

Huc Indoles Ambitiosa.

ALEXANDER Magnus, cùm adhuc puerulo in literario ludo uictoria, quam pater Philippus pepererat, narraretur, suspirans dixit: Si pater omnia uicisset, nihil sibi superfuturũ. Cui cùm astantes respondissent, Ipsi hæc omnia parari: dixit, Parui se ducere, quòd latè regnaret, quãdo parandę gloriæ materia eriperetur. Iam in ea ætate orientales uictorias animo uisus est concipere. Plut. in eius uita.

Vladislaus, Hungariæ & Boemiæ rex, ANNÆ filię, ob coronã regiam fratri Ludouico impositam flenti, eandẽ imposuit: non obscuro omine, Ludouico olim in regno Annam successuram. Cæso à Turcis ad Mohazium uicũ Ludouico, ad Annam, Ferdinando Austrio nuptam, multis cum lacrymis regnum peruenit. Dubrauius lib. 32.

MVLIERES.

Consule Tit. Magistri ambitionis, Vxores, Matres.

SEMIRAMIS uirilem sexum mentita, amplissimos ductauit exercitus, multos & magnos adiit labores, periculaq; immensa, præsertim Indico bello, gloriæ causa. Sab. lib. 5. ca. 5.

ARTEMISIA Cariæ regina Xerxis commilitium non respuit, gloriæ desiderio, neglecta sexus imbecillitate. Idem.

FABIA Licinio Stoloni plebeio nupta, inuidia sororis fortunæ, quæ patritio Tribuno nupserat, patrem Fabium Ambustum impulit, ut de consulatu plebi communicando prima rogatio fuerit lata. Sab. lib. 2. En. 4.

VIRGINIA, Auli Sulpitij filia, patricij generis, plebeio uiro L. Volũnio matrimonio locata, patriciarũ cœtu sacellũ Pudicitiæ adire prohibita, contumeliæ impatiens, in parte ædiũ, quas in Lõgo habuit uico, à prophano usu exclusa, arã Plebeiæ Pudicitiæ cõstituit, hortataq; est eiusdẽ ordinis matronas, darẽt operã, ut ara illa à sanctioribus castioribusq;, quàm Patricia, coli crederetur. Ita contigit, ut Pudicitia iam deinde duobus in urbe locis sit culta. Nulli nisi spectatæ pudicitiæ, & quæ uni nupsisset, fas erat ad patriciam illam aram, aut plebeiam sacrificare. Sab. lib. 7. En. 4.

LIVIA Tiberij mater, Augusti uxor, superbia omnes priores feminas longo interuallo post se reliquit, quæ Senatum ac de populo, qui uellet domum ad se salutandam uenire, admittebat, idq; ipsum in publicos commẽtarios referri curabat. Quinetiam epistolis Tiberij nomẽ matris aliquãdiu ad scriptum fuit, literæq; ad Tiberium datæ, Liuiæ etiam inscribebantur: ac nisi quòd in concilium, ad exercitum, inq; conciones uenire non fuit ausa, cætera omnia, quasi ipsa imperium teneret, agere audebat. Etenim Augusto incolumi plurimum potuerat, ipsaq; se Tiberio Imperiũ dedisse ferebat: ideoq; non æquata modò potestate cum eo regere, sed priores ipso gerere uolebat. Dion lib. 57.

Habuit uxorem L. Verus Imp. Lucillam, filiam M. Antonini maximam natu, sororem Commodi. Quam pater, postquam L. fato functus est, manentibus adhuc Lucillæ principatus insignibus, Pompeiano despondit, eidemq; etiam Commodus pristinum reliquit honorem usurpandum. Nam & sella imperatoria sessitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Per hoc in odium CRISPINÆ coniugis Commodi uenit. Eapropter & ipsa insidias fratri Commodo per Quadratum adulterum & Quintianũ struxit, ab eo postea occisa. Lampridius, & Herodianus.

Herodianus scribit MAMMEAM matrem filio Alexandro in matrimoniũ puellam patricij generis dedisse, marito charã gratamq; in primis. At cùm ipsa tãtùm uocari Augusta uellet, eamq; appellationẽ puellæ inuideret: eò contumeliarũ prouecta est, ut puellæ pater, quamuis magnæ auctoritatis, ad Alexandrum generũ, impatiens Mammeæ iniuriarum, quas ipsi nateq; inferebat, confugerit in castra, gratiã se habere Alexandro dictitans habiti sibi honoris, cæterùm Mãmeam accusans, nihil non contumeliæ inferentẽ. Qua re indignata mulier, interfici eum iussit: puellam uerò ędibus imperatoriis exactam, in Aphricam relegauit. Cuspinianus.

ANNA Cæsarissa Alexij Comneni Imp. F. Bryennij mariti sui ignauiam, qua frater Ioannes Comnenus Imp. insidias euitarat, pertæsa, iraq; percita, iniquè secum agi dixisse, & naturam multũ accusasse fertur (idq; uerbis obscenioribus) quòd se mulierem, Bryennium uirum fecisset. Nicetas Choniates de imperio Ioannis Comneni.

Mortuo Carolomanno, fratre Caroli Magni, BERTHA uxor eius præ nimia inuidia, qua flagrabat aduersus Hildegardã Caroli coniugem, Andoarij consilio, unà cum liberis ad Desiderium Longobardorum regem in Italiam profugit, sperans fore, ut Longobardorum uiribus ab Adriano pontifice filij sui reges Galliæ constituerentur: eoq; modo bellum inter Francos & Longobardos excitauit. Bonfinius Dec. 1. lib. 9. & Blondus Dec. 2. lib. 1.

Henricus VI. Anglorum rex in matrimonium duxit MARGARITAM, Renati Andegauensium ducis, ac regis Siciliæ filiam, puellam tam ultra alias feminas pulcram, quàm prudentem, ac animo præditam ingenti. Hæc cùm animaduerteret Henricum uirum non ad suum, sed ad Humfredi ducis Glocestrensis (qui Henrico adhuc puero Angliæ regens cũ laude fuerat) præscriptum regnare, statuit sibi curam rerum suscipiendam, ac ducem omni paulatim auctoritate, qua maximè pollebat, priuandum, ut ne diceretur ipsa nihil quoque sapere, quæ pateretur maritum ætate iam prouectum sub tutela esse aliena. Itaq; Glocestrensem à rebus publicis exclusit, & inimicorum delationibus in crimen uocatum, quòd scelerũ conuictos grauioribus pœnis affecisset, quàm lex Anglica iuberet, subitò comprehensum, exemplo post hominum memoriam pessimo, clàm strangulauit, post quinque & uiginti annos, quàm regnum gubernare cœperat. Polydorus lib. 23.

CHRISTINA Henrici V. Imp. F. Vladislao, Boleslai III. Polonorũ regis filio nupta, mulier superbissima, Polonos porcorum loco habebat. Cromerus lib. 6.

QVOMODO AMBITIONIS EXERcitatio, possessio, considerata

PER SE. SIC EXERIT SESE

Desiderando.

Inuentus est EROSTRATVS quidã, qui Dianæ Ephesiæ templum incenderet, ut opere pulcerrimo consumto, nomen eius per totũ terrarum orbem diffunderetur. Quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. Ac benè consuluerant Ephesii, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnæ facundiæ ingeniũ, in historiis eum suis comprehendisset. Val. Max. lib. 8. cap. 15.

ALEXANDER Magnus, Anaxarcho philosopho ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referente: Heu me (inquit) miserum, quòd nec uno quidem adhuc sum potitus. Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. Volat. lib. 8. cap. 15. & Aelianus lib. 4. De eo Iuuenalis sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, paruaq; Seripho:
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit urbem,
Sarcophago contentus erit. ——

C. Cæsar CALIGVLA queri palàm de conditione temporũ suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Variana, Tiberij ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilẽ factum: sui obliuionem imminere prosperitate rerum. Atq; identidem exercituum cædes, famem, pestilentiã, incendia, hiatum aliquẽ terræ optabat. Suetonius.

C. MARII ambitionem in morbo extremo, quo etiam decessit, autumant eluxisse, atq; in delirium euasisse absonũ. Bellum se ratus est cum Mithridate gerere. Mox, quomodo in ipsis solebat pręliis, uarios gestus & corporis motus ualido cum clamore crebrisq; iubilis edidisse. Adeò flagrans & impotens ex ambitione & æmulatione amor ei illius erat prouinciæ impressus. Vnde annos natus septuaginta, qui inter mortales septies consul primus fuerat creatus, censum opesq; multis sufficientes regibus possidebat: sortem lamentabatur suam, quasi egenus & expers eorũ, quæ appetebat, decederet immaturè. Plut. in Mario.

Bello incũbente Scotico, tributũ inperauerat Anglis Henricus VII. rex. Id Cornubienses, qui insulæ partẽ sterilẽ ualde incolunt, conferre negarunt, factaq; seditione, Thomã Flammuchũ leguleium & MICHAELEM Iosephũ fabrũ ferrariũ duces elegerunt. qui armata manu Londinũ petierunt. Rex inconsultę multitudini nõ statim obsistere, sed quã longissimè domo abstrahere studuit, ne à suis subleuari possent. Iamq; Londinũ obsidẽtes aggressus, uicit, duces ipsos supplicio affecit. Michaelem Iosephũ ferunt dum ad mortẽ traheretur, seipsum consolatũ, q ob id facinus speraret sui nominis memoriã perpetuatum iri. Polyd. lib. 26. Angl. hist.

GABRINVS Fundulus Cremonensium tyrannus, felici astu à Philippo Vicecomite Mediolanensium duce captus, cùm medio in foro Mediolani conspecta supplicij machina ceruices securi subdere cogeretur, hortarenturque eum de more cucullati sacerdotes, ut ex disciplina Christiana composito animo uitæ exitum ferret, patratorumque scelerum sperata inde à Deo optimo maximo uenia ritè pœnitere uellet: contortis atrocibus oculis, Desinite inquit, mihi indignè perfidioseq; prodito molesti esse: nam tantũ abest, ut me iure belli factorum commissorũq; pœniteat, ut maximẽ

etiam doleam, quòd Papam simul atq; Cæsarem ad immortalem clariss. facinoris famam, è mea turre minimè præcipitarim. Paucos enim ante annos Ioannem XXIII. Pp. & Sigismundum Imp. hospitio exceptos studióq; peramœni atque admirabilis prospectus in summam celeberrimæ turris coronam inuitatos, incessente atrocem animum dira libidine, in subiectum forum prouoluere cogitarat. Fulg. lib. 9. ca. 11. & Iouius in Philippo.

HIERONYMVS Olgiatus unus è quatuor, qui Galeacium Sforciam Mediolanensem ducem confoderunt, in carcere & inter sæuissima tormenta commentarium dictauit, quo apertè fatetur, ad id facinus se adductum, solo gloriæ ac magni nominis desiderio: quo incensum se dicebat, cùm priscorum hominum res præclarè gestas puer adhuc in literario ludo legeret, faces subdente Cola Montano præceptore, & perpetuò encomio Brutum Cæsaris interfectorem extollente. Notarius, qui morienti astabat, scripsit, cùm extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hæc uerba sub carnifice effudisse, cùm iam cultro obtruso pectus illi incideretur, commemorato tam acerbæ mortis optato præmio: Collige te Hieronyme, stabit uetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua. Fulgosus libro octauo, capite 15. & Egnatius eodem.

Anno salutis 1537. cùm in Butrotio litore Solymannus haberet castra, ACROCERAVNII agrestes ferique homines, qui Chimæram montem incolunt, consilium susceperunt, tabernaculi regij noctu inuadendi, concitãte eos Damiano quodam latronum duce: ut incredibili prædã, atq; inusitati facinoris gloria potirentur, si longè maximum terrarum orbis Imperatorem in tabernaculo semisopitum, & frustrà tot custodiis confisum, occiderent. Sed Barbaris ad id facinus fortuna defuit. Nam ipse dux Damianus è rupibus delapsus ad explorandum prætorij situm, conspectus in arbore ex fragore abruptæ frondis uti erat semipensilis & speculabundus, à Ianizaris est comprehensus, & per tormenta detectis insidiis, iussu Imperatoris belluæ capræ modo discerptus est, emissiq; sunt in reliquos Asapi & Acãzi uenationis modo, ad trucidandam, & quàm maximè possent delendam eius gentis stirpem. Iouius lib. 36.

Mentiendo.

ALEXANDER Magnus Indiam inuitis Macedonibus tentare non audẽs, parauit se ad reditum, multaque fucata & cõmenticia est machinatus: quippe grandiora arma & equorũ præsepiã, frenaq; fabricatus ponderosiora, reliquit & disseminauit. Posuit præterea deorum aras: quas hac quoq; memoria Præsiorum reges traiecto flumine uenerantur, immolantq; hostias ibi Græco ritu. Plut. in Alex.

SENECIO fuit quispiam, qui grandia semper cupiebat dicere. Idem seruos nolebat habere nisi grandes, & argentea uasa non nisi grandia. Concubinam habebat ingentis staturæ, summis insistebat digitis, quum diceret, ut grandior uideretur. Rauisius.

Iactando sua.

De Iactantia, inter Affectuum effectus suo loco egimus. Illic Perturbatio, hic Habitus consideratur.

Psammi filio Psammetichi apud Aegyptum regnante, nuncij HELIORVM è Græcia dimittebantur, iactantes à se in Olympia iustissimum ac maximum inter mortales propositũ esse certamen, rati ne Aegyptios quidem hominum sapientissimos aliquid ultra hæc esse inuenturos. Herodotus.

Olim Megarenses Corinthiis erãt uectigales. Cæterùm cùm illorum imperitum grauiter ferrent, ac defectionẽ pararent, missus est LEGATVS Corinthiorũ nomine; qui apud plebem Megarensem cùm alia multa ferociter dixit, tum illud indignabundus ac uociferãs intonuit: Οὐχ ἀνέξεται ὁ Δῖος Κόρινθος: id est, Non feret Iouis filius Corinthus. Id ubi sæpiùs iteraret, cõcitatus populus, succlamare cœpit, παῖε, παῖε Δῖος Κόρινθον, Feri feri Iouis Corinthum. simulque legatum expulerunt. Ex interprete Pindari in Nemeis, Cælius libro uigesimoprimo, capite 26. Antiq. Lect.

Ostentando.

EZECHIAS rex, post corporis sanitatem & signi magnitudinem nata occasione superbiæ, quam ut prudens & Dei cultor uitare debuerat, monstrauit alienigenis diuitias suas, quas Deo tribuente possederat. Hieronymus libro 11. com. in Esaiam, capite 39.

DIOGENES Cynicus multa horrenda faciebat, ut omnium oculos ad se suspiciendum mirandumque conuerteret: idcirco cùm media hyeme in rigidissima lauaret aqua, frequensque id populus spectans misertus hortaretur, ut sibi parceret, Plato exclamauit: Si uultis eius misereri, discedite. quippe illud Diogenes non uirtutis causa, sed circumfusæ multitudinis agebat. L. Viues in librum uigesimũprimum August. de ciuitate Dei, cap. 16.

RESPECTV ALIORVM, CVM QVIBVS ueluti certat. AEMVLATIONES ambitiosæ, quæ sese produnt

Inuidendo.

Inuidiæ, tanquam Affectus, locus est generalis. Hic solam alienæ gloriæ inuidiam consideramus.

MARIA & AARON Mosis fratris dignitati inuidentes dixerũt: Nónne & nobis similiter locutus est Dominus? Num. 12.

SYAGRIVS Homero infensissimus fuit coæuus Homero, uti ZOILVS & XENOPHANES Colophonius ætate posteriores.

Socratis æmuli fuerunt ANTIOCHVS Lemnius, & ANTIPHON aruspex: Pythagoræ CYDON & Onata: Hesiodi CERCOPS & Xenophanes Colophonius: Pindari AMPHIMENES Cous, Thaletis PHERECYDES, Biantis SALARVS Prienæus, Pittaci ANTIMENIDES & Alcæus, Anaxagoræ SOSIBIVS, Simonidis TIMOCREON. Laertius libro 2. in uita Socratis, ex 3. libro Poeticæ Aristotelis recenset.

ARISTOXENVS Tarentinus Thucydidis æmulus in historia, Philisti historici Syracusani mastyx, Platonis diuini insectator, prorsus infans, impolitus, pinguis, & Siculo oblitus adipe, bellum Siculum ab Atheniẽsibus gestum scripsit. Cuius meminit Plut. in proœmio Niciæ.

CATVLLVS Veronensis Volusio Patauino & amorum & literarum causa infensus fuit, eo potissimum quòd Augusto Cæsari charus esset, & ab eodem Annales Romanos, Enniana imitatione, scribendos suscepisset. Bernar. Scardeonus libro 1. classe tertia.

C. CORNIFICIVS poeta Vergiliũ assiduè mordebat, quòd eum gloriæ suæ obstare uideret. Gyraldus in quarto Dialogo historiæ Poetarum.

MÆVIVS & BAVIVS mali poetæ, Vergilij & Horatij æmuli, ut ipse in Bucolicis:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

CALIGVLA pulcros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & speciem Colosseros dictus. Hunc è spectaculis detractum repentè & in arenam deductum, Thraci, & mox hoplomacho comparauit: bisque uictorem constringi sine mora iussit: & pannis obsitum uicatim circunduci, ac mulieribus ostendi, deinde iugulati. Suetonius.

ADRIANVS Imp. fuit & uideri uoluit omnium artium peritissimus, in rhetoribus & grammaticis carpendis frequens, omnium ferè artium professores præ se contemsit, arguebatq; eos palàm ut indoctos. Homeri quidem certè gloriã extenuare, & Antimachum illius loco celebrare instituit: cuius etiam nomen priùs multi ignorabant. Dion.

PHAVORINVS philosophus Plutarchum Chæronensem ferre non poterat. Cælius lib. 19. cap. 12. A. L. & Suidas.

Non ferendo laudationes aliorum.

ASINIVS Pollio, cùm à Messala Coruino uocatus esset, ut Sextilij Henæ Cordubensis poetæ carmen de Ciceronis morte audiret, & Sextilius in principio hunc uersum sine assensu recitaret:

Deflendus Cicero est, Latiæq; silentia linguæ.

tum Pollio grauiter cõmotus, ait: Videris tu, Messala, quid tibi liberum sit in domo tua: ego istum non sum auditurus, cui uideor mutus. Et simul consurgens abscessit. Gyraldus Dial. 4. Hist. poet. ex Seneca.

Cùm quodam die muneris, essedario Porio, ob prosperam pugnam seruum suum manumittenti, studiosius plausum esset, ita se proripuit è spectaculis CAIVS Imp. ut calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, Dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut præsenti sibi. Suetonius.

Declinando congressum æmulorum.

Absens Laurentius Celsus quadraginta uirali suffragio dux creatus, patre adhuc superstite, qui tum Venetiis agebat, quum uniuersa ciuitas maximè lætaretur nouo ducis aduentu, PATREM obuium nunquam habuit, qui filium ducem incolumem gratularetur. Quòd scilicet ille iniquo ferret animo, se patrem ita filio occurrere debere, ut cum nudato capite salutare cogeretur: quasi uerò nesciret, quicquid honoris impenderetur filio à patre, id publicæ maiestati, non priuato ulli officio deberi. Cæterùm quanto pater haud satis ciuili animo sese gessit, tanto magis pietas prudensq; cõsilium filij laudari debet: qui pileo suo in fronte crucem auream affigendam curauit (quod & reliqui duces in hunc usq; diem retinent) ut crucis uexillo, non filij dignitati reuerentiam exhibere uideretur: id quod pacatissimo postea animo pater exceperit. Egnat. lib. 5. cap. 8.

Rogatus

Rogatus IOANNES Alemannus, Cur Strigoniensi archiepiscopatu temerè cessisset? Caudati monachi pulueres, longum antè syrma trahentis, ultrà se tolerare non potuisse, respondit: Gabrielem Brixiensem Cardinalem cauillatus, quem sibi apud regem Vngariæ Mathiam Coruinum præferri æquo animo pati non poterat. Ad Cęsarem itaq; Fridericum III. confugit, à quo Salisburgensi episcopatu donatus est. Bonfin. lib. 6. Dec. 4.

Reprehendendo, Obtrectando.

ARISTOTELES Peripateticorum princeps utinam in gloria expetenda fuisset paulò moderatior, quæ illi haud dubiè contigisset amplissima: qui inuentorum diligentia, & acumine priores omnes longè antecedebat, potuisset nobis relinquere multa à priscis sapientiæ studiosis acutè ac prudẽter excogitata. Sed ille ut indefesso illo suo studio omnes quotquot antè se aliquid scripserant, euoluerat, legerat, excusserat: ita neminem præteriuit, quem non carperet, ratus tantum in se deriuaturum gloriæ, quantum aliis omnibus ademisset, tanquam sublimior esset cęteris, acutiusq; ac longiùs prospiceret. Carpit quidem plerumq; meritò, in quo ingentem meretur laudem, quòd falsas aliorum opinationes tanquam periculosa loca indicarit. Sed nonnunquam affectatè, interdum non citra calumniam, in quo eum multi incesserunt. L. Viues de Causis corrupt. artium lib. 1.

ASINIVS Pollio, teste Quintiliano, pati non poterat sibi quenquam præferri. Quocirca (ut Tranquillus in Cæsare dicit) commentarios Cæsaris, ab omnibus tantopere commẽdatos, non est ueritus damnare: dictitans parum diligenter, parumq; integra ueritate compositos. Idem carpebat in Salustio uerba obsoleta, in Cicerone stylum nimis exanguem & elumbem: Liuio obiecit, quòd peregrinus esset, longiusque à Latio uersatus: & propterea stylum eius aliquã Patauinitatem sapere.

CÆSTIVS, homo nasutissimus, sed nullius ingenij, Ciceroni etiam infestus, quod illi non impunè cessit. Nam quum M. Tullius Ciceronis filius Asiam obtineret (homo qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem) cœnabat apud eum Cæstius. M. Tullio & natura memoriam dempserat, & ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat: subinde interrogabat, qui in imo recumberet. Et quum pluries subiectum nomen Cæstij excidisset, nouissimè seruus, ut aliqua notã memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille esset qui in imo recumberet? ait: Hic est Cęstius, qui patrem tuum negabat literas scisse. afferri protinus flagra iussit, & Ciceroni patri, de corio Cæstij parentauit. Seneca. Cælius lib. 14. cap. 7. A. L.

Ad LÆLIVM Martialis Epigrammatum lib. 1.

Cùm tua non edas, carpis mea carmina, Læli:
Carpere uel noli nostra, uel ede tua.

Scriptis lacerando.

ZOILVS Amphipolites sophista, hoc facinore potissimùm nobilitatus, quòd Homerum poetarum omnium principẽ ausus est libris aliquot in eum scriptis incessere: unde ὁμηρομάστιξ cognomen meruit, quod ipsum etiam abiit in prouerbium: sic enim appellari cœpti nobilium auctorum castigatores, uel Plinio teste in præfatione Historiæ naturalis: ut & Vergiliomastiges, quorum de numero fuit PERO. Zoilus commentarios in Homerum compositos Ptolemęo tyranno Aegyptiorum obtulit, ingens uidelicet præmium à rege sperans. Verùm cum nihil mitteretur, penuria coactus, misit qui peterent. Ibi Ptolemæus ait se mirari, cùm Homerus tot annos defunctus tot hominum millia pasceret, Zoilum egere, Homero doctiorem.

DIDYMVS Alexandrinus liuore motus sex libros in M. Tullium edidit, dictus propterea Ciceromastix.

GALLVS Asinius & LARGIVS Licinius M. Tul. Ciceronis æmuli fuère, eumq; parum integrè, impropriè & inconsideratè locutum scribere sunt ausi. Licinius ipse Ciceromastygem librum inscripsit. Gell. lib. 17. cap. 1.

Scripsit Cicero Catonis Vticensis laudationem: cui libro Catonem nomen reddidit. Is nimirum omnium manibus terebatur, ut ab oratore eloquentissimo in argumento factus præstantissimo. Pupugit id C. IVL. Cæsarem, notam suam ratus mortui ipsius causa celebrationem. Edita igitur contraria oratione, uim magnam criminum in Catonem congessit. Libello Anticatoni titulum fecit. Habet uterq; liber æmulos Cæsaris & Catonis causa multos. Plut. in Cæsare.

Dissentiendo.

Quum apud Argos flumẽ PHILOCLES prætor Atheniensiũ classem haberet: neq; longè abesset Lysander prætor Lacedæmoniorũ (qui in eo erat occupatus, ut bellũ quàm diutissimè duceret ꝙ ipsis pecunia à Rege suppeditabatur: contra Atheniensib. exhaustis, prętor arma & naues nihil supererat) Alcibiades licèt exul ad Atheniensium uenit exercitum, ibique præsente uulgo agere cœpit, si uellent, se coacturum Lysandrũ dimicare, aut pacem petere. Id etsi uerè dictum Philocles animaduertebat, tamẽ postulata facere noluit, ꝙ sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurũ: & si quid secundi euenisset, nullam in ea re suã partem fore: contrà, si quid aduersi accidisset, se unum eius delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades: Quoniam, inquit, uictoriæ patriæ repugnãs, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. Periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum, occasio detur Lysandro, nostri opprimẽdi exercitus. Neq; ea res illum fefellit. Nam Lysander cùm per speculatores comperisset, uulgus Atheniensium in terram prædatum exisse, nauesq; penè inanes relictas: tempus rei gerendæ non dimisit, eoq; impetu, totum bellũ confecit. Probus in Alcibiade.

Cùm M. Acilius Glabrio consul Romanus, deuicto Antiocho, postularet ab Achæis, ut exulibus Lacedæmoniorum reditum in patriam permitterent, eandemq; rem de exulibus cõtenderet T. Quintius, restitit PHILOPOEMENES Megalopolitanus: non odio exulum, sed quo id suum munus & Achæorum, non T. Quintij uel populi Romani beneficium faceret: ac postea prætor restituit in patriam exules. adeò in erat ei enixa quædam aduersus imperium præ animi celsitudine concertationis & contentionis libido. Plutarchus in Philopœmene, & Liuius lib. 36.

Philippus Vicecomes bello, quòd contra Venetos gessit, cũ uideret FR. Sforciam, NIC. Picininũ, ANGELVM Pergulensem, GVIDONEM Taurellum, armorum ductores, quorũ opera utebatur, uirtute inter se & rerũ gestarum gloria certantes ita, ut neq; consilio neq; auctoritate, tẽpore ullo aut loco, sibi inuicẽ cederẽt: appareretq; ex ea discordia, aliqua insigni clade res suas deformatũ iri, nisi intestinæ seditioni maturè occurreretur: imperium copiarum omniũ Carolo Malatestæ demandauit. Ferunt ea electione non tam strenuitatem quęsitam, quã imperatoris sapientiã, & familię splendorem. Neq; tamen uel sic imminens calamitas euitari potuit. Ad Maclodiũ enim Cremonensis agri oppidũ cùm Venetus pugnandi copiam faceret, Sforcia & Picininus auctores pugnæ esse, contrà Pergulensis & Taurellus dissuaderet: cum eo hoste sibi rẽ esse dicere, qui cunctando tutiùs quàm pugnando superari posset. Ferunt duos illos, qui omnium ferocissimè prælium suadebant, Carolo sententiam roganti, An cum hoste confligendum censerent? respondisse: Eum datum sibi ex reliquis à Philippo imperatorem: illius, non sua interesse, prospicere iuberéq; quid demum fieri uellet. quòd si per se, quid facto opus esset, non facilè discerneret, alios consuleret: nam quod ad se attinet, paratum utrunq; esse, quemcunq; iussi essent ordinem seruare: siue in prima fronte esse uellet, siue in extremo agmine. adeò nemo non alieno magis quàm suo periculo ardua & difficilia moliretur. Inclinauit Caroli animus tandem ad pugnã, & magno prælio uictus est, sic ut Philippus accisis opibus pacem, quã Veneti uoluere, accipere sit coactus. Sabell. lib. 10. Dec. 2.

Factis detrahendo.

Post rem apud Salaminem bello nauali cõtra Xerxem prosperè gestam, cùm Athenienses eius uictoriæ haud obscuri auctores haberentur, atq; ob eam rem elatis animis, nulli iam dubium esset, eos deinceps Lacedæmoniis rerum naualiũ haud sponte cõcessuros principatum: LACEDÆMONII summa ope nitebantur Atheniensium extenuare gloriam. Quare cùm iudiciũ de his, qui cæteris fortiùs ac præclariùs pugnassent, propositũ esset, & suffragia, quibus plurimum ualebant, obtinuêre inter iudicia primas eius uictoriæ partes urbi Aeginitarum decerni: inter uiros uerò, Amniæ ciui Atheniensi, germano Aeschyli poetæ, palmam fortitudinis dari: quòd cùm triremis unius esset præfectus, certamen inisset primus, Persarumq; primam nauem, qua classis præfectus totius uehebatur, superasset, hostium præfecto in ea interemto. Atheniensibus id grauiter ferentibus, Lacedæmonij ueriti, ne eius indignatione rei cõmotus Themistocles, consilium aliquod aduersum se reliquosq; Græcos machinaretur, congeminatis eum donis præ omnibus, qui fortiter fecissent, ornatum conciliarunt. Quæ quòd minimè fuerant à Themistocle recusata, populus indignatus, eum magistratu abdicauit: in cuius locum Xanthippus Amphronis dux suffectus est. Diod. lib. 11.

Calumniando.

ARISTOXENVS, Mnesiæ musici F. Tarentinus, Aristotelem præceptorem (quòd Theophrastum scholæ successorem reliquisset) contumeliis insectatus est: dicitq; fuisse leuẽ, audacẽ, petulantẽ, insipientẽ, indoctum, hominẽ inuisum, quiq; preciosam tabernã medicam clauserit, & in quamuis aulã & scenam insiluerit: atq; etiam uoracẽ, lurconem, ad palatũ omnia referentem. Quæ mihi uix à circulatore & scurra, in iudicio uerba effutiente, ferri posse uideantur. Suidas.

PHILISTVS Syracusanus uir doctus, & morũ tyrannicorum scientissi-

scientissimus, à Dionysio maiore relegatus, post illius obitū reuersus in patriam, per Dionis æmulos accitus, quem Platoni, qui Dionysium minorem instituebat, obiicerent. Nam cùm insuperabilem auctoritatem Platonis fore spacio & consuetudine existimarent, qui tunc modico ex usu usqueadeò animum inuerterat & uariauerat Dionysij, ut relictis conuiuiis, geometriæ operam daret, & erga subditos clementissimus esset: apertè omnes lacerare ceperunt Dionem, & iactare non obscurè, fascinare eum & inficere Platonis eloquentia Dionysium, quò simul atq; ille sponte deposuerit potestatem, eam ad Aristomaches filios, quorum auunculus sit, transferat. Nonnulli uerò molestè ferre simulabant se, cùm pridem Athenienses, qui ingentibus naualibus & terrestribus copiis eò nauigauerant, interissent, oppressique antè fuissent, quàm caperent Syracusas: nunc Dionysij tyrannidem per unum diruituros magistrū: qui persuadeat ei, ut ex decem millium stipatorū profugiens statione, quadringentis triremibus, decem millibus equitum, atque infinitis peditum copiis relictis, in Academia arcanum illud bonum inuestiget, euadat per geometriam beatus: hanc uerò in principatu, pecunia & deliciis felicitatem Dioni permittat & Aristomaches Dionis sororis filiis. His criminationibus circumuentus Dion, maximè uerò quòd cum Carthaginensibus uideretur sentire: in Italiam paruo acatio deportatus, inde in Peloponnesum transmisit. Plato quoque aliquanto pòst tempore Athenas rediit. Plut. in Dione.

TVLLIVS Aufidius Volscorum facilè princeps, C. Martium Coriolanum ob res contra Romanos prosperè gestas odisse cepit, illius gloria suam obscurari metuens. Itaque coniuratione contra illum facta, in concione populi, qui in coniuratione erant audaciss. non audiendum uociferantes eū, neq; permittendum, ut dominatum in Volscos usurparet, nec deponere uellet prouinciam: globo facto trucidauerūt eum, neq; tulit ei quisquam assistentium opem. Displicuisse plurimis rem confestim declarauerunt. Concurrerunt enim ex oppidis, & corpus eius honorificè extulerunt, monumētumq; decorarunt, ut bellatoris & imperatoris insignis, armis ac manubiis. Plut. in Coriolano.

FEBRVARIVS dicitur mensis à consule quodam natione Gallo. Cùm enim triumphum de Tyrrhenis egisset Camillus, ex æmulatione Februarius pro suggestu clamauit, Camillum non fuisse uictoriæ causam, sed Romanorum fortunam. Confinxit etiam literas, & falsa testimonia contra illum comparauit, quasi tyrannidem affectaret. Deinde concitato populo, urbe illum expulit. Vt autem Camillus post captam Romam reuersus, Brennum cum Barbaris sustulit, causa in iudicium adducta, demonstrauit omnium rerum auctorem fuisse Februarium: proptereaque ueste exutum, & iuncea storea indutum, à Tribuni ministris, qui Vernaculi dicuntur, flagris cæsum, urbe expulit: & mensem, qui ab illo nomen habet, breuiorem cæteris effecit. Suidas auctor fabulæ.

P. Scipionis Aphricani auctoritas in eum gradum peruenerat, ut non esset priuato uiro in libera ciuitate ulterius expetendum. Hanc magnitudinem sustinere non potuit inimicorū inuidia. Nam duo TRIBVNI plebis, Porcij Catonis (ut quidam suspicantur) opera concitati, diem P. Aphricano dicūt, & pecuniæ ab Antiocho rege in expeditione Asiatica acceptæ, & non in publicum relatæ, eum insimulant. Is suæ probitatis conscius, uocanti magistratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progressus, orationem amplam magnificamq; habet de rebus à se prò repub. gestis. quarum commemoratio non pro gloria, sed pro suo periculo habita, à multitudine, quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Instant tamen tribuni, multis calumniis hominem onerant, & quasi culpæ obnoxium, suspicionibus magis quàm argumentis accusant. Sequenti die citatus iterum Aphricanus, ad constitutam horam præstò adest, & cum magno comitatu amicorum per mediam concionem ad Rostra progreditur. Ibi silentibus cunctis: Memini, inquit, Quirites, me tali die de Annibale & Pœnis egregiam uictoriam consequutum. Quamobrem postpositis litibus, hinc eundum in Capitolium censeo, ut pro republica felicissimè gesta diuino numini gratias agamus. Proficiscentem deinde P. Scipionem non modò in Capitolium, sed etiam ad omnia templa urbis, sequuta uniuersa concio est, magistratu cum solis ministris relicto. Hæc uelut ultima prosperitatis dies, & frequentia hominum, & beneuolentiæ significatione quacunque antecedenti felicior Aphricano illuxit. Nam postea ruri agere uitam procul ambitione ac foro constituit. Itaque Linternum se contulisse traditur, seu uehementi indignatione commotus, quòd post tanta beneficia in ciuitatem collata, pro mercede ignominiam reportaret: seu quia satietate gloriæ captus, generosius duceret, spontè inimicorum inuidiæ cedere, quàm ui & armis magnitudinem suam tueri. Auctor uitæ Scipionis.

M. Marcellum, è præda Syracusarum signa & ornamenta plurima Romam deportantem, AEMVLI reprehendebant, primùm quòd inuidiam conflaret urbi, in qua etiam de diis uelut captiuis triumpharetur, nedum de hominibus: deinde quòd enutritam in bellis & agricultura plebem, quæ luxum uel socordiam non gustauerat, in ocium coniecisset, & loquacitatem de artificiis artificibusq; garriendi, plurimū temporis ea in re terentem. Cùm uerò impedirent inuidi, ne triumphans in urbem Marcellus inueheretur: quòd reliquiæ belli in Sicilia quædam essent, & in oculos hominum incurreret tertius triumphus: cessit ipse. Triumphauit in monte Albano, inde ouans urbem iniit. Plutarchus in Marcello, & Liuius lib. 10. Dec. 3.

In magna auctoritate apud Antiochum regem erat Annibal. Sed inuidia, quam plerunque regiæ domus alunt, multos AVLICOS Annibali aduersarios peperit: qui cùm uererentur, ne callidus Imperator aucupando gratiam regis, in maximam auctoritatis & potentiæ gradum ascenderet, eum suspectum reddere nitebantur. Accidit etiam per id tempus, ut P. Villius legatus Rom. Ephesum ueniens, frequentem cum Pœno sermonem haberet: ex quo facilè data est obtrectatoribus criminandi facultas, & tanta suspicio de fide Annibalis Antiocho orta, ut omnino à consilio regio excluderetur. Auctor uitæ Annibalis.

Facta imitando.

ARISTOTELES cùm florere Isocratem nobilitate discipulorum uideret, quòd ipse suas disputationes à causis forensibus & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset: immutauit repentè totam formam propriæ disciplinæ. Itaque ornauit & illustrauit doctrinam illam, & omnē rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Nec uerò hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem addiderit, à quo & sciendi præcepta perciperet, & loquendi. Cicero in Oratore.

Erat ALCIBIADES hospes publicè Lacedæmoniorum, curamq; habuerat eorum, qui capti fuerant ad Pylon. Cæterùm quia pacem illi opera Niciæ Nicerati F. potissimùm obtinuerant, captiuosq; receperant, atq; ideo diligebant eum mirificè: eratq; in ore Græcis, à Pericle bellum conflatum, finitum ab Nicia fuisse, eamq; pacem nominabant plerique Niciceam: haud mediocriter anxius Alcibiades, inuidensque ei, statuit conuellere fœdus. Ac primùm cum suboleuisset ei quærere Argiuos odio ac metu Lacedæmoniorum perfugium, fecit iis clam spem Atheniensium societatis: atq; eos cùm per nuncios tum ipse cum primoribus populi agens confirmauit, ne formidarent aut succumberent Lacedæmoniis: sed respicerent Athenienses, & spacium darent. Aduenerunt ab Lacedæmone legati cum æquis, ut statim ostendebant, mandatis: docueruntq, cum libera potestate se ad omneis controuersias æquis legibus componēdas missos. Cùm id placeret curiæ, & esset populi concilio in posterum diem indictum: trepidus Alcibiades perfecit, ut colloquerentur secum legati, & populi inconstantiā illis describens, hortator illis fuit, ita cum populo agerent, quasi potestatē non haberent plenam: seq; illis in concione præstò futurū pollicitus est, iureiurando interposito, ne cum Nicia sentirent. Insequenti die conuenit populus, quò legati processerunt. Rogati sanè quàm comiter ab Alcibiade, Quid uenissent? negauerunt libera mandata habere. Mox Alcibiades instat acum clamore, quasi non eos iniuria afficeret, sed afficeret ut ipse, perfidos & uersipelles appellans: neq; ut quicquam boni uel facerent uel dicerent, ostendens uenisse: fremere etiam senatus, exardescere ira populus: Nicias imposturæ & doli ignarus, stupore & pudore ex istorum hominum inconstantia desixus esse. Ita explosis Lacedæmoniis Alcibiades designatus Pretor: Argiuos, Mantineos, & Elios adiunxit extemplò populo Atheniensi socios. Hoc astu penè uniuersam dissociauit & concussit Peloponnesum, atque uno die tot legiones in acie ad Mantineam Lacedæmoniis obiecit, certamenq; iis & periculum remotissimè ab Atheniensium finibus conflauit: in quo non multum operæ pretij fecerunt ex uictoria uictores: & si offendissent, uix esse Sparta poterat incolumis. Plut. in Alcibiade.

ANTIOCHVS Epiphanes cùm L. Pauli Aemilij Romanorum ducis certamina in Macedonia absoluta fuisse audiuisset, ac uellet largitionis magnificentia Paulum superare: legatos speculatoresq; in ciuitates misit, qui ea certamina nunciarent, quæ ab ipso in honorem Daphnes essent facienda: ita ut multum studium per uniuersam Græciam ad eum eundi concitaretur. Quorum triumphum & pompam Athenæus lib. 5. cap. 4. recenset.

M. CRASSVS diues, orator summus, bello Marsico & ciuili, suam L. Syllæ operam comprobauit, eiq; charus fuit. Agitabat eum Cn. Pompeij ætate inferioris in rebus gerendis successus, & quòd prius, quàm esset in Senatum lectus, triumpharet,

triumpharet, appellareturq; à ciuibus Magnus. Ac cùm aliquando diceret quispiam Pompeium Magnum adesse: ridens quæsiuit, Quàm magnus? Mordebat & id Crassum, quod Sylla adeunti caput aperiret, & Imperatorem salutaret. Cæterùm abiecta spe illum rebus bellicis æquandi, confugit ad togam: atq; officiis, defensionibus, mutuū dando, commendando, & suffragando candidatorū petitionibus, opes & auctoritatem comparauit parē, atq; ex multis magnisq; bellis gestis Pompeius habebat. Fuit autē quiddā in illis singulare. Maius erat absentis Pompeij nomen & potentia in urbe ob res eius bello gestas. Præsens uerò concedebat frequenter Crasso: quòd ex fastu & grauitate morum multitudinē declinaret, & deuitaret forū: paucis aūt & ægrè petentibus aduocatū se præberet, quò fauorē haberet uegetiorē, ubi pro se ageret. Crassus uerò, cuius patebat perpetuus fructus, qui rarus non erat, neq; difficilis aditu, sed in mediis uoluebatur negotiis, ciuilitate ac humanitate antecelluit illius supercilio. Corporis maiestas, facundia, oris blanditia suppetebat, uti ferunt, utriq; ex æquo. Ad inimicitiam tamē aut simultatem non deduxit hæc æmulatio Crassum. Nam Pompeium & Cæsarem ægrè ferebat quidem in maiore honore esse: uerùm ei ambitioni offensionem uel maleuolentiam non adiungebat. licèt captus à piratis Cæsar atque in custodia asseruatus, exclamauerit: Quanto gaudio Crasse perfunderis nunciata mea captiuitate? In summa, cùm distracta ciuitas Romana in tres factiones esset, Pompeij, Cæsaris, Crassi (nam Catonis nomen maius quàm opes erat, & opinio uirtutis eius plus pollebat) pars cordatior & constantior ciuitatis Pompeium colebat, præceps & leuis sectabatur Cæsaris spes, intermedius Crassus utraque utebatur. Plutarchus in Crasso.

DOMITIANVS Imp. expeditionem in Galliā, Germaniasq;, neq; necessariam, & dissuadentibus paternis amicis inchoauit: tantùm ut fratri se & operibus & dignatione adæquaret. Ob hæc correptus, quò magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre unà, sellamq; eius ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur: ac triumphum utriusq; Iudaicum equo albo comitatus est. Suetonius.

Occasionem gloriæ adimendo, præcidendo, auertendo.

In quodam Magnesiæ sinu locus est, in quo fertur Hercules, cùm è naui Argo aquatum missus esset, derelictus fuisse ab IASONE atq; à sociis, dum in terrā Colchidem ad uellus nauigarent, quoniam suo pondere nauem aggrauabat: reuera autem quoniam fortitudine sua reliquorum gloriam offuscaturus uidebatur. Illinc ergo absente Hercule profugere, eaq; de re nomen loco fertur esse Aphetæ, à dimissione. Herodotus libro 7.

AGESILAVS Lysandri opera Leontychidi in regno prælatus, eiusdemq; commendatione à ciuitatibus Asiaticis contra Persas uocatus, cùm uideret in Asia paucos idq; rarò se adire, Lysandrum uerò ex pristina consuetudine frequenter: inuidia & ambitione flagrans, primùm non concessit ei rei ullius gerendæ materiā, neq; ulli rei præfecit eū. Deinde quorum commendare rem uel studiosum Lysandrum intelligeret: eos semper inanes atq; infra abiectissimum quemq; dimittebat honoratos. Atq; ita sensim illius labefactabat & diluebat auctoritatem, donec eum etiam carnium diuidendarum muneri præficeret, multis gregariis militibus res gerendas urbesq; regendas committens. Plut. in Lysandro.

Postquàm Conon & Pharnabazus, qui regia classe mare obtinebant, maritimam Laconiam uastabant, & urbs Atheniensis mœnibus septa est, sumtum præbente Pharnabazo: pacificati sunt cum rege Lacedæmonij, ciuemq; suum ANTALCIDAM ad Tiribazum miserunt, & Asiaticos Græcos, pro quibus bellum Agesilaus gesserat, regi prodiderunt. Vnde contigit Agesilao, ut haudquaquam illius infamiæ ad eum cōtagio perueniret. Quippe erat eius Antalcidas inimicus: qui pacem hanc quouis modo ursit, quòd bellum Agesilaū amplificaret, illustraret, & supra omnes extolleret. Plutarch. in Apophthegm. & in Agesilao.

Victis à Cleomene rege Spartano Achæis, ARATVS Sicyonius, qui altero quoq; anno prætura erat fungi solitus, abdicauit & detrectauit magistratum, inuitantibus eum & orantibus Achæis: parum honestè, sicut in sæuiore rerū tempestate, alteri clauū permittens, & tradens rerū arbitriū. Achæi ergo fœdus cum Cleomene iniuerunt, eiq, imperiū permiserunt. Tum Aratus siue diffidentia & timore Cleomenis, siue insperatæ prosperitati eius inuidens, ac probrosum putās, ut sibi, qui tres & triginta annos principatū obtinuerat, nomē simul & opes iuuenis subitò detraheret, atq; extorqueret rerum ab se auctarū & tam diu rectarū imperiū: primùm deterrere Achæos & prohibere annisus est à fœdere. Vbi nō paruerunt ei, Cleomenis audacia attoniti, imò etiā æqua arbitrati sunt Lacedæmoniorū postulata, qui Peloponnesum in ueterē statum instituebant reducere: ad factum conuertit se, cùm nulli honestum Græco, tum turpissimum illi, eiusq; rebus gestis & actionibus indignissimū, in Græciam ut Antigonum acciret, Macedonibusq; impleret Peloponnesum, quos ipse inde adolescēs pepulerat, liberato Acrocorintho, omnibusq; regibus suspectum se & inimicum reddiderat, atq, in hunc ipsum Antigonum in editis ab se commentariis infinita effuderat probra. Plut. in Cleomene.

T. QVINTIVS Flaminius, uicto Philippo, pulcerrimum & iustissimum cum Nabide auspicatus bellum, teterrimo & immanissimo Lacedæmoniorum tyranno, in exitu Grecię spē destituit. Cui in manu cùm esset illum obterere, noluit, sed fœdus cum eo fecit, & Spartam indignà oppressam seruitute reliquit: uel ueritus, ne si bellum duceretur, alius successor Roma missus gloriam sibi auferret: uel inuidia & æmulatione Philopœmenis Megalopolitani honorum. Quem, cùm in omnibus aliis summū inter Grecos imperatorē, tum ob eius eximia uirtutis & consilij illo edita bello opera, pariter ac Quintium, Achæi extollerent & decorarent in theatris: indignam rem ille censebat esse, si pari in honore Consul Romanus pro Græcia propugnans, & homo Arcas minutorum & finitimorum dux bellorum essent. Ipse tamen Quintius excusauit, bellum deposuisse se, ubi tyrannum perspexit non nisi cum grandi aliorum Spartiatarum pernicie periturum. Plut. in Flaminio, & Philopœmene.

P. Scipionis ex Hispania redeuntis gloriæ Q. FAB. MAX. inuidebat. Itaq; primùm ne Consul crearetur, obstitit: mox etiā ne cum classe in Africam mitteretur. Plutarchus in Fabij uita à primo quidē Fabium putat ad impediendum P. Scipionem, ne in Africam cum exercitu proficisceretur, studio securitatis & prouidentia adductum, quòd discrimen tam grande horreret: ambitione uero quadam & æmulatione, ut crescentem Scipionem detraheret, incubuisse in id acriùs. Nam & collegæ Scipionis suasit Crasso, prouinciam ne permitteret ei cederétue, & Carthaginem ipse, si ei uideretur, exercitum transportaret. Obstitit etiam, ne pecunia attribueretur in bellum Scipioni: quare pecuniam sibi ipse parare habuit necesse. Hanc Hetruriæ ciuitates, eius priuatim studiosæ, atque in eum propensæ, contulerunt. Crassum, cùm sua natura alienum à contentionibus & moderatum uirum, tum sacrorum cura, quòd esset Pontifex maximus, in Italia retinuit. Quare Fabius Scipioni alia obsistens uia, impediuit & intercessit, ne delectum iuuentutis, quæ uoluntaria nomina dare uolebat, posset habere. In curia & ad populum fremebat, illum non solùm fugere Annibalem, uerùm etiā, quod reliquum in Italia uirium esset, id exportantem abscēdere, spe lactare iuuentutem, & inducere, ut parentes, coniuges, patriam, cuius in foribus potens & inuictus sedeat hostis, deserant. Hæc cùm diceret, pauorem iniecit ciuibus. Solas itaq; decernunt ei ad bellum legiones quæ in Sicilia erant, & ut ducere secum ex iis, quos reportauerat ex Hispania, trecentos posset: quorum usus fideli opera est. Iam uerò cùm in Sicilia esset, obtrectatores eum criminabantur exercitum in Sicilia habere uæcordem, & omni disciplina solutum militari, ipsum ducem oscitantem totum se ad uoluptates & ocium contulisse. Præter cæteros Fabius Maximus in Scipionem inuectus, sic modum excessit, ut extemplò reuocandum ex Sicilia, abrogandumque ei imperium censeret. Hæc nimis aspera uisa omnibus sententia est. Quamobrem Q. Metelli consilium secuti patres decreuerunt, ut decem legati in Siciliam transmittentes, cuncta quæ de Scipione ad Senatum delata erant, diligenti studio perquirerent: si nocentem inuenissent, statim iussu Senatus in Italiam reuocarent: sin uerò falsa essent crimina, & uanæ inuidorum calumniæ, dimitterent ad exercitum, hortarenturque ut fideri animo bellum susciperet. Profecti in Siciliam legati, in discutiendis singulis rebus nullam Scipionis culpam inuenire potuerunt. Exercitum uerò, classem & omnem apparatum belli cùm intuerentur, sic admirati esse dicuntur copiam & ordinem singularum rerum; ut postea in urbem redeuntes amplissimis laudibus P. Scipionem efferrent, & reiectis inuidorum calumniis, ad certissimam uictoriæ spem Senatum populumque Romanum reuocarent. Vt uerò traiecit in Africam Scipio, & eximia eius gesta uictoriæque incredibiles & clarissimæ annunciatæ Romam sunt, omnibus ciuibus Scipionem laudibus tantas ob res gestas ad cœlum ferentibus, Fabius mittendum Scipioni censebat successorem: nullam causam proferens aliam, nisi quòd illud iactaret triuiale, Anceps esse tantam rerum molem credere unius fortunæ uiri: non temerè eidem semper respondere fortunam. Quare offendit populum, habitusque est morosus & malignus, aut prę senio exanguis omnino & deploratæ spei, qui præter modum ab Annibale trepidaret. Liuius libro 7. Decadis 3.

L. LVCVLLVS Cn. Pompeij gloriæ inuidens, ut is in Hispania cùm Sertorio dimicans detineretur, missa pecunia à Senatu esse-

natu esse-

natu effecit, ne sibi prouinciam Ciliciam, belli cōtra Mithridatem gerendi sedem, præriperet. Hæc simultatum occasio prima. Posteaquàm eam prouinciam biennio administrauit, & Mithridatem simul atq; Tigranem reges potentiss. modò non captos subegit, per inuidiam aduersariorum mittitur ei non prouinciæ, sed triumphi successor Pompeius. Romam reuersus, cùm Senatus Lucullo aduersus Pompeij dominationem ueluti propugnaculo uti uellet, Rempub. abdicauit, cùm iam ægram difficilè à lapsu retineri posse cerneret. In forum postulantibus amicorum negotiis descendebat: in curiam, si qua Pompeij esset contentio & ambitio conuellenda. Calumniati eum fuêre Pompeiani, quasi per Vectium quendam Pompeio insidias struxisset. Cæterùm fides dictis illorum non est adhibita. Plut. in Lucullo.

Monumenta gloriæ aliorum corrumpendo, abolendo.

Proditur à nonnullis, ab HOMERO Palamedis Nauplij F. in Græcorum castris peremti poemata concerpta fuisse aut exusta, ex æmulatione. etiamsi Agamemnonis id posteris allinant plerique. Cælius libro uigesimonono, capite 30. Antiq. Lect. ex Suida.

MENECLIDES Thebanus orator, disertus quidem, uerùm improbus, Pelopidæ & Epaminondæ gloriæ infestus, ob prorogatum Bœotarchatum diem dixit, & magistratu Epaminondam deiecit. Pelopidam uerò cùm criminari non posset, Charonis res gestas ad Platæas extollere, & tabulam prælij cuiusdam, quo perstringeret Pelopidæ & Epaminondæ ornamenta, suasit populo, ut inscripto Charonis nomine dedicaret. Hanc rogationem Pelopidas ut aduersus legum interdicta latam defert, urgens, non esse ex more Thebanorum aliquem ornare priuatim, sed patriæ publicè titulum retinere uictoriæ. Ac Charonem quidem non destitit per omnes actiones cumulare laudibus, at Meneclidam ut inuidum & improbum arguens, & Thebanos rogitans, num extaret ullum ipsius præclarum factum, litem Meneclidæ æstimauit pecunia: quam cùm ob magnitudinem soluere non posset, res nouas postea in urbe molitus est. Plutarchus in Pelopida.

Cùm Bochus, rex Mauritaniæ, simul ad demerendum populū & in gratiam Syllæ signa Victoriæ in Capitolio dedicasset, iuxtaq; Iugurtham ex auro factum, ut Syllæ ab se fuerat traditus: ea de re exacerbatus M. MARIVS signa ea detrahere parauit. Aliis autem Syllæ auxilium ferentibus, ciuitas penè ab utrisq; partibus inflammata fuit. Plut. in Sylla.

HERODES Iudæorum rex, genealogias familiarum Iudaicarum cremauit, inuidens eis generis antiquitatem, de qua ipse nouus homo gloriari non poterat. Eusebius cap. 9.

CALIGVLA Imp. cogitauit de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non licere, dicens, quod Platoni licuisset, qui eum è ciuitate, quam constituebat, eiecerit? Sed & Vergilij, & Titi Liuij scripta & imagines, paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit: quorum alterum, ut nullius ingenij minimæq; doctrinæ: alterum, ut uerbosum in historia, negligentemq; carpebat. De iuris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe iactauit, se (mehercle) effecturū, ne quid respondere possit prę ter Eccum, uel Eum. Augusti uictorias insectabatur, ut funestas P.R. & calamitosas, ideoque uetuit eas solennibus feriis celebrari. Statuas uirorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subuertit, atq; disiecit, ut restitui saluis titulis non ualuerint. Vetuitq; posthac uiuentium cuiquam usquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni. Vetera familiarum insignia nobilissimo cuiq; ademit: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompeio stirpis antiquæ, Magni cognomen. Suetonius.

DOMITIANVS Imp. plurima & amplissima opera incendio absumta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Suetonius.

NERO Imp. uictor Isthmicis ludis, ne cuius alterius hieronicarum memoria aut uestigium extaret usquam, subuerti & unco trahi, abiiciq; in latrinas omnium statuas & imagines imperauit. Suetonius.

Opilius MACRINVS imperium adeptus, statuit omnia rescripta ueterum principum tollere, ut iure, non rescriptis ageretur: nefas esse dicens, leges uideri Commodi & Caracallæ & hominū imperitorum uoluntates, cùm Traianus nunquā libellis responderit, ne ad alias causas facta proferrentur, quæ ad gratiā composita uiderentur. Cuspinianus.

Andronicus Comnenus maximum aquæ ductum subterraneum qui in medio foro potabilem aquam effunderet, maximis sumtibus renouauit. Hydrale fluuio in eum deriuato: ad cuius primos fontes turrim extruxit, & ædes ad æstiuandum idoneas. ISAACIVS Angelus, qui Andronico uitam ademit, & turrim & ædes diruit ex inuidia pulcerrimi facinoris. Nicetas lib. 2.

Laborabat ingenti rei frumentariæ inopia Romana ciuitas. SABINIANVS Pp. qui Gregorio Magno successit, cùm ex templo horrea, sicuti assueuerat, ecclesiæ aperuisset, frumentum quidem populo diuidi iussit, uerùm non gratuitò, ut Gregorius, sed pretio solidorum tredecim in singulos modios constituto. Quo facto offensi pauperes, quos Gregorius in monasteriis, xenodochiis, & diaconiis frumento publico sustentarat, ipsum facto agmine adierunt, obsecrantes, ne quos Gregorius tanta caritate pauisset, eos ipse extrema contabescere inedia sineret. Quibus uocibus ille perculsus, turbato uultu respondit: Si Gregorius laudis quærendæ caussa uniuersos ad se attrahere populos uoluisset, se illos saturare non posse. Dicto autē erga Gregorium inique mox facti quoq; grauioris acerbitatem adiunxit, siquidem usq; adeò inuidum se gloriæ eius exhibuit, ut etiam scripta illius sanctissima criminatus, ea delere, atq; ex hominū memoria euellere cogitarit: fecissetq; æquis multorū animis, ut ea combureret, nisi Petrus diaconus, intimus Gregorij quondam familiaris, in mediū progressus, iureiurando affirmasset, se columbā lucubrantis ipsius auribus assidentē sæpiùs conspicatū esse, ex quo intelligi posse, quæ scripsit, eū non sine cœlesti Spiritus S. afflatu scripsisse. Qua uoce æstimari uix potest, quantū præclaris Gregorij monumentis fidei atq; auctoritatis adiecerit. Postero uerò anno in quiete à Gregorio ter liberalitatis erga pauperes adhibendæ admonitus, ne ita quidem illius auctoritati obtēperauit. Itaq; rursus acriùs castigatus, in capite leuiter est percussus. Quē ictum sæuus adeò dolor excepit, ut XI. Calend. Mart. eo ipso confectus obierit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Vitæ æmulorum insidiando, Tollendo.

IOABVS polemarchus Dauidis regis, audiens Abnerem Neris F. polemarchum Isbosethi regis, Sauli filij, ad Dauidem defecisse: ueritus, ne gratia & auctoritate potiore apud regem esset, propter artis bellicæ peritiam, cum specie amici colloquij Hebrone ad mediam portam seductum, haustis in complexu ilibus, interemit: fratris Asaelis (quem Abner in bello interfecerat) mortem se ulturum professus, at re ipsa gloriæ eius inuidens. Dauid rex mortem Abneris indignissimè tulit, ita ut Ioabi domum diris imprecationibus deuouerit. 2. Regum 3.

PSEVDOPROPHETA Bethelensis Iadonem Prophetam, æmulatione motus, contra Dominum delinquere fecit, ut eo sublato ipse apud regem Hieroboamum pristinum locū obtineret. 3. Regum 13. & Iosephus lib. 8. cap. 9. Antiq.

ISMAEL Nathaniæ F. inuidens Godoliæ, quem Nabucodonosor Iudeæ præfecerat, cùm ipse de regio genere esset, cū simulata amicitia in conuiuio interfecit. Iosephus libro 10. capite 11. Antiquitatum.

PERSARVM satrapæ Danieli prophetæ inuidebant, quòd illum rex Darius omnibus præfecisset. Itaq; miris artibus eū circumuenire studuerunt, quæ tamen ad extremum in illorum redundarunt capita.

Memoriæ prodidit Eusebius in lib. de falsa Religione, PRIAPVM aliquando cum uno ex illis asellis, qui Bacchum in Indicam expeditionem proficiscentem trans quendam fluuium transuexere, de membri magnitudine decertasse. Victus Priapus uictorem ob inuidiam occidit, & mox utrosque inter sidera transtulit, uni etiam ut loqui posset concessit. Mansit deinde ea consuetudo in sacris, ut asinus Priapo, tanquam inuisum & insidiosum animal immolaretur. Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 15.

Cùm Diomedes & Vlysses communi opera sublato Palladio redirent noctu, VLYSSES quò facti gloriam in se unum transferret, destinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladium secum portantem. Itaq; cùm ensem in caput illius à tergo uibrasset, Diomedes, animaduersa ad lumen lunæ gladij umbra, subtraxit se plagæ, correptūq; Vlyssem, uinctis manibus, præcedere compulit, gladio lato subinde cædens illius tergum. Hinc prouerbium, Diomedea necessitas. Suidas ac Zenodotus, & Erasmus in Adagiis.

Talus adolescens, cùm ingenij ui tornum primùm, deinde serram ad imitationem serpentinæ maximæ inuenisset, indoluit DÆDALVS aliquam artis suæ gloriam in alium deriuari, ita adolescentem interemit. Damnatus Athenis in Cretam ad Minoem fugit, cui facilè arte conciliatus est, labyrinthumq; ei struxit. Diodorus.

Cum CADMVS literas à Phœnicibus acceptas, Græcis tradere uellet, Linum, quòd is quoq; literas suas proferret, interemit. Deinde ciues Cadmum exegerunt, ut nec huic bono fuerit Linū superasse. Erasmus in prouerb. Cadmea uictoria.

CAMBYSES Persarum rex fratrem Smerdim innocentissimum æmulatione eius roboris interfecit. Herod. lib. 3.

ARTOXERXES Persarum rex, cæso fratre Cyro in prælio ab aliis, cùm ipse omnium hominum uellet existimationem & sermonem esse, interfectum ab se Cyrum: Mithridati, qui Cyrum in temporibus sauciauerat primus, dona misit, præcepitque iis, qui dona ferebant, referre: Hisce te præmiis rex ornat, quòd stratum equum quem inuenisti, retuleris ei Cyri. Cari quoque, à quo in poplite Cyrus uulneratus occubuit, præmium flagitanti, nunciare, quos misit cum dono, iniunxit: Hoc donum tibi rex, quòd secundus felicem nuncium ei attuleris, mandauit dari. Princeps enim Artasyras Persa, secundùm illum tu Cyri excessum attulisti. Ac Mithridates cum offensione tacitus abscessit. Miserum Carem idem, qui stolidos solet, tenuit morbus. Quippe præsenti gestiens fortuna, inductusque statim ad asserendum ea, quæ supra sortem suam erant, dedignatus est oblatum prosperi nuncij præmium accipere: sed fremuit testans deos clamitansque ab nullo Cyrum alio quàm ab se peremtum: qua gloria immeritò se spoliari. Quibus relatis maiorem in modum exarsit rex, ac ceruicem homini abscindi imperauit. Assistens autem mater regis: Tu uerò noli permittere, inquit, Carem hunc nefarium tam leui defungi pœna, sed mercedem à me recipiet temeraria lingua dignam sua. Permittente ei rege, iussit carnificibus Parysatis, ut abriperent hominem, ac per dies decem excruciarent; inde oculis effossis in aures feruens æs instillarent, dum expiraret. Miserè item periit breui pòst ex insolentia sua Mithridates. Inuitatus ad cœnam, cui & regis & eius matris eunuchi intererant: accessit ad conuiuium ueste & auro, quæ acceperat à rege, comtus. Inter epulandum ille, qui inter Parysatidis eunuchos poterat apud illam plurimum, affatus eum: Vt elegantem hanc tibi uestem, Mithridate, rex donauit, elegantes etiam torques & armillas, tam preciosum acinacem: quibus beatum te & omnibus reddidit suspiciendum. Temulentus iam Mithridates: Quæ hæc sunt, inquit, Sparamixe? Nempe maiora ego & præclariora, quo die conflictum est, sum meritus à rege. Cui arridens Sparamixes: Nihil equidem, infit, inuideo, Mithridate. uerùm quoniam aiunt Græci in uino ueritatem esse: quid præclari sodes aut magni est, equo delapsum inuenisse stratum, atque hunc adduxisse? Id non, quò rem ignoraret, iactauit: sed ut id præsentibus arbitris ille effutiret, loquacis & impotentis iam ex uino stimulabat leuitatem. Igitur non temperauit, quin iaceret: Vos, ut libet, pileos iacite, & eiuscemodi quisquilias. Ego disertè uobis affirmo, interfectum hac manu Cyrum. Neque enim ut Artoxerxes iaculum torsi irritum & uanum: sed paululum aberraui ab oculo, fixoque & traiecto tempore illum prostrāui: quo ex uulnere interiit. Hîc cæteri exitum iam & funestam sortem cernentes Mithridatis, in terram oculos deiecēre. At conuiuator: Heus tu, inquit, Mithridates, bibamus nunc & epulemur, regis fortunam adorantes. Verba forte nostra maiora ualeant. Inde sermonem Parysatidi indicat eunuchus, illa regi. Rex ira flagrauit, quasi reuinceretur, pulcerrimumque & iucundissimum amitteret uictoriæ decus. Volebat enim omnibus Barbaris & Græcis persuasum, in impressionibus & concursibus cùm inferret & acciperet plagam; hinc se uulneratum fuisse, hinc se Cyrum interfecisse. Itaque necari Mithridatem scaphis iussit. Plutarchus in Artoxerxe.

Pharnabazus Artaxerxi regi Persarum persuasit, ut classem pararet, ducemque haberet Gononem Atheniensem, rei bellicæ peritissimum, qui è clade ad Aegos potamos accepta, in Cyprum ad Euagoram regem confugerat. Huius prudentia uicto ad Cherronesum Periarcho Lacedæmonio, Lacedæmonij à sociis destituti maris imperium amisere. Eius gloriæ inuidens TERIBAZVS terrestrium copiarum in Asia dux, arrepto prætextu, quasi regiis copiis urbes Atheniensibus compararet, hominem Sardis perductum comprehendit, & uinctum in custodia necauit. Diod. lib. 14.

Eumenes Cardianus proditus fuit Antigono regi ab Argyraspidum PRÆFECTIS, ob inuidiam eius gloriæ. Plutarchus in Eumene.

Euripides Tragicus periit insidiis ARIDÆI Macedonis, & CRATEVÆ Thessali, æmulorum poetarum: quorum impulsu regis seruus canes in eum immisit. Alij non à canibus, sed à mulieribus eum laceratum tradunt, noctu euntem ad Craterum Archelai delicias: ut qui id quoque genus amoribus indulgeret. Alij, ad uxorem Nicodemi Arethusij. Suidas.

Q. Sertorius, dux clarissimus magna fortitudine & prudentia bellum contra Romanos in Hispania gesserat, & Mithridatis insuper fœdere formidabilior redditus, hostibus iam penè par erat. At Senatores (sic enim Romanos exules uocabat) eius gloriæ primùm inuidere: PERPENNA spiritibus uanis ob natalium splendorem elatus, conspirationē quoque contra eum moliri ausus est cum Aufidio, Antonio & Manlio uno ex Sertorianis ducibus. Et quidem metu illius auctoritatis non rebellabant apertè: uerùm res eius in secreto corrumpebant, Barbarosque acerbè puniendo, & tributo exigendo, quasi Sertorij iussu, affligebant. Hinc defectiones natæ per oppida & seditiones. Qui uerò ad hæc mittebantur lenienda & medenda, redibant pluribus inflammatis tumultibus, & rebellionibus prioribus intensis. Vnde degenerans ex humanitate & lenitate Sertorius pristina, Hispanorum filios, qui Oscę educabantur, uiolauit: ac partem eorum occidit, alios sub corona uendidit. Vbi insidiarum tempus decreuerunt coniurati, hominem subornatum adduxerunt, qui epistolam redderet Sertorio. Epistola uictoriam cuiuspiam eius legatorum & hostium magnam stragem significabat. Quare ouantem Sertorium & læti nuncij causa sacrificantem cum præsentibus amicis (hi in coniuratione erant) inuitauit Perpenna ad cœnam, multisque precibus obtinuit, ut sibi condiceret. Cœnæ semper præsente Sertorio magna erant uerecundia & honestate conditæ, quòd nihil uel uidere uel audire sustineret turpe: sed conuiuas pudicis & sobriis iocis oblectamentisque assuefecisset uti. Ibi in medio conuiuio exordium quærentes iurgij, propalàm incesta uerba iecerunt, fingentesque se uino mersos, quò irritarent illum, multa designauerunt insolenter. Ille uerò, uel quòd licentia ista offenderetur, uel quòd mentem eorum loquendi tarditate & insolita dissolutione aduerteret: figura mutata accubitus, supinum se collocauit, quasi non attenderet neque exaudiret ea. Vt uerò phialam Perpenna accepit meri plenam, eamque inter bibendum è manibus dimisit, unde editus est strepitus, quod erat illis pro signo: Antonius, qui supra Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Ad ictum circumagente se illo & parante exurgere, coniiciens se in pectus eius, ambas occupat manus. Ita cùm non ualeret ulla ratione se defendere, multis eum cædentibus, est trucidatus. At Hispani plerique actutùm ab his defecere, missisque legatis in fidem se permisere Pompeij & Metelli. Perpenna autem à Cn. Pompeio breui obtritus & captus, cùm haberet in potestate chartas Sertorij, pollicebatur Pompeio, literas ostensurum se uirorum consularium & principum urbis Romæ manu exaratas, quibus Sertorium acciuerant in Italiam, multos significantes esse, qui præsentem statum mouere, & res nouas auerent moliri. Verùm Pompeius haud iuuenilis mentis, sed solidæ & compositæ fecit actum, quo urbem ingenti metu nouationibusque liberauit. Nam epistolas illas & codicillos Sertorij collectos omnes concremauit: eosque neque ipse legit, neque permisit alium. Perpennam uerò properè interfecit: quòd timeret, si nomina eorum edidisset apud aliquos, seditiones & motus existerent. Ex Perpennæ coniuratione alij ad Pompeium retracti & necati, pars in Africam fugerunt, qui à Mauris sunt iaculis confossi. Nemo euolauit præter riualem Manlij Aufidium. Hic uel quòd non cognosceretur, uel contemneretur, in uico quopiam barbarico inops inuisusque consenuit. Plutarchus in Sertorio.

TIBERIVS Cæsar, super ueteres amicos ac familiares, XX sibi è numero principum ciuitatis depoposcerat, uelut consiliarios in negotiis publicis. Horum omnium uix duos aut tres incolumes præstitit: cæteros, alium alia de causa perculit. Inter quos cum plurimorum clade Elium Seianum, quē ad summam potentiam non tam beneuolentia prouexerat, quàm ut esset, cuius ministerio ac fraudibus, liberos Germanici circumueniret, nepotemq; suum ex Druso filium naturalem ad successionem Imperij confirmaret.

Ptolemæum regis Iubæ F. consobrinum suum, M. Antonij ex Helena filia nepotem, CALIGVLA Imp. accersitum è regno, & exceptum honorificè, non alia de causa repentè percussit, quàm quòd edente se munus, ingressum spectacula, conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Suetonius.

ADRIANVS Imp. si disciplinarum, in quibus ipse reuerà multùm excellebat, quemquam inuenisset scientiam habere talem, ut imminere periculum putaret, ne aliquando ab eo superaretur, inuidia pressus, eum occidebat. Fauorinum Gallum, ac Dionysium Milesium, sophistas tollere conatus fuit, eorumq; sectatores perdidit. Dion, Suidas. Nota est uox Fauorini philosophi, cuius uerbum quum Adrianus reprehendisset, nec Fauorinus contrà niteretur quibus poterat rationibus, castigatus ab amicis, quòd parum suæ consuluisset dignitati, qui tam facilè Cæsari cessisset: Cur, inquit ille, non cedam huic, qui triginta habet legiones? Sabellicus libro 4. Enneadis 7.

Theodosius Hispanus, Theodosij Imp. pater, in Africa proconsul, dum strenuè commotam seditionem sedasset, commeruit VALENTIS Imperatoris inuidiam: à quo iussus est occidi. Cuspinianus.

Quum felicitate prospera Aetius Mœsia oriundus, patritius Romanus, uicto in campis Catalaunicis Atila, cresceret, ut uirtus semper inuidiæ obnoxia est, uel Maximi figmentis, uel iussu VALENTINIANI III. Imp. qui illius successus metuebat, occisus est, in affectatæ tyrannidis suspicionem

adductus, & cum eo pariter & Occidentis imperij salus occubuit. Cuspinianus.

Cùm Tãberlanes cum suis oberraret, latrociniis gaudens, accidit, ut familiares eius de felice rerum successu differerent, eoque tandem uenirent, ut dicerent, eum breui etiã Semarchandæ regnum consequuturum. At Myrxies Tãberlanis intimus respondit: Regnũ Semarchandæ firmius est, quàm ut occupari possit à latrone, & priuato homine. Sin autem aliquando contigerit, ut Semarchandæ regno potiatur, uolo ut confestim tanquam mendax obtruncer. Non multo pòst cùm Semarchandam urbem Temires esset adeptus, honores maiores Myrxies quàm Chaidares alter prædationis socius ob fortitudinem apud regem inuenit. Hinc commotus CHAIDARES, dixisse fertur: Tempus iam esse, ut sermo ille quem loquutus fuerat Myrxies, ad rem conferatur. Extare enim eius sermonis testes plurimos. Ergo Myrxien capitali supplicio subdi iussit Temires, in memoriã redigẽs se nactum esse Semarchandæ regnum, ipsumq; falsum esse animo, proinde mortis reum teneri. Chalcocondylas lib. 4.

Mathæum II. Vicecomitem, Stephani F. ex diuturna febricula mortuum, Valentina mater à FRATRIBVS ueneno sublatum, usque adeò constanter asseuerauit, ut Galeacio & Barnabæ diras imprecaretur. Mathæum enim ex sermone quodam inuidiæ pleno apud fratres exitiale odium parasse referebat, quòd Crescentiaco in uico, ubi Mathæus Magnus auus obiit, quum fortè in cœna Galeacius & Barnabas tanti imperij è maioribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcerrimum fortunæ munus principatum esse faterentur, Mathæus incautè subiunxisset. Id quidem sine controuersia uerum esse, incõparabileque uideri, modò principatus socio consorteque careret: adeò ut non obscurè Ioannem patruum perstrinxisse uideretur, qui secùs ac magnus auus fecisset, non unum, Galeacij primi atque Actij exemplo, sed tres simul iniquo iure diuisi imperij hæredes scripsisset. Id dictum subamaro sale scommatisque nomine prolatum, usque adeò in pectus fratrum altè descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos, cuius obsonij Mathæus erat appetentissimus, toxico illitos apposuerint. Iouius in uita Mathæi.

ALOISIVS Grittus, Andreæ Venetorum principis nothus, Byzantij natus, & inter Turcas educatus, anno 1534. à Solymanno Turcarum Imp. è Byzantio cum amplissimis mandatis, ad Ioannem Sepusium regem, in Pannoniam contendens, ducebat secum præsidij causa aliquot Turcarum equitum alas, atque item eximiam peditum manũ, in qua erant plerique Ianizari, ex numero prætorianorum: & ante alios Hũgari duo duces cum singulis turmis, Vrbanus Batianus, & Ianus Docia. Hi iampridem à regis Ioannis amicitia discesserant, sequebanturque Grittum Solymanni fauore subnixum. Erat Docia præfecto Transyluaniæ admodum infensus, quòd sibi in quadam altercatione uociferanti genam pugno contudisset. Is erat Americus Cibachus, episcopus Varadinensis, cui Ioannes secundùm regiam dignitatem primum honorem detulerat. Consederat ad oppidum Braxouium Grittus, quum pluribus nunciis affertur Americum aduentare, castrametatumque inde decẽ millibus passuum apparare sese, ut cum ornatissimo comitatu in colloquium deueniret. Ea res Gritto ingenium uehementer commouit, quasi apertis in campis, ueluti cum hoste, spectantibus copiis, esset colloquendum. E conuiuio discedens, & his non obscurè minatus, qui imperiis suis minimè paruissent, tegumentum capiti detraxit, quod erat Turcarum more oblongum, ex preciosis Scythicarum zibellinarum pellibus, manibusq; dilatans. Hoc, inquit, duo capita non capit: necesse ergo est, ut uni tantùm coaptetur: idq; rursus capiti imposuit. Eum sermonem Ianus Docia excipiens: Neq; hęc prouincia, inquit, duos ex æquo præfectos capere potest. Ergo Grittus separatim Vrbano Batiano ualidissimam Turcarum alam, & inprimis Hungarorum turmas tradidit. Is noctu ad castra Americi aduolat: Docia superueniens iacenti caput detruncat. Vbi de Americi cæde fama percrebuit, propinqui prouincialesq; fermè omnes aduersus Grittum coniurant, duce Stephano Mailato. Ergo in oppido Meges Grittus obsessus, ad condictam horam ab ea porta, quæ ad Moldauos ducebat, erupit, dextra Solymanni diplomata prætendens. Sed Barbarorum fraude nequaquam inuentis Moldauis, comprehensus, cæsis suis omnibus gladio percussus est. In eius cruore proceres & propinqui penulas militares, solenni cæremonia, more gentis, intinxerunt, ut diu secum exactæ uindictæ memoriam deferrent. Sed Ianus Docia maiore ira & grauiori supplicio affectus discerptusque est. Iouius libro 32. Historiarum.

AMBITIONIS FRVCTVS VEL

BONVS.

VIRTVTIS STVDIVM.

Thebanus HERCVLES nunquam sese tot monstris opposuisset, labores & pericula subiturus, si nulla æternitatis cura animum tetigisset. Hæc illi uel nouerca infestior, quæ nunquam passa est eum quiescere: hæc durior quàm ille imperiosus Eurystheus, per quem tam uariè est exercitatus Alcmenæ filius: denique fuisset ille nunquam tantùs, si spem de immortalitate nullam animo concepisset. Sabellicus libro 5. capite 5.

Qui libidines turpiores fide pietatis, impetrato Spiritu sancto, & amore intelligibilis pulcritudinis non refrenant, melius saltem cupiditate humanæ laudis & gloriæ, non quidem iã sancti, sed minùs turpes sunt. Tullius in lib. de Rep. ubi loquitur de instituendo principe ciuitatis, dicit alendum esse gloria: & consequenter commemorat, ROMANOS multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse. Huic ergo uitio non solùm non resistebant, uerumetiam id excitandum & accendendũ esse censebant: putantes hoc utile esse reip. Itaque gloriam ingentem, diuitias honestas uolebant: hanc ardentissimè dilexerunt, propter hanc uiuere uoluerunt, pro hac & mori non dubitauerunt. Cæteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam seruire uidebatur inglorium, dominari uerò atque imperare gloriosum, priùs omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt. Hoc etiam deorum apud illos ædes indicant, quas coniunctissimas constituerũt Virtutis & Honoris, pro diis habentes quæ dantur à Deo. Vnde intelligi potest, quem finem uolebant esse uirtutis, & quò eam referebant, qui boni erant, ad honorem scilicet. D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 12.

BENEFICENTIA.

T. QVINTIVS Flaminius, cùm esset inprimis ambitiosus, gloriæque cupiditate summa duceretur, studebat præstantissima quæq; & maxima ipse obire: gratioresque habebat eos, qui operam suam quærerent, quàm qui præstarent sibi: quòd hos uelut ad gloriam aduersarios, illos uirtutis segetem existimaret. Plut. in Flaminio.

IMPERIVM, DIGNITAS.

Vide λῆψιν, *Pontificatum, Regnum acquirere.*

LVCVMO, Demarati Corinthij exulis, qui Tarquinios in Hetruriam migrarat, filius, quum Tanaquilem feminam summo loco natam, matrimonio sibi iunctam haberet: nec immeterim Hetrusci, quia peregrinæ esset stirpis, publicè priuatim'ue honore ullo afficerent: uxoris hortatu, patriæ & omnium necessitudinum oblitæ, modò uirum honoratum cerneret, consilium cepit migrandi Romam, ubi in noua ciuitate facilè locus ad nobilitatem parandam uirtuti pateret. Sublatis itaque rebus Tarquiniis profectus, quum ad Ianiculum uenisset (fuit tum is collis Hetruscorum Romanorumque confinium) prodigium est ingens illi oblatum. Aquila leuiter cœlo demissa, pileum in curru cum uxore sedenti abstulit. Dein sublimis supra carpentum præpetem librans uolatum, uelut sui ministerij conscia, sedentis capiti oblatum restituit. Accepit id augurium læta Tanaquil, eiusmodi artis non imperita: (fuit id studium Hetruscis peculiare) mirum itaque complexa, magna & sublimia sperare iubet: auem auspicatissimam in ipso hominis uertice auspicium fecisse. Igitur haud uana spe pleni, in urbem ingressi, Lucumo Tarquinij est cognomen adeptus: uxor Caia Cæcilia nuncupata. Nec multum deinde temporis intercessit: per amicos, quos benigno sibi alloquio, multaque comitate conciliauerat, Romanorum regi Anco Martio insinuatus, liberaliter dextreque officia circa illum obeundo, eò gratia & familiaritate breui processit, ut secretioribus consiliis militiæ domique adhibitus, præter equitum præfecturam, tutor sit postea filiorum ab rege relictus, & tandem rex factus. Sab. lib. 4. Enneadis 2.

ABSOLVTIO.

QVIDAM Athenis uniuerso populo inuisus, causam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorem subitò petere cœpit: non quòd speraret se illum consequi posse, sed ut haberent homines, ubi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent. Neque eum tam callidi consilij ratio fefellit. Comitij enim clamore infesto, & crebris totius concionis sibilis uexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, eiusdem plebis paulo pòst in discrimine uitæ clementissima suffragia expertus est. Valerius Maximus libro 7. capite 3.

MALVS. TVM

IN GENERE.

Non malè compositam quidam aduersus ambitiosos existimãt IXIONIS fabulam: quòd scilicet pro Iunone nubem complexus sit, atq; ita geniti Centauri. Quippe cum gloria hi tanquam uirtutis simulacro habentes consuetudinem, nihil sincerè agunt uel constanter: uerùm aliàs aliis rapti studiis, & motus sequentes alios, res gerunt adulterinas & mixtas multas. Plut. in Agidis prooemio.

IN SPECIE. PVTA

Deorum ira.

Cùm gloriæ studio primi MORTALES post diluuium in campo Sanaara urbem ædificare, & turrim, quæ fastigio cœlum contingeret, extruere uellent: ambitionem illorum Deus exosus, confusionẽ linguarũ illis immisit, à qua urbs inchoata nomen accepit, ut Babylon diceretur. Genes. 11.

TANTALVS ob insolentiam ad inferos præcipitatus, & saxum graue uertici suo imminens frustra depellere conatus, ut Pindarus ait Ode 1. Olympiorum:

ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον
τοῦτον, ἐμπεδόμοχθον
μετὰ τριῶν τέταρτον
πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψαις
ἁλίκεσσι συμπόταις
νέκταρ ἀμβροσίαν τε
δῶκεν, οἷσιν ἄφθιτον θέσαν. Viuit ineluctabilẽ uitã illam, ærumnosam, & cum tribus (sitis scilicet, famis & stationis perpetuę, uel cum Sisypho, Ixione & Tityo) quartam pœnam sustinet, quòd immortalibus surripiens, æqualibus suis compotoribus nectar ambrosiamq; distribuit, in quibus ipsi dij incorruptibilitatem constituerunt.

ATHENIENSES à Lacedęmoniis frequenter uicti, humano destituti consilio, Hammonis Iouis oraculum consuluêre: Quidnam causæ foret, cùm ipsi lectas hostias ad aras mactarent, nihilque huiuscemodi facerent Lacedæmonij, uictoria tamen penes Lacedæmonios semper esset? Responsum acceperunt Athenienses, Tacitam & minimè ambitiosam Lacedæmoniorum orationem magis, quàm Atheniensium pompam inanem, diis probari: quibus semper est peculiare, multo magis dãtis animũ, quam munus intueri. Plut.

Odium, Inimicitia.

C. IVL. Cæsar, cùm sibi censuram uendicaret, hoc est præfecturam morum, cognomen Patris patriæ (quod ante eum primus Cicero meruit) statuamq; suam inter reges locaret, & in curia sede aurea uteretur, diuinosque sibi nonnullos honores fieri pateretur, inexpiabile odium incidit: potissimũ cùm eò arrogantiæ uenisset, ut quæ loqueretur, pro legibus haberi uellet: nec adeuntes se (etiam uniuersum Senatum) honore dignaretur ullo, assurgere contemnens. Quæ res inuidiam illi maximam mouit: cùm etiam accederet rumor, regio nomine eum oblectari: licèt se Cæsarem, non regem esse, plerisq; assentatoribus responderit. Cuspinianus ex Suetonio & Dione.

Desperatio.

ACHITOPHEL, Chusæi Architę consilium pro Dauide, suo prælatum esse ab Absalomo ægrè ferens, laqueo uitam finiuit. 2. Reg. 16. & 17.

CORN. Gallus Aegypto præfectus ab Augusto, propter honoris magnitudinem superbire, atque alios præ se adeò contemnere cœpit, ut etiam in Augustum quædam iactaret conuicia. Suas præterea statuas in omnibus ferè Aegypti partibus collocauit: iussitque res à se gestas in pyramidibus inscribi. Apud Cæsarem accusatus, ac facultatibus omnibus priuatus, mortem sibi ipsi præ desperatione intulit. Dion in Augusto.

Bella.

LACEDÆMONII cum Atheniensibus de Græciæ, ROMANI cum Carthaginensibus, de terrarum orbis imperio contendentes, uastitatem orbi induxerunt: uti ante illos ALEXANDER Magnus, dum Persarum euertit imperium: quem propterea meritò Lucanus Terrarum furiale malum appellat.

Craterus Antigoni regnantis frater, & Cassandri Perilaus, partes ductandi exercitus & rerum domesticarum ceperunt dispensandarum. Contrà ANTIOCHI & SELEVCI, præterea GRYPI & CYZICENI, quia secundarij esse non dicerant fratrum, sed purpuræ & diademati inhiabant, multis semetipsos & inter se mutuo, multis Asiam cumulauerunt calamitatibus. Plut. de Pietate erga fratres.

Bocchus rex Iugurtham L. SYLLÆ, C. MARII quæstori, tradidit. Duxit quidem hac de re triumphum Marius: sed facti gloria, quam Marij inuidia Syllæ attribuit, momordit in occulto Marium nonnihil. Siquidem cùm esset sua sponte Sylla iactabundus, & tunc primùm ex uita abiecta & tenebris in lucem ciuium emersisset, gustumq; cœpisset honorũ: eò erupit ambitionis, ut facti huius sculptam in anulo imaginẽ gestaret, qua etiam perpetuò deinceps signauit. Exprimebatur sculptura Bocchus tradens, & Sylla accipiens Iugurthã. Mox cùm Bocchus simul ad demerendum populum & in gratiam Syllæ signa Victoriæ in Capitolio dedicasset, iuxtaque Iugurtham, ex auro factum, ut Syllæ ab se fuerat traditus: ea de re exacerbato Mario, & detrahere ea signa parãte, aliis uerò Syllæ auxilium ferentibus, ciuitas penè est ab utriusque partibus inflammata. Cæterùm bellum sociale iampridem aduersus urbem fumans cùm flagrasset, compressit seditionem in præsenti. Quæ postea bello orto Mithridatico, cùm de prouincia Asia obtinenda inter se certarent, Sulpitij Tribuni furiis exarsit, ita ut non urbs tantùm, sed & uniuersa Italia proscriptorum utrinq; sanguine inundarit. Plutarchus in Sylla.

Belli ciuilis inter CÆSAREM & POMPEIVM multæ causæ fuerunt: sed certissima causa fuit, dominandi cupiditas. Põpeius enim etsi anteà Cæsarem auxerat, tamen eius fortunæ & gloriæ postea cœpit inuidere: atque cùm initio eius potentiam impedire clàm studuisset, deinde grauiter & apertè inimicum se ostendit. Cæsar, qui nihil de dignitate sua detrahi patiebatur, quique omnium maximus esse cupiebat, apertum se Pompeij hostem declarauit. Xiphilinus. Hinc Lucanus libro primo:

-- Stimulos dedit æmula uirtus,
Nec quenquam iam ferre potest Cæsárue priorem,
Pompeiúsue parem. --

Clades bellica.

AMASIAS Iudæorum rex, uictoria quam contra Syros obtinuerat, elatus, Ioæ Israelitarum regi bellum indixit. At Ioas eum ne superbiret, monuit. Cùm non paréret, à Ioa uictus atque captus, & Hierosolymæ muri magna ex parte diruti sunt. 2. Paralip. 25.

Alcibiades Clazomenas nauigans, classem anchoris firmatã ad Ephesum Lysandro Lacedæmonio oppositã, ANTIOCHO præfecto cõmisit, seuerè interdicens, ne ante suũ reditum manus cum hoste quacunq; oblata occasione consereret. At Antiochus gloriæ cupiditate suis auspiciis aliquod præclarum facinus edere gestiens, cum Lysandro infeliciter congressus est. Consertis haud procul à terra nauibus, Athenienses propter ordinum perturbationem uicti, duas & uiginti naues amisere, in quibus pauci admodum uiui capti, reliqui in terram enatarunt. Diodorus lib. 13.

M. ATTILIVS Regulus ambitione nimia conficiendi belli Punici seipsum perdidit. Cùm enim ultrò cepisset de pace cũ hostibus agere, nihilominus tales pacis conditiones prescriberet, quas ne legati quidem audire æquo animo possent: uenêre interim auxilia Carthaginensibus è Græcia, Xanthippi Lacedæmonij ductu. Ad quem ubi rerum summa delata est, mutato belli statu, alioq; translatis castris, insigni prælio Romani uicti, consul ipse Regulus captus, Carthaginemque ductus, & miserè tandem enecatus est. Sabellicus libro 9. Enneadis 4.

M. CRASSVS Rom. omnium ditissimus, quũ inter tot millia ciuiũ domi maximus esse potuisset, Cn. Pompeij & Iul. Cæsaris æmulatione, ne rerũ foris gestarum gloria duobus inferior haberetur: se, filium, florentissimasq; legiones ad exitium perduxit, cæsus à Parthis. Sab. lib. 6. En. 6.

Honorius, cùm bellum à Gothis fortiter in Hispania, quã Vallię eorum regi permiserat, cum Vandalis geri audiret, in spẽ eius prouinciæ recuperandæ adductus, Castinum magistrũ militum, ut Gothis auxilio esset, in Hispaniã destinauit, BONIFACIO Comite Africæ illi adiuncto, ut cum classe ex Africa præstò esset, atq; æquo cum Castino imperio bellũ gereret. hos enim duces duos rei militaris peritissimos hoc tempore habuit. Hi in Hispaniã cum copiis terrestribus maritimisq; profecti, arma eximia concordia intulerũt, ac multa strenuè, prospereque fecerunt. Nam & Maximum, ac Iouinum, qui tyrannidem quondã inuaserant, & adhuc rebus nouis operam dabant, in potestatem adduxerunt, & cum Vandalis benè uno: atque altero prælio dimicarunt. Dissensio inde inter duces ex æmulatione gloriæ orta, prorsus rẽp. perdidit. Castinus enim, cùm Bonifaciũ non ducis, sed legati loco habere cœpisset, id diutius Bonifacius ferre non potuit: indignum esse obedire ei, cui par erat imperio, arbitratus. Itaque cum classe inde profectus, ad Portum Romanũ applicuit: atque inde in Africã prouinciam suam se retulit. Vandali inde, quos ducum Romanorum uirtus ac concordia propè ad ultimam desperationem adduxerat, redintegrato post Bonifacij profectionem bello, insignem Castini imprudentia uictoriã, deletis Romanorum copiis, pepererunt. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Slaui cùm Beneuentanam regionem uastassent, eos abeuntes

Sculdais uir impiger ad insequendum missus, quum assequi non potuisset, à PHERDVLFO Beneuentano duce amarissimis uerbis increpitus est, Hargadh, quod opprobrij nomen erat, appellatus. Quam insignem contumeliam ille indignè ferens, exclamasse dicitur, Vtinam, dux fortissime, antequam è uita nobis migrandum sit, & uirtutis & ignauiæ ostentandæ utrique nostrum occasio detur, ut omnes intelligant, uter sit nostrum uerior Hargadh. Nec uox incassum missa: nam per eosdem fermè dies ualida Slauorum manus atque priore illa longè infestior aduentare nunciatur: cui cum omnibus Foroiuliensium uiribus Pherdulphus obuiam progressus est. Quum igitur hostes munitiore tumulo consedissent, nec tutò locus parte aliqua adiri posset: tum Sculdais ad ducem conuersus, Lux hæc nobis occasionem attulit ostendendæ uirtutis. Si proinde ille es, quē magnificis uerbis iactare soles, me aduerso tumulo in hostem uadentem sequere. Stultus dux stultissimum satellitem secutus est. Cætera multitudo temerarios duces secuta collem sublato clamore subiere. Slaui superiore loco incursantes momento temporis eos fuderunt. Pherdulphus & Sculdais temerarij facinoris huius capita, in primis merita morte occubuere. Secundum eos omnis penè Foroiuliana nobilitas eo loco extincta est. Sab. lib. 4. de uetust. Aquil.

CHRISTIANI de Damasci dominio certātes, penè captam urbem è manibus amiserunt. Aemilius.

Sacra expeditione sub Friderico I. Augusto, PHILIPPVS Francorum & RICARDVS Anglorum Reges, quoad concordes manserunt, adeò acriter hostes premebant, ut Saladinus consilium cedendi illis de regno Hierosolymitano cœperit. Mox dissensione inter illos ex æmulatione orta, dū alter alteri certat anteferri, ac Philippo per simulationem malæ ualetudinis in Galliam suam reuertente, Saladinus facilè Hierosolymam quoque retinuit, & postremo Ricardum ad quas uoluit fœderis conditiones adegit. Dubrauius libro decimoquarto.

Henrico VI. regnante, ANGLI Aurelianenses arcta obsidione premebant, sic ut deditionem facere cogerentur. Re deliberata, non Anglo, sed Philippo Burgundionum duci se dedere paratos significarunt. Angli turpe ac nefarium exemplum fore iudicantes, si urbs tam longa obsidione pressa, & auspicijs Henrici regis penè capta, in Burgundi quamuis socij potestatem ueniret, respondêre, bellum Henrici regis nomine geri, & eius imperio subiici oportere. Sed duplex inde malum accidit. Burgundionis animus primùm offensus est, qui arbitrans Anglos suæ gloriæ inuidere, iam tum de illis malam animo opinionem concepit: deinde Angli obsidionem Aurelianensem relinquere coacti sunt, cùm diuinitùs Ioanna puella Lotharinga Gallorum exercitum confirmasset, & Aurelianenses commeatu introducto refecisset. Polydorus libro 23.

Regni amißio.

SALOMON rex cum patruele Geysa Duce per triennium pacificè regnum administrauerat. Bello autem contra Mysios siue Bulgaros suscepto, cùm Albam Græcam, quæ Bulgaris fauerat, expugnassent, & præsidiarij milites Geysæ fidei sese commisissent, qui eos contra crudelitatem regis defenderet: quin etiam Constantinus Ducas Græcorum Imper. audita Geysæ clementia cum eo fœdus percussisset: æmulatione accensus rex, adulatoribus frigidam suffundentibus, illudque crebrò insusurrantibus, Nec uagina duos capit enses, nec Vngaria duos reges: aperta ui Geysam persecutus, exercitu amisso in exilium pulsus est. Bonfinius libro tertio, Decadis secundæ.

Christina VLADISLAVM Polonorum regem maritum ad Boleslaum Crispum, Miecislaum & Henricū fratres, regno priuandos impulit. Sed uictus ab iis, regnoq; exutus, in Germania exul contabuit. Cromerus lib. 6.

Ludouicum Sforciam in Galliam perductum LVDOVICVS XII rex, nullam humanitatis & clementiæ laudem quærens, in prædurum carcerem sine scribendi solatio coniecit. Hunc exitum habuerunt consilia illius, quibus adeò insolescebat, ut ipsi fortunæ se imperare superbè gloriaretur. Iouius libro 7. Historiarum.

Reipublicæ euersio.

Cn. POMPEII ambitio insatiabilis cùm ipsum perdidit, tum uniuersam rempub. Romanam subuertit. Dum enim omnem aucupatur gloriam, neq; in eius communicationem admittit quemquam, ac uictoriam delibat de Spartaco M. Crassi, dum intrudit se in uictorias Luculli Ponticas & Armeniacas, ac præripere leuem ex piratis gloriolam Metello tentat, atque unus esse omnia, unus facere omnia insistit: alienauit ab se optimum & prudentissimum quemque. Vnde dum labascentem fulcire parat potentiam suam, adiunxit sibi C. Cæsarem, ex Gallia reuersum, cuius opera Crassus & Pompeius reconciliati, societatem inter se contraxere, & Cæsari consulatum cum legionibus & prouincia Gallia conciliauere. Pompeius inde & Crassus consulatum petentes, renitente Catone, eum per uim occupauere: & Cæsari prouincias in quinquennium decreuere: ipsi sorte prouincias obtinuere, Crassus quidem Syriam, Pompeius uerò Hispaniam utranque. Crassus bello contrà Parthos suscepto cæsus est Cæsar uicto Pompeio regnum inuasit. Plutarchus in Crasso.

Aur. Ambrosius Britannorum rex, Scotorū & Pictorum auxilio uictis cæsisque Saxonibus, fœdus, cum Scotis & Pictis fecit. Erant Aurelio duę sorores eleganti forma, Anna & Ada, uirgines ambæ. Harum maiorem natu Annam Lotho Pictorum regi, alteram Conrano Congalli Scotorū regis fratri matrimonio locauit: consilio Albianos reges diutina cōcordia deuinciendi. Scota biennio pòst obiit: Picta uerò liberos habuit. Iam cùm mortuo Ambrosio Vter frater in regno successisset, isque Arthurum nothum hæredem regni relinquere cogitaret: Lothus suis liberis hæreditarium regni ius eripi frustra conquestus, cum Saxonibus contra Vterum conspirauit. Arthurus tandem fœdus ea lege fecit, uti se mortuo MODREDVS Lothi F. natu maximus imperaret. Cæterùm cùm Britanni Pictici sanguinis odio Constantinum Corneianum ab Arthuro hæredem scribi curassent, Modredus Pictorum rex in societatem belli pertracto Eugenio Scoto, Arthurum bello petiit. Commisso prælio Modredus hinc illinc Arthurus, cum maxima nobilitatis parte cecidit: attritisq; uiribus Britannorum, Saxonibus subigendę iterum Britanniæ occasio data amplissima. H. Boethius li. 9.

Multa.

☞ *Vide Locum Iustitiæ correctiuæ, Ambitus pœnā.*

Q. COPONIVS, quòd uini amphoram ei, cuius suffragio magistratum petebat, dono dedisset, ambitus fuit condemnatus. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.

Excæcatio.

Carolus Caluus Imp. CAROLOMANNVM sacris initiatū, sacerdotiisq; locupletatum, coniurationem in se facere conantem, sacrorum gradu deiectum, reliqua uenia impertiuit: iactantemq; mox se propterea sacris amotum, ut regni potens esset, luminibus priuauit. Aemilius lib. 3.

Exilium.

Agrippa Aristobuli F. à patre Herode interfecti, Romæ sese Caio ita insinuauerat, ut Iudeæ rex constitutus fuerit. Inuidebat ei Herodias soror, HERODI Antipæ Tetrarchæ Galileæ, patruo Agrippæ nupta, & maritum impulit, uti & ipse Romam nauigaret. Inuitus paruit, mulieris tamen ambitioni cedens, profectionem suscepit. Agrippa re cognita, Herodem per literas accusat, quòd iam olim cum Seiano contra Tiberium, nunc etiam cum Artabano Partho contra Caiū conspirarit. Argumento esse ipsius apparatum, qui in armamentariis suis haberet tantum armorum, quantū instruendis uirorum LXX millibus satisfaceret. Qua re Cæsar commotus, percontatus est Herodē, uerà ne essent quæ nunciarentur de armorū numero. Quo annuente (neq; enim uera negare poterat) satis approbatam putans defectionē, ademptam illi tetrarchiā ad Agrippę regnū adiecit, pecuniā quoq; eius donans Agrippæ indici: Herodem uerò perpetuò damnauit exilio apud Lugdunum urbem Galliæ. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit: & ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: Tu quidem, Imperator, ut tua maiestate dignū est, loqueris: sed mihi coniugalis amor impedimento est, quo minùs fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in aduersa deserā. At ille indignè ferens tam excelsum animū in femina, ipsam quoq; cum Herode expulit, & bona eius Agrippæ largitus est. Atq; hæc fuit uindicta, quam deus intulit tum Herodiadi, fratris successus inuidē ferenti, tum Herodi incestuoso, & ad obsequendum uaniloquentiæ uxoris nimis facili. Iosephus lib. 18. cap. 9.

M. AEMILIVS Lepidus Triumuir cum M. Antonio & Octauio, Africam sortitus cum XX legionibus, elatus imperio, primas sibi partes uendicabat, Octauiumq; spernebat, neq; auxilium contra Sextum Pompeium petētem iuuit. Ex quo ab eodem & exercitu spoliatus, & supplex concessa uita apud Circeios relegatus in perpetuum fuit. Volat. lib. 13. capite tertio Anthropologiæ.

Cōstātinus Nouus, regnum à patre Heraclio accepit: qui dolis nouercæ MARTINÆ ueneno sublatus est, nondum annum imperans. Aliqui quarto mense id accidisse tradunt. Nam nouerca illa, quæ eadem patruelis soror illi fuerat, cùm Constantem ex Constantino natum uidisset, timebat ne filius suus Heraclonas unquam regno succederet: idcirco uenenum illi miscuit. Constantino sublato, arripuit imperium

imperium Martina cum Heraclona filio decem annorū: qui ambo conspiratione Senatus ante biennium capti, & in exilium in Cappadociā missi sunt. Mulieri lingua præcisa est, ne oratione, qua plurimùm ualebat, populos cōmoueret. Puero abscissus nasus, ne decor aut gratia in uultu miserationem facerent. Ex Sigeberto Cuspinianus.

Mors.

MITHRIDATES Persa & CAR quidam miles, Cyri à se interfecti iactantia miserè perierunt. Vide Tit. Aemulationes ambitiosæ, Morte.

Inter Furij Camilli tertiùm iam Dictatoris aduersarios & æmulos princeps fuit M. MANLIVS, qui ex arce depulit primus Gallos, cùm Capitolium essent nocte adorti: unde nomen illi inditum Capitolino. Hic primatū affectans in ciuitate, cū bonis artibus superare laudes Camilli nō ualeret, uiā ad tyrānidē affectās, de saxo precipitatus est. Plut. in Camillo.

AMBITIO SECVNDVM ΛΗΨΙΝ, CONSIDERATA RESPECtu ΑΞΙΑΣ siue eius BONI, propter quod honor expetitur. Honorem immodicè appetere, acceptare, ex REBVS

PRIMARIO CONSIDERATIS: quatenus scilicet referuntur, uel ad Hominis

ANIMVM. GLORIAM CAPTARE EX

Eruditione, Doctrina, uera simulatâue.

☞ *Consule Tit. Furta literaria, quatenus aliorum labores sibi uendicantes gloriam aucupantur, item Tit. Hæreticorum, Theologorum, Poetarum, Grammaticorum, Medicorum imperitorum. Item Ambitiosi Rhetores, Poetæ, Philosophi. Item, Certamina Musicorum, Grammaticorum, &c. quatenus indoctiores ambitione inflati cum doctioribus certant.*

ANACHARSIS Scytha Delphos profectus, deum consuluit, Quis'nam sapientissimus esset? sperans, Deum se hac laude ornaturum. At Pythia, Socratem respondit. Pausanias in Atticis.

DIONYSIVS iunior philosophos multos coegit, qui habebantur eruditi. Cupiens uerò disputando omnes superare, necesse habebat ea, quæ obiter ex Platone acceperat, perperàm usurpare. Quare cœpit illum denuò requirere, pœnituitq; eum, quòd non fuisset præsente usus, neq; doctrinā percepisset honestarum disciplinarum absolutam. Itaque tyrannus semper cupiditatibus stolidus, atq; in omnē præceps animi motum, repentè ardenti desiderio captus est Platonis, omnēque machinam mouens, Archytam Pythagoreum induxit, ut promissorum suorū sponsor esset apud Platonem, eumq; denuò acciret. Plut. in Dione.

A. POSTHVMIVS familia nobilis, sed garrulus & loquax, & insigni nequitia, Græcam institutionem & linguam à pueto expetiuit, in eaque re multus fuit, ac potiùs immodicus: ut iam propter illum, etiam natu maioribus, & summas prę ditis auctoritate Romanis, Græcitas inuisa esset. Denique poema scripsit, & historiam rerum instituit, cuius in Procemio ueniam petit à lectoribus, si Romanus homo Græcam dictionem non assequatur, nec dispositionem conuenientem obseruet. Quod est magnarum ineptiarum argumentum: perinde ac si pugil aut quinquercio, nomine suo in gymnicis ludis dato, in stadium progressus, cùm pugnandum esset, ueniā à spectatoribus peteret, si labores & plagas ferre non posset. Perspicuū enim est, talem hominem ridiculū fore, statimque daturum pœnas. Quod ipsum cauere decebat etiam istos historiographos, ne quid contra decorum auderent. Fuit & uoluptatis & laboris amans. Suidas.

De PAVLO, Martialis Epigrammatum lib. 2. sic scribit:

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus.
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Caluisius SABINVS seruis literatis doctos exagitans, gloriā captare solebat. Itaque magnis preciis seruos comparauit: quorum alter hunc, alter illum poetam familiariter memoriter nosset, ut iis ueluti nomenclatoribus contra doctos disputans uteretur. Seneca lib. 3. Epist. 27.

Ausonius ad PHILOMVSVM, qui arbitrabatur se doctum, librorum copia:

Emtis quòd libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum & grammaticum te, Philomuse, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus, eras citharœdus eris.

Magna fuit eruditio IOAN. PICI Mirandulæ, non minor tamen ambitio, qui adhuc adolescens Romæ CCIↃ quæstionibus propositis, orbem terrarum in certamen prouocabat, sumtus etiam iis restituturus, qui eò disputandi causa accessissent. Cæterùm inuidorum calumniis circumuentus, desiderio suo non potuit satisfacere. Ioannes Franciscus in eius uita.

CHRISTOPHORVS Cardinalis Eboracensis, ut indoctissimus, ita ambitiosissimus, Reginaldo Polo Cardinale & Thoma Moro præsentibus, uersum Homericum adducere laborabat, quem memoria sibi excidisse dicebat. Morus ad Reginaldum conuersus, ἐσθλὸν πρὸς ἐπ@, inquit. Tum Christophorus, Et hic ipse est, dixit, quem uolebam: uerùm exciderat. Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.

BARABALLVS Caietanus, uir senex, honesta ortus familia, at ineptus poeta, uersus ab omni uocum & numerorum enormitate faciens, lauream poeticam, sic eum instigante Leone X. Pont. affectās, elephanto insidens, insigni pompa in Capitolium se duci uoluit: quòd in Capitolio Petrarchā quondam coronatum fuisse audiuisset. Iou. in Leone X. l. 4.

[redacted]

Mechanica industria.

☞ *Vide Tit. Ambitiosi mechanici.*

Fuit Pandareo Ephesio filia AEDON: eam duxit POLYTECHNVS faber, Colophone Lydiæ habitans: plurimūque temporis suauiter unà uixerunt, unico filio procreato, cui nomen Itys. Fuerunt autem felices, quandiu deos debito affecere honore. At postquam inani uote gloriati sunt, magis se inuicem amare, quàm Iupiter & Iuno se mutuò diligant: Iuno offensa Eridem ad eos misit, quæ contentionem operum iniiceret ipsis. Paululùm restabat Polytechno ad curulem sellam conficiendam; & Aedoni ad pertexendam telam. Itaque hanc sponsionem ineunt, ut uter ipsorū celeriùs suum opus absoluisset, ei alter famulam daret. Citiùs telam pertexuit Aedon, Iunone opus adiuuante. Cui inuidens uictoriam Polytechnus, ad socerum proficiscitur, simulans se ab uxore missum ad adducendam secum sororem Chelidonem: & Pandareus nihil mali suspicatus, filiam Chelidonem ei committit. Ei Polytechnus in sylua uirginitatem eripit: tonsoque capite, aliis eā uestibus induit: mortemque minatus, si quid horum unquam Aedoni indicasset, ita domum reuersus, eam uxori loco ancillæ ex pacto tradit. Aliquandiu eam soror operis exigendis attriuit, donec Chelidonis cum urna ad fontem prolixè suam deplorans calamitatem à sorore exaudita est. Postquam se mutuò agnouerunt, & consalutauerunt, malum illicò Polytechno sunt machinatæ. Filium eius in frusta conciderunt, carnes in ollam coniectas coxerunt: cumque Aedon uicino suo mandasset, ut Polytechnum eas iuberet edere, ipsa cum sorore ad patrem Pandareum peruenit, indicauitq; in quas deuenisset miserias. Polytechnus cognito, se de filij sui carnibus epulatum fuisse, eas ad patrem usque insecutus est. At famuli Pandarei eum, quòd tantum familiæ Pandarei probrum intulisset, correptum, insolubili uinculo constrinxêre: corpusque melle inunctum, in pascuum proiecerunt. Vbi cùm muscæ assidentes eum diuexarent, Aedon ob pristinam miserata amicitiam, eas abigebat. Quod cùm deprehendissent parentes & frater, odio concitati eam statuerūt interfi-

interficere. Sed Iupiter Pandareum miseratus, antequam in domum eius grauiora inciderunt mala, eos omnes in aues conuertit: quæ partim ad mare usque prouolarunt, partim in aerem subuolarunt. Pandareus mutatus est in haliæetũ, mater Aedonis in alcyonem: statimq; se in mare uolucrunt deiicere, sed Iupiter id prohibuit: atq; hæ aues nauigantibus sunt secundæ. Polytechnus in pelecanem transiit, quòd ei Vulcanus fabricanti securim dedisset, atq; ea auis fabris uisa fausta est. Frater Aedonis upupa extitit, quæ auis terra mariq; est auspicata: idq; magis si coniungitur haliæeto, aut alcyoni. Aedon, quæ est luscinia; circum fluuios & nemora filium Ityn deplorat. Chelidonis hirundo facta est, hominum contubernalis, Dianæ consilio; quòd inuita uirginitatem amittens, plurimùm inuocasset Dianam. Antoninus Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

[illegible]lus puer ab auunculo DÆDALO erudiebatur. Cùm ingenij acumine præstaret, primùm rotam, qua utuntur figuli, inuenit: deinde reperta serpentis maxilla, paruulum cùm secasset lignum, serram ferream fabricauit. Similiter reperto torno, aliisque multis instrumentis, magna laude celebratus est. Hunc puerum Dædalus inuidia motus, existimans se multo fore superiorem, dolo interfecit. Accusatus homicidij, damnatur ab Areopagitis Athenis. In Cretam profectus, cùm magno in honore propter artem haberetur, in Minois regis amicitiam uenit. Diod. lib. 4. cap. 13.

L. TATIVS Rufus infima natalium humilitate, consulatum militari industria meritus, antiquæ aliàs parsimoniæ, circiter mille sestertium liberalitate diui Augusti congestum, usque ad detractionem hæredis exhausit, agros in Piceno coe[illegible]

[illegible]

[illegible] *Consule Tit. Certamina consiliariorum, quatenus mali consultores [illegible] capiant.*

[illegible] Fortitudine bellica.

[illegible] *Consule Tit. Monomachiarum, quatenus [illegible] fortitudinis ostentationem suscipiunt. Item paulo post. Ex Histori[illegible]*

A[illegible] Scythia egressi, Thermodoontem amnem [illegible] Ludouicus Viues de Concordia & [illegible]

[illegible] politica.

D[illegible]s Sinopensis de seipso dicere solitus est, se imple[illegible] tragicas execrationes. Nam erronem se esse, domo & patria carere, mendicum agere, tenui uestitu uti, & in diem uiuere. Nihilominus tamen in his non sibi minùs placebat, quàm Alexander in terrarum orbis imperio, cùm subactis Indis Babylonem reuerteretur. Aelianus libro tertio de Varia hist. Quum aliquando perfusus esset aqua, staretque toto distillans corpore, & circũstantes aliquot, ut fit, commiserarentur hominem ut indigna passum: Si uultis, inquit Plato, commiserari Diogenem, abite. Hoc spectaculo quoniam delectabatur, ob ambitionem miser erat potiùs quàm miserandus: at si nullo teste perfusus fuisset, tum uerè fuisset miserabilis. Laertius lib. 6.

Pudicitia.

VIRGINIA nupta L. Volumnio, qui superiore anno consul fuerat, sed plebeius, patriciarum à cœtu sacellum Pudicitiæ adire prohibita: contumeliæ impatiens, in parte ædium, quas in Longo habuit uico, à prophano usu exclusa, aram plebeiæ Pudicitiæ constituit, hortataq; est eiusdem ordinis matronas, darent operam, ut ara illa à sanctioribus castioribusque, quàm patricia, coli crederetur. Sabellicus libro 7. Enneadis 4.

Scortatione.

LAIS æmula Phrynes, omnis generis homines admittebat, multitudine amantium gloriam captans. Athenæus libro decimotertio, capite 20.

Messalina Claudij Imper. uxor, ut ad satietatem sese uenere expleret, Lyciscæ prostitutæ mulieris nomen mentita, sæpe lupanar sub noctem adiit, & cum famosissimis meretricij quæstus SCORTIS coitu certauit, ex re fœdissima palmam sibi uigintiquinque uirorum congressu quærens. Sabellicus lib. 4. cap. 11. Vt Satyricus inquit, Et lassata uiris, nec dum satiata recessit.

Liberalitate.

HIPPONICVS Calliæ filius, statuam ponere, sacrosanctum patriæ donarium in animo habebat. Cùm igitur quidam ei consuleret, ut à Polycleto fingendam imaginem curaret: Non, inquit, se eiusmodi donarium apud animum proposuisse, cuius gloria non ad consecratorem, sed ad factorem esset reditura. Etenim spectatores in ea statua magis artem & industriam Polycleti, quàm suam liberalitatem & munificentiam admiraturos. Aelian. de Var. hist. lib. 14.

In POSTHVMVM, Martialis Epigrammatum lib. 5.

Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

DOMITIANVS Imp. plurima & amplissima opera incendio absumta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Suetonius.

D. Gregorius Pp. lib. 2. Epist. 43. BONIFACIVM episcopum Regiensem ob misericordiæ opera commendat, sed illud interim reprehendit, quòd eadem ipse aliis enunciaret, non dei oculis sed humano iudicio placere studens.

Luxu.

TERIBAZVS in uenatu Persicam uestem dilaceratam ostenderat, consulens quid faciendum esset. Respondente autem Artaxerxe rege, aliam induendam: Tuam igitur, inquit, mihi tradas oportet. Rex suam tradidit, dicens: Dono do tibi hanc uestem, sed gestare prohibeo. Teribazus neglecta regis monitione, uestem induit, muliebribus etiam ex auro donis, quæ à rege acceperat, exornatam. Hoc cæteris omnibus indignè ferentibus (nam ridere nefas erat) rex effusè ridens: Tibi, inquit, ut mulieri aurum, ut insano regium amictum gestandi ius potestatemq; concedimus. Erasmus libro 6. Apophthegmatum.

THEMISTOCLES ad solẽne Olympiacum profectus, cùm conuiuiis, tabernaculis, reliquoq; nitore & apparatu certaret cum Cimone, offensionem concitauit in se Græcorũ. Nempe illi quidem ea concedenda & iuueni & nobili putabant. At hic nouus homo, qui indignè supra fortunas suas tollere spiritus uidebatur, etiam insolentiæ in currit crimẽ. Plutarchus in Themistocle.

Sorditie.

Diogenes, quum Rhodios quosdam adolescentes elegantiore cultu cõspexisset, dixit: τῦφος οὗτός ἐστι, id est, Hic fastus est. Rursum quum uidisset LACEDÆMONIOS substrictatunica parcè sordideque cultos: ἄλλος, inquit, οὗτος τῦφός ἐστι, id est, Hic alius fastus est. Significans, nõ minùs peccare eos qui ad ostentationem sordidè uestiuntur, quàm qui splendido uestitu sese iactitant. Vnde scitum est illud diui Hieronymi: Pullas æquè ut candidas deuita. Erasm. lib. 8. Apoph. ex Aeliani lib. 9. Variæ historiæ.

Plato frugalis quidem erat, sed tamen amans mundiciei: contrà DIOGENES sordidus. Itaq; calcans Platonis aulæa & peristromata, præsentibus aliquot Dionysij amicis, quos Plato inuitarat ad conuiuium, exclamauit, Calco fastum Platonis. At mox, Calcas, respondit Plato, sed maiore fastu. Turpior est ambitio, ex fuco uirtutis laudem captans. Sotion tamen hoc non ascribit Diogeni, sed Platoni Cynico. Laertius lib. 6. Idem Diogenes taxabat Socratem, quòd ad nullum necessarium usum comparasset domum, lecticam & crepidas, cùm canino more in dolio habitare posset. Inter luxum & elegantiam, canino præditus ingenio, distinguere non poterat. Aelianus lib. 4. de Var. hist.

Socrates animaduertens ANTISTHENEM Cynicum ambitiosius ostentare uestem laceram & detritam, facetè hominem increpauit: οὐ παύσῃ, inquit, αὖ καλλωπιζόμενος ἡμῖν; id est, Non desines te nobis comere? Significans, eiusdem esse ambitionis uilitatem amictus ostentare, & delicato cultu sese uenditare. Erasmus lib. 8. Apoph. ex Laertio.

Crudelitate.

Pheræus ALEXANDER, immanis tyrãnus ac sanguinarius, quum auunculum Polyphrona peremisset hastam, qua facinus obierat, coronatam sacrauit, eiq; ut deo rem facere diuinam perrexit, Tychona appellans, puto, quòd ictu haud foret frustratus, παρὰ τὸ τυγχάνειν. Cælius lib. 21. cap. 16. Antiquarum Lectionum.

T. QVINTIVS Flaminius legatus ad Prusiam Bithyniæ regẽ missus, cùm Annibalem agentem illic uidisset, fremuit quòd uiueret: neque Prusiæ ipsum multùm pro supplice & familiari oranti & obsecranti concessit. Annibal re cognita, ueneno sibi mortem consciuit. Quod ubi est ad Senatum allatum, flagrauit apud non paucos Quintius inuidia, habitusque est nimiùm importunus & crudelis: qui uelut auem ex senio pennis & cauda truncam, cui uita cicuri permissa est, Annibalem nulla urgente re, sed ob gloriam, ut ex morte eius traheret nomen, interfecisset. Plut. in Flaminio.

Fide erga Parentes.

De GELLIA, Martialis Epigrammatum lib. 1. sic scribit:

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrem:
Si quis adest, iussæ prosiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet uerè, qui sine teste dolet.

Amore coniugali.

Thraces, qui supra Crestonæos incolunt, singuli plures uxores habent: quorum ubi quis decessit, disceptatio magna fit inter VXORES, quæ nam dilecta à marito præcipuè fuerit. Quæ talis iudicata est, ea à uiris ac mulieribus exornata, ad tumulum à suo propinquissimo mactatur, unaq; cum uiro humatur, cæteris uxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus: nam id eis summo dedecori datur. Herod. libro 5. Cicero lib. 5. Tuscul. quæst. Valerius Maximus lib. 2. cap. 5. Aelianus lib. 7. de Varia hist. Eum morem etiamnum hodie durare, testatur Fulgosus lib. 2. cap. 5.

POLYTECHNVS & Aedon eius uxor, superbientes ob amorem mutuum coniugalem, inani uoce gloriati sunt, magis se inuicem amare, quàm Iupiter & Iuno se mutuò diligant. Itaque à diis in aues conuersi. Ant. Liberalis ex Bœi Ornithogonia.

Iniustitia, Scelere quolibet.

☞ *Vide suprà, Ambitionis modus, Desiderandò.*

CORPVS. GLORIAM captare ex

Robore.

☞ *Ex Tit. Roboris certamina, huc ambitiosa referantur.*

THEAGENES Thasius, cùm palmam tulisset non modò solennibus, sed multis aliis ludis, nec pancratio solùm, sed & pugilatu dolichoq;, epulo deniq; heroico in funere quodam apposita de more omnibus portione exiliit, pancratioq; decertauit: quasi uincere nemo ipso debuisset præsente. Vnde coaceruauit ducẽtas supra mille coronas: quorum plerasque nauci non facias. Nihil discedunt ab hoc illi, qui ad omne munus publicum accingunt se, sed incurrunt in ora uulgi offenduntque omnes: atque euadunt, uel quando rem bene gesserunt, inuisi: & si offenderint, derisiculi: & laus eorũ sedulitatis initiò collecta uertitur in iocum & ludibrium. Plut. in præceptis Politicis.

Agilitate, Saltatione.

Fabulantur in Messapiorum terra, ad locum, cui Sacra saxa nomẽ, apparuisse Nymphas Epimelidas, choros ducẽtes. PVEROS autem Messapiorum, relictis gregibus cùm spectarẽt choreas, dixisse, se meliùs callere rationem choros ducẽdi. Fuit is sermo Nymphis molestus, certatumq; de præstantia choreas ducendi inter partes aliquandiu: cùm quidem pueri sibi cum diuis esse certamen ignorarẽt, & sese cum æqualibus mortalibus feminis contendere opinarẽtur. Erat puerorum saltandi modus rusticus, utpote pastorum: at Nymphis omnia ad elegantiam subinde accreuerunt. Victisque pueris, ita eos compellauerunt: Prouocastis, pueri; Nymphas Epimelidas: ergo uæcordes, uicti dabitis pœnas. Pueríque eo, quo constiterant loco, ad Nympharum fanum, in arbores sunt mutati: hodieq; exauditur uox noctu ex sylua, ueluti eiulantium. Loco nomen est Nympharum & puerorum. Antoninus Liberalis ex lib. 2. Alteratorum Nicãdri.

Forma.

☞ *Consule Tit. Formæ certamina.*

Andromeda filia Cephei & Cassiopes, à Nereidibus scopulo fuit alligata, ut à ceto uoraretur, quia CASSIOPE mater eam uel Nereidas forma antecellere gloriabatur. Virtute Persei iter illac faciẽtis ope liberata, eum postea secuta est. N. Comes Mythol. lib. 7. c. 18.

Dij omnes conuocati ad nuptias Thetidis & Pelei accesserũt, præter Discordiam, quam nemo inuitarat. Id illa grauiter ferens, pomum elegantissimum aureum cum inscriptione per ostium immisit, Pulcrior accipiat. Id Mercurius legit, ut testatur Lucianus in dialogo Panopes & Galateæ. Magna contentio orta est inter tres DEAS. Iupiter iussit ad Paridẽ iudicium id deferri. Scripsit Strabo lib. 13. in Antandro, cui mons uocatus Alexandria imminet, deas à Paride fuisse iudicatas: cùm in Ida monte id accidisse scribat Ouidius. Ingentibus donis à deabus omnibus sollicitatus est. Iuno Asiæ Europæq; imperium, Pallas sapientiam, Venus mulierum omnium pulcerrimam se illi conciliaturam promisit. N. Comes lib. 6. cap. 23. Mythol.

ABSALON Dauidis F. ut pulcritudinis suæ perennis extaret memoria, statuam sibi poni curauit in ualle Hierosolymitana. 2. Regum 18.

DARIVS Persarum rex statuam suam erexit ad Tearum Thraciæ fl. & in ea pulcerrimum se omnium mortalium fuisse scripsit. Herodotus.

MARIAMME Herodis Iudæorũ regis uxor, pulcritudine superbiẽs, imaginem suam in Aegyptum M. Antonio Triumuiro misit. Quæ res illi & suspicionem adulterij & mortem attulit. Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. 17.

Ad FABVLLAM, Martialis Epigram. lib. 1.

Bella es, nouimus: & puella, uerum est:
Et diues: quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec diues, neq; bella, nec puella es.

Fœcunditate.

NIOBE Tantali & Aeropes uel Euryanassæ uel Taygetes unius è Pleiadibus filia, Amphionis uxor, filios habebat sex; & totidem puellas. Quum tam decora tamq; numerosa sobole gloriaretur, ut se etiam Latonæ præferre non dubitaret, quæ non nisi duorum mater esset, Apollinis ac Dianæ; hominesq; ab eius sacris arceret: Latonæ iussu effectũ est, ut Apollinis ac Dianæ sagittis uterq; sexus confoderetur. Ea propter Niobe tanto mœrore est affecta, ut ad liberorũ tumulum in marmor sit conuersa. Ouid. 6. Metamorphos. Pausan. in Atticis.

FORTVNAS. EX

Opulentia uera uel simulata.

Θεαγένους χρήματα, τἀπ' Αἰσχίνου, id est, Theagenis pecuniæ, quemadmodum Aeschinis. in eos, qui pauperes cùm essent, tamen diuites haberi uolebant. Hoc morbo notatus est uterque, & THEAGENES & AESCHINES. Vnde cognomẽ his additum, σέλλοις, à SELLO quopiam ineptè ambitioso, qui cùm re esset perquam tenui, tamen affectabat uideri locuples: & qui hoc morbo laborabant, σελλίζειν dicebantur. Prouerbij meminit Aristophanes in Auibus:

Ἵνα δὲ τὰ Θεαγένους, τὰ πολλὰ χρήματα,
τἀπ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα. id est,
Vbi sunt Theagenis plurimæ pecuniæ [illegible]
Et Aeschinis, quidem uniuersæ?

Erasmus in Adagiis.

In fictum DIVITEM, Martialis Epigram. lib. 2. sic scribit:

Hic quem uidetis gressibus uagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa,
Quem non lacernis Publius meus uincit,
Non ipse Codrus alpha penulatorum:
Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensq; sella, linteisq; lorisq;:
Oppignerauit ad modò Claudij mensam
Vix octo nummis anulum, unde cœnaret.

Dignitate, Imperio.

☞ *Consule Tit. Pontifices, Reges ambitiosi.*

DIOCLETIANVS Cæsar, accitis ad Imperium Constantio; Maximiano & Galerio, post multa bella uario peracta successu, totoq; ferme orbe pacato, primus Romanorum principum, regio more adorari uoluit, quum ad id tempus salutari duntaxat consueuissent. Margaritas & gemmas diuersi generis, uestibus & calciamentis imperatoriis, ornatus causa addi fecit. Nam antea imperij insigne in chlamyde seu trabea purpurea & paludamento tantũm fuerat, & reliqua omnia principi cum uulgo communia. Hector Boethius libro 6.

HENRICVS III. Henrici II. Anglorum regis F. consors regni à patre factus, in solenni conuiuio, cùm pater primum ipsi ferculum apposuisset, honorem administrationis à patre delatum ambitiosè acceptauit. Etenim cùm Eboracensis antistes, qui ei assidebat, ioci causa dixisset: Gaude, fili optime: non est enim alter in toto orbe princeps, qui talem habeat in mensa administrum. ad ea ille stomachatus respondit: Quid mirum? non putat pater id facere suæ minus esse dignitatis, quandoquidem ille materno duntaxat genere clarus mihi administrat, qui & patre rege & matre regina natus sum. Polyd. lib. 13. & Aemilius.

Nobilitate generis.

PHAETHON, Clymenes nymphæ & Solis filius, cùm EPAPHO Iouis filio non cederet, ut nobilitatem sui generis uniuersis hominibus patefaceret, ad Solem patrem contendit: & precibus tandem impetrauit, ut is polliceretur iureiurando, quicquid Phaethon poposcisset, se concessurum. Tum uerò Phaethon rogauit, ut currum, lucisque administrationem sibi per unum diem concederet. Id cùm grauiter ferret Sol, neq; tamen negare posset, quod iureiurando affirmauerat, multis rationibus conatus fuit filio persuadere, ne rem tam arduam aggrederetur. Verùm cùm nihil proficeret, inuitus illi currum habenasq; equorum tradidit, ut scribit Ouidius 2. Metamorphos. & Lucianus in Dialogis deorum. Cùm igitur acceptum currum ob metum scorpionis retinere intra certam uiam Phaethon nesciret: effecit ut modò terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris cõflagraret, regionesq; uel ad cardines mundi insuetum æstũ sentirent, modò tellus Aethiopũ grauissimis & insuetis frigoribus premeretur. Iupiter, ne genus animantium penitùs periret, fulmine Phaethontem de curru deiecit: qui ad ripas Eridani fluminis cecidit. Apollonius lib. 4. Argonaut. Nata

lis Comes Mythologiæ, libro 6. capite primo.

Scriptum reliquit Lactantius in libro de Falsa religione, Cœlū præstitisse potentia cæteris mortalibus: atq; cùm Reges antiquitùs pro diis colerētur, inde accidit ut Cœlus pro æthere cultus sit. SATVRNVS, ad extollendam generis claritatem, se è Cœlo deorum omnium sede, & è Terra natum esse gloriabatur. N. Comes lib.2.c.3.

MARIAMME uxor Herodis, cū eiusdē sorore Salome de nobilitate ambitiosè certans, illi ignobilitatem generis obiiciens, se uerè regio sanguine natam iactabat. Vnde illam Salome tanto prosequi cepit odio, ut non priùs cum matre desiiterit, quàm falsis accusationib. de adulterio & stupro Herodem permouerit, uti dilectissimam alioqui uxorem extremo affecerit supplicio. Iosephus lib.15.c.11. Antiq.

C. Cæsar CALIGVLA Agrippæ se nepotem neq; credi, neq; dici ob ignobilitatem eius uolebat: succēsebatq;, si qui uel oratione uel carmine imaginibus eum Cæsarum insererēt. Prædicabat autem matrē suam ex incesto, quod Augustus cum Iulia filia commisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione, Actiacas, singulasq; uictorias, ut funestas P.R. & calamitosas, uetuit solennibus feriis celebrari. Liuiam Augustam proauiam, Vlyssem stolatum identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad Senatum epistola arguere ausus est, quasi materno auo Decurione Fundano ortam: cùm publicis monumentis certum sit Aufidium Lingonem Romæ honoribus functum. Suetonius.

Herodes Atticus sophista, uxorem Regillam grauidā ob peccatum nescio quod, à liberto Alcimedonte cædi iussit. Is cū per imprudētiam pugnos in uentrem ingessisset, abortum illa fecit, & ex eo periit. Postulatus cædis est Herodes apud Sena[illegible] BRADEA Regillæ fratre. Is maiorum claritate longè princeps esse, nec minor nobilitatis ostentator. Argumentum generis erat in calceis episphyrion menoides eburneum, id est, fibula cornicans, qualis fermè figura in luna est, quum tenuem uisitationem facit, uel etiā paulùm crassescit. Prodiens igitur is paratu magno ad peragendum reum, de causa quidem pauca ferè, aut nihil: in laudibus uerò propriis etiam nimius, imò uerò totus. Quū multa iam de familia perillustri emugiisset homo imperitus, scommate illum excepit Herodes, Tu, inquiens, in astragalis nobilitatem gestitas. Cælius lib.20.cap.27. Antiquarum lectionum.

In DIVITEM degenerem mœcho genitum, Ausonius:

Quidam superbus opibus, & fastu tumens,
Tantumq; uerbis nobilis,
Spernit urgentis clara secli nomina,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remumq;, & conditorem Romulum
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum ueste contexi iubet,
Hos cælat argento graui,
Ceris inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo, quòd illi nec pater certus fuit,
Et mater est uerè lupa.

Natalium claritate.

ARTOXERXIS & CYRI exemplum sub Tit. Regnum ambitiosè expetere.

Ciuibus præclaris.

EPHESIOS, Tiberio imperante, Romam uenisse, Tacitus scribit libro 3. memorantes, non (ut uulgus crederet) Dianam atque Apollinem in Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, locum Ortygiam, ibi Latonam partu grauidā, & oleę, quę tum etiam maneret, adnisam, edidisse numina ea, deorumq; monitu sacratum nemus: quin & ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iouis iram uitauisse. Meminit post alios Strabo lib.14. Cælius libro 5. cap.6. Antiquarum lectionum.

Victoria.

Cùm in prælio inter Artoxerxem Mnemonem, ac fratrem eius Cyrum, Metrodorus Cyri capiti uulnus intulisset, Car autē miles retrò poplites succidisset: ARTOXERXES huius famę auidus, ut manu sua Cyrum interemisse uideretur, dum milites recenseret ob uirtutem præmia dignos, ad Mithridatem misso munere, ei mandari iussit, ut munus acciperet, quia Cyri pileum apud Artoxerxem detulisset: Cari autem, quòd primus Cyrum nūciasset mortuum ex uulnere, quod ei Artoxerxes intulisset. Tanta autem in utroq; gloriæ cupiditas fuit, ut spretis muneribus, contra regis uoluntatem, se eos prædicarent esse, qui Cyrum interemissent, cumq; ab Artoxerxe ne tactum quidem fuisse. Indignatus rex, cùm sibi eam famam arrogare uellet, utrunq; iussit occidi. Plutarchus in Artoxerxe.

Victis ad Platæas Polis, cùm SPARTIATIS non tribuerent ATHENIENSES palmam, nec eis permitterēt erigere trophęum: secessione inter Græcos armatos facta concidissent omnia, nisi Græcorum iudicio Platæensibus, qui agrum, in quo pugnatum erat, ex oraculo Atheniensibus donarant, decus uictoriæ, XXC talenta, fuissent tributa. Trophæum seorsim Lacedæmonij, seorsim Athenienses posuere. Plut. in Aristide.

Cùm AEGIENSES (alij malunt Megarenses) in Achaia debellassent Aetolos, ac decimam pentecontorum cepissent (ea est nauis remigum quinquaginta) hāc Apollini Pythio uictoriæ monimentum dedicarunt: rogabantq; deū, Qui nam essent Græcorum præstantissimi: arbitrantes futurum, ut ob eam uictoriam ipsis prima laus ab Apolline tribueretur. Oraculum hunc ad modum respondit:

Ἵππον θεσσαλικὴν, λακεδαιμονίην τε γυναῖκας,
Ἄνδρας δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι γὰρ τῶν δ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἵτε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ ἀρκαδίης πολυμήλου,
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες κέντρα πτολέμοιο.
Ὑμεῖς δ' αἰγιέες οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι,
Οὐδὲ δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Erasmus in Prouerb. Megarenses nec tertij nec quarti.

T. Quintius Flaminius Philippum Macedonem ad Cynoscephalas magna strage uicit. Ceciderunt eo prælio non minus IIX millia, capti ad quinq; millia. Vt Philippus elaberetur, AETOLI fuerunt in causa: qui dum Romani hostes consectantur fugientes, castra exhauserunt & diripuerunt, nec quicquam illis reuersis reliqui fecere. Hinc conuicia primùm exorta & contentiones inuicem: inde Quintium magis ac magis offenderunt, uendicando sibi uictoriam, & fama occupando Græcos. Vnde poetæ & populares, qui res hasce celebrarent, & præsertim Alcæus scribebant & canebant priores Aetolos. Ergo quod restabat agendum, Aetolis omissis, Titus solus transigebat. Plut. in Flaminio.

CN. DOMITIVS atauus Neronis, in consulatu Allobrogibus Aruernisq; superatis, elephanto per prouinciam inuectus est: turba militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, nō esse mirandum, quòd æneam barbam haberet, cui esset os ferreū, cor plumbeum. Suetonius.

SEVERVS Imperator, iam senio confectus, post uictorias ad Orientem Septentrionemq; partas, Britannici quoque cognominis cupidus, licèt morbo articulari laborans, Britanniam cum filiis petiit, & illic nondum confecto bello, è uita migrauit. Corpore ignibus tradito, cinerem ipsum cū odoribus in uasculum alabastri coniectum, filij Romam deportarunt. Polydorus lib.2.

CONSTANTIVS Imp. Constantini Imp. F. famæ auidior ac gloriæ fuit, cuius sine incommodo comparandæ occasiones miro studio captabat. Nam si aliquando ab eius ducibus, qui in longinquo bella gerebant, uictoriarum nuncij perferebantur: ipse ab Italia per cæteras orbis terrarū partes eas scribebat, tanquam uirtute sua atque industria partas: quin ordinem modumq; gestarum rerum, tanquam ipse interfuisset, designabat. Fulg. lib.8.c.15.

HERACLIVS Augustus, crucem ex Perside receptam in locum suum in Caluariæ monte, regio amictu atq; diademate ornatus, reponere uoluit, maiore ambitione ob uictoriā partam, quàm pietate pro concessa diuinitùs uictoria.

HELGO Danorum rex, uicto cæsoq; Hotbrodo Suecorū rege, non contentus uictoria atq; imperio in Succiam prolato, etiam contumelia gentem affecit, edita lege, ut iniuria aut uulnus aut cædes in uirum Succum, non legitima satisfactione, sed longè infra illam pensaretur. Quæ uetus regnorum contentio usq; ad nos perdurat, ut regnicolæ alterinsecus inuicem se nobiliores esse contendant. Cranzius lib.1. Sueciæ, cap.18.

IOANNES XI. Pontifex consilio Landulphi & Atenulphi Capuanorum principum, Constantinum Græcorum Imperatorem, cōtra Saracenos, totam Italiam, Calabriam & Apuliam adeò uastantes, ut de tota religione, Italiæq; salute actum uideretur, in auxilium uocauit: & cùm Alberico Heturiæ marchione se coniunxit, tantis uiribus, ut intra tres menses ferè penitùs extincti fuerint Saraceni: ut Blondus, Bonfinius & Luitprandus referunt. Domum rediens, triumphantis more Romam ingressus, Alberici, cuius auxilio hostes profligarat, odium incurrit. Sibi enim soli uictoriæ laudem contra Saracenos (tēste Bergomensi) adscripserat. Albericus Roma à pontifice eiectus, Hungarorum opem implorauit. Qui Italiam ingressi, grauiùs, quàm unquam antea fecerant Saraceni, eam afflixerunt: ingentiq; prǽda onusti, ad sua reuersi sunt.

Capta à Christianis Ptolemaide, anno MCXC. inter Latinos principes, æmulatione imperij atq; uirtutis, discordiæ iampridem exortæ manifestè gliscere cœperunt, & inprimis inter PANNONIOS superiores & ANGLOS. Austriaci duce Leopoldo gloriæ captæ urbis inhiantes, primi signa in muris posuere, quæ Anglus illicò in terram excussit, suaq; subiecit. At posteaquam Ricardus domū redire per Thraciam uoluit (Philippus enim Gallorū rex Normanniam intereà inuaserat) ubi ad superiorem Pannoniā peruenit, quam hodie Austriam uocant, certior factus ab speculatoribus famam sui aduentus per eam regionē passim uulgari, cœpit sibi timere. Itaq; rusticano habitu Viennam ingressus, eum partim lingua hominem Anglum esse, partim illud ipsum indicauit, quòd clarius multò obsonabat, quàm deceret personam, quam ipse cum humili ueste gerebat. Leopoldus dux confestim custodes misit exploratum, quales adessent hospites. Ricardus spem fugiendi esse nullam uidens, resumit regalem uestitū, ac eam animi constantiam, qua in bellicis rebus semper usus erat, militibus ostendens, quærit: Ecquid sit, cur armati circumstent? quib. se ipsum petere uociferantibus, respondet: Non decere, ut rex alij nisi duci se captiuum tradat, ac propterea si dux uelit ipse uenire, eius se fidei ultrò commendaturum. Itaq; duci illicò aduentanti obuiam factus, tradito priùs gladio, in illius potestatem uenit, an. MCXCIII. Henricus VI. Imp. Leopoldo persuasit, ut sibi Ricardum custodiendum traderet, lucrum commune futurum. Vix tandē XV carceris mense, Cœlestini pontificis intercessione liberatus est, redemtionis nomine CXL millia marcarum soluens. Sic princeps de Repub. Christiana optimè meritus præclariùs meriturus, si per Gallorum perfidiam licuisset, à Christianis improbè tractatus est. Non multò pòst in Austria, posteaquam fame & pestilentia est aliquandiu laboratum, dux Leopoldus morbo diu cruciatus miserabiliter interiit. Filius ratus patrē ob id cruciatu confectum uitam amisisse, quòd Ricardum inhumaniter tractasset, qui sacrum bellum gesserat: primo quoq; die Anglicos obsides missos faciendos, pecuniæque bonam partem debitam Ricardo remittēdam curauit. Fuit ea res Ricardo tam iucunda, quàm salutaris: quoniam ipse postea cogitationem suscipere cœpit, quanta sibi quoq; criminis danda essent, quòd simul Deum, simul homines offendisset: mirum dictu est, quàm melius uitam deinde instituerit. Polydorus lib.14.

ROGERIVS principatum Apuliæ ac Calabriæ occupauit, pulso Roberto Capuano, qui ad Conradum III. Imp. supplex confugit. Innocentium II. Pontificem bello cepit, & coegit, ut ab eo in regē coronaretur, primusq; ex Normannorum genere regis sibi nomē usurpauit. In Aphrica Tunetanū regē sibi tributariū fecit, capuloq; ensis sui inscripsit:

Appulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Apher.

Cuspinianus, & Collenutius, & Sabellicus lib.4. Enn.9.

Emmanuel, Lusitaniæ rex, FERDINANDVM Coutignū classi XV nauium præfectum in Indiam nauigare, & cum Albuquercio prætore Calecutiorum regem euertere iusserat. Ergo Indica classe summa industria intra breue tempus instructa, Coutignus & Albuquercius Calecutium profecti, cùm duobus millibus Lusitanorum militum, & Indis militibus sexcētis, classem in portu constituunt, & de belli gerendi ratione deliberant. Hic Coutignus ab Albuquercio primam aciem sibi assignari postulat. Addit deinde, Tu, qui es in India inter tam feroces gētes diu mansurus, satis amplā gloriæ segetem paratam habes. Mihi, qui sum breui in Lusitaniam rediturus, non est, cur hanc laureolam inuideas, maximè cum tantis necessitudinibus implicati simus, ut nihil alterutri esse debeat ab alterius cōmunione seiunctū. Huic Coutigni postulato Albuquercius non libēter assensus est: hominem enim norat acri quidem animo præditum esse, sed mente præcipitem, & parū in rebus maximi momēti gerendis, quid incidere posset, consilio prouidentē. Rebus autem omnibus ad egrediendum paratis, prima luce sequentis diei Albuquercius & Coutignus in terrā cum instructis copiis descendere conantur. Hostes summa ui resistunt. Albuquercius Coutignum admonuit, præstare diuisis militibus, qua quisq; primùm parte posset, terrā occupare: adeóque ipse primus in terram euadit, hostes fundit fugatq;, & regias ædes uicinas, in quas se receperant, incendit. Coutignus id indignè ferre, quasi contra datam fidem primus in hostem irrupisset, neq; ulla ratione se placari sinere, nec de maledicendi contentione remittere: sed Gasparem interpretem inclamans, ait, Duc me in urbem regiam, atq; adeò in regias ipsas ædes, quas hodie flammis exuram: ut intelligi possit, quàm uanus sit eorum sermo, qui regum Indorū opes atq; uires uerbis exaggerant, ut ipsi aliquid gessisse uideantur. Cupio cum uiris in ipsa urbe media decertare. Hos namq;, qui tam subitò uicti sunt, adduci non possum, ut credam uiros extitisse. Albuquercius conuitia patienter tulit, illumq;, non quòd consilium probaret, sed quòd hominem absq; flagitio deserere non posset, sequutus est. Coutignus in regiam perrupit, diripuit, incendit: sed frustra monēte Albuquercio milites à præda reuocare neglexit. Itaq; hostes recollectis uirib. impetu facto, illum trucidauere. Albuquercius grauissimè saucius uix reliquos reduxit. Osorius lib. 6. rerum Emmanuelis.

SECVNDARIO CONSIDERATIS. V. G. GLORIAM CAPTARE ex rebus

SINGVLARIBVS, INSOLENTIBVS, NOVIS.

ARYANDES, Aegypti prętor à Cambyse cōstitutus, aliquanto pòst tempore, cùm æmulari Darium uellet, ab eo est interfectus. Siquidem audiens atq; animaduertēs Dario cordi esse memoriam sui relinquere opere, quod à nullo alio regum factum esset, id sibi imitandum putauit, donec mercedem accepit. Etenim Darius ex auro quàm potuit purgatissimo monetam percussit. Idem Aryādes, Aegypti prętor, ex argento fecit. Et nunc quoq; extat purissimum argentū Aryandicum. Ea re comperta, Darius insimulatū, quasi rebellare uellet, morte affecit. Herod. lib.4.

THEMISTOCLES, cùm omni in re facere aliquid uellet singulare, prædium distrahens iussit pronunciari, etiam bonū id uicinum habere. Plut. in Themist.

ADRIANVS, primus inter Romanos Cæsares Barbarorū regum more barbam nutriuit, ut ita ab aliis qui ante eū fuerant, differre uideretur. Fulg. lib.3. c.6.

CAMILLVS Borromęus, Mediolanēsis patricius, in Ticinensi agro uiuaria ranarum instituit, ueruq; assari & cōdiri tanquam auiculas, atq; in ciborum elegantiam referri uoluit: easq; Alfonso Aualo V.C. in cœna apponi iussit, ut ex re antea in gloria communiq; primus ipse sibi in epulis gloriam pararet. Bern. Saccus lib.5. Ticinensis hi[illegible].

INDIGNIS EA PERSONA, INDECORIS.

Consule locum, Sacri homines qui politica tractarunt, quatenus præter modum id fit, gloriæ studio.

SICYONII Cleonæis Teletiam puerum in ludis Pythiis coronatum, tanquam ciuem suum erepturi, eum discerpsere. Plut. de Tarda dei uindicta.

Q. FABIVS nobilissimus ciuis, cùm in æde Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dedicauerat, parietes pinxisset, nomē his suum inscripsit. Id nimirum ornamenti familiæ, consularibus & sacerdotiis & triumphis, celeberrimæ deerat. Cæterùm sordido studio deditum ingenium, qualemcūnq; illū laborem suum silentio obliterari noluit: uidelicet Phidiæ secutus exemplum, qui clypeo Mineruæ effigiem suam inclusit, qua conuulsa tota operis colligatio solueretur. Valerius lib. 8. cap.15.

Magno dedecore suo, magnoq; populi Rom dolore, NERO Imp. pluribus in locis de musica arte triumphauit. Nam cū ex Græcia rediret, ubi assiduè inter citharistas cāntoresque de musica certauerat: quorum multi, ut principi blandirentur, superatos se dicebant, Neapolim inire curru uoluit, quē albi traherent equi: magna murorum diruta parte, ut triumphantes Hieronicas imitaretur. Idem cùm Antij quoque & Albæ factum esset, postremò urbem Romam, purpurea ueste amictus, stellis aureis conspersa, coronatus oliua, laurū Delphicam præ se ferens, curru triumphali, quo olim Augustus uectus erat, intrauit: maioris Circi fornice, qui prætereunti impedimento futurus uidebatur, ad terram prostrato. atq; inde per Velabrum ad Apollinis templum perrexit, tanquam ad numen, quod musicæ arti præesse putatur. Ingrediebantur primū, qui tabellas longis hastis affixas ferebant, in quibus scriptum erat nomen & genus certaminis. Xiphilinus, & Suetonius.

ADRIANVS Imp. supra modum æstuans ambitione, omnia etiam minutissima suscipiebat tractanda. Pingebat & fingebat: neq; quicquam erat uel paci, uel bello aptum, uel regiū, uel priuatū, quod non scire se profiteretur. Dion, Suidas.

FICTIS, FALSIS, SIMVLATIS.

Vide suprà, Ex Eruditione simulata.

Horatius lib.1. Epist.6. de GARGILIO sic scribit:

—— piscemur, uenemur, ut olim
Gargilius, qui manè plagas, uenabula, seruos,
Differtum transire forum populumq; iubebat;
Vnus ut è multis populo spectante referret;
Emtum mulus aprum.

Victis ad Argentoratum magno prælio Germanis à Iuliano Cæsare, CONSTANTIVS Imp. ut erat leuis animi, & gloriosi, suis auspiciis, & sua uirtute partam iactauit: idq; cum laureatis literis ad prouinciarum signa deferri præcepit. Sigonius lib.6. Imp. occid.

EMMANVEL, Græcorum Imp. bellum in Sultanum habuit, de quo Imperatori occidentis Friderico I. sic fertur scripsisse literis aureis: Emmanuel in Christo fidelis Imperator, Porphyrogenitus, diuinitùs coronatus, regnator potens, excelsus,

excelsus, & semper Augustus, moderator Romanorum magnificus, nobilissimo & gloriosissimo regi Alemaniæ & Imperatori, ac dilecto fratri Imperij nostri, salutem & fraterni amoris affectum. Et in fine sic conclusit: Sultanus Imperio nostro se dedidit, & missis legatis misericordiam postulauit, fecitq; Imperio nostro hominium & iuramenta: pollicitus est seruire nobis aduersus omnem hominem cũ exercitu, ut sit amicorum nostrorum amicus, & hostis inimicorum. Fridericus priùs legationem Sultani acceperat contraria omnia nunciantem: & res ipsa monstrauit præualuisse Sultanum. Aegrè ferens autem nomen eius in literis suo præpositum, quodq; se Romanorum scriberet moderatorem, rescripsit hac forma: Fridericus diuina fauẽte clementia, inclytus triumphator, Romanorũ Imperator, à Deo coronatus, sublimis in Christo, fidelis, magnus, pacificus, gloriosus Cæsar, Græcorum moderator, & semper Augustus, nobili & illustri regi Græcorum, & Imperatori Emmanueli, dilecto fratri nostro, salutem & fraterni amoris affectum. Et inter cætera sic: Sicut ille rex regum, à quo omnis potestas, Romanum Imperium caput totius orbis constituit, ita etiã sedem Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum unicam matrem, dominam magistramq; ordinauit: quod utiq; duorũ numero gladiorum signauit, quos dixit orbi sufficere ipse auctor fidei Christianæ. Quapropter tuam prudentiã commonemus, quatenus nobis & Romano Imperio honorem debitum recognoscas, & summo Pontifici, quem nomine sanctum appellas, debitam exhibeas obedientiam & honorem. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 37.

MATTHIAS Coruinus, Hungariæ rex bellicosissimus, tantis gloriæ stimulis agebatur, ut etiam aliorum uictorias in se transferre, dimissis undiq; ad Christianos principes legatis, studeret. Quam uanitatẽ eius alebant apud exteras gentes uiri literati, munificẽtia eius deliniti, res gestas eius scriptis suis in immensum extollentes. Cromerus lib. 28.

LVDICRIS.

Ex loco Humilitatis huc quædam.

C. CALIGVLA in Galliam profectus, primo accessu Bellini Britanniæ regis filium à patre pulsum, in deditionem recepit: mox deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos traiici, occuliq; trans Rhenũ iussit: ac sibi post prandium quàm tumultuosissimè adesse hostem, nunciari. Quo facto, proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximã syluam: truncatisq; arboribus, & in modum trophæorum adornatis ad lumina reuersus, eorũ quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignauiam corripuit: comites autem & participes uictoriæ, nouo genere ac nomine coronarum donauit, quas distinctas solis ac lunæ syderumq; specie, Exploratorias appellauit. Rursus obsides quosdam abductos à literario ludo, clamq; præmissos, deserto repentè conuiuio cum equitatu insecutus, uelut profugos ac reprehensos in cathenis reduxit: in hoc quoq; nimio præter modum intemperans. Repetita cœna renunciantes coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discũbendum adhortatus est. Monuit etiã notissimo Vergilij uersu,

Durarent, secundisq; se rebus seruarent.

Atq; inter hæc absentẽ Senatũ, populumq; grauissimo obiurgauit edicto, quòd Cæsare præliante, & tantis criminib. obiecto, intempestiua conuiuia, circum & theatra, & amœnos secessus celebrarent. Quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac balistis machinisq; dispositis, nemine gnaro ac opinante, quidnam cœpturus esset, repentè ut conchas legerent, galeasq; & sinus replerent, imperauit: spolia Oceani uocans, Capitolio Palatioq; debita. Et in indicium uictoriæ altissimam turrem excitauit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent: pronunciatoq; militi donatiuo, centenis uiritim denariis, quasi omne exemplũ liberalitatis supergressus: Abite, inquit, læti, abite locupletes. Suetonius.

ALIENIS. ALIENÆ VIRTVTIS gloriam decerpere.

Demosthenes bello Peloponnesiaco dux Atheniensium, collega Nicia, Pylum urbem diuturna obsidione in rerum omnium desperationem adduxit. Cui successit CLEON, è coriario imperator, qui alieno labore partam gloriam in se trãstulit, paucis pòst diebus Pylo capta. Queritur igitur apud Aristophanem in Equitibus Nicias ac Demosthenes, delaude sibi prærepta per Cleonem:

κἀγὼ πρώην γε μάζαν μεμαχὼς ἐν Πύλῳ λακωνικὴν,
πανουργότατά πως περιδραμὼν ὑφαρπάσας
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην,
ἡμᾶς δ' ἀπελαύνει. id est,

Cumq; ipse pridem pinsuerim mazam in Pylo
Laconicam, iste accurrit astutissimè,
Raptamq; mox apposuit, quam ego pinsui,
Ac submouet nos. Erasm. in Adag.

AMBITIO SECVNDVM ΛΗΨΙΝ, CONSIDERATA RESPECTV ΑΞΙΩΜΑΤΟΣ, HOC EST, IPSIVS GLORIAE & Honoris quo se dignum iudicat, Affectare, Ambire, Acceptare Honorem.

ALIIS PROPTER SE, REBVS QVIBVSLIBET AD SE PERTINENTIBVS.

NABVCODONOSOR rex Assyriorum colosso suo non secus ac sibi diuinos honores exhiberi uoluit.

CÆNEVS Neptuni munere ex puella uir factus, & præterea inuulnerabilis, in fori meditullio hastam erexit, eamq; pro deo censeri iussit. ALEXANDER Pheræus tyrannus, auunculo Polyphrone peremto, hastam, qua facinus patrarat, coronauit, Tychona appellauit, παρὰ τὸ τυγχάνειν, quòd ictu haud foret frustratus, eiq; ut deo rem diuinam facere perrexit. Cælius lib. 21. c. 16. A. L.

GRISLERVS Suitensium præfectus imperij Germanici nomine, cùm eo insolentiæ processisset, ut surrecto pileo suo in foro, eosdem quos sibi honores exhiberi uellet, & cæteris metu parentibus solus Gulielmus Tellus id facere recusaret: cùm eundem Tellum artis sagittandi periculũ in filio natu minimo facere coëgisset, felicissimo illi & iustissimo Heluetiorum fœderi ambitiosa sua tyrannide occasionem dedit. Stumpfius.

SIBIIPSI. ARROGARE, EXPETERE

DIVINOS HONORES: ut Templa, Aras, Consecrationem.

PRIMI parentes ambitione accensi, quòd ex fructu arboris scientiæ boni & mali diis similes euasuri essent, contra Dei præceptum porrigente serpente fructum comederunt, & se simul atq; posteros infinitis malis onerarunt. Genes. 3.

Præcepit NABVCODONOSOR Holoferni, ut omnes deos terræ exterminaret, ut ipse solus pro Deo haberetur. Iudithæ 1. & 3.

CÆNEVS factus elatior, quòd Neptuni munere ex puella uir esset factus, prætereaq; inuulnerabilis, & (ut Græci dicunt) ἄτρωτος, in fori meditullio surrectã fixit hastam, proq; deo censeri, sacra illi fieri, & precib. fatigari, & iuramẽta per illã concipi iussit. Cælius lib. 21. c. 16. A. L. ex Apollonij interpretibus, & Eustathio Iliad. α.

CEYX Trachiniorũ rex, Luciferi stellæ F. cùm Alcyonem Aeoli filiam uxorẽ duxisset, præ nimia superbia inter deos celeri, seq; Iouem, illam uerò Iunonẽ uocari uoluit. Deinde cũ ad Clarium oraculũ de statu regni consulẽdum uxore prohibente nauigaret: indignatus ei Iupiter nauim & ipsum in Aegeo mari perdidit. Tum Alcyone uxor uiso mariti cadauere in litus eiecto, miserabiliter illũ defleuit. Iupiter uerò eã miseratus, in auẽ eiusdẽ nominis mutauit: & Ceycẽ quoque in eiusdẽ generis auem masculũ, quem Cerylum nominant, alij adhuc Ceycem. Scholiastes Aristoph. in Ranas.

PERSARVM, Medorum & Indorũ reges, diuinos sibi honores tribuentes, uoluerunt ut omnes regem salutantes, tanquam deos adorarent, & salutando toto corpore prociderent. Cyrus primus ab exteris diuinos sibi honores tribui passus est. Alex. lib. 2. c. 19.

COTYS Thracũ rex, tanquam Palladẽ ducturus, nuptias magnificas apparauit. Athen. lib. 12. c. 14.

LYSANDER Lacedæmonius, qui Athenas cepit, cuius erat maior potentia, quàm cuiusquam fuisset superiorũ Græcorum, maiorem potentia sua fastum usurpauit. Aras ei, ut Duris tradit, Græcorum ciuitates erexerũt, uictimasq; immolauerũt. In eũ primùm decãtati pæanes fuere. Samij sciuerũt, ut Iunonia apud ipsos Lysandria dicerẽtur. Plut. in Lysandro.

PHILIPPVS Amyntæ F. Aegis Macedoniæ certamina celebrabat. Prima luce pompa duci cœpta est, in qua super maximum alium apparatum, XII deorum simulacra inuecta sunt, artificio & ingentibus ædificiis mirificè exornata. Cũ his & XIII ipsius Philippi signum diuino habitu gestatum est. At paulo pòst à Pausania eodem in loco interfectus est. Diodorus lib. 16.

ALEXANDER Magnus, Persarũ regno euerso, à Græcis publicè consecrationẽ sui petiit. In eo igitur alia alij decretis approbarũt: Lacedæmonij uerò sic, ἐπειδὴ ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός, id est, Posteaquàm esse uult deus Alexander, esto sanè. prorsum Laconicè, ac patrio more, Alexãdri stupidum tumorem coarguentes. Cælius lib. 21. c. 35. A. L. ex Aeliani lib. 2. Var. hist.

ANTIOCHVS Syriæ rex, diuinos sibi honores tribuit, & cognomento Deus dici uoluit. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 11.

Fertur CLEARCHVS Heracliensium tyrannus, cùm effluxè fluerent opes, eò processisse, ut successu continuæ felicitatis supra spem humanam insolens, se Iouis filium diceret: superq; cætera flagitia & dedecora, aureã aquilam sibi præferri sineret: purpureamq; uestem, aureã coronam, & cothurnos excellenti cultu instar tragicorũ regum pro insigni haberet, hanc regalẽ existimans palmã, uelut eo ornatu argumentã sui generis demonstraret. Alex. lib. 1. c. 28.

ANTIGONVS Macedonum rex, quò Liberum patrem referret, eò uanitatis excessit, ut hederam capiti suo pro diademate imponeret, pro sceptro thyrsum gestaret. Idem.

Princeps suorum temporum METELLVS Pius, in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi patiebar: Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur, immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat, palmata ueste conuiuia celebrabat, demissasq; lacunarib. aureas coronas uelut cœlesti capite recipiebat. Val. li. 9. c. 1.

M. ANTONIVS, quum Athenis debaccharetur, Dionysiũ se dici uoluit: super theatrũ schediam substruxit, uirenti ornatam materia, quòd Bacchicis fieri antris assueuit, tympanis, nebridibus, & Dionysiacis id genus ludricis aliis appendẽtibus & ab matutino cum amicis ad ebrietatem usq; decubuit, spectantib. Græcis omnib. Perrexit & in Acropolim ad faces, δᾳδουχουμένης πόλεως ἁπάσης. Dion, & Athen. lib. 4. c. 7. & 1. Suasoriarum Seneca.

C. IVL. Cæsar diuinos honores admisit. Suetonius.

Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodũ faustus D. AVGVSTO iudicatus ab ipso, qui incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici, nõ multo pòst obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto. Namq; his uerbis id gaudiũ prodidit: Iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione cœli, quæ sub Septẽtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa XI horam diei, clarumq; & omnib. terris conspicuũ fuit. Eo sidere significari uulgus credidit, Cæsaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis eius, quod mox in foro consecrauimus, adiectum est. Hæc ille in publicum. interiore gaudio sibi illum natum, seq; in eo nasci interpretatus est. Plinius lib. 2. cap. 25.

C. Cæsar CALIGVLA compluribus cognominibus assumtis (nam & Pius, & Castrorum filius, & Pater exercituũ, & opt. max. Cæsar uocabatur) cùm audiret fortè reges, qui officij causa in urbem aduenerãt, concertantes ad se super cœnã de nobilitate generis, exclamauit: Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemq; principatus in regni formam conuerteret. Verũ admonitus, & principum & regũ se excessisse fastigiũ, diuinã ex eo maiestatẽ asserere sibi cœpit. Datoq; negotio, ut simulacra numinum, religione & arte præclara, inter quæ Olympici Iouis, apportarentur, quibus capite demto suum imponeretur, partem Palatij ad forum usq; promouit, atq; æde Castoris & Pollucis in uestibulum transfigurata, consistẽs sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum Latialem Iouem consalutauerunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureũ Iconium. Amiciebaturq; quotidie ueste, quali ipse uteretur. Magisteria sacerdotij ditissimus quisq;, & ambitione & licitatione maxima uicibus comparabãt. Hostiæ erant phœnicopteri, pauones, tetraones Numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur: & noctibus quidem plenam fulgentemq; Lunã inuitabat assiduè in amplexus atq; concubitum. Interdiu uerò cum Capitolino Ioue secretò fabulabatur, modò insusurrans, ac præbens inuicem aures, modò clariùs, nec sine iurgiis. Nam uox comminantis audita est:

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε,

donec exoratus, ut referebat, & in contuberniũ ultrò inuitatus, super templũ D. Augusti ponte transmisso, Palatiũ Capitoliumq; coniunxit. Mox quò propior esset, in area Capitolina nouæ domus fundamẽta iecit. Tonabat etiã machinis quibusdã & fulgurabat: ac quoties fulmen de cœlo caderet, ipse contrà iaciebat lapidem: dicebatq; in singulis iactibus illud Homeri, ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε, Aut tu me interficias, aut ego te. Templum Castoris & Pollucis, quod erat in foro, demolitus, inter medias statuas eorũ aditũ sibi ad palatium patefecit, ut Castorẽ & Pollucẽ, sicuti dicebat, ianitores suos haberet. A' Victoria se coronatum esse iactabat. Iouem etiã se ab urbe depulsurũ minitabatur: quòd nonnunquã emissis imbribus, ludos ac munera, quæ edebat, perturbasset, Dion, Xiphilinus, & Suetonius. Statuã suam tẽplo Hierosolymitano inferre ui armatã cogitãs, Petronio Syriæ præside frustra dissuadente, in mediis conatib. periit. Iosephus lib. 18. c. 11. & lib. 19. c. 1. Antiq. Non solùm nouus Dionysius dicebatur, uerùm etiam Dionysiaco ornatu indutus incedebat, atq; ita ornatus leges dicebat. Athen. lib. 4. c. 7.

Cùm IVLIANVS Apostata Cæsareæ Philippi, amota imagine Hæmorrhoussæ, suam ipsius statuã substituisset, nimirũ ut herbæ inde subnascẽtis, & uaria morborũ genera curantis, uim sensim sibi adscriberet: ignis cœlitùs delapsus, statuam Iuliani circa pectus discidit, & caput unà cũ collo deiecit, telluriq; facie tenus infixit, quatenus media circa pectus fuerat disrupta. Imaginẽ uerò Christi Ethnicos tum tẽporis confregisse, eamq; à Christianis eius loci collectã, in Ecclesia collocatam esse, narrat Sozomenus lib. 5. c. 21.

DOMITIANVS omnium Imperatorum primus & Deus & Dominus appellari uoluit, eratq; in procuratorũ epistolis, Dominus & Deus noster ita iubet fieri. Sic Martialis:

Edictum Domini, Deiq; nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Ioui Custodi ingens templum in Capitolio erexit, seq; in sinu dei sacrauit. Suetonius, Dion, & Eusebius.

COMMODVS Imp. cũ diuinos sibi ipsi honores tribuisset, se Herculem aureum esse dixit: sibiq; statuas Herculis habitu collocandas erexit: unoq; abscisso colossi capite, sui capitis imaginem reposuit, data ei claua, leoneq; æneo subiecto. Herculis etiam cognomen recepit, uoluitq; Iouis, non Marci filius dici.

HELIOGABALVS Imp. currum conscendens, quem leones traherent, Cybelem se nominari iubebat: & Bacchum uocari, cùm currui tygres iungeret, cui potandi studio similior fortasse uideri poterat. Fulgos. lib. 9. c. 5.

Post uictorias de Gallis, Britannis, Aegyptiis, Persis, Scythis, Cattis, Alanis, Quadis, DIOCLETIANO maximus à Senatu decretus triumphus, cũ inclytis cognominib. populorum à se deuictorũ. Quibus non cõtentus, diuinos sibi usurpauit honores, ueluti in eo cœlestis esset maiestas: uoluit adorari more regũ Persarũ, pedesq; exosculandos omnibus sine generis discrimine exhibuit, idq; edicto sanxit, quẽadmodum hodie pontifices faciũt: Caligulã imitatus, qui calciamenta auro, gẽmis & margaritis exornauit, quo ornatu uoluit augustior uideri. Veste præterea gẽmata, aureoq; habitu uoluit deus censeri, abiectis ueterib. insignibus, quib. antiqui imperatores à Tarquinio usq; Prisco utebãtur. Aureo quoq; & gẽmato curru triũphauit, splendidiùs multò quã ueterum quispiam. Cusp. & Sigonius lib. 1. Imp. occid.

Persarũ rex SAPOR, ad Constantiũ Imp. scribens, Solis atq; Lunæ se fratrẽ, & qui inter stellas partem haberet, nuncupauit, nullo erga Constantiũ honore usus. Fulg. lib. 9. c. 5. Machinam tam grandem è uitro construi fecit, ut in eius centro sederet tanquã in terræ sphærula, spectans sub pedibus etiam astra, exorientiaq; ac occidentia sidera: ut sic mortalis cũ esset, supra tamẽ omnem mortalitatis fastũ & cõditionem esse uideretur. Cardanus de Subtilitate, lib. de Artib.

Ad fores templi XL martyrum, Constantinopoli extrinsecus ANDRONICVS Comnenus Imp. in maxima tabula statuam suam collocauit, eo quo Saturnus pingi solet habitu. Nicetas lib. 2. de rebus eius gestis.

Apud Septentrionales olim quidam magica arte imbuti, THOR uidelicet & OTHINVS eius pater, aliiq; complures, miranda præstigiorũ machinatione callentes, obtentis simplicium animis, diuinitatis sibi fastigium arrogare cœperunt. Quippe Noruagiam, Sueciam, ac Daniã uanissimæ credulitatis laqueis circumuentas, ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo ludificationis suæ cõtagio respersẽrũt. Adeo namq; fallaciæ eorũ effectus percrebuit, ut in ipsis cæteri quandã numinum potentiam uenerantes, eosq; deos, uel deorum complices autumantes, ueneficiorum auctorib. solennia uota impenderent, & errori sacrilego respectũ sacris debitũ exhiberent. Quo euenit, ut feriarũ series apud Danos eorundẽ nominib. cẽleatur. Nam diem Iouis Thor, diẽ Mercurij Othini diẽ appellarunt. Saxo li. 6.

PONTIFICATVM.

Schismata ob Pontificatum orta huius sunt loci, Ambitionis eorum causa, qui indignè honores sacros ambiunt, siue uterq; contendentium siue alter tantũ. Ratione Discordiæ ad Inimicitiam publicam pertinent.

Iudæorum exempla.

CHORE Isauri F. cum Dathane & Abirone cõtra Mosen conspirarunt, ægrè ferentes Aaronem sibi in sacerdotio prælatum. Reperti sunt ducenti & quinquaginta, qui cùm Aarone auderent ad populũ de dignitate certare. Moses monuit ut postridie adsint omnes qui pontificatum peterent, cum thuribulis rem diuinam in conspectu populi facturi: affuturum & Aaronem in ordinem redactũ, cum aliis thura adoliturum. Tum quem uiderint manifesto aliquo inter agendũ signo à numine probari, iuberẽt bona uenia tabernaculo & cæremo-

cæremoniis præesse. Vbi postera dies illuxit, populus in expectationem erectus, in amplissimæ concionis modum ante tabernaculum constitit. Hic Moses supinis manibus orasse dicitur, ut si unquam in his populum fefellisset, quæ ex oraculo depromta prædicaret, ipse secretorum omnium conscius, omnisq; humanæ fraudis ultor Deus, se in conspectu populi cũ tota domo cœlesti igne cremaret, maleq; disperderet. Sin rite essent pieq; omnia à se relata, illorum impietatem haud inultam fineret, qui se mendacij coarguere conarentur. Res hîc mira traditur. Qui facturi sacra uenerant, ut cum Aarone de pontificatu cõtenderent, ubi thura adoleri cœpta sunt, cœlesti flamma cooperti ad unum perierũt. Dathan, Abyrus & Chores cum tabernaculis & tota domo horrẽdo terræ hiatu uiui absorpti sunt. Stetit diu populus, miraculo rei, torpore & metu defixus. Inde tot illustrium uirorum tristi exitu, insignique documento obsequentior factus, non modò non sæuire, sed contumaciam suam & impietatem fateri. Cæterũm quãquam bona omnium uenia Aaron pristina erat dignitate functurus, ad omnem inuidiã in posterum tollendam, Moses XII ex singulis tribubus singulos legit uiros, auctoritate inter suos & intuoentia insignes. Totidem inde uirgas certis characteribus inscriptas, ut cuius quæq; esset, fieret discrimen, tabernaculo iussit inferri. Erat in his & Aaronis nomine baculus inscriptus. Sic enim placuit uoluntatẽ numinis scisciteri. Accidit hic quoq; res non parum mira, ut uirga, quæ Aaronis schema habuit, germinans ramos cum amygdalæ fructu nocte una tulerit: quæ res illi sacerdotium perpetuo omnium silentio in posterum stabiliuit. Sab. lib. 3. Enn. 1. ex Num. 16.

IASON & MENELAVS fratres, de pontificatu inter se certarunt. Quorum ille tandem exul obiit. 2. Machab. 4.

Orta inter Iesum & IOANNEM, Heliasibi filios, Hierosolymis de pontificatu discordia, Iesus à fratre & in templo interfectus, quod scelus in Iudæa nunquam antea acciderat. Vagosius Artoxerxis præfectus Ioannem uiolati parricidio templi reũ, capitali supplicio affecit. Iaddus inde patris est sacerdotium adeptus. Erat huic frater Manasses. Hos quoque cùm domesticum malum inuasisset, neq; pudor, neque infelix patris ac patrui exitus obstitit, quò minùs inter se dignitate, si non ui, æmulatione saltem, contenderent: eoque certamine accensus Manasses, Ischam Sinabalthi Samariæ præfecti filiam duxit uxorem, socerique potentia fretus, futurum arbitrabatur, ut dignitatem uel inuito fratre obtineret. Cæterũm tantum abfuit, ut noua affinitas illi adiumento fuerit, ut à sacris sit populi consensu tanquam impius repulsus, quia alienigenam duxisset uxorem. Ea Manasses iniuria instructus ad socerum profugit, & apostata factus est. Sabel. lib. 4. Ennead. 4.

Christianorum exempla.

Quando plures contendunt, necesse ferè est uel utrunq; uel alterutrum ambitiosè id agere. Iudicium penes lectorem esto.

Liberio Pp. mortuo, anno CCCLXVI. populus conuocatus Damasum Diaconum, Hispanum, doctrinæ ac probitatis eximiæ uirum creauit. Quod sentiens VRSICINVS competitor eius, seperatim ab Ecclesia conuentum egit, & in basilica Sicinini à nonnullis creatus, se à Tiburtino consecrari episcopo iussit. Quæ re cognita, repentè pars Damasi, quæ opibus præualebat, accurrit, atq; indignatione accensa pretium adeò atrox commisit, ut in eo centum homines, ac trigginta ceciderint. Viuentius præfectus urbis, cùm seditionẽ cõponere conatus, non potuisset: auxilio desperato, in suburbanum se retulit. Seq. anno, Maximus præfectus urbis, ut incitatos ad cædem animos cohiberet, feuerissimas de laicis clericisq; Damasianis quæstiones habuit, cosq; uariis tormentis affecit. Prætextatus autem successor eius, uir probus, ac iustus, eundem tumultum lenire ingressus, causæ ueritate perspecta, Vrsicinum ex urbe pepulit, ac ciuitati otiũ peperit. Is ecclesiæ Neapolitanæ præfectus est. Sigonius libro 7. Imperij occidentalis.

Zosimo pontifice mortuo anno CCCCXIX. clerus comitiorum causa conuenit. Verùm dissentientibus animis alij in basilica Constantini, alij in basilica Iulij: atq; illi EVLALIVM archidiaconum, hi Bonifacium presbyterum sublegerunt. Honorius Imp. qui Mediolanum abierat, usq; adeo eiusmodi dissidiũ improbauit, ut exemplò ambos urbe exire præceperit. Egressi Bonifacius habitauit in cœmeterio S. Felicitatis martyris uia Salaria, Eulalius uerò in oppido Antij ad S. Hermum. Vbi uerò dies Paschatis uenit, Eulalius in urbem iniussu Imperatoris reuersus, baptismum in basilica Constantiniana confecit: Bonifacius uerò, ut assolebat, in basilica S. Agnetis. Quo facto indignatus Honorius, Eulalium urbe expulit, ac Bonifacium I. approbauit: conuocatisq; Romam episcopis ducentis quinquaginta duobus, Bonifacio pontificatus adiudicatur, Eulalius uerò episcopus Nepesinus esse iuberetur. Sigonius lib. 11. Imperij occid.

Mortuo Anastasio II. Pp. comitiis habitis diuisa est ciuitas. Atq; integrior quidem pars ac maior Symmachum, corruptior uerò ac minor LAVRENTIVM presbyteros ad pontificatum euexit. Contentione uerò inter partes exorta, dissidioq; in Ecclesiam introducto, placuit, ut ex lege Odoacris regis comitiorum iudicium ad Theodericum regẽ reciperetur. Ita singularum partium patroni, suscepta legatione, Rauennam profecti; Theodericum super hac re uniuersa consuluerunt. Qua cognita, ille pronunciauit, Symmachum, ut qui plurium suffragio declaratus, & priore loco consecratus fuisset, in sede apostolica residere. Itaq; exempta controuersia, Symmachus in possessione Ecclesiæ collocatus Laurentium abdicauit, &, ne priuatus degeret, ecclesiæ Nucerinæ præfecit. Biennio post priore redintegrata possessione, Symmachò possessione pontificatus & præsidij pontificiorum exacto, cædes passim in urbe fiebant, & sanctimoniales sedibus suis eiiciebantur, spoliabantur, ac nisi serè cædebantur, & clericis interdiu noctuq; insidiæ tendebantur, ut per urbem incedere tutò non posset: multitudo sacerdotes neci dati. Theodericus rex, ut his malis occurreret, uisitatorem ecclesiæ Romanę Petrum Altinatem episcopum dedit, & cùm per eum præsentem sedare tumultũ non potuisset, mox ex omnibus prouinciis episcopos Romam conuenire ad rem cognoscendam præcepit. Itaq;, cùm Liguriæ, Aemiliæ, & Venetiæ episcopi, Rauennam adissent, de Theoderico quæ fuerunt, Cur se homines semẽ ætate uiribusq; confectos Romam contendere uellent? Quibus ille respondit, multa ad se nefanda de Symmacho esse delata, quę censeret illorum esse prudentia iudicanda. Cui sacerdotes responderũt, oportuisse ipsum, qui insimularetur, cõuentum aduocare, quòd ei sedi eximia Petri apostolimerita, & sancta superiorum Conciliorum auctoritas principatum dedisset: neq; unquam is episcopus minorum episcoporum iudicio subiectus fuisset. Tum rex, Atqui, inq;, huic quoq; Concilio Symmachus ipse assensit: literasq; eius in testimonium protulit. Quibus rebus auditis, Romam episcopi decesserunt. Mox literas ad Theodericum miserunt, nunciantes, Symmachum, ne ad causam dicendam accederet, nefarijs aduersariorum insidijs esse prohibitum: eundẽ regiæ uoluntati obsequi paratum esse, uerùm per sacras leges ad causam dicendam compelli non posse. Quibus respondit Theodericus, Viderent episcopi, ac præciberent, quid sibi consilij in tanto negotio capiendum esset. negenim aliquid ad se de causis Ecclesiasticis præter reuerentiã pertinere. ipsi uerò seu causam audire, seu secus, uellent, eæ lide sua statuerent, dummodò pacem urbi, atque omnibus Christianis præstarent. Qua potestate acceptа, episcopi cõuocati, re cognita, decreuerũt, ut Symmachus ab omnibus, quorum arguebatur, criminib. liber ac uacuus esset, quod ad hominum iudicium pertineret: atq; ut idem Christianæ plebi in omnibus ecclesiis ad ius sedis suę pertinentibus diuina mysteria traderet, & ut quidquid intra aut extra urbẽ esset, reciperet. Hæc ex Actis Concilij. Sigonius lib. 16. Imperij occidentalis.

Felici pontifici, anno DXXX. mortuo, comitiis nouo pontifici creando indictis, senatus ac clerus in duas factiones est scissus. Itaq; alij in basilica Constantiniana Bonifacium, alij in basilica Iulij DIOSCORVM, utrunq; presbyterum, designarunt episcopũ. Quæ seditio grauissimè turbauisset quiẽtẽ Ecclesiæ erat, nisi biduo pòst subsequuta Dioscori mors repentina omnem planè tumultus materiam sustulisset. Eo uerò extincto, Bonifacius locum sine controuersia nactus, ac secundus in consecratione appellatus, clero aduocato, Dioscorum condemnauit: uerum factionem eius, quæ maxima erat, in gratiam Ecclesiæ recepit. Inde post Lampadij & Orestis cõsulatum, ut praui in posterum dissidij occasionem adimeret, conuocato iterum clero, omnes ante Confessionem S. Petri in uerba sua iureiurando adegit, se post excessum ipsius Vigilium diaconum pontificem subfecturos. idq; sacramentum sanciri manu cuiusq; uoluit. Admonitus inde rem commisisse sacris legibus omnibus aduersantem, & libertati Comitiorum officientem, idem scripti, accitis deintegro omnibus, abrogauit, eoq; incẽso, se rem esse maiestatis asseruit (quæ re adducti senatores & ipsi decretum de ambitu pontificiorum comitiorum comprimendo fecerunt) ac mox, cùm in summa fame populum annona egregiè subleuasset, mortem & ipse oppetiit. neque per competitorum contentionem illo anno successorem accepit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

Romæ nuncio de pontificis Agapeti, in legatione Constantinopolitana fato facti, morte accepta, Theodahatus rex Ostrogothorum SYLVERIO subdiacono ad pontificatum suffragatus est, cùm mortem clero intentasset, nisi eius ordinationi assensum præbuisset. Sacerdotes autem quidã non subscripserunt, antequam consecrarctur: at postquam consecratum

secratum uiderunt, & ipsi probarunt. Theodora Augusta à Vigilio de Syluerio pontifice ante suum aduentum creato certior facta, quod à Vigilio electus erat, id ipsum à Syluerio quoque contendere non dubitauit, ut Menã episcopo declarato, Anthimum, quem Agapetus Pp. Constantinopoli ob Eutychetis hæresim deiecerat, restitueret. Quod ubi Syluerius accepit, licèt horroris plenus, nequaquam se commissurum, ut hominem legitimè condemnatum reduceret, dixit. Quo responso illa incẽsa, mandata ad Belisarium misit, ut Syluerium de sede deiiceret, eo præsertim, quòd literas ad Vitigem Gothum scripsisset, se ei urbẽ cum Belisario traditurum. Solus ad Belisarium ubi uenit, dum ab Antonina eius uxore de proditione conflata interrogatur, subdiaconus primæ regionis pallium de collo eius abripuit, &, pontificio ornatu detracto, monachi uestimentum iniecit. Quo facto, Sixtus regionis sextæ subdiaconus egressus foras clero nunciauit, Syluerium pontificatu se abdicasse, & monachum induisse, proinde se ad alium pontificem subrogandum pararent. Inde VIGILIVS diatonus, Agapeti comes (qui pontificatus adipiscendi & decem cẽtenariorum auri pondere spe Constantinopoli Theodoræ promiserat se Anthimum restituturum) Belisarij suffragatione suffectus est, Syluerius autẽ Pataras in Lyciam relegatus. Theodora Augusta Romam misit, qui Vigilium pontificem monerent, ut Anthimum, quem admodum promiserat, ecclesiæ suæ restitueret. Cui Vigilius respondit, se haudquaquam adduci posse, ut hominem hæreticum, & ab Agapeto ac Siluerio decessoribus suis damnatum restitueret. quod illa ægrè tulit, sed ultionem in aliud tempus reseruauit. Vigilius post monitus ab Belisario, ut Anthimũ restitueret, & duo promissa centenaria redderet: quorum alterum timore Romanorum, alterum auaritia cæcatus se facturum negauit. Iustinianus autem precibus episcopi Patarensis adductus, iussit ut Syluerius Romam reduceretur, & iudicio de literis ab eo scriptis constitueretur, si ueras eas fuisse probatum esset, in quacunque eo ciuitate esse liceret: si falsas, ut sedi suæ, expulso Vigilio, redderetur. Syluerio in Italiam reuerso, Vigilius ne tedem amitteret neritus, se omnia quæ promiserat præstiturum, Belisario affirmauit, si sibi Syluerium tradidisset. Ita Belisarius Syluerium duobus Vigilij defensoribus tradidit, à quibus in Palmariam siue Pontiam insulam deportatus, ibi inedia maceratus expirauit, ut Liberatus in libro de Consiliis tradidit. Septennio pòst Romani quidam Vigiliũ pontificem apud Iustinianum accusarunt, quòd Syluerium decessorem suum abdicandum curasset, quòd Romanos malè habuisset, & quòd mortem homini attulisset: nam notatum ipsius alapa ab eo percussum interisse, & filium cuiusdam uiduæ obtritum calcibus expirasse. Tum Theodora occasione ulciscendi arrepta, Anthimum scribam suum Romam misit, iubẽs, ut quocunq; in loco Vigilium inueniret, præterquam in basilica sancti Petri, comprehenderet, & in positum in nauim ad se adduceret. Qui ueniens, comitatu assumto, Vigilium in æde sanctæ Cæciliæ decimo Kalendas Decembris (nam eo die sanctæ Virginis natalitia celebrantur) munera populo erogantem offendit, & captum ad Tiberim exemplò deduxit, atque in nauim in Græciam auehendum imposuit. Quæ re animaduersa, populus magnoperè doluit, ac continuò subsequutus est, ut precationem acciperet, eaque accepta, respondit, Amen, ac cõtinuò nauis amota est. Vigilius è Sicilia deductus Constantinopolim: in Vigiliis dominicæ Natiuitatis urbem ingressus est. quem obuius iustinianus tanta comitate excepit, ut lacrymas osculaque reddiderit: plebs autem honoris eius causa usque ad ædem S. Sophiæ psallens incessit: Ecce adueniet dominator dominus. Postero autem anno, solicitatus iterum ab Augustis, ut Anthimum restitueret, se facturum negauit, minantibusque illis dixit: Video, me non ad Iustinianum & Theodoram uenisse, sed ad Diocletianum & Eleutheriam: facite, ut libet: dignæ enim factis recipio. Hęc dicente percussit eum alapa quidam, qui aderat, inquiens: Homicida nescis quibus cum loquaris? nescis, te Sylueriũ pontificem occidisse, & filium uiduæ calcibus allisisse? Tum fugiens in ædem S. Euphemiæ columnam altaris amplexus est. Inde eiectus per totam urbem tractus, atq; in carcerem traditus, modico pane & aqua uitam miserè tolerauit: Cleus autem Romanus, qui cum eo erat, ad metalla effodienda est amandatus. Mortua Augusta, mitiùs cum illo & sociis actum est: neque tamen ante nouennium, Narsete deprecatore, dimissus, cum omnibus in Siciliam reuectus, Syracusarum in urbe cùm esset, fæuo calculi dolore oppressus obiit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Mortuo Conone, populus Romanus bifariam diuisus, hinc Theodorum, hinc Paschalem archidiaconum petebat. Imperatriam THEODORVS cum factione sua in interiorem partẽ episcopatus Lateranensis: exteriora uerò PASCHALIS occupauerat, ab oratorio sancti Syluestri usque ad basilicam domus Iuliæ, quæ campo imminet. Verùm cùm ibi tanta altercatio & rixa esset, ut de pugna ambigeretur, cùm alter alteri cessurus non uideretur, nisi ui & armis pulsus: principes ciuitatis cleri militiæque Romanæ unum in locum secedentes, quid maximè fieri oporteret ad tollendam seditionem, consultant. Tandem uerò re ipsa discussa, cùm neutri eorum, qui ob ambitionem tantos motus concitauerat, demandandum pontificatum censerent, nemine aduersante, Sergium pontificem deligunt: eundemque è media turba humeris tollentes, primò in oraculum Cæsarij martyris, mox in Lateranensem episcopatum detulerunt, refractis ui foribus, repulsisque his qui locum occupauerant. At uerò Theodorus cognito omnium consensu, Sergium pontificem salutat & osculatur. Idem fecit Paschalis alter competitor, licèt inuitus, cogente multitudine quæ armis circumstrepebat. Hic tamen clanculum Ioannem Platinam Exarchum Rauennatem concitauit, ut quæ antea pollicitus erat, largitione corruptus (nam thesauri Pontificij dispensator sub Conone fuerat) tandem præstaret, ut idem Ioannes Romã confestim ueniret, nullis præmissis nunciis, quò negligentes & incautos opprimeret. Verùm ubi intellexit Sergium omnium consensu pontificem declaratum, instaretq;, ut quæ Paschalis pollicitus erat, sibi præstarentur, aduersante Sergio, quòd tantam largitionem improbaret, donaria quædam ex basilica Petri sustulit. Verùm Paschalis tanti mali causa, magices accusatus & conuictus, ut sortilegus archidiaconatu priuatur, in monasteriumq; pœnitentiæ causa retruditur: ubi quinquennio pòst eadem semper pertinacia usus, moritur. Platina, & Sigonius.

Mortuo Paulo I. Desiderius Longobardorum rex, liberatius omni metu Pipini regis morte, Totonem Nepesinum ducem adhortatur, ut CONSTANTINVM fratrem ui eriam, quando largitione & ambitione fieri nõ possit, Pontificem deligat. Is Romam cum exercitu profectus, Constantinum Pontificem creat. Fuere etiam qui PHILIPPVM quendam huic præponerent, qui statim abdicare se magistratu armis compulsus est. Cogitur & Gregorius Præncilinus episcopus, Constantinum ipsum laicum sacris statim initiare, atq; episcopum inungere. Cuius manus ita ob eam rem exaruit se miraculo dicuntur, ut eas ori admouere non posset. Cùm uerò Constantinus munera pontificatus per annum obstinatè exercuisset, tandem è sede deiicitur à populo Romano, ira & indignitate rei percito, in eiusque locum omnium suffragiis STEPHANVS III. sufficitur. Hanc ob rem Constantinus in basilicam Saluatoris perductus, uidentibus omnibus, ac sacris canonibus petlectis, ut fieri solet, depositо pontificali habitu, magistratu se abdicat, in monasterio uitam priuatam ducere iussus: licèt ostenderet, quæ adhuc egerat, maiorum exemplo feciſse: quòd & Sergius Rauennatum archiepiscopus, & Stephanus Neapolitanorum, ex laico episcopus creatus sit. Indicto autem concilio Lateranẽsi, eius abrogata sunt decreta, & institutum, ne quisquam laicus, nisi per gradus Ecclesiasticos ascendens, pontificatum occupare auderet, sub anathematis pœna. Promulgatum est item, ut qui episcopatus dignitatem Constantini tempore consecuti fuerant, magistratu se abdicantes, ad pristinos ordines reciderent. Quòd si istorum uita & doctrina à populo probata fuisset, placere, ut ad sedem apostolicam uenientes, denuò consecrarentur. Idem de presbyteris & diaconis iudicatum. Constitutũ præterea, ut quæ Constantinus in re sacra egisset, irrita haberentur, præter baptismum & chrisma. Platina.

Stephano V. Pontifice morte absumto, comitiis nouo creando Pontifici habitis dissidium grauissimum est coortum, factionibus, quæ Romanam ciuitatem tenebant, parum in legendo successore consentientibus. Alberti enim Comitis Tusculani factio SERGIVM Comitem Tusculanum Pontificem declarauit, atque consecrandi caussa ad altare admouit, hominem nulla re, nisi splendore familiæ commendatum. Hominis indignitate offensa contraria factio, FORMOSVM intulit, uirum inter cæteros elegantia doctrinæ, morumque probitate præstantem. Itaque Sergium ab altari remouerunt, ac Formosum ipsum consecrauerunt. Inde totus Formosi pontificatus alliduis Sergianorum contentionibus fuit infestus, Vidone Imperatore euidenter Sergianis fauẽte. Vidone autem pulso, & nomitu sanguinis extincto, cùm Arnulfus Germanorum rex Berengarium restituisset, Sergiani uerò Lamberto Vidonis F. faucrent: Formosus Arnulfum Romã excitat. Is urbe capta, Sergium expulit, ac Sergianos omnes, qui sibi obstiterant, interemit: neque aut pueris aut mulieribus, aut sacerdotibus, sacratibus uirginibus ipsis pepercit: atque ad extremum se à Formoso Imperatorem & Augustum inungi imperauit. Formoso mortuo, Bonifacius VI. post biduum est suffectus, cùm diaconatu & presbyteratu electus per tumultum populares, à Sergianis pristinis esset ordinib. restitutus. Eo uerò pòst dies quin-

decim ex humanis rebus exemto, STEPHANVS VI. à Sergianis creatus nihil prius habuit, quàm ut Formosi pontificatum exterminaret. Quare episcopis clericisque adhibitis conuentum habuit, atque ad eum de Formosi comitiis, actisque pontificiis retulit. Qua relatione Sergiani erecti, basilicam Vaticanam perspecrem expilandi thesauri tumultuosè ingressi sunt: ac violato Formosi sepulcro cadauer eius extraxerunt, ac iussu Stephani in conspectum conuentus produxerunt. Quod oculis episcoporum obiectum Stephanus pontificalibus uestibus exui, & laicalibus indui iussit: & conuentum metu, minisque, ut Formosum tanquam simoniæ compertum damnaret, adegit. Damnatum inde Sergiani ira ac libidine inflammati proiecerũt in Tiberim. Neque uerò hac iniuria contentus Stephanus fuit: quin etiam omnia Formosi pontificatus acta rescidit, atque inprimis eos, qui initiati ab eo fuerant, exauctorauit, & Arnulfum regem, quem Formosus metu consecrarat, Imperatorem uitio factum esse pronunciauit: Lambertum uerò Regem Italiæ, factionis suæ partes exemplo patris fouentem inunxit Imperatorem. Mortuo Stephano, in eius locum sublectus ROMANVS, ex Constantino Martini quondam Pontificis fratre genitus. Hic Formosi causam tanquam à Stephano inique oppugnatam suscepit. Erat enim ciuitas tacita religione perfusa. Nam cadauer Formosi, quod Sergiani in Tiberim iecerant, cùm fluitans ad os Tiberis peruenisset, sæpiùs ab æstu marino reiectum piscatores quidam inuenerant, &, cùm in basilicam Vaticanam reportaretur, Sanctorum illum imagines uenerabundæ saluasse fuerant uisæ. Itaque nouo conuentu episcoporum habito, Stephanum neque ordine, neque rectè fecisse pronunciauit, quòd in Formosum adeò impotenti animo desæuisset. Eo uerò intra quinque mensium spacium morte sublato THEODORVS II. est subrogatus, qui eandem causam amplexus, omnes etiam à Formoso initiatos, quos Stephanus abdicarat, pristinis ordinibus reddidit. Quo post dies uiginti defuncto Albertus, factionis princeps, qui se pontificatu, atque adeò etiam principatu Romano deiectum uidebat, Sergium iterum inferre contendit: uerùm ab aduersariis uictus ac repulsus est. V. Idus Septembris IOANNES IX. diaconus, ex contraria factione creatus est. Posteró, Ioannes Pontifex celebre habere concilium statuit, idque metu Sergianorum, qui in armis ob secundam Sergij repulsam erant, Rauennam indixit. Pontifice atque Lamberto Imperatore præsente, dictis ex ordine sententiis, acta conuictus à Stephano habiti infirmata: Arnulfi Regis imperialis consecratio, ut metu extorta, rescissa: violatores sepulcri cadauerisque Formosi damnati: Formosus, ut qui propter necessitatem ex Portuensi ecclesia ad Romanæ administrationem uenisset, Pontifex confirmatus. uerùm, ne quid simile posthac in ecclesia fieret, sanctum: sacra Lamberti Imperatoris inunctio confirmata. Quin etiam statutũ, ne Pontifices designatos, nisi in conspectu legatorum regiorum, ius esset consecrari. in quo superiori decreto Hadriani est abrogatum, ad uitanda, quæ in comitiis oriebantur, dissidia. Sigonius lib. 6. regni Italici.

In Benedicti IV. locum Leo V. est suffectus. Hominem incautum, & parùm tractandis rebus idoneum esse cùm animaduertisset CHRISTOPHORVS sacerdos eius, quadragesimo, quàm cõsecratus fuit, die, accitis sociis eũ comprehendit, atque in custodiam traditum abdicare coëgit, atque ipse se pontificem facere nouo exemplo non dubitauit. Huius inde audaciam imitatus SERGIVS, qui bis iam ab aduersariis de pontificatu fuerat deturbatus, illum exigere, & semetipsum inferre constituit. Itaque ne aduersæ potentia factionis opprimeretur, Adelbertũ Tusciæ marchionem, ut sibi auxilio esset, orauit: & conspiratione facta Christophorum se abdicare, atque monasterium inire coëgit, ac sedem occupauit. Is SERGIVS III. appellatus. Pontificatum malè partum nullo tamen insigni probro fœdauit. Neque enim Formosi cadauer ex sepulcro iterum ab eo post XX. annos extractum, ut quidam scribunt, est uerisimile. Eo mortuo suffectus est Anastasius IV. Anastasio deinde succeßit Landus, nulla re in pontificatu gesta nobilitatus. Eo mortuo, Albertus Tusciæ marchio, Theodoræ sorus instinctu, neque ex ecclesia Romana, sed ex Rauennati, neq; cleri suffragiis, sed propriis opibus successorem Ioannem Rauennatem archiepiscopum dedit. Is IOANNES decimus est uocatus. Sigonius libro sexto regni Italici. Item Nauclerus, Trithemius in Chronico Hirsaug. Ranulfus libro sexto, capite quarto.

Stephanus Bauarus Clementi II. uenenum miscuit: moxque ab eius interitu, sine cleri populíue suffragio, sacram inuasit sedem, seque DAMASVM II. uocauit. Vique adeo mos inoleuerat, Apostolicæ sedis per uim & dolum occupandę. Sabellicus Ennneadis 9. lib. 2.

BENEDICTVM IX. Romani sede sua exegerũt: quia uir simplex & ignauus erat, ac simoniacè papatum inuaserat: ut Sigebertus commemorat. In locum eius substituerũt Ioannem Sabinum episcopum, sub SYLVESTRI III. nomine. Iste quoque cùm uix 49 dies cathedræ præfuisset, reclamitutur Benedictus. Qui istarum mutationum pertæsus, pontificatum Ioanni Gratiano archidiacono S. Ioannis ad portam Latinam mille libris Turonensibus, ut Onuphrius scribit, uendidit: qui postea GREGORIVS VI. est nuncupatus, circa annum Domini 1044. ut Hermannus Contractus annotat. Phrisingensis libro 6. capite 32. ait, se Romæ auditum esse, quòd isti tres Pontifices simul Romæ papatum tenuerint, sedesque & reditus inter se partiti fuerint, ita ut unus ad S. Petrum, secundus ad S. Mariam maiorem, tertius nempe Benedictus, in palatio Lateranensi resederit: ac denique istos tres pecunia Gratiani presbyteri persuasos, ut sese pontificatu abdicarent. Gratianus inde pontificiam sellam conscendit. Eam ob causam Cæsar Henricus III. Romam ceritum duxit, ne sineret Simoniacorum cupiditatibus pontificatum tam sceleratè uitiari. Gregorius cùm Sutrium ceperisset obuiam Imperatori, tentaturus, an prædam suam argento emtam retinere posset: synodo eo loci coacta, desimonia conuictus, in Germaniam in exilium ablegatur: loh stituitur Sindegerus, Bambergẽsis episcopus, omnium consensu, qui Clemẽs II. est nominatus: ac decretum sanciens, ne absque Imperatoris consensu pontifex Romanus deniceps designaretur: idque iuramento sancto obstrictus, anno 1046. Platina, Onuphrius.

Mortuo Stephano IX. Tusculani Comites more suo primoribus sibi mercede conciliatis, noctu cum armatorum catteruа in ædem irrumpunt, & propinquum suum Ioannem episcopum Veliternum, Pontificem, episcopis, Cardinalibus aduersantibus, creant, atque eisdem in diuersas partes dilapsis per presbyterum Ostiensis ecclesiæ, hominem omnium literarum ignarum, ad apostolatus culmen prouehunt, & Petrum Damiani Ostiensem episcopum reclamantem, atq; omnes diris grauibus deuouentem, ui ad eum colendum compellunt: deinde populum diuisa per uicos pecunia ad adorandum inuitant. Is BENEDICTVS X. est uocatus. Inter hæc Hildebrandus legarus in Italiam se recepit; & annitente Godofredo Tusciæ Duce, Gerardum Burgundionem, episcopum Florentinum, nominauit, atque eodem mense unà cum ipso & Duce Romam perrexit. Ibi Gerardus à clero & populo in sede apostolica positus, NICOLAI II. nomen assumsit: ac subitò ad abrogandum Benedicto pontificatum, conuentum Sutrij indixit. Benedictus extemplò tacita quasi religione perfusus, se abdicauit, priorum tamen communione à Nicolao cum suis fautoribus omnibus exturbatus. Sigonius lib. 9. regni Italici.

Nicolao II. mortuo, ALEXANDER II. qui paulò ante Nicolai in Germania fuerat legatus, creatus absens, Romani auxilio Godofredi Tusciæ Ducis perducitur, atque imminente Romanorum seditione statim sine Regis auctoritate consecratur. Henricus IIII. Germanorum rex iam inde ab initio discordiæ, à Romanis quibusdam exulibus, utuerre instituto Pontificem daret, instinctus, episcopos in eam rem ex Italia euocarat. Vbi uerò Alexandrum per Cardinales iniussit suo consecratum audiuit, ex matris & suorum sententia frequentem Basilicæ conuentum habuit, atque Placentino & Vercellensi episcopis ex Italia assentientibus Cadaloum Parmensem episcopum ad se profectum pontificem renunciauit, & HONORIVM II. uocauit. Cadaloum excepit Gibertus Lombardiæ præfectus: quem Mediolanenses, & pleræque Lombardiæ ciuitates episcopis suis auctoribus sunt sequutæ. Alexandrum uerò Godofredus Dux Tusciæ, unà cum Mathilde coniuge receptit in clientelam. Gibertus, Cadaloum Romam consecrandum adduxit. Romani cum ualida Tuscorum manu irruptionem Lombardorum, licèt plerisque suorum aut in prælio cæsis, aut in Tiberi submersis, prohibuerunt. Gibertus metuens ne à Mathilde circumueniretur, ab Vrbe recessit, & Cadaloum Mediolanum reduxit. Ineunte uere Cadalous à principibus Romanis, quos interim spe præmissq; corruperat, reuocatus, nocturnis ad occultandum aduentum confectis itineribus ex improuiso ad Vrbem accessit, atque urbe Leonina per noctem furto occupata, basilicam Vaticanam inuasit. Sed fraude illucescente die detecta, repentè armis à populo petitus, cùm impetum eius sustinere non posset, auxilio Cincij ciuis Romani, hominis potentis, in primisque magna ab eo ui pecuniæ comparati, in arcem refugit, ibique ab aduersariis acriter est obsessus: cuius obsidionis soluendæ cùm Germani rationem idoneam nullam reperirent, ad pacem animos conuerterunt, ac sequenti anno Hannonem Coloniensem archiepiscopum cum liberis ad eam rem mandatis miserunt. Mantuæ indicto concilio, Alexander postulante Hannone obiectum simoniæ crimen concepto sacramento purgauit: & summo omnium consensu Cadaloo repudiato atque à sacris remoto ipse retentus est. Cadalous, ne mali quidpiam pateretur, à Cincio antè furto ex arce dimissus, cum paucis fugiens, ad ecclesiam suam reuertit: & quanquam à plerisq; despectus, insignia pontificia retinuit, quoad uita suppeditauit. Sigonius lib. 9. regni Ital.

Anno 1130. mortuo Honorio II. CARDINALES cum CLERO conuenerunt, ac relatione de nouo substituendo Pontifice facta alij aliò sua studia contulerunt. Maior pars, Innocentium II. legit: minor, eaque corruptior Anacletum II. Innocentius per Ostiensem episcopum legitimè consecratus, ac moderatè à suis per omnia loca, in quibus ex antiquo institutò sessiones ipsi habent Pontifices, circunductus, demum legitimam Laterani sedem iniuit. Verque ciuis Romanus erat, uerùm nobilitas in Anacleto maior, & spes præmiorum uberior multò plures ad eum uenerandum illexit. Itaque Anacleti parte in urbe furente, atque Innocentio, & fautoribus eius terrorem ac periculum intentante, Innocentius unà cum Cardinalibus suis ad Frangipanes amicos accessit, homines tum in Vrbe insigni potentia ac nobilitate florentes, & in eorum turribus salutem tueri suam confidit. Anacletus occupata Vaticana D. Petri basilica, coronas, calices & crucifixos, aureos ac ciborium, quod Leo construxerat, sustulit, itemque alia opulenta Vrbis templa donariis pretiosissimis spoliauit: atque auro conflato ingentem pecuniæ summam redegit: quàm cùm plebi distribuisset, facilè quod reliquum populi erat ab Innocentio auocauit. Itaque populus Romanus Innocentium, ac Cardinales, partemque eius non solùm probris & conuiciis petere, sed etiam manu, telisque incessere instituit. Quibus malis cùm resistere se non posse, Innocentius cerneret: paratis occultè nauigiis secundo Tiberi cum Cardinalibus suis ad mare, atque inde duabus Pisanorum triremibus Pisas accessit. Ibi proximorum episcoporum conuentu habito, Anacletum, partemque eius deuouit. In Galliam inde profectus, alterum Claromonte contentum habuit, atque iterum Anacletum & fautores eius dãnauit, & Lotharium regem Germanorum in suas partes perraxit: Tertiò itidem contractu Remis anathema tertiauit. Vicissim Anacletus, qui solus in Vrbe remanserat, & ipse partem aduersam infligendis anathematis institit premere, & ad causam suam amicos quàm plurimos potuit, aggregare. Præcipuè autem Anselmus Mediolanensis archiepiscopus ab Honorio Conradi III. regis caussã deuotus ei se tradidit, atque unà secum populum Mediolanensem ac plerosque Lombardiæ episcopos traxit: itidem Rogerium Apuliæ & Calabriæ ducem, quem regis Siciliæ nomine cohonestauit. Innocentius Leodium prodiit, atque eódem quoque Lotharius rex cum omnibus sacris & profanis regni sui proceribus & uniuersa Germaniæ nobilitate occurrit. Ibi conuentum celebertimum habuit: in quo sacras aduersus Anacletum derestationes redintegrauit. Rex pollicitus est, se cum Romam cum exercitu reducturum, atque Anacleto exacto incolumem in Laterano collocaturum, si ipse sibi Imperatorium diadema sponderet. Innocentius inde in Italiam reuersus Placentiæ iterum diris deuouit Anacletum. Lotharius pòst Romam perrexit, & castris ad portam sanctæ Agnetis locatis, Genuenses & Pisanos classes suas littoribus admouere Romanis iussit, ac tantum Anacleto & fautoribus eius, qui urbem tenebant, terroris iniecit, ut in editas se turres salutis suæ tuendæ caussã referrent. Qua re animaduersa, ab amicis receptus ipse cum Innocẽtio, Vrbem pacato agmine iniit: cumque illum in Laterano reposuisset, ipse Auentinum insedit. At cùm Anacletus neque collo quij, neque prælij facere copiam uellet, & basilicam Vaticanam operibus præsidioque firmatam teneret, in qua moris fuerat diadema impetatorium tradi: Innocẽtius Lotharium in Lateranum uocauit, atque ibi pridie Nonas Iunias ipsi coronam imposuit: ac protinus ad prodendam rei nouo exemplo actæ memoriam huius facti seriem regiæ in pariete pingi, atque hos uersus subscribi mandauit:

Rex uenit ante fores, iurans priùs Vrbis honores,
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Interea cùm Germani liberè uagari per Vrbem non possent, aduersariis ex turribus eos lapidibus missilibusque longissimè lacessentibus: neque æstum Romani cœli ferre: Lombardiam repetiit. Eo Vrbe profecto Anacleti factio è turribus exiit, ac per Vrbem uolitans, cædem amicis Innocentij intentare, ac nouo omnia tumultu permiscere instituit. Innocentius Pisas repetiit, eoque nouum concilium ex toto Occidente indixit. Eius Concilij actiones fuêre multæ: summa tamen in Anacleto cum fautoribus exercrando uersata est. Lotharius inde pace latè tota Germania præstita, ut Rogerio, qui propè unus Anacleto fauebat, armis uindicato, Innocentium opem assiduè per literas ac nuncios implorantem reduceret: alteram in Italiam expeditionem decreuit, multò, quàm antè maiorem, atque omnibus rebus instructiorem parauit, ann. 1136. Pisis interim conuentus omnium episcoporum, abbatumque, qui adesse potuerunt, est habitus: ac rursus Anacletus, Rogeriusque deuotus. Vix tandem post mortem Lotharij, Anacleto etiam humanis exemto, Victor IV. in eius locum suffectus, Bernardi Clarauallensis opera deposita dignitate, Innocentio reconciliatus est. Sigonius lib. 11. regni Ital. ex Platina, Onufrio.

Hadriano IV. mortuo, anno 1159. Cardinales diductis in diuersa sententiis, Cardinales duos, Rolandum Senensem, & Octauianum Romanum, Pontifices designarunt. Rolandus à uiginti tribus delectus coccineam chlamydem sibi à suis cupientibus properanter iniici non est passus. Octauianus à quinque tantùm declaratus, raptam auidè è manu ministri, ut Rolandum iure præuerteret, ipse sibi festinantiùs induit, atque Rolando & Cardinalibus eius per armatos ilicò intromissos in arcem compulsis, à suis in sede S. Petri constitutus VICTORIS IV. nomen asciuit: inde ad Patiũ populo ciui suo haud grauatè fauente deductus, prõta cleri populique obsequia accepit. Rolandus nouem dies cum suis in arce per senatores obsessus mansit. demum emissus ad Cisternam Neronis inter Ariciam & Tarracinam processit, ibique in magna cardinalium, episcoporum, abbatum, cleri, populique, qui conuenerant, frequentia, chlamydem ritè induit, ac consecratus ALEXANDRI III. nomen accepit. Ita Victore, qui nondum consecratus fuerat, iure superato, post octo dies & ipsum cum sectatoribus eius, & si quis manum ei consecrationis gratia admouere ausus fuisset, pœnis inferorum deuouit, atque Anagniam se recepit. Victor à paucis & ipse episcopis consecratus, eadem in Alexandrum & partem eius detestationis tela retorsit, ac per Othonem Comitem Palatinum Campaniam, & Patrimonium S. Petri inuasit, & Signiæ substitit. Tum uterque ius suum tueri cupiens, Alexandet, quòd à pluribus creatus, & ante Victorem consecratus: Victor, quòd uestę pontificia priùs indutus, & tanquam Pontifex cleri populique solennibus obsequiis esset cultus, literas ad Fridericum I. Imp. castra adhuc ad Cremam habentem scripserunt, eumque ut partes suas susciperet, obsecrarunt. Is ea de caussã conuentum omnium è regnis suis episcoporum Papiæ indixit, atque episcopos duos ad Alexandrum & Victorem misit, qui dicerent, suarum uirium non esse, utrius iustior caussa esset, constituere: episcoporum iudicio ad eam rem opus esse, ac propterea se concilium indixisse: ibi quem iustioribus comitiis creatum esse certus episcoporum consensus statuisset, cum se summo studio ueneraturum, atque armis, si opus fuerit, protecturum: proinde ambo ad diem concilio præstitutam occurrerent. Alexander uenturum se abnuit, adiiciens, parum æquum esse, ut cui iudicium à Deo in homines esset concessum, is humano iudicio se committeret. Victor ad uictoriam non ad iudicium processurus, Friderici uoluntati se quacunq; obsecuturum ratione respondit. Ergo ubi dies Purificationis aduenit, episcopis & abbatibus iudicium pontificiæ caussæ commisit. Aderat in urbe Victor, cuius caussa agebatur, nec quisquam ex proceribus conuenerat, nisi aut utriusque amicus, aut aliqua ratione illi parti obnoxius. Itaque cùm re in disceptationem adducta, probatum testibus esset, Victorem ante Alexandrum ut Pontificem & uestę ornatum, & cultum obsequio esse, nemoque esset, qui contradiceret: Victor, qui præsens aderat iure, Alexander, qui uocatus non obediuerat, uitio factus Pontifex iudicatus est. Sequenti die Victor solenni cum pompa ab æde Saluatoris suburbana, ubi hospitabatur, ad templum maius à clero, populo, episcopisque deductus est. Ibi cùm Fridericus pro foribus templi susceßit, & descendentis de equo strepam tenuit, & manu usque ad altare perduxit, & humili pedem osculo contigit, Victor Alexandrum cum parte eius candelis accensis est execratus, Alexander uicissim Anagniæ sacra detestatione Victorẽ & Fridericum execratus, fœdere cum Mediolanensibus per legatum suum icto Victorem, Fridericum, quique sectam eorum sequerentur, Cremonensem, Laudensem, Comensem, Papiensem & Mantuanum episcopos, sacris abdicatos pronunciauit, ac ciuitates Cremonam, Papiam, Laudem, Comum, Nouariam, Vercellas, Marchionem Montisferrati, Comites Blanderati, Seprij & Marthesij, sacris arcuit, & archiepiscopum ac consules Mediolanenses sacramento fidelitatis obstrinxit. Quibus ex rebus bellum nouum inter pontificatum Imperiumque susceptum, quo ciuitates Italiæ, in primisque Lombardiæ in diuersas partes diductæ prauis inter se certaminibus initis, ad extremum propè exitium sunt redactæ. Huius autem belli principes fuêre Mediolanenses. qui cùm ueteribus odiis, tum recentibus Alexandri aduersus Fridericum & socios eius execrationibus incitati, bellum ardentiore animo gerere perrexerunt. Alexandri partes ediuerso Ludouicus Gallorum & Henricus Francorum reges sunt professi. Florebat

tum ordo Cisterciensis, archiepiscopis, episcopisque multis, & abbatibus plus quàm septingentis, & monachorum multitudine innumerabili præditus. Hi quotannis concilium apud Cistercium celebrabant, & quæ è republica erant, decernebant. Itaque proposita præsenti pontificia caussa, publico decreto Alexandro se adiunxerunt, atque maximas ei parti uires addiderunt. Quibus rebus Fridericus incensus, edictum proposuit, ut omnes Cisterciensis ordinis monachi, qui in regnis suis agerent, aut Victori subscriberent, aut regnis suis excederent. Qua re numerus eorum ingens relictis sedibus suis in Franciam commigrauit. Quin etiam episcopos multos, licèt sanctitate insignes, quia Alexandro dediti erant, sedibus suis eiecit, atq; alios in eis imposuit: & ut conuentum iampridem ab Alexandro indictum impediret, eò intentiùs uias omnes, ne cuiquam episcopo pateret transitus, custodiuit. Alexander cùm se concilium in Italia habere aduersus Fridericum, Victoremque non posse cerneret, simulque occultas Romanorum sæuientium insidias uereretur, ac nimiam Friderici omnia circumquaque tenentis potentiam extimesceret: in Franciam profectus, conuentum Claromonte coëgit, in quo Victorem, Fridericum, & factionem eorum sacro tandem anathemate perculit. Post aliquot inde dies Ludouicus & Henricus reges ad Ligerim amnem apud Tociacum oppidum conuenerunt, atque Alexandrum eò aduenientem læti eximiis honoribus exceperunt: quippe stratorum officio functi pedites, dextra læuaq; frenum equi tenuêre, & ad præparatum tabernaculum perduxêre, atque eius auctoritate pacem inter se confirmauere. Frequentissimum inde in Turonibus episcoporum, abbatumque concilium habuit. Ibi & acta concilij Papiensis rescidit, & sacras aduersus Victorem & Fridericum detestationes redintegrauit. Victori mortuo Vidonem Cremensem Cardinalem S. Callisti substituerunt, qui Victorem non solùm suffragio suo Pontificem designauerat, sed etiam auctoritate sententiaque defenderat. Is Paschalis tertius appellatus, Friderici ac factionis eius promtá studia est consecutus. Eum Fridericus, cùm in festo Pentecostes frequentem episcoporum, abbatum ac principum conuentum Herbipolim aduocasset, ex omnium sententia statuit, ui Paschalis pro iusto Pontifice in perpetuum haberetur, & eo mortuo nemo, nisi ex eius parte, sublegeretur: &, si contigisset, ut Fridericus ex hac uita decederet, nemo ei substitueretur, nisi se eam partem defensurum iurasset. Iurantibus in hoc decretum cæteris, solus Albertus Frisingensis episcopus abnuit. pòst autem & ipse coactus iurauit, se Paschali obtemperaturum, quandiu Imperator partem eius foueret, & quandiu ipse regalia possideret. Interea Ioannes cardinalis Romę legatus singulari ingenij dexteritate, ac mira morum comitate populum Romanum ad partes Alexandri traduxit, ac basilicam Vaticanam pontificiamque ditionem magna ex parte recuperauit, atque Alexandrum ab eis reuocandum curauit. Friderico inde tertiùm in Italiam ueniente, Romani metu perculsi deditionem fecerunt, ac Fridericum cum Paschali receperunt. Alexander è Laterano in ædes Frangipanum refugit. Paschalis Fridericum iterum cum Beatrice coniuge coronauit. Alexander nocte intempesta cum familia sua excessit Vrbe, atque Beneuentum abiit. Paschali mortuo imperiales in eius locum hominem Hungarum Ioannem abbatem Strumiensem, quem Paschalis episcopum Tusculanum effecerat, suffecêre, eique Callisto III. nomen imposuêre. Abbates inde duo, Cisterciensis & Claraualleusis professi sunt, se ad Alexandrum in Italiam profecturos, & res cum eo composituros, si Fridericus Bambergensem episcopum sibi concederet socium, qui unus cum Alexandro ex Germanis episcopis sentiebat. Non respuit conditionem Fridericus, ut qui Lombardos ab Alexandro deserros se faciliùs confideret subacturum: atque ita omnes ire cum liberis de pace mandatis præcepit. Alexander Bambergensem publicè de compositione agentem benignè audiuit: uerùm cùm rationem pactionis haudquaquam è re fœderatorum Italiæ populorum contra Fridericum expedientem uideret, re infecta dimisit. Inde cùm adhuc Tusculi esset, Vrbis, quam tenebat Callistus, repetendæ cupidus, Romanis est pollicitus, se, si in urbem reciperetur, rerum sacrarum procuratione fore contentum: atque ultrò reliqua remissurum. Verùm præualente Callisti, id est, Imperialium factione, ne hoc quidem potuit impetrare. Interea cùm Fridericus quartam expeditionem Italicam moliretur, Bononiensibus præsertim, Mutinensibus & Regiensibus iratus, Alexander confœderatos ad bellum fortiter animauit, pristinæ libertatis recordatione. Alexandria frustra obsessa, Fridericus pactis induciis in Germaniam rediit: Alexander honoris gratia episcopum Alexandrinis concessit: contumeliæ uerò caussa episcopum Papiensem, Friderico fauentem, Crucis & pallij dignitate priuauit. Quintùm inde reuersus Imp. & à Mediolanensibus & cõfœderatis ad Lignanum uictus, pacem accipere coactus est, his conditionibus, ut Alexander Friderico pacem, Fridericus Alexandro pacem in perpetuum, Gulielmo Siciliæ regi ad quindecim annos, Lombardis inducias in sexennium daret. Vtriusque dignitati & securitati magis conuenire est uisum, ut Venetiarum in urbe congrederentur, atque ibi Senatu ipso præstantissimo astante, atque auctoritatem suam interponente, discordiis modus imponeretur. Ergo IX. Kalend. Aug. Fridericus Rauenna digressus, Clodiam atque inde ad monasterium S. Nicolai accessit. Ibi ipse, archiepiscopi, episcopi, & alij principes Germanici regni schismati renunciarunt, ac per episcopos & Cardinales, iussu Alexandri, expiationem ab ecclesia receperunt. Quo facto, benigno Ducis ac totius ciuitatis occursu exceptus, ad Palatium Ducis, ubi hospitaturus erat, accessit, atque ad basilicam sancti Marci Palatio continentem progressus, ubi ex composito Alexander Cardinalibus, episcopisque circumfusus sedebat, solennem, quæ Pontifici ab Imperatore debetur, reuerentiam atque obedientiam ad pium pedum osculum inclinatus exhibuit, atque ab eo pacis osculum retulit. inde dextrum tegens Alexandri latus, ædem iniuit, ac clero Deum solenni Ambrosij cantico collaudante, cum eo ad maximam aram peruenit, ac precationem ritè adhibuit. Inde hospitij caussa in Palatium Ducis diuertit. Postridie eius diei, quo S. Iacobi apostoli natalitia celebrantur, Alexander rogatus à Friderico sacrificium facturus ad basilicam sancti Marci accessit: atque ei aduentanti Fridericus obuiam extra basilicam prodiit, & à dextra receptum in eam introduxit, ac perfectis sacris ad fores prosequutus, palafridum ascendenti strepam tenuit, atque omnem ei honorem ac reuerentiam habuit, quam prædecessores eius prædecessoribus pontificis habere consueuerant. Quinto Kalendas Callistus ad pedes Alexandri uenit, & se honore abdicauit. Kalendis inde Aug. in ædibus patriarchæ, principibus & Cardinalibus plurimis præsentibus, pax & induciæ iurata sunt. recepitque tum Fridericus Alexandrum in catholicum Pontificem, & Alexander Fridericum in catholicum Imperatorem, & uxorem eius in catholicam Imperatricem, & Henricum filium eorum in catholicum regem. Romani turpe rati, se sublato ecclesiæ dissidio Alexandro resistere, cui Fridericus Imperator altissimo animo præditus, se ad pedes prostratus obedientem exhibuisset, septem ad eum legatos de compositione misêrunt, ciuitatis nomine postulãtes, ut sibi legere senatores liceret, ita tamen, ut antequam magistratum inirent, concepto sacramento iurarent, se ecclesiæ Romanæ fidem præstituros, neque aduersus dignitatem eius aliquid molituros. Qua accepta conditione Alexander singulari omnium uoluntate Vrbem ingressus est. Quinquennio pòst cùm Fridericus Henricum F. regni Italici corona exornari cuperet, per legatos Lombardis pacem obtulit: eaque Constantiæ, ubi tum Fridericus agebat, firmata, anno 1183. icirco uulgò Constantiæ pax dicta. Tandem quoque cum Gulielmo Siciliæ rege pax facta, Constantia Rogerij aui eius filia Henrico F. desponsata. Sigonius libro 14. & 15. regni Italici, Vrspergensis, Onufrius, Vincentius, Blondus.

IOANNES XXIV. patria Neapolitanus & nobilis, Balthasar cognomento Cossa antea uocatus, Bononiæ omnium consensu pontifex creatus est. Sunt qui scribant id factum uiolenter esse, quòd & legatus Bononiensis esset, & armatos millites tum in urbe, tum in agris pro statione habuerat, ut si precariò id obtinere non posset, minis & armis tandem consequeretur. Vtcunque est, constat eum pontificem creatum fuisse, ad eamque dignitatem semper aspirasse. Nam cùm adolescens esset, ac Bononiæ aliquot annis iuri ciuili operam dedisset, assumto doctrinæ gradu, Romam iter instituit. Interrogatus autem ab amicis, Quò proficisceretur? Ad pontificatum, respondit. Platina.

ALEXANDER VI. ad Pontificatum ob dissidia, quæ inter Ascanium Sforciam, & Iulianum Rouereum sancti Petri in uincula Cardinales intercesserant, assumtus est: ac multò etiam magis, quòd nouo eius ætatis exemplo partim pecunia, partim officiis ac sacerdotiis, quæ habebat amplissima, repromissis, complurium Cardinalium suffragia palàm coëmit, quos tanquam diuini præcepti contemtores minimè puduit uendere: facultatem sacros thesauros in celsiore templi parte cœlestis auctoritatis nomine nundinandi. Plerosque illorum ad tam nefariam negotiationem induxit Ascanius Cardinalis, sed non iam magis hortationibus & precibus, quàm exemplo: qui infinita opum cupiditate corruptus, sibi tanti sceleris precium pontificij tabularij procurationem, quam Vicecancellariam uocant, munus in Romana curia præcipuum, depactus est: nec eo contentus, sacerdotia, oppida, illiusque quam Romæ habebat magnificentissimam domum, preciosissima supellectile refertam, adiecit Guicciardinus lib. I. De eo similiter Iouius libro I. Hist. Alexander VI. Pp. natione Hispanus, antea Rodericus Borgia nuncupatus, præalto ingenio, eoque semper astutè liberali, quibusdam Senatoribus per comitiales dies non occulta largitione corruptis, quum potiores eius ordinis, solis innixi uirtutibus, repulsam tulissent, pontificatum adeptus est. Is ab immani cupiditate maiores opes affectans, Columnios pariter atq; Vrsinos, Romanas familias inter se factiosas, uariis afflixit cladibus: pontificatúque uaria labe polluto, cuius antea nomen sanctius ac uenerabilius fuerat, Italicarum rerum statum magnoperè conturbauit.

Magna fuit omnium mortalium admiratio, pontificatum tanto consensu, Cardinali Hostiensi Iuliano Rouereo sub IVLII II. nomine, quem difficili admodum natura esse, cunctis formidandum, & omni tẽpore inquietum, notissimum erat, quique ætatem in continuis molestiis consumserat, necessitate coactus multos læserat, odia & simultates cum multis magnis uiris exercuerat, post Pium III. delatum fuisse. Sed promouerunt ipsum amicorum multitudo, auctoritas, libertatis studium, maximè uerò immodica atque infinita promissa Cardinalibus, principibus, nobilium primoribus, & iis qui sibi hac in re adiumento esse possent, in omnibus quæ petere potuerunt, facta. Nec fuit aliquis, qui cogitaret, eius promissa longè maiora esse, quàm ut ea pontifex factus præstare posse aut debere uideretur: diu enim aperti ac ueracis famam obtinuerat, ita ut Alexander VI. Pp. eius tam acerbus inimicus, in reliquis illum carpens, ueridicum hominem esse fateretur. Quam laudem ille (cùm sciret à nullo homines faciliùs decipi, quàm ab eo qui decipere nunquam solitus sit, uel huiusmodi saltem nomen habeat) ut pontificatum adipisceretur, parui fecit. Guicciardinus libro sexto.

Ethnicorum exempla.

C. IVLIVS Cæsar, Romæ maximi pontificis dignitatem ambiuit, competitore Q. Catulo, non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, quum manè ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi pontificem non reuersurum. Atque ita potentissimos duos competitores, multumque ætate ac dignitate antecedentes superauit, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quàm uterque in omnibus tulerit. Suetonius & Plutarchus.

Ἔμβαρός εἰμι, id est, Embarus sum: dictum est olim de insano deliroque. Referunt autem adagionem ad huiusmodi fabulam. Olim Piræus insula fuit (id quod ipsum etiam uocabulum adhuc indicat: περᾶν enim transmittere est) in ea cũ Munychus principatum obtineret, templum instituit Dianæ, cui cognomen additum Munychiæ. Dein cùm ursus Dianæ sacer quidam ibi repertus, & ab Atheniensibus interfectus esset, fames ingruit: itum est ad oraculũ, quæsitumq; malo remedium. Respondit deus, ita demum finem mali futurũ, si quis filiam immolasset numini. Vnus autem repertus est EMBARVS, usqueadeò demẽs, qui polliceretur se filiã immolaturum, ea lege, ut sacerdotium in posteros suos traderetur. Itaque puellam solẽni ritu ornatam sacrificauit. Fit huius mentio in Plutarchi collectaneis. Erasm. in Adag.

Mahumetanorum exempla.

Aegyptius Sultanus HABEIS Nosedorinum filium antistitẽ Aegyptiacæ superstitionis efficere contendens, coniuratione facta Calipham Chairensem interemit, regiaq; occupata gazam inuadit, ratus se rerum diuinarum humanarumq; dominum: cùm qui à nefariis consiliis integri erant, indignitate scelereq; permoti, armis correptis regiam circunsistunt, ac irrumpere conantur: ille numos magniq; precij res in furẽtem turbam spargit. Ad quas rapiendas cùm positis armis undiq; certatimq; ruitur, parricidæ locum tempusq; nacti euasêre. Cùm in tuto sibi esse uiderentur, insidiis Templariorum nunquam conquiescentium excepti: cæteri occisi; Nosedorinus uiuus cum magna gemmarum margaritarumq; ui captus: quem paulo pòst Aegyptij ingenti auri pondere de Templariis redemêre, ac exquisitissima supplicia de eo sumpsere: aduerso Templariorum rumore, quòd is iuuenis se iam catechumenum professus diceretur. Habei Darganus successit, Dargano Sauar. Tũ Syraconus Medus, Saladini, qui postea rerum potitus est, patruus, Calipham Baldacensem adit, adorat, hortatur, ut meminerit se unum iustum legitimumq; Mahumetis successorem esse, quem oporteat iura orbi terrarum dare, Aegyptiorumq; nefariam audaciam in ordinem cogere, qui Calipham antistitemque suum domi habeant. His lætus ille, talemq; uirum sibi diuinitùs datum ratus, militum eum etiam suorum Magistrum creat: ac uelut sacro eius superstitionis edicto iubet, quibus cũ Mahumetis nomẽ cordi uenerationiq; sit, Medo Duce res gerere. Id bellum ingens memorabileq;. Syraconus uelut uindex ab Aegyptiis excipitur, Sauaremq;, ubi primùm opportunum fuit, occidit: à Caliphaq; Sultanus salutatus, ante circumactum annum obiit. Succedens Saladinus, per simulationem adorandi Chairensis antistitis introductus, cum manu sua claua, quam ueste abdiderat, stratum interemit. Id Orientalibus Barbarorũ regionibus, antistitiq; Baldacensi mirè lętum gratumq; accidit: ac uiam Saladino muniuit ad imperium in immensum propagandum. Is die lustrico, cùm infans ex ritu Barbaræ religionis circunciderctur, Iosephus uocitatus fuit, nomine Iudaico etiam à Saracenæ superstitionis hominibus plerunq; usurpato: postea Saladinus dictus, hoc est latina interpretatione Corrector legis. Aemilius lib. 5. sub Ludouico Iuniore.

EPISCOPATVM AMBITIOSE APPETERE, ACQVIRERE.

VALDEMARVS, filius Canuti, Danorum regis, in conuiuio Roschildiæ per Zuenonem cæsi, quum esset episcopus Slesuicensis, per materni generis amicos Noruegios studebat coronam regni iungere mitræ pontificali. Id quum persensisset Canutus rex, Valdemari regis filius, captum diu macerauit in carcere: interuentu tamẽ reginæ post multos annos liberauit, sed ea lege, ut abiuraret ecclesiam Slesuicẽsem, & omnem locũ, in quo suspectus uideri posset regi. Profectus igitur Bononiam, literis uacauit. Mortuo Hartuico Bremensi archiepiscopo, cùm canonici Bremenses sperarent per illum, magni sanguinis uirum, recuperaturos se pro ecclesia sua legationis honorem per regna Aquilonis, eum elegerunt episcopum. Alij econtrà postularunt GERARDVM, Osnaburgensem episcopum. Valdemarus cũ legatis apud summum pontificem de confirmatione instabat. Cancellarius interea regni Daniæ, licèt amissis in itinere literis incursu latronum, Romæ se opposuit Valdemaro: ab illo præstitum iuramentũ obiiciens, quòd in nullo loco, in quo regi suspectus uideretur, consisteret: Bremę autem suspectissimũ fore. Ergo quum cerneret se Valdemarus nihil in urbe profecturum, abiit insalutato pontifice, & se contulit ad regẽ Philippum, quem sciebat Othoni æmulo, & Danorum regi, infestissimum. Cuius ope & literis & nunciis missus est Bremam, & non mediocri susceptus honore. In urbe, quòd illicentiatus abiisset, excommunicationis literæ in eum decernuntur: quæ multo tempore latuerunt. Erat summa Bremæ festiuitas, fortè Dedicationis: & magna multitudine ad altare pro oblatione contendente, immiscuit se turbæ qui literas tenebat, & illas citò aræ imposuit, Valdemarum esse à summo pontifice excommunicatũ, & Gerardum Osnaburgensem confirmatum. Res inde ad arma peruenit. Henricus Leonis filius, dominus Brunsuicensis, Gerardum primò oppugnauit: inde rex Daniæ Valdemarus in gratiam rediens cum Valdemaro, Stadium atque Hamburgum expugnauit. Stedingi quoq; multa aduersus Gerardum fecerunt, durauitq; ea contentio, donec Stedingi in odium Bremensium Valdemarum cum archiepiscopo persequerentur. Sed & Otho Imperator, ducta in uxorem hostis sui Philippi filia, Bremensem prouinciam cepit populari, quòd Stadensem comitatum teneret. Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 31. & 37.

GOTFREDVS, comes de Arnsberg, confirmationẽ Bremensis archiepiscopatus à pontifice cũ pallio est assecutus, frustratis, qui uenerant pro parte Mauritij, comitis de Oldenburg, qui arces ecclesiæ tenebat, iam ab annis patrui Othonis, cuius uicarius fuerat. Grauis s. inde bellum enatum, dum alter papalibus literis innititur, alter possessione terrarum gloriatur. Bremenses neutram partem sequebantur. Gotfredus quum impar uideretur ad resistendum aduersario, qui uirib. utebatur diœcesis, quatuor in plebe uiros primarios, qui auctoritate & linguæ uolubilitate præstarent cæteris, pellexit promissis & pollicitationibus, ad commouendam plebem: ea commota, Senatum ad belli societatem coegit. Collectis utrinque uiribus Bremenses magno prælio uincuntur: nec difficile erat Mauritio urbem graui pestilentia laborantem expugnare, cùm desperata salute, domi se quisque suæ cõtineret. At Mauritius ingemuit, dicens: Quia supernus rex illam oppugnat urbem, nolo ut accedat afflictis à Deo afflictio nostra. Multa mihi iucunda in hac urbe fuerunt: si modò diffidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat seuerus rerum arbiter Deus, ne & in nos serpat cõtagio. Ita reduxit exercitum. Tandem interuentu Senatus Bremensis pax facta, ut Gotfredus archiepiscopatum teneret: Mauritius totius ditionis, quę ad ecclesiam pertineret, pręfectus & administrator esset. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 40.

Canonici Paderburnenses mortuo Ruperto, postularũt ad sedem Paderburnensem Vilhelmum, filium Vilhelmi ducis de Monte, fratrẽ Ruperti episcopi, iuuenem octodecim annis minorem. Interea BERTRANDVS de Aiuassanis, canonicus ecclesiæ Rauennatensis, natione Ferrariensis, doctor Decretorum, auditor Apostolici palatij, episcopatum

Paderburnensem à pōtifice impetrauit:& literis expeditis, Paderburnam ueniens, quorūdam fauore, qui per eum potestatem in temporalibus credebant sibi uendicare, à capitulo est receptus, an.1399. Cæterū ministeriales ecclesiæ Vilhelmum pro domino habuêre, Italum penitùs execrati. Bertrandus posteaquam mensem in urbe sine fructu consumsit, clàm abiit: à quibusdam equitibus in odium Vilhelmi in arcem Dringenberg perductus. Hermannus comes de Euerstein, cùm speraret per illum totius diœcesis gubernacula se accepturum, gratulanter accepit uenientem. Bertrandus contra ciues & capitulum Paderburnense, necnon contra Vilhelmum graues processus in oppido Dringenberg, ad ualuas ecclesiæ, quasi per edictum publicandos emisit: tandem in oppido Dringenberg captus, & nullo oppidanorum defendente, in custodia seruatus est honesta, donec resignaret ecclesiam Paderburnensem, & propriis etiam manibus scriberet summo pontifici, & supplicaret pro Vilhelmo. Itaque Vilhelmus est admissus: & Bertrandus, exceptis duobus equis, & uiginti florenis, per Capitulum illi sponte & gratuitò oblatis, sub certis iuramētis, Rauennam reuersus est. Cranzius lib.11. Metrop. cap.9.

Episcopo Hildesemēsi Ernesto mortuo, maior pars elegit HERMANNVM, Hassiæ comitem prouincialem, archiepiscopū Coloniensem. Minor HENNINGVM decanū, cognomento de Domo. Hermannus quum uideret paratum bellum, noluit implicari tantis malis. Interim Henningus Romam petens, obtinuit confirmationem à sede Apostolica: & armis propinqui sui Bertholdi episcopi Verdensis, introductus est. Arces ecclesiæ seruabat præpositus cum ministerialibus ecclesiæ: qui in locū recusantis Hermanni, BALTHASARVM puerum, qui ecclesiam Suerinensem tenebat in cōmendam, ducem Magnopolensem elegerunt. Is armis fratris introductus, consedit cum præposito in oppido & arce Peyne. Interim durum bellum oritur. Hildesemēses obsidione cinxerunt proximam urbi arcem Stueruuold, & fame compulerunt ad deditionem. Henningus illuc introductus permāsit in ecclesia sua septem annos. Tum quieti suæ consulens, & de alimentis sibi prospiciens, uoluntate Capituli, permisit ecclesiā episcopo Verdensi, qui eam multis annis cum laude rexit. Cranzius lib.12. Metrop. cap.8.

Sub an.sal.1460. quum ecclesia Moguntina duos haberet pontifices electos in discordia: Pius II. papa, qui nosset opes ecclesiæ, dudum in Germania uersatus, annatam extorsit acerbiùs. Sed cùm DIETHERVS de Isenborg, qui potior iure uidebatur, annatam pro arbitrio papæ non solueret, & de non solicitando pro concilio sacramentum præstare recusaret, confirmationem iam datam papa retraxit, & æmulo eius contulit ADOLPHO de Nassau. Nihil actum uidebatur apostolica confirmatione, quā uterq; tenebat, nisi arma uenissent in medium. Dietherus urbē & arces habebat potiores. Concurrerunt aliquando armis in acie, uicta pars Dietheri cessit. Deinde oppugnata ciuitate, captaq; armis auxilio comitis Palatini de Rheno, Dietherus penè in ipso lecto oppressus est. Sæuitū est in maiores urbis, qui partē tutabātur Dietheri: in miserā seruitutē urbs pridē libera redacta. Portarū claues ad unū sub noctē deferuntur urbis præfectū, omnia pro suo arbitrio moderantem. Is uocat in cōcilium quos delegerit: officia omnia in urbe partitur unus, Archiepiscopus cū clero dominatur. Rebus tandē inter æmulos compositis, Dietherus deputatas sibi accepit arces cum prouentibus, si superuiueret Adolpho successurus: id quod post sextū annum euenit. Tum enim Dietherus mortuo Adolpho redditur ecclesiæ: sed in quā seruitutē ciuitas propter eum uenerat, in ea reliquit. Arcē quoq; ad Rheni fluenta iuxta ciuitatem extruxit, quæ pro fræno esset ciuitati, ne quando resurgeret in pristinas uires. Cranz. lib.12. Saxo. c.1.

CONRADVS Lubecēsis episcopus, ecclesia sua deserta post peregrinationem terræ Sanctę, cum Friderico I. Imp. patre, & deinde Friderico eius filio, uacantē Hildesemensem ecclesiā est consecutus: uir summæ auctoritatis apud omnes, & cui nemo facilè refragaretur. Vacabat Vuirtzburgensis, quę titulū habebat ducalem: ea placuit, & eā sine summi auctoritate pontificis apprehendit. Vnde factū est, ut pontifex à diuersa sentientibus monitus, eum priuarit utraque. Cranzius lib.7. Metropol. cap.17.

Mortuo Romano II. Noricorum Gurtzensi episcopo, sacerdotes & populus HERMANNVM Ortenburgensem delegerāt. Sed Salisburgensis Conradus querens sibi ius suum esse præreptum, cōtra Ecclesiæ uoluntatem THEODERICVM Iuuauiensem præpositū denunciauit episcopum, & mox cōtracto exercitu Hermannum obsedit Strasburgi apud Noricos: legato Alexandri papæ frustra ipsum ab armis desistere iubente. Arbitris tandem datis, Hermannus arcē Conrado tradidit, qui eam exussit. Auentinus lib.7. Annalium Boiorum.

Extincto Conrado episcopo Ratisponēsi, ciues & sacerdotes Henricum comitem à Vuolfsratshusen, non expectato consensu Henrici Bauarorum ducis, delegerāt. Henricus ad Cæsarem properat, de tali contemtu sui conquesturus. Verùm nouus episcopus, Cæsaris suffragium anticipauit, & Iuuauiam properans, ibi quoq; à Conrado archiepiscopo inaugurationē consequutus est: sed & pontificis Innocentij II. uotum impetrauit, dum à monachis Heimeraniis, qui sunt Ratisponæ, censum exigeret, à Paschali II. ipsis impositum, quem hactenus detrectauerant soluere. Episcopus igitur abbatem Engelfridum deponit, monachos deuouet, sacris interdicit: mox ui templum occupat, calices aureos comminuit, bullas, diplomata priuilegia comburit, plumbea monumenta reperta in sepulcro Bertholdi præsulis liquefacit, fanum compilat. Dux Bauariæ sacrilegio isto commotus, episcopi prædia ac uicos uastat, arcem Stauf ad Danubium occupat. Episcopus uicissim arcem Stauflonga obsidione premit, cedere coactus, passim in Bauaria euocat proceres, quoscunque poterat, ut Lupoldum Austriacum, & alios plures. Cùm iam acies utrinq; instructæ essent, Otho à Vitelsbach, qui non dederat fidem episcopo, ducis exercitū speculatus, episcopali exercitui narrat, ipsos imparibus uiribus congressuros: metumq; quàm potest maximum iniicit, & optimis persuadet, ut secum in castra ducis transeāt, & supplices ueniam petant. Itaq; Episcopus exutus præsidiis, à duce pacem, tradita Hohenburgensi præfectura, Oeno contermina, redemit. Auentinus lib.6. Annal. Boiorum.

De Magdeburgensi archiepiscopatu duo contendebant. ERICO fratri marchionum Brandenburgensiū opposuere alij BVSSONEM de Queruorde comitem. Quum electi iura sua gladio tuerentur, asperum bellum exarsit: tādem pax facta, ut utriq; electi cederēt, accepta in compensationem damnorum pecunia. Electus denuò GVNTHERVS de Suartzenborg comes. Sed marchiones statim à pactis resilierunt: multi illis principes adhæsere, Albertus dux Brunsuicensis, & Albertus dux Saxoniæ. Quum ciues grauiter à marchionib. lęderentur sequuti ducē Othonē de Anehold comitem, Albertum Saxoniæ ducem ex arce Aquense, quā occuparat, fugauerunt. Marchionem item Othonem acie uictū ceperūt. Is pro redemtione septē millia pactus, cū pecuniā non solueret, renouatur bellum. Ioannes Marchio copias ductans, in Stasford telo per galeā ictus ferrum diu portauit in capite: inde diu marchio Sagittarius dictus. Güntherus archiepiscopus dimissa ecclesia rediit in terras paternæ ditionis, uix explens annū in pontificatu: & successit Bernardus de Vuelpe comes. Nec tum quieuerūt marchiones, ius fratris prosequētes. Magno congressi prælio Magdeburgenses uicti. Induciis factis, moritur Bernardus. Ei à Canonicis ERICVS marchio sufficitur. At ciues tumultuātes, opprimere uoluerunt electum in ciuitate, nisi elapsus per cloacā, naniculæ impositus, Vuolmerstede peruenisset. Postea tamen ciuibus adeò gratus euasit, ut quū prælio quodam captus teneretur, nec fratres eius liberationi multū intenderent, ciues ære uiritim collato, quingentis illum argenti marcis redemerint. Cranzius lib.7. Vandaliæ, cap.38.

STRATIQVATES, Boleslai Boemorū regis filius, cùm ad episcopatū quendam uocaretur, eum locū tanquā suo genere indignū contemsit. At cùm postea aliam quandā sedem splendidiorē ambiret, nec propter familiæ dignitatem repelli posset: dum à Moguntino cōsecratur, à diabolo arreptus, misereq; tortus expirauit. Cranzius in Vandalia, lib.2. c.28.

IAROMIRIVM, filium natu minimum Bretislaus, Boemiæ princeps, sacris initiari curarat. Mortuo inde Spitigneo fratre, qui Bretislao patri successerat: Iaromirius quoque se in principatus partem admitti postulabat. Facta tamen spe pōtificatus Pragensis, se deliniri passus est. Mox ad ingenium reuertens, abiecta ueste talari, derasoq; toto planè capite, sagum induit, tonsusq; se clàm in aulam regis Poloniæ Boleslai Audacis subduxit: impetratoq; à Boleslao tumultuario milite, terrere Vratislaum, Boemiæq; appropinquare ausus est. Sed hanc eius temeritatem Vratislaus paruo negotio repressit, fugientemq; insequutus est usq; in Poloniam. Seuero interim Pragense episcopo mortuo, Conradus & Otho expeditum nuncium in Poloniā mittunt, ad fratrem Iaromirium. Is celerrimè in Morauiam ad fratres suos deuectus: Coràm, quem quæritis, adsum, inquit. At illi sago exutum, induuiis rursus sacerdotum induunt, barbaq; & corona rasa, ad Vratislaum Glacium deducunt, rogantes, ut in demortui Pontificis locum sufficeretur. Nihil minus Vratislao placebat, quàm ut frater suus, tam uita quàm studio à religione auersus, Pontifici Seuero, diuinarum rerum sacręq; disciplinę obseruātissimo, succederet. Prouocatur ergo ad collegium sacerdotum. Vratislaus Lonesium Saxonem promoueri cupiebat, sed peruicit tandē fratrum factio, tum fratris studio, tū Germanici nominis odio, ut Iaromirius homo à religione alienis. Seuero succederet, & ab Hērico III. Imp. confirmaretur. A Moguntino archiepiscopo inauguratus, Gebardi uel Gebrardi nomen accepit. Qui cùm Olomucensem quoq; episcopatum ambiret, & Ioannē episcopum sibi cedere nolentem uerberib. affecisset, regios legatos Romā missos in itinere spoliasset, Rodolfum Cardinalē ad cognoscendā causam Pragā missum, & ob contumaciā à pontificatu suspendentē, floccifecisset, quinetiam sacrorū usum in tota Boemia per asseclas suos sustulisset, quoad censuræ uinculum à legato pontificio laxaretur, anathematis fulmine à Rodolfo percussus, Romā uenit, sed causa cecidit, relegatus in cœnobiū, ut priuatus uiueret. Non multo pòst per Mathildim, quæ gratia & auctoritate apud Romanum pontificem præpollebat (quam quidē Gerardus pro cognata sua agnoscebat, quādo ut ipse, ita illa quoq; generis sui originem ad Cæsares Germanos referret) pristinum fortunæ habitum à Pp. impetrauit. Dubrauius lib.8.

HENRICVS, Remesiensis cœnobij abbas, cùm omnia uenalia cerneret, sub Gulielmo Rufo Anglorum rege emit episcopatum Nordouicensem. Post tamen delictorum eluendorū causa Romam profectus, sponte se dignitate abdicauit, traditis indumentis insignibus in manum Vrbani II. pontificis. A quo mox omnis peccati labe iam deleta, munus spretum recipere iussus est. Polyd. lib.10.

Thurstino Eboracensi mortuo, GVLIELMVS, Stephano regi Anglorum propinquitate iunctus, electus est. Sed HENRICVS Murdacus monachus Cisterciensis, affirmans eam electionem uitiosam esse, ab Eugenio papa sibi impetrauit archiepiscopatum. Quem reuersum in Angliam Stephanus rex recipere noluit, nisi priùs de fide sibi seruanda iuramento præstito. Regis exemplum & ciues imitati, Gulielmi partibus, qui tum Vintoniæ exulabat, magis fauebant. Indignius hæc ferens Henricus, in tota urbe sacros cultus inhibuit. Cæterùm Eustachius regis filius fortè aduenien in urbem, sacra officia omnino celebrari pro auctoritate mandauit, reluctantes uerò quoscunque sacerdotes urbe expulit. Inter hasce turbas seniori cuidam archidiacono, à propinquis Gulielmi capto, uirilia amputata sunt. Tandem Henrico post annos decem (uel, ut Polydorus habet, septem) mortuo, Gulielmo locus honoris est concessus. Gulielmus Neubrig. lib.1. cap.17. & Polydorus lib.12.

IMPERIA, REGNA AMBItiosè appetere, suscipere, inuadere, propagare. REGNANDI libido.

Regnandi libido, siquidē per se spectetur, quatenus regnū, quod non habet, quomodolibet acquirere satagit, huius est loci. Propter iniustitiam uerò, cuius stimulus est ambitio, ad Iniustitiam referenda est. Eapropter eadem exempla diuersis Titulis inseruire possunt, diuerso respectu. Illud autem inprimis notādum, Regna & Imperia partim honoribus, partim diuitiis affluere: & propterea alterutrius respectu nunc ad Ambitionem, nunc ad Auaritiam pertinere. Sed quia honor diuitiis antecellit, ne in diuersum distrahantur exempla, ea sub Ambitionis titulos singillatim distribuemus. Xenophon in Symposio σπουδάρχας appellat eos, qui magistratui supra modum student. Exempla pete ex Titulo, Tyrannidem astu inuadere.

INDORVN EXEMPLA.

Eucratides, Bactrianorum rex potentissimus, cùm FILIVM suum socium regno asciuisset, ab eodem ex insidiis miserè, dum post Demetrium fugatum, Indiamque subactam domum reuerteretur, trucidatus est: nullam aliam ob causam, quàm ut post interfectum patrem solus imperaret. Alex. ab Alexan. lib.2. cap.6.

ASSYRIORVM, MEDORVM, BABYLONIORVM.

NEMROTH, Chusi F. ex stirpe Noë ortus, non multò post diluuium, Babylone tyrannus fuisse perhibetur à Iosepho in primo Antiquitatum. Sacræ literæ Venatorem robustū uocant, non qui feras, sed qui homines consectaretur, suoque imperio subiiceret.

NINVS Assyriorum rex (cùm à principio rerum, gentium nationumq; imperiū penes reges esset, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat) primus omnium ueterem & quasi auitum gentium morem, noua imperij cupiditate mutauit, primus bella finitimis intulit, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad Libyæ terminos usque perdomuit: deinde cùm proxima quæq; uictoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Iustinus lib.1. Diodorus Sic. Sabel. lib.1. Enn.1.

PERSARVM, PARTHORVM.

Darius ex Parysatide duos reliquit filios, Artoxerxem (qui & Arsicas antè dictus est) & CYRVM natu minorem. Mater magis fauebat Cyro. Vnde, ubi patre iam ægro accitus est, profectus ad aulam est à mari maxima spe, effecisse illam,

ut successor regni declararetur. Etenim ratione nitebatur Parysatis speciosa, qua Xerxes fuerat uetus usus, suggerente Demarato, Arsicam se priuato, regnanti Cyrum Dario peperisse. Non adduxit eum tamen in sententiam suam, sed ætate prior est designatus rex & nominatus Artoxerxes: Cyrus uerò Lydiæ satrapa & oræ maritimæ dux. Hic cùm animo feroci & bellorum cupidus esset, fratri insidias primùm struxit: mox iis detectis, clàm ingenti conscripto exercitu, potissimùm uerò XIII M Græcorum, duce Clearcho Spartano, ad Cunaxam, qui locus D. stadiis Babylone distat, cum fratre signis collatis, Græcorum quidem uirtute hostes in fugam uertit: uerùm à Mithridate Persa iaculo secundùm tempora uulneratus, uitam simul cum imperio amisit. Plutarchus in Artoxerxe, & Trogus. Diodorus Sic. libro decimoquarto, eos Eteocli & Polynici comparat, quòd ad singulare certamen usque prouecti sint regnandi libidine.

Grauior iam ætate Artoxerxes Mnemon Persarum rex, aduertit certamen filios de regno apud amicos suos & primores habere. Siquidem æqui qui erant, censebant eum debere, ut ipse ceperat, ita relinquere præcipuum tanquam maximo natu debitum Dario regnum. Minimus natu OCHVS, qui ardenti erat & uiolento ingenio, habebat quidem in regia non paucos suffragatores, sed maximè sperabat interprete Atossa sorore & regis uxore, patris se uoluntatem paraturum. Illam enim nuptiarum spe & obtinendi post parentis fata consortij regni ostensa obseruabat. Fuit autem fama, occultam ei stupri cum illa consuetudinem etiam uiuo intercessisse patre: uerùm id Artoxerxem fefellit. Mox, quò spem præcideret Ocho, ne si eadem atque Cyrus designasset, bella certaminaque ex integro regnum suum premerent, Darium annos natum quinquaginta designauit regem, & cidarim quam uocant gestare directam ei permisit. Cæterùm cùm ex lege Persarum, quæ arbitrium quiduis petendi designato & designanti potestatem concedendi liberam permittit, Aspasiam pellicem patris petiisset: eamque pater dedisset quidem, uerùm paulo pòst eripuisset: seu Aspasiæ amore permotus, seu probro se affici ducens, cum Tiribazo contra patrem conspirauit: detectis pòst insidiis comprehensus, in carcere obtruncatus est. Erat iam Ochus spe celsus, quem erigebat Atossa. Cæterùm metuebat adhuc ex iustis regis filiis reliquum Ariaspem, & ex concubinis natorum Arsamem. Ariaspes, non quia ætatis prærogatiua superabat Ochum, sed ob mansuetudinem & candorem & humanitatem rex à Persis flagitabatur. Arsames uerò habebatur cordatus, eumque patrem habere in oculis non erat clàm Ochum. Itaque utrumque insidiis appetens, qui subdolus iuxtà & sanguinarius esset, ingenij crudelitate in Arsamen, dolo & uersutia usus est in Ariaspem. Submisit ad hunc regis eunuchos & amicos, qui assiduè minas aliquas patris & sæua dicta ei afferrent, ac statutum illi esse crudeliter & contumeliosè ipsum necare. Qui cùm hæc indies indicare ei pro arcanis uiderentur, ac partim deinceps, partim iamiam id exponerent regem patraturum: ita hominem perculére, in tantamque trepidationem, consternationem & desperationem coniecerunt, ut ueneno lethali parato & hausto, uitam deponeret. Intellecta rex mortis eius ratione defleuit illum, & causam suspectauit: sed quia per senectutem excutere eam & quærere nequiuit, magis magisque amplexus est Arsamem, nec obscurè tulit ei inprimis fidere, atque omnia in sinu eius deponere. Vnde Ochus non protraxit rem, sed subornauit filium Tiribazi Harpatem: hoc administro illum interemit. Erat iam tum ob exactam ætatem Artoxerxes in mortem præceps, ut paruo momento esset ad id opus, atq; hac Arsamis clade oppressus, ne paulisper quidem durauit: uerùm illicò luctu & mœrore extinctus est, anno ætatis quarto & nonagesimo, regni sexagesimo secundo. Plutarchus in Artoxerxe.

Herodes, siue Orodes, Parthorum regnum, cæso fratre Mithridate, occupauit. Eius filius Pacorus à Ventidio Romano duce ad internecionem cæsus est. Herodes audita nece filij, diu sine cibo fuit, nec aliud loquebatur, nisi Pacorum: erant enim triginta filij ex diuersis pellicibus, quarum quęlibet suum filium loco Pacori substituendum petebat. Dum Herodes deliberat, PHRAATES filius eum interficit, uniuersos quinetiam fratres suos, nec filio suo parcens, ueritus, ne illum optimates sequerentur, qui sibi erant infesti. Huic M. Antonius intulit bellum, tanta confidentia, ut unum ex filiis suis iam tum regem Parthorum inaugurandum curarit. Verùm amoribus Cleopatræ fascinatus, nihil laude dignum præstitit. Aeneas Syluius capite trigesimo Asiæ ex Dione.

ARMENIORVM.

Claudio imperante Pharasmenes Iberis imperabat: frater eius Mithridates Armeniis. RADAMISTVS Pharasmenis fi-

lius simulata aduersus patrem discordia, tanquam nouercæ odiis impar, ad patruum fugiēs, primores Armeniorum ad res nouas excitat: deinde spe reconciliationis ad patrem reuertitur, paratasque insidias aperit. Pharasmenes bellum Mithridati indicit, causas confingens, quòd sibi aduersus regem Albanorum & Romanos noluerit opem ferre, copiasque filio tradit. Qui subita irruptione Mithridatem campis exutum, in castellum Gorgoneas compellit, militibus & loco tutum. Cælius Pollio militibus præerat, & cum eo centurio Casperius, uiri Romani. Oppugnatur frustrà castellum, sed auaritia præfecti spem hosti facit. Centurio resistit, tempusque paciscitur, ut ad præsidem Syriæ Quadratum res referatur. Pollio impatiens, milites corrumpit, ut pacem flagitent. Compulsus Mithridates diem locumque fœderi accipit. Ibi mox catenæ & compedes ei iniiciuntur. Pharasmenes, multa grauiq; ueste opertos & humi proiectos, Mithridatem ac uxorem eius, filiam suam, necari iussit: filij quoq; trucidati sunt, quià parentum cædibus illacrymauerant. Post cùm Teridates ope Vologesi fratris Parthorum regis Armeniam infestarat: Pharasmenes interfecto filio Radamisco, quasi proditore suo, pulsus est à Teridate, & Teridates Neronis auctoritate in regno confirmatus. Aeneas Syluius cap.39. Asiæ, ex Strabone.

IVDÆORVM.

ABIMELECH, filius Gedeonis ex concubina, interfecit septuaginta fratres super unum lapidem, ut solus posset dominari: uno duntaxat excepto, qui fuga & pedibus salutem sibi reperit. Idem Sichimitas (quòd ab his urbe & tribu eiectus fuisset) noctu adortus, omnes trucidauit, nulla sexus aut ætatis habita ratione: urbem ui captam diruit, & in eius area salem sparsit pro semine. Eos uerò qui spe salutis ad templa se receperant, facta lignorum congerie, ibidem flammis & fumo necauit. Sed postea quædam mulier cerebrum eius fregit, fragmen molæ iaciens super ipsum, dum turrim obsideret. Iudicum 9.

ADONIAS, Dauidis regis ex Hagitha concubina F. Dauide iam sene existente, currus, equites & præcursores 50. sibi cōparauit, & inscio patre, Ioabi polemarchi & Abiatharis pōtificis suasu, sacra fecit apud saxum Zoheleth; & regem se proclamari fecit. At consilio Nathanis prophetæ Dauid Solomonem filium ex Bethsaba sacro unctum oleo, regem fecit. Adonias supplex ad aram confugit, & placato Salomone dimissus est 3. Regum 1.

ABSALON ambiens regnum patris, cœpit populo adulari, & facta patris sui uituperando, se bene regnaturum iactare. 2. Regum 15.

ZAMBRI dux equitum, occidit Hela dominum suum, & regnauit post eum apud Israelitas septē diebus. Ex 3. Reg. 10.

SELLVMVS Iabis F. Zachariam regem Israelitarum interfecit, & regnum occupauit. Verùm cùm mensem regnasset, à MANAHEMO Gadis F. Samaritæ interfectus est. Manahemi F. Phaceam OSEA Elæ F. interfecit, & regnum inuasit. 4. Regum 15.

BAASA, Ahiæ F. Issacharianus, occiso per insidias Nadabo, Israelitarum rege, Ieroboami F. regnum occupauit, & uniuersam Ieroboami stirpem funditùs sustulit. 3. Regum. 15.

ATHALIA, Iorami Iudæorum regis uxor, Ochozia filio suo à Iehu interfecto, ipsa regnandi libidine omnes nepotes suos, Ochoziæ filios, interfecit, ut sola rerum potiretur, & Achabi patris sui nomen (quod Iehus omnino delere conabatur, ex Domini mandato) conseruaret. Solus Ioas à Ioiada pontifice cædi ereptus est. 4. Reg. 11.

IORAMVS, Iudæorum rex à patre Iosaphato constitutus, sex fratribus oppida quędam sortitis, ut solus regnaret, eos omnes interfecit. 4. Reg. 21.

PTOLEMÆVS, Abubi F. imperandi libidine Simonem ducem & pontificem Iudæorum, suum socerum, cum omni familia extinguēdi consiliū cepit. Itaq; cum blādè in castello Doco excipiens, in conuiuio cum duobus filiis natu maioribus Mathathia & Iuda interfecit, uxorem eius miris modis excarnificauit: Hyrcanum etiam natu minimum insidiis circumuenire, sed frustrà, conatus fuit. 1. Machabæorum 16. & Iosephus libro 13. capite 15.

Alexandri Iudæorum regis filij de regno mortua matre certarunt. ARISTOBVLVS natu minor Hircanum, cui ex ætatis prerogatiua regnum debebatur, in templo obsedit. Mox fœdere facto, ipse regnum retinuit, Hircanum priuatum uiuere coëgit. At Hircanus suasu Antipatri amici ad Aretam Arabum regem confugit, eiusque ope Aristobulum in templo obsedit. Verùm legatis ad Cn. Pompeium missis, interuētu Scauri soluta est obsidio, & coram Pompeio de regno disceptauerunt. Aristobulus autem cùm promissis non staret, & ab illius factione Pompeius urbe excluderetur: ipse quidem in uincula coniectus, urbs autem à Pompeio expugnata, libertatem suam amisit, dissidiis & contentione duorum fratrum. Iosephus lib. 14. Antiq.

Herodes Iudæorum rex, duxit plures uxores: licebat enim propagandæ sobolis causa pluribus uacare connubiis. Extulit itaq; non ex una coniuge liberos: quo accidit, ut immoderata regnandi cupiditate, æmulationeq; IVVENES accensi, non modò ipsi non amico inter se animo essent, sed pari quoq; capitales molirentur insidias. Quo senex crimine Alexandrum occidit & Aristobulum. Occidit & Antipatrum, cuius illi indicio perierant. Erat Antipater cum Archelao & Olympiade ex Samarea ortus matre, Philippus & Herodes ex Cleopatra Hierosolymis nata, atque alij plerìq; ex aliis. Venit igitur ANTIPATER apud patrem in suspicionem tanquam illius regno & uitæ insidiaretur, cuius consilij mater & necessariorum plerique haud ignari essent. Occultè agit, ut Romam ab Augusto accerseretur. Quod cùm facile per Pharisæos tenuisset, missus à patre est cum muneribus: quem absentem multis ille apud Augustum est criminibus insectatus. Nec præsenti scelere contentus, aliud multo atrocius adortus, uenenum ad matrem ex urbe misit, quod illa sub misceret patri. Tam dira regnandi cupiditas iuuenis animum incesserat. Id deprehensum Herodes occultum habuit, quoad sit filius ex Roma reuersus. Tum iuuenis coram amicis, in quibus fuit Vatus Syriæ præfectus, iussus cogitati parricidij causam dicere, cùm parum liquidò se purgaret, custodiæ traditus arctissimeque uinctus est. Eo interfecto, regnū per manus Archelao tradidit, nec ita multo pòst fato periit, quum annos septem & triginta regnum tenuisset. Sabellicus lib. 1. Ennead. 7.

HIEROSOLYMITANORVM.

Mortuo Fulcone, regnum Hierosolymorum suscepit BALDVINVS III. F. Barbarorum simul armis & intestino odio exagitatus. Nam cùm is inscia matre, dissuadentibus etiam patriarcha & aliis, se regem coronari fecisset, regni diuisionem ab eadem extorsit. Re deliberata, & optione accepta, rex Tyrum & Acconem urbes maritimas occupauit, Hierosolymam & Neapolin matri gubernandas reliquit. Sed non multo pòst, instigantibus improbis, omni prouincia matrem exturbaturus, Neapolim ui expugnauit, dehinc Hierosolymam contendit. Occurrit Fulcherus pontifex, eiusq; animum lenire studuit: sed frustra. A ciuibus regia indignatione territis intromissus, arcem, quam mater tenebat, summa ui oppugnauit. Itaque Neapolitana urbe contenta mater, Hierosolymam regni caput filio resignare fuit coacta. Tyrius.

Balduinus IV. Hierosolymorum rex, GVIDONEM Lusinianum, comitem Ioppensem & Ascalonitanum, cui Sibyllam sororem uiduam desponsarat, regni procuratorem constituit, dum nepos Balduinus V. adolesceret. Eo autem post septem menses lento ueneno sublato, mater non priùs mortem eius euulgauit, quàm ab Heraclio patriarcha Hierosolymitano Guido in regem consecratus est. Itaque eodem die & Guido rex creatus, & Balduini cadauer terræ mandatum. Gul. Tyrius.

CONRADVS Marchio Ferratensis, libidine regnandi laborans, Isabellam Sibyllæ sororem, quæ regni Hierosolymitani ius ad se spectare prædicabat, Toronio nuptam, ui compulit in suum matrimonium, seq; Hierosolymorum regem uoluit appellari. A duobus sicariis, quos Saraceni uocant Arsacidas, trucidatus est. Ritius Neapolitanus de Regibus Hierosolymorum.

AFRORVM.

IVGVRTHA fratres suos Hiempsalem & Adherbalem morti dedit, ut Numidarum regno solus potiretur. Sallustius.

GILIMER, Genserici quondam regis nepos, cùm regni hæreditatem, Hilderico rege uiuente, immatura ac propè insana cupidine deuorasset, iniquum facinus est aggressus: quod mox ipsi uitam, Vandalis uerò integrum in Africa imperium abstulit. Hildericum nanque accusauit apud Vandalos, quòd rei militaris inscitia superiore bello cladem ab Afris maximam accepisset: & quòd, legatione missa, Vandalos Iustiniano prodere uoluisset: quippe cui etiam, antequam ad Imperium perueniret, amicus, atque iucundus fuisset. Quibus rebus Vandali temerè incitati, ipsum conflata seditione corripuerunt, atque in carcerem coniecto Gilimerem substituerunt. Quod ubi Iustinianus audiuit, hominis misericordia percitus, subitò legatos ad Gilimerem misit: Quoniam stat tibi sententia regnum iniuste tenere, tibi habe Hildericum uerò ad me mitte solatium illud habiturum, quo frui poterit, qui regno suo exciderit. Quod si facere abstiteris, necessitatem nobis impones, ut fœdere præterito, quòd cum Genserico sanctum habuimus, te non solùm infesto bello petamus, sed etiam pœna, qua possimus, afficiamus. Ad quæ Gilimer respondit: Ego regnum Hilderico nequaquam eripui, sed eo propter nouarum rerum studium à Vandalis exturbato, iure ætatis ad me translatum suscepi. Quòd si tu, soluto fœdere, arma mihi inferenda statueris, dabo operam, ut uim propulsem, ac Zenonis, cui tu successisti, fidem implorem. Iustinianus itaque somnio quodam egregiam uictoriam portendente in spem ab episcopo quodam erectus, totius belli summam Belisario tradidit, duci ea tempestate præclaro, nuper post pactas cum Persis inducias ex Oriente reuerso. Is miro fortunæ fauore Gilimerem uictum cepit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

AEGYPTIORVM.

Ex uetustis sacerdotum arcanis, qui Osiridis tempore fuerāt, compertum est, Osiridem Aegypto iustè regnantem, à TYPHONE fratre impio atque nefario interemtum: quem ille in sex ac uiginti partes dissectum (pudendis exceptis, quæ in fluuium proiecit) cuique eorum, qui secum tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, ueluti eius facinoris consciis, & simul ut ipsos defensores custodesque haberet regni fidos. Isis, fratris eiusdemque uiri mortem auxilio filij (Orus ei nomen erat) ulta, Typhone, & qui cædis conscij fuerant, interemtis, Aegypti regnum recepit. Diodorus lib. 1. capite 2.

AEGYPTVS cùm regnandi libidine agitaretur, eiecit fratrē Danaum è regno, imperauitq; post fratrem LXVIII. annis, à quo Aegyptus nomen accepit. Manethon.

VEXORES Aegyptius, & TANAIS Scytharum rex, primi omnium procul domo inter se bellasse dicuntur, conatúque penè pari: hic ex Aegypto in Pontum, ex Scythia ille in Aegyptum processere. Verùm finitimis nulla iniuria lacessitis, non imperium sibi ex ea uictoria, sed uictoriæ laudem quæsiuêre. Amborum gesta in longissimo iacent uetustatis recessu, ac uelut nube quadam obducta. Illud tamen constat, Vexorem in Pontum usque progressum, Scytharum, quibus bellum indixerat, aduentu cognito, turpi fuga sibi consuluisse: Scythas uerò Asiam inuasisse, & uectigalem fecisse, modico tributo contentos. Cuius pendendi finem primus fecit Ninus Assyriorum rex: qui rem non umbram rei secutus, quum omnem belli fructum in eo uerti arbitraretur, si quamplurimis dominari contigisset: primus omnium omneis quas armis domuit gentes, suæ fecit ditionis, uir ferox, militaris gloriæ cupidus, longaque armorum exercitatione inter finitimos potens, instituta iunctaque societate cum Arieo Arabiæ rege, cuius opes longè inter finitimos pollebant. Sabellicus libro primo, Ennead. 1. ex Iustini lib. 1.

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, in Lybiam profectus, maiorem eius partem adhuc adolescens occupauit. Verùm rebus à se gestis elatus, adiecit animum ad imperium orbis: atque ut optata perficerēt, omnium Aegyptiorum beneuolentiam sibi conciliauit. Milites, ut pro ducibus suis ad oppetendam mortem promtiores redderet, omnes beneficiis affecit: hos donauit pecuniis, alios agris, nonnullos remissione pœnæ. Diodorus Siculus.

PTOLEMÆVS Physco, qui priùs Cyrenis regnauerat, fratris Ptolemæi cognomento Philomatoris, qui Syrio bello periit, regnum & uxorem Cleopatram ultrò delatam adeptus, primùm omnium priuigni fautores (erat enim ex Philomatore & Cleopatra filius, qui iam puerascere cœperat) ad unum sustulit. Inde medio nuptiarum apparatu, quo Cleopatram uxorem recipiebat, puerum ipsum in cōplexu matris occidit, atque ita genitalem thorum priuigni sui, ex fratre & sorore geniti, cruore respersum, rex crudelissimus conscendit. Peregrino inde milite usus, per ignobilia Alexandrinorum capita est debacchatus. Ad postremum amicis iuxtà & inimicis atrociter sublatis, Cleopatram repudiauit, eius filiam uirginem, priùs tamen uitiatam, sibi matrimonio iunxit. Fecerat interim regis crudelitas ingentem Alexandriæ uastitatem, Alexandrinis magna ex parte interfectis, aliis, ne interficerentur, in exilium sua sponte dilapsis. Solus igitur in tanta urbe, quum regem se non hominum, sed uacuarum ædium cerneret, peregrinos ad se per edictum inuitare cepit. Sed mox nouo populo odiosior factus, cum filio, quem ex sorore susceperat, & uxore matris pellice occultè in exilium abiit, contractoque mercenario exercitu, bellum unà sorori atque patriæ infert, filiumque maiorem natu ex Cyrenis ad se accersitum interficit. Ob eam rem eius statuæ passim sunt ab Alexandrinis disiectæ. Quod Cleopatræ sororis, quam repudiauerat, consilio accidisse ratus, filium, quem ex ea quoq; sustulerat, sui exilij comitem necauit: eumque in membra diuisum, paruaq; cista inclusum, matri natali eius die inter epulas offerri iussit. Quæ tragici muneris species, non reginæ tātùm, sed uniuersæ etiam ciuitati peracerba & luctuosa uisa est. Finito orbitatis luctu, Cleopatra, quum fraterno bello premeretur, ad Demetrium Nicatorem generum, Syriæ regem sese contulit, auxilium implorans. Demetrio fraude Zebennæ Aegyptij interfecto, Zebēna Physconis auctoritate regnum adeptus, Alexandri nomen assumsit, regnoq; tumens, Physconem, per quem ad regni fastigium fuerat euectus, ludibrio habebat. Qua ille ingratitudine commotus, reconciliata sororis gratia, Antiochum Gryphum Demetrij F. Aegyptiis instructū auxiliis, in Syriam mittit. Ad cuius accessum Alexander subita populorum defectione destitutus, Antiochiam perfugit. Vbi pecuniæ inops, quum non esset unde stipendium solueret, ex templo Iouis auream sustulit Victoriam, cauillatus sibi à Ioue uictoriam cōmodari. Paucis inde interiectis diebus, quum Iouis aureum simulacrum immensi ponderis conuelli iussisset, subito oppidanorum incursu urbe eiicitur. Fœda inde tempestate orta, à comitib. destitutus, in latrones incidit, à quib. captus, & ad Gryphū perductus, eius iussu interficitur, quū iam annos quatuor regno esset in Syria potitus. Physcon uita decedēs, regnum uxori & alteri filiorū, quem ipsa legeret, reliquit. Quæ quū in minorem natu pronior esset, maiorē tamen iussu populi legere coacta est. Erant huic duæ filiæ, maior natu Seleuce, & altera Cleopatra, quam maiori filio iam antè matrimonio locatā, beneq; conuenientē, priusquam illi regnum daret, repudiare coëgit, ac Seleucē ducere. Nec ita multo pòst Cleopatra, quæ matris iniuria passa fuerat repudiū, ambobus infesta, Antiocho Cyricœno fratri Gryphi in Syria nupsit. Iosephus Cyzicenum pro Cyricœno scribit, horumq; dissidiis factum, ut Hircanus III. Iudæorum dux sese recolligendi, & Macedonum iugum excutiendi otium habuerit, lib. 13. cap. 17. Antiq. Et ne Cleopatra nudum nomen coniugis secum afferret, Cyprium exercitum ad res nouas sollicitatum, uelut dotalem ad maritum traxit. Quibus copiis auctus Cyricœnus, cum fratre Antiocho Grypho Syriæ rege acie dimicauit, uictusq; prælio, Antiochiam, ubi uxor erat Cleopatra, aufugit. Nec ita multo pòst Antiochia à Grypho capitur, Gryphina Gryphi uxor, quæ & ipsa ex eodem erat Physcone genita, quo & Cleopatra, sororem ad supplicium requisiuit: quòd & inuita matre ex Aegypto profecta, Cyricœno uelut regni æmula nupsisset, eūq; aduersus se & Gryphum maritum suū hostiliter instruxisset. Illa infestū sororis animū uerita, in templū profugerat, ubi Gryphinæ iussu interfecta est, Grypho frustra reclamante, ne in cognatum sanguinem sæuiret, à quo omnia belli iura abstinerent. Præcisæ sunt Cleopatræ manus à militibus, quæ deæ simulacrū complexum habebant. Ipsa uiolatum numen in tanti sceleris ultionē inuocās cōcidit, breuiq; ultio secuta est. Cyricœnus altero prelij cōgressu, uictor Gryphinę sanguine uxoris manibus parentauit. Erantq; res Syriæ in hoc motu, quum Cleopatra Ptolemæi mater, Alexandrini regni otium turbauit, quippe quæ filiū regni socium dedignata, Seleuce eius matrimonio abducta, quū ex ea iam duos extulisset filios, in exilium egit, minore filio in regnum constituto: nec contenta illius exilio, absentem bello insectatur. Erat tum Ptolemæus in Cypro insula, unde maternis eiectus armis, ad Cyricœnum se contulit. Cleopatra interfecto sui exercitus duce, qui ex Cypro filium incolumē abire passus fuerat, adeò Alexandrum alterum filium, cui diadema imposuerat, terruit, ut & ipse spontè regno cesserit. Illa uerita, ne si Cyricœnus Syria potiretur, in Ptolemęi filij gratiam sibi bellum inferret, Gryphum magnis iuuit auxiliis, transmissa eidē filia Seleuce, quā ille sibi matrimonio iungeret. Ipsa quum Alexādro filio in regnum per legatos restituto, capitales molliretur insidias, ab eo est interfecta, digna mulier tali uitæ exitu, quæ matrem thoro expulit, filias alterno fratrum matrimonio uiduas fecit, natorū alterum extorrē eiecit, eiectum hostiliter fuit persecuta, alteri ademto regno exitiū machinari fuit ausa. Sed nec Alexandro materna cędes inulta fuit. Alexandrini, ubi primū constitit Cleopatrā eius opera interfectā, in exilium egerunt, maiore fratre, qui cum Cyricœno erat, in Aegyptū reuocato, laudata eius pietate, qui nec cū matre bellare uoluisset, nec regnum à fratre repetere. Sabellicus libro 1. Enneadis 6.

Saladinus Aegypti Sultanus, Christianorum terror (in cuius funere, signifer qui in præliis ei esse consueuerat, prætulit lancea sublimem interiorem illius tunicam, clamitās, Illud unum ex domitore Orientis restare) nouem filios reliquit. Eos SAPHADINVS patruus omnes necauit, præter unū & ipsum nomine Saphadinum Halapiæ Sultanum, fide uirtuteq; paternorum amicorum tutum à patrui insidiis. Ex Saphadino patruo nati filij Meledinus Aegyptiorum, ac Coradinus idem Damasci & Hierosolymorum Sultani. Aemilius libro sexto.

GRÆCORVM.

Oedipus, occiso Laio patre, Iocastam matrem uxorem nesciens sumsit, quatuorque ex ea genuit liberos, ETEOCLEM, POLYNICEM, Antigonem, & Ismenem. Hi cùm ad ætatem peruenissent, patris incestu cognito, Oedipum coëgerunt ob dedecus non egredi domū. Ipsi sumto regno fœdere inuicem sanxerunt, ut singuli alternis annis imperarent: primusque imperij annus Eteocli cederet, maiori natu. Is acto anno petenti ex fœdere renuit tradere regnum fratri.

Cùm

Cùm Argos confugiſſet, & iam filiam ei nuptum dediſſet, Adraſtus rex, Etheoclis fratris accerſitu, poſt Oedipi mortem Thebas reuertit. Orto uerò de imperio cum fratre diſſidio, iterum exulauit: fretuſque ſoceri opibus, dum regnum conatur recipere, exercitum quidem perdidit: congreſſi uerò ex prouocatione ſingulari certamine fratres ambo, mutuis confecti uulneribus ceciderunt. Diodorus libro quarto, capite ſexto: & Pauſanias in Bœoticis. Eurip. in Phœniſſis, Eteoclem hæc facit loquentem matri Iocaſtæ:

Ἐγὼ γὰρ οὐδέν, μῆτερ, ἀποκρύψας ἐρῶ,
ἄστρων ἂν ἔλθοιμ' ἡλίου πρὸς ἀντολὰς,
καὶ γῆς ἔνερθεν, δυνατὸς ὢν δρᾶσαι τάδε,
τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχειν τυραννίδα.
τοῦτ' οὖν τὸ χρηστὸν, μῆτερ, οὐχὶ βούλομαι
ἄλλῳ παρεῖναι μᾶλλον, ἢ σώζειν ἐμοί.
ἀνανδρία γὰρ, τὸ πλέον ὅστις ἀπολέσας,
τοὔλασσον ἔλαβε.
πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα,
ζεύγνυσθε δ' ἵππους, πεδία πίμπλαθ' ἁρμάτων,
ὡς οὐ παρήσω τῷδ' ἐμὴν τυραννίδα.
εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Ego nihil, ô mater, celans fateor: per aſtra aſcenderem ad ſolis exortus, & terram infrà, potis exiſtens efficere hæc, deorum maximam ut haberem tyrãnidem. Hoc igitur tam commodum, ô mater, nolo alij concedere potiùs, quàm ſeruare mihi. Timiditas enim eſt, hoc quod maius ſi quis amittit, & quod minus eſt capit. Quare adueniat mihi ignis, adueniant enſes, coniungite equos, campos implete curribus, quoniam non concedam huic meam tyrannidem. Si enim iniuſtè facere oportet, imperium propter potiſſimùm ius uiolandum eſt: aliàs pium eſſe conuenit.

Quà Argis in Epidauriorum agrum iter eſt, ad dexteram ædificium ſurgit pyramidis forma. In eo ſcuta, ea figura, qua ſunt Argolici clypei PROETVS & ACRISIVS fratres, Abantis filij pugnam de regno æquo marte commiſere, qua Argis in Epidamiorum agrum iter eſt. Sed pacem poſtea inter eos conciliatam, memorant, quòd neutrius ſatis firmum ſine alterius opibus eſſe poſſet imperium. Pauſanias in Corinthiacis.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, Pantagnotum & Syloſontem fratres, alterum interfecit, minorem natu regno expulit, ut ſolus rerum potiretur. Hic primus extitit Græcorum, ſecundùm Minoem (& ſi quis Minoe prior maris imperio potitus eſt, uel in animum induxit ut mari potiretur) qui conceperit ſpem Ioniæ atque inſulis dominandi. Verùm inſidiis ab Orœte Sardium præfecto circumuentus, cruci fuit affixus. Herod. lib. 3.

NICOCLES Eunuchus Euagoram regem Cypri dolo malo occidit, & Salaminiorum regnum ſibi ſubegit. Diod. lib. 15.

HERMIAS eunuchus, trapezitæ cuiuſdam famulus, Athenas profectus, Platonem Ariſtotelemque audiuit, & domum reuerſus, cum domino ſuo Atarnẽſes & Aſſenſes ſubegit, & illis ſimul cum domino imperauit. Eo mortuo ſolus imperio potitus, Ariſtotelem & Xenocratem ad ſe accerſiuit: Ariſtoteli etiam fratris filiam uxorem dedit. Memnon Rhodius, ſimulata amicitia, cum ad ſe uocatum comprehendit, & ad regem Perſarum miſit, ubi uitam ſuſpendio finiuit. Aeneas Syluius cap. 72. Aſiæ, ex Strabone.

Archelaum, Macedoniæ tyrannum (ſic enim eum Plato nominat, non regem) amaſius ipſius CRATEVAS, qui non minùs imperium deperibat, quàm tyrannus amaſium, interfecit, ea ſpe, quòd credebat ſe tyrannum beatumque in poſterum fore. Atqui cùm uix tres aut quatuor dies imperium tenuiſſet, ipſe rurſus ab aliis per inſidias circumuentus & occiſus eſt. Archelaum tradunt ei deſpondiſſe unam ex filiabus: quam cùm alij elocaſſet, indignatione commotus Archelaum occiderit. Aelianus de Var. hiſt. lib. 8.

LYSIAS Tarſenſis, Epicureus philoſophus à ciuibus στεφανοφόρος, id eſt, Herculis ſacerdos electus, tyrannidem inuaſit. Athen. lib. 5. cap. 11.

ARISTION itidem Epicureus ab Archelao Mithridatis præfecto miſſus Athenas cum præſidio, tyrannidem occupauit, eamque crudeliſſimè exercuit. Sabell. lib. 3. En. 6.

DIODORVS Adramyttenus, relictis ideis Platonicis, ad ſimulacra conuerſus, non ſummi boni, ſed extremi mali, ad tyrannidem ſcilicet, bello Mithridatico, ut regi gratificaretur, ciuium conſilium deleuit. Mithridate mortuo, turpiter & obſtinatè periit. Strabo lib. 13.

CHÆRON Pelleneus, Platonis & Xenocratis ſchola relicta, tyrannus ſuæ partis factus eſt crudeliſſimus. Athenęus libro 11. capite ultimo.

CLEOMENES Leonidæ F. rex Spartanus, cùm tyrannidem patriæ inuaſiſſet, & remoto Senatu, Patronomos, hoc eſt, patriarum legum auctores, ſubſtituiſſet, iamque totius Græciæ imperium animo concepiſſet: Achæis bellum intulit. Ab Arato autem Sicyonio & Antigono regeuictus, in Aegyptum confugit, ubi ſibi mortem conſciuit. Lacedæmoniis libertas reſtituta fuit ab Antigono. Pauſanias in Corinthiacis.

Communi Græcis pace per Antalcidam conſtituta, ad quam omnes urbes accepta communibus ſuffragiis liberè uiuendi poteſtate, præſidia ſua amouerant: LACEDÆMONII dominandi cupidiores, pacem eam quaſi graue ſibi onus diutiùs non ſuſtinebant, ſed Græciæ principatum denuò affectantes, primùm quidem oppida infirmiora ſibi ſubiecerunt, poſtea celebriores quoque urbes expugnatas ſubegerunt, nondum annis duobus communi ſeruato fœdere. Mantineenſibus ergo uicinis, illorum incrementum ob publicam pacem metuentes, miſſis legatis præceperunt, ut migrarent in antiquos ſuos quinque pagos, ex quibus iamolim Mantineam commigrarant. Nemine uerò obtemperante, urbem obſidione cingunt. Ibi Mantineenſes, miſſa Athenas legatione, opem ſibi ferri petierunt. Athenienſibus autem nolentibus communia fœdera uiolare, ſoli ipſi obſidionem eam ſuſtinentes, magnis uiribus hoſtem propulſabant. Inſtante uerò hyeme, & flumine imbribus aucto, Lacedæmonij intercepto fluminis curſu magno aggere, in urbem fluuium deriuarunt, ita ut omnis propè locus ſtagnaret. Vnde magna Mantineenſes anguſtia preſſi, urbem Lacedæmoniis tradere coacti ſunt. Qui non aliud malum Mantineenſibus intulerunt, niſi quòd in antiquos uicos migrare eis præceperunt. Eodem tempore Lacedæmoniorum reges multùm inuicem moribus & ſtudiis differebant. Ageſipolis etenim pacis ualde ſtudioſus, uir iuſtus & prudens, aiebat iuſiurandum eſſe ſeruandum, nec Græcos contra communia fœdera in ſeruitutem tradendos eſſe: ignominioſum enim Spartæ fore reſpondebat, ſi cùm eos, qui in Aſia eſſent, Græcos liberos à Perſis feciſſent, nunc ipſi met contra Græciæ urbes aliquid molirentur, quarum tamen libertatem aſſerturos ſe in communibus fœderibus iuraſſent. Ageſilaus autem natura inquietior, belli ſtudioſus, Græcorum imperio inhiabat. Cùm animaduertiſſent ergo multas in Bœotia urbes eſſe, nec non uiros eam inhabitantes genere & fortitudine claros: præterea Thebas antiquam ſuam exiſtimationem retinere, quæ in uniuerſum eſſet quaſi totius Bœotiæ propugnaculum & arx munitiſſima: uerebantur, ne quando occaſione ipſis data, imperium affectarent. Vnde præfectis hinc inde ſuis Spartani clandeſtinis literis nunciauerunt, ut ſi quando occaſio ſe eis offerret, Cadmeam inuaderent. Itaque Phœbidas Spartanus exercitum aduerſus Olynthios ducens, Cadmeam occupauit, & Thebanis uictis, clariſſimos quidem in exilium miſit, reliquis præſidium impoſuit. Lacedæmonij ob factum illud malè à Græcis audientes, Phœbidam quidem pecunia multarunt, præſidium uerò Thebis reliquerunt. XLV Pelopidæ ductu exules in urbem rediêre, Lacedæmoniorum partibus fauentes tyrannos trucidauêre, Cadmeam Athenienſium auxilio eiectis Spartanis recepêre. Athenienſes miſſis ad urbes hinc inde à Lacedæmoniis antè oppreſſas, legatis, hortabantur eas, ut magno ſtudio communi libertati uindicandæ incumberent. Defecerunt Chij & Byzantij, Rhodij & Mitylenæi: necnon aliorum inſulanorum quidam. Conuenit inter eos, ut locus is, in quo conſiliarij conuenirent, Athenis eſſet. Ex æquo tamen ciuitati cuilibet, ſiue magnæ ſiue paruæ, ſuffragium ſuum liberum eſſe debere. Præterea omnes ciuitates ſuis quidem propriis legibus uti, ad Athenienſes tamen, tanquam ad caput, referre debere. LXX ciuitates fœdere ſe Athenienſibus coniunxerunt. Quapropter magis ac magis Athenienſium potentia aucta, Lacedæmoniorum contrà diminuta eſt. Interea cùm Sphodriadas Spartanus Piræum occupare noctu tentaſſet, inſidiis detectis, cùm eum Spartani dedere nollent: Athenienſes communibus ſuffragiis decreuêre, pacem ſub Antalcida factam à Spartanis uiolatam eſſe. Volentes inſuper bellum eis inferre, duces ſibi clariſſimos elegerunt tres uiros ciuium omniũ ſpectatiſſimos, Timotheum, Chabriam, & Calliſtratum. Quorum Chabrias Pollim Lacedæmoniorum nauarchum ad Naxum ingenti prælio fudit, uictoria nauali prima, quæ poſt Peloponneſiacum bellum Athenienſibus contigerit. Nam ea quæ ad Cnidum contigit, regia claſſe, duce Conone, parta eſt. Lacedæmonij cum ingenti exercitu aduerſus Thebanos profecti, cùm eos certare pro libertate coëgiſſent, magnam cladem paſſi ſunt. Primùm enim in Leuctris grauiter afflicti, multos ciuium ſuorum amiſerunt, inter quos & ipſe rex Cleombrotus occubuit. Poſtea uerò ad Mantineam nauibus delati, prorſus perierunt, & imperio ſuo, cùm minimè putaſſent, exciderunt, Thebani rerum potiti ſunt. Sic enim ſolet fortuna ſuperbos præter opinionem deiicere, & docere, non nimiùm eſſe mortalibus rebus fidendum. Diodorus libro decimoquinto.

DIONYSIVS ſenior, pulſis Sicilia Carthaginenſibus, occupatoque totius inſulæ imperio, quum graue otium regno ſuo, periculoſamque deſidiam opinaretur tanti exercitus: nè remollirentur animi, ſed laborum aſſiduitate augeſceret mentis uigor, Italiæ principatum affectare cepit: protinuſque traiectis copiis, in Græcos, qui oram incolerent, graſſari adortus eſt: illiſque mira felicitate iugum ſubactis ferre, ulteriora ſemper appetere pergebat. Breuique profeciſſet multùm, ni irruentibus in inſulam Carthaginenſibus reuocatus, inſidiis denique ſuorum impetitus, occubuiſſet. Cælius lib. 22. cap. 17. A. L.

Cùm Babylone Alexander Magnus animam egiſſet, DVCES eius adeò per ſeditionem de regno contenderunt, ut Alexander, qui antea Iouis filium ſe eſſe iactarat, per triginta dies ſepulturæ expers manſerit: cuius tamen uel abiectiſſimi quique (natura mortuis terram concedente) compotes fieri ſolent. Aelianus libro duodecimo de Varia hiſtoria. Requirebant illi animo, Ecquis Macedonum tanti imperij dignus eſſet ſucceſſione? Erant qui regnum Herculi, quem Alexander ex Barſine conceperat, quoad pupillares eſſet annos egreſſus, aſſeruandum cenſerent. Alij Roxanes partum expectandum dicere, quæ prægnans ex eo relicta erat. Nonnulli Perdicæ, qui præfectus erat equitum, regnum decernebant; cui oculis requiſito moriens Alexander anulum, quo res imperij obſignabat, tradidiſſet. Quidam ad ipſos duces regni adminiſtrationem relegabant, qui de ſumma rei circa Alexandri ſellam in medium conſultarent. Sed quum in uariis uoluntatibus plures regem uellẽt, poſt multas altercationes, Arideus Alexandri frater, ex Philippo & Theſſala matre genitus, ut in regia ſtirpe imperij faſtigiũ maneret, Meleagro peditum præfecto ſententiam dicente, rex declaratus eſt. Peditibus inde cum impetu curiam irrumpentibus, equites Perdicæ ductu urbe exceſſerunt, ortaque hinc prima inter Macedones ſeditio. Cæterùm ducibus inter ſe reconciliatis, Arideo regnum ſtabiliri cepit, Philippuſque, ut grauior militibus eſſet, pro Arideo à ſuis eſt appellatus. Imperij adminiſtratio ita inter primores diuiſa, ut alij ducum alias præſidio prouincias obtinerent: Ptolemæus Arabiam, Aegyptum, & Aphricæ gentes tueretur: Philotæ Cilicia data eſt: Syria & Phœnices Laomedonti Mitylenæo. Antigono maior Phrygia ceſſit. Lycia & Pamphylia Learcho, Caſſandro Caria, Lydia Menandro, Helleſpontus cum minori Phrygia Leonato. Eumenes Cappadociam cum Paphlagonia ſortitus. Platon Mediam. Thraces Lyſimachus, & cum his Ponticas gentes Thraciæ finitimas. Parapamenos & fines Caucaſi montis Axiarches tenuit, Dracas Statanor. Amyntas Bactryanos, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Armenios Phartaphates, Neoptolemus Perſas, Peuceſtes Babylonios. Archelaus Meſopotamiam. Græciæ & Macedoniæ regnum Antipater ut antea prouinciam haberet. Quidam alij aliarum ius gentium obtinere ſunt iuſſi, earum præſertim quas ab Alexandro accepiſſent. Decretum ad hęc, ut Perdicas cum rege eſſet, copiiſque præficeretur, quæ cum rege aſſiduè eſſent: Seleucus in caſtris tribunus eſſet: Caſſander Antipatri filius regis ſtipatoribus præſideret. Tunc tandem Alexandri corpus, quod iam ſeptimum diem iacuerat, ſepeliuêre. Sab. lib. 6. En. 4.

CASSANDER Antipatri F. dux Europæ conſtitutus donec Alexander Roxanę ex Alexandro Magno F. adoleuiſſet, audiens in Macedonia rumores à quibuſdam diſſipari, producendum eſſe ex cuſtodia puerum, patriumque regnum ei tradendum: metuens ſibimetipſi, imperauit Glauciæ præfecto pueri cuſtodiæ, ut Roxanam & puerum necaret, & corpora occultaret, factumque alteri nemini enunciaret. Cùm ille imperata feciſſet, Caſſander & Lyſimachus cui Thracia, & Ptolemęus, cui Aegyptus obtigerat, itemque Antigonus cui Aſia, liberati ſunt, imminente eis à rege Alexandro metu. Cùm enim nullus iam eſſet qui imperio ſuccederet, deinceps eorum quiſque qui gentibus aut ciuitatibus imperabant, regias ſpes alebat, & ſubiectam ſibi regionẽ tanquam ferro partum regnum ſic habebat. Ergò uariis poſtea præliis inter ſe contenderunt. Antigonus tamen hoc ipſo ſummè laudandus, quòd Græcos in libertatem per filium Demetrium aſſerere unicè ſtuduerit, idque effectum dediſſet, niſi cæteri reges conſpiratione facta, & Græcis libertatem, & Antigono uitam eripuiſſent. Diod. lib. 18. 19. & 20.

Poſtquã defuncto Caſſandro filius eius ſtirpis maximus, cùm haud diu tenuiſſet regnum Macedonum, deceſſit: reliqui duo ANTIPATER & ALEXANDER inter ſe diſſederũt. Quorum ille matrem trucidauit Theſſalonicam, hic ſocios euocauit, ex Epyro Pyrrhum, ex Peloponneſo Demetrium Poliorcetem. Pyrrhus autem maturauit uenire: qui magna parte ablata Macedoniæ auxilij mercede, formidabilis iam Alexãdro erat uicinus. Vbi uerò Demetrius literis acceptis cum exercitu adfuit: multò hunc magis ex dignitate & auctoritate formidans adoleſcens, proceſſit ei ad Dion obuiam: atq; illum quidem ſalutauit comiterquẽ accepit: ſed res ſuas negauit iam præſentiam eius requirere. Hinc mutuæ inter eos extitére ſuſpiciones, pergentiq; ad cœnam, cùm eſſet ab adoleſcente inuitatus Demetrius, indicat non nemo inſidias, cædem ei inter pocula parari. Ille nihil attonitus, uerùm iter ſuum minùs maturãs, imperauit ducibus ſuis, ut copias in armis tenerent: comitibuſq; ac miniſtris, quotquot eum ſequebantur (erant hi longè quàm Alexandri plures) ut in triclinium comitarentur ſe, ibiq; dum exurgeret, remanerent. Hoc ueriti Alexandri miniſtri, non fuerũt auſi eum aggredi. Demetrius autem corpus ſum ſimulans ad compotationem nõ eſſe comparatum, citò eſt digreſſus. Poſtridie iuſſit uaſa conclamari, noua negotia ſibi ferens oblata: orauitq; Alexandrum, ut de maturiore abitu ignoſceret ſibi: aliàs, ubi uacaret, futurum ſe cum eo diutiùs. Gauiſus eſt Alexander non infenſum, ſed ultrò ex ditione ſua illum digredi, atq; in Theſſaliã uſq; eſt eum proſecutus. Vt uentum eſt Lariſſam, iterum alter alterum molientes inuicẽ inſidias inuitauerũt ad conuiuia, quod Alexandrum maximè fecit Demetrio opportunum. Nam cùm cauere ſibi nollet, ne cauere uiciſſim doceret illum: dum cũctatur efficere, ne ille euadat: inſidiis, quas machinabatur, eſt occupatus. Quippe ad cœnam uocatus, uenit ad Demetriũ. Vt hic media cœna ſurrexit: trepidus Alexander unà ſurrexit, & ueſtigiis eum ad fores ſecutus eſt. Vt ergo peruenit Demetrius ad fores, ubi ſtipatores eius ſtabant, hoc ſolum locutus: Cæde ſequẽtem: egreſſus eſt. Alexander uerò ab iis eſt trucidatus, unaq; qui opem ferebant amici eius: quorum unum, dum obtruncaretur, referunt dixiſſe, uno die Demetrium ipſos anteuertiſſe. Tumultum nox, qualem ueriſimile eſt, habuit. Vbi diluxit, conſternatis Macedonibus & Demetrij formidantibus copias: cùm nullus oblatus eſt terror, & Demetrius miſit ad illos, alloqui eos quærens, & factum purgare: rediit is animus, ſtatueruntq; recipere eum benignè. Vt uenit, non eguit prolixa oratione: ſed quòd Antipatrum odiſſent matris parricidam, neq; haberent præ manibus meliorem, regem illum Macedonũ appellauerunt, receptumq; deduxerunt in Macedoniam. Nec abhorruerunt, qui domi erant, Macedones ab hac mutatione, memores ſemper Caſſandri ſcelerum, quę in Alexandrum admiſerat defunctum, & proinde liberis eius infeſti. Plut. in Demetrio.

PYRRHVS Epirotarum rex cupiditate abſentiũ amittit præſentia. Vide Tit. Duces, Reges, Imperatores fortes.

NEOPTOLEMVS & PYRRHVS, æquato imperio Moloſſis imperabant. Neoptolemus conſortis impatiens, per Gelonem amicum inſidias ſtruxit Pyrrho: eaſq; progreſſum habere ratus, detexit amicis. atq; cùm comeſſaret aliquando apud ſororem Cadmiam, effutiit, quid pararetur, neminem ratus uerba excipere. Nullus enim aderat alius, quàm Samonis, qui gregibus & armentis Neoptolemi præerat, uxor Phænarete. Ea ad parietem auerſa iacebat in lecto, uidebaturque dormire. Quæ cùm omnia clàm excepiſſet, profecta poſtridie ad uxorem Pyrrhi Antigonen, denudauit ei cuncta, quę Neoptolemum audiuiſſet ſorori dicentem. Ea re ad Pyrrhum delata, in ſacrificio inuitatum ad cœnam peremit Neoptolemum, cùm primores Epirotarum ſentiret ſui cupidos: qui adhortabantur eũ, ut explicaret ſe à Neoptolemo, neq; portione regni defungeretur modica: ſed ut ingeniũ ſequeretur ſuũ, & res maiores capeſſeret, atq; oblata ſimul hac ſuſpicione pꝫuerteret opprimere Neoptolemũ. Plut. in Pyrr.

PTOLEMÆVS Ceraunus Macedoniæ rex, Arſinoë ſorori ſuæ inſidiatus, filios, quos illa ex Lyſimacho fuerat enixa, ſuſtulit, ipſamque Caſſandriæ urbis poſſeſſione priuauit. Quod ſcelus ut aliquanto cõmodiùs cõficeret, ſororis nuptias primò ambire cepit. Abnuere Arſinoë id matrimoniũ, ut quæ nullam fratri haberet fidẽ, magis filiis quàm ſibi timens, cum quibus ſe illa in Caſſandria urbe continebat. Demum ultimis execrationibus apud ſimulacra & puluinaria deorum interpoſitis, ſincera fide ipſius nuptias ſibi depoſcere, uelle ſe cum filiis eius regni conſortium iungere, ipſamq; reginam appellare, neq; ſe aliam uxorem, neque alios liberos, quàm ex ea ſublaturum: Arſinoë in ſpem magni connubij futuræq; concordiæ adducta, cum fratre uenit in colloquium. Ibi quum Ptolemæi uultus & blandientes oculi non minorem fidem quàm iuſiurandum pollicerentur, fruſtra filio identidem reclamante, matremq; fraternæ fraudis admonente: nuptiæ regali apparatu multaque lætitia celebrantur. Ptolemæus uocato ad concionem exercitu, ſororis capiti diadema impoſuit, ipſamq; reginam appellabat. Quo nomine in lætitiam effuſa, quia appellationem, quam morte prioris mariti amiſerat, recepiſſet, ultrò uirum in urbem ſuam Caſſandriam inuitat: cuius potiundę cupiditate, omnia dolo malo à rege fiebant. Prægreſſa igitur Arſinoë, diem feſtum urbi in fratris & mariti aduentũ indicit: domos, templa, uias, feſta iuber fronde exornari, aras paſſimq; hoſtias diſponi, filioſque adhęc, Lyſimachum

ſexde-

sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, utrunque forma insignem, coronatos, auunculo eidemq; & uitrico, iubet ire obuiam. Eos Ptolemæus ad cælandam fraudem multa hilaritate complexus, diu osculis fatigat. Mox urbem ingressus, arcem illicò occupari iubet, puerosque unà interfici. Qui cùm ad matrem uisis percussoribus confugissent, in eius gremio & complexu obtruncati sunt: Arsinoë interim proclamante, quòd tantum nefas nubendo, aut post nuptias contraxisset, suumq; corpus percussoribus obiiciente, ut filios protegeret. His crudeliter interfectis, ipsa conscissa ueste duabus duntaxat ancillis comitata, in Samothraciam concessit, eo miserior quòd cum filiis mori non licuisset. Furiæ domesticorũ scelerum ultricibus Gallorum copiis infandum caput obiecêre. Quod ut stultiùs periret, XX Dardanorũ millia per legatos in auxilium missa repudiauit, actum de Macedonia dicens, si quum totum Orientem eius terræ uiri domuissent, Dardanorum barbara ope ad se tuẽdos indigerent. Habere se filios eorum, qui cum Alexandro maiorem terrarum partem armis subegissent. Venerunt interim à Belgio Gallorum duce legati ad Ptolemæum pacem pollicentes, si eam certo auri pondere redimeret. Tum ille, audientibus legatis, testatus est, metu perculsos pacem à se petere: quam se Gallis haud quidem daturum respondit, nisi armis traditis suos sibi regulos obsides dedissent. Riserunt Galli uanam hominis fiduciam, paucisque interiectis diebus commisso prælio, Ptolemæus multis uulneribus confossus uiuus capitur. Ipsius inde caput busto ademtũ atq; hastæ affixum Galli tota acie ad hostium terrorem circumtulerunt. Macedones & ipsi ad unum propemodum cæsi. Sabel. lib. 8. En. 4.

DEMETRIVS Soter, Seleuci F. Roma profugus, ubi obses fuerat, Tripoli occupata, Antiochum Eupatorẽ patruelem suum, Epiphanis F. astu circumuentum, cum Lysia duce clarissimo interfecit, & regnum inuasit. Iosephus lib. 12. cap. 16. ex 1. Machab. 7.

Philippus Demetrij F. Macedonũ rex, duos habuit filios. Demetrius minor natu legitimoque thoro ortus, patrem linia mento oris totum referebat. Contrà PERSEVS ex pellice, & quia uulgato corpore genitus, nullam certi patris notam præ se ferebat. Magno itaque Macedonum consensu Demetrio regni successio debebatur. Accedebat & fauor Ro. Po. cui erat ille quàm charissimus (diu enim Romæ obses fuerat) frequentiorque cum legatis erat quàm cum patre, ut appareret uix integrum illi futurum, utrum duorum post se regnare uellet. Ea res quantum sollicitudinis Perseo iniecit, tantum illi apud patrem peperit odij. Ergo falsis criminibus apud patrem circumuenit Demetrium Perseus, sic ut ille metu insidiarum ad Rom. fugam moliens, & è fuga retractus, patris nefarij iussu ex Astreo Heracleã ad solenne conuiuium à Dida uocatus, cui id negotium datũ erat à rege, in cœna imprudens uenenum hauserit. Poculo epoto sensit extemplò uim ueneni, obortisque mox paulò doloribus, quũ in cubiculum se recepisset, patris crudelitatem, fratris parricidium, & Didæ scelus incusans, à Tyrsi Stubareo & Betreo Alexandro ad eum ingressis, tapetibus in faciem iniectis, occluso spiritu necatus est, quum annum uitæ ageret quintum & uigesimũ, quinq; annis minor Perseo. Nec multum inde temporis intercessit, quum Philippus rex animi ægritudine confectus, quòd Demetrium filium falsis criminibus oppressum temerè necasset, cerneretque Perseum sublato æmulo contumaciorem in se factum, quippe qui non solùm hæredem, sed regem iam apertè ageret, capitalesque patri moliretur insidias; iam superstitis quoq; filij necem aliquanto iustiùs animo meditabatur, quum fatali est morte præuentus. Satis constat sub id tempus quo uita decessit, in animo habuisse, Perseo sublato, Antigonum successorem regni sibi substituere. Perseus, qui bellum à Philippo patre magna ex parte comparatum acceperat, ut infesto erat animo in Romanos, iam inde ex quo regnare cepit, ad id exequendum totam mentem & animum adiecit. Nec priùs destitit, quàm à L. Paulo Aemilio captus, regnũ, & in carcere uitam amisit, dignas parricidio pœnas luens. Sabellicus lib. 8. Enneadis 5. ex Plut. Aemilio.

Ioannes, Cypri rex, Iacobum nothum imperandi cupidissimũ uxoris Helenæ suasu sacris initiauit: ne Carlotę unicæ F. cui post mortem regnũm legarat, & Lodouico Sabaudiæ ducis filio coniugarat, obesse posset. Post excessum parentum Lodouicus in regnum excipitur. IACOBVS cum delecta nobilium manu ad Soldanum Alexandriam confugit. Acceptis Alexandriæ regis insignibus, cum instructa classe in Cyprum rediit: exactaque Carlota Lodouicoque, & recepta à Genuensibus Famagusta, pacato regnó potitus est. Marci Cornarij filiam, multo pòst temqore, à Veneto Senatu adoptatam, uxorem duxit. Eam cum posthumo hæredem esse iussit, cùm uentris profluuio diem obiret. Ex testamento utrunque Senatui commendauit. Posthumo paruulo sublato, regnum hæreditario iure in Venetorum potestatem recidit. Bonfinius lib. 8. Decad. 3.

ROMANORVM REGVM.

Inter ROMVLVM & REMVM parum ab initio cõuenit, quo potissimùm loco noua statuerentur mœnia. Præfecebat Romulus Palatij sedem, ut amborum altricem: Remus triginta procul inde stadia tumulum ceperat, Tyberi propinquum, mansitque ipsi loco ab re nomen, Remoriaque est dicta. Demum eò est decursum, ut rem omnem materno auo Numitori permitterent. Is ut deos consulerent, auctor ambobus fuit: irent, & uterq; suo templo sedens, eodem tempore captarent auguria, atq; utri meliores aues apparuissent, is caperet locum, nomenq; urbi daret. Sacris igitur, ut ritè omnia fierent, perpetratis, Romulus palatium, Auentinum Remus occupant. Sex continuò uultures præpeti uolatu se Remo offerunt, quibus lętus ille confestim Romulo iubet augurium nunciari, eumque ad se uenire. Sed dum fortè res ad Romulum perfertur, ecce duodecim illi uultures occurrunt. Tum orta inter duces contentione, quum hic auium numero, ille tempore regnum ad se traheret, nec ætas ullum faceret inter eos discrimen, ut hic pudore aut ille alteri cederet, utraque multitudo regem suum salutat ducem. Oritur ex altercatione iurgium, ex iurgio certamen, animisque ira accensis, uelut diuersæ inter se acies hostiliter confligunt. Ibi Remus media turba temerè ictus concidit. Dionysius parum integra fide Romulum à principio egisse existimat, qui nullo adhuc captato augurio, regni cupidus miserit, qui fratrem ad se accerserent, uelut continuò sibi aues augurium fecissent: quum interim Remus quas ipse obseruasset, iis qui ad se missi fuerant, ostendisset aues. Sed quum in Palatium uenisset, rogatus ab eo Romulus, Ecquod tam citò augurium obseruasset? aliquandiu incertus ille, quid ad ea responderet, hæsitauerit, ac uix demum duodecim ostendisse uultures, qui post Remi accessum templum fuerat ingressi, atque ex ea fraude ait contentionem primò, inde prelium inter duces ortum, quo saucius Remus occubuerit. Sabell. lib. 2. En. 2. Aliter Plutarchus. Detecta, inquit, fraude, Remus dolore motus, Romuli, cũ fossam duceret, qua muro amplecti urbem statuerat, designationem partim ludibrio habuit, partim interpellauit. Postremò cùm eam transiliret, cæsum eo loco esse, auctores sunt quidam Romuli manu, alij Celeris, qui sodalis erat Romuli. Eo in certamine Faustulus quoq; & Plistinus Faustuli frater, quem socium in educendo Romulo Faustulum habuisse scribũt, cecidêre. Celer in Hetruriam exulatum iuit. Ab eo ueloces, uocant Romani Celeres. Plutarchus in Romulo.

ROMVLVS T. Tatium, quem ex Sabinis recõciliatum, regni consortem acceperat, ut quidam uolunt, interimi permisit. Eius enim mortem posteaquam resciuerat, dixisse ferunt, Cædem cæde pensatam esse. Quæ res suspicionem plerisq; attulit, non inuito Romulo patratum facinus esse: ut sublato regni socio ac participe, rerum summam ipse solus obtineret. Plutarchus in Romulo.

Locauerat L. & Arunti Tarquiniis ab auo relictis duas Seruius Tullus Rom. rex filias, ut iuuenes duplici affinitate deuinctos, minùs in Repub. administranda haberet infestos. Connubia utriusq; ætatis gradu comparata, ut maior Tullia L. TARQVINIO, qui maior natu erat, nupserit, altera minor Arunti: forsq; ita tulerat, ut in his, quos ætas consociasset, parũ ingenia cõuenirent. Ferox maior Tarquinius, miti ingenio coniugem fuerat sortitus. Contrà Aruns probus ipse, improbam feminam & ad omne scelus præferocem. Huius naturam uiolentam, otioque inimicam, mãsuetudo uiri & obsequium in regem frangere: Lucius ne quid in senem moliretur, pietate coniugis teneri. Angi ob eam rem ferox Tullia, & quia in Arunte sollicitando nullum uidebat sibi locum relictum, tota in Tarquinium uersa, eum uerè dignum prædicare, qui regia stirpe ortus crederetur, inuehi nec secius in maiorem Tulliam, quòd talem uirum nacta, in tanta occupandi regni occasione cessaret. At siue tragicum scelus fortuna Romanæ regiæ per hæc instruere uoluerit, siue, quòd magis creditur, humana id fraude accidit, paucis diebus maior Tullia & Aruns contiguis penè funeribus sublati, sceleratis nuptiis domum uacuam fecêre. Tum uerò duo praua ingenia, magis non prohibẽte id connubium rege, quàm probante, malis initiis, peiore euentu, matrimonio coiuẽre. Nec mora deinceps longa fuit, Tullia uirum stimulante, atque identidem querente, non defuisse sibi, cui nupta diceretur, neq; cum quo tacita seruiret: illud se ab initio suspirasse, non desiisse, ut eum quandoque uirum sortita esset, qui regno se dignum arbitraretur. Nactus deinceps Tarquinius occasionem, posteaquam exhaustam populo ciuitatem uidit (passim enim in agris tum fructus colligebãtur) cum lictoribus regalique habitu repẽtè in forum processit: inde curiam ingressus, per præconem iubet patres ad se uocari. Inuidiosæ orationi superuenit Tullus, trepidè domo excitus, Tarquiniumque regia sella sedentem intuitus, impetu in eum fertur. Quem Tarquinius intrepidè exceptum, non solùm repulit, sed medium etiam complexum sublatumq; in curia, in inferiores partes per gradus deiecit. Dionysius per crepidines, quæ in concionarium ferebant, præcipitatum prodidit. Aegrè rex ac propè exanguis sublatus inde, quum à regio comitatu domum reduceretur, ab iis qui à Tarquinio post illum immissi sunt, in summa Cyprij uici parte est occisus. Liuius & alij, Tulliæ admonitu id factum arbitrantur. Carpento in forum delata, prima uirũ è curia accersitum regem salutauit, iussaq; è publico ob tumultum, qui ortus erat, facessere, cùm in Exquilias abiret, ibi enim erat regia, in summo Cyprio uico, ubi Dianium postea fuit, dextera currum flectere uolenti pauidus auriga inhibuit habenas, erat nanq; arctior uicus, ut nisi per stratum Seruij corpus euadere non posset. Quærenti Tulliæ quid in mora esset, cæsum patris cadauer ostendit. Tum illa arreptum, quod ad pedes habuit, scabellum, in aurigam uiolenter intorsit, alta uoce increpans, Quid non ultra tenderet? Ad quam uocem non minùs ille, quàm ad plagam conterritus, per iacentis stragem mulas & carpentum egit. Mansit inde tanti sceleris monumentum, ut uicus, unde illa paternæ cædis uestigia domum retulit, Scelerus, siue Impius sit dictus. Sab. lib. 5. En. 2.

IMPERATORVM ROMANORVM.

C. IVL. Cæsar Dictator, post bella ciuilia secum ipse certans, parabat & instituebat Parthos bello petere. His subiugatis per Hyrcaniam secundum mare Caspium & Caucasum ambire Pontum, atque ita Scythiam inuadere: incursatisque quæ Germaniæ circumiecta sunt, ac Germania ipsa, per Galliam regredi in Italiam, atque hunc committere imperij Romani Oceano undique circumscripti orbem. Interea dum expeditio ea paratur, Isthmum Corinthium perfodere molitus est. Hinc Anienem in animo habebat Tiberimque statim ab urbe alta exceptos fossa atque ad Circeium deflexos in mare ad Tarracinam deducere: quò securum & pronum mercatoribus cursum pararet ad urbem. Adhæc paludes in Nomentanis & Setinis deriuare atque efficere campum, qui multa millia posset capere agricolarum. Proximo urbi mari claustra aggeribus imponere, cæcumque & importuosum Ostiæ litus repurgare, ac portus ibi moliri stationesque tantæ sufficientes nauigationi. Plut. in Cæsare.

Romam ingressus Galba, classiarios milites Neronis tumultuãtes occidit, & donatiuo milites frustratus, legiones Germanicas primùm à se alienauit. Metuens ergo ne non sessæ ætatis suæ tantùm gratia, uerùm etiam propter orbitatem despiceretur, deliberauit aliquem ex iuuentute clarum adoptare & imperij declarare successorem. Erat M. OTHO natalibus non obscuris, sed luxu & deliciis mox à prima ætate inter paucos Romanorum profligatus, & deficienti à Nerone Galbæ primus sese coniunxerat, & affabilitate simul & benignitate animos militum sibi conciliare studebat, multosque prouexit ad præfecturas, hinc petens ab Imperatore, hinc T. Iunium & libertos principis Siculum & Asiaticum rogans. Nam auctoritas horum erat in aula summa. Quoties Galbam inuitaret, semper cohortem excubantem nundinabatur largitionibus, aureos in singulos diuidens: ac qua re honorare illum uidebatur, ea euertebat eũ & alliciebat milites. Igitur consulente de successore Galba, Othonem nominauit Iunius, neque id gratis, sed filiæ suæ nuptias pactus: ut adoptatus à Galba Otho, & successor designatus imperij, eam matrimonio sibi adiungeret. Cæterùm Galba silentio & leniter audito Iunio iudicium suum suspendit. Cùm autem seipsum consulem allecto collega T. Iunio declarasset, habebatur principio anni successorem nominaturus: miles uerò Othonem optabat prę cæteris omnibus renunciari. Cunctantem adhuc & consultantem seditio Germanica occupat. Milites Galbam oderant, quòd non repræsentasset ipsis donatiuũ. Ergo milites Germanici Vitellium imperatorem salutarunt. Hac perlata defectione, non ultrà produxit Galba adoptionem: sed quòd amicos sciret partim Dolabellæ, plerosque uerò Othoni pronos, quorum ipse neutrum probaret: repentè nemine conscio Pisonem accersit, ex Crasso & Pisone, quos interfecerat Nero, ortum iuuenem, in cuius ad omnem uirtutẽ indole modestia & seueritas clarissimè elucebant. Hunc cũ in castra produxisset, & adoptasset, Otho conspiratione facta prætorianorum Imperator salutatus est. Galbæ ad tumultum sedandum in lectica delato, infensi occurrêre milites. Nemo se iis obiecit extra unum uirum, quem sol in tot millibus aspexit unum Romano imperio dignum, Sempronium Densum centurionem, qui nullo ille quidem priuatim beneficio Galbæ obstrictus, sed sacramento & fide impulsus, institit protegere lecticam, uitemque primò, qua in sontes animaduertunt centuriones, sustollens, inuehentibus minitabundus inclamauit, parcerent Imperatori. Inde cùm inuaderent ipsum, educto gladio diu pugnauit: quoad in poplitibus ictus occubuit. Galbæ euersa lectica ad lacum Curtium prouoluto, & in lorica iacenti, accurrentes ingesserunt uulnera. Ille iugulum offerens: Agite dum, inquit, si hoc ex Republ. est. Crura & brachia eius fœdè laniauère. Iugulum hausit, ut crebrior fama est, Camurius XV legionis miles. Nonnulli Terentium, Arcadium alij produnt, sunt qui Fabium Fabulum: quem aiunt caput Galbæ occultasse & portasse in sinu tunicæ suæ, quòd præ caluitie apprehendere id non posset: mox sociis eius tegere non permittentibus, sed urgentibus, ut omnibus ostenderet strenuitatem suam, in lanceam sublato & suffixo senis capite, Imperatorisque moderati, & pontificis maximi & consulis, cucurrisse Baccharum more sæpe conuertentem se, & uibrantem cruore stillantem hastam. Capite allato uociferasse ferunt Othonem: Hoc nihil est, commilitones, Pisonis mihi caput ostendite. Breui id allatum est. Saucius enim fugam ceperat iuuenis, quem consecutus Murcus quidam, pro æde Vestæ trucidauit. Necatus est & Titus Iunius, conscium se coniurationis in Galbam fassus. Clamauit enim præter Othonis sententiam interfici se. Sed enim huius quoque præcisum caput, Laconisque, Othoni obtulerunt, ac præmia postulauère. Mox senatus coactus est: & quasi alij forent, aut alios haberent deos, ubi conuenêre, sacramentum Othoni, quo astrictus Galbæ ipse non seruauerat, dixêre, Cæsaremque & Augustum appellauêre, cùm trunca cadauera adhuc in consularibus uestibus essent in foro abiecta. Capita, cùm nullus iam eorum foret usus, Iunij filiæ eius decem millibus numũm uendiderunt: Pisonis accepit uxor precibus à Veranio: Galbæ, Patrobij & Vitellij seruis donauêre. Id illi ubi acceperunt, omni contumeliarum & ludibriorum genere affectum proiecerunt: quo loco trucidantur, in quos Cæsares animaduertunt. Locus Sestertium dicitur. Corpus Galbæ Priscus Heluidius Othonis permissu sustulit. Humauit id nocte Argius libertus illius. Plut. in Galba.

Otho in imperio confirmatus, prætorianis uiritim quina millia numũm largitus est. Interea VITELLIVS cum suis legionibus in Italiam uenit. Ad Bebriacum oppidum Cremonæ uicinum castra castris opposuère. Pugna commissa, uicti sunt Othoniani. Quorum duces ad Vitellium transiere. Milites uerò summa fide erga Othonem perstitère, ita ut ne mortui quidem eos desiderium reliquerit, quando Brixilli (quod oppidum est ad Padum) seipsum pugione interemit, XXXVII ætatis anno, cum menses tres imperasset. Plutarchus in Othone.

Pertinax Romanorum Imperator, cùm iam à seditiosis militibus esset interfectus, & de alio Imperatore eligendo fieret disceptatio: res urbi turpissima atque indignissima populo Romano accidit. Roma enim unà cum imperio, quasi in foro & mercatu uenalis proposita erat, eamque uendebãt ij qui Imperatorem suum occiderant. Emebat autem SVLPITIANVS & IVLIANVS, factis contra se mutuis licitationibus. Atque auctione palàm ab iis facta, eò uentum est, ut singulis militibus ducentos aureos daturos se promitterent. Nam milites utrinque separatim renunciabant, quantum alter eorum daret, dicebantque Iuliano, Sulpitianus nobis hanc summam dat, quid tu adiicis? Itemque Sulpitiano, Iulianus nobis tantundem promittit, quid tu præterea polliceris? In qua emtione potior fuisset Sulpitianus (qui intra castra, & præfectus urbis erat, priorque ducẽtos aureos promiserat) nisi Iulianus non sẽnsim ampliùs, sed simul ad superiores ducentos aureos, alteros quinquaginta adiecisset, eamq; summam magno edito clamore in manibus ostendisset. Qua accessione permoti milites, Iuliano imperium uendiderunt. Dion, Xiphilinus, & Herod.

Didius IVLIANVS, interfecto Pertinace à Prætorianis, primus fuit qui Rom. imperium ausus est licitari, ac tum demũm disciplina militaris per luxum & licentiam penitùs soluta est. Sab. lib. 5. Enn. 7.

Tacito Imperatore tumultu militari sexto mense imperij oppresso, Marcus Annius FLORIANVS, Taciti frater germanus, sine Senatus auctoritate quasi hæreditarium arripuit imperium: licèt fratrem in Senatu adiuratum sciret, optimum aliquem sibi principem, nullum hæredem succedere debere. Cùm itaque suo iudicio imperium inuasisset, duobus uix mensibus in eo lætatus, Tharsi à militibus est occisus: qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat, uirum rei militaris peritissimum. Licèt Sextus Aurelius tradat, ipsum sibi uenas secuisse. Cusp.

Probi anno quarto, SATVRNINVS magister exercitus, nouam Antiochiæ ciuitatem condere orsus, & imperium in Oriente inuadere molitus, Apameæ à Probo superatus, occisus est. Post quem sublatum, cùm PROCVLVS & BO-

NOSVS apud Agrippinam in Gallia imperiũ arripuissent, omnesq; sibi Britannias, Hispanias, & Bracatæ Galliæ prouincias uindicarent, eos Barbaris se iuuantibus uicit.

TRIGINTA tyrannos, qui tempore Galieni Imperatoris surrexerunt, Pollio persequitur: diuina factum prouidentia, ut sub ignauo principe Romano non defuerint, qui Romanũ tuerentur imperium. Sunt autem ij, Cyriades, Posthumius, Posthumius iunior, Lollianus, Victorinus, Victorinus iunior, Marius, Ingenuus, Regillianus, Aurelius, Macrianus, Macrianus iunior, Quietus, Odenatus, Herodes, Mæonius, Ballista, Valens, Piso Frugi, Aemylianus, Saturninus, Tetricus, Tetricus iunior, Trebellianus, Herennianus, Timolaus, Celsus, Zenobia, Victoria, Titus Censorinus. Pollio apud Volaterr. lib. 17. Vrb. com.

CARINVS Cæsar, quem Carus Augustus pater in Persas proficiscens Illyrico, Italiæ, Galliæq; præfecerat, ubi patrem fratremq; Numerianũ extinctos, DIOCLETIANVM uerò Augustum appellatum, in Dalmatia comperit, in ipsis Panoniæ & Mœsiæ finibus ei occurrit. Ibi Diocletianus primùm uario euentu præliis cum aliquot fatigauit, ad extremum collatis ad Murgum signis inter Viminaciũ & Aureum montem in Mœsia superauit, ipso non solùm ab exercitu suo deserto, sed etiam à tribuno, cuius uxori stuprum intulerat, interemto. Sigonius lib. j. Occid. Imperij.

Numerianus Cæsar, Caro Augusto patre in Perside prope Tigrim amisso, Persico omisso in præsens bello, Antiochiam sese ad consilia capienda recipiebat. Cùm autem ex nimio fletu grauem oculorum ægritudinem contraxisset, ac propterea lectica inclusus incederet: occasionem APRO socero suo nefarij sceleris perpetrandi aperuit. Nam ille præfectura Prætorij non contentus, cùm ad Imperij fastigium aspiraret, postquam peruenit in Syriam, ipsum occultè in itinere interemit, militibusque Imperatorem uidere poscentibus respondere pro concione non dubitauit, Non esse, cur de aspiciendo principe laborarent: nam se illorum præsentiæ committere propter inualitudinem oculorum non posse. Neque enim mortem Imperatoris enunciari uolebat, antequam parata omnia ad Imperium inuadendum haberet. Post aliquot inde dies, milites, qui Numerianum proximè sequebantur, suborti odoris fœditate perculsi, ad lecticam accesserunt, eaque aperta, & cadauere Imperatoris inuento, rem uniuerso exercitui prodiderunt, atque indignitate rei commoti, statim Aprum, tanquam eius necis auctorem, ante signa & principia protraxerut. Tum uerò XI. Calend. Maij, qui dies erat Romæ natalis, concione exercitus aduocata, ac tribunali repentè constructo, de Imperatore in locum Numeriani sublegendo, ac nece illius uindicanda relatum est. Qua re audita continuò omnes Dioclem, qui erat domesticorum Comes, illo honore dignissimum acclamarunt, eumq; tribunal ascendere iussum, magna animorum consensione Augustum appellauerunt. Ille uerò, ubi solennia in tanto honore accipiendo peregit, Quoniam iubetis, inquit, ut de Numeriani interfectore quæratur, obsequar uoluntati uestræ, & parebo conscientiæ meæ. atque educto gladio Aprum ipsum præsentem confodit, inquiẽs: Hic est auctor necis Numeriani. gloriare Aper, magni Aeneæ dextera cadis. Inde conuersus ad milites subiecit: Tandem aprum fatalem occidi. Cuius uocis hæc ratio fuit: acceperat adolescens à Druyde in Gallia, se tum demum Imperio potiturum, cùm aprum occidisset. Itaque fide uaticinio habita in uenationibus semper, ubi data facultas fuerat, apros inuadebat. Sigonius libro primo Imperij occidentalis, ex Vopisco.

Cùm in Africa Gordianus senior ac iunior insidiis Capelliani mortem obiissent, trepidus Senatus ob Maximini crudelitatem, uiginti uiros ad Rempubl. tutandam delegit. E' quibus, ex consulibus duos, MAXIMVM Pupienum & Deciũ BALBINVM Augustos appellauit. Quorum ille obscurus natalibus, sed grauitate & uirtute maximus: hic nobilissimus & humanissimus fuit. Hi Cæsaris & Catonis moribus comparati, receptis imperatoriis honoribus, tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, & Patris patriæ nomine: exhibitis quoq; populo ludis scenicis ac Circensibus, gladiatorio etiam munere: Maximus contra Maximinum cum exercitu profectus est, prætorianis Romæ cum Balbino ad urbis custodiam relictis. Cæso interim à militibus Maximino ad Aquileiam, hecatomben Balbinus Romæ fecit. Dehinc Maximus cum omni exercitu ad urbẽ approperat, cui plurimi sunt honores decreti. Quod sanè Balbinus ægrè tulit, paulatimque discordiæ inter eos natæ sunt tacitè, quæ uix intelligebantur. Nam Balbinus Maximum quasi ignobilem, is illum rursus quasi debilem contemsit. Sed Maximini exercitus utrunque odio habuerat, quòd quem ipsi Imperatorem fecerant, occisus esset: illi autem eis à Senatu dati essent, qui urbem & populum regerent, leges optimas conderent, res bellicas pulcerrimè disponerent. Quocirca dolebant milites, tantam esse auctoritatem apud Senatum. Quærebant igitur occasionem, ut ambos occiderent: quæ tum demum inuenta est, cùm ipsorum intelligerent inter se discordiam. Cùm itaque contra Parthos Maximus, contra Germanos Balbinus essent profecturi, ludis quibusdam scenicis milites tumultum excitarunt in Palatio contra Maximum. Qui cùm à Balbino præsidium Germanorum peteret, suspicatus illum monarchiam affectare, primùm frustratus est. Sed cùm gliscerct seditio militum, ambo sunt nudati uestitu regali, & de palatio deturbati, ac per mediam ciuitatem ad castra rapti: Germanis autem occurrentibus in itinere, Impp. suos defensuris, à prætorianis discerpti sunt, cùm annum unum imperassent. Itaque nec illi seueritas, neque huic clementia profuerunt, cùm ambo occiderentur. Gordianus iterum à militibus sublatus, Imperator & Augustus est dictus. Cuspinianus.

Diocletianus Maximianum imperij socium sibi allegerat. Deposito uterque imperio, ille quidem Galerium Maximini, hic Maxentio F. ob ætatem & mores præterito, Constantiũ Chlorum successorem constituerat. Constantius moriens Constantinum F. imperij hæredem reliquit. Galerius Seuerum filium socium imperij fecit. MAXENTIVS Maximiani filius, in Cæsare cooptando à patre præteritus, in uilla publica sexto ab Vrbe lapide priuatus itinere Lauicano degebat. Hic ira incensus, quòd Constantinus aut iniusto, aut certè humili matrimonio natus, ad Imperium euasisset, ipse uerò summi Imperatoris filius unà cum illo priuatus in otio consenesceret: militũ prætorianorũ, in quorum potestate iam inde ab Augusto imperãte urbs fuerat, auxilio urbem ingressus, Augustus appellatus, anno Salutis humanæ CCCVI. Imperium arripuit: Seuerum cum exercitu aduentantem prælio uictum Rauennam compulit. Interim MAXIMIANVS Maxentij pater his auditis, ex Lucania priuatus accurrit, ut hos tumultus componeret. Quem ubi Romani uiderunt, Augustam quondam in eo maiestatem uenerati, summis precibus, ut Imperium resumeret, ac publica auctoritate laborantibus Romæ Italiæq; rebus consuleret, obsecrarunt, eique, quos conscriptos habebant, milites tribuerunt. Quorum ille uoluntati libens paruit, atq; Augustalia ornamenta, ut inuitus dimiserat, sic studiose recepit: Rauennam obsedit, Seuero, ut Romam sacramento incolumitatis accepto repeterer, persuasit. At Maximianus non solùm promissa non præstitit, sed etiam exercitum eius solicitatum ad se conuertit, ipsumque insidiis circumuentum mediis in castris extinxit. Inde ad Maxentium filiũ euertendum se conuertit: ac consilio cum familiarib. suis composito, exercitu aduocato in tribunal ascendit, atque Maxentium tantis gerendis rebus imparem, & parum idoneum esse, docere cœpit. Quam uocem cùm milites iniquis auribus excepissent, longiùs progredi oratione conantem inhibuerunt, ac probra in eum tanquam Imperium sibi improbè uindicantem ingesserunt: ac duriùs etiam consulturos, si pergeret, ostenderunt. Quo ille periculo exanimatus, confestim ex humeris purpuram detraxit, negans se id, quod ipsi suspicabantur, in animo habuisse, sed militum animos, quemadmodum affecti erga Maxentium essent, periclitari uoluisse. Priuatus inde ad Diocletianum se contulit, qui fortè, ut inquit Zosimus, erat Carnunti Pannoniæ, atque ei, ut secum Imperium resumeret, pro re magna suadere instituit. Quod Diocletianus se facturum cum magna moderati animi laude abnuit, atque ita adiecit: Si tibi uidere liceret olera mea manu Salonæ instituta, nunquam ut hoc à me postulares, in animum induxisses. Hac spe depulsus, inde ex Illyrico perrexit in Galliam. Eum Constantinus ad se uenientem tanto honore, atque adeò magnifico prouincialium omnium occursu excepit, ut, si Imperator fuisset, maiore excolere non potuerit. mox tam liberaliter in suo Palatio Treuiris habuit, ut penes se habitum, penes illum ius Imperij residere uoluerit. Maximianus Faustam filiam in matrimonio Constantino nuptiis copulauit, & Cõstantino ipsi nomen Imperatoris ab eo usque ad eam diem repudiatum impertiit. Interea dum Germaniæ edomandæ Constantinus incumbit, Maximianus eadem, qua antè, dominandi libidine stimulatus, Treuiris consilia clandestina de Imperio ipsi pariter adimendo iniuit, ac milites eius aliquot præmiis ad se perducere occultè contendit. Quam rem cum fortè Fausta filia comperisset, ad uirum Constantinum continuò detulit, eumque ad uindicandam iniuriã & dignitatẽ suam tuendã incitare non dubitauit. Maximianus aũt profectus in Narbonẽsem prouinciã, specie ut Massiliæ in Italiam nauigaturus cõscenderet, cùm in itinere omnes mansionum copias absumsisset, ne quis se consequi exercitus posset, repentè Arelate intra parietes iam tertium purpuratus emersit, ac literis ad solicitandos exercitus missis, fidem militum ingentium præmiorum ostentatione tentauit. Constantinus ducto properè exercitu Massiliæ obsessum cepit, captum strangulauit. Cadauer eius Mediolani sepultum. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

MAGNENTIVS tyrannus, cæso Constante Imp. antequam eius mors enunciaretur, nomine Constantis eorũ, qui magistratum gerebant, præstantissimum quenque acciuit, cósque in itinere per dispositos sicarios interfici iussit. in quo ne coniuratis quidem suis pepercit. ac mox Decentium, ac Desiderium fratres suos Cæsares declarauit, eosque ad Galliam & Hispaniam, aliosque ad Italiam occupandam dimisit. Interim Nepotianus, qui erat Eutropia sorore Constantini Maximi natus, subitò purpuram induit, atque Augustus à gladiatoribus aliisque perditis hominibus appellatus, eorum auxilio Romam accessit: &, cùm urbem à ducibus, quos Magnentius ad Italiam occupandam præmiserat, populo ab senatore Heraclida prodito, iam teneri inuenisset, exercitum eò admouit. Cæterùm à Marcellino magistro officiorum uictus & securi percussus est. Interim Vetrannio magister militum in Pannonia, homo iam ætate maturus, ueritus, ne Magnentius, occupata Italia, irruptionem in Pannoniam faceret: Sirmij insignia Augustalia sumsit, Imperator à suis legionibus salutatus, ac prouincia ad ius suum adducta, totam rem ad Constantium detulit, eiq; ad Magnentium tollendum auxilio se futurum spopondit, atq; ad Mursam oppidum substitit. Constantius inde Constantinopoli cum exercitu egressus, Heracleæ legatos Magnentij habuit obuios, per quos petebat, ut sibi Imperio, positis armis, uti liceret, ita ut ille principem locum teneret. proxima uerò nocte patrem sibi in somnis uidere uisus est, Constantem filium manu tenentem, atque ita dicentẽ: En fratrem tuum Constantem multis regibus oriundum, qui à tyranno peremtus est. eius necem te ulcisci oportet, neq; pati, ut Imperium laceretur, nec respub. deleatur. quare ad euertendam tyrannidem propera, neque inultum fratrem permitte. Itaque somno excitus, statim legatos in custodiam dedit: ac repentè, castris motis, Sardicam in Daciã improuisus accessit. Qua re Vetrannio exanimatus inducias ab illo petiuit: atque aduentanti obuiam honoris causa processit. Quem ut Constantius uidit, hominem complexus, patrem appellauit: & Sirmium progressus, mensæ adhibuit, & consilia cum illo de bello Magnentio faciendo communicauit. Inde, cùm res conuenisset, uterque in tribunal, ut milites alloquerentur, ascendit. Constantius uerò ob generis dignitatem priorem dicendi locum adeptus, milites ad paternæ spem liberalitatis accendit: eosque, ne paterentur Magnentium impunè euadere, qui Constantini filium occidisset, orauit. Hæc ubi dixit, milites, quorum plerique corrupti muneribus de industria fuerant, adulterinos Imperatores exigendos esse clamarunt, ac simul detractum tribunali Vetrannionem purpura exuerunt. Qua re ille perculsus, continuò supplex se ad Constantij pedes abiecit. Constantius autem hominis iam ætate prouecti misericordia tactus, haud ægrè ueniam dedit: atque, ut reliquum uitæ priuato in otio degere uellet, admonuit, Prusiademque Bithyniæ missum, sumtu ad uictum necessario pro dignitate instruxit. Athanasius Constantium interemisse Britannionem scribit, Meritoque, dixisse: cui enim à morte fratrum paterna obuenire bona oportet? Constantius, contractis demum suis & Vetrannionis in unum copiis, Sirmio Mursam processit, atque ibi aduentu Magnentij in se audito, consedit. Ille uerò ex Italia Pannoniã uersus egressus, nuncios ad Constantium misit, se in campis, qui ad oppidum Sciscíam sunt, sui copiam esse facturum. Quo nuncio erectus Constantius, exercitum eò ducere instituit, ut in patente planitie atque equitatui maximè apta hostem offenderet. Magno prælio uictor, uictum in Galliam usque persecutus, Lugduni tandem manus sibiipsi inferre coegit. Sigonius lib 5. Imp. occid.

CONSTANTINVS II. Magni F. qui facta cum fratribus diuisione Gallias adeptus erat, hac orbis diuisione non contentus, ob Italiæ Africæque ius dissentire cum Constante cepit: legatosque ad fratres misit, ut noua fieret diuisio. Cùm autem minimè proficeret longis querimoniis, tandẽ rem armis exequi statuit, fisus opibus Gallicanis, & equitibus Hispanis, Albinoque peditatu. Aberat tunc Constans in Dacia, gerens bellum contra Getas & Sarmatas. Constãtinus iam ad Aquileiam peruenerat, ubi missos à fratre milites obuios habuit: paucitatemque aspernatus, temulẽtus in insidias præcipitatus, à militibus circumuentus, in medio cæditur: equus principis ictus uulnere, sessorem Constantinum deiicit. Cùm iaceret humi sine purpura incognitus, multis ictibus confossus est, obtruncatusque: ac proiectus in fluuium, cui nomen Alsa est, haud longè ab Aquileia. Sic Constantinus periit, cùm in Gallia & toto Occidente, nondum triennio finito, imperasset: anno ætatis XXV, Domini CCCXLIII. Hieronymus in Chronico: Socrates libro 2. capite 5. Paulus Diaconus libro undecimo. Idem Ablabium Aegyptium, quem parens illi imperij rectorem adiunxerat, ut solus imperaret, interfecit. Eunapius in uita Aedesij.

Clemens MAXIMVS, domo Hispanus, Theodosij Magni cõmilito olim in Britannia, exercitui in eadem prouincia præerat. Cùm autem milites in Britannia tumultum conciuissent, metu Gratiani, Maximum, quem fortissimum esse sciebant, Imperatorem acclamauêre. Ille primò Imperium renuit, facti iniquitatem auersatus: deinde, ubi periculum sibi à militibus imminere, si eorum uoluntati restitisset, animaduertit, in illorum potestate se futurum ostendit, atque insignia, quæ offerebantur, accepit. ac mox cum exercitu nauibus ad ostia Rheni accessit, ubi ab iis, qui in eis stationibus uersabantur, militibus est acceptus. Qua re audita, Gratianus, homine, ut modicarum uirium ad lædendum, neglecto, milites ei tantùm Alanos, quos mercede conductos habebat, opposuit. Hoc uerò Romani ueterani animo iniquo tulerunt, insignem sibi iniuriam factam interpretantes, quòd barbaros, aut uirtute, aut fide potiores existimasset, atque iracundia incensi, ad Maximum, summa omnia pollicentẽm, plerique se contulerunt. Quo facto Gratianus exterritus, Treuiros reliquit, & sese Parisios retulit. Quod ubi Maximus comperit, repulsis Alanis, & ipse eodem citatò agmine maturauit. Ibi per quinque dies collatis castris, leuibus aliquot præliis uariè est certatum. Quibus transactis, Gratianum Mauri primùm, deinde reliqui sensim deseruerunt. Quod ut ille uidit, trepidus, trecentis equitibus sumtis, fugam capessit: atque ab obuiis ciuitatibus omnib. exclusus, Lugdunum peruenit. Castris ad urbem positis, nõ ita multò post Maximus cum omnibus copiis insequutus accurrit. Cæterùm primùm aperta ui hominem delere conatus fuit: ubi non successit conatus, ad dolum se contulit, quo se facilè credulum adolescentem irretiturum putauit. Quippe Gratiani sponsam aduentare, ut ipsi flumen traiicienti occurreret, sermone distulit. Quod Gratianus, amore percitus, facilè adductus est ad credendum. Vehebatur autem occultè in rheda, in qua sponsa esse simulabatur, Andragathius quidam, homo magni roboris, atque audaciæ singularis. Ille uerò, ut in propinquo esse cum paucis Gratianum alacrem uidit, confestim cum suis è rheda prosiluit, atque incautum iuuenem comprehendit, & gladio traiectũ uita exuit, annos XXIIII natum, uirtute ac pietate, si diu uita suppeditasset, optimum quenque Imperatorem adæquaturum. Maximus Victorem filium puerum sibi Cæsarẽ cooptauit, ac Galliam ditioni suæ adiunxit, Ballione & Merobaudo, qui duces Gratiani fuerant, necatis. Valentinianus ab eo pacem per Ambrosium Mediolanensem episcopum impetrauit. A' Theodosio Imp. orientis Augustus & collega dictus est: quinetiam Cynegio prætorij præfecto in Aegyptum eunti mandatum, ut Alexandriæ imaginem Maximi, tanquam consortis Imperij, poneret. Ipse sedem Imperij Treuiris posuit, atque exercitu ad occupandam Hispaniam misso, leui eam negotio imperio suo adiecit. Animum demum ad Italiam inuadendam appulit: atque ut causam belli speciosam haberet, literas ad Valentinianum II. misit, præcipiens, ut Catholicorum uexatione desisteret, quos pater eius eximio studio coluisset: sin minus, bello se eum persequuturũ, sciret: iam cùm Aquileia esset, nullo negotio potitus confestim tota Italia, ac subinde Africa in fidem eius potestatemque se tradidit. Valentinianus Aquileia Thessalonicã confugit, & Theodosij Magni auxiliũ implorauit. Maximus à Theodosio ad Sisciam & Petouionem uictus, tandem Aquileiæ obsessus, & à militibus deditus, capite multatus est. Sigonius libro nono Imp. occid.

ATTALVS à Romanis, ab Alarico Gotho coactis, ex præfecto urbis Augustus creatus, & senatum ingressus, orationẽ habuit inprimis arrogantiæ plenam, qua se Romanis uniuersum terrarum orbem acquisiturum, atque alia specie magnificentiora iactauit. Quibus de rebus Romani inani gaudio exultare cœperunt, quòd bello grauissimo liberati, & magistratus rei gerendæ gnaros, nacti essent. Vrbe egressus una cum Alarico Rauennam ad expugnandum Honorium prodiit. Honorius legatos ei misit obuiam, per quos, si insanire desineret, promisit, se illum in societatem Imperij accepturum. Quibus respondit Attalus, socium se Imperij neminem uelle: ipsi ut in insulam, aut aliò quò uelit, priuatus secedat, permittere. Cæterùm cùm stoliditatem eius Alaricus cognouisset, in Honorij gratiam Attalum augustalibus insignibus spoliauit, eaque ad Honorium misit. Roma inde capta, Attalum primo die tãquam Imperatorẽ augustalibus decoratum incedere iussit: altero uerò priuatũ populo contumeliæ causa ostendit. Eum Ataulfus, qui Alarico successerat, secum in Galliam Narbonensem perductum, dum noua discordiæ semina cum Honorio Imperatore quærit, ad resumenda augustalia insignia incitauit.

Qua re ille pro insita ingenij leuitate perfecta, haud contemnendam hominum manum rebus nouis studentiũ comparauit, atque aduersus Honorium se deintegro Imperatorem inferre non dubitauit. Honorius Ataulfum ictum fœdus uiolasse interpretatus, bello persequendum, ut hostiũ suorum fautorem, decreuit. Ataulfus à Constantio Honorij duce pressus, in citeriorem Hispaniam, quæ ab Honorio tenebatur, inuasit, atque Attalo secum incolumitatis causa deducto, in Tarraconensi Barcinonis oppidum occupauit. Ibi Attalus neglectus à Gothis, demum per dolum captus est à quibusdam, & ad Constantium ductus. Quem ille ad Honorium destinauit. à quo deinde in uincula traditus, ad triumphum post confectum bellum Gothicum reseruatus est. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Rex Aethiopum Christianorum, quem Presbyterum IOANNEM uulgò dicunt, olim se tanquam numen cœleste coli faciebat: uultum ne principibus quidẽ apertũ nisi statis diebus ostendebat. Illis, qui eum conuenire uellent, aliquando pedem tantùm, aliquando uerò manũ demonstrabat: reliquam speciem regis intueri, nefas existimabatur. Cùm uerò respõdere uellet, internunciis utebatur, & è cortinnis, quasi ex auditu oraculum ederet, respõsa per interpretes edebat. Sed hæc ineptissimæ diuinitatis ementitæ fabula, posteaquam Lusitani gentibus illis in ultimum discrimen adductis opem attulere, & morem Christianorum regũm exposuère, derisa fuit. Ita ut nũc reges intueri, iam illos alloqui, iam audire liceat Osorius lib. 9. rerum Emm.

Rauennam postquam Honorium uita excessisse perlatum est, IOANNES quidam, qui commentarios Honorij scripserat, consilium inuadendi per occasionem Imperij cepit: réque cũ Castino & Aetio duobus summæ solertiæ magnęq; uirtutis uiris communicata, illis adiuuantibus augustalia insignia sumsit: ac statim siue ad referendam, siue ad promérendam gratiam alteri magisterium militum, alteri curam Palatij tribuit. Cæterùm Rauennæ à suis proditus, ac comprehensus ab Aspare Theodosij Imp. duce, ad Placidiam & Valentinianum Aquileiam missus, manu dextera multatus, atque in circum deuectus, ibi asino insidens cum omni contumelia circumductus, ac denique obtruncatus est, postquam per menses octodecim Imperium obtinuerat. Fuit autem uir hoc exitu indignissimus; siquidem, Procopio teste, ingenio miti, ac uirtute singulari fuit: neque enim aut delatoribus aures adhibuit, aut cædem ullam iniustam fecit, aut denique pecuniæ causa quidquam patrauit. Sigonius lib. 11. Imp. occid.

Arcadius Imp. moriens, Theodosio filio propè infanti relicto Isdigerdem Persarum regem, olim hostem, testamento tutorem dederat, hostium fide potiùs, quàm suorum aut uoluntate aut opibus fretus. Hoc nuncio accepto, Honorius Imp. eius frater STILICHONEM socerum ad se uocauit, ac de rebus Orientis agitare ingressus, se cupere Constantinopolim ire dixit, ad res eius Imperij & Theodosij pupilli perspiciendas, atque ad rempublicam, si opus esset, constituendam. Quod consilium Stilicho etiam reprehendit, dicens, interesse reipubl. ipsum in Italia manere, ne Constantinus tyrannus, qui iam totam Galliam percurrisset, atque Arelate regnaret, aut Alaricus Gothus, qui in Norico infirma pace, ac lubrica fide sederet, ubi Italiam armis destitutam, & Imperatore uacuam reperissent, impetu repentino inuaderent. præstare autem, ut Alaricus in Constantinum cum barbarorum parte contenderet, ipse uerò cum Romanis legionibus, ac literis principis Constantinopolim pergeret, ibique quæ egere correctione uiderentur, emendaret: uero consilio occultato, quo se, peremto Theodosio, Orientale Imperium Eucherio filio conciliaturum putabat. Quæ cùm Honorius ut prudenter & cum fide dicta probasset, datis ad Theodosium & Alaricum literis, Ticinũ discessit. In itinere autem Olympius, uir splendida in prætorio militia præditus, cùm uacuas principis aures esset adeptus, Honorio persuasit, Stilichonem nulla alia de causa iter in Orientem optare, quàm ut, Theodosio sublato, Imperium Eucherio filio suo tribueret: ac Ticinum progressus, ad seditionem milites incitauit. Itaque cùm Honorius post diem quartum, quàm Ticinum inierat, in conspectum exercitus se dedisset, cumque hortari ad bellum aduersus tyrannum Constantinum instituisset, milites, signo ab Olympio accepto, tumultuari cœperunt, ac magistratus omnes aggressi, cædem ingentem fecerunt: atque Honorio sese metu in prætorium referente, urbs ipsa fœdè direpta est. neq; is tumultus antè comprimi potuit, quàm Honorius in publicum sese sine diademate reddidit. Cùm hoc Stilicho Bononiæ cognouisset, Ticinum adire ad puniendos pro auctoritate milites, quod à multis suadebatur, abnuit, quòd & eos timeret, neq; constantem Honorij erga se animum cerneret, sed Rauennam sibi redeundum putauit. Eò ubi adiit, literæ subitò Honorij ab Olympio ad Rauennatem exercitum missæ uenerunt, ut Stilichonem comprehenderent, atq; in custodiam darent. Stilicho per noctem in templũ salutis causa confugit. ubi uerò illuxit, milites ædem ingressi, cùm iureiurando præsente episcopo affirmarent, sibi nõ esse à principe imperatum, ut eum perimerent, sed tantùm, ut custodirent, ipsum hac fide egressum sub custodia habuerũt. Tum uerò alteræ literæ ab eo, qui priores attulerat, redditæ, quibus præcipiebatur, ut Stilichoni propter delicta aduersus remp. uita eriperetur. Ita Eucherio filio fugam arripiẽte Stilicho ad capitale supplicium est abstractus. Qui, cùm seruis & familiaribus eum eximere cupientibus tegeretur, eos ab eiusmodi proposito auocauit, & semet ultrò occidendum exhibuit, Cal. Septemb. anno CCCCIIX. Inde quæstiones de familiaribus Stilichonis seuerissimas habuit, ut de se ac de Stilichone aliquid proderent. Qui cùm nihil enunciassent, tamdiu fustibus cęsi sunt, quousq; spiritum ediderunt. ac reliquum anni in proscribendis & persequendis iis, qui Stilichoni Eucherioq; adhæserant, posuit. Milites, qui per oppida distributi erant, Stilichonis morte comperta, barbarorum uxores ac liberos in singulis ciuitatibus inuaserunt, & bona eorum diripuerunt. Quam rem occisorum propinqui iniquo adeo tulere animo, ut Romanis relictis ad Alaricum Gothum se receperint, eumq; ad bellum Romanis faciendum hortati sint. fueruntq; ea ad hominum XXX amplius millia. Eucherius cùm Romæ ad templum confugisset, in Picenum relegatus: at postquam Alaricus Gothus in Italiam uenit, Romam abductus, ac iussu Honorij iugulatus est. Senatus unà cum Placidia Honorij sorore, cùm Serenam suspectam haberet, ut quæ Gothos ad urbem acciuisset, eam necare cõstituit: haud dubia spe ductus, fore, ut Alaricus ab urbe, illius morte comperta, recederet, ut qui ab illa urbem sibi proditum iri, speraret. Itaq; Serenæ correptæ laqueo fauces elisæ. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Arbogastus post occisum Valentinianum Imp. occultata iuuenis morte, EVGENIVM Imp. cum exercitu fecit: qui olim grammaticus & literarum Latinarum præceptor, relictis scholis in palatio Imperatoris militabat autographus, ob eloquentiam honoratus. Erat autem Arbogastus genere Gothus, Gallici exercitus præfectus, consilio manuque promtus, qui titulo Eugenij, quem Imperatorem ipse nominauerat, Occidentis regnum inuadere studebat. Hic multis millibus ex Romanorum præsidiis & Barbarorum auxiliis contra Theodosium de summa rerum dimicauit in mediis Alpibus. Ceterùm uictus à Theodosio Eugenius & captus, dum ante pedes Imperatoris prostratus ueniam petit, à militibus astantibus capite truncatur. Alij tradunt sese præ timore, cùm illi iniectus esset terror, strãgulasse. Arbogastus ut cruciatibus se eximeret, sua manu seipsum iugulauit ense, quo paulo antè decem millia Gothorum à Theodosio missorum prostrauerat. Omnia eleganter Claudianus prosequitur, in quarto Honorij consulatu. Cuspin.

Valentiniano III. Imp. peremto, MAXIMVS senator, cuius uxorem attentauerat, non solùm dolori suo se iniuria ulciscenda satisfecisse, sed etiam occasionem ad Imperium occupandum sibi aperuisse putauit. neq; enim Valentiniani proles uirilis ulla extabat, cui iure hęreditario id fastigium deberetur, & ipse satis se paratum non solùm ad inuadendum, sed etiam ad tuendum tantum dominatum arbitrabatur. Itaq; eademmet hora, qua Valentinianus occisus est, ex campo digressus, furore ac scelere ardẽs, cum magna armatorum satellitum manu in Palatium inijit, atq; Eudoxia Augustam adeptus per uim, uxore paulò antè amissa, sibi matrimonio sociauit. Quo facto, parati ad id, promissis muneribus, milites ipsum Imperatorem acclamantes leuarũt. Tertio tyrannidis mense à militibus Genserici Vandalorũ regis, quem Eudoxia, in ultionem mariti Valentiniani III. Imp. ab Maximo occisi, accersiuerat, interemtus, & à populo membratim discerptus, in Tiberim abiectus est. Auentinus lib. 2. Annal. Boiorum, & Sigon. lib. 14. Imp. occid.

CONSTANTINOPOLITANORVM IMPP.

Post mortem Constantini Magni, Anniballiani fratris Constantini F. Dalmatius in Oriente imperauit, in omni actione patruo quàm patri similior, unde & uirtus illi obfuit. Nã ut tertium imperij adimpleuit annum, cùm factione CONSTANTII patruelis est interfectus seditione militari, Constantio dissimulante: & ita ad tres fratres, Constantinum, Constantium & Constantẽ orbis Romani dominatio redacta est. Cuspinianus.

Dum Valẽs Imp. orthodoxos impugnat, PROCOPIVS quidam è Cilicia, qui Iulianum Augustum propinqua cognatione attingebat, magnas copias breui tẽporis spacio comparauit, atq; Imperator Cõstãtinopoli magno fauore populi salutatus, usq; eò processit audaciæ, ut arma aduersus ipsum ceperit, Gothis adiuuantib. Ei Valens ex Antiochia in Phrygiam obuius uenit, cõmissoq; prælio, uictus abscessit. Nõ multò pòst Procopius ab exercitu suo desertus, cùm de salute propria laboraret, in nemora mõtesq; recessit: ibi à ducib. suis captus, ad Valentem reductus, ac statim iussu eius per summũ cruciatũ occisus est. Valẽs Procopij caput ad Valentinianũ fratrem misit. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Leo Augustus, an. 474. moriẽs, genero suo Zenone præterito, nepotẽ suum Leonẽ puerum, à se paulo antè Cæsarẽ constitutum, testamento Imperatorẽ reliquit: qui mox patrem Zenonẽ sibi consortẽ assumsit, & cũ eo imperauit. Interea BASILISCVS, mortuo Leone puero Augusto, Zenonẽ despiciens, collecta ualida satellitũ manu, seditionẽ aduersus eũ in urbe Constãtinopoli concitauit. cuius rei subita formidine Zeno perculsus, ad Isauros se contulit, atq; ibi arcẽ tuendæ salutis gratia occupauit. Basiliscus aũt urbe potitus, cũ se Augustũ declarandũ curasset, Marcum filiũ Cæsarem appellauit. Anno pòst, incendio in urbe coorto, quo maior ipsius pars deflagrauit, senatus, inuidia eius in Basiliscũ coniecta, occultis nũciis Zenonẽ ex Isauria reuocauit. qui properè cũ ualidissimo exercitu reuersus, atq; urbẽ ingressus, Basiliscũ, qui in ecclesiã salutis causa cõfugerat, intercepit: atq; Imperij insignib. detractis, in Cappadociam relegauit, atq; ibi trucidandum curauit. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

CONSTANTINVS V. Pogonatus, Constantis filius, cùm uideret fratres duos Tiberium & Heraclium ęquali secũ honore esse, adeò ut populus trinos Imperatores in Trinitatis honorem coleret: naribus utrunq; truncauit, & solus imperauit per XVII annos. Paulus Diaconus lib. 19. rerũ Rom. & Sigebertus anno DCLXXI.

MICHAEL Curopalates, defuncto Michaele Paphlagone Imperatore, hac conditione successit, ut Zoen (quæ hæres Imperij remanserat) ueluti matrem coleret, pariterq; dominaretur. At is non multo pòst, ut solus imperaret, eam eiecit. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

CONSTANTINVS VI. cum matre IRENE peregrè profectus, nuncio accepto, natum sibi filium, matre relicta, festinauit Constantinopolim. Mater filiũ iconomachũ exosa, simul dominandi libidine mota, duces donis ac promissionibus onerat, ut filium iugulent. Assensère omnes, detestati regis crudelitatem: quærentes occasionẽ, ne coniuratio, quæ matri & illis malè cessura esset, detegeretur. Dum filium nuper natũ, cui Leonis induerat nomẽ, pater infelix lugeret: festinantes in regiã, solum capiunt, & oculos effodiunt, eodẽ die quo ante annos quinq; Nicephorũ patruum ob affectatum imperium ipse excæcauerat, aliosq; lingua truncauerat: decem & septẽ tum diebus sole obscuriùs (fortè ob scelus hoc infandum) illucescente. Quod facinus præcesserat paulo antè ingens incẽdium, quo multi libri D. Ioan. Chrysostomi absumti sunt. Sidus Martis hoc toto anno in cœlo non esse conspectum, miraculi loco Regino lib. 2. & Adon ætate sexta annotant. Constantinus maternæ contumeliæ impatiens, nullo maiore cruciatu affectus, prę luctu & mœrore expirauit. Irene facta certior de Carolo Magno, salutato Cæsare, ad eum misit, qui illius amicitiam & fœdus peteret, Leonẽ Spatharium, de finibusq; imperij cum eo ageret, ac deferret illi suum connubium. Alij id à Carolo petitum malunt, qui putabat iis nuptiis posse imperium uniri, ac in pristinum statum restitui. Quæ res Nicephoro Patricio materiam præbuit criminãdæ Irenes, quasi per eas nuptias Imperium externis proderetur. Itaq; militum & populi fauore fretus, eam sine ullo maiore motu in ordinem redactã, in Lesbum relegauit, quarto post filij mortem anno. Paul. Diaconus, Sigebertus, & Zonaras.

Stauracius, Nicephori imp. F. cùm patri in regno succederet, ab sororio suo MICHAELE Curopalate, mense tertio deiectus est. Volat. lib. 23. Anthrop.

MICHAEL Paphlagon Romanum Argyropolum interfecit, ac Zoen eius coniugem in matrimonium accepit. Idem.

Miris fortunæ fluctib. Iustinianus II. agitatus est. Ob tyrannidem à LEONTIO, qui post biennalem carcerem libertati restitutus erat, imperio deiectus: & amputatis naribus, ne unquam ad imperium aspiraret, Chersonam relegatus est. Hunc TIBERIVS Absimarus ab Africano exercitu Imp. dictus, Constantinopoli captum, naribusq; truncatum, in uincula coniecit. Post ubi Iustinianus Terbellij Bulgarorũ regis ope imperium recepit, Tiberium cepit, & Leontio coniugans equis, raptos interfici iussit. Cùm contra Chersonẽses parat expeditionem, illi PHILIPPICVM Bardanium, quem Tiberius imperij causa relegarat, Imp. creant, qui Iustinianum interfecit cum filio: nec multo pòst ab ARTHEMIO, quoniam statuarum cultum abolere uellet, excæcatus est. Cuspinianus.

MICHAEL Thraulus, Leonem Armeniacum Imp. per coniurationem interfecit. Volat. lib. 23. Anthrop.

Andronici Palæologi Imp. filio Michaele mortuo, ANDRONICVS nepos auum, cuius monita ferre non poterat, imperio & uita exuere conatus est: & accersitis Tryballis, Græcorumq; optimates sibi conciliãs, effecit, ut nemo ampliùs Græcorum Europæ accessũ Turcos prohiberet. Chalcocondylas libro primo.

Isaacius Angelus Imp. Græcorum, cùm è plurimis audiret, fratrem ALEXIVM suæ uitæ & imperio insidiari, illis tamen fidem non habebat. Quodam die uenatum iturus fratrem Alexium ut secum exiret, accersiri iussit. Is ægritudine & uenæ sectione simulata recusauit. Coniurati interea Alexium Imperatorem salutarunt. Imperator fugiens Statira peruenit: ubi à Panteugeno quodam comprehensus, & persequutoribus proditus, ad Peræ monasteriũ, ab Imperatoris Andronici Comneni (quem is imperio deiecerat) patre Isaacij conditum, excæcatus est, & carceri teterrimo inclusus. Nicetas libro tertio.

ROMANVS Imperatoris Constantini F. patrem ueneno tollere statuit, conscia etiam uxore sua cauponis filia. Medicamento uenenum miscent, persuadentq; Nicetæ mensæ administro, ut id infundat. Imperator id hausturus, fortuitò lapsus, poculi maiorem partem effudit. Reliquum epotum ob paucitatem uisum est carere efficacitate, & nihilominùs tamen Constantinus graui morbo lateribus tentatis à ueneno, ægrè euasit. Cedrenus.

Alexio Comneno Imp. iam animam agente, CALOIOANNES F. frustra renitente Irene matre regnandi cupida, imperium occupat. Alexius in his turbis obiit, relictus ab omnibus penè ministris, adeò ut qui ultimum illi lauacrum ministrarent, deessent, nec regio ornatu illum decorarent. Elatus est non ut Imperatorem decuit, potissimũ filio Imperatore successore, quem tali honore dignatus erat. Cuspin.

IMPP. GERMANORVM ET GALLORVM.

Vallius princeps amicorum Caroli Magni fuerat, pueritiam BERNARDI Italiæ regis Caroli ex Pipino F. nepotis regebat. Defuncto Magno, sorores Bernardi reæ probri agebantur. Crimen maiestatis intendebatur in eos, qui eas uitiasse arguebantur, quòd regiarum puellarum pudicitiam attrectari, nisi læsa maiestate, negarent. Quæstio ipsi Vallio mandatur. Is proceres reos condemnare non poterat, quin pupilli sui sorores manifestæ infamiæ obiiceret: dissimulationeq; rem sepelire optabat. Delatores uerò Ludouici Pij Augusti aures obsidebant, & urgebant Vallium, ut iudiciũ faceret. Sed & ipse tergiuersabatur: & Bernardus, auctoribus proceribus, quos Vallius uetuerat ab eius latere discedere, sese regem Franciæ nuncupat. Et sunt qui tradant, Pipinum eius patrem maiorem fratre Ludouico tunc Augusto fuisse: ita non deterioris iuris esse ad aui regis regnũ obtinendum ex maiore filio nepotem, quàm filium minorẽ superstitem. Permulti proceres Franci causæ adolescentuli aderant. Germanorum studia in Ludouicũ flagrantissima conspiciebantur, iudicium Magni secuta, à quo meminerãt Ludouicum successorem dictum. Bernardus uix dum Alpibus superatis capitur, luminibusq; orbatus, dolore contabuit. Proceres illorum signorum, ut qui duxissent, nõ secuti fuissent, alij alia pœna affecti: nõnulli episcopi sedibus exacti. Lotharius, Ludouici Augusti F. Italiæ rex datus à pontifice coronatur. Sed nec sic res compositæ. Amici Bernardi, qui superstites integris opibus existimationeq; erant, principe Vallio coniurationẽ faciunt. Ex quatuor Augusti filiis duo, LOTHARIVS ac PIPINVS, à patre abalienãti sunt. Tertius Augusti filius Ludouicus, Noricis rex datus, fratrum in patrem conspirationem auersatus est, quarto filio Carolo adhuc infante. Coniuratio autẽ priuatæ nobilitatis indies plus uiriũ nanciscebatur. Quarum cùm non pœniteret, specie recti in Aquitaniam profecti, Augustum detrudere è solio contendebant: nec ausi patrem Augustum apud filium regem ex professo accusare, Bernardum Gothicanorũ Comitem, eundemq; principem cohortis amicorum Augusti ac Iudithæ Augustæ, cuius pudicitia malè audiebat, accusabant, cõficto crimine ab his, qui sorores regis Bernardi probri accersitas molestè ferebant, paremq; dolorem Augusto ex uxore inurere conabãtur. Ea trium Augusti filiorum nouerca erat, Caroli mater. Quorum oratione Pipinus accensus, nefas non duxit à patre deficere, Bernardo inferre bellũ se dictitabat. Eius filium Aureliani captum, luminibus priuauit, scelera imitatus, quorũ inuidia pater laborabat. Bernardus in Gothicanam præfecturam, atq; inde in Hispaniã se recepit. Augusta in sacrarum mulierum cœtum migrauit ex aula. Augustus in concilio episcoporum ueniam suppliciorum, quæ sumsisset, petiit. Quæ uoluntaria cõfessio consilia coniuratorum confirmauit, & eorum causæ auctoritatem uiresq; adiecit. Iam etiam Lotharius in Francia castra aduersus patrem posuerat. Interea prætextu Lugdunensis concilij rerum administratione motus Ludouicus, in diui Medardi cœnobio apud Suessiones tondetur, monachi habitu suscepto, ac addita custodia. Qua indignitate permoti, qui Francorum optimatium à coniuratione integri erãt,

Ludouicum sibi reddi postulantes, cogunt copias aduersus Lotharij Pipiniq; exercitum. Ita redditus Augustus, coacto liberiore Patrum cōcilio, prioreq; decreto inducto, insignia Imperij recepit: Augusta è cœnobio in aulam remigrauit. Bernardus reuersus se iureiurando purgauit, professus etiam se innocentiam suam pudicitiamq; aulæ, Marte iudice, si quis oppugnet, defensurum. Nemine audēte tantæ rei inuidiam periculo singularis certaminis subire, futura etiā aliunde pernicie, si iudicio Martis in præsentia uictor, odia hominum in futurum non uicisset: Lotharius coactus Italiam repetere, ob iram credo, quòd Italicis armis paterno bello adiutus non fuisset, eam Saracenorum classe uri diripiq; tacitus ac nihil mouens siuit, quoad minis patris coactus est impigrè eam tutari. Pipinus trans Garumnā in ueterem Aquitaniam compulsus à patre, morbo obiit, relicto eiusdem nominis filio. Is paternam cōtumaciam imitatus, iniussu aui regiū nomen capessit, uindicibusq; licentię Augusti copiis appropinquantib. armatus occurrit. Aemil. l. 3.

Ludouicus Pius Imp. Aquisgrani in conspectu omnium Lotharium, maximum natu filium, Imperatorem & regē Franciæ, Pipinum uerò Aquitaniæ, Ludouicum Bauariæ declarauit. Mortuo patre, LVDOVICVS & CAROLVS intimis sensibus angebantur, cùm iniqua patris diuisione maiorem hæreditatis partem penes Lotharium esse perspicerent: ipsum regem Franciæ atq; Italiæ suspici, ipsum Imperatorē titulo atq; auctoritate supra omnes amplissima atq; augustissima ad gloriā celebrari: se autem Aquitaniæ & Baioariæ finib. exiguis sanè atq; angustis inclusos, nequaquā ambos posse cum illo uno aut opib. aut amplitudine comparari: subsidium ab armis petere statuunt, atq; in eandem fortunæ societatem Pipinum quoque, Pipini fratris mortui filium uocant, Aquitanię regno, quod patris eius fuerat, ab Ludouico auo dudum exclusum. Lotharius copias & auxilia undiq; conquirit, atq; in Burgundiā sese conferens, eam belli sedem capit. Quare cùm uniuersum Franciæ nomē breui aut in hac, aut in illa parte consisteret, an. 841. in Ascēsione, summo ad Fontaneum Altissiodorensis agri uicū pręlio decertatur, ac tanta strage ex utraq; parte pugnatur, ut non solùm ad prolatandos, sed ne ad tuēdos quidem proprios fines satis in Francis roboris relinqueretur. Victoriæ decus penes Ludouicum & Carolum mansit. Tandem rem in hūc modum composuerunt, ut noua regnorū partitione facta, fratres sua quisq; sorte contentus pacem agitarent. Ex communi autem consilio Carolo omnia à mari Britānico usq; ad Mosam concessa sunt: Ludouico, quæcunq; in Germania ultra Rhenum continerentur: Lothario Belgica, quę Austrasia dicebatur, cum Burgundia, Prouincia, Italia, Roma, & Romani imperij titulo: Pipino uerò Aquitania. Itaq; Carolus titulum regis Franciæ sibi asciuit, Ludouicus Germaniæ, qui primùm ab eo est usurpatus, Lotharius Franciæ & Italiæ, Pipinus Aquitaniæ. atq; his actis, Lotharius Metas in Austrasiam, reliqui in sua quisq; regna reuersi sunt. eāq; pro Austrasia Lotharingiam à suo nomine appellauit, & ne Italia sine rege esset, Ludouicum filium natu maximum regem Italiæ declarauit, atq; imperij sibi consortem, patrem auumq; imitatus, adiunxit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

Imperij occidentalis decus à patre uiuente maximo natu filio deferri, idq; subsequente archiepiscopi ac pontificis consecratione consueuerat affirmari. Sic Carolus Magnus Pipino & Ludouico, sic Ludouicus Pius Lothario, sic demū Lotharius Ludouico II. indulserat. Ludouico uerò II. sine ulla uirili prole extincto, certatim Franci Italiq; ad eius laudis cupiditatem ac studium exarserūt. In Francia patrui Ludouici CAROLVS Caluus Frāciæ, & LVDOVICVS Germaniæ reges, cùm sine contentione Lotharingiam diuisissent, certatim animum ad Italiam atq; ad Imperium adiecerunt, haud dubia spe, eius fore utrunq;, qui prior armatus in Italiam descendisset, ac parta pontificia gratia solennia ab illo insignia recepisset. Ac Carolus quidem statim motis castris in Italiam per montē Iouis transire contendit. Ludouicus autem pari studio inflammatus, ac consilij fratris certior factus, primò Carolum Crassum, deinde Carlomannum filios, qui iter Caluo impedirent, magno cum exercitu misit. Ex quibus, cùm Crassum in fugam compulsum, Carlomanum perterritum à Caluo audisset, ira furens ipse cum tertio filio Ludouico, magno impetu in Franciam introrupit, ipsamq; hostiliter dilacerare instituit. Romæ uerò Comitibus Tusculanis æquum uidebatur, quando Ludouicus Imperator uita, nullo relicto successore cessisset, eum titulū iam ad Italos, præsertim opibus demū atq; auctoritate florentes, reuerti, atq; antiquam Imperādi maiestatem ab externis interceptam, post tot secula Italiæ reddi. Cæterū Ioannes IIX. Pp. ut Romanos repudiauit, sic Caluum, ut Romam ad coronam accipiendam contenderet, inuitauit, & solenni ciuitatis occursu exceptum cōsecrauit, sanctissimo antè iureiurando deuinctum, se aduersus inimicos Ecclesię perpetuò Pontifici pro uirib. affuturum. Quo facto, Carolus multa eaq; preciosa S. Petro dona tulit. Hinc titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, anniq; Imperij à consecratione pōtificia repeti cœpti. Inde Papiam uenit, & corona regia ab Ansperto archiepiscopo sumta forum egit, legesq; regio more populis dedit, ac ciuitatum & ecclesiarum iura renouare instituit. Eo Italia profecto Tusculani Comites (quorum principem se gerebat is, quem Luitprandus Albertum Marchionem, Annonius Adelbertum Comitem, alij Albericum Comitem uocant) Lamberto Comite in societatē assumto, Ioanni Pontifici ob repulsam acceptam irati, aduersus eum coniurationem iniuerunt. Ioannes diras in Formosum & Gregorium, sociosq; eorum execrationes intendit. Biennio pòst sublato è uiuis Caluo, Romę ALBERTVS & LAMBERTVS animos sustulerunt, & postquam consiliis suis adhuc repugnantem uiderunt, ipsum per arma captum in carcerē condiderunt, ac patriarchium & fundos eius diripuerunt. Ille uerò ope suorum elapsus, parum se tutò in Vrbe esse existimans, ad Ludouicum Balbum Calui F. cum preciosissimis sanctorum corporum reliquiis maritimo itinere confugit, eundemq; Imperatorem Trecis inunxit, solenni iureiurando adactum, se Ecclesiam, dum uixisset, ab hostium & maximè infidelium oppressionibus tutaturum. Eo è uiuis sublato, Carolus Crassus Alemaniæ rex, Romę anno 881. à Pp. inauguratus est. Non multo pòst Ioannes fatis concessit. Tū uerò Tusculanorum Comitum factio ad nouum pontificē pro arbitrio suo creandum omni ope incubuit, ac Martinū II. ex cardinali diacono subrogauit, qui Albertum & cæteros à Ioanne damnatos restituit, & præcipuè Formosum in gratiam Ecclesiæ recepit, ac religione solutum, episcopatū Vrbemq; repetere iussit. Cæterùm ab hoc tempore Romana ecclesia grauissimè laborauit, distracta in duas factiones ciuitate, quarum alterius principes Comites Tusculani fuēre, qui urbanam potentiam affectantes, pōtifices, quos cupiditatibus suis aduersarios nacti sunt, coniurationibus initis fatigarunt, & eis pulsis, aut pecunia aut ui, uel propinquos, uel amicos suos cupiditatibus suis opportunos intrudere instituerunt. Eo proximo anno mortuo, eadem Romanorum principū suffragante factione sublectus fuit Hadrianus tertius. Is insignia duo decreta fecit: unum pro Romanorum libertate, Vt pontifex designatus consecrari sine præsentia regis aut legatorum eius posset: alterum pro dignitate Italiæ, Vt moriente rege Crasso sine filiis, regnum Italicis principibus unà cum titulo Imperij traderetur. Mortuo Crasso, Foroiuliensi & Veronensi ditioni Berengarius, Spoletanæ Vido præerat. Hi à superioribus regibus producti, cùm ad maximas opes summamq; auctoritatem peruenissent: mortuo Crasso, Hadriani decreto subnixi, reliquis approbantibus Italis, regnum Italiæ imperiuq; titulum sibi uindicare conati sunt: uerùm propter insanam populorum cupiditatem, & fœda certaminum studia, totum regnū perniciosis in multos annos tumultibus impleuerunt. Idem.

Henricus IV. à principibus Pontifici Gregorio VII fauentib. desertus, humiliter Romam, utpote ueniam à summo pontifice petiturus, cōtendit: inuentoq; Papa in oppido Italiæ satis munito, per triduum ante portam arcis, deposito omni regio cultu, discalceatus, & laneis indutus, perstitit: nec priùs cum multo fletu apostolicæ benedictionis auxilium & consolationem implorare destitit, quàm omnium qui ibi aderant precibus & lacrymis intercedentibus, laxato demum anathematis uinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesię receptus est, acceptis ab eo in futurum uitæ suæ correctionis securitatibus multis. Accepit igitur rex in mandatis, ut Romam profectus, anno integro inde non discederet, equum non ascenderet: sed in ueste humili circumiret ecclesiarum limina, orationibus & ieiuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. Quod rex humiliter adimplere satagebat. Videntes autem cardinales, & ij qui de curia erant, quòd præ timore sedis apostolicæ contremiscerent potestates, & curuarentur qui portāt orbem, suggesserunt apostolico, ut transferret regnum in ducē Sueuiæ RODOLPHVM, circa cultum sacerdotū & ecclesiarū piū. Et papa aureā transmisisse fertur coronā, hoc uersu intitulatā:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

præcepitq; Moguntino & Coloniēsi, cæterisq; episcopis & principib. ut adiuuarēt partes Rodolphi: cū Saxonib. & Sueuis. Hēricum interea Romæ inter martyrū memorias diuersantē episcopus Argentinensis reperit, & ignarū omniū clā in Germaniā reuerti suasit. Paruit ille, & à Rhenanis atque Franconibus susceptus, prælio uictum Rodolfum occidit. Cranzius lib. 5. Metrop. cap. 15.

Cū Hēricus IV. Imp. à Rom. Pp. deuotus, an. 1105. Mogūtię Natalitia celebraret, principes Germaniæ quidā filiū eius Henricū in Bauaria morantē aggrediūtur: ac nefandis patris flagitiis cōmemoratis, quib. se ipsum, & filiū unà in perpetuū perdiderit, atq; insignē generi regnoq; infamiā ac notā inusserit, ut à patre ad Pontificē deficiat, persuadere conātur. Ergo HENRICVS pontificiorū legatorum consilio, cōcilio in Northusen indicto, omnibus audientib. testatus est, se neq; regni cupiditate incensum, neq; patris odio incitatū, sed diuinæ causæ studio & pontificiæ auctoritatis uerecundia adductū, hortantibus plerisq; regni principib. patris causam relinquere. Quòd si pater agnito errore suo ad sanitatē redierit, id est ad auctoritatē sacrosanctæ Ecclesiæ se receperit, haud grauatè se illi cessurū, ac debitū obsequiū & obseruantiā præstiturū. Sin minùs, se Dei causam paterno studio antelaturum, atq; ipsum, si ita opus fuerit, diuini iuris tuendi gratia, etiā regno spoliaturū. Ingenti armatorū manu stipatus Moguntiā, Virciburgū, Norimbergā & Ratisponam contendit, ibiq; episcopos pro iudicio suo imposuit, ueteribus à patre institutis expulsis. Hēricus pater filiū cum firmo exercitu est insecutus, & ad amnē Reginonē adeptus, pręliū cum eo cōmisit. Verùm graui aduersus se principū cōperta conspiratione deterritus, armis positis ad Bingā se cōtinuò retulit. Ibi cùm esset, filius VI Idus Decembris eū conuenit, ac miro paternæ pietatis studio prætento hortatus est, ut salutis atq; honoris sui causa ad officiū obsequiumq; Ecclesiæ se referret: id si faceret, se regnū illi integrum permissurū, atq; in omnibus rebus dicto audientē futurum. Cui pater respondit, nihil se acturum, nisi quod generali principū conuentui placuisset. Itaq; cōmuni consilio conuentus ad eam rem Moguntiā est indictus. Aduenientem Hēricum patrem filius siue sincera, siue simulata fide admonuit, uideret, ut se tutò in tantas hominū turbas committeret, quorum haud satis certam fidem ac uolūtatem exploratā haberet: si se audiret, auctorem se illi fore, ut salutis suę causa ad proximum castrum Ingelheim se conferret, ibiq; rei huius euentum expectaret. Paruit filij cōsilio pater, atq; in castrū se retulit. Ea res uulgatæ famę occasionē aperuit, patrem in castro à filio comprehensum. Morantem aūt ibi Henricum mox Moguntinus, Coloniensis & Vormaciensis antistites à conuentu missi adierunt, eumq; nomine omniū Imperatoria insignia sibi reddere imperarunt, quibus filium eius induerent, nempè coronam, anulum, & purpuram. Illo uerò causam abdicationis suæ quærente: Quia tu, dixerūt, teterrimo dissidio multos iam annos Dei ecclesiā lacerasti. quia episcopatus, abbatias, omnesq; dignitates ecclesiasticas uenales habuisti: quia nihil legitimi in legendis episcopis obseruasti: ob has res Pontifici, principibusq; Germaniæ placuit, te non piorum communione solùm, sed regni possessione etiā deturbare. Tum rex: Quoniā me ecclesiæ dignitates uendidisse arguitis, inquit, quęro de uobis, Moguntine, & Coloniensis, q̄ a uobis mercedē exegi, cùm uos uestris ecclesiis præposui, quas omniū amplissimas esse ac fructuosissimas cōstat? Negantibus illis, eum aliquid exegisse: Cur igitur, inquit, si officium erga uos retinui, aut me huius criminis incusatis, aut uos duces sociósue eorum præbetis, qui fidem ac iusiurandum Regi datum fefellerunt? Sustinete parumper, & naturalem ætatis meæ iam exactæ terminum, qui longè abesse nō potest, expectate: aut si me regno spoliare constituistis, præstituite mihi diem, in quo manibus meis insignia mihi detraham, eaque filio meo ultro imponam. Repugnantibus illis, & se negotium, de quo missi fuerant, acriter, si resisteret, confecturos minantibus: Henricus paulùm ab eis secessit, & cum paucis, qui aderant, amicis consilium contulit: atque ex eorum sententia, quòd se ab armatis circumuentū secus facere non posse cerneret, afferri ad se insignia, ac uestem regiam iussit: atq; iis ornatus in sellam ascendit, atque ita uerba fecit: Hæc regiæ maiestatis insignia æterni Regis pietas, & principum regni concors uoluntas mihi tribuit, quæ ui nulla tueri paratus sum (nam intestinum malum, ut suspectum nunquam habui, sic neq; etiam caui. Quis enim tantum aut in amicis furoris, aut in filiis impietatis hærere posse existimaret?) uerùm unius Dei ope, & uestro pudore defendam. Quòd si uos neque Dei neque honoris uestri rationem habebitis, uim patiar, qui propulsare non possum. Hæsitantibus autem super his uerbis cæteris, tum Moguntinus: Quid dubitamus, inquit, ô socij, nónne officij nostri est Regem consecrare, & consecratum induere? cur igitur quem immeritò induimus, non meritò exuamus? statimque impetu facto Henricum adorti, coronam ei de capite detraxerunt, ac de sede remotum, purpura, cæterisque insignibus spoliarunt. Tum rex nouitate rei propè attonitus: Videat Deus, inquit, quàm iniquè aduersus me agatis. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, nempe ignominiam patiēs nulli antè regum illatam: neque uos tamen noxæ expertes estis, qui contra Regem uestrum insurrexistis, & sacramentum fefellistis, quod semel iurastis. Vlciscatur uos Deus, quemadmodum ultus est eum, qui prodidit Christum dominum suum. Illi uerò his spretis ad filium cum insignibus perrexerunt, eumq; condecorarunt. Ita Henricus ab uniuersis principibus rex iterum declaratus, atque ab apostolicis legatis per manuum impositionem confirmatus, solennia à principibus & episcopis sacramenta recepit, ac regnum ingenti cum omnium gratulatione iniuit. Sigonius libro nono regni Italici.

Henrico V. sine uirili stirpe absumto, Imperium in gente Gibellinorum defecit: quorum cōtinuatus in Conrado & tribus Henricis diu fuerat in Germanis principatus. Regnum autē petere professi sunt summi ipsius Germaniæ proceres, FRIDERICVS Dux Sueuiæ, Conrado fratre adiuuante, LOTHARIVS Dux Saxoniæ, LEOPOLDVS Marchio Orientalis; & CAROLVS Comes Flandriæ. Verùm postremorum Henricorum odio, qui bellum Ecclesiæ facientes, perniciosum in rempublicam seditionum exemplum intulerant, pleriq; Principum animos in Lotharium, principem eximia non uirtute solùm, sed etiam religione præstantem, uerterunt: & comitiis Moguntiæ habitis, ipsum Regem magna animorum consensione declarauerunt, atque Aquis Idibus Septembris per Fridericum Coloniensem archiepiscopum inunxerunt. Quod factum cùm cæteri competitores ægrè tulēre, tum maximè Fridericus & Conradus fratres, regnum ad se hæreditario propè iure trahentes, & quia ex Henrici sorore nati erant, & quia insignia Imperatoria apud se obtinebant. Lotharius autem Ecclesiæ ac Pontifici deditus, extemplò se defensorem eius acerrimum est professus: atque Honorium Pontificem, ut utrumq; sacra detestatione percuteret, incitauit. Conradus inde, cedente Friderico fratre, principibus aliquot suffragantibus, contra Lotharium sese regē asserens, in Italiam cum exercitu maturauit, atque Anselmū archiepiscopum & populum Mediolanensem amicos nactus, Modœtię Italici regni coronam accepit: atq; inde perlustrata Lombardia, ciuitates ad se plerasq; omnes traduxit. Ea de causa archiepiscopi Moguntinus, Magdeburgensis & Treuirensis, iussu Lotharij ipsum cōmunione piorum exterminarunt. Honorius aūt non eum solùm, sed etiam Anselmum, qui coronā imposuerat, & populū, qui receperat, perculit. Lotharius uerò Spirā, quæ illius præsidio tenebatur, obsidione circundedit, atq; ad dandos fidei obsides oppugnando adegit. Deniq; ab Innocentio II. quē pulso Anacleto II. Romā reduxerat, imperatorio diademati insignitus est. Conradus Bernardi Clarauallensis auctoritate & intercessione titulo regio abdicato, à Lothario in gratiam receptus est. Sigonius lib. 11 regni Ital.

Mortuo Henrico VI. Imp. OTHO IIII. Hērici Leonis Saxoniæ & Bauariæ ducis filius, annitēte Adolpho Coloniensi archiepiscopo, & fratre Othonis Hērico comite Rheni Palatino, rex Romanorū creatur, aduersus PHILIPPVM Hērici VI. fratrē, Friderici I. Imperatoris filiū, quē papa nō amabat. Aquisgranū, impensis in ciues octoginta millibus, obtinuit, ibiq; per Adolphū Coloniensem archiepiscopū est cōsecratus, & à Pōtifice cōfirmatus. Philippus tamē à maiore principū numero surrogatus est Hērico fratri, patriq; Friderico: cū & Imperialia insignia in manu eius essent, teneretq; robur Imperij maximū per Saxoniā, Sueuiā, Bauariā: Othoni sola Colonia cū quadā Vestphaliæ & Saxoniæ parte pateret. Philippus cōgregato magno principū & pontificū cœtu Moguntię cōsecratus est, per Tarentinū, adiuuente capitulo maioris ecclesiæ, eidēq; iuncta regina, Imperatoris Cōstantinopolitani filia, pridē Tancredi Siculi filio desponsata. Varia fortuna utriusq; partis misere cōflictata est Germania, Innocētio frigidā Othoni subinde affundēte. Tandem Vilhelmi Iuliacēsis Comitis opera Adolfus Coloniensis archiepiscopus, deserto Othone Philippū Aquisgrani coronauit. Anathematis proinde uinculo à pontifice constrictus, sedeq; sua deiectus est. Tandem cæso Philippo ex insidiis, Otho, filiam Philippi duxit. Cranz. lib. 7. Saxoniæ.

LVDOVICVS, cognomine Bauarus, q̄ ex Bauariæ ducibus esset, & FRIDERICVS Austriæ dux, per dissidiū & discordiā principū Imperatores creati, ambo octo annis inter se armis certauerūt. Omniū acerrima pugna ad Eslingā anno 1316. in Sueuia ad flumē Neccarū est cōmissa, in qua duodecim nobilitate insignes Comites, & centū ac quadraginta equestris ordinis milites sunt capti: interfecti aūt equi mille & quingēti, uictoria ad Ludouicū inclināte. Anno septimo pòst die Michaelis inter Mildorff & Otingē, à meridie usq; ad uesperū incerto Marte pugnātes, sursum deorsumq; iactati, donec Fridericū Ludouicus occidit. Eodē prælio Ioānes Boemorū Rex, Friderici fratrē germanū Henricū cepit, secūq; in Boemiā abduxit: sed postea deprecatore Carolo Rege Hungarorum, æstimatum triginta millibus aureùm, ac Znoyma sibi reddita, quam dotis pignore principes Austriæ possidebant, incolumem remisit. Dubrauius lib. 20.

CAROLVS IIII. filius Ioannis regis Boemiæ, nepos Henrici Imperatoris VII electus est rex Romanorum paulo ante mortem Ludouici Bauari, annitente Ioanne eius patre, & Balduino, magno eius patruo, archiepiscopo Treuerensi, qui frater erat Henrici Imperatoris. Quum in eam rem Gerlacus Moguntinus, & Henricus Coloniensis archiepiscopi, & Rodulphus dux Saxoniæ anniterētur: papa hanc electionē non cūctāter approbauit, quòd aduersaretur Ludouico.

Rodulphus Saxoniæ dux, ob suffragium suum duo millia marcarum argenti puri fertur accepisse muneri. Coloniensis octo millia: Moguntinum obtinuit Gerlacus à Pontifice episcopatum, Henrico de Virnberg eiecto, quòd Ludouico adhæreret. Cuspinianus. Sed comes Palatinus Rheni, uocatis ad electionem nouam cunctis electoribus, & nullo archiepiscoporum comparente, quum nec Boemiæ rex, nec dux Saxoniæ Rodulphus adesse curarent: euocato Ludouico marchione Brãdenburgensi Ludouici Imp. defuncti F. & Erico duce inferioris Saxoniæ, elegerunt hi tres Gunterũ comitẽ de Suartzenborg. GVNTERVS quanta maxima potuit manu militari contracta Francfordiam petit: sed urbe excluditur, quòd dicerent ciues, ante hominum memoriam hoc se priuilegio munitos, regem discordia electum, qui cõpetitorem patiatur, non antè admittere in urbem, quàm nouem septimanis obsidionem urgeret: ut per hoc tempus digladientur inter se reges, & superior uel iure uel gladio factus, in urbem suscipiatur. Tentauere multi concordiam, & rem totius controuersiæ tractatibus intercepere: sed Gunterus non siuit, iure & gladio se sperans profecturum: nec tamen Carolus in eum duxit. Alio autem telo quum se petitum sensisset (toxicum uidelicet accepisse) admisit qui de pace agerent. Pactus multam à Carolo pecuniam, sibi aut hæredibus soluendã, à iure suo resiliit, & in Carolum transfudit, ipsumq; regem consalutauit, nec diu pòst uiuendi finem fecit. Cranz. lib. 9. Saxoniæ, cap. 26.

ITALORVM QVORVMVIS.

Ex Aeneæ posteris, qui Albæ regnarunt, ad duos fratres regnũ deuenit, Numitorem & Amulium, Procæ filios. Vniuerso patrimonio in sortes diuiso duas, regnoq; cum pecunia & aduecto Troia thesauro comparato, sumsit regnum Numitor. AMVLII cùm essent ex argento quàm Numitoris ampliores opes, facilè eum regno exuit: & ut spem quoq; illius in posterum recuperandi adimeret, Egestam filium (sunt qui Lausum uocent) tum primùm pubescentem, infesso percussoribus saltu, quo adolescens uenabatur, insidiis exceptum obtruncat: cædeq; ad tempus dissimulata, subornat, qui dicerent, adolescentem in latrones incidisse, & ab iis interfectum se opinari. Mox Rheam Syluiam & ipsam Numitore genitam, ne matrimonio locata domesticum ultorem aliquando sibi pareret, Vestalem uirginem capit. Quarto deinceps anno subeunti Syluiæ Martis lucum, uis illata est. Persuasum quidam habuêre à procorum uno fuisse eam compressam. qui illius nondum initiatæ amore captus, quum ultrà diuturnum affectum ferre non posset, incautæ sit insidiatus. Alij in Amulium id crimen conferunt, ut non tam puellæ forma motus, quàm ut in apertum uitæ discrimen uitiatam adduceret, armatum sese illi obtulerit, incertum ut culpæ auctor lateret, an ut horridior occurrens, ob metum iniuriæ magis obnoxiam haberet. Sed multo plures compressu Martis grauidam factam prodiderunt, ut hoc mendacio Romani populi originem augustiorem facerent. Peperit illa gemellos Romulum & Remum, qui auo illatas iniurias ulti, Amulium interfecêre, & Romanam urbem condidêre. Sab. lib. 2. En. 2. ex Liuio. & Strabo lib. 5.

ELEVTHERIVS Exarchus, sub Heraclio, animo ad occupandum per occasionem Italiæ dominatum conuerso, integrũ exercitui stipendium mira benignitate persoluit, & ingentium spe præmiorum corrupit, titulũ Regis assumsit, ac protinus Romam ducere, quasi ad insignia accipienda, contendit. Cæterùm, cùm Luceolos peruenisset, milites concepti flagitij turpitudinem auersati, defectionem fecerunt, ac tumultu concitato ipsum, tanquam maiestatis compertum manifestumq; tyrannum, occiderunt, Rauennamq; reuersi caput eius ad Imperatorem, crimine palàm facto, miserunt. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Aistulfo mortuo, cùm nemo omnium esset, ad quem regnum Lõgobardorũ iure hereditario pertineret, DESIDERIVS, qui Comes stabuli Aistulfo fuerat, tumq; Ducatum Tusciæ eiusdem beneficio administrabat, ipsum sibi Longobardis Tusciȩ suffragantibus uindicauit. Quod ubi RACHIS, qui Aistulfo fratri regno relicto Cassinense cœnobium intrauerat, audiuit, usq; adeò indignatione exarsit, ut monachum exuere, ac regnum iterum inire uoluerit. Neq; uerò aut eius consilij auctores, aut ad rem gerendam deerant adiutores, plerisq; ad eum ex Liguria, Aemilia, & Venetia Longobardis seditionis gratia confluentibus, Tandẽ tamen cedente Rachisio, Longobardi territi regnum Desiderio confirmarunt. Sigonius lib. 3. regni Ital.

BERENGARIVS Foroiuliensis & Veronensis, VIDO Spoletanus duces, decreto Hadriani III. Pp. audito, ut moriente sine liberis Carolo Crasso Imp. cui militarem operã ambo nauarant, regnum Italicis principib. cum titulo imperij tribueretur: tacito inter se fœdere pepigerãt, Vido Franciæ, Berengarius Italiæ regnum inuaderet. Mortuo inde ineunte anno 888. nulla relicta stirpe Crasso, Berengarius extemplò studiis suorum suffultus, sine certamine regnum Italiæ occupauit, Papiæ regni sedem fixit. Vido, Stephano hortante atque annitente Pontifice, ad regnum Franciæ capessendum progressus, nihil profecit. Nam cùm Franci Eudonem Comitem Parisiensem, Caroli Simplicis, qui postea rex fuit, tutorem substituissent, regno exclusus, inanis in Italiam se recepit. Spoletum reuersus, de regno Italiæ usurpando consilium habuit, atq; ita, Pontifice Romanisq; enixè fauẽtibus, rex aduersus Berengarium à suis est salutatus. Regia dignitas pèssimo in posterum exemplo diuisa, subitò Italiam in duas contrarias factiones distraxit, usq; adeò ut nemo reperiretur, qui cùm alterum regem uigere uellet, alteri nõ omne ultrò, si posset, exitium compararet. Sed maior pars, licet Berengarij causa iustior esset, Pontificis, credo, auctoritate impulsa, ad Vidonem se contulit. Is prælio gemino uictor, Papia recepta, an. 890. Lombardiam nullo fermè negotio in potestatem redegit: demùm uniuersa hortante Italia, nouo procedente anno, Romam à Stephano pontifice accersitus, quod consequebatur, Imperator ab eo consecratus est. Atq; ita antiquum Italiæ Imperium Italici post tam multas ac tam diras gẽtium exterarum impressiones recuperarũt. Berengarius exul Arnulfi Germanorum regis opem implorauit, & ab eo tandem reductus est. Vido uomitu sanguinis periit. Italici interim principes, Lambertum Vidonis F. secuti, Berengarium Papia eiiciunt. Arnulfus rursus in Italiam descendens, Lambertum pellit, imperij titulum Romę sumit, Berengarij excæcandi consilium capit. Berengarius insidias fugiens, Veronam rediit. Lambertus discedente Arnulfo, à Pp. imperij nomen suscipit. Lamberto inde in somnis cæso Papiam Berengarius recepit. Qui Lamberto fauerant, Ludouicum Bosonis F. Ludouici II. Imp. nepotem euocant. Is uerò à Berengario uictus, sacramento interposito nunquam repetendæ Italiæ dimissus est. Non multò pòst defectione Italicorum denuò euocatus Ludouicus, Berengarium in Baioariam fugere compulit. Cæterùm cùm ab eo Adelbertus Tusciæ marchio defecisset, Berengarius noctu Veronæ ex improuiso captum luminibus orbauit, regnoq; iterum potitus, illud pacatè per XXII annos administrauit, à Ioanne X. Pp. Imperatoris titulo exornatus, tandem à Rodulfo Burgundorum rege, Adelberti Eporœdiæ marchionis perfidia, Papia exutus, Veronæ à Flaberto quodam, cuius filium è sacro fonte susceperat, in templo cæsus est, XXXVI sui regni anno, iustitiæ, clemẽtiæ & pietatis laudibus insignis, odio tamen populorum ac perfidia fatigatus, ut ipse nunquam quieuit, sic aliis quotidianam mouendarum seditionum materiam præbuit: uariis rerum secundarum aduersarumq; in uicem succedentium casibus rarũ inter mortales insultantis fortunæ ludibrium. Sigonius libro 6. regni Italici.

Ildobaldo Gothorum in Italia rege cæso, Rugi, qui & ipsi cum Gothis erant, reliquis inuitis Gothis, Araricum regem extulerunt. Baduillus autem, cognomento TOTILAS, Ildobaldi nepos, misit Rauennam ad Constantianum ducem Iustiniani, traditurum se Taruisium pollicens, si sibi & comitibus suis salus præberetur. Cui Constantianus iureiurando se fidem præstiturum respondit. Re composita, dies indicta est, qua milites Constantiani Taruisium reciperentur. Gothi Ararici imperium iniquo animo ferentes, ad Totilã Taruisium mittunt, cum ad regnum suscipiendum accendunt. Quibus Totilas respondit, si Araricum in tempore sustulissent, illorum uoluntatem non neglecturum esse. Quibus responsis auditis, Gothi Ararico per dolum extincto, regnũ ad Totilam detulerunt. Sigonius libro 18. Imp. occid.

IACOBVS, Vbertini Carrariensis Patauinorum ducis III. ex fratre Nicolao nepos, ægrè ferens Marsilietum Papafauium sibi in principatu à patruo Vbertino prælatum, intempesta nocte thalamum Marsilieti ingressus, 4. die principatus illum interemit, anno salutis 1345. die sexta Maij. Subinde euocati omnes Marsilieti amici, & in custodiam traditi: omnia quinetiam municipia Patauina sub signo Marsilieti nouis custodiis munita. Anno quinto pòst à Gulielmo Iacobi Grãdis primi ducis Carrariensis spurio, cui natales contumeliosè obiecerat, à mensa euocatus, tanquam secreti quippiam auditurus, multis ictibus confossus est: sicarius uerò à circũstantib. eodem loci peremtus. Iacobi F. Franciscus senior à Galeacio Vicecomite captus, Modoetiæ in carcere miserè periit. Franciscus uerò iunior recepta urbe non multo pòst à Venetis cum filiis in carcere necatus: natu minimus Marsilius pòst aliquot annos frustra testato principatu securi cæsus est. Ita sanguine partum imperium, 73. annorum terminũ habuit. Bern. Scardeonus lib. 3. classe 13. hist. Pat.

FRANCISCVS Nouellus Carrariensis princeps, Vicecomite Galeacio mortuo, Gulielmum Scalam Veneta nobilitate donatum, ac tum Venetiis agentem, ad principatum recuperandum multis hortationibus pellexit: Veronaque iam antea recepta, hominem familiarissimum, consilio & armis adiutum,

adiutum, ueneno sustulit: Antonium uerò & Brunorum eius filios proditione captos, non multo pòst necandos curauit. Scalanis sublatis, imperij signis cum suis media urbe prælatis, Iacobum filium, uel fratrem, Veronam pro principe induxit. Nec tam opulentæ urbis principatu contentus, Vicetiam suis armis subigere adortus, illius fines ex primo infestare. Vicentini à Carrario nomine abhorrentes, omnia priùs pati certi erant, quàm inuisæ tyrannidis iugum accipere. Ad Catharinam itaq; Galeacij defuncti coniugem mittunt, auxilia rogantes. Vidua suadet illis, uti sese Venetis dedant. A quibus suscepti, euertendæ Carrariensium tyrannidis fundamenta iecere. Sab. in Decadibus.

BORSIVS Ferrariensium principatum, insigni Herculis fratris iniuria, cui successio debebatur, occupauerat. Eius autẽ ignominiæ delendæ causã ferunt illum consultò à nuptiis abstinuisse, ne caritate liberorum prohiberetur, quo minùs libero iudicio in principatu fratri restituendo uteretur. Obiit anno sal. 1466. Brutus lib. 5. hist. Flor.

Petrus Gambacurta Pisanorum dominus à IACOBO Applano omnium consiliorum suorum principe, quem ditauerat, & plus æquo extulerat, cum filiis interfectus est. Appianus dominium inuasit, anno Sal. 1395. Eo mortuo Gerardus filius Pisis dominatus est. Qui insidiis à Florentino appetitus, retinendi urbem spe destitutus, eam accepta pecunia uendidit Galeacio Vicecomiti, Plumbino oppido sibi retento. Blondus lib. 16. Dec. 2.

Mortuo ex febre Ioanne Galeacio Vicecomite duce Mediolanensium, apud Meregnanum, anno 1402. MVLTI repentè tyranni oborti sunt, aut ciuitatum suarum principes, aut cohortium præfecti, à militibus Ducis ob largitionem ad occupandas ciuitates adiuti. Oborta tum quidem infinita mala sunt, cùm nemo unus præesset, qui uitia hominum imperio & auctoritate cõpesceret. Innouata est etiam Guelphorum & Gibellinorum perniciosa seditio, quæ ducentis & eò amplius annis per Italiam uagata, omnes ciuitates ita ad arma ciuilia concitauit, ut fermè ad internecionem certatum sit. Nam Vgolinus Caualcabos, oppressis Gibellinis, Cremonæ imperitabat: Parmam Otho Tertius, interfectis ac pulsis Rubeis, obtinebat: Soardi Bergomum, Rusconij Comum, Viginatæ Laudam: Vercellas, Alexandriam, plurimaque per eam regionem oppida Facinus Canis, dux copiarum egregius, ui occupauerat. Omitto reliquos tyrannos à Galeacio pulsos, qui tum quidem redeundi ad tyrannidem & dominatum spem aliquam sumsere. Maximè uerò Gulielmus Scala, & Carolus Vicecomes Bernabouis filius, qui principes omnes & populos ad defectionem sollicitabant. Hinc etiam Pinus Ordelaphus, patria pulsus, Foroliuiò potitus est. Platina in Bonifacio IX. & Sab. lib. 9. En. 9.

Mortuo Philippo Maria Vicecomite, Mediolanensium Duce, quatuor principatum ambiebãt, FRIDERICVS III. Imp. iure imperij: ALFONSVS rex Aragonię, ex testamento Philippi dictus hæres, quod tamen popularis furor Philippo mortuo discerpserat: CAROLVS Dux Aurelianensis ex sanguine Vicecomitum natus, sibi ab intestato principatũ deberi asserebat. FRANCISCVS deniq; Sfortia, quòd Philippi gener esset. Mediolanenses XII. uiros crearant, qui Reip. præessent. Principatus ipse foris dilaniabatur. Ad Sfortiam multæ ciuitates deficiebant. Franciscus ergo cum Venetis inita societate, Mediolanum obsedit. CAROLVS Gonzaga, qui à Mediolanensibus deficiens ad Franciscum uenerat, postquam desertos eosdem Mediolanenses, & sine ullo duce relictos animaduertit, iterum ad Mediolanenses relicto Francisco transiuit. Erat hic uasto corpore, formaq; penè gigantea: uiribus uerò, quæ magnitudini responderent: dicendi copia clarus, literis Græcis ac Latinis instructus: sed animo inconstanti, & ingenio ad omne facinus parato. Ei non parua spes erat oppressa Mediolanensium libertate tyrannidem inuadendi. Auctor itaque fuit XII. uiris plebeiis, uti septem primarios ciues noctu interficerent, tanquam patriæ proditores. Sperabat iis sublatis se faciliùs uoto potiturum. At populus rei indignitate motus, deiectis plebiis, nouum magistratum è nobilitate creauit. Sed mox nobilibus pulsis, plebeios è carceribus productos pristino restituit honori. Qui Gonzagæ suasu satellitibus cincti, cùm nobilitatem penitus opprimerent, neq; tamen Gonzagæ aditũ ad principatum facerent, Gonzagã per internuncios Francisco reconciliatus, ac magnis allectus præmiis, Laudam illi prodidit, tertioq; iam fidem fallens, non sine magno Mediolanensium damno, ac plebis consternatione, ad eum trãsiuit. Non tamen defuit tyrannis animus, quin postulatis undiq; subsidiis Francisci iugum iam propè ceruicibus imminens, excutere conarentur. Sed cùm alios frustra rogassent, Venetos tandem, ne se derelinquerent, peruicerunt: quibus non uidebatur ex usu esse Franciscum, cuius iam uires atq; arma non sine graui iactura sensissent, eo imperio potiri. Miserunt ergo Leonardum Venerium legatum, qui auxilia & commeatum liberaliter promittendo, ciuitatem iam fame domitam in fide contineret. At cùm promissa non exolueret, populari tumultu necatus est: XII uiri capti: Franciscus à populo uocatus, urbis imperium suscepit. Arcem populi furore paulo antè disiectam, manibus eiusdem breui tempore restituit. Aen. Syl. cap. 49. Europæ.

MARCVS Vicecomes non obscurè Actio patrueli subiratus, quòd ad se, Saxonibus obsidem Ludouici Bauari Cæsaris nomiue datum, redimendum pecuniam nequaquam liberaliter ac diligenter expendisset, ad fatalem ueteris odij atque insitæ ambitionis insaniam rediit, usq; adeò, ut se Pontificis Robertiq; regis Neapolitani & Florentinæ reipublicæ, Vicecomitum perpetuorum hostium, clientem futurum iuraret, si ad pellendum Actium auxiliis atq; pecunia iuuaretur. Hoc concepto scelere, fœdereq; percusso, cùm per triginta dies Florentiæ uiros nobiles & militiæ claros quotidianis epulis liberaliter excepisset, & uti erat excelso corpore prælatoq; animo & facundia insigni, dignus paterno imperio uideretur, pro lautiis mille aureis liliatis publicè donatus Bononiam contendit: atq; inde discedens, Mediolanũm peruenit, exceptusq; est ab Actio & fratribus multo cũ honore & lætis utiq; uultibus. Sed dum in rem suã nouandis rebus clientelas exploraret, tentaretq; ueteres amicos, in Arenæ curia post epulas in cubiculum colloquendi simulatione deductus, à delectis aliquot prætorianis comprehẽditur, elisisq; linteo faucibus strangulatur, nullo ex eius nece tumultu exorto: quum proiectum cadauer è fenestra in publicum nemo lugeret: & tanquam sponte præceps datus, sumtuosis honestatus exequiis ad Eustorgium sepulcro maiorum inferretur. Iouius in uita Actij.

Mortuo Ioan. Galeacio Sfortia, LVDOVICVS eius frater, optimatium consensu ad imperium euectus est, qui in tanto rerum motu imperij summam infanti Io. Galeacio minimè deferendam esse dicebant. Deberi autem sibi imperium Ludouicus prædicabat, quòd ipse natus esset, dum Franciscus pater Mediolano uirtute parto potiretur. Contrà Galeaciũ, qui ætatis prerogatiua inductus defuncto patri successisset, in humili adhuc parentum fortuna genitum, atq; in Firmana Piceni arce susceptum, præpostera successione principatus, fortunã, in qua neq; dij neq; fata eum nasci uoluissent, respicere minimè debuisse. Ergo Ludouicus, uxore Galeacij è regni procuratione (quam illa, ut Ioãni Galeacio filio suo admodum paruulo, in fide atq; officio ciuitatem contineret, post uiri mortem susceperat) reliquisq; administris paulatim deiectis, ipse se ei rei præposuit, annosq; tredecim præfuit: fratris autem filium, cui se regnum procurare præ se ferebat, ita aluit, ne ullam ad frugem perueniret: non rei militaris, non literarum studia, non deniq; artem ullam & disciplinam regiam edoceri illum uoluit, adhibitis etiam ad puerile ingenium deprauandum corruptoribus, quorum illè conuictu in omnem luxum atq; inertiam assuefieret. Ei nõdum planè puberi Alfonsus Ferdinandi regis filius Isabellã filiam in matrimonium collocauit, ex eaq; is etiam liberos procreauit, ad regni tamen sui gubernaculum à patruo nullam in partem admissus est. Quam iniuriã cùm grauiter ferret Alfonsus, & armis etiam ulturus uideretur, Ludouicus ut res suas maioribus firmamentis in omnes euentus stabiliret, Ioannis Galeacij sororem Blancammariã, neptem suã, Maximiliano I. qui mortuo patre suo Friderico, Romanorum Imperator nuper erat renunciatus, in matrimoniũ collocauit: cui dotis nomine se ducatorum quadringenta millia certis temporibus numeraturum repromisit: his addidit gemmas atq; alia ornamenta preciosa, ducatorum quadraginta millibus æstimata. Ex altera parte Maximilianus in hoc connubio pecuniã magis quàm affinitatem secutus, promisit se Ludouico (Ioanne Galeacio nouo affine, iure suo fraudato) Mediolanense imperium, eius filiis & reliquę stirpi (quasi à Philippimariæ obitu principatus ille legitimo duce caruisset) auctoritate imperatoria cõcessurum: nec nõ uniuersa pecuniæ summa persoluta, se eius rei diploma amplissimum traditurum. Euocauit interea contra Aragonios Ludouicus Carolum VIII. Gallorum regem, & in tanto armorum strepitu sceleris ultorem nullum fore sperans, ueneno nepotem sustulit. Quo mortuo, cùm filius eius quinque annorum puer tanto imperio impar esset, Ludouicus per amicos illud suscipere coactus, licet simulãter reluctaretur; tamen priùs seorsim contestatus est, se ea tanquam ad se ex regis Romanorum diplomate iure spectantia suscipere. Cæterùm sceleris sui pœnas tandem dedit, à Ludouico XII. Francorum rege captus & in teterrimo carcere ad finem usque uitę maceratus. Guicciardinus lib. 1. Iouius lib. 2. & Bembus lib. 2. hist. Venetæ.

LIVEROTTVS Firmianus tyrannidem affectans, Ioannem Frangianum patruum suum, cum multis aliis summis in ea urbe ciuibus, in domum suam per speciem conuiuij perductos; crudelissimè trucidauit. Eum non multo pòst Cæsar Borgia

Borgia Valentinus dux Senogalliæ per fraudem captum strangulauit. Guicciardinus lib. 5.

Anno 1502. LVDOVICVS & Fridericus Pici Mirandulæ comites, antè ab Ioanne Francisco fratre pulsi, qui, etsi ille natu maior esset, eadem tamen ad se iura, quæ ipse haberet, spectare asserebant, auxiliis à Ferrariensium duce, ex cuius sorore notha nati erãt, & ab Ioanne Iacobo Triultio Ludouici socero acceptis, fratrem ui expulerunt. Guicciardinus libro quinto.

CÆSAR Borgia Valentinus, Alexandri VI. F. Cardinalium ordine relicto, uxorem duxit, & Italiæ dominatum affectans, miris artibus, inaudita crudelitate, urbes plurimas circumuenit. Omnibus propè Pontificiæ ditionis regulis crudeli perfidia trucidatis, Romanos etiam proceres ita afflixit, ut Columnij exuti oppidis, actique in exilium, per Apuliam atque Siciliam uagarentur: Vrsini uerò, qui in Borgiarum amicitia fuerant, principum suorum funestam stragem lugerent. Vitellocius enim Paulusque Vrsinus cum Francisco Grauinæ principe, Liberottoque Firmano, qui in exercitu Cæsaris ordines ductabant, apud Senogalliam in familiari ipsius colloquio comprehensi necatique fuerant. Baptista quoque Vrsinus Cardinalis, qui uetere Pontificis gratia uigere uidebatur, à Pontifice captus, in custodia ueneno perierat. Raynaldus item Vrsinus Florentinus antistes & Aloisius Liuiani frater, in arce Molis Hadriani ad non dubium uitæ exitum seruabantur. Pontifex inopiæ metu rapax, atque illo immani ingenio sæuus, ut Cæsari filio magnos alenti exercitus, & regio luxu liberalitatem passim ostentanti pecuniam suppeditaret, ditissimum quemque Cardinalium ueneno sustulit. haud dubiè in reliquos aulæ sacerdotiis atque opibus insignes, hæreditatis spe sæuiturus, nisi admirabili deorum prouidentia sibi mortem, supremam uerò Cæsari filio calamitatem peperisset, hilariore scilicet in cœna, dum ad umbrosum Vaticani ruris fontem uenenum bibunt, lagena pocillatoris errore commutata, quam dira fraude opulentis aliquot senatoribus honoris specie parauissent. Cæsar inter sæua hominum odia destitutus, quia incolumis aliter esse non potuit, beneficij loco posuit, quòd in pontificia arce sit custodiri iussus, quoad nouus põtifex crearetur. Iouius lib. 2. in uita Leonis.

PAVLVS Fregosius Genuensium pontifex, cognatum & propinquum suum Baptistam Fregosium (qui Genuæ dominatum iussu Bonæ Mediolanensis principis, Galeacij Mariæ uiduæ, occuparat) per summum scelus in carcerem coniecit, & imperium ciuitatis arripuit. Brutus lib. 8. hist. Flor.

HIPPOLYTVM Medicem Cardinalem, Alexandro, qui patruelis erat frater, & ex constitutione Clementis VII. Pont. Florentiæ principatum obtinebat, infensum, quidam Florentini exules, eò perpulerant, ut Etruriæ principatum affectaret, abdicareque se honore purpurei galeri uellet, atque inde ad Margaritæ iam pridem Alexandro destinatæ, Caroli V. Cæsaris filiæ, nuptias aspiraret. Itaque per Baptistam Ciboum Massiliensem episcopum, Innocentijque Pontificis nepotem, teterrimam necem ex incenso tormentario puluere Alexandro machinatus est. Harum insidiarum indicia ab Alexandro deprehensa sunt, atque illicò Romam ad Paulum III. pontif. delata. Pontifex tametsi ruituræ Mediceæ domus excidio, quod aliena cum inuidia pararetur, mirè gauderet, in spem scilicet ingentis lucri ex amplissimis sacerdotiis, quæ in Farnesios nepotes transferrentur: tamen Alexandri iniuriam omninò negligere uideri noluit, quum Octauianum Zengam hominem facinorosum ex Hippolyti satellitibus, nefarij consilij conscium comprehendi iussisset. Eo capto Hippolytus ex urbe in Catillum Tyburtini agri castellum profugit, Alexandro se conciliare, & à Cæsare pacis conditiones accipere cupiens. Qua de causa Neapoli conducto nauigio, ad Cæsarem in Africa bellum gerentem enauigare properabat. Verùm Petro Toletano prorege ei nauigium pernegante, ad oppidum nomine Iter, Fundani agri, quod est uiæ Appiæ impositum, inops consilij substitit, ubi oborta pestilenti febre, iuuenis longè omnium eruditi ingenij nobilitate, decore uultus, & illustris uitæ splendore florentissimus, sexto die ex humanis est ereptus. Iouius libro 34.

VENETORVM.

Fuêre Venetorum duci Angelo Particiaco filij duo, Ioannes & Iustinianus. Iustinianus ad Leonem Imperatorem missus à patre, perhumanè acceptus est, ac uariè ornatus. Interea pater alterum sibi filium collegam instituit. IVSTINIANVS domum reuersus, adeò iniquo tulit animo id factũ, ut neque officio neque precibus hortatúue amicorum ullo ad conspectum patris uenerit. Nec senex diu tulit optatissimi filij desiderium, IOANNEM abdicauit. Qui quum paternæ maiestati haud cessurus uideretur in administratione inhibenda, populus parére coegit. Iustinianus itaque & Angelus Iustiniani filius, à Particiaco duce collegæ asciscuntur. Ioannem qui contumeliæ impatiens parum quieturus putabatur, populus Constantinopolim relegauit cum coniuge & liberis. Sab. lib. 9. En. 8.

NEAPOLITANORVM, SICVLORVM.

Ioanna regina Siciliæ & Neapolis, Vrbanum VI. Pp. deseruit, quòd OTHONEM ducem Brunsuicensem maritum regio titulo contra Gallos & Hungaros ornare nollet: & Clementis VII. Antipapę partes secuta est. Vrbanus illam diris deuouit, & CAROLO Duratio, Andreæ Hungariæ regis à Ioanna uxore per dolum interfecti F. regnum inuadẽdi potestatem fecit. Carolus exercitu conscripto per Italiam, contendit Romam, ibique Vrbano præstito fidelitatis iuramento, coronam regni Siciliæ de manu pontificis cum regia cõsecratione suscepit. Otho ei obuiam proficiscitur, obsessurus angustias, per quas solas erat uenturo transitus. Sederant in agmine eius perfidi quidã, suadẽtes ut paulisper ab angustiis discedens, ingressos Hũgaros à tergo adoriretur. Paret ille. Interea transiens fauces Carolus, inter urbem Neapolitanam & exercitum hostilem medius, ciuitatem recto itinere petit, eamque apertis portis (quòd nihil hostile formidarent) ingressus est subsecutus agmine citato Otho, ubi se uidet exclusum, castellum sancti Erasmi petit, sumturus consilium ab euentu. Interim Carolus arcem reginæ oppugnat. Otho cum equitatu per montem descendens in insidias incidit, & in manus Caroli peruenit. Regina audiens casum mariti, sese dedidit, & in carcere expirauit, seu fame semetipsam conficiens, seu supplicio ob Andreæ patris sui cædem de ea sumto. Interea Ludouicus Andegauensis, qui se Ioannæ reginæ proximum ferebat, ab Antipapa coronatus, collecto exercitu contendit in Italiam. Duodecim equitum millia duxit è Francia. Auctus est continuò numerus, ut accurrentibus amicis undecunque, octoginta millibus ingrederetur regnum Neapolitanum. Sed eo non multò pòst defuncto, cùm de perdendo Vrbano Cardinales quique consilium cepissent, eiusdemq́; Carolus quoq; conscius uideretur: diris Carolum deuouit Vrbanus, eiusque arma fugiens, Genuam uenit. Pòst cùm Ludouicus Hungariæ, rex sine prole mascula obiisset (duabus tantùm relictis filiabus, quarum natu maiorem cum regno Hungariæ, Sigismundo Boemiæ regi, Caroli IIII. Impet. filio desponderat) Carolus contendit in Hũgariam, & opposítus Sigismundo, magnam regni partem sibi conquisiuit. Elatus in superbiam, ibi cæsus corruit, relictis paruulis in regno Neapolitano, Ladislao filio, & puella Ioanna. Ladislaus impubes decessit, & regnum in manu Ioannæ permansit. Cranzius libro 11. Metrop. cap. 15. & seq.

BERNARDVS Caprera, mortuo Martino Siciliæ rege, regnũ affectabat, & reginam uiduam Blancam, regis Nauarrensis filiã, cùm alia ratione non posset, rapere cogitabat. Verùm bis detectis insidiis, tandem Panormi degentem aggressus noctu, penè ceperat, nisi nuda cũ mulierculis per frigidissimas aquas, subductis supra genua uestibus, procurrens ad triremim clàm euasisset. Bernardus cõperta ad nauẽ fuga reginæ, execratus diẽ, En, inquit, tertiò manus meas effugit: atque ita indignabundus ad cubiculũ reginæ perrexit, intrauitq́;. Vbi cernens cubile turbatũ, quale solet ad subitum timorem relinqui: Perdicẽ, ait, perdidi, sed nidum teneo: protinusq́; depositis uestibus, ut adhuc erat tepidum, subit, ac per totum se uolutans, & subinde spiritũ per nares trahens, significabat more uenatici canis, ad lustrũ feræ, ipso se odore delectari. Verùm non multo pòst in Panormitanæ arcis obsidione captus, proditione Vasconis cuiusdam, & in castello Mota dicto asseruatus est. Valla lib. 2. Historiarum.

GALLORVM.

CLODOVEVS rex Francorũ, ad dignitatem suã pertinere arbitratus, ut imperiũ à maioribus in Gallia partũ amplificaret, primùm Romanos sibi appetendos duxit: quibus emotis, haud magni fore momenti putauit, Gothos & Burgundiones, cæterosq́;, qui Galliã inuaserant, exturbare. Itaque Syagrium Romano in oppido Suessione sedentẽ, campo ad conferendã manum destinato, prælio prouocauit. Syagrius in fugã actus, Tolosam ad Alaricũ Gothorum regẽ, qui paulo antè Eurico fratri successerat, ut ab eo seruaretur, se contulit. Clodoueus Alarico denunciauit, ut sibi Syagrium traderet. Alaricus armati regis iracundiã ueritus, Syagriũ dedidit: quẽ Clodoueus ad capitale suppliciũ abstrahi iussit, ac Suessione, cęterisq́; eius oppidis in fidẽ acceptis, regni fines usq; ad Ligerim prolatauit. Atq; hic q̃dẽ finis Romanorum imperij fuit in Gallia: quam florente quondã populo præclara Q. Fabij primùm, deinde C. Cæsaris uictoria in potestatem ditionemq́; redegerat. Sigonius lib. 13. Imp. occid.

Clodoueus regno Francorũ per omnes Gallias dilatato, obiit anno Christi 509. ætatis suæ 45. cùm regnasset annos 30. Reliquit autem post se filiam unam, quam Almaricus Gothorum rex duxit: & quatuor filios, THEODERICVM, CLODOMIRVM, CHILDEBERTVM, & CLOTHARIVM.

RIVM. Hi postea regnum paternum, tanquam catuli leonum opimam prædam obiectam, præ auiditate prædæ discerpserunt, & mutuã lanienam in semetipsos exercuerunt. Clothario & Childeberto necem fratris Clodomiri à Burgundis cæsi persequentibus, Gundemarus Sigismundi à Clodomiro occisi frater regno spoliatus, in Hispaniam ad Visigothos sibi consciuit exilium. Quod cùm parum tutũ arbitraretur, in Africam ad Vandalos transmisit. Burgundiam uictores reges inter se diuisere, nulla ratione habita filiorum Clodomiri. Tres admodùm pueri erant, Theobaldus, Guntarus, Clodoaldus, apud auiam Clothildem educabantur. Ab hac extorserunt uictores patrui, ut eos ad se mitteret, polliciti se illis regnum paternum reddituros. Clodoaldus ex itinere à paternis amicis futura prospicientibus in tutum subreptus, aliquanto pòst necessitatem in uirtutem uertens, tonsus cœnobio se sacrauit. Reliquos duos cùm in potestate haberet Clotharius, occidit (quò maius nefas esset) manu sua coram ipso Childeberto, initiò consilij participe, sed tunc scelus detestante, illacrymanteq́;. Aemilius lib. 1. & Gregorius Turon. lib. 3. cap. 10. & 7.

Regnabant inter Burgundiones duo Gundeuci regis filij, Gundobadus & Godigisilus, animis praua inter se discordia exulceratis. GODIGISILVS autem, ut fratrem Gundobadum euerteret, clam legatos ad Clodoueum regem Francorum misit, spondens, se illi tributum annuum soluturum, si se in opprimendo fratre iuuisset. quod Clodoueus pro uiribus facturum ostendit, ac statim contra Gundobadum exercitum destinauit. Qua re cognita, Gundobadus pactarum insidiarum prorsus ignarus, misit ad Godigisilum, obsecratum, ut sibi aduersus Clodoueum in se hostiliter irruentem adesset, & secum commune regnum à communis hostis im petu tutaretur. atque ab illo responsum specie benignum accepit. Cùm autem tres exercitus ad Diuionem oppidum conuenissent, Godigisilus, Clodoueo sibi adiuncto, Gundobadum super Oscaram amnem inuasit, atq; in fugam conuersum trepido agmine sese recipere Auennionem coegit, &, regni parte Clodoueo concessa, Viennam processit. Clodoueus autem Gundobadi tergo insistens, exercitum Auennionem promouit, atque urbem corona circundedit. His de rebus Gundobadus in magnam consiliorum difficultatem adductus, Aredium ex fidis amicis misit ad Clodoueũ, qui utile se ei dixit daturum cõsilium, ut agri uastationem, & urbis oppugnationem, quæ magnam esset habitura difficultatem, omitteret, ac Gundobadum tributo annuo sibi obnoxium faceret. Quod cùm ille probasset, Gundobado obligato, discessit: ita Gundobadus regnum suum recuperauit. Quadriennio pòst bellum ciuile renouatum est. Gundobadus, uiribus ex superiore clade collectis, promissa Clodoueo tributa persoluere abnuens, exercitum aduersus fratrẽ Godigisilum duxit, eumq́; Viennæ inclusum obsedit: urbeque capta, incolumitatis caussa ad ecclesiam Arrianam profectum ibi cum episcopo confecit: Francos auxiliares in unam turrim congregatos seruauit, ac Tolosam ad regem Alaricum in exilium misit: Burgundiones autem, qui Godigisilo studuerant, neci dedit, ac totum Burgundiæ regnum recepit. Sigonius lib. 16. Imp. occid. ex Gregorio Turon.

Tres fratres erant Turingorum gentis reges, Badericus, Hermenfredus, Bertarius. HERMENFREDVS Bertarium repentina ui aggressus oppressit, à nullo minus quàm à fratre metuentem. Ac iam alterum fratrem aperto marte petebat, fratris casu edoctum, ac egregiè se tutantem, nec suis uirib. euertere poterat. Theodoricum regem Mediomatricũ Clodouei F. accersit, promissa illi dimidia fraterni regni parte. Auxilio Theodorici cæso Baderico, tota Turingia potitus, fidem mutauit, fratrum pœnis insectantibus: exituque (ut in scelere assolet) infelici, partem Turingiæ ex fœdere Theodorico petenti, bellum anteuertens mouit, in prouinciasq́; Frãcorum Transrhenanas excursiones fecit, instigante Amalaberga uxore, filia Honorici Vandalorum regis. Illa enim Hermenfredo uiro conuiuium habituro, dimidiam tantùm triclinij partem strauerat: interrogantique, Quid tandem id aci esset? respondit, Qui parte regni exueretur, eum etiam triclinij parte cedere conuenire. Theodoricus ergo in spem prædæ accersito fratre Clothario, Thuringiam totam uictoris peragrauit. Fide etiam accepta Hermẽfredus ad eũ cùm se contulisset, ex editissima turri deiectus est. Aemilius lib. 1.

Mortuo Chereberto rege Parisiorum, eius regnum nulla uirili sobole superstite diuidundum erat inter FRATRES reliquos, Clotharij filios. Primùm omnium conuenit, ut reges fratres iureiurando inter se obligarentur, non ingressuros se Lutetiam, quoad ea de hæreditate reque statueretur, quę cuique pars adiudicanda uideretur. Guntrannus auctor erat, ut concilio episcoporum Lutetiæ habito, eorum arbitratu ea controuersia dirimeretur. Id inceptum uanum cecidit. Armis actum. Francis iam inde ab initio nota erat cupiditas Chilperici, æquioresque Sigeberto Gunttannoque erant. Sed Guntranno domestica pace læto, Sigeberto Transrhenanis bellis aduersus Hunnos infestam Thuringiam populatione facientes occupato, Chilpericus Cisrhenanas eius urbes occupat. Reiectis Hunnis frater regressus, caput belli, regiamque illius Suessiones statim ad se deficere cogit. Victor cum filio Childeberto uxoreque Brunechilde, Athanagildi Visigothorum regis filia, Lutetiam ingressus, cùm festis faustisque acclamationibus exceptus, paucis diebus ibi sedisset, præmisit cum ducibus copias ad fratrem, si sui potestatem non faceret, obsidendum: ipse mediocribus itineribus cum paucis subsecutus, Victoriacum se confert: quo in loco longè maxima pars Francorum procerum, qui sub imperio Chereberti fuerant, ei præstò affuêre, regem illum suum salutantes. Nullus in tanta consensione metus propinquus uidebatur: cuncta mutua gratulatione plena erant: neminique adeundi regis potestas non fiebat. Tunc in tam mira patrandi facinoris occasione, fiduciaque in tanta turba elabendi, duo iuuenes (ut postea compertum est) à Fredegunde Chilperici uxore expectatione ingentium præmiorum submissi, Sigebertum, cùm quartumdecimum regnaret annum, obtruncant, continuò à circunfusa multitudine discerpti minutatimque cæsi. Hæc salus obsessi Chilperici fuit. Brunechildis noctu filium Childebertum è fenestra in sporta per funem demisit, excipientibus fidis amicis. Hi in Austrasiam detulêre, ita uocitabant Mediomatricum regnum. Superueniens Chilpericus Lutetia potitus est. Aemilius lib. 1.

Childeberti Austrasianorum regis filij duo THEODERICVS & THEODOBERTVS, hic Austrasianorum, ille Burgundionum rex, instigante auia Brunechilde, regnorum causa inter se grauissima bella gessêre. Victor semel atque iterum Theodericus fratrem Transrhenanas gentes petentem, ut earum auxiliis bellum redintegraret, assecutus, retractum Cauillonum, in custodiam misit, detractis regiis insignibus: duorumque amplissimorum regnorum potens, dum Theodoberti filiam ducere uxorem statuit, dysenteriç morbo decessit. Aemilius lib. 1.

Mortuo Ludouico Pio Imp. qui patre uiuo se ferro accinxerant filij, mortuo capulis admouêre manus. LOTHARIVS rex Italiæ, & quòd maximus stirpis esset, Augustusque à patre destinatus, ad se omnia reuocabat: & qui ne patri quidem Augusto pepercisset, multo ferocior in fratres erat. LVDOVICVS rex Germaniæ, & CAROLVS Caluus natu minimus, Neustriæ rex addito Celtico & Belgico dictus, aduersus fratris cupiditatem communi animo consilioque bellum gessêre. In finibus Altissiodorensium ac Fontoniacum uicum castra castris collata sunt. Die Resurrectioni festo, cùm utrique alteros ob sanctitatem diei prælium non expectaturos repentino impetu opprimi posse sperarent: prima luce ad castra fratrum Lotharius, fratres ad castra Lotharij tendunt. Vtraque pars alteri in medio spatio obuia fuit. Antequam strueretur acies, locusque ducibus militibusque ab imperatoribus attribueretur, infestis animis armisque concurrêre. Cædes miserabilis facta anno 844. cumuli corporum cernebantur, necdum furori rabieiq; finis. Omnis propè nobilitas Francica cæsa, pertinaci inter se certamine. Contrariis enim studiis distracta in duas se partes diuiserat. Nomen uictoriæ apud Carolum Ludouicumque mansit, quòd duo concordes reges, & ante pugnam militum animos acuissent, & in acie ardorem excitassent, omniaque diuersi obirent faciliùs, quàm unus apud suos Lotharius, sperans hostium exercitum sub duobus regibus contentionum studiis distractum iri: ac ut in præsentia uincerent, de opibus inter se mox dimicaturos. Quæ res longè aliter cessit. Nec modò ex Altissiodorensium finibus hostem exegêre, sed cum Aquasgrani plenam maiestatis urbẽ petiuisset, insecuti, ex Belgis Celtisque submouere. Trans Rhodanum se Viennam recepit. Exin in annum induciæ factæ, delectique utrinque quadrageni proceres, quorum fide prudentiaque, fida æquaq́; pax componi posset. Conuenit ut Franciæ rex Carolus diceretur: eaque Arari, Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo saltu contineretur: Ludouico Germania, Hunniaq; cederet: reliquæ opes ac Imperium penes Lotharium forent. Pipini ex Pipino fratre, regę Aquitaniæ, nepotis respectus nullus extitit. Quo dolore adductus, cùm omnia agit moliturq́;, comprehensus, in cœnobium tondendus traditur. Aemilius lib. 3.

Ludouico II. Imp. mortuo, CAROLVS Caluus rex Francorum Romam abiit: datisq́; muneribus, à Ioanne VIII. papa creatus est Imperator. Frater eius Ludouicus rex Germaniæ id indignè ferens, statim ei bellum parat, eo quòd se inconsulto fratruelis partes occupasset. Sed antequam res ad præliũ ueniret, Ludouicus moritur, relictis tribus filiis, Ludouico, Carolo & Carolomanno. Ea occasione fretus, cum L millibus, aut eo ampliùs, Aquisgranum & Coloniam uenit, regno filios fratris priuaturus. Verùm Ludouic⁹ iunior exercitum

exercitum ex Saxonia, Thuringia, & orientali Francia conscripto, ei obuiam processit. Ad pagum Meginensem non longè ab Andernaco, collatis signis dimicatum est: & licèt numero pauci essent, qui cum Ludouico uenerant, tamen numerosas copias Caroli cæcidere, eoque fugato tres illi fratres regnum inter se partiti sunt, anno Domini 876. Regino libro secundo.

BERNARDVS Italiæ rex à proceribus Francis inductus, regni Franciæ Ludouico Pio patruo eripiendi cōsilium iniit, id ad se potiùs pertinere iampridem persuasus, qui Pipino maiore Caroli Magni filio esset natus, quàm ad Ludouicū ipsum, qui Pipino ætatis iure concederet: atque omnibus Italiæ ciuitatibus in sua uerba iurare iussis, saltus Alpium idoneis impositis præsidiis confirmauit. Eius coniurationis affines ex Italia fuisse Anselmus Mediolanensis, & Volfoldus Cremonensis antistites arguuntur. Ludouicus confestim magnum è Francia atque Germania exercitum euocauit, atque aduersus eum contendere properauit. Quod ubi Bernardus sensit, metu perterritus, maximè, quòd se à suis quotidiè deseri cerneret, arma imposuit, atque ultrò Ludouico ad Cabillonem sedenti se tradidit: quem cæteri imitati, sponte sua omnia, sicut acta erant, enunciarunt. Ludouicus coniuratione nudata, ac seditiosis omnibus in potestatem adductis, paucis post Pascha diebus iudicium de cōiuratis exercuit. Cùm iudices Bernardum, ac reliquos coniurationis auctores rei capitalis damnassent, ipse Bernardum luminibus orbasse satis habuit. Episcopos conuentus decreto abdicatos in monasteria condidit: cæteri pro cuiusq; merito aut exilio, aut sacra tonsione multati, iis ad se productis, non solùm uitæ, sed etiam bonorum, quæ redacta in publicum fuerant, gratiam fecit. Sigonius libro quarto regni Italici.

Ludouicus Balbus cùm uixdum biennium regnasset, decessit. Grauida uxore, uentris spei tutorem reliquit Odonem Roberti Andegauensium Ducis filium. Ita rege nondum nato, uelut uentre rege (qui Carolus Simplex extitit) omnia turbari cœpta. Carolo Crasso imperium usurpanti, curator datus ob ignauiam Arnulphus fratris F. qui Augustus salutatus, Franciæ quoq; regem se dictitabat, resq; pace belloq; gerebat: cùm maxima procerum pars, Balduino Flandriæ Comite, ac Fulcone Rhemensi archiepiscopo reclamante, Odonē tutorem Caroli Simplicis regnare iuberent. Eum Valterius Senonum archiepiscopus inunxit. Is rex aduersus Normannos præclarè bellauit. Berengarius Vidoq;, qui apud Caluum Augustum in gratia auctoritateq; fuerant, magnis opibus ac nobilitate inter se conspirant, rerumq; potiundarum consilium ineunt. Placuit ut BERENGARIVS in Italia, VIDO in Francia nomen Imperij inuaderent. Et Fulco archiepiscopus Rhemēsis cum odio regis Odonis euocabat. In Mediomatrices uenit, quòd eò consiliorum socios cum Fulcone conuenturos ex composito sperarat. Sed Odonis opes plus quàm modicæ, ut rediret domū, coegēre: ac quoniam peregrè conatus non prosperè cesserat, cum Berengario de Italiæ regno bellum gerere cœpit. Franci Odonem biennio postquam eum regem salutarant, in Aquitania omnino regnare iubent, cætera Francia abstinere. Fulconem cogunt Carolum Simplicem inungere, duodecimum ætatis annum agentem, æmulatione rerum administrandarū. Multi enim pro uno tutores exorti sunt, ac armis in Odonē actum, in eumq; Arnulfus Augustus uocatus. Virtute, opibus, fortunaq; superior Odo euasit anno 897. Cùm Simplex undeuicesimum annum ageret, Odo æger decessurus, conuocatis proceribus suasit iis, ut Carolum Simplicem Balbi F. & legitimum regni hæredem, regem appellarent. Sed nullius minùs quàm fratris sui paterno nomine Roberti animum permouit. Is enim inter factionis suæ homines eam actionem mouit, quæ nec cùm ipso quidem extincta fuit, sed immortalis, tantos spiritus proli eius subdidit, ut tandem Rodulfus Burgundionum dux, Carolo Simplice deiecto, ad regnum peruenerit. Aemilius libro secundo, ex Sigeberto & Luitprando.

LVDOVICVS XI. Caroli VII. Gallorum regis filius, adolescens natura immani, moribusq; acerbis, cupidus ante tempus sui esse iuris, cum suis æqualibus aduersus patrem coniurauit. Quorum capita fuere Ioannes Alenconij, & alter Ioannes Borboniensium duces. Exercitu conscripto, curam regni suscipiendam, seq; rerum omnium non ad patris præscriptum, sed suo arbitrio moderatorem faciendum statuit. Carolus se ad miseriam natum clamans, quasi parum sit, tot annos in patrio solo, cum externis Anglis, cum ciuibus Burgundis de dignitate pugnasse, ut etiam cum filio de imperio certare cogatur: non tamen concidit animo, sed principio obstandum putans, antequā in se impetus fieret, principes conuocat. Bona pars sentit, non armis, at consilio & lenitate id mali auertendum. Quapropter primùm literis pro parte Caroli quocunque ad ciuitates scriptis præcipitur, ut nemo homo sit Ludouici dicto audiens: deinde coniuratis impunitas promittitur: ac postremò per principes uiros grāues, cùm Ludouico ac ducibus de reconcilianda pace agitur, demonstraturq;, Nihil aliud esse in præsentia, tempore haud aliàs magis turbulento, de imperio certare, nisi patriam perditum ire, quæ Anglorum armis penè confecta esset. His consiliis & rationibus factum est, ut coniurati depositis armis, confestim in gratiam cum Carolo redierint. Atque ita magna labes, quæ Rempublicam obrutura uidebatur, priùs est restincta, quàm fieri cœpisset. Polydorus libro uigesimotertio.

GODOFREDVS Martellus Fulconis F. Andium Turonumque Comes, ferox robore animi, uiribusq; corporis, & opibus factionis suæ plus æquo ualidæ, Gulielmo Aquitaniæ Comiti admodum iuueni bellum intulit. Cumq; eius uectigalis ac beneficiarius esset, coegit sibi uectigal cum pacisci, pensitareq;: successuq; aucta audacia, ipsum captum in custodiam arctam fœdamq; coniecit: illoque ita necato, eius nouercam matrimonio sibi iunxit, & defuncti fratres ex parte admodum pueros per eam illorum matrem in potestatē redegit: Aquitanisq; imperitauit non modò uitricus, sed tutor salutatus, sub Philippo I. Aemilius lib. 3.

ROBERTVS dux Normanniæ, Ricardum III. ducem, fratrē suum maiorem, consensu popularium, iudicioq; supremo patris, ac legibus, & more patriæ rerum potitum, coacta per ditissimorum audacissimorumq; manu, bello persecutus, aliquot oppidis primùm exuerat: deinde procerum armis captus, in custodiamque coniectus, à fratre duce magis piè quàm ex usu dimissus est. Ricardus enim uirtute capto fratre, misericordiaq; dimisso, & uita donato, ipse sibi exitium creauit, ab eodem fratre, ueneno, ut traditur, sublatus. Robertus Hierosolymitanam sacram peregrinationem uouit, ut fraternas pœnas furiasq; à se auerteret. Sed multo faciliùs parricidium perpetratur quàm expiatur. In Asiam iuit, terramq; Sanctam peragrauit magno comitatu fastuq;, qui solus alere iram numinis posset, ne labori tam longinqui itineris maximum scelus condonaretur. Et ut fama parricidij superbiæque peregrinantis falsa fuerit, non poterat superis cordi esse, illum, ut morte fratris Ducatum obtinuerat, ita reliquis iustis fratribus ducatum paternum auitumque non relinquere, sed Gulielmo Notho legare, & uelle post mortem etiam iniuriam suam immortalem esse. In reditu non minori impotentia usus, in Bithynia decessit. Niceæ sepultus est, suorum & ipse, ut iidem scribunt, ueneno extinctus. Aemilius lib. 3.

Ioanna maior superioris Balduini Græcorum Cæsaris filia, Flandriæ & Annoniæ Comes, omni uita sterilis fuit. Ei successit soror Margarita domum sobole replens. Gulielmus uir sanctus initio creditus, ac sacris initiatus, ætati teneræ præceptor rectorque datus, unum atq; alterum ex ea furtiuo uitiata liberos tulit, IOANNEM & BALDVINVM. Quo defuncto, illa Gulielmo Dampetræ ex nobilitate Burgundionum procerum cùm nupsisset, tres procreauit Filios, GVLIELMVN, VIDONEM, IOANNEM. Hi patre mortuo, matre iam magno natu, res administrare se æquum censebant, nulla ratione habita priorum. Ii se excludi sperniq; molestè ferebant: seq; nothos, ut illi criminabantur, esse pernegabant: contendebant se iusto, matrimonio procreatos: memoriam patris, spem hæreditatis, natales suos dicendo tutabantur: armis, si ui ageretur, tutaturi: quòd auctoritate Pontificis max. à patre iunctum matrimonium minùs quidem illustre, ac minùs celebri fama testatum, pium tamen dicerent. D. Ludouicus Francorum rex beneficium suum, quodq; iuris sui erat, Flandriæ Comitatum, soboli nuptiis teste orbe terrarum piis procreatæ attribuit: his tamen iuuenibus auctor, ne in matris pudorem tam diligenter inquirerent, utq; suis per matrem fratribus consulerent In Annonia nobilissimi dominatus illis dati. Aemilius lib. 7.

HISPANORVM.

Theodericus Visigothorum rex, uicto & cæso Reiciario Sueuorum rege in Asturia, ut parceret Sueuorum reliquiis, sub tributo uicturis præfecit illis fidum hominem ATHIVLPHVM. At illum dominandi libido impulit, ut rebellaret. Acie uictus & captus ludibrioq; habitus, quòd mallet rex esse ridiculus, quàm præfectus sub potenti rege magnificus, ob perfidiam capite plexus est. Cranzius lib. 3. Sueciæ 7.

SISENANDVS post mortem patris Cintilæ Vesigothorum regis in Hispania, non expectato procerum consensu, regnum per tyrannidem inuasit, excluso & occiso primogenito fratre Cintila, ad quem regnum pertinebat. Adiuuit Sisenandi temeritatem rex Francorum Dagobertus: qui interim dum Gothi ob domesticum & fraternum odium periclitarentur, Vasconiam ab eorum regno auulsam regno Franciæ adiecit, fratremq; suum Arebertum ea prouincia donauit. Io. Magnus lib. 16. cap. 17.

SANCTIVS IIII. Hispaniæ rex, patrē suum Alphonsum X. è Germania redeuntem, ubi repulsam Imperij passus fuerat, occupato regno non admisit. Quatuor hominū millia trucidari iussit: quòd in tumultu quodā Alfonsum fratris sui filium regem appellassent. Rauisius, & Ritius Neapolitanus.

HENRICVS II. Alfonsi XI. Hispanorum regis filius nothus, Petrum fratrem suum, qui post Alfonsum parentem imperij habenas susceperat, stricto gladio confodit: eoque interemto, regno potitus est. Ritius Neapolitanus libro tertio regum Hispaniæ.

VICTERICVS Hispaniæ rex, Luybam antecessorem in regno insidiis interemit, ut regnum obtineret. Eo septem potitus annis, eodem mortis genere periit. Idem lib. 1.

SIGEBERTVS Clotharij Francorum regis filius, Childebertum fratrem incautum subito bello opprimere tentans, ut Suessiones recuperaret, immissis percussoribus eū occidit. Ritius lib. 1. de Regibus Francorum.

THEODERICVS II. Visigothorum rex in Hispania, unà cum fratre FRIDERICO, Thorismundum fratrem iugularūt, ut Theodericus succederet. Sigebertus in Chronico. Tandem & ille à fratribus suis iugulatus est. Ritius libro 1. regum Hispaniæ.

Fernandus, Asturum & Castellæ rex potentissimus, timens ne post mortem eius de regno filij decertarent, uiuens regnum diuisit: & dedit Sancio primogenito Castellam & Nauarram: Aldefonso Legionem, Astures: Vrracæ & Geloiræ filiabus Zemoram & Taurum: Garsiæ Galleciam cum Portugallia. Sed eo mortuo an. 1095. SANCIVS Castellæ & Nauarræ finibus non contentus, & sanguinem fratrū sitire, & ad eorum regna cepit aspirare. Aldefonsum acie uictum ad Toletanos fugere compulit: Garsiam regno exuit. Dum Zemoræ sororem obsidet, à Belidio Athaulphi, qui ex ciuitate eruperat, per castra deambulans interfectus est. Rodericus Toletanus lib. 6. Hispan. c. 13 & seq.

Fernando regi Castellæ & Legionis clarissimo frater GARSIAS, rex Nauarræ, maior natu, inuidens, cùm ad se apud Anagarum ægrotantē uenisset gratia uisitandi, eum proposuerat retinere. Sed detecto consilio Fernandus euasit. Paucis diebus interpositis cùm ad Fernandum ægrum uisitandum Garsias diluendæ suspicionis præteritæ causa uenisset, captus à Fernando, sed corruptis custodibus elapsus, bellum fratri intulit: neque ulla ratione se placari passus, commisso prælio, desertus à suis, quos tributorum grauitate exasperarat, cæsus est, & Ferdinandus regno potitus. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hisp. c. 10.

Ferrando maiori filio regis Castulonēsis nupserat Blancha, diui Ludouici Francorum regis filia, cautumque nuncupādis conditionibus, ut si Ferrandus ante obitum patris moreretur, superstite etiamnum minore fratre, soboles tamen Ferrandi auo postea decedenti in regnum succederet. Breuioris æui fuit iuuenis: duos ex Franca filios Ferrandum Alfonsumque reliquit in spem regni. SANCTIVS Ferrandi frater minor (in illo ambiguo iure, Ad mortui aui hæreditatem utrum minor filius legibus uocetur, an nepotes ex maiore filio iam defuncto) ne morte quidem patris exactæ ætatis expectata, regnum inuasit, ac populares in uerba sua iureiurando adigere conabatur. Præualidæ iam eius opes erant, ac spes regni haud ambigua. Blancha cum filiis in Franciam ad fratrem regem confugit, opem implorans. Exercitus cōscribitur: simul Alfonsus puerorū auus, & memor fidei Franco in paciscendis nurus nuptiis datæ, spe sobolis, & impietate minoris filij iritatus, qui se uiuo spiranteque regnaret, eū furiali carmine deuouet, ei iure paterno maledicit. Qua execratione detestationeq; religionem animis popularium iniecit, ut nefario scelere se deuinctum iri censerent, si damnato à patre filio, pœnisque paternis debito parērent. Ita iam in eum arma capiebant, regno speque regni exacturi. Supplex ad genua senis patris procubuit: ueniam, piacula, ac, si uideretur, iustum in se supplicium exposcens. Sanguis potior apud animum paternum, quàm memoria iniuriæ, quam pœnitentia illustris satisfactioq; sequeretur, propiorque extitit. Filio benedixit: fausta feliciq; obsecratione diras auertit, retexuitq;: uerba prius concepta piis precibus recantauit. Diploma cum aurea imagine sua per urbes Castulonēsiū circūmisit testatus, sibi, quādo raptus fato esset Alfonsus, nihil esse futurúmue carius reliquo filio Sanctio: cūcta illi optare, apprecari, sperare lęta, secunda, felicia, ipsi, popularibusq;: quæ crederentur in eū secus concepta uerba, eorū uim omenq; in inimicos gentis, capita Barbarorū, in religionis hostes uersum iri. Hæc res restituit animos popularū Sanctio, ut ei uni sene mortuo parerent, exclusis Alfonsi ex Franca filiis. Aemilius lib. 7.

HVNGARORVM.

Mortuo Atila, duo legitimi filij CHABA, ex Herriche, Honorij Græcorum Imp. filia, & ALADARICVS, ex matre Kreinheiltz, filia ducis Bauariæ, de imperio certabant Detricus à Verona, qui neptem Atilæ ex sorore duxerat, princeps militiæ Atilæ, cum exterarum rationum principibus Aladarico adhæserat: utpote ex genere nationis suæ Alemannicæ orto. Chaba maiorem Hunnorum partem sibi fauentem habebat. In cāpo Sicambrico tanta cōmissa est cædes per XV dies, ut Danubij aqua, à Sicambria ad Potentianā usq; urbem, mixta sanguine defluxisse tradatur. Maior pars exterorum militum ab Hunnis trucidata fuit, Aladaricus in p̄lio cecidit. Victor Chaba Detrici tandem Veronensis arte uictus, cum sexaginta fratribus nothis ac uigintiquinq; millibus Hunnorum in Græciam ad Honorium Imperatorem confugit. Apud quem tredecim annos commoratus, derelicta ea regni parte, quæ ex materna hæreditate eum attingebat, in Scythiam itinere unius ferè anni reuersus est. Nondum Bendegiz auus ipsius paternus uita defunctus erat. Cuius consilio duxit uxorem ex gente Corosmanorum, Scythiæ uicina, ortam: ex qua duos suscepit filios, Edemen & Ed: & memor fertilitatis regni Hungariæ, sæpe filios admonuit, ut dum per ætatem liceret, Hungariam repeterent. Itaque posteri eorum post annum circiter trecentesimum ex Scythia magno exercitu reuersi, Hungariam secundò occupauēre. Nicolaus Olahus capite 17. in Atila, & Auentinus libro secundo.

COLOMANNVS Vngarorū rex, improborū consilio, cū uiuo Almo fratre Belaq; nepote, Stephani filij in regno surrogationem sperare non liceret, ipse fratrem ac nepotem è gremio matris ereptum oculis priuari, Belæ insuper uirilia amputari mandauit. Carnifex uerò catuli cuiusdam testiculis exectis & monstratis, regis sæuitiam elusit. Tandem iam animam efflaturus rex, Benedictum quendam ad trucidandum Almum in Demesiense cœnobium, ubi in carcere erat, mittit: sed per monachos à cæde prohibetur: indeq; ob monachorum, quam intentabant, uim, concitato cursu fugiēs, ex equo elisus ceruicem fregit: quem canes insecuti, ita frustillatim dilaniarunt, ut ne minima quidem particula superfuerit. Tertio exinde die & Colomannus ex capitis doloribus expirauit, anno regni uigesimoquinto, qui fuit Christi 1114. Successit ei Stephanus F. qui Almum in Thraciam relegauit: mortuum Albam referri iussit, honorificeq; sepeliuit. Belam præterea filij loco adoptauit, eumq; regni hæredem, ipse enim sobole destituebatur, designauit Helena, Macedoniæ principis filia, in matrimonium ipsi iuncta. Dysenteria confectus obiit Stephanus, anno regni XIIX. Christi 1131. Bonfinius lib. 6 Dec. 2.

Stephanus III. Vngariæ rex, domestica & intestina fraude penè regnum amisit. LADISLAVS enim, patris Geysæ II. frater, regis Belæ cæci filius, subrepto miris artibus sacro diademate, se regem salutari uoluit: & sic cùm sex mensibus imperasset, obiit. Post eius mortem STEPHANVS Ladislai frater iisdem suffragatoribus usus, usurpata corona decoratus est, & quinis mensibus ea potitus. Rex, ingenti strage patruum uicit, regnoq; exegit. Idem.

Quum Emericus, mortuo patre Bela III. Vngariæ regnum beneficio primogenituræ obiuisset, frater ANDREAS iniquo id tulisse animo dicitur, præsertim cùm Ladislaus à fratre nepos omnem spem potiundi ducatus precidere uideretur. Igitur fratri bellum indicit. Emericus rex fratrem, neq; literis neq; magnis internunciis sibi conciliare poterat. Quum utrinq; acies instructæ constitissent, Emericus depositis armis, & stipatoribus relictis, coronam sceptrumque gestans, per medias fratris acies incessit, & salutari cohortatione omnium animos usque adeò mutauit, ut confestim arma posuerint, certatim quisq; ueniam implorarit, insolentissimæ pertæsus audaciæ, quam pleriq; magnates deprauatis studiis fouerant. Andreas uita donatus est: tandemq; defuncto fratre, eiusq; filio immaturè suscepto, rerum potitus est. Bōfinius lib. 7. Dec. 2.

Sigismundus Caroli IV. Imp. F. Ludouico Vngarorum rege socero mortuo, ubi in Vngariam uenit, reperit MARIAM sponsam suam ab Vngaris iam, non reginam, sed regem renunciatam & coronatam, alienata ab eo socrus uoluntate, ut ipsa cum filia arbitratu suo regnaret. Quæ res ipsum quidem & sponsam eius in extremum periculum adduxit, socrui uerò exitio fuit. Etenim cùm mulieres arbitratu Nicolai Garæ Palatini regnarent, eumq; & necessarios eius, cæteris neglectis, ornarēt, ac de alio rege è Galliis accersendo clàm consilia caperent: moti indignitate rei plerique proceres, CAROLVM Neapolitanum regem, Ludouici defuncti regis, fratris Andreæ Veneti dicti, filium, ex Italia euocarunt. Cuius aduentu cognito, Mariam ferunt cum Sigismundo nuptias accelerasse: excessisse tamen Sigismundum ex Vngaria in Boëmiam, metuentem Vngarorum insidias, quemadmodum scribit Bonfinius. Carolus sub specie opis regiis ferendæ in arcem Budensem admissus, illam occupauit, & reginas Albam regalem secum ire coegit, ut solennibus sacris interessent, quibus ibi consecrandus erat in regē Vngariæ. Elatus inde rerum successu, apertè gloriabatur, se breui Ro-

ui Romanorum regem futurum, conſalutariq; Carolus V. ſemper Auguſtus: nam paruo Venceſlaum negotio exuiturum Romanorum regno, qui Sigiſmundum eius fratrem eieciſſet Vngaria. Maria Sigiſmūdi coniux, etſi per matrem auerſa erat à marito, cepit tamen Sigiſmundi miſereri: quem non ſatis eſſet Carolo exuere regno, quod per illam haberet dotale, niſi etiam abſentem inſectaretur conuitiis. Erat ex amiciſſimis Carolo regi, qui eum familiariter ob iactantiam reprehēdit. Ille ſuperbia tumidus, ſublata dextera alapā impegit. Famulus, nō expectato iuſſu domini, educto gladio caput cædentis percuſſit, adeò ut uulnus deſcenderet in oculum. Elizabethæ, Ludouici regis uiduæ, ſocrus Sigiſmundi, hoc nonnulli ſuſpicati ſunt conſilium fuiſſe. Nam cùm uideret ſe cū filia eſſe deceptā, cōmunicato conſilio cū Nicolao Gara Palatino, & Blaſio Forgaſſio, per ſpeciē ſecreti colloquij, Carolum interemit. Alij ueneno ſublatum putant. Interea Ianus Horuatus Croatiæ Banus (præfecturæ id nomen honoratiſſimæ) in omnes uindicandæ cædis Caroli occaſiones intentus, Reginas animi gratia Buda ad uicinum uicum, Diaco cognominatum, egreſſas, in uia adoritur, Forgaſſium haſta equo deturbat, ac enſe caput eidem adimit, Palatinum equo deſilientem telo uulnerat, & caput iuxta Reginarum carpentum amputat. Poſtremò ipſum carpentum cum Reginis in terrā prouoluit, ſupplicantemq; Elizabetham per Ludouici regis mariti ſui beneficia, quę in Banū contuliſſet (ex humili .n. loco ad ſummā illum præfecturam ſubuexerat) extractam de carpēto, in proximo flumine ſubmerſit: Mariā autē in Croatiā auexit. At Banus aduentu Sigiſmundi territus, à Regina iuſiurandū exegit, de non ulciſcenda iniuria: eoq; dato, dimiſit illam Budā incolumē. Nactus ſponſam Sigiſmundus, eueſtigiò & nuptias celebrauit, & coronā Regiam, quā Hungari ſanctā uocāt, aſſumſit, an. 1386. Subinde Banum inſecutus, è Croatia expulit. Tandem in arce Boſnę Dobor obſeſſum, dum fugam capit, deprehenſum quadrigis diſcerpendū curauit. Dubrauius li. 25. & Cromerus lib. 14. & Cranzius lib. 9. Vandal. c. 13.

Mortuo Alberto II. Imp. Vladiſlaus poſthumus ei natus erat, regnorum Hungariæ & Boëmiæ hæres, quem mater Elizabetha quarto menſe coronandum Budæ curauit, & mox ad Fridericum Imp. patruum cū corona regia clàm educandū miſit. Hungari interim atque Boemi per factiones diſtracti, illi VLADISLAVM Poloniæ regem, iſti ALBERTVM Bauariæ principem, qui à pueris apud Venceſlaum regem Boemiæ in aula educatus fuerat, ad regnum ſuſcipiendum inuitabant, quòd dicerent, temporibus non conuenire, nec regnis utile eſſe, expectare dum infans Rex adoleſceret, quādo ſupra caput quotidie pericula imminerent, quæ Regem ætate uirum requirant. Ac Vladiſlaus quidem rapto agmine in Hungariam uenit, ſtudioq; partium Budam ſtatim receptus, id ante alia egit, ut celerrimè rex Hungariæ coronaretur. Data igitur fide publica Ladiſlao Bano, ſub cuius tutela arx Vicegradenſis cum ipſa corona Regia fuerat, ut ſecurè Budam ueniat, à ſe priùs nō dimittit, quàm de arce cōcederet illis, quos reportādæ in Albā Regalem coronæ ſubmiſerant. Afferunt illi arcā ſignis Pontificum atq; procerum obſignatā, cæterū corona uacuam. Qua re uehementiſſimè perculſi, turbatiq; omnes ordines, ambigunt quid nam facere debeant, perſuaſum habentes, regem Hungariæ, niſi corona illa ſancta, coronari non poſſe. Exclamat mox non nemo præſulum, uiſa inter reliquias corona aurea, capiti diui Stephani regis impoſita: En adeſt, quā quęritis, Regis ſancti, corona ſancta, ad hoc quod gerimus nobis tempeſtiuè oblata. Cunctis læta uoce ſuccelamātibus, Rectè, rectè, tollitur illa, & ad caput Vladiſlai transfertur, Rexq; ſtatim idem conſalutatur. Albertus uerò Bauariæ princeps, prçter omnium opinionem, regnum ſibi Boemiæ delatum deprecatus eſt, moriq; ſe malle reſpondit, quàm eo modò, quo Boëmi uellent, regnare. Volebant autem, ut cōmunionem utriuſq; ſpeciei non ſolùm approbaret, ſed omnibus etiam opibus & potentia ſua, aduerſus quoſcunq; aduerſarios protegeret: item, ut Magiſtrum Rokiczanum, Huſſitarū anteſignanum, patrocinio ſuo tutum præſtaret: dein ut bona templis & ſacerdotibus erepta, ne repeteret. Ab illo per bona uerba ablegati, nouā denuò Pragæ deliberationem incunt, legatosq; rurſus decernunt, qui eant ad Fridericum Romanorū regem, petitum, ut tutorio Ladiſlai nomine, regnum Boëmiæ tuendum regendumq; ſuſciperet. Inter legatos Praſco erat, Ladislao ob memoriam Alberti parentis non amicus. Is nactus facultatem ſeorſum alloquendi Friderici, ei ſuadet, ut ipſe regem Boemiæ ſemet conſtituat, tanquā princeps Auſtriæ ſenior, id quod ei antiquo fœdere inter Boemos & domum Auſtriacam, de ſucceſſione regni icto, liceret. Ad quæ Fridericus: Alij, inquit, uiderint, quid illis aduerſus ſanguinem ſuum liceat: ſe nihil in filium patruelis facere poſſe, quo ius neceſſitudinis officiumque ſuum expleat, niſi ut illi paterna regna pro uirili conſeruet ac reſtituat, ne dum ut aliquid adimat. Cæteris dein legatis reſpondet, Nec tutelam regni ſe recipere, ſed curam illam Boëmis delegare, qui ut regni commoda incommodaque notiora habeant, ita utriſque ſe meliùs conſulere poſſe, relaturi olim à domino ſuo, ꝓ bene aut ſecus adminiſtrata tutela, gratiam aut odium. Itaque duo Proceres deſignati, Meynardus & Praſco, ille Romanę, hic Huſſitarum factionis caput, qui Cōſulari poteſtate regni negotia adminiſtrarent gubernarentque. Inter hæc mater Ladiſlai Eliſabetha, dum regnum Hungariæ filio retinere ſtudet, multa hoſtilia à Vladiſlao occupatore pertulit, & uiciſſim intulit. Mortua paulo pòſt regina, Georgius Podiebradius occupata Praga & Meynardo præfecto arcis capto, regni gubernacula ad ſe traxit. Interea cæſo ad Varnam Vladiſlao rege à Turcis, Hungari mittunt ad Fridericum Cæſarem, qui ab illo Ladiſlaum, unà cum ipſa regni Hungariæ corona repoſcant. Fridericus collaudatis Hungaris, quòd aliquando reſipuiſſent, reſpondet: Puerum adhuc eſſe, nec alia in præſens re egere, quàm fideli tutela: tutorem autem quémnam magis idoneū inueniri poſſe, quàm agnatum atque gentilem pupilli, & præterea Cæſarem? Expectarent itaque parumper, dum ille adoleſceret, atque interim bona fide regni negotia curarent. Deligunt confeſtim illi Ianum Hunniadem regni gubernatorem, nec ideo tamen deſinunt Regis præſentiam requirere, non iam precibus, ſed armorum terrore, quem Hunniades, cōtractis duodecim millibus equitum, ſatis terribilem Friderico infeſta populatione incuſſit, ut ſaltem corona potiri poſſet. Sed non aliud aſſecutus eſt, niſi Cæſaris indignationem, quam breui pòſt, re feliciter in Seruia aduerſus Turcarum præſidia geſta, in gratiam uertit, ſibique beneuolentiam Cæſaris reconciliauit. Vrgentibus deinde Fridericum, tum Hungaris tum Boemis, tum etiam Auſtriacis, atq; omnibus uim minitantibus, niſi illis dominum ſuum reſtitueret, qui ſuis liberè dominaretur: puerum ſecum duxit in Italiam, quam coronæ Cæſareæ ſumendæ cauſa petebat. Dubrauius.

Mortuo Ladiſlao Hungariæ rege, Auſtriæ duce, FRIDERICVS III. Imp. ſibi tanquam ſeniori ducatum deberi aſſerebat. ALBERTVS uerò frater, ſuo & patruelis Sigiſmūdi nomine regiæ hæreditatis partem poſcebat, ita quidem, ut cū Sigiſmundo contra Imp. conſpirauerit. Viennam petebat Imp. Albertus honoris cauſa obuiam profectus eſt, tria millia expeditorum equitum habens, quæ non longè à Vienna in quodam tumulo Imperatori ſe oſtentauerunt, magnūq; metum uenienti incuſſere. Suſpicionem auxit Albertus, qui ſæpe ad eos profectus, ac ſeorſum locutus, inſidias apparaſſe Cæſari uidebatur. Ferunt eius militiæ ducem Alberto dixiſſe, Facilè ſi libet hodie Viennæ te dominum atque Auſtriæ facio. Nam quis prohibet, quo minùs Fridericum intercipiam? Victori leges atque homines fauent. Subdubitauit Albertus aliquantiſper, demumque reſpondit: Poteram ignoſcere, ſi, quod ais, me ignorante feciſſes: at mandare turpia non poſſum. Ingreſſi urbem Albertus & Sigiſmundus, ſimul habitauêre. Imperator priuatas ciuium ædes incoluit. Arx Prouincialium nomine cuſtodiebatur. Conſpirauêre Sigiſmundus & Albertus eam noctu aggredi: armataque manu iter ingreſſi, iureiurando ſe aſtrinxêre, non redituros domum, niſi arcem intraſſent. Senſere ciues moxque arma ſumſere. Inſtabat ciuile bellum, & atrox pugna pro arce. Tandem conuentum eſt, ut ingreſſi principes arcem, paululum immorati, poto uino exirent. Atque ita deluſa magis quàm impleta religio eſt. Poſtridie arx conſenſu Prouincialium, in tres partes diuiſa: duas accepêre Albertus & Sigiſmundus, reliquam Imperator: delectique Prouinciales ſunt, qui lites fraternas dirimerent. Aeneas Syluius, cap. 22. Europæ.

Anno Salutis 1490. mors Matthiæ regis belli inter Vngaros & Polonos cauſa fuit, ex inteſtino Vngarorum procerum inter ſeipſos diſſidio. Nam ij diuerſis ſtudiis patim ad VLADISLAVM regem Boemorum, Caſimiri Polonorum regis F. partim ad IO. Albertum alterum Caſimiri filium, regnum detulerant: nec deerant, qui Maximilianum Cæſarem regnare uellent: erant etiam, qui externos reges faſtidientes, Ioannem defuncti Mathiæ nothum filium, quem blandè Hanſelicum uocabant, regem appellarent. Non repudiauit Ioannes Albertus oblatum regnum, inuitantibus & orantibus, qui ipſi ſtudebant, Vngaris: patre uerò ſuadēte, & ſumtus præbente. Sed Vladislaus accitus à ſuis fautoribus, celeriter cum tumultuariis Boemorum copiis adfuit: & Budam caput regni, fauore Beatricis reginæ (quæ iam inde, ex quo Vladislaus Olomuciæ cum Mathia conuentum agebat, aſpectu eius capta erat, tunc autem nuptiarum eius ſpem cōceperat) pulſo Hanſelico occupauit. Id cùm didiciſſet Ioan. Albertus, accepto à patre exercitu, uictus à fratre, regno cedere coactus eſt. Vladislaus Hanſelico & Maximiliano ſuperatis, regnum obtinuit, neque tamen Beatricem duxit. Cromerus lib 29. & Dubrauius lib. 31.

POLO-

POLONORVM.

Craci principis Polonorum filius natu minor LECHVS, maiorem, cui Craco nomen erat, per ſpeciē uenationis in ſyluas eductum, incautum occultè interemit: ac fortuito caſu eum periiſſe mentitus, ſimulatis lacrymis atq; luctu honorificè ſepeliuit: principatumq; ſceleratè appetitum, qui maiori natu debebatur, ſuſcepit. Verùm aliquanto pòſt patefacto ſcelere, principatu deiectus, & in exilium actus eſt. Alij dolore & conſcientia patrati parricidij, cùm diis hominibusq; exoſus eſſet, domi eum contabuiſſe, nullis relictis liberis, aiunt. Cromerus lib. 2.

MIECISLAVS Senex ob tyrannidem regno Poloniæ eiectus, cùm reditum tentaret, à Caſimiro II. fratre captus, & impunè dimiſſus, eo mortuo, technis, quod armis non poterat, effecit, & Leſcum Caſimiri F. principatu deturbauit. Ab eodem paulo pòſt, cùm promiſſis non ſtaret, deiectus, Leſcum uiciſſim ſecundò deiecit, & anno 1202. obiit. Cromerus lib. 7.

Erat apud Vitenen Magnum Lituanorum ducem magiſter ſtabuli GEDIMINVS, uir ambitioſus & excelſi animi, qui interfecto domino ſuo, dominatum inter ſuos arripuit, & latè propagauit, ſubacta magna parte Ruſſiæ. Huic ſeptem fuēre filij, Montiuidus, ſiue Moniuidus, Narimundus, Olgerdus, Iaunutus, Keiſtutus, Koriatus & Lubartus: inter quos dominatum partitus eſt. Iaunuto Vilna metropolis obuenit, homini ignauo. Quem Olgerdus & Keiſtutus captum imperio deiecēre, & principatum partiti ſunt, ita ut Olgerdus Vilnam haberet, qui ſuſcepit è Maria Ruſſa XII filios. Ex quibus omnibus Iagellonem natu maximum dilexit pater, quòd eſſet præclara indole, ſucceſſoremq; ſibi in principatu, annuente Keiſtutò, deſignauit. Qui poſtea ad regnum Poloniæ peruenit. Habebat & Keiſtutus ſex filios: ſed Vitoudum & ipſe ſucceſſorem ſibi præ cæteris deſignauit, qui poſtea Magnus Lituaniæ dux euaſit. Anno Chriſti 1381. Cromerus lib. 14.

BOEMORVM.

VDALRICVS, Iaromirij Boemorum regis frater, cùm occupatam à Polonis Pragam aſtu recuperaſſet, ſibi tanquam uictori, licet natu minor, regnum deberi putabat. Theodori tandem Pragenſis epiſcopi auctoritate diuiſus inter fratres principatus. Cæterùm Cochani Verſouicenſis conſilio Vdalricus fratrem cepit, & oculis ſpoliatum ad regni adminiſtrationē ineptum reddidit. Non multo pòſt ſceleris pœnitens, Helichardi epiſcopi interceſſione fratrē ad ſibi ignoſcendum permouit, & ad cōmuni conſilio adminiſtrandam Remp. admiſit. Dubrauius lib. 6. & 7.

Mortuo Ladiſlao Boëmorum rege, nunquam maiore ambitu comitia regis creandi in Boemia caluerunt. Cæſar FRIDERICVS III, in petitione ſua, ius, quod feudatarium uocāt, à Ladiſlao neglectum & contemtū prætēdebat: adeoq; Alberto aut Sigiſmundo Auſtriæ ducibus, ex antiquo fœdere inter Boemiæ & Auſtriæ principes icto, regnū illud alteri eorū aſſerere tentabat. CASIMIRVS Poloniæ rex, cui ſoror Ladiſlai nupta erat, & VILHELMVS Saxoniæ dux, qui alteram ſororem natu maiorē in matrimonio habebat, regnum ad ſe iure ſucceſſionis pertinere dicebant. At rex Gallus CAROLVS VII. qui filiā Ladislao deſponſaturus fuerat, non iure aut ambitioſa petitione, ſed auro & opibus, quibus etiam parta regna debellantur, audacter prenſabat, ſpondens omnia regni debita ſuo ære ſe perſoluturum, omniaque à regno alienata ſuo marte recuperaturum, & ad annum uſque ſeptimum nullum planè tributum à quoquā exacturum. Si admiſſi & in comitiis auditi oratores Galli fuiſſent, opinio erat, ablaturos illos ſuffragiorum calculum fuiſſe. Sed non defuit Georgio Podiebradio regni Gubernatori prouidentia, ad cauendum, ne priùs ulli oratores in Senatum uocarentur, quàm Rex futurus eligeretur. Locus eligendo regi in domo prætoria ueteris urbis conſtitutus, cohortibusque armatis circumdatus. In eum antequam conuenirent, per ſpeciem religionis templum Rokyczanæ ingreſſi, concionantem audiuêre: Ne quem externum regem ac minimè omnium Germanum declararent, experti toties quàm animati ſint Germani in Boemos, tantū uidelicet, ut ſi poſſent, hodie potiùs quàm cras perderent omnes: nulla noſtra, inquit, culpa, niſi quia ueritatem agnouimus, quam illi hæreſin uocant, & nos per contumeliam hæreticos, ut ita nos traducant per ora hominum, & tantam nobis conflent apud cœtus piorum inuidiam, ut quaſi impij & piaculum meriti à ſedibus conciliisq; eorum abigamur. Sed ſi nos Boemos eſſe meminimus, nulla tanti ignominia erit, ut propter illam à maioribus acceptam multoque ſanguine partam religionem prodamus. Et quis tandem melior eius cuſtos fuerit, quàm ille, qui in ipſa religione natus educatusque, & qui ad eandem defendendam promtus paratusque ſit, nempe ipſe Gubernator, conſiliis & armis iuxtà conſpicuus, & nobis iam pridem omnibus domi militiæque ſatis notus. Aut hunc regem nominādum eſſe, aut ſi nemo inter Boemos tanto faſtigio dignus cenſeatur, Hebræo more duodecim Iudices aſſumendos, qui populum Boemum æquo iure gubernarent. Hinc in prætorium itum, & tam foris quàm intus priùs acclamatum, quàm decretum: Viuat rex Georgius. Solenne in Boemis eſt, Cæſarum diplomatibus comprobatum, ut rex Boemiæ ab Archiepiſcopo Pragenſi, aut Epiſcopo Olomucenſi, ſi Pragenſis non adſit, inungatur coroneturque. Pragenſis ſedes tunc uacabat: nec Olomucenſis Protaſius confirmatus erat: neque ullus è Germanis epiſcopis falcem in alienum agrum, ac præſertim, ut dicebant, zizania Huſſitarum infectum, mittere uolebat. Ergo cùm Georgius iuſiurandum à Romano Pontifice Calixto oblatum præſtitiſſet: miſſi ex Vngaria ſunt à Matthia genero duo Epiſcopi, Iaurinus & Vaczouienſis, in Boemiam, qui munere illo coronandi fungerentur. Affuit & Protaſius Olomucij electus, ut teſtimonium de iuramento perhiberet. Iuramentum Latinè primùm recitatum palàm fuit: dein uernacula lingua Georgio per regni Cancellarium, ut uocant, prælectum. Quo audito, ſchedam ille in manus ſumens, nō dubitauit, in omnia illa uerba, quæ ibi cōcepta & ſcripta fuerāt, ore ſuo iurare: Obedientiā uidelicet ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cuſtodire, & illam tueri & propugnare pro uirili enixè uelle, ac populum ſibi ſubiectum ab omnibus erroribus, ſectis, hæreſibus, atque ab aliis articulis Romanæ atq; fidei Catholicæ contrariis reuocare, & ad ritum cultumq; ueterem reducere. Dubrauius.

DANORVM, SVECORVM.

Frothone Danorum rege mortuo, relictis tribus filiis, ex æquo regni cupidis: HALDANVS, Roe & Scato fratribus interfectis, regnum parricidio inuaſit: eorumq; fautores ſuſpendio abſumſit. Cranzius lib. 1. Daniæ, c. 13.

SIGEFRIDVS & AMILO è ſtirpe regia iuuenes, Henningo Danorum rege mortuo, cùm inter ſe de primatu regni conuenire non poſſent, prælio rem dirimendam putauerunt. In quo congreſſu undecim millibus hominum interemtis, reges ambo ceciderunt. Pars Amilonis cruenta uictoria potita, Reginfredum & Heroldum in regnum collocauerunt. Cranzius libro primo, capite 17. Metropoleos, & Sigebertus in Chron. & Auentinus lib. 4.

CANVTVS Magni, & SVENO Erici filij, ambitioſa contentione regium appetebant nomen in Dania. Suenoni Sialādenſes, Iutij uerò cum Eſchillo ſummo Daniæ pontifice Canuto adhærebant. Tandem ad Fridericum I. Imp. ſe cōtulit Canutus, infelix bellator, eique regni ſubiectionem, ſi reſtitueretur, promiſit. Imperator ſua interpoſita auctoritate, utrunq; Merſburgi adeſſe iuſſit. Quibus comparentibus, litem hac ratione diremit, ut Otho Friſingenſis libro 2. capite quinto de geſtis Friderici annotat, ut Canutus Sialandia cōtentus, regio ſe abdicaret nomine: quo ſolus Sueno frueretur, Romanoque Imperio parēret. Valdemarus, D. Canuti F. qui Suenonem ſecutus fuerat, fidem ſuam interpoſuit. Ad ſuos reuerſus Sueno, pacis conditiones, quas nemo ante ſe Daniæ regum accepiſſet, reſpuit, nec Canuto Sialandiam ceſſit. Interea cùm luxurioſè & crudeliter regnaret, Canutus Sophiam ſororem germanā cum ampliſſima dote Valdemaro deſpondit. Sueno amici cum hoſte coniunctionem moleſtè ferens, illum perfidiæ & proditionis inſimulabat. Tandem habito colloquio, pax inter Suenonem & Canutū & Valdemarum firmata eſt. At cùm ſæpiùs uitæ ſuę inſidias Suenonem ſtruxiſſe, Valdemarus cognouiſſet, apertè cum Canuto ſocero ei bellum fecit, & uterque regium nomen ſibi adſciuit. Sueno à ſuis deſertus, per integrum triennium apud ſocerum latitauit. Pòſt per Henricum Saxonē & Hartuicum Bremenſem reductus, regnumque in tres partes diuiſum eſt, ſic ut Iutiam Valdemarus, Sialandiam & Fioniam Canutus, Scaniam Sueno acceperet, ac ſinguli regio nomine inſignes eſſent. Pactum ſacramento firmatū. Sed Sueno utrique ad conuiuium uocato necem intentauit. Et Canutus quidem occiſus eſt, Valdemarus uerò in femore grauiſſimè ſauciatus, noctis beneficio euaſit, & militem conſcripſit. Suenonis ſcelus exoſi pleriq; illi ſe adiunxere. In Iutia atroci commiſſo prælio, Sueno capitur. Cùm ad Valdemarum ſe duci peteret, à quodam ſubitò aduolante ſecuri ipſi caput præſciditur. Itaque ſolus Daniæ regno potitus fuit Valdemarus. Saxo libro decimoquarto, & Cranzius libro 6. Daniæ.

Valdemarus Suecorum rex, peregrinationem ſuſceperat in terram Sanctam (priùs de more inuiſens urbem Romam) Interea frater eius MAGNVS regnum occupauit, pro rege legitimo ſe ferens, populo conſentiente, & Valdemarum regno adminiſtrando minùs cenſente idoneum, qui Eccleſiarum tereret limina, non regia obiret negotia. Reuerſus Valdemarus, & contractis, quos in regno multos pro uirtute & modeſtia reliquerat, amicis: prælio commiſſo uictus,

cum uxore ac liberis concessit in Daniam ad regem Ericũ. Post longum exilium, quum armis in fratrem nihil proficeret, accepta prouincia, in qua regi minimè posset obsistere, renunciatoque omni iuri regio, conquieuit. Cranzius lib. 5. Succiæ cap. 24.

ANGLORVM, SCOTORVM.

Post Gorbodionem Britannorum regem FERREX & PORREX eius filij inter se de regno dimicare ceperunt, in quo certamine Ferrex interfectus est. Mater subito furore percita, alterum filium nacta dormientem, adiuuantibus ancillis, crudeliter trucidauit. Polyd. lib. 1.

Leyrus, Britannorum antiquus rex, non minùs egregiè, quàm prudenter annos multos regnauit. Huic tres tantùm filiæ erant, quas iam senio confectissimus quibusdam suis heroibus locandas, ac opes æqua lance diuidendas statuit. Verùm pòst duabus natu maioribus, quæ priùs nupserant, opes assignauit, eò quòd illæ plus amoris in ipsum habere uiderentur. Minima enim natu nomine Cordilla, cui natura præcox ingenium dederat, interrogata, an parentem multũ diligeret? respondit, se patrem ferre in oculis, semperque laturam, licèt deinde contingeret, ut quempiam alium (de marito intelligebat) ardentiùs amaret. Quo responso, tametsi sapientiæ pleno, Leyrus indignatus, indotatam regulo Gallo puellæ forma capto collocauit. Sed haud multo pòst à GENERIS & FILIABVS, regno spoliatus, ad Cordillam confugere coactus & ab ea in regnum restitutus, interfectis generis, triennium regnauit. Cordilla amisso uiro, in Britanniam rediit, regnumque paternum iussu populi obtinuit. MORGANVS interea & CONEDAGIVS sororum filij, facta militum manu mulierem cum paruo exercitu obuiam factam ceperunt, in carceremque coniecerunt. Illa amissi regni dolore perculsa, post annum quintum, quàm regnare ceperat, sibi mortem consciuit. Morgano è medio sublato, Conedagius solus rerum potitus est. Polyd. lib. 1.

CARAVSIVS, homo obscurè natus, cæterùm militari gloria clarus, cùm Diocletianus eum iussisset oram Oceani circa Belgicam præsidio tueri, aduersus Saxones latrociniis mare infestum reddentes, putabatur de industria nõ priùs hostibus occurrere, quàm illos præda onustos sensisset, ut ea Saxonibus ademta potiretur: nec enim res ita receptæ prouincialibus restituebantur. Itaque flagitij conscius, cùm cõperisset indicio, Maximinianum Herculeum, quem Diocletianus imperij consortem adsciuerat, qui tunc in Gallia erat, de nece sua cogitare, Britanniam occupauit. Eum Britanni, excusso Romanorum iugo, regem sibi crearunt. Cum eo deinde est uariè belligeratum. Sed cùm uinci non posset, facilè pacem impetrauit, septemque deinceps annos insulam tenuit. Hunc Alectus sociorum unus per insidias occidit, & tyrannidem occupauit: sed triennio pòst ab Asclepiodoto præfecto prætorij uita priuatus est, & Britannia à Romanis recepta anno Sal. CCC. Polyd. lib. 2.

BRENNVS Dunuallonis, Britannorum regis F. regnandi cupiditate fratrem Bellinum bello petiit. Sed antequam ad pugnam esset uentum, uterque matris interuentu ab armis discessit. Polydorus lib. 1.

Ethelbertus Orientalium Anglorum rex sanctiss. procerũ precibus uictus Alfredam Offæ Merciorum regis filiam ducere, & maioris gratiæ à socero ineundæ causa ille ipse ad puellam deducendam proficisci uoluit. Cùm primùm in equũ ascenderet, terra ei uisa est tremere sub pedibus. Exin in itinere de medio die nebula repentè circumdatus aliquamdiu nihil uidit: & nouissimè uisus est sibi in somnis uidere fastigium regiæ suæ subitò corruere. Iis portentis etsi terrebatur, attamen nihil fraudis suspicatus, ire perrexit. Accepit OFFA adolescentem uenientẽ humaniter. Eius uxor Quendreda, ut Ethelberto interemto regnum Orientalium Anglorum Offa occuparet, per sicarios Ethelbertum noctu iugulauit. Offa eius regnũ statim armis inuasit, occupauitq;. Alfreda uirgo cognita morte sponsi, diuino instinctu concita prædixit fore, ut mater sceleris tanti pœnas daret meritas: id quod breui pòst tẽpore contigit, Egfredo Offæ filio adolescente opt. sine liberis mortuo. Ipsa uirginitate Deo dicata, ad locũ, cui nomẽ est Crolandia, se contulit, ibique sanctissimè uitam egit. Polyd. lib. 4.

In Merciorum regno secutus est bonum patrem Cenulfum optimus filius Chenelmus admodum puer, castissimis moribus. Is plenus pietatis, ac ad res duntaxat diuinas intentus, opera QVENDREDÆ sororis longè scelestissimæ mulieris, in prima pueritia ab educatore suo iugulatus, & ne facinus unquam proderetur, in loco deuio terra humatus est. Ferunt non multo pòst quandam schedam literis aureis scriptam, super princeps altare in æde principis Apostolorum Romæ incerto auctore positam, & in ea de martyrio innocentissimi Chenelmi indicatum, declaratumq; esse ubi loci corpus iaceret. Corpus inuẽtum, multo cum honore, in cœnobio Vinchelcumbensi sepultum est. Quendreda non ad curam regni administrãdi, prout sperauerat, admissa est, sed oculis capta, diuersisq; cruciatibus afflicta, miserrimè uitã ad exitum perduxit. Ibidem.

Edouardus II. Edgari legitimus F. patre mortuo, inuita ALFREDA nouerca, Edgari concubina, rex dictus est, adolescens summæ sanctitatis. Alfreda Etheldredum filium, Edouardo extincto, regnare cupiebat. Rex uenatum ierat in eũ saltum, quem uulgò uocant Nouam Forestam, & ferarum canumque cursum insecutus, solus ad ædes Alfredæ, quæ in proximo erant, bibendi, seu Etheldredi fratris uisendi causa, accessit. Est eò loci hodie arx, quam appellant Corphim. Hunc equo insidentem, & scyphum haurientem seruus Alfredæ iussu percussit. Rex accepto uulnere, fugiens equo lapsus statim interiit. Impia nouerca postea corpus innocentissimi uiri clàm humari iussit, & consciẽtia urgente ieiunio & uerberibus corpus suum afficiens, omne patrimonium aut indigentibus hominibus partiendo, aut sacras ædes ædificãdo, sarciendoúe effudit. Etheldredus in regno successit. Polydorus lib. 6.

Beatrix, Eduardi Anglorum regis filia, CITHRICO Danorum in Anglia duci matrimonio iuncta fuit, ea conditione, ut si quis ex eo connubio uirilis sexus nasceretur, in regnum succederet Anglorum. Eduardi germanus Eduinus, Cithrici suasu solutili naui consultò missus ab Eduardo in Flandriam, ne ad regnum aspiraret, passus naufragium, in mari interiit. Athelstanus, Eduardi nothus, sponte exulatum iuit, ne Danorum insidiis circumueniretur. Mox Eduardus à filia Beatrice admonitus, ut generi caueret insidias, uehemẽter dolens fratrem Eduinum extinctum, quodque sanguinem cum Danis miscuisset, actus penè in amentiam, personæ atque dignitatis oblitus, uix cohiberi ab astantibus amicis potuit, quin uim sibi inferret. Ad se tandem rediens, dolore in irã uerso, filiæ opera generum ueneno sustulit. Duo Cithrico erant filij, Aualassus & Godofredus, arte militari insignes. Hi summum omnium suffragiis adepti inter Danos magistratum in Albione, armati in paternæ necis ultionem, rem omnem ex aulicis & ancillis de nouerca per quæstiones extorsere, & inaudito supplicij genere, ouis feruentibus sub axillas coniectis, brachiisque ad thoracem arctè alligatis, incudi frigido nudam insidentem horrendo cruciatu extinxere. H. Boethius lib. 11.

Cæsis Danis una nocte per totam Angliam, cùm Hardicanutus rex sibiipsi manus intulisset, GODVINVS uir potens ad duos Eldredi regis filios in Normannia exulantes accersendos mittitur. Is uerò filio suo regnum ambiens, Canuti II. regis ex filia nepoti, necem utrisque ueneno intentat. Et Alfredus quidem periit: Eduardus seruatus, in Angliam traiicit, & regnum auitum recipit. Atque ut clementis erat ingenij, Goduino ueniam petenti ignouit, eiusque filium Heraldum ducem creauit Oxonij. Accidit ut dum regiæ aliquando mẽsę adstaret, & de Alfredi interitu querela esset exorta, Goduinus flagitij suspicionem à se auertere conatus, arrepta panis buccella, Ita me superi hoc pane strangulent, inquit, ut me auctore Alfredus ueneno necatus est: ac dicto citiùs moribundus in terram concidit. Rex ac circumstantes miraculo rei obstupefacti, Deum laudibus extulerunt optimum iniuriarum uindicem. Mortuum cadauer in profano loco sub patibulo sepultum est. Eduardo mortuo Angli Heraldo Goduini F. regnum deferunt. Cæterùm ob perfidiam à Gulielmo Normanno uictus, & regno exutus est. Et aliquot pòst annis agri eius, haud procul à Tamesis fl. ostiis arena sunt obruti (uulgò Goduisandis, hoc est, Goduini arenæ appellantur) cum omni posteritate. Hector Boethius libro duodecimo.

Philippus rex Francorum, Gulielmo Conquæstori, Anglorum regi, cuius rerum magnitudo iam ei formidolosa esse ceperat, negotium exhibere cupiens, quo eius uictorias infirmaret, ROBERTVM, eius filium in patrem armauit. Promiserat huic pater diu antè, se Normanniam administrandam daturum. At iuuenis cupidus imperij, ui à patre consequi studebat, quod expectare longum censeret. Pater cum exercitu in Normanniam traiecit: paratisque copiis, dum pugnatur acriter, Robertus præmittit in hostem, pedestri iam turbatum pugna, equites, qui perruptis ordinibus, in nouissimam aciem penetrant, quos ipse insecutus incidit in patrem, quem transfosso brachio, de equo in terram deturbat: sed ubi ex uoce patrem esse cognouit, omisso equo, eum tollit, se ad eius pedes abiicit, petitque ueniam commissi. Rex motus patria caritate, in amplexum filij accurrit, quem deinde morem sibi gerentem in oculis semper tulit. Mortuo patre, Gulielmus Ruffus frater regnum occupauit. Robertus collecto exercitu illud frustra uindicare conatus, oppignorata Gulielmo Normannia, bellum sacrum in Syria secutus est. Morte Russi audita, spe fraterni regni Hierosolymitano repudiato, quod ei à Latinis offerebatur, domum regressus, Normanniam facilè recuperauit, cùm frater eius

Henricus iam rex declaratus esset, repugnantibus quibusdã proceribus, qui se Roberto adiunxerant. Res iam ad arma uenerat, uerùm pax ita facta, ut Henricus, qui patre rege natus esset (nam cum Gulielmus Conquæstor post regnum adeptum genuerat) Angliæ regnum obtineret cum Constantiensi comitatu in Neustria, & quotannis in singulos annos terna millia marcharum, Roberto daret: & qui prior sine liberis decederet, alterum hæredem testamento scriberet. Nõ multo pòst Robertum uirum sanè quàm facilem æquè ac liberalem, Henricus ita blandis uerbis affatus est, ut sponte sua, illa tria millia marcharum in perpetuum ei remiserit: atque ita uacuus paucis pòst diebus in continentem reuersus est. Addit Aemilius, Henricum proceres suæ ditionis, qui cum Roberto senserant, in exilium egisse: eaque iniuria irritatum Robertum, Constantiensem ducatum à fratre ad se reuocatum, proceribus illis attribuisse. Pœnituit secundùm hæc Robertum liberalitatis, qua erga fratrem minimè indigentem, & tempore non necessario usus fuisset. Quare teneri non potuit, quin animo inimicissimo diceret se ab eo fallaciter circumuentum. Hæc ubi Henricus resciuit, infestis armis Normanniam inuasit, & parte eius occupata, in Angliam rediit. Robertus imparem se tanto hosti uidens, cũ paucis in Angliam profectus, fratri supplex factus, cùm nihil æqui impetrasset, illius superbiam execratus, summis uiribus pugnans uictus est, atque perfidia suorum captus, honoribus fortunisque omnibus exutus, in carcerem datus est, ad oppidum Valliæ, quod Cardiffum dicunt: ubi loci uigesimosexto pòst anno, partim senio, partim animi mœrore confectus mortem obiit, uir certè præstantissimus, & cum quouis claro belli duce cõparandus, si aut paulò cautior, aut in sententia constantior fuisset. Cuius crudelitatis Henricus pœnas dedisse creditur, amissis naufragio Gulielmo, Ricardo & Maria liberis. Henricus Normannia omni potitus, se Ludouici Crassi, Franci regis beneficiarium professus, in uerba eius iurauit, spondens se Gisortianam arcem à Gulielmo rege exædificatam demoliturum, ubi primùm à Pagano nobilissimo uiro, qui eam obtinebat, recepisset. Receptam ille retinere integram perseuerabat, firmabatque. In extremis Normanniæ finibus castra castris collocata sunt. Et hæc primordia grauissimorum bellorum ab Anglis in Gallia gestorum. Aemilius libro quinto, & Polydorus libro 11.

Mortuo Henrico I. Anglorum rege, nullis ex se relictis liberis uirilis sexus, duæ florentissimæ inter Francos familiæ, regni eius ius legibus sibi obuenire dicebant. MATHILDIS Hẽrici filia, quæ Godofredo Comiti Andegauensi nupserat, ex eoque Henricum & Gulielmum procrearat, patri succedere se æquum censebat: ut rem Anglicam maior filius Henricus, nondum pueritiæ annos supergressus, cùm pubesceret, regendam susciperet, se interea tutrice. Contrà tendebat STEPHANVS Stephani Blesensium Comitis filius, ex sorore eiusdem Henrici regis susceptus, opibus consilioque præstans. Vxorem duxerat unicam filiam Eustathij Comitis Bononiensis: eoque defuncto, nobilissima urbe dotali potiebatur: unde in Angliam (nullo tunc Calisij oppidi nomine) breuis commodusque est traiectus: ut fortuna illum in regni uelut uacantis possessionem excire uideretur. Stephanus itaque prior regnum inuasit, & rex ab Anglis salutatus est. Mathildis, Ludouici iunioris Francorum regis auxilio, Andegauensi Turonensique ac Cenomana simul & Normannica iuuentute cùm transmisisset, multa prælia, in quibus aliquot secunda, fecit, Stephanum signis collatis cepit. Gulielmus Stephani filius, refecto exercitu discrimẽ summæ rerum redintegrabat, impigro patre nihil segnior. Vltro citroque amicis propinquisque commeantibus, fœdus ictum his legibus, ut Stephanus dimitteretur, ac omni deinceps uita regnaret: defuncto succederet Henricus: Gulielmus uerò Stephani filius certis in Anglia Normanniaq; oppidis ipse sobolesque potiretur. Aemilius libro 5. & H. Boethius libro 12.

EDOVARDVS IV. Henricum VI. eiusque F. Edouardum summæ spei adolescentem regnandi libidine captos interfecit: & fratrem suum Georgium Clarentiæ ducem metu insidiarum in dolio uini Cretici suffocauit. At RICARDVS III. frater, tutor filiorum relictus, occupato regno Edouardum & Ricardum eius filios captos in turri Londinensi necauit. Ricardus scelerum conscientia omnia timuit, Edouardum filium unicum amisit, in odio populi summo fuit, omnes calamitates publicas illius sceleribus acceptas ferentis. Posteaquam autem Henricum Richemondiæ comitem, exulem in Gallia, reditum tentare audiuit: promissa ei in uxorẽ Elizabetha Edouardi IV. filia, ut nuptias hasce regno suo exitiales remoraretur, animum ad neptem adiecit, utq; nuptiis illius potiretur, uxorem suam Annam, sterilitatis crimine obiecto, è medio tollendam ueneno curauit. Sed puella incestum execrante, ab Henrico in acie priùs cęsus est, quàm libidini suæ satisfecerit, anno regni secundo, Christi 1486. Cuius cæde nunciata, supplicationes publicæ sunt decretæ. Eius cadauer nudum, dorso equi impositum, artubus utrinque dependentibus Lecestriam sine honore delatum. Polydorus lib. 25.

Henricus II. Anglorum rex, HENRICVM F. consortem regni fecit, ne se mortuo inter filios de regno exoriretur contentio. Dedit eo ipso die rex, quo filius regia insignia accepit, epulum, in quo honoris gratia, primum ferculum, ipse inueniliter exultans, filio discumbenti apposuit. Quo facto, adolescens aliquanto superbior effectus, cùm insolentiùs solito circumstantes intueretur: Eboracensis antistes, qui assidebat, ioci causa, ad eum conuersus, Gaude, inquit, optime fili, non est enim alter in toto orbe princeps, qui talem habeat in mensa administrum. Ad ea ille stomachatus respondit: Et meritò quidem: ille materno duntaxat genere clarus mihi administrat, qui & patre rege & matre regina natus sum. Pater hæc audiens, antistiti submissa uoce ait: Pœnitet, inquam, pœnitet extulisse hominem. Filius æquas cum patre partes sibi arrogabat. Pater contrà & regio nomine, & spe regni contentum eum esse oportere censebat: sin contumaciùs ageret, cùm quatuor essent fratres, proximum illi ętate Ricardum obiiciebat: fœdusque cum rege Franco iniit, atque affinitatem inter regias. Margarita immatura uirgo filia Franci regis Ludouici seni Henrico regi data est, ut ea seruaretur, quoad matura uiro foret. Puella nimis diu ab Henrico sene seruabatur, nec eius, ubi maturuit, copia, cupido & regni & splendidissimi coniugij, iuueni Henrico à patre fiebat: adeò ut atrox fœdaque suspicio exoriretur, nuptias filij patrem ipsum incestum suum fecisse. Ergo filius à patre defecit ad Francum regem: ab eo gener beneficiariusque, ac adeò Normanniæ Dux salutatur. Hinc auctus ad patrem redit: ab eoque Margaritam extorquet, eamque sibi matrimonio iungit, exprimitque à patre, ut Angliæ proceres in uerba sua iureiurando adigantur. Cum uxore coronatus, à socero ad regnum ui occupandum instigatus, scelerata arma contra patrem gessit, & fratres quoque duos, Ricardum & Godofredum in societatem impietatis traduxit, instigante matre Aleonora Aquitana, pellicum furiis accensa. Henricus in Normannia à Gallo, in Anglia à Scoto, impietati filiorum fauentibus, pressus, cùm æquissimis pacis conditionibus oblatis nihil impetraret, ad uim necessariò conuersus, armisque superior, filios tandem in gratiam paterno affectu recepit, cùm duobus annis bellum cruentissimum gessisset. Nec multo pòst Henricus F. ad ingenium reuersus, clàm cum suis consilia euertẽdi patris agitabat. Sed morte præuentus, nefarij conatus pœnas dedit. Polydorus lib. 13. & Aemilius.

KENNETHVS II. Scotorum rex, cùm per XX annos regnũ sanctissimè administrasset, in fœdum parricidij crimen incidit: eò fœdius postea habitum, quò innocentior fuerat ad id tempus eius uita, notiusque omnibus in publicam salutem studium. Nam ægrè ferens, Malcolmum ex Duffo rege fratre nepotem, ab initio suæ administrationis, Cumbrorum principem creatum, eumque suis liberis, ætate minoribus in regno prælatum iri: ut filio suo Malcolmo (erat id natu maiori nomen) Cumbriæ deferretur principatus, Malcolmum uirum optimum ueneno sustulit. Mox antiquata lege, ne quis impubes in regno succederet, Constantino Culleni filio, & Grimo Duffi regis ex fratre nepote, præteritis, uiris prudentia & auctoritate summis, filium Malcolmum Cumbriæ principem designauit. Largitione conciliatis omnium animis, ipse interim flagellis conscientiæ mirificè uexabatur. Noctu quiescens uocem incertam audiuit, Tempus adesse Malcolmi cædis uindicandæ & expiandæ. Ea territus uehementer, manè antistite Moueano uiro sanctissimo accito, scelus fatetur ueniam precatur. Eius uerbis confirmatus, sacra loca, diuorum templa frequentiùs inuisere: piorum cœtus pauperesque uestire, fouere, sacerdotes plus solito honorare: nihil demùm omittere, quod pio rege dignũ arbitraretur. Non multo pòst Forduni in Mernia ad Scotorum apostoli Palladij sepulcrum profectus, in arce Fetirca, ubi saltus erat omni ferarũ genere abundans, à Fenella loci domina, cuius filium Cruthlinthũ, quòd cruentam inter Angusianos Mernianosque seditionem excitasset, ultimo affecerat supplicio, receptus, dolo interfectus est. Constantinus Culeni regis F. Malcolmo Kennethi F. Cumbriæ principe præterito, rex dictus: Eoque per Kennethum Malcolmi fratrem cæso, Grimus Duffi regis nepos. Malcolmus inde Grimo reconciliatus fuit, iis legibus: ut Grimus, ne ludibrio esset, si ex rege priuatus fieret, in publica administratione ad uitæ exitum perseueraret: sed eo uita functo, Malcolmus regnum adiret: Regium nomen Kennethi sanctione in eius familia exinde remaneret. Hector Boethius libro undecimo.

Mortuo Alexandro III. Scotorum rege, Gulielmi regis nepo-

te, absque liberis: inter cognatos de regno contentiones sunt excitatæ. Duo erant præcipui, ROBERTVS Brusius, auiam habens paternam Dauidis, Gulielmi regis fratris filiam minorem Isabellam: & IOANNES Baliolus, auiam maternam habens Margaritam Dauidis filiam maiorem. Robertus itaque sexu, Baliolus ætate nitens, regnũ sibi deberi putabat. Arbitrum controuersiæ deligunt Eduardum I. Anglorum regem. Qui occasionem hanc sibi dari ratus, Scotiæ subigendæ, primò quidem in Galliam ad iurisperitos consulendos de causa hac misit: sed ut corruptè ac falsè uarieque sententias ferrent, præcepit: ut si diuersè à diuersis iudicatum esset, cuicunque uideretur, regnum adiudicare posset. Maxima tamen pars iurisperitorum pro Roberto iudicabat, cùm ob nobilitatem uiri, tum quòd à patre regiæ stirpis pars esset. Nonnulli alij pro Ioanne, causam falsò ab Anglis edocti, pronunciarant. Eduardus Beruicij concilium uiginti quatuor uirorum, ex Anglis & Scotis proceribus delectorum, conuocat, curiæ uestibulum undique occlusum præsidio suo firmat, ne quisquam se inuito eò intraret aut exiret. Mox corruptis iudicibus, ut quem ipse regem fecisset, in uerba priùs sua ueluti superioris Regni adigere iuramento posset: cùm Robertum patriæ libertatis amantissimum frustra tentasset, Ioannem in sua uerba iurare paratum, regem dixit. Ferunt comitem Glomoriæ, manu Roberti apprehensa, in hæc uerba prorupisse: Memineris, ô rex, quàm rectè hanc causam iudicaris: quidque supremo illi iudici cordium scrutatori in censorio die sis responsurus. Non multò pòst cùm Eduardus ad bellum Gallicum Ioannem ex data fide sollicitaret: is uerò metu se in eius uerba iurasse, neque nisi consultis tribus regni ordinibus id ratum haberi posse affirmaret: bello indicto, Beruiciũ Anglus occupauit, & Roberti Brusij proditione magno prælio uictum Ioannem cum Eduardo F. spe pacis facta ad se uenientem, metu mortis coëgit, uti manu dextra ramum album tenens, ius omne regni in se transferret, diplomatibus pro arbitrio suo conscriptis. Beruicium inde abiens, omnes nobiles Scotos, in uerba sua iurare coëgit: Ioannem aliquamdiu in custodia habuit Londini: sed pòst in Scotiam remisit, retento tamen filio. Ioannes non ferens ignominiam, sponte in Angliam exul rediit, inde in Normanniam, ubi in castello Gaillardo amissis præ senio oculis tabe periit. H. Boethius lib. 14.

Extincto Angliæ rege Edouardo, Henrici VIII. F. IOANNA Suffolcia regis Henrici proneptis è sorore, pronunciatur regina, simulque de scripto recitatur, Quemadmodum Edouardus de consensu procerum grauissimis de causis, Mariam & Elizabetham sorores exhæredarit, & regni successionem ad Ioannam transmiserit. Tulit hoc indignissimè populus, & omnis nobilitas, non tam studio Mariæ, quã odio Northumbrij DVCIS, Ioannæ soceri: quum nemo ferè dubitaret, quin huius esset auctor ipse consilij, nimirum ut sublato rege uenenis, hac uia regnum tanquam in suam domum deriuaret. MARIA confugit in Norfolciam ad castellum Framingam, & opem implorans, pro regina sese gerit. Northumbrius cogit copias, ut illam comprehendat. Londinenses consiliarij, quum offensionem ordinum non ignorarent, mutata uoluntate, Mariam eligunt reginam, & Ioannam custodiæ tradunt. Northumbrius læsæ maiestatis damnatus, capite multatur. Northumbrij filius Guilfrodus Dudlæus, unà cum ipsius uxore Ioanna Suffolcia, capite multantur, quòd contra legitimam successionem ad regnum aspirassent. Ioannæ sortem plerique omnes miserabantur, quòd innocentissima puella, liberaliter educata, literisque & linguis, & singulari exculta pietate, tantam in calamitatem incidisset, non sanè alia de causa, quam quòd regnum oblatum non constanter repudiarat. Antequam securi perculeretur, quum esset in publico constituta, concionem habuit ad populum plenam modestiæ, pietatis & fidei. Mox puellis pedissequis linteolo sibi oculos uelandos præbuit: & Christo Iesu sese commendans, carnifici ceruicem feriendam præbuit. Sabellici supplem. libro uigesimonono, ex Sleidano.

TARTARORVM, TVRCORVM.

Mahomete II. Turcorum rege mortuo, anno Salutis 1481. Byzantij confestim tumultuatum est, hostiliterque inter duces dimicatum, parte una militum ad BAIAZETEM II. trahente summam imperij, ad ZIZIMVM altera, minorem natu fratrem. Ambo tum procul aberant, Zizimus Lycaoniam obtinebat, agebatque Iconij: Baiazetes in ora Pontici maris, circa Paphlagoniam, unde fuit illi Byzantium facilior recursus. Post patris interitum Achimatus unus ex fortissimis ducum, is ille, qui Hydruntum occupauit in Italia, firmauitque præsidio, Zizimica factione ui pressa, & Baiazete adhuc absente astruxit imperium: fuitque auctor, ut tantisper, dum pater abesset, eius filius summæ rei præficeretur. Zizimus ad se imperium trahere conabatur, quòd etsi fratre minor esset natu, tamen ille ex patre nondum rege procreatus esset, ipse uerò non solùm ex patre rege, sed iam & Græciæ imperium adepto. Sultani Aegyptij armis frustra imploratis, circa Iconium à fratre penè circumuentus, naui, quam paratam habuit, subitò conscensa, imminenti se periculo subtraxit. Inde ubi paululum à litore progressus est, literas ad fratrem dedit, sagittæ alligatas, quæ arcu uiolenter excussa, in proximum emissa est litus. Fuerunt literæ, quas ille ad fratrem dedit, hoc argumento scriptæ, ut diceret Zizimus, se non fidei, non gentis odio, sed fratris iniuria subactum, ad Christiani nominis uiros fugam intendere, hos aditurum, qui omnium maximè Othomannico essent nomini infensi, unam spem in tantis malis secum ferre, uel ut ipse iniuriæ auctor, uel eius filij quandoque præsentis aduersus se impietatis debitas exoluerent pœnas. Fertur Baiazetes ea epistola commotus lacrymis temperare nequiuisse, animoque consternato, tabernaculum ingressus, aliquamdiu tacitus sedisse, amenti similis. Zizimus à Rhodiis exceptus in insulam defertur: quem uenientem militiæ Magister magna officiorum frequentia excepit. Ex Rhodo in Galliam primò ad regem perductus est, Innocentio dein pontifici deditus, qui Sixto IV. successit, estque ea deditio arte & solertia Leonelli Concordiensis antistitis, Apostolici legati, Gallis magis expressa, quàm impetrata, quũ & Baiazetes, per legatos, præter cætera, sacratissimum Christi sepulcrum cum Hierosolymis & omni terra, quæ Sancta dicitur, Christiano se nomini daturum pro Zizimo polliceretur, adiiceret & lanceam, qua Christi regis hausit latus. Nec id minus impensè à Pannoniæ rege Mathia petebatur, qui Zizimo sibi dedito indubitatam de Turcis uictoriã pollicebatur. Romam missus aliquot superuixit annos. Periit Alexandri VI. pontificatu, Carolo IIX. quum in Italiam uenit, traditus, ueneno (ut creditur) sublatus. Sabellicus libro 8. Ennea d. 10.

Supererant Turcorum Imperatori Baiazeti II. filij tres, Achomates, Corchutus atque Selimus. Baiazetes Achomato imperium dare cupiebat: prætoriani, quos Ianizaros uocant, Selimo fauebant. Corchutus philosophico ocio delectabatur. SELIMVS Tartarorum regis soceri sui auxiliis fretus, quod uoluntate non poterat, ui patri extorquere statuit imperium. Verùm magno uictus prælio, fuga sibi consuluit. ACHOMATVS spe concepta à uictore patre sese imperium uel inuitis Ianizaris obtenturum, Byzantium cum exercitu properat. Baiazetes ne prætoriani tumultum excitarent, Achomatum abire iubet. Ille indignatus, aperta defectione se Asiæ regem declarat. Contra cum pater hostem declaratum exercitum conscribit, & Bassarum consilio, qui clàm Selimo fauebant, Selimum reuocat, ut eo duce contra Achomatum uteretur. Selimus reuersus, largitione & gratia prætorianos mouit, ut eum non ducem tantùm, sed & Imperatorem crearint. Baiazetes modò terrarum orbis principum amplissimus, in tanta hominum perfidia, rerum omnium iniquitate, Byzantio excessit cum familiaribus suis, collecta preciosiore supellectile, petiturus Dimetocam Thraciæ urbem, amœnitate hortorum, cœlique temperie, & exilio & præsenti fortunæ oportunam. Sed quum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affectæ corporis uires collaberentur: medio itinere statui tabernaculum iussit, ut ualetudinem quietè curaret. Ibi septuagesimosexto ætatis suæ anno ab Hammone Iudæo medico, qui iussu Selimi salutiferæ potioni uenenum miscuerat, necatur. Metuebat enim Selimus, ne se in Asia absente contra Achomatum, pater imperium repeteret: inhiabat præterea amplis. thesauris, quos Baiazetes secũ exportarat. Elato patre, quinque nepotes ex fratribus iam pridem defunctis strangulauit. Corcuthũ fratrem bello aperto prosecutus, captum, per eosdem carnifices, eodem mortis genere, chorda arcus elisis faucibus, interficiendum tradidit. Iouius in Baiazetis uita.

Audita Selimi Turcorum Imperatoris morte, GAZELLES Syriæ præpositus rebellauit, ratus se sacramenti religione solutum, quòd Selimo tantùm, successori uerò Solymanno minimè sacramentum dixisse prædicaret, & proinde sibi decorum fore arbitraretur, si coactis in unum Mamaluccorum reliquiis, Syriam ad ueterem Sultanorum imperij (quod Selimus euerterat) conditionem, eiectis Turcis, reuocare contenderet: quando iam egregia uoluntate incolæ Syri atque Arabes in id consilium sibi probè consentirent, nec defuturum in ea occasione Cayerbeium arbitraretur, qui Aegypto præesset, quin se ex præfecto regem, & Sultanum efficeret, postquam Memphiticus populus acerbo esset odio in Turcas, & in eius manu totius Aegypti arma & opes sitæ uiderentur. Sed Gazelles trahendi in partes Cayerbeij spe depulsus, quòd hic certa tutioraque consilia dubiis atque asperis præferret, & Gazelli ueteri à superioribus temporibus inimico, nihil planè confideret, ita Gazellis cohortationes reiecit, ut eius legatum supplicio afficeret, ne Campsonianæ proditionis infamiam nouæ perfidiæ scelere cumularet. Misit etiam Gazelles legatos Rhodum, ut inde tormenta atque arma aduersus communes hostes Turcas impetraret. Per eum modum, quòd serò Rhodius Magister ferendæ opis consilia explicaret, superuentu Frahatis Bassæ, quem cum magnis copiis Solymannus è Cilicia in Syriam transire, & initia rebellionis opprimere iusserat, impar uiribus, sed animo inuictus, Damascum se recepit, ea mente, ut cum his, quas collegerat, copiis, quàm primùm cum Frahate confligeret. Atque ita Damasco eductis signis, ut honestè caderet, hostes inuasit, eo acerrimæ pugnæ exitu, ut ipse constantissimè dimicans, cũ suis omnibus nihil de fuga cogitantibus interficeretur. Iouius lib. 10. Historiarum.

Mahometo Tunetano rege mortuo, MVLEASSES Maimonem fratrem natu maximũ, cui regnum debebatur, Lentigesiæ matris astu suasuque interfecit. Roscettes natu secundus, qui extra arcem cum uxoribus habitabat, comprehendi non potuit: cæteri fratres partim iugulantur, partim candenti ferro oculis admoto lumine priuantur. Eo modo paterno potitus regno, quum nemini ex regia sobole parcendum esse statueret, aliquot etiam pueros fratrum filios enecauit, paternosque amicos in primis summæ auctoritatis, quorum studio atque ope Maimonem præoccuparat, uariis cruciatibus diu tortos & laceratos interfecit: quòd præclari beneficij gratiam exoluere nollet, atque eos idem aliquando contra se tanquam ingratum facilè molituros arbitraretur. Desæuiit & in aliquot nouercas, impellente Lentigesia, atque etiam concubinas patris, nefaria crudelitate, quum ipse præposterus & in mares procliuior, in Mahometem patrem palàm inueheretur, tanquam mulierosum ac effeminatum, qui exhausto ærario ingentes fecisset sumtus, ut ducentæ simul ad libidinem feminæ regiis in hortis alerentur, è quibus tot suscepisset liberos, qui in imperio æmuli forent, ob idque sibi in his occidendis pergraue & plenum inuidiæ negotium reliquisset: & fuêre, qui existimarent patrem in supremo morbo, quum ex subita animi defectione ad spem uitæ subleuaretur, medicata potione à parricida filio fuisse necatum. Roscettes apud Abdalam Biscaris urbis principem, & mox socerum, adeò solicitè atque accuratè est custoditus, ut etiam ueneni metu, non alia temerè in conuictu, quàm semesa ab se uxoreque esculenta genero præberentur. Tentato inde reditu, prælio uictus à Muleasse fratre, ad Hariadenum Barbarussam Algerium profugit. Barbarussa Roscette Byzantium abducto, Solymanni classi præfectus, Tunetano regno Muleassem eiecit. Sed illum Carolus V. Imperator in integrum restituit. Iouius lib. 33.

Muleasses rex Tunetanus, uti erat astrologiæ peritissimus, fata li astrorum influxu amittendi regni & sæuæ necis cladem sibi portendi diuinabat. Id periculi sibi à Barbarossa imminere metuens, ubi is Niceam urbem cum Gallis oppugnauit, Neapolim uenit, ampliora à Carolo V. Cæsare auxilia imploraturus. Ibi dum moratur, certis ab Africa nunciis didicit, AMIDAM filium ex repentina defectione regni Tunetani sedem inuasisse, interfectisque amicis atque præfectis, & gynæceo incesta libidine profanato, arcem occupasse. Quibus cognitis rebus grauissimè perturbatus, in Africam omni postposita mora traiicere, & perditis rebus uel seram opem afferre constituit. Conscripto ergo Neapolitani milite, Tunetum petit. Verùm in insidias præcipitatus, suo cruore, & multo puluere fœdatus, quum inter turbam terga uertentium profugeret, nulla alia re magis cum hostibus prodente, quàm unguentorum odore, agnitus captusque est. Eum Amida filius excæcauit, candenti scalpello proscissa utriusque oculi pupilla. Eandem fraternæ sæuitiæ iniuriam tulere Nahasar & Abdalas, cum Muleasse patre capti. Non multo pòst Abdamelech Muleassis frater, ope Hispanorum Guletam obtinentium, regno potitus, trigesimosexto die expirauit. Successit ei Mahometes F. cui Muleasses filiam despondit. Eo autem ob tyrannidem pulso, Amidaque reuocato, Muleasses in Germaniam ad Cæsarem uenit, à quo in Siciliam missus est, ut illic publico Siculorum sumtu aleretur. Sabellici supplementum libro uigesimoseptimo, ex Iouio.

MAGISTRATVS QVOSVIS Alios ambitiosè appetere, captare, acceptare

DICTATVRAM.

L. SYLLA dictatorem se ipse renunciauit, eumq; magistratum ab annis centum uiginti assumsit. Omnium præteritorũ da-

ta ei fuit ex lege impunitas: in futurum autem ius necis, publicationis bonorum, coloniarum deducendarum, urbium condendarum & diruendarum, ius regna auferendi & pro libito condonandi. Plut. in Sylla.

DECEMVIRATVM.

APPIVS Claudius Decemuirali potestate à populo accepta, tyrannidẽ affectauit, & semetipsum sequenti anno, maiore impudentia an ambitione incertum, Decemuirum legit.

CONSVLATVM.

Erant Romæ FABIO Ambusto filiæ duæ, quarum maior Seruio Sulpitio, tum consulari potestate Tribuno nupserat: Licinio Stoloni altera, illustri quidem uiro, sed plebei generis. Erat fortè minor Fabia apud sororem, tempusque cum ea, ut fit, sermonibus terebat. Accidit interea, ut lictores, qui magistratum præcedebant, ostium Tribuni se domum recipientis, uirgis de more percusserint. Quo sonitu exterrita minor Fabia, consuetudinis ignara, ludibrio fuit sorori, urbanarumque rerum rudis iudicata. Subdidit ea res acres stimulos mulieris animo, confusaque recenti morsu, quum sese domum reciperet, puellam pater tristiorem solito conspicatus: Satin, saluæ res essent, sciscitatur. Tegere illa mœroris causam, ut parum piam in sororem, & in maritum nihil honorificam. Haud enim tam pudor, quàm inuidia & plebeiæ fortunæ contemtus, mulieris animum exagitabat. Cæterùm Fabius, multa comitate instando effecit, ut fassa sit filia doloris sui causam: quòd ipsa in plebeia esset domo collocata, quam neque honor neque gratia intraret. Ambustus filiam leniter consolatus, bono esse animo iubet, fore, ut propediem eosdem domi honores, quos & apud sororem uideret. Cum genero deinde Stolone & L. Sextio strenuo adolescente consilium cepit, ut Tribunatum illi peterent, proponerẽtq; plebi populares rogationes, quibus fortunæ & opes inter ordines æquarentur. Ambo proximis comitiis Tribuni plebis creati, leges promulgant, ut ad æs alienum leuandum, quicquid esset usuris annumeratum, de capite deduceretur: quicquid superesset, triennio æquis solueretur pensionibus: ne quis plus quingenta agri iugera possideret: ne Tribunorum militum comitia fierent ampliùs: & ut alter ex plebe consul deinceps crearetur. Leges graues, & quæ sine ingenti certamine obtineri non poterant. Post multa certamina patres tandem furore sæuientis populi uicti, leges ferri, & consularia comitia ex formula rogationis haberi passi sunt. Creatusque primus ex plebe Consul L. Sextius. Cuius creationis, quia patres se auctores futuros negabant, tanta est perturbatio orta, ut tertiò à patribus plebs se cessura fuerit, nisi per Camillum Dictatorem V. discordia sedata esset. Sextio L. Aemilius Mamercus collega est datus. Ac tum demum Tribuni consulari potestate anno sexto & quadragesimo, ex quo is magistratus fuerat inductus, creari desierunt. Sab. lib. 2. En. 4.

Petebant consulatum T. Annius MILO, P. Plautius Hipseus, & Q. Metellus, magna quidem animorum contentione, sed largitione multò profusiore. Appianus auctor est, octoginta sestertia candidatorum nomine ex sequestro fuisse Romæ deprehensa: & iam neque leges neque pudor præsentem ambitum cohibebat, ruereq; per hæc patrius mos, uetusq; disciplina. Petebat in eundem annum P. CLODIVS præturam, qui ob Ciceronis restitutionem ualde erat Miloni infestus, fauebatq; enixè Metello & Hipseo. Videbatur ille, præter uulgatum odium, fore, ut Milone consule nunquã dignitatem obtineret. Ea res ambobus materiam præbuit, sæpe inter se, totis factionum opibus, in urbe dimicandi. Accidit inde paucis diebus, ut quum Milo Lauinium municipium suum, cuius dictator erat, cum Fausta, quæ illi erat nupta, frequentique comitatu peteret, P. Clodius paululum ultra Bouillas factus sit illi obuius. Redibat is ex Aricia triginta ferè seruis & tribus amicis comitatus. Vehebatur equo Clodius, Milo in curru cum uxore erat. Sequebatur seruorum agmen, & cum his gladiatores quidam. Ambobus paululum præteruectis (nam etsi inter se inimici erant, inuicem tamen sibi cesserant) rixa inter seruos orta, quum Clodius eum tumultum minitabundus respexisset, Birrhia gladiatorum unus humerum romphea traiecit. Appianus ceruicem percussam scribit. Crescente deinde pugna, Clodius uulneratus in tabernam Bouillano proximam est delatus: unde Milonis iussu uiolenter extractus, multis uulneribus confossus periit. Eius corpus in uia relictum, Sextus Tedius senator, qui peractæ cædi superuenit, sua Romam extulit lectica. Clodij corpus postridie in Milonis inuidiam, Lucius Plautius orator, & Quintius Pedius Ruffus Tribunus plebis, in Rostra deferri iusserunt. Mox curiæ illatum, ubi subselliis, tribunalibus, mensis in unum congestis est concrematum: eoque igni curia deflagrauit. Milonis domus à Clodianæ factionis hominibus oppugnata est, ægreque defensa. De cæde Clodij quæstio decreta est, & iudicium Miloni constitutum, quem Cicero totis

ingenij uiribus defendit: nec immeritò, cùm Milo Ciceronis ab exilio reuocandi auctor populo fuerit. Extat hodie oratio, quam ille undique armis ad terrorem septus egit. Sed plus in eo iudicio ualuit facti inuidia, quàm summa eloquentia Damnatus Milo in exilium abiit. Sabellicus libro sexto, Enn. 6.

C. MARIVS Consul III. exercitui contra Cimbros, qui aduentare dicebantur, præfectus, exacto tempore annuo, urgentibus comitiis, cùm defunctus collega eius esset, relicto ad exercitum M. Aquilio contendit Romam. Ibi multis & insignibus uiris cõsulatum ambientibus, L. Saturninus, qui præcipuè inter tribunos impellere ualebat plebem, quã circumegerat in se Marius, monuit eam pro concione, ut cõsulem illum crearent. Cùm Marius in speciem detrectare se consulatum nec cupere, iactaret: proditorem eum patriæ Saturninus appellauit, qui periculo impendente tanto bellum suscipere gerendum abnueret. Haud clàm erat eum simulationi Marij inscitum histrionem seruire: uerùm quòd tempus uideret populus requirere illius uirtutem & fortunam, consulem quartùm eum designauerunt, collegamque ei Luctatium Catulum addiderunt, magnæ uirum inter primores auctoritatis, nec plebi ingratum. Victis ad Aquas Sextias Cimbris, consulatũ quintum gerebat. Sextũ consulatum ut nemo alius affectauit primus. Prensauit populum, obsequiisq; plebem captans, non solùm præter fastigium & publicam maiestatem magistratus sui, sed & præter suum ipsius ingenium famã uenabatur lenitatis & popularitatis, ad quas minimè erat comparatus. Verùm erat in rebus urbanis & cõcionalibus turbis præ ambitione trepidissimus: imperterritusq; in præliis animus & firmitas deserebat eũ, quòd ad quamuis laudem & uituperationẽ obstupesceret in concionibus. Plut. in Mario.

Cùm rebus accisis Italorum, bello sociali, multi Romæ per eos, qui apud populum ualebant, bellum Mithridaticum uenarentur: Sulpitius Tribunusplebis homo audacissimus, præter omnium expectationem protraxit C. MARIVM, procõsulemque & ducem aduersus Mithridatem nominauit, qui ipse tamen bello sociali, ob corporis imbecillitatẽ, imperium deposuerat. Populus distractus est in factiones. Alij in parteis Marij discedebant, Syllam designabant alij. Marium Baias ire iubebant ad balnea, & corpus curare, senio & fluxionibus, ut ipse confitebatur, elanguescens: etsi ille ambitiosè atque impotenter, senectute & infirmitate dissimulata corporis, descendit quotidie in campum, & in caterua adolescentium exercitans se, agile in armis corpus & equi patiens ostendit: quamuis non esset ob tumorẽ uentris in senectute expeditus, sed obesus euasisset & corpulentus. Quæ cùm faceret, placebat aliquibus, qui descendentes in campum certationes eius & contentiones spectabant. Optimates uerò id contemplantes miseratio subiit auaritiæ & cupiditatis gloriæ istius: qui ex tenuissimo opulentissimus, atq; ex humili factus maximus, nullam felicitatis metam sciret neq; in honore esse, & frui in ocio præsentibus facultatibus esset contentus: sed quasi omniũ rerum egenus, in Cappadociam & Pontum Euxinum ex triumphis & gloria ætatem deportaret tam grauem, cum Archelao & Neoptolemo Mithridatis satrapis digladiaturus. Quod uerò hic Marius prætexebat, omninò uidebatur ridiculum. Filiũ suũ uelle ostendebat ipsemet præsens in exercitu exercere. Peruicit tandem Sulpitius, & Mario eam prouinciam decreuit. Syllæ uerò exercitus id indignè ferens, Roma Marium expulit. Et hoc bellorum ciuilium grauissimorũ principium extitit. Plutarchus in Mario.

M. CRASSVS cum CN. Pompeio Consulatum secundi ambiebant. Catone autem Domitium contra eos in comitium producente, quòd non obscurè cõstaret, non consulatũ, sed legiones & potentiã eos ambire: cùm gratia & fauore non possent, ui armata Domitio insidias struxerunt, Catonem uulnerarunt: & in comitiis prouincialibus multos conducticiis hominibus interfecerunt. Ipsemet Crassus L. Annalio senatori sibi aduersanti, pugno os cecidit, expulitq; cruentũ. Plut. in uita utriusq;.

C. IVLIVS Cæsar è duobus consulatus competitoribus, L. Luccio, Marcoque Bibulo, Luccium sibi adiunxit: pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, numos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, concordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem è Republ. fieri. Igitur eum Bibulo Consul creatus est. Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut prouinciæ futuris Coss. minimi negotij, id est, syluæ collesque decernerentur. (Hinc Maronis locus ille in Eclogis, Sic animus syluas, syluæ sunt consule dignæ.) Qua maximè iniuria instinctus, omnibus officiis Cn. Pompeium affectatus est, inuisum patribus, quòd Mithridate rege uicto, cunctantiùs confirmarentur acta sua: Pompeioq; M. Crassum reconciliauit, ueterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac societatem cum utroque iniit, ne quid ageretur in Republica, quod displicuisset ulli è tribus. Suetonius.

MAGISTERIVM EQVITVM.

Clotharius III. Francorum rex, quatuor regnauit annis, nulla re nisi (quod præcipuum est) festa pace nobilis. Quo defuncto & regum gloria intermortua est, ac Magistri equitum simulatione regiæ maiestatis regendæ, de administratione rerum pro opibus quisq; suis maiore audacia decertarunt. EBROINVS mortuo Ercembaldo, ualida factione subnixus, quòd si Clotharij defuncti fratrem Childericum Austrasiæ iam regem, Franciæ quoque regem appellaret, arbitrii rerum ad Vlfoaldum Austrasianorum equitum Magistrum peruenturum existimaret: eo præterito, Theodericum fratrem eius natu minorem, regem Franciæ salutat, ab illo Magister equitum dictus. Causa inferior, armis etiam uictus, ipse in Burgundiam ad Luxouiense cœnobium tondendus ablegatur: Theodericus depositis regiis insignibus, ad Dionysij Parisiis ponere comam cogitur. Cæso inde Childerico II. rege in uenatione, Vlfoaldus Magister equitum fuga in Austrasiã se proripuit, subsecuta magna eius factionis manu. Leudesium Ercembaldi filium Franci Magistrum equitum creauere, Theodericumque in solium reposuere. Ebroinus dum recèns Leudesianorum gratulatio deserueseeret, fruticante capillo se cœnobio conclusit: inde egressus, & summa celeritate usus, inopinatò regem cepit, atque ab eo Magister equitum dictus, Leudesium simulato colloquio circumuentum occidit. Mortuo Vlfoaldo, Martinus & Pipinus, cognomine Crassus, fratres patrueles, ab Austrasianis Duces salutantur, eisq; & miles & nobilitas dicto audiens erat. Victi sunt ab Ebroino in Laudunensium finibus. Pipinus longinqua fuga se texit. Martinus euocatus in colloquium ab Ebroino, nullum pignus postulauit, nisi sanctissimi iurisiurandi supra sanctorum corpora concepti. Nec ille conditionem aspernatus, ad conditoria sanctorum, prius exemtis clàm corporibus, in quæ adegerunt Martini oratores uerba, adiurat, se illi minimè offuturum. Sic duos eludens, hostem prouidum excepit, interemitque: donec ab Ermẽfredo è Francica nobilitate per insidias interimitur. Varrato uir clarissimus, Magister equitum dictus, pacem cũ Austranis iunxit non diuturnam, à filio Giffemaro mox principatu deiectus, imperandi libidine iura naturæ numinisque permiscente. Aemilius lib. 1.

INSIGNIA, IMPERII, MAGISTRATVS, ambitiosè captare. Puta

NOMINA, TITVLOS.

L. MARTIVS Tribunus pleb. cùm absq; Senatus auctoritate in Hispania (utroque licèt Punico exercitu cæso, & Romani nominis decore post interfectos Scipiones recuperato) Proprætoris titulum sibi sumsisset, à Senatu reprehensus est. Liuius.

M. CRASSVS, quòd urbem Zenodotium trans Euphratẽ imbelli certamine & incruento marte uicisset, Imperatoris sibi nomen arrogauit, non sine magna inuidia: cùm Romani illos tantùm, quorum ductu & auspicio confiatum esset bellum, & sub quibus decem hominum millia uno prælio cecidissent, Imperatoris nomine dignos putarint. Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 2.

COMITATVM.

Curatorum Cæsaris hoc munus fuit maximum, ut res, pecunias, colonos, seruitia, reditusque principis locarent, curarent, exigerent. Si controuersia nasceretur, hanc legibus atque citra imperij formam dirimerent. Itaque cùm LVCILIVS Capito procurator Asiæ sub Tyberio principe, apud Senatum à Prouincialibus accusatus esset, uim eum Prætoris usurpasse, ac militum manu ad comitatum usum esse conuictus, in exilium actus est. Visum est enim aliquid in eo affectati imperij, aut grauioris insolentiæ fuisse: qui nec quidem uetante lege, cupiditatem suam ac studium immoderatum cohibere potuerit. Cornelius Tacitus libro quarto, & Dion lib. 57.

HABITVM, CVLTVM.

ALEXANDER Macedo superatis Persis, abiecta Macedonica modestia, uestem patriam Persicis ornamentis mutauit. Quare Macedonum animos à se auertit, quibus non Macedonum arma de Persis, sed Persarum deliciæ de Alexandro triumphare uidebantur. Plut. Asserit Ephippus, eum sacras uestes in cœnis gestare solitum, aliquando purpureas quidem Hammonis circumcisas uestes cornuaq; uelut deũ, aliquando uerò Palladis, quam in curru gestabat, ac sæpiùs supra humeros Persicam stolam subtexens, & arcum, & hastam. Aliquando Mercurij etiam reliqua ferè, tum chlamydem purpuream, sagumque semialbum singulis diebus, causiamque regium diadema habentem. At in conuentu calceos & petasum in capite, caduceumq; in manibus sæpiùs clauam etiam leoninamque pellem, ueluti Hercules. Athenæus lib. 12. c. 18.

C. Cæsar CALIGVLA uestitu, calceatuq;, & cætero habitu, neque patrio, neq; ciuili, ac ne uirili quidem, ac deniq; non humano semper usus est. Sæpe depictas gemmatasq; indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum processit, aliquando sericatus, & cycladatus: ac multò in crepidis uel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri, plerunq; uerò aurea barba, fulmen tenens, ac fuscinam, aut caduceum deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assiduè gestauit: interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum è conditorio eius. Suetonius & Plinius lib. 37. c. 2.

LOLLIA Paulina Caij principis uxor, ne serio quidem ac solenni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, smaragdis margaritisque operta spectabatur, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisque, quæ summa quadringẽties H-S. colligebat. Nec dona prodigi principis fuerant, sed auitæ opes, prouinciarum scilicet spoliis partæ. Hic est rapinarum exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cæsare Augusti filio, uenenum biberet, ut neptis eius CCCCH—S operta spectaretur ad lucernas. Plinius libro 9. cap. 35.

Vsum scribit Spartianus Imperatorem HELIOGABALVM aurea omni tunica & purpurea, usum & ex gemmis Persica, quum grauari se diceret onere uoluptatis. Habuit in calceamentis quoque gemmas, sed scalptas, tanquam & inibi artificum nobilium scalpturæ subiici oculis possent. Cælius libro 16. c. 10. A. L. ex Lampridio.

DIOCLETIANVS Imp. cùm pacatis in Oriente rebus imperij fines protulisset, primus inter Augustos post Caligulam ueste atque calceamento gemmato uti cepit: atque ante alios instituit, ut Romani eius pedes deoscularentur. Fulgosus lib. 3. c. 6.

ZENOBIA Palmyrensium regina, cùm desertum in Oriente imperium Galieni Augusti ignauia ipsa tueretur, quoties alloqui exercitum uolebat, armata uirilem induebat uestem, atque more Cæsarum Rom. se ostendebat: ut uestem imperatoriam, sic quoq; nomen usurpans. Idem.

CAROLVS Caluus Imp. contemtis patriis moribus, cultu in externos ritus degenerauit. Dalmaticam indutus prodibat, persæpe cum corona diademateque serico, cùm ueteres reges nihil à cæterorum ornatu differrent. Ita dum oculis hominum augustiorem se facit, pectoribus inuisus fuit. Cumq; eadẽ res minùs obsequentes illos filio eius LVDOVICO Balbo nouo regi efficiebat, metu, ne in patrios mores abiret: cõuentu procerum indicto (quæ res per multos annos intermissa fuerat) spẽ certam futuræ moderationis omnibus præbuit. Aemilius lib. 3. ex Sigeberto.

PAVLVS II. pontifex in apparatu pontificio maiores superauit: regno præsertim, siue mitram uelis appellare, in quã multas opes contulit, coemtis undiq; ac magnis preciis adamãtibus, sapphyris, smaragdis, chrysolithis, iaspidibus, unionibus, & quicquid gemmarum in precio est: quibus ornatus tãquam alter Aaron, in publicum forma humana augustiore prodibat. Inspici tum ab omnibus uolebat & admirari. Hanc ob rem nõnunquam peregrinos in urbe retinuit, intermissa ostendendi sudarij consuetudine, quò à pluribus eodem tempore cerneretur. Publico decreto mãdauit, proposita pœna, ne quisquã bireta coccinea (ita appellant capitis tegmen) præter cardinales ferret, quibus etiam primo pontificatus sui anno pannum eiusdem coloris dono dedit, quo equos uel mulas sternerent dum equitant. Voluit præterea in decretum referre, ut galeri cardinalium ex serico coccineo fierent: sed id quo minùs decerneretur, uetuere illi, qui bene sentientes, diminuendam esse Ecclesiæ pompam, non augẽdam cum detrimento Christianæ religionis prædicabant. Platina.

LVDOVICVS V. Sforcia Mediolanensis princeps, Io. Galeacium fratris filium, cui regnum debebatur, ueneno sustulit: eoque sublato, aurea ueste indutus, regem se salutari passus est. Bembus lib. 2. Venetæ hist.

THRONVM.

ALEXANDER Magnus Babylonie thronum aureum fabricari fecit, cui similis in toto orbe non reperiebatur. Erat XII cubitorum, ad quem per duodecim aureos gradus ascendebatur: hinc inde erant duodecim statuæ aureæ, in quibus

erant scripta nomina duodecim principum. Sursum eminebat Alexandri sedes ex smaragdo: undique parietes ex topazio, & per uniuersos gradus preciosi lapides cuiuscunq; generis. Rutilabat in summitate noctu & interdiu lapis rubicundus, uariis imaginibus illustratus: quibus appendebant uersus Græci Latinique, nomina quinetiam prouinciarum, quæ subiiciebantur Alexandro. Corona omni genere preciosorum lapidum circumsepta, titulum sequentem sculptum habebat: Ortus & Occasus, Aquilo mihi seruit & Auster. Guido Bituricensis. Narrat Ephippus Olynthius in libro de Alexandri Hephæstionisque interitu, de Alexandri deliciis: quòd aureus thronus illi in paradiso positus erat, thorique argenteos pedes habentes, in quibus sedens, unà cum amicis iura dicebat. Athenæus libro duodecimo, capite decimosexto.

ATILA Hunnorum rex, non modò regiam ornatissimam habuit, sed augustale præ cæteris insano sumtu affabrè factũ; quod è serico auroque contexto constabat: item cultum ubique gemmis, & columnis aureis eburneisq; suffultum. Nec minore admiratione arma, thalami, sellæ, currus & apodyteria spectabantur. Oratores, qui è remotissimis undique partibus ad eum confluebant, tanto stupore confecti dimittebantur, ut quum ad suos rediissent, dubitarent, quid potissimùm dicerent. In omnibus, quæ ad regiam dignitatem facerent, principatum obtinere nitebatur. Bonfinius libro 3. Decad. 1.

PRIVILEGIVM, IVS, POTESTATEM ambitiosè, captare, inuadere, usurpare. Tum

ELECTIONIS. SIVE

Sacræ.

Ex Tit. Pontificatum, Episcopatum ambitiosè expetere, huc quædam.

Sub Nicephoro Phoca Imp. inter PATRIARCHAM Constantinopolitanum ac primarios sacerdotes contentio incidit, de iure eligendi episcopos. Hi enim sibi potestatem eligendi ac approbandi episcopos adscribebant: ille uerò electiones istas absq; iudicio & non sine affectibus fieri causabatur. Ac uidetur nõ tãtũ hoc egisse, ut ipse quoq; in cõsiliũ adhiberetur: uerùm insuper, ut summa potestas decernendi penes sese consisteret. Eam tyrannidem cùm abhorrerent ac detrectarẽt reliqui sacerdotes, res in aulam delata est. Imp. utrisq; libertatem eligendi episcopos in uniuersum eripuit, suæque cancellariæ uendicauit, & defuncto aliquo episcopo, ipse, seu cancellarij aliquos substituebant, certumq; demensum tribuebant, residuum Imp. sibi uendicabat. Episcopos huic decreto reluctantes amouit Imp. Zonaras in uita Nicephori & Zemiscis.

Mortuo Othone I. Imp. Romæ apertè de antiqua recuperanda libertate tumultuatum. Hunc tumultum CINCIVS ciuis Romanus exciuit. Hic quod tenere, Ioanne sedente, Othonis senis metu nequiuerat, id se euicturum, Benedicto ecclesiam, Othone adolescente regnum obtinẽte, ratus, negotium ingens maiore animo, quàm consilio, iniit: ac sequenti anno Benedictum iura Imperij atque Ecclesiæ retinentem nactus arripuit, atque in uincula traditum miserè mori coegit. Renouata inde uetere in pontificiis comitiis ambitione Romani, neglecto proximo Leonis decreto, ut iugum excuterent, pontifices, quos libido tulit, rursus sine Imperatoris auctoritate crearunt. Itaq; mortuo Benedicto Donus II. & mox post Donum Bonifacius VII. Ferrucij ciuis Romani filius, corruptis comitiis est illatus. Quod cùm factio Tusculanorũ Comitũ æquo animo ferre non posset, in eum concordibus animis cõspirauit, atq; ipsum omnib. affictare modis instituit. Quorũ conatibus cùm par ad resistendum non esset, post mẽsem basilica Vaticana preciosis rebus omnibus spoliata Constantinopolim profugit. Quo facto Comites Tusculani Benedictum VII. Alberici quondam consulis nepotem intruserunt: ut Petrus Damiani est auctor. Hic domestica factionis, & externa Othonis amici potentia fultus, multis ex aduersariis in uincula coniectis, tumultum ingrauescentem leniuit. Sigonius li. 7. regni Ital.

Ecclesia Treuerensi uacante, canonicè à saniori parte electus Volmarus, ab Rodolfo (quem minor pars elegerat) molestiam passus, sedem appellauit apostolicam, & peruenit ad LVCIVM III. pontificem. Rodolfus autem se contulit ad Imp. FRIDERICVM I. qui facilè inuestiuit de rebus Ecclesiæ ad se confugientem. Volmarus urgebat Pontificem, ut Rodolfum ad iudicium de iustitia responsurum euocaret. Imperator misit cũ Rodolfo quatuor uiros utriusq; iuris peritissimos legistas quidem, ut pro Imp. & eius iurib. allegarent, decretistas autẽ, ut electionis canonicæ ius defensitarent. Allegata sunt plurima in irrito conatu. Henricus interim rex, Friderici F. Cõsuetię canonicos, q Volmaro, adhęrerent;

rerent, malè per adolescentiæ feruorem affecit. Quo audito, Papa confirmando Volmaro erat propensior: sed detinebant eum crebræ inter se & Cæsarem legationes, quum ex ore regis non semel audiretur, si Volmarus sublimaretur, omnẽ inter principes concordiã in pessimũ facinus euasurã. Ea res pontificem continuit. Vrbanus III. succedens Lucio ortas inter Ecclesiam & Imperium simultates cepit agitare super patrimonio dominæ Mathildis, super inuestitura pontificum, quodq; exuuias tolleret Cæsar episcoporum morientiũ, sed & Volmarum ecclesiæ Treuerẽsi præfecisset. Sic renouata sunt uulnera ueteris mali. Henricus rex quendam Italiæ episcopum interrogauit, A' quo sui episcopatus consecrationem teneret. Ille respondit, A summo pontifice. A quo deinde inuestituram? itidem ait ille, A pontifice. Stomachatus rex iterum rogat. Tum episcopus, Nihil, inquit prædiorum ab Regno uel Imperio teneo, neque ministeriales curtes neque regias dominationes. Visa est regi durior responsio, & annuens militibus, permisit episcopũ in luto uolutari. Itaq; schisma renatum est inter Sacerdotiũ & Regnũ. Cranzius lib 6. Saxoniæ, c.47. & 56.

Cùm Paschalis II. Pp. in concilio Trecensi acta Gregorij VII. confirmasset, inprimis uerò iis, qui à laicis principibus ecclesiasticas dignitates acciperent, anathematis fulmen intentasset: HENRICVS V. Imp. petebat seruari ea, quæ Carolo Magno & successoribus per trecentos annos & ampliùs cõcessa fuissent, per inuestituram scilicet anuli & uirgæ episcopatus & abbatias cõferendi. Et hoc esse suũ ius, allegabat, teste Antonino tit.17.c.1. & Vincentio. Ad conciliũ Romanum anno III. profectus, de more in monte Malo consedit. Ibi à Romanis rogatus, ut honorem ac libertatem Vrbis sacramento sancire uellet, Germanica lingua, non quod illi petebant, sed quod ipsius uoluntas tulit, iurauit. Deinde obsidibus datis acceptisque, sacramento interposito, se uitam pontificis, membra, honorem, libertatem, regalia, patrimonia S. Petri, & nominatim Apuliam, Calabriam, Sicilam, Capuanumq; principatum conseruaturum, atq; omne ius ecclesiarum omnesque earum res dimissurum promisit. Postridie ingrediens, à baiulis, cereostatariis, staurophoris, aquiliferis, leoniferis, draconariis, candianis, defensoribus, stratoribus, turbaque omnis ætatis ingenti, cum floribus atque arborum ramis & palmis à pontifice honoris causa obuiam missa, exceptus, duobus ex more sacramentis populo se obstrinxit, uno iuxta Ponticulum, altero ante portã Porticus. Inde ante portam à Iudæis, in porta à Græcis, pòst ab uniuerso clero ex pontificis præcepto acceptus, ex equo desiluit, ac pedibus ad Vaticanæ basilicæ gradus cum laudib. peruenit. Vbi uerò ad superiores gradus euasit, in quib. pontifex cum Cardinalibus & tota cantorum schola sedebat, ad eius pedes se uenerabundus proiecit: deinde surgens, in nomine Trinitatis in ore, fronte, oculis, pacis ei osculum obtulit, partesque stratoris de more impleuit. Inde à dextera pontificem habens, magno cum populi plausu, ad postes argenteos ædis processit. Ibi à Chrysolao archiepiscopo Mediolani pontifici de more oblatus, imperatoriam ex scripto professionem iniuit, atque cum pontifex Imperatorem renunciauit, cùm solenne in eius frontem precationis carmen Lauicanus episcopus perlegisset. Introductus inde in ædẽ, cùm ad rotam porphyreticam progressi, duabus sellis positis unam pontifex, Henricus alteram insedisset, rogatus est à pontifice, ut quod promiserat, ecclesiarum collationi renunciaret: nam se paratum esse, quæ spoponderit, adimplere. Id cùm Henricus suasu Episcoporum negaret, nec Pontifex peractis sacris coronationem conferre uellet, cum Cardinalibus captus est, capta cum illo clericorum laicorumq; ingens multitudo: pueri item, ac iuuenes, uiriq;, qui cum floribus & palmis obuiam processerant, aut spoliati, aut uincti, aut cæsi sunt (Sic Sigonius. Alij inter Pp. & Henricum sic conuenisse aiunt, ut Cæsar, Episcoporum inuestituram Pontifici concederet, uicissim uerò Pontifex & suo & reliquorũ ecclesiasticorum nomine ducatibus, præfecturis, uectigalibus, prætoriis, tributis, prædiis stipendiariis, agris, uicis regiis, iuri cudendæ monetæ, renunciaret. Diplomate firmatam conuentionem in templo D. Petri publicè prælectam fuisse. Ipsum uerò inter cæteros Conradum Iuuauiẽsem episcopum alta uoce protestatum, indignè factum à Pontifice, qui iura maiorum Imperatori proderet. Gliscente inde rixa, Romanos nocturno tumultu Imperatorem adortos, fœde fugatos fuisse.) Romanorum autẽ Pontificẽ defendentium constantia territus Henricus, pòst biduum inde castra mouit: Pontificem (quem aduocatis militibus, sacris nudauerat uestibus) & clericos laicosque captiuos funibus uinctos secum adducens: & intento ad Soracte montem itinere, Tiberim iuxta sancti Andreæ cœnobium transiit: & in Sabinos ad Lucanum pontem proficiscens ulteriora Vrbis loca populabundus iniuit. Pontifex cum duobus episcopis, Sabinensi ac Portuensi, & Cardinalibus quatuor apud castrum Trebecum, cæteri Cardinales apud Corcodisium custodiæ traditi. Henricus inde ut Pontificẽ de proposita sententia dimoueret, captiuos omnes in conspectum eius produci ad necem iussit. Quod cùm factum esset, Pontifex tanto animi robore fuit, ut nihil permotus, singulos ad mortem fortiter pro diuino iure oppetendam hortatus sit, uitamque eis æternã promiserit. Verùm cũ illi his auditis pauidi ad pedes se prouòluentes, ultimi prorogationem supplici, obsecrarent, ad extremum doloris ac lacrymarum plenus, dixit, Se eo animo esse, ut si sibi subeunda necessitas sit, malit omnes acerbitates ferre, quàm de sententia cedere: uerùm quod sua causa non faceret, id aliena esse facturum, id est captiuorum seruandorum gratia proposito decessurum, atque Henrico obsequuturum. Hæc ubi Henricus cognouit, ipsum & cæteros se dimissurum, atque Vrbem obsidione liberaturum ostendit, si sacerdotiorum collationem permitteret, atque se, imposita ritè corona, Imperatorem inungeret. Quod posteaquam Pontifex recepit, urbem Leoninã cũ Henrico ingressus, eum Imperatorem consecrauit. Hæc Sigonius libro decimo regni Italici. Paschalis consentientibus ac præsentibus cardinalibus episcopis ac principibus, priuilegium Cæsari publica uoce concessit ac confirmauit: de quo sic Vincẽtius scribit libro uigesimosexto, capite decimo: Post lectum Euangelium tradidit ei papa ante altare beatorum apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium principum, priuilegium de inuestitura episcopatuum uel abbatiarum tam per anulum, quàm per uirgam, scilicet ut regni eius episcopis uel abbatibus, liberè præter uiolentiam & simoniam electis, inuestituram uirgæ & anuli conferret: post inuestituram uerò canonicè consecrationem acciperent ab episcopo, ad quem pertinuerit. Postea uerò & coronationem illustrem adiunxit. Hanc transactionem missa & porrectione cœnæ sacræ ipse pontifex corroborauit, ista uoce addita: Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria uirgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus in confirmationem ueræ pacis inter me & te. Et sicut pars ista uiuifici corporis diuisa est ([redacted] hostia fracta, [redacted]tem sumsit, alteram Henrico dedit) ita [redacted] Christi & Domini, qui pactum istud rumpere [redacted] tarit. Hoc anathemate pronunciato, [redacted] men. Postquã Italia excessisset Imp. Romani, coacta synodo, Paschalem eò adegerunt, ut non solùm quod Imperatori dato scripto concesserat, retractaret, sed cum etiam anathemate feriret, atque per uniuersum orbem Christianum hoc decretũ euulgaret. Re ad Imperatorẽ delata, Albertum Moguntinũ, eius mali facem, ipse uinculis constrinxit. Helmoldus capite quadragesimoprimo. Conspirarunt contra illum Halberstadensis episcopus Reinhardus, Albertus Moguntinus à suis ciuibus uinculis solutus Fridericus Coloniensis, Conradus Iuuauiensis, Coloniæque coeuntes, cùm iis Theodericus Paschalis legatus adesset, Imperatorem & ab eo constitutos episcopos diris deuouerunt, & in belli societatem pertraxerunt Lotharium Saxoniæ ducem. Imperator Coloniensem agrum igni & ferro uastat: pòst in Saxoniam contendit, eamque depopulatur. Ad syluam Vuelphonis, in agro Mansfeldensi, cruento prælio confligitur, in quo Saxones superiores extiterunt, anno 1115. ipsis Kalend. Februarij. Reinhardus Halberstadensis episcopus Cæsareanos, qui in prælio ceciderant, sepeliri uetuit. Discedentibus inde Saxonibus accolæ cadauera collecta terræ mandarunt. unde hodie uicino pago nomen esse uulgò creditur Todtendorf, uel Tondorf. Cranzius libro quinto, capite uigesimosexto Saxoniæ, Chron. Cosmidromij, Vrspergensis. Imperator principes Moguntiam uocat. At præter unum atque alterum episcopum, principum nemo comparet. Moguntini, armati Regis palatium oppugnant, Albertum in integrum restitui postulant. Imperator suæ saluti consulturus, eorum postulatis annuit, ipseque urbe excedit. Paschalis anathemate. Imperatorẽ perstrinxit, neque ei reconciliari potuit, frigidam suffundente semper Moguntino, quo ad mors eum sustulit. Eius uestigiis Gelasius & Calixtus successores insistere: quibus cùm imparem se esse animaduerteret Imperator, cũ Calixto Vormaciæ in gratiam rediit, omne inuestiendi ius ipsi concedens, anno salut. 1122. Otho Frisingensis libro septimo, capite decimoquarto & decimosexto: Vrspergensis, Cranzius, Auentinus, Hen. Erfordiensis, Sigebertus.

Mortuo Comensi episcopo, HENRICVS V. Imperator inueterata consuetudine nixus, eam dignitatem Landulfo Carcano, CLERVS Comensis pontificiam auctoritatem sequutus, Vidoni Grimoaldo mandauit. Orta uerò de iure lectionis controuersia, populus Comensis Landulfum urbe exegit, & nouas res molientem negotio cõsulibus dato adortus necauit, cùm ille in castro sancti Georgij Lugani in finibus uersaretur. Hæc res Mediolani cognita uehementer animos

ciuitatis aduersus Comenses cùm sua indignitate, tum Landulfi ciuis sui gratia incitauit. Itaq; Iordanes archiepiscopus bellum Comensibus indixit an.1121. omnium eorum, quæ priuatis adhuc Lombardicarum ciuitatum opibus gesta sunt, grauiss. Comenses enim insigni constantia uires Mediolanensium multis ultrò citroque datis & acceptis cladibus exercuerunt. Tandem an.1128. obsessa Como, cùm quies nulla ab hostibus multitudine superantibus daretur, urbem se defendere posse diffisi Comenses, sancto Dei ac D. Abundij nomine inuocato, pueris, mulieribusq; & bonis in lembos impositis, ipsi ad auertẽdos hostium ab euntibus oculos per noctem eruptionem in eos fecerunt, ac sensim receptu facto in Vicum se retulerunt, & necessitate coacti, se dediderunt, iis conditionibus: ut Vico & Coloniolæ parceretur, urbs arbitrio Mediolanensium traderetur, ipsi incolumes cum suis rebus abirent. Mœnibus urbis disturbatis, turribusque euersis, reliqua ædificia præter templa succensa sunt. Comensibus, ut in proxima ualle considerẽt, imperatum, legesque, quibus uterentur, iniunctæ. Sigonius lib.11. regni Italici.

HENRICVS I. Anglorum rex felicitate elatus, tantum sibi sumere cepit, ut sua duntaxat auctoritate & episcopos faceret, & factis episcopatuum possessionem daret. Porrò circiter hæc tempora, principes ubique gentium ceperunt illud sibi ius declarandorum episcoporum uindicare, quod & hodie mordicus tenent. Cæteri etiam priuati homines, exemplo regis, suo arbitratu presbyteros sacerdotiis preficiebãt. Anselmus Cantuariensis episcopus regi sese opponens, in exilium eiectus est. Tandem Paschalis pontifex, cùm pontificio iure constitutum sit, ratam non esse adepti sacerdotij possessionem, quam episcopus non dedisset, mandauit, ut in posterum tempus, neq; rex, neq; quisquam alius eiusmodi ius sibi esse contenderet: sed episcopos antea factos confirmauit, ne illud seminarium foret discordiarum, si repudiassent. Polydorus lib.11.

[redacted]

Profanæ.

C. IVL. Cæsar rerum potitus, Senatum suppleuit, patricios allegit: Prætorum, Aedilium, Quæstorum, minorum etiã magistratuum numerum ampliauit: nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos restituit. Comitia cum populo partitus est, ut exceptis Consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus uellet, pronunciarentur: pro parte altera, quos ipse dedisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura breui: Cæsar Dictator illi tribui. Cõmendo uobis illum, ut uestro suffragio suam dignitatem teneat. Admisit ad honores & proscriptorum liberos. Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, ac Senatorij. Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed uicatim per dominos insularum egit: atque ex uiginti trecentisque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne, qui noui cœtus recensionis causa moueri quandoq; possent, instituit quotannis in demortuorum locũ ex his, qui recensiti non essent, subsortitio à pretore fieret. Suetonius.

Albertus Austrius uicto Adolfo, rex Rom. ab electoribus dictus, ad BONIFACIVM IIX. Pp. legatis missis, confirmari electionem petiit. At ille legationem reiecit, quòd sine sua auctoritate electio facta esset: nam utriusque penes se unũ gladij potestatem manere, quod ipso apparatu iubilei primùm à se instituti fertur ostendisse: primo quidem die in pontificalibus apparens populo, apostolicam illis benedictionem impartitus: postera autem die imperiali habitu, infula nihillominùs insignis, gladium ante se nudum deferri iubens, cùm sedens alta uoce clamaret. Ecce duo gladij hic. Sequenti tamen anno Alberti electionem comprobauit, uti se regem gereret & Rom. & Francorũ. Gallus enim pontificem uehementer offenderat, quòd nuptias Eduardi Anglorum regis, & filiæ comitis Flandriæ disturbasset, & pragmaticam sanciendo, apostolicæ sedis dignitatem minuisset. Bellum tamen istud desiit in nuptias, quũ Philippus Alberto filiam suam dedit coniugem in urbe Parisiorum. Cranzius lib.8. Saxoniæ, c.36. & 37.

Carolus IV. Imperat. disceptantes super electoria dignitate RODOLPHVM & ERICVM Saxoniæ duces ita composuit, ut alternis eligerent uicibus, nunc hic, nunc alter, titulumque haberent communem. Durauit ea compositio ad tempora usque Sigismũdi: qui uacantem superioris Saxoniæ principatum dedit nepoti suo Friderico Misnensi marchioni, exclusis inferioris Saxoniæ ducibus. Cranzius lib.9. Vandaliæ, cap.2.

INAVGVRATIONIS.

Othone Magno in Cæsarem designato, quæstio oriebatur inter TREVIRENSEM & COLONIENSEM archiepiscopos, utri conueniret coronatio. Ille antiquitatem suæ ecclesiæ ab Apostolis institutæ, hic diœcesin complectentem locum coronationi designatum obtendebat. Tandem ea prouincia in præsenti demandata fuit Hildeberto Moguntinensi archiepiscopo. Vitichindus libro tertio. Vnde factum est, ut usque in hodiernum illi primas deferant partes, præsertim, quòd sit Cancellarius imperij per Germaniam, Treuerensis per Gallias, Coloniensis per Italiam: & quoniam uires regni sunt in Germania, solet ille cæteris anteponi. Cranzius lib.3. Metrop. c.12.

Cùm Henricus IV. puer quinque annorum coronandus esset in Imperatorem Romanum Aquisgrani: lenis quidam inter Coloniensem archiepiscopum HERMANNVM & LVITPOLDVM primatem Moguntinum conflictus fuit. Nam hic eam sibi uendicabat dignitatem, quia negotia regni sibi commissa essent. Ille uerò, quia intra diœcesin suam locus iste coronationis situs esset. Placatus est autem Luitpoldus ab Henrico III. Cæsare, quòd ob claritatem generis & loci rationem Hermanno id honoris potiùs relinquendum esset. Ita Cæsaris auctoritati Luitpoldus cessit. Anno 1054. Schafnaburgensis.

Conradus II. Romam ad coronam imperij suscipiendam uenerat. Eò cùm omnes Italiæ proceres conuenissent, RAVENNAS quoque antistes accessit. Is die Resurrectionis, quo die in basilica Vaticana Augustalia insignia accipere Conradus debebat, cùm præsens pompæ adesset, absente fortè Mediolanensi, Conradum manu prehendit, ut ipsum pontifici pro ara stanti offerret. Ea re animaduersa legati MEDIOLANENSES, antistitis mun⁹ id esse sui clamarũt, qui regẽ Italię legendi & coronandi ius obtineret. Orto autem ex ea re inter astantes principes antistitesque tumultu, tum Conradus audientibus omnibus: Non est dubium, inquit, reuerendi patres, quin quemadmodum Imperatoris inunctio ad Romanũ pontificem pertinet, sic regis Italiæ cõsecratio tota sit Mediolanensis antistitis: quare est æquum, ut Mediolanensis antistes, cuius manu in regem Italiæ futurus Imperator inungitur, si adsit, regem pontifici offerat, quem ad Imperium prouehat, ut ex eius auctoritate possit imperare, qui eiusdem ordinatione didicit & cepit regnare. Annuente ergo pontifice, Mediolanensis ad id muneris est uocatus. Cùm autem iusta de causa abesse diceretur, iussit pontifex, ut Ardericus Vercellensis episcopus seruatas metropolitano suo uices impleret. Atque ita ab Arderico Conradus oblatus aureum diadema suscepit. Sigonius libro 8. regnI Italici.

Henricus II. rex Angliæ, filium regni consortem crearat, & Londini mandarat Eboracensi ROGERIO, ut coronam ei cum solennibus ceremoniis imponeret. THOMAS Cantuariensis cui honor iste competebat, exul ad Alexandrum Pp. properat, & de honore sibi absenti & exulanti prærepto conquestus, effecit, ut papa Rogerio Eboracensi, Gilberto Londinensi, & Ioscelino Sarisberiensi episcopis, qui coronationi interfuerant, sacrorum administratione interdixerit. Reuersus in Angliam Thomas, episcopos ab usu sacrorum suspensos insuper excommunicauit. Quod factum rex, qui in Normannia tum uersabatur, grauissimè tulit. Tandem regis aulici eum è medio sustulerunt, circa annum Domini 1171. Polydorus libro 13. sub Henrico II. Gulielmus Neubrigensis lib.2.c.25.

CONSILII.

SOENIS siue Symiamira, Heliogabali Imp. mater, ad eam temeritatẽ euecta est, ut quoties senatus haberetur, uellet interesse, se tanquam decretorum omnium moderatricẽ subscribens, quod ne Augustarum quidem ulla ad id tempus fecerat. Sabellicus lib.6. En.7.

HOSPITII.

Vngari Austrij & Boemi de loco nuptiarum Ladislai regis, cũ Magdalena Caroli VII. Gallorum regis filia, inter se contenderunt. VNGARI enim Budæ, AVSTRALES Viennæ, BOEMI Bragæ eas celebrari censebant oportere. At Georgij Pogiebrachij Boemiæ gubernatoris persuasione Pragę celebrandæ fuerant, nisi mors regem præoccupasset. Bonfinius lib.8. Dec.3.

OFFICII SACRI.

Cùm Græci ad Troiam peruenissent, oraculum Pythij Græcis iussit Palamedẽ Apollini Sminthio sacrificium facere. Quæ res multis grata ob industriam & amorem uiri, nonnullis ducum

ducum dolori fuit. Hecatombe pro cuncto exercitu exhibita, præeunte Chryse sacerdote. DIOMEDES & VLYSSES consilium de interficiendo Palamede ineunt, eius gloriæ inuidia accensi. Igitur simulato, quòd thesaurum repertum in puteo cum eo partiri uellent, remotis procul omnibus, persuadent, ut ipse descenderet. Eum nihil insidiosè metuentem, adminiculo funis usum deponunt: ac properè arreptis saxis, quæ circum erant, desuper obruunt. Ita uir optimus acceptusq; in exercitu, cuius neq; consilium unquam, neq; uirtus frustra fuerat, circumuentus à quibus minimè debuerat, indigno modo interiit. Sed fuêre, qui eius consilij haud expertem Agamemnonem dicerent, ut æmulo dignitatis liberaretur. Dictys lib. 2.

Templum Iouis Capitolini Tarquinius Demarati filius in bello, quod gessit cũ Sabinis, uouerat. Id Tarquinius eius, qui uouerat, filius uel nepos, extruxit: non dedicauit tamen, sed erat penè absolutum, cùm Roma pelleretur. Vt iam undequaque perfectum & decenti specie fuit extructum, affectauit id P. VAL. Poplicola dedicare. Cæterùm æmulati ex primoribus multi, hortati sunt ac stimulauerunt Horatium Puluillum, hanc ut ambiret dedicationem. Cùm autem Poplicolæ necessitas incumberet expeditionis: concessa ex plebiscito Horatio dedicatio est, cumque duxerunt in Capitoliũ, tanquam non futuri superiores, si præsens ille esset. Alia fama est, sortitis Consulibus, Poplicolæ prouinciam inuito euenisse, alteri dedicationem. Idibus Septembribus, cùm in Capitolium omnes conuenissent: dum Horatius silentio facto, & reliquis perpetratis, postem de more tenens, effatur solennem dedicationis precationem: Marcus Poplicolę frater, qui diu ostio astiterat, captans occasionem, Filius tuus, Consul, inquit, in castris ex morbo periit. Torsit id omnes assistentes. At Horatius nihil cõmotus, sed tantùm fatus, Cadauer quò uultis efferte, ego luctum non accipio: reliquam dedicationem peregit. Is nuncius uerus non erat, sed ut auerteret Horatium fuerat Marcus eum ementitus. Memorabilis uiri illius constantia, siue dolum momento intellexit, siue nuncio quamuis fidem habuerit, non fuit tamẽ permotus. Plut. in Poplicola.

Sub Eugenio IV. Romæ, CANONICI regulares in ecclesia Lateranensi pulsi à presbyteris secularibus fuêre, dum contenditur, utri Christi corpus ferrent in celebritate eiusdem, dum letaniæ fiunt ac supplicationes. Eos demum restituit Eugenius. Platina.

PRAEFECTVRAM VEL MILITAREM.

IOABVS Amasam consobrinum suum, quem post mortem Absalomi, cuius dux militiæ fuerat, Dauid imperatorio munere cohonestarat, apud Gabaonem sibi occurrentẽ, blandè amplexus, ense ilia eius hausit, ut ea dignitate solus potiretur. 2. Regum 20.

Cùm peruenissent ad Susianam, qui sequebantur partes Eumenis Cardiani contra Antigonum, publicam concionẽ indixerunt, in qua multiplex ambitio suborta est de imperio militari. PEVCESTES enim & propter multitudinem sociorũ in pugnando, & propter prærogatiuam quam ab Alexandro habebat, putabat seipsum esse præficiendum omnium imperio. At ANTIGENES dux Macedonum Argyraspidarum declarauit deferendam esse potestatem electionis Macedonibus, qui bello subegissent Alexandro Asiam, & propter fortitudinem inuicti permansissent. Eumenes autẽ formidans, ne propter mutuam discordiam facilè uicti subiicerentur Antigono, consilium dabat, ne unus dux constitueretur: sed omnes satrapæ & imperatores è multitudine prępositi in aulam regiam conuenientes singulis dieb. consultarent publicè de iis, quæ conducerent. Et hoc consiliũ ab omnibus approbatum obtinuit. Diod. lib. 19.

M. Cato Vticensis, quum M. OCTAVIVS duas habens legiones, haud procul ab Vtica, à Catone postularet, ut inter ipsos de imperio statueretur, legatis nil respondit, uerùm ad amicos cõuersus, Quis iam miretur, inquit, rem malè gestã esse, quum in ipsa mortem nostris uideatis dominandi cupiditatem? Plut. in eius uita.

REGNI.

Stilicho Vandalus à Theodosio Magno Imp. cuius neptem ex fratre Serenam in uxorem habebat, Honorio F. occidentis Imp. decem annos nato tutor datus fuerat, cùm etiam Arcadij totiusq; Imperij tutelam à Theodosio sibi commissam esse assereret, Rufinum, qui Arcadio adiunctus fuerat, munere suo exuere omni ratione contendit, atq; ad eam rem iter Constantinopolim adornauit. RVFINVS uicissim subitò, quascunq; potuit, ei moras opposuit: itaque cùm alia in Oriente bella, tum præsertim Gothicum grauissimum excitatauit. Quippe, literis occultè ad Alaricum Gothum ducem bellicosiss. in Thraciam missis, ipsum ad inuadendam Græciam perpulit. Compererat enim, grauiter illum ferre, se militaribus copiis nullis præfectum esse, sed eas duntaxat obtinere, quas ei Theodosius tradiderat, cùm aduersus Eugenium arma tulerat. Inde de industria homines sibi fidos obiecit, Antiochum, qui Græciam proconsule regeret, & Gerontium, qui Thermopylas custodiret, secretis utriq; mandatis editis, ut Alaricum, si impetum in ea loca fecisset, male pertinaci defensione reciperent. Alaricus igitur Macedoniã & Thessaliã diripuit, Peloponnesum inuasit & occupauit. Interea Stilicho de Alarici irruptione in Illyricum facta edoctus, exercitum, quẽ Theodosius in Italia reliquerat, in naues imposuit, aliisq; ex Italia Galliaq; militibus secum adductis, in Illyricum contendere maturauit: at in Peloponnesum egressus, Alaricum latè omnia expugnantem offendit. Cuius aduentu Alaricus exterritus, milites suos per agros palantes ac dissipatos contraxit, ac se uallo castrisq; sepsit. Stilicho uerò armato ad illum progressus exercitu, extremo decertare prælio uoluit: uerùm, cũ instructę utrinq; acies starent, literas ab Arcadio Rufini impulsũ scriptas accepit, quibus præcipiebatur, ne quid in Oriente rei militaris attingeret. Quibus lectis, bellum, quod in manibus erat, omisisset, si, ut spes erat, prospero euentu cessisset, satis constat, multas, quæ imminebant Occidenti, calamitates, facilè potuisse auerti. Stilicho, re infecta, cùm sibi redeundum uideret, exercitum Theodosianum ad Arcadium misit, ac Gainem ei ducem præfectum secretò, quid aduersus Rufinum moliri uellet, edocuit. Interim cadauer Theodosij Constantinopolim ex Italia transportatum funere magnificentissimo est elatũ. Gaines prægressus, militum aduentum Arcadio nunciauit, eumq;, ut de more obuiam extra urbem procederet, adhortatus est. Quod Arcadius summo studio fecit, ac benignè salutatus, comiter omnes excepit. Quo facto, milites, accepto à Gaine signo, cuncti in Rufinum, qui cum Arcadio exierat, &, ut inquit Claudianus, ab Arcadio in partem Imperij accipi postulabat, infesti se intulerunt, ac plurimis illatis uulneribus confecerunt. Caput inde abscissum, & pilo præfixum per urbem latum est. [illegible] dextera a[illegible] ad dedecus insatiabilis auaritiæ stipem ostiatim em[illegible]. Rufino extincto, Eutropius eunuchus [illegible] repentè Rufinus [illegible]lter effectus, cùm [illegible] & Abun[illegible] honoratissi[illegible] & [illegible]ssimum quẽq; apud Arcadium [illegible] la per uarias calumnias emouisset, atq[illegible] proiecisset, tum in Stilichonẽ arbitratu suo res Occidẽtis administrantem se intulit, & ad intercludendum illi Constantinopolim aditum, hostẽ iudicandum à senatu Arcadij uolũtate curauit: mox ut Africam Honorio adimeret, Gildonem Comitem, & magistrum utriusq; in Africa militiæ, ad studia sua traduxit. Ita Gildo, exercitu Africano corrupto, repentè Africam occupauit, eamq; se Arcadij nomine obtinere denunciauit. Quam tamen non diu obtinuit, à Mazecele fratre Honorij duce cæsus. Interea Eutropio liberam propè dominationem non solùm in aula, sed etiam in Imperio Arcadij exercente, atq; omnes omnium pecunias, opesq; per uarias causas in domum suam astutè uertente, Gaines indignè tulit, ut qui honorem duci prouectioris ætatis conuenientẽ nactus non esset, & ad res nouas animum conuertit. Eutropio propter scelera relegato & occiso, Gaines eandem uiã ad potentiam comparandam ingressus, petere ab Arcadio non erubuit, ut ecclesia una ex iis, quæ in urbe erant, Arianis, quos ipse fouebat, assignaretur. Quæ petitio, ut impia, atq; aliena, item à Ioanne uituperata est. Deinde res nouas in Phrygia molitus, tandem Chalcedone fœdus cum Arcadio iniit, ac sese Constantinopolim retulit. Ibi uerò cùm occultè Gothis à se introductis urbem diripere atq; incendere statuisset, consilio patefacto, inceptum omisit. Ad Hellespõtum profectus, ut, traiectione facta, Asiam occuparet, Romana aduenientẽ classe, cuius dux erat Frauitta, homo Gothus, prælium nauale cõmittere est coactus. In quo, tẽpestate coorta, maiorem Gothorum partẽ amisit. Quare, omisso Asiæ consilio, se recepit in Thraciam, eo consilio, ut, transmisso Istro, in ulteriorem Scythiam se reseferret. Hudin autem Hunnorum, qui trans Istrum erant, princeps, parum utilẽ rebus suis fore aduentum eius ratus, ac gratiam se initurum ab Arcadio arbitratus, eum à traiectione coërcuit, prælioq; memorabili edito, uita exuit, ac caput eius ad Arcadium misit: atq; eo beneficio fœdere in societatem acceptus est. Sigonius lib. 10 Imp. occid.

HENRICI Augustani episcopi opera & consilio in regni administratione usa est Henrici IV. Imp. mater, post coniugis sui obitum. Id indignè ferentes alij tum Politici, tum Ecclesiastici uiri, clàm surreptum matri regẽ infantẽ, nauigio abduxere Coloniam, eiusq; rei auctor putabatur ANNO Coloniensis archiepiscopus. Verùm criminantibus plurimis, quòd regia Maiestas uiolata, suiq; impos facta foret: episcopus ut inuidiam facti mitigaret, ne uidelicet priuatæ gloriæ potius, quàm cõmunis commodi ratione hæc admisisse uideretur, statuit, ut episcopus quilibet, in cuius diœcesi rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti respublica pateretur, prouideret: & causis, quæ ad regem delatæ fuissent, responderet. Schafnaburgensis.

Sancio III. Hispaniæ regi optimo successerat Alfonsus IX. Etrimus, ex Blanca regina Nauarræ susceptus, anno 1198. Eius tutelam FERNANDVS rex Legionensis patruus ambiebat: renitebatur uerò Guterius à Castro, tutor puero à patre datus. Is persuasus à quibusdam, comiti Manrico siue Amalarico de Lara puerum commisit. Posteaquã uerò eos prætextu pueri sua agere, & rebellionem moliri animaduertit, puerum repetiit. Hinc rixæ atq; cædes. Mortuo Guterio, eò res processit, ut Regi Legionensi ferè totius regni & etiã Toleti per duodecim annos soluerentur tributa, & Comes Amalaricus ei puerum sistere cogeretur. In concilio Soriensi, cùm illi, quorum fidei Rex tenellus fuerat demandatus, Amalarico Comiti dicerent: Liberum uobis damus, liberum custodite. puer de composito in brachiis eius, à quo gestabatur, cœpit flere: itaque in domum defertur sub specie cibi & quietis, uti refectus patruo traderetur. At Petrus Nunij seu Melendi puerum sub cappa absconditum, uelocissimo equo insidens, ea die ad castrum sancti Stephani auexit. Fernandus Nunium proditionis nomine accersiri curauit. Qui cùm diceret, id se egisse, ut dominum suum liberaret, neque contra regni instituta egisse: Fernandus rem deduxit ad consilium, & à cunctis proceribus iudicatum est, Comites strenuè & fideliter egisse. Nihilominus Fernandus se delusum ægrè ferens, omnes ciuitates, & castra, & uillas, præter paucissimas, in quibus Rex puellus recipiebatur, adhuc à mamillis nutricis paruulus dependens, occupauit: puerum, quasi iam reum uel nocentem, perdere studuit, quasi non uerum hæredem exhæredauit. Sed puer bella plurima contra patruum feliciter gessit, senili grauitate Toletum recuperauit, fauentibus sibi Amalarico & Nunio Comitibus. Rodericus Toletanus libro 7. regum Hispan. cap. 17. & Sanctius parte 3. hist. Hisp. cap. 33.

VLRICVS Ciliæ comes, uirtuti & gloriæ Io. Coruini regni Hungariæ gubernatoris inuidens, eiusq; locum occupare cupiens, uariis calumniis eum apud Ladislaum regem in inuidiam adducere conatus, demum persuasit, ut rex unà cum Vlrico insidias Coruino meditaretur. Ex composito gubernator paucis pòst diebus Viennam regiis literis euocatur. Variis indicibus deteguntur insidiæ, Coruinus se regi semper in Hungaria pariturum, extra regni fines, quãdo nulla officij conditione cogeretur, nunquam egressurũ esse respondit. Mittitur ad eum legationis nomine Comes Ciliæ, & ad oppidum Coche inuitat. Coruinus intrare renuit, nisi præsidio accepto. Re igitur infecta discedit ur. Euocatus deinde Viennam, diplomate commeatus securi promisso. At ubi illud Comes non expedit, insidias subodoratus Coruinus, multis oneratum Comitem maledictis, à se dimisit. Per optimates tandem res ita est transacta, ut gubernator munitissimas plerasq; arces regi ultrò reddiderit: inferiores tantùm Hungariæ partes sibi auctoritate regia reseruarit, quas à Turcarum furore protegeret. Bonfinius lib. 7. Dec. 3. Mortuo Ioanne eadem simultas inter Comitem & Ioannis filios Ladislaum & Mathiam durauit. Itaq; cùm Ladislaus rex Belgradum uenisset, ut illic memorabilis de Mahometo II. Turcorum tyranno uictorię locum coràm inspiceret: Ladislaus, qui arci præerat, regẽ cum purpuratis intromisit, reliquam turbam (ad quatuor millia hominum) tẽtoria extra mœnia tendere iussit: Comite indignante, quòd suum militem intra oppidum contineret, regium autem foras extruderet. Fortè Comes dum cubiculum egreditur, obuiam fit Ladislao Huniadi. Ibi Comes duos Ladislao digitos amputat: Ladislaus dum Comitem loricatum frustra ferit, accurrentes Hungari illum crudeliter interfecere. Rex in præsens dolorem dissimulauit, & Comitem, qui togatis armatũ sese immiscuisset, iurè cæsum pronũciauit. At mox Budam se officij causa prosequentes Huniadas cepit, Ladislaum capite puniuit, Mathiam in uinculis habuit. Dubrauius lib. 29.

VRBIS.

In Clementis VI. pontificatu, cùm POPVLO Rom. mos esset duos ex proceribus Romanis Senatores ad urbis administrationem eligere, qui à Pontifice confirmabantur: Nicolaus Rentij, qui Romæ tabellionatum exercebat, in eum sui amorem populum traxit, ut arreptis armis, omnes impetu facto (cùm procerum nullus obsistere auderet) nulla de Pontifice mentione facta, Nicolaum ipsum tribunum facerent: qui hunc titulum usurpabat: Nicolaus Seuerus ac Clemens, libertatis, pacis atque iusticiæ tribunus, ac illustris sacræ Roman. reipublicæ liberator. Sed cùm hic populi fauor postea refrixisset, sexto mense ab urbe incognitus profugit. Fulgosus libro 9. capite 7.

PRIMATVM, DIGNITATIS prærogatiuam.

DISCIPVLI Christi post cœnam ultimam, in qua sacrosanctum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, inter se contendebant, quis eorum uideretur esse maior. Mira ambitio, quæ etiam in summo præceptoris sanctissimi discrimine discipulos sollicitaret. Vsq; adeò diabolus etiam pios homines post Eucharistiæ usum ad noua peccata incitat. Mathæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan 13.

IIDEM inter se contendebant, quisnam maior esset in regno cœlorum? Matthæi 17. Marci 9. Lucæ 9. Paulò ante Christi passionem, IOANNES & Iacobus filij Zebedæi, intercedẽte matre, à Domino petunt, ut in regno eius alter à dextris, alter à sinistris ei assideret. Quam rem ægrè admodum reliqui discipuli tulerunt. Matthæi 20. Lucæ 10. Marci 18.

FELIX archiepiscopus Rauennas. an. 707. Rauennates ab obedientia Romani pontificis, proposita antiqua sedis suæ libertate ac dignitate, auertit. Iustinianus II. Imp. Theodorũ Patricium & primicerium exercitus Siciliæ cum classe Rauẽnam ire, atq; archiepiscopi & Rauennatum insolentem uindicare superbiam iussit. Felix confestim & ipse auxilia ex uicinis & subiectis ecclesiis aduocauit. Cæterùm Theodorus breui unà cum ciuibus & archiepiscopo urbem in deditionem accepit. Quæstione inde de seditionis sociis habita, plerosq; optimatium eius sceleris manifestos aut uita, aut ciuitate, aut fortunis multauit: archiepiscopum cathenis uinctum Constantinopolim iussit deuehi: quem Iustinianus cãdenti lamina obiecta luminibus exuit, atq; in Pontum relegauit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Sub Othone I. inter GERARDVM Laureacensis ecclesiæ episcopum, & HEROLDVM Salisburgensem archiepiscopũ mota est uehemens contentio propter pallij dignitatem. Archiepiscopus eam dignitatem Gerardo, utpote inferiori, inuidebat. Contrà Gerardus allegabat ecclesiæ suæ uetustatẽ & claritatem, in qua ageret episcopum: ibi docuisse Apostolos, eorumq; legatos asserens. Heroldus eam dignitatem à Carolo Magno suæ ecclesiæ datam iactitabat: Gerardo uerò à Leone VII. paulo antè collata fuerat. Gerardus per Hadamarum Fuldensem abbatem, rem ad Agapetum II. pontificem refert. Pontifex eum totius Bauariæ archiepiscopũ esse iussit: Heroldo, nisi pareat, sacris interdicit. Heroldus fœdus cum Conrado duce ab Othone proscripto iniit: & expoliatis templis, Bauariam per Vngaros horribiliter uastauit. Interea Henricus dux Boiorum, Heroldo iuxta legis Salicæ horrendum fulmen (quo cauetur, ut episcopus, si cum hostibus cõspirauerit, & quos seruare debeat, perdere uoluerit, pœnas capite luat) perfidiæ conuicto oculos effodit. Ioannes XII. pontifex eundem Rauennæ in frequenti Synodo condemnatũ, sacerdotij dignitate exuit. Auent. lib. 4. & 5.

Sub Henrico VI. Imp. HAMBVRGENSES canonici, in matrice Ecclesia confidentes, honorem ueterem tuebantur, ut essent Metropolitanæ Ecclesiæ, cui omnia regna Aquilonis subiecta essent, canonici: prætendentes, Bremensem unitã & insulam Hamburgensi, minorem maiori, suffraganeam metropoliticæ: & ideo primas sibi deberi partes censebant. E diuerso BREMENSES, uetera transisse, abolitum honorem legationis: posteaquam Dani archiepiscopatum adepti essent, euanuisse ius Hamburgensis ecclesiæ: se tenere archiepiscopum, sicut ab initio, & à memoria Ansgarij primi archiepiscopi, ibi omnes commoratos fuisse: Hamburgenses nomine tenus solùm fuisse aliquando metropoliticos: cæterùm corpus ecclesiæ fuisse semper Bremæ, umbrã Hamburgi, quæ iam euanuisset. Diu contenderũt Bremenses, cũ honore metropolitici iuris, iam sublato, etiam Ecclesiam omnem absorbere, præbendas & omnia iura & prædia Bremam transferre. Sed conatibus defuit fortuna. Cranzius libro 7. Metropolis, cap. 16.

Sub annum salutis 1140. grauis inter CANTVARIENSEM & HENRICVM Vintoniensem episcopos contentio de primatu exorta est. Ille enim se ordinariam in hũc habere potestatem iactitabat: hic uerò Romanæ legationis dignitate se efferebat. Turbata tandem uniuersa apud Anglos Ecclesia, Romanum pontificem adierunt, & quæstionem tanto grauiorem, quanto ponderosiorem, Romanis auribus intulerunt. Et alter quidem in causa præstantior, neuter uerò nisi exhausto sacculo reuersus est. Gulielmus Neubrig. li. 1. c. 10.

In orientali Vandalia quatuor fuere populi eorum, qui Lutticì siue Vilsi dicuntur: quorum Kissinos atq; Circipanos citra Panim, Riaduros siue Tolenzos, ultra Panim habitasse constat: Riaduci (qui & Rheterij) à metropoli Rethre denominati. Inter hos cœpit æmulatio, de prioratu dignitatis. Siquidem RIADVRI siue Tolenzi propter antiquissimum illud templum & fanum cum celeberrima urbe (in qua simulacrum Radigasti erat) cæteris imperare uolebant: quòd ab omni natione ibi peterentur responsa, & annua sacrificiorum tributa cæteri penderent. At CIRCIPANI atque

KISSINI seruire detrectabãt: imò libertatem suam armis tueri statuerunt. Prælio cõmisso, Riaduri ter quaterq; uicti, accersierunt in auxilium regem Danorum Zuenonem, magni Canuti nepotem, & ducem Saxonum Bernardũ, & Godscalcum principem Obotritorum. Ergo Circipani atq; Kissini uicti, quindecim millibus marcarum pacem sunt mercati. Principes inter se pecuniam partiti, de Christianismo nullam mentionem fecere, & ne Deo quidẽ, qui contulisset uictoriam, gratias egere. Cranz.lib.3. Vandaliæ, cap.2.

Scholæ Pragensis regimen tenebant Germani, ex uniuersa qui illuc confluxerant Germania. Caroli IV. Imp. institutione Germani tria, Boemi quartum habebant suffragium, cùm paucissimi Boemorum tunc literis operam darent. BOEMI omnem operam posuerunt, ut Germanos expellerent. Duplici igitur uia illos aggressi sunt. Primùm enim quidam Io annis Viclefi ex Anglia attulerant libros de Vniuersalibus realibus. quos cùm Ioannes Hus, qui cæteris & ingenio & eloquentia præstabat, prælegisset, cũ cohorte sua Germanos, uti eos abigeret, die noctuque uexare studuit. Mox etiam à Venceslao rege noua priuilegia, nouasq; libertates impetrarunt, Parisiensis gymnasij exemplo, ne exteri tantã haberent inter Boemos eminentiam. Concessit igitur rex Boemis priuilegium, ut singuli Boemi duo (Dubrauius tria habet) haberent suffragia, exteri unicum tantùm. Sic omnis dignitas atq; magistratus scholasticus cessit Boemis. Quoties enim aut Rector gymnasii, aut Decanus aliquis eligendus erat, multitudine uotorum, cùm Boemi bina ferrent suffragia, Alemanni superabãtur. Commoti Germani scholastici atq; professores, Pragam uno die quinq; millia (Dubrauius habet XXIVM) reliquêre, ac Lipsensem Academiã erexêre. Cuspinianus, & Dubrauius lib.23.

MVNERA, DONATIONES HONORIFICAS.

Oeneus Porthei F. Martis N. regnauit Calydone. Ex Althæa Thestij filia tulit filios, Meleagrum, Pherea, Agelaum, Toxeũ, Clymenum, & Periphantem: filias Gorgem, Curimedam, Deianiram, Melanippam. Is cùm primitias frugum pro regione diis offerret, oblitus fuit Dianæ. Quæ irata, aprum immisit, qui & terrã uastauit, & multos interfecit. Icirco Meleager & Thestij filij, uirtute prestantissimos è Græcia conduxerunt, apri eius occidendi gratia. Qui cùm conuenissent, & aprũ necassent, MELEAGER carnes eius distribuit, caput autem & pellem sibi eximia præmij loco seruauit. Ouidius eam Atalãtę Schęnei F. caput pręmij loco dedisse scribit, amore illius captũ, præteritis fortissimis auunculis suis. Diana, ita ob cædem sacri apri aucta, rixam inter eos excitauit. Etenim Thestij filij ac reliqui Curetes pellem attrectauêre, dimidium præmiorum ad se pertinere dicentes: sed Meleager ui ea ademit, & auunculos occidit. Hac occasione bellum inter Curetes & Calydonios ortum est: ad quod Meleager non exiit, iratus ob diras quibus ipsum mater propter fratrum necem deuouerat. Cùm autem Curetes iam essent urbem capturi, uxor Cleopatra ei persuasit, ut Calydonios tueretur. Egressus aũt contra Curetas, periit: cremata à matre face, quam ei Parcæ dederãt. Nam hoc fatum Meleagro dederant, ut tandiu uiueret, quamdiu fax ista duraret. Reliqui etiam Oenei filij in pugna mortem oppetierunt: maximusq; apud Calydonios luctus Meleagri causa extitit. Sorores autem ad sepulcrum eius absq; ulla intermissione fleuerunt, donec eas Diana uirga tactas in aues mutauit, & in Lerum insulam deportauit, imposito Meleagridum nomine: atq; eæ etiamnum certo anni tempore dicuntur Meleagrum lugere. Duæ autem de filiabus Altheæ, Gorgo & Deianira, feruntur formam non mutasse, beneficio Bacchi, cui eam gratiam Diana fecerit. Antoninus Liberalis ex tertio libro Nicandri de Mutationibus: item Homerus, & Ouidius in Metamorphosi.

AVGVSTVS Cæsar, quamuis minimè appeteret hęreditates, (ut qui nũquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit) amicorum tamen iudicia suprema morosissimẽ pensitauit: neque dolore dissimulato, si parciùs aut citra honorem uerborum: neque gaudio, si gratè pieque quis se prosequutus fuisset. Legata uel partes hæreditatum & à quibuscunq; parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorũ concedere, aut si pupillari ætate essent, die uirilis togæ, uel nuptiarũ, cũ incremento restituere consueuerat. Suetonius.

TRIVMPHOS.

Quum CHABRIAS Atheniensium dux circa Corinthũ paucos Thebanos sub mœnibus auidiùs pugnantes prostrauisset, atq; ob id trophæum erexisset: Epaminondas deridens hominem dixit: Hic sanè decebat, non trophæum, sed Hecatæum erectum esse. Veteres ante portas in triuiis Hecates imaginem statuere solebant, uel ad indicandam uiam, uel in gratiam sepultorum. Plut. in Græcorum Impp. Apoph.

CN. MANLIVS Volso missus ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, cupidine triumphandi bellum Pisidis & Gallogræcis, qui Antiocho adfuerant, intulit. Plinius de Viris illustribus.

Q. VALERIVS Prætor cum Luctatio Coss. causa triumphi certauit, postquam circa Siciliam, insignem Pœnorum classem deleuissent, eoq; nomine soli Luctatio Coss. triumphus à Senatu decretus esset. Val. Max. lib.2. cap.3.

CN. Pompeio iuueni XXIIII annorum, Sicilia & Africa pacata, Carbone & Domitio cęso, Romam reuerso, & triumphũ petenti negauit Sylla: siquidem consuli uel prætori tantùm eum, nemini præterea, per legem permitti. Quamobrem Scipionem superiorẽ, qui maioribus & nobilioribus certaminibus Pœnos uicerat in Hispania, quòd nec consul esset nec prætor, non postulauisse triumphum. Quòd si Pompeius penè adhuc imberbis, qui senator propter ætatem non sit, triumphans in urbem inuehatur: inuidiosum planè & sibi imperium & illi fore honorem. Hæc apud Pompeium Sylla allegauit, non permissurum se ostendens ei triumphum, sed si pergeret contendere, repugnaturum & intercessurũ. Enimuerò nihil trepidauit idcò Pompeius, uerùm reputandum prædicauit Syllæ, plures solem Orientem quàm Occidentẽ adorare: innuens suam increscere, illius decrescere potentiam. Id Sylla non satis intellexit: sed cùm uideret eos, qui audierant, uultu & gestu obstupefactos, rogauit, quid dictũ esset? Vbi accepit, Pompeij audacia defixus, bis deinceps exclamauit, Triumphet, triumphet. Multis indignantibus & stomachantibus, quò magis, ut dictitant, eos pungeret Pompeius, aggressus est curru elephantis iuncto urbem inire: cũ plures enim de rege Iarba captos ex Africa adduxerat: sed quia erat angustior porta, destitit, & transiit ad equos. Cùm milites præmia non pro spe sua consecuti, interpellare triumphum & obstrepere ei uellent: nõ morari dixit se, uerùm citiùs dimissurum triumphum, quàm ipsis assentaturũ. Hic Seruilius uir illustris, qui inprimis fuerat triumpho Põpeij aduersatus: Nunc, inquit, Pompeium uideo & Magnum uerè & triumpho dignum. Plut. in Pompeio.

C. CALIGVLA Cæsar iuuenilibus annis nimiaq; felicitate abstractus, cui non raro coniuncta insolentia inuenitur, cũ ualido exercitu in Germaniam profectus, non modò non cæso, sed ne uiso quidem hoste, circumactis legionibus machinisq; omnibus, qua parte Oceanus terram alluit, milites omnes conchas, atq; illa quæ in litus mare euomit, colligere iussit: dicens se ac Palatio ea digna esse spolia. Præter captiuos & transfugas barbaros, Galliarum quoq; procerissimum quenque, & ut ipse dicebat ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam: coegitque non tantùm rutilare, & submittere comam [redacted] Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam deuehi. Scripsit & procuratoribus, triumphum appararent quàm minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset: quando in omnium hominum bona ius haberent. Suetonius.

CN. Domitius Aenobarbus, Neronis atauus, in consulatu Allobrogib. Aruernisq; superatis, elephanto per prouinciam inuectus est, turba militum quasi inter solennia triumphi prosequente. Suetonius.

VESPASIANVS triumphi Iudaici die, fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuit, meritò se plecti, qui triumphũ, quasi aut debitum maioribus suis, aut speratum unquam sibi, tam ineptè senex concupisset. Ac ne tribunitiam quidẽ potestatem, & patris patriæ appellationem nisi serò recepit. Suetonius.

Mortuo Maxentio, CONSTANTIVS Augustus triumphans urbem Romam iniuit: quamuis hostis Maxentius non externus, sed ciuis Romanus fuit: neq; à Constantio, sed perditionem à suis cæsus. Tamen eo prætextu usus, tunc primùm urbem initurus, Romanis opulentiam exercitus ostentare uoluit. Fulg. lib.2. cap.3.

AVRELIANVS Augustus in aliis rebus temperantissimus, contra mores legesq; de Tetrico uiro senatorio, ciue Romano, quem in Oriente uicerat, & de Zenobia triumphare uoluit. Quem enim honestum triumphandi prætextum habere potuit, ob ea quæ aduersus ciuem Rom. atq; feminam gessisset? Cæterùm hoc etiam eius cupiditatem magis detexit, quòd non contentus leges triumphandi parum seruasse, in iis contra quos bellum gesserat, urbem iniuit curru, nõ quem equi, ut mos erat, sed quem cerui traxerunt. Ibidem.

COMITATVM SVPERBVM.

Persarum regum luxum puerilem uideri scribit Phylarchus, si conferatur cum impensa, quæ singulis diebus fiebat ab ALEXANDRO. Erat enim illius tentorium centum lectorũ capax, quod octo aureis columnis fulciebatur. Lacunaria uerò superiùs extensa aurea uarietatibus magnificis distincta, superiorem locum cooperiebant. Quingenti Persæ Melophori primi circa illam scenam interius assistebant, uestibus purpureis ac luteis induti: post quos arciferi mille numero, alij flammeis induti, alij hysgini herbæ colore: atque eorum complures cærulea habebant uestimenta. Ante hos Macedones quingenti argenteos clypeos habentes collocabantur. At in medio scenæ aureus currus positus fuerat, in quo sedens Alexander ius dicere consueuerat, corporis custodijs eum undique obseruantibus. Extra circulum scenæ elephantorum agmen paratum constiterat, milleq; Macedones Macedonicas stolas habentes: tum Persarum decem millia, ac multitudo quæ purpuram habebat ad quingentos accedebat, quibus iniunxerat Alexãder, ut hanc stolam ferrent. Cùm tot essent numero serui & amici, nullus ad Alexandrum audebat accedere: tanta erat illius existimatio ac dignitas. Athen. lib.12. cap.18. & Aelianus lib.9. Var. hist. & Polyænus libro 4.

MENECRATES Syracusius, Iupiter appellatus, quòd solus ob artem suam medendi uitæ causa hominibus extitisset, magnoperè gloriabatur. Eos certè, qui ex sacro morbo uocato per ipsum conualuissent, scribere cogebat, quòd seruati serui illi forent, eumq; sequerentur. Quorum hic qui dem Herculis ornatum indutus, Hercules uocabatur, qui Nicostratus erat Argiuus à sacro morbo liberatus. Meminit illorum Ephippus in Scutato ita loquẽs: Menecrates se deũ esse dicebat, ac Nicostratus Argiuus alterum se Herculem: alius quispiam chlamydem caduceumq; habens, Mercuriũ, alas præterea, uelut Nicagoras Zelites, qui etiam patrię suę fuit tyrannus, sicut Batton testatur in libro de Tyrannis in Epheso. Scribit Hegesander, quòd Astycreontem à se libera tum Apollinem uocarit. Alius ex seruatis Aesculapij ueste indutus eum comitabatur. Ipse uerò Iupiter purpuream ue stem indutus, coronamq; habens auream in capite, & sceptrum, ac crepidis etiam subligatis, cum diuino choro circu ibat. Scripsit epistolam Philippo regi his uerbis: Tu quidem Macedoniæ es rex, ego artis medendi: atque tu sanè potes, quandocunq; libet, interficere, ego uerò seruare ægrotantes ac sanos usq; ad senectutem sine ægritudine, robustosq; seruare, si mihi paruerint. Tu Macedonib. stipatus incedis: at ego omnibus uel posteris, siquidem ego Iupiter ipsis uitam præbeo. Athenæus libro 7. capite 13. & Aelianus libro duodecimo Variæ hist.

CHRISTIANVS Moguntinus archiepiscopus, Friderici I. Imp. in Italia contra Alexandrum III. Pp. dux, res maximas gessit. Ferunt rumore tum disseminatum, quòd asini & meretrices in exercitu eius maiorib. uterentur sumtibus, quàm tota Imperatoris familia, quæ tum opulentissima uidebatur. [redacted] exercitus eius duas arces firmissimas feruntur in deditionem accepisse. Cranz. lib.6. Saxoniæ.

CORPORIS CVLTVM, VESTITVM.

Vide suprà, Insignia imperii ambitiosa.

Diogenes DIVITEM quendam indoctum, sed splendidè uestitum, χρυσόμαλλον appellabat, hoc est, ouem aureo uellere. [redacted] Solis ouca proditum est à poetis. Qui mi- [redacted] ingenio, nullis moribus esse, prouerbio [redacted]

ISMENIAS, DIONYSIODORVS, NICOMACHVS, tibicines, ad artis commendationem gemmis plurimis digitos ornabant. Itaq; Plin. lib.37. cap.1. gemmarios irridens, eos Tibicinum gloria tumeres ait.

Peracto triumpho Iugurthino induxit senatum C. MARIVS in Capitolium, atq; imprudens ne an fortuna sua elatus, insolentiùs ingressus curiam est ueste triumphali. Verùm citò offensum animaduertens Senatum exurrexit, sumtaq; redi it prætexta. Plut. in Mario.

M. ANTONIVS Triumuir, post partas ingentes uictorias, ardente terrarum orbe, ciuili bello Athenis Græca ueste utebatur, & quasi ab Hercule genus duceret, super arma leonis pellem induebat. Plut. in Antonio.

SAPOR Persarum rex in bello arietini capitis simulacrum lapillis interstinctum gestare pro diademate solebat. Cælius lib.18. cap.18. A.L.

ALEXIVS Angelus Imp. cùm missi essent ad illum Alemãnorum legati ab Henrico VI. rege, ut auri L centenarios postularent: in ipso festo natalis Christi, imperij sui opes ostentaturus, gemmatam uestem induit, & reliquos omnes auratas uestes induere iussit. Quo spectaculo Alemanni non ob stupuerunt, ut eorum cupiditas illo splendore etiam magis inflammaretur, & Græcos, ut ignauos homines & seruilib. deliciis deditos, quàm primùm oppugnandi occasionem optarent. Nicetas lib 1.

De sui seculi MONACHIS Bernardus queritur, quòd non uestitum, sed ornatum: quòd non utilius ad induendum, sed subtilius: non quod frigus repellat, sed quod superbiæ & luxui seruiat: non denique iuxta regulã quòd uilius, sed quod uenustius, imò uanius ostentari queat. Ac uix, inquit, in prouinciis nostris inuenimus, quo uestiri dignamur.

STATVAS.

ABSOLOMVS uiuens, marmoream columnam sibi in Valle regia, prope Hierosolymam, statuerat, ut si fortè liberis priuaretur, ea esset sui nominis monimentum: eamque de suo nomine appellauit. 2. Regum 18.

MANASSES rex impius Esaiam interfecit, statuamque suam posuit quinq; facies habentem. Eusebius.

Nouam rationem CHEOPES Aegypti rex ad comparandũ sibi nomen excogitauit. Cùm priscis Aegypti regibus mos esset gloriæ operam dare, struendis insanis molibus: & ipse pyramidem incoasset, quam deficiente pecunia imperfectã reliquerat: filiam miræ pulcritudinis, inter lapidicinas prostituit, ut ita ad perficiẽdam pyramidem pecuniam pararet. Herod. lib.2. & Diodorus.

RHODOPE, Græcum in Aegypto scortum, parto turpi quęstu ingenti thesauro, quanquam ipsa humili fortuna orta esset (serua enim fuerat) tamen famæ desiderio incensa, minorem pyramidem extruxit: quæ quanto molis magnitudine ab aliis uincitur, tanto alias ipsa operis excellentia superauit, cùm meretrix ac liberta, cum tantis regibus, magni operis impendio contendere ausa esset. Nec minus se in lupanari, quàm illi in palatiis famæ cupidam, nomini ac gloriæ dare operam uelle ostendens: quæ tanto reges ipsos in nominis ac famæ desiderio superauit, quanto imperij atq; opum magnitudine reges eam anteibant. Ibidem.

M. ACTIVS poeta in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuit, cùm breuis admodum fuisset. Plinius libro 34. capite quinto.

DOMITIANVS Imp. statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit. Suetonius.

TABVLAS, INSCRIPTIONES.

PAVSANIAS Lacedæmoniorum dux, ad Platæas uictor cõtra Mardonium, cùm de manubiis tripodem aureum Delphis uotum soluisset, suumq; nomen inscriberet: Lacedęmonij pertæsi insolentiam, epigramma induxerunt, & ciuitatũ nomina inscripserunt. Epigramma tale fuit:

> Neptuno regi uirtutis munera donat,
> Maxima cui paret Græcia, Pausanias,
> Euxino in ponto: Lacedæmonius genuit quem
> Cleombrotus, antiquo ex Herculeo genere.

Athen. lib.12. cap.16. & Plut. in eius uita.

DOMITIANVS Cæsar, omnibus operibus quæ uel restituit uel perfecit, suum duntaxat titulum addidit, sine ulla pristini auctoris memoria. Hinc illi de amphitheatro Martialis statim in principio sui operis adulatur, dicens:

> Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro,
> Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

LAMPADIVS Rom. urbis præfectus sub Valentino I. in omnibus urbis partibus, quæ magnificis diuersorum principũ impensis ornatæ erant, nomen proprium inscripsit, laudem aucupans, non ut ueterum ædificiorum instauratoris, sed ut nouorum conditoris. Qua in re cùm malignè atq; auarè se gereret, incitata plebs infima quodam die cum facibus ad domum eius prope Lauacrum Constantinianum incendendam accurrit: sed à familia ex summis tectorum culminibus petita, nihil profecit. Sigonius lib.7. Imp. occid.

SIXTVS IIII. Pp. in porticu, quam à fundamentis instauratã, in sancti Spiritus hospitatoria domo Romæ condidit, uitam suam resq; à se gestas pingi iussit: pontemq;, qui in Tyberi dirutus erat, instauratum, à suo nomine Sixtum appelluit Fulg. lib.8. cap.15.

Patauij moris est (ut & in reliqua Italia) eorum nomina, qui eruditione aut quouis alio uirtutis genere excellunt, parietibus publicè inscribere. Profitebatur QVIDAM nouus homo Sophisticen. Is cùm mirum in modum sibi placeret, expectabat quoq; discipulorum suorum, quos perpaucos habebat, encomia in parietibus depicta. Verùm cùm illi cessarent, nocte quadam solus arrepta scala, & pyxide atramento referta, per urbem deambulat, suumq; nomen authenticè per compita describit. Accurrunt uigiles, furem arbitrantur, in carcerem coniiciunt. Quòd nisi misero illi pyxis cum penicillo innocentiæ opinionem attulissent, scala profectò exitium peperisset. Noua hæc res, & inaudita, mirificè omnium animos delectauit, ita quidem ut ambitiosa hæc scala publico prouerbio nostra ætate circũferretur, & cũ hoc auctario nomen Appellati in parietibus scholæ depingeretur.

Pompam superbam.

HELIOGABALVS Imp. quaternos canes ad currum iunxit, eoque modo uectatus est. Idem iunctis quaternis ceruis in publicum processit. Sed & leones coniunxit, se Cybelem appellans. Iunxit & tygres, se Liberum patrem uocans. Iunxit

etiam quaternas mulieres, nudusque à nudis uectus est. Lampridius.

FIRMVS Imp. uectus est ingentibus struthionibus, adeò ut magis uolare quàm gestari uideretur. Rauisius.

CYRILLVS episcopus Alexandrinus sanctissimus, ambitiosior tamen quàm deceret, cùm inauguraretur, primus splendida pompa usus est, profanorum magistratuum more: primus quoq; potentiam exercere, & politica quoque tractare cœpit. Socrates lib.7. cap.13.

Cùm HERACLIVS Imp. anno Domini 631. uicto Persarum rege, Zachariam patriarcham cum captiuorum turba Hierosolymam reduxisset: & sanctam crucem Domini regio uestitu ornatus, uellet per portam, per quam Iesus crucem baiulans exiuit, transportare: porta diuinitùs clausa est, ut Sigebertus ait. Lapides enim concurrentes clauserunt transitum, ut Vincentius inquit. Blondus Imperatorem in ea immobilem substitisse scribit, nec; licèt conaretur, progredi potuisse. Interea angelus (ut Sigebertus dicit & Vincẽtius) seu Zacharias patriarcha monuit, ornatum regium deponendum, & nudis pedibus, Christi imitatione, exeũdum. Quod ubi fecit, porta ultrò aperta est, & Imperatori transitus concessus. Hæc res causam præbuisse dicitur solenni ritui exaltationis Crucis. Sigebertus in Chronico, Blondus Decadis primæ lib.9. Vincentius libro uigesimotertio, cap.12. Godofredus Viterbiensis parte 16.

Mentior, inquit D. Bernardus, si non uidi ABBATEM sexaginta equos & eo ampliùs in suo ducere comitatu. Dicas, si uideas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum: non rectores animarum, sed principes prouinciarum. Tum deindè gestari iubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatæ, non ex stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix deniq; quatuor leucis à sua quispiam domo recedit, nisi cum tota supellectile sua, tanquam sit uel iturus ad exercitum, uel trãsiturus per desertum, ubi non ualeant inueniri necessaria. In Apologia ad Gulielmum abbatem.

PIVS II. Perusiam ingressus est equo uectus candidissimo, duodecim eodem candore præcedentibus stratis purpura, sine sessore, & qui per frenos aureos manu agerentur, magistratibus purpuream umbellam auro intextam præferentibus, sub quam ipse candida sindone, stola aurea commissa, & purpureo galero uehebatur. Pompæ causam prætendit, quod post erectum Bonifacium septuaginta iam annis Perusini Pontificem intra urbem non aspexissent. Ioannes Campanus in eius uita.

TITVLIS, NOMINA, COGNOmina, ambitiosè uel SVMTA.

DIONYSIVS iunior Apollinis se filium appellauit in epigrammate scribens:

Doridis hic matris Phœbi de semine natus.

Plut. orat.2. de Alexandri fortuna.

DEMETRIVS Poliorcetes gaudebat dissimillimum Superorum regis inscribi sibi cognomen. Hic enim πολιεὺς & πολιοῦχος, id est, urbium tutor & præses: ille πολιορκητής, id est, Expugnator cognomine dictus est. Ita in honesti locum turpitudo per imperitam potentiam succedens, adscripsit gloriæ iniustitiam. Plut. in Demetrio.

CAIVS Cæsar complura cognomina assumsit. Nam & Pius, & castrorum Filius, & Pater exercituum, & Opt. Max. Cæsar uocari uolebat. Suetonius.

DIOCLETIANVS socio sibi imperij adscito Maximiano, ipse Iouij, Maximianus Herculij cognomen assumsit, siue à maioribus traditum, siue pro arbitratu adscitum, ad officiũ utriusq; in Imperio gerendo significandum. Mamertinus rhetor Gallus Iouem atque Herculem generis eorum auctores appellat, & Maximianum Herculium Herculis officiũ Ioui Diocletiano præstitisse, id est in bello agrestium, quasi quorundam terrigenarum, auxilio fuisse contendit. Sigonius libro 1. Imp. occid.

ATILA Hunnorum rex in uexillis coronatam ferebat aquilã. Quæ insignia usque ad Geysæ tempora Hungari conseruarunt. Inscriptio diplomatum erat, Atila Mundizici (uel Bendecuci) filius, magni Nembrodi nepos, Engadiæ natus, diuina benignitate rex Hunnorum, Medorum, Gothorum & Dauorum, metus orbis, Deique flagellum (sic eum eremita quidam appellauit) hoc fieri mandat. Bonfinius lib.3. Dec.1. & Nic. Olahus in uita eius.

NICOLAVS, Laurentij F. scriba publicus, cùm Romani sub Clemente VI. Pp. à senatoribus pontifici deuotis regerentur, Capitolium inuasit, & populum ad libertatem uocauit. Quem cùm mirificè obedientem habuisset, hoc porrò titulo uti uoluit: Nicolaus seuerus & clemens, libertatis, pacis iustitiæque tribunus, ac sacræ Romanæ reipublicæ liberator illustris. Cæterùm mense septimo pòst, nulla de causa, quod quidem constet, ad Carolum IIII. Imp. in Bohemiam ineundæ societatis gratia profectus, ab eo Pontifici uinctus Auinionem missus, ob poeticæ artis præstantiam seruatus, æterno addictus est carceri. Bonfinius libro decimo, Decadis 2. ex Petrarcha.

Romæ Paschalis II. Pp. synodũ habebat, in qua CASSINENSIS abbas litem de cella S. Sophiæ intra Beneuentum, agitabat. Abbas CLVNIACENSIVM ad synodum ueniens, sese Abbatem Abbatum nominarat. Id tituli CASSINENSES ei concedere nolebant. Res in disceptationem adducitur. Deniq; Ioannes cancellarius quærit, Cluniacenses ne à Cassinensibus, an Cassinenses à Cluniacensibus regulã acceperint? Expeditè respondetur, Non modò Cluniacenses, uerùm omnes in Romano orbe monachos regulam patris Benedicti à Cassinensi accepisse cœnobio. Ergo fertur sententia, Cassinensi abbati id priuilegij iure competere. Chronicon Cassinense lib.4. cap.62.

Sub Ludouico Pio Imp. Bremẽsi ecclesiæ tertius præfuit LEVDERICVS. Hunc, pontificatũ suscepto, notant annales superbiæ, quòd se nunc Custodem, nunc Pastorem Bremensis gregis gloriaretur. Vide temporum simplicitatem, quòd nõ paterentur Pastoris uocabulum. Quid facerent, si nostræ ætatis episcopos insonare audirent, Nostra gratia, nostra põtificalis dignitas, & reliqua his etiam gloriosiora? Cranzius libro 1. Metrop. cap.32.

MARIA, Ludouici regis Hungariæ F. Sigismundo nupserat. Cæterùm magnitudine dotis superbiens, cœpit regem contemnere: & uocato argentario iussit auri monetam de suo nomine cudi, cum inscriptione, Maria rex Hungariæ. Rex mansueti animi princeps, uerbis castigari satis putauit femineam insolentiam. Cranz. lib.10. Saxoniæ, cap.8.

COMMVNICATA Tempori, Loco.

DOMITIANVS Germanici cognomen adeptus, Septembrẽ mensem & Octobrem de se Germanicum dixit & Domitianum. Sab. lib.4. En.7.

COMMODVS Imp. Vrbem, Senatum, exercitus Commodianos: & diem etiam ipsum decreti Commodianum appellari uoluit. Voluit ut menses ex se nominarentur hunc in modum: Amazonius, Inuictus, Felix, Pius, Lucius, Aelius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Superãs: quæ nomina cùm sibi sumeret, mutaretq; sæpenumerò, tamen cognomen Amazonij & Superantis perpetuò retinebat, quasi oẽs homines in rebus omnibus superaret. Dion Nicæus, Suidas. Carthaginem à nomine suo Commodianam appellauit, sublatoq; de Neronis colosso capite, suum pro Neroniano imposuit. Fulgosus.

ATAVLPHVS Gothorum rex, Roma debellata, eò uesaniæ processit, ut quemadmodum Cæsares, sic in posterum Romanos principes Ataulphos cognominari destinauit. Alex. libro 1. capite 2.

Atila Hunnorum rex, arcem prope Sicambriam urbem ędificare ceperat, & eam Ezelburg appellari uoluerat. At BVDA frater cùm eam de suo nomine uocari iussisset, affectati regni suspicione à fratre interfectus est. Bonfinius, & Nic. Olahus in uita Atilæ.

[redacted]

MVTATA.

In CINNAMVM, Martialis Epigrammatum lib. 6. sic scribit:

Cinnam Cinname te iubes uocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si Furius antè dictus esses,
Fur ista ratione diceneris.

ALEXIVS Angelus, frater Isaacij Angeli Imperatoris, rerum potitus, Angeli cognomento, siue ut humiliore repudiato, siue ut unà cum fratre abolendo, Comnenus appellari uoluit. Nicetas lib.1. de imperio Alexij Comneni.

LOCI ET ORDINIS DIGNITATEM, Primas sedes, Professionem, ambitiosè captare. Tum

IN ACIE.

Sub Balduino II. TANCREDVS, qui Galileæ præerat, & BALDVINVS de Burgo, Edessæ dominus, coniunctis operis Carram Mesopotamiæ urbem, Edessæ uicinam, obsidentes, fame ad deditionem coegerunt, anno 1104. Sed dum inter se certando, uter priùs urbem ingrederetur, moram trahunt, Turcorum exercitus obsessis auxilio aduolans, obsidentes fœdè cæcidit. Edessanus comes cum episcopo Benedicto & Iosceline consanguineo captus est. Tyrius.

Albertus Claudus, Austriæ dux, Tigurinos, qui se Heluetiorũ fœderi anno 1351. coniunxerant, obsidebat, CAROLI IV. Imp. & Sueuorum auxiliis instructus. Res spectabat ad prælium. SVEVI ex ueteri priuilegio, quod à Carolo Magno

Geraldus dux obtinuisset, primæ aciei honorem sibi uendicabant. Carolus IV. eum sibi ob dignitatem deberi. At Austriacus suum esse dicere, cuius nomine scilicet ea suscepta esset expeditio. Interea uident Heluetios in subsidium Tigurinis uenire: & uerborum omissa contentione, fuga sibi consulunt. Stumpfius lib.6. Heluetiæ, cap.19.

GALLI sua audacia, ductu Ioannis Audacis Burgundiæ ducis, ut primæ aciei honorem præriperent Hungaris & Germanis, cladis Nicopolitanæ auctores fuere. Aemilius libro 10. & Bonfin. lib.2. cap.2.

IN CONVIVIO.

Timon frater Plutarchi, cùm inuitasset plures, cuique iussit, ut quo placeret loco, interiiceret se atq; accumberet: quòd inuitati partim peregrini, partim ciues, familiares, necessarij, planeq; cœtus esset miscellaneus. Cùm igitur cõplures iam adessent, peregrinus QVIDAM purpuratus ex comœdia, amictu splendido & puerorum comitatu insolentior, ad fores triclinij accessit, atq; in orbem accubãtes oculis lustrãs, noluit ingredi, sed illicò subduxit se. Hic multis ad eũ reuocandum accurrentibus, locum negauit se dignum uidere relictum. Atq; illum quidem, qui accumbebant, magno cum risu exultantes & plaudentes, bono omine domo iusserunt dimitti. erant enim nonnulli illius aduentu satis perculsi. Peracta cœna quæstio agitata est, Conuiuatorém ne consessum assignare conuiuis, an illis ipsis id permittendum esset. Plut. lib.1. Con. quæst.2.

IN DEAMBVLATIONIBVS.

HANNIBAL Carthaginensium dux, deambulans Ephesi cum P. Scipione Africano, locum honestiorem præripuit ambitiosè. Plut. in Flaminio.

Dertonæ ubi Maximilianus I. Rom. Imp. bello Pisano finem imponere cogitabat, legatis Florentinorum duobus, qui ad Maximilianum uenerant, in uia fortè obuiis legati VENETI salutem dixerunt. Illi eis ne uerbum quidem unum reddiderunt, sed illiberali contumacia ire perrexerunt. Postridie autem eius diei iterum obuij cùm de uia legatis Venetis non cederent, arrogantiusque in eos cum suo comitatu propè conglobarentur, Maurocenus legatus Venetus, cui quidem pręclara atq; mirifica faciei dignitas cum uasta mẽbrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, ut in luto prouolueretur, Disce cedere maioribus, pronuncians. Bembus lib.3. Hist. Venetæ.

IN CONSESSIBVS, POMPIS.

IVBA rex Mauritaniæ, post pugnam Pharsalicam, medium locum inter Scipionem & Appium Varum Africæ præfectum q ad se cõfugerant, captabat. Quod ut uidit Cato, transposuit ad alterum latus sellam suam, mediumq; Scipionẽ, quam uis inimicum accepit. Plut.

L. SYLLA legatus in Cappadociam missus, ut Ariobarzanem in regnum reduceret: eumq; agentem apud Euphratem cõuenisset Parthus Orobazus regis Arsacis legatus, cùm nihil ante eam diem commercij inter utramq; gentem intercessisset: ibi dicitur tres sedes posuisse, unam Ariobarzani regi, alteram Orobazo legato, sibi tertiam, mediusq; inter duos sedens audientiam dedisse legato. Quamobrẽ necauit postmodum rex Parthorum Orobazum. Syllam alij prædicauerunt, q̃ Barbaros habuisset ludibrio: alij ut arrogantem & intempestiuè ambitiosum culpauerunt. Plut. in Sylla.

Andronicus Comnenus tyrannus, interfecto Alexio Porphyrogenito Imp. à patriarcha suo BASILIO Camatero petiit, iureiurando, quod Imperatori Manueli Comneno dedisset, solui. Patriarcha cum sacerdotibus, quasi absq; ullo discrimine & uinciendi & soluendi quemlibet potestatem diuinitùs accepisset, literis publicè affixis, impunitatẽ scelerũ perfidis concessit. Andronicus uicissim pontificibus hanc egregiam gratiam retulit, ut subselliis ad solium Imperatoris collocatis, ei assiderent. Verùm paucis diebus superbierunt magna cum irrisione. Nicetas.

Clemens II. Pp. annitente Henrico III. Imp. insignem labẽtis ecclesiæ reformationem contra Simoniacos aggressus, concilium episcoporum in Lateranum uocauit. Cui interfuerũt HEREBERTVS archiepiscopus Mediolanẽsis, EBERARDVS Aquileiensis, & HVNFRIDVS Rauennas. Inter hos primo die, nouũ de præsessione certamẽ est ortũ. Nam cùm Pontifex sedisset, ac patriarcha Aquileiensis dextram, læuã Rauennas archiepiscopus occupasset: inclinante iam ad uesperum die Mediolanensis aduenit, ac dexteram sedem postulauit. Aquileiensi & Rauennate reclamante, atq; utroq; eam sibi deposcente, conuentus rem cognoscendam esse decreuit. Cùm Mediolanensis aduocati concilium Symmachi pontificis commemorarent, in quo Mediolanensis priore loco sedisset, Hunfridus literas protulit Ioannis pontificis, qui Symmacho successerat, in quibus scriptum erat, id Petri archiepiscopi Rauennatis submissione Mediolanensi concessum: atque Ioannem ipsum sanxisse, ut absente Cæsare dextera Rauennati, præsente sinistra tribueretur. Atq; ita patres rogati sententias decreuerũt. Sigonius lib.8. regni Ital.

Celebrabat festum Pentecostes Moguntiæ Henricus III. Imp. Ibi inter famulos archiepiscopi Moguntini & ABBATIS Fuldensis exorta est contentio, de locatione. Res à uerbis ad uerbera processit: ac sine mora gladiis congredientes, tẽplum humano sanguine fœdarunt. Episcopi accurrentes, præliũ cruentum diremerunt, ac templum rursus expiarũt. Postea sedato tumultu, cùm caneretur, Hunc diem gloriosum fecisti: uox diaboli clara per templum auditur: Hunc diẽ ego bellicosum feci. Imperator territus hoc portento, largitionibus eleemosynarũ diabolum conatus est pellere, epulasq; suæ aulæ paratas ipsemet cum proceribus distribuit pauperibus. Nauclerus Volumine 2. Generatione 36.

Natalem Domini Henricus IIII. Cæsar puer adhuc, Goslariæ celebrabat. Ibi ad uespertinos ritus, cùm sellæ prælatis in templo collocandæ essent, acris & uehemens contentio inter camerarios HEZELONIS episcopi Hildesheimensis, & VIDERADI abbatis Fuldensis exorta est. Nam utrique suas sellas proximè post archiepiscopum Moguntinum collocare nitebantur. Causa dissidij erat, quia consuetudo erat in regno, ut in conuentibus episcoporum abbas Fuldensis proximè ad archiepiscopum Moguntinum resideret, & proinde dignitatem hoc etiam in loco retinere uolebat. At Hildesheimensis contendebat, in sua diœcesi non competere cuiquam locum ab archiepiscopo proximũ, quàm sibi. Iurgium hoc Otho Bauariæ dux, abbati fauens, sua auctoritate compescuit. Anno Domini 1063. Nec multo pòst die Pentecostes sacro in Vespertinis precibus episcopus Hildesheimensis acceptæ memor contumeliæ, post altare Ebertum Comitem cum expeditis militibus occultat, ut dato signo adessent. Fuldensis sedis prærogatiua usurus, ab episcopo pulsatur. Aduolant milites, & Fuldenses incautos miserè uulnerant, & interficiunt: Episcopo de loco superiore ceu classicum intonante, & diris Fuldenses prosequente. Cæsar sua auctoritate frustra interposita, templo uix excessit. Fuldenses tandẽ magna uicti strage. Nox prælium diremit. In Abbatem omnis reiecta culpa. Proinde magno auri pondere se suosq; redimere coactus, amplissimos cœnobij Fuldensis prouentus miserè prodegit. Schafnaburgensis.

Anno Sal. 1184. Moguntiæ Imperij conuentus frequens agebatur, quo Henricus VI. filius Friderici rex Romanorum designabatur, & matrimonium noui regis cum Constantia, unica regis Neapolitani filia, confirmabatur. Die autem Pentecostes, cùm solennia sacra tractarentur, regiq; corona esset imponenda: turbam in templo ambitiosam ABBAS Fuldensis excitauit. Nam ad latus dextrum Imperatoris Conradus Moguntinus sedem occuparat, ad sinistrum uerò Philippus Reinoldus Coloniensis sellam locarat. Fuldensis antiquum ius prætendens, proximum ad læuam Cæsaris locum sibi competere asserit. Sed Coloniensis in eo quem tenebat locum, mansit: ignominiosum fore ratus, si archiepiscopus & Imperij Elector infra abbatem consideret. Abbas impatiens prærepti honoris, querelam ad Cæsarem dirigit. Is respondet, ueteres sese Imperij consuetudines probare, neq; in magno ponere discrimine, siue maior siue minor assideat. Coloniensis eo audito mox surgens, inquit: Quando sic maiestati tuæ uidetur, cedo abbati archiepiscopus, monacho princeps Elector. Sed bona uestra uenia cœtum simul dimitto. Abeũtem illicò sequitur palatinus Rheni, frater Imperatoris, & comes de Nassou, petita uenia, quòd eius beneficiarij essent. Comiti de Nassou, quòd ille etiã ab Abbate beneficium teneret, dixit Ludouicus Turingiæ princeps, Pulcrè hodie respondes beneficio, qui deserto uero domino alium sectaris. Cui ille, Beneficium quod teneo, iustis suo loco promerebor obsequiis: hodie sequor, quem in hunc cœtum inter alios deduxi, dominum alterius feudi quod teneo. Idem fecit dux Brabantiæ. Rex Henricus, collũ amplexus archiepiscopi, sanctè rogauit, ne festum diem coronationis suæ à mœrore auspicaretur, néue turbationem excitaret in tanto principum conuentu. Tum excandescens archiepiscopus, Quàm pulcrè, inquit, hodie remunerat Cæsarea maiestas diuturna huius capitis obsequia, quæ eam sequutus compleui, pro qua in castris incanui, Italiam fatigaui, Longobardiam oppugnaui, Brunsuici sudorem cum sanguine fudi. Hæc nunc illa merces mea est, quòd in tam celebri principum conuentu publicè propter Abbatem confundor. Quòd si manere me uultis, ecce pareo, reponantur nostrę sedes ut fuerunt. Si nostram Abbas turbarit, ascendat in cœlum, ponatq; suam in Aquilonem, & sit similis Altissimo. Interea clàm quatuor millia armat, ac non procul à se abesse iubet, ut si Abbas aliqd porrò moueret, manu sanguineq; rem gererent ac decernerent. Imperator hac audita expostulatione, iuramentum interponere parabat, nullam se cum Abbate propter hoc iniuisse conspirationem. Tandẽ precibus apud Abbatem euicit, ut loco cederet archiepiscopo, Cranzius lib.6. cap.46. Saxoniæ.

Anno 1374. nata est cõtẽtio inter Senatores BREMÆ & HAMBVRGI ciuitatum de prioratu, & ordine in conuentibus publicis asseruando. Allegabant Hamburgenses pro se antiquitatem, & quòd primi archiepiscopatus honorem accepissent: Bremenses contrà non quid olim fuissent, sed quid hodie essent, intuendum. Primas itaq; obtinuere Bremẽses in cœtu & conuentu cæterarum urbium, quæ tum erant Lubecæ. Cranzius lib. 10. Metrop. cap. 26.

Perinus Cypri rex, Petro genitori in regnum suffectus, magnarũ discordiarũ inter GENVENSES & VENETOS causa fuit. Nã dum Famagustæ coronationis suę pompã duceret, anno 1373. adessetq; Genuensis & Venetus Baliuus (ita enim appellant mercatorũ Prætores) uelletq; uterq; ad dextrã regis incedere, magnus repentè tumultus exortus est. Rege aũt in Venetos magis, quàm in Genuenses inclinãte, Genuenses armis suam dignitatẽ uindicatur, in regiam tectis sub ueste gladiis profecti sunt. Veneti regẽ adeunt, atq; insidias eius capiti paratas dicunt. Rex inuentos cũ armis Genuenses ex altissimis fenestris in forũ præcipitari curauit, militũ cohorte lanceis atq; gladiis cadẽtes excipiente. Reliqui etiã per Cyprũ commorantes Genuenses necati sunt, ut uix unus ex tanta clade superfuerit. Hãnc ob rẽ Genuenses cõparata quadraginta triremiũ classe, intra XL dies Cyprum hostili animo inuaserunt. Rex omnium auxilio destitutus; dedita Famagusta, quadraginta millia numûm auri quotãnis Genuensibus pollicitus est. Platina in Gregorio XI. & Blondus li. 10. Dec. 2. Aeneas Syl. de bello Cyprio, Petrinum Petro fratre necato regnum inuasisse scribit.

Quum anno 1530. sexto Cal. Martij Carolus V. Cęsar Bononię à Pont. Clemene VII. coronaretur, legati GENVENSES & SENENSES de loci dignitate inter se contumeliis pugnisq; contendentes, templo iussu Cæsaris exacti sunt. Iouius lib. 37. Hist.

Anno 1447. cùm Cazimirus III. Polonorum rex inaugurandus esset Cracouiæ, priusquàm præparatum sibi solium ascẽderet, cõtrouersia inter episcopos ac duces Masouiorũ Vladislaũ & Boleslaũ de loco, utri dextrum regis latus tenerent, orta, reuerti regem in arcem re infecta coegit. Cessere tamen postea duces episcopis. Cromerus lib. 22.

Sigismundus Imp. dum concilio Basiliensi præesset, habuit in aula sua iureconsultum GEORGIVM Fiscellinum, quem paulò antè ad ordinem equestrem prouexerat. Is cæteris, ut in consilio fit, in partes deliberandi gratia per ordinem discedentibus, dubitabat, an ad doctores, an ad equites transiret: & tandem ad equites se contulit. Quod intuens Sigismundus: Ne tu, inquit, Georgi, nimis ridiculus es, qui militiam literis anteponis, cùm scias, ex idiotis me uel sexcentos uno die equites creare posse, at ex eodem genere, ne unum quidẽ per totam uitam meam doctorem. Dubrauius lib. 25. & Aeneas Syluius lib. 4. Com. in Res gestas Alfonsi.

HONORES IN CONGRESSIBVS ambitiosè captare, asserere.

SAVL Iudæorum rex petiit à Samuele, uti se coram senioribus populi honoraret. 1. Reg. 15.

M. LIVIVS Drusus, nobili genere, & ad dicendum paratus, superbissimus omnium Rom. cùm à Senatu uocaretur, senatũ potiùs ad se uenire iussit: & senatus paruit. Huius patrẽ senatus Patronum appellauit. L. Viues in lib. 3. August. de ciuitate Dei, capite 26.

LIVIA Augusti Senatum ac de populo, qui uellent domum ad se salutãdam uenire, admittebat, idq; ipsum in publicos commentarios referri curabat. Suetonius.

Fertur Domitius NERO, Neronis auus, dum ædilitatem gereret, adeò procax & animi immodicus fuisse, ut L. Plancum censorem uia sibi cedere coegerit. Alex. lib. 3. cap. 13.

HENRICVS Saxoniæ dux, apud Eydorã solenne cũ Valdemaro Danorũ rege colloquiũ habuit: in quo ob prosperos rerũ successus adeò se insolẽter ac tumide gessit, ut medium pontis, sicut antè consueuerat, uisendi regis causa, transgredi recusaret, ne sibi dignitate illũ præstare fateretur. Rex uerò in eius occursum exæquatis pötis spaciis, tanquã par, nõ maior descendit, honoratiorẽ se ratus, si cũ indignantis uiri fastu humilitate certaret. At non multo pòst Henricus ob exercitũ Friderico I. aduersum Italos negatum, grauẽ bello offensam expertus, cùm tãtæ rei molẽ uiribus suis maiorem cerneret, Valdemarum sibi obuium crebris nunciis euocatum, pertransito ponte, cuius antea ne dimidium quidẽ excedere uoluerat, per summam mutuæ fidei exhortationẽ obnixa auxilij petitione sollicitauit. Saxo lib. 14. & 15.

GERARDVS episcopus Pragensis, mortuo Ioanne, Olomucensem quoq; pötificatũ adeptus beneficio Henrici V. Imp. tã altos concepit spiritus contrã Vratislaũ II. Boëmię regẽ, fratrem germanũ, ut ne rogatus quidẽ in curiã ad consultãdum, aut in templũ ad rem diuinã peragendã, si rex ibi adesset, uenire uoluerit: non quòd ulla noua iniuria ab illo esset lacessitus, sed tantũ uetus ualuit simultas, quòniam Rex Ioannem Olomucensem Præsulem contrà fratrẽ, qui eum episcopatu spoliare sæpiùs tentauerat, strenuè defenderat. At Vratislaus risu eam fratris insolentiã excipiens, ut rationẽ interim dignitatis suę haberet, in altera urbis arce, quam Vissegradensem uocãt, templũ omnib. sacerdotalibus officiis, dignitatibusq; & priuilegiis æquè insigne instituit, atq; erat illud alterũ in arce sancti Viti, solo põtifice excepto, in cuius locũ, auctoritate Pontificis Romani, Præpositũ substituit, qui dũ sacra facerẽt, non ipse tantùm, sed etiã cæteri illius administri põtificalib. infulis ornati incederent. Additus Præposito magistratus, qui regni Cancellariũ ageret, & cũ illo honor principalis, ne in hac quoq; parte multũ pontifice inferior esset. Quoties igitur cumq; solennis feriarum dies occurreret, non ad pontificẽ, sed ad Præpositum sacrificia peragentẽ Rex diuertebat. hocq; modo fratris arrogãtiam elusit. Dubrauius lib. 9.

MATHIAS Hũgariæ, & CASIMIRVS Poloniæ reges, cùm uaria fortuna inter se de Silesia cõtendissent, & tandẽ pacis firmandæ causa prope pagũ Mocor, ante urbẽ Vratislauiã, quã Polonus obsederat, congressus esset institutus: ambitione ridicula inter se certarũt. Mathias nõ ignarus moris Polonici, sciebat postulaturos Polonos, ut Casimirũ nudato capite uenerabundus salutaret. Hoc ut eluderet, uento licet asperrimo flante, equum conscendit, ueste aurata, capite nudo, corona rutacea ornato. Casimirus multis pellib. caput obuinxerat, ut ualetudinis prætextu ab honore Mathiæ exhibendo excusaret. Ioach. Cureus in Silesiæ Annalib. At Dubrauius lib. 31. pro Casimiro habet Vladislaum Boemiæ regem, eosq; Olomucij congressos esse.

CONIVGIVM HONORIFICVM.

Orta inter deas lis est de præstantia formæ, & eius arbiter honorarius Priami filius ALEXANDER delectus. Is Iunone regnũ Asiæ pollicente, Minerua uictoriã in bellis, Venere coniugiũ Helenæ: cùm non posset inter corpora diiudicare, neque diuinorũ uultuũ fulgorem sustinere, ac munerũ potiùs iudex esse cogeretur: consuetudinẽ Helenæ cæteris omnib. antepösuit. non quòd uoluptates præcipuè spectaret (quam quam enim eas uiri sapientes multis aliis rebus præferunt, non tamen eò impulsus est) sed Iouis gener fieri & nominari studuit: existimans eum honorẽ longè maiorem & prędariorem esse, quàm Asiæ regnũ. Magna enim imperia & potentiã, etiam nihili hominib. olim obuentura: tali uerò mulicre ex omni posteritate dignatũ iri neminem. Animaduertit etiam, se nullum pulcrius patrimoniũ suis liberis posse relinquere, quàm si tam paternam quàm maternã originẽ ad Iouem referrent: quippe qui sciret, cætera fortunæ commoda celeriter aut interire, aut transire ad alios: sed nobilitatem, semper apud eosdem permanere. Quare hunc delectum in totius sui generis commodum cessurum prospiciebat, cùm cætera munera non ultra sui æui terminos duratura essent. Isocrates in Helena.

SEPVLTVRAM HONORIFICAM ambitiosè captare.

PSEVDOPROPHETA Bethelensis, uerum uaticinium Iadonis metuens, quod contra Bethel prædixerat, ne cadauer suum è sepulcro aliquando erueretur, ossa sua Iadonis à Leone interfecti ossibus commisceri uoluit. 3. Reg. 13. & Iosephus lib. 8. cap. 9. Antiq.

Fran. Petrarcha Arquati Euganeorũ oppido sepultus est. Quidã RVSTICVS archipresbytero ad se accersito pollicitus est uelle se de centũ aureis ecclesiæ facere legatũ, ut in sepulcro Petrarchæ imponeretur. Archipresbyter Iacobo Zeno Patauino episcopo negociũ exposuit. Zenus quin rusticum laudaret, facere nõ potuit, quòd tanti clarorũ uirorum existimationẽ faceret, ꝙ in magno sepulcro tumulari, & in mistis scẽdis ossibus nobilitari uellet: cæterùm sub graui censura sepulcrũ uiolari uetuit. Hier. Squarzafic⁹ in uita Petrarchæ.

AMBITIO CONSIDERATA RESPECTV MODI, QVO gloria appetitur, ambitur, acceptatur. VTPVTA

CAPTANDO. SIVE

VOTO, SPE.

ALEXANDER Magnus, cùm ex Anarcho innumeros esse audiret mũdos, lacrymas profudit: rogitãtibusq; amicis, Quid rei esset? An nõ res est, inquit, flebilis, cùm mundi sint infiniti, haud dum nos unum subegisse? Plut. de Tranq. animi.

C. IVL. Cæsar in Hispaniam profectus, in transcursu Alpium exiguo & humili quodam oppido diuersatus, quod pauci admodum mœstiq; tenebant accolæ, cùm ex comitibus quidam per iocum rogasset, Crederétne ibi quoq; certamina de principatu oriri, ambitionémue solicitare oppidanorũ animos? Mallem, dixisse fertur, hic primus esse, quàm Romę secundus haberi. Sab. lib. 5. Enn. 6. ex Plut. Cæsare.

EBERHARDVS Franconiæ dux; cum Henrico Rixoso duce Saxoniæ contra Othonem I. Imp. conspirauit, cùm uterq; per se imperium affectaret. Is uxori, in cuius sinu quiescebat, dixisse fertur stolidus homo, Paulo pòst non in Ducis, sed in Regis amplexibus cubabis carissima. Verùm spe sua multum frustratus, in acie cæsus, cum uita & ducatu regnũ quoq; imaginarium amisit. Cuspin. in Othone.

PETITIONE, AMBITV.

Anco rege, fatali necessitate sublato, L. TARQVINIVS in regnum successit. Is omnium primus regnum ambitiosè petiisse dicitur, composita ad id oratione, qua est ad populũ usus, duobus Anci filiis tum pubescere incipientibus: quibus tutor relictus à patre, sub comitiorum tempus, ne quid illorum præsentia sibi officeret, uenatum ablegauit. Sabellicus lib. 4. Ennead. 2.

ROMANORVM mos fuit cùm clientibus & gentilibus singulas tribus prehensare & circuire, hominesq; etiam tenuissimos & ignotos rogare, atq; illos per se & communes amicos appellare, obsecrare & obtestari. Eorum nomina memoriter referenda erant. Quod si qui facere nequirent, adhibito nomenclatore, faciebant. Tametsi cautũ postea fuit; ne candidatis nomenclatores adessent. Sua quinetiam merita & facinora domi forisq; commemorabant; demissisq; & humilibus uerbis supplicabant, nihil deniq; fraudis aut lenocinij omittebant: prehendere amicos, ambire patronos, domos stationesq; circuire, admonere beneficij, perlicere donis iuuenes, & ingentia polliceri, nihil reliqui facere, ut sibi in consequẽdis honoribus socij & adiutores sint; atq; in petitione suffragentur. Elaborandum etiam erat, ut adolescentes nobiles & summo loco natos, studiosos haberent; qui omni studio & comitate rogandi persuadẽdiq; erant, ut se amicos, suffragatores, duces atq; assertores exhiberent; cõmpetitoribusq; inuidiam, sibique studia hominum fauoremq; conciliarent. Nam multos potentia & multitudine amicorum fultos, potestates & imperia peruicisse inuenimus. Quum enim populus tam Romuli quam Tulli legibus comitiorum princeps foret, ita ut quos creare magistratus uellet, illi potestas esset: his artibus deliniri mentes, singulorumq; animos captare oportebat. Iidem candidati, ut plus auctoritatis ferrent, utq; iusta suffragatione digni haberentur, cognomenta sæpe clarissimarum familiarum desumserunt: eaq; propria & peculiaris licentia candidatorum fuit, ut bonum nomen ferrent, & ex optimatibus iudicarentur. Nec minore studio his, quos rogabant, agere gratias: nam mirum & efficax studium in agendis gratiis habebatur. Singulos deniq; prehensare, obuiasq; manus dare, salutare, & omnibus arridere debebant. Qui ut conspicui essent, utq; à populo spectarentur, nundinarum tempore & mercatu frequenti, quo opifices & agrestes ad urbem commeabant (quum nona quaque die fora constituerentur) in edito colle spectandos se præbebant, ut popularem gratiam fauoremq; aucuparentur. Idq; post aliquot secula, lapsis iam & defluxis moribus, fieri seruatum est. Antea enim sine ambitu suffragiorum, aut his lenociniis, præsente senatu, summo silentio ipsi per se candidati in comitiis uitam suam belli domiq;, decora atq; officia in rempublicam, & quid singulis uniuersisq; præstitissent, tum maiorum fortiter facta, longa & accurata oratione explicabant: qua cura, qua diligentia, qua animi magnitudine honores gessissent, testesq; & laudatores dabant, qui omnes æquissimis animis audiebant. Quæ rerum gestarum commemoratio non ficta, longè plus poterat, quàm preces & ambita suffragia, quæ postea urbem inuasere. Qui uerò condidatus renunciatus designatusq; fuerat, antequam iniret magistratum, solenne carmen precationis præfatus, sicut mos est, celebri oratione populo uniuerso agere gratias, cumq; honorificentissimis uerbis alloqui, & de se bonam spẽ polliceri debebat. Quod Paulus Aemylius cùm aduersus Persen totis comitiis Consul foret renunciatus, facere recusauit. Nam palàm professus est, nullas se gratias populo debiturum: quin si meliorem nacti essent, liberam se eligẽdi potestatem populo daturum dixit. Inde è campo, qui designatus declaratusque fuerat, in Capitolium, mox ab uniuerso populo in domum suam deducebatur. Quòd si primis suffragiis minus ualere poterant, parumq; uirium in promouendo candidato fuisset (quippe cùm denuò de eisdem candidatis sæpe comitia fierent, quò faciliùs in comitiis concordia populi firmaretur) plerunq; prolatis comitiis, fracto animo, squallore & lacrymis demissi & supplices candidati, singulos etiam de plebe homines, atque humilium quenque prehensare, populoq; uniuerso supplicare solebant: ita ut quod priùs assequi non poterant, pietate motus populus traderet. Id enim in comitiis plerunq; eueniebat, ut dies intermissus, rumoresq; temerè dissipati, aut fabula ficta, uel minima offensiuncula, paruaq; rerum momẽta, totam sæpe rationem comitiorum perturbarent, & magnos motus excirẽt. Fiebat enim sæpenumerò tum miseratione, tum splendore uitæ, nonnunquam gratia aut meritis antea exhibitis, ut magni casus intercederent, fieretq; repentina mutatio: ut qui modò erant repudiati, honestissima suffragatione haberentur digni, præsertim à populo, qui uelut mare sempiterna agitatione mouetur. Alex. l. 3. c. 17. & lib. 4. c. 3.

Cùm EVSEBIA Constantij Imp. uxor, superbiã elata, ab episcopis adoraretur: solus Leontius Tripolis Lydiæ episcopus domi mansit. Pollicebatur illa se ecclesiam illi maximã extructuram, & affatim pecuniæ præbituram, si se conueniret. Cui ille: Non mihi, inquit, sed Deo gratificaberis, hoc faciens. Tu uerò si me ad te uenire uoles, sic agito. Vbi in tuum uenero conspectum, de solio descende, caput benedictioni manuum mearum submitte. Ego in tuo sedens throno, tibi cùm uidebitur sedendi potestatem faciam. Illa uehementer commota, rem marito exponens, cum ad supplicium de episcopo sumendũ instigauit. At is Leontij animo collaudato, uxorem in gynæceum ablegauit. Suidas.

TVRBATIONE REIPVBLICÆ, BELLA SERENDO.

C. MARIVS post Coss. VI. in Cappadociam & Galatiam nauigauit: uerbo, ut uota Matri magnæ persolueret: at reuerà abhorrens à pace, & ciuilium artium rudis, & qui per bella creuisset, otio pòst & quiete potentiam gloriamq; suam ratus marcescere, consectabatur bellorum semina nouorum. Sperabat enim, ubi reges conciuisset, & Mithridatem, quẽ apparebat arma moliri, excitasset lacessiuissetque, ducem se contra illum fore: nouisq; triumphis urbem, præda Pontica & opulentia regia expleturum domum suam. Quapropter, quamuis eum omni officio & honore excepisset Mithridates, nihil flexus uel permotus est: sed ait, Aut enitere rex, ut plus possis quàm populus Romanus, aut obsequenter fac imperata. Quo dicto obstupuit Mithridates: ut qui nomen crebrò, libertatem linguæ Romanæ cum pari iunctam audacia tunc primùm audiuisset. Plut. in Mario.

CN. Pompeium, uicto fugatoq; Mithridate, desiderium & cupiditas Syriæ recipiendæ tenuit, atq; per Arabiam penetrãdi ad mare Rubrum: ut ad Oceanum, quo orbis terræ undique cingitur, perueniret uictor. Etenim in Africa uictoriam usque ad Oceanum princeps protulerat. Iam in Hispania iterum imperium Romanum mari terminauerat Atlãtico. Tertiò cõsectandis modò Albanis penè attigerat mare Hyrcanum. Igitur, quò expeditionis suæ terminis committeret mari Rubro orbem, signa mouit, ab insequendo Mithridate desistens. Plut. in Pompeio.

M. CRASSVS in Repub. Rom. pacis studiis clariss. ambitionẽ & auaritia instigatus, Pompeij & Cæsaris opera consulatũ adeptus, Syriam prouinciam obtinuit, & repugnante populo bellum contra Parthos suscepit, uana illectus spe, cũ Parthis se non aliter quàm Lucullus cum Armeniis & Cappadocibus pugnaturum. Verùm res aliter cecidit. Nam partim ignauia sua, partim proditione conserto prælio à Surena Parthorum duce uictus, XX millia suorum amisit, & inter eos filium Publium. Ipse captus ab hoste, repugnantibus iis quos secum habebat, à Pomaxætbre Parthò cæsus, capiteque & dextra truncatus est: ut mirandũ sit non quòd stoliditas eius Parthorum sit uiribus uicta, sed quòd uicerit felicitatem Romanorum, tot annorum serie continuatam. Plut. in Crasso.

Cæsare iam in Senatu obtruncato, LEPIDVS quasi eius necem uindicaturus, armatis milicibus forum occupauit: uerè autem rebus nouis studebat, & sibiipsi eam dominationem quærebat. Dion.

Marcus ANTONIVS, cùm coniurati Cæsarem interfecissent, extemplò ueste sumta famulari abdidit sese. Vt uerò illos neminem aduertit lædere, sed in Capitolium recepisse se, dato filio suo obside, induxit illos ad descendendum, ac Cassium ad cœnam inuitauit, Brutum Lepidus: senatuque coacto, retulit de præteritorum obliuione, & prouinciis Cassio & Bruto decernendis Antonius. Hæc comprobauerunt patres, decreueruntque ut acta Cæsaris rata essent. Ita egressus curia est omnium hominum Antonius clarissimus: quòd sustulisse bellum ciuile, magnasque tenebras & turbationes putaretur prudentissimè & peritissimè composuisse. Cæterùm hæc consilia ei breui popularis gloria excussit, speranti oppresso Bruto principatũ se citra controuersiã assecuturũ. Elatum proinde Cæsarem in foro de more laudauit, populumque cernens mirificè duci & mulceri oratione sua, laudibus commiserationem pariter & exaggerationẽ intexuit cædis, atq; in peroratione uestes interfecti sanguinolentas gladiisq; tra-

iectas explicans, patratoresq; sicarios uocās & homicidas, usque adeò inflammauit populum, ut corpus Cæsaris in foro cremauerint scalis & mensis congestis, raptisq; ex rogo titionibus currerent ad ędes interfectorum, easq; oppugnarent. Et hoc ciuilis belli initium fuit. Plut. in Antonio.

GVLIELMVS Brissonetus, ęrarij regni Galliæ pręfectus, quęstorumq; omnium magister, ex humili loco pertinaci quadam industria diuitias quàm amplissimas consecutus, ad maximos honores ambitiosè contendebat. Quæ omnia, si bellū esset, ingenio atq; pecuniis suis confisus, se facilè multis de causis adepturum arbitrabatur. Itaq; uel nihil de Neapolitani regni hæreditate cogitantem Carolum IIX. regē contra Aragonios accendit. Iouius lib. j. Hist.

Anno MCCCCXI. Bononiæ PETRVS Cossulinus, lanij cuiusdā famulus, uectigalem equum insidens, ac strictum ensem tenens, in forum se contulit, exclamans, ut Artes ac populus uiuerent, atque eorum supremum esset imperium: & cùm ei minuta plebs se adiunxisset, palatiū occupauit, Neapolione cardinale, qui legatus pro Ioanne XXIII. Pp. urbi præerat, inde omnibus amissis fortunis profugiente: arcem quoq; Galeræ portæ cepit, atq; in eo tumultu subuertit. Is igitur Petrus, & unà cum eo Iacobus Mangiolinus, lanius, in palatio agentes, urbem Bononiam supra annū rexerunt, atq; nobilium quosdam capite multarunt. Post quod tempus cùm populi impetus resedisset, atque honestæ fortunæ ciues propriæ miseriæ commonerentur, tenuior plebs armis ab urbe depulsa est: Petrus aufugit, Mangiolinus interfectus. Fulg. & Egnat. lib. 9. c. 7.

MINIS.

AVGVSTVS Cæsar consulatum XX ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad urbē legionibus, missisq; qui sibi eū nomine exercitus deposcerēt. Cùm quidem cunctāte Senatu, Corn. Centurio princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladij capulum, non dubitasset in curia dicere: Hic faciet, si uos non feceritis. Secundum consulatum post IX annos, tertium anno interiecto gessit: sequentes usque ad XI continuit. Suetonius, & Dion.

MENDACIO, SIMVLATIONE.

☞ *Vide suprà, Ex Falsis, Fictis ambitiosè gloriam captare.*

PRODITIONE.

PAVSANIAS, Cleombroti & Anchitheæ F. Lacedæmoniorum rex, cùm Medis fauere cœpisset, Aegyptiis & Phœnicibus satellitibus Byzantij stipatus, uictu & mensa utebatur Medica, uxoremq; ambiebat Xerxis filiam, regno Græciæ inhians. In ius uocatus, confugit Spartæ in delubrum Mineruæ Chalciœci. Mater eius prima laterem collocauit ad ianuam, deinde reliqui: atq; ita intus fame periit. Corpus eius in Ceadam barathrum abiecerūt. Suidas ex Diod. lib. j. & Plut. in eius uita.

MORTE.

De EMPEDOCLE sic scribit Horatius in Arte:

— deus immortalis habet
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiliit. —

PEREGRINVS philosophus (qui se Protea dici uoluit) ex seuerioribus illis Stoicæ disciplinæ professoribus (Lucianus Cynicum uideri uult) patria Parianus, ex Ponto, temporib. Traiani uiuens, æqualis Epicteto, Dioni, Musonio, &c. quē se Gellius uidisse quoq; ait Athenis extra urbem in tugurio quodam habitantem. A' principio Christianorum religionem aliquandiu secutus fuit: sed mox ad philosophiam relapsus, ab illis, ut Luciano placet, propter ritus ipsorum neglectos atq; præteritos repudiatus, paterna bona ciuibus suis dono dedit. Ad extremum ambitione tumens, Elidem Olympicorum celebritate uenit: ibiq; constructa pyra uiuū se Herculea morte occubiturum aliquot antè orationibus professus, nocte media, procerum & Cynicorum stipatus caterua, facem ardentē manu tenens, thure in succensam iniecto pyram, in flammas insiliit, diuinorum honorum acquirendorum cupidus. Sed ei laruam Lucianus peculiari opusculo egregiè detraxit.

CÆDE ALIORVM.

☞ *Ex Tit. Regna ambitiosè affectare, huc multa.*

Diodorus TRYPHON ambulans cum rege Antiocho adolescente, ut regnaret eius loco, occidit eum. 1. Mach. 3.

ACQVIRENDO PER

COACTIONEM, ARMA.

☞ *Ex Tit. Regna ambitiosè acquirere, huc non pauca.*

NABVCODONOROR rex Assyriorum, uocatis ducibus suis, in eo se totum esse dixit, ut uniuersum orbem suo subiugaret imperio. Iudith 2.

Sigismundi Imp. legatis BAIAZETES Turcorum princeps secum expostulantibus, quòd nullo iure Bulgariam cū exercitu inuasisset, diem constituit ius suum illis demonstrandi. Et cùm in tentorium suum omne genus armorum comportari curasset: uocatis legatis, Vobis uestra, mihi hæc arma Bulgariæ prouinciam iure optimo & acquirent & defendent. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

CORRVPTIONEM VEL

Munerum, Donorum.

☞ *Vide Tit. Ambitus pœna. Sub Tit. Regna ambitiosè appetere, exempla eorum, qui imperium nundinando sunt adepti.*

Apud Athenienses quum antea incorrupti mores fuissent, primus ANYTVS, Anchemeonis filius, largitionibus immodicis pecunias erogasse, & suffragia mercatus fuisse dicit, perniciali exemplo magnæ turpitudinis & dedecoris inde subsequuti. Deinde LYCVRGVS ambitiosæ largitionis maius testimonium fecit: nam donato singulis magistratibus talento, rex Spartæ creatus fuit. Alex. lib. 3. c. 17.

Metello pontifici maximo defuncto, Isaurico autem & Catulo petentibus sacerdotium eius, clarissimis uiris, auctoritatisq; in senatu summæ, non concessit C. IVL. Cæsar, sed ad comitia competitorem se illorum professus descendit. In ancipiti populi studio Catulus ex maiore dignitate magis euentum comitiorum formidans, misit ad Cęsarem, certos, qui eum magna ostensa mercede à petitione deducerent. Enimuerò ille largitione etiam maiore nominibus factis ad hoc certamen ostendit se descensurum. Die instante matrem eum ad ostium haud sine lacrymis prosequentem osculatus, Hodie mater, inquit, aut pontificem maximum filium, aut exulem uidebis. Suffragiis latis, cùm comitia magno certamine acta essent, superior fuit: senatuiq; & optimatibus terrorem iniecit, prouecturum eum populum ad omnem audaciam. Plut. in Cæsare.

C. IVL. Cæsar in spem secundi consulatus erectus, nullum largitionis aut officiorum in quenquam genus publicè priuatimq; omisit. Forum de manubiis incoauit: huius area super H-S millies (hoc est, millies centena millia sestertiūm, quæ faciunt summam uities quinquies centenum millium coronatorum) constitit. Munus populo epulumq; pronunciauit in filię memoriam: quod ante eum nemo fecit. Quorum ut quàm maxima expectatio esset, ea quæ ad epulum pertinerent, quamuis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat. Suetonius.

L. Corn. SYLLA populi fauorem partim blandimentis partim largitionibus emeritus, pretor factus est. Quare cùm in prætura ad Cęsarem diceret ira incensus, sua se potestate in illum usurum: arridens Cæsar: Rectè, inquit, præturam existimas tuam: nempe eam emisti. Plut. in Sylla.

Interfecto Caio Cæsare, cùm Senatus de communi libertate asserenda cogitaret, multitudo uerò unum rectorem exposceret: à militib. qui iureiurando fidem promiserāt, CLAVDIVS Imperator est factus, anno ætatis quinquagesimo, promittens singulis quaterna dena sestertia. Et sic primus Cæsarum fidem militis præmio est pignoratus. Cuspinianus ex Suetonio.

OTHO dum Galbæ insidias struit, seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies sestertiūm expresserat. Hoc subsidio primò quinque spiculatoribus rem commisit, deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repręsentata, & quinquagena promissa. Per hos solicitati reliqui, nec adeò multi, haud dubia fiducia, in ipso negotio pluribus affuturis: à quibus tandem Galba interfectus est. Suetonius.

NYMPHIDIVS Sabinus, Præfectus prætorio cum Tigillino Neronem in Aegyptum fugisse militibus persuasit, & ingenti donatiuo proposito, ut Sulpitium Galbam in Hispania Imp. pronunciarent, induxit, sperans sese ad imperium facilè ascensurum, sene iam & iam morti proximo Galba. Interea Iulius Vindex Galliæ proprætor cùm à Nerone defecisset, Galbam ad suscipiēdum imperium hortatus est. Iam uerò Verginius Ruffus legionum Germanicarum in Gallia dux, cùm Vindicem cum XXM Gallorum cæcidisset, ab exercitu Imp. salutatus est. Cęterùm cæso Nerone, Galba à Senatu Imp. dictus, & Nymphidius ad imperium aspirans, à prætorianis interfectus est. Suetonius.

CAROLVS Caluus Gallorum rex, Romam pergens, Imperatoris nomen à Ioanne & Romanis, multis amplissimisque muneribus redemit. Regino lib. 2. anno Domini DCCCXXCV. & Aimoinus lib. 5. c. 31. de Francis.

Friderico Aenobarbo ab Alexādro III. diris deuoto, EMMANVEL Constantinopolitanus legatos ad Pōtificem misit, qui occidentalis imperij titulum peterent, præter ingentiū munerum largitionem, Ecclesiæ Græcanicæ subiectionem promittentes. Pontifex & cardinalium & Rom. populi Senatum habuit. Tandem Emmanueli sunt omnia denegata, ne æternas discordias hæc translatio imperij pareret. Bonfinius lib. 6. Decad. 2.

Carolus IV. Imp. Vencesłaum F. consortem regni Boemiæ fecit, Ioannam Hollandiæ comitissam ei despondit, & in singulos Electores principes centum millia aureūm numūm spondens, impetrauit, ut Venceslaus XV annos natus à Friderico Archiepiscopo Coloniensi Aquisgrani loco solito in regem Romanorum coronaretur. Cęterùm cùm tantam summam dissoluere ad diem non ualeret: cum maximo Imperij detrimento, publica uectigalia, Imperatorib. ad subsidia relicta, ipsis principibus non tam oppignorauit, quàm perpetuò abalienauit, propter nequā filiū, ut res postea declarauit, nisi quòd suus cuiq; charus est. Dubrauius lib. 22.

Coniugij, Nuptiarum.

ANTIOCHVS Magnus, Asiæ rex, non solùm Syriam & Ciliciam & Lyciam & alias prouincias, quæ Ptolemæi Epiphanis fuerant, possidere uolens, sed in Aegyptum quoque regnum suum extendere: filiam suam Cleopatrā per Euclem Rhodium, VII anno regni adolescentis, despondit Ptolemæo, & XIII anno tradidit: data ei dotis nomine omni Cœlesyria & Iudæa. Hieron. in Danielem cap. 11.

C. IVL. Cæsar, quò penitiùs in potentiam insinuaret se POMPEII, cùm filiam Iuliam haberet Seruilio Cæpioni pactā, hanc Pompeio despondit. Seruilio Pompeij filiam ostendit se iuncturum, ac ne eam quidem illocatam, sed Fausto Syllę filio destinatam. Breui pòst Cæsar Pisonis filiam Calphurniam nuptiis sibi adiunxit: Pisonem in proximum annum consulem creauit. Quo tempore palàm testatus est Cato, clamauitq; rem indignam esse, ut addiceretur nuptiarū lenociniis imperium, ac per mulieres mutuò se ad prouincias, imperia, exercitus proueherent. Plut. in Cæsare.

CONTEMTVM.

Vitæ.

C. IVL. Cęsar Romæ competitor Catuli principis ciuitatis, comitiis Pontifice Maximo rogando, matri ad ianuam eum prosequenti: Hodie, inquit, mater, aut Pontificem Maximū filium, aut exulem habebis. Plut. in Apopht.

Valetudinis.

Erico II. Danorum rege in Cypro mortuo, frater eius SVENO, quòd Nicolaū & Vbbonem ætate præcederet, regnū affectans, uocata Vuibergum concione, publici delectus arbitrium unius prouinciæ iudicio præcurrere uoluit. Sed dū citato equo ad comitia uolat, corporis firmitate defectus, quò leniùs commodiusq; ferretur, carpento se excipi iussit, affirmans hilariter obiturum, si saltem sub regis titulo triduum exegisset. Mox ob morbi magnitudinem lecticā poposcit, præfatus nil se curaturum, si rex à populo salutarus, spiritum in concione deponeret. Sed dū supra uires in concionem properat, non regno fatum, sed fato regni titulum anteuertit. Saxo lib. 12.

ACCEPTANDO. ET VEL

INSOLENTER VSVRPANDO.

In certamine Apollinis Triopij apud Dorienses, uictores tripode æreo donabantur: quem tamen non liceret è sacro efferre, sed deo ipsi donare. AGASICLES uerò Halicarnasseus spreta lege, primus tripodem domum tulit. Dorienses igitur omnes Halicarnasseos in posterum à sacro isto excluserunt. Herodotus lib. j.

IMPOTENTER GAVDENDO.

DEMOSTHENIS ambitionem uel inde colligas, quòd cū aquam ferentes duo, alter alteri insusurrasset (Hic est Demosthenes ille) erexit sese, ut quisnam esset, cōspici posset. Ael. lib. 9. de Var. hist. Hinc Persius: At pulcrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.

REPVDIANDO MINORES, SPE MAIORVM. AMBITIO FOENERATORIA.

Darius Persarum rex ad Issum Ciliciæ uictus ab ALEXANDRO Magno, eiq; denuò occurrens ad Arbela, legatos misit, gratias agens, quòd matrem captiuosque alios tam honorificè tractasset: orans ut inita secum amicitia, quicquid citra Euphratem esset, talentorumq; tria millia, & filiarum suarum alteram, uxorem accipere uellet. Quod si obtinuisset, ut generum eum habeat, tunc filij sui gubernatione cōcessa, se admissurum quodam modo eum in totius etiam imperij societatem pollicebatur. Alexander auditis legatis, amicorum consilium habuit, retulitq; ad eos de his quæ offerrentur, ut censerent quidnam eligendum uideretur. Rogabat ut liberè unusquisq; sententiam suam in mediū proferret. Ibi cùm alij omnes ob rei quæsitæ magnitudinem haud satis regi consulere auderēt, Parmenio primus: Ego, inquit, si essem Alexander, susciperem quæ concedūtur, fœdusq; firmarem. Huic Alexander ita respondit: Et ego id facerē, quòd dicis, si essem Parmenio. Aliisq; huiusmodi uerbis magnificis usus, Persarum orationem repudiauit: pluris nominis sui gloriam, quàm promissorum munerum utilitatem faciens. Itaq; legatis hoc respondit: Quemadmodum mundus, si duo essent soles, nec ornatum nec ordinem suū haberet: itidem & terrarum orbis, duobus regib. principatum tenentibus, non facilè seditionum & tumultus expers erit. Idcirco iussit Dario renunciarent: Si primas tueri esset ei in animo, uti ad certamen pro unico rerum omnium imperio contra se ueniret. Sin gloriæ parum appetens, utilitatem & quietis oblectamentum magis diligeret, Alexandro iubenti obsequeretur, in alios potestatem regiam, quam ei amplam ipse esset concessurus, exerceret. Diod. lib. 17. in Apopht. & Plut. in Alex. & Val. lib. 6. c. 4.

M. CATO cùm statuarum Romę infinitus uisereretur numerus, noluit ullam sibi erigi: Malo, inquit, quæri, cur statua mihi nulla posita sit, quàm cur sit. Plut. in Politicis.

C. IVL. Cæsar pacata prouincia Hispania ulteriori, ad triumphum consulatumq; decessit. Sed cùm editis iam comitiis ratio eius haberi non posset, nisi priuatus introisset urbē: & ambienti ut legib. solueretur, multi contradicerēt: coactus est triumphū, ne Consulatu excluderetur, dimittere. Suet.

CN. Pompeium, Africa & Sicilia pacata, & triumpho uel inuito Sylla impetrato, non ambigitur, ut in amplissimum ordinem cooptaretur, facilè obtinere, si uoluisset, potuisse. Cæterùm non institit, ut perhibent, gloriam ex re inaudita captans. Neq; enim fuisset mirum, si senator ante ætatem factus Pompeius esset: sed supra splendorem omnem, quod triumpharet nondum senator. Id etiam studium plebis ei maiorem in modum conciliauit: siquidem gratum populo fuit, quòd à triūpho inter Equites censeretur. Plut. in Pōpeio.

NON DELATVM, PRAEREPTVM, VSVRPATVM INIQVE FERENDO. Dolor, Indignatio ob Honorem non delatum.

QVEM, QVALEM. Puta

Dignitatis sacræ.

CN. Domitius Neronis Imp. atauus, Tribunus factus, quod Pontifices aliū quàm se in patris sui locū cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum à collegiis ad populum transtulit. Suetonius.

Quòd Adrianus pontifex Gradensem ecclesiam super cęteras Venetiæ, Istriæ ac Liburniæ basilicas principatum tenere pronunciarat, VLRICVS Aquileię patriarcha ęgrè tulit: ac impetratis à Stephano Hungarorum rege auxilus, Gradeū se oppidum occupare nitebatur. At immissa Venetorū classe, cum septingentis captus est, & hac conditione dimissus, ut Foroiulienses quotannis duodenos porcos, totidemq; panes Venetis tributi loco penderent. Bonfin. lib. 6. Dec. 2.

Imperij, Regni.

OTHO Imp. sperauerat fore, ut adoptaretur à Galba: idq; in dies expectabat. Sed postquam, Pisone pręlato, spe decidit, ad uim conuersus est: instigante super animi dolorem etiā magnitudine æris alieni. Neq; enim dissimulabat, nisi principem, se stare non posse: nihilq; referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Suetonius.

Insignium Regni.

Rumorem in plebem uulgauerāt amici C. IVL. Cæsaris, libris Sibyllinis proditum, uinci Parthos à Romanis posse, si rege duce bellum eis mouissent, esse ipsis alioquin insuperabiles: ac redeuntem Alba ad urbem Cæsarem ausi fuere salutare regem. Indignante populo ille offensus, nō regem ait se, sed Cæsarem uocari. Ibi cùm obticuissent cuncti, planè tristis dolensq; transiit. Pro Rostris aurea sedens sella, uesteq; ornatus triumphali, spectabat Lupercalia. M. Antonius autem, quòd consul esset, unus erat Lupercorū. qui postquàm in forum decurrit, & plebs dimouit se: porrexit Cæsari circumiectum laurea diadema: ac plausus non magnus, sed obscurus est de industria consecutus. Quod ubi repulit Cæsar, populus uniuersus applausit. Illo iterum diadema admouente, pauci: reiiciente Cæsare, ex integro cuncti. Ita periculo facto Cæsar surgens coronam in Capitolium misit. Iam statuæ quoq; eius regiis reuinctæ diadematib. conspiciebantur. Ea duo tribuni plebis Flauius & Marullus detraxere: illosq;, qui Cæsarem primi salutauerant regem, requisitos in carcerem duxere. Secutus populus est applaudens, eosq; Brutos appellauit: quòd Brutus fuisset, qui regum abolita successione imperium ad senatum & populū ex regno traduxit. Hinc incensus Cæsar Marullum & Flauium potestate tribunitia priuauit. in quos dū inuehitur, populo pariter insultans, subinde Brutos eos & Cumanos uocauit. Plut. in Cæsare, & Suetonius.

Victo-

Victoriæ.

Cùm Iephtha Galaadites, Galaaditarum & Manassensiũ dux, Ammonitas graui clade oppressisset: EPHRAIMITÆ inuidia moti, indignè ferebant, se quoq; eius uictoriæ nõ fuisse participes: atq; adeò contra Iephtham arma ceperũt, Galaaditas ab Ephraimitis fugitiuos esse dictitantes. Iephtha igitur prælio eos superauit: & uada Iordanis occupãs, quà in Ephraimitas traiectus est, ut hostes suos internosceret, petentibus transitum, quærebat ex eis num Ephratæi essent. Negantibus, iubebat ut pronunciarent Schibboleth. at illi pro suo idiomate pronunciabant Sibboleth. eoq; literæ sono cogniti, iugulabantur. Ceciderunt in eo bello Ephraimitarum XLII millia. Iudicum 12.

CLEOMENES Astypalæensis ereptam sibi Olympiæ pugillatus (quo Iccum Epidaurium interemerat) coronam, indignissimè ferens, mente priuatur. Pausanias lib. 6. & Plutarchus in Romulo.

Heracleotes lib. 6. de Comœdia ita scribit: Cùm Athenis Dithyrãbos ANAXANDRIDES fortè doceret, super equo eos recitauit. Erat aspectu pulcer & magnus, comamq; nutriebat, purpuream uestem, aureaq; uestimẽti ora gestabat. At cùm insuauibus esset moribus, ob senectutẽ, quotiescunque non uicisset, fabulas concidebat, neq; uelut alij emendabat. Sic itaq; multa præclara perdidit, spectatoribus indignatus. Athen. lib 9. cap. 4.

DIONYSIVS senior non satis habuit, quòd maximus esset ætatis suæ tyrannorum, sed quòd non superaret in carminibus pangendis Philoxenum, Platoniq; in disserendo impar esset, ira flagrans hunc in Aeginam uenundandum ablegauit, illum in Latomias compegit. Plut. de Tranquil. animi.

Præfecturæ literariæ.

ARISTOXENVS Tarentinus musicus, in Aristotelem iamiã morientem conuitia dixit, quòd ei Theophrastum in scholæ successione præposuisset. Suidas.

Præfecturæ militaris.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, Tacho Aegyptio, qui à rege defecerat, accepto stipendio se cõiunxerat. At postquã mercenariorum tantùm ducatus ad eum delatus est, ægrè ferens Chabriam Atheniensem classi præfectum, ad hostes defecit. Plut. in Agesilao.

FRANCISCVS Sforcia, ægrè ferens à Philippo Vicecomite copiarum imperium Nic. Picinino demandatum, etsi Blanchæ filiæ nuptiarum spem sibi à Vicecomite factã uidebat, non potuit tamen ferox iuuenis stomacho temperare: sed ab eo post longam efflagitationem exauctoratus, quasi Renati regis partibus militaturus, qui de Neapolitani regni possessione acri bello cum Alphonso rege disceptabat, ex Gallia cum duobus millibus equitum, ingentiq; peditũ robore profectus, per Flaminiam in Picenum agrum tumultuosè erupit. ubi ita pacata omnia præsidioq; nuda offendit, ut post multam prædam & rerum agrestium rapinas, urbes, uicos, arces, omne denique Picenum nomen, partim ui, partim uoluntaria deditione subegerit. Cum Eugenio IV. rediit in gratiam, obtinuitq; ut, quoad uiueret, Piceni agri Marchio esset, haberetq; copiarum omnium quæ Romano pontifici mererent imperium: annua ad hæc trium millium equitum ac peditum mille faceret stipendia. Sabellicus lib. 2. Decad. 3.

Præfecturæ regni.

Balduinus IV. rex Hierosolymitanus, quò rem suam stabiliorem redderet, sororem Sibyllam Gulielmo Montisferrati Marchioni, cognomẽto Longaspata, uiro in re militari præstantissimo, in uxorem collocauit. Eo autem Hierosolymis mortuo, Balduinus rex nepoti consulturus, Sibyllam nouo marito collocauit Guidoni Lusigniano, è Pictauorum gente oriundo, hac lege, ut se mortuo Guido pro nepote Balduino, quoad pueritiam supergrederetur, regnum gubernaret, illudq; deinceps nepoti traderet. Mortuo Balduino, nõ potuit RAYMVNDVS Tripolitanus comes, tutor Balduino V designatus, curam eius suscipere, Sibylla pueri matre Guidoneq; Lusigniano prohibentibus. Puer octauo mense post patrem obiit. Cuius mortem tam diu occultauit mater, donec largitionibus ac blanditiis in sententiam suiipsius deducto Patriarcha & proceribus, Guidonem creari regem obtinuit. Tulit eam rem grauiter Tripolitanus: atque quò ei facilius ulcisci iniurias suas liceret, inducias cũ Saladino pactus est: & hoc modo Tripolis & Tiberiadis & Galileæ principatus à Christianis auulsus est. Platina.

GEORGIVS Despota Valachiæ, ægrè ferẽs sibi prælatum in gubernatione regni Hungarici Ioannem Coruinum: exercitum illius aduersus Amurathem Turcorum Imp. prodidit. Bonfinius lib. 7. Dec. 3.

Habitationis.

NERO Cæsar Thuscum nutricis filiũ relegauit, quod in procuratione Aegypti balneis in aduẽtũ suũ extructis lauisset. Suet.

Loci dignioris.

Psammetychus mercenariorum militum opera regnum Aegypti consecutus, deinceps quoq; multum illorum præsidio usus est. Cùm in Syriam exercitum duceret, statuit eos in dextra, Aegyptios à sinistra phalangis parte. Qua contumelia irritati AEGYPTII, ad ducenta millia eorum ab rege desciscentes, Aethiopiam uersus profecti sunt, nouas sedes sibi uendicaturi. Rex ad eos duces primùm misit, eam ignominiam deprecaturos. Ipse quoq;, cùm hi nihil profecissent, nauibus profecutus est. Cùm ipsos iuxta Nilum proficiscentes, iamq; Aegypti montes transcendentes reperisset, rogabat ut animum mutarent, utq; templorum, patriæ, uxorum ac filiorum in mentem ueniret. At hi omnes una uoce clamore sublato, hastisq; scuta percutientes, respondere, quòd armorum potentes essent, facilè se patriam reperturos: ostẽsis uerò sublata ueste genitalibus, nec uxores nec filios, dũ eis uti possent, defuturos. Sic in Aethiopiæ parte fertili, fortitis inter se affatim agris, consedêre. Diod. lib. 1. c. 5.

IO. de Lignano I C. clariss. ad nuptias inuitatum, quòd minus ornatè uestitus esset, loco parum honorifico choragus considere iusserat, ex ueste hominem iudicans. At ille properè famulum domo uestem splendidiorem petere iussit, eaque suo loco deposita, Vestem uoluistis, uestem habetote, exclamans, cum indignatione discessit. Refert ex Barbatia Barth. Bologninus super Auth. habita. C. ne fil. pro patre. ut probet, hodiernis temporibus necessarium maximè esse pulcras habere uestes.

CAROLVS Borbonius ob primæ aciei curam Alenconio traditam, in finibus Neruiorum ad Valentianum oppidũ, quæ sibi tanquam magistro equitũm deberetur, ad Carolum V. Cæsarem defecit. Iouius in Piscario, & lib. 22. Hist.

Muneris honorofici.

Cùm OEDIPO Eteocles & Polynices F. ex unoquoq; sacro partem anteriorem mittere soliti, quodam die per incuriã coxam misissent: contumeliæ causa hoc factum existimãs, imprecationibus diris est eos prosecutus. Eras. in Adagiis.

Anticlides narrat lib. 2 Redituum, quemadmodum HERCVLES, postquam omnia certamina absoluit, Eurystheo sacrum quoddam celebrante, uocatus accessit. Vbi uerò Eurysthei serui partes singulis distribuissent, minoremq; Herculi contulissent, Hercules se paruipendi arbitratus, tres Eurysthei seruos, Perimedem scilicet, Eurybium, & Eurypylũ interemit. Athen. lib. 4 c. 18.

Laudationis, Commendationis.

TIBERIVS Cæsar, quendam qui Iulij Cæsaris & Augusti res gestas, nec quicquam tamen contra eos, scripserat, supplicio affecit, & ipsum scriptum, ubicunq; reperire potuit, exussit, quòd illos non ornasset. Zonaras.

Ludouicus Bosonis F. Prouinciæ rex, Adelberti Tusciæ Marchionis ope Berengariũ Italiæ regem eiecerat. Lucã adiens, effuso in omnem magnificẽtiæ regiæ speciem apparatu ab Adelberto Marchione exceptus est. Cùm autem lectissimorum militum cohortes, summam domus dignitatem & mirabiles familiæ impẽsas uideret, inuidia tactus in aurẽ amico inquit: Nimirum hic regis potius quàm Marchionis nomine potest dignari. neq; enim ulla in re mihi nisi titulo cedit. Quod uerbum BERTA, ut erat uersuti ingenij mulier, fortè excipiens, ad maritum continuò detulit, animumque ab illo eius alienauit. Cuius rei certior factus Berengarius, ab exilio clàm reuersus, Veronæ Ludouicum incautum cepit, & quòd semel uictus contra datum sacramentum Italiæ regnum repetiuisset, oculis priuauit. Sigonius lib. 6. regni Italici.

Occursus, Congressus.

Ferdinandus Aragonum rex, cum Sigismundo Imp. & BENEDICTO XI. Pontifice prope Perpinianum congressurus, à Papa per nuncios petit, quem ad locum diemq; libeat in colloquium utrunq; conuenire. Responso accepto, Moreliam (id nomen est loco) sed anticipato die uenit, quasi officij gratiâ Papam excepturus. Enimuerò modestioris animi habetur, præstolari nos eum, qui par maiórue sit nobis, quã uelle ut ille nos præstoletur. Id Papa iniquo sanè animo tulit, interpretatus se tanquam ad superiorem uideri uenisse, cùm rex ad Papam ut inferior uenire debuisset, nec excusationem uel officij uel ignorantiæ uoluit accipere. Valla lib. 3. Historiarum.

Comitatus, Deductionis.

THEODORVS episcopus Rauennas (tempore Doni Rom. pontificis) cùm à clero suo in die Natalis Christi propter seueritatem disciplinæ esset in archiepiscopio desertus, & non pro more ad ecclesiam deductus: ulturus eam iniuriam, re deliberata cum Exarcho Olympio, ad Agathonem Romanum Pontificem se contulit, & in inuidiam sui cleri Rauennatem ecclesiam Romanæ sedi subdidit. Anno Constantini Imp. X. Christi DCLXXIX, uel DCXXCI. Blondus lib. 9. Decad. 1.

Veniente Romam Friderico I. Cæsare, pontifex HADRIANVS IV. ab Vrbe recesserat, incertus quid exercitus tãtus moliretur. Venit inde in castra regis cum solenni comitatu. Rex occurrit uenienti, & ab iumento descendenti strepam fertur tenuisse sellæ, acceptumq; reuerenter per manum in sua tentoria perduxisse. Bambergensis tum episcopus nomine regis amicè à Pontifice petiit, uti Cæsarem ad imperij culmen eueheret: inter cætera illud addens, Ecce te uenientem excepit uenerabundus, tuis sanctissimis uestigiis humiliter prouolutus. Tu uicissim; uenerãde pater, ea, quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ beatitudinis munificentiam suppleto. Papa respondet, Audiuimus frater episcope quæ loqueris, speciosa quidẽ dicta, sed non opere exhibita. Friuolum potest uideri quod dicimus: & tamen in minimo commissa negligentia, facit argumentũ de maximis. Ab iumento descendẽtibus nobis strepam tenuit sellæ sinistram, nescimus an ad irrisionem, an aliorsum, quũ dextera fuisset obsequenti contrectanda. Rex stomachanti similis, risu solutus, Minimum se studuisse respondit strepis apprehendendis. Tu primus es, pater, cui tali officio inseruii. Deinde iam commotior, Scire uelim officij hoc genus ex debito sit, an beneplacito. Quòd si ex beneuolentia descendit, quis causabitur negligentiam in spontaneo? Sin ex debito, parũ interesse putamus, quo latere accesserit, qui uenerabundus adorat. Hac uerborum uicissitudine sine osculo discesserunt. Principes, multa persuasione euicerunt tandem, ut Rex papam reuocaret in castra, susciperetque integrato officio. Omnibus exhilaratis, & conuentioni adgaudentibus, dixit dominus Papa: Adhuc superest, quod facere debeat princeps uester.. Acquirat beato Petro Apuliã, quã Gulielmus Siculus per uim possidet. quo facto, ueniat ad nos coronandus. Responderunt principes, dicentes: Quin potiùs impleatur opus consecrationis, ut pateat nobis reditus in patriã, respiremusq; paululùm de labore: postmodũ expediti redibimus, expleturi quod nunc faciendum restat. Tandem principibus Pontifex obtemperauit. Helmoldus cap. 18. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 16. & Funccius lib. 10.

Salutationis.

Lectum in historia est, ab CYRO sororis Darij filios necatos, quòd illi occurrentes, in Coras (hoc est, uestium manicas) non immisissent manus, quod uni tantùm regi assueuerat fieri. Cælius lib. 7. cap. 15. A. L.

AMAN filius Amadathis, genere Amalechita, apud regem Artoxerxem in tanta erat auctoritate, ut eum accedẽtem adorarent omnes tam Persæ quàm exteri, idq; ipsius Artoxerxis iussu. Mardochæo uerò Iudæo propter patriam institutionem non adorãte hominem, ille iratus exclamauit, rem indignam, cùm ingenui Persæ adorarent eum, seruum istũ dedignari idem facere: uolensq; pœnas de Mardochæo sumere, parum putauit ipsum ad suppliciũ deposcere, nisi gentem eius uniuersam perderet, quòd esset natura Iudæis infestus: quandoquidem Amalechitarum gens, ex qua ipse erat, à Iudæis uictoribus extincta fuerat. Igitur à rege impetrauit, ut edicto per omnes terras misso, die XIII. mensis duodecimi, omnes Iudæi interfici iuberentur. Esteræ 3. & Iosephus lib. 11. cap. 6. Antiq.

TIGRANES Armeniæ rex, quod à Lucullo non rex regum salutaretur, quasi coarguens imperitiam eius, ad eum ut Imperatorem scribere contumaci epistola recusauit. Plut.

C. IVL. Cæsar, quum triumphans subsellia tribunitia præteriret, Pontius Aquila Tribunus non assurrexit unus omnium: id adeò indignè tulit, ut proclamarit, Repete ergo Aquila à me Rempub. Tribunus. Nec deinde per continuos aliquot dies cuiquam quicquã pollicitus est, nisi sub hac exceptione: Si tamen per Pontium Aquilam licuerit. Neq; uerò multo pòst illum assurgendi honorem, quem ei Tribunus habere noluerat, ipse uniuerso Senatui negauit. Venientẽ enim in Veneris genetricis templum, sedens superbè nimis excepit: monentemq; uestis contactu C. Trebatium ut assurgeret, minùs familiari uultu aspexit. Suetonius, & Dion.

SEVERVS, qui postea Imp. fuit, legatus proconsularis in Aphrica, municipem suum Leptitanum fustuario admouit: quòd se, quem diu non uiderat, ueteri consuetudine fretus, ex occursu complecti & osculari ausus esset, adhibito elogio, Legatum pop. Rom. plebeius homo nõ temerè amplexaberis. Sabellicus lib. 5. Enn. 7.

SERAPION Aegyptius, archidiaconus à Ioã. Chrysostomo episcopo Constantinopolitano factus, homo iracundus & contumeliosus, suo tamen pastori fidelissimè adhæsit. Cùm aliquando eo sedente præteriret Seuerianus, Gabalensis antistes, cum quo simultates exercebat, & ipse honoris gratia Seueriano non assurgeret; Seuerianus cum contemtum ægrè ferens, dixit: Si Serapion Christianus fuerit mortuus, Christus non est homo factus. Hanc arripiens occasionem Serapion, Seuerianum apud Chrysostomũ accusauit, quòd absolutè dixisset, Christum non esse hominem factum. Itaque à Chrysostomo in exilium eiectus est. Socrates l. 6. c. 11.

ADRIANVS IV. Pontifex indignissimè tulit, quòd Fridericus Barbarossa literis ad eum missis, Fridericus Adriano S. scripsisset, & non potiùs, Adriano Fridericus. Nauclerus.

LAVRENTIVS Celsus dux Venetorum creatus est uiuente patre. Pater cùm salutandi gratia adiret, nunquam illi aperto capite occurrere uoluit: quasi uerò patria auctoritate indignum uideretur, filium salutare domi sedentem, aperto capite. At nec filius domi fortasse hoc plurimum exquirere debuisset, etiamsi aliquid de sua dignitate adimi crederet. Tandem id uerò adinuentum est, ut cornu suo Dux crucẽ auream affigi in fronte iusserit, cui pater omnem honorem dicaret. Egnatius lib. 9. cap. 5.

GRISELERVS Suitensium præfectus, Gulielmum Tellum, quia pileo suo in hasta erecto honorem non exhibuisset, in uincula coniecit. Stumpfius.

Albertus Cranzius in sua Vandalia asserit, oratorem Turcam, eo quòd caput suum coram PRINCIPE Moscouitarum uerba facturus non nudarat, crudeliter fuisse interemtum. Cùm enim orator patriæ suæ consuetudinem (qua nullius dignitas uel maiestas tecto capite orantis offendi putatur) allegaret, efferus Princeps ferreo clauo pileum cranio affigi iussit, asserens se ritum huiusmodi tali modo non uiolaturum, sed confirmaturum. Olaus lib. 11. c. 11. Sept. hist. Sed hoc alij DRACVLÆ Transsyluano tribuunt.

ALEXANDER Contarenus Venetus, spectatæ nobilitatis atque uirtutis trierarchus, cùm circumerrantibus Turcicis trĩremibus casu quodam improuisus occurrisset, annò MDXXXVII. nec Turcæ, sicuti ex consuetudine debebant, honoris causa uela demittere, & inanibus bombis pacati animi significationem ostendere uellent: in eos superbiæ suæ atq; odij uiolentiam subitò conuertit, incitatisq; remigib. in Turcas rostra direxit, perforatasq; magno impetu hostiles duas demersit, in queis Vstamanes Gallipolitanus præfectus interiisse dicitur. Id facinus à Contareno, uti postea apparuit, malo Reipublicæ importunissimè editum, referebatur ad priuatam simultatem, quòd mercatorum nauigium ipsius Contareni, quod ab Oriẽte preciosas merces aduehebat, à Turcis prædonibus paulò antè fuisset interceptum: sic ut Contarenus ex priuata iactura concepto odio indulsisse dolori, & publicam causam neglexisse diceretur. Iouius lib. 36. Hist.

THOMAS Volsæus, Cardinalis & legatus apostolicus per Angliam, cùm ex infimo loco ad supremum dignitatis gradũ euectus esset, regibus sese adæquatum existimans, omnes præ se contemnebat. Gulielmus Cantuariensis archiepiscopus ad eum literas, sicut solebat, familiariter dederat, nomenq; suum in hunc modum subscripserat: Gulielmus frater Cantuariensis. Has literas ubi ille resignauit, exclamauit se facturum breui, ut ille intelligeret se non esse ipsi parem, nedum fratrem. Polyd. lib. 27.

GASPARVS Bruschius poeta laureatus, Basileæ in arce Oporiniana (sic enim domum Oporini ob situm excelsum uocabat) tenui re familiari uiuens, à uicinis abbatibus stipe corrogata, nouis uestibus ornatus in publicum prodierat. Plebecula splendorem uestitus more suo admirata, exurgẽdo caputq; aperiendo honorem homini exhibebat. Tum ille hunc honorem non sibi sed uestibus suis deferri animaduertens, domum reuersus, uestimenta partim concidit, partim deturpauit, tanquã improba mancipia sui domini gloriam præripientia accusans.

QVOMODO. PVTA

Detestando, Deuouendo.

Monstrosa est ACHILLIS ambitio, & detestandum odium, quo Græcos omnes propter ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem prosequitur, quando Patroclũ suis armis indutum, Iliad. π. in prælium mittit, inquiens:

αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον
μήτε τις οὖν Τρώων θάνατον φύγοι, ὅσσοι ἔασι,
μήτε τις Ἀργείων· νῶϊν δ' ἐκδῦμεν ὄλεθρον,
ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύωμεν.

Expostulando.

Augustinus Triuultius à Leone X. galero ornatus, Scaramucciam gentilem suum de ea re certiorem fecit, simulata quidem beneuolentia, at occulta insultatione, quòd ipsi præpositus esset. Tum SCARAMVCCIA indignabundus, I ergo, inquit, & Augustino refer, me gaudij & congratulationis ergò uniuersam bibliothecam meam exusturum. Quæ uerba Leonem ita mouerunt, ut Scaramucciam quoq; Cardinalem crearit, prout doctrina eius merebatur. Garimbertus lib. 3. de Vitis pontificum.

Secedendo

Secedendo.

Defuncto Anaxandrida Leontidæ F. cùm Lacedæmonij Cleomenem eius filium ex lege, quòd maximus esset, regē creassent: indignè tulit id DORIEVS frater, sibiq; à Cleomene imperari. Igitur petita à Spartiatis plebe, coloniam duxit in Africam, ad Synipem: neque Delphico usus oraculo, in quā terram ad urbem condendam tenderet, neque quippiā consuetorum executus, adeò rem indignè ferebat. Triēnio pòst inde exactus, in Siciliam nauigauit, & cum Crotoniatis cōtra Sybaritas tendens, cum exercitu periit. Herod. lib. 5.

Mortem oppetendo præ dolore.

AIAX Telamonius adeò grauiter tulisse legitur Vlyssem sibi prælatum in capessenda successione armorum Achillis, ut præ dolore in insaniam uersus sit. Itaque gladio districto in gregem pecorum insiliit, existimans sese Græcorum copias cædere. Tum duos quosdam maximos sues à trabe suspensos flagris cecidit, arbitrans hos esse Agamemnonem atq; Vlyssem: quorum alteri ut iudici, alteri ut uictori potissimū erat iratus. His igitur suibus plurimo cū risu insultauit (unde prouerbium, αἰάντειος γέλως) addens conuitia, quæcunq; suggerebat splendida bilis. Deinde posteaquam resipuisset, partim pudore, partim metu sibi mortem consciuit. Erasmus in Adagiis.

AVGVSTINVS Triuultius Cardinalis, cùm Gallorū animos à se abalienatos uidisset, quos tamen largitionibus sibi deuincire studuerat, ut mortuo Paulo III. ad pontificatum ascenderet: præ mœrore obiit, opesque amplissimas, quibus, neglectis affinibus & cognatis pauperrimis, Cardinales inopes inescare uolebat, Iulio III. quem uiuens impensè oderat, reliquit. Garimbertus lib. 6. de uitis Pontificum.

Paulus II. Pontifex fidem dederat Cardinalibus, Cardinaliū numerum sese non aucturum. At STEPHANVS Nardinus Mediolanensis archiepiscopus Paulo uiolādæ fidei auctor fuit: indignum esse dictitans, Petrum reliquorum discipulorum arbitrio stare, & libertatem suam quodammodo uendere. At postquam à Paulo non fuit galero donatus, indignabundus Roma discessit, quoad à Sixto IIII. in Senatorum ordinem cooptatus, cùm ei in Pontificatu Innocentium IIX. se contemto succedentem uidisset, præ mœrore obiit. Ibidem.

Interficiendo eos quibus delatus est.

DOMITIANVS Imp. Vespasiano patre defuncto, nunquam iactare dubitauit, Relictum se principem Imperij, sed fraudem testamento adhibitam. Neque cessauit ex eo insidias struere fratri Tito clàm palamque: quoad correptum graui ualetudine priùs, quàm planè efflaret animam, pro mortuo deseri iussit: defunctumq; nullo, præter quàm consecrationis honore dignatus, sæpè etiam carpsit obliquis orationibus & edictis. Suetonius.

IACOBVS Catrariensis, indignè ferēs Marsiliettum sibi à patruo Vbertino duce III. in successione Patauini principatus prælatum: nocte intempesta Marsiliettum incautum ad ortus, obtruncauit in ędibus propriis: & antequam facinus increbesceret, literis Marsilietti sigillo obfirmatis ciuitatum custodias renouari præcepit: & sic tandem confirmatis rebus suis se principem publicè fassus est. Bernardus Scard. lib. 3. hist. Patauinæ.

Calumniis circumueniendo.

LACEDÆMONII cùm uiderent Spartę nomen & gratiam, ob ducis Pausaniæ impurissimam proditionem, fœdè pollutam, famam uerò Atheniensium claram esse, quòd nullus eius urbis ciuis proditione damnatus esset: conabantur artibus omnibus, parem nomini Atheniensi calumniam inurere. Cùm itaque Themistoclis nomen celebre esset, proditionis eum insimulant: crimini dantes, quòd ei cum Pausania summa consuetudo amicitiaque fuisset, unà cum eo commune de prodenda Xerxi Græcia consilium iniisse. Themistocles cùm sese eo crimine purgasset, per iudicia absoluitur. Ac initiò quidem, post iudicium illud plurima eius uiri gratia apud Athenienses pollebat: quippe ciuibus summè propter clarissima gesta carus erat. Pòst uerò quosdam timor & suspicio potentiæ ipsius, plerosque etiam gloriæ inuidia rerum gestarum meritorumq; omnium oblitos fecit. Eius itaq; potentiam & elationem deprimere, tum obscurare & demoliri prudentiæ nomen nituntur, ostracismo ipsum ex urbe eiiciunt. Themistocles confugit Argos. Lacedæmonij eam uoti assequendi sibi à fortuna oblatam occasionem rati, legatos rursus Athenas mittunt, accusantes q̄ cum Pausania de proditione conspirasset: oportere in publicas Græciæ iniurias animaduerti, non iudicio seorsum priuato Atheniensium, cuiusquámue populi: uerùm in cōmuni Græcorum conuentu, qui ea tempestate Spartæ cogi consueuerat. Themistocles Lacedæmoniorum studia ad se calumniandum, gloriamq; Athenarum deprimendam atque obscurandam, animaduertens: ad regem Molossorum Admetum, inde ad Xerxem regem Persarum confugit. Diodorus libro undecimo.

Vlciscendo non Deferentes.

Mortuo Agesipolide Cleombroti F. rege Lacedæmoniorum, Cleomenes natu minor regnum adiit. Qui cùm filios duos Acrotatum & Cleonymum suscepisset, ita fortè accidit, ut Acrotatus patrem sibi superstitem reliquerit. Cumque postea Cleomenes è uita discessisset, inter Cleonymum & Areum Acrotati filium de regno coorta lis est. Ibi cùm senatus paternum regnum Areo adiudicasset, CLEONYMVS sibi illum prælatum tam indignè tulit, ut eum Ephori neq; aliis præmiis decretis, neque exercitus imperio delato, unquam placare potuerint, quo minùs hostili esset in patriam animo. Quod sanè apertè præ se tulit, cùm & alia multa conatus est, & Pyrrhum Aeacidæ filium intra fines induxit. Pausanias in Laconicis.

Atauus Neronis Cn. DOMITIVS in Tribunatu pontificibus infensior, quòd alium quàm se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum à collegiis ad populum transtulit. Suetonius.

C. Cæsar CALIGVLA Coss. oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respubl. Ibidem.

IDEM quinetiam inter uarios iocos, cùm assistens simulacro Iouis Apellem tragœdum consuluisset, Vter illi maior uideretur? cunctantem flagellis discidit: collaudās subinde uocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Idē.

CONSTANTINVS Porphyrogenitus uxoris impulsu Constantinum Maurozomen per summam contumeliā uerberibus affecit, quòd amasia eius uxorem ipsius non satis honorificè tractasse uideretur. Nec multò pòst, ob affectati regni suspicionem, publicatis omnib. bonis, à fratre Andronico Imperatore captus, in cauea circūductus fuit. Pachymeres.

Cosroes Persarum rex tribus cruentiss. prœliis ab Heraclio uictus, desperatis rebus ultra Tygrim abiturus, Medarsem filium regni consortem declarauit: SIROE alio filio, & maiore natu, & præclaræ indolis adolescente, neglecto: habebat enim plures filios. Qua contumelia adactus ille, clàm cum Heraclio paciscitur, ut patre & fratre cum omni regia gaza proditis, deductisq; præsidiis ex omnibus Romanis imperij prouinciis, ipse Persarum regnum obtineret, paxq; inter utrunq; imperium esset. Cosroes cum Medarse & uxoribus ex fuga retracti, in uincula coniiciuntur, & ad Ctesiphontem interficiuntur iussu Siroes, qui ab aliis Sirochius dicitur. Ferunt autem Siroen Cosroi patri cathenis uincto auri magnam uim & lapidum preciosorum aceruos apposuisse, dicentem: Ob hæc Romanis Persas hostes fecisti, ac mutuis prœliis innumeras cædes patrasti: patere & tu merita supplicia. Cuspinianus.

MAVRICIVS Imp. Gregorium papam iussit Ioannem Constantinopolitanum pro Vniuersali patriarcha agnoscere. Id cùm Gregorius recusasset, milites ex Italia euocauit, & Lōgobardos aduersus Romanos concitauit. Simoneta lib. 4. capite trigesimoprimo.

Occupato ATILA bello Gallico, Buda frater imperium Hungaricum affectans, arcem, quam Atila prope Sicambriā urbem ædificari à se cœptam iusserat Atilam nominari, ipse uocauit Budam. Atila insidiis captum trucidat, cadauer in Danubium præcipitat: & edicto iubet arcem Atilæ, non Budæ uocari. Hungari etiamnum hodie Budam: Teutones uerò, nunc Ezelburg, id est, arcem Atilæ, nunc à furnis calcis, quæ olim ex lapidibus illic coquebatur, *Offen* uocant. Nic. Olaus cap. 12. in Atila.

MANFREDVS nothus Friderici II. Imp. ex concubina Blanca Marchionissa Montisferrati, patrem in Apulia ex uenenо conualescentem, iniecto ori puluino suffocauit, ægrè ferens Conradum fratrem legitimum Siciliæ & Apuliæ regem ab eo institutum. Cōradum postea ueneno similiter perdidit: & antea Fridericum & Henricum gemellos filios Henrici Cæsaris fratris sui. Ipse tandem à Carolo Andegauense, euocato à Clemente IV. acie cæsus occubuit. Idem.

LVDOVICVS Sforcia, Insubrum princeps, cùm in uetere more legati essent ad nouum Pontificem Alexandrum VI. mittendi, qui eum adorarent, eiq; se obtemperaturos promitterent, consuluit, ut omnes sociorū legati uno eodemque die Romam simul ingrederentur, simul in publico conuentu se coram pontifice sisterent: utq; oratorum unus omnium nomine uerba faceret, ad testandam uniuersæ Italiæ mutuam beneuolentiam. Hoc consilium cùm primò Ferdinandus Aragoniæ & Neapolis rex comprobasset, sed id ipsum mutaret, Petri Medices Florentini ducis instinctu: hoc tam indignè tulit Ludouicus, cùm hac ratione prudentiam suam, qua mirificè superbiebat, in dubium reuocari putaret, ut odio æstuans, toti Italiæ sibiq; ipsi exitiale bellum, euocato Carolo IIX. Galliæ rege, concitauerit. Guicciardinus libro primo.

AMBITIOSA CONSERVATIO HONORUM QVORVMLIBET.

Qui honorem alteri eripere conatur, ad λύψιν pertinet: is uerò, cui eripitur, si immodicè honorem defendat, huius erit loci. Consulendus ergo Tit. Aemulationis ambitiosæ: siue inter collegas, siue inter quosuis alios spectetur.

RESPECTV HONORIS, QVEM ambitiosè conseruat. Puta

PONTIFICATVM, SACERDOTIVM, EPISCOPATVM.

An. 984. Romæ Benedicto pontifice mortuo Petrus episcopus Papiensis est subrogatus, qui Ioannis XIIII nomen accepit. Hoc ubi Bonifacius VII. Pp. comperit, iampridem à Tusculanis Comitibus sacerdotio pulsus: ira fremens, Constantinopoli, quò confugerat, Romam rediit, ac pecunia ingenti, quam ex rebus sacris diuenditis redegerat, multis ad suas partes attractis, Ioannem ipsum corripuit, atque in custodiam tradidit. &, cùm is siue morbo, siue fame confectus post menses octo, quàm inierat, obiisset, ipse uacuam sedē iniuit: neque ita multò pòst ipse quoq; repentina morte oppressus interiit. Sigonius lib. 7. regni Italici. De eo sic Platina: Bonifacius VII. pontificatum malis artibus adeptus, conspirantibus ciuibus, relinquere urbem coactus, preciosissima quæq; è basilica Petri subtrahens, Constantinopolim fugit: ubi tandiu substitit, quoad diuēditis iis, magnam uim pecuniarum comparasset: quibus tanquam adminiculis occupandæ tyrannidis fretus, urbem repetit, ciues Romanos largitione corrupturus. Obstabant conatibus eius uiri boni, maximè uerò Ioannes diaconus Cardinalis: quem captum, adiuuantibus quibusdam perniciosis hominibus, oculis statim priuauit. Atq; ipse tantorum malorum auctor, gliscente maiorem in modum seditione, siue timore, siue pœnitentia patrati sceleris, turpiter uitam finiuit.

IOANNES XII. Pp. Othonem I. Germaniæ regem contra Berengarium Italiæ regem imperij titulo oblato euocarat. Mox siue, quia, tanquam Italus, ualde ab externorum imperio abhorreret, siue quòd tanquam iuuenis, inconstanti ac mobili præditus ingenio esset, breui de suscepta sententia destitit, & Berengarium, ut qui Italici sanguinis esset, sibi in Italia retinendum, Othonem uerò, ut hominem Germanum inde eiiciendum existimauit: plerisq; Romanorum consiliū eius, ut honestum ac salutare Italiæ, comprobantibus. Itaq; nunciis ad Adelbertum, Berengarij F. in Fraxineto sedētem missis, tacito se cum illo aduersus Othonem fœdere iunxit, eumq; ad se Romam acciuit. Otho Romā cum exercitu uenit, in conuentu episcoporum in uitam Ioannis inquirit, ad causam dicendam & crimina, quæ obiicerentur, purganda ipsius conuentus nomine euocat. Ad has literas nihil aliud ille respondit, quàm se audisse, uelle illos alium pontificem se abdicato creare: proinde omnes se, qui id tentassent, pœnis inferorum deuouere, atque à re diuina faciendа arcere. Cùm iterum episcopi conuenissent, ad eas literas conuentus nomine. hoc responsum est datum: Si quando nullam ad conuentum non ueniendi excusationem haberet, & conuentus auctoritati non paruisset, se execrationes eius non curaturos, sed eas in eundem reiecturos. Itaq; nouo exemplo Ioanni Leo VIII subrogatus est an. 963. Ioannes ROMANOS clàm ad opprimendum Othonem induxit. Cæterùm magna affectis strage Otho pepercit, centum obsidibus acceptis. cos tamen ipsos Leonis rogatu Romanis restituit, utq; Leonis dignitatē commendatam haberēt, rogauit. Othone Vrbe profecto ad obsidendum Camerinum, Romani extemplò, Leone Vrbe expulso, Ioannem restituerunt. Is conuentu clericorum coacto Leonem abdicauit, eiusque acta & instituta omnia infirmauit: & Ioannem diaconum atq; Azonem Scriniarium suspectę sibi fidei homines manu & naso detruncato debilitauit: ne uerò ulteriùs sæuiret, repentina mors intercessit. At Romani prioris prorsus sacramenti obliti, Benedictum cardinalem diaconū sublegerunt. Otho properè cum toto exercitu Romam recurrit, Vrbeque corona militum cincta præsidia portis opposuit. Cùm nemo ingredi aut egredi posset, Romani subitò tanta rei frumentariæ difficultate oppressi sunt, ut præ inopia modius furfuris aureis triginta uenierit. Quam cùm tolerare non possent, Othone recepto Leonem pristinæ sedi restituerunt. Benedictus in conuentu episcoporum confestim se ad Leonis atq; Othonis pedes abiecit, seq; peccasse asseruit, atque ultrò indumentum pontificale deposuit, ferulamq;, quam manu tenebat, Leoni porrexit. Leo ferula fracta, & populo ostensa, planetam detraxit, eumque ad pedes sedere iussum, pontificatus & presbyteratus honore priuauit, ac diaconum relictum in Germaniam ire in exilium imperauit. Sigonius lib. 7. regni Italici.

Bambergensis episcopus HERMANNVS Romam ab Alexādro II. euocatus, ibique accusatus, quòd data pecunia, episcopatum inuasisset: multa & preciosa munera Papæ dedit: ut qui non sine periculo honoris sui euasurus putabatur, non solùm impunitatem criminis consequeretur, sed etiam pallium & alia archiepiscopatus insignia perceperit. Ann. 1070. Schafnaburgensis.

DAVID episcopus Traiectensis, suadentibus quibusdam, ut propter ætatem ingrauescentem pateretur adiungi sibi coadiutorem: respondit, Sese diui Antonij exemplo moueri, quo minus id facere uellet: nam hunc negligi cepisse, simulatque celebrari cepisset. D. Rochus. Bebelius.

REGNVM, IMPERIVM, PRINCIPATVM.

Post Cretheum PELIAS, filius Neptuni ex Tyro Salmonei F. Iolci imperauit: cui de regno interroganti, responsum fuerat ab oraculo, quòd manu cuiusdam ab Aeolo oriundi erat interimendus. Erat autem unus ex iis Iason Aesonis filius, & Polymedæ filiæ Autolici. Aeson autem Crethei, filij Aeoli. Vt igitur omnes Aeolidas Pelias de medio tolleret, uoluit Iasonem unum ex genere Aeolidarum occidere, cùm esset adhuc infans. Id sentientes Iasonis propinqui, noctem obscurissimam obseruātes, opertum & in arca clausum, ueluti mortuum, in antrum Chironis deportarunt educandū & erudiendum: ubi à Chirone medendi artem didicit, & proprerea Iason uocatus fuit. Datum fuit inde aliud responsum Peliæ, ut sibi caueret ab illo, quem altero pede nudo conspexisset. Sacra Neptuno instituens, uniuersos suos ad sacrificia conuocauit: quò etiam Iason cùm ueniret, in traiiciendo Anauro fluuio, alterum calceum in limo amiserat. Interrogatus à Pelia, Quid faceres, si tibi responsum esset te à quopiam interfectum iri? respondit Iason de Iunonis consilio, Illum ad aureum uellus recuperādum mitterem. quod fuit pellis arietis, qui Phryxum in Colchidem portauit, quē ille Ioui fugæ fauēti, Phyxio cognomine immolauit, & pellem arbori cuidam in luco Martis apud Colchos suspendit. Seruabat hanc pellē draco magnitudine nauis, quæ à quinquaginta remis agitatur, qui nunquam somno capiebatur. Pelias igitur iuxta Iasonis responsum, Iasonem ipsum uellus aureū iubet ad se afferre. Tum Iason nauim diuino Palladis consilio fabricatam, malumque loquacem habentem è Dodonęa quercu, conscendit, & cum quadraginta & nouem lectissimis uiris in Colchidem nauigauit. Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 8.

Regnauit in Creta Minos, quem nonnulli Iouis, alij Lycasti F. ex Iouis & Europæ concubitu genus suum deducentem tradunt. Hic primus Græcorum parata classe, maris imperio potitus est. Cùm despondisset Pasiphaen Solis Cretæq; filiam, suscepit Deucalionē, Crateum Androgeum, & Ariadnem, pluresq; alios liberos. Androgeus cùm Athenas consensu Atheniensium omnium concessisset, Aegæo regnante, inq; certaminibus superaret athletas omnes, in consuetudinem Pallantis filiorum uenit. At AEGÆVS suspicans, ne quando propter Androgei amicitiam à Pallantis filiis auxilio Minois regno pelleretur, insidiis Androgeo paratis, ad spectaculum celebre proficiscentem Thebas, per quosdam eius regionis accolas circa Inoëm terræ Atticæ interficiendum curauit. Diodorus lib. 4. cap. 5.

CAMBYSES Persarū rex, Smerdis fratris robori (ut qui solus arcum, quem Ichthyophagi ab Aethiopum rege attulerant, ad duos digitos traxerat: quod nemo alius è Persis poterat) inuidens, eo in Persidem profecto, hanc uidit in somnis uisionem. Nuncius quidam è Persis ueniens, ei nunciare est uisus, Smerdim in regio sedentem solio, cœlū contingere uertice. Ob id Cambyses sibi metuens, ne à fratre occuparetur imperium, mittit in Persas ad illum interimendum Prexaspem, sibi ex omnib. Persis uirum fidelissimum. Hic ubi Susa conscendit, Smerdim necandum curauit (ut quidam aiunt) cùm eum eduxisset uenatum: quidam, cùm ad mare Rubrū produxisset, ibi eum demersisse. Herodotus lib. 3. & Plutarchus de Pietate erga fratres.

Defuncto Hircano III. Iudæorū duce, ARISTOBVLVS natu maximus uolens principatum in regni formam uertere, diadema sibi primus imposuit, post CCCCLXXXI annos & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminiò reuersus est. cumq; fratrem suum Antigonum II. amaret, in societatem domi-

nationis cum assumsit, cæteros uerò in uinculis habuit, matrem etiā conieciт in carcerē principatus æmulā (nam illam Hircanus dominam rerum reliquerat) atq; eò crudelitatis processit, ut fame necaret in uinculis. Post matrem uerò interfecit Antigonū quoq;, quē præ aliis diligere uidebatur, & in regni societatē admiserat, alienatus ab eo per calumnias, quas primò quidē reiecit, partim quòd eum diligeret, partim quòd per inuidiam confictas putaret: sed cùm aliquando Antigonus magnificè reuerteretur è bello, quo tēpore populus solenne Scenopegiæ festum celebrat, accidit ut Aristobulus ægrotans decumberet, frater uerò interfuturus sacris splendidissimè ornatus in templum ascenderet cū armatorum comitatu, potissimùm pro salute regis uota facturus. Tū hi quib. studium erat excitare inter fratres discordiam, nacti occasionem è reb. prosperè gestis Antigoni, & pompa quā adornauerat, uenerunt ad regē & omnia exaggerauerunt, dicētes, Hæc iam esse supra priuati hominis cōditionē & affectati regni manifesta indicia: aiebantq; uenturum breui cum ualida armatorū manu ad occidendū regē: quòd stultū existimaret, cùm regno solùm potiri liceat, cōmunicato honore contentum esse. Aristobulus autē quàm uis non omnino his crederet, tamen prospiciens quomodo posset & suspicionem uitare, & securitati suæ consulere: collocauit satellites in loco quodam obscuro & subterraneo (decumbebat autem in turri, quæ pòst mutato nomine Antonia dicta est) mandauitq;, ut siquidem sine armis frater ueniret, nemo eum attingeret: quòd si armatus aduentaret, ut trucidaretur: præmisit tamē ad eum qui rogaret ut inermis ueniat. At regina & reliqui insidiatores persuaserūt nuncio, ut contraria diceret, audisse fratrem quòd armaturam eximiam sibi comparasset, cupereq; ita armatum contemplari. Antigonus uerò nihil mali suspicans, & fretus fratris beneuolentia, ita ut erat, cum tota armatura uenit ad Aristobulū, contemplandum se præbiturus. Cumque peruenisset ad turrim Stratonis, quà ualde obscurus erat transitus, à satellitibus interfectus est. Iosephus lib. 13. cap. 19. Antiq.

Antiochus Deus, Babyloniæ rex, Berenice Philadelphi F. in uxorē ducta, LAODICEN priorem uxorem cōcubinę loco habuit. Sed post multū temporis amore superatus, Laodicē cum liberis suis reduxit in regiam. Illa metuens ne Berenicē reduceret, uirum per ministros ueneno interfecit: Berenicē autē cum filio, qui ex Antiocho natus erat, Icadioni & Genneo Antiochiæ principibus occidendam tradidit: filiumq; suum maiorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit. Hieronymus in Danielis cap. 11.

Tulerat TIGRANES Armeniæ rex ex Mithridatis filia cōplures liberos, occideratq; ex his duos, unū secum armis disceptantē, in uenatione alterū, quū patri ex equo humi effuso nihil opitulatus esset, sed eo adhuc iacente diadema sibi imposuisset. Tertius patris sæuitia consternatus, ad Phraatem Parthorū regem confugit, sub primum Pōpeij in Armeniā accessum. Erat Pompeio inter Barbaros conciliata credibilis clementiæ fama. Quæ res effecit, ut senior quoq; Tigranes, non publica aut priuata fide priùs interposita, ad ipsius conspectum uenerit. A quo clementer acceptus, magna est in Rom. munificentia usus, sex millib. talentorū Pompeio, quinquagenis drachmis unicuiq; militum datis: legatis & ducib. turmarum denis millib. Huiusmodi largitione amicior illi factus Pompeius, continuò filium patri reconciliauit, cui Sophenes Gordienesq; regnū per legatos deditum habere dedit. Ea postmodum terra, minor est Armenia nuncupata. Patri maiorem Armeniam restituit. Adiecit iuueni Syriæ partem, quæ iacet ad Euphratem, unde Tigranes Antiochum expulerat. Sed breui ille regno excidit. qui quum adhuc in Rom. castris esset, quia de cæde patris consiliū iniuisse compertus est, eum Pompeius in uincula coniectum ad triumphum reseruauit. Sab. lib. 4. En. 6.

HERODES rex, ad C. Iul. Cęsarem properans, ut se purgaret, quòd M. Antonij partes secutus esset, Mariammen uxorem in Alexandrio cum Alexandra matre collocauit, commissa quæstori suo Iosepho & Sohemo Ituræo castelli custodia, uiris fidissimis: iisq; mandatum dedit, ut si quid, quod nollet, accidisse sibi cognoscerent, confestim ambas interficerent, regnumq; pro uirib. liberis eius ac Pheroræ fratri conseruarent. Iosephus lib. 15. cap. 9. Antiq.

Augustum Cæsarem quidam ueneno ab uxore LIVIA Drusilla sublatum putant, timente, ne Agrippam (qui nepos Augusti erat ex Iulia filia) ex insula reuocatū, hæredē scriberet, Tiberio Liuiæ & Tiberij filio repudiato. Cuspinianus.

TIBERIVS Cæsar, ueritus ne aliquādo ab aliis ab administratione imperij deiiceretur, multos interfici iussit, explorata die & hora, qua nati fuissent: atq; inde animaduersa fortuna corū & moribus, eos præsertim quos excellere uidebat, aut sperare principatum, funditùs perdebat. Dion Nicæus.

CALIGVLA fratrem Tiberium inopinantē, repentè immisso tribuno militū, interemit: Syllanum item socerum ad necē secandasq; nouacula fauces compulit. causatus in utroq;, quòd hic ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupādi urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset: ille antidotum oboleuisset, quasi ad præcauenda uenena sua sumtum: cùm & Syllanus impatientiam nauseæ uitasset & molestiam nauigandi, & Tiberius propter assiduam & ingrauescentem tussim medicamento usus esset. Successorem Imperij Claudium patruum non nisi in ludibrium reseruauit, Suetonius.

DIDIVS Iulianus, Imperator à militib. declaratus, cùm uenisset in senatum, essetq; Iano, qui erat ante fores curiæ, sacrificaturus, uno ore conclamatum est ab omnibus, eū rapuisse imperium, & parricidam esse: cumq; succenserent etiam uehementiùs, q uellet ipsos pecunia corrūpere, & exclamarent omnes, Nolumus, nō accipimus: proximos quosq; interfici iussit. Itaq; ob insignem crudelitatem, posteaquam dies LXVI imperasset, interfectus est. Xiphilinus.

DOMITIANVS Imp. insidiarū metu, indagatis horoscopis geniturarū imperialium, multos principes uiros, etiam qui potentiam nunquam sperauerant, occidi iussit. Xiphilinus.

Imp. CARACALLA fratrem suum Getam in matris gremio interemit, ut solus rerum potiretur. Eundem in numerum deorū retulit: Sit diuus (inquit) dū nō sit uiuus. Herodianus.

VALENS Imp. Arianus, cùm ex magicis uanitatibus intellexisset post se regnaturū, cuius nomen à litera Θ inchoaretur: omnes interfici iussit, qui hanc literā suo nomine gerebant, Theodoros, Theodotos, Theodulos, & quendam uirū fortem ex Hispania Theodosium, patrem eius qui pòst regnauit Theodosij. Qua re territi plures, sua nomina interuerterunt. Fertur autem ea diuinatio facta esse per Libanium sophistam, & Iamblichum Procli discipulum. Socrates lib. 4. cap. 19. Sozom. lib. 6. cap. 35. Paulus Diaconus lib. 12. Zonaras tomo 3.

THEODATVS Ostrogothorum rex, uxorem Amalasuntam, à qua mortuo Atalarico F. regnum Italiæ susceperat, in balneo strangulauit. Cuspinianus.

ATILA Hunnorum rex, Beldam fratrem obtruncauit, quò solus regno potiretur. Platina. Bonfinius Budam uocat.

THEOPHILVS Imp. iam moribūdus, ueritus ne se mortuo, Theophobus tyrannidem inuaderet, caput eius amputari iussit, sibiq; adferri, ac manibus crines eius tangens, hæc ultima uerba extulit: Exinde neq; ego Theophilus neque tu Theophobus eris. Cedrenus & Zonaras.

Michael, Theophili F. Imp. cū more suo exerceretur cursu equorū ad Sanctū Mimātem, & in cœna prope eū accūberet BASILIVS Protostrator & Eudocia uxor eius: uino madidus, cepit Basilicinum quendam, qui Basilij primus remex erat, maximè laudare, & quòd optimus esset auriga, & corporis pulcritudine antecelleret omnes sui ordinis. Dehinc purpurei coloris calceamenta illi dono dedit, iussitq; utea calcearet, moxq; ipsum regem pronunciauit. Quod Basilio non tam suspectum, quàm hominis insani ac deliri uidebatur: qui paulo antè ab eo Cæsar pronunciatus, & rex erat diademate cinctus. Itaq; stupefactus uerba quædā Michaeli obiecit, ad quæ indignatus rex: Nónne (inquit) Basili, qui te regem creaui, possum alium quoq; regē cōstituere? Et fortè insignia illi magis quàm tibi conueniunt, ob corporis proceritatē. Quod Basilius animaduertēs, meliùs ratus idalios facere, quā se in periculū manifestū coniicere, cùm potationib. iam fatigatus esset Michael, cubiculū ingressus, da ues portæ ademit. Mox cū coniuratorib. introiens, regem aggreditur. Qui strepitu armorū experrectus, cùm insicenses stringi uideret, ambabus manib. obiectis est truncatus. Sed nondū uino exoneratus, nesciens quò fugeret, aut quò se uerteret, iacebat: eum quidam ense perfodit, ut intestina inde profluerent. Cuspinianus.

CONRADVS IV. Cęsar, occupato regno Neapolitano & Siculo, cū uoluptatib. operam daret, fratrū natu minimus Henricus, summæ indolis adolescens, filius reginæ Isabellæ, ex Sicilia, quā ei Fridericus II. pater reliquerat, honoris exhibendi gratia aduenit, comitatus à quodā capitaneo Saraceno, cui nomē Ioanni Moro, qui eum abduxit in cubiculum quoddā secretum in arce S. Felicis in Basilicata, & illic occidit, Conradi iussu. At uindicta non multo pòst tempore est insecuta. Nam sub finem quinti mensis à morte adolescentis Conradus obiit, potione ipsi per Manfredum fratrē spuriū (ut creditur) data: ac præterea idē Manfredus iussit decapitari Ioannē Morum, & Marchionē Bertholdum, q præter mortem Henrici, etiā procurauerant necem Friderici iunioris, nepotis Friderici Cæsaris, ex Henrico filio, quem testamento crearat auus ducem Austrię, cum decies mille unciis auri. Quā pecuniā cùm infelix adolescens uenisset petitum, quò in Austriam proficisci posset, Ioannes Morus, Manfredi iussu, quasi pecuniam numeraturus, Melphiæ ad cœnam ipsum inuitauit, & apposito pisce intoxicato, consilio Marchionis Bertoldi uita exuit. Collenutius lib. 4. cap. 19.

EDOV-

EDOVARDVS IV. Eboracensis dux, capto & interfecto Henrico VI. eius filio Edouardo, & proceribus Anglicis nobilissimis, regnum occupauit. Eoq; confirmato, Georgium fratrem, ducem Clarentiæ comprehensum in dolio uini Creticis suffocari curauit, cuius opera tamen regnum potissimum receperat. Fama in uulgus iam tum exiit, regem territum uaticinatione hominis fatidici, contra Georgium fratrem uenisse, qui prædixisset futurum, ut post Edouardum regnaret unus aliqs, cuius nominis prima litera esset G. Vaticinatio non caruit successu, cùm post Edouardum, Ricardus frater Glocestrensis dux, tutor Edouardi filiorum, regnum occuparit. Alij uerò aliam ferūt necis causam, quæ eiusmodi est. Dux amissa uxore, per operam Margaritæ sororis petebat sibi nuptum dari Mariam unicam filiā Caroli ducis Burgundiæ. Edouardus inuidens fratris felicitati, eam affinitatem impediuit. Inde redintegrata simultate (nam Georgius primò eiiciendi, deinde in regnum restituendi fratris auctor fuerat) quidam ducis administer eodem tempore ueneficij damnatus afficitur supplicio. Contra id factū cùm dux non potuisset se tenere, quin uehemeter reclamaret: rex ob eam querimoniam ualde commotus, ducem in carcerem detrusit, ac nō multo pòst, iure siue iniuria, maiestatis damnatum morte affecit. At mox Edouardum eiusmodi facti pœnituisse certum est argumentum, quòd ferunt, si quando pro cuiuspiam damnati uita oraretur, solitum esse inclamare, O infelicem fratrem, pro cuius salute nemo homo rogauit: manifestè innuens, illum principum inuidia interiisse. Polydorus libro 24.

FROILA, Asturum rex, Vimaranum fratrem omnib. carū metuens propria manu interfecit, Veremundū filium eius manium placandorum causa adoptauit. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hispan. cap. 6.

ANDREAS Hungarorum rex, declarato rege filio suo Salomone, cui duodecimū modò annum ingresso Sophia Henrici III. Imp. nuptum collocata erat: quum Bela suo fratre sciret inuito filium nunquam regnaturum, inito consilio cū duobus tantùm intimis, ante se coronam & gladium strata humi purpura inferri iubet: hæc regnum, ille ducatum referebat. Illis præceperat, ut introducto Bela, & proposita optione, si gladiū eligeret, laude ac donis cumulatus abiret: si uerò coronam, confestim gladio obtrūcaretur. Nicolaus ianitor consilium Belæ cubiculum subituro detegit. Ergo Bela uel præmonitus periculi, uel fraterna liberalitate uictus, sumsit gladium, coronam ultrò nepoti concessit. Spectata fratris modestia rex, profusis lacrymis extemplò prosiliit, & genua eius amplexatus, ingentes gratias egit. Sed id Belam præ timore fecisse, ostendit exitus. Quippe paucis cū uniuersa familia ad Mesconem socerum in Poloniam effugit, & ab eo tribus adiutus legionibus fratrem acie uictum cepit, regnumq; occupauit. Bonfinius lib. 2. Dec. 2.

CATHARINA regina Cypria, cùm à Senatu Veneto per fratrem Cornelium ut deponeret imperium rogaretur, illudq; Reip. traderet: nouitate rei permota, recusare illa, neque sibi persuaderi uelle, uti regnum opulentum relinqueret: mulier regio uictu, regiis honoribus assueta, quæq; sciret: quā nullo præcipuo iure, quamque parcè in Repub. Veneta uiueretur: satis esse dicere, si se mortua, ea insula in reip. potestatem redigatur. Ergo quod uoluntate eius non potuere, pio astu Georgij fratris ab inuita extorsere Veneti. Bembus lib. 1. Hist. Venetæ.

Alfonsus II. Aragonius, Caroli VIII. Gallorum regis armis territus, FERDINANDO filio regnū tradidit, ipse in Siciliā fugit. Recuperato per Ferdinandū regno, fama est eum cū filio seriò admodū egisse, ut Neapolim, ubi odiū aduersus eum olim conceptū, in beneuolentiā propemodum cōuersum erat, reduceretur: Ferdinandū uerò magis regnandi cupiditatē, quàm paterna pietate ductū, argutè, nec sine aculeo respondisse: Tam diu expectaret, dum ab se ita regnū esset constabilitum, ut ne iterum ipsi esset fugiendum. Argo Alfonsus suo pudore planè castigatus, omnem recuperandæ regiæ dignitatis spem penitus abrupit: contulitq; se in contubernium sacerdotum Messanam, ubi sacris intentus literis, religiosissimi officium usq; ad uitę exitium plenissimè uel simulauit, uel impleuit. Iouius libro tertio, Hist. & Guicciardinus libro 2.

Turcorum rex SELYMVS, Baiazetis II. F. minimus, ueneno sublato patre anno MDXII. atq; ita per scelus ac impietatem occupato imperio, in fratrem maiorem natu Acomathen arma mouit, illūq; è Cappadocia expulit. Acomathes enim uires, quibus resisteret Selymo, nō habebat. Inde Angoriū, nobilem ciuitatē, ueterib. Ancyram dictā, profectus, nepotes omnes ex Alensiacho, atq; ex aliis suis fratribus antea defunctis, interfici crudeliter iussit. Sub hæc quū Aladinū & Amurathē Acomathis filios post paternā fugam cum exercitu, recuperandæ regionis causa, uenisse Amasiam uersus audisset: equitatū in eos, qui comprehēsos interficeret, immittere decreuit. Id consilij Mustapham Bassam ad pietatem inflexit: iam enim eum pœnitere inceperat occasionem præbuisse, ut & Baiazetes, & tot iuuenes infantuliq; sanguinis Othomannij fuissent interfecti. Quamobrem Achomatis filios adeò & secretè & celeriter admonuit, ut ante imperatorij equitatus aduentum ad mōtes aufugerint. Selymus autem qui homo astutus erat, statim animaduertit Mustaphæ opera iuuenes euasisse. Vnde etiam ob eam suspicionē Mustaphā Bursiæ suffocari, ac nudū cadauer in publica uia canibus exponi iussit. Post Mustaphæ mortē, Selymus Corcuthem, alterum fratrem, quoq; interficere constituit, quanquam ab ocioso & quieti dedito philosopho parùm sibi timendum erat. Duæ igitur equitum turmæ in Magnesiam, ubi Corcuthes residebat, in hoc excurrerunt. Verùm Corcuthes à suis hac de re certior factus, inimicorū furorem euasit: seruis enim duobus comitatus, uestibusq; alienis indutus, ad Smyrnæ litora se contulit: ibiq; in spelunca quadam delitescens, nauem aliquam expectabat, quæ Rhodum traiiceret. Sed quum id nequaquam fieri posset, Bostange Bassa Selymi genero classe ea litora obseruante, ob famem ac serui perfidiam citò deprehensus captusq; est: & iussu Selymi arcus neruo suffocatus. Interea Acomathes, implorato à Sophi atq; Alepi principe auxilio, qui ueluti capitales inimici magnitudinis Turcicorum Imperatorum, rebus ipsius fauebant, adeò magnum ac potentem coegit exercitum, ut aperto marte cum hostib. congredi ualeret. Nam & equitū Persianorum ualidam turmam optimeq; armatā habebat, sicq; tandē ad Horminiū usq; montē Bursiæ proximū peruenit. Selymus aūt Canolio uxoris suæ fratre cū maxima Tartarorū multitudine secum ducto obuiā ei profectus, 18. Kalen. Maias, anni MDXIII. cum ipso conflixit, ac uirtute Sinami Bassæ eunuchi Natoliæ Belerbei Persas fudit. Acomathes uerò à Tartaris impetitus à tergo, ex ordine & ipse deturbatus est: quumq; equus cui insidebat, ob nimiam crassitiem parùm agilis, in terram decidisset, ab hostibus captus, iussu Selymi statim eo, quo & Corcuthes modo, crudelissimè strangulatus est. Porrò Aladinus & Amurathes euasere: quorum alter postmodùm ad Sultanum profectus, ibi febribus periit: alter uerò Persiam petens, apud Sophim per plures annos mansit. Iouius in uita Selymi.

IVRISDICTIONEM.

Baldericus Dux Foroiuliensis, q superioris Pannoniæ fines ignauia sua uri à Bulgaris esset passus, Ducatus honore à Ludouico Pio Imp. priuatus est, marchia ipsa duodecim Comitibus iterum distributa. Qua in re LOTHARIVS Ludouici F. Italiæ rex insignem se accepisse à patre iniuriam est arbitratus. Sigonius lib. 4. regni Italici.

Sub Philippo Valesio Francorum rege PRÆTORES regij cōquerebātur, omnem iurisdictionem ab regiis tribunalibus ad sacra delapsam: multo plures causas profanas & inter profanos controuersias cognosci diiudicariq; ab Episcopis reliquisq; sacerdotiis, quàm à regiis Prætoribus. Quicunq;, quacunq; de re sacerdotum decreto non steterit, continuò templis arceri, piorumq; communicatione moueri: eoque deuentum esse, ut qui soluendo non sit, ei aqua & igni interdicatur. Sacerdotium ducibus episcopis ad regem cōuenit. Pro iurisdictione regis uerba Petrus Cunerius fecit, ut quæ Dei sunt, Deo: quæ regis, regi darentur. Bertrandus, Heduorum pontifex causam templorum iurisdictionemq; tutatus est: reges Augustosq; fando deuocauit de cœlo, Magnum, Pium, Diuum: eorum opem implorauit: ut qui in uita armis texissent ecclesias, liberalitate cumulassent, nunc diuinitatis participes, desertas nollēt. Enumerauit quot reges ducesq; templorū hostes fœdū atrocemq; exitum habuerint: quot pij sacerdotiorū propugnatores, & uiui & mortui, gloria, imperio, prolis fœcūditate, diuturnitateq; domestici imperij fructum amplissimum perceperint: qui uerò de sacerdotio uictum triumphum ac palmam petiuerint, misero exitu pœnas superis dedisse. Prima actione nihil constitutum est. Cùm ampliatur, die diuo Thomæ Cantuariensi festo, cum patrum frequenti globo Bertrandus regem adiit, admonuitq; illum, illuxisse diem, quē pro libertate ecclesiæ Thomas sanguine suo consecrasset. Respondit rex, omnia sibi curæ futura. Anceps uox. Bertandus ut certius lætiusq; eliceret responsum, orauit ut qui diuinitùs uocatus fuisset ad sceptrum, ambiguo responso non dimitteret tristes ab se sacerdotes, qui quotidie rem diuinam pro eo facerent. Tunc rex: Iura, inquit, Ecclesiarum auxerim potiùs, quàm imminuta uelim. Gratias uniuersi egere. Rex catholici cognomen promeruit. Aemilius lib. 8.

RESPECTV MERITI CONseruare Honorem debitum

ERVDITIONI.

M. Antoninus Pius Imp. cùm APOLLONIVM Tyaneum,

quem Chalcide acciuerat, ad Tiberinam domum, in qua habitabat, uocasset, ut ei M. Antoninum traderet, atq; ille dixisset: Nō magister ad discipulum debet uenire, sed discipulus ad magistrum, risit eum, dicens: Facilius fuit Apollonio philosopho è Chalcide Romam uenire, quàm è domo sua in Palatium: Capitolinus, & Cuspinianus in Cæsaribus.

PERITIÆ MECHANICÆ.

Cùm Alexandro Magno dictum esset, INDVM quendam sagitta arcu emissa, singulis ictibus medium anulum pétere: ad se accersitum iussit, ut se præsente id ageret. Is autem adeò obstinatum, ne id ageret, se præbuit, ut iratus Alexander morte eum damnarit. Cùm ad supplicium duceretur, interrogatus, Quamobrem non sagittasset? Vereri se, respondit, ne si aberrasset, peritiæ opinionem longo iam tempore partam, semel amitteret. Quam rem cùm Alexander accepisset, cum periculo liberauit, atq; insuper ingentia munera addidit. Fulgosus lib. 8. cap. 15.

FORTITVDINI MILITARI.

MITHRIDATES Persa, & miles quidam CAR, dum Cyri à se interfecti gloriam sibi tribuunt, ab Artoxerxe malè mulctati periere. Vide Tit. Aemulationes ambitiosæ, Mors.

DIGNITATI, MAIESTATI IMPERII.

ALEXANDRVM Magnum ferunt, cùm animum relaxare uellet, triremi cōscensa in Euphrate nauigasse, ac in medio flumine diadema illi delapsum esse. Quod cùm nauta quidam adnatans excepisset, & quia aliter ad nauem redire non poterat, capiti suo impositum, illi retulisset: homini pro eo recuperato talentum donasse, sed quia illud indignè capiti suo imposuisset, caput abstulisse. Plutarchus.

GALBA Imp. electus, ubi seruos publicos destinauerunt consules ad deferendum ei senatusconsultū, & consignata dederunt diplomata, quorum signo cuiusque oppidi magistratus per dispositos currus tabellariorum cursum accelerant: non mediocriter excanduit, quòd non signum suum impressissent, neq; per milites id misissent suos: imò dicitur de consulibus deliberasse puniendis. Inde purgantibus se & supplicibus remisit offensam. Plut. in Galba.

P. CRASSVS Mutianus à Sempronio Asellione & plerisque aliis historiæ Romanæ scriptoribus traditur quinq; habuisse rerum bonarum maxima præcipua, quòd esset ditissimus, quòd nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd iurisconsultissimus, quòd Pontifex Maximus. Is cùm in consulatu obtineret Asiam prouinciam, & oppugnare Leucas oppidum pararet, opusque esset firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium sociorum amicorumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos uidisset, uter maior esset, eum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέκτων comperto, quamobrem malum desideraret, non uti iussus erat, maiorem, sed quem esse magis idoneum, aptioremque faciendo arieti, faciliorem que portatu existimabat, minorem misit. Crassus cum uocari iussit, & cùm interrogasset, cur non quem iusserat misisset? causis, rationibusque, quas dictitabat, spretis, uestimenta detrahi imperauit, uirgisque multùm cæcidit: corrumpi atque dissolui officium omne imperantis ratus, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio considerato respondeat. Gellius lib. 1. cap. 13.

CN. Pompeius post consulatum suum aduocationes plerunque defugiebat, & forum pedetentim relinquebat, rarusq; prodibat in publicum, atque id semper magno cum comitatu. Neque facilè exinde erat sine frequentia cum uel conuenire uel uidere: sed delectabatur cum multis & magno comitatu se ostendere, quò uenerationem inde & maiestatem præsentiæ suæ conciliaret, ratus à colloquiis & consuetudine cum plebe seruandam dignitatē suam illibatam. Quippe uita togata illis, qui per arma creuerūt, atq; à populari abhorrēt æquabilitate, ad contemtū est lubrica. Plut. in Pompeio. Simili ratione PERICLEM apud Atheniensium populum suam auctoritatem conseruasse, idem Plut. tradit.

Quum ante DIOCLETIANVM Imp. milites liberā ferè potestatem haberent eligendi ac deponendi Imperatoris, ut posthac Imperatoria maiestas sacrosancta foret, adorari se Diocletianus ab adeuntibus non aliter, quàm ut Deum, more regum Persarum iussit, edictoq; sanxit, uti omnes adituri principem, eius pedibus acciderent, ipsosq; oscularentur. Antea Imperator in modū iudicum salutabatur, & chlamyde purpurea duntaxat à priuato habitu discernebatur. Auentinus lib. 2. annalium Boiorum.

LEONTIVS Tripolis Lydiæ episcopus Arianus, cùm ad edictum Eusebiæ reginæ, Constantij Imp. uxoris, Ariani episcopi aliquando plurimi conuenissent, & supplices reginæ fierent, solus domi mansit: neq; etiam maximis oblatis dignitatibus uenire uoluit, nisi eam obuiam sibi processuram sciret, & caput manibus suis submissuram: ipsoq; sedente, staturam se, ac iussis obtemperaturam promisisset. Suidas.

Hugo Cęsariensis, Gallus eques, ab Almarico Hierosolymorū rege legatus ad ELHADECHVM Calypham Cayri missus, ut aduersus Calypham Baldacensem cum eó fœdus iniret: cùm è more, data utrinque dextera, res stabilienda esset: ut uidit Hugo Calypham non dignari cum dexteræ suæ cōtactu, & idem Sultanum Suar & Admiratos facere, dicentes Calyphæ personam humanam excessisse conditionem, & ceu sacram fas non esse ab homine contingi, præsertim qui diuersa coleret numina: denunciauit se infectis rebus inde abiturum, nisi Calypha eo modo, quo ipse Almarici regis nomine, dextera data ac iureiurando fœdus sanciret. Coactus igitur Calypha, dexteram Hugoni, sed sericeo uelatam panno porrexit. Contingere autem eam Hugo abnuit, nisi cùm ipse nudam porrigeret dexteram, nuda etiam à Calypha porrigeretur. Itaq; Hugonis grauitas extorsit, ut nudā ipse quoq; dexterā Calypha daret. Fulg. lib. 6. c. 4. & Egnat.

EPISCOPVS Herbipolensis Franconiæ dux, rem diuinā faciens, gladium in altari nudum ante se habere solebat. Hermannus Schedel ætate 6.

LVDOVICVS Bauariæ dux, apud Henricum eiusdem familiæ principem in carcere cùm seruaretur, nunquam illi ad se uenienti assurrexit, neq; capite annuit, neq; quod ab eo peteretur, suaderetúrue, quicquam fecit. Eum uultum, eam seueritatem retinuit captus, qua cùm liber esset uti solebat. Aeneas Syluius lib. 3. Com. in Panor.

PRINCEPS quidam Germanus nostra memoria, profectione in Gallias suscepta, non procul Geneua lutulento itinere equo excussus, nec ipse cùm posset exurgere uoluit, necā suis se attolli passus est, donec post horam unā aut alteram Comes Gruerius uocatus superuenit, qui porrecta dextra hominem è luto extraxit: Dedecori sibi fore arbitrabatur, si ab alio, quàm à principe uiro princeps attolleretur.

CANVTVS, Obotritorū rex à Lothario Imp. dictus, in prouinciā Slesuici descēdit: Nicolao regi Danorū patruo occursurus. Erat in regia Slesuici locus instructus. Sedit rex senior in throno suo coronatus: ex aduerso sese collocauerat Canutus, itidem coronatus. Id uitio datū uiro integerrimo, qui in regno suo superiorem regem non susciperet. Ille Saxonū coloniam ibi esse ducens, licere putauit, quasi in limite Romani Imperij, sedere coronatum. Patruus quum uideret nepotē sibi non assurgere, nec offerre ex more gētis osculum, ipse surgēs, cepit trāsire ad Canutū, oblaturus ei salutationē prosperā. Cui ille mox occursans ex medio, sese per omnia patruo & dignitate & loco uisus est adæquare. Id factū Canuto lethale conciuit odium. Nam Magnus, Nicolai filius, à matre instigatus, quasi contra regni æmulum, uirum optimum specie amici colloquij in Daniam inuitatum trucidauit. Cuius mortem frater Ericus ultus est: cæso Magno & Nicolao, regno Daniæ potitus, Vandaliæ quoq; regnum à fratre hæreditarium accepit: & hinc uidentur Daniæ reges titulum quoque regni Vandaliæ usurpare cepisse. Cranzius libro 3. Vandaliæ, cap. 34. & 36.

Miserat ad Vladislaum Boemię regem, Matthias Hūgariæ rex æmulus, Ioannem Varadiensem Episcopum, ut eum ad colloquium de pace transigenda inuitaret, eique rei certum locum, certumque tempus constitueret. Placuit utrinque mense Iunij in Morauia ad urbem Olomucium coire. Matthias more suo ambitioso, ita tardè iter faciebat, ut XV. dies Vladislaus in Nouo, quod uocant, oppido expectare coactus fuerit, antequam Olomucium ille ingrederetur. Inde quoque cum noua ambitione obuiam prodibat, nudo uidelicet capite, ac uiridi tātùm serto coronatus, ne ipse caput suum hospiti aperiret, sed eum potiùs honorem ab illo sibi haberi ambiret. Boëmi cognita Matthiæ arte, Regi suo insusurrant, ut tegmen capitis sui zona sic planè innodet, ut explicari nequeat. Quo facto euenit, ut præter omnem opinionem, Hungarus nudus capite, salutaret tectum capite Boëmum, deduceretque ut hospitem in hospitium, prospectante è fenestra Beatrice Regina, amoremque tacitum, ex conspectu noui hospitis forma conspicui haurientę. Dubrauius libro trigesimoprimo. At Cureus in Silesiæ Annalibus hoc tribuit Matthiæ Coruino & Casimiro Polono, posteaquam diu uaria fortuna de Silesia contendissent, & pacis causa prope pagum Mocor ante urbem Vratislauiam conuenissent.

NOBILITATI GENERIS.

M. Minutio & P. Curiatio Coss. C. Canuleius Tribunus plebis rogationem promulgauit de connubio patrum & plebis, ut mixtis per id ordinibus faciliùs coalesceret ciuitatis concordia. Abhorrere PATRES, seq; omnia priùs perpessuros prædicabant, quàm ut suus cum plebe confunderetur sanguis. Eratq; talis promulgatio patribus satis inuisa, quum nouem Tribunorum altera longè adhuc inuisior repentè extitit, ut seu plebeium uellet populus seu patricium creare posset

consulē. Credere uulgo patres, consularem dignitatem, si lex perlata esset, nō uulgari solùm, sed ad plebem omnino translatum iri. Quum consules in forum uenissent, orta inter eos & Tribunos altercatione, è collegio uno consulem interrogante, Quid esset, cur plebeium consulem fieri non liceret? Quia auspicia, inquit alter consulum, plebeij non habent. Ad eam uocem adeò iræ exarserūt, quòd quasi diis inuisi auspicari posse negarentur. Multitudine calculos petente, quia apparebat utramq; legem uno tempore perlatum iri, rati patres alterum de consulatu antiquari posse, de connubio cōsenserunt. Qua lege perlata, quum Canuleius in ingenti celebritate & fauore esset (eius enim rogationis auctor fuerat) cæteri Tribuni æmulatione accensi, nouum certamē pro lege sua patrious intendunt. Cæterùm crescente indies noui belli Veientum fama, cùm neq; delectus haberi posset, appareretq; aut ciuibus aut hostibus de uictoria cedendum esse: quum diu anceps consultatio tenuisset, eò T. Genutij sententia decursum est, ut Tribuni militum cōsulari potestate promiscuè ex patribus & plebe crearentur, de consulibus interim creandis nihil mutaretur. Acquieuēre huic sententiæ plebs & Tribuni, indictisq; ad hoc ipsum comitiis, quum ex utroque ordine plures petiuissent, præter omnium spem patricios tantùm populus creauit, contentus quòd plebeiorum ratio habita esset. Creati igitur tres Tribuni consulari potestate, A. Sempronius Atratinus, L. Attilius Longus, & T. Clœlius Siculus, anno trecentesimo decimo, quàm Roma condita erat. Sab. lib. 4. Enn. 3.

LACEDÆMONII artes omnes, præter bellicam, seruiles esse putabant, ita quidem ut ne agros quidem colere sustinerent, eius rei curā Helotis Messeniis, quos in seruitutem abduxerant, demandata. Itaq; Agesilaus rex, ægrè ferentibus sociis Græcis expeditionum diuturnitatem, ut ostenderet, solos Spartanos milites esse, atque adeò dignos, quos cæteri tanquam serui dominos sequerentur, per præconem iussit euocari fabros, agricolas, figulos, textores, & similes ordine artifices. Ibi cùm ex sociorum castris nulli remansissent, ex Lacedæmoniis autem nulli consurrexissent: Videtis ergo, inquit, robur exercitus penes Spartanos esse, uos autem tanquam umbras sequi corpora? Et certè ex eo uitę instituto, quod Sparta ceperat per fas atq; nefas imperio potiri, hæc sola nobilitatis conseruandæ fuit ratio. At si ad ueritatis normam expendatur, quātò bellum pace deterius est, tantò etiam inferiora erant pacis artibus belli studia. Sed quid Spartanos miramur, cùm CHRISTIANI etiam populariter sub bellicosis tyrannis, quàm sub pacifico Christo militare malint? adeoq; generis auitum decus plerique nobilium militia conseruari & propagari credant: cùm ignauissimi uenationibus, compotationibus, rusticorum & plebeculæ decimationibus, exactionibus, latrociniis denique uitam transigant: idq; unum ad nobilitatem compendium esse putent, cùm nobilitatis nomen & insignia uel uirtute, uel stultitia aliena obtinuerint, cum sui similibus noctu interdiuq; foris per castra, domi per lustra & ganeas debacchati, & quia hominum conuersatione uix sunt digni, cum canibus & equis quod superest, uitæ prodigere.

VICTORIÆ.

Scribit Dion, HELIVM Cæsarium, imperij cum Nerone participem, iugulandos curasse Sulpitium Camerinum ciuem primarium, ac eiusdem filium: dantē crimini, quòd cognomento hæreditario Pythici quum dicerentur, in Neronis Pythicas uictorias impij ἐκ τῆς ὁμωνυμίας uiderentur. Cælius libro 24. capite 5.

IOANNES Capistranus, quanquam Minorum ordinem profiteretur (qui nullius rei magis quàm humilitatis studiosos se profitentur) cùm prælium scriberet, quo Mahumetes Turcarum rex apud Belgradū urbem à Ioanne Huniade Transsyluaniæ Vayuoda superatus ac fusus fuit, nulla penè de eo atque de Apostolico legato Ioanne mentione facta, de se tantùm loquutus est, ceu ipsius unius uirtute aut miraculo parta tam insignis uictoria foret: & qui aliis prædicabat ambitionem atque mundanā gloriam fugiendam esse, doctrinæ suæ penè immemor, pleno cursu insequutus alienā, occultata eorum uirtute ac robore, qui uerè res gesserant, sibi usurpabat: quemadmodum in historia Pius testatur. Fulgosus lib. 8. cap. 15. & Aeneas Syluius cap. 8. Europæ.

RESPECTV MODI CONSERVATIONIS. Dum scilicet SPERAT.

Cùm mors Caroli VIII. Gallorum regis, ANNÆ reginæ annunciaretur, respondit, Voluntas Dei fiat. Neque tamen, licèt & marito & liberis orba sim, dignitatem meam propter ea imminuendam spero. Potuit hoc dicto iam ad secundas nuptias Ludouici Aurelianēsis ducis, qui Ludouicus XII. dictus fuit, animum adiecisse uideri. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

IACTAT, LAVDAT indecore.

Iactantiam Volumine primo inter Effectus perturbationum commemorauimus. Hîc Habitum, à quo acceditur, spectamus.

TIMOTHEVS in uictoria, quam de Phrynide retulit, scribēs:
Eras beatus, Timothee, cùm præco ait,
Milesius uincit Carbonis filiū Ionocamptē Timotheus.
inurbanè & præter morem suam ipsius uictoriam proclamauit. Plut. Quomodo quis seipsum laudet.

CYRVS iunior ad societatem secum ineundam inuitans Lacedæmonios, cor habere dixit se fratre Artaxerxe Mnemone grauius, plus meri eo bibere & ferre meliùs. Illum in uenationibus ægrè in equo manere, in aduersis rebus nec in sella. Petiit ut milites ad se mitterent, ostendens pedestribus largiturum se equos, equestribus currus, uillas possidentibus uicos, uicos tenentes urbium se dominos facturum, argentum & aurum non annumeraturum, sed appensurum. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Post Leuctricā uictoriā irrupit Epaminōdas Thebanus cū sociis in Laconiā millib. 70. cùm spacio nō minùs sexcentorū annorū, quo Lacedemonē Dorij tenuerūt, hostis in finibus eorū conspectus non fuisset. Antè ausus id fuerat nemo. Momordit id AGESILAVM regem, cùm gloriæ suæ macula: quòd quam ciuitatem acceperat maximam & potentissimam, eius aspiceret contractam dignationem & magniloquentiam repressam, qua ipse quoque usus fuerat subinde, cùm gloriaretur, feminam Lacęnam fumum non uidisse hostilem. Plutarchus in Agesilao.

LYSIMACHVS, qui oram Thraciæ quasi regni extrema obtinebat, eò euasit insolentiæ & ferociæ, ut in hæc uerba erumperit: Nunc, cùm cœlum lancea attingo, Byzantini ad me ueniunt. Ibi Pasiades, qui aderat: Subducamus nos, inquit, ne lanceæ iste cuspide cœlum pertundat. Plutarchus orat. 2. de Alexandri fortuna.

STOICI in illis, quæ contra Consuetudinem edidit Chrysippus, ita sunt gloriosi atque exultant, ut si libri Academicorum omnium omnes in unum conferantur, non mereri autument eos, qui cum scriptis à Chrysippo ad premendos sensus conferantur. Plut. in Stoicorum pugnis.

EPICVRVS Themistoclis & Miltiadis res gestas deprimit & extenuat: interim de seipso ita scribit amicis: Scitè & magnificè curate nobis ut frumentum deportetur. &, Mirificas demonstrastis significationes beneuolētiæ erga me uestræ. ut si frumentum istud ex epistola eximas philosophi, æstimationem præ se ferant uerba beneficij, quasi de tota Græcia uel de populo Atheniensi in libertatem asserto uel conseruato scribatur. Plut. contra Epicuri sententiam.

IDEM, in amicorum epistollis plausibiles strepitus ab eis fieri dum refert, stomachum facit. Plut de Audiendo.

Quòd in Piræeum descendisset Epicurus stadia quadraginta, Mithræ cuidam Syro ex cohorte regia, qui ad supplicium comprehensus erat, præstò futurus, METRODORVS ad omnes scripsit, epistolisq; omnibus iactauit EPICVRVS, atque illud iter extulit. Quid erant facturi, si tale quid effecissent, quale Aristoteles, qui patriam instaurauit à Philippo excisam: quale Theophrastus, qui bis patriam à tyrannis oppressam in libertatem uindicauit? Nónne priùs desistere oportuisset ferre papyrum Aegyptum, quàm de istis scribere hos defatigari? Plut. contra Coloten.

IDEM repudiat præceptores suos: cum Democrito, cui dogmata ad uerbum subtrahit, rixatur de syllabis & apicibus: sapientem præter se suosque asserit esse neminem. Sed & quemadmodum Colotes de rebus naturalibus differētem ipsum tactis genibus adorauerit, literis mandat. Frater eius Nicocles statim à puero neminem fuisse uel esse Epicuro ostendit sapientiorem, matremque eius in corpore tantum numerum corpusculorum habuisse, quæ inter se compacta sapientem procreare potuerint. Plut. contra Epicurum.

M. CATO omnino uolebat, ut ne laudari quidem permitterēt se bonus ciuis, nisi hoc è repub. fieret. Plurimus fuit tamen in seipso prædicando. Quippe eos, qui in uita quid titubauerant, mox reprehendebantur, dicere ait solitos, Immeritò se culpari, qui Catones non essent: illos autem, qui facta quædam sua imitari studerent ineptè, sinistros Catones appellari. Curiam periculosissimis temporibus ad se, sicut in naufragio ad gubernatorem respicere, crebróque absente se grauissimas protrahere dictitabat. Plut. in Catone.

Post oppressum Catilinā fuit CICERONIS auctoritas in ciuitate summa. Verùm inuidiā conflauit sibi, nullo quidem flagitio, sed quòd se ipse laudaret & celebraret assiduè, offendit multos. Vbique enim siue in senatu, siue in concione, siue in iudiciis, habuit in ore Catilinam & Lentulum. Libros denique & scripta laudibus compleuit suis, iucundissimamque suam & uenustissimam dictionem odiosam reddidit & ingratam auditoribus, hac eum quasi morbo aliquo comitante importunitate. Plut. in Cic & de Sui laude.

Martialis lib.5 de POSTHVMI iactantia sic scribit:

Quæ mihi præstiteris, memini, semperq; tenebo.
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris,
Incipio quoties alicui tua dona referre:
Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.
Non bellè quædam faciunt duo. sufficit unus
Huic operi. si uis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

CONSTANTIVS Imp. omnibus seditionibus ciuilibus ex sententia extinctis, eò magis insolentia est euectus, assentatoribus eum ita instantibus, ut ferri nequiret, cùm de se magnificè prædicaret. Sigonius lib.6. Imp. occid.

ERICVS III. Danorum rex, rerum à se gestarum gloriam tãtis laudibus prosequi consueuerat, ut ueri interdum fidem excederet. Saxo lib.14.

NOVOGVARDIÆ Russorum urbis potentissimę opes & uires cùm ipsi habitatores metiri non possent, fecere prouerbium, Quis potest contra Deum & magnam Nouoguardiam? Ioannes certè Moscouiæ princeps potuit, qui captam diripuit, ciues nobiliores abduxit, & colonos Moschos introduxit. Cranzius lib.1. Vandaliæ, cap.2.

☞ OSTENTAT SVA.

CROESVS, Lydorum rex, ambitiosè opes suas ostentauit Soloni. Id quod ipsemet captus à Cyro his uerbis confessus est: Solonem ego accersiui, non quidem quò quicquam audirem, aut quibus habebam opus, discerem: uerùm ut mihi scilicet spectator esset, & illius tantæ meæ abiret testis felicitatis. Plut. in Solone.

☞ DEPONERE, CEDERE RENVIT.

DIONYSIVS maior, Syracusiorum tyrannus, quum in initio regni regia ipsius obsideretur, coniuratis in illum ciuibus: & amici auctores essent, ut imperiũ deponeret, ni mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à coquo mactatum illicò concidere, dixit: Quum mors adeò breuis sit, an non absurdum sit, nos metu mortis talę regnum relinquere? Quãta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte bene emi putarit? Plut. in regum apoph. & Cæl. lib 22. cap.17. A.L.

Andronodorum parantem cedere principatu, DEMARATA uxor admonuit uocis, quã IDEM Dionysius usurpare solebat. Non equo insidentem, sed pedibus tractum, debere relinquere tyrannidem: quòd facili momento esset, quo quis uellet die, cedere possessionem mágnę fortunæ: facere & parare eam, difficile atque arduum esse. Liu. Dec.3. lib.4.

APPIVS Claudius regnandi libidine incensus, censurã quinquennio per uim contra legem Aemyliam, quæ ad menses 18: illam reduxerat, tenuit, cùm etiam eius collega Cn. Plautius se abdicasset. Quapropter P. Sempronius Tribunus plebis contra eum in concione inuectus: Hæc est, inquit, Quirites, Appij progenies, qui Decemuir in annum creatus, altero anno seipse creauit: tertio nec à se, neque ab ullo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit. Liuius lib. 9. & Volat. lib.14. Anthrop.

Bello Macedonico, T. QVINT. Flaminius legatis, quos Philippus rex Romam mittebat, adiunxit suos: qui agerent apud Senatum, si persequendum bellum esset, ut imperium sibi prorogaretur: sin minùs, pacem ipse ut daret Philippo. Nam cùm supra modum ambitiosus esset, uerebatur si sibi esset eo in bello successum, ne gloria eius perpetrati spoliaretur. Obtinuerunt eius amici, ut nec Philippus, quæ postulabat, obtineret, & ei prorogaretur prouincia. Plutarchus in Flaminio.

CN. Pompeius ad Dyrrachium cùm esset iam egregiis pedestribus & naualibus uiribus succinctus, maximè denudasse mentem suam uisus est. Siquidem statuit classi præficere Catonem. Erant naues bellicæ haud intra quingentas: liburnicarum, speculatoriarum, & apertarum immensus numerus. Mox autem reputans aut edoctus ab amicis, hoc caput esse in omnibus actionibus suis Catoni, ut undequaque liberaret rempubl. unius dominatu: quasi uirium tantarum factus potens esset, quo die superassent Cæsarem, eodem coacturum eum arma Pompeium ponere, ac legibus parere: mutauit sententiam, tametsi ea de re iam fuisset cum eo collocutus, imposuitque classi Bibulum. Nihilo ob id tamen promtitudinem sensit Catonis languidiorem. Plutarchus in Catone.

AVGVSTVS Cæsarionem, Cæsaris ex Cleopatra filium, è medio sustulit. Accepto in prouincias ad decennium imperio, mox aliis quinquenniis ei decretis effecit, ut continua successione decenniorum per omnem ætatem solus rerum potiretur. Vnde factum est, ut Imperatores, qui illum sequuti sunt, cùm in omnem ætatem crearentur, tamen decimum quenque annum festum agerent, imperium quasi renouantes. Zonaras.

BARDAS Darus, qui sub Basilio Porphyrogenito tyrannidem inuaserat, Stephanũ Nicomediæ præsulem ad se profectum, & multa ad persuadendum idonea locutum, longo responso non dignatus, dextrum pedem proferens, & coccineum ostendens calceum: Fieri non potest, inquit, Stephane, ut hunc semel in conspectu multitudinis indutus, facilè exuat. Cedrenus.

☞ MENTITVR

Sexum.

SEMIRAMIS, mortuo Nino alij uiro nubere noluit, ueritane imperio priuaretur: sed eos ex militibus eligebat, appetebatque, qui in castris erant forma & decore præstantes: quos omnes postea priuabat uita. Porrò sexum mẽtita, brachia, & crura uelamentis, tiara caput texit: & ne nouo habitu aliquid occultare uideretur, eodem ornatu & populum uestiri iussit. quem morem uestis exinde gens uniuersa tenuit. Et sic primis initiis sub uiri prætextu filius Nini Ninyas credita est, magnasque res ad regni incrementum gessit. Siquidem non contenta acquisitos à uiro regni terminos tueri: Aethiopiam quoque regno suo adiecit, Indiæ bellum intulit, quò præter illam & Alexandrum Magnum nemo intrauit. Iustinus lib.1. Ex Trogo. Diodorus lib.2. cap.5. Sabell. lib.1, Enn.1. ex Ctesia Gnidio.

Staturam.

ACTIVS poeta in Camœnarum ęde, maxima forma statuam sibi posuit, quum tamen breuis admodum esset. Plinius libro 34. capite 5.

Partum.

HENRICVS Hispaniæ rex, cum sorore Isabella, quæ postea Ferdinando nupsit Tarraconensium regi, uicto iam Alfonso fratre, cùm is diem obiisset, bellum gessit. Is cùm multis aliis flagitiis infamis, ac maximè suis inuisus esset, passus uxori stuprum inferri, quòd minùs ipse aptus liberis procreãdis haberetur, natam ex adulterio filiam reginam imponere Hispanis constituerat. Deiecto enim spe principatus Alfonso, qui hæreditario iure ad regni successionẽ aspirabat, non ita magno negotio se armis sororem prohibere sperabat: magni animi feminam, & maiore in suo iure prosequendo constantia: quæ se regni Principem frequenti omnium conuentu declarari curauit, quo nomine ab Hispanis regni successor futurus appellatur. Brutus lib.5. Hist. Flor.

Potentiam.

ALEXANDER Magnus, superato Hyphasi Indiæ fluuio, militibus in concionem uocatis, oratione, quam meditatus fuerat, expeditionem contra Gangaridas persuadere studuit. Sed cùm illi nullo pacto assentiri uellent, coactus est à proposito desistere. Proinde quum statuisset suorum bellorum ibi esse terminum, aras duodecim diis magnitudine quinquaginta cubitorum excitauit. Castrorum circuitum duplo, quàm priùs fuisset, ampliorem fieri iussit, ducta fossa pedes quinquaginta lata, intra quam agger & murus præaltus extructus est. Pediti cuique, ut in suo tabernaculo lectos duos quinque cubitorum: equiti ut idem, insuperque præsepes solitis altero tanto maiores facerent, iniunxit. Pariter & alia, quæ in discessu relicturi erant, spacio auctiori produxerunt. Quòd à rege curatum est, ut castra insignia & planè heroica, opus suum apparerent. Simul ut indicia & ueluti uestigia uirorum prægrandium, documento eius loci incolis forent, præstantissimam Macedonum fuisse fortitudinem. His peractis, itinere eodem, quo progressus fuerat, rediit. Diodorus lib.17.

☞ MONVMENTA HONORIS AMBITIOSE

Erigit.

☞ *Sub loco* Λήψεως, *honorẽ Statuarum, Templorum, & similium affectant. hîc quatenus his ipsis externis internam in hominum mentibus existimationem conseruant.*

THEMISTOCLES momordit multitudinem æde extruenda Dianæ, quam Aristobulen, quasi optima consilia ipse ciuirati & Græcis dedisset, appellauit. Iuxta domum suam delubrum hoc in Melita struxit, ubi pòst cadauera supplicio affectorum carnifices proiicere, uestesque & laqueos efferre eorum, qui strangulati & interfecti essent, solebant. Plutarchus in Themistocle.

L. OPIMIVS Cos. cæso Caio Graccho & Fuluio Flacco, extruxit ædem Concordiæ. Gloriari enim & insolescere atque triumphare quodammodò de tanta ciuium strage uidebatur. Vnde inscriptioni ædis noctu attexuerũt quidam hunc uersum:

Actus uæcors templum facit Concordiæ.

Hic potestate in consulatu est princeps dictatoria usus, dãnauitque indicta causa præter tria millia ciuium C. Gracchum & Fuluium Flaccum: quorum hic consularis & triumphalis, ille suorum æqualium uirtute & gloria primus fuit. Plutarchus in Caio. LSYL-

LSYLLA, etsi ad neminem scriptorem animum direxit: tamẽ Iugurtha à Boccho rege ad Mariũ perducto, totam sibi laudem cupidè asseruit, ut anulo, quo signatorio utebatur, sculptam illam traditionem haberet. Et quãtus postea, ne minimum quidem gloriæ uestigium contemsit. Valer. lib. 8. c.15.

C. MARIVS post Iugurthinum, Cimbricumq; & Teutonicum triumphum, cantharo semper potauit: quòd Liber pater inclytum ex Asia deducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur: ut inter ipsum haustum uini, uictoriæ eius suas uictorias compararet. Val. Max. lib.3. cap.6.

COMMODVS Imp. eò uesaniæ uenit, ut omnia etiam turpiter, impurè & crudeliter facta, publicis iusserit poni monumentis. Marius Maximus.

INNOCENTIVS II. papa Romanus, in muro quodam Romæ imaginem suam splendidè pontificalibus indutam, & sella residentem, depingi curauerat: Lotharium uerò Imperatorem ante se procumbentem in genibus, & manibus cõplicatis coronã Imperij suscipientẽ, cum hac inscriptione:

Rex uenit ante fores, iurans priùs urbis honores:
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Fridericus I. Imp. in contumeliam omnium Imperatorum hanc picturam publicè esse propositam censens, à papa Hadriano petiisse memoratur, ut & scriptura pariter atq; pictura talis de medio tolleretur: ne tam uana res summis in orbe uiris litigandi & discordandi præbere posset materiam. Tritenhemius in Chronico Hirsaugiense.

Vindicat.

ARISTOTELES Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat. Sed molestè postea ferẽs hanc gloriam alteri concessam, in tertio Rhetoricorum (quos nunc habemus) planiùs sibi de his in Theodectiis libris dictum esse adiecit. Nisi me tanta & tam latè patentis scientiæ uerecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. Cæterùm gloria ne ab iis quidem PHILOSOPHIS, qui contemtum eius introducere conantur, negligitur: quoniam quidam ipsis uoluminibus nomina sua diligenter adiiciũt, ut quod professione eleuant, usurpatione memoriæ consequantur. Valer. lib.8. cap.15. An potiùs delirat Valerius, qui Theodectios libros appellatos putat, quòd Theodecti donati fuerint. Quid si uerò eidem dedicati? Sic Ethica Nicomachia, Nicomacho F. sic Ethica Eudemia Eudemo Cyprio amico inscripsit. In 2. Polit. Ethicorum Nicomachiorũ, tanquam suorum mentionem facit. Ergo etiam Theodectia pro suis iurè uenditat, licèt illorum inscriptione non donatione, amicum ornare uoluerit.

HELIODORVS Tricensis episcopus in Thessalia, historiam Aethiopicam scripsit: eoque nomine ei ademtus est episcopatus. Nam cùm lectione eorum opusculorũ iuuenes multi in periculum coniicerentur, Synodus prouincialis statuit, uel libellos ipsos igni comburendos, uel auctorem dignitate sua priuandum. Ille uerò episcopatum deponere, quàm scripta sua supprimere maluit. Nicephorus lib.12 cap.34.

Negligit ambitiosè.

M. LIVIVS Drusus dum Quæstor Asiam obtineret, nullo lictore aut alio insigni honorum (pro more) uti uoluit: non quòd ita se humiliaret, sed ne quid seipso insignius in prouincia esset. Plinius de Viris illustribus: & Alexan. ab Alex. lib.1. capite 27.

☞ IGNOMINIÆ OCCASIONES TOLLIT.

HARTVICVS Reuentlou indignè ferens horrea sua ab Adolfo Holsatiæ comite deprædata fuisse, Gerardum comitem Holsatię pauperem ad iniuriam uindicandam impulit. Is noctu arcem Zegenberg conscendit, Adolfum sese defendentem inuitus obtruncauit. Hartuicus filium suum, qui Adolfi cubiculo præerat, ne domini proditor putaretur, Adolfo mortis comitem esse uoluit. Tandem expiandi sceleris causa Romam petens, sua omnia pauperibus erogare iussus est. Cranzius lib.8. Saxoniæ, cap.39. & lib.9. cap.12.

☞ AVXILIA COMPARAT CONSERuandi HONORIS causa

Religione.

HIEROBOAMVS rex Israelitarum timẽs, ne populus reuerteretur ad domum Dauidis, excogitauit uitulos aureos in Dan & Bethel, quos fecit à populo adorari. Religionis enim uinculum maximi esse momenti sciebat in deuinciendis animis. 3. Regum 12.

Coniugio, Nuptiis.

MAROCIA, Alberti Marchionis Rom. uxor, eo mortuo, priuata uiuere nesciens, Vidoni Tusciæ Marchioni nupsit, atque urbis Rom. ad eum principatum, qui fuerat Alberti, traduxit, eumq; ad cœptas inimicitias cum pontifice Ioanne X. exercendas incendit. Vido Petrum, fratrem Ioannis, immissis satellitibus, in Laterano, pontifice inspectãte, confodit, ac mox ipsum etiam incautum comprehendit, & custodiæ traditum faucibus ceruicali occlusis interemit. Ioanni Leo sextus ciuis Romanus suffectus. Vidone inde paulo pòst ex rebus humanis erepto, frater eius Lambertus Tusciæ ditionem excepit. Marocia uerò ne quid de pristina sua potentia in Vrbe amitteret, nouis sibi consulendum nuptiis rata, Hugonem Arelatensem comitem Italiæ regem missis nunciis inuitauit ad matrimonium suum & Vrbis imperium capessendum Sigonius lib.6. regni Italici.

Quum Sigismundus Imp. Boemiæ & Hungariæ rex, uariis senectutis incommodis laborare cepisset: BARBARA eius coniux, retinendi imperij auida, proceres conuocat, Imperatorem propediem moriturum enunciat: quum multę sint undique turbæ obor ituræ, illud unum consilium optimum futurum, si, quum uidua fuerit, Poloniæ regi legitimè coniugetur. Imperatricis consilium Boemi approbant, & pro illius arbitratu fœdus incũt. Quum interea medici omnem Sigismundo spem ualetudinis ademissent, commonefacerentq;, ut animi imperiique sui salutem curaret: è Boemia, quam perfidia semper laborasse nouerat, depexa coma, & uiridante serto comtus, per bonæ ualetudinis prętextum egreditur, & in Morauiã concedit, ut antequam è uita decederet, filiam Elizabetham & Albertum Austriæ ducem generum uideret. Barbara unà cum Vlrico Ciliæ Comite, fratre suo, uirum sequuta, Znoimæ custodiæ traditur, Vlrico fuga elapso. Sigismundus, quum mortem instare uideret, Hungariæ Boemięq; proceres accersiri iussit, illisq; annuentibus Albertum cum uxore Elizabetha successorem declarauit. Bonfinius lib.3. Dec.3.

☞ INSIDIATORES, INVIDENTES, OBSISTENTES remouet, eludit.

Cæde.

☞ *Vide paulo antè, Regnum ambitiosè conseruare.*

Cùm MITHRIDATES pacem à Rom. obtinuisset, Cimmerij Bosphori accolæ & Colchi ab eo alienati, eius filium sibi regem deposcebant. Quem Mithridates ob id aureis cathenis uinxit, uinctumq; necandum curauit. Ea res non modò non extinxit ferocissimarum gentium motum, sed uehementer etiam accendit. Sabel. lib.3. En.6.

ATHALIA, Hierosolymorum regina, post uiri Iorami & Ochoziæ filij mortem, ne esset qui ad regnum aspiraret, & per quem eius ambitio impediretur, omnes ex Dauidis stirpe iussit occidi, uixq; Ioas ex filio nepos superfuit, Iosabeth amitæ pietate. Qui cùm adhuc tener esset, auia interemta, in regno successit, & per eum regia stirps Iudæorum instaurata fuit. 4. Regum 11.

HERODES rex, multa puerorũ millia occidi iussit, ut auctorem nostræ salutis interciperet, uerum regem Iudæorum.

Mutilatione.

CONSTANTINVS IIII. Imperator cùm sextam synodum Constantinopoli celebraret, duos fratres adhuc pueros naribus ablatis dehonestauit, ne ad Imperium quandoq; aspirarent. Volat. lib.23. Anthrop.

COLOMANNVS Hungariæ rex Almum fratrem excęcauit. Stephanus Colomanni F. eundem in Thraciam relegauit. Almi F. Belam, cùm non oculis tantùm, sed & testibus priuari Colomannus iussisset, carnifex catuli testes regi spectandos exhibuit, eoq; commento Belam seruauit. Non multò pòst Stephanus liberis orbus, pœnitentia ductus scelerum, Almi patrui cineres è Macedonia in Hungariam pientissimè referri curauit, & Belam patruelem suum adoptatum, successorem suum creauit: Helena Vti Augustalis Comitis Macedoniæ præfecti filia ei in uxorem data, ex quo fausto coniugio Geysa II. natus est. Bonfinius lib.6. Dec.2.

Bello.

Herculis posteros, ipso è mortalibus sublato, patria expulit EVRYSTHEVS, ac sibi regnum sumsit. Illi ad Demophoontem Thesei F. profugi, habitauerunt in Tetrapoli Atticæ: Eurystheus misso Athenas legato, bellum denunciat Atheniensibus ni Heraclidas expellant: neq; ij bellum detrectãt. Ergo Eurystheus in Atticam copias ducit, commissoq; prælio inter pugnandum occidit. Hyllus & alij Heraclidæ, post mortem Eurysthei, Thebas urbem incoluère. Anton. Liberalis ex Pherecyde.

CROESVS, Lydorum rex, cùm Cyrum, capto auo Astyage rege Medorum, ad Persas imperium transtulisse uideret, ueritus illius potentiã, eamq; in ipsis initiis opprimi posse ratus, arma cõtra eum mouit. At quatuordecim dierũ spacio Sardis obsessus, captus, regnoq; exutus est. Herod. lib.1.

Obtrectatione.

HVGO, Italiæ rex, Lotharij comitis Arelatẽsis ex Bertha F. fratrem uterinum habebat Lambertum Tusciæ Marchionem Adelberto natum. Hunc ueritus ne Italici se deserto, quòd acer inprimis ac potens erat, sibi optarent regem, anno 931. de medio tollere statuit. Itaque consilium Bosonis fratris

sui ex eodem patre nati sequutus, illum fratrem suum esse negauit, &, ne se ita nominaret, edixit. Ille uerò ferocis ingenij homo se ex eadem, qua ille, matre Berta ortum esse contendere, idque singulari certamine defensurum esse. Qua accepta conditione rex honestam se perdendi hominis adeptum occasionem ratus, Reduinum quendam iuuenem robustum inprimis ei opposuit. Reduino autem in certamine succumbente, Hugo ira & pudore confusus, Lamberto manus iussit inijci, & Marchia Tusciæ Bosoni fratri suo donata, haud ita multò pòst oculos erui. His de rebus Italici tædio regni Hugonis affecti, Rodulfum Burgundiæ regem per nuncios in Italiam reuocarunt, atque ei se ad repetendum regnum affuturos ostenderunt. Sigonius lib. 6. regni Italici.

Contemtu, Neglectu imperij.

Romanis atque Italis passim edicto Constantini Magni & Licinij Impp. ad Christiana sacra suscipienda se conferentib. MAXIMINVS Augustus in Oriente, Constantini aut Licinij imperio cedere nolens, edictum ad se missum suppressit: atque epistolam ad præfectos suos misit, qua suo nomine permitti iussit ciuitatibus, ut suo quisque in colenda religione arbitrio uteretur, & ne quis quemquam in suo munere impediret. Verùm, quoniam de templis & conuentibus frequentandis, quod erat in edicto Constantini & Licinij, uerbum nullum fecit, Orientales ea inire non ausi sunt. Cæterùm cùm æquo animo ferre non posset, sibi aliquid à Constantino & Licinio mandatum esse, qui summum inter eos, ut ipse iactabat, locum teneret, spreto fœdere, quod cum Licinio icerat, repentè è Bithynia in Thraciam Illyricumque traiecit. Licinius primò uictus, deinde redintegrato prælio uictor, ipsum è Thracia in Bithyniam repulit, ubi miserè periit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

THEODERICVS Flandrensium comes, coniuge eum comitante, quæ Balduini III. Hierosolymorum regis ex patre soror erat, ad portum Berithensem haud paruo militum numero stipatus appulit, anno, ut habet Flandriæ Chronicon, 1157. Terræ sanctæ principes tantorum hospitum aduentu in spem erecti, mox quisque exercitum cogere cœpit, uocatoque in auxilium Armeniorum principe, Cæsaream Syriæ super Orontem fluuium obsederunt. Cùm autem ciues negotiationibus magis, quàm bellicis rebus exercitati essent, urbe munitissima primo statim impetu potiti sunt. Ciues in arcem confugiunt. Cæterùm orto ex prædæ diuisione inter duces dissidio, arce salua, ipsi diuite prædâ contenti, Antiochiam simul rediêre. Dissidij uerò ea erat occasio: Balduinus rex Theodericum Flandrum eâ urbe, si caperetur, donarat. At cùm Rainaldus Antiochenus suo eundem dominio subesse postularet, Theodericus regibus solùm, non autem principibus se hactenus paruisse asserens, id facere renuit. Tyrius.

AMBITIOSA VINDICTA HONORIS EREPTI, INTERCEPTI. RATIONE HABITA TVM

HONORIS LAESI. PER

VATICINII FRVSTRATIONEM.

IONAS propheta Niniuitis urbis interitum post XL. dies prædixerat. At precibus & ieiuniis illorum motus Dominus, pœnam distulit. Ea Domini benignitas usq; adeo Ionæ displicuit, ut cum Domino ea de re expostularet: metuebat enim ne mendax uates haberetur. Itaque urbe egressus in montem, ut uideret quid urbi accideret, sub umbraculo cõsedit, cùm cucurbita foliis suis umbram ei præberet. Quæ cùm arrosa à uerme exaruisset, & Ionas uehementer indignaretur, tum Dominus: Ergo tu cucurbitæ causa mouearis, quam non creasti, eiusq; interitum ægrè feres, & ego nõ mouear ob Niniuen tantam urbem, in qua sunt plusquam centum uiginti millia hominum, qui dextram à sinistra sua dignoscere non norunt, & tam multa pecora? Ionæ ultimo.

INTERDICTVM EXERCITATIONIS.

Nero Imp. Lucanum poëtam prohibuit, ne carmen, quod scribebat, ederet, ut solus in poëtica excelluisse uideretur. LVCANVS, cùm eam contumeliam immoderatè nimis ferret, cum Pisone coniurauit, atq; ob id à Nerone damnatus est. Nero etiam præter alia desiderio torquebatur, urbem Romanam de nomine suo Neropolim appellandi. Fulgosus libor 8. cap. 15.

TRANSLATIONEM DIGNITATIS, IMPERII.

BENIAMITÆ primi apud Israelitas regẽ habuêre Saulum. Eo autem propter scelera sua reprobato à Domino, unctus est Dauid de tribu Iuda. Inuidia igitur maxima contra Iudæos & Dauidem flagrarunt. Propterea Semeis Geræ F. Dauidem regno pulsum ab Absalamo contumeliis uariis affecit. 2. Regum 16. Restituto deinde in regnum Dauide, SEBA Bochris F. Beniamitæ, seditionis & defectionis decem tribuum auctor fuit. 2. Regum 20.

METIVS Suffetius Albanorum Dictator, indignè ferens imperij summam ad Romanos ob Horatij uictoriã delatam, Fidenates & Veientes clàm ad bellum impulit, se à Rom. facto prælio defecturum pollicitus. Id quod reipsa præstitit. Victor tamen Romanus Albam diruit, Albanos omnes Romam migrare coêgit, Suffetium duabus quadrigis discerpi ob proditionem curauit. Sab. lib. 4. En. 2. ex Liuio.

Adelphonsus Bardulorum in Hispania rex, cognomento uitàque Castus, aduersus Saracenos continenti bello res gerebat, magno quidem conatu, sed ad exitum spes non ueniebat. Si Carolus Magnus in Hispaniam se pio rege accersente Augustus ueniret, ut Ibnabala Saraceno ducente rex uenisset, breuis æui impiorum in Hispania opes fore sperabat: se filiis carere, & quòd orbus sit, senectutem suam minori uenerationi suis, maiori contemtui hostibus esse. Præmium laborum, mercedemq; religionis defensæ, spem propinquã successionis hæreditatisq; Francis proponi posse. Nec tanto præmio abnuit Augustus, Bernardumq; Italiæ regem ex Pipino nepotem Bardulo adoptandum offerebat. Propè res confecta uidebatur, Augustusq; iam saltum Pyrenæũ superarat, cũ BERNARDVS Comes secundæ ab rege inter Bardulos auctoritatis, sceptrum gentis in Franciam ferri adeò molestè indigneq; tulit, uti procerum gentis coniuratione facta, metuq; Adelphõsum perterritum coëgerit appropinquanti iam Franco legatos mittere, qui nunciarent mutata concilia, nec opus esse in præsentia externis auxiliis. Et accedit ad popularium etiam animos concitandos, uti non contemnendus Bardulorum numerus seruitute Saracenorum elapsi, in Francicum exercitum inciderent. Hi siue ab iratis Francis, ac quòd à Bardulis uocati iuberentur re infecta domum redire, indignè ferentibus grauia passi, siue conueniẽs tempori dolus à Bernardo Comite excogitatus est, in suas quisque ciuitates reuersi, atrociora exẽpla à Francis quàm à Saracenis in se edita cùm dicerent, non priùs destiterunt, quàm peruicere, ut Massilius rex, quæq; eo duce impiorum ingẽs manus ex Africa recens transmiserat, percusso in Francos fœdere accerseretur. Hyeme appetẽte redeũtes domum, copias Augusti in descensu Pyrenæi saltus adepti, cùm procul iam primum & secundum agmen cum Augusto uiam præmensum abesset, extremo agmini tantam cladem, priùs quàm recurrẽs Augustus ferre opem laborantib. posset, intulerunt, ut nullus locus clade Francorum nobilior, ac fama celebratior sit. Roncauallis uocitatur. Interemti ad Christinæ sepulti sunt. Aemilius lib. 3.

FELICIANVS eques Pannonius, indignatus, quòd Panoniæ regnum ad exteram gentem, id est, ad Carolum Robertum Caroli Martelli Galli filium peruenisset, Carolum regẽ cum coniuge ac liberis occidere decreuit. Solenni igitur Paschæ die, quo mos erat ut reges liberiq; eorum unà uescerentur, rege, uxoreque Elizabetha, Poloniæ regis filia, uulneratis, cùm Ludouicum & Andream eorum filios petere uellet, ab iis qui adstabant prohibitus & occisus, feri animi ob patriæ charitatem cogitata explere nequiuit. Fulgosus libro 5. capite 6.

Hadrianum VI. Belgam in locum defuncti Leonis X. suffectũ esse Romanus POPVLVS adeò indignanter tulit, ut quum patefacto conclaui Cardinales domum redirẽt, passim maledictis incesserentur, quòd infamibus comitiis non modò urbem Romam suo antistite orbatam prodidissent, sed, quòd insaniæ proximum uideretur, Italiam etiam pontificatus honore spoliassent. Erat enim opinio statim edita in uulgus, pontificem neglecta Roma, ui aut sua sponte permansurũ in Hispania, aut enauigato protinus Oceano Germanos esse petiturum, ut immortale decus gẽtis sacrorum princeps in terra patria conspiceretur. Adaperto conclaui quum globus Cardinalium Hadriani pontem esset prætervectus, & opifices pueriq; minacibus oculis, uoceq; & manibus obstreperent, nec à fœdissimis probris abstinerẽt: Sigismundus Gonzaga Cardinalis renidẽti uultu his egit gratias, quòd aduersus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam iniuriam uindicarent. Iouius in Hadriano 6.

REPVLSAM, VEL

Societatis imperij.

Honorio & Theodosio consulibus, Castinus aduersus Vandalos missus, quum Bonifacium bellica arte præstantem ab expeditionis societate repulisset, collegam præ ingenita insolentia aspernatus, magnorum malorum auctor fuit. Nam BONIFACIVS indignitatẽ rei perquàm ægrè ferens, Hostiam

stiam properè contendit, in Africam traiecit, occupauitque prouinciam. Quam quum sine auxilio, inuito Imperatore Romano, retinere non posset, Gensericum Vandalorum regem in Libyam aduocauit. Hic Valliæ Visigothorum regis bellum reformidans, traiecto Gaditano freto, in Mauritaniam peruenit, Africamq; uniuersam occupauit: ibique aliquandiu cum nepotibus ac posteris, ad Iustiniani usq; tempora imperauit. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

Sacrorum communium.

P. Decio, Q. Fabio Max. Coss. multa prodigia extiterunt. Quorum auerruncandorum causa, supplicationes in biduũ sunt decretæ. Vinum & thus publicè præbitum, à uiris & fœminis passim supplicatum: certamenq; ex ea re inter mulieres ortum. VIRGINIA Auli Sulpitij filia patricij generis, cęterùm plebeio A. Volumnio, qui superiore anno Consul fuerat, matrimonio locata, patriciarum cœtu sacellum Pudicitiæ, quod in foro Boario fuit, ad rotũdam ædem Herculis, adire prohibita, mulier ferox, contumeliæ impatiens, in parte ædium, quas in Longo habuit uico, à prophano usu exclusa, aram Plebeiæ pudicitiæ cõstituit, hortataq; est eiusdẽ ordinis matronas, darent operam, ut ara illa à sanctioribus castioribusq;, quàm patricia, coli crederetur. Ita contigit, ut pudicitia iam inde duobus in urbe locis sit culta. Nulli nisi spectatæ pudicitiæ, & quæ uni nupsisset, fas erat ad patritiã illam aram, aut plebeiam sacrificare. Vulgata deinceps religio, & à pollutis frequentari cœpta, nec matronis solùm, sed omnis ordinis mulieribus. Postremò ritus non modò non integer mansit, sed in obliuionem etiam uenit. Sabellicus lib. 7. Enneadis 4.

Officij honorifici.

Henrico VI. regnante, Angli Aurelianenses arcta obsidione premebant, sic ut deditionem facere cogerentur. Re deliberata, non Anglo, sed PHILIPPO Burgundionum duci se dedere paratos significarunt. Angli respondere, bellum Hẽrici regis nomine geri, & eius imperio subiici oportere. Hoc ipso Burgundionis animus primò offensus est, qui arbitrans Anglos suæ gloriæ inuidere, iam tum de iis malam animo opinionem cõcepit: deinde Angli obsidionem Aurelianẽsem relinquere coacti sunt, cùm diuinitùs Ioãna puella Lotharinga Gallorum exercitum confirmarit, & Aurelianenses commeatu introducto refecerit. Polyd. lib. 13.

Προεδρίας.

M. Antonini filia LVCILLA, Vero Imperatori nupsit. At illo mortuo Põpeiani nuptias sequuta, imperatoriis insignib. & imperatoria nihilominùs sede utebatur: atq; iter faciens, ignẽ unicũ honoris signũ, Augustis tantùm atq; eorum uxoribus seruatum, præmittebat. Cùm autem Commodus imperator eius frater, Crispinæ, quam uxorem duxerat, primum honorem, ut par erat, dedisset: Lucilla, superba nimis mulier, adeò id grauiter tulit, ut aduersus Commodi fratris uitam, inscio uiro Pompeiano, conspiraret. Propter quam rem Commodus eam cum multis aliis interfici iussit. Fulgosus lib. 9. cap. 5.

CONTEMTVM. VEL

Consilij.

Cùm inueterato more legati essent ad nouum Pontificem Alexandrum VI. mittendi, qui eum adorarent, eiq; se obtemperaturos promitterẽt: LVDOVICI Sforciæ Mediolanensis ducis consilium fuit, ut omnes sociorum legati uno eodemq; die Romam simul ingrederentur, simul in publico conuentu se coram pontifice sisterent, utq; oratorum unus omnium nomine uerba faceret: quòd eo facto maxima cũ existimationis omnium accessione, uniuersæ Italiæ ostenderetur, esse inter ipsos non modò beneuolentiam & fœdus, sed tantam potiùs necessitudinem, ut unus duntaxat princeps, unumq; corpus uiderentur. Ludouici consilium facilè Ferdinandi Aragonij Neapolitani regis leuitas comprobauit: comprobarunt amborum auctoritate inducti, nec Petro Medice in publicis consiliis contradicente, Florentini, quãuis id priuatim molestissimè idẽ ferret Petrus: qui cùm Reipublicæ Florentinorum orator esset designatus, decreuissetque suam legationem superbo admodum & regio ferè apparatu illustrem reddere, animaduertebat si Romam unà cum aliis sociorum oratoribus intraret, suæ pompæ splendorem in tanta multitudine in oculis hominum incurrere non posse: quæ uanitas iuuenilis, ambitiosis hortationibus GENTILIS episcopi Aretini, qui unus fuit oratorum, corroborabatur. Nam cùm ad eum, orandi Florentinorum nomine prouincia esset delata, sibi ostentandæ eloquentiæ occasionem eripi dolebat. Idcirco Petrus à Ferdinando petiit, suaderet, ut singuli per se, superiora exempla secuti, suã legationẽ obirent. Qua in re cùm rex ei ita gratificari cuperet, magis ei re satisfecit, quàm gratificandi modo: neque enim Ludouicum celauit, se haud alia de causa ab eo, quod primùm cõprobauerat, discedere, quàm quòd à Petro Medice ad id esset stimulatus. Eam inconstantiam cùm Ludouicus ægerrimè ferret, quòd hac ratione prudentiam suam, qua tamen mirificè superbiebat, in dubium reuocari putaret, odio æstuans, toti Italiæ sibiq; ipsi exitiale bellum, euocato Carolo VIII. Galliæ rege, concitauit. Guicciardinus lib. 1.

Mandati.

L. SYLLA Dictator, cùm Lucretius Osella, qui Marium iuniorem Præneste expugnauerat, consulatum peteret & ambiret: uetuit ei primùm. Vbi ille multorũ gratia subnixus descendit in forum, misit unum ex centurionibus, quibus septus erat, ad eum interficiendum: ac sedens pro tribunali in Castoris, spectauit ipse ex edito cædem. Centurionem arripuerunt ciues statueruntq; ad tribunal eius. Quibus silere tumultuantibus iussit, & se id ait mandasse, ac centurionem imperauit dimitti. Plutarchus in Sylla.

Cùm in actis Senatus legisset TIBERIVS Cæsar, dimissos, ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus strictim, & nihil aliud quàm nominatos ab indice scripserat: pro contemto se habitum fremẽs, repetere Capreas quoquo modo destinauit, non temerè quicquam, nisi ex tuto ausurus. Sed & tempestatibus & ingrauescente ui morbi retentus, paulo pòst obiit. Suetonius.

Aetatis.

CAIVS Caligula, præter alia multa dicta & facta minimè grata illud ægertimè ferebat, quòd populus per speciem honoris acclamabat, Adolescens Auguste. Nec enim se felicem prædicari credebat, quòd adolescens imperaret, sed accusari quòd tantilla ætate tãtum imperium obtineret. Zonaras.

Cùm detecta esset Lepidi & Getulici coniuratio, missus Claudius (qui Caio successit) in Germaniam inter legatos ad gratulandum, etiam uitæ periculum adiit. Indignãte ac fremente CAIO, patruum potissimùm ad se missum, quasi ad puerum regendum: adeò ut non defuerint, qui traderent, præcipitatum quoque in flumen, sicut uestitus aduenerat. Atq; ex eo nunquam non in Senatu nouissimus cõsularium sententiam dixit, ignominiæ causa post omnes interrogatus. Suet.

Habitus, Vestitus.

Maximus in Hispania Imperator militari fauore creatus, in Galliam transiit. Ad hunc motum opprimendum Gratianus ex urbe occursurus, quum exercitum in Galliam ductaret, prę ferretq; Alanorum manum (quã ad se auro pellexerat) VETERANI tam acerbam ex ea re contraxére offensam, uẽ non multo pòst Imp. destituerint, & ad Maximum defecerint. Gratianus subita militum defectione consternatus, quum in Italiam transire conaretur, dolis circumuentus, Lugduni interficitur, quum iam triginta esset annorum. Sabellicus lib. 9. Ennead. 7.

Dignitatis.

Inimicitiæ inter Vraiam ducem & ILDOBALDVM Gothorum regem post captum à Belisario Vitigem temerè concitatæ, rem Gothorum exurgentem afflixerunt. Vxor Vraiæ balneum ingressa, uxorem Ildobaldi non tãquam reginam coluerat, quòd se ipsa minùs culta & ornata erat. Itaque Ildobaldus ab uxore solicitatus Vraiam de maiestate coarguit, ac comprehendi iussum ultimo supplicio affecit. atq; ex ea re in odium Gothorum incurrit, indignantium, quòd Vraias nimis leui de caussa esset extinctus. Accessit inde, quòd Ildobaldus Vraiæ uxorem Gotho cuidam coniugio copulauit, ac Bessam, qui illam ambiuerat, militiæ prætextu ablegatum, grauiter offendit. Itaq; Bessas, quòd mulierem deperiret, in sui factum contumeliam ratus, iracundia ac dolore eò processit, ut, gratum se facturum Gothis existimãs, Ildobaldum inter epulas adortus necarit, ita ut caput in mensam prosiliens cibos inquinarit. Sigon. lib. 18. Imp. occid. ex Procopio. Io. Magnus lib. 12. Bessam appellat Buellã.

TITVLVM MINVS HONORIFICVM.

Iulius II. Pont. POMPEIO Columnæ (qui unà cũ Petro Margano contra pontificem coniurarat) tametsi eum nequaquam armis sequendum iudicabat, ei tamen gestandi uiridis pilei honorem, atq; item sacerdotia ademit, promulgatis in eum iudicialibus libellis. Verùm M. Antonius Columna Pompeij patruus, cùm insigni gratia supra affinitatem eximiis bello & pace uirtutibus parta apud Iulium floreret, lenito Iulio, Pompeium fratresque eius omni metu facilè liberauit: nullis tamen precibus potuit impetrare, ut ei sacri pilei dignitas redderetur. Ignoscebat ei pacato animo, iniuriamq; remittebat, ita ut etiam maturè per breuem epistolam gratiam & reditum polliceretur. Sed epistolam reiecit Pompeius, generoso atq; indomito prorsus ingenio: quòd pontifex episcopi Rheatini titulum in præscriptione non posuisset: adeò ut præconi, qui eam attulerat, uultu in amarum renidenti & subirato diceret: Alibi eum Pompeium, ad quem Pontifex scriberet, esse requirendum: ipsum certè esse episco-

episcopum Rheatinum, ad quem minimè ea epistola scriberetur. Sed eam rem ad excitandum risum M. Antonius detulit, festiueq; pertulit, ut in literis Episcopi nomen uideretur. Iouius in Pompeio.

REPREHENSIONEM.

Cùm aliquando præ foribus regis Cambysis considerent ORETES Sardibus præfectus, & alter quidam Perses, nomine Mitrobates, præfectus gentis, quæ est in Dascylio, è uerbis adiurgia peruenerunt. Et cùm de uirtute disceptaretur, Mitrobates obiiciens Oroeti, inquit: Túne in precio uirorum es, qui insulam Samum tuæ prouinciæ adiacentem regi non acquiris: ita facilem captu, ut Polycrates quidam è popularibus quindecim armatis fretus occuparit, eiusque tyrannide potiatur? Hoc iurgium audienti Oroetæ adeò doluisse aiunt, ut Polycratem, propter quem malè audisset, dolo circumuentum ceperit, crucique suffixerit. Herodotus libro tertio.

NERO Cæsar nihil æquè doluit, quàm ut citharœdum malũ se increpitum, ac pro Nerone Aenobarbum appellatum: & nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumturum se professus est, deposito adoptiuo. Cætera conuitia ut falsa non alio argumento refellebat, quàm quòd etiam insciti tantopere elaboratæ perfectæq; à se artis obiiceretur: singulos subinde rogitans, nossent ne quenquam præstantiorem. Suetonius.

Apollodorus architectus admirandus, cùm ad eum ADRIANVS Imp. qui in omnibus artibus excellere uolebat, inspiciendam misisset magni operis formulam, quam ipse designarat, efficacibus rationibus ostendit, quibusdam in locis corrigendam esse: idque tam indignè tulit Adrianus, ut cũ interficiendum curarit. Dion, Suidas.

VENCESLAVS V. sedecim annorum adolescens mortuo patri successerat. Rector uitæ eius à parente Dobessius à Bechina inter præcipuos additus, ut uidit Regem insignia mœroris ante tempus exuisse (cùm optimates etiam tum atrati incederent) improbare cepit tam intempestiuam uestis mutationem, rursusque eum ad luctuosum habitum inuitauit. Ad hæc nihil iuuenis seni respondit, ne palàm censuram illius contemnisse uideretur, sed protinus ab oculis eius, ad arcem quandam remotiorem, cum nouis illis induuiis profectus, ibi lætos cum æqualibus, & à seuerioribus arbitris liberos dies per conuiuia & compotationes, quibus in Hungaria (dum illic regnaret) assueuerat, consumsit. Non deerant rei compotores, qui captato temulentiæ tempore, alius aliud quod placebat, à Rege parum sobrio impetrarent: quidam etiam agros & pagos. Dubrauius lib. 19.

OFFICIVM INEPTVM.

HVGO Italiæ rex, à Marocia Romam ad thori societatem & urbis imperium euocatus, relicto de more extra Vrbem exercitu, benignè à Romanis accipitur, atque ad mulierem in arcem profectus, nuptiis contractis, urbe Roma, nemine aduersante, potitur: felix nimis futurus, si quæ ipsum semel complexa fortuna erat, non statim deseruisset, atq; leuissima de causa Vrbe eadẽ, quã ceperat, expulisset. Erat Matoriæ F. Albericus, ex Alberto Rom. Marchione progenitus. Hunc cùm matris hortatu aquam ad abluendas manus Hugoni regi præberet, Hugo correctionis causa (neque enim fcitè admodum officio fungebatur) in faciem cæcidit. Tantæ dentis animi iuuenis uisci contumeliam cupiens, Romanos protinus adiit, & se haud quaquam satis mirari eorum dementiam ne, an ignauiam, dixit, quòd qui omnibus olim bellicosissimis superbè gentibus imperassent, nunc Hugoni, homini Burgundioni, non armis atque uirtute, sed incestis nuptiis Romanorum imperium consequuto. tam humiliter obedirent: pro certo ipsos habere debere, si se priuignum suum nouus hospes in faciem immeritò percussisset, multò in ipsos insolentiùs, multoque superbiùs consulturum, ubi in regno inueterasset. Quibus dictis adeò animos omnium perpulit, ut uno consensu Hugone rege repudiato illum se sibi asciscere consulem dixerint. Ita nulla interposita mora armati ad arcem procedunt, eamque, antequam Hugo milites introuocare suos posset, expugnant. Quo cognito Hugo de salute iam potius quàm de regno solicitus, properè ex ea parte arcis, quæ muris Vrbis adhæret, se deiecit, atque ad suos confugit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

VINDICTAE, FACTAE per PRODITIONEM, DEFECTIONEM.

Vide paulo antè, Translatione Imperii.

IOANNES Isaacij Sebastocratoris F. ad Persas defecit, nõn ferens sibi à Ioanne Comneno Imp. patruo in equi Arabicius. su Italum equitem præpositum: & Christiana religione abiurata, Iconiensis Persæ filiam uxorem duxit.

LIBRI QVINTI TITVLORVM DISPOSITIO.



Voluminis Vndecimi Liber V.

DE PVSILLANIMITATE circa HONORES.

RARVM est hoc uitium, atq; etiam rarissimũ. Gloriæ stimuli à natura sunt insiti: & quò quisq; excellẽtiore est ingenio, eò longius à μικροψυχίᾳ recedit, in excessu potiùs quam in defectu peccans. μικρόψυχοι igitur erunt, qui secundùm ἀξίαν honores se dignos respuunt: secundùm φυλαπὴν, famæ seruandæ paruã curam habent. Vtrobiq; tamen excipio Christianam Humilitatem, quæ non modò non μικροψυχίᾳ, sed uerissima μεγαλοψυχία censeri debet: cùm spretis caducis istis & fluxis gloriolæ humanæ illecebris, ad ueros & sempiternos aspiret honores, Christi no bis sanguine partos. Spernit paruos & mortales, ut maximos & æternos beatæ uitæ thesauros adipiscatur (quam μεγαλοψυχίας speciem suo loco fecimus) peccatorum conscientia etiã humanis honoribus sese indignam profitetur, extra Christi crucem nihil habẽs, in quo glorietur. Et hæc quidẽ Pusillanimitas Christiana omni uitio caret, Veritatis studio indignitatem suam extollens, Iustitiæ religiosæ stimulo sub potenti manu Domini semetipsam humilians. Ethica uerò, eademq; Ethica, lucis diuinæ expers, quam nobis Aristoteles descripsit, uitiosa est, & maiore digna uituperio quàm Ambitio ipsa: ut quæ Virtutis omnigenæ stimulos hebetet, & ingeniorũ feruorem tabifico acediæ ueneno extinguat. Vt autem Virtutes omnes inter se admirabili nexu coniunctæ sunt, ita quoq; Vitia. Proinde Populares nimia ad hunc etiam uidetur ordinem redigi posse, quatenus illi, gratiam captãti popularem, μικροψυχίᾳ uel uera uel simulata inseruit. Ad hunc eundẽ quoq; Humilitas nimia, eorum qui mendaces ferunt obtrectationes: illic ratio habetur Mendacij, hîc mendacium comitantis Pusillanimitatis. Huc deniq; spectat Tolerantia nimia infamiæ & dedecoris cuiuscunq;, quatenus Diffidentiæ Pusillanimitas iungitur. Sed & eorum exempla, qui nimium non tolerant Seruitutẽ, Prælia aduersa, & similia, quæ diffidentes facere possunt, Diffidentiæ respectu ad uitiũ in Tolerãdo, at respectu abiectionis honoris indecoræ, ad hãc classem referri merentur. Ipsa deniq; Ambitio in captandis honoribus minimis & puerilibus, si subiectum honorem spectes, μικροψυχίᾳ non immeritò censeri potest. At si gloriæ nimium studium, etiã in minimis amplectendis, ad uitium in excessu & referri debet, & à nobis superiore loco relata fuit.

PVSILLANIMITAS, ANIMI DEIECTIO IN HONORE VEL

ACQVIRENDO, ACCEPTANDO.

QVO, QVALI. PVTA *Episcopatum.*

Cùm EVAGRIVS presbyter ad episcopatum obeundum aliquando à Theophilo Alexandrino impelleretur, per fugam elapsus est: quod & ante eum AMMONIVS fecerat. Cui cùm Euagrius obiecisset, reum scilicet esse corã Deo, quòd ut ne episcopus crearetur, aurem sibi amputasset: respondisse ei Ammonius fertur: An non putas pœnas te daturum, Euagri,

ri, quòd linguam tu tibi propter φιλαυτίαν, collato tibi a Deo docendi dono non utens, abscideris? Socrates lib. 3. cap. 23. Sozomenus lib. 6. cap. 30.

Præfecturam.

Victo & fugato in acie Pharsalica Pompeio, cui Cicero valetudinis causa nõ interfuit: Cato, qui magnas copias & classem habebat Dyrrachij, contendit, ut exercitui CICERO cum imperio præesset. Ita conueniens legibus esse, quòd dignitate consulari præcelleret. Cicero quia repudiaret imperium, planeque detrectaret eorum arma sequi, penè fuit interremtus, Pompeio adolescente eiusq; amicis proditorem cum uocantibus & gladios distringentibus: ni obstitisset Cato, qui ægrè eripuit eum, & castris eduxit. Plut. in Cicerone.

Comitatum honorificum.

DOMITIANVS Cæsar oblatum à Senatu nouum & inex cogitatum honorem, quanquam omnium talium appetentissimus, metu insidiarum, recusauit: quo decretũ erat, ut quoties gereret consulatum, equites Rom. quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum, interlictores apparitoresq;. Suetonius.

☞ PROPTER QVID. OB

Fortitudinem.

Obsidente Derthonam Mediolanensib. amicam Friderico I. Imp. STRATOR quidam, ut reliquos ad simile petendum decus accenderet, gladio, clypeo & parua securi sumta, aggeremcum, qui Rubeæ turri altissimæ prȩiacebat, conscendit, ac vna, qua pedem figeret, securi facta in montem euasit, atque ad semirutam turrim processit, nullis lapidum telorumque ictibus territus, ibiq; uiriliter pugnando militem etiam armatum ad terram deiecit, atq; inter tot pericula inuiolatus reuertit ad suos. Cuius facti admiratione Fridericus affectus, hominẽ ad se uocari, ac militari cingulo donatũ equitẽ esse iussit. Verùm ille se plebeium esse, atq; in eo ordine manere malle respondit. quamobrem liberaliter donatus ad contubernium suum est remissus. Sigon. lib. 12. regn. Ital.

Fidem.

PHERES, rex Thessaliæ, pro Admeto filio mori recusans, eodem obsciente sibi, quòd inglorius moriturus esset, respondit apud Eurip. in Alcestide:

Κακῶς ἀκοῦσαι, ἢ μέλει ϑανόντι μοι.
Malè audire, non curæ est mortuo mihi.

☞ CONSERVANDO.

☞ QVEM, QVALEM honorem. Puta

Magistratum.

Quidam tradiderunt PITTACVM ubi se abdicasset imperio, dixisse, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. id est, Difficile bonum esse. At Solonem, Pittaci mollitiem atque ignauiam taxantem, dixisse, χαλεπὰ τὰ καλά. id est, Difficilia quæ honesta: utritúsque dictum in prouerbium abiisse.

Existimationem Reipublicæ.

Cleomene rege Laconum, qui Isagoram Athenas reduxerat, electo, Athenienses reuocatis cum Clisthene septingentis militum familiis, quos Cleomenes exegerat, Sardis miserũt LEGATOS ad contrahendam cum Persis societatem, ueriti potentiam Lacedæmoniorum. Vt Sardis uenêre nuncij, mandataq; exposuêre, percontatus est eos Artaphernes Hystaspis filius, Sardium prætor, Quinam homines essent Athenienses: & ubi terrarum incolentes, qui socij Persarum fieri orarent. Vbi id ex nunciis audiuit, ita eis ingenuè respõdit: Si regi Dario terram darent, & aquam, se cõtracturum cum eis societatem: sin minus, illos abscedere præcepit. Nunciinter se colloquuti, quòd societatem facere cuperent, dauros se esse dixerunt. Quo nomine ubi reuersi sunt domum, uchementer accusati sunt. Herod. lib. 5.

☞ QVOMODO. VIDELICET

Ferendo obiurgationem.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex Cotterij medici obiurgationes, quas uix mediastinus ab impotente domino ferret, tam stupida tulit patientia, ut qui erga omnes tyrannum se gerebat, medici mancipium esset: cuius arte se immortalem fore stultissimus homo sperabat. Phil. Comineus.

Humiliando.

PERSEVS, Macedonię rex, à L. Paulo Aemilio captus, tam humilem se gessit & contemtum, ut instar serui ad pedes uictoris sese abiecerit, hocq; ipso Aemilij uictoriam per se splendidam, ignauiæ suæ ostentatione offuscarit. Plut. in Aemil.

Quum LADISLAO Hungariæ & Boemiæ regi Magdalena Caroli VII. Galliæ regis F. desponsata esset, & ea iam perlegatos foret abducenda, de nuptiarum loco est oborta contentio. Hungari Budæ, Australes Viennæ, Boemi Pragæ nuptias celebrari censebant oportere. Cùm rex animi dubius hæreret, Georgius Pogiebrachius, Boemiæ gubernator, octingentis equitibus in Austriam ad Danubium usq; uenit, magna se habere dicens, quæ regi communicaret. Traicere Danubium, ac urbem intrare iussus, recusauit, Se Viennenses semper suspectos habuisse. Rogatus per internuncios, arcana quæ haberet, regi nũciaret, pertinaciùs abnuit ac affirmauit, Nemini se illa, præterquàm regi tantùm, esse creditum. Rex tandem uictus, in tanta pertinacia præter dignitatem maiestatis suæ, cum togato feretrium millium equitum exercitu, potiùs quàm sagato, Danubium ad gubernatorem traiecit. Inter bina castra in ulteriori Danubij ripa tabernaculum ad singulare colloquium paratur. Dies quatuor colloquium habitum. Tandem ità discessum, ut gubernator iratus & minabundus in Moraviam recederet. Rex ea nocte Viennam se recepit: eumque mox pœnitentia non parua subiit; gubernatorem, in cuius manu Boemiæ regni summa foret, indignabundum dimisisse. Quoslam et optimatibus repentè dimisit, qui aut hominem reconciliatum reducerent, aut si non possent, omnia regem postulata facturum pollicerentur. Quum in Moraia Georgium consequuti ab itinere reuocare non possent, regis transitum in Boemiam promisere, celebrationem quoque nuptiarum Pragæ futuram nunciarunt. Vnde non parua propinquitas Ladislao, Pragæ subitò mortuo, ueneni suspicione, Georgius laborauit. Bonfinius lib. 2. Dec. 3.

Fugiendo.

CN. Pompeius clade Pharsalica accepta, Magnum se non esse amplius recordans, attonito similis, è castris absque comitatu se lento gradu ad mare contulit, pristini decoris & magnanimitatis penitus oblitus. Plutarchus.

VOLVMINIS VNDECIMI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Duodecimum

DE
MODERATIONE & IMMODERATIONE circa IRAM & VINDICTAM

QVATVOR LIBRIS differens.

Humanæ Victoriæ monimenta

Duodecimo Volumine THEATRI

Quatuor LIBRIS penſiculatè delineata

QVORVM SANE

I. *De* CLEMENTIA, *Lenitate,* &*Manſuetudine, Placabilitate agit.*

II. *De* SEVERITATE *&* VINDICTA *moderata.*

III. *De* SAEVITIA *&* CRVDELITATE, *in Vindicta exceſſu.*

IV. *De* INDVLGENTIA, *in Vindictæ defectu tractat.*

NICOLAO RIEDIGERO
VRATISLAVIENSI patritio nobiliſs.

ut nominis ſic uirtutis paternæ illuſtratori

THEODORVS ZVINGERVS

IN
priſtinæ liberalitatis
MEM.

grato animo
D D

TOMI DVODECIMI LIBRORVM DISPOSITIO.

OMNIA uniuerſum Lite & Amicitia contineri Empedocles cenſuit: ſic Hominis, natũra ſua ὁμιλητικὸν ζῶον, tanquam microcoſmi, uitam totam Amicitia & Inimicitia diſtinguit. Ὁμιλίας huius certus eſt modus, certaque ratio: quam in genere uirtutem ὁμιλητικὴν appellare poſſumus, mediocritatis in uoluptate λυπηρᾷ per ὁμιλίαν complectenda ſtudioſam. Hanc in quatuor partes princeps Peripateticorum diduxit. Vna μετ' ὀργῆς ἣν ᾗδ μὴ συζῇν: altera αὖθ' ὀργῆς, ᾗν ᾗδ συζῇν, καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν, quã κατ' ἐξοχὴν Virtutem ὁμιλίας nuncupauit, eamq; reſpectu rerum, Φιλαλήθειαν, reſpectu perſonarum quarumcunque in uita quidem feria Φιλανθρωπίαν, in ludicra uerò Εὐτραπελίαν conſtituit. De priore nunc agimus, non φυσικῇ illa, quæ naturali tantùm fræno in primis iræ motibus utitur, ſed ἠθικῇ, quæ rectæ rationis ductu ſecundos motus coercet. Huius ſubiectum Ira eſt, πάθος ἀνθρωπικώτατον, καὶ φύσει ἐγκεχωσμένον, & proinde moderatu difficillima, ex quocunque genere iniuriæ, animo, corpori, fortunis incommodantis, à quocunque, quomodocunq;, ὄντως ἢ φαινομένως illatæ inferendæue, orta ſit. ἧττον γὰρ λυπεῖσθαι μέλιτθ' καταλαβόμενοι, longè maiorem ex uindicta uoluptatem, quàm ex indignitate dolorem percipiens. Moderationis duplex ratio. Altera in refrænanda ira, & ea quæ ſequitur iram uindicta, quam πραότητα, Clementiam, Lenitatem, Manſuetudinem appellare poſſumus: perfectiſſimam, ſi ſolo honeſtatis ſtudio id agat: minùs perfectam & quodammodo ueteratoriam, ſi ex clementia gloriam lucrúmue captet. Altera in perſequenda ira & uindicta, quam Seueritatem uocant, hoc ſolo à Iuſtitia differentem, quòd non inæqualitatem corrigere, ſed offenſam ulciſci ſtudet. Vitium in exceſſu, ὀργιλότης, Sæuitia in genere dicta, in ſpecie ἀκροχόλους, πικρὰς, χαλεπὰς, Difficiles, Acerbos, Crudeles, Feros, Immanes comprehendit, in iraſcendo ſimul & ulciſcẽdo honeſtatis metam excedentes, ob quodcunq; iniuriæ genus. In defectu uerò ἀοργησία, Indulgentia nuncupetur: quò magis naturæ animalis contraria, eò rarior, ſtipiti, quàm homini conuenientior.



LIBRI PRIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Formam. *Vide signum* I.
- Materiæ, h. e. respectu Eius erga quē exercetur, cōsiderati tum
  - Per se. CLEMENTIA respectu Personarum, erga quas exercetur. Nempe erga
    - Animata:
      - Homines, ratione
        - Societatis
          - Politicæ. Vt erga
            - Collegas *in magistratu.*
            - Milites.
            - Hospites *morosos, impudentes,*
            - Mortuos.
            - Hostium Vxores, Liberos, Amicos, Exploratores, Nuncios,
          - Oeconomicæ. Erga
            - Liberos.
            - Parentes. Fratres.
            - Coniuges. Dominos.
            - Seruos.
        - Inimicitiæ. Erga
          - Hostes
            - Viuos.
            - Mortuos.
          - Hostium Vxores, Liberos, Amicos.
      - Bruta.
    - Inanimata.
  - Respectu. *Iniuriæ, quæ infertur, illata est, uel inferetur. Vide in seq. signum* II.
- Efficiētem, *hoc est, Eius qui clementiam exercet.* CLEMENTIA, *Lenitas, respectu Efficientis:*
  - Quis & Qualis, respectu
    - Dignitatis. Vt *Clementes*
      - Pontifices.
      - Reges, *Principes.*
    - Societatis
      - Politicæ.
      - Oeconomicæ. In
        - Genere.
        - Specie: ut
          - Coniuges.
          - Domini.
    - Muneris, *officij. Clementes*
      - Iudices.
      - Duces *bellici.*
  - Quo cōsilio, Qua occasione adducatur, respectu sui licet
    - Suiipsius, *causa suæ*
      - Liberalitatis *ostendendæ*
      - Religionis *testandæ.*
      - Amoris *declarandi.*
    - Alterius, *ob illius*
      - Fortitudinem. Vindictam *iustam.*
      - Humilitatem. Veritatem, Integritatem.
      - Pietatem. Fidem.
      - Calamitatem, *Miseriam.* Nobilitatem.
      - Parentes. Conditores.
- Finem, CLEMENTIA respectu FINIS considerata. *Sic exercetur causa*
  - Boni *consequendi. Vtputa*
    - Imperij, *Reipublicæ.*
    - Gloriæ & Honoris.
    - Inimicorum
      - Conciliandorum.
      - Terrendorum.
  - Mali *imminentis effugiendi. Vtputa*
    - Deorum *iræ.*
    - Dedecoris, *Reprehensionis.*
    - Periculi.
    - Inimicitiæ.

IRAE *moderatio, in Seuitia fugienda Clementiæ siue Lenitatis nomine donata, considerari potest tum secūdum suos*

- Accidentia. CLEMENTIAE
  - Vsus. *Sic inseruit*
    - Prudentiæ.
    - Tolerantiæ.
    - Studio *honoris, Magnanimitati.*
    - Iustitiæ.
  - Fructus:
    - A Deo
      - Commendatio.
      - Victoria.
    - Ab *Hominibus*
      - Amor, *Amicitia.*
      - Securitas.
      - Regnum.
      - Laus, Præconium, *Commendatio.*

- Ἀόϛια. CLEMENTIAE *acquisitio. Huc* **Lenitatis**
  - Magistratus
    - Qui. Nempe
      - Sacri *homines.*
      - Reges, *Principes.*
      - Duces *bellici.*
      - Philosophi. Oratores.
      - Patres. Filij.
      - Fratres. Mulieres.
    - Quomodo. Nempe:
      - Oratione *ad Deum.*
      - Legibus. Edicto. Musica.
      - Præcepto, *Consilio, Adhortatione.*
      - Dehortatione, *Obtestatione.*
      - Precibus, *Lacrymis.*
      - Reprehensione, Verberibus.
      - Præmio *dato uel denegato.*
      - Exemplo.
      - Occasionis *præcisione.*
  - Discipuli:
    - A quib. *didicerint. A*
      - Spectris.
      - Hostibus.
      - Brutis.
      - Inanimatis.
    - Quomodo: *uel*
      - Religione. Philosophia.
      - Consilio, *persuasione.*
      - Fortunæ *inconstantia.*
      - Metu. Libera *confessione.*
      - Morositate.
      - Magistratus *susceptione.*
      - Insignibus, *Notis.*
      - Occasionis, *Litium defectu.*
- Κτῆσιν *uersantem in*
  - Præcauenda. *Occasiones iræ præuertere*
    - Sibi.
    - Aliis.
  - Pœnitentiam.
  - Commiserationem.
  - Ira
    - Emendāda, *uel Leuienda per*
      - Recōciliationē, *uel*
        - Sibi. *Reconciliati aliis.*
        - Aliis. *Reconciliatores, Pacis suasores, auctores aliis, ratione habita*
          - Per sonarū:
            - Qui. *Puta*
              - Sacri *homines.*
              - Principes.
              - Victores.
              - Arbitri *delecti.*
              - Mulieres.
              - Vxores.
              - Matres.
              - Medici.
            - Quos:
              - Religionis *ergō dissidentes.*
              - Principes & *Subditos.*
              - Collegas.
              - Populares.
              - Fratres.
          - Modi, *Quomodo. Vtputa*
            - Religione.
            - Eloquentia; *Ratione.*
            - Conuiuiis.
      - Abolitionem *monumentorum.*
    - Lenitatis *memoria.*

I. *Formæ habetur ratio secundum has suas differe*

- ΦυλακὴΝ. CLEMENTIAE *conseruatio, spectatur par tim in*
  - Ira
    - Emendāda, *uel Leuienda per*
      - Recōciliationē, *uel*
        - Sibi. *Reconciliati aliis.*
        - Aliis. *Reconciliatores, Pacis suasores, auctores aliis, ratione habita*
          - Per sonarū:
            - Qui. *Puta*
              - Sacri *homines.*
              - Principes.
              - Victores.
              - Arbitri *delecti.*
              - Mulieres.
              - Vxores.
              - Matres.
              - Medici.
            - Quos:
              - Religionis *ergō dissidentes.*
              - Principes & *Subditos.*
              - Collegas.
              - Populares.
              - Fratres.
          - Modi, *Quomodo. Vtputa*
            - Religione.
            - Eloquentia; *Ratione.*
            - Conuiuiis.
      - Abolitionem *monumentorum.*
    - Lenitatis *memoria.*
- Χρῆσιν, *siue Possessionem & Exercitationē.* CLEMENTIAE *exercitatio consideratur quoad*
  - Seipsos, *quatenus quoad motum*
    - Internum, *Non irascuntur.*
    - Externum
      - Non *ulciscuntur.*
      - Vlciscuntur
        - Inuiti.
        - Placidè.
      - Benefaciunt *insuper, pro Malo bonum rependunt.*
  - Alios, *siue*
    - Cum *certamine. Certat cum aliena*
      - Clementia, *æmulando, par pari referendo.*
      - Crudelitate, *Placando.*
    - Absque *certamine, quatenus alienā iram, feritatem*
      - Indignè *ferunt.*
      - Reprehendunt.

- II. Iræ & uindictæ moderatio uaria, pro Iniuriæ illatæ inferendæue diuersitate: siue Iniuria illa cōsideretur respectu
  - Patientis, cui infertur, eumq; lædit. CLEMENTIA respectu Iniuriæ considerate Paßiuè, h. est, per quam quis læditur secundùm
    - Animum, per
      - Hæresin, Superstitionem.
      - Improbitatem.
    - Corpus. Tum
      - Vitæ insidiando, incommodando
        - Nostræ.
        - Nostrorum amicorum, parentum, liberorum, fratrum.
      - Vulneribus, Verberibus afficiendo. Tormentis subijciendo.
    - Fortunas. Sic læditur quis ab eo qui
      - Opes illi aufert, perdit, exhæredat.
      - Imperium affectat.
      - Dignitatem, magistratum eripit, impedit.
      - Obtrectat, Detrahit, Obloquitur, Calumniatur.
      - Factis turpibus ignominiam infert.
      - Libertatem eripit. In carceres & exilium mittit.
  - Agentis, qui infert & lædit alium. CLEMENTIA respectu Iniuriæ consideratæ Actiuè, hoc est, quatenus infertur ab agente per
    - Falsam doctrinam, Hæresin, Idololatriam. Clementia erga infideles, hæreticos, apostatas.
    - Audaciam. Timiditatem, Ignauiam.
    - Libidinem: erga pellices, Adulteros, Adulteras, Procos.
    - Impudentiam. Accusationem.
    - Delationem, Testimonium.
    - Proditionem, Defectionem, Desertionem.
    - Furtum, Sacrilegium, Latrocinium.
    - Ingratitudinem.
    - Perfidiam hostilem.

Voluminis Duodecimi Liber I.

De Clementia & Mansvetvdine erga eos, qui nos nostrósue offenderunt.

CLEMEMTIA ignoscit alienis peccatis, non ulciscitur: Seueritas ulciscitur & punit. Videntur ergo contrarij habitus esse, uti etiam Liberalitas & Magnanimitas κατaφατικη & ἀποφατικη. At quia opponuntur ea, quæ sub eodem genere plurimum inter se distant, species has Moderationis iræ, uti illas Liberalitatis & Magnanimitatis, statuimus. Opponimus autem Moderationi iræ Immoderationem, uitium scilicet uirtuti, cuius moderationis officium est, quando, quibus, quomodo, uti decet, succensere, uindictam exigere, ignoscere.

MODERATIONIS IRÆ ACQVISITIO.

HVC PERTINENT

MAGISTRI.

QVI. QVALES. PVTA

Sacri homines.

TELEMACHVM, sanctum uirum, memoriæ tradunt, quum Romę in Amphitheatro gladiatores spectaret, & illi mutuis se uulneribus conficerent, prosiliisse in harenā amēti similē, & medium inter illos alternis utrumq; cōplectentem exclamasse, Quid facitis fratres? quæ causa est tantæ discordiæ? Vide Tit. Monachorum seculi quinti.

PA-

PASTOR Scythiotici cœnobij abbas, interrogatus super illud Euangelij, Qui irascitur fratri suo sine causa: solam iustæ iræ causam definiuit separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis iniuriis acceptis, qui irascitur, eum sine causa irasci. Igitur cùm offensis lacessimur, meminisse debemus, nos non habere indignationis causam, sed patientiæ. Marulus lib. 3. cap. 6.

Gratianum Imperatorem gentilium quidam conuitiis proscīderat, eumque à patre suo degenerasse dixerat. Capitis ergo damnatus fuit. At AMBROSIVS episcopus Mediolanensis, properè ad Imperatorem contendit, cumque in theatro uenationibus indulgere animaduertens, cùm alia uia non posset, cum uenatoribus theatrum ingreditur: neque inde priùs est egressus, quàm Gratianum & eos, qui cum eo erant de absoluendo homine permouisset. Nicephorus libro 12. cap. 41.

Childericus Francorum rex, quum de magna noxiorum manu supplicium sumere statuisset, accepissetque D. GENOVEPHAM pro his oraturam aduentare, portas arcis cóntinuò claudi imperasse ferunt, quibus aditus inhiberetur. At illa intellecto regis consilio, ad eum nihilominùs contendit. Cui tactæ manu continuò fores patuêre. Ante regem cōstituta, præ rei miraculo cunctorum capitalium impunitatē facilè impetrauit. Bonfinius lib. 5. Dec. I.

STEPHANVS IV. Pp. à Ludouico Pio Imp. impetrauit, ut exulibus omnibus & captiuis, quos sceleris cōuictos in Leonem III. admissi Carolus Magnus multarat, redire ad urbē Romam liceret. Platina.

Reges, Principes.

ARTOXERXES Persarū rex, missis legatis hortatus est Græcos ad deponenda bella, & pacem communiter faciendā. Quam ob causam Laconicum & Bœoticum bellum finem accepit, cum ante plures quàm quinque annos statim à Leuctrica clade initium sumpsisset. Diod. lib. 15.

NVMA rex Rom. Ianū in ima parte Argileti fecit, pacis & belli indicem, ut quum ciuitas in armis esset, pateret id templū, rursus ea pacata clauderetur. Locum hunc ipse clausit, ut per id ciuibus & finitimis futuræ pacis studium indiceret. Cæterùm Hostilius confestim Numa defuncto id aperuit, nec ampliùs quàm bis deinceps est clausum, M. Attilio & T. Manilio cōsulibus, post primum bellum Punicum perfectū: tertiòq;, Augusto principe terra mariq; pace parta. Sabellicus lib. 3. En. 2.

TOTILAS Gothorum rex, capta Roma militum licentiam cohibiturus, inquit: Paucis anteactis annis ducenta Gothorum millia septem millibus uicit Belisarius: ego non totis quatuor millibus uiginti Græcorum millia superaui, & iam urbem Romam, orbis quondā dominā, sub pedibus teneo. Proinde ne superbiamus, Deū timeamus, uictoriam clementer exerceamus, mutationemq; fortunæ, quæ nobis superiore bello totam Italiā, præter Veronam, Ticinum, Taruisiū, ademit, ante oculos habeamus. Procopius.

Duces.

IOSEPHVS Galileæ præfectus, gliscente iam bello Iudaico, omni studio suos à seditionibus cohibuit, seditiosos aliquot, cùm posset occidere, seruauit. Atque id non semel tantùm, sed sæpè. Capta Sephoritarum urbe, qui ad Romanos defecerant, cùm Galilæi milites internecione ciues omnes delere uellent, Iosephus finxit, diuersa parte urbis Romanos irrupisse. Quo nuncio territi, relictis rapinis Iosephū fugæ auctorem secuti, urbem incolumen reliquerunt. Iosephus in sua uita.

AGESILAVS Lacedæmonius sæpè milites monuit, ne captiuos cruciatu aliquo afficerent: quin illa potiùs reputatio subiret animum, eos homines esse. Si qui ex his, cùm castra mouerentur, ob senium aut corporis ægritudinem à militibus relicti essent, parati erant ducis imperio, qui eos exciperent, exceptos humanè & benignè curarēt: ne omni ope destituti, ferarum incursū inediáue conficerentur. Sabellicus libro 6. c. 4. ex Plut.

CHABRIAS Atheniensis militibus dixit: Si pugnam inibimus, ne putemus nos cum hostibus manum conferere, sed cum hominibus sanguine ac carne præditis, & qui naturam eandem communemque nobiscum habeant. Polyænus libro tertio.

LADISLAVS rex Vngariæ, ubi Hunnos, qui ex deuastata Transsyluania & Vngaria magnam pecorum hominumque prædam abduxerant, prælio fusos fugere uidit, Parcite exclamauit, parcite humano sanguini, ô milites: sat cruoris hostilis effusum est: fugiētem capite multitudinem, ut si forsan orthodoxam fidem amplectantur, populum Dei amplificemus. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

Philosophi.

Armeniorum regem Medis rebellantem, Cyrus Persa ceperat, & propria confessione morte dignum iudicarat. At filius Armenij TIGRANES, philosophi cuiusdam institutione & cōuersatione eruditus, philosophicis rationibus Cyro persuasit, præstabilius esse patrem in uita manere, uitaque & regno donatum, uirtute Cyri in perpetuum deuinciri: eo maximè, cùm pœnas omnium maximas iam dedisse uideatur, de sua suorumque salute desperans. Metum enim grauius supplicium esse hominibus quouis alio corporis malo. Et hac sanè philosophia sua & patrem ab exitio præsente, & fratres cum uxore sua à seruitute liberauit. Xenophon libro 3. Pædiæ.

Oratores.

Perhibent, cùm accusaretur Ligarius, quòd hostis Cæsaris fuisset, defendente reum CICERONE, dixisse ad amicos Cęsarem: Quid obstat, quin Ciceronem tanto interuallo audiamus dicentem? quando istum quidem iamdudum constat improbum hominem & hostem nostrum esse. Postea uerò quàm Cicero dicere orsus mirificè eum mouit, uariisque affectibus & mira gratia eius progressa est oratio: colorem identidem Cæsaris faciem uariasse, perspicuumq; fuisse omnibus, eum animi motibus uersatum. Deniq; ubi pugnam Pharsalicam orator attigit, fuisse usqueadeò permotum, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint. Ligariū igitur, eloquentia expugnatus, crimine absoluit. Plut. in Cicerone.

Patres.

VLYSSES non solùm se sustinet excandescētem, sed Telemachum etiam, quem ex uerbis animaduerterat infestum esse & improborū hostem, retundit & componit procul, ut quiesceret & inhiberet se, præcipiens:

> Suggillare domi insistent me: sed patienter
> Fer mala nostra: sed & quamuis de limine nostro
> Raptatus pedibus fuero, iaculisúe petitus,
> Tu tamen hæc spectans oculis tolerare memento.

Plutarchus de Aud. poetis.

MAGNVS Sforcia Franciscum filium grauissimis præceptis monuit, ut neminem suorum aut uulnere, aut duro uerbere puniret: quòd si id casu, aut ira præcipiti accidisset, exēplò lenitum donatumq; digno munere longiùs ablegaret. Iouius in eius uita.

ALFONSVS Aragonius mittens Ferdinandum filium suum magno cum exercitu contra Florentinos, admonuit, ut uictoriam deorum auxilio iam partam non crudelitate & insolentia desœdaret, sed hostes, qui suæ fidei se permitterēt, benignè susciperet: & si qui ex his etiā obstinati animis usque ad extremam expugnationem persisterent, eos posteaquam cepisset, non crudeliter tractaret, suæ potiùs mansuetudinis quàm illorum pertinaciæ memor. Panormita de Rebus gestis Alfonsi.

Filij.

CASSONVS Turrianus, Napi Mediolanensis populi contra Vicecomitum optimatū factionem ducis F. insigni uictoria de hostibus parta, pluribus captis, auctor fuit patri, ut æterno clementiæ pignore sibi patritios conciliaret. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Fratres.

RVBEN & IVDAS, fratres reliquos Iosephum perdere uolentes mitigando, uenditionis auctores fuêre. Gen. 27.

Mulieres.

ITHACA seu Irene, Ptolemæi Physconis concubina, crudelem regis animum contra Iudæos (quos ob expeditionem Oniæ aduersus ipsum pro matre in oppidis comprehensos cum filiis & uxoribus nudos atq; unctos elephantis uino ebriis subiecerat) mitigauit. Iosephus lib. 2. cōtra Appionē.

LIVIA, Augusti uxor, cùm L. Cinnæ, Pompeij nepoti, ob structas Cæsari insidias, proscriptionis formula dictaretur: ingressa uxor Liuia, Fac, inquit, quod medici solent: qui ubi usitata remedia non prosunt, tentant contraria. Seueritate adhuc nihil profecisti, ignosce. Eius consilium secutus Cæsar, Cinnam uerbis castigatum, beneficiisq; cumulatum, amicissimum sibi reddidit, hæredemq; sibi unicum nuncupauit. Suetonius.

QVOMODO. AD CLEMENTIAM TRADVCERE

Oratione ad Deum.

HIVO presbyter, cùm multis miraculis, tum in primis pietatis operibus clarus, dolens quendam cum matre non leui odio dissidere: postquam reconciliare nulla prorsus ratione quiuit, Deo pro illis supplicauit. Exinde nemine iam sollicitante: solo diuino instinctu ita animis resipuêre, ut & hic filium se agnosceret, & illa matrem. Marulus libro tertio, capite sexto.

Legibus.

LYCVRGVS Spartanis præcepit, hostes in fugam uersos ne ulterius sequerentur, dum certa esset uictoria. Neq; enim Græcorum conuenire moribus, eos trucidare, qui cessissent. Idque non solùm honestius, uerumetiam utilius esse dicebat. Siquidem hostes, quibuscum res est, ubi cognorint Lacedæmonios parcere cedentibus, occidere uerò, qui loco nõ cedunt: sibi conducibilius existimabunt fugere, quàm persistere. Plutarchus in Laconicis.

Edicto.

NERVA Imp. cauit edicto, ne quis maiestatis aut Iudaicæ sectæ quenquam accusaret. Nã sub Domitiano, ut tradit Suetonius, præter cæteros Iudaicus fiscus acerbissimè auctus est, ad quem deferebantur, qui uelut professi Iudaicam intra urbem uiuerent uitam, uel dissimulata origine imposita gẽti tributa non pependissent. Cùm per calumnias multi essent damnati, Fronto consul exclamauit, Malum esse eũ imperare, sub quo nemini quippiam concessum sit: sed multo peius sub eo uiuere, sub quo omnia maximè liceant. Eo dicto admonitus Nerua, talia deinceps inhibuit, iureiurando testatus, nullum se deinceps Senatorem necaturum, etiam deprehensum aduersum se in conspirationibus. Quod & præstitit. Cuspinianus.

HADRIANVS Imp. seruos à dominis occidi uetuit: sed si q̃d deliquissent, Prætoris iudicio pœna affici præcepit.

M. ANTONINVS Pius consuluit, Ne dominis plus æquo sæuire liceret, sed loris tantùm seruos cæderent.

THEODOSIVS Magnus Imp. ob crudelitatem in Thessalonicenses exercitam, à D. Ambrosio Mediolanense episcopo à sacra cõmunione exclusus, sed acta pœnitentia receptus, edictũ proposuit, quale Valentinianus II. Ne capitales pœnæ ab Imp. iniunctæ nisi post XXX dierũ spacium sumerentur. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

FRIDERICVS I. Imp. subacta Mediolano, omnium ordinũ conuentu Roncaliis indicto, de pace Italiæ stabilienda consultauit, statuitque ne ciuitas ciuitatem, priuatus priuatum oppugnaret iniussu regis: edictumque additum, ut si qua ciuitas hæc iura uiolaret, centenas marchas auri dependeret: si Marchio, quinquagenas: si Comes, quadragenas: si capitaneus seu alius ualuasor maior, uicenas: alij uerò denas usque ad ternas. Quòd si soluendo non essent, per quinquẽnium quinquaginta millibus passuum longè à patria exularent. Sigonius lib. 12. regni Italici.

Musica.

Detrahunt præliantibus LACEDÆMONII per tibias iram, Musisq; ante bellum sacra faciunt, ut consilium eos ne destituat: neque auersos hostes insectantur, sed reuocant iram ut modicos gladios reductu promtam & expeditam. Plut. de Non irascendo.

Præcepto, Consilio, Adhortatione.

HERENNIVS Pontius Samnitum dux, ad Caudinas furcas duos consulares Rom. exercitus incluserat. Patrem igitur in tanta re consulendum ratus, misit, qui ab eo sciscitaretur, ecquid sibi agendum putaret? Romanas legiones cum consulibus intra Caudinas furcas à se iamdudum obsideri. Incolumes cum suis ducibus exercitus mittendos censuit senex. Quod consilium quum uulgo displicuisset, secundò ad eum filius misit, qui iterum ab eo sciscitaretur, quid opus esset facto? Videri sibi, respondit, Romanos ad unum interficiendos. Herennius in tam diuersa sententia anceps patrem in castra plaustro aduehi iussit. Ibi senem coràm sciscitatus, ecquid tam diuersæ in eadem consultatione sentẽtiæ sibi uellent? Tum ille, Videbam, inquit, conducere Samnitibus, ut cum potentissimo populo per summum beneficium pacem firmarent. Id quia displicuit, duos consulares exercitus interficiendos duxi, ut res Romana, huiusmodi clade afflicta, in plures annos accisa iuuentute, minùs formidabilis fieret. Tertium nullum esse consilium affirmans, quod initum Samniticæ rei expediret. Quid, inquit, ille, si media quadam uia ingressi incolumes dimittamus, & uelut bello uicti leges pacis à nobis accipiant? Istud, ait senex, neque amicos parat, neque hostes tollit. Seruetis modò, quos ignominia irritetis. Ea est Romana gens, quæ ne uicta quidem quiescat. Vos quicquid feceritis, deos secundare uolo. Atque his dictis, senex castris excessit. Pontius uerò Romanos deditos sub iugum misit. Senatus Coss. uinctos Samnitibus dedit, bellumque indixit. Tum tandem Samnites senis Pontij consilium, sed serò, cognouêre. Castris enim ad Luceriam exuti, & in urbe obsessi deditique: septem millia hostium sub iugum missa. Præda ingens in urbe quæsita est, receptaque fermè omnia, quæ Romani ad Caudium amiserant. Et quod omnium lætissimum fuit, Pontius totius gentis imperator cum cæteris subiugatus. Sabellicus lib. 5. Enn. 4.

ATHENODORVS philosophus, cũ ab Augusto abeundi ueniam peteret, & ille munus aliquod philosopho dignum peteret, sic locutus fertur: Quum te Cæsar ira ceperit, nil prius dicas uel facias, quàm ipsa quatuor & uiginti elementa literarum Græcarum memoria recensueris. Nimirum ut ita parui temporis interiectu emollita relanguescat. Plutarch. & Sextus Aurelius.

Cùm Antiocheni seditione mota ob tributorum exactionem statuam Placillæ Imperatricis per urbem contumeliosè traxissent: Theodosius Imp. illos non minùs quàm Thessalonicenses grauiter puniturus erat, nisi D. Flauiani episcopi eorum precibus & D. Ambrosij auctoritate (qui nihil eum in sontes statuere, priusquam trigesimus dies exactus esset, iureiurando adegerat) motus fuisset. Nicephorus libro duodecimo, capite quadragesimosecundo. Ferũt ea nocte, quæ diem seditionis Antiochenæ sub Theodosio Imperatore excitatæ præcessit, feminam sublimem in aëre conspectam, magnitudine ingenti, aspectu horrendo, quæ per urbis plateas in aere currens, flagello aerem diuerberauit, similem sonitum edens, qualem edere consueuerunt, qui in caueis ad furorem bestias excitant. Nicephorus libro nono, capite quadragesimosecundo.

Nauigante GALENO Roma in patriam, comitẽ itineris habuit Gortynensem quendam è Creta, uirum cęterà bonum, sed in seruos plusquam iracundum. Corintho appropinquabant, & serui nescio quid interrogati, cùm parum apposite respondissent, Gortynensis ille gladio uagina tecto capita famulorum grauiter uulnerauit. Postera die suum peccatum agnoscens, denudatum se, porrecto loro, quòd ita meritus esset, à Galeno uerberari uoluit, multisque adeò penè minis obtestatus est. Tum Galenus: Parebo, inquit, si & tu uicissim exiguum quid mihi præstiteris. Quod ubi recepit se facturum ille, tum Galenus iracundiæ motum, ratione, non uerberibus & inhibendum & coercendum, philosophica disputatione ostendit, id quod neq; uno die, neque uno anno præstari possit, sed longa assuetudine. Gortynensis ergo lorum abiecit, præstantiorem superandæ & sedandæ iræ methodum edoctus. Galenus de Cognoscendis & cur. animi morbis, c. 4.

Eulogius presbyter Alexandrinus, leprosum quendam domi susceptum per annos XV humanissimè aluerat. Sed cùm ab eo, cui, contemto contagiosi morbi periculo, suis ipse manibus ministrabat, contumeliis afficeretur, ANTONIVM abbatem consuluit, utrum illum dimittere deberet. Ille uerò utrique consuluit: modicum adhuc sustinerent, donec alter pietatis & patientiæ stadium emetiretur: alter ingratitudinis uitium emendaret, ne grauiorem animi quàm corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquilliùs manere simul cepissent, Eulogius dies XL superuixit, leprosus die tertio pòst obiit. Marulus lib. 5. c. 2.

Dehortatione, Obtestatione.

ONOMADEMVS Chius, postquam aduersam factionem superasset, quibusdam censentibus omnes diuersæ factionis urbe pellendos, negauit expedire, dicens: Se uereri, ne omnibus inimicis ad unum eiectis, inter amicos existerent dissidia. Erasmus lib. 6. Apoph.

Laconum duorum puerorum pugnantium alteri alter falcele thale uulnus inflixit. Cùm autem PVERI familiares expiraturo denunciarent, executuros se facinus, ac percussorem interemturos: Dij prohibeant, inquit. neque enim id iustum sit. Idem ego, si preuertissem, & fuissem fortis, fecissem. Plut. in Laconicis.

Cùm quidam à rege Persarum descisset, suasu DEMARATI Lacedæmonij redit. Eum cùm tentaret rex occidere: Turpe, inquit, fuerit ô rex, si cùm hostis fuerit, non potueris ab eo defectionis pœnas sumere, nunc amicũ factũ uelis interficere. Hoc dicto & regis indignationem temperauit, & eius cui reditum persuaserat, incolumitati consuluit. Erasmus libro 1. Apophtheg.

Philippo defuncto immolare ob lætum nunciũ PHOCION prohibuit Atheniensem populum. quippe abiecti animi esse, malis exultare alienis: dicens exercitum, qui cum ipsis ad Chæroneam conflixerat, uno tantùm homine esse diminutum. Plut. in Phocione.

PHOCION, cùm calix ei deferretur, rogatus, nunquid adsilium uellet: Hoc unum, inquit, ne quæ in nos admiserunt Athenienses, ad memoriam reuocet. Plutarchus in Apophthegmatibus.

DÆMONAX philosophus, cùm quendam uidisset seruum suum uirgis tractantem: Desine, inquit, te seruo tuo similem ostendere. Seruus enim est, qui suis affectibus & cupiditatibus imperare nequit. Erasmus lib. 8. Apoph.

Perses Macedonię rex à L. Aemilio P. in triumpho ductus cùm in carcerem profundissimũ & fœtidiss. cum liberis suis proiectus esset, eoq; loco per septem dies iacuisset: tandemque ei gladius ad occisionẽ, restis ad strangulationẽ proiectus esset, datà utriusuis optione: L. ÆMILIVS, curiæ præses, & suã dignitatẽ & patriæ ęquitatem retinens, Senatum cum graui reprehensione cõmonefecit, ut si humano metu non terrerentur, at ultricem certè fortunã uererẽtur, quæ in eos animaduertere soleat, qui potestatib. superbiùs utũtur. Itaque ille in mitiorem datus custodiam fuit, in qua post bien nium uitam finiuit. Diod. Sic. lib. 31.

Vt assumto imperio Scipio Pompeii socer, post pugnam Pharsalicam, Vticæ statuit in gratiam Iubę omnes sine discrimine ætatis interficere, urbemq; quasi cum Cæsare sentiẽtem excindere: non tulit id CATO: uerùm præsentes testatus, uociferatusq; in consilio, & deûm fidem implorans, ægrè exemit illos miseros horum crudelitati: ac partim eis orantibus, partim contendente Scipione, custodiam urbis recepit, ut neq; uolens neque inuita coniungeretur Cæsari. Erat enim locus ille ad omnia oportunus & affluens obtinentibus: qui multo magis est à Catone firmatus. Plutarchus in Catone.

FRANCISCO Foscaro, duci Venetorum immeritò ducalis dignitas trium senatorum præcipuè ambitione abrogata fuit. Ex ducario priuatas suas ædes repetens, ubi quarto pòst die obiit, suos omneis admonuisse fertur, ne ullo tempore memores esse uellent iniuriæ illatæ. Egnat. lib. 4. c. 2.

SINAS Iudæus, dux copiarum, Hariadenum Barbarossam Tuneti tyrannum à Carolo V. uictum, à cæde seruorum Christianorum cohibuit, & quos ille circũposito & incenso tormentario puluere in ergastulis concremare uolebat: quòd id consilium uiro forti, tot uictoriis inclyto, regiiq; diadematis honorem præferenti, indignum foret. Iouius lib. 34.

Precibus, Lacrymis.

ARCHIDAMVS Agesilai F. Lacedæmoniorum rex, Phocensibus, qui Delphicum templum spoliarant, auxilia tulit contra Thebanos, corruptus pecunia sacra à Phocensium primoribus tum ipse, tum uxor eius Denicha. Illud tamẽ in eo laude dignum, quòd cùm Phocenses omnem Delphorum militarem ætatẽ trucidare, liberos & uxores in seruitutem rapere, ipsam deniq; urbẽ funditùs euertere in animo haberet, unus tam insignẽ cladem deprecatus est. Pausan. in Lac.

NICIAS Enguij Siciliæ oppidi ciuis primarius, frustrà dissuadens suis defectionem à Pœnis ad Romanos, cùm ciues illum Pœnis dedituri essent, simulata insania ad M. Marcellũ effugit Syracusas. Post multa exinde facinora & contumelias Enguinorum, cùm omnes Marcellus in uincula dedisset, statuissetq; sumere de iis supplicium, astitit plenus lacrymarum Nicias. Postremò ad genua Marcelli aduolutus, & deprecatus pro ciuibus suis est, exorsus ab inimicis. Ita fractus illẽ liberauit omnes: Niciam uerò lato agro muneribusque amplis donauit. Ex Posidonio philosopho Plutarchus in Marcello.

Victo ad Thermopylas Antiocho, M. Attilius Glabrio consul eos qui cum rege fecerant Aetolos alios circumsedit, alios regi Macedoniæ Philippo concessit subiugare. cumque Heracleam excidisset, Naupactum, quam Aetoli tenebant, obsidebat. Miseratus T. QVINTIVS Flaminius legatus Græcos, transmisit ex Peloponneso ad consulem. Ac primùm increpauit eum, quòd uictor Philippum sineret belli præmia rapere, & iræ indulgens, dum non paucæ gentes & reges à Macedonibus in ditionem redigerentur, ad unam desideret ciuitatem. Deinde obsessis, ut ex muro Quintium conspexerunt, implorantibus opem eius & manus tendentibus, precantibusque: nullo in pręsentia dato responso, conuertit se, & lacrymabundus digressus est. Pòst egit cum Attilio, lenitaq; eius indignatione, impetrauit Aetolis inducias & spacium, quo missis Romam legatis conditiones leuiores peterent. Plutarchus in Flaminio.

Verberibus.

Cùm in Thietmarsia sub archipræsule Hartuico solennia missarum faceret EVERMODVS episcopus Raceburgensis, accidit, ut homicidium fieret. Episcopus interea populum erudiẽs, inter alia de diuino præcepto charitatis cõmonuit, cùm in oratione Dominica postulemus dimitti nobis, quẽadmodum & nos dimittimus. Cõuersus in illum, ad quem occisi proxima pertinebat iniuria, orabat, ut culpam remitteret occisori. Vbi ille non moueretur, descendit ex ambone pontifex, & sacris reliquiis in manu gestatis procidit ad pedes eius, orans ueniam occisori. Ille per Deum, & quicquid est sanctum iurat, nunquam se dimissurum. Exurgit pontifex, & contemnenti benedictionem, alapam durissimè inflixit. Ille manibus statim coniunctis, ueniam cõcessit. Itaque per alapam uir sanctus dæmonem, qui cor eius tenebat astrictum, effugauit. Cranzius lib. 5. Vandaliæ, cap. ult.

Præmio dato, uel denegato.

Apud LACEDÆMONIOS, si dux fortiter dimicasset, & cruẽto marte, magnaq; hostium clade uicisset, trophæi loco gallum diis immolabat. Qui uerò deditione & pacto, nec nimium cruenta uictoria potitus, belli mala uitasset, bouẽ sacrificabat. Vt significarent, magis decere imperatorem (iuxta Periclis sententiam) consilio & astu, quàm gladio & multo sanguine fuso, uictoria potiri. Alex. lib. 1. cap. 22.

Apud ROM. cõtra ciues bello uictos, quia lugubris uictoria erat, neq; dux imperator censebatur, neq; ouare, aut triumphare, uel supplicationes cuiquam decernere, dum Respub. stetit, unquam permissum fuit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

Exemplo.

Vide sub Titulo, Discipuli Clementiæ.

Occasionis præcisione.

Adeo clementi ingenio AVGVSTVS fuit, ut sibi similes amicos omnes optaret. Id patuit, cùm eo apud Vedium Pollionem cœnante, seruus crystallinum uas confregisset. Nam domini iussu murænarum pabulo damnatus, in uiuarium perferebatur. Is cùm ducentium manus effugisset, se ad Augusti pedes prouoluit, id unum petens, ut alio mortis genere periret. Augustus ut mortis causam genusque intellexit, solui seruum iussit: uirgulaq; omnia Pollionis crystallina perfregit, uiuariaq; euertit. Sueton. & Dion, & Plin. l. 9. c. 23.

DISCIPVLI CLEMENTIAE, Mansuetudinis, Perpendendo A QVIBVS DIDICERINT.

Cùm ALEXANDER Magnus Hierosolymis cum exercitu appropinquaret, infesto multis de causis animo, in magnum metum illius urbis populum coniecerat. Quamobrem Iaddus pontifex, post longas ad Deum orationes, cùm in somnum incidisset, Deum uidit dormiẽti sibi dicentem: Ne formidaret, sed Alexandro pontificia amictus ueste se offerret. Credidit Iaddus somnio, in eumque morem, qui prædictus erat, ornatus ipse cum aliis sacerdotib. stolatis, postero die Alexandro occurrit, ut uenientem exciperet. Quem Alexander intuitus, ex equo descendit: & humi genu innixus, eum adorauit, petitaq; omnia concessit. Quod cùm Alexãdri duces aliiq; mirarentur, & illud Alexander animaduertisset, dixit: Pridie eius diei, Deum in somnis se uidisse eo habitu, quo Iaddum uiderat amictum, grauiter uitæ suæ comminantem, si quid Iudæos offendisset. Cui somnio cùm fidem non haberet, Iaddo conspecto in ea ueste, qua amictũ Dei effigiem uiderat, Deum se, & non pontificem coluisse. Mirũ profectò, duorum diuersorum hominum somnia ita conuenisse. Fulgosus lib. 1. cap. 5.

Capta Tyana urbe Asiæ, quæ rebellauerat, Aurelianus Imperator, dum solus in tentorio irarũ plenus de euertenda cogitaret, coràm oblatũ sibi non sine magno horrore APOLLONIVM Tyaneũ philosophum uidit, qui diu antè mortuus erat, submonentem: Aureliane, si cupis uincere, nõ est quod de ciuium meorum nece cogites: Aureliane, si imperare uis, à cruore innocentium abstine: Aureliane, clemẽter te geras, si uicisse cupis. Cælius l. 17. c. 13. A. L. ex Fl. Vopisco.

ATILA, Hunnorum rex, uastans Italiam, cùm Romam inuadere constituisset, à Leone papa, quem ad eum reconciliandũ Valentinianus Augustus ablegauerat, placatus est. Paulus Diaconus & Marianus aiunt interrogatum à suis, quãobrem admonitionibus & petitionibus sacerdotis paruisset? respondisse: Nihil se quidem commotũ sacerdotis persona, quem ne honore quidem aliquo dignaturus fuisset: sed uidisse se propter illum astantem uirum senẽ habitu sacerdotali, forma augusta uenerabilem, gladio euaginato mortem minitantem, nisi ad omnia, quæ pontifex peteret, fuisset obsecutus. Nauclerus generatione decimasexta: Sigebertus anno Christi 454. Bonfinius lib 7. Decad. 1.

MAVRICIVS Imp. qui Gregorium Magnum Pp. persequebatur, cùm solus esset in conclaui, uidit monachum ad se intrantem, strictoq; ense ferociter minantem, nisi à pontificis persecutione protinus cessaret. Eo uiso territus, & ueniam à pontifice petiit, & odium in amicitiam commutauit. Victus est igitur Imp. patientia, quem arma uincere non potuissent. Marul. lib. 5. cap. 2.

CONRADO II. Cæsare bellis diuersis distento, Longobardi facta conspiratione iurarunt, se nulli domino nisi ad nutum suum omnia gerenti obtemperaturos. Ad hos cõprimendos Cæsar Mediolanum, cuius episcopus primas ferè tenebat, obsedit. Verùm cùm inter celebrationem missæ fulgura & tonitrua stupenda fuissent exorta, & Bruno Herbipolensis episcopus ac alii Ambrosium atrocia Cæsari minitantẽ in ea aëris intemperie sibi apparuisse dicerent, combustis suburbiis Imperator recessit, an. Domini 1037. iuxta Contractũ, qui Mediolanensem fuga elapsum rebellasse Imperatori, addit. An. 1039. Sigebertus habet. Sigon. lib. 8. reg. Ital.

COLOMANNVS, Hungarorũ rex, Iaderam Dalmatiæ urbẽ propter frequentes defectiones incendio perdere statuerat. In somnis ei D. Nicolaus Iadrensium olim episcopus apparuit.

ruit, cumq; ob conceptum animo facinus crinibus correptum, aureo flagello miserrimè cęcidit, ita ut expergescens uibices in corpore uideret & sentiret. Proinde Laderam licet nouarum rerum cupidam suis moribus uiuere permisit. Bonfinius lib. 5. Decad. 2.

Hostibus.

CN. Pompeius Magnus, cùm Mamertinos, quòd hostium partibus adhęsissent, interficere omnes statuisset: Sthenius, eius ciuitatis princeps, Pompeium adiit, & his uerbis loquutus est: Non æquum facis Pompei, qui propter me unum noxiũ, multos innoxios occidere paras. Ea animi magnitudine motus, ille Mamertinis pepercit, ciuitatemq; & Sthenium liberauit. Plut. in Apophtheg.

Capta Roma, ineunti TOTILÆ Gothorum regi templũ, Pelagius diaconus occurrit, Christi euangelia in manibus gestans, ac genibus positis supplicabundus, Parce, inquit, ô princeps tuis. Cui ille cachinnans respondit: Nunc mihi demùm supplicaturus aduenisti Pelagi? tum ille, Maximè, inquit, quoniam tuum me seruum effecit Deus: uerùm ab his iam abstine manus, qui tibi in seruitutem cessere. His percitus uocibus Totilas, militibus edicto suis mandauit, ne quẽ posthac Romanorum occiderent, atque urbem ita diriperent, ut sibi preciosissima, quæque seruarent. Sigonius libro 19. Imp. occid.

Brutis.

Leo, BASILII Macedonis Imp. F. à monacho Theodoro Sandabareno apud patrem insidiarum causa delatus, in carcerem coniectus est. Erat Imperatori psittacus in cauea suspensa. Hic quodam tempore, cùm Imp. ad conuiuium Senatores præcipuos uocasset, hanc uocem inter edendum sæpiusculè edebat, Heu heu domine Leo. Qua uoce conuiuę tristiores redditi, cibo potuq; omisso cogitabundi assederunt. Imperatore causam perquirente, illi oculos lacrymis oppleti: Qui, inquiũt, Imperator cibum capiamus, uoce bestiæ huius obiurgati nos, qui rationis compotes, & dominorũ studiosi credimur? bruta hæc auis domini sui nomen inuocat: nos luxui dediti, insontem obliuioni mãdamus. His uerbis mitigatus Cæsar, Leonem carcere eductum, in conspectum suum admisit, uestem lugubrem demisit, comæ superflua, quæ per luctum creuerant, auferri iussit, dignitatemq; Cæsaris pristinam reddidit. Cedrenus.

IARMERICVS Danorum rex Broderum F. falsò incestus cũ Svvaldo nouerca insimulatum in suspendio adiudicarat, ita ut laqueo illum innexus, à famulis subiectum afferem tenentibus sustentaretur: quem ubi illi defatigati remisissent, rei mortis eius forent, regemque à parricidij crimine liberarẽt. Interea canis Broderi latratu lamentabili ueluti deflere domini supplicium uidebatur. Eiusdemque illatus accipiter altissimas plumas rostro euellere cępit. Rex omen abacturus orbitatis, præproperè filium laqueo eximi iussit. Sic ille seruatus est. Saxo lib. 8. & Cranzius lib. 2. Daniæ, c. 17.

Inanimatis.

DIOGENES circumbat in Geramicò stipem à statuis petens, ostenditq, mirantibus, repulsam ferre meditari se. Plut. de Immodica uerecundia.

QVOMODO AD CLEMENTIAM traducti fuerint. Puta

Religione.

LACONES antequam bellum hostibus inferrent, Musis immolabant, Clementiæque & Amicitiæ, non Marti. Satiùs enim esse putabant, pactione hostiũ animos cõciliare, quàm prælij subire aleam. Plut. de Non irascendo.

Philosophia.

DION Syracusanos à tyrannide Dionysij liberauerat. Illi ingrati, Heraclidis nauarchi suasu XXV. prætoribus creatis, Dionem ignominiosè urbe expulerunt. Victi autem à Nypsio Dionysij duce, Dionem denuò supplices aduocarunt. Ille hostes in arcem compulit. Heraclides & Theodotus ultrò dediderunt sese Dioni, culpam fatentes, pœnam deprecantes. At amici monuerunt illum, ne improbis hominibus parceret, sed Heraclidẽ permitteret militibus, atq; è repub. ambitionem popularem extirparet, morbum tyrannide nõ minùs uæsanum. Quos placans Dion, demonstrauit, cæteros duces plurimum ponere meditationis in armis & bello: se uerò longo tempore in Academia iram commentatũ inuidiamq; & æmulationem omnem uincere. Eius esse documentum, non in amicos & bonos moderationem, uerũ si iniuriam inferentibus placabilis, & in peccantes sis lenis. Ergo ut non tam opibus & prudentia, quàm clementia & iustitia superare uideretur: Heraclidem & Theodotum missos fecit. Plut. in Dione.

Consilio, Persuasione.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. coniuratos bonis tantùm multauit, humanitatem ab ipsa coniurationis principe, Anna Cæsarissa, sorore sua, Bryennij (in quem transferre regnum conabatur) uxore auspicatus. Quum omnis generis opes in domo Bryennij congestas spectaret, naturæ ordinem inuersum esse questus, quòd cognatos hostes, alienos amicos habuisset: etiam opes ad amicos transire oportere dixit: & omnia magnum domesticum Ioannem Axuchum, natione Persam, accipere iussit. Is uerò Imperatori auctor fuit, ut seipsum humanitate uinceret, & sororẽ liberalitate non expectata sibi reconciliaret. Nicetas Choniates.

Fortunæ inconstantia.

CYRVS cùm multos haberet reges captiuos, solenni quadã festiuitate eos quadrigas, quibus uehebatur, humeris suis agitare iussit. Eorum quidam crebrò respiciens, rotas spectauit sursum deorsumque se circumuertentes. Quod cùm animaduertisset Cyrus, indignabundus interrogauit: Quid ita subinde se conuertens, rectum quadrigarum incessum turbaret. Is timidè respõdit: Se, cùm rotas sursum deorsumque uolui cernat, uitæ instabilitatem considerare, in qua summa ad imum deuoluuntur, ima ad summum euehũtur. Hoc audiens Cyrus, atque animo reputans, eũ comiter honore affectum, in quadrigas sustulit, liberatumq; & ipsum & reliquos donauit. Cedrenus in Compendio historiarum. Sed hoc idem alio loco tribuit LVDOVICO II. regi Francorum erga Sultanum Saracenum, quẽ ceperat Capuæ. At Paulus Diaconus & Nicephorus SESOSTRI Aegyptiorum regi.

IDEM Crœsum Lydorum regem pyræ impositum, hunc sibi exitum à Solone prædictum asserentem audiens, dimisit. Herodotus lib. 1.

Gilimer, Vandalorum rex in Africa, captus à Belisario IVSTINIANI Imp. duce, & in triumphum ductus Constantinopolim, cùm in hippodromo Imperatorem in alta sede constitutum, populumq; circumstantem conspexisset, constitit, ac suum fatum considerans, illud Ecclesiastis memorauit: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. Iustinianus humanæ uitæ uicissitudines æstimans, ipsum soluit uinculis & apud se aliquamdiu in magno honore habuit: tandem cum omnibus suis, in Galatia quædam loca inhabitare concessit. Euagrius lib. 4. cap. 17. Procopius lib. 3. de bello Vandalorum: Blondus lib. 3. Decadis 1. Paulus Diaconus libro 17. rerum Romanorum.

Metu.

Valentinianus I. Imp. erat ad pauores irritos aliquoties abiectiùs pallens, & quod nusquam erat inattentè formidans. Quo intellecto magister officiorum REMIGIVS, cùm eũ ex incidentibus ira feruere sentiret, fieri motus quosdã barbaricos inter alia subserebat: hocq; ille audito, quia timore mox frangebatur, ut Antoninus Pius erat serenus & clemẽs. Amm. Marcellinus lib. 30.

Libera confeßione.

ATHENIENSIBVS in more fuit, noxios interrogare, quid meriti essent? Et si liberè mortẽ respondissent, confessione sola contenti, eos mitiore supplicio afficiebant. Socrates similiter interrogatus, cùm dignum se alimentis in Prytaneo respondisset, iudicum iram in se concitauit.

Morositate.

Impetrauit ab Athanasio urbis antistite ALEXANDRINÆ mulier tam diues quàm nobilis, ut ex uiduis, quæ ecclesiæ sumtu alebãtur, daretur sibi una aliqua alenda. Data est illi mulier miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctũ est matronæ studiũ in pauperes. Poposcit sibi alterã dari. Casu an consilio, non facilè dixerim, data est peruicax & inhumana mulier: ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua uerbera reportaret, gratias egit Athanasio, quòd talem dedisset, per quam patientiæ cultu exerceretur. Sab. lib. 9. c. 1.

Magistratus susceptione.

Sex. IVLIVS Salinator etsi CL. Neronis odio ardens in exiliũ profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus: tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatu dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauissimã acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne si diffidente animo consortium imperij usurpare uoluisset, pertinacem exhibendo inimicum, malum consulem ageret. Quæ quidem mentis in tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo, plurimum salutis urbi atq; Italiæ attulit: quia pari uirtutis impetu connixi, terribiles Punicas uires contuderunt. Val. Max. lib. 4. c. 2. & lib. 7. cap. 2.

M. AEMILIVS Lepidus bis Cos. & Pont. max. diutinas ac uehementes inimicitias cum Ful. FLACCO eiusdem amplitudinis uiro gessit: quas ut simul censores renunciati sunt, in campo deposuit: existimans, nõ oportere eos priuatis odiis dissidere, qui publicè summæ iuncti essent potestati. Valerius ibidem, & Gellius.

Insignibus, Notis.

Apud ROM. maioribus magistratibus uirgæ annexis securibus colligatæ præferebantur: quæ nota esset, non debere præcipitem & solutam iram esse magistratus. Sed & mora allata & cunctatio, dum sensim uirgę soluuntur, identidem consilium mutare poterat de plectẽdo. Quando autem uitia sunt quædam corrigibilia, deplorata alia: castigant uirgæ, quod reuocari ualet: inemendabile secures præcidunt. Plut. in Quæst. Rom.

Occasionis defectu.

Apud SPARTANOS iudicia & lites unà emigrauerunt cum numis: quia neq; affluentia inter eos, neq; indigentia erat, sed omnia æqualia in copia, & parabilia habebant ex frugalitate. Plut. in Lycurgo.

CLEMENTIÆ CONSERVATIO, QVÆ SPECTATVR IN IRA ET VINDICTA

PRAECAVENDA. OCCASIONES iræ anteuertere, tollere, præcidere,

SIBIIPSI.

Cùm ABRAHAMI & LOTHI pastores assiduis iurgiis contenderent, placuit utriq;, ut ex Bethel discederent utrinq;. Itaque Abrahamus in Chananæa, Lothus in oppidis campestribus habitauit circa Sodomam. Genes. 13.

ISAACVS patriarcha (ut in Genesi legimus) Geraræ apud Abimelechum Palæstinorum regem considens, cùm multa rerum hominumque copia auctus fuisset, in inuidiam incidit. Eiectus ergo abiit: & semper ubi tranquilliùs uiuere posset quærens, Bersabeæ sibi posuit sedem. Gen. 26.

IACOBVS insidiantem fratrem Esaum maluit fugere, etiam in longinquas regiones, quàm uicem odij compensare: eumq; reuersus multis muneribus honorauit, ut sibi placatum faceret. Genes. 28. Post reditum Iacobi à Labane socero, cùm Esaus & Iacobus in Chananæa maximis opib. pollerent, Esaus cum omnib. suis aliò concessit, ut à fratre longiùs abesset, quoniam propter copiam facultatũ simul habitare nequibant. Gen. 36.

ACHILLES cùm iracundiã suam probè nosset, Priamũ pro filio Hectore, quem occiderat, supplicantem monuit, ut oẽm acerbitatem in orãdo uitaret, ne se magis irritaret. Odyss. ω.

μηκέτι νῦν μ' ἐρέθιζε γέρον, νοέω δὲ καὶ αὐτὸς
Ἕκτορά τοι λῦσαι.——

Mox etiam cadauer lotum & uelatum currui imponit, prius quam à Priamo conspiceretur:

μὴ ὁ μὲν ἀχνυμένῃ κραδίῃ χόλον οὐκ ἐρύσαιτο
παῖδα ἰδών, ἀχιλλῆι δ' ὀρινθείη φίλον ἦτορ.

COTYS rex Thracum, quum esset natura celer ad irã, seuusq; castigator eorum qui in ministerio deliquissent, hospes quidam ad illum detulit uascula fragilia, tenuiaq;, sed scitè curioseq; cælata tornoq; elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterùm uascula omnia confregit. Demirantibus cur id faceret: Ne, inquit, sæuiam in eos, qui fracturi erant. Prudentis est naturæ suę morbum agnoscere, & uitio materiam præripere: huius autem prudentiæ fomes est ipsum clementiæ studium. Plut. in Regum apoph.

Vir magni animi P. SCIPIO Africanus, à Trib. de interuersa Asiatica pecunia accusatus, facilè contemnens inimicorũ inuidiam, cedere ex urbe maluit, quàm intestinis discordiis ciuitatem euertere. Nec iam ipse, ut Coriolanus, Alcibiades, aliiq; permulti ex antiquorum memoria, infesta patriæ signa inferenda putauit, nec exteras gentes, potentissimos reges commouendos censuit, ut eorum auxiliis fultus, ei ci [illegible], quã spoliis triumphisq; decorarat. Plut.

CN. Pompeij erga Sertorianos, C. IVL. Cæsaris erga Põpeianos æmulam moderationẽ in ultione præcidenda, pete ex Tit. præcedente.

AVGVSTVS Sex. Pompeio uicto, Lepido in ordinem redacto, Romam reuersus, omnes epistolas, quæ suspicionis aliquid continerent, ad obliterandam omnium offensarũ memoriam publicè concremauit: præfatus rempub. restituere constituisse, quũ primùm M. Antonius ex Parthico esset bello reuersus: confidere se futurum, ut ille secum libens esset principatum depositurus, postquam ciuiles discordiæ sopitæ essent. Sabell. lib. 9. Enn. 6.

TITVS Vespasianus Imp. ut ne uindictæ uel iustissimæ occasionem haberet, Pontificatum maximum uel hoc solo nomine accipere se testatus est, uti puras seruaret manus. Suet.

ANTIOCHVS sophista, quũ malè uulgò audiret, ueluti formidolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec reip. munia capesseret: Non uos, inquit, metui, sed meipsum. agnoscens bilem suam uehementiorem, quàm ut cohiberi posset. Sensit idem Plato: qui sunt iracundioris ingenij, ad disciplinas quidem esse idoneos, ad gerendam remp. non itẽ. Philostratus in Sophistis.

AEGYPTIVS quidam monachus interrogatus, Cur adeò se omnibus corporis uoluptatibus subtraheret? respondit: Vt hac ratione omnem iræ causam & occasionem præcidam. Ita quippe ut de uoluptatibus certans accenditur, ita uoluptatum suppressione sopitur. Nicephorus Callistus libro 11. Eccles. hist. cap. 43. ex Euagrio.

FRIDERICVS III. Saxoniæ dux, Elector, arces munire, pecunias congerere, supersedit: ne his ceu calcaribus stimulatus, leues iniurias bello persequi cogeretur. Ferendo & dissimulando respublicas rectiùs, quàm inferendo & ulciscendo, administrari à Christiano principe iudicans. Ioan. Agricola in prouerb. German. Gut macht müt.

ALIIS.

Vedius Pollio, cùm AVGVSTVM Cæsarem inuitasset, & pincerna poculum crystallinum fregisset, eundem more suo in piscinas abiectum murænis dandum curauit. Cæsar eius pocula omnia perfregit, ne tantæ crudelitatis porrò haberet occasionem. Dion in Augusto, & Plinius libro nono, capite uigesimotertio.

CONSTANTINVS Magnus in Nicena synodo libellos supplices episcoporum priuatas causas agentium non lectos spectantibus cunctis concremauit: indignum dicens, illos qui fratres essent inter se digladiari, & hæreticis ansam inuadendi ouilis præbere: neque se cõmissurum, ut christos Domini iudicando impius iudicetur. Eusebius.

EMENDANDA, CORRIgenda. Per

POENITENTIAM.

Ausonij poetæ PATER sic de seipso in Epicedio loquitur:

Irasci promtus properaui condere motum,
Atq; mihi pœnas pro leuitate dedi.

MACARIVM Alexandrinum Scythioticæ solitudinis cultorem tradunt, dum culicis ictu percitus palmæ percussione illam extinxisset, mox facti pœnitentem ita afflixisse se, ut, sex menses nudus, ultrò culicum morsibus se exposuerit, tuleritque multarum iniuriam, qui unius non pertulerat. Marulus libro 5. cap. 2.

Iratus THEODOSIVS Imp. quòd Thessalonicenses in theatro militem occidissent, uel (ut alij uolunt) iudicem suum, ægrè retentus à sacerdotibus Italicis est, quò minùs omnes Thessalonicenses occideret. Qui postea ad se rediens, re cognita, & lacrymis pœnitentiam propè patrati sceleris egit, & legem tulit, ut sententiæ principum super animaduersione prolatæ, in tertium diem differrentur, quò misericordiæ uel pœnitentiæ locus daretur. Ferunt Theodosium ipsum, si quando ira percitus fuisset, hac deinceps cunctatione usum, ut notas omnes literarum expresè recenseret, quò interim iræ daretur locus. Platina.

OTHO I. Imp. Paschatis festo non aulicos tantũ, sed & principes imperij epulo magnifico excipere consueuerat. Cùm dapes regio luxu inferrentur, puer nobilis cuiusdam fame urgente manum patinæ immisit. Id ægrè ferens dapifer, alapam puero impegit. Pædagogus pueri ira percitus, dapiferum transfodit. Nec mora, ab ipso Cæsare, cessantib. reliquis ob diem festum, comprehensus, tanta ui reluctatus est, ut nisi satellites interuenissent, Othonem ipsum interfecisset. Iamque in uincula pædagogus ducebatur, læsæ maiestatis reus. Cæsar uerò re secum altiùs perpensa, Nil grauius in eum committatis, inquit: Vtrius maius delictum? Ego resurrectionis dominicę, ille maiestatis imperatorię oblitus est. Præstat ergo non iudicare quam iudicari. Ioannes Paulus in Iocoseriis.

LVDOVICVS XII. Galliæ rex, capta anno MDXI. Bononia, cùm Pont. Iulij II. & multo magis Venetorum copiæ penè omnes fusæ ac dissipatæ fuissent, nec alia arma essent in Italia, quæ uictoris impetum possent retinere: magis fortè pio, quàm utili consilio, Ioan. Iacobo Triultio, ut Bononia in Bentiuolorum (quos ipse à Pontifice eiectos pristinę fortunæ restituerat) potestate relicta, & si quid aliud põtificij iuris occupasset, ipsi restituto, quamprimùm exercitũ in Mediolanensium fines reduceret, imperauit. Ne quod publicæ lætitiæ signum in suo regno ederetur prohibuit: sæpiusq; coram multis, se, etsi nec in Pontificem peccasset, nec quidquam nisi prouocatus & coactus egisset, tamen ob sedis Rom. reuerentiam demissè ueniam petere uelle, affirmauit. Guicciardinus lib. 10.

COMMISERATIONEM.

M. MARCELLVS, captis Syracusis, ut ex superioribus locis urbem pulcerrimam maximamque subiectam oculis uidit, illacrymasse multum dicitur, miseratus imminentem calamitatem.

mitatem: cùm subiret cogitatio, quàm fœda facies mox urbis ex præsenti ac species direptæ à militibus futura esset. Nam inter præfectos nemo erat, qui militibus prædam concedi urbis sibi postulantibus denegare auderet, cùm etiam instarēt multi, ut inflammaretur atq; solo æquaretur. Cæterùm id planè abnuit Marcellus. Concessit tamen, sed id quidem etiam perinuitus, ut pecunia & seruitia prædæ essent. Edixit autem, ne quis liberum corpus uiolaret, néue quem interficeret ciuem, uel stupraret, uel in seruitutem raperet. Plut. in Marcello. & Cic. 4. act. in Verrem.

TITVS Imp. Antiochia in Aegyptum profectus, cùm Hierosolymam uenisset, recordatione splendoris pristini lacrymas tenere non potuit, & diris deuouit seditiosos Iudæos, qui intestinis dissensionibus se ad excidium tantæ urbis uel inuitum compulissent. Iosephus lib. 7. cap. 24. belli Iudaici.

P. SCIPIO Africanus minor, ardentem uidens Carthaginem, propter clarissimæ urbis excidium lacrymas tenere non potuit, multoque magis quòd simili igne Romam patriam aliquando cōflagraturā uir prudēs prospiceret. Auctor uitæ.

L. LVCVLLVS bello Mithridatico Amasum urbem nobilissimam ad mare Ponticum sitam expugnauit. Quam sub primam militum irruptionem, hostium consilio incensam, seruare Lucullus non potuit. Dedit proinde illius excidio lacrymas, questus quòd non ut Syllæ Athenas, ita sibi Amasum seruare licuisset. Amasenos ad se uocatos consolatus est, pecuniaq; & ueste singulos ciuium iuuit: hortatusq; est ad urbem restituendam, adiecitq; pristinæ magnitudini cxx stadia. Flammam imber, dum capitur urbs, diuino quodam casu effusus extinxit. Pleraque ipse ante discessum suum, quæ diruta fuerant, instaurauit. Ex Plutarchi Lucullo. Sabellicus lib. 4 Enneadis 6.

RECONCILIANDO ALIOS TVM SIBI. RECONCILIATI ALIIS.

Clementiæ pedissequa est Reconciliatio. Quæ cùm ad Amicitiæ ortum propriè pertineat, eo loco exempla pleraque produximus. Huc etiā refer Titulum Prudentiæ in reconciliando: item, Hostes in bello beneuolentia uincere: illic Prudentiæ, hic Clementiæ ratio habetur.

PYTHAGOREI, nulla coniuncti sanguinis necessitudine, solùm communis doctrinæ consortes, siquando ira prouecti in contumelias eruperint, priùs quàm occumberet sol, dextris iunctis inter se complexi in gratiam redibant. Plutar. de Pietate erga fratres.

EVCLIDES Socraticus in scholis celebratur, quòd cùm uocem audisset fratris ad se importunā & belluinam, cùm diceret: Dispeream, nisi te malè accipiam: Ego uerò, inquit, ni si te inducam, ut iram deponas, amesq; nos, sicut antè amabas. Ibidem.

AGATHON abbas gloriatus est, se nunquam cepisse somnum, nisi priùs & suam aduersum alios, & aliorum aduersum se indignationem placando sopiuisset. implens illud breue quidem, sed multæ perfectionis præceptum: Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Eundem dicere solitum accepimus, Iracundos Deo atque hominibus odio esse. Sicut enim humilitas pacem conseruat, ita iracundia concitat lites, concordiam dissipat. Marulus libro 3. cap. 6.

GVNTHRANVS rex apud Parisios conuocauit Episcopos omnes sui regni, ut litem inter se & Sigebertum cognoscerent, & sua sententia dirimerent. Turonensis lib. 4. cap. 47.

LVDOVICVS XII Gallorum rex, quo die Carolo IIX uxoris suæ fratri in regno suffectus est, amicorum uni, petenti dono sibi dari fortunas Aurelianensis ciuis, qui in Ludouicum hostili animo semper fuerat, strenuè id negauit, atque alia maiora pollicitus est, inquiens: Ridendum meritò Gallorum regem, si Aurelianensis ciuis iniurias ulcisceretur. Quinetiam omnes eos qui Carolo paruerant, eodem loco apud se tenuit: ita ut excepta regis persona, quæ mutata erat, nihil in Caroli aula mutatum uideretur: mirumq; omnibus esset, Ludouico eos regi stipatores esse, qui olim captiuum ex prælio duxerant: & eidem in honore illos astare, qui ut in custodia tam diu seruaretur consuluerant: atque ipsos qui in carcere eum asseruarant, ea uultus lætitia, hisque animis, quibus Carolo operam dederant, inseruire illi, quem antè ut hostem captiuum habuerant. Fulgosus libro 4. capite 1.

CANVTVS, Danorum regis Erici II. F. Nicolai nepos, cùm Henricum Sclauorum ducem multis præliis fregisset, dimisso exercitu uiginti duntaxat equitibus comitatus, ad locū, in quo Henricum diuersari didicerat, cursum direxit, præmissis, qui suæ ei salutationis mandata perferrent. Henricus falsò hostem sibi blandiri inquiens, protinus ubínam esset perquirere instituit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse nuncio attonitus, mensam, ad quam fortè prandendi gratia discumbebat, ui manus repulit. Tunc legati præsentiam ducis à pace profectam iurantes, conceptum falso metum affirmationum suarum perseuerantia discusserunt. Hēricus ergo tabulæ innixus, suffuso lacrymis ore, infelicē Daniam futuram, dum tali uiro caruerit, aiebat: se uerò amicitiam eius sincera amodò fide culturum. Deinde præsentem amplexatus, haud parciùs lacrymas, quàm epulum præbuit. Canutus uicissim, quasi mediatoris partes agere exorsus: Henricum auunculi Nicolai gratiam expetere iussit, ac demum consensum eius perseuerantia admonitionis obtinuit. Siquidem Henricus rem maternam, cuius repetendæ causa aduersa Danis arma tulerat, precij pactione interposita, Canuto in possessionē adscripsit, & Canutus receptā ab rege pecuniam Henrico numerauit. Hēricus uicissim Canutum regionis suæ hæredem scripsit. Saxo lib. 13.

IOANNES Gualbertus eques Florentinus, fratris unici interfectorem gladio iam euaginato percussurus, ubi supplicem per crucifixi honorem ueniam petentem audiuit, mira animi magnitudine ei reconciliatus est. Fulg. lib. 4. c. 1. & Polyd. lib. 7. c. 2. de Inuent. rerum.

ALIIS. RECONCILIATORES, PACIS AVCTORES, SVASORES aliis.

Consule Tit. Prudentia in reconciliando, quatenus Pacis studium necessariò coniunctum habet. Item Titulum Amicitiæ magistri, illic Beneuolentiæ, heic Clementiæ ratio habetur.

Qui. Pacē suadent, procurāt

Sacri homines.

D. BERNARDVS pacificus fuit, schismata ecclesiastica & motus politicos magna grauitate & auctoritate sedans. Sic inter episcopum & Populum Rhemensem transegit. Auctor uitæ libro primo, capite decimoquarto. Romæ tumultum à Petro Leonis excitatum prudenter compescuit. libro 2. capite 7. Moguntiam profectus est, ut inter Imperatorem Lotharium & Conradum successorem transigeret. libro 4. cap. 3. Eodem modo non multò ante finem uitæ inter Metenses & uicinos quosdam uiros principes pacem fecit. libro 5. cap. 1.

SIMONETVS ordinis Eremitarum, ultrò citroq; commeās, cùm nunc Venetos, nunc Franciscum Sforciam ad concordiam pluribus uerbis adhortatus esset, eò tandem perpulit, ut pacem initis fœderibus firmarent, quæ omnium consensu quinto Idus Aprilis publicè per præcones enunciata est 1454. his fœderibus, ut quæ cuiusq; ante id bellum fuissent, redderentur, præter Gerram Abduæ, quam Franciscus de Venetis, & Castilionum Piscariæ, quod Alfonsus de Florentinis ceperat. Platina de Nicolao V.

Principes.

Dissentiebant inter se Bauarus & Austriacus principes de finibus. FRIDERICVS Barbarossa Imperator, cùm propter arctiorem cognationem plus ualeret apud Austriacū, persuasit ei, ut de suo iure potiùs concedere, ac regredi, quàm progredi uellet: daret hoc publicæ paci Germaniæ, daret auspiciis suis imperij. Et ut hanc iacturam faciliùs faceret, auxit honore familiam Austriacam: cùm enim antea Marchiones essent, ducali titulo eos ornauit. [redacted]

Inter Germaniæ principes Electores, COMITES Palatini pacis studio semper fuere celebres, & ueri εἰρηνοποιοί. Eapropter tot Friderici inter eos extiterunt, conuenienti suis moribus nomine.

SOLYMANNVS Turcarum Imperator, obsidione Viennensi anno 1529. deserta, Budam reuersus, Ioannem Sepusium Vngariæ regem constituit, beneficiariumque & amicum appellauit, adiunxitque ei Aloysium Grittū, Veneti principis Andreæ F. pro cōfirmando regno. Accidit autem ut Solymannus Ioannem in eius tabernaculum cum proceribus Hungaris admissum impensè rogaret, ut Paulo Strigoniensi, & Petro Pereno parcere uellet, qui sacramenti immemores, idem quod sibi antea, dum coronaretur, officium Ferdinando præstiterant. Ad id clementiæ munus quum duriorem se ostenderet Ioannes, propter illorum leuitatem, Solymannus uocem paululum intendens, An tibi, inquit, in hac uita melius atq; honestius quicquam euenire posse putas, quàm si ex tua clementia, qui tui sunt hostes, ingrati apud mortales euadant, hoc est, æterno ignominiæ probro notati, quū in re sempiterna probi & clementis animi laus mansura sit? Iouius lib. 28. Hist.

Victores.

Agonothetes Argis Nemeorum creatus T. QVINTIVS Flaminius Proconsul, uicto Philippo, ludicrum optimè digessit, ac Græcis illic iterū uoce præconis pronunciauit libertatem, uti priùs in Isthmiis: urbesq; peragrās, egregia disciplina, magna iustitia, concordiaq; & amicitia eas inter se conglutinauit, componens seditiones, exules reducens: atque ouans quòd Græcos inter se conciliaret beneuolentia, non minus quàm quòd domasset Macedonas, ut minimū iam ducerent illi eius beneficiorum libertatis munus. Plutarch. in Flaminio.

Arbitri delecti.

Mitylenæos atq; Athenienses reduxit in gratiam PERIANDER Cypseli F. qui delectus arbiter, ita eos reconciliauit, ut utrique ea colerent quæ haberent. Atque hoc modo Sigæum factum est Atheniensium, cuius causa inter se dimicabant, quoniam Pisistratus illud Mitylenæis eripuerat. Herodotus libro 5.

ARCHIDAMVS Lacedæmonius Zeuxippi filius, inter duos collitigantes arbiter electus, cùm ambos in Chalciœci Mineruæ templum deduxisset, eos iureiurando adegit, ut quod ipse iudicasset, obseruarent. Mox imperauit, ne templo excederent, priusquam positis discordiis mutuam beneuolentiam redintegrassent. Plut. in Laconicis.

Mulieres.

Troglodytarum Aethiopiæ populorū certamina pabuli causa accepta dirimunt, quæ ætate præcedunt FOEMINÆ: quibus nullo periculo in medium prodeuntibus (nefas est enim has ullo pacto lædere) extemplò à certamine cessant. Diodorus Siculus lib. 4. cap. 3.

Vxores.

Athaulfus Vestgothorum rex, Roma post Alarici interitū hostiliter repetita, in animo habuit eam receptam funditùs euertere, diuersoq; urbem loco statuere, Gothiamq; pro Romanominare: & Cæsarū abolita memoria, Athaulphi appellationem in posteros transmittere. Tamē PLACIDIÆ coniugis suasu adeò est mutatus, ut breui non hostis, sed amicus urbis: non euersor, sed instaurator sit dictus. Sabellicus libro 6. cap. 4.

Matres.

Cyrus iunior fratri suo Artoxerxi Persarum regi, dum in templo inauguraretur, struebat insidias. Quibus detectis, nonnulli ex hac delatione manus ei autumant iniectas: alij penetrasse quoq; in templum Cyrum, indicatumq; cùm ibi lateret à sacerdote. Moriturum iam mater PARYSATIS ulnis complexa, ac capillo suo circumiiciens colligansque illius collum cum suo, multis lamentis & obsecrationib. obtinuit ei ueniam, effecitq;, ut remitteretur ad mare. Qui nō acquiescens illa in prouincia, neq; indulgentiæ memor fraternæ, sed uinculorum, ira consultrice acriùs quàm antè ad regnum gestiuit. Plut. in Artoxerxe.

Medici.

Anno Mauricij XIII. cùm Caianus Auarum & Hunnorum & Sclauinorum rex Thraciam infestaret, Priscus Mauricij dux, cùm non posset armis frangere, oratione flexit Barbarum. Misit enim THEODORVM medicum, qui hac oratione eum compellauit: Audi Caiane. Sesostris rex Aegyptiorum illustris & felix, opibus clarus, & inexpugnabili potētia, plurimas & ingentes nationes seruituti subigēs, hoc encomio elatus, currum aureum preciosissimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens, à quatuor regibus deuictis plaustra subeuntibus se trahi passus est. Hoc uerò cùm sæpiùs [redacted]; & celebri quodam festoq; die, ex quatuor istis regib. unus oculis conuersis continuò retrospiceret, & rotæ uolubilitatem intueretur: Sesostrisque eum, cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam coniiceret, percontaretur? respondisse is fertur: Cum stupore admiror rotam, cùm eam instabili modo ferri, atq; aliâs aliter uolui, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus demissa sublimantem conspicio. Sesostris ergo ubi dictum id intellexit, statuit, ne illi posthac currum traherent. His auditis, Caianus subrisit, & respondit, se pacem sectari. Paulus Diaconus de reb. Rom. lib. 17. Nicephorus lib. 18. cap. 29.

Quos. Reconciliare scilicet

Religionis ergò dissidentes.

Consule Tit. Conciliorum. quatenus illic Auctorum pacis religiosæ habetur ratio.

IOVINIANVS Imp. amans fuit consensus & concordiæ in Ecclesia docentium. Proinde Macedonianis libellum, de ratione forsan fidei suæ, aut accusatione aduersariorum exhibentibus, aliud nihil respondit, quàm, Contentionem se detestari: concordi uerò sententia coniunctos diligere ac uenerari. Subinde dicebat: Eos se complexurum amanter, & præ reliquis honoraturum, qui auctores uniendæ Ecclesiæ essent. Lucio presbytero Alexādrino, ex illis qui à Georgio ordinati fuerant, Athanasium deferenti & accusanti, cum interminatione mandauit, ut quiesceret. Sozomenus lib. 6. cap. 5.

IVSTINIANVS Imp. uti tranquillum imperium ab antecessore Iustino accepit, ita pacem Ecclesiæ pro uiribus constituere studuit. Alexandrino & Constantinopolitano episcopis Arianis, hostibus Chalcedonensis synodi, expulsis, alios in eorum locum substituit. Seuerum cum suis anathemate damnauit, pœna etiam ciuili constituta. Tertio imperij anno legem promulgauit, Ne essent Pagani aut hæretici, sed solùm orthodoxi Christiani, trium mensium spacio hæreticis ad conuersionem prorogato. Item, Vt quatuor synodi œcumenicæ, Nicena, Cōstātinopolitana, Ephesina & Chalcedonensis, ab archiepiscopis & omnibus ecclesiarum ministris reciperentur. Cùm cognouisset ob scriptum Theodori, Ibæ & Origenis, passim moueri certamina, aliis ea probantibus, aliis damnantibus: conatus est etiā hanc litis materiam abolere, idq; per synodum Constantinopoli congregatam decimoquarto imperij sui anno. In Libya Vandalis per Belisarium deuictis, pulsa Ariana secta iuxta uaticiniū Cypriani martyris, Christianis templa ipsorum, quæ ab Arianis nonagintaquinq; annis occupata fuerant, restituit. Euagrius lib. 4. cap. 9. 11. & 16. item Paulus Diaconus lib. 16. Procopius lib. 3.

Perpauci Cæsares in bello, ut de hoste uictoriam ferrent, tot labores adiere, quot SIGISMVNDVS Imp. bello infelix, ut pacem ecclesiasticam in trium pōtificum schismate constitueret, in concilio Constantiensi. Atq; ut Ecclesiæ pacem reddidit, ita inter duas nobilissimas regias Anglorū & Francorum sedare iras conabatur. In Franciam uenit comitatu nobilissimo, mox etiam in Angliam. Aemilius lib. 10.

Principes & Subditos.

AGRIPPA, qui Iudæorum postea rex factus est (cùm Romæ prætoriani milites Claudium Imp. elegissent in locum Caij interfecti: Senatus uerò libertatis recuperandæ studio cū Claudio armis decernere pararet) tanquam arbiter quidā, Claudio quidem, ut oblatam dignitatem constanter retineret, auctor fuit: Senatui uerò, ut Claudij imperium susciperet, ne ciuile bellum denuò excitaretur. Iosephus lib. 19. capite 4. Antiq. & lib. 2. cap. 10. belli Iud.

MACEDONIVS in mōtibus Antiochiæ uicinis eremita, cū audiuisset, Theodosium Imp. aduersus Antiochenos, qui ob tributum extraordinarium impositum statuam æream Placillæ reginæ demoliti erant, magnas cædes cogitare, libertate iam antè erepta: in media urbe præfectos ab equis descendere iussit, & Imp. suo nunciare, Meminisset se hominem esse, & à Dei opt. max. nutu pendere, eius benignitatē imitaretur: neque propter æream statuam, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curaret: maximè cùm statuæ multæ pro una reponi possent: at ne pilum quidem Imperator interfecto homine restituere posset. Præfecti Theodosio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. Theod. lib. 5. cap. 20.

Collegas.

Cùm aduersus Hānibalem SENATVS Cl. Neronem & Liuiū Salinatorem Consules mitteret, eosq; ut uirtutibus pares, ita inimicitiis acerrimè inter se dissidentes uideret, summo studio in gratiam reduxit: ne propter priuatas dissensiones Rempub. parum utiliter administrarent. Quia consimili imperio, ubi concordia non inest, maior aliena opera interpellandi, quàm sua edendi cupiditas nascitur. Vbi uerò pertinax intercedit odium, alter alteri, quàm uterque contrariis castris, certior hostis proficiscitur. Valerius Maximus lib. 7. capite secundo.

Cùm consulatum Cn. Pompeius & M. Crassus parum amico inter se animo gessissent, fertur consulatu ad finem tendente Sex. AVRELIVS in Senatu (ubi ambo erant Cōsules) dixisse: In somnis se à Ioue monitum, ut consulibus reuelaret, priusquam consulatu abirent, positis simultatibus, mutuā beneuolentiam redintegrarent. Quo audito Crassus, quanquam natu maior, primus consurgens, Pompeio dextram porrexit: haud indecorum sibi ducens, etsi senior erat, à se priùs Pompeium ad copulandum amorem uocari, cùm eū Senatus quanquam in prima adhuc iuuenta Magni cognomine honestasset, ac deinde cùm per ætatem Senator nondum esse posset, decretis duobus triumphis insignem reddidisset. Cui contrà cum Pompeius mutuam ostendisset uoluntatem, conciliatam ea hora amicitiam, quoad uixerunt, incolumem seruauerunt. Fulg. lib. 5. c. 1. ex Plutarcho.

Populares.

THRASYBVLVS populum Atheniensium XXX tyrannorū sæuitia sedes suas relinquere coactum, dispersamq; & uagam uitam miserabiliter exigentem, animis pariter atq; armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis uictoriam, clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc obliuio, quam Athenienses ἀμνηστίαν uocant, concussum & labentem ciuitatis statum, in pristinum habitum reuocauit. Val. lib. 4. c. 1.

Maximum fuit omnium THEMISTOCLIS operum, quòd bella Græciæ intestina extinxerit, contentionesq; eorum diremerit mutuas: suadens, ut suspenderent belli Persici causa simultates. Qua in re egregium socium habuisse memoratur Chileum Arcadem. Plut. in eius uita.

Fratres.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. coniuratos bonis tantùm multauit, humanitatem ab ipsa coniurationis principe, Anna Cæsarissa, sorore sua, Bryennij (in quem regnum transferre conabatur) uxore auspicatus. Quum omnis generis opes in domo Bryennij congestas spectaret, naturæ ordinem inuersum esse questus, quòd cognatos hostes, alienos amicos habuisset: etiam opes ad amicos transire oportere dixit: & omnia magnum domesticum Ioannem Axuchum, natione Persam, accipere iussit. Is uerò summæ Imperatoris munificentiæ gratiis actis, & dicendi quæ uellet potestate petita atq; accepta, Imperatori auctor fuit, ut seipsum humanitate uinceret, & sororem liberalitate non expectata sibi reconciliaret. Paruit eius monitis Ioannes. ut nescias, uter maior fuerit, Axuchúsne in rectè consulendo, an Imperator in promtè obediendo. Nicetas Choniates.

Quomodo. Verbi gratia,

Eloquentia, Ratione.

GRÆCI in sedandis discordiis uerbo hoc utebantur, *μὴ μνησικακεῖν*. M. Ant. Muretus lib. 2. Var. lect.

Chærephon philosophus uidetur feruidus admodum fuisse, & graues cum fratre inimicitias exercuisse. Xenophon tradit, SOCRATEM eos reconciliaturum, dixisse: Neq; oculorum neq; manuum ullam esse utilitatem, nisi consentiãt. Suidas. Simili ratione MENENIVS Agrippa Romanã seditionem compescuit. Plutarchus in Coriolano, & Valerius Maximus lib. 8. cap. 9.

Perhibent, cùm accusaretur Ligarius, quòd hostis Cæsaris fuisset, defendente reum CICERONE, dixisse ad amicos Cæsarem: Quid obstat, quin Ciceronem tanto interuallo audiamus dicentem? quando istum quidem iamdudum constat improbum hominem & hostem nostrũ esse. Postea uerò quàm Cicero dicere orsus mirificè eum mouit, uariisq; affectibus & mira gratia eius progressa est oratio: colorem identidem Cæsaris faciem uariasse, perspicuumq; fuisse, omnibus eum animi motibus uersatum. Deniq; ubi pugnã Pharsalicam orator attigit, fuisse usqueadeò permotum, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint. Ligarium igitur expugnatus criminè absoluit. Plut. in Cicerone.

Religione.

Concordiæ templum apud ROM. nullam aliam ob causam ædificatum esse constat, quàm ut hominum inter se odia & simultates, quibus Respublica fluctuaretur, in eo factis sacrificiis deponerentur. Ideoq; Seuero Romanorum Imperatore iam morbo extincto, cùm odium inter Getam & Antoninum fratres ob regni successionem esset ortum, Senatus decreuit, ut pro concordia utriusq; diis immortalibus sacrificaretur, ac præsertim ipsi Concordiæ. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

Quoties ROMÆ inter uirum & uxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum deæ Viriplacæ, quod est in Palatio, ueniebant: & ibi inuicem locuti, quæ uoluerant, contentione animorum deposita reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis uiris assecuta fertur: ueneranda quidem, & nescio an præcipuis & exquisitis sacrificiis colenda: utpote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, in pari iugo caritatis, ipsa sui appellatione uirorum maiestati debitum, à feminis reddens honorem. Valerius Maximus libro secundo, capite primo.

Cùm Eugenius VI. Scotorum rex, Pictis bellum pararet, Lindefernensis episcopus, CVTHBERTVS & ADAMNANVS Scotus, ultro citroq; frequenti usi legatione, frustra se pacem tentasse sentientes, ad diuinam opem recurrêre: sacris supplicationibus, uariis in Albione locis, quibus ipsi affuere, pro regum omnium consensu factis. Ferunt sanctissimos pontifices obtinuisse apud Deum optimum maximũ, ut eo bello perseuerante Scoti & Picti nunquam totis uiribus congrederentur. Continuatum est ergo hoc bellum, leuibus incursibus, uaria fortuna partium decertantium, magna sine iactura, ad Eugenij usq; mortem. Hector Boethius libro nono.

FOTHADVS Scotorum summus episcopus sacro habitu ad Grimum regem & Malcolmum Cumbriæ principem, de regno Scotorum decertantes, profectus, infestas acies ad pacem flexit. Idem lib. 11.

Conuiuijs.

Conuiuium solenne maiores ROM. instituerunt, idque Charistia appellauerunt: cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.

ABOLENDO IRAE MONVMENTA.

Laudandus in ROMANIS mos ille erat, quo renouari prohibebantur hostium spolia, posteaquam longo euo consumta inuenirentur. Odium enim, quod stantibus spoliis retineri uidebatur, tempore cum spoliis ipsis deleri curabant. Plutarchus in Rom. quæst.

LENITATIS PRISTINAE RECORDATIONE.

L. SYLLA inter cæteras suas felicitates numerabat, quòd Athenas, quas sibi bello Mithridatico captas licebat euertere, conseruasset. Plut.

CLEMENTIAE EXERCITATIO QVO AD

SEIPSOS. QVATENVS ACcepta iniuria tamen uel

NON IRASCVNTVR.

Differt uirtus ista ab ἀοργησίᾳ, quoniam recta ratione nititur. estq; propemodum diuina. Vt enim naturalis ualde affectus est ira, & ἀνθρωπικώτερον πάθος, quàm ἀοργησία, sic pauci reperiuntur, qui non ea corripiantur oblata occasione: præsertim cum facultas animæ ὀργιστικὴ ueluti satelles adiuncta sit rationi, ut illius imperio obsequatur. Videntur proinde ad deorum ἀπάθειαν proximè accedere, quòd à nemine penitùs se cõtemni aut cõtumelia affici posse existiment, quàm à seipsis, ut eruditè Socrates apud Platonem disputat: & propterea nemini irascendum, sed ignoscendum potius, & aliorum perturbationibus condolendum esse arbitrentur. Primi motus in nostra non sunt potestate: improuisos adoriuntur, rationis imperium anteuertũt. Quare in iis ἀπαθῆ esse, heroicum existimari debet. Ex Tit. Clementiæ erga uitæ insidiatores, exempla illustria huc afferri possunt.

Cùm ARISTIDI decennale exiliũ Athenienses intentarent, quidam literarum rudis & rusticus testam tenens adiit eũ, petens ut nomen inscriberet Aristidis: Tum ille: Nempe nosti, inquit, Aristidem? Nosse quidem illo negante, sed uri se Iusti appellatione: conticuit, ac inscripto nomine suo reddidit ei testam. Plut. in Apopht.

SOCRATES cuidam admiranti, quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuitiis incessebatur: Mihi, inquit, non maledicit: quandoquidem ea quæ dicit, mihi non adsunt, nec in me hærent. Atqui ob hanc causam hominum uulgus magis commouetur, si quid dicitur in immerentem. Erasm. lib. 3. Apophtheg.

DION Alexandrinus natione, præcipuam in philosophia laudem est consecutus. Huic erat frater luctator, nomine Topsius. Itaq; cùm quidam ex eius concertatoribus Dionem probris incesseret, multa interim turba ad conuitium, ut fit, affluente, ipse ne uerbo quidem respondit maledictis. Cæterùm, ubi iam intra ædium suarum uestibulum esset, hoc tantũ respondit, οὐδὲ γρῦ, id est, Ne gry quidem. Iuuenis autẽ animi impotens, laqueo se præfocauit. Ea res in uulgi fabulam abiit. Erasm. in Adag. ex Suida.

PHILIPPVS Macedonum rex, stomachãtibus amicis, quòd Olympiis Peloponnesij eum, cuius haberent beneficia, exsibilarent: Quid ergo, inquit, si læsi à nobis forent? Plutarchus in Apophth.

Tulit patienter per integrum diem in publico conuitiatorem temerarium & insolentem PERICLES Atheniensium alioqui princeps, nec, cùm uesperi se domum reciperet, à se repulsum adhuc maledictis insectantem: postremò ubi in primo domus limine cõnstitit, ad seruum conuersus: Ito, inquit, & hunc ciuem domum reducito. Plut. in Pericle.

M. CATO petenti cuidam ueniam, à quo fuisset in balneo per imprudentiam percussus: Atqui, respõdit, nunquam tu me, quod meminerim, percussisti. Plut.

C. IVL. Cæsar Dictator, resistenti uoluntati suæ Metello Tribuno plebis: Nunquam efficies, inquit, ut iram Cæsaris mereare. Suetonius.

EVPHRAXIA uirgo coram illa, à qua cõtumeliam indignè acceperat, ad genua procidens, ac si illam offendisset, ueniam petiit. Abbatissæ quoq; in illam animaduertere uolenti, ut missam faceret, supplicauit. Marul. lib. 5. c. 2.

ELIZABETHA Pannonium regis F. postquam amisso uiro Landgrauio Thuringiæ, distractisque fortunis, deo in paupertate seruire cœpit, fortè per uiam pergens lutulentã, nota cuidam feminæ, & in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta est obuiam. Quæ contemtim admodum superbeq; occurrens, ipsam, quam antea coluerat obseruaratq;, aduerso impulsam latere euertit in lutum, atque præteriit. Illa tacita subrisit, gaudens se ab hominibus despici, ut placeret Deo. Marul. lib. 5. c. 2. & Sab. lib. 9. c. 1.

Petrus PHILIPPVS Corneus Perusinus Iurecos. irasci ac animo commoueri perquàm raro in tota uita uisus est. cũq; laudari audiret nonnunquam, qui illicò quidem irascerentur, sed perfacilè ad lenitatem redirent & placarentur: multo satiùs dicebat esse, non irasci, cùm absque leuitatis nota ab ira ad mansuetudinem & animi æquitatem tam repentè fieri non possit mutatio & regressus. Fran. Maturantius Perusinus in uita Philippi Cornei.

Io. PICVS Mirandula uultu hilari semper erat, & placido adeoq; miti natura, ut nunquam se fuisse turbatum multis eorum audientib. testatus sit. Priuatim dicere solebat, in nullum euentũ (ut res pessimè cederent) ira se cõmoueri posse credere, nisi scrinia quædã deperirent, quib. lucubrationes eius & uigiliæ reconditæ stipabantur. Io. Fran. in eius uita.

NON VLCISCVNTVR.

Exempla complura ex loco seueritatis huc pertinent, quatenus Vindictæ detrahitur: illic quatenus indulgetur.

CHARILLVS rex Spartanorum, cùm ex Ilotis quidam ageret cum eo ferociùs: Occidissem herclè, inquit, te, nisi ira flagrarem. Plut. in Apopht.

ARCHYTAS Tarentinus, cùm seruorum offensam quampiam ruri & petulantiam comperisset, inde incensum in illos animaduerteret se grauiùs & asperiùs, nihil fecit, nisi quòd recedens ait: Bene uobiscum agitur, quòd in uos excandesco. Plut. de Tarda dei uindicta, & de Instit. lib.

SOCRATES calce cæsus ab audaci ualde & insolenti adolescente, ubi comites conspexit frementes atq; indignè factũ ferentes, ut etiam persequi uellent eum: Num si me calce, inquit, percussisset asinus, inuicem calce percutere eum uelletis? Non fuit tamen illi hoc impunè. Nam cùm insectarentur omnes eum, calcitronemq; appellarent, laqueo uitã finiuit. Plut. de Instit. lib.

PLATO cùm baculum puero intendisset, diu constitit, ut ille ipse narrat, dum ardorem animi refrenat. Plut. de Tarda dei uindicta.

THVCYDIDES Atheniensis historicus, à suis in exilium missus, ob proditionis suspicionem, fortunam illam æquo animo tulit: neq; unquam flere aut queri uisus est, neq; exilij auctores scriptis suis carpere. Rauisius.

Laus Imperatoris ADRIANI est maxima, quòd ex æquo disceptarit cum Phauorino, quem iure suo posset euertere. Ex quo Hom. illud sic à Philostrato enunciatur, *κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ, ὢν ὀργὴν κρατέῃ*, id est, Prestabilior censetur rex, si inferiori iratior indignationem comprimat.

D. BERNARDVS, cùm aliquando clericus quidam illi alapã impingeret, non tantùm se de illo non ultus est, sed etiam iussit eum deduci. Auctor uitæ lib. 3. c. 6.

VLCISCVNTVR, SED VEL

Inuiti.

Cùm quondam Burrhus, præfectus cohortium, in duos latrones animaduersurus, exigeret à NERONE, ut subscriberet libello supplicij deputati, inuitus accipiens chartam, exclamauit: Quàm uellem nescire literas. Quæ uox Neronis generosa ac principe digna, Senecam commouit, ut librũ de clementia Neronis scriberet. Cuspinianus.

Placidè.

ARTOXERXES Persarum rex, ducib. suis qui deliquissent, pro eo quòd solent flagris cædi corpora, iussit ut pro corporibus uestes illis detractæ cæderentur: utq; pro eo quòd solet illis uelli caput, tiara ipsa uelleretur. Plut. in regum Apophthegmatibus.

Fusos fugatosq; hostes hactenus consectabantur SPARTANI, dum fuga eorum confirmassent uictoriam: mox recepitui canebant. cædere & cõtrucidare fractos & manus dantes, neq; generosum rati, neq; Græcis dignum. Erat id non præclarum modò & celsi animi, sed conducibile quoque. Nam hostes, qui manus cum iis conferebant, terga uertendo seruari, quàm in acie manendo interfici, ducebant commodiùs. Plut. in Lycurgo.

Secundùm fata Antipatri, restitutã populo Atheniensi libertate, rerum capitalium fuit PHOCION cum amicis in concione damnatus. Ac cæteri plorantes ducebantur. Phocioni, qui tacitus ibat, ex inimicis quidam occurrens in os expuit. Hic oculos Phocion in magistratus conuertens: Nemo reprimet, inquit, istum, ne ita turpem se prebeat? Plut. in Apophthegmatibus.

ANTIGONO regi hostes ex muris deformitatẽ improperabant. Quibus ille: Equidẽ mihi formosus uidebar. Vrbe capta uẽdidit derisores istos, testatus, si postea insultarẽt sibi, apud eorũ dominos se de eis conquesturũ. Plut. de Nõ irasc.

MAGAS Aegypti rex, per Philemonem publicè in comœdia in theatro perstrictus:

> Ab rege literæ ueniunt tibi, Maga,
> Non didicisti infelix literas, Maga.

cùm hominem cepisset, in Parætonium tempestate actũ, militi imperauit, ut stricto gladio ceruicem eius tangeret tantùm, mox abscederet modestè: præterea talos & pilam ei ut carenti mente puero misit, missumq; fecit. Idem.

Nicodromus citharœdus, CRATETIS Cynici dictis lacessitus, impegit illi pugnum in os, & sugillauit. At Crates fronti imposuit tabellam, in qua scriptum erat: Nicodromus faciebat. itaq; obambulans, traduxit citharœdum. festiuiter alludens ad artificum morem, qui operibus suis inscribũt, Apelles aut Phidias faciebat. Laert. lib. 6. c. 5.

DIOGENES Sinopensis, Cynicus, ingressus aliquando conuiuium, malè acceptus est ab insolenti iuuenum cœtu, multisq; inibi cruentisq; plagis affectus. Tulit fortiter Cynicus senex contumeliosam illam conuiuij temulentiã, stultamq; intemperiem. Auctorum tantùm nomina exscripsit suo sanguine, exscripta ferculo circumtulit. Sab. lib. 5. c. 7.

AGATHOCLES tyrannus figulo patre natus fuit. Is cũ obsideret urbem quandam, quibusdam è muro conuitia in ipsum iacientibus, dicentibusq;: Figule, unde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus ac ridens respõdit: Quũ hanc cepero. At cùm urbe ui potitus fuisset, uenderetq; captiuos: Si me, inquit, denuò conuitiis affeceritis, apud heros uestros querar de uobis. Ciuiliter illis exprobrans & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem, maledicentiæ præmium. Plut. in Apophth.

Quum populus Atheniensis uideretur deliquisse quiddã, scripsit AVGVSTVS ex urbe Aegina: Non arbitror uos latere, quod uobis irascor. neq; enim Aeginæ hybernaturus sum. Nec aliud illis uel dixit, uel fecit: satis habens illis comminatum esse, si desisterent. Eras. lib. 4. Apophth.

BENEFICIIS INSVPER AFFICIVNT.

Bonum pro malo rependunt.

Vide Tit. Lytrum remissum. item, Liberalitas in Captiuos. Item Clementia in hostes.

LYCVRGVS Lacedæmonius, seditione ob mutatam Remp. orta, lapidibus impetitus, cùm Alcander iuuenis in iurgio oculum ei respiciẽti baculo excussisset, adolescentẽ ad supplicium datum nõ modò non incommodo affecit aliquo, sed perhumanè & sapienter domi instituit: ut non tantum insolentię & temeritatis secum attulerit in sapientis uiri domum, quantum inde prudentiæ & humanitatis reportauit. Porrò mali quod acciderat monumentum Lycurgus locauit dicatum in templo Mineruæ, cui ab æreo delubro nomen Chalciœco, deæq; cognomentum addidit, ut Optiletis diceretur. Nam Dores Lacedæmonem incolentes, oculos optilos uocant, ab ὄπτω, quod Græcis sonat uideo. Plut. in Laconicis & Lycurgo. Stobæus Serm. 17.

ALCIBIADES exul ciuibus suis multarum extitit machinator calamitatum. Vt primùm tamẽ pœnitere cognouit eos, mollitus est: ac cùm iterum fuisset ab iis eiectus, non probauit prætorum errores, neq; malè consulentibus & periclitantibus conniuit: uerùm factum, quod erga Themistoclem præcipuẽ celebratur Aristidis, idem erga illos duces quamuis inimicos egit: quos adiit, indicauitq; atq; docuit quid ex usu esset. Plut. in eius uita.

DEMOSTHENES fugientem post damnationem Aeschinẽ equo consectatus est. Quem comprehendi se ratum, atque ad genua se submittentem, caputq; uelantem excitauit, donauitq; ei talentum argenti. Plut. in uita Demosth.

Demosthenes, quum ab Areopagitis damnatus, elapsus è carcere fugeret, & haud procul ab urbe obuios habuisset aliquot diuersæ factionis HOMINES, primũ abdere sese uoluit. Sed quum illi nominatim Demosthenem appellantes, iuberent esse bono animo, & uiaticum insuper offerrẽt, grauiter ingemuit, dicens: Qui possum hanc urbem relinquere, in qua tales habeo inimicos, quales amicos uix in alia sum inuenturus? Plut. in eius uita.

DEMETRIVS Poliorcetes, Antigoni F. cùm cepisset Atheniensium, qui defecerant, urbem, eaq; grauiter rei frumentariæ penuria laboraret, protinus conuocata concione, dilargitus est illis frumentum gratis. Plut. in uita Demetrij.

M. CICERO A. Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in cõsulatu suo urbe expulerat. Idẽq; P. Vatinium dignitati suæ semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est, ut sine ullo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude. Quia speciosiùs aliquanto iniuriæ beneficiis uincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur. Val. li. 4. c. 2.

CN. Pompeius affuit moriẽti L. Syllæ. Et quamuis Sylla ostendisset, se minùs beneuolè erga illũ affectum ex testamento (aliis enim munera legauit, alios filiorũ curatores instituit, sed Pompeium omnino præteriit) tulit tamẽ hoc modestè:

cumq; Lepidus Consul contradiceret, ne Sylla in campo Martio sepeliretur, néue funus fieret publica impensa: Pompeius suo præsidio gloriam simul defensionemq; funeri attulit. Plut. in Pompeio.

Cùm Antius Restio proscriptus à Triumuiris clàm se intempesta nocte subducere uellet: eius furtiuū egressum obseruauit SERVVS, ab eo uinculis coercitus, inexpiabiliq; literarum nota per oris contumeliā inustus: & nihil moratus iniuriam sibi ab hero illatā, ut sensit cupidos sanguinis milites superuenire, amoto domino rogū extruxit, eiq; egentē à se cōprehensum & occisum senē superiecit. Interrogātib. deinde militibus, Vbinam esset Antius? manum rogo intendens, Ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri, respondit. Quia uerisimilia loquebatur, habita est uoci fides. Quo euenit, ut Antius statim quærēdæ incolumitatis occasionē assequeretur. Val. lib. 6. c. 8. & Dion in Augusto, & Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11. & Appianus lib. 4. Bellorum ciuilium.

CLAVDIVS Cæsar arctiore annona ob assiduas sterilitates detētus, quondam medio foro à turba, cōuitiisq; ac simul fragminibus panis ita instratus, ut ægrè nec nisi postico euadere in palatium ualuerit: nihil nō ex eo cogitauit ad inuehendos etiam in tempore hyberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit suscepto in se dāno, si cui quid per tempestates accidisset: & naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda. Suetonius.

Ouinius Camillus, antiquæ familiæ senator, homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum ALEXANDRO Seuero renunciatum esset, ad palatium eum uocauit: eiq; gratias egit, ꝙ reipublicæ curam, quę bonis uiris recusantib. imponi solet, spontè susciperet. Mox ad senatum produxit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem imperij appellauit, in palatium recepit, ornamētis imperialibus, & meliorib. quàm utebatur ipse, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Cumq; Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit & Ouinium delitiis assuetum ad laborem, quem post quinq; millia passuū cunctantem equo sedere iussit. Quumq; post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoq; respuentē, ac imperium tędio laborum recusantem: deniq; & mori paratum, dimisit, ac militibus, à quib. Cæsar præcipuè diligebat', cōmendatū, ad uillas suas tutò abire iussit. Sic illi cōmonstrauit, quid esset gerere imperiū. Lamprid.

LVCIVS III. Pp. cùm audisset, Christianū archiepiscopū Moguntinum, Friderici I. Imp. polemarchum, non longè ab urbe morbo implicitū in magno uitæ discrimine esse: iniuriarum, quas sub Alexandro III. Ecclesiæ fecerat, prorsus oblitus, ad illum adiit, ac noxiis per solennem confessionē remissis uiaticum præbuit, atq; ipsum animam agentem reliquit, anno MCXXCII. Sigonius lib. 14. regni Ital.

IOANNES Eleemosynarius episcopus, conquerenti nepoti de uillico conuitiatore, respondit se ita in eum uindicaturum, ut nemo non miraturus sit. accersitoq; annuū tributū remisit. Cùm à quodā mendico pro data eleemosyna contumeliam recepisset, clericos in eum insurgentes cohibuit: se in causa esse asserens, quòd petenti minus quàm indiguerat impendisset. Illoq; accito, omnem quā habebat pecuniam coràm effudit, ut quantam uellet auferret. Marul. l. 3. c. 3.

IOANNES Damascenus pro eo, cuius calumniis à Theodosio Imp. tanquam falsarius damnatus dexterā amiserat manum, diu intercessit, ne in dolo deprehensus capite puniretur. Imperator admiratus hominis patientiam, ipsum pro quo rogabatur, interfici uetuit: sed tamen ne tantum scelus omnino impunitum abiret, in exilium ablegauit. Damasceno scribæ pristinum munus restituit, cùm eidē manus quoque redintegrata diuino beneficio fuisset. Idem.

ELPHEGVS, Cantuariēsis archiepiscopus, Deo supplicādo, & panem benedictum morbo affectis porrigendo, pestilentiam sedauit: in ipsos tantùm Cantuariæ occupatores grassantem, qui ab Edelthredo rege secedentes, cum piratis inita societate in urbem hostiliter irruperāt, magnam ciuium partem sustulerant, monachos interfecerant, templū incenderant, Elphego graue uulnus inflixerant, & carcere teterrimo per menses VII macerauerāt. Romam pergens, cùm in urbem Ausoniam diuertisset, omnibus quę secum habebat exutus, urbeq; eiectus fuisse dicitur. At cùm repētino tecta incendio conflagrare cœpissent, reuocatus oratione flammas extinxit: & plurimis donis oblatis ipse nihil accepit, præter ea, quæ sibi modò per uim erepta fuerant. Idem.

Henricus IV conuentu Moguntino à principibus ab imperio deiectus, & Ingelheimæ insigniis imperialib. exutus, fugit Limburgum. Inuenit uenantem ibi QVENDAM ex principibus, quem pridem illo priuauerat ducatu. Hic ut audiuit rem gestam, misertus illius, fertur collegisse octingentos loricatos, & reduxisse Imperatorem Coloniam. Cranzius. lib 5. Saxoniæ, cap. 20.

STENO iunior, Sueonum rex, Christiernum II. Danorum regem Stocholmiæ sese obsidentem, & summa rerū omnium inopia, uentoq; aduerso ad extrema redactum, commeatu liberaliter donauit. Anno MDXIIX. Io. Magnus lib. 23.

CONSALVVS Magnus Gallos hostes, Caieta dedita, regno Neapolitano excedentes, multis equis liberaliter donauit. Iouius in Consaluo.

ALOISIVS Gordus, Hispanus, Rauennate in prælio Odetū Lotrechium, inclyti nominis Gallorum ducem, multis acceptis uulneribus cruentum prostratumq;, ne à commilitonibus, qui iuxtà Gastonem Foisseium, Gallorum hostium imperatorem confoderant, interficeretur, corpore suo protexit atq; seruauit. Idem.

ALIOS. ET VEL
CVM CERTAMINE. CERTARE
CVM ALIORVM

Clementia, æmulando, par pari referendo.

☞ *Ex loco Gratitudinis huc quædam transferri poterunt.*

PTOLEMÆVS Lagi, rex Aegyptiorum, cùm Demetrium Poliorcetem, Antigoni F. classe exuisset, eam illi cum omni præda restituit. Itaq; Demetrius deos precatus est, uti sibi tanti beneficij rependendi occasionem concederent. Neq; uerò multo pòst Demetrius de Ptolemęo Aegypti rege naualem uictoriam retulit claram & insignem. Eam tamē multo magis facilitate & humanitate decorās, hostes, qui ceciderāt, magnificè funerauit, atq; captiuos missos fecit: ingenuè fassus, non tam se uictoria ipsa lætari, quàm quòd occasionē gratæ clementiæ erga Ptolemæum exercendæ nactus esset. Plut. in Demetrio.

CN. Pompeius uicto Sertorio nō modò militibus eius impunitatem proposuit, sed & literas ciuium in Sertorij scriniis, Perpenna ultrò deferente, deprehensas, quibus opem atq; operam illi suam aduersus Syllanas pollicebantur partes, non lectas, bona fide, inspectante exercitu combussit: ne illis spem omnem reconciliationis adimeret, néue hostes apertè fierent, si esse crederentur. Retulit CÆSAR pro Sertorio & Mariana factione bis Pompeio gratiam, inquit Plin. lib. 7. c. 25. Semel ipsi eidem uicto ad Pharsalum Thessaliæ: iterum in eius socero Metello Scipione ad Thapsum Africæ: uidelicet, ne si tot ciuium animi, mentes, consilia palàm fierent, acrius sibi esset, quàm quod gerebat, suscipiendum bellum. Quin Cæsar idem & ciuibus omnibus, quicunque Pompeij essent partes ac uoluntatem secuti, clementissimè ignouit, ut nullus toto illo bello perierit, nisi in acie armatus. Plut. in Vitis & Dione.

BALDVINVS I. Hierosolymorum rex, in Arabiam duxit: quā à solitudine uindicabant incolæ uagi tabernacula circumferentes. Inde ingentem uim armentorum abegit, hominumq; promiscuè omnis generis, ætatisq;. In his erat cuiusdam Phylarchi uxor grauida: quę inter cæteros captiuos camelo imposita, cùm in præpropero Latinorum reditu coortis maturitate partus doloribus deficere uideretur: rex recurrens deponi eam, ex spoliisq; hostiū substerni uestimenta iussit, amiculoq; suo illam operuit, abiitq;, remanere cū domina seruo iusso, ac quadam ex captiuarum grege, quæ obstetricis munere fungeretur: simul camelo fœta ad infantem eo lacte alendum relicta, aquaque in utre, ac fructibus in sportula agrestibus ad puerperam sustentādam, reliquū iter confecit. Phylarchus ad primū Latinorum in solitudinem impetum trepidus, ulteriora petierat: deinde recepto animo, contractisq; popularibus, prædones insequebatur, & prædam cæteram & uxorem recuperaturus. In medio itinere reperit uxorem, infantemq; natum, ac ancillam utriq; ministrantem. Admiratione gaudioq; repentino substitit: tamq; grato animo factum Latini regis Phylarchus accepit, ut clandestinum fœdus cum rege percusserit, sanctèque seruarit, cumulatiorem gratiam suo tēpore relaturus. Nec occasio diu defuit. Balduinus in Rhamulensium urbe conclusus erat, eam postridiè Aegyptiis uictoribus aggressuris, certa expugnandi spe. Phylarchus Arabs noctu fide clā data acceptaq; in urbem receptus, memor Balduini temperantiæ humanitatisq;, salutem ei attulit: illumque, paucis suorum tanti arcani consciis, in tutum reduxit. Rex ꝓ mortuo deploratus fuerat Hierosolymis, Ioppeq;, ac reliquis urbibus ditionis suæ. Repentè superueniens, mira lætitia omnes affecit: tantamq; alacritatem indidit, ut congressus rursus cum hoste ingentem uictoriam reportauit. Aemil. lib. 5.

Crudelitate.

☞ *Ex superioribus Reconciliantium exempla huc transferantur, quatenus iratos placando, sua mansuetudine aliorum feritatem subigunt.*

Cùm Pyrrho Epirotarum regi, tegulæ ictu, dum Argos occupat, à muliere oppresso, Zopyrus quidā Macedo caput amputasset:

accurrens Alcyoneus ANTIGONI F. postulauit caput, ac si inspicere uellet. Vbi accepit, ad patrē aduectus, abiecit id ad pedes eius cum amicis considentis. Qui ut caput aspexit & agnouit: filium abegit, incusso baculo, nefarium & barbarum uocans: ac chlamyde oculis admota illacrymauit, aui Antigoni & patris Demetrij domesticorum exemplorum ad fortunæ uices recordatus. Caput & truncum Pyrrhi cremauit magnificè. Cùm uerò Alcyoneus Helenum Pyrrhi F. in quem inciderat, abiectum atq; obsoleta opertum chlamydula benignè appellasset, & ad patrem adduxisset: Antigonus ubi id uidit: Melius, inquit, sic, fili, ꝙ antè: sed tamen nec nunc quidem rectè, quòd uestem hanc, quæ nos magis, qui uidemur uictores, dedecorat, non detraxeris. Inde comiter exceptū & ornatum in Epirum remisit Helenū, amicosq; Pyrrhi, castris & exercitu toto in potestatem suam redactis, humaniter appellauit. Plut. in Pyrrho.

M. BRVTVS uictor in campis Philippicis ex captiuis seruitiorum multitudinem suspectè inter milites uersantium imperauit interfici. Ex liberis capitibus aliquos dimisit, ab hostibus dicens potiùs captos, atque apud illos captiuos & seruos esse, apud se liberos & ciues. Sed cùm cerneret amicos suos & duces implacabiles, occultans alios, & ad euadendum adiuuans, seruauit eos. Erat quidā Voluminius mimus & Sacculio sannio capti. Hos Brutus cùm contemneret, adductos ad eum accusauerunt amici eius; ne tunc quidem à dicteriis & contumeliis in ipsos iaciendis temperare. Cùm Brutus aliis intentus curis taceret, Messala uerò Coruinus censeret in tentorio multatos uerberibus nudos ducib. hostium remittendos: quò uiderent, qualibus iā bello compotoribus & familiaribus haberent opus: aliqui ex astantibus arrisere. P. Casca, qui Cæsarem uulnerauit primus: Indignū, inquit, est, ut mortuo Cassio per ludum & risum parentemus. At tu declarabis, Brute, ecquam memoriā habeas imperatoris, uel puniendo uel conseruādo eos, qui irridebūt & obtrectabūt illi. Eo dicto exarsit uehementer Brutus, &, Quid igitur, inquit, me, Casca, rogatis, quin agitis ꝓ uestro arbitrio? Hoc eius responsum pro assensione aduersus illos miseros accipientes, abreptos interfecerunt. Plut. in Bruto.

ABSQVE CERTAMINE, QVANDO
aliorum IRAM, Feritatem

Indignè ferunt.

PROÆRESIVS Cæsariensis sophista, quum maxima gloria uenisset Athenas, exceptus ingenti multitudinis plausu, frequentissimo theatro orationem habuit extemporalem: cui Iulianus concessit, ut ipse solus Christianos docere posset. Sed eruditus homo indignatus tam atrox & iniquū principis edictum, scholam reiecit, non sine studiosorum permagno dolore. L. Viues in lib. 18. Aug. de ciu. Dei, c. 52.

Reprehendunt.

CATO Censorius conuerberantes uxorem uel filios dicebat τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς προσφέρειν τὰς χεῖρας. Quin & ampliùs laudandum censebat, qui bonum ageret maritū, quàm qui senatorem magnum: nec re ulla mirabiliorem uideri Socratē, quàm quòd uxorem nactus difficilem & stupidós liberos, comiter ac humanè uixisset, ἐπιεικῶς καὶ πράως διετέλεσεν. Plutarchus in Catone.

Cùm simul sermones sererent Antoninus Bassianus Caracalla, & GETA ipsius frater, detectis coniurationibus aduersus Seuerum patrem: dicente Bassiano, debere coniuratos omnes occidi: respōdit Geta, mortem suam ominatus: Tu, qui nemini parcis, possésne etiam fratrem interimere? Nec multo pòst, mortuo Seuero patre, Bassiani manu Geta fuit interemtus. Spartianus.

CLEMENTIA RESPECTV PERSONARVM, HOC est, EORVM erga quos exercetur. ERGA

HOMINES, CONSIDERATOS RESPECTV
SOCIETATIS POLITICÆ. CLEMENTIA ERGA

Subditos.

MOSI Israelitarum ductori & liberatori à seruitute Aegyptia quā ingratus fuit populus, quamuis maximis miraculis editis Dei præsens auxilium confirmasset? Cùm ad mare rubrū peruenissent, & Aegyptios sequentes uiderent, contra Mosen fremebant, quòd eos in solitudinem morituros duxisset, quasi deessent sepulcra in Aegypto. At diuiso mari rubro incolumes per medios fluctus duxit, Pharaone cū suis oppresso. Exod. 14. Mox in solitudine Sinē recordati ollarū carnis in Aegypto & panis, tumultuabantur. At Dominus illis coturnices & mannam de cœlo demisit. Exod. 16. Rursus cùm castris positis in Raphidimo aquam non haberēt, parum aberat, quin Mosen lapidassent. At Moses petrā percussit in Horebo, ex qua manauit aqua ad populi potionē. Locum uocauit Massam à tentando deo, & Meribam à iurgio contra Mosen. Exod. 17. Item cùm uxorem Aethiopissā duxisset, Aaron & Maria soror summoperè ei succensuerūt, exprobrantes ei, quòd non ipsi soli, sed sibi quoque Dominus locutus esset, ne ea re superbiret. Moses econtrà mitissimus, Mariam sororem, quæ lepræ morbo propterea à Domino fuerat affecta, precibus suis denuò liberauit. Num. 12. In solitudine Pharane cùm speculatores redissent, & terræ sanctæ incolarum robur exaggerassent, uniuersa multitudo totam noctem in ploratu ducebat, & contra Mosem & Aaronem fremebat, quòd ab illis ex Aegypto educti essēt, ut ab hostibus ferro trucidarentur, feminæ, liberi hostibus prædæ forent: satius sibi esse in Aegyptum reuerti. Iamque de duce creando agitabant. Moses & Aaron corā illis procidere, uestes suas lacerare, ne contra Dominum murmurarent, monere. At populo eos lapidare uolente, Domini splēdor in oraculari tabernaculo apparens eum cohibuit, totamq; gētem peste se exterminaturum minatus, à Mose ad clemētiam denuò fuit inductus, populoq; culpam remisit, ita tamen ut qui auctores seditionis fuerant exploratores morte pœnas luerint, & nullus eorum, qui contra Dominū & Mosem insurrexerant; terram Sanctam fuerit ingressus, exceptis Iosua & Calebo. Num. 14. In eadem solitudine Cora Isaaris F. Leuita, & Dathan & Abiramus Eliabi F. & On Phelethi F. Rubenitæ, contra Mosem & Aaronem coniurarunt, unà cum CCL Israelitis uiris primariis, dicentes ꝙ uniuersa multitudo ex sacris hominib. constaret, neq; decere, ut ipsi sese supra Remp. sacram efferrent, & solius Aaronis posteri sacerdotes essent. Moses igitur Coram cum suis assectis postero die adesse iussit, Aarone simul affuturo, & suam quenq; acerram habere, iniectoq; suffimento iis corā Domino libare. Dathan & Abiramus superbè se uenturos negarunt. At Cora cum suis comparuit, ueluti cum Aarone de sanctitate certaturus. Libantibus illis, Domini splendor apparuit: & cùm totum populū perdere uellet, intercedente Mose, ei pepercit, & tantùm ut à Coræ, Dathan & Abirami tentoriis omnes recederent, præcepit. Quod cùm factū esset, tellus dehiscens tentoria illorum cum iis quæ habebant, absorpsit. Coram uerò cum CCL uiris libātibus ignis à Ioua profectus absumsit. Acerras autem æreas illorū Eleazarus Aaronis F. ex præcepto Domini è medio collegit incendio, & in laminas diduxit, quibus ara incrustaretur: ut ea res Israelitas admoneret, ne quis alienus & alterius seminis quàm Aaronis Iouæ suffitum faceret. Postridie iterum conspirauit tota multitudo in Mosem & Aaronē, obiicientes, ab eis occisos esse Iouæ homines. Cūq; ad uim res spectaret, & omnes concurrerent, splendor Domini ad oraculare tabernaculum apparuit. Moses Domini iram cōtra populum animaduertēs, Aaronem sumto thuribulo ad populum properare, & suffimine iniecto pro eo supplicare iussit, ut cladem iam cœptam auerteret. Aaron itaq; in medio populi, stans inter uiuos & mortuos, cladem cohibuit: cū iam 14700 absumti essent. Num. 16. In solitudine Sinem ad urbē Cadem, ubi Maria Mosis soror obiit, cùm aqua carerent, cū Mose iurgare cœperunt. Iussu Domini Moses petra percussa aquam elicuit. Locus Aquæ iurgij nomen meruit. Num. 20. Ab Horæ monte profecti, cùm uersus mare rubrum uaderent; ut Idumæorum fines circuirent, pertæsi itineris, & Mannæ, contra Dominū & Mosen murmurarūt. Dominus ergo presteres illis immisit: Mose tamē intercedēte, erectus est serpēs æneus, quē qui intuebātur, liberabātur. Num. 21.

Collegas.

ARISTIDES Themistoclem omnibus in actionibus suis cū aduersarium habuisset, atq; eius opera fuisset in exiliū pulsus: ubi occasio de illo se uindicandi ad populum accusato oblata est, non reuocauit ea ad memoriam: sed cùm eū Alcmæon Cimonq; & alij multi fatigarent, ac periculum crearent, solus Aristides nec facto læsit eū nec dicto: neq; squallori insultauit inimici, sicut nec antè inuiderat ei rebus lætis. Plut. in Aristide.

STASIPPVS Tegeates, hortantibus amicis ut grauem in administratione Reipub. æmulum, sed alioqui probum & ornatum uirum, qualibet ratione uel tolleret, uel summoueret: negauit se facturum, ne quem in tutela patrię bonus ciuis locum obtineret, malus & improbus occuparet: seque potiùs uehementi aduersario urgeri, quàm patriam egregio aduocato carere præoptauit. Val. lib. 4. c. 1.

TIB. Gracchus Trib. legem agrariam magna opulentorū cùm

inuidia perferre cogitabat. Ei sese opposuit, C. Octauius Trib. rogatu nobilium. Itaq; quotidie ferè in Rostris Tiberio erant cum Octauio certamina, summa contentione ac studio; nec minore cum modestia: nihil enim unquam contumeliosè feruntur inuicem dixisse, neq; uerbum excidisse in alterum alteri ex indignatione importunum. Iam cũ uideret Tiberius, legẽ se, in Tribunatu existente Octauio, perferre non posse: conuocato populo conscendit Rostra, annisusq; denuò est Octauium inducere ad desistendum. Qui ut fuit inflexibilis, legem rogauit, qua Tribunatus ei abrogabatur: populumq; extemplò misit in suffragia. Ex quinq; & XXX tribubus, ut XVII legem iusserunt, una autẽ si insuper accederet, priuatus fiebat Octauius: iusso sustineri suffragia, aggreditur ex integro Octauium precibus, ac complectitur hominem conspiciente populo, osculaturq; eum supplex atq; obsecrans, ne admittat, ista ut ei infligatur infamia, neue tam acerbi sibi & tristis causa actus inuratur. Has preces haud undequaq; memorant immotum & rigidum audiuisse Octauium: sed obortas eis lacrymas quoq; fuisse, ac perdiu silentium tenuisse. Postquàm tamen ad peculiosos & locupletes conglobatos conuertit oculos, rubore apparet eũ & metu, ne incurreret apud illos probrũ, omnia acerba substitisse: nec ingenerosè, Ageret, dixisse, quod ei uisum esset, Tiberius. Ita perlata lege imperauit Tiberius uni ex libertis, ut Octauium de Rostris detraheret. Plut. in Tiberio.

IDEM Tribunus plebis, cùm ex professo inimicitias cum Africano & Asiatico Scipionibus gereret, & Asiaticus iudicatæ pecuniæ satisdare non posset, atq; ideo à Coss. in uincula publica duci iussus esset, appellassetq; collegium Tribunorum: nullo uolente intercedere, secessit à collegis, decretumq; composuit, nec quisquam dubitauit, quin eo scribendo, irati hostis aduersus Asiaticum uerbis usurus esset. At is iurauit, primùm cum Scipionibus se in gratiam nõ redisse: deinde tale decretum recitauit: Cùm L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum subactos hostiũ duces in carcerem cõiecerit, indignũ & alienum à maiestate pop. Rom. uideri, in eundẽ ipsum duci. Itaq; se id non passurũ fieri. Libenter tunc opinionẽ suam pop. Rom. à Graccho deceptã cognouit, moderationẽq; eius debita laude ꝓsecutus est. Val. Max. lib. 4. c. j. & Plut. in Graccho.

Acerrimè cũ Scipione Africano METELLVS Macedonicus dissenserat, eorumq; ab æmulatione uirtutis profecta contẽtio, ad graues testatasq; inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cùm interemtum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, mœstoq; uultu & uoce cõfusa: Concurrite, inquit, ciues, mœnia nostrę urbis euersa sunt: Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria uis allata est. Idem filios suos monuit, ut funebri eius lecto humeros subiicerent, atq; huic exequiarum, illum honorẽ uocis adiecit: Non fore ut postea id officium ab illis maiori uiro præstari posset. Val. lib. 4. cap. j.

M. CATO iunior Trib. pl. cùm Metelli Nepotis collegæ sui legem de reuocando cum exercitu Pompeio summa constantia impugnasset, magna in laude fuit, qui non leue excussẽrat à rep. tribunatus Metelli pondus, ac Pompeij quodammodò in Metello conculcauerat potentiam. Multò magis celebratus est, quòd suggillare Metellum & abrogare ei magistratum molienti obstiterit Senatui, in eoq; aduersatus sit, & precibus placauerit eum ordinem. Nam uulgus humanitati & moderationi eius adscripsit, quòd inimico non insultasset, neq; ludibrio habuisset eum, quẽ ui superauerat. Prudentibus uerò rectè uisus est & salubriter non lacessiuisse Pompeium. Plut. in Catone.

Neapolitano rege Ladislao magnis uiribus Tudertum oppugnante, quum Bracciũs Montonensis repentina & graui eruptione Paulum Vrsinum ueterem Magni SFORCIÆ inimicum adortus, ita copias eius cecidisset, ut statione & totis deniq; castris ipso duce pulso & fugiente pelleretur: nõ dubitauit Sforcia, quin circumuento & penè capto opẽ ferre maturaret, cùm sibi in sua castrorum parte designatũ locum tueri, ac inimici cladem otiosè spectare optimo militiæ iure licuisset: uociferante atq; irridente Braccio, quòd Sforcia communem inimicũ, quem interficere deberet, clementiæ & stultæ lenitatis nomine conseruasset. Id factũ Ladislaus rex magnoperè commendauit, Sforciæq; dono dedit equum phaleratum, atq; item liciniã ex purpura auroq; insignem, argenteis squamosam bracteis, qua ille uti in præliis soleret, ut palàm in Sforcia raræ uirtutis simul & clemẽtiæ decus testaretur. Iouius in uita Magni Sforciæ.

Milites.

ALEXANDER Macedo, uictis Persis, in Indiam suscepta expeditione, XXX millia puerorum, quos exercendos & instituendos reliquerat, uirili corpore inuenit & specie decora. Itaq; dimissis domũ debilibus & inutilibus, Macedones inuidia moti erga istos iuuenes, missionẽ omnes flagitare cõclamareq;, oẽs Macedonas pro inutilib. haberet, solos hos iuuenes retineret saltatores, quibuscũ orbẽ terræ iret subiugatum. Inde cõcitatus Alexander frendensq;, amotis Macedonib. corporis sui custodiã tradidit Persis, atq; ex his satellites apparitoresq; selegit. A quib. cùm cernerent illũ stipari, se uerò reiici ignominiosè, reuersi ad se, perrexerũt ad regis tabernaculum inermes & tunicati cũ clamore & plangore, offerẽtes semetipsi petentesq;, uteretur ipsis quasi improbis & ingratis. Sicq; per duos dies & noctes pro tabernaculo eius lamentantes dominumq; appellantes perdurauere. Tertio die rex prodiit: ac cùm lamẽtabiles abiectosq; uidisset, in lacrymas longo spacio est effusus. Inde modicè castigauit eos, tum appellauit humaniter, & dimisit inuiles, ubi eos magnificè donauit. Plut. in Alex.

C. IVL. Cæsar militum suorũ delicta neq; obseruabat omnia; neq; pro modo exequebatur: sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, conniuebat in cæteris. Ac nonnunquã post magnam pugnam atq; uictoriã, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat: iactare solitus, milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse. Polyænus lib. 8. & Sueton.

Apud GRÆCOS & ROM. milites, quamuis graui ignominia affecti essent, si tamen ad officium redeuntes, semel atq; iterum bene nauatam reipub. operam præstitissent, singulaq; aut bina ex hostibus spolia retulissent, aut digno aliquo facinore flagitij labem aboleuissent, tunc demùm uno atque altero felici prælio priori culpa correcta, & obliterata memoria dedecoris, noxa atq; ignominia soluti, & in eo quo priùs erant gradu restituti, pristinam dignitatem & honoris gradum, quibus antea functi erãt, quandoq; receperũt. Notatumq; & illud est, perrarò bis delictum Imperatores uenia dignum putasse: quia iuxta uerbum Lamachi summi Atheniensium ducis, non est in bello bis errare, ubi si quid offenditur perperàm temeritate uel inscitia, emendari non potest: paruaq; in bello offensa, magnarum sæpe rerũ momenta facit. Alex. lib. 2. cap. 13.

Hospites morosos, iniurios, improbos.

Cùm Chij in peregrinatione à cœna in Ephororum tribunali uomuissent, atque in illorum sellis cacassent: primùm actis quæstio habita est in auctores, an essent ciues. Vt Chios fuisse senserunt, EPHORI per præconem pronunciauerunt, Chiis permitti petulantibus esse. Plut. in Apophth.

Impetrauit ab Athanasio urbis antistite ALEXANDRINA mulier tàm diues, quàm nobilis, ut ex uiduis, quæ ecclesiæ sumtu alebantur, daretur sibi una aliqua alenda. Data est illi mulier, miti & suaui ingenio, cuius facilitate auctum est matronæ studium in pauperes. Poposcit sibi alteram dari. Casu an consilio, non facilè dixerim, data est peruicax & inhumana mulier: ex qua cùm ex pio hospitio probra & sæua uerbera reportaret, gratias egit Athanasio, quòd talem dedisset, per quã ad patientiæ cultum exerceretur. Sabellicus libro 9. capite j.

In collibus apud quos natus sum (inquit Petrarcha) uiditatas nostra NOBILEM quendam uirum, cuius primum studium fuit, excipere transeuntes apparatu magnifico. Die quodam à syluis & uenatu, cuius quoq; perstudiosus erat, incultam & dumis laceratam tunicam indutus, rediens, plenam hospitibus domum reperit. Quibus honorandis intentus, dum huc illuc cuncta prouidens discurrit, in quendam illorum superbum & stabula purgantem famulum incidit, cœpitq; eum blandè corrigere. Impatiens iræ furcifer, extenta manu faciem eius percussit. Abiit ille tacitus. Mox certiens famulus quem pulsauerat inter discumbentes medio, trepidare cœperat. Tandem explorato quisnam esset, erroris ueniam poposcit. Cui ædium dominus: Tibi, inquit, libens parco: huic autem (tunicam suam digito ostendens) non parco, quæ ut ita tractarer, effecit.

OECONOMICÆ SOCIETATIS. CLEMENTIA ERGA

Liberos.

Iacobum patriarcham ætate florentem duas Labanis filias, quæ illi nupserant, partémque armentorum multò maximam clàm secum abducentem, socer LABAN assecutus, ac fecisset haud dubiè extremo supplicio tam meritum, quàm ultioni obnoxium. Aderat seni clientum & seruorum manus ingens ad uim & iniuriam parata, nisi filiarum lacrymæ intercessissent: quæ apud Labanem tanti fuêre, ut ubi pœna fuerat exigenda, ictum sit fœdus: ut qui inimicus & ultor uenerat, pater inde & socer abscesserit. Sabellicus libro 3. capite 4.

DAVID rex Absalomo F. qui fratrem Amnonem interfecerat in conuiuio, & triennio apud auum maternum in Syria exulauerat, ignouit, & per Ioabũ reuocauit. Sex annis pòst regno pulsus ab eodem Absalomo, Ioabum cum militibus ad eius impetum sustinendum extra urbem Mahanaim (in quam Dauid confugerat trans Iordanem) misit, seuerè illis præcipiens, ut iuueni Absalomo parcerent, neq; eum interimerent. At cùm in fuga à Ioabo cæsus esset Absalomus, Dauid re comperta, luctu omnia longè lateq; compleuit, ita ut exercitus non triumphantis, sed fugientis specie urbem ingredi cogeretur. 2. Reg. 18.

Habet exempli instar pondus ingẽs imaginarius ille PATERFAMILIAS, quem Euangelica celebrat historia: qui prodigum filium peregrè reuersum, non modò non auersatus est (patrimonij enim partem unam turpiter prodegerat) sed seminudum & inedia confectum nuptiali ueste texit, festisq; accepit epulis. Dignus qui aut meliorẽ illum genuisset, aut in melius (ut euenit) mutabilem. Sabel. lib. 3. cap. 4.

SOCRATES cùm iratus esset filio delinquenti, nihil aliud dixit, quàm: Ipse te coerce. Laert. in uita Socratis.

Q. HORTENSII, qui suis temporibus ornamentum Romanæ eloquentiæ fuit, admirabilis in filio patientia extitit. Cùm enim eò usque impietatem eius suspectam, & nequitiam inuisam haberet, ut Messalam suæ sororis filium hæredem habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret, si illum damnassent, nihil sibi præter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum: hac scilicet sententia, quam etiam editæ orationi inseruit, filium potiùs in tormẽto animi, quàm in uoluptatibus reponens: tamen ne naturę ordinem confunderet, non nepotes, sed filium hæredem reliquit, moderatè usus affectibus suis: quia & uiuus moribus eius uerum testimonium, & mortuus sanguinis honorem debitum reddidit. Val. Max. lib. 5. cap. 9.

Idem fecit clari generis, magnæque dignitatis uir FVL. FLACCVS, sed in filio aliquantum tetriore. Nam cùm auxilium Senatus implorasset, ut suspectus in parricidio, & ob id latens per Triumuirum conquireretur, ac iussu P. C. comprehensus esset: non solùm eum non notauit, sed etiam decedens, dominum omnium esse uoluit, quem genuerat hæredem instituens, non quem fuerat expertus. Valerius Maximus libro 5. capite 9.

HOMO quidam plebeius cùm à filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, ut uerum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam uxorem suspicans, suppliciter rogauit, ne se ulteriùs celaret, siue illum adolescentem subiecisset, siue ex alio concepisset. Asseueratione deinde eius, & iureiurando se nil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto, gladiũ, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec ueneno, nec latrone ei ad peragendũ parricidium opus esse affirmans. Quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit, continuoq; abiecto gladio: Tu uerò, inquit, pater uiue, & si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tamen quæso ne meus erga te amor sit uilior, quòd à pœnitentia oritur. Solitudo sanguine melior, pacatioresque penatibus syluæ, & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ quàm datæ uitæ felicius beneficium. Val. Max. lib. 5. cap. 9.

DARIVS ciuis Romanus, cùm filium in manifesto crimine uitæ suæ insidiatum deprehendisset, Augustum atque alios amicos in consilium adhibuit. Qui cùm damnarent omnes filium, ipse tamen eum Massiliam relegare satis habuit. Fulgosus libro 5. capite 9.

SEVERVS Romanorum Imp. licèt sciret insidias sibi à filio Antonino Caracalla paratas, qui à tergo stricto gladio impetum in parentem fecerat: tamen à militibus defensus, ne uerbum quidem ad filium primùm dixit: sed perfectis pro tribunali rebus necessariis, in prætorium reuersus, ibiq; filium & Papinianum & Castorem ad se uocauit, deinde gladium in medio collocari iussit. Hìc filium increpat, quòd tantum facinus esset committere ausus. Tandem ait: Si me cupis interficere, hìc me interfice. Quòd si id recusas, aut times tua manu facere, adest tibi Papinianus præfectus, cui imperare potes, ut me interficiat. Hæc cùm dixisset, filium illæsum dimisit. Dion Nicæus.

CAROLVS Magnus cùm uidisset Eginardum epistolarum magistrum, noctu à filia sua ex humeris pendentem per niuem baiulari, ne manè quis alia quàm mulieris uestigia in gynæceum ducentia deprehenderet: in principum corona dissimulato nomine, proposuit facinus, & collegit sententias de pœnis. Ac cùm audiisset omnes supplicio illos adiudicare, Eginardum & filiam suam adduci iussit, & dixit Eginardo: Do tibi portatricem tuam in legitimam coniugem, cuius te amore uideo esse captum. Iacobus Curio libro secundo Rerum Chronol.

IDEM, cùm iam secundò Pipini filij spurij coniuratio in eum detecta esset, nihilo iratior, quia primò ignouisset, parentem se magis quàm regem ostendit. Namq; non ultrà in eũ animaduertit, quàm ut profiteri monachalem religionem cogeret. Fulgosus, & Egnat. lib. 5. cap. 9.

LVDOVICVS Pius, patris in Galliarum regno imperioq; successor, à Lothario filio non minùs quàm pater, à Pipino læsus est. Nam cùm ab eo in carcere habitus esset, quem ipse pro paterna caritate imperij consortem fecerat (id enim etiam grauius filij crimen reddidit) postea procerum opera honori restitutus, Lotharium in iis regnis, quæ antè dederat, uiuens confirmauit. Ibidem.

IDEM in conuentu ad uillam Theodonis, iis, qui cum Bernardo nepote suo contra sese conspirauerant, non modò uitã donauit, sed etiam possessiones iudicio legis in fiscum redactas restituit: & Halardum & Bernardum ab exilio reuocatos, in Corbeiense cœnobium remisit, ac de sua nimia asperitate publicam confessionem fecit, & pœnitẽtiam egit. Aimoinus lib. 4. cap. 108. de Francis.

FVLCO Andegauensis comes, postquam uiuens Comitatus honorem filio Gaufredo tradidit, armis postea laboreque magno, quia acerbè populis imperabat, honore eum deiecit: nec tamen multo pòst eum restituit. Nam filius agnita culpa ad patrem uenit, iumentariaq; sella in tergũ recepta, patris pedibus aduolutus ueniam petiit. Quem cùm pater pede ter calcasset, improperans, tandem uictum esse: ei filius haud consternato animo respõdit: A te pater, fateor, me uictum, quia cùm pater sis, æquum est: cæterùm cum aliis omnibus longè aliter sentio. Fulg. lib. 5. cap. 9.

FRIDERICVS II. Imp. filium Henricum, quem Romanorũ Cæsarem creauerat, rebellem recepit in gratiam. At cùm fidem non seruaret, in custodia illum seruauit. Hedio in Chronico Germanorum.

VLADISLAVS I. Polonorum rex Sbigneum nothum, monastica uita relicta regnum affectantem, acie uictum cepit, sed procerum precibus expugnatus, uenia data, pro filio agnouit, & cum Boleslao legitimo filio, iuuene fortissimo, magno cum reip. malo, honore eum exæquauit. Cromer. lib. 5.

CAROLVS VII. Gallorum rex, cùm maiorẽ natu filium Ludouicum rebellem haberet (etenim paternis hostibus semper adhæserat) moriens tamen, quanquam minorem natu obsequentem haberet, regni successione non priuauit. Fulgosus libro 5. cap. 9.

BLANCA Vicecomes Mediolanensis dux, etsi à Galeacio filio ducatus administratione, post uiri Francisci Sfortię mortem priuata, magnis quoq; aliis in rebus, graues ab eo iniurias tulerat, & alij eam filij uehementer reuererentur: tamẽ cùm Cremona urbe dotali iure potiretur (quam si aliis liberis reliquisset, grauiter Galeacium ulcisci poterat) in morte oblita Galeacij iniuriarum, ne inter filios discordiæ sererentur, testamento urbis prouentibus æquis partibus inter liberos diuisis, Galeacio, utpote maiori natu, urbis imperium reliquit. Ibidem.

HENRICVS I. Anglorum rex, Henricum filium regni consortem fecerat. Cæterùm ubi pater diutiùs superstes esse uideretur filio, à patre ad Ludouicum Francorum regem defecit. A quo sicut & ab Anglo impietati eius fauentibus impellitur, ut adiunctis sibi duobus fratribus Ricardo & Godofredo bellum patri inferret. Pater cùm æquissimis pacis conditionibus oblatis nihil impetraret, ad uim necessariò conuertitur, armisq; superior, filios nihilominùs in gratiam paterno affectu recepit, cùm duobus annis bellum cruentissimũ gessisset. Polyd. lib. 13. & Aemilius.

Ferrando maiori filio regis Castulonensis nupserat Blancha D. Ludouici Francorum regis filia: cautumq; nuncupandis conditionib. ut si Ferrandus ante obitum patris moreretur, superstite etiamnum minore fratre, soboles tamen Ferrandi auo postea decedenti in regnum succederet. Moritur Ferrandus relictis post se duobus filiis Ferrando & Alphonso. Sanctius Ferrandi frater minor, ne morte quidem patris expectata, regnum inuasit, ac populares in uerba sua iureiurando adigere conabatur. ALPHONSVS pater impietate filij irritatus, eum furiali carmine deuouit, paternoque iure maledixit. Qua execratione religionem animis popularium iniecit, ut nefario scelere se deuinctum iri censerent, si damnato à patre filio parẽrent. Itaque in eum arma capiunt, regno speq; regni exacturi. Filius supplex ad genua patris procumbens, ueniam, piacula, ac, si uideretur, iustum in se supplicium exposcit. Pater naturali beneuolentia commotus filio benedixit: fausta felicique obsecratione diras auertit, retexuitque: uerba priùs concepta piis precibus recantauit. Diploma cum aurea imagine sua per urbes Castulonensium circum misit, testatus, sibi quando raptus fato esset Ferrandus, nihil esse futurum ue carius reliquo filio Sanctio: cuncta illi optare, apprecari, sperare læta, secunda, felicia ipsi popularibusque: quæ crederentur in eum secus concepta uerba, eorum uim omenque in inimicos gentis, capita Barbarorum, in religionis hostes uersum iri. Hæc res restituit animos popularium Sanctio, ut ei uni sene mortuo parẽrent, exclusis Alphonsi ex Franca nepotibus. Aemilius libro 7.

Parentes.

☞ *Conſule Tit. Fidei liberorum erga parentes.*

Paryſatis Statyram ARTOXERXIS Perſarum regis uxorem ueneno ſuſtulerat. Rex matrem relegauit Babylonem, nihil grauius in eam conſulens: quoad ſupereſſet illa, ſe non uiſurum Babylonem, aſſerens. Cæterùm non diu iræ inhæſit, ſed placatus acciuit matrem: quòd ingenio & animo ad regnum regendum uideret præditam, neque cauſa ulla iam ſubeſſet: quamobrem ſuſpectarent in conſuetudine, aut offenderent ſeſe mutuò. Deinceps in omnibus illa regi obſecundando, neque ulli rei, quàm hic agebat, refragando, auctoritatem apud eum nacta eſt, atque omnia aſſecuta. Plutarchus in Artoxerxe.

Plectrudis nouerca CAROLO Magno inſidiabatur. At ille eam matris loco uenerátus eſt. Blond. Dec. 1. lib. 10.

OTILIAM uirginem pater occidere in animo habebat, solò corporis uitio offenſus, quia cæca nata erat. Mater autem periculo ſubtractam monaſterio tradidit. Illa prò patre feruenter orando effecit, ut conuerteretur, ſimulque etiam ipſa corporei uiſus uſum à Deo accepit, quem non acceperat à parentibus. Marulus libro 5. capite tertio, & Sabellicus libro 5. capite 3.

Cunigundis Othocari Boemorum regis uidua, Znoymæ cum Zauiſſio Roſenſi ſtupri conſuetudinem habens, ex eo peperit, diluendiq; ſceleris cauſa eidem pòſt nupſit. VENCESLAVS IV. Boemorum rex, poſteaquam Brandeburgo in patriam rediit, matri ignouit; & in eius gratiam Zauiſſio culpam cōdonauit, primumq; in aula locum ei dedit. Qua benignitate cùm ille abuteretur, & regno etiam inhiaret, capite tandem plexus eſt. Dubrauius lib. 18.

Coniuges.

☞ *Vide Tit. Fidei coniugalis, hic iræ, illic debiti habetur ratio.*

Alexander Priami filius, in Ida paſtor, Cebrenis filiā amabat OENONEM fatidicam, & abductam à parente in Idam, habuit pro uxore: pollicitus, ſe nunquam illam deſerturum. Illa cohabitare quidem cum ſibi nunc dixit, ſed non multo pòſt Helenæ irretitum amoribus, patriam perditurum, & in bello uulneratum non niſi ſuis remediis ſanari poſſe. Ridebat ea tum Alexander. Verùm capta iam Helena, Oenone ad patrem reuerſa eſt. Vulneratus à Philoctete Paris, Oenonem per præconem accerſiri curat. Zelotypa illa, ab Helena auxilium petere iuſſit. Victa tamen amoris erga ingratiſſimum uirum impotentia, feſtinabat ad Paridē. At quia præcò reſponſum ab Oenone citiùs retulerat, præ animi moleſtia Alexander expirauit. Oenone ſuperueniens, quum mortuum iam in terra iacentem uideret, ſeipſam interemit. Parthenius in Erot. cap. 4. ex Nicandro in lib. de Poetis, & Cephalone Gergithio in Troicis.

PITTACVS Mitylenæus, cuius ingens uirtutis, ingens ſapientiæ iuſtitiæq; celebratur decus, hoſpites conuiuio acceperat: cuius uxor ſuperueniens, menſam euertit. Commotis hoſpitibus: Nemo eſt, inquit, noſtrum, incommodo qui nō prematur ſuo. Plut. de Tranquil. animi.

Rex Macedonum AMYNTAS uxori ſuæ Eurydicæ, quanquam in ſcelere deprehenſæ, peperciſſe dicitur, propter communes liberos.

Cùm SOCRATES ex palæſtra Euthydemum exciperet, accedens ira flagrante Xanthippe, contumeliaſque ingerens, ad poſtremum euertit menſam. Ibi ſubitò exurrexit Euthydemus ac ſe ſubduxit. Cui Socrates: Nonne apud te nuper, inquit, auis quædam ſe intulit, quæ idem egit, nec tamen indignabamur nos? Plut. de Non iraſcendo.

DION arcem Syracuſanam, dedente Apollocrate Dionyſij F. occuparat. Ariſtomache Dionis ſocrus filium ducebat Dionis. Arete filia Ariſtomaches ex Dionyſio maiore ponè ſequebatur eam flēs & incerta, quemadmodum uirum, quòd conſuetudo ei interceſſiſſet cum altero (coacta enim fuerat Timocrati nubere, pulſo in exilium Dione) ſalutaret & appellaret. Primam cùm ille ſororem ſalutaſſet, deinde filium: Ariſtomache admouens Areten: Miſeræ, inquit, exule te, Dion, fuimus. Redux uerò & uictor omnibus nobis mœſtitiam detraxiſti, extra quàm uni huic, quam aſpexi ego miſera, uiuo te, alteri uiro coactam nupſiſſe. Quando igitur arbitrium tibi fortuna noſtri dedit, quomodo diſpenſas ei illam neceſſitatem, ut auunculúmne te, an etiam ut uirum ſalutet? Dum ea fatur Ariſtomache, profuſis Dion lacrymis excepit uxorem indulgenter, traditoq; ei filio, iuſſit ei domum ſuā concedere, ubi ipſe quoque agebat. Nam arcem permiſit Syracuſanis. Plut. in Dione. Aelianus lib. 12. Var. hiſt. ab Arete ſorore Ariſtomachen uxorem, Polycrati nubere coactam, Dioni reconciliatam ſcribit.

LIVIA à quodam interrogata, Qua ratione Auguſtum uiciſſet? Reſpondit, Caſtitate accuratè tuenda, & quicquid ille uoluit, alacriter faciendo, & nullas res eius curioſè inueſtigando, & luſus eius uenereos perinde ac ſi cæca eſſem diſſimulando. Zonaras.

Leo Imp. Philoſophus cum filia Styliani Logothetæ conſuetudinem habere ſolebat, uiuente etiamnum uxore Auguſta THEOPHANONE: quæ etſi uidebat, inaudiebatq; quid rei gereretur, nunquam tamen æmulatione ob uiolatam lecti fidem exarſit. Cedrenus.

CATHARINA Anglorū regina poſt diuortiū à uiro Hērico VIII. factum, ſe contulit in comitatū Bedfordienſem, ad uillam regiā Kymbalton, locum minùs ſalubrē, ubi uera patientia mirificè armata, uitā degebat ſanctā. Pòſt uerò animi mœrore cōfecta, cùm animo præſentiret mortē aduentare, ancillam nō indoctā iuſſit binas ſcribere literas eodē exemplo, unas ad regē, alteras ad Euſtachiū Cæſaris Caroli V. oratorem, quas ipſa dictauit, in quibus ſuū erga regem amorem teſtata perpetuū, Mariam filiam cum tribus ancillis & miniſtris ſuis ei commendauit, & iniuriam ſibi factam el Chriſtiano animo ignouit. Obiit anno 1535. Polyd. lib. 27.

Fratres.

☞ *Fraterna odia ut maxima eſſe ſolent, adeò ut in prouerbiū quoq; abierint, ita uiciſſim clementia erga fratres ſumme non utilis tantum, ſed admiratione quoq; digna cenſeri debet.*

ESAVS ab Iacobo fratre hæreditate illa, qua nulla fuit unquā ſanctior, fraude depulſus: hunc tamē poſtliminiò reuerſum non modò non auerſatus eſt, conatúſue patriis finibus propulſare, ſed ſuauiſſimè etiam complexum, caritate plus quàm fraterna uenientem excepit: ingenitæ pietatis, non iniuriæ memor. Sab. lib. 3. cap. 7. ex Geneſ. 28.

IOSEPHVS, qui Iſraelis fuit filius, domeſticum id exemplū imitatus, fratres, qui ſe puerum uendiderant, uel perdiderant potiùs, quantum in eis fuit, cùm in magna caritate annonæ Aegyptum petiiſſent, frumenti inde coemendi neceſſitate adacti, hoſpitaliter excepit, nondum agnitus, adhibuitq; domeſtico conuiuio, tritici precium ignaris reſtituit, rationem commentus accerſendi ad ſe amātiſſimi fratris, qui unus domi ſubſederat, ut de ei⁹ quoq; incolumitate coram cognoſceret. Sab. lib. 3. cap. 7. & lib. 5. cap. 3. ex Geneſ. 45.

TITVS Veſpaſianus Imp. fratrem Domitianum inſidias molientem non eſt ultus, ſed his uerbis admonuit: Quid opus te parricidio petere, quod me uolente obuenturum eſt, imò quod iam habes, imperij particeps? Suetonius.

CAROLVS Magnus, in Hunoldum Aquitaniæ regem, rebellem, expeditionem ſuſcipiens, fratris Carolomanni iuuenis ferocis auxiliares copias, quas is pollicitus erat, fruſtra expectauit. Carolus leniſſimè tulit cōtumaciam fratris, eiuſq; domeſticorum licentiam aſtutè diſſimulauit: & nihilominus in Aquitaniam cum exercitu proceſſit, & ſubegit. In Germaniam reuerſus, cum fratre in gratiam, intercedente matre Berta, rediit. Auent. lib. 4. Annalium Boiorum.

MAGNVS Ladalaos Valdemarū fratrē, multis prouocatus iniuriis regno exuit, & tamē ſupplici Gothiā conceſſit, Sueciā ipſe ſibi retinuit, anno 1277. Ioannes Magnus lib. 19. cap. 25.

VENCESLAVS mortuo patre dux Boemiæ creatus, cùm ſciret Boleſlaum fratrem uitæ ſuæ inſidias tendere, nunquam eū à facinore niſi uerbis deterrere uoluit. Quibus cùm prauum Boleſlai ingenium non flecteretur, ac ſummo manè templo redeuntem Venceſlaum Boleſlaus cum aliquot comitibus aggreſſus eſſet: Venceſlaus manu ſtrenuus Boleſlaum ad terram proſtrauit, gladium ademit, perfidiam exprobrauit, ſed mox enſem ei reſtituit, illud monens: Abel emori quàm Cainum uiuere, prēſtabilius eſſe. Neq; uerò hac manſuetudine perfidus frater à ſcelere deterritus, Venceſlaum tandem crudelem in modum occidit. Fulg. lib. 4. cap. 1. & Aeneas Syluius in Boemia.

OTHO Magnus Imperator, fratrem Henricum Rixoſum, atrociſſimum uitæ & regni inſidiatorem, ſuppliciter orantem commiſſi delicti ueniam, recepit in gratiam: & interceſſione matris feminæ ſanctiſſimæ, regē ipſum creauit Bauariæ. Hedio in Chronico, & Cuſpinianus.

RICHARDO II. Normānorū duci frater Vilhelmus, comes Ocetenſis, rebellarat. Bello uictus atq; captus Rotomagum perductus, in carcere quinquēnio toto maceratur. Tandem amicorū opera fune ſeſe è feneſtra demiſit, in uepribus per diē latuit (cùm undiq; canibus uenarentur amiſſum) noctu iter fecit: nec tamē longiùs abire potuit, quòd nuſquam ſe prodere auderet. Quū multos dies in hoc errore contereret, uidit fratrē in uenatione feras perſequentē, animoque collecto, genibus eius aduolutus, errati ueniam popoſcit. Motus Richardus, ſuſcepit in amplexus, illiq; ueniam omnium dedit. Cranzius lib. 3. Noruegiæ, cap. 17.

Seruos.

Magna olim humanitate ſeruos proſequebātur ROM. & quia ipſimet obirent operas ſuas, & communem cum illis uitam agerent, habebant eos benigniùs & familiariùs. Habebatur autem punitio ſerui qui peccauerat acerba, ſi lignum plauſtri, quo ſuſtentant temonem, circa uiciniam portaret. Ita enim punitum cùm domeſtici & uicini uidiſſent, nullam habebant deinceps ei fidem, appellabátq; eum furciferum. Plut. in Coriolano.

CHARILAVS, ſiue Charillus Lacedæmoniorum rex, quum ſe ingereret audaciùs inſolentiuſq; ex ſeruis unus, quos Helotas uocant, νὴ τὼ σιώ, inquit, κατέκλανον τεῦ, αἰ μὴ ὠργιζόμαν, Per Sios (id eſt Geminos) interemiſſem te, ni iraſcerer. Plutarchus in Lacon.

Tarentinus ARCHYTAS, dum ſe Pythagoræ præceptis Metaponti penitùs immergit, magno labore, longoq; tempore ſolidum opus doctrinæ complexus: poſtquam in patriā reuertitur, ac rura ſua reuiſere cœpit, animaduertit negligentia uillici corrupta & perdita. Intuenſq; malè meritum: Sumſiſſem, inquit, à te ſupplicium, niſi tibi iratus eſſem. Val. Max. libro 4. capite 1. Cic. libro 4. Tuſcul. quæſt. & Plut. de tarda Dei uind. & de Inſtit. lib.

PLATO, cùm aduerſus delictum ſerui uehementiùs exarſiſſet, ueritus ne ipſe modum uindictæ deſpicere non poſſet, Speuſippo, nepoti ſiue Xenocrati amico caſtigationis arbitrium mandauit: deforme ſibi futurum exiſtimans, ſi commiſiſſet, ut parem reprehenſionem culpa ſerui, & animaduerſio Platonis mereretur. Valerius Max. libro 4. capite 1. & Laertius libro tertio, & Plutarchus contra Coloten, & de liberis inſtituendis.

ARCESILAS Scytha, cùm hoſpites quoſdam unà cum amicis exciperet conuiuio, cœna quidem appoſita eſt: ſed deerat panis, uidelicet pueris oblitis emere. Hic ille ridens: Quàm, inquit, res eſt apta conuiuiis apparandis eſſe ſapientem? Sentiens, philoſophos in rebus uulgaribus minùs ſapere, quàm idiotas. Laertius libro 4. capite 6. Plut. de Non iraſcendo, dixiſſe ait, Vt eſt facilis conuiua ſapiens.

DIOGENES Cynicus Manetem ſeruum ſuum, cùm aufugiſſet, non modò uerberibus non affecit, ſed liberum ire iuſſit, ac dimiſit: turpe exiſtimans, Manetem ſine Diogene uiuere poſſe, Diogenem ſine Manete non poſſe. Alex. ab Alex. libro tertio, cap. 20.

AVGVSTVS Cæſar, patronus dominuſque non minùs ſeuerus, quàm facilis, & clemens, multos libertorum in honore & uſu maximo habuit, ut Licinium, Enceladum, alioſque. Coſinium ſeruum grauiſſimè de ſe opinantem, non ultrà quàm compedibus coercuit. Diomedem diſpenſatorem, à quo ſimul ambulante, incurrenti repentè fero apro per metum obiectus eſt, maluit timiditatis arguere, quàm noxæ: remq; non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum uertit. Suetonius.

GALENVS Pergamenus medicus famulos nūquam propria manu uerberauit (ut neq; pater eius) ne commeritos quidem, ſed tum minis, tum paternis admonitionibus peccata ſemper eorum correxit: iraſcentis impetum nihil differre ab inſania & furore prædicans. Geſnerus in eius uita.

Tempore Andronici iunioris Imp. Scythica quædam MVLIER, ultra Iſtrum nata, quæ neque uirum neque liberos habebat, Chriſtianæ religioni clàm fauens, quendam è Thraciis captiuis, quem antè ſuas fores traduci uidebat, emit, eique nupſit: exacto priùs ab eo iureiurando, ne ſe deſereret, etiamſi aliò commigraſſent. Dum uerò migrationis opportunitatem quærunt, annus integer teritur: quo tempore binos liberos, alterum peperit, alterum in utero geſtauit. Vndemagis etiam à marito diligebatur. Hoc rerum ſtatu, altero anno etiam prior mariti uxor captiua adducitur. Qua ille conſpecta, illacrymauit. Scythiſſa illa, lacrymarum cauſa intellecta, mulierem emit, ut & domeſtica miniſteria obiret, ſimulque marito dolorem conſpectu ſui leuaret. Sed cùm opportunitatem nacta, & ſacro baptiſmate initiata, & Conſtantinopolim profecta eſſet: prior uxor ad Patriarcham accurrit, ſibi iniuriam à Scythiſſa fieri quiritans, quæ ſibi maritum per iniuriam rapuiſſet. Cæterùm cùm & illa prodiiſſet, ac rem geſtam ordine explicaſſet, nemo iure illam reprehēdere potuit, ut quæ amborum domina eſſet, ſuaq; pecunia ambos redemiſſet. Tacentibus uniuerſis, tandem hanc ipſa ſententiam tulit. Marito propter conſuetudinem & ſuſceptos ex eo liberos redemtionis precium condonauit. Erga mulierem uerò cupere ſe quidem eadem uti liberalitate, ſed poſſe negauit, propter inopiam, quòd cum duobus infantibus in terra peregrina uiueret. Quamobrem ipſa, inquit, ſui precio allato, cum marito abeat: ego uerò poſthac cùm infantibus, benigni Dei manus intuens, manebo. Haud multo pòſt Deo æquiſſimè iudicante, cùm mulier illa uicinias circuiret, & precium corrogaret, ſubita incurſione Scytharū denuò captiua eſt abducta: uir uerò eius Scythicæ matronę coniugio acquieuit. Gregoras lib. 10.

Siciliæ rex ALPHONSVS, cùm Pyrrhum pocillatorem ſuum iuſſiſſet Gaſpari uni aulicorum, quo cum graues inimicitias Pyrrhus gerebat, ex patera, quam manu ferebat, propinare, Pyrrhuſq; imperium geminanti non paruiſſet: Alphonſus ira ſuccenſus, Pyrrhum ſtricto gladio inſecutus, ut in eum ſæuiret: ſtatim ut aſſecutus eſt, cùm uulnus iam inferre pararet, iræ frena contraxit, gladium abiecit. Fulgoſus libro 4. capite 1. Panorm. lib. 1. Alfonſum, inquit, poculum ſuum dono dediſſe alteri, idq; Pirretum offerre noluiſſe.

Nicolaus Perottus, Beſſarionis Cardinalis cubicularius, cùm Romæ in conclaui tres Cardinales Beſſarionem prandentē adire uellent, ut eum omnium conſenſu Pontificem renunciarent: ille non uacare nunc hero ſuo, ut cum illis inter prādium colloqueretur, reſpondens, foribus eos excluſit. Illi indignati, Si Pontifex eſſe nolit, ne cogendus quidem eſt, abeuntes dixere. Ignarus huius rei BESSARION, poſtea tamen certior factus, nihil grauiùs commotus, his tantùm uerbis Nicolaum corripuit: Importunitate & ruſticitate tua, Perotte, mihi mitram, tibiipſi uerò galerum inuidiſti. Iouius in eius uita.

Dominos.

Antius Reſtio proſcriptus à Triumuiris, cùm omnes domeſticos circa rapinam & prædam occupatos uideret, quàm maximè poterat diſſimulata fuga, intempeſta nocte domo ſe ſubduxit. Huius furtiuum egreſſum SERVVS ab eo uinculorum pœna coercitus, inexpiabilique literarum nota per ſummam oris contumeliam inuſtus, herum ſubſecutus eſt. Atq; ut ſenſit cupidos ſanguinis milites ſuperuenire, amoto domino rogum extruxit, eiq; egentem à ſe comprehenſum & occiſum ſenem ſuperiecit. Interrogantibus deinde militibus, ubinam eſſet Antius? manum rogo intendens, Ibi datis illum ſibi crudelitatis piaculis uni, reſpondit. Quia uerisimilia loquebatur, habita eſt uoci fides. Quo euenit, ut Antius ſtatim quærendæ incolumitatis occaſionem aſſequeretur. Valerius Maximus libro 6. capite 8. Dion in Auguſto, & Macrobius libro 1. Saturn. cap. 11. & Appianus libro 4. Bellorum ciuilium.

INIMICITIÆ. CLEMENTIA ERGA Hoſtes. Tum

Viuos.

☞ *Conſule Tit. Grauitas moderata uictoriæ, quatenus ira, quamuis iuſta, non ultra rationis limites effertur. Illic moderatio Confidentiæ, ſecundis rebus non nimium fidendo: hic uerò moderatio Iræ, non nimium ulciſcendo, conſideratur. Item Tit. Hoſti fugienti locum dare. Item, Lytrum remiſſum.*

IOB fidelis Domini ſeruus, ueram & perfectam caritatem etiam cum inimicis fideliter retinuit, ut gaudens & libera conſcientia ad Deum diceret: Si gauiſus ſum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo, quòd inueniſſet eum malum, &c.

Magnum & memorabile eſt ISRAELITARVM illud, quòd Beniaminæ tribus uiri paucorum culpa ab omni Iudęorum gente alienati, atq; ex confeſſo hoſtes facti, poſt uarios belli caſus, cùm uno demum prælio ad Gabaam commiſſo, omnis propemodum gēs interiiſſet: ut ex quinq; & uiginti millibus bellatorum, qui nuper in acie ſteterant, ſexcenti ex ſuorum ſtrage ægrè reuulſi, in deſerta loca refugiſſent: tātùm abfuit, ut uictrices tribus unius reliquias ad interitū perſecutæ ſint, ut omnium Iſraelitarum decreto Beniamini exules, qui pauci numero ſupererant, ad reparandam ſobolem, quia religio & iuſiurandū totius gentis legitimis obſtabat nuptiis, impunè ſibi ex ſolenni Iudæorū mercatu raperent uirgines, raptaſque pro uxoribus haberent. Sabellicus libro ſeptimo, capite 4.

DAVID rex tam procul ab inimicorum ſuorum odio ſe abeſſe ſciuit, ut ſecurus in Pſalmo dixerit: Si reddidi tribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Pſal. 7.

Saulus rex cum tribus millibus in Engadino ſaltu EVNDEM quærebat. Vrgente autem uentris onere, in ſpeluncam quandam declinauit ſolus, in qua Dauid cum 600 comitibus latebat. Hortantibus autem ſociis, ut Saulum interimeret, renuit, neque ſe uncto Domini uim illaturum affirmauit. Acceſſit autem clanculùm, & oram penulæ Sauli abſcidit. Rex re non animaduerſa, iter denuò ingreſſus eſt. At Dauid ponè Saulum inclamauit, eique pronus honorem exhibuit, & ut animum ſuum ſpectaret iuſſit: quòd, cùm eum occidere potuiſſet, ei pepercerit, oſtenſa penulæ ora quam abſciderat. Tum Saulus peccatum ſuum faſſus, qui innocentem perſequeretur, petiit à Dauide, ne ſuam ſtirpem ſuúmue nomē poſt ſuum interitum excinderet. Dauid iuramento interpoſito abiit. 1. Regum 24.

IDEM in Ziphæo ſaltu, noctu, ſolo Abiſæo Saruiæ F. Ioabi fratre comitatus, in caſtra Sauli deſcendit, & omnibus profundo ſomno diuinitùs oppreſſis; è Sauli tentorio haſtam & matellam

matellam abstulit, & Abisæum à cæde regis cõhibuit. Mox in montis uerticem euadens, Abnerem Neris F. exercitus ducem inclamauit, eiq; focordiam exprobrauit, qui tam negligentes excubias ageret, hastam & matellam regis ostendens. Saulus iterum Dauidis pietatem agnoscens, eum persequi destitit: ipse ad Achim Gethæ regem confugit. 1. Regum 26.

EVILMERODACHVS Chaldæorum rex, Ioachinum Iudæorum regem, quem 37 annos in carcere Nabucodonosor detinuerat, extraxit, mensæ suæ adhibuit, & honorificentissimè tractauit. 4. Regum 25.

CYRVS Persarum rex, cùm per cætera memorabilis, tum in uictoria, supra quàm dici possit, mitis. Quo magis mirum est, Tomyrim Massagetarum reginam illi mortuo cruoris sitim exprobrasse. Astyagem auum uictor seruauit. Babyloniis bello uictis dedit ueniam. Sab. lib. 6. En. 2. Primo anno regni sui, quinquaginta circiter millia hominum captiuorum de Babylone remisit in Iudæam: uasa quoque, quæ Nabuco donosor abstulerat, reddidit, & templum ædificari iussit in Hierusalem: principesq; populi, qui reuersus est, constituit Zorobabel filium Salathiel, & Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum. Hieronymus in Zachariæ cap. 1.

Datis & Artaphernes post Marathonium cladem ab Athenien sibus acceptam in Asiam nauigauêre, & captiuos Eretrienses Susa perduxêre. Quos DARIVS rex, etsi in eos ante captiuitatem uultum contraxerat acerbitatis, quòd se priores iniuria lacessissent, & cum Ionibus Sardeis uibem incendissent: tamen ut in conspectum suum adductos uidit, nullo alio malo affecit, sed in suo Cissiæ regionis stathmo collocauit, cui nomen est Andrica. Herod. lib. 6.

Miltiades Cononis F. Atheniensis, Chersonesõ occupata, cùm post uictoriam naualem Persarum ad Miletum Phœnices apud Tenedum esse audisset, Athenas nauigauit. Et ipse qui dem cum quatuor triremibus ad Imbrum euasit: quintam uerò Phœnices insecuti ceperunt: cui præerat Miltiadis filius natu maximus Metiochus. Quem ad regem perduxerunt, rati se magnam apud eum gratiam inituros: quoniam in expeditione Darij contra Scythas Miltiades in dicenda sententia suasisset Ionibus, ut in Scytharum gratiam soluta rate, domum abirent. Metiochum DARIVS permultis bonis affecit: donauit domo, facultatib. uxore Persidè: ex qua liberi geniti sunt, qui inter Persas censentur. Herod. lib. 6.

Bello uigente inter TYNDARIDAS & Theseum ob raptam Helenam, cùm illi Aphidnas occupassent & sororem recepissent, Athenienſibus trepidantibus suasit Menestheus Petei F. ut admitterent in urbem & acciperent benignè Tyndaridas: ut uni Theseo iniuriæ auctori arma inferrent, in cæteros mortales benefici essent & corũ seruatores. Hoc ipsum euentus comprobauit: nihil enim omnino uictores, quàm ut initiarentur, postulauerunt: quòd non minus quàm Herculi propinquitas ipsis cum ciuitate intercederet, quam obtinuerant ab Aphidno adoptati, ut à Pythio Hercules. Plutarchus in Theseo.

Alcæus Mitylenæus PITTACO, quem ducem Mitylenæi cõtra exules, creauerant, hostis ex professo fuit. Cum tamen cùm Pittacus cœpisset in pugna, incolumem dimisit: tãtum admonuit, cogitaret, quantum in eo opprimendo posset. Gyraldus.

Bellis Peloponnesiacis, quæ per tot annos magnas Græciæ clades attulerunt, commissis inter se duobus potentissimis populis Attico & Lacedæmonio, uictis ad Ægos flumen Atheniensibus, & urbe fame atq; obsidione pressa, & coacta deditionem facere, conditionesq; ac leges à uictoribus acciperet: Thebani & alij Lacedæmonum socij uehementer eflagitabant ac contendebant, ut Athenæ euerterentur. LACEDÆMONII uerò negarunt se alterum Græciæ oculum eruturos, nec deleturos eos, à quibus bello Persico Græcia esset in extremo discrimine seruata. L. Viues de Concordia & discordia libro 3.

HERACLIENSES in Ponto, ab Atheniensibus armis petebantur, quòd post Medicum bellum tributum pendere recusassent. Malachus Atticæ classis dux, quum in terram egressus agrum popularetur: classe subita tẽpestate disiecta, in hostico uiribus & consilio destitutus, ad extremam rerũ inopiam redactus, casurus haud dubiè erat. Heraclienses autem beneficij occasionem honestiorem rati quàm ultionis, totum exercitum cum ipso duce commeatibus & auxiliis adiutum, incolumem dimisere. Sab. lib. 8. En. 4.

Multi regum partim bello uicti, partim dediti, sunt ab ALEXANDRO Magno seruati, ut non solùm in pristina sint fortuna retenti, sed in multò etiam ampliore collocati: ut difficile sit iudicare, maiúsne sit belli decus, an liberalitatis & clementiæ nomen uincendo adeptus. Pulcrum est reges uincere, sed multò pulcrius propriis affectibus moderari. Sabellicus lib. 6. cap. 4.

Quum Græci, qui apud hostes stipendium faciebant, uenissent in potestatem ALEXANDRI, Athenienſes quidem iussit in compedibus seruari: quòd quum ex publico stipendium haberent, tamen apud hostes meruissent: similiter & Thessalos, quòd regionem optimam nacti, non ẽam coluerent. Thebanos uerò dimisit, dicens: His per nos nihil efficiliquum, neque ciuitas, neque agri. Ita moderatus est pœnam, ut mortem commeritis non indiceret, nisi uinctis & culpam eorum, qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit. Plut. in Apoph.

VT captum ALEXANDER Magnus Porum rogauit, Quid de ipso consuleret? Regaliter, respondit. Adiiciente Alexandro, Nihil ne aliud uellet? Omnia, inquit, uerbum Regaliter, comprehendit. Igitur non modò ei pristinum regnum sub satrapæ nomine restituit: uerùm etiam adiecit liberorum ibipopulorum, quos subegit, regionem: in qua nationes quinde cim, urbium nõ mediocrium quinq; millia, & uicos quam plurimos memorant fuisse. Plut. in Alex.

PHOCION Atheniensis, inimicum ex ciuibus neminem affixit, ac ne pro inimico quidem habuit: sed quãtum res postulabat, tantùm, ut aduersus obsistentes suis pro bono publico actionibus luctaretur, horridus erat, pertinax, & implacabilis. Omnibus in cæteris placidum se communem & humanum præbebat, lapsisq; ferebat opem, atq; periclitantibus aduocatus aderat aduersariis. Aristogitoni sycophantæ post damnationem per amicos precato, ut ad se ueniret, morem gessit, atq; ad carcerem perrexit. Retinentibus eum amicis: Sinite, quæso, inquit, ubi enim cõgrediar cum Aristogitone libentiùs? Plut. in Phocione.

Athenienſes fame domiti, DEMETRIVM Poliorcetem, præmissis qui ab eo ciuium salutem deprecarentur, in urbem accepere. Ille, ut magno erat animo, non solùm receptis dedit ueniam, sed obnixè etiam curauit, ut dira illa fames commeatibus undique inuectis confestim tolleretur. Sabellicus lib. 7. En. 4.

Cùm Demetrius Poliorcetes uictus à genero SELEVCO, eius fidei salutem suam permisisset: negauit Seleucus ipsius fortuna incolumem esse Demetrium, sed sua: quæcum reliqua felicitate humanitatis sibi & clementiæ materiam ostendendæ præberet. Ac uocatis procuratoribus, tabernaculum statui regale præcepit, omniaque alia fieri & parari ad eum excipiendum & colendum splẽdidè. In Chersonneso Syriæ, ubi per reliquum tempus ualida adhibita custodia cultus sufficiens Seleuci iussu præbitus ei fuit, pecuniaq; & ad uictum necessaria quotidie submiſtrata prolixè. Cumculi præterea assignati, & ambulationes regiæ, & instructa feris uiuaria. Adhæc amicis, qui fuerant fugam eius cõmitti, quicunq; uellent, potestas facta cum eo uiuendi. Statuerat autem omnino Seleucus Antigono & Stratonicę Demetrij filiis patrem donare: atq; ut id cõmodè fãceret, protrahebat rempus. Plut. in Demetrio.

ANTIOCHVS Syriæ rex, cùm Demetrium Antigoni Macedoniæ regis filium profligasset atque cepisset, cum Chironensi custodiæ tradidit, ac regio sumtu, uenationibus, omniſq; generis uoluptatibus, quibus ille assueuerat, uti permisit. Plut. in Demetrio.

DROMICHETES Getarum rex, regem Thraciæ Lysimachũ, qui nulla lacessitus iniuria ultrò arma intulerat, prælio deuictum cœpit, eique familiariter (ut alij ostentare opes solent) suam populorumque suorum pauperiem ostenderet, ipsum liberauit, & muneribus affecit: consilium addens, ne in posterum cum his bellum gereret, quibus deuictis nihil esset fortunarum quod lucrifacere posset, quin potiùs eiusmodi hominibus amicis uteretur. Fulg. lib. 5. cap. 1.

AGATHOCLEM obsidentem urbem quampiam, quidam ex iis, qui stationem in muro agebant, insectabantur hisce uerbis: Vnde stipendium, figule, militibus numerabis? Quibus hic placidè ridens: Hanc, inquit, cùm cepero. Expugnata urbe distraxit captiuos, addens: Si iterum me allatrauentis, deferam ad dominos uestros querelam. Plutarchus in Apophthegmatibus regum.

DIONYSIVS tyrannus, Crotoniatas, Elori duce ipsorum occiso, uicerat. Qui superfuêre, ad collem quendam confugere: sed aqua defecti, armis depositis uictori supplices circiter octauã dici horã se dedidere. Dionysius uirga accepta, descendentes ex colle numerauit, supra decem millia. Omnibus malè sibi à Dionysij crudelitate metuentibus, ipse eos absque omni redemtionis precio dimisit, & cum pluribus aliis ciuitatibus pace constituta, suo singulas iure & legibus uiuere permisit. Itaque aureis coronis honoratus ab iis fuit, ob factum omnium eorum, quæ in uita gessit, memoria dignissimum. Diod. lib. 14.

Hyrcanum Iudæorum pontificẽ & regem à Pacoro captum & ad se perductum PHRAATES Parthorum rex propter claritatẽ generis comiter habuit: & uinculis solutum permisit Babylone degere, ubi magna erat Iudæorũ frequentia. Hi non aliter quã pontifici ac regi Hyrcano honorẽ habebant, nec hi

nec hi sõlutis, sed quantum Iudæorum ultra Euphratem habitat. Iosephus lib. 15. cap. 2.

Cùm P. SCIPIO Africanus maior inuictum & formidabilem in Africa debellasset Annibalem, neq; exterminauit eũ, neq; expoſcere uoluit à ciuibus: imò & ante pugnã in colloquiũ ueniens complexus eũ est, & post pugnam in pace iungẽda neq; ludibrio habuit, neq; insultauit in eius fortunam. Quin imò causam Annibalis in senatu protexit, cùm eũ ciues sui missis legatis, tanquam seditiones apud eos mouentẽ, accusarent: adiecit quoq;, Nõ oportere P. C. se Reip. Carthaginẽ sium interponere. altissimaq; moderatione alterius saluti cõsuluit; alterius dignitati, uictoria tenus utriuq; hostẽ egisse contentus. Val. Max. lib. 4. cap. 1. & Auctor uitæ.

L. PAVLVS Aemilius, Persei regis miseratus conditionẽ, cùm maximè studeret opitulari ei, nihil habuit, nisi ut pro carcere in libera & humana custodia teneretur: in qua dum asseruatur, sibi ipse, ut pleriq; tradiderunt, inedia consciuit mortem. Plut. in Paulo.

Bello ciuili, cùm Cinna & Marius Romam occupassent, & contra Syllanos crudeliter sæuirent, solus dicitur Q. SERTORIVS (qui dux tertius erat) neminẽ per iram occidisse, neq; fuisse in uictoria insolens: imò infensus Mario, Cinnam priuatim appellasse, orasseq;, ut moderatiorem se præberet. Seruis denig; (quos Marius in bello socios & dominatus habebat satellites, ualidosq; atq; opulentos effecerat, Bardiæos appellabant) partim illius permissione & iussu, partim ui dominos opprimentibus, cùm ipsos iugularent, dominas uiolarent, liberos eorum stuprarent: rem intolerandam Sertonius censens, omnes castra eodem in loco metatos non intra quatuor millia, iaculis confixit. Plut. in Sertorio.

MITHRIDATES Ponti rex quũ Pomponium Luculli magistrum equitũ ad se sauciũ perductũ interrogasset, An gratiã sibi, si saluus esset, uellet reddere? Siquidem (inquit) Lucullo amicus fueris, perdignam: si hostis, nullam. In hunc modum cùm is respondisset, regi suadebant Barbari, illum interficere. At is: Non æquum est (inquit) uirtutem à felicitate destituam despicere. Cælius lib. 29. cap. 17. A. L.

CN. Pompeius cùm aduersus Armeniæ regem Tigranem duceret exercitum, Tigranes deditione facta, Pompeij genib. aduolutus, diadema capiti suo detractum in illius manibus deposuit. Pompeius eum erexit, diadema in illius caput reposuit, achonorificè tractauit: Syria tamen & Phœnicia ademta 5000 talenta soluere coegit. Deuictis hostibus cùm ageret triumphum, captiuos belli iure uinctos duci noluit, sed patrio more succinctos ire iussit, eosq; exacta triumphali pompa, regali munificentia liberos donatosq; remisit. Plutarchus in Pompeio. Suidas.

CLVLIVS Cæsar moderationem, clementiamq; tum in administratione, tum in uictoria belli ciuilis admirabilẽ exhibuit. Denunciante Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui Reip. defuissent: ipse medios, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciauit. Quibus aũt ex commendatione Pompeij ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, quum assiduo inter utrasq; partes usu atq; cõmercio, Afranius ac Petreius deprehensos intra castra Iulianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamauit, ut ciuib. parcereturCastris Pompeij captis, strata hostiũ corpora cõtemplatus, eos qui adhuc interficiebantur gemens ait: Hoc uoluerunt, atq; huc me necessitatis redegerunt, ut C. Cæsar maximis perpetratis bellis, ab exercitu si discessissem, dãnatus essem. Hæc memorat Asinius Pollio uerba Latinè Cæsaris id temporis dixisse. Cùm opera Caluini legati Athenas cepisset, omnes Athenienſes impunitos reliquit: hoc unum inquiens, Eos, cùm multa deliquissent, uita donari. Massilienſes omnibus malis fessi (iam enim hordeo duntaxat alebantur) deditionem fecêre. Dedit his ueniam Cæsar, magis propter urbis uetustatem, quàm quòd ullum in se Massiliensium extaret meritum. In Aegyptum mortuo Pompeio appulit: Theodotum, qui caput Pompeij sibi obtulit, auersatus est. Anulum eius accipiens illacrymauit. Amicos & familiares eius, qui ea in regione palantes capti à rege fuerant, benignè accepit omnes, ac beneficiis sibi deuinxit. Romam ad amicos scripsit, Eum ex uictoria capere se maximum & iucũdissimum fructum: quòd quotidie aliquos ciues, qui oppugnauerant se, seruaret. Nemini non suorum, quem uellet unum partis aduersæ seruare concessit: nec ulli periisse nisi in prælio, reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio & Fausto & L. Cæsare iuuene: ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemtos putant. Quorum tamen & Afranius & Faustus, priores post impetratam ueniã rebellauerunt: & Cæsaris liberis, seruisque eius ferro & igni crudelem in modum enectis, bestias quoq; ad munus populi comparatas contrucidauerant. Denique tempore extremo etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permisit, magistratusq; & imperia capere. Iam uictor ubi Ciceronem, qui à partib. steterat Pompeij, longè præcæteris conspexit Brundusij occurrentem, ad pedes digressus salutauit eum, multorumq; uiam stadiorum cum solo sermocinans processit. Deinceps etiam eum perpetuò & coluit & humanitate sua complexus est. Plut. in Cic. M. Brutus ab eodem non solùm secundùm aciem Pharsalicam, cùm fugisset Pompeius, conseruatus est, multosq;, pro quibus deprecaretur, conseruauit necessarios: uerùm erat in magna etiam fide apud eum. Præterea quoq; inter consortes præcipuam accepit. Ad hæc consul in quartum annum designatus est, & competitori prælatus Cassio. Siquidem perhibetur Cæsari dixisse: Iustiorẽ Cassij causam esse, non posse tamen præterire se Brutum. Plut. in Cæsare. Extat Cæsaris epistola ad Oppium & Cornelium scripta, ubi inquit: Gaudeo mehercule, uos significare literis, quàm ualde probetis ea quæ apud Cornificium gesta sunt. Consilio uestro utar libenter: & hoc libentiùs, quòd mea sponte facere constitueram, ut quàm leniſsimum me præberem, & Pompeium darem operam ut reconciliarem. Tentemus hoc modo, si possumus hominum uoluntatem recuperare, & diuturna uictoria uti: quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuêre, neq; uictoriam diutiùs tenuêre, præter unum Syllam, quem imitaturus non sum. Hæc noua sit uincendi ratio, ut misericordia & liberalitate nos muniamus. Suetonius, Plut. Dion, Plin. lib. 7.

AVGVSTVS uicto Antonio Alexandriam urbem inuectus est cum Ario philosopho colloquens, dextraque eum tenens; quòd tam eximio honore ab ipso cultus; conspicuus ciuibus & suspiciendus esset. Ingressus gymnasium, consceñso tribunali, quod erectum erat, consternatos metu ciues & humi se abiicientes exurgere iussit, aitq; populum se omni noxa liberare, primùm Alexandri causa conditoris, deinde urbis tam pulcræ miraculo ductum, tertiò amici gratia Arij. Philostratus sophistarum promtissimus, cuius mores Cæsar oderat, barba cana promissa assectabatur atratus à tergo Arium, hunc uersum semper reperens:

Sapiens salus sapienti erit, modò is sapit.

Id ubi Cæsar audiuit, ut Arium inuidia magis quàm metu exulceret Philostratum, ignouit homini. Plut. in Antonio.

TITVS Vespasianus Gisealam Galileæ oppidum obsidens, ut miserorum sanguini parceret, ad muros accessit, ut eos ad deditionem hortaretur. Ioannes dux, quia dies ille sabbati esset, de pace aliquid agere per patrias leges non licere dicebat, & unius noctis indutias petebat. Titus paruit. Noctu interim Ioannes cum seditiosis elapsus, Hierosolymam confugit, in itinere relictis cõiugibus & liberis, quorum ad tria millia Rom. occiderunt. Titus reliquis ciuibus, qui portas aperuerant, ignouit. Iosephus lib. 4. cap. 4. belli Iud.

Cùm in obsidione Hierosolymorum mulier quædam proprium filium coctum comedisset, Romanorum hostium alij miserabantur, multos autem uehementius eius gentis odium cepit. Cæsar autem TITVS super hoc deum placabat: siquidem Iudæis pacem obtulisset, eisq; liberam proposuisset omnium obliuionem quæ commiserant. Illos autem pro concordia seditionem, bellum pro pace, pro satietate atque opulentia famem optasse: & qui propriis manibus templum, quod ipse eis seruasset, incendere cœperant, huiusmodi alimentis eos esse dignissimos. Iosephus lib. 7. cap. 8. belli Iud. Hierosolyma euersa conquisiti sunt eius iussu Dauidicæ stirpis uiri, qui perpauci adhuc superesse dicebantur: repertiq;, apud illum & patrem in magno postea honore fuerunt. Sab. lib. 4. En. 7.

Expugnato & incenso templo Hierosolymitano, Izatæ Adiabenorum regis filij, & fratres, cumque his multi nobiles ex populo congregati, ut fidem sibi daret, Cæsari TITO supplicarunt. Ille autem, quanquam cæteris omnibus iratus erat, & nemini se parsurum affirmabat, eos suscepit. Et tunc quidem omnes in custodia habuit: regis autem filios ac propinquos postea uinctos Romam perduxit, fidem obsidum præstaturos. Iosephus libro septimo, capite decimo tertio, belli Iudaici.

IDEM uictis Iudæis, Alexandrinis & Antiochensibus petentibus, ut ius ciuitatis suæ, quod hactenus obtinuerant, Iudæis eriperet: denegauit, inhumanum existimans, euersa Hierosolyma, aliis quoq; ciuitatibus eos eiicere. Idem libro 12. capite 3. Ea petitione frustrati Antiocheni, æneas saltem tabulas eum precabantur eximere, quibus incisa essent priuilegia Iudæorum. Sed ne id quidem Titus admisit, uerùm in eodem staru relictis omnibus, quæ habebant apud Antiochiam Iudæi, in Aegyptum inde discessit. Idem libro 7. capite 24. belli Iudaici.

TRAIANVS Imperator, cùm Decebalum Dacorum regem in clade cepisset, in inimicum crudeliter sæuire noluit: sed posteaquam eius uestimenta sauciis militibus, ut uulnera ligarent, diuisisset, illæsum ad suos cum remisit. Volaterranus lib. 23. Antropologiæ.

Licinius

Licinius post multas infelices pugnas Nicomediæ à CONSTANTINO magno obsessus, quàm non suarum uirium illa esset dimicatio, cernens, pacem sibi petendam uel iniqua conditione putauit: ac Constantiam uxorẽ ad fratrem Constantinum iterum misit, ut sibi ueniã impetraret. Hanc lacrymantem, ac summis precibus pro se, pro uiro, pro liberis supplicantem diutiùs sustinere pius Imperator nõ potuit, ac se hoc precibus eius daturum esse respondit, ut Licinius depositis insignibus Augustalibus, atq; Imperij administratione relicta, Thessalonicam ad priuatam uitam agendam secederet. Quam conditionem Licinius ut necessariam magis, quàm utilem, aut decoram accepit. atque priuati hominis habitu sumpto ad Constantinum accessit, & perita erroris suppliciter uenia, iussu eius inde Thessalonicam se contulit. Sigonius lib. 3. imp. occid.

IVLIANVS Apostata Nebridiũ Constantij (in quem ille mouebat) fautorem, ad genua sua prolapsum, paludamento protexit, ne ã militibus interficeretur.

IVSTINIANVS Imp. Vitigem Gothorum regem, cùm à Belisario captiuus Constantinopolim missus esset, non ut hostem captiuum, sed ut amicum habuit. Patricia enim dignitate decoratum, magnę cum prouinciæ Persis finitimæ præfecit, ubi honoris & opum plenus aliquod tempus uixit. Paulus Diaconus lib. 10.

THEODOSIVS Magnus Maximum tyrannum Aquileiæ à militib. deditum ubi uidit, Qua fiducia ad arma ciuilia descendisti? inquit. Cui ille respondit, Fauoris tui obtendi prętextum: neq; enim aliter potuissem allicere milites, nisi auctoramenti mei te finxissem auctorem. Qua uoce audita, Theodosius ira exarsit, nec tamen supplicio alicui terroris ipsum addixit, sed oculis deiectis, & multo rubore suffuso, uerba misericordiæ plena fecit. Quod ubi ministri eius senserunt, Maximum ex oculis eius abduxerunt, & tertio ab urbe lapide caput ei à cernicibus amputarunt. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Gilimer Vandalorum rex, cùm Carthagine capta prælio etiãm à Belisario uictus esset, iuxta Hipponem in montem Papuam præruptissimum cum suis confugit. Belisarius PHARAM ducem reliquit, qui eum obsideret. Petijt autem à Phara, ut sibi citharam, & panem unum ac spongiam mitteret uellet, quòd his opus haberet. Phara animi pendente, tabellarius ostendit, Gilimerem cupere panem uidere ac gustare, quòd nullũ uidisset, ex quo Carthagine excidisset: spõgia autẽ ad abstergendas uti lachrymas: citharam requirere, ad decãtãdas suas miserias. Hæc cùm audiuisset Pharas, graui dolore motus, ac humanæ fortunæ ludibria reputãs, omnia illa ei misit. Procopius li. 4. Vandalico, & Cedrenus.

IOANNES Zimisca Imp. Bozisem Bulgarorum regem, expugnata Perithlaba, captiuum humanissimè tractauit, regem Bulgarorum appellans, omnesq; captiuos Bulgaros liberè quò quisq; abire uellet permittens: non ad subigendos, sed ad liberandos Bulgaros bellũ se mouisse dicens. Cedrenus.

ATILA Hunnorum rex suprà, quàm cuiq; credibile est, supplicibus mitis fuit, & perquàm benignus erga eos, quos semel in fidem accepit. Complura extant apud Germanos de eius uirtutibus carmina, patrio sermone, more maiorum, perscripta. In libro quodã de rebus Atilę heroico uersu conscripto, qui Ratisbonæ in bibliotheca diui Haimerani asseruatur, legitur hic uersus, Fœdera supplicibus donat, iternitq; rebelles, Auentinus libro 2. Annalium Boiorum. Excisa Aquileia, Patauium, Vincentiam, Mantuam, Brixiam, Bergamum, Cremonam, Ferrariam, urbes munitas & opulentas, ui cepit, & in prædam concessit militum. Quibus tamen omnibus tum propter magnificentiam ædificiorum, tum amicorum retentus precibus, pepercit, ne igne absumerentur. Vnicam Brixiam, ob uulnus in porta urbis, dum acriùs illi expugnandæ instaret, sibi inflictum, unà cum ciuibus omnibus eò inclusi, incendio funditùs delere decreuerat: sed ab amicis ab eo quoque proposito fuit reuocatus. Post Catalaunicam pugnam Trecis Rhemios pergẽs, incolis in syluas præ metu fugientibus, bono eos animo iussit esse. Adducta est ad eum per milites, ex ripa fluminis, in quod se præcipitare uolebat, mulier: quæ filiola, collo fasciis alligata, ac duobus minoribus iumento impositis, alijs quoq; septem circumsepta erat filiabus. Mouit Atilam miseræ mulieris supplex oratio, ac tot infantium numerus: iussamq; assurgere, manibus proprijs erexit: & amplis donis, ut filiolas nutriret, donatam, domum redire iussit. Nic. Olahus cap. 9. & 13. eius uitæ.

Antequam ALARICVS Gothus sub Honorio Imp. Romam captam cum exercitu ingrederetur, edicto ædes sacras Christianorum inuiolatas fore seruit: eoq; confugientibus impunitatem & salutem condonauit. Multi tum falsorum numinum cultores se Christianos (quos antea oppugnarant) esse simulantes, manus hostium euaserunt. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum, & Sigonius lib. 10. Imp. occid. Hanc illius clementiam Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei prædicat, multoq; illustrius hoc factum quàm Romuli fuisse odit: quòd ille ut ciuium numerum augeret primus asylum instituerit: hic uerò ut hostium numerum seruaret, asylis pacem dederit. Ipsi Gothi plerosque Romanorum suis humeris in templa portauerunt, ne in cæteros milites minùs clementes inciderent.

Obsidentibus Romam Gothis, quatuor Isaurici milites urbẽ Totilæ regi prodiderunt, cumq; per Asinariam portam nocturno tempore introduxerunt. TOTILAS totum exercitũ circa Lateranum, usq; ad bonam partem sequentis diei immotum tenuit. Nam cùm complures illorum militum scũ haberet, qui à Belisario Roma electi, difficile à sanguine ciuium temperaturi uidebantur, uoluit tantò tempore expectare, donec Romani & Græci extra portas, uel ad Sanctorum basilicas effugere possent: quãdo omnibus persuasum erat, Gothos neminem uiolaturos, qui securitatem à templis Deo dedicatis implorasset. Totilas denso agmine ingressus, ex Laterano uoti nomine ad Vaticanam D. Petri ædem per mediam urbem adequitauit. Viginti tantùm Græcorum milites incautiùs per urbem uagantes, cum nõnullis ex plebe, eo in transitu cæsos fuisse, Procopius affirmat: cæteros fuga, uel Sanctorum templa tutos effecerunt. Ingredienti Totilæ templum D. Petri, Pelagius Pp. (qui iam pridem Romanorum nomine legatum egerat apud Totilam) sceleberrimum offert, Christi Euangelia in manibus gestans, supplexque omnibus factus, & in genua procumbẽs: Parce, inquit, ó princeps tuis. Tum Totilas arridens, Nunc mihi supplicaturus aduenisti Pelagi? Ita quidem, respondit, quando Deus te mihi dominum esse uoluit. Miserere igitur domine seruorum tuorum. Motus his Totilas, cædes prohibuit: bonam Romanorum militibus concessit, corpora libera esse iussit. Cùm superbirent Gothi, arguebat eos, & fortunæ mutationem memorabat. Ducenta millia Gothorum, à septem millibus Græcorum, duce Belisario, penè tota Italia pulsa fuisse dictitans: & rursus quatuor millia Gothorum, uiginti millia Græcorum uicisse. Absoluit idem Rusticianam mulierem nobilem, quæ ob uindictam Boetij mariti & Symmachi patris, Theodorici statuas confregisset: iustam enim putauit eius iram. Misit inde legati ad Iustinianum. Qui cùm nihil pacati ab Imp. afferrent, Totilas de euertenda urbe Roma consilium cepit. Ergo cùm tertiam partem urbis dissipasset, porrò etiam pulcriora & magnificentiora ædificia incendio delere instituisset: Belisarij precibus mitigatus est, ne aut si uictor eo bello foret, urbem suam excinderet, uel suiductus esset, minùs apud uictorem gratiosus. Relictam Romã Belisarius recepit, instaurauitq;. Eam Totilas secũdò cepit, & Romanos, qui in templa confugerant, incolumes præstitit, urbem nullo modo uiolauit, quin ut frequentiùs colerentur, ex tota Campania Latioq; ac reliqua Italia, ciues in Romam remigrarent, edixit, edidit q; equestres ludos, & alia quædam spectacula, ut ciuium animi tam longa malorum serie afflicti in spem aliquam erigerentur melioris fortunæ. Adortus est & publica quædam opera restituere, ut non tam tũ odij priore uictoria præ se tulerit in diruenda urbe, quantum iterũ capta studij & clementiæ in ea restituenda. Quod quidam uoto accidisse arbitrati sunt, alij religione, quòd D. Benedictus ei prædixisset, potiturum Roma, & ut uictoria moderatè uteretur præcepisset: alij credere, permoleste eum tulisse, quòd se Francorum regis filiæ nuptias petentẽ, esset uulgò à Gallis iactatum, non esse Totilam Italię regem, Roma ab eo excisa. Blondus lib. 6. inclin. Imp. & Sab. lib. 4. En. 8. & Sigonius libro 19. Imperij occident. & Ioan. Magnus libro 13 qui Leonardi Aretini fidem, Totilæ crudelitatem exaggerantis, accusat.

IDEM obsessa Neapoli, facta spe ueniæ, promissaq; militibus incolumitate, quum triginta induciarum dies petiissent, ne deditio temerè facta uideretur, respondisse fertur, Non triennos tantùm dies libenter concessurum se, sed ter tricenos, si ita ipsi uellent. Ciues, & qui in præsidio erant, tantam in hoste comitatem complexi, paucis diebus illi portas patefecerunt. Præstitit fidem deditis Totilas, nẽmo uiolatus est, nihil cuiquam ademtum, data q; est opera à rege, ne longam inediam passis immoderata cibi affluentia officeret, dato suis negotio, ut ad certum pondus daretur singulis cibus, quotidieq; aliquid adiiceretur. Cononi præsidij præfecto, & qui cum eo erant, commilitium ea conditione obtulit, ut æquo iure cum Gothis suo ductu bellarent: cæterùm abire uolentibus naues præbuit. Inde quia per aduersas tempestates mare tractari non potuit, terrestri itinere dimisit, equisque abeuntes iumentis & uiatico iuuit. Sabellicus lib. 3. Enneadis 8. ex Procopio.

ALBOINVS Longobardorum rex in Italiam irrumpens, Felici Taruisino episcopo oranti, ac sibi & rebus suis incolumitatem suppliciter imploranti, haud grauarè libertatem atq; omnes ecclesiæ suæ facultates indulsit, & Taruisium progressus præsidio deiecto oppidum suæ ditionis ac iuris effecit. Sigonius lib. 1. regni Ital.

Alachis Longobardus Tridẽtinus dux, elatus uictoria, quòd Bauaros ingenti clade superasset, in regem suum PHARIM arma mouit. Pertharis hominem primo impetu fudit ac fugat, clausum Tridenti aliquandiu obsidet: quo quidem noctu fuga inde abeunte, Tridento potitur. Tanta autem Pertharis clementia fuit, ut & hominem ad se redeuntem in gratiam receperit, & eum Brixianorum ducem creauerit. Platina.

CAROLVS Magnus Tassillum Boiorum ducem, qui suasu uxoris dolentis patrem suum Desiderium Longobardorum regem à Carolo captum, ter rebellarat, ter uictum, satis habuit in cœnobium includere cum filio Theodoro. Stumpfius. Expugnata Buda Pannoniæ urbe, quamuis è Francis plerique eecidissent, supplicis tamen populi in fidem accepti precibus permotus, priuatis opibus militi distributis, matronarum seruauit pudicitiam, nullam uim cuiquam intulit, populum uita donauit. At quia ad Christianæ religionis dogma amplectendum tardiores essent, urbis mœnia deiecit, ne facilè rebellarent: stata uectigalia imposuit, arma eripuit, templa cum idolis demoliri iussit. Bonfinius libro 3. Decadis 1.

Adelbertus Eporædiæ Marchio, Oldericus & Gilebertus Palatij comites, alijq; complures apud Brixiam consilia de Romanis Burgundionum rege contra Berengarium regem Italiæ euocando agebant. Hungari Veronam his imprudentibus accesserunt. Quod ubi sensit BERENGARIVS, reges comm, quibus erat amicus, rogauit, ut eos de improuiso adorirentur. Hungari Berengarij studio obsequuti tanta incautos illos celeritate oppresserunt, ut Oldericum occiderint, Adelbertum ac Gilebertum uinos in potestatem redegerint. Adelbertus ne agnosceretur, precioso omni cultu abiecto, uilibus se uestibus induit, & quinam esset, rogatus, se gregarium militem esse respondit, & paruo precio semetipsum liberauit. Gilebertus autem agnitus flagris cæsus est, & seminudus uinctusq; in conspectum Berengarij ductus. Cùm autem partibus corporis iis, quæ uelandæ forent, nuditatis signum cæteris excitasset, Berengarius misericordia capitus, lautum optimisq; uestimentis instructum dimisit: atq; hæc uerba dixit: Iusiurãdum nullum à te Gilebertę posco: fidei tuæ meipsum committo. Si de me malè mereberis, scito rationem Deo esse reddituram. Liberatus autem Gilebertus male liberatori suo gratiam retulit: nam ab Adelberto, cæterisq; rebellibus ad Rodulfum missus, eum intra triginta dies cis Alpes adduxit. Sigonius lib. 6. regni Ital.

VORTIMERVS Britannorum rex, uictoria contra Hengistũ Saxonum ducem parta, Saxonibus captiuis, armis exutis, liberè in patriam redeundi fecit potestatem: iis qui eiusdem gentis agrestes Cantium incolebãt, Britannorum subiectis seruituti, & cum uxoribus ac liberis illic degere permissis: Roxienam Hengisti filiam à Vortigerno patre matri super inductam & reginam appellatam, quòd ferret ureum, nihil passam aduersi, Londini in arce custodibus adhibitis regio propè more esse uoluit. Cuius post insidiis ueneno sublatus est. H. Boethius lib. 8.

AVR. Ambrosius Britannorum rex, uicto cæsoq; Hengisto Saxone, Londinensi arce recepta, Saxonibus, nihil in eos mali molitus, ut omnibus cum fortunis abirent liberè, fecit potestatem: cæteris uectigalibus factis, ea lege, ut Christi dogma profiterentur, in Albione manere permisit. Hector Boethius libro 8.

HENRICVS IV. Imp. Henricum Limburgensem parère recusantem, oppidis exuit: supplici tamen ampliorem Lotharingiæ ducatum tribuit. Auent. lib. 5. annalium Boiorum.

Adolphus Nassouius, priusquam eligeretur in Romanorum regem, quinq; DVCIS Brabantiæ satrapas prælio uicit. Captus ipse, & rogatus à Duce, Quis esset? Comes sum, inquit, Nassouiæ, rerum dominus non magnarum: At tu quis es? Sum, respondit ille, dux Brabantiæ, quem bello persecutus es assiduo, & cui quinq; duces strenuissimos occidisti. Tum Adolphus: Mitor, in quit, quomodo ensem meum euaseris, quem in te acueram, quum te præ omnibus occidere uoluerim. Dux Brabãtiæ audiens liberam hominis uocem, liberum dimisit: muneribusq; insuper ornatum, in familiaritatem suam accepit. Cuspinianus in Adolpho Imp.

AZAN Sultanus, cùm insperata felicitate Romanum Diogenem Imp. captum uidisset, de throno exiliit penè attonitus, positumq; humi de more pedibus calcans, sustulit ac amplexus est: &, Ne doleas, inquit, Imperator, hæc enim humana sunt. Ego te non ut mancipium, sed ut Imperatorem tractabo. Statim igitur habitationem illi ac familiam imperatoriam dedit, communique secum mensæ adhibuit, quoscunque uolebat illi soluens. Mox factis pacis conditionibus, & affinitate inter pueros contracta, dimisit Diogenem, quanto nemo unquam sperarat honore & satellitio: cùm proprias ei uestes præbuisset, manumque uulneratam curasset, Romano quantum fieri poterat more adaptans omnia. E Zonara Cuspinianus.

SALADINVS Aegypti Sultanus, qui Tripolim, Tiberiadem, & Galilæam Christianis eripuit, & Hierosolymam cepit, plus humanitate & æquitate sua quàm armis Christianos læsit, cùm eius imperium nulli aspernarentur. Platina in Vrbano III. Christianos, qui in arce Cracholim (Deserti petra nuncupata) biennium obsidionem post amissas Hierosolymas Syriamq; omnem sustinuerant, fame coacti deditionẽ fecerant, non modò incolumes omnes seruauit: uerùm filios quoq; atque uxores in obsidione diuenditos, ut unde alerentur haberent, redemit, ac donis ornatos cum præsidio in Christianorum populorum fines remisit. Fulgosius libro sexto, capite 5.

BAIAZETES I. Turcorum Imp. Gallorum exercitu ad Nicopolim trucidato, Niuernensem Comitem ducis Burgundiæ F. regis Galliæ fratrem, qui ferè nudus erat, ad se adduci iussit: habitaq; & ætatis, & regij sanguinis ratione, non tãtùm ipsum in uita seruauit, sed insuper facultatem concessit, ut ad releuandum captiuitatis mœrorem, quinq; ex suis quos uellet socios deligeret. Constituto tandem omnibus redemptionis precio, Baiazetes liberaliter concessit, ut omnis genus uenationibus uterentur. Postremò ducentorum millium aureorum precio à Iacobo Mitylenæo principe persoluto, simul omnes liberos dimisit. Iouius in uita Baiazetis I.

ALEXANDER Bulgarorum princeps, bello lacessitus ab Andronico iuniore Imp. cùm eum prælio fudisset, ulterò illius miserius, pacem illi obtulit: & cum exercitu domum redire passus est, hortatus, ut moderatior esset in posterum. Vnius enim anni quatuor esse tempora, & paulo momento maximas incidere rerum mutationes. Gregoras lib. 10.

FERDINANDVS Legionensis rex, cùm Alfonsi Lusitaniæ regis arma repelleret (multa enim de ipsius regno occupauerat) in prælio captum, atq; efficacta coxa debilitatum, præter quàm quòd curari diligenter iussit, mentæ quoq; honorem ei semper communem fecit: nullamq; prorsus earum rerum, quas offerebat, accepta, iis duntaxat quæ occupauerat receptis, dimisit. Fulgosius lib. 5. cap. 1.

RODERICVS Vimarius, Hispanus eques, Cid cognominatus, coacta grandi manu suorum, contra Mauros Beticam occupantes tendens, à Petro Aragonio rege bello petitus, in prælio regem cepit: eodemq; neque regni parte, neq; pecunia ulla multato, sed liberè dimisso, contra Mauros iter continuauit. Fulg. & Egnat. lib. 5. cap. 1.

FERDINANDVS Catholicus Hispaniæ rex, numerosas Gallorum Regis copias, ab oppugnatione arcis oppidi, quod Salias appellant, metu coactas discedere, cùm armis persequi manuq; capere posset, quia tamen non sine magna illorum strage fieri posse uidebat, abire permisit, multum licèt reclamantibus suis, & spolia opima è faucibus eripere indignè ferentibus. Marineus lib. 21. rerum Hispan.

Ob tixam inter Venetos & Patauinos ludis Taurisinis ortam Patauini Taurisinis in socios assumtis sine ulla belli denunciatione Venetos fines ingressi, subitam inde prædam abduxere: resq; publico nomine repetitas non modò non reddidere, sed Bebianam etiam turrim flumini impositam oppugnare cepere. Ad Bebias est pugnatum. Aquileiensis antistitis interuentu pax secuta, his conditionibus, ut quinque & uiginti illorum, à quibus Taurisino spectaculo iniuria orta erat, Venetias ad principem mitterentur: cui fas esset eos, quo uellet, supplicio afficere. Eos postea traditos Venetus inuiolatos dimisit. Ab hoc initio deinceps odiis & offensionibus datus locus, donec tandem Patauini imperium magno suo cum bono subiere Venetum. Sab. lib. 8. Dec. 1.

Nullum unquam atrociorem infestioremq; hostem expertæ sunt Venetiæ, Ligure ipso. Bello Ligustico IIII. Venetis captiuis qui Genuæ erant, ita maligne uictus ab hoste suppeditabatur, ut paucissimis diebus ad trecentos quinquaginta inedia expirarint, quorum corpora in mare sæuus hostis proiecit. Fuerunt qui crederent uenenum eis datum, quo cibariis mixto uno tempore quamplurimi extincti essent. Ad eam famam ita VENETORVM animi ira exarsere, ut continuò in Terram nouam, ubi publicus erat carcer, sit concursum: ac refractis portis paruam abfuit, quin Genuenses uiolati sint. Verùm quia id turpe, ac penè impium uisum est, ad iniuriæ ultionem alia uia ingressi, omnia illis priora commoda ademerunt, pallia, culcitras, strameta, popinæ usum. Mulieres quæ piè illis ministrabant, abire iussæ, ac uetitę ministerij causa eò uenire: panis cum modica aqua in cibum cœptus est dari, nec ad satietatem facturus. Sed ciuitatis natura statim ad clementiam recurrit: omnia, quæ miseris ademta fuerant, recentiore decreto sunt restituta. Quinetiam pace facta, Venetæ matronæ tantum pecuniarum in medium contulerunt, ut Genuensibus, qui seminudi custodia educti erant, tunicæ, indusia, calcei, femoralia, aliaq; tegumenta

corporis, abeuntibus sint præbita. Viaticum ad hæc datū. Ij qui tandem missi sunt, mille & quingenti fuerunt: reliqui diuturni carceris fœtore ac tædio, & ut quidam tradidêre, nimia crapula extincti sunt. Sabellicus lib.7. Dec.2. Recepta Clodia, quatuor millibus captiuorum Genuēsium receptis, publicas ædes illis assignauêre, unde prospectus in Canalē maiorem foret, certatim à matronis singulis diebus allata cibaria, ægrotantes uario medelæ genere leuati sunt. Egnatius libro 5. capite 1.

Ob tumultum, qui à Patauinis in Taurisinis ludis excitatus erat, ad Bebianam turrim pugnatum fuit. At Aquileiensis antistitis interuentu pax secuta his conditionibus: Vt quinq; & uiginti illorum, à quibus Taurisino spectaculo iniuria orta erat, Venetias ad Principem mitterentur, cui fas esset eos quo uellet supplicio afficere. Sed eos postea traditos VENETI inuiolatos dimisere. Sab.lib.8. Dec.1.

PETRVS Lauretanus, classis Venetæ imperator, ad Rapalitanum sinum uictis Genuensibus, captiuum ipsum Franciscū Spinulam imperatorem, & reliquos ad se adductos, benignè excepit. Excepta est quandoq; Spinulæ uox, admirantis tantam clementiam, palamq; dicentis: Neque in classe ipsa dum Venetias ueheretur, neq; in ipsa ciuitate asseruatum se captiuum esse. Egnat. lib.5. cap.1.

Hostes urbem Genuam irruperant. Quos cùm THOMAS Fulgosus Genuensium dux profligasset, captiuos principes uiros atq; inter captiuos Raphaelem Adurnum, data dextera bono esse animo iussit, atq; omnes aut equis aut pecunia donatos eadem ipsa hora liberauit, clementiæ nomen securitati suæ anteponendum ducens. Fulg.lib.5.cap.1.

Mastino Scalano, Veronensium tyranno, cùm non satis esset, quicquid telluris cis ultraq; Padi fluenta intra Alpes iacet, nisi in Hetruriam quoque tyrannidem promouisset, ac nouissimè maris possessionem turbare Venetis cœpisset, conspirarunt in illum VENETI, FLORENTINI, omnesque Cisalpinæ Galliæ reguli. Veneti duce Petro Rubrio Parmēsium principe, Taruisium & Patauium tyranno ademêre, Patauio Marsilium Carrariensem præfecêre, Taruisium sibi ipsis seruauêre: satis superque se adeptos rati, quòd superbissimi hostis ferociam tandem prostratam uidissent: cui demùm iacenti, ac miserabili modo ignominiosam pacem petenti, non modò non negauerunt, sed ciuitate etiam donauêre. Sab.lib.2. Dec.2.

MAGNVS Sfortia Martinum Pasolinum aduersæ factionis principem, cum quo multis utrinq; cædibus editis aliquot annos Attenduli intestino bello contenderant, undiq; pulsum, infestaq; Attendulorum arma fugientem, desperatis rebus ad suos pedes procumbentem, uenia paceq; extemplò donauit: eo quidem maiore cum laude, quòd tum planè iuuenis, & uindictæ libidine uehementer exardens, ea odia, infesto semper animo, & cruentis manibus exerceret. Iouius in eius uita.

ALFONSVS Aragonius cùm urbem Neapolitanum cepisset, milites à cæde & direptione coercuit: & præter primos impetus, quos continere facile non fuit, ciues omnes à militū furore & auaritia tutos incolumesque seruauit: stricto ense perequitans ciuitatem, ne quis alteri uim aut contumeliam afferret, prohibuit. Dein his (quanquam uictis) liberorum iura concessit, iniuriarum omnium, etiam Petri fratris cædis, oblitus. Pontanus lib.1. de Fortit. cap.33. de Officio uictoris. Iscla capta, grauissimis hostibus pepercit: uiduasq; & uirgines, quibus cum connubia copularēt, dedit: ratus uidelicet, id quod euenit, animos illorum deliniri & conciliari posse prole suscepta. Antonium Caudolam, uirum bellicosissimum, licèt hæreditarium hostem (quem omnes morte multandum iudicabant) saluum esse uoluit, & ei omnia sua bona restituit. Milites captiuos, missos fecit, nonnullos muneribus ob uirtutem exornauit. Qua clemētia ipsos etiam hostes sibi exinde beneuolos reddidit, uniuersoq; regno Neapolitano ab Aquila Marsorum urbe ad Rhegium usq; Brutiorum sine aduersario, in pace summaq; tranquillitate potitus est. Panorm. libro 2. de Rebus gestis Alphonsi. Marinū Bossam, in cuius mortem uniuersus fermè exercitus coniurarat, à furore militum defendit: bona restituit, in senatorum numerum recepit, eiusque filios in aulicorum suorum numero esse uoluit. Stephato urbe capta cùm centuriones ac milites, qui maledixerant regi, clementer tractasset, castigatus à suis, qui omnes morte damnandos iudicarant: respondit, Se malle ex clementia & humanitate erga hostes, quàm ex uictoria laudem adipisci. Panormitanus de rebus gestis Alfonsi.

Captus est Alfonsus Aragonum rex à Genuensibus ad Caietam, & cum eo duo eius fratres, Nauarræ rex, & Henricus Infans, trecentique alij illustres uiri, anno Salutis 1435. & ad PHILIPPVM Viceecomitem Mediolanensium principem perducti. Quos ille non ut hostes, sed ut reges & hospites penes se habuit, postremò amplissimis muneribus donatos incolumes dimisit. Genuenses ubi præpotentem hostem tantoque periculo à se uictum, dimissum audiuêre, à Vicecomite defecere. Aemilius lib.10. Platina in Eugenio IIII. & Sab.lib.3. En.10. Iouius Philippum eo facto reliquorum uitiorum labes præclarè aut detersisse aut operuisse scribit.

Ludouici XII. regis Gallorum duces Capuam arcta premebant obsidione. Friderico Neapolitano regi Columnenses fauebant, Gallo Vrsini & Borgias Alexandri VI. F. Fabricius Columnius deditione ciuium cognita, cum Gallorum ducibus in colloquium uenit, ut sibi ex urbe præsidium incolume educere liceret. At ubi nihil impetrare potuit, in urbem reuersus, cum duobus comitibus celeri equo euectus fugam molitus est: & iam aliquantum spacij ab urbe confecerat, quum in fossam cum toto equo præcipitatus, in hostium potestatem uenit, & à IORDANO Vrsino, cum quo alioqui priuatas exercuerat inimicitias, benignè seruatus est. Cæsar Borgias summa ope adnixus est Columnium ducem, cuius uitæ capitaliter imminebat, à Gallis impetrare. Sed nec ipse, nec pater, qui multa etiam Gallis ducibus pollicebantur, tenere potuit, ut sibi uir clarissimus ad supplicium dederetur. Redemptus est magno auri pondere, in quo maturiùs repræsentando, eiusdem Iordani liberalitate est Fabricius adiutus, qui in duobus millibus aureorum nummûm, qui tam citò expediri non potuerunt, Gallis se sponsorem exhibuit. Sabel.lib.1. Enneadis 11.

Bello Neapolitano Tarentinus dux Andegauensium partes secutus, Andriam graui obsidione premens, cuniculos agebat. Quibus contrarios egit FRANCISCVS dux Andriensis, Ferdinandi Aragonij partium studiosus: iisq; patefactis hostes, quos igne & fumo suffocare poterat, religione uictus capi iussit, armisq; exutos & liberaliter habitos mane facto cum uestimentis benignè dimisit. Itaq; tantum sibi illorum deuinxit animos, uti reperti ex eis fuerint, qui per famulos aut amicos suos clàm frumentum, cuius inopia premi urbem sciebant, aut intra urbem immitterēt, aut in ipsas fossas excipiendum noctu ab oppidanis deijcerent. Quibus artibus aliquot diebus fames in urbe tolerata est, sed tandem dedita, anno 1461. Pontanus lib.4. belli Neapolitani.

PIVS II. Pont.Max. correptos à suis greges Aquilanorum ad quinquies centena millia, quòd uiolata fide ad Gallos defecissent, restituit: dicens, non esse multandos insontes: greges agrestium & multitudinis esse, defectionem à potentioribus factam. Qua liberalitate dedere se uolentes Aquilanos, reiecit ad regem. Ioan. Campanus in eius uita.

Victis in Hungaria Gurziensibus, Magnum, inquit FRIDERICVS III. Imperator, actum est opus: nunc maius restat, ut scilicet uincamus nosmetipsos, atq; auaritiæ & ulciscendi cupiditati frenos imponamus. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitam.

SIGISMVNDVS I. Polonorū rex in Cruciferos Prussos infensiss. Polonorum hostes debellatos iam ferè, clementer admodum se gessit: Magistrum eorum, Albertum marchionem Brandeburgensem, sororis suæ filium, retinere ea quæ partim iure belli amiserat, partim amissurus esse uidebatur, omnia iussit & honore auxit, Magistri appellatione in Ducis nomen, quo omnem deinceps rebellandi occasionem tolleret, commutata: deniq; hæreditariū ei fratribusq; eius Cazimiro & Georgio in mares duntaxat liberos principatum illum constituit. Germanos milites labore, inopia, inedia, uigilijs, uulneribusq; confectos, delere cùm posset, noluit. Captiuos, quorū plenæ erant turres & ergastula in maiore Polonia & Cauiauia, sine ullo precio liberos, atq; adeò ueste & uiatico donatos dimisit. Cromerus in Epitaphio.

FRANCISCVS Sforcia Mediolanensium dux, quum adhortarentur eum familiares, ut Guelfam factionē omnino tolleret, quæ illi eiusq; imperio infesta in primis esset: Pudeat, inquit, nos, me principem recèns Mediolanensem totius populi consensu creatum, ad alterius partis internecionē adhortari, quæ hunc principatum uolens mihi tradiderit. Aspicite canos in capite meo capillos, & nigrescentes ex alia parte. Quos præferam, ut alteri alteris non inuideant? Et certè ut me eorum non pudet, sic patiamini quæso Guelfos & Gibellinos æquo iure sub me principe agere, qui pudorem uerecundiamque semel animo cœptam hanc exuere animo non possim, nec debeam: si modò uos me cum principem esse uelitis, quem ab initio tanto studio elegistis. Egnat. lib. 4. cap. 5.

STENO iunior Sueonum rex Christiernum II. Danorum regem, Stocholmiam Sueciæ metropolim obsidentē, & summa rerum omnium inopia uentoque ad extrema redactum cùm animaduerteret, tantum commeatuum ad eum misit, quantum sustentando toto eius exercitui sufficiebat. Christiernus autem percepto eo beneficio, legatos ad Stenonem dirigit, asserens se cum eo ad familiare colloquiū causa publicæ pacis descendere uelle. Parum aberat, quin Steno Danica astutia persuasus, ad ipsius classem se contulisset:

Sed suorum consilio reuocatus, Hemmingum Gaddū, & nobilissimum adolescentem Gostauum Ericson, ad eum misit, quos ipse confestim secum in Daniam captiuos deportauit, anno 1518. Io. Magnus lib.23.

LEO X. Pp. sub suum in patriam reditum, actum in exilium Petrum Soderinum uexilliferum Reipub. Florētinæ Mediceis infensissimum è Ragusio in urbem euocauit, eoq; summo cum honore suscepto, Contesinæ sororis filio Aloisio Ridolfo ex Soderini fratre filiam in matrimonio collocauit. Pepercit & ipsi Valerio, coniurationis contra se factæ conscio, quem properè Volaterrano carcere eductum libertati patriæq; restituit. Caruaiali & Sanseuerino pseudocardinalibus, quum audita morte Pontificis è Gallia Romam ad comitia peruolarent, in portu Pisano captis, (quos Iulius II. Pp. Leonis antecessor iam Senatu motos, omnique prærogatiua suffragij & galeri dignitate penitùs exutos, quòd cōcilium Pisanum aduersus se concitatis regibus indixissent, si qua forte eos caperet, in Campo Floræ tanquam scelestos & impios concremare decreuerat) Romam perductis, & in Senatu sine purpuræ insignibus suppliciter ueniam petentibus ignouit, pristinumq; eis honorē, & sacerdotia restituit. Iouius in Leone X. lib.3.

Capta à milite Cæsariano Roma, & obsesso Clemente VII. Pontifice; POMPEIVS Columna cardinalis, licèt hostis Pontificis, posteaquam Romam uenit, domum suam afflictis & miseris aperuit: & quanta maximè ualebat auctoritate apud duces ac milites operam dedit, ut inuiolatum decus feminis seruaretur, cruciatu eriperentur ciues, & de redimēdis captiuis tolerabili conditione leges ferrentur. Cardinales plures ad se confugientes uestiuit atque aluit: controuersias inter captiuos & milites sua pecunia dissoluit: cunctisque uitæ periculo circumuentis, uadem se præbuit: ita ut in ea fortunæ acerbitate captæ & euersæ urbi, nihil Pompeij aduentu oportunius fuerit aut melius. Nec aduersæ modò factionis nomine, aut peculiari ex causa ueteres inimicos præsenti ope adiuuit: sed è Sanctacrucia etiā familia, à qua Hieronymus ipsius pater interfectus est, nobilem matronā, eiusq; filiam conspicuæ formæ uirginem ad se recepit, atq; auro redemit. Iouius in Pompeio.

CONSALVVS Magnus ad Aquinum, unde hostes exierant, posuit castra, pluresq; ibi Gallos & Heluetios ex morbo, fame & frigore tabescentes, in templo hospitali repertos insigni pietate conseruauit: secus ac Præianes Gallus effecerat, quum paulo antè nauigium, quo Hispani aliquot, ex numero sauciorum & ægrotorum, è Formiano Neapolim uehebantur, supra Cumas piratica feritate demersisset. Iouius in Consaluo.

SOLYMANNVS Imp. Turcorum, Buda penè deserta potitus, arcem obsedit. Ei præerat Nadastus inter Vngaros nobilitate & uirtute illustris. Quem cùm Germani milites ad dedendam hosti arcem compellere minis non possent, cum hoste saluis rebus paciscuntur, & Nadastum in uincula coniiciunt. Id ratum habuit Solymannus. Cæterùm cùm eius præsidij milites, qui erant ferè septingenti, ex conditione incolumes sarcinisq; suis onusti in Possonium abirent, & Ianizari occupata arce Nadastum solutum uinculis pariter dimissuri essent: Solymannus de militum perfidia, probitateq; Nadasti erga Ferdinandum regem certior factus, reliquos milites omnes ad unum Ianizaris trucidandos obiecit, Nadastum uerò liberali stipendio inuitatum, idque renuentem humaniter dimisit. Iouius lib.28. Historiarum.

CAROLVS V. Imp. cùm anno Christi 1547. Ioannem Fridericum ducem Saxoniæ Electorem tanquam rebellem damnasset capitis, recepit illum in gratiam. Facta ciuitatis Vitembergæ deditione, Saxonis uxor Sibylla Cliuensis, egressa cum filia & fratre mariti, uenit in castra: & supplex facta, multis cum lacrymis precata est pro coniuge. Cæsar eam perhumaniter accepit, & Saxoni permisit, ut oppidum ingressus, per dies octo cum uxore & liberis commoraretur. Iis exactis, ad custodiam suam reuersus est. Carolus quinquennio pòst illi omnem offensam remisit. Sleidanus libro decimonono & 24.

Mortuos.

☞ *Exempla quædam ex Titulo Moderatæ uictoriæ, peti possunt: item è Tit. Sepulturæ.*

DAVID exul, cùm Sicelege ab Amalechita quodam iuuene cladem, qua affecti fuerant Israelitæ à Palæstinis in monte Gelboe, & Saulum regem, qui gladio incubuerat, neque tamen mori poterat, à iuuene illo interfectum, indicio coronæ & armillæ, quas magni præmij spe Dauidi offerebat, cognouisset: uestimenta sua & ipse & comites lacerarunt, magnoque planctu Saulum cum Ionathane filio defleuerunt. Mox ad Amalechitam conuersus, eum interfici iussit, quòd unctum Domini interficere ausus fuisset. 2. Regum 1. Audiens quinetiam, Iabenses Galaaditas Sauli & filiorum corpora, quæ Palæstini ludibrij causa in muris Bethsanis suspenderant, noctu per uim abstulisse, & honorificè sepeliuisse, missis nuncijs pro tanta erga regem pietate illis gratias egit, & sese gratias eis relaturum promisit. Ibidem cap.2.

IDEM interfici iussit Banam & Rechabum, qui Remnonis fuêre filij, quia Isbosetum Sauli filium dormientem peremissent: cùm nihilo is esset in Dauidem pacatiore, quàm pater fuerat, animo. Sabel.lib.8. cap.4. ex 2. Reg.4.

IEHV rex Israel, Iezabelem reginam, quam de fenestris præcipitandam curarat, fecit ornari tumulo. 4. Reg.9.

Singulari mansuetudine ferunt HERCVLEM in hostes suos fuisse. Primum enim ante hominum memoriam facto fœdere mortuos suis ad sepeliendum reddidisse: cùm eo tempore parùm occisos curare solerent, & canibus ad uescendum relinquere, ut inquit Homerus: Ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. & κυσὶ μέλπηθρα γενέσθαι. Aelian. de Var. hist. lib.12.

Persarum rex DARIVS, cùm ei caput Histiæi Milesij, quem hostem iudicauerat, allatum esset, statim lauari, & honorificè sepeliri iussit. Herodotus.

ALEXANDER Magnus Darium insequens, ubi eum multis confossum uulneribus reperit, non obscurè indoluit huic misero casui, chlamydemq; suam soluit, eoque iniecto corpus inuoluit. Bessum pòst, qui eum uinxerat comprehēsum dilacerauit directis arboribus duabus in imum deflexis, quarum utrique corporis partem alligauit: inde laxatæ ambæ, atque impetu in sedem suam relatæ, partem sibi annexam retinuêre. Corpus Darij regio cultum more ad matrem eius misit. Fratrem eius Exathrem (Oxathrem habet Curtius) in cohortem recepit amicorum. Plut. in Alexādro.

Post pugnam ad Platæas gestam cùm Lampon Pythei F. Aegineta PAVSANIÆ Cleombroti F. Lacedæmoniorum duci consuleret, ut Mardonij truncum in crucem tolleret, & talionem reponeret Persis, qui Leonidæ Lacedæmoniorum regis patrui sui ad Thermopylas occisi corpus stipiti suffixissent: Pausanias monuit, si saperet ne unquā posthac tam infanda oratione uteretur, addens, satis & Leonidæ & cæteris qui ad Thermopylas occubuissent, tāta Persarum strage parentatum. Herodotus lib.9. & Pausanias in Lacon.

Lacedæmonum rex CLEOMENES, cùm Achæorum exercitum superasset, magnumq; hostium numerum interemisset, omnia ad sepulturam petita corpora libenter concessit. Inter alia autem cùm inuentum Lysiadis corpus esset, qui olim Megalopoli tyrannidem exercuerat, & sponte sua liberatis Megalopolitanis ad priuatam uitam redierat, purpurea ueste tectum, corona quoque exornauit: magnoque apparatu à suis usque ad Megalopolis portas deferri iussit, ne is patrio sepulturæ honore careret, qui patriæ libertatem donarat. Fulg.lib.5. cap.1. ex Plutarchi Cleomene.

DEMETRIVS Poliorcetes, uicto Ptolemæo Aegypti rege ad Salaminem, uictoriam per se nobilem, multo nobiliorem reddidit, cæsorum hostium corporibus sepulturæ deditis. Captiuos restituit sine precio, armorum quoq; uim ingentem dono misit Atheniensibus. Sabel.lib.7 En.4.

Pyrrhus, cùm diris auspiciis Argiuorum inuasisset urbem, abscissumq; caput eius Alcyoneus Antigoni regis Macedonū filius ad patrem lætus uelut aliquod felicissimum uictoriæ opus attulisset, ANTIGONVS correpto iuuene, quòd tanti uiri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret, humo caput sublatum, causia, qua uelatum caput more Macedonico habebat, texit, corporiq; Pyrrhi impositum honoratissimè cremandum curauit. Quinetiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum, & cultum & animum gerere regium iussit: ossaq; Pyrrhi ei aurea inclusa urna, in patriam Epirum ad Alexandrum fratrem portanda dedit. Val.Max.lib.5. cap.1.

Populus ROMANVS morte C. Martij Coriolani nunciata, signum uel honoris uel iræ in eum nullum aliud edidit: sed postulantibus mulieribus lugere eum, ut quæque parentem, uel filium, uel fratrem soleret, decem mēses permisere. Hic luctus terminus erat longissimus, quem Numa definiuit. Plutarchus in Coriolano.

SENATVS Rom. Siphacem Numidiæ regem captiuum, in custodia Tiburi mortuum, publico funere extulit, ut uitæ dono honorem sepulturæ adiiceret. Consimili clementia in Persa Macedoniæ rege usus est. Nam cùm Albæ, in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset, Quæstorem misit, qui eum publico funere efferret. Val.lib.5. cap.1.

L. CORN. Coss. primo Punico bello, cùm Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissimè pugnans Hanno dux Carthaginensium occiderat, corpus eius è tabernaculo suo amplo funere extulit: nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare. Valerius libro 5. capite 1.

HANNIBAL L. Aemylij Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum iacere passus non est. Tiberium Gracchum, Lucanorum circumuentum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandauit, & ossa

eius in pâtriam portanda militibus Rom. tradidit. M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidiùs quàm consideratiùs speculatur, interemtum, legitimo iure extulit: Punico quoq; sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit. Val. Max. lib. 5. cap. 1. De eo sic scribit Plut. in Marcello: Posteaquam M. Marcellum ex insidiis trucidatum esse intellexit, diuq; & robur & speciē mortui considerauit; nullum dictum ei excidit arrogantius, nec lætitiam uultu præ se tulit: sed ad insperatam mortem obstupescens, anulo eius ablato, corpus eximiè ornatum & cultum honorificè cremauit. Reliquias in argenteam conditas urnam iniectâ aurea corona remisit ad filium. In ferentes urnam Numidæ quidam delati, repugnantibus illis ui eripuerunt, proieceruntq; ossa. Eo nunciato, Annibal: Quàm nihil, inquit, potest fieri inuito deo? Numidas inde supplicio affecit, neque ultrà deferendorum ossium uel colligendorum fuit ei cura: quòd nimirum fato quodam ita inconsultè cecidisset, ut inhumatus iaceret Marcellus. Ita Cornelius Nepos, & Valerius Maximus memoriæ prodidêre. Liuius & Cæsar Augustus delatam ad filium urnam fuisse, & elatum magnifico funere, auctores sunt. Plut. in Marcello.

MITHRIDATES, Ponti rex, cùm Thoridoracem Galatam, qui in ipsum conspirauerat, occidi iussisset, uerentibus omnibus eum sepelire: adolescentula insignis, quæ eum deperibat, ut sepeliret corpus exornauit. Cùm autem ab ea Mithridates (deducta enim ad ipsum fuerat) intellexisset, amore captam illud egisse: non modò eius quem amauerat corpus illi ad sepulturam concessit: uerùm ut funus quoq; exornaret, pecuniam impendit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

CN. POMPEIVS, audita Mithridatis morte, qui desperatis rebus sibiipsi uim intulerat: plus miserando eius casu motus, militarique disciplina, quæ sine modestia nomine suo indigna est, quàm his quæ permulta hostiliter Mithridates gesserat, corpus eius regia pompa in regum sepulcris condi iussit. Dion Nicæus.

M. ANTONIVS post Philippicam uictoriam M. Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit: quoque honoratiùs cremaretur, iniici ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem sepósito existimans odio. Cumq; intercéptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animaduertit, hac antè præfatione usus: Quid? tu ignorasti, cuius tibi uiri sepulturam commiserim? Val. lib. 5. cap. 1. & Plut. in Antonio & Bruto.

C. IVL. Cæsar uictor in Aegyptum ueniens, eum qui caput Pompeij sibi obtulit, ut detestabilem auersatus est. Anulum eius accipiens illacrymauit. Insculptus leo erat ensem tenens. Templum Indignationis statuit eodem loco, quo ita affici contigerat, ut actæ rei monumentum inde esset. Achillam autem interfectorem, & Pothinum eunuchum interfecit. Ipse rex Ptolemæus in conflictu oppressus circa fluuium nunquam postea comparuit. Rhetor Theodotus, qui primus necandi Pompeij consilium dederat, Cęsaris ultionem declinauit. Nam profugus ex Aegypto palatus est abiectus & execrabilis. Eum M. Brutus interfecto Cæsare Asiam obtinens, repertum ibi atque omni cruciatus genere affectum necauit. Pompeij statuas, deiectas honorificè reposuit. Plutarchus in Pompeio, & Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. & Sabellicus libro septimo, Enneadis 6. Catonis morte audita, & se inuidere illius gloriæ, & illum suæ inuidisse dixit: patrimoniumq; eius liberis ipsius incolume seruauit, & herculè, diuinorum Cæsaris operum non parua pars Catonis salus fuisset. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

AVGVSTVS cognita M. Antonij morte ex Derceteo ministro, qui gladium quo se Antonius percusserat in castra detulit, in intimam tabernaculi partem concessit: ibiq; ubertim fleuit mortem collegæ & affinis sui, multarum rerum bellorumque socij: inde confestim Proculeium in urbem ire iussit, qui daret operam, ne Cleopatra de se aliquid grauius statueret. Cupiebat Octauius eam in triumpho ducere. Ex Plutarchi Antonio Sabellicus libro nono, Enneadis sextæ. Eius morte cognita Antonio & Cleopatræ communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Suetonius.

IDEM M. Bruti licet inimici statuam æream à Mediolanensibus positam, inuiolatam reliquit. Plutarchus in comparatione Bruti & Dionis.

CLAVDIVS II. Imp. Aureolum tyrannum, qui in Illyrico augustalem dignitatem usurpauerat, in prælio Mediolani cæsum, sepulcri honore dignatus est, iuxta pontem quem ab ipso Aureolum nuncupauit: epigrammaq; addidit, quo ostendebat, cupere ut adhuc uiueret, modò id aduersum rēp. non esset. Ibidem.

PROBVS Imp. Arradionem (quem singulari certamine confecerat) magnificentissimo honestauit sepulcro, cuius latitudo trecentos habebat pedes. Pontanus capite 12. & 15. de Magnificentia.

Cùm quidam homines apud ANDRONICVM tyrannum, interfecto Alexio Porphyrogenito puero, rerum potitum, gratiosi peterent, ut suspensorum corpora tollerentur: rogauit, Num pridem essent mortui? Vbi ex carnificibus audiuit, malos malè periisse: se dolere uicem illorum dixit, ac id dictum lacrymis prosecutus, adiecit, Legum seueritatem & auctoritatem sua uoluntate & proposito plus ualere, & iudicum sententias suo iudicio præpollere. Nicetas libro 1. de imperio Andronici Comneni.

LAMBA Auria, præfectus Genuensium classis, Venetorum captiuas triremes cæsosq; qui in mare è more proiiciebantur recensens, Andreæ Danduli, Venetæ classis Imp. corpus ad Curzulam delatum, insigni funere tumulauit, ipseque cum nauium præfectis omnibus adesse uoluit. Licèt ipse eo in prælio filium amisisset, quem gregatim proiici cum aliis iusserat. Fulgosus lib. 5. cap. 1.

FERDINANDVS Consallus Castulonensis comes, cùm decertaret cum Pictonum ac Tolosanorum comitibus, qui Nauarrensibus auxilio uenerant: manu sua obtruncato Tolosano comite, occisi corpus aureo panno texit: & Tolosanis, qui eo bello capti erant, redeundi ad suos potestate facta, collatam in uiaticum pecuniam dedit: nulla re ab eis exacta, nisi ut iurarent principis sui corpus, quod eis tradebat, se Tolosam cum toto comitatu perlaturos. Fulgosus libro quinto, capite primo.

HVGVTIO Fagiolanus, qui Pisis ac Lucæ rerum potiebatur, cùm oppidum Montemcatinum obsidione premeret, atque inde eum pellere Roberti Gallorum regis Florentinorum fœderati ac Florentinæ copiæ tentarent, quanquam in eo prælio filium Franciscum amisisset: tamen deletis hostium copiis, Petrum Tempestatem cognomine, regis fratrem, & Carolum nepotem acie cæsos Pisas detulit, magnoq; pro eorum fortuna funere tumulauit. Plus mortuorum dignitati, quàm proprio dolori tribuens. Ibidem.

HADINGVS Danorum rex, Vssonem Sueonum regem uiolato hospitij iure insidias molientem, cùm noctis beneficio effugisset, prælio interfecit. Cadauer tamen illius splendido funere extulit, & mausoleo etiam cohonestauit: fratrem eius Hundingum regno præfecit. Qui cùm falsum accepisset nuncium de Hadingi interitu, parentalium ergò regium conuiuium instruxit, & in eo ipsemet pincernam egit. Cæterùm cùm incuriosiùs discursaret, in dolium cereuisia plenū incidit, & suffocatus est. Hadingus eius casum dolens, ipse seipsum publicè strangulari uoluit, iussit. Saxo lib. 1.

Agnetem, Bellam uulgò dictam, Carolus VII. Gallorum rex amabat. Illa in arcis Lociarum templo medio LX aureorū M & monumentum & anniuersarias preces redemerat. Eū in locum ingressus aliquando LVDOVICVS XI. qui patri successerat, & à clericis rogatus, uti permitteret monumentum aliò transferri: Quanquam illa mihi dum uiueret uehementer infensa fuit, tamen & nos datam fidem morienti seruare, & me cum mortuis minimè luctari conuenit. Quin potiùs ex fisco nostro sex libellarum millibus dono acceptis, in cultu huius templi assidui fidiq; permanete. Gaguinus libro 10. cap. 1.

RENATVS, Lotharingiæ dux, à Carolo Audace Burgundiæ duce pulsus, postea Heluetiorum fœderatorum ope adiutus: eum ipsum, à quo tam multa tulerat, prælio uicit & interemit. Caroli corpus in cōferta cæsorum multitudine uix inuentum, ad Nanceium oppidum, in sancti Georgij fanum detulit, cum omni aula sua eum honoris gratia atratis uestibus prosecutus, tanto sacerdotum facumq; numero adhibito, quantus tunc inueniri potuit. Fulg. lib. 5. cap. 1.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, Hedinum intrans, cùm Atrebatensium ciuium primarios, ad XXII, securi ob rebellionem feriri iussisset, clementiæ memor, quatuor, cùm cæteri necati essent, uitam se superstitibus donare professus, quæsiuit an Edoardus Bussius adhuc uiueret. Negantibus illis, caput sepulcro eximi, & purpureo galero (quo Consiliarij principum ea ætate utebantur) exornatum, de suggestu medio foro spectandum populo proponi iussit: ut quem, uiuū ne Consiliariatus quidem dignitate oblata in suas partes pertrahere potuerat, mortuum saltem prudentiæ nomine honorasse uideretur. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus.

Ex interitu Vladislai Vngariæ regis in pugna Varnensi obtruncati ferum AMVRATHIS II. Turcorum Imp. animum aliquid commiserationis incessit: quippe, qui ubi in castris fuis oppetiit, ibi in perpetuum suæ fortitudinis & magnanimitatis monumentum sepeliri iussit, ad caputq; columnam statuit: cui nominis honestissimæq; mortis excisa est inscriptio. Bonfin. lib. 7. Dec. 3.

Cùm ob regis Vngariæ Mathiæ Coruini iracundiā Ianus Pannonius, episcopus Quinqueecclesiensis, qui cum Strigoniensi archiepiscopo contra Matthiam coniurarat, quasi hostis Reip. haberetur, & solennia uiro iusta nemo persoluere auderet: Sacerdotes clàm eius corpus in sacellum Quinqueecclesiénse retulêre, idq; picato scrinio diu reconditum habuére. Cùm multo pòst tempore MATHIAS fortè urbem illam & basilicam inuiseret, sacerdotum collegium regi supplicauit, ut Ioannis poetæ corpus, quod diu insepultum asseruarant, præ metu iracundiæ eius, debito sepulturæ honore iam afficere pateretur. Indoluit rex tanti uiri casum, falsam eorum opinionem ac metum increpuit: & ne poeta insignis sepulcri honore fraudaretur, honestiss. mox exequias edixit. Bonfin. lib. 3. Dec. 4.

Hostium Vxores, Liberos, Amicos.

Consule Tit. Confidentia terrere hostes. quatenus Exploratoribus deprehensis, absq; uindicta, suam ostendunt moderationem.

ISRAELITARVM decem tribus, cùm cepissent Iudæorum hostium ducenta millia mulierum & puerorum, pepercerunt eis, & uestitos atque refectos ad propria remiserunt. 1. Paralipomenon 23.

Consueuerunt PERSÆ in honore habere filios regum, licèt hostium, illorumq; filiis restituere principatum. Sic Thannyra Inari Afri filius recepit paternum principatum: & Pausiris Amyrthæi filius similiter. Psammenitus quoq; Aegyptiorū rex à Cambyse uictus, Aegypti præfecturam consecutus fuerat. Cæterùm cùm ad defectionem Aegyptios induxisset, captus ac perfidiæ conuictus, epoto cruore taurino expirauit. Herodotus lib. 1.

ALEXANDER Magnus uicto Dario, eius uxore, mâtre & liberis captis, filias iam maturas uiro, non minus sanctè quā sorores habuit. A Darij coniuge, quæ formæ præstantia omnes eius ætatis feminas antecelluit, non solùm abstinuit, sed appositis custodibus cauit, ne quis eius pulcritudini illuderet, mandauitq; simul omnem ornatum mulieribus restitui. Ferunt Darij filium complexum, quum puer ex ipsius osculo & complexu aliquandiu suauiter pependisset, ad Ephæstionem conuersum, Quàm uellem, dixisse, Darius aliquid ex hac indole habuisset. Sisingambis Darij mater tantam in rege humanitatem intuita: Dignus es Alexander, inquit, qui tantum regem, non felicitate solùm, sed æquitate etiam superaris. Dignus cui ego & aliæ precemur, quod Dario solitæ precari sumus. Tu quidem me matrem & reginā uocas: sed ego pristinæ fortunæ haud immemor, famulę appellationem & seruitij iugum, sub tanto rege, iam inde æquo animo feram. Alexander bonum animum habere iussit, ac bene de se sperare. Iam cùm Statyra uxor Darij ex partu, ob cōtinui itineris laborem, periisset, emisit lacrymas eo accepto nuncio, ferox alioqui iuuenis: & ad tabernaculum, in quo defunctæ erat corpus, reuersus, familiariter cum matre Darij acerbum reginæ casum deplorauit. Inde Sisingambem & filias consolatus, magnificentissimo rerum apparatu eam funerauit. Semel Alexander eam uiderat postridie quàm in Cilicia dimicatum est, eiusq; excellentem formam intuitus, non libidini, sed gloriæ materiam in ea sibi quæsitam existimauit. Dignus qui nunc quoq; talis mansuetudinis & continentiæ ferat fructum. Victo tandem ad Gaugamela Dario, Susianorum satrapiam Abauliti, qui ultrò deditionem fecerat, restituit, matremq; & Darij liberos in ea urbe collocauit. Vxianorum regioni præfectus Madates ad Sisingambem occultè misit, qui eam rogaret, ut ab Alexandro exitium, quod sibi & suis instabat, deprecaretur. Duxerat Madates eius sororis filiam uxorem, erat & Dario alioqui arcta iunctus consanguinitate. Illa præsentis fortunæ haud oblita, multum diuq; dubitauit, an id ab Alexandro peteret, uerita, ne uictoris in se indulgentiam fatigaret: demùm propinqui duntaxat sui uitam, nec alterius, per literas à rege suppliciter precata est. Ea fuit regis clementia, ut in Sisingambis gratiam haud Madatem solùm, sed omnes qui cum eo in præsidio fuerant, incolumes dimiserit, oppida[illegible]munitate donauerit: & hæc uictor Alexander ca[illegible]uit, quæ ne mater quidem plura à uictore Dario [illegible]asset. Sabell. lib. 5. Ennead. 4. Ex omnibus rebus, quas [illegible]ximas & pulcerrimas gessit Alexander, nullam hac magis æstimandam, & historiæ monumentis digniorem iudicauit Diodorus lib. 17.

Cùm PAVSANIAS Lacedæmoniorum rex Thebanos omnes, [illegible] cum Mardonio senserant, capitali supplicio affecisset, Corinthum deductos: pueros tamen Attagini, qui princeps fuerat factionis Medicæ, à culpa absoluit, quòd turpe esse diceret, filios ob parentis scelus puniri. Herod. lib. 9.

AVGVSTVS Cæsar M. Antonij reginæque Cleopatræ communes liberos, non secus ac necessitudine iunctos sibi, & conseruauit, & mox pro conditione cuiusque sustinuit ac fouit. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. Vitellij hostis sui filiam matrimonio splendidissimo locauit, ac dotatā muliebri mūdo instruxit: ingenitæ caritatis, suæq; clementiæ magis quàm paternæ iniuriæ memor. Sab. lib. 5. cap. 3. ex Suetonio.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. qua mansuetudine atq; placabilitate fuerit usus, occiso Auidio Cassio (qui res nouas in Oriente molitus fuerat) scripta docet ad Faustinam uxorem epistola, cùm ea immitiùs cōsuluisset: Tu quidem, mea Faustina, religiosè pro marito proq; liberis nostris agis. Relegi enim epistolam tuam in Phormiano, qua me hortaris, ut in Auidij conscios uindicem. Ego uerò & eius liberis parcam, & genero, & uxori: & ad senatum scribā, ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Nihil est enim quod Imperatorem Romanum meliùs commendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit, hæc patrem tuum præcipuè ornauit. Deniq; si ex animi mei sententia de bello esset iudicatum, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura, dij me tuentur, diis pietas mea cordi est. Ad senatum autem in hanc sententiā scripsit: Deportati redeant, proscripti bona recipiant: atque utinam possem multos ab inferis excitare. Quare Cassij liberis, genero & uxori, ueniam dabitis. Quid dicam ueniā? cùm illi nihil mali fecerint. Viuant igitur securi sub M. Antonino: uiuant in patrimoniis parentum, sint diuites, securi & liberi. Pontanus libro 1. de Heroica fortit. capite ultimo. & Fulgosus lib. 5. cap. 1.

THEODOSIVS Imp. uicto Eugenio tyranno, Ambrosij Mediolanensis episcopi intercessione inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos, ad ecclesiam confugientes, Christianos hac occasione fieri uoluit, & Christiana caritate dilexit: nec priuauit rebus, sed auxit honoribus. In neminem post uictoriam priuatas inimicitias ualere permisit. Bella ciuilia, non sicut Cinna & Marius & Sylla, & alij tales, qui nec finita finire uoluerunt, sed magis doluit exorta, quam cuiquā nocere uoluit terminata. Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, cap. 26.

SALADINVS Aegypti Sultanus, captis Hierosolymis, cùm eius pedibus Christianorum militum, qui prælio occiderāt, lacrymis oppletæ uxores obuoluerentur, petentes, ut pacto promissa pecunia, nihil prorsus habentibus remitteretur: non blando solùm alloquio lenire earum dolorem nisus est, uerùm & pactam remisit pecuniam. Et præterea tam largè è suo eas donauit, ut haberent quomodo se in Christianæ ditionis loca recipere possent. Fulgosus libro 5. capite 1. & Egnatius eodem.

OTHO I. Imp. profligato Berengario II. Italiæ rege, exercitū protinus ad insulam sancti Iulij in lacu Verbano adduxit, atque ibi Villam coniugem eius circumsedit. Oppidum omni è lacu exitu intercluso obsessum, intra duorum mensium spacium uenit in potestatem: mulieri ut ad maritum iret incolumis, est permissum. Tandem in monte Feretro cum marito capta, & in Baioariā relegata. Sigonius lib. 7. regni Ital.

Edelfredi Northumbrorum regis, à Redualdo Orientalium & Ethelberto Meridionalium Anglorum regibus cæsi, septem filios, Eufredum, Osualdum, Oslaum, Osuinum, Ossam, Osiurdum & Olsicum, ad se confugientes EVGENIVS Scotorum rex, omni destitutos auxilio, etsi eorum pater impius plurima Scotis incōmoda intulisset, hospitaliter receptos, apud se ut regios decuit liberos, retinuit. Qui breui pontificum ac monachorum piis concionibus Ethnicam detestati impietatem, sacro baptismati ultrò sunt admoti. Hector Boethius libro 9.

Post Andreæ regis Hungariæ interitum BELA fraterno bello superior rerum potitus, omnium eorum qui Salomonem regem Andreæ filium sequuti fuerant, uxores, liberos, ac fortunas incolumes illæsasque seruauit, ut quum uellent, omnibus postliminiò redire foret integrum. Quo beneficio uicti, rediere quamplurimi, hique fidelissimi facti sunt. Bonfinius libro 3. Decadis 2.

BOLESLAVS, Miecislaus & Henricus, Boleslai III. Polonorum principis filij, à fratre Vladislao bello petiti, qui & uitam & principatus illorum infestè persequebatur, cùm eū ad Posnaniam uictum in Germaniam fugere compulissent, Craconia capta, liberos & uxorem Vladislai Christinam, mulierem superbam & crudelem, & quæ origo malorum illorum fuerat, ab omni iniuria defenderūt: & cum omni supellectile in Germaniam dimiserunt. Cromerus lib. 6.

ALPHONSVS Aragonius Siciliæ rex, cùm urbem Caietam obsideret, Caietani commeatus inopia senes, pueros, feminas mœnibus exegére. Hi cùm ab hoste minis saxisque ad urbem repellerentur, neque eos Caietani recipere uellent: Alphonsus affirmans, malle se regno pelli, quàm tot innocentibus, mortis causam afferre: cùm antè unde alerentur dedisset, quò uellent, se recipiendi potestatem fecit. Panorm. de Alfonsi rebus gestis.

BRVTA. CLEMENTES ERGA ANIMALIA NOXIA.

ELDVCVS in partibus Britanniæ abbas, Paulo discipulo segetis iam maturescentis delegerat custodiam. Quo obdormiente, graculorum agmen eò delapsum depascere agrum cœpit, & ille eorum strepitu experrectus, eisdem in nomine Domini, ne auolarent, præcepit. Omnes ergo non secus atque quadrupedes ante se agens ad monasterium usq; compulit: & admirante atq; interrogante abbate, Quid hoc sibi uellet? Frumenti se uastatores ad illum adduxisse, ut pro culpa punirentur, respondit. Sed Elducus nihil de iactura dolens, illæsas aues protinùs dimitti iussit. Marulus lib. 5. cap. 3. Sabellicus lib. 5. cap. 7.

MAMERTINVS apud Antisiodorum monasterij sancti Germani abbas, ursum ad rapiendas oues uentitantem, cùm in laqueos, quos monachi tetenderant, incidisset, miseratus exoluit ac dimisit, tantum iubens, ne ultra sibi suisque damno esset. Ibidem.

BRIGIDA uirgo apro ferocissimo, qui in pecudum gregem irruerat, occurrens, usq; adeò reddidit mitē, ut eidem gregi ipsum præficeret pastorē. Itaq; tam modò immanis fera, tenellas oues, quas laniatum uenerat, mox & ad pascua educere, & pastas reducere domū cœpit. Marul. lib. 4. cap. 5.

MARINVS Dalmata, apud Ariminum uitam solitariam agens, Roma redibat. Asellum, quo utebatur, ursus peremit. Ille ursum asini uices subire, & ad cellam usq; se deferre iussit. Bestia dorsum homini præbuit, quæ asello non pepercerat, humanitatis eius conscia. Ibidem.

CLEMENTIA RESPECTV INIVRIAE CONSIDERATAE
Passiuè, per quam scilicet quis læditur ab alio.

Tolerantia malorum quorumlibet, quatenus Confidentiam habet iunctam, aut saltem in mediis malis non diffidit, ad Fortitudinis locum pertinet. At propter Iræ moderationem erga iniuriæ auctores, Clementiæ species est. Illic respectu rei malæ Tolerantia, hîc respectu auctoris Clementia sese exerit.

QVO AD ANIMVM LAEditur quis per

HÆRESIM, SVPERSTITIONEM.

Vide Tit. Clementiæ erga Hereticos. Illic Actiuè, hic Passiuè habetur Iniuriæ ratio.

IMPROBITATEM. CLEMENTIA erga NOXIOS, Facinorosos.

Ex seq. Tit. Clementiæ erga Latrones, Fures, similesq; alios, illustretur. Exempla eadem, respectu diuersu.

Sub M. ANTONINO Pio usq; adeò nullus percussus est senator, ut etiam parricida cōfessus in insula deserta poneretur, quia uiuere illi naturæ legibus non licebat. His quos Hadrianus damnauerat in senatu indulgentias petiit, dicens, etiā ipsum Hadrianum hoc fuisse facturum. Capitolinus.

QVO AD CORPVS, PER

VITÆ SVÆ FACTAS INSIDIAS.

Consule Tit. Prudenter uitæ suæ prospicere. Item Clementiæ erga imperii affectatores.

DAVID Sauli regis capitale in se odium beneficiis æquauit. Saulus enim uirtuti eius laudibusq; inuidens, & lancea præsentem appetierat, & fugientem armis persequebatur. At ille persecutorem suum bis absq; sui periculo interimere potuit, si uoluisset. Semel in spelunca, ubi ipse latebat, diuertentē, cùm clamydis laciniā non sentienti abscidit. Iterum sub tentorio, cùm noctu iuxta caput dormientis scyphū hastāq; sustulit, & nulli custodū uisus ad suos rediit. His quidem argumentis ostendit, quantū deferret regi etiā iniquo: cùm illū declinare mallet, quàm hostiliter persequentem lædere. Deniq; à Philistæis cęsum luxit: & cædis eius nuncium, qui ex uulnere morientem, ut doloribus liberaret, ab ipso rogatus, insuper percusserat, occidi iussit, ut reliqui discerent manum continere à Christo Domini. Benedixit autem uiris Iabes & Galaad, qui mortui cadauer mandauerant sepulturę. Ad hæc in illos, qui postea Isbosethum Sauli filium dolose interfecerant, animaduertit. Marul. lib. 3. cap. 5. & Sab. lib. 5. cap. 3. ex 1. Regum 24. & 2. Regum 1 & 4.

HELISÆVS propheta Syriæ regis exercitum ad se capiendū Dothanem missum, cæcitate incussa in mediam duxit Samariam. Neq; tamen Ioramo Israelitarum regi permisit, ut illis manus inferret, sed ut eos lautè conuiuio exceptos dimitteret, præcepit. 4. Regum 6.

CHRISTI Saluatoris quanta clementia? In horto comprehēsus à militibus, Malchum, cuius auriculam Petrus absciderat, solo attactu curauit. Lucæ 22.

IACOBVM apostolum Alphei filium, tunc cùm de pinna tēpli lapidum ictibus deturbaretur, ac deturbatus insuper fullonis fuste cæderetur, orasse accepimus, illis ignosci postulantem à quibus iniustè necabatur. Sab. lib. 5. cap. 3.

STEPHANVS Protomartyr pro illis, à quibus falsò accusatus, iniquè damnatus, crudeliter lapidum ictibus impetebatur, genibus prouolutus orauit, ne ipsis hoc ad peccatum computaretur, quod sibi cedere sciebat ad gloriam. Marul. lib. 3. cap. 3. ex cap. 7. Actorum.

EVGENIA uirgo, Philippi Alexandriæ præfecti filia, sub uirili habitu sexum dissimulans, inter monachos religiosè uersata, & iā digna cui monasterij gubernacula cōmitterentur. Melanciæ tandē matronæ, quam ad illicitos amplexus prouocantem contemserat, accusatione, capitis rea cōstituitur. Accusationis summa erat: Eugenium abbatē domi suæ sibi uim inferre uoluisse. At illa cùm se non iā Eugeniū, sed Eugeniā esse, ut infamiā purgaret, prodere uellet, priùs accusatrici suæ ignosci petiit. Deinde coram patre (cuius iudicio neci iā addicta erat) pectus suū detegendo, detexit fallacis mulieris impiū commentū, simul cuius ipsa filia esset, indicauit. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib 5. cap. 3.

ANATOLIAM uirginem angusto carcere unà cum terribili serpente conclusam, nec tamen ab eo læsam, cùm tandem consumtam putarent, carcerisq; ostiū reserassent, serpens inde erumpens, Audacem, à quo immissus fuerat, morsu apprehensum, sinuosoq; spirarum uolumine colligatū, extinxit. Virginis oratione serpens effugatur, Audax uitæ restituitur. Marul. lib 3. cap. 3. & Sabel. lib 5. cap. 3.

SAMSON Dolensis archiepiscopus, cum qui sibi ueneni poculum propinauerat, spiritu immundo oppressum miseratus, Deo supplicando sanitati restituit, & ad pœnitentiā hortatus est, uiuere illum in æternum cupiens, qui sibi per insidias molitus fuerat necem. Marul. lib. 3. cap. 3.

CHRISTINA uirgo & martyr, pro fide ac ueritate horrendos constanter perpessa est cruciatus. Cùm aūt etiam serpētes in eam missæ fuissent, sed mordere omnino nollent: ueneficū, à quo ad mordendū irritabantur inuadentes, rabidis ictibus, multaq; ueneni ui statim interemerūt. At Christina sui ipsa carnificis uicem dolens, Christum precata, & serpētes in fugam conuertit, & ab eis peremtum ad uitam reuocauit, & eundem iam credētem ad certam beatitudinis spē erexit. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sabell. lib 5. cap. 3.

PERGENTIVS & LAVRENTINVS fratres, sub Decio Cęsare Aretij martyrium passi, cùm fustigarentur, & uerberantiū brachia repentè obriguissent, ut illi sanitatem recuperarent orarunt, inimicorum potiùs quàm suæ pœnæ remedium exquirentes. Ibidem.

NAZARIVM & CELSVM martyres, ij qui in mare suffocandos de naui iactauerant, cùm orta statim tempestate periclitari cœpissent, eosq, super undas ambulantes cōspexissent, ut sibi subuenirent suppliciter petière. Illis ergo in nauim reuersis atq; orantibus, resederunt fluctus, cessauerunt uenti, periculum omne sublatum est. Marul. lib 3. cap. 3.

POTAMIÆNA uirgo Alexandriæ passa, Basilidi præfecto, à quo omnia penè tormentorū genera in suo exceperat corpore pro Christi nomine, postquā ad Dominū migrasset, uisū apparuit: & coronā, quā ei à Domino imp[...] credere uellet, ostēdit. Credidit ille, & per martyri[...] tis gloriā consecutus est. Marul. lib 3 cap. 3. & Sab. li. 5.

CHRISTOPHORVS martyr, cū post multa tormentorum genera stipiti alligatus, tādē sagittis appeteretur, atq; earū una reflexo mirabiliter ictu regis Lyciæ, cui Dago nomē, oculū confixisset, uulneris remediū monstrauit. Rex itaq; decollati martyris cruore oculo illito sanatus est, & co[...]us cadauer eius sepulturæ honore affecit. Marul. lib 3. cap. 3.

VENERANDA uirgo, dum pro Christo multis horrēdisq; afficeretur suppliciis, & nūc humi dispassis manib. pedibusq; diuaricatis extenta neruis bubulis cæderetur, nūc sic resupinata grandi lapide uentri aduoluto premeretur, nunc in cacabū sulphure, pice, oleo plenum demersa, subiectis ignibus coqueretur: eius, cuius iussu talia patiebatur, propiùs astantis oculum bullorio aspergine cæcatum, terra saliua diluta liniens restituit, & ipsum tandem patientia sua superatum

Christo credere compulit. Marul. lib. 3. c. 3. & Sabel. lib. 5. c. 3.

Olympius Exarchus, à Constante Imp. Romā missus, ut MARTINVM Pp. Monothelitarum hæresi acriter resistentem è medio tolleret, anno DCL. ipso Natali dominico ad basilicam Præsepis nocturno sacro interfuit. Vbi uerò uenit hora, qua Pontifex sacratum Domini corpus, in eam unam cūcta intentus, porrecturus de more Exarcho erat: spatharium intentus, ... ut erat iussus, ad illum feriendum, strictum præparatūq; gladium extulit. Verùm subitò luminibus captus, propositum tenere non potuit. Qua re perculsus Olympius, postea Pontificem allocutus, secretà quæ habebat à Constāte mandata aperuit, ac nefarij conatus sui ueniam postulauit; ad omnia se illius obsequia paratum esse pollicitus. Cui Martinus; Ego uerò te in gratiam summa uoluntate recipiam, inquit, si in hoc consilio uoluntatiq; meæ parueris, ut exercitum in Siciliam primo quoq; tempore ducas, ac pulsis de letisq; qui ibi sæuiunt Saracenis, Siculum populum acerbissima seruitute eripias. Quod ille prestitit. Eo mortuo, Theodorus Exarchus successor, Romam simulata itineris causa concessit, ac solenni cum pompa ingressus, de more in basilicam Lateranensem processit, ut Martinum adoraret ibi ex composito assidentem. Vbi uerò ad illum peruenit, extemplò signo, quod constitutum erat, accepto, intromissi satellites, ipsum omnia alia suspicantem corripuerunt, ac nemine propter armatum circumsistentem exercitum opem ferre audente, in custodiam tradiderunt. Missus inde sub custodia Constantinopolim Pontifex, & in Ponticam Chersonis relegatus, ubi breui periit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Duo PVERI Lacones inter se pugnabant, quorum unus altē ri lethale uulnus inflixit. Puerorum autem sodales, cùm sauciùs ille moriturus esset, polliciti sunt illi se uulneris auctorem interfecturos. At ille: Nequaquam, inquit, per deos. Nō enim æquum est: quandoquidem & ipse hoc facturus erā, si anteuertissem, siq; strenuus fuissem. Indolem uerè Laconicam, qui uictus ac moriens, iusto tamen uictori fauebat: quòd uirtute, non dolo superasset aduersarium. Plut. in Lacon.

AVGVSTVS L. Cinnā insidiatorē ad se euocatum, uerborū leuitate & clementia ad meliorē mentem reuocauit. Suet.

NERVA licèt ita imperaret, ut uerè diceret, posse se uel deposito imperio tutò priuatum uiuere: tamē Crassus Calphurnius, ex antiqua Crassorum familia, cum quibusdam coniuratis aduersus Neruam conspirauit. Coniuratione detecta, dum ludi agerentur, cōsessu eos dignatus (ignorabat enim apertam eorum conspirationem) gladiatorios enses assumens quęsiuit, Num satis acuti uiderentur, pertentarēt atq; inspicerent: quasi minimè curaret, si uel tunc in eo loco repentè occideretur. Ita animi erat planè erecti, minimeq; cadentis. At Sextus Aurelius tradit, Calphurniū Crassum promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectū confessumq;, Tarentum cum uxore remouisse, patribus lenitatem eius increpantibus. Cuspin.

HADRIANVS Imp. seruum qui in se irruerat armatus, non solùm non puniuit, uerùm & curari iussit, quòd esset furiosus. Pont. lib. 2. c. 10. de Fort. dom.

Duo sicarij à conciliando Chalcedonensi Arianorum in IO. Chrysostomum episcopum Constantinopolitanū subornati, ad supplicium rapti sunt: quorum alterū Chrysostomus sua intercessione liberauit. Niceph. lib. 13. c. 14. 21. & 36.

CONSTANTINVS Ducas Imp. insidiatores non aliter puniuit, nisi quòd ipsis ut uenalibus mancipiis est usus: utpotè secundū leges libertate priuatis. Zonaras, & Cuspin.

BERCHARIVS Luxouiensis monachus, primus Antiuillarensium abbas, Dagouinum monachum suum non modò uerbis, sed etiam uerberibus castigauerat. Id ille indignè ferens, dormientem lethali uulnere læsit, & postea campanas pulsare cepit, à malo spiritu exagitatus. Ante obitū Berchatius parricidam suum monuit de pœnitentia, eiq; culpam condonauit, anno DCLXI. Sigebertus, & Vincentius lib. [...] capite ue.

MALCOLMVS III. Scotorum rex, cùm coniurationē quorundam contra se factam deprehendisset, ea dissimulata, auctorem cōiurationis hominem natura ferocē, manu promtum, inter uenationem de industria, tanquam si quid cū eo secretiùs acturus esset, separatim ab aliis in altam syluā duxit, atq; sic locutus est: Sumus hîc ambo armis & uirib. pro pē pares, & neuter nostrûm à suis auxilium expectat. age igitur; ut fortem uirum decet, cape arma, atq; cum eo nunc manum consere, quem turpiter tu cum cæteris coniuratis per insidias necare statueras. si me enim pugnando occideris, merebitur uictoria laudem: sin occubueris, nobilē reddet uicti mortem, uictoris honor. Hæc fatus, stricto ferro hominem aggreditur. Ille partim sceleris conscientia conuictus, partim regis animi magnitudine territus, ad pedes subitò procidit, rogitans, ne sibi uel sociis id facinus fraudi esset. Quod Malcolmus libens concessit. Polyd. lib. 10.

ERICVS Disertus (is qui Sueonum postea & Gothorum rex creatus est) cùm in aula Frothonis Danorum regis adulatores plurimos singulari certamine prouocatos occidisset, regis odium metuens, clàm noctu fugit. Regiam nauem in litore stantem, perforatis occultè eius tabulis, inutilem reddidit. Insecutus Frotho nauim præcipiti cursu ingredit, sed ea dehiscente enatare frustra conatur. Ibi tum Ericus cū fratre natandi industria regem eripuit. Qua benignitate Frotho inuitatus, Erico sororem suam Gunnaram in matrimonium locauit. Io. Magnus lib. 4. c. 22.

Magnus Erici F. cum Canuto & Carolo, quibus paterna cum VALDEMARO rege Danorū necessitudo erat, opprimendi per insidias regis consilium cepit. Cùm res diu latuisset, quidam Teutones insidiarum conscij, cùm fortè Holsatiam peragrantes, cuiusdam eremitæ hospitio excepti fuissent, eiusq; cubiculum à se medio tantùm pariete discretū nescirent: nocturno inuicem sermone uehementer se mirari dixere, quo pacto rex inter tot insidias adhuc luce fungeretur, quas Magnus cum Caroli filiis eius capiti clandestino consilio molitus esset. Eremita per quendam abbatē regi hoc ipsum nunciandū curauit. Rex cùm ex indicio locorum, argumentisq; temporum, necnon itinerum suorū circunstantiis, fidem assertis habere cœpisset: cùm de coniuratis iudicio non conuictis supplicium sumere nollet, accuratiore militum custodia se cinxit. Qua insolētia satellitij coniuratis de proditis insidiis in suspicionē adductis, Magnus in Saxoniam, Carolus & Canutus in Gothiam spontè profugere. Magnus cùm ad dicendam causam sub publica fide uenisset, crimen suum apertè fassus, nec animum sibi nec arma, nihilq; aliud quod tanto facinori conueniret, excepto Dei nutu, defuisse subiunxit. Delectatus rex tam libero hominis responso, ueniam dedit. Non multò pòst tamen, cùm ad Carolum & Canutum in Gothiam rei nauandæ causā nuncium misisset: in cubiculo nocte concubia post aulæa repertus, confessione crimen aperuit. Hunc rex ad urbē Laterensem missum, Thorberniq; Lūdensis præfecti custodiæ trāditū, carcere quàm morte multare maluit. Iam cùm Canutus & Carolus Hallandiam adorti essent: ille quidem ab agrestibus captus, eundem quem Magnus carcerem expertus est: cęsus Carolus. Quorum patrimonium Valdemarus, lege quæ patriæ reos omnib. bonis damnat, adeptus, insperata opum incrementa sensit. Saxo lib. 14. & 15.

LAVRENTIVS Medices, Saluiatorum & Patiorum conspiratione amisso Iuliano fratre oppressus ferè, magistratu atque populo tetris exemplis in conspiratos sęuiente: ut finis tandem fieret ea de re quærendi, ægrè multis precibus impetrauit, & Auerardum Saluiatum, Francisci Senensiū pontificis, qui dux fuerat coniurationis, propinquum ad se adductum, nō conseruauit modò, sed obliterādæ iniuriæ atq; animi illius cōfirmandi causa Lucretiā filiā Iacobo Saluiato filio fratris, in matrimoniū locauit. Brutus li. 6. hist. Flor.

ALFONSVS XI. Castulonensis rex, cùm Algaziram urbem à Mauris possessam obsideret: ad eum Maurus quidam, ut ipsum interimeret, profectus, cùm captus esset, atq; habita disquisitione fateretur, eius rei gratia se uenisse, ut pro patria diisq; suis uitā offerret: nouis amictū uestibus, data insuper pecunia, cū præsidio incolumē ad Belmarin regē misit. Rex, quanquam barbarus, diu acerba uoce increpitum, quòd tanti animi regem occidere tentasset: statim, ne pœnam euaderet, interfici iussit. Fulg. & Egnat. lib. 5. c. 1.

MAGNVS Sforcia, Sclauetto Dalmatæ insigni equitum prçfecto, qui in gratiam Iulij Cęsaris Capuani se primū è percussoribus in transitu Caloris amnis Sforcię latus mucrone petiturum pollicitus fuerat, adeò generosè pepercit, ut captū ad Casam Marij, & iure belli armis & equis dispoliatū, non modò (id improbantibus amicis) incolumem, uerùm omnibus impedimentis, ne quid omnino desideraret, magna cura conquisitis & restitutis, cumulatè instructū dimiserit: perblanda & nobili contentus interrogatione, quū ad eum dixisset: Quisnam furor inhumani crudelisq; animi, Sclauette, alioqui uir fortissime, te impulit, ut nulla lacessitus iniuria adeò prolixè promitteres, te gladiū ex cæde mea cruentum ad Iacobum Gallum, maritum Ioannæ reginæ Neapolitanæ, omnino relaturum? Sed immanis uir ad id tum oculis in terram defixis, non multo pòst apud Philippum Insubrum principem, perfidiæ militaris crimine cōuictus, in furca pependit. Iouius in Sforciæ uita.

VITÆ SVORVM AMICORVM, PARENTVM, FILIORVM FACTAS INSIDIAS. MORTEM aliorum non uindicare.

Conſule Tit. Mortem liberorum, uel quorumuis aliorum amicorum, moderatè ferre.

CROESVS Lydorum rex, cùm Atys filius ſummæ ſpei ab Adraſto Phryge in uenatione eo telo, quod in aprum Olympium incautè direxerat, occiſus eſſet, ei ignouit, quòd per errorem hoc illi obtigiſſe certò ſciret. Herod. lib. j.

Tyrrheum, PITTACI Mitelenei tyranni filium, Cumis in tonſtrina ſedentem, faber quidam ærarius impacta in caput ſecuri, occidit. Cumani homicidam uinctum miſerunt ad Pittacum, ut de eo ſupplicium ſumeret. At ille cognita cauſa, dimiſit hominem: dicens, Ignoſcentiam eſſe potiorem pœnitentia, ſentiens, utilius eſſe condonare, quàm meminiſſe iniuriæ, & ulciſci. Laertius lib. j. cap. 5.

GISCON Carthaginenſium dux, iis qui Amilcarem fratrem ex inuidia interfecerant, ſeq; in exilium pepulerant, cùm reuocaretur à patria, eiq; in ipſos animaduertendi pro libito poteſtas conceſſa eſſet, clementer ignouit. Polyæn. lib. 5.

M. BIBVLVS, uir ampliſſimæ dignitatis, & ſummis honorib. functus, cùm in Syria moraretur prouincia, duos egregiæ indolis filios ſuos à Gabinianis militibus Aegypti occiſos cognouit. Quorum interfectores ad eum uinctos regina Cleopatra miſit, ut grauiſſimæ cladis ultionem arbitrio ſuo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti poterat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificesq; ſanguinis ſui, intactos e ueſtigiò ad Cleopatram reduci iuſſit, dicendo: Poteſtatem huius uindictæ non ſuam, ſed Senatus eſſe debere. Valerius Maximus lib. quarto, capite primo.

Inſignis clementia IVLIANI Imp. illa fuit, quam Antiochiæ oſtendit, cùm à collitigatoribus apud eum accuſatus eſſet Thalaſſius, qui ſub Conſtantino miniſter à ſecretis fuerat. Nam cùm Galli Cæſaris, qui Iuliani frater fuerat, mortis cõſcius fuiſſe diceretur, faceto uerbo reſpondit: Aequum eſſe, cùm hac in re maior ipſius, quàm collitigantium cũ Thalaſſio, iniuria eſſet, ſibi quoque priùs ſatisfieret. Et cùm hoc dixiſſet, præfecto imperauit, ne in Thalaſſij cauſa aliud ageretur, niſi priùs ſecum in gratiam eum rediiſſe intellexiſſet. Ita cauit, ut ne uel odij ſui opinio ei apud alios noceret. Fulgoſus lib. 5. cap. j.

THVRISMVNDVS, uel Thuriſindus, Gepidarum rex, cùm ad eum ſe recepiſſet Alboinus, Audonis Longobardorum regis filius, ut ipſius manu equeſtrem honorem atque ornamenta acciperet, quæ Barbarorum more, non niſi regis, & eius quidem externi, manu accipere fas erat: eum & dignitate militari, & muneribus menſæq; honore dignatus eſt: quamuis ſciret Alboini manu, in prælio Thuriſmundũ filium ſuum interfectum fuiſſe. Acerbiſſimis quinetiam uerbis in ſuos inuectus eſt, qui eum interimere uolebant. Fulgoſus lib. 5. cap. j.

Veronenſes, qui fidem erga BERENGARIVM regem Italiæ conſtantia ſumma coluerant, nouo accenſi odio, capiti eius cœperũt inſidiari, auctore tanti ſceleris Flamberto quodam, cuius filium Berengarius è ſacro fonte ſuſceperat. Cuius rei cùm in ſuſpicionem Berengarius incidiſſet, homo & natura & ætate iam exacta mitis, Flambertum ad ſe uocauit, atque ita appellauit: Si mihi tecum non & multæ & iuſtæ amoris cauſæ intercederent, haud difficilè credidiſſem, quod uulgi ſermone audio celebrari, te meæ uitæ inſidias comparare. Nunc, ut eis fidem non habeo, ſic meminiſſe te uolo, quantæcunque acceſſiones & fortunæ & dignitatis tibi fuerunt, eas te non potuiſſe, niſi meo beneficio, conſequi. Quare eo animo in me eſſe debes, ut uita mea in amore & fide conquieſcat tua. Quòd ſi à te mihi fidem præſtitã eſſe intellexero, faciam, ut in referenda gratia beneuolentiam experiaris meam. Atq; his dictis aureum magni ponderis poculum ei porrexit, & addidit: Amoris ſalutisque meæ cauſa quod continetur haurito: quod continet, tibi habeto. Flambertus reſponſo, quod facilè liberare regem ſuſpicione poſſet, in ſpeciem dato, ab illo abiit, ac ſtatim ſocios, qui ſecum proxima nocte illum conficerent, conuocauit. Berengarius prope templum, ut ſolitus erat, in amœno potiùs quàm firmo diuerſorio cubuit, neque cuſtodes, ut ab omnibus tutus inſidiis, ullos appoſuit. Sub lucem autẽ cùm precandi cauſa templum iniſſet, Flambertus cum armato iuuenum globo irrupit. Quorum ubi tumultum ſenſit Berengarius, procedens ad eos, Flambertum eminus uocat, & quid hoc tandem turbæ ſit, quærit. Iubet ille bono animo regem eſſe: non enim hos contra illũ, ſed pro illo ſtare: ac ſenſim armatos in medios iam progreſſum corripit, ac romphæa à tergo percuſſum proſternit, an. regni XXXVI. Innocentia eius ex eo apparuit, quòd lapis ſanguine eius infectus nulla unquam ablutione purgari potuit. Berengario mortuo, Milo urbis Comes, ſpectatę uirtutis iuuenis, quem ſibi rex à puero educarat, cùm defendere uitam domini ſui, quia non affuerat, nequiuiſſet, mortem ſaltem ulciſci cupiẽs, tertio poſt eius necem die Flambertum ſocioſq; eius per uim cepit, ac ſtatim ſuſpendio interemit. Sigonius lib. 6. regni Italici.

Cùm Vuithſercum, Regneri Danorum F. Daxon rex Helleſpõtiorum bello captũ igni exuſſiſſet: Regnerus traiecta in Ruſciam claſſe, comprehẽſum Daxon & catenis uinctũ, apud Vtgarthiam cuſtodiæ mandauit. Qua humanitate magnus Ruthenis iniectus eſt rubor, ulterius aduerſus eum ſæuiendi regem, quem ne iniuriarum quidem acerbitate ad inferendam captiuis mortem impellere potuerãt. Eundẽ quinetiam breui ſuis reſtituit, pollicentem ſe ei quotannis cum XII patribus diſcalceatis ſuppliciter tributa penſurum. Saxo libro nono.

Drahomira, Vratiſlai Boemorum principis uidua, Ludmillam ſocrum, feminam ſanctiſſ. religionis odio in templo ſtrangulandam per Thomam & Gumonem curarat. Non defuere qui VENCESLAVM principem ex cæde auię uehementer perturbatum ad ulciſcendum inflammarent. alij, ſi ipſe ulciſci nollet, ſibi hanc dari prouinciam depoſcebãt. Vtroſque ille, quàm potuit, grauiſſimis uerbis corripuit, quòd aliena à pietate erga qualemcunq; matrem, aliena deinde à modeſtia & tolerantia Chriſtiana ſuadere auderent, ignari, aut parum memores, quid ore ſuo dicat Dominus: Mea ultio eſt, & ego retribuam illis in tempore. Anno nondum exacto uterq; illorum periit, notam ſui poſteris relinquens. Nam cùm alter eorum barba rutila inſignis, alter malè pedatus eſſet, illorum quoque nati natorum, & qui naſcũtur ab illis, & ruffeſcunt, & à pedibus laborant: nam utraque familia apud Boemos etiam nunc extat. Dubrauius lib. 5.

Lite de comitatu Stadenſe orta, filium IDÆ Egbertum Vdo marchio oppreſſit in acie. Mater orba filio, quum terrenam conſolationem non acciperet, Romam deuotionis gratia uenit ad auunculum Leonem IX. quem Henricus III. Idæ patruus ad ſedẽ illam, rogatus à Romanis, prouexerat. Leo neptem perbenignè accepit: hortatus, ut inimicos diligeret, iniurias ex animo remitteret, eiſdemq; reconciliaretur. Quæ exhortatio tam profundè deſcendit in animum feminæ, ut reuerſa in patriam, Vdonem reconciliatum, filij loco adoptarit. Ille non ingratus adoptanti feminæ, cortes de ſuis multas permiſit, quas uiuens illa pro arbitrio adminiſtrauit: quum autem moreretur, Vdoni omnia ſua reliquit. Cranzius lib. 5. Metrop. cap. ult.

IOANNES Gualbertus, Florentinus eques, cũ ex agro in urbem magno hominũ numero comitante rediret, eiq; fortè obuius eſſet is, à quo haud multo antè frater, quem ſolum habebat, fuerat occiſus, neq; diuertere poſſet: iam gladiũ, ut fraternam necem ulciſceretur, ſtrinxerat. Sed cùm humi proſtratus fraternæ necis auctor, ut ſibi ob Chriſti crucifixi reuerentiã parceretur oraret: ſingulari modeſtia Ioãnes irã compeſcuit, atq; illum gladiumq;, quem ulciſcendę iniurię gratia ſtrinxerat, in templũ quod primũ offendit deduxit, & crucifixi ſtatuæ utrunq; præſentauit. Aiunt tum Chriſti imaginẽ, cernentib. omnib. qui aderant, demiſſo capite, aperta ſigna dediſſe, omiſſæ gratia ſua ultionis munus acceptum atq; gratum habere. Quod factum ita Ioannis quoq; animum pupugit, ut relicta patria, relictis fortunis & ſeculari uita, princeps condendæ cõgregationis, quæ ſub Vmbroſæ uallis nomine cenſetur, perhibeatur fuiſſe. Imago autem quæ hoc feciſſe dicitur, poſtea ſingulari ueneratione in S. Miniati fano, haud longè ab urbe Florentia, aſſeruata eſt. Fulg. lib. 4. c. j. & Polyd. lib. 7. c. 2. de Inuent. rerum.

Erant Venetiis ALOYSIO Molino liberi ſex mares. Quũ quatuor immaturo fato mortẽ oppetiiſſent, alter per ſummam iniuriã à Marco Michaele patricij ſanguinis homine extinctus eſt. Quẽ caſum tanta animi moderatione tulit, ut nihil quoad uixerit, in homicidã ipſum grauius cogitarit. [redacted] ternæ cædis [redacted] ſolùm uoluntati paternæ piè [redacted] ille [redacted] uiros adiit, atq; enixè [redacted] berè eſſet poſſet: Molinum uerò in d[redacted] procuratoria dignitate ſtatim ſubrogarũt, quod nuſquam antè alicui contigerat. Egnat. lib. 4. c. j.

MARZVCCVS Piſanus iurecõſultus, & equeſtri dignitate inſignis, relicto ſeculo, in fratrũ Minorum ordinẽ ſe recepit. Cùm reſciſſet, Farinatã filium à Bentino Caprarienſi occiſum fuiſſe: non ſolũ filij funeri ſine lacrymis interfuit, ſed & percuſſoris manũ deoſculatus eſt. Fulg. & Egnat. lib. 5. c. 10.

VVLNERA, VERBERA, PLAGAS INFLICTAS: PVLSATIONEM, Tormenta.

DEMETRIVS Poliorcetes, Thebas Bœoticas obſidens, dum oſtendit non aliorum modò leuem ſe iacturam facere, ſed & ſeipſum unà cum militibus capeſſere periculum, collum eius acuto telo traiicitur. Qui, quanquam grauiter afflictus fuit, non remiſit obſidionem tamen, uerùm Thebis iterum potitus eſt. Vrbem ingreſſus, minas & terrorem ut ſæuiſſimè in eos conſulturus præ ſe tulit: ſed tredecim interfectis & nonnullis in exilium pulſis, liberauit noxa cęteros. Ita urbi Thebanæ accidit, ut cùm fuiſſet hauddum decem annos inſtaurata, bis hoc ſpacio caperetur. Plut. in Demetrio.

POSSIDONIVS epiſcopus in Chalama urbe Africæ, Auguſtini diſcipulus, à Criſpino presbytero Donatiſta grauiter pulſatus eſt, dum iter faceret. Verùm cùm epiſcopus Donatiſta in Criſpinum non animaduertiſſet, & ob id multæ nomine decem auri libras pendere cogeretur: interceſſit Poſſidius ſeu Poſſidonius pro epiſcopo, & reipſa oſtendit, nolle ſe hoſtium uindictam, ſed eorum conuerſionem. Auguſtinus contra Creſconium lib. 3. cap. 46.

EVSEBIVS Samoſatenus, epiſcopus orthodoxus, Dolicham Syriæ oppidum profectus, Arianis refertiſſimum, ut ibi epiſcopum Macem ordinaret, à muliere Ariana tegula ſupernè iniecta uulneratus: paulo pòſt mortuus eſt, cùm in epiſcopatu XL annos exegiſſet honeſtiſſimè. Moriens aſſiſtentes ſibi religione iuriſiurandi adegit, ne mulierem illam ulciſci uellent. Theodoretus lib 2. c. 32. & lib. 4. c. 13.

Pulſatus grauiter MARTINVS, antiſtes Turonenſis, fuerat ab equitibus, quorũ equi ipſius aſino ſedentis aſpectu cõſternati ſubitò reſultu ſeſſores tergo deiecerant. Stetére itaque immobiles equi ueſtigio defixi, quoad ſanctiſſimus ſenex precibus tenuit: ut his pœnitentiam agentibus, equorũ ſit uſus reſtitutus, & equites innoxiè demiſſi. Sabellicus lib. 9. cap. j. & Marulus lib. 5. cap. 2.

Venit ad BERNARDVM Clareuallenſem abbatem presbyter, monaſticam uitam profeſſurus. Monitus ab eo, poſſe quidem & alibi eum proficere, ſi uelit: ceu repudiatus, eum pugno percuſſit. Fuiſſent qui aderant confeſtim ulti iniuriam, niſi eius, qui erat iniuria affectus, interceſſiſſet auctoritas, uim inhibentis: oportere eum, dictitans, aliis ignoſcere, cui toties à Deo ignoſceretur. Marulus lib 5. cap. 2. & Auctor uitæ lib. 3. cap. 6.

CHRISTOPHORVS martyr à Samiorum præfecto percuſſus colapho: Repercuterem te, inquit, niſi Chriſtiana pietas prohiberet. Ibidem.

Nobilis Alexandriæ MATRONA (ut tradit Caſſianus) Athanaſium epiſcopum adiens, petiit ſibi dari unam ex uiduis, quæ eccleſiæ impenſis alebantur, cui ipſa benefacere poſſet. Cæterùm cùm petenti optima conceſſa eſſet, queri deinde cœpit, non ex animi ſui ſententia uiduam ſibi datam. Ea igitur reſtituta, deterrimam omnium accepit. Et dum illi benignè humaniterq; deſeruiret, nihil ab ea niſi contumelias maledictaq; referebat: uerbera quoque interdum excipiẽs, ne quid ad exercendam animi tolerãtiam deeſſet. Inde læta gratias egit Athanaſio, quòd ea tandẽ ſibi delegiſſet contubernalem, cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium reddere aſſueſceret. Nam ſe ab illa priore (quoniam mitis & manſueti ingenij erat) officiis fuiſſe ſuperatam. Marulus lib. 5. cap. 3.

ISAACVS abbas, eum, à quo alapa percuſſus fuerat, cùm ob hocà dæmonio uexaretur, ſupercumbens pœna liberauit. Marulus lib. 3. c. 3.

VITELLIVS Alexandrinus monachus, hominem à quo alapam acceperat, ſtatim à dæmone arreptum, ac uolutatim humi iactatum, dum pro illo oraſſet, omni prorſus moleſtia expediuit. Tã facilis exauditio nónne apertè declarat, quanti apud deum momenti ſit erga inimicos charitas? Marulus ibidem.

VENVSTIANVS, Tuſcię pręſes, Sabinum Aſſiſij epiſcopum, cum duobus diaconis Exuperantio & Marcello, ob Chriſtianiſmum comprehendi fecerat: hos ambos diuerſis pœnis excruciatos interfecit, illi utranq; abſcidit manum. Mox ipſe graui oculorum dolore uexatus, ab eodem remedium popoſcit, cui iam tot intulerat mala. Atque ille ueluti nulla affectus iniuria, acceſſit, orauit, ſanauit, chriſtianum fecit. Ibidem, & Sabel. lib. 5. cap. 3.

AGILIVS monachus, Columbani abbatis diſcipulus, cũ manum areſactam percuſſori ſuo reſtituiſſet, Theodericum regem, ad quem ibat, abbati ſuo Columbano iratum, antequam adiſſet, fama miraculi præueniente, placauit, ita ut quem ille dudum à monaſterio expulerat, protinus reuocaret. Marulus lib. 5. cap. 2.

LYCVRGO ob leges de adæquatione bonorum latas pecunioſi coitione facta obſtrepuerunt, ſaxiſque eum petierunt, deliberatum habentes obruere. Dum eum inſectantur, proripuit ſe foro. Aliis autem elapſus, ad Mineruæ Chalciœcæ confugit. Alcander uerò fugientis tergo inhærens, reſpicienti oculum excuſſit. Quem publico decreto deditum ſibi ad ſupplicium, nec uerbo nec facto læſit: ſed conuictorẽ ſecum habens effecit, ut laudator eſſet ipſius & uictus, quo fuerat apud ipſum uſus, atque prorſus diſciplinæ ſuæ amator. Huius monimentum caſus in Chalciœcę templo ſacellum excitauit Mineruæ, quam Optiletin dixit: quòd eius regionis Dorij oculos ὀπτίλλους uocent. Plutarchus in Apophthegmatibus.

SOCRATES Athenienſis, cùm inſolens atque immodeſtus iuuenis pugno faciem eius percuſſiſſet: Sibi permoleſtum eſſe dixit, quòd neſciret, quãdo cum galea domo egrediendum eſſet. Fulgoſus lib. 4. cap. j. Ictu calcis à quodam percuſſus, monitusq; à diſcipulorum uno, ut hominem repercuteret: An, inquit Socrates, ſi me aſinus percuſſerit, oporteat recalcitrare? Plut. de Inſtit. lib. A Socrate mutuatus Plebanus ARLOTTVS Florẽtinus apophthegma auctius reddidit: Si aſinus irrationalis non eſt repercutiendus, multo minùs homo ratione præditus. Auctor uitæ.

HIPPONICVS, Calliæ pater, uir nobiliſſimus & ditiſſimus, Alcibiadi, qui pugnum inflixerat per petulantiam, ignouit: cùm ille adiiſſet eum, poſitaque ueſte corpus flagellandum obtuliſſet. Ei certè filiam ſuam Hippareten poſtea nuptui dedit. Plutarchus in Alcibiade.

Accidit aliquando, ut CAZIMIRVS, Sendomirienſium dux, (qui pòſt à Polonis rex creatus eſt) cum aulico quodam ſuo equite Ioanne Conario luderet, animi oblectandi gratia. Incenſum autem utrunque uincendi ſtudio, in profundam noctem ludum produxiſſe ferunt. Pertæſos deinde ludi & uigiliarum, uno iactu ſummam reliqui luſiſſe, uincentemq; Cazimirum, & quod lucratus erat argentum non modicũ auferentem, palma manus in faciem ab equite ictum eſſe: illumq; noctis beneficio elapſum, poſtridie ad Cazimirũ adductum. Clamantibus autem omnibus, eum capitis pœnã commeruiſſe, qui principis maieſtatem minuiſſet: Minimè gentium, inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitans deliquiſſet: & cùm fortunam, à qua damno affectus erat, ulciſci non poſſet, in ſe fortunæ alumnum commotus eſſet. Se magis in culpa eſſe, quĩ conditionis ſuę & dignitatis oblitus, eum ad ludendũ prouocaſſet. Non modò illum ſe abſoluere, uerùm etiam gratias ipſi agere, quòd ſe ictu illo admonuiſſet, ne quid indignum principe in ſe admitteret, neue ſe ludo aut alij rei leui ac inhoneſtæ deinceps daret. Cromerus libro ſexto, de rebus Polonicis.

ROBERTVS Normannorum dux, Roma Hieroſolymã profectus, fortè in itinere cùm procul à ſuis eſſet, & altercaretur cum homine agreſti, ab eo uapulauit. Superueniente comitatu prohibuit hominem ab iniuria ſuorum, aiens ſe eas plagas merito ſuo accepiſſe. Polydorus lib. 8.

ALFONSVS Aragonum rex, cùm fortè à quodam, qui in itinere præcedebat, ramuſculo arboris dimiſſo, grauiter læſus eſſet oculo, condolentibus amicis qui oculum ad cæcitatẽ ferè læſum uidebant: regem dixiſſe ferunt, Nihil profectò ſe dolere, niſi percuſſoris dolorem ac metum. Panorm. lib. 4. de rebus geſtis Alfonſi.

RODOLFVS Camerinenſis princeps, ſagitta incautiùs emiſſa, dum ciues arcu ſeſe exercentes intuetur, uulneratus eſt. Captus auctor facinoris, manu mutilandus erat, iudicum ſententia, ne arcu uteretur ampliùs. At Rodolfus utilẽ hanc ſententiam ante acceptum uulnus futuram fuiſſe dicẽs, hominem liberum dimitti iuſſit. Poggius in Facetiis.

MAGNVS Sforcia, Brandolinum comitem, cuius manu Viterbienſi in prælio ſauciatus, & penè interfectus fuerat, expugnato Capitone oppido, captum: quum in eo tumultu inimicum pariter ac hoſtem facilè, & quidem procul ab inuidia tollere poſſet, adeò humaniter apud ſe habuit, ut ex conſcientia magnopere ſibi metuentem, effusè laudaret in conuiuio, atque omni penitùs metu liberaret. In hoc etiam gloriatus, quòd in tanta fortunæ iniquitate, non à gregario uel ignauo milite, ſed à nobiliſſimo atque fortiſſimo duce uulnus accepiſſet. Iouius in uita eius.

Inter captiuos Venetos à Maximiliani I. Cæſaris copiis ad Vicentiam profligatos repertus eſt Otho Vicecomes, Sacramori fratris alæ legatus. Is ſuperiore anno cum Aſtore fratre, Mediolani ante Triuultianas ædes nocturna in rixa FERDINANDI Dauali Piſcarij familiam fuerat adortus: in quo tumultu ipſe Piſcarius, dum iurgium ſedare properaret, capite uulnus ſuſtulit: & Pomarrus equitum præfectus, uir inſignis, fuit interfectus. Hunc quum Mancius, Pomarri quondam ſignifer, confodere, & Pomarri manibus eius ſanguine parentare properaret: Piſcarius extemplò reſtitit, & inimiciſſimum hominem non modò conſeruauit, ſed in ea quoq; calamitate oportunis donis affecit. Iouius in Piſcario, libro I.

QVO AD FORTVNAS. SIC LÆDITVR QVIS PER Alium, qui

OPES ILLIVS QVASLIBETCVNQVE AVFERT, PERDIT: Exhæredat.

L. Sylla, cùm CN. Pompeij gloria premeretur, quamuis se illũ impedire erubesceret, declarauit tamen non obscurè alienum à Pompeio animum testamenti sui tabulis: quippe cęteris amicis legatum reliquit, liberisq; tutores nuncupans, Pompeium prorsus præteriit. Quod hic tamen perquàm tulit moderatè & ciuiliter. Atq; ubi cum nonnullis aliis Lepidus consul obstitit, ne corpus illius in comitio funeraretur, nec publicè efferretur: auxilio fuit, decusq; & securitatem præstitit exequiis. Plut. in Pompeio.

APHRONIA exhæreditationem matris Ebutię iniustam, ita æquè tulit, ut cum Pletonia sorore, quã mater solam nullis motã causis hæredem instituerat, nequaquam contendere uoluerit. Val. Max. lib. 7. c. 8.

FLORENTIVS Nursiæ prouinciæ solitarius, in illos, qui sibi ursum bestiam interemerant, inuidentes quòd syluestre animal homini seruiret: dixisse fertur, Sperare se eos Deo ulciscente commissum luituros. Cædis rei lepræ morbo confecti, paucos post dies uersis in saniem corporibus contabuére. Tunc qui ursi necem doluerat, horum inopinatam mortem mœrore ac lacrymis inconsolabiliter prosequi cœpit: reprehendens, quòd pius in belluam, impius in proximos fuerit: quòd illi ursum, illos ipse peremerit, quos ita ac seipsum diligere debuerat. Postremò in tantũ eum pœnituit uerba uindictæ protulisse, ut si fieri potuisset, sua morte illorum, qui consumti fuerant, uitam redemturus fuerit. Itaq; semper flebat, fletu ipso ostendens, ne mentionem quidem uindictæ esse faciendam. Marul. lib. 5. c. 2.

PIVS II. Põtifex struxit Senis fontẽ in hortis prope pomeriũ, aqua ductu subterraneo deriuata, ubi diẽ sæpè totũ decernẽdis reb. exigebat. Quẽ cùm noctu quidã disiecissẽt, adeò tulit molestè, ut discedere statim uoluerit: quęstionẽ tamen ultrò offerentib. ciuibus, interponi uetuit, dicens, satis magnam pœnã suam cuiq; stultitiã esse. Càpanus in eius uita.

IMPERIVM AFFECTAT.

Consule Epititlum, Clementes erga uitæ insidiatores, quatenus uitæ insidiantur causa imperij.

Vespasiani F. TITVS, ad se accersitis duobus patricij ordinis uiris, qui affectare imperium dicebantur, modestè eos coarguit: docens, fato imperia, & non ingenio, aut ulla alia industria dari. Quòd si quid cuperent, eos id ut peterent, hortabatur, quia libenter assensurus esset. Ambos quoq; cœnæ secum adhibuit: idq; , qui alterius eorũ matri renunciarẽt, celeriter misit: ne cùm detectam coniurationẽ intelligeret, uerita filij uitam in discrimine uersari, sibiipsi mortem consciscerct. Postero quoq; die in theatro assidere sibi utrunq; iussit, & ut ipse oblata gladiatorum tela inspexit, ea utrisq; inspicienda porrexit. Itaq; cùm hac ingenti humanitate amandum se omnib. præberet, minimè mirum uideri debet, si is pop. Rom. iudicio, Humani generis deliciæ, appellaret. Domitianum fratrem sibi insidiantem sæpiùs lacrymis orauit, ut mutuo ergà se esse uellet animo. Sabellicus lib. 3. Enneadis 7. ex Suetonio.

ALEXANDER Mammeæ Imp. Ouinium Camillum, familiæ uetustate clarum, affectati imperij conuictum, non solùm non occidit: sed gratiam etiam illi egit, quòd Reipub. curã, quę recusantibus bonis imponeretur, sua sponte reciperet: perductumq; ad Senatum, ac sibi timentem, imperij consortem appellauit in curia: inde in Palatium reuersus cõuiuio adhibuit, imperatoriis insignib. ornauit. Persica expeditione quum Alexander pedibus iter faceret, illum equo uehi passus est. Postremò quum militiã detrectaret, remitteretq; sua sponte omnem dignitatis appellationem, cum insignibus liberè dimissus est: uixitq; inde aliquandiu in agro, ubi Alexandri iussu est demum interfectus, quia uir militaris esset, militibusq; dilectus, supra quàm ipsi principi tutum putaretur. Id clemẽtiæ exemplum in Traianum uulgus reiicit. Cæterùm Septimius Acilius, Encolpius & Lampridius hos secutus, ad Alexandrum referre maluerunt. Sabellicus lib. 6. Enneadis 7.

Auidius Cassius sese in Aegypto Imperatorem appellauit, ob idq; hostis damnatus, eiusq; bona Romę publicata. Et iam in Cassium M. ANTONINVS Philosophus Imp. mouerat, quum ille in medio est suorum motuũ conatu interfectus, eiusq; caput ad Marcum delatum. Id Stoicus homo nullo lætitiæ signo inspexit, atq; humari iussit: doluitq; uicem suam, ꝙ se principe ille unus ex omni senatorum numero interfectus esset, quum uniuersum ordinem ab initio incolumem præstare statuisset. Sabellicus libro quarto, Enneadis septimæ.

Quo tempore Magnentius in Gallia cæso Constante Imp. Cæsar salutatus est, Illyriciani exercitus Tyrannionem siue Vetranionem, grandæuum & cunctis amabilem diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum crearunt principem. Cæterùm cùm Magnentium CONSTANTIVS oppressisset, Britannio posita purpura & ueste indutus Gallica, Constanti obuius factus in Thracia, obuolutus pedibus ueniam petiit, & impetrauit. Imperator senem ducem amplexus, patrem eum uocauit, & cœnæ adhibuit: tum purpura & regno exuit. Iussitq; abire Prusiadã Bithyniæ caput, & propinqua oppida in uictum senis contribuit. Cuspin. & Auentinus lib. 4.

LVDOVICVS Bauarus Imp. anno Christi MCCCXXV. pridie Michaelis ingenti prælio Fridericum Austriacum regni æmulum uicerat. Fridericus à Ioanne rege Boemiæ, Ludouico pacta uitæ incolumitate traditus, trium annorum spacio in carcere detentus, tandem transacta controuersia dimissus est, & restitutus à Ludouico in Austriam. Carion lib. 3. Chronici.

DIGNITATEM, MAGISTRATVM ERIPIT, impedit, repellit.

TACITVS Imperator fratri petierat consulatum, nec impetrauit. Ea repulsa adeò non fuit offensus, ut uehementer etiam lætatus sit, dicens: Scit senatus, quem principem fecerit. Vopiscus.

THEODOSIVS patriarcha Constantinopolitanus, qui paucis antè diebus sede sua ab Alexio Comneno, defuncto Manuele Imp. regnum occupaturo, deiectus erat, oblitus iniuriarum & mutatæ fortunæ misertus, non paruam Alexij in carcerem coniecti curam gessit, cumq; suo colloquio leuauit, hortans, ut moderatè cum custodibus, à quibus dormire prohibebatur, subinde irruentibus & immotis oculis adstare cogentibus, ageret, neque arrogantiùs quàm pro fortuna loqueretur. Nicetas.

CAROLVS Zenus, Venetiis D. Marci procurator, quum quorundam improbitate magistratus illi abrogatus esset, carcerique per biennium inclusus foret, tanti flagitij auctorem, quum ægrotare cœpisset, aduocari curauit, benignissimeq; ab eo petiit, ne memor illatæ iniuriæ esse uellet, cuius ipse facilè obliuisceretur. Prædicans, se unum hoc dolere, quòd aduersa ualetudine impeditus non posset illi præstare, qđ pollic eretur: mandaturũ se tamen Petro filio, ut se uita functo omnem illi gratiam cumulatè rependeret. Egnatius libro 4. capite 2.

ANTONIO Grimano, Venetorum in Græcia rei maritimæ aduersus Turcas imperatori, publico decreto dignitas ademta fuit. Nicolaus Michael Aduocator communis (quæ dignitas præcipua est inter urbanas) cum suis collegis eius in exilium mittendi auctor est habitus, unde illi procuratoria dignitas accessit. Cæterùm cùm mox Antonius maioris cum consilij auctoritate restitutus patriæ foret, Nicolaus non dubitauit domũ illius accedere, rogareq; ne præteritarum rerum memoria penes eum superesset. Antonius eum complexus, nunquam se memorem futurũ, pollicitus: obtulit insuper operam suam, eamq; restituta sibi procuratoria dignitate, mox ubi dux Lauretano principi suffectus est, cumulatissimè præstitit. Idem.

BESSARION Cardinalis, Nic. Perotti famuli sui rusticitate põtificatum amissum moderatè tulit. Cùm enim Romæ in conclaui tres cardinales Bessarionem prandentẽ adire uellent, ut eum omnium consensu Pontificem renunciarent: & famulus, non uacare hero suo, ut cum illis inter prandium colloqueretur, respondisset: illi indignati, Si Pontifex esse nolit, ne cogendus quidem est, abeuntes dixerunt. Certior huius rei factus Bessarion, his tantùm uerbis Nicolaum corripuit: Importunitate & rusticitate tua, Perotte, mihi mitrã, tibiipsi uerò galerum inuidisti. Iouius in eius uita.

OBTRECTAT, DETRAHIT, OBLOquitur, Calumniatur.

MOSES pro Maria sorore Deum orauit, & à lepra curauit, quam petulanter in se oblocutam nouerat, & ob hoc quidem lepra infectam. Marul. lib. 3. cap. 3.

SAVLVS Iudæorum rex factus, cùm à quibusdam suorũ contemtui haberetur, nosse dissimulauit. Deinde uictis Ammonitis, cùm triumphans rediret: milites, qui eam contumeliã armis ulcisci uolebant, coercuit. Turpissimum ratus, si paucorum obtrectantium inuidiam ferre nequiret, qui tot millium exercitum superauerat. Marulus lib. 5. cap. 2. & Sabellicus lib. 9. cap. j. ex 1. Reg. 11.

DAVID, cùm Hierosolymis fugeret, filij Absalomi factionẽ timens, & Bahurin usque uenisset: Semei Geræ filius, de cognatione Sauli, per montis crepidinẽ ausus est maledictis & lapidibus Dauidem incessere, uirum sanguinum, uirum Belial appellans, aliaq; multa in illum congerens tam petulanter quàm temerè. Qui cum regè erant, ad ulciscendã iniuriam concitantur; sed ab ipso, cui irrogabatur, inhibiti sunt: &, Dimittite eũ, inquit, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei ut malediceret Dauidi. Et quis est qui audeat dicere, Quare sic fecit? Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quęrit animam meam: quanto magis hic maledicet mihi. Dimittite eum ut maledicat, iuxta præceptum Domini, si fortè aspiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Quid hac patientia humilius? quid hac humilitate patientius? Marulus lib. 5. cap. 2. Quinetiam in regnum restitutus, Semeim sibi cum mille Beniamitis obuiam factum, & ueniam petentem, in gratiam recepit, & Abisæum ab eo ulciscendo cohibuit. 2. Regum 19.

EVPHRAXIA Deo dicata uirgo, ob humilitatem frequẽter sese uilibus occupabat officiis. Quædam autem inter sorores non satis linguæ temperans, illam carpere, & simulatæ sanctitati facta dictaq; eius adscribere palàm ausa, cùm ab abbatissa punienda esset, eiusdem, quam lacessierat, intercessione, liberatur. Euphraxia enim & ante ipsam se suppliciter prosternens, quasi quæ læsisset, non quasi quę læsa fuisset, ueniam petiit, & ante abbatissam illi impetrauit. Marulus lib. 3. cap. 3. & Sabell. lib. 5. cap. 3.

APOLLONIVS monachus & martyr, cùm in carcere detineretur, & Philemon Choraules omnibus eum opprobriis oneraret, suspirans: Fili, inquit, misereatur tui Deus, & nihil horum, quæ modò in me obloquendo effudisti, reputet ad peccatum. His uerbis ille corde compunctus, & fidem, quã persequebatur, suscepit, & non recusauit martyrium. Marulus lib. 3. cap. 5.

MAVRO abbati, qui beato Benedicto in gubernatione successerat, monasteriũ in agro Andegauensi construenti, quidam ex operariis detrahere licentiùs cœperũt: idipsum monasterij opus hypocrisi, simulatæque sanctitati tribuentes. Proinde sathanæ traditi, unus qui criminis causa & caput fuerat, subitò expirauit, reliqui miserabiliter à dæmonio uexati sunt. Mauro autem pro illis cum lacrymis deprecante, & mortuus reuixit: & qui nequitiæ spiritu agitabantur, liberati sunt. Idem.

Persarum rex ARTOXERXES, cùm ab Alcide Samsone ubique carperetur, ei iussit renunciari: Licere ipsi regem arbitratu suo criminari: sed similiter regi quoq; integrum esse, & dicere & statuere in eum, quæ ipsi collibuisset. Fulgosus lib. 5. cap. j. Sed in nomine uidetur errasse.

PISISTRATVS tyrannus, à Thrasippo amico inter cœnam cõuitio laceratus, ita & animum & uocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem à tyranno malè audire. Abeuntẽ quoque, ueritus ne propter metum maturiùs se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit, nec tamen in uindictam sui ualuit accendere: ille uerò etiam filios suos, uiolatæ patris maiestati subuenire cupientes, retraxit. Postero die Thrasippo supplicium à se uoluntaria morte exigere uolente, uenit ad eum, dataq; fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incœpto reuocauit. Valerius lib. 5. cap. j. Cùm in eius crudelitatem ebrius conuiua multa dixisset, stimulatus ab aulicis, ut hominem tam impudentẽ occidi iuberet, dixisse fertur: Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se incurrisset. Brusonius lib. j. cap. 16.

PERICLES, cùm improbus & petulans homo quidam contumelia ipsum & maledictis totum diem insectaretur in foro etiam seria tractantẽ, tulit patienter. Vesperi comiter domum regressus est, assectante illo & omnibus contumeliis eum impetente. Ingressurus ædes, cùm iam nox esset, iussit uni ex seruis, ut accenso lumine hominem comitaretur ac reduceret domum. Plut. in Pericle.

PITTACVS Mitylenęus Alcæum poetam, & amaritudine odij, & uiribus ingenij aduersus se pertinacissimè usum, tyrannidem à ciuibus Mitylene delatam adeptus, tantummodò quid in opprimendo posset, admonuit. Val. lib. 4. c. j.

BION asseclas suos proficere se iubebat existimare, cùm insectantes contumeliis perinde audirent, ac dicentes: Hospes,

Quando uirum haud prauum præfers nec desipientem
Salue iterumq; uale, tibi dij felicia præstent.

Plut. de Virtutis prouectu.

CLEANTHES Assius, appellatus Asinus, agnouit conuitiũ: dicens, se solum esse parem ferendæ Zenonis sarcinæ, siue quòd Zenoni non multum esset supellectilis, siue quòd unus illius austeritate nihil offenderetur. Eundem Sositheus poeta coram populo præsentem hoc carmine proscidit, ὃς κλεάνθους μωρία βοηλατεῖ, Quos Cleanthis fatuitas agitat. Nec tanto conuitio tactus, quicquam mutauit de uultu. Qua patientia delectati auditores, applaudentes philosopho, Sositheum eiecerunt. Quum Sositheus diceret, se pœnitere ꝙ illum aspersisset: respõdit Cleanthes, Absurdum fore, si quũ poetæ frequenter illudant Libero patri & Herculi, nec illi succenseant, ipse ob leue conuitium indignaretur. De diis enim multa probrosa scripsere poetæ, ueluti quum Bacchũ faciunt mollẽ, timidum, ac temulentũ: & Herculi seruienti Omphalæ, sandalio cõmitigari caput scribũt. Laert. li. 7. c. j.

Aristophanes cùm Nephelas ederet, atq; SOCRATEM omni genere aspergeret contumeliæ: quispiam ex iis, qui aderant, dum eum nominatim perstringit: Non incenderis, inquit, Socrates? Non me hercle, inquit, ego. In theatro enim ut in frequenti conuiuio lacessor dicteriis. Plut. de Inst. lib.

Peloponnesij, cùm PHILIPPVM Macedoniæ regem, à quo multa beneficia acceperant, in ludis Olympiacis, sibillis derisissent: rex admonitus ab amicis, ut eam iniuriam repẽderet, negauit se id facturum: Si tam prauo, inquiens, sunt ingenio, ut eos irrideant, qui de ipsis bene meriti sunt, quid tum fiet, si quid mali sentirent? Plut. in Apoph. regum. Hoc etiam PAVSANIÆ Lacedæmonio tribuitur.

IDEM perbenignè Atheniensium legatione audita, demum iamiam remigraturis: Ecquid (inquit) nostis, quod à me gratum in ciuitatem uestram proficisci ualeat? Aderat fortè Demochares, ob nimiam & procacem linguam cognominatus Thersites: is excipiens, Si te (inquit) suspenderis. Commouerat tam intempestiuum, tamq; atrox responsum legatorum reliquos, exortaq; omniũ cum fremitu indignatione, molliter Philippus, Nunciate (inquit) Atheniẽsibus, multo elatiores uideri, qui ob animi impotentiam hisce nõ abstineant, quàm qui impunè dici permittant, ac iniuriæ insolentiam facilè concoquant. Cælius lib. 21. c. 28. A. L.

Smicythus Nicanorem deferebat apud regem, quòd de ipso malè loqueretur. Cumq; suaderent amici, ut hominem accersiri iuberet, deq; eo supplicium sumeret: PHILIPPVS ita respondit: Nicanor non est Macedonum pessimus: uidẽdum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit, uehementer afflictum inopia, & tamẽ à rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto cùm rursus Smicythus diceret regi: Nicanorẽ apud oẽs sine fine prædicare laudes ipsius: Videtis igitur, inqt, in nobis esse sitũ, ut bene aut malè audiamus? Eras. lib. 4. Apoph.

IDEM aiebat, se his, qui in Repub. Atheniensium administrãda primores essent, plurimam habere gratiã, quòd suis conuitiis efficerent, ut ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior. Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. Ibidem.

Amicos ALEXANDRI Magni ob opes & fastum uoluptatibus indulgẽtes, & otiũ affectantes, tædebat errorũ & expeditionum. Vnde paulatim ad obtrectandum ei & allatrandum sunt progressi. Quod ille tulit leniter, regiũ esse ferẽs, cùm benefeceris, malè audire. Plut. in Alex. & in Apoph.

AGATHOCLES Syracusanorum tyrannus, cùm insultarent ei obsessi, tulit id leniter: ac cùm quidã iactasset: Vnde mercenario militi, figule, stipendium numerabis? arridens: Hac, inquit, si potitus fuero. Plut. de Non irascendo.

MAGAS à Philemone poeta conuitiis proscissus, carnifici iussit, ut Philemonis iugulo strictum gladium admoueret, inde eum dimitteret. Plut. de Virtute morali.

PTOLEMÆVS Philadelphus rex, grammatici inscientiam irridens, Qui esset Pelei pater, sciscitatus est. Cui ille: Si tu mihi priùs, inquit, dixeris, qui Lagi. Dictum hoc mordebat genus regis sordidum. Ibi stomachabantur omnes, rem indignam esse, quam ferret. At Ptolemæus: Nisi ferre, inquit, dicterium, nec iácere, regium est. Plut. de Non irascendo.

ANTIGONVS rex, quum tempore hyberno cõpulisset suos castra transferre in locum, ubi non erat rerum necessariarũ copia, atq; hac de causa milites quidam in regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo: uirga tentorij uela diduxit: Flebitis, inquit, ni lõgiùs semoti de me malè loquamini. Quid hac facetia clemẽtius? aut quid hac clementia facetius? Plut. in Apoph. regum, & de Non irasc.

IDEM, cùm nocte quadam quosdam è militibus suis audisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum induxisset: accessit ad eos, qui maximè laborabant, eosq; quum ignorantes à quo adiuuarentur explicuisset, Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius uitio in has miserias incidistis: sed ei bene optate, qui uos ex hac uoragine eduxit. Plutarchus.

PYRRHVS Epirotarum rex, cùm audisset apud quosdam in conuiuio Tarentinorũ parum honoratum de se sermonem habitum, accersitos, qui ei interfuerunt, percontabatur, An ea, quæ ad aures eius peruenerant, dixissent? Tum ex his unus inquit: Nisi nobis uinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ iis quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam urbana crapulæ excusatio, tãq; simplex ueritatis cõfessio, irã regis cõuertit in risum. Qua quidẽ clementia & moderatione assecutus est, ut sobrij sibi Tarẽtini gratias agerẽt, & ebrij bene precarẽtur. Val. l. 5. c. j. & Plut. in Pyrrho.

Maledi-

Maledicum quendam Ambraciæ & obtrectatorem cùm censerent PYRRHO regi exterminandum: Maneat, inquit, ibi: ut apud paucos potiùs nos, q̃ laceret uagans apud omnes. Hoc ipsum Erasm. lib. 4. Apoph. tribuit etiam Philippo.

M. CATO proscissus conuitio ab homine obscœnę & improbæ uitæ: Iniqua, inquit, tecum mihi pugna est: nam & malè audis facilè, & dicis promtè: mihi tum dicere molestum est, tum audiendi sum insolens. Plut. in Catone.

L. Corn. SYLLA, deposita dictatura, cùm priuatus se domum reciperet, uno & altero amicorum comitantibus, in adolescentis intemperiem incidit, cuius pater fuerat ab eo ꝓscriptus. Maledictis itaq; ac probris exceptum abeuntem insectatus est, atrocem ultionem minaciter intendens: nullo interim ciuium intercedente, aut adolescentis petulantiã cohibente. Tulit obiter Sylla tacitus patienter hominis insectationem, tantùm ad amicos conuersus: Hic, inquit, adolescens fecit hodie, ut quicũq; posthac dictaturam inuaserit, non nisi cum morte sit illam depositurus. Quod in C. Cæsare postea euenit. Sab. lib. 5. c. 7. ex Plut.

AVGVSTVS Cæsar, sparsos de se in curia famosos libellos, nec expauit, & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modò censuit, cognoscendum posthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant. In ore habebat, Regium esse, bene facere, & malè audire. Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum, è plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exilio punire satis habuit: cũ ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam de se epistolam in uulgus edidisset: hic conuiuio pleno proclamasset, neq; uotum sibi, neq; animum deesse confodiendi eum. Quadam uerò cognitione cùm Aemilio Eliano Cordubensi inter cætera crimina uel maximè obiiceretur, quòd male opinari de Cæsare soleret: conuersus ad accusatorem, commotoq; similis: Velim, inquit, hoc mihi probes: faciam, sciat Elianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar. Nec quicquam ultrà, aut statim, aut postea inquisiuit. Tiberio quoq; de eadem re sedulò uiolẽtiùs apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: Aetati tuę, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimiũ indignari, quenquã esse, qui de me malè loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit. Timagenes historicus multa petulãtissimè in Augustum, multa in uxorẽ, multa in totam illius familiam dixerat. Sed Cæsar patienter ferens iniuriam, hominẽ admonuit tantũ, ut moderatiùs lingua uteretur. Verùm quum in instituto perseuerasset, nil aliud quàm domo sua illi interdixit: neq; Mecœnatem, qui eũ postea recepit, eam ob rem odio habuit. Suetonius.

TIBERIVS Imp. aduersus conuitia, malosq; rumores, & famosa de se ac suis carmina, firmus ac patiens subinde iactabat, In ciuitate libera, linguam mentemq; liberas esse debere. Et quondam Senatu cognitionem de eiusmodi criminibus ac reis flagitante: Non tantũ, inquit, otij habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitię hoc prætextu ad uos deferentur. Extat & sermo eius in Senatu perciuilis: Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut rationem factorum meorum dictorumq; reddam: si perseuerauerit, inuicem eum odero. Idem.

GERMANICVS, Drusi F. obtrectatoribus etiam qualescunque, & quantacunq; de causa nactus esset, lenis adeò & innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas diu uexanti, non priùs succensere in animum induxerit, quàm ueneficiis quoq; & deuotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultrà progressus, quàm ut & amicitiam ei more maiorum renunciaret, mandaretq; domesticis ultionem, si quid sibi accideret. Suetonius.

Cùm AGRIPPA rex Iudæorum Cæsareæ abesset, quidã Hierosolymita legisperitus nomine Simon, aduocata concione, criminabatur regem ut impurum, & arcendum tẽpli aditu, quod non nisi dignis pateat. Id ubi præfectus urbis illis significauit, per literas confestim accersiuit hominẽ: à quo fortè fortuna repertus in theatro, assidere sibi eum iussit. Moxq; sedata uoce & placidè, Dic mihi, inquit, quid tibi nõ probatur ex his quæ facimus? Qui cùm nihil haberet quod diceret, precatus est ueniam. Rex citiùs quàm quisquã opinaretur reconciliatus, illum dimisit non sine munere. Iosephus lib. 19. cap. 7. Antiq.

VESPASIANVM, qui pòst imperauit, trepidum interdicta aula sub Nerone, quærentem quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, abire Morboniam iusserat. In hunc postea deprecantẽ haud ultra uerba excãduit, & quidẽ totidẽ ferè atq; eadem. Sueton.

IDEM iam Imp. amicorum libertatem, causidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissimè tulit. Licinium Mutianum notæ impudicitiæ, sed meritorũ fiducia minus sui reuerentem, nunquam nisi clàm, & hactenus retaxare sustinuit: ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ, Ego tamen uir sum. Saluium Liberalẽ in defensione diuitis rei, ausum dicere, Quid ad Cæsarẽ, si Hipparchus H-S millies habet? & ipse laudauit. Demetriũ Cynicum in itinere obuium sibi post dominationem, ac neq; assurgere, neq; salutare se dignantem, oblatrantem etiã nescio quid, satis habuit, canem appellare. Heluidio Prisco, q reuersum ex Syria solus priuato nomine Vespasianum salutauerat, & in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non antè succensuit, quàm altercationibus insolentissimis penè in ordinem redactus. Hunc quoq;, quamuis relegatũ primò, deinde & interfici iussum, magni æstimauit seruare quoquo modo, missis qui percussores reuocarent: & seruasset, nisi iam periisse falsò nunciatum esset. Idem.

MANVEL Comnenus Imp. à Sultano Iconiense, magno uictus prælio, cùm in fuga aquam è præterfluente haustã sanguine infectam degustasset & effudisset, inquit: Infeliciter Christianorum sanguinem libaui. Ibi quidam audax & importunus homo, Non nunc, inquit, Imperator, non nũc primùm, sed olim & sæpe, & ad ebrietatem usq; Christianorũ sanguinem hausisti, dum pauperes subditos exactionib. uexas & deglubis. Eum conuitiatorem Manuel ita æquo animo tulit, ac si surdus esset. Et cùm uidulos, in quibus signata pecunia erat, à Persis diripi & effundi uideret, Romanos hortatus est, ut impetu in barbaros facto pecuniam illã ipsis potiùs debitam arriperent. Tum rursus idem ille: Vino, inquit, ista prius Romanis danda fuit, non nunc, ubi cũ difficultate & sanguine paranda est. Nicetas lib. 6.

SIGISMVNDVS Imp. [illegible] fuit Basiliensi concilio, quò maior ei auctoritas & libertas, liberè loquendi, agendiq; accederet. Venerat illò Boemus quidam, palàm queri ausus, q̃ à damnatione ipsius Hus simul extincta esset libertas dicendi de religione, quæ de illa quisq; sentiret. Huius querelam Sigismundus tali responso confutare satis habuit: Heus tu, an parum adhuc tibi liber esse uideris, qui ista non palã modò, uerumetiam impunè iactes in contumeliam cõcilij? Dubrauius libro 25.

IDEM, cùm accusassent purpurati quidam maledicentiã Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur, subridens: An uobis, inquit, graue uidetur illos malè loqui, cùm nos malè agamus? Aeneas Syluius lib. 2. Comment. de rebus gestis Alphonsi.

PIVS II. Pontifex mala de se opinantes uel loquentes coercuit nunquam: liberè enim in libera ciuitate loqui omnes uolebat. Querenti nescio cui apud eum, quòd malè audiret, respondit: De me quoq; qui malè sentiant, si in campũ Floræ proficisceris, multos audies. Platina.

ARLOTTVS Plebanus Florentinus, homo facetiss. & ingeniosissimus, conuiciatori in se debacchãti, & hoc unum, ut responderet, urgenti: Vti tu linguæ tuæ, respõdit, seruus es, ita ego aurium mearum dominus. Nunquam pœnituit tacuisse: sæpe uerò esse locutum. Auctor uitæ.

COSMVS Medices, Augusti imitatione, cùm amici negarent quorundam audaciam ferendam esse, à quibus multa impunè aduersus illius dignitatem dicerentur: Aequo animo ab iis ferendam hominum libertatem in dicendo aiebat, in quos factis sæuiendi facultas esset. Neq; enim æquã factorũ contentionẽ & dictorũ esse. Brutus lib. 1. hist. Florentinæ.

ALFONSVS Aragonius, cùm Ioanni Forti præfecturam ademisset, atq; is ægerrimè hoc ferens, per Italiam, Galliã, Germaniam, Hispaniam regi maledixisset: neminem tamen inuenit, qui uel panem modò & nasturtium offerret ad uictũ. Inopia igitur coactus, cùm ad Alphonsum se recepisset, rex se benefactorum eius, non maledictorum memorẽ dicens, hominem uiatico & pecunia iuuit, & dimisit. Panorm. lib. 1. de rebus gestis Alfonsi, & Fulg. lib. 5. c. 1.

IDEM simili beneficentia usus est erga quendam equitem Hispanum, qui apud reges Occidentales ferè omnes Alphonsi nomen & uitam prosciderat. Idem. Cùm obiurgaretur, q in Aluarum Lunam, hominem planè ingratum, tanta contulisset beneficia, quorum ne memor quidem iam esset: An ignoratis, inquit rex, ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine satisfieri? Panorm. lib. 2. Cùm audiuisset Albertum Orlandum apud se diutissimè exploratorem egere, nõ solùm non eiecit è curia, sed salarium quoq; annuum illi ultrò constituit. Panorm. lib. 4. de Alfonsi rebus gestis.

EIDEM, Capuam cum exercitu transeunti, miles quidam iraesceruescens in foro obuiam factus, comprehensis equi loris, regem sistere coegit, neq; priùs dimisit, quàm quæ libuisset in regem etiam armatum petulanter effudisset. Rex nihilo magis animo commotus ire perrexit, conuitiatorem ne paululum quidem respectans. Panorm. lib. 1. de rebus gestis Alfonsi. Proteæ cuidam dicaci homini, cui iurè plurimũ succensuerat, non modò ueniam petenti dedit, sed quinq; etiam talenta numerari confestim iussit, quæ essent reconciliati in eum animi pignus. Pontanus c. 30. de Liberalitate.

In Friderizum tertium Cæsarem cùm nonnulli dicta probrosa iactassent, referentibus aulicis, An nescitis, inquit FRIDERICVS, principes quasi signum ad sagittam expositos esse? Turres quidem fulgura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiscum bene agitur, si uerbis tantùm impetimur. Aen. Syl. Com. in Panor. lib. 1.

LVDOVICVS Landgrauius Thuringiæ in uenatione à uia abertans, apud lignatorem pernoctauit, se Landgrauij pręfectum uenatorum esse dictitans. Rusticus stomachose multa de Landgrauij assiduis uenationibus & improbis aulicis locutus, acerbisq; dicteriis in illum inuectus, dignũ etiam infernalibus ignibus esse asseruit. Quæ scommata Princeps pertotam noctem patientissimè tulit. Summo mane collaudato lignatore, gratus discessit: & in posterum uitam suam & aulicorum mores emendauit. Cyriacus Spangenbergius in Venatorio diabolo.

Pragenses Hussitæ VLADISLAVM regem Boëmiæ, quòd Romanis sacris addictior esset, & à communione sub utraque specie alienus, Porcum Polonum appellabant, haris ineundis, quàm aris adeundis aptiorem: adeoq; in Poloniã reuerti iubebãt, quando Boëmum calicem bibere renueret. Sub initia ieiunij quadragesimalis triduano epulo ciues Pragenses cum uxoribus exceperat, & in omnem lætitiam solutus choreas celebrauerat. At Hussitarum concionatores palàm insultare, & hos Romanæ religionis fructus dicere: proinde retinerent sibi hunc regem, donec super eos pluat ignis, sulfur, & spiritus procellarum. Quam quidem petulantiam cùm neq; senatus Pragensis, neq; ipse Rex pro sua benignitate comprimere posset, multitudine indomita præualente, quæ probrosis concionibus applaudebat, cessit tempestati ad tempus, seq; ex urbe in secessum arcis Gradecæ contulit, atque inde ad Cuthnenses profectus est. Ibi cùm pari impudentia obstreperet sutor quidam, natione Polonus, eum mox arripi, & in domũ in quam diuerterat (altam Curiam uocant) pertrahi iussit. Conuolant subitò operæ, quæ in officinis metallicis operabãtur, & uiri amplius quingenti domum Regiam circumsident, uociferantes se ferro in illam & igne grassaturos, nisi protinus illis Sutor incolumis restituatur. Quo restituto, sine cuiusquam iniuria abiere. Dubrauius lib. 31.

FRANCISCVS I. Gallorũ rex, intercedenti amico pro quodam calumniatore, Vt ignoscam illi multa, inquit, discat porrò loqui pauca. Corrozetus de dictis & factis mem.

IGNOMINIA AFFICIT FACTIS quibuscunque.

PISISTRATVS, Atheniensium tyrannus, cùm adolescens quidam amore filiæ eius uirginis accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset: hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos, qui nos amant, interficiemus: quid iis faciemus, quibus odio sumus? Valerius Maximus libro 5. capite 1.

Cùm temulenti nonnulli in coniugem PISISTRATI tyranni, in quam inciderant, multa petulanter designassent & euomuissent: postridie autem deprecarentur cum lacrymis Pisistratum: Date, inquit, uos operam posthac, ut sobrij sitis. Nam uxor mea nusquam omnino heri est progressa. Plutarchus in Apophthegmatib.

SOLON in se despuentem quendam ferebat. Quum autem alter quidam eum propterea accusaret: Atqui, inquit, piscatores, ut gobium unum capiant, patiuntur se aqua marina conspergi; ego idem ferre non sustineam, ut hominem capiam? Max. Serm. 42. Hoc Laertius ARISTIPPO tribuit, quem Dionysius tyrannus conspuerat.

Secundùm fata Antipatri, restituta populo Atheniensi libertate, rerum capitalium fuit PHOCION cum amicis in concione damnatus. Ac cæteri plorantes ducebantur. Phocioni, qui tacitus ibat, ex inimicis quidam occurrens, in os expuit. Hic oculos Phocion in magistratus conuertens: Nemo reprimet, inquit, istum, ne ita turpem se præbeat? Plutarchus in Apophthegmatibus.

DIOGENI Cynico de non irascendo accuratè differenti, adolescens quidam proteruus, ueluti periculum faciens, an re præstaret ea quæ docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leniter ac sapienter: Non quidem, inquit, irascor, sed dubito, tamen an irasci oporteat. Laërt. lib. 6.

SOCRATES quàm patienter tulerit Xanthippes uxoris calumnias & conuitia, notum est. Inter alia tamen cùm multis conuitiis & maledictis maritum lacerasset, demùm sordidam quoque aquam suffudit. Ad quod nihil aliud dixisse fertur, quàm, Notum sibi fuisse, post tot tonitrua tandem uenturam quoque pluuiam. Gellius, Laertius.

Cùm quidam ARCHELAVM aqua respersisset, inflãmantibus eum in hominem amicis: Non me, inquit, sed respersit illum, quem esse putauit me. Plut. in Apophtheg. regum.

CHIOS scribit Plutarchus in Apoph. Laconicis, Spartam uenisse. Atque inibi insita Ionibus mollicie, quum mero calentes in Ephorium itassent (sic illi uocãt Ephororum curiam, qui sunt Spartæ, uelut Tribuni plebis Romæ) turpiter ingestum turpius conuomuerunt. Quin & in magistratus eiusdem curulibus sellis uentris onera deiecerunt. Vbi compertum est à Chiis rem peractam, residente impetu, qui rei indiguitate inarserat ampliùs, nil aliud quàm Chiis pronunciarunt EPHORI permitti licenter lasciuire, ut quibus natura instituto q; id foret insitum. Facti meminit in Varia historia Aelianus lib. 2. sed aliter, cùm quia turpitudinem ad Clazomenios reiicit, tum quòd τοὺς θρόνους, id est, sedes fuligine modò, quam ἀσβόλον dicunt, litas scribit, moxq; publicè pronũciatum τοῦτο δὴ τὸ θαυμαζόμενον, ἐξέστω κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν. Cælius lib. 26. cap. 33. A. L. Hinc prouerbium, Χῖος ἀποπατῶν, id est, Chius cacans. Aristophanis interpres indicat prouerbio iactatum in eos, qui contaminarent conspurcarentque ciuitatem. Nam hac occasione consueuerant calumniam struere Chiis. Aristophanes in Pace: ἡ πόλις ἡ χίων δι' αὐτὸν τὸν [illegible] ὀφλήσει. Eras. in Adagiis.

LEGATI Romani à Senatu Tarentum ad res petendas missi, cùm grauissimas ibi iniurias accepissent, unus etiam urina respersus esset: in theatrum (ut est cõsuetudo Græciæ) introducti, legationem quibus acceperant uerbis peregerunt: de his quæ passi erant, questi non sunt, ne quid ultrà ac mandatum esset loquerentur: intimisq; pectoribus eorum, antiqui moris respectus, dolore, qui ex contumelia grauissimus sentitur, conuelli nõ potuit. Finem profectò fruendarũ opum, quibus ad inuidiam diu abũdauerat Tarentina ciuitas, hac contumelia quæsiuit. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. & Liuius lib. 4. Decad. 3. & Plut. in Pyrrho.

Quum CATONI causam in foro agenti, Lentulus attractã pingui saliua in mediam frontem quantum poterat expuisset, abstersit Cato faciem, ac dixit: Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negent os habere. Os habere negantur, quos nihil pudet: id quũ eo facto maximè declarasset Lentulus, tamen Cato ludens, profitetur illi esse os: non quòd erubesceret, sed quòd ore multam purulentiam eiacularetur. Erasmus libro 5. Apophtheg.

C. Marius Minturnis captus, in custodiã datus est FANNIÆ, quæ mulier minus æqua Mario ex ueteri causa dicebatur. Cùm enim ob adulterium maritus diuortio facto dotẽ reddere nollet, causaque ad Marium consulem delata esset: is & uirum, qui sciuisset eam impudicam fuisse, nihilominus talem duxerit, diuq; cum ea in matrimonio uixerit, dotem iussit restituere, & mulieri infamiæ damnatę quatuor asses dixit (Val. Max. sestertiũm numũm) At Fannia, nihil minus quàm ignominiæ suæ memor, curam eius habuit. Plutarchus in Mario.

ATHENODORVS Tarsensis Stoicus iussu Augusti remp. patriam [illegible] improb[illegible] dium pariete conscripserunt [illegible] Quod ille in [illegible] mus, cùm [illegible] domum transiret, [illegible] Ille cùm seditionem acriter in concione reprehenderet, Vrbis (inquit) morbus & malus habitus tum ex multis rebus, tum ex excrementis perspici potest. Strabo lib 14.

LIVIA Augusti nudis quibusdam adolescentibus occurrentibus dixisse fertur, cùm pleriq; eos morte multandos censerent, Modestis mulieribus hos statuas uideri. Cuspinianus ex Suetonio.

TIBERIVS Cæsar, cùm Rhodi Diogenem grammaticũ sabbatis [illegible] quàm proposita erat [illegible] Diogenes [illegible] Tiberio respõdit [illegible] postea Diogenes ad [illegible] Romam [illegible] Diogenem [illegible] respondit [illegible] Suetonius.

IDEM sub imperij initia quædam aduersus sententiam suam decerni, ne questus quidem est. [illegible] Magistratus abesse oportere [illegible] Prætor designatus [illegible] forte fieret, transiit in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cætera quoq; non nisi per magistratus & iure ordinario agebantur, tanta Coss. auctoritate, ut legati ex Africa adierint eos, querentes trahi se à Cæsare, ad quem missi forẽt. Nec mirum, cùm palàm esset, ipsum quoque eisdem assurgere & decedere uia. Suetonius.

Cùm TOTILAS, Gothorum rex, urbem Romam recepiſſet, quæ primo Beliſarij aduentu à Gothis defecerat: accuſata eſt Ruſticiana, primi Theoderici, qui Gothos in Italiam duxerat, ſtatuas euertiſſe. Quam ob cauſam cùm iratus in Ruſticianam animaduertere Totilas decreuiſſet, poſteaquam Boëtij coniugem, & Symmachi ſororem, amborum fortuna uirtuteq; inſignium uirorum fuiſſe intellexit, qui falſis criminum ſuſpicionibus à Theoderico interfecti fuerant: illi ignouit. Fulgoſ. & Egnat. lib. 5. cap. 1.

VLADISLAVS Iagello, Polonorum rex, à Cruciferis inuitatus, cùm Toruniæ ſitum, munitionem atque ædificia urbis contemplatur, ſordibus culinæ à muliercula quapiam ſeu caſu, ſeu data opera perfuſus, mulierculæ ad mortem ob id deſtinatæ impunitatem impetrauit. Cromerus lib. 16.

LIBERTATEM ERIPIT, CAPIT, IN Carceres trudit, In Exilium mittit.

HELIAS propheta ſemicenturioni ſupplici ignouit, cùm duos alios, cum L. militibus ſingulos ad ſe comprehendendum miſſos, igne cœleſti abſumſiſſet.

IADON propheta Bethelæ Hieroboamum, Iſraelitarum regem, idolo ſacrificātem increpuit, aduerſa illi prophetans, familiæq; eius. Iratus Hieroboam extendit manum, iubens apprehendi hominem: & continuò areſactam retrahere nequibat. Vir Dei autem miſertus, pro illa manu, quam in ſui iniuriam extenſam nouerat, Dominum rogauit, priſtinæq; ſanitati protinus reſtituit. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. c. 3.

ARISTIDES Athenienſis, poſt innumera beneſacta, quæ in patriam collocauerat, inuidia quorundam in exilium actus eſt. Cumque tertio anno pòſt reuocaretur domum, de ultione nunquam cogitauit, nec iniuriarum unquam meminit. Plutarchus in eius uita.

ANTONIVS Grimanus Venetus Nicolaum Michaelem (acerrimum, ſui accuſatorem) ubi primùm domum ab exilio rediit, & reliquos eius collegas duos, Piſanum & Sanutum, complexus eſt omnes: Nicolaum uerò etiam laudauit, quòd conſtantiſſimè publicā cauſam tutatus eſſet. Addens ſe optare, Rempublicam ſimiles illi plurimos ſemper habere. Dux inde in locum Lauretani creatus, occurrentem ſibi primùm ſaluere iuſſit, omnia de ſeipſo illi pollicitus. Extant adhuc literæ ipſius ad eum ſcriptæ, plenæ ſummæ grauitatis & amoris. Egnat. lib. 6. cap. 4.

IO. HVNIADEM Hungarici regni gubernatorem è prælio in campis Caſſouiis fugientem Georgius Deſpotus Seruiæ ceperat, nec niſi filio dato obſide dimittere uoluerat. Amurates Turcorum Imp. indignatus Deſpoto, quòd hoſtem tantum dimiſiſſet, regnum Seruiæ cuidam præfecto Frizebecho tradidit occupandum. Georgius audiens in ſe concitari bellum, ſupplex Huniadis genubus aduolutus, ab eo tandē ſuppetias impetrauit. Qui dicto citius noctu Raſcianos attingens agros, manè Turcos profligauit, capto Frizebecho. Ipſe exuſto Bidino Bulgariæ inſigniore urbe cum triumpho in Hungariam rediit. Cuſpinianus.

CLEMENTIA RESPECTV INIVRIAE ACTIVE CONSIDERATAE, HOC EST, QVATENVS Infertur ab AGENTE per

HAERESIM, FALSAM RELIGIOnem, Apoſtaſiam, Idololatriam. CLEMENTIA erga Infideles, Hæreticos, Apoſtatas.

CHRISTIANORVM olim clementia erga religionis hoſtes ingens, ita ut nunquam arma contra magiſtratum ceperint. P. Aerodius, ex Euſebij lib. 7. c. 5. & Nicephori l. 7. c. 5

Conſtātius Imp. Sardicenſis ſynodi decreto ATHANASIVM exulem Alexandrinæ eccleſiæ reſtituit, eumque ad ſe Antiochiam officij cauſa profectum, benignè atq; honorificè in primis accepit: tamen ab Arianis impulſus, ut Arianis templum unum Alexandriæ habere liceret, popoſcit. Quod ille ita conceſſit, ſi & ipſe Catholicis in ſingulis urbibus unam patere eccleſiam ſineret. Ita permulti epiſcopi, qui extorres erant, ſuas ciuitates eccleſiaſq; recuperarunt. Macedonius, ſede Paulo Conſtantinopoli conceſſa, ſeorſum eccleſiam tenuit. Sigonius lib. 5. Imp. occid.

Grauiſſimam illam Chriſtianorum perſecutionem (quæ ſub Traiano 14. annis durauit) PLINIVS Secundus, proconſul Bithyniæ, Chriſtianorum innocentia animaduerſa, ſuis ad Imp. literis, quæ etiamnum hodie extant, mitigarit: ut cùm prius de Chriſtianiſmo ſuſpecti, etiamſi id conſtanter negaſſent, ſupplicio afficerētur, edictum fuerit ſancitum ab Imp. tale: Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi: pœnitentes dimittendi.

TEMERITATEM.

Admiratione digna eſt ROM. ciuitatis magnitudo animi & lenitas, quòd conſuli Ter. Varroni auctori cladis Cannenſis ex fuga redeunti, ut qui fœdiſſimè & infeliciſſimè rebus geſtis reuerteretur, humili & abiecto, obuiam itum ad portam honoris cauſa à Senatu ſit & uniuerſo populo. Magiſtratus & principes Senatus, in quibus erat Fabius, ſilentio facto laudauerunt eum, quòd de Repub. à clade tanta non deſperauiſſet: ſed adeſſet ad tractanda gubernacula eius, & ad utendum legibus ciuibuſque ut nondum deploratis. Plutarchus in Fabio.

IGNAVIAM, TIMIDITATEM.

In Leuctris, multis Lacedæmoniis abiicientibus arma, & aciem deſerentibus, ne magna multitudo infamia notaretur, & legum tamē ſeruaretur auctoritas, placuit SPARTANIS, ut legiſlator deſignaretur. Deſignatus, non ſcripſit nouas leges, ſed ueteres poſt Leuctricam pugnā ualere iuſſit. Sic & militibus conſuluerunt, & legum auctoritati. Polyæn. lib. 2.

EPAMINONDAS Bœotarchus conabatur noctu Lacedæmoniorum urbem uacuam ciuibus occupare. Ageſilaus inſidiis ex transfugis perceptis, incitato curſu cum exercitu ſuo prior in urbem uenit, & Thebanos expectauit. Qui impreſſionem facientes, repulſi ſunt per uim à Lacedæmoniis. Cùm uerò per confuſionem ac tumultum in graue periculum incidiſſent, noctu fugere coacti, multi ſcuta abiecerunt. Epaminondas eam rem conſpicatus, nolens ut qui ſcuta abieciſſent, redarguerentur, promulgauit: Nemo armatorum ipſe ſcutum portet, ſed tradat ſcutatis, aut aliis ſequentibus: ipſi uerò cum ſolis haſtis & enſibus ducem ſequantur. Ita multitudo eorum, qui arma abiecerant, uenit, & Epaminondæ ſe obſequentiores ad futura pericula ob hoc beneficium præbuerunt. Polyænus lib. 2.

Cùm M. MARCELLVS Coſs. III. in Siciliam miſſus eſſet, Milites Romani qui in prælio ad Cannas, terga hoſti obuerterant, cùm eam ob cauſam exulare patria cogerentur, Marcellum frequentes adierunt ſupplices atque ad genua eius procumbentes, honeſtum ordinem militandi poſtulauerunt, multo eiulatu lacrymiſq; re oſtenſuros pollicētes ſe, aliquo infortunio potiùs quàm ignauia ſua cladem illam accepiſſe. Eos miſeratus Marcellus, periit per literas à ſenatu, ut liceret ſemper ſupplere ex iis legiones ſuas. Plut. in Marcel.

TIB. GRACCHVS, cùm dixiſſet futurum, ut ex uolonum numero fortibus libertatē daret, ignauos crucibus affigeret, & quatuor millia ex his (quia ſegniùs pugnauerat) metu pœnæ in quendam munitum collem coiſſent: miſit qui eis dicerent, totum ſibi exercitum uolonum uiciſſe uideri, quòd hoſtes fugiſſent. Sic eos & ſua fide & ipſorum metu exolutos recepit. Frontinus lib. 4. cap. 7.

Quum Magnus SFORCIA ſpectantibus ex propinquo duobus regibus, Alphonſo Aragonio, & Ludouico III. Andegauenſi, penè intra Carmelitanam portam ad Neapolim uictricia ſigna perturbatis iam fugatiſq; hoſtibus intuliſſet, uinius Biſij præfecti peditum ſocordia perfidiaq; obſtitit, quominus cumulata uictoria potiretur. Iuſſus enim cum duabus ueteranis cohortibus intra hortorum macerias in inſi-

diis

diis conſidere, & ad ſignum datum prorumpere, ut ſtudiò pugnæ prouectos hoſtes intercluderet: neque deſignatum in locum peruenit, neque priùs apparuit, quàm poſt trium horarum pugnam receptui ſignū tuba datum audiuit. Ob id Sforciam irato animo, ea mediocri uictoria minimè contentum, exclamaſſe rauco ore plurimum, ferūnt, itidem ſæpè repetētem: Biſi, ſceleſte deſertor, redde mihi hoſtium duces captos, atq; intercepta eorum uexilla, quæ incredibilis ignauia pariter atq; perfidia tua dudum nobis è manibus eripuit. Cæterùm eum ex conſcientia animi metu conſternatum, & crimen ineptis uerborum ambagibus excuſantem, ea lege caſtris excedere iuſſit, ut perpetua ignominia notato, acerbiſſimi ſupplicij pœna, ſi in conſpectum caſtrorum unquam ueniret, indiceretur. Ea eſt, æneo tormento inclusi, & ſucceſo demum ſulphureo puluere per aerā diſcerptis artubus diffundi. Iouius in uita magni Sforciæ.

LIBIDINEM. CLEMENTIA ERGA ADVLTEROS, ADVLTEras, Pellices, Procos.

Cùm ad PISISTRATVM eſſet delatum, adoleſcentis cuiuſdam amore matrem eius deperire, ac furtim habere cum eo conſuetudinem, formidante atq; abnuente plerunq;, uocauit adoleſcentem ad cœnam, ac cœnatum, rogauit, Vt acceptus eſſet? Lautè, inquit. Tum Piſiſtratus: Hoc tibi quotidie, inquit, paratum erit, ſi fueris matri meæ gratus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cū Thraſybulus, ſiue Thraſymedes, qui amabat EIVSDEM filiam, huic in occurſu oſculum tuliſſet, ſtimulante eum uxore in illum: Si odiſſe oportet, inquit, eos qui diligunt nos, quid faciemus odio proſequentibus? puellamq; ei collocauit. Plutarchus in Apophthegmat.

Philippum Macedonem proditum monumentis eſt, Theſſalicam mulierē amaſſe ardentiùs. Irroborarat inde opinio uehemens, ueneficiis circumuentum ab ea Philippum, atque ita eius mentem præpediri illaqueatum: qui mos in Theſſalia nimio plus frequens erat. Id quum inaudiſſet OLYMPIAS, mirè optabat quandoq; in poteſtate ſua habere mulierem. Quum ſe oſtentaſſet occaſio, accerſiri eam iubet. Quam ubi eſt conſpicata forma præſignem, loquendi non imperitā, prudentiæ haud prorſus expertem: χαιρέτωσαν, ἔφη, αἱ διαβολαί, σὺ γὰρ ἐν σεαυτῇ τὰ φάρμακα ἔχεις, Valeant, inquit Olympias, Intentatæ calumniæ. Tu quidem in te ipſa ueneficiorum uim habes. Cælius libro 16. capite 6. Antiq. Lectionum.

BYZANTIVS quidam, quum mœchū in uxore deformi deprehendiſſet: Miſer, inquit, quid opus erat Sapragoræ dote? Significans, feminæ tam deformi non futurum fuiſſe qui concumberet, niſi dote conductum. Nunc quum illa nacta eſſet gratis adulterum, quid opus erat Sapragoræ marito date dotem, quum eſſet qui gratis hoc faceret? Eraſmus ſexto Apophthegmatum.

PAVLVS, cognomento Simplex, uxorem ſuam cum adultero deprehendens, ne tantam iniuriam ulciſci cogeretur, domo exceſſit, & ſe monachum fecit, magnique Antonij dignus euaſit diſcipulus. Deniq; manus illas, quas à uindicanda ignominia continuerat, ad Deum porrigens, nihil petiit quod non impetrarit, maximeq; in faciendis miraculis inſignis fuit. Marulus.

AEMYLIA, Scipionis uxor, non modò diſſimulanter tulit ancillam ſuam haberi à uiro in deliciis: uerùm Scipione mortuo manumiſſam eam liberto ſuo dedit uxorem.

Fauſtina M. ANTONINI Philoſophi Imp. uxor, mulier parū integræ pudicitiæ. Dubium, neſciuerit maritus illius probra, an diſſimulauerit. Satis conſtat aliquando Caietæ nauticas & gladiatorias ſibi conditiones quæſiuiſſe. Multi etiā perſuaſum habuerunt, Commodum, qui poſt Marcum imperauit, adulterio conceptum. Quidam fabulam adiiciunt, quòd Fauſtina gladiatores quoſdam conſpicata, ut prona erat in libidinem, confeſtim in unius amorem exarſerit. Inde ægritudine affecta, quum eo grauiùs langueret, quo impenſiùs occultabat tam ſordidum amorem, languorque morbum peperiſſet, ad poſtremò uiro cauſam diligentiùs ſciſcitanti, de ſuo amore confeſſa eſt. Conſultos ferunt ab Antonino ſuper ea Chaldæos, quibus auctoribus, ad eiuſmodi affectum abolendum, iuſſa ſit Fauſtina ſublauare ſe interfecti gladiatoris ſanguine, in quo maximè laborabat, ac continuò cum marito congredi. Quo coitu nefarius ille illicitæ ueneris ſtimulus ſit extinctus, ſimulque partus in utero conceptus, atque ita acciderit, ut Fauſtina poſt maternos menſes gladiatorem ſit potiùs quàm principem enixa. Enimuerò Cōmodus, qui eo partu natus eſt, quiq; poſt patrem imperauit, gladiatorias obiit pugnas, ut Capitolinus tradidit. Fertur Marcus imperator quandoq; ab amicis monitus, ut cum Fauſtina multis probris cooperta diuortium faceret, ſi occidere nollet. Quibus ita occurrerit, Si uxorem dimittimus, & dotem reddamus neceſſe eſt, ad imperium alludens, quòd à Pio Antonino principe Fauſtinæ patre per manus acceperat. Dubium, hoc an aliud ſecutus. Ipſe, quod ſatis conſtat, adeò patienter tulit Fauſtinæ flagitia, ut eius mœchos etiam ad dignitates promouerit, & in his Tertullum, quem cum ea prandentem aliquando deprehendit. Sabellicus lib. 4. Ennead. 7.

DARIÆ, uirginis integritatem ab infidelibus ad proſtibulum tractæ, leo de cauea fugiens, atq; illi adſiſtens, tutatus eſt. Qui eam uitiandi animo adire auſi fuerant, in primo ſtatim limine ſtrati: nihilq; præterea mali intulit, ipſa uirgine ſic iubente: ut eſſent quos ad fidem pœnitentiamq; conuerteret, nō qui in erroris tenebris uitæq; nequitia perirent. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sabell. lib. 5. cap. 3.

AGNES uirgo, eū, Qui ipſam ſtuprare moliebatur, à diabolo necatum, uitæ reſtituit. Vitæ reſtitutus, Chriſtum confiteri palàm cepit. Illa ergo orante, is qui pudicitiam ipſius inquinare conatus fuerat, duo præcipua retulit bona; uitam qua adhuc in terris uiueret, & fidem qua ſupra cœlum æternitatem conſequi poſſet. Marul. lib. 3. cap. 3. & Sab. lib. 5. cap. 3.

BOTILDA, Erici II. Danorum regis uxor, quaſcunque puellas à marito adamari ſenſerat, maternæ dilectionis officiis proſequebatur, eaſq; in pediſſequas adſciſcebat. Quarum ut formam concinniorem efficeret, ſæpenumerò capitis earum cultum propriis manibus fingebat, ut quum ſua ſpecie non poterat, aliena ſaltē marito placeret: adeoq; obſequiis iniuriam penſans, hoc ipſo clariſſimum muliebris patientiæ exemplum præbuit: & ſingulari moderationis beneficio poſteritati inſignem nominis ſui memoriam commēdauit. Saxo lib. 12.

IMPVDENTIAM.

Cùm Athenienſes, qui ad Chæroneam capti erant, ſine precio dimiſſi inſuper ueſtimenta & ſtragula repoſcerent, Macedoneſq; ſtomacharentur: ridēs PHILIPPVS rex Macedoniæ uictor, Videntúrne uobis, inquit, Athenienſes, talis ſe à nobis exiſtimare uictos? Plut. in Apoph. regum.

ACCVSATIONEM, DELATIONEM, TESTIMONIVM.

M. MARCELLVS, qui primus & Hannibalem uinci & Syracuſas capi poſſe docuit, cùm in conſulatu eius Siculi de eo queſtum in urbem ueniſſent, nec ſenatum ulla de re habuit, quia collega Valerius Leuinus fortè aberat, ne ob id Siculi in querendo timidiores eſſent: & ut is rediit, ultrò de his admittendis retulit: querenteſq; de ſe, patienter ſuſtinuit. Iuſſos etiam à Leuino diſcedere, remanere, ut ſuæ defenſioni intereſſent, coëgit. Ac deinde utraq; parte perorata, etiā excedentes curia ſubſecutus eſt, quo liberiùs Senatus ſententiam ferret. Improbatis quoq; eorum querelis, ſupplices & orantes, ut ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit. Super hæc Siciliam ſortitus, eam prouinciam collegæ ceſſit. Toties laudatio Marcelli uariari poteſt, quoties nouis ipſe gradib. moderatiōe aduerſus ſocios uſus eſt. Val. l. 4. c. 1.

L. MVRENA, M. Catonem obiecto corpore ſuo, à Metelli armis Tribuni plebis in eum irati protexit, quāuis anno antè à Catone ambitus atq; largitionis accuſatus, magno in diſcrimine ſalutis uerſaretur, niſi eloquentiæ pater Cicero eū defendiſſet. Nam quanquā aliorum opera ulciſci ſe poſſe inimicum uidebat, patriæ tamen charitatem acceptarū iniuriarum dolori prætulit: hoſtemq;, quod multo glorioſius cenſetur, laborantem ſeruauit. Fulgoſus lib. 4. cap. 1.

CL. PVLCER inceſti crimine à tribus Lentulis accuſatus, unum ex his ambitus reum patrocinio ſuo protexit: atq; in animum induxit, & iudicem, & prætorem, & teſtem, Veſtæ ædem intuens, amicum Lentulo agere: intra quam ille, ſalutem eius fœdo crimine obruere cupiens, hoſtili uoce perorauerat. Valer. lib. 4 cap. 2.

Apud M. Antoniū Iudæi accuſauerant HERODEM, eiuſq; fratrem Phaſelum: quorum cauſam Meſſala defendebat, & Hircanus Herodis ſocer, Iudæorū rex. Antonius muneribus delinitus, fratres ambos Tetrarchas conſtituit, & ex eorum aduerſariis XV coniecit in uincula, occiſurus etiam, niſi interceſſiſſet Herodis deprecatio: quamuis ne ſic quidem ceſſauerūt à legatione reuerſi. Sed rurſum mille uenerunt Tyrū, Antonium ibi præſtolaturi: qui magna pecunia iam corruptus à fratribus, imperauit eius loci magiſtratui, ut in Iudæorū legatos nouatores rerū animaduerteret, & Herodi adiutor eſſet ad principatū parandū. Herodes uerò ante urbē diuerſantes in litore accedēs, hortatus eſt eos ut ſe ſubducerent: nam & Hircanus cum eis aderat: admonens quantum inſtaret periculum, ſi contendere pergerent: quod illi contempſerunt. moxq; erumpentes in eos Iudæi cum indigenis, partim trucidauerūt eos, partim ſauciauerunt: reliqui uerò domū refugientes, poſthac quieuerūt. Populo uerò clamoribus agente cōtra Herodem, cōmotus ad iram Antonius

iussit quos uinxerat interfici. Iosephus lib.14.cap.23. Antiq.

SIXTVS III. pontifex, apud Valentinianum iuniorem imperatorem, & Placidiam eius matrem à Basso patricio Rom. maximis criminibus accusatus, posteaquam innocentiam suam purgauit, multis precibus lacrymisq; egit, ne Bassus in exilium mitteretur. In quo cùm frustrà laborasset, & post aliquod tempus Bassi mortui corpus Romam deportatum esset: Sixtus non modò honoris gratia funeri & sepulturæ uoluit interesse, sed manibus quoq; suis eum tumulauit. Fulg. lib.5.cap.1. & Egnat. eodem.

DEFECTIONEM, DESERTIONEM, PRODITIONEM.

In eo bello, quod Cyrus minor frater aduersus Artaxerxē fratrem grauissimum susceperat: Arbaces priùs, dum præualere Cyrum uiribus existimaret, ab ARTAXERXE rege ad Cyrum defecerat: rursusq; Cyri accepto interitu ad regem se conuerterat. Accusatus, pœna desertionis, uidelicet capite, puniendus esse uidebatur. Sed cùm rex ipse cognosceret, religiosissimè iudicauit, hanc uariam & incertam (quæ plerisq; in bellis ciuilibus accidit) partium contentionē & mutabile studium, magis è pusillanimitate, mollitie & ignauia, dubioq; discernentis animo nasci, quàm prodere & machinari quid mala mente & dolo malo cupientis. Iussit igitur Arbacem notari duntaxat, humerisq; nudam meretriculam (quæ summa apud Persas ignominia fuit) in uia publicè tota die ferre atq; traducere. Plut. in Artaxerxe.

Erat Thebanis patrium institutum, ut quoscunq; ex aliis populis captiuos haberent, precio dimitterent: Bœotici uerò nominis exules capitis dānatos occiderent. At EPAMINONDAS, Thebanorum dux, cùm Sicyoniorum oppidum Phubiam expugnasset, in quo maxima pars erat Bœotorum exulum: notis compunctos qui comprehensi fuerant, omnes dimisit. Nam alienæ singulos patriæ nominibus, uti ei in mentem uenissent, recensuit. Pausanias in Bœoticis.

Apud Alexandrum Magnū, cùm remitteret ad mare Macedonas ualetudinarios & mutilatos, delatus fuit quidam, qui inter sonticos se, cùm non esset, retulerat. Vt hic ad conspectū eius est attractus, interrogatusq;, morbū se respōdit causatum amore Telesippæ, quæ ad mare abscedebat. Percontatus Alexander est, quicùm esset de Telesippa agendum. Quam ut liberā esse intellexit, Ergo, inquit, inducamus Antigene Telesippam, nobiscum ut maneat, quando cogere liberam, non est nostrum. Plut. in Apophtheg.

DEMETRIVS Poliorcetes, liberator Græciç, magno uictus, prælio à regibus, cum paucis fugiens, cursum in Græciam direxit, inter spes reliquas maximam reponens in Atheniensibus. Quippe classem illic pecuniamq; & coniugem Deidamiam reliquerat: nec portum arbitratus est rebus suis fideliorem Atheniensium beneuolentia. Vnde ubi properanti Atheniensiū legati ad Cycladas insulas occurrerūt, ut urbe abstineret, orantes, ꝗ sciuisset populus, ne quis ex regib. urbe acciperetur: Deidamiamq; eius uxorem Megarā honorificè & magno cū comitatu miserūt: inflāmatus ira, quāuis moderatissimè asperitatē fortunæ ferret, neq; in ea rerū inclinatione se gereret uel abiectè uel ignauiter: tamē quòd spem suam fefellissent Athenienses, & speciem illam beneuolentiæ & mirificæ adulationis, qua erga eum iampridem usi fuerant, usu uanam deprehenderet & fucatam, id fuit ei acerbum. At cùm ulcisci non ualeret, leniter cum Atheniensib. per legatos expostulauit, petiitq; ut classem sibi, in quā nauis una erat tredecim ordinum, remitterent. Qua accepta, præternauigauit in Isthmum, rebusque suis afflictis (præsidia enim eius eiiciebantur undique, cunctaq; desciscebant ad hostes) reliquit in Græcia Pyrrhum, ac cursum in Chersonnesum intendit: uastansque simul Lysimachi ditionem, præda ditabat & retinebat copias suas. Inde cùm Stratonicen Demetrij & Philæ filiam Seleucus in matrimoniū accepisset: noua affinitate paululùm respirans, ut accepit dissidentibus Atheniensibus moliri Lacharem tyrannidem: sperauit repentino incursu urbe se facilè potiturum. Itaque incurrit in Atticam, captaque Eleusine & Rhamnunte fines fœdauit: ac naue capta frumento onusta, quod importabatur Athenas, negociatorē & gubernatorē suspēdit. Vnde deterritis aliis pressa est ingenti fame urbs, pręterq; famē aliarum rerū laborabat difficultate. Salis medimnū licitabātur quadraginta drachmis, tritici modius trecentis uenundabatur. Exiguam populo Atheniensi respirationem centum quinquaginta naues præbuerunt circa Aeginam conspectæ, quas Ptolemæus ei subsidio misit. Mox cùm multas Demetrius ex Peloponneso, multas ex Cypro accepisset naues, atque cunctæ trecentas numero complessent: consciuit classis Ptolemæi fugam, ac tyrannus Lachares deserta profugit urbe. Athenienses uerò licèt sanxissent pœnam capitalem in eum, qui pacis cum Demetrio & fœderis fecisset mentionem: protinùs proximam portam patefecerunt, legatosque miserunt: non quò quicquam ab eo expectarent clementiæ, sed quia exprimebat inopia. in qua inter multa acerbitatis exempla hoc refertur accidisse: patrem & filium uno in domicilio rebus suis deploratis sedisse, cùm ex tecto mus mortuus est delapsus: illos, ut uiderunt, ambos exilisse: atque de eo inter se decertasse. Tunc etiam Epicurum philosophum eos, qui essent ex secta sua, memoriæ tradunt sustinuisse, fabasque cum iis ad numerum partitum. Eo in ciuitatis statu Demetrius urbem ingressus imperauit, ut omnes in theatrum conuenirent, sepsitque scenam armis, & pulpitum stipatoribus cinxit. Ipse tragœdorum more superioribus descendens transitibus, multò iam magis attonitis Atheniensibus, initio orationis metum eorum terminauit. Etenim uocis contentioni & uerborum amarulentiæ parcens molliter & beneuolè castigauit eos, atque in gratiam cum iis rediit. Donauit iis centum millia medimnūm tritici, magistratusque præfecit, qui maximè populo forent grati. Hîc Dromoclides orator populum aduertens præ lætitia uarias facere acclamationes, ac præconia ex suggestu certare ut superaret concionatorum, legem promulgauit: ut Demetrio regi Piræeum & Munychia traderentur. Hac perlata, collocauit Demetrius per se præsidium in Musęo quoque: ne si iterum desciuisset ab se populus, ab aliis occupationibus distineret se. Plut. in Demetrio.

Contra Tusculanos qui defecerant, Tribunum creauerant Romani Furium Camillum. At Tusculani errorem callidè auertentes, cùm esset iam in expeditione aduersus ipsos CAMILLVS, aratoribus pastoribusq; agros, ut in alta pace compleuerunt: patebant portæ, pueri in ludis operam literis dabant, ex uulgo opifices suo quisque operi intenti conspiciebantur, spectatiores in foro obuersabātur togati, magistratus sedulò circumibāt ad designandum Romanis hospitia, tanquam remoti ab omni suspicione essent mali, nec cuiusquā sibi commissi conscij. Quæ illorum pœnitentia quāuis eos apud Camillum proditionis opinione non exemerit, flexit tamen eum ad misericordiam. Itaque senatum adire iussit iis pœnam deprecatum. Deprecantibus adfuit, ut & crimine liberarentur, & ciuitatē impetrarent. Plut. in Camillo, & Val. Max. lib.7.cap.3.

Mandonius & Indibilis, Celtiberorum reguli, falsò audita P. Scipionis morte, à Rom. defecerant, post acie etiam aperta contendere ausi, uicti fuêre. Mandonius supplex ad P. SCIPIONEM uenit, culpam pro se & fratre deprecatum. Scipio, licèt uetus mos Romanorum fuisset, iis quos armis superassent, non priùs reconciliari, quàm omnia diuina & humana dedissent, obsides insuper acciperentur, adimerentur arma, præsidiaque urbibus imponerentur: tamen multis uerbis detestatus illorū perfidiā, uicturos tamen populi Romani beneficio asseruit, eisq; uelle, prçter Romanū morē, & arma relinquere, neq; obsides petere, ne si iterū deficerēt, in obsides innoxios, sed in ipsosmet sęuiēdi potestatē haberet: eorum esse, an pacatos, an iratos Romanos uelint. Pecunia tantū imperata, qua militib. subsidiū parari posset Liu. li.19.

Cùm Domitius Aenobarbus ex Antonij partibus ad Augustū transfugisset, M. ANTONIVS adeò se humanum præstitit, ut res & bona eius remiserit. Plut. in Antonio.

Rustici Gallici, intolerandis Carini Cæsaris iniuriis exacerbati, arma sumserant. Contra eos MAXIMIANVS, à Diocletiano in societatem imperij adscitus, ducto exercitu breui, quā parū arma uiresq; sine scientia rei militaris prodessent, edocui. Nā ad eos progressus, Amandum & Aelianū duces rusticorum, robore ac ferocia magis, quàm usu belli atq; armorū peritia confidentes, leuibus aliquot præliis usq; adeò afflixit, ut positis armis deditionem cōtinuò fecerint. Quos ille benignè in fidem accepit, atq; agrestib. exarmatis, ac pristino agrorum cultui redditis, otium turbatæ Galliç magna clementię laude restituit, eamq; nouis formare institutis ad pacem dignitatemq; perrexit. Itaq; Mamertinus rhetor Maximianū Herculeum Diocletiano Iouio tāquam alterū Ioui Herculē affuisse, dicere ausus est. Sigonius lib.1. Imp. occid.

Nasar, classis contra Agarenos ab Imp. BASILIO Macedone missus præfectus, quum ad Methonem hostes adoriretur, & haud pauci sociorū naualium periculū formidantes, paulatim sese subduxissēt: Imperatorē de classiariorū perfidia admonuit. Imperator desertores conquisiuit, ac reliquorū terrendorū causa simulauit, se eos suppliciis afficere. Triginta quippe de captiuis, qui in prætorio asseruabātur, Saracenis, faciē fuligine oblitos in circū produci, ibiq; flagris ignominiosè cæsos in Peloponnesum emitti, tanquā ij fugæ auctores reliquis fuissent, atq; isthic unde profugissēt interficiussit. Ergo desertorū loco in palos suffixis in Pelopōneso Saracenis, milites oēs ingens metus incessit: omniq; mollitie excussa ultrò ducē orarūt, ut se in hostes duceret. Cedrenus.

IVNIPERTVS, Ariperti Longobardorum regis filius, prælio uictum Alchuinum, qui Tridenti ducalem honorem gerebat (nam ab ipso atque ab eius patre rebellauerat) quam quam illud pater grauiter ferret, non liberauit modò, uerùm etiam ne sine principatu uiueret, pro Tridento Brixiam dedit. Fulgosus.

LVDOVICVS Pius Imp. Theodulfum episcopum Aurelianensem (cuius consilio & instinctu à Lothario filio regno pulsus, & in custodiam traditus erat) cùm aliquandiu in carcere habuisset, illæsum dimisit, unico hymno, Gloria laus & honor tibi sit rex Christe redemtor, placatus. Cranzius lib.1.cap.27. Metropol.

ARNVLPHVS, Boiorum regulus, Imperator factus, extrema Imperij membra curare neglexit. Cùm itaque potestate accepta frui quàm uti mauult, pleriq; prouinciarum præfecti ab eo deficiunt. Qua intellecta perfidia, Arnulphus Francofordiæ ad Mœnum concilium agit, ac tyrannos qui desciuerant, nisi ad præscriptam diem præstò Vuormaciæ sint, proscribit: contractisq; copiis transito Rheno in Vangionum urbem contendit. Reliquis omnibus imperium detrectantibus, solus Otho Galliæ Celticæ procurator, supplex ad Arnulphum uenit. Cuius fide Arnulphus delectatus, Frāciam Occidētalem ipsius fidei commisit: addidit & Aquitaniam, ut hanc tyranno auferret: illam aduersus Cimbros tutaretur. Auentinus lib.4.

VENETI Iaderæ septies ab imperio suo desciscenti ueniam semper tribuerunt. Eiecerant illi suos prætores non semel: Pannonas iterum atq; iterum, magnis propositis præmiis ad sese aduocarat, uario bellorū genere Venetū nomē sæpè uexarant. Ceciderat in acie fortissimè pugnās Ordelaphus Faletrus dux: steterant pro Genuensibus Ligustico bello, cū magna Illyrij parte: & tamen uenia petentibus semper data est. Sabellicus lib.6.cap.4. & Egnat. lib.5.cap.1.

IIDEM Cretæ insulæ sæpiùs rebellanti pacem semper dedêre: atq; ut in fide sanctiùs persisteret, patriciorum & plebeiorū Venetas familias coloniam eò deduxêre. Egnat. lib.5 c.1.

ALBERTVS, Alberti filius, dux Brunsuicensis, quum contumaces experiretur Brunsuicenses suos, clàm arma plurima contraxit, aliena specie. Tum per molendinariū ad portam sancti Andreæ, noctu cum exercitu ingressus (fortè nō ignorantibus maioribus, quòd infrenis populus tumultuaretur aduersus principes) oportunis locis exercitu distributo, cōuocatos ciues primùm de contumacia coarguit: inde quid fieri uellet insinuans, quum illi non refragarentur, absque cæde & præda dimisit exercitum. Sensere tum mansuetudinem principis sui, qui quum arma teneret, possetque cogere, solitis contentus obsequiis, iussit quenque suo ordine permanere. Cranzius lib.8. Saxoniæ, cap.36.

SIGISMVNDVS Hungariæ rex, procerum uinculis elapsus, Budam receperat. Ingens apud coniuratos metus, ne pœnas defectionis luerent. Contrà Sigismundus, tam se clemētem omnibus exhibuit, ut ultrò ad experiendam lenitatem suam defectores inuitaret. Qui paruerunt, uenia donati: contumacium plurimi bonis multati, in nullius tamen corpus sæuitum. Hamum uidelicet istum cruentum Rex adhuc suspensum tenebat, ut illo uastum piscem cuncta in regno uastantē faciliùs caperet. Is erat Stephanus Vayuoda Transsyluanus, non paucioribus agminibus, quàm ipse Rex, stipatus, ideoque satis à ui aperta tutus. Ad hunc inescandum & intra parietes excluso satellitio attrahendum, ars fuit adhibita. Qua succedente, caput illi in Sclauonico conuentu amputatum est, & ad tumultum sedandum corpus in plateam proiectum, ne frustrà satellites pro mortuo contenderent. Nullus posthac Hungarorum tam audax fuit, qui coniurare in regem auderet. Dubrauius lib.25.

FERDINANDVS Neapolitanus rex, fugiēte patre Alphōso ob metū aduenientis Caroli IIX. regis Gallorū, regni Neapolitani principibus quatuor, qui erant in custodia, dimissis, oppidum in ueste regia, unà cùm Federico patruo perequitauit: salutatusq; rex, cùm se ad carceris parietē contulisset, reclusis patefactisque foribus, rebelles aliquot damnatosque complures & libertati & municipio restituit: priuatas publicasque iniurias omnes remisit, pollicitusque est, se proscriptos quosque reuocaturum. Bembus libro secundo Historiæ Venetæ.

FVRTVM, SACRILEGIVM, LATROCINIVM. CLEMENTIA erga Fures, Piratas, Latrones.

SPYRIDON, unius urbium Cypri Trimethuntis episcopus, ab omni superbia alienus, pauit oues. Media nocte fures stabula aggressi, dum surripere pecudes student, inuisibili ui apud stabula uincti sunt. Cùm diluxisset, accessit ad gregem, illosq; uidens uinctos, soluit fures: multum hortatus, ut iustis laboribus, & non per iniuriam, uictum quærerent: arieteque donatos dimisit, festiuo dicto addito: Ne frustra (inquit) uigilasse uideamini. Suidas, & Simeon Metaphrastes Tomo 5. Vitarum Patrum.

S. GERMANVS episcopus iter faciens, nudum imminēte nocte uiatorem recepit. Quū simul in diuersorio quieuissent, asellum, quo Germanus ferebatur, ille subtraxit. Illucescente die furtum patratum inueniunt discipuli: patri condolēt, quòd pedibus iter facere cogeretur. Nondū tria millia passuum cùm sociis ille confecerat, quū è discipulis unus Germanum quandam è uultu lætitiam prodere intelligens, patrem hilaritatis causam rogat. At ille quum pedem omnes aliquantulum sistere imperasset, Ecce latro, clamitans, festinato gradu subtractum iumētum refert. Fur ad pedes illius prouolutus, exorat furti ueniam, & impunitatem: dum facinus profitetur, se tota nocte irretitum fuisse asseruit, neque quoquam progredi potuisse, nisi quà ad reddendum iumētum pateret iter. Cui Germanus, uultu renidente, animoq; placato, Si hesterna (inquit) die tibi nudo togulā dedissem, ne furandi quidem te necessitas incessisset. & exuta mox togula: Accipe, inquit, quod deest, redde quod nostrum est. Sic confessorem criminis resipiscentem, non modò uenia, sed præmio quoque & benedictione dignum censuit. Bonfinius lib.4. Decad.1.

Clodoueo rege aduersus Gothos arma mouente, quidam ex militibus prædæ cupiditate MAXENTII abbatis Pictauiēsis monasterium inuaserunt: & cùm unus abbatem, sacrilegio ut poterat renitentem, ferire uellet, manum cum gladio sublatam demittere nequiuit: reliqui nescio qua stupiditate mentis correpti, immobiles constitére. At Maxentius immanitatis uiolentiæq; eorum oblitus, pœnam misereri cepit, & precatione liberos ab ægritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi iniuriam & timuerunt castigati, & erubuerunt beneficio uicti. Marulus lib.3.cap.3.

AMOS Aegyptius dum in eremo manēti panem, quo in diem uesci solebat, furto subtraherēt homines impurissimi, duas serpentes cellæ custodiæ apposuit, quarum afflatu illi, cùm furādi animo propiùs accessissent, semineces cōcidêre. Eos tamen superueniens Christi seruus manu quenq; prehensans erexit, & criminis blandè arguens, ad pœnitentiam inflammauit: atque ita amplexus est, ut ex furibus monachos faceret. Ibidem.

Fundensis monasterij præpositus LIBERTINVS, iter faciēs, fortè incidit in quosdam equites Gothos. Cumque equum sibi abstulissent, etiam flagellum eis porrexit. Tollite & hoc, inquiens, quod uobis ad agendum iumentum usui erit. Illi abeuntes, cùm ad Vulturnum peruenissent, nulla ui equos, ut fluminis uada intrarent, cogere potuerunt. Memores igitur iniuriæ Dei seruo illatæ, regressi sunt, ut equum suum ei restituerent. Sed cùm ipse omnino abnueret recipere, ac diceret, eo sibi opus non esse: inuitum superimposuére, & protinus abeuntes, recto cursu fluuium pertransierunt. Marulus libro 5. capite 3.

Eiusdem monasterij MONACHVS, cui excolendi horti cura erat, cernens in eo olera partim pedibus conculcata, partim sublata furto, & reperto aditu, quo fur ingredi consueuerat: serpenti præcepit, ut illum custodiret, nec inde nisi iussus discederet. Fur reuersus cùm serpentem conspexisset, prę timore pede uepribus implicato pronus pependit, donec ab olitore superueniente expeditus fuit, & admonitus, ne ultrà furto tolleret, quod ipse petenti gratuitò concessurus esset. Non olerum damno monachus angebatur, sed furantis peccato. ex Gregorij lib.1. Dialog. Marulus lib.3. cap.3. & libro 5. capite 3.

ISAACVS apud Spoletanam urbem solitarius, per spiritum præsciens fures ad hortum suum uēturos, sarcula & rastros ibi apposuit: atq; illi cùm noctu hortum ingressi fuissent, instrumētis protinus arreptis usq; mane nihil aliud agere potuerunt, quàm terram uertere, & herbas infructuosas conuellere, donec Isaac adueniens eis prandium attulit pro opera. Insuper exhortans, ut à furto abstinerent: semper enim quicquid eis opus esset, se libenter indulturum. & tunc quoque omnis generis oleribus ornatos amicè dimisit. Marulus libro 5. capite 3.

In Valeriæ Prouinciæ partibus, cuiusdam monasterij greges in proximo stabulabantur. Fur noctu ueruece sublato, cùm rediret, quia per cœmiterium transitus erat, super sepulcrū, ubi illis diebus sanctus quidam sacerdos conditus fuerat, fixis uestigiis hæsit, & neq; progredi, neque regredi potuit, nec prædam, quam tenebat, dimittere, donec facto iam die à MONACHIS deprehensus, peccatum confitens ueniam poposcit, illisq; orantibus, dimisso ueruece abeundi facultatem impetrauit. Ibidem.

STEPHANVS, Reatinus pater, cùm ex agello (quem unicum habebat) messem ad aream congessisset, & quidam ipsam incendisset: accurrenti discipulo ac succlamanti, Væ uæ pater Stephane, quid tibi accidit? Immò uæ illi, inquit, fili, per quem accidit: nam mihi nihil accidit mali. Nihil malum esse arbitrabatur præter peccatum. Itaq; illi qui damnum intulerat, indoluit, non sibi qui passus fuerat: cùm tamen nihil aliud ad uictū ei superesset, nisi quòd à Domino nunquā se

desertum iri consideret. Marul.lib.5.cap.3.& Sab.lib.5.cap.7.

MEDARDVS presbyter Torniaci Galliæ oppidi (qui pòst Nouiensis, hinc Torniacensis episcopus fuit) furem uuas collectas exportare frustra conatum, cùm deprehendisset, absoluit, dimisitq; illæsum. Alium mella ex aluecariis suppilantē, sed apū aculeis ita affectū, ut inde se mouere non posset: recepto furto pœna liberauit. Quidā etiā milites, qui uicum eius Solenniacū deprædauerant, loco pedē efferre, nisi præda omni reddita, non ualuerunt. Suarij item illius porcorū gregem procul abigere molientes, cùm nocte tota iter fecissent, mane ibidem, unde recesserant, inuenti sunt, & ipse peccatum confitentibus ignouit. Marul.lib.5.cap.3.

ODDO Cluniacensis cœnobij pater, ei qui equū suum noctu abegerat, & in eo sedens cōprehensus fuerat: cùm nec desilire interim, nec discedere quiuisset, ueniā petenti indulsit, atque insuper numos quinq; dari iussit: gaudēs utiq;, nō quia equum recepisset, sed quòd equi raptorem ad pœnitentiam conuersum cernebat, & iam ab eo Deum timeri, qui priùs contemnere consuesset. Marul.lib.3.cap.3.& lib.5.cap.3.

Diuus HIERONYMVS, illos qui asellum monasterij furtim abduxerant, & inuiti rursum restituerant, cùm ueniam rogatum aduenissent, conuiuio excepit: & admonitos, ut suis rebus contenti aliena non appeterent, multa cum benedictione dimisit. Atque illi, quòd ab eo quem læserant, tam benignè accepti fuissent, quotannis monasterio eius non paruam olei copiam missitarunt, ut iam non solùm alieni auidi non essent, sed etiam sua largirentur. Marulus lib.5.capite 3.& Sab.lib 5.cap.7.

ARBACES, Mediæ præfectus, post Sardanapali Assyriorum regis interitum, uictoriam adeptus, quum bellorum sociis sua cuiq; redderet præmia, Belesum Magū, cuius instinctu fuerat omnia consecutus, Babylonis præfectum declarauit. Is post captam Nini urbē ab regis eunucho doctus, ubi uis auri ingens lateret, quæ Sardanapali fuerat, occultè id refossum, ut solus possideret, ab Arbace petiit, ut Sardanapali cineres Babylonē liceret secum deferre: uouisse se medio belli tempore, quum fortuna adhuc anceps esset, ut si quando Assyriorum regia capta esset & incensa, se illius cineres Babylonē translaturū, ibiq; monumentum regni Assyriorū ab Arbace se adiutore excisi posteris traditurū. Nec id gratatè est impetratū. Nam præterquā quod Beleso nihil ob recentem meritorum memoriam negare esset ausus, nulla suspicio inciderat, ut regia combusta, ex uetere regū gaza quicquā superesset. Paratis igitur nauibus, ut fluuio cineres subueherentur, auroq; in eas occultè imposito, res certo ad Arbacem indicio delata est. Qua fraude comperta, iudices ex principibus castrorum Beleso dedit, qui peculatus iudicarent. Iudices eum furti conuictum, capitali supplicio damnarunt. Sed tantum abfuit, ut Arbaces illi quicquam mali fecerit, ut capitali pœna remissa, regium etiam aurum cum decreto antea honore habere iusserit, Babylonemque lætum dimiserit: pro concione fassus, maiora esse Belesi erga se merita, quàm ut pro tam parua offensa illi irasci debuerit. Conciliauit ea res Arbaci non solùm clementiæ famam, sed in noua adhuc administratione liberalitatis opinionē, qua neq; utilior uirtus, neq; decentior in summo principe esse potest. Sabellicus lib.2.En.2.ex Diodoro. Alij cineres ipsos auri fuisse reliquias aiunt, non autem aurum in cineribus occultatum: eaque propter Belesum chymistā non uulgarem fuisse arbitrantur.

CN. POMPEIVS piratico bello confecto, captos ex deditione prædones ad Coracesion Ciliciæ plus uiginti millia neque interficere statuit, neq; ut dissiparentur, aut coirent de integro inopes & bellatores multi, sinere existimauit securū. Reputans autem hominē natura neq; nasci neq; esse indomitum animal uel ferum: sed efferari si uitiis se præter naturam dederit: consuetudine uerò locorumq; & uitæ commutationibus cicurari, uel belluas uictus usu mitioris feritatem & sæuitiam deponere: deliberauit illos à mari in continentem transferre, & uita tingere humaniore, assuescētes urbes & agros colere. Hos ergo partim exigua & minùs frequentia Ciliciæ oppida acceperunt, atque in corpus suum contribuerūt, agro aucta. Soliorum urbem nuper ab Armeniorum rege Tigrane desolatam instaurans, complures ibi collocauit. Multis etiam sedes dedit Dymæ in Achaia, quæ id temporis orba ciuibus erat, agrumque possidebat latum & opimum. Plut. in Pompeio.

CLAVDIVS Cæsar conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Suetonius.

Quidam uxori GALIENI Imp. gemmas uitreas pro ueris uē diderat. Re comperta, mulier flagitauit uindictam. Cæsar iussit hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Dein è cauea, dum impostor & populus expectat terribilem leonem, prosiliit capus. Cunctis rē tam ridiculā mirantibus, per preconē dici iussit: Imposturā fecit, & passus est. Trebel. Pollio.

Simile quiddam de rege Gallorum FRANCISCO I. narratur, qui gemmas uitreas principibus feminis uenditantem, propter scitum mendacium, quo insaniam muliebrem deluserat, solius capitis rasura dehonestatum, per forum circum duci ut nobilem impostorem iussit.

Gestare in digitis anulos ingentis precij ALPHONSVS senior Siciliæ rex consueuerat, & loturus seruandos proximo cuiuis dare. Cuidā igitur semel cùm anulos tradidisset, qui oblitum regem arbitrabatur, & propterea in usum suū conuerterat: Alphonsus rem dissimulauit, atq; pro eis alios induit anulos, consuetumq; morem seruauit. Itaq; post aliquot dies loturo Alphonso, cùm idem astaret, qui primos habuerat, & non restituerat: manum porrexit, tāquam ātea ge anulos, ut olim egerat, accepturus. Alphonsus autem retracta ad se manu in aurem, submissa uoce ei dixit: Hos obseruandos tibi anulos dabo, si priùs alios, quos dedi, restitueris. Fulgosus, & Egnatius lib.4.cap.8.

CAROLVS V. Imp. rari artificij horologium habebat, quod in frequenti turba aulicorum à quodam surreptum fuit. Verùm horologium ipsum suo tinnitu furem prodidit. Is cùm ad Cæsaris pedes metu exanimatus procidisset, τῷ ἐλέγχῳ delectatus Imperator, incolumem dimisit: hoc tantùm monens, cogitaret in posterum, Timorem Speloncæ uehementiorem esse affectum. De eo sic M. Ant. Callimachus in X. Epigrammatum:

κλέμμ' ὅπερ ἦν χρυσοῖον κλέπτην φανέρωσεν ἀέλπτως,
ἔμβαλε καὶ θανάτῳ τῷ δὲ τρέοντι φόβον.
καῖσαρ δ' αὐτίκ' γελάσας μὲν φώσαντο κλέπτην,
κλέμματ' ἀφεὶς ἀδεῶς τοῦδ' ἐκέλευσεν ἔχειν.

INGRATITVDINEM.

TIMOLEONTEM Siculorum libertatis uindicem & patronum duo concionatores adorti sunt Laphystius & Demænetus. Quorum Laphystio sponsores ab eo in causa quadā exigente non permisit tumultum ciues mouere, uel illum interpellare: ideo enim se tantos labores & pericula docuit ultrò suscepisse, ut quiuis ciuis Syracusanus iure ualeret legibus. Cùm uerò Demænetus multis dictis acta eius lacerasset in concione, nihil respondit ei: tantùm ait, gratias se debere diis, quos precatus esset, ut Syracusanos uidere posset liberè loquendi ius assecutos. Probus & Plut. in Timoleōte.

DION cùm Syracusanos à Dionysij tyrannide liberasset, falsa suspicione notatus, quasi tyrānidem affectaret, cum mercenariis suis urbe exire à seditioso populo coactus, ad Leōtinos abiit. Syracusani eos persecuti, cùm multos è suis amisissent, se retraxerunt. Dion missis ad se qui defunctorū corpora ad sepulturam peterent, benignè indulsit, captiuosq; multos citra redemptionem liberos dimisit. Multi etiam ex prælio, cùm in fuga interfici potuissent, quia tamen uerbis ostentabant se esse Dionis partium, seruati sunt. Mox uerò cùm Nypsij Neapolitani opera urbs denuò capta esset, Syracusani animaduertentes unicam salutis spem in Dione esse, miserunt equites aliquot in Leontinos ad eum, orantes, ne in seruitutem redactam patriam uellet destituere. Dion, ut qui animi magnitudine & ex philosophiç studiis sedatū sensum haberet, nihil indignationis in ciues suos retinuit: sed repētè milites suos adhortatus, duxit Syracusas, & hostes in præda occupatos profligauit. Populus ut gratitudinem suā in Dionem ostēderet, eum imperatorem delegit, decreuitq; ei honores diuinos. Ille tunc, ut eodem tenore ubiq; se magnanimum ostenderet, eis qui inimico animo in se deliquerant, clementer ueniam dedit, populumq; uniuersum ad concordiam seruandam exhortatus est. Diod.lib.16.

PHILIPPVS Amyntæ, in certamine Olympico cùm probra in eum iacerentur, ac dicerent quidam, piacula à Græcis; qui Philippo pro beneficiis maledicta redderent, exigenda: Quid ergo, inquit, si fuerint à nobis uiolati, agent? Plutarchus de Non irascendo.

PAVSANIAS Cleombroti F. exhortantibus eùm exulibus, ut moueret in Athenienses, atq; adferētibus, cùm uoce preconis Olympiis pronunciaretur, consectatos sibilis ipsum solos Athenienses: Quid igitur censetis, inquit, qui ubi benè meritus sum de ipsis, sibilis me consciderūt, facturos malè merenti? Plut. in Apophtheg.

PERFIDIAM HOSTILEM.

XERXES Sperthium Aneristi, & Bulidem Nicolai F. legatos Spartanorum ad se missos, ut pœnam luerent pro Darij legatis à Spartanis interfectis, incolumes domum remisit. Herodotus libro 7.

CLE.

CLEMENTIA. LENITAS RESPECTV EFFICIENTIS, QVI EXERCET. NEMPE

QVIS, QVALIS. RESPECTU habito

DIGNITATIS. HVC CLEMENTES

Pontifices.

GREGORIVM Magnū pontificem ne summa quidem dignitas ad iniuriæ impatientiā cōpulit. Mauricio enim Augusto filiisq; eius se persequentibus dicitur scripsisse, Quoniā ego peccator sum, uos tanto magis (ut opinor) Deum uobis cōciliatis, quanto magis me illi ignauiter seruientem affligitis. Marul.lib.5.cap.2.

LEO X. Pont.Max. in uindicandis publicis priuatisq; iniuriis existimabat, uti ipse consueuisset, utendum esse temperamento, ut neq; ex nimia seueritate odium, neq; ex ipsa clemētia existimationis iactura pararetur. Damnabat illam diræ immanitatis uocē, Oderint, dū metuāt. Iouius in eius uita l.4.

PRINCIPES, REGES.

Vide Titulum, Principes boni, uniuersim.

ARISTODEMVS, Aristocratis filius, Cumarum in Italia tyrannus, Mollis dictus à ciuibus: siue quòd in pueritia fuisset effeminatus, & muliebria passus: siue quòd miti ingenio, & tardus ad iram esset. Suidas.

C. IVLIVS Cæsar in ulciscendo natura lenissimus: piratas, à quib. captus est, quum in deditionem redegisset, quoniā suffixurum se cruci antè iurauerat, iugulari priùs iussit, deinde suffigi. Cornelio Phagitæ, cuius quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne perduceretur ad Syllam, uix præmio dato euaserat, nunquā nocere sustinuit. Philemonem à manu seruum, qui necē suam per uenenum inimicis promiserat, non grauiùs quàm simplici morte puniit. In P. Clodium Pompeiæ uxoris suæ adulterum, atq; eadē de causa pollutarum ceremoniarum reum, testis citatus, negauit se quicquā comperisse: quamuis & mater Aurelia, & soror Iulia, apud eosdem iudices, omnia ex fide retulissent. Interrogatusque, Cur igitur repudiasset uxorem? Quoniā, inquit, meos tam suspicione, quā crimine iudico carere oportere. Si qua aut cogitarentur grauiùs aduersus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm uindicare. Itaq; & detectas cōiurationes, conuentusq; nocturnos, nō ultrà arguit, quàm ut edicto ostenderet esse sibi notas: & acerbè loquentib. satis habuit pro concione denunciare, ne perseuerarent. Suetonius. Eapropter Senatus Rom. Clementiæ ædem non immeritò ad honorandum lenitatem Cæsaris decreuit. Quippe hostib. suis multis salutem dedit, nonnullis honores quoq; & magistratus, uelut Bruto & Cassio addidit: quorum erat uterq; prætor. Statuas deiectas Pompeii non permisit iacere, sed reposuit. Quamobrem Cicero ait: Cæsar, dum Pompeij statuas erigit, suas stabilit. Plut. in Cæsare. Simultates contra nōnullos tam graues excepit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmij, cuius asperrimis orationibus, non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione Consulatus fuit. C. Caluo post famosa epigrāmata de reconciliatione per amicos agenti, ultrò ac prior scripsit. Valerium Catullum, à quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ: hospitioq; patris eius, sicut consueuerat, uti perseuerauit. In ignem cōiecit literas & libellos aduersum se scriptos, minimeq; à se lectos. Maluitq; ignorare maleuolentiam, atq; aduersum se sentientium nomina, quàm habere certam illis causam irascendi. A Cicerone multis conuitiis lacessitus, adeò non curauit, ut ne respōderit quidem. Quippe natura erat mitis, nec admodum iracundus. Clodium tamen in ipsum concitauit, ac per eum, ut Roma exularet, fecit. Actio poetæ non succensuit, quòd sibi non assurrexisset. Auli Cecinnæ criminosissimo libro, & Pitholai carminibus maledicentissimis, laceratā existimationem suam ciuili animo tulit. Suetonius, Dion Nic.

TITVS Vespasianus Imp. Pontificatum maximū ideo se professus accipere, ut puras seruaret manus, fidē præstitit: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum ulciscendi causa non deesset, sed periturum se potiùs, quàm perditurum adiurans. Duos patricij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil ampliùs, quàm ut desisterent, monuit, dicens Principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributum. Et confestim quidē ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nunciarēt. Cæterùm ipsos non solùm familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi arma pugnantium inspicienda porrexit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed penè ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit: sed ut à primo imperii die, consortem, successoremque testari perseuerauit: nonnunquam secretò lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo uellet esse. Sueton.

M. ANTONINVS Pius Imp. semper amauit pacem, eousque, ut Scipionis sententiam frequentarit, qua ille dicebat, Malle se unum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Capitolinus. Eiusdem animi fuit M. ANTONINVS Philosophus, quo à philosophia instructior, eo laude dignus maiore, sed admiratione minore.

NERVA Imp. inito imperio, initio principatus, mox clementiæ ac liberalitatis dedit indicia. Reos enim maiestatis absoluit, exules in patriam reduxit: ac omnes, qui metu diffugerant, reuocauit. Cuspinianus.

THEODOSIVS iunior, sic patientia ac clementia præstabat cæteris hominibus, ut ratione uiuere apertissimè à cunctis prædicaretur. Quum olim à quodam interrogaretur, Cur se lædentes non morte condemnaret? Vtinam, inquit, mortuis uitam dare possem. Paucos morti adiudicauit, & mox mutato consilio, priusquam ad supplicium ducerentur, reuocauit, ob insignem clementiam. Cuspinianus.

IDEM Ardaburij opera Persis deuictis (contra quos bellum susceperat religionis nomine, propter persecutionem erga Christianos) licèt in manibus uictoriam haberet, tamen ne tantum sanguinis funderetur, oratores ad Persarum regem misit pro fœdere percutiendo. Ille legatos tamdiu secum detinuit, quoad nouo exercitu decem millium armatorum (quos Immortales ipsi uocant) instructo, Romanos nil tale sperantes adoriretur. Sed consilio ducis Procopij, hostium insidiæ patefactæ, irritæ fuerunt, & pax subsequuta est. Cuspinianus.

ALEXIVS Angelus, Byzantinus Imper. neque oculos effodit, nec membra mutilauit, neque carnificina hominum delectatus est: neque ulla matrona, quamdiu imperauit, ob maritum interfectum pullam uestem induit: neque quisquam contumeliis ab eo affectus fortunas suas deplorauit. Nicetas libro tertio.

ALPHONSVS, rex Neapolitanorum, admirabili dissimulatione præteriit quorundam oblatrationes, ac maledicta. Quinetiam illatas iniurias uindicare cùm posset, obliuisci maluit. Pontanus lib.2.cap.10.de Fortitud. domestica.

HENRICVS VI. Anglorum rex, iam inde à puero contemtor rerum omnium, quæ animos mortalium labefactare solēt: iniuriarum, quibus identidem affectus est (bis enim in uincula ab Edouardo IIII. regni inuasore coniectus est) sic patiens, ut non uindictam appeteret, sed ob illud ipsum Deo opt. max. gratias ageret, quòd per id sua delicta dilui putaret. Polydorus.

SOCIETATIS, EIVSQVE VEL

Politicæ. Clementes

Magistratus.

Vide paulo pòst, Erga subditos.

Subditi.

Huc confer Titulos, Fidei erga magistratum. item, Amoris erga principes. quatenus exempla iræ contra principes conceptæ, sed ob fidem uel amorem cohibitæ & repressæ, continent.

Oeconomicæ.

In genere.

Fuit T. POMPONIVS Atticus tanta erga domesticos facilitate, ut iurauerit se cum matre nonagenaria nunquam in gratiam rediisse, cum sorore pariter nullam gessisse simultatem. Rauisius.

Coniuges clementes.

BLANCA, mater Lud. Viuis, quum in coniugio sedecim egisset annos, nūquam uisa est rixari cum marito, aut in contrarium uoluntatis illius tendere. Eadem illis erat omnino mens, & affectus simillimi. Ludo. Viues de Christiana femina, libro secundo.

OFFICII. CLEMENTES

Duces bellici.

Exempla pete ex Tit. Stratagematum, Beneuolos reddere milites. item, A proditione cohibere. quatenus clementia illorum animi sanantur. Item ex Tit. Clementiæ erga Defectores & Ignauos.

T. QVINTIVM Flaminium animo fuisse feruido ferunt, & ad

irasci

iram & beneficentiam: uerùm non æquè, ſed in puniendo facilem nec pertinacem, contrà in benefaciendo conſtantem, atque eorũ, apud quos beneficia collocauerat, amicũ & cupidum, non aliter ac ſi bene de ſe meriti eſſent, ut res cariſſimas amplexum eſſe meritis ſuis obſtrictos. Plutarchus in Quintio.

Q. SERTORIVS placidi uir ingenij habit⁹ apud multos eſt, & quietis cupidus, inuituſq; ex cauſis munera imperatoria uſurpaſſe. Cùm uerò obtinere non ualeret ſecuritatem, ſed ab inimicis ad arma cogeretur, ſtatione neceſſaria corpus ſepſit è bello. Plut. in Sertorio.

ALPHONSVS Albuquercius, Indiæ prætor bellicoſiſs. iniurias ſibi illatas animo maximo ferebat. Iracundia interdum efferebatur, ita tamen, ut in medio iracundiæ ardore dictũ iáceret (erat enim acutiſſimus) quo omnes, qui uultũ illius extimeſcebant, à nimia conturbatione ad hilaritatem & riſum ſæpè traduceret. Oſorius lib. 10. rerum Em.

Iudices.

PHOCION Atheniẽſis, cùm ius dicebat, ſemper abſoluebat. Tam clemens & benignus erat. Suidas.

AVGVSTVS Cæſar dixit ius non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate. Siquidem manifeſti parricidij reum, ne culeo inſueretur, quòd non niſi confeſſi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogaſſe: Certè patrem tuum non occidiſti? Et cùm de falſo teſtamento ageretur, omneſq; ſignatores lege Cornelia tenerentur: non tantùm duas tabellas, damnatoriam & abſolutoriam, ſimul cognoſcentibus dedit: ſed tertiam quoque, qua ignoſceretur iis, quos fraude ad ſignandum, uel errore inductos conſtitiſſet. Cùm Cornelium quẽdam de uita uxoris accuſandum curaſſet, iſque in ſenatu reſpondiſſet, Se de uoluntate & conſilio Cæſaris eam duxiſſe: ira uehemẽter incitatus, nihil acriter, nihilq; fecit acerbè, ſed ſtatim exiluit è ſenatu, ac paulo pòſt reuerſus eſt. Dion Nicæus & Suetonius.

QVO CONSILIO, QVA OCCASIONE, RESPECTV ſcilicet

SVIIPSIVS, NEMPE CAVSA SVÆ

Liberalitatis oſtendendæ.

Vide Titulum, Lytrum remiſſum.

Religionis exercendæ.

Themiſtocles teſtularum exilio multatus, etiam ab inimiciſſimo Moloſſorum rege ADMETO, cuius adierat larem, religioſè ſeruatus eſt. Quoniam ſupplicationem hoc genus tũ grauem, tum haud contemnendam arbitrabantur Moloſſi, & ἀναντίρρητον, id eſt, cui nequeat contradici. Cælius lib. 15. capite 18. Antiq. Lect. ex Plut.

Amicitiæ declarandæ.

M. Brutum, quamuis Pompeii partes ſecutum, ferunt C. IVL. Cæſari magnæ curæ fuiſſe, ducibuſque ſuis præcepiſſe in pugna Pharſalica, ne interficerent Brutum, ſed parcerent ei: quem ſi ultrò ſe dederet, deducerent ad ipſum: ſin repugnaret inſtantibus, mitterent eum, neq; uim adferrent. Hæc memorant illum in Bruti matris feciſſe Seruiliæ gratiam. Nam adoleſcens adhuc, ut perhibetur, cum Seruilia, quæ amore eius deperibat, conſuetudinem Cæſar habuit. Quia uerò, qua tempeſtate flagrantiſſimus erat eorum amor, genitus Brutus fuit: credebat eum ex ſe natum. Secũdùm aciẽ Pharſalicam cùm Pompeius refugiſſet ad mare, dum caſtra oppugnantur, Brutus clàm porta elapſus in locum coniecit ſe paluſtrem aquoſumque & calamo conſitum. Hinc digreſſus euaſit noctu Lariſſam. Inde ſcripſit ad Cæſarem. Cuius incolumitate Cęſar lętus iuſſit eum ad ſe uenire. Nec ſolùm ignouit ei, uerùm etiam inter præcipuos amicos ſuos habuit eum in honore. Galliæ Ciſalpinæ eum præfecit: præturam conceſſit: Caſſio repulſo, ad eius nutum quibuſcunq; pro quibus interceſſiſſet ignouit. Aliis etiam in rebus conſors fuit, quantũ uoluit, Cæſaris potentiæ, quandoquidem ſi uoluiſſet, principi ei eſſe amicorum, & pollere plurimum licuiſſet. Verùm ſodalitas eum Caſſij traxit & deflexit, ut cõtra Cæſarem de ſe optimè meritũ cõſpiraret. Plut. in Bruto.

AVGVSTVS Cæſar, Alexandrinis urbe capta extrema timentibus, conſcendit tribunal, Alexandrinoq; ſibi adiuncto Ario, parcere retulit ſe urbi primùm ob eius amplitudinem & ſpeciem, deinde Alexandri cauſa conditoris, tertiò amici Arij gratia. Plut. in Apoph.

ALTERIVS, OB ILLIVS

Simplicitatem.

Bello quod Maximilianus cum Sueuis contra Heluetios geſſit, HELVETII uictis ad lacum Podamicum hoſtibus, in pago Harda, Sueuum, qui ſe ſub tecto paſtoralis caſæ abdiderat, hominem ſimplicem repertum protraxére. Is uitæ metuens, ſupplex in hæc uerba prorupit: Optimi & fortiſſimi Bucephali (Lieben frummen Kümeuler) uitam mihi date. Sic nobis Deus uictoriam de ueſtris largiatur hoſtibus. Heluetij inſolentiam ſupplicationis admirati, cum quòd in ipſo mortis periculo conuitiis nõ abſtineret, acerbè increpant. At ille ſanctè iurauit, ſibi non liquere alio nomine appellentur néne: neque enim in caſtris aliter unquam nominatos fuiſſe quàm Bucephalos uel Damaloſtomos: ſic enim ludibrij cauſa Heluetios uocabant, propterea quòd armentiſſerè uitam ſuſtentent. Itaque ſimplicitate & innocentia hominis perſpecta, incolumem dimiſerunt, ſeriò monentes, ſuę & ſocijs ſuis indicaret, ſe propria ignauia proditum, Bucephalorum fide & humanitate ſeruatum eſſe. Stumpfius libro 10. Heluetiæ.

Fortitudinem.

Triginta Sogdianorum nobiliſſimi ad ALEXANDRI Macedonis conſpectum adducti, quum ad ſupplicium trahi iperaſſet, ubi quid mandaretur per interpretem didiciſſent, continuò lætum carmen more gentis canere occœperunt, ac tripudio quodam gaudium teſtari. Miratus hominum conſtantiam Alexander, ſciſcitatus eſt, Quid eſſet, quòd paulo pòſt morituri lætarentur? reſpondiſſe dicuntur, Nihil ſibi in morte optatius contingere potuiſſe, quàm ut iuſſu inuicti regis extinguerentur. Honeſtiſſimam ſe mortem illam arbitrari, quam patrio more cantu & lætitia celebrarent. Tum rex rogari iuſſit, An ſuo beneficio ſeruati, ſibi non inimici uicturi eſſent? Illi ſe nunquam inimicos cuiquam fuiſſe retuli ſunt, ſed illatam propulſare uoluiſſe iniuriã: at ſi uita donaretur, beneficio cum eo, ut antea armis, certaturos. Quærenti regi, Quo pignore fidem apud ſe obligaturi eſſent? Vitam quam acciperent, pignori futuram reſponderunt, reddituros ſe illam quoties repeteretur. Tali uirorum indole delectatus Macedo, incolumes domũ dimiſit. Sab. lib. 6. En. 4.

Comes Douglas Scotus coniunxerat ſe Henrico Perſe principi coniuratorũ contra HENRICVM IV. Anglorũ regem, pactione Beruicij partiſq; Northumbrię maioris, ſi uictoria pulſo rege potirentur. Is in prælio cùm tres habitu regio indutos (ne rex uerus cognoſci poſſet) occidiſſet, quartum inſuper uidens, Mirum, inquit, unde tot reges in auxilium uenire potuerint. Captus, ob inſignem uirtutem ab Henrico rege ſolus ſeruatus eſt, Heraldorũ iudicio inter præcipuos Albionis uiros numeratus. H. Boethius libro 16.

Vindictam iuſtam.

Accuſata Ruſticiana, nobilis mulier, uxor quondam Boetij, quòd ſtatuas Theoderici regis Gothorum ſubuertiſſet: TOTILAS rex, ubi audiuit iuſto dolore (ob occiſos patrem & maritum innocentes uiros) percitam id peregiſſe eam abſoluit. Cranzius lib. 3. Sueciæ, cap. 13.

Veritatem, Integritatem.

CN. Pompeio Magno, ſupplicia exacturo à Mamertinis ob eorum defectionem, iniquè facturum ait Sthenon, ſiue Sthenius, ſi unius culpa auctoris complures inſontes necaturus eſſet. Se namque eſſe eum, qui permotis amicis & ui ſubactis inimicis ad defectionẽ pertraxiſſet ciuitatem. Quæ ita Pompeij animum mouerunt, ut & ciuitatem crimine liberaret, & cum Sthenone ageret clementer. Plutarchus in præceptis Politicis, & in Apophthegmatibus.

Humilitatem, Preces, Supplicationem.

GELO Syracuſanus Carthaginenſium uires in Sicilia itaattriuerat, ut illud unicè metueret, ne uictoriam perſequens cum claſſe in Africam tranſmitteret. Cùm eorum legati ueniſſent, orarentq; multis cum lacrymis, uti iniuriæ ignoſceret, ac meminiſſe uellet rerum humanarum: pacem ea conditione conceſſit, ut pecuniam eo bello inſumtam Siculis reſtituerent, ad duo millia argenti talenta: duas inſuper naues ſibi inſtructas mitterent, quas in pacis compoſitæ teſtimonium & certum pignus fœderum ſtatui æquum eſſet. Carthaginenſes ſalute rerum ſuarũ in tanta hoſtis uictoria præter ſpem impetrata, nihil de poſtulata pecunia detrectarunt. Inſuper coronam auream C. talentis Damaratæ Gelonis coniugi adiecerunt: ut quæ ab illis orata, magno ad pacem impetrandam patrocinio fuerat. Diodorus lib. 11.

AVGVSTVS ingenti prælio nauali Sex. Pompeium ſuperauerat. Lepidus & ipſe Triumuirorum unus, copiis auctus, ad totam Siciliam occupandam animo adiecto, miſit præſidia circa urbes, quas ipſe receperat, quibus imperauit, ut ſi qui ab Octauio ad ſe uenirent, mœnibus excluderent: quinetiã magna ſuorum manu in Octauium impetum fecit. Sed cum ſuis fugatus, nec multo pòſt ab omnib. ferè deſtitutus, mutato habitu ad Octauium ſupplex uenit. Cui ille ueniẽti aſſurrexit, uolentemq; ad genua procumbere prohibuit, mittamẽ eũ ita, ut erat, priuato habitu Romam, tantùm ponſit tificia dignitate illi conceſſa, quam poſt Cæſarem Dictatorem obtinuerat: nec quum poſtea populus eam transferret, uiuo adimere ſuſtinuit, præſtititq; illũ perpetuò incolumẽ, etſi multi ad illius cædem hortarentur. Sab. lib. 9. Enn. 6.

GILLECHRISTVS Anguſianus, dux fortiſs. de rege Scotorum Galielmo optimè meritus, uxorẽ ſuam regis ſororem ob adulterij ſuſpicionem ex caſtello priùs eiectam, inde in Manis (uico id nomen eſt plus minus mille paſſibus ab Alcſto) laqueo ſuſpendit. Rex bonis eum omnibus exutum, hoſtem declarauit: caſtellum quoq; eius funditùs deleuit, ut uix ullum eius appareret ueſtigium. Lege inde lata ab utroque rege Anglorũ & Scotorũ, ut quicunq; alterutri uel hoſtis uel exul eſſet, utriuſq; prohiberetur agro: Gillechriſtus cùm latere in Anglia diutiùs non poſſet, intolerandis aliòqui etiam ab Anglis contumeliis affectus, quum nullus exilio locus ſupereſſet, in Scotiam rurſum abiit: ibiq; aliquandiu cum duobus filiis, in ſyluis & antris ætatem egit miſerabilem. Accidit ut rex ad Bertham iter faciens, Gillechriſtum cum duobus filiis ceſpites è terra ligonibus effodientes, ac manu uictum pauperẽ quæritantes, de uia cõſpiceret: quos cùm ob mutatum ueſtitum nondum agnoſceret, miraretúrque corporis habitum, ei fortunæ minimè reſpondentẽ: ibi tum ſenex occurrit nudato ſupplex cano capite cum duob. filiis, atq; aduolutus regis pedibus ueniã deprecare cepit. Rex recordatus uirtutes eius, ac fortunæ priſtinæ, qua nulli ſecundus à rege fuerat, præſenti item calamitate: nõ modò culpam omnẽ remiſit, ſed cum lacrymis eum amplexus, datis equis, ſe Forfariam uſq; comitari iuſſit. Ibi poſtridie ad ſe uocatos, priſtinæ reſtituit dignitati, & agros, quos nondum nouo cœnobio Abbirbroth erogauerat, reddidit. H. Boëthius lib. 13.

IACOBVS I. Scotorum rex, Mordaco Stuart, regni gubernatore ob flagitia ſecuri percuſſo, Alexandrum F. eius obiurgatum tantùm, quòd latrones in terris ſuis aut fouiſſet, aut ſaltem non perſequutus fuiſſet, ac mox blandè rurſus appellatum, ne denuò in ſe talia admitteret, abire liberè permiſerat. At ille immemor beneficij, collecta prædonum manu, Enuernes oppidum diripuit atque incendit: mox deſertus à ſuis, ac rege perſequente, in Hebrides inſulas fugit: ubi quum nuſquam latere poſſet, ſupplex per internuncios regẽ obſecrauit, ut ſibi tãtum in Hebridibus tuto eſſe liceret. Negat rex, niſi coràm ſiſtatur. Ergo in feſto Paſchæ captata opportunitate cum ſordida ueſte Edinburgum ingreſſus, depoſitis omnibus ueſtimentis, lineam duntaxat ſubuculam indutus, qua corpus tegebat, ad S. Crucis, ubi rex ſacris intererat, ad genua eius prouolutus, ueniam delictorum precatus eſt. Eum rex ad Tentallum caſtellum relegauit. H. Boëthius lib. 17.

Militaris ſeditionis ob ſtipendia efflagitata reum coram ALFONSO Vaſtio Cæſaris copiarum ad Neapolim ductore ueteranus Salſedus Io. Dorbinum Hiſpanum, caſtrorum magiſtrum fecit, qui primum exiſtimationis locum poſt Vaſtium uirtute ſibi comparauerat. Dorbinus, ut calumniam dilueret, ſpectante Vaſtio, in Salſedum enſem diſtrinxit, eique brachium diſcidit. Eius atrocis & inſolentis facti conſpectu acriter permotus Vaſtius, in Dorbinum irruit, ſua manu Salſedi iniuriam & percuſſoris temeritatem uindicaturus. Dorbinus ex irati ducis oculis uitæ ſuæ periculo in genua procumbens, gladii cuſpide comprehenſi capulum Duci porrigens: Hoc, inquit, in meam necem utere, Imperator, qui iracundè potiùs quàm iniquè, nominis tui offenſa maieſtate deliquerim. Vaſtius non modò pepercit, ſed priſtinum honorem, qui erat ſummus in exercitu, etiã conſeruauit. Iouius lib. 25. Hiſt.

Pietatem, Fidem.

Ilio expugnato, captorum fortunam Græci clemẽter ſunt amplexati. Eoque nomine à uictoribus pronunciatum ducibus. Liberorum unuſquiſque ex domeſticis rebus unum quid tolleret, auferretque. Tunc Aeneas cunctis aliis facilè neglectis, aut neceſſitate reiectis, patrios legit quos aſportaret deos. Id quum intuerentur GRÆCI, plurimumq; ea re forent oblectati, eidem permiſere iterum, quod uellet ex bonis ſibi caperet. Qui geminata pietate, multo iam ſenio feſſum parentem humeris ſubiens efferre properabat. Ea quum (uti erant) ſtupenda uictoribus acciderent, uiro maximè pio domeſticis cedentes omnibus, quotquot iure belli erant adepti, abire quò uellet, liberè permiſere. Cælius libro 19. capite 23. Antiq. Lect.

MITHRIDATES rex omnes Gallogræcos occidi iuſſerat. Princeps eorum Toredorix in fruſta diſſectus, & in publicum inſepultus proiectus eſt, nec quiſquam amicorum accedere auſus fuit. Mulier uerò Pergamenſis, cuius forma ipſi cum Gallogræco notitiam contraxerat, non dubitauit mortuum operire & ſepelire. Cuſtodes qui id perceperant, comprehenſam ad regem rapuerunt. Cùm admodum iuuenis puella & ſimplex uideretur, dicitur conſpectu ſuo regem mouiſſe: magis etiam, uti cenſeo, cognito adductam amore fuiſſe, placatus eſt, permiſitque ei tollere corpus, ac ſumere de ſuis ueſtem & ornatum ad funus faciendum. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

Parentes.

Cùm ad Cremeram unica & ſola gens Fabiorum pugnaret aduerſus Hetruſcos, horum omnium cædis auctor fuiſſe T. Menenius conſul à Tribunis Q. Conſidio & Tito Genutio ad populum accuſatus eſt: cum enim cum exercitu triginta ferè ſtadiis ab illo oppido duntaxat abfuiſſe, ut facillimè auxilium Fabiis afferre potuiſſet. Præterea cum Hetruſcis infeliciter ſtatim poſtea pugnaſſe, magis quidem ignorantia atque imperitia ſua & ſocordia, quàm ex infortunio & inopinato rerum euentu. Memoriæ tamen patris ſui Menenii Agrippæ, qui ſeductam plebem in Auentinum cum Patribus ad concordiam reduxerat, facilè conceſſum eſt, ne ideò capitis in eum à Rom. populo anquireretur: ſed pecunia, duobus uidelicet aſſium millibus, multatus fuerit. Aerodius, ex Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 9.

Conditores.

AVGVSTVS Alexandrinis propter Alexandrum conditorem pepercit. Plutarchus.

PIVS II. Pontifex bello Neapolitano parci Arpinatibus iuſſit ob C. Marij & M. Tullij memoriã, præſertim cùm multi oppidanorum ita uocarentur. Campanus in eius uita.

CLEMENTIA RESPECTV FINIS CONSIDERATA. SIC EXERCETVR CAVSA

BONI ALICVIVS CONSEquendi. Videlicet

IMPERII, REIPVBLICÆ.

ROMVLVS Ceninenſes, Fidenates, Cruſtuminos & Antemnates uictos, oppidiſque eorum direptis, in ciuitatem recepit: nec res alia ulla perinde amplificauit Romanam ciuitatem, quàm quòd in corpus ſuum contribueret uictos. Plutarchus in Romulo.

HERODES à Senatu Rom. rex declaratus contra Antigonũ Iudæorum regem, Hieroſolymam totis uiribus adortus expugnauit. Cæterùm deuictis hoſtibus, non minus negotij habuit in compeſcendis alienigenarum auxiliis. Prohibebat enim rapinas per urbem fieri: identidem Soſium Romanorum ducem rogitans, Solitudinis ne ſe regem Romani facturi eſſent? exhauſta urbe rapinis ſimul ac cædibus. Illo uerò referente, pro expugnatione urbis direptionem meritò permitti militi, promiſit ſe de ſuo mercedem numeraturum ſingulis. atque ita redemta ciuitate ab ulteriore uexatione, promiſſa perſoluit. Liberaliter enim militibus, & proportione ducibus, Soſio uerò etiam regiè dedit munera, ita ut omnes bene numati diſcederent. Ioſephus lib. 14. cap. ultimo, Antiq.

FRANCISCVS Sforcia, Mediolanenſium dux, quum adhortarentur eum familiares, ut Guelfam factionem omnino tolleret, quæ illi eiuſque imperio infeſta inprimis eſſet: Pudeat, inquit, uos, me principem recens Mediolanenſem totius populi conſenſu creatum, ad alterius partis internecionem adhortari, quæ hunc principatum uolens mihi tradiderit. Aſpicite canos in capite meo capillos & nigreſcentes ex alia parte. Quos præferam, ut alteri alteris non inuideant? Et certè ut me eorum non pudet, ſic patiamini quæſo Guelfos & Gibellinos æquo iure ſub me principe agere: qui pudorem uerecundiamque ſemel animo captam exuere non poſſim, nec debeam: ſi modò uos me eum principem eſſe uelitis, quem ab initio tanto ſtudio elegiſtis. Egnatius lib. 4. cap. 5.

GLORIÆ & HONORIS.

PHILIPPVS Macedo, cùm ſuperatis Græcis ſuggererent ei quidam, ut præſidiis urbes frenaret: Malle dixit diu ſe dici humanum, quàm exiguo tempore dominum. Plutarchus in Apophthegmatibus.

M. LIVIVS Salinator, cùm unà cũ Claudio Nerone collega præclaram pugnam uiciſſet, exercitumq; omnem Aſdrubalis occidione occidiſſet, eſſetque ei nunciatum reliquias quaſdam hoſtilium copiarum ſine ordine ullo abire, quæ nullo negotio deleri poſſent, inquit: Superſint aliqui nũcij & hoſtium cladis, & noſtræ uirtutis. Victorius lib. 28. Variarum lectionum, capite 20.

C. IVL.

C. IVL. Cæsar, quum Pompeij statuas deiectas, honorificè reposuisset: Cæsar, inquit Cicero, dum Pompeij statuas reponit, suas stabilit. Sentiens illum hoc nō in Pompeij gratiam facere, sed ut sibi clementiæ simulatione fauorem apud ciues conciliaret, atq; hoc pacto suum regnum constabiliret. Plut. in Rom. Apopht. & Polyænus lib. 8. & Suetonius.

Epigramma, quod in laudem Pescēnij Nigri fuerat ascriptum illius statuæ ad uiuum effictæ, quum præfecti suaderent eradendū, SEVERVS Imp. noluit, dicēs: Si talis fuit, sciāt omnes qualem uicerimus: si talis non fuit, putent nos omnes talem uicisse. Spartianus.

Coniurationem contra se ceptam Petrus Medices Florentiæ oppresserat. Ex coniuratis unus Antonius Tebaldutius LAVRENTIO Petri F. ad impetrandam ueniam interprete usus fuerat. Laurentius uenia apud patrem pro eo impetrata, gratias insuper Antonio egit, asserens, magnam quidem gloriam propositam uiro forti in uincendo inimico, multò maiorem tamen in eodem cōseruando illum sequi. Brutus lib. 3. historiæ Florentinæ.

HOSTES

Terrendi.

Xerxe contra Græcos expeditionem parante Sardibus, missi sunt ab Atheniensibus tres speculatores, qui regis conatum & uires explorarent. Ii Sardis comprehensi, tortiq;, ad mortem ducebantur. XERXES re audita, eos liberari iussit, & ut omnis apparatus bellicus illis ostenderetur præcepit. Sperans fore, ut dimissi, Græcis indicarent, regis potentiam fama esse maiorem: atque ita territi Græci, imperata facerent. Herodotus lib. 7.

CORCYRENSES nauali prælio uictores, Corinthios custodiri iusserunt, reliquos ad unum obtruncauere: non tam ueteris necessitudinis rationem habentes, quàm ut eo exemplo Græciæ populos à Corinthiorum societate alienarent, si scirent, sibi de uita dimicandum, quum interim ij, pro quibus bella adirent, essent extra periculi sortem. Sabellicus libro 5. Enneadis 3.

LIVIVS Salinator, cùm Hasdrubalem exercitumque Pœnorum in Vmbria delesset, & ei diceretur, Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus & signis sparsos ac palantes, parua manu opprimi posse: respondit, In hoc eis oportere parci, ne hostibus tantæ cladis domestici nuncij deessent. Val. lib. 3. cap. 7. & Front. lib. 4. cap. 7.

Conciliandi.

Vide Tit. Ad proditionem & defectionem hostium milites incitare, quatenus clementia simulata id aggrediuntur.

CLEOMENES Spartanus Corinthum ingressus, pecuniam Arati Sicyonij Achæorum prætoris. & domum, quam habebat Corinthi, haudquaquā attigit, neq; alium permisit: sed accersitis amicis & procuratoribus eius omnia iussit agere & curare, ut rationes Arato relaturis. Allegauit priuatim ad eum Tripylum, & iterum uitricum suum Megistonum, promittens ei inter alia multa uectigal annuum duodecim talentûm, excedens dimidio Ptolemæum, qui sena talenta Arato annua mittebat. Poscebat dux Achæorum declarari, unaque cum illis custodire Acrocorinthum. Cùm respondisset Aratus, Non tenere se res, sed potiùs ab iis teneri, uisusq; esset simulatè ipsum deludere: incursione protinùs facta, fines Sicyonios ferro & igni uastauit, asseditq; urbi eorum tres menses. Aratus mercede tradendi Acrocorinthi Antigonum ex Macedonia euocauit, & Græciam regi prodidit. Plutarchus in Arato.

Cùm deprehendisset AVGVSTVS Cæsar nobilem iuuenem L. Cinnam, Pompeij nepotem, cui antè incolumitatem largitus fuerat hosti, struere sibi insidias, comperissetq; qua ratione & quando ipsum statuerat aggredi: dum dictatur sententia proscriptionis, ingressa uxor Liuia, Fac, inquit, quod medici solent: qui ubi usitata remedia non prosunt, tentant contraria. Seueritate adhuc nihil profecisti, ignosce. Cinna deprehensus uitæ tuæ nocere non potest, famæ prodesse potest. Itaque protinus Cinnam iussit accersi ad colloquium, uenienti etiam alteram cathedram poni. Egit uerbis cum eo humanissimis, liberauitque noxa, addens: Vitam tibi Cinna iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia: contendamus deinceps, utrum ego meliore fide uitam tibi dederim, an tu mihi debeas. obtulit insuper ei consulatū. Quare id consecutus Augustus est, ut non modò habuerit postea Cinnam fidelissimum, sed & heres unicus sit ab eo nuncupatus, Suetonius.

Cùm diceret Laurentius Palatinus Hungariæ, imprudenter agere SIGISMVNDVM Imperatorem: qui uictis hostibus non solùm uitam & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet extolleretque: Tibi, inquit Sigismundus, uidetur utile inimicum occidere, neq; enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo. Aeneas Syl. lib. 3. Com. in Panorm.

MALI EVITANDI. Clementes ob metum

DIVINÆ IRÆ.

Victo Dario in Cilicia, ALEXANDER Magnus quum Tyrum obsideret, à Iaddo pontifice petiit, ut commeatum & auxiliares copias in castra mitteret. Responsum est, Iudæos sacra fide teneri, ut uiuo Dario, nulli præter quàm ipsi uni seruirent. Minatus est Alexander, Tyro capta, hostiliter se castra Hierosolymis admoturum. Distulit tamen nonnihil eam ultionem, tantisper dum Gaza caperetur. Inde uerò citato agmine eò ire pergit. Ingens metus ciuitatem inuaserat. Interim Iaddus diuino oraculo per quietem uisus est sibi moneri, ut festa fronde ciuitatem ornaret, sacerdotumque multitudine in candida ueste extra urbem producta, ipse pontificali habitu cultus, uenienti regi iret obuiam. Cum sacerdotibus igitur & frequenti populo Iaddus urbe egressus, regem certamini intentum, ad locum quem Saphin indigenæ dicūt, Latini Scopulum, obuium habuit. Ibi Alexander candidatorum cœtum intuitus, subita religione perculsus, solus illum adiit, supplexque Dei nomen ante men adorauit: ipsumq; Pōtificem ueneratus est. Parmenio, ut erat regi familiaritate coniunctus, postremò percontatus dicitur, quid rei accidisset, quòd hostium principem ineptè adorauerit? Tum ille, Non sacerdotem, sed Deum, cuius hoc sacerdotium est, sum ueneratus, inquit: quippe qui in Macedonia adhuc essem, dum mecum cogitarem, quanam, quo consilio Asiam subigerem, simili habitu species mihi per quietem obuersata est, quæ præcepit me fortiter Asiam inuadere; fore, ut suo ductu Persarum opes euerterem. Tetigit itaque religio animum, ubi primùm Pontifex in conspectum uenit. Cum his ille Iaddum & alios secutus, Hierosolymam pacatus adiit, atq; templum ingressus, Iudaico ritu Deo sacrificauit. Prolatus inde illic est Danielis liber, in quo scriptum erat, futurum, ut Græcorum rex olim Persarum regnum euerteret. uehementer gauisus, se eum esse interpretatus est. Iaddum proinde & sacerdotes amplissimis donauit muneribus, concessitq; petentibus, ut propriis uterentur legibus, tributumq; in septem annos remisit, pollicitus quando Babylone potitus esset, permissurum Iudæis, qui illic esse dicerentur, ut & ipsi suis legibus uiuerent. Ex Iosephi lib. 11. cap. 8. Antiq. Sab. lib. 4. En. 4.

ATILA Leonis Pontificis precibus Romanæ urbi pepercit. Id ægrè ferentibus suis, se supra caput Leonis, qui ad eum uenerat, uidisse hominem respondit habitu augustiore, ueneranda canicie, stricto ense assistentem: sibique, ni illius uotis pareret, mortem minitantem. Hinc militum iocosum dictum uulgò iactabatur: Atilam plus timere ferarum immanium sola nomina, quàm exercitum armatum: qui in Gallia contra Lupum Trecensem episcopum, in Italia uerò aduersus Leonem pontificem suo non usus fuisset imperio. Nic. Olahus cap. 15 uitæ Atilæ.

Ticinum obsidebant Longobardi obsidionis moram pertæsus ALBOINVS rex, iureiurando affirmauit fore, ut eam urbem captam, ciuibus cum præsidio cæsis, solo æquaret. Cæterùm portis irrupturus, cum toto equo ad terram prouolutus, quum neque bellator equus surgeret, neque ipse equo implicitus eximi posset periculo, ab uno quodam, qui auxilio accurrerat, monitus, ut ultionem Ticinensibus remitteret: promissa uenia, confestim equus rege incolumi se in pedes statuit. Atque per hunc modum Ticinum est imminenti excidio seruatum, manifesta numinis prouidentia. Sabel. lib. 5. Enneadis 8.

Gregorius Magnus pontifex, scribit Totilam post Romam primò captam, cum Benedicto abbate congressum in Bauro: ubi ille uetustum Apollinis templum in monasterij usum uerterat, obtulisseque illi ignoto habitu, ut sanctitatem hominis, quæ in ore multorum erat, experiretur: esseque nihilo secius agnitus, quum alius in frequenti comitatu regis insignia gestaret: tum ab eo monitus dicitur, ne uictoria crudeliter uteretur, temperaretque ab excidio urbis & Italiæ, fore, ut Romam iterum caperet, & Siciliam intraret, ac demum nono sui regni anno ultus prælio mortem occumberet. Tum uerò quia iis quæ de urbe Roma prædixerat, manifestus responderat euentus, ratum cætera ordine euentura, ne maiorem numinis iram incurreret, ab omni deinceps iniuria consultò abstinuisse. Sabel. lib. 4. En. 8.

DEDECORIS, REPREHENSIONIS.

NERO Cæsar nihil patientiùs quàm maledicta & conuitia hominum tulit, neq; in ullos lenior, quàm qui se dictis aut carminibus lacessissent, extitit. Multa Græcè Latineq; proscripta, aut uulgata sunt, quale illud:

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Sed neq; auctores requisiuit: & quosdam per indicium delatos ad Senatū, affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara uoce corripuerat, quòd Nauplij mala bene cantitaret, sua bona malè disponeret. Et Datus Atellanarum histrio in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, ut bibentem natantemq; faceret, exitum C. Claudij Agrippinæq; significans: & in nouissima clausula,

—Porcus uobis ducit pedes,

Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil ampliùs quàm urbe Italiaq; submouit, uel contemtu omnis infamiæ, uel ne fatendo dolorem irritaret ingenia. Suetonius.

PERICVLI.

Augustus in Triumuirali proscriptione Fescennios in ASINIVM Pollionem scripserat. Ille cur non responderet rogatus, Non est, inquit, facile in eum scribere, qui potest proscribere. Macrobius.

INIMICITIÆ, DISCORDIÆ.

Chiorum concionator popularis ONOMADEMVS nō permisit, cū in seditione fuisset superior, ut omnes diuersæ partis urbe pellerētur: Ne, inquit, si semel ab inimicis fuerimus expediti, certamen nobis exoriatur cum amicis. Plut. in Preceptis polit. & de Vtil. ex inimicis, & Aelian. lib. 14. Var. hist.

EPAMINONDAS in Laconicā impressionem fecit: & quidem Lacedæmoniam urbem diripere potuit, uerùm animo mutato, intacta ciuitate discessit. Collegis iudicium ei minantibus, cōmonstrans Arcades, Messenios, Argiuos, aliósque Peloponnesios: Si, inquit, Lacedæmonios exciderimus, cum his omnibus pugnādum erit: qui nobis iam auxilium non ideo ferunt, ut Thebanam rem augeant, sed ut Lacedæmonios deleant Polyænus lib. 1.

LYSANDER Athenas excindere uolentibus Lacedæmoniis & sociis dissuasit. Thebanorum enim urbem in propinquo sitam, ualidiores & maiores contra ipsos uires collecturam. Sin per tyrannos Athenas in officio contineant, ex propinquo posse curam gerere Thebanorum. Polyænus libro primo.

CLEMENTIA CONSIDERATA PER ACCIDENS. RESPECTV SCILICET

VSVS. SIC CLEMENTIA ministrat

PRVDENTIÆ.

Vide Tit. Prudentiæ in conciliandis hostibus, quatenus id Clementiæ ministerio fit. Item Tit. Hosti fugienti locum dare.

TOLERANTIÆ.

SOCRATES Xanthippen morosam & rixosam uxorem placido ferebat animo. Causam rogatus ab Alcibiade, respondit: Cùm hāc talem domi perpetior, ad cæterorum iniurias foris tolerandas assuesco. Sic Varro in Satyra Menippea, de officio mariti, Vitium uxoris aut tollendum est, aut ferendum. Qui tollit uitium, uxorem commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. Gellius lib. 1. Noct. Att. cap. 17. & Xenophon in Memorabilibus.

MAGNANIMITATIS.

Corocota erat insignis in Hispania latro. Cui cùm à principio ita fuisset infensus AVGVSTVS, ut dixisset, se ei, qui Corocotam uiuum cepisset, daturum aureorum decem millia: postquàm is ultrò uenit, non modò ei nullum damnum attulit, sed etiam pecuniam dedit, cumq; locupletauit. Dion.

ADRIANVS quos priuatus habuit inimicos, princeps incolumes præstitit, atque in his unum: in quem infestiore fuit animo, iam princeps factus quum sibi timentem esset intuitus, Sis, inquit, bono animo, euasisti. Sab. lib. 4. En. 7.

Tradit Volpiscus, AVRELIANVM Imperatorem, cùm Zenobia Palmyrenorum regina capta ad pœnam uocaretur à militibus, quòd sibi imperium usurpasset, illam uita donasse: quòd indignum existimaret, mulierem interimere.

LVDOVICVS XII. Carolo VIII. qui cùm grauissima gesserat bella, captusq; ab eo carceri diu mancipatus fuerat, in Galliæ regno successit, & omnes qui eum in hostili fuerāt animo, benignissimè suscepit. Aureliensem ciuem, acerrimum hostem, quum à familiarissimo quodam suo bona illius peterentur, in quæ inuaderet, ultrò ad se aduocatum hospitio regio accepit: oblitum sese iniuriarum omniū fassus, quas ille in sese perpetrasset, post hacq; sese illum amicissimi loco habiturum pollicitus est. Egnat. lib. 4. cap. 1. Quibusdam hortantibus, ut Aurelios qui ad Carolum VIII. ab eo defecerant, malè multaret: Ridiculum uerò fuerit, respondit, Regem Gallum Ducis Aureliorū iniurias ulcisci. Corrozetus.

IVSTITIÆ.

PHILIPPVS Macedo ingentem captiuorum numerum sub hasta uendens, subducta sedebat tunica parum honestè. Ibi unus ex iis qui uæniebant, exclamauit: Parce mihi Philippe: amicus sum tuus paternus. Requirente, Vnde nam ? & quemadmodum, Philippo: Exponam tibi, inquit, ex propinquo. Vt ad eum adductus est: Demitte, inquit, aliquantulum chlamydem. Parum enim decorè ita sedes. Tum Philippus: Missum facite, inquit, eum. Nam uerè cupidum nostri & amicum esse me latuit. Plut. in Apoph.

FRVCTVS, QVEM REFERT

A DEO. CVIVSMODI EST

Victoria.

Silius lib. 7. L. Fur. CAMILLI fructū clementiæ erga patriam decantauit his uersibus:

—Quantus, qualisq; fuisti,
Cùm pulsus lare & extorris Capitolia curru
Intrares exul? tibi corpora cæsa Camille
Damnata quot sunt dextra? pacata fuissent
Ni consulta uiro, mensq; impenetrabilis iræ,
Mutassentq; solùm sceptris Aeneia regna,
Nullaque tunc stares terrarum uertice Roma.

Temires, siue TAMBERLANES, priùs quàm prælium iniret contra Baiazetem Turcorū Imp. per castra edixit, ne quem de Baiazetis exercitu caperent, & ad mancipiorum conditionem redigerent, sed spoliatos tantùm incolumes dimitterent. At Baiazetes cōtrarium per castra mandari iusserat, nempe, ut quemcunq; de Temiris militib. essent nacti, eum illicò obtruncarent. Fauit fortuna clemēti, & crudelem Turcum miti Tartaro subiecit. Chalcocondylas lib. 3.

Commendatio.

Paphnucio abbati in solitudine uitam agenti, reuelatum est, QVENDAM Heracleæ illius regionis urbe sibi uitæ meritis esse parem, & quærens: inuenit eum quidem & uxorē & filios habere, sed post secundam susceptam prolem castitatem cum ipsa seruare, iustitiæ studere, pietatē colere: & hoc præcipuè in more habere, ut si quos inter se odio distractos cognouisset, continuò in gratiam reducere niteretur. Assidua cura in reconciliandis aliorum animis dignum fecit, qui eremi cultoribus esset æquandus: & si contemplationē excipias, fortè etiam præferendus. Marulus.

AB HOMINIBVS. PVTA

Amor, Amicitia.

ARTAXERXES Persarū rex, Macrochir dictus, suppliciorū uarietates, quas natio semper exercuit cruda, lenitate genuina castigās, tiaras ad uicem capitum quibusdam noxiis amputabat: & ne secaret aures more regio, pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat. Quæ temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & uenerandum, ut adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis scriptoribus celebratos. Am. Marcellinus lib. 30.

TELECRVS rex Spartanorū, cùm ei dixisset frater, importuniùs secū ciues ac cum illo agere, quāuis ex iisdem esset prognatus: Nempe tu, inquit, non nosti ut ego iniuriam ferre. Plutarchus in Apophthegmat.

ATHENIENSES iugo triginta tyrannorum pressi, quos Spartani optimatum fauentes factioni constituerant, in Pyræeum confugēre plures quinque millibus. Mox Thrasybuli studio recuperata patria ipsos quidem tyrannos sustulēre, reliquos uerò, qui remanserant, summa sunt prosecuti humanitate. Nam cùm illi, qui in urbe restiterant, centum à Lacedæmoniis talenta in obsidionem eorum, qui Piræeū occuparant, essent mutuati: consilio prò concione populi de solutione capto, censentibus nonnullis æquum esse, ut ij mutuum Lacedæmoniis dissoluerent, qui postulauerant, non obsessi: populus tamen iussit, ut in commune ab omnibus contribueretur. Quod populi scitum usq; adeò mutuā ciuium concordiam conglutinauit, auxitq; publicas uires, ut Lacedæmonij, qui singulis propè diebus fautores potentiæ paucorum per Græciam, præficiebant, à populo Atheniensi imploratum opem uenerint, supplicātes ne se aspernarentur euersos à Thebanis. Isocrates in Areopagitico.

PHILIPPVS Macedo uictis ad Chæroneam Atheniensibus, non

non tantùm profecit armis, quantum moderatione & humanitate. Nam bello quidem & armis solos eos superauit, qui in acie contrà steterant. Aequitate autem animi omnes Athenienses simul & illorum urbem cepit, sine precio dimisit captiuos: occisos humari iussit, atq; ossa colligi: quos domum remittebat, pleroſq; uestiuit. Animis igitur Atheniensium magnanimitate eius perculsis, loco hostium illos ad quoduis officium alacres adiutores habuit. Suidas.

Philippensi acie uictis Bruti militibus, Lucilius quidam inter M. Bruti amicos uir bonus, cùm uideret equitum cateruam in Brutum effusis habenis ferentem, ipse Brutum se esse indicauit, orauitque ut ad M. ANTONIVM se ducerent, quasi timeret Cæsarem. Adductus ad Antonium, fidenti animo, M. Brutum, inquit, Antoni, nemo cepit, neque ceperit hostis. Ego uerò militibus tuis imposui, atque adsum, nihil huius rei causa sufferre acerbi recusans. Antonius, omnibus obstupefactis: Nempe iniquè, inquit, facitis commilitones, quòd errore isto arbitramini uobis illusum. Verùm habetote, cariorem uos, quàm quærebatis, reperisse prædam: quippe dum hostem quæritis, adduxistis nobis amicũ. Nam ego Bruto incertus sum herclè quid facerem uiuente. Tales uerò amicos malim adipisci, quàm hostes. Ita locutus, & Lucilium complexus, commendauit eum tunc uni amicorum, eoque deinceps fido & firmo ad omnia perpetuò usus est. Plutarchus in Bruto.

Securitas.

AGASICLES Lacedæmoniorum rex, cùm interrogaretur, quo pacto quis tutò imperare posset, nullo stipatus satellitio? Respondit, Si sic imperet suis, quemadmodum imperat pater filiis. Quo docuit, imperatoris esse, beneuolentia & benefactis adiungere sibi ciuium animos, nec tum opus esse barbarico cõductitioq; satellitio. Plut. in Apoph. Lacon.

Regnum.

CASIMIRVS, Sendomiriensium dux, cum aulico quodam suo equite Ioanne Conario ludebat aliquando animi gratia. Dum uerò uterque uincendi studio in profundam noctem ludum produxisset: pertęsi deinde ludi & uigiliarũ, uno iactu summam reliqui lusere. Ibi tũ uincenti Casimiro, & quod lucratus erat argentum non modicum auferenti, ques alapam impegit, noctisque beneficio aufugit: & quidem postridie ad Cazimirum adductus esset, ueniam nihilominus eius facti à duce impetrauit. Huius clementiæ fama sic innotuit, ut post Poloni Casimirum sibi in regem elegerint. Cromerus lib. 6. de rebus Polon.

Laus, Præconium, Commendatio.

Bello uigente inter Tyndaridas & Thesęum ob raptam Helenam, cùm illi Aphidnas occupassent, & sororẽ recepissent, Athenienſibus trepidantibus suasit Menestheus, Petei filius, admitterent in urbem, & acciperent benignè TYNDARIDAS: ut uni Theseo iniuriæ auctori arma inferrent, inter mortales benefici essent, & eorũ seruatores. Hoc ipsum euentus comprobauit: nihil enim omnino uicissim, quàm ut initiarentur, postulauerunt: quòd non minus quàm liberi, culi propinquitas ipsis cum ciuitate intercederet: quã obtinuerant ab Aphidno adoptati, ut à Pythio Hercules. Itaque honores assecuti diuinos sunt, Anaces dicti, uel ob fidas indutias, quas ἀνοχὰς Græci uocant: uel ob curam & solicitudinem, ne cui malum afferretur, cùm esset intrà muros ictus exercitus. Nam ἀνακᾶς ἔχειν dicunt eos, quibus curae tuitio alicuius incumbat, & reges appellant fortassis inde ἀνακτας. Sunt, qui ob stellarum eorum apparitionem ferunt Anacas appellari: quòd τὸ ἀνὼ Attici ἀνὴς, id est supra, & ἀνὴρ τὸ ἀνὼθεν, id est, supernè uocent. Plut. in Theseo.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, uicto ad Selasiam Cleomene, Spartam cepit. In Lacedæmonios uerò cõsuluit clementer, neq; Spartæ dignitatem habuit ludibrio, neq; ei imminuit: uerùm legibus & reipubl. illis reddita, & sacro diis facto, recessit tertio die, cùm graue bellum accepisset Macedoniæ ab Illyriis illatum. Ea propter Euergetæ, hoc est, benefactoris nomen meruit. Plut. in Cleomene, & Suidas.

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.



Aa. Rerum appellatione cõprehendimus



Voluminis Duodecimi
Liber II.
De Severitate in Vindicta expetenda, persequenda.

IN IVRIA omnis per se inæqualitatem inuehit, quando agens κατὰ πάθος, patiẽs iniuriã p hoc ipsum ζημιῶται uidetur. Proinde iniuriæ correctio, Iustitiæ correctiuæ propria est, atq; adeò totus iste locus Seueritatis ad eandẽ reduci potest. Si uerò iniuriã, ut Iræ parentẽ, consideres, quoniam is, qui uel ὄντως uel φαινομένως iniuria afficitur, duce ira eam ulciscendo amouere studet, sic huius loci erit. Iusta uindicta intra suos terminos consistit, quantum, quomodo & quando oportet, uoluntate uel re ipsa ulciscens, publicè, priuatim, lege, consuetudine. Et certè in hac non minus laudis inest, quàm in ipsa Mansuetudine. Magni erat roboris *Milo*, qui stantem taurum loco mouere poterat: at longè maximi Tithormus bubulcus, qui taurum furentem in medio cursu uiolenter retinebat. Cuiusuis est in decliui loco seipsum lento passu incedentem, ne prolabatur, sustinere: at cùm labi ceperit, se cohibere, non nisi robustissimi esse potest. Sic ab ira non cõmoueri, minùs arduum est: quàm cùm irasci ceperis, iram ita moderari, ut constitutos à recta ratione limites non egrediaris. Virtus ergo hæc Seueritas esto, quibus, quantum oportet, irascens, & uindictam debitam persequens, siue publicè (quod in ciuilibus controuersiis ad magistratum & iudices, in bellicis rebus ad imperatorem & exercitum spectat) siue priuatim, ut qui priuatas iniurias ulciscuntur, manum pro manu, oculum pro oculo repetentes. Huc etiam referri possunt, Fortitudinis propulsantis exempla, quatenus propulsandi uis iræ ministerio utitur: possunt & Inimicitiæ, cui Seueritas sæpè famulatur. Atq; ut subiecto eadem sunt, & ratione tantùm considerandi ob habituum diuersitatem differunt: ita ne repetitio eorundem, quamuis diuersis in locis, lectori tædium pariat, operisq; molem adaugeat, quæ sub alterutro locorum complectemur, sub altero non repetemus: unico uerbo, unde mutuanda sint, indicaturi.

SEVERITATIS ACQVISITIO. HVC

MAGISTRI.

QVI. Puta

Deus.

Cùm Amalechitæ Israelitis ex Aegypto proficiscentibus infesti fuissent (ut Exodi 17.) præceperat eis DOMINVS, ut æterno odio eos prosequerentur, nec nisi deletis illis quiesce rent (Deuteronomij 25.) Itaq; multis pòst annis, 420. ad mini finitimos populos, qui se sine bello dedidissent, tributarios facerẽt. Sin hostiliter arma gessissent, mares omnes trucidarent: mulieres, paruulos, pecus, & quicquid in oppido esset, prædæ loco haberent. Deut. 20.

Consiliarij.

Rex Assuerus iratus contra Vasthi reginam, interrogauit SAPIENTES suos sententiam. Illi non excusauerunt absentem, sed responderunt, Régis iusta est indignatio. Estheræ capite primo.

Patres.

DAVID rex mõriens Salomoni F. præcepit, ut de Ioabo polemarcho, qui Abnerem Sauli regis, & Amasam Absaloni exercituũ duces, simulata amicitia perfidè interfecerat (ueritus ne suis luminib. officerent) suppliciũ sumeret: præterea etiã de Semei Geminiense, qui Dauidem pulsum ab Absalomo F. diris probris infectatus fuerat. Sibi enim propter iusiurandum interpositũ de iis pœnas sumere nõ licuisse. Paruit Solomo, & statim sub regni initia Adoniã fratrem, qui contra patrem rebellis fuerat, interfici, Ioabum ad aras obtruncari, Semeim in suo conspectu confodi iussit. 3. Reg. 2.

Vxores.

Regnerus Danorum rex, cùm à Daxone Hellespontiorum rege Vvithfercum F. maximæ expectationis, igne consumtum audiuisset: præ mœrore in grauiss. morbum incidit, eoq; semetipsum confecisset, nisi à SVANLOGA uxore à muliebri luctu ad uirilem uindictam accensus fuisset. Classe igitur in Rusciam tracta, Daxonem uicit, atq; cepit: sed pòst tamen liberauit. Saxo lib. 9.

Cyrus Persarũ rex, ab Amasi Aegyptiorũ rege petiit, ut unam filiarum sibi in matrimoniũ collocaret. Ille NITETEN, filiã Apriæ regis, quo deuicto ipse regnum inuaserat, ad eum misit. Nitetis ad multum tempus Amasis filiã simulans, cum Cyro cõsuetudinẽ habebat. Cùm uerò multorum liberorũ mater euasisset, & mariti summã beneuolentiam sibi adiunxisset: confessa est, Apriem suum patrẽ fuisse, dominũ Amasi dis. Sed etiam cùm Amasis uitã obierit, filium eius Psamme tichum ulciscí, pulcrum esse. Morẽ ei gessit Cyrus: & licèt in expeditione diem suum obierit, tamen Aegyptiorum imperium in Apriæ stirpem uindicauit. Polyænus lib. 8. Herod. li. 3. pro Cyro Cambysem habet.

QVOMODO. Videlicet

Legislatione.

Vetat ISRAELITIS Moses, ne in ciuitatem suam recipiant Ammonitam aut Moabitam, ne decimam quidẽ illius progeniem. At Aegyptiorum tertię propaginis natos recipiant. Deuteron. 23.

Consilio.

Thebe Iasonis filia, uxor Alexandri, cùm accepisset de custodibus PELOPIDÆ (qui captus erat) firmitudinem & celsitudinẽ animi eius, expetiuit eum uidere & cõuenire. Vt accessit ad eum, & uelut mulier magnanimitatẽ eius non illicò in tantis ærumnis perspexit, sed ex squallore, sordibus, & macilento uictu coniiciens acerba eum & indigna illo nomine premi calamitate, illa crymauit primùm incertus, quæ nam mulier esset, mirabatur Pelopidas: ubi cognouit eam, quòd consuetudo ei & gratia intercederet cum Iasone, compellauit eam nomine paterno. Cùm diceret illa, Miseret me uxoris tuæ: Me uerò tui, inquit, quæ soluta feras Alexandrum. Hæc oratio pupugit Thebeu. Quippe crudelitatem oderat flagitiaq; tyranni, qui præter cæteram libidinem etiam minimum natu fratrem eius in pellicatu habebat. Quare inuisit Pelopidam frequenter: & cùm liberè euomeret apud eũ miserias suas, dedit ille animum ei & spiritus, atq; in Alexandrum incendit eam. Pelopidam tandem cum exercitu liberauit Epaminondas. Plut. in Pelopidã.

CATO maior incitans magistratus ad puniendum delinquentes, dixit eos, qui cùm ualerent, non interpellarent flagitia admittentes, hos incitare. Plut. in Apoph.

Quum Volaterrani occiso prætore propter imperij acerbitatem, & salinarum controuersiam, à Florentinis defecissent: plerisq; proposita uenia potiùs quàm ui ad officium reducendos esse iudicantibus: LAVRENTIVS contrà Medices disputando peruicit, ut ciuitatem, quæ crudeliter atq; superbè rebellasset, bello persequerentur: imperij dignitatem amissuri, nisi in reos maiestatis, & nefaria arma teneres, uim exercerent. Itaq; eius ductu bellum Volaterranis illatũ. Qui omni belli clade perdomiti, temeritatis atq; sæuitiæ suæ pœnas dederunt. Iouius in Leone X. lib. 1.

Iureiurando.

Q METELLVS, Balearici F. & Macedonici nepos, filiũ iureiurando adegit, ut Curionem accusaret sui accusatorem.

Cantu, Musica.

STARCATHERVS, cũ Frothonis IV. Danorũ regis fraudulenter oppressi filium Ingellum patris interfectoribus ignouisse resciuisset, & à paternis moribus penitùs degenerasse: ingẽtem carbonum fascem in Suecia humeris suis Daniam periturus imposuit. Rogatus ab obuiis, Quid tam insolitũ onus deferret? Ingelli regis stultitiam se carbonibus curaturum asseruit. Itaq, expedita semita uelut uno spiritu rapidũ iter explicuit, tandemq; Ingelli hospitio usus, sedem proceribus destinatã suo more conscendit. Regina sordidis pannis tectum loco excedere iussit, ne puluinaria inficeret. Paruit animosus senex, atque in ultimam aulæ partem secedens, ipsos parietes submissi corporis impulsu conrudit, ut tectum ruinam minari uideretur. Ingellus à uenatione regressus uxorem monuit, ut tantũ uirum benignè exciperet, sibi olim à patre tutorem datum, & infantiæ suæ custodem. Regio inde conuiuio adhibitus, repudiatis omnibus illecebris, oculis indignationem semel antè conceptam non obscurè præ se ferebat. Regina mirifici operis uittam proprio capiti detractam ei misit, beneuolentiam eius mercari cupiens. Starcatherus uerò eam in os ferentis reiecit. Mox cùm deliniendi hominis gratia ribicen canere cepisset, Starcatherus osse, quod arroserat, tibicinis os petijt Ingello ferculũ, regium mittente, illud repudiauit, Teutonicas delicias auersatus. Nec mora, Ingellum amaro carmine reprehendere cepit, quòd Saxonicum imitatus luxum à sobrietate & uirtute defeciuisset: maximè autẽ, quòd in ipso militiæ tyrocinio ulciscendi parentis immemor, neglecta naturæ lege, paterni sanguinis carnifices Suertingi filios beneuolentia complexus esset. Ad hanc uocem tremefacta regina; detractum capiti suo reticulum irato sehi obtulit. Ille uerò eo in os offerentis cum indignatione reiecto, clara uoce Satyricum carmen in regẽ & reginam ecciuit: eoq; torpentem regis animum ita excitauit, ut furibundo similis exiliens, Suertingi filios cũ toto comitatu suapte manu cõfoderit: & peregrino luxu reiecto, paternam fragilitatẽ deinceps sit amplexus. Saxo libro 6. & Cranzius lib. 1. Daniæ, cap. 37.

SEVERITAS RESPECTV PERSONARVM.

PERSONÆ scilicet uel

VTRIVSQVE, AGENTIS scilicet & PATIENTIS.

Seueri

PRÆCEPTORES erga DISCIPVLOS.

CALLIMACHVS contrà Apollonium Rhodium, ut ingratũ discipulum carmen, Ibidis uirulentiss. scripsit. Gyraldus.

ANTISTHENES philosophus interrogatus, quamobrẽ tam seuerus esset discipulorum obiurgator? Et medici, inquit, ergà ægrotos. Significans, se uitia obiurgare, non homines. Laertius lib. 6. c. 1.

MAGISTRATVS erga SVBDITOS.

Ex loco Iustitiæ correctiuæ huc plurimæ referri poterunt.

SVBDITI erga MAGISTRATVS.

Exempla pete ex Tit. Prudentiæ, & Fortitudinis, in tollendis euertendisq; tyrannis, item Seueri ob tyrannidem.

GABAONITÆ Sauli regis perfidiam erga se, qui, ut Iudæis & Israelitis gratificaretur, eos ad internecionem perdere conabatur, in posteris eius ulti fuère. Oborta enim pòst Sauli regis mortem triennali fame, consultum Iouę oraculum respondit, expiandum esse Sauli facinus contra Gabaonitas. Dauid ergo petentibus Gabaonitis septem de Sauli familia superstites mares dedidit: quos illi ad Gabaam in monte crucifixerunt: eoq; facto fames cessauit. 2. Reg. 21.

IEHVS, Iosaphati F. à propheta quòdã iussu Elisæi unctus Ramothæ, regnũ Israelitarum occupauit: cùm dux esset exercitus, Ioramum regẽ dominum suum Iezraële sagitta interfecit, Iezabelem regis matrẽ de turri præcipitauit, LXX liberos regios Samariæ trucidari curauit. Atq; hæc omnia Domini iussu, qui Achabi stirpem penitùs deleri præceperat: & propter hanc Iehu seueritatem, etiam trinepotes eius Israelitis imperaturos promiserat. 4. Reg. 10.

ROM. Apuleium Tribunum, ob eiectionem è senatu & tribunatu à Q. Cecilio Metello seditiosum, cũ Saphinio & Glaucia per C. Mariũ obsedere & interfecere. Sab. li. 2. En. 6.

Cùm inter Marium Syllamq; ciuili bello decertaretur, C.Fabius, Africæ proconsul, quia crudelem se auarũq; nimis præstabat: seditione PROVINCIALIVM uiuus in palatio exustus est. Fulg.lib.9.c.10.

Cùm Adrianus ciues ROMANOS, qui Vticæ erant, sordido imperio uexasset, idcirco que ab iis uiuus esset exustus: nec quæstio ulla in urbe hac de re habita, nec querela uersata est. Val.Max.lib.9.c.10.

Heliogabalum POP.Rom. mortuum proiecit in cloacã, mox in Tyberim cum matre traxit, eiusq; nomen è publicis monumentis erasit. Herodianus.

Neronis turpitudinem & scelera ipse POPVLVS Romanus tolerare diutiùs non potuit, & exercitus Galbam in Hispania Imperatorem creauit. De exitu eius sic Eutropius lib.8. scriptum reliquit: Sententia senatus constitutum est, ut nudus per publicum ductus, furca collo eius inserta, uirgis usque ad mortẽ cæderetur, atq; ita è saxo præcipitaretur. Igitur desertus undiq; è palatio fugit: noctis medio urbẽ egressus, sequentibus eũ Phaone, Epaphrodito, Neophytoq; & spadone Sporo, quem quondam exectum formare in mulierẽ tentauerat: & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariã & Nomentanã uiam, ad quartum urbis milliarium, ictu gladij transegit: adiuuante trepidantẽ manum impuro eunucho: quum sanè priùs nullo reperto, à quo feriretur, exclamaret: Itáne nec amicum nec inimicum habeo? Dedecorosè uixi, turpiùs peream. Suetonius.

AMASGI Alanis seu Albanis uicini, ob nimiam tyrannidem, qua parentibus pueros elegantes ui rapiebant & castratos Romanos uendebant, suos principes interfecere. Zonaras & Cuspinianus in Leone III.

VENETI, Vrsum Hypatum ducem, ob crudelitatem occidere: Gallam patria atq; luminibus priuarunt, qui Horleo sicuti in ducatus dignitate, ita etiam in uitiis successerat. Dominicum Monegareum pari supplicio affecerunt: neq; de eorum aliquo pœna sumta fuit, qui in ipsos principes manus iniecerunt: adeò iustè omnes uindictam de scelere sumtam putauerunt. Fulg. & Egnat.lib.9.c.10.

Marinus Faletrus, dux VENETORVM, coniurationem iniit de tyrannide inuadenda. Capto, crimenq; confesso, in summo scalarum Palatinarum gradu, ceruices abscissę sunt, bonaque publicata: decretoq; publico cautum, ut in maiori comitio, ubi Ducum omnium pictæ spectantur imagines cum suis elogiis, nulla eius extaret effigies: tantumq; atro colore locus illius obscurus esset, ea cum subscriptione, quę testaretur Marini Faletri locum esse uacuũ, cui duci propter ingens in patriam scelus amputata publicè ceruix foret. Egnatius lib.6.cap.3.

Orta inter Ioannem X. pontificem, atque Albertum Ethruriæ Marchionem discordia, quia Albertus Pannonas aduersus Romanam ècclesiam mercede conduxerat (qui iuxta gentis suæ morem, ferro atque igne omnia fœdabant) indignatus ob eam rem POPVLVS Romanus, quòd illorum discordiis Romanus ager uastaretur, capto Alberto caput ademit. Exercitus quoque Pontificem manibus in eum iniectis, in carcere puluino ori obiecto necauit: nulla in utroq; dignitatis uel ecclesiasticæ uel secularis habita ratione. Fulgosus lib.9.c.3.

IVDICES erga REOS.

L.CASSIVS prætor Romæ tanta seueritate fuit, ut tribunal eius Scopulus reorũ diceretur. Valerius Maximus lib.3.c.7. Quoties iudicij alicuius quæsitor esset, in quo quæreretur de homine occiso, suadebat, atque etiam præibat iudicibus, ut quæreretur, cui bono fuisset perire eum, de cuius morte quæreretur. Ob quã seueritatẽ, quo tempore Sex.Peduceus Trib.pl. criminatus est L.Metellum Pont. max. totumq; collegium Pontificum malè iudicasse de incesto uirginum Vestalium, quòd unam modò Aemiliam damnauerat, absoluerat autem duas, Martiam & Liciniam: populus Cassium creauit, qui de eisdem uirginibus quæreret. Isq; & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam (ut existimatio est) asperitate usus, damnauit. Asconius Pedianus in orat.Cic. pro Milone. Idem pro Roscio sic de illo loquitur: L. Cassius ille, quem populus Rom. uerissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quærere solebat, Cui bono fuisset. Hunc quæsitorem ac iudicem fugiebant atque horrebant ij, quibus periculum creabatur: ideo quòd tametsi ueritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quàm implicatus ad seueritatem uidebatur.

Iustinus Curopalates Imp. cùm ob ualetudinem raro in publicum prodiret, multos ad inferendam aliis iniuriam, quasi nullus earum uindex esset, audaciores reddidit. Multis de iniuriis conquerentibus, QVIDAM accessit, qui pollicebatur, si præfectus crearetur, ad certum tempus neminem inuentum iri cui fieret iniuria. Persuasus Imp. hominem præfectum designat. Eo pro tribunali sedente, cùm quidam senator, accusatus à uidua quam omnibus bonis spoliarat, se nõ sisteret, sed contemto apparitore ad Imp. conuiuium se conferret, quò inuitatus erat: Præfectus subsecutus, è conspectu Imp. hominẽ abreptum, causam dicere, damnatumq; uiduę satisfacere coëgit. Zonaras & Cedrenus.

Seuerissimus omnium apud VENETOS magistratuum decemuiratus, & ut uirorum numero ei, qui olim Romæ fuit, ita terribili potestate penè par. Maiestatis crimina, cinædicam fœditatem, numorum adulterationem, aliaq; atrociora scelera, seuera uindicant animaduersione: nec reo licet per se, aut per patronum aliquem causam dicere: pro collegio aliquis existat oportet, qui rei causam quoquo modo agat. Quicquid ab iis iudicatum fuerit, prouocatione caret: ipsorum est, non alterius, si quid statuerint, mutare: sed id tale est, ut postea mutari possit, poterunt & illi, qui anno circumacto eorum loco surrogati fuerint. Illud sanè in eo magistratu formidabile, quòd illius iudicia nullis extant literarum monumentis, ut quod semel iudicatum sit, nulla queat potestas rescindere. Constat iam inde à Petri Gradonici principatu magistratum ipsum in ciuitate institutum. Sab. de Venetorum magistratibus.

DVCES erga MILITES, Subditos.

Consule T.t. Pœna militum proditorum, trãsfugarum, defectorum, inobedientum, sub loco Iustitiæ. Illic inæqualitatis, qui corrigitur: heic uindictæ, per quam corrigitur, ratio habetur. Illic alieni mali correctio, heic proprij impetus in ulciscendo moderatio perpenditur.

CLEARCHVS Lacedæmoniorum dux, egregio dicto disciplinam militiæ continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando. A militibus imperatorem potiùs quàm hostem metui debere. Quo apertè denũciabat futurum, ut spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent. Idq; à Duce præcipi non mirabantur, maternarũ blanditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant, ut aut uiui cum armis in conspectum earum uenirent, aut mortui in armis referrentur. Valerius Maximus libro secundo, cap.2.

LAMACHVS castigauit quendam è ducibus, qui deliquerat nescio quid. Et quum ille dixisset, Non iterum isthuc committam: Ne possis quidem, inquit, in bello peccare bis. Error enim in bello mors est. Plutarchus in Regum apophth. Stob serm.52. Ant. Melissa par.1. serm.67.

Multæ militares nonnullæ maiores, quæ capitis supplicio luebantur, pleræq; minores, pro ut grauiter aut leuiter delictũ esset, facinorosis & delinquentibus militibus, necessario ad rem militarem exemplo, à ducibus inferri solitæ sunt: quibus sanciuerunt militaris imperij disciplinam, ut ignauus & contumax miles, prout segnis negligensque, aut affinis culpæ fuisset, ita acri & seuero iudicio uel leniori pœna notaretur. Nam desertores, seditiosos & fugitiuos, aut si loco statione uel præsidio cessissent, tergáue dedissent, aut è castris effugissent: tanquam pessimo facinore adstrictos, capitali pœna plectere solebat. Nonnunquam, ubi multitudo obnoxia foret, auctores turbarum ad palum deligare, aut securi percutere: reliquæ uerò multitudinis decimum quemque sorte ductum ad supplicium petere, peruulgata pœna fuit. Qui aciem reliquissent, aut infrequentes ad signa conuenirent, fustuario plectebantur. Præsidio uerò signa decessisse, semper capitale fuit. Si quæ uerò cohortes signa fœdè amisissent, nisi noxam, cuius arguebantur, purgassent, in eas more maiorum quandoque capitali supplicio, plerunque leuiori pœna sæuitum est. Quare pro frumento hordeum dare, uel extra uallum sine tentoriis relinquere, nonnunquam milites in prima acie inducere, aut districtis gladiis discinctos destituere, uariisq; ignominiis afficere solebant: ut his contumeliis coerciti, intentiùs mandata exequerentur, deincepsque ad subeunda pericula paratiores forent. Eos, qui pugnam detrectassent, aut secessionem fecissent, quique erant fugæ & pauoris insimulati, quique segnes & cunctabundi arma cepissent, leuissima nota erat iureiurando adigere, non aliter quàm stantes, quoad stipendia facerent, cibum potumque capturos: aut traditio pugillarium, quos taciti statim legerent. Ob minora uerò & leuioris noxæ crimina, uel locum & ordinẽ in acie mutare, uel stipendium anni differre militibus, neque his æra procedere, qui ære deruti dicebantur, aut in politia uel in frequentia notare, uel citra commoda stipendiorum exauctorare: illosq; sine uel locum in quo tenderent in castris adimere: illosq; sine pellibus tabernacula habere, ut humi & sub dio accubarent: uel ne in oppidis hybernarent, inhibere solebant. In politia autem & in frequentia notabantur hi, qui rudibus & parum nitidis armis, uel strigosiori equo & macie affecto utebantur, quique prædicto ad pugnam die, occasionibus quæsitis, contumaciùs parerent: quæ mora excusabat, si fu- nerit

neris paterni uel sacrificij gentilis, auspiciiúe, aut morbi sontici, uel feriarum causa, ad constitutam diem non adessent. Qui uerò arma alienasset, aut illa amisisset, propter inertiæ turpitudinẽ ęquè ac desertor morte luebat. Inter animaduersiones militares leuissima est admonitio, castigatio minor, depręsa maior, ignominia maxima. Ideo milites, in quos lege militari, castigatione aut admonitiõe animaduersum est, nõ propterea ignominia notati erãt. Militem militiæ gradu deiicere, aut exauctorare, uel equum illi adimere, ipsumque uitibus aut uirgis cædere, seu equo detrahere, uel hastas dare iubere, quæ censio hastaria dicta est, non pro leui noxa, sed pro acri delicto, magnæ animaduersionis loco à ducibus inferri solita sunt. Hastas dare iubebantur milites, quibus propter probra ignauiæ & luxuriæ, hasta adimebatur. Etenim sicut gloriæ causa fortes uiri donabantur hasta pura, hi, qui primùm uictores in prælio fuissent: ita ignauis & contumacibus adimebatur. Hoc notabat, tanquam spes merendi stipendia illis ademta foret. Alexander libro secundo, cap.13.

M.CVRIVS consul, cùm delectum subitò educere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus tribubus: Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari iussit: neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subiecit. Quòd ut illi nunciatum est, ad consulum tribunal cucurrit, collegiumque tribunorum appellauit. Tunc M.Curius præfatus, non opus esse eo ciue Reipub. qui parére nesciret, & bona eius & ipsum uendidit. Valerius lib.6.c.3.

PAPYRIVS Cursor Dictator, cùm aduersus imperium eius Q.Fabius Rutilianus magister equitum, exercitum in aciem aduersus Samnites eduxisset: quanquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque uirtute eius, neque successu, neque nobilitate motus, uirgas expediri, eumque nudari iussit: frustraque Rutilianus, cùm in urbem aufugisset, Senatus, Tribunorumque auxilium implorauit. Supplicem Tribuni non tuebantur. Sed re ad populum perducta, & patris & populi precibus, qui pro Dictaturæ imperio cogi non poterat, Papyrius cessit: hoc tamen testatus antea, non pœnam se Fabio, sed populo Romano & Tribunorum potestati & auctoritati concedere. Valerius Maximus libro secundo, capite secundo, & Plinius de Viris illustribus. Eutropius libro secundo.

IDEM equitibus petentibus, ut pro re bene gesta aliquid laboris remitteretur, Ne nihil (inquit ille) remissum dicatis, cũ ex equis descenderitis, ne dorsum demulceatis. Et Prænestinorum prætorem, qui cunctantiùs suos ex subsidiis in primam aciem eduxerat, ad se accersitum, quum fortè ante tabernaculum inambularet, sola uoce penè exanimauit, lictorem in alium usum securim expedire iusso. Enimuerò ille in se ferrum stringi arbitratus, quum uix pedibus subitò perculsus metu consisteret: Lictor (inquit Cursor) radicem hanc mihi excidito, ambulantibus incommodam. Sabellicus libro 5. Ennead.4.

Disciplina militaris hoc Cn.PISONIS iudicium, si non excusare poterit, nihil crudelius, nihil usquam inhumanius inuenire potest. Quidam ex commeatu sine commilitone redierat. Cùm, præterquàm quòd id fieri uetitum esset, eum interfecisse, quem non exhibebat, apud Cn. Pisonem insimularetur: roganti aliquod tẽpus ad conquirendum, non dedit. Itaq; damnatus extra uallum ductus est. Sed ecce, dum ceruicem porrigeret, subitò apparuit ille commilito, qui occisus uidebatur: ideoque Centurio supplicio præpositus, iusserat spiculatorem gladium condere: necnon summa cũ gratulatione damnatum ad Pisonem reduxerat. Verùm ipse tribunal ascendit: statimque & hunc rursus duci iussit, quia causa damnationis commilitoni fuisset: & Centurionem, qui iussus occidere, Imperatori non paruisset. P. Aerodius ex Seneca lib.1. de Ira.

Cùm ALEXANDER Seuerus Imp. expeditione Parthica uenisset Antiochiam, ac milites lauacris muliebrib. & deliciis uacarent: omnes eos comprehendi iussit, & in uincula coniici. Quod ubi compertum est, mota seditio est à legione, cuius socij erant in uincula coniecti. Tum ille tribunal ascendit, uinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, Continete, inquit, uocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne uos hodie omnes uno ore atque una uoce Quirites dimittam: & incertum, an Quirites. Non enim digni estis, qui uel Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis. Et cùm uehementiùs fremerent, ac ferro quoque minarentur: Deponite, inquit, dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim unum hominem occideritis, non nobis deerit respub. non senatus, non P.R. qui de nobis uindicet. Cũ nihilominùs post ista fremerent, exclamauit: Quirites discedite, atque arma deponite. Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diuersoria uaria recesserunt. Tuncque primùm intellectum est, quantum eius seueritas posset. Denique etiam signa stipatores & hi, qui Imperatorem circumdederant, in castra retulerunt: arma collecta populus ad palatiũ tulit: eam tamen legionem, quam exauctorauit, rogatus per dies XXX, priusquam ad expeditionem Persicam proficisceretur, loco suo restituit, eaq; pugnante maximè uicit: cùm tamen tribunos eius capitali affecerit supplicio, quòd per negligentiam illorum milites apud Daphnen luxuriati essent, uel per conniuentiam seditionem fecissent exercitus. Lampridius in Alexandro Seuero.

IDEM, cùm quandam aniculam affectam iniuriis à milite audisset, exauctoratum eum militia seruum ei dedit, quòd artifex carpentarius esset, ut eam pasceret. Et cùm dolerẽt hoc milites factum, persuasit omnibus, ut modestè ferrent, & eos terruit. Idem.

Tanta in AVRELIANO Imp. fuit seueritas, ita militibus formidolosus, ut post unam castrensem animaduersionem nemo sub eo deliquerit ampliùs. Militem, qui hospitis uxorẽ adulterauerat, duabus diuersis arboribus ui inflexis alligatum, subitoque remissis, atrociter laniauit. Illius epistola ad Tribunum militum, quem præsidio præfecerat; talis extat: Si uis tribunus esse, imò si uis uiuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo attingat, uuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, salem, ligna nemo exigat: sua quilibet sit annona contentus. Hostili præda non prouincialium lacrymis ditescant: arma detersa sint, calceamenta fortia: noua uestis ueterem excludat: stipendium in baltheo habeat, non in pompa. Torquem, armillas & anulum deponat eques, saginarium equum defricet, captum animal non uendat, alius alij, ut famulus obsequatur: à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitiis castè se habeant: qui litem fecerit, uapulet. Extat & Valeriani epistola ad Antonium Gallum consulem scripta, qua apertè testatus est se filium Aureliano instituendum idcirco credere noluisse, quia nimiæ esset seueritatis: timuisse se, ne si quid ille pueriliter deliquisset, acerbiùs ab eo plecteretur. Sab.lib.7.En.7.

Quum facilis esset in alios TOTILAS Gothorum rex, à suis disciplinam militarem seuerissimè exigebat, ut nihil impunè delinqueretur. Rapere aliena, aut uim inferre capitale erat, sequebaturq; supplicium bonorum publicatio. Sab.lib.3.En.8. & Cranzius lib.3. Sueciæ, c.7.

CANVTI II. Danorum regis legè, milites pro asseruandis equis alternis uicibus excubabant. Qui adaquandi tempore ita sodalis equo usus fuisset, ut ipsum continuè, nec modò suum, modò illius uicissim insidendo premeret, multabatur. Qui uerò tribus fasciculis in stabulum coniectis, equo suo communis pabuli spicam, alieno stipulam admouisset, militia aut turpiter uti, aut deformiter excedere cogebatur. Ac ne quis socio flumen transequitanti, ita equo concurreret, ut ad ipsum turbulentior unda deflueret, pari industria cautum. Saxo lib.10.

Iacobus Mẽdezius Vasconcelius, ab Emmanuele rege Lusitaniæ in Indiam missus, ad Malacense regnum inuadendum, ALFONSO Albuquercio Indiæ prætori in subigẽdo Goæ regno fidelem nauauit operã. Pòst ab eo petiit, ut classem, qua erat Malacam (quod sibi munus fuerat iniunctũ) petiturus, instrui iuberet. Albuquercius multis uerbis eum ab instituto deducere conatus est: opus esse difficillimũ, quod non nisi classe maxima confici posset, instante præsertim bello Sultanico. Vasconcelius grauiter offensus, se Malacã omnib. inuitis petiturũ affirmauit. Tũ Albuquercus illi & ducibus, qui comites illius erãt, exilij, magistris atq; nautis extremi supplicij pœnam proposuit, si è portu iniussu ipsius soluerent. Nihilominùs ille cum reliquis ducibus una nocte anchoris solutis è portu discessit. Albuquercius duces alios confestim misit, qui triremibus & scaphis instructis illum consequerentur. cumque parere nollet, tormentis nauem eius uerberare instituunt, & illi exitium minitantur, nisi statim in portum, unde soluerat, rediret. Rediit tandem, & in custodiam traditus est: lataque sententia fuit, ut *is* uinctus in Lusitaniam duceretur: & quidam ex nauarchis, Hieronymus Cernichius nomine, quia suasor & impulsor audaciæ fuerat, & acriùs, quàm reliqui omnes, Albuquercij imperio restiterat, securi feriretur: & magistri, qui imperium audaciùs contemserant, suspenderentur. Duo ex magistris continuò ad suspendium adacti sunt. Reliqui ducebantur. Sed cùm legatus regis Narsingæ, & legatus etiam Regis Cambaiæ, nobilitatis Lusitanæ precibus adducti, ad Albuquercium adiissent, & illum suppliciter orarent, ut erratis hominum illorum ueniam præberet: is omnibus, qui nondum morte affecti fuerant, ignouit, eosque exilio multauit: nauarchos nauium præfectura priuauit, & exilij gratia in Lusitaniam deduci iussit. Osorius libro 7. rerum Emmanuelis.

MILITES erga DVCES.

Exempla quædam ex Tit. Odii militum erga suos duces, petenda, quatenus præter odium, uindictam quoque iunctam habent.

Post communem omnium GRÆCORVM in Asiam cum Cyro minore factam expeditionem, eorumque reditum in patriam, placuit inprimis exercitum lustrari: deinde iudicia constitui de iniuriis omnibus, quæ à Cyri interitu ad illum usque diem commissæ essent à Ducibus, Tribunis seu Imperatoribus, aut erga milites, aut in eo quod quisq; malè administrasset. Centurionibus res cognoscenda permissa est. Itaque Philesius & Xanthicles repetūdarum damnati sunt, quòd ex pecunia, quam seruandam acceperant, minas uiginti suppilassent: quare alterum tantùm rependerunt. Sophenætus, quòd Dux omnium suffragio in demortui Clearchi locum renunciatus, munus hoc recusasset, decem minis multatus est. Nam utrumque, aut spernere sibi collatum beneficium, aut operam suam & industriā ciuibus suis nolle accommodare, superbum atq; inuidiosum esse. Porrò & Xenophon accusatus est, quòd nonnullos milites ipse sua manu, neque iussu exercitus, pulsasset, cecidisset: sed absolutus. Xenophon lib. 5. Cyri expedit.

Milites, à Belisario ad custodiam urbis Romæ à Totila derelictæ relicti, CONONEM ducē obtruncarunt, crimine oblato, quòd frumentum cum sui iactura & mercaretur, & uenderet: sacerdotesq; quosdam ad Iustinianū Imp. miserunt, petitum, ne cui fraudi illius perpetratio facinoris esset, sed eius in perpetuum memoria deleretur, & debita stipendia soluerentur. Sigonius libro decimonono Imp. occid. ex Procopio.

PARENTES erga LIBEROS.

Magna est parentum erga liberos mansuetudo, eaq; naturalis: maxima ergo legitimæ seueritatis laus esse debet, quæ naturalem affectum iustitiæ & æquitati parere cogit. Eapropter cæteri quoque Exemplorum scriptores titulum istum κατ' ἐξοχὴν tractauere.

NOE, cùm post uini haustum senex parùm cautè humi prouolutus iacuisset, risit impius Cham uerenda patris: quæ auersi adeuntes contexère cæteri fratres pallij iniectu, id spectaculum, ut dirum & detestabile, auersati. Vltus est eam contumeliam Noë, Chamū impietatis damnatum perpetuo multauit exilio.

Cùm SAVLVS, primus Iudæorum rex, Palæstinos insequeretur, qui Ionathæ filij uirtute in fugam conuersi erant, sacramento milites obstrinxit, Ne quis in exercitu cibo usq; ad noctē uesceretur: ut sine intermissione omnes, dū territi essent hostes, persequerentur. Cùm autem Ionathā (qui sacramento illi non interfuerat, in præsidiariis militibus obtruncandis occupatus) ualde defessus, fortè oblatum sibi fauū mellis inuenisset, paruamq; ex eo partem sumsisset: id Saulus ut sortibus resciuit (nam propter uiolatum iusiurandum oraculum obmutuerat) Ionatham comprehensum morte affecturus erat, nisi orto tumultu, milites eum è patris manibus eripuissent. Ex 1. Reg. 14.

STAPHYLVS, Dionysij filius, Rhœo filiam suscepit, quā Apollo compressit. Id ubi resciuit pater, coniectam in arcam demisit in mare. Illa uerò diuinitùs ad Eubœæ antrum appulsa, puerum peperit, ac Anium dixit, διὰ τὸ ἀνιαθῆναι δι' αὐτὸν, quia ob eum multam sensisset tristitiam: Anium autem in Delum Apollo transtulit, qui & uxorem duxit Dorippem, ac genuit Oeno, Spermo, Elaida: quibus id impartiuit Dionysius, ut quicquid tangerent, in triticum statim uerteretur, & uinum ac oleum: unde dictæ Œnotropæ, quasi in nouas formas omnia uertentes. Scribit Pherecydes, Anium hunc Græcis illuc profectis persuasisse, inibi nouem annis permanere: quoniam ab diis statutum foret ita, Ilium decimo tandem anno posse capi. Cælius libro 7. capite 15. Antiquarum lectionum.

Macareus AEOLI Thuscorum regis filius, amore sororis captus, eam uiolauit. Pater re cognita filiæ mittit ensem, quo accepto necem sibi consciuit: idemq; paulò pòst Macareus fecit. Sostratus lib. 2. rerum Tuscanicarum, ut Plutarchus cap. 52. Parall. refert.

HIPPOTVS in Oleno iratus filię Peribœæ se ex Marte grauidam asserenti, ad Oeneum regem Calydoniæ in Aetoliam misit, iubens ut eam quamprimùm perimeret. At ille cùm recens uxor filiusque decessisset, contemto patris mandato, illam uxorem cepit. Ex qua filius ortus est Tydeus. Diodorus libro 4. cap 2.

CERCYON filiam Alopem, quæ Neptuno Hippothoontem peperit, in ipso partu interfecit, in agro Eleusinio, ubi adhuc sepulcrum eius spectatur. Pausanias in Atticis.

SCYTHA Scythiæ rex, Idæam filiam ob perfidiam in priuignos, Phinei regis Thracię filios, morte damnauit. Hos enim falsis accusationibus apud patrem ita traduxerat nouerca, ut eos uerberibus cæsos in terram uiuos defodi imperauerit. Idque factum esset, nisi duce Hercule ab Argonautis tam crudeli iudicio erepti fuissent, occiso Phineo, & Idæa, apud patrem ab iisdem accusata. P. Aerodius ex Diodori libro quarto.

TENNES rex Tenediorum, cùm legem promulgasset, ut si quis adulterum deprehendisset, securi trucidaret: intellexit mox filium in hanc legem peccasse. Vnde cùm rogaretur, quid faciendum esset? Lege utendum, inquit: securi percutiatur. In altera ergo parte numismatum suorū securim insculpsit, in altera uiri atq; mulieris faciem ex uno colle dependentem. Eo factum est, ut de summa seueritate diceretur, Tenedia securi percussum esse. Historiam recitat Heraclides in Polit. Paulò aliter Pausanias lib. 10.

AEACVS filios duos, Phoci tertij filij ex Psamathe, Nerei filia, interfectores, Peleum scilicet & Telamonem, in exilium eiecit. Antoninus Liberalis ex Nicandri primo Alteratorū.

REX Thracum Bysaltiorum, cùm Xerxes Græciæ bellum inferret, aufugit in montem Rhodopen. Sex uerò suis filiis consulebat, ne contra Græciam arma caperent. Verùm cùm illi patri morem non gessissent, reuersis omnibus oculos eruit. Aelianus de Varia histor. libro quinto, & Herodotus libro octauo.

ARTOXERXES, Darij Hystaspis nepos, qui de regno cum Cyro fratre disceptauit, ex centum quindecim uxoribus & pellicibus plures habuit filios: quorum tres iusto erant matrimonio nati, Darius, Ariarates, & Ochus. Darius maximus natu præter Persarum morem, ubi nisi cum mortere gis imperium non mutatur, à patre adhuc uiuo regio est fastigio collocatus. Cæterùm ille post insuetum paternæ pietatis exemplum, cum quinquaginta fratribus, quos cogitati sceleris socios sibi asciuerat, capitales patri insidias instruit. Nec causa minùs scelesta, quàm consilium: quòd Aspasiam paternarum pellicum unam insigni forma ab eo non impetrasset, interficiendi patris consilium ceperat incestus filius. Cæterùm sceleris conuictus, cum fratribus nefariæ coniurationis consciis, cognati parricidij pœnas diis paternæ maiestatis ultoribus dedit. Interfectæ cum his uxores & liberi, ne uestigium tanti sceleris extaret ullum. Ochus igitur in regnum successit, qui domesticas insidias ueritus, cognatorum sanguine & strage regiam domū fœdauit. Sabellicus lib. 4. En 4.

RHACONES, natione Persa, genere autem Mardus, cùm septem haberet filios, & ex his Cartomes omnium minimus natu, magos & sapientes multis damnis affligeret: primùm eum pater instituere, & amicis uerbis in uiam reuocare tentabat. Verùm cùm ille nullam disciplinam admitteret, & quodam tempore uicini iudices eò uenirent, ubi Rhacones habitabat: ille comprehensum filium, manibus in tergum reuinctis, ad iudices duxit. Ibi quæcunque unquam per audaciam deliquisset, cum accusatione commemorauit: & à iudicibus postulauit, ut adolescentem ad mortem raperent. At illi animis consternati, suis sententiis eum condemnare noluerunt, sed utrumque ad regem Persarum Artaxerxem adduxerunt. Mardo uerò semper instante, & eadem contendente, excipiens rex ait: Potésne etiam ferre, ut filius in tuo conspectu uita priuetur? Qui cùm respondisset, se posse: addit, Quum in horto nascentium lactucarum surculos amaros defringo & amputo, tantum abest, ut dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, ut etiam magis efflorescat, itē magnitudine & dulcedine plus augeatur. Ad eundem modum ego, ô rex, cùm uidero eum, qui meam familiam lædit, & uitæ fratrum officit, obstatq;, uitam amittere, & à suis in ipsos iniuriis prohiberi: etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam. Quibus auditis Artaxerxes, Rhaconē collaudauit, & in collegium iudicū cooptauit, his uerbis præsentes allocutus: Qui tam seuerè & iustè de propriis liberis audet pronunciare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum & sincerum iudicem se præstabit. Adolescentem autem præsenti culpa liberauit, grauissimam mortem interminatus, si in posterum in crimine deprehenderetur. Aelianus lib. 1. de Varia hist.

Apud LACEDÆMONIOS, si puer à præceptore uel alio castigatus ob cōmissum delictum, querelam ad patrē detulisset: turpe erat patri, si hoc audito, non iterum filium uirgis erudisset. Siquidem ex institutione maiorum habebant hāc de se mutuò fiduciam, ut crederent, neminē esse, qui cuiusquam liberis, quos quisq; pro suis habebat, quicquā imperaret inhonestum. Plut. in apoph. Laconicis.

Pausaniam Cleombroti F. regem clariss. ob proditionē Spartani comprehensuri erant. Id ille præsentiens, in templum Palladis æneū confugit. Dubitantibus tum Lacedæmoniis, num fas esset supplicem abstractum ab aris deposci ad supplicium: fama est Pausaniæ matrem THEANO, ut Polyæno placet, uel Anchithean, uti Suidæ uidetur, id templū petiisse, taciturnamq; intrasse, neq; quicquam præterea illic agitauisse, quàm laterem, quem tectum secum attulerat, in limine templi deposuisse: moxque hoc peracto, domum se recepisse. Tum Lacedæmonios matris iudicio & facto admonitos, aditus templi omnes muro obstruxisse: atque ita per inediæ necessitatem consumta uita, expirasse Pausaniā. Diodorus lib. 1.

SPARTANA filium è bello fugientem interfecit. Tymneus in 3. Epigrammatum:

Τὸν παρβάντα νόμως Δαμάτριον ἔκτανε μάτηρ,
ἁ Λακεδαιμονία, τὸν Λακεδαιμόνιον.
θηκτὸν δ' ἐν προβολᾶ θεμένα ξίφος, εἶπεν, ὀδόντας
ὀξὺν ἐπιβρύκουσ', οἷα Λάκαινα γυνή,
ἔρρε κακὸν σκυλάκευμα, κακὰ μερίς, ἔρρε ποτ' ἅδαν,
ἔρρε, τὸν οὐ Σπάρτας ἄξιον ἐτρέφομες.

Paucis sic Latinus uertit poeta:

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonio.

QVÆDAM alia ex prælio redeuntem filium, cùm interrogasset, Quo in statu res patriæ uersarentur? & is, Mortuos omnes, respondisset: arreptam tegulam, in filij caput ita impegit, ut eo uulnere moreretur. Dixit enim: Ergo te solum ad rem tam sæuam tristemque nuncium uiri fortes miserunt? Plutarchus in Laconicis.

Cùm Spartam uenissent Chij quidam exules, apud Ephoros Pædaretum gubernatorem accusantes, id ut mater eius TALANTIA intellexit, Chios ipsos ad se uocauit: diligenterq; audita eorum querimonia, cùm haud iniustè queri arbitraretur, ipsa de filio statuere uoluit. Ad quē literas in hęc uerba scripsit: Aut te melius in Chij administratione gerito, aut isthic perpetuò maneto, neq; domum redeas. Quòd si Spartam redieris, non est, quòd ultra te uicturum speres. Idem.

Libet hic Palladæ epigramma ex primo Græcorum Epigrammatum propter uenustatem inserere, de SPARTANÆ matris seueritate:

Φεύγε λάκων ποτὲ δῆριν, ὑπαντιάσασα δὲ μήτηρ,
εἶπε, κατὰ στέρνων ἄορ ἀνασχομένη,
ζώων μὲν σέο ματρὶ διαμπερὲς αἶσχος ἀνάπτεις,
ἐκ κρατερῆς Σπάρτας πάτρια θεσμὰ λύεις.
ἢν δ' θάνῃς παλάμῃσιν ἐμαῖς, μάτηρ μὲν ἀκούσω
δύσμορος, ἀλλ' ἐν ἐμῇ πατρίδι σωζομένα.

Aliud eiusdem, de QVADAM alia:

Γυμνὸν ἰδοῦσα Λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
παῖδ' ἑὸν ἐς πάτρην ὠκὺ ἰέντα πόδα,
αὐτὴ ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ·
ἀλλότριον Σπάρτας ἄπεν γένος, ἔρρε ποτ' ἅδαν,
ἔρρε, ἐπεὶ ψεύσω πατρίδα καὶ γενέταν.

EPAMINONDAS Thebanus filium suum Stesimbrotū, quē contra Lacedæmonios eduxerat, quòd præter mandatum se absente cum hoste dimicasset, licèt uictor euasisset, securi percussit. Plut. in Parallelis.

ALEXANDER cùm reprehenderetur ab uxore, quòd filium inutilē abdicasset, diceretq; Ex eo esse, cùm expuisset in terram: Et hoc, inquit, ex me est, at non utile. Maximus sermone uigesimotertio.

ARISTIPPVS philosophus, incusante quodam, quòd filium sic abiiceret, negligeretque, quasi ex ipso natus non esset: An non, inquit, & pituitam & pediculos è nobis natos, uelut inutiles, procul à nobis abiicimus? Sensit, eos non habēdos pro filiis, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui cōmendent, nisi quòd ab ipsis progeniti sint. Ita senex in Comœdia: Tantisper te uolo meum, dum id quod te dignum est facis. Laërtius lib. 2.

ZALEVCVS legem statuit Locris, ut in adulterio deprehensis eruerentur oculi. Quam legem quum filius eius temerasset, & propterea utroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem pœnam adolescenti remitteret, repugnauit aliquādiu: postremò populi uictus precibus, suo prius, deinde filij oculo eruto, salua lege, supplicij modum temperauit. Erasmus in Adagiis.

Aeschines aduersus Timarchum refert, Athenis fuisse QVENDAM tantæ seueritatis, ut filiam, quòd impudicè se gessisset, nec integritatem suam seruarit usque ad matrimonium, deportarit in locum desertum, atque ibi unà cum equo inclauserit haud dubiè fame perituram. Eiusq; domicilij solum sua etiamnum ætate superfuisse tradit, quòd ex re dicebatur, παρ' ἵππον καὶ κόρην, id est, apud equum & uirginem. Erasmus in Adagiis.

L. Iun. BRVTVS post exactos reges primus Romanorum consul, cùm per Vindicium Aquiliorum seruorum cognouisset Titum & Sempronium (Plutarchus Valerium habet) filios, ad recipiendos in urbem Tarquinios, cum Aquiliis & Vitelliis coniurasse, uinciri eos iussit, & utrumque nomine compellās: Age, Tite, inquit, age Valeri, quid respōdetis ad crimina hæc? Vbi ter interrogati nihil responderunt, tum ad lictores conuerso uultu: Iam reliquæ, inquit, uestræ partes sunt. Illi confestim iniiciunt adolescentibus manus, togis spoliant, manibus pòst tergum illigatis corpora uirgis cædunt. Ibi aliis oculos auertentibus, nec spectaculum illud ferentibus fama est, faciem illum nusquam aliò detorsisse, nec misericordia quicquā de solita uultus austeritate & seueritate mutauisse: sed toruè filios in medio supplicio intuitum, dū humi extensos securi percussēre. Inde permittens reliquos collegæ, discessit. Plut. in Poplicola. Liuius lib. 1. Dec. 1. Dionysius lib. 5. Florus lib. 1. c. 9. Val. Max. lib. 5. c. 8. Eutropius libro 1. c. 11. Oros. lib. 2. c. 5.

T. MANLIVS Torquatus bello Latino consul, filium suum Manlium, quòd se absente prouocatus à Gemino uel Genutio Metio, Tusculanorum equite ad dimicādum descendisset: gloriosam uictoriam & speciosa spolia reportātem, abripi à lictore, & in modum hostiæ mactari iussit. Liuius libro octauo, Dec. 1. Florus lib. 1. cap. 14. Valerius Maximus libro 2. de Militari disciplina. Gellius libro 9. cap. 13. Plinius cap. 26. de Viris illust.

T. MANLIVS Torquatus, præter egregia facta, iuris quoque ciuilis & sacrorum pontificalium peritissimus: cùm ad Senatum Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eā prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset, à P. C. petiit, ne quid antè de ea re statuerent, quàm ipse Macedonum filiiq; sui causam inspexisset. Summo deinde tum amplissimi ordinis, tùm etiam eorum, qui questum uenerant, consensu, cognitione suscepta, domi consedit: solusq; utrique parti per totum biduum uacauit: ac tertio die plenissimè diligentissimeq; auditis testibus, ita pronunciauit: Syllanum filium meum pecunias à sociis accepisse, cùm mihi probatum sit, & Reipub. & domo mea indignum iudico, protinusq; è conspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia percussus Syllanus, lucem ulteriùs intueri non sustinuit; suspendioq; se proxima nocte consumpsit. Torquatus neq; adolescentis exequiis interfuit: & cū maximè funus eius duceretur, consulere se uolentibus uacuas aures accommodauit. Val. Max. lib. 5. c. 8.

A. POSTHVMIVS Tubero, magister equitum, & in bello cōtra Volscos à Q. Cincinnato consule Dictator dictus, de eisdem triumphauit. Quam uictoriam funestauit mors filij, uiri magna uirtute: quem; quòd contra iussa eius feliciter data occasione cum hostibus pugnasset, securi percussit. Ex Liuio lib. 4. Dec. 1. Val. Max. lib. 2. de Mil. discip.

M. FABIVS Cæsar, Fabium Buteonem filium, furti insimulatum, capitis reum egit, & ultimo supplicio affecit. Alex. ab Alex. lib 3. c. 13.

SP. CASSIVS, filium, qui Trib. plebis Agrariam legē primus tulerat, multisq; aliis rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat: postquam illam potestatē deposuit, adhibito propinquorum & amicorum consilio, affectati regni crimine domi damnauit, uerberibusq; affectum de Tarpeia rupe (qui mos tunc erat in Romanos animaduertendi) præcipitari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit. Val. Max. lib. 5. cap. 8. & Sab. lib. 3. cap. 1. & lib. 1. Enn. 3. ex Liuij lib. 2. Dec. 1.

M. SCAVRVS, lumen ac decus patriæ, cùm apud Athesim flumen impetu Cimbrorum Romani equites pulsi, deserto cōsule Catulo pauidi urbem repeterent: consternationis eorū participi filio suo misit, qui dicerent, Se libētiùs in acie eius interfecti ossibus occursurū, quàm ipsum tam deformis fugæ reum uisurum. Itaq;, si quid modò reliquum in pectore uerecundiæ superesset, conspectum degenerati patris uitaturum. Recordatione enim iuuentæ suæ, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur. Quo nuncio accepto, iuuenis coactus est fortiùs aduersus semetipsum gladio uti, quàm aduersus hostes usus fuerat. Valer. Max. lib 5. c. 8. & Plut. c. 72. Paral.

Nec minùs animosè A. FVLVIVS, uir Senatorij ordinis, euntem filium in aciem retraxit, quàm Scaurus è prælio fugientem increpuit. Namq; iuuenem & ingenio, & literis, & forma inter æquales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra eius temerario impetu ruentē; in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit: præfatus, Non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Licuit, donec ciuilis belli rabies præterierit, inclusum arcere. Verùm illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur. Val. Max. lib. 5. c. 8.

Q. FABIVS Seruilianus, quum suspectam haberet filiæ pudicitiam, eam morti dedit: demùm uoluntario secessu conspectum patriæ uitans exulauit. Valerius Max.

AVGVSTVS Cæsar, cùm Iulias filiam & neptem, item Agrippam (quas tria carcinomata sua uocare solebat) nocturnis compotationibus indulgere, & se Iulio Antonio atque aliis prostituere turpiter intellexisset: iratus filiam in Pandateriam insulam Campaniæ proximam relegauit, scortatoribus interfectis. At cū populus orasset, ut eam restitueret, respondit: Citiùs ignē aquā cōmisceri. Itaq; populus multum

ignem in Tiberim proiecit, sed tamen nihil profecit. Tandē tamen impetrauit, ut ex insula in continentem reduceretur. Dion & Suetonius.

HERODES Iudæorum rex, qui Aristobulum & Alexandrum filios innocentes, Antipatri fratris insidiis circumuētos, trucidarat, tandem Antipatrum in manifesto cogitati parricidij crimine deprehensum, in uincula coniectum interfecit. Iosephus lib. 17. Antiq.

Drusum, Tiberij filium, petulantia insignem, immiti adeò & sanguinaria fuisse natura, scribit Dion, ut enses præacuti ab eo Drusiani ceperint dici. Quibus quum angeretur TIBERIVS, Me (inquit) superstite nihil efficies uiolentum, ἐδ' ὑβρισκὸν: quòd si ausus fueris, ἐδὲ πλουτήσων τῷ. Cælius lib. 11. c. 13. A. L. ex Dionis lib. 57.

LEONTIVS, Tripolis Lydiæ episcopus, natione Mysus, ex iis, qui Istrum accolunt, cùm filium unum haberet, nō optimæ spei puerū, precibus (ut aiunt) impetrauit, ut adolescentulus moreretur: optimum ratus, cum ante susceptū aliquod dedecus defungi, lubricis uitæ casibus ereptū. Hunc Regulam ecclesiæ uocabant. Suidas.

Carolomannum ducem Prouinciæ, cùm CAROLVS Caluus Imp. pater sacris initiatum & sacerdotiis locupletatum in se coniurationem facientem reperisset, sacrorum gradu deiectum, reliqua uenia impartiuit. Sed se mox iactantem ob id, sacris amotum, ne regni potens esset, luminib. priuauit. Cuspinianus & Fulgosus lib. 5. c. 8.

Dagobertus, CLOTHARII II. Francorum regis filius, admodum adolescens, Sadregisillum clarissimum uirum à patre designatum Aquitaniæ præfectum, detracta ueste loris cecidit, & ut ille barbam more eius ætatis aluerat, totondit, abrasitq;, quòd non quàm reuerenter filium regis oporteret, se ab eo obseruari existimaret: offensus in primis, quòd ille conuiuio frequenti contra se accumbendi locum legisset, poculoque ex eius manu, oblitus per uinum maiestatis, id quod tantùm inter pares fieri assoleret, ultrò sumto, bibisset. Ille deformatum os, lacerumque recentibus uerberum uestigiis tergum regi ostendit. Qua fœditate percitus, comprehendi filium iussit: apparebatque non leui defunctu rum pœna. Adolescens iram patris deuitabat, aliis atque aliis deinceps latebris se tegebat. Tandem unico filio, qui formidine, fuga pœnitentiaque satis pœnarum dederat, recōciliatus est rex: traditumq; frequenti fama, missos à rege ad Catuliacum Parisiorum uicum, qui filium ex spelunca ubi latitaret retraherent, suborto horrore, omnibusque membris captos ingredi non potuisse. Patrem ratum eos gratificantes filio regnaturo, uolentes, non inuitos arceri ab ingressu, cùm illuc se contulisset, eodem repentè pauore correptum, non antè quàm uenia filio data ingressum: eo loco corpora martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij, conditorio alta terra obruto, ad eam diem ignorata iacuisse: à martyribus per quietem admonitum Dagobertum ædem illis uouisse, quam rerum potens excitatam magnificentissimè excoluit. Aemilius lib. 1.

TREBELLIVS Bulgarorum rex (ea gens est Scythica, quæ cum Constantino fœdere inito, utrasq; Danubij ripas insedit) sacris Christianæ legis initiatus, relicto regno ei ex filiis, qui natu maior erat, in monasterium se condidit. Post aliquod tempus, cùm intellexisset, filium decreuisse ad gentilitatem redire: abiecto religioso cultu, arma resumsit, filiū regno oculisque priuauit, & minori natu filio regnum committens, ad monasterium reuersus est. Fulgosus lib. 5. cap. 8. & Sab. lib. 3. c. 3.

CANDIANVS Venetorum dux, filium Petrum in principatus societatem cooptarat, natu medium. Ille inita cum facinorosis quibusdam societate, sese unum principem neglecto parente constituere uoluit. Coactus tandem est pater filium, indicto exilio, expellere: ut omnes iureiurando sese astringerent, nunquam se esse passuros, ut aut uiuente pater, aut mortuo, illum Venetias reuocarent. Egnat. li. 5. c. 8.

Affixerat ANTONII Venerij, ducis Venetorum, Aloysius filius amicæ suæ ianuis (cui etiam iam antea in uia publica occurrenti osculum inuitæ obtulisset) bubula cornua, numero non pauca: indignatus illi, quòd sese illa aspernari uideretur, quem Ducis filium plebeij sanguinis puella expetere debuisset. (Sabellicus lib. 8. Dec. 2. matronæ patritiæ hāc factam iniuriam asserit.) Ea res ad Aduocatores delata, adeò graue insolensq; facinus est uisum, ut Quadragintauiralis consilij auctoritate captiuum Aloysium carceri incluserint, insuperq; damnatum perpetuò asseruandum curarint. Pater uerò Antonius grauiter illum ægrotantem quum accepisset, moxque etiam pestilenti morbo laborantem intellexisset: tametsi uniuersa ciuitas soluendum esse filium tanto supplicio duceret, nunquam tamen adduci potuit, ut solueretur. Egnatius libro quinto, cap. 8. & lib. 6. cap. 3. & Fulgosus lib. 5. cap. 8.

MICHAEL Donatus, patricius Venetus, filium suum indulgentiùs in omni uitæ parte agentem, sæpiùs admonens, ut resipisceret: uictus tandem nimia adolescentis pertinacia, publico eum carceri includendum curauit. Amicorum precibus uictus, quum præfecti carceris etiam multa bona de eo nunciarent, tandem dimisit liberum, domiq; secum habuit. Egnatius lib. 5. c. 9.

VENETVS quidam Plebeij sanguinis primogenitum suum sæpiùs castigatum atq; reprehensum, quum incassum facere iterum atque iterum animaduertisset, Aduocatorum auctoritate teterrimo carceri mancipauit. Veritus, ne reliqui liberi natu maximi licentiam imitarentur. Idem.

SIMON Vignosus, Genuensium classis præfectus, cùm in Oriente Chium insulam Genuensium imperio subegisset, & eo tempore edixisset, ne quis ex sociis naualibus uineam aut hortum accolarum eius insulæ peteret, pœnamque uirgarū edicto non parentibus proposuisset: Franciscum filiū (quem quidam Chij cùm non nossent, in uinea deprehensum, ad præfectum ipsum deduxerant) uirgis iuxta edictū, nulla in parte seueritate remissa, cædi iussit. Fulg. lib. 5. c. 8.

SOLIMANVS Rubeus, Patauinus nobilis, unicam filiam, cū pædagogo, quem domi ad nepotes instruendos habebat, in stupro deprehensam, pudicitiæ domesticæ ulciscendi causa, propriis manibus interfecit: stupratorem uerò captum, ac diu excruciatum, & deniq; multis confossum uulneribus, in profundas fossas Bruzioli, appenso ad collum saxo, deiecit. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

LIBERI erga PARENTES.

SANCII Ferdinandi, Garsiæ F. Castellæ comitis in Hispania, mater optans commercium cuiusdam principis Saraceni, statuit filium interficere, ut sic cum munitionibus & oppidis optatis nuptiis potiretur. Cùm poculo uenenum miscuisset, filius indicio pedissequæ matrem, ut priùs biberet, orauit: renuentem, coegit. Sic scelesta mulier periit. Sancius pœnitentia stimulatus construxit monasterium nobile, quod Oniam nominauit, eo quòd matrem uiuentem Mioniam more Hispanico appellabat. Rodericus Toletanus libro 5. rerum Hisp. cap. 5.

PATRVI erga NEPOTES.

PATRVORVM in nepotes, ceu peculiaris genuinaq; seueritas, prouerbio locum dedit. Horatius in Odis:

> Metuentes patruæ uerbera linguæ.

Patruam linguam uocat seueram & obiurgatricem. Erasmus in Adagiis.

FRATRES SEVERI.

Liberata Corintho à tyrannide per Timoleontem, Corinthij, ne ad idem relaberentur mali, quò antè, cùm per socios amisissent urbem, decreuerunt quadringentos milites cōducticios alere: atq; his imposuere Timophanē, Timoleontis fratrem. Qui omni posthabito honesto & bono, rationem inire protinus cepit, quemadmodum urbem sui arbitrij faceret. Id grauiter ferens TIMOLEON, cepit eum monere, ut omissa ista uæsana & importuna libidine, aliquā potiùs rationem quæreret eluendorum apud ciues commissorum suorum. Quo repellente & repudiante monitionem suam, adsciscit tandem sibi ex necessariis fratrem uxoris Timophanīs Aeschylum, atq; ex amicis uatem, quem alij Satyram, alij Orthagoram uocant: atq; intermissis paucis diebus ascēdit iterum ad fratrem: circumsistentesque hi tres eum, tunc saltem resipisceret inuerteretque se, obsecrauerunt. Sed cùm eos Timophanes primùm rideret, deinde in iram erumperet & indignaretur, recessit Timoleon paululùm à fratre, obuolutoque capite constitit lacrymabundus: illi strictis gladiis hominem statim obtruncarunt. Plutarchus in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

ROMVLVS, quum ad extruendos urbis muros, uallum aratro duxisset, uetuissetq;, ne quis illud transiliret: Remus in ludibrium fratris ausus est transilire. Quod iniquo ferens animo Romulus, eidem eripuit uitam. Vnde Lucanus:

> Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Ouidius in Ibin:

> Vtq; Remo muros ausus transire recentes,
> Noxia sint capiti rustica tela tuo.

Gildone Comite Africano, sibi ab Impp. Arcadio & Honorio metuente, regnoq; Africæ se citra magnum laborem summis armis potiturum sperante: frater eius MASCEZEL Honorio facinus indicauit. Gildo fratris tanquā proditoris filios crudeliter necat. Adest interea Mascezel cum quinque millib. armatorū: cui Gildo cū octoginta, uel (ut Paulus ait) septuaginta millib. occurrit. Commissa acri pugna Gildo in fugam uertitur: & naui conscensa, miranda Dei ultione, ui tēpestatis demùm in litus elicitur. Comprehensus ergo, fratris iussu, uelo strangulatus est. Cuspianus.

Bello cōtra Scotos HELCANVS Eduardi III. Anglorū regis frater in occidentali Scotia preter ius fideq; plurimos etiam Anglorum partes sequantes, grauib. iniuriis affecerat, Gallouidiam, Carictam, Coil, Cunegāme, ac alias nōnullas uelut hostiles regiones flamma ferroq; uastauerat: ut neq; confugientibus ad templa, neq; templis ipsis parceret. Diui Mathuri ædem cum mille hominibus, qui ad eam uitæ seruandæ gratia confugerant, incendio absumserat. Eduardus uenientem ad se Perthum ad diui Ioannis, ac dum increparetur, insolenter respondentem, ante diui Ioannis aram gladio confodit: Sic abeant, inquiens, quibus sacra atq; profana, hostes atq; amici iuxtà habentur. Non te hic sacer locus, quò minus sacrilegij pœnas exemplo dares, tutatus est, qui tot hominum millia cum templis fœdè absumseris. H. Boethius libro 15.

VBERTINVS Carrariensis tertius princeps Patauinorum, sororem suam Abbatissam Arcellæ ueteris, unà cum stupratore, iussit comburi. Contrà uerò matrem suam, quæ post obitum mariti Deo sese dicauerat in monasterio sancti Benedicti, cùm pudicè sanctèq; uitam duceret, maxima reuerentia summoq; honore prosecutus est. Bernardus Scard. libro 3. hist. Patauin.

DOMINI erga SERVOS, SEVERI.

SARA, cùm Abrahamum ad Hagarē ancillam cupiditate prolis introduxisset, & illa ex eo Ismaelem suscepisset: zelotypia tandem mota, domo illam eiecit. Genes. 16. & 21.

Quidam LACON seruo, qui dum puniretur dicebat, Non uolens erraui: Non uolens igitur, inquit, pœnas dato. Plut. in Lacon. apophtheg.

PLVTARCHVS philosophus seruum suum, hominē improbum, uestibus exutū, loris cædi iusserat. Ille innocentem se clamare, & herum suum obiurgare, quòd philosophus cùm esset, & περὶ ἀοργησίας librum scripsisset, dogmatib. suis nunc reipsa repugnaret. Tum Plutarchus, Itáne, inquit, uerbero? an uerò ex uoce, colore, uultu, uerbis meis ira me correptū esse intelligis? Aliud est ἀοργητον esse, aliud ἀναίσθητον καὶ ἀνάλγητον. Simulq; ad eum, qui cædebat, conuersus: Interim, inquit, dum ego atq; hic disputamus, tu id quod tuū est age. Gell. lib. 1. c. 26. Noct. Att.

CONIVGES SEVERI erga se mutuo.

Vide Tit. Adulterii pœna. Item, Odii erga coniuges. Heic Iræ, illic Correctionis & Odii ratio habetur.

SAMSON uxoris perfidiam in detegendo ænigmate XXX. iuuenibus Thamnatensibus ab ipso proposito, de cibo ex edaci, & dulcedine è feroci ulciscitur. Descendens enim Ascalonem, cæsisque XXX. uiris, eorum arma abstulit, elegātes uestes ænigmatis interpretibus dedit, & patriam repetiit. Iudic. c. 14.

ARTAXERXES, consilio suorum procerum usus, edictum promulgauit per omnes prouincias, ut suæ quisq; domi uir imperaret. Reginam Vastim, quæ ad regem uocata uenire noluit, repudiauit. Estheræ cap. 1. & Iosephus libro undecimo, cap. 6. Antiq.

TIRGATAO Mæotis nupsit Hecatæo regi Indorum, qui paulò suprà Bosphorum incolunt. Hunc Hecatæum eiectum regno, reduxit Satyrus Bosphori tyrannus: suamque ei filiam in matrimonium dedit, priorem iubens interficere. Ille, cùm plurimùm amaret Mæotim, occidere quidem eam non potuit: sed in munitissimum castellum inclusam, iussit in custodia uitam agere. Tirgatao clàm custodibus aufugit. Cùm Hecatæus & Satyrus eam magno studio conquirerent (metuebant enim, ne Mæotas ad bellum incitaret) neque inuenire possent: Mæotis desertis & asperis uiis superatis, per diem in syluis delitescens, noctuque iter faciens, ad extremum peruenit ad populos, qui Ixomatæ dicebantur. Ibi regia erat amicorum eius, & cognatorum. Patrem mortuum reperit, eique, qui in regnum successerat nubens, Ixomatas ad bellum commouit, múltasque bellicosissimas circa Mæotim gentes euocauit: in primis autem Hecatæi regionem incursionibus infestabat, Satyrique regnum uastabat: sic ut utrique missis, qui suppliciter rogarent, obsidem Satyri filium Metrodoram darent, ac pacem peterent. Illa consensit. Satyrus duos ex amicis supplices ad eam transfugere iubet, eique insidias collocare. Illa supplicum legem colens, de salute supplicibus impetranda egit. Qui cùm illam adorti essent, cingulo ictum recipiente, Satellites concursu facto, ambos comprehenderunt. Tirgatao ergo Bosphoranis denuò bellum intulit, omnibusque calamitatibus regionem affecit: Satyrus mœrore confectus, uitam cum morte commutauit. Gorgippus filius imperio suscepto, supplex amplissimis muneribus datis, bellum composuit. Polyænus libro octauo.

THRACES coniuges suas ad hanc usque memoriam ad placandum Orphea, quem illę per furorem bacchicum discerpserant, notis compungunt. Plut. de Tarda dei uindicta.

C. IVLIVS Cæsar uxori repudium miserat, quia domi eius P. Clodius femineo habitu deprehensus erat: & tamen postea citatus, ut aduersus Clodium ob uiolatas Cereris ceremonias (quæ eius domi celebratæ fuerant) testimonium diceret: negauit aliquid apud se de ea re compertum esse. Cùm autem peteretur, Quamobrem uxorem dimisisset? respondit: Vxorem Cæsaris non crimine solùm, uerùm etiam criminis suspicione carere oportere. Fulgosus libro 6. cap. 1. ex Plutarcho.

Barbara, SIGISMVNDI Imp. uxor, comitis Ciliæ F. ualetudinario existente marito, uetula etiam ipsa, de regno sollicita: Boemiæ proceribus conuocatis unam uiam, mortuo Imperatore, uitandarum seditionum & quietis parandæ esse dixit, si se uiduam Poloniæ regi locarent. Imperator libidinem uxoris detestatus & ambitionem, eam in uincula coniici imperauit, ipsi Alberto Austriaco genero successore regnorum nominato.

P. SEMPRONIVS, quòd ludos se inscio spectasset, uxori repudium remisit. Valerius Maximus libro sexto, capite tertio.

C. SVLPITIVS Gallus, quòd inuelato capite foras prodiisset uxor (quippe ueste à capite deducta, matronas incedere, minimè fas erat) repudiauit. Ibidem.

Q. ANTISTIVS uxorem suam nullam aliam ob causam repudiauit, quàm quòd cum libertina confabulari eam uidisset. Ibidem.

HOSTES SEVERI ERGA

Hostes uiuos.

DAVID rex Moabitas uicit, eosque ad terram prostratos sorte dinumerauit, & tertium quemq; seruauit, reliquis interfectis. 2. Reg. 8.

IDEM, cùm post longam obsidionem, Rabban Ammonitarū metropolim cepisset, oppidanos eduxit, & serris tribulisq; ferreis & securibus excruciatos, perque laterariam fornacem traiectos necauit: idemq; fecit omnibus Moabitarum oppidis. 2. Reg. 12.

IVDÆI LXXV millia inimicorum suorum in regno Persarum, & quingentos Susis, uno die interfecerunt, Amane in crucem sublato, regis iussu.

Cùm finitimæ gentes contra IVDAM Machabæum arma cepissent, eo animo, ut Iudæorum gentem ad internecionem delerent: Iudas Simonem fratrem cum delectis militibus in Galilæam misit, ipse cum fratre Ionathane in Galaaditidem profectus, Bosorram, Maspham, Carnaum, Ephronem cepit, & incendit, maribus omnibus trucidatis, reliquis in seruitutem abductis. Similiter in Idumæa Hebronem & Azotum. 1. Machabæorum quinto. IDEM duobus castellis captis & incensis, XX. hostium millia occidit. Timothei numerosissimo exercitu profligato XXV M. interfecit. Expugnata Gazara castello munitissimo, Timotheum & Chęream fratres duces cum omnibus deleuit. 2. Machabæorum decimo.

IONATHAS Iudæorum dux & pontifex Apollonium, Demetrij Nicatoris ducem acie uictum, Azotum usque persequens, multis cæsis reliquos desperata salute in templum Dagonis, quod est in ea urbe, compulit: qua capta eodem impetu, & ipsam & uicinos uicos incendit, Dagonis fanū & quotquot eò confugerant concremauit: fuitque numerus tam eorum, qui exusti sunt, quàm qui ceciderunt in prælio, octo millia hominum. Iosephus libro 13. capite 8. ex 1. Machabæorum 11.

ALEXANDER Magnus ex mercenariis Græcis apud hostes militantibus, qui capti erant, iussit in uinculis haberi Athenienses: quod, cùm præberentur iis publicè alimenta, æra mererent: Thessalos, quòd, qui agrum possiderent optimū, nollent eum colere: Thebanos dimisit, solis dicens his neque urbem neque aruum per se relictum esse. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cùm à Samnitib. duo Coss. exercitus ad furcas Caudinas sub iugum missi essent, ROMÆ circa forum uelut in publico luctu tabernæ clausæ sunt, iustitiumq; in foro priùs ceptum, quàm indictum, laticlaui anuliq; aurei positi: nec ciuitas duces solùm, sed innoxios etiam milites odisse, uulgoq; negare urbe aut tectis accipiendos. Flexit tamen ciuitatis irā miserabilis illorum aduentus. Quippe, qui noctu urbē ingressi, quum se quisq; domum tacitus recepisset, plures dies foro omniq; publico congressu abstinuerunt. Consules & ipsi in priuato abditi, nihil iam inde pro magistratu agere sunt ausi, quoad consules creati sunt, Q. Publius Philo, & L. Papyrius Cursor, clarissimi ea tempestate duces. Hi deditis paucis auctoribus hosti, exercitum cōtra Samnites eduxère. Publius ubi certamē instare uidit, quum milites ad cōcionem uocasset, ut eos ad ignominiam eo prælio sibi demendam hortaretur: sermo nullus haberi potuit prę nimio clamore signum

signum ad pugnam poscentium. Suus cuique animus ultionis cupidus hortator aderat. Itum itaq; in prælium tanta festinatione, ut signiferi, penè præcipites, urgentium impulsu, in hostes iuerint, pilaq; uelut inutilia temerè coniecta, ut co minùs res gereretur. Nihil ibi imperatoria arte opus fuit, ho stem militaris ira penè priùs fudit, quàm prælium conseretur. Exuti castris Samnites, Apuliâ fuga petierunt. Publius Samnitium castris potitus, plus inuisi hic sanguinis quàm in acie hausit, magnaq; pars prædæ præ nimia ira corrupta est. Luceria obsessa, dediti hostes, septem millia sub iugum missa, receptis sexcentis equitibus obsidib. datis. Sabellicus libro 5. Enn. 4.

CONSTANTINVS Magnus, victo Maxentio tyranno, Romanis omnibus, qui contra se arma tulerant, ueniam dedit, bona & patriam omnibus à Maxentio spoliatis restituit: quos uerò ille furoris socios auctoresue habuerat, quæstionibus seuerissimis habitis condemnauit: & Prætorianos milites, qui sibi aduersati Maxentio pertinacissimè fauerant, funditus è Republica sustulit, ac sedem eorum Castrum prætorium, quondam ab Octauiano Augusto constructum, disturbauit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

ALARICVS Gothorũ rex, cùm ab Honorio Imperatore obtinuisset, ut in Galliam ad quærendas nouas sedes proficisci posset, & iam profectioni se aceinxisset: iuxta urbem Vercellas, contra fidem datam, solenni Dominicæ resurrectionis die, Saulus Iudæus à Stilicone missus (penes quem eo tẽpore Occidentalis imperij administratio erat) eum inuasit. Alaricus tandem Romanum fudit exercitum: & omissa Gallia, retrò exercitum conuertit: Romamq; euertit. Fulgosus libro 9. cap. 3.

Arnulfus Germanorũ rex, cùm Berengariũ Italiæ regem à Vidone pulsum restitueret: Bergomum, cùm à ciuibus murorum munitione consilis excluderetur, oppido capto Comitem eius AMBROSIVM, prodẽdi exempli causa, ante portam urbis suspendio strangulauit. Quo terrore adacti Mediolanenses, Papienses, & Placẽtini, confestim ei se præmissis nunciis tradiderunt. Sigonius lib. 6. reg. Ital.

BERENGARIVS Italiæ rex, à Ludouico Prouinciæ rege regno eiectus, clàm Veronam noctu inuasit. Ludouicus, re cõperta trepidus in basilicam D. Petri in arduo colle sitam se recepit, atque in penetralibus eius sese abdidit. Quærente autem ac perscrutante omnia Berengario, miles eius, qui unus fugientem animaduerterat, timens, ne repertus occideretur, Berengarium adiit, atque ita dixit: Rex, quando te Deus tantæ uictoriæ compotem fecit, ut hostem tuum in potestate habeas, æquum est & te præceptis eius obtemperare, qui inquit: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condẽnare, & non condemnabimini. Berengarius autem intelligens, eum, ubi nam Ludouicus latéret, tenere, sed uitæ eius consulere uelle, respondit: Putásne me, homo insulse, quẽm mihi Deus tradidit in manus, occidere uelle? Qua uoce erectus miles locum, ubi se Ludouicus condiderat, indicauit. Berengarius autem, cùm Ludouicum comprehendi iussisset, tum in conspectum suum productum ita appellauit: Nõ credo te oblitum eius tẽporis esse, cùm ego te meis præsidiis circumseptum ita, ut elabi non posses, misericordia tui captus, quæ nulla tibi debebatur, dimisi, ipseq; te nunquam ampliùs Italiam ingressurum mihi sacramento interposito spopondisti. Quare, quando tu neque beneficij mei, neque iurisiurandi tui rationem, ut decuit, habuisti, meq; eodem tempore ac Deum ipsum, libidine alieni regni percitus, fefellisti, uitam quidem, sicut ei, qui te mihi prodidit, promisi, concedo: oculos uerò erui tibi prodendi exempli gratia iubeo. Atq; his dictis Ludouicus statim luminibus orbatus, & regno se abdicare coactus est. Idem.

Gualuaginus, Anglertæ Comes, auctor rebellionis Mediolanensium contra FRIDERICVM I. anno salut. 1165. uulnere accepto interceptus, atque iræ Cæsaris adhuc flagranti oblatus, triduo sub mensa in modum canis detentus, & crebris flagellis cæsus, quarto dein die in Germaniam perpetuo carcere puniendus, deductus fuit. At non multo pòst corruptis custodibus, habitu rusticano, in Insubriam redit, incredibili omnium Insubrum lætitia. Dubrauius libro duodecimo.

ANNEVS Memorantius, Galliæ regis Francisci, ad liberandã urbem Taurinum, Cæsaris Caroli V. exercitus obsidione pressum, dux, Sebusiana uia ad Villianam oppidulum perue nit, ubi Neapolitanus centurio cum paucis antiquæ turri præsidio impositus, subiectum iter uiæ militaris impediebat, nec ullam deditionis significationem dabat. Cuius stulta pertinacia offensus Memorantius, quòd indignum esset, regem, nisi pacato itinere transire, ni statim se dederet, necẽ cõminatus, torméta produci iussit, atq; oppugnare turrem cepit. Nec mora, præsidiarij intellecto periculo animum despondentes, necessitati cessére. Sed Memorantius centurione conseruato, quòd sibi dissimiles nactus esset milites, & regiis stipendiis adscripto, milites eius præsidij ad unum omnes laqueo suspendit, qui importuna temeritate tantam uim regij exercitus se ferre posse credidissent. Iouius libro 37. Historiarum.

Hostium Liberos, Coniuges, Amicos, Parentes, Obsides.

Volsci, cum quib. Latino bello nec pax fuerat, necarmis dilectum, quia tamen ex confesso in Romanos exercitũ comparauerant, bello sunt à consulibus petiti. Cæterũm inopinata re perculsi, trecentorum PRINCIPVM filios, à Cora & Pometia, obsides consulibus dederunt. Quibus Romam reuersis, uix paucis interiectis diebus, bellum occultè reparârunt. Eos P. Seruilius consul repressit foris: domi autẽ Appius Claudius, ut Volscorum supplicium aliis documento esset, ne datis obsidibus fœdera uiolare ampliùs auderent, trecentos eius gentis obsides in foro securi percussit. Sabellicus lib. 8. En. 2.

TARENTINORVM obsides, qui Romæ in atrio libertatis custo diebãtur, sub noctem urbe dilapsi, domum fugam intenderant. Qui postridie ex Taracina Romam retracti, in foro priùs uirgis cæsi sunt, atq; de saxo præcipitati. Cuius auctissimi supplicij fama Tarentum delata, in causa fuit, ut maturata sit proditio, & Hãnibal in urbẽ noctu receptus, anno decimo secundi belli Punici. Sab. lib. 3. En. 5.

ALTERVTRIVS. Respectu quidem AGENTIS. SEVERI

Prophetæ.

Cùm Ochozias Israelitarum rex, Achabi F. per cancellos in cubiculo suo delapsus ægrotaret, & ad Beelzebubum Accaronensem deum sciscitatum misisset, utrum ex eo morbo cõualiturus esset: ELIAS propheta nunciis in itinere occurrit, eisq; indicauit, propter hanc impietatẽ regẽ moriturũ. Id nũcij regi indicarunt. Ille iratus, semicenturionẽ cũ L militibus misit, qui Eliam in monutis uertice sedẽtem uel inuitum adducerent. Elias ignem de cœlo illis imprecatus est, & is repentè eos deuorauit. Similiter & alterum semicenturionẽ, cum L aliis eodem animo uenientem. Tertius semicenturio cum L itidem ueniens, Eliæ supplex accidit, &, ut fibrigno secreet, & sponte ad regem ueniret, orauit. Eius precibus acquiescens Elias, ad Ochoziam uenit, & mortem eiimminere prædixit. 4 Reg. 1.

Pontifices, Episcopi.

☞ *Vide infrà Modum Vindictæ, Pleisemdo.*

Theodoretus lib. 5. c. 36. Constantinopolim à Vararane Persarum rege oppugnatã, innumerabilibus admotis machinis, tradit: sed soljus pontificis EVNOMII precibus seruatam. Cumque ex barbaricis regibus unus diuinum se incensurum templum minitaretur: Eunomium fundam in mœnia constituì, applicatoque ingenti saxo, in nomine eius, qui blasphemaretur, impiti iussisse. Quod directè illatum in impium regem, abominandum illius os & totum caput comminuit.

Oratores.

LYCVRGVS Athenienfis, tristis uir, uehemensq; atq; acerbus accusator est habitus, qui tamen innocentia ac grauitate uitæ nemini sui tẽporis cessit. Eius mentionẽ Cicero iterũ in Bruto fecit: extat quoq; oratio ipsius, qua accusauit Leocratem ciuẽ suũ, quòd periculosis tẽporib. patriã deseruisset, atque exportatis inde suis bonis turpiter Rhodũ aufugisset. Idem etiam in iudicium uocauit ac damnauit Lysiclem, ducem Atticarum copiarum, cuius culpa accepta esset clades à Philippo in Chæronea: eius autem accusationis sententiæ quædam plenæ acerbitatis remanserunt apud Diodorũ Siculum in 16. lib. Hist. Victorius lib. 21. Var. lect. c. 20.

Politici.

M. CATO maior, cùm reliqua uita facilẽ & cõmunem præberet se subditis: è diuerso seueritatem & grauitatẽ repræsentabat, adeò inflexibilis in iure dicundo, atq; in edictis publicis imperiosius atq; rigidius, ut imperium Rom. nunquam illis uel formidabilius fuerit uel iucundius. Plut. in eius uita.

PATIENTIS. SEVERI erga

Sacros homines.

Iudeæ gentis sacerdotes, urbe magna ex parte à Vespasiano capta, templo direpto & incenso, cùm nil superesset ampliùs, quod cum uita optari posset, suppliciter sunt uitam à Romani exercitus imperatore TITO, salutemq; precati, A quo illud tulére responsum: Non esse opus uenia sacerdotibus, templo & sacris amissis. Sabel. lib. 4. cap. 7. ex Iosephi lib. 7. cap. 13. belli Iudaici.

Pueros.

☞ *Consule Tit. Indoles Improbitatis, quatenus seueritati subiecta est.*

Dicerontius Spartanus & puer adhuc & imprudẽs, puerum alterum Laconico cultro percussum occiderat. Ob id certè eorum Laconico cultro percussum occiderat. Ob id certè eorum illo damnatus est. Nam & apud GRÆCOS exilio uoluntario fortuiti casus luebãtur: & cùm nullum homicidiũ impunitum esse debere existimarẽt, exilio puerorum non tam eorum iniuriam puniebant (quæ certè sine animo nocendi nulla esse potest) quàm parẽtum incuriã atq; ignauiam: qui si diligentiam præstitissent, filij utiq; non peccassent. Aerodius ex Xenophontis lib. 4. Pædiæ.

Bruta.

Edgarus Anglorũ rex, in feras prædæ auidas seuerus, à GVIDVALO Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos XXX. uenatione captos. Id seruatum, donec illud bestiarum genus assiduis cædibus defecit. Polydorus lib. 6.

Inanimata.

Theagenis Thasij athletæ nobilissimi statua obtrectatorem quendam eam flagris cedentem casu obruerat. Huius filij, statuam de cæde postulant. Quæ THASIORVM sententia in mare abiecta fuit, iuxta Draconis legem. Factum hoc per multos annos secura est sterilitas.

Pausanias lib. 6.

SEVERITAS considerata respectu LAESIONIS, siue INIVRIAE illatæ, per quam PATIENS læditur secundùm

CORPVS. PER CÆDEM.

Cùm GEDEON dux Israelitarum fortissimus cum CCC militibus superasset CXXXV millia Madianitarum, & duos illorum reges Zebam & Salmanam cõprehendisset, qui fratres Gedeonis in Thabore interfecerãt: iurauit illis, si fratres suos conseruassent, se quoq; eis parciturum fuisse. Iethri igitur primogenito suo præcepit, ut eos necaret. Verùm cùm puer præ timore gladium non auderet stringere, Gedeon ipse sua manu eos obtruncauit. Iud. c. 8.

LEVITA quidam in latere montis Ephraim, Gabaæ pernoctans, cùm ciues eius loci ad mortem uxore eius abusi essent, seuerè ultus est uxoris stuprum & necem. Diuisa enim uxore mortua in XII. partes singulis duodecim tribub. Israelis partem misit, hocq; pacto crudelissimum illud bellũ concitauit, quo multa Israelitarum millia cecidere, tribusq; beniamitarum funditus ferè excisa fuit. Iud. c. 19. & 20.

DAVID rex, mortem Isbosethi filij Saulis à Rechabo & Baano seruis occisi, sniustam puniuit. Vtrunque enim, detestatus eorum perfidiam, iugulari iussit, abscissasq; eorum manus & pedes supra piscinam apud Hebronem suspendi: Isbosethi uerò caput in Abneris sepulcro Hebrone sepeliri. Aerodius ex 2. Reg. um 4. & Iosephi libro septimo, capite secundo Antiq.

Ptolemæus, Abubi F. cùm imperandi libidine socerum suũ Simonem ducem & pontificem Iudæorum interfecisset, uxorem cum duobus filiis uinctos abegisset: recepit se in quandam arcem supra Hierichunta sitam, quæ Dagon dicitur. Ioannes uerò, qui & Hyrcanus, Simonis F. accepto paterno pontificatu, eduxit contra Ptolemæum exercitum: & oppugnando locum cæterà quidem erat superior, uincebatur autem sola pietate erga matrem, & erga germanos misericordia. Hos enim productos in mœnia, Ptolemæus flagris cædebat in loco omnibus conspicuo: minitans se præcipitaturum eos, nisi frater ab oppugnando desisteret. Hyrcanus hoc uiso & audito, statim in primo conatu elanguescebat. MATER tamen ad eum manus tendẽs supplicabat, ne molliter affectibus, sed potiùs indignitate rei motus daret operam, ut redactum in potestatem inimicum afficeret pœna, & ulciscereturhomines sibi natura coniunctissimos: gratum enim sibi fore, inter tormẽta emori, modò nefarius homo scelerum suorum supplicium lueret. 1. Machab. 16. & Iosephus lib. 13. c. 15. Antiq.

Aegeus Athenienfium rex, Androgeum MINOIS Cretẽsium regis F. per insidias interfici curauerat. Cæde filij perturbatus Minos, Athenas uenit, supplicium interfectoris Androgei petens. Spretis eius uerbis, bellum Athenienfibus indixit, addita execratione, qua Athenienfibus sicitatem famẽque imprecatus est. Siccitate tum Attico, tum reliquã Græciam urgente, corruptis terræ fructibus, belli duces, quomodo hæc mala auerti possent, deum consuluere. Is iussit eos ad Aeacum Iouis & Aeginæ Asopi filiæ adire, iubereque ut pro se nota faceret. Quibus perfectis, siccitas cùm apud alios Græcos cessasset, solos Athenienses uexabat. Coacti igitur sunt rursus à deo implorare tantæ remedia calamitatis. Hanc defuturam, deum ferunt respondisse, si pro Androgei cæde, Minoi quas uellet pœnas dedissent. Parentibus deo Athenienfibus, præcepit Minos, pueros septem & totidem uirgines singulis annis Minotauro, quo ad uiueret, uorandos tradi. His datis, defecit siccitas: à bello abstinuit Minos. Annis septem transactis, rursus in regionem Atticam cum exercitu uenit Minos, ac bisseptem pueros accepit. Diodorus lib. 4. c. 5.

Polymestor Thracum tyrannus, simulatque Troiæ cognouit excidium, Polydorum puerum trucidauit & in mare abiecit: quòd nimirum auro potiretur, quod unà cũ filio Priamus ad illum miserat clanculùm, cùm iam periculum imminere uideret, ne caperetur Ilium. Cadauer in litus eiectũ HECVBÆ famulæ, dum aquã pro abluendo Polyxenæ cadauere petit, ad heram detulit. Quæ cũ corpus retectum inspiceret, ubi Polydorum esse cognouit, miserè diseruciata: secum uiã quærẽs, qua possit Polymestorem ulcisci, cum illo colloqui uoluit. At ille ignarus Polydori cadauer in litore fuisse repertum, unà cum liberis suis ad Hecubam accessit. Ea simulat, sese ob eam causam accersuisse hominem, ut illi thesauros quosdam antiquos, in Ilio defossos, indicaret. Deinde iussu secedere satellitio, solum cum filiis in tentorium deduxit, tanquam illi traditura, quicquid pecuniarum è Troia secũ extulisset. Erat autem illic abdita Troadum turba: quib. adiuta, Polymestorem introgressum exoculauit, ac liberos illius occidit. Agamemnon audita utriusque causa, contra Polymestorẽ pronunciauit: qui nõ iuuandi Græcos studio, sed auri cupiditate, puerum interemisset. Eurip. in Hecuba.

AEACVS pater Telamonem & Peleum filios, Phoci tertij filij interfectores, in exilium egit. Antoninus Liberalis, ex Nicandri primo Alteratorum.

Oeonus HERCVLIS cõsobrinus, Lycimnij Alemenæ fratris filius, cùm adolescentulus adhuc esset, cum Hercule Spartã uenit. Cùq; uisendæ urbis causa obambulans, ad Hippocoontis ædes fortè accessisset, in eũ canis domus custos inuasit. At ille lapide canem percussit. Hippocoontis filij cursum egressi, puerum fustibus conficiunt. Hercules Hippocoontis filios armis adortus, uulnere accepto, se clàm periculo subduxit. Mox copijs comparatis, patre & filio malè multatis, Oeoni cædem ultus est. Pausanias in Laconicis.

Osyris Aegypti rex, ex Germania & Italia in regnum suum reuersus, a fratre Typhone interemtus est. Typhonem Lybius HERCVLES (in Bibliis Lettabim dictus) auxilio matris Isidis, genitoris sui necem uindicans, cum consciis particidij occidit. Totum inde peragrauit cum exercitu terrarum orbem, tyrannos iniustè dominantes ubiq; sustulit: accessit & Gambriuium VII. Germanorum regem. Auentinus libro 1. Annalium Boiorum.

ARABES tanto amore inter se iuncti sunt, ut lege etiam apud eos sit cautum, domesticorum cædem quauis ratione ulciscendam esse. Iosephus lib. 16. c. 13.

Erasinorix & Sinatus tetrarchias in Gallia obtinebant. Sinatî uxor CAMMA corporis pulcritudine & animi uirtute nobilis habebatur. Erat enim sacerdos Dianæ, quam Galli summa religione colunt: & in pompis ac sacrificiis semper magnificentissimum ornatum gestabat. Hanc Erasinorix neq; persuaderi, neq; per uim cogi posse uluo marito arbitratus, Sinatum per dolum occidit. Non longo pòst tempore Cãmam ambiebat. Illa frequenter renuebat: familiaribus autem & amicis instantibus, & blandissimè rem administrantibus, simulauit se eis assentiri. Et quidem inter eos conuenit. Veniebat Erasinorix, & cum eo omnes Galli, perfecta ætate uiri ac mulieres. Quem illa perhumaniter exceptum ad aram adduxit, & ex aurea phiala bibit: partimq; ipsa ebibit, partim illum bibere iussit. Qui tanquam sponsus à sponsa cum uoluptate acceptum bibit. Potus autem hic erat missum ueneno mixtum. Illa cùm eum bibisse cerneret, magna uoce exclamauit, deamq; in genua procumbens adorauit, inquiens: Graciam habeo tibi, ueneranda Diana, quòd mihi concesseris in tuo templo, pro marito mea causa interfecto supplicium exigere. His dictis confestim & ipsa mortẽ obiit, & sponsus cum ea simul ad aram deæ uitam reliquit. Polyænus lib. 8. & Plut. in Amatoriis.

Learchus, Archelaum Cyrenarum regem amicum, ueneno sustulit, regnum occupauit, ERIXONAM reginam, Archelai coniugẽ, ut matrimonio secũ iungeretur, tentauit: pollicitus, se Archelai filium adoptaturum. Femina cõditionẽ sibi

non

non displiceret simulans, sed fratres duros admodum obsistere: posse dixit rationem iniri, si ad se noctu in colloquium solus ueniret. Nihil insidiarũ subesse putans Lærchus, præ amoris magnitudine, noctu in Erixonæ ædes se recepit: ubi eũ Erixona à duobus, quos domi occultos habebat, interimi iussit, ac corpus de fenestris deiici. Per hunc modum mariti mortem ulta est. Plut. in Amatoriis.

SYRACVSANI, cùm audiuissent Dionem, à quo liberati erant, à Calippo Atheniensi interfectũ esse: ægrè adeò tulerunt, ut in eius ultionem, quando eum in potestate habere non poterant, filios interfecerint. Plut. in Dione.

BERENICE Laodices insidiis interceptum sibi filium grauiter ferens, armata currum conscendit: persecutaq; fatellitẽ regiũ, crudelis operis ministrum nomine Ceneum, quoniã hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostrauit: ac super eius corpus actis equis inter infesta contrariæ partis agmina, ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit Val Max. lib 9. c. 10.

THEBANI, simũl atq; Pelopidam Bœotarcham in acie occubuisse intellexerunt, nulla interposita ulciscendi mora, eduxerunt raptim, Malcite & Diogitone ducibus exercitum septem millium peditũ & septingentorũ equitũ. Cùm autem reperissent deiectum Alexandrum Pheræum tyrannũ, & uiribus truncatum, cõpulerunt eũ, ut Thessalis, quæ ademerat iis, oppida restitueret: Magnetas, Phthiotas, Achæos liberaret, & præsidia inde deduceret: deuiq; ipse iuraret eosdẽ se, quos Thebani, hostes habiturum. Hac multa satiati Thebani fuere. Plut. in Pelopida.

Brauroniæ sacerdotis PATREM, qui interfectũ nõ attigerat, sed ad cædendum cohortatus interfectorẽ fuerat, in exilium ciecit senatus Areopagi. Sigonius lib. 3. de rep. Atheniensiũ, ex Demosthenis contra Cononem.

PYRRHVS Epirotarum rex, Sparta relicta, Argos contendebat. Prænunciauerat autem aruspex, iocinore sine capite inuento, unius necessariorũ eius cædem. Areus Spartanorũ rex ex insidiis extremum agmen carpebat. Cui occurrens Ptolemæus Pyrrhi F. ab Oræso Cretensi interficitur. Pyrrhus nunciata modò filij nece, ingenti percitus dolore, Molossorum equitatum in hostes conuertit, atque ipse ante alios inuectus cæde se satiauit Lacedæmoniorum. Semper quidem inuictum ostendit se & terribilem in armis: cæterum tũc certamina priora, audacia & strenuitate superauit. Plut. in Pyrrho.

ALEXANDER Magnus mortẽ Darij iniustam in Bessũ Bactrianorũ præfecto, qui eũ per proditionẽ captum interemerat, ultus fuit. Diod. lib. 17. & Sab. lib. 8. c. 4.

Darij regis CONSANGVINEI, traditum sibi ab Alexandro Bessum interfectorem eius, huc in modum ulti sunt. Etenim cùm omnia contumeliarum & cruciatus genera in eũ exercuissent, minutatim corpus conciderunt, membrorumque frusta fundis in partes varias proiecerunt. Diod. lib. 17. Alij tradunt, duabus arboribus ex aduerso multa ui in se uertice inflexis religatum, dissectisq; repentè uinculis atrociter laniatum fuisse, cacuminibus sua ui corpus in diuersa distrahentibus. Sab. lib. 8. c. 4.

SELEVCI seruus, quum seruiret amico eius, à quo dominus fuerat interemtus, cœnantem in ultionem domini confodit. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 11.

BARBARVS quidã seruus in Hispania, ut herũ ab Asdrubale Pœnorũ duce interfectũ ulcisceretur, summũ eius genitis imperatorẽ obtruncare non dubitauit. Cæterùm raptus ad supplicium, atq; acerbissimè discruciatus, tantũ abfuit, ut signũ ullum tristitiæ aut doloris ederit, cùm uariè torqueretur, ut post multos cruciatus lætitia gestiens, tanquam optatæ ultionis compos expirauerit. Sab. lib. 3. c. 8.

GALLI, cùm inito cũ Clusinis prælio, resciuissent Fabium Ambustum, legatum Romanũ, qui ad conciliandã pacẽ missus erat, in prælium cũ Clusinis descendisse, atq; gentis suæ Gallum ultum interemisse: rectà Romam duxere, eamq; incendio & ruinis fœdauere. Fulg. lib. 9. c. 3.

M. ANTONIVS cùm Philippis Brutũ superasset, & is semetipse traiecisset, assistens cadaueri Bruti exprobrauit ei modicè Caij fratris sui necem. Illum enim in Ciceronis uindictã interfecerat in Macedonia Brutus. Cæterùm Hortensio potiùs dictitans se, quàm Bruto, cædem fratris imputare, Hortensium super illius monumentum præcepit interfici. Bruto magni precij paludamentum suum purpureũ iniecit, & cuidam liberto suo cõmisit eius funerandi curã. Hunc post, cognito exquisitum illud paludamentum non concremasse in funere, interfecit. Plut. in Antonio.

SEVERVS Imp. milites omnes, quicunq; Pertinacem interemissent, exauctorauit, ablatis quoq; armis iussit nudos discedere ab urbe centesimo lapide. Pertinacis imagini funus censorium duxit, eumq; inter diuos sacrauit: addito flamine & Heluianis sodalibus, qui Marciani fuerant. Se quoque Pertinacem uocari iussit. Cuspinianus.

Cùm Phocas Mauricio interfecto, imperium inuasisset, quinto mense ab inito imperio, literas ad COSROEM regem Persarum misit, indicans se Imperij dignitatem assecutum esse. Cosroes indignè ferens Mauricij amici sui tam crudelem internecionem, Phocæ bellum indixit, Syriam, Palæstinam, Phœnicem subegit, Hierosolymam cepit, & templa Christianorum passim spoliauit, & uexillum Dominicæ crucis Hierosolyma abduxit: ut annotat Beda in lib. de Ratione temporum, & Adon ætate 6. Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam usq; ad Chalcedonem depopulatus est. Paulus Diaconus lib. 17. rerum Romanarum. Zonaras Tomo 3. Niceph. lib. 14. cap. 43.

SEXTUS agebatur annus, cùm Iulius Nepos, qui Imperium Occidẽte tenuerat, ab Oreste deiectus, & in exilium missus, in Dalmatia Odoacris Herulorum regis (qui cæso Oreste regnum Italiæ occupauit) prouincia quietus, atque abonnibus popularibus procellis remotus degebat: Odoacre non solùm non aduersante, sed etiam saluti eius diligentissimè cõsulente. Ne uerò hoc ille otio diutiùs frueretur, nefaria quorundam hominũ improbitate perfectum est. Siquidem Viator & Ouida Comites, priuatis, ut puto, odiis ad multatibus inflammati, insidias illi fecerunt, atque in ipsa quiescenti uitam eripuerunt. Hanc necem ut indignam, & ne in humilis quidem fortunæ homine tolerandam, Odoacer acerbo usqueadeò animo tulit, ut anno 48. militem quaduersus eos manum miserit, & armis oppresserit, ultimumq; de Ouida supplicium sumpserit. Sigonius libro 15. Imperij occid.

RVSTICIANA Romana mulier, ulta est patrem Symmachũ, quem Theodericus rex Gothorum cum Boëtio eius genero interfecit. Fuit hæc post regis interitum suis ciuibus auctor, ut ad abolendam Barbari memoriam eius statuæ tollerentur è medio. Id postea factum, maiestatis accusata apud Totilam eiusdem gentis regem, non solùm non inficiata est: sed tam constanter etiam confessa, ut nihil æquè illi profuerit ad salutem, ac constantia: quam Barbarus miratus, etsi causam improbaret, tantam tamen indolem uenia dignam censuit. Sabell. lib. 3. cap. 6.

THEOBALDVS Carnotensis comes cunctos Blosensem urbem incolentes Iudæos ob puerum occisum igni tradidit, iis solùm exceptis, qui religioni Christianæ colla submittebant. Sigeberti Continuator, circa annum Dominicum 1190.

PHILIPPVS rex Francorum ex Palæstina ab oppugnatione Aconis urbis regressus ad patrios lares, dum apud S. Germanum de Laio moram trahit, de cæde in hominem Christianum à Iudæis apud Braiam commissa cognoscit. Mox eò cũ comitatu aduolat, portas uiarumq; exitus occupat, fuisq; custodiendos tradit. Ipse uerò castrũ ingressus, ex Iudæorum cohorte octoginta & eo ampliùs uulcano deuorandos tradidit. Vincentius, Gaguinus & Nauclerus, qui perisiis hæc accidisse subindicare uidetur. Sigeberti Continuator annum 1177. annotat. De Iudæorum immanitate, qua quotannis Christianum mactarent puerum, edoctus, omnes Iudæos comprehensos auro, argento, uestibusq; pretiosioribus expoliauit. Ac cùm penè totius regni facultates fenore exhausissent, & seruos famulasque ex Christianorum cœtu domi suæ contra Ecclesiæ decretum alerent, obæratosque, captiuos intra domesticos parietes tenerent: Benedicti auctoritate, qui debita, quibus obstricti erãt Iudæis Christiani, remitti, & quintam eorum partem ad regium fiscum conferri consuluerat, omnibus facultatibus Iudæos exut, regnoq; suo ad certum diem excedere iussit. Quod regis edictum nullis magnatũ precibus infringi potuit. Iis tamen, qui ad Christianam religionem animum adiiciebant, & baptismi sacris imbuebantur, & manendi libertatem concessit, & facultates restituit, anno 1182. Vincentius lib. 29. cap. 25. Henricus Erfordensis, Gaguinus lib. 6. de Francis.

Clodoueus Francorum rex, quatuor reliquit filios, THEODERICVM, Childebertum, Clotharium atque Clodomirum: qui inter se regni dictionem, quam pater mirificè ampliauit, partiti, concordibus animis regnabant. Turingis eo tempestate Ermenfredus rex præerat: qui suasit uxoris Amelbergæ duos fratres, quòd regnum affectasse dicerentur, Bertharium atque Baldricum necauerat. Id dolentes Francicæ ges, quòd eos sanguine contingerẽt occisi iuuenes, bellum indixere Turingo, mouentq; in hostem. Ille dolos struens, qua parte intraturos sciebat, fossam grandem aperuit, eámque uiridantibus operit ramalibus atque cespitibus. Ea re comperta reges in hostem irritatiores feruntur, occurrentem prælio fundunt & fugant, insequunturq; fugientem ad fluuium usque Onstrit. Ibi prælium instaurant Turingi ex fuga subsistentes: sed tanto sternũtur à Francis ardore, ut strages magnitudo pontem è cadaueribus strauerit Francis uraturis. Ermenfredus tum ex fuga se cum paucis in urbem recepit: unde fide regia euocatus ab Theoderico in Tulbacũ castellum, quum ambularent inuicem colloquentes, loco præcipiti Theodericus ex latere ambulantem, & nihil tale formidantem, cubito impellens præcipitauit, regnumq; occasis eius liberis in potestatem accepit. Hæc Galli. Aliter Sasones. Cranzius lib. 1. Saxoniæ, cap. 27.

Cùm Eganus, Hungi Pictorum regis F. Dorstolorgum fratrẽ, ut imperio potiret, ex insidiis interfecisset: BRENNA Dorstolorgi uidua, mariti cædem ultura, noctu, dum ex nimia crapula altiùs dormiret, Eganum in medio stipatorum exercitu agmine strangulauit. H. Boethius lib. 10.

Duffus, Scotorum rex, Morauos rebelles aliquot in cruces sustulerat, & inter eos DONEVALDI Forresiensis arcis præfecti necessarios aliquot elegãti forma adolescẽtes: quorũ ille supplicio frustra apud regẽ deprecatus fuerat. Vindicte igitur libi dine flagrans, uxoris quinetiam furiis magis accensus, regem in arce diuertentem, per quatuor seruos nocte iugulari curauit, stipatoribus somno uino que sepultis. Cadauer p medios cubicularios exportatũ, equo q; impositum, ad alterum milliare deuectum est. Ibi amne paulùm deriuato, ac terra altiùs defossa, in imam ferobem est coniectum, saxaq; cum luto superposita, ut ne agnosci quidem posset, ibi quicquam defossum fuisse. Mox amne in priſtinum alueum reducto, iis, quorum opera in eo negotio usi fuerãt, interfectis, ne unquam cuiquam, ubi regis funus esset reconditũ, pateret, ferui regis percussores in Orcades exulatum abiere. Donealdum ita fieri, imperasse scribũt: ne exanime corpus postridie in apertum delatum, indicio foret cædis auctorum. Constans enim inter Scotos fama est, cæsi cuiuscunq; hominis cadauer, præsente interfectore, cunctis ex uulneribus recentatum cruorem emittere. Donealdus secundùm regis cædem, inter stationarios reliquum noctis perseuerauit: multa de regia in se beneuolentia, de donatiis, de sua in regem fide, cæteris Morauis ab eo deficientibus, loquutus. Prima luce in regio cubiculo obortus clamor, cæsum regem. Donealdus dissimulato facinore in cubicularios facto impetu, quasi posticum clàm reseratum, omnes trucidauit. Etsi uerò proceribus Donealdi affectata diligentia suspecta erat, tamen properè domum singuli abiere. Sexto post mense Culenus in Morauiam ducit, Dussi cædem insolita cæsi inclementia arguente ulturus. Donealdus clàm omnibus in Noruagiam fugit. Rex Forresiensem arcem cæsis omnibus incendit: solis templis ac facerdotibus pepercit. Capta Donealdi coniux, tribus cum filiabus, torturis subiecta, auctores sceleris fatetur. Donealdus uiuentorum in litus reiectus, capitur, & quatuor percussores à Rossiis nobilibus ex Orcadibus adducti, uirgis cæsi, securi percutiuntur. Viscera flammis tradita. Artus per totam Scotiam hinc indo crucibus affixi. Duffi cadauer resossum, regia pompa in Ionam delatum est. Hector Boeth. libro decimotertio.

FRIDERICVS, Comes de Isenburg, premebat ecclesiam regalem Assindensem. Monitus ab Engelberto archiepiscopo Coloniensi, ut uim contineret, & apostolicæ auctoritatis & ordinarij literas contemsit. Itaque anathemate perstrictus est ab archiepiscopo. Comes obseruabat tempus, quo archiepiscopum in agris deprehenderet. Conferare ille constituerat ecclesiam in uilla Zuelme. Superueniens Comes armatus, archiepiscopum magno certamine, cùm uiginti octo uulnera intulisset, occidit. Henricus archiepiscopus cædẽ antecessoris ulturus, arcem Isenburg euertit, Fridericum per insidias captum, & Coloniam introductum, peraduersam portam, qua erat inuectus cæsus archiepiscopus, rotæ supplicio affecit. Ita pauit coruos nobile cadauer. Germani fratres eius, Bruno Osnaburgensis, & Theodericus Monasteriensis episcopi, uelut complices, & ad minus conscij, accusantur apud summum Pontificẽ: &, ut fertur, etiam conuincuntur, deponunturq; : sed gratia assecuta, restituuntur. Comites de Tekeneburg & Zualenberge feruntur se legitimè purgasse. Negare tamen nec poterant, nec uolebant, quin in fœdere fuerint cum Friderico memorato. Cæterùm consilium cædis longè à se remouerunt. Feruntur tamen ambo, in monasteriis diuersis, legitimã in finem usque uitæ peregisse pœnitentiam. Cranzius libro 7. Metrop. cap. 43.

Ioannes Holsatiæ Comes, Lubicensibus amicissimus, laxandi animi gratia ciuitatem ingressus erat. Ibi miles quidam Burcardus Boet, quem pridem ob merita expulerat Holsatia, in oculis Cõmitis pertinaciter obambulãs, quasi exprobrabat illi impunitatem suam, & illudebat potentiæ nihil audentis in ciuitate. Comes ira concitus, arrepto gladio sequitur fugientem: & teli more uibrato in tergum fugientis, confodit. CIVES arbitrati fuæ ciuitatis iuribus non mediocriter derogatum, Comitem insequũtur fugientem. Ille uulgi irã declinans, paucis suorum insequentibus, urbis portas pedes petiuit. Inde obsistentibus auersus ciuibus, ecclesiæ maioris turrim ingreditur: & se manibus proconsulum permissis pollicitus iturum quò uellent. Illi orant, ut placãdæ multitudinis gratia prætorium secum adeat. Deferbuit indies motus ciuium, & cœpta est haberi custodia negligentior, ex sententia maiorum. Ipso meridie, quum omnium fores prandentium clauderẽtur, Comitis ministri de fenestra demissum Comitem in equo collocãtes, properè abierunt, ne mine insequente: quum gauderent urbis præsides Comitẽ in sua redisse incolumem (quod ad ciuitatis honorem pertinere uiderẽtur) postea cum illo ex tempore transacturi. Comes illatæ, ut putabat, iniuriæ memor, non multo post Lubicensium agros uastauit. Sed illi par pari retulerunt. Nec multo post ille ex morbo obiit. Cranzius libro 8. Saxoniæ, cap. 24. & 25.

BAIAZETES I. Turcarum rex, interfecto patre Amurate ab Seruiæ Despotæ seruo, contra Marcum Bulgariæ principẽ, patris mortem uindicaturus, magnum comparauit exercitum: profectusq; ad locum, ubi priùs pater fuerat interfectus, Marcum ipsum cum omni Bulgarorum ac Seruianorum nobilitate in pugna trucidauit: ac post eam uictoriam omnibus ferè Bulgariæ ciuitatibus & munitis locis potitus est. Neque ita multo post, nempe anno à restituta Salute MCCCLXXVI. per Bosinam transiens, crudelissimas in Hungaria, Albania & Valachia excursiones fecit, Christianosque quamplurimos in Thraciam captiuos duxit. Iouius in uita Baiazetis i.

Alphonsus Ferrariensis dux, Bastiam ab Hispanis occupatam oppugnans, muri fragmine tormento icti caput læsus, moriturus similis concidit. MILITES, Galli præsertim, ira & dolore incitati, longè acerrimos propugnatorũ irruendo propellendoq;, in Bastiã, cæde latissima hostiũ edita, perrupere. Nec fuit quisquam qui uel supplici & proiicienti ad terram arma hosti parceret: quum quisq; principi suo, quẽ sub latum pro mortuo uiderant, hostili sanguine parentandum existimaret. Iouius in eius uita.

Interfectus fuerat Venetiis noctu domum rediens decemuiralis consilij præfectus, præeunte funali, dum ex senatu rediret, haud longè ab ædibus suis Hermolaus Donatus, uir ea tempestate longè clarissimus: nec de cædis auctore satis cõstabat. Mouit id facinus tam inexpectatum uniuersæ ciuitatis animos supra quàm quod credi possit: quum non multo post Iacobus Foscarus, Ducis VENETORVM filius, in suspicionem uenit, quasi eo consilio, uel potiùs auctore, tam atrox consilium initum sit. Captus igitur, grauissimisq; tormentis diu tortus, quum interdum pater ipse filij clamores exaudiret (sunt tamen, qui idipsum dedita opera factum suspicentur) nihilq; unquam confessus, in perpetuum exilium est missus: unde reuocari nunquam potuit, licèt cædis patrator alium, qui tamen ex humanis discessisset, quidã prodederet. Egnatius lib. 5. cap. 8.

FR. Almeida, Indiæ prætor, ab Emmanuele rege in Lusitaniã reuocabatur, Alfonso Albuquercio imperium tradere iussus. Erat autem ille comparandæ classi uehementer intentus, qua Mithocemum, Sultani ducem, & Calecutiensiũ regem inuaderet, & ab hostibus de filij Laurentij nece pœnas expeteret. Itaque Albuquercio prouinciam tradere noluit, sed contra hostes profectus, inter Dium & Cochimum hostium classem insigni uictoria profligauit. Osorius lib. 6. rerum Emmanuelis.

INSIDIAS.

ARTOXERXES aduersus quinquaginta filios, ob insidias structas, seuerus fuit. Cùm enim comperisset, Darium cum reliquis fratrib. ob denegatam sibi Aspasiam, patris pellicẽ, interficiendi sui cõsilium cepisse: cognati parricidij pœnas, cum fratribus nefariæ coniurationis conscijs, ab eo poposcit. Interfectæ etiam cum his sunt uxores & liberi, ne uestigium tanti sceleris ullum extaret. Sab. lib. 4. Enn. 4.

Ad MITHRIDATEM Eupatorem, Ponti regem, cùm bellũ aduersus Romanos gereret, Attilius Romanus senator exilio multatus, se contulerat, tanquã illic tutò futurus: re autem uera sperabat, si eum occidisset, reditum se in patriam consecuturum. Sed re detecta, Mithridates Attilium conscios q; morte cùm affecisset, solis seruis ignouit: arbitratus, ut regem æquũ decuit, seruitutis nexu coactos, fortasse studio etiam ac beneuolentia in dominum, omnibus in casibus fidem præstare uoluisse. Fulg. lib. 6. c. 5.

Gulielmus à Douglas, Comes opulentiss. & potentiss. cõtra IACOBVM II. Scotorum regem cum quibusdam aliis conjurarat. Benignè à rege clementiss. ut ad meliorem mẽtem rediret, interpellatus, superbè admodum respõdit, Se fœdere nec posse nec uelle solui. Quumq; multis precibus rex se nihil profecturum uideret, ac maiora metueret: Quandoquidem, inquit, preces mecum te exorare non potuerunt, hic (inquit) efficiet, impiasque uestras coniurationes dirimet. Dictoque citiùs gladium in uentrem illi fixit, simulq; ad tumultum, qui ad ostium stabant satellites, accurrentes, Comitem occiderunt, anno Christi MCCCCLII. Secuta sunt bella intestina crudelissima, & tota Scotia in regias &

Douglasseas factiones diuisa. Cæterùm rex tandem victor euasit. H. Boethius lib.18.

VERBERA, PVLSATIONES.

In noua lege Christi apostolus PAVLVS in facie cæsus, tam ægrè tulit, ut Ananiæ sacerdoti, qui ipsum cædi iussit, maledixerit, dicens: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et cùm argueretur iniuriæ in sacerdotem: Nesciebam, inquit, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. Ignorationem ergo officij excusauit, non hominis. Nec maledicendi affectu hoc dixit: sed Spiritu sancto concitatus, iniquo homini pœnam denunciauit. Marulus.

CLOTHARIVS rex Francorum, cùm audiret sororem suam in Hispania ab Amalrico rege propter fidem Christianam multis modis affligi, pugnam in Hispaniam uertit: ibiq; Amalrico interfecto, thesauris eius direptis, & Toleto urbe uastata, cum sorore domum reuersus est. Chron. Iuonis, de Iustino. item Adon ætate VI.

Boso Arelatensium rex ultimus, episcopo Arelatensi in nigilia natalis Christi, ne officium in ecclesia nocturnum celebraret, nisi ipso præsente, mandauit. Episcopus quum aliquandiu cum sacerdotibus aduentum regis frustrà expectasset, prosequutus est sacra. Superueniens rex, dedit episcopo alapam in medio populi. OTHO I. Imp. facinore cognito eum decollari iussit, & interecedentibus multis, Non est æquum, inquit, ut rectum Imperatoris iudicium suspendatur, cùm non conueniat, uel ullum uerbum ex principis ore frustrà egredi. Sebast. Munst. lib. 2. Cosmogr. de Arelato.

FORTVNAS. PER

REGNI AFFECTATIONEM.

Confule Tit. Tyrannicæ crudelitatis pœna. item Tyrannicidarum. item Æmulationes imperii.

Achille tyranno Alexandriæ obsesso, & tandem dedito, victoriam tantam fœdè Diocletianus exercuit, ut qui bellicarũ artium, quàm ciuilium, esset patientior. Nam & Alexandrię muros diruit, & urbem diripiendam permisit, ita ut preciosissima quæq; templorum ornamenta detraxerit, & Aegyptios exiliis ac proscriptionibus afflictauit, & Achillem defectionis artificem capitali supplicio uindicauit, & cõmentarios de fodiendis metallis scriptos Alexandrinis eripuit. Sigonius lib. j. Occid. imp.

Sp. CASSIVS, qui Trib. plebis Agrariam legem primus tulerat, filium ob affectatum regnum damnauit, uerberibusq; affectum de Tarpeia rupe præcipitari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit. Val. Max. lib. 5. cap. 8. & Sabell. lib. 3: cap. j. & lib. j. Enn. 3. ex Liuij lib. 2. Dec. j.

Licinius uita donatus à CONSTANTINO Magno, Nicomediæ priuatus uiuens, cùm occultè rebus nouis studere, & cõtractis militibus populos ad defectionem solicitare deprehensus esset, ingenti Gothorũ manu Thessalonicã missa; in potestatem adductus, cùm fidem ac misericordiam Constantini implorasset, simulq; affinitatis uinculum, & fororis matrimonium identidem memorasset, statim capite multatus, meritas suæ erga Deum hominesq; impietatis pœnas persoluit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

DALMATIVS Cæsar, Galocerũ quendã res in Cypro nouas molientem, acq; ad tyrannidem aspirantem, acie uictum in potestatem redegit, & Tarsi in Cilicia uiuum comburi iussit. Sigonius lib. 4. Imp. occid.

CONSTANTIVS Imp. ad iram tardus erat, sed propensior in seueritatem, cùm suspicio imperij ageretur. Cuspin.

Vualterus Atholiæ comes, regno Scotorum inhians, Iacobum I. regem, suum ex fratre nepotem, Perthi apud S. Dominicum agentem obtruncare statuerat. Corrupto custode præ foribus quendam aulicum expectabãt, per quem apertis foribus irrumperent. Priusquam is ueniret, quidam aper eo ostio ad uinum inferendum accurrens, ubi armatos uidit stantes, proditionem exclamãs, extemplò quidẽ interfectus est, eam tamen moram præbuit, ut ostiũ, accurrente Catharina Douglas nobili adolescentula, clauderetur. Verùm pessulo magno, fraude aulici, ablato, quum ad manum nihil esset, manum in foramen inserui. Sed cõfracto brachio tenello ac fragili, atque uirgine repulsa, in cubiculum inuasere, ac iis qui obstabant interfectis aut repulsis, læsa etiam regina, regem multis confossum uulnerib. trucidarũt, anno MCCCCXXXVI. Percussores Edinburgi à SCOTIS deprehẽsi. Comitem Atholię conspirationis principem, omnibus spoliatum uestibus, præterquam linteo, quo pudenda tegebantur, confecta machina ad modum ciconiæ, qua è puteis aquam hauriunt, uelut in crucis formam, defixaq; in uehiculo, uni parti alligarũt, & ex aduersa fune uinxerũt. Primo die circumuehentes per urbem nunc in altum erigebant, omnibusq; conspiciendum parricidam exponebant, nunc in terram demisso, coronã ferream candentem capitiã imponebant: ut fidem facerẽt oraculo à saga olim accepto, priusquam è uiuis discederet, publicè coronandum iri, quo ille dementatus, per fas & nefas ad regnum aspiraret. Secundo die & ipse caudæ equi alligatus, ac socij effedæ impositi, per urbem omnem pertractí sunt. Tertio die mensæ impositus est, & uiuenti intestina extracta, ac in ignem conjecta: cor subinde palpitãs extractum, ac igni iniectum. Tumcaput præfectum, ac corpus in quatuor diuisum partes, ad quatuor regni regiones missum. Robertus Nepos, qui insigatus ab illo fuerat, ad crucem fixus, in quatuor partes discerptus est. Robertus Grame, quòd præcipuus regis percussor extitisset, impositus uehiculo est: ac manu, quæ facinus perperauerat, patibulo, sub quo stabat, in eurtu fixo alligata, à tortoribus stimulis ignitis ea corporis parte, qua uulnera minimè lethalia sunt, compunctus, circum urbem uectus, in quatuor dissectus est partes. Reliqui itidẽ, qui cõscij sceleris fuerant, turpissima morte affecti sunt. Hect. Boethius libro 17.

CAROLVS Caluus Imp. Carolomannum F. ducem Prouinciæ, in se coniurantem, luminibus priuauit. Cuspin. & Fulgosus lib. 5. cap. 8.

CANDIANVS, Venetorum dux, filium Petrum ob coniurationem aduersus se initam perpetuo exilio multauit. Egnatius libro 5. cap. 8.

Boemundus Teupulus, patre Venetorum duce (ex Sarmatica tamẽ matre) genitus, cùm ipse sibi tyrannidem, Duce patruo suo interfecto, astruere conaretur, dedit meritas pœnas, dederunt & reliqui tanti furoris comites, quando aliis aut subitò secuti percussis, aut in exilium missis, ipse quoq; Boemundus exulauit, donec meritò sit ab externis hominib. interfectus. Celebris est adhuc VENETIIS tam nefandi scelerismemoria, multis patrum indiciis: uel quòd primùm in uisitur à principe patribusq; & ab uniuersa ciuitate D. Viti templum: uel quòd ipsius Boemundi ædes, quæ in Riualtina sede positæ erant, in publicum macellum sint conuersæ, in hunc usque diem: uel quòd decemuirale cõsilium, à quo publicæ dignitatis & libertatis fastigium penderet, tum primùm institutum sit: cautumq; etiam, ne in centum annos uni familiæ, quæ cum ipso Boemundo conspirarat præcipuè, aditus ad decemuirale esset: uel denique, quòd familiæ ipsius insigne sit penitùs immutatum: hoc etiã decreto addito, ut nemo Venetiis, aut in albo, aut quouis alio loco nomen ipsius Boemundi retineret. Egnat. lib. 6. c. 8.

PRIVILEGIA ERÉPTA.

IAROSLAVS Polonus, qui postea archiepiscopus Gnesnensis fuit, cùm iuuenis adhuc Bononiensis academiæ rector esset, transtulit inde academiam sua auctoritate propter Britannum siue Anglum quendam scholasticum, à magistratu urbis capite plexum: nec priùs eam restituit, donec pro cæde Angli satisfactum est. Cromerus lib. 13.

IRRISIONEM.

ELISÆVS propheta, cùm Bethel uenisset, egressi ex oppido pueri eum deridebant, dicentes: Ascende calue. Ille uerò ira percitus, eos detestatus est. Et duæ ursæ ex sylua egressæ, XLII pueros laniarunt. 4. Reg. 2.

CLOTHARIVS II. Francorum rex, iumentum uetulum, ob canitiem, quamuis nõdum quinquaginta annos natus, ab Saxonibus se uocari, ægerrimè tulit. Aemilius lib. j.

CALVMNIAM, OBTRECTATIONEM.

Post pugnam infeliciter contra Græcos ad Mycalem Ioniæ gestam, cùm Persæ fugerent, Masistes Darij filius, Xerxis regis frater, conuiciabatur ARTAYNTÆ Ioniæ præfecto cum aliis multis probris, tum uerò dicens, illum muliere fuisse ignauiorem, dignumq; omni malo esse, qui de regia domo malè meritus esset. Apud Persas summo opprobrio datur, audire se muliere esse ignauiorem. Artayntes acinacem in Masistem stringit. Quem irruentem cernens Xenagoras Pexilai, uir Halicarnasseus, hominem medium accipit, sublatúmq; humi allidit, intereaq; satellites Masistis affuêre. Sic Xerxis fratre seruato, totius Ciliciæ præfectura donatus est. Herodotus libro 9.

Sotades Cretensis, poeta impurissimus periit plumbeo uasi inclusus, & in mare demersus, cùm de rege LYSIMACHO & PTOLEMÆO plura impudenter scripsisset. Gyraldus.

LEO V. Imperator factus, Theodorum Santabarenum monachum magum (cui Basilius Imperator tantum tribuerat, ut eius persuasu filium Leonem etiam Cæsarem factum carcere manciparit) ab Euchaicis, ubi ecclesiæ præpositus erat, ad duci iussit. Timens autem, ne Photius patriarcha illum defenderet, Photium ab ecclesia repulit, & in Armenia exulare iussit, Stephano suffecto. Santabarenus in uincula conjectus, fœuissimè sustibus est cæsus, & hinc Athenas in exilium missus, & paulo pòst excæcatus.

THEODORA Augusta Iustiniani uxor, quòmodo sese ultra fas in Ioanne Cappadoce, uiro iniquiss. qui apud Augustum calumniatus ipsam fuerat. Procopius libro primo de Belli Persici explicat.

CONSALVVS Magnus Tarentum obsidens, in seditione militari ob dilata stipendia, uiolatus est cõtumelioss. uerborum genere. Nam excusanti stipendiorum dilationem, & sein extrema pecuniæ inopia constitutum esse iuranti, Hischia Cantaber centurio superbè respondens: Si pecuniam, inquit, non habes, filias tuas prostitue. Quod uerbũ, quanquam nullum conceptæ indignationis signum ab irato in præsens exciuerit, adeò tamen altè in pectus descendit, ut quum seditio sedata certis pecuniæ spõtionibus fuisset, no de quæ insecuta est Hischiam correptum laqueo strangulati, fenestræq; suspensum exercitui spectandum proponi iusserit. Iouius in Consaluo.

REPVLSAM

Magistratus.

C. FIGVLVS in petitione cõsulatus repulsam passus est: idq; eo grauiùs tulit, quòd patrem haberet bis cõsulem. Ad hũc cùm postridie comitiorum complures uenissent consulendi gratia (erat enim Iuris ciuilis peritissimus) omnes dimisit, ita præfatus: Consulere scitis, consulem facere nescitis. Rotero damus lib. 6. Apoph.

Nuptiarum.

Carolus Magnus Imp. cùm se filiam nuptui daturum Constantino Imperatori, adhuc iuueni, Irenes F. ostẽdisset, tamẽ mutato consilio denegauit. Ea re Constantinus ira uehementer incensus, & Caroli ulciscendi auidus, Adalgisum quondam Italię regem, qui apud se erat, cum ualido exercitu, sed irrito conatu, in Italiam misit. Sigonius lib. 4. regni Ital.

FRIDLEVVS II. Danorũ rex, per legatos aggressus est Norunagiæ regis Amundi filiam Frogertham, in uxorem postulate. Quorum unus Froco nomine, fluctibus inter nauigandum absumtus, inusitatum moriens prodigiũ dedit. Quippe cadauere eius fluctibus innatante totum mare cruen tari cepit. Amundus, odio gẽtis Danorum paterno, Fridleuũ repudiauit; cumq; is secundos misisset legatos, eos perfidè interfecit. Fridleuus Amundum & mari & terra adortus, cũ propè uictus esset, Biornonis ducis sui cane Normannis immisso, uictoria potitus est, Amundo cæso. Saxo lib. 6.

CONIVGEM EREPTAM.

DIONYSIVS tyrannus, pulso in exilium Dione, eius uxorẽ Areten inuitam uni amicorum Timocrati despõdit. Quam rem ægrè adeò tulit Dion, ut bellum contra tyrannum susceperit. Plut. in Dione.

IGNOMINIAM QVAMCVNQVE.

PHOCION Athenien sis, cùm capitis iam damnatus esset, atque hujus amici cæteri, qui simul cum illo damnati fuerãt, flentes ducerẽtur: ex inimicis quidam obuiam factus, post multa conuitia in faciem Phocioni expuit. Tum Phocion ad magistratum clamans: Non hunc, inquit, compescet aliquis indecorè se gerentem? Ita uir sanctissimus etiam monitoribus publicæ disciplinæ curã habere uoluit. Plut. in Græcorum apoph. & in eius uita.

LABERIVS eques Rom. mimorum fabularumq; scriptor, cũ iam grandis natu à C. Iul. Cæsare penè coactus saltaret, & fabulas quas scripserat, ipse ageret præter ætatem, id ut potuit, ulciscì decreuit. Personam igitur Syri serui induit, & rãquam à domino uapulasset, fugientis speciem præbens clamauit: Quirites profectò libertatem amisimus. Ficto eo sermone, personaque, Cæsaris tyrannidem haud obscurè taxauit. Quam ob causam postea Laberius Cæsari nunquam gratus fuit. Fulgosus libro 6. capite 2. ex Suetonio.

Capto Mediolano à FRIDERICO I. Imp. ea conditione uita ciuibus donata, si è mulæ rima ficum dentibus eximerẽt. Id facere detrectantes mox capite multati sunt. Mediolanẽses enim Imperatoris coniugem, quæ ad uisendam urbem uenerat, mulæ impositam obuersa facie per ludibrium urbe eiecerãt. Inde natum in Mediolanenses prouerbium, Ecco lo fico. Cranzius lib. 6. Saxon. c. 35. 36. Chron. Saxoniæ, Erfordensis, Chron. Colonienſe.

Sponsalibus Henrici VI. cum Constantia Siciliæ regina, Mediolani in hortis S. Ambrosij honestandis, cùm omnibus è Lombardiæ ciuitatibus legati adessent, Cremonenses non adfuerũt. Eã rem usq; adeò iniquo animo FRIDERICVS I. Imp. Henrici pater tulit, ut primo quoq; tempore Cremã oppidum ad dolorem Cremonensibus faciendũ iusserit reparari. Quod opus cùm impedire conati Cremonenses essent, castella eorum Soncinum & Manfredum armis occupata euertit. demum urbem adortus, mœnia magna ex parte dissecit, ac multos eorum captiuos abduxit. Cremonenses pacem per episcopum suum Sicardum impetrarũt. Crema ipsa fossis & uallis intra tres menses munita, Frixorium inde est Cremonensium appellata. Sigon. lib. 15. regni Ital.

ALOYSIVS, Antonij Venerij, ducis Venetorum F. ob infamiã, qua amasiæ se repellentis ianuæ aliquot bubula cornua affixerat, à patre perpetuo carcere damnatus fuit. Egnat. l. 5. c. 8. & lib. 6. c. 3. Fulgosus lib. 5. cap. 8. At Sab. lib. 8. Dec. 2. patriciæ feminæ nuptæ hanc contumeliam illatam docet.

EXILIVM.

Consule Tit. Exulum. quatenus exilium seuerè uindicant.

Amilcar, Carthaginensium dux, multis bellis feliciter confectis, in crimen affectatæ tyrannidis falsò adductus, cùm ipse mortè multatus est, tum eius frater GISCON in exilium actus. Eorum bona inter se ciues partiti sunt. Pòst cùm Carthaginenses aliis ducibus usi, plerunq; turpiter uincerẽtur, pœnitudine ducti Gisconem ab exilio reuocarunt, eiq; summam belli commiserunt, & inimicos ad supplicium tradiderunt. Giscon uinculis affectos iusticio conspectu populi in uentrem humi procumbere, atq; ter incitato pede singulorum colla conculcauit, inquiens, Se satis magnas pœnas fraternæ cædis ab iis repetiuisse. His factis, inimicos dimisit, inquiens: Non malo malum ultus sum, sed bonum pro malo rependi. Itaq, statim commutatio fortunæ consecuta est, uincente ubiq; Giscone, propter subditorum erga se beneuolentiam ac promtitudinem. Polyænus lib. 5.

CARCERES, CAPTIVITÁTEM.

C. IVL. Cæsar in insulam Rhodum nauigans, ut simul & otio operam daret & literis apud Apollonium Molonẽ, captus est à piratis: & familiaribus omnibus, præter tres, Romã remissis, ad redemtionis suæ pecuniam procurandam, mansit cum prædonibus dies circa quadraginta, non sine tristitia & indignatione grauissima. Cumq; illi ex conuictu familiaritate orta cum percontarentur, Quid eis, si in sua potestate essent, faceret? respondebat iocanti similis, Se illos crucibus affixurum. idq; tacitus facere iureiurando etiam confirmauit. Cùm uerò comitibus & seruis Roma redeũntibus quinquaginta talenta pro redemtionis precio persoluisset: liberati redditus, classe illicò conquisita illos comprehendit: in quibus iam tùm secuturæ lenitatis & clementiæ gustũ dedit. Nam quum & sontes plectere, & iuramentum seruare fixum esset, modum excogitauit, quo utrunque leniore supplicio compleretur. Itaque iugulari illos primùm, pòst eximes crucibus iussit affigi. Io. Gerund. lib. 9. Paral. Hispan.

SEVERITAS RESPECTV INIVRIAE ILLATAE, consideratæ quo ad AGENTEM, eius qui Iniuriam intulit & læsit alterum sua

IMPROBITATE, IN GENERE.

RHACONES, natione Persa, genere autem Mardus, cùm septem haberet filios, & ex his Cartomes omnium minimus natu, magos & sapientes multis damnis affligeret: primùm cum pater instituere, & amicis uerbis in uiam reuocare tentabat. Verùm cùm ille nullam disciplinã admitteret, & quodam tempore uicini iudices eò uenirent, ubi Rhacones habitabat: ille comprehensum filium, manibus in tergum reuinctis, ad iudices duxit. Ibi quæcunq; unquam per audaciam deliquisset, cum accusatione commemorauit: & à iudicibus postulauit, ut adolescentem ad mortem raperent. Artilli animis consternati, suis sententiis eum condemnare noluerunt, sed utrunq; ad regem Persarum Artoxerxen adduxerunt. Mardo uerò semper instante & eadem contendente, excipiens rex ait: Potẽne etiam ferre, ut filius in tuo conspectu uita priuetur? Se posse, respondit, addens: Quum in horto nascentium lactucarum surculos amaros defrigo & amputo, tantum abest, ut dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, ut etiam magis efflorescat, item magnitudine & dulcedine plus augeatur. Ad eundem modum ego, ô rex, cùm uidero eum qui meam familiam lædit, & uitæ fratrum officit, obstatq;, uitam amittere, & à suis in ipsos iniuriis prohiberi: etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere cõspiciam. Quibus auditis Artoxerxes Rhaconem collaudauit, & in collegium iudicum cooptauit: adolescentem autem præsenti culpa liberauit, grauissimam mortem interminatus, si in posterum in crimine deprehenderetur. Aelianus libro j. de Varia historia.

LACAENA filio facinoris reo: Aut hęc, inquit, crimina fili, aut te de uita depelle. Plut. in Lacænis apoph.

MICHAEL Donatus, patricius Venetus, filium suum, indulgentiùs in omni uitæ parte agentem, publico carceri inclusit.

clusit. Egnatius libro quinto, capite nono.

RAVENNATES, Ioannis Lemigij Exarchi sub Phoca Imperatore auaritiam atque libidinem ulti, ipsum cum coniuge atque iudicibus impunè interemere. Fulg.lib. 9. cap.10.

APOSTASIA, HAERESI, IMPIETATE.

PAVLVS apostolus Ioannem, nomine Marcum, eo quòd in Pamphylia defecisset, nec unà ad negotium profectus fuisset, in ecclesiarum uisitationes assumere noluit, quamuis id maximè contendente Barnaba. Hinc natum iurgium est, ita ut Paulus Silam assumens, Barnabas Marcum, à se dirimerentur. Act.15.

TREBELLIVS Bulgarorum rex, conuersus ad Christum, filium ad gentilitatem redire cupientem regno oculisque priuauit. Fulg.lib.5.c.8. & Sabel.lib.3.cap.3.

THEODOSIVS Magnus Imp. Constantinopoli Demophilum, qui Arianorum ecclesiam obtinebat, postquam in proposita permaneret sententia, urbe exire cum omnibus Arianis præcepit, atq; ecclesias eorum Catholicis tradidit, anno XL, postquam ab eis fuerant occupatæ. Legem etiam, teste D. Augustino, tulit, ut episcopus clericúsue in hæresi deprehensus, denis libris auri multaretur. Cùm autem Demophilus extra urbem iniuriam ad conuocatam multitudinem quereretur, ac plerisq; res digna uideretur, quæ generalis Concilij sententia constitueretur: Theodosius, ut omnes ex Oriente hæreses exterminaret, Concilium Cõstantinopolim in insequentem annum indixit. Præcipua cura fuit, ut Macedoniani ad Catholicorum partes redirẽt. nam post edictum Gratiani, quo liberam religionis fecerat potestatem, iterum ab eis defecerant. Verùm inanis omnis conatus cécidit. Cùm se facturos negassent, ut Consubstantiale sentirent, urbe exire iussi sunt. Damnati etiam Sabelliani sunt, qui unam tantùm Trinitatis personam faciebant: & Apollinaristæ, qui Verbum in homine ratione carente habitasse, & loco mentis Verbum ipsi animæ assuisse dicébant. Vt autem Theodosius ad extirpandas hæreseos Arianæ reliquias Concilium Constantinopoli ex Orientalib. habuit, sic Gratianus Augustus Aquileiæ haberi iussit ex Occidentalibus. Conuenere ex Italia, Gallia & Pannonia episcopi, atq; Gallorum & Afrorum legati. Sigon.lib.8.Imp.occid.

Sub Ferdinando Catholico & Isabella regibus, XVII millia hominum, qui Christo nomen dederant, Vincentij Ferrerij cõcionib. adducti, sed sensim postea, & clàm, ad Iudaismũ relapsi erant, errorem suum confessa, ueniam impetrauere. Obstinati ad duo millia flammis absumti. Multis cõcessum ut in carcere pœnitentias agentes uitam finirent. Aliis hoc pœnæ genus datum, ut infames essent, & priuati publicis officiis, auro & omni genere serici, duabus crucibus coloris ignei signarentur: quarum alteram in pectore, alteram à tergo super exteriorem uestẽ gestarent. Mortuorũ ossa, publicatis bonis, filiisq; honoribus & officiis priuatis, è sepulturis extracta publice cremata fuerunt. Multi in Portugalliam, in Nauarram, in Italiam, in Galliam, alij in alias regiones abiuerunt: quorum res & bona tam mobilia quàm stãtia Catholici principes in bellũ, quod aduersus Mauros gerebant, impendére. In Bætica duntaxat eorum qui cum filiis & uxoribus fugerant, inanium & uacuarum domuum millia quinq; reperta fuere. Iudæos inde omnes è regnorũ suorum finibus in perpetuum expulerunt: qui, cùm neque uendere suas domos, neque secum transferre pecunias possent, nonnulli deprehensi fuere, qui numos in asinorum clitellis & auribus deferebant. Fama fuit etiam quosdam seniores in lienibus, & uetulas in uuluis multas asportasse pecunias, tanquam in loculis. Marineus lib.19. rerum Hisp.

TIMIDITATE, IGNAVIA.

SPARTANA filium è bello fugientem interfecit. Tymneus in 3. Epigramm.

τὸν παραβάντα νόμως Δαμάτριον ἔκτανε μάτηρ,
ἁ Λακεδαιμονία τὸν Λακεδαιμόνιον·
θηκτὸν δ' ἐν προβολᾷ θεμένα ξίφος, ἄπεν, ὀδόντα
ὀξὺν ἐπιβρύκουσ', οἷα Λάκαινα γυνά,
ἔρρε κακὸν σκυλάκευμα, κακὰ μερὶς, ἔρρε ποτ' ἄδαν
ἔρρε, τὸν οὐ Σπάρτας ἄξιον ἐτρέφομες.

Eos uersus paucis sic Latinus uertit poeta:

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonio.

SPARTANARVM erga filios ignauos seueritatem pete ex Tit. Seueritatis parentum erga liberos.

Hannibal sociorum captiuos ad Trebiam & Trasimenum sine precio dimisit. Romanorum captiuis precium in singulos equites quingenos quadrigatos numos adscripsit, in pedites trecentos, centenos in seruos. Lecti ergo X. ex omni numero, qui Romam irent, captiuorum causam acturi. Missus ab Hannibale cum his Carthalo nobilis Carthaginẽsis: qui si fortè ad pacem inclinarent animi, conditionẽ ferret. Vbi hos Romam uenire auditum est, & iam eorũ accessum appropinquare, Carthaloni obuiam lictor missus est, q Dictatoris uerbis nunciaret, ut ante noctem excederet Romanis finibus. Captiuorum legatis senatus datus est. T. MANLIVS Torquatus acerba oratione in illorum ignauiam inuectus: qui quum noctu Sempronium Tuditanum ducem secuti, in tutum abire potuissent, metu & desidia torpentes in castris opprimi, turpiterque capi maluissent: censuit eos nullo modo redimendos, quoniam tali milite uti Reip. minimè expediret. Quòd si etiam utile foret, hostem Romana pecunia ditari, à præsenti rerum statu esset alienum. Traxit Manlius huiusmodi sermone patres in sententiam, responsumq; datum, Nõ placere captiuos redimi. Propinqui cum fletu & lamẽtatione legatos abeuntes sunt ad portas prosecuti. Sab.lib.2. Enn.5.

Cùm M. Marcellus Coss. III. in Siciliam missus esset, ad genua se proiiciunt magno numero Romani milites ex calamitate huiuscemodi. Qui ad Cannas cum Annibale pugnauerant, partim fugam consciuerãt, partim uiui in potestatem hostiũ uenerant tanta multitudine, ut non superesse, ne qui muros quidem tuerentur, putarentur Romani. Fuit autem adeò elato & magno animo & constantia ciuitas, ut nec captiuos, cùm redimere ab Annibale paruo liceret, uellet, imò senatusconsulto negaret: maluitq;, ut uel interficerentur, uel extra Italiam uenundarentur. Quicunq; fuga euaserãt, hos iussit in Siciliam deportari: neq; in Italiam, dum cum Annibale esset debellatum, reportari. Hi ergo M. Marcellũ, postquam aduenit, frequentes adierũt, supplices atq; ad genua eius procumbentes, honestum ordinem militandi postulauerunt, multo eiulatu lacrymisq;: re ostensuros pollicẽtes se, aliquo infortunio potiùs quàm ignauia sua cladem illã acceptam fuisse. Eos miseratus Marcellus, petiit per literas à senatu, ut liceret semper supplere ex iis legiones suas. Verùm re multum agitata, decreuit SENATVS: Militib. ignauis senatui uideri nihil remp. committendã esse. Si M. Claudio fortasse aliter uideretur, uteretur iis: dum ne quis eorũ corona uel dono militari uirtutis ergò ab imperatore donaretur. Hoc senatusconsultũ momordit Marcellum, ac cũ reuersus Romam esset, bello perpetrato Siculo, exprobrauit senatui, q optimè sibi de Rep. merito id negasset, ut releuare posset tãtũ numerũ ciuiũ calamitate. Plut. in Marcello.

ORDOVICES, Pictorum populi, à Iul. Agricola penè ad internecionem cæsi. Qui cladem euaserant, qua nocte domũ uenerunt, ab uxoribus (solitis eo modo fugientium uirorũ delere ignominiam) ad unum sunt iugulati. H. Boeth. lib.4.

Henricus II. Cæsar, Principes & urbes imperij contra Bretislaum principem Boemorum, ob direptam Poloniam, tanquam publicæ quietis turbatorem armauit: diuisisq; biuariam copiis, cum altera parte copiarum ipse Bauariam, cũ altera Bernardus Saxoniæ princeps bello clarus per Misniã processit. Bretislaus se Cęsari, Procopium Belinę comitem Bernardo opposuit: mandãs, ut in syluis loco iniquo & impedito Saxones adoriretur. Et Cæsarem quidem Bretislaus turpi fuga sibi cõsulere coegit. Bernardus uerò reduxit incolumem & pręda etiam onustum exercitum, Procopij culpa, qui nec in syluis, nec in apertis campis hosti se obiicere ausus fuerat. Proinde datus est carnifici primò excęcandus, tùm deindè manibus atq; pedibus truncandus, postremò submergendus in flumine Belina, ad quod immoto agmine substiterat. Vix potuit grauior pœna proditioni constitui, quàm est constituta tunc pauori. Dubrauius lib.7.

THEODERICVS rex Gothorum in Italia, quantùuis Arianus, cùm ministrum præcipuè sibi carum, ac Catholicæ fidei studiosum haberet, eumq; in sui gratiã ad Arianos defecisse uideret: usqueadeo iram non tenuit, ut manu sua illũ confoderit, inquiens, Eum sibi fidem præstare nõ posse, qui Christo fefellisset. Sigonius lib.16. Imp. occid.

TREBELLIVS Bulgarorum rex, filium apostatam à fide, excæcauit. Fulg.lib.5.c.8. & Sab. lib.3.c.3.

Cùm Pyrrhus quidam ad priorem hæresim, quam abiurauerat, reuersus esset: THEODORVS Pp. Romanus uenit ad Ecclesiam, & petẽs sibi adferri calicẽ Domini, consecratũq; in eo uinũ, eo ipso uino diluens suum atramentũ, Pyrrhi excommunicationẽ scripsit. Iodocus Harchius c.7. de Eucharistia, ex Compendio Synodorum.

Cùm Saxones duce Vvedekindo rebellassent, & ille quicquid ubiq; per Saxoniam Christianum erat persequeretur, occisis S. Vvillehadi Anglici discipulis aliquot, per Saxoniã Frisiamq; sparsis: CAROLVS Magnus in omnes consilij & factionis participes seuerè animaduertit, cæsis gladio quatuor millibus quingentis. Insuper ex populo Trãsalbiano ad millia decem cum uxoribus & liberis, in Galliarum prouincias iussit deportari: unde Brabantini & Flandrẽses orti. Recepit autem in prouinciã Gallici generis nobiles: ex quib. in nostram usq; ætatem durauit comes de Pirmont, hoc est, ignito monte. Cranzius lib.2. Saxon.c.22.

GELASIVS pontifex, aduersus Manichæos in Vrbe suscepit certamen. Eorum libros publicè apud templum D. Mariæ combussit, ipsos damnauit exilio. Cranzius lib.2. Metrop.

VLADISLAVS Boemiæ rex, certior factus, audaciores quosdam de plebe, à Senatu Pragensi exilio punitos esse: censuram autem in sacerdotes cõtumeliosos sibi reseruari, quando neq; Archiepiscopus, neq; ullus Episcopus in Boemia censor sacerdotum extaret: Pragam reuersus, censuram Archiepiscopi induit, notans sacerdotes ob petulantiam linguæ notari dignos, eosq; à sacris ædibus remotos, in uincula in arce Carlosteina inclusit, præbitis ad mensuram pane & aqua, ne saturi ferocirẽt. Attenuatos deinde ex fame, Ioannes Varadiensis episcopus, natione Morauus, à rege Matthia ad Vladislaum missus, precibus suis in integrũ restituit. Dubrauius lib.31.

TAMERLANES, quamuis sectam Mahumeti probaret, quingentos tamen sacerdotes eius gentis, Damasci incenso templo concremauit, dictitãs, se missum à Deo uindicem in Saracenos & Christianos, suæ quosq; legis uiolatores & præuaricatores. Cranzius lib.10. Vandal. c.5.

TEMERITATE, AVDACIA.

Cùm TITVS Hierosolymam obsideret, Iudæi quidam portis cum impetu egressi, tanquã à populo pulsi essent, latere studebant. Populus è muro Romanos uocabat, eorumq; auxilium contra seditiosos implorabat. Titus iis nõ credere. At milites Romani cõtra Imp. edictum ad urbem progressi, & ab iis, qui se exclusos simulauerant, & à populo de muris grauiter sunt uulnerati. Quos Titus propter inobedientiã interfecisset, nisi legiones omnes pro commilitonibus intercessissent. Iosephus lib.6.cap.5. belli Iud.

INTEMPERANTIA. EA'QVE VEL ALIMENTARI.

ANTIGONVS rex, milites nõnullos intuitus thoracatos & galeatos *pila ludentes*, gestiuit, acciuitq; eorum præfectos, *ut eos laudaret.* Quos ut accepit potare, illorum præfecturas *attribuit militibus.* Plut. in Apoph.

P. SCIPIO *Africanus*, renunciatus censor, ademit iuueni equum, quòd opiparè cœnans, quo tempore oppugnabatur Carthago, formatam ad urbis effigiem placentam, quam Carthaginem appellauit, conuiuis apposuisset diripiendã. Quærenti causam, Cur equum sibi ademisset? iuueni: Quia Carthaginem, inquit, me anteuertisti diripere. Idem.

VENEREA, LIBIDINE QVALICVNQVE.

Vide Tit. Pœna stupri, incestus. siue inferenti, siue sponte patienti pœna instigatur.

HERCVLES ex Calydone cum Deianira & Hylo ex ea nato profectus, quum fortè ad Euenũ fluuium uenisset, Nessum Centaurum circa ripam fluminis uersantem offendit. Erat is solitus uadandi fluminis imperitos timidosq; traiicere. Sed quum Centaurum dico, hominem equo sedentem intelligi uolo, non monstrum. Nessus puellæ quam uehebat stuprandæ cupidus, equi celeritate fretus, Deianiræ in ulteriorem ripam deuectæ, uim afferre conatus est. Hercules qa cominùs congredi fluminis interuẽtu ꝓhibebatur, Nessum procul sagitta confixit. Sab.lib.6.Enn.j.

Aristocles Orchomeni tyrannus, adamauit uirginẽ Stymphalidem. Cuius patre per Aristoclem occiso, confugit ad templum Dianæ, & simulacrum eius tenuit, donec in eodem loco confoderetur. Ob eius uerò mortem tota ARCADIA tanto dolore commota est, ut sumtis armis uirginem fuerit ulta. Guido Bituricensis.

VIRGO Argiua Bryanti duci præsidiariorum Argiuorum, à quo rapta fuerat, oculos noctu eruit. Pauſ. in Corinth.

ASTYGITES Melitensis, tyrannum Tartarum, sororis pudicitię insidiantem, interfecit. Anton. Liberalis in Transform.

ZALEVCVS, Locrensium legislator, filium ob adulterium altero, altero seipsum oculo, priuauit. Diod. Siculus.

Cùm Alexander Thebas euerteret, Thraces aliquot domũ TIMOCLEÆ illustris feminæ & castæ exciderunt. Prædã hauserunt milites. Præfectus ubi ei per uim stuprũ obtulit, quæsiuit: Ecquid alicubi auri uel argenti occuluisset? Illa habere confessa, solum in hortos duxit, monstrato que puteo: In hunc, inquit, dum expugnatur urbs, carissimas quasque res meas proieci. Inclinantem caput & despicientem locũ, impulit stans à tergo hominem, multisq; in eum prouolutis saxis oppressit. Vt rapta à Thracibus est in uinculis ad Alexandrum: primùm ille ex ore & incessu dignitatem mulieris & magnanimitatem animaduertit imperterritæ, & constanter ducentes sequentis. Deinde interrogata à rege, Quę nã mulier esset? Theagenis respondit sororem se esse eius, qui dimicasset acie pro libertate Græcorum contra Philippum, & ad Chæroneam cecidisset. Cuius Alexãder admiratus & responsum & factũ, liberã abire cum liberis iussit. Plut. in Alex.

Narrant scriptores Græci, Thebanam VIRGINEM, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & uiolatorem uirginitatis suæ iugulasse: postea dormientem, seq; interfecisse gladio: ut nec uiuere uoluerit post perditã castitatem, nec antè mori, quã sui ultrix existeret. D. Hieron. & L. Viues lib. j. de Christiana femina.

Chæroneæ ex insignis nobilitatis reliquiis puer unus fuit orbus parentibus, DAMON nomine, qui Peripoltas cognomine dictus fuit. Hunc corporis uenustate animiq; magnitudine longè æqualibus antecellentem iuuenibus, sed rudem aliàs & moribus asperum: Romanus quidam, cohortis, quæ hybernabat Chæroneæ, ductor, modò adultum amans, ubi precibus & muneribus obnoxium sibi facere nequiuit, uim præ se ferebat allaturum. Id ueritus Damon, atque ex illa excandescens appellatione, struxit ei insidias, ac coitionem in eum æqualium suorum fecit non multorum, quò clàm essent. Fuerunt autem omnes sexdecim. Hi noctu infecta fuligine faciẽ, mero onusti, prima luce sacrificãtem in foro Romanum adoriuntur. Illo & nõ paucis, qui circa eum erant, obtruncatis, profugiunt urbe. Turbata ciuitate senatus Chęronensis hos cõcilio habito capitis damnauit, ut ea suppeditaret ipsis ad Romanos satisfactio. Vesperi autem magistratibus unà de more cœnãtibus, cohors Damonis facta in curiam irruptione, cõtrucidat omnes, iterumq; ex oppido se retrahit. Sub idem fortè tempus Lucullus cum copiis in expeditionem aliquam iturus, transibat illac: qui substitit ibi, ac recenti adhuc facinore quæstione habita, ciuitatem reperit non solùm insontem, uerùmetiam pariter uiolatam. Itaq; milites inde secum abduxit. Porrò Damonem, qui latrociniis & incursionibus agrum oppido finitimum deprædabatur: ciues uersutis legationibus & decretis pellexerunt ad redeundum in oppidum, reducemq; pręfecerunt gymnasio: inde ungentem in sudatorio interemẽre. Quia uerò perdiu ibi spectra conspiciebãtur, & gemitus exaudiebantur, obstruxerunt fores sudatorij: atq; in hanc ætatem eius loci uicini species illic uersari, & uoces audiri terribiles arbitrantur. Illius posteros Asbolomenos Damonis causa uocant: quòd ille ad cædem tinctus fuligine, quã ἄσβολον uocant, erupit. Vt uerò cõtermini Orchomenij, quibus contentiones erant cum Chæronensibus, quadruplatorem Romanũ redemerunt: qui sicut unius hominis nomen detulit ciuitatis, adduxitq; eam ob cædem ab Damone interemtorũ in iudiciũ: cuius quæstionis fuit Macedoniæ pretor iudex (neq; enim dum mittebant Romani in Græciam prætores) patroni ciuitatis testem laudauerunt Lucullum. Ad quem cùm prætor scripsisset, perhibuit testimonium ille ueritati. Ita ciuitas hæc, quæ uersabatur in summo periculo, fuit iudicio liberata. Quare illi, qui tunc assecuti fuerunt incolumitatem, statuam marmoream Lucullo in foro iuxta Liberum patrem posuère. Eiusq; uitam Plutarchus Chæroneus luculenter gratitudinis ergò descripsit. Plut. in Procemio Cimonis & Luculli.

PONTIVS Aufidianus Romæ, ubi filiam suam Fannio Saturnino à pædagogo proditam comperisset, & seruum & filiã interemit. P. ATTILIVS Filiscus filiam, quòd se stupri fœditate contaminauerat, trucidauit. L. Viues de Christiana femina, libro j.

Exercitu & copiis Gallogrecorum à Cn. Manlio consule in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, cùm ad Angiram urbem statiua haberent, quam Tectosages occuparãt: centurio, qui custodiæ captiuorum pręerat, Orisgontis Gallorum reguli VXORI, eximia inter suas populares pulcritudine, ad omnem iniuriam obnoxiæ, stuprum intulit. Inde ut mœrentem illius animum leniret, auri talentum pactus, occultè se illam è custodia ad suos dimissurum pollicetur: fecitq; illi potestatem mittendi seruum in altera Gallorum castra, quæ ad decem millia passuum inde aberãt, ut noctu duo ex necessariis ad cõstitutum locum cum auro uenirẽt. Affuerũt illi ex edicto, & centurio cupiditate auri impulsus, captiuam ex custodia eductam, ad destinatum perduxit locum. Ibi illa Gallica lingua hortatur suos, ut stricto ferro hostem obtruncent, cædeq; perpetrata iacẽtis caput ferox mulier abscissum sinu inuoluit. Inde ad Orisgontem, qui in castra ex Olympo perfugerat, reuersa, in eius conspectũ caput abiecit. Tùm mirãte illo, Ecquid rei id esset? Vita sum inqt, priusquã ad te uenirem, corporis iniuriã, uiolatamq; ab hoste pudicitiam. Ex Liuio, & Val. lib.6. c.j. Sab. lib.7. Enn.5.

AVGVSTVS Cæsar, filiam Iuliam, ob impudicitiam cũ Iulio Antonio & aliis transactam, in Pandateriã insulã relegauit, interfectis scortatoribus. Dion, & Suetonius.

Opilius MACRINVS Imp. adulterij reos semper uiuos simul incendit, iunctis corporibus. Iul. Capitolinus.

TOTILAS, Gothorum rex, Neapoli potitus, quendam uirũ strenuum, qui se uirgini stuprũ intulisse confitebatur, in carcerem, ut ultimo supplicio afficeret, cõdidit. Qua re perspecta, Gothi uicem eius soliciti, ab eiusmodi proposito deter-

rere conati sunt: quibus ille respōdit, Eiusdem ingenij esse, delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire. omnino autem aut hunc pœnas dare, aut Gothorum remp. interire necesse esse. Postquā Theodahatus rex (qui præfect⁹ Etruriæ prius, repetundarum damnatus fuerat) æquitatem diuitiis posthabuerit, Deum Gothis minùs propitiū esse factum. Præstantius autem esse, iustitiam custodire, quàm negligendo inuidiam concitare: neq; enim qui uirginem uiolauerit, probè se gerere in certaminibus posse. Quibus auditis, illi hominem repetere destiterūt: ipse uerò, uiolatore necato, bona eius uirgini uiolatæ largitus est. Sigonius libro 19. Imp. occidentalis.

ALFONSI Casti, Asturū regis, soror Semena ex Comite Sancio uiro nobili, furtiuo connubio suscepit filium Bernardū. Rex Sancium in castro Lunæ uinculis coarctauit, ad mortē usq;: Semenam in monasterium detrusit: Bernardū, quia nō habebat filium, educauit. Qui posteaquam adoleuit, sub rege Alphonso III. bello clarus, prope Salmanticam arcem Carpium extruxit, & Saracenis iunctus, non alia ratione reconciliari potuit, quàm patris licèt ex senio iam cæci liberatione. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hisp. c. 9. & 15.

Osbretus Anglorum rex, BVERNI Angli uxorem adulterio polluerat. Buernus, Hungarem & Hubbam Gadani Danorum regis fratres adduxit. A' quibus Constantinus Scotorum rex captus & securi percussus, & Osbretus cum Ella fratre cæsus est. H. Boethius lib. 10.

Culenum, regem Scotorum scelestiss. proceres loco mouere conabantur, conuentu Sconæ indicto. Eò euntem Culenū paucis comitatum, haud inscium quid primores in se molirentur, ad Messen arcem, CADHARDVS loci Thanus, cuius filiam iam olim rapuerat, medio propè itinere obtruncauit. Idem lib. 11.

Hithinus Noruegius regulus, apud Hoginum Iutorum regulum insimulatus est, quasi filiam eius Hildam ante sponsalium sacra stupri illecebris temerasset: quod tunc immane cūctis gentib. facinus habebatur. Igitur HOGINVS, Hithinum regia apud Sclauos stipendia colligentem, classe lacessit, confertaq; manu uictus, Iuliam petiuit. Frotho, Danorū rex, iuxta legis à se latæ formulam pronunciauit, satis pœnæ stupratori esse, constupratæ coniugium. Videns autem ne sic quidem eos in gratiam reduci posse, patre filiam pertinaciùs reposcente, litem ferro decidendam edixit. Id quippe solum dirimendæ cōtrouersiæ remedium uidebatur. Inita pugna, Hithinum Hoginus ingenti uulnere prostrauit: formæ tamen eius, & iuuētæ miseratione, à cæde abstinuit. Olim nanq; impuberem, aut inualidum uita spoliare, rubori deputabatur. Iidem septimo pòst anno apud insulam Hithinso mutuis uulneribus consumti sunt. Ferunt Hildā tanta mariti cupiditate flagrasse, ut noctu interfectorum manes redintegrandi belli gratia carminibus excitasse credatur. Saxo lib. 5.

Ingelli Danorum regis sororem Helgam quidam aurifex obscuræ stirpis, blanditiis compositus, ac uariis instructus munusculis, quibus muliebris maximè cupiditas capitur, in mutuas faces amatoria comitate pertraxerat. Quippe post obitum regis, custodiæ inops, tutorib. destituebatur. Quod cū STARCATHERVS ex assidua uiatorū relatiōe cognosceret: è Suecia aduolans, fabri domū ingressus, uicinum limini locum occupat, pileolo ne proderetur obscurātē. Quē faber obiurgatum domo ocyùs excedere iubet. At senex nihil offensus, sordidi hominis gestus obseruare. Ergo cū faber in puellæ gremio caput deposuisset, ut comam sibi depecteret: inde femoralibus exutis pulicum necandorū munus ei demandasset: mox etiam manum lasciuam in sinum ingessisset: Starcatherus abiecto pileo manū gladio admonuit. Faber metu territus per ostium euadere tentans, à Starcathero in mediis natibus percussus concidit. Nam cùm impuri hominis morte manus inquinare nollet, ignominioso potiùs quàm lethali uulnere libidinem eius coercere satis habuit. Helga inde pugnis petita à Starcathero, maiorē in posterum generis quàm libidinis rationem habere didicit, & pòst Helgoni Noruagiensi nupsit. Saxo lib. 6.

BANCBANVS Hungarus, cui Andreas rex Hungariæ profecturus in expeditionem Hierosolymitanamr, eginam commendarat, uxoris suæ pudorem uiolatum à Gertrudis reginæ fratre seuerè ultus est. Reginam enim, cuius indulgentia hoc facinus commissum erat, incautam gladio confodit, uxori uenia concessa. Bonfinius lib. 7. Dec. 2. Rectà inde Cōstantinopolim peruolās, Andreæ regi lenocinium reginæ, suamq; uindictam detexit, illius iudicio salutem suā commisit. Andreas uxorem Gertrudin ob lenocinium iure cæsam, pronunciauit. Ibidem.

Valterus Herefordensis episcopus in Anglia, cùm MVLIERI per uim stuprum offerre conaretur, illa forficibus gulam eius perfodit: eoq; uulnere statim expirauit, anno MLXX. Ranulfus lib. 7. cap. 2.

Nicolaus Vrsinus, Bartholdi F. à quo Viterbiensi acie Sforcia Magnus desertus proditusq; fuit, aliquot pòst annis: quum apud Suanam oppidum Senēsis agri suæ ditionis impotenter agrestium feminarum pudicitiam expugnare pergeret: concursu unius FAMILIÆ, quæ in tyrannum coniurarat, uenabulo, & irati quidem aratoris manu, cōfossus interiit. Iouius in uita Magni Sforciæ.

AVARITIA.

T. MANLIVS Torquatus, cùm ad Senatum Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciā obtinuerat, querelas per legatos detulisset, à P.C. petiit, ne quid antè ea de re statuerent, quàm ipse Macedonum filiiq; sui causam inspexisset. Summo deinde tum amplissimi ordinis, tum etiā eorum, qui questum uenerant, consensu, cognitione suscepta, domi consedit: solusq; utriq; parti per totum biduum uacauit, ac tertio die plenè diligētissimeq; auditis testibus, ita pronunciauit: Syllanum filium meum pecunias à sociis accepisse, cùm mihi probatū sit, & repub. & domo mea indignum iudico, protinusq; è cōspectu meo abire iubeo. Tam tristi patris sententia percussus Syllanus, suspendio se proxima nocte consumsit. Torquatus neq; adolescētis exequiis interfuit: & cùm maximè funus duceretur, consulere se uolentibus uacuas aures accommodauit. Val. Max. lib. 5. c. 8.

Cùm Tigranem Armeniæ regem Cn. POMPEIVS deuicisset, & is ab eodem Pompeio in regna, quæ antè possederat, restitutus, in Romana castra ad salutandum Pompeium uenisset, maiore natu filiorum prosequēte: à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus, post epulas Pompeio totiq; exercitui ingentia munera contulit. Cùm postea filius quoq; inuitatus respondisset, tanti se coenam emere nolle: indignatus Pompeius, custodiri eum iussit, ac Romam in triumphum duxit. Plut. in Pompeio.

Traherus, Constantini Imper. legatus in Britannia, pulso Octauio, qui regnum occupauerat, ob auaritiam & crudelitatem à POPVLO obtruncatus est. H. Boethius lib. 6.

Picardonum Vasallium è Vercellis, qui GALEACIO II. Vicecomiti olim Belgici exilij comes, proptereaq; ex humili fortuna ad præfecturam ærarij prouectus, inde sæui prædonis more, nullo metu pudoreúe immensas opes congesserat, repetundarum & peculatus reum populus fecerat, iudicésq; damnarant. At princeps nihil omnino ex damnati bonis neq; in fiscum neq; in ærarium se reducturum testatus, liberè respondit, sibi lege agendum uideri, atq; eo quidem seueriùs, quòd supra furti noxam grauioris flagitij nomen ferret, quando mortalium ingratissimus fuisset. Iouius.

GALEACIVS Sforcia, dux Mediolanensis, cùm plebeiæ uiduæ lamenta audiuisset, defuncti mariti cadauer iam per triduū domi asseruātis, quòd sepulcri ab auaro parocho redimendi facultatem, egestatis causa, non haberet: præsens statim locum redimi, terrā egeri, impio parocho cadauer inici, utraq; contumulari uoluit, curauit, imperauit. Augustinus Gallus com. de Agricultura dialogo 19.

CRVDELITATE.

IVDÆI Adonibezecum regem Bezec, Chananæum, occisis X millibus ceperunt, eiq; manuum atq; pedum pollices amputarunt: cùm ille diceret, LXX sese regulos habuisse, qui eodem modo tractati, micas sub mensa sua colligerent. Iudicum capite primo.

DAGOBERTVS Clotharij II. Francorum regis F. admodū adolescens, Sadregisillum clariss. uirum à patre designatū Aquitaniæ præfectum, detracta ueste loris cecīdit, & ut ille barbam more eius ætatis aluerat, totondit, abrasitq;: quòd non quàm reuerenter filium regis oporteret, se ab eo obseruari existimaret: offensus inprimis, quòd ille conuiuio frequenti contra se accumbendi locum legisset, poculoque ex eius manu, oblitus per uinum maiestatis, id quod tantùm inter pares fieri assolet, ultrò sumto bibisset. Ille deformatū os, lacerumque recentibus uerberum uestigiis tergum regi ostendit. Qua fœditate percitus rex, cōprehendi filiū iussit. Et nisi adolescens iram patris deuitasset, apparebat non leui defuncturum pœna. Aemilius lib. j.

Trib. pleb. M. FVLVIVS, ad populum de Tusculanis retulit, quorum consilio Veliternos Priuernatesq; rebellaturos dicēret. Qui cum coniugib. ac liberis squallore obsiti, cùm supplices Romā uenissent, accidit, ut reliquis tribubus salutarē sententiam secutis, sola Pollia iudicaret, oportere publicè eos uerberatos securi percuti, imbellem multitudinem sub corona uænire. Quā ob causam Popilia tribus (in qua plurimùm postea Tusculani in ciuitatē recepti potuerūt) neminē unquā candidatū Polliæ tribus fecit magistratū, ne ad eam ullus honor suis suffragiis perueniret, quæ illis uitā ac libertatem, quantū in ipsa fuit, ademerat. Illam uerò ultionē & senatus & consensus omnium approbauit. Val. lib. 9. c. 10.

VRATISLAVS II: cùm à Spitigneo II. fratre Boemorū principe, regnandi libidine excęcato, uxor sua Olomucij capta, à Belinę præfecto in arce Lesca inhumaniter tractata fuisset, ut quantumuis grauidæ pes uterq; per noctem uno compede constringeretur, adeoq; uel liberata è carcere in itinere ex abortu perierit: posteaquam fratri in regno successit, & præfectus ille Pragam uenisset, ut Seuerum episcopum ad initiationem noui templi in fundo suo extructi inuitaret; speransque iniuriæ ueteris oblitum regem, ipsum quoque blandis uerbis compellasset: paucis illi respondit: Veniam, inquit, & quod facto opus erit, faciam. In meliorem quàm dictum erat sensum hæc accipiens præfectus, domi lautè prādio apparato, cum magno gaudio principem expectat. Verùm ille post dedicationem templi à Seuero perfectam, oppidum Belinam intrat, iubetq; Seuerum prandium, quod præfectus foris ad templum apparauerat, prādere. Ipse clausis portis oppidanos in domum prætoriā contrahit, acceptoq; ab illis fidei iuramēto, nouum eis præfectum (ipsi Comitē uocabant) instituit: uidelicet Cogetā Vysseborium, parenti Vratislai Bretislao perchatum. Huic iniunctum, ut illicò mittat, qui deiectum loco præfectum comprehendant, uinctumque ad Principem adducant. At lictores anteuertit amicus quidam præfecti, in aurem illius, mensæ etiamnū assidentis, insusurrans: Ademtum illi esse cum oppido magistratum, & mox affore qui illum capiant. Expauefactus inopinato illo nuncio, surgit cōtinuò à mēsa, seq; abdit in abstrusum locum, ac proxima nocte de consilio Seueri fugam instruit, atq; ita supplicium euadit. Bona tamen illius à Vratislao proscripta sunt, quorum meliorem partem sacerdótia tenuiora abstulerunt. Nam ipse princeps in usum suum ex illis ne teruncium quidem conuertit. Non enim auaritia; sed dolore accensus, ad persequendam ultionem uenerat. Dubrauius libro 8.

INHOSPITALITATE.

ISRAELITÆ legatos ad Sehonem Amorræorum regē miserant, oratum, ut sibi liceret per illius fines iter facere: se neq; in agros aut uineas esse declinaturos, neq; puteorum aquas bibituros, sed uia regia incessuros. At Sehon non modò nō iter dedit, sed contractis copiis occurrit illis in deserta, ad Iasam usq;, ubi prælio commisso cum toto suo exercitu periit. Israelitæ Amorræorum urbes occuparunt. Numeri 21.

Cùm GEDEON cum trecētis uiris, 136. millia Madianitarum in fugam uertisset, eosq; persequeretur. à Socothensibus panem suis militibus petiit, item à Phanuelensibus. At illi se daturos negarunt. Gedeon igitur cùm duos reges Zebam & Salmanam cum 15. millibus (quæ è cæde superfuerant) Carcere superasset, Socothensium senatores 77. syluestribus spinis atq; tribulis contriuit, & Phanuelensem turrim diruit, oppidanosq; interemit. Iudicum cap. 8.

IVDAS Machabęus, superato Timotheo in Galaatitide, in Iudæam reuersus, cùm uenisset ad Ephronem oppidum, per quod necessariò transeundum erat, nisi retrorsum reuerti mallet, misit ad oppidanos rogans, ut patefacerent sibi transitum, nam obstructis portis uiam interruperāt. Quod cùm ab Ephronitis impetrare non posset, cohortatus suos, corona oppugnauit mœnia: & diem ac noctem ibi remoratus ui cepit oppidum: occisisq; omnibus maribus, per incensi cineres traduxit exercitum. tantus autem erat occisorum numerus, ut in transeundo calcanda essent cadauera. Iosephus li. 12. cap. 12. Antiq. ex 1. Machab. 5.

CONTVMACIA.

CLEOMENES Spartanorum rex Megalopolim ex improuiso occupauerat. Ciues Messenen fugerunt. Pauci omnino in potestatem hostiū uenerunt, in quibus Lysandridas & Thearidas illustres uiri & principes Megalopolitanorum. Lysandridas, ut procul Cleomenem aspexit, alta uoce: Licet tibi nunc, inquit, rex Lacedæmoniorum opus edere rege dignissimum, quod efficiat te clarissimum. Suspicatus, quid postularet, Cleomenes: Quid adfers, inquit, Lysandrida? Num urbem mihi suades ut uobis restituam? Id ipsum dico & consulo, inquit ei Lysandridas, ne urbem tātam euertas: uerùm ut reddita Megalopolitanis patria, tanti conseruator populi, amicis eā sociisq; repleas fidis & firmis. Cleomenes, cùm paulisper subticuisset: Difficile id, infit, creditu est. At uincat apud nos potiùs, quod gloriosum sit, quàm utilitas. Ita fatus misit eos Messenen, adiuncto suo nomine caduceatore; urbem Megalopolitanis offerens reddere, si relictis Achæis societatem & amicitiam secum iunxissent. Eam Cleomene benignitatem & humanitatem offerente, non permisit Megalopolitanos Philopœmenes desciscere ab Achæis: Cleomenem autem uociferans non quærere, ut urbem reddat, sed acquirat insuper ciues, Thearidam & Lysandridam Messene exegit. His renunciatis Cleomenes, qui urbem intactā conseruauerat & illęsam, ut ne minimam quidem rem quisquam clām surripuerit, tūc semel efferatus, & ira frendens, fortunas ciuium in prædam concessit, signa & tabulas pictas Spartam misit, urbis plurimas & maximas partes solo æquauit ac proruit: inde domū se Antigoni & Achæorum metu recepit. Plut. in Cleomene.

FRIDERICVS I. Imp. cum exercitu Tridentinam uallem penetrans, iuxta Veronam castra metabatur. Veronenses Cæsari nullum ius in se competere asserebant, priusquàm imperialem haberet coronam, nisi ingentem numeraret pecuniam. Fridericus ira dissimulata pecuniam se daturū promittens, Veronam ingressus, nobiliores ciues, qui pecuniā reciperent, se comitari iussit. Eos ille paulo pòst soluta pecunia suspendio affecit. Cuspin.

TYRANNIDE.

Vide Tit. Tyrannorum, & Tyrannicidarum.

GRÆCI, uelut neq; probos ex improbis gigni, neq; ex probis improbos naturā pateretur, tyrannis genitos cum parentibus tollendos censuere. Sabell. lib. 1. En. 3.

Ostanus, cùm Sueonibus & Gothis tyrannicè præesset, à NOBILIBVS quibusdam noctu igne domui iniecto, cum tota familia exustus, & cineres in profluentem proiecti. Io. Magnus libro 8. capite 23.

INOBEDIENTIA, LEGVM CONTEMTV, NEGLECTV.

Exempla quædam ex Tit. Seueritatis Ducum erga milites, item Parentum erga filios petenda.

ATHENIENSES olim damnabant reos, non si totam simul legem, sed uel si unam syllabam transgressi fuissent. Ibidem.

DERBICES Hircanis finitimi pro minimis quibusq; delictis iugulant. Strabo lib. 11.

Tenedia securis in prouerbium abiit. Occasionem præbuit uetustus REX Tenedi, qui securim gestans, lites audire cōsueuerat: causaq; iudicata, protinus eum, qui fecisset iniuriam, securi percutere. Alij narrant, Tenedium quendam regem legem tulisse in adulteros, ut utriusq; corpus securi concideretur, eiusq; legis exemplū etiam in filium edidisse. Proinde in nomismate iussisse insculpi altera ex parte securim, altera duos uultus ex eadem ceruice prominētes. Stephanus in Vrbium catalogo. Erasmus in Adagiis.

DRACO Atheniensium legislator, sanguine non atramento leges scripsisse dicitur à Demade: quoniam non furti modò conuictis mortis irrogauit supplicium, sed & cuiusq; peccati reis ac ocij etiā damnatis. Interrogatus autem ipse, quid ita in omnibus mortis approbasset multam? Quoniam, inquit, parua ultimo digna supplicio arbitror: maiorib. quid grauius statuerem, non habui. τὰ μὲν μικρὰ ταύτης ἄξια νομίζω, τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχω μείζονα. Cælius lib. 10. cap. 6. A.L.

Profectis in Asiam Gręcis cum Cyro minore, XENOPHON Atheniensium dux uni militum imperauerat, ut agmen anteiret, ac saucium militem iumento ueheret: nam hostes insequi. Sed paulo pòst Xenophon aduenies, in medio adhuc itinere hunc nactus erat terram fodientem, ut eò miserum illum ac uulneratum commilitonem suum abiiceret. Cuius rei nomine, putans eum defunctum sepelire, cùm antea pietatem militis collaudasset, postea certè indignatus, cum uerberauit, ubi propè multis circumstantibus atq; acclamantibus, Militem uiuere; apparuit, non mortuum, sed uiuum adhuc, neq; ab ignorāte sepeliri. Xenophon. lib. 5. Cyri exped.

Cùm longo interuallo à bello deuictis Atheniensibus rex reuersus Agis cœnare apud uxorem uno die uellet, portionē postulanti non miserunt polemarchi. Postridie, re EPHORI ad ipsos delata multam ei dixerunt. Plut. in Apoph.

Omnium in Sicilia Prætorum, postquam ibi M. Aquilius occisus est, instituta atq; edicta fuerunt eiusmodi, ut ne quis cū telo seruus esset. Itaq; propter seueritatem exempli narratur, L. DOMITIVM Prætorem in Sicilia, cùm aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset. Cumq; audisset, pastorem cuiusdam fuisse, eum ad se uocari iussisse. Illum cupidè ad Prætorem quasi ad laudem atq; ad præmium accurrisse: quæsisse Domitium, Qui tantā bestiam percussisset: illum respondisse, uenabulo: ideoq; statim iussu Prætoris in crucem esse sublatum: quia & ipse Domitius ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia uastabatur, edixerat, ne quis telum haberet, & cum telo ambularet. Ratio publici imperij hanc fortasse seueritatem exigit, ut præstet in hoc metu & disciplina publica, crudeliorem se in animaduertendo, quàm in prætermittendo dissolutum exhibere. P. Aerodius ex Ciceronis Verrina septima, & Valerio Maximo lib. 6. cap. 3.

Mortuo Henrico VII. Imp. cùm immineret noui Romanorū regis electio, congregatis ad eam rem Francofordiæ principibus, VALDEMARVS Brandēburgensis marchio, quum adesse uel nollet uel non posset, instructū misit procuratorem militem cum mandatis, inclinante in Fridericum Austriæ ducem, Alberti Imperatoris filium, marchione. De-

dit oratori suo albam membranam, in quam nomen eius insereret, quem cerneret uotis exuperare. Iam uentum erat ad electionem, scindebantur Electorum uota. In Ludouicũ Bauarum uidebatur pars maior propendere: quamuis marchionis uox, si Friderico accessisset, magnum illi adiecisset pondus. Nuncius marchionis Ludouico fauit. Id quũ marchio intellexisset, uinctum in carcere fame extinxit. Cranzius libro 8. Vandaliæ, cap. 1.

SIGISMVNDVS Imp. mansuetudine sua multos Hussitas ad obediẽtiam reuocauit. Vnus erat omnium pertinacissimus Iacubicus, confisus arcis suæ munitione, quam putabat inexpugnabilem. Imperator obsedit arcem: erexit furcas, ut supplicium in oculis haberent uicti contumaces. Obsessorũ ducenti exiere ad Imperatorem, gratiæ eius se submittentes. dedit ueniam Imperator ad cor reuersis. Ad extremum arce capta Iacubicus, cum ducentis sexaginta, in furcam actus est. Cranz. lib. 12. Vand. cap. 4.

Gandauenses cùm iuri suo, tum uiribus audaciùs confisi, Mariæ reginæ, quæ Belgis præerat, pecuniam in Gallici belli sumtus imperanti restiterant, adeò ut paratam uictoriam interpellasse uiderentur. Id facinus altè admodum & grauiter in pectus CAROLI V. Cæsaris descenderat, quòd ab ea ciuitate, in qua esset natus, initium detrectandi imperij exortum uidebat, summo quidem rerum suarum periculo, quando in eadem causa prouinciæ omnes perpetuis tributis exhaustæ, ad non dubiam rebellandi occasionem Belgarum exemplo uocarẽtur. Itaq; ulturus iniuriam, quum iam pacato planè animo uideretur, dispositis per urbem custodiis, multos uno tempore comprehendit. Nouem ex his, quos turbido ingenio aut facundia insigni & militari præsertim audacia compererat, iudicio damnatos, uti reos maiestatis interfecit: his paucos post dies sexdecim, desiderio libertatis & populari potentia suspectos, addidit, de quibus pariter in foro, conterritis omnibus, supplicium est desumtum. Ab hac reorum pœna, ueteres demùm ciuitatis immunitates uno edicto abrogauit, leges dissoluit, totum id iùs aboleuit, quo magistratus creabantur, ingentiq; pecunia ciuitatem mulctauit, quæ in sumtum ædificandæ arcis transferretur. Instituebat enim peramplam arcem oportuno urbis loco, ut Gandauenses iugum seruitutis ceruicibus impositum sentirent. Damnarunt seueritatem Cæsaris totius Germaniæ liberæ ciuitates, horrebantq; in primis impositæ arcis nomen, uti nouum & maximè infestum libertati. Iouius libro 38. Hist.

FOEDERIS VIOLATIONE.

Philippum Macedoniæ regem Dion affirmat Medopã Gudilç Gothorũ regis filiam, in coniugiũ postulasse: & ut hac affinitate tutiùs sua regna muniret, eam duxisse uxorẽ. Mox pecuniarũ inopia ductum, Odystanã urbem opulentissimam, Tomis finitimã, & Getarum urbem obsedisse: pios illi sacerdotes candidis ac sacris uestibus instructos, modulatis cantib. occurrisse. Macedonas hoc supplicũ spectaculo uictos, regis iussu continuò grauem soluisse obsidionem, reddidisse prædam, redintegrato demùm fœdere abiisse. At SCYTHALCVS rex non multo pòst tẽpore uiolati memor fœderis, centũ & quinquaginta millia hominũ aduersus eum coegit: belloq; superior, pro acceptis in Mysia iniuriis uniuersam ferè Macedoniã deuastauit. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.

ALFONSVS VI. Asturum & Castellæ rex, Toletanam urbem ea lege in deditionem acceperat, uti maior Mezquita Saracenorum cultui integra seruaretur. At rege absente, Bernardus archiepiscopus Toletanus, instigante Constantia Gallica regina, noctu è templo eiectis Saracenis, erexit altaria Christiana, & in maiori turri campanas ad conuocationem fidelium collocauit. Rex perfidiæ notam metuens, properè rediit Toletum, Bernardum & Reginam crematurus. Saraceni re comperta cum paruulis & uxoribus in pago, qui Magam dicitur, Regi obuiam exierunt. Rex existimans eos causa querelæ uenisse, inquit: Non uobis iniuria facta est, sed mihi: itaq; mea intererit, & uobis satis facere, & inobedientes punire. At Saraceni flexis poplitibus cum lacrymis inquiunt: Bene nouimus, quòd Archiepiscopus dux & princeps est legis uestræ: & si causa fuerimus necis eius, Christiani nos extirpabunt: & si Regina perierit causa nostri, semini eius erimus perpetuò odiosi. Petimus ergo, ut parcas eis. nos te uoluntariè absoluimus à iuramento. Sic ira Regis resedit. Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hisp. cap. 26.

PRODITIONE.

Mardonius per Bœotiam Atticos fines ingressus, Athenas iterum occupauit, decimo mense ab eo quo Xerxes eas ceperat. Ex Athenis Salaminem misit ad ATHENIENSES, qui eò populariter migrauerant, Murichidem quendam Hellespontium: ratus, quoniam armis subacta esset Attica, Athenienses iam de pace cogitare. Is ubi in senatu exposuit, quæ essent Mardonij postulata, Lycidasq; unus è senatorib. sententiam dixisset, uideri sibi de ea re esse ad populum referendum (corruptúsne pecuniis à Barbaro, an metu, incertum) multitudo Lycidam lapidibus obruit: quin & mulieres, in Lycidæ domum ruentes, uxorem & liberos lapidarunt. Sabellicus lib. 2. Enneadis 3.

PAVSANIAS Cleombroti F. ob proditionem patriæ à Spartanis comprehendendus, cùm sese in templum Palladis recepisset, à matre Theano proditus fuit. Dubitantibus ibi Lacedæmoniis, num fas esset supplicem abstractum ab aris deposci ad suppliciũ: Theano, uel, ut Suidę uidetur, Anchithea mater, templum id taciturna intrauit, nec quicquam aliud agitauit, quàm quòd laterem, quem tectum secũ attulerat, in limine templi deposuit: moxque hoc peracto domum se recepit. Tum Lacedæmonij matris facto admoniti, aditus templi omnes muro obstruentes, inedia Pausaniã cõfecere.

VLADISLAVS Boemorum princeps, Henrici V. Cæsaris auctoritate recuperato principatu, quem Boriuorius occuparat, Prætorem urbis Pragensis proditorem, in equum strigosum impositum, & post tergum illius uetulum canem alligatum, per circum iussit circumduci, lictore barbam eius manu tenente, quam dein cum mandibula abscidit, & columnæ in medio Circi positæ affixit, extra mœnia prætore extruso in exilium. Dubrauius lib. 10.

DEFECTIONE, REBELLIONE.

REX Thracum Bysaltiorum, cùm Xerxes Græciæ bellum inferret, sex liberos aduersus patriam arma capientes oculis priuauit. Aelian. de Var. hist. lib. 5. & Herod. lib. 8.

L. IVN. BRVTVS post exactos reges primus Romanorum cõsul, cùm per Vindiciũ Aquiliorũ seruum cognouisset Titũ & Semproniũ (Plut. Valeriũ habet) filios, ad recipiendũ in urbẽ Tarquinios, cũ Aquiliis & Vitelliis cõiurasse, uinciri eos iussit, & utrũq; nomine cõpellans: Age Tite, inquit, age Valeri, quid respõdetis ad crimina hæc? Vbi ter interrogati, nihil responderũt, tũ ad lictores conuerso uultu: Iã reliquæ, inquit, uestræ partes sunt. Illi confestim iniiciunt adolescentibus manus, togis spoliant, manib. post tergũ illigatis corpora uirgis cedũt. Ibi aliis oculos auertẽtibus, fama est, faciem illũ nusquã aliò detorsisse, nec misericordia quicquã de soli ta uultus austeritate & seueritate mutauisse, sed toruè filios in medio supplicio intuitũ, dum humi extensos securi percussere. Inde permittens reliquos collegæ, discessit. Plut. in Poplicola. Liuius lib. 1. Dec. 1. Dionys. lib. 5. Florus lib. 1. ca. 9. Val. Max. lib. 5. cap. 8. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Oros. lib. 2. cap. 5.

A. FVLVIVS Rom. Senator, filium castra Catilinæ secutum retrahens, supplicio mortis affecit: præfatus, Non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Val. Max. lib. 5. cap. 8.

Illurgitani in Hispania, cùm ꝓsperis rebus ROMANORVM socij fuissent, post cæsos tamen Scipiones cũ exercitibus defecerunt ad Pœnos: & Romanos, qui ex illa clade ad eos profugerant, hostibus prodiderunt interficiendos. Postquã Pœni ex Hispania à P. Scipione pulsi sunt, ad pœnas Illurgitani exposcuntur. Cæterùm cùm obstinatis animis populariter repugnarent, obsessi & expugnati. In omnem ætatem sęuitum. Ciuitas inde direpta & exusta fuit. Ioan. Gerund. lib. 5. Paralip. Hispan.

Diocletiani anno septimo, Busiris & Coptus (Copos habet Pomponius) diuites & populosæ urbes, Thebis uicinæ, rebellionem contra ROMANOS mouentes, ad solum usq; subuersæ sunt. Decimo anno, Alexandria cum omni Aegypto, quæ per Achilleum ducem à Romanis defecerat, octauo mense obsidionis (cuius etiam Euseb. meminit lib. 7. ca. 32.) à DIOCLETIANO capta est: cæsis ubiq; defectionis auctoribus, plurimisq; per omnem Aegyptũ grauibus persecutionibus exilijsq; uexatis, anno Christi 298.

PLACIDIA Augusta, Valentiniano III. filio ad Augustalem dignitatem euecto, Imperij procurationem adepta, Rauennam urbem diripiendam militibus dedit: ob id ciuibus uehementer infensa, quòd eos Ioanni tyranno studuisse comperisset. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

Deprehensis Catilinarij sceleris coniuratis, Senatus decreuit, uti P. Lentulo Suræ Senatori magistratus abrogaretur, omnes in libera custodia tantisper essent, quoad de sontibus aliud publicè statueretur. Cùm patres sentẽtiis inter se uariarent, C. IVL. Cæsar bona cõiuratorũ publicãda, ipsos in uinculis ꝑ municipia habẽdos, neu quis postea de his ad Sen. referret, aut cũ pop. ageret, cẽsuit. Contrà M. Cato capitale de his sumendum supplicium. In Catonis sententiã facto S. C. Cicero non expectata nocte in uinculis cõiuratos necari curauit, & ad frangendam reliquorũ audaciã ad pop. conuersus, Vixerũt, inquit. Ex ea audaci anima duersione tãtus honos Ciceroni apud bonos accessit, ut idẽ Cato uir grauis, omniq; assentatione liber, eũ Patrẽ patriæ appellandũ censuerit, atq; ut cẽsuit ita sit decretũ. qui honor nulli ad id tempus

tempus Romæ contigerat. Sabell. lib. 5. Enneadis 6.

Leone X. mortuo, OTHO I. Imp. episcopos ea de re Romam misit: atq; iis præsentibus, populus, clerusq; cõcordibus animis Ioannem XIII. Pontificem declarauit. Petrus præfectus Vrbis, consules, tribuni plebis, qui Decarchones dicebantur, opes suas ab Othone fractas acerbè ferentes, Ioannem comprehẽderunt, & in arcem inclusum, ac nihil de sententia remittentem Vrbe depulerunt, Rofredo comite ex Campania summæ potentiæ uiro in auxilium aduocato. Ioannes egressus, Capuam ad Pandulfum principem uenit. Pandulfus Ioannem fratrem, ut Rofredum sæuientem occideret, incitauit. Quo facto, Romani maximo, quo nitebantur, præsidio spoliati, post decem menses Pontificem Romã ex Campania reuocarunt, ac magno studio in sede sua reposuerunt. Pontifex, ut gratiam Principibus Capuanis referret, archiepiscopatum apud eos instituit, & Ioannem ipsum Rofredi percussorem, antistitem consecrauit. Otho Romam ueniens, iudicio de ecclesiæ turbatoribus constituto, seuerè animaduertit in omnes. Consules Italia pulsi, tribuni suspendio enecati: præfectus uerò uestibus exutus, atq; utre redimitus, per frequentiora Vrbis loca asino ad ludibrium auersus circumuehitur, ac demùm uirgis cæsus macerandus tetro carceri traditur. Rofredi cadauer ex sepulcro extractum latè passim est dissipatum. Sigon. lib. 7. regni Ital.

OTHO II. Imp. Romæ instituit insigne conuiuium, Pontifici, episcopis & ciuibus, armatis in formam coronæ circumstantibus. Inter medias dapes grauissimè conquestus de iis qui fœdus rupissent, satellitibus mandauit, ut eos à mensa abreptos obtruncarent. cæteros hortatus, ut cum lætitia pranderent. Cuspinianus.

Romani Gregorium V. Pontificem, Othonis Magni F. ab OTHONE III. creatum urbe eiecerant. Crescentius autem Nomentanus, homo seditiosus denuò consul confirmatus, Remp. arripuit: ac more uetusto, ne quid detrimenti Resp. patiatur, admonitus, muros urbis ac mœnia instaurauit. Molem Hadriani (quæ hodie castellum S. Angeli cognominatur) ita muniuit, ut longo tempore pòst Crescentij arx uocaretur Otho urbem ad eam redegit necessitatem, ut fame impulsi, patentibus portis Imperatorem reciperent. Ioannẽ pseudopõtificem oculis primùm, dehinc uita priuauit, Gregorio restituto. Crescentium consulem ex fuga retractum, uili iumento auersum impositum, per urbem circumuehit paulatim membris detruncatis. Postremò ante urbem suspẽsus, mille uulneribus à militibus est confossus. Gregorius, ut Cæsari Germanisq; gratificaretur, nouam fecit de eligendo à Germanis proceribus rege sanctionem. Cusp.

VENETI Carrarienses principes Patauinos in carcerem coniectos necarunt: quoniam magnis affecti beneficiis à senatu Veneto, non modò grati non fuerunt, sed externos quoque principes ad Venetam libertatem opprimendam solicitarunt. Egnat. lib. 9. cap. 3.

MALCOLMVS IV. Scotorum rex, mitissimi alioqui ingenij, crebra rebellione Morauorum exacerbatus, qui etiam fæciales regios trucidassent, prælio uictor, gentem ad internecionem perdidit: solis pueris, senibus, ac feminis parsit. Hector Boethius lib. 12.

DESERTIONE.

TVLLVS Hostilius Rom. rex, Metium Suffetium Albanorum Dictatorem, qui se otiosum spectatorem Romanæ uirtutis præbuerat, ut oppressis ui inimicorum Romanis ipse hostiũ gratiam aucuparetur, quadrigis dilacerari iussit, Albam diruit, ciues omnes Romam transtulit. Liuius.

Friderico I. Imp. an. 1175. Alexandriam obsidente, quæ Alexandro III. Pp. & rebellibus Lõbardis fauebat, HENRICVS Dux Saxoniæ religione tactus, ac pontificia, ut præ se ferebat, detestatione deterritus, ab eo discessit, ac secum magnã Germanorum partem abduxit. Fridericus ipsum usq; ad lacum Comensem subsequutus, propè ad genua accidens, ob testatus est, ne se, remq; publicam in tanta rerum iniquitate desereret: neq; asperiora in se ipse fratris uxoris suæ filius ederet, quàm communis nominis hostes Itali exoptarent. Quod cùm ille firmato ad discedendum animo concedere noluisset, Fridericus in castra reuertit. Mox inducias cum hoste pactus, transgressus in Germaniam, Henricum de maiestate reum coràm iussit adesse. Cùm quidam principes negarent, Henricum Ducem, nisi in finibus suis, iudicari ab Rege posse: surrexit nobilis quidam, qui quocunque Imperij in loco iudicium constitui de eo licere asseruit, idque singulari se certamine probaturum denunciauit. Nemine autem sese certamini offerente, Fridericus Henricum sententia lata damnauit, ac Ducatum eius Noricum Othoni, Saxoniæ Alberto attribuit. Sigonius lib. 14. regni Ital.

OTHO II. Imp. magno prælio à Græcis & Saracenis in Calabria superatus, nõ magis hostibus, ꝗ̃ aut Romanis, aut Beneuẽtanis desertoribus iratus, sequenti anno de improuiso Beneuentum inuasit, atque oppidum captum ad uindicandam oppidanorum perfidiam hostiliter diruit: &, ut maiorem eis dolorem inureret, ossa etiam S. Bartholomæi apostoli, quæ illi præcipua ueneratione colebant, inde extulit. Ea Romam traducta, ut inde in Germaniam transferrentur, Tiberis in insula Lycaonia collocata. Sigonius libro septimo regni Italici.

PERFIDIA ERGA CONIVGES.

Quum Galli incursionem facerent in Ioniam, ciuitatesque depopularentur, in Mileto fortè Cereris sacra Thesmophoria celebrabantur, & mulieres congregatæ in templo erant, nõ longè à ciuitate. Barbari mulieres rapuêre: in quarum numero Erippe fuit, uxor Xanthi, hominis primarij in Mileto. Xanthus, distracta magna parte bonorum, comparatis aureis mille, primùm in Italiam transiit: inde per Massiliam in regionem Celtarum. ubi Erippen cum PRINCIPE Celtarum nuptam reperit. Ab eo hospitio exceptus, Celtam persuasit, uti sibi uxorem restitueret. Erippe perfida Celtæ indicat multitudinem auri, suasitque ut occideret Xanthum: cõfitens, se ipsius amore plus quàm patriæ & pueri teneri: Xãtho uerò se penitùs esse infestam. Occultauit indignationem Celta, & Xanthum comitatus, ubi ad fines Celticæ peruenit, sacrum se facturum inquiens, Erippen uictimæ astare iussit de more, & incautæ caput amputauit: Xanthoque simul reuelans insidias ab ea paratas, omne aurum illi liberaliter donauit. Parthen. de Amat. cap. 8.

IVSTINIANVS Imp. Amalasuentæ reginæ, à Theodahato marito ingratiss. necatæ, mortem ulturus, bellum aduersus Theodahatum parauit: quo deinde Gothorum in Italia imperium concidit, atque ipsa Italia omnis atrocissimarum calamitatum exempla persensit. Sigonius lib. 17.

LATROCINIO, FVRTO, SACRILEGIO.

VACCÆIS si quis uel minimum ex alterius agro eripuisset, capite luebat: sicut PHRYGIBVS rastrum aut uomer subtrahere. Et INDIS qui uectigal furatus esset, capite plectebatur. Alex. lib. 3. cap. 5.

ACTISANES Aethiopum rex, occupata partim ui, partim uoluntate Aegyptiorum Aegypto, latrocinia nouo more compescuit, sontes neque morte plectens, neque linquens impunitos, eorumque iudicio constituto, conuictos omnes in unum coactos miti supplicio affecit. Amputatis enim naribus in ultima deserti ire compulit, ibique ciuitatem cõdidit ab excisis naribus Rhinocoruram appellatam. Ea in Aegypti Arabięque finibus haud procul mari sita, omnibus uitæ commodis caret. Nam omnis uicina regio salsa est, & intra mœnia unicus puteus, atque is inutilis, utpote aqua gustu amara. Diodorus libro secundo, & Augustinus de Ciuitate Dei, capite uigesimo quinto.

M. FABIVS Cæsar, Fabium Buteonem F. furti insimulatum, capitis reum egit, & ultimo supplicio affecit. Alexan. ab Alex. libro 3. capite 13.

C. IVL. Cæsar, captus à prædonibus, & allata Mileto pecunia, qua redimeretur, & numerata, compleuit confestim naues, atque ex Milesiorum portu ad persequendos prædones soluit: occupansq; ad illam insulam adhuc stantes, plerosque in potestatem redegit: quorum pecuniam in prædam uertit, ipsos Pergami dedit in custodiam: atq; ad Iunium, qui cum imperio Asiam obtinebat, profectus est: quòd illius ut prætoris esset, de captiuis supplicium sumere. Qui cùm nummis eorum oculos adiecisset (neq; enim pauca summa erat) & de captiuis consideraturum se diceret per otium: salute Cæsar prætori dicta Pergamum contendit, sustulitq; in crucem piratas omnes, sicut per speciem ioci crebrò in insula illis prædixerat. Plut. in Cæsare.

Aluarus Anius Lugus, eques Callecus, ne proderetur à notario, quem falsas tabulas obsignare coegerat, eum domi suæ crudeliter occiderat. Crimen inde fassus, XL aureorum millibus uitam redimere uolebat, in bellum Granatense cõtra Mauros. Sed ISABELLA Ferdinandi Catholici uxor iustitiæ maiorem quàm pecuniæ rationem habens, eo tempore quo maximè egebat, capitali supplicio Methymnæ campi afficiendũ curauit: & ne opibus eius in solidum inhiasse uideretur, omnia eius bona, quæ alioqui fisco debebantur, liberis eius condonauit. Marineus libro uigesimoprimo rerum Hispanicarum.

FROTHO III. Danorum rex, furi traiectis ferro neruis in suspendium acto, lupum collateralem affigi præcepit, ut malitiam hominis acerbitati belluæ similitudo exæquaret pœnæ. Eandem quoq; in furtorum conscios multam extendit. Saxo libro 5.

ERICVS II. Danorum rex, Suenonis F. bellum intulit Iulino clarissimo Vandalorum oppido ad mare, q Danos exules foueret,

foueret, & inde piraticam in Danos exercerent. Arcta cinxit rex obsidione oppidum, adegitq; habitatores dedere profugos. Eos deligatos ad palum nudari iussit, uentrem in lõgum nouacula scindi, uiscera profundi, & cor extractum uiuentibus ostendi. Cranzius libro 3. Vandaliæ, capite 10. ex Saxonis libro 12.

Cùm Otho I. ad liberandam Italiam à Berengariorum tyrannide, & ad purgandam sedem apostolicam, quæ Ioannis XII. miris esset polluta sordibus, euocaretur: secum agere cœpit, cui terminos Saxoniæ, Danis ac Vandalis nouis ad fidem gentibus confines, commendaret: quippe strenuo uiro indigere res noua uidebatur, qui quotidianis & assiduis curis ad tutelam finium, & ad continendos in fide barbaros peruigilaret. Erat in regiis ministeriis HERMANNVS, Bilingi cuiusdam F. uir industrius, militari, sed infimo genere natus, tenui patrimonio, utpote septem solis mansionariis fruens. Hic singulari & incredibili industria meruit, ut primùm regiorum pædagogus fieret filiorum: deinde quũ maioribus etiam par uideretur officiis, præficitur in absentia regis, regundæ ultimæ Saxoniæ ad Albis confinia. Quo in opere ita se uigilem & iustum ostendit rerum arbitrum, ut ab omnibus & prædicaretur, &(quod est ampliùs) etiam amaretur. Nam septem eius mansionarij, fiducia fortè freti, quòd dominus eorum præfectura terræ potiretur, insolentiores facti, nonnihil finitimis iniuriæ patrato intulerunt furto. accusatos & conuictos, uno omnes suspendio iussit multari. Cuius rei fama percelebri rex motus, omnem illi inferioris Saxonię ditionem, per absentiam sui diuturnam, permisit. Sed ille per incrementa quotidiana tantum profecit iustitia & fortitudine, ut ducali illum dignitate reuersus ab Italia rex, perornarit. Huic frater fuit Amelungus, Verdensis episcopus. Cranzius libro tertio, Metropoleos capite decimonono.

IOANNES comes Holsatiæ in Vagria, considerans ab arce Linou in finibus inferioris Saxoniæ sitæ (semel ac iterum euersa, sed semper instaurata) multa designari latrocinia per publica itinera in mercatores, intra præclaras urbes Lubicam, Hamburgum ac Luneburgum: arcem extruxit in loco Trittouue, nõ longè à Bilena fluuio defluente, limitemque faciente utriq; ditioni, Saxoniæ ac Holsatiæ. Locus in quo fundabatur, iuris erat religiosorũ in Reinfelde: sed Comes compensatione facta, monasterio tantundem alibi rependit, ascribens de suo uillas Arnsfelde & Voldehorne iuribus monasterij memorati. Et tamen malum ferunt esse loci fatum geniumq; pessimum, ut nihil ibi gignatur membris omnibus incolume, ab homine usque ad cicures bestias. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 14.

Constituerant Saxoniæ PRINCIPES & nobiles, iurarantq; pacem, inter se circa an. Sal. 1386. & latrociniis omnibus seuerè interdixerãt. Vnus ex iis cùm eam uiolasset, Theodericus de Verningrode Comes, uocatus à quibusdam eorum, qui exequutionis mandatum à cæteris haberent, ab Alberto scilicet de Querforde comite, archiepiscopo Magdeburgensi, Othone duce de Leina, Henrico de Honsten comite, cęterisque comitibus, & nobilib. accusante Bussone de Regẽsteen comite, suspendio condemnatus est. Sententia dicta euocarunt ex militarib. eius quendam, quem præcepto adegerũt, ut primum capiti eius uulnus infligeret. Paruit ille sub honore suo admonitus: mox circunstantes gladiis eum suis confixerunt. Inde fræno equi alligatum suspendio uitam finiisse simularunt. Cranz. lib. 10. Saxoniæ, cap. 7.

FRIDERICVS Brandeburgensis marchio, sub Roberto Imp. ad interiora Marchiæ arcem Plaue latronum receptaculum cum sex aliis occupauit. Cranz. lib. 10. Saxoniæ, cap. 28.

HENRICVS dux Luneburgensis, ut uim & improbitatem latrocinantium excluderet, de minimo quoq; statuebat exempla. Præfectus arci Tzelle, uir industrius, quum iret properè Luneburgum, aduenturo principi paraturus necessaria: uentus aquilonaris molestus erat tenuiter (ut solent militares) induto. Vidit obiter uestem arantis rustici, camq; accipiens promisit se redditurum quum rediret, agricola multũ licèt reclamante. Post non multas horas sequutus dux, reperit stantem in uia hominem de sua ueste querentem & dicentẽ, Quid est, optime princeps, quòd publicos insidiatores uiarum persequeris? ipse tuæ arcis præfectus iam præteriens, uestem mihi abstulit pauperi, & (ut uides) algenti sub brumam. Dux tacitus secum rem perpendit: & rebus in oppido expeditis regressus, iussit adesse præfectum: Cur, inquit, pauperi reclamanti uestem abstulisti? Tuo ministerio persequor hostes publicos: & tu es qui non minora illis in meos patrasti. Multa parantem in sui purgationem dicere, equi detracto capistro alligatum in arbore appendi iussit. Cranzius libro 10. Saxoniæ, cap. 30.

Principes Saxoniæ OTHO de Luneburgo cum FRIDERICO fratre, HENRICVS de Brunsuico & Vilhelmus frater eius, Otho de Leyna duces, cõspirarunt in Comitẽ de Speilberg, publicum omnium itinerantium hostẽ: qui nullis parceret, sed sine discrimine itinera teneret impacata. Arces eius Hachemolen & Harmelund expugnarunt. Comes armis adiutus archiepiscopi Coloniensis, Ioannis de Hoya comitis, & de Lippia domini, terras Ducum inuasit, & prædas egit cum incendiis. Vilhelmus dux contendit in terram de Hoya, arcemq; Barenborg expugnauit. Cranzius libro 11. Saxoniæ, capite 24.

Frisiorum aliquot naues, sub specie expeditionis Hollandiæ piraticã exercere solitorum, HAMBVRGENSES ceperunt non admodum repugnantes, quòd illis periculum uitæ in ea esse captiuitate non formidarent. Capti septuaginta quatuor, accusati in iudicio, quòd publicæ nauigationis inimici incursarent omnes prætereuntes: Frisiorum ducum iussu bella hostibus intulisse, à cæteris abstinuisse sunt testati. Cùm nemo esset qui accusaret, ab longinqua urbe producitur nauita, qui sibi ademtum uas non magnum, ferreis clauis plenum uilis precij asserebat, cuius prætextu plexi fuerunt omnes gladio. Cranz. lib. 13. Saxoniæ, cap. 14.

Deprehensi erant in Merica latrocinantes & insidiantes transeuntibus: de quibus iam ultimo supplicio condemnatis, quum pœnam sumere carnifices CANVTVS Obotritorũ rex à Lothario Imp. dictus iussisset, ex medio damnatorum grege quidam proclamat, esse se de principis Canuti cognatione, iure sanguinis impunitatem & uitam deposcens. Tu ille, Cognato (inquit) nostro, ut honoratior sit, sublimiorem parate crucem. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 31.

Quum ciues LVBICENSES apud Ducem inferioris Saxonię sæpè quererentur, de latrociniis illatis: Dux autem uel non posset, uel non satis attenderet eam rem auertere: ope principum Magnopolensium duxerunt Raceburgum. Dux submissis oratoribus, si qui in sua ditione manerent, quorum compersissent maleficia, in eos uti animaduerterent, permisit. Ergo nota latronũ receptacula Vualrou, Klockstorpe, Karlou, Mostin, Duson, Slaucckestorp, Linou, & Nannendorpe, funditùs euerterunt. Cranz. lib. 7. Vandaliæ, cap. 41.

ERICVS dux Saxoniæ, militiæ suæ præfectũ Hartuicũ Ritzerou, cum equestri Lubicensium turma misit in terram Vittẽburgensem: ibiq; subuerti mandauit munitiones receptatrices latrunculorum, præsertim eam quæ dicebatur Nyenkerke. Multos ibi repererunt uinctos miserabiliter mercatores: quos itineribus extractos, improbi ut emungerent ære, ibi tenuerunt. Præsidia erant aliis quoq; locis, eadem infamia conspersa, Tessin, Kennin, Keissin, omnia deiecta. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, cap. 30.

LVBICENSES, quũ nullus esset finis latrociniorũ in uiis publicis, ducem Magnopolensem Albertum interpellarunt, ut eius permissu & auxilio latrones persequi & sineret, & curaret. Ille iunxit arma ciuibus: & euersa sunt latronum illa latibula, Duson, Lassou, Radeuin, Domnitze, Meyenborg, Muggenborg. Pòst etiam Gorlose & Stauenau. Quotquot uerò in his deprehenderunt criminum reos, mox ultimo affectos supplicio, appẽderũt in uicinas arbores. Cran. l. 8. Vãd. c. 33.

HENRICVS Magnopolensis dux, Alberti Danorum regis pater, tãto insectatus est odio publicorum itinerum latrones, ut nulli deferens nobilitati, quotquot eius culpæ deprehẽdisset affines, nullius usus ministerio, nec expectata ad expurgandam conscientiam oportunitate (dictitans, Quando illum pœnitet, meliori nunc morietur exitu, quàm si incõflictu à mercatoribus cæsus periisset) ipse suis manibus ligabat iugulandos. Vnde improbi Ducem illum iugulatorem siue suspensorem appellauere. Cranz. lib. 9. Vandaliæ, ca. 8.

Anno 1385. ciues LVBICENSES, cum Alberto Magnopolensi principe fœdus iniere, ad persequendos publicorũ itinerũ uastatores, iunctisq; Vismariensium Rostochensiumq; armis, latibula furum, & quos affines culpæ cognouerant, subruentes, euerterũt, Stortzou, Gemerou, Prensberg, Trutzem, Redem: sed nunquam poterant tam acerbis odiis à quouis insectari, ut stirpitùs euellerentur: hoc cœlum, hoc terra suggerit. Cranz. lib. 9. Vandaliæ, cap. 12.

In Vandalia, arces Vustrou, Mesekou, Mankemoesz, Kummerlosz, tartarea & latrociniis digna nomina, quæ ex ueteri Vandalico remanserant, ab ALBERTO rege Sueciæ, insocietatem eius expeditionis Laurentio Vandaliæ principe euocato, euersæ sunt. Cranzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 39.

Inter multa HAMBVRGENSIS urbis præclara facinora hoc uel præcipuũ est, quòd incredibili odio insectatur piratas. Quippe nauticus populus, nisi incolumem per maria inueniat nauigationem, quæstu suo magna ex parte fraudatur: quocirca armis insequitur mare tenentes infestum. Cranzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 6.

Cùm in Germania passim ciues nobilitatem accusarent, quòd per speciem militiæ, latrocinia exercerent: bellum procè gestate uel libidine quisque sua ciuibus indicendo, illosque in captiuitatem abducendo, aut fidem illorum hac lege astringendo, ut se certo & constituto loco cum ingenti pecunia sisterent. à CAROLO IV. Imp. Norimbergæ factũ est contra oẽs tales, qui iuris cognitione neglecta, ad societatem maleficij conspirassent, tanquam contra grassatores capitale edictum, in quo disertè adscriptum: Nemini fidem datam in bello, nisi iusto & legitimo hosti, conseruandam esse. Dubrauius lib. 22.

Heraldus Cathanesiæ Thanus & Orcadũ Comes, grassatorũ dux, à GVLIELMO Scotorum rege comprehensus, oculis priùs erutis (quod ipsum episcopo Cathanesię priùs fecerat) ac testibus exectis, in cruce strangulatus est. Cunctis insuper stirpis eius maribus uirilia ademta regis iussu sunt, ut hominis unius ætate scelestus ille sanguis extingueretur. H. Boethius lib. 13.

VLADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex, ad coercendos grassatores, edictum promulgauit, ut cuiuis liceret in cuiusuis fundo latroni manifestario liberè manus inijcere, illumque ad supplicium pertrahere. Dubrauius lib. 32.

VENEFICIO.

Romæ præfectus urbis Apronianus sub VALENTINIANO I. seueriùs, quàm moris erat, quæstiones de ueneno exercuit, multisque supplicio affectis, crudelior, quàm iustior, uisus est. Hilarius auriga confessus, se filium uenefico cuidam ad discenda quædam occultiora & lege uetita tradidisse; damnatus: cùm laxiùs retinente carnifice elapsus in ecclesiam confugisset, illicò extractus, desecta ceruice, peremtus est. Senator autem quidam, cùm seruum suum eadem disciplina imbuendũ curasse conuictus esset, supplicium pecunia grandi redemit. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

INIVSTA DAMNATIONE.

LIVIVS Salinator, cùm inuidia peculatus reus ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus, in uoluntarium exilium iuisset, & urgente Italiam Hannibale reuocatus, & in consulem creatus esset: postmodum censor cum Claudio Nerone, omnes tribus, excepta Metia, ærarias reliquit, stipendio priuauit, eo quòd priùs eum iniustè condemnassent. Liuius libro 29.

SCELERVM IMPVNITATE. INIVSTA CLEMENTIA.

Magna seueritate undecim tribus ISRAELITARVM uiolatæ pudicitiæ, in Leuitæ cuiusdam uxore, iniuriam, uindicarunt. Nam cùm is iter faceret cum uxore, nox eum comprehendit, ita ut in urbe Gabaa subsistere cogeretur. Ea autem una urbium erat ex tribu Beniamin. Illic uiolata eius uxor, dolore pudoreque simul tanti dedecoris oppressa est, atque ea ipsa nocte uitam egit. Vir autem corpus eius in duodecim diuisit partes, & ad singulas tribus singulis missis partibus, orauit, ut illatum dedecus ulciscerentur. Congregatæ undecim tribus, ad Gabaonitas miserunt, ut auctores sceleris pœna afficerent. Qui neglecta undecim tribuum legatione, ultrò arma intulerunt. Bis undecim tribus à Beniamitis acie superatæ, de suorum numero sex & triginta millia desiderarunt. Tandem maioribus uiribus bellum reparantes, occidione eam tribum deleuerunt, ut è sex & uiginti millibus (ad quem numerum Beniamitæ ascendebant) soli sexcenti fuga salutem sibi pepererint. Gabaam urbem succenderunt, decreto edito, Ne undecim tribus in posterum cum eorum aliquo, qui ex acie effugerant, affinitatem iungerent. Hæc autem cùm aduersus Gabaam egissent, arma in Galaaditidem transtulerunt: atque illic Iabitas peremerũt, quòd iussi cum ipsis tribubus arma capere, recusassent: morte dignos eos censentes, qui uiolatam contribulis suæ pudicitiam neglexissent. Fulgosus libro 6. cap. 1. & Sabellicus libro 4. capite 4. ex Iudicum 20.

Fuit Romæ Catulus primæ auctoritatis, ac tunc Cẽsor. Hic perrexit ad Catonem, qui tunc quæstura fungebatur, ut interpellaret eum pro quodam, cui multam ille dixerat, atque accuratis precib. institit, quoad crepuit Catoni stomachus, ut diceret: Turpe tibi erit, Catule, Censori discedere hinc nolenti; si ab accensis abripiare. Ibi suffusus rubore Catulus ac fremens, abiit. Plut. de Immodica uerecundia.

Miserat Romam legatos LAVRENTINA ciuitas, suntque hi contra ius gentium uiolati à T. Tatij necessariis. Regnauit is cum Romulo. Missi sunt inde, qui res more maiorum repeterent, ut sontes ad supplicium dederentur. Valuit plus gratia apud Tatium, quàm iura hominum: suntq; legati re infecta iussi retrò abire. Proficiscuntur nec multo pòst Romani reges ad solenne sacrum Lauinium. Hic Laurẽtes ambos adorti, Romulum, quia auctor fuerat iniuriæ uindicandæ; uti iustum, incolumem dimiserũt: Tatium regni consortem publicitùs trucidarunt, ut tyrannũ, & humani iuris contemtorem. Sab. lib. 8. cap. 4.

INGRATITVDINE.

Amisodarus, ut aiunt, quem Isaram appellant Lycij, ex Lyciorum colonia apud Zeliam piraticam exercebat. Classi præerat magnus quidem bello uir, at crudelis sæuusq;, Chimarrus. Naui, qua uehebatur, signum ex prora leo, draco ex puppi erat. Multas Lyciis clades inferebat, ut infestum nauigantib. esset mare, desererécq; oppida maritima cultores cogerentur. Quẽ cùm BELLEROPHONTES fugientẽ Pegaso cõsecutus interemisset, insup. eiecisset Amazonas: nullus ei habitus est honos, sed fuit ingratissimus aduersus eum Iobares. Quare mare ingressus, Neptunum, ut sterilem illi & infrugiferum agrum faceret, est precatus. Fluctus inflati agrum inundarunt, sequensque tumidum mare & super campos effusum, triste edidit spectaculum. Cùm uirorum preces apud Bellerophontem, ut fluctum sisteret, nihil ualerent: obtulerunt se ei scissis tunicis mulieres. Quarum uerecundia recedente illo, undas simul ferunt se recepisse. Alij, quò colorem aliquem concilient fabulæ, non imprecationibus inductum ab eo pelagus, sed fuisse pinguissimos campos æquore demissiores, cui pro obice obiectum in litore aggerem Bellerophontem aiunt interscidisse. ita ui irrumpentis salĩ agrum coopertum. Sunt, qui fabulosam Chimæram montem ferant esse soli obiectum, ac reflexus reddere & ardores in monte grãues torridosq;, quorum afflatu marcessere per arua fruges. Re Bellerophontem animaduersa, qua parte rupes mollissima erat, & solis ardorem retorquebat, abscidisse. Lyciorum offensum ingratitudine, cùm se conuertisset ad sumendam de eis uindictam, mitigatum à feminis fuisse. Propior fidem causa est, quam tertio de Heraclea libro tradidit Nymphis. Bellerophontem, cùm nullam ei gratiam, quòd aprum in eorum finibus infestum animantibus & frugibus occidisset, referrent Xanthij: dira apud Neptunum Xanthiis imprecatum esse, salsumque humorem extemplò totum eorum agrum exudasse. Vnde, cùm reddita terra esset amara, sterilem factum, donec feminarum honoris causa deprecantium Neptuni iram placasset precibus. Quare lege apud Xanthios cautum fuit, ne à patre, sed à matre nomina sortirentur. Plut. de Virtutibus mulierum.

SEVERITAS RESPECTV MODI CONSIDERATA.

RATIONE HABITA

MOTVS IPSIVS, ET HVIVS VEL

INTERNI, QVATENVS IRASCVNTVR.

ZENO apud Laertium, cùm maledictis lacessitus incandesceret, reprehensus, quòd philosophus uerbis improborum commoueretur: Si conuitia, inquit, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est, non sentire discrimen inter laudantem & uituperantem: sed uiri boni & prudentis est, non ita commoueri, ut ab honesto recedas.

EXTERNI. QVATENVS DECORE.

Captant uindictam. Et uel

Voto.

ORESTES, cupiens ulcisci Menelaum, patruum, quòd in periculo se deseruisset, apud Eurip. in Oreste, sic ait:

Ἐγὼ δὲ πάντως ἐκπνέων ψυχὴν ἐμὴν,
δράσας τι χρήζω τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς θανεῖν·
ἵν' ἀνταναλώσω μὲν, οἵ με προὔδοσαν,
στένωσι δ' οἵπερ κἄμ' ἔθηκαν ἄθλιον.

Ego uerò omnino expirans animam meam, faciens quiddam cupio in meos inimicos mori: ut uicissim perdam eos, qui me perdiderunt: ingemiscant uerò, qui & me fecerunt miserum.

DARIVS Persarum rex, ut ei nunciatũ est Sardes captas incẽsasq; ab Atheniensibus atq; Ionibus, & huius cõparandæ classis fuisse auctorẽ Aristagoram Milesium: fertur, cùm primũ hæc audiuit, dixisse, Iones nihil fecisse: probè sciens, nõ fuisse illos præ contẽtu sui rebellaturos: deinde interrogasse, Quinam essent Athenienses? Id cùm audisset, tùm arcũ poposcisse, eoq; sumto sagittam, quã imposuerat, in cœlũ excussisse, & dixisse: O' Iupiter, contingat mihi, ut Athenienses ulciscar. Atque hæc locutus, cuidam famulorum præcepit, ut sibi

ut sibi semper apposita cœna ter diceret: Here, memento Atheniensium. Herod. lib. 5.

BIAS, ad flagitiosum quempiam, uereri se ait, non, ne pœnas pendat, sed ne ipse non aspiciat. Plut. de Tarda dei uindicta.

Anacreon Teius quum in Panionum foro ex occursu nutricē cum infante temulentus uexasset, superq; probris infantem incessiuisset: MVLIER nil aliud quàm deum fertur comprecata, ut contumelias is laudibus dilueret quandoq;. Annuit uotis deus: namque infans, Cleobulus fuit ille uenustissimus, cui postea carminibus suis ampliter poeta satisfecit. Cæl. lib. 15. cap. 25. Antiq. Lect.

Conatu.

IOLAVS, quantumuis senex, & doloribus confectus, tamen prodire in aciem cum Atheniensibus, contra Eurystheum, conabatur apud Euripidem in Heraclidis. Eum proinde famuli dehortantur:

Δρᾶν μὲν σύ γ' οὐχ οἷός τε, βούλεσθαι δ' ἴσως. Agere fortiter tu non potis es, cupere uerò fortassè. Item Chorus de codē:

Λῆμα μὲν οὔπω στερνοῖ χρόνος
τὸ σὸν, ἀλλ' ἡβᾷ· σῶμα δὲ φροῦδον. Animum fortem quidem nondum sternit longæuitas tuum, sed pubescit: corpus uerò euanidum est.

Minis.

Ister ait, moris fuisse ATHENIS, ut cognati eorum qui uiolētâ morte periissent, in efferendo funere hastam adhiberent, aut in tumulo defigerent, eaq; ratione interfectoribus ultionem denunciarent. Suidas in uoce ἐπενεγκεῖν.

PRÆTORES Atheniensium cùm primùm creati essent, patrium iusiurandum quoddam concipiebant, in quo illud erat inprimis, Se bis quotannis in Megaridem inuasuros. Quod propter Anthemocritum præconem ab iis necatum, principio belli Peloponnesij, Charini decreto adiunctum, in Pericle scribit Plut. Sigon. lib. 4. de rep. Athen.

ALEXANDER & ARISTOBVLVS, cùm indignè ferrent, Mariammen matrem ab Herode patre Iudæorum rege interfectam, falsò ueneficij crimine obiecto, minarentur etiam sese delatores perfidos, si quando rerum potirentur, è medio sublaturos: Herodis soror Salome, frater Pherora, cum matre & Antipatro filio ex alia uxore, sibi metuentes, falsis criminationibus circumuentos, quasi patri insidias struxissent, ut ab Herode strangularentur, effecerunt. Sic insontes adolescentes nimius erga matrem amor pessundedit Iosephus libro 16.

Drusum filium immitis & sanguinariæ naturæ TIBERIVS alloquens, Me, inquit, superstite nihil efficies uiolentum: quod si ausus fueris, neque me mortuo. Dion lib. 57.

OTHO Magnus Imp. auream securim more ueterum consulum præferri sibi uoluit, qua nocentes percuteretur, Tenediā fortè securim imitatus. Cuspin.

Pollicitatione.

Quum OTHO I. Imp. exercitum duceret in Italia, procidit ad pedes eius mulier querula, quòd uim passa esset ad stuprū, rogans iustam legum uindictam. Quum ille festinans educere, polliceretur in reditu se iustitiam facturum: eiulans mulier, Quis tum, inquit, faciet te dominum meum atrocis iniuriæ memorem? Tum ille suspiciens in proximam ecclesiam, Hæc, inquit, erit testis inter me & te, & in signum iustę ultionis. Reuersus ab expeditione, uisa ecclesia, recordatus dilatæ questionis, iussit aduocari mulierem. Tum illa inquit, Vir, de quo sum olim questa, nunc meus est maritus: peperiq; ex eo, & iniuriam aboleui. Non sic, inquit rex: per Othonis barbam sentiet dolabrum: nam inter uos facta collusio, sacris legibus non imperat. iussitq; uirum securi percuti. Cranz. lib. 3. Metropol. cap. 12.

Accusatione.

CATO minor, Quæstor creatus, scribarum principem admissæ in hæreditate fraudis conuictum exegit ærario. Alteri testamenti subiecti formulam intendit, cuius defensioni Luctatius Catulus censor obtulit se. Cui, cùm eripere iure non ualeret, precibus suis condonari reum postulanti, non concessit Cato. Cùm ille magis magisq; contenderet: Turpe, inquit, tibi Catule est censori, qui uitas nostras probare debes, à ministris nostris de gradu dimoueri. Hac à Catone missa uoce Catulus intuitu suo repositurum se præferebat aliquid, nihil respondit tamen: sed siue ira siue pudore tacitus atq; deprehensus, abscessit. At ille non est damnatus tamen: uerùm cùm una sententia superarent liberatorias damnatoriæ, neque ex collegis Catonis M. Lollius iudicio propter aduersam ualetudinem interesset: ad hūc allegauit Catulus orans, ut reum subleuaret. Qui lectica post iudicium aduectus, liberauit eum sententia sua. Non est usus tamen Cato illo scriba, neq; salarium ei soluit, neq; prorsus ullam habuit Lollij sententiæ rationem. Plut. in Catone.

Pacis repudio.

Romani à TOTILA obsessi, Pelagium diaconum miserant paucorum dierum inducias petiturum. Totilas iam sciens ex transfugis, quis esset rerum status in urbe: uolentem exponere mandata præuenit, graui oratione increpans Romanorum ingratitudinem, quòd nulla apud eos esset memoria beneficiorum regis Theoderici & Gothorum gentis. Nullum se audire legationis uerbum, nisi Romani demolitis mœnibus, se in fidem uictoris permittant, accepturi leges quas uictor imperauerit. Pelagius constanter respondit, Quandoquidem, inquit, rex, uocem legati au dire non sustinuisti, sed præcidisti omnem colloquij uiam: ad Deum confugimus, qui solet superbis resistere. At paulo pòst urbem proditione cepit. Cranz. lib. 3. Sueciæ, cap. 9.

Peragunt uindictam. Eamque uel

Precando, Imprecando, Deuouendo.

☞ *Consule Deuotionis titulum, quatenus seuerè exercetur.*

NOE Chamum F. ob denudationem deuouit. Sabellicus lib. 3. cap. 3. ex Genesis cap. 9.

LEONTIVS, Tripolis Lydiæ episcopus, filio unico, non optimę spei puero, mortem precibus impetrauit. Optimum ratus, eum ante susceptum aliquod dedecus defungi, lubricis uitæ casibus ereptum. Eum certè uulgò Regulam ecclesiæ uocabant. Suidas.

Cùm Otho precibus coniugis suæ Edithæ, quæ Albis flumine admodum delectabatur, urbem Magdeburgensem (quæ in eum usq; diem piscatoriis casis, ac uili quadam arce Burgrauiorum constabat) splendidioribus ędificiis exornasset: nundinis eam, quò mercatoribus eò commeandi facultas esset, ob loci commoditatem donauit, & amicè cum BERNARDO Halberstadensi episcopo egit, ut de suo agro portiunculam aliquam nouo cederet episcopatui. At cùm nec precibus nec placida actione quicquam posset, Episcopum capi, ac Quedlinburgæ in uinculis detineri iussit. Aderat dies Dominicæ cœnæ sacra. Ibi episcopus ornatum, cuius in sacris peragendis usus erat, in carcerem sibi afferri, & Imperatorem etiam uocari præcepit. Qui cùm aliud responsi ab episcopo iam nonnihil emollito, se reportaturum speraret, statim comparuit. Ibi episcopus in hæc uerba prorupit: In nomine supremæ Trinitatis, anathematizo te Rex, omnesque tuarum partium, quòd manum inieceris, & captiuum detineas Christum Domini. Itaque per omnem diœcesin regi sacris interdictum ab episcopo. Cranzius in Saxonia lib. 4. cap. 7. & in Metropoli lib. 3. cap. decimo. Imperator initiò quidem hoc episcopi fulmē ludibrio & risui habuit: uerùm postea rem altiùs perpendens, ueniam ab eo petere non erubuit, nec deinceps ei molestus fuit.

SVENO II. Danorū rex, cùm sacro Circūcisionis peruigilio, solenni conuiuio quorundam principū, clandestina obtrectatione parùm honoratè de se habitum comperisset sermonem, misit qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis ædē oraturos confoderent. GVLIELMVS, Roskildensis episcopus, regi alioqui familiarissimus, rem diuinam facturus, nō solùm aduentantem regem occurrendi ueneratione excipere superseditsed etiam à templi ingressu, lituo sacro submouit, carnificem appellans. Nec reum obiurgasse contentus, aculeum uirgæ pectori eius infixit, & anathematis insuper diras ei intentauit. Quamobrem infesto militum concursu petitus, applicatos ceruici suæ gladios contemsit: tantumq; se in despiciēdis periculis gessit, quantū prębuerat in prouocandis. Sed rex milites à cæde inhibuit, placatoq; animo regiam repetens, regia ueste deposita obsoletam accepit: & nudatis pedibus ad atrium regressus, in eius se aditu prostrauit, terramq; suppliciter osculatus est. Antistes interim initio psallendi facto, quum Grecę precationi solennem gloriam subnecteret, ex stipatoribus supplicem præ foribus regem adesse cognoscit. Clero igitur conticere iusso, cùm rex religioni sese satisfacturum promitteret: execratione remissa iacentem amplexus, absterſis lacrymis, depositisq; doloris insignibus, & cultum & animum regium resumere iussit. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores in occursum eius, quò ornatiùs exciperetur, procedere iussit: & uenerabiliter exceptum, ad aram usque perduxit, & sacrum perfecit. Rex ipse, tertio demùm die regio cultu ornatus, inter ipsa missæ sacra excelsam ædis partem conscendit, silentioq; per præconem indicto, coram omnibus peccatum suum fassus, & collaudata antistitis indulgentia, quòd tanto criminitā repentè ignouisset, muneris loco Stefnicæ prouinciæ dimidium Ecclesiæ contulit. Saxo lib. 11.

Reprehendendo, Obiurgando.

Quòd asperiùs coram multis PYTHAGORAS familiarem accepisset, dicitur adolescens laqueo sibi gulam fregisse. Inde Pythagoram referunt, neminem unquam præsente castigasse alio. Plut. de Discernendis adulatorib.

THEMISTOCLES, insultantibus ei Atheniensibus, Quid tumultuamini, inquit, qui ab iisdē sæpiùs beneficia accipitis. Plutarchus in Apophtegmatibus.

Posthumiam Vestæ sacerdotem incestus accusatā Plutarchus tradit, tantùm ob solutiorem risum, & liberiora cum uiris colloquia. Sed absolutam, Pont. Max. Sp. MINVTIVS admonuit, ne sermonibus uteretur, inculpatæ uitæ indecentibus. Lud. Viues de Christiana femina lib. 1.

Dilucente alienatione à Cæsare CN. Pompeij, cùm Marcellinus quidam, quem fama erat fuisse à Pompeio prouectum, desciuisset ad Cæsarem, atque oppugnaret eum in senatu ualde: Ecquid te pudet, inquit, Marcelline, insectari me, per quem ex muto disertus, & ex famelico nauseabundus es effectus? Plut. in Apophthegmatibus.

AVGVSTVS Cæsar, tumultuantes iuuentutis primores reflectere cupiens, ut non audierunt, sed obstrepuerunt: Audite, inquit, iuuenes senem, quem senes iuuenem audiuere. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Scribendo, Scriptis impugnando.

HORATIVS lib. 2. Sermonum, Satyra 1. sic de seipso, cùm reprehenderetur à quibusdam, quòd satyricus esset, & quosuis morderet: ——O pater, & rex

Iuppiter, ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquàm noceat cupido mihi pacis. At ille
Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur urbe.

Commoriendo.

SAMSON Manoę F. è tribu Dan, proditione meretricis Dalilæ à Palæstinis captus, effossisq; oculis Gazam perductus fuit. Vbi in ergastulum ad molendum detrusus aliquandiu miserè seruiit. At renascente ipsi cæsarie, cùm festum Dagoni solenne celebrare uellent, & in hoc Deo Israelitarum illudere, productum in theatrum Samsonē, ludere coram ipsis iussere. Is apprehensis duabus ædium, quibus sustentabatur, columnis, eas tanta ui impulit, ut moriens tria millia Palestinorum secum rapuerit. Iud. 17.

Mortem non uindicando.

IVLIANVS Imp. non castigandum duxit Alexandrinum populum, quòd per urbem pedibus tractū Georgium Alexandrinę urbis episcopum, uiuum combusserat: quia Constantio rapaci principi, nouas onerum imponendorum rationes & commenta proposuerat.

Dignitate priuando.

Violenter se in pectore uniuersi POP. ROM. odium gessit, eo tempore quo suffragiis eius dedicatio ædis Mercurij M. Plethorio primipili centurioni data est: præteritis consulibus, Appio Claudio, quòd obstitisset, quò minùs ære suo alieno succurreretur: & Seruilio, quòd susceptā causam suam languido patrocinio protexisset. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

Honorem non deferendo.

Manlio Torquato amplissimam & gloriosissimam ex Latinis & Campanis uictoriam in urbem referenti, cùm seniores omnes lætitia ouantes occurrerent, IVNIORVM nemo obuiam processit, quòd filium adolescentem fortissimè aduersus imperium suum præliatum, securi percussum occidisset. Miserti sunt æqualis nimis asperè puniti. Valerius Max. libro 9. capite 3.

Conuersationem fugiendo.

PSCIPIO Africanus, cùm post innumera fortia facta pro patria publicè accusaretur, quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium contulisset: Linternum in uillam suam secessit: & anno ætatis LIIII moriens, ossa sua Romam transferri uetuit. Liuius, & Plutarchus in eius uita.

Cùm populus Atheniensis aliquid culpæ cōtraxisse diceretur, scripsit AVGVSTVS Cęsar ex Aegina, existimare se, non latere ipsos, infensum se esse. neq; enim hyematurum in Aegina se. Nec aliud eius extitit in illos uel dictum uel factum. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Inuitant alios ad uindictam.

Ἐπικηρυχθέντα dicuntur apud Græcos proscripti, in quorum caput pecunia pronunciatur. Cùm urbs aut princeps aliquē alienæ ditionis sublatum uolebat, interfectori, aut ei qui uiuum eum adduxisset, pecuniam promittebat publico præconio. Ad hunc modum GRÆCI, ei qui Xerxē uel uiuum uel mortuum Athenas perduxisset, C talenta promiserunt. Suidas.

Cùm Epialtes Trachinius Xerxi, Lacedęmonios in Thermopylarum angustiis oppugnanti, indicasset tramitem, qui per montem ad Thermopylas ferebat, ubi ille Græcos circumuētos ad unum interfecit: SPARTANI in caput eius pecuniam sunt polliciti publicè. Tandem ab Athenade uiro Trachinio Anticyræ interemptus est. Herod. lib. 7.

Primachus in Chio seruus fugitiuus, cùm audiuisset CHIOS magnam pecuniæ uim ei daturos, qui aut illum cōprehenderet, aut caput illius afferret, iam senex amasium coēgit se interficere, suumque caput Chiis afferre, mercedis causa. Athenæus lib. 6. cap. 7. ex Nymphodoro.

LVDOVICVS XI. & CAROLVS Burgundus in caput Ludouici Lucēburgensis, equitum magistri, inter se pacti fuêre, ut uter eorum prior illum in potestatem redigeret, uel intra octauum diem supplicium de eo sumeret, uel puniendum alteri traderet. Vtriq; enim proditionis nomine suspectus erat. Tandem à Duce Regi traditus fuit, deq; eo Lutetiæ sumtum publicè supplicium. Aemil. lib. 10.

In Laurētij Medicis caput, qui Alexandrum principem cognatum per insidias interfecerat, septem aureorū millia promisere FLORENTINI. Sab. supplem. lib. 22. ex Iouio.

Vindictam alteri committunt.

PLATO seruo edaci atq; perdito succensens uocato sororis filio Speusippo: Abi, inquit, atq; hunc cæde. Ego enim admodùm ira flagro. Plut. de Instit. liberis & contra Coloten.

Apertè uindicant.

Atislus Sueonum rex, Frouinum Slesuicensium præfectum singulari certamine oppresserat in Dania. Keto & Vuigo in paternam ultionem coniurarunt. Sumta igitur leuiore armatura, Sueciam soli petunt, ingressiq; nemus, in quo regem absque comite uersari solitum fama cognouerant, tela abscondūnt: inde cum Atislo conuersati, cùm ab eo, cuius patrię essent, interrogarentur: Slesuicenses se esse, patriamque cædis causa liquisse, asseruere. Quod rex eos non de patrandi facinoris uoto, sed de patrati noxa protulisse credebat. ea quippe fraude percunctantis studium eluserant. Plurimum quippe deformitatis olim ab illustribus uiris in mendacio reponebatur. Tum Atislus scire se cupere dixit, quis Danorū opinione Frouini interfector crederetur. Tum Keto, Dubitari dixit, cui tanti facinoris claritatem arrogari cōueniat, præsertim cùm eum uulgò acie extinctū perhibeāt. Respōdit Atislus, frustra aliis Frouini necem adscribi, quam ipse duntaxat alterna manus cōsertione peregerit. Mox, an ulla Frouino soboles superesset, quęrit. Keto respōdet, duos eius filios extare, sibi ætate pares, proceritate persimiles. Tunc Atislus, Si mens, inquit, illis ac uirtus paterna inesset, acerba mihi tempestas ingrueret. Interrogante deinde eo, an crebram paternę necis mentionem haberent? Keto, quicquid remedio temperari non possit, superuacuè uerbis replicari, subiunxit. Cumque regem quotidie solitarium digredi uiderent, armati eum consectati sunt. Atislus insidiis animaduersis, cùm frustra auro uitā ab illis se redemturum profiteretur: à Ketone prouocatus, cum utroq; se congressurum dixit. At quòd id parùm honestum foret, Keto solus eū aggressus, ictu uehemente in genu procubuit. Tum Vuigo fratri opem ferēs, Atislum confecit. Corpus eius, abscisso capite, equo impositū, proximi pagi incolis tradiderunt, Frouini filios paternæ necis ultionem ab Atislo Sueonum rege exegisse testantes. Saxo lib. 4.

Vindictam ad alios transferunt.

Ἀνδροληψία καὶ ἀνδρολήψιον dicebatur olim, cùm homo Atheniensis extra Atticam perierat, & ij apud quos cædes perpetrata erat, facinoris suspectum non dedebant: lege permissum erat, tres illius urbis ciues perducere Athenas, cædis pœnas daturos. Demosthenes in oratione cōtra Aristocratē. Suid.

QVIDAM asinarium cædere uolebat. At illo exclamante, Ciuis Atheniensis sum: ad asinū conuersus, Tu uerò, inquit, ciuis non es Atheniensis. cumq; pulsauit, multaq; uerbera ingessit. Plut. de Non irascendo.

Occultè uindicant. Vindictam dissimulant.

☞ *Vide Tit. Prudentiæ in uindicta persequenda: quatenus occultè fit & dissimulanter.*

PIPINVS, Ansigisi ducis Austrasiorum F. ex Begga Pipini per bonæ partis Austrasiæ principis unica filia, & ab auo materno in nomen opesq; adoptatus, mira audacia fuit. Pater eius Gunduinum ad summos militiæ honores promouerat, quem infantem, expositū sustulerat, educaratq;, ab eodem postea adolescente interētus. Parricidam se longinquo exilio tegentem Pipinus non magna manu, ne conatus palàm fieret; ulterioremq; ille semper consciceret fugam, sed uno tantùm comite multorum dierum iter emensus, repentina nocturnaq; ui adortus, in cubiculo ipsum familiamq; intercmit. Nec audaciæ consilium deerat: celeritatem præcipitibus rebus, cūctationem immaturis, dubiis fortem animum experientemq; adhibebat. Aemilius lib. 1.

TEMPORIS. VINDICTA HONESTE

NON DILATA.

TIRGATAO Mæotis nupsit Hecatæo regi Indorum, qui paulò supra Bosphorum incolunt. Hunc Hecatęum eiectum re-

 gno

gno reduxit Satyrus Bosphori tyrannus, suamque ei filiam matrimonium dedit, priorem iubens interficere. Ille cùm plurimùm amaret Mæotim, occidere quidem eam non potuit, sed in munitissimum castellum inclusam iussit in custodia uitam agere. Tirgatao clàm custodibus aufugit, & peruenit ad Ixomatas: ubi erat regia amicorum eius & cognatorum. Successori patris in regno nubens, Ixomatas ad bellum commouit, multasq; bellicosissimas circa Mæotim gentes euocauit: in primis autem Hecataei regionem incursionibus infestabat, Satyriq; regnū uastabat: sic ut utriq; missis qui suppliciter rogarent, obsidem Satyri filium Metrodotum darent, ac pacem peterent. Polyænus lib. 8.

SEMIRAMIS Assyriorum regina, cùm ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum esset, Babylonem defecisse: altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnādam accurrit: nec priùs decōrem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in potestatem suā, redegit. Quocirca statua eius Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetenderat. Val. lib. 9. cap. 3.

C. IVLIVS Cæsar audiens in Gallia aliquot militum agmina concisa esse, iurauit se non antè capillos rasurum, quàm ab interfectoribus pœnas repetiuisset. Hæc res magnam ei benevolentiam omnium conciliauit. Polyænus lib. 8.

❧ DILATA, DIV SERVATA, HONESTE.

AEGYPTIORVM lex statuit, ut prægnans, si rei capitalis iudicata sit, dum est enixa, in custodia habeatur. Plutarchus de Sera dei uindicta.

NITETIS Cyro Persarum regi nupta, tāquam Amasidis Aegyptiorum regis esset filia, patris Apriæ mortem, qui ab Amaside seruo occisus erat, longo pòst tempore ulta est. Cùm enim multorum liberorum mater esset facta, confessa est Cyro, Apriem suum patrem fuisse, dominum Amasidis. itaq; pulcrum fore, quamuis iam mortuus sit Amasis, necem patris sui, in filio eius Psammeticho ulcisci. Morem ei gessit Cyrus: & licèt in expeditione diem suum obierit, tamen Aegyptiorum imperium in Apriæ stirpem uindicauit. Polyæn. lib. 8. Herod. 3. pro Cyro Cambysem habet.

Scedasō Leuctris Bœotiis domicilium habenti filiq; fuēre Molpia & Hippo. Eas iam nubiles Lacedæmonii homines, Parathenidas, Phrudarchidas & Parthenius per uim uitiarunt. Puellæ tam insignem contumeliam minimrē ferendam ratę, laqueo uitam finierunt. Ipse etiam Scedasus, cùm iudicium postulanti datum non fuisset, Leuctra reuersus, uoluntaria morte dedecus effugit. Huic Scedasō Thebanorum dux EPAMINONDAS uictis ad Leuctra Spartanis, post multos annos parentauit, uotaq; nuncupauit: professus, prælium non magis pro Thebanorum salute, quàm eam iniuriam ulciscēdi causa, commissum iri. Cōserta cum Spartanis manu, maxima eos affecit clade. Pausanias in Bœoticis. MESSENII trecētesimo exilij anno, ab Epaminonda Thebano reuocati, Messenem urbem ad Ithomen condiderunt, & ueteris odij memores, Spartæ capiendæ socios sese Antigono regi Macedonum & Arato Sicyonio præbuerunt. Pausanias in Messenicis.

Persarum ira euersis sub Xerxe Athenis, THAIS meretrix, impetrata ab Alexandro Magno licentia, multis pòst annis, in censa Persepoli, talionem rependit. Plut. in Alex. Diod. li. 17.

ALEXANDER Magnꝰ capta Tyro, ueteris impietatis causa qua olim seruorum conspiratione omnes liberæ fortunæ uiri perierunt, seruiq; uxores & filias eorum, quos perdiderant, duxerunt, omnes Tyrios ex istis seruis longa serie progenitos, crucibus, seruorum instar fussixit, unica Stratonis, qui solus ex illa seruorum tyrannide cum filio ob mitem imperium remanserat, familia seruata. Sabel. lib. 9. En. 1.

IDEM Branchidarum urbem sustulit, ciuesque omnes sine discrimine ætatis deleuit: quòd templum Mileti eorum proditui prodidissent. Plut. de Tarda dei uindicta.

THEODOSIVS Magnus cùm per præcipitantiā iræ Thessalonicenses grauiter afflixisset, legem tulit de differendis reorum diem principum sententia, quo misericordiæ uel pœnitentiæ locus daretur. Ipse quinetiam deinceps illud Augusto ab Athenodoro philosopho datum consilium secutus est, ut nihil iratus statueret priùs, quàm Græcas omnes literas recensuisset. Platina.

Cùm CLODOVEVS Francorum rex uicto Syagrio, Aegidij regis F. Suessiones illi fauentes diripuisset: Rhemis finitima ciuitate temperatum fuit: nisi quòd miles quidam Francus è templo calicem rapuerat. D. Remigius episcopus sacerdotes misit, qui ea de re apud Clodoueum licèt genitiō agerent, causamq; religionis Christianæ defenderent. Rex ipse in diuidenda præda auctor erat, ut calix seponeretur Remigio reddendus. Miles ferociter negat religioni alienæ restituendum bello uirtuteq; partum: simul, ne quid furoris deforet, calicem hasta petit. Dissimulauit in præsentia iram rex: restituitur calix sacerdotibus. Anno circūacto cùm recenseretur exercitus, idemque miles in armis prodiret, tum Clodoueus hastam eius quasi inspecturus cùm prehendisset, inutilem bello dictitans, in terram proiecit: illumq; cuspide eam tollere conatum, demittentemq; se, elata alte securi, quo telo reges utebātur, in caputq; deiecta, strauit, repetitumq; interemit. Aemilius lib. 1.

Georgius Patricius Opitergium cæteraſq; citra oppidum Foroiulij ciuitates nomine Imperatoris administrabat. Hic simulata amicitia Tatonem, Gisulfi Foroiulienſis ducis à Cano cæsi filium, se filium adoptare uelle, cędenda Longobardorum more barba, dixit, atq; ipsum propterea Opitergium accersiuit. Vbi uerò credulus ille cum Caconе fratre, atque alio non indecoro comitatu urbem iniuit, continuò portas iussit occludi, atq; in eos à parata armatorum multitudine impetum fieri. Quod ut Tato persensit, alacriter se cum suis ad prælium præparauit, ac uaria per uicos & fora urbis prælia, eaq; haud incruenta commisit. uerùm superantibus oppidanis, tandem ipse cum suis omnibus est interfectus. Gregorius capite Tatonis ad se delato, ne periurus uideretur, barbam præcidit. GRIMOALDVS Longobardorum regno potitus pòst I. an. Tatonem fratrem ulturus, Opitergium deleuit, eiusq; fines Foroiuliēsibus, Tarusinis & Cenethensibus diuisit. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Rogatus Cæsar FRIDERICVS III. ut Viennēsibus ab Matthia Coruino Vng. rege obsessis auxilium mitteret: Patiantur, inquit, eam Viennenses inediam, quam suum quondam principem in arce obsessum perpeti coēgerunt. Bonfinius lib. 6. Decad. 4.

SEVERITATIS FRVCTVS.

❧ BONVS. PVTA

❧ LIBERTAS.

☞ *Ex Tit. Tyrannicidarum, huc quædam.*

Appius Claudius Regillanus decemuir legibus scribendis, summa inter collegas auctoritate, Virginiam VIRGINII centurionis filiam in Algido militantis ita amauit, ut clientem subornaret, qui eam coram se seruitium deposceret: facilè uicturus, quum ipse accusator & iudex foret. Pater itaque uirginis, re cognita, quum in rem iudicij superuenisset, & filiam iam addictam uideret: ultimo colloquio eius impetrato, quum eam paulo remotiùs à turba seduxisset, occidit: atque corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad facinus uindicandum accendit. Itaque decemuiratus tyrannicus sublatus est, Appius ipse in carcere expirauit. Liuius.

❧ DIGNITAS.

RHACONES Persa, ob seueritatem erga filium in iudicium numerum coopratus fuit ab Artoxerxe rege. Aelianus lib. 1.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.





II. Consideranda



Voluminis Duodecimi
Liber III.
DE IMMODERATIONE iræ & Vindictæ, de SAEVITIA, & CRVDELITATE.

IMPOTENTIA iræ animū à suo deiicit statu. Quæ si uehementiùs intēdatur, & cupiditatem internam in opus producat, Sæuitiæ & Crudelitatis nomē meretur. Quæ quidē uox, ut & Immanitatis & Feritatis, in genere omnē θηριότητα cōprehēdit: hoc est, omnia uitia, qualiacunq; sint, quæ in hominē, ad belluinā naturā degenerantem, cadunt. Sic crudele est, Humanis carnib. uesci (& hæc fortasse propriè Crudelitas dici debet, ex ui etymi) crudele item, Vetito libidinis genere uti (quorū utrunq; ad Intemperantiam pertinet) Hospites mactare (quod Inhospitalitatis est) Inimicos diris suppliciis afficere (quod Immoderatæ uindictæ est) Summūius, nō admissa ulla æquitate, in puniēdis fontibus persequi (quod Iniustitiæ est) In omnib. deniq; uitiis Immanitatis exempla sese offerūt, magnitudine tantùm ab aliis distincta: in quib. si insignis aliqua læsio, corporis præsertim, conspiciatur, Crudelitas propriè appellari cōsueuit: ut quāuis sæpè Crudelitas pro Immanitate & Feritate usurpetur, utplurimùm tamen Immanitas & Feritas magis generalia esse uideantur nomina, quàm Crudelitas. Quādo igitur Crudelitas per omne genus uitiorū dispersa est, etiā in hac iræ immoderatione locū habebit: eaq; propter Crudeles ad ὀργὴν λογικὴν species possunt referri, quatenus scilicet ulciscendo belluarum in morem sæuiunt, nec humanæ uindictæ termino se cōtineri patiuntur. Huc referri possunt Iniustitiæ correctiuæ, in puniendi excessu, pleraque exempla.

SÆVITIÆ CRVDELITATIS ACQVISITIO. HVC

MAGISTRI, INCENTORES, SVASORES

QVI, QVALES.

Confer cum Titulo, Magistri Inimicitiæ. illic Odii, hic Iræ habetur ratio.

Reges.

CALIGVLA seruorum dominatum instituit, lege lata, ut iis accusare dominos liceret, si quod eorum peccatum uidissent. Vnde ingens calamitas orbem terrarum omnem oppressit, cùm serui maximis pœnis dominos subiicerent. Quilibet enim cruciatus ab hero suo illatos ulcisci uoluit. Suetonius.

CHANGIVS, primus Tartarorum rex, sanciuit, cum nulla usquam gente pacem ineundam, quæ parêre nollet: neq; unquam cessandum, quousq; aut rerum potiantur, aut ad interitum redigantur. In fatis eorum esse, annos octoginta pugnare oportere, & regnare duodeuiginti, mox ab alia gente uictum iri: & qui euaserint, legẽ illam suscepturos, quam uictores planè seruarint. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

Hyrchii [redacted] *Concionatores.*

Concionatores THABORITÆ conciones prorsus sanguinarias de ultione habuêre, auctore quodã VENCESLAO caupone, qui plura cæteris de lege noua ueterique memoriter narrare, & ad id, quod Thaboritis placebat, detorquere solebat. Is iam in hoc ipsorũ præsenti seculo consummationem instare asseuerabat, in quã Christus occultè sicut fur uenturus esset, ad regnum suum hîc in terris reparandum instaurandumque: pro quo oramus quotidie, Adueniat regnum tuum: & in hoc aduentu, inquit, non erit tempus gratiæ, sed ultionis & retributionis, & igne & gladio, aduersus legis Christi aduersarios, quos necesse est perire septẽ illis plagis nouissimis, in Apocalypsi commemoratis. Thaboritas autem esse angelos ad illas exequendas à Deo missos. Maledictus itaque ille, qui manus suas in sanguine peccatoris non lauerit, illasque cæde impiorum non sanctificauerit, siue ille sacerdos, siue unus è plebe fuerit. Sic rursus ad desolandas euertendasque uillas, pagos, uicos, ciuitates, suos animabat: scriptum esse inquiens, quòd hoc ipso uindictæ tempore, qui in Iudæa sunt, fugere debeant ad montes. ad quos tandem? nisi ad eos, in quibus fideles Thaboritæ habitant, securi à plagis, quæ manent illos, qui uicos, castellaque & urbes, extra quinque duntaxat, Pelsinam scilicet, Launam, Slanam, Glatouiam & Zatium, non deseruerint, destruxerint, combusserint: quando in illas ampliùs nec Dominus, nec Deus, aut quisquam alius ingredietur. idque breui futurum esse dicebat, ipsa scriptura attestante, Et adhuc pusillum, & non erit peccator: quæres locum eius, & non inuenies. Mansueti autem, hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Dubrauius lib. 25.

Mathematici.

Sub Nerone stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere uulgò putatur, per continuas noctes oriri ceperat. Anxius ea re Nero ut ex BABILO astrologo didicit, solere reges talia ostenta cęde aliqua illustri expiare, atq; à semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinauit, Suetonius in Nerone.

Patres.

PYRRHVM filij adhuc pueri rogarunt, Cuinam relicturus regnum esset? Quibus respondit Pyrrhus: Qui gladium habebit acutissimum. Plut. in Apophthegmatib.

Aui.

PROCLES Corcyreorum tyrannus, nepotibus auctor fuit uindicandæ in patre Periandro Corinthio cædis maternæ. Herodotus.

Consiliarij.

Nero Romanorum Imp. natura crudelis, CONSILIARIORVM insuper suorum instinctu multa contra dignitatem fecit, cùm crebò ab illis audiret: Tu hęc pateris? tu hos times? ignoras te Cæsarem esse? teq; illorum potestatem habere, non illos tui? Xiphilinus in Nerone.

Amici.

AMICI Amanis furorem eius contra Mardochæum magis accenderunt, Iube, inquiunt, excelsam parari trabem. Esth. 5.

Concubinæ, Scorta.

NITETIS, filia Apriis regis Aegyptiorum, quem Amasis interfecerat, cùm ab Amasi ad Cambysem esset missa (nam Cambyses Persarum rex filiam Amasis in uxorem petierat: quam tamen Amasis ei dare nolebat, quia pellicis loco eam habiturus uidebatur) tanquam filia Amasis, Cambysi dolum indicauit: & eundem ad bellum Aegyptio inferendum, & paternas umbras ulciscendum impulit. Herodotus lib. 3.

THAIS meretrix auctor fuit Alexãdro Magno ut Persepolim regiam Persarum incenderet. Plut. in Alexandro.

Regem Turcorum Mahometem II. Constantinopolis euersorem, in Græcorum cædem concitauit aduena quidam, cuius FILIAM ardentissimo amore prosequebatur rex: & congressus cum ea, amore amens, propinquis mulieris quæcunq; petiissent gratificabatur. Huius patri obtemperans, Græcos mactari iussit. Chalcocondylas lib. 8.

QVOMODO. PVTA

Veneficio.

VALASCA, Libussæ Boëmæ famula, uirgines à uirorum amore per ueneficium sic auertit, ut coniuratione inita suos quæque maritos, patres, fratres, filios una nocte interfecerint: mox arce Vicegradensi obsessa, Primislai regis exercitum ad internecionem ferè cęciderint. Aeneas Syluius in historia Boëm. & Egnat. lib. 3. cap. 3.

Obtrectando, Calumniando.

Hungarorum rex Stephanus, Colomanni filius, bello tam à Græcis quàm à Polonis impendente, cum Vladislao Boëmorum rege ad fines Hungariæ, ad fluuium Olsena, colloquium pacis causa instituit. Placuit seorsum à multitudine inermes colloqui. Hungarus quidam exul apud Boëmos, SOLTHA siue Solthus nomine, cùm in utrisque castris liberè uersaretur, utrunque Regem mutua suspicione impleuit, quasi per simulationem colloquij alter alterum circumuenire cogitaret. Itaque in armis uterque suos esse mandauit. Mox Vladislao insusurrat, equites Hungaros propiùs accedere, & sagittis Boëmos lacessere. Omisso igitur colloquio, Vladislaus suos ad pugnam progredi imperat. Hungaris autem strenuè repugnantibus, Sobieslaus Vladislai patruelis è saltu ex insidiis erũpit, & Hũgaros castris exuit. Comprehensus inter alios Solthus, uinctus ad Regem Stigonium perducitur. Eum Rex equis in quatuor partes dilacerandum curauit: ceptumque inde fœdus cum Vladislao per legatos cõfecit, sorore sua Sobieslao fratri Vladislai desponsata. Dubrauius lib. 11. & Bonfinius.

Suadendo, Consulendo.

Magna affecti clade Athenienses ad Aegos fl. à Lysandro Lacedæmonio, capti ter mille, & inter eos PHILOCLES prętor, qui populum induxerat pridem ad sciscendum, ut captis bello præcideretur dexter pollex: quo lanceã ferre nõ possent, remigare possent. Lysander, postquam Athenienses captiui de cõsilij sentẽtia addicti ultimo supplicio sunt, Philoclem prætorem appellauit, rogauitq;: Quid meritum censeat se, qui sententiæ de Græcis tam atrocis fuisset ciuibus auctor? Ille uerò nihil calamitate infractus: Noli obiicere, inquit, crimina, quorum iudex est nemo: sed ea uictorage, quæ eras passurus uictus. Lotus inde, ac splendida amictus chlamyde, primus ad ceruicem præbendam, ut tradit Theophrastus, ciues suos antecessit. Plut. in Lysandro.

THEODORVS Chius, Ptolemęi regis in arte Rhetorica pręceptor, in consilium adscitus, cùm deliberaretur, utrũ Pompeius ab Aegypto repellendus esset, an admittendus: censuit receptum occidendum, addẽs hoc dictum, νεκρὸς οὐ δάκνει, id est, mortuos non mordere. Plut. in uita Pompeij.

KEGENES quondam Pazinacarum dux, pòst uerò ab Imp. Monomacho patricius & amicus factus, cùm Pazinacas suos desciscentes Imp. tandem subegisset, ei suasit, ut ad unum omnes occideret, & adagium afferebat: Anguem hyeme esse necandum, cùm non potest caudam mouere, nec solis calore refectus, molestiam laboremque per æstum creet. Cedrenus.

Conradinum Sueuum, regnũ Neapolitanum repetentẽ, Carolus Andegauẽsis comes, regni inuasor, acie uictũ captumq; per annũ integrũ in carcere habuit. Inde Neapoli cõuocatis regni syndicis, quid de Conradino ageret, deliberabat. Galliæ nobiles, & inprimis Robertus Flandriæ comes, gener Caroli, generosum adolescentẽ dimittendũ, & noua affinitate deuincendum iudicabant: maximè cùm Carolus ipse cum D. Ludouico rege socero suo à Saracenis ad Damiatã Aegypti captus, & regio more tractat⁹ fuisset atq; dimissus. CLEMENS IV. Pontifex literis à Carolo consultus, rescripsit: De Conradino suppliciũ sumi non nego. Quo uerbo, tanquã apertè mandante, Carolus usus est, teste Angelo Perusino in l. general. C. de secund. nupt. ubi tantundẽ esse ait, Non nego, quantũ concedo. Addidit hæc uerba, Vita Conradini, mors Caroli: mors Cõradini, uita Caroli. Sed & sententiãD. Augustini in Decretorũ codice positã, q uictor est obligatus, ut sit misericors erga uictũ, præsertim ubi nõ est suspicio pacẽ inde turbari, perperã interpretatus est Hugolinus Cõmentator, Præsertim, hoc est, Solummodò: ac si Augustinus diceret, Non debere ignosci hostibus, nisi iis, à quibus nulla suspicio sit insidiarũ. Qua interpretatione subnixus Carolus, suffragiis quoq; Neapolitanorũ, Campanorum & Salernitanorũ astipulantibus, contra Conradinum eiusque socios Neapoli 26. Octobris, anno Christi MCCLXVIII. capitalem sententiam protulit. Collenutius lib. 4. & Volf. Hungerus in Cuspiniani Cæsares.

FRANCISCVS Turrianus, Mediolani à fratre Napo, eius urbis principe, contra Othonianos patricios Mediolano eiectos exercitũ ducẽte, ad res urbanas tutandas relictus, quũ uictoriæ nunciũ accepisset, rogatus sententiam de captiuis, rescripsit, Cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, ne renata uenenum rursus effundãt. Ergo Napus ad Galatarum oppidum duo & uiginti insignes patricios securi percussit, ceruicib. ad plaustri temonem appositis, atq; ibi repetito sæpe ictu sæuissimè detruncatis. Quod facinus nobilissimos quosq; aduersus Turrianos concitauit, adeò ut nõ toto pla nè exacto triennij spacio, parem omnino cladem Turrianis rependerint. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Permittendo, Conniuendo.

GALBA Imp. electus, populo indulgens non prohibuit, quicunque ex Neronianis oblatus est, quin obtruncaretur. Ac Spicillum gladiatorem, statuis Neronis per urbẽ raptis subiicientes, in foro peremere. Aponium ex delatoribus unum prostrauerunt, & per corpus eius onusta lapidibus plaustra egere: alios discerpsere, nõnullos sanè innoxios. Vnde Mauriscus, qui in optimatibus & erat & numerabatur, dixit in senatu, metuere se, ne citò essent Neronem desideraturi. Plutarchus in Galba.

Pecuniam subministrando.

IVDÆI per Bauariã, arma pecuniasq; subministrauere Boëmis Hussitis, ut infestarent Catholicos, & Christiani mutuis se uirib. attererent. Sed Fridericus dux Bauariæ, re cõperta, Iudæos omnes captos misit in carcerẽ: rebusq; exutos, docuit alienis malis non gaudere, nec insultare Christianis. Cranzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 33.

DISCIPVLI.

QVI. V. G.

Reges.

Gnostici hæretici in conuentũ Burdegalensem à MAXIMO tyranno, ad quem prouocauerant, deducti, Martini Turonensis episcopi consilio, ecclesiis, ut pellerentur tantùm, sua sum fuit. Sed postea Maximus à mitioribus consiliis reuocatus, Priscillianum duob. iudiciis auditum, conuictumq; maleficij, socios q; eius capitis damnari oportere pronũciauit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Nepotes.

TISO Nouellus, comes cãpi Samperij, Patauinus, suasu Marsilij Carrariensis auunculi, Cunisam matrem in adulterio deprehensam interfecit, nec multo pòst dysenteria periit, cũ totius ciuitatis luctu, ætate florentiss. Bern. Scardeonus libro 3. classe 13. hist. Pat.

QVOMODO. ADDVCTI

Educatione.

Apud SCYTHAS, qui cũ Aegyptiis de generis uetustate diu certarunt, probro dabatur hominem non occidisse: quare usq; à pueris humana cæde gaudentes; captiuos immolabant, sanguinemq; eius potabant, quem primum cepissent: uescebantur carnibus demortuorum parentum. Polydorus lib. 8. capite 7. De rerum inuent.

In HYBERNIA, quę in penitissimo Oceano extra terras insula sita est, cultu indomito & fero, pueri ita aliti educatique sunt, ut inter arma & cædes uersentur assiduè, matresque natura immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti, gladio admouere ferantur. Alexand. libro 2. capite 25.

Iureiurando.

Traditum memoriæ est, Hamilcarem Barcham sacrificantem eo tempore, quo in Hispaniam profectionem parabat, ANNIBALEM F. nouem annorum admodum puerum iureiurando obstrinxisse, cùm primùm per ætatem liceret, populi Romani fore inimicum. Cuius quidem rei memoria & acerba recordatio, ueluti quædam paterni odii imago, ante oculos iuuenis uersabatur, animumq; urgebat, ut ea semper moliretur, quæ ad euertendum Romanum imperium pertinerent. Præterea factio Barchina frequentibus stimulis eum incitare non desistebat, ut armis & imperio opes quàm maximas compararet. Itaq; post Asdrubalis mortem, ingenti militum consensu, imperator declaratus, annos natus sex & uiginti, occasionem belli contra Rom. excitandi occasionem captauit, à Sagunto socia urbe Rom. initium sumens. Plutarchus in Annibale.

Apud MALABARES Indos est genus deuotionis, quo inter se alij aliis interdum fœdere coniunguntur, quo se execratione deuinciunt, si uno per iniuriam occiso, reliqui omnes non in illo uindicãdo mortem oppetierint. Hac ratione fit, ut non modò cùm Reges interimuntur, sed cùm socij uita priuantur, ij, qui superstites sunt, humanitatis obliti, in gladios irruant, per omnes flammas currant, nullisq; armatorum præsidiis exterreri possint, quò minùs necem iis, qui socios interfecerunt, afferre conentur, usq; eò, dum ipsi uariis cædibus absumantur. Osorius lib. 2. rerum Emm.

Obsequio.

ALEXANDER Magnus suo regni sui initia Thebas Bœotiæ expugnauit. Vrbs capta direptaq; & diruta: quòd expectaret eo exemplo perculsos & trepidantes quietem acturos Græcos. Colore tamen usus alioquin hoc est, non potuisse id se sociorum querimoniis denegare: quippe criminabantur eos Phocenses & Platæenses. Sacerdotibus igitur Macedonumq; hospitibus omnibus exceptis, & Pindari stirpe, iisq; qui defectionem sciscentibus repugnauerant, cæteros ad XXX millia sub corona uendidit. Occubuerant supra sex millia. Plutarchus in Alexandro.

C. Marij filius consul cum Cn. Carbone per uim factus, una significatione literarum DAMASIPPVM prætorem satellitem suum iussit quicquid erat in urbe patriciorum interficere. Diligens satelles iussa domini sedulò executus est, nam specie consulendi contracto senatu, patricios omnes interemit.

Præmio.

Apud SCYTHAS semel quotannis singuli regionum principes miscent unum crateri: de quo Scythæ omnes hostium homicidæ bibunt: nemo gustat, qui nihil præclari operis ediderit, sed sine honore seorsum sedet. Quæ res apud eos maximæ est ignominiæ. Qui uerò complures cædes fecerunt, hi duobus pariter, quos habent, calicibus potant. Herodotus lib. 4.

IRÆ IMMODICÆ, CRVDELITATIS CONSERVATIO. RESPECTV MOTVS

INTERNI, SECVNDVM

TEMPVS. IRA DIV SERVATA.

PAVLVS IV. Pontifex susceptas cum aliquo quacunque de causa simultates nullo postea tempore deponebat. Panuin.

FERDINANDVS Neapolitanorum rex, à puero conceptum odium seruauit ad senectutem. Itaque multa indignè, præterque regiam dignitatem etiam in homines innocentissimos patrauit. Pontanus libro primo, capite octauo, de Magnanimitate.

MODVM. NOLLE

Ignoscere.

Vide infrà, Crudeles erga Supplices.

IVSTINIANVS Rhinotmetus ab Leontio Constantinopoli pulsus, Chagani Hunni insidias ueritus, ad Trebellium Bulgarorum principem fugiebat. Orta tempestate, cùm de salute sua omnes desperassent, Myaces Iustinianum, cuius erat domesticus, ita compellat: Cernis, domine, mortem nobis impendere. Voue itaque Deo, te, si Deus tibi restituat imperium, inimici iniurias non ulturum. Respondit Iustinianus: Hîc me Deus submergat, si ulli inimicorum parsurus sum. Et repentè tempestas resedit. Bulgarorum principi inter alia dona & filiam pollicitus, ingentibus copiis subnixus, Byzantium aggressus, paucis stipatus per aquæductum urbem occupauit, & inimicos omni genere crudelitatis, populo applaudente, & Dauidicum uersum accinentes, sustulit. Paulus Diaconus lib. 20. rerum Rom. Cedrenus, Sigebertus, Zonaras.

Reconciliari, Pacem admittere.

Repudiare pacis exempla sub Stultitiæ loco attulimus: Illic Rationis, hic Iræ impotentia consideratur.

NAHAS rex Ammonitarum, Iabem urbem Galaaditarũ obsidebat, neq; pacem facere uolebat alia conditione, quàm ut dextros eis oculos effoderet, eoq; dedecore omnes Israe-

litas afficeret. At à Saulo tandem rege Israelitarum profligatus fuit. 1.Reg.11.

Quàm fœdus, quàm imbellis est ACHILLES ille Homericus, quàm non dignus ea, quam illi circumponit Homerus, persona: qui post Thebas Ciliciæ, post Cyprũ, & alias permultas insignes victorias, victus prostratusq; exigua iniuria, attollere se nullo potest pacto: non legatione amicissimorum regum, non precibus, non muneribus, non præsenti gentis suę periculo? Quid aliud testatur, quàm se ab impotentia animi victum fractumq; resumere in manus arma nõ ualere? Lud. Viues de Pacificatione.

Pœni magna clade à DIONYSIO tyranno ad Cabala in Sicilia affecti, amisso etiam rege Magone, de pacisscendis induciis legatos miserunt. Dionysius unam hanc redemtionem eis contingere posse respondebat, si relictis Siciliæ urbibus, inde discederent, & omnem bello hactenus insumtã pecuniam sibi restituerent. Carthaginenses simulantes placere sibi pactũ, dicebant penes se non esse tradendarum urbium potestatẽ, sed ut principes ea de re ad alios querẽtur, petere se paucorũ dierum inducias. Dionysius id concessit. Carthaginenses interea Magoni regi filium surrogarũt: qui inducíarum tempus aciẽ instruendo, ac milites exercendo, cõsumsit. Eo tempore exacto, commissáque acri pugna iuxta fanum, Saturnium dictum, Carthaginenses cæsis XIIII millibus hostiũ Dionysium pacem facere coégere, ut sua utrinq; seruarent, quibus antea quisq; præfuisset: Carthaginenslb. Selinuntiorũ urbs cum agro cederet: nec non Acragantinæ terræ pars ad fluuium usq; Alycum: Dionysius mille talenta Carthaginensibus solueret. Diod. lib. 15.

Plutarchus Romæ arbitriũ inter duos fratres susceperat, quorũ ALTER philosophus erat titulo & nomine tenus. Quẽ cùm admonuisset, ageret cum fratre & idiota ut philosophus: Hoc, inquit, ut ad idiotam uerè dixisti. Apud me uerò non habet multũ momenti, neq; magnipendo, ex isdem genitum esse genitalibus. Tu quidem, inquit Plut. non dissimulas, ne ex genitalibus quidem genitum esse, quicquã apud te ponderis habere aut ualere. Plut. de Pietate erga fratres.

M. ATTILIVS Regulus, rebus in Aphrica bene gestis, etsi certò sciebat breui futurum, ut aut Carthago caperetur, aut in gum coacta acciperet: ueritus tamen, ne nouus consul, qui propediem succeſſurus diceb atur, famam rerum à se magni ficè gestarum totam ad se traheret, ultrò cœpit de pace cum hostibus agere. Carthaginenses qui soluendi belli cupiditate incredibili tenebantur, confestim principes ciuitatis in castra ad consulem mittunt, qui rem cum eo componerent. Sed tãtum abfuit, ut ob iniqua Reguli postulata quicquam confici potuerit, ut legati ne audire quidem æquo animo quiuerint conditiones, quæ ab ipso proponebantur. Venêre interim auxilia Cãrthaginensibus è Grecia, Xanthippi Lacedæmonij ductu. Ad quem ubi rerum summa delata est, Romani uicti, consul ipse captus est, & Carthaginem ductus. Cuius uiri casus utile exemplum esse potuit mortalibus, ne secundis rebus nimium elati, humanam imbecillitatem contemnerent. Regulus qui tum superbas leges nuper hostibus imponebat, ut nihil uictis præter uitam relinqueret, paucis horis alienæ potestatis factus, ne uitã quidẽ in toto habuit. Sab. lib. 9. En. 4.

Heraclius Imp. priusquam exercitum contra Persas educeret, oratores ad COSROEN Persarum regem misit, ut à uastatione urbium, & cædeRomanorum cessaret. Cosroes autem rex legatos contemsit, eosq; cum contumelia abire iussit. Heraclius à Barbaro hoste pacem petit, sub conditionibus tamen haud frigidis pendendi. Cosroes se nunquam quieturum cum Romanis respondit, nisi abnegata Iesu Nazareni crucifixi religione, Mitram, hoc est Solem, adorarent. Imperator desperata pace, conscriptis undique nouis legionibus (ueteres enim interciderant) tribus præliis Cosroen uita & imperio exuit, cum Siroe eius filio pace firmata. Cuspinianus, & Aeneas Syluius cap. 31. Asiæ.

NICEPHORVS Imp. in Bulgariam profectus, uicto Crumo gentis principe, corpora Bulgarorum inhumata relinquẽs, solis spoliis legendis intentus fuit: Crumi conclauia, ut iam fuã, claustris & sigillis munüit: & Christianis manubias contrectare ausis, aures aliáque membra abscidit: aulam quoque Crumi incendit. Interim Crumus submisse admodum uictum se esse fatebatur: rogabatque ut acceptis quæ uellet, pacatus Bulgaria excederet. Sed Nicephorus pacem, cuius erat impatiens, non dedit. Itaque Crumus iritatus, aditus, exitusque suæ ditionis ligneis munitionibus occlusit. Et Nicephorus cladem præsagiens, suis dixit: Nemo nostrũm perniciem euitabit, ne si uolucres quidem fiamus. Biduo post Barbarus populo collecto, tentorium Nicephori aggressus est. Ibi Nicephorus miserabiliter obtruncatus est, omnesque cum eo duces, & infinita militum multitudo: omnibusque impedimentis potiti sunt Bulgari. Paulus Diaconus, Zonaras, Cedrenus.

Sub Ludouici III. Rom. Imp. imperio, quum Berengarius Italiæ regnum obtineret, Hungari in Italiam effusi, & hostiũ numero impares, ab BERENGARIO rege ad extrema ferè, ut tradit Leoprandus historicus, redacti sunt. Quare per internuncios aliquoties pacem saluumq; reditum in patriã frustra petierunt. Ergo desperatione animati, tripartitò indias obducunt. Romani dum internuncios præstolantur, cunctatione defatigati, magna ex parte equis desilientes corpora curabant. Hungari ueteranorum ualidissima acie, traiecto flumine Brenta eos adoriuntur, tanta celeritate, ut multis ientantib. cibum in media gula transfigerent. Atque ita ingenti hostium cæde facta, Italis imperium, gloriam, opicium, & fortunas abstulerunt. Bonfinius lib. 10. Dec. 1.

COLOMANNVS Hungariæ rex, comparato maximo exercitu, in Rutenos contẽderat. Regina Lanca profusis lacrymis supplex ad pedes hostis procidit, ueniam ac pacem orat. At eam rex præter dignitatem regiam calce repulit: haudfas esse referens, maiestatem regis femineis ululatibus polluí. Aduentarunt insuper Chunorum legati, qui pro Ruteniæ niam ac pacem orabant. Nullis tamen precibus rex exorari potuit. Interea Ruteni Mircodem Chunorum ducem cum auxiliaribus copiis acciuére. Quumq; legati desperata pace rediissent, secunda uigilia noctis incautum hostem adoriti, ad internecionem ferè cecidére. Qua nullam maiorẽ eldem se passos Hungari testantur. Bonfinius lib. 5. Dec. 2.

HADRIANVS IV. Pp. magna regni parte Gulielmũ Siculum exuerat, cùm in belli societatem Constantinopolitanum Imperatorem pellexisset (Platina & Nauclerus testantur quòd sponte se obtulerit, numeratis pontifici quinquies mille auri libris, ea lege, ut ipsi, rebus feliciter gestis, tres in Apulia ciuitates maritimæ cederent) Siculus pontifici per legatos supplex factus, pacẽ petebat: sed ipse omnes pacis cõditiones, cardinalibus suadẽtibus, respuebat. Siculus itaque cùm armis sibi dimicandum esse uideret, eductomilite, & Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris, & Romani pontificis copias fudit, & capta pontifice, utriusque regni Siciliæ Apuliæque titulos extorsit. Nauclerus libro 2 generatione 29.

Arctissima obsidione Christiani Damiatam Aegypti premebant, duce Ioanne Brenno rege Hierosolymorum. Coradinus Damasci & Hierosolymorum Sultanus, per oratores conditiones sibi Aegyptioq; pacis petebat: pollicebaturin primis se sacrosanctam Crucem, & quicquid de Christianis in Syria Phœniceq; ipse pateréue, aut Saladinus cepisset, redditurum. Franci, Angli, Itali leges comprobabant. PELAGIVS apostolicus legatus hanc pacem aspernabatur: bellum pro religione aduersus impios Mahumeticamque superstitionem susceptũ, cuius sedes arxq; sit Aegyptus: eam perdomandam, sanandamq;. Legatus auctoritate ac sanctitate nominis obtinuit, ut Damasceni oratores pace infecta dimitterentur. Non multo pòst capta quidem Damiata est, sed Latini dum Cayrum obsidere parant, intra Nilũ aggres ab hoste intercisos intercluſi, turpissimam pacem accepere coacti, & Damiatam reddere. Serò tũc pœnitebat duces, se potiùs uolũtati legati paruisse hominis togati, quàm suis consiliis obtemperasse, qui rerum militarium peritissimi, ut cissitudines rerum experiendo didicerant. Pelagius malè audire cepit: & sunt qui scribant, eum, quòd gente Hispanus esset, lectis quibusdam (ut rebatur) fatalibus libris, qui dicerent, finem Mahumetis nominis appetere, ex Hispania uenturum, qui gloriam confecti sacri belli ferret: interceſſisse, ne pax Barbaris tanta exacta mercede daretur. Aemilius lib. 6.

LVDOVICVS Comes Flandrorum Gandauensibus rebellibus ignoscere nolebat, nisi pedibus nudis, abiectis indumẽtis, aperto capite, extra urbẽ, fune in collum accepto ad petendam ueniam uenirent. Hoc responso cõmoti ciues, armis sumtis potiùs in acie cadere, quàm superbo principi subdibrio esse tolerabiliùs iudicãtes, aduersus Comitẽ agmen direxerunt, & quinq; millibus suorum, triginta hostium milia fuderunt. Aimonius de gestis Francorũ lib. 4. cap. 71. 72.

GENVENSES cum Lodouico rege Hungariæ, Fr. Carrariensi principe, & Aquileiensi antistite fœdere inito, Clodia capta, Venetam urbem arctè obsidebant. De pace per legatos agi cœptum. Quibus licèt mandatum esset, quantumuis iniquis conditionibus pacem non respuerẽt: tamen tot & tanta undiq; petebantur, ut si quadruplo maiores fuissent Venetorum opes, quàm ea tempestate erant, uix hostium auaritiam explere potuissent. Hostibus omnia Veneto ademptibus, &, ut planè apparebat, nil uicto præter uitam relicturis, quã muneris etiã loco cõcessam uideri uolebãt: dolore, quẽ ignominia fecerat, in iram uerso: decreto Patrũ iubentur legati ea actione abstinere, atq; ita infecta re domũ reuertim redire. Ergo mutata fortuna, Genuenses Clodiæ obsessi, decimo pòst mense turpissimam deditionẽ facere coacti sunt. Sabellicus lib. 6. Dec. 2.

VENETI bello tertio Ligustico uictis Genuensibus ad Caralitanum Sardiniæ sinum, cùm pacem dare nollent, Genuenses Io. Vicecomiti Mediolanensium sese dedidére, & reparatis uiribus, ad Sapientiam insulam Peloponneso propinquam ingenti clade Venetos affecére, ut quam dare cum gloria noluerant, magno priùs accepto dedecore pacem susciperint. Sab. lib. 3. Dec. 2.

Florentinorum iustitiæ uexillifer siue Dictator PETRVS Soderinus, quum urbs eorum anno 1512. mense Augusto, ab Iulio II. Pp. Maximiliano I. Rom. Imp. & Aragoniæ rege Ferdinando, qui Mediceos Florentiam reducere nitebantur, bello premeretur, & iam Pratũ oppidum ab Hispanis, quibus Raymundus Cardona regni Neapol. Prorex præerat, obsideretur, pacem, quam Prorex receptis Mediceis & subministrato commeatu offerebat, importunè impediuit. Ille enim, siue contra naturæ suæ insitum metum, hostes de uictoriæ spe deiectos, per se discessuros persuasus: siue Medicecos quouis modo Florentiam redirent metuens: siue factus ad summet exitium patriæque suæ calamitatem procurandam ducentibus legatorum profectionem artificiosè protrahens, ita egit, ut quo die ut abirent cõstitutum erat, eo die non proficiscerentur. Prorex igitur commeatus penuria coactus, & iam de legatorum aduẽtu incertus, sequenti nocte Prati expugnationem adoritur. Quæ quum feliciter succeſſisset, uictricia arma urbi admouit, & restituit tandem in pristinum dignitatis locum Medicеis, Florentinorum libertatem oppressit. Guicciard. lib. 11.

EXTERNI, VINDICTAE SCILICET. VINDICTA DILATA IN *Tempus longum. Sera.*

NERO Imperator, q puer à Seneca præceptore uerbera tulisset, eum mori coegit: data tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spacio. Itaque in aquæ calidæ solium descendẽs, incisis uenis, sumto insuper ueneno, expirauit. Suetonius.

CLOTHARIVS (Childebertum habet Chronicon Francorum) Gallorum rex, Clodoueo patre ortus, cùm inuidorum opera, Gualterium Iuetoti dominum, regij cubiculi honore insignem, expulisset, & is decennium in Oriente aduersus Christi hostes pugnando cõsumsisset: inde postea reuersus, cùm Clothario Vigilij Pontificis scriptas in commendationem suam literas in templo reddidisset, ea die qua Christi redemtoris mortem ecclesia celebrat, arbitratus & loci & temporis ratione clementiorem se regem habiturum: rex eum manu sua crudeliter occidit. Quamobrem acerbè à Pontifice reprehensus, Gualterij hæredes ac posteros, item Iuetoti urbem atque agrum, ab omni Gallici regni imperio ac seruitute liberauit, anno 536. Itaque ab eo tempore, eius loci potiti homines, regio nomine insignes facti sunt. Neq; uerò Iuetoti exiguitas obstitit, quanquam undiq; cum Gallici regni loca ambirent, & à rege Gallico defenderetur, quin subiectionis ius nullum agnosceret. Fulgos. lib. 9. c. 3.

Maioris Ferdinandi F. Federicus, in locum Ferdinandi Neapolitani Regis defuncti suffectus, dum reginas inuiseret, unam, quæ patris, alteram, quæ fratris filij uxor fuerat: Bissinianorum principis, qui unà cum pleriſq; in procubiculo regem operiebatur, FAMVLVS gladio districto herum percussit, geminatis ter ictibus interficere illum cupiens. Comprehensus, quæstione habita dixit, id efficere, quod fecisset, se in animo annos tres decim habuisse, propterea quòd principes suam olim sororem uiolauisset: antea parandi facinoris occasionem idoneam sibi nullam datam: tunc rem ad exitum perducere uel certo uitæ suæ periculo uoluisse. Bembus libro 3. Venetæ Histor.

GALEACIVS Sforcia, dux Mediolanensis, cùm à Cola siue Nicolao Montano prædago puer uapulasset, postquàm ad imperium euectus est, totidem plagas nudis natibus ei rependi, se inspectante, iussit. Quæ iniuria effecit, ut Cola tres ex suis discipulis, præsertim uerò Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. Iouius in Galeacij elogio.

Occasionem oportunam.

Cùm Ricardus Angliæ rex, in expugnatione Ptolemaidis Lupoldi Austriaci signa deiecta pedibus conculcasset, & Cypri domihum, cui Lupoldi matertera uxor erat, capitali supplicio affecisset, dum ad suos redire parat, naufragium passus, cum pauciſſimis euasit, & sub ſerui habitu Viennam uenit. Sed proditus, à Lupoldo in uincula coniectus, & pòst ad Imperatorem Henricum VI. missus est. Angli pecunia, quam pro sui redemtione erogarat, fulcitus Imperator, Tancredo Siculo è rebus humanis exemto, cõpiàs in Apuliam misit, multas ciuitates acquisiuit. Nauclerus, Vrspergensis.

Delecto Vecceslao Imp. Electores principes ad conuentũ Francofordiæ conuenérant. Fridericus dux Brunsuicensis cõ quoque uenerat. Erant qui illum dignum Imperio fatererentur. Sed ARCHIEPISCOPVS Moguntinus ei aduersabatur, fortè quòd meminisset ex annalibus, ante centum annos ab Alberto duce Brunsuicense archiepiscopum Moguntinum captum, & magno ære multatum fuisse, quod pro eo Richardus Cornubiæ in Anglia comes, qui ambiebat re gnum Romanorum, dissoluerat. Ergo Rupertus Palatinus comes rex eligitur. Fridericus cũ duce Saxoniæ Rudolpho, & Sigismundo comite de Anhalt domum reuertens, prope Fristariam in Hassia à grassatoribus impetitus, cùm sese defenderet, transuerberatur gladio, capitur Rudolphus, Sigismundus elabitur. Ferunt archiepiscopum Moguntinũ autorem fuisse captiuitatis eorum, fortè ob causam memoratam. Cranzius lib. 11 Metrop. cap. 2.

Gallis, quos ad occupandam Genuam Carolus VIII. Galliæ rex miserat, Gienſi duce, Pontremulum deditionem, Triultio ad id hortante, ea lege fecit, ut ne quid detrimenti hominibus eorumq; fortunis miles inferret: uerùm irrita fuit ducum fides. HELVETII enim per tumultum magno impetu ingressi, cunctis habitatoribus ad internecionem cæsis, oppidum direptum incenderunt: atq; id se facere ulciscendæ iniuriæ causa dissérebant. Nam Gallis Neapolim ad eiiciendos Aragonios proficiscentibus, dum per Lunigianam iter faciunt, & rixa quædam casu esset exorta, circiter quadraginta Heluetiæ gentis homines à Pontremulensibus cæsi fuerant. Huius autem maculæ, quam regio nomini in ista clade inusserat, delendæ cupidi, ut maiora tormenta, per aspera & confragosa Apennini iuga maturè transportarentur, humeris suppositis magna alacritate laborarunt. Guicciardinus libro secundo.

PAVLVS IV. Pp. Cardinalis adhuc, Ioannem Moronum cardinalem accusarat clàm apud Iulium III. sed ille aures nõ adhibuerat. Adepto postea Pontificatu, in molem Hadriani innocentissimum uirum coniecit, longo carcere afflixit, ac postremùm etiam omnibus eum dignitatibus exuere cogitarat, ni morbo urgente aliquandiu differre coactum, postea mors præoccupasset. Oderat iam pridem Hispanorum nomen, qui Lotrechio Neapolitanum regnum post cladem urbis acriter inuadente, Caraffas gentiles suos omnium primos ex nobilibus ad Gallos deficientes, agris & oppidis quæ possederant, post uictoriam adeptam multatos, nonnullos capitali supplicio, reliquos exilij pœna affecerat. Itaque tempus uenisse ratus, quo sese suosque ulcisceretur, undique belli occasionem captabat, omnino sibi persuadens, ad primam belli famam Neapolitanos à rege ad se defecturos. Ergo Henrici II. Gallorum regis fretus subsidio, Columnios anathemate notatos, tota auita ditione in Latio exuit, eandemque in suos cum nouis honorum titulis contulit, & loca adhæc quædam ad adimendam Columniis recuperandi spem ex bellica arte communiens, Hispanum regem suos tutari solitum in se concitauit. Itaque exortum est inter eos atrocissimum bellũ. Eo deinde exitu biennium ferè armis certatum est, ut uastatis direptisque totius ferè Latij oppidis, multis etiam miserabiliter incendio consumtis, ac Romæ omnibus ferè omnium ordinum hominibus, grauissimis tributis penè oppressis, desperato melioni successu ad pacem Pontifex coactus inclinarit. Suo quoque in Carolum V. Cæsarem ueteri odio incensus, translati ab eo per eadem tempora in Ferdinandum designatum Imperatorem imperij tabulas, nunquam adduci potuit, ut approbaret: iniussu suo confectas esse dictitans, & contra sacrorum canonum statuta Panuinius.

PRÆCIPITATA.

DVNSTANVS Cantuariensis archiepiscopus, cùm propter Pentecostes solennitatem, pœnam tium uirorum (qui monetæ corruptores fuerant) dilatam audiret in alterum usq; diem: ad altare, missarum solennia peragendi gratia, priùs accedere noluit, quàm debitam sustinuissent pœnam. Quibus punitis, Dunstanus lota facie ad altare conscendit, dicens: Nunc confido, quòd sacrificium de manu mea suscipiet Omnipotens. ac dum missam celebrat, columba in capite eius resedit. Vincentius lib. 24. cap. 79.

CONTESTATA MONVMENTIS.

ALEXANDER Pheræus lanceam, qua confoderat patruum Polyphronem, consecrauit, eique redimitæ ut deo immolans, Tychonem appellauit. Plutarchus in Pelopida.

CRVDELITATIS, IRAE IMMODERATAE POSSESSIO,
Exercitatio, ratione habita IPSORVMMET, qui crudelitatem exercent. QVO AD MOTVM

INTERNVM. QVATENVS
scilicet IRASCVNTVR

FACILE.

PVEROS & MVLIERES, illos ætatis, has sexus debilitate ad iram pronos esse, Terentius in Hecyra, Act. 3. Sc. 1. his uerbis testatur:

Pueri inter sese quàm pro leuibus noxiis iras gerunt.
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem mulieres sunt fermè, ut pueri, leui sententia.

VEHEMENTER.

L. SYLLA tunc maximè truculentus fuisse dicitur, & aspectu minaci, quum eius faciem rubor infestaret. Alex. lib. 3. c. 19.

EXTERNVM. VIDELICET

OPTANDO VINDICTAM.

DARIVS, Persarum rex, ut ei nunciatum fuit Sardes captas incensasq; esse ab Atheniensibus, excussa ist cœlum sagitta, Atheniensium ulciscẽdorum occasionem sibi dari optauit. Herodotus lib. 5.

MYSIOS tempore populi Romani usq; adeò feros ac truces Thracum consuetudine factos aiunt, ut uito M. Crassi exercitu ante aciẽm equum immolárint, uoraq; nuncupárint, si uincerent, se cæsorum ducum exuis non modò diis sacra facturos, sed pro lautissimo cibo epulaturos: sed nefanda dij uota abominati sunt, quando tantum terroris eos incessit, ut nẽ cubam quidem pertulerint. Quin & his terrorem Canidius cẽturio nimis auxit, barbara quoq; stoliditate usus: quippe qui super galeam, foculum gerens, in hostium formidinem, cursu flammam, uelut ardereat, agitatam latiùs effundebat. Bonfinius lib. 1. Decad. 1.

Cruciferi Prussi arcem Pomeraniæ Suecã obsidebant: ac duobus patribulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quo uerò malorem terrorẽ eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. SVFFRIDVS legatus Cruciferorum quotidiè compluribus funibus in equum impositis, denouebat non priùs se sumturum esse cibum, quàm omnes illos restes in suspendendis Polonis & Pomeranis expendisset. Quadam die cùm ad locum adstaret, furiis derepentè exagitatus, in ignem se proiecit & perijt. Cromerus lib. 11.

CAPTANDO OCCASIONEM
Vindictæ, Per
Consilium improbum.

Amyntoris VXOR zelotypa Phœnici filio persuasit, uti cum pellice patris rem haberet, quò pellex contubernio filij delinita, senem odio prosequeretur. Homerus Iliad. 1.

PETRVS de Vineis, Friderici II. Imperatoris secretarius fuit. Is cùm hostis esset Alexandri tertij pontificis, Petrum certis de causis lumine priuauit: deinde pœnitentia ductus, adsciuit eum in secretius consilium. Cùm Imperator angustia rei pecuniariæ Pisis premeretur, consuluit Petrus, uires ecclesiæ suismet opibus conterendas, cõflanda esse ad usum belli ecclesiarum omnia ornamenta, aurea atq; argentea, inter quæ zona illa, quæ cingebat templum, memorabilis erat. Placuit consilium Friderico, & spoliis ecclesiarũ exercitum parauit. Tum Petrus, Imperator (inquit) iniuriam abs te iniustè mihi illatam ultus sum: tu tibi hominum odia comparasti, ego tibi Deum ex sacrilegio reddidi inimicum. Poggius in Facetiis.

Pugnam.

Cùm aduersus Hasdrubalem LIVIVS Salinator bellũ gesturus urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne antè descenderet in aciem, quàm hostium uires animumq; cognosceret: primã occasionẽ pugnandi non omissurum se respõdit. Interrogatusq; ab eodẽ, Quid ita tam festinanter manũ cõserere uellet? Vt quã celerrime, ingt, aut gloriã ex hostib. ulctis, aut ex ciuib. prostratis gaudiũ capiam. Val. lib. 9. c. 3.

Magistratum.

P. CLODIVS ob Pompeiam C. Iul. Cæsaris uxorẽ in sacris Bonæ deæ adulteratam, Ciceronis testimonio conuictus, sed corrupto iudicio absolutus, Ciceroni adeò inimicus ex ea re factus est, ut à patribus ad plebem postea transierit, eo cõ filio, ut Tribunus plebis factus hominem ulcisceretur, cuius testimonio fuerat in discrimen adductus. Nec defuit uoluntati euentus. Sab. lib. 5. En. 6.

P. CLODIVS Pulcer, à Cilicibus piratis captus, cùm de redemptione cũ eis cõuenisset, atq; ad Cypri regẽ Ptolemæũ misisset, qui mutuò pactã summã cũ piratis posceret: Rex aũt pat tẽ tantùm dedisset adeò exiguã, ut accipere eam piratæ recusarent: tandẽ sine precio à prædonib. est dimissus. Qui cũ postea Romã uenisset, à patribus ob id solùm ad plebem transiuit, ut Tribunus plebis creari posset, id quod, donec inter patres mansisset, assequi non poterat. Creatus tribunus, nihil prius populo proposuit, quã ingentes Ptolemæi Cypri regis opes: atq; populum cohortatus est, ut iudicato bello Ptolemæo ipse ad eas capessendas mitteretur. Fulg. l. 9. c. 10.

Donum.

Cùm tumultuario prælio ad Dyrrachiũ Cæsariani uicti essent, cæsi (ut refert Orosius) militũ quatuor millia, centuriones uiginti duo, plurimiq; equites Romani: LABIENVS insidiis olim ducem inexpiabili odio accẽsus, à Pompeio captiuos sibi dono dari petiit. Quod quũ impetrasset, productorumq; in medium, & contumeliosissimis uerbis increpitos, in conspectu omnium interfecit. Hoc enim euentu Pompeinis tantum spei accreuerat, ut non de bello ampliùs, sed de uictoria cogitarent, & multa uaria decernerent: & quasi iam incidere posset aduersi, famam uictoriæ per terrarum orbem nunciis ac literis diuulgarent. Io. Gerund. lib. 9. Ralip. Hispan.

Redemtionem.

Cùm graui bello Ioãnes Franciæ rex ab Eduardo III. Anglorum rege premeretur, Eugenium Gerentiũ, omnibus bellatoribus peritissimũ, cũ quadraginta egregiis ac manu promptis uiris, onustum multo auro in Scotiam misit, enixè obsecrans, quantũuis rex illorũ Dauid ab Anglis captus esset, ne cessarent bellum sedulò Anglis inferre. Accepere Scoti conditionem, & Anglos ex insidiis circũuentos oppresere, plurimos cepere. Tum GALLORVM quidam emtos nonnullos Anglos, ac post montem seductos, trucidarunt, in uindictam parentum suorum nuper ab Anglis in Gallia occisorum. H. Boëthius lib. 15.

Simulationem amicitiæ, hospitij.

IOABVS polemarchus Dauidis regis, & Abiseus frater, Abnerem Isbosethi regis polemarchum, qui ad Dauidem defecerat, specie amici colloquij Hebrone seductum, perfidè interfecerunt, eo quòd Asael frater suus ab Abnere in prælio peremtus fuisset. 2. Regum 3.

ABSALOMVS Dauidis F. duobus annis integris captauit occasionem, ut Amnonem fratrem ob stuprum Thamari sororiillatum ulcisceretur. Tandem simulata reconciliatione cũ in conuiuio uino madidũ obtruncari curauit. 2. Regum.

Aiunt Helenam Menelao mortuo, errante etiamnum Oreste, à Nicostrato, & Megapenthe Menelai filiis pulsam, ad Ptolemæi uxorem POLYXO, cognatam suam, Rhodum uenisse. Fuit uerò Polyxò Argiua, & Tlepolemum uitum in exilium secuta est Rhodum. Quo apud Troiam occiso, ipsa insulæ imperauit, filij parui suscepta tutela. Necẽ igitur mariti uolens ulcisci, Helenam hospitio suscepit, atq; in cubiculo uantem, ancillas furiarum ornatu immisit: quæ illam comprehensam, & ad arborem suspensam, laqueo necarunt. In eius rei memoriam dedicauêre Rhodij Helenæ Dendritidis fanum. Pausanias in Laconicis.

Scribit C. Oppius Cæsaris familiaris fœuum CN. Pompeium in Q. Valerium extitisse captum in Sicilia cũ Carbone cõs. Marianarum partium. Cùm enim sciret humanitatis & literarum inter paucos studiosum Valerium, ut actus ad ipsum est, seduxisse illum, & deambulasse unà: ubi accepit & didicit ab eo quæ cupiebat, imperasse lictoribus, ut illicò auferẽt eũ, & interficerẽt. Cæterùm Oppio, cùm de Cæsaris hostibus uel inimicis agit, non temerè adiungenda fides est. Plut. in Pompeio.

OCTAVIVS Sagitta, Tribunus, à Pontia, cuius amorem ambierat, repudiatus, pecunia noctem unam mercatus & admissus, ferrò eam transuerberauit. Tacitus lib. 13.

SVERTINGVS, Saxonum princeps, cùm Hanefus alter princeps à Danorum rege frothone cæsus esset, nec ipse tali cladis hosti par esset uel fortuna, Daniæ regem simulata benuolentia conuiuio excepit, & clàm igne iussit tricliniũ admoueri, paratis omnibus ex composito, quæ conflagrandæ domui inseruirent: nec dubitauit ipse cladi actedere, dummodò secum hostem opprimeret. Filij autem Sueringi, ut ultionẽ paternæ necis in filio, regni Danici successore, prouenirent, adolescentem nuptijs germanæ sororis conciliarunt: ex quã ille filios suscepit patrij regni successores. Stetit hoc in rerum statu diu quieta Saxonia. Vetsati sunt fratres reginæ Danorum in regia Daniæ; & tranquillitati rerum suarum consulentes, regem conuiuiis & cæteris illecebris deuinctum habebant: donec Starcatherus uir fortissimus satyrico carmine regem ita inflammauit, ut sacra

sacra hospitij ac mensæ suæ temeraret, occisis in conuiuio leuiris. Saxones libertatem suam per arma tutati sunt. Cranzius lib. 1. cap. 12. Saxoniæ.

Præmij pollicitationem.

Vltio huius est loci. Modus ad Calliditatem referri debet.

ARTOXERXES Persarum rex, in Themistoclis hostis caput cc pronunciauit talenta. Plut. in Themistocle.

ANTIGONVS & ANTIPATER duces contra Eumenem creati à Macedonib. libellis per castra Eumenis sparsis, promisere ć talenta & honestum ordinem ei qui Eumenẽ interfecisset. Plut. in Eumene.

Epicydes & Hippocrates fratres, duces Syracusanorũ, Romanis longo tempore infensi, cùm Syracusanos ad bellum cõtinere non possent, ad Leontinos Syracusanis inimicos confugerunt, patriam accusantes, quòd fœdus Hieronis de tota Sicilia ictum sibi solis uendicarent. SYRACVSANI promulgarũt, si quis Hippocratis aut Epicydis caput attulisset, se auro id esse repẽsuros. At Leontini Hippocratem sibi ducem contra Syracusanos crearunt. Suidas.

Occiso ad lucum Furinæ Caio Gracchò, aiunt caput eius, cùm ab nescio quo præcisum & ablatum esset, huic ademisse amicum L. OPIMII cos. Septimuleium: siquidem pronunciatũ initio pugnæ fuerat, Caij & Fuluij capita referentibus, præmiũ, ut pari auri pondere penderetur. Relatũ à Septimuleio fuit ad Opimium lancea præfixũ. Stateræ allatæ impositũ pependit pondo XVII. cum besse. Atq; hic quoq; cõ sceleratus Septimuleius & fraudulẽtus fuit. Nam exempto cerebro infuderat plumbum. Qui uerò Fuluij caput attulerunt, quòd essent obscuriores, nil accepére. Plut. in Caio.

In Q Sertorij caput, METELLVS, qui cum eo in Hispania bellum gerebat, pronunciauit, Si ciuis Romanus illum interfecisset, præmium centum argenti talenta, & agrum uiginti millium iugerum: si exul, reditum in patriam. Ita apertæ desperatione uictoriæ licitabatur illum per proditionem. Plutarchus in Sertorio.

Sacrorum suspensionem.

DYNSTANVS Cantuarienſis archiepiscopus, sacris operari noluit, priusquã de monetæ trib. coiruptoribus, quorũ pœna dilata fuerat in alterum diem, supplicium sumeretur. Vincentius lib. 24. cap. 79.

Insectationem.

T. QVINTIVS Flamininus ad Prusiam legatus uenit, & Hannibalem Rom. nomini infestissimum, hospitem regis, sibi tradi petiit. Hannibal ubi armis omnia teneri uidit, confestim uenenum hausit, tantùm effatus, Soluamus Po. Ro. diuturna cura, quando senis mortem expectare, longum est. Erat iam Hannibal septuagenarius. Sunt qui uenenum anulo inclusum habuisse credant. In quo meritò aliquis miretur, tantam breui tempore in Romana indole mutationem fieri cõtigisse, quorum patres Pyrrhum hostem infestissimum, latẽq; Italiam uastantem, domestica fraude extingui noluissent, in Bithyniam uirum consularem miserint, ad senem & exulem deposcendum. Sed credibile est, Romanos non tam ob id Hannibalem sublatum uoluisse, quia in præsentia formidabilis esset, quàm quòd de Carthagine euertenda consilium senatus agitare cœpisset, ne suis extremis rebus Carthaginenses illius opera uti possent, nouumq; molirentur bellum, aut illarum propulsarent, atq; ita de eo magis cautè quàm fortiter statuerint. Sab. lib. 7. Ennead. 1.

OCCASIONEM VINDICTÆ
ereptam dolendo.

TIBERIVS, cùm intellexisset Carnuleium, in quem pro sua crudelitate tormentis grassari decreuerat, mortem anticipasse: ira atq; indignatione pereitus exclamauit, Carnuleium euasse. Suetonius.

MAHVMETEM II. Turcorũ tyrannum aiunt, ad nunciam lo. Coruini mortis (cuius fortitudine ad Albam Græcã repulsus fuerat) confestim oculos humi defixisse, & solutum in lacrymas dixisse: Nemini unquam à mundi principio æquè ac sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem ampliùs ulcisci non liceret. Bonfinius lib. 8. Dec. 3.

EXEQVENDO. RATIONE habita
Rei. Vlcisci alios
Per Apostasiam.

TERTVLLIANVS inuidia Romani cleri exagitatus, ad Mõtani sectam palàm defecit, & cõtra Catholicos scripsit. Hieronymus lib. 4. cap. 34.

Vis Vandalorum (qui & Vuinuli & Sclaui dicuntur) ptinceps, à quodã Saxonum trãsfuga interfectus erat. Filius eius GODESCALCVS, apud Luneborch, monasteriũ Ducis, libera libus eruditebatur studiis, Godescalco Gothorũ episcopo eiusdẽ cœnobij curam agente. Is comperta morte parentis, ita furore cõmotus est, ut, reiectis cum fide literis, arma cor-

riperet, Albiq; transmisso, Vuinulis se Dei inimicis coniungeret: quorum fretus auxilio, Christianos impugnans, multa millia Saxonũ in patris prostrauit uindictã. Hunc tãdem quasi latronum principẽ Bernardus dux Saxoniæ capiens, in custodia tenuit: uirũ arbitratus futurum fortissimũ, iuncto fœdere dimisit. Qui mox ad Canutũ Danorum regem profectus in Angliã, ibi mansit multo tempore. Reuersus in patriã, Christianissimum recepit tanto fœnore, ut inter sacra cum sacerdote fuerit ab impiis trucidatus. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 11.

Bernardus Saxoniæ dux Mistiuoio Vandalorum principi cognatam seu sororem suam desponderat. At Theodericus marchio Brandeburgensis indignum asserẽs, nobilem puellam cani elocari, nuptias turbauit. Tum MISTIVOIVS, Ergo si canes sumus, rabiem exercebimus, inquit. adeoq; defectione inita, crudelem persecutionem in pios instituit; Hamburgum excidit, Marchionem expulit: nec, nisi Henrici II. auxiliaribus copiis, à Bernardo uinci potuit. Cranzius lib. 4 capite 34. Saxoniæ.

Defectione, Proditione, Desertione.

HARPAGVS Medus, Cyro exercitum prodidit, ut Astyagem filij carnificẽ (quem is sibi comedendum proposuerat) ulcisceretur. Herodotus lib. 1.

ALCIBIADES audito, se cum sociis rei capitalis condemnatum, At ostendemus, inquit, eis, nos uiuere: conferensq; se ad Lacedæmones, bellum Atheniensibus Dicelicum contlauit. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Veneti, Cigalli Oceani accolę, primi omniũ Apennino superato, Clusium Tuscorum urbem oppugnare sunt adorti. Fama est, eam gentem à Clusino ARVNTE ad id bellum allectam. Is Lucumoni iratus, quòd uxorem suam corrupisset, eam inidriani quum in adolescentem opibus præpotẽtem ulcisci non posset, ad Gallorum opes confugit: quos ut facilius ad id bellum concitaret, fruges indigenas Hetruriæ secum attulit: uinum id fuisse ferunt, & aridas ficus. Sabellicus lib. 2. Ennead. 4.

Ira uniuersum POPVLI Rom. equitatum à Fabio Consule ad hostium copias persequendas missum, cùm tutò & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorem, immobilem retinuit. Val. Max. lib. 9. cap. 3.

Ira POPVLVM Rom. Appio Claudio duci (cuius pater, dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrimè impugnauerat) infensum exercitum faciendo, uoluntaria fuga tetra hosti, ne triumphum imperatori quæreret, dare coëgit. Ibidem.

Cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio quatuor Samnitium millibus, Consules Val. Poplicola & C. Claudius populum ad recipiendam arcem uocassent: populus ROM. patriam perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patriciis morem gerere maluit: neque antè de sententia deduci potuit, quàm petitam legem Senatus concessit. Fulgos. lib. 9. cap. 3.

Maximus Senator Rom. Valentiniano III. Imp. persuasit, uti Aetium Patricium, imperij columen, tyrannidis suspectum iugularet. Eo sublato, ipse Valentinianum interfecit, & tyrannidis stabiliendæ gratia Imperatricem uiduam EVDOXIAM, Theodosij iunioris imperatoris filiam, sibi copulauit. Illa in ultionem mariti, Genserici um Vandalorum regem ex Aphrica accersiuit matrimonio. Maximo à suis occiso, adsunt Vandali, & Romam diripiunt, Eudoxiam abducunt cum duabus filiabus, quarum natu maiorem Hunnerico F. Genserici in matrimonium dedit. Euagrius lib. 2. capite 2. Paulus Diaconus, Zonaras.

Otho II. Imp. conuiuio Romæ in Vaticano principes & legatos Italicarum ciuitatum, quæ defecerant, excepit: ac intromissis armatorum careuris, de seditiosis, reliquis spectantibus, supplicium sumsit. At paulo pòst cùm ad Basentellum, Calabriæ oppidum, contra Græcos & Saracenos prælium esset commissurus, ROMANI & BENEVENTANI, certamen de summa rerum imminere uidentes, statim à signis recesserunt, atque Othonem ualido præsidio nec opinatem nudarunt. Ita exercitus eius ancipiti terrore perculsus, instantibus hostibus facilè non solùm susus fugatusq;, sed etiam fœdissima strage concisus est. Ipse ex prælio trepidus uix in columis ad mare profugit, &, cùm se nauiculæ commisisset, metu piratarum in mare exiliens natatu sibi consuluit. Addit Sigebertus, ipsum, cùm natando euadere uellet, à prædonibus, qui nam esset, ignorantibus, captum: Theophaniam uerò uxorem, & Theodericum episcopum Metensem, qui Rossani confederant, prælij exitum expectantes, simul Othonem captum à piratis audiuerint, ingentem ad eos pecuniam redimẽdi causa mississe. Cui dum illi auidius inhiantes Othonem parum attentè obseruarent, ipsum pernicissimo equo oblato ex eorum conspectu repente abreptum. Satis inter omnes constat, hanc cladem tantam fuisse

se, ut si Græci protinus inde Romam exercitum adduxissent, ipsam haud magno admodum negotio in potestatem fuerint adducturi. Sigonius lib.7. regni Italici.

Conradus dux Glogouiensis bellum aduersus Henricum Legniciensem animo uersabat, ob interuersum Vratislauiensem dominatum. At cùm imparem se illi esse uiribus intelligeret, incautum dolis circumuenire studebat. LVTICVM unũ de familiaribus & consiliariis Henrici, gente Habdancum, donis & promissis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici, & magnis ab eo beneficiis affectus: sed patrem eius Pacoslaum, gratia & fauore principis insolescentem, Henricus capite plecti iusserat: quod is homicidij reus crimẽ, frustrà dissuadente iudice, gloriabundus fateretur. Leuierat tamen eum Lutici dolorem Henricus postea, collatis in eum plurimis & magnis beneficiis. At cùm faces Lutici animo subderet Conradus, effecit, ut plus apud eum ualeret uetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram, haud longè ab arce Vratislauiensi, corpus curabat Hẽricus. Aduolat eò Luticus cũ armatis: Henricumq; nihil tale suspicantem, nudum è balneo extrahit, & uili palliolo tectum, atq; equo impositum, continuato nocte dieque cursu, Sanuoithum, quod in ditione Conradi erat, asportat. Inde uinctus Glogouiam perductus, in angustum uas ferreum concluditur: in eo duo erant parua foramina, alterum quo cibum sumeret, alterum quo aluum purgaret. In eo sex totos menses asseruatus, neq; sedere neque iacere potuit. Ad extremum eò redactus est, ut iam tabescente corpore, sanies & uermes de scapulis & femoribus eius scaturirent. His malis uictus tandem durissimis conditionibus à Conrado dimittitur. Cromerus lib.10.

FERDINANDVS Magallanus, Lusitanus uir nobilis, magno animo preditus, in India bellicis in rebus nõ mediocre uirtutis & industriæ documentũ dederat. In Africa similiter uiri ualde strenui officio functus fuerat. Is pro meritis suis contendebat, ut congiarium regium dimidio numi aurei singulis mẽsibus augeretur. Rex, ne aditum ambitiosis aperiret, id denegauit. Magallanus offensione huius beneficij sibi eo tempore denegati commotus, à Rege desciuit, cùm priùs publico testimonio fidem & Regi & patriæ debitam abiurasset: & se continuò ad Carolum contulit, eumq; admonuit, insulas, quas Malucas appellant, quæ sunt ultra auream Chersonesum constitutæ, ad limites Castellæ pertinere, & ab Emmanuele Rege contra pactionem iam factam usurpari. Ducebat autem secum Rodericum Falerium, qui se Astrologiæ disciplinam tenere profitebatur, ut eandem opinionem in animo Caroli altiùs imprimeret. Carolus ab Hispaniæ proceribus persuasus, ne ullius affinitatis obtentu imperium amplificare negligeret, naues Magallano, quibus aliam uiam in Orientem aperiret, attribuit. Itaque Magallanus & Falerius Hispalim contendunt. At Falerium iam facinoris suscepti pœnitebat, & intra paucos dies mœstitia confectus, mortem obiit. Magallanus cum quinq; nauium classe, & cum suprema necis atq; uitæ in reliquos nauarchos potestate, an. 1520. 10. die Augusti soluit, ut terras atque regiones, quas neque uiderat, neq; ab aliis exploratas audierat, sed suspicione tantùm eas adiri posse consequutus fuerat, perlustraret. Osorius lib.11. rerum Em.

Idololatria, Impietate.

MEDIOLANENSIS quidam, inimicum ulturus, quẽ in manu habebat pugione faucibus admoto, se iugulaturum esse minatus eum, nisi renunciaret Deo, ad renunciandum compulit: nec semel fecisse cõtentus, renunciare iussit ex animo, idemq; sæpiùs repetere. Quo facto, eum iugulauit, dicens, Sic de corpore simul animoq; uindictam sumsi. Bodinus lib.4. Dæmon. cap.1.

Lugduni CVRIO S. Ioannis minoris, uiuus crematus est an. M D XLIIX. eò quòd dixisset, se in missa non consecrare hostiã, ut damnationi parochos suos subiiceret, non deum pro deo adorãtes: quia sibi (ut aiebat) lis cum ipsis erat. Sed iustam miseri popelli ignorãtiam excusatam habuit Deus. Bodinus lib.4. Dæmon. cap.5.

Cæde horrenda, miserabili.

☞ *Consule Titulum, Astus in uitæ insidiis.*

HETRVSCI feroces in pœna excogitanda, uiuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata atq; constricta, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur, amari uitæ pariter ac mortis tortores. Valer. lib.9. cap.2. Hoc MEZENTIO Rutulorum regi tribuit Maro.

Morem fuisse SCYTHIS peruetustum, scribit Plinius, sagittarum aciem tingere uiperina sanie & humano sanguine, irremediabili scelere. Nam mortem illicò affert, etiam leui tactu. Obseruabant autem Scythæ uiperas (uti testatur Arist. in Admirabilium relatione) ubi iam peperissent, sic enim captas diebus aliquot liquescere sinebant: mox ubi computruisse uiderentur satis, in ollam sanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantq; in sterquilinio, uase diligenter obturato: ubi uerò & hic contabuerat, eximebant, sumentesq; quod supernatasset iam aquosum, saniei; urinæ permiscentes, ita lethale conficiebant uenenum. Cælius libro 23. cap.10. Antiq. Lect.

Iason Thessalus, Aesonis filius, Corinthum ueniẽs, cùm adduceret etiam MEDEAM, Acetæ regis filiã, cuius ope ex Colchis aureum uellus in Græciam ablatum portauerat: post oblitus omnium beneficiorum, eã repudiauit: & fide data, Creontis Corinthiorum regis filiam Glaucen in uxorem duxit. Medea à Creonte è terra Corinthiaca excedere iussa, supplex facta cùm Iasoni tum Creonti, simulans se oblitam omnium iniuriarum, ad unum diem ut adhuc manendi potestas sibi detur obsecrauit. Id adepta, gratitudinis ergo Glaucæ nouæ nuptæ mittit per liberos, uestes artificiosissimè paratas, & coronam auream. Eam cùm capiti suo Glauca imposuisset, & uestes induisset: ueneno, quod Medea in iis absconderat, circumuenta, concidit Creon, dum filiæ conatur succurrere, in amplexu filiæ extinctus est. Interfectis quoq;, quos cum Iasone habuit, liberis, curru draconum alatorum sublata, transfugit è Corintho Athenas, ubi nupsit Aegeo Pandionis filio. Eurip. in Medea.

Auctor Europius est, Superbum TARQVINIVM excogitasse primùm uincula, taureas, fustes, cõpedes, latomias, metalla. Cælius lib.10. cap.4. A.L.

AMESTRIS Xerxis uxor, uxorem Masistæ, Bactrianorũ præsidis, excarnificauit. Eius mammillas præcidit, quas obiecit canibus. Item nares, aures, labra, linguam inhonestissimis deformauit plagis. Plutarchus in Artaxerxe.

Cyri iunioris interfectores magnis à rege Artaxerxe uictore muneribus affectos, PARYSATIS amborum mater alios alia fraude aggressa, exquisitissimis postea suppliciis necauit. Carem qui poplitem percusserat, decem dies uariis cruciatibus affectum, mox effossis luminibus, æreq; liquefacto auribus infuso, necari iussit. Metrodotem (is enim primus circa oculum uulnus inflixit) duabus clausit scaphis, ita compactis, ut caput & crura duntaxat extarent: ad solem inde obuolutum melle cibari iussit & lacte, ut inuitus etiam comesse potareq; cogeretur: fiebat eò muscarum cõcursus ingens, earumq; examina, ora, oculos & crura incessere: hæ enim partes extabant, erantq; eisdem liquoribus delibutæ: excrementa corporis, utpote ex dulci materia, scaphis excepta uermes procreabant, quibus uestes primò, mox corpus ita est corrosum, ut nuda ossa cum stupore spectantium cernerentur. Atque ita Metrodotes decimo die miserabili cruciatu periit. Nouissimè Mesebatem eunuchum, qui iacenti Cyro caput & manum recidit, in suam potestatem redactum, pelle caudari iussit, ipsumq; tribus palis affixum cruciari fecit. Atq; per hæc percussorum supplicia Cyri manes euagati, postremò quieuère. Sabellicus lib.9. Enneadis 3. ex Plutarcho.

OCHVS, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, qua septem Magos cum eo oppresserat, aut ueneno, aut ferro, aut ulla ui, aut inopia alimentorum necaret: crudeliorem mortis rationem excogitauit, quæ hos iunctos sibi, non perpetuo uinculo religionis, tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere compleuit: suppositoq; tigno prominente, benignè cibo & potione exceptos in eo collocauit: è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem deciderunt. Valerius lib.9. cap.2.

LOCRENSES, crudelem Dionysij libidinem ulciscentes, sublato per Dionem eius regno, uxorem Dionysij unà cum filiis non tantùm prostituerunt, sed post expletam etiam libidinem, compunctas acubus intra digitorum ungues, interemerunt: ossa in mortariis contusa in mare proiecerunt, carnes ab ossibus abstractas si quis non comedisset, cum diris deuouerunt. Aelianus lib.9. de Var. histor. & Athen. lib.12. capite 19. & Strabo libro 6.

Inter multa crudelitatis PHALARIDIS Agrigentinorum tyranni exempla celebratur in primis æneus ille taurus Perilli, siue Perilai (nam sic appellat Lucianus) inuentũ: quo subiecto igni mortales uiui sic exurebantur, ut pro eiulatu humano mugitũ æderent morientes. Eum taurum, exusto primùm in eodem artifice, Delphos misisse legitur, ut Phœbo dicatus, in eius templo reponeretur, monimẽtum futurum simul & artis exquisitissimæ, & inuenti crudelissimi, & pœnæ meritò in auctorem retortæ. Verùm Delphi munus, ut à tyranno missum, repudiarunt. Erasmus in Adagiis.

L. Catilina M. MARIO Gratidiano, qui ter Tribunus plebis & bis prætor fuerat (ut Q. Cicero in Parænesi ad fratrem M. scribit) primùm brachia & crura fregit, aures deinde, linguã & nasum præsecuit, oculos effodit, postremò capite truncauit. L. Viues in lib.3. August. de Ciuit. Dei, cap.2.

TIBERIVS Imp. mortem filij Drusi ueneno interfecti crudelissi. fuit. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis, unde damnatos, post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atq; remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitauerat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè ueretris deligatis, fidicularum simul urinæq; tormento distenderet. Suetonius.

OPILIVS Macrinus Imp. Tribunum, qui excubias deseri passus erat, carpẽto rotali superadnexum per totum iter, uiuũ atq; exanimem traxit. Iul. Capitolinus.

Cùm quidam milites ancillæ hospitis pudorem deprauasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium IDEM Macrinus id didicisset: adduci eos iussit, interrogauitque utrum esset factum. Quod cùm constitisset, duos boues miræ magnitudinis uiuos subitò aperiri iussit, atq; his singulos milites inseri, capitibus, ut secum colloqui possent, exertis. Iul. Capitolinus.

HENRICVS VI. Alemanniæ Rex, occupata Sicilia, quorundam incolarum insidiis est appetitus. Deprehensos uariis modis miserabiliter interfecit. Alium feruẽti aqua excoctũ, in canistro pro missu ad suos remisit: alium in ingentem rogum coniecit, alium culeo insutum in mare demersit. Factionis principi æneam coronam quatuor clauis capiti adfixit. Nicetas lib.2. Cranzius lib.7. Metrop. cap.17. & lib.7. Saxoniæ cap.9. Iordanum appellat insidiatorem, & reginæ amatorem, & in ænea sede candente locatum, æneam coronam candentem clauis capiti affixam gestasse.

VENCESLAVS Imp. Boemorum rex, sub arce Vicegradensi in ripa Vultauiæ balneum extruxit (nam sæpissimè balneis utebatur) in quo tabulæ pauimenti certa sui parte ita leuiter coagmentatæ erant, ut uel uno pede proculcatæ facilè laxarentur. Si quos igitur perdere uellet, per hanc ruinam præcipites in flumen dabat. Dubrauius lib.23.

GENVENSES (quo tempore urbs eorum ciuilibus armis inter Guelfos Gibellinosq; diuisa contendebat, & Guelfi rerũ potiebantur) septem uiros, qui Pharεam turrim totam penè à fundamentis subuersam Gibellinis dediderant, ab urbe ceu saxa, per hæc tormenta, quibus sub Manganorum nomine prior ætas utebatur, in hostes emiserunt. Fulgosus libro 2. capite 2.

Cædis carissimorum conspectu.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga Hostium liberos, uxores, arces.*

Virgilius, ubi inducit Priamum execrantem NEOPTOLEMVM ob atrox eius immiteq; factum, non accusat hostem, quòd filium necarit, sed quòd ante oculos suos eum obtrũcarit, contemerauerit q; aspectum patrium cæde filij. Neq; enim maior ullus dolor patri inuri potest, quàm spectante ipso filium necare: multo nanque magis homines mouent, quæ fieri uident, quàm quæ facta audiunt. Hoc etiam narrat fecisse CARDIANOS in oratione cõtra Aristocratem Demosthenes: cùm Mylto cythem Thracem, amicum Atheniensium, proditum Charidemo cum filio, ab ipso, ut pœna afficerent, accepissent: auget enim crudelitatem Cardianorum, πάθος q; mouet, docens eos non tantùm ambos interfecisse, sed nato ante oculos patris in nauicula iugulato, patrem postea in mare abiecisse: atq; ita & uoluntati Charidemi satisfecisse, & animum suum implesse, quòd eum, qui fauebat rebus Atheniensium, quos ipsi malè oderant, crudelem in modum interemissent. Victorius lib.1. Var. lect. ca.8.

Cleomenes rex Laconum cum sociis, cùm frustra magno facinore Alexandriæ tentato, destituti iam ab omni spe, sponte occubuissent: mãdato regis PTOLEMÆI, à militib. Stratesiclea Cleomenis uxor cum filiis, ac reliquæ Spartanæ mulieres captæ ad supplicium ducebantur. Generosæ autem stirpis femina satis constanter acerbum illum casum tulisse tradita est: tantumque petiisse, ut ante filios interficeretur. Cùm tamen ad locum muneribus illis destinatum uenerũt, ministri regij, spretis precibus ipsius, primùm liberos spectãte matre necarunt, statimque ipsam interfecerunt: quam solùm in tanta acerbitate commemorat Plutarchus conuersis oculis ad natos dixisse, ὦ τέκνα ποῖ ἐμόλετε. Victorius libro 1. Var. lect. capite 8.

Cæde insontum.

Seditione inter pecuarios Scythas orta, manus ingens eorum, patrio solo pulsa, in Mediam concessit. Receptis benignè Cyaxares rex Medicos pueros arcu & sermone instituẽdos tradidit. Interiecto deinde tempore, quum Scythæ assiduè uenatum irent, ac ferè semper aliquid afferrent, contigit tamen quandoq;, ut nihil domum tulerint. Hos intuitus Cyaxares, multis eos probris insectatus est. Quam illi contumeliam non ferendam rati, ex pueris, quos instituebant, unum trucidatum, in dissectæ feræ speciem regi obtulerunt, celerique deinde fuga in Lydiam ad Alyattem perfugerunt. Sabell. lib.4. Enneadis 2.

Cæso C. Graccho in seditione Agraria, necauerunt ROM. minorem Fuluij filium, qui non arma contrà tulerat, neque in cœtu fuerat præliantium: sed ad pacificandum uenientem ante pugnam corripuerunt, & post pugnam occiderunt. Plutarchus in Caio.

Tibicen quidam Hammelæ ad eliciendos glires conductus, sequenti rependit facinore ingratitudinem, cùm illi ex pacto non satisfieret. Nam anno millesimo ducentesimo octogesimoquarto, die uicesimosexto Iunij, hunc tibicinẽ, OMNICOLOREM nuncupatum, ob uestis uarietatem, centũ & triginta pueri Hammelæ nati sequuti sunt, & Caluariæ sub monte Koppen dicto perierunt. Vnus superstes relictus narrauit, En dæmonem tibicinem sanguinarium. Ioannes Vierus de Præstigiis dæmonum.

Humanis epulis.

☞ *Si Ingluuiem spectes, ad locum Intemperantiæ alimentaris pertinent. Si Vindictam, ex Tit. Crudelitatis erga hostes huc quædam accommodari poterunt. Sin ipsam Immanitatem conuersationis, ad Popularitatis defectum releganda erunt.*

Tributorum impositione.

☞ *Vide Titulum Crudelitatis erga hostes.*

Ignominia qualibetcunq;.

DANVS rex, uictis Noruagiis Canem dedit in regem. Vide Tit. Crudelitatis erga hostes.

Accusatione falsa.

Maleficus QVIDAM in Sabaudia senem uicinum, quòd arborem suam incidisset, hunc in modum ultus est. Senis concubinæ insanum quendam amorem immisit in illius filiũ. Quæ quum adolescentis animum pellicere non posset, eum ultrò apud patrem detulit, quòd se de stupro non desineret interpellare. Pater persuasus à muliere, filium è tecto præcipitẽ dedit, ac interemit. Deinde facti pœnitens, semetipsum laqueo præfocauit. Postremò mulier in puteum se abiecit. Gilb. Cognatus lib.8. Narrationum.

Modum. Vlcisci alium

Dignitatis suæ neglectu.

Cùm Lucretius Offella consulatum a L. SYLLA dictatore peteret, quòd ipsius opera Sylla urbem Præneste cepisset, atq; iuniorem Marium euertisset: Sylla autem nutu consulatum negaret, neq; ob id Offella rogare desineret: Sylla, qui in foro deambulabat, manu sua eum interemit, atroxq; facinus grauiore uerborum atrocitate auxit, cùm populo, qui in cõcionem uenerat, aratoris fabulam narraret. Fulg. lib.9. ca.5.

AVGVSTVS Iuliæ filiæ stupratorem, præter suam maiestatem suis ipse manibus pulsauit. Suetonius.

TIBERIVS Imp. in quodam itinere lectica, qua uehebatur, uepribus impedita, exploratorem uiæ primarum cohortiũ Centurionem stratum humi pænè ad necem uerberauit. Suetonius in Tiberio.

SALADINVS Aegypti Sultanus, captis Hierosolymis Guidonem regem & Romualdum æditorum magistrum ipse manu propria obtruncauit. H. Boethius lib.13.

Cùm Hussitæ magnum tumultum Pragæ excitassent, cæso prætore, pulsoq; regni Camerario, qui cum trecentis equitib. ad comprimendum motũ accurrerat: prandebat fortè VENCESLAVS VI. rex, cùm ei tam atrocis rei nuncius de improuiso superuenit. Ad quem ille consternatus, à mensa surgebat. Ibi adstans Prægustator, Triduo, inquit, antè hoc ego futurum esse sciebam. Arripit per capillos Prægustatorem Rex, illumq; ante pedes suos prosternit, pugione occisurus, tanquam tanti facinoris conscium. Qui circumsteterant, ægrè pugionem extorserunt, admonentes, ne cæde ministri Rex maiestatem suam coinquinaret. Qui statim apoplexia inter manus adhuc illorũ tangitur, & non post multos dies moritur. Corpori ne Hussitæ illuderet, Sophia Regina clàm illud noctu, sine ullo exequiarum honore, in aula Regia, quemadmodum superstes exoptarat, sepeliendum curauit. Dubrauius lib.23. Sed Aeneas Sylu. cap.37. Boemiæ paralysi correptum infrà octo & decem dies, signatis nominibus hæreticorum, quos neci destinauerat, fratrem Sigismundum Hungariæ regem assiduè uocitantem, & amicorum auxilia anxium expectantem, antè uita excessisse, quàm uocati principes adessent, tradit.

Beneuolentiæ simulatione. Blandiendo.

DOMITIANVS Imp. erat non solùm magnæ, sed & callidæ inopinatæq; sæuitiæ. Auctorem summarũ pridie quàm crucifigeret, in cubiculum uocauit, assidere in thoro iuxtà coegit, securum hilaremq; dimisit, partibus etiam de cœna dignatus est. Aretinum Clementem, consularem uirum, è fa-

miliaribus, & emissatiis suis capitis condemnaturus, in eadem, uel etiam in maiore gratia habuit, quoad nouissimè simul gestanti, conspecto delatore eius, Vis, inquit, hunc nequissimum seruum cras audiamus? Et quò contemtiùs abuteretur patientia hominum, nunquam tristiorem sententiã, sine præfatione clementiæ, pronunciauit: ut non aliud iam certius atrocis exitus signum esset, quàm principij lenitas. Quosdam maiestatis reos in curiam induxerat: & cùm prædixisset experturum se illa die, quàm charus Senatui esset, facilè perfecturum, ut etiam more maiorum puniendi condemnarentur: dein de atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendã inuidiam intercessit, his uerbis: Permittite Patres conscripti à pietate uestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis uestris, & intelligent me omnes Senatui interfuisse. Suetonius.

IVLIANVS apostata à tormentis & atrocioribus coactionibus abstinendum putauit, quòd suppliciis & tormẽtis Christianorum res ante se magis fuissent amplificatæ, ipsiq; gloriosiores facti: quod ex Diocletiani extrema persecutione didicerat: Socrates lib.3.cap.13. Theodoretus lib.7.cap.8.

Insultando, Irridendo.

DE TYRRHENIS certum est, ad tibiæ modos solere seruos cædere, summam mollitiem cum summa sæuitia coniungentes. Erasmus in Adagiis.

IVSTINIANVS II. Imp. Constantinopoli recuperata, capto Leontio, quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abstergeret, toties aliquem ex eis trucidari iubebat. Leontium & Abstimarum, qui imperium inuaserant, pedibus conculcatos, acclamante populo, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & leonem & draconem conculcabis, insulari fecit. Iuo in Chronico, & Henricus de Erphordia.

Moram trahendo.

CALIGVLA, quos torquebat, minutis ictibus plecti iubebat, quo diutiùs languerent. addito etiam præcepto, Curate ut se mori sentiant. Suetonius.

Temporis. Vt quando in Vlciscendo

Diem Horámue certam obseruat.

MITHRIDATES Ponti rex, satrapis urbiumq; primoribus secretò perscripsit, ut trigesimam diem obseruantes, omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos eorumque mulieres cũ pueris & liberis, qui Romani sanguinis essent, interficerent abiicerentq; insepultos, bona cum rege diuiderent, supplicio proposito iis qui uel sepelissent, uel aliter occuluissent. Qui destinata cædi aduent dies, per uniuersam Asiam calamitatum multiformes uisebantur aspectus. Ephesij eos qui in Artemisium confugerant, statuas complexos per uim detrahentes crudeliter interfecerunt. Pergameni sagittis confixerunt, qui in Aesculapij templum se contulerant, Adramitani adultos impuberesq; in mare præcipitarunt. Caunij infantes ante parentum oculos contrucidantes, mox immolabant matres, & demùm uiros. Val. Max. li. 9. cap. 2. & Cæl. lib. 29. cap. 17.

EMMANVEL Cæsar Græcus, indignè ferens Venetos negasse se, cùm id peteret, Guilelmo Siciliæ regi Græcorum hosti bellum illaturos, quo cum fœdus iissent: Venetos mercatores uno eodemq; omnes die tota Græcia Græcorumque prouinciis uno edicto comprehendendos curauit: missosq; ad expostulandum oratores contra ius gentium in custodiam tradidit, in quibus Henricum Dandulum: nec dimisit, nisi indignis habitos modis. Aemil. lib. 6.

Gallorum sæua libidine, quam in Siculas mulieres exercebãt, perciti SICVLI, in unum conuenêre, ut ad campanarũ pulsum, quibus decantandas esse uespertinas orationes significari solet, per omnem Siciliam Gallos, quicunq; in ea erãt, obtruncarent. Tanta edita in eos sæuitia, ut matrum utero ui diuulsos liberos humi allideren t: duabusq; horis cõstat eo tempore octo Gallorum millia occisa fuisse, regni illius possessione Carolo primo ademta, in cuius locum Petrum Aragonium regem Siculi ad se uocarunt. Hodie adhuc in Italia insignis ultionis loco prouerbium circumfertur, Vesperæ Siculæ. Fulgosus & Aemilius.

ELDREDVS Anglorum rex, totius Danicæ gentis, quę in Anglia esset, subornatis ad eorum necem percussoribus, uno ac eodem die penitus per fraudem delendæ consilium cepe rat, nisi transfuga quidam rem Danis indicasset. Vnde eorũ pars maxima, cæteris dolo pereuntibus, periculum declinauerunt. H. Boethius lib. 11.

[redacted]

Nuptias celebrat Agens.

CLAVDIVS Cæsar cum Agrippina nuptias incestas contrahens, ipso nuptiarum die in quinq; & XXX senatores, trecentosque equites animaduertit, ut incestas nuptias sanctas quoq; faceret. Nam & Syllanus die nuptiarum sibi mortem cõsciuit, & Caluina Iunia soror eius, Italia est pulsa. Cospinianus, ex Suetonio.

Naues emungit Agens.

Ad Castricum de theta QVÆSTORIS crudelissimi, Manilis Epigrammatum lib. 7. sic scribit:

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum,
Est operæ precium discere theta nouum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem iuguli iusserat esse notam.
Turpis ab inuiso pendebat stiria naso,
Cùm fleret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus. Quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

IVSTINIANVS II. Imp. Constantinopoli recepta, quoties emungeret (naribus autem mutilatus fuerat à Leontio) toties unum aliquem hostium interfici iubebat. Paulus Diaconus lib. 19. rerum Rom.

Sacra obit Agens.

BONIFACIVS IIX. Pontifex, Cinerum die, quo Pontifices solent Ecclesiasticorum antistitum capita cinere aspergere, ut ad Porchetum Spinulam, Genuensem archiepiscopum, peruenit, quòd Gibellinæ factionis esse putabatur, cinerem non capiti insperfit, sed in oculos, [redacted] conicit, dicens: Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem conuerteris. Fulg. lib. 9. cap. 5. & Sab. lib. 9. cap. 11.

Moritur Agens. Vindicta in agone obita.

HERODES morti proximus, Iudæorum primores in hippodromo inclusos, simulac animam egisset, trucidari iussit, ut dum suos singuli lugent, regis quoq; funeri lacrymas ea uel inuiti libarent. Iosephus.

L. SYLLA, pridie quàm moreretur, quum Granium quẽdam ciuem Romanum, qui magnam pecuniam populo Romano debebat, audisset solutionem tergiuersari, atque ipsius Syllæ mortem expectare, ad se accitum hominem in secretiorem locum adduxit: accersitis deinde ministris, ut illum necarent, præcepit. Io. Gerund. lib. 8. Paralip. Hispan.

THEOPHILVS Imp. animam agens, Theophobum Persam, sororis suæ maritum, quem exercitui Persico præfecerat, & ne regnum inuaderet metuebat, iussit decollari: & allatũ caput manibus uersans, Nec tu Theophobus amplius, nec ego Theophilus ero, cũ gemitu dixit, & expirauit. Zonaras.

EDVARDVS I. Anglorum rex, Scotorum domitor, in expeditione contra Robertum Brusium, qui regem se Scotiæ dixerat, morbo correptus, cùm sibi ultima instare animaduerteret, quinquaginta quinque nobilium Scotorum liberos, impuberes ferè omnes, quos Kildrummi castello aliquandiu oppugnato ea lege in deditionem acceperat, ut quod sibi uideretur de illis faceret, adduci iussit: totoruoque omnes uultu intuitus, Trucidentur, inquit, ad unum omnes à furca suspensi. Quod & extemplò factum est à tyrannidis eius ministris. H. Boethius lib. 14.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum, cùm grauiter extestinis in Vesuuio laboraret: episcopum Theani, quem habebat in custodia, secum uti percuteret, suis imperauit: dubitanteq; eius rei ministros, sese ægro, dicto audientes fuisse, episcopi caput in cubiculum ad se afferri iussit: quo in spectu, quicuit: paulo q; pòst Neapolim relatus, urgente ut morbi excessit è uita Bembus lib. 3. Ven. Hist.

Sacris operatur patiens.

Alcippus Ciuis Lacedæmonius, ex uxore DAMOCRITA filias duas habuit: cuius cùm ciuitas optimo consilio & opera multis in rebus esset usa, in inuidiam est ab hominibus diuersarum partium in rep. raptus: qui falsis delatoribus obrepentes Ephoris, moliri res nouas Alcippum, conscieuerunt ei exilium. Acq; ille quidem ex urbe profugit. Damocrites uerò eius coniugi sequi cum filiabus uirum paranti uetuereimò uerò ne dos supperetur uirginibus, etiã patrimonii eius publicauerunt. Sed & inimici, cùm nõnulli puellas ob uirtutem paternã iungere sibi connubio cuperent, interdixerunt lege, ne quis puellarũ nuptias sibi conciliaret, prætendentes uotum fecisse frequenter matrẽ eius Damocritã, ut quàm citissimè gignerent filiæ liberos, qui illaræ patri inuitriæ pœnas persequerentur. Cùm iam undiq; Damocrita agitaretur, captauit festũ quoddam publicũ, quod fœminæ cum uirginibus, propinquis, & infantibus celebrabant: conuiuges autem eorũ, qui in magistratu erant, seorsum magno in Androne pernoctabant: ac gladio sub ueste accincta, trahensq; secum filias, noctu penetrauit in delubrum, tempus obseruans, quo omnes in Androne sacris arcanis operabantur, occlusisq; aditibus, materiæ magnam uim, quæ ad solemne

Ienne sacrificium ab illis parata ad manum erat, succendit. Concurrentibus ad opem ferendam uitris, filias Damocrita iugulauit, & post illas seipsam. Cùm iam Lacedæmonij, in quos effunderent iram, non haberent, extra fines Damocritæ filiarumq; eius corpora proiecerunt. Qua de causa infesto deo, magnum illum terræmotũ Lacedæmone traditum est memoriæ extitisse. Plut. in Amatoriis.

GRIMOALDVS Longobardorum rex, à Foropopilienſibus in Flaminia contra Græcos ducens desertus, quadragesimo tempore, alio simulate bello, per montem Bardonis Tusciã iniit: inde nec opinantibus omnibus repentè se ex Apennino demisit, ac pridiè Paschatis oppidum ea ipsa hora, qua pueris sacra aqua ad salutem inficiendis opera impendeba tur, inuasit: ac tanta cæde totam urbem expleuit, ut ne à diaconis quidem, qui ei seruiebant officio, militaris licentia temperauerit. Sigonius libro 2. regni Italici, & Cranzius libro 3. Daniæ, cap. 28.

Simon Montisfortis Comes, hostis ab Henrico III. Britanniæ rege iudicatus, regi regnum atq; libertatẽ ademerat. Cùm autem postea Eduardi filij opera regnum Henricus recepisset, Simonem in quatuor frustra disperpsit. Huius mortem GVIDO filius ulcisci cupiens, quo tempore Carolus primus Neapolitanus rex unà cum iuniore Philippo Gallorũ rege à Tunete uenerat, ut Cardinalium collegio suaderet, neutrã noui Pontificis creatio differretur, quia cum eis Hẽricus Britannius erat, Ricardi iam Imperatoris electi filius (huius autem Ricardi frater fuerat Henricus rex, qui Simonem interimi iusserat) Henricum sacra in templo [redacted] audientem, atq; utroq; genu humi nixum, Guido occidit: & capillis apprehensum, fœuè è templo abstraxit, atq; inde fuga se in Ethruriam recepit. Fulg. lib. 9. cap. 10. & Blondus li. 8. Dec. 2. Id & Philippo & Carolo regibus Anglus postea crimini uertit, quòd illi tantum facinus impunè præter suos oculos fieri, minimè pati debuissent. Guido aliquot annis pòst, mortuo socero Comes Anguillariæ factus, à Rogerio Petri Aragonij classis præfecto bello Siculo captus, in custodia periit, & pœnas fratricidij promeritas dedit. Polydorus libro 16. & 17.

Theodericus Cicensis episcopus à QVODAM monasticæ professionis uiro, quem ob uitæ morumque turpitudinem sæpiùs obiurgarat, ad altare inter precandum cultro perfoditur: ex quo uulnere post triduum expirauit, anno 1123. Vrspergensis.

Ius dicit Patiens.

GINVS Taccij, Senensis ciuis, fratris ac patrui mortem ultus est. Nam cùm is Radicofani arcem, in Senensi agro positam, furtim occupasset, atq; ab eo loco regionem propinquam prædando infestaret: Boninçasa Aretinus, qui sub uicarij titulo Senis ius dicebat, Turrim Turritam, Gini fratrem, ac Taccium eius patruum, tanquam Radicophani occupationis conscios in foro Senensi capite multauit. Cùm autem post aliquod tempus Romam ad gerendum magistratum Boninçasa profectus esset: Ginus, cuius ex animo amissi fratris ac patrui dolor nondum exciderat, sequutus cum, in ipso tribunali, in quo ius dicebat, occidit, caputque abstulit. Fulgosus lib. 9. cap. 10.

Loci. Vltio obita in

Templo.

Vide Tit. In Templis interfecti. Item paulo antè, Dum sacra obit Agens, Patiens.

Conuiuio.

Exempla quædam ex Tit. In conuiuio necati.

OTHO II. Imp. Italicarum defectionum memor, magnifico inprimis parato in Vaticano conuiuio, principes ac legatos ciuitatum omnes, qui celebrandi aduentus sui gratia Romam de more conuenerant, aut iussi ab eo aderant, inuitauit. Vbi uerò cuncti ordine accubuerunt, præconis uoce, ne quis ad ea, quę audiret, uideret ue, aut uocem misisse, aut fede sua mouisse uellet, pœna capitis indicta denunciatum. ac statim conuiuæ omnes intromissis armatorum cæteruis ex composito circunuenti. Trepidantibus ad tale spectaculum singulis, deinceps nomina eorum, qui aut seditionem aut tumultum constarant, recitata, ac tristibus de illis pronunciatis sententiis, inspectantibus cæteris ultimum supplicium sumtum. In reliquis conuiuium mira comitate acliberali inuitatione concelebratum. Ex eo inde Othoni cognomen Sanguinarij inditum. Sigonius libro septimo regni Italici.

CRVDELITATIS POSSESSIO, EXERCITATIO, RATIONE habita ALIORVM. Et uel

CVM CERTAMINE. CRVDELITATIS CERTAMINA.

Hæc ij tantùm, qui Crudelitatis uicissendæ causa Crudeles & ipsi euasere.

CARTHAGINENSES, M. Attilium Regulum consulem capitum, Romam miserunt, ut de permutatione captiuorum ageret. Atis permutationem Rom. senatui dissuasit, quòd se uenenũ tabificum hausisse diceret. Itaque Carthaginem redit. Carthaginenses eum in profundissimo carcere incluserunt: mox resectis palpebris splendidissimo soli exposuerunt: machinæ præterea, in qua undique præacuti stimuli eminebant, inclusum, uigilantia pariter, & continuo tactu doloris necauerunt. Val. Max. lib. 9. cap. 2. Gellius libro 6. capite 4. ex Tuditano refert, ROMANOS, postea quam id cognouerunt, nobilissimos Pœnorum captiuos liberis Regum dedisse, à quibus in armario muricibus, præfixo destituti, eadem insomnia cruciati interierint. Polyb. lib. 1.

Iustinianus II. cùm per 10. annos crudeliter imperasset, & Stephani præfecti & monachi Theodori instigatione nocte quadam omnes ciues Constantinopolitanos interficere decreuisset: LEONTIVS patritius, magister militum Orientalium, populari manu facta eum cepit, & lingua, naribus & auribus truncatum Chersonam relegauit. Stephanum uerò & Theodorum post longa tormenta ad taurum ignitum damnauit. Cæterùm non multo pòst ab exercitu electus ABSIMARVS, Leontium pari crudelitate mutilauit, & in monasterium detrusit. Iustinianus ope Terbellij Bulgariæ regis, cuius filiam ambiebat, Constantinopolim decimo anno exilij cepit, ciuium plurimos suspendit & iugulauit: Absimarũm & Leontium captos ac uinctos in pompa duxit, eosdemq; pedibus conculcans, acclamante populo, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, iussit decollari. Chersonenses, qui eum Absimaro prodere uoluerãt, crudeli supplicio affecit, & ne infantibus quidem pepercit. Quoties pituitam à naribus trũcatis profluentem abstergebat, toties aliquem ex Constantinopolitanis occidi iubebat. Tandem omnibus exosus, à PHILIPPICO præfecto exercitus, sexto imperij recuperationis, interfectus est. Paulus Diaconus libro decimonono & 20. Rerum Roman.

Fridericus I. Cremã obsidebat. Eo profecto Sambassianũ ad coniugem intus sendam, siue, ut refert Vrspergensis, ad agri Mediolanensis reliquum peruastandum, ex oppido eruperunt, ac cruento cum Germanis prælio conflixerunt. Ea re exasperatis animis, uaria inde utrinque edita sunt crudelitatis exempla. Quippe cùm GERMANI amputatis Cremensium capitib. fœde ludibrij gratia quasi pila lusissent, CREMENSES captiuos eorum in muros produxerunt, ac membratim dilacerarunt: & cùm illi captiuos Cremensium iis in spectantibus suspendissent, hi reliquos eorum egetunt in crucem. Sigonius lib. 12 regni Ital.

Regnerus rex Danorum uictoriosissimus, captus ab Hella Britannorum rege, & in carcere excruciatus, quod multis intulit, passus est. Filij eius ubi audiuere paternam calamitatem, IVARVS quidem, tum spectaculum edens populo, ne uultũ quidẽ demisit, sed in eadem perstans hilaritate, populũ uetuit theatro excedere, ad finem usque spectaculi. SIVARDVS eodem momento, telo, quod manu gerebat, pedem proprium percussit, planta perforata: ut indignationem exprimeret, quã attimo conceperat. BIORN fortè aleam exercens, ubi nuncius paternæ necis adfuit, talos quos manu tenebat ita compressit, ut cruor de manibus stillaret: hoc primo parentationis genere in parentem usus. Hella ubi audiuit, qua fronte parentis necem filij excepissent, Iuari profundiorem irã interpretatus, uehementiùs timuit, quòd altiùs animi dolorẽ absconderet. Nec falsus est existimatione sua. Omnes enim Regneri filij in eum duxere: sed acerbiùs nemo insectatus est IVARO. Nã occupato in litore oppido, ipsum communiuit. Inde auctus uiribus, crebris uastationibus Hellam excinit atque cepit: eidemque uulturem à tergo famelicum addidit, qui uisceribus eius pasceretur, donec exhalaret spiritum. Cranzius lib. 5. Sueciæ, cap. 7.

SIMON è Muralta familia Comi admodum nobili, quæ originem à Locarno Varisii lacus oppido deducebat (ob id à Corio Meruladque scriptoribus Locarnas appellatus) uir ingentis animi, & proceri robustique corporis, à NAPO Turriano Mediolanensium tyranno, eo quòd Vicecomitũ partes sequeretur, captus, & clathrata in cauea feræ bestiæ more conclusus, septimo demum anno permutatione facta liberatus, Othoni Vicecomiti magnum momentum ad uictoriam attulit, & capto Napo non aliter insultasse fertur, quàm ut diceret: Non reposcam à te sanguinem & opes, Nape, postquam Deus me uoti compotem fecit, sed æquo iure pœnam talionis. Napus constanti animo fabrefactam cal-

cellatis trabibus caueam intrans, nihil pro se, sed tantùm pro Guidone ex fratre Francisco nepote, & Musca filio deprecari. Non caruit scribendi legendique solatio Napus. Cęterùm adeò acerbè custoditus est, ut ei neq; cultelli, neque forfices concederentur, quibus sibi mortem cōsciscere posset, unde illi ad deformitatem prælongi ungues, promissa cæsaries, & illuuie turpis barba prouenerant. Demum post annum unum, menses septē, & dies uiginti tres, in eo squallore & uitæ tædio exactos in Baradello, arce Comensi, mortuus est, fœda illuuie & enatis subinde pediculis cōsumtus. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

TVRCI in oppugnatione Constantinopolis captiuos ad urbis portas adductos, in Græcorum conspectu mactarunt. Erant & apud Græcos quidam Turci, qui in uinculis asseruabantur: quos GRÆCI in pinnas muri rapientes, è regionè hostilium castrorum interemerunt. Chalcocondylas l. 6.

Gallico exercitu, cui Gasto Foisseius Ludouico XII. regi sanguine iunctus præfuit, post adeptam de Pontificiis, Venetis & Hispanis ad Rauennam anno 1512. 11. Aprilis uictoriam, in sua castra reuerso, Rauennates statim ad deditionem faciendam miserunt. Sed seu dum paciscuntur, seu iam pacti commeatum, qui in castra mitteretur, instruunt, mœnium custodiendorum diligentia intermissa, GERMANI & VASCONES per muri ruinam urbem ingressi, præter naturale in Italicum nomen odium, cladis quoque in pugna acceptæ indignatione, ad maiorem crudelitatem incitati crudelissimè uastarunt. RAVENNATES cladis suæ contra ius contra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos in arce qui fuerant, fide non seruata uiuos sepelierunt, ceruicibus supra terram extantibus. Bembus libro 12. Hist. Ven. & Guicciardinus libro 10.

ABSQVE CERTAMINE.
QVI ALIORVM
CLEMENTIAM ODERVNT,
reprehendunt.

ION à matre Creusa tanquam priuignus odio habitus, cędeque petitus, eam ab ara Delphica, quò supplex confugerat, abstracturus, apud Eurip. inquit:

Δεινόν γε θνητοῖς τοὺς νόμους ὡς οὐ καλῶς
ἔθηκεν ὁ θεὸς, οὐδ' ἀπὸ γνώμης σοφῆς.
τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,
ἀλλ' ἐξελαύνειν· οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
θεῶν πονηρὰν χεῖρα, τοῖσι δ' ἐνδίκοις
ἱερὰ καθίζειν ὅστις ἠδικεῖτ' ἐχρῆν·
καὶ μὴ 'πὶ ταὐτὸ τοῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον
τόν τ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ, θεῶν πάρα.

Miserum quidem: mortalibus leges nōn rectè statuit deus, neque sapienter. Iniustos enim ad aram non sedere conueniebat, sed propellere (neque enim attrectare conuenit deorum res iniustā manum) sed iustos ad sacra sedere, quicunque læderetur, æquum: & neque ad unum eundem locum euntem habere æquale bonum existentem, & improbum, à diis.

ATHANASIVS patriarcha Constantinopolitanus, (cùm quidam è patriarchico solio scabellum furati, Christi seruatoris, & altera ex parte Imperatoris Andronici Palæologi imaginem, frenos in ore gerentis, quos Arsenius alter patriarcha ut sessor equi moderaretur, in eo depinxisset, & in locū suum reposuissent) apud Imperatorem huius facti nomine accusatus, conuictos calumniatores carceris tantùm pœna affectos, dolens, ut qui non nisi morte sibi pro tanta calumnia satisfieri posse censebat, dignitate se spontè abdicauit. Gregoras libro 7.

IRAM ACCENDVNT, FOVENT.

Vide Titulum Crudelitatis magistri. Item ex Tit. Astus in bello excitando.

Bello Bœotico, legati ex Græcia Lacedæmonem conuenêre ad fœdus faciundum, inter quos Epaminondas fuit, uir eruditione & sapientię studio clarus, uerùm armorum haud dum dederat documentum. Hic omnes cernens Agesilao se uenditantes, solus grauitatem cum dicendi libertate retinuit: habuitq; orationem non pro solis Thebanis, sed pro tota Græcia communem, demonstrās bello increuisse Spartam, unde reliqui erant afflicti cuncti: ac pacem consuluit æquabilitate & iure ut componerent, ita demum fore eam constantem, si pares omnes essent. Cui cùm omnes Græcos AGESILAVS rex aduerteret mirificè assentiri & aures præbere, percunctatus eum est: Verúmne & æquum duceret Bœotiam immunem suis legibus esse? Vbi cum inuicem Epaminondas promtè & cōfidenter rogauit: Númne & ipse censeret æquum, Laconiam immunem suis legibus esse? Extiliens cum stomacho Agesilaus, iussit exprimere cum differtè, Ecquid Bœotiam liberam relinqueret? Cùm idem inuicem requisisset Epaminondas, Ecquid Laconiam dimitteret liberam? usque adeò est exacerbatus Agesilaus, ut hac arrepta ansa, confestim Thebanorum nomen expungeret ex fœdere, indiceretq; iis bellum, quo fœdè ad Leuctra sunt profligati Lacedæmonij. Sub prælium ad Mantinæam & letum Epaminondæ, pace inter Græcos sancita, à iureiurando Agesilaus Messenios, quasi oppido carerent, summouit. Quos ubi cæteri omnes admisere, & sacramentum ab iis accepêre: discesserunt à fœdere Lacedæmonij, soliq; in armis spe Messenen recipiendi mansere. Quare uiolento ingenio & præfracto habitus est & belli insatiabili cupiditate Agesilaus, qui commune fœdus omnibus neruis interpellaret prolataretque: ex altera parte ob rei pecuniariæ difficultatem sollicitare amicos urbanos, æs alienum accipere, & cogere à ciuibus necesse haberet pecuniam. cùm oportuisset illis se malis extricare, quādo eò tempus reciderat: nec cùm totum imperium, quod fuerat tam grande terra mariq; urbesq; de manibus emisisset, de possessionibus & uectigalibus discruciari Messenicis. Deniq; cùm pacem exosus esset, nullam aliam militandi occasionem habens, in Aegyptum ab Tacho euocatus cum mercenaria manu iam octogenarius, cùm ab eo ad Nectanabim defecisset, sua uirtute Nectanabi regnum confirmauit. In patriam reuertens, quam bello domestico implicatam audiuerat, in portu Menelai, morbo decessit. Plut. in Agesilao.

Cùm Beryti in consessu CL uirorum Herodes rex Iudæorum filios suos Aristobulum & Alexandrum accusasset de fuga, cùm patris odia perferre ampliùs non possent: Saturninus uir consularis damnauit quidem eos, non tamen censuit interficiendos. At VOLVMNIVS cum maiori parte capite plectendos censuit. Deducti igitur Sebasten strāgulati sunt. Iosephus lib. 16. cap. 17. Antiq.

SAMII captiuorum Atheniensium frontem inscripserunt noctua: ut ipsorum frontem ante ATHENIENSES Samæna. Est Samæna nauis prora demissa, concaua autem magis & uentricosa, ut ad mare commodior & agilior sit. Nomen hoc obtinuit, quòd in Samo primò uisa sit à tyranno parata Polycrate. Ad hæc stigmata aiunt Aristophanem obscurè allusisse:

Samij periti literis quamplurimùm. Plut. in Pericle.

CRVDELITATEM LAVDANT, FOVENT.

VENCESLAVS Imp. Boemiæ rex, adeò natura ferus & sanguinarius, ut assiduum penes se carnificem haberet, quem compatrem familiariter appellabat, quia filium eius de fonte sacro leuarat, & tam familiariter eò utebatur, ut aliquoties uno eodemque equo secum uehi illum passus fuerit. Dubrauius lib. 23.

SVPPLICIIS, CALAMITATIBVS DELECTANTVR.

Ex Tit. Crudelitatis erga hostes hæc quædam.

HANNIBAL Pœnus, inspecta humani sanguinis plena fossa, Pulcrum esse spectaculum, dixit. Fulg. lib. 10. cap. 11.

VITELLIVS Cæsar, ob cadaueris fœtorem uia declinantibus cæteris, ipse rectà per aceruum mortuorum profectus est, Optimè olere hostem, inquiens, & præsertim ciuem. Suetonius.

CRVDELITAS RESPECTV PERSONARVM, ERGA quas exercetur. VIDELICET

ERGA HOMINES CONSIDERATOS secundùm

HABITVM. ERGA

Propheras.

IORAMVS Israelitarum rex, Samariæ obsessus à Benadado rege Syrorum, cùm fames maxima ciuitatem inuasisset, contra Elisæum prophetam tanta ira exarsit, eo quòd Deum pro liberanda urbe non exoraret, ut miserit satellitem, qui ei caput præcideret. Sed statim pœnitentia ductus, satellitem reuocauit. 4. Regum 6.

Philosophos.

ANTONINVS Caracalla Imp. stulta æmulatione Alexandri Magni (qui ueneni Stygij, quo per Iolam ille è medio sublatus creditur, commonstrator fuisse dicebatur) uoluit libros Aristotelis comburere: sodalitates Aristoteleorum, & cætera commoda quæ habebant in Alexandria, sustulit. Dion Nicæus in Antonino.

Religionis diuersæ sectatores. Tum

Gentiles.

Sub belli Iudaici initia, cùm seditiosi Hierosolymitani, duce Eleazaro, præsidium Romanorum interfecissent: magnus in omni Syria motus contra Iudæos exarsit. CÆSARIENSES, Iudæorum inquilinorum XX millia ad internecionē cecidêre. SCYTHOPOLITÆ XIII millia, ASCALONITÆ MMD. Ptolemaidis incolæ MM. Alexandrini in loco Delta dicto, L millia. CESTIVS Syriæ præses Ioppe capta, VIII M CCCC trucidauit. DAMASCENI in Thermis publicis congregatos adorti, X millia oppresserunt. Vide Iosephum lib. 2. belli Iudaici.

Sub id tempus quo Traianus uita decessit, IVDÆI subita defectione, Græcos Romanosque qui Cyrenis totaque Cyrenaica regione agebant, ex improuiso adorti, ad CCXX millia hominum trucidauêre. Eusebius lib. 4. cap. 1. circa Cyrenas & in Aegypto dimicatum scribit à Iudæis aduersus locorum incolas. Verum quoquo modo res gesta est, nulli mortalium atrociùs in peremtos sæuiêre, si uera sunt quæ Dion de ea re tradidit. Cæsorum intestinis præcinxisse se dicuntur, cruore inunxisse, cute uelasse capita, humanas carnes esitasse, multos à uertice serris dissectos, alios bestiis obiectos, aut inter se ferro dimicare coactos. Hac rabie contacti qui Iudæorum Alexandriæ & in Cypro per id tempus fuêre, Artemione quodam duce arreptis repentè armis, tam fœdam utrobique stragem edidêre, ut his quoque locis CCXL millia hominum uno sint tempore occidione occisa. Nec hi tam atrox facinus impunè tulerunt. Lusius à Traiano adhuc in humanis agente, ad ultionem missus, rebellem gentem teterrimis affecit cladibus. Sabellicus libro 4. Enneadis 7. Libyam certè adeò uastam & uacuam hominibus à Iudęis esse factam, Eutropius & Orosius tradiderunt, ut nisi Hadrianus colonias aliunde in eam deduxisset, deserta prorsus relicta esset.

Non desunt, qui testantur, HISPANOS multa crudelitate usos in India. Nam bello captos trucidasse, uel eos in aurifodinas detrusisse, insuetisque laboribus oppressisse. Adeò ut ex quindecies, uel, ut alij scribunt, uigesies centenis hominum millibus, qui Hispaniolam incolebant, uix hodie ad summum quingenti, uel centum quinquaginta, ut quidam adserunt, supersint. Idemq; cæteris prouinciis & insulis hominum interitus accidit, in Cuba uidelicet, Iamaica, Portu diuite, reliquisq; locis. Cùm se enim ad miseram seruitutē passim rapi uiderent, & lex constituta esset, qua continentis incolæ, qui religionem Christianam non amplecterentur, serui fierent (quæ lex in Caribes siue Canibales à Ferdinando Rege lata, in alias prouincias extensa est, paucis in Mexico tantùm exceptis) maluerunt Indi mortem subire, quàm uiuere. Itaque qui ex Hispanorum sæuitia supererāt, ij uel sese in uasta loca, Hispanicum imperium fugientes, receperūt: uel arreptis occasionibus seditiones mouerunt, & ab illis defecerunt. Multi uitæ pertæsi, mortem fame, alij suspendio, alij præcipitio, alij ueneno sibi quæsiuere. Herbis & potionibus abortum feminæ, ne seruos Hispanis gignerent, procurarunt. Quidam, præacutis lignis pectus sibi perfoderunt: alij liberos baculis occiderunt. Hispani uerò, ne serui sibi manus inferrent, & eos metu pœnæ subsecuturæ à cæde auerterent, iis deierabāt, se etiam occisuros esse, ut eos mortuos ipsi quoque mortui persequerentur, nec illos morte uerbera euasuros: abstinerent ergo, ni se ab ipsis in inferno peius quàm in terris tractari uellent. Ac quamuis serui è continente in insulas abducti fuerint innumeri, tamen omnes propè extincti sunt. Itaque quocunque Hispani sua uexilla intulerunt, à crudelitate perpetui in incolas odij sui uestigia dicuntur reliquisse. Apud plerosq; Hispanos milites in more positum fuit, ut seruos suos grauissimè punirent, si mercedem diurnam aut non attulissent, aut pensum in auro argentóue effodiendo non absoluissent, aut si quid leuioris denique delicti perpetrassent. Etenim uesperi reduces, cœnę loco primùm uestimentis exuebant: manibus dein pedibusq; in transuerso palo reuinciebant: mox corda bubalóue neruo dirissimè uerberabant. Sic tractatos pice oleóue feruenti guttatim perfundebant: salita pòst aqua corpus abluebant, & in mensa tādiu relinquebant, quādiu dolorē ferre posse putarentur. Post carnificinā huiusmodi, si durior dominus illis contigerat, uiuos in totā noctē, collo tenus, defodiebant: præsentissimū id ad plagas remediū esse, ludibrio dictitātes. Si quis ex illis præ dolore moreretur (id quod nō rarò accidit) dominus singula seruorū capita regi in occisorū locum sufficiens, ab homicidij pœna liberabatur. Fuêre, qui seruos fodinis mancipauerint: in quibus insolito labore fractæ multæ seruorū myriades periere: alij mercibus illos permutare soliti sunt, aliòue modo distrahere. Idq; tam inclementer & auarè nonnulli fecerūt, ut Christianæ omnis humanitatis prorsus obliti, è continente abreptos utriusq; sexus homines, nulla nec ætatis, nec ualetudinis habita ratione, nauib. in uicinas insulas trāsportarent. Eorū non pauci, qui mari non adsueuerant, in sentinā abdebantur, & fame, fœtore, & squallore crudeliter absumebātur. Feminę cōplures ex Hispanis grauidæ, unà cum innoxio fœtu pro ancillis sunt uenditę. Quamobrē Indi ab Hispanis deficientes, quoscunq; ex iis nancisci poterant, uel in bello capiebant, eos (incensi præcipuè Ioannis Acostæ, qui militum Petri Ariæ ductor erat, ab auri cupidine, sæuitia) grauib. suppliciis excarnificatos cæciderunt. Maximè uerò militiæ præfectis manus pedesq; uinciebant, & humi prostratis aurū liquefactum in os infundebāt: cū exprobratione, ut auri sitim, qua tantopere premebantur, explerent. Ob hæc Carolus V. Cæsar Figueroam in Indiam misit, ut causa cognita, omnes Indos in libertatem uindicaret: detrectantes Hispanos, pœnis adficeret. Idem Paulus III. Pontifex, Hispanorum in Indos intolerabili sæuitia, per Prædicatorij ordinis sacerdotes, ea de causa ad se ex Orbe nouo missos, intellecta, sanxit. Quare Antonius Mendosa, qui Indiæ Prorege tum fuit, Hispanis omnibus facilè persuasit, ut paulatim suos quisq; seruos, nēpe quotānis uiginti, manumitteret. Io. Metellus in epistola, quę Osorio præfixa est, & Petrus Cieza uariis in locis.

Christianos.

Nihil tam atrocis supplicij & cruciatus ab immanissimis quibusq; tyrannis excogitari potuit, quo nō digni Christiani iudicati sint, sub M. ANTONINO Philosopho. Gallorū epistola apud Eusebiū lib. 5. ca. 1. aliquot crudeles formas enumerat: insidias domi forisq;, in omnib. publicis locis inclamationes, plagas, tractiones, direptiones, lapidationes, conclusiones, applicationes laminarū candentiū, carceres tenebrosos, inclusiones in equuleo ad quintū punctū, in ipsis custodiis strāgulationes, bestiarū dētes, ferreas sartagines, patibula, uctilationes ex cornib. taurorū, & similes. Disiectis etiam in carceribus & alibi mortuorū cadauerib. canes custodes additi sunt, ne sepulturæ officium cuiquā contingeret: neq; uel precibus ab illis sepulturæ impetrari potuerūt.

Cyrillus, diaconus Heliopoli ad Libanū, cùm sub magno Cōstantino multa simulacra cōfregisset, sub Iuliano uentre dissecto, iecur eius GENTILES quosdam deuorasse tradunt. Suidas. Ascalone sub Iuliano gentiles sacerdotib. Christianis & mulierib. uirginitatē professis, aluos dissecuêre, & cōpletas hordeo porcis obiecerunt. Theodoretus lib. 3. cap. 6.

MISTAVVS Vandalorum rex, Bernardo Saxoniæ duci mille equitibus fidelem præstiterat operam, sequens eū in Calabriā usq;, quò Saxo Othonē II. Imp. comitabatur. Eo beneficio Saxo adductus, filiam suam Mistauo in uxorē pollicetur. Verùm Theoderici Marchionis Brandeburgensis conuitiis duce Saxoniæ abalienato à Mistauo, quòd is dictitaret, Cani, hoc est, ethnico, non esse dandam tam nobilem puellam: repulsam patitur Mistauus. Hac iniuria irritatus, in Saxonem arma mouit, & quia se canem nominari audierat, commune odium in Christianos omnes suscepit, Aldenburgi sexaginta presbyteros dira immanitate interfecit, cutem capitis in modū crucis incidens, sicq; eos circūducens, probris & uerberibus afflixit, donec uiribus destituti & collapsi, animam efflarent: reliquos Canonicos pecudum more iugulauit. Eadem truculentia Hamburgensem ecclesiam conspurcauit. Metrop. Cranzij lib. 3.

Apud Talmudistas in libro Abodazara scribitur, quòd inexpiabile peccatū sit IVDÆIS, benefacere aliis quā Iudęo, neq; aliorum quorumcunq; ullā, seu piè seu honestè, mētionem facere. Ibidē iubentur, transeuntes ecclesias ac Christianorū oratoria, hæc uerba seriò dicere: Domū cloacarum diruat Dominus. Item dum prætereunt Christianorū sepulcra, hęc defunctis ipsorum imprecari docentur: Erubescat mater uestra, repudiata est genetrix uestra, quia finis Christianorum uermis & putredo erit. Qualibet die tribus uicibus in orationibus suis, manè scilicet, uesperi, & nocte, talia uerba replicant: Destructis nulla sit spes: & omnes hæretici, & omnes qui loquuntur contra Israel, subitò abscindantur: & regnū superbiæ citò frangatur & diruatur: & inimici nostri uniuersi humilientur, & breuiter in diebus nostris conturbentur. Ex sententia Rabbi Salomonis, filij Iarchi, in Talmud hæc quoq; leguntur: Mulierem Christianorū occide: & mulieri, ut serpenti, frange caput. Et glossat Rabbi Salomon, quòd hoc intelligitur de Christianis illis, qui erga Dei seruitium deuoti inueniuntur. Item iubent in Abodazara, & recitatur per Rabbi Moysen de Aegypto in libro Madda, quòd illi qui sequuntur doctrinam Iesu Nazareni, taliter sunt tractādi, quòd si quis uiderit eos appropinquantes ad mortes, extinguat illos. Et si reperiet eos iuxta puteum, proiiciat intus, & reuoluat lapidem super puteum, ne egrediantur. Et si

sint in puteo, scala auferatur, ne ascendere possint. Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ.

In Fortalicio fidei lib. 3. consideratione 7. multa recitantur exempla perfidiæ, furoris, sæuitiæ in Christianos, IVDÆORVM: mactationis infantum acubus, cultellis clauisq; trāsfixorum, quorum sanguinem etiā miscuisse referūtur diuersis fructibus, pomis, piris, nucibus in partes minutissimas cōcisis, ac deuoratis postea, pabulum horrēdum ac triste. Cor etiam exectum ac cōbustum, in cineresq; redactum, uino tēperatum, sibi ipsis inuicem, quacunq; de causa à diabolo ipsis monstrata, propinasse ibidem commemorātur. Recitātur etiam exempla derisorum Christianorum, ac spinis coronatorum, puellarum mactatarum, hostiarum confossarū: transfigentium etiam imaginem Saluatoris, unde sanguis & aqua emanauit: latus quoq; eius perforātium, unde sanguis & aqua profluxit. Ex Augustini etiam quodam Sermone, ibidem indicatur causa, quare quotannis semel mactēt Christianos, ac sanguinē horum distribuant passim in orbē aliis Iudæis: missis etiam sortibus, quæ ciuitates; quæ prouinciæ cæteris Iudæis sanguinem Christianum conficere ac mittere debeant. Quomodo etiam fontes intoxicarint, pabula ac aërē infecerint, uenena Christianis propinarint: quòd doceant publicè & priuatim in ædibus contra ipsos: quòd imprecentur ipsis quotidie mala quæq;, quòd usuris exhauriant & expilent facultates Christianorum. De sanguine Christianorum, quem de mactatis colligere solēt Iudæi, alij aliud tormentis subiecti dixerunt: seu fingētes causam, quare tātoperè sitiant sanguinem Christianorum, seu ignorantes etiam quare sanguinem Christianum requirant, cùm ea res non nisi paucissimis & summis apud eos Rabinis feratur esse nota. Ante annos quinquaginta Iudæus quidam baptizatus Ratisponensis, cui multa Iudæorum arcana nota fuēre, Vratislauiæ tum de aliis, tum etiam de sanguine Christianorum rogatus, quomodo & ad quos usus usurpetur à Iudæis? respondit: Morituros Iudæos eo inungi sanguine, cum id genus uerbis, Si in lege & prophetis promissus Messias iam uenit, & is Christianorū Iesus est, hic sanguis innocentis pueri in ea fide mortui tibi ad salutem æternam commodet. Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ.

Circa an. sal. 1259. IVDÆI in Boemia, urbe Praga, die sacra Parasceues foribus clausis, quendam Christianum hominem Iudæo ob inopiam seruientem crucifixerunt, in contumeliam Christi Domini, & Christianorum omnium, impletis in eo omnibus, quæ didicerant in Christo Domino peracta. Populus correptis armis sæuiit in perfidos, extruxitq; duas basilicas in honorem noui martyris, quem in causa Christi hostes Christiani nominis crucifixerant. Cranzius libro 7. Vandaliæ, capite 40.

Egressis Praga Othonianis legatis, IVDÆI, sacra die Parasceues anno 1305. facinus in hominem Christianū atrocissimū designarunt, nempe in locum abditum pertractum in cruce nudum suspenderunt, circumstantesq;, alius in illum expuere, alius pugnis os uerberare, alius uirgis cędere, alij deniq; cuncta in illo repræsentare, quæ quondam Christus à gente illa immanissima atq; impiissima est passus. Hanc Iudæorū carnificinam, cui ad crudelitatem odiumq; in Christianos nihil adiici potest, populus Pragensis, non expectato etiam Rege VENCESLAO IV. (qui in puniēdis delictis hoc uerbo uti solitus erat, Quū iratus fueris, misericordiæ recordaberis) quanta crudelitate potuit, nouis item suppliciis excogitatis, ultus est, monumentumq; nouo martyri ex Iudaicis spoliis posuit. Dubrauius lib. 18. Diuersum hoc facinus à superiore ratione annorum.

Apud Noruicum Angliæ ciuitatem puer quidam, cui nomen Vvilhelmo, à IVDÆIS crucifixus est, & extra ciuitatem cōtumulatus. Sed luce (ut perhibent) cœlitùs missa, res innotuit fidelibus: qui repertum cadauer summo cum honore in urbem detulēre, & in templo sepelierunt, anno Christi 1146. Continuator Sigeberti, & Antoninus.

Blesensem urbem incolentes IVDÆI, sub annum Salutis 1172. idem facinus perpetrarunt, ac occisum in cruce puerum, & sacco insutum, in Ligerim amnem proiecerunt.

Braiæ degentes IVDÆI hominem quendam Christianum, quem furti homicidiiq; insimulabant, captum serto spineo coronarunt, per oppidū circūduxerūt, multisq; uerberibus affectum, tandem in crucem egerūt, domina illius loci, auro uicta, id permittente. Vincentius lib. 29. cap. 53. Gaguinus libro 6. de Francis.

Parisienses etiā IVDÆI, Christiani hominis sanguine se polluisse leguntur apud Nauclerum. Ac testatur Gaguinus lib. 6. hunc morem apud perditam gentem receptum fuisse, ut furreptum quotannis Christianum aliquem puerum, in subterraneis locis miserè affligerent, ac tandem eo die, quo Ecclesia Dei passionis Dominicæ recolit memoriam, cruci affigerent. Id ipsum Vincentius lib. 29. cap. 25. annotat.

IVDÆI circa annum Sal. 1288. puerum Christianū, Rodulfum nomine, clàm Bernæ Heluetiorum necarant. Detecto facinore, ipse inter diuos relatus: auctores rotæ supplicio necati: Iudæi cæteri exilio sunt multati. Exules tantum apud Rodulfum Habspurgensem Imp. potuēre, ut cùm Iudaicas causas ad se soluni imperij titulo spectare contenderet, multā pecuniariam Bernensibus imposuerit. Illis autem latrocinij cognitionem sibi iure uindicantibus, & multam pendere recusantibus, bellum atrox excitatum est: eo euentu, ut Bernabis obsessa, re infecta Rodulfus discesserit, accedente præsertim homuncionis cuiusdam, qui Imp. in deliciis erat, uaticinio, Vel inuitis omnibus Bernam aliquando uicinorum imperio potituram. Stumpfius.

Constantinopoli Iudæus Christiano egenti certā auri summā mutuò dederat, uti constituto tempore & sortem & usuræ loco duas carnis eiusdem Christiani uncias reciperet. Christianus sortem reddit, usurā negat. SOLYMANNVS Imp. Iudæi crudelitate, Christiani necessitate animaduersa, nouaculā afferri iubet, & ad Iudæū conuersus, Age uerò, inquit, ius persequere tuū, ex quauis parte frustillum exscinde, sed caue plus iusto eximas. Iudęus periculo territus fœnori spōte cessit. Aegidius Corrozetus.

Iudæos.

Sub Carolo IIII. Imp. circa annum D. 1348. Iudæi per Galliā, Germaniā & Italiā grauissimā sunt passi persecutionē, adulterinæ monetę & puteorū infectorū rei: seu potiùs, ut multi arbitrantur, opulētiæ nomine CHRISTIANIS principibus inuisi, qui in illorū bona inuolarunt. Itaq; synagogæ illorū quas Basileæ, Argentinæ & Spiræ habuēre, funditus excisæ fuerunt. Manent etiamnū hodie locorū nomina. Rupertus Palatinus Rheni partim misericordia, partim pecunia motus, miserrimę gentis patrocinium suscepit. Stumpfius.

Cùm Ricardus ANGLORVM rex Lōdini coronaretur anno 1189, Iudæorū quoq; proceres suorum priuilegiorum cōmendandorū causa eò confluxerunt. Eos rex edicto publicè & tēpli aditu & palatij summouit. Verùm illi turbæ immixti, simul in palatium regium se recipere tentāt. Ibi agnitus Iudæus quidā, ab homine Christiano repellitur. mox & alij prodita pulsantur strenuè. Sparso per urbē rumore, regē omnes Iudæos extinctū uelle: populus, qui tū frequens ob coronationis solennitatē aderat, prædæ cupiditate accensus, arma induit, & Iudęorū ædes succēdit, obuios prosternit, rege frustrà ciues ab armis recedere iubēte. Sedato tumultu, rex Iudæis pacē edicto sancit: quæ tamē diuturna non fuit. Nam ipso ad sacrā expeditionem apud Normānos se accingēte, Linnæ ciuitatis incolę persecutionis initiū fecerunt, hac occasione. Iudæus quispiā ad religionem Christianam accesserat: quod cęteri indignè ferentes, in ipsum impetū facere nō sunt ueriti: sed beneficio Christiani tēpli, quò se receperat, liberatur. Negociatores Iudæorum turbam, quæ ad oppugnationem templi confluxerat, miserè trucidant, ædes expoliatas uulcano tradunt, conscensisq; suis nauigiis, fuga sibi consulunt. Ciues à rege in iudicium uocati, omnem in peregrinos reiiciunt culpam. Apud Stanfordiam cùm Quadragesimali tempore sub ipsis nundinis magna militum cruce insignitorum turba cōuenisset, ac itineris tam lōginqui sumtibus destituerētur necessariis, Iudæorum domos cingunt, captos trucidant, præda ingenti potiuntur, ciuibus odio Iudæorum quiescentibus Lincolnienses idem contra suos Iudæos acturi erant: sed hi consilio cognito, in arcem regiam secesserunt. Eboracenses confœderati nobilibus, quos fœnore ad extremam paupertatem redegerat improba Iudęorum gens, & sacris quibusdam militibus noctu principis Iudæorum ædes, regis palatio conferendas, effringunt, trucidata famılia bonisq; direptis, igni tradunt, ac tenebrarū beneficio clàm in sua se recipiunt. Non multo pòst promiscua multitudo, impetu in Iudæos facto, sine discrimine uel sexus uel ætatis eos mactant, pręter paucos, qui Christo per baptismum nomina se daturos pollicerentur. Quin & arcem, quò se multi receperant, oppugnant. Obsessi de salute desperantes, suadente suæ legis doctore primario, hoc consilij ineunt, moriendum esse pro lege Domini. At ne suis opibus oppugnantes ditarentur, uestes preciosas comburunt, uasa aurea latrinis cōmittunt. Ioceus quidam primarius uxoris guttur cultro incidit, nec à propriis filiis manus abstinet. Ioceum ipse legis doctor iugulat. Morituri ignem arci, quo cremarentur, subiiciunt. Ex incendio nonnulli seruati, ab oppugnatoribus trucidantur. Cæde peracta, coniurati cathedralem ecclesiam adeuntes, monumenta debitorum, quibus Christiani premebantur, à Iudæis fœneratoribus regiis ibidem reposita, in medio templi [redacted] Ricardus rex re cognita, tum ob læsionem regiæ maiestatis, tum ob magnam fisci iacturam grauiter indignatur. Fisco enim competebat, quidquid Iudæi, quos fœneratores constat esse regios, in bonis habere uidentur. Dato itaque ad Eliensem episcopum cancellarium suum mandato, ut de seditionis auctoribus iustum supplicium sumeret: episcopus Eboracum

cum numeroso exercitu adit, de singulis inquirit. Rei ad Scotos transfugerant. Senatus, cùm præter suam uoluntatem hæc acta esse, nec furētem multitudinem se cohibere potuisse affirmaret, multaę pecunia. Anno MCXC. Neubrigensis lib. 4. c. j. 7. & seq.

Iudæi anno MCCCXLIIX. BASILEÆ, crimine infectorum ueneno fontium, in Rheni ripa domui ligneę inclusi sunt & combusti: reliqui urbe exacti. Cœmeterium profanatū, lapides sepulcrales innumeri in publica ædificia translati. Stumpfius in Heluetiæ chronico.

Mahumetanos.

Occupata de Mauris Zara Hispaniæ urbe, Ferdinandus, Ioannis regis Castellę patruus, qui pòst Aragonię rex factus est, militiæ præfectus, ciuium ad tria millia incolumes abire permisit Granatam. Hos abeuntes, & propter uxores, liberos atq; senes tardiùs iter faciētes, DIDACVS Demanus Adelitus (ea est ariolorum secta) profectus à castris Setanillis, quæ aberant X millibus passuum, assecutus est in angustiis quibusdam, & ad unum omnes occidit, siue odio gentis, siue prædæ spe, quòd crederet eos aurum ferre, siue ulciscendæ iniuriæ alicuius gratia, siue alterius persuasu, in uictoris inuidiam. Eum reuersus Ferdinādus cùm ad pœnam deposceret, ac primos sociorum, interponebant plerique preces, ut ueniam daret: quorum aliqui eo impensiùs absolutum optabant, ut inuidiam in Ferdinandum conflarent, qui tantum captiuorum è manibus dimisisset. Hoc autem negante se ueniam dare posse, nisi fama periclitari uellet, ac fidē datam rupisse, responsum est à multis partibus, non permissurum exercitum, sanguine Christianorū canibus illis parentari, resq; iam ad seditionem spectabat. Ferdinandus qui sciret multos adesse qui inuiderent, multos qui odissent, multos qui ob factiosam potentiam non possent à se, utpote recenti duce, in officio teneri, pronūciauit, Didacum sociosq; se donare quidem capitis impunitate, sed non tamen crimine absoluere, ac quantū in ipso esset, unum Didacum ignominia notare, ut cùm omnibus quæ peccauit hac leni multatione decidat. Valla lib. j. de Ferdinando.

Supplices.

☞ *Ex Tit. Crudelitatis erga hostes uiuos, huc quædam.*

Cùm Pythius, XERXEM regem Persarū, quem cum toto exercitu hospitio exceperat, orasset, ut ex quinq; liberis maximū natu sibi relinqueret, qui se iam grauē ætate in re domestica administranda iuuaret: tulit id Rex iniquo animo, crimen, ut credere par est, auersatus: Pythioq; amarissimis uerbis increpito, filium quem sibi depoposcerat in duas partes dissectum, dimidium hoc ad dexteram uiæ, reliquum ad læuam statui iussit, exercitumq; per hominem ita dimidiatū traduxit. Sabel. lib. 2. Enn. 3.

Fusis in Marathone Persis, ad CALLIÆ tædiferi pedes Barbarus quidam, ex coma & fascia regem ratus, abiecit se: cūq; adorasset eum & dexteram apprehendisset, magnum pondus auri ostendit in puteo quodā defossum. Ibi Callias omnium hominum crudelissimus aurum abstulit: & hominē, ne proderet rem aliis, interfecit. Hinc dictos aiunt à Comicis posteros eius Laccoplutos, quasi ex puteo diuites: in loco, ubi aurum inuenit, cauillantes. Plut. in Aristide.

Atheniēses arcta obsidione pressi, ad tantam rerum omnium inopiam redacti sunt, ut mille drachmis ueniret tritici medimnus. Inops multitudo gramina circa arcem nascentia pecudum ritu depascebatur, quibusdam coctos calceos aliaq; obscena esculenta mandere conantibus. Ridere miserorum ciuium calamitatem ARISTION tyrannus, homo ad crudelitatem, non ad sapientiam natus, sacerdotique dimidium frumenti sextarium petēti, piperis misit. Viros præcipuæ dignitatis & sacerdotes suppliciter ab eo petentes, ut afflictæ ciuitatis misereretur, pacemq; ab hoste quoquo modo impetraret, sagittis dissipatos summouit. Sabel. lib. 3. Enneadis 6.

ADOLPHVS Sueonum & Gothorum rex, insigni prælio nauali profligatis Danis, Tostonem transfugam, qui regi Danorum auctor mouendi belli extiterat, ad sua genua prouolutum, ueniamq; procuratæ rebellionis suppliciter implorantem, ab astantib. cum exprobratione ingratitudinis interfici iussit. Quod à Gothis ut seuerum existimari consueuit. Quippe supplicem, aut debilem, uel arma abiicientem occidere, etiam hodie apud Gothos inter opera sempiterno opprobrio digna computatur. Io. Magnus lib. 4. c. 9.

Henricus IV. rex Rom. à GREGORIO VII. anathematis fulmine [redacted] percussus, omnibus eum deserētibus, coactus est etiam inuitus Romam petere. Apud Canusium igitur Rhegiensis agri oppidum, rex Pontifici occurrit, deposito omni regali habitu, nudis pedib. triduo in summis frigoribus ueniam commissorum rogans, ante portam castri substitit humilis, Imperatrice matre & Mathilda consanguinea intercedentibus, ægrè & difficulter absolutionem anathematis assequutus. Cuspinianus, & Sigonius.

Guntherus Coloniensis, Thetgandus Treuerensis, & alij episcopi Belgici, grauiter NICOLAVM pontificem redarguerunt in epistola ad ipsum, quæ extat lib. 4. Annalium Auentini. Fracti tandem minis eius, Romam aliquoties adierūt, seq; absolui & restitui petierunt. Sed Pontifex ista corū humilitate minimē flexus, noluit eos in gratiam recipere. Vnde infirmitate correpti, in Italia obierunt. Regino lib. 2.

Siculi Vespertinarum precum tempore die Paschatis Gallos omnes interfecerant. MARTINVS IV. diris Siculos prosecutus est. A' Panormitanis missi ad eum oratores uiti sancti, ad pedes illius strati, uelut pro ara hostiaq; Christum agnum Dei salutantes, illa etiam ex altaris mysteriis uerba supplices effati sunt, Qui tollis peccata mundi, miserere nostri: iterum, Qui tollis peccata mundi, miserere nostri: tertiùm, Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. Pontifex respōdit, Panormitanos agere quod milites impij fecissent: qui cùm Christum pulsarent, eundem regem Iudæorum salutabant: rē hostes, fando saluere iubentes. Quódnam piaculum, quām demùm satisfactionem peteret, exequentib. percontando oratoribus: redditum responsum, redderent se à quibus defecissent: uiolasse illos non maiestatem modò regis ipsorum Caroli, sed sacrosanctā potestatem, in cuius fide Sicilia esset. Aemilius lib. 7.

Scurras.

Cubicularius pro more cū IO. Basiliade Moschorū tyrāno inter prandēdum iocabatur. Ille exacerbatus, eum à mensa discedere iussit. Interea brassicæ ius adhuc feruens affertur. Reuocato cubiculario, seseq; ingeniculanti, pultem feruentem ceruici infudit. Ille dolore urgente uociferari Miserere, clarissime Imperator. Discedere uolentem, cultello mensario in collo transfixit. Facti pœnitens, Italum doctorem medicinæ accersiri iussit, eiq; uenienti assurgens dixit: Dilectè Arnolphe doctor, uade auxiliare aliquid huic cubiculario meo, quem ludendo læsi. Doctor egressus exanimatum offendit, reuersusq; dixit: Rex & dux magne, utinam tu sanus sis, ille uerò iam de uita ad mortem translatus est. Deus & tu poteras ei animam eripere, ego eam restituere nequeo. Adhæc ille, Valeat ergo canis, quando uiuere noluit. Alex. Guagninus in Moscouia.

Medicos.

PETRVS Medices, Magni Laurentij F. Florentiæ dominatu pulsus, ad Caietam in ipsis ostij faucibus periit, ea quidem ignobili morte indignus, nisi Petrum Leonium, summæ doctrinæ & claritatis medicum, qui infelici euentu Laurentiū patrem fatis se erepturum promiserat, in Caregianæ uillæ puteum deiecisset. Iouius in Consaluo.

Tonsores.

MATHIAS Coruinus tonsori suo, quòd is ministris Aragonij Cardinalis legati posteriores uestium partes per iocum mutilauerat, labra ac nasum desecuit: ut qui in maleficio riserat, semper exertis dentibus, etiam cùm fleret, ridere uideretur. Fulg. lib. 6. c. 3.

Architectos, Fabros.

AMASIS Aegyptiorum rex admirabile ædificium adduxit in urbem Saim ex solido saxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium consumserunt duo millia delectorū uirorum, qui omnes erant gubernatores. Domus hæc ad ingressum templi Mineruæ collocata est. Et ob id aiūt in templum non fuisse pertractam, quòd tecto aducto, cùm suspirasset eius uehēdi architectus, utpote pertæsus diutino tempore operæ, ea de re stomachatus Amasis, non permiserit hominem ulteriùs trahere. Herod. lib. 2.

Cùm XERXES Persarum rex, pontis supra Hellespontum septem stadiorum conficiendi curā Phœnicibus & Aegyptiis commisisset, quorum illi quidē albo lino, hi scirpo utebantur: tēpestas maxima pontem disiecit. Xerxes ergo architectos capite multauit, & aliis hoc op⁹ demādauit. Herod. l. 7.

BAIAZETES II. Imp. Turcorum instruendæ classis contra Venetos curam cùm magnoperè agitaret, reficiq; naues ueteres suis ducibus mandauisset, atq; id ei tardiùs negligentiusq; agi ab illis atq; administrari uideretur: arcum sibi afferri & sagittas imperauit: quibus adductis, stantem ante se illum ipsum ducem, qui priore apud se erat loco, indignabundus transfixit. Bembus lib. 6. Hist. Venetæ.

PATECATIRVS Malacensis princeps, ob pfidiā Malaca pulsus, ex certa munitione Lusitanos infestabat. Quam cùm illi expugnassent, ligneum truncū magna crassitudine recenti sanguine conspersum aspiciunt. Is enim, qui tormētō maximo, quod Camelum uocabāt, præerat, & à Patecatiro cū reliquis in seruitutē abductus fuerat, iussus erat illud in Andradium dirigere. sed ne tantū in se scelus admitteret, mortem oppetere maluit, q̄ Christi numen offendere. Ea re Patecatirus grauiter offensus, illi caput in eodem trunco securi præcidi confestim imperauit. Osorius lib. 8. rerum Emm.

§ OFFICIVM. CRVDELES ERGA

Pontifices, Patriarchas, Episcopos.

CALOIOANNES, Constantinopolitanus Imp. cùm frustrà Syriã, Gabulensi episcopo firmiter resistente, armis sibi subiicere tentasset: in miseros eremitas Syrios ex cauernis suis extractos omnem effudit bilẽ, eos magna immanitate trucidans, sub annum MCXLIII. ut refert Otho Frisingensis lib. 7. cap. 28.

GRÆCI, Io. Cardinalis ab Alexãdro III. Pp. Constantinopolim missi, ut Græcorum Ecclesiam, sic petẽte Manuele Imp. Romanę subiiceret, cadauer, canis cauda eius ori inserta, ꝑ plateas traxere, tandemq; igni combussere. Sigeberti continuator sub annum MCXXCII.

RAINALDVS de Castellione, princeps Antiochenus, Patriarchãm Antiochenũ nuptias Rainaldi cum Constantia, Raimundi principis uidua, improbantẽ, captum, carcere inclusit, deinde caluitie eius melle peruncta, æstiuo tempore per integrum diem sub sole feruentissimo sedere coegit, nemine uel contra æstum uel muscarum molestias quicquã subsidij præstante. Gul. Tyrius lib. 18. c. j. de Sacro bello.

Magdeburgensis archiepiscopus BVRCHARDVS, ex comitibus de Schrapelovu, annis XIX præfuit ecclesiæ, solicitè prouidens, ne quid detrimenti caperet res ecclesiastica: simul etiam procurans, ut temporalia non deficerẽt. Qũa in re contrarios semper habuit ciues Magdeburgenses, quòd nouas impositiones constitueret, censibus, tributis & oneribus prægrauatis. Obsederat urbẽ, armis fretus Misnensiũ. A' ciuibus captus, ut laxaretur, uenerabili adhibito sacramento, pollicitus est, se ad antiqua redacturum omnia, demolitis quæ in præiudicium ciuitatis erexisset. Vi coactus nihil promissorum impleuit, perseueransq; insectatus est ciues. Re ad arbitros delegata, uenit in urbem. Ciues sua iura reposcunt, demoliri quæ in eos erexisset præsidia. Cùm non tam benignè uti sperauerant respondisset, circumsessus à ciuibus domi suæ, atque captus, diro carceri mancipatur. Ibi quum diu latuisset, sicarij quidã laruati ex Magdeburgo, Hallis, Caluen, ingressi carcerem, uinctum archiepiscopum clauis, quas gerebant, confecere. Integro anno ita mactatum contabuit corpus. Interim disseminato rumore de morte eius, admissi quidam in carcerem, nulla penè repererunt uestigia archiepiscopi, præter capitis rasuram. Eo nomine Magdeburgenses execrabiles habiti, ipsi quinetiã Canonici; qui scelus tam frigidè insectati essent. Otho Hassiæ Landgrauij F. archiepiscopatũ à Pp. consecutus est. Cuius intercessione, pressi undiq; armis & flãmis Magdeburgenses, in gratiam recepti sunt, ea lege, ut sacellũ è carcere, in quo cæsus erat archiepiscopus, extruerent cum sex beneficiis. Cranzius lib. 9. Metrop. c. 4. & 14.

Arnoldus, per simoniam occupato episcopatu Moguntino, deiecto Henrico, impetrataq; à Friderico Barbarossa Imp. inuestitura, sublata è templo ueste consecrata, inde sibi ad pompã, quando in aula Imperatoris uersaretur, uestes consui curabat. Hanc insolentiam ciues iniquo ferre animo. Arnoldus crescente intestino dissidio, asperè & tyrannicè in ciues MOGVNTINOS effertur, canes eos uocans, qui parùm mordere ualerent, licèt plurimùm latrarent. Eiusmodi uocibus ciues inflammati, in Arnoldum conspirant. Cùm Binga reuersurus esset Moguntiam, diuertit in monasteriũ ad S. Iacobum, prope ciuitatis muros in Mõte specioso. Ciues ad campanæ sonum summo diluculo diei posterioris, qui Ioanni Baptistæ dicatus erat, agminatim conuolant armati, cingunt monasterium, ne elaberetur, ignem simul iniiciunt. Monachi fuga salutem quærunt. Arnoldus flammis & fumo undiq; circumdatus, in altam turrim ascendit, prospiciensq; de fenestra, alta uoce rogat ut desistant, deprecari culpam, polliceri, se omnibus satisfacturũ. Sed furens turba conspecto episcopo, magis sæuire pergit. Cernens autẽ monachis liberè patere effugium, ipse quoq; induto cucullo abitionem molitur. Apertis itaq; ecclesiæ ualuis, cum reliquis penè euaserat: sed agnitus, gladiis, hastis, contis trãsfoditur. Nec satiari furor potuit. Anulos & ornamẽta è manibus & collo detrahunt. Sepulturam quoq; eius integro triduo prohibent, ut omnium ludibrio, etiam mulieribus dentes ipsi saxo elidẽtibus, pateret. Clàm à canonicis S. Mariæ subtractus, in ecclesia sepelitur, anno MCLX. Conradus in Chronico rerum Moguntiacarum.

Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis à COMITE Iuliacense, cuius agrum depopulabatur, captus, in turri quadam per quadriennium custoditus, ad illius nutum in caueam ferream, in turris exedra positam, egredi cogebatur, si quãdo Comes hospitibus auem hanc peregrinam, in solo proprio uocalissimam, in hostico plusquàm mutam, per ludibrium ostendere uellet. Sed Comitem hunc Aquisgranenses non multo pòst circa an. MCCLXXII. in foro trucidauere. Munsterus in Cosmographia.

TVRCÆ expugnato Hydrunto Episcopum feruntur uiuum excoriasse, clerum omnem equorum pedib. conculcasse, iuuenes & puellas abduxisse, an. 1480. Cranz. li. 13. Vand. c. 19.

Quũ Galli Neapolim obsidentes, & fame & pestilentia lue grauiter afflicti, ualetudinis ergò in uicina oppida, deserta obsidione secedere cogerentur: Cęsaris Caroli V. milites urbe egressi multũ detrimenti Gallis inferebant. SAIAVEDRA natione Bæticus, equitum præfectus, recepta in prædæ societatem peditum cohorte, usq; Auelinum nocturna profectione contendit, improuisoq; in oppidum irrumpens, oppidanosq; diripiens, Maternianum Insubrem eius urbis episcopum cepit, captiuumq; Neapolim perducens, ad contumeliam diuulsis testibus, ut maiorem à captiuo pecuniam exprimeret, diu torsit, uixq; postea Aurantij Cæsariani exercitus Imp. clementia & Alphonsi Vastij precibus, è manibus impiis Saiauedræ ereptus est. Iouius lib. 26. Hist.

HAALON Metonis Tartarorum regis frater, Perside subacta Baldachum Mesopotamiæ urbẽ (Babylon olim dictã, à Semiramide conditã) cepit. Adiicit Aytonus, sedẽ in ea fuisse Caliphæ, qui Mahometanæ legis summo fungebatur magisterio. Vrbs excisa est, nõ sexus, non ætatis discrimen ullum habitũ, omnis multitudo ferro dedita: immẽsum põdus auri gazaque uaria Caliphæ studio congesta, regem & exercitum ditauit. Hic cauillabundus Haalon uictor: Aequũ est, inquit, tam quæstuosum hominem cibis uesci non nisi preciosissimis. Ite & Caliphã in mediis auri gemmarumq; aceruis statuite, his uescatur epulis, has illi affatim ad omnia uẽtris desideria ministrate. Ille ita plures dies asseruat⁹, in media diuitiarũ affluẽtia fame cõsumtus est. Sab. lib. 7. Enn. 9.

Sacerdotes.

ALEXIVS Comnenus tyrannus, Georgium Disypatũ, magni templi Lectorem, de Andronici sęuitia liberiùs conquestũ, in carcerẽ coniectum, ueribus transfixũ, instar porcelli supra carbones assare uoluit, nisi Monasteriota Leo socer eius tyrãni furorẽ auctoritate sua repressisset. Nicetas lib. j.

VENCESLAVS Imp. ignauiss. sæpiùs in lupanari q̃ in adulterio deprehensus est. Ab ea turpitudine cùm Ioanna Hollandiæ comitissa uxor eum dehortaretur, respondit, Se quoq; in lupanar illã detrusurum, nisi ab hac dehortatione supersederet. Ac paulò pòst accersiuit Ioannẽ sacerdotẽ, qui Reginæ confessionibus præerat, arcana reginæ ab eo expiscaturus. Sed uoto suo frustratus, Ioannem de ponte Pragensi deiici, ac submergi iussit. Fluuius de repentè arefactus, corpus detexit submersi, in statuq; illo triduum permansit, donec ad S. Vitum sepeliretur, ubi in hunc diem, quicunq; sepulcro temerè insultauerit, immunis ab infamia nõ euadit. Regina ex mœstitia & dolore obiit, quem ex iniquissima regis suspicione conceperat. Dubrauius lib. 23.

ROSSI, antequã à Romano Lacapeno Imp. debellarẽtur, captiuos sacerdotes clauis in capita adactis necare solebãt. Cedrenus.

FRIDERICVS II. Imp. contra Gregoriũ IX. bello suscepto, Roma obsessa, multos sacerdotes captos cruce uertici incisa exanimauit. Stumpfius, & Cranz. lib. 8. Saxon. c. 9.

Hussitæ Lubanam urbem Lusatiæ expugnauerant, an. 1427. Pastor ecclesiæ de eminentiori loco hortabatur ciues, ut pro Christi honore fortiter decertarent, pollicitus regnũ iis, qui ab hæreticis interficerentur. Illi captum quatuor equis, in diuersum actis, crudelissimè interemerunt. Clerus omnis in ecclesiam se recipiens, implorans auxilium, Salue regina sonoris uocibus decantabat. Inter agendum assunt crudeles hostes gladiis: raptos pueros dissecant medios, confodiunt sacerdotes, profanant templa, cadaueribus, cruore replent omnia: incendunt ecclesias, subuertunt monasteria, monachos & sacerdotes trucidant. Anus feminæ, uirgines sacræ, obruuntur: puellæ & iuniores feminæ ad libidinẽ reseruantur. Cranzius lib. 11. Vandal. cap. 9.

Monachos.

Bilidulfus monachus Bobiensis, ab Attala abbate Papiã missus, fortè in ARIOALDVM regem Longobardorũ Arianũ incidit. Quo conspecto, rex ad suos conuersus dixit: Hic de Columbani monachis est, qui Arianis salutantib. abnuunt respõdere. Inde iocabundus saluere monachum iussit. Cui monachus, Grata mihi salutatio tua esset, nisi tu seductoribus tuis, & nefariis de Christo Deo doctrinis assentires, uerùm ineffabilem in una Deitate unitatem assereres. Quæ cũ audisset rex, indignatione accensus, Bone Deus, inquit, cur ministrum nõ habeo, per quem intemperantẽ huius monachi procacitatem ulciscar? Cui unus è stipatoribus: Atqui ego summo studio præstabo operam, inquit. Et annuente rege, primis tenebris monachum ab amico se recipientem, solus solum adeptus, uulneribus multis affecit. Haud ita multò pòst amicus uicem monachi sub noctem domum repetentis solicitus uenit, &, cùm eum humi iacentem reperisset, perinde ac si sopore oppressus esset, excussit. Quo motu monachus graui quasi è somno excitatus, surrexit incolumis, & cum familiari ad monasterium reuersus, se à latronibus pro mortuo relictum, tamen innoxiũ euasisse narrauit. Qui uerò tanti patrator facinoris fuerat, mox à dæmone correptus, ultrò suum flagitium prodidit. Qua re palàm facta, uox in populo increbuit, talem exitum manere omnes, qui aut monachis Bobiensibus nocuissent, aut Arianis hæreticis studuissent. Arioaldus autem de salute sua solicitus, abbatem Attalam adiit, ac percussore tradito, ut ignosceret, postulauit: seq; in auctoritate eius futurum, si munera sua recepisset, ostendit. Quæ aspernatus Attala, monachis tamen, ut pro salute scelerati hominis supplicarent, admonitis, ipsum pristinæ sanitati restituit. Sigonius libro 2. regni Italici.

Legatos.

☞ *Vide Tit. Perfidiæ ergà Legatos.*

APRIES rex Aegyptiorum, crudelis fuit in Patarbemẽ legatũ suum re infecta redeuntem. Audiens enim Apries, ob acceptam cladem, exercitum suum à se defecisse, eiusq; loco Amasim in regem elegisse, quem ipse ad sedandos milites ablegauerat: hunc Patarbemen ad comprehendendum Amasim dimiserat. Is ubi eò peruenit, Amasim ad se uocat. Amasis iussit uicissim hunc adducere Apriem. Et cùm Patarbemis eum rogaret, ut regem adiret: respondissetq; Amasis, se iamdudum dare operam, ut id ageret, nec de seipso Apriem esse questurum: Patarbemi redeunti, quòd Amasim non adduceret, præcidi aures nasumq; iussit. Herod. lib. 2.

Cùm C. Mario, lege Sulpitia, prouincia Asia, ut aduersus Mithridatem bellum gereret, priuato decreta esset, missum ab eo Gratidium legatum ad L. Syllam consulem accipiendarum legionum causa MILITES trucidarũt: procul dubiò indignati, quòd à summo imperio, ad eum, qui nullo in hõnõre uersaretur, transire cogerentur. Valerius Maximus libro 9. capite 7.

STEPHANVS, Valachiæ tyrannus, filium Maniacl Tartarorum ducis captum, cùm per C legatos à patre minaciter peteretur, præsentibus legatis dissecari, & mox ipsos quoque legatos palis suffigi iussit, uno excepto, quem truncato naso & auribus, nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit. Cromerus libro 27.

DRACVLA Transsyluaniæ Despotes, Turcarum legatis, cùm in conspectu suo caput nudare prætextu patrij moris renuerẽt, clauò cidarim capiti affigi iussit. Id quod à BASILIO quoque Moschorum tyranno Tartarorum legatis factum traditur.

Henricus, Rigensis archiepiscopus, consilio procerum legatũ misit, circa an. MCCCCXXIIX. Romam decanum Reualiensem, cum aliquot de singulis ecclesiis collegis, questũ iniurias fratrum Teutonicorum, à quibus in ordinem redigerentur. Illis Rigensis Tarbatensisq; proconsules, filios suos, uel Romanæ curiæ uisendæ, uel studiorum causa iunxere. Sedecim numero profecti terrestri itinere ad initiũ quadragesimæ (quòd mare tardiùs fit per glaciem nauigabile) iumentis uecti Grebbin, ad exitum usq; Liuoniæ, peruenerunt. Ibi ab arcis præfecto GOSVVINO de Aschenbergẽ, ordinis Teutonicorum fratre, crudeliter inuaduntur. Primùm ademtis literis perlectisq;, terræ proditores uocãtur: & quicquid ab illis in purgationem diceretur de priuilegiis clericorum, præsertim Romipetarum, irridetur magis q̃ auditur. Mox rebus omnibus nudati, ligatis manibus pedibusq; in profluentem riuum (Liua uocant) sub glacie nudi merguntur. Idem ille carnifex scripsit Liuoniensium pontificibus factum suum, nè cuiquam alteri imputaretur. Cranzius lib. 11. Vandal. cap. 16.

Consiliarios.

HENRICVS IIX. Anglorum rex (qui edito libro Martini Lutheri placita oppugnauerat, quare & fidei Catholicę defensoris titulo à Leone X. ornatus est) iratus Clementi VII. q̃ repudium legitimæ uxoris Catharinæ Aragoniæ, Cæsaris Caroli V. materteræ, sancire noluerat, quam superinducta Anna Bolenia, cuius amore flagrabat, ab se diuellere XX. matrimonij anno tentauerat: Ioannem Cardinalẽ Roffensem, uirum sanctissimum & doctissimum, & Thomam Morum regni Cancellarium, & primariũ regni sui hominem, aliosq; multos omniũ hominũ præstantissimos uiros, sententię eius aduersantes, nefariè occidit. Onuphrius Panuinius.

Ductores.

ANNIBAL superato Apennino, ex agro Arpinati in Samniũ uenit: pauloq; pòst quibusdam Campanis, quos ad Thrasimenum captos liberaliter dimiserat, afferẽtib. spem Capuæ potiundæ, castra mouit, perito quodam regionis admonito, ut in agrum Casinatem exercitum duceret. Similitudine nominis Casilinum dux itineris pro Casino accipiens, longè diuersa uia per Calentinum & Calenũ agrum in campũ Stellatem Annibalem traxit. Vbi cùm septa undiq; montib. & fluminibus regio teneretur: cognito errore, Pœnus hominem crudeliter excruciatum necari iussit. Auctor uitæ eius.

Duces.

ISAACIVS Angelus Imp. in iram pronus, Constantinum Aspietam, ob exercitum, cui bello Blachico præerat, his uerbis defensum: Non posse milites cum duobus grauissimis hostibus Blachis & fame dimicare, sed annua stipendia eis persoluenda esse: statim dignitate priuari & excæcari iussit, quòd illum per speciem defensionis concitare milites suspicabatur. Nicetas lib. 3.

Ianitores.

INTAPHERNES, unus ex iis qui Magos interfecerãt, statim post oppressos Magos regiam ingressus, uolebat admitti ad colloquium regis. Etenim hac lege conuentum erat inter Magi oppressores, ut eis ad regem foret aditus sine internuncio, nisi cubaret cum uxore. Sed cùm ianitor & qui à responsis erat, introire non sinerent, quòd regem dicerent rei uxoriæ dare operam: eos mentiri ratus, educto acinace, aures utriq; naresq; præcidit, ac loro freni equini ad ceruices ipsorum alligauit, hominesq; dimisit. Herod. lib. 2.

§ AETATEM. ERGA

Pueros.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga Hostium liberos.*

Cùm PVERI aliquot in uico Arcadiæ Condylea dicto signũ Dianæ Condyleatidis obligato collo per lusum trahentes, Dianã se strangulare dictitassẽt: CAPHYENSES eos deprehensos, uiolati numinis damnatos, lapidibus obruerũt. Pausanias in Arcadicis.

OLYMPIAS Philippo Macedonum rege, marito suo mortuo, paruulum eius filium, quem ex Cleopatra, Attali nepte ex fratre, susceperat, in ęnea pelui ignib. circundatis cruciatum enecauit. Idem.

IVSTINIANVS II. Chersonenses & Bosphoranos, à quib. exul appetitus insidiis fuerat, ulcisci gestiens, exercitum ad eos misit, & Chersonem expugnari, ac mira crudelitate omnes eius incolas interimi iussit. Quo facto pueros, à quibus temperatum iniussu suo fuerat, ad se mitti imperauit: ac se Ponticos internecino bello persecuturum ostendit. Pueri Octobri mense in naues impositi, omnes sæua oborta tempestate submersi sunt. Quod postquam Chersonenses, qui reliqui fuerant, unà cum Bosphoranis cognouerunt, Philippicum Bardanem apud se exulantem ducem sibi legerunt, ac uicinis populis adiũctis eũ Imperatorẽ aduersus Iustinianum appellauerunt. Sigonius lib. 2. regni Ital.

§ VALETVDINEM.

TIBERIVS L. Scribonium Libonem, patricium adolescentẽ, tentatarum nouarum rerum insimulatum, quãdiu is firma fuit ualetudine, non uocauit in ius: at morbo lethali correptum, in lectica operta, cuiusmodi Senatorum uxorib. in usu sunt, in Senatum inferri iussit. Cumq; is dilato iudicio sibi ipsi conscita morte dãnationẽ pręuertisset, etiã defunctũ reum peregit, eiusq; pecuniã accusatorib. dedit. Dion li. 57.

§ SEXVM. ERGA

Viduas.

MAGDONALDVS Roffensis prædo, uiduæ de iniuria sibi illata conquerenti, & ad regem se questum ituram minitanti, ut pedibus adderet alas, ferreas soleas equorum in morẽ plantis suffigendas curauit. Strangulatus non multo pòst à Iacobo I. Scotorum rege. H. Boethius lib. 17.

§ GLORIAM. ERGA VIROS

Claros.

☞ *Ex Tit. Sæuitiæ erga hostes, hæc quædam.*

Phytone Rheginorum duce capto, filium eius DIONYSIVS tyrannus Siculus in mari submersit: ipsum uerò, primũ quidem ad altissimas machinas, quasi tragicum spectaculũ exhibiturus, collocauit, & ex ministris quendam, qui ei nũciaret, ad eum misit, filium eius à Dionysio heri marinis undis submersum fuisse. Ad quam uocem intrepidè Phyto respondit: Fuit igitur natus uno die patre suo fortunatior. Postea uerò per urbem circumductũ flagris cædi, & nulla non contumelia affici iussit, simul comitante præcone, qui exclamaret, Virum hunc meritò puniri, qui bellũ suscipere multitudini persuasisset. At Phyto qui & in obsidione dux bonus fuisset, & reliqua uita laudat⁹, animo & uoce intrepida clamabat, se, quòd urbem Dionysio prodere noluisset, pœnas nunc luere, quas tamen breui repetiturus à Dionysio deus esset. Quã uiri fortitudinẽ etiam Dionysij milites admirantes, adeoq; eius miserti, reprehẽdere & execrari tyrãni crudelitatem cœperũt. Ergo ueritus, ne milites Phytonem sibi ereptum liberarẽt, mari quoq; cum unà cum uniuersa eius cognatione submersit. Diod. lib. 14.

Philopœmen Megalopolitanus, Crausidis F. pro Achæis multa fortiter in bello gessit. Verùm equo in prælio lapso corruens, ab inimicis captus, à DINOCRATE Messenio (cuius opera Messenij rebellauerant) ueneno in custodia sublatus est. Plut. in eius uita.

OPVLENTIAM. ERGA
Mendicos.

DRACVLA Transsyluanus, mendicos omnes, deperditę ignauiæ, miserabilisq; ualetudinis & fortunæ, lautissimo conuiuio excepit: deinde cibo uinoq; repletos, iniecto igni absumsit. Bonfinius lib.10. Dec.3.

LIBERTATEM. ERGA
Captiuos, Vinctos.

Ex Tit. Crudelitatis erga hostes uiuos, huc quædam. Vt enim in hostē, dum uincitur, iræ iustior est locus: sic contra eundē iam uictum sæuire, ab humanitate magis uidetur alienum.

SENACHERIBVS Assyriæ rex, maxima clade in Hierosolymorum oppugnatione diuinitùs affectus, Niniuem reuersus, Israelitarum plurimos, quos captiuos Salmanassar rex iampridem abduxerat, interfecit. Tob.1.

Septuaginta reges, amputatis manuū ac pedum summitatibus, colligebant reliquias sub mensa ADONIBEZECI regis. Cui reddidit Deus, sicut fecit. Iudicum 1.

NAAS, rex Ammonitarum, quotcunque Israelitarum uel fide data uel ui bellica cepisset, iis dextrum oculum eruebat: ut scilicet oculum sinistrum scutis celantes, dextro omnino carentes, ad bella inutiles redderentur. Victus est tandē à Saulo rege ingenti strage. 1.Reg.11. & Iosephus Antiq. lib.6.c.5.

Ταινάριον κακόν, id est, Tænarium malum, si quid crudeliùs sæuitum esset in famulos, ueteres uocabant: propterea quòd olim LACEDÆMONII captiuos, qui in Tænarum confugerant, reductos, capitis affecerunt supplicio. Est autem loco Tænarus oppidum quoddam Laconiæ, cuius incolæ Tænaritæ uocantur, & eiusdem regionis promontoriū, in quo spelunca, per quam aditus erat ad inferos. Erasmus in Adagiis.

CORCYRENSIVM plebs bello Peloponnesiaco optimates Spartanis addictos expulerat. Exules occupato monte Histone, oppidanos crebris excursionibus infestantes, ab Atheniensium classe ex improuiso occupati, in Ptychiam insulam deducti, cùm inde fugam molirentur, Corcyrēsibus tanquam pacti uiolatores traditi fuerunt. Aedificio quodā inclusi, ad inimicorum libitum sub custodia nō singuli, sed deni uiceniue, ad supplicium educti, cum multa exprobratione fœdè trucidati sunt, præter paucos, qui uel cruoris satietate, uel quia non tanta inuidia, ut cæteri, eminebant, sine custodia intus relicti, ædificium, priusquam animaduerteret quisquam, interiore parte occluserunt: inde Atheniensium fidem frustra implorantes, in se maiora adhuc multitudinis odia irritarunt: tum conscenso ab iis, qui ad eorum cædem missi erant, custodiæ fastigio, tegulis atq; aliis omniuariam telis supernè deiectis, uelut ruina quadam obruti sunt. Eorum quidam ne uiui caperentur, spicula & sagittas in se missas iugulo admouerunt. Alij restibus, quas ex suis uestibus fecerant, suspendio mortem præoccuparunt. Sabellicus lib.6. & 7. Enn.3.

DINOCRATES & Messeniorum locupletissimi, Philopœmenem ducem fortissimum Achæorum, iam septuagenarium, in bello captum, repugnante plebe, ueneno peremerūt. Pausanias in Arcadicis.

Atheniensibus Chersonnesum oppugnantibus, Persæ noctu cum Artaycte & Oebazaro ducibus fugam capessunt. Vbi dies illuxit, Chersonnesitæ è turribus rem Atheniensib. indicant, portasq; patefaciunt: Oebazarum in Thraciam fuga delatū, ABSYNTHII Plestoro indigenæ Deo ritu suo immolarunt. Artayctes cum filio super Aegos fluenta captus, Seston est retractus, ubi circa Hellespōtum, quà Xerxes ponte copias traiecerat, filio ante oculos lapidibus obruto, ipsum XANTHIPPVS dux Atheniensium tribus tigillis humi defixis suspendit. Sabellicus libro 2. Enneadis 3. ex Herod. lib.9. qui Oebazum uocat.

Philistus ex Iapygia suppetias Dionysio à Dione Syracusis obsesso uenit. Pugna nauali uictum Philistū, Ephorus ait, dum nauis eius capitur, sibimet ipsum manus intulisse. Timonides uerò tradit, Philistum impacta in terram naui uiuum in potestatem uenisse: ac primùm exuisse SYRACVSANOS eum thorace, denudatoq; illusisse iam seni, inde caput demsisse, & corpus pueris tradidisse, ut per Acradinam traherēt id, & præcipitarent in Latomias. Timæus ex claudo pede ait pueros Philisti cadauer religatum per urbem rapuisse, irridentibus iis, qui contemplabantur crure trahi ab Syracusanis eum: qui non debere dixerat ex tyrannide Dionysiū citato fugere equo, sed crure raptum. Quamuis Philistus id ut ab alio dictum, non ab se ad Dionysium, uulgauerit. Plutarchus in Dione.

Capta ab ALEXANDRO Gaza, sæuitum est non minùs quā Tyri in captam multitudinem, cæsaq; Persarum & Arabum circiter uiginti millia. Bœtis, qui urbi præerat (Iosephus Abisnasim uocat) ingentem circa se edidit hominum stragem, uiuusque è media cæde abstractus, contumaci uultu, ad conspectum irati regis constitit. Offendit ea constantia uictoris animum, ut iusta ira in rabiem exierit. Traiecto itaque per talos loro, curru alligatum citatis equis crudeliter per urbem distraxit, Achillis exemplum, à quo prognatus esset, imitari se dictitans. Sabellicus libro 4. Enn.4.

CARTHAGINENSES, milites Romanos, martis certamine in suam potestatem redactos, nauibus substrauerunt: ut earum carinis ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare uiolaturi. Valerius Maximus libro nono, capite secundo.

HANNIBAL Romanos captiuos, oneribus & itinere fessos, prima pedum parte succisa relinquebat: quos uerò in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat: neque antè sanguine explebatur, quàm ad unum uictorem omnes redegisset. Valerius Maximus lib.9. cap.2.

HASDRVBAL, Carthagine obsessus à Scipione, cuius urbis partem Megaram Romani milites occuparant, productis in hostium conspectum ex arce Byrsa omnibus Romanis captiuis, partim eorum effodit oculos, quibusdam linguā neruosque desecuit: multis genitalia hamata ferramento diuellere nixus est, nonnullis ex pedum planta cutem abrasit, aliquos penitùs excoriauit, atque ita affectos ab urbis muris laqueo suspendit. Quod fecisse creditur, ut omnem spem ueniæ Carthaginensibus præriperet, cogeretque ad extremum desperatione certare. Quo fœdissimo sæuitiæ exemplo ingens est odium ipsi duci à suis popularibus conflatum, & Carthaginenses ad pugnam timidiores facti, ne pari supplicio à Romanis capti afficerentur. Hasdrubal ubi se suorum odiis flagrare sensit, senatorum ferocissimum quenque, in eam sæuitiam reclamare ausum, interfecit: perquæ, uelut tyrannus super alia mala ciuitati ortus, formidolosus erat suis. Sab. lib.9. Enn.5. & Suidas.

L. Cassius cum legatis & sociis regibus, ad Amneon fluuium ingenti prælio à MITHRIDATE uictus est. Oppius à Laodicensibus Mithridati traditus, ignominiosè, cum lictore, qui præcedebat, per hostiū castra est circumductus. Mannius Attilius legatus, conflati belli causa, asino uinctus sedens circumuectus, præcedente tibicine: inde liquefactum aurum eius faucibus infudit rex, auaritiam Romanis exprobrans. Hac uictoria Mithridates elatus, non solùm Bithyniam Bithyniæque adiacentes terras, sed Phrygiam, Pamphyliam, & cæteras gentes ad Ioniam usque armis subiecit. Idem lib.3. Ennead.6.

M. Fabio Ambusto, & T. Quintio Coss. Tarquinienses acie uicti, quotquot uiui capti sunt, præter CCCLIIX nobiles, q ROMAM missi sunt, cæteri ad unum trucidati. Nec mitior propterea factus est populus in eos, quibus armatus miles pepercerat, in foro uirgis cæsi, ad unum securi sunt percussi. Idq; pro Romanis in Tarquiniensium foro immolatis, est pœnæ hostibus repensum. Idem Enn.4.

Inter alia quæ contra Christianos LICINIVS Imp. crudeliter edixit, illud truculentissimum fuit, ne qui illis, qui in custodias coniecti essent, humanitatis aut officij quicquam exhiberent: nec misericordiæ quicquam, si in famis periculum incidissent, impenderent: suppliciū interminatus, quo, qui misericordiam præstitissent, perinde punirentur, atque ij quibus eam declarassent: uinculisq; & carceribus inclusi, pari supplicio cum adflictis adficerentur, qui aliquid humanitatis aut releuationis in eos conferre deprehensi essent. Socrates lib.j. cap.4. & Sozomenus lib.j. cap.7.

Sub Anastasio GETÆ Macedoniam, Thessaliam, Epirum diripuerunt, multosq; abegerūt captiuos. Pro quibus redimendis cùm aurum mitteret Imperator, & pecuniam haud idoneam hostium uotis: Barbari captiuos aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in conspectu multitudinis trucidarunt. Cuspinianus.

Valerianus Imp. haud multo pòst, quàm Christianum nomen insectari est adortus, ad Persicum bellum profectus, siue aliena fraude id acciderit, siue sua ipsius temeritate (nam utrunq; traditur) in hostium potestatem uiuus uenit. Ferunt SAPOREM Persarum regem, à quo captus est, adeò insolenter & barbarè captiuo seni (erat enim Valerianus septuagenarius) illusisse, ut pro scabello eius tergo uteretur equū cōscensurus. In ea igitur eum turpi captiuitate tandem cōsenuisse, scribunt Lætus & Aurelius Victor. Eusebius in Sermone ad cōuentum sanctorū, & Agathius lib.4. Gothorū, excoriatum & sale conditum à rege scripsit.

COSROES regnum Mauricij Imp. ope recuperauit, Persarū sex millia cepit, eosq; ad se ductos confodi iussit. In quorū numero & Turci erant, qui sub Bara meruerant. Nam tum primùm nomen Turcicum auditum est. Cusp.

IBANCVS, qui ab Alexio Angelo, Byzantino Imp. defecerat, ad eam progressus est immanitatem, ut in compotationib. captiuos

captiuos Græcos membratim dissecaret. Nicetas lib.3. de imperio Angeli Alexij.

AVARES siue HVNNI, ductu Cacani regis capto & euerso oppido Foroiulij, quum Longobardos captos in suos fines traherent, pollicebantur se captiuos in Pannoniæ finibus patriis collocaturos. nā ex Pannonia Longobardi uenerant. Vbi uerò in campum, quem Sacrum appellant, uentum est (cùm enim locum futuræ cædi destinauerant) continuò omnes dato signo trucidarunt. Sabellicus lib.4. de Vetust. Aquil. ex Palmerio, Sigeberto anno DCXVI. Paulo Diacono, Blondo libro 9. Decadis j. Sigonius libro 2. regni Italici.

BASILIVS II. Imp. præclara uictoria contra Samuelē Bulgarorum regem potitus est. Captiui XV millia adducti omnes excæcati sunt, uno è singulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret: dehinc omnes iussit ad propria reuerti. Quos cū Samuel uidisset, animo deficiens, humi procidit. Paululum pòst ad se reuersus, stomachi dolore correptus obiit tertio die, fœdo spectaculo consternatus; unico relicto filio Gabriele, qui & Romanus dicebatur. Cuspinianus è Zonara.

Bello, quod Gulielmus Siciliæ rex, ISAACIO Angelo Imp. Græcorum anno MCXXCV. fecit, ultra quatuor millia Siculorum in carceres sunt inclusa: quibus cùm nihil ab Imperatore Isaacio aut aliunde suppeditaretur pręter panem, qui pietatis ergò à nonnullis subministrabatur, malè perierunt. Nicetas lib.j.

GENSERICVS, rex Vandalorum, direpta Roma, prædam in naues impositam in Africam deportauit. Quarum quæ statuas deuehebat, aduersa tempestate uexata interiit: reliquæ incolumes portus Africæ tenuerunt. Cùm autem opes infinitas, ac populum ingentem in Africam deuexisset, prædā inter Vandalos & Mauros, Victore teste, ita diuisit, ut maritos ab uxoribus, liberos à parentibus ad cumulandam miseræ captiuitatis acerbitatem magna inclemētia separaret. Quod ubi Deogratias Carthaginis episcopus, paulo antè precibus Valentiniani creari ab eo permissus, audiuit, uehementi dolore solicitatus, uasa sacra emenda, ingenuos redimendos, parentibus liberos, uiris uxores restituendas curauit: atque eis basilicas duas Fausti & Varij, cum lectulis & stramentis, ad cubandum attribuit: ægrotisq; quæ necessaria erant ministrauit, medicis cibisq; ac medicamentis opportunis exhibitis. Verùm & hæc subsidia post biennij spacium episcopi mors immatura subduxit. Sigonius libro 14. Imperij occidentalis.

CHAIANVS, uel Cacanus rex Auarum, Hunnorum & Sclauinorum, irruit cum magno exercitu in Dalmatiam. Mauricij Imp. dux Priscus exercitum eius cæcidit. Fugit Chaianus ad propria, & alium exercitum colligit: quo instructus, in Mysiam irruit. Tandem Constantinopolim adeò pressit, ut Byzantini de relinquenda Europa cogitarent. Multis autē Romanis captis, & urbibus depopulatis, iram diuinam metuens, quæ ipsi uno die septem filios peste abstulerat, de redimendis captiuis cum Mauricio agit, & pro singulis unū numulum tantùm poscit. Verùm Mauricius subiratus, noluit quicquam soluere. Tunc Chaianus omnes occidit, & ad propria rediit. Paulus Diaconus lib.17. sub Mauricio.

AGILVLFVS, Lōgobardorum rex, frustra obsessa Roma, pactis induciis abiit, & captiuos Romanos secum abducens quasi canes funibus collo implicitis traxit, atq; inde in Frāciam uendendi causa transmisit. Sigonius lib.j.

TARTARI captiuos quosdam sibi seruire cogunt, cæteros Turcis aliisq; negotiatoribus uendunt, uirginibus reseruatis. Senes autem & infirmos, iuuenibus uelut canibus lepores exponunt, quò prima militiæ tyrocinia inde addiscant. Eos itaq; illi aut sagittis ueluti scopum petunt, uel obtruncant, decollant, lapidibus obruunt, in aquasq; præcipitant. Guagninus in descript. Tartariæ.

Angli fugato Iuaro, Danorum regis Regneri, multis uictoriis etiam contra Carolum Magnum clariss. F. in HELLAM Hamæ à Regnero olim cæsi filium regis contulerant potestatem. Regnerus Hellam, Gallicana uirtute subnixum, post extractam in triduum pugnam fugauit. Pòst uerò Hybernorū subnixum auxiliis, prælio nauali adortus, comprehēsus, atque in carcere serpentibus obiectus est. Cuius adeò iocinore, cùm cor ipsum funesti carnificis loco coluber obsideret, omnem operum suorum cursum animosa uoce recensuit, superiori rerum contextui, hanc adiiciens clausulam, Si suculæ uerris supplicium scissent, haud dubio irruptis haris afflictum absoluere properarēt. Quo dicto Hella adhuc nonnullos filiorum eius uiuere interpretatus, quiescere carnifices, amoueriq; uiperas iussit. Sed priusquam satellites subuenissent, extinctus est, & bellica & ciuili uirtute clariss. Sed hanc immanitatem Regneri filij seuerissimè sunt ulti, quandoquidem bello captum ferocissimæ aquilæ rostro & unguibus laniandum exposuere. Saxo libro 9.

SOBIESLAVS II. Friderici à Friderico I. Imp. sibi in regno Boemiæ substituti triplices copias mira felicitate superauerat. Captus in pugna est Germanus Tribunus militū, uir statu corporis super cęteros eminens, eoq; procerior uisus, quòd equo prægrādi & cataphracto, ipse cataphractus insidebat. Hic cùm ad Sobieslaum perductus esset, in medio castrorum eum statui, & circum tumulum aggesta manib. militum terra erigi, totumq; cum equo adobrui iussit, acceptam à Cæsare iniuriam, hac noua calumnia cum crudelitate coniuncta se ulcisci iactans. Extat in hanc diem tumulus ita in plano ibi situs, ut congestitius, non autem à natura factus esse uideatur. Dubrauius lib.13.

Anno MCCCCLXIX. in Valachia oportunitate locorum utentibus Valachis cum Stephano Palatino, profligati Tartari ter retrocesserunt, filio ducis sui Maniaci amisso. Quem captum, cùm à patre minaci legatione repeteretur, STEPHANVS præsentibus centum legatis dissecari, & mox ipsos quoque legatos palis suffigi iussit, uno excepto, quem truncato naso & auribus, nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit. Cromerus lib.27.

Boemi duce CIAPCONE Polonis contra Cruciferos suppetias tulêre. Dersauia expugnata, & multis hostium captis, ex his quicunq; Boemici generis fuerunt, Ciapco reuertēs, ut sibi condonarentur, impetrauit: traditos, grauiter, quòd Teutonibus contra Polonos eiusdem secum linguæ & originis militarent, corripuit, pyraq; ingenti extructa exussit. Eius exemplum secutus Ioannes Strassus Bialaciouius, piratas seu nauticos homines in ergastulo conclusos, quorum non exiguus numerus inter præsidia Cruciferorum fuit, circumiecta palea & arida materia, succendit. Et effregerunt ij quidem ergastulum ligneum: sed cùm effugere uellent, aduersis hastis à Polonis excipiebātur: donec Michalouius superueniens cædem eorum repressit, ignemq; restinxit. Idem libro uigésimo.

DRACVLA Transsyluanus, Turcis sæpe captiuis cute pedes exuisse, contusoq; sale præfricuisse, mox lingētes salsis plantis capras adhibuisse, quæ linguæ asperitate cruciatum augerent, prohibetur. Bonfinius lib.10. Dec.3.

Bello Ligustico IIII. Venetis captiuis, qui GENVÆ erāt, ita malignè uictus ab hoste suppeditabatur, ut paucissimis diebus ad CCCL inedia expirarint, quorum corpora in mare sæuus hostis proiecit. Fuerunt qui crederent uenenū eis datum, quo cibariis mixto, uno tempore quamplurimi extincti essent. Sabel. lib.7. Dec.2.

Baiazetes, anno MCCCCXCIIX. mense Octobri, Schenderum Bassam cum X millibus equitum in Forumiulium misit, atq; ea loca excursionibus infestari mandauit. SCHENDERVS licèt aliquantulum infirmus esset, Tiliauentum tamen ac Lisontium lata flumina uadauit, ac cœli fulgure celerior in Taurisinum usq; agrum populabundus processit. Sed enim quum eos omnes, quos captiuarat, abducere secum non ualeret: in Tiliauenti ripa caput hominibus plus quater mille amputari iussit. Nec Veneti Prouisores, quos uocant, Turcas unquam inuadere ausi sunt: id quod in causa fuit, ut ipsi Turcæ liberè, quà libebat, uagantes, Venetiis adeò propinqui effecti sunt, ut è montibus eminentioribus urbis situm contemplari potuerint. Iouius in uita Baiazetis II. & Guicciardinus lib.4.

Christiani Latini Antiochiā Syrię metropolim oppugnabant: Sed cùm in castra confluerent Græci, Cappadoces, Armenij, Syri, & aliæ gentes nostræ religionis: Turcæ quoq;, aut Turcicarum rerum studiosi, periti linguarum earum institutorumq;, mutato cultu castra simul ingrediebantur, consiliaq; Latinorum explorata perferebāt ad suos: ut nihil iam arcanum foret. Cùm ea de re duces consilium haberēt, censerentq; aliqui constituendum esse sanctius ac magis arcanum pauciorum delectissimorumq; cōcilium: BOEMVNDVS Tarentinorum dux, Ego, inquit, uos hac cura leuabo: proripiensq; se è cœtu procerum, produci iussit, quos Turcarum captiuos in custodiā tradiderat: hos pro castris propalàm iugulatos ueribus figi, & subiectis prunis torreri iussit, mirabundisq; omnibus clara uoce dici, Id esse Boemundi obsonium, pœnasq; de speculatoribus exploratoribusq; sumtas. Aemilius lib.4.

Cæsis captisq; ad Budam Christianis, SOLYMANNVS Imp. Turcorum, rex alioqui clementiæ laudem quærens, & nunquam antea in nostros crudelior, è conspectu abductos captiuos supra octingentos tyronibus trucidandos dedit, truci nutu & sæua uoce prolocutus: talem eos omnino mereri pœnam, qui quum per legatos nequaquam sincerè de pace agerent, astutè bellum intulissent. Eminebat inter captiuos excelsæ proceritatis Noricus miles: hunc in contemtū Germanicæ gentis, pumilioni, qui erat in deliciis filiorum, capite prealta captiui genua uix adæquanti, occidendum tradidit, ita ut indignæ necis iniuriam crudeli contumelia cumularet. Iouius.

PETRVS

PETRVS quidam Calix, Hispanus miles, cùm plus, quã quatuor Indorum millia in captiuitatẽ adduxisset, quorũ multi partim inedia, partim dolore concepto in uia morerentur: infirmos ex itineris labore penitùs defatigatos, militis gladio miserè trucidari maluit, quàm ut uiuos à se dimitteret. Nihil uerò tunc æquè miserabile fuit, ac matres pueros in collo gestantes, uinctas, & à milite ui stupratas adspicere. Fertur tum militum quosdam, præ nimia in illas luxuria, morbo contracto planè fuisse uitiatos. Io. Metellus.

FR. Almeida, Indiæ prætor, anno MDIX. profligata Sultani Aegyptij classe in India, Cananorem petiit, & in arcis conspectu facinus barbarum & immane fecit, quo magnã partem decoris sui bonorum iudicio deformauit. Nam Sultani milites, quos iure belli ceperat, qui tanquam serui illius non solùm dominatu, uerumetiam patrocinio tenebantur, partim suspendi, partim tormentis dilacerari iussit. Osorius lib. 6. rerum Emmanuelis.

LVDOVICVS XII. Francorum rex, captum & in Gallias abductum Ludouicum Sforciam, Insubrum ducem, erepto omni scribendi, & quæ cuperet legendi solatio, ferrata in cauea omnium miserrimum mori coegit. Iouius.

In pugna Papiẽsi, Gallicus dux Palicia, dum suffosso equo annis ac armis grauantibus ad Heluetios egrè se recipit, ab equitibus Cæsarianis intercipitur. Sed eum iam superueniẽti Castalio deditum, VASVRTES Hispanus, quasi tanti captiui precium & laudem equitibus inuideret, apposito ad thoracem crassiore sclopeto, crudeliter interfecit. Iouius libro 6. in Piscario.

Venetis Ferrariam oppugnantib. eruptione à ciuib. facta, multi à nobilibus capti sunt, & inter eos Hercules Cantelmus eximię expectationis iuuenis, cuius maiores olim in regno Neapolitano Soræ fuerant duces, à quibusdam ILLYRICIS militibus in triremem captiuus perductus: ac dum cuius ipsorum esse deberet, dissidium inter eos ortum esset, ab uno illorum, inaudito barbaræ immanitatis exemplo, ei miserè caput est truncatum. Guicciard. lib. 8.

BERNARDVS Caprera, mortuo Martino rege Siciliæ regnũ affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus esset; tandem proditione captus, à Sanctio regiæ classis præfecto in cisternam uacuam demissus, laxatis ad immensam pluuiam cadurcis, riuis in cisternam defluentibus, innatãre lecto, non procul à uitæ periculo fuit. Hinc in liberaliorẽ custodiam deductus, cum custode liberationem magna pecunia pactus, tertia uigilia noctis, fune caligis cõplicatis, nulla amictus tunica, è fenestra turris demittitur: ac dum celeriùs quàm manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induitur, & ritu feræ cassibus captæ hæsit: ita ut nec sese deiicere, etsi præceps casus erat, posset, nec receptus in fenestram ullus daretur. Integra nocte & die retibus inuolutus, ridiculum simul ac miserandum plurimis spectaculum fuit. Cui accessit, ut cùm ad transitum notorum atq; honestorum uirorum faciem uellet auertere, prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet: nec quòd cibo & potu caruerit eo die, doluit, sed quòd ea, quæ nisi remotis arbitris decorè non fiunt, præsentibus arbitris facere non licuit. Tandem uesperi eodem receptus unde fugerat, ad Ferdinandũ Aragonum & Siciliæ regem uinctus perducitur in Cataloniam: apud quem in pristino honore habitus fuit. Valla libro 2. Historiarum.

Io. Basiliades, Moschorum tyrannus, ad Tartarorum decẽnouem magnates bello captos & ibi in carceribus detentos trucidãdos, præfectum satellitum Maluitam Scuratovu misit. Tartari in desperationem adacti, quòd cultellos in manicis absconditos singuli haberẽt, sese defendere cœperũt, unusq; eorum Maluitam cultello perfodit: quatuor è satellitibus occisi, XX grauiter uulnerati, reliquiq; fugati. Magnus dux statim quingentos sclopetarios in subsidium satellitum misit: quibus Tartari confecti, & membratim dissecati, in profluentem abiecti sunt. Alex. Guagninus.

Lituani anno MDLXIX. urbem & arcem Izborg ceperãt. Ea iactura offensus IO. Basiliades Moschorum tyrannus, omnes bello captos Polonos, Lituanos & Ruthenos, libertatis falsa spe è carceribus emissos, in Vvolga fluuio submergendos curauit. Vxores & liberos eorum triduo pòst eodẽ genere lethi crudelissimè sustulit, cùm diris minis ipsas semetipsas in fluuium media hyeme præcipitare cogeret. Alexand. Guagninus in Moscouia.

[redacted]

[redacted]

PATRIÆ. ERGA

Hospites, Peregrinos.

BVSYRIS Aegyptius tyrannus, hospites immolare solitus erat. Propter quam crudelitatem ab Hercule Aegyptiorum rege interfectus est, ut copiosè scribit Diod. Siculus lib. 5.

DIOMEDES Thracię rex sæuissim⁹, solitus equis immanib. obiicere hospites, quem illis eisdem obiecit Hercules. Huius soror fuit Abdera, quæ urbem sibi cognominem posuit in Thracia, Democriti patriam. Fuit haud procul Diomedis turris. Græci hos equos turpes filias fuisse aiunt, quibus admisceri cogebat hospites, mox tollebat. Palæphatus ad comesa patrimonia refert, propter equorum curam, sicut de Actæone & canibus. L. Viues in lib. 18. August. de Ciuitate Dei, capite 16.

AMICITIAM. ERGA

Amicos.

Clitus, summus & amicus & consiliarius ALEXANDRI Magni, uocatus à rege ad cœnam, cùm audiret Pranychi cuiusdam, aut, ut alij uolunt, Pieronis carmina in duces aliquot Macedones decantari, qui pridem uicti à barbaris fuerant: & Alexandrum etiam eiusmodi cantores libenter audire; iam uino grauis fremuit, negans conuenire, præsertim inter barbaros & hostes, Macedones, etiamsi infesta fortuna usi essent, ab huiusmodi hominibus ludibrio haberi. Haud ultrà iræ par Alexander Clitum primò malo percussit, pòst ablata cuidam satelliti hasta transfixit. Plut. in Alex.

Io. BASILIADES magnus dux Moschorum uni Ophanasio Vviazimski (quem unicè diligebat) propositũ suum de occupanda Nouogrodia reuelarat, ita ut bis aliquãdo per noctem de lectulo surgens, ad eum consultandi gratia ambulare non grauaretur: & quamuis Italum medicũ Arnolphũ amaret, tamen non nisi per manus Ophanasij medicinã sumeret. Ophanasius Hreorum quendam Lovuezik dictum, magno Duci insinuauerat. Ille uerò ingratissimus Ophanasium apud magnum Ducem falsò detulit, quasi arcanũ sibi creditum de uastandis Nouogrodensibus & Tvuerensibus reuelasset. Dux quadam die dissimulato odio cum Ophanasio consilia cõferens, satellitibus suis ut seruos eius precipuos trucidarẽt, imperauit. Ophanasius oculis auersis dissimulans præteriit. Mox iussu Principis bonis omnibus spoliatus, & ex familia eius decemseptem uiri nobiles occisi sunt. Hinc in locum publicum, ubi debitores baculis cęduntur, productum, ut thesauros recõditos indicaret, qualibet die bis terue crura baculis uerberari præcepit, ita ut cutis instar tympani intumesceret: donec tormentis eò adactus est, ut ciues aliquot Moschouiẽses locupletes sibi magnam summam pecuniarum debere mentiretur, quam illi summam principi numerare compulsi sunt. Neque hoc exsatiatus, ipsum multo crudeliùs torqueri iussit, donec prę nimiis uerberibus spiritum exhalauit. Seruos eius reliquos trucidauit, uirgines uxoris pedissequas, quadraginta numero, acu pingere peritissimas, forma præstãtiores, ad explendam libidinem rapuit, anno MDLXX. Alexander Guagninus in Moscouia.

Amasios.

Cùm Bellerophon, propter occisum Bellerũ Argos exilio mutans, Tirynthem peruenisset, Prœtiq; regis hospitio esset usus: ANTHEA regis uxor, adolescẽtis amore correpta, cœpit illius animum ad stuprum sollicitare, & sui copiam obtulit. Ille ubi flagitium recusasset, hospitij religione motus, illa prior occupans, uersoq; in odium amore muliebri, Bellerophontem apud maritum occultè detulit, tanquam ab illo fuisset de stupro interpellata. Quod ubi persuasisset, quo ad poterat regis animum in perniciem iuuenis instigabat, semper ad aurem occinens illud Homericum:

τεθναίης ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην. hoc est,

Aut morere Proete, aut interfice Bellerophontem.

Prœtus uelut officij causa Bellerophontem ad Iobaten hospitem mittit, additis literis uelut in illius commendationẽ scriptis. In his mandabat Iobatæ, ut iuuenẽ quoquo pacto tolleret è medio. Erasmus è Zenodoto.

Quidam tradunt HIPPODAMIAM, Myrtili aurigæ amore correptam, cùm is mulieri consentire nollet, amore in odiũ uerso, tanquam suæ pudicitiæ insidiaretur, eum apud Pelopem maritum accusasse. Pelopem re dissimulata, in angusto & præcipiti litore equos agẽtem, in subiectum pelagus præcipitasse, quod inde Myrtoum sit dictum. Myrtilus moriens, diris imprecationib. Pelopis domum prosecutus est. Eustathius Iliad. β. ubi Hom. φίλοπτα πλήξιππον appellat.

TRAM-

TRAMBELVS Telamonis F. Apriaten Lesbiam per insidias rapiens, cùm uotis eius satisfacere nollet, in mare præcipitauit. Parthenius in Erot. c. 26.

HIALTO, inter regios Danorum proceres spectatæ probitatis, ea nocte, qua Roluo Danorum rex ab Hiarthuaro Sueco per dolum cæsus est, ruri scorto op am dabat. Vbi uerò per noctis silentium armorum strepitum audiuit, properè regi opem ferre parabat. Discedentem pellex percontari cœpit, si ipsi quid humanitùs accidisset, cuius ætatis uiro nubere deberet? Hialto indignatus amoris sibi successorem iam quæri, præciso naso eam deformauit, & liberam se ei optionem relinquere dixit. Saxo lib. 2.

Hostes uiuos.

Quæ erga Captiuos exercetur sæuitia, qui clementiæ spe se dediderant, huius etiam loci est, quatenus Hostes sunt. Exempla pete ex Tit. Victoriæ insolentis. item, Fidei hostibus non seruatæ.

DAVID cùm urbem Ammonitarum Rabbatha cœpisset, populum uniuersum, nullius ætatis aut sexus habito discrimine, à ferratis curribus atq; equis dilaniari in frusta, atq; proteri iussit. Quam sæuitiam sæpiùs quoque postea in multas eius gentis urbes exercuit. Fulg. lib. 9. c. 2.

MANAHEMVS, Gadis F. cùm Sellumum tyrannum interfecisset, & Israelitarum regnum occupasset: Thapsam urbem, quæ ei parére recusabat, expugnauit, omnibusq; cæsis grauidas mulieres dilaniauit. 4. Reg. 15.

AMASIAS Iudęorum rex, in ualle Salis occidit X Syrorũ millia: totidẽq; uiuos cepit, & de rupe pręcipitauit. 2. Paral. 25.

Medorum princeps Darius, primus Babyloniorũ destruxit imperiũ, occiso Balthasar nepote Nabucodonosori, qui Euilmerodachi F. fuit. Tantam autem scribit propheta MEDORVM & PERSARVM sæuitiam, ut ardore sanguinis effundendi aurum argentumq; contemnerent, & oblatas opes pro luto reputarent. Hieron. com. lib. 5. in Esaiam cap. 13.

NABVCODONOSOR Chaldæus, capta Hierosolyma, Sedeciæ regis Iudæorum filios omnes & principes & nobiles in conspectu eius Reblathæ interfecit, ipsum oculis excæcauit, & cathenis uinctum, Babylonem abduxit. Ieremiæ 39. & 53. & 4. Reg. 25.

HERCVLES florenti adhuc ætate regem Eubœæ Pyręchmẽ, bellum Bœotiis inferentem, cùm uicisset, pullis equinis alligauit, ut in duas discerperetur partes. Plut. in Parall. ex 3. de Fluminibus libro.

Capta Troia MENELAVS Deiphobum, post Alexandri interitum Helenæ maritum, exectis primò auribus brachiisque ablatis, dein naribus, ad postremum truncatũ omni ex parte fœdatumq;, summo cruciatu necauit. Priamum Neoptolemus, sine ullo ætatis honorisq; respectu, ad aram iugulauit. Cassandram Aiax Oilei ex sacro Mineruæ captiuam abstraxit. Hoc modo consumtis cum ciuitate Barbaris, delibẽratio inita super his qui ad deorum aras auxilium uitæ implorauerant: decretumq; ab omnibus, uti per uim auulsi necarentur. Tantus dolor iniuriæ, & ob id studium extinguendi nominis Troiani incesserat. Per templa ac semiustas domos populatio rerum omnium, ac per dies plurimos, ne qs hostium euaderet, studium inquirendi. Ad coaceruandũ auri atq; argenti materiam opportuna loca destinata, & alia ob preciosam uestem. Dictys lib. 5.

MINOS uictis Atheniẽsibus crudele tributum imperauit, ob interfectum in Attica ipsius filium Androgeum. Cùm enim iussi fuissent ab oraculo, ad auertendam sterilitatem & morbum, quibus premebant, ut legatis ad Minoa ablegatis se ipsi reconciliarent: ille tale fœdus cum eis fecit, ut tributum nouem annis mitterent septenos impuberes adolescentes, totidemq; uirgines. Pueros in Cretam deportatos horrendissima fabula iactat in Labyrintho Minotaurum peremisse, uel uagantes, nec inuenire ualentes exitum, ibidem mortuos. Plut. in Theseo.

Nominant orobum Tralliani catharterem, eoq; potissimũ in procurationibus & expiationibus utuntur. Leleges enim quondam & Minyæ his exactis oppidum & agrum eorum insederunt. Pòst reduces TRALLIANI uictoresq;, quotquot ex Lelegibus non fuerunt absumti neq; profugerunt, sed propter inopiam & imbecillitatem remanserunt ibi: horum nulla ratione habita, uiuerent an interirent, lege sanxerunt: Siquis Trallianus Minyam uel Lelegem necasset, id ne fraudi ei esset, si medimnum oroborum interemti necessariis esset admensus. Plut. in Quęst. Græcis.

ARTOXERXES rex Persarum, uicto Cyro fratre, duces obtruncauit cæteros, eosq; canibus & alitibus laniandos obiecit. Clearchi Spartani ducis cadaueri uẽti procella cumulum terræ excitauit atq; iniecit corpori, idq; contexit. quo loco enato palmeto breui eximium nemus excreuit, ac locum eũ inumbrauit. Itaq; magna ductus est pœnitẽtia rex, quòd uirum diis charum peremisset. Plut. in Artoxerxe.

Ciuitas ATHENIENSIVM, indigno glorię suę decreto, Aeginensium iuuentuti pollices abscidit: ut classe potens populus, in certamen maritimarum uirium secum descendere nequiret. Valerius lib. 9. cap. 2. At Cælius lib. 15. cap. 27. ex Aeliani lib. 2. de Varia hist. causam affert, ut ne gestare hastam possent, possent autẽ remis uti. Cuius crudelitatis auctorem facit Philoclem prætorem Plutarchus in Lysandro. Mitylenæos ἡβηδόν, id est, indiscriminatim uel cum puberibus iugulari statuerunt, & Cleone quidem auctore, Cleæneti filio. Bello Pelopõnesiaco Melios obsidione domitos deditosq;, præter imbellem multitudinem, quam ad seruitutis ignominiam seruarunt, ad unum omnes ferro confecerunt, colonis Melum ex Africa missis. Sabellicus lib. 7. Enneadis tertiæ.

PERICLES Chalcidenses, Hippobotas dictos, item Estiẽses omnes exterminauit, eoq; coloniam deduxit Atheniensiũ: hac usus in eos sæuitia, quòd illi naui quadam capta Attica, omneis qui in ea erant contrucidassent. Plut. in Pericle. Terram eorũ, quæ Hippobota dicitur, in XL portiones sorte distribuerunt, reliquam elocarunt: captiuos affecerunt uinculis ac contumeliis compluribus. Aelianus libro 6. de Varia historia.

Obsessi ab Atheniensibus Samij, nono mense fecerũt deditionem: quorum muros PERICLES diruit, naues ademit, atque ingenti summa pecuniæ eos multauit. Duris Samius unum addit (de quo tamen nihil meminit nec Thucydides, nec Ephorus, nec Aristoteles) trierarchos classiariosq; Samios in forum Milesiorum Periclem produxisse, & asserib. X dies alligasse, demum semianimes iam iussisse fustib. concidi capita, atq; ita eos interfici: inde insepulta proiici cadauera. Verùm enimuerò uidetur Duris, quò inuidiam Atheniensibus conflaret, atrociùs patriæ intendisse calamitates. Plut. in Pericle.

Belli Peloponnesiaci anno IV. Platæenses omnium rerum inopia domiti, urbem ultrò LACEDÆMONIIS dedidêre, iudices se eos habituros professi, qui de noxiis, si ita uideretur, supplicium sumerent, iidem indemnatum neminem occiderent. Ita conditione recepti, haud multò pòst ad eorum conspectum constituti, qui ex Lacedæmone missi fuerãt, ut Platæensium causam cognoscerent, rogati hoc tantùm, an quicquam de Lacedæmoniis & sociis eo bello bene meriti essent? Nihil, responderunt. Rursus rogati, nunquid iniuriæ Spartiatis intulissent? cùm itidem negarent, inde abducti ad unum, quum CC numero essent, iussi sunt interfici. Athenienses qui unà obsidionem pertulerant in seruitutem redacti sunt. Thebani urbem Megarensib. domo pulsis habitandam concessere, restitutis Platæensium exulibus, qui secum ab initio senserant. Cæterùm uertente anno à fundamentis totam diruerunt, agerq; publicatus est. Sabellicus libro 6. Ennead. 3. ex Diod. lib. 12.

LACEDÆMONII Messeniis superatis, omnium quæcunq; in Messana erant dimidiam partem cœperunt, & mulieres liberas in funera prodire coegerunt. Ex uiris aliquos reliquerunt colendo ruri, nonnullos uendiderunt, multos etiã morte multarunt. Ael. lib. 6. Var. hist.

LYSANDER Lacedęmonius Thassum Carię urbem per uim cepit, sociam Atheniensium, pubertatemq; omnem ad XC iugulauit, pueris ac mulieribus sub hasta uenditis, & subruit urbem. Diod. lib. 13. Victis ad Aegos flumen Atheniensibus, captiuorum tria millia interfecit. Hinc urbes circumuectus, quos offendit Athenienses, his imperauit, ut concederent omnes Athenas, parsurum se denuncians nemini, quẽ extra urbem deprehendisset. Id agebat, atq; in urbem cunctos redigebat, eo consilio: quò breui ingentem famem & arctam annonam ibi efficeret, ne affluente commeatu obsidionem ferentes, eam redderent sibi laboriosam. Iam deleto passim populi iure, & aliis reipub. formis, harmostas Lacedæmonios singulis oppidis reliquit, præterea ex conflatis ab se per oppida sodalitiis denos rectores. Vt iam laborari Athenis intellexit fame, Piræeum decurrit compulitq; urbem ad deditionem, & coegit pacem quibus uellet conditionibus accipere. Ephororũ decretum ita habet: Magistratus Lacedæmoniorum hæc decreuêre. Piræeum & longos muros demoliminor, omnib. oppidis exceditote, agrũ uestrum colitote. Hæc si faxitis, pacem habetote. Quę oportet, datote: fugitiuos redditote, de nauium numero quicquid statuere uidebitur, id facitote. Hãc scytalã Atheniẽses Theramene Anconis auctore acceperũt. Plut. in Lysandro.

PHILOPOEMENES, qui Lacedæmonios Achæorum concilio adiunxerat, incusans nescio quid Lacedæmonios, exules prætor in urbem reduxit, XXC Spartiatas occidit, ut auctor est Polybius (ut uerò tradidit Aristocrates, L supra trecentos) muros demolitus est; magna parte agri multauit eos, eamq; attribuit Megalopolitanis. Quicunq; adscripti à tyrannis in ciuitatem Spartanam fuerant, exterminauit, & in Achaiam abduxit omnes: extra tria millia, quos dicto nõ

audientes & excedere abnuentes Lacedæmone sub hasta uendidit. Hinc quasi ad illorum ludibrium ex ea pecunia ędificauit Megalopoli porticum. Quo autem magis indulgeret suo in Lacedæmonios odio, Lycurgi institutionem soluit, compulitq; pueros & adultos, quasi ex Lycurgi legibus nunquam moderatos spiritus gesturi essent, patriam cũ Achaica commutare disciplinam. Qui cùm id temporis calamitatũ mole Philopœmeni quasi neruos ciuitatis præbuissent incidendos subacti, cicurati & fracti fuerunt. Cæterùm aliquanto pòst beneficio pop. Rom. relictis institutis Achaicis, pristina, quoad eius fieri poterat, reduxerunt. Plutarch. in Philopœmene.

ACHÆI, Arato prætore, Mantineorum (qui cum Spartanis faciebant) potiti urbe, Antigoni regis ope, clarissimos & primores ciuitatis contrucidauêre. Cæteros partim sub corona uendidêre, partim in Macedoniam miserè compedibus uinctos, pueros & feminas in seruitutem abripuêre. Coactę ex illorum sectione pecuniæ tertiam partẽ ipsi inter se partiti sunt, duas partes diuiserunt Macedonibus. Mox ubi urbẽ illam Argiui dono ab Antigono acceperunt, atq; eò deducere statuerunt coloniam: Aratus ad id delectus, & prætura fungens, decretum fecit: ne deinceps Mantinea, sed diceretur Antigonia, ut in hãc usq; diem dicitur. Ita uidetur illius opera amabilis Mantinea in totum expuncta: manet autem cognomen urbi tractum ab illis, qui eam deleuerunt, & sustulerunt ciues. Plut. in Arato.

PHILIPPVS Macedo, uictis ad Cheronæam Thebanis, captiuos non solùm non dimisit, sed interfectorum etiam corpora uendidit, principes ciuitatis alios percussit, alios in exiliũ egit, bonaq; omnium occupauit, exulibus ad tercentũ numero restitutis, quibus ciuitatis administrationem permisit. Mirum est, Philippum ea in Thebanos sæuitia usum, & quòd non plus uetus hospitium apud eum, quàm præsens iniuria ualuerit. Triennio Philippus puer Thebis fuerat, atque ex Epaminondæ consuetudine ea consecutus creditur, per quæ postea tantus imperator extitit. Sabel. lib. 3. Enn. 4. Græci metuentes eum, se in eius fidem dedidêre Thebani, Megarenses, Corinthij, Achiui, Elienses, & Eubœi. At eos Philippus omnes, præter ius & æquitatem, in seruitutẽ redegit. Aelianus lib. 6. de Var. hist.

Mortuo Alexandro Magno, PERDICCAS expeditionem fecit aduersus Ariaratham, Cappadociæ administratorem. Is enim non obediens Macedonibus, ab Alexandro neglectus fuerat, quippe Daricis certaminib. distracto. Perdiccas prælio cum eo congressus atq; uictor, interfecit ad MMMM. uiuos cepit totidem, Ariaratham captum, eiusque cognatos omnes excruciatos crucifixit. Victis autem concessa salute, compositisq; rebus Cappadociæ, tradidit satrapiam Eumeni Cardiano. Diodorus lib. 18.

DIONYSIVS Syracusiorum tyrannus, ob denegatum suis commeatũ Rheginos XI menses obsidens, & omne eis auxilium commeatumq; intercipiẽs, graui omnium rerũ eos pressit penuria, sic ut frumenti medimnus quinq; minis uęniret. Primũ igitur equos & alia iumenta in alimentũ adhibere cœperunt: postea uerò ipsis quoq; coriis ac pellibus maceratis & coctis pro cibo utebantur: postremò urbem egressi, herbas circa murum crescentes pecudum instar depascebantur. Dionysius audita hac eorum angustia, non solũ non misertus est eorum, sed & herbas loci eius & gramina passim succidi ac euelli iussit, quò putrefacta pro cibo esse eis ampliùs non possent. Quibus malis uicti, urbem tyranno tandem dederunt. Idem lib. 14.

GALLI, post acceptam ad Thermopylas cladem, in Aetoliã irruentes, Callienses crudeliter tractarunt: quicquid mariũ fuit, ad internecionem exciderunt. Senes & paruulos ab ipsis matrum uberibus abreptos immaniter trucidarunt. Horum si qui erant lactis alimonia meliùs curati, sanguinem hauserunt, & ipsis etiam carnibus in cibum sunt abusi. Mulieres & nubiles puellæ, urbe expugnata, quæ fuerũt elatioris animi, sua sibi manu mortem consciuerunt. Quæ superstites fuêre, eas Barbari omni cuiusuis exquisitæ contumeliæ genere affectas lacerarunt. Et earum sanè multæ, Gallorum enses nactæ, in eos ultrò incubuerunt. Aliæ nõ ita multò pòst immaniter Barbaris in eas uicissim irruentibus, inedia & uigilia mortem oppetiêre. Quibus neq; spiritum exhalantibus, neq; iam exanimis, quo minùs libidinem explerent suam, illi parcebant. Pausan. in Phocicis.

ANTIOCHVS Epiphanes Syriæ rex, reuersus ab Aegypto, quam metu Romanorum reliquerat, Hierosolymam occupauit, intromissus à Menelai factione, innumerosq; trucidauit. Anno secundo post captam urbem Olymp. CLIII. spoliato templo, & ablatis uasis sacri ministerij, & inter cætera candelabris aureis, altari aureo, mensaq; propositionis quã uocant, ac ne aulæis quidem relictis, quæ è cocco ac bysso constabant, euacuatis etiam thesauris reconditis, ita ut nihil omnino relinqueret, coniecit Iudæos in luctum maximum, nam & quotidiana sacra iuxta legis præscriptum uetuit eos facere: direptaq; tota urbe, habitatores partim necauit, partim captiuos unà cùm liberis & uxorib. abduxit, usq; ad X millium numerum. Incendit etiam ædificia pulcerrima, & demolitus mœnia, in inferiore urbe arcem condidit (erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens) & Macedonicum præsidium imposuit: admixti tamen erãt ex impiis Iudæis scelestissimi, à quibus plurimum uexata fuit ciuitas. In templo quoq; ara posita porcos mactauit, sacrificium à Iudæorum religione alienissimum: & cogebat omnes abrogato ueri Dei cultu, ipsius uenerari numina: & oppidatim exstructis templis atque altaribus, porcinas in eis quotidie iugulare uictimas. Comminatus est etiam grauẽ pœnam, si quis liberos circumcideret, constitutis qui mandata exigerent, atque etiam ui ad ea seruanda detrectantes cogerent. Et maxima quidem Iudæorum pars uel spõte uel metu supplicij parebat edictis regiis: qui uerò probatiores erant, & generosæ indolis, maiorem rationem habuerunt moris patrij, quàm pœnæ intentatæ sibi per aduersarios: quamobrem quotidie necabantur excruciati tormẽtis crudelissimis. Flagris enim cæsi & lacerati corpora, uiui adhuc & spirantes suffigebantur crucibus. Vxores autem eorũ & circumcisos liberos strangulabant iuxta mandatum regiũ, & suspendebant à crucifixorum parentum ceruicibus. Abolebatur etiam ubicunq; repertum esset sacrum uolumen aliquod, & ipsi apud quos inuentum esset mali, malè peribãt. Iosephus lib. 12. cap. 7.

ALEXANDER Iannæus, Hierosolymorum rex, proditione capta Gaza, primò pacatus introgressus est, deinde immisit in oppidanos militem, permissa sęuiendi licentia, ac passim Gazæi trucidabãtur: nec tamen illi moriebantur multi, sed repugnantes inuasoribus non pauciores Iudæos interimebant. Alij uerò desolatas priùs ædes incendebant, ne hostis pręda potiri posset: quidam etiam suismet manibus uxores ac liberos contrucidabant, ne in captiuitatem abstraherentur. Senatores autem numero D in Apollinis confugerant (fortè enim senatus habebatur, cùm hostis intromissus est) quibus iugulatis, & diruta insuper urbe reuersus est Hierosolyma, anno pòst quàm castra ad Gazam admouerat. Idẽ libro 13. capite 21.

CARTHAGINENSIVM duce Himilcone Siciliam uastantium inaudita crudelitas. Nulla immanes animos commiseratio mouebat, nulla conditio, nulla ætas captiuos tuebatur: nihil cuiq; prodesse, nulli parcere, sed immani crudelitate uariis infelices cruciatibus dilaniare, alios cruci affigere, alios per contumelias & intolerabilia probra uexatos distorquere. Diod. lib 13. Nota est eorundem in Regulũ immanitas, à Silio lib. 6. decantata.

HANNIBAL ab Aegestanis contra Selinuntios in Siciliã accitus, Selinuntem expugnatam diruit: nullo genere crudelitatis omisso. Ad XVI millia mortalium cæsa. Inde Himeram cum omnibus copiis proficiscitur, summo desiderio eam urbem euertendi, quòd propter eam pater suus exul erat: auus uerò Amilcar castris ad eam positis per fallacias & artes bellicas à Gelone deletus fuerat cùm exercitu, in quo centum quinquaginta militum millia ceciderant, nec his pauciores capti in prædam seruitutemq; dati fuerãt. Capta ꝑ uim urbe, cædes à Barbaris fieri cœpta, obuios quosque implorantes misericordiam iugulare: nec à crudelitate cessatum, donec ab Hannibale edictum prodiit, ut uiui deinceps caperentur. Tum subitò ad rapinam conuersi, Hannibal sacra deûm templaq; omnia spoliauit, abductisq; inde qui ad aras confugerãt supplicibus, incendio cuncta uastauit, urbem solo æquauit, annis quadraginta & ducentis ante id habitatam. Ex captiuis mulieres & pueros per exercitum distribuens sub custodia teneri iussit. Viros bello captos circiter tria millia iussit omnes in eum locum abduci, ubi antea Amilcar auus suus à Gelone profligatus perierat, ibique uerberibus omnes contumeliisq; affectos iugulat. Diodorus lib. 13.

VALERIVS Leuinus consul, contra Hannonem ducem Carthaginensium missus, Agrigentum in potestatem suam redegit: Senatum securi percussit, cæteros sub corona uendidit. Volaterranus lib. 20.

L. SYLLA insano tenebatur ardore expugnandarum Athenarum: uel quòd æmulatione quadam umbratilem pugnam susciperet cum antiqua illius ciuitatis gloria, uel quòd esset irritatus dicteriis & scurrilitatibus, quibus eum Metellamq; assiduè ex muris deridendo & insultãdo exacerbauit tyrannus Aristion. Vrbe potitus, omnes hostes in Ceramicũ conclusos, forte decimum quẽq; iugulauit. Aristionem Mithridatis regis legatum è templo Mineruæ ui extractum necauit. Vt præteream per partes urbis reliquas interfectos: qui factus in foro sanguis est, totum Ceramicon usq; ad Dipylon mersit. Addunt multi & per portam effudisse suburbiũ. Quanquam autem numerus fuit tantus ita peremtorum: haud pauciores tamen fuerunt, qui lamentantes & dolẽtes uicem urbis uelut interiturę sibimetipsis manus intulêre. Id enim ad desperationem & timendum de salute adegit optimos quosq;: qui nihil clementiæ, nihil moderationis expectabant à Sylla. Sed enim hinc Midia, hinc Calliphonte exulibus orantibus, & genibus eius aduolutis, hinc quicunque senatorij ordinis castra eius sequebantur deprecãtibus, uindicta iam expletus, postquam ueterum Atheniensium præfatus est laudes, multos ait paucis, & defunctis uiuos se cõcedere. Ob hanc crudelitatem phthiriasi postea absumtus creditur. Pauf. in Atticis, & Plut. in Sylla.

MVNATIVS Flaccus, Pompeiani nominis acrior quàm probabilior defensor, cùm à Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguẽsium obsideretur: omnes eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos de muris præcipitauit. Feminas quoq; ciuitatis nominibus uirorum, qui in contrariis castris erant, ut cædes coniugum suarum cerneret, & maternis gremiis superpositos liberos trucidauit. Infantes alios in conspectu parentum humo infigi, alios superiactos pilis excipi iussit. Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano iussu, Lusitanis manibus administrata sunt: cuius gentis præsidio Flaccus uallatus Cæsari resistebat. Val. Max. lib. 9. cap. 2.

ROMANI milites omne genus uindictæ contra Iudæos in Hierosolymitano excidio deprehensos exercuerunt. Plurimos ferro, flammis, fame enecarunt. Multos bestiis obiecẽre, aut in theatro inter se digladiari coegerunt. Specie quidem uindictæ ob bellum contra Rom. obstinatissimè gestũ: at diuino consilio, ut sanguis iusti in capita illorum redundaret. Iosephus lib. 7. c. 20. belli Iud.

IVDÆI, qui circum Cyrenem habitabant, cùm contra Romanos atq; Græcos feliciter pugnassent, Andrea quodam duce: in Romanos & Græcos milites mirum in modum sęuierunt, lacerarunt interfectorum corpora dentibus, comederunt uiscera, pinxerunt se hostium sanguine, multos à uertice transfixêre medios, multos obiecêre bestiis, multos etiã inter se certare coegerunt, ita ut interierint hominũ ad CCXXM. Dion Nicæus, & Xiphilinus in uita Traiani.

CONSTANTINVS Magnus, anno CCCIIX. Bructeris Frãcorum populis regum suorum supplicia deplorantibus intulit bellum. Exercitu repentè Rhenum trãsmisso hostes inopinantes inuasit, ne copiam, ut antè, refugiendi in syluas haberent, atq; homines, pecudesq;, quas nactus est, promiscuè strauit, uicos incendit, puberes, quos captiuos abduxit, atq; indignos uenia iudicauit, munere magnifico edito bestiis laniandos obiecit. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

SCYTHARVM quidam centesimum quenq; ex captiuis immolant, sanguinem potant eius quem primum cepêre. Probro datur hominem non occidisse. Bellicis expeditionib. nisi qui hostile caput ad regem detulerint, fiunt totius prędæ expertes. Sarmaticis Scytharum uirginibus non priùs nubere mos fuit, quàm hostem peremissent. Sabel. lib. 5. Enn. 5.

Incolæ eius insulæ, quæ iuxta Britanniam olim Vectis, nunc MONA nuncupatur, deos suos captiuorum sanguine placabant, donec Romani per Suetonium Paulinum sub Nerone superatos, ad mitiorem cultum redegerunt, euersis templis, combustisq; syluis, ubi ea sacra peragebant. Fulgosus lib. 2. cap. 5.

SCORDISCI cum Illyricis & Thracibus promiscuè se habuẽre, omnium quoq; Thracum immanissimi, quando eorum ritu hostili sanguine diis litare, ex eorum caluariis pocula fingere, grauidarumq; mulierum partus tormentis extorquere, pro nullo facinore reputarunt. Bonfin. lib. 5. Dec. 5.

Bello Gothico BELISARIVS Iustiniani dux in Campaniam delatus, Neapolim uicesimo die expugnatam uastauit, ciuibus cum militibus interfectis. Increpatus pòst ob hanc sæuitiam à Syluerio Pp. nouos colonos eò misit Cumanos & Puteolanos. Paulus Diaconus rerum Rom. lib. 16. Blondus, & Procopius.

TOTILA Gothorum rex, cùm per septennium urbem Perusinam obsedisset, & tandẽ expugnasset, ciues omnes obtruncari, Herculanum episcopum uirum sanctissimum excoriari, & capite multari iussit. Gregorius Turon. lib. 3. Dial. c. 13. Capta secundò Roma tertiam partem murorũ disiecit, Capitolium incendit, omnia diripuit: & tanta passim feritate debacchatus est, ut Dei flagellum diceretur. Egnatius libro 9. capite 3.

SIMEON Labas, ex monacho dux Bulgarorum creatus, occasionem contra Romanos quærens, mercatores ipsorum uectigalibus iniustis premebat. Leo V. Imp. misit exercitum contra ipsum. Simeon uictor nares omnibus mutilauit, & mutilatos Byzantium remisit. His iniuriis lacessitus Imperator, donis multis effecit, ut Turci, qui ad Istrum erant, quiq; Vgri uocantur, contra Bulgaros arma sumerent. Cusp.

CACANVS Auarum rex, ex Norico in Italiam transcendens, interfecto Gisulfo Foroiulij duce Alboini Longobardorũ

regis nepote, Romildam eius uxorem, libidinosiss. mulierem, nuptias eius pactus, palo affixit, oppidum diripuit, emissaque oppidanorum turba pluribus locis subiecto igni momento temporis absumsit, ita ut ne uestigia quidem loci ulla hoc tempore extent. Sigebertus, anno DCXVI. & Paulus Diaconus.

ROSSI antequam fuêre à ducibus Romani Lacapeni Imper. debellati, captiuorum alios in cruces egerunt, alios terrę affixerunt, alios pro scopo constituêre, inque eos sagittas direxerunt. Quicunque captiuorum sacerdotio præditi erãt, eorum capita acutis clauis perforarunt. Multa etiam tẽpla incenderunt. Cedrenus.

Annò MCCCCLXXIX. per brumam solito acriùs rigentem, RVSSI in Liuoniam eruptione facta crudeliter desæuierunt, in omnem ordinem & sexum. Nemo illis aciem uenientibus opposuit: ordinis Teutonici fratres satis habuere tutari arces. Itaque infantes palis infixerunt, ubera feminis abstulere, uiros atrociter necauere: & prædis abactis, incendio relicto abierunt. Cranzius lib. 13. Vandal. c. 16.

ARIPERTVS II. Longobardorum rex, Ragumberti F. qui Luitpertum regno paterno priuauerat, acie capto Luitperto, regi innocenti puero uitã ademit, & Sigibrando, Asprandi, qui tutor Luitperti erat, filio, oculos eruit: & Theoderatę uxori atque Aurunæ sorori miserandum in modum nasum auresque uulnere fœdissimo detruncauit: Luitprando tantùm puero (qui pòst regnauit) ignotum, & ad patrem, qui in Baioariam exulatum contenderat, se conferre permisũ. Sigonius lib. 2. regni Ital.

CLODOMIRVS, Clodouei F. Aurelianensium rex, arma in Burgundionum regem Sigismundum cepit, quòd Sugeriũ filium ex filia Theoderici Ostrogothorum regis procreatũ, superinducta nouerca non conferendæ nobilitatis, necauisset. Pugna commissa, desertus ab suis Burgundio. Ipse, liberique ex posteriore uxore procreati, capti Aurelianum ducti, ac in puteum coniecti. Non multo pòst Clodomirus ulteriorem Burgundiam cum uictricibus copiis penetrans, in prælio occisus est. Eius filij duo à Clothario patruo, ne in consortium regni aliquando uenirent, crudeliter necati, tertius cœnobio sese sacrauit. Aemilius lib. 5.

Rodulfus Viromanduorum Comes, uxorem iustam repudiarat, Petronillæ sorore reginæ Leonoræ, Ludouici Iunioris Francorum regis uxoris, superinducta. Vnus Comes Campanus Theobaldus, prioris uxoris causã defendebat. In cũ rex LVDOVICVS duxit, & ad iniquam pacem coegit, ut illius intercessione interdictum à Pontifice tolleretur, spę facta Petronillæ dimittendæ. At quia Viromanduus recusabat, interdicto renouato, bellum quoq; recruduit. Itaque rex Victoriacum, quod oppidum sub ditione Blesęnsis erat, captum diripuit, profana sacraq; loca sine discrimine incendit: in æde principe ad mille quingentos puberes impuberesq; promiscuè combusti, qui sanctitate templi salutem tecturi, ad ararum tutelam supplices confugerant. Mox se colligens, ingenti dolore atque inde mœrore correptus, se afflictabat, neque solatiis ullis subleuari poterat: cùm D. Bernardus ad illum uenit euocatus, quòd in eo multùm diuinitatis eluceret, ac iam antea rege Crasso quercuũ (ut prædicabatur) secessuumque discipulus, & nullo præterea pręceptore doctissimus, è solitudine in celebritatem, ex umbra in solem, sanctitatem eruditionemq; importarat. Is cũ caussam doloris didicisset, unam restinguendi Victoriacẽsis incendij rationem esse asseruit, si uires omnes in Orientẽ ad Turcos opprimendos conuerteret. Itaq; ad sacram expeditionem suscipiendam illum animauit. Aemilius lib. 5.

Gregorius IX. Pp. contra FRIDERICVM II. Imper. crucesignatos exciuerat. Dum Romam oppugnat, captos Romanos partim quaternis ad crucis formam perfodit uulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariã scidit, partim fronti crucem incidit. Clericis, detonsa in uertice corona, crucem ferro impressit. quorum unus inflictum uulnus nimis patienter tolerare uisus, in palearum cumulum funiculo est pertractus: & quum benedicere ac laudare Deum perseueraret, igni supposito est crematus. Cranzius libro 8. Saxoniæ, cap. 9.

IDEM Parmam obsidens, captos diuersarum partium Regiẽses, Mutinenses, Placentinos, Bononienses atq; Hetruscos, ante urbis portas truncari laniariq;, & balistis maiorib. in urbem semiuiuos proiici curauit. Nec à muliercularum pudore est temperatum, si quando pauperculæ in agrum delatæ, in Saracenorum & Friderici satellitũ manus inciderent. Ibidem, cap. 14.

Henrico VI. Imp. ad occupandam Siciliam proficiscente, erat tum Tusculum Romanis aduersum, qui grauissima damna sæpe à Tusculanis perpessi fuerãt. Hi audientes Cæsaris aduentum, auxiliũ eius contra Romanos postulantes sese dederũt. Sed Imperator accepto diademate, Celestino III. Tusculum ex pacto tradidit. Pontifex illud ROMANIS in-

cõsultè tradidit: à quibus ciues crudeliter mactati sunt, pedibus manibusq; mutilati: sic ut oppidi solo æquati uestigia uix appareant. Saxa, ad memoriam conseruandã destructæ urbis, in cliuo Capitolino posuerunt. Cusp. & Sigon.

Mortuo Conrado IV. rege Rom. & Siciliæ (qui cum Friderico II. patre diris deuotus fuerat ab Innocentio III. Pontifice) relicto Conradino filio puero in Germania, hærede regnorum, Manfredus nothus Friderici sub tutelæ prætextu regna usurpauit, cùm Conradum ueneno sustulisset. Innocentius odio Friderici familiæ, armis Neapolim occupauit. In Sicilia bis à Manfredo uictus, præ mœrore obiit. Clemẽs IV. CAROLVM Andegauensem Comitem, generum Ludouici regis Franciæ, pro asserendo Siciliæ regno euocat, qui Manfredum acie uictum oppressit. Interea Conradinũ iuuenem, ex Germania pro asserendo regno paterno cum exercitu profectum, cuocante præsertim Henrico de Castilia Senatore Rom. Carolus acie uicit, captiuorum alios suspendi, alios cõfodi, alios perpetuis mancipari carceribus curauit. Conradinus cum duce Austriæ Friderico, habitu agasõnum per syluas oberrans, tandem imprudentia piscatoris, qui anulum Conradini pignoris loco pro emẽdis panibus offerebat, proditus, à Ioanne de Frangepanibus Asturæ domino captus, anno integro carceres sustinuit. Pòst Clementis Pp. consilio, uitam Conradini mortem Caroli, mortem Conradini uitam Caroli esse scribentis, anno 1268. 26. Octobr. Neapoli capitalem sententiam per Robertũ Bariensem scribam primariũ (quem Robertus comes Flandriæ ira percitus gladio cõfodit, quasi maiestatis reum) promulgari curauit, è turri procul tragœdiam hanc spectans. Accusationis capita erant, Turbatio pacis ecclesiasticæ, Regij nominis usurpatio, Arma contra regem sumta. Cõradinus adscribam conuersus, Nebulo, proditor, exclamauit, túne regis filium condemnare audes? an nescis pari in parem nullum esse imperium? Mox uerò pacem à se turbatam negauit, regium nomen hereditario iure sibi conuenire asseruit, bellum pro regno paterno iniustè ab aliis occupato se susceptsse affirmauit. Adiecit postremò, Non defuturos iniustæ necis ultores Bauaros. & chirothecam manu detractã, in turbã proiecit, ingens, Hgredẽ meũ pronũcio Fridericũ à Castilia (erat is Henrici Senatoris frater, cuius mater Sueua fuerat) quam Eques auratus exceptam tandem Petro regi Aragoniæ obtulit. Primus Fridericus dux Austriç capite plexus est: caput à trunco refectũ bis exclamauit, Maria. Cõradinus illud exosculatus, leuatis in cœlum manibus ueniã peccatorum precatus, similiter obtruncatus est. Mox Comes Gerardus de Pisa, & Eques Germanus, nomine Hurnafo. Quatuor Barones Neapolitani suspensi sunt. Carnificẽ statim sustulit alius, ne se tactare posset de cæde tam illustrium uirorum. Solus Henricus de Castilia Senator perpetuis carcerib. mancipatus est, ne fides Abbati Rietensi eius proditori data, de eo non perimendo, uiolaret. Cadauera nemo tollere inuisũ Caroli fuit ausus. Vix tandem ea sepelíri mandauit. Et sic in Conradino Sueuiæ, in Friderico Austriæ nobilissimus sanguis defecit. Neq; hac contentus crudelitate Carolus, CVI barones & nobiles è Neapolitano regno cepit, tres Amalphiæ præcipitauit, reliquos suspendio necauit. Collenucius lib. 4. Hist. regni Neapol. & Vvolfg. Hungerus in Cuspiniani Cæsaribus.

Cæso ab Hungaris Friderico Austriæ duce, Margarita, ex Leopoldo Glorioso fratre neptis, succedebat. Eam Vdalricus Carinthiæ princeps per uim occupare conabatur, Morauorum auxilio. Cæterùm dum captis aliquot arcibus remissiùs rem agit, ab AVSTRIACIS Bauarorum ope instructis ex insidiis captus est, & cum eo cõplures Morauí: quos Bauari partim nare, partim auribus, aliquos etiam manu mutilatos dimisere. Hoc tam fœdum sæuumq; dehonestamentum, Bauari paulò pòst magna suorũ cæde, multoq; regionis detrimento expiauerunt, quo illos Premislaus Othocarus, mandato Venceslai patris affecit, Bauariam cum ualido Boemorum Morauorumq; exercitu ingrediundo, illãq; circumquaque ad usque Danubium euastando, ac multos uiros fortes ibidem interficiendo. Dubrauius lib. 16.

Saxo Grammaticus scribit, Pomeranos (quos ille Sclauos uocat) olim à DANIS comprehensos, & crudelissima morte ita consumtos, ut Dani eos, reuinctis post terga manibus, primùm palis affigerent, deindè uentrium caua cultro rimati, nudatis extis, primaq; uiscerum parte protracta, cætera stipitibus explicarent: nec antè supplicium remitterẽt, quã tortos, extis funditùs altiò egestis, spiritũ profundere cõgissent. Scribit idem FROTHONEM IV. Danorum regẽ adeò insolẽter Saxonibus imperasse, ut pro quolibet membro indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerẽtur. Io. Magnus lib. 22. cap. 4.

IARMERICVS Danorum rex, Teutonum régem & reginã, à quibus in adolescẽtia iure belli captus, sed liberatus denuò fuerat, incendio sustulit. Quadraginta Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueo suffocauit. Optimatès primò tibias loris traiectos, mox immanium taurorum caudis alligatos, molossisq; incessentibus, raptim in cœnũ uoragines que pertractos, lacrymabili spectaculo consumsit. Comites, Duces, Principes Teutonicæ gentis captos, traiectis fune tibiis, equis in diuersa raptantibus, præbuit lacerandos. Saxo.

Ferunt fortissimum Sueonũ GVNNARVM, olim ob grauissimas causas Noruagiæ bellum tanta crudelitate inuisse, ut non de fortunis & imperio, sed de uita certamen esset. Rex Normannorum Regnaldus decrepitus, filiam Drotam in specu claudẽdam curauit, cum commeatu & famulitio. Sed & gladios cum regia supellectile antro mandauit, ne ferri usum hosti relinqueret. Ad bellum deinde profectus, stipatorum innixus humeris, in acie periit. Gunnarus Noruagis regem canem dedit, ut superbi populi insolentiam ne primeret. Satrapas constituit, qui sub canis titulo priuata ac publica negotia tuerentur. Statuit insuper, ut si quis ad licorum canis uestigia plenis uenerationis obsequiis insequi supersedisset, membrorum clade supplicia lueret. Sed & geminum genti uectigal imposuit, autumnale & uernale. Summa inde diligentia Drotæ latebras consectatus, municipatis famulis, puella cum repositis inibi spoliis potitur, quæ patrios duntaxat enses secretiori custodiæ tradiderat. A' Gunnaro igitur stuprum pati coacta, filium peperit Hildigerum, paternæ crudelitatis imitatorem. Borcarus Alfi quondam Danorum regis Sigarij F. miles, Gunnaro obtrũcato, sibi Drotam connubio sociauit, & ex ea Haldanũ genuit. Saxo lib. 7. & Cranzius lib. j. Norueg. cap. 25. Ioan. Magnus lib. 23. ATTILVM Sueonum regem Danis uictis cænem Racchio præfecisse scribit.

Maximus Britanniæ legatus, uicto cæsoq; Eugenio Scotorũ rege, reliquias hostium benignè complexus, Ethodio Eugenij germano, exanimi penè inuento, & multis uulneribus saucio, exactissima cura mederi iussit. Lustratas inde Siluriam, Caledoniam, & quæ illis proximæ erant Scotorũ regiones, in deditionem accepit: incolis clementer receptis in fidem, fortunis donatis, & quieta pace uiuere permissis. Tulere id ægerrimè HERGVSTVS rex, Pictorumq; maiores, Scotorum gentis penitus delendæ cupidi: adeoq; largitionibus obtinuerunt, ut quicunq; Scotici essent sanguinis in Albione, proscriberentur, regionibus eorum Britannis atque Pictis, iam tum in Romanam fidem concedentibus ac potestatem, ad culturam tributis. Scoti in Hebrides, in Hiberniam, in Orcades insulas, in Noruagiam Daniámue abiere. Nonnulli cum Romanis militibus, in Galliã, inde, merendi sub Imperatoribus causa, in Italiam. Nobiles matronæ quædam lugubri uestæ, flebili uoce legatum adierunt, utq; sibi seruili conditione in natali solo ad infelicis uitæ exitum permanere, & cum maritis cæsis communi sepulcro includi liceret, rogarunt. At Pictis aduersantib. etiam illæ proscriptæ. Post dictam exilij diem quicunq; Scotici nominis in Albione inuenti fuere, diris pœnis fœdáque occidione, nullo sexus aut ætatis discrimine, iugulabantur. Cartandis Scotorum regina, ortu Britãna, duabus cum ancillis, & uno duntaxat seruo, ad Eugenij regis monumentum, mœrore penè confecta, ad Legatum perducitur. Maximus miseratus afflictæ mulieris fortunam, obuiã ei progressus, ad sua genua procumbentem attollens, placideque consolatus, Caractonio, ueteri Scotorum regiacuitate, donauit, permisitq;, ut quos uellet reditus, ex proximis agris sumeret ad sumtus. Cartandis, quum in uillam haud procul à Caractonio iter pararet, à Picticis latrunculis intercepta, cæso seruo, ancillis immaniter pulsatis, egs, pecunia, uestibus, omnique muliebri mundo ignobiliter spoliatur. Legatus latrunculos suppliciis affecit: reginam Cartandem, celebri comitatu reductam, apud se aliquot dies retinuit: custodibus adhibitis cauit, nequis eius illuderet pudicitiæ. Postridie Pictorum magnates ad Legati ingressi, grauiter questi sunt, suos milites, suasu captiuæ mulieris & hostis, decreto eius ultimis affectos suppliciis. Petere idcirco, ut ipsa Cartandis, in Britannia, unde ei origo erat, exularet, fortunis omnib. exuta. Cæterũ Legatus in sententia perstitit, & quocunq; loco habitare uellet potestatem dedit, prædiis in alimenta assignatis. Ethodium & cæteros saucios, dum Romano more curarentur, Picti immissis percussoribus sæpius tentarunt. Cæterùm irritis semper insidiis, saltem ut in exilium agerentur, imperarũt. Hector Boethius lib. 6.

SVENO Danorum rex, uicto Eldredo Anglorum rege gemino prælio, & in Normanniam pulso, totius gentis Anglicæ extirpandæ consilium ceperat. Cæterùm nobilissimorum uirorum lacrymis flexus, iussit, ut Angli nullis exinde armis utentes, aut rei rusticæ darent operam, aut Danis seruirent. Se ut ipsum regem cuncti consalutantes, quicquid haberent auri publici priuatíue, quicquid argenti armorumque, ad se deferrent:

Arces, castella, ciuitates, ac cæteras regni munitiones Danicis permitterent præsidiis. Si horum aliquod minus placeret cuiuis, iugulum is pararet ad ferrum. Necessitate coacti Angli conditiones accipiunt: magistratibus omnibus deiciuntur, Dani sufficiuntur. Domestici exploratores cuilibet familiæ impositi, ne res nouas moliri possent. H. Boethius lib. 11.

Eo bello, quod contra Dauidem Scotorum regem Stephanus Anglorum rex gessit, uti refert Ricardus Hagulstadensis in uita Stephani, multos pueros congregatos SCOTI occiderunt, & eorum sanguinem in riuum effuderunt, matronas & uirgines nudas turmatim, rescticulis copulatas, lanceis & telis suis compungentes, abegerunt: & postquã brutorum more illis essent abusi, aliis barbaris pro uaccis uendiderunt. Ioannes Hagulstadensis etiam inquit, prægnantes cum paruulis dissecuisse, anno Salutis reparatæ MCXXXIIX. Idem & Gulielmus Neubrigensis lib. j. cap. 24. affirmat.

Anno Salutis humanæ MCXC. Latini Ptolemaidem recepérunt, anno secundo obsidionis, ea conditione, ut hoites partem crucis redderent, quam in ea ciuitate esse ferebant, & cuncti qui in præsidio erant, cum singulis uestimentis incolumes abirent. Pars ciuium captiuorũ à Philippo Francorum rege educta, cum Christianis captiuis commutatur: alteram partem, quam RICARDVS Anglorum rex deduxit, quia dominica crux non est reperta, idque barbarorum fraude factum crediderit, momento interemit: fuerunt numero circiter millia septem. Quare Ricardo uitio datum est, quod non seruasset barbaros ad captiuorum Christianorum commutationem. Polydorus libro decimo quarto, & Acmilius.

TARTARI, anno Salutis humanæ MCCXLI. duce Peta & Batho ad quinquies centena millia Russiam & Poloniam intrasere. Diuiso inde exercitu, Peta Silesiam diripuit, Henricum Lignicensem ducem ad internecionẽ cæcidit, in Moraniá à Boemorum regis Vencellai III. Olomucense præfecto cæsis. Bathus ad Sauum Hungarorum regem Belam IIII. magno clade uicit. Quacunque ibant, pecora hominesque trucidabant, capitaque hominum utriusque sexus, iubis equorum suspensa, ad terrorem obsessis incutiẽdum, ostentabant. Dubrauius libro decimosexto. Vt Villam nouam sine cruore expugnarent, primò captiuos Hungaros, deinde Rutenos & Cumanos in pugnam emisere: ipsi pro triariis erant, ut cum alieno periculo uictoriam sibi compararent. Hungari, qui in prima acie pugnabant, cum suis miserrimè dimicare cogebantur: ridebant à tergo Tartari, & gentili hoc prælio præ nimia lætitia gestiebant. Septem igitur dies assiduò pugnatum. Completa demũ fossa Hungaricis Rutenis que corporibus, Villa noua capitur. Quum omnes uiros & mulieres in suam potestatem redegissent, in campum amplissimum deduxêre, diuisere bifariam, hinc rusticos, nobiles illinc: quibus postquam uestes, arma, pecunias & ornamenta eripuêre, præter duas puellas, quas ad ueneris ludibrium reseruarunt, crudeli omnes feritate trucidarunt. Hi tantùm superfuêre, qui inter cæteros fœdati sanguine, inter cæsorum corpora delituêre. Post Villæ nouæ excidium, cœnobium Egres per deditionem ingressi, omnes interfecêre, præter monachos quosdam nonnullasque matronas, formosas que puellas, quas explendę libidini reseruarunt. Capto Strigonio tantam cædem patrarunt, ut nemo ex uniuersa ciuitate præter quindecim euaserit: in omnem sexum ætatemque sæuitum: ita ut uiuos quoque homines, palo adfixos, porcorum instar igni assasse ferantur. Ingenuæ quædam matronæ, more patrio exculcæ, in palatium se receperant: cùm ad Tartarorum principẽ prouocassent, in conspectum illius extra urbem eductæ, ut uita donarentur, suppliciter orabant. Sed priùs spoliatæ, mox capite ad unam omnes multatæ sunt. Bonfinius libro 8. Decadis secundæ.

HVNGARI quum Arnulphi Imp. tempore Europam uastarent, adustas quandoq; ex incendio humanas carnes legerunt, lectas que frustillatim deuorarunt: sæpe cùm cædibus per pagos & oppida grassarentur, humanum quoque sanguinẽ bibebant. Omnia crudelitatis genera scriptores, præterpollutam utriusque sexus pudicitiam, quam domi militiæq; semper coluerunt, in eos commentantur. Bonfinius libro 10. Decadis j.

TAMBERLANES Scytha, Tartarorum princeps, ad deditionem uocans, antequam mœnia adoriretur, primo aduentu signa candida conspecto maximè in loco proponebat. Qui eo die imperata facerent, sine insigni iniuria in fidem eos recipiebat. Postero die, purpurea, ut cruentam mortem sibi obeundam scirent. Tertio atra, uelut undique funesta: ut simul & hominum & mœnium tectorumque excidium cæde, ruina, igne opperirentur. Ab hoc nefario instituto mens essera nullis precibus reuocabatur. Cùm in obsidione cuiusdam urbis populosæ, quæ prima die deditionem negiexerat, agmen puerorum ac puellarum oleas in manibus gestantium, candida uestæ egressum obuiam tyranno ueniam supplex deprecaretur, in illos equitatum immisit, & crudeliter conculcatos cum parentibus obtriuit. Genuentis quidam, qui eius familiaritate annis iam pluribus longa consuetudine utebatur, cùm rogaret, cur in supplices non mitior esset, cùm facilius quæ uellet, si non tanta uteretur crudelitate, impetrare posset: turbato truciq; oculorum aspectu, furorem uultu distorto præ se ferente, respondit: Quid tu me hominem esse putas, & non Deiram potiùs, ac orbis uastitatem ac calamitatem? Proinde ocyùs te hinc auser, ni tu quoque periclitari cupias, & interrogationis tuæ pœnas dare. Abiit Genuensis, nec ampliùs in conspectu Tamberlanis uisus est. Baiazethem Turcarum Imp. captum Tamberlanis uisus est. Baiazethem Turcarum Imp. captum caueæ inclusit, & cathenis uinctum sub mensa, instar canis, reliquias pro sedanda fame colligere coegit. Cuspinianus, & Acmilius lib. 10.

SALADINVS Aegypti Sultanus, Sanctam terram totam, captis Hierosolymis ac Ptolemaide, uicinisque urbibus expugnatis, in dictionem redegit. Guidonem regem, & Romaldum ædituorum magistrum, non perfictorem nec carnificem supplicio admouit, sed manu propria trucidauit: reliquis, qui ex triginta millibus peditum, mille ducentis equitibus uiui capti fuere, episcopis pariter ac ædituis, hospitalium quoque præfectis & sacerdotibus, & quicunq; ex uulgo capi potuere, iussu eius iugulatis omnibus. Hector Boethius libro decimotertio. Castro de Vado Iacob expugnato, Templi milites, ferris medios dissecuit, inferioris ordinis sacerdotes capitis damnauit. Reliquæ uerò Christianorum plebeculæ uitam promisit, si nepotem suum, quem bello captum in uinculis tenebant, restituerent. Sigeberti Continuator sub annum MCXXC.

TVRCÆ expugnata tempore Alberti Hungariæ regis Sinderouia, candenti ære oculis captiuorum obiecto illos excæcarunt. Bonfin. lib. 3. Dec. 4.

Valachi, qui sub Huniade aduersus AMVRATEM II. Turcorum regem militabant, cùm uiderent se à Pannonibus in acie desertos esse, mittunt caduceatorem ad Amuratem eul pam deprecantes, seque in gratiam recipi petentes. Amurates Europæ duci (quem Bassam Romaniæ uocant) habenti milites ad XX millia, præcepit circundare corona Dacos, & armatos pœnas dare. In hunc modum miserabiliter periére. Chalcocondylas lib. 7.

BAIAZETES I. Turcarum rex, cùm Gallorum (quos Carolus VII. Andronico Imper. Constantinopolitano auxilio miserat) exercitum, anno Salutis humanæ MCCCXCV. ad Nicopolim profligasset: Niuernensem Comitem, ducis Burgundiæ F. regis Galliæ fratrem, qui ferè nudus erat, iussit ad se adduci, habitaque & ætatis, & regij sanguinis ratione, non tantùm ipsum in uita seruauit, sed insuper facultatem concessit, ut quinque ex suis quos uellet socios deligeret. Vbi selecti duces ad Comitem deducti fuêre, Baiazetes cæteros omnes ad unum trucidari imperauit. Verũ Comes quum inter eos, qui interficiebantur, Bucicaldum Galliæ Marescallum hominem gigantææ staturæ cognouisset, supplex ac lacrymans cum quoque sibi donari obnixè Baiazetem orauit & impetrauit. Alij autem omnes ante oculos sex horum superstitum necati sunt. Niuernensis Comes unà cum cæteris captiuis Prusam deductus est, & ducentorum millium aureorum precio simul omnes redemti sunt, eamq; pecuniarum summam Iacobus Mitylenæus princeps soluit. Iouius in uita Baiazetis I.

Chalcidem urbem in Eubœa insula (quæ uulgò Nigropontus dicitur) cùm MAHOMETVS II. XXX diebus obsedisset, & continenti insulam ponte iunxisset: circa muros sæpiùs dimicatum est atroci pugna, ut cùm Turcus quadraginta penè millia hominum perdidisset (habuit enim in exercitu centum uiginti millia) de fuga ac obsidione soluenda cogitaret. Sed admonitus à suis, Venetas triremes, quæ ciues Chalcidenses facilè liberassent obsidione, metu perculsas substitisse, per integram noctem oppidanos prælio fatigauit, atque oppido potitus est. Hinc crudelissimè æuitum est in omnem sexum ac ætatem: capitale erat, si quis supra XX annos quenquam natum seruasset. Magistratus & ciues necati diuersis locis. In foro præfectus urbis, in ædibus legatus: Paulus Hericius prætor urbis per medium sectus fuit: quòd ei uenia esset promissa à tyranno, cauillãti, pollicitus se ceruici, non lateribus parsurum. Paulus Andreotius in commentariis de Chalcidico excidio, & Cuspinianus, & Sabel. lib. 8. Dec. 3.

IDEM Trapezuntem terrestri nauálique prælio oppugnatam domuit. Trapezuntium Imperatorem Dauid Comnenum cum duobus filiis, qui omnes ad eius fidem confugerant, cum Ponticæ oræ & Cappadociæ principibus, liberis, uxoribus Byzantium uelut in triumphum duxit; dehinc cru-

delissimè occidit. Cuspinianus.

EIDEM mos erat, captiuis, quorum aut ætate, aut aliam ob rem inutilis uideretur seruitus futura, grandi palo per anũ adacto, in terra defixum palum in sublime erigere, atque ita quandiu fieri posset dato cibo alere. Fulgosus libro nono, capite secundo.

QUUM TVRCÆ, anno Salutis reparatæ MCCCCLIII. Constantinopolim cepissent, nullæ scelerum facies defuerunt, nulla dignitatis, sexus aut ætatis habita est ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ. Templa sanctorũ diruta sunt: ossa martyrum canibus & suibus obiecta. Redemptoris imago iterum cruci affixa, luto limoque deformata est, cum titulo, Hic est Christianorum Deus. Nullum omissum ludibrium, quod priùs exercuissent Iudæi. Princeps tantæ fœditatis Mahometus II. ubi satis in sanctorum reliquias & simulacra sæuit, feritatem conuertit in utriusque sexus homines, quos omnes more porcorum gregatim occidit, præter nonnullas liberali forma feminas, quas ad maiorem libidinis ignominiam reseruauit. Dolo in delenda nobilitate usus, palàm pronunciauit, Nobilibus fieri potestatem pecunia redimendi salutem libertatemque suam. Sed quotquot ex latibulis in apertum prodiere: ad Mahometum adducti, in conspectu eius crudelissimè trucidati fuere. Caput Constantini Imperatoris, intra portas oppressi, hastę affigi, & ad terrorem Christianorum per omnia castra circũferri iussit. Dubrauius libro uigesimonono. Rirelucas, quem alij Lucam Notaram uocant, qui post Constantinũ Imperatorem secundus erat, cæso ante oculos maiore filio, altero ad illicitos usus reseruato (duo enim alij eius filij bello cecidérant) in conuiuio ante tyrannum securi percussus est, cum aliis filiis duobus, Isaacio & Ioanne, quum supplici uoce tyrannum rogasset, ne castum pucrum sacobum, quem suæ libidini destinarat, à paternis complexibus auelleret. Conuiuatus inde, & mero inebriatus contra legem sui Mahometi, optimates ciuium (qui in augustissimũ Sophiæ templum uestuti asylum confugerant) eductos, in conuiuio iugulari iussit. Cuspin.

SELIMVS Turcorum Imperator, Memphim urbem ingressus, biduo integro cum Mamaluchis incerta uictoria pugnauit: tertio tandem die, tectis ignem inijci iussit. Tomumbeius uictus urbe excessit. Selimus tota urbe circummissis præconibus pronunciari iussit, Mamaluchos, qui intra duodecimam horam se dederent, omnes fore incolumes: postid tempus deprehensis nullam fore salutis conditionem. Aegyptiis autem qui latentes proderent se daturum præmia: contrà qui occultassent, se protinus eos palo infixurum: uxoribusque ac liberis uenundatis, domos ipsas esse concrematurum. Ad cuius edicti famam magnus eorum numerus prodiit, quibus statim cathenæ iniectæ. Iique omnes postea contra iusurandum, quòd fugæ consilium cepisse dicerentur, in custodia crudelissimè trucidati sunt. Nonnulli, qui fidei ac amicitiæ iura proditione uiolare noluerunt, delati ab aliis uicinis ciuibus, extrema supplicia perpessi, pro amicis quibus se deuouerant, constantissimè periére. Tomumbeius rex fortissimus, reparatis incassum uiribus, acie uictus, desertus ab omnibus, in paludes confugit, uir meliore fortuna dignus. Vbi eum paulò pòst agrestes mersum aquis usque ad summum pectus, atque inter iuncos & harundines latitantem deprehenderunt, uinctumque miserabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multò pòst eum aliquot ducibus amicorumque præcipuis, Memphim perductus est. Selimus eum tortoribus tradidit, ut de Campsonis regis thesauris quærerent, qui secretissimo specu abditi credebantur. Ferunt eum constanti animo ac minaci uultu, nihil præter suspiria atque horribiles gemitus, in summis cruciatibus protulisse, ut ea patientia uictoris sæuitiam superaret. Postero die eum uili camelo impositum, ac obsoleta indutum ueste, religatisque in tergo manibus, sicuti noxij ac latrones solent, per omnia urbis fora, & celeberrimas regiones circumduci iussit: ut Aegyptij, quem paulò antè regem adorarant, illum eundem uertente fortuna in extremas præcipitatum miserias, uitæ simul atque imperij dies fatali laqueo finiturum intuerẽtur. Quum uerò ad Bassuellam portam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregére, utq; transeuntibus conspectui atque ludibrio foret, unco ferreo suspensum supra fornicem reliquêre. Idibus Aprilis anno Salutis humanæ MDXVII. Familiæ Aegyptiorum, quæ opibus aut generis claritudine præstabant, numero supra quingentas, Byzantium migrare iussæ: magnaque multitudo feminarum ac puerorum ex progenie Mamaluchorum, eodem conductitiis nauibus transuecta. In classem autem præter thesauros ac regiam gazam, publica ac priuata opulentissimæ urbis ornamenta congessit, tanta rapiendi libidine atque auaritia, ut marmora, eximij operis cælatura, aut coloris uarietate cõmendata, parietib, reuellerẽt.

OTHO III. Parmensium tyrannus, qui mortuo Galeatio Vicecomite Parma regioque Lepidi potitus fuerat, à Mazgno Sforcia, qui Nicolao Atestino Ferrariæ principi merebat, uictus sæpè, cùm ex Sforcianis ad XXX equites cepisset, eos contra morem militiæ, compedibus oneratos, duro in carcere quatuor mensẽs detinuit, adeoque inhumaniter cruciauit, ut media hyeme nudos gelida aqua perfunderet. Sed perrupto demum carcere feliciter effugerunt, ut eam iniuriam Othonis cædc uindicarent. Iouius in uita Magni Sforciæ.

Columnam oppidum, unde gentis Columniæ nomen deductum uidetur, BONIFACIVS IIX. Pont. Petrum & Iacobum Colũnas cardinales armis persecutus, immani fabie deleuit. Iouius in Pompeio Columna.

Anno Salutis humanæ MCCLXXXIIII. cùm bello inter se Genuenses atq; Pisani decertarent, GENVENSES captis duabus Pisanorum triremibus, cùm Syracusis in Sicilia appropinquassent, atque per noctem extra urbis muros triremium patronos in furcis suspendissent, reliquam naualem turmam uendiderunt, precio in singulos unius cæpe constituto, eam ignominiam longè grauiorem quàm ipsam mortem arbitrati. Fulgosus lib. 9. cap. 3.

Anno Salutis reparatæ MCCCCXCIIX. FLORENTINI Butrium aggressi, per deditionem oppidum cepére: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magistris, ne ampliùs exercere artem possent, manus dextras præciderunt, suaque cuiusque collo appensa eos dimisérunt: quorum pars Venetias ueniens sese Patribus commendauit. Patres quoad uiuerent, stipendium singulis cum uacatione omnium munerum tribuerunt. Illi manibus ferreis fabrefactis se ad artem redituros, & reipublicæ usui futuros, suasq; iniurias, si Pisas remittantur, uindicaturos, fidem Senatui fecerunt. Bembus libro quarto historiæ Venetæ.

CAROLVS ultimus Burgundiæ dux, uel ipsarum tragœdiarum portenta superauit. Leodienses Ludouicum Borbonium antistitem suum eiecerant, mox restitutum, cum legato pontificio in uincula coniecerant. Suscepit bellum Carolus non minori odio quàm postea executus est: nam ut cogendo exercitu ij quibus erat id negotium iniunctum, una manu exeitum gladium habuisse dicuntur, altera ardentem facem. Captam urbem diripuit, solo æquauit, in omnes sine discrimine sexus & ætatis sæuiit. Sabellicus libro septimo, Enneadis decimæ. Heluetiorum uno die quinquentos in deditionem acceptos, partim funibus ordine alligatos in lacu submersit, partim suspendit. Fulgosus libro nono, capite secundo.

FERDINANDVS Aragonum & Neapolitanorum rex, cum filio Alfonso, multos proceres ac præclaros duces, interposita fide & sacramenti religione, in gratiam receptos, quòd antea Gallicarum partium fuissent, uiolato iure non modò hospitij, sed ipsius regiæ mensæ, crudeliter enecarunt. Eorum cadauera frecata & condita odoribus, in eo habitu quo uiui fuerant, iisdemque insignibus exornata, adseruarunt atque ostentarunt: ut eo exemplo paria timerent, qui seruire nollent. Iouius lib. 3. Hist.

Obeginnus & Calatinus, Caroli VIII. regis Galliæ duces in Aemilia, copiis atq; animis aucti, ad Mordanum Forocorneliensium castellum processere. Castellani persuasi à Marino Mercatello, Catharinæ Sforciæ præfecto, qui præsidij causa aliquot armatos introduxerat, portas clauserant, ac muro fossisque confisi Gallos, lapidibus ac sagittis summouere cœperant. Ea iniuria accensi GALLI, præsidium oppidanosque omnes ad unum trucidarunt: ut neque sexibus, neque feminis, neque pueris pepercerint. Iouius libro secundo Historiarum.

Anno Salutis humanæ MDI. LVDOVICI XII. Galliæ, & Ferdinandi Hispaniæ regis, regnum Neapolitanum inuadere constituentium, copiæ, circa Capuam conuenêre: cumque octauo obsidionis die Fabricius Columna ex uallo cum Calatiæ comite Ioanne Francisco Sanseuerino de deditione loqui cœpisset, militum in custodiendo negligentia hostibus irrumpendi occasionem præbuit: qui ob prædæ cupiditatem, & ob cladem in oppugnatione acceptam ira perciti, totam urbem multa cum cæde diripuerũt, eosque qui ipsorum crudelitati superfuerant, captiuos fecerunt. Mulieres ex omni statu, etiam quæ religioni deuotæ erant, uictorum libidini & auaritiæ misera præda fuêre: quarũ multæ postea minimo precio Romæ uenditę sunt: & fama est, aliquas Capuę minus mortẽ, quã honoris iactura horrentes, alias in puteos, alias in flumen se præcipites dedisse: ac præter alia scelera diuulgatũ est, ducẽ Valentinum Cæsarẽ Borgiã, Alexãdri VI. Pp. F. g regij uicarij appellatio ne castra tantũmodò cũ suis nobilib. & stipatorib. sequeba tur, cũ multę, quæ primũ impetũ effugerãt, in turrim quandam confugissent, oẽs inspicere uoluisse: iisq; diligenter inspectis, XL omnium formosissimas retinuisse. Guicc. lib. 5.

Bello Neapolitano MASIVS Barresa, Ferdinãdi regis dux, Lõgobuco oppido (quod antiquorum Themesen fuisse suspicantur) capto, Nicolaum Clanceoffum, Ioannis Andegauensis partes fouentem, ferra per dorsum lumbosq; adacta medium secari iussit. Idem S. Georgij arce occupata, Rogerium Orilam equitem Neapolitanum, duosq; item alios nobiles uiros è summis arcis pinnaculis in tupes maximè præruptas deijci curauit. Parta tandem pace, Neapoli agens, ob uium cùm haberet Ioannem Spathaforum, hominem sibi ualde infestum, qui salutandi regis gratia in arcem ibat, gladio obtruncauit. Qua ère in carcerẽ coniectus, aliquot post annos illuuie atque pedore obsitus illic obijt, uir in re bellica clarissimus; & dempta ira omni uirtutũ genere conspicuus: dignus qui si non magis grato, minùs saltem seuero principe usus esset. Pontanus lib. 2. belli Neapol.

Capta à FERDINANDO II. Aragonio arce Rhegij, fabri cuiusdam lignarij proditione, Galli fermè omnes à muro præcipitati, quòd de deditione, dum cœptas perficerẽt munitiones, simulanter egissent: ludificatiq; diu crebris colloquijs regem, aliquot demùm milites, incautè ante arcẽ obuersatos, tormentis repentè emissis interfecissent. Iouius lib. 3. Hist.

Pomelianum ad cryptam Pausilypi montis oppidũ GALLI, quòd ab Aragoniæ factionis hominibus portę claudebantur, nullo negotio expugnarunt: omnesq; ad unum, ut nec feminis nec pueris parceretur, interfecére: & quum abditas res quærerent, latebras omnes sedulò scrutati, quosdam qui in furnos metu mortis se coniecerant, iniectis ignibus concremarunt: alios in latrinis latitantes hastis atq; lapidibus demersos fœdissimo mortis casu pernecarunt. Iouius lib. 3. Hist.

HISPANI occupata America, ea humanitate miseros Indos tractarunt, ut ex centũ quinquaginta myriadibus, post quinquaginta annos uix superfuerint quinti centi. Fame & uariolarũ morbi *ipsis* antea ignoti contagio, plurimi, labore metallico *non* pauci periére, gladio pauciores. Multi seipsos partim ueneno, partim suspẽdio, Hispanorum tyrannidi eripuére. Mulieres imitatæ maritos, abortum procurabant, ne filij Hispanis seruire cogerentur. Petrus Cieza Tomo 2. rerum Indicarum, cap. 33. Ex insulis Leucanorum uiginti annorum spacio supra XL. millia hominum abduxerunt. Insulani enim deos esse arbitrati, fidei illorum sese committebant, dicentium se illos in Paradisum ducturos, si priùs in regione frigida Septentrionali peccata sua purgassent. Abductos autem in metalla agebant. Idem cap. 41.

Brixia à Maximiliani I. Imp. & Galliæ regis MILITIBVS anno 1512. capta est. Prælium à secunda diei hora usq; ad uesperam protractum: urbs magna ex parte direpta: matres familiãs & puellæ suos in domibus ante parentũ & maritorum ora, quos in uincula hostes coniecerant, passim uiolatæ: uirgines sacræ è templis atq; aris & deorum imaginibus, quas amplexabantur, abstractæ, ad libidinemq; abductæ. Bembus lib. 12. Hist. Ven.

Et in Vicetinis montibus Patauium uersus concameratio, an tiquitùs effodiendis ad ędificationes lapidibus facta, ingentis magnitudinis, ut terna millia passuum introrsus pertineat in eam perfugij causa, quòd os angustum habet: atq; id unum tantùm, ut facilè defendi posse uideatur, Gallis & Maximiliani Imp. militibus appropinquantibus eorum finium incolæ cũ uxoribus & liberis & ætate confectis, propè ad sex mille se abdiderunt. Eos cùm expugnare GALLI non possent, tametsi perfractis & deiectis obicibus se intulissent (loco enim perobscuro, & uiatum flexionibus cùm ambiguis, tum innumerabilibus, aqua etiam, quę in eo specu stagni instar est, muniebantur) plurima stipula internè succensa magnum eorum numerum, fumo cameras implente, interfecerunt. Bembus lib. 10. Hist. Ven.

Maximiliani I. Imp. MILITVM crudelitatem in Alba regia Vngariæ urbe diripienda, pete ex Bonfinio lib. 1. Dec. 5.

Eanocte quæ expugnationem ab Caroli V. EXERCITV Romanam anno 1527. pridie Kal. Maias secuta est, nihil unquã lugubrius aut funestius fuit Romanis pariter & inquilinis. Editæ enim omnibus in locis ad satietatẽ in nihil tale meritos inusitatæ cædes: nobilissimi senes pariter ac iuuenes tormentis excruciati: diolatum ubiq; matronarum & uirginum decus: Vestales in ipsis templis constupratæ: Cardinalium porrò principumq; domus, tanta furentium rabie, ferro atq; ignibus expugnatæ, ut nec regũ legatis parceretur: nemoq; demũ ex his, qui latebra gladios effugerint, sit seruatus, nisi uitam ac libertatem uniuersa bonorum substantia redemerit. Feritate & truculẽtia terribilis erat Germanus, sed à primo impetu, quo armatos deleuerat, à gladijs temperabat, usq; adeò remissa animi ferocia, ut exiguo facilè precio libertatem captiuis daret, & præsentibus tantùm spolijs & comportationibus lætaretur, uerteretque demùm furorem in templa & antiqui operis statuas, deformando cuncta atq; euastando, quòd pleriq; eorum, irrisis pontificum legibus, Lutherana dogmata sequerentur. Hispani autem astuta & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanaq; familiarum eruerent, tormentis atq; suppliciis in nobilissima corpora grassabantur, tanta auri cupiditate, ut Iulij pontificis cadauer, multa exesum carie, eruere, & anulo spoliare non dubitarint. Sed eius etiam gentis facinora Itali, Brutijq; præsertim, deceptis utijs, nec ullis omnino admistis uirtutibus facilè æquabant: & eo grauiore cũ inuidia, quòd in obsequium barbarorum longè promtissimi, æmulatione scelerum ab amore charitateq; communis patriæ discessissent. Iouius in Pompeio Columna.

CHRISTIERNVS II. Danorum rex, Succię regno per inter regnũ inhians, Stocholmia frustra obsessa, cùm se in urbem simulatis induciis uenturum, & cum Stenone Sture regni præside de pace acturum diceret: eo nomine obsides missos statim in uincula coniecit, & in Daniam abijt. Quadriennio pòst, misso exercitu Sueciam denuò inuadit: cæsoq; in prælio Stenone, Stocholmiam rursus obsidet, non quia capiendam armis speraret, sed ut expectaret occasionem, qua illam insidijs caperet. Erat in urbe Christina, uidua Stenonis: hæc principem locum uoluntate ciuium retinebat. Hanc hostis solicitat ad honestas conditiones, nihil non suscepturus, quodcunq; pactorum proponeretur. Christina & senatus Holmensis respondent, populo Holmensi non opus esse aliquibus conditionibus, qui liber sit, & suo iure uiuat, sitq; armis longè potentior: tamen se admittere conditiones æquas, quò pax in reliquum sit. Deinde capita proponunt conuentæ pacis: ut rex patrias leges sibi inuiolatas seruet, ciuium libertatem infractam uelit, offensas remittat omnium qui arma contrà susceperint. Danus ut fidem certissimam faceret, se hæc capita rata habiturum, addit longè etiam plura, plena moderationis & clementiæ in populum Holmensem. Itaq; conuenitur: interponitur religio sacramenti, diplomata conscribuntur, & adhibentur omnia instrumenta, quibus pacta & fœdera publicè suscepta ad posteritatem communiuntur. His artibus persuasi ciues hostem intra mœnia recipiunt, auctoritatemq; urbis secuta est magna pars regni. Hactenus esse legitimus rex creabatur: & Danus in suscepta dissimulatione durauit, donec se & militem recrearet, & arcem communiret. Nec diutiùs moratus, uocat ad consilium Danos, aperit eis uoluntatem cædis patrandæ in ciues: rationem quærit, quemadmodum cædes facta putetur se ignaro & inuito. Fuerunt quibus placeret seditionem quasi militarem excitari in urbe: sic posse censebant fortunas diripi, & necari ciues, ut integrum regi sit dissimulare imperatum scelus. Non placuit ea sententia multis. Nam per seditionem excitatam, liberum fieri aiebant etiam ciui resumere arma: quod si fieret, Danos primos futuros in desperatione salutis. Magis id placere, ut rex publicè conuiuia instituat per omnes ordines: eos uerò qui potentia & nobilitate præirent, uocaret in arcem: ita specie beneuolentiæ congregatos, & hospitali iure securos, futuros in arbitrio regis. Probauit Danus consilium, etsi à dissimulatione priori excludebatur sceleris imperati. Instruit conuiuium, pro regio luxu, ipse se effingit ad omnem speciem comitatis & hilaritatis. Triduo toto exegit conuiuas eodem apparatu. Iamq; aderat dies cædi destinatus, quum immittuntur satellites, & comprehenduntur conuiuas, conijciuntq; in carcerem in diem sequentẽ: portę urbis communiuntur, præsidiaq; intus per regiones disponuntur, contra ciuilem uim. Tubicines autem à prima aurora edidere terrificum clangorem per totam urbem. Milites iussi adesse graues armis, qui ad omnem feritatem componerent nultum: deinde hostili fremitu, & armorum concussione timorem omnibus incuterent perdendæ urbis. Videre etiam erat tormenta ænea disposita, tota uia, quæ ab arce ducit ad forum: quasi priuata & publica omnia deiectura, mixturaque ruinas cum ciuibus. Producuntur duo episcopi, Vincentius Scharensis, & Matthias Strengenensis inter medios carnifices: orant fieri sibi potestatem sacerdotis, cui faciant exomologesin. Sed is illis negatus est. Itaq; abijciuntur carnificum manibus in pannentum, & prostrati truncantur capite. Post hos, proceres producuntur, quicunque pro patria asserenda se strenuè gessissent. Inde ab arce trahitur senatus Holmensis, & totus trucidatur. Proponitur postea tabula proscriptionum. Hic satellites discurrunt per urbem, & proscriptos perquirunt: qui omnes protracti fuerunt: nam in urbe clausa remedium fugæ nullum erat. Trucidatis omnibus qui designati erant, fit impetus per militem in promiscuam plebem, quæ ad crudele spectaculum confluxerat, & passim cæditur. Inuaduntur quoque domus, & inermia corpora ad carnificinam protrahuntur. Quum uerò plurima pars ciuium sese in obscura loca abdidisset, Danus edicto proponit è domo consulari impunitatem omnibus. Infelices ciues prodeũt in publicum.

In quos priore exemplo immittit satellites, & fit cędes toto die & usq; in noctem: sequentibus etiam diebus continuis reliquiæ cęduntur. Ioannum Magnum suffixit cruci nudum membris omnib. Is diu de cruce locutus, suam innocētiam Deo permisit, multa etiam ad ciues questus de statu rerum, quo Danum irritauit. Quare misit satellites, qui uirilia abscinderent: quæ abscissa, proiecta sunt in faciem pendentis. Latus postea est transuerberatum tam uasto uulnere, ut manibus rimarentur cor: quod extractum, & ipsum abiectum est in faciem mortui. Ribingam familiam præcipuè persecutus, quum deesset iam cædi firma ætas, impuberes comprehendit, & coma constricta in nodum, suspendit à catasta: & immisit spiculatores, qui ceruices puerorum pręscinderent, truncis corporibus decidētibus in terram. Corpora deinde omnia occisorum comportari in forum iussit, subiecitque oculis, & satiauit ferum animum suo immani scelere. Triduo iacuerunt trunca corpora, uolutata & fœdata cruore suo, pòst per cloacarios extra urbem eiecta. Cadauer Stenonis extraxit sepulcro: eoque sub oculos reddito, tanta rabie tyrannus correptus est, ut illud morsu appetiuerit, canis sepulcralis more. Posthumum etiam Stenonis, eodem mense natum sepultumque, erui iussit. Omnia cadauera congesta cremata fuerunt, & cineres dissipati. Exhausta ad hunc modum urbe uiris, ad rapinas conuersus, uiduas, & orbos parentibus liberos, omnibus fortunis spoliauit: nulli rei profanę & sacræ parsum fuit. Toto eo tēpore quo tyrannus ista perpetrauit, portas urbis tenuit clausas, nequa fama cædis ad prouinciam perueniret, & bellum moueretur pro scelere uindicando. Incendio etiam abstinuit, quia latere non potuisset. Secura enim omnia & quieta esse uolebat sibi iam ad fugam spectanti: quod unum uidebat præsidium superesse impunitati sceleris perpetrati. In itinere in monasterium diuertit, cui Nouæ ualli nomen est. Monachi loci tyrannū benignè excipiunt, & omnia ministrant pro facultate: simulabat etiam tyrannus gratam sibi esse eam promtitudinem: die quinetiam festo (is erat purificationis Virginis) adiuerat templum, sacrū more Christiano spectauerat. at uix digressos ab altaribus monachos iussit comprehendi, iniici uincula, & in profluentem abiici. Abbas fortè expediuerat manus, & enatabat: quum ministri sceleris adnauigantes, hominē uulnerib. appetiuerunt, donec is sanguine & uiribus defectis mergeretur. Sic tyrānus cęde & præda opimus in Daniam uenit. Præsidium, quod urbi Holmensi imposuerat (reliquiæ scilicet uirilis sexus in perdita urbe) excursionibus, rapinis, cædibus & omni genere maleficiorum afflixit Sueciam. His malis patriæ excitatus Gostauus Erichson obses, qui ex custodia nuper profugerat, rem supra ętatem ausus, uindicem se profitetur patriæ pereuntis. Et quarto demum anno post initum bellum, mutato habitu, & plebeij hominis ueste sumta, circuit Sueciam, & populares ad arma capienda excitauit. Militē legit ex Dalecarlis, bellicosissima totius Sueciæ gente. Montes enim habitant, quà Suecia ad Noruegiam uergit: apud quos etiam fodinæ sunt argenti & æris, quarum occasione in metallis fodiēdis conflandisque exerciti, indurantur ad præcipuum robur: id quod peperit ipsis nomen, ut Dalekarli uocentur. Dale enim uallem significat, Karli autem uiros, cum emphasi, eos qui præsenti animi uigore præstent. Addunt Dalekarlis præterea ingentes spiritus, opes quas plurimas habent: suntque ad iniuriam propulsandam supra omnes irritabiles. Hoc milite usus, aggreditur præsidium Danorum, quod Aorosiæ ciuitati impositum erat, atq; deturbat. Gostauum episcopum acie congredi ausum, profligat, & in Daniam expellit. Danus rex domestico tumultu impeditus, & non multò post è patria ob tyrannidem eiectus, suppetias suis ferre nequiuit. Stocholmia proinde expugnata, Danis è Suecia eiectis, Dux militibus & sociis amplissimum donatiuum dedit: cum Germaniæ ciuitatibus uetera fœdera renouauit: mare rursus aperuit. Ob quæ merita patria, concordibus omnium ordinum Sueciæ & Gothiæ suffragiis, inuictum principem Gostauum sibi regem legit. Scriptor Excidij Holmensis.

Hostes mortuos.

Vide Tit. Spolia hostium honorifica, Caluæ, Cadauera.

PALÆSTINI in monte Gelboe insigni uictoria contra Israelitas potiti, Saulo regi cum tribus filiis cæso caput absciderunt, idq; in omnes Palæstinorum urbes miserunt, rei præclarè gestæ indicium. Arma eius in æde Astarothi, cadauer in muris Bethsanis (quæ Scythopolis aliàs dicitur) suspenderunt. At Iabenses Galaaditæ cùm audiuissent, quid'nā Saulo fecissent Palæstini, eorum fortissimi quiq; nocte tota profecti, Sauli eiusq; filiorum corpora de Bethsanæ muris per uim abstulerunt, Iabemq; reuersi, ea cremarunt, & ossibus sub nemore Iabe sepultis, septem diebus regem suum fletu & ieiuniis luxerunt. 1. Regum 31.

Cùm in bello Thebano, excitato inter duos fratres Eteoclem & Polynicem, uterque fratrum cecidisset, & ad CREONTEM fratrem Iocastæ regnum peruenisset: noluit Creon sepeliri Polynicem, alterum fratrem: Græcos quoq;, qui cum Polynice uenientes in eo bello ceciderant, insepultos abiici præcepit. Adrastus ergo rex Argiuorum, simul & matres optimatum, qui ante Thebas occubuerant, profecti Athenas, supplices fiunt Theseo regi Atheniensi, pietati & iustitiæ semper studenti, ut ipse uel precibus, uel ui etiam impetret apud Creontem regem Thebanum, ut secundùm communem legem totius Græciæ, mortuos sibi sepelire liceat. Cùm uerò Theseus precibus nihil æqui boniq; à Creonte impetrare posset, & tamen supplices iuuare pium & honestum esse statueret: illato Thebanis bello, & cæsis iis felici prælio, mortuos Argiuis sepeliendos tradidit. Vbi Euadne, uxor Capanei, percussi fulmine propter linguę petulantem temeritatem & blasphemiam in deos, impatientia doloris uicta, spectāte sene patre Iphide, ex alta petra in rogum mariti desiliit. Euripides in Supplicibus.

ACHILLIS quàm barbara crudelitas erga Hectorem propter interfectum Patroclum amicum? Currui alligatum ter circum urbis mœnia raptauit, & Troianos captos ad tumulum eius iugulauit. Dictys libro tertio. Homerus Iliadis 22. sic scribit:

> Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
> Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας,
> Ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἑλκεσθαι ἔασεν. id est,

> Quâ post ambo pedes calcaneus imus adhæret
> Talo, transfodit neruos, ac bubula lora
> Inseruit, corpus de curru deligat alto,
> Pendulum at interea trahitur caput.

Penthesileam Amazonum reginam cum exercitu Troianis ferentem suppetias, GRÆCI oppressere. Achilles interfectā sepelire cupiens, à Diomede prohibitus est. Is namque percontatus circumstantes, quid'nam de ea faciendum esset, consensu omnium pedibus attractam in Scamandrum pręcipitauit. Dictys lib. 4.

Cyrus rex Persarum, dum Sargapisem TOMYRIS Massagetarum reginæ filium, bello captum, ad mortem impulisset: irata mulier contractis copiis ita conflixit, ut maximam inimicorum partem cum ipso rege occiderit. Mortui caput in utrem humano cruore plenum demisit, his uerbis insultans: Filij mei sanguinem hausisti, & meum sitiuisti, Cyre: at ego te cruore saturabo. Herod. lib. 2.

Persarum rex CAMBYSES, Cyri filius, cùm Amasis Aegyptij regis filiam in matrimonium petiisset, Amasis ueritus, ne ea potitus, non uxoris loco, sed in concubinarum numero haberet, Nitetim filiam Apriis regis à se interfecti pro filia ei misit. Quam rem Cambyses cùm cognouisset, ira exarsit, atque cum ingenti exercitu in Aegyptum descendit. Vbi cùm defunctum Amasim inuenisset, filium eius Psammenitum regno eiecit, ipsius Amasis corpus sepulcro eruit: & tanquā uiueret, uerberibus cædi, acutisq; ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit. Aiunt tamen, Amasis cadauer illud non fuisse, sed cuiusdam iuuenis, quem uiuus Amasis eò tumulari curasset, ueritus, ne quid tale sibi postfata eueniret. Herod. lib. 3.

Post pugnam ad Thermopylas commissam, XERXES rex inter cæsos transiit, ubi erat Leonides. Quem cùm audisset Lacedæmoniorum regem eundemque ducem esse, iussit abscisso capite in crucem tolli, eius uirtuti maximè infensus: cùm alioqui ex omnibus hominibus Persæ soleant uiros in re militari præstantiores honore afficere, licèt hostes fuerint. Herodotus lib. 7.

BAGOAS Aegyptius eunuchus, cùm Artaxerxem (quem Ochum cognominarunt ueteres) maximo odio, ob interfectum in Aegypto Apim, prosequeretur, primò insidiis circumuenit: cumque crudelissimè hominem occidisset, cadauer eius felibus dilaniandum deuorandumque proiecit: postmodum ut crudelitate animum satiaret, ex femoribus eius manubria gladiorum fieri curauit. Aelianus libro 6. de Varia historia.

Cæsis ad Thebas Argiuorum optimatibus, Adrastus solus effugit. Interfectorum cadauera cùm THEBANI insepulta abiicerent, neq; sepultura dignarentur: liberi cæsorum ad aram misericordiæ confugientes, parentum cadauera reposcebant. Atheniensibus exercitum admouentibus Thebani cadauera reddiderunt. Quo tempore & Euadne Capanei uxor semet in rogum abiiciens, unà cum uiri cadauere combusta est. Diodorus libro quarto, capite sexto. Ouidius in Metamorphosi:

> ——— prohibentem busta Creontem
> Atticus Aegides rupit Marathonide quercu.

OLYMPIAS Alexandri Magni mater, Iolam pincernam (qui Alexandro uenenum ministrasse ferebatur) mortuum, & iam tumulatum refodi iussit, ac refossum minutatim discerpi. Plutarchus in Alexandro.

LYSANDER Spartanorum dux, ad Aegos flumen Philoclen Atheniensem de classis prætoribus unum, & Atheniensium ad quatuor millia deditiorum occidit, ac mortuis terram iniici uetuit: cùm & Persis, qui ad Marathonem ceciderant, Atheniensium, & iis Lacedæmoniis, qui ad Thermopylas mortem oppetierant, Xerxis concessu sepultura contigerit. Pausanias in Bœoticis.

ANTIGONVS rex, crudelis in Alcetæ Perdiccæ fratris cadauer fuit. Traditum enim sibi à Termesi incolis, & excruciatū per triduum, & putrefactum, insepultum reliquit. Diodorus libro 18.

Philistus ex Iapygia suppetias Dionysio à Dione Syracusis obsesso ferens, pugna nauali uictus, uiuus in potestatē hostiū uenit. SYRACVSANI thorace ipsi exuto, denudatoq; illuserunt iam seni, inde capite demto, pueris corpus tradidere, ut per Acradinam traherent id, & præcipitarent in Latomias. Timæus ex claudo pede ait pueros Philisti cadauer religatum per urbem rapuisse, irridentibus iis, qui contemplabantur crure trahi ab Syracusanis eum, qui non debere dixerat ex tyrannide Dionysium citato fugere equo, sed crure raptum. Plut. in Dione.

HANNIBAL Pœnus, inspecta humani sanguinis plena fossa; Pulcrum in ea esse spectaculum dixit. Fulg. lib. 10. cap. 11.

IDEM in flumine Gela corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit. Val. Max. lib. 9. cap. 2.

LAMPON Spartanus Pausaniam regem, ut Mardonij cadauer in crucem tolleret, hortabatur, & talionem reponeret Persis, qui Leonidæ Lacedæmoniorum regis patrui sui ad Thermopylas occisi corpus stipiti suffixissent. At Pausanias non solùm dicto audiens non fuit, sed & Lamponem ideò grauiter increpauit. Herod. lib. 9. & Pausanias in Lacon.

Tib. Graccho OPTIMATVM conspiratione, duce Nasica, cęso, atrociter & fœdè insultauerūt cadaueri. Neq; enim orāti fratri Caio ut tollere liceret corpus eius, & funerare nocte, permiserunt: uerùm id cum aliis cadaueribus proiecerunt in amnem. Neq; hactenus tantùm progressi sunt: sed amicis quoque eius partim inauditis aqua & igni interdixerunt, partim quos potuerunt corripere, trucidauerūt: inter quos orator Diophanes periit. Caium quendam Billium caueæ inclusum cum uiperis & draconibus ad eum modum necauere. Plut. in Tiberio.

In seditione agraria Caij Gracchi, ab Opimio coss. cæsi, Cadauera eorum, qui trucidati fuerunt tria millia, in amnem proiecta, bona eorum sub hasta uendita. Interdictus insuper coniugibus eorum luctus. Licinia Caij etiam dote spoliata. Plutarchus in Caio.

LVCRETIVS ædilis, cadauer T. Gracchi in Tiberim proiici iussit. Volat. lib. 16. Vrb. com.

TIBERIVS Cæsar L. Scribonium Libonem patricium adolescentem, etiam mortuum tentatarum rerum nouarum reū peregit, eiusq; pecuniam accusatoribus dedit. Dion lib. 57.

PATROPHILVS Neronis libertus, cùm Galba Neronem imperio uitaq; simul, quanquam absens, priuasset, quo tempore ipse Galba à prætorianis interemtus fuit, caput eius centum aureis numis redemit, ut illud eò proiiceret, ubi se Nero interemerat. Fulg. lib. 9. cap. 10. ex Suetonio.

GALLI olim è prælio decedentes, ceruicibus equorum, hostium capita suspendebant, eaq; domum delata, postibus affigebant. Posidonius scriptum reliquit, cùm hæc primùm multis spectaret in locis, ob rerum insolentiam obriguisse, postmodum ex assuetudine, æquiore tulisse animo. Illustriū autem uirorum capita condientes odoribus, peregrinis ostentabant: nec tantidem auri redimi dignabantur. Strabo libro quarto Geographiæ.

GALLI L. Posthumij Coss. Rom. cum uniuerso exercitu ruina arborum syluestrium interfecti, caluam, auro cælatam, solennibus sacris, loco poculi, adhibuere. Sabellicus libro 3. Enneadis 5. ex Liuio.

Rex MITHRIDATES Aquilio duci Rom. capto aurum in os infudit. Plin. lib. 33. cap. 3.

SVRENAS Parthorum dux, profligato M. Crasso, cùm eum specie colloquij perfidè cepisset, & equo per uim abducere uolens, reluctantem occidisset: caput & dexteram eius ad Hyrodem regem misit in Armeniā. Hyrodes cum Artuasde Armenio pace composita, eiusq; sorore filio suo Pacoro desponsa, agitabat epulas & conuiuia. Vbi allatū caput Crassi ad fores fuit, nondum sublatæ erant mēsæ, & tragœdiarum actor Iason cognomine Trallianus recitabat ex Bacchis Euripideis Agauen. Qui cùm placeret, ingrediens conuiuium Sillaces, postquam regem adorauit, proiecit in medium caput Crassi. Ibi Parthis plausum cum clamore & gratulatione tollentibus, ministri Sillacem regis iussu inuitauerunt ad accubandum. Iason autem tradita uni de mimis Penthei personā corripuit caput Crassi, corporisque fanatica iactatione carmina illa cum furore & cantu pronunciauit:

> Ex monte ferimus nos recēns cæsum
> Ceruum bonam prædam domum.

Atq; hæc omneis oblectauerunt. Dum uerò sequentes alterni uersus ad chorum decantantur:

> Cho. Quis occidit?
> Ag. Meum decus est.

ibi exiliens Pomaxæthres, qui tunc cœnabat, apprehendit caput, quasi sibi ista dicere, quàm illi potiùs cōueniret. Rex lætus donis eum de more auxit, Iasoni largitus est talentū. In huiuscemodi aiunt exodium Crassi expeditionem quasi tragœdiam terminasse. Plut. in Crasso. In caput interfecti aurum liquauerunt, hisq; irriserunt uerbis: Aurum sitisti, Crasse, aurum ad saturitatem bibe. L. Florus, & Sex. Ruffus.

Apuleius Saturninus Trib. plebis, quum Gracchorum leges Agrarias uellet asserere, à C. Mario & L. Valerio Coss. in Capitolio obsessus, deditionē tandem facere coactus est. Captus aūt, fustibus & saxis coopertus, ibidem expirauit. Mortui caput C. RABIRIVS senator per cōuiuia in ludibrium circumtulit. Suetonius & Plin. de Illust. uiris.

C. MARIVS caput M. Antonij clarissimi oratoris abscissum, suis manibus inter epulas per summam animi ac uerborū insolentiam aliquandiu tenuit, clarissimiq; & ciuis & oratoris sanguine contaminari mensæ sacra passus. Atq; etiam P. Annium, qui id attulerat, in sinum suum, recentis cædis uestigiis aspersum, recepit. Val. lib. 9. cap. 2.

L. SYLLA C. Marij, cuius etsi postea hostis, quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueum sparsit: Valer. lib. 9. cap. 2.

Bello ciuili Marius iunior Præneste obsessus, cùm Prænestini urbem dedidissent, fugam cuniculo molitus, ubi omnia obsepta ad salutem uidit, manum sibi intulit. Sunt qui uiuum in hostium potestatem uenisse dicant, atq; à Lucretio interfectum. Caput eius Romam missum, in Rostris suspendit. L. SYLLA: oportere dictitans iuuenem priùs remo quàm gubernaculo admoueri, intempestiuum eius consulatum irridens. Sab. lib. 3. En. 6. Abscissa proscriptorum capita, modò non uultū ac spiritum retinentia, in conspectū suum afferri uoluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Plut.

M. ANTONIVS Triumuir, proscriptorum capita etiam inter epulas spectabat, eaq; inspectione nefaria oblectabatur. Xiphilinus. Cùm ad EVNDEM Cesetij Rufi senatoris caput allatum esset, auersantibus id cæteris, propiùs admoueri iussit, ac diu diligenterq; considerauit. Cunctis deinde expectantibus, quid'nam esset dicturus: Hunc ego (inquit) notū non habui. Val. Max. lib. 9. cap. 5. Ciceronis interfecti caput & dexteram, qua Philippicas scripserat, detrūcari iussit: quæ allata exultans spectauit, cachinnansq; crebrò præ gaudio: Vbi satiatus fuit, mandauit ut pro Rostris in foro figerentur. Plut in Antonio & Cicerone. Eius uxor FVLVIA capiti Ciceronis allato, contumeliosissimè maledixit: in faciem spuit, supra genua collocauit, ex eoq; ore aperto linguam extraxit, atq; acu multis locis hinc inde transfixit. Appian. lib. 4. Bell. ciuil. & Suidas.

Galba Imp. iugulatus est ad lacum Curtij, ac relictus, ita uti erat, donec gregarius MILES à frumentatione rediens, abiecto onere caput ei amputauit. Et quoniam capillo præ caluitio arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inserto per os pollice, ad OTHONEM Cæsarem detulit. Ille calonibus donauit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem, Galba cupidè fruaris ætate tua. Maximè irritati ad talem iocorum petulantiam, quòd ante paucos dies exierat in uulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam & uegetam, respondisse eum ex Homero, ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν: Adhuc mihi robur est firmum. Ab his Patrobij Neroniani libertus, centum aureis redemtum, eo loco, ubi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Serò tandem dispensator Argius, & hoc & cæterum truncum in priuatis eius hortis Aureliæ uiæ, sepulturæ dedit. Suetonius & Dion.

VITELLIVS superato Othone, ut Bebriacenses campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadauerum tabem, detestabili uoce confirmare ausus est: Optimè olere occisum hostem, & meliùs ciuem: Nec eo seciùs ad leniendam grauitatem odoris plurimum meri propalàm hausit, passimq; diuisit, pari uanitate atq; insolentia. Lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens, dignum eo Mausoleo ait: pugionemq;, quo se is occiderat, in Agrippinensem Coloniam misit, Marti dedicandum. Suetonius.

SEVERVS Imperator, tanquam immemor esset, se à Iuliano Imperatore olim desciuisse, Clodium Albinum, ob similem culpam, posteaquam prælio uictum interemit, caput Romam misit, nudum eius corpus pro palatio proiici iussit. Ad quem cùm equus accedere formidaret, calcaribus adactū coegit corpus ipsum calcare. Tandem fœtore compulsus, iussit in flumen proiici. Alij equo refugienti conculcandum cadauer

cadauer datum asserunt. Fulg. lib. 9. cap. 3. & Volat. lib. 23. Anthrop. ex Spartiano & Herodiano.

Stiliconem Vandalum, ducem clariss. socerum suum, Honorius Imp. interficiendum curauerat. MILITVM in eius cadauer sæuitiã Claudianus in 2. in Ruffinũ graphicè describit:

Vnus per medios audendi pronior ense
Prosilit exerto, dictisq; & uulnere toruus
Appetit: Hac Stilico, quem iactas pellere, dextra
Te ferit, hoc absens inuadit uiscera ferro.
Sic fatus, meritoq; latus transuerberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit, & fessi pœnam liberauerit orbis.
Mox omnes fodiunt hastis, artusq; trementes
Dilaniant, uno tot corpore pila tepescunt,
Et non infecto puduit mucrone reuerti.
Hi uultus auidos, & adhuc spirantia uellunt
Lumina: truncatos alij rapuere lacertos.
Amputat ille pedes: humerum quatit ille, solutis
Nexibus: hic fracti reserat curuamina dorsi,
Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anheli
Pulmonis latebras: spacium non inuenit ira,
Nec locus est odiis: consumto funere, uix tum
Deseritur, sparsumq; cadit per tela cadauer.
Nec minus assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput, quod iam de cuspide summa
Nutabat, digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera quinetiam ludo concessa uagatur,
Aera petens, pœnasq; animi persoluit auari
Terribili lucro, uiuosq; imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Artabasdo Constantinopolitani fauebãt pleriq; contra CONSTANTINVM Copronymum: qui urbe capta occisi sunt, & inter eos quoq; Patricius Baccagius, uir nobilissimus: cuius uxorem post multos annos coegit Constantinus, ex eo loco ubi erat sepultus, uiri effodere ossa, & in mare deiicere, eo loco quo damnati proiiciuntur. Cusp.

ISAACIVS Angelus Byzantinus Imp. Alexio Brana regnum affectante, ad Constantinopolim cæso, conuiuio instructo, omnes aulæ portas aperuit, ut uictor à quibusuis conspiceretur: & cùm manus epulis admoturus esset, ferculum primum, Branæ caput inferri iussit, quod humi abiectum, huc atque illuc agitabatur, & iaculis traiiciebatur. Mox coniugi Branæ in palatio inclusæ oblatum est. Quæ rogata, num sciret cuius esset? Noui, respondit, & me miseram iudico. Nicetas libro 1.

ALBOINVS Longobardorum rex, cùm Cunimundum Gepidarum regem cæsis LX millibus hominum occidisset, ex testa capitis eius poculum fecit, cuius occasione deinceps ab uxore Rosimunda, Cunimundi filia, interfectus est. Sigebertus in Chronicis.

Quem primum uirum ceperit SCYTHA, eius sanguinem potat: quoscunque in prælio interemerit, eorum capita regi offert. nam capite allato, fit prædæ, quamcunq; ceperit, particeps, alioqui expers. Caput hoc modo præcidit: in orbem illud amputat circa aures, uerticeq; sumto excutit, deinde pellem detrahit: & ubi sicut bouis corium manibus molliuit, tanquam mantile possidet; eaq; & habenis equi sui appensa gloriatur: qualia mantilia ut quisque plurima habet, ita uir iudicatur præstantissimus. Sunt quoq; multi, qui coria hæc humana tanquam brutorum consuant, quibus pro amiculis induantur. Multi etiam cæsorum hostium manus dextras cum unguibus excoriant, eisq; opercula pharetrarum integunt. Est autem inter omnia coria humanum ferè & crassum maximè, & candore splendidum. Multi totos homines excoriatos, & super ligna extentos, supra equos circumferunt. Non tamẽ de omnium, sed de inimicissimorum capitibus hoc faciunt, ut illud quisq; infra supercilia recisum prorsus excutiat: & crudo tantùm bouis corio, si pauper sit: sin diues, non modò exterius inducat bouino corio, uerumetiam interius inauret, & sic uterq; pro poculo utatur. Idem agunt de familiaribus, si inter eos extiterint discordiæ, dum apud regem ultoria sunt potiti: Hæc capita hospitibus ostentant. Herod. lib. 4.

Nicephorus Imper. Constantinopolitanus, Bulgarorum rege Chrumno, siue Crumo, magna strage uicto, pacem petenti dare noluit. CRVMVS desperabundus recollectis copiis. Imperatoris exercitum inclusum cecidit. Caput Nicephori præcisum conto præfixit, omnibusque demonstrauit: è cranio nudo argento incluso, iussit principes Bulgarorum bibere, atque insultare Nicephoro, ut inexatiabili & pacem detrectanti. Cedrenus.

Equites HVNGARI, qui Geysam & Ladislaum fratres contra Salomonem Vngariæ regem sequuti fuerant, Vidi domestici huius belli auctoris cadauer spectantes, cuius cõsilio tot fratres & filij occubuissent, ira perciti, in id sæuierunt. In patefactum pectus puluerem coniecerunt, eoq; oculos oppleuêre, exclamantes: Nunquam, Vide, tui oculi honoribus ac donis satiari potuêre: coniecta nunc terra auidum pectus, & lumina exple. Bonfin. lib. 3. Dec. 2.

Mortuo Stephano Pp. pars de populo & clero FORMOSVM elegit pontificem: pars uerò Sergium III. Sed ea, quæ Formosum elegerat, cùm Sergius ordinandus esset, irruit in Ecclesiam, & illo ab altari remoto Formosum consecrauit, anno Domini 895. iuxta Marianum Scotum. Successit Formoso Bonifacius, Bonifacio STEPHANVS VI. à Formoso olim episcopus Anagninus ordinatus: qui collecta Synodo, omnia decreta eius fecit irrita: & ordinatos ab eo denuò per uim Romæ ordinauit, sed non extra Romam. Cadauer sepulcro extractum, pontificali habitu spoliauit, & seculari ueste indutum, sepulturæ laicorum mandauit: duosq; eius digitos, quibus in consecratione sacerdotes utuntur, abscidit, & in Tiberim abiecit, eo prætextu, quòd contra iusiurãdum (quando Roma iam olim pulsus à Ioanne IX. uouerat, se non ampliùs rediturum) Romam & sacerdotium repetiisset. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 48. in Chronico Cassinensi. Romanus inde I. Stephani acta rescidit. Theodorus II. similiter. Maximè uerò Ioannes X. Formosi causam & sectatores protexit. At SERGIVS III. Formosi acta ita improbauit, ut denuò ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos censuerat. Eius cadauer è sepulcro tractum, capitali supplicio, ac si uiueret, affecit: corpusq; ipsum in Tiberim proiecit. Ferunt piscatores illud inter piscandum repertum, ad basilicã Petri detulisse, atque dum funus celebratur, sanctorum imagines, quæ in templo locatæ erant, corpus ipsum ueneratas fuisse. Platina, & Sigebertus.

CREMAM oppugnabat Fridericus I. Imp. admotis turribus ligneis altissimis. Primum, qui de ponte in urbem desiluit, quidam subitò crudelissimè interfecit, cuteq; capiti eius detracta, in usum capillatæ galeæ sese induit: alteri manus & pedes præcisi, & per forum fœdo repere spectaculo est permissum. Sigonius lib. 13. regni Ital.

Lotharius Imp. Innocentiũ II. Pp. reducẽs, ROGERIVM Siciliæ regem ab Anacleto II. dictum, bello persequebatur. Apuliam ei ereptam Reginaldo siue Ranulfo Germano dedit. Mortuo Lothario, Rogerius morte Ranulfi Ducis erectus, in Apuliam reuersus, Melfiam ac Barium expugnauit, ac Reginonem Ranulfi fratrem haud magno negotio exturbauit, & sæuire in ecclesias instituit. Præcipuè autem capto Bario Brunonis archiepiscopi & Ranulfi Ducis sepulcra reuellit, & cadauera eorum educta per forum traxit, ac demũ crudelitate barbara lacerauit, ac Cassinas monasteriũ opulentiss. expilauit. Sigonius lib. 11. regni Ital.

SAXONES Henrico IIII. Rom. Imp. rebelles, Hennobergomo castello, corruptis quibusdam custodibus potiti, infantis filij Imperatoris ibi sepulti manes uiolarunt, ossa è conditorio eruerunt, & per agros sparsere. Auentinus libro 5. Annalium Boiorum.

Haraldus Canuti II. Anglorum regis F. rex factus, Emmã nouercam cum filio Canuto III. proscripserat. CANVTVS fratre mortuo regnum recepit: memorq; iniuriæ sibi pariter ac matri Emmæ factę, corpus ipsius Haraldi apud Vuestmonasterium paulo antè sepultum exhumari, ac amputato capite, in profluentem deiici iussit: quod mox à piscatoribus inuentum, iterum terra humatur. Polyd. lib. 8.

MAHOMETVS II. Turcarum princeps, anno Sal. 1453. Constantinopolim cepit. Cõstantini Imperatoris mortui caput ad ludibrium palo affixit, & totis castris circum gestauit. Rauisius, Cuspinianus.

TVRACHANES Amuratis II. Turcorum regis dux, ostingẽtis Albanorum obtruncatis, ex eorum capitibus turriculas extruxit. Chalcocondylas lib. 5.

HISMAEL Sophus, Persarum regia Taurisio occupato, sepulcrum eximij operis, quo auunculus Iacuppus more Persarũ conditus fuerat, euertit, ossibusq; disiectis, & abrasis tota urbe eius titulis, quod dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Harduellem enim Hismaelis patrem Iacuppus interfecerat, metuens, ne sub nouæ religionis prætextu regno insidiaretur. Iouius.

THIETMARSI malè affecti erga Hamburgenses, quòd impedire niterentur frugum ab Albi deuectionem, turrim, quã ipsi Hamburgenses communi nauigantium saluti ad mare erexerant, in ultimis Hadeleriæ finibus, oppugnauere. Hamburgenses sexcentos per Albim misere satellites, consulari uiro nauibus præfecto. Quem Thietmarsi incautum oppressere. Exenteratum stomachum feminæ infixerunt hastæ, pro signo circumferentes uictoriç. Alij hoc factum fuisse uolunt diuinationis. Cranzius lib. 11. Saxoniæ, cap. 17.

IIDEM cùm Gerardũ Slesuicensem ducem cum flore nobilitatis in uia Suderhammense oppressissent, in ipsa cęsorũ cadauera miserè passim agros fœdantia (dum sepulturam honestam

honestam ipsis negant) sæuierunt. Vix ducis, & paucorum equestris dignitatis uirorum cadauera, ad sepulturam impetrari potuere, quantumuis magno argenti pondere oblato. Reliqua multitudo, feris alitibusque in prædam, insepulta sub dio per agros iacuit. Vix tandem post multas preces nobilium feminis permissum, ut uirorum ossa undique collecta, sacratarum uirginum habitu indutæ, ad sepulturam efferrent: neque id quidem, nisi sub tali conditione, fuerant concessuri. Auctor belli Dithmarsici, lib. 1. & Cranzius lib. 10. Saxoniæ, cap. 22.

BVRCARDVS Monachus inter Heluetiorum ad Basileam ab Armeniacis cæsorum cadauera obequitans, inter roseta se uersari, sed neutiquam impunè. Stumpfius.

SELIMVS Turcorum Imp. Aladolum regem, qui montanis Tauri & Antitauri imperabat, proditione præfecti equitum cepit, & eius caput, ut omnibus ludibrio foret, per totam Asiam circumferri, & in testimonium partæ uictoriæ Venetias ad senatũ fœda ostentatione transmitti curauit. Iouius.

CAIETANI quidam (quorum patria, trucidatis crudelissimè ciuibus, à Gallis erat direpta) dum Ferdinandus II. Aragonius in urbem Neapolim à suis reciperetur, Galliq; passim cæderentur, aliquot nacti Gallos, qui in templum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeò ut exemta morientibus corda immani quadam rabie præ ira ac dolore acceptæ calamitatis dentibus admouerunt. Iouius lib. 3. Hist.

Prælio Mediolanensi, GERMANI qui cum Gallo militabant, Pôtinerium, proceritate corporis animiq; uirtute inter Heluetios duces clarissimum, adequitantem ordinibus, ac suos clara uoce, adiectis in Germanos contumeliis, cohortantẽ, sclopettorum ictibus equo deiecêre: & uasti obesiq; corporis adipe atq; aruina patentibus plagis defluente, cruentas lanceas spectantibus Heluetiis inunxerunt. Quæ apud Barbaros in acerbioribus odiis exactæ uindictæ grauissima cęremonia perhibetur. Iouius.

CHRISTIERNVS II. Danorum rex, anno Domini 1520. nõ contentus proditorum opera Sueonum ac Gothorum principem Stenonem Iuniorem uicisse in prælio: cadauer eius cum posthumo exhumauit, crura & brachia ignibus semiusta, in terrorem prouincialium transmisit. Olaus lib. 16. cap. 45. Septentr. historiæ.

Hostium Parentes, Vxores, Liberos, Amicos, socios.

☞ *Ex Tit. præcedente, huc quædam.*

Aiax Telamonius Thraciam Cherronesum infestabat. Rex Polymestor, diffidens rebus suis, Polydorum, quem Priamus Troianorum rex, recens natum, clam omnibus alendum ei transmiserat, mercedis loco ei tradidit. Iraque cùm multis execrationibus amicitiam Priami aduersum Græcos renuisset, in pacem fidemq; receptus est. Reuerso ad exercitum Aiace, Menelaus Helenam à Troianis repetit, & pro ea Polydorum offert. Cæterùm re infecta dimissus, Vlyssem secundò legatum mittit. Hunc cum multo etiam iurgio dimisere Troiani. Ea noua iniuria irritatis GRÆCIS, totius exercit9 cõsensu Polydorus productus in mediũ, uisentibus ex muris plerisque, hostium lapidibus ictus, fraternæ impietatis pœnas luit: ac mox unus ex præconibus nunciatum Iliensibus missus fuit, uti Polydorum sepeliendum peterent. Idæus Polydorum matri Hecubæ retulit. Hinc argumentum sumsit Euripides fabulæ, quam in Hecuba expressit. Dictys Cretensis lib. 2. de bello Troiano.

NEOPTOLEMVS Achillis F. Astyanacta Hectoris F. per Vlyssem è turri præcipitauit. Pausanias in Phocicis.

Cùm Cambyses Persarum rex, instinctu atque ductu Phanis Aegypti perfugæ, Psammenito regi bellum intulisset, AEGYPTII Calasiries, item Græci & Cares, qui in exercitu Psammeniti erant, Phani infensi ob proditionem, filios Phanis relictos in Aegypto, in castra perducunt, atque in conspectum patris, posito medio duorum exercituum cratere, dehinc productos singulos puerorum: super craterem obtruncauerunt. Omnibus interfectis, uinum & aquam in craterem intulerunt. Quo sanguine epoto, auxiliares ita conflixerunt. Acri prælio commisso, perquàm multis utrinq; cadentibus, in fugam uersi sunt Aegyptij. Herod. lib. 3.

SICYONII, cùm cepissent Pellenen, uxores & filias Pellenensium in lupanari prostituerunt. Aelianus libro sexto, de Varia historia.

Posteaquam PERSÆ potiti sunt urbibus Ioniæ, sub Dario rege, formosissimos quosq; puerorum seligentes castrauerũt, exectis testibus facientes eunuchos: uirginesq; speciosas ad regem transportarunt Susa: & super hæc, urbes cum ipsis templis cremauerunt. Herod. lib. 6.

Dionysij liberos & coniugem constupratos ITALI interemerunt. Inde combustorum cadauerum cineres ex nauigio in altum dissiparunt. Plut. in præceptis Politicis.

PTOLEMÆVS Lathurus ex Aegypto pulsus à matre Cleopatra, Cypro occupata, in Syriam cum exercitu uenit, & iuxta Asophon cum Alexandro Iudæorum rege signis collatis, Iudęorum XXX millia cecidit. Timagenes autem L millia in suis scriptis retulit: cæteros partim captos, partim fuga seruatos incolumes. Cumq; post uictoriam longè lateque excurrisset, serò tandem in quosdam Iudæorum uicos se recepit: quos ubi uidit refertos pueris & mulieribus, mandauit militi, ut promiscuè iugulatos, & in frusta concisos, in lebetes feruentes membratim coniicerent, ut qui effugerant è prælio, hostem crederent humanis uesci uisceribus, & eo maior terror incuteretur reliquis: & huius crudelitatis tam Strabo quàm Nicolaus meminit. Iosephus libro 13. capite 21. Antiquitatum.

PTOLEMÆVS Abubi F. in Hyrcani Pontificis Iudæorum matrem, & fratres captiuos crudelissimus fuit. Obsessus enim ab Hyrcano in arce quadam supra Hierichuntem, productos in mœnia, flagris cædebat in loco omnibus cõspicuo: minitans se præcipitaturum eos, nisi ab oppugnando desisteret. Quo spectaculo Hyrcanus motus ab oppugnatione destitit. Ptolemæus à bello liberatus, matrem Hyrcani cum fratribus occidit, & ad Zenonem Cotylam Philadelphiensem tyrannum confugit. 1. Machab. 16. & Iosephus libro 13. capite 15. Antiquitatum.

L. SYLLA notauit proscriptorum liberos nepotesq; infamia, omniumq; publicauit bona. Plut. in Sylla.

AVGVSTVS Cæsar M. Antonio uicto, & ad necem sibi inferendam adacto, Antonium iuuenem, maiorem de duobus Fuluia genitis, simulacro diui Iulij, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæsarionem, quem ex Cæsare patre Cleopatra concepisse prædicabat, retractum è fuga supplicio affecit. Suetonius.

Cùm Romani à Gothis ad Græcos defecissent, & obsidionem pertinacissimè tolerarent, VITIGES rex Gothorum obsides Romanos nobiliss. quos Roma excedens Rauennam secum abduxerat, necandos curauit. Procopius.

SIGIPRANDVS Arisprandi filius, & Longobardorum rex, Ariperto (quo cum certabat) oculos eruit: uxoremque eius naso auribusque truncis dehonestauit. Rauisius ex Paulo Diacono.

CAROLVS Magnus captiuos Saracenorum, Maurorumque & Normannorum pueros atq; infantes ad ensem metiri solebat: quicunq; excessisset ensem, capite truncabatur. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

ECELINVS tyrannus Mantuam obsidens, nuncio de Patauij amissione accepto, dissimulato præsenti dolore, rem tamdiu occultam esse uoluit, quoad Veronam uenisset: quò post acceptum nuncium citato agmine se contulit. Hic urbe cum omnibus copiis inita, duodecim Patauinorum millia, quos in castris habebat, non mercenarios milites aut gregarios, sed ingenuos omnes, & in his eminentioris fortunæ non paucos, diuersis cruciatibus ad unum necauit, anno 1259. Sabellicus libro nono. Decadis 1. & Blondus libro 8. Decadis 2.

PHILIPPVS II. Gallorum rex bello Anglico contra Ioannẽ regem, Galliardum obsedit sex continuos menses: eoq; fames clausorum processit, ut cùm à præsidio imbellis multitudo ex oppido eiecta, à Francis nec reciperetur, nec cibo iuuaretur: mulier grauida in conspectu omnium enixa sit, fœtusq; statim absumtus. Aemil. lib. 6.

FRIDERICVS I. Imp. Mediolanum obsidens anno 1161. si quos ad leuandam obsidionem appositum inferentes deprehendisset, eos præcisis manibus, aut effossis oculis, aut truncatis naribus domum dimisit, ut tali fœditate supplicij ab eiusmodi conatu reliquos absterreret: aut imbribus die noctuque obiectos, ac frigore maceratos, ad paciscendam quantamcunque pro redemtione pecuniam compulit. Sigonius libro 13. regni Ital.

EDVARDVS III. Anglorum rex, Beruicium arcta obsidione premebat. Alexander Seroum præfectus urbis cum rege paciscitur, nisi ante tertium Cal. Aug. auxilia à Scotis mitterentur, sese illi urbem dediturum: obside dato filio natu maiore, minore ab Anglis capto. Interea Archimbaldus Douglas Scotiæ gubernator, ut ab obsidione retraheret Anglos, Angliam inuadere statuit. Eduardus ueritus ne uictoria ex manibus eriperetur, oratores ad Alexandrum mittit, ut extemplò oppidum dedat: quod ni fecerit, habere se quo compellat: filios in conspectu ipsius totiusque urbis, patibulo suspensurum. Alexander fidem datã frustra obtestans, quòd induciarum tempus nondum elapsum esset, cùm ad crucem filios duci è turri excelsa conspiceret, ad deditionem flecti uidebatur. At uxor eius fidei illum erga patriam suæ admonere, mortem liberorum pro patria laudibus extollere cepit, multa quinetiam alia consolandi gratia ac deterrendi ergò proferens, maritum paulùm confirmatum, nihilominus tamen mœstũ domum abducit, ne si mortẽ filiorum indignã cerneret, grauius aliquid in ciuitatẽ patraret.

Filij in

Filij in crucem mox sublati, honestissimam patriæ mortem exoluerunt. H. Boethius lib. 15.

Cùm Britanni seruitutis pertęsi, à Scotis & Pictis defecissent, & Constantinum ex Armorica regem fecissent, SCOTI & PICTI Britonum cognito consilio, obsides ducentos, nō minores XX, non maiores XXX annis, penes se detentos, uariis cruciatibus ad unum interemerunt. H. Boethius lib. 8.

Cæso à Modredo Pictorum & Eugenio Scotorum regibus Arthuro Britannorum rege, BRITANNI Constantinum Corneianum regem declararunt: & Modredi Pictorū regis itidē in acie cęsi liberos, Guallani aui cura in Britānia educatos, ad quos hæreditario iure ex fœdere regnum Britanniæ pertinebat, in matris sinu fœdè trucidarunt. H. Boethius lib. 9.

TAMBERLANES Tartarus, capta Sebastia, ciuium liberos & mulieres in unum locum agēs, immisso equitatu omnes conculcauit. Chalcocondylas lib. 3.

Felicianus Zaachus, CAROLO I. Vngarorum regi familiaris, cùm opibus & dignitate creuisset, tyrannidem inuadere decreuerat. Itaq; regem de more solus adiens, stricto ense feriit. Rex euitato ictu profugit. Tumultu excitati satellites parricidam membratim discerpsere. Feliciani F. bigis distractus, canibus & porcis cum patre præda fuit. E' filiab. Clara, quæ reginæ famulabatur, labiis, naribus, octoq; digitis mutilata, per compita circunducta, in triuiis alta uoce proclamare fuit coacta, En digna proditionis præmia. Altera Sebe capite multata est, marito per inediam in carcere necato, filiis Rhodon relegatis, amicis extremo affectis supplicio. Bonfinius lib. 9. Dec. 2.

NICOLAVS Picininus, cùm Philippi Mediolanensis ducis auspicio Album Ingaunum obsideret, captum Valentem Fogaciam, quòd ab obsessis deferre literas deprehensus erat, collo eius ad crura alligato tormento, quod lingua Italica Bricolam uocant, in urbem transmisit. Qui quanquam antè moreretur, quàm terram attingeret, sæuum tamen mortis genus uisum est. Discerptus enim tanti casus altitudine humanam formam amiserat. Fulg. lib. 9. cap. 3.

CONRADVS Trincius, qui Fulgineæ in Vmbria imperauit, cæso Nicolao eius fratre à præfecto arcis Nucerinæ ob adulterij suspicionem, cùm in præfectum ipsum sæuire nequiret, qui se desperabundus è summa turri deiecerat, familiares, cognatos, amicos, notos eius captos, & excarnificatos, ad ultimum comminui in frusta, exenterarique imperauit, ac per sentes, maximeque frequentium uiarum sepes eorum uiscera intestinaque suspendi, ac passim dispergi. Pont. de Imman. capite 14.

Orto inter FRANCISCVM I. Gallorum & Henricum VIII. Anglorum reges bello, anno 1522. Franciscus Anglos toto regno comprehendi, ac comprehensos ad redimendum sese cogi iussit. Mercatores, qui Burdegalę uinum mercati erant, portorium soluerant, uno omnes momento capti, fortunis spoliantur, & acerbè multantur. Vnus ex captiuis domum dimissus, ut precium multæ aliis irrogatæ parādum curaret, aperuit regi sæuitiam Gallorum. Is idem exemplum in Gallos statuit, qui Londini erant. Ij tamen post decimum diem, quàm in uincula coniecti fuerant, datis uadibus, ut ad certum diem adessent ad curiam prætoris, uel in senatu regio, & multam soluerent, liberati sunt. Polydorus libro uigesimoseptimo.

ERGA BRVTA CRVDELES.

PHARNVCHES equitatui Xerxis contra Græcos præfectus, cùm Sardibus egressus, canis sub pedes equi intercurrentis consternatione excussus, post sanguinis uomitū in phthisim incidisset: equum in eum locum, ubi dominum strauerat, abductum, genubus mutilandū curauit. Herod. lib. 7.

Areopagitæ PVERVM, qui oculos omnibus cornicibus, quos habere poterat, eruere solebat, indolis improbitatem detestati, in medio sustulere. Quintilianus libro quinto, capite nono.

RVSTICVS quispiam, cùm asinum suum per alpes niuibus obtectas duceret, isque freno non obediret, iratus in rupes protrusit. Hinc prouerbium, Asinum in rupes protrudere. Erasmus in Adagiis.

Cùm QVIDAM Agasonem ruri cæderet, & ille exclamaret, Atheniensis sum, liber scilicet, & indignus flagris: ad asinū conuersus, &, Atqui tu Atheniensis non es, inquiēs, fuste penè confecit. Plutarchus.

ERGA INANIMATA CRVDELES. Vtputa erga

REGIONES.

Quotiescunq; TARTARI in aliquas prouincias excurrunt, eas deprędatas, abductis captiuis, igne ferroq; funditus perdunt, & ocyùs fugiunt. Quò uerò plures prouincias desolauerint, hoc se regna sua (in campis enim sub dio uiuere solent) ampliora reddidisse dicunt. Guagn. in descript. Tartar.

VRBES, ARCES, DOMOS.

Vide Tit. Vrbes euersæ.

ALEXANDER Magnus Persepoli capta, compotationem & lusum cùm amicis iniit: interfueruntq; meretrices, quæ comessatum uenerant ad amatores suos. Inter has nobilis in primis Thais Ptolemæi, qui pòst regnauit, amica, ex Attica oriunda, partim scitè celebrans Alexandrum, partim alludens, in sermonem est temulenta prouecta, patriæ quidem eius congruentem moribus, sed supra eius conditionem: quippe laborum ait sibi in peragranda exantlatorum Asia illo die fructum recipere se, superbæ Persarum regiæ insultātem: uerùm multo libentiùs per ludum & lasciuiam domicilium Xerxis, qui inflammauit Athenas, succensuram, facesque manibus suis inspectante subdituram rege: quò inter mortales uulgaretur, sequentes Alexandri castra mulierculas maiores pœnas à Persis uicem Græciæ, quàm Græcos naualium & terrestrium copiarū duces expetisse. Cùm dicentem esset assensus & admurmuratio consecuta, adhortatioque & contentio amicorum: impulsus in eam sententiam exiliit, coronatusque & facem manu tenens progressus est. Alij sequentes ludibundi conclamantesque regiam cinxêre: reliquorumque Macedonum, ubi id intellexerūt, concursus illuc cum lampadibus exultantium factus est. Sperabant enim domum respicientis esse signum, nec commoraturi inter barbaros, quòd regiam eorum incenderet euerteretque. Atque hæc ita aliqui auctores sunt, gesta fuisse, alij consultò. Atqui citò illum pœnituisse facti, atque ut restinguerent flammam, imperasse in confesso est. Plutarchus in Alexandro. Sic impietatem Xerxis Persarum regis, quam in Atheniensium arcem commiserat, unica femina gentis eius, quæ iniuriam illam sustinuerat, post multos annos in festo ludicro eodem cladis genere ulta est. Diodorus libro decimoseptimo.

FLVVIOS.

CYRVS Persarum rex, dum Babylonios urget, Gyndem amnem, quoniam in eo quidam è sacris equis candidis submersus fuerat, in centum octoginta alucos diuisit, ultionis gratia. Herodotus.

Cùm ponte Hellespontum apud Abydum & Sestum iunxisset XERXES Persarum rex, expeditionem contra Græcos parans, atque is oborta ingenti tempestate dissolutus fuisset: indignè ferens stupidissimus rex hanc iniuriam, iussit trecenta uerbera Hellesponto infligi, & in pelagus par compedum demitti. Misit quoq; qui stigmata Hellesponto inurerent, & colaphos incuterent, barbaris his uerbis: O aqua amara, Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læsisti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen rex Xerxes, uelis nolis ue, transmittet: meritoq; nemo hominum tibi sacrificat, ut doloso pariter & amaro flumini. Illos autem, qui pontem fecerant, capite multauit. Herod. lib. 7.

MONTES.

Cùm Persarum classis, duce Megabyzo, imperante Dario, maximam cladem apud montem Athon passa esset: XERXES eius iniuriæ uindicandæ cupidus, ut stultum regem decebat, contra Græcos expeditione suscepta, Isthmum perfodit, tantæ latitudinis, ut duæ triremes pariter illac agitari possent, eo spacio, quod est inter Sanam urbem Græcam, & montem Athon. Mediæ igitur urbes quinq;, Dion scilicet, Olophyxus, Acrothoon, Thysus, Cleonæ, è continenti insulanæ sunt redditæ. Herod. lib. 7.

STATVAS.

Cùm è uita iam discessisset Theagenes Thasius, athleta nobilissimus, ex eius obtrectatorum numero QVIDAM ad eius statuam nocte qualibet accedens, eam flagris cædebat: non aliter quàm si in eo ære ipsum uiuentem ulcisceretur. Cùm autem hominem statua subito casu oppressisset, eius filij statuam de cæde postularunt. estq; ea Thasiorum sententia in mare abiecta, Draconis scilicet lege, qui anima etiam carentia, urbe agroq; exterminanda (cùm Atheniensibus leges scriberet) sanxit, si quid fortè eorum corruens, hominem peremisset. At enim cùm permultos deinceps annos frugem ferè nullam terra Thasiis redderet, qui sciscitatum Delphos missi fuerant, responsum tulêre, Exules reuocandos. Neque tamen exulibus reuocatis finem sterilitatis reperêre. Quare cùm iterum per legatos questi essent, se quidem dicto audientes fuisse, non esse uerò deorum iram ulla ex parte placatam, respondit rursus Pythia:

Theagenis at uestri nullam rationem habuistis.

Ibi cùm ea cogitatio solicitos haberet, quánam arte statuā Theagenis reciperent, piscatores aiunt in altum prouectos, inter pisces rete comprehēsam effigiem Theagenis in litus exposuisse. Eā in suum locum reposita, à Thasiis diuinis celebrata fuit honoribus. Pausanias in Eliacis, lib. 6.

SEPVLCRA.

CLISTHENES Sicyonis tyrannus posteaquam cum Argis bellum

bellum gessit, summouit è Sicyone certamina canentiū poemata, ob Homeri carmina, in quibus Argos atq; Argij tantoperè celebrantur. Voluit etiam monumentum Adrasti calamitosi, quod erat in ipso Sicyoniorū foro, quia fuerat Argius, exterminare. Ideoque Delphos adiit ad oraculum consulendum, nunquid Adrastum eiiceret. Id non concedente sibi deo, Clisthenes reuersus cogitabat, quo pacto Adrastus ipse demigraret. Misit ergo ad Bœotias Thebas nunciatum, uelle se afferre Sicyonem Menalippum Astaci filium. Eumq; tribuentibus Thebanis, in urbem intulit: atque ei fanum in ipsa curia designatum exædificauit munitissimo in loco, in quem intulit Menalippum. Quod factum deberet existimari inimicissimum Adrasto, quòd & Mecestem fratrē eius, & Tydeum generum Menalippus interfecisset. Clisthenes ubi fanū extruxit, hostias & dies festos Menalippo dedit ab Adrasto ereptos, quibus illum Sicyonij magno cum honore prosequi consueuerant. Herod. lib. 5.

CRVDELITAS RESPECTV INIVRIAE RELATAE ad PATIENTEM, qui per illam læsus est, uel quo ad

ANIMVM.

Ex seq. Titulo Iniuriæ consideratæ respectu Agentis huc quædam, quatenus Agens lædit per hæresin actiuè, & Patiens læditur per communicatam hæresin passiuè.

CORPVS. INIVRIAE VLtio illatæ per

CÆDEM.

HECVBA Priami regis uxor, ut Achillē interfectorem filij Hectoris ulcisceretur, accersito Alexādro filio, hortata est eum ut & se & suos fratres uindicaret, insidias Achilli faceret, & eū nec opinantem occideret hoc pacto. Quoniā is rogauerit sibi Polyxenam dari in matrimoniū, se ad eum missuram Priami uerbis, ut pacem fœdusque inter se confirmarent: in fano Apollinis Thymbræi ante portā Achilli sub specie colloquij insidias collocari posse. Noctu eliguntur de exercitu fortissimi, & in fanum Apollinis collocantur, signum accipiunt. Hecuba ad Achillem nuncium mittit. Achilles lætus Polyxenam amans, postera die cum Antilocho filio Nestoris ad cōstitutum locum uenit. Ex insidiis erumpit Paris. Achilles brachio sinistro chlamyde inuoluto, multos occidit: Alexander Antilochum interemit, ipsumq; Achillem multis plagis confodit. Dares Phrygius.

POLYXO Helenam cognatam suam Rhodi in balneo strangulandā curauit, eo quòd Tlepolemus maritus suus in Troiana expeditione periisset. Pausanias in Laconicis.

ALTHEA Oenei uxor, duorū fratrum cædem ulciscēs, Meleagrum filium cędis auctorem crudeliter deuotum ad mortē compulit. Anton. Liberalis in Metamorph.

ALCMÆON Eriphylem matrem interfecit, quòd illa Amphiaraum patrem (qui in bello Thebano terræ hiatu absorptus est) Polynici prodidisset, accepto monili aureo. Vergilius libro 6. Æneidos:

—Mœstamq; Eriphylem,
Crudelis nati monstrantem uulnera, cernit.

Seruius, & Diodorus lib. 5.

ORESTES Clytęmnestram matrem interemit, in ultionē patris Agamemnonis: quē à Troia redeuntem illa cum Aegystho adultero interfecerat. Ouid. lib. 1. Eleg.

Et uindex in matre, patris malus ultor Orestes,
Ausus in arcanas poscere tela deas.

AEGYSTHVS Thyestæ filius, Agamemnonē Troia reuersum occidit, uxorē eius Clytęmnestram cōstuprauit, mortēq; Plisthenis & Tantali fratrū suorū ab ipso Atreo interfectorum ultus est in Atrei nepote.

Mamertes, quum Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnādi libidine peremisset, ab ipso SISAPHONE membratim laceratus est. Ouid. in Ibin:

Trunca geras sæuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

Locrorum à Troia redeuntium classis in Aegeo mari fulmine comminuta & incensa est. Aiax Oilei dux frustrà natando euadere enisus est. Reliqui per noctē tabulis, aut alio ex naufragio leuamine fluitantes, ubi ad Eubœam deuenêre, Chœradibus scopulis appulsi perierunt. Eos namq; re cognita, NAVPLIVS ultum ire cupiens Palamedis filij necē, per noctem igni elato ad ea loca deflectere, tanquā ad portum, coegerat. Oeax Nauplij filius, Palamedis frater, cognito Græcos ad suos remeare, Argos uenit. Ibi Aegialē atq; Clytęmnestrā falsis nunciis aduersum maritos armauit, ducere eos secum uxores Troianas dictitans, & mobile suapte natura ingenium muliebre aduersum maritos incendēs. Ita Aegiale aduenientē Diomedē per ciues aditu prohibuit. Clytæmnestra per Aegisthum adulterio sibi cognitum, Agamemnonem insidiis cepit, & interfecit. Dictys lib. 6.

Cùm Androgeus Minois F. in Attica dolo diceretur peremtus, MINOA multas clades bello intulisse incolis, ac deos regionem fœdasse aiunt: sterilitatem enim & morbum passim incubuisse, ac flumina exaruisse. Cùm aūt præcepisset Apollo, si Minoa placassent, & fuissent cū eo recōciliati, diuinam iram constiturā, requiemq; fore malorū: hos missis legatis cum suppliciis fœdus fecisse, ut tributū nonem annis mitterent septenos impuberes adolescentes, totidēq; uirgines. Id ferè conuenit inter scriptores. Pueros in Cretā deportatos horrendissima fabula iactat in Labyrintho Minotaurū peremisse, uel uagantes, nec inuenire ualentes exitum ibidem mortuos: Minotaurum, ut ait Euripides, fuisse

Mixtum genus, puerumq; monstrificum, simul
Gemina ex natura hominisq; tauriq; editum.

Cretenses; Philochorus auctor est, hæc inficias ire, ac dicere custodiā Labyrinthum fuisse, quæ nihil mali, nisi quòd non ualerent inde effugere custoditi, haberet: Minoa in Androgei memoriā ludos gymnicos fecisse, uictoribusq; præmio dedisse pueros, qui tunc in Labyrintho asseruabantur. Vicisse prioribus ludis eum, cuius erat id tēporis prima apud illū auctoritas, & ducē belli nomine Taurum, feris & duris hominē moribus, qui pueros Atheniensiū superbè & crudeliter haberet. Ipse quoq; in Bottiæorum Rep. Aristoteles fatetur, à Minoë non arbitrari se interfectos fuisse pueros, sed mercenariam uitā agentes in Creta consenuisse: ac Cretenses aliquando ad uetera persoluenda uota hominum misisse primitias Delphos, atque cum his, qui mittebantur mistā illorum sobolem unà emigrasse. Qui cùm uictum ibi quærere non ualerent, in Italiā transmisisse primùm, atq; illic sedes circa Iapygiam collocasse: inde rursus delatos in Thraciam, & dictos Bottiæos. Quapropter Bottięorum uirgines per certa sacra accinere. Pergamus Athenas. Vsq; adeò graue & cum periculo infamiæ est, exercere cum ciuitate, quæ linguam habet & literas, inimicitias. Etenim audiuit perpetuò malè Minos, & in theatris Athenis proscissus est: neque ei uel Hesiodus profuit, summum regem, uel Homerus, Iouis appellans discipulum: uerùm præualentes tragici, magna eum ex pulpito & scena macula, ut trucem & ferum aspersere, quamuis Minoa ferant regem & legislatorem, iudicem Rhadamanthum fuisse, & iuris & ab eo sanciti custodē. Plut. in Theseo.

PHERETIMA Cyrenæorū regina ope Persarū superatis Barcæis, qui eius filiū Arcesilaum interfecerant, cędis auctores, sudibus affixit per ambitum murorum: feminarum quoque decisas māmillas circa muros appendit. Cæteros Barcæos Persis, ut diriperent imperauit, præter Battiacias, & qui cædis affines non extiterant. His urbē permisit, reliquis in seruitutem abreptis: Herod. lib. 4.

Cùm Corcyræi Lycophronem, Periandri Corinthiorum tyranni F. interfecissent, PERIANDER eos armis superauit, & trecentos eorum filios ex primoribus, Sardis ad Halyattem castrandos misit. Eos tamen Samij liberauerunt. Herodotus libro 3.

PARYSATIS Cyri iunioris filij interfectores crudelissimis suppliciis affecit. Plut. in Artoxerxe.

MANDANE, soror Xerxis, Themistoclem apud fratrem exulantem, ob interfectos liberos ad Salaminem muliebriter ulcisci cupiēs, multis lacrymis apud Xerxem instabat, ne suorum natorum cædem sineret inultam. Sed à rege repulsam tulit, qui maioris & Themistoclem & ius hospitalitatis habuit. Diod. lib. 11. & Plut. in Themist.

In Cæsaris percussores M. ANTONIVS & OCTAVIVS crudeles fuere. Perierunt proinde illi eo triennio, quo ille interfectus est, alij alio casu: cæterùm multò plures ferro, quā alia ui, & ex his haud pauci eodem pugione, quo Cæsarem uiolauerant. Sab. lib. 8. En. 6.

FABRICIANVS matrem Fabiam interfecit, quòd illa Fabiū Fabricianum maritum suum occidisset, ut liberiùs adulterium cum Petronio adolescente cōmitteret. Dositheus apud Plutarchum.

MVLIER Smyrnæa, ut filij ex priore marito suscepti cædem ulcisceretur, uirū atq; filium ueneno interfecit. Vide Tit. Iudicij suspensio in practicis, sub exemplo Dolabellæ.

TIBERIVS Cæsar subinde auxit intenditq; sæuitiam, exacerbatus indicio de morte filij sui Drusi: quem cùm morbo & intemperantia periisse existimaret, ut tandem ueneno interemptum fraude Liuillæ uxoris atq; Seiani cognouit, neq; tor-

mentis, neque supplicio cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeò per totos dies deditus & intentus, ut Rhodiensem hospitem, quem familiaribus literis Romam euocarat, aduenisse sibi nunciatū torqueri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne diuulgaret iniuriam. Quòd & nisi eū mors præuenisset, & Thrasyllus cōsultò (ut aiunt) differre quædā, spe longioris uitæ, cōpulisset: plures aliquantò necaturus, ac ne reliquis quidē nepotib. parsurus creditur: cùm & Caiū suspectum haberet, & Tiberiū, ut ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret à uero: namque identidem felicem Priamum uocabat, quòd superstes omnium suorū extitisset. Suetonius.

MARTIALIS Romanus eques, Macrini præfecti prætorio suasu, Antoninū Bassianū Caracallā Imp. dum in agro uentrem leuaret, à suis aliquātisper semotum interfecit: & ùm inde se fuga proripere uellet, statim interemtus fuit. Ad hanc cædem impulsus, quòd paulo antè Bassianus eius fratrem interemerat. Fraternæ igitur necis ultionem uitæ suæ anteposuit. Fulg. lib. 9. c. 10.

MAXIMVS II. Imp. prima nocte cum Eudoxia Augusta cubans, illud in sermone imprudenter iniecerat, se nimio illius amore incensum, uiro eius Valentiniano III. insidias tetendisse. eaque uox altiùs, quàm opus fuisset, in pectus Eudoxiæ penetrarat. Itaq; mulier siue propriæ contumeliæ impotens, siue alienæ ultionem iniuriæ appetēs, statim animū ad perniciem Maximi appulit: ac mox, aliis auxiliis desperatis, occultè nuncium ad Gensericum regem Vandalorum in Africam cum literis ac munerib. amplissimis misit: magnoperè obtestans, ut ad se ciuitatemq; Romanam infesta Maximi tyrannide liberandā, ac simul ad Valentiniani mariti necem iniustissimam uindicandam accederet. id enim ipsum fœderi amicitiæq; debere, quo nuper se cum eo per Honoricum filium obsidem astrinxisset. Gensericus subitò spe ingentis atque opimæ prædæ illectus, classem ad expeditionem Romanam instruxit, ac trecētis millibus Vandalorum Maurorumq; impositis, cursum Romam uersus propè fatalem intendit. Qua re cognita, tantus euestigiò ciuitatē pauor inuasit, ut eodē momento urbs capta omnibus uideretur. Itaq; populares iuxtà ac nobiles de sua salute soliciti urbe se tumultuosè proripuerunt, atq; in montes syluasq;, ut tutiores futuri latebris, profugerunt. Maximus & ipse formidine anxius, ac propè ab omnibus auxiliis destitutus, ex urbe excessit, seq; cęteris non tam fœdæ, quàm periculosæ fugæ socium prębuit. Fugientem autem ac solū ubi senatores quidam inimici eius uiderunt, ueteres subitò offensionum acerbitates animo reuocarunt, atq; iracūdia incitati per occasionem lapidibus incesserunt, ac mox tractum laceratūq; per Vrsum Romanum militem in Tiberim proiecerunt. Gensericus, post triduum urbem necessario præsidio uacuam, nemine resistente, iniuit, atq; diripuit. Sigonius lib. 14. Imp. occid. ex Euagrio, Diacono, Zonara.

Thessalonicæ instantibus equestribus ludis, populus nobilem aurigam quendam, qui ob læsum hominem in uinculis habebatur, sibi dari poposcit: &, cùm non impetraret, cōmota seditione, hominem, qui uiolatus ab auriga dicebatur, necauit. Qua de re THEODOSIVS, qui belli contra Maximū suscepti causa illic morabatur, ira ardens, duriùs in omnes consulere uoluit: uerùm ab episcopis, ut se ad lenitatem daret, rogatus, tandem se temperaturum spopondit. Post aliquot inde dies, cū res propè ex omnium animis excidisset: nefario domesticorum impulsu illud impotentiùs, ne dicā uęcordiùs, fecit, quòd septem millia hominum in theatrum ludorū gratia conuocata, & quidē innoxiorum, militib. immissis, gladio ferienda atq; necanda mandauit. Qua re iudicatum est nihil fœdius aut crudelius ne à barbaro quidem patrari homine potuisse. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

ARMANARICVS Gothorum rex potentiss. quum iam pridē feminam mariti sui desertricem, indomitorū pedibus equorum alligatā, discerpi curasset: fratres obseruato tēpore, in acie contra Hunos latus regis gladio foderunt. Itaq; & uulnere & dolore confectus, rebus excessit humanis, cùm decimum supra centesimum annum uitæ implesset. Eam occasionem Hunni arripientes, qui tunc primum ex Septentrione egressi Mœotidis paludes superauerant, Gothorum terras uastarunt. Cranzius libro 2. Succiæ, c. 15. & Ioan. Magnus lib. 6. cap. 25.

Alboinus Longobardorum rex, qui primus in Italiam uenit, Veronæ in cōuiuio ebrius, caluā Turismundi (alij Cunimūdum uocant) Gepidarū regis filij, quem occiderat, Rosimundæ coniugis patrē, ad coniugē misit, monens, ut cum patre biberet. ROSIMVNDA eo facto offensa, cùm è puellarū numero, quas in obsequio habebat, unam ab equite Lōgobardo Himichilde (uel Helminge) nomine, diligi sciret: egit ut uocatus in obscurum cubiculum, tanquā cum amata puella cubiturus, cōmisceretur. Mox apertis fenestris intermi-nata est, nisi Alboinum occideret, se perpetrati flagitij eum accusaturum. Ergo uerbis minisq; uictus, noctu in lecto iacentem Alboinum occidit. Facinore perpetrato, Rauennam ambo ad Longinum exarchum profugerunt. Fulgosus libro 5. cap. 4. & Sabellicus libro 3. capite 6. & Egnatius libro quinto, cap. 4.

LAMBERTVS rex Italię, Mangifredum Mediolani Comitem Berengarianæ factionis capitali supplicio affecerat: sed Hugonem eius F. omnibus honoribus colligendæ beneuolentię causa erat complexus. Fortè autem accidit, ut interuenādum in Marinci nemore, cæteris in diuersas syluæ partes effusè, ut fit, equorū cursu perlatis, Hugo cum Lamberto remanserit: qui paternæ iniurię recordatus, consilium ulciscendæ cepit, occasionem nactus, quòd rex ad quasdam angustias, per quas aper impellendus erat, constiterat, atque labore & expectatione diutina fatigatus, paululum quietum semetipsi custodiendum cōmiserat. Itaq; somno stratū gladio percutere ueritus, ne sanguinis effusio patratorem facinoris proderet, ceruici fustem inflixit, atq; ipsum effusè currentem equo præcipitasse, collumq; fregisse, disseminauit. Sigonius lib. 6. reg. Ital.

CHILDEBERTVS Francorum rex, ut materni aui cædem ulcisceretur, Burgundis bellum intulit, & Sigismundum eius gentis regem, cum liberis & uxore captum, in profundissimum puteum præcipitauit. Sab. lib. 8. c. 4.

LOTHARIVS rex, filius Theoderici regis Francorum, Brunichildem reginā uno pede & brachio multatā, ad caudam equæ indomitæ religatam, membratim discerpi fecit: imputās ei, quòd decē reges per eā fuissent extincti. Sigebertus.

THEODERICVS rex Italię, Ibba Comite suo cōtra Francos misso, triginta hominum millia occidit, in uindictam necis Alarici generi sui. Sigebertus in Chron.

SLESVICENSES ob perfidè interfectum à Magno Nicolai Danorū regis F. Canutum patruelem, Nicolaum in urbem intromissum, militibus cæsis omnibus, ad extremum etiam interfecerunt. Saxo lib. 13.

Sub Carolo VI. Francorum rege Armeniacus Magister equitū in aula cum perpaucis, atque his nouis hominibus dominabatur. In primis auaritiæ & impotentiæ flagrabat inuidia. E templis pecuniam sustulit: quam ingentem, quò sanctitate loci tutior foret, Regina deposuerat. Ea indignatione accensa, cætera simul aulæ uitia causata, Turones secessit à marito rege, abducta etiam Catharina uirgine filia: & Ioannem Burgundionum ducē euocauit, qui ualido exercitu nō paucis receptis oppidis, Sequanam traiecerat, se prędicans omnium rerum uectigaliumq;, præterquàm salis, immunitatē afferre, ac miseriarum omnium finem. Indies factio Burgundionis maiores uires nācisceebatur. Ioannes Villarius proditione unius portæ urbem regiā noctu magna manu ingressus, eam, regemque, ac aulam omnem, Burgundionis arbitrij fecit, ægrè Delphino elapso. Qui Ducis insigne nō sumebant, ij periclitabantur: id erat, crux obliquis radiis cōmissa, Andreanam uocant. PHILIPPVS, per insidias occisi Ioannis ducis filius, acerrimus necis paternæ ultor extitit. Rotomagum septem mensium obsidione fameq; domitum Anglus receperat: cum eo dux fœdus icit, cunctaque prona ei ad uictoriam reddidit. Vrbem regiam, Carnutes, Tricasses, Regem, Reginam, Catharinam uirginem, quæ omnia in potestate patris fuerant, & nunc in manu hominum suarum erant partium, ei incruenta uictoria nullo negotio tradidit. Vtque Delphinum, in quem mirum in modum excandescebat, à spe regni paterni excluderet, Lutetiæ uoce præconis citandum curauit, dieque dicta absentem pronunciauit indignum, qui succedat in regnum, cuius fide in colloquium de pace descendēs propinqua cognatione iunctus dux, per fraudem circumuentus ac cæsus sit. Præterea in Tricassibus Catharina, patre, qui nec sui, nec regni, nec mentis potens foret, nihil detrectāte, nupsit Henrico: his legibus, ut rex gener, si socero regi superstes foret, liberiúe ex Catharina procreati, in regnum Franciæ succederent: interea rem Francicam administraret gener Anglus, rectorq; Fraciæ diceretur. Patri successerat Carolus VII. & Henrico V. Anglo Henricus VI. infans. Duces Angli rem præclarè gessere, ut de Franco rege actum uideretur, nisi Ioanna uirgo Lotharinga diuino afflatu arma pro Gallis cepisset, & dux Burgūdus patriæ cōmiseratione paci ineundæ studuisset, Anglorū relictis partibus. Ita indignatio Burgundionum, quæ sumta Anglos Franciæ dominos imposuit, eadem deposita Francos ab externo dominatu uindicauit. Aemilius lib. 10.

S. Ericum regem Sueonum proceres, eius pietatem perosi, facta cū Danis cōiuratione ex insidiis occiderāt. CANVTVS Erici F. Carolum Suercheri F. qui regnum occuparat, quasi & ipse in patris cædem consensisset, interfecit. SVERCHERVS Caroli filius post Canuti mortem rex factus, paternæ cædis uindicandæ gratia Canuti liberos partim trucidauit, partim in exilium eiecit. Quocirca Sueonibus exosus, in bellum

lum ciuile incidit, & frustrà Danorum opibus suffultus trucidatus est à suis, anno 1210. Ericus Canuti F. ab exilio reuocatus regnauit. Io. Magnus lib. 19. c. 11.

HACHO, Amundi Suecorum regis F. cùm fratres suos tres à Danis perfidè oppressos audiret, classe in Daniam festinās, celerrimo cursu per saltus & nemora usq; ad regiam contendit. Nec accelerationi prospera fortuna defuit. Nam primam & secundam uigilum stationem suspenso tacitoq; itinere prætervectus, cùm extremas syluarum latebras penetrasset, iussit abscissos arborum ramos singulos suorum manibus gestare. Quod cùm milites in tertia statione constituti animaduerterent, Sigaro regi nunciant, nemus suis sedibus auulsum ad regiam properare. At Sigarus ex oraculo iam olim dato respondit, eo syluarum accessu sibi extrema fata portendi: moxq; militem contrahens, cōmisso prœlio cæsus est. Hacho uictoriam in crudelitatem uertens, nulli sexui aut ætati pepercit, regnumq; Daniæ tam seuerè oppressit, ut illud nequaquā ad tributū aut subiectionem, sed ad extremam desolatiōnē expugnasse uideretur: nec quieuisset, donec magnam eius partem desolatam reddidisset, nisi in eo conatu de obitu patris certior in Sueciā rediisset. Io. Magnus lib. 7. c. 7.

ATHOLICI duo fratres, patris cædem ab Eugenio VII. Scotorum rege damnati ulturi, noctu in regio cubiculo Spontanam reginam pro rege, qui tunc aberat, occidere. Pedibus in sublime suspensi, à canibus ferociss. ad latera appensis sunt dilaniati. H. Boethius lib. 9.

Girozolani rustici Ferrarienses, profligato Actij Estensis exercitu per Salinguerram Ferrariæ dominum, fugientes insecuti, Tisolinum Tisonis comitis Campisamperij Patauini F. cōsecuti, cùm magni animi iuuenis rusticas sese dedere nollet, multis uulneribus confecere, an. 1222. Eius mortem PATAVINI biennio pòst Girozolæ incendio & direptione tam crudeliter sunt ulti, ut neque mulieribus neque pueris pepercerint. Bernardus Scardeonus libro tertio, classe 13. historiæ Patauinæ.

Alexandriæ (quæ urbs transpadana est in cisalpina Gallia) Ludouico Sforcia Mediolanensem ducatum administrante, cùm Petrus Vesputius Florentinus eques, eo tempore trāspadanæ oræ præfectus, uocata ciuium parte altera, repentè captum Carrantem Vilsauegiā molendinarium è palatio suspendisset, Carrantis PROPINQVI quinq; numero manè palatium ingressi, præfectū interfectum à cubiculi fenestra suspenderunt, & mox profugerunt. Fulgosus libro nono, capite 10.

Anno Christi 1461. Cracouiæ oborta seditio, in qua Andreas Tencinius, uir uetustate & claritate familia nobilis, concursu ac tumultu CRACOVIENSIVM in æde diui Francisci trucidatus est: interfecti cadauer in forum tractum, pugionibus confossum, ambustaq; barba & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia ciuitatis asseruatum, tertia demum die amicis ad sepulturam redditum est, eo quòd Clementem fabrum armorum, quòd arma sibi ad bellum proficiscenti in tempore non perfecerat, bis pulsasset. Cromerus libro 24.

Carolo IIX. Galliæ rege, post subactum regnum Neapolitanum, celeriter Galliā repetente, Tuscanellenses calamitate insigni affecti sunt. Cùm enim rixa fortè exorta, Gallus lapide ictus cecidisset: GALLI irati non ipsum quidē percussorē, sed oppidanos omnes adorti, duce Bastardo Borbonio magnam eorum partem crudelissimè trucidarunt, atq; oppidum diripuerunt. Iouius lib. 2. Hist.

PROCERES Vngari & propinqui Americi Cibachi episcopi Varadinensis, Aloysium Grittum Venetum, cuius iussu Americus obtruncatus fuerat, bello persequuti, eadem talionis pœna affecerunt: atque in eius cruore penulas militares solenni ceremonia more gentis intinxerunt, ut diu secum exactæ uindictæ memoriam deferrent. Iouius libro 32. Historiarum.

Anno salutis 1513. quum Galliæ rex Ludouicus XII. Genuę imperium recuperare niteretur, etiam Adurniorum & Fliscorum ductu Genuæ immineret: Ianus Fregosius dux unà cū Fregosino fratre uix tantum temporis, ut propriæ saluti cōsulere possent, nacti, Ludouico altero fratre ad Castelleti custodiam relicto, mari aufugerunt: uictores autem Genuam sunt ingressi. Vbi Flisci fratres OTTOBONVS & Sinibaldus ob fratris cædem, à Ducis fratribus factam, ultionis impetu impulsi, Zachariam ducis fratrem, qui in pugna in montibus commissa captus fuerat, & unà cum reliquis fratris cædi interfuerat, interfici, & deinde equi caudæ alligatum per totam urbem raptari crudeliter fecerunt. Guicciardinus libro 11.

INSIDIAS INTENTATAS.

POLYPHONTES rex fratrem interfecit, quòd ab eo insidias & mortem parari sibi intellexisset. Gellius libro quarto, capite tertio.

Cùm MITHRIDATES rex sexaginta Gallogræcorum proceres, quos Pergamum euocauerat, contumeliosè & impotenter accepisset, ac proinde omnes offendisset: Toredorix ualente uir corpore & insigni animo (tetrarcha fuit Tosioporum) suscepit Mithridatem, cùm pro tribunali in gymnasio responsa daret, complexurum se, atque in præceps secū in hiatum daturum. At quia fortè eo die in gymnasium non ascendit, sed domum ad se euocauerat Gallogræcos, bono animo iussit eos esse, & simul atque congressi essent, ut undiq; eum adorti discerperent ac necarent. Id clàm non fuit Mithridatem, sed re delata omnes Gallos ordine imperauit iugulari. Plut. de Virt. mul.

Sub NERONE duabus coniurationibus promulgatis: prior maiorque Pisoniana Romæ, posterior Viniciana Beneuenti conflata atque detecta est. Coniurati è uinculis triplicium catenarum dixêre causam: cùm quidam crimen ultrò faterentur, nonnulli etiam imputarent, tanquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi urbe pulsi, enectique ueneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum uictum prohibitos quærere. Suetonius.

TITVS Vespasianus Imperator, in præfectura prætorij suspectissimum quemq; sibi, submissis, qui per theatra & castra quasi consensu ad pœnam deposcerentur, haud cunctanter oppressit. In his Aulum Cecinnam, consularem uirum, uocatum ad cœnam, ac uix dum triclinio egressum, confodi iussit. Sanè urgente discrimine, cùm etiam chirographum eius præparatæ apud milites coniurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cauit, ita ad præsens plurimum contraxit inuidiæ: ut non temerè quis, tam aduerso rumore, magisq; inuitis omnibus, transierit ad principatum. Suetonius.

HENRICVS VI. Imp. (à Niceta Ammerigus dictus) ob crudelitatem quorundam insidiis in Sicilia appetitus, eorum conatus cùm anteuertisset, insidiatores miserabiliter excruciatos interfecit. Alium feruenti aqua excoctum in canistro pro missu ad suos remisit: alium in ingentem rogum coniecit, alium culeo insutum in fundum maris abiecit. Factionis principem & regem delectum, grauiori supplicio destinauit. Iussit enim coronam æneam fieri cùm quatuor foraminibus, quam eius capiti totidem magnis clauis affixit, atque ita hominem abire iussit, his uerbis: Habes homo coronam, quam uenatus es: nemo tibi inuidet, fruere usque adeò desiderata re. Is uerò uertigine oborta humi prolapsus, paulo pòst in miserabili illo diademate expirauit. Nicetas lib. 2. de Rebus Alexij Angeli.

VVLNERA, PLAGAS, VERBERA, FLAGRA, TORMENTA.

Iasonem Thessalum, Persarum regi bellum inferre parātem, an satis iusta ultio absumserit, ambiguæ æstimationis est. Taxillo enim gymnasiarcho à quibusdam IVVENIBVS pulsatum se cōquesto, permisit, ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret. Qua posteriore uindicta uso, qui uapulauerant, Iasonem interfecerūt, animi non corporis dolore pœnæ modum æstimantes. Cæterùm paruo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio subruta est, quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexādri, reponebatur. Val. Max. lib. 9. c. 10.

POPVLVS Romanus ad mortem stilis graphiariis Erixonem equitem in foro percussit, quòd ab eo filius nimis sæuè uapulauerat. Fulg. lib. 9. c. 3.

Dagobertus, CLOTHARII II. Francorū regis filius, Austrasianos trans Rhenum duxit: utq; indolem suam patri gentiq; probaret, cum Bertario Saxonū duce, prouincias Francorum urēte, pugnauit. Graue in capite uulnus accepit. Capillum cruore infectum Austrasiani ad patrē detulêre. Qua ueluti regij insignis dehonestati fœditate conspecta pater ira percitus, suorum delectu habito in hostem ruit, dato (ut fertur) præcepto, ut procerioris staturæ hostes ensi, quo quisque pugnaret, æquarentur: eo etiam in pugna exacerbatus, quòd nondum quinquaginta natus annos, sed iam uelut extrema canicie uetulum iumentum uocitari se ab hoste audisset. Bertarius in acie cecidit, magna suorum strage. Aemilius libro 1.

NERO Imp. quòd puer à Seneca præceptore uerbera tulisset, eum mori coëgit: data tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spacio. Suetonius.

ARCADIVS Imp. ab Arsenio uirgis cæsus, percussorem in præceptorem subornauit. Is metuens insidias, fuga sibi consuluit, & eremita factus est. Nicephorus libro duodecimo, capite uigesimotertio.

Childericus II. Francorum rex, BODILLVM uirum insignē & nobilem ad palum ligandum, flagrisq; cædendū iusserat.

Is coniuratione facta, dum in ea sylua, quæ ad Calam Parisiorum uicum est, rex uenatur, illum ex insidiis ad uesperam adortus interemit: idem cōtinuò fecit utero gerēti Reginæ: uterq; in æde D. Germani à pratis sepultus est. Chron. Francorum, & Fulg. lib. 9. c. 10.

GALEACIVS Sforcia, dux Mediolanensis, cùm à Cola, siue Nicolao Montano pædagogo puer uapulasset, postquã ad imperium euectus est, totidem plagas nudis natibus ei rependi, se inspectante, iussit. Quæ iniuria effecit, ut Cola tres ex suis discipulis, præsertim uerò Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. Iouius in Galeacij elogio.

Cùm auriga Michaëlis Temrucouicij, soceri magni Ducis Moscouię IOANNIS Basiliadis, aurigam Ducis oborto iurgio grauiter uulnerasset: Dux continuò re audita, satellites suos in curiam soceri sui misit, ut tres seruos illius primarios in foribus laqueo suspenderēt, ita ut omnes ex domo exire & in domum intrare uolentes, subter suspēsos ambulare duabus hebdomadis cogerētur. Alex Guagninus in Moscouia.

FORTVNAS. INIVRIAE VLtio illatæ per

LITEM CONTRA SE DATAM, uel saltem INTENTATAM.

DOMINICVS Albensis præpositus Budæ, absente rege Vngariæ Vladislao ius dicens, Laurentium Magnum, uirum fortem, ob controuersiam inter ipsum & socerum suum natam, in uilla eius, quæ in Pestano agro sita erat, adeò immaniter obtruncauit, ut uxor eius cum interiore tantùm tunica Budam timore exanimata confugeret: bona eius seuerissimè in publicum redacta, & fisco adiudicata sunt. Bonfinius libro 3. Dec. 5.

Robertus Atrebatium Comes genuit ex se Philippum & Mathildem. Hæc nupsit Othoni Burgundiæ comiti Ille ante patris obitum uita exutus, reliquit ROBERTVM filium. Ex in Roberto comite, in pugna Curtracensi cum Flandro facta, interfecto, Philippus Pulcer rex, Atrebatium comitatum Othoni Mathildis uiro dedit, tametsi reclamante Roberto, hęreditatem à Roberto auo paterno & diuino & humano iure sibi competere. Sed uis plùs ualuit: sic ut iudices postea de re controuersa cognoscentes, regis præiudicium secuti, contrà atque ius poscebat, secundùm Mathildem sententiam tulerint. Qua iniuria motus Robertus, uxore ac duob. filiis Ioanne & Carolo relictis, ad Edouardum III. Angliæ regē profectus est: à quo honorificè & acceptus & habitus, necnon Richemondiæ comitatu donatus, impotentis uindictæ causa funestissimum illud toti Galliæ bellum Anglicum excitauit. Aemilius libro nono, & Polydorus libro decimonono.

Lis fuerat Vernero Plocensi apud Polonos episcopo cū BOLESTA quodam, uiro præpotenti & feroci, de Carsco pago, quem hic ecclesiæ ademerat. In ius autem ab episcopo uocatus Bolēsta, causa excidit. Ira itaque excandescens, Prutenos quosdam sicarios cum fratre Benasso ad uillam Biscupice, ubi episcopus commorabatur, mittit: qui noctu effractis foribus ipsum securè dormientem cum fratre Benedicto, Benedictinæ professionis monacho, trucidarunt. Cromerus lib. 6.

CAROLVS Borbonius, Galliæ regulorum opulentiss. sanguine coniunctus regiæ domui, duxerat uxorē ex sorore Caroli VIII. regis genitã: unde ei dotali nomine Borbonij principatus accesserat: ea morte sublata, & ob id cum socru contracta simultate, ad Heleonoram Cæsaris sororem oculos adiecit. Interim Ludouica Francisci regis mater, quòd ex eadem Borboniana domo maternum genus duceret, non ambiguo iure ea oppida, quibus Carolus Borbonius hæreditate creuisset, contestata lite repetebat. Qua iniuria offensus Borbonius, apud eam conqueri cepit, rogareque, ut matrem compesceret. Rex cum bono animo esse iubet. Sed priori malo alia contumelia accessit, quòd cùm ad Valentianũ oppidum Francisco regi contra Caroli V. exiguas copias confligendum esset, & primæ aciei cura sibi, ut magistro equitum debita, Alenconio regis sororis marito attribueretur: id adeò iniquo tulit animo, ut cum paucis & iis quidem nobiliss. hominibus aduersus regem coniurauerit. Ea uerò coniuratione detecta, noctu profugiens ad Cæsarem defecit. Iouius in Piscario. & lib. 22. Hist.

ARCES TRADITAS ALTERI.

MITHRIDATES à Cn. Pompeio ad ultima regionis pulsus, filium Xiphacem (alij Artiaritem scribunt) occidit, in Stratonices matris inuidiam, quæ, cum Pompeio priùs pacta filij salutem, arcem Romanis tradiderat munitissimam, ubi pręter regios thesauros, Mithridatis cōmētarij reperti sunt, quibus uenenorum multiplex medicamentorumq; continebatur ratio. Sab lib. 4. En. 6.

Terra est Aduocatorum non longè à Saxonia superiore, quã Hēricus I. Romanorum rex, subiecit monasterio dominatũ in Quedelenborg, constituens quatuor per terræ angulos totidem aduocatos nobiles, qui Barones dicuntur, de Vvida, de Ghera, de Russe, de Plavve. Carolus IV. Imp. an. 1364. egit cum tribus, ut arces suas inexpugnabiles sibi concederent. Quartus id ægerrimè ferens, RVTENVS de Plavvis, quũ sciret tres suos collegas unà cōuenisse in horreo quodam, firmatis undiq; claustris, igne iniecto illos concremauit, pœnam sumens transgressæ (ut dicebat) fidei. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, c. 33.

PRÆDIA EREPTA.

HERCVLES Estensis Ferrariæ dux, Ludouico Sforciæ Mediolanensiũ principi genero suo auctor fuit, Caroli IIX. Gallorũ regis cōtra Aragonios euocandi, nimirum ut pernicioso consilio generi improbitatem ulcisceretur, qui in pace inter se & Venetos tractanda, Polisenum fertilissimam regionem Venetis adiudicasset. Guicciard. lib. 1.

Muro sepiebat ingentes fundos Galeacius Vicecomes, iuxta Papiensem arcem, ut eis ad uenationem alere feras posset. Cùm autem eo muro possessiones BARTHOLINI Sisti ciuis Papiensis incōmodè diuiderentur: Bartholinus cũ Galeacio questus, etsi optata non retulerat, tamē aliquot dies rem patienter tulit. Cæterùm cùm postea indies damnũ grauius appareret, quod diuisa possessio secum ferebat, ad Galeacium rediit, qui in Papiensi foro equo insidens subsisterat, ac modestè inter cætera dixit: Si hoc ipsum incōmodo afficeret, quid tandem tot filiabus, quas iam nubiles habebat, agendum foret? Galeacius iracundiæ plenus: Si nesciret, inquit, quo alio eis modo consuleret, illas ad prostitutarũ cellas mitteret. Hoc dicto pudicus ciuis excanduit, & in furorem rabiemq; uersus, pugionem quem ferebat strinxit: arbitratusque Galeacij se pectus petere, in zonæ fibulã gladij mucronem impegit: qui inde delapsus, coxam perfodit, neque multo pòst Bartholinus occisus fuit. Fulgosus libro sexto, cap. 1.

EQVOS EREPTOS.

ARDOINVS Lombardus, spectatæ uirtutis atq; ingentis animi uir, à Dueliano Græci Imp. Catapano, grandi data pecunia Candidati honore affectus, & oppidis quibusdam Apuliæ præpositus fuerat. Is cùm in Siciliensi expeditione Saracenum quendã in Sicilia prostrauisset, insignē eius equũ, quem sibi pugnans pepererat, à Maniaco Catapano, Dueliani præcessore, impetrare non potuit, uerùm eo cum dedecore spoliatus est. Huius ulciscendæ iniuriæ cupidus, consilium eripiēdæ Græcis Apuliæ cepit. Itaq; simulato uoti causa Romã itinere, Auersam ad Ranulfum comitem, genere Normannum, se contulit, atq; eius animum ad Apuliã inuadendam accendit: effeminatos appellans Græcos, terrã opulentam: Normanos iam numero armisq; præstantes: turpe esse exiguis parui atq; obscuri oppidi finibus esse contētos. Consilio comprobato Ranulfus strenuos ei duces duodecim cum trecentis militibus tradidit, pactus, ut quæcunq; occuparentur, æqua inter omnes sorte diuiderentur. Quib. rebus sacramēto firmatis, repentè omnes impetum in Apuliæ fines fecerunt, atq; imparata omnia nacti, Melfim totius Apuliæ claustrum, atque inde Venusiam, Asculum & Labellum haud magno certamine occuparunt. Hoc initium Normannorum principatus in Apulia. Sigonius libro octauo regni Italici.

FERAS OCCISAS.

L. DOMITIVS prætor Siciliæ, illum, qui sibi dono aprum attulerat, cruci affixit: cùm comperisset ui teli ferã captã, quod antea per edictum uetuerat. Val. Max lib. 6. c. 3.

FERDINANDVS rex Neapolitanorum, eos, qui ceruum aprúmue furtim uel palàm occidissent, alios manibus mutilauit, alios suspendio affecit: agros quoq; serendos interdixit dominis, legendasq; aut glandes, aut poma, quæ seruari uolebat in escam feris, ad uenationis suæ usum. Pontanus lib. de Immanitate, c. 14.

MVNERA DENEGATA, AVERSA.

Fama tenet AESOPVM in Græciã cōmmeasse cum argento, quod à Crœso acceperat, ut sacrum Apollini splendidè faceret, ac Delphis in capita diuideret minas quaternas. Cũ autem rixa ei & contentio intercessisset cũ ciuibus, sacrificiũ quidē perpetrauit, sed numos Sardeis remisit: quòd Delphos illos, qui donum acciperent, haberet indignos. Hi fabricato in eũ sacrilegij crimine, hominē de rupe illa, quã Hyampiã dicũt, pręcipitē egerunt & interemerũt. Hinc perhibetur infensum eis Apollinē sterilitatē inflixisse, atq; horrendorũ morborũ omne genus: ut peragrantes omnes Græciæ celebritates, pronunciarent & inuitarent quēlibet, cui cordi esset, ut Aesopi causa ab ipsis pœnas repeteret. Tertia demũ generatione uenit Samius Idmon, ab Aesopi familia prorsus alienus, tãtum stirps eorũ, qui Sami fuerãt cum mercati. Huic supplicia aliqua Delphi cùm præbuissent, calamitatib. illis exemti fuerunt. Hinc sacrilegorũ piaculum in Naupliam ab Hyampia fuisse aiunt translatum. Plut. de tarda Dei uindicta.

OCTAVIARVS Vbaldinus Cardinalis in Galliã profecturus Mediolani à Martino Turriano susceptus, cùm in tēplo D. Ambrosij carbunculum mirabili fulgore, & rara magnitudine conspicuum uidisset, eumque cupidè inspiciendo omnino dignum uideri diceret, qui ad ornamentum sacrorum solennium, in summa Pontificis Maximi thiara conspiceretur: à Martino armato illuc accurrente intactũ relinquere coactus, sic in Turrianos exarsit, ut Othonem Vicecomitē archiepiscopum Mediolanensem in excidium Turrianæ domus armare non desierit. Iouius in Othone.

AES ALIENVM INTERVERSVM.

ROMANORVM crudelitatem cōtra debitores cōpendiosè perstringit Cælius lib. 12. c. 20. A. L. ex Gellio.

CREDITORVM cōsternatio aduersum Sempronij Asellionis prætoris urbani caput intolerabili modo exarsit. Quē, quia causam debitorũ susceperat, concitati à L. Cassio trib. pleb. pro æde Concordiæ sacrificium facientē, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactũ, inq; tabernacula latitantē, prætextatum discerpserunt. Val. Max. lib. 9. c. 7.

FVRTO ABLATA.

TIBERIVS Imp. militem prætorianum, ob surreptum è uiridario pauonem capite puniit. Suetonius.

C. CALIGVLA Cæsar Romæ publico epulo seruum, ob detractã lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atq; ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circunduceretur. Suetonius.

MAHVMETES II. Turcarũ rex, quum in hortis, quos Constantinopoli in deliciis habebat, deesse pomũ in arbore cedro, quod paulo antè inspexerat, animaduertisset: arbitratus proculdubiò, unum è tribus pueris, quos secum habebat, pomum decerpsisse, quòd in hortis præter eos alius nullus fuerat: quia quilibet ipsorum se pomum decepsisse negabat, iussit, ut ferro eorum pectora aperirentur: & nisi in primi, cuius apertum fuit pectus, stomacho fuisset inuentum, dubium non erat, quin ad omnes ipsos ea pœna transiret. Fulg. lib. 9. c. 2. & Egnat. lib. 9. c. 2. & Sab. lib. 9. c. 3. qui non cedri fructum, sed binos pubescentes cucumeres huic crudelitati occasionem dedisse refert.

Colonus quidam Secretario magni Ducis obtulerat lucium maximum. Ibi tum Monachus, qui simultates alebat cum Secretario, eum apud IOAN. Basiliadem Moschorũ tyrannũ accusauit, quòd in regiis lacub. magnos tantũ pisces piscaretur, & cum suis deuoraret. Ergo Secretarium ad se euocatum, nulla data facultate se defendendi, manibus pedibusq; uinctum, in lacum profundissimũ coniici iussit, cũ his uerbis: Qui tot pisces solebas piscari, abi nunc, & quibuscunq; uolueris uescitor. Alex. Guagninus in Moscouia.

Timotheus Masalski, Lituanus nobilis, bello captus à Moschis custodiebatur. Cùm IOAN. Basiliades magnus Dux Palatinum Moschouiæ Ioãnem Piotrouicium, insontem, è medio sustulisset, quidam ex famulis, animaduertens fortunas domini sui miserè diripi, clàm accepit elegantem loricam inauratam, eamq; sociis suis seruandam tradidit, qui eodē in carcere erant, ubi & Timotheus Masalki: illi eam oppignorarunt Timotheo: hic uerò seruandam dedit famulo suo. Famulus, deferens loricam in hospitium, à uigilibus capitur. Præfectus carceris, loricam sibi seruauit. Id cùm animaduertissent duo ex sclopetarijs, rem consiliariis detegunt, consiliarij magno Duci indicant. Is confestim iubet extrahi è carceribus Timotheum, commentariensem item, & duos Moschouitas, qui pignori illi dederant hanc loricã: duos quoque sclopetarios, qui istud detexerant. Post dira tormenta quatuor aquis submersi, Timotheus & commentariensis uincti in urbem missi, in uigilia Paschatis capite truncati, & in aquas coniecti. Idem.

IMPERII INSIDIAS, REGNI AFFECTATIONEM.

Polysperchontis auxilio (post Antipatri obitum) OLYMPIAS ab exilio reuersa, in potestatem redegit Eurydicen cũ Philippo, qui Aridæus dictus est, Philippi Amyntæ F. & conclusis in exiguo loco ipsorũ corporibus, per angustum receptaculum necessaria suppeditabat. Post multos uerò dies Philippum quidem, qui fuerat rex sex annos & mēses quatuor, quibusdam Thracibus excarnificandum tradidit. Eurydicem autem insolescentem, ac uociferantem sibi magis conuenire regnum quàm Olympiadi, iudicauit dignam maiori supplicio. Misit itaque ad eam gladium, laqueum & cicutã, optione proposita, quónam istorum uellet uti ad mortem. Eurydice comprecata deos, præsente eo, qui illa attulerat, ut Olympiadi talia dona euenirent, uirum obuelauit, curatis eius uulneribus, uti tempus patiebatur. Deinde cùm se cingulo suspendisset, finiit uitam, neq; lacrymis deplorauit suam fortunam, neque abiecta est magnitudine calamitatum. Olympias his sublatis, sustulit Nicanorem fratrē Cassandri, inuertitq; tumulum Iollæ pincernæ, ulciscens, ut ipsa dixit, Alexandri mortem. Delegit autem Cassandri amicorum illustrissimos centum Macedones, quos omnes mactauit. In eiusmodi autem iniquitatibus explens suum animum, fecit ut statim multi ex Macedonibus odio haberent eius crudelitatem. Omnes enim memores erant uerborum Antipatri, qui ueluti oraculo prædicens, in morte cohortatus fuerat, ne unquam permitteretur mulieri præesse regno. Diodorus lib. 19.

Olympias CASSANDRI aduentu perculsa, diffisaque Macedonibus, quos certò sciebat cum fortuna fidem mutaturos, cum Hercule Alexandri filio, quem ex Barsane tulerat, haud multo postquam in Cilicia prospero marte pugnauit, & cum Roxane nuru in Pictuam urbem concessit. Secutæ eã abeuntem Deidamia Aeacidæ regis filia, & Thessalonice, & ipsa clara Aridei patris nomine. Ibi à Cassandro obsessa, & immissis percussoribus interfecta est. Pòst Cassander Thessalonicem Aridei filiam sibi uxorem iunxit. Alexandri filium cum matre in Amphipolitanam arcem custodiendos misit. Nec multo pòst, Alexandri filium, iam quatuordecim annos natum, cum Bersane matre occultè interfecit, ueritus ne Macedones Alexandri memoriam secuti, puerũ adolescere incipientem, in auitum patriumq; regnum restituerent. Addiditq; scelus sceleri, Roxane cum altero Alexandri filio haud multo pòst pari fraude interfecta. Adeò nihil in regia stirpe reliquũ esse uoluit, quod regno malè parto formidolosum esset. Sab. lib. 7. En. 4.

ANTIGONVS Antipatri F. Tetrarcha, in Iudæã à Pacoro rege Parthorum reductus, Hyrcanum patruum regem, & Phasaelum Aristobuli F. uinctos accepit. Veritus deinde, ne populi fauore Hyrcanus in regnum restitueretur, qui à Parthis asseruabatur, amputauit ei auriculas: hoc agens, ne ille propter hoc uitium ad recipiēdum pontificatum esset idoneus, quãdo lex hunc honorem non concedit, nisi ei, qui integro sit corpore. Phasaelus ubi se neci destinatum cognouit, capite ad saxum alliso semetipsum interficere uoluit. Antigonus submissis medicis sub specie remedij uenenum uulneri indidit. Iosephus lib. 12. c. 25. Antiq.

Decretum erat HERODI Iudæorum regi, recepta prophetici carminis opinione, & quòd à Magis fuisset deceptus, omnes pueros nuperrimè ortos perdere. Cæterùm Aristobulo & Alexandro filiis eum sæuitiæ apud Augustum accusantibus, tamdiu destinatum scelus distulit, quoad sit Roma reuersus. Tum primùm omniũ à quibus fuerat oppugnatus, & cum quibus in gratiam parum sincera fide redierat, in Cęsarea laqueo necauit: inde ad puerorum cædem conuersus, qui eo fuerant biennio nati (tantum ferè temporis ab Christi ortu intercesserat) ex composito trucidauit, homo ad sæuitiam natus: qui dum nulli parcendum putat, in infantis filij cædem imprudens incidit. Quæ res materiam præbuit Augusto principi in uetus gentis institutum cauillandi, ut dixerit, Satius fuisse Herodis esse porcũ, quàm filium. nã Iudæi suilla carne ueteri lege abstinent, abhorrentque usque adeò, ut ne alant quidem id animal. Sabellicus libro primo, Ennead. 7.

SEVERVS Imp. uicto ad Lugdunum Albino, præmisso in urbem capite Albini abscisso, iussoq; publicè patibulo pręfigi, uti exemplum cæteri caperent, quid item ipsis patiendũ foret: ordinatis Britanniæ Galliæq; rebus, sumtoq; supplicio de Albini amicis, qui illic erant, Romam cum omni exercitu, quo terribilior esset, proficiscitur. Albini amicos crudeliter puniuit, bona publicauit, ærariumq; auxit, quęstui supra quàm dici potest addictus. Quos autem & quot occiderit consulares prætoriosq; uiros ac senatorij ordinis, latissimè Spartianus recenset. Imperium metu potius quàm beneuolentia retinens, ut esset Imperator uerus nominis sui, uerè Pertinax, uerè Seuerus. Quanquam popularis esse inprimis uolebat. Cuspinianus. Legiones misit, quæ Byzantium obsiderent: eò enim Nigri duces confugerant. Capta urbs est fame & tota euersa: & theatris & balneis omnique ornatu & honore priuata, in pagum redacta, & Perinthiis dono data, sicut & Antiochia Laodicensibus. Cùm Seuerum Byzantini cum oleaginis ramis celebrarent, salutēq; peterent, seq; excusarent, cædibus quidem abstinuit: sed denuò Perinthiis eos subiecit. Suidas.

CONSTANTIVS Imp. cùm esset in negotiis aliis principib. mediis cōparandus, si adfectatæ dominationis ansam quãdam falsam reperisset aut leuem, hanc sine fine scrutando, fasque eodem loco ducens & nefas, Caligulæ & Domitiani & Commodi immanitatem facilè superauit: quorum æmulatus sęuitiam inter imperandi exordia, cunctos sanguine & genere se contingentes stirpitus interemit. Marcellinus libro 21.

Constantinopoli altercatio Venetæ & Prasinæ factionis suborta est:quam dum sedare PHOCAS qui tyrãnidem occuparat niteretur,effecit,ut cùm tribunus Venetorum contumeliosis dictis afficeretur, magna psrs populi id ægrè ferens exclamaret: Absiste, & statum rerum considera. nam Mauricius adhuc uiuit. Quibus uerbis inflammatus tyrannus, ad necem principis in Chalcedonis urbis eregionè Byzantij portum,Eutropij dictum,quò confugerat Mauricius cum uxore,liberis,& omni familia, dicto citiùs adnauigauit. Et comprehenso Principe ac tota familia, primùm in conspectu Principis reginam Augustam,tresque eius filias, tum filios interfici iussit. Quibus interemtis, exclamauit Mauricius:Iustus es Domine, & recta iudicia tua: forti animo perferens tantam calamitatem, quam auaritia & crudelitate erga XIIM militum à Chagano captorum exercuerat, sibiipsi conciliauit. Cùm filius eius nouissimus, infans adhuc,ad pœnam posceretur,quem lactentem nutrix occulerat,filium suum pro alumno subiiciens, Princeps suum proferri iussit. Ipse demùm incredibili animi magnitudine mortem subiit,securi obtruncatus. Postea Phocas pro Theodosio ad Cosroen misit, & occidi fecit. Sic tota domus cũ principe cæsa est, omnesq; sepulti sunt in æde S. Mamãtis, prope murum extructum à Pharasmane eunucho, Iustiniani cubiculario. Cuspinianus.

REMVS & ROMVLVS, Martis & Syluiæ filij, Amulium per insidias aggrediebantur. Tumultus ab arce in urbem perferebatur. Numitor conscius quid fieret, ad ciues dixit hostilem aggressionem esse, Amulium urbe prodita fugisse. Sed, inquit, armati in forum conueniamus. Ciuibus se armantibus, Remus & Romulus, Amulio sublato, ex arce exilierũt: & congregatis ciuibus renunciarunt, quinam & quo damno affecti, aui iniurias persecuti essent. Populus factum collaudans, Numitori regnum tradidit. Polyæn.lib.8.

IVSTINIANVS II. cùm ope Trebellij Bulgarorum regis, noctu per aquæductum Constantinopoli potitus esset, Heracleum Apsimari Imp. qui Leontium imperio deiecerat, fratrem,cum plerisque aliis ex sublimi ligno prope mœnia suspendit,interfecta magna multitudine ciuium. Apsimarũ & Leontium, à quo ipse eiectus fuerat, è uinculis eductos, per forum & theatrum simul iunctos rapi ab equis, atq; ad eius pedes detractos,cum ceruicibus pressis calcasset,in Cynegeppio,spectante populo,interfici iussit. Callinicum antistitem, qui in Leontij partibus fuerat, luminibus priuatũ, Romam relegauit: in cuius locum Cyrum abbatem Constantinopolitanum fecit antistitẽ, cuius liberalitate in Thracia exul adiutus fuerat & alitus, inq; recuperando imperio confirmatus. Indulsit inde Iustinianus nimium dolori suo, utpote qui Leontij odio, quoties trũcas emungebat nares, unus aliquis, qui in eius fuisset partibus, è sỹmposio ad supplicium rapiebatur. Cùm exercitus ad Philippicum defecisset, Heliæ Protospatharij opera, Iustinianus Heliæ filios in ipso matris sinu interfici iussit, eamque matrimonio iunxit seruo ipsius coquo, qui erat Indus. Fugiẽs Damatryn, à suo desertus exercitu, Heliæ manibus capite truncatus est. Cuspinianus.

MICHAEL Balbus Imp. capto Thoma regni æmulo morem ab Imperatoribus usurpatum seruans, eum porrectũ in pauimento iacere iussit, ceruicemque eius pedibus suis calcauit. Tum pedibus manibusq; mutilatum, asino impositum, spectaculi loco per castra circumduci iussit. Cedrenus.

HENRICVS VI. Imperator à Celestino III. Pp. Constantiã Rogerij filiam, monacham in uxorem, & regnorum Siciliæ & Neapolis dotale ius ab eodem accepit, ut Constantiæ fratrem Tancredum, quem Siculi regem fecerant, deiiceret. Mortuo Tancredo, Henricus Gulielmum V. Tancredi filiũ cepit, castrauit, cum tribus sororibus in Germaniam deportauit, proceres regni excæcauit, sic ut clarissima Normannorum familia, Pontificum tyrannide, Henrici ambitione sit extincta. At crudelitatis huius pœnas Conradinus Henrici abnepos Carolo Andegauensi cum fœnore dedit, à quo captus, & immaniter trucidatus, nolibilissimæ familiæ Sueuorum colophonem imposuit. Collenucius libro tertio hist. Neapolit.

HENRICVS VI. Imp. Iordanum nobilẽ Siculum regni æmulum in Sicilia ceperat, Constantiæ uxori supra modum acceptum. Iussit ergo coronam æneam fieri cum quatuor foraminibus, quam eius capiti totidem clauis affixit, atq; ita hominem abire iussit, his uerbis: Habes homo coronã quã uenatus es, nemo tibi inuidet, fruere usque adeò desiderata re. Nicetas libro 2. de gestis Alexij fratricidæ. Cranzius lib.7. Metrop. c. 17. captum, in sedem ferream collocatum scribit, & coronam ignitam clauis ferreis capiti eius affixam. Quendam etiam Richardum per plateas tractum, suspendio necatum, qui Imp. iussu Constantiæ ueneno tollere noluerit.

Mariam Hungariæ reginam, cùm accepisset uxorem SIGISMVNDVS Imperator principum regni concilium apud Budam actum est. In eo regina perfidiam regulorum accusauit, qui se regno spoliare conati essent. Tum Sigismundus unà cum iudicibus causa cognita, duos & triginta regulos securi percussit. Quæ res multorum deinde laborum & discriminum causa fuit. Aeneas Syluius libro tertio Comm. in Panormita.

Ioann. Piotrouicius Palatinus Moscouiæ falsò delatus, quasi tyrannidem affectaret, fortunis omnibus exutus, pedes contra Tartaros militare coactus, à IOANNE Basiliade magno Duce, diademate & sceptro insignis in throno regio collocatur: princeps cum magnum Ducem & monarcham Russiæ salutat: sed penes quem te creandi potestas fuit, inquit, penes eundem quoque te de gradu deiiciendi potestas erit. & mox pugione pectus eius repetitis ictibus confodit. Principis exemplum imitantur aulici. Cadauer in foro ludibrio omnium exponitur. In stirpem, gentem atque seruos eius crudeliter sæuitur: subditi omnes ferro, flamma & aqua grauiter affliguntur: ne iumentis quidem parcitur: uirgines & uxores cõstuprantur: plebeiæ nudæ pelluntur: uxor Piotrouicij cœnobio includitur. Anno sal. 1568. Alex. Guagninus in Moscouia.

Ad IRRISIONEM.

Cùm GEDEON Madianitas persequeretur, acie à se uictos atque in fugam conuersos, ipseque ad urbem Soccoth peruenisset: pro petitis commeatibus, ab eius urbis populo per contumeliam irrisus est. Cùm autem confecta expeditione inde reuerteretur, Soccoth urbem prælio adortus, in potestatem redegit, ac septuaginta Soccothinorum ciuium, primarios uiros, in torcularibus, inter tribulos spinasque nouo crudelique pœnæ genere oppressit: atq; huiusmodi supplicio egit, ut ira, quæ alioquin in Soccothinorum gentem iusta erat, iam propter tormenti crudelitatem damnanda uideretur. Fulg. lib. 9. c. 2.

Achilles cùm in bello Troiano Penthesileam Amazonum reginam interfecisset, fortitudinem & formã eius admiratus, lugere eam cepit fortissimus & pulcerrimus heros. Thersites uerò deformosissimus & timidissimus homo ACHILLEM lugentem irridens, mollitiem ei obiiciebat. Achilles iratus, pugno Thersitem interfecit. Eusthatius Iliad. β.

CAMBYSES rex Persarũ, cùm contra Aethiopes Macrobios exercitu ducto, magnã partem militum inedia amisisset, & Memphim reuersus, omnes Aegyptios festum diem agere propter Apis apparitionẽ uidisset: ratus id in suã fieri contumeliam, quasi insultarent ei ob rem malè gestam, sacerdotes flagellari, Aegyptios feriantes interfici curauit, ipse gladio Apim lethaliter uulnerauit. Herod. lib. 3.

In prælio captum THEOCRITVM Chium, cùm ad Antigonum regem deducentes hortarentur, ut bono esset animo, fore, ut cùm ante Antigoni oculos constitueretur, ueniã impetraret. Ille in tanto periculo positus, à dicteriis abstinere non potuit. Itaq; si ita esset, de se actum esse, dixit: siquidem alterum Antigonus tantùm haberet oculum. Cuius uerbi acrimonia motus Antigonus, statim cum interimi iussit. Fulgosus lib. 8. c. 1.

Pantaleon in Arsinoën LYSIMACHI uxorem uomere solitam, hunc torsit uersiculum:

κακῶν κατάρχεις, τὴν δ' ἴμῶσαν εἰσάγων. id est:

Dominare prauis, qui hanc uomentem induxeris.

Quod ubi resciuit Lysimachus, in mustelæ cauea inclusit hominem, & tanquam feram circumduci iussit, quoad uiueret. Plutarchus.

ASIATICVS quidam legatus Romã missus, lectica ferebatur per agrum Venusinum. Bubulcus quidam per iocum rogauit, Num mortuum in lectica ferrent? Ille statim lecticam deponi, & stuppis, quibus deligata erat, usque adeò uerberari iussit, dum animum effleuit. Gellius libro 10. c. 3. ex C. Gracchi oratione recenset.

ANTONINVS Caracalla Alexandriam petiit, ut totam ciuitatem Alexandrini, ut sunt naturã dicaces, multa in Seuerũ patrem, mox in Caracallam dicteria iecerant. Ea re Caracalla offensus, posteaquam Alexandriam uenit, cùm eiusmodi multa in eum etiam præsentem iácerent, ne fratris quidem Getæ cæde dissimulata, matremque Iocastam appellarent, & quòd tam paruæ staturæ homo Achillem & Alexandrum æmularetur, dum se iocari putant, sibi exitiale odium conflarunt. Ille enim ut naturã erat iracundus, maximeq; sanguinarius, per speciem delectus habendi, omnem Alexandrinorum iuuentutem iussit in apertum egredi, ut delecto omnium flore alteram phalangem in Alexandri memoriam leniret. Tum læta ciuitas in apertum egressa, dum intenta negotio esset, quod de industria assimulabatur, ab armato exercitu circumuenta est. Datoque repentè signo, ad unum iuuenes cum parentibus & necessariis, qui ad id spectaculum exierant, trucidati sunt, tanta uis hominum cæsa dicitur, ut sanguinis riui media planitie in Nilum defluxerint. Et Alexandrini suæ dicacitatis in hunc modum pœnas luêre. Sabellicus lib. 5. En. 7.

HELIOGABALVS Alexandriam perrexit, urbis Alexandri desiderium causatus. Quã cum omni exercitu ingressus, sic est ab Alexandrinis susceptus, ut nemo unquam Imperator. Ad Alexandri monumentum cùm uenisset, chlamydem quã gestabat, loculo illius imposuit. Populus itaq; animi illius ignarus, gaudebat. Cùm enim eos in se & matrem multa dicteria iecisse cognouisset: publico edicto pubem omnem in planicie quadã conuenire iussit, se in Alexandri honorẽ phalanges instituturũ professus. Quæ cùm bona spe plena præsto esset, ordine astantes contemplatus: ipse quidẽ abiit, sed immissis militibus omnes trucidauit: tanta cęde edita, ut Nilus uniuersus rubesceret. Suidas.

NARSES magnis rebus contra Gothos in Italia, Iustiniano imperante, gestis, ingens sibi toto orbe terrarum nomen pepererat: postremò ex splendore orta inuidia. Ingentem uim auri congesserat, non sine querela multorum ciuium Romanorum. Ea fuit materia eius incusandi apud Iustinum Imp. Iustiniani successorem, uxoremq; eius Sophiam Augustam, quæ mariti potens nimis æqua erat Narsetis accusatoribus, affirmantibus, si diutiùs in rerum Italicarum administratione teneretur, fore, ut iniuria auaritiaque Narsetis optimates Romani coacti, nationem aliquam externam euocarẽt, eãq; in locum ac opes Gothorum sufficerẽt. Nec satis habuit Augusta reuocare Narsetem, sed addidit contumeliam, quòd eunuchus esset: semimarem eum dictitans, nescire priuatum uiuere. Præfuturum igitur gynæceo, & pensa nentibus diuisurum. Non latuit Narsetem quàm probrosum dictum mulieri excidisset: nec iram continere potuit, quin pari amaritudine remorderet: Ordiar, inquit, telam, quam semel textam quicquid muliebrium Sophiarum est, non retexat. Nec factum quàm minæ, segnius: nec magno ingenio opus fuit. Consilio ab aduersariis capto, externis armis Italiam exposuit diripiendam. Fœdere iunctus erat Alboino Longobardorum regi, omnium mortalium ferocissimo. Hunc ad maiora faca ex Pannonia ad occupandam Italiam accersit. Ipse Iustino reuocanti non paruit. Neapoli desedit, cùm uenisset iam successor Longinus, nouum imperij nomen in Italiã gerens, Exarchus dictus. Aemilius lib. 1. & Sigonius libro 1. regni Italiæ.

RANIMIRVS è monacho rex Gothorum factus, cùm expeditione contra Saracenos suscepta, sinistro brachio scutũ, dextro lanceam adaptasset, mox frena equi apprehendere iuberetur: & is, Quî possum, utraque manu occupata, nisi dentibus hæc retinenda quis porrigat? respondisset: risu solutis proceribus, ĩta excanduit, ut Oscam euocatos XI. proceres, à quibus irrisus fuerat, securi percusserit. Collenutius lib. 1. hist. Neapol.

Venatum Vladislaus II. Polonorum princeps, & Petrus Danus comes Scrinnensis in remotas syluas ierant: ibi totum diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad uesperum ad focum constructa è cespite mensa, cùm se pane & ferina carne, & aqua fontana utcunque refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent Vladislaus ioco Petum appellans: Mollius, inquit, nunc, Petre, uxor tua cum abbate Scrinnensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiarius CHRISTINA Vladislai uxor utebatur: ita ut mussitaretur uulgò, eum cum illa clàm consueuisse. Tetigit id dictum principis animum: & domum reuersus, uxori blãdienti rem detexit. Christina Petrum è medio tollere studẽs, cum è filię nuptiis abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Cromerus lib. 6.

VRATISLAO II Boëmorum rege Brunnã oppidum oppugnante, Desiderius in aula præcipuus, qui Regem cum Bretislao filio comitabatur, pro consueta familiaritate, Memineris, inquit, ô Rex, ut castra Bretislai ad ripam fluminis cõstituas, ne ei desit copia natandi, præsertim in tam feruido æstu. Sensit morsum Bretislaus, indignissimeque tulit, patre coram sibi exprobratum esse ueterem in Lusatia natatũ (ob quem Boemorum exercitũ in extremum periculum adduxerat) tacitus tamen dolorem tunc deuorauit, postquam uiderat parentem dicto Desiderij arridere. Cæterùm ad suos reuersus, palàm indignari, malaque multa dicere in caput Desiderij, atque illo die prę ira cœna abstinere. Manè ad Conradum patruum (qui in urbe oppugnabatur) ex suis fidum quendam occultè mittit, qui iniuriam sibi à Desiderio illatam deploret, consiliumque requirat, quid sit opus facto. Ille se eadem flamma ardere, qua adustus esset Bretislaus, respondet, ac nisi illa quamprimùm unà cùm flammiuomo (quem Desiderium esse dicebat, præsentis belli facem) extingueretur, Vratislaum ab incendio, quo ambo ipsi tandem comburantur, non cessaturum. Maturat hinc Bretislaus Desiderium de medio tollere, consilio cum tribus tantùm inito: quorum uni mandat, ut ad se Desiderium accersat, dicatque sibi esse opus eo conuento. Venit ille, Dersimirio sodali suo duntaxat comitatus. Cui cùm Bretislaus dicacitatem exprobrasset, chirotheca in uultum illius proiecta, signum dedit percussoribus. Qui illum redeuntem ad Dersimirium, multis in uia uulneribus confoderunt. Rex factũ illud indignissimè ferre, cumq; Conradum fratrem tandem in gratiam recepisset, filio tamen ignoscere penitùs noluit, illud tantùm dicens, Bene an male feceris, olim senties. Eo uerbo offensus Bretislaus, è castris cum suis discedit, factaq; maiore manu Pragam uersus contendit, patrem superbè lacescens, ut ad pœnas de filio sumendas properaret. Cæterùm Conradi intercessione pax facta, & concessus filio reditus, ea lege, ne in patris cõspectum ueniret. Bretislaus ergo metuens, ad S. Ladislaum Hungariæ regem cognatum suum exulatum abiit. Interea Vratislaus uita functus, Conradum fratrem successorem reliquit, eique filios quatuor reliquos cõmendauit, Bretislao penitùs præterito. Sed is mortuo Conrado Hungarorum ope regnum obtinuit. Dubrauius libro 9.

MATHIAS Coruinus, Hungariæ rex, tonsori suo, quem pergratum habebat, locupletaueratque, labra ac nasum desecuit, eaque in lance deferri iussit: quòd is in regio cubiculo, ministris Aragonij cardinalis legati, uxoris suæ fratris, posteriores uestium partes per iocum mutilauerat, & ipse rogatus eius facti causam exprimere, ridens regi fassus erat. Cui pœnæ eum rex damnauit, ut qui in maleficio ridebat, semper exertis dentibus, etiam cùm fleret, ridere uideretur. Fulg. lib. 6. c. 3.

Ad REPREHENSIONEM LIBERAM.

Cons. de Tit. Non ferre admonitiones, obtrectationes, reprehensiones. Illic ueritatis odium, hic ira ob liberam reprehensionem orta consideratur.

ABNER ob stuprum, cum Respha Aiæ filia, concubina Sauli, ab Isbosetho Sauli filio reprehensus, ad Dauidem defecit. 2. Reg.

CAMBYSES Persarum rex, Prexaspen ob reprehensionẽ temulentiæ suæ liberã puniuit. Ira enim percitus Prexaspis filium pocillatorem in medium produci iussit, & arcum intẽdens, sagitta cor eius trãsfixit. Cõuersus inde ad Prexaspen: Abi, inquit, & Persis refer, uel temulentum regẽ munere suo probè functum, filijque tui cor medium non frustrato ictu transfixisse. Herod. lib. 3.

OROETES Sardium præfectus, cùm à Mitrobate præfecto Dascyliorum reprehenderetur, quòd Samum insulam tam propinquam regis ditioni non adiunxisset (eam namq; eodem tempore Polycrates subiugarat) primùm quidem Polycratem astu captum cruci affixit, deinde mortuo Cambyse Mitrobatum cum Cranape F. interemit. Idem.

DIONYSIVS tyrannus poetam Philoxenum, quòd eius tragœdiam emendare iussus, ab ipso usque capite ad calcem totam circumduxisset, in Latomias condidit. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

HYRCANVS III. Iudæorum dux & pontifex, cùm aliquando Pharisæos (quorum sectæ addictissimus erat) conuiuio comiter excepisset: petiit ab eis, si quid in ipso animaduersione dignum obseruassent, ut id admonitione corrigerent. Cùm uerò omnes eius uirtutem comprobarent: tandem unus è conuiuis ELEAZARVS, uir malus & seditiosus, Quãdoquidem, inquit, ais te cupere audire ueritatem: si uis esse iustus, abdica te pontificatu, & contentus esto principatu populi. Illo uerò causam rogante: Quia, inquit, audiuimus à natu grandioribus, matrem tuam captiuam fuisse regnante Antiocho Epiphane. Falsus autem erat is rumor: & ideo grauiter his uerbis offensus est Hyrcanus, nec minùs Pharisæi cæteri. Tum Ionathas quidam è Sadducæorum secta, præcipuus Hyrcani amicus, dicebat de communi Pharisęorum sententia conuitiatum Eleazarum: id quod manifestum foret, interrogatis illis, qua pœna hominem dignum censeant. Quod postquam Hyrcanus rogauit, & illi satis putarent, si uinculis castigaretur, & uerberibus (quòd iniquum uideretur capite hominem plecti ob maledicentiam) uehementer exacerbatus est, quasi iam compertum haberet eos esse auctores opprobratæ sibi generis infamiæ. Nec destitit Ionathas furenti calcar addere, in tantum ut desertis Pharisæis ad Sadducæos deficeret, & abrogatis illorum constitutionibus, earum obseruatores pœnis afficeret. Iosephus libro decimotertio, capite decimooctauo Antiquit.

Bellũ Sabinis illaturus TARQVINIVS Superbus, rex Rom. quia fœdus, quod cum Tullo Seruio percusserant, post eius mortem fecerant irritũ: principibus Latini nominis ad lucũ Ferentinæ, ubi celebre forum erat, ut cũ his de ratione belli consultaret, in certum diẽ conuentum indixit. Affuêre frẽquẽtes illi prima luce, Tarquinius in mora fuit, nec priùs cõ

uenit, quàm sol iam propemodum occideret. Tulerant eam cunctationem satis ciuiliter alij. Vnus omniū Turnus Herdonius Aricinus, homo uehemēti ingenio, & regi parum amicus, locum ad criminandum nactus, multa de Tarquinij superbia locutus, cùm superueniens Tarquinius se purgaret, quòd arbiter inter patrem & filium molesta disceptatione factus, dum studio nititur utrunq; alteri reconciliare, indigna mora socios & amicos, quorum commodis semper cōsultum uoluisset, frustratus uideri posset: Herdonius subiecit, Nullam esse breuiorem cognitionē, quàm quæ inter patrē uerteretur, & filium: denunciari uno uerbo potuisse, parendum esse patri: quod ni fieret, infortuniū esset filius habiturus. Quæ cùm ille coràm iactasset, æquius, quàm superbissima ipsius natura pateretur, rex Romanus tulit. Cæterùm confestim ad hominis necē animum adiecit, sub noctemq; ex Turni seruis unum per Aricinos homines aduersæ factionis corrupit, ut magnam uim gladiorum in domū, quà Herdonius diuersabatur, occultè inferre fineret. Qua illata Tarquinius, priusquā illucesceret, Latinorū principib. ad se uocatis, diuina se ait prouidentia hesterna luce domi retàrdatum. Cōpertum se habere, ab Turno sibi & principibus Latinorum capitales insidias imminere, ut Latinorum imperium solus teneat. Mittuntur, qui arma domi recondita scrutentur. Quibus inuentis, Turnus iniectis catenis in concionē indicta causa damnatus, ad caput aquæ Ferentinæ, cratē supernè iniecta, saxisq; congestis necatus est. Dionysius in uoraginem quandam, uiuumque adhuc sub terra demissum ait. Sab. lib. 6. En. 2.

PERSEVS Macedonum rex, quæstores rectè monentes interfecit. Superatus enim à Paulo Aemilio, postquam Pellā nocte ingressus est, Euctum & Eudæum, ærario præfectos, partim cum de superioribus peccatis increpantes, & intempestiua libertate admonentes, cōsiliaq; suggerentes, infensus ambos pugione confodit. Plut. in P. Aemilio.

Aelium PERTINACEM Flaminem Heluianum, filium Pertinacis Imp. teste Spartiano, Antoninus Caracalla, pòst Imperator, occidi iussit, ob hoc solùm, quòd filius esset Imperatoris. Licet fortè ob hoc etiā occidi potuerit, quòd cum Antoninus Parthicus, Arabicus, Alemanicus siue Germanicus, à deuictis iis gentibus dici uellet, Pertinax dixit. Vocetur etiā Geticus Maximus. Nam quia fratrem Getam innocenter sustulit, Geticum appellauit. Cuspinianus.

Cùm PHOCAS Imp. Circenses ludos edidisset, ac sub uesperā uino se ingurgitasset, tardeq; rediret, clamauit populus: Exorere Phoca. Cumq; non statim ad spectaculum procederet, uociferati sunt: Rursus uinum bibisti, rursus mentem amisisti? Ob quod conuitium insania correptus multis membra præcidit, multos necauit. Cedrenus.

ISAACIVS Angelus Imp. in iram pronus, Constantinum Aspietā, ob exercitum, cui bello Blachico præerat, his uerbis defensum: Non posse milites cū duobus grauissimis hostib. Blachis & fame dimicare, sed annua stipendia eis persoluēda esse: statim dignitate priuari, & excæcari iussit, non mode ratus iracūdiæ suæ, quòd illum per speciem defensionis cōcitare milites suspicabatur. Nicetas lib. 3.

ALEXIVS Comnenus tyrannus magni templi lectorem Georgium Disypatum propterea, quòd de Andronici sæuitia liberiùs questus esset, in carcerem coniectum subinde in animo habebat, uerubus transfixum ut pinguem hominem instar porcelli supra carbones assatum, uxori eius mittere: ac omninò fecisset, nisi Monasteriota Leo socer eius, qui ob dicendæ sententiæ prudentiam, Senatus os ab Andronico uocabatur, tyranni furorem auctoritate sua repressisset. Nicetas lib. 1. de Alexio.

Nupserat Constantia Raimundi Antiocheni principis uidua, gregario cuidam militi RAINALDO de Castellione, spretis, qui ipsius ambierant nuptias, uiris illustribus nō paucis. Quod factū cùm Patriarchæ Antiocheno, penes quē uiduitatis tēpore gubernatio steterat, minùs probaretur, liberiùs de persona actionibusq; publicè ac priuatim interdum loquebatur. Rainaldus captum carceri inclusit, cū priùs caluiciē eius melle perūcta, æstiuo tempore per integrum diē, sole feruentissimo existente, sub dio eum sedere coēgisset, nemine uel contra æstum uel muscarum molestias quicquā subsidij præstante. Intercedente tamē Hierosolymorum rege carcere exemtus in pristinum dignitatis locum restitutus est: quo sponte relicto, Hierosolymam se contulit. Accidêre hæc sub annum 1158. Gul. Tyrius libro 18. capite primo, de Sacro bello.

Meginherus Treuirensis archiepiscopus cùm suorum CLERICORVM libidines & luxum grauius reprehēdisset, odium ipsorum incurrit. Contra eorum contumaciam Romani pōtificis opem imploratum, Romam adiit. Verùm in itinere proditione suorum clericorum, à Conrado Sueuiæ duce, quem paulo antè, eo quòd Imperij dignitatem contra Lotharium affectaret, Honorij secundi iussu sacra cōmunione ipse priuarat, interceptus, Parmis in carcere miserè obiit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Anno 1130, iuxta Appendicem Mariani Scoti.

Cùm VDALRICVS Boëmiæ princeps à Syba Versouicēse ad conuiuium inuitatus, illud Sapientis inferret, Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio: Syba gentilitiam sibi perfidiam obiici existimans, statim de tollendo principe consilium cepit. Dubrauius libro septimo.

Anno à Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, conuenerant ad IOAN. Basiliadem magnum Ducem Moscorum nobiles & consiliarij ferè trecenti, expostulantes cum eo de iniuriis, homicidiis, spoliationibus & inaudita crudelitate. Dux ira excandescens eos in carceres intrusit. Post quinque dies de carceribus eductis quibusdam linguas abscidit, aliis pedes & manus: quinquaginta nobiliores in foro publicè uirgis & baculis cecidit: reliquos liberos dimisit, postea uerò sensim nihil ampliùs suspicantes sustulit. Alex. Guagninus in Moscouia.

☞ CALVMNIAM, CONVITIVM.

Post euersam Troiam Hecuba regina, quo seruitium morte absolueret, multa ingerere maledicta, imprecatiq; infausta omnia in exercitum. Qua re moti GRÆCI, lapidibus obrutā necarunt, sepulcrumque apud Abydum statuēre, Cynossema dictum, ob linguæ proteruiam impudentemq; petulantiam. Dictys lib. 5.

Seditione inter pecuarios Scythas orta, manus ingens eorum patrio solo pulsa, in Mediam concessit. Hos Cyaxares Medorum rex benignè cōplexus, etsi supplices ad se uenissent, familiariter affari, tradere illis Medicos pueros arcu & sermone instituendos. Interiecto deinde tēpore, quum SCYTHÆ assiduè uenatum irent, ac feræ semper aliquid afferrent, contingit tamen quandoq;, ut nihil domum tulerint: quos sine uenatione reuersos intuitus Cyaxares, ut ingenio fuit iracundo, multis eos probris insectatus est. Quā illi contumeliā haud ferendam rati, ex pueris quos instituebant, unum trucidatum, in dissectæ feræ speciem regi obtulerunt, celeriq; deinde fuga in Lydiam ad Alyattē perfugerunt. Eos Cyaxari reposcenti (nam rex & alij, qui cōuiuio interfuêre, ex humanis carnibus, ferinas rati, gustauerāt) quum Alyattes eos tradere recusasset, bellum inter Medos Lydosq; conflatum est. Quinq; annos uario euentu utrinq; bellatum, dimicatumq; est etiā nonnunquā noctu atrociter. Sexto deinceps anno collatis signis, quum neutri adhuc acies inclinasset, contigit, ut repentino solis deliquio nox fit ex die facta. Quam lucis mutationem, aliquot ante annos Thales Milesius, de quo non multo pòst dicā, Ionibus prædixerat futuram. Tenebrarum igitur interuentu pugna diremta est, animisq; ad pacem inclinantibus fœdus futuramq; amicitiam affinitate sanxerunt. Sab. lib. 4. En. 2.

SALOME soror Herodis regis, eiusdemque MATER, cùm Mariamme uxor regis ignobilitatem generis rixando illis obiecisset, & se regio sanguine natam iactasset: tanto illam odio prosequi ceperunt, ut non priùs destiterint, quam falsis accusationibus de adulterio & stupro Herodem permouerunt, uti dilectissimam alioqui uxorem extremo affecerit supplicio. Iosephus lib. 15. c. 11. Antiq. Eadem priùs maritum suum Iosephum patruum Herodis, apud Herodem fratrem criminata est, Mariammes uxoris Herodis consuetudinem obiiciens. Porrò Herodes, qui semper ardenter amauit Mariammen coniugem, statim perturbatus est, non ferens zelotypiæ stimulos, & Iosephum indicta causa interfici iussit. Iosephus lib. 15. c. 4.

MISTIVOIVS Vandalorum princeps neptem Bernardi ducis Saxoniæ ambiebat: eundemque in expeditionem Italicā sub Henrico Imp. secutus est mille equitibus: qui in prima semper pugnātes acie penè omnes perierūt. Reuersus in patriam puellam deposcebat. Tum Theodericus marchio Brādeburgensis consanguineā ducis clamabat non esse dandā cani. Quo ille audito, uehementer indignatus discessit. Dux metuens rebellionem Mistiuoium reuocauit, ut optatis nuptiis potiretur. At ille respondit, Magna nobis gratia rependitur pro obsequio, ut iam canes, non homines iudicemur. At canis ferox magnos dabit latratus & morsus. Reuersus in Vandaliam, ad rebellionem concitauit populares omnes, à quibus Saxonia miserè discerpta est. Theodericus exutus à Vandalis omni suo principatu, præbendarius factus Magdeburgi, miseram uitam in calamitate finiuit. Mistiuoius tamen sub finem uitæ ad se reuersus, pulsus patria Bardeuicum concessit, ibiq; piè consenuit. Cranzius lib. 2. Vandaliæ, c. 41. & 42.

GVLIELMVS nothus Iacobum Carrariensem patrem, Patauij principem, ex insidiis occidit, eo quòd in iurgio quodā à patre Spurius esset appellatus. Bernardinus Corius historiæ Mediol. lib. 3.

Muro

Muro sepiebat uiuarium Galeacius Vicecomes, iuxta Papiensem arcē. Cùm aūt eo muro possessiones BARTHOLINI Sistri ciuis Papiensis incōmodè diuiderentur, aliquot dies rem patienter tulit. Postea cū indies damnū grauius appareret, ad Galeacium rediit, qui in Papiensi foro equo insidens substiterat. Ob conuitiū & inter cętera dixit: Si tanto sese incōmodo afficeret, quid tandē tot filiabus, quas iam nubiles haberet, agendū foret? Galeacius, iracundæ plenus respondit: Si nesciret, quo alio eis modo consuleret, illas ad prostitutarum cellas mitteret. Hoc dicto pudicus ciuis excanduit, & pugione Galeacij pectus petens, in zonæ fibulā impegit: indeq; resiliente coxā eius perfodit. Bartholinus non multo pòst occisus fuit. Fulg. lib. 6. c. 1.

Alidosius Cardinalis Bauaria pulsus, ad Iulium II. confugit, omnem amissæ urbis culpam in FRANCISCVM Mariā Iulij nepotem ducem imperitum reiiciens. Constat autem, Alidosium omne studiū adhibuisse, ut quæ ab Francisco procurabantur, ea illi omnia in contrariā partem cederent, neque ullum ad exitum perducerentur: oderat enim adolescētem non tam eius uitio, quàm suo: cupidoque illum ingens incesserat, sui ut fratres, quos esse fortes uiros prædicabat, magno in honore apud Iulium essent, bellicisq; rebus præficerentur, & auctoritate potentiaq; pollerent, quarum rerū illo prosperè imperante spē habere nullam poterat. Ergo Iulius furore percitus uerba in nepotē doloris contumeliæq; plena temerè effudit, neq; audire illum uoluit. Adolescens contumeliam tam insignem Alidosio acceptam referens, à patrui cubiculo discedens cum septem aut octo, quos habebat secum, ex suis familiaribus, ad diuersorium Alidosianū pedibus rectà contendit, atq; ipsum domo egressum media in uia frequenti comitatu, septumq; militibus plurimis, & equitibus armatis plus sexaginta, educto dextra gladio hominem transuerberauit. Quod factū eius comites intuētes, gladiis eductis & ipsi idem fecerūt. Qui quidem paulo pòst se ipse sæpiùs accusans egit animā, turpis & flagitiosæ uitæ uir, cui nulla fides, nulla religio, nihil tutum, nihil pudicum, nihil unquā sanctum fuit. Frāciscus pacatè suū ad hospitem rediens, insessis equis, egressusq; oppido, ad Metaurenses se suos retulit. Bembus lib. 11. hist. Ven.

Emporio Russię Nouoguardia occupata à IO. Moscorū principe, Germani qui illic remansere mercatores, malè sunt habiti, in uincula ademtis rebus omnibus coniecti: postea dimissi, quum reditum pararent in patriam, perierunt in mari. Contumelia Reualiæ ei facta animum eius exasperauit. Nā cùm in horrendo flagitio deprehensus ibi Russus incendio cōsumeretur, uox iudicum est audita, Si uel ipsummet principem in eo facinore deprehendissent, non aliter quàm canem concrematuros. Ipsum principem, quum audiret indignam uocem, ita ferunt incaluisse, ut fracto, quo utebatur baculo uir grandæuus in que terram deiecto, in cœlum suspiceret, diceretq; frendens, Vindica Deus, & iudica causam meam. Cranzius lib. 14. Vandaliæ, c. 22.

MISTIVOIVS Vandalorum princeps, quum sequutus esset Bernardum ducē Saxoniæ mille equitibus in Italiā, filię nuptiarum spē: Brandenburgensis marchio Theodericus, non esse dandam cani nobilem puellam asseruit. Ea contumelia altiùs insedit pectori eius, ut amicis questus Saxonum in se superbiam, arma rogaret auxiliaria ad uindictam. Fit coniuratio ualida. Marchio deturbatur omni sua ditione, Aldēborg uastatur ad exterminium, LX. presbyteri miseris modis excruciantur: fit cum contemtu religionis grauis in omnes persecutio. Cui se immiscuit Godscalci, nobilis inter Vandalos iuuenis, indignatio, cuius parentem Saxo occiderat. Fit acerrima in omnes Saxonici generis & Christiani nominis persecutio. Adiuuit hanc crudelitatem acerba tributorum exactio: dum enim Saxones modum non faciunt exactionis, fit pariter & religionis contemtus. Non poterant discrimen ponere barbari inter religionem & potestatem secularem: alterum cum altero coniunctum, iuxtà in odio collocabant. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 39.

IOAN. Basiliadis Moschorum principis catamito Theodoro, Bosmani cuiusdam nobilis F. per iurgium obiecerat Demetrius Ouuicininus (cuius pater Basiliadis tutor fuerat) stupri infamiam. Theodorus de eo apud principem conquestus est. Ergo ad cœnā simulata beneuolentia euocatur. Inter pocula cùm iam bene potus ingentem cratera mulsi in sanitatem principis ἀμυσὶ ebibere iussus, uix dimidium hausisset, perfidia exprobrata in cellam uinariam mittitur, illic pro salute principis quantū uellet bibiturus, & submissis sicariis strangulatur. Alex. Guagninus in Moscouia.

☞ ACCVSATIONEM, DAMNATIONEM.

PROMERVS regius quidam minister fuit. Is Euripidem tragicum poëtam supra modū exosum habebat, delatus ab eodem aliquādo, nescio quo nomine, apud regem. Quare postea canes quosdā feros in poëtam soluit, à quibus ille deuoratus interiit. Proinde quoties potens quispiam offensus aliquos subornat, submittitq;, qui tibi negotium facessant, tempestiuè dixeris, ἀφετέα κύνες. Conuenit cum illo, quod dicitur, κυνὸς δίκην, id est, Canis uindictā. Recēsetur à Diogeniano. Erasmus in Adagiis.

Cùm aduersus Hasdrubalem LIVIVS Salinator bellum gesturus urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne antè descenderet in aciem, quàm hostium uires animumq; cognosceret: primā occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatusq; ab eodem, quid ita tam festinanter manum cōserere uellet? Vt quàm celerrimè (inquit) aut gloriam ex hostibus uictis, aut ex ciuibus prostratis gaudiū capiam. Ira tunc atque uirtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniustæ damnationis memor, hæc triumphi gloriæ intenta. Sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere, & sic uincere. Val. lib. 9. c. 3.

Violatorum Bonæ deæ sacrorum crimine absolutus CLODIVS, & factus Tribunus plebis, protinus appetiuit Ciceronem, simulq; omnes res atque omnes homines aduersus eū sollicitauit, concitauitque, quòd testimonium in se dixisset. Populum demulsit legibus popularibus: utriq; consuli amplas prouincias decreuit, Pisoni Macedoniam, Syriam Gabinio: colluuiem inopum ad cœpta sua decuriauit, seruitiis armatis latera sua sepsit. Et die Ciceroni dicta, quòd Lentulum & Cethegum indicta causa necasset, cùm ille pacis causa cum furioso Tribuno armis cōtendere nollet, ei in uoluntarium exilium fugienti, aqua & igni interdixit. Exterminato Cicerone Clodius uillas eius incendit, concremauit domum, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hastæ subiecit: quæ quotidie cùm proclamaret, nemo ad hastam accessit tamen. Plut. in Cic.

Alexander III. Scotorum rex, cùm VVALTERVM Comitem Montethensem & quosdam alios, Cummeniæ gentis omnes, diuitiis & multitudine tum pollentis admodum (quippe præter comites multos, triginta duos equites habebat) ob illatas popularibus iniurias in ius uocasset: illi facta manu regem capiunt, & Sterlingum ducunt. Posteaquā uerò uxor Vualteri adulteri cuiusdam Angli hominis abiectissimi amore capta maritum ueneno sustulit, coniurati reliqui impetrata à rege uenia deinceps in fide perstitere. Hector Boethius libro 13.

☞ REPVLSAM MAGISTRATVS, DIGNITATEM EREPTAM, DEIECTIONEM à MAGISTRATV.

Gn. APVLEIVS Saturninus à Q. Cecilio Metello censore senatu eiectus, iniuriam ulturus, tribunatum summo studio petiit. In qua petitione Nouium siue Numiū, ut Liuius ait, competitorem, quòd ab eo comitialibus diebus publicè esset criminibus lacessitus, iam tribunum creatum, atque è cāpo se domum recipientem, sicariorum manu in eum immissa interfecit. Ipse statim Glaucia prætore adnitente (is enim tribunitiis præerat comitiis) tribunus relatus est, & ob eam rem, Nouij cæde suppressa, legem promulgauit, ut omnis Gallaciæ ager, qui Gallorum fuerat, populo diuideretur statuitque diem senatui, quo in eam legem iuraret, irrogata uiginti talentorum pœna iis, qui eam non probarent, & ut senatu submouerētur. Lex multo certamine primùm lata, inde quum in eam iurare senatus cepisset, C. Mario sextùm cōsule ad id totum senatum adigēnte, Metellus iusiurandum recusauit. Cæterùm quum legi contradiceret, eam dictitās non esse legem, quæ tonante Ioue contra patrium morem lata esset, Apuleius lictore ad eum misso, curia educi iussit: inde ad populum latum, ut igni & aqua Metello interdiceretur, nisi in legem iuraret: dies una ad id constituta illi est: qua exacta, quum in proposito perstaret, possetq; in urbe armis disceptare, patria excedere maluit, quàm illam in certaminis alicuius discrimen adducere. Eo in exilium acto Apuleius tertiò est tribunus refectus. Secuta est inde recentior cædes, Glaucias & Apuleius, quum Memmium tribunum fieri uiderent, haud dubiè diuersarum partium, in cōspectu populi per homines suæ factionis peremerunt. Populus horum flagitium detestatus, in eos impetum fecit. Quo metu perculsi, cum magna agrestium manu, quæ legi fauebat & C. Saphinio Censore, Capitolium inuadūt. Senatus eos interficiēdos censuit. Marius ea re turbatus iam plures armis instruxerat: cæterùm eo segniùs arma expediente (fauebat enim haud dubiè damnatorū causæ) qui ad cædē discurrerant, aquarū fistulas, quę in Capitoliū confluebant, incidūt. Tum Saphinius desperatione actus, templum incendit. Dediunt inde sese, siti adacti, Marij opibus confisi, quos consul in curia inclusit, uelut rem lege executurus. Cęterùm agresti hominū manu metu disiecta, Saphinius, Glaucias & Apuleius in Senatu obtruncātur. Cēsore igitur, prętore, & tribuno in hunc modū interfectis, clamorę populus significauit Metellum ab exilio reuocandum. Cuius uoluntati P. Furius

trib.

trib.pleb.adeò pertinaciter obstitit,ut ne Metelli quidem filij lacrymæ piæúe preces, multa & suppliciter pro patre precantes,flectere potuerint.Ipse adolescens ob id pietatis officium,iam inde Pij cognomen tulit. Furius sequenti anno in iudicium uocatus, quòd tantæ pietati non cessisset, pro concione à populo discerptus est. Metellus ab exilio reuocatus,in amplectendis ciuibus obuiam effusis diem cõsum sit.Sabellicus lib.2.En.6.

Val.Flaccus Consul, cùm nescio quid ignominiosè in FIMBRIAM quæstorem decreuisset,illeq; Romam abiturum se dixisset,dignitate eũ spoliauit.Ea iniuria ille alienatus, absente consule,prætorem,quem Flaccus in castris substituerat,fascibus militari fauore spoliauit.Inde Flaccũ ex Chalcide reuersum,subita ui adortus, exercitu nudauit, nudatũ Nicomediam usq; persecutus est: ibiq; in suã potestatẽ redactum hostiliter interfecit,abiecitq; insepultum.Ita consul & imperator Romanus à priuato homine imperio & uita spoliatus est.Sab.lib.3.En.6.

Cùm L.Quintius Flaminius Senatu motus esset à Catone ob crudelitatem erga captiuũ,quẽ in gratiã scorti inter epulas trucidari curauerat: TITVS frater conspirauit cum ueteribus æmulis Catonis, omnesq; illius locationes uectigaliũ & operũ publicorũ redemturæq; in Senatu obtinuit, ut inducerentur & rescinderentur. Multas etiam & graues instruxit ei accusationes. Verùm haud scio, quàm rectè atq; ordine aduersus iustum magistratum & ciuem optimũ, pro homine coniuncto quidẽ,sed indigno & iure notato, inimicitiam susceperit capitalem.Plut.in Flaminio.

☞ OFFICIVM INTERMISSVM, NEGLECTVM.

P.CLODIVS à piratis captus, quia à Ptolemæo Cypri rege non fuisset redemtus, Tribunus factus, sua rogatione effecit,ut ille hostis sit iudicatus.Sab.lib.5.En.6.

VDALRICVS Boemię princeps,Syba Versouicense magnoperè contendente,ut conuiuio suo princeps interesset,negauit,palàm illi dicens:Nónne apud sapientem legisti, Melior est bucella sicca cùm gaudio,quàm domus plena uictimis cùm iurgio?secura enim mens, quasi iuge conuiuium. exprobrans obiter gentilitiam perfidiam erga principes Versouicensibus.Perculsus inexpectato responso Syba, tacitus inde ad Bersoslaum Versouicensem abiit, apud quem conquestus est grauiter de ignominia à suspicioso principe, nõ sibi solùm,sed toti præterea familiæ illata:subiunxit Bersoslaus, Caueat sibi, ut uelit,princeps, etiam, qui cautè uiuit, cautus non rarò decipitur. Nec mora, de tollendo eo consilium capiunt.Solitus erat de nocte frequenter solus uigilare,ac deinde percursis psalmis & hymnis, lumine extincto somnum repetere.Talem eius consuetudinem obseruãs insidiator,nocte quadam scalis fenestræ admotis,intentoque arcu, sagittã toxico tinctã in Vdalricum detorsi, ita proximè caput uolantem,ut capillos eius perstringeret. At ille subitò candela de mensa proiecta unà cũ candelabro, per tenebras se in lectulum suum recepit absque strepitu & clamore.Manẽ scalæ sunt inuentæ, & sagitta parieti infixa.Dubrauius lib.7.

Quidam Secretarius IOAN. Basiliadis,magni Ducis Mosconiæ,sanguine ipsi iunctus,ad epulas inuitarat aliquot aulicos. Dum genio indulget, mittit puerum uisum, quid Dux agat. Princeps, retento famulo, accersi iubet & Secretariũ, & conuiuas:uariisq; tormentis exprimere uoluit, cur miserint famulum in Regiam: cur ad tam splendidũm conuenerint conuiuium, quos de se sermones habuerint. Eorum alij in tormentis expirarunt,alij facultatibus exuti sunt. Neque ab illo tempore ausus est quispiam mittere famulum, uisum quid agatur in palatio Principis:sed hora statuta ipsi, consiliarij aduolant. Alex.Guagninus in Moscouia.

STEPHANVS VI.Pp.Formosum pontificem, quanquã mortuum, quòd is,ne ad pontificatum ascenderet, obstiterat, erui è sepulcro iussit: & ademtis pontificiis uestibus atq; ornamentis,seculari amictum indumento, extra ecclesiam sepeliri curauit:manuum digitos abscidit, ac piscibus deuorandos in amnem abiecit. Pari rabie Sergius III. Formosi Pp.corpus denuò erutum è secundo tumulo, palàm in foro capite multauit,ac deinde in amnem Tyberim proiecit: ob id solùm, ut Lothario Gallorum regi morem gereret, qui summo odio Formosum prosequebatur, quòd ipsius opera imperium à Gallis ad Berengarios transierat. Nonnulli arbitrati sunt,in Formosum sæuiendi Sergio candẽ fuisse causam,quòd in Pontificatus creatione Formosus nonnunquã Sergio restitisset. Fulgosus, & Egnatius libro nono, capite 3. ex Sigeberto.

Florentini, undecimum iam mensem à Caroli V. Cæsaris exercitu obsessi, tandem in hostes erumpendum censuerunt. Quod quum MALATESTA Baleonus,Florentinarum copiarum Imp.improbaret, decemuiri cum decurionibus dictatoreq; in unum coëuntes,raptim Malatestam ipso honore militaris imperij abdicandum censuerunt,solenníque diplomate cũ summa uerborũ lenitate perscripto, quò se dimitti perspiceret,ad eum extemplò duos senatores, qui ea in re magistratuum decreta certiùs referrent, miserunt. Hi fuêre Andreas Nicolinus, & Franciscus Zattus, ambo populares,auersiq; penitùs à concordię studio saluteq; ciuitatis. Malatesta admissis legatis, usque adeò conturbatus est, ut Nicolinum districto pugione repetitis ictibus,sed dextra tamen debili uulneraret:uixq; illum astantes milites à morte subtraherent. Eius à Malatesta editi facinoris fama tota urbe tumultũ ita excitauit, ut omnes ad arma decurrerẽt. Eoque die profectò lugubre ciuitatis spectaculum Raphael Hieronymus dictator furibundo similis edidisset, nisi eum Cecottus Tosingus mitigasset.Iouius lib.29.

☞ SACRORVM INTERDICTVM.

Vvaldricus Laudunensis episcopus an.1112. cùm die cœnæ Domini LAVDVNENSES periuros à cõmunione Sacramenti arcere niteretur,gladio confossus occubuit:neq; ea cæde satiata turba seditiosa, domum episcopalem ignẽ cõcremauit. Hinc tantũ enatum est incendium,ut plures Ecclesię monasteriáq; in cineres redacta fuerint, anno 1112. Sigebertus & Vincentius lib.27.c.11.

BOEMVNDVS Rainaldi priuignus, Antiochię principatu potitus, Sibyllam quandam, repudiata Theodora coniuge, uxorẽ duxit. Ob quod delictũ ecclesiastico feritur anathemate. At cùm pertinax esset, omnia, præter paruulorum baptisma, sacra cessarunt toto principatu ministeria. Princeps furiis extimulatus, bona facultatesq; sacras diripit, patriarchã cũ clero in quodã Ecclesiæ municipio oppugnat. Iussu autẽ Balduini regis Hierosolymorũ, Heraclius patriarcha, ecclesiasticis & politicis uiris prudentibus cũ comitãtibus, inter quos & Tripolitanus erat comes, ad placandũ principẽ abit. Horũ intercessione pax aliqua Ecclesiasticis uiris tũ redditur. Verùm legatis digressis, ad ingeniũ rediit princeps, ac in ipsos politicos etiam sæuit, quorũ plures non modò aulæ suæ consortio, sed & tota regione exclusit, anno 1181, uel circiter. Tyrius lib.22.c.6.7.

Cùm PHILIPPO Frãcorum regi sacris interdictũ esset, quòd præter legitimam coniugem, Mariam quandam uxorem duxisset: ipse iratus multos episcopos sedib. suis expulit. Chronicon Flandriæ sub anno 1199.

Cùm VILHELMVM Pictauiensem comitẽ, qui legitima coniuge abacta, cuiusdã Vicecomitis uxorẽ abalienauerat, Petrus Pictauorũ episcopus liberiùs argueret, & cùm omnia frustrà fierent, publicè iam eũ excõmunicare inciperet: ille crinẽ antistitis inuolat, strictũq; mucronẽ uibrans, Iam, inquit, morieris, nisi me absolueris. Tum uerò præsul timore simulato, inducias petens loquẽdi, quod reliquũ fuerat excõmunicationis fidenter perorauit, comitẽ à Christianitate suspendens, ut nec cũ aliquo cõuiuari, nec etiam loqui auderet, nisi maturè resipisceret. Ita officio suo peracto, martyrij quoq; trophæũ sitiens collum protendit, Feri, inquiens, feri. At Vilhelmus sese retrahens inquit, Tantũ certè te odi, ut nec meo te digner odio, nec cœlum unquã intrabis meæ manus ministerio. Veruntamẽ paulo pòst eũ detrusit in exilium, ubi uita excessit. Malmesburiensis lib.5.c.50.

Conradus III. rex Germanorum electus contra Lotharium, MENINGERVM Treuirensem archiepiscopum, à quo diris deuotus carminibus fuerat, Romam ad Pontificem contendentem, ulciscendæ iniuriæ causa Parmæ comprehẽdit, atque in carcerem conditum miserè mori coëgit. Sigonius lib.11.regni Italici.

Herfordus Glasguensis officialis TVINAM nobilem Scotum, sub Dauide rege nouenni, ob adulterium excommunicarat. Is Herfordum ad Air proficiscentem cepit, nec priùs dimisit, quàm ducentas libras Sterlingas numerasset. Metu inde supplicij in Angliam exulatum abiit, mox in Galliam ad Eduardum, Ioannis Balioli regno Scotorum exuti filium, eumq; ad regnũ repetendũ, mortuo præsertim Thoma Ranulfo, regni gubernatore, induxit. Hector Boethius libro decimoquinto.

☞ REPVLSAM AMATORIAM VEL CONIVGALEM.

☞ *Consule Tit. Virginitatis conseruatæ, quatenus ab amatoribus ob hanc causam amatæ occiduntur.*

Cùm THAMAR Erem & Onanim, filios Iudæ, maritos habuisset, eosq; absq; prole amisisset, Iudas relegauit Thamarem in domum paternam, donec tertius frater Sela adolesceret. Verùm cùm Selam iam adultum ex lege Iudaica sibi nõ traderet in matrimonium, habitu scorti Iudæ sese commiscuit Thamar, ultura socerum ob promissa non seruata: & ex eo gemellos concepit, Pharem & Zaram. Gen.38.

Cùm Callirrhoe uirgo, CORESVM sacerdotem Bacchi, sui amore furentem, reiecisset: Coresi precibus incessit statim Calydonios ebrietati persimilis quidã furor; ex quo passim populari uęsanlæ morbo interibant. A quo cùm liberari uellent, ex Iouis Dodonæi oraculo, Callirhoe ad aram mactãda deducebatur. Coresus ꝓ ea seipsum occidit. Neq; illã amanti superuiuere sustinuit. Pausanias in Achaicis.

PELOPS quũ Phrygiæ regno successisset, bellũ mouit in Oenomaum regem Elidis, patrem Hippodamiæ, propter puellam negatam sibi in matrimonio.

Antheus regij generis ex Halicarnasso adolescẽs, Phobio Nelidæ tunc Milesiis imperanti obses datus fuit. CLEOBOEA (quidam Philachmen uocãt) Phobij uxor, multa frustrà machinata, quibus adolescentem alliceret: temporis progressu amorem in se extinctum simulans, perdicem cicurem (alij uasculum aureum fuisse dicunt) in profundum puteum demittens, Antheum rogauit ut descenderet atq; extraheret illam. Mox ingentem super eum deiecit petram. Animo inde uoluens quàm graue flagitium perpetrasset, seipsam suspendit. Phobius tanquam scelestus, Phrygio regnum cessit. Parthen. in Erot. c.14.

LEVTYCHIDES coniugio Percalæ filiæ Chilonis à Demarato rege Spartanorum excussus, Demaratum ulturus, negauit eum ritè Spartanorum esse regem, quòd Aristonis filius non esset. Idq; Pythiæ Delphici testimonio confirmare uoluit. Herod.lib.6.

Lycambes habuit filiam Neobulem. Hanc cùm ARCHILOCHVS Parius Iambographus in matrimonium postulasset, promissa, nec à patre data est. Hic iratus Archilochus maledicum carmen in eam scripsit, quo Lycambes tanto dolore est compulsus, ut cum filia uitam laqueo finiret. Acron.

CRATEVAS Arcesilaum Macedoniæ regem, à quo in deliciis habebatur, interfecit, quòd promissam sibi filiam alteri dedisset. Aelianus.

DIONYSIVS Syracusiorum tyrannus, ob matrimonij repulsam, Rheginos bello persequutus subegit. Petierat enim ab iis per legatos, unam aliquam ex optimatum uirginibus uxorem sibi dari. Rhegini uerò publicum legatis respõsum dedêre, Plebeium non nisi plebeij filiam ducere debere. Diodorus lib.14.

HARMODIVS zelotypia motus, Hipparchum tyrannum Atheniensium interfecit. Iuuenem enim quendã amabat Harmodius, qui eo spreto, Hipparchum sequebatur. Inde Harmodius cum Aristogitone in necem tyranni conspirarunt: atq; ita dum priuatã iniuriã ulciscuntur, patriã publico malo tyrannidis liberarunt. Plato in Hipparcho.

VALERIVS Torquatus, in eo bello, quod cũ Tusco gerebatur à Romanis, regis filiam Clusiã in uxorẽ à Tusco petiit. Eam non consecutus, oppidum diripuit. Theophilus lib.3. rerum Italicarum: & Plut. cap.28. Parall.

NERO Cæsar Antoniã filiam Claudij, recusantem post Poppææ mortem nuptias suas, quasi molitricem nouarum rerũ, interemit. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar nobiliss. matronã Malloniam perductam, nec quicquam ampliùs pati constantissimè recusantem, delatoribus obiecit: ac ne ream quidem interpellare desiit, Ecquid pœniteret: donec ea, relicto iudicio, domũ se abripuit, ferroq; trãsegit, obscenitate oris, hirsuto atq; olido seni claré exprobrata. Vnde nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta, percrebuit: Hircum uetulũ caprearum naturam ligurire. Idem.

OCTAVIVS Sagitta, Tribunus, Pontiæ mulieris alteri nuptæ amore uæcors, ingentibus donis adulterium, mox ut maritum omitteret, emercatus est, suum matrimoniũ promittẽs. Vbi mulier uacua fuit, reperta spe ditioris coniugis, promissa exuit. Octauius postquam spernitur, noctem unam ad solatium poposcisse dicitur, qua delinitus, modũ in posterum adhiberet. Statuitur nox, & Pontia consciæ ancillæ custodiã cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum nocte occultum infert, ac nihil metuentem ferro transuerberat: accurrẽtem ancillam uulnere absterret, cubiculoq; prorumpit. Postera die manifesta cædes erat, nec multũ ambiguus percussor: quippe mansitasse unà conuincebatur. Sed libertus suũ illud facinus esse ingenuè profitebatur: se patroni inimicitias ultum esse. & iam cõmouerat quosdã magnitudine exempli: donec ancilla refecta ex uulnere, negotium omne aperuit. Quamobrem postulatus apud Cõsules Octauius à patre interfectæ (postquam tamen Tribunatu abierat) sententia Patrum, lege Cornelia de sicariis condemnatur. Ac. todius ex Cor.Tacito lib.13.

VVILLA Gepida miles, Aldoaldum Gothorum regem, dominum suum, cœnãtem, uno uulnere interemit: quia uxorem, quam antè ei promiserat, absente Vvilla, ut regis negotiis operã daret, rex alteri in matrimonio collocarat. Fulgosus lib.9.cap.16.

HVRCATVS Aethiopum rex, cùm Iphigeniam Christo dicatã uirginem nec minacibus uerbis, nec alio quouis pacto in matrimonium suũ pertrahere posset: monasteriũ, in quo habitabat, cremari præcepit. Sed flammæ statim in eius palatium conuersæ, totũ absumserunt. Demum horrida lepra percussus, cùm nulla medendi foret occasio, sese mucrone proprio interemit. Guido Bitur.

Philippus Imp. bellis confectis ciuilibus, Babenbergæ animũ relaxans cũ familiarib. sanitatis ergò uenã aperuit. Interea OTHO Palatinus de Vvitilspach, ueluti amicus Cęsaris, cubiculum ingreditur, nemine id prohibente: & uibrato gladio caput regis lethali ictu ferit. Henricus dapifer de Vvalpurg dum ostium cubiculi claudere nititur, in maxillam uulnus non lethale accipit. Parricida elapsus, non multo pòst, ab Henrico de Calladin Marescalco, haud longè à Ratisbona, est crudeliter iugulatus. Desponderat huic Othoni Philippus filiam Cunigundem. Sed cùm Otho familiarẽ quendam ducis Bauariæ iniustè occidisset, coram Principibus homicidij reus, & perfidia notatus, eam Vencellao Boëmorũ regis F. elocarat. Cuspinianus.

BONDELMONTO Bondelmontio, Florẽtino equiti, pacta fuerat patritij generis uirgo, ex Amideorũ familia. Dum nuptiæ differuntur, matrona quædam ex Donatorum gẽte de fenestra filiam formosissimã Bondelmontio ostendens, & huius formam cum sponsæ forma conferre iubens, auctor illi fuit, ut repudium Amideæ mitteret. Eo facto exacerbati Amidei, Bondelmontium ipso Paschatis die ad sacra exeũntem crudeliter interfecere. Et hac occasione tota nobilitas Florentina ann. sal. 1215. in duas factiones apertè diuisa fuit, Guelforum scilicet, quorum caput erant Bondelmontij, & Gibellinorum, quibus præerant Vberti, ab odiosis Pontificum & Impp. dissidiis ex Germania in Italiam traductorum. Io. Villanus lib.5.c.38.

Robertus Altisiodorensis Græcorum Augustus, uirginem nobilitatis Byzantiæ formosissimã, sed quæ desponsa iam fuerat BVRGVNDIONI cuidã iuueni florentissimo, sibi matrimonio consociauit, matre puellæ auctore, lætaq; his multo splendidioribus nuptiis. Lætitia in necẽ uertit. Burgũdio iniuria magis iritatus, quàm Cæsaris nomine deterritus, manu coacta in domum socrus irruptione facta, nouã nuptam auribus desectis, truncis naribus deformauit, anũ mari proximo mersit: & se ab Augusto, ne pœnas daturus cõprehenderetur, cõmilitonum grege tutabatur. Non multo pòst defuncto Roberto Balduinus filius successit. Ei Dynasta Exagonarũ in Ponto Ioannes, agentibus Venetis, unicã filiã in matrimoniũ offerebat: Burgundiones ueriti, ne tanti soceri ope Balduinus iniuriã patri factã, dehonestamentumq; nouercæ, ac necem nobilissimæ feminæ persequeretur, auctores cæteris Francis fuêre, ut repudiarẽtur hæ nuptiæ, & Martham Ioannis Brenni Hierosolymorum regis exulis filiã duceret. Aemilius lib.7. & Cuspinianus.

☞ SPONSAS, CONIVGES EREPTAS.

Gerardus Campisamperius Patauinus, Tisonis magni filius, Cæciliam Manfredi Baionij filiam, locupletissima dote, Acciolino Monacho dicto desponsatam, dum Bassanũ ad coniugem duceretur, de uiã raptã stuprauit. Ea iniuria ACCIOLINVS accensus, miserrimè Patauiũ, & totã ferè Transpadanã regionem tractauit. Bernardinus Scardeonus libro 3. classe 13. Historiæ Patauinæ.

STEPHANO regulo Illyrij quum adamata sponsa, quæ erat è stirpe Seruiæ Despoti, ad paratas nuptias duceretur, procaci oculo improbus pater eam concupiscens, excluso filio cum ea nuptias celebrauit. Hanc iniuriã non ferens filius, pręcipiti actus desperatione, ad Turcos defecit: Stephaniq; deposito nomine, Achomates & Cherseoglis uocatus, Baiazetis gener effectus est. Iouius.

☞ AMASIOS ATTENTATOS.

ARISTOGITON Atheniensis, cùm Hipparchum tyrannũ amores ac delicias suas attentare, Harmodiumq;, cuius amore flagrabat, conciliare sibi uelle intellexit: suam hanc priuatãq; iniuriã non tulit, sed adhibito socio illius consilij puero illo quẽ amabat, dolorẽ suũ uultus est, ipsumq; necauit. Victorius lib.20. Var.lect.c.21.

☞ IGNOMINIAM, QVÆ FACTO infertur. Vt per Stuprum, Conspuitionem.

☞ *Vide Tit. Crudeles ob Flagra.*

Candaulis Lydorum regis VXOR, prostitutam à marito pudicitiam ultura, Gygem pastorem regium, cui se nudam maritus ostenderat, eò impulit, ut regem interficeret. Sabellicus lib.3. En.2.

In Larissa Phriconide dicunt Piasum coli, quem tradunt, cũ Pelasgorum dux esset, LARISSÆ filiæ amore captum fuisse: cumq; puellæ uiolentiam attulisset, contumeliæ pœnas luisse. Nam cùm uini dolium pronus inspiceret, puella (quòd rem resciuerat) illum per pedes attollens, in doliũ demissum suffocauit. Strabo lib.13.

PAVSANIAS Macedo Philippi Amyntæ F.satelles, stuprū ab Attalo aulico regio passus, Philippum regem,cui conquestus erat, conniuentem occidit.Diod.lib.16.

HARPALYCE patrem Clymenum ob stuprum sibi illatū fœdè ulta est. Theragrum enim iuniorem fratrem mactauit, ac festo sacrificiorum die, in quo publicè omnes conuiuabantur, apparatas pueri carnes parenti apposuit. Clymenus seipsum interemit. Parthen. de Amat. c.13. ex Euphorione.

INTAPHERNES statim post oppressos Magos regiam ingressus, uolebat admitti ad colloquiū regis. Etenim hac lege cōuentū erat inter Magorū oppressores, ut eis ad regē foret aditus sine internuncio, nisi cubaret cum uxore. Cùm igitur ianitor, & qui à responsis erāt, eum introire non sinerent, quòd rex cum uxore esset: eos mentiri ratus, educto acinace, aures utriq; naresq; præcidit, ac loro freni equini ad ceruices ipsorum alligato, homines dimisit. Qui cùm regi sese exposuissent, & cur id passi fuerant exposuissent, Darius Intaphernem tanquam insidiatorem cū liberis interfici iussit. Herodotus lib.2.

M.DRVSVS Tribunus plebis, Philippum consulē, eo quòd cōcionantem interpellarat tantùm, præcipitem in carcerem egit: & ita quidem, ut magna sanguinis ex ore & naribus copia efflueret. Alex. ab Alex. lib.1. c.2.

In ALEXANDRVM regem Iudæorum domi seditio coorta est, cùm per scenopegiæ celebritatem in parantem sacrificare coniecta sunt citrea: nam hoc festo Iudæis moris & palmeos & citreos thyrsos gestare. Quin & conuitiis impetitus est populariter, exprobrantibus captiuitatem, & indignum, qui sacris operetur iactantibus. Quibus iniuriis exacerbatus, occidit eorum circiter sex millia: & exstructo circa fanū & altare septo ligneo pertinente usq; exsta loca, quæ solis sacerdotibus patet aditus, hoc pacto arcebat à se uim multitudinis. Sed & mercenarios milites alebat Pisidas & Cilicas. nam Syris infensus, non utebatur eorum opera. Iosephus lib.13. c.21.

Præterierat L. Metellus Macedonicus, quum Cēsor esset, in recensendo senatu (ea sanè fuit illius ordinis nota) C. ATTILIVM Labeonem. Is postea Tribunus plebis factus, Metellum iam priuatum è campo meridiano tempore, & iam uacuo foro reuertentem, uiolenter raptum ex Tarpeia rupe præcipitari iussit. Trahebatur uir nobilis ad crudele supplicium, uirtutis opera censuraq, grauissimè administrata periturus, nisi filij, trepido de patre nuncio domo exciti, præstò illi affuissent. Qui uix Tribuno uno reperto, qui pro patre intercederet, ab ipso mortis limine reuocarunt. Sabellicus lib.1. En.6.

THEODOSIVS Imp. habuit uxorem Flacillam, deuotissimā ac religiosissimam feminam, quæ multa pietatis exempla egentibus exhibuit: & maritum sæpè admonuit, ne benefactori ingratus foret: ex qua Arcadium & Honorium filios Imperatores genuit, quos post se superstites reliquit. Huius statuas in foro positas, cùm Antiochenses ob impositū uectigal nouum deiecissent, & per uias publicas traxissent, eos in Laodicensium tradidit potestatem: grauiusq; ob hāc cōtumeliam puniuisset, ni Flauianus præsul iram eius temperasset. Cuspinianus.

Cùm Fabia Eudocia Heraclij Imp. prima uxor efferretur, puella quædam barbara è fenestra super pheretrum expuit, Cōprehensa, & rogo Fabiæ imposita, iussu HERACLII uiua exusta est. Cuspinianus in Cæsaribus.

SEVERIANVS Gabalensis antistes, ob honorem assurrectionis, à Serapione archidiacono Constantinopolitano, quē prætcribat, non oblatum, furens, in hæc uerba prorupit: Si Serapion Christianus fuerit mortuus, Christus nō est homo factus. Serapion cū ad Chrysostomum detulit, quasi nudè negasset Christum hominem esse factum. Itaq; ab eo in exilium eiectus fuit.

Quidam ATHANASIO patriarchæ Constantinopolitano infensi, insidias illi atroces comparant. Nam cùm in Xerolophi cellis uersaretur, è patriarchico solio scabellum furati, Christi seruatoris, & altera ex parte Imperatoris Andronici Palæologi imaginem, frenos in ore gerentis, quos Arsenius alter patriarcha, ut sessor equi moderaretur, in eo depinxēre, & in locum suū reposuēre. Quidā eā fabulam uulgant, & patriarcham apud Imperatorem impietatis reum agunt. Ille conuictos calumniatores durissimo mancipat carceri. Patriarcha lenitate pœnæ offensus, ut qui non nisi morte sibi pro tanta calumnia satisfieri posse censebat, dignitate se sponte abdicauit. Greg. lib.7.

Cùm ERVOIA Spaletij dux à Sigismundo Imp. qui etiā Vngariæ atque Boemiæ regna possidebat, rebellasset, atq; uno prælio multos è Sigismundi ducibus ac præfectis cepisset: omnes sine precio humanè dimisit, uno Paulo ex Chuporo excepto, cui nudo statim assui bouis pellem iussit. Nam cùm Eruoia adhuc in officio cum Sigismundo maneret, atq; in eius aula uersaretur, quia ipsius aspectus moresq; rusticum hominem præferebant, nunquam à Paulo aliter quàm expresso bouis mugitu salutabatur. Ei ergo capto, hoc improperauit, dicens: Velle se, ut uoci illi personæ quoque imago responderet. Fulg. lib.9. c.10.

DAGOBERTVS Clotharij II. Francorum Regis F. ob honorem sibi in conuiuio non exhibitum, Sadregisillum Aquitaniæ præfectū ignominia afficit. Sadregisillus enim primum in frequenti conuiuio contra eum accumbendi locum elegerat: deinde poculo ex eius manu, oblitus per uinum maiestatis (id enim inter pares tantùm fieri solebat) ultrò sumto biberat. Itaque eum detracta ueste loris cęcidit, & ut ille barbam more eius ætatis aluerat, totondit, abrasitque. Aemilius libro 1.

ALFONSVS Albuquercius, cùm regnū Armuziense sub Emmanuelis Lusitaniæ regis imperium redigere uellet, ad primum oppidum, Calaiates dictum, aduectus, commeatū petiit. At cùm milites cibum sumere uellent, se delusos aspiciunt. Nam in uasa, in quæ Calaiatenses cōmeatum intulisse simulauerant, sordes ingesserant, & in summo uaria ciborū genera collocarāt, ut Lusitanis illa uana specie cōmeatus illuderent. Cuius quidem fraudis postea debitas pœnas exoluerunt. Nam subacto Armuziensium rege, cùm is rursus defecisset, Albuquercius regnum deserere coactus, in Calaiatenses impetu factos omnibus, quos uiuos cepit, aures atque nares amputauit. Oppidum deinde & templum, quod erat excellenti opere factum, & uiginti septem naues, quæ erant in portu, flammis exussit. Osorius libro sexto rerum Emmanuelis.

EXILIVM.

Cyrus Persarum rex, ad Amasim Aegyptiorum regem miserat petitum ocularium medicum præstātissimum, MEDICVS ille infensus Amasi ob idipsum, quòd uxorem & liberos relinquere cogeretur, mortuo Cyro, Cambysi Cyri F. persuadet, ut Amasis filiam in matrimonium peteret: quam si dare recusaret, bellum ei iure posset inferre. Amasis cùm filiā dare nollet (sciebat enim Cambysem pellicis tantùm loco habiturum) nec recusare tamen auderet, Nitetim Aprijs regis superioris filiam tanquam suam, ad Cambysem mittit. Re intellecta, Cambyses Amasi bellum intulit. Et sic medicus Amasim ultus est. Herod. lib.3.

LEONIDAS Cleonymi F. cùm populari factioni Agidis regis Eudamidæ F. resisteret (qui nouas tabulas publicarat, & agrorum diuisionem ex Lycurgi instituto fieri cupiebat) in exilium pulsus, à genero Cleombroto sibi substituto in regno, necatus fuisset, nisi Agis eum tutò Tegeā perduci curasset. Reuocatus inde, Cleombrotum generum eiecit, Agidem in Chalciœcum fugientem, insidiis Ampharis, Democharis & Arcesilai inde extractum, in carcere cum matre & auia strangulauit. Plut. in Agide.

ALCIBIADES, cùm è ciuitate eiectus esset, magnitudine animi sui, perturbato totius Græciæ statu, ciuibus necessitatem imposuit, ut se redire paterentur, atque in patriam reuocarent. Quibus rebus (inquit Isocrates) ille magnam gloriam consecutus est: non tamen omnibus probatam. Vt enim industria ipsius atq; uis animi meritò laudari potuit, qui quod uoluit perfecit: ita cōsilium iure optimo uituperari, qui bellum patriæ intulit, ac plurimis malis domitos ciues recipere se coëgit. Victorius lib.21. Var. lect. c.7.

C. MARCIVS Coriolanus, plebis suffragiis, licèt summopere renitente nobilitate, in exilium eiectus; totam ciuitatem infestauit, cùm læsus non esset à tota, sed optima potissimaq; pars esset unà cum eo uulnerata, atque de eo doleret. Deinde multis legationibus & precibus, cùm unam procurarent offensam ac dolorem, quia his inflexus non est, neque dedit locum: declarauit ad obterendam atq; proruendam, nō ad recipiendam patriam & reditum sibi parandum, bellum se atrox atq; inexpiabile concitasse. Plut. in comparatione Alcib. & Coriolani.

MATHON Carthaginensis à suis exilio multatus, quòd peste magna ex parte consumto exercitu in Sicilia atq; Sardinia uictus esset, patriam rursus infesto petit exercitu. Fulgosus libro 5. cap.8.

Andronici Iunioris Imp. magnus Domesticus IOANNES Cātacuzenus, tutor filiorū a moriēte Andronico creatus, cùm aliquot annis Caloioannem & Manuelem pupillos educasset, Apocauci uiri obscurissimi fraude, & patriarchæ ambitione in exiliū truditur. Iniuriæ impatiens, bellū quinquennale aduersus reginam & Caloioannem gessit, Turcorum arma primus Europæ inferens. Byzantio proditione occupato, nulli ferè molestus, filia in uxorem Caloioanni tradita, eum sibi generum fecit. Sed cùm una in domo generatque socer uitam agerent (ut fit) in discordiam ueniunt: quæ indies plus inualescens, tantum eos incendit, ut domi soceris que alter alteri se hostem ostenderet. Sed cùm socer se ipsum armis tutaretur, Caloioannes in Tenedum ueniens, auxilio classis Genuensium in regnum patrium restitutur, pulso armis Cantacuzeno, imperij occupatore. Ergò Francisco Catalusio Genuensi, classis præfecto, dono dedit Mitylenem insulam, & Lesbi principem fecit. Cuspinianus.

CARCERES, CAPTIVITATEM.

IONATHAS Iudæorum dux, post Iudam Machabæum fratrem interfectum, Ioannem fratrem ad Nabathæos Arabas cum impedimētis & imbellibus misit. At eos aggressi Iamris filii Medabenses, captiuos abegerūt. Non ita diu pòst cū nunciatum esset Ionathæ & Simoni fratribus, quòd Iamris filij celebraturi essent nuptias, & adducturi sponsam ab oppido Gabatha, filiam illustris cuiusdam inter Arabas: cùmque puellam traducendam cum pompa sumtuosa & splendida: Medabam profecti expectabant eorum transitum. Vt in conspectum uenit sponsus cum uirgine & amicorum comitatu, coorti ex insidiis omnes ad unum interfecerunt, ad CCCC. & cum ornamentis cæteraque præda reuersi sunt. Iosephus lib.13. cap.1. ex 1. Machab.9.

IARMERICVS Danorum & Sueonum rex, uictis Sclauis, à quibus puer captus fuerat, quadraginta captos applicatis totidē lupis laqueo enecauit (supplicio olim parricidis inferri solito) eius qua erga Danos usi essent crudelitatis talionem. Saxo lib.8.

IOANNES XIIII. Pontifex à Romanis in carcerem coniectus, eo solo nomine, quòd Imperatori Othoni faueret: liberatus ab Othone, Petrum urbis præfectum nudum per carnificem, ad equum Constantinianum ad integrum diem crinibus alligari, deinde asino impositum, facie ad posteriora uersa, & manibus caudæ alligatis, per totam urbem flagellis cædi, ac tandem in Germaniam exulatum ire iussit. Antoninus, Sabellicus.

Ericus dux, & Valdemarus, BIRGERIVM regē Suecorū fratrem suum domi sedentem, & nihil minus quàm à fratre timentē ceperunt, an. sal.1305. Frustra interim ab Erico Danorum rege armis tentati. Post aliquot annos suapte sponte ad cor reuersi, recordātes quid egissent in fratrem natu maiorem, euocatis regni proceribus regem è carcere liberarunt, acceptis ab illo de impunitate sacramentis, & constitutis sibi ex sentētia prouinciis in regno, quibus pro captu suo magnificè agerent. Birgerius regno recepto, filium Magnum (quod in formula compositionis conuenerat) fecit regni consortem. Non multo pòst fratres iam nihil à fratre formidātes euocauit, ad Decembria (de more gentis) cōuiuia peragenda. Illi alacres adsunt, regi ex fide complacituri. Rex conuiuio exhilaratos, captos gladio cædi iussit. Res cunctis proceribus execrabilis uisa. Itaque facto agmine regem adoriuntur. Fugatus cum regina, cessit quà potuit. Filium eius Magnum, iam regem consecratum, in arce Steckeburg obessum ceperunt: & sacro officio peracto, expurgata primùm per confessionem conscientia, & mystico corpore sumto, gladio iugularunt. Cranzius lib.5. Sueciæ c.26.

Cùm in Valachiam ex Varnensis pugnæ clade IO. Coruinus traiecisset, quam Transalpinam uocant, in amica prouincia à Dracula Vaiuoda præter opinionem nefariè capitur: dies aliquot non parùm honorificè ab eo retinetur. Dracula tandem facti pertæsus, multis eum muneribus donatum in Transsyluaniam remisit. Quare id Dracula fecerit, incertum est: multi, ut Turcæ gratificaretur, quo cum paulo antè fœdus iniuerat: alij, quia filio nondum reuerso timebat, quem cum quatuor millibus equitum, Coruino auctore, in eam expeditionem regi dederat. Coruinus deinde gubernator regni constitutus, superatis Alpibus, Valachiam uastat & occupat, Draculamque in oppido quodam cum duobus filiis capit. Patrem nequicquam deprecantem cum filio, qui natu maior erat, ad supplicium educi iubet: ambo capite multati: alteri autem filio, qui natu minor erat, utraque sunt euulsa lumina. Bonfinius lib.6. & 7. Dec.3.

FRANCISCVS Ferrucius Florentinorum, à Carolo V. Cæsaris exercitu obsessorum, præfectus, quum Volaterranos ad Cæsarianos inclinantes expugnasset, nonnullos ciues, & in his circiter quatuordecim milites Hispanos cepit, atque inusitata crudelitate in tetrum carcerem coniectos enecauit fame: & demùm ad ignominiam gentis eo modo enectos, laqueis ad pinnas arcis suspēdit, quòd se ab ea gente Neapoli captum atque inhumaniter cruciatū fuisse prædicaret. Iouius lib. 28. Hist.

INFELICEM PVGNAM.

IVSTINVS III. cùm contra Philippicum Bardanium malē pugnasset, Heliæ (qui dux fuerat exercitus) filios in sinu matris interfici iussit: eamque matrimonio iunxit seruo ipsius coquo, qui erat Indus. Qua ignominia accepta Helias ad Philippicum defecit, & manibus suis caput Iustino amputauit: filium eius Tiberium ex sacra æde, in quam confugerat Blachernis, extractum, crudeliter interfici curauit. Cuspinianus in eius uita.

BVLGARI Zeletim regem suum, populari tumultu occiderunt, cùm Græcorum bello uictus domum reuerteretur. Egnatius libro 5. capite 3.

CRVDELITAS CONSIDERATA RESPECTV INIVRIAE RELATAE AD AGENTEM, QVI LAESIT, lædit, lædere uidetur sua

IMPROBITATE. PVTA PER

VATICINIVM FALSVM.

MAXIMINVS Augustus iniquè ferens, sibi à Constantino Magno & Licinio AA. collegis mandatum, ut Ecclesiis pacem daret, fœdus rupit. A Licinio in Thracia uictus, in Bithyniam fugit. Ibi inani responso uatum atque ariolorum cōfirmatus, bellum instaurauit, & signa ad Astacum contulit: uerùm primo concursu pulsus, & à militibus suis derelictus, ne agnosceretur, Imperij insignia posuit, ac fuga arrepta, cum paucis ex pago in pagum occultè procedens in Ciliciam usque peruenit, ubi se in oppido Tarsi munito inclusit. Ibi uerò furore accensus, uates ac sacerdotes omnes, quorum uaticinio fretus, summi certaminis discrimine commiserat, interfecit: ac rerum actarum pœnitentia captus, edicto proposito Christianis templa demùm, ac liberos conuentus indulsit. neque ita multo pòst, dum exercitus eius in Bithynia relictus prælio cum Licinio certat, misera morte occubuit, acerbis repentè doloribus corporis cruciatus, atque atroci liquescentium membrorum ardore consumtus. Sigonius lib.3. Imp. occid. ex Victore.

HÆRESIN, IDOLOLATRIAM, APOstasiam, Impietatem.

Ex Tit. Martyrum. item Persecutorum religionis, hæc quædam.

In luco Arcadiæ, Condylea dicto, fanum est priscum Dianæ Condyleatidis. Cùm pueri aliquot circa templum luderent, funiculo, quem repererant, Dianæ signum obligato collo per lusum trahentes, Dianam strangulari dictitabant. Eos CAPHYENSES ciues cùm deprehendissent, uiolati numinis crimine damnatos, lapidibus obruerunt. Quod tamen factum non bene eis uertit. Communis enim pestis feminas inuessit, ut omnes, quæ uterum ferrent, fœtus per abortum abijcerent: neque antè malum cohiberi potuit, quàm oraculi monitu iussi sunt sepulturæ pueris honorem habere, & illis quotannis inferias mittere, quòd insontes peremti essent. Obseruarunt itaque & alia omnia Caphyenses ex oraculo, postera ætate, & Dianam (nam & hoc ad Apollinis uocem referunt) Apanchomenen, quod est, ac si laqueo comprehensam dicas, appellarunt. Pausanias in Arcadicis.

MAXIMVS Imp. datis ad præfectū Galliarū, & uicarium Hispaniarum literis, omnes omnino, quos leuis suspicio Gnosticorum hæreseos attigerat, deduci ad conuentum Burdegalæ iussit. Ita deducti Instantius & Priscillianus. Quorum Instantius prior caussam dicere iussus, postquam se parum purgauit, indignus esse episcopatu pronunciatus est. Priscillianus uerò, ne ab episcopis audiretur, Maximum appellauit: idque permissum à Catholicis fuit. Ita Idacio & Ithacio accusatoribus sequentibus, omnes ei culpæ affines ad Maximum sunt adducti. Ibi, cùm fortè Martinus adesset, Turonensis episcopus, Ithacium monuit, ut ab accusatione desisteret: Maximum uerò, ut miserorum sanguine abstineret: satis superque esse, ut episcoporum sententia hæretici iudicati ecclesiis pellerentur: noui exempli esse, ut caussam Ecclesiæ, iudex seculi iudicaret. quinetiam à Maximo sponsionem elicuit, nihil cruentum in eos constituturum. Sed postea Maximus à mitioribus consiliis reuocatus, caussam Euodio præfecto prætorij permisit. Is Priscillianum duobus iudiciis auditum, conuictumque maleficij, nocentem pronūciauit, detrusitq; in custodiā, donec Imperatorē cōsuleret. Quibus rebus cognitis, ille decreuit, Priscillianū sociosq; eius dānari capitis oportere: atq; Ithaco se inuidię instantis iudicij subtrahēte, Patriciū quendā fisci patronum accusatorem apposuit. Iudicio redintegrato, Priscillianus rei capitalis damnatus est, cū sectatoribus. Cæterùm eo occiso, non solùm non repressa hæresis, sed etiam latiùs propagata est. nam sectatores eius, qui eum priùs, ut sanctum honorauerant, postea ut martyrem, colere ceperunt. Peremtorum corpora ad Hispanias delata: quin & iurare per Priscillianum summa religio fuit: atque inter episcopos discordia grauior exarsit. Maximus Ithacium eius accusato-

rem tutatus est, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuscunquemodi hominem fuisse damnatum. Congregati etiam Treuiris episcopi cum Ithacio communicarunt, auctoresque Maximo fuerunt, ut tribunos cum summa potestate ad Hispanias mitteret, qui hæreticos inquirerent, & deprehensis uitam ac bona adimerent. Quo facto non erat dubium, quin plurimos oppressuri innocentes essent. etenim, ut inquit Sulpitius, tum solis oculis iudicabatur, cùm quis pallore potius, aut uestæ, quàm fide, hæreticus æstimaretur. Verùm, cùm Martinum episcopum ad comitatum uenire audirent, ueriti, ne aut consiliis suis repugnaret, aut à communione sua se remoueret: Maximum impellunt, ut missis obuiam magistri officialibus, Treuiros prohiberet accedere, nisi se cum pace episcoporum apud se consistentium affore fateretur. Cui Martinus respondit, se cum pace Christi uenturum. Itaque ingressus urbem, nocte orationis causa Ecclesiam adiit. Postridie pro quibusdam, qui Gratiani partes pertinaciùs fouerant, apud Maximũ intercessit. Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, Maximum solicite adeunt, actum esse de suo omnium statu querentes, si Theognisti pertinaciã, qui ipsos solus palàm, lata sententia, condemnauerat, Martini armaret auctoritas. non oportuisse hominem recipi mœnibus, illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed uindicem: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus illius ultionem exerceat. postremò prostrati flentes epem eius implorant, ut uteatur aduersus eum ui sua. Quibus uocibus Maximus adductus, Martinum secretò accersitum blandè appellat: hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum potiùs, quàm insectationibus sacerdotum: non esse causam, cur Ithacij cæterorumq; partis eius communionem putaret esse damnandam. Theognistum odio potiùs, quàm causa, fecisse dissidium: eundemque tamen solum esse, qui se à communione secreuerit, à reliquis nihil nouatum. quin etiam synodum paucos ante dies habitam pronunciasse, eos culpa non teneri. Quibus cum Martinus minimè moueretur, Maximus iracundia incitatus, se de conspectu eius abripuit: & mox iis, pro quib. ille rogauerat, percussores immisit. Quod ubi Martinus nocte comperit, anxius Palatium repentè irrupit: & cùm spopondisset, si eis parceretur, se communione usurum, protinus ab eo, quæ cupiebat, est consequutus. Sigonius libro 9. Imperij occid.

VALENS Imperator Arianus XXC uiros orthodoxos (ex quibus Vrbanus, Theodorus & Menedemus præcipui) qui ad eum Nicomediam uenerant supplices, naui impositos, quasi in exilium relegandos, in medio pelago comburi iussit. Socrates lib. 4. cap. 16. & Sozomenus lib. 6. cap. 14.

Genserico Vandalorum rex, ex Hispania in Africam à Bonifacio Comite contra uim Valentiniani III, Imp. euocatus, ut famam gẽtis suæ augeret, omnis multitudinis numerum intulit: inuentaque sunt utriusque sexus atque omnis ætatis hominum octuaginta millia. Cùm autem pacatam, speciosamque nactus esset prouinciam, omnia populatione, incendio cædibusque permiscuit. Quòd uerò perfidia Ariana corruptus esset, ac proinde Catholicis Consubstantiale sentientibus infestissimus: in ecclesias, basilicas, cœmeteria & monasteria sæuire, auaritia pariter ac crudelitate inflammatus incepit. Etenim priuatorum ædes, quorum ianuas clausas offendit, magno impetu deturbauit. episcopos supplicijs exquisitis ad tradendum ecclesiarum aurum adegit: & quò plus dabant, eò acerbioribus tormentis, ut plus dare cogerentur, affecit. aliis palorum uectibus ora aperientes, fœtidum cœnum ob confessionem pecuniæ ingesserũt: nonnullos in frontibus & ribiis, neruis remugientibus torquendo, cruciarunt. plerisq; aquam marinam, aliis acetum liquamenque oui apposita sine misericordia porexerunt. onera ingentia tanquam camelis imposuerunt, & stimulis ferreis ad ambulandum adegerunt, quorum nonnulli sub fascibus miserè expirauere. senio confectis, ac propter canitiem uenerandis nulla misericordia impertita. pueri ab uberibus rapti ad terram elisi, aut medij secti. tecta incensa, aut solo æquata. quas uerò urbes propter munitionum firmitatem adire non potuerunt, nouo mali genere afflixerunt: quippe, interfectis in circuitu innumerabilibus turbis, tetro putrefactorum cadauerum fœtore necarunt eos, qui intus erant. Victo inde Bonifacio, qui ad Valentinianum redierat, è Mauritania in Numidiam reliquámque Africam sese cum exercitu intulit: oppida ipsa excidit, agrestes alios fuga dispersit. qui uerò in syluas, aut speluncas, aut ad alias munitiones profugerant, partim ferro necauit, partim necessarijs præsidijs, ut fame contabescerent, spoliauit. Ecclesiæ porrò aut crematæ, aut sacerdotibus & ministris exhaustæ: sacræ uirgines, & continentes uiri aut dissipati, aut tormentis cruciati, aut nece, aut seruitute affecti: usque adeò ut non essent, qui hymnos laudesque Dei in ecclesiis solitas canerent. demùm res diuina ita extincta est, ut frustra quærerentur, qui sacramenta aut poscerent, aut traderent, superstitibus sacerdotibus ad eam inopiam rerum necessariarum adductis, ut cibum quotidianum corrogarent. Sigonius libro 12. Imperij occid.

GENSERICVS Vandalorum rex, Arrianæ hæresis ueneno imbutus, & ob eam rem orthodoxæ fidei iam antea infestus, Romam ingressus, omnia sacra & prophana promiscuè fœdauit: quatuordecim dies consumti in egrega præda, abductaque est uis ingens hominum omnis sexus & ætatis. Atque per hanc modum Vandalorum ductu, Aphrica Carthaginis excidium suasque clades ultra est. Sabellicus lib. 1. Ennead. 8.

AMALARICVS Gothorum rex, Arianus, uxorem Crothildem orthodoxam aliquando ad ecclesiam procedentem, fordibus aspergi curauit, atque ad extremum adeò fœdè pulsauit, ut uestem hausto sanguine macularit. Eo nomine Theodebertus frater, Frãcorum rex, Amalaricum & uita & regno exuit. Sigon. lib. 17. Imp. occid.

LEONEGILDVS Gothorum rex in Hispania, Arianus, Hermogildum F. ob defectionem ab Arianismo ad orthodoxam fidem, crudelissima morte affecit. Fulgosus lib. 5. capite 8 & Ririus li. 1. Hispaniæ: & Sigebert. qui Leuuigildũ uocat.

NESTORIVS in episcopum Constantinopolitanum consecratus, hõmo superbus & iactabundus, quinto pòst die Eudem Arianorum, in qua illi furtim orabant, deturbatui iussit: atque eo facto Arianos eò furoris ac uæcordiæ adduxit, ut eam ipsi ultrò subiectis facibus inflammarent. quo incendio cùm uicina ædificia essent comprehensa, magnus in urbe tumultus est concitatus. Inde Nouatianos aggressus, quòd Paulus eorum episcopus magnam modò pietatis laudem esset adeptus, uix ab Imperatore retentus est. Itaque, ut ipse eius uoluntati seruiret, edixit, ut Hæretici ecclesias, quas ab orthodoxis tenerent, ubicunque Catholicis redderent: ferri enim non posse, ut qui nec proprias habere debuerant, ab orthodoxis possessas aut conditas, suaque temeritate occupatas: ultrà detinerẽt. Sigon. lib. 12. Imp. occi.

THEODOSIVS quidam, Synadorum, urbis Phrygiæ Pacatianæ, episcopus, hæreticos (in ea namque urbe complures erant ex secta Macedonianorũ) grauiter persecutus est: eósque non modò è ciuitate, uerumetiam ex agris relegauit. Atque istud aggressus est non de more orthodoxæ Ecclesiæ, quæ homines persequi non solet, neque studio rectæ sinceræque fidei incitatus: sed turpis quæstus auiditate inflectus, ut ex hæreticis pecuniam cogeret. Socrates libro 7. capite 3. Eccles. hist.

Cùm Henricus V. (qui Gregorio VII. Antipapã dederat Clementem III.) Henricum IIII. patrem regno deturbasset, suasu eorum qui Pp. partes sequebantur principum, in Moguntino concilio Henriciana aut Clementina hæresis consensu omnium ordinum condemnata fuit, anno 1106. statumque ut hæretici episcopi uiuentes de sede deturbarentur, mortui è sepulcris extraherentur, & qui ab iis instituti fuerant, usque ad generalem conuentum à munere amouerentur. Quo decreto Clementis cadauer, qui fuerat huius hæreseos auctor, Rauennati sepultura cuulsum à uulgo fœdè est laceratum. Sigonius lib. 9. regni Ital.

PRAGÆ, Boëmorum sacerdos eucharistiam deferebat ægrotantem. Iudeorum pueri sacerdotem luto lapidibusque insectantur. Indoluit plebs, quæ ex more sequebatur, inogatam Christo & sacris eius contumeliam, repressis pueris, & cum contumelia abactis. Quumque adulti Iudæi pueros tuerentur, primùm rixa, deinde orta est seditio. Efferuescente autem Christiano populo, in deuotionem recẽter assumpti per sacram Paschæ diem corporis dominici, concussi ex omnibus ordinibus facto, inumiscuere se plurimi literis studentes clerici: & sæuientes in Iudæos, quicquid obuium fuit, prostrauerũt. Incensis autem domibus eorum, feminæ cum paruulis se sua spõte iniecerũt incẽdio, ne, ꝑbris Christianorũ expositæ, ad extremũ necarẽtur. Cranz. lib. 9. Vand. c. 33.

Thaboritæ, duce ZISCONE, castellum Riczianum ceperant. Inter capros undecim sacerdotes erant, cuncta se facturos promittentes, quæ Zisco iuberet: calicem se propinaturos, ritum Thaboritarum suscepturos, militiam cum illo obituros: at ille uinctos in uaporarium deduci, & omnes combusi mandat. Nactus deinde in arce Pribenicia Hermannum monachum, qui se episcopum suffraganeum cognominabat, quanquam Thaboritarum nõnullos cõsecrauerit, quia tamen metu adactus id fecisse uidebatur, petractum ad piscinam submersit. In oppido autem Vodnana, quotquot sacerdotes reperit, uiuos in fornacem calcariam proiecit. Oppido Prachatice expũgnato, CXXXV oppidani in platea occurrentes, flagellis Thaboritarum ferratis contusi obtruncatique sunt, gloriantium, arcam Domini se purgare. Confugerant ad sacrarium cum sacerdotibus LXXXV uiri inermes, manus in cœlum tendentes, uoceque flebili supplicantes, ut eis tempus ujuendi pœnitendique prorogaretur, simulque

mulsque pollicentes, eadem se dogmata cum Ziscone professuros. Respondit ille, tempus ultionis, non autem misericordiæ instare: admotisq; malleolis & sarmentis, incendium suscitauit, quo deflagrarunt omnes. Dubrau. l. 25.

Thaboritæ à BOEMIS proceribus ope Pragensium Hussitarum inter Brodam & Caurinum maxima clade affecti, amisso duce Procopio, deditionem fecere non paruo numero, partim indomiti illi Orphani, partim qui ex pagis coacti, ad pugnam pertracti fuerant. Iubent uictores pronunciari, nondum bellum esse profligatum, equitibus superstitibus, qui cum Czapcone proditore Thaboritarum Coloniam profugissent: ad hanc expugnandam, qui dare nomina uellent, ij in proxima horrea fecederent. Hac arte discretos cum ipsis horreis milites concremarũt omnes, qui militiam appetebant, paganos autem rusticos in seruitutem redegerũt. Dubrau. lib. 27. Aen. Sylu. c. 51. hist. Boëm. sic scribit: MAINARDVS Nouæ domus princeps, cũ abalienata suis animus nobilitate, Hussitas memorabili prælio superasset, multa millia cepisset, omnes eos perdere statuit, ut qui ætate in castris exacta, cædibus & rapinis assueti, nunquam quieturi uiderentur. Sed metuens, ne simul quo que innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam uenerant: uoce præconis edici iussit, nondum bellum peractum esse, fugisse Coapchonem Thaboritarum equitum præfectum, coloniam expugnari oportere, uicinasque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui subi Procopiis militassent, uiros fortes & in bello exercitatos: decretum eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes qui stipendia facere uellent, in horrea sese proxima recsperent: cauerent, ne rudes inexpertosq; belli secum admitterent: illos sua rura, suosque lares repetere posse. Introierunt horrea Thaboritarum & Orphanorum aliquot millia, homines nigri, ad solem & uentum indurati, aspectu tetri atque horribiles, & qui circa fumum in castris uixissent, aquilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corporibus proceris, membris hispidis, cuteque adeò dura, ut ferrum quasi loricam repulsura uideretur. Clausa sunt confestim ostia, & ignis immissus horreis colluuiem illam hominum exussit.

Ioannes Romanæ ecclesiæ Cardinalis, ab Alexãdro papa Constantinopolim, perente id Manuele Imperatore, missus, ut Græcorum Ecclesiam Romanæ subiiceret, à GRÆCIS occisus est: alligatumque cadauer cani, cuius cauda ori Cardinalis inserta erat, per uicos ciuitatis magna immanitate pertractum, tandem igni traditũ. Sigeberti cõtinuator, sub annum 1182. Cuspinianus ab Andronico, Manuelis odio, hanc cædem perpetratam scribit.

IOANNES Petrus Caraffa Cardinalis (qui postea Paulus IIII. Pontifex dictus est) Iulio III. Pontifici auctor fuit, ut ad Lutheranorum factionem coërcendum, nouos Iudices è sacro patrum Senatu institueret, qui inquirendis damnandisque hæreticis summa cum potestate præessent. Ad id munus quum ipse quoque deligeretur, magnaque acerbitate idem exerceret, quam ipse Christianam seueritatem appellabat: omnes ferè omnium ordinum homines grauiter offendit, tantumque sibi constauit odium, ut eius nomen in coronis passim maledictis laceraretur: neque deerant qui dicerent, ea potissimùm de causa Pontificem illhuc impulisse, ut ipse muneri quo que præpositus, nonaul los occultis de causis sibi inuisos, submissis in eos accusatoribus, ad eum modum uleiseretur. Panuinius.

IGNAVIAM BELLICAM.

Athenienses in Aeginam triremem miserant, ad repetendas statuas quasdam Epidauriis ablatas. Aeginetæ Argiorum opem implorarunt, qui exercitum Atheniensium ad intercionem ceciderunt, unico tantùm superstite. Qui cùm Athenas se recepisset, clademque renunciasset: VXORES eorum, qui aduersus Aeginam profecti fuerant, indignè ferentes unum ex omnibus esse reducem, circunfusæ homicidem prehenderunt, ac fibulis uestimentorum pupugerunt, percontantes singulæ, Vbi suus uir esset. Id factum mulieribus usum est Atheniensibus ipsa clade tristius. In quas cũ alia ratione animaduertere non possent, uestem illarum in ladem & lineam absque fibulis mutauerunt. Nam antea Doridem uestem gerebant Atticæ feminæ, simillimam Corinthiæ. Herodotus lib. 5.

A Chagano, Auarum rege, Thraciam inuadente, Romanæ legiones aliquoties cæsæ sunt. Quod bilem mouit Imperatori MAVRITIO. qui indignatus, aduersus Chaganum Commentiolum ducem iterum mittens, clàm illi iniunxit, uti hostib. proderet exercitũ seditiosum & contumacẽ. Cõmisso prælio Cõmentiolus aufugit, reliqui oẽs penè capti supra XII. millia, pauci cæsi. Ea uictoria inflatus Chaganus, ad Macrontœchon usque excurrit, à Mauritio coacta popularium turba defensum. Interim maxima orta est pestilentia, qua absorpti sunt una die septem Chagani filij. Itaque in sua reuerti uolens, Mauritium de captiuorum redemtione admonuit, in singula capita numio uno contentus. Imperatore conditionem abnuente, dimidium petiit. Id quoque Imp. recusante, captiuos omnes occidit, & discessit. Quæ res magnum odium Mauritio conciliauit: & quum quandoque sacris interesset, seditione orta lapides in eum coniecti sunt. Cuspinianus.

INGIVVIEM, VORACITATEM.

EVMELVS Thebanus Botron filium, ob uoratum hostiæ cerebrum, titione occidit. Antoninus Liberalis in Metamor.

MAHVMETES II. Turcarum rex, quum in arbore cedro pomum (Sabellicus binos pubescentes cucumeres fuisse refert) deesse animaduertisset: unum è tribus pueris, quos secum habebat, id fecisse ratus, ferro eorum pectora aperiri iussit. Itaque in primi stomacho inuentum fuit. Fulgosus & Egnatius libro 9. capite 2. Sabellicus libro 9. capite 3.

IDEM catamitos quosdam suos, quos pluris facere uidebatur quàm uitam ipsam, celebri conuiuio obtruncauit omnes, ꝙ uini quippiam ebibissent, quod superfuerat. Cuspin.

LIBIDINEM.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis exx. Cum uides, quatenus libidinem coniugalem uleiscuntur.*

Cùm Iacobus patriarcha, secundùm eorum temporum morem, cum liberis in Cananæam prope urbem Sichimam uenisset, ubi rune dies festus magno conuentu celebrabatur: Dina filia, quæ sola, ut quædam necessaria coemeret, urbem ingressa erat, quia & forma insigni perbenignoque ingenio erat: inuitæ Sichem filius Hemor, qui tunc Sichimæ regnabat, uim intulit. Quam rem cùm Hemor resciuisset, uehementer indoluit: egressusque ad Iacob, Dinam filio uxorem desponderi petiit. Cui rei Iacob assentiri ueritus (neque enim Hebræorum legem Hemor colebat, & propterea affinitatem cum eo iungere lege prohibebatur) cùm propter illius uires apertè ei negare non auderet, ad deliberandum cum filiis tempus sumsit. Eis igitur cùm rem, ut erat, aperuisset, SIMEON & LEVI, Dinæ ex eodem utero fratres, iniuriam ulcisci decreuerunt. Itaque nocte arreptis armis, unà cum magna seruorum manu Sichimæ muros transgressi: cùm uino epulisque grauatos arcto omnes somno dormire inuenissent, seruato muliebri sexu, in lecto regem, omnesque alios obtruncarunt. Fulgosus libro 6. capite 1. ex Gen. 34.

ABSALON Dauidis F. Amnonem fratrem crudeliter interemit, quia immodestè Thamar communem sororem deperibat, eique uim intulerat. Illius enim morte, uiolatam in sorore pudicitiam ultus est, quòd eadem matre secum nata erat. Fulgosus libro 6. cap. 1. ex 2. Reg. 13.

ORCHAMVS Leuchotheam filiam, ab Apolline per uim stupratam, uiuam defodit. Ouid. lib. 4. Metamorph.

Perimele puella stuprum ab Acheloo per uim passa, ab HIPPODAMANTE patre præcipitata est. Ouidius libro octauo Metamorphoseon:

> Quod pater Hippodamas ægrè tulit, inq; profundum
> Protulit è scopulo perituræ corpora natæ.

PROGNE incestum Terei mariti cum sorore sua Philomela crudeliter puniuit. Item enim filium eidem, comedendũ apposuit. Ouid. 6. Metamorph.

> Tendentemq; manus, & iam sua fata uidentem,
> Et matrem mater clamantem, & colla petentem,
> Ense ferit Progne, lateri quá pectus adhæret.

Thyestes Pelopis & Hippodamiæ filius, Europam, seu Aeropen, fratris sui Atrei uxorem, stuprauit, & ex ea duos suscepit liberos, Tantalum & Plisthenem: quos ATREVS ipse interfecit, interfectos fratri comedendos apposuit. Seneca:

> Tantalus prima hostia est.

Antiope, filia Nyctei & Androthoes, à Ioue in Satyrum conuerso grauida facta, Nyctei patris minis territa, Sicyonẽ ad Epopeum profugit: ubi cùm Zethum & Amphionem peperisset, illos dedit in Cithærone cuidam bubulco alendos. NYCTEVS grauiter ferens filiæ fugam, hortatus Lycum F. ad uindictam, moritur. LYCVS cum delecta manu militum Epopeum trucidauit, captiuamque duxit Antiopem, quam Dirce uxori in custodiã dedit. Nec multo pòst, collecta pastorum manu, Zethus & Amphion ipsum patruum & Dircem ceperunt: Dirceque crudeliter laniata, monitu sunt à Mercurio, ut Lycum imperare permitterent. E Nicocrate in rebus Cypriis, Natalis Comes Mythol. lib. 8. cap. 15.

Troia, propter adulterium & raptum Helenæ uxoris Menelai, à GRÆCIS capta, incensa, & funditùs deleta est: ut testantur Homerus, Vergilius, & historiæ quamplurimæ.

Milesius quidam, quicum ius hospitij & mensa quotidiana intercedebat Hesiodo, Locris clàm hospitis filiæ intulit stu-

prum, atque in flagitio deprehensus fuit. Huius sceleris in suspicionem Hesiodus uenit, quasi ab initio consensus & adiutor in supprimendo fuisset, cùm esset insons: sed in ipsum flammæ articulum & calumniam immeritò incurrit. Siquidem trucidarunt eum puellæ FRATRES, insidiis circa Nemeum Locricum exceptum, unaque cum eo ministrum, cui nomen Troilo erat. Proiectis in mare cadaueribus, Troili corpus in Daphnum amnem eiectũ, ad clausum undis scopulum, quòd modicum supra mare prominet, ei adhæsit, ac nocaturin hoc usque tempus hic scopulus Troilus. Hesiodi cadauer ab ipsa usque terra grex excipiens delphinùm, ad promontorium Rhion & Molyeriam detulit. Erat fortè per id tempus Locris sacrificium & solennis conuentus Rhiorum, quem adhuc circa illum locum eximiè celebrant. Vt corpus conspexerunt aduehi, obstupefcentes non immerito ad littus decurrerunt: aduertentesque recens etiamnum cadauer, nihil priùs faciundum statuerunt propter Hesiodi nomen, quàm ut de cæde quærerent. Atque hoc quidem citò repertis homicidis sunt executi. Namque ipsos uiuos profundo mersere, domúmque eorum diruere. Humatus est apud Nemeum Hesiodus. Tumulum plerique pene gtinii ignorant: quod reconditum fuit habitum, inuestigantibus Orchomeniis, uti ferunt, qui tolliere ex oraculo illius reliquias atq; apud se funerare uolebãt. Plut. in Conuiuio.

Fuit Pãdareo filia AEDON: eam duxit Polytechnus faber, Colophone Lydiæ habitans. Hi sponsionẽ inierant, uter ipsorum celerius opus suum absoluisset, ei alter famulam daret. Paululum restabat Polytechno ad cutulem sellam conficiendam, & Aedoni ad pertexendam telam, Iunone opus adiuuante. Cui inuidens uictoriam Polytechnus, ad socerum proficiscitur, simulans se ab uxore missum ad deducendam secum sororem Chelidonem. Pandareus nihil malè suspicatus, filiam ei commisit. Ille in sylua ei uirginitatem eripit: tonsoque capite, aliis eam ueltibus induit: mortemque minatus, si quid horum unquam Aedoni indicasset, ita domum reuersus, eam uxori loco ancillæ ex pacto tradidit. Aliquandiu eam soror operis exigẽdis attriuit, donec Chelidonis cum urna ad fontem prolixè suam deplorans calamitatem, à sorore exaudita est. Postquam se mutuò agnouerunt & consalutauerunt, malum illicò Polytechno iunctmachinatæ. Filium eius in festa conciderunt, carnes in ollam conjectas coxerunt: eumque Aedon uicino suo mandasset, ut Polytechum eas iuberet edere, ipsa cum sorore ad patrem Pandarcum peruenit, indicauitq; in quas deuenisset miserias. Anton. Liberal. ex Bœi Ornithogonia.

Amestris uxor Xerxis regis, amiculum, quod ipsa texuerat, grande, uarium & spectatu dignum, uiro donauit. Quo ille amictus, ad Artayntam filiam Masistis fratris ſe confert: atque ubi se oblectauit cum ea, iussit à se petere mulierem quæcunque optaret. Mulier amictum poposcit. Xerxes recusare, ueritus Amestrim. Verùm cùm non posset persuaderi, amiculum dedit. Amestris ubi mulierem habere amiculum sciuit, non in puellam cõcepit odium, sed in illius matrem, quam huius rei auctorem esse falsò credebat. Obseruato itaq; tempore, quo uir suus Xerxes regalem instrueret cœnam (quæ cœna semel quotannis eo die, quo creatus est, instituitur: in qua nefas est orantem non exorare) à Xerxe petiit, ut se Masistis uxore donaret. Paruit ille, quantumuis inuitus. Ibi tum Amestris accitis carnificibus eam excarnificauit, mammillas præcidit, easque canibus obiecit, præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remisit domum. Masistes, ubi mutilatam uxorem uidit, inito cum liberis consilio, abiit Bactra, prouinciam Bactrianam cum Sacis ad defectionem inducturus. Sed Xerxes missis copiis, & ipsum, & liberos, & copias in itinere trucidauit. Herodotus libro 9.

HIPPOMENES Athenienſium princeps, Limonem filiam in adulterio deprehensam, equo feroci & famelico præbuit absumendam. Ouid. in Ibin.

HIPPODORVS, unus Codridarum, filiam cum mœcho deprehensam, currui iussit alligari, atque discerpi. Aelianus de Varia historia.

Dionysius iunior in Locrensium urbem ueniens (Doris enim, ipsius mater, Locrensis erat) maximas ciuitatis domos occupauit: easq; rosis, serpillis, aliisq; id genus florib. strauit: & filias LOCRENSIVM accersebat, atq; rem cum eis habebat intemperantissimè. Cuius flagitij nefandam spurciem non impunè tulit. Cùm enim regnum ipsius per Dionem esset sublatum, tum Locrenses uxorem Dionysij unà cum filiab. prostituerunt, sineq; intermissione stuprum eis intulerunt: præsertim qui affinitate uel cognatione cum iis utrginib. quas Dionysius corruperat, erant coniuncti. Cùm uerò libidinem in eis expleuissent, compunctas acubus intra digitorum ungues, interemerunt, ossaq; in mortariis cõtuderunt: & carnes ab ossibus abstractas, si quis non comedisset, cum diris deuouerunt. Quod uerò reliquum ex ipsis esset, mari demerserunt. At Dionysius Corinthi multas uariasq; uitæ uicissitudines expertus, ob extremam mendacitatem, tandem stipem ab hominibus cogendo, tympanaq; pulsando, & modulãdo, uitam exegit. Aelian. lib. 9. de Var. hist. & Athen. lib. 12. cap. 19. & Strabo lib. 6.

MAXIMVS Senator è stirpe fuit Maximi tyranni (cuius astu Gratianus occisus est) quem Theodosius senior sustulerat: pro qua uictoria Romani quotannis festũ agunt. Huic Maximo formosissima uxor erat: qua Valentinianus III. Imp. ignauis potiri cupiens, cùm maritũ in palatiũ uocasset, colludendo anulum detrahens, eum clàm uxori misit, ut hoc signo uiso, in Palatium salutatũ Eudoxiã imperatricem festinaret. Venit illa, & à Valentiniano stuprata, mœsta posturo contumeliam acceptã indicauit. Qui ut Imperatorem ulciscereturin, Aetium Patritiũ, uirũ clarisſ. imperij Occidui columẽ, suspectum Imperatori reddidit, causaq; fuit ut interfi ceretur. Quo sublato, tanquã obice, Transtilam & Octilam Aetij milites, percusso priùs Heraclio spadone, Valentiniano in cãpo Martio immisit, à quib. interfectus est. Maximus arrepta tyrannide Eudoxiam Valentiniani III. per insidias cæsi uiduam, Theodosij iunioris F. rapuit, fassus illius amore uirum à se occisum. Illa exacerbata, ad uindicandum facinus incensa, occulè Genſericũ Vandalorum regem in Italiã ex Aphrica accersuit. Maximus, dum fugã meditatur, ab Urso milite Romano interficitur, uondum duobus expletis mensibus: membratim concisus in Tiberim deiicitur. Vbi tota igni ferroq; à Vandalis Afriſq; uastata, Eudoxia cũ filia abducta, Capua cum nonnullis Campaniæ oppidis expugnata. Cuspinianus, & Bonfinius lib. 7. Dec. 1.

CONSTANTINVS Magnus Imp. Crispum F. ob stupri cum nouerca commissi falsò imputatum crimen, interfecit. Cuspinianus, & Suidas.

Dagulfus abbas Gallus, homo sceleratus, & multis propter furta, homicidia adulteriaque, quibus se polluerat, notus: cùm uitæ mariti eius mulieris, cum qua rem habebat, insidiaretur, ipse in soueam quam alteri fecerat, incidit. Ingressus enim cum alio clerico ædes MARITI absentis, lautè excipitur: & diu potando inebriatus, in lecto collocatur. Maritus reuersus, stramen accendit, & securi utrumq; interfecit. Turonensis lib. 8. cap. 19.

DEVTERIA Gallorum regina uidua, Theodeberto Gallorum regi nupta, secum formosissimam ex primo uiro susceptam filiam duxit. Suspicata autem Theodebertum ad hanc animum adiecisse, interimi puellam iussit: deuissimæq; suspicioni maternus amor cessit. Fulgos. lib. 5. cap. 8.

Cùm Rodericus Gothorum postremus, qui in Hispania regnarunt, Iacobæ IVLIANI comitis Septensis, in Tingitana prouincia filiæ, quam in aula penes reginam habebat, uim intulisset: puellæ pater adeò grauiter eam iniuriam tulit, ut clàm in Aphricam traiiceret, quo tempore, in ea Abenialiber Miramamolinus rerũ potiebatur, quem ut in Hispaniam, ad delendam Gothorum gentem, traiiceret, inuitauit. Is uerò inuitantis consilium secutus, cùm duce Muza copias ingentes in Hispaniam misisset, Salutis anno 714. crudeliùs in Gothos Iulianus ipse, quàm Mauri, desæuiit: omnibus in rebus filiæ pudicitia, cui uir illatus fuerat, semper commemorata. Fulgosius libro 6. capite 2. Blondus dicit id factum esse sub Iustiniano, libro 10. Decadis 1. Sub Ioanne 6. Platina.

PANCRATIVS Iberiæ regulus, uxorem Liparitæ uiolenti, magnæ post Pancratium inter Iberos potentiæ. Hic Pancratium uictum prælio, ad Caucasum & in interiorem Abasgiam compellit. Ipse regia occupata, dominam suam Pancratij matrem uiſtuprat, totaque Iberia potitur. Inde missis ad Imperatorem Constantinum Monomachum literis, in amicitiam societatemque Romanorum receptus est. Cedrenus.

Comes Paganus Friderici I. Imp. nomine, Patauio præfectus, Speronellam Dalesmaninam, uirginem patriciam uiè domo paternam ereptam, & in arcem Pendisij tractam, pro scorto habuit. Speronellæ frater DALESMANINVS, qui Comiti fuerat amicissimus, cum uicinis ciuitatibus egit, ut omnes eodem tempore ab Imperatore defecerint. Bentar. Scardeonus lib. 3. classe 13. hist. Pat.

TANCREDI Salernitani principis fœtitiam erga Sigismundam F. & Guiscardum eius amatorem, pete ex Titulo, Crudeles parentes erga liberos.

ERKEMBALDVS Burbaiensis, uir nobilitate insignis in Germania, cùm graui ualetudine laboraret, & à cubiculo strepitum exaudiuisset, quo resonare ædes uidebantur, eius rei petiit causam: & cùm tandem accepisset, sororis suæ filium cuidam domestic arum mulierum uoluisse inferre, ueuim cuidam domesticarum mulierum uoluisse inferre, uehementer indignatus, ministris imperauit, ut nepotem suspenderent. Quod cùm ministri agere distulissent, distimulauit dolorẽ, quoad iuuenis arbitratus auunculum rei immemorem factum, cubiculo cepit obuersari. Itaq; conspectum in cubiculum ad se uocauit: lætumq; se simulans, assidere sibi iuuenem coegit, & altero brachio eum complexus, altero gladium, quem habebat, clàm eduxit, ac iugulauit. Fulgosius lib. 6. cap. 1.

IOANNES Rata, Casertæ comes, posteaquam resciuit uiola tam uxoris pudicitiam à Manfredo Siciliæ rege, iniuriam ultus est. Nam cùm Carolus Andegauensis, à pont. Rom. Neapolitani Siciliæq; regnorum iure inuestitus, Manfredo arma inferret: Ioannes Rata, Mãfredi copiarum dux, quem Manfredus rem prorsus, quam cum eius uxore habuerat, ignorare arbitrabatur, ut iniuriam ulciscereturin, non solùm ad hostes transiuit, uerùm uiam quoq; intra regni fines eis aperuit. Cuius rei causa mortuus Manfredus, sceleris sui, primùm uiolata Ioannis coniuge, deinde quòd tanta iniuria affecto rem suam credidisset, pœnas quas debuit, luit. Fulgosius lib. 6. cap. 1. & Egnat. lib. 6. cap. 1. At Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ, non Manfredum, sed Conradinum Sueuum, Manfredi fratrem, Casertanam adamasse, & uiro legationis specie ablegato ea potitum asserit.

HEMIPHERRVS Antiochensis ciuis, Cassiani principis scriba, in obsidione urbis Antiochiæ, ob uxorem corruptam à Turco, Damascum prodidit Christianis. Aemilius lib. 4.

Balnei custodem amauit Albertus dux Bauariæ. Illam ERNESTVS Alberti pater apud Strubingam in Danubium præcipitauit. Aen. Syl. lib. 2. Com. in Panormitam.

Nucerinę arcis PRÆFECTVS, Nicolao & Bartholomęo Triciis, Fulginatum dominis, seruiebat. Cùm autem animaduertisset, Nicolaum uxori suæ uim intulisse, ad edendam uenationem eum cum fratribus inuitauit, nocteq; proxima, cùm labore defessi, graui somno capti essent, duos ipsorum fratrum in lecto peremit, atq; ad libertatem populum uocauit. Verùm cùm Conradus tertius frater, re intellecta, Bracchij (qui Perusiæ rerum potiebatur) opem implorasset, atq; illuc aduolasset, præfectus spe diutiùs retinendæ arcis adẽta, à turri uxorem præcipitauit, cui ipse à Conradi militibus confossus, haud diu superuixit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

Magna crudelitate Socinum Vicestarinum, Reipublicæ Laudensis dominum, ultus est PETRVS Temacoldus: neque eum mouit, quòd Socinus Ludouici Bauari Imperatoris uicarius esset. In carcere enim pedore fameq; eum conficere non erubuit (quanquam à molendino ad honestam fortunam ab eo esset euectus) quòd propinquæ suæ, tenuis fortunæ uirgini, uitium intulisset. Ab hoc igitur initio, rem Laudensem inuasit: cuius imperio uti, simulq; in Vicestarinam gentem sæuire non destitit, quoad ipse ab Actio Vicecomite, qui Mediolani rerum potiebatur, Laude Pompeia pulsus fuit. Fulgosius lib. 6. cap. 1.

Actij auo Matrhæo Vicecomiti, quia Galeacius eius filius, cũ Placentinam præfecturam gereret, Blanchinæ uxoris Opicij Laudensis, qui Vergusius cognominabatur, pudicitiam uitiare tentauerat: OPICIVS, non sine ingenti omniũ Matthæi rerum periculo, aduersam factionem secutus, urbem Placentiam ademit, diuq; ea potitus est. Adeò acerbè tulit, cum, quem amicum putabat, uxori uitium inferre uoluisse. Fulgosius libro 6. cap. 1.

Neapoli Friderico Aragonio regnante, RAIMVNDVS Assa, in Græcia nobili ortus genere, patria Turcarum armis pulsus, publicè in regio cubiculo, Bernardinum Sanseuerinum Bisignani principem, apud quem uiuebat, stricto gladio inuasit, duoq; aduerso eius pectori uulnera inflixit: quòd is sorori, quæ apud eũ alebatur, uim intulerat. Cuius rei cùm ad supplicium duceretur, nulla unquam ductus est pœnitẽtia. Quin affirmauit, cùm principi familiaritate coniunctus esset, turè ulciscendæ iniuriæ magnas occasiones habuisse: sed eis usum non esse, quia nobilitate insigni uiro occulta ultio sordida foret: & propterea palàm ulcisci hãc grauem iniuriam, quam acceperat, corã rege uoluisse: neq; iam cùm id egisset, acerbam sibi mortem putare. Fulg. lib. 6. cap. 1.

Boleslaus, qui anno Salutis 1058. sceptra regni Poloniæ accepit, dum prætextu restituendi Izaslaum, Kiuoia à fratribus ciectum, in Russia uario euentu bellum gerit circiter septennium, intestino exorto malo reuocatur domum. Feminæ enim, seu sponte, seu inuitò, cum seruis cõsuerant. Quam injuriam cùm ulturi nobiles POLONI domum proficiscerentur, & in fontes exquisitis tormentis sæuirent: Boleslaus maritos tanquam desertores, & regiæ potestatis inuasores, partim suppliciis atrocibus affecit, partim exilio multauit: abiectisque infantibus, uberibus mulierum, quibus uiri misericordia pepercerant, catulos admouit. Cranzius lib. 3. capite 12. Vandaliæ, & Cromerus lib. 4.

AVARITIAM.

P. CLAVDIVS Pulcer, à piratis Cilicibus captus, imperato sibi redemtionis precio, misit ad regem Cypri Ptolemæum, ut se redimeret. Ille precium adeò exiguum misit, ut pyratæ id accipere recusauerint, Publiumq; sine precio dimiserint. Qui liberatus gratiam utriſq; retulit. Nam creatus plebis tribunus, euicit, ut M. Cato in Cyprum mitteretur, eam regi eripturus. Ptolemæus re intellecta seipsum interfecit. Cato insulam accepit, & regis opibus uenundatis pecuniam in publicum ærarium retulit. Aen. Syl. cap. 96. Asiæ.

Fera nimis, nedum barbara fuit ultio ABAGÆ Can, regis Tartarorum, aduersus Paruanam Turciæ præfectum, cuius imperium Tartari anno 1280. sibi pepererant. Paruanas precio eam regionem Aegyptio Sultano uẽdiderat. Abagas armis Turciæ regno recuperato, captum proditorem (ut Scytharum mos est) raedium dissecuit, carnes inter alias epulas coxit, & cum proceribus suis deuorauit: questus interim, ne sic quidem sibi satisfactum esse. Fulg. lib. 9. cap. 10.

AD VLATIONEM.

Quidam nobilis Moschouiæ in carcere aliquot annis detentus, somnium sibi finxit, quasi regem Poloniæ captum uinctumq; ad magnum Ducem adductum in somnis uideret. Hoc somnio ad IO. Basiliadem magnum Ducẽ delato, carnificibus eum confestim examinandum torquendumque tradidit. Ille tormentis adactus fassus est, libertatis spe id se fecisse. Ergo Dux eum in carcerem duriorem detrusit, ut expectaret somnij sui euentum. ubi periit. Alex. Guagninus.

LIBERTATEM DICENDI.

Ad C. Cæsarem, belli ciuilis reliquias in Africa persequentem, ex Sicilia profecti ueterani, in hostium potestatem uenêre. His SCIPIO, Pompeianorum dux, salutem & pecuniam est pollicitus, si in partibus esse uellent. Tum Centurio unus quartædecimæ legionis: Ego, inquit, nunquam beneficio ullo adduci queam, ut contra Cæsarem imperatorem militem: quin hortor te potiùs, ut ab istis armis discedas, quæ nihil tandem sint aduersus illum ualitura. Nam quanti esse possint, facilè ex hoc poterit cognosci. Deligesi placet, ex omnibus cohortibus, quæ tecum militant, uel tuo iudicio fortissimam, eamque mihi & decem aliis ueteranis commilitonibus meis obiicito, ex euentuq; eius certaminis coniicies, quis belli huius sit futurus exitus. Scipio ira ardens ueteranos extra uallum eductos iussit ad unum interfici. Qua crudelitate accensi Cæsariani, cùm castris trinis hostẽ exuissent, & multi Pompeianorum, qui in tumulum castris proximum se ex fuga receperant, salutatione militari more facta, abiectis armis ueniam peterent, eos in commilitonum ultionem, occidione occiderunt. Sab. lib. 7. En. 6.

Cùm TAMBERLANES cum suis obertaret, latrociniis gaudẽs, accidit ut familiares eius de felice retũ successu differerent, eoq; tandẽ uenirent, ut dicerent, eum breui etiã Semarchandæ regnum consequuturum. At Myrxies, Tamberlanis intimus, respondit: Regnũ Semarchandæ firmius est, quàm ut occupari possit à latrone, & priuato homine. Sin aũt aliquando cõtigerit, ut Semarchandæ regno potiatur, uolo ut confestim tanquam mendax obtruncer. Non multo pòst cùm Semarchandam urbem Temires esset adeptus, honores maiores Myrxies, quàm Chaidares, alter prædationis socius, ob fortitudinem apud regem inuenit. Hinc commotus Chaidares, dixisse fertur: Tempus iam esse, ut sermo ille, quem loquutus fuerat Myrxies, ad rem conferatur. Extare enim eius sermonis testes plurimos. Ergo Myrxien capitali supplicio subdi iussit. Temires, in memoriã redigens se natum esse Semarchandæ regnum: ipsumq; falsum esse animo, proinde mortis reum teneri. Chalcocondylas lib. 4.

INHOSPITALITATEM.

Samaritani Christum, Hierosolymam proficiscentem, non receperunt. DISCIPVLI indignati, rogarunt Christum, ut sibi liceret ignem de cœlo illis imprecari. At Christus, Nescis cuius spiritus estis? Non ueni ad perdendas, sed ad seruandas animas. Luc. 9.

PERFIDIAM PVBLICAM, PRODITIONEM, DEFECTIONEM, DESERTIONEM.

Capta Babylone DARIVS muros urbis magna est ex parte demolitus, portasque diruit: tribus deinde millibus ciuitatis principibus, unde orta uideri potuit defectio, patibulo affixis, cæteræ multitudini ueniam dedit. Adiecit & feminarum L. circiter millia, in supplementum sextus, quando illas Babylonij interfecerant, has aliunde accersitas, pro cuiusq; dignitate & fortuna, ciuibus matrimonio locauit. Sabellicus lib. 7. En. 2. ex Herod. lib. 3.

PHERETIMA Cyrenatum regina, Cyrenensibus irata, miserorũ ciuium corpora palis defixa, circa muros urbis disposuit, mulierum mãmas uiolenter aulsas in publico suspendit. Herodotus. Cùm Barcam cepisset, uiros in crucem egit: mulieribus autem mammas execuit, nec multo pòst ipsa etiam contabuit. Heraclides in Politiis.

Onesilus, Gorgij Salaminiorum regis frater, quoniã Cyprios induxerat, ut Dario se submitterent, cõprehensus ab AMATHVSIIS (quibus id uolebat persuadere) obtruncatus est: eiusq; caput supra urbis portas suspensum. Herod.

Cùm Iudæi bellum gererẽt aduersus ALEXANDRVM Ian-

næum regem Hyrcani III. F. semper uicti multos amiserūt è suorum numero. Tandem potentissimos eorum compulsos in Bethoma oppugnauit, & capto oppido redactos in potestatem abduxit Hierosolyma, ubi facinus commisit longè immanissimum. Epulans enim cum pallacis excelsiore loco, unde prospectus patebat, ad DCCC iussit suffigi crucibus: in conspectu adhuc uiuentium iugulauit uxores eorum & liberos, pœnas exigens pro acceptis iniuriis. Per sex annos à sua gente bello uexatus, non minus quàm L millia Iudæorum occidit: & cùm eos hortaretur ad reconciliationem, adhuc magis accendit eorum odia: dum roganti quid se uellent facere, ore uno respōsum est, Vt seipsum interficeret: moxque miserunt ad Demetrium Eucærum, qui ab illo auxilia peterent. Ob hanc crudelitatem Thracidæ nomē obtinuit. Iosephus lib.13. cap.21. & 22.

Bello Peloponnesiaco Scionæorum urbs defecit ad Lacedæmonios: quæ causa acrioris odij, peruicaciorisq; discordiæ incendia concitauit. ATHENIENSES facti indignatione irritati, decreto statuunt, Scionæos omnes, si quando in manus uenissent, promiscuè nulli parcendo ætati, internecione extinguere. Tandē captis illis per uim & obsidionē, puberta tem iuuentutemq; ad unū omnē iugularunt: pueros ac mulieres abduxêre in prædam & seruitutē, insulamq; Platæensibus, qui propter illos expulsi patria uagabantur, habitandam tribuêre. Diodor. lib.12.

Exules quidam Thebanorum remp. ad aristocratiam traducere uolentes, Orchomeniorum equites trecentos numero, in suas partes adduxerūt. Illi uerò, cùm stato die solerent Thebani ad lustrationem inspectionemque armorum & corporum prodire, eo ipso tempore facinus aggredi statuerunt. Verùm ij qui conspirationis auctores fuerant, ducti pœnitudine, Bœotarchis insidias aperuerūt. Principes igitur ciuitatis comprehensos Orchomeniorum equites in concionem produxerunt: populus uerò decreto iussit hos interfici, & Orchomenios in seruitutē redigi, urbemq; dirui: quia iam olim simultates cum his Thebanis intercesserant, cùm tributum antea pendissent Myniis heroum ætate, & ab Hercule postmodùm fuissent liberati. Igitur Thebani capta urbe, uiros omnes necarunt, liberis & uxoribus seruitutis iugum imposuerunt. Diod. lib.15.

M. CATO Lacetanorum defectorum in Hispania DC securi percussit. Plut. in Catone.

Q. SERTORIVS res agens in Hispania, cùm ducum suorum insolentia multi ab se deficerent in oppidis, & seditiones exorirentur: ex humanitate & lenitate pristina degenerans, crudelis erga defectores extitit. Hispanorum enim filios, qui Oscæ educabantur, uiolauit: ac partem eorum occidit, alios sub corona uendidit. Plut. in Sertorio.

IVSTINIANVS Imperator, anno septimo triginta millibus Sclauorum cum duce Nebulo sibi adiunctis, pacem Arabibus renunciauit. Arabes armati duce Mubameto prælium ineunt: in quo cùm primùm uicti essent, insidiis rem aggrediuntur, & Sclauorum ducem pecunia corrumpunt: cumq; cum uiginti millibus suis castris adiungunt, & Romanos cædunt. Imperator Sclauorum perfidiam molestè ferens, reliquos unà cum liberis & uxoribus præcipites egit in mare, in finibus Nicomediæ. Paulus Diaconus. An. Domini 693. iuxta Sigebertum. Blondus Dec.1 lib.10.

IVSTINIANVS II. Imp. recepto imperio, Chersonenses, qui eum prodere exulem machinati erant (ad eos enim lingua, naso & auribus mutilatus, à Leontio patricio Constantinopolitano fuerat relegatus) prorsus delere instituit. Septem ex primarijs eius loci, uerubus ligneis affixos assauit, uiginti uerò aquis submersit, & reliquam multitudinem acerbo mortis genere sustulit: ad infantes, quibus sicarij pepercerant, extirpandos, classem instruxit. Sed ui tempestatis classe disiecta, ministros illos cædis ad septuaginta millia, antequam in Chersonam uenirent, in profundo maris submersit. Quæ res effecit, ut Chersonenses à Chaiano Chazarorum rege auxilium peterent, & copiæ Iustiniani Philippicum Imperatorem designarent. Paulus Diaconus lib.20. Zonaras, Cedrenus.

ANDRONICVS Comnenus tyrannus Prusa expugnata, plurimos perdidit: Angelum Theodorum adolescentem, effossis oculis asino impositum, & ultra limites Romanorum eductum dimisit, à feris deuorandum, nisi Turci uiatores eius miserti secum abduxissent. Leonem Synesium & Manuelem Lachanam, & alios cōplures XL numero de summis arboribus, iuxta Prusæ mœnia, suspendit. Lopadium transiens, episcopo oculis priuato, quòd seditiosorum sui gregis motum non castigasset, Constantinopolim reuertitur, relictis Prusaensium uitibus, quæ arbores amplectebātur, suspensorū cadaueribus tanquā uuis oneratas: neq; ullum sepeliri passus est, sed à sole arefactos, ut terricu lamenta uolucrum, ne poma deuorent, à uentis agitari uoluit. Nicetas libro primo.

CLOTHARIVS, Gallorum rex, Granum (alij Chranum) filium, ob rebellionem unà cum uxore & liberis in pastorali casa uiuos combussit. Fulgosus libro 5. capite 8. ex Sigeberti Chronicis, anno 563.

OTHO II. Imp. principes seditionis Romanæ, conuiuio in Vaticano instructo à militibus circumstantibus trucidari curauit, inspectantibus principibus uicinarum urbium. Sigonius libro nono.

EDOVARDVS, Edouardi III. Anglorum regis F. bello Gallico Lemouicum urbem, quæ defectionis caput fuerat, expugnauit, atque diruit, interfectis ad unum omnibus, qui intus fuerant, ac arma mouerant: ut eiusmodi crudelitatis exemplo reliquos populos in fide manere commonefaceret. Polydorus lib.19.

Euocauerant Laudenses, à Mediolanensibus subacti, Fridericum I. in Italiam contra Mediolanenses. Eo in Germaniam reuerso, MEDIOLANENSES consilio habito sanxerunt, ne Laudensibus rerum suarum aliquid aut uendere, aut quoquo pacto alienare, néue inde iniussu Mediolanensium migrare liceret: consulesque Nouembri mense Laudem profecti, tributum ciuitati grauissimum imperarunt: quique pendere recusarunt, bonis & patria euerterunt, atque in hostium numerum retulerunt. Denique ut speciosam aliquam perdendæ urbis caussam inuenirent, solenne à singulis poposcere sacramentum, fore, ut hæc in perpetuum obseruarent. Quibus illi re deliberata dixerunt, facturos se omnia, quæ imperarentur: uerùm, ne quid tale iurarent, fide Imperatori obligata se impediri. & cùm æqui nihil impetrassent, episcopum, & consules, ac principes ciuitatis Mediolanum ad eam rem deprecandam miserunt. Hi profecti, ad archiepiscopi, consulum, aliorúmque, qui aderant, principum ciuitatis pedes procubuerunt, eosque infimis omnibus precibus, ne se ad uiolandam fidē Imperatori datam adigerent, obsecrarunt. Quod cùm obtinere non potuissent, ad legatos pontificis, qui fortè aderant, Ardicionem & Othonem Cardinales, conuersi, precibus eos, ut caussam suam susciperent, fatigarunt. Mediolanenses legatorum auctoritati, dum apud se fuerunt, obtemperarunt: uerùm profectis illis, quatto Nonas Nouembris, quo die mortuis publicè parentatur, ex Consilij sententia omnibus, qui usque ad diem Epiphaniæ imperatum sacramentum non suscepissent, exilium indixerunt, iurare detrectantibus urbe excedere imperarunt: bona Mediolanum asportarunt, arbores in agris, uitésque atque ædificia nulla reliquerunt, ac demum urbis mœnia diruerunt, pinnis, quæ ex uno lapide erant, ad prima agri Mediolanensis castra ad perenne rei monumentum translatis. Laudenses uix cum singulis uestimentis, patrio solo relicto, Picceleonem Cremonensium castrum ad Abduam situm se contulêre. Qui autem morbo impliciti, aut alio consilio usi in urbe remanserunt, in carcerem omnes coniecti sunt. Secundò inde reuerso in Italiam Friderico, ad Lambrum amnem miserabilis consulum, aliorumque Laudensium turba, lacrymarum ac sordium plena, occurrit: singuli sublatis in humeros crucibus opem fidemque Imperatoris implorabant. summa querelarum erat, se, ut Imperatori fidem officiumque præstarent, patriam ac bona sua omnia perdidisse, ac ne locum quidem, ubi considerent, possidere. quamobrem precibus eum omnibus obtestari, ut locum daret, in quo domicilium melioribus collocare auspiciis possent. Friderico annuente, & bene eos sperare iubente, montem Eghetionem, qui quatuor millibus passuum à Laude aberat, postularunt. Quem illis concessit, ac uexillo consulibus eorum porrecto, eos in possessione constituit, ac multis iuribus aquarum, immunitatúmque donauit, Laudensibus urbem muniendam suscepit, ut fidos socios ab impetu Mediolanensium redderet tutos, subacto Mediolano. Oppidum itaque muro à terra firmauit, cùm satis alteram partem flumen Abduæ tegeret: atque in eam rem maximas impensas ac uerè regias contulit. Sigonius libro 12. regni Italici.

In schismate, quod inter Innocentium II. & Anacletum II. pontifices Romanos multis annis durauit, restituto per Lotharium Imp. Innocentio, & Rogerio etiam Siciliæ rege post mortem Anacleti ipsi Innocentio reconciliato, soli Tiburtes, Prænestini, Tusculani & Albani obsequium Innocentio denegabant. Tiburtes Romanos acie uictos in turpiss. fugam coniecêre. Ea re irritati Romani, maioribus copiis eos adoriuntur. Eos sese dedentes Innocentius recepit. ROMANI uerò cùm acerbiore pœna dignos censerent, neque Pontificem in suam sententiam pertrahere possent, ab eo defecerunt, ordinem senatorium instituerunt, nec uel diris deuoti ad officium redierunt. Innocentio interim præ mœrore mortuo, & Cœlestino II. subiecto à cardinalibus, populo excluso, pòst etiam Lucio II. nouum Romani tumultum excitauerunt. Etenim senatoribus, quos instituerant, non contenti, Patricium celsioris magistratum fastigij adiecerunt, ac uectigalia omnia tam urbana quàm peregrina pontifici erepta ei attribuerunt, pontificemque sacris decimis & largitionibus dignitatem tueri suam iusserunt. Ea dignitas delata primùm est ad Iordanem, Petri Leonis filium, hominem in Vrbe uetere nobilitate ac populari gratia potentissimum. Quas actiones Lucius primùm blanditiis impedire contendit: deinde inanes eas expertus, armis Capitolium aggressus, ictu lapidis percussus interiit. Ei suffectus Eugenius III. Romani interim Arnoldi Brixiani hæretici concionibus instigati, turres aliquot laicorum clericorumque nobilium deturbarunt, basilicam Vaticanam ceperunt, ac peregrinos religionis caussa Romam profectos exspoliarunt, quiq; multam petitam pendere recusarunt, eos in porticu miserè trucidarunt. Neque his contenti, literas ac legatos ad Conradum Regem in Germaniam misere, eumque ad delendum dominatum in Vrbe pontificium uocauêre. Eugenius Tiburtes, cæterosque Latii populos, quorum caussa ad eum furorem Romani uenerant, ad arma sollicitauit: atque ipsos eorum ope Romanos inuasit. Romani cùm per aliquot dies acerrimè restitissent, tandem tectorum euersionem, patriæ fortunarumque amissionem extimescentes, pacem petierunt: eamque demum his conditionibus impetrarunt, ut Patricium abrogarent, Præfectum restituerent, senatores ex pontificia auctoritate tenerent, & Arnoldum turbarum concitatorem Vrbe eiicerent. Eugenius proinde in Vrbem reuertit, populo cleroque faustis uocibus, Benedictum esse, qui ueniret in nomine Domini, concinente. Anno seq. Romani, rursus ab Eugenio, ut Tibur euerteret, postularunt. Qua re disertè negata, usque adeò exasperati animis sunt, ut se, ni quod peterent impetrarent, uim adhibituros ostenderent. Itaque Eugenius consilio cum cardinalibus habito, pedum puluere ad terrorem iniiciendum in eos excusso, trans Tiberim unà cum Cardinalibus, populo ipso telis missilibusque eos hostiliter incessente, atque inde Tibur contendit, in Galliam abiturus. Inde reuersus, in Vrbe quidem habitauit, sed Romanis parùm gratus fuit, pontificium iugum magna obstinatione renuentibus. Tandem Henrico VI. anno 1191. Romam ad Augustalia accipienda insignia proficiscente, gerebant adhuc bellum atrox Romani cum Tusculanis, ut qui ad ueteres iræ caussas cladem proximis annis ad montem Porcum acceptam animo acerbissimo ferrent: nec Tusculani assiduis contentionibus agitati spei plurimum in pontificio ampliùs auxilio reponebant. Itaque postquam Henricum præter spem ad Vrbem aduentare senserūt, legatis obuiam missis ei se tradiderunt: atque in fidem ab eo recepti, Germanicum præsidium intra oppidum susceperunt. Ea re offensi Romani, ad pristinam, qua erga Fridericum I. Henrici patrem usi fuerant, ferociam redière: atque ei castra ad Vaticanum ex instituto habenti nunciis missis denunciauêre, se, nisi sibi Tusculum traderet, ingressum Vaticani prohibituros, atque ei coronam Augustalem interdicturos. Henricus neque Tusculanos hostibus prodere, suæ esse dignitatis putabat, & arma cum Romanis conferre, bello Siculo, quod in manibus habebat, inutile existimabat: demum media illa sententia placuit, ut Tusculum in manibus Pōtificis poneret. Cœlestinus III. ergo in die Resurrectionis consecratus, postridie Henricū Imperatorē recepto Tusculo consecrauit. Eo Vrbe profecto, Romani Cœlestinum aggressi Tusculum postularunt, seque, ni dederetur, armis recepturos denunciarunt: idque Cœlestinus, ne aut uetus discordia instauraretur, aut noua aliqua ipsius cum pernicie Ecclesiæ incoaretur, concessit. Romani demum Tusculum post tot ancipites bellorum contentiones adepti, iram cohibere non potuerunt: ac uetere multorum annorum odio in Tusculanos opibus ea tempestate florentes effuso, oppidum cum tectis omnibus euerterunt: neque per hæc tempora, quæ secum ingentia Italicarum excidia urbium attulerunt, urbis clades, aut tectorum disturbatione atrocior, aut acerbo inimicorum sæuientium odio indignior fuit. quippe lapides etiam oppidi Romam translati, atque in Capitolio ad exsatiandam quotidiano hostilis ruinæ aspectu iracundiam positi sunt. quin etiam plerique nobilium aut membris multati, aut per sæuissimos cruciatus necati sunt. Reliqua turba aut in uicina castra migrauit, aut patrij amore soli nouas sibi sedes in eisdem locis, sed angustiores, humilioresque, parauit. Sigonius libro 15. regni Italici.

HENRICVS VI. Imp. cùm in Sicilia quidam rebellassent, grauibus eos suppliciis multauit, quibusdā occisis, quibusdam uerò luminibus priuatis, quibusdam excoriatis, nonnullis stipite affixis terræ: aliquibus, qui regium aspirabant nomen, igneis coronis redimitis. Ac ne deinceps (ut est infidum genus hominum in exteros) Siculi denuò iugum excuterent, multa in regno præsidia locauit. Cuspin.

HARTVICVS Bremensium archiepiscopus, certis pactionibus ab Adolpho Holsatorum comite Diethmarsos receperat. Ipsis uerò non pro uoto archiepiscopo parentibus, archiepiscopus longè lateque pagos incendiis ac rapina uastans, tandem eos compulit deditionem facere, ingenti pecunia promissa. Adolphus Holsatiæ comes stipendium postulabat. Archiepiscopus cùm non esset soluendo, reditus suos in triennium abiurare coactus est. Diethmarsi interim colla sua Slesuicensi episcopo submisêre, dictitantes, æquè sese S. Petro seruituros, qui tam Slesuici quàm Bremæ esset patronus: datisque obsidibus, Danico episcopo fidem adstrinxerunt. Cranzius Saxoniæ libro sexto, capite 53.

Hungarorum regno potitus Bela II. oculis orbatus à Colomanno fratre, regnum filio Stephano stabilire nitenti, pacis studiosus, & de honestis legibus pro regni salute condendis admodum sollicitus fuit. Cæterùm HELENA coniux grauiùs in eos, qui excæcationis auctores extiterant, animaduertit, ne quis postea in principem uirum tale quid tentare auderet: sexagintaocto uariis tormentis necauit, alios uel perpetuis carceribus, uel exiliis longissimis cum coniugibus & liberis multauit. Bonfinius libro sexto Decadis secundæ.

Bistricium Transsyluaniæ oppidum Ladislaus rex, cùm Viennæ ageret, Ioanni Huniadi dono dedit. Tulerunt id ægrè oppidani, diuque restitêre: coacti tamen imperata fecerunt. At mortuo Ioanne, eiusque filio Ladislao Budæ securi percusso, MICHAELEM Zylagum, qui pro Mathia altero Ioannis filio nepote ex sorore urbem petebat, turpiter reiecerunt. Ille indignatus, quamprimùm Ladislai regis mortem accepit, eò cum exercitu rediit, ui oppidum expugnauit, rebellium ciuium aliis oculos eruit, aliis manus amputauit, tandem ignem urbi iniecit. Aeneas Syluius capite secundo, Europæ.

PAVLVS Kinisius, inferioris Hung. præfectus, cùm præsidiarios milites de Alba Græca Turcis prodenda, consilia habuisse audisset, in carcerem fœdissimum conditos, singulis diebus eorum singulos hœdorum in modum ueru præfixos, & ad ignem diligenter assatos, sociis uescendos apposuit: identidem, ad indignum cruciatum asperitate conuitij cumulandum, ut proditorum caro ad palatum responderet, interrogans. Nouissimum autem eorum, nemine omnium extante, cui ipse cibus apponeretur, lenta inedia, cibique necessarij subtractione confecit. Bonfinius libro tertio, Decad.5.

FERDINANDVS Neapolitanorum rex, cōfecto bello Neapolitano, exulibus ex fœdere reductis in præsentia ignouit: paulo pòst autem de omnibus, præter Salernitanum principem & Biasmianensis liberos, qui uix astu euaserant, ficta fœderis religione, supplicium sumsit. Ioannem Ant. Marcianum, qui trigesimum iam & quartum annum in carcere asseruabatur, trucidauit, crudelis tyrannus & immanis. Brutus lib.8. hist. Flor.

FRIDERICVS Alberti Imp. F. dux Austriæ, confirmatus ab Henrico VII. Imper. Austriacorum Baronum castra & munitiones diripuit, & solo æquauit. Viennenses ciues oculis, naribus, manibus, pedibus detruncauit, equis adalligatos discerpsit, rotis fregit, ense ac laqueo obedientes reddidit, coēgitque, ut se dominum ac principem agnoscerent. Cuspinianus.

IOANNES XII. Pontifex, cùm accepisset è Cardinalium numero, duos ad Italiæ totiusque ecclesiæ salutem per literas cohortatos esse Othonem imperatorem, ut confestim in Italiam descenderet: alteri eorum nasum, alteri manum, qua scripserat, amputauit. Fulg. lib.9. cap.5.

FRIGERINVS Capiuacius Patauinus, cùm in Bassano agri Patauini oppido militiæ præesset, idque ualidissimo præsidio tueretur: sua singulari prudentia deprehendit, quibusdam militibus de prodendo Venetis oppido esse secretò inter se conuentum, & diem certum conficiendo sceleri constitutum. Quamobrem illicò deprehensos, scelerisque conuictos, inaudito mortis genere sontes illos omnes affecit: alios quidem, qui centuriones erant, sensim comburi iussit, & assatos canibus deuorandos dari: alios per septem horas (tandiu enim superuixerant) forficulis candentibus incidi: auctorem uerò proditionis, diu tortum, ex baleari tormento, ut lapidem in aëra iaculari mādauit. Sub Francisco Carrariense Bern. Scard lib.3. hist. Pat.

Galli qui Caietæ præerant, cùm nauem longam remigibus instruere uellent, municipesq; imponere, illi se cogi passi non sunt, palamq; prædicauerunt, nolle se contra Ferdinandum regem, pòst discessum Caroli IIX. regis Franciæ, suum regnum repetentem, duci: atq; ad arma capienda prosilierūt. GALLI eos ueriti, se in arcem oppidi receperunt, atque ad auxilia proximis ex oppidis euocanda miserunt. Quibus

adductis, magnam ciuium cædem fecerunt, magnam in oppidanos stragem ediderunt, matribus familiâs & uirginib. uulgò in seruitutē atq; libidinem abductis. Quæ intellecta res Neapolitanorum animos iam antè infensos & labantes ab Gallis magnoperè auertit. Bembus lib. 3. Ven. Hist.

IO. Basiliades, Moschorum tyrãnus, an. sal. 1569. Nouogrodenses, quòd ad Polonos spectare uiderentur, ex improuiso aggressus est. Septingenos milites à fronte, à tergo, & ad latera quaquauersus præmisit, qui omnes uiatores cuiuscunq; conditionis essent, è medio tollerent, ne expeditionis nuncius ullus ad Nouogrodēses penetraret. Agrum omnem incendiis & cæde funestauit, cœnobia CLXXV euertit, præmissis aliquot millib. urbem Russiæ clarissimam occupauit: in ciues nobiliss. ad tria ferè millia in duabus areis congregatos septis circumdatos ligneis equo inuectus, nullo ictu frustrato, suis crudeliter conficiendos proposuit. Non paucos in flumen gelu concretum, quod mediam ciuitatem interluit, compulsos, glacie undiq; circumcisa demersit. Ceræ & pellium uim maximam flammis sponte absumsit. Neruiã ciuitatem Liuoniæ finitimam, Nouogrodēsium emporium diripuit. Pauperes & mendicos, quorum aliqui fame urgente interfectorum carnibus uescebãtur, ad unum omnes trucidauit, & in profluentē abiecit. Ab Archiepiscopo (qui lingua Ruthenica Vuladika dicitur) ad prãdium inuitatus, inter prandendum templum sanctæ Sophiæ ditissimum (ad quod omnes ferè ciues thesauros suos quasi in locum tutissimum comportarant) spoliari iussit. Prandio peracto Archiepiscopũm omnibus ornamētis, uestibusq; archiepiscopalibus exuit, & uxorem ducere iussit, quam ipse uellet. Abbates & Monasteriorum Priores, qui prandio intererant, ad nuptiâs Archiepiscopi inuitauit, ita ut singuli protelij loco conferrent thesauros suos. Subinde equam albam fœtam adduci iussit, eamq; Archiepiscopo digito indicans, dixit, En uxorem habes tuam, ascende super illam, & Moschouiam proficiscere, illicq; te in contubernium tibicinum & citharœdorum, qui ursos saltatores ducunt, cōfer. Pedibus sub uentrem equæ colligatis, addita fuere instrumenta musica, lyra, fistula, tibia & cithara, quæ per totam ciuitatem inflare & pulsare (nunquã licèt in hoc genere musices exercitatus) compulsus est. Monachos inde & Abbates, cæterosque Ecclesiasticos securibus dissecuit, lanceis confodit, aquis obruit. Magni nominis uirum Theodorum Sircouiũ, captum, ad se ductum, fune longo medium alligatum in fluuium Volchovu demersit: mox extractum interrogauit, Quid in fundo fluuij uidisset? Respondit ille, Omnes dæmones, qui in hoc flumine & in lacubus Ladoga, Sladoga Vvarminaq; degunt, ad tuam animã in Tartaro demergendam congregatos uidi. Tum ille: At ego pro hoc oraculo gratiam tibi prestabo. Confestim igitur crura eius in aheno aquæ feruentis immersit, donec omnem thesaurum indicaret: erat enim ditissimus, duodecimq; monasteria suo sumtu erexerat. Itaque triginta florenorum millia monetæ argenteę indicauit. Tandem cum fratre Alexio iussu Principis membratim dissecatus, in fluuium proiectus est. Eadem crudelitate in Pskouiam urbem Nouogrodiæ non absimilem grassaturus erat. Ciues extremá sibi imminere uidentes, singuli mensas ante ædes suas adornauerũt, sale & pane super imposito. Apud Moschos enim pane gratia, sale amor significatur. Obuiã deinde magno Duci exeuntes, ad panē cum sale comedendum humiliter eum (ut gentis mos est) inuitauerunt. Hac humilitate Pskouiensium nonnihil placatus, iis pepercit: ciues tamen mercatoresq; ditiores auro & argento emunxit: Monachos etiam quosdã trucidauit, membratim dissecuit, aquis obruit, & duas basilicas spoliauit, campanas omnes abstulit. Tvueriam ciuitatem insignem eadem, qua Nouogrodiam, immanitate diripuit. Moschouitæ centum quinquaginta egregij uiri, pertæsi tyrannidem illius & ferociam satellitum, constituerant se recipere ad Regem Poloniæ. Re detecta Io. Basiliades, iussit omnes in loco cœnoso in modum pontis sterni, & tamdiu calcari, donec in lutum uerterentur. Alex. Guagninus in Moschouia.

PERFIDIAM PRIVATAM.

TIGRANES, Armeniorum rex, in uenatione collapso equo, cùm humi iaceret, maiorem natu filium, quia parentē non iuuerat, & mortuum arbitratus eius diadema capiti suo imposuerat, iussit interimi. Fulg. lib. 5. cap. 8.

M. Antonius Triumuir VXORI Q. Ciceronis fratris Pomponiæ tradidit Philologum libertum, qui Ciceronem prodiderat. Quæ potestatem eius nacta cùm aliis eum diris suppliciis excruciauit, tum carnes suas ipsum præcidere paulatim, eas assare, inde uorare adegit. Nam ita nonnulli scriptores memoriæ prodiderunt. Ipsius Ciceronis libertus Tiro nullam prorsus mentionem fecit Philologi proditionis. Plutarchus in Cicerone.

INIVRIAM NON VINDICATAM.

PAVSANIAS Macedo, per uim stuprũ passus ab Attalo, prouocauit ad Philippum, iniuriamq; non sine magna querimonia ad eum detulit. Quem quum ridentem facinus, idq; risu probantem conspiceret, iram in eum cōuertit: exegitq; ultionem ab iniquo iudice, quam à stupratore non poterat. Trogus, Iustinus, Diodorus.

IOANNES Andreas, Lamponianus Mediolanensis Galeacij Sforciam Ducem, quòd sibi haud satis fauisset in ea rerum difficultate, quæ illi erat cum episcopo Comensi, Branda nomine: tribus comitibus in diui Stephani templo, dum sacris interesset, multis spectantibus interfecit. Quē ubi principis lictores insecuti in ipso templo uulneribus peterent, clamabat: Petite me, & confodite. sic enim perlibenter morior. Egnat. lib. 1. cap. 3. & Sab. lib. 4. cap. 6.

INOBEDIENTIAM TVM PVBLIcam (ut Leges neglectas) tum priuatam.

ASTYAGES, Medorum rex, ægrè ferēs, quòd Harpagus procurator suus Cyrum nepotem (quem exponi iusserat) non interfecisset: dissimulata iracundia, Harpagum ad epulas inuitauit, eiusq; filium tredecim annorum patri inscio epulandum apposuit. Qua iniuria accensus Harpagus, Cyro autor fuit, ut Astyagem regno exueret. Herod. lib. 1.

P. CRASSVS Mutianus, Asię procōsul, oppugnaturus Leucas oppidum, scripsit ad architectum Atheniensem, ut ex malis duobus, quos apud eos uidisset, maiorē ad se curàret perferendum. At cùm architectus resciuisset, quam ob rem Mutianus malum desideraret, non maiorem, sed quem magis idoneum aptioremq; faciendo arieti, faciliorem q; portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum uocari iussit: & cùm interrogasset, cur non quem iusserat misisset: caussis rationibusq;, quas dictitabat, spretis, uestimenta detrahi iussit, uirgisq; multum cæcidit. Gellius lib. 1 cap. 13.

Cùm Lucretius Offella consulatum à L. SYLLA dictatore peteret, quòd ipsius opera Sylla urbem Præneste cepisset, atq; iuniorem Marium euertisset: Sylla autem nutu consulatum negaret, neq; ob id Offella rogare desineret: Sylla qui in foro deambulabat, manu sua eum interemit, atroxq; facinus grauiore uerborum atrocitate auxit, cùm populo qui in cōcionem uenerat, aratoris fabulam narraret. Pediculorum enim morsu uexatum (omissa oratione) uestem, ut poterat, manu sua purgasse, dixit: sed cùm denuò carũ bestiolarum morsibus peteretur, eandem diligentiam iterum adhibuisse: & cùm ob id ea molestia non liberaretur, uestem ipsam, pediculosq; simul in ignem coniecisse. Ob eam rem coltortatus est omnes, ne ultrà ei molesti essent, nisi eadē ab ipso perpeti cuperent. Fulgos. lib. 9. cap. 5.

L. DOMITIVS prætor Siciliæ, illum qui sibi dono aprum attulerat, cruci affixit: cùm comperisset ui teli feram captam, quod antea per edictum uetuerat. Val. Max. lib. 6. cap. 3.

Prætor ad uicum Iriæ proscriptos ex indice quosdam exules factiosos atque sicarios persequi, captosque statim laqueo necare iussus, propinquorum precibus pœnam tamdiu suspenderat, donec Ticini GALEACIVS II. Vicecomes adiretur. Ex ea cunctatione Galeacius, quod iure actum credebat, amicis supplicantibus facilè damnatorum uitam quidem concessit: sed mox pretor, tanquam officij oblitus, sontibus seruatis, atque ante carceres inspectantibus, securi ictus est. Iouis in uita Galeacij.

ALFONSVS Atestinus dux Ferrariensis, una in re nimis seuerus, & quibusdam immodicè terribilis uideri poterat, quòd suburbanos agricolas, proprias ipsius principis uenationis & aucupij uoluptates intercipere ausos, proposito edicto se laqueo puniturum minaretur: eo tamen humanitatis temperamento, ut eius edicti seueritate in speciem tantùm uteretur, cùm atrocis maleficij quosdam damnatos, falso apposito titulo ad deterrendos rusticanos homines in furca suspendi iuberet, appensis scilicet ad collum fasianis, ut in eo prædæ furto deprehensi uulgò crederentur. Iouius in Alfonsi Atestini uita.

PROBITATE, VIRTVTE, VT PER

CONSILIVM AMICVM.

DARIVS rex, audita imperatoris sui Memnonis morte, consilium amicorum habuit, quo quærebat, utrum duces cum exercitu ad res maritimas mittendos censerent: an ipse rex adductis omnibus copiis in aciē prodire deberet. Reliquis omnibus posterius hoc suadentibus, quòd Persæ omnes cupidissimo animo decertaturi essent: Charidemus Atheniensis, uirtute & prudentia præstantiss. contrarium, ne temerè imperium suum proderet, suasit, sed ducē prudentem contra Macedonas mitteret. Ad quam expeditionem centũ millium peditatũ sufficere dicebat, si eorum tertia pars essent Græci stipendio conducti: pollicebaturq; in maiorem rei fidem sese illud bellũ confecturum. Cùm uerò ad hoc ipsum in suspicionem apud amicos regis ueniret, quasi res Persarum Alexãdro proditurus esset: concitus ira, Persis ignauiam & timiditatem apertè cepit exprobrare. Rex offensus, Charidemum zona comprehensum, apparitoribus interficiendum tradidit. Qui cùm ad supplicium traheretur, exclamauit, Breui regem pœnitentia affectum iri, atque iniuriæ sibi factæ amissione regni pœnas daturum. Diodorus lib. 17. & Sabellicus lib. 4. Enn. 4.

Cùm exercitus Romani Pontificis, & Veneti Senatus, pro libertate Patauium oppugnaret: Minius Smaniosus Patauinus, in præsidio cum Ansedisio Acciolini tyranni constitutus, suadere ei ceperat, ut quando ampliùs armis præfecto resistere non posset, sese ultrò pro impetranda uenia hosti dederet. Tũc Ansedisius uti immanis bellua, ira percitus, quòd ea sibi protulisset desperationis uerba, ense, quem exertum habebat, unico cum ictu transfixit. Ea cæde patrata, per portã sancti Ioannis, urbe relicta, quantũ ualuit concito equi cursu cōtendere, celer aufugit (quē mox Tiso Cãpisampetrus, ubi id resciuit, frustra per quatuor milliaria insecutus est) ad Acciolinũ auũculũ: à quo statim interfici iussus est, eadē scilicet rabie & furore, quo & ipse paulo antè innocentem Smaniosum interfecerat. Sunt qui scribant ab auunculo, ob suspicionem, quasi Patauium hostibus prodidisset, tamdiu tortum fuisse, quoad eius uiscera paterent, & in equuleo suspensum semilacerũ, longo & intolerabili dolore, quo iniustè multos affecerat, æque miserabiliter interiisse. Bernard. Scard. lib. 3. hist. Pat.

SELIMVS Turcorum tyrannus, cōtra Amurathem nepotem in Armeniam ducebat. Verùm ob itineris difficultatem & pericula Chendemus Bassa summæ auctoritatis suadere cepit, ut in Cappadocia subsisteret, exercitum ab labore uiæ reficeret, atque illic hostium aduentũ operiretur. At reliqui duces Chendemi glorię atq; opibus inuidentes, eius fidem suspectã tyranno reddebant. Eum Selimus præpropera crudelitate præceps, inauditum, ac uera monētem, interfici iussit, ut cæteros à simili dicendi libertate deterreret, docerétque ea esse optima consilia, quæ imperator diuina ueluti ratione reperisset. Sed euentus docuit, tutius fuisse Chendemi consilium: & id tyrannus ipse facilè agnouit. Nam XXX. millibus suorum amissis, & tormentis bellicis relictis, quibus solis uictoriam licèt dubiam reportarat, fugienti similis Persarum finibus excessit. Sab. supplem. lib. 4.

HOSPITALITATEM.

SAVLVS Iudæorum rex, cùm audiuisset Dauidem sibi exosum, ab Abimelecho in Nobeá ciuitate hospitio susceptum: ciuitatem incendit, hominibus utriusque sexus interemtis. 1. Regum 21.

Gerhardus comes de Mãsfelde, Carolo IV. imperante, monasterium Cistercensium Setichenbeke, cuius fratrib. erat infestissimus, funditùs euertit, quòd hostibus suis fauisse, hísque hospitium non negasse dicerentur: quum tamen hospitalitas illi ordini iniuncta, & qui uenerant armati, facilè coēgissent, si non promptè impetrassent. Abbatem ioci perticæ alligatum, inter duos iussit ignes torreri, fratribus per diuersa supplicia crudeliter enecatis, quòd Fridericũ Misniæ marchionem in se ducentem, & cum exercitu de obsidione Isleuæ redeuntem excepissent. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 33.

PACIS STVDIVM.

VISIGOTHI Ataulphum regem, quòd pacem cum Honorio Imperatore iniuerat, occiderunt: quanquam regnum ingenti animo, Italia atque urbe Roma direpta, administrasset. Fulgosus libro 9. capite 7.

DANI Ericum IIX. regem suum, pacis studiosissimum, nec unquam ab externo hoste impetitum, pacis odio interfecerunt. Cranzius lib. 7. Daniæ, cap. 24.

HVMANITATIS OFFICIVM.

Quidam Vulodimirus Morozouius Palatinus, annis meritisq; grauis, sepeliri curauerat quendã IO. Basiliadis magni Moschorum Ducis iussu interfectum, famulum Ducis Curpiskij, qui ad Regē Polonię defecerat. Itaq; subitò cōiectus est in carceres: inde extractus & oblatus magno Duci in aula regia, Alexãdrouua dicta, in tormētis, expirauit, & cadauer in aquas proiectum est. Alex. Guagninus in Moscouia.

VRBANITATEM.

Archiepiscopi Magdeburgensis Theoderici tabellio, qui sequebatur ducem Saxoniæ, sederat in urbe Barlinensi in Saxonia ad mensam principis. Immissi BARLINENSIVM ciuium communis iustitiæ ministri, scribam petrahunt ad supplicium, publico cædentes gladio, nulla prætensa alia causa, quàm quòd nuper, quum ad balneũ properaret, obuiam sibi dominam notam, familiariter per iocum sollicitarat, ut balneo secum uteretur: nec uim aliam intulerat, recusantem cum risu dimittens. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, c. 35.

INDICIVM, NVNTIVM.

TIGRANES, arma in eum L. Lucullo mouente, illi qui primus huius rei nuncium tulit, pro munere caput ademit. Fulgosus libro 9. cap. 5.

VENCESLAO, Boëmorum regi cùm Hussitarum seditio narraretur, cunctique circumstantes facinus detestarentur: At ego (inquit pincerna) futura hæc præscieram. Eum rex correptum, repentè ante pedes suos prostrauit, & arrepto pugione conatus est interficere. Sed impeditus à circumstantibus, & paralysi correptus, infra octo & decem dies, signatis nominibus hæreticorum, quos neci destinauerat, fratrem Sigismundum Hungariæ regem assiduè uocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, antè uita excessit; quàm uocati principes adessent, cùm regnasset annis quinque & quinquaginta, uixisset duobus amplius. Aeneas Syluius capite 37. histor. Boem.

FIDEM ERGA SVOS.

Cùm quinquaginta DANAI filiæ patrueles suos, Aegypti filios, prima nuptiarum nocte interemissent: Hypermnestram Danaus in iudicium uocauit, quòd una ex omni filiarũ numero Lynceum maritum conseruando, patris imperata facere neglexisset. At Argiuorum illa sententiis in uico, qui ex illo iudicio Criterius fuit dictus, contra patrem quantumuis regem absoluta fuit. Pausanias in Corinth.

DARIVM Hystaspis F. Persarum regem, refert Seneca, parantem expeditionem aduersum Scythas, rogatum ab Artabazo nobili admodùm sene, ut è tribus liberis, quos rex ipse secum duceret, unum ei in ætatis suæ ingrauescentis iam sōlatium relinqueret, & tanquam senectutis baculum: respondisse, Plus se, quàm ille rogasset, præstiturum: tresque eos unà ad patrem remissurum: confestimque occidi eos simul iussisse, atque ante patris conspectum cruentos abiici. Pontanus libro de Immanitate, cap. 21.

PYTHIVS Atys F. Lydus, qui Celenis in Phrygia habitabat, cùm Xerxis exercitui epulum dedisset, regiq; omnia sua bona dono obtulisset: ex quinque filiis, quos habebat, petiit, ut natu maximo militiæ uacationem rex permitteret. At XERXES indignatus, maximum natu filiorum Pythij medium discindi, & partibus utrinq; ad uiæ latera erectis, exercitum transire iussit. Herod. lib. 7.

Expugnata pridie calendas Maias anno 1527. à Caroli V. exercitu Roma, obsidendæ arcis, in quam Clemens VII. pont. confugerat, circumuallandæq;, perducta in gyrũ fossa, Philippus Cerbellio & Mendanius HISPANI, negocium susceperunt, tanta acerbitate, ut uetulam in arcis fossam lactucas deferentem, quæ expetenti Pontifici dono darentur, laqueo immaniter strangulatam, in conspectu arcis suspenderint: puerosque item qui olera funiculis extrahenda alligabant, sclopettis interfecerint. Is postea Neapolitano bello in oppugnatione Monopolis glande ictus periit. Iouius in Pompeio Columna.

CRVDELITAS CONSIDERATA RESPECTV EFFICIENTIS: NEMPE

QVIS, QVALIS: SIVE consideretur

PER SE. HVC CRVDELES *Populi.*

Tanta erat barbaries immanitasque Scythicę gentis, ut ipsa etiam appellatio cesserit in prouerbium: queadmodum hodie crudelem hominem appellamus Turcam, & immane facinus, Turcicum. Aeschines in oratione περὶ παραπρεσβείας: καὶ δέομαι σῶσαί με, καὶ μὴ τῷ λογογράφῳ καὶ Σκύθῃ κακῷ ὄντι παραδῶναι, Obsecro ut seruetis me, néue logographo malóq; Scythæ me tradatis. Refert Athenæus libro 12. capite 7. SCYTHAS olim opibus ac deliciis florentes, in tantam uenisse ferociam, ut quoscunque populos adissent, summas nares uiris amputarent: horum mulieres Thracum uxoribus corpora subulis pungerent: denique cunctis sub illorum dominatu lacrymosa fuerit seruitus, ut in posteros deriuatum sit prouerbium, ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις: id est, Scythica iussio siue præscriptio. Tandem multis circumuenti malis, cæsariem doloris causa populatiter deposuêre. Vnde ἀποσκυθίσαι dicitur, ferro cęsariem amputare: quod præter Athenæum indicat & Stephanus. Denique σκυθρωψ & σκυθρωπός, pro toruo, tristi, austero ac truculento, ab eius gentis moribus dictum uidetur, & σκυθίζεσθαι irasci, quòd ea gens sit supra modum iracunda. Erasmus in Prouerbiis.

HELO-

HELOTVM genus crudele fuit prorsus & asperum, iam olim à Spartanis in seruitutem redactorum: quorum alij sunt ex Messena profecti: alij, quia Helos uocatã ciuitatem priùs habitarant, Eleatæ sunt dicti, Athen. li. 6. c. 7. ex Theopompi lib. 7. rerum Græcarum.

Nihil extra figuram hominis TARTARVS, nisi fera bellua, in feritatem sanguinolentam semper ruens, quam cibus quoque cruentus exauget: cruore enim, uenis equi incisis, & carne tantùm non cruda uescitur. neque enim illam ad ignem uel torret, uel elixat, sed sub sellam in qua residet positam, pondereque corporis sui arefactam, statim deuorat, sine sale, sine pane, quem in usu non habet: ideoque agriculturæ minimè studet, sed pascua tantùm colit, uiuitque crudelis ex rapto atque bello. Toruus turgidusque Thataris & horridus uultus inest, oculi caui & truces, caput turbinatum circumrasumque, contrà mentum turpiter hirtum intonsumque, totius denique corporis habitus deformis atque seruilis. Dubrauius lib. 16.

SVECI suo more uindictam pertinacissimè sitiunt: neq; est ulla gens, quæ tardiùs ad iram prouocatur, quæq; iniurias acriùs uindicare contendat. Ioan. Magnus lib. 7. cap. 7.

Pontifices.

☞ *Ex Tit. Crudeles erga Supplices, hæc quædam.*

STEPHANVS VI. Pp. Formosum pontificem, quanquam mortuum, quòd is, ne ad pontificatum ascenderet, obstiterat, erui è sepulcro iussit: & ademtis pontificiis uestibus atque ornamentis, seculari amictum indumento, extra ecclesiam sepeliri curauit: manuum digitos abscidit, ac piscibus deuorandos in amnem abiecit. Pari rabie SERGIVS III. Formosi pontificis corpus denuò erutum è secundo tumulo, palàm in foro capite multauit, ac deinde in amnem Tyberim proiecit: ob id solùm, ut Lothario Gallorum regi morem gereret, qui summo odio Formosum prosequebatur, quòd ipsius opera imperium à Gallis ad Berengarios transierat. Fulgos. & Egnat. lib. 9. cap. 3. ex Sigeberto.

VRBANVS VI. contra quem Clementem VII. Galli Antipapam crearant, Nuceriæ septem Cardinales tanquam cum Clemente sentientes in uincula coniecit: & Caroli Neapolitani regis metu cum suis Genuam profectus, ex septem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinque saccis inuolutos in mare demersit. Platina, & Blondus. Cranzius libro 9. Metropol. capite 1. & lib. 10. capite 20. quosdam ait in carcere strangulatos stabulo infossos fuisse.

Episcopi.

ATHANASIVS patriarcha Constantinopolitanus, cùm calumniatores suos pœna tãtùm carceris affici uideret, quos ille morte dignos censebat, præ indignatione dignitate se sponte abdicauit. Gregoras lib. 7.

MEMNON Ephesinus episcopus, sub Theodosio & Valentiniano Impp. orthodoxus, inuidus tamen & iracundus adeò, ut Bassianum, ecclesiæ Ephesinæ peracceptum, remouere conatus sit: honesta tamẽ specie, quãdoquidẽ Vangensiũ episcopũ eũ ordinauit. Verùm cùm Bassianus recusaret ad eam Ecclesiam ire, adeò ira inflammatus est, ut ad horas tres ante ipsam aram grauiter plagis eum afflixerit ad sanguinem usque, ut cruore etiam altare & sacri Euangelij codex aspergeretur: ac insuper eum excommunicarit, ut patet ex XI. actione Chalcedonensis concilij.

IANVARIVS episcopus Caralitanus, Isidorum, uirum clarif. à quo iniuriam acceperat, excommunicauerat. Ianuarium proinde D. Gregorius Pp. libro 2. Epist. 34. uehementer reprehendit, quòd uindictæ priuatæ causa publico anathematis gladio usus esset, oblitus charitatis Christianæ & officij episcopalis: néue hoc genere uindictæ deinceps uteretur, seuerè interdicit.

ANDREAS Tarentinus episcoopus, mulierem quandam de Matriculis fustibus crudeliter cædi fecerat. Eapropter à D. Gregorio Pp. duobus mensibus ab administratione missarum suspensus est: ut qui bonorum sacerdotũm exemplis ad rectè agendum non moueretur, malorum pœnis compelleretur. Lib. 2. Epist. 84. & 85.

GISELBERTVS de Bronckhorst, archiepiscopus Bremẽsis, cùm ei controuersia esset cum Kedingis, Albis fluminis accolis, & pro consuetudine omnium palustrium contumacibus: dissimulata indignatione, ad hastiludium suos ac finitimos conuocauit Stadium. Vbi conuenere armati, mox mouit in Kedingos, nihil minùs quàm bellum formidantes. Ibi rebelles cæsi sunt, aliquot capti: & rebus in hũc modum cõpositis, deinceps imperata fecere. Idẽ iam senex cũ calculo uexaretur, Kedingi ad cõtemtũ eius rediere cũ nõnullis Transalbianis: tandem auxilio ducum Saxoniæ & de Brunsuico, comitum Holsatiæ & de Oldenburg, exercitum immisit contumacibus Kedingis: & facta multa strage, parêre coëgit. Angebat ea cædes decrepitum pontificem, ita ut morbus inde cresceret. Nouissima decumbentis uerba pœnitudinem effusi sanguinis indicauêre. Cranzius libro 8. Metropol. capite 36.

Reges, Tyranni.

☞ *Vide pòst, Magistratus erga Subditos. Item Tit. Tyrannorum. Illic improbitatis in genere, hîc iracundiæ κατ' ἐξοχὴν habetur ratio.*

ABIMELECHVS Gedeonis nothus, Sichimitas, quia se urbe & tribu eiecissent, incautos adortus, agrestibusque intentos operibus, sine sexus & ætatis discrimine passim trucidauit: urbem ui captam diruit, sparsitque in eius area salem pro semine. Profugos inde, qui uelut tutissimum asylum templum multæ religionis occuparanr cum liberis & uxoribus, circumdota lignorum strue, fumo & æstu crudeliter necauit. Sabellicus lib. 8. cap. 3.

SAVLVS, qui primus rex fuit in Iudæa, usque adeò excandescere solitus erat, ut non irasci, sed furere & lymphari crederetur. Præceps eius in filium Ionatham iudicium, implacabilis in Dauidem iracundia, in hostem pertinacia, quæ nefatali quidem cessit necessitati, huic satis attestantur.

IOACHAZVS filius Iosiæ, rex Iudæorum, tam crudelis breui extitit tempore, ut tropologicè cepisse prædas & homines deuorasse memoretur. Ad quem cùm uenisset Aegyptius, cepit eum non absque uulneribus, siue in fouea (ut propriè in Hebraico continetur, ut conseruet tropologicam captionem leonum, qua semper in foueis capi solent) & adduxit eum in camo siue in catenis in terram Aegypti, ibique mortuus est. Hieronymus lib. 6. in Ezech. cap. 19.

PINDARVS, Melanis filius, & Halyattis Lydi ex filia nepos, suscepta Ephesiorum tyrannide, cùm in reliquis benignus & sapiens esset, in suppliciis tamen sumendis asperrimus & inexorabilis fuit. Aelianus lib. 3. de Var. hist.

ALEXANDER Phereus tyrannus, in Thessalia, Scotussanorum ciuitatem quibusdam de causis in crimen uocauit. Quos, cùm renuissent, immissis in eos mercenariis, uniuersos trucidauit, & cadaueribus occisorum in circumdatam mœnibus fossam proiectis, urbem diripuit & disturbauit. Diodorus libro decimoquinto.

AGATHOCLES Syracusiorum tyrannus, princeps aliàs humanissimus & facetissimus, cùm per eam, quæ in conuiuiis existere solet, urbanitatem, eos, qui eius imperium alieno animo ferrent, deprehendisset: eosdem aliquando priuatim ad conuiuium rursus uocauit, adhibitis unà Syracusanorum magnificentissimis, numero ad quingentos, eosque omnes trucidauit. Vehemẽter enim metuebat, ne, postquam in Africam profectus esset, eius imperium detrectarent. Diodorus libro uigesimo.

ALEXANDER Magnus toruus erat & implacabilis in delictis puniendis. Ex cohorte amicorum Menandrum, quòd in præsidio, cui eum præfecerat, detrectaret manere, necauit. Ex rebellantibus barbaris Orsodatem ipsemet confixit iaculis. Plutarchus in Alexand.

VALENTINIANVS I. Imp. adsimilauit nonnunquã clementiæ speciem, cùm esset in acerbitatem naturæ calore propensior: oblitus profectò, quòd regẽti imperium omnia nimia, uelut prærupti scopuli, sunt deuitanda. nec enim usquam reperitur miti coercitione contentus: sed aliquoties quæstiones multiplicari iussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusq; discrimina uitæ uexatis: & ita erat effusior ad nocendum, ut nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni, cùm etiam principes interdum fecerint sæuissimi. Ammianus Marcellinus libro 30.

IARMERICVS, Danorum rex, uxorem suam, Hunnorum regis filiam, pudicissimam, ac pulcerrimam, humi alligatam equinis obterendam calcibus præbuit: suis ex sorore nepotibus insidiosè comprehensis, laqueo spiritum eripuit: eorum tutores conuiuij simulatione necauit. Saxo Gramm.

Monachi.

Cùm Orestes, Alexandriæ præfectus, ægrè ferret, quòd à Cyrillo episcopo Iudæi ex urbe eiecti essent, nec ullo pacto reconciliari uellet: quingenti MONACHI Alexandriam uenerunt, & præfectum in publicum progressum conuitiis & lapidibus impetunt, ut facies eius sanguine manaret. Vix eum populus manibus monachorum eripuit. Socrates libro septimo, capite decimotertio.

Magi.

Cùm SAGÆ humanum sanguinem hauriant auidissimè, eas Apuleius nominat Lamias. Sic ea nominatur, quæ sectis faucibus Socraris (id sodalis Apuleij nomen) accubantis ei atque dormientis sanguinem excepit uase, & obduxit plagam: quod experrectus Socrates se non sentire dicebat, ludificabaturque: & postridie tamen uita defunctus est. Bodinus in confut. opin. Vieri.

Duces belli.

Nobis pueris, inquit Põtanus cap. 23. de Immanitate, in rebus bellicis tres insignes duces enituêre, crudelitate nobiliores. Ex iis NICOLAVS Fortibrachius, à latere suo ubique murum quendam hominem ducebat, oneratum funibus ac capistris. Itaque ut quem suspendio destinasset, siue meritum siue immeritum, pro odio & libidine, factum illum obuiam nutũ indicabat: conuersusq; ipse pòst ad mutum, proclinato in uncum digito, nasum sibi cõtingebat. Quo signo accepto, confestim mutus iniecto in illum capistro, proximo cuique uel trunco eum, uel arbusculæ exanimandum suspendebat: iudicabaturq; ignauus dies, qui sine suspẽdio præteriisset. RICCIVS Mõteclarius crudelissimus, si quem decreuisset enecare, blandè admodum salutatum inuitabat ad pocula: percontabaturq;, quot secum aut placẽtulæ buccellas aut sorbillationes assumturus esset: repenteque in iis nugis totidem uulneribus illum cõficiebat. ANTONIVS uerò Pontadera, quòd in Pannonia diutiùs militiam exercuisset: Pannonio accinctus gladio, ubi quem uel ira uel odio perditurus erat, illum ex improuiso adoriebatur: eratq; hic ei ludus quotidianus.

Mulieres.

HECATE ex Perse Tauricæ rege orta, sæuitia & feritate paterna nihilo inferior, quum uirgo adhuc esset, sagittis, quos libitum fuisset, transfigere solebat. Sed maius adhuc illi studium in uenenis conficiundis. Aconiti inuentum ad eam referunt quidam, uim naturamque ueneni in hospitibus experiri consuetam. Mox patrem his artibus aggressa, uita spoliauit. Cuius morte regnum adepta, Tauricæ erexit templum Dianæ, ad cuius aram ut hospites, siue terra, siue mari adessent, crudeliter mactarentur, instituit: futurum rata, ut suum per hæc nomen in plures gentes fama diffunderetur. Diodorus lib. 4. cap. 3.

Pueri.

DRVSVS Tiberij ira tam graui erat, ut uerbera etiam illustri cuidam equiti inflixerit, indeque sit Castor cognominatus. Dion libro 57.

Serui.

C. Marius ex Africa Romam reuersus Cinnæ se cõiunxit, delectis seruis, qui se BARDIÆOS dicebant. Multos hi ad uocem eius, multos ad nutũ imperãtis obtruncabant. Deniq; Ancharium senatorem & uirum prætoriũ, quia non salutabatur ab eo, gladiis sub oculis eius contrucidarũt. Cæteros inde, quoscunq; non appellaret salutantes, nec salutẽ redderet: eam habebant confestim interficiẽdi in uiis tesseram. Vnde ingenti sollicitudine & horrore tenebantur, quoties ad salutandum Marium accederẽt, amici. Multo effuso sanguine erat iam hebes Cinna & exaturatus cædibus. At Marij quotidie recẽs & sitiens furor omnes peruadebat utcunque ipsi suspectos. Omnes uiæ, omnia oppida percussorib. & uenantibus profugos ac delitescentes referta erant. Proiectis in plateas truncis, atque conculcatis, species ea neminem iam commiseratione, sed horrore & tremore perfudit. Multo maximè illorum, qui Bardiæi dicebantur, populum impotens pungebat petulantia. Nam dominos in ipsorum iugulabant domiciliis, mox liberos eorum comprimebant, & ui constuprabant dominas. Horum rapacitas & latrocinia coërceri non ualebant, donec communi consilio Cinna & Sertorius sopitos in castris adorti ad unum confodêre. Plutarchus in Mario.

Quiuis alij.

Pater Neronis DOMITIVS, omni parte uitæ detestabilis, comes ad Orientem C. Cæsaris iuuenis, occiso liberto suo, quòd potare quantum iubebatur recusarat, dimissus è cohorte amicorum, nihilo modestiùs uixit. Sed & in uiæ Appiæ uico repentè puerum citatis iumentis haud ignarus obtriuit: & Romæ medio foro, cuidã equiti Rom. liberiùs iurganti oculum eruit. Suetonius.

RESPECTV PATIENTIS. IN VITA

Politica. Crudeles

Reges, Principes, Imperatores erga Subditos.

Tyrannus Pheræus ALEXANDER, in Thessalia Scotussanorum ciuitatem quibusdam de causis in crimen & in concionem uocauit. Quos, cùm renuissent, immissis in eos mercenariis, uniuersos trucidauit, & cadaueribus occisorum in circumdatã mœnibus fossam proiectis, urbem diripuit & disturbauit. Diodorus lib. 15.

TIBERIVS Cæsar ueterem istum uersiculum, Me mortuo conflagret terra incendio (ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί) in ore habuisse, & Priami fortunas laudasse fertur, quòd fundìtus cum patria & regno interisset. Senatorum quidem, & aliorum tanta multitudo interfecta est, ut non essent, qui pro uinciarum præsidibus successores dari possent. Multa specie grauitatis ac morũ corrigendorũ, sed & magis naturæ obtẽperãs, ita sæuè & atrociter factitauit, ut nonnulli uersiculis quoq; & præsentia exprobrarẽt, & futura denũciarẽt mala:

Asper & immitis, breuiter uis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Fastidit uinum, quia iam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc auidè, quàm bibit antè merum.
Aspice felicem sibi, non tibi Romule Syllam:
Et Marium, si uis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni ciuilia bella mouentis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic, Roma perit. Regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis uenit ab exilio.

Quæ primò quasi ab impatientibus Romæ dominij, ac non tam ex animi sententia, quàm bile & stomacho fingerẽtur, uolebat accipi. Dicebatq; identidem, Oderint, dum probẽt. Deinde uera planè certaq; esse, ipse fecit fidẽ. Nullus à pœna hominum cessauit dies: ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdam ineunte anno nouo: accusati damnatiq; multi cum liberis atq; etiam uxoribus suis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque uerborum. Obiectum est poëtæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset: obiectum & historico, quòd Brutum Cassiumq; ultimos Romanorum dixisset: animaduersum statim in auctores, scriptaq; abolita: quamuis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente, recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modò studendi solatium ademtum, sed etiam sermonis & colloquij usus. Citati ad causam dicendam, partim se domi uulnerauerũt, certi damnationis, sed ad uexationem ignominiamq; uitandam: partim in media curia uenenum hauserunt, & tamen colligatis uulneribus ac semianimes palpitantesque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abiectus, uncoq; tractus. Viginti uno die abiecti, tractiq; inter eos pueri & feminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset uirgines strangulari, uitiatæ priùs à carnifice, dein strangulatæ. Mori uolentibus, uis adhibita uiuendi. Nam mortem adeò leue supplicium putabat, ut cùm audisset unum ex reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamauerit: Carnulius me euasit. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redij. Suetonius.

C. Cæsar CALIGVLA, Ptolemæum regis Iubæ filium, consobrinũ suũ (erat enim & is M. Antonij ex Helene filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam adiutores imperij, pro necessitudinis iure, proq; meritorũ gratia, cruenta morte affecit. Nihilo reuerentior leniórue erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti, modò ad pluteum, modò ad pedes stare succinctos linteo passus est: alios cùm clàm interemisset, citare nihilo minùs ut uiuos perseuerauit, paucos post dies uoluntaria morte periisse mẽtitus. Trucidaturus fratrẽ, quem metu uenenorum præmuniri medicamentis suspicabatur: Antidotum, inquit, aduersus Cæsarem? Relegatis sororibus, non solùm insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Prætorium uirum ex secessu Anticyræ, quam ualetudinis causa petierat, propagari sibi commeatum sæpiùs desiderantem: cùm mandasset interimi, adiecit, Necessariam esse sanguinis missionem, cui tamdiu non profuisset helleborum. Decimo quoq; die, numerum puniendorum ex custodia subscribens, rationem se purgare dicebat. Gallis Græcisque aliquot uno tempore cõdemnatis, gloriabatur Gallogræciam sese subegisse. Non temerè in quenquã, nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est: perpetuo, notoque iam præcepto, Ita feri, ut se mori sentiat. Punito per errorem nominis alio, quàm quem destinauerat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subindè iactabat: Oderint, dum metuant. Sæpè in cunctos pariter Senatores, ut Seiani clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores inuectus est: prolatis libellis, quos crematos simulauerat, defensaq; Tiberij sæuitia, quasi necessaria, cùm tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ, arenæque deuotum assiduè proscidit. Infensus turbæ fauenti aduersus studium suum exclamauit: Vtinam P. R. unam ceruicem haberet. Cumq; Tetrinius latro postularetur, & qui postularent, Tetrinios esse ait. Retiarij tunicati quinq; numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: cùm occidi iuberentur, unus resumta fuscina, omnes uictores interemit. Hanc ut crudelissimam cædem & defleuit edicto: & eos, qui spectare sustinuissent, execratus est. Animum quoque remittenti, ludoq; & epulis dedito, eadem dictorum factorumq; sæuitia aderat. Sæpè in conspectu prandentis, uel comessantis seriæ quæstiones per tormenta habebãtur. Puteolis dedicatione pontis, cũ multos è litore inuitasset

tasset ad se, repentè omnes præcipitauit. Quosdam guberna cula apprehendentes, contis remisq; detrusit in mare. Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica, ac more uictorum cum palma discurrit. Admota altaribus uictima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, caltrarium mactauit. Lautiore cõuiuio effusus subitò in cachinnos, COS. qui iuxtà cubabãt, quídnam rideret, blandè quærentibus: Quid, inquit, nisi uno meo nutu iugulari utrunq; uestrùm statim posse? Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit: elisiq; per eum tumultum uiginti ampliùs equites Rom. totidem matronæ, super innumeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem causam discordiarũ serens, decimas maturiùs dabat, ut equestria ab infimo quoq; occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole uelis, emitti quẽquam uetabat: remotoq; ordinario apparatu, rabidis feris uilissimos senio cõfectos, gladiatores quoq; pęgmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subiiciebat. Ac nonnunquam horreis præclusis, populo famem indixit. Cùm aliquando condẽnati non satis multi essent, qui bestiis obiicerentur: iussit è turba, quæ tabulatis inhærebat, aliquot illis obiici: quibus, ne uociferari & quiritari possent, linguas in primis præcidit. Proposuerat Antium, deinde Alexandriam commigrare, interempto priùs Senatorij & Equistris ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium uideatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diuerso titulo: alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas & nomina continebant morti destinatorum. Inuenta & arca ingens, uariorũ uenenorũ plena: quib. mox à Claudio demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora eiecit. Reuocatum quendam à uetere exilio sciscitatus, quídnam ibi facere consuesset, respondente eo per adulationẽ: Deos semper oraui, ut (quod euenit) periret Tiberius, & tu imperares: opinans sibi quoq; exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui uniuersos cõtrucidarent. Cùm discerpi Senatorem concupisset, subornauit qui ingredientem curiam repentè hostem publicum appellãtes inuaderent, graphiisq; confossum lacerandum cæteris traderent. Nec antè satiatus est, quàm membra, & artus, & uiscera hominis tracta per uicos, atq; antè se congesta uidisset. Cùm ad saginam ferarum muneri præparatarum cariùs pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotauit: & custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans, tantũmodò intra porticum mediam à caluo ad caluum duci imperauit. Votũ exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat: spectauitque ferro dimicantem: nec dimisit nisi uictorem, & post multas preces. Alterum, qui se periturum ea de causa uouerat, cunctantem pueris tradidit uerberatum, infulatumque, qui uotum reposcentes per uicos agerent, quod præcipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis, deformatos priùs stigmatum notis, ad metalla & munitiones uiarum, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex causis, uerùm malè de munere suo opinatos, uel quòd nunquam per genium suum deierassent. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. Quorum uni ualetudinem excusanti lecticam misit: alium è spectaculo pœnæ, epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & iocos prouocauit. Curatorem munerum ac uenationum, per continuos dies in conspectu suo catenis uerberatum nõ priùs occidit, quàm offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poetam, ob ambigui ioci uersiculum, media amphitheatri arena igni cremauit. Equitem Romanum obiectum feris, cùm se innocentem proclamasset, reduxit: abscissaq; lingua, rursus induxit. Suetonius, & Zonaras.

CLAVDIVM Cæsarem sæuum & sanguinarium natura fuisse, magnis minimisq; apparuit rebus. Tormenta questionũ, pœnasq; parricidarum repræsentabat, exigebatq; coràm. Cùm spectare antiqui moris supplicium Tiburi cõcupisset, & deligatis ad palum noxiis carnifex deesset: accitum ab urbe uesperam usque operiri perseuerauit. Quocunque gladiatorio munere, uel suo uel alieno, etiam fortè prolapsos iugulari iubebat, maximè retiarios, ut expirantium faciem uideret. Cùm par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi paruulos ex utroque ferro in usum fieri sine mora iussit. Bestiariis meridianisque adeò delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet: & meridie, dimisso ad prandium populo, præsideret: præterque destinatos, etiam leui subitaque de causa, quosdam committeret. De fabrorum quoque ac ministrorum, atque id genus numero: si aut αὐτόματον, uel pegma, uel quid tale aliquid parum cessisset. Induxit & unum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus. Suetonius. Militibus istum uersum Homericum subinde pro tessera dabat: Pœna luenda uiro, si quis prior intulit arma. Zonaras.

Nullus adhibitus à NERONE delectus aut modus interimẽdi quoscunq; libuisset, quacunq; de causa. Saluidieno Orphito obiectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa forum, ciuitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino Iurisconsulto, ac luminibus orbato, quòd in uetere gentili stemmate C. Cassij percussoris Cæsaris imagines retinuisset. Peto Thraseæ tristior & pędagogi uultus. Mori iussis nõ ampliùs, quàm horarium spacium dabat. At ne quid moræ interueniret, medicos admouebat, qui cunctantes cõtinuò curarent. Ita enim uocabat, uenas mortis gratia incidere. Creditur etiam Polyphago cuidam Aegyptij generis crudam carnem, & quicquid daretur mandare assueto, concupisse uiuos homines laniandos absumendosque obiicere. Elatus inflatusq; tantis uelut successibus, negauit, quenquã principum scisse, quid sibi liceret. Multasq; nec dubias significationes sæpè iecit, ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus: eumq; ordinem sublaturum quandoque è Rep. ac prouincias & exercitus equiti Romano ac libertis permissurum. Certè neq; adueniens, neq; proficiscens quenquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere Isthmi, magna frequentia clarè, ut sibi ac Pop. Rom. bene res uerteret, optauit: dissimulata Senatus mentione. Nec minore sæuitia foris, & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere uulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostẽta cæde aliqua illustri expiare, atq; à semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuiq; exitiũ destinauit. Suet.

A. VITELLIVS Imp. pronus ad cuiusq; & quacunq; de causa necem atq; supplicium: nobiles uiros, condiscipulos & æquales suos omnibus blanditiis tantùm nõ ad societatem Imperij allicefactos, uario genere fraudis occidit: etiam unum ueneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quã is affectus febre poposcerat. Tum fœneratorũ & stipulatorũ publicanorumq;, qui unquã se aut Romæ debitum, aut in uia portorium flagitassent, uix illi pepercit. Ex quibus quendam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimq; reuocatum, cunctis clementiam laudantibus, coràm interfici iussit, uelle se dicens pascere oculos. Alterius pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cùm raperetur ad pœnam, Hæres meus es, exhibere testamenti tabulas coëgit: utq; legit cohæredẽ sibi libertum eius adscriptum, iugulari cum liberto imperauit. Quosdam & de plebe ob id ipsum, quòd Venetæ factioni clarè maledixerant, interemit: contemtu sui, & noua spe id ausos opinatus. Nullis infensior, quàm uernaculis & mathematicis, ut quisq; deferretur, inauditum capite puniebat. Exacerbatus, quòd post edictum suum, quo iubebat intra Kal. Octobris urbe Italiaq; mathematici excederent, statim libellus est propositus, Et Chaldæos dicere bonum fatum, ne Vitellius Germanicus intra eundẽ Kalendarum diem usquã esset. Suspectus & in mortẽ matris fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset: uaticinante Catta muliere, cui uelut oraculo acquiescebat, ita demũ firmiter ac diutissimè imperaturũ, si superstes parenti extitisset. Alij tradunt, ipsam tędio præsentium, & imminentium metu, uenenum à filio impetrasse, haud sanè difficulter. Suetonius.

COMMODVS Imp. cum bestiis & cũ hominibus duello publicè congrediebatur, reuera ita sagaciter iaculans, ut omnibus admirationi esset. Cùm autem ad nefandas cædes animum appulisset: omnes sine clemẽtia miseros & mutilatos uiros, in theatrum coactos, serpentinis quibusdam spectris ad genua alligatis, tanquam gigantes claua confecit. Suidas, & Herodianus.

HELIOGABALVS Imper. ulm serpentũ maximam, per Marsicæ gentis sacerdotes quæsitam, antelucanis horis in multitudinem misit, quæ spectaculorum die loca in theatro, ut moris fuit, occupare solebat. Quo terrore multi afflicti sunt, multi illarum morsu exanimati. Sab. lib. 6. En. 7.

SEVERVS Imper. sua natura sæuus, multoq; ob auaritiã adhuc sæuior factus, qua omnes omnium temporum principes superauit: multos in urbe uiros diuitiis & nobilitate claros occidit, plures in prouinciis, uno in omnibus prætextu usus, quòd Albini partibus fauissent: adeò, ut Senatus iudicauerit, illum aut nasci non debuisse, aut mori, quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reipub. uideretur. Post mortem deposita inuidia ac metu crudelitatis, plurimùm amatus, & in deos relatus. Cuspinianus, & Sab. lib. 5. En. 4.

Opilius MACRINVS, qui Caracalla peremto imperiũ sibi astruxit, ex uariis honorib. à senatu decretis, Pij cognomen respuit, homo natura sæuus. Milites in crucem sustulit, semperq; seruilib. affecit suppliciis. Duos milites ancillaris stupri cõpertos, duob. exectis bobus inseruit, extantibus duntaxat capitibus. Tribunũ, qui excubias deseri passus fuerat, currui alligatum, uiuum primò, mox exanimem per longũ traxit spacium. Adulterij conuictos uiuos concremabat, parietibus includebat. Sab. lib. 6. En. 7. Mezentij crudelitate reuocata, uiuos alligauit mortuis. Quin & parietibus inclusit multos. Vnde factum, ut pro Macrino Macellinus diceretur. Cælius lib. 10. cap. 5. Antiq. lect.

MAXIMINVS Imp. insidiis exagitatus in tantam euasit sæuitiem, ut Cyclops à quibusdam ob animi immanitatem diceretur: ab aliis Busiris, Phalaris, Typhon appellaretur. Multi Romæ circa templa tacitis se uotis obligarunt, si priùs periisset Maximinus, quàm ad urbem ueniret. Sabellicus libro 6. Enneadis 7.

CONSTANTIVS, cũ Orientale imperium patris testamẽto iniisset, omnes eos quos parum aut patri amicos fuisse, aut sibi esse idoneos censuit, è medio sustulit. Milites ad hoc parati, ac spe præmiisque impulsi, tumultu in urbe concitato, Constantium Constantij patruum trucidarunt, ac subinde Dalmatium Cæsarem, & cum eo Optatum Patricium confoderunt: &, cùm quidam de industria succlamasset, neminem se, nisi Constantini filium, imperantem esse passurum, Annibaliano etiam fratri Dalmatij manus intulerũt: quin etiam Gallum & Iulianum Constantij filios impetus aggrediendi cępit: sed Gallum morbus necei subtraxit, Iulianum ætas; quippe annos octo tãtummodò natum: missi etiam spatharij sunt ad occidendum Ablauium, qui post præfecturam à Constantio abrogatam in Bithynia priuatus uitam in otio traducebat. Quorum primores, ut iussi erant, cùm se, ut in salutando Imperatore assolebat, ad genua inclinassent, literas reddiderũt. Quibus lectis, ille erectus, uestem purpureã, quæ mittebatur à Constantio, flagitauit. Cùm autem illi subiecissent, se literas tantùm de dignitate afferre, qui uerò pro foribus starent, trabeam habere, intrò uocati illi, pro purpurea ueste necem purpuream intulere. Sigonius libro 3. Imperij occidentalis.

IVSTINIANVS II. Imp. Constantinopoli recuperata, capto Leontio, quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abstergeret, toties aliquem ex eis trucidari iubebat. Leontium & Absimarum, qui imperium inuaserant, pedibus conculcatos, acclamante populo, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & leonem & draconem conculcabis, iugulari fecit. Tandem omnibus exosus, à Philippico præfecto exercitus interfectus est: & hanc laudem sibi reliquit, ut hæreticus, adulter & tyrãnus, ab omnibus proclamaretur. Paulus Diaconus lib. 19. & 20. rerum Romanarum: Iuo in Chronico: & Henricus de Erphordia.

ISAACIVS Angelus Imper. pronus ad iram etiam ex inani suspicione, & aliquãdo aliorum impulsu, multos malè tractauit. Andronicum Comnenũ (erat is Alexij filius nati ex Bryennio Cæsare, & Anna filia Alexij, primi ex Comnenia familia Imperatoris) qui Thessalonicæ præerat, delatum à quodam, quasi regnum affectaret, statim comprehensum indicta causa excæcauit. Nicetas lib. 3.

HENRICVS VI. Imp. mortuo Gulielmo Sicilię rege, regnum Siciliæ, quod sibi ob Constantiam uxorem debebatur, ope Genuensium occupauit, & Constantiam uxorem è custodia liberauit, & regem se Siciliæ cum ea coronari maximo totius regni concursu iussit. Hanc tam insignem uictoriam, tantaq; demùm felicitate diuino beneficio partam, nimia inde perfidia atque sæuitia deformauit. Primùm enim Genuensibus, per quos regnum erat magna ex parte adeptus, nõ modò promissa non præstitit, sed eos etiam beneficiis à patre tributis nudauit. Sibyllam uerò Gulielmi regis uxorem cum filio Gulielmo, & filiabus, & archiepiscopo Salernitano ac fratribus comprehendit, & conspirationes aliquot aduersus se populorum compertas causatus, quasi iustam iræ ac crudelitatis materiam esset nactus, Sibyllam & archiepiscopum perpetuo carceri destinauit: Gulielmo uirilitatem ad spem stirpis adimendam exemit: aliquot obsides ex ipsa regni nobilitate luminibus exuit: reliquis in uincula traditis, multis Siculis bona eripuit. Ecclesiæ aut grauissimis tributis, aut fœdissimis direptionibus laceratæ, episcopi uerò clericiq; usque ad mortem excruciati. Quin etiam Romanæ in detrimentum Ecclesię Philippum fratrem, cui Irenem Rogerij uxorem collocauit, Ducem Tusciæ ac Terræ Mathildis, Marcoaldum uerò dapiferum suum Ducẽ Rauennæ & marchionem Anconæ, & Conradum Spoleti Ducem constituit: & in Germaniam cum Sibylla, filio, filiabus, archiepiscopo, fratribus, Siculisq; obsidib. decessit. Sigon. lib. 15. regni Ital.

Bladus DRACVLA, ut sibi stabilem principatum Moldauiæ redderet, occidisse fertur circiter uiginti millia hominum, eosq; tam infantes quàm adultos palis suffixit. Loci istius, ubi in crucem palumq; sunt acti, longitudo extendit se ad stadia XVII. latitudo uerò continet stadia VII. Mahometes II. Turcorum rex admiratione defixus, dicebat: Haud possibile est eum uirum, qui adeò magna fecit, regione spoliari, præsertim cùm adeò mirabiliter tum principatu, tum subditis uti norit. Veruntamen is qui tanta patrauit, haud multi faciendus est. Reliqui Turci aspicientes multitudinẽ hominum in patibulis & palis hærentium, stupebant. Erant namq; patibulis & palis affixi infantes è matrum gremio rapti: uolucres nidos fecerant in interioribus eorum. Chalcocondylas libro 9.

SELIMVS Turcorum Imp. natura seuerus erat atq; inexorabilis, semper cogitabundus, nunquam præceps, præsertim in exequẽda crudelitate, quæ tamen sæpiùs inniti iustitiæ uisa est. Mustapham interfecit, quia parum fidelem comperit. Chendemum Bassam necari iussit, quoniam sibi contra Persas eunti tot difficultates obiecerat, ut Ianizari in unum collecti transire Euphratem recusarent. Bostangi Bassæ genero suo caput amputari præcepit, quòd prouincias, quib. eum præfecerat, expilasset, Iunum Bassam interficiendũ curauit, ut ipsius nimiam arrogantiam cum infidelitate coniunctam puniret. Nimia tamen in proprium sanguinem crudelitate infamem se reddidit. Verùm ipse affirmabat, nihil esse dulcius, quàm sine consanguineorum timore ac suspicione regnare, seq; ob id excusatione dignum arbitrabatur: quòd si uel minimus quispiam ex Othomãnico sanguine in principem priùs euasisset, sibi quoq; eodẽ modo pereundum fuerit. Iouius in eius uita.

Tanta fuit VITOLDI Ducis in Lituanis auctoritas, tantus terror, ut qui sub eius fuere imperio iussi se suspẽdere, ultrò uitam laqueo finirent. Sontes ursinis pellibus conuolutos canibus laniãdos obiecit, arcum in expeditionibus semper intentum habuit, ut ordine aberrantes confestim transfigeret. Capitale futurum edixit, si quis barbam aleret, ut id unum discrimen regem à populo discerneret. Nec Lituani imperio paruerunt, satiùs rati uita quàm barba periclitari. Periculosum nimis uisum est Vitoldo id uindicare quòd populariter peccaretur. Abstinuit itaq; uindicta, cæterùm recẽtiore edicto uetuit capillum barbámue secari, solusq; iam inde in tota gente tonsus uixit. Sab. lib. 4. En. 10.

Subditi erga Principes, Magistratus, Tyrannos.

☞ *Consule Tit. συγγνωμόνων, quatenus Fortitudini Sæuitia iungitur.*

Psammetichus Aegypti rex, illato Aethiopibus bello, exterorum militum uirtuti magis quàm Aegyptiorum fidere uidebatur. Cùm autem ob eam rem peregrinos maiore in honore haberet, indignati AEGYPTII, ad ducenta millia coacti, in Aethiopiam tetenderunt. Cùm autem rex abeuntes blandè appellaret, patriæq; & uxorum atq; liberorum eos commoneret: Aegyptij in ira perseuerantes concussis armis dixerunt, illis nouam sibi patriam comparaturos: sublatisq; uestibus, cùm genitalia membra patefecissent, donec incolumem eam corporis partem seruarent, neque uxores, neque liberos sibi defuturos. Plus apud eos indignatio atque iracundia, quàm patriæ liberorumque caritas ualuit. Herodotus libro 2.

Cùm Leontinorum tyrannum Iceten Timoleon cepisset & interfecisset, Syracusani uxores & filias Icetis eiusq; filij EVPOLEMI in concione damnatas necauerunt: Dioni, qui Dionysium exegit, parentantes. Icetes enim uxorem Dionis Areten, Aristomachen sororem, & filium puerum admodũ, uiuos in pelagus merserat. Plut. in Timoleonte.

C. Caligula Imp. suæ crudelitatis dignas pœnas dedit. Cùm ludos edidisset, atque iam domum properaret, à Cassio Chęrea interfectus est. Eo mortuo, nemo EORVM qui aderãt præsentes, manus ab illo abstinuit, sed mortuum confecerunt uulneribus, nonnulli etiam carnem eius degustauerũt, eiusq; filiam atq; uxorem miserè occiderunt. Atq; sic is qui optabat populum Romanum unam ceruicem habere, ut uno ictu perdere posset, sensit complurium manus sibi infensas esse, qui unam ceruicem habebat. Xiphilinus & Dion.

Commodus Imp. à Narcisso interfectus, statim hostis patriæ nuncupatus est. Hunc S. P. Q. R. editis clamoribus, multis ac grauibus contumeliis insecutus est. Cupiebant autem in primis corpus eius, sicuti statuas, trahere & lacerare. Sed cùm dixisset Pertinax, iam terræ traditum esse corpus, atq; sepultum esse, à corpore abstinuerunt. In cæteris autem prętermisere nihil, quin iacerent in illum contumelias cuiusuis generis. Iamq; Commodum Imperatorem appellabat nemo, sed perniciem atq; tyrannum: addebant etiam, illudentes ei, gladiatorem, aurigam, scæuam, herniosum. Sed & Cleander, qui ex seruo summus apud Commodum Romanorum Imp. cubicularius factus est, cùm pro animi arbitrio cuncta gereret, à populo interfectus est cum filio, qui in Cõmodi manibus educabatur: eius corpus tractum per plateas, caput ignominiosè in pilo per totam urbem gestatum est. Dion Nicæus, & Herodianus.

Heliogabalus Imp. impurissimus, quum Alexandrum consobrinum suum, quem paulo antè adoptauerat, & Cæsarem

secerat, trucidandum quibusdam, & eius titulos defœdandos præcepisset, à militibus in latrina, ad quam confugerat, interemtus est. Et cùm non posset cloaca excipere cadauer ob angustum foramen, tractum est per Circi spacia more canini cadaueris, & in Tiberim tandem abiectum, ne unquam sepeliri posset, cum acclamatione, Indomitæ & rabidæ libidinis catulæ, nomẽq; Antonini erasum: dictusq; Tiberinus, Tracticius & Impurus, quòd solus omnium principum tractus esset, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Occisa est & cum eo mater Symiamira. Et cùm Senatus eius nomen erasisset (nã ultimus Antoninorum fuit) cautum est, ne unquam mulier Senatum ingrederetur. Cusp.

Athaulfus Gothorum in Hispania rex, incertum nepos Alarici, an necessarius fuerit, apud Barcinonã à MILITIBVS suis obtruncatus est. Ritius Neapolitanus libro primo de regibus Hispaniæ.

CONSTANTINOPOLITANA ciuitas, Andronicũ Imp. (quia cum sorore stuprũ patrasset, Alexioq; pupillo interfecto, imperium aggressus, omnem propemodum nobilitatem sustulisset) abrogauit primò imperium: in ordinem inde redactum altero priuauit oculo, asinæq; auersum imposuit, bestiæ caudam pro sceptro habentem, pro diademate restem. Per urbem inde circumuehitur, uiris feminisq; in eum probra iacientibus, lutumq; & alia fœdiora dictu in prætereuntem congerentibus. Postremò laqueo pendens, uncis & harpagonibus est laniatus. Multi particulam corporis unco arreptam non solùm attrectare, sed mandere etiam sunt ausi. Sabell. lib. 8. cap. 4.

VENETI Petrum Candianũ ducem principatu pulsum quintum decimum post annum, incensaq; simul ducaria æde cũ D. Marci templo, fugientem cum paruulo filio, supplicantẽ etiam, ut ipsi saltem parcerent puero, cum coniuge ipsa & filio interemerunt: inuentumque eius cadauer in macellum usque pertraxêre, membratimque laceratum canibus tradidere. Egnatius lib. 9. cap. 10.

IIDEM populari impetu Vitalem Michaelem ducem suum interemerunt, quòd urbem pestis, classe in patriam reuersa, corripuisset. Eius enim rei culpam Vitali, licèt ignoranti, in exitiale crimen uerterunt. Fulg. lib. 9. cap. 7.

SLESVICENSES ob perfidè interfectũ à Magno Nicolai Danorum regis F. Canutum patruelem, summæ uirtutis uirũ, Nicolaum exosi: posteaquam ab Erico Canuti fratre Magnus acie uictus occubuit, Nicolaum de reconciliatione legatos mittentem, Bexonis cuiusdam suasu urbem ingredi iussere. Portas de industria patefactas ingressus, ut pium cleri, ita ferocem plebis occursum reperit. Clericis quippe cũ sacræ processionis officio uenerantibus, reliqui ut hostem excepere. Amicis autem ut in ædem Petri confugeret hortãtibus, aulam petiuit, regia sese quàm templo tueri malens. Militibus cæsis ad extremum rex à populo interfectus est. Saxo libro 13.

Armuzij quindecim Reges oculis orbati à regni PROCVRATORIBVS, in ædibus regiis, cum uxoribus & liberis inclusi seruabantur, quibus omnia ad uictum necessaria Principes, qui Regis nomine regias opes pro libidine tractabant, largè præbebant. Hoc erat præmium Regibus & maleficis hominibus constitutum, quoties iure regio liberiùs, quàm rectores ipsi uellent, uterentur. Præfecti nanque tyrannide constituta, ex hac regia stirpe puerum deligebant, cuius nomine regnum in suam potestatem redigerent. Hic uerò in regia sede locatus, si aliquid moliri cum regia libertate uellet, oculorum aspectu priuabatur, & alius in locum Regis cæci eidem calamitati, si liber esse uellet, obnoxius, ut regiũ nomen obtineret, assumebatur. Hæc autem tyrannidis minimè ferendæ materia inter ipsos tyrannos dissensiones pestiferas excitabat, & causam ipsi ciuitati sæpenumerò grauissimæ cladis afferebat. Hos reges cæcos, partim ut memoriã tam immanis sceleris extingueret, partim ut turbulentissimæ dissensionis materiam amputaret, Alfonsus Albuquercius Indiæ Lusitanorum quæstor Garsiæ Norognæ cõmisit, ut eos in Indiam deportaret: ubi iubebat, ut eis omnia magnificè præberentur, quæ ad uictum & elegantiam regiam pertinerent. Osorius lib. 10. rerum Em.

Duces erga Milites.

☞ Ex Tit. Sæuitiæ ob defectionem, desertionem, exempla quædam huc referri possunt.

Veronæ oppugnatione frustra tentata, Venetorum dux BARTHOL. Liuianus usque adeò festinanter reductis tormentis & signo profectionis dato, è conspectu urbis discessit, ne ab erupturo hoste distineretur, ut aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentissimo sole potandi causa ex acie diuerterant, crudeli manu confoderet, frustra deprecante Paulo Balcono, qui in fessos sitique confectos à mucrone temperandum esse disserebat. Sabellici Supplem. libro 1. ex Iouio.

Milites erga Duces.

☞ Consule Tit. Seditionum castrensium.

L. Posthumius tribunus militaris, consulari potestate, cùm diripiendam Nolam EXERCITVI suo, ut promiserat, non concederet, item ob ea quæ superbè in plebem dixerat, concitato in urbe Roma tumultu, propter illatum eius scribæ uulnus, ab exercitu suo lapidatus est. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Lucullus rebus contra Mithridatem & Tigranem feliciss. gestis, cùm præter triumphum nihil aliud restaret, MILITVM animos à se alienauit. Itaque cùm etiam contra Parthos bellum gerere cuperet: propter militum peruicaciam & importunitatem non potuit. Adeò fuit ad id, quod caput est in duce & summum, beneuolos habere milites, ineptus aut infaustus. Ac Salustius quidem fuisse milites mox à belli exordio malè ait in eum animatos: quòd ad Cyzicum & iterum ad Amisum duas hyemes eos in castris continuisset. Fatigati fuerunt & cæteris brumis. Aut enim in hostico hybernauerunt, aut apud socios tetenderunt sub dio. In oppidum Græcum & pacatum, ne semel quidem intulit pedem cum exercitu Lucullus. Ita animatis maximas occasiones præbuerunt illi, qui Romæ in concionibus regnabant, maximè uerò C. Manlius tribunus plebis (alij L. Quinctium uocant). Hi per inuidiam Lucullum criminabantur, imperij & pecuniæ auiditate bellum ducere: unum propemodum Ciliciam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes deniq; prouincias usq; ad Phasim obtinere: nunc uerò etiam Tigranis regias deprædatum: quasi ad exuendos reges foret, non ad debellandos, missus. His uocib. impulsus populus Romanus, prouinciæ successorem Cn. Pompeium mittendum Lucullo sciuit, multosque milites, qui sub eo meruerant, mittendos. P. Clodius Fimbrianos milites ab eo secedere fecit, quando cum Tigrane iterum dimicare parabat. Nullam non tum indignitatem subiit Lucullus, singulos orando, & tentoria obeundo, demissus, & lacrymis oppletus. Nonnullorum etiam prehendit manus. Illi uerò prensationes repellere, inanes zonas obiicere: iactareque, solus dimicaret cum hostibus, ex quibus ditescere nosset solus. Itaque magna senatui & optimatibus affici Lucullum iniuria apparebat, cui non belli, sed triumphi mitteretur successor: nec bellis gerendis cogi, sed rerum gestarum præmiis cedere, eaq; permittere aliis. Magis autem præsentibus ibi res uisa inuidiosa. Neq; enim relictum Lucullo fuit uel præmiorum uel pœnæ pro cuiusq; meritis in bello arbitrium: neq; cuiquam permisit Pompeius eum adire, uel rata esse acta eius, uel quæ ex consilio decem legatorum dispensabat: uerùm prohibuit ea per edicta, eratq; ob maiorẽ exercitum, quem habebat, formidabilis. Plut. in Lucullo.

EXERCITVS Rom. C. Carbonem, fratrem Carbonis ter Cõsulis, propter bella ciuilia dissolutam disciplinã militarem præfractiùs & rigidiùs adstringere conatum, priuauit uita: satiusq; duxit maximo scelere coinquinari, quàm prauos ac tetros mores mutare. Val. Max. lib. 9. cap. 7.

Cùm in Rheno à Germanis unius tantùm nauis detrimento Vitellij exercitus superatus esset: & MILITES culpam in Herennium Gallum legatum reiicerent: per tumultum eum cœperunt: spoliatumq; ac uerberibus affectum, turpiter interemissent, nisi Voculæ, qui eius collega erat, interuentu, ab eorum manu liberatus esset. Fulg. lib. 9. cap. 7.

Alexander Mammeæ F. Imp. opt. cùm Germanicum bellum immineret, conscripto exercitu in Galliam profectus est. Ibique à MILITIBVS, quòd seuerior ipse esset, & mater Mammæa auarior, trucidatus, Maximino duce. Sextus Aurelius tradit, Maximinum plures de exercitu corrupisse: & cùm Alexander uideret semet deseri à stipatoribus, matrem sibi fuisse causam mortis exclamando, accurrenti percussori, obuoluto capite, ceruices suas ualidè compressos obtulisse. Cuspinianus.

Rom. EXERCITVS, in Sirmio, Pannoniæ urbe, dum paludẽ exiccaret, concitato tumultu, Probum Imp. optimum in turrem propinquam fugientem occidit: nec multo pòst, cùm criminis magnitudinem agnosceret, extructo ei ingenti speciosoq; sepulcro, culpam corrigere contendit, sepulcroque inscripsit: Hic Probus imperator iacet, uerè probus, qui omnium Barbararum gentium atque tyrannorum uictor fuit. Fulgosus lib. 9. cap. 7.

Iudices erga Reos.

Subornauit C. IVLIVS Cæsar, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adiutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum Tribunatum Senatus coercuerat. Ac sorte iudex in reum ductus, tam cupidè condemnauit, ut ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit. Suetonius.

VALENTINIANI I. Imp. asperitas in iudiciis terrori omnibus fuit. Dioclem ex Comite largitionum Illyrici ob leuia crimina iussit exuri. Diodorus uerò ex Agente in rebus, & tres apparitores potestatis uicariæ per Italiam, ob id uexati atrociter: quòd apud eum questus est Comes, Diodorum quidem aduersus se ciuiliter implorasse iuris auxilium, officiales uerò iussu iudicis ausos monere proficiscentem, ut responderet ex lege. Eorum memoriam apud Mediolanum colentes Christiani, locum sepulturæ, ad Innocentes uocarunt. Itaq;, cùm in caussa cuiusdam Maxentij trium oppidorum ordines tractari iussisset, Eupraxius quæstor interpellauit, & Parciùs, inquit, agito Princeps: nam quos interfici, tãquã noxios, iubes, Christiani pro martyribus colunt: & cùm in alia re uenia digna iussisset ternos per ordines urbium plurimarum interimi: Florentius præfectus, Et quid agetur, inquit, si quo in oppido tam multi curiales non essent? Huic diritati illud accessit, quòd si quis eum adisset, iudicium potentis inimici declinans, aliumq; sibi dari iudicem petens, ad eundem, quem metuebat, licèt multa prætenderet iusta, reiecit. Vbi debitorem aliquem propter rei familiaris angustias soluendo non esse audiuit, interfici oportere pronunciauit. Chilo ex Vicario, & coniux Maxima questi apud Olybrium urbis præfectum, uitam suam ueneuis petitam, impetrarunt, ut qui suspecti essent, in uincula traderẽtur; ac mox, Olybrio aduersa ualetudine impedito, ut iudicium Maximino præfecto annonæ committeretur. Cùm autem multi nobiles multorum scelerum auctores nominati in quæstionibus fuissent, Valentinianus certior factus, non posse nisi acrioribus suppliciis inquiri & uindicari flagitia, quibus se multi Romæ obstrinxissent: mandauit, ut quæstiones solito asperiores adhiberentur: atque omnes torqueri permisit, quos Imperatorum constitutiones tormentis exemissent. Ita multi nobiles iuxtà atque ignobiles uiri ac feminæ uariis de criminibus capite damnati sunt. Ob eam rem cùm nemo esset tam innocens, quin tormenta & uincula somniaret, Romani legatos ad Valentinianum miserunt oratum, ne pœnas delictis grauiores expeti pateretur. Ille autẽ, cùm ignorationem facti excusasset, nihil tamen de quæstionum acerbitate remisit. Maximinus autem cùm suopte ingenio, tum principis indulgentia ferox, eò truculentiæ processit, ut dicere non dubitarit, neminem, se inuito, inueniri posse insontem: apparitores autem ad fallendum aptos emisit, qui deflendo casus, quibus se simulabant oppressos, ac iudicis exaggerando crudelitatem, asserebant, nullum his malis remedium aliud superesse, quàm si nobiles uiri eorundem criminum socij proderentur, quorum gratia absoluerentur, qui minus opibus in ciuitate ualerent. Sigonius libro 7. Imperij occidentalis.

Circiter annum MCCXV. multi fuerunt hæretici. Hos frater CONRADVS de Marpurg, inquisitor Apostolicus, iudicio ferri cãdentis, si negassent hæresin, probare consueuerat, & quos ferrum exussisset, uelut hæreticos iudicio seculari tradere comburẽdos. Vnde paucis exceptis, omnes, qui semel essent accusati, & ad eius examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. Fuerunt, qui crederent, cum plures innocenter damnauisse, propterea quòd candens ferrũ à peccatis nullum reperisset immunem, etiamsi nullius hæresis macula unquam infectus extitisset. Hotoman. disput. de Feudis cap. 44. Io. Trithemius in Chronico, cap. 22.

Ciues erga Conciues.

☞ Nos hic ciuilis Societatis rationem habemus. Ipsa alioqui Hostilitas sub Tit. Crudelitatis hostilis referenda fuerit.

IXION primus inter homines contribulem suum interfecisse narratur à Pindaro ode 2. Pythiorum:

—— τ' ἐμφύλιον αἷμα πρώ-
τιστος οὐκ ἄτερ τέχνας
ἐπέμιξε θνατοῖς.

Cùm uicissent Atheniensium imperatores classem Lacedæmoniorum apud Arginusas, cuius dux erat Callicratidas, statim profligatis nauibus hostium, in fugamq; uersis, partem suarum nauium censuerunt mittendam ad eas, quæ in pugna demersæ essent, ut naufragia colligerent, mortuosq; exciperent: reliquas autem ad opprimendas hostium naues, quæ pugnæ non interfuerant, cùm in anchoris ad Mitylenem starent. Hæc autem consilia ipsorum uentus subitò exortus, tempestasq; atrocior disturbauit. E ducibus autem Atheniensium, sex uictores domum reuersi, accusatique, quòd optimè meritos de rep. insepultos reliquissent, post multas contentiones iactationesq; condẽnati sunt à POP. atq; ultimo supplicio affecti. Victor. lib. 20. Var. lect. cap. 22.

De frumento ex Sicilia Romam aduecto cùm in Senatu ageretur, an gratis, uili, aut immenso precio plebi diuideretur: inter alios C. MARTIVS Coriolanus extitit, qui aduersus plebem grauem sententiam diceret. Nihil per largitionem populo tribuendum, his artibus lasciuiorem ac petulantiorem effici: satiùs esse hanc uel cariore annona domari ac reprimi, quò fiat ex necessitate modestior. Tribuni plebis, qui

in Senatu hanc sententiam audierant, ad populum referũt. Dies Coriolano dicitur. Sed quantum ad hoc crimen attinet, licèt populo infenso uteretur, id facillimè diluit. Vbi enim ulla loquendi licentia, si non in deliberando ac dando consilio? Itaque non fuit in hoc Coriolani damnatio, sed quia à Tribunis ad populum uocatus non paruit: ministros eorum, cùm iussi eum prehenderent, ducerent, ceciderat, pulsauerat. Dion. Halicarn. libro 7. Liuius libro 2. Decadis 1. Plinius de Viris illust.

L. SYLLA (quem neq; laudare neq; uituperare quisquam satis dignè potest: quia dum quærit uictorias, Scipionem se pop. Rom. dum exercet, Hannibalem repræsentauit) egregiè auctoritate nobilitatis contra C. Marium defensa, crudeliter totam urbem atq; omnes Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit. Reuertente eo à bello Mithridatico, Marius curis confectus obiit: reliquit tamẽ quindecim suarum partium imperatores, sub quibus quadringentæ quinquaginta armatorum militabant cohortes, Italiam obtinebant. Ea res non solùm non terrori Syllanis fuit, sed alacri animo operam suam polliciti, certatim singuli aliquam ipsi duci ad usum belli pecuniam obtulerũt. Mille & septingentæ naues, ut Appianus scribit, sub Syllæ imperio fuerũt, & armatorum quadraginta millia, in quibus sex Italicæ erant legiones. Missi legati Romam qui pacem peterent, ciuesq; ad concordiam hortarentur, contra ius gentium ab Cn. Carbone consule uiolati sunt. Toto triennio bellatum à Sylla feliciter: Mariani uel cæsi, uel in exilium pulsi. Telesino Samnite oppresso, cùm illius exercitus reliquiæ Antemnam confugissent, & à Crasso obsiderentur: miserè obsessi tria millia ad Syllam legatos ad ueniam petendam. Promisit ille eis impunitatem, si aliquid cladis intulissent cæteris hostibus, atq; ita ad se commeassent. Qui habita fide reliquos sunt adorti, atq; magna cædes extitit se mutuò conficientium. Nihilo minus & his, & quotquot essent ex aliis superstites ad sex millia in circo maximo coacti, senatum in ædem Bellonæ indixit. Simulatq; dicere instituit, trucidauerunt, quibus id demandatum erat, illa sex millia. Vociferatione scilicet à tanta multitudine, quæ loco angusto iugulabatur, elata, & patribus attonitis, eodem quo dicebat immoto & constanti uultu aduertere patres animum iussit, neque curare quid ageretur foris. Nonnullos improbos iussu suo castigari. Quicunq; Romanorum Præneste fuerant, præter paucos senatores, qui cum Mario urbem iniuerãt, quos Lucretius occiderat, ab eo seruati sunt. Samnites & Prænestinos præter filios & uxores, quos liberos dimisit, ex urbe eductos spe salutis per P. Cethegum data, ad XII. millia ferro conficiendos militibus obiecit, urbem hostiliter diripuit, nec cuiquam in tanto numero, præterquam ueteri hospiti, uitam concessit: quam ille, cùm cerneret omne suæ ciuitatis robur extinctum iri, pertinaciter recusasse dicitur: fassus se nullam salutis gratiam ei habiturum, si suorum popularium percussoribus permisceretur. Norbani, qui & ipsi in partibus fuerant, Prænestinorum excidio consternati, ubi urbem ab hoste occupatam sensere, multi sibi manum intulerunt. Alij se mutuis confecerunt uulneribus. Quidam se & liberos cum tota domo concremarunt. Ad postremum ita ferrum & flamma omnia consumsit, ut præter agrum & aream, nihil ex capta urbe ad uictores peruenerit. Misso in Aphricam Cn. Pompeio, ad C. Carbonem & reliquias partiũ cum eo debellandas, Romam reuersus, crudelissimè in Marianos uictoriam exercuit. Multi clari & illustres uiri fœdè trucidati sunt, & in his Catilinæ ministerio M. Marius Gratidianus, uir senatorius, quem brachiis & cruribus fractis, nasoq; & auribus fœdè mutilatis, ac postremò effossis luminibus, insigni crudelitatis exemplo ad sepulcrum Luctatiæ gẽtis pertractum necauit, Marij credo nomen in eo potissimũ persecutus. M. Plethorium, quòd ad eius supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactauit, nouus punitor misericordiæ: apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Et iam urbs referta erat cadaueribus, quum Sylla à Metello in curia rogatus, Ecquis'nam præsentium malorum finis esset, aut quæ futura ferri requies? respondisse dicitur, Nondum se compertum habere, qui seruandi essent. Tum Cecilius Metellus: Statue, inquit, Sylla quos demùm perditum ire uelis. Atque ita ille monitus, XL senatores, mille & sexcentos equites uno tempore proscripsit, primusque omnium nefarium proscribendorum ciuium morem induxit. Ascripsit & percussoribus sua præmia. Contrà occultantibus supplicia. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos, in tabulas publicas retulit: uidelicet, ne memoria tam preclaræ rei dilueretur. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulsiones ciuium, bonorum publicationes, iudiciaq; priuatorum per Italiam dirè exercebantur: quibus exhaustis, ciuitates ad pœnas publicè deuocatæ. His arces, illis thermæ, quibusdam mœnia ademta: aliis pecuniæ multæ nomine ascriptæ, & ex his plerasque

colonias fecit; atque ita supra C millia hominum, quos in agris collocauerat, sibi perpetuo obsequio & beneuolentia obstrinxit. Priuauit adhęc proscriptorum filios nepotesque honoribus. Aduersus mulieres quoque gladios distrinxit. Proditum est, quosdam nullam aliam ob causam, nisi quia diuites essent, in proscriptis relatos. Q. Aurelius, homo ciuilis otij & quietis amicus, quique ea temporum nouitate in nullis fuerat partibus, forum ingressus, quum ad proscriptionis tabulam secutus uenisset, offendissetque in ea præter spem nomen suum, exclamasse fertur, Heu miserum, Albana me uilla perdidit. paululumq; inde progressus, à percussore iugulatus est. Dictaturam Sylla in CXX annos induit, fecitq; magistratum ipsum perpetuum, quum semestris, ex maiorum instituto, ad id tempus fuisset. Pompeius Carbonem ex Libya in Siciliam digressum, & ex Sicilia in Corsicã fugam molientem, medio conatu interceptum, capitis condemnauit. Romanus nobilis, & qui ter consul fuerat, triplici catenarum serie uinctus, uelut latrocinij damnatus, ignominiosè ad supplicium est perductus, addiditq; ipse morti dedecus, quòd tanquam uitæ cupidus, ubi ferrum in se strictum uidit, spacium poposcit ad exonerandum uentrem, teste Plutarcho in Pompeio. Fuit annus ille, quo Sylla se perpetuum dictatorem dixit, sexagesimus octauus ac sexcentesimus ab Vrbe condita, qui in septuagesimamquintã ac centesimam incidit Olympiadem. Valerius lib. 9. cap. 2. & Sabellicus lib. 3. Enneadis 6. ex Plut. Sylla & Appiano. De eo sic Lucanus libro 2.

Sylla quoq; immensis accessit cladibus ultor:
Ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
Hausit, dumq; nimis iam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumq; secuta est,
Qua morbi duxere manus, periere nocentes.
Sed cùm iam soli possent superesse nocentes,
Tunc data libertas odiis, resolutaq; legum
Frenis ira ruit: non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisq; nefas: semel omnia uictor
Iusserat, infandum domini per uiscera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine: certatum est, cui ceruix cæsa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres:
Busta repleta fuga, permistaq; uiua sepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisaq; guttura fregit:
Hic se præcipiti iaculatus pondere, dura
Desiluit percussus humo, mortesq; cruento
Victori rapuere suas: hic robora busti
Exstruit ipse sui, nec dum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, &, dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro.

Syllanam crudelitatem C. MARII inuidia leuat: nam & ille nimia cupiditate persequendi inimicos, absente Sylla bello Mithridatico, post exiliũ, cum Cinna, Carbone & Sertorio, ad cædem principum animum conuertit. Senatus eos precabatur per legatos, ne in miseros ciues sæuirent. Cinna, curuli sella ut consul sedens, benignè legatis respondit. Cõtrà Marius tacitus sedebat, rigidoq; & truci aspectu, haud dubiè præ se ferens quantam paulo pòst editurus esset stragẽ. Aliis itaq; urbem irrumpentibus, solus ipse ad portas substitit, ibiq; professus est, non licere exuli urbem, unde legibus arceretur, ingredi. Proinde si quis patrocinio suo indigeret, daret is operam, ut lex de se lata confestim antiquaretur. Contemtim inde populum in forum uocari iussit, & suffragia eodem ferri. Inde militibus septus, quos Præcipites appellabat, urbem ingreditur: dato suis signo, ut quem ipse non salutaret, aut salutanti nihil respondisset, pro hoste haberetur, eumq; in uestigio obtruncarent. Multi igitur ex eo occursu contrucidati sunt, & in his Ancharius uir senatorius, C. & L. Iulij, Attilius Seranus, P. Lentulus, C. Nestorius, M. Bebius, in uiis deprehensi. Interfectus est & Crassus in fuga, qui filium, ne ab inimicis trucidaretur, suis manibus interemit. Est deinde cædes per nobilium atq; ignobilium capita sine discrimine euagata. Pauci fuerunt, qui non metu mortis amicos & hospites ad se fugientes prodiderint. Cadauera passim proiecta horrori ciuibus esse, & quod non mediocri mœrori accessit, pueri & uxores interfectorum, à seruitiis & iis qui Mario fœdum id ministerium exhibebãt, cum multo dedecore ad stuprum trahebantur. Quam rei indignitatem Cinnani milites haud ferẽdam rati, facto in Marianos impetu, id flagitium ferro uindicarunt. Ex Syllæ amicis & necessariis pauci euasere. Ipsius domus euersa est, bonaq; in publicum redacta. Eratq; tunc is ciuitatis status, quũ Marius septies, Cinna iterum, consules creati sunt. Cęterùm Calendis Ianuariis inito consulatu, quia Sextus Lucius calamitatem ingentem ac cladem ex portento, quod tum forte acciderat, urbi imminere dixisset, Marij iussu præcipitatus est. C. Cæsaris consularis & censorij nobilissimum corpus ignobili sæuitia trucidauit, & quidem apud seditiosissimi & abiectissimi hominis Varij bustum. Sabellicus ex Plutarcho. L. Luctatius Catulus collega fuerat Marij in quarto eius consulatu bello Cymbrico, amboq; de Cymbris triumpharant. Pro hoc cùm apud Marium totus senatus supplex deprecaretur, Marius nihil aliud quàm moriendum esse, respondit. Itaque Catulus ubi hoc Marium dixisse rescisset, accensis carbonibus se suffocauit. Dubium, an haustis prunis, ut Portia Bruti coniux, an fumo in cubiculo undique occluso, & recens gypso incrustato. Sunt qui uenenum illū hausisse existiment. L. Viues in lib. 3. August. de ciuitate Dei, cap. 27. De eo sic Lucanus: Vir ferus, & fato cupiente perdere Romam Sufficiens.

DAMASIPPVS, C. Marij iunioris, qui cum Cn. Carbone consul fuit, prætor, homo nulla præditus uirtute, nobilissimos ciues (qui Syllanis partibus adhæserant) inter uictimas tanquam belluas crudeliter enecauit. Carbonis Aruinę tribuni plebis truncum in sublime elatum, per ora uulgi deferri iussit: tandem à uictore Sylla obtruncatus est. Val. lib. 9. cap. 2. & Sab. lib. 3. Enneadis 6.

Sub initia bellorum ciuilium, Marius asciuit sibi SVLPITIVM Tribunum, qui nihil reliqui fecerat ad summam improbitatem: ut non quæras quo esset alio sceleratior, sed ubi uinceret semetipse improbitate. Etenim crudelitas & audacia & auaritia coierant in eo: nec quam turpitudinem uel quod in se admitteret flagitium, quicquam pensi habebat. Nempe ciuitatem Romanam libertinis & inquilinis propalàm uenundabat, precium posita in foro mẽsa numerabat, tria millia satellitum alebat, manu ex equestri pube ad omnia parata erat stipatus, quam uocabat Cõtrasenatum. Hic cùm rogationem tulisset, ne quis senator supra duo millia denarium æris alieni contraheret: debuit ipse moriẽs H-S. CXX. Qui à Mario in populum emissus, cùm rempubl. totam ui ferroque miscuisset: & alias leges perniciosas tulit, & illam de imperio Marij contra Mithridatem. Ob quæ iustitio à consulibus edicto, dum concionem ad Castoris habent: immisit in eos multitudinem, atq; inter multos alios filium Q. Pompeij consulis adolescentem in foro interfecit. Pompeius ipse clàm effugit. Sylla uerò, qui confugerat in domum Marij, à Mario nihil lætus, sed etiam per posticum emissus instantibus aduersariis coactus est prodire, & iustitium soluere. Qua de causa cùm Pompeio abrogasset honorem, Syllæ reliquit consulatum, tantùm ducatum belli Mithridatici ad Marium transtulit. Nec multo pòst, cùm Sylla urbem occupasset, à seruo suo proditus, interfectus est. Plutarchus in Sylla.

C. IVLIVS Cæsar, Sylla fuit crudelior in uictoria, qui in causa (ut Cicero ait) impia, uictoria etiam fœdiore, non solùm singulorum ciuium bona publicarit, sed uniuersas prouincias, regionesque uno calamitatis genere comprehenderit. Itaque uexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperij portari in triumpho Massilia uisa est: & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam Romani imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Cicero libro 2. Officiorum.

Ademta L. ANTONIO consuli Perusia, cùm aram Iulio Cæsari ædificasset, illic pro uictimis tercentum partim equites, partim senatores crudeliter mactauit. Fulg. lib. 9. cap. 10.

D. Bruto extincto, M. ANTONIVS, LEPIDVS, & C. OCTAVIVS circa Labinium flu. Mutinensis agri castra conferũt, triduoque in fluminis insula de summa rei locuti, societatem & fœdus iniuêre, ut ad arbitrium suum remp. administrarent, ita inter se prouincias partiti, ut Antonius Gallias teneret, usque ad Pyrenæos montes, Lepidus Iberiam & Libyam, Octauius Italiam cum Sardinia & Sicilia. Vt Cassio & Bruto Antonius & Octauius inferrent bellum, Lepidus interim consul cum tribus legionibus urbi præsideret. Destinant adhæc duasdeuiginti Italiæ urbes militibus distribuendas, in quibus agri & domicilia singulis assignarentur. Fuereque in his Capua, Rhegium, Venusia, Beneuentum, Nuceria, & Ariminum. Proscripti deinceps sunt CCC circiter senatores, equestris ordinis duo millia. Primus ex proscriptoribus fuit Lepidus, & ex proscriptis primus Paullus Lepidi frater. Secundus proscribentium Antonius, & L. Cæsar, ipsius Antonij auunculus, qui à Iulia sorore sua Antonij matre est seruatus. Antonius ea conditione auunculum proscribi passus est ab Octauio, ut Cicero sibi proscribendus ab eo traderetur. Mota sunt inde castra, legionesque ad urbem admotæ, quæ tres & quadraginta numero fuisse traduntur. Metus primò, mox & stupor ingens ciuitatem inuasit. Triumuiri singulatim urbem triduo ingressi, omnia terrore & armis complent. Ibi primùm omnium P. Titius trib. pleb. pro concione attonitam multitudinem affatus, pronunciauit Antonium, Lepidum & Octauium Triumuiros, sibi quinquennium deposcere ad remp. reformandam. Qua recepta, (stultũ fuisset negare, quod ui extorqueri poterat) proscriptionis tabulas in apertum referunt, præmiaq; proponunt iis, qui damnatorum capita retulissent. Tum uerò miserabilis fuga orta, multorumq; irriti conatus fuêre, turmarum ductoribus, exitus urbis, portas, signa, lacunas, pontes, & cætera ad fugam idonea, præsidio obtinentibus. Plurimi uiri & boni & illustres periêre, alij alio casu, cæterùm omnes miserabili euentu. Sed quum neq; proscriptorum bona, neq; ingentes alioqui rapinæ possent Antonij luxuriam explere: uirorum proscriptione confecta, mille & quadringentas locupletes Triumuiri proscripserunt feminas, quæ à Fuluia Antonij & Lepidi uxore domo repulsæ, in forum ad Triumuiros magno cœtu conuenêre. Tum Hortensia Q. filia ante alias proscripta, ad Antonium & collegas publicè uerba fecit. Quibus excandescentibus, quòd uiris silentibus mulieres in publico loqui auderent, lictores missi eas loco submouere cœperant, quum ad eam iniuriam planctus & muliebris comploratio orta flexit Triumuirorũ animos, ac cæteris tabulæ exemtis quadringentæ duntaxat sunt proscriptæ, quæ omnium bonorum rationem in publicum detulerunt. Inde ad centum millia ciuium, qui Romæ forisq; ditiores habebantur, pari ratione proscripta, ut bellorum onera à Triumuiris sustineri possent. Sed hi fortunis, non capite periclitati sunt. Multi per id tempus ad Brutum & Cassium, tanquam ad futuros uindices libertatis perfugerunt: alij ad Cornificium in Libyam: sed multo plures in Siciliam ad Sextum Pompeium, qui insulam cum classe obtinebat. Sab. lib. 8. En. 6.

AVGVSTVS Cæsar Perusia capta, in plurimos anim aduertit: orare ueniam uel excusare se conantibus una uoce occurrens, Moriendum esse. Scribunt quidam, trecentos ex dediticiis electos utriusq; ordinis, ad arani diuo Iulio extructã, Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Extiterunt qui tradetent, consultò eum ad arma isse, ut occulti aduersarij, & quos metus magis quàm uoluntas contineret, facultate L. Antonij ducis præbita, detegerentur: deuictisq; his & confiscatis, promissa ueteranis præmia soluerentur. Triumuiratũ Reip. constituendæ per decem annos administrauit: in quo restitit quidẽ aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed incœptam utroq; acerbiùs exercuit. Namq; illis in multorum sæpè personam per gratiam & preces exorabilibus, solus magnoperè contendit, ne cui parceretur: proscripsitq; etiam C. Toranium tutorem suum, eundemq; collegam patris sui Octauij in ædilitate. Iunius Saturninus hoc ampliùs tradit, cùm peracta proscriptione, M. Lepidus in Senatu excusasset præterita, & spem clementiæ in posterum fecisset: quoniam satis pœnarum exactum esset, hunc è diuerso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera: in cuius tamen pertinaciæ pœnitentiam, postea T. Iunium Philopœmenem, quòd patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decorauit. Suetonius.

IDEM Cæsar inita cum Antonio & Lepido societate, Philippense quoq; bellum, quanquam inualidus atq; æger, dupli ci prælio transegit. Quorum priore castris exutus, uix ad Antonij cornu fuga euaserat: nec successum uictoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris summitteretur, in splendidissimum quenq; captiuum non sine uerborum contumelia sæuit. Vt quidem uni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, Iam istam in uolucrum potestatem fore: alios patrem & filium pro uita rogantes, sortiri uel dimicare iussisse, ut alterutri concederetur: ac spectasse utrunq; morientem, quum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque uoluntaria occubuisset nece. Quare cæteri, & in his M. Fauonius ille Catonis æmulus, cùm catenati producerentur, Imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdissimo conuicio coràm prosciderunt. Suetonius.

VITELLIVS superato Othone, ut Bebriacenses campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadauerum tabem, detestabili uoce confirmare ausus est, Optimè olere occisum hostem, & meliùs ciuem. Suetonius.

Nusquam gentium maiora iræ argumenta extiterunt, quàm in factiosis ITALIÆ urbibus: ubi principes factionum in inimicorum potestatem redacti, uiui quidam combusti sunt, in crepundiis pueri interfecti, prægnantes matronæ execto utero cum partu crudeliter peremtæ, multi præcipitati, exenterati quidam, cordaque ad opprobrium suspensa ac diuerberata. Sed quales fuerint eiusmodi carnificinæ, illud declarat, quòd clementia fuit hominem subiicere securi, aut laqueo necare. Sab. lib. 9. cap. 3.

Olim inter digladiantes quasdã familias inimicitiæ ortæ sunt. Captus quidam ex factione altera, euestigiò concisus in minutissima frusta fuit: moxq; exemtum illi iecur, in prunis cãdentissimisque carbonibus à factionis eius PRINCIPIBVS tostum, perque buccellas minutim dissectum, inter cognatos ad id inuitatos, in ientaculum distributum. Allata etiam post degustationem tam execrabilem pocula, non sine collecti cruoris aspergine. Congratulationes habitæ inter se, risus, ioci leporesque cibum ipsum condientes: denique & diis ipsis propinatum, tantæ uindictæ fautoribus. Hanc historiam se Pontanus libro de Immanitate capite 13. ab auia sua Leonarda etiamnum puerum audiuisse scribit.

ROGERIVS Vbaldinus, Pisanus archiepiscopus Gibellinæ factionis, ab urbis administratione Vgolinum Girardescũ depulit, cùm ipsum in eo honore Guelfum Pisani constituissent, ut Lucensium atq; Florentinorum Guelfi nominis amicitiam aduersus Genuenses sibi conciliarent: quorum res in Gibellinorum Vbertorum, Auriæ, Spinulæq; manu erant: & à quibus maritimo bello Pisani magna clade afflicti, nouem millia, atq; insuper ducentos, anno Salutis 1284. è suorum numero desiderauerant. Carcere igitur longo maceratum Vgolinum cum duobus filiis totidemq; nepotibus, pollicitus archiepiscopus se incolumem seruaturum, si pecuniam, quam habebat, patefecisset: posteaquam eius thesaurum assecutus est, fame, cum tribus liberis, quadriennio pòst quàm clades illata fuerat, ad mortem compulit. Fulg. lib. 9. cap. 2. Platina in Nicolao III. Aemilius lib. 8.

Frãciscus Turrianus, Mediolani à fratre Napo, eius urbis principe contra Othonianos patricios Mediolano eiectos exercitum ducente, ad res urbanas tutandas relictus, quum uictoriæ nuncium accepisset, rogatus sententiam de captiuis: rescripsit, cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, ne renata uenenum rursus effundant. Contrà Cassonus Napi F. generoso consilio clementiæ laudem quærens, ne supplicium de patriciis sumeretur, obnixè est precatus. Sed NAPVS patritio sanguine iam pridem cruentatus, ad Galaratum oppidum duo & uiginti insignes patricios, ante alios & Languscum ducem, & Theobaldum Vicecomitem securi percussit, ceruicibus ad plaustri temonem appositis, atque ibi repetito sæpè ictu sæuissimè detruncatis. Id facinus nobilissimos quosque aduersus Turrianos concitauit, adeò ut non toto planè exacto triennij spacio, parem omnino cladem Turrianis rependerint. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Paganinum Turrianum Napi principis F. Vercellenses patritij Othoni Vicecomiti fauentes cum prætoriis aduentantem insignibus in itinere obtruncarunt. Quo nuncio NAPVS & EMBERRA Gallus, Caroli Andegauẽsis, ab Vrbano IIII. Pp. contra Manfredum Siciliç tyrannum, euocati, familiaris, & à Philippo Napi fratre prętura Mediolanensi ornatus, adeò in uindictæ cupiditatẽ exarsere, ut immani eorũ iussu, omnis sexus & ætatis exulum propinqui, cùm Paganini cadauer ad diui Dionysij templum atrata familia conuexisset, ad eius tumulum tanquam hostiæ mactarentur, & quod miserabile spectaculum fuit, ad sepulcra maiorum plaustris in urbem referrentur. Scribit Tristanus Scalchus, adeò uęsana rabie Napum fuisse correptum, ut Musca filius, ad quem postea ex diuturno carcere recuperati imperij laus peruenit, comprehenso medico, cui salutem ex lethali morbo acceptam referebat, uitam uix impetrare potuerit: cùm grauissimè iuraret iuuenis, dolore atque inedia sibi uitæ exitum inuenturum, nisi uir sibi salutaris & innocens ab crudeli supplicio seruaretur. Tandem ab Othone Vicecomite uictus, uitam cum tyrannide, sic uti merebatur amisit. Ibidem.

ANGLI cùm hostili bello carerent, ciuilia cum tanta crudelitate gesserunt, ut ludicra uideantur quæ de tragica Thebanorum feritate prodita sunt, præ his quæ à Polydoro narrantur: qui tamen in gentis gratiam multa scripsisse fertur. Nec mirum uideri debet, si Philippus Cominius scripserit annis ferè XXX, quibus bella ciuilia gesta sunt, sua ætate cæsos esse regiæ stirpis homines ampliùs LXXX. Omitto reges duodecim, qui populi seditione ac principum coniuratione cæsi, aut imperio spoliati fuêre. Ioannes Bodinus Methodi histor. cap 6.

Socij crudeles erga Socios.

Quintilius Varus in Galliam ab Augusto Cæsare missus, cùm Gallis perinde atq; seruis imperaret, & pecuniam tanquam à subditis exigeret: GALLI simulata beneuolentia, cùm is compararet exercitum, frequentes ad eum uenerunt, quasi socij futuri ad bellum gerendum. Postea autem, eum nihil tale cogitantem inuadunt in locis quibusdam difficillimis, & circumstantes undiq; iaculantur, quo ad exercitus populi Romani, qui neq; sibi auxilio esse, neq; se fugæ mandare poterat, interiit. Dion in Augusto.

Lupus Brittius, post Ioannem Sylueriam arcis in insula Zeilãdense à Lusitanis anno 1521. extructæ præfectus extitit. Arce ad summum perducta, LVSITANI insolentiùs efferri, incolas iniuriis afficere, magnum decus in illis uexandis reponere cœperunt. Illi uicissim contumeliis irritati, commeatum subtrahere, malignè omnia præbere, & omnes, quos

solos inueniebant, plagis afficere, & in rebus omnibus hostilia machinari. Brittius iniurias ab incolis illatas dissimulabat, & suos, ne quidquam in eos hostile molirentur, continebat: interim uerò rectores per nuncios admonebat, ut suos à maleficio deterrerent. Milites autem fremebant, & Brittium ignauiæ & timiditatis insimulabant, quòd tam indignas contumelias pateretur: & ei frequenter instabant, ut malo cogeret homines suum officium facere, & quotidiano conuitio ab eo contendebant, ut incolas acri bello contunderet. Brittius ne in hominum imperitorum uituperationem ueniret, in ueram reprehensionem temeritatis incurrit. Nam post meridiem, tempore, quo incolæ sine ulla formidine propter æstum grauissimum, qui terras illas adurebat, in domibus suis quiescebant, ex arce centum & quinquaginta milites Lusitanos eduxit, homines imparatos inuasit, oppidum cæde & terrore compleuit, & incolas in fugam compulit. Illi postquam in campo conglobati, & à repentino pauore refecti sunt, cogitare cœperunt, se uxores & filios in oppido omni præsidio nudatos reliquisse. Itaque rursus in oppidum reuersi sunt, & arcem obsederunt. Quinque mensibus obsessi sunt, antequam auxilium afferri posset. Brittius Cochimum nuncium misit, qui nunciaret, rem esse in extremum discrimẽ adductam. Alexius tamen Menesius quinquaginta Lusitanos milites in una trireme, cui Antonius Lemius præerat, illis auxilio misit. Qui cùm propter aduersas tempestates (hyems enim erat) tardissimè nauigarent, nimis serò in arcem peruenêre. Ibi cùm Lemius Brittio diceret, non esse, cur aliud auxilium expectaret, antè quàm Siquelra reuerteretur: & si diutiùs expectaret, intelligebat esse omnibus fame pereundum: omnem spem salutis in uirtute collocandam statuit. Antonius Lemius cum triremi una subsidio uenit: & per totam noctem è triremè hostium munitiones & turres uehementissimè uerberauit. Manè uerò, cùm hostes in triremẽ essent intenti, & nihil minùs opinarentur, quàm fieri posse, ut qui erant in arce inclusi, egredi auderent: Brittius cum trecentis militibus Lusitanis erumpit, hostes imparatos inuadit atq; fundit. Rex cùm cerneret magnam nobilitatis partem eo prælio cæsam fuisse, & Saracenos, qui præcipuè belli auctores fuerant, primos omnium se in fugam dedisse, & suspicaretur sibi adhuc bellum integrum restare, pacem petiit. Osorius lib.12. rerum Em.

Præceptores crudeles erga Discipulos.

ORBILIVS Beneuentanus ludi magister fuit Romæ, tanta in discipulos seueritate, ut plagosus appellaretur, & uulnerarius.

NERO & GALEACIVS Sforcia præceptores ulti sunt. Ille enim, quòd puer à Seneca præceptore uerbera tulisset, mori eum coegit: data tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spacio, teste Suetonio. Hic factus dux Mediolanensis, Nicolao Montano pædagogo, à quo puer uapulauerat, totidem plagas nudis natibus rependi, se inspectante, iussit. Quæ iniuria effecit, ut is tres ex suis discipulis, præsertim uerò Hieronymum Olgiatũ, ad tyranni cædem inflammarit. Iouius in Galeacij elogio.

PHILAGRVS, Cilix patria, Lolliani auditor, sophistarum uehementissimus, sed & maximè iracundus, quondam dormitanti auditori pugnum in malam impegit. Cælius lib.21. ca. 7. Antiq. Lectionum.

ARCADIVS Imper. ab Arsenio uirgis cæsus, percussorem in præceptorem subornauit. Is metuens insidias, fuga sibi consuluit, & eremita factus est. Nicephorus lib.12. cap.23.

Condiscipuli crudeles.

ALEXANDER Magnus crudelis in condiscipulum Callisthenem, quòd palàm dictitaret, Alexandrum nõ adorandũ esse, coniurationis cum conscium fuisse criminatus est, eũq; truncatis membris, abscissisque auribus, labiis ac naso deformatum, post uaria tormentorum genera de medio sustulit. Seneca lib. 6. Naturalium quæst. & Plut. in eius uita.

Oeconomica uita. Crudeles

In Genere, erga plures domesticos.

HERODES Iudæorum rex, non tantùm erga infantes suam crudelitatem exercuit, sed in uxorem etiam Mariammen maximè amatam efferbuit. Iosephus.

ANGELVS Rossetus Ferrariç, incertum quibus furiis accensus, anno 1538. VII. Iunij, seruum primùm, ancillam anum, uxorem prægnantem, filium, sororem denique, confodit. Sumtum de eo supplicium 3. Nouembris. Ex Ioannis Sinapij epigrammate.

Parentes erga Liberos.

☞ *Consule Titulum, Perfidiæ parentum erga liberos.*

ALCIMEDON heros, filiam Philonem ab Hercule constupratam feris cum puero exposuerat. Ibi uagientem infantẽ cùm pica imitaretur, ad auis uocem, quòd puerilem esse credidisset, Hercules fortè illac iter faciens conuersus, puellam & à se genitum puerum agnoscens, ambos uinculis liberauit. Pausanias in Arcadicis.

STAPHYLO ac Chrysotheodæ fuisse tradunt filias tres, Molpadiam, Rheam, Partheniam. Rheam ab Apolline compressam, grauidam esse factam: patrem iratum, tanquam ab homine corruptam filiam, in arca inclusam, in mare deiecisse: quæ cùm in Delum appulisset, filium genuit nomine Aniũ. Mulier præter opinionem salutem assecuta, infante postpartum super Apollinis altare posito, deum orauit, ut si ex eo esset genitus, puerum seruaret. Apollinem dicunt abscondito infante eius educandi curam cepisse: doctumque deinde diuinandi artem, magno honore affecisse. At uerò Molpadiam Partheniamque custodientes uini amphoram, paulo antè inter homines reperti, somnus oppressit. Interim scrofa, thalamum ingressa, uini amphoram fregit. Virgines patris iracundiam ueritæ, cùm ad litus confugissent, è saxo se in mare præcipitauêre. Apollo in sororis gratiam, manibus susceptas, in Cherronesi urbes incolumes detulit. Partheniæ in Bubasto Cherronesi diuûm honores habiti, & fanum ædificatum. Molpadia in Castamum accedens, prædicatione Apollinis Semidea dicta, apud Cherronesios in honore fuit. In eius sacris, propter casum qui ex uino accidit, melicrato libant. Tangentem uerò aut edentem porcum, nequaquam fas est templum ingredi. Diodorus libro quinto, capite decimoquarto.

ALEVS rex Arcadum filiam Augen ab Hercule hospite uitiatam ob stuprum in mare præcipitari iussit. Ij tamen, quibus hoc demandatum fuit, regiæ puellæ fortunam miserati, eã perdere nolentes, Caribus inde soluentibus in alias procul terras asportandam tradidere. Sabellicus libro sexto Enneadis primæ, ex Pausaniæ Achaicis. Diodorus libro 4. capite 2. Strabo libro 13.

PENELOPE, Vlyssis filium Euryalum, ex Euippe Tyrimmæ filia susceptum, missumque à matre in Ithacam, tanquam insidiatorem, perfidè zelotypa, patri occidendum persuasit. Quem Vlysses præ iræ impotentia manu sua occidit. Parthen. de Amat. cap.2. & 3.

Habitauit Thebis Bœotiæ EVMELVS Eugnoti F. filiusque fuit ei Botres nomine. Pater magno opere Apollinem colebat. Quodam tempore Botres, cùm ei sacris operanti adesset, cerebrum comedit, priusquam hostia esset aræ imposita. Id cùm sensisset pater, præ ira titionem ab ara raptum, capiti pueri impegit: qui sanguine defluente collapsus palpitauit. Mater & pater atque famuli re conspecta, maximum sustulerunt luctum. Sed Apollo patris misertus, puerum in auem æropum mutauit: quæ cùm etiamnum in terra pariat, semper tamen uolatum molitur. Antoninus Liberalis in Metamorphosi.

Qui Græca colligunt adagia, citant ex Aeschylo huiusmodi fabulam. Eteocles & Polynices, de more patri OEDIPO carco ex unoquoque sacro partem anteriorem mittebãt. Cùm autem aliquando per imprudentiam atque incogitantiam, coxam, hoc est, posteriorem partem misissent: ille existimãs id non obliuione neque imprudentia, sed contumeliæ causa factum, imprecationibus diris eos est execratus. Erasmus in Adagiis.

Cycnus, Colonis oppidi Troadis rex, filium Tennem, ob Philonomes nouercæ falsam accusationem de stupro intentato, cum Hemithea sorore arcę inclusum in mare abiecit. Deorum ope salui in Leucophryn insulam peruenere. Tenni inde imperio insulæ potito, pater ad illum nauigauit, quo se illi purgaret, & eius, quod per credulitatem temerè commisisset, facti ueniam posceret. Cùm itaq; appulisset, & ad saxum siue arboris truncum nauem religasset, Tennes ira impulsus, bipenni retinacula abscidit. Ex eo in prouerbij consuetudinem uenit, ut quidquid quiuis præfractè negarit, is Tennedia bipenni præcidisse dicatur. Pausanias lib.10. & Diodorus lib.5. cap.17.

Phœnix Amyntoris filius, qui Achillem ad Troiam comitatus est, matri gratificaturus, patris interfecit pellicem. Prætulit AMYNTOR proprium affectum domesticæ pietati: filiũque dirè execratus, domo ac patria pulsum perpetuo mulctauit exilio. Sab. lib.3. cap.3.

ALTHEA, Oenei uxor, ut duorum fratrum cædem ulcisceretur, Meleagrum filium cædis auctorem crudeliter deuouit, deuotum ad mortem compulit. Fuit hoc iræ indulgere, non seuerè animaduertere: secuta tamen est continuò pœnitentia, animoque consternata mulier laqueo uitam finiuit, ac domesticam cladem propria morte cumulauit. Ibidem ex Ouidij Transmutationibus.

HIPPOMENES Atheniensium princeps, Limonem filiam in adulterio deprehensam, equo feroci & famelico præbuit absumendam. Ouid. in Ibin:

Solaq; Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente ferox uiscera carpat equus.

Ortum est hinc adagium, Magis impius Hippomene, Suidas. Aeschines aduersus Timarchum eiusque domicilij solum sua etiamnum ætate superfuisse tradit, quod ex re dicebatur παρ' ἵππον καὶ κόρην: id est, apud equum & uirginem. Erasmus in Adagiis.

HIPPODORVS unus Codridarum, inuidiam populi uitare cupiens, & optimi principis famam inter Athenienses adipisci: filiam cum mœcho deprehensam currui iussit alligari, atq; discerpi. Aelianus de Varia historia.

PELASGI, cùm uiderent liberos, quos ex uxorib. Atheniensibus, diem festum apud Brauronem agẽtibus raptis, susceperant, mutuò sese inuicem aduersus Pelasgos tutari & defendere, ac dignos se existimare, qui aliis pueris dominarentur: inter se dicebant: Si nunc, dum pueri sunt, sibi inuicem opitulantur aduersus filios uxorum legitimarum, quas uirgines duximus, quid facient adulti? Itaq; filios è matribus Atticis susceptos necarunt, simul & mares. Herod. lib. 6.

Fuerunt (ex numeroso, ut credere est, pellicatu) quinquaginta filij ARTAXERXI Persarum regi. Hi Darij impulsu, quem pater contra morem gentis uiuens regem constituerat, in senem coniurant. Nefarij consilij causa inde orta, quòd pellicem unam, Aspasiam nomine, petenti Dario negasset pater, facinus ostento simile, quòd in paternam cædem numerosa illa filiorum phalanx conspirare potuerit, nullo discrepante. Cæterùm omnis humanæ pietatis immemor pater, Darium concepti sceleris conuictum cum numerosa illa fratrum cohorte extremo affecit supplicio, coniugibus & liberis interfectis: ut ex tanta nuper sobole ne progenies quidem ulla superesset. nec ipse multum inde superuixit huic domesticæ cladi, morbo & mœrore confectus. Rex felicior quàm pater, regnauit annos duos & sexaginta, nonagenarius obiit. Sabellicus lib.3. cap.3. ex Plutarchi Artaxerxe.

TIGRANES Armeniorum rex, in uenatione collapso equo, cùm humi iaceret, præsentesq; duo eius filij essent: maiorem natu, quia parentem non iuuit, & mortuum arbitratus, eius diadema capiti suo composuit, statim ut à casu surrexit, interimi iussit, regnumq; minori natu filio tradidit: quia & patrem iuuit, & ex casu dolorem se accepisse ostendit.

MITHRIDATES Ponti rex, Tigranis socer, cùm aduersus Bosphoranos & Colchos, qui ab eo rebellauerant, exercitum duceret: Colchi se imperata facturos ostenderunt, si eis filium principem dedisset. In ea re cùm eis morem gessisset, positis armis Colchi pacatos se præbuerunt. Cæterùm haud multo pòst, is filium Mithridatem sub aliarum rerum prætextu uocatum ad se, quia eius opera defecisse Bosphoranos & Colchos putabat, cathenis aureis uinxit, & postremò mori coegit.

Carthaginenses detestandum patriæ morem secuti (consueuerant enim ducum suorum culpæ ascribere, quæ aduersa fortuna contigissent) MATHONEM cum toto exercitu exilio multarant: quia peste magna ex parte consumto exercitu, in Sicilia atq; Sardinia uict[9] fuerat. Milites in desperationẽ uersi, naues conscenderunt: & Carthaginem profecti, malè de se merentem patriam obsidere cœperunt. Contigit ut ea iter faceret Carthalo sacerdos, Mathonis filius, qui Tyro sacrorum causa reuertebatur. Is à patre uocatus, subsistere neglexit, sed rectà Carthaginem tetendit. Id, ut debebat, religione motus, patienter Matho tulit. Sed non multo pòst, Carthaginẽsium permissu, Carthalo sacerdotali ueste amictus, atque corona ornatus, in castra ad uisendum parentem uenit. Indignatus Matho tanto ornamento, cùm antè filium corripuisset, quòd in tam superbo habitu, ad miserum parentem conciuesque exules uenisset (quippe qui ita eorum casibus insultare uidebatur) in altissimam crucem sublatũ, mori coegit. Fulg. lib.5. cap.8.

HERODES rex Iudæorum, filios duos præstantissimos, Aristobulum & Alexandrum, falsis insidiarum criminationibus circumuentos, in consessu CL uirorum, Beryti damnatos, Sebaste strangulari fecit. Iosephus lib.16. cap.17.

CONSTANTINO Magno Imperatori ex uxore priore, quæ fuit ab eo dilecta, natus dicitur Crispus (quem Sext. Aurel. ex Mineruina scribit concubina progenitum) eum interfecit. Dicunt enim Faustam, Maximiani Herculij F. priuignum Crispum, quia eum deperibat, ad libidinem sæpiùs tentasse, & renuentem detulisse apud maritum, illum uoluisse uim inferre: & uirum præbuisse fidem delationi, iussisseque interfici. Cæsus est in oppido Istriæ Pola. Post aliquot annos comperta causa, occidisse uxorem. Alij aliter tradunt, insidiis Faustæ circumuentum Crispum occubuisse, ne peritia in militando filiis obesset: & propterea pòst paulò sublatus est Licinius iunior. Non caruit suspicione ex eo quod factũ est Constantinus, quòd aliquot, quos nouerat cædis illorũ misereri, perdidit. Faustam fertur in balneas ardentes coniectam interemisse, matre Helena instigante. Cusp. & Suidas.

Mortuo Gorbodione Britannorum rege, Ferrex & Porrex filij, inter se de regno dimicare ceperunt, in quo certamine Ferrex interfectus est. Cuius rei dolore mota Gorbodionis VXOR, filium Porrecem fratricidam dormientem, ope ancillarum crudeliter interfecit. Polyd. lib.1.

IRENE Augusta, cùm eam Constantius VI. filius ab administratione imperij deiecisset: post Leonis IIII. uiri sui mortem, eundem à populo in uincula coniectum excæcauit. Ex quã calamitate haud diu superuixit. Fulg. lib.5. cap.8.

Sugerius SIGISMVNDI Burgundorum regis F. ex filia Theoderici Ostrogothi, superindicta à patre nouerca, non ut priuignus modò nouæ nuptæ inuisus erat, sed quòd imprudè matrem defunctam laudaret nimis, generosioremque eam fuisse contenderet; quàm cuius mundo ornamentisq; illam excoli conueniret: adeò stimulos nouercales in perniciem suam acuit, ut ea illum appetiti regni insimulante, pater uxori deditus, ad quiescentem filium, duos suorum intromiserit, qui laqueo ceruici iniecto spiritum intercluderent. Ob hoc parricidium à Clodamiro rege Aurelianensium interfectus est. Aemilius lib.1.

FRIDERICVS II. Imp. filium Henricum in carcere peremit, suspicatus sentire eum cum Gregorio IX. Pontifice, quo cũ Fridericus bellum non sine magna odij acerbitate gerebat. Fulgosus lib.5. cap.8.

LEONEGILDVS Gothorum rex in Hispania, Arianus, cùm sciuisset Hermogildum filium catholicum effectum, idq; uxoris Nigegundæ, Childerici Gallorum regis sororis, item Leandri Hispalensis episcopi suasu, eum crudelissima morte affecit. Fulg. lib.5. cap.8. & Ritius lib.1. Hispaniæ: & Sigebertus, qui Leuigildum uocat.

DEVTERIA Gallorum regina uidua, Theodeberto Gallorũ regi nupsit, secumq; formosissimam ex primo uiro susceptã filiam duxit. Suspicata autem Theodebertum ad hanc animum adiecisse, interimi puellam iussit: leuissimæq; suspicioni maternus amor cessit. Fulg. lib.5. cap.8.

CLOTHARIVS Gallorum rex, cùm Vasconibus Aquitanisque Granum (alij Chranum uocant) filium præfecisset, & is amicorum monita non audiens, patris imperium aspernãs, palàm ab eo rebellasset: aduersus eum cum ingenti exercitu profectus, cedere usque in Morinos Venetosque, siue in Britones filium coegit. Illic demùm uictus captusque, & unà uxor ac liberi eius statim Clotharij iussu simul colligati, in pastorali casa, uiui, spectante patre, combusti sunt. Fulg. lib. 5. cap.8. ex Sigeberti Chronicis, anno 563.

CAROLVS Caluus rex Francorũ, filium suũ Carolomannũ, quem inuitum fecerat clericum, cùm ea professione abiecta regnum affectaret, & collecta manu Ecclesias uastaret, cepit, & oculis priuauit. Eam impietatem Deus ulciscens, filiũ eius alterum cum Albino milite congressum, occidi permisit, anno Domini 872. Regino lib.2.

Carolo VI. apud Gallos regnante, COMES Foisseius Gallus, cùm ei dotalem pecuniam Nauarrensis rex, uxoris frater deberet, illaque ad eum profecta nihil profecisset: uerita ad uirum propter eius iracundiam redire, se apud fratrem continebat. Filio autem, Vascone nomine, ad eam uisendã profecto: rex, dum eum dimittit, posteaquam de Comitis ingenio quædam locutus, iniquè ipsum aduersus pueri matrem agere dixisset, puluerem in paruo folle dedit: ostendens, si eo pater uesceretur, fore ut uxorem diligeret. Puer ab illegitimo fratre, quo cum de ea re uerba fecerat, apud patrem accusatus, cùm pulueri uenenum inesse experimento cognitum esset, in uincula à patre coniectus, periisset, nisi populus ueniam ætati, in qua dolus non erat, impetrasset. Pater, proditione filio exprobratã, in tetro eum carcere macerabat. Filius in desperationẽ adactus, obstinato animo omni cibo abstinens periit, neque uel blanditiis paternis à proposito reuocari potuit. Fulg. lib.5. cap.8.

VSSVNCASSANVS Persidis ac Armeniæ rex, Masubeum filium secum semper in uinculis duxit, atq; ad extremum mori coegit: quia cum matre ipsius Gurlumonech, qui ab eo desciuerat, sensisse dicebatur. Fulg. lib.5. cap.8.

AMVRATES rex Turcorum, cùm urbem Didymotęchum fame enectam accepisset, Sauzem filium rebellem captum oculis priuauit: Græcos reliquos ex urbe uinctos, præcipites in flumen subiectum deiici imperauit. Castris iuxta flumen fixis, spectabat optimates Græcorum ut præcipitarentur ex urbe, nunc bini, deinde & terni. Cùm interuenisset ex improsò lepus à canibus agitatus, fertur cachinnum sustulisse. Posthæc parentibus eorum qui se iunxerant Sauzi seditionem conciranti, præcepit ut filios necarent suis manibus. Patres duo noluêre tam crudele exequi imperium, & ipsi trucidati sunt simul cum filiis. Chalcocondylas lib.1.

TANCREDVS princeps Salernitanus, filiã unicam Sigismundam filio Campani ducis in matrimonio collocarat. Sed non multos post annos marito defuncto, uidua est ad patrem reuersa. Pater cùm filiam apud se retinere cuperet, de

secundis nuptiis minimè cogitauit: neq; illa præ pudore de iis patrem compellare fuit ausa. Ergo ex aulicis unum infimi ordinis, humili ortum loco, sed uirtute & forma nulli secundum, Guiscardum, amare cepit. Literas arundini concauæ includit, eam per iocum iuueni donat, ignis excitandi percommodum instrumentum. Guiscardus ut in cæteris, sic etiam in hac re ingeniosus, arundinem aperit, literas perlegit, Sigismundæ uoluntatem erga se intelligit, mutuum in amore reponit. Erat iuxta principis ædes antiquum antrũ, uepribus undique obtectum: è quo aditus erat secretus ad cubiculum, in quo Sigismunda degebat. Per eum locum ut ad se ueniret corio undique obtectus, contra ueprium iniurias, Guiscardum monuerat, altitudinis etiam mensura literis denotata, quo ille parato instrumento descendere posset. Eo loci sæpe amantes conuenere. Accidit ut Tancredus die quadam pro more in cubiculum filiæ ueniret, cum ea colloquendi causa. Aberat illa tùm in horto cum æqualibus ludens. Tancredus in lectulo se componit, & obducto peristromate quieti se dat. Sigismunda clanculum ab ancillis se subducens, tanquam meridiatura in cubiculum se confert, ostioque aperto Guiscardum ex antro ad se recipit. Pater experrectus, amantes tacitus uidet: iram tamen in præsens cohibet, Guiscardi circumueniendi consilium mente agitans. Vbi ille in antrum discessit, & ad ancillas Sigismunda rediit, Tancredus quoque cubiculo excessit. Missis inde famulis, noctu ex antro erepentem iuuenem cepit: & hoc unum præfantem, Magna tua est Tancrede potentia, sed Amoris longè maior, in uincula coniecit. Filiam inde conuenit, seuerè obiurgat, Guiscardi mortem denunciat. Illa obfirmato animo nec negare factum, nec deprecari: sed comitẽ mortis fore profiteri, si crudeli patri ita uideretur, sin minùs, suo se sanguine sponte amantissimis manibus parentaturã. Tancredus à filia digressus, ut alieno sanguine filię stuprum expiaret, Guiscardum noctu iugulari, & cor exectum in aurea phiala ad Sigismundam deferri præcepit, cum his uerbis: Pater tuus hoc tibi dono mittit, ut consoleris te de ea re, quam tu plurimum amas: quemadmodum & tu eum ea re, quam ipse plurimum amabat, consolata es. At Sigismunda post patris discessum, & amore & ira furens, pharmacum lethale insciis ancillis parauit, quo si quid seuerius pater in Guiscardum statuisset uteretur: adeoq; ad famulum, cor in patera afferentem, conuersa, Sapienter hoc demum à patre factum, inquit, qui cor aureum loculo ornauit aureo. illudq; ardentibus osculis admouens, largo lacrymarum imbre irrigauit. Multa inde de patris erga se & Guiscardum crudelitate conquesta, tandem siccatis oculis ait: O' amantissimum mihi cor, persolui equidem tibi officium meum, nec aliud restat iam, nisi ut te comitem sequar: acceptumq; poculum impauida hausit. Hinc lectum superascendit, pateram cum corde manibus tenens, amantisq; cor cordi suo admouens, mortem præstolabatur. Ancillæ metu territæ, rẽ omnem ad Tancredum detulerunt. Qui & ipse formidans, ne quid durius in seipsam filia consuleret, confestim in cubiculum eius descendit: intellectaq; mortis necessitate, miserabiliter seipsum ac filiam deplorabat. Cui Sigismunda, Conserua, inquit, Tancrede, lacrymas tuas, ad eas miserias, quarum tu non sis auctor: nec mihi eas impende, quia nec desidero illas, neq; uolo. Sed tamen quicquid etiam nunc superest eius caritatis, quam erga me habuisti, extremum hoc munus oro precorq;, corpus ut meum cum Guiscardi corpore uno atq; eodem sepulcro collocetur, ut postquàm tacitè ac absconditè cum eo me uiuere noluisti, mortuam saltem palàm cum illo (quocunq; eum proieceris) reponas. Tancredus post multos ac miserabiles gemitus, publico Salernitanorum funere in eodem sepulcro ambos sepeliri fecit. Leon. Aretinus, ex Boccacio.

Liberi erga Parentes.

☞ *Consule Tit. Parricidii, & Impietatis filiorum erga parentes.*

ORESTES matrem Clytæmnestram interfecit, quòd illa suasu Aegysthi adulteri Agamemnonem patrem occidisset.

Semiramidem à NINO filio interemtam produnt, quòd eius concubitum & congressum optasset, quæ priùs equi amore flagrauerat. Cæl. lib. 37. cap. 12. Iustinus lib. 1.

HARPALICE patri & simul marito Clymeno, fratrem iuniorem à se mactatum festo sacrificiorum die, in quo publicè omnes conuiuabantur, comedendum proposuit, mutataq; est in Chalcidem auem. Clymenus seipsum interemit. Parthen. de Amat. cap. 13. ex Euphorione.

Periander Corinthius tyrannus, occisa Melissa coniuge, susceptos ex ea filios, ab Epidauro, ubi apud maternum auum alebantur, accersiuit. Aui nomen Procles erat, qui priusquam nepotes à se dimitteret, seorsum uocatos monuit his uerbis: Ignorare uos nolo, Periandrum patrem uestrum, sine ullo iure filiam meam parentem uestram Melissam occidisse. nullamq; rem ultrà locutus, pueros ad patrem dimisit. Ea uerba, quæ maior natu filius paruifecit, altiùs in minoris natu pueri, qui iam sextum decimum agebat annum, nomine LYCOPHRONIS, animo tantam indignationem mouerunt, ut posteaquam Corinthum peruenit, nec alloqueretur parentem, nec appellanti responderet. Quamobrem domo pulsus à Periandro patre, apud quosdam amicos alebatur. Cùm nec ob id quidem sententiam mutaret, Periander omnibus interdixit, ne eum exciperent. Itaq; cùm ipsum iã excipere nullus auderet, Lycophron in foro locisq; publicis diuersabatur: iis rebus tantùm uitam agens, quæ præ misericordia offerebantur. Cùm ne hoc quidem incommodo Lycophron à proposito discederet, tandem à Periandro edictum est, ut sub capitis pœna nemo eum alloqueretur, neque re ulla iuuaret. Itaq; triduum ieiunus Lycophron mansit: & cùm ad eum postea pater accessisset, & miseriæ, in qua erat, admonuisset, spe facta, si sententiam mutasset, principatus se successorem eum relicturum, filius hæc pauca respondit: Pœnam pater incurristi, quia contra edictum tuum me allocutus es. Vnde magis indignatus Periander, Lycophronem in Corcyram misit: & cùm iam annosus morti se uicinum putaret, accersiri Lycophronem iussit, ut ei Corinthiũ regnũ relinqueret: arbitrat' eũ ingenio ac uirtute alios anteire fratres. Verùm à Corcyræis interemtus fuit. Herod.

TENNES Cycni F. à Philonome nouerca de incestu sollicitatus, cùm eam repulisset, traductus fuit apud patrem, quasi illam inuitam & repugnantem constuprare conatus esset. Mẽdacio captus Cycnus, iuuenem cum sorore Hemithea in arcam inclusum, in mare abiecit. Incolumes illi in insulam exponuntur, quæ postea ab ipsis Tenedos fuit appellata. Sed fraude aliquando detecta, ad filium Cycnus nauigauit, quò sese illi purgaret, & temerarij ac inconsiderati facti ueniam posceret. Cùm itaque appulisset, & ad saxum siue arboris truncum nauem religasset, Tennes ira impulsus, bipenni retinacula abscidit. Pausanias lib. 10.

Fabius Fabricianus, magni Fabij gentilis, capto Tuscio, quod Samnij erat caput, Venerem Victricem, quæ apud eos colebatur, Romam misit. Huius Fabia uxor ab iuuene quodam formæ eximiæ Petronio Valentino nomine stuprata, uirum suum per insidias interemit. Fabia fratrem etiamnum infantem FABRICIANVM periculis expediuit, misitq; furtim educandum. Qui postquam adoleuit, & matrem & eius adulterum occidit: eumq; senatus noxa soluit. Proditum hoc est à Dositheo libro III. de rebus Italicis. Plutarchus de Græcorum & Rom. comparat.

NICOMEDES, cùm patri Prusiæ Bithyniæ regi suspectus esset, quòd à populis nimiùm diligeretur, ab eo Romam missus est: & quia illic quoq; eum in honore Romani habebãt, patri suspicio atq; odium simul creuit. Itaq; cùm tentaret, ut Romæ occideretur: re ab eo detecta, qui ad cædem peragendam missus fuerat, Nicomedes in Bithyniam profectus, cùm populi à Prusia patre rebellassent, fugientem cum interfici iussit. Fulg. lib. 9. cap. 10.

ANTIOCHVS Gryphus, Syriæ rex, cùm sciret uenenatam esse potionem, quam ei mater porrigebat, coegit, ut eam mater biberet. Qua hausta, repentè mortua concidit. Ibidem.

Cosroes Persarum rex, cùm ab Heraclio Imp. per annos sex bello esset in Persia exagitatus, & filium suum natu minorem regem designasset: SYROES filius natu maximus, uindicaturus ius suum, patrem captum indignis tractauit modis. Primùm manibus pedibusq; ligatis, è collo etiam ferrea pila suspensa, cum in altissimam turrim, quam is ad recondendas pecunias condiderat, deiecit: ibi solo pane & aqua parcissimè pauit, addens sæuissimas exprobrationes, De auro comederet, quod immani uastatione orbis terrarum collegisset. Inde extractum, spectatorem cædis filiorum, illius præsertim, quem regem fecerat, esse coegit: multisq; conuitiis proscissum obtruncauit, cadauer omni ludibrio affecit, & sagittariis tanquam scopum, in quem collinearent, per quinq; dies integros proposuit. Paulus Diaconus lib. 18. rerum Rom. & Regino lib. 1. Chronici.

ALPHONSVS primus rex Lusitaniæ, matrem coniecit in uincula, quòd mortuo primo marito secundas tentasset nuptias. Rauisius.

SANCTIVS Castulonensis Comes, cùm à materna ancilla accepisset, à matre principem quendam Arabem amari, & ut commodiùs eo frueretur, ab ea uitæ suæ insidias parari: quo tempore poculum, in quo uenenum miscuerat, mater porrexit, Sanctius ipsam ut priùs biberet coegit. Illa confestim mortua est. Fulg. & Egnat. lib. 9. cap. 10. Exemplorum.

EDVARDVS III. Anglorum rex ab exilio reuocatus, princeps alioqui opt. contra Emmam matrem iniustior fuit, auctore Goduino, comite Cantianorum, quòd Canuto Daco patriæ hosti nupsisset, quòd filios exules nihil iuuisset, quòd filiis mortem machinata diceretur. Itaque bonis omnibus spoliatur. Haud multo pòst insimulatur quoq; criminis uiolatæ pudicitiæ, cum Aduino Vintoniensi episcopo. Quare ambo Vintoniæ in custodiã traditi: Emma palàm se periculũ seruatæ continentiæ per ignẽ subiturã professa, die dicto, ignitos uomeres nudis pedibus illæsa calcauit. Quo miraculo rex commotus, mira pietate posthac matrem coluit. Polydorus lib. 8. Anglorum hist.

TISO Nouellus, Comes Patauinus, de Cãpo sancti Petri, matre Coniza in adulterio cum Aymo Burgundione deprehensa, hortante matris fratre Marsilio Carrariensi, ambos occidit. Fulg. lib. 6. ca. 1. & Scardeonus li. 3. classe 3. hist. Pat.

Comitis Foisseij FILIVS patri, à quo in uincula fuerat coniectus, ignoscere noluit, sed pertinaciter semetipsum inedia necauit. Vide Tit. præcedentem.

Coniuges crudeles.

☞ *Consule Tit. Vltionis Zelotypæ, quatenus impudicitiæ uel suspicione uel deprehensione coniuges ulciscuntur.*

PROGNE Pandionis Athenarum regis filia, Ityn filium unicũ marito suo Tereo Thracum regi apposuit comedendum, quòd stuprum intulisset Philomelæ sorori. Strabo lib. 9. Pausanias in Phocicis. Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. ca. 10.

Iasonem Corinthij tradunt, cùm annis decem cum MEDEA uixisset, genuisse ex ea filios natu maximos duos, Didymũ Thessalum, Alcimenum, his posteriorem tertium Tisandrũ: quo tempore aiunt Medeam magno in honore non solùm propter speciem qua eminebat, sed propter prudentiam, cæterasq; quibus ornata erat uirtutes, à uiro habitã esse. Paulatim deinde ætate decorem formæ auferente, Iason Glaucæ Creontis Corinthiorum regis filiæ amore captus, uirginem nuptui à patre petiit. Annuente Creonte, certumq; nuptiarum statuente diem, Iason Medeæ nititur spontaneum diuortium persuadere. Ait enim, cupere se illam uxorem ducere, non in eius contemtum, sed ut filios suos in domum regiam ea cognatione introduceret. Aegrè uerba hæc ferente Medea, deosq; testes iuramenti præstiti appellante, Iason suscepti beneficij oblitus, Creontis filia uxore sumta, Medeam urbe expulit. Illa cùm à recessu diem unum à Creonte petiisset, noctu regiam ingressa, certis medicamentis immutata facie, domum incendit, radice quadam à Circe inuenta, ea uirtute, ut incensus ignis nequiret extingui. Repentè conflagrante regia, Iasonem exiluisse tradunt, Glaucã Creontemq; igne absumtos. Quidam scriptores uolunt, Medeę filios dona quædam spõte attulisse uenenis illita: quæ cùm illa corpori applicuisset, & incidisse in morbum, & patrem auxilium filiæ ferentem, cùm corpori illius hæsisset, euestigiò expirasse. His haudquaquam acquiescens Medea, inq; Iasonis ultionem intenta (adeò ira, amor crudelitasq; in ea exarserant) postquam illum flammas euasisse cognouit, animum morti filiorum in patris calamitatem adiecit. Omnes, uno qui aufugit excepto, natos iugulauit: eorumq; corpora sepeliuit in Iunonis templo: deinde fidissimis sociis fugæ assumtis, nocte ex Corintho fugiens, Thebas ad Herculem uenit. Hic eorum quæ in Colcho promissa erant sponsor factus, se ei auxilio futurum iuxta datam fidem promisit. Iason filiis uxoreq; priuatus, censentibus omnibus eum iustè plecti, cùm doloris uim ferre non posset, sibi mortem consciuit. Corinthij casus atrocitate obstupefacti, cùm de sepulcro puerorum dubitarent, ad Pythium, quid de adolescentum corporibus agendum esset, consultum misere. Mandatum à Deo est, sepeliri eos in Iunonis templo, atq; Heroum honoribus coli. Quo facto, aiunt Thessalum, qui cędem matris effugerat, Corinthum redisse. Deinde in Iolcum Iasonis patriam reuersum: ubi cùm reperisset Peliæ filios recenter interisse, regnum generi suo debitum suscipiens, subditos ex suo nomine Thessalos appellauit. Diod. lib. 4. cap. 3.

THRACES mulieribus suis ob Orpheum discerptum stigmata inurere consueuere. Alex. lib. 2. cap. 14. Genialiũ dierum.

PELASGI Lemnum incolentes crudeles in filios & uxores Atticas. Vide præced. Tit. Crudeles parentes.

Lemnij uiri incomtis nauigiis usi, Thraciam ingressi, multam inde prædam, & cum ea uim feminarum ingentem abduxere. Quas cùm uulgo pro uxoribus habituri dicerentur, occupassetque temerè is rumor LEMNIADVM feminarum aures: uiros in insulam reuersos ex composito nocte una obtruncarunt, solo Thoante rege superstite, quem filia Hypsipyle procul Lemno ablegarat. Ea tum latè regnabat, quum nauis Argo est illuc appulsa. Fama est, parasse primò eas uim in ignotos hospites, mox uerò siue metu siue procreationis cupiditate, presso impetu ad naues sciscitatum misisse, qui mortalium essent, & quid secuti Lemnum petissent. His responsum, Iasonem Aesonis filium uenisse, cuius patruus Pelias in Thessalia apud Iolcum regnaret, esseque cum eo Graij sanguinis lætissimos iuuenes, qui in Colchidem tendentes, cursu tempestate excussi, ea loca tenuissent. Tum uerò Hypsipyle aliæq; Lemniades Argonautas cum ipso duce hospitaliter inuitatos, in urbem inducunt. Fuerũtque Minyæ in hospitio plures dies. Estque (quod satis constat) Hypsipyle grauida ab Iasone relicta, ex quo duos postea sit uno partu filios enixa, Euneum & Thoantem, qui postea ad Thebas cum Argiuis militasse traduntur. Sabellicus lib. 5. Enneadis 1. ex Orphei & Apollonij Argonauticis, Diodorus non meminit.

REGINA Sardium, cùm à Candaule marito nuda Gygi satelliti ostensa esset: prostituti pudoris iniuriam ægrè ferens, Gygem ad obtruncandum Candaulem impulit, & cum eo nuptias contraxit. Sic in Candaule Heraclidarum regnũ apud Lydos desijt, in Gyge autem Mermiradum principatus cœpit, quorum postremus fuit Crœsus. Herod. lib. 1.

COTYS in Thracia XXIIII. annos regnauit, ac principiò in uoluptatibus & delicijs uixit: sed rebus eius secundis crescentibus, crudelis & iracundus euasit, ut suam uxorem, è qua liberos habebat, dissecarit mediam, à pudendis auspicatus. Suidas ex Athenæo.

OLYMPIAS, ex Pyrrhidarum sanguine, filia Neoptolemi Molossorum regis, Philippo Macedonum regi nupta, adulterij suspecta fuit, ita ut Philippus non solùm palàm diceret, ex se non genitum Alexandrum, uerùm & Olympiadem ignominia notaret repudij, & Cleopatram Alexandri Epirotæ filiam in uxorem duceret. Quod Olympias ægrè ferens, impulit Pausaniam iuuenem, ex Orestis sanguine natũ, in Philippi uiri sui necẽ, cõscio etiã Alexandro filio. Demùm Cleopatram, post illisam saxo filiam, ad laqueum compulit. Alexandro filio apud Babyloniam per uenenum absumto, Macedonię regnum sola obtinuit uidua & regina. Verùm cùm passim in cruorem tam nobilium quàm plebeiorum Macedonum quasi bellua debaccharetur, à Cassandro occisa fuit. Guido Bitur.

CLEONYMVS Lacedæmonius, regij generis adolescens, uxorem duxit Chilonidẽ, genere sibi cognatã. Quam quum impotenter amaret, ab ea despectus est: tota enim tenebatur amore Acrotati filij regis. Quam rem grauatè ferens Cleonymus, & qui aliàs Lacedæmoniorum mores nõ probaret, ad Pyrrhum abijt in Epirum: illiq; persuasit, ut bello Peloponnesios persequeretur. Parthenius ca. 23. in Eroticis.

Leonidas rex Spartanus VXORI ob concubinam inuisus, regno deijcitur à Lysandro ephoro: quandoquidem lege antiqua uetatum, Heraclidam liberos ex muliere alienigena tollere. Plut. in Agide.

HERODES Iudæorum rex Mariammen uxorẽ charissimam falsis ueneficij & adulterij criminibus traductam interfecit. Iosephus lib. 15. cap. 11. Antiq.

C. Cæsar CALIGVLA quoties uxoris, uel amiculæ collũ exoscularetur, addebat, Tã bona ceruix, simulac iussero, demetur. Quin & subinde iactabat, exquisiturum semel fidiculis de Cæsonia sua, cur tantoperè diligeret. Suetonius.

NERO Cæsar uxorem dilectissimam Poppeam, quam Octauiæ superduxerat, grauidam, ictu calcis solo afflictam peremit, quòd ex nocturna aurigatione tardiùs domum quum uenisset, ab ea iurgio acceptus esset. Suetonius.

HERODES sophista, Regillam uxorem ob peccatũ haud ita momenti magni iusserat à liberto Alcimedonte cædi. Fortè tunc gestabat utero, agebaturq; à conceptu mensis iam octauus. Igitur hominis imprudentia, ingestis in uentrem plagis, immaturo partu naturæ concessit. Eo nomine postulatus fuit Herodes cædis apud Romanum senatum ab uxoris fratre Bradea. Cælius lib. 11. cap. 27. A. L.

Iustina nobilissima Romana uirgo, ætatis suæ puellas forma supergressa, cùm locupleti quidẽ, sed stolido & furenti VIRO in matrimonium esset tradita, isq; de excellenti illa specie suspicionẽ sinistrã concepisset, candidissimæ uxoris ceruicem conspicatus, inclinantis se ad exuendum calceum, furore ex zelotypia correptus, tenerã puellam & nouam coniugem obtruncauit. De quo facinore extat illud Epigramma Romæ:

> Immitis ferro secuit mea colla maritus,
> Dum propero niuei soluere uincla pedis,
> Durus, & ante thorum, quo nuper nupta coiui,
> Quo cecidit nostræ uirginitatis honos.
> Nec culpa meruisse necem, bona numina testor:
> Sed iaceo fati sorte perempta mei.
> Discite ab exemplo Iustinæ, discite patres,
> Ne nubat fatuo filia uestra uiro.

Ludouicus Viues de Christiana fem. lib. 1.

Priscum filiũ CONSTANTINVS Magnus, indicta causa occidit, iam Cæsaris dignitate præditum, ob suspicionem consuetudinis cum Fausta nouerca. Quem tantũ casum matrem Helenam ægrè ferentem, ut consolaretur scilicet Constantinus, malũ malo maiore est medicatus. Balneo enim supra modũ calefacto, Faustam in eo suffocauit. Suidas. Alij Faustam de intentato stupro priuignum falsò accusasse, detecto inde mendacio à marito supplicio balnei affectã tradũt.

Albomus Longobardorum rex primus in Italia, Veronam sedem regni constituens, solenni conuiuio ROSIMVNDAM uxorem ex patera bibere compulit, quæ de patris Cunimūdi Gepidarum regis (quem in prælio interfecerat) cranio facta fuit. Insedit hæc iniuria mulieri, atque ulcisci statuit. Helmechildis siue Helmiges siue Helminges erat Longobardus forma præstans, nobilis, & in armis ferox, qui ancillam adamabat Rosimundæ seruientem: cum quo regina pro ancilla cōcubuit: deinde hortata est ut regem occideret: quod nisi faceret, pereundum ei esse. Victus his Helmechildis, in cubiculum regium ductus, Alboinum obtruncauit. Voluit regina mœchum regem constituere, sed noluêre Longobardi. Itaque publica fide à Longino Rauennate Exarcho impetrata, cum adultero & Alsuinda filia ex Alboino suscepta, atque omni pecunia, Rauennam peruenit. Longinus Exarchus mulierem tentauit, ut Helmechilde sublato, sibi nuberet. Mulier Helmechildi balneo exeunti potionem obtulit. Cuius cùm ille medietatem hausisset, reliquum uxori tradidit: recusantemque gladio compulit bibere. Itaque ambo eodem die perierunt. Longinus pecuniam & Alsuindam Tiberio imperatori misit. Blondus libro octauo inclinantis Imperij.

Theodeberti regis Francorum sororem Crothildem, AMALARICVS rex Gothorum in matrimonio habens, grauibus adeò contumeliis afflictarat, ut aliquando ad Ecclesiam procedentem, quia Catholicæ addicta fidei erat, sordibus aspergendam curarit, atque ad extremum sçuè adeò pulsauerat, ut uestem hausto sanguine macularet. Quibus de rebus Theodebertus à sorore commonitus, cum exercitu in Hispaniam transiit: atque, urbe obsessa, Amalaricum fugientem, atque in ecclesiam se salutis caussa recipientem adeptus, uita exuit: ac thesaurum & Crothildem secum abduxit, quæ in itinere periit. Inde in Galliam reuersus, regionem trans Rhodanum, quam Amalaricus ab Athalarico receperat, sibi adiunxit: Gothis uictis in Hispaniam ad Theudam, qui tyrannidem exercebat, trepido agmine transeuntibus. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

HVNERICVS, Genserici Vandalorum regis in Africa filius, Theoderici Vesigothorum regis filiam, uxorem suam ob leuem suspicionem parati ueneni, naribus atque auribus detruncatam, patri suo in Gallias remisit. Vindictam Theoderici ueritus, Atilam Hunnorum regem, qui orbis imperio inhiabat, toto iam potitus Septentrione, contra Theodericum excitauit. Cuspinianus.

Quum LVDOVICVS Bauarus Imp. cum ciuitatibus ad Rhenum sitis inito fœdere contra eos, qui distractione principum Germaniam uastabant, in armis esset: Maria Brabantina eius coniux, Vuerdæ habitans, binas literas, uno quidem anulo, diuersa tamen cera, atra, rubra, obsignatas, illas marito, alteras Henrico Ruchoni decurioni equestri misit. At uerò is qui epistolas detulit errore seductus, rubra cera complicatas Ludouico tradit. Qui lectis literis, amatoria agi suspicatus, cōfestim paucis comitatus, dissimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus, ad uxorem diu noctuq; contendit, & indicta causa adulterij condemnatam securi percuti iubet. Postea ueluti confusus, Helicam uirginem Prennebergensem cultello confodit: & aliam fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitauit. Anno 1256. Auentinus libro septimo Annalium Boiorum. Ob id mirandam habuit & horrendam nocturnam uisionem, qua una nocte totus factus est canus. Ergò pœnitentia ductus, monasterium in Bauaria supra Amram, quod Principis campus, patria lingua Fürstenfeld dicitur, extruxit, & donariis ac censibus locupletauit. Cuspinianus in Cæsaribus.

ALEONORA Henrici II. Anglorum regis uxor, à Ludouico Francorum rege propter impudicitiam repudiata, offensa Henrici amoribus, quòd pellices sequeretur, Ricardum & Godofredum filios contra patrem impia arma sumere, & Henrico fratri adhærere fecit. Ob quod facinus à marito in carcerem coniecta est. Polydorus libro 13.

IARMERICVS Danorum & Sueonum rex, Suauildam uxorem, Bicconis astu stupri cum priuigno Brodero commissi crimine falsò accusatam, boum ungulis conculcandam obiecit: & quod crudelitatem auget, cùm innocentis eiulatibus commota animalia, parcere uiderentur, pronam humo affligi iussit, uti ne uoce sua pecora flectere posset. Filium inde consueta adulteris pœna suspendio necari uoluit, ea tamen indulgentia, ut iuuenes duo pendentis pedes utrinque suis sustentarent humeris, si fortè regem deferuescente ira, reuocandæ in filium unicum, regni hæredem, gentisq; columen, latæ sententiæ pœnitentia subiret. Iarmericus interea canem, quem in deliciis Broderus habuerat, eiulātem conspicatus, falconem itidem, quo in aucupio utebatur, prę indignatione plumas sibimetipsi rostro euellentem: ne bestiis minùs humanus esse uideretur, filium uiuere iussit, eundemq; in regno successorem, licèt inglorium, habuit. Cranzius lib. 2. Daniæ, cap. 16. & 17.

Malduinus Scotorum rex, nocte VXORIS opera ob pellicatus suspicionem strangulatus est. At statim prehensa cum criminis consciis, edito loco flammis est absumta. Hector Boethius libro 9.

Fergusius III. Scotorum rex domi pellicum gregem alebat, iisdemq; REGINAM uxorē famulari cogebat. Illa libidinis impatientia & ira stimulata, regē noctu strangulauit. Delatū est regis corpus postridie funebri apparatu in curiam: ut facta inquisitione (licèt perpauci Fergusij interitum ægrè ferrent) quis tantum ausus fuisset attentare scelus, dignoscerent. Multi capti ex regis familiaribus quæstionibusque adhibiti. Regina non tam admissum crimen, quàm tot innocentes torqueri dolens, celeri gradu ad locum uenit, in editoque constituta, ad populum ita infit. Nescio, populares, nescio quis deus me exagitat, quæ'ue diuina ultio tam uariis me affligit cogitatibus, ut hodie & post concubium, quod hunc præcessit diem, nulla prorsus mihi aut mente aut corpore quies detur. Vbi uerò innocentes adeò inhumanè torqueri acceperim, nisi modestiæ, quæ exigua fateor in me est reliqua, paulùm obtemperasset ira, ultimum omnium malorum mihi ipsa consciuissem. Regis cædes meum est facinus. Cogit me cōnscientia uel propriam deferentem salutem, ne innoxij iniuria pereant, scelus fateri meum. Igitur certo cognoscite istorum neminem, quos quæstionibus adhibuistis, culpæ esse affinem. Ego illa sum, quæ Fergusium, cuius de cæde altercationem inter uos ortam uideo, nocte proxima his scelestis manibus strangulaui, duobus amarissimis in femina stimulis incensa, libidinis impatientia & ira. Cōnubij debito frustrauerat me Fergusius, pellicibus immoderatè usus. Vnde quum uiri reconciliandi frequentibus suasionibus omnis spes fuisset sublata, ingens excandescentia oborta me ad tantum nefas impulit. Malui ergo adulterum tollere, quàm uiro destituta, regioque fraudata honore, perpetuæ pellicum iniuriæ prostitui. Cunctos itaque regiæ cædis insimulatos absoluite. Vt uerò me unam sontem legum decreto pœna afficiatis, opus non erit. Ipsa de me, quæ tam infandum scelus ausa sum, coram uobis nunc sumam supplicium. Hæc fata, cultrum, quem sub ueste abditum habebat, in cor defixit, prolapsaq; illicò in uulnus moribunda cecidit. H. Boethius lib. 9.

Tordę TRANSYLVANA mulier maritum ob adulterium publicè magistratus permissu securi percussit. Ascanius Centorius lib. 4. bellorum Transyluaniæ.

FRANCISCA Bentiuola cùm duos adhibuisset, qui Galeotum Manfredum uirum suum principem Fauentinum necarent, intuita eum magnis uiribus sese defendere, stricto pugione, quo ipsa erat accincta, manu sua eum interemit. Nā in urbe Fauentia affirmabatur, Galeotum cum Fauentina ciue priùs matrimonium contraxisse: sed re occultata, honestiores postea nuptias cum ipsa secutum. Fulgosus libro sexto, capite 1.

MARCVS Vicecomes adamatam nobilem feminam, è matrimonio Othorini Vicecomitis impudenter abreptam, sib ita concitatus iracundia, apud Rosatum in profunda arcis fossa demersit, quòd illa leuitate muliebri mentita partum, sibi alieni uentris puerum supposuisset. Sed eam ab eo flagitio ita oderat, ut necatam, impotenti amore percitus, sera deinde præcipitis uindictæ pœnitentia, deploraret, indeque nouus perturbatæ menti furor adderetur. Iouius in uita Actij.

In Esa (quæ in Terræ nouæ comitatu, non longè à Nicæa est, in Narbonensi prouincia) MVLIER quædam noctu dormienti uiro genitales partes abscidit: quia is coniugalem fidem uiolasset. Fulgosus libro 6. capite 1.

Domini crudeles erga Seruos.

Peruagata est inter Phliasios fama, HERCVLEM è Libya redeuntem, abreptis Hesperidum malis, Phliuntem uenisse, sui cuiuspiam negotij causa. Ad eum ibi commorantem Oeneum ex Aetolia, qui socer eius esset, accessisse. Ibi cùm uel Oeneus Herculem ad cœnam uocasset, uel ipse apud eum accumberet: dicitur Hercules digito uno Cyathi pueri, qui erat Oeneo à calice, eius in fundendo ministerio offensus, quòd ab eo conspersus esset, dum manibus aquam affundit, tam grauiter caput percussisse, ut ex eo uulnere puer diem suum obierit. In eius facti memoriam, Phliasij apud Apollinis cellam ædificarunt, in qua è marmore signa sunt, Cyathus Herculi poculum porrigens. Pausanias in Corinthiacis. Ei lucum dicauit Hercules in colle Pincernæ dicto. Athenæus libro 9. cap. ult. scribit, puerum hunc ab Hellanico Archiam uocatum. At in secundo Phoronidis Cheriam appellat. Herodotus autem in decimasexta oratione contra Herculem, Ennomum.

LEMNIÆ mulieres, Thracenses seruas, quas mariti è bello captiuas abduxerant, ob zelotypiam, cum suis maritis truci darunt. At ueritæ, ne cùm filij adoleuissent, patrum iniurias ulciscerentur, illos etiam ad unum obtruncarunt, atq; uniuersum uirile genus de medio sustulerunt. Natalis Comes Mythologiæ lib. 4. cap. 13.

CAMBYSES Persarum rex, satellites suos morte affecit, quòd iussi, Crœsum non interfecissent, à quo propter crudelitatem reprehensus fuerat. Herod. lib. 3.

LACEDÆMONIORVM Cryptia (si modò & ea ex institutis est Lycurgi, ut scripsit Aristoteles) erat huiuscemodi. Potestates solertissimos ex iuuentute certis temporum interuallis per agros nulla certa de causa mittebant, cum pugio nibus & necessariis cibariis, nulla re præterea alia. Hi interdiu per latebras dispersi recondebant se, & quieti dabant: noctu insidētes itinera, Ilotas, si qui in ipsos incidissent, perimebant. Nonnunquam interdiu in agros profecti occidebant robustissimos & ualentissimos inter eos, ut etiam tradit in historia belli Peloponnesiaci Thucydides lib. 4. quos uirtute præcellentissimos delegerant Lacedęmonij, solitos quasi libertatē adeptos coronari, & circumire templa deorum, paulo pòst nusquā apparuisse omnes, ampliùs bis mille: neq; in presentia uel pòst, quid factū iis esset, dicere quēquam habuisse. Aristoteles inprimis auctor est, Ephoros initio magistratu primùm Ilotis bellum denunciare, ne piaculum sit eos peremisse. Et uerò cætera quoq; agebant cū iis asperè & sæuè: atq; multum meri coactos haurire introducebant in conuiuia, ostendentes iuuenibus, quàm esset fœda res ebrietas. Cantilenas etiam compellebant eos canere, & choreas saltare enerues ridiculasq;, abstinere autē ingenuis. Vnde referunt postea in expeditione in Laconiam Thebanorū, Ilotas qui capti fuerant, psallere iussos Terpandri, Alcmanis, & Spēdontis Laconis carmina, excusasse, prohibere id dominos. Quare qui aiunt liberum Lacedæmone maximè liberum esse, & seruum maximè seruum, non malè considerauerunt discrimen. Cæterùm eas atrocitates secutis temporibus apud Lacedæmonios extitisse putat Plutarchus, secundùm magnum illum terræ motum, quo conspirasse cum Messeniis produnt Ilotas, atq; ingēti clade oram illam afflixisse, periculumq; creasse urbi maximum. Plut. in Lycurgo, & Diodorus lib. 2.

Ilotas seruos cum Messeniis rebellātes SPARTANI decimo tandem anno domuêre, & insana ulciscendi libidine accensi, statuerant Ilotarum optimos quosq; fortissimosq; delere. Idcircò in Thraciam duce Brasida ex eis mille misêre, quoscunq; audacia uiribusq; elatissimos uidebant: plerosque eorum rati inter uaria certāmina pugnamque casuros. Aliud quoq; fœdum commisêre, quo Ilotas se omnino depressuros arbitrabantur. Iussêre per præconem, ut ex Ilotis quicunq; unquam beneficio Spartā affecissent, nomen quisque suum scribendum proferret, polliciti se eorum libertati consulturos. Quorum cùm ad duo millia nomina protulissent, mandant fortissimis quibusq;, uti eos intra lares quenque suos occupando necarent. Supra modum namq; uerebantur, ne quando fortè per occasionem rebus nouandis, ut erant semper intenti, iuncta cum hoste manu, rem Spartanam in periculum & discrimen adducerent. Diod. lib. 12.

CŌTYS Thracum rex, omnibus uoluptatib. deditus, eò tandem prouectus est insaniæ, ut tanquam sibi Pallas nuptura esset, magnificas nuptias instrueret, & deam ebrius expectaret. Quendam ex satellitibus missum, qui uideret, an dea uenisset in thalamū, cùm is nullam esse in thalamo retulisset, sagitta interfecit: aliumq; rursus eodem modo: donec tertius dixit, deam ipsum iamdudum in thalamo expectasse. Athen. lib. 12. cap. 14.

QVENDAM acriùs castigantem seruum, quamobrem ita sæuiret, roganti Socrati: Quoniam, inquit, quum sit obsoniorum uoracissimus, tamen ignauissimus est: quumq; sit auidissimus, tamē desidiosissimus est. Tū Socrates: Nunquámne, inquit, considerasti, uter uestrûm pluribus egeat uerberibus, túne an famulus. Erasmus lib. 3. Apoph.

Anno post Romam cōditam, CCCCLXXIV. ATRONIVS quidam Maximus, seruum suum uerberatum, patibuloque constrictum, ante spectaculi commissionem per circum egit. Ob hanc causam indignatus Iupiter, Annio cuidam per quietem imperauit, ut Senatui nunciaret, non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. Quo dissimulante, filium ipsius mors repentina consumsit: ac post secundā denunciationem, ob eandem negligentiam, ipse quoque in subitam corporis debilitatem solutus est. Sic demùm ex consilio amicorum lectica delatus Senatui retulit: & uix consummato sermone, sine mora recuperata bona ualetudine, curia pedibus egressus est. Ex Senatus itaque consulto, & Męnia lege, ad propitiandum Iouem additus est illis Circensibus dies, isq; Instauratitius dictus est: non à patibulo (ut quidā putant Græco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ) sed à redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar nouare. Macrobius libro primo Saturnalium, capite undecimo.

VEDIVS Pollio Augusti Cæsaris amicus, in piscinis murænas carnibus humanis pascebat, eisq; seruos delinquentes obiiciebat. Cùm Augustum conuiuio excepisset, pincernā, qui fortè scyphum cristallinum fregerat, murænis obiici iussit. Is cùm ad pedes Augusti procidisset, ueniam impetrauit. Augustus uasa crystallina omnia cōnfregit, ut occasionem irascendi Pollioni adimeret. Dion in Augusto, & Plinius libro 9. capite 23.

TIBERIVS Cæsar cum Capreis esset, piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit: territus, quòd is à tergo insulæ per aspera & deuia erepsisset ad se. Gratulanti autē inter pœnam, quòd non & locustam, quā prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoq; lacerari os imperauit. In quodam itinere lectica, qua uehebatur, uepribus impedita, exploratorem uiæ, primarum cohortium Centurionem stratum humi, penè ad necem uerberauit. Suetonius.

DOMITIVS Aenobarbus, pater Neronis, comes ad Orientē C. Cęsaris iuuenis, libertū suum occidit, quòd potare, quantum iubebatur, recusasset. Suetonius.

Nauigāte Galeno Roma in patriam, comitem itineris habuit GORTINENSEM quendam è Creta, uirum cętera bonū, sed in seruos plusquam iracundum. Corintho appropinquabant, & serui nescio quid interrogati, cùm parum appositè respondissent, Gortinensis ille gladio uagina tecto capita famulorum grauiter uulnerauit. Postera die suum peccatum agnoscens, denudatum se porrecto loro, quòd ita meritus esset, à Galeno se uerberari uoluit, multisq; adeò penè minis obtestatus est. Tum Galenus: Parebo, inquit, si & tu uicissim exiguum quid mihi præstiteris. Quod ubi recepit se facturum ille, tum Galenus, iracundiæ motū, ratione, nō uerberibus & inhibendum & coercēdum, philosophica disputatione ostendit. id quod neque uno die, neque uno anno præstari possit, sed longa assuetudine. Gortinensis ergo lorum abiecit, præstantiorem superādæ & sedandæ irę methodum edoctus. Galenus de Cognoscendis & curandis animi morbis, capite 4.

BALZANIVS gentilis, ciuis Tabritanus diues, irascebatur Fantino Syracusano, seruo Christiano, cū uideret equos, quos illi pascendos cōmiserat, strigosiores. Ideoq; cùm eū persequeretur, Fantinus præmissa oratione Morabrum flumen, quo interludebatur, uirga percutiens diuisit, & persequentis iram euasit. Marulus lib. 2. c. 2.

OTHO Antonius, Montis Ferrati comes, atque Vibinatium princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio habebat, resinato linteo atq; sulphure perfuso inuolutum, uiuū in candelæ morem combussit: quòd hora, quam ei præfixerat, se non excitasset. Fulgosus lib. 9. c. 2.

HISPANORVM crudelitatē erga Indos seruos, pete ex Tit. Crudeles erga Religionis diuersæ professores.

FRATRES SÆVI, CRVDELES.

Exempla pete ex Tit. Inimicitiæ aut Odii erga fratres.

ABSALOMVS Dauidis regis F. Amnonem fratrem, qui Thamarem sororem suam uterinā per uim constuprauerat, tanto prosecutus est odio, ut integro biennio cum eo nunquā loqui uoluerit. Tandem reconciliatione simulata eū cum regiis pueris ad conuiuium inuitatum, uinoq; madidū, per famulos suos interfici curauit. 2. Reg. 13.

SALOMON rex Iudæorum, contra Bersabeæ matris suę preces, Adoniam fratrem occidi iussit, quòd in se insidias machinatus esset. Iosephus lib. 8. Antiquitatum, capite primo; & 3. Regum 2.

ATREVS Pelopis filius, uxorem habuit Meropen: quam quū stuprasset Thyestes frater, susceptos ex ea liberos Atreus decoxit: & ad conuiuiū uocato per speciem beneuolētiæ fratri apposuit comedēdos. Quod facinus adeò sol exhorruit, ut refugus matutinum repetiuerit cubile.

DANAVS, Beli cognomento Prisci filius (eius qui post Apidis mortem Isim uxorem duxit) propter simultatem quandam, quam cum Aegypto fratre habebat, in Græciam profugit, & pulso Sthenelo Argos occupauit. Iam cùm Aegyptus filios quinquaginta haberet, cuperetq; fratri reconciliari: quinquaginta Danai filias, à patre Danaidas, ab auo Belidas dictas, in matrimonium suis filiis poposcit. Danaus nuptias magnificè parare instituit: ueruntamen uel quia non crederet pollicitationibus, uel quia memor adhuc esset acceptæ iniuriæ, uel quia ab uno illorum mortem sibi imminere ab oraculo didicerat, clàm filiabus singulis dedit pugiones, quibus suos sponsos dormientes iugularent. Et omnes quidem patris mandato paruerūt; præter Hypermnestram natu maximam, quę Lynceo marito pepercit. Reliquæ sponsorum capita in Lerna ante urbem humarunt, ut scripsit Herodotus in Argonauticis, addens quòd Danai

filiæ à Mercurio & Pallade Iouis iussu expiatæ, & in Gymnica certamina productæ, una Hypermnestra excepta, uictoribus datæ sunt. Fuerunt tamen qui inquiāt, has nuptias tanto sanguine perfusas, antequā Danaus Argos uenisset, contigisse, quo tempore Danaus cum fratre Aegypto de regno contenderet. Hypermnestræ igitur beneficio Lynceus unus superstes è tot fratribus, Lyrceam confugit, non procul ab Argis, ut scripsit in Corinthiacis Pausanias. Eo in loco face sublata Lynceus signum dedit se euasisse periculum, sicuti conuenerat cum Hypermnestra. Hypermnestra uicissim facem è Larissa sustulit. Quare mansit postea consuetudo, ut Argiui ad eius rei memoriam festum diem quotannis celebrarent, quam Facem uocarunt. Scripsit Apollodorus lib.2. Bibliothecæ, Hypermnestram fuisse postea datam uxorem Lynceo. Danai filiæ ob id scelus æterno supplicio fuerunt addictæ apud inferos, ut aquam uase perforato haurire cogerentur. N. Comes Mythol. lib.9. c.17.

Amestris Xerxis uxor, zelotypia aduersus uxorē Masistis Xerxis fratris uxorem, mota, petiit ut ea rex se donaret. Xerxes Masistam fratrem blandis uerbis persuadere conabatur, ut uxorem missam faceret, daturum se illi filiam suam in matrimoniū. Recusanti Masisti, grauia minatus est. Interea Amestris accitis carnificibus uxorem Masistæ excarnificat, mammillas præcidit, easq; canibus abiicit, præcidit nares, aures, labra, linguam, atq; ita excarnificatam remittit domū. Masistes inito cum liberis cōsilio, abiit Bactra, prouinciam Bactrianam cum Sacis ad defectionē inducturus. Sed Xerxes missis copiis, & ipsum & liberos & copias in itinere trucidauit. Herod. lib.9.

HORATIVS Romanus, trium Curiatiorum Albanorum uictor, domum repetens, cū sororem suam uirginem Curiatij sponsi mortem profusiùs, quàm illa ætas debebat, flentē uidisset: gladio, quo patriæ rem bene gesserat, interemit. Quem hoc nomine reum apud populum actū pater defendit. Val. lib.6. cap.3.

ATILA Hunnorum rex, Budam fratrem Hungariæ regnū affectantem interficit. Nic. Olaus cap.12. in Atila.

Gundegarus Burgundiæ rex, Athanarici stirpe ortus, quatuor liberos suscepit, Gondebaldum, Godisillum, Chilpericū & Gondemarum. Gondebaldus cùm barbarè sęuiret, fratrem Childericū cum coniuge occidit: ac de tribus filiabus duas in exilium misit, natu minorem CLOTILDIM nomine, apud se retinuit: quæ propter eximiam formam, in matrimonium à Clodoueo petita, occultè ei nupsit, atque de patrui manibus ui extorta est. In quem adeò Clodoueum uirum ipsa inflammauit, ut Gondebaldus, cùm minùs uiribus ualeret, pacem ingenti precio ab Clodoueo emere coact⁹ sit. Clodoueo atq; Gondebaldo uita functis, in Gallia Clodoueo Theodericus, Clodomirus, Childebertus, Lothariusq; filij successerunt: in Burgundia autem, Gondebaldo filius Sigismundus. Cùm uerò in Clotilde neq; ætas neq; cōmunis sanguinis respectus ultionis desiderium extinxisset, liberos in Sigismundum armauit. Is prælio uictus, atq; in uinculis à Clodomiro Aurelios deductus est: ab eo Clotildis mater obtinuit, ut Sigismundū cum uxore ac liberis (quēadmodum olim Gondebaldus Sigismundi pater Clotildis parentes in amne summerserat) in puteum præcipites mitteret. Fulg. lib.9. cap.10. & Aemilius lib.j.

CANIS Grandis, Veronensium princeps, fratrem Eriganum (qui, dum abesset, Veronam inuaserat) domū reuersus, obsedit: obsessum uicit, uictum dedit morti. Fulg. lib.9. c.10.

PERINVS Fregosus, Genuensium princeps, Nicolaum fratrem, doctrina moribusq; insignem, ob suspicionē affectati principatus, interfecit. Idem.

SELYMVS Turcorum rex, Baiazetis II. minimus filius, ueneno sublato patre, imperio potitus, in fratrem maiorem natu Acomathen arma mouit, illumq; è Cappadocia expulit. Inde Ancyram profectus, nepotes omnes ex Alenschiacho, atq; ex aliis suis fratribus anteà defunctis, interfici crudeliter iussit. Corcuthem insuper fratrem, arcus neruo suffocauit. Acomathem etiam, qui eius insidias fugerat, & exercitu collecto cum eo conflixerat, captum eodem modo crudelissimè strangulauit. Iouius in uita Selymi.

Frater germanus IO. Basiliadis magni Ducis, delatus fuerat à quodam consiliario, cui nomen erat Trzeciak Vyiskonati. Princeps, nullam fecit potestatē fratri falsum crimen diluendi. In mediis tormentis exegit ab eo omnes illius thesauros, semiuiuum securi percussit. Vxorem eius, quæ procumbebat in terram, facie demissa, implorans misericordiam, omnibus uestimentis exutam prostituit. Deinde quidā miles iubente Principe eā funi alligauit, & conscēso equo, uelocissimo cursu pertraxit illam in flumen, & submersit. Alexander Guagninus in Moscouia.

Anno MDLXX. duo fratres Moscouitę nobiles familia Obolinskij erant. Horum unus MIKIETA nomine cognomen Povurozoyuski sumsit, ac si diceres funigeri aut furciferi. Alter frater gentile nomen retinēs, cum nomine Obolinski appellauit. Ergo uelut atroci iniuria affectus, IO. Basiliadē magnum Ducē adit: Vocor, inquit, Povurozovuski: & me contemtim appellauit Obolinski. Dux euocat consiliarios, quasi de re maximi ponderis consultaturus. In quorū conspectu Mikieta fratrem nil tale metuentem corripit, & inmani urso obiicit: & ut rabiem belluæ sanguine accenderet, pedem fratris ense fodit. Vix tandem miserè laceratus urso eripi potuit. Idem.

Patrui crudeles erga Nepotes.

TIBERIVS Imp. Neronē & Drusum Germanici filios, nepotes suos, uaria fraude inductos, ut & concitarentur ad cōuitia, & concitati perderentur, accusauit per literas, uelut imperij æmulos, amarissimè congestis etiam probris: & iudicatos hostes fame necauit, Neronem in insula Pontia, Drusum in ima parte Palatij. Putant Neronem ad uoluntariam mortem coactum, cùm ei carnifex, quasi ex Senatus auctoritate missus, laqueos & uncos ostentaret: Druso autem adeo alimenta subducta, ut tomentum è culcitra tentauerit mandere: amborum sic reliquiis dispersis, ut uix quandoq; colligi possent. Suetonius in Tiberio.

Cùm Dauid, Ioannis II. Scotorū regis F. à patre, Roberto fratri commendatus esset, ut eum in disciplina contineret, moresq; corruptissimos corrigeret: ROBERTVS, qui iamdudum eum è medio sublatum uoluit, hominem in arctissimum carcerem coniecit, omni cibo priuauit: duasq; ancillas, quæ illius misertæ aliquandiu eum & farina & lacte clā sustentauerant, morte affecit: & tandem eum post obscenissimos cibos sumtos, digitosq; manuum absumtos, miserrimè fame uitam finire coegit. H. Boethius.

Auunculi crudeles erga Nepotes.

ERKEMBALDVS Burbaiensis, cum sororis suæ filium uim cuidam domesticarum mulierum inferre uoluisse, ex strepitu in cubiculo decumbens exaudisset: dissimulata ira iuuenem ad se uocatum assidere sibi coegit, & altero brachio eum complexus, altero, gladio, quem habebat, eum iugulauit. Fulgosus lib.6. cap.j.

Nepotes sæui erga Auos.

ROMVLVS & REMVS Amulium auū, quòd sese regno priuare uellet, interfecerunt. Polyænus lib.8.

CRVTHLINTHVS, Cruthnethi præfecti Angusiæ nepos ex Fenella filia, instinctu matris auum interfecit, quòd apud eum de iniuria à duobus comitibus, quos occiderat, sibi illata conquestus, seuerè ut auctor seditionis reprehensus, & cùm responsaret, à ministris pulsatus esset. H. Boeth. lib.11.

Nepotes erga Patruos.

IOANNES, Rudolphi Sueuiæ ducis F. ex filia Othocari Boemorum regis Agnete, patre mortuo, patruum suum Albertum I. Cæsarem assiduè affectabatur, deprecans, ut uel in quamcunq; patrimonij sui sortem admitteretur, ne tam miserè egeret. At postremò etiam ludibrio habitus, suis manibus patruum transfodit. Mox eius facti pœnitens, se non mundo solùm, uerùm etiam libertate abdicauit, uiuens in eremo ad patris eremitæ præscriptū. Dubrauius lib.19.

Generi erga Socerum crudeles.

Io. BASILIADES Moscorum tyrannus, uti erga omnes, ita quoq; erga socerum suum Michaelem Temrucouicium, alternis nunc amore & liberalitate, nunc odio illum prosequi solebat. Vrsos feros ianuæ eius adhibebat, qui ingredientes & exeuntes lacerarent, per duas interdum & plures hebdomadas: sæpe in forum productum, eò loci ubi debitores more gentis uirgis cæduntur, flagellis ad thesaurum prodendum adegit. Si nihil fateretur, ex fisco ei munus amplis's. numerabat. Cùm socero parcit, quæstio familiæ instituitur, maiori adhuc crudelitate. Cùm auriga eius aurigam Ducis per iurgiū occidisset, Dux tres è præcipuis soceri seruis in domus eius uestibulo suspendio necandos curauit. Alex. Guagninus in Moscouia.

Nurus crudelis erga Socrum.

Primam Pinarij uxorem, THALÆAM nomine, iurgia habuisse cum socru Gegania tradunt, Tarquinio regnante Superbo. Plut. in Numa, & Lycurgo.

QVO CONSILIO, QVA occasione crudelitatem exerceant. Sic ministrat crudelitas

TERRORI ALIORVM.

☞ *Ex Tit. Crudelitatis erga Hostes, exemplā quædam huc pertinebunt.*

TIMORI HOSTIVM.

Herode rege latrones in speluncis oppugnante, SENEX quidam deprehensus intus cum uxore ac VII filiis, rogatus ab eis, ut se fugere hostem permitteret, stans ante ostium, primum quenq; exeuntem iugulabat, donec ad unum omnes confecit, & uxorem ultimam. Deinde præcipitatis cadaueribus,

ribus, postremò seipsum superiecit, mortem seruituti præferens. Primò tamen in obscuritatem Herodis multa eiecit conuitia, licèt rex è specula quadam dextram porrigeret, & polliceretur ueniam. Iosephus lib.14. c.27.

L. ANTONIVS cōsul, M. Antonij Triumuiri frater, ab Augusto Perusiæ obsessus, in eas commeatuum angustias deductus est: ut cùm in seruos, quod alimenti habebat, consumere nollet, è quorum numero propterea quotidie nonnulli fame conficiebantur: ne ad hostes transirent, & Lucij necessitatem detegerent, aut desperatione acti hostes in urbem inducerēt, seruis carceres impleuit, atq; illic fame eos confecit. Fulgosus lib.7. cap.6.

SVSPICIONI.

HANNIBAL à Petilia Africam classe repetens, freto appulsus, dum tam paruo spacio Italiam Siciliamq; inter se diuisas non credidit, ueluti insidiosum cursus rectorem interemit. Postea diligentiùs inspecta ueritate, tunc absoluit, cùm eius innocentiæ nihil ultrà sepulcri honorem dari potuit. Igitur angusti atq; æstuosi maris ex alto tumulo spectatrix statua, tam memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, ultra citraq; nauigantium oculis collocata indicium est. Val. Max. lib.9. cap.8.

BASILIVS Dimitrouicius, dux militia celebris, malè tractauerat aliquot præfectos tormentorum bellicorū, cùm Moschouitas, tum Germanos: quorum duo cùm uellent fugā sibi consulere, capti sunt à uiarum custodibus in finibus Lituaniæ, deductiq; ad ducem, in arcē Vvolochadā, quæstionibus adhibiti, fassi sunt, se missos fuisse in Lituaniam à Basilio. Itaq; Magnus dux Basilium ad se accersit ex ipsa Moschouia, uariisque tormentorum generibus affligi iussit. In mediis illis cruciatibus constanter fassus est, se nihil istorū molitum fuisse. At Magnus dux repentè iussit adduci equā, oculis captam, & iungi currui, & tum Basilius equæ impositus est, eiq; alligatus. Deinde ambos coniici iussit in rapidissimum fluuium, utens hac oratione: En tibi equam egregiam dedi: institueras abire ad regem Poloniæ, eum adito. Dux cum suis satellitibus in ripa fluminis rei euentum spectabat. Post longam natationem cæca equa ripam attigit. At præfectus satellitum regiorum, Maluita Scuratovu, conto abegit equam à ripa. Tum Magnus dux, O facinus egregium & lepidum. Tandem equa submersa est, unà cum Basilio. Alex. Guagninus.

ZELOTYPIÆ. VINDICTA ZELOTYPA.

☞ *Consule Tit. Adulterii pœna: quatenus odii coniugalis exempla continet. item Crudelitatis erga Coniuges, Amasios.*

DIRCE Thebana Lycum maritum captum amore Antiopæ Nyctei F. intelligens, puellam tauri ceruicibus alligauit, suspensis à cornibus tædis ardentibus: ut bos tormento furiosior, Antiopam ipsam per abrupta & scopulos tractam discerperet. Erasmus in Adagiis.

CIRCE filia Solis, uenefica, ægrè ferens Scyllam nympham amatam à Glauco deo marino, fontem (quo illa se lauare consueuerat) infecit uenenis. Quo factum est, ut Scylla in monstrum marinum sit conuersa. Ouid.13. Metam.

MEDEA, cùm Iason Creusam, siue Glaucam Corinthiorū regis filiā superinduxisset, liberos, quos ex eo susceperat, mactauit: sponsæ uerò coronam naphtha illitam misit. Quam cùm imprudens illa capiti imposuisset, & propiùs ad ignes sacros accessisset, à flamma correpta, se simul & regiam totam, in quam confugerat, combussit.

POLYZO uxor Tlepolemi, posteaquam Helenam omnium formosissimam, quæ post mortem Menelai à Megapentho & Nicostrato filiis Orestis fugata erat, in Rhodo hospitio suscepisset, eam ob uiri zelotypiam in arbore suspendi iussit. Pausanias in Laconicis.

COTYS rex Thracū zelotypus, uxorem propriam à pudēdis incipiens dissecuit. Athen. lib.12. c.14.

CLYTÆMNESTRA interfecit Cassandram pellicem, unà cum ipso Agamemnone. Athen. lib.13. c.j.

Phœnicis MATER, Amyntoris mariti pellicem non tolerans, filium Phœnicem ad eam constuprandam hortata est, teste Homero in Iliade.

Polemon Laidem de medio sublatam fuisse inquit à MVLIERIBVS quibusdam in Thessalia, cùm à Pausania quodam Thessalo amaretur. Fuit autem occisa ligneis scabellis; ob zelotypiam, in Veneris sacello: quamobrem lucus Impiæ Veneris postea fuit nuncupatus. Athen. lib.13. c.20.

AMESTRIS uxor Xerxis, regi amiculum, quod ipsa texuerat, grande, uarium & spectatu dignum, donauit. Quo ille amictus, ad Artayntam, Masistis fratris filiam, suiq; filij uxorē se contulit: atq; ubi se oblectauit cum ea, iussit à se petere mulierem quæcunq; optaret. Mulier intrepidè amictum poposcit. Xerxes recusare primùm, ueritus Amestrim, tandē tamē coactus dedit. Amestris ubi mulierem habere amiculum sciuit, non in puellam concepit odium, sed in illius matrem; quā huius rei auctorē falsò credebat. Obseruato itaq; tempore, in regali conuiuio, in quo nefas est orantem non exorare, à Xerxe fratris uxorem impetrat. Quæ accitis carnificibus eam excarnificat, mām̄illas præcidit, easq; canib. obiicit, præcidit etiā nares, aures, labra, linguam, atq; ita excarnificatam domum remisit. Herod. lib.9.

ROXANE Hyrcana ex Alexādro Babylone mortuo prægnās erat. Atq; ideo cùm à Macedonib. coleretur, Statyram autē Darij F. Alexandri itidem uxorem æmularetur: literis eam commentitiis euocauit, & cum sorore necauit, ac cadauera earum in puteum præcipitauit, terramque ingessit, conscio & adiutore Perdicca. Plut. in Alex.

Demetrius minor Antigoni F. Macedoniæ rex, Ptolemæi Aegyptiorum regis filiam Berenicen uxorem duxerat. Ptolemæo mortuo, in Arsinoen socrum cōuersus, cum ea stuprū haud multo pòst fecit. Milites incestum detestati, in Ptolemæi filium fauorem conuerterunt: & in Arsinoes complexu eum confoderunt, à BERENICE uxore, ut creditur, immissi. Audita certè est uox eius præcipientis, uti matri parceretur. Atq; ita illa domesticum stuprū ulta dicitur. Hinc in matrimonio sortiendo secuta patris iudicium, Magæ Cyrenarum regis F. suo patrueli nupsit. Sab. lib.9. Enn 4.

CYNTHIA zelotypa Phyllidem & Theiam scortilla cū Propertio deprehensa plagis miserè affecit. Testatur ipsemet lib.4. Elegiarum.

HIPPOLYTVS Estensis cardinalis, suo ex concubina genito fratri Iulio, ob amorem iuuenculæ, quæ illius oculis mirè se delectari dixerat, oculos erui Ferrariæ anno MDV. curauit. Sed celeri & diligenti medicorum cura, absq; luminis iactura, in locum suum repositi fuerunt. Guicciard. lib.7.

Ludouici Malani Flandriæ ducis VXOR, Brabantiæ reguli F. puellam ex marito grauidam dolis ad se accersiuit, & inopinanti nares abscidit. Quæ tertio pòst die præmaturo partu gemellos masculos enixa, statim unà cum infantib. expirauit, circa annum 1383. Iac. Marchantius de rebus Flandriæ.

Franc. Sforcia occupato Piceno, in amorem puellæ, quæ inter uirgines cōiugi suæ seruiebat, incidit. Quàm cùm ex se grauidam animaduerteret, cuidam oppidano eam despondit. At ipso nuptiarum die sponsi domū, quæ non procul à Frācisci curia aberat, transiens, in arcem rapta est, nec ulterius infelici uiro sponsæ uidendæ copia fuit. Quod cùm BLANCA Francisci coniux cognouisset, submissis percussoribus, puellam, quamuis diligenter custoditam, interfecit. Aeneas Syluius cap.59. Europæ.

AVARITIÆ.

De primis bellorū causis inter HOMINES præclarè Tibullus lib.j. Elegia 10.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, ac uerè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta uia est.
Diuitis hoc uitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cùm scyphus ante dapes.
Non arces, non uallus erat, somnumq; petebat
Securus uarias dux gregis inter oues.

ANTIGONVS Iudæorum rex, cùm Iosephū fratrē Herodis, regnum inuadentis, cum sex cohortib. oppressisset, potitus cadaueribus, Iosepho caput præcidit, L talentis à Pherora fratre redimendum. Galilæi à suis præfectis deficientes, factionem Herodis in lacum demersam necauerunt. At non multo pòst, commisso ad Hierichuntem prælio, Herodes uictor, Pappi ducis caput Pheroræ fratri misit, in ultionem fratris Iosephi, q à Pappo fuerat interfectus. Ioseph. li.14. c.27.

C. Gracchi caput SEPTIMVLEIVS amputatū Coss. Opimio obtulit: fraudem crudelitati addens, infuso plumbo, ut auro repensum plus lucri afferret. Plut. in Graccho.

Victo Perseo, & subacta Macedonia, Senatusconsulto mandatum L. PAVLO Coss erat, ut militib. quorum opera in pugna usus fuerat aduersus Persea, prædam illius regionis oppidorum concederet. Ergo ut omnibus simul præter expectationem ingrueret, euocauit ex singulis oppidis denos principes: quibus denunciauit, ut ꝙ auri & argenti in priuato & sacris ædibus esset, stata die proferrent in publicū. Adiunxit singulis prætextu quærendi & accipiendi auri uelut ad hoc ipsum præsidium militum & centurionem. Instante die, uno simul atq; eodem momento discurrerunt ad diripiendos hostes. Ita una hora CL millia capitum humanorum in seruitutem abrepta, LXX oppida direpta fuere. Ex tanta clade atq; exitio singulis militib. non plus undeni denarij dati. Omnes autem mortales exhorruerunt belli exitum, in adeò exiguum singulorum emolumentum & compendium tota unà discerpta gente. Plut. in Aemilio.

Interfector Cęsaris CASSIVS, Rhodo capta, durius in eā ciuitatem consuluit, idq; cùm in ingressu regem ipsum & dominum appellantibus respondisset: Neq; rex sum, neq; dominus,

minus,sed domini & regis interfector & ultor. Itaque Rhodios compulit, quod quisq; priuatim auri & argenti haberet,conferre: unde conflauit ad IIXM talentū : & publicè multauit ciuitatem quingentis aliis. Plut.in Bruto.

Tapis rex Hungarorū, an. DCCXLIX. cum expedito equitū robore in Italiam,atq; adeò in Lombardiam ipsam irrupit, ac nemine resistendi gratia occurrente, impunè hominū pecudumq; prædas agere instituit. BERENGARIVS II. rex, legatos de compositione ad eum misit : & cùm responsum tulisset, se, nisi ingenti accepto pecuniæ numero,Italia non cessurum, eius sibi parandæ officium depoposcit. Verū tanta iniquitate eam extorsit,ut Hungarorum direptioni compar ipsius exactio fuerit. Nam neq; ecclesias,neq; pauperes ullos excepit, atq; singulis omnis sexus atq; ætatis hominibus iniquum tributi genus,singulos in caput numos,imposuit, eosq; superbè impotenterq; exegit. Cumq; ita infinitam uim pecuniæ confecisset,decem,ut aiunt, numorum modiis Hungaro datis,reliquam summam, quæ longè maior erat, auertit. Sigonius lib.6. regni Ital.

Insignem HISPANORVM iniustitiam atq; tyrannidem,magni motus & bella,tam ab ipsis inter se, quā ab incolis in illos excitata,sequuta sunt. Nam à Columbo quidem sanè in Hispaniola, dum is secundū ex America reuersus, apud regem Hispaniarum esset,Rolandus quidam Ximenes,ex plebeio ad magistratus dignitatem euectus, defecit: & ne cogi à Columbis aut pro maleficiis puniri, aut in ordinem saltē redigi posset,latronum ducem se constituit, & quidquid ubiq; commeatus erat aut opum, id omne per fas nefasque rapuit. Reuerso deinde in Hispaniolam Columbo,adduci nunquam potuit, ut à suscepto furore desistens, eius imperium agnosceret:sed Columbum per literas apud Ferdinandum affectatæ tyrannidis arguit. Captis ergo,iussu regis, per Franciscum Bouadilium,Columbis fratrib. & in Hispaniam missis:Ximenes à Bouadilio,qui non minùs,quàm ille, gentis Indicæ diuitiis inhiabat, non difficulter in gratiā receptus est. Itaq; coniunctis animis thesauros undiquaq; corradere,& infelices incolas ad aurum effodiendum in fodinas detrudere cœperunt. Hinc gens illa,laboris & seruitutis æquè impatiens, conspiratione cum insulæ Principibus inita,grauissimam aduersus Hispanos rebellionem excitauit. Quam Columbi non sine multo sudore & sanguine uix tandem repressere. A' tertio deinde Columbi in Hispaniam reditu, ab eo Franciscus Porrasius,unà cū fratre & carauela (nauis id genus est qua uehebatur) defecit : & pertracto in suā sententiā potiore militū numero,Hispaniolę incolis,ad quos cursu se receperat,ut iterum ciuilis inter Hispanos discordiæ occasione tumultuarentur,causam præbuit. Cumanenses deinde,Continentis incolæ, qui Hispanos aduenas primò,uelut cœlo delapsum hominū genus, magna cū ueneratione susceperāt, & multis magni precij munerib.sponte adfecerant: eorū tum auaritia tum iniuriis irritati(uerberibus enim ad margaritarū piscationem quotidie cogebantur) coniuratione facta,in illos ex improuiso impetū dederunt, & occisis plerisq;,tam religiosis quā cæteris, reliquos in fugam coniecerunt. Hanc suorum iniuriam uindicatum missus postmodū Ocampius, captos ex insidiis Cumanenses, è sublimi nauis antenna,ut reliquis terrorem incuteret, suspendit : ac mox ad Cumanenses ex Cubagua reuersus, quò se receperat,tot eos cladib.affecit,ut internecionis metu pacem poscere cogerentur. His reb.gestis, Ocampus præda onustus cū parte copiarū in Hispaniolam discessit. Miles interim in præsidio relictus, partim libidine,partim margaritarū inexplebili cupiditate, partim etiā mutuis de præda dissensionib.recēs subactam Cumanensiū prouinciā sibi infestam reddidit. Cumanenses hac recuperādæ libertatis occasione illecti, & nouis iniuriis molestissimorū hospitū ad iracundiā prouocati,consentientib. animis,dispersos, & recentis uictoriæ fastu nihil hostile timētes, oppresserūt, & penè uniuersos deleuerūt. Ac tanto quidē furore in deuictos sæuierunt, ut extremā quoq; reb.Christianorum omnibus, non solū profanis,uerumetiam sacris,templis inquam, monasteriis,sanctæq; supellectili, uastitatē,magno cū Christiani nominis opprobrio,inferrent. Ex hac secūda rebellione, quā Hispanus miles procurauerat, natū deinde bellū: quod cū eis Iacobus Castilionius crudelissimū gessit,omneq; Cumanū nomē propè deleuit. Nā cùm per XL dies continuos grauissimis cladib.eos affecisset, & semper uictos ad deditionē cōpulisset: LXX gentis Cumanæ proceres,tanquam coniurationis auctores,suspendi iussit. Reliqui partim fuga in uastissimas se syluas abdiderūt,ut ab Hispanis tuti essent: partim capti,& in miserabilē seruitutē abrepti sunt. Sic euenit, ut per DCC milliaria uix ulli incolæ,paucis iisque tenuibus exceptis, reperti sint,qui antequā Hispanorū naues ad eas oras adpulissent, erant frequentissimi. Simandoca, Tessucæ uallis dominus in Peruuiana regione , Gondissaluo Ximenio iurecons. smaragdorū fodinā, tanquā rem inutilem,cuiq; salis unius patinā præferre consueuerat,uolēs & lubens ostendit : tum ut peregrinæ gentis aureā illam & gemmatā sitim semel,ut putabat, expleret: tum ut hac ratione ditionē suam ab exterorū incursione exoneraret. Sed cū longè secùs euenirent omnia, & preter expectationē, cateruatim undiq; [redacted]ntib. nouis hospitib. subditos intolerādis iniuriis affici quoti[redacted]deret, nec auertere posset: desperata uictoria, quā armis aliquoties frustra adfectauerat, execratoq; nomine Christiano, uulgus utriusque sexus passim in syluis uitam infelicem uolūtario suspendio abrupit. Ioan.Metellus in epistola Osorio præfixa.

Lutetiæ dulciarius PISTOR è suspensorū carne faciens artocreata, uiuus crematus est, domus euersa,& interdictum ne ędificaretur denuò. Sic locus perdiu in Icuncularū uico desertus mansit. Bodinus lib.4. Dæmon. c.5.

AMBITIONI.

Populus ROM. Mumium competitorem Saturnini, nouē iam creatis tribunis,unoq; loco candidatis duobus restante, ui priùs in ædes priuatas compulit: extractum deinde interemit, ut cæde integerrimi ciuis facultas adipiscendæ potestatis teterrimo ciui daretur. Val.lib.9. c.7.

ATTILA Hunnorum rex, Bledam fratrē,ut solus imperio potiretur, uita per insidias exuit:ad se summā rei Hunnicæ trāstulit,ac populos, qui ei parebant,Imperio obedire suo coegit.Itaq; ut opes ac potentiam auxit,sic aduersus homines superbiam,immanitatem,ac diram quandam acerbitatem odij incitauit.Sigonius lib.13. Imp. occid.

ITALICI studio libertatis contra Impp.Germanos studio honoris inter se crudeliss. bella gessere. Nam dum Pōtificis partes sequuntur contra Fridericū I. ut iugū Imperatoris excusserunt, sic in mutua uiscera horrendū in modum sæuire cœperunt. Sigonius lib.12. 13.14.& 15. regni Ital.

CINCIVS atq; LEO Frangepanes, quibuscū pop.Rom.magna pars sentiebat,indignati, quòd alteri eorum Pontificia sors non contigisset: conclaue ingressi, calcib. pugnisq; in Gelasium II. sæuierunt: ac calcarib. insuper, quib.calciati erant, dilaniatum,per conclaue traxerunt, ita ut penè exanimem relinquerent. Cardinalium plerosq; uerberib.affectos spoliarunt. Fulg. & Egnat.lib.9.c.7.

MALABARES Indi nobiles,si uir ignobilis eos attingit,nobilitatem contaminari, genusq; pollui censent:& tam insignem iniuriam, illata cæde miseris hominibus, qui in eos inciderunt,ulciscuntur. Idcircò q nobiles non sunt, quoties iter faciūt,uoces edere cogūtur. Nobiles uerò,cùm eos aduentare ex uocib. illorū præsentiūt, eos deflectere de uia iubēt: & sic fit,ut ignobiles mortis,nobiles maculæ sempiternæ periculum depellant. Osorius lib.2. rerum Emm.

ERRATI DEFENSIONI.

DEMOSTHENES Anaxilā quendā Oritem, qui cū ei hospitium erat, correptum pro speculatore torsit: à quo licet nihil esset quęstione expressum, tulit tamē ad populum, ut XI uiris traderetur. Plut.in uita Demosthenis.

PISO, Procōsul, cùm militē in castra sine cōtubernali reuertētem ut cędis illius reū, adiudicauisset morti: quāuis eum sequi & mox uenturū esse miles exponeret : Centurioni Proconsul mandauit, ut eum damnatū necaret. Cùm iam ppè esset ut plecteretur morte, cōtubernalis aduenit incolumis. Tum Centurio à sentētiæ executione supersedēs, utrūq; militem sistit Proconsuli. Hic aūt indignè ferens, ꝙ adeò temerè hominem ad mortem damnasset, simul enecari iussit & Centurionem, eò quòd non paruisset: & damnatum militē, quòd esset damnatus: & militē alterum, quòd neci utriusq; causam attulisset. Seneca lib.j. de Ira.

INVIDIÆ.

Athenienses in Aeginā triremē miserant, ad repetēdas quasdā statuas Epidauriis ablatas. Aeginetæ Argiorū opē implorarunt : qui exercitū Atheniensiū ad internecionē cęciderunt, unico tantū superstite. Is cū Athenas se recepisset, clademq; renūciasset, VXORES cæsorū, indignè ferentes unū ex omnib. esse reducē, hominē prehēderūt, ac fibulis uestimētorū pupugerūt, pcōtantes singulæ, Vbi suus uir esset. Herod.l.5.

C. Cæsar Ateguam oppugnabat in Hispania, bello ciuili: Qui Ateguæ erant præsidio, deditionē facturi in castra mittunt, qui sibi salutem postularent. Sed quum oppidanis tantùm ignosci diceretur, POMPEIANI desperatione adacti, Ateguenses hospites suos iugulant, iugulatos è muris deiiciūt. Multi oppidanorū per hunc modum periere: illi, credo, qui rem ad Cæsarem trahere nisi sunt. Sab.lib.7. Enn.6.

CLEARCHVS Lacedæmonius exploratum habens, Thraces omnia uictui necessaria in montes comportasse, una quoq; ope sustentari, quòd crederent eum commeatus inopia recessurum: per id tempus, quo legatos eorum uenturos opinabatur, aliquem ex captiuis in conspectu iussit occidi, & membratim tanquam alimenti causa in contubernia distribui. Thraces nihil non facturum perseuerantiæ causa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri,

in deditionem uenerunt. Front.lib.3.c.5. & Polyæn.lib.2.

P. MAGIVS Chilo M. Marcellum, cui à Cæsare uenia data & reditus decretus erat, sola ut uidetur inuidentia, illius uirtuti datum, quod non sibi, Athenis post familiarem cœnā pugione interfecit: eodem statim erga semetipsum usus. Cicero in Epistolis.

ZELO RELIGIOSO [redacted]

GREGORIVS Magnus, antequam pontifex Rom. fieret, abbas fuit: eamq; regulam suis tradidit, ne quippiam proprium possiderent. Accidit ut Iustus medicus, sed monachus, in mortis agone tres aureos se occultasse diceret. Gregorius eum uiuum diabolo dedit, quamuis pœnitentem, mortuum in sterquilinio condidit, & excōmunicauit, inquiens, Pecunia tua tecum sit in perditionem. [redacted]

Genebaudus à D. REMIGIO episcopus Laudunensis creatus, uxorem quidem repudiauerat, sed ipsius tamen concubitu interdum utebatur, ita ut eam semel atq; iterum imprægnaret. Ob quam rem Remigius eum per septennium integrum pœnitentiam agere uoluit. Diuinitùs tamen admonitus, eum Ecclesiæ suæ restituit. Hincmarus in uita Remigij.

SENEX quidam in Aegypto, ut refert Ioānes Cassianus, cùm monachum adolescentem in confessione audisset libidinis stimulis urgeri: immoderata reprehēsione propè ad desperationem compulit. Sed mox ipse iusto Dei iudicio eadem tentatione inquietari cœpit. Apollo abbas, iuuenem, cùm tristitię causam didicisset, blandè consolatus est, docens nō esse malum fœda cogitatione impugnari, sed uinci. Senem uerò uagum profugūq; ad se uocans, ut rediret admonuit: & iam suam expertus imbecillitatem, alienæ misereri disceret, non irasci. Post hæc pro illo precatus, tentationem oratione abegit. Marul. lib.4. c.11.

SVPERSTITIONI.

TAVRI Scythiæ populi, amputatum quisq; caput hostis domum reportat, fusti suffixum admodum sublime supra tecta statuit, & plerunq; supra fumarium. Dicunt enim, eos totius domus esse custodes. Herod.lib.4.

ALEXANDER, mortuo Hephæstione, ad luctus eleuationē bellum adhibuit, ac sic ut ad uenationem hominum egressus, Cussæorum gentem excidit, omnemq; ad internecionē deleuit. Ea Hephæstionis parentatio dicta. Plutarchus in Alexandro.

CRVDELITAS CONSIDERATA RESPECTV ACCIDENTIVM. Ipsius scilicet

VSVS.

Sit inseruit atq; ministrat Timiditati, Libidini, Auaritiæ, Ambitioni, Iniustitiæ. Ex præced. ubi de Consilio crudelitatis egimus, exempla huc transferantur.

FRVCTVS. CRVDELITATIS fructus

BONVS.

Cùm Icetes Leontinorum tyrannus, obsidens arcem Syracusanam, duos milites externos ad interficiendum per insidias Timoleontem ducem clàm misisset Adranū : & ille tum forte sacrificaret: gladiis hi sub pallio succincti in templū concesserūt, immistiq; circumsistentibus, aram sensim mouerunt propiùs. Ibi LEONTINVS quidam alterum eorum gladio secundùm caput uulnerat. Quo prolabente, nec percussor restitit, nec socius saucij : sed ille gladium tenens ad rupem quandam profugit editam: alter ara apprehensa indicium totius rei professus, fidem dari sibi petiit. Qua data, indicauit, se & illum, qui fuerat occisus, ad ipsum interficiendum missos. Interea illum à rupe alij retraxerunt, uociferantem nihil commeritum se, iure occiso illo homine, patri parentasse defuncto, quem priùs in Leontinis interemerat ille: testesq; ex corona nonnullos citauit. Corinthij huic homini præmium decem minas donauerunt, quòd deo Timoleontis tutelari iustam iram suam commodasset, nec ante inueteratam simultatem effudisset, uerùm cum priuata causa sua fortè fortuna reseruasset ad illius salutem. Plut.

Eumenes à Perdicca missus in Cappadociam, Craterū & Neoptolemum magna strage superauit. Perdicca seditione militari cæso in Aegypto, MACEDONES Crateri, quem post Alexandrum maximè amauerant, mortem indignissimè ferentes, Eumenem capitis damnarunt, & Antigonum cum Antipatro ducem contra eum delegerunt. Cùm aliquando reperti in castris Eumenis fuissent libelli, quos duces hostiū abiiciendos passim curauerant, centum talenta & honestū ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset: contrarium planè eius quod illi sperabant, euenit. Nam Macedones qui cum Eumene erant, exarsere grauiter, decreueruntq;, ut ex præstantissimis mille essent assiduè corporis custodes, stationesq; & excubias uicissim agerent. Plutarchus in Eumene.

Q. FLAVIVS à C. Valerio ædile apud populum reus actus, cùm quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, pclamauit se innocentem opprimi. Cui Valerius æquè clara uoce respondit: Nihil sua interesse, nocénsne an innoxius periret, dummodò periret. Qua uiolentia dicti reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicū : eundem, dum pro certo pessundatum credidit, erexit, uictoriamq; in ipsa uictoria perdidit. Val.lib.8.c.j.

MALVS. PVTA

Clades bellica.

AGESILAVS rex, contra Thebanos belli suscipiendi auctor fuerat. Cū crebrò tetra pdigia essent facta, & Prothous Lacon huic expeditioni aduersaretur: non remisit Agesilaus tamen, sed ut bellum decerneretur, effecit: sperans, cùm ipsi uniuersam haberent immunem & liberam Græciam, ex fœdere autem exemti Thebani essent, locum expetendi ab iis pœnas esse. Bellum illud plus ira consultrice fuisse quàm ratione susceptum, temporum articuli indicant. Siquidē die quartadecima mensis Scirrhophorionis pactum Lacedæmone fœdus est: Hecatombæonis quinta, dierum interuallo XX, apud Leuctra cæsi sunt, ubi mille Lacedæmonij cecidēre, & rex Cleombrotus, circaq; eum Spartiatarum fortissimi quique. Plut.

M. ATTILIVS Regulus, cùm nulla erga Carthaginenses ad extremum redactos misericordia moueretur, pacemq; suppliciter petentibus negaret, mox ipse eò redactus est, ut eadem illa suppliciter à Carthaginensibus iam uictus & captus, absq; uenia petere cogeretur. Polybius lib.j. Hist.

Amalasunta Gothorum regina in Italia, mortuo filio Atalarico, THEODAHATO amitino nupsit. Is ueteris iniuriæ memor, quòd ab illa ob expilatam Hetruriam, cui à Theoderico rege profectus fuerat, uerbis seuerè castigatus fuisset, uel etiam ut solus regnaret, Amalasuntam in insulam lacus Volsiniensium relegauit: ibiq; ab eorum liberis, quos illa malos filij suasores neci tradiderat, occidi permisit. Aemilius lib.j. Hanc iniuriam uindicaturus Iustinianus, & simul quoq; à Gothorum tyrannide liberaturus Italiam, bellum suscepit, quod annis XIIX continuis durauit, uictoribus tandem Romanis, duce Belisario primùm, inde etiam Narsete. Blondus Decad.j.lib.3.

HILDIGISLEVS Teuto, amore ardens Signes, Sigari Danorum regis filiæ, ingentibus malis Daniam & Sueciam implicauit, cùm comperisset sibi à regia puella præferri Hachonem, uel Hagbartum, Amundi regis filium. Boluesiū enim quendam muneribus corrupit, ut fœdus, quod Sigari filij cum Hagbarto & fratribus eius pepigerāt, dissolueret. Cuius persuasionibus regij iuuenes inducti, Danos cōtra Suecos nauali prælio armarunt. Io.Magnus lib.7. c.5.& seq.

Defectio.

Vandalis imperabant THEODERICVS marchio Brandenburgensis, & dux Saxoniæ BERNARDVS: ille quidem orientalibus, hic occidentalib. quorum ignauia nescio an improbitas, coegit Vandalos fieri Christianæ fidei desertores. Rudes enim in Christi fide populos, quos optimi quondā principes cū summa lenitate fouerant, tanta auaritia & crudelitate oppressere, ut excusso tandem seruitutis iugo, libertatem suam armis defendere cogerentur. Ductu proinde Mistivuoi, qui promissam sibi à Bernardo duce neptē dissuasu Theoderici non dari grauiter ferebat, Vandali, qui supra LXX annos Christum coluerant, ad paganismum rediere. Cranzius lib.2. Vandal.c.42.

Cædes.

Theseus in Isthmo SININ Pityocamptem (sic dictum, quòd duas flectens pinus, atq; utriq; alligato hominis brachio sursum dimittens, dilaceraret) quo modo multos ille peremerat, eodem eum sustulit. Plut. in Theseo.

Expugnata ab Manuele Comneno Græcorum Imp. Pannonię urbe Zeugmino, Pannonius quidam captiuus, pileo & reliquo habitu, more patrio ornatus, à prætereunte MILITE Greco occiditur. Is quū interfecti pileo capiti imposito pergeret, uindicta tacito pede illū consequuta, effecit, ut ab alio sequente Romano, pro captiuo Pannonio iugularetur: dignum euestigiò factis suis præmium consequutus. Nicetas libro quarto.

IOANNES Maria, dux Mediolanensis, ferocibus Molossis ciues dilaniandos obiiciebat. Qua feritate fecit, ut dū in templum Gothardi sacrorum causa descendit, trucidaretur, funeris expers: nisi quòd meretrix quædam ignobilis, ad tegendam uulnerum fœditatem, recentium rosarum aceruo cum operuit. Iouius in eius uita.

Condemnatio.

Q. PLEMINIVS proprætor à P. Scipione Locris relict⁹, multò crudeliùs quàm Pœni Locrenses uexare adortus. In ipsorum Locrensium corpora, in liberos, in coniuges, infandæ contumeliæ editæ, ne à sacris quidem Proserpinę thesauris temperatum. Romani ipsi, qui in præsidio erant, seditione agitati, media urbe inter se armis dimicarunt: uiolatusq; est Pleminius, nasoque & auribus ferro desectis, semianimis à militibus est relictus. Ad quam seditionem comprimendā Scipio Locros profectus, cognita causa, Pleminium absoluit, tribunosque ei tradidit, qui cum ipso in urbe hostiliter conflixerant, ut eos sub custodia Romam mitteret. Ille recentis iniuriæ impatiens, post Scipionis digressum deditos crudeliter necauit, atque insepultos proiecit: pari crudelitate in Locrensium principes usus, qui ad Scipionē de sua iniuria questum iuisse dicebantur. Decem Locrensium legati obsiti squallore & sordibus, ramosq; oliuarum, Græcorū ritu, manibus habentes, ad comitium conspectum (qui fortè in comitio sedebant) cum flebili lamentatione humi procubuerunt, Locrenses se esse dixerunt, ea à Pleminio & Romanis militibus passos, quæ ne Carthaginienses quidē pati Romanus populus uelit. Legati Locros missi ad causam cognoscendam. Pleminius cum XXX aliis sacrilegij & sceleris conuictus damnatusq;, Romā ad suppliciū est missus, ubi priùs uita decessit, quàm populi sit iudicio dānatus. Sabellicus lib. [illegible]

LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

```
                                  ┌Politicam. Vtputa {Magistratuum erga Subditos. Subditorum erga Magistratus.
                                  │                  {Amicorum erga Amicos.
IIDEM Tituli, qui præce-   ┌Effi- │
dentium Librorū. Sed quia  │cien- ┤ Bellicam: {Ducum erga Milites.
exempla non ita obuia, IN- ┤tis,  │           {Hostium erga Hostes.
DVLGENTIAM perpen-         │      │
damus in præsens respectu  │      └Oeconomicam: {Parentum erga Liberos. Coniugum erga Coniuges.
                           │                    {Fratrum inter se.
                           │                                                  ┌Magiam. Hæresin.
                           └Materię, hoc est, Iniuriæ quomodocūq; illatæ, per ┤Libidinem. Iniuriam quamcunq.
                                                                              └Proditionem. Inobedientiam.
```

Voluminis Duodecimi Liber IV.

De Vitio in Defectu iræ, de Indvlgentia.

QVI ab ira non mouentur, honestatis causa & uirtutis alicuius potioris, quia omnia humana sub se posita esse arbitrātur, non ἀοργητοὶ, sed πρᾶοι erunt, & ad Iræ moderationem referendi. At qui nulla proposita honestate, propter ignauiam & timiditatem, non modò à contemtu & iniuria in bonis fortunæ ac corporis, sed etiam in bonis animi, non mouetur, is uerè ἀοργητὸς dici debet: quia nec damno, nec ignominia & turpitudine (quam mortis instar omnes boni fugere debent) ad uindictam iustam & honestam excitari potest. Rarissimum tamen est hoc uitium, non modò quia ira ἀνθρωπικώτατον πάθος ἐστὶ, ut frequentiùs in excessu quàm in defectu peccent homines: uerumetiam quia gloriæ studium (quam ira asserere & defendere consueuit, ὀλιγωρίαν φαινομένην ulciscendo) omnibus ita innatum est, ut paucos reperias, qui non uel ex professo gloriam sequantur, uel certè dedecus fugiant. Consule locum Iniustitiæ correctiuæ, quatenus uel nulla uel minore pœna quàm oporteat sceleratos afficiunt. Hîc Iræ & Vindictæ non exercitæ, illic Inæqualitatis non correctæ ratio habetur.

IN-

INDVLGENTIA NIMIA, RESPECTV EFFICIENTIS. Eáque uel

POLITICA. Puta

MAGISTRATVVM ERGA SVBDITOS.

Patris filium Lycurgi CHARILLVM, qui Spartæ regnabat, mitem uirum ac lenem, cùm laudibus nonnulli ferrent, collega eius Archidamidas: Qui uerò, inquit, probus sit Charillus, qui ne peruersis quidem est infestus? Plutarchus de Inuidia & odio.

Agesistrata quum AGIDEM filium exanimem iacentem uideret, exosculata faciem dixit: Nimia tua, ô fili, bonitas, nimia mansuetudo & humanitas te simul & nos perdidit. Moliebatur enim Agis facinus sanè præclarū, sed inuidiosum: nimirum ut degenerantes Lacedęmoniorum mores ad priscam illam seueritatē reuocaret. Interim dum studet offendere neminem, & gratificari omnibus, semetipsum in exitium coniecit. Plut. in Lacon. Apoph.

NERVA, princeps alioqui optimus, populò in Domitiani ministris & amicis puniendis plus satis indulsit: ut non immeritò Fronto consul ad populū dixerit, Malum esse sub principe uiuere, qui nihil: peius sub eo, q omnia permitteret, nil prohiberet.

ALEXIVS Comnenus Imp. iis qui circa se degebant, indulsit nimium, adeò ut quandoq; abessent, quū minimè deceret, absente scilicet Imperatrice Irene. Illa enim præsente, frequentiores diligentioresq; erant. Nam seueriùs ac magis regiè cum illis agebat ipsa, parùm sedulos uehemētiùs puniens. Cuspinianus.

IACOBVS III. Scotorum rex, ab humani sanguinis effusione abhorrens, rariùs quàm expediret de sontibus pœnas sumebat. Appendix hist. Scotorum.

AMICORVM ERGA AMICOS.

AGESILAVS rex, cùm cæteris in rebus esset rigidior, & exactè iusti legumq; tenax: tamen in amicorum negotiis existimabat inhumanitatis ac sæuitiæ prætextum esse, nimiū aduersus illos esse iustum. Huius rei testis est epistola quędam perbreuis, quæ fertur ad Hidriæum Carem scripta, qua cuidam amico ueniam deprecatur in hunc modum: Nicias, si nihil peccat, dimitte hominem: si peccat, mihi dimitte: sed omnino dimitte. Plut.

BELLICA. Nempe

DVCVM ERGA MILITES.

ALEXANDER Magnus, uicta Asia æs alienum exercitus creditoribus de suo dissoluit. Ibi tum Antigenes luscus obæratum simulans se, falsò nomen dederat, adductoq; certo ad mensam, qui affirmaret se ei dedisse mutuò, repræsentauit ei pecuniam. Eo postea mēdacij comperto exarsit rex, summouitque eum aula, atque præfecturam ademit. Fuit bello bonus Antigenes: ac iuuenis etiamnum, cùm obsideret Philippus Perinthum, intorto ex catapulta in oculum suum telo, non paruit eximere telum uolentibus, neque pugnā remisit priùs, quàm urgens pepulisset atque intra muros redegisset hostes. Non modicè ergo tulit in præsentia ignominiam: uerùm præ se tulit dolore & mœrore manus sibi ipsi allaturum. Id timens Alexander, iram deposuit, & ipsum pecuniam eam iussit habere. Plut. in Alex. & Diodorus libro decimoseptimo.

IDEM, quum è Macedonum numero ad mare remitteret & ualetudinarios, & mutilos debilesq;: productus est quidā, qui se inter ægrotos adscripserat, quum non ægrotaret. Is quum ad Alexādri conspectum adductus esset, & examinatus fateretur se morbum prætexuisse ob amorem Telesippæ, quæ ad mare fuerat profecta: percontatus est Alexander, cui negotium retrahendæ ad exercitum Telesippæ delegaretur? Cæterùm ut cognouit eam esse liberam: Persuadeamus igitur, inquit, ô Antigenes, Telesippę, ut nobiscum maneat. nam uim admouere liberæ, non est nostrum. Sic indulsit amori strenui militis, quem hac ratione apud se retinuit, ut eius postea opera fideli sæpè sit usus. Plut. in Alex. Idem orat. 2. de Alex. fort. militem illum uocat Antigenē.

Q. FABIO Maximo Coss. militem Lucanū manipulares detulerunt, extra castra pernoctare, & signa sæpè relinquere. Fabius, Qualisnam aliàs esset rogauit. Cùm omnes confirmarent, Nemini militum secundum esse, simulque eximia quædam eius decora atq; facta commemorarent: causam ubi eius absentiæ perquisiuit, amore mulierculæ inuenit captum, & illius fruendæ gratia longum quotidie iter & periculorum plenum à castris commeare. Mittit igitur certos clàm milites, à quibus attractā puellam in tentorio suo occuluit. Lucano inde remotis arbitris accersito, Non me fefellit, inquit, contra disciplinam militarem te, & contra leges Romanas crebrò extra castra pernoctasse: nec uerò etiā uirtutes ignoraui tuas. Factis tuis strenuis, quam commisisti, condonabo fraudem: posthac alteri mandabo tui custodiam. Stupente milite, producit mulierem, atque ei tradit, additque: Hæc spondet te in castris mansurum: tu re ostendes, nū quod aliud ob facinus castra deserueris, cuius causę amorem & hanc prætexueris. Plut. in Fabio.

HOSTIVM erga HOSTES.

SAVLVS Iudæorum rex, iussus perdere Amalechitas, bello superatos neci dedit: Agago autem regi eorum pepercit: Deoq; inobedientiæ crimen ulciscente, sublatum est ab eo regnum, & traditum alteri. Marulus lib. 4. c. 3. ex 1. Reg. 15.

Capta ab ALARICO Vestgothorum rege Roma, scribit Orosius lib. 7. c. 28. Gothos non solùm sacra uasa aurea & argētea in sacras ædes retulisse: uerumetiam omnes tam Ethnicos, quàm Christianos ad Sanctorum basilicas confugere uolentes, è medio interiectu urbis exertis undiq; ad defensionem gladiis, saluos & liberos deduxisse. Propterea diuinum furorem ob nimiam eorum clemētiam prouocatum, eodemq; tempore clarissima urbis loca, quæ Gothi inflammare nequiuerant, fulminibus conflagrasse: imò nonnulli putant, ipsum Alaricum, quòd superbam Romanorum lasciuiam & blasphemiam non satis castigasset, breui periisse. Io. Magnus lib. 15. cap. 11.

Anno DCCCXXCIV. Normanni è Sequana egressi Lotharingiam inierunt, & castris ad Louanium positis utramque incursare prouinciam instituerunt. CAROLVS Crassus Imperator, in Lotharingiam reuersus, eos ad Mosam amnem adeptus, post quindecim dierum obsidionem ad deditionē adduxit. Verùm ut illud fortiter gestum, sic hoc imprudenter: quippe duces eorum captos, non ea qua oportuit seueritate multauit, sed accepto iureiurādo & fœdere icto, munificè liberaliterq; donatos dimisit. Nam non multo pòst reparatis uiribus, & Franciæ finibus peragratis, urbes cum templis incenderunt, episcopos cum clericis trucidarunt, & passim omnis ætatis sexusq; homines barbara crudelitate necarunt. Itaq; Crassus Neustriam, quæ ultra Sequanam suum imperium detrectabat, pacis habendæ causa eis concessit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

VITALIS Michael II. Venetorum dux, ualida classe Emmanuelem Græcorum Imper. perfidum urgebat, pacis interim mentionem à Græco non inuitus audire. Sed dum de conditionib. à callido Græco disceptatur, infectis ueneno fontibus, classem uniuersam propemodum cōtagio eo amisit, domumq; reuersus, à seditiosis cæsus est per inuidiam: cui nihil æque nocuit, ac nimia reportandæ pacis cupiditas: quam dum nimis credula spe sequitur, rempub. magno detrimento affecit. Sab. lib. 7. Dec. j.

OECONOMICA. VIDELICET

PARENTVM erga LIBEROS.

ELIS sacerdos summus Israelitarum Silunte, filios habebat duos nequissimos, Phineem & Hophnim: qui cùm & rapinis & stupris peregrinorum religionis causa eò uenientiū templum coinquinassent: pater nimium indulgens remissiùs quàm deceret, filios castigabat. Ei igitur Dominus prædixit, fore ut cùm plus liberorum amori quàm religioni tribuisset: filij eius uno die à Palæstinis cum magna clade totius populi interficerentur, & pontificatus ipse à familia illius in alium deriuaretur, cui posteri eius non sine inuidia & dolore ministrare cogerentur. Id quod non multo pòst euentus ipse comprobauit. Namq; filij eius cum XXXIV. Israelitarum millibus cæsi, arca Domini capta. Elis eo audito, cùm XCIIX annorum & cęcus esset, de sella in dorsum delapsus, fregit ceruicē. Elis nurus, Phineis uxor, partui uicina, in partu statim interiit. 1. Reg. 2. usq; ad 5.

DAVID rex Iudæorum, indulgentiore animo, quàm par fuerit, tulit, Amnonem primogenitum suum Thamari sorori uitium obtulisse. Diligebat enim Amnonem, quia primogenitus erat. Hac indulgentia patris effectū est, ut postea Absalomus occasione captata fratrem Amnonem in conuiuio interfecerit. 2. Reg. 13.

IOBVS pro filiis suis, qui conuiuia alternis diebus suę quisq; domi agitabant, summo mane, totidem hostias, quot erāt ipsi, immolabat, ut pro peccatis eorum satisfaceret. Iob. j.

PISISTRATVS, cùm dissidium inter ipsum & filios extitisset, eoq; lætari aduertisset inimicos: aduocata cōcione, Cupisse ait filios se in suam adducere sententiam: cæterùm, qa contumaces sint, illis uelle obsecundare & obtemperare. Plut. lib. j. Quæst. conuiu. quæst. j.

THEMISTOCLES filium suum, qui licentiùs abutebatur matris indulgentia, & per illam sua, falsè dicebat plus quā ullum alium Græcorum pollere. Cæteris enim imperare

Athenien-

[library stamp, illegible]

Athenienſes, ſe Athenienſibus, ſibi illius matrem, matri illum. Plut. in Themiſtocle.

Ferunt Seleuci Babyloniæ & Aſiæ regis F. Antiochum adoleſcentem adhuc, Stratonices nouercæ Demetrij Poliorcetis F. forma captum, dum illicito amori pudore & metu repugnat, penè ad interitum perductum. Occultam languoris cauſam Eraſiſtratus medicus haud uulgari ſolertia deprehendit, adoleſcenti ægroto aſſidens magnum in eo animi motum & pallorē fieri occulta indagine rimatus, quoties ad eum Stratonice ingrederetur. Tum ille SELEVCVM affatus: Et uires, inquit, nobis deſunt, rex, & ingenium in tuo filio curando: incurabilis illum amor ad interitum perducit. Seleucus eam deſperationem miratus, Quæ nam tanta intemperies hæc eſt, ait, cui nullum poſſit remedium adhiberi? Coniugem, inquit, ille meam deperit. Tum Seleucus Eraſiſtratum complexus, lacrymis & rogat & obteſtatur, ut uſuaria coniuge ſibi filium ſeruet. Non ſic, inquit Eraſiſtratus, ſentias, ſi tuam ille Stratonicem amet. Vtinam, rex ait, dij aut homines eam mihi facultatem darent, ut præſenti periculo, huiuſmodi quicam remedio occurrere: ſanè omnia, quæ mihi cariſſima ſunt, pro filij ſalute libenter profunderim. Hic Eraſiſtratus haud ultrà cunctatus, apprehenſa regis dextera, Si tali rex, ait, es in filium animo, qualem prædicas, noſtra ampliùs opera nihil indiges: nō meam, ut ſcias, ſed tuam ille ardet Stratonicem. Turbauit Seleucum rei nouitas: mox ubi per otium cætera cognouit, indulgētiſſimus pater, totius exercitus aduocata concione, declarauit uelle ſe & ſtatuiſſe omnium ſuperiorum regionum Antiochū regem, & Stratonicen declarare reginam, connubio iunctos. Arbitrari ſe filium, qui parēre ſibi ubiq; ſit ſolitus & dicto audiens eſſe, non repugnaturum ſibi in hiſce nuptiis. Quòd ſi uxor ſua ab re inuſtata abhorreat, orare amicos, ut docēant & inducant eam, ut omnia, quæ regi uideantur, & ſint ex uſu publico, recta habeat & iuſta. Plut. in Demetrio, & Sab. lib. 7. Enn. 4. & Appianus in Syriaco, & Val. lib. 5. cap. 7. qui à quibuſdam hoc non Eraſiſtrato, ſed Leptini mathematico commentum tribui teſtatur.

ANTIGONVS rex Aſiæ, Demetrij Poliorcetis F. delicias, luxum, potationes non moleſtè ferebat. Pace enim proiectus erat in hæc uitia, atq; per otium profundebat aſtatim ſe in uoluptates: bello, ut natura temperātes, ſobrius erat. Fama eſt, cùm Lamia propalàm iam omnia apud Demetriū poſſet, Antigonum, cui reuertens peregrè tulit ille oſculum, arridentem dixiſſe: Videris Lamiam, fili, oſculari. Alio tempore, cùm plures dies perpotaſſet, & prætexeret fluore ſe conflictatum: Audiui, dixiſſe Antigonum: ſed Thaſius an Chius fuit fluor? Rurſus cùm cum acceſſiſſet malè habere: perrexit ad eum uiſendum, ac formoſo puero ad fores occurrit. Ingreſſus, cùm apud eum aſſediſſet, tetigit manum eius. Qui cum dixiſſet, febrem modò receſſiſſe: Sanè, inquit, fili: & mihi ad ianuam modò digredienti obuiam uenit. Hæc ob alia Demetrij præſtantia facta tamen ferebat leniter. Plutarchus in Demetrio.

Gallis Cluſium Hetruriæ urbem obſidentibus, Romani petentibus Cluſinis, tres ex Fabiorū gente claros uiros legatos cū literis ad Barbaros miſerunt. Quj cùm Gallos à quietis conſiliis abeſſe intelligerent, Cluſium ingreſſi, ciues confirmarūt & acuerūt, ut una ſecū faciant in Barbaros impreſſionem: ſiue quò experirentur illorum uirtutē, ſiue ut oſtenderent ſuam. Cùm eruptione pro muris Cluſinis pugnarēt, unus ex Fabiis Q. Ambuſtus euectus extra acie equo, Gallo cuidam proceritate corporis & forma inſigni, qui longè ante ſigna extulerat ſe, occurrit ignotus initiō: at ut Barbarum ſuperauit pugna occiditque, legentem ſpolia agnouit Brennus. Ille deos teſtatus, uiolato iure gentium, cùm qui legatus uenīſſet hoſtilia perpetraſſe: extemplò ſigno receptui dato, ſoluraque Cluſinorum obſidione, Romam legationem mittit, ad depoſcendum legatum belli auctorem. Senatus primùm quidem pecuniæ ſummam quandam legatis Gallorum obtulerunt. at legatis eam accipere nolentibus, reum eis tradendum decreuerunt. PATER ex Tribunis, qui conſulatu fungebantur, unus, ad populum cauſam eam refert. Quj quum plurimùm apud multitudinem poſſet, ut irritam Senatus ſententiam facerent, eis perſuaſit. Populus, qui hactenus ſemper ſenatus decreto obtemperauerat, hic primùm refragari & contradicere ei cœpit. Gallorū uerò legatis in caſtra reuerſis, ſupra modum indignati, adductis omnibus gentis ſuæ copiis, contra Romam cū plus quàm ſeptuaginta millibus militum profecti, urbem cepere, captam euertere. Diodorus lib. 14. & Plutarchus in Camillo & Numa.

Conuenerat aliquando Fabia, Ambuſti FABII filia, Licinij Stolonis plebeij, ſed illuſtris aliàs uiri, uxor, ſororē, Seruio Sulpitio, tum conſulari poteſtate Tribuno, nuptam. Ac dum ſimul confabularentur, accidit, ut lictores oſtium Tribuni ſe domum recipientis, uirgis de more percuſſerint. Quo ſonitu exterrita minor Fabia, ignara conſuetudinis, irriſa fuit à ſorore. Fabia domum reuerſa, triſtior uiſa patri, rogatur, quid cauſæ eſſet. Hæc tandem faſſa eſt doloris ſui cauſam, quòd ipſa in plebeia eſſet domo collocata, quā neq; honor neque gratia intraret. Ambuſtus filiam leniter conſolatus, bono animo eſſe iuſſit, fore, ut propediem eoſdem domi honores, quos & apud ſororem, uideret. Cum genero deinde Stolone & L. Sextio conſilium cepit, ut Tribunatum illi peterent, proponerentq; plebi populares rogationes, quibus fortunæ & opes inter ordines æquarentur. Quibus creatis in proximis comitiis, cùm tales ferrent leges quibus Senatus ſubſcribere noluit: magnas apud plebem turbas excitaſſent, niſi per Camillum Dictatorem V. diſcordia ſedata fuiſſet. Sab. lib. 2. En. 4.

Iulia AVGVSTI Cæſaris F. annum agebat triceſimum & octauum, tempus ætatis (ſi mens ſana ſupereſſet) uerecundis in ſenium. Sed indulgentia tam fortunæ, quàm patris abutebatur: cùm alio qui literarum amor, multaq; eruditio, qū in illa domo facilè erat, præterea mitis humanitas, minimēque ſæuus animus, ingentem feminæ gratiam conciliarēt, mirantibus, qui uitia noſcebant, tantam pariter diuerſitatem. Non ſemel præceperat ei pater, temperato tamen inter indulgentiam grauitatemq; ſermone, quatenus moderaretur profuſos cultus, perſpicuoſq; comtus. Idem cùm ad nepotum turbam ſimilitudinemq; reſpexerat, qua repreſentabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filiæ erubeſcebat. Inde blandiebatur ſibi Auguſtus, lætum in filia animū, uſq; ad ſpeciem procacitatis, ſed reatu liberum: & talem fuiſſe apud maiores Claudiam credere audebat. Itaq; interamicos dixit, duas habere ſe filias delicatas, quas neceſſe haberet ferre: Iuliam, & Remp. Macrobius lib. 2. c. 5. Saturn.

PATER quidam loculpes filias honeſtiſſimè elocarat. Perſuadent illę miſero ſeni, uti uiuus iis opibus ſibi liberos deuinciat, quas mortem ipſius auidè expectantes poſt obitū hæreditate conſecuturæ eſſent: id unum ſanctè polliceāe, de alimentis ſe patri proſpecturas. Et primo quidem anno benignè & liberaliter ab illis tractatus eſt. Verūm cùm præcet ſpem illarum diutiùs uiueret, ſenis pertæſæ, pietatis & pactorum immemores, duriùs illum tractare cœpeunt. Ille ut imprudentiam ſuam aſtu emendaret, ciſtam quandam ſaxis & arena tanquam auro & argento plenam cubiculo ſuo inferri curauit: pollicitus quæ filiarum de ſe optimè fuiſſet merita, digna etiam pietatis ſuæ poſt obitum ſuum laturam præmia. Tum ergo æmulatione mutua omni officiorum genere patrem proſequi cœpere. Ioannes Paulus in Iocoſeriis.

MORDACVS Stuart, Scotici regni gubernator, Roberti III. regis nepos ex fratre, adeò negligens & ſegnis fuit ad corrigenda liberorum uitia, ut in ipſum tandē inſurgerent: ſeu quòd talis à natura fuerit, ut ſuos punire nō poſſet: ſeu quia grauiter puniri merebantur, nollet eos exigua pœna afficere: ſeu demùm quoniam pœnam omnem magis initurā quàm cohibituram eorum inſolētiam arbitrabatur, punire eos non audebat, ne quid nefarij adueršum ſe flagitij auderent. Duos filios habebat, Vvalterum & Alexandrū quorum alter (dum ſeſe ambo facilegiis ac iniuriis contaminaſſent) patris iram & regni amiſſionem meruit, obſalconem, quem ſibi pater ad aucupium ſeruabat, ac ipſe nequicquam ſæpius per uim auferre conatus, à famulis probibitus fuerat: ſed tandem patrem in manu alitem ferentem temerè adortus, per uim eam de manu detraxit, atq; occidit. Quam iniuriam filij pater indignè ferens, Vvalterę, inquit, quia mite atque laxum patris imperium ferre nequis, cogor alium uobis inducere, qui nos uirga ferrea poſthac regat. Itaq; auctor fuit Scotis, Iacobum Roberti III. regis F. ab Anglis redimendi. Is regno potitus, cùm grauiter in omnes ſacinoroſos animaduerteret, tum uerò etiā gubernatorem cum filiis ſuſtulit. H. Boethius lib. 17.

LIBERORVM ERGA PARENTES.

DIONYSIO ſeniori mater erat affecta iam ætate, quæ qui intempeſtiuiùs nouas appeteret nuptias: Vis, inquit, legib. afferri poteſt, naturæ non poteſt. Plut.

CONIVGVM INTER SE.

Vide ſub Affectuum loco, Non-zelotypi.

PHINEVS rex Thracię, Ideę uxori nimium contra priuignos indulſit. Hæc enim calumniis ſuis, cùm ſe à priuignis uiolatam eſſe diceret, effecerat, ut hos pater uerberibus cæſos in terram uiuos defodi imperauerit. Qui tamen ab Argonautis à tam crudeli morte liberati fuere. P. Aerodius ex Diod. libro 4.

CLAVDIVS Imp. nuptiis, quas Meſſalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipſe conſignauit: inductus, quaſi de induſtria ſimularentur, ad auertendum transferēdumq; periculum, quod imminere ipſi per quædam oſtenta portenderetur. Suetonius.

Fauſtina, nec M. ANTONINI Philoſophi (non modò principum, ſed omnium mortalium optimi, qui ætate illa fuerūt) neque patris memor, qui & ipſe ſerum Romæ potitus eſt, adeò in uenerem præceps abiit, ut in Caietano ſeceſſu nauticas ſibi conditiones quæreret. Admonitus maritus domeſtici probri: Aut eſt, inquit, id dedecus ferendum, aut reſtituendūm eſt imperium, quòd ab ea accepi. Sabellicus lib. 4. capite undecimo.

PERTINAX Imp. habuit uxorem Flauiam Ticianam, Flauij Sulpitiani filiam, quem præfectū urbis loco ſui fecerat. Citra uxoris pudicitiam minùs curioſus fuit, cùm palàm citharœdum illa diligeret, & ipſe uſque ad infamiam Cornificiā amaret. Cuſpinianus.

HILARIVS Antiochenus Syrus, princeps ſenatus, cùm Reipublicæ ſuæ muneribus fungi cogeretur, otium philoſophandi non habebat. Atqui Fortuna ſapientiorem illū reddidit: Vxore in adulterio cum familiari quodā Moſcho oratore deprehenſa; ea homini ceſſit, & ſuo loco ſecundùm legem ſenatorem eſſe iuſſit. Ipſe patria relicta, per Cariam & Lydiam Athenas ueniens, Proclū in philoſophia uoluit audire. Qui cùm eius luxum non ferret, quem cum concubinis adueniſſe audiſſet, & ſolita adhuc intemperātia: digreſſus Athenis Hilarius, aliam philoſophiæ rationem eſt ſecutus, Proclea ſibi accommodatiorem. Suidas.

Tordæ, Tranſſyluanię urbe, deprehenſus in adulterio coniux, accuſatus coram magiſtratu, manu cōiugis in foro obtruncatur. Anno certè Salutis MDLII. PAVLVS Varadienſis ſarror, uxorem mœcham deprehenſam, damnatam, mactaturus erat: ſed precibus & pollicitis eius perſuaſus, incolumem abire permiſerat. Non multò pòſt deprehenſus ab uxore Paulus, & in iudicio uocatus, conſumtis incaſſum obteſtationibus; adò ingratiſſima muliere ſpectante populo ſecuri percuſſus eſt. Aſcanius Centorius libro 4. bellorum Tranſſyluaniæ.

FRATRVM.

ALEXANDER, delato ad eum aliquid ſorori cum formoſo iuuene interceſſiſſe, non excanduit: ſed ait, Permittendum illi quoq; nonnihil frui regno. Plut. in Politicis.

GERTRVDIS, Andreæ Hungariæ regis uxor, Bancbano regni præfecto à rege in Hieroſolymitana expeditione abſente commendata fuerat. Cùm ad eam frater conſolandi cauſa ex Germania ueniens, Bancbani uxoris amore accenſus eſſet, illa fratri nimiū indulſit in lenocinio, ut eam per uim ſtuprārit. Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

INDVLGENTIA NIMIA RESPECTV MATERIAE.

INDVLGENTES erga eos, qui læſerunt per

MAGIAM.

M. ANT. Philoſopho imperante fuit præſtigiator, qui per id tempus, quo peſtilentia atrocius ſæuiit, ignem dixit è cœlo caſurum, mundumq; finem habiturum. fidē rei fore, quòd ipſe ex capriſico cadens in ciconiam uerteretur. Multi mortales in tam pium Martium confluxere, ut incredibilis aliqui rei euentum cognoſcerent. Stabat multitudo miraculo intenta, quum ille ſubitò ex arbore demiſſus eſt, ac ſimul anis, quam ad id paratam habuit, inde dilapſa. Conſpiraueratis cum pleriſq; in hoc ipſum, ut ſolitudinem urbis & infrequentiam nacti in ciuitatem graſſarentur. Hominem deſtinati ſceleris conuictum, Marcus nullo affecit ſupplicio, adeò miti fuit ingenio, & ad ignoſcendum facili. Sabel. lib. 4. Enneadis ſeptimæ.

Iacobus Sprangerus Magorum quæſitor ſcribit, Epiſcopum à ſe in Germania uiſum, qui aduerſa utens ualetudine ex ſaga uetula cognouit, ſe ex maleficio ægrotare, nec aliam ualetudinis recuperandæ uiam eſſe, quàm ut eadem ſaga ſortilegio periret, quæ ſortem in ipſum coniecerat. Miratū Epiſcopum, celeribus equis miſiſſe Romam ad NICOLAVM V. Papam, ut ueniam indulgeret huius curationis adhibendæ. Papam, qui Epiſcopū amabat unicè, indulſiſſe, hac clauſula diſpenſationi adiecta, Vt ex duobus malis, fugiatur magis. Ergo Sagam diplomate allato dixiſſe, Cùm Papæ & Epiſcopo placeat, ſe illud effecturam. Media proinde nocte reſtitutum fuiſſe Epiſcopum: Sagam uerò, quę eum faſcinauerat, in morbum, ex quo obiit, incidiſſe. Bodinus lib. 3. Dæmon. capite quinto.

HAGVENONÆ ad Laodunum, cùm Sagæ duæ ante annum ex iure mortem promeritæ, fuiſſent damnatæ. una, ut cæderetur flagris, altera ut inter flagellandum aſſiſteret: populus prehenſas Sagas magiſtratu electo lapidauit. Bodinus lib. 4. Dæmon. cap. j.

Famoſa Saga Verigniį in Gallia habitans, obſtetrix: cùm ſortilegiorum aliquot accuſata fuiſſet, fuit tamen abſoluta à IVDICIBVS: ſed poſtea tam atrociter uindicauit factum, ut innumeros hominēs pecoraq; nece affecerit. Idem.

HAERESIN.

TIMOTHEVS epiſcopus Alexandrinus orthodoxus, ſed nimium manſuetus, ut eius rei cauſa apud Leonē Imp. à ſuis accuſatus fuerit, quòd nimis remiſsè ſe erga hæreticos gereret. Imp. tamen non paruit. Itaq; non minùs ipſum hæretici quàm orthodoxi amarunt, & publicè ei hæretici acclamarunt: Tametſi tibi non communicamus, te tamen amamus. Liberatus.

PETRVS Alexādrinus epiſcopus, poſt Athanaſium orthodoxus, nimis facilis fuit in hæreticis recipiendis, adeò ut non cauerit ſuſpicione acceptæ pecuniæ. Ruffinus lib. 2. cap. 3. Socrates lib. 4. cap. 20.

LIBIDINEM.

Soloon Athenienſis miles, Antiopam Theſei uxorem deperibat. Per internuncium ſolicitata ea cùm repulſam paſſus eſſet, in amnem ſe præcipitans periit. THESEVS (qui propterea quòd popularem dominationem feciſſet, populo fuit Athenienſi acceptiſſimus: item ꝙ ſeipſum extra ſortē in tributi partem Minotauro mittendi detuliſſet) cognito adolescentis amore, caſum eius tulit grauiter, ſubiitq; mentem à Pythia ſibi Delphis præceptum, cùm peregrè grauiſſimè angeretur, & eſſet pertriſtis, urbem ibi ut conderet, & aliquos de ſuis relinqueret rectores. Hinc urbem, quam condidit, à dei nomine Pythopolim nuncupaſſe, atq; in honorem adoleſcentis propinquum flumen Soloontа: reliquiſſe etiam illius fratres uelut rectores & legiſlatores. Plut. in Theſeo.

HENRICVS V. Romanorū Imp. Arnulphum capellanum habuit, qui quandam adamauit domicellam: cuius cūm quadam nocte uteretur amplexibus, & hoc auribus Imperatoris inſtillaretur, iuſſit die ſequenti Imperator, ut accedēs ad aram legeret Euangelium. At ille, ut quem de nocturna culpa morderet conſcientia, fingens ſe infirmum, ait: Domine decollari poſſum, antequam ſlectar, ut præcepto ueſtro obſecundem. Et cùm nihil proficeret minis aut blanditiis, ait: Nunc cognoui certiſſimè, quòd Deum plus quàm me diligas & formides. noui quæ cauſa à lectione Euāgelij te ſubtraxerit, & ab altari. Arctiore proinde amore illum proſecutus, ad præſulatū Rauennæ promouit, anno MCXXVI. Matthæus Pariſienſis.

HENRICVS III. Imp. cùm monialem amatam uidiſſet clericum per niuē dorſo portare extra aulam, nemini rem patefecit, ſed mortuo quodam epiſcopo, clerico dixit: Accipe epiſcopatū, & uide ne ultrà equites in dorſo mulieris. & uacante monaſterio, ſororī: Accipe abbatiā, & uide ne unquā portes clericum equitantem. Ranulphus lib. 6. c. 21. Malmeſburienſis lib. 2. c. 67. Vincentius lib. 25. cap. 18.

Anno MCIII. cùm [redacted] ſodomia ubiq; per Angliam regnaret: conuocata ad Pauli fanum ſynodo ANSELMVS Cantuarienſis archiepiſcopus, hoc edidit [redacted] ſanè ſtatuturi: Cōtra præterlatiæ immanitatem Sodomiticum flagitium facientes, & (dictu horrēdum) eos in hac uoluntate iuuantes, graui anathemate damnamus, donec pœnitentia & confeſſione abſolutionem mereātur. Qui uerò in hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt, ſiquidem fuerit perſona religioſi ordinis, ut ad nullum ampliùs gradum promoueatur: & ſi quem habet, ab illo depo natur. Si autem laicus, ut in toto regno Angliæ legali ſua condignitate priuetur. Et ne huius criminis abſolutionem his, qui ſe ſub regula uiuere non uouerunt, aliquis niſi epiſcopus deinceps facere præſumat. Statutum quoq; eſt, ut per totam Angliam in omnibus eccleſiis, & omnibus diebus Dominicis excōmunicatio præfata publicaretur ac renouaretur. Ranulphus & Rogerius Ceſtrenſes, & Ioannes Treuiſa in Chronicis.

INIVRIAM QVALEMCVNQVE.

SCIRAPHIDAM multarunt Ephori, quòd à multis erat injuria affectus. Interpretabantur enim, illius ignauiam eſſe in cauſa, quòd complures auderent eundem lædere. Nam qui ueterem impune fert iniuriam, inuitat nouam. Plut. in Lacon. Apophth.

DIONYSIVS maior atrociter in alios fontes animaduertēs furibus ueſtium parcebat: ut deſinerent Syracuſani unà conare & conuerſari. Plut. in regum Apophth.

TIBERIVS Cæſar Diogenem grammaticum, quem quum Rhodi eſſet adierat extra ordinem auditurus, quia ab eo ex cluſus eſſet domo, iuſſuſq; poſt ſeptimum diem redire, quo ille diſputare erat ſolitus: ex Rodo Romā ad ſe iam principem officij cauſa profectum, miſit qui pro foribus ſtantem iuberet eum diſcedere, moneretq; ut poſt ſeptimum ad ſe annum reuerteretur: ciuili perhumanaq; admonitione contentus. Sabel. lib. j. Enn. 7. ex Suetonio.

Catha-

Cathanenſes epiſcopum ſuum Adamum, decimas pro more à popularibus exigentem, ac, quum non perſoluerent, diris execrationibus eos perſequẽtem, correptum domi ſuæ, flagris priùs fœdè cæſum, in propria ipſius crudeliter culina conciremarũt. ALEXANDER II. Scotorũ rex, cõtractis paucis quibuſdam copiis, comprehenſis ſceleris auctoribus, qui ſupra quadringentos erant, omnes ſupremo affecit ſupplicio: impuberes teſticulis priuauit, ne hominũ ſceleratorum proles ſucceſſione multiplicata, diu ſuperſtes eſſet. In cuius rei ſignum extat in hanc diem locus, ubi proiecti teſtes erant, Teſticulorum collis appellatus. Tertio pòſt anno, cùm rex natali Chriſtiano genio liberaliùs indulgeret, captata oportunitate, comes Cathaneſius, ſupplex ad eum ueniam rogatũ uenit. Eum Alexander, ſeueritate exuta, priſtinæ fortunæ, accepta priùs ingenti pecunia, reſtituit. Sed impunitatem hanc ab homine conceſſam, haud inultam Deus dimiſit. Nam famuli eius, quòd eos aſperiùs æquo tractaſſet, poſt paucos annos, noctu trucidatum, ac in grabatum impoſitum (quò facinus occultum maneret) accenſis ædibus concremarunt. H. Boethius lib. 13.

PRODITIONEM.

C. IVLIVS Cæſar prætor creatus, detecta coniuratione Catilinæ, Senatuque uniuerſo in ſocios facinoris ultimam ſtatuente pœnam, ſolus municipatim diuidendos, cuſtodiendosque publicatis bonis cenſuit. Quin & tantum metũ iniecit aſperiora ſuadentibus, identidem oſtentans, quanta eos in poſterum à plebe Romana maneret inuidia, ut Decium Syllanum Coſs. deſignatum non piguerit ſententiã ſuam, qa mutare turpe erat, interpretatione lenire, uelut grauius atque ipſe ſenſiſſet exceptam: obtiniſſetque adeò, tranſductis ad ſe iam pluribus, & in his Ciceronis Conſulis fratre, niſi labantem ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio. Ac ne ſic quidem impedire rem deſtitit, quoadu ſq; manus equitum Romanorum, quæ armata præſidij cauſa circumſtabat, immoderatiùs perſeueranti necem communaret: etiam ſtrictos gladios uſque eò intentans, ut ſedentem unà proximi deſeruerint, uix pauci complexu togaq; obiecta protexerint. Tunc planè deterritus non modò ceſſit, ſed etiam in reliquum anni tempus curia abſtinuit. Suetonius.

INOBEDIENTIAM.

ARTOXERXES Mnemon, in uenatione monſtrante ſibi Tiribazem candyn ſuum (ea eſt ueſtis regia apud Perſas) ſeceratum, Quid agẽdum eſſet, rogauit. Cùm ſubieciſſet ille, deuium ipſe indue, hunc mihi dona: ita fecit, addens, Hunc tibi, Tiribaze, dono, ſed gerere interdico. Contemnens id Tiribazes (erat enim haud improbus, ſed leuior & ſtolidior) cùm candyn illum confeſtim induiſſet, monilibuſq; aureis & muliebribus à rege donatis excoluiſſet ſe, ſtomachabatur cuncti. neque enim fas erat. At rex deriſit eum, & ait:

Permitto tibi aurum gerere, ut mulieri, & ueſtem illam, ut inſano. Plutarchus in Artoxerxe.

VOLVMINIS DVODECIMI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Decimum-tertium

DE

VERITATIS practicæ ſtudio, de SIMVLATIONE & DISSIMVLATIONE

TRIBVS LIBRIS pertractans.

Fortiſsimi
Reipublicæ Chriſtianæ
propugnaculi

Regni POLONIAE SENATORI
prud. integer. q.

NICOLAO FIERLEIO
de Dambrouicza

Caſtellano RAVENSI

XIII
THEATRI uitæ humanæ
Volumen

Tribus LIBRIS explicatum

QVORVM

I. *De VERITATIS practica ſtudio, de Candore, Libertate, Integritate.*
II. *De SIMVLATIONE ſiue Mendaci Affirmatione.*
III. *De DISSIMVLATIONE ſiue Negatione Mendaci diſſerit.*

peregrinationis Lycurgeo
conſilio ad Rauracos
uſque
iam pridem ſuſceptæ
MEM.

THEODORVS ZVINGERVS
BASIL. P.

TOMI DECIMITERTII
LIBRORVM
DISPOSITIO.

ΑΛΗΘΕΙΑΝ à nõ latendo Græci dicũt. Hæc in Theorica uita mentis conceptũ cũ ipſis rebus, in Practica habituũ animi cũ actionib. conuenientiã denotat: illic quidẽ Verũ κατ' ἐξοχὴν, hîc Bonum collineans, fines præcipuos, quorũ ideæ, fontes, eſſentiæ in ſummo uero bonoq; ſubſiſtũt, ſimulacra uerò & umbræ tanquã riuuli quidã humanam uitam, erroribus alioqui & calamitatib. infinitis obnoxiã, irrigant, & propter ortus ſui unitatẽ indiuiduo nexu ſic inter ſe copulantur, ut id quod Verũ eſt, Bonũ Theoricum, quod Bonum, Verum Practicũ dici queat. Et Theorica quidẽ ueritas cognitioni inſeruiẽs alterius eſt loci. Practica uerò actioni cõmodãs, ex qua in quotidiana cõuerſatione Aperti, Liberi, Ingenui, Sinceri, Candidi & Cõſtantes in dictis factisq;, tã malis quàm bonis, denominantur, uni ex uirtutib. ὁμιλητικαῖς ſubiicitur. Virtus ipſa Ariſtoteli nomine caret: ob idipſum fortaſſe, quia aliarũ uirtutũ, quibuſcũ iungitur, appellationẽ ſubit. Nam quod hîc Verũ eſt, neceſſariò Bonũ eſt, uel per ſe, Honeſtũ ſcilicet, uel propter honeſtatẽ, Vtile & Iucundũ: circa quæ tria bonorũ genera omnis uirtus practica occupatur. Si quid nouare liceret, poſſet nõ malè φιλαλήθεια dici, Latinis Veritas, Integritas, Libertas, Ingenuitas, Candor, Cõſtantia, omni ſimulatione nõ entis, & entis diſſimulatiõe reiecta, actiones externas habitui interno cõſentaneas, quales quantæq; ſunt, factisq; proferens, exprimensq;, ſolius ueritatis ſtudio. Nam ſi alterius cuiuſdam honeſtatis, uoluptatis, utilitatiſue cauſa id facit, ad uirtutes practicas circa hæc ſubiecta uerſantes referenda eſt. Eum, qui hac uirtute præditus eſt, definit ſic Ariſt. ἴσῃ ὁ μέσος (qui uirtutẽ inter duo extrema mediã ſequitur) ἀνθέκασός τις (potentia intellectus practici omnes omniũ actiones in ſe comprehendens: uti etiã philoſophus theoricus, intellectu ſuo omnia cognoſcẽte, omnia eſſe dicitur) ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ (factis ſcilicet) καὶ λόγῳ (de quacunq; re oratio inſtituatur, ſiue practica ſit illa, ſiue theorica, modò ea ad conuerſationẽ quotidianam referatur) τὰ ὑπάρχοντα (ea quæ ſunt, ut ſunt: ea quæ non ſunt, ut nõ ſunt) ὁμολογῶν εἶναι περὶ αὐτῶν (animi ſui ſententiã de rebus, ſiue ſuis, ſiue alienis, tam bonis quàm malis, liberè & apertè proferens) καὶ ὅτε μείζω, ὅτε ἐλάττω (accidentia uidelicet, & ea quæ non uerè, ſed accidentaliter tantùm eſſe dicũtur.) Ex qua deſcriptione, ipſius quoq; habitus definitionẽ colligere poſſumus, quòd ſcilicet φιλαλήθεια nihil aliud ſit, quàm μεσότης περὶ τὴν ὁμολογίαν τῶν ὑπαρχόντων. Vt μεσότης eſt, ſic differt ab extremis duob. rectæ rationis ductu moderationẽ in ueritatis profeſſione amplectẽs. Moderatio iſta ex actionũ & habituũ practicorum cõcordia pendet. Nã quando profeſſio rebus uerè cõuenit, mediũ hoc erit: ſi nõ uerè, quia uel magis

uel minùs quàm insit inesse dicit, immoderatio orietur. Quæ immoderatio si spectetur ratione subiecti ueri, à quo declinat, Mẽdacij propria est in excessu aut defectu: sin ratione finis, boni maliue, nũc ad uirtutes, nunc ad uitia referri poterit. V.G. dissimulat quis suas uirtutes, ne occasionem det Ambitioni. Vitiũ hoc uidetur esse in ueritatis defectu: at hæc tamen uirtus est in moderando honoris studio. Ergo si honorẽ spectes, ad Magnanimitatẽ, si ueritatem, ad hunc pertinebit locũ. Simulat seruus se homicidium patrasse, ut dominũ crimine eximat. Vitiũ in ueritatis excessu, crimẽ falsum sibiipsi imponẽs. Eadẽ tamen Prudentia, in seruando alio: eadẽ Iustitia seu Fides serui erga dominũ. Pari ratione reprehendat quis alterius errorẽ, sed in tẽpestiuè, ad φιλαλήθειαν quidẽ ratione subiecti pertinebit: at ratione modi, ad Popularitatis defectũ. Ergo immoderatio pariter & moderatio ueritatis per se quidẽ huius est loci: per accidens uerò ad alia uirtutũ & uitiorũ genera referri potest: eaq; propter distinguitur φιλαλήθεια à reliquis, quòd solius ueritatis rationẽ habet, quocunq; alio fine proposito. ὁμολογίας denique τῶν ὑπαρχόντων appellatione omnia ea cõprehendimus, de quibus practicus intellectus agere cõsueuit: siue secundùm substantiã consideretur, ut quòd sint aliquid, uel nõ sint: siue secundũ accidens. In qualitate enim, bona & mala: in quantitate, magna & parua cõnumerantur. Id ergo quod est, ut est, quantũ, quomodo: & id quod nõ est, ut nõ est, efferre & enunciare: Veritatis est practicæ, in quotidiana cõuersatione & negotiatione mutua. Confessio & aperta significatio per dicta aut facta, quibus animi sentẽtia exprimitur, pro diuersitate subiecti uariat. In bonis erit Laudatio, Commendatio: in malis, Reprehensio, Castigatio. Tres ergo contrarios habitus seu potiùs dispositiones, diuersitate actionum elucescentes, tribus libris complectemur.

- Circa VERITATEM *practicam, in dictis factisq; quotidianæ uitæ, ad conuersationem hominum tuendam nõ minùs necessariã quàm gratã & acceptã, spectatur*
  - Moderatio, *quantum licet atq; decet Veritatem sectans, Mendacium fugiens. Virtutis ὠνώνυμος & Arist. nobis doctrinæ causa* Φιλαλήθεια *dicatur,* VERITATIS *studium, Candor, Integritas. De hac* LIBER I. *differet.*
  - Immoderatio, *Veritatem negligens, Mendacium consectans, hoc est, id, quod siue absolutè siue secundùm quid Non est, Esse simulãs: id quod uel absolutè uel secundùm quid Est, Non esse dissimulãs. Ex natiua pugna entis & non entis, is qui Ens dissimulat, non ens simulare, qui Non ens simulat, ens dissimulare cogitur: distinctione tamen primi subiecti ratione habita, Non entis simulatio, Veritatis professionem Excedere, Entis dissimulatio, ab eadem Deficere uidebitur. Vitium proinde aliud erit in Veritatis*
    - Excessu, Ἀλαζόνεια, *ab erronum nugis ducta appellatione.* τὸ μὴ ὂν εἶναι λέγειν. *Latinè Simulationẽ dicamus, cùm reliquamina, Superbia, Fastus, Tumor, Elatio, Insolentia, Arrogantia, Iactantia, Deficientia, ostiata quidem sint, sed partim angustiùs, partim latiùs pateant, quã Veritatis præsens excessus. De* SIMVLATIONE *siue Mẽdacij* AFFIRMATIONE. LIBER II.
    - Defectu, Εἰρωνεία. DISSIMVLATIO, *siue Mendax* NEGATIO *eius, quod est: siue in professione sola & assertione, siue etiã in constãtia peccãs.* τὸ ὂν μὴ εἶναι λέγειν. *De qua* LIB. III.

LIBRI PRIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Formã *duum generũ nempe quo ad*
  - Κτῆσιν *uersantem ipsum*
    - Ἀύξη. VERITATIS *practicæ* ACQVISITIO. Huc
      - Magistri.
      - Discipuli.
    - φυλακήν. VERITATIS *practicæ conseruatio, constans professio, respectu*
      - Præsentium, *impedimenta superando: negligendo scilicet*
        - Spẽ *Boni ex Mẽdacio obtinendi:*
          - Salutis, *Vitæ.*
          - Libertatis.
        - Metum *Mali ex Veritate consequẽdi. Puta*
          - Periculi.
          - Tormentorum.
          - Carceris. Mortis.
          - Inimicitiæ.
          - Deiectionis *à dignitate.*
      - Præteritorum:
        - Pœnitendo *mendacij.*
        - Non *pœnitendo ueri.*
        - Non *mutando uerum.*
  - Χρῆσιν *considerata respectu*
    - Personarum. *Vide signum* I.
    - Loci. VERITATIS *exercitatio respectu* LOCI. In
      - Templo.
      - Foro.
    - Temporis. VERITATIS *exercitatio respectu* TEMPORIS. In
      - Calamitate.
      - Morte.

VERITATIS *studium pensendum secundùm*

- Causas, *hoc est, secundùm*
  - Materiam. VERITAS *practica considerata secundùm* MATERIAM, *quatenus occupatur circa*
    - Res, *perpendẽdo illas*
      - Per se. *Veritas de*
        - Eruditione. Eloquentia.
        - Peritia *mechanica.* Probitate.
        - Virtute *uniuersim.* Fortitudine *bellica.*
        - Castitate. Taciturnitate.
        - Meritis *erga Rempublicam.*
        - Felicitate. Paupertate.
        - Gloria & Honore.
        - Dignitate, *Magistratu.*
        - Potentia.
      - Respectu *Occasionis. Puta in*
        - Consiliis.
        - Iudiciis.
        - Contractibus.
    - Personas, De
      - Seipso.
      - Aliis. *Puta de*
        - Veteribus.
        - Amicis.
        - Hostibus.
  - Efficientem. VERITATIS *studium respectu* EFFICIENTIS:
    - Qui, *Quales. Integri, Aperti, Sinceri, Veritatis studiosi, Liberi,*
      - Populi. Heroes.
      - Sacerdotes. *Sacri homines, Prophetæ.*
      - Reges. Duces *bellici.* Consiliarij.
      - Iudices. Legati. Rhetores.
      - Poetæ. Philosophi.
      - Historici. Iureconsulti.
      - Hostes. Præceptores.
    - Quo *consilio. Exempli gratia causa*
      - Animandi *suos.* Hostem *terrendi.*
      - Consultandi. Milites *animandi.*
      - Veniæ *impetrandæ.*
      - Dignitatis *acquirendæ.*
- Accidẽtia. VERITATIS *consideratio secundùm Accidentia. Huc illius*
  - Fructus, Præmium
    - Dignũ. *Puta*
      - Dei *fauor.* Absolutio. Vita. Libertas.
      - Laus, *Commendatio.* Præmium.
      - Auctoritas. Dignitas.
      - Obsequium. Vectigalium *remissio.*
      - Pax, *Concordia.*
    - Indignum.
  - Vsus. *Sic inseruit* →
    - Prudentiæ *bellicæ.*
    - Liberalitati.
    - Iustitiæ *religiosæ.*



II. Veri-



Voluminis Decimitertij Liber I.

DE INTEGRITATE seu VERITATIS practicæ STVDIO.

VERITATIS PRACTICAE ACQVISITIO. HVC MAGISTRI.

Primos homines Adam & Euam, cùm deliquissent, compulit DEVS confiteri peccatum suum. Adam, inquit, ubi es? hoc est, quò excidisti, quantum cõmisisti mali? Et ad mulierem: Quare hoc fecisti? Post confessionẽ electi sunt paradiso, subduq; laboribus, doloribus, morti. Gen. 3.

PYTHAGORAS dicebat, hæc duo diuinitùs hominib. data esse longè pulcerrima: Veritatẽ amplecti, & Beneficiis operã dare: & addebat, utrunq; cum deorum immortaliũ opebus comparari posse. Aelianus lib. 12. de Varia hist.

PERSÆ filios tam sanctis moribus imbuerunt, ut illorum disciplinæ nil addi posse uideretur: & per omnes ætatis gradus illud præcipuè suis inculcarunt, ut fugientes mendaciũ, uera semper loquerentur. Herodotus lib. 1. & Plut. in libello περὶ τῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι.

DEMOCRITVS Abderites libertatem in dicendo, ingenuitatis signum esse dicebat: sed occasionis diuersitatem, habere periculum. Stobæus serm. 11.

VETERES arbitror sacra mysteria instituisse, ut in iis tacere insuefacti, ad mysteriorum fidem humanorum, metum deorum traducamus. Plut. de Instit. liberis.

TERBELLIVS Bulgarorum dux, superatis Auaris, ubi è captiuis cognouit, falsis delationibus improborum circumuentis fortissimis quibusq;, Auares, destitutos ducibus, uictos & profligatos esse, qui antea Græcorum etiam arma egregiè sustinuerant: cõuocatis Bulgaris, uarias leges promulgauit, in primis in delatores. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

D. BERNARDVS Clareuallensis abbas reliquos monachos humilitatem docuit, ut quamuis nihil sibi essent conscij, tamen non propterea sese iustos existimarent. Deum enim ipsum iudicare eos quos iustificat, & perfectissimum quenque districtum diuini iudicij examen ignorare. Eodem modo addidit: Sub timore Dei sic state, ut nec uos quempiam iudicantes aliquando extollamini, nec aliorum curantes iudicia excidatis in nugas: singula uerò prosequẽtes, uos seruos inutiles reputetis. Auctor uitæ.

DISCIPVLI.

Consule Tit. Reprehensiones aliorum ferre: quatenus ferendo uere ab aliis dicta, sibiipsis deinceps cauent.

PETRVS qui ad uocem unius ancillæ pauefactus Christum negauerat, accepto Spiritu sancto fuit tanta uirtute indutus, ut coram populo Pharisæorum ac magistratuum collegio, ipsum fidenter prædicaret. Matth. 26. Act. 2. 3. 4. 5.

PHILIPPVS Macedonum rex aiebat se his, qui in republica Atheniensium administranda primores essent, plurimam habere gratiam, quòd suis conuiciis efficerent, ut ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. Plutarchus in Apophthegmatibus.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, è paruo morbo conualescẽs, Nihil deteriùs nobis accidat, inquit. In memoriam enim reuocauit nobis morbus, ne mortales cùm simus superbiamus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Io. PICVS Mirandula, cùm noningentas in omnibus disciplinis quæstiones disputãdas Romæ proposuisset: obtrectatores clàm illius uirtuti detraxere, palàm uerò XIII quæstiones, ut hæreticas, traduxere, ita ut Apologiã edere coactus fuerit. His circumuentus inuidorum calumniis, dum falsò obiectos errores excusare studet, ueros errores à nemine obiectos nec reprehensos, agnoscere cepit. Et cùm aliàs a moribus illustrium feminarum esset addictior, simultate illa ita fuit exercitatus, ut ab nugis istis animum reuocauerit: Amorum libros Latina & Ethrusca lingua conscriptos igni tradiderit: & prophanæ philosophiæ somniis relictis, ad sacrarum literarum studia totum se conuerterit. Io. Franciscus in eius uita.

VERITATIS PRACTICAE CONSERVATIO, CONSTANS PROFESSIO. TVM

PRAESENTIS. NEGLIGENDO

SPEM BONI EX MENDACIO obtinendi. Negligere

Salutem.

SOCRATES, cùm Athenis causam diceret, defensionemque ei Lysias à se compositam, quã in iudicio uteretur, recitasset, demissam & supplicem, imminentiq; procellæ accommodatam: Aufer (inquit) quæso istam. nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ solitudine perorarẽ, tum meipsum morte multandum concederem. Spiritum cõtemsit, ne careret grauitate: maluitq; Socrates extingui, quàm Lysias superesse. Val. Max. lib. 6. cap. 4.

Libertatem.

CAROLVS Zenus ab inuidis accusatus, quasi pecuniã à Carariensi principe dono acceptam in publicum non retulisset ærarium, carceri inclusus, ea conditione, ut ueniam petere posset: nunquam adduci potuit, ut id per biennium faceret, quo toto inclusus uixit. Egnat. lib. 3. cap. 7.

METVM MALI EX VERITATE consequendi. Contemnere

Periculum, Damnationem.

Principes Sacerdotum comminati sunt PETRO & IOANNI, ne ultrà loquerentur in nomine Iesu. Qui responderũt eis: An iustum est, uos potiùs audire quàm Dominum? Non enim possumus, quę uidimus & audiuimus, nõ loqui. Deinde cùm arguerentur à principibus sacerdotum, quia non seruassent eorum mandatum, responderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Act. 4.

Varus adolescens Smyrnæus, diues admodum, sapientiæ & eloquentiæ opinionem unicè captans, cateruis adulatorum perpetuò stipabatur, eorumq;, quibus fœnori pecunias erogaret, usuras auditione redimebat. Inter eos fuit aliquando POLEMO sophista doctiss. qui tamen mox adolescentem deseruit. Quo nomine cùm æs alienum minùs dissolueret, instabat adolescens importuniùs, typos illi subinde intentans. Erat id iudicium, quo iis interdicebatur foro, qui creditoribus non paria facerent. Ea molestia perpulsus Polemo, ac præterea multorum stimulis, ad audiendum hominem pergit. Insulsè declamabat is, sed ex more finis comparebat nullus, barbarismis & solœcismis perstrepebant omnia. Tum stomachabundus Polemo exsilijt, ac protentis manibus, Vare (inquit) typos profer. innuens malle se iudiciũ subire, quàm id genus ineptias ineptissimas pati diutiùs. Cælius lib. 20. cap. 20. Antiq. Lect.

Tormenta.

MANDANES Gymnosophista, cùm Alexãdri nuncij eum ad Iouis filium uocarent, & obedienti dona pollicerentur, inobedienti uerò minarentur cruciatum: respondit, Nec illum Iouis filium esse, nec magnæ parti terrarum imperare: nec se illius donis permoueri, cui nulla satietas esset: nec minas timere, cùm uiuens satis ab India nutriretur, mortuus uerò ab attrita iam senio carne liberaretur, in meliorẽ puriorémque uitam immutatus. Vnde & ab Alexandro laudatus, & xenia donatus est. Strabo libro decimoquinto.

Carceres.

PHILOXENVS Cytherius, Dithyramborum poeta, maluit in latomias detrudi, quàm inepta Dionysij tyranni poemata laudare. Cùm recitantem audiret tyrannum, surgẽs abiit. Tyranno interrogant, Quónam? In latomias, inquit. Gyraldus Dialogo 9. hist. poet. Iam cùm effugisset, commoratus est Tarenti. Cùm autem Dionysius eum accerseret, & per literas etiam peteret, ut ueniret: Philoxenus tabulis literam A duntaxat sæpe iteratam inscripsit: significans, se repudiare inuitationem. Suidas.

Mortem.

Consule Titulum, Martyrum, & Confessorum religionis.

Multi ex Prophetis extrema pati, quàm uera reticere, præoptarunt, cùm ob hoc à Deo dirigerentur, ut regum populorumq; uitia corriperẽt, & eis pœnas denunciarẽt. ESAIAS in duas partes sectus est, HIEREMIAS lapidibus obrutus, AMOS uecte per tempora transfixus. Marul. lib. 4. cap. 4.

Magi cùm Persarum regnum per fraudem falsi Smerdis occupassent, inito inter se consilio, statuerunt conciliandum sibi amicum PREXASPEM, qui à secretis Cambysis regis fuerat, quòd indigna passus à Cambyse esset, occiso eius filio ictu sagittæ, & solus mortem Smerdis Cyro geniti nosset, ut quem ipse suapte manu interemisset, quòd præterea ob id apud Persas maxima flagraret inuidia. His de causis accitũ hominem, sibi amicum comprobabant, accipientes fidem ac iusiurandũ: fallaciam, quę ab ipsis in Persas facta esset, intra se habiturum, neque cuiquã mortalium patefacturum, pollicitantes innumerabilia se ei daturos. Recipiente Prexaspe conditionem, iubẽt hominem, ut omnibus Persis sub murum arcis conuocatis, ipse conscensa turri prædicaret, à Smerde Cyri, Persis imperari, & ab alio nemine. Hæc illi pręcipiebant, uel homini summæ apud Persas auctoritatis, & qui sæpenumerò asseuerasset eum esse Smerdem Cyri, ac cædem à se factam pernegasset. Hæc quoque Prexaspe sepa ratum exequi dicente, Magi conuocatis Persis, hominem in turrim perductum iubent habere orationem. Prexaspes ea, quæ ab istis oratus fuerat, sponte obliuiscitur: exorsusq; ab Achæmene, seriem familiæ Cyri recenset: & ubi tandem deuenit ad Cyrum, commemorauit illius in Persas beneficia. His expositis, promsit ueritatem, causatus ideo se hactenus occultasse, quòd sibi tutum nõ fuisset proferre rem gestam, sed in præsentiarum necessitate coactum proferre: dixitque se à Cambyse adactum, Smerdem Cyri occidisse, & Magos esse qui regnent. Multis quoq; uerbis Persas deuouit, nisi rursus imperium recuperarent, ac Magos ulciscerentur. Hęc locutus, sese in caput è turri præcipitem dedit. Herod. lib. 3.

GESVALDVS Longobardus, à Romualdo Beneuentanõ duce, Beneuenti à Constantio Imp. obsesso, clàm missus ad Grimoaldum Longobardorum regem, ipsius Romualdi patrem, rogatum ut filio opem ferret, aduersa fortuna in hostes incidit. Qui de propinquis auxiliaribus copiis certiores facti, spectare eò ceperunt, ut ad pacem Romualdum traherent: arbitratiq; se id melioribus conditionibus facturos, si auxiliorum spem Romualdo ademissent, Gesualdum moniturn antè, ut in eam sententiam loqueretur, ad Beneuenti muros

muros deduxerunt. Cæterùm ipse ex fide omnia obsessis narrauit, breuiq; affuturũ cũ ualido exercitu Grimoaldum affirmauit. Qua re indignati hostes, statim Gesualdum occiderunt, & postera die motis castris obsidionem soluerunt. Fulg. & Egnatius lib. 3. c. 7. & 8.

Cùm PELOPIDAS Thebanus ab Alexandro Pheræo captus populos Alexandro subditos ad defectionem solicitaret, eoque nomine mortem ei tyrannus minaretur: renunciari iussit illi, Pelopidam mirari, quòd tamdiu distulisset, cùm ipse adeò in eum hostili animo esset. Plut. in Pelopida.

Inimicitiam.

P. RVTILIVS, cùm amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, atq; is per summam indignationem dixisset: Quid ergo (inquit) mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis? respondit: Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Val. lib. 6. c. 4.

Annonæ caritate increbrescente, C. Curiatius trib. plebis productos in concionem Consules compellebat, ut de frumento emendo, atq; ad id negotium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cuius instituti minimè utilis, interpellandi gratia SCIPIO Nasica contrariam actionẽ ordiri cepit. Obstrepente deinde plebe: Tacete quæso, Quirites: (inquit) plus enim ego, quàm uos, quid Reip. expediat intelligo. Qua uoce audita, omnes pleno uenerationis silẽtio, maiorem auctoritatem eius, quàm suorum alimentorũ respectum egerunt. Val. lib. 3. c. 7.

Cn. Carbo tribunus plebis nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus uindex, idem orientium ciuilium malorum fax ardentissima, P. SCIPIONEM Africanum à Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore uenientem ab ipsa penè porta in Rostra productum, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogauit: ut auctoritate clarissimi uiri, inchoato iam incendio multum incrementi adijceret: quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti necessarij memoria, miserabiliter esset locuturus. At is iure eum cæsum uideri respondit. Cuius dicto, cùm concio tribunitio furore instincta uiolenter succlamasset: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est. Orto deinde murmure, Non efficietis, ait, ut solutos uerear, quos alligatos adduxi. Vniuersus populus iterum ab uno contumeliosè correptus tacuit. Valerius lib. 6. c. 2.

DEIECTIONEM A DIGNITATE.

VALENTINIANVS, Pannonius, Tribunus Scutariorum, quum sub Iuliano, Christianitatis integram fidem gereret, iussus ab Imperatore sacrilego, aut immolare idolis, aut militia excedere, sponte discessit. At pòst, Iuliano interfecto, Ioulanoq; mortuo, Valentinianus, qui pro nomine Christi amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. Eutropius.

PRAETERITAE. Sic conseruare uidetur

POENITENDO MENDACII.

CONSALVVS Magnus, acceperat deditione Tarentum, hac conditione, ut Ferdinandum Calabriæ ducem liberum abire permitteret: idque iureiurando ipsi confirmauerat. Cùm uerò ipsum in Hispaniæ regis potestate non esse, olim plurimum interfore animaduerteret, iureiurando contempto abeundi facultatem minimè dedit, sed benè comitatum in Hispaniam misit. Cæterùm multi testantur, eum sæpissime dixisse, Se nullius improbè facti pœnitentia offensum ex hac uita fuisse migraturũ, nisi Ferdinando Friderici Aragoniæ regis filio, & Cæsari Borgiæ Valẽtino, fidẽ suã improuidè dedisset: ut ea demùm à rege Hispaniæ Ferdinãdo, cũ sui nominis sugillatione, uiolaretur. Iouius in Consaluo.

NON POENITENDO VERI.

ARISTIDES Locrensis, Platonis sodalium unus, cùm ab eo Dionysius maior unius filiarum eius nuptias petisset: Mortuam, inquit, malim puellam aspicere, quàm matrimonio iunctam cum tyranno. Vt paulo pòst liberos eius interemit Dionysius, & per ludibrium quæsiuit, num de filiarum nuptiis in eadem maneret sententia: Factis, respondit, angi se ipsius, non pœnitere dictorum suorum. Plutarchus in Timoleonte.

Thebani exules post Chæronensem Philippi regis uictoriam in patriam restituti sunt, quibus ciuitatis administrationem Philippus concessit. Apud quos, quum QVINQVE ciuitatis assertores postularentur, quòd per iniuriam se in exiliũ egissent, eius constantiæ fuerunt, ut omnes se auctores faterentur, contenderentq; meliùs cum republica tunc actum, quum illi damnati essent, quàm quum in urbe restituti. Mira hominum constantia, de iudicibus uitæ necisque suę, ingenuè quod sentirent, iudicasse: & quòd libertatem, quam uiribus uindicare non possent, lingua usurparent. Sabellicus libro 3. Ennead. 4.

NON MVTANDO.

EVRIPIDES, cùm aliquãdo fabulam recitaret, à populo rogatus, ut sententiam quandam mutaret, in scenam progressus dixit, Se, ut populum doceret, non ut ab eo disceret, tragœdias componere solere.

VERITATIS EXERCITATIO, QVATENVS VERITATEM DICTIS FACTISQVE SECTATVR. TVM

DE BONIS SVIS TESTANdo. Et uel

NARRATIONE, ASSERTIONE SIMPLICI.

Interrogatus, Quid sciret, LACON: Liber, inquit, esse. Plut. in apophtheg. Laconicis.

LACÆNA, cùm distraheretur, & rogaretur, Quid sciret? Fida, inquit, esse. Idem.

IPHICRATES Calliæ, Chabriæ filio, cũ sciscitaretur ac diceret: Qui es? sagittarius, cetratus, eques, an legionarius? Nullus ex his, inquit, sed qui hisce omnibus imperet. Plutarchus an Virtus doceri.

DIOGENEM Cynicum cùm emere uellet Xeniades Corinthius, & quid artificij nosset, percõtaretur: Noui, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Xeniades respõsum miratus, eũ emit, & manumisit: eiq, filios suos tradens, Accipe (dixit) liberos meos, quibus imperes. Gellius lib. 2. c. 18.

CHRYSIPPVS philosophus consultus à quodam, cui potissimum filium suũ philosophiæ præceptis instituendum traderet? Sibi cõmittendũ, respõdit. Nam si quẽ, inquit, aliũ me præstantiorẽ arbitrarer, ipse apud hunc philosophiæ darem operã. Vnde & illud Homericum de eo uulgò iactatũ fuit, Odyss. κ. de uate Tiresia, cui uni Proserpina dederit, ut etiam uita defunctus saperet: reliquas umbras uolitare, & eas quidem nihil aliud quàm umbras:

τῷ καὶ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια
οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Erasmus in Adagiis, ex Laërtio.

Demetrius Poliorcetes cùm cepisset Megaram, & Macedonas direxisset, STILPONEM philosophum, qui existimabatur uitã sectari tranquillam, accitum rogauit, Nunquid rerũ ipsius quisquam cepisset? Cui Stilpon: Nemo, inquit. Neminẽ enim uidi, scientiam qui eriperet. Plut. in Demetrio.

AGATHOCLES filius figuli, potitus Sicilia, ac rex appellatus, solitus erat pocula iungere aureis figlina, atq; iuuenibus glorians dicere, Se, qui antè hæc finxisset, nunc illa ob uigilantiam & strenuitatẽ suam facere. Plut. in apoph. Reg.

Sedebant pro tribunali magna grauitate censores Gellius & Catulus (in Apoph. Lentulum habet) & transuehebant equites. CN. Pompeius autem (qui iam bis triumphauerat, & cõsul erat cum M. Crasso) conspiciebatur supernè in forum descendẽs. Erat aliis quidem magistratus insignibus ornatus, sed equũ manu trahebat. Vt propè accessit, & cognitus est, lictoribus uiam sibi facere iussis, equum admouit Rostris. Stetit populus stupore & silentio defixus. Censores uerò ex ea specie simul uerecundia & gaudium occupauerunt. Inde maior natu interrogauit eum: Quæro ex te, Magne Põpei, ecquid omnia stipendia impleueris? Cui Pompeius alta uoce: Omnia impleui, inquit, & meipso imperatore. Quod audiens populus, conclamauit: neque sedari præ lætitia clamor poterat: sed confugentes censores domum eum deduxerunt, populo prosequenti & applaudenti gratificantes. Plut. in Pompeio.

SENECA de se lib. 1. Declamationũ sic scribit. Sed cùm multa iam mihi ex me desiderãda senectus fecerit, oculorũ aciem retuderit, auriũ sensum hebetauerit, neruorũ firmitatẽ fatigauerit: inter ea, quæ retuli, memoria est, res ex omnib. partib. animi maximè delicata & fragilis, in quã primũ senectus incurrit. Hãc aliqñ in me floruisse, ut nõ tãtũ ad usum sufficeret, sed in miraculũ usq; pcederet, nõn nego. Nã duo millia nominum recitata, eodem ordine referebã: & ab iis, qui ad audi-

audiendum præceptorē nostrum cōuenerant, singulos uersus à singulis datos, cùm plures quā ducenti efficerētur, ab ultimo incipiens usq; ad primum recitabam: nec ad complectenda tantùm, quæ uellem, uelox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quæ acceperat. Muretus libro 3. Var. lect. c. 1.

IACTANDO, GLORIANDO honestè.

AGESILAVS gloriabatur, quod nemini in obeundo labore concederet: potiusq; quòd imperaret sibiipsi, quam quòd regnaret. Plut. in Apophtheg.

CATO maior censuræ candidatus, cùm alios conspiceret supplices & prensantes multitudinem, ipse clamabat, Indigere medico populum seuero, ac magna purgatione. itaque non blandissimum, sed capiendum tristissimum. Quæ ille dum iactat, omnibus fuit prælatus. Idem.

POMPEIVS de seipso iactans dixit, omne imperium se citiùs quàm expectasset accepisse, & deposuisse quàm esset expectatum. Idem.

EBERHARDVS dux Vvirtenbergicus in principū comitiis, aliis alia suarū ditionum bona predicantibus, Ego uerò, inquit, hoc solo glorior, quòd nullū ex subditis meis habeā, in cuius sinu solus in uastissima sylua quiescere metuam. Io. Agricola in Prouerb. German.

DEI BENEFICIA AGNOSCENDO, CELEBRANDO.

PAVLVS Apostolus c. 3. ad Philippēses ait, Si gloriandū cuiquā sit extra Christū, se quoq; occasiones habere amplis. gloriandi, quia Israëlita, Beniamita, Hebræus ex Hebræis, Pharisæus integer. Sed hæc omnia se propter Christum uilia existimasse.

PLATO de trib. Diis agebat gratias: quòd homo non bellua natus esset: quòd Græcus, & quidem Atheniensis: quòd Socratem præceptorem nactus esset.

TIMOLEON Corinthius, liberatis à tyrannide Siculis, uictorias suas fortunæ retulit omnes acceptas. Plutarchus in Timoleonte.

Cæcilius METELLVS Scipionis morte doluit, diisq; gratias egit, quòd alibi natus non esset. Plut. in Apoph.

L. Corn. SYLLA Sociali bello factis multis eximiis nomen cōparauit ducis apud ciues magni, apud socios maximi, & fortunatissimi apud hostes. Quam quidem felicitatis suæ fauētisq; sibi fortunæ opinionem etiam in maius tollebat: studensq; ut propitij numinis fidem adiungeret, facta sua fortunæ tulit accepta: siue per iactantiam id fecit, siue eam habuit de diis existimationem. Quandoquidem scripsit in cōmentariis, quæ non consultò, sed ex tempore aggressus temerè esset, ea rectiùs cecidisse, quàm quæ deliberasse sibi uisus fuerat maturè. Adhæc cùm meliùs dicit se ad fortunam comparatum, quàm ad bellum, plus eum fortunæ tribuere quàm uirtuti, apparet. Breui in totum uidetur se mancipasse fortunæ, qui quidem uel suam cum Metello paris dignitatis uiro & socero concordiam ad diuinam aliquam delegat felicitatem. A' quo enim magnoperè fatigatum iri expectauerat se, eum collegam lenissimum expertum. Præterea Lucullum in commentariis, quos illi dicauit, admonet, nihil perinde firmum ut ducat, ac quod in somnis ei noctu iubeat deus. Plut. in Sylla.

TITVS Imp. subactis Hierosolymis, cùm murorum firmitatē, turrium altitudinem cōspexisset: Deo, inquit, planè adiuuāte pugnauimus, & Deus erat, qui detraxit ab istis munimentis Iudæos. Iosephus lib. 7. cap. 16. belli Iud. EIDEM, cùm Syria uniuersa & Aegyptus, & omnes Palæstinæ finitimæ gentes coronas mitterent, & uictorem appellarent: ille coronas repudiabat: non sese dicens illa fecisse, sed Deo iram suam declaranti manus suas cōmodasse. Adeò moderatus & modestia plenus fuit. Suidas.

MAXIMILIANVS Cæsar, cùm Oenoponti in curia hoc symbolum eleganter & curiosè depictum uidisset, So Adam hackt vnd Eua span / Wer wäre do ein edelmann: qa se quoque hoc ipso prouerbio taxari credebat, summo manè propria manū hos uersiculos subiunxit:

> Ich bin ein mann wie ein ander mann /
> Allein mir Gott der ehren gann.

ALFONSVS Neapolitanorum & Siculorum rex, tria in se magni beneficia Dei cōmemorabat, Quòd non bellua, sed homo rationis capax esset creatus: nec qualiscunque homo, sed Christianus homo: nec qualiscūq; Christianus, sed Christianus rex. Reddere illud modestia uetuit, Quòd non qualiscunq; rex, sed regum quos habet Europa potentissimus, & quod eo seculo inauditum erat, rex atq; philosophus. Aeneas Syluius de Alfonso.

IVREIVRANDO.

Oppressa Catilinæ coniuratione per CICERONEM, cū pauci adhuc dies Ciceroni consulatus superessent, tribuni plebis eum coëgerunt, ut magistratum eiuraret, statimque descenderet. Ita ille, ut iuraturus progressus, facto silentio, iurauit non solenne, sed peculiare quoddam & nouum iusiurandum, Se patriam cōseruasse, & tutatum imperium: quod uerè eū iurasse populus uniuersus iurauit. Sed & Cato obiiciens se collegis suis, Ciceronis consulatum ita extulit concionibus suis, ut honores ei decernerentur omniū amplissimi, & pater patriæ appellaretur. Plut. in Cicerone.

MANDATO, IMPERIO.

P. SCIPIO in Hispania oppidū Badiā circumsedens, tribunal suum adeūtes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, uadimonium in posterum diē facere iussit: cōtinuoq; urbe potitus, & tempore & loco, quo prædixerat, sella posita ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione uerius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Valerius Maximus lib. 3. c. 7.

OBIVRGATIONE ALIORVM.

PLATO in epistola quadā ad Dionysiū Syracusanorū iniustū regem, cùm ostendere uellet ipsum non solùm improbè fecisse, qui se sine honore ullo dimisisset, ualde utilem sibi ac fidelem rebus suis, uerumetiam stultè, ut qui non cogitaret posse statum illum suum florentissimū immutari: nec intelligeret, quid cōmodi capi possit ab amicis in rebus aduersis: usus est sententia Euripidis ualde graui, & quæ potentissimos homines admonet fortunæ uolubilitatis, ut auctoritate illius poëtæ, quæ magna inprimis erat, declararet malo consilio illum usum fuisse. Est autem hic omnis locus, καί μοι τὸ τῆ εὐελπίδι καὶ καιρόν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι σοι πραγμάτων ἄλλων ποτὶ ξυμπεσόντων Εὔξῃ τοιοῦτον ἀνδρὸς σοι παρεῖναι. Victorius lib. 26. Var. lect. c. 19.

SCIPIO ubi capta Numantia iterum triumphans urbem inuectus in concertationem cum C. Graccho pro senatu & sociis uenit, populusque ob id infensus ei pro Rostris obstrepuit: Me nunquam, inquit, exercituum fremitus perculit, nedum hominum collectitiorum, quorum esse Italiam nō matrem sed nouercam noui. Plut. in Apoph.

ANTONIVS Siculus Turcorum classem ad Calipolim noctu incenderat. Captus autem, & ad Imp. Turcarum adductus, interrogatusq;, Cur tantum facinus ausus esset? magna animi constantia respondit, Mirari sese, qui ex Christiano homine hoc quærat. An nescis, inquit, te unum esse, quem Christiani homines meritò summo odio persequantur omnes? qui pietatem nostram tot annos crudelissimè insectere? qui tot regna, tot urbes nobis ademeris? qui tot populos, tot gētes interemeris? Princeps, tantam indolem in iuuene admiratus, dissectum medium interfici, in publicūq; proiici iussit. Egnatius lib. 3. c. 4.

NEGOTII susceptione uel *Ardui.*

AGESILAVS, cùm fama manaret, Persas ingenti exercitu in Græciam traiecturos: ciuibus suis paruo exercitu obtulit se non defensurum modò patriam, sed in Asiam quoq; traiecturum, atq; inde de Persis aut uictoriam, aut honestam pacem reportaturum. Itaq; assumtis decem millibus armatorum profectus in Asiam, prælio Persas deuicit: ac deinde à ciuibus suis in patriam reuocatus, integras copias lætus uictorq; domum reduxit. Fulg. lib. 1. c. 7. ex Plut.

Multa dicuntur ALEXANDRO Magno in Persas proficiscenti prodigia oblata. In quibus illud maximè fuit memorabile, quòd Orphei statua, quæ ex cupresso Libethris fuit, sub ipsius accessum multo manauit sudore. Quo prodigio cæteris exterritis, Alexander bene sibi sperandum dixit: fore interpretatus, ut ea expeditio multum laboris esset poetis & cæteris rerum scriptoribus allatura. Quantas ille secum copias ad id bellum traxerit, uariè traditur: qui minimum dicunt, triginta peditum millia & quinque equitum in Asiam traducta memorant: qui plurimùm, quadringenta peditum millia, equitum quadraginta. Cæterùm quantuscunque ille fuit armorum apparatus (nam ob tantam belli molem non potuit non mirificus esse) adeò certam spem uictoriæ secum tulit, ut triginta dierum cibaria, si uera Aristobulus tradidit, & septuaginta duntaxat in stipendium talenta Macedo habuerit, quum in Asiam transmisit. Nauim conscensurus aliis amicorum alia tradidit, portoria, uillas, prædia, quibusdam etiam oppida distribuit. Perdiccas ab eo sciscitatus, Ecquid regi superesset? Spes, inquit. Tum ille, Hæc & nobis commilitonibus communis est. atque cum his prædium sibi assignatum restituit. Sabellicus libro quarto Enneadis 4.

Cùm Athenis in republica administranda perpetuas contentiones

tiones CLEON atq; Nicias exercerēt, quorum Nicias peritissimus rei militaris dux habebatur: contigit, ut Græcis prælio ab Atheniensium exercitu superatis, quadringenti Lacedæmones se in Stagiram insulam reciperent. Eos in potestatem suam redigere Athenienses plurimum cupiebant, & propterea in insula ab Atheniensium copiis obsidebantur. Sed cùm potiri insula quanquam magnis laboribus defunctos Athenienses, hyems sæua simulque loci situs egregiè munitus, ac prætereà obsessorum singularis uirtus non pateretur, hac de re Nicias Cleonque sæpiùs contēderunt. Itaque quòd ea res uoto non responderet, culpa Niciæ, qui dux rei gerendæ fuerat, adscribebatur. Adeò autem inter ipsos contentio exarsit, ut Cleon: Si illius expeditionis munus sibi soli demandaretur, se breui feliciter finiturū, offerret. Decreta igitur ei prouincia, tantum fiduciæ Cleon præ se tulit, ut Athenis abiens dixerit, intra uiginti dies se Lacedæmonios, qui obsidebantur, aut occisurū, aut in potestate uiuos habiturum. Huic fiduciæ fortuna quoq; aspirauit, ut quod Nicias militaris dux præstantissimus perdifficile censuerat, Cleon intra designatum tempus feliciter confeceret. Fulg. lib. 3. c. 7.

P. & Cn. Scipionibus in Hispania, cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibusque eius prouinciæ nationibus Carthaginensium amicitiam secutis, nullo ducū Roman. illuc ad corrigendam rem proficisci audente, P. SCIPIO quartum & uigesimum annum agens, iturum se pollicitus est, nec patris, nec patrui funeribus à Reipub. studio auersus. Valerius Maximus lib. 3. c. 7. Paulò pòst secum reputantes Quirites, aduersus quos Pœnorum duces, & in quibus regionibus bellum gerendum esset, uix censebant fieri posse, ut imbecillitas ætatis tantam grauitatem rerum sustineret. Quare momento temporis, quasi iam decretæ rei cēturias pœniteret, magna animorum commutatio facta est. Quod ubi animaduertit Scipio, statim aduocata concione, sic de ætate sua, ac de bello quod gerendum erat, disseruit, ut ad se unum intuendum omnes audientes, & ad pristinam spem bene gerendæ rei populum Romanum conuerteret. Auctor eius uitæ.

MARCELLINVS Anconitanus episcopus, cùm extinguendo igni remedia non inuenirentur: ipse pedibus captus, cōtra incendij uim deferri se iussit, uitæ suæ innocentia fretus. Itaq; sedatum est incendium. Fulg. lib. 3. c. 7.

VILIS, ABIECTI.

EPAMINONDAS, cùm ei ciues irati, sternendarum in oppido uiarum contumeliæ causa curam mandarent (erat illud ministerium apud eos sordidissimum) sine ulla cunctatione id recepit: daturumq; se operam, ut breui speciosissimū fieret, asseuerauit. Mirifica deinde procuratione abiectissimū negotium, pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit. Val. Max. lib. 3. c. 7.

ASSERTIONE HONORIS.

Cn. POMPEIVS nondum in senatum lectus, triumphum postulauit. Cùm intercederet Sylla: Plures solem, inquit, exorientem adorant, quàm occidentem. Quod ubi audiuit, cessit Sylla. Plut. in Præceptis politicis.

Claudius Cæsar Germanorum LEGATIS in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quòd in popularia deducti, cū animaduertissent Parthos & Armenos sedentes in Senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilò deteriorem uirtutem aut conditionem suam prædicantes. Suetonius.

FRISIORVM legati Verritus & Malorix Romam ad Neronem principem publicè missi, quum celebri spectaculo Pompeij theatrum ingressi, quosdam obseruassent externo cultu inter senatores in Orchestra sedentes, didicissentque id honoris exhiberi earum gentium legatis, quæ uirtute & amicitia populi Romani cæteras anteirent: Nullos mortaliū aut armis aut fide Germanos præcellere, alta uoce testati sunt, atque ita progressi inter patres consedêre. Eiusmodi uirorum indole delectatus Nero, ambos ciuitate donauit. Sabellicus lib. 8. En. 10.

CONTEMTV, NEGLECTV aliorum uel *Mandati, Imperij.*

P. SCIPIONIS æquè animosus, atque prosper in Africam transitus: in quam è Sicilia exercitum Senatu uetante traduxit. Nisi enim plus in ea re suo, quàm P. C. consilio credidisset, secundi Punici belli finis inuentus nō esset. Valerius Maximus lib. 3. c. 7.

Iudicij.

ANTIGENIDA stibicen, discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audientibus dixit: Mihi cane, & Musis: quia uidelicet perfecta ars fortunę lenocinio defecta, iusta fiducia non exuitur: quamq; scit se laudē meritam, eam etsi ab aliis non impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert. Val. Max. lib. 3. c. 7.

PHOCION, cùm aliquādo sententia dicta in concione celebraretur, orationemq; suam pariter uideret ab omnib. approbari, conuersus ad amicos dixit: Nunquid imprudenti mihi excidit mali? Plut. in Phocione.

Roboris, Insidiarum.

SCYTHÆ post missa Dario dona, auem, murem, ranam & sagittas, cum peditatu ac equitatu aduersus Persas in acie instructi steterunt, tanquam conflicturi. Cùm interim lepus in medium prosiliit: quem ut quisq; uidit insequebatur. Perturbatis Scythis, ac uociferantibus, sciscitabatur Darius: Vnde hostium tumultus existeret? Et cùm audisset illos leporē insectari, atque adeò se cū toto exercitu illis ludibrio esse, fuga sibi consulendum censuit, ne cum hoste tam confidente manum consereret. Herod. lib. 4.

ALEXANDER Magnus audito Darium triginta myriades in aciem producere, dixit: Vnus coquus non metuit multas oues. Antonius Melissa, par. 1. sermone 37. Maximus serm. 71. Cùm explorator ei diceret, maiorem esse Darij exercitum, dixit: Oues etiam, licèt plures, ab uno aut altero lupo capiuntur. Ibidem.

MATHIAS Coruinus Vngariæ rex, à Casimiro & Vladislao F. Poloniæ & Boëmiæ regibus, Vratislauiæ obsidebatur: cumq; exercitum lectissimum hostium, qui Turcico robori opponi potuisset, conspiceret, gemens fremensq; capillos sibi euulsit, Sese dominum orbis terrarum futurum fuisse dictitans, si tales tantasq; copias habuisset, quibus imperiti isti reges tantùm abuterentur. Toto quinetiam obsidionis tempore urbis portas nocte dieque apertas habuit, in contemtum hostis: & ad eundem distrahendū equitatu in plures diuiso turmas Poloniam depopulatus est. Ioach. Cureus in Silesiæ Annalibus.

Cùm Ludouicus XII. Nouariam obsidens mœnia eius ita quassaret, ut latè prostratis adapertisque, HELVETIÆ legiones in statione conspicerentur; nunquam tamē adduci potuerunt Heluetij, ut portā clauderēt, ipsis etiam hostium castris oppositam: uerùm Gallos ultrò prouocabant, irridebantq;, qui tantū inanis operæ frustra suscepissent, ut aditus in urbem pararetur, quando adapertis portis ad iustam dimicationem fortib. uiris, si animus suppeteret, esset irrumpendum. Iouius in Leone X. lib. 3.

Beneficij.

COTYS Thracum rex, ut ab Atheniensibus ciuitatem sibi datam cognouit: Et ego, inquit, illis meæ gentis ius dabo. Aequauit Athenis Thraciam, ne uicissitudine talis beneficij parem se iudicando, humiliùs de origine sua sentire existimaretur. Val. lib. 3. c. 7.

L. PAVLVS Aemilius consul creatus à populo, se huius consulatus causa populo gratias non agere dixit: quin potiùs si quem se meliorem ad expeditionem Macedonicā populus inueniret, eum eligeret, quia id ipse æquo animo esset laturus: uerùm si quid in eius uirtute spei reposuisset, sinè uerbis dicto ei audiens esset. Plut. in eius uita.

Dignitatis.

Poëta ACCIVS Iul. Cæsari, amplissimo & florentissimo uiro, in collegiū Poetarum uenienti, nunquam assurrexit: quòd in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse confideret. Valerius Maximus lib. 3. c. 17.

AVDACIA.

ANTIGONVS secundus commissurus cum Ptolemæi ducibus prælium nauale, monente gubernatore, naues Ptolemæi longè numero superare: Me uerò, inquit, ipsum præsentem cum quot comparas? Plut. in Apoph.

C. IVL. Cæsar, Apolloniæ in Epiro expectans reliquum exercitum, cùm is cunctaretur uenire, noctu ueste tectus serui li Brundusium naue XII scalmorum magnitudine contendere statuit. At quia æstus maris uehemens incumbebat, & gubernator nauem conuertere nautis iussisset, ut remearēt: tum Cæsar, qui esset, aperuit gubernatori, inquiens, Perge, age audacter, nec quicquam time: Cæsarem uehis, unaque Cæsaris fortunam. Ea uoce alacriores redditi nautæ, tempestate tamen uicti, cursum recepêre. Plut. in Cæsare.

SECVRITATE.

Darius ad Arbela siue Gausomela decies centenis millibus militum ALEXANDRO occurrens, prælium conserere statuerat. Alexander, Dario facibus lustrante exercitum, irridens suos, qui eū monebant, ne sese temerè tantæ colluuiei obiiceret, cōtulit se in tentorium cubitum. Vbi dicitur reliquum noctis alto sopore fuisse præter solitū oppressus: obstupueruntq; duces, qui primo diluculo eum adierunt, militibusque suo nomine primùm, ut pranderent, pronunciauere. deinde urgente articulo ingressus Parmenio, & cubili assistens bis terue nomine eum compellat. Vbi eum excitauit,

uit, rogat Quid hoc rei sit, quòd somno indulgeat perinde ac si uicerit? Tum arridens Alexander: Num tibi, inquit, non uicisse uideamur, liberati à uagando, Dariumque in laxa & euastata terg iuersantem regione consectando? Plutarchus in Alexandro.

Canitur apud Germanos Alexandrum Magnum Asia perdomita, in Europam arma conuertere decreuisse, misisseq; ad Germanos finitimosq; quendam ex amicis, qui denunciaret, ne Tanaim atq; Histrum amnes iniussu regis transirent, à latrociniis se continerent. GERMANI, militiæ factis magni, ad uerborum linguæq; certamina rudes, gladium Alexandro misere per legatos: quos conuiuio adhibitos cùm Alexander, Quidnam maximè timerēt? (ratus, Se, dicturos) interrogaret: Nihil aliud, rex præstantissime (inquiunt) quā ne cœlum in nos ruat: & tamē ingētis animi regū, sicuti decet, amicitiā magnifacimus. Auentinus lib. 1. Boiorum Hoc ipsum tamen alij GALLORVM legatis tribuunt erga Ptolemæum regem Macedoniæ.

MINIS.

Alexandro apud Arbelas cum Persis dimicaturo, cùm hostiles copiæ decies centena millia hominū uiderentur excedere, ingessere MILITES, ὦ βασιλεῦ, θάῤῥει, καὶ μὴ φοβοῦ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων· αὐτὸν γὰρ ἡμῶν τὸν γράσον οὐχ ὑπομένουσι. Confide rex, neque pertimescas hostium multitudinem: ipsum enim grasum nostrum non perferent, hoc est, hircum, qui sub alis nostris latet. Cælius libro uigesimoquarto, capite 18. Antiquarum lectionum.

Cùm senatus decreuisset, ut SCIPIO maior pecuniam sumeret ex ærario, renuentibus ærarium illo die aperire quæstoribus, seipsum iactauit aperiturum. Quippe claudi sua opera ærarium, qui id tanta impleuisset pecunia. Plutarchus in Apophthegmatibus.

M. CATO decem annis post consulatum censuram petiuit. Eam petitionem ferè nobilissimi quiq; & principes senatus premebant. Itaque coitione facta septem ab se subornatos Catoni competitores in campum deduxere. Contrà Cato nihilo leniùs agebat: imò apertè pro Rostris minitans malis, uociferāsq;, magna lustratione ciuitati opus esse: consulere multitudini, ne lenissimum, si sapiāt, sed acerrimum deligant medicum. Eum se esse, & ex patriciis unum L. Valerium Flaccum: illo enim se solo collega sperare, luxu & mollitia uelut hydra execta atque adusta, operæprecium facturum: reliquos uidere quosque molientes, malè censuram gerere, quòd eos, qui gesturi eam sint rectè, expauescant. Itaq; populus Rom. designauit censorem cum Catone Flaccum, quasi non candidatum illum censuræ, sed censorē iam & præcipientem audiens. Plut. in Catone.

Cùm ab orientalibus exercitibus PROBVS Imp. inuitus creatus esset, militibus, qui eum elegerant, dixit: Non est è re uestra imperium meum, ô milites, neq; ut arbitror mecum cōuenietis: quoniam ego, ut uobis blandiar, adduci nūquam potero. Fulgosus lib. 6. c. 4.

BONA SVA DEFENDENDO. Et uel

PROVOCATIONE. AD

Iudiciū, Cognitionē Dei.

Consule locum Diuinationis. Illic de prouocatione ad Deū respectu Euentus, heic de eadem respectu Veritatis agitur.

Anno salutis 1105. HENRICVS Archiepiscopus Mogūtinus, uir pius & pacificus, à criminatoribus Romam delatus, à papa accusatur tanquam somnolentus & ineptus ad tantæ Ecclesiæ gubernationem. Misit igitur Arnoldum quendam clericum suum, quem propter ingenij dotes recèns in præpositi & camerarij dignitatem extulerat, quemque sibi propter beneficia omnium maximè fidum futurum esse credebat. Arnoldus Romam ueniens, Cardinales quanta potest pecunia corrumpit, suum benefactorem terris conspergit criminibus, atque impetrat, ut sibi archiepiscopatus ille demandaretur. A' papa obtinet, ut illi ipsi duo Cardinales [redacted] ad cognoscendam & determinandam istam causam in Germaniam ablegentur. Hi Vvormaciam delati, Henricum citant: qui comparens, simplicem ueritatem ore simplici exponit. Sed Iudices muneribus fascinati Henricum gradu deiiciunt, Arnoldumque in eum locum subuehunt. Respondet Henricus: Si ad sedem Apostolicam appellarem contra uestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil ampliùs attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & euisceratio mentis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Iesum Christū tanquam iudicem iustissimum: uos cito ad eius tribunal, ibi mihi coram summo iudice respondebitis. Non enim iustè, nec secundùm Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis. Nec multo pòst in monasterio quodam Henricus placidè obdormiuit. Pauloque pòst Cardinales eum secuti sunt, uterq; fœda morte extinctus. Vnus enim in cloaca intestina omnia sua effudit, alter manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore exspuens, deformatis manibus, quasi seipsum deuorans, exspirauit.

MILES quidam argenteam patinam à D. Ladislao Vngarorum rege, suo patri donatam, apud Procerem non mediocrem oppignerarat. Cùm pignus repeteret, alter impudenter pignus negabat. Prætor patinam D. Ladislai sepulcro imponi iubet, ac illi adiudicari, qui eam impunè è loco sacro accepisset. Qui pignus negarat, prior numen periclitatus, neque patinam capere, neq; loco mouere potuit. Miles uerò quum supplex orasset, ut quod patri quondam primipilo dono dedisset, filio ratum faceret, patinam accepit impunè. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

Hominum.

PAVLVS Apostolus in uinculis detentus Cæsareæ, cùm idomnino Iudæos agere uideret, ut à præside Hierosolymam mitteretur, & in itinere ex insidiis obtruncaretur, ad Cæsarē prouocauit. Act. 25.

Etsi à Principe, iisúe, qui summam potestatem obtinent, appellari non possit, fuit tamen MVLIER, quæ cùm à Philippo rege temulento condemnata esset, ausa est à Philippo ad Philippum ipsum magis sobrium appellare. Atque sanè crapulam excussisse dicitur oscitanti: causaque diligentiùs inspecta, Philippum æquiorem tulisse sententiam. Valerius Maximus lib. 6. c. 2.

Philippus Macedo, MACHÆTÆ cuiusdam pro tribunali sedens causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem: itaq; sententiam tulit aduersus Machætam. Verùm cùm is exclamasset, se ab ea sententia appellare: rex iratus, Ad quem? inquit. Hic Machætas: Ad teipsum, ô rex, inquit, si expergiscaris, & attentiùs audias causam. Ac tum quidem surrexit rex. Cæterùm posteaquā causam apud se meliùs perpendisset, intelligeretque Machætæ factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machætas, ipse persoluit. Plut. in Apophtheg. regum.

Petebat Cn. POMPEIVS, partis iam multis uictoriis, triumphum à L. Sylla dictatore sibi decerni. Cùm autem ætas & lex obstaret, Sylla pertinaciter contrà reluctabatur. Qua re minimè motus Pompeius, se triumphum à populo impetraturum dixit. Et cùm ei relatum esset, Syllam, si id tentaret, dixisse, Se ei aduersaturum: respondit, Neque se ob eam rem ab incœpto discessurum, cùm plures orientem quàm occidentem solem uenerarētur. Plutarchus in Rom. apophth. & in Pompeio.

Peritorum.

Cùm LXXII. INTERPRETES Alexandriæ sacra Biblia in linguam Græcam transtulissent, in gratiam Ptolemæi Philadelphi regis, absoluto opere, eorundem hortatu Iudæos omnes conuocauit, iisque per Demetrium Phalereum codicem prælegit. Quem Iudæi omnes approbarunt, & uersionem fidelem atq; genuinam esse testati sunt. Iosephus libro 12. Antiq. cap. 2.

Certamen.

EDGARVS Britannorum rex, cùm reges omnes, qui ei parebant, in conuiuium adhibuisset, eiq; esset relatum, Rinandū Scotorum regem (cùm eum statura pusillum inspexisset) dixisse: Non mediocriter se mirari, quòd ipse aliique reges, uiri fortes, proceroque corpore, tam paruo homini subiectos se esse paterentur: nulla prorsus re dicta, uenatum deduxit eum: dataque opera, ut solus cum eo ab aliis disiunctus esset, Rinando alterum è duobus gladiis, quos secum tulerat, obtulit: dixitque, fortitudinis eius periculum se facere uelle, ut sciret, an uerbis in eo facta responderent. Rinandus uehementer territus, erroris ueniam petens, impetrauit. Fulgosus lib. 3. c. 7.

MALCOLMVS III. Scotorum rex, confidentia sui roboris insidiatorem suum in solitudine prouocauit. Vide Tit. Clementiæ erga insidiatores uitæ nostræ.

Galliæ regis Ludouici XII. Maximilianū Sforciā imperio Mediolanēsi deiecturi, dux Tramulius, prolato tormentorū apparatu, adeò uehementer mœnia Nouari ęquassauit, ut latè prostratis adapertisq; mœnibus, HELVETIÆ legiones in statione conspicerentur, quæ nunquā adduci potuerunt, ut portam clauderent, ipsis etiā hostium castris oppositam: tantaq; eorum ingeniis innata erat de Gallorum gente contemptio, ut ultrò etiam prouocarent, irriderentque hostes, quòd tantum inanis operæ frustra suscepissent, ut aditus in urbem pararetur, quando adapertis portis ad iustam dimicationē fortibus uiris, si animus suppeteret, esset irrumpendum. Iouius in Leone X. lib. 3.

IVDI-

IVDICIO, CENSVRÆ ALIORVM se submittendo: siue

Peritorum.

IOSEPHVS Iudæus cùm libros de bello Iudaico scripsisset, tanta ei securitas affuit ueritatis, ut primos omnium Imperatores belli Vespasianum & Titum, testes non expauescerct. Illis namq; obtulit libros: & multis aliis Romanorum, qui bellis interfuêre, plurimis etiam Iudæorum uenumdedit, qui Græca eruditione uidebantur imbuti: quorum erat Iulius Archelaus, Herodes, & ipse rex Agrippa. Qui uniuersi testimonium perhibuêre, quòd ueritatem diligenter excoluisset. Iosephus lib. 1. contra Appionem.

Magistratuum, Iudicum.

SAMVEL propheta cùm longo tempore Israelitis præfuisset, tanquam iudex, & illis etiam petentibus regem Saulum dedisset, eundemq; ad Galgala coram omni populo cōfirmasset: ipse magistratum deposuit. deinde eos obtestatus est, ut si qua iniuria quemuis illorum affecisset, indicarent; seseq; eis satisfacturum. Illi uerò Ioua teste interposito, nihil se cōtra illum habere asseruerunt. Samuel ergò Dei beneficia illis exprobrans, ut ostenderet, grauiter eos peccasse, qui nulla de causa regem postulassent, nōn contenti Domino Deo suo, ad Dominum orabat. Et subitò (cùm tamen tritici messis esset) tonare cepit atque pluere: Israelitæ territi, Samuelem rogare, ut pro ipsis apud Dominum intercederet. Quibus ille libenter annuit. 1. Regum 12.

Scribit Plutarchus, LYCVRGVM rhetorē, ubi iam è uita demigrandum aduertit, in matroum, ac buleuterium ferri se iussisse, ut eorum quæ in Republica gessisset, pœnas daret, si quid foret delictum. Cælius lib. 9. cap. 7. Antiq. Lectionū, ex Plutarchi Decem.

M. ANTONIVS ille disertus, non respuendo, sed amplectendo causæ dictionem, quàm innocens esset, testatus est. Quęstor enim proficiscens in Asiam, Brundusium iam peruenerat: ubi literis certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem, cuius tribunal propter nimiam seueritatem Scopulus reorum dicebatur: cùm id uitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum, qui Reipublicæ causa abessent, recipi nomina uetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio, tum absolutionē celerē, tum profectionē honestiorē cōsecutus est. Val. li. 3. c. 7.

Cùm absente M. Antonio & in Aegypto commorante, Fuluia Marci, & L. Antonius frater, aduersus Octauium AVGVSTVM iurgia pleraq; cierent, quæ ad arma usq; & nouos tumultus uentura esse uidebantur, idq; omnino committerent aduersus eas pactiones, quæ simul cum M. Antonio, Octauio, Lepido conuenerant: horumque iurgiorum nomine iudicium Senatus, Lucius & Fuluia subire noluissent: ipsi milites ac ueterani omnes tædio bellorum ciuilium, Romam quasi comitiorum causa profecti, causæ cognitionem susceperunt. Nihil detrectante Octauio militare atque caligatum iudicium, absentes Lucium & Fuluiam citari iussit exercitus. Hos, quia adesse recusarunt, iniuriarum damnari placuit, ac nisi pactis stare uellent (quæ iussere milites in æde Vestæ obsignari) eis iure ac lege bellum indici, hostesq; iudicari. Dion libro 48.

Subditorum.

ANTIGONVS Macedonū rex, cùm ad regiam dignitatē recèns ascendisset, & haud obscurè populi eam rem ægrè ferre dicerentur: uirtutum suarum conscientia fretus, in populorum conspectu diadema sceptrumq; deposuit: palamq; monuit, Si alium quempiam se regno digniorē inuenirent, ad eum ex arbitrio diadema sceptrumq; deferrent: commemoratis antè iis rebus, quas magna uirtute gloriaq; gesserat. Hac animi fiducia populos mouit, ut ultrò omnes eū ad capessendū denuò regnum hortarentur. Quod ipse constanter renuit, nisi antè de seditionis auctoribus supplicium sumeretur. Fulgosus lib. 3. cap. 7.

Hostium.

AGESIPOLIS Pausaniæ filius, cùm Athenienses querimoniarum, quas cum ipso mutuas habebant, arbitram delegissent, Megarensium ciuitatem, quæ controuersiam inter eos componeret: Turpe, inquit, si Megarenses meliùs norunt quid iustum sit, quàm hi qui se Græcorum duces ac rectores præstiterunt. Megarenses apud Gręcos malè audiebant, quum Athenienses pleræq; Græciæ imperarent. Ab ipsis igitur quibus cum litem habebat, rex uolebat finiri dissidium: simul declarans, & quàm suæ fideret causæ, & quàm aduersariis non diffideret: malens clarissimæ ciuitatis iudicio uinci, quā Megarensiū arbitrio uincere. Plut. in Lacon. Apoph.

P. FVRIVS Philus Cos. Q. Metellum & Q. Pompeiū consulares uiros, uehementer inimicos suos, cupitā sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coëgit: fiduciam non solùm fortem, sed penè etiam temerariam exhibens, quæ duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est, usumq; ministerij uix tutum in amicis, è sinu inimicorum petere sustinuit. Val. Max. lib. 3. cap. 7.

M. CATO superior, sæpenumerò ab inimicis ad causæ dictionem uocatus, nec ullo unquam crimine conuictus, ad ultimum tantum fiducię in sua innocentia reposuit, ut ab his in quęstionem publicam deductus, T. Gracchum, à quo in administratione Reipub. ad multū odium dissidebat, iudicem deposceret. Qua quidem animi præstantia, pertinaciam eorum insectandi se inhibuit. Val. lib 3. cap. 7.

L. CRASSVS, qui eloquentia clarissimus fuit, cùm exconsul prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad speculanda acta sua uenisset: non solùm eum inde non submouit, sed insuper locum ei in tribunali assignauit: nec ulla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognouit. Itaq; acer & uehemens Carbo, nihil aliud Gallica peregrinatione consecutus est, quàm ut animaduerteret, sontem patrem suum ab integerrimo uiro in exilium missum. Ibidem.

ALIIS SE NON SVBMITTENDO.

FRIDERICVS I. Romam ueniens, ut uidit in pariete operè amusseato factā picturā, uultum auertit. Erat eiusmodi: Sedebat in pontificali cathedra Innocentius II. ad cuius genua Lotharius, Imperij coronam curuatus accipiebat. Fremuit, nihil dicens, Fridericus: & quū redisset in Germaniam, Hadrianus Papa misit ad eum cardinales duos, rem magnā acturos, scribens inter alia, Beneficium tibi coronæ concessimus. Quod uerbum indignè ferens, Nostris, inquit, Electoribus acceptum ferimus, post Deum, quòd regnamus: primam coronam à Coloniensi recognoscimus, Imperialem à Papa. Cæterùm beneficium ab illo non accepimus: Deo soli debemus & Electoribus, nō Papæ, quòd regnamus. Cranzius lib 6. Metrop. cap. 35

CANVTVS V. cùm Valdemaro patri in regno Daniæ successisset, à Friderico I. Imp. curiam adire, paternæq; amicitiæ successionem petere iussus, intercedente amicorum consilio, quàm modestissimè rescripsit, excusationis uerbis à regnandi nouitate quæsitis. Cui cùm Cæsar erepturum se regnum alijq; daturum, plena minarum epistola respōdisset, solum hoc rescribere contentus fuit, Quærendum uidelicet Cæsari esse, priusquam sibi regnum adimat, qui Daniam in eius beneficio reponere cupiat. Qua responsi libertate, non solùm minantem elusit, uerumetiam plurimum à se fiduciæ in ciuium animis reponi docuit. Apud quem Cæsar frustra monitis egisse se uidens, Syfridum Thuringiæ regulum, qui sororem ipsius in matrimonio habebat, subornauit: quod literarum suarum efficacia nequibat, alienæ uocis supplemento persuaderi posse ratus. Is ubi Daniam intrauit, quanta regis charitate ob sororis eius matrimonium teneretur, quantisq; Cæsar uiribus esset, exposito, Absalonem, Sunonem & Esbernum, qui soli ex amicis cum rege admittebantur, tum fidei quam Kanuto, cuius tutores existerent, deberent, tum fiducię, quam eiusdem pater in eorum pectoribus reposuerat, admonitos, orare cepit, ne amicorum nomine hostes agendo, creditum sibi pupillum annis & consilio tenerum, graue & intolerabile belli onus suscipere iubeāt, eumq; sub titulo tuendæ libertatis regno exuāt: quin potiùs salutaribus illum consiliis formare curæ habeant, Romaniq; Imperatoris curiæ adscribi deforme nō ducant. Respondet Absalon, de se dubiū non esse, quin utiles si nosset monitus, Kanuto libenter fuerit imperiturus: à quo ita Cæsaris amicitiam expeti uelit, ut propriæ eius maiestatis decus incolume seruetur. Nam & Valdemarum, Friderici partes amicitiamque secutum, nihil fide eius aut promissione fallacius reperisse. Addidit & istud stomacho stomachū retundēs: Kanuto Cæsariq; æquū regnandi ius esse, neque minore cum libertate hunc Danici regni, quàm illum Romani imperij gubernacula tenere. Saxo lib. 16.

AD CONFESSIONEM INIVRIÆ ADIGENDO.

PAVLVS & SILAS Philippis uirgis cæsi, & in carcerem coniecti indicta causa, è carcere noluerunt egredi, priusquam prætores uenirent, & publicè eorum innocentiam confessi, orarent etiam, ne id ægrè ferrent: nesciuisse enim se, ciues Romanos esse. Actorum 16.

OBTRECTATIONES AB ALIIS FACTAS TVM

Diluendo.

SOLON in peregrinatione illa sua Sardeis uenerat, & cum Crœso rege Lydorum, accersitus ab eo, accuratum sapientiæq; plenum ac magnitudinis animi sermonem habuerat: nimis tamen liberum, & qui offenderet aures opulentissimi illius regis. Veritus igitur Aesopus, ne Solon sibi magnum

aliquod malum conciliaret libertate illa loquendi, ut prudens uir, & qui diu cum Crœso uixisset, cognitosq; haberet mores fortunatorum hominum, ueritatis insolentium, dixit, Oportere cum regib. agere ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα. id est, aut non frequentare congressus ipsorum, aut dare operam ut illis placeas, ad uoluptatemq; loquare. At Plutarchus Solonem fecit, refellentem sententiam illam Aesopi, similitudinem eandem, immutato tamen uno uerbo, sequi: inquit enim, minimè id uerum esse, sed oportere cum illis uersari ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα. id est, aut se remouere à congressu illorum, aut quæ optima essent, loqui & edere. Victorius lib. 37. Variarum Lectionum, capite 22.

Cùm quidam Vespasiano instillarent, quasi Orientis regnum sibi uendicaret TITVS F. desciseretq; à patre, quòd inter sacrificandum de more priscę religionis diadema gestasset: ut rumorem hunc filius tolleret, Romam expeditissimus uenit, inopinãti patri uanidicos rumores coarguit. Mox imperij particeps atq; tutor, cum patre triumphum egit, censuramq; gessit, & tribunitiæ potestatis ac septem cōsulatuum collega: tanta concordia imperium gubernantes Romanorum, ut nulla lyra consonantiorem harmoniam redderet, quàm ex iuuentute Titi ac senectute Vespasiani, patris ac filij, Respub. simul unionem iucundam, & resonantem acceperit. Cuspinianus, ex Suetonio & Dione.

D. BERNARDVS Clareuallensis, cùm episcopum quendam fuisset hortatus, ut de quibusdam regem admoneret, illeq; statim prima fronte respondisset: Salutem, & non spiritum blasphemiæ. respondit: Dæmonium non habeo, neq; spiritum blasphemiæ in me habere credo: sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere uelle me scio, præsertim principi populi mei. Nec tamen postea minùs propterea dilexit episcopum, quàm antea. Auctor uitæ.

Eludendo.

Athenis LYCVRGVS, cùm improperaretur ei, quòd calũniatorē pecunia placasset: Ergo, inquit, qui uobis esse ciuis uideor, qui tam diu iam remp. apud uos tracto, & dare magis iniustè quàm capere comperior? Plut. de Sui laude.

CICERO orator, cùm illuderetur eius nomen, monerentque amici, ut id immutaret: Redditurum nomē se Ciceronis, ait, Catonibus, Catulis, & Scauris illustrius. Plut. in Apophth.

Corrigendo.

Dux quispiam, qui utilem operam nauasse se existimabat ciuitati, cùm insultaret THEMISTOCLI, & res gestas suas cōtenderet cum ipsius: Cum festo, inquit, altercans dies posterus, iactauit illum laboribus & sudoribus districtum esse, se uerò fruenda præbere feriantibus apparata. Ad quæ respondit festum, Rectè sanè: at ni ego essem, tu non esses. Sic nisi esse, inquit, tunc fuissem, ubi nunc uos essetis? Plutarchus in Themistocle.

IDEM cùm à Græcis præteritus esset in muneribus pro re benè gesta ad Salaminem partiendis, Lacedæmonem abiens, summis affectus est honoribus. Posteaquã Athenas rediit, Timodemus, unus ex inimicis eius, liuore insaniens, dicebat illum Athenarum respectu, non sui, ab Lacedæmoniis honores assecutum. Et cùm nō faceret finem talia dicendi, inquit ei Themistocles: O homo, ita res habet: neq; ego, si Belbinitanus forem, sic à Spartanis honoratus fuissem: neq; tu, etsi Atheniensis. Herod. lib. 8. Aliter Plutarchus. Cùm exprobraret ei Seriphius quidam, non sua eum, sed patrię gloria splendorē assecutum: Rectè ais, inquit. At neq; ego si Seriphius sim, euasissem clarus: nec tu, si Atheniensis.

EPAMINONDAS obiicięti, quòd Agamemnonis gloriam æmularetur: Falleris, inquit. nam ille totius Græciæ præsidiis usus, decem annis uix unam cepit urbem: ego unius huius urbis præsidiis, uno die profligatis Lacedæmoniis, totam Græciam liberaui. Eras. lib. 5. Apoph. ex Plut.

Thebani exules post Chæronensem Philippi regis uictoriam in patriam restituti sunt, quibus ciuitatis administrationem Philippus concessit. Apud quos, quum QVINQVE ciuitatis assertores postularētur, quòd per iniuriam eos in exiliũ egissent, eius constantiæ fuerunt, ut omnes se auctores faterentur, contenderentq; meliùs cum repub. tunc actũ, quum illi damnati essent, quàm quum in urbe restituti. Sabellicus lib. 3. Enneadis 4.

CICERO, cùm obiiceret ei Metellus, plures eum testimonio suo oppressisse, quàm defensionibus seruasse: Quis negat, infit, plus mihi fidei quàm eloquētiæ esse? Plut. de Sui laude.

Retorquendo.

HEGESIPPO, cui cognomen Crobylo fuit, in Philippũ concitante Athenienses, succlamauit quidam ex cōcione: Túne belli es auctor? Sanè herclè, inquit, etiam pullorum palliorũ, publicarũ exequiarum, & orationum funebrium, si uicturi simus in libertate, nec imperata Macedonum facturi. Plutarchus in Apophthegmatibus.

DINON Tarētinus, ductor exercitus, uir adprimè fortis, reiq; bellicæ sanè quàm peritus, cùm in concione dixisset sententiã, eaq; ciuiũ suffragiis esset reiecta: deinde præco pronunciaret sententiam, quæ uinceret: sublata dextra, Hæc, inquit, potior. Nam hũc ad modũ retulit Theophrastus. Cæterùm Apollodorus in Rhytino illud adiunxit, cũ præco respondisset, At hæ sentētiæ numero plures sunt: Dinonem protinus subiecisse, Sed hæ meliores. Atq; ita paucιorũ sententiã fuisse promulgatã. Plut. in Problematib. Hinc natum adagium, si quando significaretur consiliũ aliquod esse præstãtius & cōducibilius, etiãsi pluribus secùs uideretur: aut ubi qui numero pauciores essent, facultate præponderarent.

SCIPIO Nasica, uociferante Caij caterua, contrucidandum tyrannum: Haud ab re, inquit, hostes patriæ occupare uolūt me interficere. Neq; enim Romam stante Scipione cadere fas est, neq; uiuere Scipionem in præceps data Roma. Plutarchus in Apophthegmatibus.

M. TERENTIVS Varro, Seiani summus amicus, postquam in eum animaduersum, & inter alios, qui eius amicitiæ causa rei postulanti sunt, etiam ipse causam in Senatu dicere cogeretur: nō modò amicitiam eius negauit, quin ostenderit, cum se maximo studio coluisse, quē Tiberius in magno honore habuisset. Dion. lib. 58.

LAVDES AB ALIIS DICTAS

Corrigendo.

PERICLE agente iam animam, lamentabantur, atq; affligebãt se necessarij, expeditiones eius & opes memorantes, ac quot trophæa, laureas, & urbes Atheniensibus partas reliquisset. Ibi ille paululum assurgēs castigauit eos: quòd cum multis communia & fortunæ quædam magis quàm uirtutis insignia adferrent: quod uerò excellentissimũ summũmque & proprium ipsius erat, pretermisissent, Nullum ciuem Atheniēsem ipsius causa pullatum fuisse. Plut. de Sui laude.

Interpretando.

SOCRATES quòd Apollinis oraculo solus esset sapiens iudicatus, quum Græcia tot haberet sophos, sic interpretatus: quòd cæteros profitentes se scire quod nesciebant, hoc nomine uinceret, quòd sciret se nihil scire: & hoc unum se scire profitebatur. Cæterùm hanc Socratis modestiã uicit Anaxarchus, qui prædicabat se ne id quidem scire, quod nihil sciret. Erasmus in Adagiis.

MALA SVA CONFITENDO.

☞ *Hic solius Veritatis ratio habetur. Quatenus uerò Confessioni Humilitas in abiectione suipsius iungitur, sic ad Contemtum honoris pertinet: quatenus Correctio delicti, ad Pœnitentiam.*

QVÆ, QVALIA, CONFESSIO propria

Peccatorum in genere.

Apud LACEDÆMONIOS, si quis in peccato deprehensus fuisset, is cogebatur aram quandam, quæ erat in urbe, circumire, ac uituperationem interim in se ab arte cōpositam canere: quod nihil aliud erat, quàm seipsum sua uoce obiurgare. Ingenui pudore & laudis amore meliùs ducuntur ad honesta: uirgis aut flagris cædi, seruile est. Plut. in Lacon.

Nero Cæsar filius fuit DOMITII Acnobarbi scelestissimi uiri, & Agrippinæ Germanici filiæ, tam infelici genitura editus in lucem, ut pater Domitius, ex se atq; Agrippina, nihil quicquam nisi detestabile in perniciem reipub. posse nasci, apertè fateretur. Suetonius.

Ignorantiæ.

☞ *Consule Tit. Regum & Senum qui discere non erubuerunt. item eorum Qui à seruis aut pueris didicerunt.*

OVIDIVS 3. de Ponto 9. de seipso sic scribit:

Ipse ego librorum uideo delicta meorum,
Cùm sua plus iusto carmina quisq; probet.

Imprudentiæ.

M. CATO maior, iam senex, trium per totam uitam se pœnitere dixit: si mulieri arcana sua detexisset: si mari profectus esset, quò terrestri itinere eũdi facultatem habebat: si per negligentiam diem frustra elabi permisisset. Fulg. lib. 7. cap. 2.

Imperitiæ bellicæ.

AGESIPOLIS Pausaniæ filius, cùm quidam dixisset, ipsum, cùm rex Spartanorum esset, cum æqualibus suis fuisse obsidem, non liberos, aut uxores eorum: Et quidem nō iniuria, inquit. Par enim est, ut & nos nostra errata feramus. Indicãs, si quid calamitatis in bello accidat, plerunq; ducum imprudentia fieri. par igitur esse, ut delicti pœnas etiam dent præ cæteris. Plut. in Lacon. Apoph.

PERSEVS philosophus ab Antigono præfectus fuerat impositus Acrocorintho. Quã dum Aratus Sicyonius oppugnat, euasit Cenchreas. Hic pòst perhibetur inter disputandũ dicenti, Solum uideri sibi sapientem esse ducem, respondisse, At mehercle id mihi quoq; ex Zenonis præceptis quōdam imprimis placuit. Nunc mutaui sententiam, ab iuuene Sicyonio correctus. Plut. in Arato.

M. TER. VARRO, L. Pauli collega, cui à senatu gratiæ actæ sunt post Cannensem cladem, q Remp. non deseruisset, non uitæ cupiditate, sed Reip. amore se superfuisse, reliquo ætatis suæ tempore approbauit. Nam & barbam capillumque submisit: & postea nunquam recubans cibum cepit: honoribusq;, cùm ei deferrentur à populo, renunciauit: dicens, felicioribus magistratibus Reip. opus esse. Front. lib. 4. cap. 5.

Calliditatis.

Recepit Fabius Maximus Tarentum à Pœnis nocturna proditione, qua arte fuerat ab hoste captum. Vrbis igitur alienatione ad ANNIBALEM delata, Tarētum (dixit) amisimus, ea arte, qua ceperamus. Sab. lib. 9. cap. 11.

Intemperantiæ.

SERAPION abbas, iuuenis adhuc sub Theona præposito, edacitatis morbo tentatus, post nouæ refectionem paximacium furto sublatum uesperi latenter comedere consueuerat. Sed tandē conscientiæ stimulo agitatus, coram abbate prostratus, peccatũ confitetur, & cum pœnitentiæ mœrore ueniam exposcit. Vixdum uerba finierat, & flamma de sinu eius, in quo paximacia recondere solitus erat, promicans, intolerabili fœtore cellam, in qua erant, repleuit. Ille nunquam postea tali edendi auiditate se pulsatum sensit. Marulus libro 4. capite 11.

Ambitionis.

ZENOBIA Palmyrensium regina, ab Aureliano Augusto capta, & interrogata, qua re freta, æquare se Romano Imperatori ausa esset: respondit: Te, qui uincere scis, Imperatorem agnosco: sed Galienum, Aureolum, atq; alios iis similes, nũquã Imperatores duxi. Itaq; si optatis meis fortuna respondisset, imperij consors & socia tibi esse uolebã. Fulg. l. 6. c. 4.

Iracundiæ.

CLAVDIVS Cęsar, iræ atq; iracundiæ conscius sibi, utrumq; *excusauit edicto*: distinxitq;, pollicitus alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore. Suetonius.

Crudelitatis.

ATILA Hunnorum rex, è pugna Catalaunica ueniens, euersurus reliquas Galliæ ciuitates, interrogatus à D. Lupo Troię antistite, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis, cuncta ui sibi subderet? Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. N. Olahus cap. 9. in Atila.

Morositatis.

Edito Atheniensibus oraculo, unum esse in urbe ciuem, qui omnium sententiis repugnet. ibi quæstionem decernentibus Atheniensibus, qui ille esset, frementibusq;: PHOCION esse eum edidit se. Soli namque sibi, quę uulgus agat & dicat, non probari. Plut. in Apophthegmatibus.

Incredulitatis.

Credens iam PATER pueri lunatici, humiliter sibi fidem augeri petebat, & cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem. &c. Matth. 9.

Iniuriæ cuiuscunque.

FILII Iacobi patriarchæ, decem numero, in Aegyptum profecti, cùm pro exploratoribus in uincula coniecti essent à Iosepho Aegypti præfecto, fratre ipsorum, quem uendiderãt, neq; eum cognoscebant: ceperunt inter se dicere, in eas angustias sese redactos ob impietatem erga fratrem Iosephũ commissam: atq; adeò Ruben testabatur, eos à se monitos, ne id scelus in puerum committerent, sibi non obtemperasse: nunc sanguinis illius pœnas expeti. Sic semper conscientia improbos urget. Genes. 42.

ACHAN prædæ Hierichuntiæ depeculator, sortitione deprehensus, confessus est peccatum suum, dicens: Verè ego peccaui Domino Deo Israel. Iosue 7.

SEMEIS Geræ F. qui Dauidem exulem grauissimis calumniis affecerat, eidem in regnum reducto, cum mille Beniamitis obuiam primus ex Iosephidis factus, supplex ueniam petiit, peccatum suum fassus. Dauid ei ignouit, & Abisæum cum ulcisci uolentem, cohibuit. 2. Regum 19.

AGAMEMNON rex, à Nestore in conuiuio obiurgatus, q Achilli Briseida eripuisset, eaq; iniuria à Græcis heroem abalienasset: suum fatetur peccatum:

ἀασάμην, οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι.

sed & satisfactionem pollicetur:

ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην, φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας,
ἂψ ἐθέλω ἀρέσαι, δόμεναί τ' ἀπερείσι' ἄποινα.

Cùm Herodes Iudæorum rex multa contra patrios mores instituεret: anno regni eius XIII. decem CIVES coniurauerunt, sicasque uestibus abscondētes in theatrũ profecti, sperabant aut ipsum regē, aut certè multos ex aulicis eius opprimendos. Quidam uerò ex his, quos Herodes ad perscrutanda & indicanda talia disposuerat, regi theatrum ingresuro insidias aperit. Ergo in regiam se recipiēs, nominatim coniuratos accersit. Qui comprehensi in facinore, nihil inficiati, interrito uultu sicas protulerunt, profitentes se rectè ac piè coniurasse, non propter priuatos affectus, aut sui commodi gratia, sed pro disciplina publica, quam nemo bonus uiolare, ne morte quidem sibi intentata, sustineat. His dictis magna confidentia, à regiis abducti, per omnes cruciatus necati sunt. Iosephus lib. 15. cap. 11. Antiq.

Ignobilitatis.

AGATHOCLES Siciliæ tyrannus, ignobilitatem generis apertè fatebatur, abacumq; suũ fictilibus tantùm instruebat, teste Ausonio:

Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repentè
Diues ab exili progrediêre loco.

BION genere Borysthenites fuit. Cùm ab illo rex Antigonus sciscitaretur,

τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες. *hoc est,*
Ede tuum nomen, patriam, genus, atq; parentes:

sentiens se ab aliquo traductũ fuisse apud regem, sic respondit: Pater quidem meus libertus fuit, cubito se tergens (significabat autem, illum succidiam & lardum uendere solitum) Borysthenites genere, non habēs faciem, sed in facie scripturã acerbissimi domini: mater autem ex lupanari, nimirum quam huiusmodi ducere potuit. Deinde pater nescio quid in rem publicanorum committens, cum tota domo uenundatus est. Me adolescentulum haud ingratum orator quidã emit. Is moriēs, mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipsius exurens, Athenas concessi, ibiq; philosophatus sum:

ταύτης τῆς γενεῆς, τοῦ τε πατρὸς εὔχομαι εἶναι. *hoc est,*
Huius me esse patris, generis me glorior huius.

AVGVSTVS Cæsar nihil amplius, quàm equestri familia ortum se scribit, uetere ac locuplete, & in qua primus Senator pater suus fuerit. M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat Restionem, ex pago Thurino, auum argentarium. Suetonius in Augusto.

VESPASIANVS Imp. factus, mediocritatem pristinam neq; dissimulauit unquam, ac frequēter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flauij generis ad conditores Reatinos, comitemq; Herculis, cuius monimentum extat uia Salaria, referre, irrisit ultrò. Suetonius.

VILLEGISVS archiepiscopus Moguntinus XXXIIII. patre rhedario natus, & ab Othone III. Imp. primus in Electorum numerum cooptatus: ne superbia efferretur, assiduè secum recolebat, Quis sis, quis fueris memento. Ideoq; in parietibus sui oratorii rotas depinxit ac suspendit, hac inscriptione: VILLEGISE, prioris tuæ fortunæ memor, qui nũc sis, cōsidera. Nauclerus, Gigas & Bruschius de Episcopatib.

BENEDICTVS XI. Pp. quum humili genere natus esset, ad summa prouectus, non erubuit paupertatis suę primordia. Mater eius, dum adhuc inter monachos ageret, fratribus uestimenta abluit. Iam pontifex factus, illam uoluit in urbe uidere, iussitque adesse. Vbi uenit, matronæ illam, ut pontificis matrem, summis honoribus extulerũt, uestibus exornantes, pro magnificentia summi principatus in filio. Productam in conspectum pontificis, pontifex agnoscere dissimulauit: Ego, inquiens, matrem in illo ornamento non agnosco, non eam talem reliqui. auersusque, fecit cunctos, qui honoris illam gratia deduxerant, erubescere. Exeuntes autem, pannosas exuuias mulieri reddidêre, & ita reduxerunt. Tum amplexatus genitricem, In illo, inquit, uestium apparatu matrem reliqui, sic recipio: meum nunc fuerit, genitricem cohonestare. Sed non diu superfuit. Hic est ille, qui Perusij sibi sedem destinauit, quum ecclesiam fratrum suorum in sublime extulisset, meditatus palatium pontificale desuper construere. Sed expleto uix anno, & paucis diebus, concessit in fata, defunctus ac tumulatus in eodem loco, in conuentu fratrum suorum Prædicatorum, Perusij. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 46.

Magnus SFORCIA, quum à Sergiano magno regni Neapolitani Seneschalcho ad exprobrandam generis nouitatem ligonis fabula obiectaretur: In hoc, inquit Sforcia, uti uideo,

deo, stirpis origine pares sumus, quũ Adamus mortalium primus terram & ipse foderit. Sed ego certè, quod iurè diffiteri nõ potes, illo meo ligone multò nobilior euasi, quàm tu tuo pene & penna. Quo scommate lepidè admodum hominem transfixit: quum in eo tanta cum inuidia dignitatem stupro quæsitam, & patrem eius ad Prætoris tribunal, ignobilem scribam, adulteratoq́ue testamento falsi damnatum, scitissimè notasset. Iouius in uita eius.

MATTHÆVS [redacted]os natus, [redacted] Heluetiorum studiis operam dedit puer, uictum ostiatim emendicans. Posteaquam uerò fortunæ ludibrio ad Cardinalatũ euectus est, & ueluti bellorũ arbiter pro Maximiliano Imp. contra Gallos [redacted] accidit ut Bernã legatus Pontificis nomine ueniret. Ibi diligẽter de hospita sua, & hospitio inquirẽs, ubi illam adhuc superesse cognouit, tugurium eius pontificiis aulæis ornari, pontificalis cœnæ [redacted] Ipse pòst paulò subsecutus cum principibus ciuitatis, uetulam sui assi de re lateri iussit, nec alio quàm quo olim consueuerat nomine ab illa appellari uoluit. Discedens inde, omnem ei supellectilem habendam permisit, & pro ueteri hospitio ducentos aureos per dispensatorẽ suum numerari curauit. Quæ humanitas illi mirificè ciuium omnium animos cõciliauit. Simonis Sulceri Bernatis [redacted]i acroama.

Infelicitatis.

SATVRNINVS, unus ex XXX Tyrannis, cùm ad imperandũ à militibus traheretur, tam uerè quàm grauiter ad suos dixit: Nescitis, amici, quid mali sit imperare. Gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ undique, undiq; spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro uoluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quòd omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis uidetur: sin minùs, inest furor. Iam quòd Imperatorem me capitis, in necessitatem mortis me trahitis. Spartianus.

Cladis bellicæ. Aduersæ pugnæ.

PORVS Indorum rex, ab Alexandro uictus, in posterum nunquam se regem appellari sustinuit. Alexand. ab Alexandro lib. 2. capite 19.

Vicerat PYRRHVS rex ingenti prælio Romanos, contigitq́; uictoria illa regi non incruenta, parte multo maxima uictricium copiarum cęsa, aut grauiter affecta. Tum Pyrrhus conscius sibi cladis eo prælio acceptæ, Perij, inquit, si iterũ Romanos uicero. Sabell. lib. 9. cap. 11.

Amicitiæ labefactatæ.

LYSANDER, cùm ei infensus Agesilaus esset, censeretur tamen ex gloria maximæ apud eum auctoritatis esse, non est ueritus apud eos, qui ipsum appellabant, excusare se, iubereq;, abirent ad alios, qui plus apud regem possent. Plutarchus de Immodica uerecundia.

QVI. SIC CONFITENTVR MALA SVA

Sacri homines.

D. AVGVSTINVS uir doctiss. & sanctissimus, exemplo quod pauci ueterum, rarissimi nostræ ætatis Theologorum imitantur, Confessionum & Recognitionum libros scripsit.

Reges, Imperatores.

PHILIPPVS Imp. qui Gordianum dolo circumuenit, cùm in ipsis uigiliis Paschæ sacris interesse & communicare mysteriis uellet: ab Antistite loci nõ priùs admissus est quàm confiteretur peccata sua, & inter pœnitẽtes staret, pœnitentiãq; pro peccatis acceptaret. Quod cùm à sacerdote ei fuisset imperatum, ipse rebus atq; operibus fidem religionis plenissimè comprobans, metum diuinum testatus est, ac mysteria sacra percepit. Ob id plurimæ narrantur ab Origene ad Philippum & matrem epistolæ scriptę: item & ad uxorem eius, absque ullo adulationis fuco, quibus ad Christianæ pietatis cultum eos hortatur. Opera Fabiani pontificis cum filio & coniuge baptismate insignitus, primus Cæsar nomen est professus Christi. Cuspinianus.

VALENTINIANVS Imp. senior, cùm ab Ambrosio nuper in episcopum Mediolanẽsem assumto reprehenderetur, quòd prætoribus suis nimiùm concederet, respondit: Nota mihi tua fuit libertas, quamobrem & electionem tuam adiuui: affer ergo medicinam delictis animarũ nostrarum. Theodoretus lib. 4. cap. 7.

IOANNES Zimisces, cæso Nicephoro Phoca Imp. cùm magnam ecclesiã accepturus coronã peteret, à Polyeucto patriarcha prohibitus, tanquam cæde pollutus, placidè illud ferebat: fassus auctores cędis Imperatoris Amalantem, Leonem & Azipothrodon, Theophania regina procurante. Iussus itaq; percussores regia pellere, atq; exilio damnare unà cum regina, ac edictũ contra præsules rescindere, (Nicephorus enim Episcopos, qui edicto subscripere noluerant, quo cauebatur, ne quis sine eo Antistes crearetur, in exilium expulerat) & quas priuatas opes possideret, egenis distribuere. Cũ omnia ea præstitisset, natali Christi diademate coronatur, & Imperator publicatur. Cuspinianus.

Consules.

Missis sub iugũ duobus Coss. exercitibus ad furcas Caudinas à Samnitibus, creati noui Coss. Q. Pub. Philo, & L. Papyrius Cursor, de pace Caudina ad Senatũ retulere. Ibi Sp. POSTHVMIVS Cos. huius pacis auctor, suasit, ut ipse & collega T. Veturius, quando populum Rom. sua sponsione obstringere nequiuissent, nudi uinctiq; hostibus dederentur, conscriberentq; consules exercitũ, copias finibus hostium admouerent: nihilq; priùs gererẽt, quàm sui deditio ritè facta esset. Consilium secuti patres, eductæ legiones, Samnites uicti, Luceria capta. Sab. lib. 5. Enn. 4.

Medici.

HIPPOCRATIS ingenuæ probitati & modestiæ cùm multa alia eius scripta, tum uerò hoc ipsum quoq; eximiè attestatur, quòd errores suos in arte medica commissos (uti illud de femoris luxatione) liberè fatetur: ut quando ægrum unum uel alterum imperitia sua læsisset, eiusdem confessione innumeris aliis suo exẽplo cautiorib. redditis, p desset.

CVI CONFITENTVR. PVTA

Deo.

Confitebatur IOB, dicens, Peccaui: quid faciam tibi, ô custos hominum? quare posuisti me cõtrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam. Instat & urget, ut citiùs ueniam consequatur, incertus an usque mane uita sibi suppetat: certus autem, post mortem non esse ueniæ locum, sed iudicio: ut quisque recipiat prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Quòd si Iob, qui Dei sententia iustus habebatur, non negat se peccatorem, quis existimabit se expertem esse peccati? Aut si ille qui nihil graue commiserat, sic efflagitat dimitti sibi, ut usque mane differri periculosum arbitretur: cui periculum non erit, procrastinare opus, quo ueniam ipsam promereri possit? Idem ait: Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus. Vt ex hoc intelligas, peccatorum confessionem refugium esse salutis. Marul. lib. 4. cap. 11.

Reprehensus DAVID rex à Nathan propheta propter adulterium homicidio iunctum, peccatum suum confessus est. 2. Regum 12. Recognouit etiam peccatum suum, ob populum recensitum: obtulitque se pœnæ, loco populi innocentis. 2. Regum 24.

DAVID rex in Psalmis clamat: Iniquitatem meã ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malũ coram te feci. Ecce in iniquitatib. conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Delictũ meum cognitũ tibi feci, & iniustitiam meã non abscondi. Dixi, Cõfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et iterum: Iniquitatẽ meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ. Vias meas annunciaui tibi, & exaudisti me. Cogitaui uias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Ex his discamus confessionis uirtutem, confitentis humilitatem, cogitantis sollicitudinem: ad hæc etiam pœnitentis dolorem, ubi ait: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratũ meum rigabo. Certè si iugiter considerabimus, quanto & quali Domino peccauimus, etiam post ueniam nunquam deerit nobis flendi materia: donec ille eadem benignitate lacrymas nostras penitùs abstergat, qua peccatum remisit. Marulus lib. 4. capite 11.

EZECHIAS Iudæorum rex, cuius pœnitentia & innumeram hostium multitudinem strauit, & longiora uitæ spacia illi impetrauit, docet quo mœrore delicta meditanda confitendaq; sint, dum ad ipsum, cui confitebatur, ait: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Et quid huiuscemodi confessionem sequatur, ostendit subiungens: Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Marul. lib. 4. cap. 11.

Quamuis TOBIAS ab infantia Deum timuerit, & mandata eius custodierit, tamen dicebat, humiliter recognoscens: Non egimus secundùm præcepta tua, & nõ ambulauimus sinceriter coram te. Tob. 3.

E duobus, qui in templum orandi causa ascenderant, PVBLICANVS procul stans, ne oculos quidem in cœlum attollere audebat, sed pectus suum percutiebat, dicẽs: Propitius esto mihi peccatori, Deus. Pharisæus uerò merita sua cõmemorans, Publicanum contemnebat. At Christi iudicio Publicanus iustior descendit in domũ suam, quàm Pharisæus. Lucæ decimooctauo.

CENTVRIO Capernaitanus Christum Dominum rogabat, ut famulum paralyticum curaret. Christo autem se uenturum ad eum affirmãte, Non sum dignus, inquit, qui tectum meum subintres: sed tãtùm dic uerbum, & sanabitur. Ea uoce, perfectæ humilitatis indicio, delectatus Saluator, precibus illius satisfecit. Matthæi 8. Lucæ 4.

LACONEM initians quidam percunctabatur, Cuiusnam facti maximè nefarij esset sibi cõscius? Ille: Hoc sciunt, inquit, dij. Qui cùm insisteret uehementiùs ac diceret, Est omnino hoc tibi declarandum: rogauit eum uicissim Lacon: Cui est hoc, tibi, an deo, dicendum? Illo respondente, Deo: Ergo tu, inquit, hinc facesse. Plut. in Apophtheg. Laconicis.

Sacris hominibus.

Prædicante Paulo Apostolo per Asiam, multi GENTILIVM ueniebant confitentes & annunciantes peccata sua. Act. 19.

Cùm ALFONSVM regem Neapolitanum conuenisset Ioannes orator Apostolicus, ac de pace Tusciæ ageret, inter alia sapienter dicta: Scio me, inquit, postquã regnare cepi, quàm plurimos homines è modica fortuna ad magnas opes ac potentiã euexisse, qui postea benefacti immemores extiterunt. Ea uerò res mihi minimè admirationi est, cùm & ipse eodem ingratitudinis uitio laborem. Nam quis plura ex optimo maximoq; Deo, quàm ego beneficia accepi, qui natus ex regibus, amplissima regna hæreditario iure sum consecutus, nec minora mihi ipse armis cõparaui. Pauci me reges inter Christianos antecedunt. Ingenium mihi natura non obtusum dedit, memoriam non infirmam, corpus salubre, uitam longiorem, ac morbis ferè inoffensam. Opes mihi, deliciæ, uoluptates abundè suppetunt: literarum quoq; nonnullam cognitionem adeptus sum. At ubi mea gratitudo? Quid ego aut facio aut feci pro tot tantisque diuinæ clementiæ in me muneribus? Intelligo me certè ingratum esse, eoq; pœna tanto maiore dignum, quãto grauius est Deum quàm hominem fallere. Verùm si mihi uita contigerit, est animus, quod hactenus neglectum est, abundè præstare. Iniurias enim, quas crudelissima gens Turcarum Iesu Christo uerissimo & maximo Deo nostro nunc in Græcia, nunc in Asia quotidie infert, ultum ire decreui, atque ad id iam naues, iam uiros & arma comparaui. Itaque nihil est cur me Tusciæ pacem quouis pacto turbaturum existimes. Aeneas Syluius lib. 4. de Alfonso.

Languenti MONACHO, qui iam fari nequibat, Philibertus Rothomagẽsis abbas Deum precatus, linguam expediuit: ob hoc solùm, ne sine confessione decederet. Vbi confessus est, illicò expirauit. Satis fuisset intimus peccatorum dolor, & ipsa cordis contritio. Sed sanctus abbas, nescius an ille conuenienter doleret, à confitente discere uoluit, ut pro eius salute confidentiùs oraret. Marul. lib. 4. cap. 11.

Veniebat ad Ioannem Baptistam omnis IVDÆA, & omnis regio trans Iordanem, confitentes peccata sua. Matthæi 3.

Patri.

FILIVS prodigus ad patrem reuersus, dixit: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. Luc. 15.

QVOMODO. VIDELICET

Ore.

IVDÆI de captiuitate reuersi ædificantes Hierusalem, ieiunantes & operti saccis, & terra conspersi confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorũ, quater in die, & quater in nocte, & adorabant Dominum Deum suum. Pœnitentiam igitur iungat confessioni, qui de captiuitate redire cupit ad pristinæ innocentiæ statum, & construere ciuitatem sanctam in cœlo preciosis lapidibus uirtutum, auroq; puritatis. Quoniam non intrabit in ea aliquid coinquinatum. Marul. lib. 4. cap. 11. ex Nehemia, & 2. Esdræ 9.

Scripto.

Ferunt MVLIEREM quandam peccata sua in uolumine descripta, Basilio Magno porrexisse, supplicantem uti pro eorum remissione Deum deprecaretur. Orauit ille, & omnia deleta apparuẽre, præter unum cęteris grauius. Cuius causa dum ad Effren eremitam missa mulier nihil profecisset, inde rediens Basilium iam diem suum obiisse comperit, fleuitq; ubertim. Mox chartam illam super iacentis pectus deponens, cùm tandem sustulisset: id quoq; in ea, quod residuum erat, abolitum deprehendit. Marul. lib. 4. cap. 11.

Vnus D. AVGVSTINVS Retractationum libros reliquit, simpliciter ac bona fide, quem nullus est ad hoc tempus imitatus: uidelicet mansueto uir ingenio, & modicè de seipso sentiente. At nostri homines fastu & superbia turgidi, inuerti ac corrumpi malunt, quod non ignorant uerum esse, quàm uideri errasse, aut fuisse à quo monstrari illis aliquid potuerit: & tanto admonitionem ferunt acerbiùs, si quæ dixerint, literis consignata euulgarint. Ludo. Viues de Causis corrupt. artium. libro I.

Opere, Facto.

Sacrificium in quo mactabatur hircus pro peccato, in hãc formam fieri præcepit Dominus. Postquam emundauerit SACERDOS sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum uiuentem: & posita utraq; manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & uniuersa delicta atque peccata eorum. Leuit. cap. 11.

CVR CONFITENTVR. CAVSA

Veniæ impetrandæ.

☞ Supplices quatenus suam infelicitatẽ, & ut uno uerbo dicam, τὴν ἧτταν, quòd ab aliis sint uicti, fatentur, huius sunt loci. At respectu ueniæ, quam petunt à maiori, sic ad locum Affectuum pertinent.

VIR siue mulier, cùm fecerint peccatum, & transgressi fuerint mandatum Domini, confitebuntur peccatũ suum. Num. 15.

Oppressi ISRAELITÆ à Philistæis & Ammonitis dixerunt: Peccauimus, redde tu nobis quicquid tibi placet: tantùm nunc libera nos. Iudicum 10.

REI capitis apud Athenienses, supplicium promeritum liberè fassi, ut plurimùm impunitatem consequebantur.

Innocentiæ testandæ.

EVGENIA uirgo, Philippi Alexandriæ præfecti filia, sub uirili habitu sexum dissimulans, inter monachos religiosè uersata, & iam digna cui monasterij gubernacula committerẽtur, Melanciæ tandem matronæ, quã ad illicitos amplexus prouocantẽ contemserat, accusatione, capitis rea constituitur. Accusationis summa erat: Eugenium abbatẽ domi suæ sibi uim inferre uoluisse. At illa, ut infamiam purgaret, priùs accusatrici suæ ignosci petiit. Deinde coram patre (cuius iudicio neci iam addicta erat) pectus suum detegẽdo, detexit fallacis mulieris impium commẽtum, simul, cuius ipsa filia esset, indicauit. Marul. lib. 3. c. 3. & Sabel. lib. 5. cap. 3.

MALA SVA AB ALIO REPREHENSA NON EXCVSANDO, Ferendo.

☞ Ex Tit. Reprehensionis liberæ, nõ pauca exempla huc conferent, quatenus ij qui reprehenduntur moderatè ferendo reprehensionem, & (quod uulgò dictum) tacendo, peccatum fatentur. Quatenus ferunt reprehensiones, Fortes sunt in tolerando, sunt itẽ Clementes in non ulciscendo, Iusti deniq; reprehensionem ueluti pœnam non detrectando.

DEMARATVS, cùm asperiùs egisset cum ipso Orontes, dixissetq; quidam, Tractauit te Orontes asperè: Nihil, inquit, in me peccauit. Nam qui blandiuntur, lædunt: non qui agunt acerbè. Plut. in Apophtheg.

Dionis Syracusani generi sui libertatẽ ferebat DIONYSIVS tyrãnus, qui solus propè intrepidè, quod uideretur, dicebat: ut inter alia cùm reprehendit eum de Gelone. Quippe cùm illuderetur Gelonis regnum, ipsumq; Gelonem Dionysius Siciliæ γελωτα, id est, ludibrium dixisset fuisse: alij dictum se simulabant mirari. Dion uerò indignatus: Atqui tu, inquit, tyrãnide potiris, quia tibi Gelonis causa habita fides est: tui causa fides tribuetur posthàc nemini. Et reuerà pulcerrimũ uidetur Gelo ostendisse ciuitatis sub unius principatu statũ esse, Dionysius fœdissimum. Plut. in Dione.

PHILIPPVS Macedo, offensione cum coniuge Olympiade & filio orta, cùm aduenisset Corinthius Demaratus, sciscitabatur, Quî inter Gręcos cõueniret? Cui Demaratus: Scilicet tibi conuenit de Græcorũ cõsensione uerba facere, cùm tanta tecum intercedat tuis coniunctissimis simultas. Hinc ad se reuersus, deposita ira reconciliauit cum eis gratiam. Plutarchus in regum Apophtheg.

Victis ad Chæroneã Atheniensibus, traditũ est à quibusdam PHILIPPVM Amyntæ F. regem Macedonum peracta liberali potatione multo repletum mero, cum amicis saltationẽ iocosam ex uictoriæ gaudio iniuisse, atq; ita per mediã captiuorũ turbam progressum contumeliosiùs uinctis illis calamitatẽ quàm patiebantur exprobrasse: tuncq; oratorem Demadẽ, qui eo tempore in custodiis erat, sibi, quin loquendi audacia uteretur, non temperasse, uerbumq; ad regis petulantiam retundendam, accommodatissimũ protulisse, inquiens: Cùm, ô rex, fortuna Agamemnonis personã tibi apposuerit, non pudore afficeris Thersitæ actiones referẽs? Ea hominis dicacitate pulsatus Philippus, coronis abiectis, alioq; saltationis ornatu, Demadem liberatũ, honorificè tractauit. Insuper uerò captiuos omnes citra redemtionem dimisit, & per legatos cum repub. Atheniense societatem & amicitiam iniuit. Diod. lib. 16.

ALEXANDER Magnus, Taxili Indię regi nõ tantũ dona omnia restituit: sed mille etiam talenta de manubiis superadiecit, uasa adhæc ex auro & argento, cum Persicis uestib. & equis triginta insignib. Ita cũ Meleager dixisset, Gratulari se Alexandro, quòd uirum mille talẽtis dignũ in India reperisset: hoc unum respõdit: Inuidos homines nihil aliud esse quàm sua ipsorum tormenta. Sabell. lib. 6. Enn. 4.

Cùm esset oraculum Delphicum recitatũ, cæteris consentientibus

ribus Atheniensibus, unum dissentire à ciuitate ciuem: progressus PHOCION Liberare se eos ait solicitudine: se, quem quærerent, eum esse. Sibi enim eorum, quæ agerentur, uni placere nihil. Plutarchus.

ANTIGONVS rex, admirantib. quamobrem tanti faceret Zenonem philosophū? respondit: Quoniam quamuis multa à me acceperit, nunquam tamen emollitus est. Eius mortem quum audisset, ingemuit dicens: Quale theatrum perdidi? Erat enim Zenon acerrimi iudicij, & ab assentando alienissimus. Laert. lib. 7. cap. 1.

PTOLEMÆVS rex tesseris ludens, sontes condemnabat. Berenice uerò uxor accepto libello è pueri manibus, non permisit, ut ad finem usq; legerentur, dicens: Non sic obiter aduertendum esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non similem esse casum tesserarum & corporum. Quibus auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neq; postea unquam inter ludendū de capitalibus causis cognouisse. Aelian. lib. 14. c. 43. Var. hist.

Sergius Galba C. IVL. Cæsarem cōsummatis uictoriis in foro ius dicentem, in hunc modū interpellare ausus fuit: C. Iuli Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno, quondam genero tuo, in tertio eius consulatu pecuniā spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam? Palàm ei bonorum Pompeij uenditionem exprobrando, ut à tribunali submoueretur meruerat: sed ipsa illud mansuetudine mitius pectus, æs alienum ex suo fisco solui iussit. Val. lib. 6. cap. 2.

Cùm AVGVSTVS censor equitem Rom. reprehēderet, quòd bona sua decoxisset: eo ipso tempore eques à se auctas fortunas esse ostendit. Item cùm ab eodem carperetur, tanquā de matrimoniis legem non seruasset: statim testibus quoq; citatis, ostendit non solùm uxorem duxisse, uerùm etiam ex ea trium liberorum patrem esse factum. Mox addidit: Cùm de probis uiris quæstionem instituеs, Cæsar, eius rei onus probis quoq; dato. Fulg. lib. 6. cap. 2. ex Suetonio.

C. Mœcenas AVGVSTVM Cæsarem pro tribunali sedentem, cùm libenter admonuisset, ne iniustos cōdemnaret, nec præ multitudine populi ad ipsum Augustum proximè accedere posset: ad eum schedulam in hæc uerba scripsit, Tandem aliquando surge carnifex. Legit Cæsar, & quasi aliud scriptū esset, epistolam in sinum coniecit: nemineque capitis damnato, statim surrexit: tantumq; abfuit, ut ex ea re molestiā ceperit, ut summoperè approbarit. Dion Nicæus in Augusto.

IDEM in quadam uilla inquietas noctes agebat, rumpente somnum eius crebro noctuę cantu. Prehendendam curauit noctuam. Miles aucupiis peritus, & spe ingentis præmij, captam pertulit. Laudato Imperator mille numos dari iussit. Ille ausus est dicere, Malo uiuat, auemq; dimisit. Quis non miratur, non offenso Cæsare, abiisse militem contumacem? Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

IDEM delectatus erat inter cœnam pueris symphoniacis Turonij Flacci mangonis, atq; eos donauerat frumento, cùm in alia acroamata & ludiones fuisset liberalis numis. Eosdē postea Cæsare inter cœnam quærenti, sic excusauit Turonius, Ad molas sunt. Macrob. lib. 2. Sat. cap. 4.

Inter alia inquit Iulius Capitolinus, hoc est uel insigne M. ANTONINI Pij ciuilitatis argumētum: nam Omuli domum inuisens, miransque porphyreticas columnas, quum ex eo quæsisset, unde eas haberet? ac respondisset Omulus, Quum in domum alienam ueneris, & mutus & surdus esto: patienter tulit. Cælius lib. 13. cap. 5. A. L.

ROMANVS III. Constantini Imp. F. Phocam Nicephorū interrogasse fertur, Cur Romana res pessum iret. Cui ille magna libertate respondit, Ideo fit, quòd tu imperas, & pater meus exercitum ducit. Nam & tu imperium perperàm administras, & ille pecuniæ studet. Verùm si tu uolueris, & animi & res Romanorum mutabūtur. His dictis iussus ab Imp. rem suo arbitratu administrare, statim disciplinæ militari ueteri animum intendit. Zonaras.

MONICA, D. Augustini mater, cùm Mediolanum ad filium uenisset, eius conuersioni ad fidem catholicam inhians, cùm ad memorias sanctorum, sicut in Aphrica solebat, pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur: ubi hoc D. Ambrosium episcopum uetuisse cognouit, tam piè atque obedienter amplexa est, ut ipse miraretur, quòd tam facilè accusatrix potiùs consuetudinis suæ, quàm disceptatrix illius prohibitionis effecta esset. Nam ubi comperit à præclaro prædicatore atque antistite pietatis præceptum esse, ista non fieri, nec ab eis qui sobriè facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima: abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenū purgatioribus uotis pectus ad memorias martyrum afferre didicit: ut & quod posset, daret egentibus, & communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati & coronati sunt martyres. D. Augustinus lib. 6. Confess.

GREGORIVS XI. Papa, Auenione cōmoratus, cùm episcopum quendā, q ecclesiam suam desereret, sequereturq; curiam, increpitaret: ille, ubi per familiaritatē licuisse credidit, respondit, Eadem mea quæ tua est causa, maxime pontifex, q ego meā tuq; Romanam deseruimus ecclesias: rectè me increpatū agnosco. Descendit altiùs ea responsio in pectus Pontificis, cogitabatq; ex ea die urbem Romam repetere: (quanquā & prædecessor Vrbanus idem in animo haberet) inq; eam rē profectus Romā cum paucis, palatia in Monte Falisco & in Vrbe ueteri, declinādi grauioris in Vrbe gratia aëris, iusserat apparari, seque adeò rediturum multis sæpè nunciis pollicebatur. Cùm hoc Romani crebriùs efflagitassent, & magnis conditionib. & promissis apud pontificē expetissent: tunc secretò id offerente pontifice lætissimi audierunt. Sed multa opus erat prudentia in sede transferenda. Si enim Gallis suboleuisset, aliquid tētassent, hoc ne fieret. Cranzius lib. 9. Saxoniæ, cap. 33.

Amabat Io. DVCAS Imp. Marcesinā comitem Annæ Alemanne uxoris, Siciliæ regis Manfredi sororis. Hæc cùm spectādi causa Blemmydæ monasteriū magnifica pompa ingrederetur: Nicephoras Blemmydes præceptor fores occlusit. Irritata mulier eo facto, Imp. ad uindictam stimulabat. At ille, Malæ sementis malam messem patienter feramus necesse est, respondit. Gregoras lib. 2.

LVDOVICVS Landgrauius Thuringiæ, in uenatione à uia aberrans, apud lignatorem pernoctauit, se Landgrauij præfectum uenatorum esse dictitans. Rusticus stomachosè multa de Landgrauij assiduis uenationibus & improbis aulicis loquutus, acerbisq; dicteriis in illum inuectus, dignum etiā infernalibus ignibus esse asseruit. Quæ scommata Princeps per totam noctem patientissimè tulit. Summo manè collaudato lignatore, gratus discessit: & in posterum uitam suam & aulicorum mores emēdauit. Cyriac. Spangenbergius in Venatorio diabolo.

SVENO rex Daniæ LXXVI (teste Saxone lib. 11.) quòd principes aliquot ad regale conuiuium inuitatos, ob leuem detractionis suspicionem, in ecclesia sanctæ Trinitatis orantes, missis sicariis interemisset: cùm ab antistite, sacra in festo Circumcisionis celebraturo, ne Ecclesiam ingrederetur, repulsus esset: conscientiæ rubore perfusus, regia ueste deposita, obsoletam accepit: abiectisque regiæ maiestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumsit. nudatisque pedibus ad atrium regressus, in eius aditu se prostrauit, terramq; suppliciter osculatus, dolorem, qui ex contumelia infligi solet, uerecundia ac moderatione compressit. Tandem crisis minis confessione facta, religioni sese satisfacturum promittens, remissa execratione, lacrymis abstersis, depositisque doloris insignibus, Antistitis amplexu & uenia, in communionem Ecclesiæ (cui ob hoc amplissimas possessiones tribuit) est restitutus.

CASIMARVS, dux Stetinēsis (qui Stetinensi urbi arcē, quam antè non habebat, imposuit, & parere docuit populum, per opes & mercaturas insolescentē) iam moriturus, uocauit urbis proconsules, cōmendauitq; corū fidei liberos tutandos. Tum ex eis quidā, Quomodo, inquit, filiis tuis præesse iubemur, qui illis te auctore seruiliter subesse cogimur? At cē nullo cōmodo uestro, magno incōmodo nostro, urbi imposuisti. Non patitur mercatura has iniurias. Si præsidiū liberis tuis quæris, antiquæ libertati ciuitatem restituito. Persuasit itaq; principi, ut iuberet nouā arcem demoliri, permissa ciuibus ueteri libertate. Cranzius lib. 11. Vandaliæ, c. 31.

MALA SVA EXCVSANDO, DILVENDO. TVM

MIRACVLO.

CLAVDIA Quintia, uirgo Vestalis, cùm in stupri suspicionē uenisset, & simulacrum Ideæ matris ex Pessinunte adductū in uado Tyberis hæreret: ad comprobandum suam pudicitiam, cingulo nauem duxisse fertur, quam hominum multa millia trahere nequiuerunt. Guido. Liuius lib. 9. Dec. 3.

[illegible]

[redacted] GREGORIVS moriturus familiariter castigasse fertur supremi ordinis antistites, qui de se malè opinari dicerētur, præcepitq; ut suum defuncti corpus, clausis forib. antetemplū D. Petri sisterent: futurum, ut si piè iusteq; pontificatū administrasset, diuina uoluntate sibi templum patesceret. Si, inquit, iacuero exclusus, corpus insepultum abiicite. Mirum est quod accidisse aiunt, continuò ubi defunctū corpus pro tēplo est ab iis qui ferebant, destitutū, uehemētiore flatu fores patuerunt, ac cum magna sanctitatis opinione corpus templo illatum. Fulg. lib. 3. cap. 7. & Sab. lib. 2. En. 9.

Iureiurando.

PELAGIVS Rom. Pp. insimulatus de morte Vigilij papæ, tenens sancta Euangelia & crucem, iureiurando publicè satisfecit. Sigebertus in Chron.

LEO III. Papa, ferens Euangeliū in basilica Petri, ambonem cōscendit: inuocatoq; sanctę Trinitatis nomine, de obiectis criminib. iureiurando sese purgauit, præsente Carolo Magno Imp. cùm Romanus populus sanctum Domini iudicare nollent. Annales Francorum, anno Domini 800.

QVIDAM, Teutonici ordinis magistro apud Prusienses mortuo, cùm de successore ageretur, iureiurando priùs obito, eum se quem salua posset conscientia in defuncti locum renunciaturum, semetipsum renunciasse, & à reliquis militib. uirtuti eius fidentibus cōfirmatus fuisse narratur ab Aenea Syluio cap. 29. Europæ. & Sabel. lib. 4. En. 10.

HEDVIGIS regina Poloniæ, infamiam stupri, sibi à Gneuosio Daleuicio subcamerario intentatam, iuramento diluit. Cromerus lib. 15.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes, crimen hæreseos sibi ab æmulis falsò intentatum aperta confessione diluit. Tradito enim sponte sua filio Galeacio principatu, deduci se ad tēplum Mediolani maximum iussit, ut ad aram aduocatis sacerdotibus Christianæ fidei symbolum præclara uoce recitaret, testareturq; iureiurando, sibi immerenti sacra eripi, q nusquam à sacrosancto dogmate discessisset: itidemq; Dei maximi ultoris numen inuocabat, postquam iniquissima Beltrandi Vasconis legati pontificij sententia cōdemnatus, patria excedere cogeretur. Iouius in eius uita.

Comparatione aliorum.

ZENO, cùm Theophrastum esse conspicuum cerneret, quòd frequentes haberet auditores: Illius est, inquit, chorus maior, sed meus magis compositus. Plut. de Virtut. profectu.

Ad Alexandrū Magnū PIRATA pertractus erat. Cùm is quęreret ex eo, Quo scelere impulsus mare haberet infestū uno myoparone? Eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Porrò myoparo nauicula solebat esse piratica. Cicero lib. 3. de Repub. apud Nonium Marcellum.

Criminabatur quidam PYTHEAM rhetorem, quòd malus esset. At ille non inficias ibat (hanc enim illi conscientia necessitatem imponebat) sed respondebat, se minus omnib. qui remp. Atheniēsem administrassent, malū fuisse: nēpe in hoc sibi placens, quòd non perpetuò fuisset eiusmodi: putansq; se saltem tolerabilem fore, si non cum pessimis compararetur. Aelianus lib. 14. de Var. hist.

Diogenes aliquando in Antisthenem incidens, reprehendit ipsum, ut in dicendo remissiorem se multò, & qui uix etiam altùm clamans exaudiretur: seipsum uerò tubam conuicio rum appellabat. Cui uerbis se ulciscens ANTISTHENES, pro tuba se similem esse respondit uespis, quæ sonum quidem alis haud magnum edant, centrum tamen habeant acerrimum. Stobæus Sermone 11.

RATIONE.

Consule Tit. Prudentiæ in Condemnatione effugienda. quatenus libertatem in sua innocentia declaranda iunctam habet.

LACO quidam increpatus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet: Pugnare, non fugere, propositum sibi esse, respondit. Val. Max. lib. 3. cap. 7.

PINDARVS ode 2. Nemeorum in Aristoclidem paucis se excusat, quòd & serò & festinanter eam oden scripserit, feliciùs tamen ipse aquila, quæ reliquis auibus altiùs uolat, id præstiterit, quàm pleriq; alij graculi & inepti poetæ, qui indigna & planè humilia argumenta contexunt, nec quomodo heroem uirtute clarum efferre debeant, norunt. Id quod his uerbis indicat:

Ἐστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς,
ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
δαφοινὸν ἄγραν ποσίν·
κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

A[redacted] quòd cum ad[redacted] regnans fuisset obses, non pueri uel uxores eorum: Meritò; [redacted] quippe decet nos [redacted] nostra ferre. Plutarchus in Apophthegm[redacted]

DEMARATVS quærenti, [redacted], causa uer[redacted] potētiores. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Scribit in Rhetoricis Aristoteles, EVRIPIDEM olim impietatis accusatū ab Hygenone, cùm scripsisset, Pelerandum esse: respondisse, Iniuriam sibi ab Hygenone fieri, cùm Dionysiaci certaminis iudicia in forum deferat: seq; ea de re ibi dicturum, si accusare uoluerit. Gyraldus de historia Poëtarū.

Cùm delatum ad Pyrrhum Epirotarum regem esset, iuuenes multa probra in ipsum inter pocula effudisse: iussit postridie ad se duci omnes. Ex adductis primū percūctatus est, Ea ne de se dixissent? Cui IVVENIS: Nos uerò, inquit, rex: ac plura eramus dicturi, plus uini si fuisset. Plut. in regū Apoph.

DIONYSIVS iunior sciscitādi, Qui pater eius tenuis & unus de plebe imperiū Syracusis quæsiuisset: & ipse, cùm id teneret, & tyranni esset filius, perdidisset? Pater meus, inquit, displicente populari ditione rerum potitus est: tyrannide ego inuisa. Ab alio interrogatus idem: Pater mihi, inquit, tyrannidem suam, non fortunam reliquit. Plut. in Apophtheg.

Cùm M. Pacuuius Tragicus poëta grandi iam ętate & diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex urbe Romana cōcessisset: L. ACCIVS tunc haud paruo iunior, proficiscēs in Asiā, diuertit ad Pacuuiū, plusculisq; ab eo dieb. retentus, tragœdiā suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuuiū dixisse aiūt, Sonora quidē esse quę scripsisset & grādia, sed uideri ea tamen sibi duriora paulū & acerbiora. Ita est (inquit Accius) uti dicis. Neq; id sanè me pœnitet. Meliora enim fore spero, quæ deinceps scribā. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis: quæ dura & acerba nascūtur, pòst fiunt mitia & iucūda. Sed quæ gignuntur statim uieta & mollia, atq; in principio sunt uuida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendū igitur uisum est in ingenio, quod dies atq; ætas mitificet. Gellius lib. 13. c. 2.

Bello aduersum Mithridatem, Fimbria quæstor missus cum Valerio Flacco consule, mota seditione, & cōsule à se in Bithynia interemto, exercitu potitus est: progressusq; Ilium, cùm Ilienses eum (utpote latronem) non susciperent: admoto ad urbē exercitu, undecimo die eam cepit. Cui glorianti, quòd quā urbē Agamemnon decimo anno uix cepit, cùm mille nauiū classem & uniuersam Græciā secū haberet, ipse eam undecimo die cepisset: respondit QVIDAM ex Iliensibus, Nō enim Hector aderat, qui p ciuitatē pugnaret. Strab. l. 13.

Ant. VRCEVS Codrus, Grammaticus, cùm quidam ei per iocum corporis tenuitatem obiiceret, respondit: Non mihi deformitatem corporis, sed ipsi rerum omnium fabricatori Deo obiicis, quando nobis ab illo omnia ad suum ipsius arbitrium collata sunt: quæ si ex nostro penderent uoto, nihil utiq; esset quod in nobis desideraremus. Bartholomęus Bononiensis in eius uita.

RETORSIONE.

Achabus rex, Eliæ uati, qui triennio latuerat, occurrens, cuius absentia miserandam famem effecerat, Tune is, inquit, qui perturbas Israelitas? Respondit ELIAS, Non ego, sed tu tuaque paterna familia, qui relicto Domino, Baales sequimini. 3. Regum 18.

EVRIPIDES, cùm apud Alcestidem tragicum poetam quereretur, quòd eo triduo non ultra tres uersus maximo impenso labore deducere potuisset, atq; is se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Sed hoc (inquit) interest, quod tui in triduum tantummodò, mei uerò in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta, intra primas memoriæ metas corruerūt: alterius cunctante stylo elucubratum opus, per omne æui tempus plenis gloriæ uelis feretur. Valer. Max. lib. 3. cap. 7.

PLATO de Ideis disputans, subinde Mensеitates & Cyathitates in ore habebat. Diogenes eum irridens, Mensas quidē & cyathos uideo, inquit: menseitatem & cyathitatē non uideo. Tū Plato excipiēns: Nec mirum, respōdit: oculos enim habes quibus cyathi & mensæ cernuntur: mētem uerò, qua sola cyathitas & menseitas cernitur, non habes. Laert. lib. 6.

DIOGENES cuidam, quòd falsò signasset monetā: Fateor, inquit, fuisse tempus quo talis eram, qualis tu nunc es: qualis autem ego nunc sum, tu nunquam futurus es. Notabat eos, qui iuuentutis errores in aliis reprehendunt, quum ipsi ne in senectute quidem corrigant suos. Laert. lib. 6.

EPAMINONDAS, cùm in conuentū uenisset Arcadū, petēs, ut societatē cum Thebanis & Argiuis facerent, cōtraq; Callistratus Atheniensiū legatus, qui eloquētia omnes eo præstabat tempore, postularet, ut potiùs amicitias sequerentur Atticorū, & in oratione sua multa inuectus esset in Thebanos & Argiuos, in eisq; hoc posuisset: Animaduertere debere Arcadas, quales utraq; ciuitas ciues procreasset, ex quibus de cæteris possent iudicare. Argiuos enim fuisse Orestē & Alcmæonē matricidas: Thebis Oedipū natum, qui quum patrem suū interfecisset, ex matre liberos procreasset. Huic in respondendo Epaminondas, quū de cæteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit stulticiam rhetoris Attici, qui non animaduerteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso, quū patria essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus. Probus in eius uita.

Inuisit PELOPIDAM uxor tyranni Thebe, ac mirari ostendit se, q ita esset in uinculis hilaris. Cui magis ait se ipsam demirari, q soluta Alexādrū tyrannum ferret. Plut. in Apoph.

Cùm M. Crassus expeditione Parthica, exercitum per Galatiā ducens, DEIOTARVM extrema iam senectute cōfectum nouam comperisset ædificare urbem, & scōmate tali in illū lusisset: Quid hoc rei est, duodecima iam tibi tantùm nō instat hora, & nouam nihilominus urbem ædificare pergis?

Ad ea renidens Deiotarus: Nec tu, inquit, Imperator satis matutinus, ut uidetur, in Parthos moues. Annum siquidem sexagesimum tūc agebat Crassus, grandiorem tamen præ se ætatem ferebat. Cælius lib.12.cap.9.A.L.

TRAIANVS, Valentis crudelissimi in Christianos orthodoxos Imp. dux, cōtra Gothos missus, cùm post malè in eo bello res gestas rediret domum, atq; obiurgaretur ab Imperatore ob ignauiam, respondit: Non ego, ô Imperator, uictus sum, sed tu potiùs, qui cōtra Deum inuictum bellū suscipis, atq; tua impietate à te ipso omnem uictoriam reiicis. Nicephorus Callistus lib.11.Eccles.hist.cap.49.

MAGNVS Sforcia, quum ei à Sergiano magno regni Neapolitani Seneschalco ad exprobrandam generis nouitatem ligonis fabula obiectaretur: In hoc, inquit, uti uideo, stirpis origine pares sumus, quū Adamus mortalium primus terram & ipse foderit. Sed ego certè, quod iure diffiteri non potes, illo meo ligone multo nobilior euasi, quàm tu tuo pene, & pēna. Quo scommate lepidè admodum hominem transfixit: quum in eo tanta inuidia dignitatē stupro quæsitam, & patrem eius ad Prætoris tribunal ignobilem scribam, adulteratoq; testamēto, falsi damnatum, scitissimè notasset. Iouius in uita eius.

BONA ALIORVM DEFENDENDO.

QVÆ. DEFENDERE

Interpretationem.

Cùm LXXII. Interpretes Alexandriæ sacra Biblia in linguam Græcam transtulissent, in gratiam Ptolemæi Philadelphi regis: opere absoluto Iudæos omnes cōuocauit, iisq; per Demetrum Phaleræum codicem perlegit. Quem IVDÆI omnes approbarunt, & uersionem fidelem atq; genuinam esse testati sunt. Iosephus lib.12. Antiq.cap.2.

Leges.

CHARILLVS, roganti, cur Lycurgus tam paucas leges prodidisset: Quoniam, inquit, pauciloquis non est opus multis legibus. notans obiter Athenienses, quorum loquacitati nullæ leges sufficiebant. Celebratur & hoc dictū inter Thaletis sententias apud Laertium. Erasmus in Adagiis.

Pudicitiam.

C.GRACCHVS in quēdam inimicum, Túne Corneliam, inquit, insectaris Tiberij parentem? Quia uerò infamis erat ille, quem insectabatur, quòd adolescentia eius obnoxia aliorum libidinibus fuisset: Qua fronte, inquit, tecum cōfers Corneliam? Peperisti uerò ut illa? Atqui toto populo Romano notum est, diutiùs illam, quàm te uirum à uiro abstinuisse. Plut. in Tiberio.

Tyrannicidium.

TIBERIVS, Tiberij Cæsaris pater C. Iulio Cæsare occiso, cūctis turbarum metu abolitionem facti decernētibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum censuit. Suetonius.

Religionem.

Extat PLINII Iunioris Asiam regentis ad Traianum epistola, qua illum consulit, quid censeat Christianis faciendum, in quis nullum uideret crimen tantis suppliciis dignum. Affirmabant, inquit, hanc fuisse summā uel culpæ suæ, uel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi deo dicere secum inuicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerēt, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursus coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium. Quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundùm mandata tua hetærias esse uetueram. Tum commemorat, quàm latè serpat sensim peruageturq; Christianum nomē, & quàm incipiant deseri ac frigere templa, parumque ad uictimarios redire lucri.

QVORVM. PVTA

Reginarum.

Philippus II. Francorum rex, repudiata INGELBERGA siue Gelberga Dana, Mariam Morauam siue Boëmam duxerat. Missus est ex urbe legatus Octauianus Cardinalis, Franciæ sacris interdictum. Suessione rex & Patres Franci conuenére. Nullus dum prodire audebat, qui regem accusaret. Erāt nimis multi, qui disertissimè compositissimeq; eius causam agerent: hi summo silentio ac propè assensu audiebantur. perorarant etiam, cùm nemo uocem contrà mittebat. Tandem ex humili multitudine adolescens, ignotus quis, unde ueniret, uenia dicendi demississimè & ab rege, & à Romano, & à cætero consessu petita, externæ repudiatæque mulieris desertam ab omnibus causam, tam ornatè dilucideq; defendit, tam reuerenter de rege uerba faciens, ut in sui admirationem omnes conuerteret. Fine dicendi facto se surripiens, nusquam deinceps comparuit. Sunt qui numini id attribuant: sed consilio & arte Dana fieri potuit. Tandē ampliata causa, cùm Rex sententiam contra se pronūciandam uideret, conscenso equo, post se receptā Gelbergam in regiam reduxit: Maria ex mœrore obiit. Aemilius lib.6.

QVOMODO. DEFENDERE

Voto.

VAL. Asiaticus senator, inquirente pop. Rom. Caij Imp. interfectores ad necē, & clamantibus quisnam interfecisset: Vtinam ego, respondit. Quam uocem cùm Senatus quoq; probasset, seditio composita fuit. Iosephus lib.19.cap.1.

Testimonio.

☞ *Vide Tit. Fidei in testimonio, quatenus aliorum innocentiæ attestatur. Nam si aliorū malis, sic ad Malorum alienorum reprehensionem pertinebit.*

Contradictione.

CÆCVS à natiuitate, Hierosolymis à Christo curatus, constanter Christum diuinum esse hominem asseruit, & Pharisæis eum peccatorem asserentibus restitit. Quapropterè synagoga ab illis eiectus est. Ioan.9.

BONA ALIORVM PRAEDICANDO,

QVORVM. PVTA

Dei.

PETRVS Domino interroganti, Quid homines dicerent de eo? Tu es, inquit, filius Dei uiui. Matth.16.

Blasphemantibus miracula Domini Scribis & Pharisæis, MVLIER quædam extulit uocem, dicens: Beatus uenter qui te portauit. Luc.11.

SAMARITANA Christi amico colloquio conuersa, suis popularibus renunciauit: Messias uenit, qui dicitur Christus. Itaq; multi Samaritanorum crediderunt in Dominum, propter uerbum mulieris. Ioan.4.

MARTHA præclarè confitetur Christi opt. max. diuinitatem & humanitatem: Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. Ioan.11. Matth.16.

CÆCVS natus, à Deo illuminatus, libera uoce ueritatem de Domino fatebatur. Ioan.9.

Doctorum.

☞ *Consule Tit. Iudicij theorici qualiscunque, Musici, Mathematici, Poetici.*

Hostium.

☞ *Hostis non contemtus partim ad Prudentiæ bellicæ locum pertinet, partim ad Veritatem, in aliorum bonis commendandis agnoscendis, non dissimulandis.*

EVRYSTHEVS rex captiuus corā Alcmena laudauit Herculem, ut uirum fortem, apud Eurip. in Heraclidis:

—Καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὤν,
ἀκούσεταί γ' ἐσθλὰ, χρηστὸς ὢν ἀνήρ.

Quamuis hostis, audiet benè, uir bonus existens.

PHILIPPVS Macedoniæ rex illis, qui deferebant ad ipsum conciones Demosthenis, dicebat, etiā se ipsum, si dicentem audisset Demosthenem, designaturum illum fuisse ad gerēdum secum bellum. Comparabat huius orationes propter pomposos neruos militibus, Isocratis athletis: oblectationem enim præbere has theatralem. Plut. in Demosthene.

AESCHINES, cùm propter iudicialem ignominiam relictis Athenis, Rhodum petiisset, atq; ibi rogatu ciuitatis suam priùs in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima & suauissima uoce recitasset, admirantibus cunctis utriusque columinis eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis: Quid si (inquit) ipsum audissetis? Val. Max. l.8.c.10. Alij narrāt, cùm orationē suā Rhodi publicè legisset, & admirantibus Rhodiis, quónam modo tanta facundia conuictus fuisset? Atqui, inquit, nulla uos teneret admiratio, si Demosthenem cōtra hæc differentem audissetis. Philostratus in Sophistis, & Plin. lib.7.cap.30.

Cæcilius METELLVS, Scipionis, quem uiuum oppugnauerat, morte doluit, filiisque suis, eius lectum iussit subire. Diis autē dixit Vrbis causa gratias se agere, quòd alibi non esset Scipio natus. Plut. in Apophtheg.

OCTAVIVS Cæsar, qui in gratiam Antonij Ciceronem proscripserat, cùm longo pòst tempore ad quēdam ex filia nepotem accessisset: ille autem, quòd uolumen quoddam Ciceronis manibus teneret, consternatus id ueste contexisset: Cæsar qui animaduerterat, sumsit uolumē, & stans magna ex parte euoluit, reddidit inde puero, ac dixit: Doctus hic uir, fili, doctus fuit, & patriæ amans. Plut. in Cicerone.

Ob Balduini III. Hierosolymorum regis obitum non amici tantùm, sed hostes doluerunt. Nam NORADINVS Turcorum princeps bellicosissimus, cùm ad hostiles irruptiones, dum exequiæ pararentur regi, à suis instigaretur, dixisse fertur: Compatiendum est, & humanè indulgendum iusto eorum dolori, eo quòd principem amiserint, qualem reliquus hodie non habet orbis. Tyrius.

Septimo anno regni sui rex Conradus I. sentiens fati horā appropinquare, principes regni omnes, præter Henricum Saxoniæ ducem, inimicum suum acerrimum, euocauit, & eos ita affatus est. Vocationis meæ, inquit, tempus agnosco, & (ut cernitis) præstò est. Proinde pacem atque concordiam sectari etiam atque etiam uos oro: nulla uos regnandi comprehendat ambitio. Henricum Saxonum Turingorumque ducem prudentissimum, regem uobis eligite, dominum cōstituite: is est enim sapientia pollens, & iustæ seueritatis censura subnixus. Quibus non recusantibus, seuocauit germanum suum Euerhardum Comitē: Vides, inquit, frater, quia ad fatum propero: tu, ibi posthac consulito. Sunt copiæ, sunt arma, sunt exercitus, sunt urbes & mœnia: satis inter principes quocunque loco fulges. Vni te cedere non dissimules, Henrico duci Saxoniæ, propinquo nostro. Est apud illum & uirtus & consilium, fortuna se sociam iungit. Si me audis, accipe regni insignia, & ad illum perferto, teque illi, quantum potes, facito commendatum. Nam rei nostræ publicæ gloria ad Saxones commigrauit. Tu te illi, si sapis, contempera. Ceciderunt fratri lacrymæ: & ille obdormiuit. Acceptis autem regni insignibus Euerhardus, fratris mandata peregit, Henrico se suaq; omnia, & regni iura commendans. Eius filio Othoni I. cùm rebellasset, ad Brisacum cæsus est. Cranzius lib.3. Saxoniæ, cap.1. & 18.

QVOMODO. V. G.

Præconio.

☞ *Vide Tit. Præconiorum. illic Honoris, hîc Veritatis habetur ratio.*

QVANDO. NEMPE

Post mortem.

☞ *Ex loco Laudationum funebrium, huc pleraq;.*

METELLVS debere existimauit populum Romanum diis gratias agere, quòd Scipio alia in urbe uir tantus non fuisset natus. Plut. de Pietate erga fratres.

M. Cato minor, cùm sibiipsi Vticæ manus intulisset, quo spacio non crederes eum casum resciscere omnes domesticos potuisse, adfuerunt ad fores trecenti, ac mox populus VTICENSIS concurrit, una uoce benefactorem, seruatorem, solum liberum, solum inuictum appellantes: eaq; agebant, cùm nunciaretur adesse Cæsarem. Cæterùm neque metus eos, neque assentatio uictoris, neque mutua dissensio, uel discordia, ab honorando retardauit Catone: sed corpus eius magnificè exornatum, & splendidis elatum exequiis funerauerunt iuxta mare: ubi nunc quoq; statua eius ensem tenens posita est. Plut. in Catone.

MALA ALIORVM REPREHENDERE, ACCVSANDO, Detegendo, Indicando.

☞ *Consule Tit. Prudentiæ & Vrbanitatis in reprehendendis aliorum uitiis, quatenus libertatem iunctā habet. Item eorū, Qui aliorum reprehensiones moderatè tulerunt: hîc reprehendentium libertatis, illic reprehensorum conscientiæ habetur ratio,*

QVÆ MALA reprehenderint. PVTA

Theoricam, Ignorantiam, Inscitiam.

SAPPHO ad quandam mulierē, diuitiis superbientem, fastū illius retundere uolens, κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, inquit, οὐδέποτε μναμοσύνα σέθεν ἔσσεται οὐδὲ πόκ' ὕστερον. οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς κὴν Ἀΐδα δόμοις φοιτάσεις· οὐδεὶς δέ σε βλέψει πεδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένων. Id est: Defuncta iacebis: nulla unquā in posterum tui memoria erit. Non enim participas rosis è Pieria. Quin obscura ad orcū ibis, neq; te quisquā uidebit puellam euanidos reliquisse manes, aut ab inferis euolasse. Plut. in Præceptis connub. & Aristides in orat. de Incongruo dicto. & Stobeus ser.2.

DIOGENES Cynicus ad Quendam, qui se philosophū profitebatur, interrogabat uerò contentiosè: Vale miser, dixit: cùm id quod optimum est in uita philosophi, corrumpas, uerbis tamen audes te philosophum iactare?

IDEM diuitem conspicatus imperitum, οὗτός ἐστιν ἵππος περιηργυρωμένος: Hic est (inquit) equus undique argēto litus. Cælius lib.26. cap.27. Antiq. Lect.

ARCHIDAMVS Zeuxidami filius, cùm uideret Periādrum, qui arte medica excellentissimus fuerat, inepta carmina scribentem: Quid (ait) tibi accidit, mi Periander, ut pro insigni medico malus poeta uocari concupiscas? Plut. in Lac.

Stratonicus citharœdus apud Athenæum lib. 8. musico cuipiam, qui priùs fuerat OLITOR, de harmonia cum ipso disputanti, dixit, ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Quanquam in æditione Adina legitur ἄδοι, pro ἔρδοι.

Philippo Macedone FIDICINEM super cœnam corrigente, ac uerba faciente de pulsandarū fidium ratione: Dij meliùs, inquit, rex, quā ut hæc me teneas rectiùs. Plut. in reg. Apoph.

SPYRIDON ex pastore episcopus Trimethuntis Cypri, sub Constantino Magno miraculis clarus, Tryphilum Ledranum episcopum (qui cùm in conuentu quodam episcoporum Tyri concionaretur, & in Euangelij expositione, Tolle grabatum tuum, loco grabati aliam concinniorem uocem, ut sibi uidebatur, insolentiùs cōmutasset) duriter reprehendit, publicè cum eo expostulans, utrum melior esset eo qui priùs grabatum dixisset? Simeon Metaphrastes Tomo 5.

Mechanicam imperitiam.

Megabyzo Persæ, qui in Apellis officinam concesserat, cùm multa garrire cepisset de arte, os APELLES hoc dicto clausit: Quamdiu silebas, auri & purpuræ causa uir esse magnus uidebare. Nunc pueri hi, qui colores terunt, ineptias tuas ridēt. Plut. de Trāquil. animi, & de Dignosc. adul. At Plin. lib. 35. cap.10. hoc Apelli erga Alexandrum Magnum tribuit.

Scitè admodum in Adrianum, nec dum Imperatorem, architectus APOLLODORVS, quum is per imperitiam de operibus dissereret: Abi, obsecro te, ac cucurbitas pinge: nihil enim horum rectè nosti. Nam is tunc eo maximè placebat artificio. Cælius lib.1. cap.13. Antiq. Lect.

Stultitiam, Impudentiam.

SOLON Atheniensium stultitiam Pisistrati tyrannide oppressorum reprehendit:

εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα,
μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.
αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύσια δόντες,
καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.
ὑμῶν δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει,
σύμπασιν δ' ὑμῖν χαῦνος ἔνεστι νόος.
εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε, καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός·
εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε.

Si quæ mala passi estis ob uestram improbitatē, ne causam illorum diis imputetis. Ipsi enim eos (qui uos opprimunt) auxistis, dona mittendo: eamq; ob causam dura nunc premimini seruitute. Vestrum autem quilibet uulpis incedit uestigiis, omnibusq; uobis mens inest mollis. Linguam enim hominis inspicitis, & uersuta uerba: in opus uerò, quod sit aggrediendum, non intenditis.

Apud T. Liuium lib. XXII. ab urbe cōdita MAHARBAL Pœnus insimulat Annibalem, quòd post Cannensem pugnam uictorem exercitum Romam non adduceret: Non omnia omnib. dij dedere: uincere scis Annibal, uictoria uti nescis.

FRANCISCVS ordinis Minorum pater, dum iter ageret, incidit in hominem, cuius uestimenta diutino usu detrita, uix pudenda corporis operuerant: & nuditatem eius dolens substitit, suspirauit, ingemuit. Frater uerò qui illum comitabatur: Quid, inquit, tristaris ita, pater? etsi hic indumentis eget, forsan abundat concupiscentiis. Tunc Franciscus iussit protinus ut ille, sua se tunica exuens, pauperem tegeret: & quia de ipso perperàm opinatus fuerat, ab eodem ueniā rogaret: ac tandem disceret, nefas esse, miserorum mores sugillare, indigentiam negligere. Marul. lib.1. cap.2.

BARTHOLOMÆVS Coleonus Bergomensis, Venetorum polemarchus, cui pro Republica bene gesta ut imperatori, statuam auream erexerunt, Venetos coarguisse dicitur, quòd seipsos Remque publicam homini peregrino non satis prudenter credidissent. Nam Corinthus non alia de causa in tyrannidem incidit, quàm quòd Timophanem imperatorem peregrinum euocasset. Similiter Britanni ab Anglis, Hispani à Mauris, Græci à Turcis, quos ad præsidium euocarant, de imperio deiecti fuêre. Ioannes Bodinus Methodi histor. capite 6.

DANTES poeta, Florentinos, temerè aduersantes Henrico VII. Imper. cæcos appellauit. idcirco, ut uidetur, quòd non uiderint, eum perdere uelle omnia, qui tenenti arma, quod iustum sit, audeat negare. Petierat autem ab ipsis pro se & exercitu hospitium in ipsorū urbe, & ut ab Aretio oppugnando abstinerent. Sabell. lib.7. Ennead.9.

Temeritatem.

TIMOTHEVS, cùm apud Athenienses aliquando cicatrices corpore acceptas ostenderet Chares Dux, & traiectum hasta clypeum: At me, inquit, quàm puduit, cùm prope oppugnantem Samum cecidit telum, quòd gessissem me præcipitantiùs, quàm tanti exercitus duci & imperatori conueniret. Plut. in procemio Pelopidæ.

Ignauiam, Timiditatem, Pusillanimitatem.

IVDITHA uidua principes Bethulienses, qui intra quinque dies, nisi Dominus succurreret, urbem se dedituros affirmarant, seuerè reprehendit, quòd Domino tempus miserationis præscriberent. Iudith 8.

Cùm Harpalo opem ferre Athenienses intenderēt, caperéntq; in Alexandrū arma: ecce tibi classis Alexādri præfectus Philoxenus superuenit. Attonito pauore populo tacēteq; DEMOSTHENES: Quid agēt, inquit, isti, si solē uiderint, qui

non

nõ sustinẽt lucernã intueri rectà? Plut. de Verecũdia immo.

Eretrienses THEMISTOCLES dixit sicut loligines gladium habere, cor non habere. Plut. in Apophtheg.

M. MARCELLVS ad Canusium ab Annibale uictus, postquã in castra recepit se, aduocata cõcione: Multa u deo, inquit, arma Romana & corpora, Romanum ne unum quidem uideo. Plutarchus in Marcello.

CICERO in Pompeii & Cęsaris dissensione ait, Quẽ fugiã, habeo: non habeo, quem sequar. Ac Pompeium reprehendit, quòd deserta urbe Themistoclem potiùs quã Periclem esset imitatus: cùm res huius tẽporibus, non illius, affines essent. Plutarchus in Apophtheg.

Cùm pace inita cum Persarũ rege, Iouinianus Imperator quędam loca à Romanis possessa, & inter alia Ctesiphontẽ urbem Persis concessisset, præsensq; urbem eam traderet: contrà totis uiribus, quantum ualebant, nitebantur ciues. Sed cùm impedire rem non possent, ceu muneris loco quærebant, ut eis permitteretur sese, si possent, defendere. Quòd cùm à Iouiniano negaretur, & penè in desperationem ciues coniecti essent, inter eos SABINVS liberè dixit: Constantius interdũ à Persis uictus, ita afflicta fuit fortuna, ut eum uiderim panem ab anu inopi petentem, & tamen nihil unquam de imperii finibus Persis reliquit. Tu autem principatus tui initio, Ctesiphontem urbem, locaque propinqua, quæ Romani imperii clypeus, & ceu repagulum aduersus hostes dici possunt & debent, hostibus tradis? Inter hæc uerba ciues, cùm è more coronam auream Imperatori munus darent, quàm difficulter Iouinianus adduci potuit, ut acciperet. SYLVANVS non minùs Sabino liber, premente animi impetu: Ita te cæteri coronare possint, dixit. Eo uerbo Iouiniani ignauiam & animum ostendens. Fulg. lib. 5. cap. 2.

ANTONIVS monachus clarissimus, cùm propter pugnas aduersus hæreticos aliquando ex solitudine Alexandriam uenisset, & Didymus cęcus eruditissimus cum eo multa in Scripturis contulisset: ingenium primùm eius & acumen admiratus Antonius, cùm subtristẽ eum esse animaduertisset, causam rogauit. Ille pudore detentus, uix tandem fassus est, oculorumque cladem se lugere respondit. Tunc Antonius: Miror, inquit, prudenti uiro eius rei damnum dolorem afferre posse, quam cum formicis, muscis & culicibus communem habet: ac nõ lætari potiùs illius boni possessione, quo sancti soli & Apostoli ornati fuerunt. D. Hieronymus in epistola ad Castrutium.

Amurates II. Turcarum rex, cùm Pannones irruerent & fortiter dimicarent, fugam inire statuit. Antequam uerò fugam arriperet, uidit gregarius QVIDAM hoc moliri regem, eumq; conuitiis lacerans, ut qui nequaquã honestè ageret, si fuga sibi consuleret, eum retinuit. Chalcocondylas lib. 7.

Intemperantiam, Voracitatem, Ebrietatem, Impudicitiam.

LOTHVS Sodomitas ciues suos liberè increpauit: cuius monitis si paruissent, cœlestem ultionem subterfugere potuissent. Genes. 19.

Philippo Macedone sermonem inter pocula cauillosè inferenti de cantilenis & tragœdiis, quas Dionysius maior reliquerat, atq; ambigere fingenti se, quónam ista tempore illi uacasset facere: non inscitè occurrens DIONYSIVS iunior: Quo tempore, inquit, tu & ego, atq; omnes qui uidemur beati compotationibus indulgebamus. Plut. in Timoleõte.

CRATES cùm Phrynes meretricis statuam Delphis positam auream cerneret, de Græcorum exclamauit lasciuia id collocatum trophæum. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

ZENONEM Cittieum summa uerecundia precioque habebat rex Antigonus. Aliquando uino supra modũ impletus, obuiam Zenoni factus, eum exosculatus est, petiitq; ut sibi quid imperaret: interpositoq; temerè sacramento, confirmauit se præstiturum quicquid postulasset. Zeno respondit: Abi, & euome. Aelian. lib. 9. de Var. hist.

ARCESILAVS, quum diuitis oculos esset intuitus ludibundos, atq; illecebræ uoluptatisq; plenos: Nil (inquit) interest, quibus membris cinædi sitis, posteriorib. an prioribus. Cælius lib. 3 cap. 28. Antiq. Lect.

STILPO philosophus, cõspectõ adolescentulo, cultu gestúq; patũ uirili: Non te pudet, inquit, qui peius tibi uelis, quàm ipsa natura uoluit? Siquidem illa te uirum fecit, tu teipsum refingis in feminam. Laert. lib. 6.

Ceus quidam uenit legatus Lacedæmonem, uir alioquin iactator & lasciuus, ut qui senecturem dissimulans canos infecerat. ARCHIDAMVS surgens in senatu: Quid, inquit, ueri hic dicer, qu etiam capillis mentitur? Ael. li. 7. Var. hist.

DIONYSIVS maior audierat à filio, cui principatum destinabat, ingenui uiri uxorem adulteratam: ob quod iratior illi factus, institit quęrere, Nunquid à se id genus quippiã perpetratum sciret? Tu (inquit is) patre tyranno non es prognatus, ego memini me tyranni filium. Nec tu (inquit pater) filios principes relinquens, ni flagitia eiusmodi desieris. Cælius lib. 22. cap. 17. A. L.

Erat Luculli amicus & familiaris CATO. Verùm uita & luxus eius adeò Catoni improbabatur, ut cùm iuuenis quidã odiosam & prolixam orationem in senatu de frugalitate & temperantia intempestiuè haberet, exurgẽs Cato: Tace, inquit, qui diuitiis affluis ut Crassus, uiuis ut Lucullus, & dicis ut Cato. Alij dictum quidem hoc, sed non à Catone, ferunt. Plut. in Lucullo.

P. SCIPIO Aemylianus cùm haberet consortem censuræ Mummium, ut nobilem, ita eneruis uitæ: pro Rostris dixit, Se ex maiestate Reipublicæ omnia gesturum, si sibi ciues uel dedissent collegam, uel non dedissent. Val. Max. lib. 6. cap. 4.

Cùm Messenius Dinocrates in conuiuio Romæ temulentus in muliebri stola saltasset, & rogaret postero die T. QVINTIVM Flaminium, ut molienti sibi Messenem eximere concilio Achæorum assisteret: Id mecum, inquit, pensabo. Miror uerò te, qui tantas machineris res, saltare inter pocula & cantare posse. Plut. in Flaminio.

Prodigalitatem.

Carolus VII. Gallorum rex HIRÆ, magni nominis duci, subsidia & commeatum contra Anglos petenti, delicias & amores ostendebat. At ille libera uoce: Nunquam se alium regem, qui sua lætiùs perderet, uidisse, respondit. Nimirum hæc Anglis prædæ non erunt, quæ ita profundes. Sicquoque Sardanapalus se cum regia amisso regno cõcremauit. Fulgosus & Egnatius lib. 6. capite 2. & Aegidius Corroz. de Dictis & factis mem.

Luxum.

Cùm Scipio MEMMII cuiusdam tribuni militum iumenta deprehendisset cupas gẽmatas deportantia, & pocula Thericlia: Mihi, inquit, & patriæ dies triginta, tibi uerò ipsiuũ omnem talibus morib. effecisti inutilem. Plut. in Apophth.

Auaritiam.

DIOGENES Cynicus captiuus in castra ad Philippũ Macedoniæ regem deductus, cùm interrogaretur à rege, Quisnã esset? respondit, Se exploratorem esse ad ipsum profectum, ut insatiabilem eius rapacitatem uideret. Ea libertate dicendi uictus Philippus, statim eum dimitti iussit. Fulg. lib. 6. c. 2.

DIONYSIVS senior ad filium ingressus, ubi est conspicatus uim magnam aurei & argentei operis, innotuit altiùs, οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ τύραννος, Non aspiras ad tyrannidem, nec omnino eiusmodi in te quippiam inest: quando ex tot & tam preciosis, quæ à me suggeruntur poculis, neminem prorsus inde tibi amicum conspicer. Plut in Apopht.

QVIDAM ex iis, qui Lysimachi castra sequebantur, num exlotis esset, interrogatus: An tu, inquit, ad quatuor obolos tuos uenturum existimas Laconem? Plutarchus in Apophthegmatibus Laconicis.

M. CATO apertè Ptolemæo regi à Pompeio & Cæsare se in regnum restitui petenti, Romanorum auaritiam indicauit: ostendens, quanta relicta felicitate, quantis sese subiiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & auaritiæ principum Rom. quos redacta in argentum Aegyptus uix expletura esset. Plut. in Catone.

Cùm M. Antonius Asiæ ciuitates altero tributo oneraret, HIBREAS, qui pro Asia agebat, liberè ad Antonium conuersus dicebat: Si bis anno tributũ uales exigere, uales bis etiã æstatẽ nobis & bis fructus efficere. Deinde ubi ducenta millia talentûm intulit Asia: Hæc, inquit, si non accepisti, ab illis qui acceperunt, repete. Sin quę accepisti, hæc non habes, perimus. Quo dicto uehementer pupugit Antonium. Nã pleraque, quæ agebantur, ignorabat: non quòd ita foret socors, sed quia ex simplicitate credebat suis. Plut. in Antonio.

Augustus in quadam uilla inquietas noctes agebat, rumpente somnum eius crebro noctuæ cantu. Prehendendam curauit noctuã. MILES aucupiis peritus, & spe ingentis præmij, captam pertulit. Laudato Imperator mille numos dari iussit. Ille ausus est dicere, Malo uiuat: auemq; dimisit. Quis non miratus est, non offenso Cæsare, abiisse militem contumacem? Macrob. lib. 2. cap. 6. Satur.

ALEXANDRINI Vespasianũ Imp. Cibiotatem uocare perseuerauerunt, cognomine unius è regibus suis turpissimarũ sordium. Sed & in funere FAVO archimimus personã eius ferens, imitansq; (ut est mos) facta ac dicta uiui, interrogatis palàm procuratoribus quanti funus & pompa constaret: ut audiit sestertia centies, exclamauit: Centum sibi sestertia darent, ac se uel in Tyberim proiicerent. Suetonius.

Quidam bubulcus SERVVS, iam senio penè confectus, cùm propter nouæ assumto ad imperium Vespasiano domino, quem dominus mufortunæ felicitatẽ, meritum se putaret, nere dignaretur: uenienti in urbem Vespasiano se obtulit, & libertate donari petiit. Cùm autem minimè assentiri Vespasianũ uideret, magna uoce exclamauit, Vero adagio dici, uulpẽ pilos, non mores mutare. Ita enim domino auariciam natura insitam exprobrauit. Fulg. lib. 6. cap. 2. ex Suet.

Cùm Baiazethes II. Turcorum Imp. suos milites lõga oratione contra Tamberlanem Tartarum cohortatus esset, at donatiuum militibus, licèt intercedentibus Bassis, dare nollet: VNVS è ducibus, Deaurandi sunt tibi, inquit, non orandi milites, Imperator. Sed quãtum uideo, pecunia tua Tamberlanis effigie insignita est. Ominosum certè dictum fuisse exitus comprobauit. Viuus enim in potestatem Tamberlanis cum exercitu & thesauris peruenit. Chalcocond. lib. 3.

Nicolaus Raulinus, cancellarius Burgundi ducis, Beanæ Burgundorũ xenodochium magnificum extrui cur uerat. LVDOVICVS XI. Gallorum rex, Iure merito, inquit, ut qui sua rapacitate multos pauperes fecit, pari prodigalitate eos dem alat. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Antonius Leua, Mediolano præfectus à Carolo V. ut milites suos stipendiorum liberalitate in officio retineret, à quoquam ciue cererem coqui uetuit, quum uenalis tantùm panis ederetur, constitutis eius monopolij tabernis, unde esurientes magno precio panem coemerent: tanta edicti atrocitate, ut plerique inopes laquei metu fame passim interirent. Tanta sæuitia crudelissimæ legis auctoritatem tuebatur, ut uel ab egentibus mulierculis, quæ desiderio panis subcinericias conficerent offulas, & in sartagine placentas oleo suffrixissent, contusoque in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraues pœnas exigeret: sic ut non infacetè, quanquam amarissimè, M. ANTONIVS Canicula, quæstorii ordinis ciuis, in corona diceret, Peramplam, uti reor, ciuis hic noster Antonius à Cæsare gratiam procul dubio referet: quando ei supra tot clara cognomina summę maiestatis, nouæ nobilitatis ergô Furnarij titulum adiecerit. Nam & tabernæ furnariæ, & uenales panes Cæsareæ aquilæ nota signati, Imperiales uocabantur. Sabellici supplementum libro II. ex Iouio.

Ambitionem.

DIOGENES Cynicus, auctore Laertio, cùm animaduertisset Platonem in opiparo quodam conuiuio, à reliquis temperantem cibis, & oleis duntaxat utentem, taxauit hominis ambitiosam abstinentiam, inquiens, Quid, homo sapiens, cùm ob huiusmodi mensas in Siciliam nauigaris, nunc appositis non frueris? Ad quod ita Platonem respondisse narrãt: Per deos, Diogenes, & illic plerunq; oleis, atque id genus cibis utebar. Ad quod rursum Diogenes: Quorsum igitur attinebat Syracusas nauigare? num id temporis Attica non ferebat oleas? Erasmus in Adag.

IDEM Diogenes cùm uenisset Olympiã, & Rhodiacos quosdam adolescentes uideret preciosis magnificisq; uestibus amictos, cum risu inquit: Hic fastus est. Deinde cùm incideret in Lacedæmonios, laceris squalentibusque tunicis amictos: Hic (inquit) longè est alius fastus. Aelianus de Varia historia libro nono.

IDEM, cuidam sibi placenti, quòd leonis exuuio tectus ingrederetur: Non tu desines, inquit, uirtutis stragulas pudefacere? Indecorum esse cẽsuit, quòd homo mollis, Herculis amictum sibi uendicaret. Laertius lib. 6. cap. 2.

OLYMPIAS quum audisset filium Alexandrũ diutiùs sepulturæ honoribus carẽtem, iacere uelut neglectum, inter crebra suspiria inclamauit altiùs miserabiliusq;: O fili, tu quidẽ cœlum tibi uendicare satagebas, hocq; unum festinabundus habere opus uidebare. At nunc quæ cæteris ex æquo communia omnibus censentur, ne iis quidem potiri uales, terra & conditorio. Cælius lib. 21. cap. 47.

ZENO quendã aggressum efferri animo, alapa data monuit, Bonitatem nõ in magnitudine, sed magnitudinẽ in bonitate sitam esse: οὐκ ἐν τῷ μέγα τὸ εὖ, ἀλλ᾽ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Suidas.

Aegienses Argiui, Aetolis uictis, PYTHIAM interrogarunt, Quoti essent? Ea uerò illis respondit: Aegienses neq; tertios esse, neq; quartos, ac ne decimos quidem. Suidas.

Scipionis Africani in comitiis competitor APPIVS: Quantum, inquit, Paule, si apud inferos sentias, ingemiscas: quòd filium tuum censorium candidatum publicanus stipet Philonicus. Plut. in Præceptis politicis.

Indulgentiam.

ARCHIDAMADAS, cùm rex celebraretur Charillus, Quinam hic, infit, bonus sit, qui nec improbis est acerbus? Plutarchus de Discernendis adulatoribus.

DIOGENES Cynicus quum esset conspicatus indecenter uoracem puerum, pædagogo plagam incussit, inferens: Vt quid ita imbuis? Cælius lib. 26. cap. 27. A. L.

IDEM, cùm celebraretur Plato: Quid uerò, inquit, habet ille præclari, qui tam diu philosophiam professus, nemini acerbus fuit? Plut. de Virt. morali.

Sæuitiam, Crudelitatem.

AGESIPOLIS Cleombroti filius, cùm quispiã apud ipsum ceu rem magnam prædicaret, quòd Philippus Macedonum rex intra pauculos dies subuertisset Olynthum: Atqui per deos, inquit, talem ciuitatem longè maiore temporis spacio non extructurus est. Significans, multo regalius esse, cõdere urbes, quàm conditas demoliri. Eras. lib. 1. Apoph.

Cùm Spartiata quidam laudibus efferret Hesiodicum carmẽ, quod in ἔργοις legitur,

οὐδ᾽ ἂν βοῦς ἀπόλοιτο, εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

id est, Nec pereat bos utiq;, ni affuerit uicinus malus. audiẽs DIOGENES Cynicus, Atqui, inquit, & Messenij periere & eorundem boues, in uicinia uobis cõstitutis. Quippe Messanam bello exciderant Lacedæmonij. Pausanias.

T. QVINTIVS Flaminius cùm aduersus Philippum Macedoniæ regem bellum gereret, & in tractanda pace delectus ad colloquium locus esset: posteaquam loco appropinquarunt, Philippus fraudem ueritus, obsides à Flaminio petiit; affirmans, Romæ multos esse Flaminios, sed apud Macedones unum esse Philippum. Ad quem Flaminius statim respondit: Id ipsius Philippi culpa accidere, qui amicos & propinquos omnes interemisset. Romano, id est libero uerbo, crudelitatem atque perfidiam Philippo improperauit. Fulgosus lib. 6. cap. 2.

AELIVS Mantia Formianus, libertini filius, ultimæ senectutis, L. Libonem apud Censores accusabat. In quo certamine cùm Pompeius Magnus humilitatem ei, ætatemq; exprobrans, ab inferis illum ad accusandũ remissum dixisset: Non mentiris (inquit) Pompei, uenio enim ab inferis. L. Libonem accusaturus. Sed dum illic moror, uidi cruentũ Cn. Domitium Aenobarbum deflentem, quòd summo genere natus, integerrimę uitæ, amantissimus patriæ, in ipso iuuentutis flore, tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum, querentem id sibi priùs perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumq; patris tui defensorem, in tertio cõsulatu cathenis, quas tu ei iniici iusseras, uinctum, obtestantem te, aduersus omne fas & nefas, cùm in summo esset imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu prætorium uirum Perpennam, sæuitiam tuam execrantem: omnésque eos una uocę indignantes, quòd indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent. Nimirum eo tempore & fortissimũ erat Cn. Pompeio maledicere, & tutissimum. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

C. MOECENAS Augustum Cæsarem pro tribunali sedentem, cùm libenter admonuisset, ne iniustos condemnaret, nec præ multitudine populi ad ipsum Augustum proximè accedere posset, ad eum schedulam in hæc uerba scripsit: Tandem aliquando surge carnifex. Legit Cæsar, & quasi aliud scriptum esset, epistolam in sinum coniecit: nemineq; capitis damnato, statim surrexit: tantumq; abfuit ut ex ea re molestiã ceperit, ut summoperè approbarit. Nam quoties supra modũ irascebatur, coactus uel natura sua, uel rebus necessariis, libertate & licentia amicorum corrigebatur. Dion Nicæus in Augusto.

Adulationem.

POLYPERCON uidens Persas ad Alexandrum ingressos procumbentes, risit eorum stultitiam. Quod ubi rex uidit, Polypercontem è lecto, quo accumbebat, ad terram præcipitem dedit, surridensq;, Vides, inquit, te idem fecisse, quod stultè in alio ridebas? Sab. lib. 4. En. 4.

Scurrilitatem.

DIOGENIS & DEMOSTHENIS libertatem in reprehendendis Atheniensibus, quòd fabulis potiùs quàm rebus seriis delectaretur, uide sub. Tit. Nugarum amatores.

Victis ad Chæroneam Atheniensibus, Philippus rex Macedonum multo repletus mero, cum amicis saltionem iocosam iniuit, atq; per mediam captiuorum turbã debacchatus est. Tunc DEMADES orator, licèt captiuus, regem alloquitur: Cùm, ô rex, fortuna Agamemnonis personam tibi apposuerit, non pudore afficeris Thersitæ actiones referens? Qua hominis dicacitate pulsatus Philippus, coronis abiectis, & Demadem ipsum, & captiuos reliquos liberari iussit. Diodorus libro 16.

DION Syracusanus solus liberè Dionysium tyrannum socerum suum reprehendit. Quippe cùm Dionysius irrideret Gelonis regnum, ipsumq; Gelonem, Siciliæ γέλωτα, id est, ludibrium dixisset fuisse, Dion indignatus: Atqui tu, inquit, tyrannide potiris, quia tibi Gelonis causa habita fides est: tui causa fides tribuetur posthac nemini. Plut. in Dione.

Nugacitatem.

Ctesiphontem LACONES eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere: dicentes, Boni oratoris esse, sermonem habere rebus parem.

Antisthenem, quoniam multa cõscripsit uolumina, TIMON appellare solebat παντοφυῆ φλέδονα, id est, uariũ nugatorẽ. Non tamen dixit εὐφυῆ, sed παντοφυῆ, quòd ingenio ad quiduis uersatili uaria tractaret argumenta, & in his quædam parum digna philosopho. Erasmus lib. 7. Apoph.

CATO maior à Scipione Africano rogatus, ut adesset Achæorum exulibus aduocatus, quo in patriam eis reditus conficeretur: simulauit rem sibi curæ non esse. At cùm in senatu magna esset hac de re disputatio, exurgens: Quasi nō sit, inquit, quid agamus, desidemus hic totum diem, de senibus Græculis quærentes, hîc an illic à sandapilariis efferantur. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Martialis in GALLICVM quendam, cui ex more sæpe repetebatur illud, Dic uerum mihi Marce, dic amabo, inquit:

Vero uerius ergo quod sit, audi:
Verum Gallice non libenter audis. Erasm. in Adagiis.

Curiositatem.

Philippus Macedo, offensione sibi cum coniuge Olympiade & filio orta, cū aduenisset Corinthius DEMARATVS, sciscitabatur, Qui inter Græcos cōueniret. Cui Demaratus: Scilicet tibi conuenit de Græcorum consensione quærere cū ea tecum intercedat tuis cōiunctissimis simultas? Hac uoce ad se reuersus, deposita ira reconciliauit cum eis gratiam. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Impietatem, Superstitionem, Hæresin.

Consule Epitit. præcedentem, Qui reprehenderint alios, Sacri homines.

Cùm in numerum deorum Athenienses, Alexandrum referrent: Qui autem deus, inquit LYCVRGVS orator, cuius templo qui egrediuntur, aqua lustrentur oportet? Plutarchus in uita Lycurgi.

Cùm apud Daphnen Antiochiæ suburbium Apollo, pro more oracula postulatus, non respondisset, idq; se facere propter uicinum Babylæ sepulcrum affirmasset: Iulianus Imp. Antiochia CHRISTIANOS uenire, & martyris monumētum auferre iussit. Conueniunt in Daphnen illi frequēti numero, & arcam cadaueris Babylæ læti tollunt, & inter deferendum alta uoce canunt, Iuliano insultantes, Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & cōfidunt in simulacris suis. Qua re tāta quidem ibi rabie Imperator correptus est, ut Christianos eos omnes comprehendi, & tormentis ac suppliciis affici iusserit. Tortus autem, præter Theodorum, nemo tum est: ideo quòd Salustius præfectus, cui id negocij in Christianos commissum erat, à tali proposito Imperatorem retraxit. Ruffinus lib. 1. cap. 35.

Tyrannidem.

CN. PISO Manilium Crispum reum agens, cùm euidenter nocentem gratia Pompeij uideret eripi, iuuenili impetu ad accusationem prouectus, multa & grauia crimina præpotenti defensori obiecit. Interrogatus ab eo, Cur se quoq; non accusaret? Da (inquit) uades Reipub. te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum: iam de tuo priùs, quàm de Manilij capite, in consilium iudices mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos, accusatione Maniliū, libertate Pompeium: & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solùm poterat. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

Pompeio candida fascia crus alligatum habēti, FAVONIVS, Nō refert (inquit) qua in parte corporis sit diadema. Exigui pāni cauillatione, regias eius uires exprobrans. Idem.

CN. LENTVLVS Marcellinus consul, cùm in concione de Magni Pompeij nimia potentia quereretur, assensusq; illi clara uoce uniuersus populus esset: Acclamate (inquit) acclamate, Quirites, dum licet. Iam enim uobis impunè facere non licebit. Ibidem.

LABERIVM asperæ libertatis equitem Romanum C. Iul. Cæsar quingentis millibus inuitauit, ut prodiret in scenam, & ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Sed potestas non solùm si inuitet, sed etiam si supplicet, cogit. Vnde se & Laberius à Cæsare coactum in prologo testatur his uersibus:

Necessitas, cuius cursus auersi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quò me detrusit penè extremis sensibus?

Reliquos uersus elegantes admodum apud Macrobium leges. In ipsa quoq; actione subinde se, qua poterat, ulciscebatur: inducto habitu Syri, qui uelut flagris cæsus, præcipitantiq; se similis, exclamabat: Porrò Quirites libertatē perdimus. Et paulo pòst adiecit: Necesse est multos timeat, quē multi timent. Quo dicto, uniuersitas populi ad solum Cæsarem oculos & ora conuertit: notantes eius potentiam hac dicacitate lapidatam. Ob hæc in Publium Mimum uertit fauorem Cæsar. Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

Proditionem, Rebellionem.

ARTAPHERNES præfectus Sardium à Dario rege, cùm Histiæus Milesius tyrannus à rege cum exercitu uenisset ad pacandam Ioniam (quæ instinctu Histiæi, duce Aristagora Milesio, rebellarat) eum intuitus, quæsiuit, Quīnā ei uideretur Iones ad rebellandum induxisse? Cumq; Histiæus id se scire negaret, Artaphernes inquit: Hunc calceum tu quidem consuisti Histiæe, Aristagoras autem sibi induit. Histiæus noctu fuga se ad mare proripuit. Herod. lib. 6.

Ingratitudinem.

THEMISTOCLES, qui nihil in rebus gerendis dixit uel egit inuidiosè, postquā Athenienses uidit fastidientes ipsum & despicientes, nihil est ueritus dicere, Quid quæso tumultuamini: uos, de quib. sum sæpiùs benè meritus? Et, Vos ingruē te tēpestate sub me sicut sub arborē confugitis: postquā discerenuit, uellitis prætereuntes. Plut. de Sui laude, & in Polit.

QVI REPREHENDERINT. PVTA *Sacri homines, Prophetæ, Apostoli, Sacerdotes.*

PHINEES filius Eleazari, eos qui aram ædificauerant in contemtum Israelitarum, liberè redarguit. Iosue 22.

NATHAN propheta, Dauidis regis adulterium cum Bethsaba Vriæ Hettæi uxore, sapienter reprehendit, eleganti parabola usus, qua rex semetipsum cōdēnauit inscius. 2. Reg. 12.

GADVS propheta, Dauidem propter populi cēsum grauiter obiurgauit. 2. Regum cap. ult.

ELIAS Thesbites Achabū regē propter iniustè occisum Nabothū seuerè reprehendit, & familiæ eius uniuersæ exitium imminere pdixit: ut quo in loco canes Nabothi cruorem linxissent, ibidē & Achabi linctūri essent. Iezabelē quoq; uxorē in agro Iezraelense à canibus laniandam esse. 3. Reg. 21.

IDEM Ioramū Iudæorū regē propter parricidiū (sex enim fratres libidine dominandi interfecerat) & idololatriā (cogebat enim Iudæos in montib. idola colere) scriptis literis reprehendit, eisq; cladem imminentem prædixit. 2. Paralip. 21.

MICHEAS propheta, Achabum regem Israelitarum ob conseruatum Benadadum Syriæ regem, quem perdere debuerat, grauiter obiurgat. 3. Reg. 20. & Iosephus li. 8. Antiq. c. 13.

IEHV Hananis F. Iosaphatum Iudæorum regem reprehendit, quòd Achabo Israelitarum regi impio contra Syros auxilium tulisset: & pœnas daturum asseruit, nisi impietati eius Dominus ignouisset. 2. Paralip. 19.

AZARIAS sacerdos restitit Oziæ regi Iuda, uolenti sacra obire, & dixit: Nō est tui officij ut adoleas incensum. 2. Para. 26.

Cum magno ardore corripuit ESDRAS Iudæos, qui duxerāt alienigenas contra legem. 1. Esd. 9. 10.

IOANNES Baptista Pharisæis & Sadducæis dicebat, Progēnies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Matth. 3. Lucæ 3. Quinetiam ipsummet regem Herodem ob incestum coarguit inquiens, Vxorem fratris tui non licēt tibi habere. Matth. 14. Marc. 6.

STEPHANVS protomartyr, Iudæos confidenter increpabat dicens inter cætera: Duri ceruice & incircumcisi corde & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non persecuti sunt patres uestri? Actorum 7.

Simonem magum pro spiritu sancto pecuniam offerentem, PETRVS Apostolus terribiliter increpauit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Actorum 8.

PAVLVS uas electionis, in reprehēdendis uitiis, si quis alius, acerrimus est. Id quoq; ex epistolis ad Romanos, Corinthios, Galatas & Thessalonicenses apertè colligi potest. Intuens Elymam magum, qui nitebatur auertere procōsulem à fide, dixit illi: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias Domini rectas? Act. 13.

POLYCARPVS D. Ioannis apostoli discipulus, Marcioni hæretico fortè occurrens, cùm ab eo, An se agnosceret, interrogaretur, respondisse dicitur: Agnosco diaboli primogenitum. Marul. lib. 3. cap. 7.

Constantio Imp. inter episcopos præsidente, & ecclesiis præscribere uolēte: pleriq;, quicquid ille dixisset, cum plausu & admiratione accipiebāt, rectissimè id esse dictū asserentes. LEONTIVS uerò Tripolis Lydiæ episcopus tacebat. Quē cùm rogaret Imperator: Quid tu solus omniū taces? Miror, inquit, quî fiat, ut aliis curandis destinatus, alia tractes: qui cùm rei militari & Reipublicæ præsis, episcopis ea præscribas, quæ ad solos pertinent episcopos. Imperator uerecundatus, eiusmodi edictis in posterum abstinuisse fertur. Suid.

ATHANASIVS Magnus, Alexandriæ episcopus, cùm ab Eusebianis Arij patronis apud Imp. Constantinum Magnū accusaretur fictis calumniis, & Imp. quamuis bonus, aduersariis nimium credere uideretur: liberè ad eum Athanasius: Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam etiam tu consentis calumniatoribus modestiæ meæ. Ob eam uocem Imp. Athanasium Treuerim in exilium deportari iussit, an. Christi 339. ubi biennium & amplius mansit: reuocatus tandem à Constantino iuniore, uoluntate tamen patris morientis. Socrates lib. 1. cap. 35. & Theodoretus lib. 2. cap. 2.

MARES Chalcedonensi episcopo, propter ætatē decrepitam luminibus capto, cùm esset Constantinopoli nunciatum, Iulianum Imp. in templo Fortunæ sacra facere, clara uoce

Iulianum Apostatam compellauit. Cui cùm indignatus Iulianus respondisset: Galilæum (ita enim Christum appellare solebat) ei uisum nō restituiturum: exclamauit ita ut ab omnibus audiretur, Deo se pro cæcitate gratias agere, ne Iulianum impium aspicere cogeretur. Fulgosus, & Egnat. lib. 6. cap. 2. qui Inarium appellat.

ISAACIVS monachus Constantinopolitanus, cùm Valentē Imp. cum exercitu contra Gothos, qui Christianam religionem acceperāt, exeuntem uidisset: manu frenum equi, quo ille uehebatur, arripiens, uoce magna dixisse fertur: Quónam, ô Imperator, proficisceris, qui aduersùs Deum bellum geris, neq; illius opem tecum trahis? Ille contra te hostem excitauit, quoniam tu aduersus illum impiorum hominum peregrinas & blasphemas linguas exacuisti; & catholicos ex sacris ædibus eiecisti. Desine, si sapis, pugnare: & bellum Deus sopiet. Redde gregibus pastores suos, contingetque absque labore tibi uictoria. Sed si his neglectis ad pugnam perrexeris, ipsa te res docebit, quàm sit durum contra stimulum recalcitrare. Neque enim ipse reuertêre, neque exercitum retinebis. Ibi iratus Imperator: Et reuertar, inquit, & reuersus supplicium exigām mendacis uaticinij tui. Itaq; in custodiam usque ad reditum Cæsaris est traditus. Quo die autem Valens exustus est, Isaacius custodibus dixit: Valens igne extinctus iacet. Zonaras, Theodoretus lib. 4. & Nicephorus lib. 11. cap. 50.

Cùm Antiochiæ ad Orontem esset Valens Imp. Arianus, & orthodoxos crudeliter persequeretur: de porticu prospiciēs, uidit APHRAATEM monachum senem ac incuruum celeri gradu incedentem. Percōtatus est, quò iret? Ille respondit, Oratum eo pro imperio tuo. At id, Imperator ait, domi te facere oportuit. Tum Aphraates, Rectè, inquit, dicis: idq; feci, donec in pace esse Christianis licuit. Nunc turbatis tua culpa ecclesiis, ipsa necessitate adigor, ut omnem ad earum salutem affectem uiam. Tu ignem Ecclesiis iniecisti: illud ego pro uirili restinguere conabor. Imperator ad hæc iratus obmutuit. Cubicularius monacho acriùs cōminatus, non multò pòst balneum Imperatori paraturus, mentis impos in solium feruens insiliit. Theodoretus lib. 4. c. 26.

Maximus tyrannus, primò compulsa ad rebellionem Britannia, in qua imperatorium nomen usurpauerat, in Galliam aduersus Gratianum traiecit. Quo per fraudem occiso, Galliam maioremq; Germaniæ partem subegit. Deinde pulso ab Italia Valentiniano III. ut de se bonam opinionem relinqueret, MARTINVM Turonensem episcopum ad cœnam inuitauit. Sed sanctus liberq; episcopus ire recusauit: affirmans, Se cum eo communem mensam nunquam habiturum, qui duorum dominorum, quos habebat, alterū occidisset, alterum imperio exuisset. Itaq; antè ut iret, adduci non potuit, quàm Maximus scelus culpa in milites reiecta excusauit: quorum seditione ut imperaret coactum se dicebat, in quo se pro uiribus enixurum, ut placarentur, promittebat. Adulantibus reliquis episcopis tyranno, solus Martinus licèt intercedens pro alio, imperauit potiùs quàm orauit. Seuerus Sulpitius.

Maiore etiam libertate cum Maximo usus est AMBROSIVS Mediolanensis episcopus, cùm à Valentiniano Imperatore legatus ad eum Treuerim missus fuit, ad fratris Gratiani ab eo occisi repetendum corpus. Nam publicè in consiliū deductus, cùm Maximus assurrexisset, ut osculo Ambrosiū exciperet, ipse uestigiò se ne cùm uocaretur quidem mouit: quin potiùs cùm liberè grauiterq; eum propter proditionē cædemq; in Gratianum increpauisset, illic palàm omnia in Maximum reiecit, quæ ad purgandum crimen ipse in medium adducebat. Fulgosus lib. 6. cap. 2.

IDEM Theodosium Imp. Mediolani sacri templi forib. repellere nequaquam dubitauit: quoniam ille apud Thessalonicam multos Christianos non auditos uno edicto interfici iussisset. Cùm enim in theatro orta seditione, magistratus quidam saxis obruti fuissent, & inter hos Bothericus dux quidam, immissis militibus septem ciuium millia trucidari curauit. Procul hinc abeas (inquiebat Ambrosius) & tecum domi cogita, quid ad hoc tam graue delictum remedij adhibeas. Theodosius statim inde abiens domum rediit: ut nescias utrū magis laudes, uel potiùs admirêre, Ambrosiúmne tam liberū, an Theodosium tam patientem. Egnat. lib. 6. c. 2. ex Theodoreti lib. 6. c. 18. & Sozom. lib. 4. c. 24.

D. IO. Chrysostomus in reprehendendis aulæ & Imperatricis Eudociæ uitiis seuerus, duplex patitur exilium. Vide Tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

MACEDONIVS Theodosium Imp. Antiochenos ob deiectam statuam Placillæ reginæ puniturū reprehēdit: denuncians ei per præfectos, Meminisset se hominem esse, & à Dei max. nutu pendere: eius benignitatem imitaretur: neq; propter hominis æream statuā, Dei imaginem hominem interfici curaret: maximè cū statuæ multæ pro una reponi possent, at ne pilum quidem Imperator interfecto homine restituere posset. Præfecti [redacted] Itaq; Macedo [redacted] paruit, & Antiochenis pepercit. Theodoretus li. 5. c. 20.

LEONTIVS Tripolis Lydiæ [redacted] Imperatricis [redacted] superbiam, qua se adorari patiebatur ab episcopis, liberè reprehendit. Accersitus enim ab ea, ut se conueniret, pollicita [redacted] pecuniæ præbiturā: Respondens ei [redacted] inquit, sed Deo gratificaberis, hoc facies. Tu [redacted] te uenire uoles, sic [redacted] caput [redacted] manū meam submitte. Ego in tuo sedes throno [redacted] cum ut debitum, sedendi potestatē facia. Suidas.

PO[redacted]CTVS Constantinopolitanus Patriarcha, Ioannē [redacted] post interfectum Nicephorum Phocam, Imperatorem designatū, & ob id magnum templum, ut manu Patriarchæ [redacted] diadema imponeretur, ingre[redacted]: Non licet, inquies, templo subire eum, cuius manus adhuc recenti cognati cruore stillat. Cùm Zimisca, se manus Nicephoro non intulisse affirmaret, sed ab aliis iussū Theophanonis Augustæ trucidatum: iussit percussores regia pelli, unà cum regina Theophanone, ac edictum contra præsules rescindi: pœnitentiāq; iniunxit, ut quas priuatas opes possideret, egenis dispartiret. His omnibus factis, natali Christi Seruatoris, in magnam ecclesiā progressus, diademate coronatus est. Cedrenus, & Cuspinianus.

Anastasius Imp. episcopum quendam OENIANDVM audiens disertum admodum esse, & qui ora omnibus sentētiæ de passo Deo assertorib. obturaret: eum ad se uocatū hortatus est, ut ad suam factionē descisceret, pollicens eum quidquid petiisset, illicò accepturū. Cui episcopus: Tu, inquit, potiùs ad orthodoxos transi: ne, dum opiniones impiorū hominū Seueri, Eutychis & Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris. Simulq; apprehendēs Imperatoris chlamydem: Hæc, ait, uestis nequaquā te post mortē sequetur, ô Imperator: sed sola comitabitur te pietas, ac uirtutū habitus. Missā fac ecclesiam, quā Christus suo redemit sanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neq; ullū ecclesiæ decretū perfectè intelligis: tantū imposturis & scurrilib. calūniis fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, q Imperator es: antistites ec[redacted] re suffusus, obmutuit. Pauper[redacted] ne obolum quidē ab Imperatore uoluit accipere: adeò liber erat, & solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. Cedrenus, & Sigonius lib 16. Imp. occ.

AGAPETVS I. Pontifex à Theodato rege Gothorū Constātinopolim missus, cū pacem impetrasset ab Imperatore, tentabatur ut Eutychianā opinionē confirmaret. Verùm cū Iustinianus ab ea re hominē sanctissimū abhorrere cerneret, precib. minas addidit. Tum Agapetus; Ego, inquit, ad Iustinianum Christianissimū principē uenire optaui: sed Diocletianum inueni, Christianorū hostem acerrimum. Sigonius.

IGNATIVS Patriarcha Constantinopolitanus, Bardam Cæsarem, qui uxorem sine causa dimiserat, & cū sua nuru consueuisse dicebatur, sacram ædem ingredi uetuit. Zonaras.

Amabat Ioannes Ducas Imp. Marcesinam comitem Annæ Alemannæ uxoris, Siciliæ regis Manfredi sororis. Hæc cū spectandi causa Blemmydæ monasterium magnifica pompa ingrederetur, NICEPHORVS Blemmydes præceptor fores occlusit. Iritata mulier eo facto, Imp. ad uindictā stimulabat. At ille, Malæ sementis malam messem patienter feramus necesse est, respondit. Gregoras lib. 2.

SIMEON Stelites, cùm Theodosius Iunior Imp. Antiochenis imperasset, ut synagogas ademtas Iudæis restituerent, ille missis ad Imp. literis acriter ipsum obiurgauit, ut sua mādata non retractaret solùm, & Christianis Antiochiæ, quæ ipsis uiderentur, hac in re permitteret: sed etiam ipsum præfectum, cuius impulsu ea res instituta fuerat, dignitate priuaret. Euagrius lib. 5. c. 13. & Niceph. lib. 14 c. 51. & Theodorus Lector lib. 1. Collectaneorum. Marul. lib. 1. c. 9.

Mauritius Imp. sanxerat, ut quicunq; publico munere functus esset, uel domi, uel militiæ, in monasterium recipi non posset, nisi militia expleta, aut alioqui inutilis redditus esset. nimirum quia multis conuersis exercitus quotidie decrescebat. Quod D. GREGORIVS satis admirari nequit, inter cætera Christum sic introducēs alloquentem ipsum Imp. Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci: sacerdotes meos tuæ manui cōmisi. & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, piissime domine, seruo tuo, quid uenienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio domino tuo? Gregorius lib. 2. Epist. cap. 100.

Sub Carolo Pulchro Francorum rege, ij qui FRATERCVLI uocabantur, diuitias ecclesiasticas fando scribendoq; damnabant: purpuram, opes, dominatū, à religione aliena esse prædicabant: Christum Dominum Deumque nihil in terris quod suum diceret, habuisse: Apostolos eadem qua seruatorem Christum paupertate fuisse. Non exemplum modò, sed & legem eandem successoribus datam. Ius sacerdotib. nullum esse facultatum potiendarum. Hanc sententiam Ioannes XXII. Pontifex impiā censuit, damnauitq;. Illi Pontificem impia hæresi laborare prædicabant, qui id qd' Christus Dominus Deusq; sanxisset, ipse impietatis insimularet. Eo contentionis deuenere, ut Ioannem, quòd de religione, de numine impiè sentire eum dicerent, Pontificem esse negarent, ac uelut solio pontificio uacuo creandum Pontificem nouum uerumq; contenderent. Occanus Theologus Minor cùm Augustorum iura copiosè tutaretur, in Ioannē Pontificem monumēta edidit atrocia, quæ extant: eum nō criminibus modò, sed maledictis lacerans. Intemperantia lapsus scribit eum contendisse elaborasseq; ut Romanū imperiū uel sibi subiiceret, uel penitùs laceraret. his enim uerbis inuehitur. [redacted]

VODINVS Londinensis episcopus, Vortigernum Britanniæ regem, quòd Roxienam, Hengisti Saxonum auxiliariorum ducis filiam, ethnicam, repudiata uxore Christiana, sibi matrimonio iunxisset, seuere increpuit. Hengistus pium antistitem cum comitib. in publicum pertractos diris affecit suppliciis. H.Boeth.lib.8.

Scotorum nobiles inter uenandum, leui ex causa oborta seditione, atrocem cædem edidere. Quæsiti criminis auctores ad supplicium, regiis ministris fœdè pulsatis, in Laudoniā ad Brudeum Pictorum regem aufugere. Aidanus rex alioqui pacis & pietatis studiosiss. exules ex more poposcit à Brudeo. Is nimia in protervos adolescentes commiseratione motus, dum contendendo frequenti legatione apud Aidanum remanuissam iustam facere conaretur, alienas iniurias suum fecit bellum. In Vicomagia haud procul à Calidonia pugna facta, post ingentem cædem utrinq; editā uictoria Scotos est sequuta, amisso Arthurno Aidani filio natu maximo, à patre exercitui præfecto COLVMBA Hebridum, abbas, pietate insignis, fama horum permotus, accedens ad regem Aidanum, acriter eum obiurgauit, quòd diuinorum mandatorum ipsum cepisset obliuio, & q nulla penè causa, bellum tam cruentum in sociam mouisset gentem: quo tot fortunis spoliati in extremā redacti essent inopiam: futurum prædicēs, nisi ocyùs iniuria repararetur, ut rex tota cū domo grauē numinis sentiret uindictā. Rex Colūbæ uerbis exterritus, nec locū excusationi intelligēs, obsecrat uirū sanctissimū, doceret quo id scelus expiandū esset piaculo: abeuntemque Dei uirum irato similem supplex remorari aggressus, rogare obsecrareq;, ne se, quē Deo auctore regno admouisset, consilij inopem, malorumq; expectatione confusum, destitueret: fateri se peccasse, sed sceleris uehementer pœnitere asseuerans inter suspiria, se quodlibet expiationis genus libentiùs subiturum. Columba ingenti cum fletu passus est se exorari. profectusq; ad Pictorū regem, eum ad pacem flexit. H.Boeth.lib.9.

Ricardo II. Anglorum rege, conspiratione procerum capto & deiecto & HENRICO IV. Lancastriæ duce suffecto, ferunt ad Henricum, quum primū coronatus esset, Anachoretam quendam barbatum uirum, diuinoq; spiritu afflatū uenisse, monuisseq; ut ad uerum hæredem regnum transferret: quod ni fecisset, ipsum cum Lancastria familia, unde oriundus erat, diris plagis [redacted] tuentem ne in uulgus credulum [redacted] ea prolata rebellionem aliquam concitarent, è medio uirum extemplò su[redacted] lib.16.

Cùm DVNSTANVS Cantuariensis archiepiscopus, Ethelstanum Britanniæ regem coronaturus esset, & peractis aliis cæremoniis, capiti eius diadema imposuisset: clara uoce, ut audiri posset, dixit: Quia hoc regnū fratris tui sanguine mortéq; affectasti, præterquam quòd tota Britannia hoc factū grauiter latura est, ne tu quidem ex eo lætum exitum feres. Fulgosus lib.6.cap.2. Eduinus Edmundo in regno Angliæ succedens, eo ipso die quo primùm rex salutatus est, incestum cum nobili quadam matrona per uim in publico loco committere non est ueritus. Dunstanus abbas Glasconiensis amicis uerbis iuuenem regem arguebat. Rex admonitionis impatiens, Dunstanum in Flandriam exulatum misit. Quarto regni anno, Eduinus animi mœrore extinctus est, cùm Northumbri & Mercij ab eo defecissent, ac Edgarū fratrem eius regem salutassent. Edgarus Dunstanum ab exilio reuocatum, Vigorniensem & Londinensem simul creauit episcopum. Vbi autem defuncta Elfreda coniuge, rex Alfredam Etheluoldi cuiusdam principis uxorem deperire cœpit, & uenandi prætextu ea potitus est: Dunstanus eum seuerè obiurgauit, & propterea grauem pellicis iram contraxit. Genitus ex eo stupro Ethelredus, cùm baptizaretur, alui excrementa in sacram immisit aquam. Dunstanus prædixit, eum magni mali causam futurum. Vincentius lib.24. & Polydorus lib. 7.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, cùm cerneret Henricum II. regem quotidie sacerdotes minùs idoneos, aut eligere episcopos, aut ad alia perducere sacerdotia, ac ex præscripto Normannicarum legum, omnē sacerdotalis ordinis auctoritatē frangere: cùm monendo amicè nihil proficeret, publicè eum reprehendere cœpit. Rex eum in exiliū eiecit. Thomas ad Alexandrum Pōtificem profectus, deposita archiepiscopali dignitate, in Pontiniaco cœnobio monachum egit. Septimo pòst anno opera Ludouici Francorum regis Henrico reconciliatus, cùm in episcopos improbos animaduertere uellet, illorum conspiratione grauiter apud Henricum accusatus est, sic ut rex ira uehementer accensus, exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cum uno sacerdote habere? nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare uelit? Ex huiusmodi uocibus, fuerunt nonnulli, quibus uisa est occulta uoluntas regis esse, ut Thomas è medio tolleretur. Qui propterea uelut hostis regis habitus, iam tum cœpit sic in odio esse, ut cùm uenisset aliquando Strodum, qui uicus situs est ad Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam alluit, eius loci accolæ non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret. At postea nutu Dei ita accidit, ut omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Quæ tamen infamiæ nota iampridem unà cum gente illa deleta est. Quin & satellites nonnulli, Cantuariam profecti, Thomam interfecere, anno MCLXXI. Rex id facinus indignè tulit. Percussores desperata uenia, alij aliò fugientes intra trienniū malè perierunt. Alexander Pontifex duos Cardinales, rege petente, in Angliam misit, qui rem ipsam præsentes cognoscerent. Hic cū non satis constaret, in quo culpa cædis resideret: rex iureiurādo se purgauit, fassus se tantùm peccasse, quòd in Cantuariensem olim aliquod odium habuisset, unde nefariæ illius cædis causa orta uideri posset. Ceterùm legati pœnam ei indixerunt, ut ducentos milites Hierosolymam mitteret, ad rem Christianam tuendam, atq; intra triennium ipse in Syriam cum aliis Christianis principibus exercitum duceret, facturus communi hosti bellum (quod postea Ricardus eius filius gessit) & de sacerdotali ordine deinceps optimè promereri studeret. Sunt qui prodant, regem esse passum ita lege sanciri, ut ipse & Henricus filius sic Angliæ regnum obtinerent, ut nemo post illorum mortem regis nomen ferre intelligeretur, nisi quem Romanus Pontifex designasset. Thomas post hæc inter diuos relatus est. Polyd.lib.13.

Sub Honorio papa secundo Romā uenit presbyter ARNVLPHVS Brixiensis, uir magnæ deuotionis, & prædicator egregius. Qui cùm clericorum libidinem, & fastum reprehēderet, & paupertatem Christi & Apostolorum eius, integerrimamq; uitam ad imitationem omnib. proponeret: à Romana quidem nobilitate ut uerus Christi discipulus laudatus est: sed clericorum odio nimium est agitatus, à quibus & noctu captus, clàm est submersus. Hoc suum martyrium antea cùm adhuc esset in eremo, diuinitùs sibi fuit reuelatum, cùm per angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publicè dixit: Scio quòd animam meam quæritis, scio quòd me breui iam occidetis. Sed quare? ueritatē uobis dico: fastum, superbiam, auaritiam, luxuriam, nimiumq; studium, quod comparandis diuitiis miseri impenditis, reprehendo, propterea uobis non placeo. Ego testē inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim uobis ea, quę mihi Dominus præcepit: uos autem contemnitis & me & creatorem uestrum, qui uos per unigenitum suum filium redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, uobis ueritatem annunciantem, morti tradituri estis: cùm etiamsi sanctus Petrus hodie resurgeret, & uitia uestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehēderet, ei minimè parceretis. Cùm hæc alta uoce clamasset, subiunxit: Ego quidem mortem subire pro ueritate non timeo: uobis autem in uerbo Domini prędico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus uestris. Vos enim omni spurcitia pleni, plebem uobis commissam præceditis ad infernum. Deus uindex est. Trithemius, Martinus Polonus in Chronico: Sabellicus, & Platina suspensum affirmant, tulisseque id Honorium iniquo animo, sed tamen quæstione abstinuisse. Simoneta lib.5. cap.7. inquit, Cùm licentiùs quàm par esset, in suggestū strepere cōsueuisset, clericorum insidiis, quorum lasciuiam, libidinem, pompam, diuitias improbasset, inopinatè Arnulphum Romæ necatum, ariolantes quidam aiunt. Stumpfius Adrianū à Friderico Barbarossa impetrasse ait, anno MCLIV. ut flāmis exureretur: cineres in Tiberim sparsos, ne reliquias colerent Romani.

Galliæ regi Carolo IIX. ex regno Neapolitano domum redituro, in oppido Poggibonzio factus est obuiam HIERONYMVS Sauonarola: qui, ut consueuerat, auctoritate nomineq; diuino interpositis, eum uerbis efficacissimis, ut Pisas Florentinis restitueret, hortabatur: grauissimè quoque interminatus, ni quæ tanta cæremonia & religione, manibus etiam Euangelij codice contacto, & tanquam in Dei conspectu iureiurando promiserat, seruaret, breui Deo uindici grauissimas pœnas daturum. Guicciard.lib.2.

GVLIELMVS pontifex Roschildensis, rem diuinam pro more acturus, Suenonem regem Daniæ, qui læsę maiestatis delatos proceres occidi in templo sanctæ Trinitatis orantes iusserat, consueta occurrendi ueneratione non modò non excepit, sed etiam ingressu sacrarij prohibuit: quòd aditu sacri loci, quem ciuili sanguine polluisset, indignus esset: & aculeo uirgæ pastoralis pectori regis infixo, iussit eum parricidij pœnitentiam agere: nec non communicationis sententiam statim in eum præsentem protulit. Saxo Grammaticus libro undecimo.

GERARDVS episcopus Zaladiensis, rogatus, ut Petrū Hungariæ regem diademate insigniret, qui Stephano regi successerat, munus hoc renuit: eo quòd rex quadraginta consiliarios suos turpi morte affecisset, adacto per media corū corpora palo, quòd suæ uoluntati obtemperare noluissēt. Quem cùm postea ab aliis episcopis coronari inspiceret, pulpitum conscendit: adhibitoque interprete, qui Pannonia lingua pronunciaret, quæ ipse Italica dicebat, denuò regi crimen exprobrauit, tempusque ac uiam mortis, quæ breui eum maneret, prædixit. Fulgosus lib.6.c.2.

IACOBVS archiepiscopus Gnesnensis, Vladislaum II. Polonorum principem, fratres suos regno paterno expellere conantem, seuerè admonuit, caput illius diris deuouit, exercitum execratus abiuit. Dum imprudentiùs auriga carpentū conuertit, in columnam, quæ tentorium principis sustentabat, extremo axe impingens, mota loco columna, tentoriū solo prostrauit. Mali ominis ea res cunctis uisa est. Tenuit tamen iram Vladislaus, nec acerbius quicquam in archiepiscopum aut fecit, aut dixit: ita ut mirarentur omnes patientiam eius. Derelictus postea à suis, & Posnaniam obsidens, magna affectus clade, in Germania exul periit, anno MCXLV. Cromerus lib.6.

Legati.

Ex Tit. Legati prudentes, huc quædam.

Artoxerxes Persarum rex, coronam ex rosis consertam illiuit unguento, misitq; ANTALCIDÆ, Spartanorum legato, de pace legationem obeunti. At ille: Suscipio quidem, inquit, donum, atque animi promtitudinem laudo: sed rosarum odorem, naturæq; fragrantiam, artis adulterio perdidisti. Aelian.lib.14. de Var.hist.

Amici M.Antonij, cùm Octauius contra eum pararet bellum, Romæ supplices prensabant populum. Vnum etiam de suo numero miserunt GEMINIVM rogatum Antonium, caueret, ne abrogaretur sibi imperium, & hostis populi Romani declararetur. Geminius ut appulit in Græciam, Cleopatræ ut pro Octauio agens, suspectus fuit. Cùm autem cauillis super cœnam lacesseretur assiduè, ac loco mensæ despecto suggillaretur: tolerauit ea, oportunitatem conueniēdi expectans Antonij. Iussus, quamobrem uenisset, inter cœnandum expromere: Cætera, ait, sobrij quærere sermocinationem: unum uerò se & sobrium scire & temulentum, omnia recta fore, si abscessisset in Aegyptum Cleòpatra. Excandescente ad id Antonio, Cleopatra, Bene, inquit, fecisti Gemini, quòd sine tormentis ueritatem aperueris. At Geminius breui pòst fugam capessens, Romam se recepit. Plutarchus in Antonio.

Henricus VI. Alemannorū rex, Friderici F. Sicilia & Italia subactis, Byzantinos ipsos lacessebat, missaq; legatione L auri centenarios postulabat. Alexius Imperator Græcorū, ut imperij sui opes ostentaret, in festo natalis Christi & ipse gemmatam uestem induit, & reliquos omnes auratas uestes inducre iussit. Cū autem adstantes Byzantini Alemannos adhortarentur, ut gemmarum splendorem aspicerent, & media bruma ueris suauitatem oculis perciperent: GERMANI libera uoce muliebria hæc deliramēta dicebant esse, uiris indigna, hostium irritamenta. Quòd nisi Henrici postulatis Imperator annueret, rem illi fore cum iis hominibus, q nōn gemmis ut prata niteant, neq; rotundis margaritis intumescant: sed qui Martis alumni, iræ flamma oculos suffusi, non secùs quā gemmæ radient, & totos dies sudorē fundant margaritis splendidiorem. Nicetas lib.j.

Philosophi.

DIOGENES Cynicus, captiuus in castra ad Philippū Macedoniæ regem deductus, cùm interrogaretur à rege, Quisnā esset? respondit, Se exploratorem esse ad ipsum profectum, ut insatiabilem eius rapacitatem uideret. Laertius.

IDEM occurrens Dionysio exulāti Corinthi, Quàm indignè, inquit, agis, Dionysi? Insistēte illo, ac dicente: Rectè Diogenes facis, quòd calamitatē nostram grauiter feras. Ibi Diogenes, Enimuerò, inquit, tu me uicem censes dolere tuam? & non stomachari, tale mancipium cùm sis, & dignus, qui sicut parens in dominatu consenescens, spiritum deponas, q nobiscū hîc in ludis degas & deliciis? Plut. in Timoleōte.

Diu in Sicilia commoratus PLATO apud Dionysium, cū tandem dimitteretur ab eo, ad cœnam uocatus est: atq; inter alia quæ cœnantes fabulātur, cùm Dionysius diceret: Nonne, ô Plato, cùm Athenis eris, cum aliis philosophis de nobis loqueris? Ei Plato subridens respondit: Nunquam philosophos, qui Athenis uiuunt, ita otiosos esse, ut loqui de Dionysio sustineant. Plut.

ZENO Citticus cùm aliquando Antigonū regem, supra modùm ebriū, obuiam haberet, isq; peteret, ut sibi quid imperaret, interpositoq; temere sacramento, confirmaret, postulatum se præstiturum: Zeno respondit: Abi, & euome. Aelianus lib.9. de Var.hist. Eius mortem cùm audisset Antigonus, ingemuit, dicens: Quale theatrum perdidi? Mirantibus id aliis, respōdit, Quoniam cùm multa à me acceperit, nunquam tamen emollitus est. Laertius lib.7.c.j.

Poetæ, Mimi.

SOTADES Cretensis Maronites, impurissimus alioqui poēta, cùm Ptolemæus Philadelphus Arsinoen sororem in uxorem duxisset, dixisse fertur, εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς. id est: In sanctam rimam trudis aculeum, hoc est; incestum committis. A rege in uincula coniectus contabuit. Plutarchus de Liberorum educatione.

DIPHILVS tragœdus, cùm Apollinaribus ludis inter actū, ad eum uersum uenisset, in quo hæc sententia continetur, Miseria nostra Magnus est: directis in Pompeium Magnum manibus, pronunciauit: reuocatusq; aliquoties à populo, sine ulla cunctatione, nimiæ illum & intolerabilis potentię reum gestu perseueranter egit. Eadem libertate usus est in ea quoq; parte, Virtutem istam ueniet tempus cùm grauiter gemas. Val.lib.6. c.2.

ARISTOPHANES Comicus, uitia ita insectatus est, ut ne Cleoni quidem tum temporis tribuno plebis parceret: cumque nemo histrionum in fabula, quæ ἱππεῖς inscribitur, Cleonis personam, propter eius potentiam, auderet agere: Aristophanes ipsemet minio oblitus egit. cuius causa ab Equitibus quinq; talētis multatus est. Niciā quoq; summum ducem in fabula, quā Georgiam inscripsit, acriter ut desidem & agricolam taxauit. Gyraldus.

LABERIVS eques Romanus à Iul. Cæsare inuitatus, ut prodiret in scenā, & mimos ageret, quos scriptitarat: deinceps in suis uersibus Cæsarem ob tyrannidem liberè perstrinxit. Macrobius lib.2.c.4. Saturn.

FAVO archimimus, Vespasiani Imp. personam ferens, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus & pompa cōstaret: ut audiit sestertia centies, exclamauit, Centum sibi sestertia darent, ac se uel in Tyberim proiicerent. Suetonius.

Veteres COMICI, in reprehendendis hominum uitiis acerrimi fuēre. De iis Horatius lib.j. Serm. satyra 4. sic scribit:

> Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; poetæ,
> Atq; alij, quorum Comœdia prisca uirorum est,
> Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
> Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
> Famosus, multa cum libertate notabant.
> Hinc omnis pendet Lucilius hosce secutus.

Mechanici.

Scitante quandoque tyranno Pisistarto, quid tandem assequeretur emolumenti ex caluetis saxosisq; locis quæ coleret? respondit senex AGRICOLA, ὀδύνας καὶ σφακέλους, καὶ τούτων δεκάτην Πεισίστρατος φέρει: Dolores, inquit, ac sphacelos, & tamen horum decimam exigit Pisistratus. Is libertatem mi-

ratus, uectigal remisit: Nata inde parœmia, Ἐ σφάκελοι παισὶν ἐτέλεσεν, Immunitatem & sphaceli pariunt. Cælius libro 26. cap.2. Antiq.lect.

Caius Caligula cùm aliquando Iouis habitu in sublimi sella ius diceret: GALLVS quidam eo uiso risit, & à Caio rogatus, Quis ei esse uideretur? respondit, Magnum deliramentum: nihilq; graue passus est. nam cum furor esset, neglige batur. Zonaras.

Quidam BVBVLCVS seruus, assumto ad imperium Vespasiano, meritum se putabat, quem dominus munere digna retur. Venienti igitur in urbem Vespasiano se obtulit, & libertate donari petiit. Renuente Vespasiano, magna uoce exclamauit, Vero adagio dici, uulpem pilos, non mores mutare. Suetonius.

Milites.

Augustus in quadam uilla inquietas noctes agebat, rumpente somnum eius crebro noctuæ cantu. MILES aucupij peritus, & ipe ingentis præmij, captam pertulit. Laudato Imperator mille numos dari iussit. Ille ausus est dicere, Malo uiuat, au cmq; dimisit. Macrob.lib.2. c.4. Saturn.

VETERANVS cùm de sibi dicto periclitaretur, incessit in publico ad Cæsarem Augustum, rogauitq; ut sibi adesset. Ille aduocatum, quem ex comitatu suo elegerat, sine mora dedit: commendauitq; ei litigatorem. Exclamauit ingenti uoce Veteranus: At non ego, Cæsar, periclitãte te Actiaco bello, uicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui: detexitq; impressas cicatrices. Erubuit Cæsar, uenitq; in aduocationẽ: ut qui nereretur non superbus tantùm, sed etiam ingratus uideri. Ibidem.

Cùm Herodes rex filios suos Aristobulum & Alexandrã Berytii in consessu CL uirorum condemnari fecisset, cæteris omnibus præ metu dolorem suum dissimulantibus, TIRO ueteranus miles, filium habens Alexandri æqualem & amicũ, quicquid alij quieti occultabant, ipse libere eloquebatur, & sæpe exclamabat in turba, Perisse ueritatem & iustitiam in rebus humanis, & pro his regnare cum mendacis malitiã. Hęc loquendi libertas quamuis non abesset à periculo, omnes tamen mouebat, quòd non sine ratione fortiter se gereret tali tempore: libenterq; hæc audiebant singuli, & cùm sibi cauerent silentio, eius tamen non improbabant licentiam. Ille etiam ad regem magna libertate se ingerens, postulauit solus cum solo colloqui. Quod ubi concessum est, regis incogitantiam non obscurè reprehendit, qui filios regni hæredes occidere cogitaret, improborum delationib. credens. Herodes libertate eius se delectari simulans, expiscatus ab eo, quinam militum eam rem indignè laturi uiderentur: ubi nomina illorum habuit, omnes cum Tirone in uincula coniecit & interfecit. Iosephus lib.16.c.17.

Parentes.

DIONYSIVS maior, cùm audiret uiri ingenui uxorem à suo filio constupratam, reprehendit eum, dicens: Nunquid à se id genus quippiam perpetratum sciret? Ego (inquit is) memini me tyranni filium. Nec tu (inquit pater) filios principes relinques, ni flagitia ciusmodi cõmittere desieris. Cælius lib. 22 cap.17. Antiq. lect.

OLYMPIAS, quum audisset filium Alexandrum diutiùs sepulturæ honoribus carẽtem, iacere uelut neglectum, inter crebra suspiria inclamauit altiùs miserabiliusque: O fili, tu quidem cœlum tibi uendicare satagebas, hocq; unum festinabundus habere opus uidebare. At nunc quæ cæteris ex æquo communia omnibus censentur, ne iis quidem potiri uales, terra & conditorio. Cælius lib.21. c.47.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, conspiciens filium suũ eos, in quos habebat imperium, ferociùs tractantem, arq; insolentiùs: An ignoras, fili, inquit, regnum nostrum esse splendidam seruitutem? Plut.in Apoph.

Filij.

IONATHAS patrem Saulum sæpe reprehendit, ne Dauidem iniustè persequeretur. 1. Reg.19.

Coniuges.

BERENICE supinam Ptolemęi regis Aegyptiorum oscitantiam in causis noxiorum cognoscendis liberè redarguit. Is enim tesseris aliquando ludens sontes condemnabat. Ibi illa accepto libello è pueri manibus non permisit, ut ad finẽ usque legerentur: dicens, Non sic obiter aduertendum esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum, & corporum. Aelian.lib.14. c.43. Var.hist.

Amici.

ALEXANDER Magnus, Xenocrati philosopho talẽta quinquaginta misit. Quę postquam ille non accepit, non indigere fatus: rogauit, An ne amicum quidem haberet Xenocrates. Nam mihi quidem, inquit, uix Darij opes ad explendos amicos satis fuere. Plut.in Apoph.

P. SCIPIO Africanus, à Cn. Carbone Trib. plebis interrogatus, qd de Tiberij Gracchi affinis sui morte sentiret? Iure cæsum, liberè pronunciauit. Val.lib.6.c.2.

M. CATO quantumuis L. Lucullo amicus & familiaris, usq; adeo tamen uitam & luxum eius improbabat, ut cùm iuuenis quidam odiosam & prolixam orationem in senatu de frugalitate & temperantia intempestiuè haberet, exurgens Cato: Tace, inquit, qui diuitiis affluis ut Crassius, uiuis ut Lucullus, & dicis ut Cato. Plut.in Lucullo.

Hostes.

NICOSTRATVS Argiuus, quum ab Archidamo rege Spartanorum, folicitaretur, tum ingenti promissa pecunia, tum cuiusęunq; uellet Lacænæ coniugio, ut Cromnum traderet, respondit: Archidamum non ducere genus ab Hercule, quòd Hercules obiens orbem, soleat improbos afficere supplicio, ipse contrà ex probis faceret improbos. Lacedemonij uerò hoc nomine potissimùm gloriantur, quòd originem ducunt ab Hercule. Plut.in Græc.Impp.apoph.

Rex Philippus cùm de fœdere & indutiis primum congressui cum T. FLAMINIO haberet, multis comitatum ait ipsum uenire, se uerò solum. Ibi occurrens Quintius, Nempe te ipse, inquit, solum reddidisti, qui amicos & propinquos retinuisti. Plut. in Flaminio.

Latrones.

BVLAS famosissimus latro, qui sub Seuero Imperatore prostam Italiam, comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas fecit, posteaquam centurionem uitæ insidiatorem cœpisset, raso capite ad Seuerum Imperatorem remisit. Cumq; interrogaretur, quid Imperatori uelles nunciari? Nuncia, inquit, dominis tuis, sic alant seruos suos, ne latrocinari cogantur. Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo certo stipendio. Xiphilinus in Seuero.

Captiui.

PELOPIDAS Thebanus, cum ab Alexãdro Pheræo captus, haud admodum arcta custodia teneretur: per id tẽpus populos Alexandro subditos sollicitare non desinebat, monebatq; breui Alexandrum pœnas daturum. Quod cùm Alexander resciuisset, misissetq; qui Pelopidam monerent, Missę linguam cõpescere, fore ut ei mortis causam afferret: nuncio respondit, ut Alexandro referret, Pelopidam mirari, quòd tam diu distulisset, cùm ipse adeò in cum hostili animo esset, ut si unquam euadendi facultas daretur, ad dandas pœnas, pro eis quæ impiè in populos suos, nulla eorum culpa ederet, ipsum coacturus esset. Nec longè res ea abiit, quòd Pelopidæ opera Alexander à suis interemtus fuit. Plutarchus in Pelopida.

Mulierculæ.

IVDITHA uidua Bethuliensium ciuium suorum pusillanimitatem, pro concione liberè reprehendit, suaq; oratione illos ad spem meliorem & confidentiam in Deo excitauit. Iudith. 8.

CATHARINA uirgo duodeuiginti annos nata, cùm Maxentij Alexandriæ præfidis edictum audisset, in quo referebatur, gladio in illos animaduerti placere, qui die præstituta templum ingressi, deos non adorassent: in medium prorupit, & præsidem ipsum nomine compellans, atq; insanię palàm arguens, Christum crucifixum adorandum esse asseuerauit, inanium autem deorum simulacra contemtui habenda simul cum iis qui adorant ea. Matulus lib.3. cap.2. & Eusgosius lib.4. cap.7.

Erat Antiochiæ PVBLIA nobilissima femina, cœtus uirginũ, quæ castitatem profitebantur, magistra. Assiduus is cœtus erat in laudãdo Deo. Quoties pro more imp. Iulianus præteriret, altiori semper uoce canebant, Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominũ. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes iis confidentes. Imperator imperabat, ne quid se præterirent prorsus acciperent. Sed Publia nihili faciens eius mandatum, audaciùs deinceps, si quando præteriret, canebat: ac nominatim, Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Grauiter id ferẽs Iulianus, iussit eam in palatium accersi, & alapas impingi. Quam contumeliam illa summum honorẽ suum interpretata, domum rediit, & ut antea consueuerat, sacras cantiones, quæ in eius furorem & impietatem competere uiderẽtur, frequenter cecinit. Theodoretus lib.5. c.19.

MVLIER quædam alienigeni sanguinis, à Philippo rege tumulento iniustè damnata: Prouocarem ad Philippum (inquit) sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium resipiscere, causaque diligentiùs inspecta, iustiorem sententiam ferre coegit. Val.lib.6.c.2. Hoc ipsum MACHÆTÆ tribuit Plutarchus.

Insignis fuit MACEDONICÆ uetuſ erga Demetrium regẽ libertas, similis ALTERIVS erga Adrianũ Augustum. Indignatæ enim quòd loquendi petita potestate, principes audiendi otium sibi non esse respondissent, dixerunt: Ergo reges non estote. Quod uerbum cùm eos acriter pupugisset, in posterum erga alios uterq; humaniorem facilioremq; se præbuit. Fulgosus lib.6.c.2.

Cùm deuicta Samo Pericles reuersus, funere ingenti cæsos in prælio honorasset, laudibus q; eorum uirtutem extulisset, & Atheniẽses mulieres postea flores sertaq; è more rogis inijcerent: ELPINICE Cimonis soror, non sine magna indignatione erupit: Sunt profectò ista floribus ac sertis digna Pericle, qui nos tot præclaris uiris orbasti: neq; hoc bello contra Phœnices aut Medos susceptο, sicut Cimon frater meus egit: sed urbem atq; insulam nobis beneuolẽtia propinquitatibus q; coniunctam subegisti. Idem.

Annus quædam uidisset IOVIANVM Imp. forma quidẽ conspicuum, sed proceritate & crassitudine corporis excellentem, atque aliquantulum mente etiam captum, dixisse fertur: O dij immortales, quàm corpulenta est stultitia? Nicephorus Callistus lib.10.c.ult. & Suidas.

Pueri.

GORGO regis Cleomenis F. peregrinũ molliter ac sensim incedentem repellens: Non faceſſes hinc, inquit, qui ne mulier rem quidem adæquare uales? Plut.in Lacænarum apoph.

Stulti, Insani.

Narrat Suetonius dictum à QVODAM, qui mente parũ constabat, in Cn. Pompeium & C. Iulium Cæsarem: Salue rex, salue regina. cùm Pompeius regni affectati laboraret inuidia: Cæsarem rumor esset, Nicomedi regi uxoris uice fuisse.

☞ QVOS REPREHENDERINT. Puta

Sacerdotes, Pontifices, Episcopos.

D. AMBROSIVS de iis sacerdotib. qui à ueteri modestia discesserãt, dixit: Tum sacerdotes aureos fuisse, cùm ligneo calice sacrificarent: in præsentia autem ligneos factos, postquàm aureis calicibus uti cœpissent. Fulg.lib.2.c.j.

Ioannes patriarcha Constantinopolitanus, superbia inflatus, ac animo Imperatorum fauore subnixus, concilio Constantinopoli habito se œcumenicum, id est uniuersalem appellare episcopũ instituerat. Qua re offensus Pelagius Pp. concilium illud scriptis literis infirmarat. Manẽte inde in sua sententia patriarchã, GREGORIVS Magnus inito pontificatu, eundem admonuit, ne talem usurpasse titulum uellet. Signonius lib.j.regni Ital.

D. GREGORIVS lib.9. Epist. cap.4. Desiderium Gallorum episcopum, uirum alioqui opt. reprehendit, quòd Grammaticam quibusdam exponere diceretur, adeoq; nugis & secularibus literis studere. Vnum namque os Iouis & Christi laudes non capere: & nefandũ esse episcopis id canere, qđ nec religiosum laicum deceat.

Gregorius XI. reputans animo omnia mala, quæ Italia pateretur, pontificum absentia cuenire, de Gallia relinquenda animo agitabat: quum fortè ANTISTITEM quendam in proximo stantem intuitus, ab eo quæsiuit, quid esset, quòd tandiu suam ecclesiam non inuiseret, non esse boni pastoris dictitãs, diutiùs à suo grege abesse. Tum ille, Tu uerò, Pontifex, qui aliis exemplo esse potes & debes, cur tãdiu à tua, quæ Romæ est, abes ecclesia? Perstrinxit Gregorij animum uox illa, ita ut paulò pòst XX triremib. in Rhodano instructis, diuersum negotium assimulans, ne Galli suum impedirent digressum (quorum magnoperè intererat curiã penes se esse) cum omni clero in Italiam redierit, anno ex quo in Gallia esse cœperat LXX, Christi MCCCLXXVII. Sabell. lib.9. Ennead.9.

HIERONYMVS Baldus, cùm legatus Romam missus a Ferdinando Cęsaris fratre, imminentibus Turcis, ab Hadriano VI. pontifice maturam opem imploraret, & ille contrà perplexiùs & consideratiùs deliberata re tractaret: pleno senatu, Fabius Maximus, sanctissime pater, inquit, rem Romanã cunctando restituit: tu uerò pariter cunctando rem Romanam simulq; Europam perdere contendis. Quo orationis exordio adeò pontifex uultu commotus est, ut pleriq; senatores uix risum cohibere potuerint. Iouis in Hadriano VI.

Reges, Principes.

☞ *Ex superiore Tit. Qui reprehenderint, Sacri homines, huc multa.*

Sesostris Aegyptius rex, solus imperio Aethiopiæ potitus est, & monumentum sui reliquit ante ædem Vulcani lapideas statuas duas tricenũm, unam suam, alteram uxoris: quatuor autem uicenũm cubitorum, totidem filiorum. Huic statuæ, longo pòst tempore, cùm Darij Persæ statua antepone retur, non tulit id SACERDOS Vulcani, negans Dariũ ta-

les res gessisse, quales gessisset Sesostris Aegyptius: quippe qui cùm alias nationes non pauciores quàm Darius, tũ uerò Scythas subegisset: eoq; iniquum esse, huius ante illius sisti donaria, qui rebus gestis non esset illum supergressus. Hæc locuto sacerdoti, tamen ignouisse Darium ferunt. Herodotus lib.2.

Liberè admonuit SOLON Crœsum ab instabili labe factatũ & luxuriantem felicitate, Vt respiceret finem, subiiciens. Plutarchus de Discernendis adul.

Profectum Corintho in Macedoniam memorant DEMARATVM eo articulo, cùm simultas Philippo cum uxore & filio esset. Vt salutauit eum Philippus, quæsiuitq;, qui conueniret inter Græcos: Demaratum, qui amicus & necessarius eius erat, respondisse: Scilicet conuenit, Philippe, tibi, cuius domus tantæ seditionis & discordię plena est, de Athenien sium & Peloponnesiorum consensione percunctari? Idem.

DIOGENES, ut in castra Philippi uenit, cùm pugnaturus ille cum Græcis signa moueret, attractus est ad eũ. Ille hominem non cognoscens, An speculator foret, scisciatus est. Ego uerò, inquit, speculator temeritatis & amẽtiæ, Philippe, tuæ: qua impulsus, nulla necessitate de regno & de uita pergis una hora aleam iacere. Idem.

IDEM cùm Dionysium Corinthi ex tyranno factum priuatũ uidisset: Quàm indignam te agis, inquit, Dionysi, uitã. Neque enim hic te nobiscum agere oportebat liberè & securè, sed illic in tyrannidis domicilio inclusum, sicut pater tuus, consenescere. Plut. An seni tract. resp.

Alexandro Magno, frequenter in officinam uentitanti, & imperitè multa de arte disserenti, silentium comiter suadebat APELLES: rideri eum dicens à pueris, qui colores tererẽt. Tantũ erat pictori iuris in regem, alioquin iracundum. Plinius lib.35. cap.10. Sed hoc Plut. de Dignosc. adul. Apelli erga Megabyzum tribuit.

TVRNVS Herdonius Aricinus, Tarquinij Superbi Rom. regis morositatem in conuersatione quotidiana liberè reprehendit. Cùm enim rex de bello Sabinis inferendo diem principibus Latinis indixisset, illique prima luce frequentes adessent, Tarquinius ad solis occasum demũ illuc uenit. Ibi Herdonius locum ad criminandũ nactus, multa de Tarquinij superbia locutus est. At superueniens rex, hoc se purgauit, quòd arbiter inter patrem & filium, dum studio nixus esset utrunq; alteri conciliare, indigna mora socios frustratus esset. Tum Herdonius, Nullã esse breuiorem cognitionem, quã quæ inter patrem uerteretur & filium subiecit; denunciari uno uerbo potuisse, parendum esse patri: quod ni fieret, infortunium esse filius habiturus. Sab.lib.6.En.2.

SERVIVS Galba C. Iulium Cæsarem consummatis uictoriis in foro ius dicẽtem, in hunc modum interpellare sustinuit: C. Iul. Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno, quondam genero tuo, in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam? Sic palàm atque apertè ei bonorum Pompeij uẽditionem exprobrauit. At Cæsar æs alienum Pompeij ex suo fisco solui iussit. Val. lib. 6. cap.2.

Tiberio Cæsari cunctanter & ægrè suscipienti delatum imperium, QVIDAM in os ausus est dicere: Cæteri quod pollicentur, tardè præstant: tu quod præstas, tardè polliceris. Nota tata est illius simulata cunctatio, detrectantis quod cupiebat. Erasmus lib.6. Apophth. ex Suetonio.

Tiberius Imp. ARTABANI Parthorum regis laceratus est literis, parricidia, & cædes, & ignauiam, & luxuriam obiicientis, monentisq;, ut uoluntaria morte, maximo iustissimoq; ciuium odio quàmprimùm satisfaceret. Suetonius.

Liberè Neronem ISIDORVS Cynicus allocutus est, cùm ei magna uoce palàm dixit: Bene cum Nauplij mala cantare, & malè bona tua curare. Fulg.lib.6.c.2. ex Suetonio.

Libera RVBRII Flauij tribuni militaris oratio fuit, quo tempore conuictus conscium se Pisonianæ conspirationis esse, rogante Nerone, Quamobrem eius uitæ insidias tetendisset? respondit: Nullus unquam erga te fide maior me fuit, dum ut amari posses, dignum te prębitisti. Sed posteaquam matris parricida fuisti, uxoremq; tuam occidisti, item auriga factus es, & mimicam artem exercuisti, urbemq; ac patriam communem incẽdisti, mortalium omnium etiam odio dignum te fecisti. Suetonius.

SVLPITIVS Asper, eadem dignitate qua Flauius, & item pari culpa insimulatus, cùm similiter, Qua re motus, conspirasset? rogaretur: non minùs liberè, cæterum pauciorib. uerbis respondit. dixit enim: Se in Neronem conspirasse, quia aliã rationem finiendorum eius immensorum scelerũ non inuenisset. His uerbis Nero magis consternatus est, quàm omnibus aliis quæ in ea coniuratione continebantur. Idem.

Post Domitiani pessimi principis mortem, de Cocceio Nerua principe optimo, atque eodem patientissimo, ad populum FRONTO consul locutus est. Nam cùm uideret nimiũ populo ab Imperatore indulgeri, permittique ut iñ eius esset

manu, uel accusare uel occidere, quem Domitiani ministrũ fuisse diceret, clara uoce dixit: Malum esse sub principe uiuere, qui nihil agi permitteret: sed longè deterius sub eo, q fieri nihil prohiberet. Quod Nerua cùm audisset, modum accusationibus imposuit. Fulg. lib. 6. c. 2.

Valẽs Imp. Arianus aduersus Barbaros ducem TRAIANVM cum exercitu misit: qui prælio cum illis commisso, turpiter uictus rediit. Cui cùm conuitia, ut molli & timido, Valens faceret, liberè ille respondit: At nòn sum ego uictus, inquit, sed tu uictoriam corrumpis Imperator, qui aduersus Deũ aciem instruis, & fortunam belli Barbaris concilias. Nam quia tu bello persequeris eum, ad Barbaros transit, iisq; uictoriam confert. An te fugit, quos ab ecclesiis repuleris, & quibus illas commiseris? Quæ ita se habere, simul alij duces Arintheus ac Victor affirmabant: petebantq;, ne reprehensionibus cum ueritate coniunctis Imperator succẽseret. Nicephorus lib. 11. c. 49.

Ludouicus, Lotharij Imp. Pij F. designatus rex Italię, Romam missus, ut à SERGIO Pp. nuper creato, rex ipse nouus crearetur, non qua religione proauus iuerat, iter faciebat. Armatus armatorum agmine longè lateq; fuso contendebat, in urbibus agrisq; fiebant, quæ ab exercitu regis feroci assolent. Sergius pro gradibus ædis Petri occurrit, excepitque: sed non qua Leo Hadrianusq; Magnum comitate. Obseratæ fores templi erant. Vbi ad eas peruentum est: Si pacatus ades (inquit Sergius) patebunt: sin quid secùs, pendet è cœlo in hostem ensis: ualuas caue tetigeris. Ad quam uocem iuuenis posita ferocia templum iniit, coronatusq; à Pont. Italiæ rex fuit. Octauo hinc die ille discessit. Aemilius lib. 3. regum Francorum.

Cùm Alexius Branas, aduersus Mysos defectionem moliẽtes, dux designatus, arma in ipsum Imperatorem Isaacium Angelum conuerteret, regnumq; affectans, Constãtinopolim obsideret: CONRADVS Cæsar Montisferrati Marchio, q Imperatoris partes tuendas susceperat, cœnanti superueniens, Si poculis pugnandum sit, uicimus, exclamauit. At tibi non in patinis, sed in armis mentem habendam esse, Alexius ipse docere poterat. Eo dicto Imperator erubuit, & prehenso illius pallio, cum risu coacto dixit: Heus tu, suo tempore etiam pugnabimus. Nicetas lib. j.

D. BENEDICTVS Totilæ Gothorum regi, quæ ipsi euentura erant, prædixit his uerbis: Multa mala facis, multa mala fecisti: iam aliquando ab iniquitate tua conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare trãsiturus, nouem annos regnaturus, decimo morieris. Gregorius lib. 2. Dialogorũ, capite 15. Paulus Diaconus lib. 16. & Chronicon Iuonis de Iustiniano.

SBIGNEVS Cracouiensis episcopus, liberrimè Vladislai Iagellonis Polonorum regis uitia coràm reprehendebat, neque illius iram uerebatur. Rex moriens, ei annulum nuptialem ab Hedugi regina, quo nihil charius ipse in omni uita sua habuerat, dono misit, ueniam superiorum omnium admissorum ab eo petens, & animam suam liberosq; superstites ei commendans. Cromerus lib. 20.

PETRVS Colociensis archiepiscopus, Mathiæ Hungariæ regi à secretis, solus inter omnes liberè principis uitia reprendere ausus, conspiratione procerum, eius uirtuti & gloriæ inuidentium, in regis odium incidit, ita ut in carcerem coniectus, uix tandem post sexennium mortuo rege, à Coruino Mathiæ notho liberatus fuerit. Bonfinius lib. 6. Dec. 4.

PIVS II. Pontifex, Ludouico XI. rege Gallorum, nisi copias in Ferdinandi auxilium missas è Campania reuocaret, multa minante, & Gallos qui Romæ essent se reuocaturum simulante, respondit: Et habitabimus laxiùs, & nugas non audiemus. castigata simul insolentia gentis & leuitate. Platina in eius uita.

IDEM, mittente Cæsare Friderico III. legationem paulò obscuriorem, recusauit audire, postulauitq; clariorem. Campanus in eius uita.

Cùm diceret aliquando Sigismũdus Imperator, assẽntatores se ueluti pestem odisse: Imò, inquit BRVNORIVS Veronensis, nullum genus hominum magis amas. Nam quid apud te possent Marcus Banus, Laurentius Palatinus, Vrsacius Michael, Caspar Schlickius, nisi assentando tuam gratiam meruissent? Tum Sigismundus Brunorio ait: Sic certè comparatum est, cùm uitandos esse adulatores dicimus, tum maximè illis aures damus. Nec tu mecum tandiu fuisses, nisi mihi blandiri assueuisses. Aeneas Syluius lib. 3. comment. in Panorm.

Ciues.

LOTHVS Sodomitas ciues propter scelera illorum liberè reprehendit. Gen. 19.

NEHEMIAS post reditum è Babylonica seruitute audiens clamorem populi, propter grauamina, quæ patiebatur à diuitibus, increpauit optimates & magistratus. Eos quoque qui portando onera, diem Sabbati profanabant. Nehem. 5.

SOLON Atheniensium ciuium stultitiam in Pisistrato suscipiendo liberè taxauit, ea quæ etiamnum circumfertur elegia. Inter reliqua etiam hæc:

ἡμετέρη δὲ πόλις κατὰ μὲν διὸς ὄποτ' ὀλεῖται
αἴσαν, καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων,
αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἀφραδίῃσιν
ἀστοὶ βούλονται, χρήμασι πειθόμενοι.

Nostra urbs nunquam Iouis occidet fato, & deorũ immortalium sententia fauente. Ipsi autem celebrem urbem subuertere stoliditate ciues uolunt, pecuniis dediti.

Athenienses cùm aliquãdo publicè THEMISTOCLEM infamia notassent, rursumq; deinde ad imperium gerendum reuocarent: Non, inquit, laudo eos homines, qui eodẽ uase pro matula & cratere utuntur. Aelian. lib. 13.

Cn. Carbo tribunus plebis P. SCIPIONEM Africanũ à Numantiæ ruinis uenientem, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogauit: quia non dubitabat quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti necessarij memoria, miserabiliter esset locuturus. At is iure eum cæsum uideri respondit. Cuius dicto, cùm concio tribunitio furore instincta uiolenter succlamasset: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est. Orto deinde murmure, Nõ efficietis, ait, ut solutos uerear, quos alligatos adduxi. Vniuersus populus iterum ab uno contumeliosè correptus, tacuit. Val. lib. 6. c. 2.

M. CATO cùm aliquando plebem Romanam, importunè annonam & largitiones flagitantem, reuocaturus esset, fuit sit huiuscemodi exordium: Difficile est, Quirites, ad uentrẽ auribus carentem uerba facere. Reprehendens mores ciuitatis: Arduum est, inquit, eam saluam esse ciuitatem, ubi pluris piscis quàm bos ueneat. Similem esse ait pop. Rom. ouibus. Vt enim illæ seorsum singulæ non parent, sed uniuersæ gregatim sequuntur ductores: ita uos quoq;, inquit, quorũ consilio nemo uestrũm utatur priuatim, ab his in cœtũ coacti ducimini. Plut. in Catone.

Candidatos.

P. Corn. Ruffinus, uir rapax & auarus, cæterùm in bello animo ingens, manuque promtus, cùm bellum immineret, in Consulatu obtinendo C. FABRICII opera adiutus est, uiri omni integritatis laude digni, qui ob prauam uitam Ruffino semper aduersatus fuerat: cæterùm eo tempore ob belli suspicionem, quia ignauos desidesq; ipsius competitores uidebat, sententiam mutauerat. Quam rem Ruffinus miratus, cùm Fabricio impense gratias egisset, subridens ad eum apertè Fabricius: Noli mirari, Ruffine, quia compilari malo, quàm uendi, simul & Ruffini rapacitatem, & competitorum ignauiam taxans. Gellius lib. 4. c. 8.

P. SCIPIO Aemilianus, cùm Seruius Sulpitius Galba & Aurelius consules in senatu contenderent, uter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P. C. dissensio esset, omnibus, quònam eius sententia inclinaret expectantibus: Neutrum (inquit) mihi placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis. Aequè malam licentis imperij magistram iudicans inopiam, atq; auaritiã. Quo dicto, ut neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. Val. lib. 6. c. 4.

Senes.

Ad senem improbè agentem: Tu, inquit M. CATO, bone uir senectuti multis obnoxiæ turpibus noli turpitudinẽ adiungere uitij. Plut. in Catone.

Senex quidam multo uino madidus, cùm ALFONSO Aragonum regi obuiam factus esset, uidens notari suam uinolentiam, ad regem inquit, Lac senis uinum [redacted] uo igitur, inquit, tuum tibi con[redacted] dao Bacchi [redacted] phousi regis. [redacted]

SOLON cùm quandam [redacted] set, ad se accersiri iussit, illiq; ait, Num ipsum puderet corà tot testibus mentiri? Thespide respondente, Per iocum licere: tum Solon terram baculo pulsans, dixit, Id scilicet propediem uidebitur in nostris legibus, an iocus iste tuus laudem mereatur. Suidas.

Musicos.

DIOGENES Cynicus, musicos mirabatur, quòd cùm tantũ operæ conuenientiæ uocum impenderent, mores interim prauos, penitusq; à ratione discordes, ad rectam uiuendi normam redigere negligerent. Laertius.

QVO MODO. VTPVTA

Insectatione.

Apud ALEXANDRINOS olim certis diebus in currib. homines uecti, quibus hoc munus datum esset, totam urbem peragrabant, & stantes ubi uellent, & domo astantes cuiuscunque uisum esset, uerè de plaustro canebant: nec falsa conuicia, sed uera crimina obiiciebant. Operam enim dabant, ut accuratè probra ciuium exquirerent, & hæc incorruptè

proferrẽt, ut ob hoc oẽs improbitatẽ auersarẽtur. Suid.

Expostulatione.

Antiates olim piraticæ dediti erant, & mare propinquum omne infestum habebant. Cùm igitur GRÆCI crebras ab illis iniurias acciperent, nec possent æquo id animo pati, questi sunt de his rebus cum senatu Romano, in quorum potestate, ut reliqua cuncta Italia, ita illi tunc erant, & liberè ipsum accusarunt: docueruntq; satis acutè, rem facere populum illum, quæ admirabilis ac ualde absurda foret. & tamen illo ipso tempore, quo de his factis cum ipsis expostularunt, nõ nullos eorum hominum à se captos remiserunt, dixeruntq; se illos dono dare reipublicæ: nec in eos, quamuis iure possent, animaduertere uoluisse, ob cognationem, quam cum ipsis haberent: non tamen sibi uideri honestum, ut iidem homines imperium Italiæ obtinerent, & in Græciam prædones mitterent. Præterea non conuenire, ut cùm in foro ædẽ Castoris & Pollucis ædificassent, eosq, deos in summo honore haberent, quos omnes nautarum conseruatores nominant, mitterent postea in Græciam, qui patriam eorum diriperent. His igitur argumentis impulerunt senatum, ut Antiatibus præciperet, in alio studio conditioneq; uitæ occuparentur. Alexãder autem priùs & postea Demetrius reges, ut memoriæ mandauit Strabo, huiuscemodi literas Romã miserunt. Victorius lib. 31. Var. lect. cap. 22.

Detestatione, Auersatione.

SEMPRONIA, Tib. & C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Aemyliani, à tribb. pleb. producta ad populum, ut Equitio, cui Semproniæ gentis falsum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij fratris sui osculum daret: tamen illum, nescio qui bus tenebris protractum, ut portentum, execrabili audacia ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem, repulit. Val. lib. 3. cap. 8.

Maximus tyrannus, interfecto Gratiano, & pulso Valentiniano, MARTINVM Turonensem episcopum ad cœnam inuitauit. Sed sanctus liberq; episcopus ire recusauit: affirmans, Se cum eo communem mensam nunquam habiturum, qui duorum dominorum, quos habebat, alterum occidisset, alterum imperio exuisset. Seuerus Sulpitius.

Cantu.

STARCATHERVS Ingellum Daniæ regem suis carminibus in conuiuio ita inflammauit, contra principes Saxones, uxoris suæ fratres, patris interfectores, ut eos oppresserit. Saxo.

Scripto.

Cleon byrsopola, homo seditiosus, Niciæ, Demostheni, & bonis ferè omnibus inimicus fuit: bello tamen non malus, ut Thucydides & Plutarchus scribunt. In hunc scripsit ARISTOPHANES fabulam, quam ἱππεῖς nominauit, hoc est, Equites. Cuius quum peculatum & tyrannicas opes uellet populo patefacere, opifex personam Cleonis se facturum negauit, ueritus illius potentiam. Poeta fęcibus histriones unxit: qui quum in scenam prodire reformidarent, Aristophanes ipse personam Cleonis solus sustinuit: tanta rabie in illum erat accensus. Propter quod factũ accusatus à Cleone, talentis quinq; multatus est, ut ipse in Acharnensibus comœdia queritur: hoc est, reuomuit quantum hauserat. Nam fortasse precio à Nicia & Demosthene accepto, ad scribendam fabulam erat adductus, ut in Nephelis fecit, pecunia ab Anito & Melito Socratis inimicis accepta: homo, qui per ebrietatem multa conscripsit. L. Viues in lib. 2. August. de ciuitate Dei, cap. 9.

C. MOECENAS Augusto Cæsari pro tribunali sedenti, ne iniustos condemnaret, schedulam, cùm ad eum aditus sibi nõ pateret, in hæc uerba scripsit. Tandem aliquando surge carnifex. Quo lecto Cæsar, nemine capitis damnato, statim surrexit. tantumq; abfuit, ut ex ea re molestiam ceperit, ut summoperè approbarit. Dion Nicæus in Augusto.

Posteaquam C. Iul. Cæsar imperio potitus, subscripsere QVIDAM L. Bruti statuæ, Vtinam uiueres. Item ipsius Cæsaris statuæ: Brutus, quia reges eiecit, Consul primus factus est: Hic quia Cõsules eiecit, rex postremò factus est. Suetonius.

ARTABANVS Parthorum rex per literas Tiberio Imp. parricidia, cædes, ignauiam, & luxuriam obiecit, monuitq; ut uoluntaria morte, maximo iustissimoq; ciuium odio quamprimùm satisfaceret. Suetonius.

Facto.

DIOGENES Cynicus quum esset conspicatus indecenter uoracem puerum, pędagogo plagam incussit, inferẽs, Vt quid ita imbuis? Cælius lib. 26. cap. 27. A. L.

ZENO quendam aggressum efferri animo, alapa datà admonuit, bonitatem non in magnitudine, sed magnitudinem in bonitate sitam esse: οὐκ ἐν τῷ μέγα τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.

EPAMINONDAS amico iussit, ut adiret pecuniosum quendam, ac talentum ab eo peteret, adderetq; se iussisse. Hic ille, à quo flagitatum erat, cùm ad eum profectus causam requireret: Quia bonus hic, inquit, est uir. Tu uerò circumfluis diuitiis, qui multam pecuniam publicam interuertisti. Plut. in Præceptis politicis.

Neroni interemta matre Romam redeunti publicè quidem subblandiebantur nonnulli. At seorsum & clandestinè, ubi maior ostentabatur obloquendi licentia, acriùs proscindebant. Nec defuit, QVI ad eius statuam molgum (hoc est, utrem bubulum siue culeum) destinaret, innuens esse dignũ, qui eo insueretur. Cælius lib. 11. cap. 12. A. L.

MALA ALIORVM EXCVSANDO.

ARCHIDAMIDAS cuidam, qui uitio uertebat Hecateo, rhetori omnium clarissimo, quòd adhibitus ad ipsorum conuiuium nihil dixisset: Videris, inquit, mihi nescire, quòd is qui dicendi nouit artem, etiam dicendi norit oportunitatem. In senatu, in foro, in concionibus, in legationibus, aliisque Reipub. negotiis locus est oratori: in conuiuiis temulentis maiore cum laude silet eruditus, quàm loquitur. Sic periti bellatoris est, non minus scire fugiendi artem, quàm pugnandi. Plut. in Laconicis, & in Lycurgo.

VERITATIS EXERCITATIO, QVATENVS MENDACIVM FVGIT. Id fit

FALSA NON FATENDO.

SOCRATES impietatis reus, defensionem sibi à Lysia compositam, qua in iudicio uteretur, demissam & supplicem recitare noluit, Aufer, inquiens, istam Nam ego si eam in ultima Scythiæ solitudine perorarem, tum meipsum morte multandum concederem. Valerius Maximus libro sexto, capite quarto.

HIERESLAVS scriba & Boemicarum rerum procurator, de intentatis Mathiæ Vngariæ regi insidiis in quæstionem missus, proditionem primùm fassus, non multo pòst omnia cõstanter negauit: malle se tamen uel insontem mori, quàm tormenta morte grauiora perpeti. Rex, qui facinus sat compertum habere dicebatur, per internuncium & præfectum carceris eum admonuit, ut si ueniam postularet, se non denegaturum esse pollicebatur. Contrà ille capite mulctari maluit, quàm tanti facinoris in[illegible]niam sustinere. Commotus hac obstinatione Coruinus, habito de ipso ritè iudicio antequam Vienna, quò eum transtulerat, discederet, in forum educi iussit. Aequis scribæ mortem oculis Viennensis populus spectare non poterat. Multi carnificem clàm admonebant, ne lethali uulnere in ceruicem sæuiret. At ille siue mercede adductus, siue casu ceruicem haudquaquam amputauit: ictum ex media ceruicis parte in humerum deflexit. Cùm repetere uellet, saxis à populo petitur, in fugamq; stricto ense conuersus abiit. Hiereslaus in proximas ædes translatus, è profluuio sanguinis paulo pòst animam efflauit. Bonfinius lib. 6. Dec. 4.

CAROLVS Zenus ab inuidis accusatus, quasi pecuniam à Carrariensi principe dono acceptam in publicum non retulisset ærarium, carceri inclusus ea conditione, ut ueniam petere posset: nunquam adduci potuit, ut id per biennium faceret, quo toto inclusus uixit: conscius sibi & pecuniam mutuam ab eo acceptam: & exulanti illi, quum in Gallia cisalpina ageret, optima fide persolutam, quum ipse Carolus Mediolanensem principatum sub Galeacio duce, suis penè auspiciis regeret. Egnat. lib. 3. cap. 7.

FRAVDEM FVGIENDO, NON COMMITTENDO.

NEOPTOLEMVS Philoctetem dolo sagittis priuare ab Vlysse monitus, respondet:

ἐγὼ μὲν οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύων,
λαερτίου παῖ, τοὺς δὲ καὶ πράσσειν στυγῶ.
ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς,
οὔτ' αὐτὸς, οὔθ' ὥς φασιν οὐκφύσας ἐμέ.
ἀλλ' εἴμ' ἕτοιμος πρὸς βίαν τὸν ἄνδρ' ἄγειν,
καὶ μὴ δόλοισιν.

Sophocles in Philoctete.

NON ADVLANDO.

☞ *Consule Titulum Libertatis in reprehendendis aliis, quatenus quos reprehendunt, iis adulari nolunt.*

SOLONI Atheniẽsi Sardeis ad Crœsum eius rogatu profecto, simi-

simile quiddam accidisse aiunt, atq; homini terrestri, qui primùm petit mare. Ille enim alium ex alio fluuiũ cùm uidet, putat eum æquor esse: item Soloni aulam permeanti, & multos contemplanti ex aulicis splẽdidè cultos, ac compositè incedentes cum comitum atque stipatorum agmine, unusquisque uidebatur Crœsus esse: quousq; ad illum ipsum est deductus, circumiectum omni cultu, qui ex gemmis, colore uestis, ex auro fabrefacto ad nitoris elegantiam uel præcellentiam uel admirationem parari potuisse uidebatur: quò nimirum spectaculum ei præberet quàm augustissimũ politissimumq;. Cæterùm ut coràm astans non modò nihil est motus Solon, nec ad eam speciem uocem misit pro Crœsi expectatione, uerùm etiam ingenuè declarauit sanis, illius insolentiæ se & ineptiarum nullam ducere rationem: iussit ei thesauros pecuniæ suæ aperiri, & ut duces regium omne instrumentum & splendorem ostenderent. At nihil erat istis opus Soloni: facilè enim ipse ille poterat in semetipso ingenium & mores suos demonstrare. Vt igitur contemplatus omnia & reductus est, Num quem hominem, requisiuit ex eo Crœsus, se nosset beatiorem? Cùm dixisset Solon, Tellũ nosse se ciuem suum: recensuissetq; bonum uirum Tellum fuisse, & honestis relictis liberis, cùm nihil ei in uita abfuisset, fortiter pro patria dimicantem, cum laude mortem oppetiisse. habebat iam pro stipite eum & trũco Crœsus, quòd neq; auri neq; argenti ui metiretur beatitudinem: sed hominis uitam & obitum popularis priuatiq; tam immensæ potentiæ & imperio anteferret. Tandem tamen rogauit eum denuò, Secundùm Tellum num quem cognosceret beatiorem alium? Verùm occurrente iterum Solone, Cleobin & Bitonem singulari & inter se & in matrem pietate uiros, qui remorantibus bobus iugum ipsi plaustri subissent, genitricemq; ad Iunonis traxissent delubrum, gratulantibus ei ciuibus exultantem: inde sacris peractis epulati nõ surrexissent postridie, sed in tanta gloria uitam cum morte citra ullum dolorem uel cruciatum reperti essent commutasse: Quid nos, inquit iam ira incensus Crœsus, nullóne nos numero inter beatos habes? Cui Solon nolens uel adulari ei, uel ultra exasperare: Græcis, inquit, rex Lydorum, cùm mediocria dij dederunt alia, tum sapientiam quandam ex mediocritate meo iudicio constantem, plebeiamque, non regiam aut splendidam: quæ uitam considerans uarietati fortunæ expositam, non sinit nos præsentibus bonis animos tollere, neq; ullius suspicere felicitatem uicissitudini opportunam temporis. Offert enim unicuiq; ex improuiso futurum alias atq; alias conuersiones. Cui uerò prosperitatem Deus exitu confirmauit, hunc numeramus beatum. At uiuentis adhuc & periculis in uita propositi beatitudo, sicut certãtis præconium & corona, fluxa est & uana. Ea fatus Solon digressus est, & offendit, non correxit Crœsum. Erat eadem tempestate Sardibus fabularum scriptor Aesopus: quẽ Crœsus accitum in honore habebat. Hic uicem Solonis doluit illiberaliter dimissi, monensq; eum: Cum regibus Solon, inquit, est aut nequaquam aut quàm iucundissimè agendum. Cui Solon: Minimè, inquit, imò nequaquam, aut quàm optimè. Plutarchus in Solone.

IDEM cùm Crœsus in sublimi solio, regio luxu sederet, & An pulcrius unquam spectaculum uidisset, rogaret: respondit, Gallos gallinaceos, pauones, psittacos. Naturali splendore illi superbiunt, tu artificiali tantùm. Laert. lib. I.

ORSINES apud Sagara nobilissimus satrapes, ut qui à Persarum rege Cyro initia generis duceret, quum Alexandrum & amicos muneribus amplissimè cumulasset, Bagoæ spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis deuinxerat sibi, nihil prorsum honoris detulit: admonitusq; à quibusdã, quàm Alexandro cordi esset, respondit. Amicos se regis colere, nõ scorta: nec moris esse Persis mares ducere, qui stupro effœminarentur. Cælius lib. 15. cap. 9. A. L.

PHILOXENVS quidam, dithyrambici carminis scriptor, singulari quadam scribendorum uersuum maiestate & dignitate pollens, in cõuiuio lecto malo Dionysij poemate, quid de eo sentiret interrogatus, liberiùs paulo respondit. Quo illius responso Tyrannus offensus, quasi per inuidiam poema eius reprehendisset, confestim in Lapicidinas abduci cum ministris suis imperauit. Postero uerò die hortantibus eum amicis ut ignosceret Philoxeno, placatus ei, eosdem de nuo conuiuio excepit. Procedentibus autem poculis, rursus Dionysius poemata sua iactans, & uersus quosdam, qui feliciùs conditi uidebantur, producẽs, Qualiánam ei poemata uiderentur, interrogabat. Cui nihil ille respondit, sed euocatis famulis Dionysij, iussit se in Lapicidinas duci. Ad quem sermonis leporem subridens Dionysius, libertatem eam tũc tulit, risu reprehensionem obtundente. Paulo pòst familiaribus eius simul cum Dionysio intempestiuam orationis libertatem deprecantibus, Philoxenus se præter omnium opinionem facturum id promisit: ita enim se responsurum, ut simul & ueritatem obseruaret, & ex Dionysij sententia diceret. Nec falsum dixit. Tyranno enim commemorante uersus quosdam commiserationis affectum sæpiùs exprimentes, interrogatus Philoxenus, Qualiánam sibi hæc poemata uiderentur, respondit, Miserabilia, utroque sic, propter uocis ambiguitatem, præstito. Dionysio enim responsum placebat, quia putabat dicere eum, uersus plenos esse commiserationis affectu, quod bonorum poetarum esse nouerat, adeoq; laudatum se à Philoxeno existimabat. Alij uerò ueriorem sensum apprehendentes, miseram poematis naturam dixisse eum putabant. Diod. lib. 15.

CALLISTHENES Peripateticus, Alexandri peregrinationis comes, ex Hero Aristotelis consobrina editus, & ab illo educatus, cùm premeretur ob existimationem suam inuidia: interim etiam materiam ipse sui calumniã di præbebat, quòd ferè reiiceret uocationes: atq; in cõuiuiis cùm adesset, significaret supercilio & silentio non laudare se uel probare ea, quæ agerentur. Vnde de eo dixit Alexander:

Odi sophistam, qui sibi ipsi non sapit.

Dum fortiter & sapienter recusat prostratus humi Alexandrum salutare, solusque disserit publicè ea, quæ in occulto optimus quisque & natu maximi inter Macedonas stomachabantur: magna quidem macula Macedonas, & Alexandrum maiore exoluit, deterrens eum ab adoratione: seuerò ipse perdidit, quòd extundere id magis regi quàm uideretur persuadere. Chares Mytilenæus Alexandrum prædicat in conuiuio quodam, cùm bibisset, phialam uni ex amicis porrexisse, illum phiala accepta ad aram uersum assurrexisse: ac cùm hausisset, adorasse primùm, deinde osculatum Alexandrum in conuiuio mox accubuisse. Postquam id omnes deinceps fecerunt, cepisse phialam Callisthenem, ac nõ attendente rege, sed cum Ephestione fabulante, bibisse, atque ad ferendum regi osculum accessisse. Ibi cùm Demetrius cognomine Phidon dixisset: Caue rex osculeris eum, nam unus hic non adorauit te: Alexandrum osculum declinasse, Callisthenem uerò dixisse alta uoce: Vno ego osculo minus ferens abibo. Ita exulcerato regis animo Lysimachi & Agnones uellicauerunt eum, obambulare iactantes sophistam tanquam euersa tyrannide intumescentem, concurrereque ad eum & obseruare adolescentes tanquam unum in tot millibus liberum. Tandem cùm in suspicionem uenisset coniurationis cum Hermolao contra regem initæ, alij ab Alexandro suspensum dictitant, in uinculis alij morbo afflictum. Cares, postquam comprehensus fuit, septem menses in uinculis custoditum: ut in concilio præsente Aristotele iudicaretur, ac quo tempore in Mallis Oxydracis Indiæ sauciatus fuit, ex corpore supra modum turgido & morbo pediculari excessisse. Plut. in Alexandro.

MENEDEMVS cùm Alexinum frequenter ipsum laudare accepisset: At ego, inquit, semper uitupero Alexinũ. Est namque uir malus, qui uel malum commendat, uel uituperatur à bono. Plut. de Immodica uerecundia.

ANTIPATER dux Philippi, deinde Alexandri, & regni successor, discipulus Aristotelis, solus ex Alexandri successoribus Deum appellare Alexandrum recusauit, impium id esse ratus. Suidas.

VESPASIANVS peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cùm cantante eo aut discederet sæpiùs, aut præsens obdormisceret, grauissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modò, sed etiam publica salutatione, secessit in paruam ac deuiam ciuitatem: quoad latenti, etiamque extrema metuenti, prouincia Iudæa cum exercitu oblata est. Suetonius.

VERITATIS PRACTICAE EXERCITATIO QVO AD ALIOS. QVATENVS aliorum

VERITATEM PRACTICAM

EXPRIMVNT, SIVE ID FIAT

Iuramento.

Iusiurandum respectu suæ Formæ, quia per deos concipitur, Religiosæ est Iustitiæ: at respectu Fidei, cuius ueluti nota est & symbolum externum, ad Iustitiam profanam referri posset: respectu denique Finis, quoniam ueritatis confirmandæ causa suscipitur, huius est loci. Consule Titulum, Diuinationis species per Iusiurandum. Illic theoriæ occultorum diuinitas, ut ita dicam, perpenditur: hic uerò practica ueritas.

Tormentis.

Tormentis.

Tormẽta per se Corporis mala sunt. At respectu Finis, quia ueritatis inuestigandæ causa adhibentur, huius sunt loci. Respectu uerò Modi, quo adhibentur, sic Prudentiæ quandam uenam in scrutandis arcanis continent.

PERSÆ cuiusdam celebratur apophthegma, qui negauit tormentis opus esse ad exquirendum uerum: uino enim rectiùs elici. Roterodamus in prouerbio, In uino ueritas.

Minis.

C. POMPILIVS à senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret: cùm ad eum uenisset, atq; is promto animo & amicissimo uultu dextrã ei porrexisset, inuicem ei suam porrigere noluit: sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit. Quas ut legit Antiochus, dixit se cum amicis collocututum. Indignatus Põpilius, quòd aliquam moram interposuisset, uirga solum, quo insistebat, denotauit. Et priùs (inquit) quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam curiam ante oculos positam crederes. Continuò enim rex affirmauit fore, ne ampliùs de se Ptolemæus rex quereretur. Actum demùm Pompilius manum eius tanquam socij apprehendit. Quam efficax est animi sermonisq; abscissa grauitas? Eodem momento Syriæ regem terruit, Aegypti texit. Val. lib. 6. cap. 4.

L. Corn. SYLLA congressus cum Mithridate ad Dardanum Troadis, pacis causa, cùm ei obuiam prodisset Mithridates, & dexteram porrexisset: rogauit eum, Acciperet ne, quibus conditionibus pepigerat Archelaus eius dux, pacem? Tacente rege, Sylla: Atqui deprecantium est, inquit, priore loco dicere, uictoribus satis est tacere. Vbi exorsus Mithridates excusationem est, conatusq; bellum partim ad deos referre, partim ipsos culpare Romanos: excipiens Sylla, Iamdudũ ait se de aliis accepisse, nunc uerò ipsum intelligere, disertissimum esse Mithridatem, qui in factis adeò teris & prauis non deficiatur speciosa oratione. Inde cùm eius facinora coarguisset & exagitasset acerbè, quæsiuit iterum: Ecquid his, quæ cum Archelao conuenissent, staret? Vbi stare respondit: ita demum salutauit eum, ac complexu est osculatus. Plutarchus in Sylla.

Ludouicus II. à patre Lothario Imperatore imperij socius nominatus, cùm magnis uiribus Romam peteret, ut diadema susciperet: quacunq, autem iter faceret, cædibus, rapinis, incendiis omnia uastaret: à SERGIO II. pontifice ad sancti Petri ualuas, quæ Argentearum nomen habent, quæ è more tunc Pontificis iussu clausæ erant, deductus est. Cùm autem manu sua eum Pontifex teneret, senio confectus, inermisq; ac solus, iuueni Ludouico, nulla eius uirium habita ratione, omnibus audientibus hæc dixit: Si, Ludouice, paca to animo uenisti, recludantur fores, atq; ingredi templum tibi licebit. Quòd si alio uenisti animo, caue ne has fores cõtingas, quia uindex Dei gladius in tuum tuorumq; caput sçuiet. Cui cùm humanè Ludouicus respondisset, reclusis foribus templum intrauit: atq; illic fuit coronatus. Fulg. lib. 6. cap. 4. & Egnat. lib. 6. cap. 4. è Platina.

APPROBANT, ADMITTVNT.

Veritatis in propriis bonis ab alio laudatis acceptãdis, exempla huc referri possunt, quatenus alienam ueritatem amplectuntur. Huc quoq; Tit. Mala sua ab alio reprehensa non excusare, ferre, pertinet, respectu Efficientis: de quo superiore loco respectu Subiecti pertractauimus.

ANTIGONVS rex admirantibus, quamobrem tanti faceret Zenonem philosophum, respondit: Quoniam quum multa à me acceperit, nũquam tamen emollitus est. Eius mortem quum audisset, ingemuit dicens: Quale theatrum perdidi? Erat enim Zenon acerrimi iudicij, & ab assentando alienissimus. Laert. lib. 7. cap. 1.

HIERO, Gelonis in tyrannide successor, neminem dixit, qui liberè loqueretur, sibi importunum esse. Plut. in Apoph.

P. SCIPIO & C. LÆLIVS Lucilium Satyricum ob dicendi scribendiq; libertatem uehementer amarunt. De quibus sic Horat. lib. 2. satyra 1.

—Quid, quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere & pellem, nitidus qua quisq; per ora
Cederet, introrsum turpis? num Lælius, aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi, aut læso doluêre Metello?
Famosisq; lupo cooperti uersibus? atqui
Primores populi arripuit, populumq; tributim,
Scilicet uni æquus uirtuti, atq; eius amicis.
Quin ubi se à uulgo, & scena, in secreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli,
Nugari cum illo, & discincti ludere, donec
Decoqueretur holus soliti.

Antistius Labeo I. C. senatus lectione, cùm Triumuirum legeret M. Lepidum, hostem olim AVGVSTI, & tunc exultantem, interrogatus ab Augusto, An non essent alij digniores? Suũ quenq; iudicium habere, respõdit. nec ideo libertas aut contumelia fraudi illi fuit. Suetonius in Augusto.

REMVNERANT.

ATHENIENSES rei capitalis accersitos, si culpam ingenuè & pœnam quam merebantur confessi fuissent, impunitate donabant. Eapropter cupidiùs Socratem damnarũt, quòd maiore constantia peccatum fateri noluisset.

IMPVGNANT. CERTAMINA VERITATIS.

Quod in Theoricis Opinio est, id in Practicis Assertio de uerisimilibus contraria. Etsi autem reuera non nisi inter Veritatem & Mendacium ut contrarietas, sic certamen esse potest: dicuntur tamen quædam talia, in quibus uiri cordati & sinceri in diuersas cogitationes distrahuntur, Veritatẽ practicã utrique collineantes, sed prudentiæ defectu non ex æquo attingentes. Huc pertinent liberè dictis opposita libera responsa. Exempla quædam ex Tit. Veritatis in suis uel alienis bonis defendendis, malisq; excusandis.

HECTOR Rhesum Thracem serò auxilium ferentem liberè reprehendit in primo statim congressu, suę huius libertatis causam afferens apud Euripidem in Rheso:

—— φιλῶ λέγειν
τἀληθὲς αἰεὶ, κοὐ διπλοῦς πέφυκ᾽ ἀνήρ.

Cui uicissim RHESVS quoque liberè respondet:

Τοιοῦτός εἰμι κ᾽ αὐτὸς, εὐθεῖαν λόγων
τέμνων κέλευθον, κοὐ διπλοῦς πέφυκ᾽ ἀνήρ.

MENDACIVM PRACTICVM REPVDIANT, & ueluti cum Mendacibus pugnant. Partim

OBTRECTATORES, DELATORES, CALVMNIATORES

Non admittendo, Non credendo.

Ex Tit. Veritatis in bonis defendendis, uel malis excusandis, quædam huc pertinent, quatenus alienum mendacium præsupponunt. Ex Tit. Insidiarum tolerantia, quædam exempla huc transferri possunt, quatenus insidias ut incertas negligunt.

Syracusanus DION quibusdam monentibus, ut aduersus Heraclidem & Calippum, quorum fidei plurimum credebat, tanquam insidias ei nectentes, cautior esset: respondit, Se uita malle excedere, quàm in metu uiolentæ mortis amicos inimicosq; iuxtà ponere. Val. lib. 3. cap. 8. & Plut. in Apoph.

PLATO Xenocratẽ discipulũ suũ audiens multa de se impiè locutũ, sine ulla cunctatione criminationẽ respuit. Instabat certo uultu index, q̃rens causam, cur sibi fides nõ haberet? Adiecit, Nõ esse credibile, ut quẽ tantoperè amaret, ab eo uicissim nõ diligeretur. Postremò cùm ad iusiurandũ inimici asserentis malignitas cõfugisset, ne de periurio eius disputaretur, affirmauit: Nũquã Xenocratẽ illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

ALEXANDER Macedoniæ rex, quum familiaris quidam aduersarium suum traduceret, altera manu aurem obstruxisse fertur, ut illam puram absenti relinqueret. Antonius Melissa par. 1. Sermone 52.

IDEM in Cilicia Cydno, qui Tharsum interfluit, corpus immerserat. Subito rigore obstupefactis neruis, iacebat æger Tharsi, & instãtis uictoriæ spes fluctuabat. Cõuocati medici, cùm ad unã potionẽ sententiã direxissent, atq; eã Philippus medicus suis manibus temperatã Alexandro (erat aũt ipsius amicus & comes) porrexisset: à Parmenione missæ literæ superuenerunt, admonentes, ut rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti à Dario caueret. Quas cùm legisset, sine ulla cunctatione medicamentũ hausit, ac tum legendas Philippo tradidit. Pro quo tam constanti erga amicũ iudicio, dignissimam à diis immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis eius præsidium falso interpellari iudicio uoluerunt. Val. lib. 3. cap. 8. & Plut. in Alexandro.

Cùm TRAIANO significatũ esset, Licinium Surã in ipsum conspirare, uespere eius diei non inuitatus ad eum Traianus, cum duobus solis comitibus cœnatum se contulit, radiq; ab eius tonsore uoluit, atq; oculos ab eius medico inspici. Eidẽ postea cùm denuò de cõspiratione affirmaretur, ridens respondit: Se nullo modo, ut crederet, adduci posse, quòd eo die periculũ ipsius rei fecerat: ita ut Surra, si uoluisset id quo insimulabatur agere, potuisset. Itaq; in amicitia firmus perstitit, nec multo pòst tribunatũ Surræ detulit: & cùm, ut mos erat, ei ensem traderet, eumq; non uagina tectum, sed strictũ porrigeret, Surræ dixit: Vt acciperet ensem, si benè imperium regeret, tuendi gratia: occidendi autem, si malè imperaret. Fulg. & Egnat. lib. 1. cap. 7. ex Dione.

D. AVGV-

D. AVGVSTINVS episcopus Hipponensis, obtrectationes cauebat, ita ut mensæ etiam hoc distichon inscriberet:

Quisquis amat dictis absentum rodere uitam,
Hanc mensam uetitam nouerit esse sibi.

Non raro etiam coepiscopos suos aliis obtrectantes grauiter obiurgauit: seq; aut defecturum uersus illos, aut abiturum minatus est. Possidonius cap. 22.

Quum transfuga Nolanus eques ingenio infami, ut sibi gratiam cum Sfortia compararet, Tartaliam omnibus maledictis in conuiuio MAGNI Sforciæ famam lacerasse detulisset, deq; ea re ut fides sibi haberetur, iureiurando sæpius affirmaret: Non opus est, inquit, sodes, ut multum in persuadendo mecum labores, quum Tartalia nunquam uerbum de quoquam sit elocutus, quin maledixerit, & tum multo quidem atrociùs, atq; liberiùs, quum locum ad id maximè oportunum nactus, ut dicis, totum maledicentiæ impetum effudisse credendum sit. Peracutè delatorem auertēs simul, & sua uitia Tartaliæ obiectans, titubantiam scilicet oris, unde cognomē acceperat, (antea Angelus Lauellus uocatus) & temulentiam, quum esset omnium, & quidem natura potiùs quàm ætate, bibacissimus. Iouius in uita Sforciæ.

Apud Claudianum singularis laus est Theodosij, quòd non fuerit suspicax. Ita MATHIAS Pannonię rex non facilè admittebat calumnias illorum, qui conabantur familiares regis in odium adducere. Miserat in Pannoniam legatum suum Nicolaum, episcopum Madrusiensem, Pius II. Pontifex. Ille allectus beneficentia regis, totam hyemem in aula commoratus est, & in præcipuorum Principum amicitiam se insinuauit. Tandem regis quoq; animum pertentauit, & ut maiorem gratiam iniret, summos quosq; Principes proditionis accusare cepit, idque se reipsa demonstrare posse affirmauit. Rex dissimulata inquisitione, cùm eandem sæpiùs cantilenam audiret, perfidiæ eius detegendæ causa, nihil minùs expectantem, in conuentum Principū produxit, & clara uoce, Quínam sunt illi, inquit, quos uitæ & fortunis meis toties iam insidiantes te certò comperisse asseruisti? Ibi cùm legatus obtumesceret, & ueniam deprecaretur: At ego, inquit Rex, nisi moueret me auctoritas Pontificis, ostēderem tibi, non decere legatos, in alieno regno, sementem dissidiorum iacere, & Principibus honestis uitæ periculum creare. Tibi igitur mando, ut intra biduum regno meo excedas. quod nisi feceris, ego tale exemplum in te statuam, ut orbi terrarum innotescat, Mathiam regem sceleratas tales artes seriò odisse. Ioach. Cureus in annalib. Silesiæ.

FRIDERICVS III. Imp. cùm literas Casparis Schlichij ex Nurenberga accepisset, quæ nonnullis Hungaris inscribebantur: non defuerunt, qui eas aperiendas dicerent, quòd in iis aliquid proditionis scriptum esse putarent, quod sciri oporteret. Quibus Fridericus: Casparem ego & probum uirum, & mei amantem existimo. Si fallor, malo per sese error pateat, quàm meo cum scelere inuestigetur. Aeneas Sylu. lib. 4. commentariorum de Rebus gestis Alphonsi.

Puniendo, Castigando.

AVGVSTVS princeps, omnium primus de famosis libellis cognitionem legis specie maiestatis tractauit, cōmotus Cassij Seueri libidine, qua uiros feminasque illustres procacibus scriptis diffamauerat. Priùs facta arguebantur, inquit Tacitus, dicta impunè erant. Si qui proditione exercitum, aut plebem seditionibus, demumq; malè gesta republica, maiestatem populi Romani minuisset. Cælius libro 15. capite 25. Antiq. Lect.

NERO Imp. delatorum licentiam uolēs compescere, præmia ad quartas reuocauit (cùm delatores pœnæ dimidiam partem ex lege Papia haberent antea) & ideo Quadruplatores dicti sunt, quòd quartam de proscriptorum bonis, quos detulerant, partem acciperent. Alex. lib. 4. cap. 22.

VESPASIANVS & TITVS delatores flagellis cæsos per amphitheatri harenam spectandos traducebant: ut pœnis coerciti, à noxiis deferendis abstinerent. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 22.

DOMITIANVS, inter imperij monstra connumeratus, hac in re solùm sapere uisus est, quòd delatores ab urbe expulerit, hanc uocem frequēter usurpans: Delatores qui non castigat, irritat.

M. ANTONINVS Pius, delatores, si non probarent, capitali pœna affecit: si probarent, oblato præmio dimisit infames. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 22.

OPILIVS Macrinus Imp. delatores undiq; conquisitos, pœnis & damno afficiebat. Idem.

ADVLATORES AVERSANDO. QVOS VEL

Oderunt.

Apud Athenæum Hegesander narrat, quum Alexander dixisset, se morderi à muscis (sic uocabat parasitos) iamq; conaretur illas abigere, CINESIAS unus eius ordinis, qui fortè aderat, Profectò aliæ muscæ siticulosæ magis urgebunt te, semel gustato tuo sanguine. Erasmus in Adagiis.

AVGVSTVS Cæsar nullam aliam pestem magis quàm adulatores & assentatores detestatus est. Suetonius.

IOVINIANVS Imp. in assentatores lepidè illud dicebat: Deprehendi eos non Deum colere, sed purpuram: nec differre ab Euripo, fluctus suos huc atq; illuc subinde rapienti.

SIGISMVNDVS Imper. assentatores se ueluti pestes odisse cùm diceret, Brunorius Veronensis respondit: Tamen nullum genus hominum magis amas, quàm adulatores. Tum Sigismundus: Rectè sanè dicis, inquit. Nam nec tu mecum tam diu fuisses, nisi meis moribus blandiri assueuisses. Aeneas Sylvius de dictis Sigismundi & Friderici Impp.

ALPHONSVS, Aragonum & Siciliæ rex, nihil magis in uita exhorruit, quàm mendaces: nihil magis auersatus est, quàm parasitos ac adulatores: quos etiam pestem principum appellare consueuit, & uariis interdum pœnis ac cruciatibus affecit. Antonius Panor. de Reb. gestis Alphonsi, & Aeneas Sylvius de eius dictis.

Irrident.

Antipatri F. CASSANDER, Babylonem ueniens, cùm barbaros uenerabundos Alexandrum salutantes conspexisset, uti in libertate enutritus Græca, atq; huiusmodi spectaculi hactenus insolēs, in cachinnum est effusus. Ea re exarsit ita Alexander, ut arreptum crinibus caput eius ambabus manibus uehementer contuderit ad parietem. Plut. in Alexandro.

VESPASIANVS Imp. generis sui ignobilitatem frequenter etiam præ se tulit, eosq; irrisit, qui illud in Herculem referre conarentur. Suetonius.

Dicta Factáue, Non admittunt, Repudiant.

Philippis puella quædam Pythonissa PAVLVM & Silam sum mi Dei cultores & salutis nuncios esse clamauit. Eam tamen indignè ferens Paulus, nec diaboli testimonium admittens, spiritum eiecit. Ab iis ergo, qui quæstum ex ea faciebant, coram magistratu accusati, uirgis cæsi, & in carcerem coniecti sunt. Actorum 16.

ALEXANDER Magnus per fluuium Hydaspem nauigans, cùm ei Aristobulus poeta quidam carmē obtulisset, in quo ei ita assentabatur, ut elephantos interimere, turres prosternere, muros perfodere diceret: indignatus rex. Apage isthęc, inquit, mendacia; quæ uera etiamsi essent, possent in mendacij suspicionem uenire. Et simul librum in profluentem abiecit: similia auctori minatus, si tale quid in posterum ederet. Gyraldus Dial. 3. de Hist. poet.

IDEM, cùm Brison, (alibi, Crisson Himenęus) nobilis certamine cursus, qui cum ipso contendebat de pernicitate, ultrò cōcederet, uehemēter est indignatus. Plut. de Tranq. animi.

IDEM arce capta, quum amici dicerent, illum egregiis gestis Herculem superasse: At ego, inquit, meas res gestas in imperio, ne uerbo quidem cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Plutarchus in Apophthegmatibus Regum & imperat.

AVGVSTVS Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronunciatum esset à mimo, O' Dominum æquum & bonum: & uniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu uultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto: Dominumq; se post hac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, uel serio, uel ioco passus est, atq; huiusmodi blanditiis uti etiam inter ipsos prohibuit. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar adulationes adeò auersatus est, ut neminem Senatorum, aut officij, aut negotij causa ad lecticam suam admiserit: consularem uerò satis facientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, ut caderet supinus: atque etiam si quid in sermone, uel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, & commutare continuò. Dominus appellatus à quodam, denunciauit, ne se ampliùs contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, sacras eius occupationes, & rursus alium, auctore eo Senatum se adiisse, uerba mutare: & pro auctore, suasorem: pro sacris, laboriosas dicere coegit. Suetonius.

Cum PESCENNIO Nigro Imper. creato, quidam panegyricum recitare uellet: dixisse fertur, Scribe laudes Marij, uel Hannibalis, uel alicuius ducis optimi uita functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam uiuentes laudare irrisio est, maximè Imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere. Viuus placere uolo, mortuus etiam laudari. Aelius Spartianus.

ALEXANDER Seuerus Imp. nullum omnino assentatorē ad mittebat. Si quis eū salutando caput flexisset, aut blandiùs aliquid

aliquid dixisset, ut adulatorē inanem reiiciebat. Lāpridius.

ATILA Hunnorum rex, Patauio capto Marulli Calabri poetę carmen de laudibus suis conscriptum, in ignem coniici iussit: quia licentia poetica originem Atilæ ad Deos retulerat. Nicolaus Olahus cap. 15. de uita Atilæ.

Eludunt illorum dicta.

ALEXANDER, Ammonis filius à sacerdote Iouis Ammonis, speluci dictus, interpretatus est: Nihil mirum, inquiēs, cùm Iupiter omnium natura sit pater. Plut. in Alexandro.

ANTIGONVM regem quum Hermodotus in poemate Iouis dixisset filium: Non hæc, inquit, de me sentit lasanophorus: qui matulam domino subiicit. Plut. in Apoph.

Tarraconensibus pro læto ostento nunciantibus, quòd in ara Augusti palma esset enata: Apparet, inquit AVGVSTVS, quàm frequenter accendatis. Quòd illi diis tribui uolebāt, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris adolerent incensum. Suetonius, & Dion.

GREGORIVS Magnus Pp. cùm à quodā suprà modum laudaretur. Faxit Deus, respondit, ut & mihi uirtus, & tibi fides tanta, quantam oratio tua requirit, contingat. Aegid. Corrozetus de Dictis memorabilibus.

CANVTVS Daciæ & Angliæ rex, à milite auribus seruiente, appellatus rex regum longè omnium potentissimus, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperitaret, euidenti argumento adulatoris uanitatem redarguit. Vide Tit. Prudenter consulere humilitati. Ex Polyd. lib. 7.

Reprehendunt.

ALEXANDER habebat Eudæmonicum philosophum, sed quouis parasito adulantiorem. Hic, quum aliquando tonaret uehementer, adeò ut omnes expauescerent: dixit Alexādro, Quin tu tale quippiam facis Alexāder, fili Iouis? At ille non ferens tam abiecti philosophi uocem, ridens ait: Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui satraparum ac regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus. Plutarchus in uita eius secus aliquanto: Quid mihi succenses, quòd pisces apponam in conuiuio, ac non potiùs satraparum capita? Erasmus lib. 6. Apoph.

CÆLIO oratori, quum quidam cliens omnia concederet, lōga assentatione fastiditus Cęlius: Dic, inquit, contrà, ut duo uideamur. Rauisius.

Puniunt.

PERSIS & INDIS lege cauetur, ut qui clientem decepisset, quiq; ter mendacio abusus fuisset, illi per omnem uitam silentium indiceretur, nulloq; magistratu aut honore dignus haberetur. ARTAXERXES mirificè mendacium auersatus fuit, adeò ut mendacis hominis linguam triplici clauo affigi iusserit. Alex. lib. 6. cap. 10.

THESSALI ciuitatem Adulationem uocatam solo æquarūt, quam habitabant Melienses populi, ut Theopompus testatur lib. 30. Athen. lib. 6. cap. 6.

Legato, quē ad Antigonum Demetrij filium miserant LACONES, ut intellexerunt eū appellasse illum regem, mulctam dixerunt, quamuis medimnum tritici ab eo arctis commeatibus in capita apportaret. Plut. in Apoph.

AVGVSTVS, si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandiùs, foras detrudi & exigi iubebat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

SIGISMVNDVS Imp. suprà modum eum laudanti, & diis similem esse dicenti, alapas dedit: dicentiq; illi, Cur me cædis Imperator? Cur me, respondit, mordes adulator? Aeneas Sylvius lib. 2. commen. de Reb. gest. Alphonsi.

ERRORES CORRIGENDO.

IOANNEM Baptistam plurimi Iudæorum Messiam esse coniiciebant, propter uitæ austeram sanctimoniam. At ille apertè respondit, se Christi tantùm præcursorem esse, neque dignum, qui solueret corrigiam calceamentorum eius. Aqua se baptizare, illum uerò igni & Spiritu sancto baptizaturū esse. Matthæi 3. Lucæ 3. & Ioannis 1.

ARGILEONIS Brasidę mater, defuncto eius filio, cùm Amphipolitani quidam, qui commeauerant Lacedæmonem, illam inuiserent, requisiuit an filius suus honestè & ut Sparta dignum erat, ceci disset. Quibus illum extollentibus, adiicientibusq;, illum iis in factis fuisse Lacedæmoniorum omnium præstantissimum: Fuit hospites, inquit, honestus uir & fortis filius meus, sed habet multos Sparta illo excellentiores. Plut. in institutis Laconicis.

FRAVDES, DOLOS, MENDACIA INDICANDO.

Cùm Cambyses rex Persarum ad Aethiopes Macrobios sub specie legationis Ichthyophagos quosdam Aethiopes exploratores misisset cum muneribus: Aethiopum REX dolū intelligens, Cambysem iustum non esse affirmabat, qui alienam regionem affectaret, & eos homines, à quibus nihil lacessitus esset, in seruitutem redigere tentaret. Eis itaque arcum dedit, quem Cambysi offerrent, cum his uerbis: Rex Aethiopum regi Persarum consilium dat, quando Persæ tā facilè trahent tantæ magnitudinis arcus, tunc aduersus Macrobios Aethiopes cum maioribus copiis moueat bellum. Interim diis gratias habeat, qui non inducant in mentem filiis Aethiopum, ut præter suam uelint aliam comparare regionem. Hæc locutus, arcum laxauit, eisq; qui uenerant dedit. Tum sumto purpureo amiculo (quod unum ex muneribus erat) rogauit, Quídnam esset, & quomodo confectum? Et cùm Ichthyophagi ueritatem de purpura deque tinctura dixissent: Dolosi, inquit, homines, dolosa sunt uestimenta. Secundo loco sciscitatus de tortili monili atq; armillis, ornatum eius rei exponentibus Ichthyophagis, risit, atq; existimans uincula esse, inquit, Robustiora apud se uincula esse. Tertiò sciscitatus unguentum, cùm illi de confectura, unguentiq; ratione dixissent, idem dixit, quod de uestimento. Vbi ad uinum peruenit, eiusq; conficiendi rationem audiuit, maiorem in modum delectatus potu, percontatus est, Quibúsnam rebus uesceretur rex, & quod longissimum tempus uitæ Persis esset. Responderunt, uesci regem pane, exponentes tritici naturam: perfectissimumq; diu uiuendi spaciū apud Persas esse octoginta annos. Ad hæc Aethiops, Nihil se mirari, inquit, si stercore uescentes paucis uiuerent annis. Nam ne tot quidem annis uicturos, nisi hoc potui acceptum referrent. Herod. lib. 3.

OROSIVS Hispanus, doctrina ac eloquentia clarus (ut Gēnadius de Illustribus uiris refert) scripsit contra calumniatores Christiani nominis, asserentes diminutum fuisse imperium Romanum per aduentum Christi: liquidò ostendens, longè maiora grauioraq; mala Romanæ Reip. ac uniuerso orbi accidisse à principio seculi usq; ad redemtoris nostri aduentum, quàm post euangelium diuulgatum.

SEMPRONIA Tib. & C. Gracchorū soror, uxor Scipionis Aemyliani, à trib. pleb. producta ad populum, ut Equitio, cui Semproniæ gentis falsum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij fratris sui osculum daret: tamen illum, nescio quibus tenebris protractum, ut portentum execrabili audacia ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem repulit. Valerius lib. 3. cap. 8.

VERITATIS EXERCITATIO RESPECTV LOCI. Verbi causa

IN TEMPLO.

Apud Lacedæmonios, si QVIS in peccato deprehensus fuisset, cogebatur aram quandam, quæ erat in urbe, circumire, ac uituperationem interim in se ab alio compositam canere, quod nihil aliud erat, quàm se ipsum sua uoce obiurgare. Plutarchus in Laconicis.

In Constantinopolitana æde certum locum fuisse, in quem homicidæ, antequam ab Ecclesia reciperentur, conscendere, & ab ingredientibus & exeuntibus, suo facinore exposito, ueniam petere coacti essent, ex Annalibus Nicetæ apparet: qui ISAACIVM Angelum post interfectum à se Stephanum, eundem conscendisse locum narrat, sub Imperio Andronici Comneni.

IN FORO.

Marsyas frater ANTIGONI, reus, cùm postularet, de causa ut domi cognosceretur: Imò, inquit, cognoscetur in foro, omnibusq; audientibus, nunquid facinoris conceperimus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

VERITATIS EXERCITATIO RESPECTV TEMPORIS. Verbi causa

IN CALAMITATE.

FILII decem Iacobi patriarchæ in Aegyptum profecti, proq; exploratoribus in uincula coniecti à Iosepho Aegypti præfecto, in eas angustias sese redactos ob impietatem ergà fratrem Iosephum commissam liberè profitebantur. Genesis quadragesimo secundo.

Afflicti ISRAELITÆ per ignitos serpentes, uenerunt ad Mosen, dicentes: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te. Fecit ergo Moses serpentem æneum, in quem aspicientes sanarentur. Num. 21.

Tres socij Danielis, qui sanctè inter Chaldęos uixerant, & pro quibus Deus tantum miraculum faciebat in fornace, nequaquam

quaquam contra Dominum murmurabant, quasi iniustè talia paterentur, sed dicebat AZARIAS: Peccauimus, iniquè egimus. Dan. 3.

Philippus rex cùm signa Laconiæ inferret, haberēturq; omnes pro deploratis, affatus est SPARTIATEM quēdam: Quid nunc agetis, Lacones? Quid uerò, inquit, aliud, quàm fortiter cademus? Soli enim ex Græcis nos liberi, nec audientes esse didicimus aliis. Plut. in Apoph. Laconicis.

IN MORTEM.

SEXTVS septem fratrum Machabæorum martyrum, mori incipiens, ait: Nos propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum. 2. Mach. 3.

LATRO in cruce peccata sua confessus est, & ueniam meruit. Lucæ 23.

PHILIPPVS I. Francorum rex Meleduni decessit, anno Sal. 1109. propter Ligerim ad Benedicti sepultus est, ut iusserat: indignum se dictitās, qui ad Dionysij inter sanctissimorum regum monumenta mortuus iaceret. Aemilius lib. 5.

Fertur IAROSLAVS, Gnesnensis archiepiscopus in Polonia, mandasse moriens, ut cadauer suum non ostio, sed pertuso pariete in basilicam sepeliendum inferretur, quòd non ritè neque ordine archiepiscopum se factum diceret. Cromerus libro decimotertio.

Nouissimo prælio inter Henricum IV. & Rodulfum Sueuum de imperio Rom. RODVLPHVS uulneratus in dextera, reductus Herbipolim, magnates & episcopos suæ partis ad se iussit uenire, & elata dextera in astantes, Hæc est, inquit, manus, qua ego sacramenta prestiti Henrico domino meo: uobis tamen urgentibus toties in eum infeliciter pugnaui. Ite & implete primam regi uestro fidem: nam ego uadam in uiā patrum. Cranz. lib. 5. cap. 7. Saxoniæ.

VERITAS PRACTICA CONSIDERATA SECVNDVM MATERIAM. Quatenus occupatur circa

RES. SIVE PERPENDANTVR PER SE.

Ex præcedentibus de Confessione, de Reprehensione libera, huc accommodari possunt omnia. Illic Formæ, hic Materiæ habetur ratio.

De Eruditione ueritatem dicere.

Consule Tit. Certaminum poetarum, grammaticorum, &c. quatenus certando liberè sua bona profitentur.

Post Socratis mortem cùm permulti illius familiares in cœtu quodam tristarentur: PLATO præsens poculum cepit, omnesq; illos bono esse animo hortatus est, quia uires sibi regendæ scholæ sufficerent: ac Apollodorum poculo prouocauit. Qui dixit, quòd libentiùs ac suauiùs ueneni calicem à Socrate exciperet, quàm ab ipso uini poculum. Athenæus libro 11. capite 22.

THEOGNIS Megarensis Gnomologus sic de seipso:

μωμεῦνται δέ με πολλοὶ ὁμῶς κακοί, ἠδὲ καὶ ἐσθλοί·
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Carpunt me plures docti, indoctiq;: imitari
Nos indoctorum de grege nemo potest.

ARCHIMEDES Syracusanus mathematicus inter primos nobilis aiebat: Si alter foret terræ globus, se illum ad hunc tracturum, uel hunc ad illum impulsurum, sed petebat locū dari in quo consisteret. δός ἡ στῶ, καὶ γῆν κινῶ.

Cicero V. Tusc. quæst. ex Heraclide Pontico Platonis auditore narrat, PYTHAGORAM à Leonte Phliasiorum tyranno rogatum, quid artis profiteretur: cùmq; superiores, qui eidem studio essent dediti, sapiētes se cognominassent, ipsum se philosophum, id est, sapientiæ studiosum modestiore nomine appellasse. Hinc Sophi nomen tanquam superbum nimis & inuidiosum relictum, cæterosq; Philosophos esse nūcupatos. L. Viues in lib. 8. Aug. de ciuit. Dei, cap. 2.

PINDARVS de seipso Ode 1. Olympiorum sic scribit:

ἐμοὶ μὲν ὦν μοῖσα, καρτερώ-
τατον βέλος ἀλκᾷ τρέφει.

Mihi Musa fortissimum telum robore nutrit.

IDEM in Nemeis eo se gloriatur aduersariis suis, Bacchylide nimirùm & Simonide, esse superiorem, quòd ipse natura poeta sit, illi autem didicerint à magistris: in quo tantum esse uult, ut eo potissimùm nomine se aquilæ, illos coruorum similes esse dicat:

πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶ-
νος ὠκέα βέλη
ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας,
φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς
δὲ τὸ πᾶν, ἑρμηνέων
χατίζει. σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ,
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὣς
ἄκραντα γαρύετον,
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Multæ mihi sub cubito acutæ sagittæ sunt in pharetra, intelligentibus (tantùm) sonantes, interpretibus omnino opus habentes. Sapiens multarū rerum gnarus est natura: discētes uerò procaces inepta loquacitate tanquam corui ualde imperfecta garriunt, aduersus diuinum Iouis alitem. Addidit & ista:

Αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς
Ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἄγραν ποσί.

Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται. Aquila pernix inter uolucres, quæ repentè aduolans eminus, corripuit cruentam prędam: loquaces autem graculi humi pascuntur.

HORATIVS lib. 1. Epist. 20. de seipso sic scribit:

Libera per uacuum posui uestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit
Dux, regit examen, Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio, numeros animosq; sequutus
Archilochi, non res, & agentia uerba Lycambem.
At ne me foliis ideo breuioribus ornes,
Quòd timui mutare modos, & carminis artem:
Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcæus, sed rebus & ordine dispar:
Nec socerum quærit, quem uersibus oblinat atris:
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum priùs ore, Latinis
Vulgaui fidicen. Iuuat immemorata ferentem
Ingeniis, oculisq; legi, manibusq; teneri.

De Eloquentia.

AESCHINIS de Demosthene, sub Tit. Bona prædicate Hostium.

DEMOSTHENES magnoperè contemnebat cæteros oratores: at cùm ad dicendum Phocion surgeret, solebat ad amicos dicere summisse: τῶν ἐμῶν λόγων κόπις πάρεστι, orationum mearum securis adest. Incertum, de oratione illius sic sentiret, an de uita & existimatione: quòd permultis & prolixis circuitibus unum uerbum & nutum existimaret probati uiri esse ualidiorem. Plut. in Demosthene, & Phocione.

IVL. Cæsar Scaliger, nostræ ille ætatis unus Aristoteles, aliquando iocans dixit: Cicero in quadam oratione minatur, si sibi faciant stomachum, triduo futurum Iurecoss. ego, si mihi stomachum non faciā, trihorio (ut loquitur Ausonius) fiam Ciceronianus. Tanta erat diuini illius ingenij non una confidentia. Profectò quantus orator esse potuisset, ostendit eius orationis efficacia ac neruus. Io. Bergius medicus in præfatione lib. de Subtilitate ad Cardanum.

De Mechanica peritia.

Consule Tit. Certamina mechanica. Item, Iudicii mechanici de rebus propriis.

De Probitate, Virtute uniuersim.

THEOGNIS Megarensis seipsum in Gnomis laudat:

πατρίδα κοσμήσω λιπαρὴν πόλιν, οὔτ' ἐπὶ δήμῳ
τρέψας, οὔτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος.
νεβρὸν ὑπ' ἐξ ἐλάφοιο λέων ὣς, ἀλκὶ πεποιθὼς,
ποσσὶ καταμάρψας, αἵματος οὐκ ἔπιον·
τειχέων δ' ὑψηλῶν ἐπιβὰς πόλιν οὐκ ἀλάπαξα,
ζευξάμενος δ' ἵππους ἅρματος οὐκ ἐπέβην·
πρήξας δ' οὐκ ἔπρηξα, καὶ οὐκ ἐτέλεσσα τελέσσας·
δρήσας δ' οὐκ ἔδρησ', ἤνυσα δ' οὐκ ἀνύσας.

Patriam ornabo claram ciuitatem, neque populo attendens, neque iniquis uiris obediens. Hinnulum ex ceruo leo ut uiribus confidens, pedibus comprehendens, sanguinem non bibi. muros autem altos conscendens ciuitatem non diripui: iungensque equos, currum non inscendi: agens uerò non egi, & non finiui finiens: faciensque non feci, perficiensque non perficiens.

C. FABRICIVS, ab omni leuitate atq; iactantia alienus, quæ uirtutis suæ fiducia esset ostendit, cùm à Rom. legatus ad Pyrrhum missus, ab eo rogatus est, ut inter duces atque amicos suos primum uellet accipere locum. Ei enim in aurē insusurrauit, Non hoc, Pyrrhe, ex te tua fieri posset. nam qui nunc uirtutem tuam mirati te suspiciunt, teq; amant ac colunt, cùm me experti essent, à me potiùs quàm à te regi cuperent. Plutarchus.

THEOGNIS de seipso sic scribit in Gnomis:

ἠμ' ἐθέλεις πλύνειν, κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης
αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης.
εὑρήσεις δέ με πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν, ὥσπερ ἄπεφθον
χρυσὸν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν, τριβόμενον βασάνῳ,
τοῦ χροιῆς καθύπερθε μέλας οὐχ ἅπτεται ἰὸς,
οὐδ' εὐρώς, αἰεὶ δ' ἄνθος ἔχει καθαρόν.

M. CATO Censorius interrogatus, Qualis inter primores iuuenū uideretur Scipio Aemilianus? Hom. uersum recitauit,

οἶος πέπνυται, τοὶ δ' ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι,

Iste sapit solus, uolitant reliqui sicut umbræ. Plut.

M. LIVIO Druso architectus quidam ædes se ædificaturū recipiebat, in quas ex nulla domo alia esset prospectus. At potius (inquit ille) ædifica mihi domum, si potes, in qua quicquid agā, uniuersus populus Romanus possit aspicere. Sic nimirum intra domesticos parietes agendū, ut si subitò nos alieni conspiciant, nulla sit erubescendi causa. Lud. Viues de Christiana femina, lib. 2.

MECOENATIS hominis nobilissimi iudicium uerū de Virtute, Horatius in Satyris his uersibus exponit:

Non quia, Mecœnas, Lydorum quicquid Hetruscos
Incoluit fineis, nemo generosior est te:
Nec quòd auus tibi maternus fuit aut paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint:
Vt plerīq; solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisq; parente
Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi uerè,
Ante potestatem Tulli, atq; ignobile regnum,
Multos sæpè uiros nullis maioribus ortos,
Et uixisse probos, amplis & honoribus auctos.

TITVS Vespasianus, cùm de crimine impietatis nunquā cognouisset, neq; aliis ut cognoscerent permitteret: Nemo, inquit, iniuria me afficere, aut insequi contumelia potest, propterea quòd nihil ago, quòd reprehendi mereatur. Ea uerò quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Xiphilinus.

M. ANTONINVS Philosophus Imp. cū periniquo animo ferre se ostenderet, quòd Auidius Cassius, qui rebellauerat, deinde prælio erat uictus, occisus fuisset: quodam ex iis, qui astabant dicente: Si Auidio uincere contigisset, quid is fecisset? statim magna animi fiducia respondit: Non ita nos cum diis hominibusque gerimus, ut Auidius unquam bello uincere nos debuerit: ut bonitatis suæ periculum faceret, solus Eleusinæ Cereris templum ingressus est: quod non sine periculo nisi ab innoxiis adibatur. Neroni profectò conscientia longè dispar fuit: qui cùm se parricidam meminisset, eo templo abstinuit. Trebellius.

De Fortitudine militari.

AIAX ad Hectorem sic loquitur apud Homerum:

— Certè cognosces tu liquidò iam,
Quam bellatores etiam post funera Achillis
Magnanimi insignes Graiis superesse uidentur.
Nos uerò tales sumus, ut qui occurrere multi
Possimus tibi.

Quibus uerbis Achilli primam fortitudinis laudem tribuit, qui solus Hectori opponi mereatur. Post illum, neque solum, neque præstantissimum esse censet semetipse, sed cum multis sui similibus ualentem dimicare. Plut. de Aud. poetis.

AMPHIARAVS uates, cùm filios suos pro patria fortiter pugnantes uideret, sic locutus fertur apud Pindarum ode 8. Pythiorum:

φυᾷ τὸ γενναῖον
ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παι-
σὶν λῆμα.

LACEDÆMONII, occupata ab Atheniēsibus Pylo, legatos de re componenda mittunt Athenas. Vbi de cōpositione nihil assentiri uident, postulare pergunt, ut permutando rem pari captiuorum Atheniensium numero pensarēt. Nihil rursus horum ab Atheniensibus concessum. Inde legati per licentiam palàm Athenis protulēre, ea re satis apertè confiteri populum Atheniensem, Lacedæmonios longè se præstantiores habere: quippe quibus par captiuorum permutatio haud æqua uisa esset. Diod. lib. 12.

Agis, Archidami filius, quærere negauit LACEDÆMONIOS, quot sint hostes, sed ubi sint. Plut. in Apoph.

De Castitate.

HIPPOLYTVS suam excūsans innocentiā apud patrē Theseum, Euripidis Hippolyto, sic inquit:

— εἰσορᾷς φάος τόδε,
καὶ γαῖαν; ἐν τοῖς δ' οὐκ ἔνεστ' ἀνὴρ ἐμοῦ,
οὐδ' ἢν σὺ μὴ φῇς, σωφρονέστερος γεγώς.
ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν,
φίλοις τε χρῆσθαι, μὴ ἀδικεῖν πειρωμένοις,
ἀλλ' οἷσιν αἰδὼς μήτ' ἀπαγγέλλειν κακὰ,
μήτ' ἀνθυπουργεῖν αἰσχρὰ τοῖσι χρωμένοις.
οὐκ ἐγγελαστὴς τῶν ὁμιλούντων, πάτερ,
ἀλλ' αὐτὸς οὐ παροῦσι κἀγγὺς ὢν φίλοις.
ἑνὸς δ' ἄθικτος, ᾧ με νῦν ἑλεῖν δοκεῖς.
λέχους γὰρ εἰς τόδ' ἡμέρας ἁγνὸν δέμας,
οὐκ οἶδα πρᾶξιν τήνδε, πλὴν λόγῳ κλύων,
γραφῇ τε λεύσσων. οὐδὲ ταῦτα γὰρ σκοπεῖν
πρόθυμός εἰμι, παρθένον ψυχὴν ἔχων.

Aspicis lumen hoc, & terram? in hisce non est uir me (tametsi tu neges) continentior natus. Scio enim primùm deos colere, amicisque uti, non qui iniuriam inferre conantur, sed quibus inest pudor, neque nunciare mala, neque uicissim efficere turpia, iis qui utuntur. Non irrisor cōmilitonum, ô pater: sed idem & præsentibus & absentibus sum amicis. Vnius uerò intactus, cuius me nunc conuincere censes. A uenere enim in hunc diem castum corpus, neq; noui actionem istam, præterquā uerbis audiens, picturaq; uidens: neq; hæc quidem ad considerandum promtus sum, uirginalem animum habens.

De Taciturnitate.

ZENO ab Antigoni aut Ptolemæi legatis Athenas missis, unà cum aliis philosophis ad conuiuium uocatus est: & cùm reliqui inter pocula suam quisq; eruditionem ostentaret, ipse tacebat. Cùm autem legati interrogarent, quid Antigono de ipso deberent renunciare? Hoc ipsum, quod uidetis, respondit: uidisse uos Athenis senem, qui in conuiuio tacere nouerit. Plut. de Garrul.

De Meritis erga Remp.

LYCVRGVS, quia despectas fecerat diuitias, quòd iis frui, uel eas ostentare posset nemo, dixit apud familiares: Vt est, sodales, prēclarum, re ostendere Plutum, ut uerè est, cæcum? Plutarchus in Apophtheg.

Erat Athenis reo damnato, si fraus capitalis nō esset, quasi pœnæ æstimatio ex sententia. Quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, Quam quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur? Quod quum interrogatus SOCRATES esset, respondit: Se meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis decoraretur, & ut ei uictus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur: qui honos apud Græcos maximus habebatur. Eo responso iudices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Erasmus lib. 3. Apophtheg.

PERICLES iam animam agens, amicis astantibus de eius uictoriis atque eloquentia uerba facientibus, Mirari se, dixit, quòd non seipsos potiùs beatos prędicarent, quòd cùm tāto tempore Athenas rexisset, nemo ipsius causa lugubrem uestem unquam induisset. Plut. in Pericle.

Quum floreret apud Populum Leosthenes, interrogatus ab oratoribus PHOCION, Quid ipse boni fecisset Reipub. Nihil aliud, inquit, nisi quòd, donec ego uobis fui dux, nulli dicta est oratio funebris: sed omnes uita defuncti, in maiorum monumentis sepulti sunt. Alij iactabant cruentas uictorias: Phocion existimabat egregij ducis esse, sic administrare rē militarem, ut nulli aut quàm paucissimi ciues pereant. Mos autem erat Athenis, eos qui in acie cecidissent, apud populum laudare, ac cenotaphia erigere. Plutarchus in eius uita, & de Suiipsius laude.

Oppressa Catilinæ coniuratione, CICERO in nonnullorum odiū incurrit. Quorum instinctu Cæsar prætor, Metellus & Bestia tribuniplebis, inito magistratu, cū pauci adhuc dies Ciceroni consulatus superessent, non fecerunt ei copiā concionis habendæ: sed positis pro Rostris subselliis, non fecerunt ei ius neq; potestatē dicendi: tantùm permiserunt, si ei uideretur, ut eiuraret magistratum, statimq; descenderet. Ita ille ut iuraturus progressus, facto silentio, iurauit non solenne, sed peculiare quoddā & nouum iusiurandam, se patriā conseruasse, & tutatum imperium. quod uerè eum iurasse populus uniuersus iurauit. Quare uehementiùs Cæsar & tribuni acerbati, cùm alias procellas excitauerunt Ciceroni, tum legem suaserunt, ut Pompeius acciretur cum exercitu ad dominatum reprimendum Ciceronis. Verùm cecidit opportunè Ciceroni atq; uniuersæ reipublicæ, quòd id temporis tribunusplebis esset Cato: qui illorum actionibus pari prēditus potestate & maiore existimatione obiecit se. Hic enim & alia nullo negotio reflexit, & Ciceronis consulatū ita extulit concionibus suis, ut honores ei decernerentur omnium amplissimi, & pater patrię appellaretur. Quod ei nomen tributum sanè est primo, cùm eum ita in concione nominasset Cato. Plut. in Cicerone.

IDEM primo libro de Officiis, ubi sententiam uersus illius sui, ualde irrisi atque exagitati ab inimicis, constituit ac laudat, inquit, Vt enim alios omittam, nobis rempub. gubernātibus togæ arma cessere: neque enim in republ. periculum fuit grauius unquam, nec maius odium. Item oratione pro L. Sylla: Meis consiliis, meis laboribus, meis capitis periculis: sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu;

quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione urbem, internecione ciues, uastitate Italiam, interitu Remp. liberaui. Victorius lib.7. Var. lect. c.13.

De Felicitate.

SOLON à Crœso Lydorum rege interrogatus, Quémnam mortalium beatissimum esset iudicaret? Respondit, Primò quidem Tellum Atheniensem ciuem, qui liberis auctus, pro patria apud Eleusinam pugnando uictor occubuisset: deinde uerò Cleobin & Bitonem Argiuos, qui matrem suam ad templum Iunonis, bobus destituti, plaustro pertraxissent, & post sacras epulas eadem nocte placida morte expirassent. Crœsum uerò beatum dici non debere, sed fortunatū tantùm, nisi etiā bene & feliciter ex hac uita migrasset. Herod. lib.1. & Plut. de Dignosc. adul.

De Paupertate.

EPHIALTES, cùm dux ei paupertatem exprobraret, Cur non, inquit, etiam alterum dicis, quòd iustitiam colam? Aelianus lib.13. de Var. hist.

De Gloria, Honore.

Virtutis præmium honor est. Qui ergo honores non delatos asseruit, ereptos uindicant, si gloriæ studium spectes, ad Magnanimitatem: si suæ uirtutis confessionem & tacitum præconium, ad hunc locum pertinebunt.

D) PERSARVM rege, qui Magnus appellabatur, Agesilaus: Quídnam me ille est maior, nisi iustior? Plut. de Sui laude.

COTYS Thracum rex, ut ab Atheniensibus ciuitatem sibi honoris ergô datam cognouit: Et ego, inquit, illis meæ gentis ius dabo. Aequauit Athenis Thraciam: ne, uicissitudine talis beneficij parem se iudicando, humiliùs, de origine sua sentire existimaretur. Val. lib.3. c.7.

PHOCION, Euippo uno ex illis, qui cùm eo morituri erant, lamentante & gemente: Non tu, inquit, præclarum Euippe ducis, quòd cum Phocione occubiturus sis? Plutarchus in Apophthegmatibus.

Poëta ACCIVS Iulio Cæs. amplissimo & florentissimo uiro, in collegium Poetarum uenienti, nunquam assurrexit: non maiestatis eius immemor, sed quòd in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentiæ crimine caruit: quia ibi uoluminum, non imaginum certamina exercebantur. Valerius Maximus lib.3. c.7.

P. OVIDIVS Naso ingenio excellenti poëta, peracta Metamorphosi sua, doctrinæ suæ magnitudine fretus, operis finem carminibus illis clausit, quæ ostendunt peractum ab ipso opus esse immortalis famæ, dum terrarum orbis staret duraturum. Cuius iudicio euentus quoq; felicitas satis hactenus uisa est respondere. Fulg. lib.3. c.7.

HORATIVS ode 20. lib.2. uaticinatur carminum suorum immortalitatem, dum in cygnum transformatum iri se, & per totum orbem uolaturum ostendit:

Absint inani funere næniæ,
Luctusq; turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte superuacuos honores.

MARTIALIS de seipso sic scribit lib.5. Epigr. 13.

Sum, fateor, semperq; fui, Callistrate, pauper.
Sed non obscurus nec malè notus eques:
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic est:
Quodq; cinis paucis, hoc mihi uita dedit.

D. LVDOVICVS Francorum rex interrogatus, Quónam cognomine gestorum suorum uellet ornari? Victoria, inquit, in ecclesia Poissiaca contra diabolum, dum baptizaret, ut prima, ita clarissima mihi obtigit. In hac sola glorior & triumpho: ab hac Ludouicus Poissiacus denominari uolo. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

De Dignitate, Magistratu.

IPHICRATEM Atheniensem ducem cùm rhetor quidam in concione interrogaret, Quisnam esset, quòd adeò se efferret, num eques, aut grauis armaturæ miles, aut sagittarius, aut peltam gerens? Nihil horum sum, dixit: sed istis omnibus imperare noui. Plut. de Fortuna.

In bello, quod contra Boëmos ALBERTVS V. Austriæ dux, priùs quàm Romanis imperaret, diutissimè gessit, interrogatus quem copiis præficere statuisset, Si alium, inquit, quàm me ductorem exercitus petitis, frustrà me Austriæ ducē appellatis. Aeneas Syl. lib.3. Com. in Panor.

De Potentia.

OTHOCARVS Boemorum rex, Prussia subacta, gloriari palàm solebat, se terminos regni Boemiæ à mari Adriatico usque ad mare Germanicum promouisse, quod aliis ante se regibus ne per somnium quidem contigerit. Dubrauius libro decimoseptimo.

Legatum Mahometi II. Turcorum tyranni narrant superba oratione poposcisse à MATHIA Coruino Pannoniæ regnum. Tum ille commotus, Reuertere, inquit, ad dominum tuum euestigiò, illiq; renuncia, regnare ipsum in Græcia beneficio meo, neq; diutiùs ipsi bene futurum, quàm mihi libuerit. Ioach. Cureus in annalibus Silesiæ.

RESPECTV OCCASIONIS. VERITAS, CANDOR, INTEGRITSAS

In Consiliis quibuscunque.

Primo bello Punico Carthaginenses reputantes, in quo statu res Siciliæ essent, cum M. ATTILIO Regulo egerunt, ut Romam reuersus, cum patribus de pace ageret. Quæ si minùs impetrari posset, de captiuis saltem commutandis transigeret, fide ab eo accepta ut Carthaginem rediret, si de captiuis nihil fieri placuisset. Ille ubi Romam uenit, & uxorem & liberos à suo remouit complexu, tanquam Romanus esse desiisset, iam inde ex quo in hostium potestatem uenerat. Vocatis inde in curiam patribus auctor extitit, ne fœdus cū Carthaginiensibus sancirent ullum, qui multis cladibus aliis super alias fracti, suis iam uiribus apertè diffiderent: breui futurum, ut inuiti iugum acciperent. Nec quod ad captiuorum commutationem attineret, tanti se faciendum testatus est, ut plura corpora uirorum fortiū, pro se iam senè ac penè decrepito, & ob id gerendis bellis parùm utili, Pœno restituerentur. Vtroq; per hæc negotio infecto Carthaginem rediit. Pœni non tam uiri sanctitatem, quàm suā causam intuiti, illum uariis cruciatibus usq; ad exitium tulerunt. Sab. lib.9. Enn.4.

HANNIBAL, cùm apud regem Bithyniæ Prusiam exularet, auctorque ei committendi prælij esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret: An tu, inquit, uitulinæ carunculæ, quàm imperatori ueteri, mauis credere? Si uerba numeres, breuiter & abscisè: si sensum æstimes, copiosè & ualenter. Hispanias enim ereptas populo Romano, & Galliarum ac Liguriæ uires in suam redactas potestatem, & nouo transitu Alpium iuga patefacta, & Thrasimenum lacum dira inustum memoria, & Cannas Punicæ uictoriæ clarissimum monimentum, & Capuam possessam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit: uniusque hostiæ iecinore, longo experimento testatam gloriam suam postponi, æquo animo non tulit. Valerius Maximus libro tertio, capite septimo.

Valentinianus I. à militibus Augustus Niceæ dictus, sed ut collegam assumeret: primores sciscitatus est, Quémnā collegam Imperij oporteret assumi? Cui silentibus cunctis, DAGALAIPHVS, equitum magister, liberiùs, Si tuos, inquit, amas, habes fratrem: si rempubl. alium quære. Quo ille dicto offensus, dissimulato consilio, Valentem fratrem ex Pæonia accitum stabulo suo cum tribunatus dignitate præfecit. Inde progressus Constantinopolim, ac summo omnium consensu (neque enim refragari audebat quisquam) Augustum declarauit. Sigonius lib.7. Imp. occid.

In Iudiciis.

Calliam tædiferum, propinquum Aristidis, inimici rei capitalis postulauerunt. Qui cùm crimina obiecta tractassent defunctoriè, hæc extra causam ad iudices commemorauerunt: Aristidem, inquiunt, nostis Lysimachi filium, cuius magna apud Græcos existimatio est, uirum uti iustissimum, ita pauperrimum. Eum Callias tamen consobrinum suum, Atheniensium pecuniosissimus, negligit cum liberis & coniuge premi penuria: quo multùm usus est, & ex cuius apud uos auctoritate frequenter cepit fructum. Hac oratione Callias uidens uehementissimè incensos iudices in se exarsisse, excitauit ARISTIDEM, rogauitque ut testimonium apud iudices perhiberet: cùm sæpenumerò multa obtulisset ei, atque ut acciperet orasset, recusasse ipsum, ac respondisse, Plus gloriandum sibi egestatis causa, quàm pecunia Calliæ. Quippe multos ostendi posse, qui copiis benè & malè utantur: paupertatem qui egregiè ferret, eius rarum esse exemplum. Erubescere autem paupertatem illos, qui inuiti egeant. Hoc testimonium cùm Calliæ dedisset Aristides, nemo fuit auditorum, quin ita discederet, cum Aristide ut præoptaret pauper esse, quàm diues cum Callia. Hoc Aeschines Socraticus literis prodidit. Plutarchus in Aristide.

In Contractibus.

Huc ea quæ sub Fide in contractibus. Illic Fides, heic Veritas perpenditur.

LACON quidam, dum uenditur, rogante quopiam: Eris frugi, si te mercatus fuero? Etiamsi non me mercatus, inquit, fueris. Plutarchus in Laconicis.

PER-

PERSONAS. VERITATEM profiteri

DE SEIPSO.

Exempla ex superioribus petantur.

Quæsiuit quidam ex IPHICRATE duce, coarguēdi eius gratia, qui esset? Neq; enim eum legionarium esse, non sagittarium, non cetratum. Cui ille, Is sum, inquit, qui omnib. his impero & utor. Plut. de Fortuna.

In bello, quod contra Boemos ALBERTVS V. Austriæ dux, priusquam Romanis imperaret, diutissimè gessit, interrogatus, Quem copiis præficere statuisset? Si alium, inquit, quàm me ductorem exercitus petitis, frustrà me Austriæ ducē appellatis. Aeneas Syl. lib.3. com. in Panorm.

DE ALIIS V. G. DE

Veteribus, Antiquis.

CICERO etsi supra modum cupiditate flagrauit gloriæ, caruit inuidiæ tamen aduersus alios uitio. Quippe ut testantur eius monumenta, effusissimè & ueteres & æquales suos celebrauit, & multa memorantur dicta eius, uelut de Aristotele, manantis esse eum flumen auri: & de Dialogis Platonis, Iouem si loqui uellet, ita dicturum. Theophrastum assueuerat delicias suas uocare. De orationibus Demosthenis rogatus, quam maximè probaret? Longissimam respondit. Plut. in Cicerone.

Amicis.

BLOSIVS Cumanus philosophus, cæso Tiberio Graccho, à P. Scipione Nasica ad consules attractus est. Hîc rogatus de his, quæ acta erant, omnia se professus est Tiberij iussu facturum fuisse. Subiiciente Nasica: Quî igitur, si tibi Tiberius Capitolio faces subdere præcepisset? Primùm abnuit, dicens, Hoc Tiberium iussurum non fuisse. Subinde aliis idem requirentibus, respondit: Enimuerò si ille imperasset, non duxissem mihi id exequi turpe. Neque enim, nisi ex usu esset populi, id imperasset Tiberius. Atque hic discrimen in præsenti transmisit. Cæterùm pòst in Asiam contulit se ad Aristonicum: cuius labefactatis fortunis, intulit sibi ipse manus. Plut. in Tiberio.

Hostibus.

Vide suprà, Aliorum bona prædicare, Hostium. Item infrà, Hostes ueri, aperti.

VERITASTIS STVDIVM, respectu EFFICIENTIS.

QVI, QVALES. INTEGRI, Veraces, SINCERI, Aperti, Veritatis practicæ studiosi

POPVLI.

CORINTHIOS Thucydides de seipsis commemorare facit, dignos se esse, qui insectentur alios. Nempe oportet liberè obiurgantibus hoc ipsum adesse. Plut. de Discer. adulat.

HEROES.

Βυζίων παῤῥησία: id est, Byzeni libertas, ubi quis audaciùs liberiusque loquitur. ABYZENO quodam Neptuni filio, cui mos fuerit mira in dicendo libertate uti. Stephanus cōmemorat Βυζίω SCYTHIÆ ciuitatem, unde Byzeni. Eius gentis peculiare est intrepidè loqui. Erasmus in Adagiis.

SACRI HOMINES, PROPHETÆ, SACERDOTES.

Ex Tit. Reprehensionis liberæ. item Reprehensiones aliorum ferre, non pauca exempla huc transferri poterunt.

HOR abbas ueritatis studiosissimus fuit. De eo tria cōmemorat Heraclides in sua historia: Quòd nunquam sit mentitus, nunquam alicui maledixerit, nunquam citra necessitatem locutus sit.

THEONAS abbas in eremo Scythi nunquam mentitus dicitur, cùm tamen tribus millibus monachorum præesset. Marulus lib.4. c.9.

BEON abbas, qui in Thebaidis solitudine uixit, similiter. Ibidem.

D. BERNARDVS Claræuallensis Abbas, apostolico spiritu ad Eugenium Pp. scripsit libros quinque de Consideratione, quibus liberè & apertè in summo dignitatis Ecclesiasticæ gradu constitutum sui officij & Apostolicæ professionis admonet, ut quod nomine esse dicitur, reipsa quoque esse deprehendatur, Christi opt. max. uicarius, Seruorum Christi seruus. Libri profectò & lectione omnium, & uerò imitatione eorum, qui ouibus Christi præsunt, dignissimi.

REGES.

Ex Tit. Reges boni, huc ea, quibus characterem impressit Veritas practica.

Francorum rex IOANNES infelix quidem bello, sed adeò à simulatione alienus, ut in neminē uultu aut uerbo amorem præ se tulerit, quin eum amaret. Auctor Chronici Francorū.

DVCES bellici.

NEOPTOLEMVS apud Sophoclem integritatem suam his uerbis testatur:

ἔφυν γὰρ, οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς,
οὔτ' αὐτὸς, οὔθ', ὡς φασιν, οὑκφύσας ἐμέ.

HECTOR, apud Euripidem in Rheso sic de seipso infert:

— φιλῶ λέγειν
τἀληθὲς αἰεὶ, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

RHESVS apud eundem de seipso hæc prædicat:

τοιοῦτός εἰμι κ' αὐτὸς, εὐθεῖαν λόγων
τέμνων κέλευθον, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

EPAMINONDAS Thebanus tam seuerus ueritatis cultor fuit, ut ne ioco quidem mentitus sit. Alexander ab Alexandro libro 9. c.10.

HANNIBAL apud regem Prusiam exulans, cùm ei committendi prælij auctor esset, atq; is non idē sibi extis portendi diceret: An tu, inquit, uitulinæ carunculæ, quā imperatori ueteri, mauis credere? Valerius lib.3. c.7.

Moris erat, ut qui consalutatus consul esset Romæ, quasi aliquam gratiam referret populo, eum pro Rostris benignè appellaret. At L. PAVLVS Aemilius Coss. II. contra Persen creatus, aduocata concione, priorem ait se consulatum, quòd honores quæreret, petisse: alterum, quòd illi quærerent imperatorem. Quare nullam se ipsis habere gratiam: sed si per alium existiment rectiùs ipsos bellum executuros, cedere se prouincia: sin autem id sibi credant, ne muneri imperatorio ingerant se, rumores ne ferant, & debitum munus præstēt in bello obedienter: nam si imperatori animum inducant imperare, multò quàm nunc magis ridiculos in expeditionibus fore. Hac oratione magnā sui reuerentiam ciuibus, magnam futuri expectationē impressit: gratulantibus cunctis, quòd præteritis blandis ducē elegissent libertate dicendi & grauitate præditum. Plut. in Amilio.

IDEM postquam in Græciam uenit, in omne consilium intentus, cùm milites ex priore licentia more cerneret impatientes, uerbisq; multa, quid factum oportuisset, quasi duces forent, inaniter iactantes, increpuit eos: edixitq;, ne se torquerent, nec quicquam curarēt, nisi ut corpus & arma sua quisque præstaret expedita, gladioq; more Romano uteretur, ubi signum datum ab imperatore esset: nocturnas stationes sine lancea agerent, quò magis essent intenti, & resisterent somno, quòd ingruentibus hostibus non ualerent resistere. Plut. in Aemilio, & Galba.

MAGNVS Sforcia ingenio natura fuit candido, adapertoq;. Vnde quum dolis occultisq; aulæ artibus parum ualeret, facilè in insidias præceps dabatur: sed statim inde alleuatus fatali quadam uirtute resurgebat. Stata autem ætate, propter occultas hominum uoluntates, atq; ora fictitia: itemq; ad eludendos speculatores cohibere linguam, iram frænare, ac opportunè apteq; uaria persona uti didicit: ita tamen, ut si quid simulatius faceret aut diceret, à familiaribus, atq; domesticis facilè nosceretur. Natura siquidem eos oderat, qui animo ancipiti essent, multosq; recessus & uarios anfractus haberent, dissentiente præsertim fronte, in qua præclarè apud generosos ac probos, & fides & pudor habitarent. Iouius in uita Magni Sforciæ.

CONSILIARII.

Vide suprà, Materiæ respectu, In Consiliis.

Senatum Persarum (cui intererat Crœsus) aliquando interrogarat Cambyses, Qualis ipse uideretur esse uir ad patrem Cyrum? responderunt illi, Eum patre esse præstātiorem: qui & omnia illius haberet, & Aegypti ac maris accessionē adiecisset. Sed CROESVS, qui aderat, ad Cambysem inquit: Mihi tu quidem, Cyro genite, non uideris adæquandus esse patri: quippe cui nondum est filius, qualem ille te reliquit. Hoc audito Cambyses delectatus, Crœsi sententiam approbauit. Herodotus lib.3.

PETRVS Bagarotus Patauinus Iurecōs. quum Veneti Ferrariensi bello ab Pont. Max. anathematis interdicto prohiberentur bellū prosequi, & à Senatu Veneto super ea re à Patauino Iurisconsultorum collegio cōsilium peteretur, quid facto opus foret, ne Veneti eo anathemate ligarentur, neue conscientia territi à cœptis desisterent: aliis alia consulentibus, Petrus omnium primus legibus & rationibus consuluit, appellandum esse à sententia Rom. Pont. ad concilium

proximè futurum : [redacted]. Inde Venetias accitus ad firmandum eiusmodi inuentum, illic maxima tunc peste grassante, eodem & ipse morbi genere correptus, interiit, anno sal. M CCCC LXXXII. Bern. Scard. lib. 2. hist. Pat.

IVDICES.

Ex eius collo, qui inter AEGYPTIOS iudices primarium obtineret locum, numinis imago pendebat, gemmis & auro confecta, quod numen ipsi Veritatem nuncupabant. Hoc signo ostendebant, iudicis cordi oriq; ueritatē inesse semper debere. Aelianus lib. 14. & Diodorus Siculus.

PLINIVS iunior, Asiæ præfectus sub Traiano, Christianis omnibus eo tempore exosis, & impietatis nomine accusatis, luculentissimum innocentiæ testimonium dedit, Traianumque ad clementiam traduxit. Quod ex ipsius epistola uidere licet.

Apud ALEXANDRVM Seuerum Imp. tantum religionis auctoritas ac reuerentia ualuit, ut iudicatas à se causas, à Pontificibus atq; auguribus retractari, atq; aliter quàm ipse iudicasset terminari pateretur: minimè dedecori sibi arbitratus, in iis, quæ ad religionem pertinerent, imperatoriam maiestatem sacerdotum auctoritati cedere. Fulgosus libro primo, cap. 1.

LEGATI.

Tit. Reprehensionis liberæ, Qui, Legati, huc quoque referendus.

DEMOCRITVS Abderites, quum pro Atheniensibus apud Philippum legatione fungeretur, libereq; loqueretur: Philippus: Metuis'ne, inquit, ne tibi caput iubeam amputari? Non, inquit, nam hoc si mihi abstuleris, patria ipsa mihi immortale pro hoc reponet Max. serm. 31.

DERCYLLIDES Lacedæmonius, missus à Spartano populo ad regem Pyrrhum legatus, cùm eum Pyrrhus grauibus uerbis urgeret, ut Lacedæmonij Cleonymum regem, quem expulerant, in regnum reciperent: nulla illius dignitatis ratione habita respondit: Si deus es, nobis, qui iustā causam fouemus, minimè timendus es: sin homo, tantoperè nobis à te formidandum non est. Plut. in Lacon.

GERMANORVM legati gladium Alexandro Magno obtulere. Quos conuiuio adhibitos, cùm Alexander, Quid'nam maximè timerent (ratus, SE, dicturos) interrogaret: Nihil aliud, rex præstantissime (inquiunt) quàm ne cœlum in nos ruat. Auentinus lib. 1. Boiorum.

C. FABRICIVS à Rom. legatus ad Pyrrhum missus, ab eo rogatus est, ut inter duces atque amicos suos primum uellet accipere locum. Is ei in aurē insusurrauit, Non hoc, Pyrrhe, ex re tua fieri posset. nam qui nunc uirtutem mirati te suspiciūt, teq; amant, ac colunt, cùm me experti essent, à me potiùs, quàm à te regi cuperent. Fulgosus lib. 3. cap. 7. ex Plut.

C. POMPILIVS à senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret, tabellas senatusconsultum continentes tradidit. Quas ut legit Antiochus, dixit, Se cum amicis collocuturum. Ibi Pompilius uirgà solum, quo insistebat, denotauit, Et priùs (inquit) quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam. Continuò rex affirmauit fore, ne ampliùs de se Ptolemæus rex quereretur. Val. lib. 6. c. 4.

GEMINIVS missus à M. Antonij amicis, rogatum Antonium, caueret, ne abrogaretur sibi imperium, & hostis populi Romani declararetur, iussus, quamobrem uenisset, inter cœnandum expromere: Cætera, ait, sobrij quærere sermocinationem: unum uerò se & sobrium scire & temulentum, omnia recta fore, si abscessisset in Aegyptum Cleopatra. Plutarchus in Antonio.

Testis est Cornelius Tacitus, uenisse FRISIORVM oratores Romam, & in consessum publicum præsidente Nerone introductos, uidisse peregrino habitu inter Romanos sedere gentium oratores externarum: & interrogantes, Qui essent? cur multis stantibus illi sederent? responsum est, Hoc fidei datum gentium, à quibus erant missi. Tum ipsi Frisij iniussi sedes sibi delegerunt, præfati Germanis nullam gentē fide præstare. Imperator utrunq; legatū ciuitate donauit. Cranzius lib. 11. Saxoniæ, cap. 7.

EXPLORATORES.

Exploratores Israëlitarum XII in Chananæam missi, timore eorum populorum correpti, cùm rediissent, Israelitis dissuadere cœperunt, ne terram illam inuaderent: feracem esse quidem, uerùm populum robustissimum & immani statura, quosdam etiam Enaquinos, hoc est, gigantes, cum quibus collati ipsi, sibi locustæ esse uiderentur. Solus CALEBVS & IOSVA ueritatem nunciarunt, populumq; ad terram inuadendam animarunt, quòd duce Ioua facilè eos essent superaturi. Num. 13. 14. & 15.

RHETORES.

AESCHINES orator, cùm orationem suam (quam aduersus Ctesiphontem habuerat) Rhodi publicè legisset, & admirantibus Rhodiis, quónam modo tanta facundia cōuictus fuisset? Atqui, inquit, nulla uos teneret admiratio, si Demosthenem contra hæc disserentem audissetis. Philostratus Sophistis, & Plinius lib. 7. c. 30.

LYCVRGVS orator lingua utebatur ex generis claritudine libera. Ac cùm Athenienses aliquando concionantem non ferrent, exclamauit, cùm exploderetur: O flagrum Corcyræum, quàm multis talentis uales? Plut. in uita Lycurgi.

POETÆ.

Consule Titulum Satyricorum.

PHILOSOPHI.

Quum Alexander Magnus ad DIOGENEM uenisset, eumq; salutasset, percontatus est Diogenes, Quisnam esset? Quumque ille respondisset: Ego sum Alexander ille rex. At ego, inquit, Diogenes ille canis. Interrogatus, Cur canis uocaretur? Quoniam, inquit, dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. Vocatus aliquādo ad cœnam, negauit se uenturum. Roganti causam: Quoniam, inquit, heri mihi non sunt actæ gratiæ. Existimabat sibi deberi gratiā, quia nusquam iret asymbolus, sed philosophiæ sermonibus pasceret conuiuatoris & conuiuarum animos. Laertius libro secundo.

DEMONAX Hadriani tempore philosophus insignis, inter alias animi dotes & continentiam seruasse, & ueritatis amātissimus fuisse dicitur. Volat. lib. 15. Anthrop.

AMMONIVS Alexandrinus, & (Eusebio libro sexto historiæ Ecclesiasticæ teste) Christianus, tam studiosus ueritatis fuit, ut nunquam mentitus sit. Volaterranus libro 13. capite tertio Anthropologiæ.

HISTORICI.

Lex HISTORICO data, talis est: Ne quid falsi dicere audeat, ne quid ueri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis. Polyd. lib. 3.

IVRECONSVLTI.

ANTISTIVS Labeo, qui cum Cæsare Augusto uixit, Trebatij Testæ discipulus, non Iuris modò, sed totius quoque antiquitatis, omniumque artium peritissimus, & planè polyhistor, ut refert Gellius, Augusto non admodum carus, propter magnam ingenij linguęq; libertatem. Viues in August. lib. 2. de Ciuit. Dei, c. 11.

HOSTES.

EVRYSTHEVS regis captiuus, erga Alcmenam laudat Herculem, ut uirum fortem, apud Eurip. in Herac.

- κὴ γὰ ἐχθρὸς ὢν
ἀκύσεται γ' ἐσθλὰ, χρηστὸς ὢν ἀνήρ.

Quamuis hostis, audiet tamen bene, uir bonus existens.

AGESIPOLIS Spartanorum rex, cùm Athenienses querimoniarum, quas cum ipso mutuas habebant, arbitram delegissent Megarensium ciuitatem: Turpe, inquit, si Megarenses meliùs norunt, quid iustum sit, quàm hi, qui se Græcorum duces ac rectores præstiterūt. Ab ipsis igitur quibus cum litem habebat rex, uoluit finiri dissidium. Plutarchus in Laconicis apoph.

Cæcilius METELLVS, Scipionis, quem uiuum oppugnauerat, morte doluit, filiisq; suis eius lectum iussit subire. Diis autem memorauit Vrbis causa gratias se agere, quòd alibi non esset Scipio natus. Plut. in Apoph.

L. Corn. SYLLA in colloquium de pace cum Archelao Mithridatis copiarum duce uenit. Exorsus orationem Archelaus, postulauit ab Sylla, ut expeditione relicta Asiana & Pōtica, ad bellum ciuile contra Marium proficisceretur: Regem ei argenti, nauium, militum quantum uellet præbiturum. Excipiens Sylla hortatus est eum, Mithridatem ut relinqueret, ipse loco illius regnaret, appellaturum se eum socium & amicum, si classem regis sibi tradidisset. Proditionem Archelao detestante: Et tu, inquit, Archelaë, qui Cappadox es & regis seruus barbari, aut si mauis amicus, recusas præmiis propositis tantis subire turpitudinem: apud me uerò Romanum imperatorem & Syllam, mentionem audes facere de proditione? quasi non ille sis Archelaus, qui Chęroneæ exigua cum manu de centum & XX millibus militum fugisti: inde duos dies in Orchomeniorum delituisti paludibus, atque infestam Bœotiam ob cadauerum stragem reliquisti. Tum immutatus Archelaus orauit eum supplex, bellum ut componeret, pacemq; præstaret Mithridati. Eius postulatis annuit Sylla. Plut. in Sylla.

Balduino III. Hierosolymorū rege mortuo, NORADINVS Turcorum princeps bellicosissimus, cùm ad irrumpendum, dum exequiæ pararentur regi, à suis instigaretur, dixisse fertur: Compatiendum est, & humanè indulgendum iusto corum dolori, eo quòd principem amiserint, qualem reliquus non haberet orbis. Tyrius.

PRÆCEPTORES.

PLVTARCHVS, euecto ad imperij dignitatem Traiano discipulo suo, ita scripsit: Tuę uirtuti, & fortunę gratulor meę: si tamen, quem probè meruisti, gesseris rectè. Alioqui te periculis & me obtrectatorum linguis expositum iri non dubito: cùm & ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & sermo populi discipulorum offensas delegare soleat doctoribus. Ita Seneca Neronis sui uitio detrectatorum linguis uellicatur, adolescentium suorum uertit in Quintilianum temeritas, & Socrates in pupillum suum fuisse indulgentior culpatur. Tu uerò cuncta rectè geres, nisi à te ipso desciueris: si primum tete composueris, si omnia retuleris ad uirtutem, ita rectè tibi procedent cuncta. Politicas & morales uirtutes tibi descripsi. Quibus si obtemperaueris, Plutarchum uiuendi habebis auctorem. Alioquin epistolam hanc testē appello, non pergere in perniciem te imperij auctore Plutarcho. Plut. in Præceptis politicis.

QVO CONSILIO, QVA Occasione. Causa

Alexandrum apud Arbelas totius certaminis aleam cum Persis subiturum, pleriq; ex amicis adeuntes grauiùs milites MACEDONAS accusabant, qui in tentoriis sermones serent depacisc erenturq;, nihil se hostilium spoliorum in regiam relaturos, sed sibi ea omnia uendicaturos. At is lætè, quæ dicerentur, accipiens: Prospera (inquit) nunciatis: uincere cogitantium ista sunt consilia. Quum uerò hostiles copiæ myriadas uiderentur centum excedere, hoc est, decies centena hominum millia: identidem Alexandro ingessere milites, ὦ βασιλεῦ, θάῤῥει, κὴ μὴ φοβοῦ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων· αὐτῶν γὰρ ἡμῶν τὸν γράσον οὐχ ὑπομένουσι: Confide rex, neq; pertimescas hostium multitudinē: ipsum enim grasum nostrum non perferent, hoc est, hircum qui sub alis nostris latet. Hinc nata parœmiæ species, ut qui primo funduntur impetu, fuganturq; priùs quàm intra teli iactum ueniant quo dammodo, ne grasum quidem dicātur pertulisse. Cælius libro uigesimoquarto, cap. 18. Antiq. Lect.

Cùm ANTIGONVS II. Macedonū rex cum classe apud Andrum esset, & militum unus hortaretur, ut inde abiret, quia hostium classis nauium numero maior appropinquare dicebatur, ut qui ingentis animi plenus erat: Antigonus respondit, Et me pro quanto nauium numero censes? Plutarchus in Apophtheg. At com. de Suiipsius laude, pro Andro Coum legit.

Lacedæmoniorum rex AGESILAVS in prima iuuenta, cùm non sine ingenti Græcorum omnium trepidatione grauis fama manaret, Persas ingenti exercitu in Græciam traiecturos: ciuibus suis paruo exercitu obtulit se non defensurum modò patriam, sed in Asiam quoq; traiecturum, atque inde de Persis aut uictoriam, aut honestam pacē reportaturum. Huius animi fiducia freti Lacedæmones, decem millia armatorum ei dederunt. Plutarchus.

HOSTEM TERRENDI.

IPHICRATES, cùm in procinctu aduersus barbaros staret, uereri ait se, ne Iphicratem ignorarent, quòd nomine solo consternaret hostes. Plut. in Apophtheg.

PROBVS Imp. Narsetis Persarum regis oratoribus, qui cum ingētibus donis ad se missi erant, dixit, Vt regi suo referrēt: mirari Probum, quod è tantis rebus, quæ ex præda Probi futuræ erant, iisque bene usurus esset, tam paruam ad se partem misisset? Hac animi confidentia Persæ moti, præ formidine pacem petierunt. Fulgosus lib. 3. cap. 7.

MAGNVS Sforcia, missus à Ioanna Neapolitana regina cum ualidissimis copiis, ut urbem Romam impotenti Braccij Montonensis (alij Perusinum uocāt, qui anno 1418. omnem Pōtificis ditionem occupauit) dominatu liberaret, ad promerendam eo insigni beneficio gratiam apud Martinū V. Pontificem inter Appiam & Latinam portam castra locauit. Inde cùm Braccium, uel missa per præconem crueta ad eum cheirotheca, ut iusto prælio certaretur, frustrà prouocasset: supra Ostiam demum Tyberi ponte constrato exercitum traduxit, tanta animi magnitudine uictoriæq; fiducia, ut dubitantibus sciscitantibusque præfectis, an ullum haberet amicum, à quo commeatum esset petiturus? comprehenso gladij capulo responderit: Hic uiris & fortibus omnia feliciter expediet. atque ita pontem rescindi iusserit. Ad eius rei famam adeò mente commotum fuisse Braccium ferunt, ut diffisus populo Romano, nec cōclamatis quidem uasis, multisque relictis impedimentis per Miluium pontem se proriperet, atque inde rescissa pontis parte, ne hostis insequi posset, in Vmbriæ fines citato agmine deferretur. Iouius in uita Sforciæ.

CONSOLANDI.

Post Socratis mortem, cùm permulti illius familiares in cœtu quo[redacted]starentur, PLATO præsens poculum cepit, omnesq; illos bono esse animo hortatus est: quia uires sibi regendæ scholæ sufficerent, ac Apollodorum poculo prouocauit. Qui dixit, quòd libentiùs ac suauiùs ueneni calicem à Socrate exciperet, quàm ab ipso uini poculum. Athenæus lib. 11. cap. 22.

PHOCION cetera quidē placidus fuit: at dānatus, cùm aliis in rebus multis animi manitudinē demōstrauit, tū uni ex sociis Euippo, qui cum eo rei capitalis damnati erant, eiulanti & grauiter mœrenti: Quid ais, inquit, non præclarè agi putas tecum, qui mortem cum Phocione oppetis? Plutarchus de Sui laude.

ANIMANDI SVOS.

Homerus VLYSSEM finxit, amicis eius ad strepitum & fluctus apud Charybdim trepidantibus, subiicientem prudentiam & uirtutem suam:

Haud etenim grauiora premunt discrimina, quàm cùm
Vis nos uasta cauo tenuit Cyclopis in antro:
Eripuit tamen hinc mea uos prudentia mensq;.

Neque enim auram popularem captantis est, neq; ad ostentationem declamantis ea laus, neq; plausum uel popysma postulantis, sed uirtutem & scientiam bene sperandi amicis pignus dantis. Quippe magni momenti dubiis temporibus est ad salutem, uiri usu imperatorio & solertia præditi gloria & fides. Plut. de Laude suiipsius.

CYRVS in discriminibus & in acie iactabundus erat: aliàs nō magniloquus. Plut. de Sui laude.

VENIÆ IMPETRANDÆ.

Sic Supplices. Vide locum.

Dion Syracusanos à tyrannide Dionysij liberauerat. Illi ingrati, Heraclidis nauarchi suasu XXV prætoribus creatis, Dionem ignominiosè urbe expulerunt. Victi autem à Nypsio Dionysij duce, Dionem denuò supplices aduocarūt. Ille hostes in arcem cōpulit. HERACLIDES & THEODOTES ultrò dediderunt sese Dioni, culpam fatentes orantesq; eū, ut benigniorē in ipsos præberet se, quàm in se fuissent ipsi. Decere Dionem uirtute omni alia præditum incōparabili, irę quoq; imperare aduersus ingratos: qui de qua antè cum eo contendebant, nunc uinci se uirtute fateantur. Hæc illis precantibus, Dion ueniam clementer, reclamantibus licèt amicis, concessit. Plut. in Dione.

DIGNITATIS ACQVIRENDÆ.

P. & Cn. Scipionib. in acie Punica oppressis, P. SCIPIO quartum & uigesimum annum agens, uirtutis suæ confidentia, iturum se Carthaginem pollicitus est, nec patris, nec patrui funeribus à Reip. studio auersus. Valerius Max. lib. 13. cap. 7.

M. CATO decem annis post consulatum censuram petiuit. Eam petitionem ferè nobilissimi quique & principes senatus premebant. Aestuabant enim inuidia patricij, quòd suggillari putarēt nobilitatem hominibus nouis, ad summum honorem & potestatem aspirātibus: improbi uerò suarum libidinum sibi ipsi conscij, & moris ueteris uiolati, austeritatem eius inexorabilem in summa potestate & tristem uerebantur futuram. Itaq; coitione facta, septem ab se subornatos Catoni competitores in campum deduxêre. Hi prensantes plebem, bonam spem tanquam placidam quærenti, & remissam ostendebant censuram. Contrà Cato nihilo leniùs agebat, imò apertè pro Rostris minitans malis, uociferansq; magna lustratione ciuitati opus esse consulere multitudini, ne lenissimum, si sapiant, sed acerrimū deligant medicum. Eum se esse, & ex Patriciis unum L. Valerium Flaccum: illo enim se solo collega sperare, luxu & mollitia uelut hydra execta atque adusta, operæprecium facturum: reliquos uidere quosque molientes, malè censuram gerere, quòd eos qui gesturi eam sint rectè, expauescant. Atqui tam celsus erat, & celsis dignis ducibus populus Romanus, ut non horreret terrores eius & supercilium, sed mites illos & magnam lenitatem ostentantes repudiaret: designaret autem cum Catone Flaccum, quasi non candidatum illum censuræ, sed censorem iam & præcipientem audiens. Plutarchus in Catone.

Rodulphus, sacræ militiæ Teutonicæ in Borussia magister, cū septem millibus bellatorum fuderat duodeuiginti Polonorum millia. Fuit uictoria illa insignis, sed ob mortem Ducis minus læta. Agitatū est non multo pòst de nouo magistro reficiendo in demortui locum, ubi quum suffragia multitudinis uariarent, nec in unum aliquem plurium studia inclinarent, concessa est uni facultas eligendi ex omni numero, quem uellet, modò dignissimum tali honore iudicaret. Fertur quisquis fuit ILLE, cui talis potestas obtigit, sibi magisterium atrogasse: publicè testatus, nullum credere se eiusmodi honore digniorem. Nam quo animo forent alij, parum se eploratum habere, suum sibi animum satis notum esse: quippe qui omni tēpore optauerit aliquid sibi dari, quapropter insigniter totum religionis nomen pemeretur. Tenuit ille eiusmodi adagio, ut uniuersa multitudo reprobauerit,

uerit. Aeneas Syluius capite 29. Europæ. & Sabellicus libro 4. Enneadis 19.

Germani Robertum Palatinum Rheni Venceslao Ignauo substituerant. Eo mortuo, rursus comitia indicuntur. Ad quæ cùm SIGISMVNDVS Rex Hungariæ, tanquam Marchio Brandeburgensis, qui unus Electorum habetur, uenisset, dignitatisque Regiæ gratia primus sententiam esset rogatus de Cæsare nominando, se ipse nominauit, Me, inquiēs, ego noui, alios non itidem, an æquè atq; ego imperio orbis digni sint, præsertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque schismate ibi durante plurimum laborat. Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi uocem cæteri Electores, communique assensu illam approbantes, ipsum Sigismundum, Venceslai fratrē, Cæsarem consalutarūt. Qui ut ostenderet, non tam se honoris ambitiosum, quàm laboris pro republica Christiana subeundi cupidum esse, ut illam uide. licet in pristinum statum, erroribus & schismate sublatis, reduceret, laboriosissimam peregrinationem obiit, quamagnam partem Europæ peragrauit, dum Italos, Gallos, Hispanos, Britannos, & alias nationes ad concilium Constantiæ in Germania celebrandum contrahit. Dubrauius libro 23.

VERITATIS PRACTICAE ACCIDENTIA.
VIDELICET

FRVCTVS, PRAEMIVM

DIGNVM. VT EST

Dei fauor.

AD DANIELEM prophetam, dum populi & patrum peccata confitetur, Gabriel angelus aduolasse dicitur, & eidem libe rationem eorum de Babylonica seruitute mox futurā nunciasse. Ex quo apparet, humiliter confitenti præstò esse angelorum ministeria, & eundem his internuncijs Deo reconciliari, & de peccati iugo ad innocentiæ libertatem reuocari. Marulus lib. 4. cap. 11. ex Dan. 9.

Absolutio.

Apud ATHENIENSES si reus capitis pœnam liberè iudicibus fassus esset, uel dimittebatur, uel pecunia multabatur. Nec res ulla magis Socrati obfuit, quàm quòd philosophicalibertate nec fateri culpā nec pœnā deprecari noluisset.

Priuerno capto, interfectisq; qui id oppidum ad rebellandum incitauerant, Senatus Rom. indignatione accensus consiliū agitabat, quidnam sibi de reliquis quoq; Priuernatibus faciendum esset. Ancipiti igitur casu eorum salus fluctuabat, eodem tempore & uictoribus & iratis subiecta. Cæterùm cùm auxilium unicum in precibus restare animaduerterēt, ingenui & Italici sanguinis obliuisci non potuerūt. PRINCEPS enim eorum in curia interrogatus, quam pœnam mererentur? cùm respondisset, Quam merētur, qui cùm se dignos libertate iudicarēt, arma sumpserunt, exasperatos P. C. animos, uerbis inflammauerat. Sed Platius consul fauēs Priuernatum causæ, regressum animos eius dicto obtulit: quæsiuitq;, qualem cum eis pacem habituri Romani essent impunitate donata? At is constantissimo uultu: Si bonam dederitis (inquit) perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua uoce perfectum est, ut uictis non solùm uenia, sed etiā ius & beneficium Rom. ciuitatis daretur. Valerius libro sexto, capite secundo.

Herodes Antipatri Iudeæ præfecti F. XV. annorum Galileæ præfectus, Latronum duce Ezechia cæso, magnum sibi nomen comparauit. Id ægrè ferentes Iudæi, præsertim cùm in urbe omnia ex Antipatri sententia gererentur, & Hircanus nomen tantùm regis haberet, potestas omnis penes Antipatrum & filium eius Phasaelum esset: Hircano persuadent, uti ad causam dicendam Herodē uocaret, accusantibus eum Iatronum, quos indicta causa occiderat, matribus. Herodes armata manu ad iudicium uenit. Ibi omnibus metu silentibus, SAMEVS Pharisæus, uir pius & iustus, exurgens, Herodem imprimis reprehendit, qui armatus in iudicium uenisset, non tam rationibus quàm armis sese defensurus. Deinde uerò regem ipsum Hircanum & Iudæorum senatores, qui tantam licentiam Antipatro eiusque filiis permisissent, & non obscuram ad regnum occupandum uiam dedissent. Prædixit item fore, ut ab hoc ipso reo, quem nunc absoluerent, miseris modis torquerentur. Id quod non multò pòst accidit. Quoniam Herodes iudicij huius iniuidia contra Hircanū arma mouit, & à Senatu Rom. rex appellatus, omnes eos, qui ei iudicio interfuerant, trucidauit: soli Semeo propter libertatem dicendi pepercit: simul etiam quoniam auctor fuerat Hierosolymitanis Herodem recipiendi, quòd propter populi peccata hæc dininitùs accidere assereret. Iosephus libro 14. cap. 18.

Philippensi acie uictis Bruti militibus, erat LVCILIVS quidā inter M. Bruti amicos uir bonus. Hic equitū cateruam barbarorum cernens in consectando cæteros negligentes, in Brutum autem effusis se ferentes habenis, statuit periculo suo illos inhibere: paululumq; à tergo relictus, ipse Brutū se esse indicauit: & fidem faciebat, quia orauit, ad M. Antonium ut ducerent se: quasi Cæsarem timeret, & fideret illi. Hi præda sua ouantes, & mirificam fortunam rati suam, abduxerunt illum dieiam fero, præmissis certis ex suis ad Antonium nunciis. Lætus ille processit ducentibus obuiam: a- liisq; qui uiuum attrahi audierant Brutum, accurrerunt, pātim eius miserantes fortunam, partim illa gloria ducentes indignum, qui lucis cupiditate præda factus foret barbarorum. Cùm appropinquarent, substitit Antonius suspensus, quemadmodum Brutum exciperet. At Luciliu ad eum adductus fidēti animo: M. Brutum, inquit, Antoni, nemo cepit neq; ceperit hostis. Dij meliora, quàm ut tantopere uirtutē calcet fortuna. Verùm ille repertus uiuus, uel certè, uti lo dignū est, mortuus. Ego uerò militib. tuis impositi, atq; adsum, nihil huius rei causa sufferre acerbi recusans. Sic sato Lucilio, omnibusq; obstupefactis, Antonius in illos, qui adduxerant eum, intuitus: Nempe iniquè, inquit, fertis commilitones, quòd errore isto arbitremini uobis illusum. Verùm habetote, cariorem uos, quàm quærebatis, reperisse prædam: quippe dum hostem quæritis, adduxistis nobis amicum. Nam ego Bruto incertus sum hercle quid facerem uiuente. Tales uerò amicos malim adipisci, quàm hostes. Ita locutus, & Lucilium complexus, commendauit eum tūc uni amicorum, coq; deinceps fido & firmo ad omnia perpetuo usus est. Plut. in Bruto.

C. MEVIVS centurio Augusti Cæsaris, cùm Antoniano bellò sæpenumero excellēres pugnas edidisset, improuisis hostiū insidiis circumuentus, & ad M. Antonium Alexandriā perductus, interrogatusq; quidnam de eo statui deberet? ingulari me, inquit, iube, quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles desinām, aut tuus esse incipiam. Cæterùm quo constantiùs uitam contemsit, eo faciliùs impetrauit. Antonius enim uirtuti eius in columitatem tribuit. Val. lib. 3. cap. 8.

VIR Prætorius stupri uirginibus Vestalibus illati insimulatus, dubia etiamnum causa, & incertis quæstionibus atq; tormentis, de semet facinus professus, liberæ confessionis causa, reliquis in comitio uirgis ad necem usque cæsis, ab Imp. Domitiano in exilium missus fuit. Suetonius.

Seuerus Imp. posteaquam Nigrum prælio uicit, eosque damnare inciperet, qui illius partes secuti essent: CASSIVS Clera senator accusatus, id se feciſſe non negauit, imò liberrimè ostendit, cùm casu euenisset, ut partes Nigri sustineret, necessariò quod ei sors obtulisset se secutum esse: ipsum etiam Seuerum noluisse quenquam eorum, qui cum eo erāt, & suam causam defenderent, proditorem ad alios transfugere. Seuerus licentiam hominis admiratus, libertatemque loquendi, dimidiam ei partem bonorum concessit. Actodius ex Dionis Seuero.

Decimo anno Leonis Magni Imp. ISOCASIVS: quæstor Antiochiæ, idemq; philosophus, delatus est apud Imperatorem, quòd Græcam religionem teneret. Is eum examinari iussit apud præfectum urbis Constantinopolis. Cùm ergo manibus post tergum reuinctis adduceretur, ita eum præfectus urbis Posæus alloquutus est: Vidésne Isocasi, quo habitu ades? Respondit ille: Video, neque miror: homo enim in humanam deueni calamitatem. Tu uerò ita mihi rius dicito, sicut me collega solebas dicere. Imperator re cognita, lætus eum domum remisit. Cedrenus.

RVSTICIANA Romana mulier, ultura patrem Symmachi (quem Theodericus rex Gothorum cum Boëtio eius genero interfecerat) suis ciuibus auctor fuit post regis interitū, ut ab abolendam Barbari memoriam eius statuæ tollerentur è medio. Id posteà facinus, maiestatis accersita apud Totilam eiusdem gentis regem, tam constanter confessa est, ut Barbarus eam miratus, etsi causam improbaret, tantam tamen indolem uenia dignam censuerit. Sab. lib. 3. cap. 6.

POMPON. Lætus incidit Romæ in maximū discrimen, quòd cum Callimacho, Platina, & aliis quibusdam non uulgari eruditione uiris, in Paulum Pontificem Max. coniurasse putabatur. Estq; iam peregrè profectus ea de causa sub custodia Romā deportatus. In quæstione datum est illi noxæ, quòd sibi & permultis adolescentibus, qui literarum studia affectarentur, nomen immutasset. Nam pro Petro Pomponij nomen sumserat, antiquitatis studio amore. Cæterùm in tanto discrimine, nihil æquè illi profuit ac liberum ingenium. Homo enim simplex, ac nihil mali cogitans, appellatus de Pomponij nomine, à Vianesio antistite, qui quæstioni præsidebat, Quid, inquit, tibi & Paulo Pontifici, si mihi fœniculi nomen indidissem? Custodia inde eductus, per XXIIX. annos Romæ docuit. Sabellicus in eius uita.

Vita.

CALEBVM & IOSVAM ueritatis causa Dominus è DC mil libus Iudæorum solos, ne in deserto perirent, seruauit. Vide Tit. Pœna mendacij.

ACHIOR Ammonitarum dux, petente Olopherne duce Nabucodonosoris regis, ut sibi narraret, qui & quales Iudæi essent, qui soli ex omnibus occidentalibus sibi obuiam uenire neglexissent: ueritatem dixit, & Iudæos inuictos semper fuisse asseruit: si Dei sui præceptis paruissent. Eaq; propter non priùs armis illos uinci posse, quàm contra Deum patrium deliquissent. Ea uoce offensus Olofernes, Achiorē uinctum Bethuliam duci iussit, & Iudæis tradi, ut quandoquidem tantum Iudæorum Deo fideret, Nabucodonosoris ense unà cum Iudæis funditùs periret. Iudith 5. & 6.

Mors.

Ioannes Dinus, Ioannem Costanum Burgundionem accusarat, compellatum se ab eo dicens, ut acceptā grandi pecunia uenenum perferret, quo CAROLVS Comes Carolesius (dux Burgundiæ) de medio tolleretur. Is posteaquam Costanum securi percussit, Dinum quoque ad se uocatum interrogauit: Si Costanus pecuniā quā promiserat præstitisset, an eū accusaturus fuisset? Cui Dinus, fretus indultū iri, palàm fassus est: Se eum non detecturum. Quamobrem Comes iussum Dinum Christiano more sacerdoti crimina sua fateri, eadem hora ipsum quoq; securi percussit. Iusta, & uelocimercede ei data duarum proditionum, erga amicum & principem. Fulgosius lib. 6. cap. 5.

Libertas.

Sancio Castellę & Nauarrę rege, dum fororum regno inhiat, perinsidias cæso, Aldefonsum eius fratrem, apud Almenonem Maurum Toleti exulantem, Castellani & Nauarrenses regem dixerant, quem propter ingenij acumen & animi robur Mauri suspectum habebant. Dubitantibus amicis, utrū Almenoni rem detegeret nēne, ueritis, ne ad iniqua pacta adigeretur, confidens in Domino respondit: Almenon honorificè me recepit, & necessaria liberaliter ministrauit, & ut filium me tractauit: quomodo eum celare potero ea quę Dominus mihi fecit? Itaque ei quicquid per nuncios acceperat reuelauit. etsi Almenō hęc omnia iam rescisuerat, & omnium uiarum trāsitus fecerat diligentissimè obseruari, ut sese inscio abiret, caperetur. Proinde, Gratias, inquit, ago Deo altissimo, qui me ab infamia liberare, & te à periculo uoluit custo dire. Si enim me inscio aufugisses, seruitutē aut mortem nullatenus euasisses. Nunc autem uade, & accipe regnum tuum, & de meo accipe aurum, argentum, equos, & arma, quibus possis tuorum animos conciliare. Iuramentum insuper de Toletano regno non inuadendo & sibi & filio suo primogenito Issem præstare coēgit. Rodericus Toletan. lib. 6. rer. Hisp. c. 20.

ADOLPHVS priusquam eligeretur in Romanorum regem, quinque ducis Brabantię satrapas prelio uicit. Captus ipse, & rogatus à Duce, Quis esset? Comes sum, inquit, Nassouię, rerum dominus non magnarum. At tu quis es? Sum, respondit ille, dux Brabantiæ, quem bello persecutus es assiduo, & cui quinq; duces strenuissimos occidisti. Tum Adolphus: Miror, inquit, quomodo ensem meum euaseris, quem in te acueram, quum te præ omnibus occidere uoluerim. Dux Brabantiæ audiens liberam hominis uocem, liberum dimisit: munetibusq; insuper ornatum, in familiaritatem suam accepit. Cuspinianus in Adolpho Imp.

Laus, Commendatio.

MANDANES Gymnosophista, cùm Alexandri nuncij eum ad Iouis filium uocarent, respondit: Nec illum Iouis filium esse, nec magnæ parti terrarum imperare: nec se illius donis permoueri, nec minas timere. Vnde & ab Alexandro laudatus, & uenia donatus est. Strabo lib. 15.

PHOCION Athenienſi populo in nulla re blandiebatur, ut quem uel ridentem uel flentem nemo unquam uiderit: ut mirum sit, quî & unde uir adeò asper & tristis cognomē inuenerit Boni. Plutarchus in eius uita.

Præmia.

Athenæus 2. Dignosophistarum libro cōmemorāt, In Bacchi certaminibus præmium fuisse tripodem, atque ob id qui uera dicerent uulgò de tripode loqui dictos. Tripodem autem fuisse leberem tribus sultum pedibus. Huius duo erant genera, alterum Apollinis, ob ueriratem oraculorum: alterum Bacchi, in quo uinum miscebatur, quòd ebrij uera loquantur. Erasmus in Adagiis.

Auctoritas.

T. POMPONIVS, eques Romanus, & amicus Ciceronis (ob linguam Atticus dictus) mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Quapropter omnes ei res suas amici curandas certatim dabant, consiliumque ab eo de Repub. deq; rebus magnis petebant. Corn. Nepos.

Dignitas.

DEMETRIVS Phalerei F. cùm Aristagoram Corinthiam amicam haberet, sumtuosēq; uiueret, atq; Areopagitę ipsum ad frugalitatem hortarentur: At nunc liberiùs uiuo, dixit: nam & amicam habeo pulcerrimam, neminem offendo, ui num Chium bibo, & aliorum quantum mihi sufficit comparo, cùm priuati mei reditus in has impēsas sufficiant. Nō uiuo autem sicut uestrūm nonnulli, donis corruptus, & stupris delectatus, atq; res huiusmodi perpetrantium quorundam nomina enumerauit. Quæ cùm Antigonus rex audiuisset, legislatorem eum constituit. Athenæus libro quarto, capite uigesimo.

Obsequium.

Egit Iustinianus Imp. cùm AGAPETO Pontifice Theodati regis legato, ut Eutychianam opinionem comprobaret. A qua cùm ille abhorreret, instaretq; Imperator, minas precibus miscens: Putabam, inquit Agapetus, uenisse me ad Christianum principem: sed, ut deprehendo, ueni ad Diocletianum. Tam libera uoce delectatus Imperator, Anthemio huius hæresis fautore electo, Mennam Constantinopolitanū Episcopum creauit. Fulgosius & Egnatius libro 6. capite 2. Ioan. Magnus lib. 10. cap. 10.

Gregorius XI. Lemouicensis patria, Auenione pontifex creatus, in adolescentia uersatus in Italia sub Baldo præceptore, considerauit rem ecclesiasticam nulla re meliùs, quàm curiæ in urbem reductione, posse cōponi. Accessit EPISCOPI cuiusdam admonitio, quem, cur apud ecclesiam suam non esset, quum corriperet: audiuit, Et tu cur non apud tuā? Clām igitur Gallis profectus, peruenit in Vrbem. Cranzius lib. 9. Metrop. capite 1.

Vectigalium remissio.

Pisistratus tyrannus decimas exigebat ab Atheniensibus eorum, quæ in agris prouenissent. Cùm aliquando obambularet, uideretq; SENEM quendam loco petricoso laborantem, rogabat, Quósnā fructus inde colligeret? At is respondens, Dolores, inquit, & sphacelos, atque horum decimas exigit Pisistratus. Tyrannus admiratus hominis libertatem, decimas Atheniensibus remisit. Ea res in uulgi sermonem abiit, ὡς σφάκελοι ποιῶσι ἀτέλειαν, Etiam sphaceli immunitatem faciunt. Erasmus ex Suida.

Pax, Concordia.

Quo tēpore Philippus Macedonum rex, ortis discordiis cum uxore ac filio dissidebat, ad eum uisendi gratia profectus est DEMARATVS Corinthius. Qui cùm interrogatus esset, Quàm benè inter se Græciæ ciuitates conuenirent? facetissimè ei respondit: Magnæ profectò tibi curæ est, Philippe, ut de Græcorum concordia certior fias: siquidem haud iniuria id ad te pertinet, posteaquam cum coniuge tua ac filio tam cōcorditer, tantoq; in amore uiuis. Quod facetum, nec minùs mordax uerbum, ita Philippum pupugit, ut postea cum uxore ac filio in grātiam rediret. Plutarchus de Discernendis adul.

INDIGNVM.

Olofernes, Nabucodonosoris dux, ACHIOREM, eo quòd Iudæos non nisi permittente Deo uinci posse dixisset, uinctum Bethuliam duci iussit, & Iudæis tradi, ut quandoquidem tantum Iudæorum Deo fideret, Nabucodonosoris ense unà cum Iudæis funditùs periret. Iudithæ 5. & 6.

Dionysius maior tyrannus, PLATONE philosopho accersito ad se, primùm quidem laude maxima dignum eum reputauit, quòd libertatem in eo dignam philosopho animaduertisset. Postea uerò quibusdā eius sermonibus offensus, animo prorsus ab eo alienatus, in forum productum quasi mancipium uiginti minis uendidit. Sed philosophi eò conuenientes, emtum eum in Græciam ablegarūt, hæc simul admonentes: quòd uirum sapientem aut rarissimè, aut suauissimè uersari cum tyrannis conueniat. Diod. lib. 15.

CALLISTHENES Olynthius, discipulus Aristotelis, & consobrinus, Alexandro Macedoni comes adiunctus fuerat. Is eum corti ferreæ inclusit, unà cum Nearcho tragico: ubi à pediculis consumtus dicitur, eò quòd ipsi suasisset, ne se ab Atheniensibus dominum uocari pateretur. Quidam uerò eos, ut Alexandro insidiatos, dicunt interfectos. Suidas.

PHILOXENVS Cytherius Dithyramborum poēta, quū inepta Dionysij tyranni poēmata laudare nollet, in latomias detrusus est. Gyraldus Dial. 9. hist. poet.

CASSANDER, Antipatri F. Babylonem ueniens, uir cùm barbaros uenerabundos Alexandrum salutantes in libertate Græca enutritus, irrideret: ita exarsit Alexāder, ut arreptum crinibus caput eius ambabus manibus uehementer contuderit ad parietem. Plut. in Alexandro.

ANNÆVS Cornutus, doctrina & eruditione clarissimus (cuius opera Nero in scribendis carminibus potissimùm utebatur) quòd nonnullis existimantibus quadringentos libros à Nerone scribi oportere, nimium multos esse dixisset, in exilium actus fuit. Xiphilinus in Nerone.

CORDILLA Leyri Britannorum antiqui regis filia, natu minima, cui præcox natura ingenium dederat, interrogata à parente, An parentem multum diligeret? respondit, Se parentem ferre in oculis, semperque laturam: licèt deinde contingeret, ut quempiam alium (de marito intelligebat) ardētiùs amaret. Quo responso, tametsi sapientiæ pleno, Leyrus indignatus, indotatam regulo Gallo puellæ formæ capto collocauit. Sed haud multo pòst à generis & filiabus suis natu maioribus ingratissimis, eius mortem longum expectare censentibus, regno spoliatus, ad Cordillam confugere coactus est: à qua in regnum restitutus, interfecti generis, triennium regnauit. Polyd. lib. 1.

Chilpericus rex falsis criminibus circumuentum PRÆTEXTATVM episcopum Rothomagensium in exilium eiecerat. Chilperico insidiis Fredegundis uxoris adulteræ sublato, reuocatus est à regina. Ibi libera uoce, sed alieno tempore, cùm exilium ei regina exprobrasset, respondēs, Se etiam in exilio episcopum fuisse, illam non perpetuò omnium potentem futuram, nouam reginæ indignationem cōcitauit. Ergo Fredegundis die Resurrectioni festo in templo per sicarium sustulit Prætextatum. Tegendi sceleris causa continuò cum aliquot proceribus animam propè agentem inuisit episcopus, uelut uicem eius miserata, dicens se illius casum molestè ferre, mirumque esse tam celebri die in æde sacrā non modò ei opem latam nullam, sed ignorari etiam parricidam. Tunc, ut in morte, nihil timens, Prætextatus respondit eius scelere se percussum, quæ & reges sustulisset. Episcopis auctoribus templa ciuitatis Rothomagensis omnia clausa, quo ad parricidæ inuestigarentur, cædesq; ea lueretur. Vile caput pœnas dedit: iuuenis nullius nominis qui uulnerauerat, filio fratris Prætextati deditus. expressa ei tormentis confessio est, ipsius manu parricidium factum, pecunia accepta à Fredegunde, & Melanthio, qui exuli Prætextato subrogatus fuerat, & ab eiusdem factionis Archidiacono. Tunc filius fratris Prætextati contineri præ ira non potuit, quò minùs reum extemplò confoderet stricto ferro. Aemilius libro 1. ex Turonensis libro quinto Historiarum, cap. 18. & libro 8. capite 31. & 41.

S. LAMPERTVS Pipinum principem increpare ausus, quòd pellicem Alpiadem Plectrudi legitimæ uxori superduxisset, à Dodone fratre ipsius Alpiadis Leodij interfectus est. Sigebertus in Chronico.

IGNATIVS, Patriarcha Constantinopolitanus, ab Theodora, Theophili Imp. matre in pontificiam sedem euectus, Bardam Cæsarem, qui uxorem sine causa dimiserat, & cum sua nuru consueuisse dicebatur, sacram ædem ingredi uetuit. At ille Pontificem ea de causa ecclesia pellit, & multis malis exagitatum sepulcro tādem includit: pòst inde exactum, in Mitylenem insulam relegat. Zonaras in uita Theophili & Theodoræ matris.

IOANNES Theologus Minor, à Benedicto IX. Auenione ob libertatem in reprehendendo in carcerem detrusus. Vide Aemilium lib. 9.

HENRICVS Dandulus Venetorum legatus, eo, quòd paulò liberiùs quædā locutus esset, contra ius gentium ab Emmanuele Constant. Imp. oculis orbatus est. Vol. l. 23. Anthrop.

VSVS. ALIVS

APTVS. QVATENVS VERITAS inseruit

Prudentiæ bellicæ.

L. PAVLVS Aemilius consul creatus, uirtute sua fretus, ad populum dixit: De duobus consulatibus, quos erat adeptus, primum se sui ipsius gratia petiisse: hunc autem secundum ab ipso populo delatum suscepisse. Huius igitur postremi causa gratias non agere: quin potiùs, si quem se meliorem ad eam expeditionē populus inueniret, eum eligeret, quia id ipse æquo animo esset laturus: uerùm si quid in eius uirtute spei reposuisset, sine uerbis dicto audiens esset. Quòd si populo statutum esset imperare malle, & non imperanti parére, sciret ludibrio omnibus Romanorum expeditiones fore. Plutarchus in eius uita.

Liberalitati.

ARCHELAVS, Macedonum rex, à quo poculum aureum unus ex familiaribus, non tamen ex probatis, petebat, puero iussit, ut Euripidi daret. Stupento illo: Nempe tu qui petas, inquit, hic qui accipiat, etiamsi non petat, est dignus. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Iustitiæ religiosæ.

Sic Confessio peccatorum.

GREGORIVS Magnus, qui diuorū est numero adscriptus, primus Pontificum in diplomatum præfatione se seruorum Dei seruū inscripsit. Quo nihil fieri potuit, aut eius qui hoc posuit pietati conuenientiùs, aut doctoris summi præcepto similius. Sab. lib. 6. cap. 2. & Fulg. lib. 4. cap. 10.

HVMILIATORVM ordo inde nomen traxit, quòd multi mortales, bello aut capti, aut quia fides eorum suspecta esset, ad pedes Friderici I. Imp. ex Cisalpina Gallia in Germaniā redeūtis, supplices iacuerint, albis uestibus amicti, ueniamq; petentes in patriam abeundi. Qua impetrata, postliminiò reuersi, uoto, ut credere par est, in eo habitu perseuerasse dicuntur, lanificio & orationibus dediti. Et hic ordo postea ab Innocentio III. primùm, inde ab aliis pontificibus confirmatus. Polyd. lib. 7. & Volat. lib. 21. & Sab. lib. 5. En. 9.

INEPTVS, DVM FAMVLATVR

Imprudentiæ.

Crescētiaco in uico, ubi Matthæus Magnus auus obiit, quum fortè in cœna Galeacius & Barnabas, Stephani Vicecomitis filij, tanti imperij, à maioribus conditi, amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumq; pulcerrimum fortunæ munus principatū esse faterentur: MATTHÆVS II. frater incautè subiunxit, Id quidem sine cōtrouersia uerum esse, incomparabileque uideri, modò principatus socio cōsorteque careret. adeò ut non obscurè Ioannem patruū perstrinxisse uideretur, qui, secùs ac magnus auus fecisset, non unum, Galeacij primi atque Actij exemplo, sed tres simul iniquo iure diuisi imperij hæredes scripsisset. Id dictum sub amaro sale scommatisque nomine prolatum, usque adeò in pectus fratrum altè descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos, cuius obsonij Matthæus erat appetentissimus, toxico illitos, ei apposuerint. Iouius in uita Matthæi.

LIBRI

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

VITIVM in Excessu Veritatis, SIMVLATIO non entis tanquam entis, perpendatur secundùm

- Causas, nempe secundùm
  - Formam uersantem in
    - Κτῆσιν, quo ad
      - Λῆψιν. MENDACII practici acquisitio. Videlicet
        - Magistri
          - Qui, Quales
            - Filii.
            - Vxores.
          - Quomodo:
            - Corruptela.
            - Admonitione, Consilio.
            - Adulatione.
            - Calumnia, Accusatione falsa.
        - Discipuli. Traducti ab aliis ad mentiendum
          - Pecunia.
          - Dolore.
      - Φυλακήν. MENDACII practici conseruatio, constans professio, respectu
        - Præsentium.
        - Præteritorum.
    - Χρῆσιν, ratiōe habita Personarū, quatenus quis Mendacium amplectitur quo ad
      - Seipsum. MENDACIS simulationis exercitatio quo ad seipsum: quatenus
        - Veritatem fugit, odit.
        - Mendacium sectatur in
          - Suis
            - Bonis prædicandis, ampliandis. Simulatio
              - Eruditionis.
              - Experientiæ peregrinationibus acquisitæ.
              - Virtutis.
              - Fortitudinis.
              - Formæ per fucum.
              - Conceptus, Partus.
              - Opulentiæ.
              - Victoriarum.
              - Nobilitatis.
              - Gloriæ.
              - Amicitiæ.
            - Malis. Huc simulatio
              - Hæreseos.
              - Incestus.
          - Aliorum. Vide signum A a.
      - Alios, uel
        - Absq; certamine, quatenus aliorū
          - Veritatem
            - Non expiscatur.
            - Odit. Non admittit.
            - Impugnat.
          - Mendaciū approbat:
            - Credendo delatoribus, obtrectatoribus.
            - Adulatorum uoces ferendo.
            - Errores non corrigendo.
            - Fraudes non detegendo.
        - Cum certamine. Mendacij affirmantis certamina.
  - Efficientem. MENDAX Simulatio, Affirmatio, considerata respectu EFFICIENTIS:
    - Quis, Qualis. Mendaces
      - Populi. Prophetæ, Vates.
      - Poetæ, Historici.
      - Legati, Testes.
    - Quo consilio. Ad mentiendum & simulandum inducti
      - Poesi. Lucro, Pecunia.
      - Odio, Inuidia. Gloria.
      - Vindictæ studio.
      - Timore. Scurrilitate.
  - Finē. SIMVLATIO mendax alia
    - Per se, nullius alterius causa.
    - Respectu, alterius reuera
      - Boni consequendi.
      - Mali obtinendi.
- Accidentia. MENDACII practici ACCIDENTIA nimirum
  - Fructus
    - Mendacij de suis rebus. Adulationis.
    - Obtrectationis, Calumniarum.
  - Vsus: uel
    - Bonus, dum inseruit
      - Prudentiæ. Liberalitati.
      - Iustitiæ.
    - Malus, dū famulatur
      - Libidini. Auaritiæ.
      - Crudelitati. Iniustitiæ.



Voluminis Decimitertij Liber II.

DE VITIO in excessu, de ΑΛΑΖΟΝΕΙΑ seu SIMVLATIONE mendace.

VITIVM in excessu Aristoteles Αλαζόνειαν uocat. Cuius notationẽ Eustathius affert: λέγεται μὲν ἀλαζὼν, inquit, ὁ ἀπὸ ἄλσεως χώρας, μὴ ἀγύρτης· ἀπλῶς δὲ ὁ φέναξ, καὶ πολλάκις τινὰ αὐτὸ δηλοῖ μῦθον. Solent ij, qui post longas peregrinationes domum redierunt, monstrosa & fabulosa plurima referre, quæ insolentia sua omnes in admirationem trahant, & quãdam sapientiæ existimationem auctoribus conciliẽt. Ab hoc Erronum mendacio translata uox est ad omnes eos, qui uel ea quæ omnino non sunt, esse fingũt: uel maiora, quàm reuerà sint, esse dictitant. Per coniugatum suum definitur ab Aristot. Est enim ἀλαζὼν, ποιητικὸς (simulator. Simulamus id quod non est, tanquam sit. Versatur ergo circa non ens subiecto, quod tamen simulatione siue professione est ens. ποιητικὸν autem, si spectes etymon, proprie Affin-

Affingere significat, quasi ei, quod est, aliud quid falsò addere. Fictio ipsa, quemadmodum uirtutis ὁμολογία, uel dictis uel factis absoluitur.) τὴν ὑπόθεσιν (nam si penitùs absurda & impossibilia essent, non Insolens simulatio, sed insania quæpiam appellaretur) καὶ μὴ ὑπαρχόντων (quæ nihil omnino sunt) καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει (quæ maiora esse fingit, secundùm omne genus accidentis, quã reuerà sint.) Ergo ἀλαζόνεια nihil aliud erit, quàm excessus quidã ueritatis, quando id quod non est uel substantialiter uel accidentaliter, esse asserit: siue, ut propriè loquar, quando simulat ea adesse, quæ reuerà non adsunt. Simulationem enim Aristoteles propriè tribuit excessui ueritatis, Dissimulationem defectui. Simulans, id quod non est, esse fingit: Dissimulans, id quod est, non esse fingit. itaq; in genere uterq; περὶ τὸ μὴ ὄν uersatur: At in specie Simulatio interdum circa omnino non ens, interdũ circa ens occupatur: illud esse, hoc maius esse, quàm reuerà sit asserẽs. Dissimulatio uerò semper subiectum habet ens, sed illud modò omnino nõ esse: modò esse quidem, sed non tale, quale est, asseuerat. Simulatio itaque reuerà non ens, sed apparentiâ tantùm ens captat, & in excessu peccat: Dissimulatio reuerâ ens, apparentiâ non ens sibi proponit, & peccat in defectu. Iam uerò quoniam ex lege entis & non entis sibi inuicem succedentium is, qui simulat non ens, dissimulare ens: & qui ens dissimulat, simulare non ens intelligitur: in unam eandemq; actionem utrunque uitium cadere uidetur. Proinde distinguenda sunt hæc ratione medij. Rem ut est dicere, Veritatis est: plus dicere, Simulationis: minùs dicere, Dissimulationis: nec magis hîc iam quæritur, utrum entis dissimulationi simulatio non entis, dissimulationi simulatio entis sit iuncta, quàm quis ueritatis uel mẽdacij sit finis. Considerationes affines quidem sunt, sed non propterea cõfundendæ: quin potiùs quo operosior est horum distinctio, eo diligentiùs retinenda. Illud constet, excessum tantùm ueritatis in eo quod non est, uel absolutè uel secundùm quid simulando, nunc considerari.

MENDACIS SIMVLATIONIS ACQVISITIO.

MAGISTRI.

QVI, QVALES. V. G.

Filij.

ANTIPATER Herodis Iudæorum regis F. ex quo primùm tẽpore patrem animaduerrit formidinibus obnoxium, consiliorum ei socium se adiungens accendebat falsis suspicionibus hominis sæuitiam: & tunc uidebatur egregiè fungi officio, si daret operam, ut quicunq; reniti possent tollerentur de medio, ut sibi ea ratione regnum pararet, sublatis fratribus Alexandro & Aristobulo. Iosephus.

QVOMODO. Nimirum

Corruptela.

IVDÆI in resurrectione Domini subornarunt pecunia falsos testes, qui sanctè affirmarent, Christum à discipulis suis furreptum esse. Matth. 28.

Admonitione, Consilio.

Andocydes orator Atheniẽsis clarus, cùm uinctus in custodia teneretur, quasi & ipse mutilatorum Hermarũ socius fuisset Alcibiadi: TIMÆVS quidam amicus ei consuluit, semetipse cum paucis aliis ut deferat. confitenti enim concedi ex plebiscito impunitatem. Satius esse, ut per mendacia incolumis sit, quàm eodem ex crimine pereat ignominiosè. Quin si commodum publicum spectet, cõducere, ut paucis condonatis & dubiis, multos & bonos uiros eximat iræ populi. His & aliis Timæi uerbis inductus Andocydes, cùm de semetipso & cæteris confessus esset, ueniam habuit ex lege. Quos detulit, nisi qui profugissent, necati sunt omnes. Ex maioris fidei causa, adiecit iis Andocydes proprios seruos. Plut. in Alcibiade.

Adulatione.

Adulatores, ut per se mendaces sunt, sic quoque alios ..... falsæ persuasionis auctores.

Calumnia. Accusatione falsa.

Calumniatores, quatenus non tantùm eorum, quos calumniantur, famam lædunt, uerumetiam aliorum iudicia de iisdem corrumpunt & pernertunt, hinc quoq; ex sequentib. locis referri poterunt.

EVRYMNVS, cùm moliretur serere dissidium inter Castorem & Pollucem, alterum apud alterum falsò insimulando, deprehensus, utrique grauissimas pœnas dedit. Erasmus in Adagiis.

Fuit MEDIVS in Alexandri adulatorum grege princeps & architectus, coryphæus aduersus optimates instructus. Præcepit hic, ut intrepidè adorirentur & morderẽt calũniis: docens, licèt morsu læsus ulcus curauerit, cicatricẽ tamẽ remãsurã calumniæ. Nempe hisce cicatricibus uel potiùs gangrenis & carcinomatis exesus Alexãder perdidit Callisthenem, Parmenionem, Philotam: Agnõibus, Bogais, Demetriis affatim propinauit sese sternendũ, dum adoratur, excolitur ueneti-

uestitu, & conformatur ab eis ad instar simulacri barbarici Plut. de Discern. adul.

DISCIPVLI TRADVCTI ab aliis ad mentiendum

PECVNIA.

MILITES, qui sepulcrum Domini custodiebant, accepta pecunia à sacerdotibus, per urbem circuierunt, clamantes, Christum à discipulis noctu surreptum. cùm tamen certo eum resurrexisse scirent. Matthæi capite uigesimooctauo. Marci 16. Lucæ 24.

DOLORE.

Huc illi, qui Tormentorum dolore, ad Mentiendum adducuntur.

MENDACIS SIMVLATIONIS EXERCITATIO quo ad SEIPSVM. Quatenus

VERITATM fugit, odit.

Ex contrario suo intelligi & illustrari potest. Nam qui v. g. Mendacium amplectitur, quoniam eo delectatur per se uel per accidens, ille Veritatem fugit, quoniam ea uel per se, uel per accidens non delectatur.

MENDACIVM AMPLECTItur. Tum in

SVIS, SIVE

Bonis prædicandis, extollendis. Mendax Iactantia, Professio, Simulatio

Eruditionis.

Narrat Tacitius, CHRYSIPPVM philosophum usque adeò sibi placuisse, ut cõsultus à quodam, Cui potissimùm filium suum philosophiæ præceptis instituendum traderet, sibi cõmittẽdum responderit. Nam si quem, inquit, alium me præstantiorem arbitrarer, ipse apud hunc philosophiæ darem operam. Vnde & illud Homericum de eo uulgò iactatum fuit, quòd solus saperet, reliqui uelut umbræ ferrentur. Erasmus in Adagiis.

Mira ASCLEPIADIS Prusiensis fiducia in medendi arte fuit, cùm diceret, Ne medicus diceretur, si unquam in uita aduersa ualetudine laboraret. In qua re felix usque ad septuagesimum fuit annum, mortuus, cùm è scalis fallẽte uestigio forte concidisset. Plinius.

IVSTINIANVS in procemio Pandectarũ Iuris Cæsarei, Nostris, inquit, tẽporib. talis legũ inuẽta est permutatio, qualẽ apud Homerũ, patrẽ omnis uirtutis, Glaucus & Diomedes inter se faciũt, dissimilia permutãtes. Hactenus Iustinianus, sibi plus æquo placens, qui centones illos suos, & inæquales legum rhapsodias, tot eruditissimorum uirorũ integris uoluminibus prætulerit. Erasmus in Adagiis Chil. 1. Cẽt. 2.

Experientiæ Peregrinationibus acquisitæ.

Hæc propriissimè Ἀλαζονεία *dicitur,* τῶν ἀπ' ἄλης ζώντων *propria.*

Virtutis.

DIONYSIVS senior filiarum unam Areten, id est, uirtutem, Sophrosynem, id est temperantiam alteram, tertiã dixit Dicæosynen, id est iustitiam se tacitè patrem uirtutum innuẽs. Plutarchus orat. 2. de Alexandri fortuna.

Religionis.

Ex Iniustitia religiosa exempla multa huc referenda. Illic Perfidiæ, heic Mendacii ueluti obstetricantis ratio habetur.

Fortitudinis.

IPHICRATES, cùm orationem de statua sibi ab Atheniẽsib. posita aduersus Harmodiũ quendã, è ueteris illius tyrãnici de posteris, haberet, multa dixit de seipso animosè, & propè arroganter: ut Dionysius Halicarnasseus nõ alio magis argumẽto refellerit eos, qui orationẽ illã Iphicrati à Lysia scriptã esse dicebãt, quàm quòd à Lysię moderatione nimiũ lõgè abesset. In ea hoc dixit (quòd aduersarius generis sui nobilitatẽ extollens, illius obscuritatẽ & ignobilitatẽ exagitauerat) ut quisq; uirtute maximè prestaret, ita nobilissimũ esse: nã ne Harmodiũ quidẽ & Aristogitonẽ nobiles fuisse priùs, quàm præclarũ aliquid designassent. Itẽ illud: Se maiorẽ habere cognationẽ cũ illis, quàm ipsum illũ quo cũ cõtenderet: quò sua, quàm illius facta, propiùs ad eorũ gloriã accederẽt. &, Meorũ nobilitas à me incipiet: tuorum in te desinet. Quæ omnia imitatus est, quicũq; scripsit declamationẽ in Sallustiũ. Sed & ex eadẽ oratione hæc sunt: Si qualis ego sum, tales uobis feptẽ impp. fuissent, deserta iã esset & inculta Lacedæmon. Et cũ de Harmodio & Aristogitone ageret: Quorum, inquit, ego si tẽporib. fuissem, aut assumsissem eos ad societatẽ preclari illius operis, aut ipse ab eis adscitus essem. Et, Vos fortasse Athenienses istã mihi columnã, & istas in ea inscriptas literas, præclarũ quiddam & gloriatione dignum uobis contigisse arbitramini. At mihi columna cœlũ attingens in Peloponneso, uirtutis meæ testis, constituta est. Muretus lib. 8. Var. lect. c. 22.

DOMBORVS Sclauorũ Rugianorũ legatus missus ad Valdemarũ Danorũ regẽ, Rugianis cũ exercitu imminentẽ, cũ uicissim obsides à Danis pacis firmãdæ causa peteret, idq; Absalon Roskildẽsis antistes indignè ferret, Rugianos nõ solũ obsides Danis, sed etiã pecuniã cũ supplementis classis trãsmittere solitos asserens, cùm Dani nihil tale Rugianis unquã à se cõcessum solutũue meminerint: tunc Domborus, Sapientis est præteritorũm eminisse, futura prospicere, præsentia colligere. Tu uerò quàm superbè præteritorũ imagines recolis, tam anxiè futuros meditaris euẽtus, neq; adea, quæ præ manib. sita sunt, & oculis obuersantur, aspicere potes. Fateor olim Danos gẽtis nostræ uictores fuisse. Sed quãto uobis inferiores extitimus, tanto nũc uiribus successuq; præstamus. Saxo lib. 14.

Formæ, per Fucum atq; Cultum.

Illecebra ueneris est cultus corporis, & eatenus nos illũ inter locos Intemperantiæ retulimus. Ille idem quia corporis bonum uelut promouet, ad Corporis locos referri potest. Huius uerò loci est propter mendacium.

METIVM Domitianus Imp. reprehendebat, nimium sibi ipsi placentem, cùm diceret: Vellem tam formosus esse, quàm Metius sibi uidetur. Suetonius in Domitiano.

Partus, Conceptus.

Consule Tit. Liberi suppositii. Astus illic habetur ratio, heic Simulationis. Item Tit. Liberorum acquirendorum desiderium. illic Affectus, heic ipse Habitus perpenditur.

Perseũ Philippi F. Macedonię regẽ, qui à L. Paulo uictus est, fama est nõ legitimè fuisse natũ: VXOREM aũt Philippi eum post partũ sustulisse à matre sartrice quadã Argolica, Gnathęnia nomine, & clàm sibi subięcisse. Hinc potissimũ uidetur metu Demetriũ fratrẽ peremisse, ne legitimum habẽs filium domus, suam aperiret ignobilitatem. Plut. in Aemilio.

Cùm uxor Maximiani Herculij Imp. EVTROPIA Syra mariti animũ cuperet sibi retinere deuinctũ & obnoxiũ, ac ipsum enixè optare prolẽ intelligeret: simulauit se grauidã: uel cũ reuęrà grauida esset, ac filiã enixa, subiecit filiũ Maxentiũ, quò partus primus per se marito gratus, fieret ob prolẽ masculam longè gratissimus. Sex. Aurelius, & Cuspinianus.

Marci Vicecomitis CONCVBINA partũ sibi supposuit. Eoq; nomine apud Rosatũ in profunda arcis fossa ab eo demersa est. Iouius in uita Actij.

Opulentiæ.

PHANIAS inuenio dici omnes, qui inopes ipsi, diuitias summas habere se tamen simulant, atq; ita credi uolunt, à Phania quodam, qui congestas se opes domi recondidisse mẽtiebatur. Quod ultimo Odysseæ libro testatum reliquit Eustathius. Cælius lib. 6. c. 18. A. L.

THEAGENES quidã cognominatus καπνὸς, i. fumus, sicuti Eupolis significat ἐν δήμοις, quòd multa polliceretur quidẽ, sed nil admodum prestaret. Erat insuper hic ψευδόπλουτος, emẽtitus diues, & iactator uanissimus, qui quum esset summè pauper, nihilominus uolebat magni momenti negotiator, h. e. μεγαλέμπορος, uideri. Cuiusmodi fuit AESCHINES quidã Selli filius: ex quo id genus homines, Sellos uocant. Et inde uerbum σελλίζειν, h. e. Sellissare, quòd ἀλαζονείας signat, id est, iactare ostentareq;. Cælius lib. 26. c. 21. Antiquarum Lectionum. Suidas admonet, sumtum à moribus Selli cuiuspiam, qui cùm re esset perquam tenui, tamen affectabat haberi diues. Erasmus in Adagiis.

Victoriarum.

TIMOTHEVS Cononis filius, cùm res ipsius egregiè gestas assignarent æmuli fortunæ, atq; in tabulis dormientẽ pingerent, fortunam autem reti urbes implicantem: tulit hoc inurbanè, infestusq; eius rei auctoribus, quasi ab eis spoliaretur rerũ gestarum laude, dixit tunc pro concione à bello reuersus: Nullam partem ciues uendicare in his fortuna ualet. Vicissim autem cum Timotheo, qui se demonstrauit tantoperè ambitiosum, pari licentia ferunt fortunam egisse, nihil ut deinceps gesserit insigne, sed aduersa ciciderint omnia: & tandem ab infesto populo exactus in exilium fuerit. Plutarch us in Sylla.

ERICVS Daniæ rex, rerum à se gestarum uirtutem tantis laudibus prosequi consueuerat, ut ueri interdum fidem excederet. Saxo lib. 14. Danicæ historiæ.

Nobilitatis.

Vide Tit. Qui se claris familiis per dolum inserere sunt conati.

OTHO IV, Imp. nobilissima stirpe progenitus, paternum gẽnus in Saxoniam & Sueuiam, maternum in Angliam referebat. Temerarius & imprudens princeps, statura procerus, atq; ob id superbus & audax. Viribus Richardi Anglorum regis auunculi plurimùm confisus, omnes præ se contempsit, & uix quatuor annos in imperio durauit. Cùm contra datam fidem Apuliam & Campaniã inuaderet, anathemate percussus, Imperio deturbatur: Principesq; sacramenti religione, qua illi obligabantur, absoluuntur. Quinimò sub anathematis interminatione Pontifex prohibet, ne quis eũ Imperatorem aut habeat, aut nominet. Quamobrem Germaniæ principes Fridericum II. Henrici VI. F. multis precibus ad Imperium sumendum induxerunt. Is è Sicilia auxilio procerum Basileam peruenit, & dehinc ab episcopo Argentinensi quingentis militibus bellicosis securè ad oppida Rheni est perductus. Otho eregione Rheni ad Brisacum uenit, ut illi iter interciperet. Sed cùm sui uxores ciuium & filias constuprarent: orto tumultu, & ipse & sui oppido est deturbatus, amissis plurimis nobilibus. Turpiter igitur coactus deserere iter incœptum, in Saxoniam abiit inglorius, mœroreq; confectus, dysenteria corripitur. Absolutus ab excommunicatione, moritur absq; liberis, regalia relinquens Henrico Rheni Palatino, Friderico assignanda. Qui Aquisgrani rex iam nominatus fuerat. Cuspin.

PONTICVM quempiam, maiorum suorum facinora iactitãtem, ridet Iuuenalis satyra 8.

— Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. Miserum est alienæ incumbere famæ.

Erasmus in Adagiis.

Gloriæ.

Ex Tit. eorum qui Diuinos honores usurpauere, huc pleraque.

CRETES apud se Iouem natum & educatum dixerunt, ut testatur Lucianus in Sacrificiis: quinetiam sepulcrum illius ibi ostendunt. Scriptum reliquit in suo Ancorato Epiphanius, suis quoque temporibus in Iasio monte Cretæ sepulcrum Iouis monstrari solitum: quod etiam affirmat Callimachus in Hymnis:

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Quum DOMITIANVS formalem epistolam, procuratorũ dictitans nomine, sic esset exorsus: Hæc iubet Dominus & Deus noster: cautum est, ut deinceps non aliter, ne scripto quidem ac sermone cuiusquam, appellaretur. L. Viues de Causis corrupt. artium lib. 7.

Amicitiæ.

Huc simulatæ Amicitiæ exempla, respectu Mendacii: quæ sub loco Astutiæ alio respectu enumerata fuere.

EVRYCLES quidam Lacedæmonius, Herodi Iudæorum regi sese insinuans, Alexandro eius filio se amicum esse simulans, omnia eius consilia & querimonias patri prodidit, & odium Herodis in Alexandrum implacabile concitauit, ueris querimoniis falsas calumnias addens. Ob quam rem ab Herode L talentis donatus est, & ab Antipatro Herodis itidem F. similiter. Iosephus lib. 16. cap. 16.

CORANVS Nasicę socero, spe testamenti per dolum ostentata, moriens, nihil præter plorare reliquit. Erasm. in Adagiis.

Malis simulandis. Huc Mendax professio

Hæreseos.

Cùm multa Auxitani populi quererentur in se auarè & crudeliter gesta esse, sub administratione Bituricẽsium Dũcis, Caroli VI. Gallorum regis patrui: à regio senatu capi iussus erat BETHISACHVS, per quem Dux ille omnia gessisse uidebatur. Is omnem culpam in dominum reiiciebat, iamque ut innocens habebatur; cùm per fraudem ei significatum fuit, iudicio ipsum, ut uel strangularetur, uel combureretur, damnatum iri. Ea re attonitus, ab iis qui illud nunciarant, monitus est, si se hæreticum dixisset; fore ut Auinionem ad

Pontificis tribunal mitteretur: è cuius manu dux Bituricensis facilè eum postea recepturus esset. Bethisachus igitur hæreticum se, & qui iam multos annos in Christum non crederet, fassus, adeò ira atque indignatione omnem Senatum mouit, ut statim tanquam pessimus uir, nulla defensione audita, Senatus decreto cremaretur. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Incestus.

VALERIVM Licinianum senatorem, incesti cum Cornelia Vestali accusatum, idcirco Domitianus cum Pontificum collegio damnauit, quòd fassus erat incestum, quem nunquam eum patrasse omnes arbitrabantur. Cæterùm ipse uir astutus, cùm Domitianum sciret non iure, sed sæuiendi rabie in eo iudicio moueri: maluit fatendo pœnæ partem abolere, quàm innocentem crudeliter perire. Fulgosus libro octauo, capite 1.

ALIORVM BONIS EXTOLLENDIS, PRÆDICANDIS.

Adulatio ad βωμολοχίαν propriè spectat, ob nimiam Familiaritatem. Hac ratione Mendacii pertinet, in aliorum bonis nimium prædicandis. Cuius rei exempla quædam ex Titulo Ambitionis in oblatis honoribus acceptandis, peti possunt, quatenus ii, qui honorem offerunt, alteri adulantur. Atque ut ab adulatione blanda distinguatur, Adulationem mendacem appellabimus.

Qui. Adulatores

Sacri homines.

Alexander Magnus ubi ad Ammonis uenit, VATES eum Dei nomine ut parentis salutauit. Ille quæsiuit, an interfectores parentis sui omnes pœnas dedissent? Cui uates: Dij meliora, inquit: neque enim tuus mortalis parens est. Ita uarians rogauit, omnésne Philippi puniuisset percussores? Hinc de imperio, an dominatum sibi omnium gentium concederet? Cùm deus ostendisset & hoc annuere se, & Philippi peractã plenè ultionem, deum magnificis donis & sacerdotes honorauit pecunia. Hæc de oraculis tradunt plerique. Ipse in epistola ad matrem Alexander sortes quasdam sibi ait arcanas redditas, quas reuersus soli ei relaturus esset. Sunt qui dictitant uatem, cùm appellare comiter Alexandrum Græcè uellet, ὦ παιδίον, id est, Filiole: postremam syllabam ut barbarum per s pronunciasse, ac dixisse, ὦ παιδίος, loco ν usurpantem s: neque inuito claudicasse in uoce Alexandro, increbuisseque sermonem, Iouis eum à Deo appellatum filium. Plutarchus.

THOMAS Volsæus, Cardinalis & legatus Apostolicus per Angliam, auaritiæ & ambitionis mancipium, regem Henricum IIX. suis blanditiis possidebat totum. Si quid ab Henrico impetrare uolebat, munusculum aliquod, utputa uasculum fabrè elaboratum, aut gemmam, aut anulum, & id genus dona deferebat. Polydorus.

Reges.

HERODES Iudæorum rex, præ nimia ambitione & studio demerendi Augustum Cæsarem cum Romanis potentioribus, multum à patriis institutis recessit, & leges diuinas uiolauit, dum in honorem eorum urbes condit, Cæsaream (quę priùs Stratonis turris fuit dicta) & Sebasten (quæ priùs Samaria) & templa exstruit, licèt nõ in solo Iudaico: hoc enim illi nequaquam laturi erant, quòd nefas sit Iudæis statuas ac effigies more Græcorum colere. Quapropter extra eorũ regiones tales urbes collocabat, excusans se Iudæis, quòd non spontè, sed potentiorum iussu hæc faceret: & interim Cæsarem Romanosq; tanto magis sibi deuinciens, quòd in eorum honorem à patriis consuetudinibus sustineret discedere. Sed præcipuus scopus erat utilitas propria, & studium memoriæ propagandæ ad posteros, ita ut in condendis & exornandis urbibus nullis sumtibus parceret. Iosephus lib. 15. cap. 12. Antiquitatum.

TERIDATES Armeniæ princeps, cùm à Corbulone uictus Romam duceretur ad Neronem, in genua procumbens: Ego, inquit, Domine, Arsaci nepos, Vologesi & Pacori regũ frater, tuus seruus sum, ueniq; ut te deum meum non secus ac μίθραν, id est Solem, colerem. Equidem is ero, quem tu me fato quodam effecies. Tu enim fatum meum es, & fortuna. Qua assentatione effecit, ut à Nerone in Armeniæ regnũ restitueretur. Imò cùm in omnibus ferè assentaretur Neroni, seq; studiosissimè in eius familiaritatem insinuaret, multa etiam munera ab eo accepit, quorum precium aiunt fuisse ad aureorum uicies centena millia. Xiphilinus.

Philosophi.

Lucianus in dialogo quodam Charontis, Menippi & Mercurij, PHILOSOPHVM quempiam omnibus exuens uitiis, ἓν ἔτι τὸ βαρύτατον ὑπὸ μάλης ἔχει. τί, ὦ Μένιππε; κολακείαν, ὦ Ἑρμῆ, πολλὰ ἐν τῷ βίῳ χρησιμεύσασαν αὐτῷ: id est, Vnum quiddam adhuc sub alis gestat, quod est omnium grauissimum. Quidnam

nam Menippe? Adulationem, Mercuri; quæ illi plurimum attulit emolumenti in uita. Erasmus in Adagiis.

Iureconsulti.

TRIBONIANVS Macedoniani F. genere Pamphylius, quæstor, qui cum sociis Iustinianas Institutiones & Digesta cum Codice cõpilauit: impius & auarus, adulator & impostor, Iustiniano persuasit, non moriturum eum, sed cum ipso corpore in cœlos iri sublatum. Suidas testis.

Historici.

Cic. lib. 2. de Nat. deorum inquit: Concinnè, ut multa, TIMÆVS, quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagrauisse, adiunxit: Minimè id esse mirandum, quòd Diana, quum in partu Olympiadis adesse uoluisset, abfuisset domo. Delectatus est Cicero commẽto hoc, ut subtiliter excogitato, nec animaduertit tamen à quo editum foret: neque enim in historia locus uidetur esse istis fabulis. Plutarchus uerò in Alexandro, non potuit ferre tam turpem assentationem: & cùm insimulare ipsam uellet, lusit in uitio illius ostendendo: Huiuscemodi enim sine modo prolata mendacia, insulsæque sententiæ, frigus afferre dicuntur: cuius frigoris ab Hegesia prolati tantam uim esse dixit, ut extinguere posset incendium illud, quo templum deflagrauit. Victorius libro decimosexto Var. lect. capite 15.

Rhetores.

Domitianus à QVINTILIANO maximus poeta dicitur, fortassis adulandi causa, quoniam à Domitiano sororis filiorum institutioni præfectus fuerat. Cuspin.

Romanis rogantibus Proæresium sophistam, uti proprium suũ discipulum ad se mitteret Athenis, EVSEBIVM Alexandrinum eò misit, qui cum urbis Romanæ moribus ualdè congruere uidebatur: quippe is ad assentationem eruditus, proceribus palpari norat, & Athenis seditiosus homo habebatur, aliosq; præ se contemnere, sese maximi facere consueuerat. Quapropter hominem urbanarum nequitiarũ haud imperitum eò submisit: nam quod ad oratoriam facultatẽ attinet, id dixisse satis sit, quòd Aegyptius fuerit. Eunapius.

Poetæ.

Decius LABERIVS actor mimorum, inuitatus à Cæsare, ut in scenam prodiret: respondit, Se necessariò coactum, nihil tanto uiro denegare posse, cui & ipsi dij omnia tribuissent. Macrobius.

Quibus. Adulari

Populo.

RHETORES, qui populi gratiam uenabantur Athenis, per id tempus, quo fuit bellum Chremonidium, adulantes Atheniensibus, omnia quidem alia Græcis communia esse dicebant, at solos Athenienses inter homines uiam, quæ ad cœlum perduceret, inuenisse. Athen. lib. 6.

Pontificibus, Episcopis.

☞ *Vide infra, Quomodo, Acclamatione.*

Regibus.

Nero Imp. cùm non tantùm ludos uariaq; spectacula Romæ instituisset, sed ipse etiam in theatrum prodiisset, Gallionis uoce nominatim prædicatus: assistebant ei BVRVS atque SENECA, ut magistri, semper aliquid suggerentes. Cumq; hoc idem pronunciasset Cæsar, plaudebant manibus ac uestimentis, ut reliquos ad idem faciendum inducerent. Erant etiam eam ob causam parata quinq; millia militum, Augustales nominati, qui incipiebant eum laudibus extollere: post hos cæteri omnes inuiti acclamare cogebantur, uno Thrasea excepto, qui nunquam ei uisus est assentari. Reliqui, atque in primis nobiles uiri, studiosè simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalibus dicta essent, atque unà simulata lætitia conclamabant. Tum licebat audire qui ita dicerent: Quàm pulcer Cæsar, Apollo, Augustus, unus ueluti Pythius, nemo te per Iouem uicit, Cæsar. Xiphilinus in Nerone. Seneca non sine adulationis suspicione, Neronem Cæsarem, ut aliarum uirtutum, ita ueritatis præcipuè amantissimum, ad inuestigandum Nili caput misisse, scribit. Tam enim in eo mendacium est manifestarium, quàm in Plauti comœdia Mœchus. Cælius libro 11. capite 12. Antiq. Lect.

Ducibus.

ARISTONVS citharœdus cùm sexies Pythia uicisset, ut Lysandri Lacedæmonij gratiam iniret, pollicitus est, cùm denuò uictoriam habere contingeret, præconis uoce se pronunciaturum, Aristonum Lysandri seruum uictorem fuisse. Plut. in Lysandro.

Quomodo adulentur. Puta

Diuinos tribuendo honores.

☞ *Ex Tit. eorum, qui Diuinos honores sibi arrogarunt, hinc multa.*

Transgresso Hellespontum Xerxe cum exercitu numerosissimo, fertur quidam HELLESPONTIVS dixisse: O Iupiter, quid nam tu sub specie uiri Persæ, & accepto Xerxis pro Iouis nomine, Græciam è sedibus suis exigere uis, omnes homines ducens, cùm etiam citra hoc tibi liceret id facere? Herodotus libro 7.

NICOSTRATVS Argiuorum ciuitati præfectus, omnes adulando ac obsequendo superabat. Quo magis Persarum regi placeret, filium suum ad regem deportauit, quod nullus alius unquam fecisse reperitur. Cœnaturus, mensam Genio regis seorsum apponere solebat, cùm facere hoc ipsum audisset eos Persas, qui circa portas uersabantur. Athenæus libro 6. capite 6.

ARGIVI indictis comitiis non tantùm Iouem, Apollinem & Herculem inuocabant, sed Philippum etiam Macedoniæ regem: cuius fauorem aspirabant summa blandiloquentia. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

Quum Alexander Iouis filium appellari se uellet, & more Persarum prostratis humi corporibus à Macedonibus salutari talia concupiscenti protinus accesserunt AGIS Argiuus, pessimus carminum auctor post Chœrilum, & CLEO Siculus, quos maximorũ exercituum principibus anteferebat. Hi cœperunt eum deum facere. adiecerunt insuper, Herculem, Bacchum, Pollucem cum Castore, nouo numini cessuros. Horum fumis permotus Alexander, conuiuium omni opulentia exornauit: cui non Macedones tãtùm, sed & principes Græci interfuerunt. Quum autem omnes unà cum rege discubuissent, Cleo institutum & præmeditatum sermonem cum admiratione laudum eius exorsus est: enarratisq; meritis, quibus eum noua apotheosi dignum prædicabat, iam unumquemq; cœpit hortari, ut regem inter deos colerent. Quod ne quis recusaret, obrulit se primùm, qui prostrato humi corpore regem adoraret. Curtius & Plutarchus.

Phylarchus lib. 6. Historiarum NICESIAM narrat, cùm regẽ ab eo pharmaco, qd' ceperat, turbari uidisset, dixisse: Quid nos facere oportet, ô rex, quando uos dei talia patimini? Quem uix intuens Alexander, Quales dei, inquit, uereor aut tem ne diis inuisi. Athen. lib. 6. cap. 6.

Plutarch. in Symposiacis decade 9. narrat, ANAXARCHVM cùm ab Alexandro post cœnam malis peteretur, surrexisse, dixisseq; hunc senarium ex Oreste Euripidis,

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί. id est,

Ferietur aliquis mox deûm humana manu.

Erasmus in Adagiis.

Satyrus in Vitis, ANAXANDRVM, inquit, fortunatum philosophum unum fuisse ex Alexandri adulatoribus: qui cùm iter aliquando faceret cum rege, magno ac graui tonitruo facto, ita ut omnes expauissent, Nunquid tu huiuscemodi fecisti, ait, Alexander Iouis? Tum risisse ferunt Alexandrum, ac dixisse, Nolo ita esse formidandus, ut tu me doces, qui satraparum regumq; capita abscissa ad me cœnantem afferri iubeam. Aristobulus Cassandreus DIOXIPPVM narrat Atheniensem athletam uulnerato aliquando Alexandro, sanguineq; defluente dixisse Homericum illud,

Qui solet ex superis cruor effluxisse beatis.

Athen. lib. 6. cap. 6.

Demetrius Poliorcetes, Cassandri Macedonis præsidio ex Munychia pulso, arcem diruit, Atheniensibus libertatem cum patriis legibus restituit, XV anno postquam à Macedonibus fuerant oppressi. ATHENIENSES, genus hominum in assentationem propensum, publicè decreuere, ut Demetrius & Antigonus Regum reges appellarentur, uocarentur dij Seruatores, essetq; in urbe Seruatorum sacerdos. Ara ibi erecta est, ubi Demetrius primùm è curru descenderat: idem & pater Antigonus in peplo unà cum Ioue & Pallade intexerentur: ut duæ tribus ueteribus adderentur, Demetrias & Antigonia. Stratocles, adulationum inter suos populares inuestigator maximus, decretum tulit, ut legati, qui ad eos mitterentur, ut illi, qui ad Olympia sacra & Pythia publicè accedebant, sacri haberentur. Fuerunt qui adhuc aliquanto impudentiùs censerent, ut quoties Demetrius Athenas ueniret, in Cereris & Bacchi hospitio exciperetur: aliis ut scutum illi Delphis consecraretur, unde publicè captaretur oraculum. Sab. lib. 7. En. 4. Leænæ & Lamiæ Demetrij scortis Veneris sacrificia: Buricho, Adimãto, Erythemidiq; adulatoribus illius aræ statuæq; erectæ, & pæanes decantati: ita ut ipse etiam Demetrius admiratus dixerit, nullum ex Atheniensibus suo genere dignum esse. Ex Leucade Corcyraq; Athenas uenientem non solis fumorum odoribus coronisq;, ac uina effundentes exceperunt, uerùm etiam Choris, Ithyphalliq;, cum sacris cantilenis, tripudiantes ac canentes ei occurrerunt. Tripudiabat autem multitudo cantabatque, Solus hic uerus adest deus, reliqui aut dormiunt, aut peregrinantur, uel certè non sunt. Hic filius est Neptuni ac Veneris, forma præstantissimus, facilitate omnibus communis. Ipsi supplicabant rogantes, illumq; adorabant. Hanc adulatio-

adulationem quidam nomen uertentes comitatem nominant, uelut ait Anaxandrides in Samia:

Nunc comitas uocatur ipsa adulatio. Ibidem.

ATHENIENSES Lemnum incolentes liberati à iugo Lysimachi, non solùm templa erexerunt Seleuco, sed etiam Antiocho filio: poculumq; in conuentibus profusum Seleuci seruatoris nominarunt. Ibidem.

Adulatores Demetrij, qui circa Adimantum Lampsacenum uersabantur, templa ac imagines erigentes in Thriis, Philæ Veneris nominarunt, locumque ipsum uocarunt Philæum, à Phila matre Demetrij, sicut Dionysius Triphonis filius ait, libro 10. de Nominibus. THEBANI Demetrio adulantes, in Sicyone Lamiæ Veneris templum erexerunt. Athenæus libro 6. capite 6.

APOLLOPHANES, Antigoni adulator, illius dicebat fortunam ἀλεξανδρίζειν. Athen. lib. 6. cap. 6.

DEMOCLES iunioris Dionysij adulator, cùm esset consuetudo in Sicilia, ut Nymphis fierent sacrificia, pernoctarentq; circum ipsas imagines ebrij, ac tripudiarẽt circa deas: Nymphas relinquens, Non oportere aiebat inanimatis deis mentem adhibere: sed ad Dionysium accedens, circa hunc tripudiabat. Athen. lib. 6. cap. 6. ex Timæo.

Tacitus, ubi narrat de adulatione Senatus in Neronem, post detectam & punitam quorundam in ipsum cõiurationem, libro decimoquinto, ita claudit: Reperio in commentariis Senatus, CERIALEM Anitium coss. designatum pro sententia dixisse, ut templum diuo Neroni quàm maturimè publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso, & uenerationem item hominum merito. Quod ad omen tamen sui exitus pertinuit. Nam deûm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit.

TRIBONIANVS adulator, ut inquit Suidas, fraudulentissimus simul & auarissimus, omnis religionis, præsertim Christianæ, contemtor, quæstor Iustiniani Imperatori persuasit, fore, ut is nunquam moreretur, sed in cœlum cum carne assumeretur. Cuspinianus.

Laudando, Celebrando.

Narrant Crœsum Lydorum regem aliquando percunctatum septem illos Sapientes, cuinam primum felicitatis titulum tribuerent. At cùm uariè responderetur, aliis dicentibus, feras indomitas sibi uideri felicissimas, quòd pro tuenda libertate mortem oppeterent: aliis ciconias, quòd citra legẽ, suapte natura ius piumq; seruarent: Solone uerò negante, quenquam appellandum felicem, priusquam ex uita decessisset, assistens Phrygius ille fabulator AESOPVS: Tanto, inquit, rex cæteros antecellis, quanto mare præstat fluuiis. Id ubi rex audisset, respondisse fertur, μᾶλλον, ὦ Φρύξ. Ea uox in prouerbium cessit, de aperta adulatione. Erasm. in Adagiis.

Cùm morderetur Alexander à muscis, easque studiosè propelleret, NICESIAS adulator inquit, Multo certè aliis erunt fortiores, quæ tuum sanguinem gustauerint. Athen. l. 6. c. 6.

Fama est, cùm primùm sub aurea testudine Alexander in solio regio Persepoli consideret, Corinthium DEMARATVM Alexandri familiarem & amicum paternum senili more illacrymasse ac dixisse: Fraudatos magna uoluptate Græcos, qui antequam in Darij solio Alexandrum spectassent sedentem, uita essent functi. Fructum tamen hic ex regis amicitia alium cepit nullum, quàm quòd morbo absumtus cùm esset, elatus ab eo est magnificè, tumulumq; ei aggessit exercitus ambitu magnum, & cubitos octoginta excelsum. Ossa eius quadriga splendidè exornata ad mare deportari curauit. Plut. in Alexandro.

VARVS Geminus, declamator insignis, apud Augustum inter cætera dixit: Qui apud te audent dicere, Cæsar, magnitudinem tuam ignorant: qui nõ audent, humanitatẽ. Seneca.

Vituperando, Reprehendendo, sed reprehensione simulata.

AGIS Argiuus adulator uidens Alexandrum ingentia munera dedisse cuidam ridiculo, exclamauit: O rem uehementer absurdam. Quum Alexander hac uoce excitatus, dixisset, Quid tu ais? Fateor, inquit Agis, me pati non posse, quum uideam uos è Ioue prognatos omnes pariter assentatorib. delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione: & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari cõsueuit. Tales uidemus & apud te magnifieri. Pestilentissimum adulationis genus, sub libertatis imagine blandiri. Erasmus lib. 6. Apoph.

Tiberio Senatum ingrediente, surgens adulator QVIDAM, exclamauit, esse liberè loquendum, nec reticenda quæ ad Rempublicam attinerent. Erectis ad hanc uocem omnibus, ipso etiam Tiberio attento: Audi, inquit, Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licèt nullus audeat palàm fateri. Impendis te ipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnisq; laboribus & curis pro Repub. conficiens. Huiusmodi multa [redacted] diceret, sub libertatis prætextu turpiter adulans, C. [redacted] hominem [redacted] lib. 6. Apoph.

[redacted]

Odii simulatione.

ARCADION adulator, odio [redacted] Macedonis sponte deseruit patriam. [redacted] & ipse adesset. [redacted] Quousq; fugies Arcadion? Donec, inquit, peruenero, ubi nemo norit Philippum. Hac libertate delectatus rex, uocauit illum ad cœnam: itaque cum eo in gratiam rediit. Libertati suberat adulatio, subindicans Philippum nusquam non esse celebrem. Erasmus lib. 6. Apoph.

Dissimulando manifesta.

C. Caligula Imperator, cùm aliquando pro solita sua dementia se cum Luna coire diceret, interrogaretq; L. VITELLIVM Vitellij Cæsaris patrem, insignem assentatorem, An deã uideret coeuntem secum: obstupefactus tremensque, cœpit deorsùm inspicere, locutusque pauca: Licet, inquit, Domine, uobis diis tantummodò uos inter uos uidere. Eius assentatione eò ductus est Cæsar, ut templum in urbe faciendum sibi curauerit, & domum in Capitolio, quò posset unà cum Ioue habitare. Xiphilinus, & Zonaras. Primus Canutus adorari ut deum instituit: cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite uelato, circumuertensq; se, deinde procumbens. Suetonius.

Acclamando.

Herodi Agrippæ, nequissimo regi, qui occiderat Iacobum, & incarcerarat Petrum, cùm Cæsareæ pro salute Cæsaris solẽnes ludos celebraret, & die secunda amictus ueste tota ex argento mirabili opere contexta in theatrum procederet, quæ radiis exorientis solis percussa, diuinum quendam fulgorem emittebat, uerbaq; ad populũ faceret: POPVLVS adulator acclamauit: Vox Dei, & non hominis. Actor. 12. & Iosephus lib. 19. cap. 7. Antiq.

Cyriacum uirum opt. & sanctiss. in episcopum ordinatum fuisse, Mauricius patricius, PETRVS & ELPIDIVS episcopi D. Gregorio Pp. significauerant, quantoq; gaudio & faustis acclamationibus exceptus esset: inter cætera his quoq; uocibus usos, Sicut solem in Ecclesia apparuisse, ex Sapientiæ X. item ex Psal. 117. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quas quidem acclamationes ut soli Christo debitas Gregorius disertè & piè reprehendit, & gaudij immoderationi tantùm tribuit. Quin potiùs in id sedulò eos incumbere iussit, ut assiduis precibus talis, qualem omnes fuisse hactenus scirent, permaneret: quàm nimiis blandimentis ad superbiam euectus, se simul & populum sibi commissum iræ diuinæ obnoxium redderet. lib. 6. Epist. 171.

☞ NOMINA MVTANDO, DERIVANDO, IMPONENDO.

ADVLATOR quidam Arsinoen Berenices filiam literarum metathesi (uulgò ἀναγραμματισμὸν uocant) ἴρας ἴον esse asseruit, uiolam Iunonis. Eustath. Iliad. α.

PANCRATES poeta Alexandrinus, cùm Imp. Adrianus Alexandriam uenisset, lotum rosæ speciem præ se ferentem: Antinoium nominari oportere asseruit, quia emissa fuisset à terra, cùm leonis Maurusij ferocissimi sanguinem excepisset, in Libya Alexandriæ finitima ab Adriano in uenatione interfecti. Hoc commento adulatoris Adrianus lætatus, alimenta illi in Musis concessit. Athen. lib. 15.

IACOBVS Mantinus Hebræus medicus, cuius opera Auerrois multa uolumina Latina legimus, in epistola dedicatoria, qua paraphrasin Auerrois in libros Platonis de Repub. Paulo III. Pp. offert, Pastoris appellationem uetustissimam & honorificentissimam olim fuisse, & etiamnum hodie apud Christianos summo pontifici iurè tribui ostendit, Paulo præsertim, cuius futuræ dignitatis multis antè seculis omen, familiæ auctor Farnesiæ, gentili conceperit nomine. Nam qui primus, inquit, Farnesiorum cognomen in gentem tuam intulit, is (mea quidem sententia) nescio quo numine afflatus prænunciasse uidetur, aliquando fore, ut eius nominis ratio in sempiterna temporum serie inuoluta, insigni aliquo dignitatis gradu immortalis efficeretur. Pharnes enim Hetruscorum lingua, quæ meo iudicio Assyria est, & ut patria Hebreis recepta, pastorem atque gubernatorem significat. Et sic Deus Pharnes Israelis apud eos uocatur. Salomon quoque in suo grauissimo poemate, populum in hunc modum introducit loquentem: Amicus meus mihi, & ego illi Pharnes inter lilia, id est pastor: ut iam non obscurè ad gentilitia tua insignia allusisse intelligatur. Quod nomen ex antiquissima Hetruscorum origine in tuæ Beatitudinis familia, ceu diuinum quoddam oraculum relictum existit. quo tibi summum in Christicolas imperium promittebatur. Hæc ille. [redacted]

Coronando.

Lupercalia Romæ agebantur, Cæsar autem triumphali ornatus ueste sedens pro Rostris, spectabat in foro discurrentes. Multi iuuenes ex nobilitate & magistratibus discurrunt oleo uncti, atque albis scuticis uerberant ludibundi obuium quemque. Inter hos discurrens M. ANTONIVS consul, salute uetustis solennibus dicta, diadema ferens lauri corona circumiectum accurrit ad Rostra, sublatusque ab sodalibus imposuit capiti Cæsaris, quasi deferendum ei regnum esset. Simulanti illi reiicere diadema, lętus populus applausit. Antonio illud iterum ingerente, repulit Cæsar denuò. Cùm ad hunc modum diu concertarent, pauci amici instanti Antonio, Cæsari renuenti populus uniuersus plausum cum gratulatione dedit. Quod sanè mirandum erat, eos, qui reipsa dominatum ferebant, regis nomen, ut dissolutionem libertatis defugisse. Ac Cæsar quidem offensus surrexit ex Rostris, detractaque à collo toga, iugulum uolenti percutere clamauit se offerre. Coronam uni ex statuis eius impositam detraxerunt tribuni quidam: quos populus festis uocibus & plausu est prosecutus. His abrogauit Cæsar magistratum. Ea Cassium & Brutum confirmauerunt ad conspirandum. Plut. in Antonio.

Instituerant CIVITATES Achaiæ, apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad Neronē mittere. Eas adeò gratè recipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modò primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusiùs: Solos scire audire Græcos, solosq; se & studiis suis dignos, ait. Suetonius.

Quando.

SAMII & IONES reliqui, de una fidelia, ut ipsorum uerbum est, parietes duos dealbarunt. Etenim cùm Alcibiades classem instructam & ornatam Atheniensium circa Ioniam haberet, Samij statuam ei æneam in Iunonis erexerunt. Superatis uerò nauali prælio ad Aegos flumen Atheniensibus, iidem Samij Lysandro in Olympia statuam posuere. Pausanias libro sexto.

EPHESII in Dianæ fano, Lysandri, Eteonici, Pharacis, & aliorum Spartanorum, minimè clari inter Gręcos nominis, imagines dedicarunt. At commutata fortuna, cùm ad Cnidon & Dorion montem ab Atheniensibus Cononis ductu classe uicti fuissent Lacedæmonij, eousq; Ionum studia in diuersa abierunt, ut Cononem ex ære, Timotheum etiam Sami positos uideas. Ibidem.

ALIORVM MALIS CONFINGENDIS, exaggerandis, reprehendendis, accusandis.

Omnis obtrectatio morsus dicitur. Vnde Aristophanes iocatur, in anulo non inesse remediū aduersus sycophantæ morsum. Diogenes apud Laertium rogatus, cuius nam animātis morsus esset perniciosissimus? Ex feris, inquit, obtrectatoris: ex cicuribus, adulatoris. Hoc uenenum Horatius loliginis succum appellat. Erasmus in Adagiis.

Qui, Obtrectatores, Calumniatores, Maledici,

Populi.

Proselini dicuntur ARCADES, apud Lycophronis interpretem, hoc est, contumeliosi, & in probra procliues: nam προσελῆν, conuitiari est. Sunt tamen qui fatuos interpretentur, tanquam antiquos dicas, & Luna quoque uetustiores. Cælius lib. 16. cap. 3. A. L.

Malè audiebat ABYDENA gens, quòd calumniatrix esset, Hinc prouerb. μὴ εἰκῆ τὴν Ἄβυδον, Ne temerè Abydum. Cuius meminit Suidas. Stephanus sic effert, μὴ δ' εἰκῆ Ἄβυδον πατεῖν: id est, Ne temerè quidem Abydum calcato: id est, ne quis confidenter illam ingrediatur: indicat usurpari de temerariis, addens hoc iaci solitum in eos qui Abydum insulæ Mileti incolebant. Commonstratum est olim mihi quoddam oppidulum in Picardia, quod negant ullum hospitem potuisse transire, non aliquo notatum scommate, inquit Erasmus in Adagiis.

MOSCHI natura sua ad contumelias & calumnias mutuas etiam carissimorum propensi, sæpè etiam in domos alienas res quasuis clàm inferunt; quas tanquam furto ereptas repetunt. Qui semel apud principem delatus est, morte uel falsam luit calumniam. Alex. Guagninus in Moscouia.

AEZONENSES, αἰζωνεῖς, municipium tribus Cecropię, cuius incolæ malè audiebant, ut maledici. unde αἰζωνεύεσθαι, maledicere. Plato: Nihil ad ista dicam, ne me, quamuis quod dicerem non deesset, Aezonensem putes. Suidas.

Oratores.

Cùm Argiuorum respublica per populi potestatem regeretur, & aliqui ex ORATORIBVS plebem concitarent aduersus eos, qui potentia gloriaq; excellerent, accusati conspirabant ad opprimendam plebem: cumq; aliqui, qui cum his facere putabantur, in quæstionibus exanimarentur, cæteri tormentorum cruciatum perhorrescentes, ipsi sibi mortem consciuere. Quodam autem tempore unus in quęstionibus confessus effecit, ut sibi fides haberetur, & prodēs triginta spectatissimos uiros reos fecit. Populus accusatos morte multauit, & eorum bona publicauit. Cùm uerò plurimi essent in suspicione, & oratores fictis criminationibus eam iuuarent, in tantum ferociit plebs, ut omnes quicunque in crimen uocarentur, quamuis multos & locupletissimos homines, morti adiudicaret. Interfectis deinde potentioribus uiris plus duobus millibus, & ducentis, timentes oratores, ne sibi inopinatum aliquod malum accideret, accusandi studium deseruere. Plebs se derelinqui ab eis existimans, omnes eos capitis supplicio affecit. Inde ad pristinam beneuolentiam reuersi sunt. Diod. lib. 15.

Poetæ.

Theonino dente rodi dicuntur, qui conuitiis lacerantur. Sumtum à THEONE poeta quodam rabiosæ loquacitatis, petulantissimæq; maledicentiæ: unde & Ausonius in carmine hendecasyllabo, poetam quempiam indoctum & mordacem Theonem appellat,

> Nec posthac metues, ubiq; dictum,
> Hic est ille Theon poeta salsus.

Erasmus in Adagiis.

HIPPONAX Ephesius Iambographus, amarulentus, ac norę mordacitatis, qui, autore Dionysio Halicarnasseo, trimetrū Archilochium de industria in Scazontem infregit, cùm inimicos lacerare uellet, quò uidelicet feriret fortiùs. Hic Bupalum & Anthermon, quòd ab his deformi specie pictus esset, uersibus iambicis insectatus legitur. Erat autem Hipponacti notabilis in uultu fœditas, quamobrem quidam imaginem eius proposuere in ridentium circulis, quorum aliquot suis carminibus creditur ad laqueum compulisse. Negat id esse uerum Plinius, lib. 36. cap. 5. Erasmus in Adagiis.

ARCHILOCHVS ex Paro insula, Iambo primus usus est ad maledicendum (quo ad alia antè utebantur) contra Lycambem socerum, qui promissam sibi filiam Neobulen denegarat. Epodon ex trimetris & dimetris commentus, eo socerū cum tribus filiabus ad laqueum compulit. Gyraldus. De eo Pindarus Ode 2. Pythiorum his uerbis:

> ἔδον γὰρ ἑκὰς ἐὼν, τὰ πόλλ᾽
> ἐν ἀμαχανίᾳ
> ψογερὸν Ἀρχίλοχον βαρυλό-
> γοις ἔχθεσι πιαινόμενον.

Vidi quidem iam olim multa in egestate (constitutum) uituperonem Archilochum, infensis conuitiis impinguatum.

ANAXANDRIDAS Anaxandri F. Rhodius Comicus contra Athenienses scripsit, & eos sanctissimas quidem leges habere, prauissimis tamen uti dixit. Quare ab eis fame necatus est. Platonē quoq; ipsum maledictis lacerauit. Suidas.

CRATINVS Atheniensis Comicus, Audax ab Horatio dicitur, quòd Athenienses mira dicendi acerbitate, dum Dionysia essent, proscripserit. Gyraldus.

TIMOCREON Rhodius, priscæ comœdiæ, pentathlo uictor pugil: cum Simonide & Themistocle inimicitias exercuit: &, quia in Themistoclem inuectiuum carmen scripsisset, in exilium missus est. Floruit Olymp. 77. Gyraldus.

THEOCRINES, primùm tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator, & sycophanta. Vnde Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, Aeschinem tragicum Theocrinem uocat. Extat eiusdem aduersus hunc Theocrinem oratio, quamquam nonnulli Dinarcho tribuunt. Vsus est hoc prouerbio diuus Hieronymus, ni fallor, in epistola ad Furiam, de Viduitate: Vbicunque uiderent Christianum, statim illud de triuio, τραγικὸς Θεοκρίνης. Hoc conuitij iaciebant in Christianum, quasi sanctimoniæ simulator magnificis uerbis aliorum uitam criminaretur. Erasmus in Adagiis.

MÆVIVS Vergilij & Horatij æmulus, cùm Athenas petulanti carmine lacerasset, in carcerem coniectus, inedia perire coactus est. Gyraldus Dialogo 4. hist. Poet.

Philosophi.

Acton admonet, BIONEM philosophum fuisse, qui mordacissimis dialogis lacerarit poetas, sic, ut nec Homero parceret. Porphyrion autumat Aristophanis comici patrem fuisse. Erasmus in Adagiis.

Historici.

Vide infrà Modum, Scribendo.

Quiuis priuati.

MEDIVS quidam ex Alexandri adulatoribus, in optimum quemque conuicia iaciebat, & aliis idem faciendi auctor erat. Nam etiamsi, inquit, uulnus persanarit, in quē morsum infixeris, nihilominus cicatricosus apparebit locus. Cælius lib. 15. cap. 25. A. L.

PATTÆCION quispiam infamis calumniator, cui cùm mos esset bonis uiris calumnias struere, atq; hoc tam fœdo quęstu parare rem, tandem deprehensus conuictusq; pœnas dedit capite. Huic præcipuum studium fuit, probati nominis iuuenibus negotium facessere. Idem popularibus conuitiis lapidatus est, quòd fur esset, & ędium perfossor. Vnde Prou. Παταικίων συκοφαντικώτερος. Erasmus in Adagiis.

OSCVS fuit quispiam, natus ad contumelias omnium ingeniis impingendas. Nulli non inussit notam, Seneca.

MERCVRIVS quidam delator, apud Constantium Imp. plurimum poterat: qui uulgò ob id Mercurius solenniorum est dictus, quòd se specie familiaritatis conuiuiis admisceret, & si quis nocturnum uisum effutisset, deprauata narratione ad principem deferebat: adeò ut uix quisquam apud ignotos auderet fateri se dormisse: ac docti nonnulli sortem suam deplorarent, quòd apud Atlanteos nati non essent, ubi negant uideri somnia. Erasmus in Adagio, Sycophanta, ex Ammiani lib. 14.

Ammianus lib. 14. refert, PAVLO cuidam qui plurimos admirandis technis deferebat apud Constantium, uulgò cognomen inditum Cathenæ, quòd in complicandis delationibus nodos necteret insolubiles.

Erga Quos: Quibus maledixerint. Erga

Deum.

Mentiti sunt contra Dominum Iesum IVDÆI, præcipuè Scribæ & Pharisæi, dicentes eum esse potatorem, mendacem, uoracem, & prohibentem tributa dari Cæsari, gentis subuersorem, & turbarum seductorem, dæmoniacum, blasphemum, & Samaritanum. Matth. 11. Luc. 23. Ioan. 8.

ETHNICI, cùm uiderent Christianam religionem nec tot tantisque persecutionibus potuisse consumi, sed his potiùs mira incrementa sumsisse: excogitauerunt nescio quos uersus Græcos, tanquam consulenti cuidam diuino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab huius tanquam sacrilegij crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficia fecisse subiungunt, ut coleretur Christi nomen per CCCLXV. annos: deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem. Diuus Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei, capite 53.

Sacros homines.

Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, ab ACACIO Cæsariensi episcopo Ariano falsò apud Constantium Imp. fuit accusatus, quòd uestem preciosam, quam Constantinus Ecclesiæ Hierosolymitanæ dederat, uendidisset scenico cuidam histrioni, qui ea indutus inter saltandum collapsus interiisset. eaq; calumnia Cyrillū Hierosolymis expulit. Theodor.

Athanasium patriarcham Alexandrinum, non uitæ sanctitas, non doctrina protexit, quin apud Constantium Augustum à multis EPISCOPIS Arianis ceu magus atq; ueneficus accusaretur. Nam cùm insuper adderetur, ab eo mutilatum brachio Arsenium, ut ex eo ueneficia conflaret: conuocato Tyri concilio, ostensoq; Arsenio incolumi, tamen non effugit, quin iudicum odio atq; iniquitate damnatus, per totū Orientem persecutionem pateretur. Fulgosus libro octauo, capite 1. & Egnatius eodem.

Reges.

Dauid Iudæorum rex, Absalonis defectione regio solio turbatus, cum cohorte una Hierosolymis digressus, conuicio exceptus est ac lapidibus petitus à SEMEIA quodam. Erat is ob Sauli regis propinquitatem in Iudæa minimè obscurus. Is nouitate illa temporum fretus, suiq; in Dauidem stomachi magis quàm regiæ maiestatis memor, in prætereuntem temerè inuectus probro, & lapidum iniectu sacrosanctum hominem uiolare est ausus. Nec Dauid eam iniuriam ultus est, sed filius Salomon: cui exilio priùs, deinde capitis supplicio debitas Semeia expendit pœnas. Sab. lib. 4. cap. 9.

Hyrcanus III. Iudæorum dux & pontifex, cùm aliquando Pharisæos (quorum sectæ addictissimus erat) uocasset ad conuiuium, & accepisset comiter, postquam animaduertit eos exhilaratos, sic illos affatus est: Scire eos suam uoluntatem, quòd nihil magis cuperet quàm iustus esse, & omnia iuxta Dei placita facere, quemadmodum & ipsi doceant: attamen si quid in ipso desiderarent, & aliqua in re à iustitiæ præscriptis aberrantem deprehenderent, officij illorum esse, ut admonitione corrigant. Cum uerò omnes eius uirtutem comprobarent, uehementer gauisus est eorum testimonio. Tandem unus è conuiuis ELEAZARVS, uir malus & seditiosus, Quandoquidem, inquit, ais te cupere audire ueritatem, si uis esse iustus, abdica te pontificatu, & contentus esto principatu populi. Illo uerò causam rogante, cur ita hoc postularet? Quia, inquit, audiuimus à natu grandioribus, matrem tuam captiuam fuisse, regnante Antiocho Epiphane. Falsus autem erat is rumor, & ideo grauiter his uerbis Hyrcanus offensus est, nec minus Pharisæi cæteri. Tum Ionathas quidam è Sadducæorum secta, quæ est Pharisæis contraria, pręcipuus Hyrcani amicus, dicebat de communi Pharisæorum sententia conuiciatum Eleazarū: quod si dubium uideatur, manifestum fore interrogatis illis qua pœna hominem dignum censeant. Quod postquam Hyrcanus rogauit, dicens, ex pronunciata ab illis sententia se cogniturum, an ex eorum consensu factum sit sibi conuicium: & illi satis putarunt, si uinculis castigaretur & uerberibus, quòd iniquum uideretur capite hominem plecti ob maledicentiam: & alioqui hæreditariæ illi esse clementiam: uehementer exacerbatus est, quasi iam compertum haberet eos esse auctores opprobratæ sibi generis infamiæ. Nec destitit Ionathas furenti calcar addere, intantum, ut desertis Pharisæis ad Sadducæos deficeret, & abrogatis illorum constitutionibus, earum obseruatores pœnis afficeret: atque hinc factum est, ut & ipse & eius filij parum gratiosi apud uulgus fuerint. Iosephus libro decimotertio, capite decimooctauo Antiquitatum.

Anno Domini 1381. Olgerdo Lituaniæ principe è uiuis decedēte, Iagielo paterno principatu, fauente Keystuto patruo, potitus est. Multa bella uario euentu cum Ruthenis Polonisque & Crucigeris Liuoniēsibus ac Prussiensibus gessit. Erat apud eū VODILO quidam, rusticanæ & obscuræ familiæ homo, qui cùm olim pistrinum apud Olgerdum exercuisset, & industriam suam Principi probasset, cubicularius primò, deinde pocillator, tandem intimus secretarius Olgerdi fuit, quoad uixit: Iagielo quinetiam sororem ei suam in matrimonium collocauit. quæ res non leuiter Keystutum patruum Iagielonis offendit. Id ubi animaduertit Voydilo, Keystutum apud Iagielonem, criminari cepit, eoque consiliis suis iuuenem adduxit, ut is clam fœdus cum Crucigeris Prussiensibus aduersus patruum iniret. Keystutus Vilnam inuasit, eamque in potestatem suam redegit: Voydilonem autem laqueo uitam finire fecit. Vitoldus postea Creuam missus, & morti destinatus, nocte quadam uxoris dolo liberatus est. Nam ea cùm liberam haberet adeundi ad eum potestatem, commutato cum una de duabus pedissequis habitu, ueste muliebri indutum eduxit: imberbis enim erat, Emissus ille in Masouiam ad Ioannem Ducem affinem suum, atque inde in Prussiam ad Crucigeros confugit. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

Viros præclaros.

Craterus Macedo sub Themistoclis exilium refert lasciuiente populo gregem extitisse Quadruplatorum, qui proceres & principes appeterent, ac flammæ populi secundis rebus & potentia luxuriantis subiicerent. In his Aristidem quoque accusatore Diophante Amphitropensi repetundarum damnatum: quòd cùm uectigalia exigeret, pecuniam cepisset ab Ionibus: qui cùm litis æstimationem (quinquaginta minæ erant) soluere non posset, nauigio auectum, & in Ionia extinctum. Plut. in Aristide ficta arbitratur.

Priuignos.

Phronime Etearchi regis filia, falsò accusata à NOVERCA & iniuriarum & impudicitiæ nomine, à patre Themisoni cuidam tradita fuit, ut eam in mari demergeret. Herod. lib. 4.

Patruos.

AGRIPPA, Aristobuli F. à patre Herode interfecti, Romæ sese ita Caio insinuarat, ut Iudeæ rex constitutus fuerit. Inuidebat ei Herodias soror, Herodi Antipæ, Tetrarchæ Galileæ, patruo Agrippæ nupta, & maritum impulit, uti & ipse Romam nauigaret. Paruit ille, quamuis inuitus. Agrippa rē cognita, Herodem per literas accusat, quòd iam olim cū Seiano contra Tiberium, nunc etiam cum Artabano Partho cōtra Caium conspirarit. Argumento esse ipsius apparatum, qui in armamentariis suis haberet tantum armorum, quantum instruendis uirorum LXXM. satisfaceret. Qua re Cęsar commotus, percontatus est Herodē, Veráne essent, quę nunciarentur de armorum numero. Quo annuente, satis approbatam putans defectionem, ademtam illi tetrarchiā ad Agrippę regnum adiecit, Herodemq; perpetuo apud Lugdunum Galliæ urbem exilio damnauit. Iosephus libro decimooctauo, capite nono.

Hostes.

HECVBA regina in Græcos plus satis maledica fuit. Qua re moti illi, lapidibus obrutam necarunt, sepulcrumque apud Abydum statuêre, Cynossema dictum, ob linguæ proteruiam, imprudentemq; petulantiam. Dictys lib.5.

ATHENIENSES in traducenda Minois crudelitate mendaces fuerunt, comminiscentes pueros, ab ipsis in Cretam ex iussu oraculi ad Minoa missos, in Labyrintho Minotaurũ monstrum peremisse, uel uagantes, nec inuenire ualentes exitum ibidem mortuos. Nam Cretenses, auctore Philocharo, hæc inficiantur, ac dicunt, custodiam Labyrinthum fuisse, quæ nihil mali, nisi quòd non uslerent indè effugere custoditi, haberet: Minoa in Androgei memoriã ludos gymnicos fecisse, uictoribusq; præmio dedisse pueros, qui tunc in Labyrintho asseruabantur. Vicisse prioribus ludis primarium belli ducem apud Minoa, nomine Taurum, feris & duris hominem moribus, qui pueros Atheniensium superbè & crudeliter haberet. Ipse quoque in Bortiæorum Rep. Aristoteles fatetur, à Minoe non arbitrari se interfectos fuisse pueros, sed mercenariam uitam agentes in Creta consenuisse: ac Cretenses aliquando, ad uetera persoluenda uota, hominum mississe primitias Delphos, atque cum his, qui mittebantur, mistam illorum sobolem una emigrasse. Plutarchus in Theseo.

Quid obiecerint. Falsò obiicere

Impudicitiam.

Bellerophon à STHENEBOEA Prœti Argiuorum regis uxore tentatæ pudicitiæ falsò accusatus fuit, cùm illa eũ ad stuprum aliquoties frustrà prouocasset. Homerus Iliad. ζ. Zezes in Lycophronem, & Natalis Comes Mythol. lib. 9. ca. 3.

TENNES Cycni, Colonis regis F. falsò à nouerca apud patrem de incestu oblato accusatus fuit. Cùm illa potius, priuigni amore incensa, repulsam ab eo stupri tulisset. Pausanias libro decimo.

POPPEA, quæ priùs adultera Neronis, mox repudiata Octauia, mariti potens facta, subornauit quendam ex Octauiæ ministris, qui ei seruilem amorem obiiceret. Ancillis Octauiæ ad quæstiones pertractis, quædam cruciatu uictæ falsis annuêrunt, quædam pertulerunt, dominæ suæ sanctitatem prædicantes. Ex his una instanti Tigillino respondit: Castiora esse Octauiæ mulebria, quàm os eius. Significans, illum esse & fellatorem, & fellatoribus obsequentem. Erasmus libro 6. Apoph ex Suetonio.

Athanasius episcopus Alexandrinus falsò ab ARIANIS accusatus fuerat, quòd uirginem uitiasset. Producta in medium meretricula, Timotheus presbyter, comes Athanasij, cùm Athanasius accusationi mulierculæ respondere iussus taceret, ipse ad mulierem conuersus: Mihi ne, inquit, res tecum fuit unquam, aut hospitio tuo usus sum, mulier? Tum illa, utpote non cognoscens Athanasium, impudentiore quàm antea uociferatione, Timotheum digito demonstrans: Tu, inquit, mihi uim & uitium obtulisti. Hacq; ratione per se detectum fuit mendacium. Ita quoque accusatus, quasi Arsenij cuiusdam brachium secum ferret, quo ad uenefi cia uteretur: Arsenium in synodum productum, utrumq; brachiũ habere ostendens, innocentiam suam attestatus est. Theodoretus lib. 1. cap. 29. & Socrates lib. 1. cap. 27.

SABINVS & CRESCENTINVS Gregoriũ Agrigentinum episcopum de stupro cum Eudocia puella falsò accusarunt coram synodo CL patrum. Is adductis CX testibus, Psalmũ alta uoce ingeminauit: Insurrexerunt contra mè testes iniqui, quæ ignorabam obiecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant. Statim igitur puella à dæmone correpta, ad pedes eius concidit. Gregorius sanitati à se restitutam uerum fateri iussit. Illa fassa est, muneribus se corruptam à Sabino & Crescentino, Gregorium falsò accusasse. Metaphrastes in Vitis.

MELANCIA stupri intentati falsò accusarat Eugenium abbatem. Ipse se feminam esse ostendẽs, Melanciæ dolum reipsa detexit. Marulus libro tertio, capite tertio. & Sabellicus libro 5. capite 3.

GNEVOSSIVS Dalenicius subcameratius Cracouiẽsis Hedwigim reginam Poloniæ accusauit falsò stupri, quasi absente rege Gulielmus Austrius secretò Cracouiam uenisset, & aliquot diebus cum regina consuesset. At cùm accusationem probare non posset, & regina iureiurando satisfecisset, Gneuossius ex decreto iudicij, mentitum se esse, clara uoce, & latratu subter scamnum edito, professus est. Cromerus libro 15.

Somnia.

Est sycophantarum genus, quod non solùm defert dicta factaque hominum, uerumetiam hominum somnia: cuiusmodi delatoribus aurem patulam præbuit Constantius, ut prodit Ammianus lib. 14. Præcipuè uerò indulsit MERCVRIO cuidam, qui uulgò ob id Mercurius solenniorum est dictus, quòd de specie familiaritatis conuiuiis admisceret, & si quis nocturnum uisum effutisset, deprauata narratione ad Principem deferebat: adeò, ut uix quisquam apud ignotos auderet fateri se dormisse; ac docti nonnulli sortem suam deplorarent, quòd apud Atlanteos nati non essent, ubi negant uideri somnia. quod fatetur & Stephanus in dictione Atlantes. Erasmus in Adagiis.

Veneficium.

Alexander Magnus cùm se in Cydno flunio gelidissimo prope Tarsum Ciliciæ sudore & æstu fessus lauisset, subito horrore membra eius diriguerunt, pallorque secutus, toto prope modum corpore calore uitali destituto, expiranti similis. Darius hostis quinque rantùm dierum spacio aberat. Alexander medicis necessitatem imposuit curationis præcipitandæ. Quibus cùm præceps nihil placeret, Philippus Acarnan, qui Alexandri adhuc pueri curam à patre creditam lucrabatur, pollicitus est, se potione una continuò regem à morbo leuaturum. Iubet eam Alexander subitò parari. Interea Alexandro libellus à PARMENIONE redditur, in quo scriptum erat, ut rex sibi à Philippo medico caueret, quem sciret à Dario mille auri talentis, sororisque aut filiæ connubio corruptum. Commotus Alexander aliquandiu, tandem tamen Philippo admisso, læua manu libellum tenens, pocul um intrepidè hausit. intraque triduum conualuit. Sabellicus lib. 4. Enneadis 4.

Auaritiam.

M. Catonem Censorium CÆSAR in Anticatonibus insimulat auaritiæ. Id Plutarchus periade scribit esse, quasi quis Herculem insimulet ignauiæ. Nihil enim minus in Herculẽ quadrat, quàm hoc criminis. Erasmus in Adagiis.

Obtrectationem.

TIBERIVS Imp. diligenter inuestigare solebat, quæ sibi homines exprobrarent. Sed postquam ea, quæ secretò locuti essent homines, deprehendisset, ea ipse in publicos cõmentarios referri curabat. Quo autem uideretur iustiùs irasci, ea sæpè quæ nemo dixerat, sed quorũ esset conscius, dicta esse mentiebatur. Ex quo fiebat, ut contra se derelinqueret in iis, propter quæ alios ut impios puniebat. Dion.

Proditionem, Defectionem.

CESENNIVS Pætus, Syriæ præses sub Vespasiano, Antiochum Comagenes regem (cuius metropolis erat Samosata iuxta Euphratem) falsò apud Cæsarem traduxit, quasi cum Parthorum rege conspirasset. Pætus accepta potestate Antiochum imparatum, nihilque hostile meditantem regno expulit in Ciliciam. Filij eius Epiphanes & Callinicus ad Parthorum regem Vologesum confugerunt. Cùm autem Antiochus in Cilicia captus Romam duceretur, Vespasianus uteteris amicitiæ ratione habita, uincula ei auferri præcepit, & intermissa profectione Romam, Lacedæmone degere, regiis sumtibus submiuistratis. Quo cognito, filij etiam intercessione Parthorum regis Cæsari reconciliati, apud patrem Lacedæmone transegerunt. Iosephus libro 7. capite 27. belli Iudaici.

Obsessa à Gallis Neapoli sub annum Salutis 1527. Fabritium Maramaldum Neapolitanum inimici nefario dolo circumuenire conati sunt. QVIDAM enim è Montella Samnij oppido, se Gallicarum partium militem ab ipso albæ crucis symbolo tesseraq; mentitus, atq; in insidias excurrentium Hispanorum ultrò datus, & Neapolim perductus, Fabritium Maramaldum proditionis reum fecit, quòd is portam Gallis proditurum promisisset. Ea re subitis auribus accepta, & ad suspicacem animum transmissa, princeps Aurantius Fabritium custodiæ tradit. Neapolitani rei incredibilis famæ uehementer offensi, quòd præclaræ & antiquæ stirpis ciuis, spectatæ uirtutis dux, & per omnem uitam Cæsariani nominis studiosus, ab agresti & nemini penè cognito homine delatore, in discrimen salutis & famæ uocaretur: apud Aurantium perucerunt, ut delator falsissimæ coniecturæ indicium, seuerâ in quæstione priùs perpurgaret, quàm Maramaldus ad refellendam calumniam, uti æqua iura, in dispari probo atq; nobili reo caucrent, tormentorum cruciatibus admoueretur. Ergo accusator in quæstione diu & graiter tortus, quum tormenta secus ac ante periculum credi derat, acerbiora ferre nequiuisset: se pecunia corruptũ, subornatumq; fuisse ab inimicis Maramaldi confessus est, & talionis pœnas in frusta dissectus, dedit. Iouius.

Quomodo obtrectant. V. C.

Accusando coram magistratu, In iudicio. Accusatores falsi.

Perfida Accusatio ad Iniustitiam pertinet: huc ratione Mendacij. Vide Tit. Iniuste damnatorum, & Astus in damnandis aliis.

P. Scipio Africanus iniustè à Q. Q. PETILIIS Trib. pleb. accusatus fuit, quasi pecunia corruptus esset ab Antiocho, uti cõditionibus gratiosis & mollibus pax cum eo Pop. Rom. nomine fieret. P. Aerodius ex T. Liuio, Dec. 4.

ARISTOGITON Atheniensis, cùm à lictoribus per tormenta uexaretur, ut consciis proderet, conscium neminem indicauit: omnes uerò amicos Hippiæ, participes insidiarum fuisse dixit. Cùm hos morte multasset Hippias tyrannus, tum Aristogiton amicorum stratagema ei exprobrauit. Polyænus libro 1.

Testando coram iudice. Testes falsi.

Mendacii respectu, huius est loci. At respectu Perfidiæ, ad Iniustitiam pertinet.

Contra Nabothum Iezraelensem DVO falsi testes producti fuerunt, Iezabelis reginæ instinctu. 3. Reg. 21.

Daniel examinauit duos SENES, qui contra Susannam iniquum testimonium tulerant. Dãiel. 13.

Multi falsi testes contra Dominum prodierunt: DVO uerò præcipui, sophismatis instructi, dicentes, audiuisse se ex illo, quòd templum Dei demoliturus esset, & tribus diebus aliud ædificaturus. Mathæi uigesimosexto; Marci decimoquarto, Lucæ 22. Ioannis 18.

IVDÆI statuerunt duos falsos testes contra beatum Stephanum, dicentes, cum non cessare loqui uerba aduersus sanctum locum, & legem. Actorum 6.

Τύπτω ἀδικῶς: id est, TENEDIVS tibicen, dicebatur testis falsus & caluniator. Hinc natum, quòd Philonome tibicinem suum subornauit, qui testaretur apud Cygnum, ipsam à Tennede stupro fuisse interpellatam, ac ui etiam tẽtatam. Stephanus in catalogo urbium. Erasmus.

Cùm bello Siciliensi Athenis noctu omnes Mercurij statuæ, quas Hermas uocant, in compitis facies & ora mutilatæ repertæ essent: inimici Alcibiadis in Alcibiadem hanc impietatem coniecerunt, & falsos testes subornarunt, quorum VNVS interrogatus, quo modo intempesta nocte facies eorum qui simulacra mutilassent cognouerit? Ad lunam, respondit: manifesto mendacio, cùm actum id fuerit die nouilunij. Plut. in Alcibiade.

M. Tullius pro L. Flacco, repudians eleuansq; GRÆCORVM testium fidem, Veruntamen, inquit, hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo uel literas, de multarum artium disciplinam: non adimo sermonis lepõrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. Deinde si qua sibi alia sumunt, non repugno. Testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque huiusce rei quæ sit uis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. Vnde illud est, *Λακεδαιμόνι μὴ μαρτυρεῖ*, Da mihi testimonium mutuum. Non Gallorum, non Hispanorum putatur. Totum istud Græcorum est, ut etiam qui Græcè nesciunt, hoc quibus uerbis à Græcis dici soleat, sciant.

Impia ac sceleris plena fuit causa, propter quam Narcissus, Hierosolymitanus episcopus, fuit damnatus: miranda quoque illa, qua absolutus. Imperante enim Seuero, tribus falsis TESTIBVS conuictus, iudicio cessit, & ad deserta se contulit loca, atq; ei in episcopatu alter fuit suffectus. Cùm trium testium primus dum testaretur adiurasset, nisi uera essent quæ testabatur, ut comburi posset incendio, cum omnibus quæ habebat absumtus est. Reliquorum duorum, cùm alter imprecatus esset ut lepra corripi posset, alter autem ut luminibus caperetur, nisi uera testarentur: intra paucos dies uterq; iis malis, quibus se adiurauerat, affectus est. Quibus prodigiis, ceu crimine, liberatus Narcissus, absolutus iudicio fuit, & in locum suum restitutus. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Romanorum quidam subornatis falsis TESTIBVS, accusantibus Symmachum papam, clàm Laurentium in papatum subintroduxerunt. Pro quo schismate dirimendo rex Theodericus episcopum Petrum contra Cartones uisitatorem sedis Apostolicæ instituit. Sigebertus in Chronicis.

Nunciando falsa.

Theseus Aegei regis Athenarum filius, occiso Minotauro Ariadnam Minois filiam uxorem duxit. QVIDAM Theseum à mendacibus Cretensibus proditum, & à Minoe immolatũ esse, falsò nunciauit Aegeo. Quo ille nuncio accepto, in mare se de promontorio præcipitauit. Vnde mari nomen factum. Theseus Ariadna uxore & Cretensi regno contemto, patri in regno successit. Suidas.

DEMOSTHENES Athenien sis orator mentitus fuit, Alexandrũ Magnũ in Triballis, aduersus quos bellũ gerebat, periisse, in concionem quendam producens, qui affirmaret, inter fuisse se prælio, uulneratumq; esse. Sab. lib. 4. Enn. 4. Plutarchus nunc puerum, nunc adolescentem, inter agendum à Demosthene Alexandrũ in contemtum appellatum scribit.

Cùm M. Otho contra Galbam conspirasset, & iam à militibus prætorianis Imp. esset salutatus, deliberãte an in publicum prodiret Galba, V. Iunio autem manendum censente, Celso uerò & Lacone incitantibus eum, ut prodiret, Iuniumq; acerbius increpantibus: uagus rumor uulgatus est, interfectum in castris Othonem, ac mox conspectus IVLIVS Atticius miles non obscurus inter speculatores stricto ense accurrere, qui occidisse clamabat se Cæsaris hostem, dimotaque turba gladium cruentum ostendit. Quem Galba intuitus: Quis tibi, inquit, iussit? Qui cùm respondisset, Fides & sacramentum, quo adactus esset: & plebs acclamaret, Rectè sanè, plausumq; daret: Galba in lectica delatus est, ut Ioui immolaret, & ostenderet se ciuibus. Postquam in forum peruenit, quãsi uenti conuersio oblatus rumor est, tenere Othonem castra. Ibi ut solet in tanto cœtu, cùm acclamarent hi, ut regrederetur: illi, ut procederet: pars, ut esset bono animo: alij, caueret: & lectica, sicut in fluctibus huc illuc iactaretur, & crebrò nutaret: conspecti sunt primò equites, mox pedites à basilica Pauli aduolare, qui Galbam interfecerunt. Plutarchus in Galba.

Clàm obtrectando.

Bessarionem Nicenum patriarcham AEMVLI non religionis, sed ambitionis ergò in Florentino concilio Latinorum partes secutum calumniati sunt, ut galerum ab Eugenio IIII. consequeretur. Sed de tanto uiro meliora credere, quàm deteriora suspicari præstat. Garimbertus libro 6. de uitis Pontificum.

Scribendo. Mendaces Poetæ, Historici.

Historiæ Mendacium uoluntarium hic consideramus. Non uoluntarii, qui Error est, sub Historicorum classe commeminimus.

Quidam dicunt falsum esse rumorem, qui de Medea fertur. Nõ enim illam liberis suis mortem intulisse, sed Corinthios. Fabulam uerò, & actum de Colchide inde natum esse. EVRIPIDEM, rogantibus Corinthiis, confinxisse, & à mendacio ueritatem superatam esse, propter poetæ ingenium & artẽ. Pro scelere uerò in filios patrato, etiam nunc fama est, Corinthios expiatoria sacrificia filiis offerre, & ea quasi tributum eis referre. Aelian. de Var. hist. lib. 5.

Phidias magnificis structuris à Pericle præpositus, omnia curabat, artificibusque præerat omnibus: id quod huic conuitia, illi constauit inuidiam, quasi ingenuas matronas ad spectanda opera commeantes in gratiam Periclis Phidias recepisset. Eos rumores excipientes COMICI, insolentem lasciuiam ei impegêre, ac Menippi uxorem amici atque in bello legati improperauêre, Pyrilampisque auium uiuaria: cui, cùm familiaris Pericles esset, infligebatur ipsum mulieribus, quibus consuesceret Pericles, subiicere pauones. Plutarchus in Pericle.

VERGILIVS Didonem falsò cum Aenea stupri commercium habuisse finxit, teste Sabellico libro nono, Enneadis 1. ex Trogo. De ea Ausonius:

Dum fugeret furias atq; arma prõcatis Iarbæ,
Seruauit dira morte pudicitiam.

Pari fide Turnium ab Aenea occisum fabulatur. Macrobius lib. 5. Saturn. cap. 17.

Socrates, cùm pleriq; adolescentes eum adamassent, inuidiam sensit, & primus ARISTOPHANES, Nubibus scriptis eũ exagitauit, tanquam corrumpentem adolescentes: & Atheum uocauit, propterea quòd canem & platanum ob insignem religionem ac numinis reuerentiam iurabat. Pòst ANYTVS & MELITVS hoc nomine eum accusarunt, & peregerunt Suidas.

Quidam historici gentium & gloriosissimarum ciuitatum fœdare nobilitatem, & conuersationi detrãhere tentauêre: THEOPOMPVS quidem Athenien sium, Lacedæmoniorum uerò POLYCRATES. Is autem qui Tripoliticum conscripsit (non enim Theopompus hoc fecit, sicuti quidam putant) etiam Thebæorum momordit urbem. Multa uerò etiã TIMÆVS in historiis de prædictis, & de aliis blasphemauit. Et hoc faciunt alij propter inuidiam atq; maleuolentiã, alij uerò propter uerbosam nouitatem memoria se dignos iudicantes. Iosephus lib. 1. contra Appionem.

Iudæi humanarum uictimarum falsò accusati fuerunt tempore Antiochi Epiphanis à GRÆCIS historicis, ut hoc prætextu immanem illius & sacrilegam tyrannidem palliarent. Verùm hoc mendacium pulcrè diluit Iosephus libro secundo contra Apionem.

MANETHONIS, Chæremonis & Lysimachi historicorum mendacia contra Iudæos, pete ex Iosephi lib. 1. contra Apionem: Appionis uerò Grammatici Alexandrini, lib. 2.

Mores Massilienses in Plauti Cassina, sunt qui molliculos effœminatosque intelligant, ex ATHENÆI doctrina: abs quo proditum est, Massilienses adeò libidinibus remollitos fluxosque olim fuisse, ut morsum prouerbialem non euaserint. Cælius lib. 16. cap. 8. contrarium ostendit, contrà Græci hominis mendacia.

ANDREAS quidam, in eo, quem de Medicinæ origine scripsit libro, malitiosè asserit, Hippocratem Coum inuidia laudis Gnidiorum medicorum adductum, publicam Gnidiorum bibliothecam igne clàm iniecto concremasse, & ob id scelus patria excessisse. Sed Soranus Cous in Hippocratis uita id factum negat, & artis exercendæ gratia peregrinatum asserit.

LYSIMACHVS historicus Israelitas, Mose duce, ex Aegypto egressos, omnia templa diruisse, & gentes excidisse scribit, & in Iudæa urbem condidisse, quam à templorum spoliis ἱερόσυλα appellarint. Verùm Græcus homo impudentissimè mentitur, ut Iosephus lib.1. contra Appionē pulcrè ostendit.

APPION Alexandrinus fingit Iudæos ex Aegypto duce Mose sex dierum itinere in Palæstinam peruenisse, & inguinum morbo correptos, quem Aegyptij Sabbon uocant, septimo die quieuisse, quem idcirco Sabbathum appellarint. Verùm mendacium illius pulcrè confutat Iosephus libro secundo contra Appionem.

Cur. Causa

Odij.

PHERORAS Herodis regis frater, Alexandro Herodis filio clàm persuasit, Herodem uxorem eius Glaphyram amare. Alexander zelotypus patri id facinus exprobrauit. Herodes sese excusauit, & fratrem mendacij conuicit. Eam autem calumniam Pheroras struxerat, ut animum adolescentis contra patrem incitaret, cui ipse infensus erat. Iosephus libro 16 capite 11.

ANTIOCHVS quidam apostata, Iudæos contribules falsò accusauit de incendio Antiocheno, quo quadratum forum exustum fuit, & archiua monimentorumq; publicorum receptacula, totaq; ferè ciuitas. Ergo Antiochenses tanquam furore correpti, aduersus eos, qui accusabātur, impetum fecere. Iosephus lib.7. cap.21. belli Iud.

Inuidiæ.

NIPHON Patriarcha, quoscunq; uel ingenio, uel quauis earum artium, quę uel publicè omnibus, uel priuatim Imperatoribus Andronico Palæologo & Michaeli eius F. placerēt, præstare cerneret, eorum se palàm amicum simulabat: clàm uerò oderat, & inuidebat omnibus: & aliàs alios occultè criminando, Imperatoris animum ab illis alienare studebat. In quo Libycum serpentem imitabatur. Aiunt enim serpentem nasci in Africa, uiperæ non absimilem, qui multa arena obrutus, ore & lingua tantùm exerta, prætereuntes inexpectato multet interitu. Gregoras lib.7.

Zelotypiæ.

☞ *Vide Tit. Vindictæ Zelotypæ.*

POPPEA, quæ à Nerone repudiatæ Octauiæ superinducta fuit, subornauit quendam ex Octauiæ ministris, qui ei seruilem amorem obiiceret. Suetonius.

Pecuniæ, Lucri.

ACME Iudæa, ancilla Iuliæ Cæsaris uxoris, corrupta muneribus ab Antipatro Herodis filio, falsis confictis literis Salomen Herodis sororem de insidiis accusauit. Sed re detecta, à Cæsare occisa est. Iosephus lib.17. c.8.

SCORTVM publicum pecunia corruptum ab aduersariis, Methodium patriarcham Constantinopolitanum stupri falsò accusarat. Ille in conspectu synodi se ab hac infamia liberum esse, sublatis uestibus impotentiam suam detegendo ostendit. Cuspinianus.

Regni, Tyrannidis.

Demaratum regem Spartanorum optimū & præstantiss. CLEOMENES & LEVTYCHIDES falsis calumnijs, quòd Aristonis filius non esset, sed ex adulterio conceptus, regno deiecerunt, & ad Persas exulem profugere coegerunt. In locum illius suffectus est Leutychides, & regnum cum Cleomene administrauit. Herod. lib.6.

ANTIPATER Herodis Iudæorū regis F. ut Alexandrum & Aristobulum de spe regni deijceret, sibiq; regnum ea ratione pararet, patrem insidias metuentem, in fratribus tollēdis, consilio iuuit strenuè. Iosephus.

PERSEVS Philippi spurius, Demetrium fratrem innocentiss. & cordatiss. falso conspirationis cum Romanis nomine insimulatum, circumuenit, & patrem nimis credulum ad filij necem compulit: ut ipsi, cui propter natalium pudorem regni potiundi spes nulla erat, tantis uirtutibus prædito iuuene è medio sublato, aditus daretur.

Vindictæ.

ARISTOGITON Atheniensis, cùm à lictorib. per tormenta uexaretur, ut conscios proderet, consciorum neminem significauit: omnes uerò amicos Hippiæ, participes insidiarum fuisse dixit. Cùm hos morte multasset Hippias tyrannus, tum Aristogiton amicorum stratagema ei exprobrauit. Polian. lib.1.

NICAGORAS Messenius Cleomeni Spartanorum regi prædium amœnum uendiderat: cuius precium ille uel ob inopiam pecuniæ, uel per occupationes, uel propter bella non dissoluerat. Cleomenem ergo Alexandriæ exulantem uidens apud Ptolemæum, falsis calumnijs de proditione accusatum, in uincula conijci curauit. Plut. in Cleomene.

LEO Imp. Iconomachus, Ioannē Damascenū, Damasci prætorem, sibi in imaginum cultu acriter repugnantem, adulterinis literis confictis accusauit apud Saracenos, quasi urbem sibi prodere uoluisset. Vide Tit. Monachorum octaui Seculi.

Geloria, Sanctij Castulonensis atq; Nauarrensis regis uxor, apud maritum stupri falsò accusata fuit à GARSIA naturali filio, quòd ei commodare equum recusasset, quē uxori Sanctius magnoperè commendauerat. Sed tandem innocentia eius patefacta est à monacho, cui Garsias ueritatem confessus erat. Fulg. lib.9. cap.11.

Vitæ.

TRYPHON tonsor Herodis, Tironem ueteranum de insidijs Herodi factis falsò accusauerat. Spe enim præmij, à Tirone amico summo Alexandri (quem Herodes pater de insidijs suspectum capitis damnarat) se non semel sollicitatum asseruit, ut inter curandum guttur Herodi nouacula præcideret. Ab Herode autem unà cum Tirone in uincula coniectus, cùm filius Tironis tonsorē etiam conspirationis reum faceret, à populo lapidib. obrutus dignas suæ perfidiæ pœnas luit. Iosephus lib.16. cap.17. Antiq.

Fabulæ.

☞ *Vide paulo antè, Mendaces poëtæ quatenus —sic ueris falsa remiscent Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

MENDACIS SIMVLATIONIS EXERCITATIO quoad ALIOS. Vel

ABSQVE CERTAMINE. Quatenus aliorum

VERITATEM ODIT, ÆGRE fert, punit.

PHARISAEI Christi odio flagrantes, cæcum à natiuitate eius gloriam prædicantem è synagoga eiecerunt, dicentes: In peccatis natus es totus: & tu doces nos? Ioan.9.

Solonem è regno egisse pręcipitem CROESVS Lydorum rex memoratur, quòd adulari nesciret. Interrogatus enim, Ecquemnam hominum se beatiorem iudicaret? Tellum Atheniensem agricolam, uirum bonum, bonis liberis abundantem, uictum durum labore manuum sibi parantem, qui pro patria pugnando occubuerat, ei præferre ausus fuit: addidit & illud, Neminem ante mortē beatū dici debere. Herod.

Antiphon orator Atheniensis, legatus Syracusas ad DIONYSIVM maiorem missus, cùm incidisset quæstio, Quod optimum æs foret? inter multorum dissensiones esse illud ostendit optimum, ex quo Harmodij & Aristogitonis statuæ factæ essent. Suspicans Dionysius id dictum cohortationem esse ad conspirandum in se, præcepit, ut hic de medio tolleretur. Plutarchus in uita eius.

Cleon Siculus, pleno conuiuio, ALEXANDRO Magno de industria triclinium egresso, sermonē intulit, oportere eum pro deo, ut Liberum patrem & Herculem uenerari. facturos omnes non piè tantùm, sed prudenter etiam, si in conuiuium redeuntem in terram prostrati exciperent. Callisthenes ex Aristotelis consobrina genitus, eloquentia singulari liberoq; ingenio, ridens Cleonis uerba, diuinitatem sequi hominem solere, non comitari dixit: neq; Herculem, aut Liberum patrē, conuiuij decreto deos factos. Posteri hoc mortuis tribuunt. Ego seram immortalitatem regi precor, ut uita diuturna sit, & uictura maiestas. Quantū sermo ille alios delectauit, tantum regis offendit animum, qui proximo loco latens, expectabat quo assensu exciperetur Cleonis adhortatio. Sed dissimulata ad tempus ira, conuiuio, uelut eorum omnium, quæ acta erant, ignarus se reddidit. Nec ita multo pòst Polypercontem, qui rideret Persas ad eum ingressos procumbentes, è lecto quo accumbebat ad terram præcipitem dedit: surridensq;, Vides, inquit, te idem fecisse quod stultè in alio ridebas? Hac ille ui est in Polypercontē usus: sed maiori Callisthenem odio insectatus, obliquis uocibus iam

ta inde incessere non destitit, auditaq; uox eius dicentis, Odisse se sapientem, qui nihil sibi saperet. Nec priùs quieuit, quàm falso conspirationis crimine obiecto eum cum aliis necauit, cum maxima nominis sui infamia. Sab. lib.6. En.4.

Cùm M. ANTONIVS III. uir altero tributo Asiam oneraret, ausus est Hybreas, qui pro Asia agebat, quiddam dicere urbanum illud quidem, atque ad Antonij aures non illepidum: Si bis anno tributum uales exigere, uales bis etiam æstatem nobis & bis fructus efficere. Sed cum acrimonia & confidentia adiecit, ubi CC millia talentûm intulit Asia: Hæc, inquit, si non accepisti, ab illis, qui acceperunt, repete. Sin, quæ accepisti, hæc non habes, perimus. Eo dicto uehementer pupugit Antonium. nam pleraq;, quæ agebantur, ignorabat: non quòd ita foret socors, sed quia ex simplicitate credebat suis. Plut. in Antonio.

DOMITIANVS Imp. Vestales uirgines Romæ, quasi cum uiris consuetudinem habuissent, falsò accusauit. Quarum innocentiam cùm Heluius Agrippa ex Pontificibus unus, defendere conatus esset, in senatu extinctus est. Xiphilinus in Domitiano.

IDEM, cùm saltatore Prasinæ partis Paride gauderet, eaq; de re & à Senatu & à Iuuenale malè audiret: Iuuenalem Pentapolim in Africa relegauit, saltatorem uerò locupletatum Antiochiam misit: qui ibi domo & balneo ædificato, mortuus est. Suidas.

MENDACIVM APPROBAT. SIVE ID FIAT

Credendo Delatoribus, Obtrectatoribus.

Tempore festi Scenopegiæ, cùm ARISTOBVLVS rex Iudęorum ægrotans decumberet, frater eius Antigonus è bello reuertēs, interfuturus sacris, splendidissimè ornatus in templum ascendit cum armatorum comitatu, pro salute regis uota facturus. Tum hi, quibus studium erat excitare inter fratres discordiam, uenerunt ad regē, & omnia exaggerantes, dixerunt: Hæc iam esse supra priuati hominis conditionem, & affectati regni manifesta indicia: aiebantque breui uenturum cum ualida armatorum manu ad occidendū regem: quòd stultum existimaret, cùm regno solum potiri liceat, communicato honore contentum esse. Aristobulus quamuis non omnino his crederet, tamen prospiciēs, quomodo posset & suspicionem uitare, & securitati suæ consulere, collocauit satellites in loco quodam obscuro & subterraneo, mādauitq; ut siquidem sine armis frater ueniret, nemo eum attingeret: quòd si armatus, trucidaretur: præmisit tamen ut inermis [illegible] At regina & reliqui insidiatores persuaserunt [illegible] contraria diceret: audisse fratrem, quòd arma [illegible] sibi comparasset, cuperéque ita armatum [illegible] Antigonus nihil mali suspicans, ita ut erat cum armatura contendit ad fratrē, contemplandum se præbiturus. Cùm peruenisset ad turrim Stratonis, quà ualde obscurus erat transitus, à satellitibus interfectus est. Iosephus lib.13. c.19. Antiq.

TIBERIVS Cæsar, causa quæstus tantū delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret, siue quid ueri, siue uani referrent. Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium, & quodcunq; dictū capite & fortunis luebatur: adeò ut capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cæcidisse, uestem mutasse, effigiemq; impressam numo uel anulo latrinæ aut lupanari intulisse, dictum factumq; eius aliqua æstimatione læsisse: ita ut primores senatus & magna hominum uis, infimas delationes exercerent. Cumq; senatus de præmiis accusatorum abrogandis aliquando agendum putaret, Tiberius dictitans, iura subuerti, si custodes legum amouerentur: tantū licentiæ delatoribus dedit, ut pleriq; criminis postulati, ante iudicium, supplicium præuenerint. Alex. ab Alex. lib.4. cap.22. ex Suetonio.

Adulatores audiendo, approbando, fouendo.

☞ *Ambitiosè quidam maiores honores sibi tribui patiūtur, quàm deceat: mendaciter quoq; eosdem ab aliis oblatos suscipiūt. Diuerso itaq; respectu modò ad Magnanimitatis, modò ad Veritatis excessum referri possunt. Proinde ex Tit. Ambitionis exempla petantur.*

Post obitum Ioiadæ sacerdotis Principes Iuda adorauerūt regem IOAM: qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis: & dereliquerunt templū Domini, seruieruntq; lucis & sculptilibus. 2. Paralip.24.

DIONYSIVS iunior adulatoribus unicè delectabatur. Ab eo nuncupati Dionysocolaces, qui subblandiēdi causa nil se eorum quæ apponerentur uidere ita ementiebātur, ut ab ipso Dionysio ductari manu gestirent. Ceterùm & id genus homines Alexandrocolaces mox nuncupati, à Magno (ut ferè creditur) Alexandro appellatione propagata. Cælius lib.22. capite 17.

ALEXANDRVM Magnum post res in Asia gestas, cùm iam Indicam suscepisset expeditionem, cepit in tanto rerum successu gloriæ cupiditas, ut iam nō aliter quàm prostratis humi corporibus se salutari pateretur: superabatque abundè adulatio, perpetuum regnorum malū, quorū opes sæpiùs quàm hostis dira hæc pestis euertit. Macedones tamen minùs facere, immoderatius Græci, genus hominum in id uitium propensissimum. Sab. lib.6. Enn.4.

Quamuis esset ad omnes homines M. CRASSVS assentationibus subigendos peritissimus, idem erat tamen uicissim adulationibus oportunus omnium. Plut. in Crasso.

Cùm Senatus eximios honores C. IVL. Cæsari decreuisset, sedebat fortè pro Rostris. Adeuntibus eum consulibus & prætoribus, atq; uniuerso sequente senatu, non assurrexit: sed quasi ageret cum priuatis, respondit, contrahendos magis quàm ampliandos sibi honores. Id non senatum modò, uerùm populum etiam offendit, tanquam despecta in patrib. Repub. Ferunt eum assurgere conantem, ab amico uel adulatore potiùs retentum Corn. Balbo, qui dixit: Non meministi te esse Cæsarem, neq; uis pro maiestate tua coli? Plut. in Cæsare.

AGRIPPA Iudæorū rex, tertio Iudeæ totius regni anno, Cęsareæ solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris. Die secunda processit mane in theatrum, amictus ueste argentea, quæ radiis exorientis solis percussa, & diuinum quendam fulgorem emittens, uenerationem cum horrore incutiebat spectantibus, moxq; adulatores acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut faueret propitius. Hāc adulationem ille nec castigauit, nec repulit: pauloq; pòst suspiciēs, uidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit: secuta sunt uentris tormina, statim à principio uehementia. Conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille uestra appellatione deus ad mortem rapior. Confestim totus populus supplicabat Deo pro salute regis. Rex in celsiore decumbēs cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi à lacrymis: cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus, uitam finiit. Iosephus libro 19. cap.7. Antiq. De eo sic in Actis legitur: Herodes uestitus ueste regali, sedit pro tribunali, & concionabatur ad populum. Populus [redacted] nō hominis. [redacted]

ANTONINVS Caracalla Imp. omnem illam pecuniam, quā per continuas exactiones extorsit, partim militibus, partim assentatoribus largitus est. Dedit autem Iunio Paulino decem millia aureorum, quòd ipsum ad prædam faciendam cohortatus esset: dixissetq; eum, quoties iracundiam simularet, planè iratum uideri. [redacted] & Xiphilinus.

IOANNES Papa XXIII. cùm [redacted] æquo laudaretur, Scio, [redacted] Tibi gratias habemus, qui nos [redacted]

CVM CERTAMINE. MENDAcij Affirmantis certamina.

☞ *Duum hæc sunt generū. Ait enim Mendaces inter se certant, quis mentiendo superare possit alium. aut Mendax certat cum Veraci: quod genus in falsa Accusatione, falsoq; Testimonio perspicitur.*

MENDAX SIMVLATIO, AFFIRMATIO, CONSIderata respectu EFFICIENTIS. Tum

QVIS, QVALIS. Huc Mendaces

POPVLI.

☞ *Vide suprà, Obtrectatores Populi. Hic Efficientem uniuersim, illic speciatim consideramus.*

AEGYPTIIS nullus mentiendi modus, summaq; mentiendi impunitas erat. Alexander libro sexto, capite 10.

PROPHETÆ, VATES.

☞ *Vide Titulum Pseudoprophetarum, quatenus prædictio illorum ad uitam quotidianam refertur.*

PSEVDOPROPHETÆ dicebant Achabo regi Israel de bello futuro prospera, quæ eum cupere sciebant. 2. Reg. 22.

POETÆ, HISTORICI.

Consule suprà, De alienis malis, Poetæ mendaces.

LEGATI.

EXPLORATORES Israelitarum XII. in Chananæam missi, timore eorum populorum correpti, cùm rediissent, Israelitis dissuadere cœperunt, ne terram illam inuaderent: feracem esse quidem, uerùm populum robustissimum, & immani statura, quosdam etiam Enaquinos, hoc est, gigãtes, cum quibus collati ipsi, sibi locustæ uiderentur. Solus Calebus & Iosua ueritatem nunciarunt, populumq; ad terrã inuadendam animarunt, quòd duce Ioua facilè essent superaturi. Verùm cum Israelitæ cæteris aures prebęrent, & contra Mosem & Aaronem murmurantes in Aegyptum redire uellent, iratus Dominus, iurauit nullum eorum, qui XX annis maiores contra se murmurassent, in terram Sanctam ingressurum, sed XL annis in deserto circumducendos. Et exploratores eos, qui seditionis concitandæ auctores fuerãt, statim Dominus interfecit. Solum Calebum Iephonis, & Iosuam Nunis F. ueritatis ergò incolumes seruauit, eosq; solos ex omni multitudine terram eam ingressuros affirmauit. Num. 13. 14. & 15.

TESTES.

De his suprà, sub Reprehensione & Accusatione mendace.

QVO CONSILIO. AD MENTIENDVM INDVCTI

POESI.

Vide suprà, Poetæ mendaces.

LVCRO, PECVNIA.

Sic ferè Adulatores, quorum proprium est uentris causa adulari.

ΒΩΜΟΛΟΧΟΙ olim dicebãtur, qui obuersantes circũ aras, uictimis tendere consueuerãt insidias. Hinc translatum est ad abiectè adulantes uentris gratia. Vnde dicta sunt βωμολοχεύματα καὶ κνισμαζα, pro sordidis adulationibus. Erasmus in Adagiis.

PHOCVS Phocionis F. cùm omnia bona paterna intemperanter absumsisset, parasitum postea egit, & hæredipeta fuit, omniumq; ludibrio expositus. Athen. lib. 4. c. 20.

Plutarchus apud Athenæum libro Conuiual. 3. de CHÆREPHONTE sic loquitur:

Στῆ δ᾽ ἄρ᾽ ἐπ᾽ οὐδὸν ἰὼν, σχεδόθεν δ᾽ οἱ ἦν παράσιτος
Χαιρεφόων, πτηνῷ λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς. id est:
—— At uerò adueniens in limine stabat
Chærephoon parasitus ei uicinus, auinon
Dissimilis, uulgò dicta est Larus, esurienti.

Erasmus in Adagiis.

ODIO, INVIDIA.

Sic ferè Obtrectatores, Maledici. De quibus suprà.

GLORIA.

Huc mendacia Peregrinantium, uarios casus, uaria pericula, & in uniuersum θαυμάσια ἀκόσματα narrantium.

Athenienses in Gręcia plurimũ claruisse fatetur Salustius, plus tamen fama, quã re ipsa, propter SCRIPTORVM quibus abundarunt magna ingenia, sic ut per terrarum orbẽ Atheniensium facta pro maximis celebrentur. D. Augustinus de Ciuitate Dei.

TIMORE.

Vide paulò antè, Legati mendaces.

VINDICTÆ STVDIO.

Ex Tit. Astus in opprimendis inimicis, huc multa.

LESCVS Niger, Polonorũ rex, simulata expeditione in Prussos, in Masouiam deflexo itinere, obuia queq; ferro & igni, nemine resistente, uastauit, & cum ingenti præda domũ reuersus est. Cromerus lib. 10.

SCVRRILITATE.

Stratocles THEBANIS suasit, ut quasi ob lætum rerum bene gestarum nuncium diis honorẽ haberent. At cùm clade uerè allata stomacharentur, rogauit populum, Quid eum læsisset, qui sua opera lætus fuisset triduum? Plut. in Politicis.

MENDAX AFFIRMATIO SIVE SIMVLATIO
considerata respectu FINIS. Sic suscipitur

PER SE.

Nullo alio scopo quàm Mentiendi consilio suscepta, per se quoq; est uituperabilis & simpliciter.

RESPECTV ALTERIVS CVIVSdam: utputa

[redacted]

MALI OBTINENDI.

Huc Astutiæ pleraq; exempla, quibuslibet uitiis subseruientis, Libidini, Auaritiæ, Ambitioni, Crudelitati, & in uniuersum Iniustitiæ.

MENDACII AFFIRMANTIS ACCIDENTIA. PVTA

VSVS

MALVS, QVONIAM FAMVLATVR VERBO CAVSA

Astutiæ.

IVLIVS Atticius miles non obscurus, in conspiratione M. Othonis contra Galbam, stricto ense Othonem se interfecisse clamitabat. Quo audito, Galba, qui in publicum prodire non fuit ausus, lectica in forum delatus, ut Ioui immolaret, & ostenderet se ciuibus, à militibus prætorianis interfectus est. Plut. in Galba.

Crudelitati.

Constantius cùm Orientale imperium patris testamento iniisset, omnes eos, quos parum aut patri amicos fuisse, aut sibi esse idoneos censuit, è medio sustulit. Missi SPATHARII sunt ad occidendum Ablauium, qui post præfecturã à Constantio abrogatam in Bithynia priuatus uitam in otio traducebat. Quorum primores, ut iussi erant, cùm se, ut in salutando Imperatore assolebat, ad genua inclinassent, literas reddiderunt. Quibus lectis ille erectus, uestem purpuream, quæ mittebatur à Constantio, flagitauit. Cùm autem illi subiecissent, se literas tantùm de dignitate afferre, qui uerò pro foribus starent, trabeam habere, intrò uocati illi pro purpurea ueste necem purpuream intulere. Sigonius lib. 5. Imperij occidentalis.

FRVCTVS. Tum

MENDACII DE SVIS REBVS.

C. IVLIVS Cæsar, cùm deum ipsum & dominatorem rerum omnium Iouem coràm salutarent assentatores, templumq; dicarent, se hominem esse oblitus, pro arbitrio omnia facere cepit. At coniurati cum mortalem esse reipsa ostendere. Suetonius.

LEPIDÆ Romanæ, ob partum simulatum ex P. Quirinio marito diuite atque orbo, facto iam diuortio, cùm ex Scauro potius filiam suscepisset, aqua & igni interdictum. Tacitus lib. 3. Annalium.

ADVLATIONIS.

Alexander Magnus ARISTOBVLI poetę carmẽ in profluentem abiecit: similia auctori minatus, si tale quid in posterũ ederet. Gyraldus Dial. 3. de Hist. poet.

P. AFRANIVS Potitus uidens magnam Caligulæ insolentiam ac crudelitatem, adhibito iureiurando promisit, si C. Caligula, qui grauiter decumbebat, conualesceret, se libenter moriturum. Cæsar pristinæ sanitati restitutus, cum mori coegit, ne peierasse uideretur. Dion.

AFRANIVS Secundus, equestris ordinis, cùm dixisset se eandem ob causam in singulare certamen descensurum, atque iuramento hoc etiam confirmasset: posteaquam conualuit certatorem illi obiecit. Idem.

Caligula QVENDAM ab exilio reuocatum, quum interrogasset, Quidnam ibi facere consuesset? quum per adulationem respõdisset, Semper oraui, ut periret Tiberius, & tu imperares: capta ex eo uerbo cõiectura, exules suos mortem sibi imprecari, misit qui uniuersos contrucidarent. Sueton.

OBTRECTATIONIS.

PATTÆCION, qui ex calumniis, quas bonis uiris intentauerat, quæstum faceret, deprehensus, conuictusq;, pœnas dedit capitales. Hinc prouerb. Πατταικίωνος συκοφαντικώτερος. Erasmus.

EVRYMNVS cùm moliretur serere dissidium inter Castorẽ & Pollucem, alterum apud alterum insimulans, pòst deprehensus, utrique grauissimas pœnas dedit. Itaque in prouerbium abiit pro calumniatore. Idem.

Demaratum regem Spartanorum optimum & prestantissimũ Cleomenes & Leutychides falsis calumniis, quòd Aristonis filius non esset, sed ex adulterio conceptus, regno deiecerunt, & ad Persas exulem profugere coegerunt. In locum illius suffectus est LEVTYCHIDES, & regnum cũ CLEOMENE administrauit. Vterque tandem dignas perfidię pœnas luit. Cleomenes enim cùm ex bello contra Aeginetas suscepto rediisset, mente captus, & in uincula coniectus, gladio sibiipsi artus detruncauit. Leutychides uerò, cùm in expeditione Pharsalica dux omnia faciendi ius haberet, multum pecuniæ per corruptelã dono accepit: ipseq; in re deprehensus, cùm sederet in castris, utraque manu pecuniam tenens, in iudicium delatus è Sparta profugit: domus eius excisa, ipse Tegeæ obiit. Herod. lib. 6.

ANTIPATER Idumæus, Hyrcanum Alexandri F. cui Aristobulus frater regnum Iudæorum extorserat, clanculum hortari non destitit, ne Aristobulum inultum pateretur, qui uitæ eius insidiaretur. Hac obtrectatione Hyrcanum pacato alioquin ingenio uirum permouit, ut ad Aretam Arabũ regem confugerit, & arma fratri intulerit. Ex quo bello tandem Iudæi in Romanorum potestatem uenerunt. Iosephus libro 14. capite secundo, & sequent. Antiquitatum.

IVDÆI, Herodem, qui insigni fortitudine latrones debellarat, inuidia moti accusare cępere, quòd latrones indicta causa occidisset. Quæ animorum abalienatio sensim dedit occasionem Herodi, ut Romanorum ope regnum inuaserit. Iosephus.

ELEAZARVS Pharisæus mendaci reprehensione Hyrcanum III. Iudæorum ducem à Pharisæis abalienarat, matrẽ eius seruam fuisse perhibẽs. Ea iniuria exacerbatus Hyrcanus, à Pharisæis defecit. Idem lib. 13. cap. 18. Antiq.

P. MVTIVS Scæuola iudex iniuriarum cõdemnauit eum, qui L. Accium poetam lædendi gratia in scena nominauerat: cùm C. Cælius absoluisset eum, qui Lucilium poetã in scena nominatim læserat.

AVARVM duces fortissimi falsis delationib. apud populum circumuenti & è medio sublati fuerant. Itaq; destituti ducibus Auares, à Trebellio Bulgarorum rege uicti subactiq; fuere. Bonfinius lib. j. Dec. j.

Obsessa à Gallis Neapoli sub annum Sal. MDXXVII, QVIDAM, qui se Gallicarum partium militẽ simularat captus, & Neapolim perductus, Fabricium Maramaldum proditionis reum fecit, quòd is portam Gallis proditurum promisisset. Sed ab Aurantio tormentis subiectus, se pecunia corruptum subornatumq; fuisse ab inimicis Maramaldi confessus est, & talionis pœnas in frusta dissectus dedit. Iouius.

VOYDILO ex rustico cubicularius, intimusque secretarius Iagielonis Lituaniæ principis factus, sororem eius insuper duxit. Quæ res cùm Keystuto patruo displiceret, & id Voydilo animaduerteret, apud Iagielonem Keystutum criminari cepit, ita ut res ad bellum deuenerit. Keystutus Vilnam inuasit & occupauit: Voydilonem autem laqueo uitam finire fecit. Guagninus in Lituania.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO:

MENDAX Negatio cõsideranda in
- Acquisitione.
- Exercitatione. Respectu Materiæ. Mendaces apparent in
  - Suis
    - Bonis, tum
      - Per se, non confitendo, dissimulando.
      - Ab aliis
        - Laudata non admittendo.
        - Vituperata non defendendo.
    - Malis. Tum
      - Per se:
        - Excusando, defendendo. Vtputa
          - Libidinẽ. Luxũ. Ambitionẽ.
          - Adulationem. Tyrannidem.
          - Parricidium. Latrocinium.
        - Ignoscendo.
        - Cælando
          - Adulationem.
          - Odium, Iram.
      - Ab aliis reprehẽsa, accusata, ægrè ferendo. Perpendendæ
        - Persona. Videlicet
          - Qui nõ ferãt. Puta
            - Põtifices. Sacri homines.
            - Principes.
            - Patres. Filij.
          - Quorũ reprehẽsiones nõ ferãt:
            - Sacrorum hominum.
            - Principum. Præceptorũ.
            - Poetarũ. Maritorum.
            - Dominorum.
        - Res, quarũ reprehẽsionem nõ ferunt. Puta
          - Ignorantiæ. Imperitiæ mechanicæ.
          - Improbitatis in genere. Stultitiæ.
          - Ignauiæ, Timiditatis. Temulentiæ.
          - Impudicitiæ, Libidinis. Auaritiæ.
          - Ambitionis. Crudelitatis.
          - Scurrilitatis. Idololatriæ, Impietatis.
          - Sacrilegij. Tyrannidis. Cædis.
  - Alienis
    - Bonis:
      - Per se: Detrectatio, Extenuatio.
      - Ab aliis Laudata, Defensa non admittendo.
    - Malis. Tum
      - Excusando, Defendendo.
      - Non accusando. Minus quàm deceat reprehendendo.
      - Obsequendo, Indulgendo. Imitando.
      - Laudando, Commendando.

Voluminis Decimitertij Liber III.

De Vitio in defectu, de Εἰρωνεία, seu Dissimulatione mendaci.

Εἰρωνεία Aristoteli dissimulatione potissimùm perficitur, unde & nomen uidetur traxisse. Definit ille τὸν εἴρωνα esse τὸν ἀρνέοντα (dictis aut factis) τὰ ὑπάρχοντα (id quod est, nihil esse. Sic differt à Veritate, quæ etiam negat, siue non esse dicit, non tamen τὰ ὑπάρχοντα, ἀλλὰ τὰ μὴ ὑπάρχοντα) ἢ ἐλάττω ποιοῦντα (non tale esse, quale est, secundùm quoduis genus accidentis) Quatenus uerò huic Dissimulationi finis alius quàm mendacium propositus est, utputa uel honoris fuga in uirtute dissimulāda, uel ambitio & iniustitia in non confitendo crimine, sic ad locos aliorum uitiorum referenda erit.

MENDAX NEGATIO DE SVIS REBVS. SIVE

BONIS.

Huc illi, qui Bona sua non confitentur, sed dissimulant: qui ab aliis laudata non agnoscunt, qui ab aliis oppugnata non defendunt. Qui ipsi ad Pusillanimitatē in honoribus amplectendis pertinent, respectu Subiecti, at respectu Veritatis neglectæ, huius sunt loci.

MALIS. Ea nimirū falsò

EXCVSANDO, DEFENDENDO. Verbi gratia

Ex Tit. Excusationis suorum malorum scurrilis, quædam exempla huc conferent, quatenus mendacium iunctum habent.

Libidinem.

PHÆDRA apud Euripidem de incesto amore se excusat, Thesei iniurias se ad amandum Hippolytum compulisse dictitans. Et apud eundem in Troadibus HELENA Hecubam maiore dignam pœna ait. Neq; enim nisi illa adulterum Paridem peperisset, se adulterum secuturam fuisse. Plut. in lib. de Audiendis poetis.

HELENA apud Euripidem causam malorū, quæ propter sui raptum Græcis & Troianis acciderunt, in Venerē transfert, inquiens:

Αἰαῖ δόλιον, ὦ πολύκτονον
Κύπρις, Δαναΐδαις ἄγουσα
θάνατον, Πελαμίδαις τε.

EADEM in Troadibus corā marito transfert causam in Venerem, à qua coacta sit Paridem sequi:

τὴν θεὸν κόλαζε, καὶ Διὸς κρείσσων γενοῦ,
ὃς τῶν μὲν ἄλλων δαιμόνων ἔχει κράτος,
κείνης δὲ δοῦλός ἐστι.

Sed illi Hecuba scitè respondet, inquiens:

Ἦν ὁ ὑμὸς υἱὸς κάλλος ἐκπρεπέστατος·
ὁ σὸς δ' ἰδών νιν νοῦς, ἐποιήθη Κύπρις.
τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,
καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.

Luxum.

Cùm grauem amicum audisset IVLIA Augusti F. suadentem, meliùs facturam, si se cōposuisset ad exemplar paternæ frugalitatis, ait: Ille obliuiscitur Cæsarem se esse: ego memini, me Cæsaris filiam. Macrob. lib. 2. c. 5. Saturn.

Ambitionem.

HERODES Iudæorum rex, studio memoriæ propagandæ ad posteros, urbes cōdidit in honorem Cæsaris, Cæsaream & Sebastem, eiq; templa dedicauit: excusans interim se Iudæis, quòd non sponte sed potentiorum iussu hæc faceret. Iosephus lib. 15. cap. 12. Antiq.

Tyrannidem.

L. SYLLA dictator, post multos ciues patria exactos, sparsūq; ciuilibus bellis sanguinem, deposita Dictatura cùm in foro deambularet, interrogatus, quomodo tam multis crudeliter atq; auarè perpetratis rebus, à tam sublimi loco, ubi imperabat, iterum ad priuatā uitam redire ausus esset? respondit: Si necesse esset, omnium quæ in Dictatura gessisset, se rationem redditurum. Plutarchus.

MITHRIDATES rex, cum Sylla uictore cōgressus, eloquenter admodum sua facta tueri, & belli causam in Romanos transferre conatus est. Sed illius astutiam Sylla paucis uerbis retudit, & an pacis Archelao datæ conditiones ratas haberet, interrogauit. Affirmante eo, tunc primū dextram ei porrexit. Plutarchus.

Parricidium.

ORESTES apud Menelaum excusabat parricidium, causam referens in Apollinem, iubentem interficere matrem, ulciscendo cædem in patrem Agamemnonem designatam, apud Euripidem in Oreste:

Δουλεύομεν θεοῖς, ὅτι ποτ' εἰσὶ θεοί.

Seruimus diis, quodcunq; tandem sint dij.

Latrocinium.

BVLAS famosissimus latro, scorti opera deprehensus, & à Papiniano præfecto prætorio sub Seuero Imp. interrogatus, Cur latrocinium fecisset? respondit: Et tu dic, cur præfectus sis? Dion, & Xiphilinus in uita Seueri.

IGNOSCENDO.

MÆVIVS tam ineptus quàm petulans poeta, Vergilij æmulus: de quo sic Horatius lib. j. Serm. satyra 3.

Mæuius absentem Neuium cùm carperet, Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an, ut ignotum, dare nobis
Verba putas? Egomet mî ignosco, Mæuius inquit.

CÆLANDO.

Consule locos Astutiæ, quatenus odium suum uel quoduis alienum malum dissimulat.

PHILIPPVS Macedonum rex, in epistola quā scripsit ad Athenienses, cùm in animo haberet nihil eorum facere, quæ legati ipsorum postulabant, nec tamen nimis durus uideri uellet: affirmauit se auditis oratoribus eorum assentiri omnibus rebus, quas illi petebant, seq; paratum esse inducias facere: si tamen Athenienses missis ad se auctoribus malorum consiliorum, iusto supplicio illos affici passi sint. Literæ regis recitatæ à Demosthene in actione pro Ctesiphōte, illic nunc inclusæ leguntur. Eodem etiam pacto M. ANTONIVS texit odium suum contra eos, quos Mutinæ obsidebat, docens se omni pœna eos liberaturum, si imperatorem suum prodidissent, in epistola quā misit Hircio & Cæsari: quod illi commissuri nulli modo erant. Victorius lib. 2. Var. lect. cap. 13.

DEMOCLES Dionysij iunioris adulator, cùm legatus unà cum aliis ad Dionysium missus esset, omnesq; eadem triremi ueherentur, accusatus fuit ab aliis, quòd seditionē concitasset in itinere, Dionysiiq; rebus publicis obesset. Valdè irato Dionysio, sibi controuersiā cum aliis legatis inde natam esse dixit, quoniam post cœnam illorum nōnulli Phrynichi, Stesichori, ac Pindari pæana sumentes canerent: ipse uerò ipsius Dionysij. Cuius rei se clarissimum argumētum daturum pollicebatur, quòd ipsius accusatores nec numerum quidem cantilenarum scirent, se uerò omnes ex ordine canere posse. Athen. lib. 6. c. 6. & Polyæn. lib. 5.

ARBOGASTES Comes, iunioris Valentiniani Imperatoris dux, cùm Viennæ in Allobrogibus esset, strangulari Valentinianum curauit, & ut scelus suum tegeret, cùm in eius cubiculo ipsum suspendisset, diuulgauit, quòd atrocibus nunciis perculsus, molestiæq; impatiens, sibiipsi mortem consciuisset. Eo autem scelere usus est, ut ad Eugenium hominē ignauum deferret imperium, & sub eo ipse arbitratu suo imperij habenas moderaretur.

Ladislaus Hunniades Vlricum comitem Ciliensem, LADISLAI Hungariæ regis auunculum & rectorem, æmulum paternum, per iurgium interfecerat. Regi nullus grauior casus accidere poterat: dissimulata tamen ira & mœstitia, nō dubitauit (quoniam ita Hungaris uideretur) Comitem, qui loricatus inter togatos incedere ausus fuisset, iure cæsum profiteri. Sed & comitantibus Ladislao & Mathia fratribus, usq; ad arcem Hunniadā, in qua mater eorum uidua erat, ingressus, reuocare illam à mœrore cœpit. Maritus, inquit, tuus etiamnum uiuit, & cum Christo regnat, qui pro Christo tot se periculis obiecit: maxima interim solatia tibi relinquens, Ladislaum istum & Mathiam filios. simulq; mandauit aurum, purpuram, sericum afferri, & per totum gynæceum distribui. Quibus rebus uehementer exhilarati Hunniades duo, Budam regem prosequuntur. Ibi rex in uestibulo arcis Ladislaum comprehendi iussit, & cum eodem Episcopum Varadiensem, Sebastianum Rosgonium, Ladislaū Canisium, & quosdam alios proceres. De Hunniade capitale sumtum supplicium, anno ætatis XXVI. carnifice succlamante: Sic perire illos, qui suis dominis sint rebelles. Cæteri in carceres coniecti, quibus ruptis breui pòst inde euasēre omnes. At Mathias XII. annos natus adolescens, Ladislai frater, adhibitis custodibus, Viennā cum rege abductus est, ibiq; sub custodia habitus. Dubrauius lib. 29.

AB ALIIS VERE REPREHENSA & accusata ægrè ferendo. Perpendendum

QVI REPREHENSIONES ægrè tulerint. Puta

Pontifices.

BONIFACIVS VII. Pp. in urbem reuersus, è qua propter crimina pulsus fuerat, nulla dignitatis habita ratione, Ioanni cardinali, innocentissimo uiro, oculos effodi iussit, quòd ei in his, quæ parum iustè appetebat, aduersaretur. Fulgos. lib. 9. cap. 5.

Sacri homines.

SACERDOTES Hierosolymitani, sub Ioacimo rege, Hieremiam excidium urbi ob peccata denunciantē, comprehenderunt: nisi seniorum quidam intercessissent, eum interfecturi. Hieremiæ 26.

PHASSVR Emmeris F. pontifex, qui templi administrationē gerebat, Hieremiam prophetam sub rege Sedecia uerberauit, & in carcerem coniecit, quòd eius prophetias ferre non posset. Hierem. 20.

Honorio II. Pontifice, quùm pleriq; è Romano CLERO turpiter uiuerent, eoq; licentiæ processissent, ut ne salubria quidem remedia pati possent, Arnulphum Brixiensem, qui magna hominis celebritate, magnoq; mortalium concursu diuinam prædicabat legem, quia liberiùs eorum uitam increparet, impiè necarunt. Tulit id facinus Honorius iniquo animo, cæterùm quæstione abstinuit. Sabellicus lib. 4. Enn. 9. & Platina.

Principes.

ZENO Imp. Pelagium patricium, uirum prudentissimum iuxtà ac iustissimum, causatus quòd Græcæ religioni esset addictus, reuerà autem ut se à reprehēsionibus eius liberaret, occidit. Animi enim liberi ille, solitus erat nepharia Principis facinora insectari. Cuspinianus.

Patres.

Iratus est SAVLVS rex contra Ionatham filium suum, Dauidis innocentiam prædicantem. 1. Reg. 20.

Filij.

SALOMON Hungarorū rex, ab Geysa duce turpiter uictus, ac regno ferè eiectus, quum in Masouiensem agrum confugisset, & sapientissimam matrem adiisset: ab ea repentè dura increpatione correptus est. Ad quæ ita Salomon ira exeanduit, ut matrem plura subdere conantem, pulsare uoluerit, nisi coniugis dextra remoratus fuisset. Bonfinius libro 3. Decadis secundæ.

A' QVIBVS SE REPREHENDI AEGRE' TVLERINT. VT à

Sacris hominibus.

Iehu filius Hanani, quia prophetauit malum aduersum BAASA regem Israelitarum, & domum eius, & cōtra omne malum quod fecit, occisus est ab eo. 3. Reg. 16.

OZIAS rex, cùm in Iouæ templum ad suffiendum ingressus esset, contra Dei mandatum, & eo nomine ab Azaria pontifice reprehenderetur: eius reprehensionem ægerrimè tulit. Sed eo ipso momento à Deo lepra percussus fuit. 2. Paralip. 26. & Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 11.

Micheas propheta, cùm de belli euentu, quod ACHABVS Israelitarum & IOSAPHATVS Iudæorum reges contra Syros parabant, consuleretur, prædixit Israelitici exercitus fugam, & Achabi necem. Eapropter à Sedechia uate falsò in maxillam percussus, ab Achabo in carcerem detrusus fuit. Sed qui uera uaticinanti manus intulerant, ab aduersariis cæsi pœnas dedēre, ipse uinculis liberatus est. Marulus lib. 4. cap. 4. ex 3. Reg. 22.

Cùm rex Nabucodonosor urbem Hierosolymam obsideret: Hieremias propheta è carceribus in quos coniectus fuerat, portas regi aperiendas suadebat, alioqui urbem cum omni populo perituram. PRINCIPES uerò populi, quasi plebis animos frangeret, permittente rege Sedecia, qui illis nō audebat reluctari, eum in uoraginem cœnosam demiserūt, ut capite tantùm extaret. Eum tamen Abdemelechi Aethiopis Eunuchi precibus Sedecias clàm extrahi curauit. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 10. ex Hierem. 38.

Baruchus Hieremiæ prophetiam proceribus Iudæorum & regi IOACIMO recitauit in tepidario sedenti, ardente ante eum foculo. At rex iratus, quamuis dehortantibus aliis, uolumen scalpro librario dissecuit, & in focum coniecit. Ob eam impietatem, Domini permissu, à Nabucodonosoro occisus, & insepultus abiectus, & filius eius Iechonias captiuus abductus est. Hierem. 36.

EVDOXIA Arcadij Imp. uxor, cùm reprehensiones liberas D. Io. Chrysostomi Constantinopolitani episcopi ferre non posset, bis in exilium curauit eiici uirum sanctissimum. Vide Tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

THEODERICVS Childeberti F. Burgundionum rex, à Brunichilde auia incitatus, Columbanum abbatem Luxouiensis monasterij, propter reprehensum illegitimum connubium, & propter taxata Brunichildis maleficia, bis in exilium eiecit: Theodebertum regem Metensium, fratrem suum, cū XXX millibus hominum occidit, eo quòd Columbanum excepisset hospitio. Sigebertus in Chronico. Auentinus in Annalibus Boiorum, Hermannus Gigas, Chronicon Martini in Mauricio, & Speculum Vincentij lib. 22. cap. 4. 5. & 6. Desiderium episcopum Viennensem, quòd flagitia eius reprehenderat, in exilium expulit: & post quatuor annos reuocatum, lapidibus obrui iussit. Sigebertus in Chronico, & Aimoinus de gestis Francorum libro 3. cap. 80. & 90. Aemilius libro j.

IVNIPERTVS, rex Bergomensium, cùm Ioannis episcopi admonitionem liberè in conuiuio ferre non posset, eum insidiis equi ferocissimi cui eum insidere fecit, è medio tollere frustra conatus est. Vide Tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

RAINALDVS Castilionensis Antiochenus princeps, Almericum Antiochenum patriarcham per æstatis tempus, integram diem uinctum, in turris summitate, sub dio, nudo capite, ac melle os totum perfusum stare coegit: ita ut parum abfuerit, quin nimio calore, ac muscarum tædio conficeretur. Cuius rei illa fuit causa, quòd parum probasset matrimonium ab eo cum Constantia principe initum, nulla quatuor paruulorum, quos ex Raimundo principe susceperat, habita ratione. Fulgosus lib. 9. cap. 5.

BERNABO Vicecomes, Mediolani princeps, Massiliensem abbatem ab Innocentio VI. pontifice ad se missum, quòd ingrata quædam nunciabat, ac postremò Apostolicas censuras minitabatur, Pontificis literas, quas attulerat, deuorare coegit. Fulgosus lib. 9. cap. 5.

BOLESLAVS II. Poloniæ rex, ob tyrannidem & luxuriam à Stanislao Cracouiensi episcopo seuerè reprehensus, insidias ei tendit. Quas ubi uidit irritas, ipsemet in templum, ubi Stanislaus sacra faciebat, irrumpens, stricto ense lethali ictu in uerticem ferit. Satellites corpus templo extractum minutim conciderunt, anno MLXXIX. Cromerus lib. 4.

Principibus.

Isbosethus rex Sauli F. ABNEREM Neris F. polemarchum suum reprehendebat, quòd cum Respha Aiæ filia, concubina patris sui Sauli, rem habuisset. Id indignè ferẽs Abner, quòd cùm suo beneficio Isbosethus regnũ adeptus esset, sibi hoc flagitium exprobraret, ad Dauidem defecit. 2. Reg. 3.

LÆTVS Præfectus prætorij, Pertinacem Imperatorem, quòd sæpiùs ab eo reprehenderetur, in palatio confodit, sexto imperij mense, cum Electo & cæteris duobus cubiculariis. Cuspinianus.

Præceptoribus.

BRICCIVS D. Martini discipulus, bonum senem contumeliosiùs tractare, & monita eius ægrè ferre cœperat. Prædixit ergo ei D. Martinus multas calamitates. Nam mortuo Martino, in episcopatu Turonensi quidem ei successit: uerũ falsa stupri infamia eiectus est.

Poetis.

TIBERIVS Cęsar, Aemilium Scaurum, ob Atreum tragœdiam, in qua monebat quendam, ut principis temeritatẽ ferret, interfecit. Nam Tiberius illa cõtra se conficta existimãs, dixit: Ego uerò illum Aiacẽ faciam. cumq; sibi afferre manus coegit. Zonaras.

Maritis.

Cùm dixisset Tobias de hœdo, quem balantem audiuit, Videte ne furtiuus sit, SARA uxor eius impatienter respondit. Tobiæ 2.

Dominis.

AGAR ancilla Saræ, non ferens reprehensionem dominę suę, fugam iniuit: sed ad mandatum angeli rediit. Gen. 16.

Sara filia Raguelis unam de ANCILLIS suis pro culpa increpabat, & illa respondit: Ampliùs ex te nõ uideamus filium aut filiam super terram, interfectrix uirorum tuorũ. Tob. 3.

CVIVS CAVSA, AEGRÈ FERRE REPREHENSIONEM

Ignorantiæ.

DIONYSIVS Philoxenum poetam in Latomias coniecit: quum illi tragœdiam à se concinnatam recoquendã emendandamq; tradidisset, totam is ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιεγράψεν, id est, ab initio ad coronidem usq; circũscripsit: expunxit, deleuitq;. Cælius lib. 15. c. 20. Antiq. lect. ex Plut. de Fortuna Alexandri.

Imperitiæ mechanicæ.

P. CRASSVS Mutianus, Asiæ proconsul, Leucas oppugnaturus, cùm antè Athenis uidisset malos duos ad faciendos arietes aptos, scripsit architecto, ut maiorẽ sibi mitteret. Cæterùm architectus comperto, quamobrem malum peteret, minorem tanquam magis idoneum facilioremq; portatu misit. Crassus ira commotus, licèt rationes eius rei ab architecto audiuisset, uestimenta nihilominùs ei detrahi imperauit, uirgisq; multùm cæcidit. Gellius lib. 1. c. 13.

Improbitatis in genere.

PERSEVS rex Macedonum, à Paulo Aemilio funesto prælio superatus, postquam Pellam nocte ingressus erat, Euctum & Eudæum ærario præfectos, qui ei præstò fuerunt, eum de superioribus peccatis intempestiua libertate admonentes, consiliaq; suggerentes, ambos pugione confodit. Plutarchus in Paulo Aemilio.

Stultitiæ.

MAXIMINVS Cæsar, in amplissima Alexandrinorum urbe, coactam in planiciem omnem iuuentutem, subitò per milites ex insidiis prorumpentes, miserandum in modum contrucidari curauit: quia Romæ audierat, Alexandrinos dicteriis aliquibus in patrem eius lusisse: seipsum uerò risui habere, quòd exiguæ staturæ homo, Alexandrum maximũ & fortissimum ducem, incessu situq; corporis ineptè æmulari conaretur. Herod. lib. 4.

Ignauiæ, Timiditatis.

Mortuo Memnone DARII Persarũ regis exercitus duce, deliberatio incidit, utrum duces cum exercitu ad res maritimas mittendi essent: an magis expedire uideretur, regem, adductis omnibus copiis, belli fortunam experiri. Tum suadentibus quibusdam posterius, Charidemus Atheniensis, uirtute & omnibus artibus imperatoriis præstantissimus, consilioq; optimus, Darium admonuit, ut ducem, cuius prudẽtia explorata haberetur, cõtra Macedones mitteret, ad quam expeditionem centum millium peditatum sufficere, si eorũ tertia pars essent Græci stipendio conducti. In reiq; maiorẽ fidem, pollicebatur, sese illud bellum confecturum. Mouerant regem eiusmodi uerba: sed amicis regis diuersa censentibus, proditionisq; suspicionem de Charidemo iniicientibus: concitus ira Charidemus, Persis ignauiam & timiditatem apertè cœpit exprobrare. Rex offensus, Charidemũ zona comprehensum apparatoribus interficiendum tradidit. Diodorus lib. 17. & Sab. lib. 4. Enn. 4.

Temulentiæ.

CAMBYSES Persarum rex, cùm à Prexaspe satrapa audiuisset, Persas dę eo propter temulentiam malè loqui: ira percitus, Prexaspis F. pocillatorem in medium produci iussit, & arcum intendens, sagitta cor eius transfixit. Conuersus inde ad Prexaspem: Abi, inquit, & Persis refer, uel temulentũ regem munere suo probè functum, filiiq; tui cor medium non frustrato ictu transfixisse. Herod. lib. 3.

Impudicitiæ, Libidinis.

Ioannes Baptista dicebat Herodi, Non licet tibi habere uxorẽ fratris tui Philippi Herodiadem. HERODES id ægrè ferẽs, in uincula coniectum captata occasione interfecit. Matth. 14. Marci 6.

Ignatius Constantinopolitanus patriarcha, cùm BARDAM, quòd uxorem repudiasset, à sacro templi ambitu arceret: eum ille ab Ecclesia deiecit, multisq; iniuriis affecit, & demum sepulcro inclusit: à quo tandem extractus, Mitylenem in exilium missus est, neque ita multò pòst interfectus. Cuspinianus ex Zonara.

Idem Ignatius MICHAELEM Balbum Imperatorem, qui uxorem suam sine causa dimiserat, & cum nuru consueuerat, à communione prohibuerat. Id ille ægrè ferens, Ignatium in exilium mittit. Legati Romani põtificis in Synodo Ignatium damnarunt, cum omnibus asseclis. Nicolaus pontifex Rom. scripta epistola ad Michaelem Imperatorem, & alia ad catholicos in Asia ac Libya, acta legatorum suorum rescidit: & Ignatij depositionem, & Phocij consecrationẽ illegitimam esse pronunciauit. Tomo 2. Conciliorum. Tandem à Basilio Macedone restitutus est Ignatius, eo nomine, quòd non iustè esset depositus. Zonaras Tomo 3.

CONSTANTINVS Leonis & Irenes F. Maria uxore repudiata, & in monasterium occlusa, duxit Theodatem. Id facinus cùm approbasset Tarasius patriarcha, imaginum adorator: Plato quidam monasterij Saccidionis magister & καθηγητὴς reprehendit, & à communione eius abstinuit. Sed ad Imperatorem delatus, in carcerem coniectus est, & monachi in exilium pulsi. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Rom. & Zonaras.

IVDITHA uxor Ludouici Pij Imp. curauit interfici Fridericũ Traiectensem episcopum, quòd connubium eius cum Imperatore damnasset. Ranulphus lib. 5. c. 29. in Polychronico.

PIPINVS, præfectus domus Austrasiæ, qui Ebroino interfecto per Hermẽfridum nobilem, regnum Francorũ occupauit (Theoderico interim eiusq; filiis regio titulo concesso) Lampertum Traiectensem episcopum, ob reprehẽsum adulterium cum Alpiade pellice, repudiata uxore legitima, trucidari curauit. Vincentius lib. 23. c. 26. & Sabellicus libro 7. Enneadis 8.

Philippus episcopus Firmanus, legatus pontificius, ab Hungarorum rege LADISLAO in uincula coniectus est, propterea quòd cum ob adulteria & Hunnas pellices post leniores admonitiones diris deuouerat. Sed ipse quoq; rex pòst ab Hungaris suis in honesta custodia asseruatus aliquãdiu, ad extremum à Hunnis, quorum consuetudinem & mores amplexus erat, interfectus occidit. Cromerus lib. 10.

In Anglia, cùm mortuo Edilberto rege Christiano filius eius CADBALD regnum adeptus esset, nouercam suã in uxorem duxit. Obiurgatus à piis doctoribus eos ex aula & finibus exterminauit, idolomaniam restaurauit, & suos passim fana deorum restaurare & colere passus est. Hac moti crudelitate Iustus & Mellitus episcopi, in Gallias redierunt, ibiq; per annuum spacium latitarunt, donec rege mitescente, & diuinitùs per Laurentium ad uiam reuocato, eò redierunt. Beda in historia Ecclesiastica lib. 3. cap. 5. & Polydorus lib. 4. Anglicæ historiæ.

Auaritiæ.

MAVRICIVS Imperator, cùm ob auaritiam à Gregorio Magno pontifice Romano obiurgaretur, grauissimas contra eum exercuit inimicitias. Verùm prodigiis de futuro interitu territus, à Pontificis insectatione destitit. Blondus Dec. 1. lib. 8. & Abbas Vrspergensis.

THEOPHILVS Alexãdrinus episcopus, Ammonij, Dioscori, Eusebij & Euthymi quatuor Longorum fratrum, ob suã auaritiam reprehensionem ferre non potuit. Ideoque cùm priùs summus eorũ amicus esset, Anthropomorphitas contra eos instruxit, quòd Origenistæ essent. Nicephorus lib. 13. cap. 10. Sozom. lib. 6. cap. 30.

Ambitionem.

Cùm ALEXANDER Magnus Persico more uellet adorari, Callisthenes ei familiarissimus palã dictitabat, non adorandum esse. Alexander eum ueluti coniurationis consciũ criminatus, truncatis mẽbris, abscissisq; auribus, labiis ac naso deformatum, post uaria tormentorum genera de medio sustulit. Sic Callisthenis mors, Alexandri crimen erit ęternũ, quod nulla uirtus, nulla belli felicitas unquã redimet. nam quoties dicetur, Occidit Alexander Macedo Persarum multa millia, occidit Darium: subdetur statim, Et Callisthenem. Seneca lib. 6. Naturalium quæst. & Plut. in eius uita.

Crudelitatem.

CAMBYSES Persarum rex, cùm propter crudelitatem à Crœso rege captiuo reprehẽderetur, quodq; patris uestigiis nõ insisteret, coargueretur: arcu correpto eum confixisset, nisi fugã sibi consuluisset. Ministri, quib. interficiendi Crœsi potestas erat data, hominem abscõdunt. Eundem rursus, cùm Cambysem facti pœnituisset, producunt. Cambyses lætus quòd Crœsus adhuc superesset, ministros tamen propter inobedientiam morte affecit. Herod. lib. 3.

PHILIPPVS Antipatri F. Macedonum rex, Aratum Sicyoniũ (quem Antigonus propter merita & rerum gestarum gloriam summis affecerat honoribus) eo quòd liberè iracundiam & crudelitatem suam reprehenderet & coerceret, nihil tale timentem ueneno dato necauit. Eius cadauer Aegio, ubi supremum diem clauserat, Sicyonem relatum, magnificè sepultum est. Pausanias in Corinth.

Iulius Crispus, tribunus prętorianorum militum, uidẽs SEVERVM Imp. ob uilissimas causas bellum inferre multis, atq; ferrum stringere leuiter in innocentissimos, cecinit carmen Maronis. Aen. 11.

> Scilicet ut Turno contingat regia coniux,
> Nos animæ uiles, inhumata infletaq; turba
> Sternamur campis.

Seuerus hominem occidi iussit. Xiphilinus in Seuero.

A Latinorum familiari usu non abhorrere uisus TAMBERLANES Tartarorum princeps, quendam patria Genuensem, in comitatu suo agere facilè patiebatur. Hunc perblandè ausum rogitare, Eccur uictoria (quòd munus cœlestium foret) multiplici de hominibus parta, ipse etiam homo, humaniùs non uteretur? toruo uultu intuens: Ecquid te fallit, inquit, in hac dextra (dextram intendebat) diras pestemque terrarum uersari? Sed procul abi in malam tuam tuorũmq; rem, ne cum hac insana percontatione tua, quas ea merita est pœnas, tu mihi luas. Pro immortali beneficio fuit Genuensi, licere sibi incolumi è furentis potestate facessere. Aemilius lib. 10.

Io. Ant. Campanus, Tiphernatium episcopus eloquẽtissimus, cùm liberè SIXTVM IV. Pontificem admonuisset, ne Tiphernũ militũ libidini ulteriùs exponi pateretur, sed Christum, cuius sese uicarium iactaret, imitaretur: in exilium eiectus est. Michael Fernus in eius uita.

Scurrilitatem.

Cùm ALEXANDER Magnus, Castori & Polluci sacrificasset, dum strenuè certatur poculis, cantata carmina sunt Pranychi cuiusdam, aut, ut alij uoluit, Pierionis, in duces, qui pridem uicti à barbaris fuerant, ad probrum & risum scripta. Stomachantibus maioribus natu, insectantibusq; poetam & cantorem, Alexandro ex altera parte & assecłis eius libenter audientib. atq; ut recitaret exhortantibus: CLITVS intimus Alexandri iam uino grauis, naturaq; asper & præfractus fremuit, negans conuenire, præsertim ut inter barbaros & hostes, Macedones multo, quàm qui riderent eos, etiamsi infesta essent fortuna usi, præstãtiores, ludibrio haberentur. Multis ultrò citroque acerbè dictis, haud ultrà par iræ Alexander ex malis appositis uno coniecto percussit Clitum, & gladium quæsiuit: quem cùm unus satellitum Aristophanes subtrahere maturasset, aliiq; eum complecterentur & obsecrarent: tum ablata cuidam satelliti Alexander hasta, obuiũ Clitum remouentemq; uelũ ianuæ, transfixit: quo cum gemitu & fremitu cadente, mox ira animo eius decessit. Plut. in Alexandro.

Idololatriæ, Impietatis.

Iadon propheta, HIEROBOAMO Israelitarum rege præsente, aduersus sacerdotes idolorum ab ipso constitutos inuectus erat. Rex ira percitus, protenta manu prophetantem comprehendi iubebat: & manus quam protenderat, aruit: ita ut quem ulcisci uoluerat, continuò eundem pro instau-

randa manu supplex rogaret. Marulus libro quarto, capite quarto.

Cùm Daniel probasset, Belum & draconẽ non esse deos, BABYLONII curauerunt Danielem mitti in lacum leonum. Danielis 14.

AMASIAS Iudæorum rex, Ioæ F. ægrè ferebat se à propheta reprehendi propter idololatriam, dicens, Num tu regi consiliarius appositus es? desine, ne occidaris. 2. Paralip. 25.

Multos ADVERSARIOS D. Paulus habuit, dum Iudęorum superstitionem, Gentilium idololatriam reprehendit, dum Christum docet. Act. 19. Sic ad Galatas: Ego inimicus factus sum uobis, uerum dicens. Galat. 4.

Zacharias, Ioiadæ sacerdotis filius, ueritatis, id est Dei spiritu imbutus, nõ dubitauit IOAM regem Iuda palàm arguere, quòd patrię ritu relicto, ad idolorum cultũ conuersus fuisset. At illi prophetantem in atrio domus Domini lapidibus obruerunt. Deo uerò innocentis necem ulciscente, ingẽtes illorum copiæ à paucis Syris prostratæ sunt, Ioas à seruis interfectus. Qui autem pro ueritate mori non timuit, uitæ æternæ præmia recepit. 2. Paralip. 24.

Sacrilegij.

MENELAVS, Oniæ pontificis fratris reprehensiones, cùm sacra uasa depecularetur, ægrè ferens, eum ab Andronico procuratore Antiochi Epiphanis, donis à se corrupto, interficiendum curauit. 2. Mach. 4.

Rex Angliæ GVLIELMVS Ruffus, omnia putans sibi licere, bona quoq; Ecclesiastica inuasit. Ei se opposuit Anselmus Cantuariensis archiepiscopus. Verũ rex pecunia eũ multauit. ea tñ remissa, instabat nę sibi impedimento esset. At cùm rex nihil de suis rapinis remitteret, Anselmum redarguentẽ in exiliũ pepulit. Sed paulò pòst in uenatione sagitta transfixo rege, dùm eques Francus in ceruum eam dirigit, reuocatus est Anselmus ab Henrico primo. Polydorus libro 10. Anglicæ historiæ.

Tyrannidis.

Dion Platonis studiosus, cùm is in Siciliam uenisset, effecit ut cum DIONYSIO maiore tyranno colloqueretur. In colloquio cùm in summa de uiri uirtute, præsertim autem de fortitudine disputaretur: quia quiduis citiùs Plato, quã tyrannos fortes asseruit: hinc ad iustitiam transiens, docuit beatam iustorum esse, iniustorum miseram uitam: non tulit sermonem eius tyrannus, uerùm quasi coargueretur, infensus quoq; fuit assistentibus, qui Platonem commendabant mirificè, atque eius oratione ducebantur. Postremò inflammatus exacerbatusq; rogauit eum, Quid in Siciliam uenisset? Qui cùm respondisset, Virum bonum se quærere: excipiens ille, Atqui herclè, inquit, nondum uideris eũ inuenisse. Ac Dion, qui non existimabat porrò iram Dionysij progressuram, properantem Platonẽ in triremi, qua Pollis Spartiates redibat in Græciam, dimisit. Verùm rogauit Dionysius Pollim secretò, maximè ut in cursu occideret eũ: sin minùs, omninò uendidaret: nullam iniuriam accepturum, sed æquè beatum fore uel in seruitute, ut qui esset iustus. Itaq; dicitur Platonem Pollis Aeginam deportasse ac distraxisse, cùm bellum haberet ea ciuitas tunc cùm populo Atheniense & plebiscitum: Si quis captus ciuis Atheniensis foret, ut uenderetur Aeginæ. Plut. in Dione.

Carina Secũdus, præclarus orator, à CALIGVLA exilio multatus est, quòd contra tyrannidẽ exercitij gratia declamasset. Xiphilinus. Auiam Antoniam, à qua obiurgatus erat, ad necem uoluntariam compulit. Zonaras.

Ioannes Venetorum dux, cum MAVRICIO F. tyrannicè imperabat. Ioannes Gradensis antistes flagitia ducum & priuatim & publicè castigabat. Mauricius cum apparitorũ & cliẽtum manu Gradum profectus, acceptusq; hospitaliter, homo impius pium antistitem, hominem pernecessarium hospitemq; suum, ex alta turri præcipitat. Fertur miraculo factum, ut non imbres, nõ intemperies cœli ulla diluere potuerit cruorem, qui subiectis est marmoribus infusus. Fortunatus Ioannis nepos patruo licèt substitutus, non priùs tamen quieuit, quàm Pipinum Caroli Magni F. ad bellum Venetis inferendum concitauit. Sabellicus libro 9. Enn. 8.

Cædis.

ACHABVS rex, cùm ab Helia argueretur propter iniustam mortem Nabothi, grauissimè id fertur tulisse. 3. Reg. 21.

CAMBYSES rex, sororis, quæ uxor etiam fuit, uerbis, parricidium exprobrantis inflammatus, in eam calcibus insiliens, abortire fecit. Herod. lib. 3. & Iustinus.

Photius patriarcha BASILIO Macedoni Imp. ob cædem Michaelis, sacris interdixit. Sed ille dissimulans odium, collegit synodum: qua sub prætextu, quòd Ignatio à Barda iniustè pulso successisset, deiectus est, & Ignatius restitutus. Zonaras Tomo 3.

MENDAX NEGATIO DE ALIENIS SIVE

BONIS. Et uel

PER SE. DETRACTIO, EXTENVAtio alienorum bonorum.

LYCVS tyrannus Thebanorum, extenuans facta Herculis, apud Euripidem in Hercule furente:

ὃς ἔσχε δόξαν, οὐδὲν ὤν, εὐψυχίας
θηρῶν ἐν αἰχμῇ, τἄλλα δ' οὐδὲν ἄλκιμος.
ὃς οὔποτ' ἀσπίδ' ἔσχε πρὸς λαιᾷ χερί,
οὐδ' ἦλθε λόγχης ἐγγὺς ἀλλὰ τόξ' ἔχων,
κάκιστον ὅπλον, τῇ φυγῇ πρόχειρος ἦν.

Adeptus est opinionem (nil existens) fortitudinis, ferarum in prælio, cæterùm nihil fortis: qui nunquam habuit clypeum ad sinistram manum, neq; uenit hastam prope: sed arcũ habens, ignauissima arma, ad fugam promtus erat.

RESPECTV ALIORVM. ALIENOrum bonorum laudatores, consultores ueraces non ferre.

Ionathan SAVLI F. Dauidis innocentiam contra patrem semper defendit, eoq; nomine iram patris sibi conciliauit. 1. Regum 20.

SELIMVS Turcarum Imp. contra Amurathem nepotẽ in Armeniam exercitum ducturus, Chendemũ Bassam recta consulentem interfecit. Is enim ob itineris difficultatem & pericula suasit ei, ut in Cappadocia subsisteret, exercitum à labore uiæ reficeret, atq; illic hostium aduentum operiretur. Hoc Selimus, qui suis tantùm non alterius consiliis rem agi uolebat, ut cæteros à simili dicendi libertate deterreret, tam ęgrè tulit, ut uera monentem interfici iusserit. At XXX millibus suorum amissis, & tormẽtis bellicis relictis, fugienti similis Persarum finib. excedens, expertus fuit, tutius fuisse Chendemi consilium. Supplem. Sabel. lib. 4.

MALIS. Ea nimirum

EXCVSANDO, DEFENDENDO.

HISTORICI quidam, inter quos & APPION Alexãdrinus grammaticus, Antiochi Epiphanis sacrilegium excusare falsò nituntur, audentes asserere, Antiochum in templi penetralibus hominem Græcum in lectulo decumbentem inuenisse, omni lautissimorum ciborũ genere iuxtà posito, quẽ saginatum in sylua quadam solenni more sacrificaturi essent, & ex eius uisceribus gustaturi, iureiurando facto, perpetuas se cum Græcis inimicitias habituros. Verũ mendacium hoc pulcrè Iosephus diluit lib. 2. contra Apionem.

ANAXARCHVS consolaturus Alexandrum, qui per uinolentiam amicorum optimos interfecerat, An tũ Alexander sapientes, inquit, ueteres ignoras, ideo assidentem Ioui iustitiam fecisse, ut quicquid ab Ioue sancitum decretumque foret, id iurè factum uideretur? Ita magni acta & gesta regis primùm quidem ab ipso rege, deinde ab aliis iusta censenda sunt. Cælius lib. 8. cap. j. ex Adriano, & Plutarcho.

Dionysius tyrannus audita poematis sui irrisione in Olympico conuentu facta, tamen ASSENTATORVM oratione confirmatus est: omnibus namq; rebus præclaris usuuenire, ut etsi diu inuidi eas calumniati sint, postremò tamen iji ipsi admirari eas & deprædicare cogantur. Diodorus libro 14. & 15.

CICERO Munatio reo patrocinatus fuerat: atq; ille absolutus. Pòst, quum Munatius Sabinum Ciceronis amicum reum perageret, iratus Cicero, exprobrauit illi beneficiũ: An tu, inquit, Munati, illud iudicium tua operá effugisti: an potiùs mea, qui multum caliginis tribunalibus offudi? Plutarchus in Cicerone.

NON ACCVSANDO. MINV'S QVA'M deceat REPREHENDENDO.

ESAIAS lamentatur, inquiẽs: Væ mihi, quia tacui. Reprehensibilem se agnoscit propheta, quòd Oziam regẽ, populúmque in uitia præcipitem uerbis non corripuerit. Marulus libro 4. cap. 6.

ARCHIBIADES in curia Athenis à Phocione, occlamationibus iactato, testis dictorum suorum & suffragator aduocatus, populo Atheniensi adulabatur, dicẽs ea tantùm, quæ populo accepta forent. Vnde Phocion, apprehensa barba eius: Quin igitur, Archibiades, inquit, tondes barbam? Plutarchus in Phocione.

OBSEQVENDO, INDVLGENDO.

VRIAS pontifex Hierosolymitanus, Achazi regis Iudæorum iussu aram Domini æneam loco mouit, & ad Damascenum exemplar aliam extruxit, in qua hostias adoleuit, plus gratiæ regis, quàm timori Domini tribuens. 4. Reg. 16.

IMITANDO.

Narrat Theophrastus apud Athenæum lib. 6. cap. 6. DIONYSIVM tyrannũ ex bibacitate cæcutisse. Proinde amicos & compotores in conuiuiis adsimulare solitos, non uidere se se uel cibos uel calices appositos, uidelicet ad eum modũ adulantes regi. Vnde διονυσιοκόλακες sunt appellati. Hegesander uerò hoc adulatoribus Gelonis tyranni ibidem tribuit.

LAVDANDO, COMMENDANDO.

COLAX Bianti stupido sic adulatus est: Plus bibisti quã rex Alexander. Quod in Alexandro turpissimum erat, illi laudi tribuit. Erasmus lib. 8. Apoph.

ANNIVS Cornicula Galienum ignauiss. Imp. uti constantem principem falsò sua uoce laudauit, cùm is diceret (nunciata patris captiuitate) Sciebam patrem meum esse mortalem. Cuspinianus.

VOLVMINIS DECIMITERTII FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Decimumquartum

DE HVMANITATE & contrariis uitiis, BLANDITIA & MOROSITATE

TRIBVS LIBRIS differens.

ΦΙΛΟΤΕΧΝΙΗ ΠΑΡΕCΤΙ

ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΗ

VENCESLAO proinde LAVINO

ΙΗΤΡΩ ΑΛΦΗΣΤΗ

THEOD. ZVINGERVS MED.

VIRTVTEM

à qua priſci Aſclepiadæ gentilem

ΣΑΡΙΕΝΤΩΝ appellationem traxere

humanæ conuerſationis

obſtetricem

XIV. THEATRI

Volumine

Tribus LIBRIS comprehenſam

QVORVM

I. *De* HVMANITATE, *Popularitate, Familiaritate agit.*

II. *De* BLANDITIA, *in Exceſſu.*

III. *De* MOROSITATE, *in Defectu, diſſerit.*

METPIOY TE

ΚΑΙ ΦΡΟΝΙΜΟΥ ΠΑΙΔΙΑC

ΠΛΑΤΟΝΙΚΗC

ΜΝΗΜΗΝ.

TOMI DECIMIQVARTI

LIBRORVM

DISPOSITIO.

SONDIMENTA humanæ conuerſationis duo ſuperſunt enarranda, alterum quod in ſeriis, alterum quod in ludicris iucunditatem parit & affectat. De utraq; ſenſim agamus. Seria conuerſatio cum quibuſuis, ſic inſtituenda eſt, ut ne inhumana fuiſſe uideatur, quantum quidem per honeſtatem licebit. Moderatio huius, ſi Ariſt. credimus, per ſe nomine apud Græcos caret, religione quadam uoces nouandi. Nos liberius paulo φιλανθρωπίαν, HVMANITATEM *uocabimus, quòd homini propriè conueniat, conuerſationis naturâ cupido, non quatenus alios amat (ſic enim ad Amicitiæ locum pertineret) ſed quatenus natura humanæ id officium debet.* φιλοπροσηγορία *autem*, εὐπροσηγορία, *Popularitas, Familiaritas, Affabilitas, Facilitas, ſpecierum non generis ſignificantes ſunt uoces. De quib. LIB. I. agemus. Vitia mediocritati opponuntur duo. In exceſſu quidem* BLANDITIA, *ſui ambitu* ἀρέσκους, κόλακας, *Blandos, Obſecundatores, Adulatores complectens. Eam LIB. II. explicabimus. In defectu* MOROSITAS, δυσκόλους, δυσεριδίας, *Difficiles, Moroſos, Intractabiles, Cõtentioſos, Litigioſos, Rixoſos, Auſteros, Acerbos, Aſperos, Inhumanos, Inaffabiles, ex ſe denominari faciens. De qua LIB. III. diſſeret.*

LIBRI PRIMI

TITVLORVM

DISPOSITIO.




I. Humanitatis Possessio, Exercitatio, consideranda secundùm
Causis, nempe efficiẽdi
Efficientem. POPVLARITATIS sectatores
Qui. Puta
Populi. Pontifices, Sacri homines.
Principes, Reges, Imperatores. Magistratus quiuis alij.
Duces. Legati militiæ. Philosophi. Præceptores.
Mulieres. Hospites, Peregrini.
Amici. Parentes.
Coniuges. Domini.
Quo consilio, qua occasione. Nempe
Religionis. Potentiæ.
Benevolentiæ.
Formam. Vide signum II.
Materiam. Respectu
Animata. Tum
Homines. POPVLARITAS erga Homines considerandos respectu bonorũ uel malorũ
Animi habitus. Erga
Pios. Impios.
Hæreticos.
Mechanicos.
Corporis
Ætatis. Erga
Pueros.
Senes.
Sexus. Erga
Viros.
Mulieres.
Valetudinis. Erga Aegros.
Fortunæ respectu
Officiorum. Vt erga
Senatores. Duces.
Milites. Rusticos.
Discipulos. Cõdiscipulos.
Societatis. Vt nobis uinculo aliquo
Iuncti, tum
Vniuersali omnium hominũ. Sic datur Humanitas erga Homines uniuersim.
Particulari, certorũ hominũ, qui sint uel eiusdem
Gentis. Erga Gẽtiles, populares suos. quæ proprie Popularitas dicitur.
Ciuitatis. Erga
Reges.
Subditos.
Conciues.
Amicos.
Domus. Erga
Liberos.
Cõiuges.
Seruos.
Fratres.
Non iuncti, quin potius disiuncti, tum
Patria. Erga Peregrinos, Hospites.
Volũtate. Erga Hostes tum
Religionis.
Quosuis alios.
Calamitatis. Tum in
Genere.
Specie. Erga
Pauperes. Exules.
Captiuos.
Reos, Sontes.
Damnatos.
Naufragos.
Personarum. Erga
Bruta. HVMANITAS erga Bruta.
Inanimata. HVMANITAS erga
Mortuos.
Quæuis alia.
Rerum. HVMANITAS respectu Rerum, ut quo ad
Arcana. Alimenta. Vestimenta.
Medicamenta. Hospitium.
Munera. Comitatum.
Occasionis, Loci, Temporis. In
Consilio. Iudicio. Comitio. Certamine.
Disputatione. Disciplina, Institutione. Itinere.
Ædificiis. Conuiuiis. Balneo.
Venereis. Bello. Venatione.
Contractibus. Alea. Morte, Ante mortem.
Accidentia. HVMANITATIS, Popularitatis ACCIDENTIA, quo ad
Fructũ, præmia
Digna. Puta
Fœdus. Reconciliatio, Deditio. Defensio, Auxilium.
Absolutio. Imperium, Dignitas.
Honores quales cunq;. Libertas.
Soboles. Opulentia. Alimenta.
Indigna. Vt
Odium, Inuidia.
Mors.
Vsum, ut scilicet famulatur aliis
Virtutibus.
Vitiis.

II. Cõ-


II. Cõuersationis popularis formæ uarietas tum
Per se. Sic reuocari posse uidentur ad duo summa genera: nimirum ad
Morum honestatẽ. POPVLARITATIS Forma in MORVM honestate tũ
Actiua, relata scilicet ad Actiones
Animales ipsius
Sensus, ad conuersationem maximè facientis, Visus nimirum & Aspectus.
Motꝰ, tum
Vocalis. Hîc Orationis perpendenda
Quãtitas. Decora
Taciturnitas.
Breuitas.
Qualitas. Nempe
Modestia. Obscœna dicta uitare.
Facilitas in alloquẽdo, cõpellando, salutando, colloquendo. φιλοπροσηγορία.
Localis. Vt est
Manuum motus.
Ceruicis motus.
Incessus decorus.
Naturales. Cuiusmodi est
Cibi assumtio.
Excretio.
Passiua, quæ posita uidetur in
Conuersationis aliorũ
Facilitate: Aditum facilẽ præbendo, Auscultando patienter. ἀνεξικακία.
Honestate. Acroamata aliorum turpia non admittendo.
Iucunditate. Acroamata aliorum tristia fugiendo.
Corpori
Cultu per
Vestitum.
Purgationes sordium.
Denudatione. Corpus
Tegendo.
Non tegendo.
Actiuam. POPVLARITATIS Forma in Officiorũ administratione ACTIVA, hoc est. in agendo uersans: quatenꝰ ea quæ iis quibuscũ uersatur
Officiorum opportunitatem, eãq; uel
Grata sunt
Facit. Cuiusmodi officia sũt
Accommodare se aliorum orationi, moribus.
Docere bona. Munera dare. Munera accipere.
Polliceri. Gratias agere.
Auxiliari, Opem ferre, Adiumaro.
In societatem uenire calamitatis.
Condolere. Congaudere. Honorare, Venerari.
Concedere, Permittere aliquid gratum, Non uetare.
Imperij maiestatem submittere, deponere.
Humiliari. Honores resuere.
Mala aliorum excusare.
Cum petulantia & importunitate aliorum pugnare nolle.
Nõ facit, nõ indulget, propter maiꝰ aliquod bonũ. Vt
Nõ concedere, Denegare.
Non blandiri.
Ingrata sunt
Facit, sed absq; maiori acerbitate. Cuiusmodi sunt: Modestè
Reprehẽdere
Imperitiã. Improbitatem in genere.
Stultitiã. Ignauiã, Timiditatẽ, Diffidentiã.
Libidinem, Impudicitiam. Luxum.
Fucum corporis. Auaritiam, Sordes.
Corruptelam munerum.
Ambitionem, Iactantiam. Crudelitatẽ.
Adulationẽ, Mendaciũ. Simulationẽ.
Inciuilitatem. Inhospitalitatem.
Maledicentiam. Garrulitatem.
Petacitatẽ. Curiositatẽ. Impietatẽ.
Superstitionem. Latrocinium.
Proditionem. Impotentiam.
Ignobilitatem.
Refellere obiecta. Minari. Excusare.
Munera petere. Tributa exigere.
Non facit, amolitur, auertit. Puta
Cædem prohibere, impedire.
Arcana nõ scrutari. Tributa non exigere.
Reprehensiones, Obtrectationes nõ suscipere.
Non contemnere alios.
Passiuã. POPVLARITATIS exercitatio in Officiorũ administratiõe Passiua, h. e. quatenus ipsemet pati uidetur tum ab
Semetipso, dum
Irridet sua mala.
Excusat sua mala.
Alio, dũ
Amolitur aliorũ
Suspicionem.
Adulationem.
Fert aliorũ
Insectationem, Sugillationem.
Reprehensionẽ. Redargutionem.
Errorem. Ingluuiem.
Petulantiam. Inciuilitatem.
Respectu aliorũ. POPVLARITATIS exercitatio cõsiderata respectu ALIORVM uel
Absq; certamine. Quatenus aliorũ
Popularitatem amant, laudãt, promouent, præmio afficiunt.
Rusticitatẽ oderunt, corrigunt.
Cum certamine. Popularitatis certamina.

Voluminis Decimiquarti
Liber I.
De Hvmanitate.

HVMANITAS ex ui uocis uirtutem quandam hominis, ut homo est, propriam significat. In genere igitur de habitu quouis laudabili humanæ sorti cōueniente usurpari potest: à qua, ratione perfectionis, differt uirtus Heroica, quamcunq; uirtutis excellentiam, maiorem quàm quæ in hominem cadat, sui ambitu complectens. In specie uerò ut Heroica uirtus in theoretica uita potissimùm elucet: sic Humanitas siue Humana uirtus in practicæ uitæ ea parte, quam ἐν τῇ ὁμιλίᾳ, siue ἐν τῇ τῶν λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνίᾳ uersari dicimus, quatenus homo homini ea præstat, quæ lege humanitatis, hoc est, communis naturæ debet, modò clementis, modò popularis, modò urbani nomen subiens. Cicero passim eos uocat Humanos, qui communis societatis causa id tribuunt aliis, quod alioquin non tribuerent: ut quando quis uitam uilis mancipij in iactura nautica pluris facit, quàm preciosissimas merces: quando quis pauperes fame frigoréque confectos benignè suscipit atque fouet. Huius denique sunt generis ea omnia, quæ Iure naturali, Iuréque gentium Iurecoss. comprehendunt: illic naturæ brutæ, quæ homini cum brutis & stirpibus communis est, ratio habetur: hîc uerò naturæ ratione præditæ, omnibus hominibus, ut homines sunt, cōmuni, in uita tam politica quàm œconomica. Ab utroque differt Ius ciuile, non omnibus, sed quibusdam hominib. certa lege in unam coeuntibus ciuilem societatem cōmune. Solum naturæ lumen Ethnici habuerunt in humanitate excolenda. Nos hanc Pietatem Christianam, & Amorem proximi uocamus. Humanitas itaq; in genere pro benignitate & beneficentia quauis sumitur: eximiè uerò pro conuersatione placida, humana & benigna. Cuius exempla non pauca ex Titulo Amicitiæ huc transferri possunt, quandoquidem ualde inter se sunt similes Amicitia & Humanitas, solaque ἀντιφιλήσει differunt. Amicus enim ἀντιφίλησιν habet, & bene uult alteri illius causa, quia dignus est: at Humanus στοργῆ caret, καὶ ἀνδρωπάθης ἐστὶν, οὐκ ἀντιφιλήσει, ἀλλὰ ὡς τοιοῦτος ὤν, εὖ ποιῶν, quoniam hac ratione sibiipsi placet, nulla licet utilitatis spe proposita. Germani scitè admodum hanc uirtutem *Lütseligkeit* appellant: quasi tu dicas, facultatem quandam hominum fauorem cōciliandi. Vocant etiam *Früntlikeit*, & hac uoce similitudinem, quam Aristot. inter Humanitatem & Amicitiam esse contendit, ad unguem exprimunt. Parit enim multorum amicitias: reapse tamen ab amicitia differt.

HVMA-

HVMANITATIS, POPVLARITATIS ACQVISITIO.

MAGISTRI.

QVI, QVORVM. PVTA

Apostolorū, Sacrorum hominum.

Mittens DOMINVS discipulos ad prædicandū, dixit: In quācunq; domum intraueritis, edite & bibite, quæ apud illos sunt. Contentos esse uoluit cibariis, quæ haberent, nō sumtuosa alia quærere. Lucæ 10.

Regum.

PARISATIS Cyri & Artaxerxis mater, præcipere solebat, ut rex palàm ac liberè loquuturus, uerbis byssinis uteretur, hoc est, magnificis ac mollibus: quo sermonis blāndities rei mitigaret asperitatem. Reges bysso uestiūtur: sed talem decet esse regis orationem, qualis est amictus. Plutarchus in Apophtheg. regum.

PHILIPPVS Macedonum rex filio subiecit, ut ad conciliandas sibi uulgi uires, blandiretur Macedonibus, quamdiu esse regnante alio liceret humanum. Consulebat, ut pollentium in ciuitatibus pararet amicitiam tam malorum, quàm proborum: inde his uteretur, illis abuteretur. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PHILISCVS ad Alexandrū Magnum aliquādo dixit: Ad gloriā incumbe: uerùm ea conditione, ne sis pestis, uel magnus aliquis morbus, sed pax & sanitas. Nam per uim & sæuitiam expugnare ciuitates, & populos excindere, tyrannicum est: sanitatis uerò salutisq; subditorum rationē habere, ea sunt pacis commoda. Aelianus lib. 14. de Var. hist.

Mulierum.

Profectiones mulierum lege astrinxit SOLON inconditam licentiam coercente. Proficiscenti foras, tres non amplius stolas permisit habere, neque plus cibi uel potus secum efferre, quàm obulo emtum, neq; calathum cubitali maiorem, nec de nocte nisi curru uectam ad lucernam iter facere. Plutarchus in Solone.

Eliorum PHIDIAS Venerem testudini insistentem finxit, domi manendum significans & silendum feminis. Debet enim loqui uel ad uirum, uel per uirum: nec, si per alienam linguā tibicinis modo sermocinetur honestiùs, molestè ferre. Plutarchus in Præceptis connubialib.

NVMA Pompilius, Rom. rex matronis dignationem apud uiros & honorem, quem, ut raptas placarent, indulserant iis regnante Romulo, conseruauit: cæterùm magna uerecundia sepsit eas, curiositatem detraxit, sobrietatem docuit, silentium tenere assuefecit, uino prorsus interdixit, dicere ne de rebus quidem necessariis permisit sine uiro. Ac cùm femina aliquando causam in foro pro seipsa dixisset, Fama est, senatum deos consuluisse, ecquid hoc exemplum urbi portenderet. Plut. in Numa & Lycurgo.

QVID DOCVERINT. VT QVI

Docuere alios

Vitam cultiorem, Ciuilem.

Homines agrestes, stupidi, & saxis, stipitibus atq; feris potiùs quàm hominibus similes, poetarum fabulis occasionē dederunt, ut DEVCALION ex saxis homines formasse, ORPHEVS cantu syluas, saxa ferasque traxisse dicatur: AMPHION cithara Thebanos muros struxisse fingatur: quoniam homines ad mitiorem uiuendi cultum sua sapientia pertraxerunt.

PELASGVS primus Arcadiæ rex (à quo regio tota Pelasgia dicta) cùm regnare cepisset, primùm quidē rudes homines docuit tuguria, ad frigoris, imbrium, & æstus incōmoda arcēda, ædificare. Idem tunicas facere instituit è suillis coriis, qualibus his ipsis temporibus in Eubœa & Phocide tenuiores homines utūtur. Ad hæc, cùm uulgò uirente adhuc fronde, herbisq; ac radicibus non modò non cibariis, sed plerūque perniciosis incautiùs uescerentur, salubriores multo glandes esse, neq; omnes, sed quæ è sola fago legerentur, persuasit. Pausanias in Arcadicis.

PHORONEVS Argiuorum rex, Inachi filius, primus dispersos antè homines, & seorsum habitantes, in unius ciuitatis ius compulit, & ab eo oppidum illud, quo cōgregati sunt, Phoronicum est nuncupatum. Pausanias in Corinth.

CN. POMPEIVS piratico bello confecto, captos ex deditione prædones ad Coracesion Ciliciæ plus uiginti millia nequaquam interficere statuit: reputans, hominem natura neque nasci neq; esse indomitum animal aut ferum: sed efferari, si uitiis se præter naturam dederit: consuetudine uerò locorūq; & uitæ cōmutationibus cicurari, nec belluas uistus usu mitioris feritatē & sæuitiā deponere. Hoc ergo cōsilio exigua & minùs frequentia Ciliciæ oppida accepe rūt, atq; in corpus suū cōtribuerūt, agro aucta. Soliorū urbem, nuper ab Armeniorū rege desolatā Tigrane, instaurans, cōplures ibi collocauit. Multis etiam sedes dedit Dymæ in Achaia, quæ id temporis orba erat ciuibus, agrumq; possidebat latum & opimum. Plut. in Pompeio.

Conuiuialem modestiam.

Vt quisque LACONVM conuiuia, quæ syssitia uocabant, inibat: natu maximus, cōmonstratis foribus, His, inquit, nulla uerba egrediuntur. Plut. in Lacon. & 7. Conuiu. quæst.

S literam foribus cœnaculorum superponi solitam, ad fidem silentij conuiuis indicandā, Cælius lib. 12. c. 8. A. L. refert.

Q. SERTORIVS in conuiuiis modestissimus erat, nec quicquam turpe uel uidere, uel audire sustinebat, assuefeceratq; omnes suos ab omni maledicto ac iurgio abstinere, placideq; ioco uti. Itaq; cùm cōiurati eū interficere decreuissent, in medio cōuiuij rixæ initiū quærentes, apertè uerba turpia flagitiosaq; iactabant, & ficta ebrietate multa scelestè agebant, ut Sertorium prouocarent. Sertorius uerò siue quòd grauiter ferebat inconcinnitatē eorū, siue quòd ipsorū mentem ex tarditate loquendi & inconsueto contemtu animaduerteret, mutato discumbendi modo se supinum disposuit, quasi nec uidere quicquā uellet, nec audire. Perpenna autē phialā meri in mediū proiiciente, & strepitu inde facto (qđ erat signū coniuratis datū) Antonius, qui suprà discumbebat, gladio Sertorium percutit. Cōuersi uerò ad plagam & insurgere conantis in pectus ruit, manusq; ambas cepit, nō resistere ualeret. Per hunc modum à multis confossus fuit. Plutarchus.

ADELSTENVS Anglorū rex, Noruegiorū regis armis pressus, pacē ab eo redemit, Haquino filio eius regni successionem pactus. Educatus igitur ab Adelsteno ingenuè Haquinus, patris morte audita in patriā redibat. Eum Adelstenus ex medio cursu reuocatū monuit, Ne inter epulas tristi uultu esset. Saxo lib. 10.

Silentium, Sermonem.

IACOBVS apostolus: Sit, inquit, omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum. Et paulo pòst: Si quis autem putat se religiosum, nō refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius uana est religio. Et PAVLVS ad Timotheū: Prophana & uaniloquia deuita. SALOMON in Prouerbiis: Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. Postremò CHRISTVS ueritatis magister & uitæ, in Euangelio ait: De omni uerbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Ideo diuitem quoq; in inferno positum, quoniam loquacitatis petulantia maximè deliquerat, linguę ardorem sentire magis fecit: & ille linguam tantùm refrigerari petiit, qui ardebat totus. Marulus lib. 4. cap. 6.

LYCVRGVS ciues suos mox à teneris unguiculis silētio premens compegit ac solidauit. Plut. de Garrulitate.

Alloquij facilitatem.

ARTOXERXES Cyri frater, cognomento Memor, nō solùm seipsum affabilem præbuit adire uolentibus: uerùm uxorē quoq; Statyram iussit, sublatis currus aulæis uehi, ut iis, qui eam conuentam uellent, etiam in itinere pateret aditus. Plutarchus in Regum apoph. & in Artoxerxe.

Vestitum.

IOANNES Comnenus Imp. Alexij F. domesticæ disciplinę & decori tam diligens obseruator fuit, ut & in tondendis capillis & forma calceorum proportionem requireret. Nicetas Choniates.

Dedocuere, Coercuere aliorum

Curiositatem.

LOCRORVM magistratus, si quis peregrè adueniens rogasset, Nunquid noui? multam ei dicebant. Plutarchus de Curiositate.

L. PAVLVS Aemilius, ubi legiones in Macedonia accepit loquacitatis & curiositatis plenas, atq; in ducis munus se inferentes, edixit, ut manum promtam & gladium quisq; haberet acutum, reliqua sibi curæ fore Plut. in Galba.

Maledicentiam.

CHARONDAS Thuriorū legislator pstringi ciues in comœdiis extra adulteros & curiosos, interdixit. Est .n. adulteriū alienæ uoluptatis curiositas: & curiositas alienorū arcanorum libido. Plut. de Curiositate.

Eupolis Sosipolis F. Atheniensis comicus, cùm Alcibiadem acerbiùs perstrinxisset, edicto ALCIBIADES cauit, ne quis nominatim quempiam perstringeret. Idem Romæ accidit. De qua re sic Horat. lib. 2. Ser. satyra 1.

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumq;. Esto, si quis mala: sed bona si quis
Iudice condiderit laudatur Cæsare. Siquis
Opprobriis dignum lacerauerit, integer ipse,
Soluentur risu tabulæ: tu missus abibis.

Exactiones.

POMPEIA Plautina Iulianum Imp. maritum suum cohibuit à seuerè extorquendo tributo. Sextus Aurelius.

Certamina immania.

An. 397. cũ gladiatores adhuc prisco more in foro darẽtur, Telemachus quidã ex Oriente monachus spectaculi fœditatẽ auersatus, dirimẽdi certaminis gratia prouolauit in mediũ. Qua re populus indignatus, monachum lapidibus est aggressus. Quem extinctũ ubi sensit HONORIVS Imp. in numerũ martyrum adscribi curauit, & noua lege, ne in posterum gladiatorum munus ederetur, edixit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

Concilio LATERANENSI, an. 1139. certamina, quæ Tornea menta dicebantur, in quibus per prouocationem certo nõ solùm corporum, sed etiam animarum exitio pugnabatur, interdicta. Sigonius lib. 11. regni Ital.

ERGA QVOS. Erga

Reges.

PARVSATIS, Cyri & Artaxerxis mater, monuit eũ, qui regẽ erat admonitus, uerbis ut uteretur byssinis. Plut. in Apoph.

Subditos.

Cùm Amasgarũ principes ex auaritia parentibus pueros, qui indolo & corporis elegantia præstabant, ui raperent, & testibus exectis, magno precio Romanis eunuchorum studiosis uenderent, patrib. interfectis, ne ob filiorũ orbitatem aliquid molirentur contra ipsos: IVSTINIANVS II. Imp. misso uno ex suis regalibus eunuchis illius generis, seuerè ipsis mandauit, ut à castratione subditorũ desisteret, interni nata pœna, nisi parerent. Cuspin. in Leone IV. ex Zonara.

Hospites.

Peregrinorũ curã habere ISRAELITAS iubet Dominus, recordatos se quoq; in Aegypto peregrinos fuisse. Proinde iudicii peregrini ne corrumperent: unineã ne racemarent, oleã ne relegerẽt, sed peregrino, pupillo & uiduæ etiã, spicilegiũ concederent, Deut. 8. & 24. & Leuit. 19. præcepit.

PAVLVS apostolus Hebræis præcipiens ait: Charitas fraternitatis maneat in uobis, & hospitalitatẽ nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.

Eas hominum effigies, quas mense Maio de ponte sublicio in fluuium ROMANI deiiciebant, Argiuos appellabant. Olim enim, qui eum locum incolebant Barbari, si quos Græcos caperent, eo modo sustulerunt. Hercules uerò, quem magnificerunt, remouit eos à necãdis peregrinis: instituit autẽ, ut morem eum & superstitionem repræsentantes, precipitarent imagines. Græcos prisci, iuxta omneis, Argiuos dixere. Fortè eũ ꝙ Argiuos Arcades ex uicinitate pro hostibus haberent, Euander Græcia extorris, qui iisdem locis cõfederat, offensionis memoriam & odium conseruauit. Plut. in Quæst. Rom.

PSAMMETYCHVS, primus Aegyptiorum regum cæteras nationes ad importanda, quæ apud se erant, allexit, securitate singulis adeuntibus præbita. Apud superiores enim reges nulli externi ad Aegyptum nauigabant, cùm partim occiderẽtur, partim adigerentur in seruitutem. Impietas Busiridis tẽpore apud Aegyptios aduersus exteros usitata, Græcis causam præbuit scribendi, quæ de eo in fabulis ferũtur. Diodorus lib. 1. c. 5.

Apud LVCANOS lege cautum erat, ut si quis sole occidente diuertentes hospites, notos ignotosue, domo arceret, κατάξενος teneretur, multamque eo nomine pendere cogeretur. Alexander ab Alex. lib. 4. c. 10. ex Aeliano lib. 4. Var. hist. & Heraclide in Pol.

CAROLVS, Gothorũ & Sueonum antiquus rex, inter maximas leges constituit, ut Gothi ac Sueci inter se, & maximè in omnes aduenas & peregrinos, hospitalitatẽ obseruarent, summumq; nefas ducerent, quicunq; uiatorem tecto arcere: quod si quis facere tentasset, & idoneis testibus ter negasse hospitium conuictus fuisset, immisso igne ædes eius comburi iussit, ut domibus propriis iustè priuaretur, qui earum usum inhumaniter denegasset. Hinc ego deductum puto, quòd uix alibi in tota Europa promtior liberaliorq; hospitalitas, quã apud Sueones & Gothos, hodie inueniatur. Ioan. Magnus lib. 4. c. 2.

Seruos.

GILLAS Agrigẽtinus hospitio exceptꝰ apud hominẽ durũ & undecũq; facilẽ quæstũ, qui ne dormire quidẽ famulis permittebat, sed alius aliud operabatur nocte: eundẽ & ipse posteà, quum Agrigentum uenisset, suscepit, & cõuocatis famulorũ pueris (qui permulti erant) nuces iis & caryeas distribuit. Interrogante autem hospite, Vnde tot pueri? A famulis meis dixit, mihi generantur. Voluit autem ostendere, ita tractandos esse seruos, ut ad procreandos etiam liberos legitimè sint apti. Stobæus serm. 60.

NVMA Pompilius more introducto, ut Saturnalib. unà cũ dominis eadẽ epularẽtur mensa seruis, libertatis gustũ præbuit, ut qui in colendo iuuissent, partem hi ferrent anniuersariorum fructuum. Aliqui id fabulantur illius, quæ fuit æuo Saturni, æquabilitatis durare uestigium: quo tempore nemo seruus aut dominus, omnes uerò propinqui & pares habebantur. Plut. in Numæ & Lycurgi comparatione.

AVGVSTVS Cæsar noluit, ut domini plus æquo in suos seruos sæuirent: ideoq; super dominorum potestate in seruos salubriter consuluit. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 20.

ANTONINI principes super dominorũ potestate in seruos salubriter cõsuluerunt, ne dominus plus æquo sæuire posset, néue iniusta imperia dominorum noxæ forent, néue domini seruos quotidianis uerberibus afficerent, sed lorire cederent. Quibus constitutionibus cauebatur quoq;, ut is qui suum occidisset seruum, haud secus pœna diceretur, quàm si alienum necasset. Idem.

HADRIANVS Imperator seruos à dominis occidi uetuit: sed si quid deliquissent, Prætoris iudicio pœnã affici præcepit. Alex. lib. 3. cap. 20.

Liberos.

THEBANORVM legislator uetat, ne ciui Thebano liceat insantem exponere, neq; in solitudinem abiicere. Sed pater paupertate oppressus cogitur infantem cum ipsis fasciis ad magistratum adferre. Qui acceptum alicui tradit lenii precio, ut infantem alat, & adultum serui uel seruæ loco habeat. Aelianus lib. 2. de Var. hist.

Naufragos.

Cùm apud Græcos Byzantino imperio subiectos, eosq; exosos, iniquissima consuetudo ualeret, ut naues tempestatib. in litus ciectę, non modò à nemine adiuuarentur, sed ab accolis diriperentur: ANDRONICVS Comnenus tyrannus, Alexio Porphyrogenito Manuelis Imp. F. interfecto, rerum potitus, piraticam illam rapacitatem compescuit: licèt auli ci proceres id malum immedicabile iudicarent, ut uetustate confirmatum, ac multos ex superioribus Imperatorib. frustra id conatos assereren. Magistratibus omnibus mandauit, ne quis naufragum spoliaret, ullãue iniuria afficeret. Edicti contemtorem de malo nauis, uel de infelici arbore in litore suspendi iussit. Ab eo tempore nulla nauis iactata fluctibus, ullam farciaarum iactură fecit, neq; spoliata est. Nicetas lib. 2. de rebus Andronici.

Naufigia (inquit FRIDERICVS II. Imp. in Tit. de Statu & consuet. & immun. locorum relig.) quo cunq; locorum perueńerint, si quo casu rupta fuerint, uel aliter ad terram peruenerint, tam nauigia ipsa, quàm nauigantium bona, illis integrè reseruentur, ad quos spectabant, antequam nauigium illud periculum incurrisset: sublata omnium locorũ penitùs consuetudine, quæ huic aduersatur sanctioni. Nisi talia sint nauigia, quæ piraticam exerceant prauitatẽ, aut hostes Reipub. uel Christiano nomini inimica.

Damnatos, Noxios.

GALETA amasius Ptolemæi regis, humanitatis erga damnatos ei sæpè auctor fuit. Accidit aliquando, ut cum rege adolescens equitaret. Cùm uerò procul quendã ad supplicium trahi uideret, continuò regem, Quandoquidem prospera quadam sontium istorum fortuna, inquit, equos conscendimus, age ex improuiso appareamus miseris, quasi Diosc uri saluatores, & inuocati salutem afferamus. Rex maximã uoluptatem capiens ex eius pietate, nocentes seruauit. Aelianus lib. 2. de Var. hist.

Mortuos.

EVTYCHIANVS pontifex Rom. CCC martyres sua manu fertur sepeliisse, & fecit constitutionem de ritu martyrũ tumulandorum. Martyr & ipse Domino consecratus, Decia na persecutione. Cranzius lib. 2. Metrop.

Lege KENNETHI Scotorum regis commilitonẽ, amicimue prælio cæsum sepelire, hostem insepultum relinquere decebat. H. Boethius lib. 10.

QVOMODO. Puta

Consuetudine, Conuersatione, Exemplo.

SPEVSIPPVS philosophus, Dionis Syracusani mores austeros, dum Athenis exularet collo quio festiuo & scitis facetiis condidit. Plut. in Dione.

Sic GILLAS Agrigentinus: de quo suprà, Erga Seruos.

Adhortatione.

POLYBIVS ad popularitatem instruxit P. Scipionem Africanum suum discipulum. Vide Tit. Reges humani, populares.

Inter alia EPAMINONDÆ Thebani pulcrè dicta factaque, quæ quidem plurima sunt, etiam hoc numeratur. Dicebat quæ quidem plurima sunt, etiam hoc numeratur. Dicebat ad Pelopidam, Non priùs interdiu discedendum è foro esse, quàm nouum aliquem amicum ad ueteres adieceris. Aelianus lib. 14. de Var. hist.

PLATO Xenocratem cæterà quidem egregium uirum & magnum, sed moribus supra modũ austeris, ut sacrificaret Gratiis, hortabatur. Plut. Sermone amatorio.

IDEM Dionem Syracusanum natura alioqui austerum, per literas popularem esse monuit, & peruicaciam tanquam solitudinis contubernalem ut declinet. Plut. in Dione.

Reprehensione.

ANTIGONVS rex, cùm cerneret filium suum se uiolentiorẽ & immodestiorem gerere erga subditos: Annon, inquit, nosti, fili, nostrum regnum nobilem esse seruitutem? Aelianus lib. 2. de Var. hist.

Castigatione.

MEMNON, qui pro partibus Darij bellum cum Alexandro gerebat, mercenarium militem, qui multa conuitia petulanter euomebat in Alexandrum, hasta percutiens: Ego tibi, inquit, ut pugnes cum Alexandro, non ut eum laceres, stipendium do. Plut. in Apophtheg.

Signo.

Sic PHIDIAS Mulieres. Vti paulo antè.

ROMANI lucernam non extinguebant, sed finebant illã sua sponte extabescere: ut docerent, nihil corũ, quib. tanquã ne cessariis usi sumus, perdendum, sed usum illius opus habentibus esse relinquendum. Plut. in quæst. Rom.

DISCIPVLI. AD MITIOREM

uiuendi rationem traducti.

Consule Tit. Mores in melius mutati. Illic Veri boniq; ratio habetur: heic uerò Conuersationis placida.

LEGISLATIONE.

Saturno regnante in Italia, cùm POPVLVS omnis ad mãsuetiorem uiuendi cultum traductus esset, in huius rei symbolum in Saturnalibus festis ROM. cereos missitare moris est, quòd hoc principe ab aspera & tenebricosa uita, quasi ad lucem & bonarum artium scitiam traducti fuerint. Macrobius lib. 1. Saturnalium, c. 7.

Mense Maio ROMÆ olim de ponte sublicio in Tiberim homi num effigies, quas Argiuos uocabant, præcipitare consueuerant uereri memoria eos, qui olim locũ hunc incoluerãt, barbaros, Græcos si quos cepissent eo modo sustulisse: donec ab Hercule educti simul & coacti, personatis uictimis priscæ superstitionis morem repræsentare ceperunt. Plutarchus in quæst. Rom.

INSTITVTIONE.

AGESILAVS Archidami F. natu minor, disciplina uiuendi, quæ ἀγωγὴ dicebatur, rigida & laboriosa educatus, non rudis parendi ad imperandum accessit: eaq; propter præbuit se longè præ regibus omnibus cõmunem popularibus suis, quòd cum principali & regia indole popularitatẽ & humanitatem ex institutione coniunxisset. Plut. in Agesilao.

P. SCIPIO Africanus minor Polybium perfamiliarem habuit ac intimum: cuius imbutus præceptis, studebat non priùs foro reuelli, quàm unum aliquem ex iis, quibus cum fortè congrederetur, beneuolum sibi atque amicum quauis ratione foret uenatus. Cælius libro uigesimo sexto, cap. 22. Antiquarum Lectionum.

REPREHENSIONE.

DEMETRIVS Poliorcetes rex Macedonum, obtundente aliquando cum anu in transitu, & crebriùs flagitante audientiam, ait Sibi non uacare. Quæ cùm exclamaret & diceret, Noli ergo rex esse: grauiter stimulatus, ac dictum animo uertens, rediit domum, omniaque postmittens, conuenire se uolentibus, exorsus ab illa anu, per multos dies uacauit. Plutarchus in Demetrio.

CONVERSATIONE.

ALCIBIADES cùm antea fuisset ferox & insolens, ex Socratis familiaritate, cuius singularem integritatẽ suspiciebat, cepit esse mansuetus ac modestus. Erasmus in Adagiis.

Plutarchus in Numa auctor est, AEMYLIORVM familiã Romæ ἀπὸ τῆς ἡμερότητος, h. e. ab humana urbanitate, quã ex consuetudine Pythagoræ hauserant, ab ipso rege pacis amatore fuisse nuncupatam.

Quum VNGARI tempore Ludouici III. Rom. Imp. ex uastata Germania cum immensa præda domum redirent, magno captiuorum numero secum abducto: SCYTHICÆ primũ matronæ ancillas admiserunt, ciuiliusq; uiuere didicêre: captiuos, ne cessarent, aut seditionẽ mouerentur, partim agros colere, pecuariáue curare, partim cum dominis militare coegerunt. Bonfinius lib. 10. Dec. 1.

HABITATIONE.

Plus ducentis triginta annis LONGOBARDI maxima Italiæ parte potiti, nihil externi moris religionisue, aut animorum retinuêre. Deposita exolescentéue illa, cum qua Alboino rege uenerant, feritate, in Italici cœli soliq; ingeniũ moresque transierunt, uteriibus Italis affinitate atque inde cognatione adeò iuncti, ut in Hetruria, in Spoletino, Beneuentano, Eporediensi, Foroiuliensi ducatibus non esset facilè dignoscere. Reges Longobardorum in ea Cisalpina Gallia floreque Italię nobilissimas urbes, ac nitidissimos agros sibi proceribusque incolendos delegerant. Mediolanum Papiaque, sedes regum erant. At euersis per Carolum Magnũ Desiderij regis opibus, quicquid inter Apenninum & Alpes à cætera Italia lacu Benaco, Mincio: ut uerò Longobardorum scriptores tradunt, Athesi, Pado, Rheno Bononiensi, disiungitur, id nomine Longobardiæ censeri, Carolo Augusto & Pontificibus Leoni placuit. Longobardis iucundum erat, florentissimæ regioni ab se nomen dari, amisso regno, cùm regnantibus nulla fuisset eis sua peculiarisque Longobardia: & qui eam habitabant, sanctiorem eam sibi arbitrabantur: & qui alibi incolebant, quamplurimi eò immigrarunt, alij sponte, alij auctoritate Caroli, & benedicente Pontifice adducti. Aemilius lib. 3.

VINO.

Diphilus Siphnius lupinos uim abstergẽdi habere inquit, multũ nutrire, atq; eos præcipuè, qui facti sunt dulciores. Quare ZENO Cittieus cũ morosus esset omnino inter amicos, multũ uini bibens, suauis & placidus fiebat. Itaq; se lupinis similem esse dicebat: illos enim acerbos esse priusquã macerentur: maceratos dulces reddi. Athenæus lib. 2. c. 14.

HVMANITATIS, POPVLARITATIS CONSERVATIO. TVM

PRAESENTIS.

ALEXANDER Seuerus Augustus, matre Mammæa parum probante, uxore etiam grauiùs ferente, quòd popularitate uel nimia uteretur, præcipuè uerò quòd ab amicis se atque familiaribus corrigi facilè pateretur: ac si quid parum pro dignitate ab eo factum argueretur, illud confestim ad arguentis sententiam emendaret: qua re imperatoriam maiestatem non imminueret modò, uerùm contemtibilem eam concessione illa sua redderet: Quin mehercule, inquit, securiorem, magisque ac magis stabilem, ac longè ampliùs gentibus acceptam. Erasmus in Apophtheg. ex Lampridio.

PRAETERITAE.

PAVPARES Andronicũ Comnenũ carcere elapsum, licèt hostem Imperatoris Manuelis Comneni, hospitio suscepit. Ideoq; iussu Imp. publicè multis uerberib. in tergo & humeris affectus: deinde collo funi inserto, à præcone circumductus fuit, qui magna uoce proclamabat: Quisquis Imperatoris hostem ędibus recipit, datoq; uiatico dimittit, ita flagellatur, & circumducitur. Ille uerò intentis in populi concursum oculis, hilari uultu: Hæc, inquit, contumelia à quouis obiiciatur, modò uirum bene meritum nõ prodiderim, aut acerbè dimiserim: sed ut licuit coluerim, & lætũ ablegarim. Nicetas lib. 4. de rebus Manuelis.

POPVLARITATIS SECTATORES.

QVI PVTA

POPVLI.

Vide suprà, Popularitatis Discipuli. Illic Acquisitio, heic Exercitatio perpenditur.

In reliqua disciplina habuit hoc eximiũ LACEDÆMON, sine morsu cauillari, & cauillum illũ, in quem dictum erat, facilè ferre. Sin quis dicterij esset impatiens, confestim cauillator quiescebat. Plut. lib. 2. Quæst. conuiu. 1.

PONTIFICES.

Exciterunt in longissima Romanorum pontificum serie Christi imitatores oppidò multi, & in his GELASIVS, cuius pontificatus incidit in Theoderici regis tempora. Is omniũ qui unquam Barionæ sedem tenuerunt, impensissimè clerũ dilexit, & ipse mutuo affectu ab omnibus dilectus est: quod eo magis est mirum, quòd rarior innocentiæ & popularitati locus in summa administratione relinquitur. Sabellicus libro 8. cap. 2.

AGATHO I. Pontifex tantæ mansuetudinis & humanitatis fuit, ut neminem à se unquam tristem dimiserit. Platina.

NICOLAVS III. Pontifex Rom. moribus tam honestis præditus fuit, ut uulgò Compositus sit appellatus. Volaterranus lib. 22. Anthrop.

LEO X. Pont. componebat uoltum, uultum gestumq; in omni occa-

occasione negotij aptissimè atq; celerrimè, transferebatque mores ad personam, diuina quadam præsensione petentiũ uotis occurrens, ut quum fortè aliquid esset negandum, tenerrimis excusationibus supplicantis animum præoccuparet, speq; ultrò iniecta nouæ liberalitatis totum imminentis repulsæ dolorem extingueret. Quòd si erat, uti fermè semper fiebat, rogantibus obsequendum, tum uerò naturæ suæ propensiùs indulgebat, & ad cumulandum beneficium tota benignitatis & gratiæ uela pandebantur. Neminẽ enim adeò liberaliter beneficio est prosecutus, quin ab eo, ueluti concepto pudore, exigui muneris ueniam peteret, ut non obscurè multò plura ac uberiora, quàm tum concederet, ex occasione daturus esse censeretur. Sæpeq; accidit, ut sibi gratiæ à pluribus simul competitoribus agerẽtur, nemine promissa sibi eripi indignante, quando unus demum è multis subscripti libelli uoto potiretur, & cæteri explorata benignitate propensi uerecundiq; principis, nequaquam remittendas spes suas, sed omnino adaugendas esse iudicarent. Iouius in eius uita lib. 4.

PRINCIPES, REGES, IMPERATORES.

Consule Tit. Principum bonorum. quandoquidem popularitate & humanitate inprimis commendantur.

SESOSTRIS, uel, ut alij, Sesoris, Aegyptiorum rex, cùm animũ ad imperiũ orbis adiiceret, ut faciliùs optata perficeret, sibi omniũ Aegyptiorũ beneuolentiam conciliauit, omnes affecit beneficiis: hos donauit pecuniis, alios agris, nonnullos remissione pœnæ, singulos oratione & humanitate deuinxit: omnes, qui in regẽ deliquerãt, dimisit impunitos: ob æs alienum uinctos soluit: agros ciuibus ac militib. diuisit, ne eã, quæ ad uictũ pertinent, deesse uiderentur. Demũ cùm multa imperio suo adiecisset, summa præterea humanitate erga omnes subditos usus est. Diodorus Siculus.

ACTISONES Aethiopum rex, cùm Amasim Aegyptiorũ regem crudeliter in subditos grassantem debellasset, & fugasset, ipse Aegyptiorum rex factus, eos humanitate, clemẽtia, & mansuetudine sibi deuinxit. Diodorus lib. 2. c. 2.

CHERINVS Aegyptiorum rex, summa humanitate & clementia imperasse dicitur: quia subditos beneuolentia potiùs, quàm seueritate & crudelitate in obedientia contineri sciebat. Ibidem.

Apud NABATHÆOS rex non sibi modò, uerũ & aliis interim administrat, nõ autodiaconũ modò agens, sed antidiaconũ quoq;. Cæterùm & Homerici reges eius quoq; modi comperiuntur, ex quo item αὐτοδιάκονοι inueniũtur, id est, sibiipsis subseruientes: quando Priamus etiã ἡνιοχᾷ, id est, aurigatur, Achilles concidit carnes, icit fœdus, immolatq; Agamemnon. Cælius lib. 18. c. 36. A. L.

ARTOXERXI Mnemoni Darij F. Persarum regi erat insita quędam tarditas, quæ uulgò leuitas ducebatur. Initiò enim mirè sectari Artoxerxis Longimani, uisus est moderationẽ, blandiorem aditu se præbendo, atq; in largiendis pro merito honoribus beneficiisq; effusum, omni suppliciorũ exactioni detrahendo contumeliam, exultandoq; in accipienda gratia non secus si darẽs, quàm si acciperes: in dando hilarem se & benignum ostendendo. Donum erat adeò exiguum nullum, quod non illustri gratia exciperet. Imo uerò cùm malum punicum Omises quidam ei inusitata magnitudine obtulisset: Per Solem, inquit, etiam urbem uir hic, si ei concredita sit, ex pusilla citò reddat amplam. Dum alia alij offerunt: in itinere homo tenuis, cùm nihil subitò ad manum haberet ad amnem cucurrit, haustãq; manibus aquã obtulit ei. Ea re delectatus Artoxerxes misit ei phialam auream cum mille Daricis. Euclidæ Laconi multa uerba præfractè apud ipsum effundenti iussit dicere tribunum: Tibi licet quælibet ad me dicere: mihi & dicere & facere. In uenatione monstrantem sibi Tiribazem candyn suum (ea est uestis regia apud Persas) laceratum, quid agendum esset, rogauit. Cùm subiecisset ille: Alium ipse indue; hunc mihi donat ita fecit, addens, Hunc tibi Tiribaze dono, sed gerere interdico. Contemnens id Tiribazes (erat enim haud improbus, sed leuior & stolidior) cùm candyn illum confestim induisset, monilibusq; aureis & muliebribus à rege donatis excoluisset se, stomachabantur cuncti. Neq; enim fas erat. At rex derisit eum & ait: Permitto tibi aurum gerere, ut mulieri: & uestem illam ut insano. Mensæ regis præter matrem eius & coniugem nemo erat consors: quarum hæc infra, mater supra illõ recũbebat: Artoxerxes etiã fratrib. suis mẽsam participauit Ostaci & Oxabi, ætate minoribus. Iam spectaculum gratis, præbebat Persis uxoris eius Statyrę currus, qui uelis detractis semper progrediebatur, feminisq; popularib. salutãdi eã & adeundi faciebat copiam. Hinc regnũ eius fauorabile ad multitudinẽ fuit. atq; adeò clemẽs habitus est & populariũ amans, præcipuè ob successorẽ filiũ Ochũ, qui seuitia & atrocitate omnes superauit. Plut. in Artoxerxe.

THEOPOMPVS Spartanorum rex, cùm primus instituisset, ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regię potestati oppositi, quemadmodum Romæ consulari imperio tribuni plebis sunt obiecti, atq; illi uxor dixisset, Eum filiis minorem potestatem relicturum: Relinquam (inquit) sed diuturniorem. Optimè quidem: ea enim demum tuta est potentia, quæ uiribus suis modum imponit. Igitur Theopompus legitimis regnum uinculis constringendo, quò longiùs à licentia retraxit, hoc ad beneuolentiam ciuium propiùs admouit. Valerius lib. 4. c. 1.

AGESILAVS Spartanorũ rex claudus fuit, statura parua, & aspectu contemnendo. Cęterùm hilaritas animusq; omni tẽpore lætus & urbanus, uoxq; & uultus ab omni morositate & austeritate alienus, amabiliorem eum formosis usque ad senectutem fecerunt. Plut. in Agesilao.

Macedonum regem PHILIPPVM rerum gestarum gloria lõgè pòst a filio Alexandro relictum legimus, facilitate autẽ humanitateq; adeò præcessisse, ut alter semper magnus, alter sæpè cothurnatis sceleribus turpissimus deprehendatur. Cælius lib. 8. Antiq. Lect. c. 1.

ALEXANDER Magnus, ut beneuolentia & popularitate omnes mortales superaret, statuerat deinceps omnes Alexandros appellare. Polyænus lib. 2.

GELO Syracusanus, singulari uirtute atq; bellicis artibus clarus, uictoriæ licentia modestissimè in uictos Carthaginenses usus, atq; erga finitimos pręstans humanitate, magna sibi & gratia & auctoritate apud Siculos cõparatã, uitam cũ tranquillitate traduxit, Diod. lib. 11.

AVGVSTVS Cæsar, cùm aliis uirtutibus permultis, tum summa apud cunctos humanitate conspicuus fuit, adeò quidẽ ut Varus declamator probè dixerit: Qui apud te Cæsar audent dicere, Magnitudinem tuam ignorant: qui non audẽt, humanitatem, ut est apud Senecam. Domini appellationem edicto respuit: officia cum multis mutuò exercuit: nec priùs dies cuiusq; solennes frequentare desiit, quàm grãdior iam natu, & in turba quondam sponsaliorum die uexatus. Non temerè urbe oppidóue ullo egressus, aut quoquam ingressus est, nisi uespere, aut noctu: ne quem officij causa inquietaret. Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat, supplicabatq; more solenni: ferebat & ipse suffragium in tribu, ut unus è populo. Nunquam filios suos populo cõmendauit, ut non adiiceret, Si merebuntur. Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab uniuersis in theatro, & à stantibus plausum, grauissimè questus est. Amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse uoluit, ut tamen pari iure essent, quo cæteri, legibusq; iudiciariis æquè tenerentur. Affuit clientibus: sicut scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Vnum omnino è reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castricium, per quem de coniuratione Murænæ cognouerat. Vrbes fœderatas, aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræmotu subuersas denuò condidit, aut merita erga populum Romanũ allegantes, Latinitate (h. e. iure Latij) uel ciuitate donauit. Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentauit: operibusq; ac uectigalibus publicis plurifariam instruxit, etiã iure ac dignatione Vrbi quodammodo pro parte aliqua adæquauit: excogitato genere suffragiorum, quæ de Magistratibus urbicis Decuriones colonici, in sua quisq; colonia ferrẽt, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac necubi aut honestorũ deficeret copia, aut multitudinis soboles equestrem militiam petentis, etiam ex commendatione publica cuiusq; oppidi ordinabat. At iis, qui è plebe regiones sibi reuisenti filios filiásue approbarent, singula numorum millia per singulos diuidebat. Non semel cogitasse dicitur de administratione Reipublicę populo Romano reddenda: nec desiit, ut Seneca tradit, quietem sibi precari, & uacationem à Republica peteret. Suetonius.

GERMANICVS Drusi F. suarum uirtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus & dilectus à suis, ut Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic uulgò fauorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquò adueniret, uel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiúmue nõnunquam eum discrimen uitæ adisse. E Germania uerò, post compressam seditionem reuertenti, prætorianas cohortes uniuersas prodisse obuiam, quamuis pronunciatum esset, ut duæ tantummodo exirent: populi autẽ Romani sexum, ætatem, ordinem omnem usq; ad uicesimũ lapidem effusisse se. Libera ac fœderata oppida adibat sine lictoribus. His artibus non Senatus modò ac populi fauorem sibi parauit, uerùm etiam quotquot ubique sunt prouincialium, quos partim affabilitate, partim officiis deuinxerat. Quam ob rem defunctum omnes non honoris simulatione luxerunt, sed ueris lacrymis prosecuti, tanquam in priuata quisq; mœstitia: adeò citra omnem omnium offensam uixerat. Quod & filio eius Caio plurimum profuit, cũ apud cæteros, tum maximè apud militarem multitudinem, quę pro ipsius dignitate tuenda nullum periculum non adituri uidebatur. Itaq; Tiberio successit, Tiberio Gemello cæso. Iosephus lib. 18. c. 8. Antiq. & Suetonius.

AGRIPPA Iudæorum rex, mitissimo fuit ingenio: in exteros omnes ex æquo beneficus, liberalis & humanus, in suæ gentis homines benignus, & promtus ad iuuandos præ cæteris in aduersitatibus. Quapropter libenter & continuè degebat Hierosolymis, institutorum ac rituum patriæ seruator religiosissimus. purus enim erat à contaminamentis omnibus, nec ulla dies ei pręteribat absq; sacrificio. Iosephus lib. 19. cap. 7. Antiq.

TIBERIVS à principio nullum honorem, qui humanitatis transcenderet fastigium, sibi decerni passus est. Ciuicam coronam in uestibulo domus recusauit. Fuit id insigne olim eorum, qui ciuem prælio seruassent: at Cęsaribus datũ, quia ciuem non perderent, quando in eorum potestate esset occidere, quem uellent. Quum quidam eum dominum appellasset, uetuit se ampliùs contumeliæ causa nominari. Pari ciuilitate tulit, quòd suum nomen famosis carminibus proscinderetur, fassus in libera ciuitate linguam & mentem omnibus liberam esse oportere. Iam & in eo admodùm popularis apparuit. Si ille, inquit, aliter fuerit locutus, dabo operã, ut omnium, quæ aut dixi, aut feci, reddam rationẽ: at si perseuerauerit, inuicem odero. Præsides prouinciarum ne subditæ ciuitates plus æquo tributis onerarentur, sæpiùs scripto monuit, boni pastoris esse dictitans, tondere pecus, nõ deglubere. Sab. lib. 1. En. 7. Speciem libertatis quandam induxit, conseruatis Senatui ac magistratibus, & maiestate pristina, & potestate. neq; tam paruum quicquam, neq; tã magnum publici priuatique negotij fuit, de quo non ad P. C. referretur. De uectigalibus ac monopoliis, de extruendis reficiendisúe operibus, etiam de legendo uel exauctorando milite, ac legionum & auxiliorum descriptione: deniq; quibus Imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid & quam formam legum literis rescribi placeret. Pręfectum alæ, de ui & rapinis reum, causam in Senatu dicere coëgit. Nunquam curiã nisi solus intrauit: lectica quondam introlatus æger, comites à se remouit. Suetonius. Nihil etiã in suo natali die fieri permittebat, quod antea fieri non consueuisset. Nemini licebat per fortunam eius iurare: neq; animaduertebat in eos, qui per candem fortunam iurantes peierassent. Neq; uerò in his solis popularis erat: sed etiam in eo, quòd ei nullum templum dedicatum est, quodq; nemini licebat statuam ei facere. Dion Nicæus.

CLAVDIVS Cæsar, in semet augẽdo parcus atq; ciuilis, prænomine Imperatoris abstinuit, nimios honores recusauit, sponsalia filiæ, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantùm domestica religione transegit. Neminem exulum, nisi ex Senatus auctoritate, restituit. Vt sibi in curiam Præfectum prætorij, Tribunosq; militum secum inducere liceret, utque rata essent, quæ procuratores sui in iudicando statuerent, precariò exegit. Ius nundinarũ in priuata prædia à Cõsulibus petiit: cognitionibus magistratuum, ut unus è consiliariis, frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, surgens & ipse cum cætera turba, uoce ac manu ueneratus est. Trib. pleb. adeuntibus se pro tribunali excusauit, quòd propter angustias non posset audire eos nisi stantes. Quare in breui spacio tantum amoris fauorisq; collegit, ut cùm profectum eum Hostiam periisse ex insidiis nũciatum esset, magna consternatione populus & militem quasi proditorem, & Senatum quasi parricidam diris execrationibus incessere non antè destiterit, quàm unus atq; alter, & mox plures à magistratibus in Rostra producti, saluum eũ appropinquare confirmarent. Suetonius.

VESPASIANVS Imp. adeò mitis & clemens fuit, ut nec delicta aduersus se & Rempublicam commissa, ultra exiliũ multaret. Inimicitias & offensas statim animo eiiciebat. Accessu facilis & comis. Suidas. Non senatores tãtùm Romanos, sed priuatos etiam homines publicè salutabat, accipiebat hospitio, atq; apud eosdem etiam interdum cœnabat. Sua consilia semper cum patribus cõmunicabat, sępè etiam ipse ius dicebat in foro. In summa, in iis, quæ ad reip. curam attinebant, erat Imperator: in cæteris rebus uiuebat tanquã priuatus. Nec iocabatur tantùm familiariter, uerùm etiam iocosè se ludi libenter patiebatur. Xiphilinus.

TITVS Vespasiani filius, tam mitis in omnes & clemens fuit, ut eum humani generis delicias, & orbis amorem ciues & peregrini appellarent. Ferunt, cùm nihil cuiquam negaret, à quodam familiariter rogatum, Ecquid putarétne imperium tanti esse, ut omnia, quæ promitteret, præstare posset? tantùm dixisse ferunt, Non oportere quenquam à principis cõspectu tristem abire. Sabellicus lib. 8. cap. 2. ex Suida. Eum frequenter dixisse ferunt: Velle quidem se talem priuatis exhibere, quales sibi priuatos habere cuperet. Clementiæ ac mansuetudinis tantæ fuit, ut põtificatum acciperet ob hoc solùm, ut puras à sanguine seruaret manus, ne cuiusquam necis aut auctor aut conscius esset. Cuspinianus, ex Suetonio & Dione.

TRAIANVS Romanorum Imp. licèt multa bella contra diuersos gesserit, attamen tanta ratione imperauit suis militibus, ut nunquam feroces aut insolentes redderentur. Cùm contra Decebalum Dacorum regem fortiter pugnasset, atque deficerent ea quibus sauciorum uulnera obligarentur, uestem suam discidit, ad obliganda militum uulnera. Dion Nicæus. Subiugatis Marcomannis, ac Iazygum & Panoniæ populis, minimè triumphans, sed equo tantùm insidẽs in Capitolium uectus est. Per urbem semper, more Catonis, pedes ibat, paucis comitibus, nullis satellitibus: Senatum patrem, se ministrum tantùm uocabat. Stans, consules sedẽtes uenerabatur, quòd se illis inferiorem ex legibus esse sciret. Volat. lib. 23. Anthrop. In uenationibus, & in conuiuiis scõmatibus magnoperè delectabatur. Sæpeq; domos priuatorum ex improuiso adiens, cum iis accubuit. Teste Suida, nemini inuidit, neq; aliquẽ dignitate priuauit, sed mirũ in modũ omnes bonos fouit. Idcirco neminẽ uerebatur, neque oderat. Et, ut scribit Aurelius, cùm duo sint, quę ab egregiis principibus expectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq; prudentia: tantus erat, ut in eo maximarum rerum modus quasi tẽperamento uirtutis emicuisse uideretur. Nisi quòd cibo uinoq; paululum deditus erat, citra tamen ebrietatem, quanquam abundè biberet. Cuspin.

M. ANTONINVS Pius Imp. amicis suis in imperio suo non aliter usus est, quàm priuatis, quin & ipsi nunquam de eo cum liberis suis per fumũ aliquid uendiderunt: siquidem libertis suis seuerissimè usus est. Capitolinus.

PERTINAX Imp. simplicitatem amabat, & cõmunem se affatu, conuiuio, incessu præbebat. Cuspinianus.

ALEXANDER Seuerus Imperator Dominũ se appellari uetuit. Gemmas de calciamentis & uestibus sustulit, usus simplici uestitu: familiariter se erga omnes exhibens, ut amabilis esset omnibus, appellareturq; Pius, Sanctus, Reiquepub. utilis. Cuspinianus. Milites morbo afflictos uisitabat: aditũ ad se non amicis modò ac familiaribus, uerùm etiam militibus cæterisque hominibus, quàm facillimum præbebat. Cùm Imperatoris uxor Mẽmia, Sulpitij consularis uiri filia, & Catuli neptis, unà cum matre Mammea obiicerent Alexandro nimiam ciuilitatem, dicentes Molliorem sibi potestatem & contemtibiliorem imperij facere: iis respõdit: Sed securiorem, atque diuturniorem. Vetuit quoque matrem & uxorem suam à famosis mulieribus salutari. Cuspinianus ex Lampridio.

VALERIANVS Licinius Imp nobili ortus prosapia, ex patre Valerio, adeò populari fuit ingenio, uitaq; ad senium usq; incorrupta, ut nullus unquam principum maiore militum studio, omniũq; ordinũ consensu ad imperiũ peruenerit. Cẽsor permittente Decio antè, & hinc per omnes dignitatum gradus ad imperiũ euectus: homo maioris spei ac opinionis, quàm fortunæ. Eum Sex. Aurelius cognomento Colobium scribit appellatum, stolidũ & inertem, splendidissimis genitum parentibus, neq; ad usum aliquem publicum officio, consilio, seu gestis accõmodatum. Licèt contrà Trebellius Pollio annis septuaginta laudabili uita in eam conscẽdisse gloriã tradat, ut post oẽs honores & magistratus insigniter gestos Imp. fieret: non tumultuario populi cõcursu, non militum strepitu, sed iure meritorum, & quasi ex totius orbis una sententia: quanquam [redacted] superatus sit. Cum Persis enim bellum gerens, à Sapore Persarum rege uictus superatusq; est. Cuspinianus.

MAXIMVS legatus Constantini, Britanniam pulso Octauio rege Romanis uindicauit, Scotorum regem Eugenium occidit, Scotos Albione tota expulit: humanitate & popularitate insignis. Quũ dabatur otium, in palæstra cũ Britonum nobilibus exercebatur. Vno die, quantum penè Britannia Cæsari pendebat quotannis uectigalium, in milites erogauit. Illi purpura indutum Imperatorem salutauere. Pictorum ualidissimos quosque, aut in exercitum adsciuit, aut præsidiis præfecit: & quum Pithlandiam inuiseret, Romano habitu deposito, Pictico sago, aureis atque byssinis uirgulis & floribus redimito, utebatur. Hector Boëthius libro septimo.

THEODOSIVS III. Imp. cognomento Adramyttenus, uir facilis, pius, ac benignus: qui mira alioquin comitate fuit, & ad promerendam gratiam ingenium à natura comparatum habuit. Pluribus animi dotibus breui effecit, ut omnibus esset æquè carus. Cuspinianus.

THEODERICVS Ostrogothus Italię regnõ potitus, nullum Romanum institutum mutauit: siquidem & senatum, & cõsules, patricios, præfectos prætorio, præfectum urbis, quęstorem, Comitem sacrarum largitionum, Comitem priuatarum

tarum, & militiæ Comitem domesticorum, magistros peditum & equitum, cæterosq;, qui fuerant in Imperio magistratus retinuit, eosque Romanis hominibus tantùm mandauit, ac, licèt Arianus, mirè sacerdotes & templa Catholicorum excoluit, demùm superiorum Imperatorum exemplo Rauennæ regni sedẽ firmauit, &, quòd Imperatoris munere ac consensu, atque ipsius quoque senatus uoluntate se dominari profiteretur, patrio uestitu posito, purpuram, ac regia insignia sumsit: atque omnino instituit regnum ueteris Imperij ex omni parte simillimum. Sigonius libro 16. Imp. occid.

EVGENIVS III. Scotorum rex, mira clementia fuit in subiectos: iudiciis publicis frequentiùs assistendo, si quos suspicaretur parum iustè damnatos, iterum causam agendi potestatem fecit. Egenos, quibus ad causas tutandas facultates non suppeterent, publico iuuit sumtu. Vetuit ne quis pupillum legitimam ante ætatem uocaret in ius: néue uidua ultra mille passus, proprias extra ædes, ad iudicium traheretur: fures, latrones, receptatores diris suppliciis affecit. Hector Boëthius lib. 9.

CAROLVS Magnus rerum gestarum magnitudine gloriam suam ita auxit, ut nemo non Regum ac principum eius amicitiam expeteret, quibus cum societatem & fœdera iunxit. Imperatores Græcos crebris legationibus & epistolis, quibus eos fratres appellitabat, ita demulsit, ut facilè ipsorum inuidiam patientia, contumaciam magnanimitate superaret. Cuspinianus.

HENRICVS I. Cæsar etiam in relaxationibus animorũ eam seruauit integritatem, ut laxatum, non solutum eum, qui attenderet, uideret. In conuiuiis satis iucundus: nihil tamen regalis disciplinæ minuebat. Tantum auctoritatis in eo põdus fuit, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam se lasciuiam dissoluendos. Cranzius lib. 3. Saxoniæ, c. 11.

CONRADVS, Henrici III. Imperatoris filius, aulicos & ministros patris, etiam infimæ sortis, Comministros appellabat, & familiarissimè cum illis cõuersabatur. Hedio in Chronico German.

LVDOVICVS Bauarus Imperator, erga omnes se humanum exhibebat, obuios salutabat, & singulis colloquebatur: nulla intumuit prosperitate, prouidus & sagax, & in periculis animo infracto. Cuspinianus.

ERICVS II. Danorum rex, ad conciliãdam sibi popularium beneuolentiam, in extrema actionum suarum parte mandati loco subnectere consueuerat, Vt uiri coniuges suas ac liberos, nécnon & seruos, cùm primùm domos redissent, sub eius titulo, consalutationis officio prosequerentur: fore se cuique illius seruatorem promittens, communemq; cunctis in exhibendo æquitatis cultu debitorem affirmans. Saxo libro 12.

FROTHO IV. Danorum rex, Fridleui F. ab incunabulis adeò cunctis carus euasit, ut sinu iugiter atque osculis foueretur: nec uni modò pædagogo addictus, sed quasi communis omnium alumnus habebatur. Posteaquã adoleuit, non se tyrannorum more communibus uitiorum illecebris obiiciebat, sed honestatem ardenter appetere, opes in propatulo habere, cæteros largiendo præcurrere, omnes humanitatis officiis anteuenire, & quod difficillimum est, uirtute inuidiam uincere contendebat. Cuius rei gratia breui tantam apud omnes claritatem contraxit, ut adolescentulus non modò fama maiorum titulos exæquarit, sed etiam uetustissima regum monimenta superarit. Saxo lib. 6.

EBERHARDVS Dux Virtenbergensis primus, pacis studiis celeberrimus fuit. Vrbes suæ ditionis circumiens, apud ciues de magistratus & præfectorum integritate, apud peregrinos de hospitum fide diligenter inquirebat. Hac popularitate obtinuit, ut subditi uiuentem etiamnum inter deos referrent, cum huiusmodi præconio, Nisi deus esset, noster Dux Eberhardus deus esse posset. Hic est ille, qui in principum comitiis, aliis alia suarum ditionum bona prædicantibus, Ego uerò, inquit, hoc solo glorior, quòd nullum ex subditis meis habeam, in cuius sinu solus in uastissima sylua quiescere metuam. Ioannes Agricola in Prouerbiis German.

ORCHANES Othomannus Turcorum rex, liberalitate animi, facilitate morum, dexteritate quadam ingenij & felicitatis, tum bene probeq; imperandi opinione, ingentẽ sibi multitudinis fauorem comparauit, eundẽq; populari facilitate & comitate quadam, perpetuaq; cõsuetudine atq; largitionibus, conseruauit. Cuspinianus.

ALFONSVS IX. Hispaniæ rex, cùm cruce signatos cõtra Saracenos exciuisset, & ex Vltramontanis solis ad C M. peditum, equitum X M. conuenissent: mira dexteritate potuit omnibus satisfacere, & quasi non unius patriæ incola, mores omnium assumere. Rodericus Toletanus libro 8. rerum Hispanicarum, cap. 4.

MATHIAS Coruinus Vngariæ rex, suauissima consuetudine sibi omnes obstrinxit. Non solùm proceres officij gratia, sed gregarios quoq; uisitauit. In castris ægrorum contubernia lustrauit, cibum porrexit, consolatus est, uulnera obligauit. Quinetiam gloriabundus sæpè retulit, se Nicolao Bosenæ regi ægrotanti pedum digitos interfricuisse. Inter amicos quandoque licentiore comessatione usus est, ut curas abigeret. Cum Mysiis, cum Boemis & Alemannis, cum Vngaris & Cumanis iuxtà uersatus, domi militiæque neglig ẽti corporis custodia usus, fide omnium muniebatur. Pro stipatoribus omnes certatim corpus eius peruigili custodia asseruabant. Nulla domi gemmata pocula, nullis atria aulæis uestita: nullus, uel certè rarus, & is incultus ac rudis apparatus: sordidæ in quadrata mensa mappæ, cultus omnis ad equos & arma translatus: ibi aurum, gemmas & argentum gestare mos erat. Postquam autem Beatrix Aragonia regina uenit, uiuendi modum excoluit, magnificas cœnationes, exculta triclinia, aurata cubicula introduxit, regem à popularitate reuocauit, ianitores forib. apposuit, assiduos intercepit faciles aditus, regiam Maiestatem ad seruandum decorum redegit. Bonfinius lib. 7. Dec. 4.

Fuit BORSIVS Atestinus Ferrariæ dux humanitate naturæ sine fuco & fallaciis, grauitate consilij, splendore hospitalis disciplinæ, & regia liberalitate, cunctis suæ ætatis Principibus anteferendus. Lenitate uerò, atque eleganti uitæ iucunditate, usqueadeò dulcis & popularis fuit, ut subnixus præcellenti studio atque amore ciuium, ipse nothus, Hercule legitimo fratre dominatu excluso ablegatoque Neapolim, imperium usurparet: sed æquissimo animi decreto uixerit perpetuò celebs, ne prôlem legitimo iure imperij æmulam cum summa Herculis iniuria susciperet. Itaque Herculẽ iam ætate adultum, dignumq; acerrimo Duce indolem præferentem, benignè atq; rectissimè ad se acciuit in non dubiam spem totius principatus, quum urbe Mutina donaretur. Iouius in Alfonso Atestino.

LVDOVICVS Sforcia Mediolanensium princeps, tametsi ambitione præceps in diuersum ab æquo & bono rapiebatur, multis tamen optimis artibus abundè instructus, flagitiosa consilia mirificè contegebat. Erat in primis, quod maximè popularem gratiam fauoremque conciliat, aditu alloquioque per humanus & facilis: nunquam eius animus iracundia superabatur: moderatè ac patienter ius dicebat: ingenia, quæ uel literis uel exquisitis artibus claruissent, singulari liberalitate prosequebatur. Postremò cùm fames pestilentiáue ingruerent, maxima annonæ & salubritatis cura habita, sublatisque latrociniis, atque enormibus urbis ædificiis ad lineam directis: tantum splendoris ac opulentiæ Cisalpinæ Galliæ inuexit, ut ab omnibus aureæ pacis & publicæ securitatis atq; elegantiæ conditor esse diceretur. Iouius lib. 1. Historiarum.

MAGISTRATVS QVIVIS ALII.

Apud Rom. antiquitùs DICTATOR equo uehi militiæ non poterat: ut cùm regia alioqui esset Dictaturæ potestas, hoc pacto populo obnoxium esse ostenderent. Nam populi causa, qui peditatu potissimùm constabat, Dictator creabatur. Cogebatur ergo suis non consiliis tantùm, sed & præsentia adesse. Primus Fabius Max. petiit à Senatu, ut militiæ sibi liceret equo uehi. Plut. in Fabij uita.

P. VAL. Poplicola, ut consulatum pro terrifico placidũ & gratum redderet populo, fascibus detraxit secures. Ipsas etiam ad concionem accedens depressit fasces, & populo submisit, speciem maiestatis addens principatui populari. idq; cõsules postea obseruarunt. Plut. in Valerio.

Apud Rom. TRIBVNI plebis non gerunt prætextam (cùm eam magistratus alij gerant) neq; lictores habent, neque ex sellis curulibus agunt cum populo, neq; principio anni, ut cæteri omnes, magistratum ineunt, neq; dictatore dicto abeunt: sed cùm imperium ad se omne traduxit ille, hi soli manent: quasi non magistratum gerant, sed ordinem habeant alium. Nempe fastus consuli conuenit & prætori. Tribunum plebis, ut M. Curio dixit, esse oportet demissum, neque graue supercilium præferre, neque esse aditu difficilem, neque multitudini acerbum, sed pro aliis, & popularibus facilem. Quare nec domus illius obtinebat usus, ut fores obderentur, uerùm noctu interdiuq; patebat, ut portus & refugium ope indigentibus. Quo autem plus deprimitur specie, hoc eius auctoritas plus amplificatur. Quippe usum eius communem esse promtumque cunctis instar aræ uolunt: honorem uerò faciunt eum sacrosanctum & inuiolabilem: quando etiam cùm in publico incedit, omnibus moris est expiari & lustrare corpus ut pollutum. Plut. in Quæst. Rom.

FRANCISCVS Barbarus, Hermolai uiri doctiss. auus, in Brixiensi prætura, quam gerebat Gallico bello, quod à Philippo Mediolani duce imminebat, triplici circumuentus malo, pestilentia, fame grauissima, hostisq; arctissima obsidione, ædes suas omnibus patere uoluit: prandium & cœnã in propatulo, adhibitis Brixiensibus, sumsit: hacq; popularitate Brixienses in fide continuit. Egnat. lib. 4. c. 3.

DVCES.

EVMENES Cardianus, dux præstantissimus, erat uultu hilari, non bellatorem & in armis uolutatum referens, sed eleganti facie & florida, totoq; corpore concinnatus, mẽbris quasi à natura ad eximiam fabrefactis competentiã. Acris quidem non erat in dicendo, blandus tamen & alliciens, ut ex epistolis eius coniicias. Plut. in Eumene.

ARISTIDES Iustus dux ad bellum collega Cimone missus, cùm Pausaniam uideret cæterosq; duces Spartiatarum sociis duros & asperos esse, placidè & benignè eos appellando, & Cimonem præbendo in expeditionib. comem eis & communem, imprudentibus Lacedæmoniis imperium detraxit non armis, non classe, uel equitatũ, sed beneuolentia & ciuilitate. Gratos enim Græcis ex Aristidis iustitia & Cimonis moderatione Athenienses, efficiebat Pausaniæ iniquitas & austeritas multò exoptatiores. Plut. in Aristide.

PERICLES Atheniẽsis quotiescunq; belli dux creatus esset, chlamydem induens, apud se dicere solebat: Attende Pericles, quòd gesturus es imperium in liberos, in Græcos & in Athenienses. Plut. in Græc. apopht.

Præter ingentia animi bona, quibus P. SCIPIO Africanus cæteros alios anteibat, præ se etiam ferebat eximiam formã, & omni amplo dignã imperio. Erat præterea uir benignus in audiendo, facundus in respondendo, & in conciliandis hominibus egregius artifex: habitũ corporis uirili, cæsarie promissa utebatur. Pulcritudine oris, & totius corporis forma conspicuus erat, læta atq; hilari fronte, quæ plurimum ualent ad gratiam hominum conciliandam. Habebat & in gestu & in motu summam dignitatem. Ad hæc animi bona muneraq; naturæ cùm militaris accederet gloria; dubium erat, gratiórne gentibus domesticis uirtutibus, an mirabilior bellicis artibus foret. Imbuerat etiam animos multitudinis superstitione quadam, quòd singulis diebus, ex quo uirilem togam sumserat, in Capitolium ascendere, ac sine arbitris ædem ingredi consueuerat, ut crederent homines, sicut iam multo antè Numam Pompilium ab Aegeria Nympha, sic etiam ipsum arcana quædam in templo doceri, quæ cæteris non essent communia. Prætera ut olim de Alexandro Macedonum rege, sic ea tempestate de Scipione quidã finxisse uidentur, anguem in cubiculo matris frequenter uisam. Masinissa Numidiæ rex salutatum ueniens, ut primùm conspexit, sic uirum admiratus esse dicitur, ut nec ab eo dimouere oculos, nec intuendo explere desideriũ posset. Auctor uitæ eius.

Bello ciuili Q. SERTORIVS, Syllam fugiens, Hispaniam occupare contendit. Cùm gẽtes offendisset multitudine & iuuentute florentes, ob auaritiam autem & iniurias magistratuum, qui quotannis eam in prouinciam mitterentur, planè alienas ab imperio Romano: primores comitate, tributorum remissione leniuit plebem. Inprimis uerò grata fuit eis hospitiorum præbendorum sublata necessitas. Siquidẽ milites hybernacula in suburbiis coegit constituere, ac tabernaculum suum ipse ibi princeps locauit. Nec in barbarorum tamen beneuolentia posuit omnia: sed ciuium Romanorum, qui sedes eò transtulerant, armauit iuuentutem, machinasq; cuiusq; generis & naues fabricare instituit. Atq; ita in potestate retinuit urbes, in pacis negotiis placidum se, sed terribilem præbens in apparatu hostibus. Plutarchus in Sertorio.

BELISARIVS dux Iustiniani Imp. Constantinopolitani, corpore pulcro & procero, uultuq; omniũ serenissimo: ita comis & accessu facilis, ut unus de multis esse uideretur, & militibus & plebi carissimus, ob summam erga milites liberalitatem. Nam siue qui in conflictu infaustè pugnassent, eorũ uulnera magna pecunia solabatur, strenuos uerò armillis & torquibus remunerabatur: siue equum aut arcũ, aut quduis aliud in pugna amisissent, statim aliud apud Belisarium in promtu erat. Agricolis autem ita parcebat, ita consultũ uolebat, ut nunquam Belisario exercitum ducente, uis ulla eis illata fuerit. Nam res uenales ex animi sententia distrahebant: & adulto frumẽto ne ullus equus noceret, diligentissimè cauebat. Fructus porrò arborum attingere licebat nemini. Suidas, & Sabel. lib. 3. Enn. 8.

FERNANDVS Petreia Andradius, anno MDXVII. ad Sinarum regnũ explorandũ ab Emmanuele Lusitaniæ rege missus, in Tama insula per XIV menses hæsit: indeq; abiturus, per præconem in urbe pronunciare iussit, ut si quis aliquid Lusitano alicui credidisset, aut si aliquid per iniuriam sibi quisquam à Lusitanis ereptum, aut dolo sublatum quereretur, ad se ueniret. nec enim se antè anchoras soluturũ, quã essent omnia persoluta. Id Sinis gratissimum accidit, quòd mos ille Lusitanæ gentis æquitatem, & probitatem, & prudentiam in aspectu proponeret. Eos namque Andradius ita sibi comitate deuinxerat, ut arbitrarentur, nullã esse gentem officio, & fide, & prudentia cum Lusitana conferendã. Aliquot pòst annis Simon Andradius, uir sanè fortis, sed temerarius, & plurimũ à mente fratris abhorrens, cum classe ad Sinas aduectus, cùm in principio opes in eo loco Lusitanas firmare statuisset, & locum etiam muniuisset, uti iure planè regio cœpit, deindè in tyrannidem erupit: rapuit quæ uoluit, intulit uim ingenuis uirginibus, quibus uoluit: multa præterea signa insiti furoris dedit: quibus Sinæ uehementiùs irritati, Lusitanos inuaserunt, multos occiderunt, alios captiuos abduxerunt: Andradius tamen cum opibus suis euasit. Ea fama cùm ad regem Sinarum peruasisset, legatum eiecit: qui cùm Cantamum rediret, fuit à ciuibus in uincula coniectus, in quibus exitu miserabili uitam conclusit. Ita plerunq; fit, ut quod est prudentia constitutum, temeritate & amentia dissipetur. Osorius lib. 11. rerum Emm.

LEGATI.

☞ *Ex Tit. Legati prudentes, hæc quædam: quatenus Popularitas Prudentiæ ministrat.*

Sultanus Iconij Clizasthlanes, postquam in angustiis, quæ Clausuræ Zypricæ appellãtur, exercitus maximam partem Manuelis Comneni Imp. prostrauisset: impulsus tamen procerum suorum consiliis, quibus tempore pacis ab Imperatore pecunia affluebat, per legatos ultrò pacem Imperatori obtulit, quam is urgente necessitate petiturus erat. Misit itaq; GABRAM, honoratissimũ inter suos satrapas, ad Imperatorem: qui ipsi Barbarorum more summissè adorato, dono adduxit equum Nisæum, frenis argenteis ornatũ, ex iis qui ad pompas aluntur, & longum ancipitem gladium: ac sermonem de pacificatione intericcit: animo eius, ob acceptam cladem tristi, prius mollibus uerbis, quæ in aurem illi dicebat, delinito. Quum autem thoracem Imp. fulua ueste tectum uidisset: Iste color, inquit, Imperator, ad pugnã inauspicatus est. Imperator subridens, eam uestem purpura & auro intertextam illi dedit: acceptoque ense & equo, pacem sua manu subsignauit. Nicetas libro sexto, de rebus Manuelis.

POLITICI.

☞ *Vide infrà, Erga Populum.*

PHOCION Atheniensis non modò quenquam suorum nunquam læsit, sed ne odit quidem, cùm graues alioquin contentiones ab eo sæpè susceptæ essent Reipub. causa. Sed is omnes humanos affectus suorum ciuium charitati censuit posthabendos. Sabellicus libro 5. capite 2. ex Plutarcho, & Plut. in eius uita.

Moribus fuit ARATVS Sicyonius, Achæorum prætor politicus, celsi animi, attentior ad rempublicam quàm priuatam, hostis acer tyrannorum, inimicitias & amicitias semper ex bono publico metiebatur. Quod in causa est, ut non tam amicus firmus, quàm facilis & lenis inimicus uideatur fuisse, republica causa hinc inde pro tempore uarians. Plutarchus in Arato.

C. GRACCHI Trib. pleb. conspectum plebs mirabatur, cùm affectari eum conspicerent cateruam operariorũ, artificũ, legatorum, magistratuum, militum, doctorum hominum: quibus omnibus placidum aditum præbens, atque in humanitate tuens grauitatem, accommodãsq; se ad id, quod cuique propriè conueniret: effecit, ut graues calumniatores haberentur, qui trucem ipsum aut omnino morosum dicebant, aut præfractum. Plut. in Caio.

T. QVINTIVS Flaminius acerbus habitus est nemini, sed præceps in iram & leuis natura multis: cætera in consuetudine omnium blandissimus, & in dicendo cum acrimonia lepidus. Plut. in Flaminio.

P. SCIPIO Africanus minor Polybium (quod ipsum inter illius ducis miranda non ineptè reposuerim) perfamiliarem habuit ac intimum: cuius imbutus præceptis, ἐπήρετο μὴ πρότερον ἐξ ἀγορᾶς ἀπελθεῖν, ἢ ποιήσασθαί τινα συνήθη καὶ φίλον ἁμωσγέπως τῶν ἐντυγχανόντων: studebat nõ priùs foro reuelli, quã unum aliquem ex iis, quibus quum fortè congrederetur, beneuolum sibi atque amicum quauis ratione foret uenatus. Cælius lib. 26. cap. 22. Antiq. lect.

M. CRASSVS epulum dedit Romano populo, & tres minas uiritim: nulli ciuium suum patrocinium non libens impendit, nullum in uia non salutauit: fecitq; unus omnium popularem auaritiam, ex qua nemo antea gratiam reportarat. Sabel. lib. 8. cap. 2.

LAVRENTIVS Medices Florentinus, in demandandis reip. muneribus æquali temperamento semper est usus: ut cùm carissimis amicorum & clientibus honores deferret, nullus unquam antiquæ nobilitatis se præteritum esse quereret. Opificibus autem ac infimæ plebi adeò populariter studuit, ut sæpè priuata pecunia annonæ penuriam subleuaret: & cùm studio ædificandi ductus in Caiana uilla extruenda sumtu atque elegantia Cosmum auum superare decreuisset, magnam operarum turbam se alere potiùs quàm ædifi

care prædicaret. Edebantur quoque statis anni temporib. hastatorum equitum decursiones, comœdiæ, theatrales ludi, omnisq; generis spectacula. Quibus rebus fiebat, ut populus Florentinus quæstui pariter & iocunditati deditus effusè lætaretur. Numidicos etiam equos eximiæ pernicitatis domi alebat, qui in celeberrimis magnarum urbium certaminibus cursu contenderent, uictoriarumq;, præmia, aureos & sericos pannos singulari pietate uestiendis altarib. dedicabat: adeoq; in his rebus curãdis exornandisq; sumtuosus erat, & diligens, ut nullum unquam popularis gratiæ decus, uel in maximarum rerum occupationibus, neglexisse uideretur. Iouius in Leone X. lib. j.

PHILOSOPHI.

De ARISTIPPO philosopho celebratum est illud Horatij lib. j. Epist. 18.

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res,
Tentantem maiora, ferè præsentibus æquum.

NICOLAVS Damascenus uir doctissimus, tam iucundis moribus præter formam corporis fuit, ut Augustus Cæsar palmarum balanos pulcerrimos & maximos appellari de eius nomine Nicolaos præceperit. Testis Suidas. Vide Titulum Comicorum.

IAMBLICHVS, philosophus Pythagoricus, è Chalcide Syriæ, moribus adeò probatis fuit, ut eius uitæ abstinẽtia modestiaq; ea tempestate nominatissima fuerint. Eunapius.

PRÆCEPTORES.

Aeschines, cùm cuperet esse ex numero discipulorũ SOCRATIS, suamq; apud præceptorem excusaret paupertatem, molestè ferens, quum alij Socratis amici multa subinde largirentur, se solùm nihil posse: An non intelligis, inquit Socrates, quàm magnum munus mihi dederis? nisi fortè teipsum parui æstimas. Comiter suscepit discipulum egenum, & nihil mercedis postulauit ab eo, quem pauperem esse nouerat. Laertius.

Alexander Philippi filius, puer adhuc, cùm nondum ad puberem ætatem peruenisset, citharam didicit pulsare. MAGISTRO autem iubente chordam quandam tangere modulis conuenientem, & quam postulabat artis ratio: Et quid interest (inquit) etiamsi hanc pulsauero? in aliam digitum intendens. Qui respondit: Nihil interest regis, sed non eodem modo nihil interest futuri citharœdi. Timuit præceptor fidissimus (qui nil celare discipulum uolebat) ne idem sibi eueniret quod Lino: qui cùm discipulum Herculem in arte Musica acriùs reprehendisset, ab eodem occisus est. Aelianus lib. 3. de Varia historia.

ANNEVS Cornutus, Leptites genere, philosophus & rhetor, summa humanitate, ut discipulos ex ea causa plurimos ad se, non minùs quàm doctrina alliceret. Natura enim magis quàm studio iuuabatur. Suidas.

AEDESIVS Cappadox, Iamblichi discipulus & successor, Pergami scholam aperuit. Valde populari ingenio, & singulari fide in docendis & exercendis auditoribus. Eunapius.

ERASMVS Roterodamus, cùm Senæ Alexandrum archiepiscopum, titulo D. Andreæ, Iacobi Scotorum regis filiũ, rhetorum studiis exerceret: isq;, qui sibi iam uidebatur nonnihil profecisse, rogaret, Vt tantùm indicatis propositionibus summis, reliquam omnem inuentionem sibi relinqueret: paruit adolescenti ingenioso, miræq; spei. Adnisus est summa ui, sperans fore, ut tametsi sermonis ubertate uinceretur, tamen ob ingenij uigorem, non multum esset à præceptore relinquendus. Erasmus primùm collaudata hominis industria, passus est illum sibi aliquandiu placere. Mox ubi indicasset, quàm multa illum fugissent, quàm multa nõ suo loco dixisset: cristas adolescens demisit, & agnouit, quantum adhuc abesset à meta. Erasmus de Ratione conscribendarum epistolarum.

PEREGRINI, HOSPITES.

PARTHENOPÆI, unius è septem Argiuorum ducibus ad Thebas, hæc laus est ab Adrasto prolata apud Euripidem in Supplicibus:

Ὁ τῆς κυναγοῦ δ' ἄλλος ἀταλάντης γόνος,
παῖς Παρθενοπαῖος, εἶδος ἐξοχώτατος,
ἀρκὰς μὲν ἦν, ἐλθὼν δ' ἐπ' ἰνάχου ῥοὰς,
παιδεύεται κατ' ἄργος· ἐκτραφεὶς δ' ἐκεῖ,
πρῶτον μὲν, ὡς χρὴ τοὺς μετοικοῦντας ξένους,
λυπηρὸς οὐκ ἦν, οὐδ' ἐπίφθονος πόλει,
οὐδ' ἐξεριστὴς τῶν λόγων, ὅθεν βαρὺς
μάλιστ' ἂν εἴη δημότης τε καὶ ξένος·
λόχοις δ' ἐνεστὼς, ὥσπερ ἀργεῖος γεγὼς,
ἤμυνε χώρᾳ· χ' ὁπότ' εὖ πράσσοι πόλις,
ἔχαιρε· λυπρῶς δ' ἔφερ', εἴ τι δυστυχεῖ.

Venatricis Atalãtæ filius, iuuenis Parthenopæus, forma præstantissimus, Arcas quidem fuit: ueniens uerò ad Inachi fluenta, disciplinis imbuitur apud Argos. Enutritus uerò illic, primùm quidem, ut oportet inquilinos hospites, molestus non erat neque inuidiosus ciuitati, neque contentiosus in uerbis, unde grauis maximè fuerit & ciuis & peregrinus: sed agminibus addictus, perinde ac si Argiuus esset, defendebat patriam: & quoties benè ageret ciuitas, gaudebat: molestè uerò ferebat, si quo modo infelix esset.

MVLIERES.

MVLIERES silentium & οἰκουρία, hoc est, domus custodia decet. Itaque Eliensibus Phidias Venerem fecit, quæ testudinẽ calcaret: opertiùs implicatiusq; commonstrans, esse muliebris decoris, ædes custodire ac silentium. Vxorium quippe ornamentum est, aut cum marito, aut per maritum loqui. Nam & Aegyptiis mulieribus inde uti calceis non fuit patrij moris, ut ita domi se continere quodammodo cogerentur. Cælius lib. 10. cap. 3. A. L.

Numa Romanus rex, sicut scriptum est à Plutarcho, tacere FEMINAS, & abstemias prorsus esse, neq; de necessariis reb. absente uiro quicquam loqui assuefecit. Fertur igitur, quũ mulier aliquando propriam in foro causam dixisset, senatum consuluisse deos, Quidnam ciuitati id monstrum portenderet? Lud. Viues de Christiana femina lib. 2.

Apud SPARTANOS aperta facie uirgo, at conuelata nuptæ in propatulo uisebantur. Cuius eam Charillus reddebat rationem, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας: quoniam uirginib. de uiris sibi prospicere necessarium sit: mulieribus autem, quos compararint custodire. Obseruatũ & illud, CHALCEDONIAS mulieres cum seruasse morem, ut si in alienos uiros & magistratus potissimùm inciderent, dimidium retegerent faciei. Quæ à uiduis coorta consuetudo, prorepsit & in eas quæ iunctæ uiris forent. Cælius lib. 13. cap. 6. A. L.

QVO CONSILIO, QVA OCCASIONE, PVTA STVDIO

RELIGIONIS.

LACEDÆMONII, uictis Atheniensibus ad Aegos potamos à Lysandro, urbem ipsorum euersuri, consulto oraculo, responsum acceperunt: Communem Græciæ aram ne moueatis. Flexit ergo Spartanos religio, ut hostibus infensissimis parcerent. Aelianus lib. 2. Var. hist.

POTENTIÆ.

SESOSTRIS Aegyptiorum rex, cùm animum ad imperium orbis adiecisset, ut faciliùs optata perficeret, sibi omniũ Aegyptiorum beneuolentiam conciliauit, omnes affecit beneficiis. Diodorus Siculus.

ROMANI aduersus nationes agrestes belligerantes, humanitatis disciplina nequaquam indigebant. Ex quo autem aduersus mansuetiores populos tractare bella cœperũt, hunc amplexi modum imperandi, cuncta suo subdidere regno. Strabo libro 9.

BENEVOLENTIÆ.

Sic ferè Principes. Vide suprà, Principes populares.

PHILIPPVS Macedo, superatis Græcis, cùm suggererent ei quidam, ut præsidiis urbes frenaret: Malle dixit diu se dici humanum, quàm exiguo tempore dominum. Plut. in regiis Apophthegmatibus.

Mirantibus cunctis, quòd ANTIGONVS iam senex blandè & comiter regnaret: Antè, inquit, opus habebam potentia, nunc gloria & beneuolentia. Idem.

POPVLARITATIS FORMA IN MORVM COMPOSITIONE. PARTIM

ACTIVA. Cuiusmodi est

ASPECTVS BENIGNVS, HVMANVS. VVLTVS compositus.

P. VERG. Maro, poetarum deus, animo & ore adeò fuit uerecundus, ut uulgò Parthenias diceretur. Gyraldus Dialogo 4. Poetarum hist.

DOMITIANVS Imp. commendari se uerecundia oris adeò sentiebat, ut apud Senatum sic quondam iactauerit: Vsque adhuc certè animum meum probastis, & uultum. Sueton.

A. PERSIVS Satyricus, moribus lenissimus, ac uirginali ferè quadam uerecundia, formaq; modesta ac pulcra. Gyraldus Dialogo 4. Hist. poetarum.

ORA-

ORATIONIS DECVS: HVC

Taciturnitas decora.

Exemplar taciturnitatis honestæ D. MARIA uirgo. Cedò quã multa legis Mariæ uerba in tota quatuor Euangeliorũ historia? Intrat ad eam angelus, & paucis uerbis tanti mysterij nuncium absoluit, iisq; sapientissimis & sanctissimis. Visit Elisabetham, loquitur, ut Deum laudet. Parit filium Deum, celebratur ille ab angelis, adoratur à pastoribus: mater tacet, conseruans omnia quę ab illis dicebantur, conferens in corde suo. Adoratur à Magis, qui procul eò uenerant: quid ipsam legis locutam? Alia forsan de illa regione fuisset percunctata, de opibus, de sapientia illorum, de astro. Ipsa, quod teneram decebat uirginem, muta semper. Offert filium templo, & uaticinantem de illo Simeonem tacita audit. Rogasset alia eorum quæ dixerat rationem & modũ. Vertit sermonem ad uirginem Senex de filio: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur. Et tuam ipsius animam dissecabit gladius, ut aperiantur multorum cordium cogitationes. Alia mulier, quando, quomodo, ubi futurum, esset sciscitata: ipsa nihil legitur dixisse. Amittit carissimum filium Hierosolymis, quæsitum tribus diebus, tandem inuẽntum, quot uerbis compellat? Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego mœsti quærebamus te. Natu iam grandior, in nuptiis illud tantùm admonet: Fili, uinũm non habent. Ad crucem omninò elinguis, nihil ex filio quærit, cui se relinquat, quid moriturus mandet: quòd in publico loqui nõ didicerat. Hanc uirgines, hanc feminæ omnes imitẽtur, pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem. L. Viues de Christiana femina lib. j.

Disertissimum Homerus Vlyssem maximè taciturnum expressit, filiumq; eius, & coniugem, & nutricem. Siquidem audis eam dicentem:

ἕξω δ' ἠΰτε πὲρ κρατερὴ δρῦς ἠὲ σίδηρος,
Non secus ac fortis quercus ferrúmue tacebo.

Ipse assidens Penelopæ,

θυμῷ μὲν γοόωσαν ἑὴν ἐλέαιρε γυναῖκα,
ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος
ἀτρέμας ἐν βλεφάροισιν.——
—— Miseretur Vlysses
Coniugis ex animo mœrentis: lumina uerum
Palpebris stabant immotis, cornua sicut, Vel ferrum.

Vsq; adeò fuit corpus eius undequaq; temperantia refertum: cunctaq; habens ratio obtemperantia sibi & mancipata, oculis imperauit, ut lacrymis temperarent: linguæ, ne loqueretur: cordi, ne tremeret neq; latraret.

τῷ δ' αὖτ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα
Ast huic cura uorax in pectore fixa remansit:

quod pertineret usq; ad rationis expertes motus ratio, spiritumq; & sanguinem sibi redderet audientem & parentẽ. Talis etiam fuit magna pars eius sociorum. Cùm enim rapti & solo illisi à Cyclope non detexerunt Vlyssem, neque præustum & paratum aduersus oculum istius monstrauerunt organum: sed crudos deuorari se, quàm quid detegere arcanorum maluerunt. Plut. de Garrulitate.

INO Euripidea liberè agens de seipsa scire ostendit se

σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές
Tacere, ubi decet: atq; ubi tutum, dicere.

Nam qui generosã & uerè regia instituti sunt disciplina, hi tacere primùm, deinde loqui didicere. Idem.

Apud SPARTANOS in Phiditiis natu maximus commonstratis foribus, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος, audientibus omnib. proclamabat. Plut. lib. 2. Conuiu. & in Lycurgo.

ANACHARSIS à Solone exceptus conuiuio, sic compositus erat, ut sinistra manus ad pudenda apposita esset, dextra autem ori. Interrogatus quã ob rem id faceret? Continentiori freno linguam indigere dixit, ne secreta proferret. Maximus Sermone 20. Eiusdem imagini inscriptum fuit, Continendum esse à lingua, uentre & pudendis: id est, abstinendũ à loquacitate, gula & uenere. Laertius in eius uita.

Athenis cùm epulum præberet quidam regiis legatis Antigoni aut Ptolemæi, elaborauit cupientibus illis philosophos adiungere. Ibi cũ sermones inter se fererent alij, & sua quisque adferret: silentiũ tenente ZENONE, inuitantes & præbibentes ei hospites: De te, dixerunt, quid Zeno referemus regi? Quibus ille: Nihil aliud, inquit, quàm esse Athenis senem, qui inter pocula tacere potest. Plut. de Garrulitate.

Quum quidam ad tacentem CLEANTHEM Assium dixisset: Tu quid taces? atqui iucundum est cum amicis confabulari. Iucundum quidem, respondit Cleanthes: sed quo iucundius est, eo magis in hoc amicis oportet concedere. Plut.

Archidamidas accusantib. nõnullis sophistã HECATÆVM, quòd conuiuio adhibitus omni sermone abstinuisset: Qui dicere nouit, inquit, & tempus nouit. Plut. in Lycurgo.

Romanus ille, quòd uxorem pudicam, opulentam & speciosam dimisisset, ab amicis castigatus, protenso calceo: Nempe & hic, inquit, aspectu pulcer est nouusq;: ceterũ ubi me premat, nouit nemo. Plut. in Connubialibus.

Quum M. CATONI Vticensi, etiamnum puero, uitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri uolebat) ait: Carpant taciturnitatem, modò uitam probent. Et addidit: Tum demùm abrumpam hoc meum silentium, cùm ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. Plutarchus.

Breuitas decora.

De Breuitate orationis suo loco inter Effecta agitationum animi egimus.

Modesta oratio. Obscena dicta fugere.

HOMERVS cùm aliquid turpe commemorat, lenire potiùs peccatum, quàm exprobrare conatur: sic Clytæmnestrã Odyss. γ. Ait eam probam fuisse, quandiu cantorẽ habuit secum: id est, magistrum quendam uxori ab Agamemnone adiunctum, qui ei optima præciperet. Hoc demum amoto, mulieri adulterium Aegisthus persuasit. Etiam Orestem Odyss. α. laudans, qui cæde Aegisthi ultus patrem sit, necẽ matris reticuit. Quinetiam quando comica & ridicula tractat, multo modestiùs & castiùs amatoria attingit, quàm qui illum secuti sunt Comici. Plut. de Homero.

ARCHYTAS Tarentinus philosophus, cùm aliàs modestissimus fuit, tum etiam uerborum obscenitatem assiduè uitauit. Cùm uerò necessitas aliquando postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est: sed ipsum quidem silentio præteriuit, inscripsit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat, neq; cùm res exigeret, dixit. Aelianus lib. 14. de Varia historia.

COSCONIVS, poeta modestissimus sub Domitiano, nil nisi castum & pudicũ cecinit: eaq; propter à Martiale ridetur, quòd carmina eius pueris tantũ & uirginibus conueniant.

Facilitas in Alloquendo, Compellando, Salutando, φιλοπροσηγορία.

Arist. in 2. Rhetoricorum Grauitatem cum Affabilitate coniungi uult, & quodammodo temperari, ne nimia grauitate superbi uideantur: aut immoderata affabilitate ταπεινοί, humiles, abiecti & contemti euadant. Tritum est prouerbium, Nimiam familiaritatem parere contemtum.

PYTHAGORAS cum pueris oratione utebatur puerili, cũ mulieribus muliebri, cum principibus item congrua iisdẽ, ac fortunæ apta præcipuè. Siquidem inscitiæ summæ est, in personarum diuersitate τὸ τοῦ λόγου μονότροπον, id est, orationis modum unum minùs euitasse. Cælius lib. 11. capite 7. Antiquarum lectionum.

THEMISTOCLES erat plebi acceptissimus, partim quòd omnes ciues nominibus suis salutaret sine nomenclatore, partim quòd integrum iudicem præberet se in contractib. Ac Simonidi Cæo aliquid iniqui ab ipso prætore postulanti respondit, Non fore ipsum bonum poetam, si præter modos caneret: nec se, si præter leges quid largiretur, magistratum probatum. Plut. in Themistocle.

CLEOMENES, Leonidę F. rex Spartanus, pallio amictus plebeio ad salutationes aliorum occurrit, collocutus est & uacauit exporrecto uultu humanoq; adeuntibus. Plut.

ALEXANDER Magnus in suis ad amicos literis imperij maiestatem planè exuebat. Vti etiam AVGVSTVS in suis ad Mœcenatem epistolis, illius quoq; stylum, quantum licebat, imitatus.

Dignatus tenui CÆSAR scripsisse Maroni. Ouid. in Probim.

C. IVL. Cæsar milites pro concione, non milites, sed blandiori nomine Commilitones appellabat. Suetonius, & Polyænus libro octauo.

Imperatorem aut tribunum ignorare milites, pudenda inscitia est. Neq; aliud OTHONEM ad imperium euexit, quàm quòd quenq; militum, in agmine, in stationibus, in itinere nomine compellabat suo, ex hoc gratiam & studia hominũ assequutus. Alex. lib. 6. cap. 18.

VESPASIANVS Rom. Imperator, cùm libenter in hortis Salustianis habitaret, eò recipiebat etiam quemcunq; non solùm senatorij ordinis, sed etiam homines priuatos. Ante lucem, cùm esset adhuc in lecto, colloquebatur cum iis qui sibi familiares erant. Nec senatores tantùm Romanos, sed priuatos etiam homines publicè salutabat, accipiebat hospitio, atq; apud eosdẽ etiam interdum cœnabat. Suetonius, & Dion, & Xiphilinus.

TRAIANVS Imp. sæpè domos priuatorum ex improuiso adiens, cum iis accubuit. Suidas.

Tanta fuit moderatio in STENONE Sueonum & Gothorum principe, ut omnia mallet, quàm nomen Regium (quod ob seueritatem priorum regum ad publicum patriæ odium deuenerat) sibi tribui gaudebat; se infimorum ciuium & incolarum amicum ac fratrem æstimari. Nemo erat tam humi-

lis conditionis paterfamiliâs, quin si in eius domum hospitij gratia introisset, ipsum cum coniuge & liberis porrecta manu officiosissimè salutaret, sibiq; in mensa assidere uellet, & de eorum statu diligenter interrogaret. Ioannes Magnus lib.23. cap.12.

BVCICALDVS equitatui Gallico præfectus sub Carolo VI. Genuæ duas meretrices obuias sumtuosè uestitas honorificè salutauit. Reprehensus ob id à comitibus, Meretricem, inquit, per errorem salutasse, peccatum non est: at matronã non salutasse, peccatum est. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

MATHIAS Coruinus, Hung. rex, suauissima consuetudine sibi omnes obstrinxit. Non solùm proceres officij gratia, sed gregarios quoq; uisitauit. In castris ægrorum contubernia lustrauit, cibum porrexit, consolatus est, uulnera obligauit. Quinetiam gloriabundus sæpè retulit, se Nicolao Bossenæ regi ægrotanti pedum digitos interfricuisse. Bonfinius lib. 7. Decadis 4.

CORPORIS MOTVS DECORUS, Puta

Incessus. Manuum motus.

Hæc ipsa hominis mentem interdum detegunt. De iis proinde inter Affectuum Accidentia. At hîc, quatenus conuersationem humanam condiunt.

Excretio modesta.

ISRAELITÆ ex Mosis præcepto locum extra castra habebant, quo ad requisita naturæ exibant. Palo foueam faciebant, & ibi egestum excrementum obruebant. Causam addit: Nam Ioua Deus uester in castris uestris uersatur, ut uos defendat, uobisq; hostes subiiciat. Quare castra uestra pura sunto, ne si quid apud uos fœdum uideat, auertatur uos. Deuteron. 23

ESSENI Iudæi Sabbatho aluum non purgant. Aliis autem diebus fodientes foueam uno pede altam σκαλίδι, hoc est, dolabella, quam quisq; illorum ex sectæ instituto habet, demissa ueste sese diligentissimè contegentes, ne splendori diuino iniuriam faciant, in eadem fouea ab onere uentris leuantur, ac deinceps terram quam effoderant regerunt: idq; ipsum faciunt in locis secretissimis: & cùm naturalis sit illa purgatio, nihilominus tamen solenne habent, ut quasi ab immunditia abluantur. Iosephus lib.2 c.7. belli Iud.

Exspuere in medium, uel in dexteram sui partẽ, ESSENI deuitant. Idem.

Extat apud PERSAS cùm moderati eorum uictus testimonium, tum quòd alimenta laborando planè absumant. Nam apud eos non solùm exspuere, & emungi, & flatus plenos uideri, turpe ducitur: sed etiam uel meiendi, uel alterius alicuius eiusmodi rei gratia euntem aliquò palàm conspici. At enim hæc præstare non possent, nisi & modico nutrimẽto uterentur, & humorem laborando ita consumerent, ut aliò quopiam secederet. Xenophon de Instit. Cyri lib.j. Eorundem instituto nudum conspicere hominem, ac si immane scelus admissum foret, capite luebatur. Alex. ab Alex. libro 2. cap. 25.

AEGYPTII uentrem domi exonerant, exteriùs in uiis comedunt: quòd quæ sunt turpia, sed necessaria, ea in occulto fieri debeant. Herod. lib.2.

PASSIVA. Huc pertinet

FACILITAS IN CONVERSATIONE aliorum, Aditum præbendo, Copiam sui faciendo, Audiendo, Auscultando.

Isocrates in Parænesi sua ad Demonicum inquit: τῷ μὲν τρόπῳ γίνου φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος. ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας· εὐπροσηγορίας δὲ, τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. Ergo, φιλοπροσηγορίαν καὶ εὐπροσηγορίαν Humanitatis differentias facit: hanc quidem, quatenus alios placidè suscipit, patienter audit, benignè respondet (quæ Facilitas à Latinis appositè dici posset) illam uerò, quatenus alios amicè alloquitur, salutat, confabulatur, & affatur, unde Affabilitas dici meruit. Magna est nominum istorũ abusio: non magni tamen momenti, si distincta rei cognitio confusas nominum significationes illustret. Consule Tit. Populares principes.

Artoxerxis Mnemonis uxoris STATYRÆ currus uelis detractis semper progrediebatur, feminisq; popularibus salutandi eam & adeundi faciebat copiam. Plut. in Artoxerxe, & in Apophthegmatibus.

ALCIBIADES in quotidiana conuersatione tam suauis erat & iucundus, ut etiam iis qui eum uel metuerent, uel inuiderent, præsentia eius & aspectus uoluptati lætitiæq; esset. Plut. in Alcibiade.

PLATO philosophus in conuersatione & colloquio familiarissimus, Olympiæ apud ignotos diuersatus, eorũ animos ita sibi conciliauit, ut cum eis conuiuando ac familiariter colloquendo multas horas cõsumeret. Aelian. l.4. Var. hist.

Apud ROM. tribunitiæ domus fores non interdiu, non item noctu solitas occludi, ceu planè portus quidam ac refugiũ celebre, quò indigentibus semper & facilè pateret aditus. Cælius lib. 8. A. L. cap.j.

Ad P. VALERIVM facilis erat indigentibus aditus, domusq; eius omnibus patebat, nec colloquium ullius abiecti hominis aut postulationem reiiciebat. Hac de causa Vindicius Aquiliorum seruus coniurationem dominorum suorũ potiùs ad eum, quàm ad Brutum uel Collatinũ, detulit. Plut. in Valerio.

CAIVS Gracchus. Vide suprà, Politici populares.

AVGVSTVS Cæsar in consulatu pedibus ferè, extra consulatum sæpè adaperta sella per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria (hoc est, libellos supplices, ex Hotomanno de Verb. iuris) excipiens, ut quendam ioco corripuerit, quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Molestũ erat optimo principi, quòd timeretur. Die Senatus nunquam Patres, nisi in curia, salutauit, & quidem sedentes: ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens eo modo sedentib. singulis ualedicebat. Sueton.

TIBERIVS Cæsar in primis erat affabilis, comis & human. Itaq; iussit ut senatores simul omnes se salutatum uenirẽt, ne multitudine inter cæteros premerentur. Dion Nicæus, & Suetonius in Tiberio.

TRAIANVS Imp. amicis incusantibus, quòd parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus: respondit, Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. Erasmus lib. 8. Apoph.

ADRIANVS Cæsar in colloquiis etiam humillimorum mirè ciuilis erat: eosq; detestari solebat, qui hanc humanitatis uoluptatem ipsi inuiderent: hoc prætextu, quòd diceret principis maiestatem ubiq; seruandam. Dion in eius uita.

Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxit M. ANTONINVS Pius. Vnde plus creuit, recusantibus aulicis ministris, qui illo nihil per internuncios agente, nec terrere poterant homines aliquando, nec ea quæ occulta non erant uendere. Capitolinus.

ALEXANDER Seuerus Imp. aditum ad se non amicis modò ac familiarib. uerumetiam militib. cæterisq; hominibus quàm facillimum præbebat. Idem tamen uetuit matrem & uxorem suam à famosis mulieribus salutari. Lampridius.

IVSTINIANVS Imp. singulari præditus comitate, cuiuis facillimè se adeundi & compellandi potestatem faciebat. Euagrius lib. 4. cap.30.

Fuit BELISARIVS Iustiniani dux tanta comitate, quãta dux illius ætatis nullus, ut iuxtà diuiti inopiq; comis facilisque semper occurreret. Sab. lib.3. Enn.8.

MARCVS Barbadicus, Venetorum dux, præter alia multa in humilioris fortunæ uiros benignitatis exempla, statim ab initio sui regiminis auctor fuit, ne ob curarum multitudinẽ minus ad se aditus inopibus pateret, ut omnium qui audiri uellent, nomina in sortem octauo quoq; die conicerentur: atq; ita quorum nomina primò educta essent, illi ad suum tribunal priùs aditum haberent. Quo pientissimo decreto est factum, ut neq; ambitio neq; gratia inopiæ obstaret, neque spes illius adeundi cuiquam adimeretur. Sabell. lib.3. Decadis 4.

FRANCISCVS Sforcia Mediolanensium dux, in publica cõstitutus audientia, exteros & infimos quosq; primò omniũ summa humanitate & clementia audire solebat. Pontanus cap.15. de Beneficentia.

Exeunte PIO II. Pontifice à cella Palatij, cùm Germanus senex arrepta lectica ius sibi reddi exclamaret, Vna, inquit, de re, an de omnibus? Respõdenti de una: statim subdidit, Rectè sapis: nam actum fuerat, si de omnibus postulasses. Cũ aliquando unus è cubiculariis senem uerbosiorem facere dicendi finem clàm submonuisset, repeti omnia iussit: conuersusq; ad cubicularium, irato similis, An nescis, inquit, ex quo iniui Pontificatum, aliis me uiuere oportere, nõ mihi? Neminem plus triduo demoratus. Oratores sæpè qua die uenissent, cæteros postridiè admisit, præscripta cuique hora, ne quem expectando fatigaret. Ioan. Ant. Campanus in eius uita.

MAXIMILIANVS I. Imp. humaniss. princeps sæpè uerecũdos & timidos sua humanitate adeò confortauit, ut reiecto timore, liberiùs cum eo quæcunq; cupiuerant, pertractarent. Cuspinianus.

CLEMENS VII. Pp. qui occultare naturæ uitia, & studia hominũ promereri expedita liberalitate nesciebat, eximiã saltem laudem adsequutus est, facilitate aditus, perurbana comitate, & populari quadã molestissimarũ rerũ tolerantia: nunq̃ enim infimorũ etiam hominũ uel preces, uel spes ipsas iratus aut fastiditus abrupit. Iouius lib.32. Hist.

LYDO-

LVDOVICVS Sforcia Mediolanensium princeps, erat inprimis, quod maximè popularem gratiam fauoremq; conciliat, aditu alloquioq; perhumanus & facilis: nunquam eius animus iracundia superabatur: moderatè ac patienter ius dicebat. Iouius lib.j. Hist.

ACROAMATA ALIORVM

Turpia non ferre.

Q. SERTORIVS inter conuiuia impudica uerba & obscena non admittebat. Plut. in Sertorio.

Tristia non admittere.

ATHENIENSES, Mileti expugnationem à Persis, se permolestè tulisse, cùm aliis multis rebus declararunt, tum uerò hac, quòd Phrynicho docente drama, quod de Mileto direpta fecerat, theatrum illacrymauit: & Athenienses eum, quòd domestica mala refricuisset, mille drachmis multauerunt, adiecto interdicto, ne quis postea eo actu uteretur. Herodotus libro sexto.

CORPORIS CVLTVS DECORVS, POPVLARIS, PER

Vestitum.

ALEXANDER Magnus ex cultu barbarico quod insolens & tragicum erat reiiciens, ceu tiaram, candyn, & subligacula, ex Macedonico & Persico ritu temperatam quandam, quod Erathosthenes scriptum reliquit, gerebat stolam: atq; ut philosophus indifferẽtibus utebatur, ut imperator communis erat & rex popularis, uestitus honore deuictorũ conciliãns caritatem: quò in fide persisterent, diligerentq; ut principes Macedonas, non ut hostes grauarẽtur. Plut. orat. 1. de Alex. fortuna.

Strato, siue (ut alij tradunt) Plato, dixit ARISTIPPO: Tibi uni & chlamydem & pannum ferre datum est. Chlamys uestis est satraparum, pannus mendicorum. Id notauit Horatius, cùm ait:

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res. Apud Dionysium saltauit in purpura: interdum uili pallio utebatur: semper tamen decori memor. Erasmus ex Laertij lib. 2. capite octauo.

ALEXANDER Seuerus Imp. gemmas de calciamentis & uestibus sustulit, usus simplici uestitu. Cuspin. ex Lampridio.

Ablutionem.

De hac sub Corporis cultu inter corporea. Hîc repetitur, quatenus ad Conuersationis popularitatem facit.

CORPORIS DENVDATIO.

CORPVS, Vultum

Tegere.

De hoc quoq; inter Affectuum accidentia: sed respectu diuerso.

DEVS Mosi præcepit, ne per gradus ad altare suum ascenderetur, ne in eo pudenda corporis fortassis apparerent. Vsq; adeò modestia placet Domino. Exodi 20.

Panthei Lacedæmonij VXOR, uirum secuta in Aegyptũ, quò is cum Cleomene se receperat, post uiri mortem, cùm Ptolemæus ipsam quoq; cum cæteris Lacedæmoniis mulieribus quę illic erant, occidi iussisset: priùs quàm occideretur, uestem diligenter pedibus obuoluit, omnemq; aliam corporis partem texit: nudo iugulo relicto, ut honestè cadẽs, pudorem, quem per omnem uitam seruauerat, inuiolatum relinqueret. Fulgosus lib.4. cap.5. ex Plut. Cleomene.

OLYMPIAS Alexandri Magni mater, cùm eam Cassander interimi iussisset, diligenter cauit, ne cadens in morte aliquam corporis partem detegeret, quæ cælanda pro matronali pudore uideretur.

Apud SPARTANOS diu morem obtinuisse legimus, ut aperta facie uirgo, at conuelata nuptæ in propatulo uiserentur (Hinc fortassis Homerus Helenam, utpote Spartanam, passim τανύπεπλον uocat) Cuius eam Charilaus reddebat rationem, ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας: quoniã uirginibus de uiris sibi prospicere necessarium sit: mulieribus autem, quos compararint, custodire. Cælius lib.13. cap.6. A.L.

CHALCEDONIÆ uiduæ primùm, pòst etiam mulieres, uelatæ incedebãt. Quòd si tamen in uiros graues & magistratus præsertim incidissent, dimidiũ faciei retegebant. Cælius libro 13. cap 6. Antiq. lect.

C. IVL. Cæsar, ut animaduertit in Senatu undiq; se strictis pugionibus peti à coniuratis, toga caput obuoluit: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quò honestiùs caderet, etiam inferioris corporis parte uelata. Suetonius.

SIGISMVNDVS I. Polonorum rex, uerecundia summa, & penè uirginali, quoad uixit, fuit. Nudum se aut necessitati naturæ satisfacientem, non nisi à perpaucis interioris cubiculi ministris conspici passus. Cromerus.

TVRCI in corpore denudando religiosissimi, maxima solicitudine curant, tam domi quàm foris uel in castris, cum naturæ opus perficiunt, ne corpus denudent. Vtuntur itaque femoralib. amplis, quibus solutis (nam anteriori parte aperiuntur) reiiciunt curuati in terram uestes sine corporis nudatione, ut uix quid agatur deprehendi ualeat. Erectũ uel stantem naturæ opera exercere, pro piaculo habetur maximo. Cuspinianus.

TARTARORVM reginę & magnatũ nobiliumq; pręcipuorum uxores, dum in publicum procedunt, facies uelis obtegere solent. Guagninus in descriptione Tartariæ.

Non tegere.

ANTIPHON Atheniensis tragicus, cùm ad supplicium raperetur, & socios morituros capita uelasse uideret per portã exeuntes: Quid ita, inquit: an, ne horum quispiã cras uos uideat, timetis? Plut.

POPVLARITATIS FORMA IN OFFICIORVM ADMINISTRATIONE ACTIVA.

GRATA ET ACCEPTA ALIIS FACERE. CVIVSMODI officia sunt.

Accommodare se aliorum orationi, moribus.

PARTHENOPÆVS, Atalantæ F. Arcas, Argos ueniens, moribus eius ciuitatis per omnia sese accommodasse, narrat apud Aeschylum in Septem.

ARISTOCLIDEM Aeginetam Ode γ. Nemeorũ Pindarus celebrat à mansuetudine & facilitate, qua se omnibus accommodaret:

Ἐν παισὶ νέοισι, παῖς· ἐν
δ᾽ ἀνδράσιν, ἀνὴρ· τρίτον,
ἐν παλαιτέροισι·
μέρος ἕκαστον οἷον ἔχομεν
βρότεον ἔθνος. ἐλᾷ δὲ καὶ τέσ-
σαρας ἀρετὰς ὁ θνατὸς αἰών· φρονεῖν
δ᾽ ἐνέπει τὸ παρκείμενον.

Inter pueros puer, inter uiros uerò uir, tertiò uerò inter senes senex: quales partes omnes habemus gens mortaliũ. Producit autem quatuor uirtutes uita mortalis: curare uerò iubet quòd præsens est (supra iam tres dictas)

AVGVSTVS, quia Mœcenatẽ suum nouerat esse stylo remisso, molli & dissoluto, talem se in epistolis, quas ad eum scribebat, sæpiùs exhibebat. Et contra castigationem loquendi, quam aliàs ille scribendo seruabat, in epistola ad Mœcenatem familiari, plura in iocos effusa subtexuit: Vale mel gentium, melcule, ebur ex Hetruria, laser Aretinũ, adamas supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragde, iaspis figulorum, berylle Porsennæ, carbunculum habens, ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα moecharum. Macrobius lib.2. cap.4. Saturnalium.

Tiberius Cæsar DVOS familiariùs à se dilectos, omnium horarum amicos uocare solebat. Erasmus lib.6. Apoph.

C. Publicius solitus est dicere, P. MVMMIVM cuiuis tempori hominem esse. Sentiens, illum dexteritate facilitateque ad omnem uitæ statum esse accommodum.

LEO X. Pont. componebat uocem, uultum gestumq; in omni occasione negotij aptissimè atq; celerrimè: trãsferebatq; mores ad personam, diuina quadam præsensione petentiũ uotis occurrens. Iouius in Leone.

Docere alios humaniter.

Vide infrà, Præceptores blandi.

GALENVS medicus Pergamenus scripsit multa in communem amicorum aut inferioris quoq; conditionis hominũ usum. Quod eum facere non piguit, ut non dubitarit dicere, se uel unius tantùm gratia, quem modò ueritatis studiosum cognouisset, dicturumq; scripturumq; omnia. Gesnerus in eius uita.

Munera dare benignè.

PERSARVM reges non solũ amicis, ducibus & satellitib. ex mensa sua semper portiones mittebant: uerumetiã seruorum & canum quotidie cœnam in illorum mensa apponebant: quò facerent, quatenus possent, omnes, quibus utebantur, mensę suę & Vestę cõsortes. Plut. l.7. Conu. quęst.4.

CIMON Atheniensis nõ solùm suos dilexit ciues, sed humani generis beneuolẽtissimus fuit. Is suos agros & pomaria ciuibus & peregrinis communia proposuit: si quem præterea grandem natu intuitus esset, trita aut sordida ueste amictum, unum aliquem ex suis assectatoribus, quos ad hoc i-

pſum honeſtè cultos circa ſe habere cõſueuit, iubebat cum eo ueſtem commutare. Erant & quibus negotium iniunxerat, ut pauperibus & egenis occultè pecuniam ſubminiſtrarent. Qua in ſuos beneficentia conſecutus eſt, ut Comœdię teſtimonio, diuinus ſit homo appellatus, omniumq; Græcorum optimus. Sab. lib. 8. c. 2. ex Plut.

CN. Pompeij comitas commendatur à Plutarcho: qui nemine minùs importunè rogabat, uel hilariùs largiebatur roganti. Oſtendebat enim in dandis beneficiis ſerenitatem, & grauitatem in accipiendis. Plut. in Pompeio.

HADRIANVS Imp. Saturnalia & Sigillaria, etiam inopinantibus mittere ſolitus eſt: quæ ipſe libẽter accepit, ut iis magis ac magis ad par reddendum inuitaretur. Pontanus cap. 40 de Liberalitate.

Strena, id eſt, munus aliquod in principio anni, boni ominis gratia datur. Tranquillus ſcribit, equites Romanos ſolitos fuiſſe quotannis ſtrenam Auguſto Cæſari in Capitolio etiã abſenti Cal. Ianuar. conferre: quod hodie etiamnum ubiq; ſeruatur, diuerſo tam en modo. ITALI enim ſummi uiri dant infimis: in ANGLIA uerò inferiores deferũt ſtrenam ſuperioribus, & Regi cuncti principes, qui tamen dantibus aliquid contrà donat, quò liberalitas, ut boni ominis nuncia, mutuò communicetur. Quin etiam ſine munere, cum primũ anni incipientis diem, more ueterũ, ut eſt teſtis Plin. lætis precibus nobis uiciſſim fauſtũ generatim ominamur. Polydorus lib. 5. cap. 2. de Rerum inuent.

Munera accipere.

ARTOXÈRXI Mnemoni Perſarum regi donũ erat adeò exiguum nullum, quod non illuſtri gratia exciperet. Imò uerò cum malum punicum Omiſes quidam ei inuſitata magnitudine obtuliſſet: Per Solem, inquit, etiam urbem uir hic, ſi ei concredita ſit, ex puſilla citò reddat amplam. Dum alia alij offerunt, in itinere homo tenuis, cùm nihil ſubitò ad manum haberet, ad amnem cucurrit, hauſtamq; manibus aquam obtulit ei. Ea re delectatus Artoxerxes, miſit ei phialam auream cum mille Daricis. Plut. in Artoxerxe.

Polliceri benignè.

TITVM Veſpaſianum ferunt, cùm nihil cuiquam negaret, à quodam familiariter rogatum, Ecquid putaret́ne imperiũ tanti eſſe, ut omnia, quæ promitteret, præſtare poſſet? tantũ dixiſſe ferunt, Non oportere quenquam à principis conſpectu triſtem abire. Sab. lib. 8. c. 2. ex Suida, & Suetonio.

ALPHONSVS, Alfonſi iunioris Calabriæ ducis auus, hac una re potiſſimũ beneuolentiã hominũ ſibi cõciliauit, q̃ neminem patiebatur triſtem à ſe abire. Pontanus de Principe.

Gratias agere.

FVRNIVS quidam, q̃ui uixit Auguſti temporibus (cuius pater, quandoquidem ſub Antonio ſtipendium fecerat, ob id iure belli hoſtiliter Auguſto erat inuiſus) adit Imperatorẽ, patris ab eo uitam deprecatur. Ignoſcit ille. Tunc Furnius: Hanc unam, Cæſar, habeo iniuriam tuam, effeciſti ut uiuerem & morerer ingratus. Cælius lib. 7. cap. 28. A. L.

Adiutare, Opem ferre, Auxiliari benignè.

Præcepit Dominus ISRAELITIS: Tui fratris aſinũ bouemue in uia lapſum ſi uideris, ne diſſimulanter præterito, ſed unà cum eo alleuato. Deut. 22.

CYRVS Perſarum rex, quãdo ob inopiam liberalitate uti nõ poterat, beneuolentiam ſuorum humanitate conabatur aſſequi, cùm illis etiam in faciundo opere adiutor adeſſet, & laborum ſocius. Iuſtinus lib. j. & Xenophon in Pædia.

ALEXANDRO Magno per Cabazam regionẽ ducente exercitum, ob fœdam tempeſtatem magna pars exercitus grauiter afflicta eſt. Saltu itaq; emerſis, loca humano cultu frequentia corporibus affectis auxilio fuere. Hic rex admoto igni cœperat rigentes artus fouere, quum gregarium militem Macedonici ſanguinis intuitus uix ob laborem & friguſ ſeſe in armis traducentem, nec iam multum compotẽ mentis, exiliens Alexander in ſellam, qua ipſe erat ad ignẽ perductus, in ſua ipſius ſella collocauit. Nec ille priùs, aut ubi quieſceret, aut à quo acceptus eſſet, agnouit, quã uitalis calor maiore ſit parte corporis receptus. Tum uerò regiam ſedẽ & regẽ ipſum ſtantẽ intuitus, cõſternatus animo trepidè cõſurgit, obliuionẽ & imprudentiã excuſaturus. Cui Alexander hilari uultu, Ecquid neſcis miles, quãto meliore ſorte uos Macedones, q̃ Perſæ ſub ueſtro rege uiuitis? Illis capitale eſt in regis ſella conſediſſe, tibi ſaluti fuit. Sab. l. 5. En. 4.

Fuit PHILOPOEMENES Megalopolitanus Achæorũ prætor ſpecie non, ut nonnulli arbitrantur, deformi: extat enim etiam nunc Delphis ſtatua eius. nam hoſpitis Megarẽſis inſcitiæ aiunt ipſius facilitatem & ſimplicitatem dediſſe cauſam. Siquidem nunciato prætorem Achæorum ad ſe uenire, dum parat cœnam, abſente fortè uiro tumultuabatur: ac cùm Philopœmenes interea ingrederetur obſoleta amictẽ chlamydula, exiſtimans aliquẽ eſſe ex miniſtris & antecurſorem, orauit eum miniſterio ut manũ admoueret. Ille abiecta confeſtim chlamyde, cœpit ligna findere. Cùm autẽ ſuperueniret hoſpes, atq; id ſpectaret, Quid hoc rei eſt, inquit, Philopœmene? Tum ille, Quid aliud, quàm quòd fœdę ſpeciei pendo pœnas? Plut. in Philopœmene.

AVGVSTVS Cæſar affuit clientibus: ſicut ſcutario cuidam, euocato quondam ſuo, qui poſtulabatur iniuriarum. Vnũ omnino è reorum numero, ac ne eum quidem, niſi precib. eripuit, exorato coram iudicibus accuſatore, Caſtricio, per quem de coniurationẽ Murænæ cognouerat. Suetonius.

TRAIANVS Imp. cùm contra Decebalum Dacorum regem fortiter pugnaſſet, atq; deficerent ea quibus ſaucioru̇ uulnera obligarentur: ueſtem ſuam diſcidit, ad obliganda militum uulnera. Dion Nicæus.

CONRADVS III. Germanorum rex, uenerat Francofordiã, ut Henricum filium ſuũ regem Germaniæ curaret inſtituendum. Ibi quoq; Bernardus Clareuallẽſis abbas affuit. Quo cognito, tanta malè affectorum ac debilium multitudo ſanctũ hominis uiſendi ſtudio accenſa confluxit, ut aliquando Conradus præſens turbam in templo urgentẽ ſuſtinere nequiuerit, ac depoſita chlamyde ipſum in ulnas ſuſcipere, & de baſilica aſportare coactus ſit. Sigonius lib. 11. regni Ital.

ALFONSVM regem Aragonum deſcendere ex equo, & cœnoſam uiam ingredi nõ puduit, ut ruſtici & imbecilli ſenis prolapſum ſub onere aſellum cauda ſublleuaret. Pontanus de Beneficentia cap. 6.

In ſocietatem uenire calamitatis.

Athenienſes à Minoe uicti tributum pendebãt nouem annis, ſeptenos impuberes, totidemq; uirgines. Vbi ergo tempus tertij tributi adfuit, & uocandi in ſortem erant patres, gimpuberes liberos habebant: recruduerunt querelæ in Aegea regem ciuium lugentium, atq; indignantium omnium illi auctorem in ſocietatem unum non uenire pœnarum: ſed g regnum in nothum tranſtuliſſet & hoſpitem filium Theſea, ipſos nihil laboret in iuſtorum ſolitudine liberorum & orbitate relinqui. Angebant hæc THESEA, qui ut æquibonum agnoſceret, & in conſortium ueniret fortunæ publicę, ſemetipſum obtulit, extra ſortem ſe adiungens. Ac cæteri quidem ſpiritus eius obſtupuerunt, & commendauerunt ciuilitatem. Aegeus uerò cùm precibus & obſecrationibus agens immorum uideret & inflexibilem, alios pueros ſorte duxit. Hellanicus refert, non ſorte ductos pueros puellaſq; ciuitatem miſiſſe, ſed Minoa delegiſſe præſentem, ac Theſea omnium cẽpiſſe primum præfinita lege. Præfinitum autem fuiſſe, ut nauem præberent Athenienſes, & impoſiti impuberes nulla ſecum ferentes arma bellica cum illo nauigarent, ſublatoq; Minotauro finem fore pœnæ. nam antè nulla ſpes ſuberat ſalutis. Hinc nauem cum atro uelo ut in certam periticiem mittebant. Plut. in Theſeo.

Condolere benignè.

Vide Tit. Hoſtes humani.

Congaudere, Congratulari familiariter.

Ex loco Affectuum. item Amicorum officiorum.

Honorem exhibere, Venerari populariter.

ANTONIVS abbas, epiſcopis & presbyteris ſolitus erat ſubmittere ceruicem, captans ab eis benedictionẽ. Ideirco benedixit ei Dominus, & cuſtodiut illum: oſtendit ei faciem ſuam, & miſertus eſt ipſius: conuertit uultum ſuum ad illũ, & dedit ei pacem. Marulus lib. j cap. 5.

ALCINOVS Phæacum rex, ut iuxta ſe hoſpitem Vlyſſem locaret,

Exciuit natum generoſum Laomedontem,
Claudebat patris latus hic.

Quippe quòd in filij ſedem collocarit hoſpitem ſupplicem, id admodum eſt ciuiliter & comiter factum. Plutarchus libro j. Quæſt. conuiualium, 2.

CAIVS Gracchus Tribunus cùm legem Agrariã rogaret, cæ in alia dicitur magnoperè incubuiſſe, tum ubi ſuperiores concionatores reſpicere ad curiam aſſueuerant & ad comitium, primus tunc foràs uerſus ad forum fuiſſe concionatus, atq; id deinceps ſecutus, breuiq; declinatione & circũactu corporis magnam rem mouiſſe, ac remp. quaſi aboptimatibus ad arbitrium tranſtuliſſe populi: tanquã plebẽ ſpectare concionatores, nõ ſenatum deberẽt. Plut. in Caio.

TIBERIVS Cæſar ſenatoribus aſſurgere, & iis de uia decedere non erubeſcebat. Suetonius.

CLAVDIVS Cæſar ſpectacula edentes, ſurgens & ipſe cum cætera turba, uoce ac manu ueneratus eſt. Trib. plebis adeuntibus ſe pro tribunali excuſauit, quòd propter anguſtias non poſſet audire eos niſi ſtantes. Suetonius.

TRAIANVS Imp. ſtans, conſules ſedentes uenerabatur, q̃ ſe illis inferiorem ex legibus eſſe ſciret.

IDEM quoſcunq; conſulturus eſſet, eos ipſemet adibat. Volaterranus lib. 23. Anthrop.

Senatui tantum detulit M. ANTONINVS Pius Imperator, quantum cùm priuatus eſſet, deferri ſibi ab alio principe optauit. Capitolinus.

THEODERICVS Oſtrogothorum rex in Italia, auro argentoq; nullum ſignum aliud, quàm ſtante Repub. conſueuerat, imprimi paſſus eſt. Cranzius lib. 3. cap. 13. Succiæ.

Permittere, Concedere aliquid, Non uetare.

PSAMMETYCHVS, primus Aegyptiorum regum cæteras nationes ad importanda, quæ apud ſe erant, allexit, ſecuritate ſingulis adeuntibus præbita Diod. lib. 1. cap. 5.

EPIDAMNII poteſtatem omnibus in ſuam urbem migrandi peregrinandiq; libenter faciebãt. Aelian. li. 13. de Var. hiſt.

Ludi gladiatorij populo in foro exhibẽdi erant: & pleriq; eorum, qui magiſtratibus fungebantur, cuneos in orbem ad ſpectandum inſtruxerant, quos locabant. Eos C. GRACCHVS Tribunus pl. II. imperauit illis, ut tollerent, quò inopes ex cauea ſpectare gratis ualerent. Nemine ei auſcultante, præſtolatus noctem, cui ſpectaculum illuceſcebat, euertit per opifices, quos habebat penes ſe conductos, cuneos illos, populoq; poſtridiè locum uacuum exhibuit. Quo facto, apud multitudinem magni uir animi habitus eſt, uerùm collegas offendit ut ferox & uiolentus. Hinc etiam tertio tribunatu lapſum apparet: non quin plurima tulerit ſuffragia, ſed quòd improbè & fraudulenter renunciauerint delegnatos collegæ eius. Plut. in Caio.

Cùm Marcus mortuum educatorem ſuũ fleret, reuocareturq; ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, M. ANTONINVS Pius Imp. dixit: Permittite, inquit, illi ut homo ſit: neq; enim uel philoſophia, uel imperiũ tollit affectus. Capitol.

In coniuratione cõtia Iulianũ & LAVRENTIVM Medicea inita, fuit etiã Io. Bapt. Monteſiccus, Xyſti IIII. Pp. copiarũ dũctor. In templo D. Reparatę inter ſacra Iulianũ Fr. Pactius & Bern. Bandinus interficiunt. Laurentiũ uerò Monteſiccus leuiter uulneratũ elabi paſſus eſt. Siquidẽ Laurentius paulò antè Monteſicci animũ perhumano liberaliq; ſermone molliuerat, adeoq; benignè induſtriã ac opes ei fuerat pollicitus, ſi quædã in Apẽnino caſtella, quæ Monteſiccorũ fuiſſent, redimere uellet: ut ille cõmutata uoluntate mirũ in modũ ei deuinctus abierit. Retractus inde è fuga Monteſiccus, ſolus ex omnibus coniuratis mitiorẽ ſupplicij pœnã ſepulturãq; promeruit, quòd hominẽ diuina uirtute prædituũ ad aras ſe percuſſurum omnino pernegaſſet. Iou. in Leone X.

Imperij maieſtatem ſubmittere, deponere familiariter.

THEOPOMPVS Spartanorum rex, cùm primus inſtituiſſet, ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ poteſtati oppoſiti, quemadmodum Romæ conſulari imperio tribuni plebis ſunt obiecti: atq; illi uxor dixiſſet, Eum filiis minorem poteſtatem relicturum: Relinquam (inquit) ſed diuturniorem. Val. Max. lib. 4. cap. 1.

TIMOLEON Corinthius, uicto Dionyſio tyranno, cùm tantis eſſet opibus, ut etiam inuitis imperare poſſet, tantum autem haberet amorem omniũ Siculorũ, ut nullo recuſante regnũ obtineret: maluit ſe diligi, quàm metui. Itaq; cùm primùm potuit, imperiũ depoſuit, & priuatim Syracuſis, quod reliquũ uitæ fuit, uixit. Neq; uerò id imperitè fecit. Nã quod cæteri Reges imperio potuerunt, hic beneuolentia tenuit. Nullus honos huic defuit, neq; poſtea Syracuſis res ulla geſta eſt publica, de qua priùs ſit decretũ, quàm Timoleontis ſententia cognita. Nullius unquam conſilium non modò antelarum, ſed ne comparatũ quidem eſt: neq; id magis beneuolentia factum eſt, quàm prudentia. Probus in eius uita.

AGATHOCLES Syracuſiorum tyrannus, Carthaginenſibus terra mariq; debellatis, diis ſacrificauit, amicoſq; opiparis conuiuiis excepit, depoſitoq; in comeſſationibus regio ornatu, cuiuſuis priuati hominis tenuitatẽ præ ſe ferebat, ſtipatuſq; à populo ſolus in conciones ibat. Diod lib. 20.

CÆSARES Romanorum ne in crimen inuidiamq; inciderẽt, Imperatoris nomen, tanquam titulum mitem & honeſtiorem, abrogato Regis uocabulo, deſumſere. Alex. lib. 1. ca. 2.

PVBL. Poplicola, ut conſulatum pro terrifico placidũ & gratum redderet populo, faſcibus detraxit ſecures. Ipſas etiam ad concionem accedens depreſſit faſces, & populo ſubmiſit, ſpeciem maieſtatis addens principatui populari: idq; cõſules poſtea obſeruarunt. At non animaduertit multitudo, non facere illum ſe, ut arbitrabatur, ſubmiſſiorem, ſed inuidiam ea moderatione depellere & imminuere: atq; in tantum ſuas amplificare opes, quantum detrahere uidebatur delicentia: coluitq; libens eum populus & tulit uolens, ut etiam Poplicolam appellauerit. Plut. in Valerio. Hunc morem multis cuſtoditum annis, ac ad tempora ſua ſeruatum, Dionyſius ſcribit: ut quum extra urbem eſſent conſules, ureꝛẽtur ſecuribus, intus uerò faſcibus modò ornarẽtur. Quod Maximus quoq; Valerius intelligi uoluit, inuidioſum ſcribens magiſtratus faſtigium ad tolerabilem habitum eſſe deductum, dum faſces ſecuribus uacuefeceit. Porrò T. Liuius refert, Poplicolam, quum prodiiſſet in concionem, faſces ſummiſiſſe populo: quod ipſum lib. 3. Inſtit. Quintilianus repetit. Ex quo elegans proreꝑſit adagium, ut cùm manum damus, & herbam quodammodo porrigimus, uinciq; nos planè fatemur, Summittere faſces, dicamur, aſtipulante M. Tullij teſtimonio. Faſces autem ſummittere, interpretor, non ſurrectos tenere, ut ſolebãt priùs lictores, ut uiſendos eos præberent, oſtentarentq; ad terrorem increſcentis audaciæ: ſed deprimere, & ante pedes quodammodo deiicere. Cælius lib. 12. cap. 7. A. L.

AVGVSTVS Cæſar quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat, ſupplicabatq; more ſolenni: ferebat & ipſe ſuffragium in tribu, ut unus è populo. Suetonius.

TIBERIVS nunquam curiam niſi ſolus intrauit: lectica quodam introlatus æger, comites à ſe remouit. Suetonius.

TRAIANVS Imp. per Vrbem ſemper, more Catonis, pedes ibat, paucis comitibus, nullis ſatellitibus. Volaterranus libro 25. Anthropol.

Humiliare ſeſe.

Humilitas inter Affectus commemorata fuit ſuo loco. Eadem, ſi honorem ſpectes, ad Honoris contemtum referenda erit: ſi Veritatem, ad Φιλαληθειαν: ſi Humanitatem, cui innata eſt, qua ſibi alios deuincere ſtudet, præſentis erit loci.

Honores reſpuere familiariter.

Ex Moderatione honorum huc multa. Illic Honoris contemtus, hic Humilitas, qua ſeſe aliis commendat, perpenditur.

AVGVSTVS Cæſar nepotibus ſuis prætextatis adhuc aſſurgẽtũ ab uniuerſis in theatro, & à ſtantibus plauſum, grauiſſimè queſtus eſt. Suetonius.

IDEM Domini appellationem edicto reſpuit. Suetonius.

TIBERIVS à principio nullum honorem, qui humanitatis transcenderet faſtigium, ſibi decerni paſſus eſt. Ciuicam coronam in ueſtibulo domus recuſauit. Quum quidam cum Dominum appellaſſet, uetuit ſe ampliùs contumeliæ cauſa nominari. Nullum templum dedicatum eſt, ac nemini licebat ei ſtatuam facere. Neque licebat per fortunam eius iurare: neque animaduertebat in eos, qui per eandem fortunam peieraſſent. Dion Nicæus.

CLAVDIVS Cæſar in ſemet augendo parcus atque ciuilis, prænomine Imperatoris abſtinuit, nmios honores recuſauit, ſponſalia filiæ, natalemq; geniti nepotis, ſilentio, ac tantùm domeſtica religione tranſegit. Suetonius.

TRAIANVS ſubiugatis Marcomannis, ac Iazygum & Pannoniæ populis, minimè triumphans, ſed equo tantùm inſidens, in Capitolium uectus eſt. Volaterranus libro uigeſimotertio Anthropol.

ALEXANDER Seuerus Imp. Dominum ſe appellari uetuit. Cuſpinianus.

Cum Aliorum petulantia, importunitate, non pugnare.

EMPIRICVS quidam morbi cuiuſdam grauiſſ. curã pollicitus, cùm iam ad ſecandum pararẽtur, interuenit alius furens medicus, multa rationum mole oſtenſurus, hominem ſecari non oportere. Tum ille, Vos uideritis, inquit, mihime in artis operibus diu multũq; uerſato, an huic in ſophiſtico pulueꝛe ſtrenuo athletæ, plus ſit credendum. dictoq, citiùs abiit. Neceſſarij igitur ſophiſta ablegato priorem experientia clarum reuocarunt. Gal. de Subfigur. empirica, cap. ultimo.

NON FACERE, SED ABSQVE ACERBITATE. Puta

Non concedere, Denegare modeſtè.

THEOCRITVS, cùm duo ab eo in balneo ſtrigilem commodato peterent, quorum erat peregrinus alter, alter nobilis fur: ioco utrunq; ſummouit dicens, Tenõ noui, te noui. Plutarchus de Immodica uerecundia.

LYSIMACHE, Athenis Mineruæ ſacerdos, cùm muliones, qui ſacra portabant, ur infunderet ſibi, poſtularent: Ego uerò, inquit, uereor, ne id quoq; in morem abeat. Idem.

ANTIGONVS rex, iuueni cuidam ignauo & molli, cuius pater uir probus ordines duxerat, poſtulanti ut ad ordines prouocaretur: Apud me, inquit, adoleſcens propriæ ſunt, non paternæ uirtutis præmia. Idem.

NICOSTRATVS cùm magna pecunia oſtenſa & nuptiis mulieris, quã uellet cunq;, Lacænæ, ſolicitaret eum ad prodendum ſibi Cromnon Archidamus: negauit Herculis cum ſobolem eſſe. Illum enim multas oras, ut ſceleroſos ſuſtolleret, luſtraſſe, hunc probos facere improbos. Idem.

AVGVSTVS, cùm ab eo Pacuuius Taurus congiarium peteret, diceretq; iam hoc homines uulgò loqui, non paruam ab illo sibi pecuniam daram: Sed tu, inquit, noli credere. Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

IDEM alteri cuidam, cùm ab officio remotus esset, similia flagitanti, atq; addenti, Non se cupiditate ad id petendum induci, sed pudoris proprij respectu: & ut sine noxa præfecturam equitum sponte dimisisse, insuper & liberalitate Cæsarea dignus putaretur: sic elusit: Tu te accepisse palàm dicito, ego me dedisse non negabo. Ibidem.

Porcia M. BRVTI amantissima fuit. Cui ad bellum profecturo, quum precibus instaret, ut secum abduceret, idq; impensiùs efflagitaret, Brutus eo carmine uxorem est affatus, quo Hector ille Homericus Andromachen: Te tua pensa decent, lanas calathumq; reposce. Plut. in Bruto.

Quum Galli donassent Augusto torquem aureum, centũ pondo, ac Dolabella per iocum tentans illum, tandem huc pro duceret iocum, ut diceret, Imperator torque me dona: Malo te, inquit, ciuica donare. Festiuiter submouit postulatoris impudentiam, qui nunquam in bello fuisset: eoq; magis illi conueniebat ciuica, quæ ex quernis ilignisq; frondibus fieri consueuerat, quemadmodũ triumphalis ex auro. Erasmus lib. 4. Apoph.

LEO X. Pp. cùm popularitati unicè studeret, si quid fortè negandum esset, tenerrimis excusationibus supplicantis animum præoccupare, speq; ultrò iniecta nouæ liberalitatis totum imminentis repulsæ dolorem extinguere consueuerat. Iouius in eius uita.

Non blandiri, non adulari.

CATO minor neq; blandis uel gratis plebi moribus præditus fuit, neq; floruit in repub obsequiis: sed ait eum Cicero lib. 2. Epist. ad Att. quasi in republ. Platonis, non in Romuli fęce ageret, consulatus repulsam tulisse. Mihi uerò uidetur idem illi, quod fructibus accidisse intempestiuè prouenientibus. Vt enim hos contemplamur libenter miramurque, nec utimur tamen: ita mores antiqui Catonis in ciuitate corrupta & deprauata consuetudine existentes, laudem quidem habuerunt & gloriam grandem: usui tamen propter pondus & fastigium à præsenti abhorrens seculo uirtutis non fuerunt consentanei. Plut. in procemio Phocionis.

AVGVSTVS Cæsar, neq; post bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum ullos militum Commilitones appellabat, sed Milites. Ac ne à filiis quidem, aut priuignis suis imperio præditis aliter eos appellari passus est: ambitiosiùs id existimans, quàm aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusq; suæ maiestas postularet. Suetonius.

INGRATA ALIIS FACERE, DICERE VE, SED ABSQVE ACERBITATE. Huc pertinet

Reprehensio modesta.

Reprehensio alienorum malorum arguta ad Prudentiam, mitis ad Clementiam, libera ad Veritatem, humana ad Popularitatem, iucunda ad Vrbanitatem pertinet. Qui omnes reprehensiones sub unam congerunt myconon, in materia non peccant, sed peccant in forma.

εὔθικτος est, qui eleganter tãgit quempiam, ac lepida uoce saléue aliquo refellit. θιγεῖν enim tangere significat. Victorius lib. 11. Var. lect. cap. 3.

Imperitiæ reprehensio modesta.

CANTOR quidam haud insciè neq; illepidè uocem Philippi regis clausit, de pulsandis fidibus qui secum moliebatur disceptare, atq;, Absit rex, inquit, tãtùm mali tibi, me ut hæc meliùs scias. Plut. de Discernendis adulatorib.

Alexandrum Magnum malè citharam pulsantem, nihilq; putantem interesse quam chordam tangeret, cautè admodũ (Lini periculo edoctus) MAGISTER admonuit, Nihil quidem interesse regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharœdi. Aelianus lib. 3. de Varia hist.

Cùm Ptolemæus rex paulò contentiosiùs de arte pulsandæ citharæ contenderet, Aliud est, ô rex, inquit STRATONICVS citharœdus, plectrum tractare, aliud sceptrum. sicut Capito poeta testatur libro quarto Commentariorum ad philosophum. Athen. lib. 8. cap. 7.

DEMOSTHENES Mitylenęus, cùm studiosi cuiuspiam canendi & citharæ fores pulsasset: atq; ille audito, iussisset intrare: Si priùs, inquit, citharam ligaueris. Plutarchus libro 2. Quæst. conuiualium 1.

ARISTARCHVS, Theodectis pater, agmen irridens ingens sophistarum: Olim, ait, sapientes uix septem extitisse, in præsentia uerò haud facilè rudes & imperitos tot inueniri posse. Plut. de Pietate erga fratres.

THEOCRITVS quendam ineptum poetam recitantem carmina auscultans, interrogatus ab eo, Quęnam ei placeret? respondit: Quæ omisisti. Antonius Meliss. par. 1. serm. 50.

De QVINTILII iudicio sic scribit Horatius in Arte:

Quintilio si quid recitares, Corrige sodes
Hoc aiebat, & hoc. Meliùs te posse negares,
Bis terq; expertum frustra, delere iubebat,
Et malè tornatos incudi reddere uersus.
Si defendere delictum quàm uertere malles,
Nullum ultrà uerbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine riuali teq; & tua solus amares.

PHAVORINVS philosophus cùm adolescentem quendam, uetusta & prisca uerba in quotidiano colloquio affectantem, eruditionis specie, audiuisset, dixit: Moribus antiquorum uiuendũ: uerbis nostrorũ loquendũ est. Gell. li. 1. ca. 10.

ANTONIVS Iulianus rhetor, cùm Neapoli iuuenem quendã declamantem, & eloquentiam suam ineptè ostentantem audiuisset: rogantibus amicis, Quid ei uideretur? (mirabantur enim astantes iuuenis illius facundiam) respondit, Adolescens hic sine controuersia disertus est. Gell. lib. 9. cap. 15.

Petrarcha libro de Rebus memorandis, LVPATVS (inquit) Patauinus fuit nuper Poetarum omnium, quos nostra uel patrum nostrorum uidit ætas, facillimè princeps, nisi Iuris ciuilis studium amplexus esset. Is amici subita causa, & moras respuẽte necessitate, ipso quotidiano ac domestico, quo fortè inuentus est, habitu, rogatus in iudicium uenit. Nouus iudex egregio uiro nec assurrexit, nec aliquo cum honore dignatus est. Cœperat Lupatus amici causam planis uerbis ac uulgaribus agere, & illum in singulis dictis obluctantem urbanè admodum ac suauiter conuincere. Indignatus iudex, tanquam maius aliquid dicturus, sic interrogauit, Scis literas? At ille, Scis paucas, respõdit. Risit insulsus iudex (idiotam ratus, quòd incõgruè respondisset, Scis pro Scio: non arbitratus, id de se dictum, quòd paucas literas sciret) & ad inceptum rediit sermonem. nec antè se delusum sensit, quàm disertissimi uiri cognosceret & ratione simul & oratione se fuisse superatum. Nomen autem abeuntis quærens, ab astantibus didicit, Lupatum esse, cuius nomen ea tempestate, per totam Italiam celebre erat. Bern. Scard. lib. 2. classe 10. hist. Pat.

Improbitatis reprehensio modesta.

AGIS rex Spartanus, homini impuro subinde percunctanti, Qui Spartiatarum esset optimus? Tui, inquit, dissimillimus. Plutarchus in Apoph.

Demadem rhetorem conspicatus iam senem ANTIPATER rex, Sicut sacrificio perpetrato ex hostia nihil ait ei præter linguam & uentrem superesse. Plut. de Diuit. cupid.

Demosthenes orator cùm dixisset, Interficiet te populus Atheniensis, PHOCION, si insanire cœperit: Respondit ille, Me, si insanire cœperit: te, si sapuerit. Plut. in Apoph.

Cùm Aristogiton sycophanta, qui in concionibus bellicosus erat, populumq; ad arma incenderat, in delectu accederet baculo innixus, & crure obligato: conspicatus procul eũ ex suggestu PHOCION exclamauit: Scribe etiam Aristogitonem claudum & improbum. Plut. in Phocione.

DEMARATVS Spartanorum rex, cùm fœdus homo ipsum pungeret importunis interrogationibus, atq; hac quæstione identidem obtunderet: Qui optimus esset inter Lacedæmonios? Tui, inquit, dissimillimus. Plut. in Lycurgo.

PVBLIVS Mimographus, Mutium in primis maleuolum cùm uidisset solito tristiorem: Aut Mutio, inquit, nescio quid incommodi accessit: aut nescio cui aliquid boni. Macrobius libro 2. Saturn. cap. 2.

Stultitiæ.

Menecrates medicus (qui, quòd in deploratis quibusdã morbis curandis habuisset successum, Iupiter appellabatur) odiosè usurpauit eam appellationem, & uerò ad AGESILAVM regem ad hunc modum scripsit: Menecrates Iupiter regi Agesilao salutem. Huic rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. Plut. in Agesilao.

PAVSANIAS, Cleombroti F. superatis ad Platęas Medis, præcepit suis, ut præpararam cœnam Persicam apponerent. Ea cùm esset mirificè exquisita: Helluonem mediusfidius, inquit, esse oportebat Persem, qui hæc cùm ei suppeterent, offæ nostræ inhiauit. Plut. in Apoph.

Cùm placere sibi Stoicorum ferret decretum M. Crassus, bonum uirum diuitem esse: subiecit CICERO, Vide ne magis quòd contendant omnia esse sapientis. Infamis erat Crassi auaritia. Plut. in Cicer.

Anus quædam, cùm uidisset IOVIANVM Imperatorem forma quidem cõspicuum, & proceritate atq; crassitudine corporis excellentem, sed aliquantulum mente captum, dixisse fertur: O' dij immortales, quàm corpulenta est stultitia? Nicephorus Callistus lib. 10. capite ultimo, & Suidas.

COSMI Medicis gratia quidam Florentiæ magistratum obtinuerat, eundemq; rogabat, qua ratione sese eo munere dignum præstaret. Vestire purpura, respondit, (qui Florentinorum magistratuum mos est) & loquere pauca. Corrozetus.

Florentiæ in promulgando consilij decreto, quo Medicei adolescentes Hippolytus & Alexander, per seditionẽ anno 1527. ad famam captæ Romæ concitatam, Reipub. hostes declarati sunt, COSMVS Saxetus podagricus, nec insulsus senator, uultu resupino & ferè oscitanti, sublata uoce interpellans præconem interrogauit, An ipse etiam Papa Clemens VII. eadem qua gentiles eius, exilij & capitis pœna damnaretur. & id quum altiore uoce proboq; nutu præconis par & æquum esse subderetur: Vos ergo, inquit, uideritis, ciues, qui nihil libera patria carius habere uultis, an uobis, ab hac mox iniuria sacris interdictis, familiari pane uestro satis piè uesci liceat. Quod falsè dictum uniuersæ concioni risum commouit: quòd omnes adeò perfrictæ essent frontis, ut in uerecundam præconis uocem ineptissimè imitarentur. Iouius libro 25. Histor.

PVELLA quædam Gallica, ex iis quæ Margaritam Valesiam comitatæ sunt in Hispaniam, uisurã Franciscum Franciæ Regem fratrem suum, Caroli Cæsaris captiuum, cùm à iuuenibus Hispanis subinde audiret, Amore enecor: Morere iam tandẽ, inquit, ut amatorem unum aliquẽ mori uideã, ex tot moriturientibus. Lud. Viues de Christiana femina lib. 1.

Timiditatis, Ignauiæ.

AGIS Archidami filius, pretergrediens Corinthiorum muros, contemplatusq; excelsos, firmos & longè porrectos: Quænam, inquit, hunc locum incolunt feminæ? Plut. in Apoph.

THERYCION Delphis ueniens, cùm exercitum Philippi fauces Isthmi insedisse contemplaretur: Malos uos, inquit, habet, Corinthij, Peloponnesus ianitores. Plut. in Apoph.

PAVSANIAS Cleombroti F. ad imbecillum corpore, qui cõsulebat, ut cum hostibus terra mariq; confligerent: Vis igitur, inquit, ostendere tete exutus, qui sis, nobis qui dimicare præcipis? Idem.

M. Liuium, qui arcem Tarentinam custodiebat, sua opera recẽptam commemorantem urbem, cùm cæteri deriderent, Q. FABIVS Max. ait: Rectè ais. nam nisi urbem tu perdidisses, ego eam non recepissem. Idem.

HANNIBAL Carthaginensis apud regem Antiochum profugus, cùm ei rex in campo copias ingentes ostenderet, quas bellum populo Romano facturus comparauerat, insignib. argenteis & aureis florentes: currus quoq; falcatos & elephantos cum turribus, equitatumq; frænis & ephippiis, monilibus ac phaleris præfulgentem: contemplatione tanti, & tam ornati exercitus gloriabundus, Annibalem aspiciens, Et putásne, inquit, satis esse Romanis hæc omnia? Tunc Pœnus eludens ignauiam militum eius, Planè, inquit, satis esse credo, Romanis hæc, etsi auarissimi sunt. Rex de numero exercitus sui, ac de æstimanda æquiparatione quæsiuerat: respondit Annibal de præda. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2.

Bello Sociali, cùm occasionem hostis dedisset rei benè gerendæ, & pauore correpti pedem retulissent Romani, ut recepe runt se utrinq; in castra, concione militum aduocata: Hæreo, inquit C. MARIVS, hostes an uos ignauiores dicam: quippe neq; terga uestra illi, nec uos illorum aspicere os sustinuistis. Plut. in Mario.

AVGVSTVS Cæsar urbanè Dolabellæ ignauiam reprehendit. Vide suprà, Non concedere.

Germanis offensis, quòd inter respondendum Mathiam Panoniæ regem appellasset PIVS II. Pp. tanquam ad eos ius regni pertineret: Sinite, ait, Mathiam tantisper nos regem appellemus, dum eum uos regnum tenere permittitis. temeritate simul & ignauia exprobrata, subdidit, Armis regna diiudicari, non legibus. Campanus in eius uita.

Diffidentiæ.

Apparatu belli Actiaci gratificationem magnificam CLEOPATRÆ reginæ M. Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, fertur regina pauore eius lusisse, extremis coronæ floribus ueneno illitis, ipsaq; capiti imposita, mox procedente hilaritate inuitauit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concerpta in scyphum incipienti haurire, opposita manu: En ego sum, inquit, illa, care Antoni, quam tu noua prægustantium diligentia caues: adeò mihi, si possim sine te uiuere, occasio aut ratio deest. Inde eductum è custodia bibere iussit, qui illicò expirauit. Plin. lib. 21. cap. 3.

Libidinis reprehensio modesta.

Inuerecundum DEMOSTHENES negauit habere in oculis κόρας, sed πόρνας, h. e. meretrices. Significat enim utrũq; κόρη, pupillam oculi & uirginem. Plut. de Nimia uerecundia.

Contemplatus curru inuectum DIOGENES Dioxippum Olympionicem, atque à formosa muliere, quæ celebritatem spectabat, retrahere non ualentem oculos, sed limis eam intuentem ac respectantem: Videte, inquit, athletam à puella resupinari. Plut. de Curiositate.

Cùm aliquando Sophocles, qui cum PERICLE nauigabat in prætura collega, formam pueri cuiusdam laudaret: Prętorem Sophocle, inquit, decet, non solùm manus, sed & oculos abstinentes habere. Plut. in Pericle, & Cic. lib. 1. Offic.

Luxus.

LEONTYCHIDEM primum regem Spartanorum referunt cœnantem apud quendam, cùm tectum ædium magnificè structum & laqueatum cerneret, rogasse hospitem, Ecquid ligna apud eos quadrata nascerentur? Plut. in Apoph.

Chij marmore è lapidicinis suis eruto, uersicolorib. maculis, muros suos ædificabant, & opus id M. TVL. Ciceroni ostentabant ut magnificum: Multo, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis. Plin. lib. 36. cap. 6.

Cùm Piso domum à fundamentis ad culmen usque accuratè extrueret: Alacrem, inquit AVGVSTVS Cæsar, facis me, perinde qui ædificas, atque si futura sit Roma perpetua. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Fuci corporis.

Iulia festinatos canos ægrè ferens, clàm uellere consueuerat. Superuenit ornatricibus operi inhiantibus AVGVSTVS Cæsar, & uulsos capillos in illarum gremio notauit: sic tamen oculos auertit, ut nec uidisse uideretur. Post tempus aliquod filiam sciscitatus est, Vtrum suo tempore canos, an nullas habere comas mallet? Atque illa sine hæsitatione respondenti, & caniciem caluitio præferẽti, sic insultauit: Cur igitur hæ antè tempus te decaluant? Macrobius.

Auaritiæ, Sordium reprehensio modesta.

Lysimachi regis PARASITVS, cùm ille scorpium ligneum in eius pallium iecisset, perculsus & exiliens, ut animaduertit ludum: Et ego quoq;, inquit, te rex exterrere nolo: Da mihi talentum. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium 1.

ANTIGONVS rex, uno de amicorũ grege Aristodemo, qui patre prognatus dicebatur coquo, consulente ei, ut impensas & dona præcideret: Oratio tua, inquit, Aristodeme, olet ius. Plut. in Regum apoph.

Solebat descendenti à palatio Augusto honorificũ aliquod epigrãma porrigere GRÆCVLVS. Id cũ frustrà sępè fecisset, rursusq; cũ id facturũ uidisset Augustus, breue manu sua in charta exarauit Græcũ epigramma. Pergenti deinde ad se obuiam misit. Ille legendo laudare, mirari tam uoce quàm uultu. Cumq; accessisset ad sellam, demissa in fundam pauperẽ manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adiectus hic sermo, Μὴ κατὰ τὴν τύχην σήν, σεβαστέ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν: Non secundùm fortunam tuã, Auguste: si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar uocauit, & sestertia centum millia Græculo numerari iussit. Macrob. lib. 2. cap. 4. Satur.

Exceptus AVGVSTVS à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana (nam penè nulli se inuitanti negabat) discedens ualedicenti hoc tantùm insusurrauit: Non putabam me tibi tam familiarem. Ibidem.

LVDOVICO XI. Gallorum regi rusticus simplex rapum insignis magnitudinis dono dederat. Rex simplicitate hominis delectatus, mille aureos ei rependi iussit. Ibi tũ nobilis quidam amplioris muneris spe, equum regi dono obtulit. Rex illi rapum istud antidori loco dari præcepit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilib.

Carolo V. Imper. Mediceos Florentiam reducturo, Franciscus Carduccius ex plebe Dictator Florentinorum, seueris exactionibus stipendia exigebat à ciuibus. Quum de his Carduccij imperiis nonnulli ciues mœsto liberoq; sermone in corona disserērent: ANTONIVS Albertus, uir honestissimus non infacetè dixit, Postquam decoctori non Dictatori Remp. commisistis, necesse futurum esse prouideo, ut nos omnes cum ipsa Rep. decoquamus. Iouius lib. 27. Hist.

Corruptelæ munerum.

Acceperat Demosthenes ab Harpalo magni precij craterem. Tum scitè CHÆREPHON parasitus, Hic alios, inquit, uinosos uocãs, magna ipse pocula sibi propinat. Athe. l. 6. c. 5.

Acutam Catuli uocem in Clodianos iudices, qui pecunia corrupti manifesti facinoris reum absoluerant, cùm tamen iidẽ antea tanquã uim timentes, ut seuerè iudicare possent, uiderentur præsidium à senatu postulasse, retulit Cicero primo libro epistolarum ad Atticum hoc pacto. CATVLVS cùm uidisset quendam iudicum: Quid uos, inquit, præsidium uobis postulabatis? an, ne numi uobis eriperentur, timebatis? In oratione quoq; de Aruspicum responsis, nulla mentione Catuli facta, ita eosdem mercenarios iudices Cicero notauit: Quibus olim erepti essent numi, nisi à Senatu præsidium postulassent. Victorius lib. 18. Var. lect. cap. 8.

Orator Hortensius, qui à Verre Sphingem argẽteam mercede acceperat, cùm CICERO aliquid obliquè dixisset, Scire negauit soluere ænigmata. Cui Cicero: Atqui Sphingem, inquit, domi habes. Plut. in Apoph.

Ambitionis.

Ambitionis, Iactantiæ, Superbiæ reprehensio modesta.

CLEOMENES rex, Argiuis priorem pugnam, qua fusi fuerant, se reparaturos iactitantibus: Miror, inquit, si syllabę ad ictione unius, euasistis quàm antè, fortiores. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PAVSANIAS Cleombroti filius Deliis disceptantibus de insula Delo cum Atheniensibus, allegantibusque lege patria neq; parere in insula mulieres neq; defunctos humari: Quî ergo, inquit, patria hæc uestra sit, in qua neq; natus quisquã est uestrûm, neq; sepultus erit? Plut. in Apoph.

Ad Lacedæmonios, qui Thebanos accusabãt, EPAMINONDAS Bœotarcha: Atqui effecimus, ut iam succinctè uos dicere desieritis. Plut. de Sui laude.

Menecrates medicus, qui quod in deploratis quibusdam morbis curandis habuisset successum, Iupiter appellabatur, odiosè usurpabat eam appellationem, & uerò ad AGESILAVM regem sustinuit scribere: Menecrates Iupiter regi Agesilao Salutem. Cui nõ lectis reliquis rescripsit. Rex Agesilaus Menecrati Sanitatem. Plut. in Apoph.

Ostentanti mulieri cuipiam Ionicæ telam quandam suam exquisitam, monstratis LACÆNA quatuor filiis suis honestissimis: Hæc ait bonæ & honestæ feminæ esse debere opera, atque ob hæc tollere animos eam atq; exultare. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cùm Alexander Magnus ad matrem ita scripsisset: Rex Alexãder Iouis Ammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit: OLYMPIAS ei rescripsit ad hanc sententiam: Amabò, inquit, mi fili, quiescas, neq; deferas me, neq; criminere aduersum Iunonem. Malum mihi prorsum illa magnum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Ea mulieris scitæ atq; prudẽtis erga ferocem filium comitas, sensim & comiter admonuisse eum uisa est, deponendam esse opinionem uanam, quam ille ingentibus uictoriis & adulantium blandimẽtis, & rebus suprà fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Ioue. Gell. lib. 13. cap. 4.

ALEXANDER Magnus Mileti multas statuas contemplatus athletarum, qui ludis Olympicis & Pythicis fuerãt uictores: Vbi erant, inquit, tanta corpora, cùm urbem uestram barbari expugnabant. Plut. in Apoph.

ARISTO recitanti orationem funebrem Atheniensi in laudẽ eorum, qui ab Lacedæmoniis fuerant cæsi: Quos uiros, inquit, hos qui superarunt, fuisse censes? Plut. in Apoph.

PIVS II. Pontifex, cùm conuentu Mantuano Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum pollicerentur, Germani armatorum duo & quadraginta millia, Vngari dimidio minus, Ragusini duas triremes, Rhodij quatuor, Cypri totidẽ, legati ex Cilicia hominum triginta millia: dicentibus Gallis, non antea excitandum foris peregrinum bellum, quàm ipsorum domesticum sopiretur: Mirum, inquit, Gallos qui semper aliàs uicerunt, hodie uerborum magnificentia uinci. Borsij quoq; Estensis legatis trecenta millia aureûm numûm pollicentibus, cùm fidem non fecissent, Non opus est, inquit, tot numis, dimidio contentis. Cãpanus in eius uita.

Crudelitatis.

In Antigone Sophoclis, inquiens HÆMON Creontem patrẽ obiurgans, quòd sponsam filij pararet occidere,

Εἰ μὴ πατὴρ ἦσθ', εἶπον ἄν σ' οὐκ εὖ φρονεῖν. id est,

Ni esses pater, te sapere dicerem haud bene.

ANTISTHENES adolescentes Socratem uidere cupientes, philosophorum omnium sapientissimũ, duxit ad Anyti domum: dicens, illum Socrate multò esse sapientiorem, ut qui Socratem accusasset. Et hoc dicto renouatum est ciuibus extincti Socratis desiderium, & Anytum expulerunt. Laertius libro 6. capite 1.

Spartanus quidã hoc Hesiodi carmẽ laudib. ad cœlũ efferebat,

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτο, μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Non uel bos pereat, nisi uicinus malus adsit.

Id audiens DIOGENES, Atqui (inquit) Messenij cum bobus suis perierunt, & uos illorum estis uicini. Ael. lib. 9. Var. hist.

EPICHARMVS, cùm Hiero Siciliæ tyrannus occisis nõ nullis familiaribus suis postridie ipsum inuitasset ad cœnam: Atqui heri, inquit, cùm sacrificares, necessarios tuos, me nõ uocasti. Plut. de Discernendis adulatoribus.

FEMINA senectutis ultimæ Syracusis, omnibus Dionysij tyranni exitium, propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera, uotis expetentibus, sola quotidie matutino tempore deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognouit, nõ debitam sibi admiratus beneuolentiam, accersiuit eam, & quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogauit. Tum illa: Certa est (inquit) ratio propositi mei. Puella enim, cùm grauem tyrãnum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior arcẽ occupauit. Eius quoq; finiri dominationem magni æstimabam: tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaq; timens, ne si tu fueris absumtus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit. Val. lib. 16. capite 2.

T. QVINTIVS, cùm missus esset aduersus Philippum regem dux, adductus est, ut in colloquium cum eo ueniret. Petente obsides Philippo, quòd ille multiq; alij Romanis duces essent, se unum Macedonibus: Nẽpe tu, inquit Quintius, qui amicos interfecisti & necessarios, solum te ipse reddidisti. Plutarchus in Apophthegmatibus.

FRIDERICVS Comes Palatinus, an. 1463. ultima Iunij quatuor principes, Carolum Marchionem Badensem, Georgium episcopum Metensem, episcopum Spirẽsem & Vlricum Comitem Virtembergensem cum D. comitib. & nobilib. Pontificis instinctu sacram militiã contra Palatinum, partes Comitis Isembergij ab archiepiscopatu Moguntinense deiecti strenuè defendentis, professos: dum de obsidenda urbe, in quam totum confluxisse exercitũ inuersis equorum soleis decepti existimabant, consilia agitarent, absq; sanguine cepit. In cœna primę diei nullum illis panem apposuit, quòd contra Cyri legem nec agricolis nec segentibus pepercissent. Cureus in Silesiæ Annalibus.

Mendacij reprehensio ciuilis.

XENOPHANES, cùm narraret quidam anguillas se in aqua calida uidisse uiuentes: Ergo eas, inquit, in frigida elixabimus. Plutarchus aduersus Stoicos.

Adulationis.

Cùm scripsisset Pindarus, Columen Athenæ Græciæ, tum LACON: Ruet Græcia, inquit, tali quæ insidet columini. Plutarchus in Laconicis.

Erat Archibiades quidam Athenis, quem Laconistam appellabant, immensa promissa barba, ac læna semper amictus tetricusq;. Hunc in curia PHOCION, occlamationibus iactatus, testem dictis suis & suffragatorem aduocauit. Qui ut ex urgens quæ accepta forent, consuluit Atheniensibus, apprehensa barba eius: Quin igitur Archibiades, inquit, tondes barbam? Plutarchus in Phocione.

ARISTOTELES Stagirites cùm iudiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam, Qualis esset ciuitas Atheniensium? respondit, Pulcerrima: sed in ea (quod de Alcinoi hortis Homerus protulit, ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ, pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. Quo dicterio notauit Atheniensium sycophantas & calumniatores, perniciosissimos bonis uiris. Aelianus lib. 3. de Varia historia. & Laertius ex Phauorini historia uaria.

DIOGENES quodam tempore prandium in caupona sumẽs prætereuntem Demosthenem inuitabat. Eo autem renuente quasi parũ honestus is locus esset: Atqui, inquit, hic quotidie diuersatur, populum intelligens, cui concionatores adulantur. Laertius.

Cùm Athenienses seruum ANTIGONI regis quem in honore habebat, in ciuitatem pro libero ascripsissent: Optarim, inquit, unum ciuem Atheniensem à me non fuisse flagris cæsum. Plut. in Apoph.

LYSIPPVS plastes pictorem Apellem perstrinxit, quòd in effigiei Alexandri manu pinxisset fulmen, ipse uerò addidisset ei hastam, cuius nullum seculum gloriam esset deleturũ germanam & propriam. Plut. de Iside & Osiride.

Simulationis reprehensio ciuilis.

Quum Antipatrum quidam laudibus efferrent, quòd esset apprimè frugi, ac uictu præparcus, & apprimè austerus: ἔξωθεν inquit ALEXANDER, Ἀντίπατρος λευκοπάρυφός ἐστι, τὰ δ' ἔνδον ὁλοπόρφυρος: id est, Antipatri quidem extima leucopatrypha uisuntur, at intima holoporphyra sunt. Leucoparyphus, albis indutus uestibus: holoporphyros totus purpureus, seu ueste indutus holoserica. Cælius lib. 16. cap. 7.

Cùm Veneti propter initũ cum Turcis fœdus expeditioni PII II. Pp. aduersarentur, clàm tamen habita ratione quantum essent collaturi, summã belli naualis dari sibi postularent, & classem insuper triremiũ & XX nauiũ rostratarum, ac peditũ delectorũ octo millia, & annuas decimas, & prætereà quater decies centena millia ex publico: Hoc, inquit Pius, Veneti, est recusare, non petere. Nos uerò adeò uobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis. Campanus in uita Pij.

Inciuilitatis.

CICERONI gener erat Piso, qui cũ incessu cunctatior foret quã conueniret uiro, filia ex diuerso cõcitatior quã deceret feminã, uno uerbo lusit in utrũq;: ait enim filiæ: Ambula ut uir. anceps iocus, duos simul pupugit. Macrobius & Plut.

AVGVSTVS Imp. promiscuis salutationib. admittens & plebem, quendam ioco corripuit, quòd sic sibi libellum porrigeret, quasi elephanto stipem. Suetonius.

Inhospitalitatis.

ALEXANDER Magnus, cum hyeme per algorẽ amicus quidam, qui excipiebat eum epulo, focum paruum & modicũ ignis intulisset, aut ligna aut thus præcepit inferri. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Venerant aliquando in legatione ad Lygdamim tyrannũ LACONES. Vt producta ille sæpiùs die audientiam extraxit, atq; ad postremum ualetudinem eius causatus est minister: legati, Nuncia ei, dixerunt, non certè luctatum uenisse nos cum eo, sed collocutum. Plut. in Apoph. Laconicis.

Isaacius Angelus Byzantinus Imp. Friderici Barbarossæ in Pàlæstinam exercitum ducturi legatos uix domum passus reuerti est, neq; eos consessu ullo ue alio honore dignatus est, sed æquè ut alios Græcos seruiliter astare permisit. At FRIDERICVS posteaquam legati Græci ad se uenerunt, non tantùm ipsos sibi, sed ministros, coquos & equisones uel inuitos dominis assidere iussit. hoc ipso exprobrans Græcorum imperatori inhumanitatem, qui omnes ex æquo contemnens, nullam rationem uel uirtutis uel generis haberet. Nam si excessus officij reprehensione dignus est, longè magis officij defectus. Nicetas lib. 2.

Maledicentiæ.

HIERO Siculus Xenophani Colophonio conquerenti ęgrè seruos se duos alere: At Homerus, inquit, quem tu uellicas, amplius decem millia alit extinctus. Plut. in Apoph.

PLISTARCHVS narranti commendari eum à detrectatore quopiam: Miror, inquit, nisi retulerit quis ei me decessisse. Siquidem de nemine ille benedicere potest uiuo. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Garrulitatis, Loquacitatis.

LABOTVS Spartanus, cuidam prolixiore utenti sermone: Quid mihi, inquit, de re pusilla longa texis procemia? Plut.

Quum quidam Ephoris oportuna quidem loqueretur, sed pluribus quàm sat erat: ANAXANDRIDAS, Hospes, inquit, in re necessaria non necessario uteris. significans, quòd per se rectum est & utile, non egere prolixa oratione, quòd ipsa causæ bonitas facilè seipsam commendet. Plut.

LACO audiens Rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem: Per Geminos, inquit, fortis sanè homo: qui cùm nullum habeat argumentum, tamen egregiè uoluit linguam. Plutarchus.

LEON Eucratidæ, intempestiuè de rebus non infrugiferis uerba facienti: Parum, inquit, hospes, opportunè re opportuna uteris. Plut. in Apoph.

Careo loquaculus uolebat ab ISOCRATE oratore erudiri. Tum is: Duplicem ergo mercedem peto: alteram, ut loqui: alteram, ut tacere discas. Brus. lib. 6. cap. 6.

Cùm ARISTOTELES à garrulo importunis quibusdam dissertationibus fatigaretur & obtunderetur, atq; ille subinde diceret: Nónne mirum hoc Aristotele? Non hoc, inquit, mirum: Sed si quis, cui pedes sint, te ferat. Plut. de Garrulitate.

ARISTOTELES, cùm apud eum garrulus quidam multa esset nugatus, & tandem dixisset, Fortassis obstrepo tibi nugis meis: Non hercule, inquit: neque enim aduerti animum. Erasmus in Apoph.

Cùm Abderitarum Legatus apud AGIDEM rege Spartanum multa loquutus, uix tandem dicendi finẽ fecisset, rogaretq; quid ciuibus suis esset renunciaturus? Agis, illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audiisse. Erasmus lib. 1. Apoph.

Quum Sophista quispiam apud AGIDEM dixisset, orationẽ esse rerum omnium præstantissimum, uidelicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit, Agis, tu, cùm taces, nullius es precij. Plut.

Venerat ex Hellesponto ad scortum Atticũ GNATHÆNAM Amator quidam, eius fama & nomine permotus. Cùm itaque inter pocula plurima effutiret, & importunus esse uideretur, respondens Gnathæna: Nunquid, inquit, tu te ex Hellesponto uenire dixisti? cumq; annuisset: Cur igitur, inquit, primariam inibi ciuitatem ignoras? Qui cùm diceret, Et quę tandem est illa? Sigæum, respondit: σιγὴ enim silentium est. Aelianus de Varia hist. lib. 12.

DEMADES tibiis Athenienses comparare solebat: ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit. Maximus Sermone 60. Stobæus Serm. 2. de Imprudentia.

THEOCRITVS à blaterone quodam interrogatus, ubi cras uisurus esset ipsum? Illic, dixit, ubi ego te non uideam.

BION Borysthenites cuidam immodicè loquaci, ut sibi subueniret oranti, respondit: Abundè tibi morem geram, si aduocatos miseris, non ueneris ipse.

Rex ARCHELAVS garrulo tonsore humeris eius admouente lintea, ac rogante: Quomodo te rex tondebo? Silentium, inquit, tenens. Plut. de Garrulitate.

ZENO Cittieus adolescenti cuidam multa garrienti: Aures, inquit, tuæ in linguam defluxêre: submonens, adolescentis esse audire multa, loqui pauca. Alium quendam multa temerè garriẽtem, hoc dicto corripuit: Ob id binas habemus aures, os unicum: ut plurima audiamus, loquamur paucissima. Iuueni confidenter loquenti: Non dixerim, inquit, ò adolescens, quæ mihi succurrunt. Subnotans, è sermonis procacia colligi & morum impudicitiam. Erasmus libro 7. Apophthegmatum.

IDEM ad Aristonem discipulum multa temerè garrientem, quædam etiam præcipitanter confidenterque: Fieri, inquit, non potest, quin te pater ebrius proseminarit. Erasmus libro 7. Apoph.

BION Borysthenites ad Theognim dicentem,

πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔτ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.

Cui res sunt tenues, nil quicquam hic dicere possit,
Nec facere, ast eius uinclo arcto est lingua restricta.

Qui fit igitur, tu pauper cùm sis, ut tam multa garrias & obtundas nos loquacitate tua? Plut. de Audiendis poetis.

Petacitatis.

Iacobus archiepiscopus Treuerensis Elector, ad extollendam ecclesiæ suæ potentiam nimis attentus, FRIDERICVM III. Cæsarem apud Nouam ciuitatem cùm adiisset, & alia atq; alia petens impetrasset, pluraq; petendo instaret: Si nõ facis, inquit Imperator petendi finem, ego negandi principium faciam. Aeneas Syl. lib. 2. Com. in Panor.

Curiositatis.

Cùm ora maritima à Micione, qui ingenti manu Macedonum & mercenariorum in Rhamnunta descenderat, agerq; uastaretur: eduxit PHOCION in eum exercitum Atheniensium. Ibi alio atq; alio hincinde accurrentibus inferentibusque se in partes ducis, & monentibus, ut illic tumulum occuparet, illic equitatum circummitteret, hic subsidiarios inter principia locaret: Papę, inquit, quàm multos duces, paucos uideo milites? Plut. in Phocione.

L. PAVLVS Aemylius reperiens in castris ingentem ferociam & loquacitatem, quòd milites Imperatoris officio se ingererent, & consilia iactarent sua: edixit, ne sibi obstreperent, sed gladios acuerent solùm, reliqua sibi curæ fore. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Impietatis.

Timotheus citharœdus insignis, in theatro Dianam canebat, μαινάδα, θυιάδα, φοιβάδα, λυσσάδα, & similibus epithetis eam appellãs. Tum CINESIAS Dithyramborum poeta: Si hęc laude sunt digna, similem tibi opto filiam. Argutè eum reprehendens, quòd deę id tribueret, quod uix miserrimis hominibus conueniat. Plut. de Audiendis poetis.

Latrocinij.

THEOCRITVS ei, qui dicebatur grassator esse, & rogabat, Ad cœnámne pergeret? respondit, Pergere uerò se, sed illic noctu quieturum. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium 1.

Superstitionis.

LEONTYCHIDAS Aristonis F. cùm portæ proximæ clauẽ draco spiris suis complexus esset, idque augures affirmarẽt esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam uidetur: sed si clauis fuisset complexa draconem, portentum erat. Plutarchus in Laconicis.

Proditionis.

Cùm Olynthius Lasthenes quereretur & fremeret, quòd proditorem se nonnulli ex Philippi Macedonis comitatu appellarent: Rudes natura & rusticos ait PHILIPPVS esse Macedonas, ac scapham scapham uocare. Plut. in Apoph.

Parricidij.

Græci quidam aiunt, quòd post occisum Smerdem à Cambyse fratre, rex duos catulos, alterum leonis, alterum canis inter se commiserit, huicq; spectaculo interfuerit soror Cãbysis: at cùm à leunculo catulus superaretur, alterum catulum, huius canis fratrem, abrupto loro superuenisse: & cùm duo essent, ita superiores leunculo extitisse. Cambyse igitur capiente uoluptatem, soror illacrymauit. Interrogata, Quidnam lacrymaretur? Respondit, se uiso catulo suppetias fratri ferẽte, ideo flere, quòd subierit memoria Smerdis, cuius sciret neminem fore ultorem. Ob hoc dictum à Cambyse interemtam memorant. Herod. lib. 3. & Iustinus.

Adolescens erat quidam in crimine, uirus parenti obtulisse in placenta. Eo ferociter iactante CICERONEM probris se insectaturum: Hoc, inquit, malo abs te Cicero, quàm placentam. Plut. in Cicerone.

Impotentiæ reprehensio modesta.

Cùm iratus esse P. Clodius Decio VALERIO diceretur, quòd ei mimum petenti non dedisset: Quid ampliùs, inquit, mihi facturus es, nisi ut Dyrrhachium eam, & redeam? alludens ad Ciceronis exilium. Macrob. lib. 2. cap. 6. Saturnalium.

Ignobilitatis.

P. SCIPIO Africanus C. Lælij, amicorum omnium carissimi, consularis candidati petitionem studio suo iuuans, requisiuit de Poppio, Num ipse quoq; consulatum ambiret? Dicebatur Poppius tibicinis esse filius. Abnuente eo ambire, imò pro

imò pro Lælio etiam se prensaturum ostendente, habita fide, dum operiuntur illum, delusi sunt: nunciatum est enim eum in foro ambire & prensare ciues. Cùm ibi stomacharentur cæteri Scipio ridens: Stulti, inquit sumus: qui quasi non homines simus, sed deos precaturi tempus iam diu terimus, tibicinem præstolantes. Plut. in Apoph.

Impudicitiæ suorum.

CICERO quærenti Metello, Quis pater eius esset? Hanc, inquit, responsionem mater tua efficit difficiliorem. Erat enim eius impudica mater: ipse autem leuiculus temporariusque Metellus, atq; in appetitus suos præceps. Plut. in Apoph.

Erat Verri filius, qui parùm pudicè formam habuerat. Cùm autem obiiceret pater CICERONI mollitiem, atq; cinædum appellaret: Nescis, inquit, liberis intra fores conuitiandum esse? Plut. in Apoph. & in Cicerone.

Obiectorum refutatio, cum morsu, uel absque morsu.

Respectu Veritatis, Prudentiæ, ad Veritatem & Prudentiam hic locus pertinet. Respectu uerò moderationis, ut ne alios quidem offendat, aut saltem moderatè offendat, in præsens consideratur.

Ardalus in conuiuio Sapiētum apud Plut. ANACHARSIM rogauit, Sint'ne apud Scythas tibicinæ? Hic subitò: Ne uites quidem, inquit. Rursus instante Ardalo: At deos certè habent Scythæ. Sanè uerò, infit, linguæ humanæ intelligentes, non Græcorum more: qui cùm elegantiùs se dicere quàm Scythas putent, deos tamen ossa & ligna audire arbitrantur libentiùs.

Cùm accusaret aliquando Stilpo philosophus GLYCERAM inter potandum, ueluti quæ iuuenes corrumperet, ut asserit in uitis Satyrus: tum illa, In eodem hæremus luto, ô Stilpo. Namq; te etiam eos corrumpere aiunt, qui tecum congrediuntur, cùm inutilia amatoriaq; sophismata illos doceas: meq; eodem pacto. Nihil enim differt, apud philosophum corrumpantur, an apud scortum. Athen. lib. 13. cap. 17.

Antigonus rex poetæ ANTAGORÆ congrum elixanti, & patellam quatienti, assistens ponè: Putásne, inquit, Homerum, Antagora, acta cùm describeret Agamemnonis, elixasse cōgrum? Cui Antagoras: Tu uerò, inquit, rex, num Agamemnonem censes, cùm acta ederet illa, esse rimatum, Ecquis in castris congrum elixaret? Plut. in Apoph.

LEON Byzantius, cùm ei diceret Pasiades, Lucem eius oculorum perturbatam esse: Vitium, inquit, corporis mihi improperas, qui filium tuum non uides humeris ferentem Nemesim. Habebant autem filium Pasiades gibberum. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium 1. At com. de Vtil. ex inimicis capienda ipsummet Pasiadem gibbosum fuisse innuit.

CLEOMENES rex insectanti eum atq; obiicienti: Delicatus es, Cleomene: At præstat id, inquit, quàm iniustum esse. Tu uerò, quamuis quod satis sit possideas, auarus es. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cùm quidam LACONI ipsum mentiri dixisset, respondit: Nempe liberi sumus. Alij, ni uera dixerint, non ferent impunè. Idem.

ZENO ad examen Theophrasti discipulorum: ὁ ἐκείνου χορὸς μείζων μὲν, ὑμὸς, δὲ συμφωνότερ@. Plut. de Laude suiipsius.

ARCESILAVS, cùm in ludo id ei à quodam amatore esset obiectum: Videris mihi nullius forma pelli: Te ergo, inquit, huius forma pellat. monstrans iuuenem quempiam ei assidentem honestum & speciosum. Plut. lib. 2. Quæst. conuiual.

XENOPHANES, cùm Lasus Hermionensis recusantem alea secum ludere timidum uocaret, fassus est sanè quàm timidū se ad turpia & languidum esse. Plut. de Nimia uerec.

Festiuè serotinum Philippi studium & curiositatem repressit FIDICEN. Nam cùm coarguere eum Philippus in pulsandis fidib. & harmoniis existimaret: Dij meliora, inquit, rex, quàm ut eò recidas, hæc ut me noscas rectiùs. Quippe dum seipse deridere uidebatur, illum sine offensa castigauit. Plut. lib. 2. Quęst. conuiualium 1.

DEMETRIO Poliorceti omnium erat Lysimachus Thraciæ rex infestissimus: qui insectatus eum ob Lamiæ amores, dictitabat, nunc primùm scortum se ex tragica prodeuntem scena uidisse. Cōtrà Demetrius, Castius iactauit illius Penelope suum esse scortum. Plut. in Demetrio.

ARCHELAVM regem, qui ad largiendum habebatur astrictior, cantans Timotheus hoc taxauit subinde dicterio: Tu sanè terrigenam laudas pecuniam (γηγενέτην ἄργυρον) Cui Archelaus occurrit haud inconcinnè: At tu poscis. Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

ANTALCIDAS Spartiata ad Atheniensem, qui dixit: Sæpiùs tergis uestris à Cephiso inhæsimus: Nos uerò, ait, uestris ab Eurota nunquam. Plut. in Præceptis politicis.

Iactante aliquando Argiuo, Frequentes tumuli sunt apud nos Spartiatarum: respondit LACON, Apud nos uerò Argiuorum nullus. quòd Argos ipsi frequenter inuasissent, Argiui Spartam nunquam. Plut. in Apoph. Laconicis.

PLISTONAX Pausaniæ, oratore quodam Attico Lacedæmonios appellante indoctos: Rectè, inquit, dicis. Nos enim ex Græcis soli nihil à uobis didicimus mali. Plut. in Apoph.

Quum EPAMINONDÆ Meneclides æmulus obiiceret, quòd liberos non haberet, neq; uxorem duxisset, quodq; sibi Agamemnonis gloriam bello uideretur consecutus: Desine, inquit Epaminondas, de uxore mihi exprobrare: nam nullius in ista re minus quàm tuo uti consilio uolo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterij. Quòd autem me Agamēnonem æmulari putas, falleris. Namq; ille cū uniuersa Græcia uix decem annis unam cepit urbem: ego contrà, ex una urbe nostra, dieq; uno, totam Græciam Lacedæmoniis fugatis, liberaui. Probus in Epaminonda.

Cùm Thebanis Argiui se consociassent, Atheniensium autem legati in Arcadiam profecti utrosq; criminarentur, atq; orator Callistratus hisce ciuitatibus exprobrasset Orestem & Oedipodem: exoriēs EPAMINONDAS, Fatemur, inquit, apud nos parricidam extitisse patris, & genitricis apud Argiuos. Cæterùm eorum scelerum auctores nos exegimus, Athenienses receperunt. Plut. in Apoph.

Athenienses Demadem præponentes Phocioni, belli ducem constituerāt. Qui cùm ambitu superasset PHOCIONEM, summè animum extulit: & accedens Phocionem: Accommoda, inquit, mihi sordentem istam chlamydem, quam gestare solitus es in tuo belli principatu. Cui respondens Phocion: Nunquam, inquit, quicquam tibi sordens deerit, dum talis fueris. Aelianus lib. 14. de Var.

IDEM uociferante Demade (uel Demosthene) Necabunt te Athenienses, si insanierint: At te, inquit, si sapuerint. Plutarchus in Præceptis politicis.

EIDEM cùm exprobraret in concione Lycurgus, quòd deposcenti decem ciues Alexandro fuisset auctor, ut dederentur: ait, Multa ego his recta & salutaria consilia dedi, uerùm non parent mihi. Plut. in Phocione.

Obiectauit P. CRASSO Domitius: Tune murena, quàm in uiuario alebas, mortua fleuisti? Cui alter: Num tu qui treis extulisti uxores, fleuisti? Plutarchus de Emolumento ex inimicis capiendo.

CICERO cùm esset ad Pompeium profectus, & rursus eum consilij pœniteret, à Pompeio rogatus, Vbi Dolabellam generum suum reliquisset? Apud socerum, inquit, tuum. Plut. in Apophthegmatibus.

Cùm Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus à C. Iul. Cæsare cuestigiò in quatuordecim gradus ad spectandum transisset, uiolato ordine, & cùm detractus esset eques Romanus, & cùm mimus remissus: ait Cicero prætereunti Laberio, & sedile quærenti: Recepissem te, nisi angustè sederem: simul & illum respuens, & in nouum Senatum iocatus, cuius numerum Cæsar supra fas auxerat, ut XIIII gradib. capi non posset. Respondit LABERIVS: Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere. exprobrata leuitate Ciceronis. Macrobius lib. 2. cap. 3. Sat.

Libertum Imperatoris arrogantem odiosè ac superbè philosophis, qui unà cum eo in cœna erant, insultantem, tandémq; interrogantem: Quî ex fabis albis & nigris fiat fabata? inuicem cùm rogasset ARIDICES, Quî ex albis & nō albis loris uibices fierent rubeæ? exurgere eum magna cum acerbitate coegit. Plut. lib. 2. Quæst. conuiualium.

Ioannes Gallorum rex, cùm reditum in Galliam ab Eduardo III. Anglo, à quo captus fuerat, datis filiis obsidibus, impetrasset, & Parisios peruenisset: uocato Senatu, plurimum fatum suum ac regni calamitates lamentabili querebatur uoce, ac inter cętera exclamabat conquerens, Nullos modò se Rolandos aut Gauinos reperire. Ad quod VNVS ex maioribus natu, cuius aliquando uirtus in iuuenta claruisset, ac propterea regiæ infensior ignauiæ, respondit, Non defuturos Rolandos, si adsint Caroli. Quod dictū grauiùs ac quisquam credebat cor regis constrinxit, arbitrantis sese ignauiæ insimulari. Itaq; statim dimisso senatu nullam rem pōstea egit: nec ita multo pòst in Angliam abiit, uisendorum, ut aiebat, filiorum gratia: ut alij, odio suorum uoluntarium eligens exilium. Remissis autem in Franciam liberis haud ita diu superfuit, Londini fatis concedens. H. Boethius li. 15.

Cùm DAVID Lindesayus Comes Vellem Anglum in ponte Londini singulari certamine uicisset, eoq; nomine à rege Ricardo II. magnis afficeretur honoribus: fœcialibus Anglorum (qui rei militaris prudentia reliquos omnium iudicio antecellunt) multis uerbis Dauidem commendantibus, magnatum quidam ægrè id ferens: Non mirum, inquit, uideri debet Scotos nunc adeò nobilitate ac uiribus reliquos antecellere: quippe qui paucos abhinc annos, occupata Anglorum armis Scotia, ex sanguine nostratium nobiliū prognati sint. Ad ea Dauid, Tam nos è uestro sanguine, quàm uos ex

uos, ex monachis, sacerdotibus, rusticis & agasonibus, qui interea dum patres uestri alienos agros colunt, neglectos ab illos fundos legitimos inuasere. H. Boëthius lib. 16.

IACOBVS Grandis Carrariensis, qui primus populi consensu an. 1318. Patauij princeps factus est, morti proximus, facta sui potestate omnibus, quicunq; queri de se uellet, laxatis forib. liber aditus patebat, ut si fortè aliqua in re quēpiā defraudasset, præsens ipse indicaret, redditurus quicquid iniustè acceperat. Interim cùm omnes eius dicta factaq; maximè approbassent, quidam arroganter petiit pecuniam ob remissam sibi capitis damnationem restitui, tanquàm indebitè solutam. Cui Iacobus generoso spiritu, sed exili uoce (animam enim iam trahebat) Si tunc iustitia in te seruata fuisset, respondit, nunc quod iniustè facis, queri de me non posses. Nam capitalis criminis reus eras factus: cuius pœna in pecuniam, non in tuam, neque in meam, sed in Reipublicæ gratiam cōmutata est. Quare abi ueterator, & qui hactenus malus fuisti, mutatis in melius moribus, uir bonus esto: quum si pecunia reddatur tibi, tu quoque caput (quod æquum est) pariter reddas, necesse sit. id enim ea pecunia redemisti. Nullius ego mihi peccati propterea malè conscius sum: nisi fortè quod mitiùs, quàm merueras, multatus fueris. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

GEORGIVS Castriottus, Epiri Despotes, falcato ense tauri collum uno ictu dissecuisse fertur. Eum ensem, cùm Mahometo II. Turcarum tyranno magni muneris loco misisset, & is facto periculo, uix medium tauri collum penetrare potuisset: adulterinam non ueram laminam sibi oblatam causabatur. Tum Castriottus, ipsissimū se, quo taurū decollasset, gladium misisse affirmauit: at brachium mittere nec potuisse nec uoluisse.

DANTES Aligerius, Florentinus, exul apud Canem Veronæ dominum uiuebat. Aderat Florentinus alius, homo indoctus, & sola scurrilitate notus. Cùm illum Dantes uir doctissimus, sapiens ac modestus, ut æquum erat, contemneret: Quid est, inquit ille, quòd tu cùm habearis sapiens ac doctissimus, tamen pauper es & egenus? Ego autem stultus & ignarus diuitiis præsto? Tum Dantes: Quādo ego reperiam dominum: inquit, mihi similem, & meis moribus conformem, sicuti tu tuis, & ipse similiter me ditabit. Poggius in Facetiis.

SIGISMVNDVS Imp. cuidam querenti, Constantiæ libertatem non esse: Atqui, inquit, nisi hîc summa esset libertas, tu tam liberè minimè loquereris. Liberè enim loqui, magnæ libertatis est signum. Poggius in Facetiis.

PIVS II. Pont. Max. in conuentu Ratisponensi malè sustentatas à legato Cæsaris partes, ipse suscepit oratione extempo ranea: ubi dicenti aduersario, Et quando desines molestus Germanis esse? Cùm, inquit, tu incipies illis molestus non esse. Campanus in eius uita.

Hispanus ad cœnam à BELGA mercatore Antuerpiæ uocatus, cùm pulcerrima aulæa, & uasa argentea affabrè cęlata ab inquilinis artificibus confecta audiret: mirari cepit, tantum ingenij ebriæ genti superesse. Belga dicterio ictus, Nostri sanè, inquit, cum hominibus uinum potando, ingenia excitant: uestri cum asinis aquam bibunt.

Minari ciuiliter, modestè.

Cùm relicta urbe Pompeius ad mare se reciperet, ac Metellus, qui præfectus erat ærario, argentū capere CÆSARI quærenti ueraret, ærariumque pręclusisset, denunciauit ei necē. Consternato Metello: Hoc, inquit, adolescens, dictu mihi quàm factu est difficilius. Plut. in Apophtheg.

IACOBVS, cognomēto Grandis, Carrariensis, antequā princeps fieret, cùm patrociniū laturus cuidā amico ad prætoris uenisset tribunal, ut amici causam iudici cōmendaret, & aduersæ partis patronus, omissa causa, quam agebat, liberiore lingua & indignis in eum conuitiis inuehi cepisset: ei ille summa modestia respondit, Vt bene causam diceret, desineret de se maledicere. Cùm uerò inde uterq; discederet, Iacobus illi in aurem insusurrauit: Linguam tibi præcidam maledice. At ille hoc uerbo audito ad iudicem conuersus, in absentē debacchatus est. Iacobus uerò, ubi primùm domum sese recepit, iussit quantum frumenti currui imponi poterat, & suem domesticum magni ponderis ad illum deferri, suoq; eidem nomine donari. Accepit ille lubens, & gratias agens dixit: Prorsus sanè dominus meus placidè sine ferro linguam mihi præcidit, & contra se mutum reddidit. Bern. Scard. lib. 3. classe 13. hist. Pat.

Munerum exactio modesta.

L. CÆLIVS, cùm C. Cæsar aliis qui secum pila lusitabant, centena sestertia, illi uni quinquaginta dari iussisset: Quid ego, inquit, una manu ludo, & non duabus, ut plus habere possim? Macrobius lib. 2. cap. 6. Saturn.

Solebat descendenti à palatio Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere GRÆCVLVS. Id cùm frustra sæpè fecisset, rursusque id eum facturum uidisset Augustus, breue manu sua in charta exarauit Græcum epigramma: pergenti deinde ad se obuiam misit. Ille legendo laudare, mirari tam uoce quàm uultu: cumque accessisset ad sellam, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. adiectus hic sermo: Μὴ κατὰ τὴν τύχην σου, σεβαστὲ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν: Non secundùm fortunam tuam, Auguste: si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar uocauit, & sestertia centum millia Græculo numerari iussit. Macrobius libro secundo, capite 4. Saturnalium.

Adolescens quidam Danus, VVIGGO nomine, Roluonis Danorum regis giganteam staturam contemplatus, percontari per ludibrium cepit, Quísnam esset iste krage? hoc est, truncus, cuius semicæsis ramis fastigia scalæ instar conscenduntur. Hunc uocis iactum Roluo perinde ac inclytum cognomen amplexus, urbanitatem dicti ingentis armillæ dono prosecutus est. Qua Vuiggo dexteram excultam attollens, læua per pudoris simulationem post tergum reflexa, ridiculum corporis incessum præbuit: & causam rogatus, sinistrā manum ornamēto carentem paupertatis rubore perfundi dixit. Ergo Roluo manum quoq; sinistrā altera armauit armilla. Ibi tum Vuiggo, arctissima uoti nuncupatione pollicitus est, si Roluonem ferro perire contingeret, ultionem se ab eius interfectoribus exacturum. Id quod nō multo pòst fortiter præstitit. Saxo lib. 2.

Tributorum placida exactio.

Vt Mithridates pace pacta recepit se in Pontum Euxinum, Sylla autem Asiæ uiginti millia talentûm multā indixit: iniuncto L. LVCVLLO munere huius pecuniæ exigendæ & signandæ monetæ, alleuatio quædam Syllæ acerbitatis uidetur fuisse ciuitatibus oblata: quòd non modò innocentem & iustum se, sed lenem etiam in tam graui & tristi præstaret prouincia. Plut. in Lucullo.

TIBERIVS Imp. præsides prouinciarum sæpè scripto monuit, ne subditæ ciuitates plus æquo tributis onerarentur: boni pastoris esse dictitans, tondere pecus, non deglubere. Sabellicus lib. 1. Ennead. 7.

NON FACERE, AVERTERE, AMOLIRI, TOLLERE. V. C.

Cædem prohibere, Impedire.

THEBANORVM lex est, Ne ciui Thebano liceat infantem exponere, capitis periculo: sed si paupertate pater prematur, partum cum fasciis ad magistratum defert. Qui acceptū committit cuiuis uolenti, ut pro alimentis eo deinceps serui loco utatur. Aelianus lib. 2. Var. hist.

Herodes Iudæorum rex, conclusos in circo Hierichuntio Iudæorum principes, se mortuo interfici iusserat. At SALOME soror, & maritus Alexas, priusquam regis mors innotesceret, in circo clausos domum suam quemq; dimiserunt: dicentes ipsum ita iubere, ut in agros digressi curarent suamet ipsorum negotia. atq; hoc pacto magno beneficio uniuersam gentem sibi deuinxerunt. Ioseph. lib. 17. c. 10. Antiq.

Arcana non scrutari.

Lysimachus rex, cùm PHILIPPIDI comico & familiari dixisset: Quid tibi meorū participabo? Tum ille: Quidlibet, modò ne arcana. Plut. in Apophtheg.

ATHENIENSES captis Philippi tabulariis, epistolam quam illi ferebant Olympiadi inscriptam, non soluerunt: neq; arcanam uiri foris agentis ad uxorem aperuerunt comitatē. Plutarchus in Præceptis politicis.

Tributa non exigere.

STENO Iunior Sueonum rex fuit admodum popularis, ita quidem ut olim patri Suantoni, cùm populū tributis oneraret, ad genua procubuerit, & tributorū laxationem impetrarit. Quocirca iam in Principem assumtus, non modò tributa à beneuolis subditis, sed ipsam eorū uitam pro suaipsius salute in mille mortis pericula paratam & promtam expertus est. Io. Magnus lib. 24. cap. 2.

Reprehensionem, Obtrectationem fugere.

CHRYSANTHIVS Lydus, philosophus & pontifex, comis in congressu erga omnes erat, adeò ut qui ab eo digrediebantur, ambitione quadam id facere crederent. Neq; facilè quis illum audiuisset eruditionem suam ostentantem, eoq; nomine insolentiùs se efferentem, aut arrogantia inflatum aduersus alios: imò ab iis dicta probabat, si uel perperā dicta forent: opinionemq; licèt absurdā laudabat, ut nē quē contristaret. Eunapius in Præceptoris uita.

POMP. Lætus nulli maledixit aut detraxit unquam, ac ne pati quidem poterat apud se alienam dignitatem lacerari. Silentium in eo signum non probantis, quæ temerè alij mirarentur, aut carperent: susq; deq; ferre, quòd aliquis de se malè opinaretur. Qua moderatione uixit omnib. carissimus. Sabellicus in eius uita.

Non contemnere alios præ se.

MECOENATEM Horatius lib. 1. Sat. 6. laudat, quòd quamuis regio natus esset sanguine, neminem tamē iuxta se contemneret, inter cætera sic inquiens:

—Persuades hoc tibi uerè,
Ante potestatem Tulli, atq; ignobile regnum,
Multos sæpè uiros, nullis maioribus ortos,
Et uixisse probos, amplis & honoribus auctos,

POPVLARITATIS FORMA IN OFFICIORVM ADMINISTRATIONE PASSIVA. HOC EST, QVAtenus ipsemet pati uidetur, tum

A SEIPSO, DVM SVA MALA modestè, ciuiliter

IRRIDET.

AGESILAI Archidami F. claudicatem tegebat corporis florentis decor: & quod hanc facilè hilariterq; ferret, primusq; iocaretur & rideret semetipse, id haud mediocris erat illius uitij emendatio: imò uerò id laudis cupiditatem eius magis declarabat, quòd nulli labori uel operi succumberet ob claudicatem. Plut. in Agesilao.

EXCVSAT.

ZENO philosophus rogatus, Cur in conuiuio tam hilaris esset, qui alioqui seuerior uidebatur: respōdit, Lupini (inquit) quum sint amari, perfusi tamen aqua dulcescunt. Laertius.

ANTISTENES Cynicus, quum salsamenta per forum gestaret, quibusdam admirantibus, quòd philosophus officio tā sordido fungeretur, idq; in publico, ac non potiùs seruo id delegasset: Quid, inquit, admiramini? hæc mihi porto, non aliis. Sentiens, nullum esse sordidum obsequium, quod sibi quis impenderet. Deinde non esse indecorum, eum portare salsamenta, qui salsamentis uesceretur. Laertius lib. 6. cap. 1.

L. PAVLVS Aemilius cū uxore Papyria diuortium fecit. Necessarij quum ab eo sciscitarentur, ac molestè nimis quærerent, Ecquid esset quòd talem à se feminam alienaret? quæ pudica esset, formosa, fœcunda. Tum ille pedem extulit, inde ad eos cōuersus, Videtisne, inquit, quàm hic calceus pulcer sit, quàm recens, quàm aptus, & tamen ignoratis qua parte ille pedem offendat. Sab. lib. 8. En. 5.

IVLIA Augusti filia, inter multas & uarias naturæ dotes, comitatē sermonis habuit. Contra crebros patris monitus, culta lasciuiùs, oculos eius turbauerat. Sed modestiore habitu reuersa, mitigare paternam indignationem uoluit. Itaq; uerba quæ dolor oppresserat, gaudiū Augusto expressit. Et: Sentis ne, ait, quāto magis hic, quàm hesternus habitus deceat Augusti filiam? Non obstupuit illa tanti cēsoris maiestatem, sed, Heri me (inquit) uir, hodie patris oculis ornaui. Eādem in spectaculo ludorum circumuallauerant adolescentum impudicorum agmina, cùm ex aduerso Liuia Augusta uenerando modesta comitatu staret. Hæc Cæsareæ coniugis ac natæ uarietas, populum commouerat: sed ipsum maximè Augustum. Commonefecit ergo Iuliam breui scripto, circūspiceret, quanta morum imparitas inter duas dignitate pares feminas foret. Illa castigatorem suum repulit his uerbis: Et hi mecum senescent. Amico sobrio & prudenti, ut se paternæ frugalitatis imitatricē faceret, modestosq; illius mores in animum induceret, respondit: Ille se Cæsarem obliuiscitur, ego Cęsaris me filiā recordor. Macrob. l. 2. c. 5. Saturn.

AB ALIO, QVANDO

AMOLITVR ALIORVM

Suspicionem.

Cùm ex ædificio magnifico in suspicionē affectati regni incidisset P. VAL. Poplicola, una nocte totā in domū, parte urbis eminētiore, Velia dicta, extructā, unà cum fundamentis diruit: non tantùm crimine, uerumetiā suspicione carere uolens. Plut. in eius uita.

Adulationem.

☞ *Ex loco, Adulationes non ferre, illustretur. Illic mendacij, hic nimia popularitatis ratio habetur.*

ALEXANDER Magnus, cùm in certamine cursus Crissontem Himeræum sibi cedere uideret, grauiter hanc adulationem tulit. Plutarchus de Dignosc. adul. Ac de Tranquil. animi, Brisonem uocat.

AVGVSTVS & ALEXANDER Seuerus, si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandiùs, foras detrudi atq; exigi iussere. Alexan. lib. 2. cap. 19.

FERT ciuiliter ALIORVM

Libertatem.

ARTOXERXES Mnemon, Persarū rex, Euclidę Laconi multa uerba præfractè apud se effundenti, iussit dicere tribunū: Tibi licet quælibet ad me dicere: mihi & dicere & facere. Plutarchus in Artoxerxe.

AVGVSTO Cæsari in Senatu uerba facienti dictū est, Nō intellexi: & ab alio, Cōtradicerem tibi, si locum haberem. Interdū ob immodicas altercationes disceptantiū è curia per iram se proripiēti, quidam ingesserunt, Licere oportere Senatoribus de Repub. loqui. Antistius Labeo Senatus lectione, cū Triumuirum legeret, M. Lepidum, hostē olim eius, & tunc exulantem, legit: interrogatusq; ab eo, An essent alij digniores? Suū quenq; iudicium habere, respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit. Suetonius.

M. ANTONINVS Pius Imp. cùm domum Omuli uisens, miransq; columnas Porphyreticas, requisisset, unde eas haberet? atq; Omulus ei dixisset, Cùm in domum alienam ueneris, & mutus & surdus esto: patienter tulit. Capitolinus.

Petebat à Ludouico XI. Gallorum rege QVIDAM politicū magistratū. Rex seuerè negare. Tum ille clara uoce, Gratias ego uerò tibi, ô Rex, immortales me debere profiteor. Rex uel stultum uel surdū hominem putans esse, an rectè mente suā percepisset, rogauit. Tum ille: Enimuerò, inquit, & propterea tibi gratias egi, quòd absq; tergiuersatione & procrastinatione, præter morem tuum me expedieris. Ea libertate delectatus Rex, dignitatem denegatam spontè illi concessit. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Insectationem, Sugillationem.

GRÆCORVM principes, apud Troiam Thersitis scurræ nequissimi scommata patientia summa tolerabant. Græci cæteri eum propterea odio prosequebantur maximo. Quiulcisci poterant, non curabant: qui curabant, non poterant. Tandem uerò cū sua maledicētia Græcos ad seditionē accendere uideretur, ab Vlysse & uerberibus & uerbis grauiter fuit castigatus. Inde discimus, quousq; aliorū maledicta reges perferre debeant. Iliados β.

Cùm Athenienses in bello essent abiecti & trepidi, pace uerò facta ferocirent, ac conuitiis incesserent PHOCIONEM, quasi eripuisset ipsis uictoriam: Felices estis, inquit, ducē qui habeatis uos cognoscentem: alioquin iamdudum periissetis. Plutarchus in Phocione.

MELANTHIVS, cùm à comico perstringeretur: Mercedem, inquit, quā nō debebas, mihi psoluis. Plut. lib. 2. Quęst. cōu.

AGATHOCLES tyrannus, cùm aliquando urbem non ignobilem oppugnaret, & oppidani de muro clamarent, Figule & caminarie quādo stipendia militibus tuis solues? respondit, Postquam urbem cepero. Diod. lib. 20.

C. IVL. Cæsar dicteria in ipsum torta, cùm facetissimus esset, non modò æquo animo tulit, sed mirum etiam in modum probauit. Panormita de rebus gestis Alph.

TIBERIVS cùm suum nomē famosis carminibus proscinderetur, facillimè tulit, fassus in libera ciuitate linguā & mentem omnibus liberam esse oportere. Item cùm conuitiis à quodam proscinderetur: Si ille, inquit, aliter fuerit locutus, dabo operam, ut omnium quæ aut dixi, aut feci, reddam rationem: at si perseuerauerit, inuicem odero. Sab. lib. 1. En. 7.

Lampridius scribit, poëtam quendā in ALEXANDRVM Seuerum, quòd quotidie uesceretur leporina, ita lusisse:

Pulcrum quòd uides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit & lepus comesus,
Ex quo continuum capit lepôrem.

Hos uersus quum quidam ex amicis ad Alexandrum detulisset, respondisse fertur in hanc sententiam satis christianè, (nam hoc illi ab inimicis obiectū est, quòd Mosen & Christum quendam haberet in larario)

Pulcrum quòd putas esse uestrum regem
Vulgari miserande de fabella:
Si uerum putas esse, non irascor:
Tantùm tu comedas uelim lepusclos,
Vt fias animi malis repulsis
Pulcer, ne inuideas liuore mentis. Erasmus in Adagiis.

Reprehensionem.

AGAMEMNON Achillem, qui modica uti in monēdo libertate uidebatur, non fert: Vlyssi acerbè castiganti, dicentiq;

Perdite tu ô si esses aliarum dux legionum,

cedit, & continet se, salutari & prudenti oratione repressus. Hic enim nullius prætextu propriæ iræ egit, cum eo de salute Græciæ liberè: illum fremere potissimum sui causa apparebat. Plut. de Discernendis adulatoribus.

ACHILLES, quamuis ingenij non lenis neq; placidi animi, sed ardentis, qui accusare sustineret etiam insontem, tacitus tulit huiuscemodi multa sibi exprobrantem Patroclum:

Non, truculente, parens Peleus tibi Martius heros,

Nec Thetis est genitrix, sed glaucum te edidit æquor,
Aereæq; petræ, quando est animus tibi sæuus.

Plut. de Discernendis adulatoribus.

Cùm quandam ex suis comœdiis Antiphanes Comicus ALEXANDRO Regi legeret, isq; uideretur fabulam planè non percipere: Oportet, inquit, ô rex sæpiùs ex symbolis cœnasse eum qui hæc sit percepturus, ac sæpiùs ab amica plagas & accepisse & dedisse. Athenæus lib. 13. cap. 1.

Redargutionem.

Corripiebatur Eques Romanus à Cęsare AVGVSTO cēsore, tanquam minuisset facultates suas. At ille se multiplicasse coràm probauit. Mox eidem obiecit, quòd ad contrahendum matrimonium legibus non paruisset. Ille uxorem sibi, & tres liberos esse dixit. Tunc adiecit: Posthac Cæsar, cùm de honestis hominibus inquiris, honestis mandato. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn. Testem se in iudiciis & interrogari & refelli, æquissimo animo patiebatur. Suetonius.

Errorem.

Rex ALEXANDER, Darij castris, in quibus omnes necessarij eius erāt, potitus, Ephæstione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos uenit. Cuius aduentu mater Darij recreata, humi prostratū caput erexit: Ephæstionémque, quia ei & statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis uerba quærebat. Cui Alexander: Nihil est (inquit) quòd hoc nomine confundaris, mater. nam & hic Alexander est. Val. Max. lib. 4. cap. 7. & Plut. in Alexandro.

Ingluuiem.

D. ANSGARIVS Hamburgensis archiepiscopus, Aquilonarium regnorum primus Apostolus, Ericum rerum in Dania potitum, ex persecutore Christianorum, fidelem fecit: tantumque familiaritatis apud regem contraxit, ut inter amicos ascriptus, intimis regni consiliis adhiberetur. Sed onerosum fuit sancto, comessationibus diuturnis pro more gentis interesse: coegitque se hoc etiam (ut cætera peregrinationis incommoda) sustinere, ne regem & proceres, contemtum interpretantes, si abesset, à se alienaret. Cranzius libro 1. Metropoleos, cap. 37.

Petulantiam.

Ad ANYTVM Anthemionis filium Alcibiades sui amantem, qui hospites accipiebat lauto & splendido conuiuio, comessabundus accedēs, rapta ex mensa dimidia poculorum parte discessit. Stomachātibus hospitibus, & dicentibus, Petulanter & superbè tecum is adolescens egit: Imo benignè, inquit Anytus: cui licebat capere omnia, nunc tam multa mihi reliquit. Plut. in Amatorio, & Alcibiade.

RVDOLFI I. Imp. iam senis, secunda uxor Agnes fuit iuuencula, filia ducis Burgundiæ, neptis regis Franciæ, ex qua nullam prolem genuit. Hanc, cùm esset uenustissima, Fridericus comes de Leiningen, antistes Spirensis, è carpento tollens, cùm reluctantem oscularetur, regi id conquesta, bilem illi mouit mediocrem, cùm etiam ipse sæpè principum uxores oscularetur. Attamen ut reginæ satisfaceret, nobilem quendam præsuli dicere iussit, ut aliud sibi Pacificale quæreret deosculandum, id soli sibi emtum. Episcopus regis irā metuens, patriam reliquit, & usque ad mortem regis in exilio latuit. Cuspinianus.

Inciuilitatem.

Cùm Ilienfium legati ad TIBERIVM Cæsarem consolandum in morte filij aliquanto seriùs uenissent, mandatis expositis, respondit: Et se illorum uicem dolere, quòd egregium ciuem Hectorem amisissent: tarditatem illorum tacitè reprehendens. Suetonius.

Cùm Apollonium, quem Chalcide acciuerat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, M. ANTONINVS Pius Imp. uocasset, ut ei M. Antoninū traderet, atq; ille dixisset: Non magister ad discipulum debet uenire, sed discipulus ad magistrum: risit eum dicens, Faciliùs fuit Apollonio à Chalcide Romam uenire, quàm à domo sua in palatiū? Eius auaritiam etiam mercēdibus notauit. Capitolinus.

HVMANITATIS EXERCITATIO RESPECTV ALIORVM. VEL

ABSQVE CERTAMINE. Quatenus aliorum

POPVLARITATEM AMAT, FOuet, remunerat.

☞ *Vide infrà, Popularitatis fructus.*

RVSTICITATEM ODIT, AVERsatur, Punit.

HIERO Siculus, arcana qui enunciarent, hos iniuriam arbitrabatur inferre etiam illis, quibus ea proderēt. Plutarchus in Apophthegmatibus.

CVM CERTAMINE. POPVLARITATIS CERTAMINA.

☞ *Vide Tit. Liberalitatis certamina erga Hospites.*

Antonius monachus ad Paulum Thebæum eremitam uenerat. Dum inter se colloquuntur, suspiciunt ceruum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolans, integrum panem ante ora mirantium deposuit. Post cuius abscessum: Eia (inquit Paulus) dominus nobis prādium misit, uerè pius, uerè misericors. Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidij semper panis fragmentum: uerùm ad aduentū tuum, militibus suis duplicauit annonam. Igitur domino gratiarum actione celebrata, super uitrei marginem fontis uterque consedit. Hic uerò quis frangeret panem oborta contentio, penè diem duxit in uesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem cōsilium fuit, ut apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libauerunt, & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere uigiliis. Hieronymus in uita Pauli eremitæ.

Traditum memoriæ est, quum inter MEGARENSES & CORINTHIOS de imperio certaretur, captiuos in bello tam leniter habuisse, ut illos uelut hospites inuicem tractarent, & sine precio dimissos, doryxenos appellarent. Milites sanè cum hostibus extra aciem familiaria iura seruabant, in acie pugnabant uehementissimè. Alex. lib. 4. c. 10.

Alexander Magnus sagitta ictus sella uehebatur. Vbi castra mota sunt, ingens certamen gestandi regis est inter EQVITES & MILITES ortum, tantisper dum uulnus curaretur. Ille ratus fore, ut dum unis omnino se crederet, alios offenderet, per uices gratissimum onus utrisque partitus est. Sabellicus lib. 5. Enneadis 4.

CELTIBERI, aduenientes externos benignè hospitio recipiunt: adeò ut æmulatione quadam inuicem pro illorum honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicosq; deorum putant. Diod. lib. 5. cap. 9.

Albertus Cranzius in principio suarum historiarum inquit: Quamuis omnes Hyperboreæ gentes hospitalitate sunt insignes, præcipui tamen sunt SVEONES: quibus est omni probro grauius, hospitium negare transeuntibus, ita ut sit certamen, quis aduenam hospitio excipiat.

ALPHONSVS Aragonius incredibili erga hostes clementia fuit. Eaque propter ab immortali Deo assecutus fuit, ut pari insignes bonitate hostes haberet: neque superbum uictorem subiret, qui se tam humanè gerebat. Apud Gaietam nauali prælio uictus, in PHILIPPI Mariæ Mediolanensis ducis potestatem uenit, neque ut captiuus ab eo habitus est, sed festis ludis, conuiuiisque honoratus, sine precio dimissus est, qui se ingenti auri pondere libenter redemisset. Fulgosus lib. 5. cap. 1.

HVMANITAS, POPVLARITAS ERGA HOMINES, CONSIDERATOS RESPECTV

ANIMI HABITVS. VT ERGA

PIOS.

☞ *Hæc ipsa Iustitiæ religiosæ famulatur. Inde ergo petantur exempla.*

MVLIERES ministrauerunt Domino prædicanti, & per castella & ciuitates eunti. Luc. 8. Eædem astiterunt in crucem sublato, ab Apostolis derelicto. Luc. 23. Ioan. 19.

Grassabatur Iezabelis ira in prophetas, & iam plus nimio illa temporum diritas per innocētium euagabatur capita: cùm in tanto metu unus extitit, qui innocentiam occultè, quando aperta ui non poterat, tueretur. ABDIAS uir iustus, neque impensa grauatus, neque Iezabelis iram ueritus, centum latitātes prophetas insigni charitate protexit, & aluit. Sabellicus lib. 5. cap. 2.

Cùm regnaret Sennacheribus, & filios Israel exosos haberet: TOBIAS pergebat quotidie per omnem cognationem suam, & consolabatur eos: esurientes alebat, nudis uestimenta præbebat, mortuis atque occisis sepulturam sollicitus conferebat. Tob.1.

IMPIOS.

Lugebat propheta SAMVEL Saulum regem Iudæorum, licèt sciret eum à Deo reiectum. Ex primo Reg.15.

DANIEL cum sociis precibus ad Deum fusis, somnij quod Nabucodonosor uiderat, & oblitus fuerat, reuelationem habuit. Eoq; ipso sapiẽtes omnes Chaldæos, quos rex occidere uolebat propter ignorantiam, seruauit. Daniel.2.

HÆRETICOS.

D. Augustinum rhetoricæ docendæ causa Mediolanum euocatum suscepit D. AMBROSIVS paternè admodum, & peregrinationem eius satis episcopaliter dilexit. Ille eum amare cepit, primò quidem non tanquam doctorem ueri (ipse enim Manichæus erat) sed tanquam hominem benignum in se. Et studiosè audiebat disputantem in populo, quasi explorans eius facundiam, utrum conueniret famæ suæ, an maior minórue proflueret quàm prædicabatur: & uerbis eius suspendebatur intentus, rerũ autem incuriosus & contemtor astabat: & delectabatur suauitate sermonis, quanquam eruditioris, minùs tamen hilarescentis atque mulcentis, quàm Fausti Manichæi, quantum ad dicendi modum. His initiis paulatim unà cum uerbis etiam rerum cognitionem, licèt præter suum institutum adeptus est Augustinus, ut relictà impia secta catholicus fieret. Testis ipsemet lib.5. Confessionum, cap.13.

D. AVGVSTINVS, episcopus Hipponensis, in refutandis hæreticis nimiam ubiq; cauit acerbitatem. Testis ipsemet lib.3. cap.1. contra literas Petiliani.

Nouum insaniæ genus excogitarant Donatistæ hæretici, uiolentam mortem martyrium nominantes. Qui hanc appellationem assequi uolunt, id longo antè tẽpore, iis qui idem secũ sentiunt, significãt. Illi autem eos omni genere officij obseruant, eisq; inseruiunt, & omne ciborũ genus afferũt: ueluti quædam sacrificio destinata animalia pinguefacientes. Cùm aliquandiu in his deliciis uixerint, cogunt obuios quosq; lethalia sibi uulnera afferre. Id si nõ assequãtur, debacchantes, se ex alto præcipitant. Cùm permulti ex iis, instar phasianorũ adipati, in generosum quendã IVVENEM incidissent, deinde nudũ ensem ei porrexissent, iusserunt ut eis afferret uulnera: & se eum interfecturum minati sunt, nisi imperata faceret. Is cùm diceret, se uereri, ne aliquib. occisis, qui superessent, pœnitentia ducti, pœnã cædis ab eo exigerent, & propterea nõ nisi ligatis sese uim illaturũ: illi sibi uincula iniici passi sũt. Tũ ille, uirgis egregiè cæsos, uinctos spectatoribus deridendos relinquens abiit. Theodoretus in fabulis hæreticorum.

IMPROBOS.

ANTISTHENES philosophus opprobrãti, quòd interdum cum improbis haberet cõsuetudinem: Et medici, inquit, cũ ægrotis uersantur: nec tamen ægrotant ipsi. Sentiens philosophum ideo uersari cũ improbis, ut eos reddat meliores. Laert. lib.6. c.1. Idem ROMVLO tribuit Maximus serm.6.

DEMOSTHENES, quum sibi probro daretur, quòd improborum uteretur contubernio: Optimus, inquit, is est medicus, qui sanos relinquit, & benè habentes: ægrotos & penitùs deploratos suscipit curandos. Stob. & Max. Serm.6.

AETATIS ERGA

PVEROS.

Pharao rex, crudeli edicto pueros Hebræorũ omnes cum primùm editi essent, ab obstetricibus necari iusserat. Cæterùm timuerunt OBSTETRICES Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti: sed conseruarũt mares, [redacted] regis sæuitiam eludentes. Exodi 1.

Cernens THERMVTHIS filia Pharaonis uagientem puerũ Hebræum in cista uiminea expositum in Nilo, ait: De infantibus Hebræorum est hic. & mox sublatum in filium adoptauit. Exod.2.

THEBANORVM hæc lex rectissimè & humanissimè posita est: Ne ciui Thebano liceat infantem exponere, neq; in solitudinem abiicere, capitis supplicio. Verùm si in extrema mendicitate pater sit cõstitutus, siue mas sit, siue femina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre. Qui acceptum alicui tradit leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, ut infantem alat, & adultum serui uel seruæ loco habeat, sic ut alimentum & educatio seruitute compensetur. Aelianus lib.2. de Varia historia.

Principum Corcyræorũ liberos Periander Corinthiorũ tyrannus trecentos, ut castrarentur, ad Alyattẽ Lydorũ regẽ misserat. Eos, postquã in insulam descenderunt, docuerunt SAMII, ut in Dianæ delubro supplices considerent, quibus esculenta ex sesamo & melle dederunt: qua ratione hos seruauerunt. Et Samiorũ quidẽ Corcyræi hac de causa nõ magnam rationẽ habent: Gnidiorũ memoriã conseruãt, quibus sunt apud ipsos honores, immunitates, & decreta. Hi namq; infesta classe illuc profecti, Periandri custodes tẽplo summouerunt, acceperuntq; pueros, quos Corcyrã deportauerũt: ut est Antenor Creticus auctor, & Dionysius Chalcidensis in libris de Cõditis urbibus. Plut. de Herod. malig.

SENES.

PYRRHIAS Ithacensis portitor erga senem, à piratis captũ, humanus, locupletatur. Vide infrà, Erga Captiuos.

SEXVS ERGA

MVLIERES.

Vide Tit. Erga Hostium uxores clementes. illic Inimicitiæ, hîc Sexus ratio habetur.

VALETVDINIS ERGA

AEGROS.

Consule Tit. Opera gratuita ægris impensa. illic Liberalitas, hîc Humanitas perpenditur. Item titulum Medicorum, quatenus ægros blandè tractant.

IOAS Israelitarum rex, Elisæum prophetam ægrum uisitauit. 4. Regum cap.13.

Charitatis nomine laudatur SAMARITANVS, qui à latronibus cæsum fouit, eius uulnera obligauit, infundens oleũ & uinum. Etsi autem mysterium hîc latet maius, nihil tamẽ prohibet, rem gestam parabolæ loco fuisse à Christo adductam. Lucæ 10.

ALEXANDER Macedo, per Cabazam regionem ducens, senio iam confectũ militẽ Macedonẽ nimio frigore obstupefactũ, ipse sublimi & propinqua igni sede cõsidens, animaduertit: factaq; non fortunæ, sed ætatis utriusq; æstimatione, descendit: & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in suã sedẽ imposuit: id ei salutare futurũ ducẽs, quod apud Persas capitale extitisset, soliũ regiũ occupasse. Quid ergo mirũ est, si sub eo duce tot annis militare iucundũ ducebãt, cui gregarij militis incolumitas ꝓprio fastigio carior erat? Val. lib.5. c.1. & Front. lib.4. c.6.

PYRRHVS Epirotarum rex, lienosis existimabatur opitulari, cùm gallum gallinaceum album immolans, supinis iacentibus lienem pede dextero premeret leniter. Neq; erat adeò pauper quisquam aut abiectus, cui petendi denegaret curationem. Peracto sacrificio gallum accipiebat, eratque hoc præmij ei gratissimũ. Illius pedis fertur pollex fuisse diuina uirtute præditus: ac cremato post fata eius reliquo corpore, repertus inuiolatus est & intactus ab igne. Plut. in Pyrrho, & Plinius lib.7. cap.2.

C. IVL. Cæsar amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractauit, ut C. Oppio comitanti se per syluestre iter, correptoq; subita ualetudine, & in diuersorio loco, quod unum erat, cesserit, ac ipse humi, & quidẽ sub dio accubuerit. Suet.

Cn. POMPEIVS Magnus, cùm post bellũ cum piratis gestũ in Asia non tantùm Mithridatem Armeniæ regẽ potentissimũ uicisset, sed fugasset etiam penitùs: urbem Nicopolim in eo agro, in quo uictoriam peperit, ædificauit: in eaq; saucios milites, & eos qui iam per ætatem bellum gerere non poterant, habitare iussit. Dion Nicæus, & Xiphilinus.

M. ANTONIVS milites in expeditione Parthica insidiis circumuentos & uulneratos consolatus est, circumiens eos, lacrymarum plenus & dolore percitus. Plut. in Antonio.

TIBERIVS Cæsar Rhodi modicis contẽtus ædibus, nec multò laxiore suburbano, genus uitæ ciuile admodũ instituit: sine lictore, aut uiatore, gymnasio interdum obambulans, mutuaq; cum Græculis officia usurpans, propè ex æquo. Fortè quondam in disponendo die, manè prædixerat, quicquid ægrorum in ciuitate esset, uisitare se uelle. Id à proximis aliter exceptum est: iussiq; sunt omnes ægri in publicã porticum deferri, ac per ualetudinum genera disponi. Perculsus ergo inopinata re, diu quid ageret incertus, tamẽ singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique, & ignoto. Suetonius.

TRAIANVS cum Decebalo Dacorum rege in Tapis prælio congressus, Barbaros ingenti clade afflixit. Nec incruenta Romanis obtigit uictoria. Sed quũ multi uulnerati essent, fasciæq; ad obligandas plagas desiderarentur, pro fauciorum copia uestem sibi Traianus cõscidit in eum usum, eamque militibus benignè partitus est: iis qui in acie occubuerant arã constituit, & annuas inferias. Sab. lib.4. En.7. IDEM solebat ægrotantes amicos uisere, deposita imperatoria maiestate. Ausonius.

ADRIANVS Imp. ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos uisitauit, solatiis refouit, & cõsiliis subleuauit, instar priuati hominis. Cuspinianus.

ALEXANDER Seuerus Imp. milites morbo afflictos uisitabat. Cuspinianus, ex Lampridio.

GRATIANVS Imp. in amicorum officiis sedulus, liberalis, & adeò comis, ut ægros sæpè inuiseret, medelis consolatos foueret, fomentis sanaret, & sumtibus aleret. Cuspinianus.

PLACILLA, Theodosij Romanorum Imp. uxor pientissima, cùm reprehenderetur à suis, quòd ægrotos uisitaret, atque pauperibus etiam liberaliter facultates suas elargiretur: respondit, Imperatrici largitionem, sibi manuũ opus pro imperij adepti gratiarum actione conuenire. Nicephorus Callistus lib.12. capite 42.

S. GERMANVS quum in Italiam contenderet, Alpesq; superaret, senem claudum, quem torrentem transire non posse prospexerat, propriis humeris traiecit. Bonfin. lib.4. Dec.1.

MARTYRIVS monachus in Lycaonia sub Tiberio, ex suo monasterio uisitationis gratia ad aliud exspaciatus, inuenit intereundũ leprosum quendã, quem densis uulneribus elephantinus morbus per mẽbra fœdauerat. Eum ex cõmiseratione humeris leuauit, ac secum tulit. Cùm ad monasteriũ uenisset, spiritualis pater eius monasterij magna uoce clamare cepit: Aperite portas, quia frater Martyrius uenit Dominũ secum portans. Inde statim leprosus ille de collo eius desiliens, in specie ea apparuit, qua recognosci solet ab hominibus redemtor generis humani Christus: & paulo pòst ad cœlum Martyrio aspiciente sublatus est subinde reclamans: Quoniam non erubuisti, Martyri, me ferre in terris, ego non erubescam te gestare ad cœlos. Gregorius super Euangelia, homilia 39. ex Epiphanio diacono.

Conciliauit sibi GALENVS Pergamenus medicus maximè plebis & tenuioris fortunæ hominum animos, quòd medicamentis simplicibus uulgaribusq;, & paratu facilibus, plurimùm utens, & recta uictus ratione sine pharmacis, ubi id fieri poterat, curans, eorum quos suscipiebat facultates minimè opprimeret. Quinetiã ut meliori fide ac sumtu minore medicamenta haberet cõposita, suis manibus plerunque confecta officiosissimè ægris administrabat: in egenos interim non exiguã suarum facultatum portionem erogans, attamenq; ipsam non auaritia ductus, aut quapiam cupiditate, sed propter solam uirtutem piè simul & religiosè exercens. Aegros moribus placidissimis ita exhilarabat, ut uel solo sermone eos uideretur restituere. Gesnerus in eius uita.

BALDVINVS I. Hierosolymorũ rex, Phylarchi Arabis uxorẽ grauidã, quã secum in Arabica expeditione in præda captiuam abduxerat, cùm eam partus dolores in uia obruissent, benignissimè tractauit. Etenim recurrens deponi eã, ex spoliisq; hostium substerni uestimenta iussit, amiculoq; suo illã operuit, abiitq;, remanere cũ domina seruo iusso, ac quadam ex captiuarũ grege, quæ obstetricis munere fungeretur: simul camelo fœta ad infantẽ eo lacte alendum relicta, aquaq; in utre, ac fructib. in sportula agrestib. ad puerperã sustentandam, reliquum iter confecit. Aemilius lib.5.

ADOLFVS, Osnaburgensis episcopus, quoties iter faciebat in Varstenovu, itinere medio casulam leprosi subiens inuisebat, & inuitabat ad patientiam, proposita ei in exemplũ Christi passione: simul etiam eleemosynã relinquens. Pertæsi ministri moræ, effecẽre, ut transituro per uiam episcopo, ille subduceretur. Intrauit de more episcopus: & quem illi dudùm transtulisse uidebantur, ne ibi tẽpus perderet episcopus, uidet ille ante se in loco sedere consueto. Cui quũ solita monita repetisset Adolphus, in gratias soluitur leprosus, dicens se doctrinis eius plurimùm profecisse: & uidentibus cunctis qui aderant, spiritum efflauit: dabatq; signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude quam cõmiserant dolentibus. Adeo testatæ autẽ sanctitatis moriens episcopus fuit, ut qui lapidẽ sepulturæ eius transiẽs inhonoro pede tangeret, eo die singularẽ ignominiã incurreret. Cranzius lib.7. Metrop. cap.19.

Eo bello sacro, quo Fridericus I. Imp. in Armenia periit, quum multi per æstũ insuetũ ex peregrinis languerent, & acceptis in prælio uulnerib. deficerent, primi ciues LVBECENSES & BREMENSES, productis uelis de nauib. suis, fixere papiliones, sub quas ægrorum multitudinem comportarunt, pietatis studio illis obsequentes. Viderunt piam illorum operã principes, Fridericus Sueuiæ dux, & Imperialis cãcellarius Cõradus: & collata in usus egentium grandi pecunia, pietatis exemplo etiã ipsi inclaruerunt: & quoniã forti in armis operæ nullus erat usus, ad pietatẽ intenderunt studia: processitq; res usqueadeò, ut primùm eius rei firmitatem quandam statuerent sub titulo Mariæ uirginis: quam multi etiam militares subierũt. Inde militaris ille ordo prouenit, qui dicitur Teutonicorum: quẽ deinde aliquot intercedentibus annis, Fridericus II. Imperator obtinuit à summo Põtifice confirmari. Lubecenses & Bremenses, quia primi fuẽre, qui fundamenta ordinis iecere, inter militares assumuntur in ordinem: quum alios plebeios non admittant, nisi in chorum psallentium. Cranzius lib.6. Vandaliæ, c.28.

PAVLVS II. pontifex, adhuc Cardinalis, tantæ humanitatis fuit, ut in ægritudinibus curiales ipsos, qui aliquo in precio erant, inuiseret, & quibusdam remediis adhibitis, eos ad ualetudinem adhortaretur. Semper enim domi habebat unguenta Venetiis auecta, oleum, theriacam, & cætera id genus, quæ ad curandam ualetudinem faciunt. Ex his aliquid ad ægrotos mittebat. Platina.

Mos erat ALPHONSO Aragonio Siculorũ regi, quocunq; in loco Eucharistiã ferri perspexisset, relicto equo quo ferebatur, pedibus eam prosequi in locum quo perferebatur. Dum hoc peragit, contigit semel in uetulæ domũ ingredi, sanguinis fluxu laborantis. Cùm aũt certior factus esset, eiusmodi morbo plurimum iaspidem conferre, misit statim, qui unũ quẽ habebat perferret, ipseq; mulieris manui eum inseruit. Breui autem liberata anus, cùm post aliquot tempus ad Alphonsum uenisset, gratias pro accepto beneficio actura: excusauit se, ꝙ iaspidem non retulisset, ne ei daretur uitio, quia sinistro casu eum amiserat. Cùm aũt qui adstabant, grauiter eam increpassent, subridens Alphonsus: Mater, inquit, mea, hi qui ualetudinis suæ nullam rationem habent, mirantur, si tu ut ualere possis, iaspidem retinuisti. O humanitatem insignem, regẽ clarissimum cum uetula tam humanè urbaneq; se gerere. Fulg. lib.5. cap.1.

IDEM cùm apud Iuliani templum iuxta Neapolim, militem grauiter in prælio uulneratum uidisset, suo sudario uulnus eius obligauit. Cum uerò nullam spem uitæ præsentis haberet, ad beatam & immortalem hortatus est: mortuumq; sepeliri diligentissimè curauit. Panormita lib.3. de Alphonsi rebus gestis.

MATHIAS Coruinus, Hungariæ rex, in castris militum ægrorum contubernia lustrauit, cibum porrexit, consolatus est, uulnera obligauit. Bonfin. lib.7. Dec.4.

CAROLVS Nauarræ princeps, Ioannis Alphonsi filius, etiam infimis & sordidis homuncionibus opem ferre non recusabat, cùm ipse morbi cuiusdam abdita medicamenta teneret: etiam tunc, cùm ob morbum pharmaca sumpsisset, & aëris asperitatem fugere deberet. Pontanus capite 6. de Beneficentia.

M. Ant. Columna tormento grauiter uulneratus fuerat, Gallis & Venetis Veronam obsidentibus. ODETTVS Lotrechius Gallus, Insubrum præfectus, tametsi hominem, qui omnib. bellis acerrimus Gallorum hostis extitisset, publicè oderat, atq; ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ auidus, plurimùm aduersarij ducis incommodo lætaretur: tamen quũ singularis uiri casum magnoperè doluisset, & medicum obtulit, & quotidie ad eum grauissimarũ rerum munera, sicuti morbus & afflictæ urbis miseria flagitare uidebantur, officiosè humanissimeq; transmisit. Sab. suppl. lib.8. ex Iouio.

OFFICII. Sic exercetur

ERGA SENATORES.

IMPP. Romani peregrè profecturi & mox urbem repetentes, senatores ex more osculis excipere consueuerant. Propterea in Nerone Tranquillus, Neq; adueniens neque proficiscens quenquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Cælius lib.4. cap.3. Antiq. Lect.

ERGA MILITES.

Vide suprà, Duces populares.

DAVID rex, compatiens lassis sociis, qui ad bellum ire non poterant, constituit, ut æqua pars eorum esset, qui descenderent ad prælium, & remanentium ad sarcinas. 1. Reg.30.

ALEXANDER Magnus uicto Dario, cùm Macedonas infirmos & ętate graues domum remitteret: Eurylochus autem Aegæus retulisset se inter ægrotos: inde compertus nullo morbo teneri, Telesippæ amore confessus esset se deperire ac comitari ad mare uelle abeuntem: quæsiuit, cuius conditionis mulier esset? Audito meretricem liberam esse: Habes nos, Euryloche, inquit, tibi in amore fauentes: At tu da operam, quandoquidem libera est Telesippa, ut uel donis uel uerbis eam inducamus. Plutarchus.

IDEM militem Macedonem senio iam confectum uidens nimio frigore obstupefactum, cùm ipse sublimi & propinqua igni sede consideret, descendit: & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in suã sedem imposuit. Val. lib.5. c.1. & Front. lib.4. c.6.

Gregarius quidam Macedo mulum onustum auro regio agebat. Defesso iumento sarcinam ipse in humeros sublatam portabat. Vidit rex ALEXANDER onere oppressum: ac re intellecta, cùm ille id depositurus esset: Ne defatigeris, inquit, sed absolue reliquum itineris, atq; in tentorium tuum hoc defer. Plut. in Alexandro.

ANTIGONVS rex, obsidens Thebas cum patre Demetrio, cùm uideret patrẽ ex peruicacia magis quã ex utilitate op-

pugnare urbem, militesq; non paucos cadere, magno dolore percitus: Quid pater, inquit, perire hos nulla subigente necessitate floccipendimus? Tum ille ira percitus: Quid tu, inquit, cruciaris: ánne admensurus frumentum occumbentibus sis? Plut. in Demetrio.

C. IVLIVS Cęsar in milite non philosophorum austeritatem, sed ciuilem modestiam ac uirtutem ad res gerendas requirebat. Longinquo hoste liberiora militibus disciplinæ frena remittebat, ut postea propinquior factus, cùm ita militū animos recreasset, promtioribus aduersus hostē uteretur. Nunquam prælij aut expeditionis tempus militi prædicebat, ut omnibus horis præstò esse, atq; in mediis deliciis, si iuberentur, descendendum esse in prælium scirent. Quòd si nimia indulgentia milites ad cōtumaciam descendisse animaduertisset, ceu bonus insessor moderatè frena cōtrahendo, militare imperium sibi uendicabat. Eos pro concione, non milites, sed blandiori nomine Commilitones appellabat. Suetonius, & Polyænus lib. 8.

ERGA RVSTICOS.

LEO X. Pont. Max. erga rusticos mirū in modum fuit munificus, ut etiam eius aduentum se uel fructuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur: utpote qui senibus ac pueris puellisq; in uiam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter, ac sciscitando quánā maximè in parte rei domesticæ acriùs à fortuna premerentur, uirgines dote præbita subleuaret: affectis autem morbo ac ætate, uel numerosæ familiæ onere prægrauatis, æs alienū protinus dissolueret. Iouius in Leone X. lib. 4.

ERGA CONDISCIPVLOS.

GORDIANVS iunior fuit tantæ probitatis, ut quum æqualium aliquis apud præceptorem flagro adhiberetur, daret in id supplicium lacrymas. Sab. lib. 6. En. 7.

SOCIETATIS.

ERGA HOMINES VNIVERSIM.

ALEXANDER Magnus operam dabat, ut omnes homines beneuolentia superaret. Itaq; statuebat omnes pro mortalibus, uiris, maribus, meropibus & hominibus, Alexandros appellare. Polyænus lib. 2.

ERGA GENTILES, POPVLARES.

Hæc propriè Popularitas, quæ erga Populum exercetur.

Menelaus apud Eurip. in Oreste, GRÆCIS humanitatem erga suos tribuit:

Ἑλληνικόν τι, τὸν ὁμόθεν τιμᾶν ἀεὶ.

Græcanicum est, cognatum colere semper.

ERGA REGES, MAGISTRATVS, DVCES.

Alexāder Magnus sagitta ictus sella uehebatur. Vbi castra mota sunt, ingens certamen gestandi regis est inter EQVITES & MILITES ortum, tantisper dum uulnus curaretur. Ille ratus fore, ut dum unis omnino se crederet, alios offenderet, p uices gratissimū onus utrisq; partitus est. Sab. lib. 5. En. 4.

CO R. Lentulus, patricius Rom. L. Aemiliū Paulum Coss. uulneribus confectū in pugna Cannensi, seruare studuit. Delapsus enim equo cùm eum in saxo luctu oppressum & facie cruore oppleta sedere uideret, admotum equū capere iussit, & se seruare ciuibus, qui tum ut cùm maximè bono consule haberent opus. Ille uerò refragatus huic petitioni, coegit adolescentē equū repetere. Moxq; dimisso cū mandatis Lētulo, in mediā stragē se inuehēs, oppressus est. Plut in Fabio.

ERGA SVBDITOS.

Vide Tit. Reges populares.

GELO uictis Carthaginensibus, rerum potitus, conuocata Syracusiorum concione, armis indutus in suggestum ascēdit: & commemoratis suis erga illos meritis, insidias sibi paratas detexit: atq; exutis armis, dixit ad uniuersos: En igitur amictus tunicula asto, & dedo me uobis, ut pro uoluntate libitoq; mecū agatis. Cùm igitur Syracusij suppliciis afficiendos insidiatores ei tradidissent, & illum regnare iussissent, etiam hos puniendos reliquit populo. Quamobrem statuā ei posuerunt, in discincta tunica, cum epigrammate. Aelian. de Var. hist. lib. 13. & lib. 6.

ERGA CIVES, POPVLVM.

ROMANA plebs in patriciorum equitumq;, id est totius nobilitatis tutela erat, per clientelas diuisa. Ipsius causas patricij equitesq; gratis tuebantur. Populus quoq; nobilibus, cùm peterētur honores, suffragiis suis assistebat. Plebi puellarū dotes patricij persoluebāt, atq; in bello captos redimebant, à neutris aūt hæc officia improperabantur. Sed haud diuturnus tam sanctus inter eos mos māsit, qui inter ipsos amoris ac fidei uerum firmumq; uinculū erat, & Romanis rebus fœlicitatem afferebat. Fulg. lib. 2. cap. 1.

P. VALERIVS cùm populo, cuius fauore amplissima quæq; in Repub. consecuturum se sciebat, in omnibus obsecundaret, Poplicolæ nomen obtinuit. Plut. in Poplicola.

ALCIBIADES populum Atheniensem uita dissoluta quantum offendit, tantundem uicissim uirtutibus, forma, comitate sua sibi deuinxit, ut etiā uitia eius benigniore appellatione mitigarent, & maris imperium ei decernerent: captis deniq; à Lysandro Athenis, unicam in Alcibiade spem libertatis recuperandæ haberent. Plut. in eius uita.

ERGA AMICOS.

ALEXANDRI Magni benefacta minima in amicos, ingētis fuerunt beneuolentiæ & honoris, quem illis habebat, significationes. Molestū sibi esse mandauit per literas Peucestæ, Morsum ab urso ipsum q aliis scripsisset, sibi non significasset: At nunc certè, inquit, scribe, ut uales, & num qui te socio rū in uenatione deseruerunt, ut pœnas dent. Ephęstioni ob certa negotia absenti, pugnantibus per ludum ipsis cū Ichneumone, Craterum scripsit in lanceā Perdiccæ induisse se, uulneratūq; in utroq; femore fuisse. Cùm Peucestas ex morbo quodam reualuisset, ad medicum Alexippū scripsit, agere se ei gratias. Cratero affecto, cùm uisio esset ei per quietē oblata, & ipse pro salute eius sacrificauit, & illum iussit. Pausaniæ medico scripsit, ubi elleboro eum purgare Craterum accepit uelle, partim æstuans, partim admonens, quēadmodū medicamentū propinaret. Illos, qui Harpali fugā primi nunciauerunt, in uincula cōiecit Ephialtē & Cissum, tanquā mendacia de eo nunciantes. Mirum uerò est uacasse eum etiam hactenus amicis, literas ut huiuscemodi mitteret, cuiuscemodi scripsit, Seleuci puerum, qui in Ciliciam profugerat, imperans requiri: Peucestam commendans, quòd seruum Crateri Niconem corripuisset. Plut. in Alex.

AVGVSTVS Cæsar, amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse uoluit, ut tamen pari iure essent, quo cæteri, legibúsque iudiciariis æquè tenerentur. Suetonius.

TIBERIVS Cæsar cum amicis uersabatur ut priuatus: iisq; cùm rei essent, præstabat patrocinium. Intererat corū sacrificiis, uisitabat ægrotantes, nullis stipatus custodibus: quin etiam defunctum amicum & familiarem suum laudauit in funebri concione: cumq; conuentus & ludi celebrarentur, eos ipse spectabat de domo cuiusdam Cæsariani aut liberti, ut possent homines proximè & facillimè ad se cōuenire. Dion Nicæus in Tiberio, & Suetonius.

M. ANTONINVS Pius amicis suis in imperio haud aliter usus, quàm priuatus. Creber ac frequens cum his, & deambulatione, & sermone & conuiuiis: cùm & ipse nonnunquam amicorum conuiuia ceu priuatus frequentaret.

ERGA DOMESTICOS.

Et hæc Familiaritas propriè, à familia. Transfertur deinde ad quamuis priuatam humanitatem, ut Popularitas ad publicam.

ERGA LIBEROS.

AGESILAVS Spartanus rex, cum paruis liberis in arundine quasi equitans domi colludere solebat. Conspectus autem ab amico quopiam orauit, ne cui id priùs enūciaret, quàm ipse liberorum pater foret. Plut. in Agesilao.

PROCLVS Naucratites filium habebat intemperantem, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis, & equis alendis indulgentem: quem pater adeò non increpabat, ut unà cum illo potiùs iuuenaretur. Quo nomine quum ab amicis obiurgaretur: Citiùs, inquit, desinet cum senibus colludens, quàm cū æqualibus. Plut. Philostratus in Sophist. & Volat. lib. 18. Comment. urb.

GALLIAS Atheniensis, uir clarissimus, & summus Pisistrati hostis, filiabus tribus, posteaquam nubiles extitere, hoc magnificentissimum munus est gratificatus: ut quem sibi unaquæque uellet ex omnibus Atheniensibus, ceu spōsum deligeret. Herodotus lib. 6.

ERGA CONIVGES.

Vxores NVMIDARVM adeò humiliter uiris ancillantur, ut equos curent & insternant. Iouius lib. 33. Hist.

Themistoclis uxor ARCHIPPA, parendo diligentissimè coniugi suo Themistocli, tanto sibi illum amore deuinxit, ut uicissim ipse prudentissimus uir, ac inprimis strenuus imperator, uxori penè in omnibus obsequeretur. Vnde gradatio illa Gręcorum per iocum à multis iactatę: Quicquid puer hic uult (Cleophantus is erat, patri unicè carus) Græci uolunt. nam quod hic uult, mater: quod uerò mater, idem Themistocles: porrò quod Themistocles, id Athenienses: quod Athenienses, hoc Græci omnes. Ludo. Viues de Christiana fem. lib. 2. ex Plutarcho.

RVBRIVS Celer uixit cum Caia Ennia uxore sua annos XLIII. menses VIII. sine ulla querela.

ALBVTIVS uixit in coniugio cum Terentiana Valentiniana annos XXV. sine ullo iurgio.

ERGA SERVOS.

Apud ISRAELITAS seruitutis leges à Domino per Mosem latæ, de dominorum potestate erga seruos, humanitatis plenæ erant, ita ut si Israelita alteri præ egestate seruiret, nō haberet potestatem eum uenundandi, sed perinde ac mercenarium & aduenam tractaret, & anno iubilei liberum dimitteret, nisi interiecto tempore seipsum redemisset, uel à consanguineo suo redemtus fuisset. Leuitici cap. 25.

ESSENI Iudæorum, seruos habere nolunt, ne humanæ naturæ iniuriam faciant. Natura enim omnes ex æquo liberos esse. Iosephus lib. 18. cap. 2. Antiq.

GERMANIS uerbere seruum afficere, aut uinculis coercere nefas habetur. Apud eos enim laxior seruitus erat, & libertinis ferè par: quippe sibi acquirunt serui & peculium habent. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

GILLAS Agrigentinus hospitio exceptus apud hominem durum, & undecunq; facientem quęstum, qui ne dormire quidem famulis permittebat, sed alius aliud operabatur noctu: eundem & ipse postea quū Agrigentū uenisset, suscepit, & conuocatis famulorū pueris (qui permulti erant) nuces & caryeas distribuit. Interrogante aūt hospite, Vnde tot pueri? A famulis meis, dixit, mihi generantur. Voluit autem ostendere, ita tractandos esse seruos, ut ad procreandos etiā liberos legitimè sint apti. Stobæus ser. 60.

Apud ROM. mense Martio matronæ cœnas apponebant seruis, uti domini Saturnalibus mense Decembri. illæ, ut principio anni ad promtum obsequium bonore seruos inuitarent: hi, quia gratiam perfecti operis exoluerent. Macrobius libro 1. capite 12.

ROMANI ueteres mensam tolli uacuam non patiebātur, sed in ea semper aliquid edulij relinquebant famulis, eorumq; proli: ut non tam eis quod sumunt, quàm quod domini eis impartiuntur, gratum foret. Plut. lib. 7. Con. quæst. 4.

THEODOSIVS Iunior Imp. cùm sacrorum lectioni adeò esset intentus, ut noctu eis legendis operam nauaret, curauit sibi lucernam fieri, quæ sponte sua accenderetur, & oleum miro artificio affunderet, ne quem ministrorum eo labore grauaret. Niceph. lib. 14. cap. 3.

MARTINVS episcopus Turonensis, dum adhuc stipendia faceret, nec tamen tam Cæsari quàm Christo militaret, pręter illud celebratissimum eleemosynæ opus, haud minùs celebre præstitit humilitatis exemplum. Vno seruulo cōtentus, eundem ut fratrem dilexit, ut dominum coluit, cœnanti ministrabat, cubitum eunti calciamenta detrahebat, cæteraq; penè omnia mutata cum illo officij uice exercebat, seruus serui factus, ut Christo se seruire probaret, non mundo. Miles erat, necdum baptizatus, sed tantùm catechumenus, & iam perfectionis uiam ingressus, Spiritus S. sententiam sequebatur, per Salomonem in Prouerbiis prolatam, Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Marulus lib. 1. cap. 5.

ERGA FRATRES.

HIERO Syracusanus laudabili animi magnitudine pręditus, sine omni iurgio fratribus tribus numero conuersatus est, mirumq; in modum tum ipsos amauit, tum ab iisdem mutuo amore habitus est. Aelianus lib. 9. de Varia hist.

T. POMPONIVS Atticus, nobilis eques Romanus, & familiaris Ciceronis, tam pius in sororem fuit, ut per totam uitam nullam cum ea simultatem gesserit: dictitans, Cum his quos diligas, minimè irasci oportere. Nepos apud Volater. libro 18. Anthrop.

DISIVNCTIONIS.

ERGA PEREGRINOS, HOSPITES.

Humanitas hospitalis.

Hospitalitatis exempla, propter liberalem δόσιν & δαπάνην, ad Liberalitatem pertinent: propter fidem, ad Iustitiam. Hic solius humanæ tractationis ratio habetur, qua uel pauperrimus aliquis erga locupletissimum potest uti.

PHARAO rex, Abrahamum peregrinantem benignè suscepit. ABIMELECHVS itidem Gerarorum rex in Palæstina, erga Abrahamum in primis, deinde etiam erga Isaacum, qui famis causa Geraris diuerterant, humanus fuit: quamuis causas haberet utrisque succensendi, propterea quòd ille Saram, hic Rebeccam sorores esse dixisset. Vide lib. Gen.

ABRAHAMVS patriarcha in ualle Mambre ante ostium tabernaculi sedet, ne quis pertranseat, quem ad se diuertere non roget. Tres uenire uidet, neque donec adueniant expectat, sed currit obuiam, atq; adorat: ut hospites non fouendos solùm, sed etiam honorandos scias. Orat, ne se prætereant, quasi accepturus, non daturus beneficium. Et primùm aquam pedibus parat: ut doce[illegible]nium uirtutum fundamentū esse humilitatem. Subcinericios panes, butyrum & lac, & uitulum coctum apponit: ut copiosè potiùs quam luxuriosè hospites pascendos esse demonstret. Denique disce [illegible] ut quos benignè acceperimus, eosdem cum honore discamus dimittere; ne si incomitati hospitij limen [illegible]erint, expulsi magis quàm dimissi esse uideantur. Nec arbitreris ideo ill[illegible] sic a[illegible], quia scierit angelos esse: sed potiùs quia sic homines acceperit, angelos quoque accipere meruisse, & tales angelos, in quibus sub Trinitatis typo maiestas unius Dei adoranda facilè appareret. Marulus lib. 1. cap. 3. & Sab. lib. 7. cap. 6.

LOTHVS Sodomæ eosdem angelos hospitio suscepit: nec rogauit solùm, uerumetiam compulit eos ut apud se diuerterent. Itaq; alter, exoratos statim suscipiendos monet: alter, si ulteriùs recusarint, cogendos suadet. arguens nempe illos, qui sic summis labiis etiam notos interdum inuitant, ut palàm sit ipsos hospitales uideri quā esse malle. Lothus præterea tanto affectu hospites suos ab iniuria nefandissimorum hominum eripere nixus est, ut duas uirgines filias pro illis stuprandas offerret. Sed perturbatus, flagitium flagitio uoluit cōmutare: nos in illo fidem hospitij imitemur, non mentis turbationem, ne dum hospes præter modū defenditur, offendatur Deus. Deniq; angeli ut Lotho gratiam referrent, illum de consortio eorum, quos pro scelere ultū aduenerant, cum suis simul incolumem eduxerunt. Cumq; euerterent Sodomam & Gomorrhā sulfure & igne de cœlo misso, pepercerunt Segor propter eum, quia illuc confugerat, ne simul cum impiis perderent iustum, & cum aduenarum infestatoribus, aduenarū susceptorem. Marul. lib. 1. cap. 3. & Sab. lib. 7. cap. 6. ex Gen. 19.

Promta ad hospitalitatem fuit REBECCA, dicens seruo Abrahæ: Palearum & fœni plurimum est apud nos, & locus spaciosus ad manendum. Et paulo pòst dixit eidem Laban: Præparaui domum, & locum camelis. Item: Bibe domine mi: quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Geneseos 24.

Vidua mulier SAREPTANA hospita Eliæ prophetæ, sua pietate & nobilis & beata. 3. Reg. 17.

SVNAMITIS matrona persuasit uiro suo, ut pararetur in domo sua Eliæ locus aptus ad manendum. 4. Reg. 2.

SENEX quidam Ephraimita, ciuis Gabaēsis, Leuitam, cui nemo alius hospitiū concedere uoluerat, cum uxore hospitio suscepit Iudicum 19.

Ambulans per mundum Saluator mundi, in domo MARTHÆ & Mariæ præcipuè hospitium legitur habuisse. Lucæ 10. Ioan. 12.

Duo DISCIPVLI in castellum Emaus tendentes, cum Iesu simul eunt, simul fabulantur: externum ac peregrinum esse putant, donec compulsum secum manere, & secum recumbere, in fractione panis agnouerunt. Sic igitur hospitalitatis officium ad agnitionem Dei nos adducit, ut quem nunc in ænigmate & per speculum uidemus, post hæc facie ad faciem, & sicuti est, uidere ualeamus. Marulus libro 1. capite 3. ex Lucæ 24.

MELITENSES Barbari in mari Adriatico summa humanitate erga naufragos, inter quos & D. Paulus fuit, usi, accenso igne eos refocillarunt. Publius insulæ primas triduo integro lautissimè eos tractauit. Cuius patrem febribus & torminibus laborantem Apostolus sanauit. Actorum 28.

Quædam mulier purpuraria nomine LYDIA, credens concionibus D. Pauli, & baptizata cūm domo sua, inquit: *Si existimastis me fidelem Domino, intrate domum meā, & manete.* Et coëgit nos, ait Lucas Act. 16.

HECALE anicula Theseum adolescentem comiter hospitio suscepit, ei apud Callimachum sonchon & crethmum herbas parans. Apuleius. Plautus in Cistellaria, Nunquam Hecale fies Ouid. de Rem. amoris: Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ cœperit Irum? Nempe quòd alter egens, altera pauper erat. Suidas Heroidem uocat. Plutarchus in Theseo id omne somnium putat. Callimachum in Hecale opusculo adducit Athenæus Dipnos. 2. Apollonij Argonaut. α. & Pindari hymno Nemeo α. glossematarij.

Cùm rapta fuisset Proserpina, ac Ceres eius mater ieiuna illam quæreret, ab HIPPOTHOONTE Neptuni & Alopes filio, & à Meganira in hospitium fuit accepta. Meganira illi & mensam parauit & uinum miscuit. Dea mœrens recusauit, cùm diceret, sibi non fas esse bibere uinum in filiæ calamitate: at cinnum è farina sibi parari iussit, quem bibit. Erat Iambe muliercula quædam Meganiræ ancilla, ut tradidit Philochorus, Panos & Echus filia: quæ cùm deā mœstam uideret, ridiculas narratiunculas, & sales iambico metro ad commouendam deam ad risum, & ad sedandum dolorem, interponebat. Quare genus id carminis non antè obseruatum, Iambicum ab illa dictum fuit, ut testatur Nicander in Alexipharmacis. Natalis Comes Mythol. libro 3. capite 16.

HYRIEVS Neptuni & Alcyones filius, quę una fuit è filiabus Atlantis, in Tanagra ciuitate Bœotiæ habitauit. Cùm benignus esset erga hospites, dij quoq; dicuntur in eius hospitium accessisse. Iupiter, Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractati, proposuerūt, ut quodcunq; liberet peteret. Hic cùm adhuc esset sine filiis, filiū poposcit. Tum uerò dij in pellem mactati bouis profuderūt semē, iusseruntq; illam

sub terram occultare, neq; ante decimum mensem aperire. Quibus mensibus peractis, natus est Vrion, ita uocatus, ꝙ quasi eũ minxissent Dei: at uerò propter deuitandã turpitudinẽ uocis, postea dictus fuit Orion. Ea propter illum Lycophron tripatrem uocauit. Natalis Comes Mythol. lib. 8. c. 13.

ADMETVS, Thessaliæ rex, amissa uxore Alceстide, Herculem tamen hospitem ex improuiso superuenientẽ nihilominùs benignè suscepit. Qua illius liberalitate motus Hercules, uictâ Morte uxorem ei restituit. Euripides in Alcestide.

Proxeni apud GRÆCOS erant hospitibus excipiendis præfecti, qui ex ciuitatibus aduentarent: propterea ciuitatũ prostatæ dicuntur, & phrontistæ. Proxenia uerò nuncupatur munus eiusmodi. Proxeni appellationem post Homerum irrepsisse, Eustathius scribit. Eligi porrò solitos uel à populo, uel à rege. Inde Herodotus tradit, Spartanis fuisse decorum regibus, quem uoluissent, demõstrare, qui proxeni obiret functionem. Cælius lib. 11. cap. 10. A. L. Plutarchus lib. 7. Symposiacôn narrat, posterioribus tẽporibus coactos fuisse Græcos, cùm reciperent aut Prętores aut Consules, ignorarentq; comites ipsorũ, quiq; cari illis forent, in manu hoc ponere eorum, ut uocarẽt, quos ipsis uisum esset, ne parum acceptis uocatis, parũ eos delectarent. Id tangit etiã Socrates Rhodius in 3. libro de Bello ciuili: cùm enim exponeret regiam cœnam, quam dedit Cleopatra M. Antonio in Cilicia, indicat hoc etiam illam iuris ipsius esse uoluisse: significauitq;, uocato illo, ut secum duceret quot uellet, ne multitudinem conuiuarum uideretur reformidare: cuius uerba Athenæus 4 δειπνοσοφιςῶν recitat. Cic. in Verrem 3. idem confirmat. Græci ὑποδοχὰς ξένων & ὑποδεκτικὰ δεῖπνα uocabant. Victorius lib 5. Var. lect. cap. 10.

Lex olim fuit ATHENIENSIVM, ut quosuis hospites Græcos admitterent. Ac Thessalos inprimis susceperunt ob Pirithoi & Thesei hospitium. His etiam agrum assignarunt, quem uocarunt Pirithoi. Hinc Perithœde, municipium tribus Aeneiæ, à Pirithoo Ixionis F. Suidas ex Ephoro.

ARCADIBVS Polybius contribuit morum facilitatem, ac naturæ benignitatem, summamque erga omnes hospitalitatem, & in deos pietatem ac obseruantiam. Cælius lib. 16. capite 3. Antiq. Lect.

CRETENSES peregrinos perhumaniter tractabant. Eorum quæ in conuiuiis apponuntur partem, peregrinis & hospitibus primùm dant. Post hospites principi quatuor portiones præbent: unam quam etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam utensilium. Atq; etiam ad gerendos magistratus sæpenumerò peregrini uocantur. Heraclides de Politiis.

MOSYNI prouenient frumentum æqualiter in ciues singulos distribuunt, partem aliquam communiter pro hospitibus aduenientibus seponentes. Stobæus serm. 42. ex Nicolao de Gentium moribus.

MASSILIENSES libenter excipiebant hospites: nulli tamen intrare oppidum cum telo permittebant, sed præstò erat, qui id custodiæ gratia acceptum exituro redderet: ut hospitia sua, quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta essent. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

CALABRI hospites comi hospitio benignè inuitabãt olim, pyra illis affatim apponendo, cùm maiora non haberent. Itaq; in prouerbium abiere, Calabri hospitis dona. Elegantem dialogismum Horatius in Epistolis ad Mecœnatem introducit, inter Peregrinum & Calabrum hospitem:

Non quo more pyris uesci Calaber iubet hospes
Tu me fecisti locupletem. C. Vescere sordes.
P. Iam satis est. C. At tu quantum uis tolle. P. Benignè.
C. Non inuita feres pueris munuscula paruis.
P. Vt libet. C. Hæc porcis hodie comedenda relinques.

Rusticam quidem hospitalitatem Lyricus irridet, ut Mecœnatis erga se beneficentiam exaggeret. Sed tamen animus ipse laude dignus est.

Annij Plocami, qui maris Rubri uectigal sub Claudio Cæsare à fisco redemerat, libertus, circa Arabiam nauigans, Aquilonibus raptus, prȩter Carmaniam XV die Hippuros portum Taprobanes inuectus, hospitali REGIS clementia sex mensiũ tempore imbutus alloquio, percontãti postea enarrauit Romanos & Cæsarem. Mirũ in modum in auditis iustitiam ille suspexit, quòd pares pondere denarij essent in captiua pecunia, cùm diuersæ imagines indicarent à plurib. factos. Et hoc maximè sollicitatus ad amicitiam legatos quatuor Romam misit, principe eorum Rachia. Plin. lib. 6. cap. 22.

CELTIBERI aduenientes externos benignè hospitio recipiunt: adeò ut æmulatione quadam inuicem pro illorum honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudãt, amicosq; deorum putant. Diod. lib. 5. cap. 9.

GERMANI olim conuictibus & hospitali mensæ supra modum studebant. Nefas habebatur quenquam domo aut epulis arcuisse. Corn. Tacitus, & Cranzius lib. 1. cap. 34. Metropol. Sabell. lib. 2. En. 6.

GETARVM humanitatem & sanctitatẽ Strabo lib. 7. cõmendat: & Pontum, antequam Græcorum nauigationibus aperiretur, Axenum, postea uerò deprehensa illorum humanitate, Euxenum appellatũ. Verùm propter auaritiã & libidinem hostium illos quoq; humanitatẽ exuisse. Strabo lib. 7.

GOTHI & SVECI aduenas nõ solùm benignè admittũt, sed cuncta ad liberalem conuictũ necessaria gratis, & sine ulla nomismatis cõpensatione subministrant: deinde equis, uel iumentis ad uicinos deducũt, eisq; cõmendant. Fitq; nõ rarò lis inter populares, quis peregrinũ excipiat. Sũma enim laude ille à cæteris efferri cõsueuit, qui plures aduenas liberali hospitio collegerit: quemadmodũ ille publico odio dignus, qui cibũ, potũ hospitiumq; negauerit itinerãti. Siquidẽ tanta ubiq; est cibi & potus abundãtia, ut sordidæ auaritiæ mancipiũ reputetur, qui pro numerata pecunia cibauerit esurientẽ: nisi forsan in ciuitatib. & oppidis, ubi omnia, sicut in aliis terris, numo mensurãtur: quanquã illic sine cõparatione minùs expenditur. Cæterùm in uillis, quę passim à fortunatis agricolis habitãtur, omnia gratis distribuũtur, maiorq; ad hospites, quàm ad proprios filios liberalitas habetur. His namq; ad mensam uiliora apponuntur, quando aduenis preciosiora reseruantur. Io. Magnus lib. 4. cap. 2. ex Saxone & Cranzio. & Olaus lib. 16. c. 13. Sept. reg.

Succorum mores, ut & nomen SVICERI, Suecorum coloni, qui Heluetiæ montes & pagos hodie incolunt, ad unguem referunt. Vix enim gentem magis hospitalem in tota Germania reperias, modò ea quæ hospitem decet modestia utare. Io. Magnus lib. 23.

De Sclauorum hospitalitate in hunc modum Helmoldus capite 83. scribit. Nulla gens SCLAVIS hospitalior. In colligendis hospitibus omnes quasi ex sententia alacres sunt, ut nec hospitiũ quenquã postulare necesse sit. Quicquid agricultura, piscationibus seu uenatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt, eò fortiorẽ quenq;, quò profusiorem iactitantes. Cuius ostentationis affectatio multos corũ ad furta uel latrocinia propellit, quæ utiq; uitiorum apud eos quidem uenialia sunt: excusantur enim hospitalitatis palliatione. Sclauorum enim legib. accedens, quod nocte furatus fueris, crastina hospitib. disperties. Si quis uerò, quod rarissimũ est, peregrinũ hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domum uel facultates incendio consumere licitum est: atq; in id omniũ uota pariter conspirãt, illum inglorium, illum uilem & ab omnibus exibilandum dicentes, qui hospiti partem negare non timuisset.

RVGIANI Sclaui hospitalitate insignes, & erga parentes maximè benefici habentur, in infirmorum cura fideles. Mendicus apud eos nullus. Helmoldus lib. 2. cap. 12.

Cydon Corinthius quispiã erat, adeò insignis hospitalitate, ut etiã prouerbio locũ fecerit: ἀεί τις ἐν κύδων. Suidas & Zenodotus & Aristophanis interpres. Eras. in Adagiis.

PLATO filius Aristonis, Olympiæ apud ignotos diuersatus, corum animos ita sibi conciliauit, ut cum eis conuiuando ac familiariter colloquendo multas horas cõsumeret. Cùm uerò Athenas uentũ esset, perhumaniter eos uicissim excepit Plato. Ad quem cùm hospites dixissent: Age uir optime, monstra nobis Platonem Socratis discipulum, & duc nos in Academiam, ut aliquam uoluptatẽ ab eo percipiamus. Ille clàm subridens: Ego, inquit, sum Plato quem uidere cupitis. Quod cùm audissent, obstupuerunt, quòd ignorassent se tanti uiri uti familiaritate, qui sine iactantia omni secum esset conuersatus. Aelian. lib. 4. de Var. hist.

SYLVANVS abbas in deserto Scythi, ieiunij die unà cum Zacharia discipulo iter faciens, ad quoddã monasteriũ diuertit, & humaniter acceptus mãducauit. Cùm discessissent, discipulum in uia bibentẽ reprehendit, ꝙ eo potu ieiuniũ ante tempus soluisset. Et cùm ille ambos soluisse diceret, ꝙ in monasterio comedissent: Minimè, inquit. nam illud nõ ieiunij solutio, sed charitatis cõmunicatio fuit. Marul. lib. 4. c. 1.

Sic & BERNARDVS monachorũ pater, cùm aliquando uenientib. hospitibus extra ordinem cœnasset, idq; discipuli crimini darent, Non ego, inquit, sed charitas bibit editque. Aen. Syluius lib. 2. Com. in Panormitan.

PYRRHVS Epirotarum rex, legatis Romanorum ad redimẽdos captiuos castra sua petentibus, quo tutiùs uenirent, [redacted] conem Molossum obuiam misit: quò honoratiùs exciperen[redacted] tur, ipse cum ornatu equitum extra portam occ[redacted] darum [redacted] entu adeò non corruptus, ut officij pro spectum in iis deponeret, qui tunc maximè armis cum [redacted] dissid[redacted]p. 1.

Victo ad [redacted]tiam Mancino; quicquid relictum in [redacted] fuerat, [redacted] Numantini omni sunt, & diripuerunt. [redacted] his tabulæ erant Tiberij Gracchi quæstoris, in quibus [redacted] sturæ ac[redacted] rationes [redacted] faciens, [redacted] itinere esset, tribus [redacted] tuor amicis comitantib. [redacted] egressus est Numantiã. Excitos NVMANTINORVM [redacted] ut tabulas sibi redderent, ne iniquis calumniandi præberet ansam, quòd referre rationes non posset. Læti oblata præstandi beneficij occasione Numantini (ob patris eius memoriam, qui cum Numantinis olim fuerat) inuitauerunt eum, ut urbem ingrederetur. Vt deliberabundus constitit, propiùs accedentes, manus eius corripuerunt, maiorem in modum precantes; ne ultrà in hostibus numeraret ipsos, sed uteretur pro amicis, & fidem haberet. Itaque uisum Tiberio est morem eis gerere, tum tabularum desiderio, tum timens etiam exasperare diffidentia Numantinos. Ingresso urbem primò prandium proposuerunt, atque obsecrauerunt enixè, ut aliquid communi mensa secum cibi caperet. Inde tabulas ei reddiderunt, iusseruntque ut de reliqua præda sumeret, quicquid ei cordi esset. Ille uerò præter thus, quo ad sacra publica utebatur, nihil cepit: atque ita postquam eos comiter salutauit, digressus est. Plut. in Tiberio.

IVLIANVS, Hospitator ob hospitalitatem religiosam dictus, cùm parentes suos in cubili suo domi dormientes per errorem interemisset, adulterum cum uxore esse existimans: re cognita, ubertim fleuit, relictaque domo propè fluminis ripam ubi multi uado transeuntes deperibant, Xenodochium posuit: & uiatores tecto accipere & nauicula transuectare gratuitò cepit. Marulus lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgosus lib. 6. cap. 9.

MILITES sacri Hospitalarij, Templarij, Teutonici, hospitalitate erga peregrinos Christianos insignes fuere. Polydorus lib. 7. cap. 3 Aemilius lib. 8. Sab. 1 & En. 9.

Otho III. Imp. cùm uoti causa Venetias occultè profectus esset, à PETRO Vrseolo duce clàm susceptus est: & ne hospitali tantùm necessitudine essent inter se iuncti, sed alia adhuc sanctior accederet, ex sacro fonte Ducis filiam per eos dies natam Otho sustulit Sab. lib. 4 Dec. 1.

Mansor, Marocci Atlantici rex & pontifex, in uenatione uentorum & tempestatum turbine in auia à comitibus distractus, nocte iam ingruente, tugurium PISCATORIS anguillas captantis in proximis paludibus subiit. A quo, dissimulato habitu, benignè exceptus, cùm inter colloquia piscator Mansoris regis commendasset pietatem, felicitatem & tranquillitatem imperij, atque etiam hœdum, suarum diuitiarum summam, hospiti mactasset, factoque mane, eum per cœnosę paludis uoragines ad suos incolumem deduxisset: rex hominis hospitalitate delectatus, uicinas arces & palatia ei dono data mœnibus cinxit. Ioan. Leo libro 3. cap. 72. de Africa.

Landinus scribit, BRETINORIVM urbem esse Romandiolæ splendidam, in monte supra Forum Liuij sitam, Guidonis à Prata (id uillæ nomen est intra Fauentiam & Rauennam) ac eius gentilium, aliarumq; familiarum insigni liberalitatis æmulatione inclytam: inter quos persæpè contentiones oriebantur, quum aduenis in urbem accedentibus, eos hospitio habere suo quisq; præ cęteris anniteretur. Qua de causa columnam in foro statuere, anulis pro numero familiarum appensis, suaq; cuiusq; nota insignitis. Ad quemcunq; anulum hospes deligasset equum, eius domum deducendi ac honorificè tractandi potestatem sibi factam esse, magni muneris loco ducebat. Leander in descript. Ital.

Pace cum Genuensibus inita, postquam Clodia urbs recepta est à Contareno duce, belloque atrocissimo finis est impositus: missi sunt Genuenses oratores Venetias, qui & publicè Ducem Senatumq; adirent, & CAROLVM Zenum priuatim inuiserent. Quos ille tanta benignitate & facilitate excipere solitus erat, ut non domi solùm eos perquàm familiariter haberet, uerùm etiam urbem cum iis sæpè lustraret. Quinetiam dedita opera illos secum ad magistratus deduxerit, ad quos deprecaturus simulatè uenerat, ut sibi ueniã darent, multamq; remitterẽt, quãdo eorum lictor gladium sub ueste Caroli ipsius latentem sibi ademisset. Quum id difficiliùs impetrare uideretur, interuenientibus oratoribus, qui suppliciter peterent & gladium restitui, & multam remitti ciui de patria tam bene merito, uix magistratus adduci potuit, ut oratores id impetrarent. Quæ tamen omnia fictè simulateq; agebantur, ut Venetiis intelligerent omnes legibus obtemperare debere. Egnat. lib. 5. cap. 1.

Religionis.

BASILIVS Macedo Imp. Constantinopolitanus multos Iudæos largitionibus & promissionibus ad fidem Christi adduxit. Zonaras tomo 3.

Hariadenus Barbarossa, ingẽti prælio uictus à Carolo V. Imp. Tunetum reuersus, seipso factus atrocior, insitatæ crudelitatis consilium cepit, occidendi scilicet seruos Christiani nominis, ita circumposito & incenso tormentario puluere, ut ad unum omnes in ergastulis concremaret: certus id exequi, nisi Iudæus SINAS execrabile facinus dissuasisset, testatus huiusmodi consilium uiro forti, tot uictoriis inclyto, regiiq; diadematis honorem præferenti, indignum existimari. Erubuit ad hæc tyrannus, concessaq; miseris uita, arce est egressus, & in longè maximum urbis templum concionaturus se contulit. Interea opera quorũdam apostatarum patefacto carceris aditu, circiter sex millia nudorum Christianorum, uariis rebus, saxisq; præsertim dextras armantium, in Turcas erupere, tumultuarieq; interfectis aliquot Turcis, totam occuparunt arcem, & Barbarossa Hipponam fugiente, Cæsarem in urbem recepere. Iouius.

Quosuis alios, pace bellóue.

☞ *Clemẽtia iram moderatur, & erga hostes benignitatẽ suã ostendit, à quibus iustè uindictã exigere posset. Humanitas uirò, iræ & offensæ rationem non habet, ut illam moderetur: sed id tantùm agit, ut benignè, amicè, placidè cum iis tanquam hominibus conuersetur. Exempla igitur petantur è Tit. Clementiæ erga hostes: item, Hostes beneuolentia sibi conciliare.*

IVDÆI in urbium obsidionibus, frugiferam arborẽ nullam uiolabant. Fulg. lib. 2 cap. 1.

Licèt Beniamitæ ISRAELITAS grauissimè offendissent: propter illorum tamen excidium omnes eleuata uoce ululatu magno fleuerunt. Iud. 21.

HELISEVS propheta inimicos ad capiendum se missos, non tantùm amauit, sed mensam eis apponi præcepit, refectósque abire illæsos permisit. 4. Reg. 6.

Cùm cepissent ISRAELITÆ ducenta millia mulierũ & puerorum è Iudæa: uestitos atque refectos ad propria remiserunt. 2. Paralip. 28.

EVILMERODACHVS Chaldæorũ rex Ioachinũ regem captiuum mensæ suæ adhibuit Babylone, eumq; honorificè tractauit. 4 Regum 25.

INDI bella gerentes, hostium agricolas inuiolatos seruabãt. Stultum enim esse dicebant, eos lædere, qui ut frugifera humus esset, labore suo curabant: siquidem & in bello parti utrique fruges necessariæ essent: & inclinante ad alterutrum uictoria, qui superessent fructus cum cæteris rebus in eius potestate futuri essent, qui uictoria potiretur. Fulgosus lib. 2. capite 1.

AGESILAVS Laconum rex, feliciter pugnauerat apud Corinthum. In eo prælio quanquam accepisset Spartanorum admodum paucos desideratos, cæterùm è Corinthiis & Atheniensibus aliisque sociis ingentem numerum interiisse: adeò non gauisus est, nec elatus ea uictoria, ut grauiter ingemiscens deploraret Græciæ uicem: Heu, inquiens, Græciam, quæ tot uiros intestino bello perdidit, quot uniuersis barbaris debellandis satis esse poterat. Plut. in eius uita.

MILITES ad Dionysium Siciliæ tyrannum interficiendum missi, squallorem eius intuiti, commiseratioṇeque moti, incolumem dimiserunt. Polyæn. lib. 5.

PHILIPPVS Macedonum rex, cùm subactis Græcis, quidam auctores essent, ut ciuitates præsidiis contineret, ne deficerent: Malo, inquit, diu bonus ac commodus, quàm breui tempore dominus appellari. Plut. in Apophtheg.

Darium ad Gaugamela ab Alexandro uictum, & Ecbatana fugientem, Bessus Bactrianorum & Nabarzanes Dracarum satrapæ, ut Alexandri gratiam mererentur, aureis compedibus uinctum, pòst etiam iaculis in curru confecerunt. Equi sine rectore aberrantes in conuallem quandam decesserãt, haud procul fons inde erat. Ad quem monstratum quum POLYSTRATES Macedo æstu & siti confectus uenisset, aquã galea haustam potaturus, iumenta inhærentibus telis deficientia conspicatus, & nouitate rei cõmotus ad currum accessit, ibiq; Dario reperto, aquam ori adhibuit, ut extremũ spiritũ trahentẽ reficeret. Hausit ille aquã, atq; addidit: Quisquis mortaliũ es, hoc ad extremã calamitatẽ mihi accidit, ut pro tali in me beneficio gratiã tibi referre nequeam. Referet Alexãder, Alexandro uerò dij immortales, quòd in matrem meam, uxorem & liberos, pius & clemens extitit.

Tuq;

Tuque oro in meæ pietatis argumentum, hoc dextræ pignus illi dato; ac peccare etiam, ne meum corpus insepultum iacere patiatur. Atque hæc dicentem accepta Polystratis manu, uita destituit. Ad quem uidendum quũ ALEXANDER & multi accurrissent, dicitur rex lacrymis temperare nequiuisse: demtaque sibi chlamyde iacentis corpus contexit: postremò regio more funerauit, reliquias corporis maiorum tumulis inferri iussit. Plutarchus auctor est, corpus ab Alexandro ad matrem, quæ Susis erat, missum. Cecidit cum Dario Persarum regnum, ducentesimo fermè anno quàm conditum fuerat. Sab. lib.6. En.4.

ANTIGONVS Asiæ rex, amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, ualidis illam præsidiis communiret, ne quando deficeret, summaque cura ut totius Græciæ basim custodiret: respondit, Se semper in hac fuisse sententia, ut crederet nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. Plutarchus.

IDEM capto Eumene Cardiano, cùm uereretur, ne qua seditio exercitus oriretur, uetuit ad eum quenquam admitti, & quotidianum uictum amoueri iussit. Nam negabat se ei uim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non ampliùs quàm triduum fame fatigatus, cùm castra mouerentur, insciente Antigono iugulatus est à custodibus. Probus in Eumene.

DROMICHAETES Getarum rex, in Thracia capto Lysimachio Hellesponti rege, admiratione uirtutis eius, cũ humanissimè tractauit, suamq; paupertatem ei ostendẽs, monuit, Ne talibus mortalibus bellum inferret, sed eis potiùs amicis uteretur. Inde donatum hospitaliter Lysimachum, & amicitia sibi deuinctum, libertati restituit.

FVRIVS Camillus, cùm capta Veientium urbe, ab arce conspicaretur à Romano exercitu eam diripi, quanquam sciret Veientes populo Rom. graues fuisse hostes: tamen ex his humanos repensans casus, lacrymas continere non potuit. Fulgosus lib.5. cap.1.

M. MARCELLVS captis à se Syracusis, in arce earum constitit, ut urbis modò opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterùm casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit: quem si quis ignarus uir aspexisset, alterius uictoriam esse credidisset. Itaq; Syracusana ciuitas, maxima clade sua aliquid admixtum gratulationis habuit: quia si sibi incolumi stare fas non erat, leniter tamen sub tam mansueto uictore cecidit. Val. lib.5. cap.1. Romanos quidem exteræ nationes habebant insignes bello uiros & formidabiles in conflictibus: sed cùm nullum specimen dedissent facilitatis, uel humanitatis, uel ciuilitatis: M. Marcellus consul Syracusis captis ostendisse primus Græcis uidetur, esse magis insignes iustitia Romanos. Summa enim extitit illius in eos, quibus quid negocij erat cum ipso, moderatio, summa etiam in quamplurimas ciuitates & priuatos benignitas. Plut. in Marcello.

P. SCIPIO Africanus superior, Syphacem regem barbarum, atque (ut Liuij uerbis utar) Romanis moribus insuetum, & quod mirabilius fuit, Hasdrubalem quoque Carthaginensem, non barbarum modò, sed etiam immitem Romani nominis inimicum, inter cœnandum suaui conuictu & comi mansuefecit alloquio.

T. QVINTIVS Flaminius, qui Philippum Macedonem domuit, humanitate & beneuolentia sua magis, quàm armis Græcos, qui Romanos uelut barbaros priùs horrebant, ad Rom. partes à rege traduxit. Cùm Macedones clamarent, Imperatorem cum infesto barbarorũ exercitu uenire armis omnia domantẽ & subigentem: ipsi inde, ut conspexerunt iuuenem uultu benigno, uoce & sermone Græco, ac ueri amatorẽ honoris, mirificè ab eo capti sunt: digressiq; ab eo, ciuitates desiderio impleuerunt Quintij, tanquam ducẽ nactas libertatis. At ubi cũ Philippo, qui inclinare uidebatur ad pacem, congressus, has conditiones dixit pacis & fœderis, ut Græcos liberos dimitteret, ac præsidia deduceret, nec ille reciperet eas: tũ uerò pro certissimo habuerunt uel addicti Philippo, ut bellum inferrent, Macedonibus uenisse Romanos, non Græcis, sed pro Græcis. Plut. in Flaminio.

L. PAVLVS, cùm Persen regem Macedoniæ paruo temporis momento captiuũ ex rege ad se adduci audisset: occurrit ei Romani imperij decoratus ornamentis: conatumq; ad genua procumbere, dextera manu alleuauit, sermoneq; grato ad spem exhortatus est. Introductũ etiã in tabernaculũ lateri suo proximũ in consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum iudicauit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, & harum rerum, quas retuli, cõtextus: utro magis spectaculo delectentur homines dubitabunt. Nam si egregium est hostem abiicere: non minùs tamen laudabile, infelicis scire misereri. Val. Max. lib.5. cap.1.

Q. METELLVS Celtibericum in Hispania gerens bellum, cùm urbem Centobricam obsideret, & iam admota machina, partem muri, quæ sola conuelli poterat, disiecturus uideretur, humanitatem propinquæ uictoriæ prætulit. Nam cùm Rhetogenis filios, qui ad eum transierant, Centobricenses machinæ ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quanquam ipse Rhetogenes negabat esse impedimento, quo minùs etiam per exitum sanguinis sui, expugnationem peragerent) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto etsi non unius ciuitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit, effecitque ut ad redigendas in ditionem populi Romani, non multis sibi obsidionibus opus esset. Val. lib.5. cap.1.

FANNIA, Minturnensis mulier, infamię damnata à C. Mario, eius tamen Minturnis capti, & sibi in custodiam traditi maiorem quàm ignominiæ suæ curam habuit. Plut. in Mario.

CN. Pompeius regem Armeniæ Tigranem, qui per se magna cum P. Ro. bella gesserat, & infestissimum urbi Rom. Mithridatem Ponto pulsum uiribus suis protexerat, in conspectu suo diutiùs iacere supplicem passus non est: sed benignis uerbis recreatum, diadema quod abiecerat, capiti reponere iussit: certisq; rebus imperatis, in pristinnm fortunæ habitum restituit: æquè pulcrum esse iudicans, & uincere reges, & facere. Val. Max. lib.5. cap.1. Dion & Plut. in Pompeio.

AVGVSTVS Cæsar Cleopatram, cæso M. Antonio, in monumento allocutus & consolatus est, & exhibito thesauri breuiario concessit quæ illa uoluit. Plut. in Antonio.

IDEM quoque nulli genti sine iustis & necessariis causis bellum intulit. Tantumque abfuit à cupiditate quoquomodò imperium, uel bellicã gloriam augendi, ut quorũdam Barbarorum principes in æde Martis Vltoris iurare coegerit, mansuros in fide ac pace quam peterent: à quibusdam uerò nouum genus obsidum feminas exigere tentauerit, quod negligere marium pignora sentiebat: & tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties uellent, obsides recipiendi. Neque aut crebriùs, aut perfidiosiùs rebellantes grauiore unquam multatus est pœna, quàm ut captiuos sub lege uenundaret, ne in uicina regione seruirent, neue intra tricesimum annum liberarentur. Qua uirtutis moderationisque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultrò per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam uendicanti facilè cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt. Deniq; pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum comprobauerunt. Suetonius.

Theodosio iuniore, cõtra Persas suscepto bello, regionem Azazenam uastante, capti erant à Rom. circiter septem Persarum millia. Quos cùm regi Persarũ reddere nollent Romani, fame ceperũt periclitari. Ibi tum ACACIVS Amydenus episcopus, conuocato ecclesiastico collegio, omnes eò duxit, ut uasa & donaria ecclesiæ preciosissima uenderẽt, & eo precio captiuos redimerent. Quos cibo refectos, & uiatico insuper donatos, ad regem remisit. Qui tanta Acacij pietate motus, à Theodosio impetrauit, ut Acacium coràm uidere, eiusq; colloquio frui posset. Socrates lib.6. cap.21.

TOTILAS Gotthorum rex, recepta Neapoli, Romanorum, qui inediæ diuturnitate afflicti erant, curã propè paternam suscepit. Veritus enim ne, si se repentino cibo ad satietatem replessent, continuò interirent, ne quis urbe abire posset, inhibuit: ac cibum parciùs, quàm pro appetentia, præbuit. Ubi uerò uires eos recepisse uidit, patefactis portis abire, quò quisq; uellet, permisit. Cononi pariter urbis præfecto & militibus animo suo obsequendi libertas data: ij naues ingressi, Romam iter intenderunt. Verùm, reflante uentò, cùm tenere cursum nequirent, rursus in magnam solicitudinem inciderunt, uerentes, ne iterum in manus Totilæ deuenirẽt, atque ab eo quasi pactæ fidei sacramento soluto, aut pœnitentia tacto, aliquid detrimenti acciperent. Quod ubi Totilas animaduertit, statim uniuersos ad se uocauit, & consolatus eos, noua fide data, securo esse animo iussit, & suo exercitui se immiscere, & quibus egerent, coëmere permisit. Sæuiente autem adhuc uento, equos, iumenta, & uiaticum clargitus, auctor fuit, ut terra contenderent, ac comites dedit, quò tutò abirent. Sigonius lib.19. Imp. occid.

Iustinianus Imp. regem Vandalorum VITIGEM captũ à Belisario, Patricij honore donatũ, omni humanitate toto biennio, quò superuixit, prosequutus, eius relictam coniugẽ Mathasuentam suo germano Patricio sociauit. Procopius. Gothos pro eximia corporum magnitudine ac specie miratus, gazas regias in curia senatoribus uisendas exposuit. Sigonius lib.18. Imp. occid.

Trecacẽsis urbis siue Troiæ antistes diuus LVPVS, habitu indutus pontificali, cùm multitudine cleri, Atilæ à pugna Catalaunica reliquas Galliç urbes euersuro aduenienti, fit obuius: Et facta salutatione interrogat Atilam, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis cuncta ui sibi subderet? Cui Atila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. Tum Lupus ingemiscens, Et ego Lupus uastator gregis, dignus flagello eius, cui quis resistat, quo minus in quos uolet sæuiat? Veni igitur, Dei mei flagellum, quò libet proficiscere: omnia tibi, ut Dei ministro, mé non repugnante patebunt. Iubet inde portas urbis reserari, ac Atilam (frenum equi honoris causa manu tenens) summa ueneratione introduxit. Qui siue humanitate ductus episcopi, siue Dei uoluntate, sine ullius cæde & detrimento, per urbem mediam cum omnibus suis copiis progressus, altera urbis parte egressus est. Olahus cap. 9. in Atila, & Marul. lib.5. cap.2.

PHARAS, Belisarij dux, Gilimerem Vandalorum regem in extremo Numidiæ monte Puppua diligenter obsedit, atq; à Mauris deiectus, locum sibi custodiendum suscepit, ut, nullo alimento inuecto, hostes fame debilitati ultrò ad deditionem accederent, ad quam etiam Gilimerem, fide incolumitatis data, & spe præmiorum ostentata inuitauit. Quod ille se facturum abnuit, atq; ab eo panem tantùm, spongiam & citharã postulauit. Cuius postulati, ut noui, rationem curiosiùs inquirenti, nuncius hanc reddidit, panem requiri dicens, quòd postquam montem illum insedisset, panem coctum nullum uidisset: spongiam, ut lacrymas, quibus conficiebatur, abstergeret: citharã uerò, ut præsentem calamitatem flebilibus modis, haudquaquã eius artis ignarus, leniret. Quæ ubi cognouit Pharas, hominis miseratione permotus, omnia misit. Gilimer inde, cùm, appetente iam uere, expugnationem timeret, atq; intestinorũ dolore intolerabili laboraret, Pharæ se consiliũ sequi uelle, ut se Iustiniano dederet, indicauit. Cuius rei nuncio Belisarius, ut qui hominẽ uiuum ad Iustinianũ ducere cuperet, eximiè delectatus, confestim Cyprianũ ad rẽ cõficiendã misit. Sigon. l.17. Imp. occ.

CONRADVS III. Rex Rom. contra Vuelfonem Bauariæ ducem rebellem bellum iam diu gerebat. Suscepta interim expeditione Hierosolymitana, bello nondum finito, inter cæteros principes etiã Vuelfonẽ comitem habuit, eumq; amicè tanquã cõmilitonẽ habuit & salutauit, eiq; in tam laborioso itinere sæpissimè subuenit, ac de omnibus quę à regio fisco Cõstãtinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partẽ illi tradidit. Posteaquã uerò ab expeditione illa redierũt, Vuelfo prior ad arma rediit. Sed tandem uictus, Friderici Sueuiæ ducis opera in gratiam regis rediit. Cuspinianus.

PHILIPPVS Vicecomes, Mediolanensis dux, cùm Carolum Malatestam Florentini populi ducem, uirum generis claritate & rerum gestarum gloria insignem, in acie captum Mediolanum duci audiuisset: honoris gratia obuius ei prodiit, neque secus ac parentem omni tempore coluit. Braccellus lib.1. belli Hispan.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm amœnissimum Picentiæ agrum Surrentinum uastaret, ingemuisse frequenter uisus est: crebroque per caduceatorem oppidanos orasse, ne id ipsorum pertinacia committerent, quod postea eius lenitate & misericordia corrigi non posset. Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

Recepta Clodia Genuenses capti plurimi à Venetis, & ad finẽ belli usq; custoditi. VENETÆ matronæ tantũ pecuniæ in medium cõtulère, ut Genuensibus, qui seminudi è custodia educti erant, tunicæ aliaque uelamenta corporis, ut cuique hac uel illa re opus fuit, sint abeuntibus præbita: uiaticum adhæc datum, ne mendicare cogerentur. Sabellicus libro nono, Enneadis 9.

Anno 1506. cùm plurimi Genuenses VENETORVM urbem seuelle incolere, Patribus ostendissent, modò tuti publicè fierent, si quid in Venetos Ligur quispiam deliquisset, sua bona ea re non teneri: Senatuscõsultum factum est, quo eis ciuitatis ius atq; securitas est data, nauigatione mercaturæ causa in Orientem excepta. Bembus lib.7. hist. Ven.

Barth. LIVIANVS Veneti exercitus contra Maximilianum I. Cæsarem dux, Succarum ad Veronam cùm in hostes rueret captum tanto in honore apud se habuit, ut eum (quod est inuiolabilis amicitiæ sacramentum) his sacris adhibuerit, quibus lustrico die Liuium Septimium nuper ex sorore Baleoni Malatestæ susceptum baptismate abluit. Ea res solenni ritu & maioribus cæremoniis celebrata est: siquidem in ripa profluentis Medoaci, armatus & diuisus exercitus tanquàm aduersæ acies in simulacrum iustæ pugnæ præpilatis hastis concurrit: displosaque puncto temporis tormenta omnia in lætitiæ signum tanto amorum fragore & clamore militum, ut præteruolantes aues exanimatæ ceciderint. Iouius lib.12. Hist.

Quum expugnata direptaq; à Caroli V. exercitu anno 1527. pridie K. Maias Roma, Clemens VII. Pont. arcem, in quam cõfugerat, ea cõditione dedidisset, ut militi stipendia persolueret: magnis rei numariæ difficultatibus coactus est obsides dare, quos ipsi milites delegissent. Ii fuere Cardinalium propinqui, uiriq; maximè pecuniosi. Horum manibus ferreæ cathenæ statim iniectæ, uinctique in Pompeiana domo custoditi. Hos POMPEIVS Columna Cardinalis, huius cladis non postrema causa, uidere aut alloqui humanitate suã indignum putauit, ne quum præstantes uiros, familiaritate superioribus temporibus sibi coniunctos, in libertatem uindicare non posset, ad non dubiam inuidiam eorum calamitate lætari uideretur. Verùm per familiares suos id benignè & liberaliter præstabat, ut nihil quod ad subleuanda captiuitatis incommoda pertineret, omnino desiderarent. Quũ uerò à barbaris aurum immaniter supplicij metu iniecto exprimere properantibus, in Floræ campum ad furcas cathenati latronum more traherentur, bisq; sententiis de eorum supplicio in corona militum graui & infesto concionis fremitu esset disputatum: adeò Pompeius eo atroci sacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus est, ut non multo pòst, ipso conniuente, per uaporariũ foci tubum subleuati, extractiq; funibus euaserint, quũ Germanos custodes opipara in cœna, multo falerno consopitos, egregiè fefellissent. Iouius in Pompeio.

CALAMITATIS.

ERGA CALAMITOSOS in genere.

ATHENIENSES Phrynichũ, qui Mileti expugnationem in tragœdia docuerat, multarunt: & sumsere, cùm Thebas restitueret Cassander, coronas. Cædem item cùm Argis factã audissent, in qua mille quingentos Argiui ciues suos baculis interemerant, expiari iussere concionem. Plutarchus in Præceptis politicis.

Quædam sub TITO Imp. fortuita ac tristia acciderunt: ut conflagratio Veseui montis, in Campania: & incendium Romæ, per triduum, totidemq; noctes: item pestilentia quanta non temerè aliàs. In his tot aduersis ac talibus, non modò principis solicitudinem, sed & parẽtis affectum unicum præstitit: nunc cõsolando per edicta: nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Cãpaniæ è Consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Veseuo, quorum hæredes non extabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incendio nihil, nisi sibi publicè periisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit: præposuitq; complures ex equestri ordine, quo quæq; maturiùs peragerentur. Medendæ ualetudini, leniendisq; morbis nullam diuinam humanamq; opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum remediorumq; genere. Suetonius.

BASILIVS Macedo Imp. cùm magna Dominica in ædem Apostolorum uenisset, ciuesq; quosdam uenerando aspectu uideret tristi uultu, & mœrorem præ se ferentes, ad se uocatos interrogauit: Cur non ipsi quoq; splendido amictu ad eam solennitatem accessissent, sed ueluti in magna aliqua ciuitatis calamitate mœrerent? Cumq; unus eorum respondisset: Tibi quidem, Domine, & iis qui tibi adstant, splendidè uestiri & lætari conuenit: non item eos hæc decent, qui in discrimine mortis sunt constituti: uideris enim ignorare, ob uentorum asperitatem duos frumẽti modios aureo numo uẽdi. Hac uoce audita, gemitum eximio duxit pectore, & miseratio lacrymas ei expressit: consolatusq; eos, ut in palatium rediit, cõuocatos quibus ciuilia & imperatoria negotia commendauerat, multis est insectatus conuitiis: detestatusq;, quòd de caritate annonæ se nõ fecissent certiorem: statimq; uenum proposito suo & publico frumento, XII. modios aureo uendi iussit. Quod eius factũ probans Deus, fertilitatem est largitus. Cedrenus.

ERGA PAVPERES.

Ex Tit. Eleemosynæ, huc transferenda exempla, quatenus humanitas conuersationis simul spectatur.

Et mira & bonitatis plena HEBRÆORVM consuetudo erat, qui metendis frumentis relictas spicas non colligebant, neque uindemia uuas, quæ fortè uindemiatorum diligẽtiam effugissent. Hæc enim ad pauperum nutrimenta relinquebantur. Neque ex agro peregrinum aliquem, qui in eo esset, pellebant: ferentesque ad torcularia uuas, nemini, qui in cibum dari sibi peteret, negare fas putabant. Fulgosus libro secundo, cap.1.

BOOZVS Bethlehemita mansuetudinem erga Rutham Moabitidem peregrinam, summã exercuit. Eam namq; in agro suo spicilegium facientẽ placidis uerbis compellauit, & ne aliò iret hortatus est, cum suis quinetiam messorib. cibum caperet. Tandem quoq; eam uxorem duxit. Ruth c.2. & seq.

IOB de seipso inquit, Auris audiens beatificauit me. Eo quòd liberassem pauperem uociferantem, & pupillum cui non erat adiutor, benedictio pupilli super me uenit, & cor uiduæ consolatus sum. Iobi 29.

THEBANI uetant capitis supplicio, ne ciuis paupertate pressus infantem exponat aut abiiciat, sed eum statim à materno partũ ad magistratum cum ipsis fasciis adferat. Quem acceptum dat uolenti, ut illum alat, & adultũ serui uel seruæ loco habeat. Aelianus lib.2. de Varia historia.

ADRIANVS Cæsar domi supra quàm dici possit ciuiliū morum studiosus, ut se propemodum in ordinem redigeret nimia comitate. Neminem uidit pauperem, modò innocentem, quem non ditauerit. Odit contrà fraude & dolo malo diuites. Sab. lib. 4. En. 7. In balneo ueteranum quēpiam, seruuli penuria sese marmoribus affricantem cōspicatus, eum & seruulis aliquot & sumtibus donauit. Quod reliqui ueterani feliciter cessisse uidentes, ceperūt & ipsi complures sub oculis Imperatoris sese marmoribus affricare, ut hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille euocatis senibus, iussit ut alius alium uicissim defricarēt, atq; ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in uulgi fabulam cessit. Spartian.

LEO I. Imp. uir erat in quo multæ clarissimæ effulgebant uirtutes, sed omnium maximè erga homines calamitosos miseratio. Dicereque solitus est, quemadmodum Sol qui quic quam suo splendore illustrat, nonnihil caloris impartitur: sic Principem debere eos sua dignari misericordia, quos contueretur. Cuspinianus.

Apud RVGIANOS Sclauos mendicus nullus est. Tanta sunt erga suos benignitate. Helmoldus lib. 2. cap. 12.

ERGA CAPTIVOS.

Vide suprà, Erga hostes, quatenus in potestatem uictoris uenerunt.

ABDEMELECHVS Aethiops eunuchus, Sedechiæ regis seruus, Hieremiam ab iis qui uera audire non poterant, in cœnosum lacum deiectum miseratus, cùm regem pro illo exorasset, solus eduxit. Inde qui Prophetam malè tractarant, in hostium potestatem uenerunt, è quibus alij interfecti, alii Babylonem captiui ducti sunt. Ad ipsum autem Abdemelechum, per Prophetam dicitur: Liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus uirorum quos tu formidas, sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. O grande charitatis præmium. Capitur, quatitur, uastatur, funditùs euertitur Hierusalem, & inter tot gladios furentium inimicorum is qui proximum ab iniuria liberauerat, diuina uirtute protectus, liber expersq; periculi fuit. Marul. lib. 3. cap. 2. ex Hieremiæ 38.

IVLIVS centurio, cohortis Augustæ, Paulum Apostolum Romam è Cæsarea uinctum duxit, & humanissimè eum tractauit, amicos eum adire permittens, qui eius curam gererent. Item cùm naufragio facto milites uinctos omnes occidere uellent, ne quis enatando effugeret: centurio Paulum seruare uolens, eos illo consilio prohibuit. Actorum 27.

Aristogiton seditiosus orator, in uincula coniectus, damnatusque ab Atheniensibus, oratum ad PHOCIONEM misit, ne grauaretur paululùm ad se uisendum accedere. Faciebat is quod petebatur. At eius facilitatem damnātibus amicis, quòd flagitij adobrutum infamibus adire non abnueret, ac quodammodo alloquio subleuare cōnantibusq; ab itinere iam instituto deterrere, καὶ ποῦ τις ἄν εἴπεν ἥδιον ἀριστογείτονι λαλήσειεν: Vbinam, inquit, iucundiùs quis Aristogitonem colloquio dignetur? Cælius lib. 25. cap. 10. A. L.

Nauis prædatoria erat apud Ithacesiā in statione, in qua erat senex cum amphoris picem continentibus. In eam fortè intentus erat portitor Ithacesius PYRRHIAS nomine: senēque liberauit, cùm eius nihil interesset, sed precibus eius & misericordia adductus. Accepit autem partem instante sene amphorarum. Postquam prædones abscesserunt, securus iam senex adduxit Pyrrhiam ad amphoras, in quibus magnam auri & argenti in picem coniecti uim esse demonstrauit. Factus igitur repentè Pyrrhias pecuniosus, cùm aliam curam habuit senis, tum bouem ei immolauit. Ea res in prouerbium cessit, ut dicant, Bouem benefactori nisi Pyrrhias immolauit nemo. Plut. in Quæst. Græcis.

Cùm Periander, Cypseli filius, Sardis ad Halyattem castrādos mitteret trecentos primorum Corcyræorum (qui F. eius Lycophronem interfecerant) liberos: & Corinthij, qui illos ducebant, Samum appulissent, audita SAMII causa, cur Sardis pueri ducerētur: primùm edocuēre pueros, ut puluinar Dianæ contingerent. Deinde cùm eos, ne à puluinari abstraherentur, obseruarent Corinthij, præbebant illis alimenta Samij, diem solennem agentes, quem nunc quoque per id tempus celebrant. Cùm enim nox aduenit, quamdiu pueri precabantur, tam diu exercent choros uirginum atq; adolescentium. Tunc autem choros exercentes, esculenta fecerant ex sesamo ac melle, quæ distribuenda ferrent: ut ea Corcyræorum filij rapientes, alimenta haberent. Idque eò usque factum est, dum Corinthij pueris (quos asseruabant) omissis abierunt. Ita Samij pueros Corcyram reduxerunt. Herodotus libro tertio.

Pridie eius diei, quo Aristomenes Messenius induciis factis cū Lacedæmoniis, à septem Cretēsibus ex insidiis captus fuit, & in tuguriolum quoddam agri Messenici perductus: VIRGO quædam patre orba ibi habitans cum matre, per somnium uisa fuerat sibi uidere, pertrahi illuc à lupis leonem uinctum, expertem unguibus: illum se è uinculis exemisse, & cum eo tanquam cum uiro congressam, ungues illi dedisse, nec multo pòst, à leone lupos laniatos. Deducto itaque eò Aristomene, agnouit puella expressam uiro euentu somnij imaginem: auditoq; à matre uiri nomine, confirmauit se: & cùm in eum intueretur, facilè quod significaret intellexit. Vinum itaq; largiùs Cretensib. fudit, ita ut omnes uinolenti se abiicerent. Aristomenes grauiore somno consopito pugiunculum eripiens, uincula sibi abscidit, omnesq; iugulauit. Virginē illam pro nauata saluti sua opera filio suo Gorgo in uxorem dedit. Pausanias in Messenicis.

C. Marius Minturnis captus, in custodiā datus est FANNIÆ, quæ mulier minùs æqua Mario ex ueteri causa dicebatur. Fannia in matrimonio fuerat cum Tinnio (Val. Max. habet Ticinio) quæ cùm diuortio facto dotem, quæ lauta erat, repeteret: ille adulterium ei obiecit, ac causa ad Marium sextum cōsulem delata est. Ea in iudicio agitata, cùm Fanniam constaret impudicam fuisse: & uirum, qui talem sciret esse, eam duxisse, diuque cum ea in matrimonio uixisse: ambos improbauit, uirumq; iussit dotem ei restituere, mulieri infamiæ damnatæ quatuor asses multam dixit (Val. Max. sestertium numum.) Fannia, nihil minus quàm ignominiæ memor suæ, curam eius habuit. Plut. in Mario.

Captis Veiis, populus Rom. delecta decima spoliorum parte, aureum craterem Apollini Delphico dedicauit. Legati à Liparæis prædonibus capti in Liparam abducuntur. TIMASITHEVS Liparæorum dux legatos liberauit. Pro quo beneficio Romani Timasitheo publicum Romæ hospitium concessēre. Diod. lib. 14.

THAVMASTVS, Caij Imp. seruus, Agrippę captiuo, qui propter solis ardorem, animiq; molestiam magna siti torquebatur, cùm uas aquæ prægelidæ ferens, ab eo oraretur, ut se bibere sineret, frigidam humaniter porrexit. Fulgos. lib. 5. capite 2. ex Iosephi lib. 18. cap. 8. Antiq.

ANASTASIA Romana infideli quidem uiro tradita, sed tantùm Christo iuncta, cùm patricij generis esset, prætulit nobilitatis altitudini charitatis humilitatem. Quippe uilibus uestibus induta, nę agnosceretur, martyrum carceres inuisebat, uincula exosculabatur, ad patientiam exhortationibus animabat. His officiis digna euasit, quæ & ipsa coronam te ferret martyrij. Marul. lib. 3. cap. 2. & Sabel. lib. 5. cap. 2.

ACHOMATES seu Cherseoglis, post religionem Christi abiuratam, Stephanus antea dictus, Cherſechij reguli Illyrici F. Baiazetis Turcarum Imp. gener, capta Methone patricios Venetos, quum reliqua captiuorum multitudo crudeliter Baiazetis iussu in eius conspectu trucidaretur, exorato principe conseruauit: Andreamq; postea Grittum, postmodum Venetorum ducem, captum Byzantij, teterrimoq; supplicio destinatum, non modò suis precibus eripuit, sed impetrandæ pacis magno reip. Venetæ commodo auctorem fouit. Innumerabiles Christianos barbaris seruientes, cùm auctoritate, tum ære suo piè redemit. Iouius.

ERGA REOS, SONTES.

Ἰσαι ψῆφοι, id est, Aequales calculi, si quando parum abest, ut condemnetur aliquis, & tamen absoluitur. Suidas ostendit prouerbium sumptum à prisca consuetudine iudiciorum, qua reus æqualibus iudicum sententiis absoluebatur, at non citra periculum. Cur autem potiùs absoluendum, quā damnandum reum ueteres existimarint, cùm pares essent sententiæ, multas causas reddit Aristoteles in Problemate quodam. Multis enim hominibus uisum est conuenire, ut reliquis paribus, reo magis quàm actori faueatur: uel quòd accusator accedit paratus ac præmeditatus, reus ad multa non præuisa compellitur respondere. Vel, quòd consentaneum sit, reum, ut qui maiore periculo dicat, ob metū quædam præterinisisse potiùs quàm actorem. Vel, quòd in ancipiti negotio potiùs ad eam partem oporteat uergere, ubi si fortè erratum, peccetur leuius. At minus est malum absoluere nocentem, quàm innocentem damnare, præsertim in capitalibus causis: ubi si contingat errare iudicem, non est quo sarciat in posterum erratum suum, extincto iam homine: contrà, si elabatur nocens, poterit alio iudicio pœnas dare. Vel quòd accusatio propior est suspicioni maleuolentiæ, quàm defensio: quare cùm in cæteris nihil appareat discriminis, de actore potiùs malè iudicamus, quàm de reo. Erasmus in Adagiis.

ERGA DAMNATOS.

Mulierum morti destinatarum, si prægnantes essent, partus expectabatur apud AEGYPTIOS. Quam legem multi Græcorum acceperunt, existimantes penitus iniquum esse, eum qui nihil commisisset, unā cum facinoroso pœnam pati: aut duos plecti, cùm unus deliquisset: cumq; eo qui sponte peccasset, criminis uacuū puniri. Insuper cùm sola peccasset mater, minimè æquū censebant, filiū patri matriq; cōmunem, luere maternā pœnā. Etenim sæpè repertū est, iniquos iudices morte dignos liberasse, dānasse insontes. Diod. lib. 1. c. 6.

ATHENIENSES in causa Harpalia cùm domos scrutarentur: solam eam, in qua erat noua nupta, præterierunt. Plutarchus in Præceptis politicis.

LACON ad eum, qui, dum plecteretur, dicebat, Inuitus offendi, ait: Ergo inuitus quoque plectere. Plutarchus in Apophthegmatibus.

PTOLEMÆVS rex amasium habebat GALETAM, pulcerrima forma, sed animo pulcriore. Persæpe Ptolemæus testimonium ei perhibebat, inquiens: O lepidum caput, nullius unquam auctor incommodi extitisti: at multorum utilitatem promouisti. Accidit aliquando, ut cum rege adolescēs equitaret. Cùm uerò procul quosdam ad supplicium trahi uideret, conuersus ad regem: Quandoquidem prospera quadam fontium istorum fortuna, inquit, equos conscendimus, agè ex improuiso appareamus miseris, quasi Dioscuri saluatores, & inuocati salutem afferamus. Rex maximam uoluptatem capiens ex eius pietate, nocentes seruauit. Aelianus lib. 1. de Var. hist.

CICERO proconsul in Cilicia neminem dicitur uirgis cecidisse, nec uestē ullius lacerasse, neq; ira prouectus aut multę causa dictum iecisse in quenquam contumeliosum aut probrosum. Plut. in Cicerone.

VESPASIANVS Imp. nullius cæde unquam lætatus, iustis suppliciis illacrymauit etiam, & ingemuit. Suetonius.

TITVS Vespasianus clementiæ ac mansuetudinis tantæ fuit, ut pontificatum acciperet ob hoc solùm, ut puras à sanguine seruaret manus, ne cuiusquā necis aut auctor aut cōscius esset. Cuspin. ex Suetonio & Dione.

M. ANTONINVS Pius Imp. præfectos suos & locupletauit, & ornamentis consularibus donauit: si quos repetundarū damnauit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, ut illi prouincialibus redderent, quod parentes accepe- rant. Capitolinus.

AMALASVNTHÆ Ostrogothorum reginæ tanta fuit in decernendo grauitas & humanitas ut criminis conuicti dum plecterentur, nihil sibi acerbum pati uiderentur. Sabellicus libro 2. Enneadis 8.

Anno 1323. cùm per Edouardi regis crudelitatem complures quotidie uariis afficerentur suppliciis in ANGLIA, essetq; acerbum spectaculum uidere passim damnatorum corpora in furcis, quas uocant, pendentia, cibo esse auibus: statutum est, ut corpora hominum, qui deinceps suspendio strangularentur, statim ad sepulturam darentur. id quod etiam nūc seruatur. Polyd. lib. 18.

ERGA EXVLES.

Parthorum rex Artabanus, principum regni sui coniuratione pressus, minimè se in eo posse tutò manere arbitrabatur: & cùm uires, ut principes ad officium cogeret, ei deessent, ad IZATEM Adiabenorum regem, etsi ei notus non erat, conferre se decreuit. Itaq; dum ad eū tendit, incidit in ipsum per regnum obequitantem. Vt eum uidit, ab equo statim descendit: expositoq; casu suo, rogauit ut ope se ad repetendum regnum iuuaret. Cùm Izates eum agnouisset, ipse quoque in terram ab equo descendit: coactumq; Artabanum in equum conscendere, pedibus eum prosequi uolebat, quòd ætas ipsius præteritaq; fortuna plùs quàm præsens necessitas apud se ualeret. Deductum igitur domum ceu parentem coluit, & tandem quoque in regnum restituit. Fulgosus libro 5. capite 1.

Reginus à Triumuiris proscriptus atq; hostis iudicatus, fugā adornans, asinum frondosis fascibus onustum agebat: iāq; ad urbis portas, ut egrederetur, peruenerat: ibi à MILITE olim suo cognitus, non modò non fuit proditus, uerùm ab ipso, sicuti olim dux salutatus, fugiendi inde uiam accepit. Plus enim apud militem sanctus pudor, quàm mortis metus aut præmiorum spes ualuit. Fulg. lib. 4. cap. 5.

M. Crassus Marij & Cinnæ crudelitatem fugiens, summa celeritate cum tribus amicis & decem seruis in Hispaniam uenit: agrumq; maritimum VIBII Paciani ingressus, in quo ampla erat spelunca, eò abdidit se, atq; ad Vibium periclitādum unum seruum misit, uiatico quoq; iam deficiente. Vibius renunciata exultauit eius incolumitate: accitoq; procuratori prædiorum præcepit, ut cœnam quotidie appararet, eamq; ad petram deportaret: qua ibi relicta, silentio abiret, denunciata morte, si quid curiosè rimaret, uel scrutaretur. Agenti ibi Crasso afferebat procurator quotidie necessaria, neq; hic illos uel uidit uel cognouit: cœnæq; paratus uel ad uoluptatem affluens erat, nedum ad necessitatem. Sustentauitq; ita Vibius Crassum menses octo, ad exitum usque Cinnæ. Plut. in Crasso.

Rex Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cum paucis admodum seruis squallore obsitus Romam uenerat; ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam SENATVI relatum est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione usus est, quòd nec Quæstorem illi more maiorum obuiam misisset, nec publico hospitio eum excepisset: eaq; non sua negligentia, sed ipsius subito & clandestino aduentu facta dixit: & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit: hortatusq; est, ut depositis sordibus, adeundi ipsius diem peteret: quinetiam curæ habuit, uti munera ei per Quæstorem quotidie darentur. His gradibus officiorum iacentem ad regium fastigium euexit: effecitq;, ut plus spei in auxilio pop. Rom. quàm meti in sua fortuna reponeret. Val. Max. lib. 5. cap. 1.

Sarmatæ Limigantes an. 333. Gothorum uicinorum suorum armis oppressi, cùm iustas ad resistendum liberorum hominū copias non haberent, tanquam in extremo periculo seruos suos armarunt, atq; eos contra Gothos duxerunt. Mox aūt, cùm à seruis deficientibus appetiti, ac sedibus eiecti patriis essent, auxilij ac consilij inopes ad Constantinum subsidiū imploratum, & sedes tutas petitum se contulerunt. Eos uerò CONSTANTINVS Magnus benignè auditos in prouincias suas recepit, atq; alios sacramento militari adegit, alios ad agrorum cultionem adhibuit. Scribit etiam Iornādes, Vādalos quosdam à Gothis acie superatos sedes à Cōstantino petiisse, easq; in Pannonia recepisse. Itaq; Zosimus adiicit, Constantinum primum omnium barbaros Romanæ militiæ adscripsisse, eamq; rem magnorum, quæ subsequuta sunt, malorum initium attulisse. Constantini enim siue consilium, siue liberalitatem, siue fortasse etiam necessitatem imitati, subinde Constantius, Valens, & Theodosius, integras nationes transire fluuium cupientes in suas prouincias admiserunt, ac fortissimum & prudentissimum ex eis quenq; honoribus militaribus euexerunt, ac Romanis militibus posthabitis, remp. solis propè barbaris commiserunt, Gothis, inquam, Alanis, Gepidis, Vandalis, Hunnis, Sueuis, & Francis: qui occasionem nacti, aut legitimis Imperatoribus manus intulerunt, aut populares suos spe prædæ ac sedium concitatos, ad agrorum populationes, prouinciarum uastationes, ac demum ad caput ipsum Imperij Romam occupandam ac diripiendā impulerunt. Sigon. li. 4. Imp. occid.

ERGA NAVFRAGOS.

Superiore loco de Magistris humanitatis erga Naufragos. Hic de ipsa Exercitatione.

PHASIANI populi naufragium passis uiaticum præbent, & rursus abnauigantibus tres minas dāt. Heraclides in Polit.

Aristippus naufragio facto, in litus apud RHODVM nudus eiectus, ob doctrinam inuenit non modò qui necessaria ad uictum, uerumetiā qui uestes ipsi atq; comitibus præberēt. Cùm autem redeuntes domum quidam ex ipsis comitibus petiissent, si quid suis Aristippus mandare uellet: respondit, Hoc tantùm se mandare, nomine suo cognatos monerent, ut filiis opes eas pararēt, quas aduersa maris tempestas perdere non posset. Fulg. lib. 7. cap. 2.

HVMANITAS ERGA BRVTA.

Pudeat homines, uirtutem humanitatis non amplecti, quam lege naturæ hominibus peculiarem esse, ipsum docet etymon, ipsa quoque bruta fatentur. Exempla igitur respectu Hominum erga bruta mansuetorum huius sunt loci: at respectu Brutorum, hominis opem implorantium, ad Theatrum brutorum pertinent. Consule Tit. Amoris & Misericordiæ & Gratitudinis erga bruta. illic ratio habetur Affectus, hîc Humanitatis.

Apud ISRAELITAS lege cautū erat: Si quis in auis nidū incidisset, matrem cum pullis non capiendam, sed pullos tantùm, matre dimissa: ut bene ei sit, diuq; uiuat. Deuteron. 22.

In Venetis duo luci monstrantur, alter Iunoni Argiuæ, alter Aetoliæ Dianæ dicatus. In hisce feras ita mansuescere tradunt, ut cerui lupis aggregentur, aduentantiumq; hominū manibus se demulceri patiantur. Quòd si quas canes insectentur, ubi huc confugerint, ab insectatione cessare. Fama uerò est, celebrem admodum fuisse QVEMPIAM, qui in sponsionibus faciendis facilis esset, qua ex re & hominum iocis carperetur. Is in uenatores incidit, qui irretitum haberent lupum, & illis per iocum rogitantibus, Velletne pro lupo uadem se constituere, ut illata ab eo damna persolueret, sic è retibus beluam dimissuros. Fideiussurum sese cōfessus est. Emissum deinde lupum, magnum equarum armentum agitantem, nullo notatum cauterio, ad fideiussoris stabulū adduxisse. Eum recepta gratiā, equabus lupi notam inussisse, & inde λυκοφόρους siue lupiferas nominasse, uelocitate magis quàm pulcritudine præstantes. Cuius successores & signum & nomen equarum generi seruarunt, utque solis eis

IIII stirps

stirps ipsa legitimè perduraret, festinam nullam alienare uoluêre. Hac uerò tempestate genus totum intercidisse, Strabo scribit lib. 5.

XENOCRATES Carthaginensis, Platonis familiaris, non solùm hominum, sed persæpè etiam brutorum animalium misertus est. Nam cùm quodam tempore sederet in loco aprico, passer acriter instantem accipitrem fugiens, in sinum ipsius deuolauit. At ille receptam auem custodiuit tantisper, donec accipiter è conspectu recessisset. Vbi uerò iam metu periculoq; solutam esse arbitraretur, nudato sinu auem dimisit, inquiens, se supplicem hosti non prodidisse. Aelianus lib. 13. de Varia hist.

Iactum emisse aliquando piscium ferunt PYTHAGORAM proximè Metapontum, inde laxari iussisse uerriculum: non quòd contemserit sicut alienigenas & hostes pisces: sed quasi pro amicis & familiaribus bello captis precium dependerit. Plut. lib. 8. Quæst. conuiual. 8. & de Vtil. ex inimicis, & Apuleius in Magia.

COERANVS genere Parius, delphinorũ iactũ sagenę irretitorum, qui concidẽdi erant, ẽmit, dimisitq; omnes. Breui pòst nauigabat in quinqueremi, qua, uti fama est, piratæ uehebãtur. Naui in freto, quod inter Naxon & Paron est, hausta fluctibus, cæterisq; submersis, illum ferunt substernente se & subleuante eum delphino expositum fuisse ad Zacynthi speluncam, quæ monstratur etiam nunc, diciturq; Cœranion. In huius honorem fecisse fama est Archilochum hoc carmẽ.

Quinquaginta uiris superesse dedit Cœranum
Neptunus pater.

Quo pòst defuncto cùm corpus necessarij iuxta mare cremarent, accessit ad litus delphinorum agmen, uelut ostendentium adesse se ad funus: neque antè, quàm omnia iusta peracta essent, discessere. Plut. de Animantiũ comparatione.

ALEXANDER Bucephalum ætate grauiorem ne oneraret, ante prælium cùm aciem lustraret & dirigeret, aliis uehebatur equis: inde signo dato in illum transiliens, signa hostib. inferebat. Plut. an Sen. tract. resp.

Cùm delubrum Hecatompedon moliretur in arce Pericles, saxaq;, ut fit, quotidie aduehérentur plaustris: ex mulis, qui strenuè laborauerant, & iam ætatis causa uacatione erant donati, unus in Ceramicum descendens, subuehentibusque lapides iumentis occursans, comitabatur ea, iuxtaq; currebat, uelut hortator eos excitãs. Cuius propensam industriã admirati ATHENIENSES, sciuere ei de publico annonã: sicut athletæ, qui ex senio elanguit, ius in Prytaneo epulãdi. Plut. de Animantium comparatione.

ANDRODVS Dacus, à domino Africam prouinciam administrante quotidianis uerberibus ad fugam coactus, secessit in deserta Libyæ: ubi cùm obuio Leoni ad genua sua prouoluto ingentem spinam è cruento pede reuellisset, conceptãque saniem uulnere intimo expressisset, ferunt bestiam in hostimentum beneficij Androdo tribus annis comitem adhęsisse, & opimiores ex uenatu carnes attulisse, quas ille sub sole torrebat. Pertæsus demum uitæ illius ferinę Androdus, quum reliquisset antrum, fato inauspicato comprehẽsus est à domini satellitibus, & Romæ feris adiudicatus. Vbi idem leo (qui in uenatu captus fuerat) è cauea emissus, horrendo rugitu omnium in sese ora conuertens, agnitum medicum ab iniuria reliquarum bestiarum tutatus est. Petentibus propterea cunctis qui aderant, pœna solutus est Androdus, eiq; populi suffragio donatus leo. Quem quum tenui loro reuinctum, compitatim per urbem traheret, sequentes cum plausu dixisse feruntur, Hic est leo hospes hominis, Hic est homo medicus leonis. Plinius, & Gell. lib. 5. cap. 14. ex lib. 5. Aegyptiacorum Appionis Polyhistoris recenset.

MENTOR Syracusanus leonem in Syria repertum, quum expauesceret, timenti protinus sese opposuit fera, eiusq; uestigia cœpit lambere, similis adulanti: ille metu posito ex pede leonis (in quo tumorem & uulnus animaduerterat) surculum ingentem extraxit, ipsumq; leonem liberauit cruciatu. Pictura casum hunc testata fuit olim Syracusis. Plinius libro 8. capite 18.

HELPIS Samius uiso in Africa leone, pauidus arborem conscendit. Leo ad arborem procumbens, hiatu miserationem quærebat, cùm os morsu auidiore dentibus inhæsisset fixũ. Quo euulso, leo gratias retulit, quandiu nauis in eo litore stetit, uenatus aggerẽdo. Helpis Libero patri, cui uotum fecerat, templum in Samo sacrauit, κεχηνότος Διονύσου ab eo facto appellatum, ab hiante rictu leonis. Plin. ibidem.

Cn. Pompeius altero consulatu editurus spectaculum elephãtorum pugnantium, uiginti, aut, ut quidam tradunt, XVII inuicem commisit, Getulis ex aduerso iaculãtib. Ibi cùm pilum sub unius oculo adactũ, in uitalia capitis uenisset, quo ictu ille concidit: uniuersi eruptionem tentauere, non sine uexatione populi, circundati clathris ferreis. Sed amissa fugæ spe, misericordiam uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauêre, quadam sese lamentatione complorantes, tãto populi ROM. dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentię honori suo exquisitæ, flens uniuersus populus cõsurgeret, dirasq; Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Plin. lib. 8. cap. 7.

Tiberio principe, M. Seruilio, C. Sestio Coss. ex fœtu corui supra ædem Castoris & Pollucis, in oppositam sutrinam pullus deuolauerat: quo nomine ueluti religionis ergò commendabatur officinæ dominus. Maturè sermoni coruus assuefactus, omnibus horis matutinis euolans in Rostra ad forum uersus, Tiberium, deinde Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam rediens, mirus hoc plurium annorum assiduo officio. Hunc æmulatione uicinitatis, manceps proximæ sutrinæ exanimauerat. Huius rei Populum ROM. tanta cepit indignatio, ut primò pulsus ex ea regione manceps, mox quoq; ideò interfectus sit, deniq; funus etiam aliti publicè celebratum. Plinius Secundus li. 10. ca. 43.

Diuus HIERONYMVS cùm inuidorum maliciam atq; infestationes ne ferendo quidem posset reprimere, Roma cessit. Cui Romæ homines aduersabantur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethleemitico deinde monasterio manentẽ, leo posita ferocitate blandè adiit. Reliquis metu dilabentibus, ipsi pedem spina uulneratum porrexit, sanatus famulatum exhibuit: nullique iam monachorum metuendus, asellum ad pascua educebat, reducebatq; ad stabulum, agasonis fungens officio, qui quondam prędonis functus fuerat. Marulus lib. 4. cap. 5.

Habuit MACARIVS confessor in desertis nemorum locis uicinam cellæ suæ leænam, cuius catulis cęcis quum restituisset uisum, fera obsequij memor, eidem pelles ouium, & pecudum (quas uenabatur) afferebat. Rauisius.

COLVMBANO abbati ursi in syluis obtemperauerunt. HELENO onagri crocodilique: hos insiliens trans fluuium ibat, illos autem sarcinis onerabat. Haud ita repentè mansuescerent syluestria aquaticaque animalia, nisi in homine mansuetudinis uim sentirent, cui obsequebantur. Marulus libro 4. capite 5.

Vrsa ad BASOLI Remensis abbatis cellam confugiens, pedibus eius prouoluta sic in tuto fuit, ut canes, qui magno cursus impetu iam tergo fugientis imminebant, repentè subsisterent. Tunc Atila uenator rem admiratus, prædium quod ibi habebat, abbati concessit: dignum omni beneficio asserens, cuius & mansuetudinem aper, & uirtutem canes testati sint. Marulus lib. 4. cap. 5.

MARIANVS uel Marinus, Bituricensis cœnobij monachus bubulci officio defungi non dedignatus, aprum ad se confugientem tutatus est. Canibus insequentibus imperauit, ne illum tangerent. Mira res: canes obedierunt, aper discedere noluit: & cuius benignitate se seruatum agnouit, eidem ueluti iam pridem mansuefactus humiliter adhæsit. Marulus lib. 4. cap. 5. & lib. 1. cap. 3.

Clothario Britannorum rege uenationi indulgente, aper à uenatoribus actus, ad DEICOLVM abbatem confugisse perhibetur, & ab eo seruatus. Syluestre animal tutiùs se in Deicoli sinu putauit, quàm si syluas fuga petiisset: presagio quodam lenitudinis pietatisq; eius. Qui insequebantur, pepercére beluæ ob reuerentiam uiri, non ausi eam lædere, quæ sese fidei commiserat sancti. Marul. lib. 4. cap. 5.

SEVERVS Agathensis abbas passerem aduolantem ita humaniter excepisse dicitur, ut cùm ille fracto crure aliorum aucupium effugisset, ipse sua precatione sanatũ dimiserit. Qui enim benignè alios accipit, facilè quod à Domino petit impetrat. Scriptũ quippe est, Mansuetis dabit gratiam. Idem.

MAXENTII Pictauiensis abbatis humanitas effecit, ut agrestes uolucres non cupidiùs arborum ramis quàm manibus eius insiderent. Panis micis, aut tritici granis ab eo pastæ auolabant. Hinc discamus, non sine beneficio eos dimittere, qui sine hæsitatione nostræ se crediderint fidei. Ibidem.

HIVONEM presbyterum ad mensam recumbentem, auis quædam albo uiridiq; colore spectabilis, de improuiso adiisse dicitur, & tangi se ac contrectari ab eo passa, post acceptam benedictionem euolasse. Testata naturam eius non gestu solùm, sed etiam pennis, uarietateq; colorum. In candore signabatur mentis puritas, in uirore spei alacritas, in plumarum mollicie animi facilitas. Idem.

A IVDOCO regis Britanniæ filio, dum contemto regno soli Christo seruiret, columbas piscesq; escam manu porrectam acceptasse ferunt. Idem.

Ad D. FRANCISCVM in solitudine concionantem auiculæ confluebant, neque refugiebant manum eius: usque adeò obsequentes, ut non nisi cùm ipse iussisset abirent: non nisi cùm ipse innuisset, garritum comprimerent: non quòd iussa intellexerint, sed quòd iubentis auctoritatem uirtutemque senserint. Cùm aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicada ficulneam linquens, super euocantis manum consedit: & Deum laudare iussa, uoce tinnula, gutture fistulato,

fistulato, suauiorem solito stridorem edidit. Idem.

BLASIO Sebastæ urbis episcopo, in solitudine persecutionẽ declinanti, syluestres auiculæ uictum suppeditârunt. Idem.

AEGIDIVS abbas, ad ostia Rhodani solitarius manens, & hominibus incognitus, cerua lac præbente uixit. Sed cùm illa à uenaticis canibus agitaretur, præpeti fuga cellam ipsius petiit: & trepida, ac solito mœstiùs immugiens, ante senis pedes prouoluta iacuit: ut cuius humanitatem diu experta fuerat, eius etiam auxilio ab imminenti periculo tegeretur. Igitur illo orante canes propiùs accedere nequiuêre. Vnus autem de uenatoribus (quia locus uepribus obductus erat) incertò sagittam dirigens, abbati uulnus inflixit. Post hoc penetrantes latebram, reperiunt senem ceruamq; iuxtà accubantem: & religione quadam concussis animis procidentes, ueniam ab eo quem imprudenter læserant, suppliciter petunt, atq; impetrant, ceruam dimittunt intactam. Tã enim ille libenter iis à quibus uulnus acceperat, offensam dimisit, quàm pro cerua orauit: pari simplicitate & de ipsa sollicitus, & in illos mitis. Idem.

Ad REMIGIVM Rhemensem archiepiscopum passeres aduolare solitos accepimus, & de manu eius certatim cibũ capere. Cur ita? nisi quòd non sic tutò se pasci posse in apertis cãpis putarunt, ut in mansuetissimi præsulis sinu. Idem.

Cerua, dum uenatorum telo saucia fugeret, ad BASIANVM Laudensem episcopum se recepit: qui persequebantur, miraculo obstupefacti stetêre. Quidam uerò licentiùs accedens, eam de manu episcopi eripere uoluit, sed ipse repentè à diabolo uexari cœpit. Episcopus autem qui bestiam blandè amiceq; exceperat, & clementer fuerat tutatus, nec in hominis uiolentiam irasci potuit, ab immũdo spiritu oppressum miseratus, incunctanter pristinæ restituit sanitati. Marulus libro 4. capite 5.

Anno Domini 1363. tanta fuit hyemis asperitas, ut lacus Tigurinus gelu concretus, maxima ferret onera. Aues palustres in urbem cateruatim uolabant, tanquam alimenta & auxilium ab hominibus implorantes. Itaq; Senatusconsulto TIGVRINI cauerunt, ne quis miseris animalibus in urbe manus afferret. [redacted]

SIMON Grinæus, [redacted] Heidelbergæ ab aulicis in uenationem eductus, locum despectissimum tueri, & ferã si in casses incidisset, uenabulo cõficere iussus erat. Hic cùm ceruus aspectu formosissimus, canum latratu excitus, uariis mæandris insequentes diu elusisset; tandem circumuentus undiq; ad plagas quarum tutelæ Grinæus præfectus erat, properabat. Eius commiseratione tactus homo philosophus; intempestiuo clamore de industria sublato, & ceruũ declinare uiam fecit, & canum laniatui feram eripuit. Id se ex ipsius ore audiuisse Io. Oporinus referebat.

Cùm Patauio animi gratia per oporinas ferias Venetias profecti essemus sub annum Sal. 1558. in parte urbis eminentissima & frequentissima, quam Riuum altum uocant, TVRCVS quidam mercator complures auiculas, quæ ob uocis suauitatem in precio habentur, uenales conspicatus, aliquot numis aureis redemtas, eo solo nomine, ut earum libertati consuleret, spectantibus cunctis & applaudentibus manumisit.

HVMANITAS ERGA INANIMATA.

ERGA MORTVOS PIETAS.

Sepultura ipsa inter Fortuita bona referri debet, respectu Patientis, hoc est, eius qui sepelitur. At respectu Agentis, & sepelientis, siquidem Humanitatis causa hoc faciat, huius erit loci: si causa Pietatis, ad Religiosam Iustitiam pertinebit, Titulo Pietatis erga mortuos.

Si quis ob capitale crimen in crucem fuisset actus apud ISRAELITAS, cadauer illius in cruce non pernoctabat, sed eodem die sepeliebatur. Nam crucifixum execratur Dominus, ne terra polluatur. Deuteron. 21.

Apud HEBRÆOS lege cauebatur, ne hostem insepultum quidem relinquerent.

DAVID Iudæorum rex misit ad uiros Iabes Galaad, qui sepelierunt corpora Sauli regis hostis & filiorum eius, gratiasq; egit ipsis. 2. Reg. 2.

IEHV qui præcipitari curauerat Iezabelem Achabi Israelitarum regis uxorem, fecit eam sepeliri, eò quòd filia regis Sidoniorum fuisset. 4. Reg. 9.

TOBÆVS Nephthalensis, Niniue popularium suorum Israelitarum cadauera in uicis proiecta uidens (quos Senacheribus rex post turpem fugam ex Iudæa, ira percitus occidi curarat) nocte eos sepeliuit. Quod cùm Senacheribus intellexisset, Tobæum proscripsit, eiusq; bona diripuit. At occiso Senacheribo, in integrum restitutus, cùm quodam tempore mensæ assidens epulaturus esset, resciuit à filio Tobia, unũ ex Israelitis interfectum in uico iacere. Itaq; relictis dapib. mortuũ sustulit, & post solis occasum sepeliuit. Tobię 1. & 2.

Post prælium contra Gorgiam commissum, uenit IVDAS Machabæus, ut corpora cæsorum tolleret, & cum parentibus sepeliret. 2. Machab. 12.

DISCIPVLI beati Ioannis Baptistæ, audientes quòd decollatus esset ab Herode, uenerunt & tulerunt corpus eius, & sepelierunt eum. Matth. 14. Mar. 6.

Apud VETERES in primis obseruatum fuit, ut proximus sanguine, morientis corpus, dum trahit animam, amplexus, exhalantis spiritum osculo exciperet, flatumq; hauriret: mox decedentis oculos & ora clauderet, usq; ab Homeri temporibus usitatum: nefas existimantes, à uiuentibus decedentium oculos spectari. tametsi lege Mæuia (ut Varro significat) ne filij parentibus oculos sigillarent, cautum fuerit. NASAMONES uerò præcipuè curant, ut morituros, quũ agere incipiunt animam, sedentes constituant, ne cubantes spiritum exhalent. Alex. lib. 3. cap. 7. ex Herodoto.

Apud ATHENIENSES hæc lex etiam scripta fuit, Si quis in insepultum cadauer hominis incidat, omni parte id terra obruat, & sepeliat ad Occasum spectans. Iis maximam semper sepeliendorum cadauerum curam fuisse constat, & pręcipuè eorum qui bello ceciderãt: ita ut qui illos inhumatos relinquerent, quouis supplicio dignos putarent. Iccirco decem Prætores quia cæsos nauali pugna in mare deiectos assequi nequissent, capitis damnarunt. Defunctos in acie, tumulo publicè extructo, quotannis pro concione laudare solebant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2. ex Aeliani lib. 5. Var. hist.

NICIAS Atheniensis in fines Corinthiorum facta descensione, acie uictor magnum eorum numerum cum prætore Lycophrone occidit. Ibi ille duos fortè ex suis, dum sustollit cadauera, mortuos reliquit imprudens. Quod ubi resciuit, inhibito statim cursu caduceatorem misit ad hostes recuperandorum cadauerum causa: quamuis de more & usu, qui per inducias cæsorum corpora petiissent, renunciare uiderentur uictoriæ: neq; legitimum erat, ut id qui fecissent, erigerent trophæum. Quippe uictores esse eos, qui præualerent: nec præualere, qui peterent, quod capere non possent. Maluit tamẽ profundere ille lauream & decus, quàm duos ciues relinquere inhumatos. Plut. in Nicia.

MACEDONIBVS nullum fuit tam solenne militiæ munus, quàm suos sepelire.

ALEXANDER Magnus Darij interfecti corpus matri Sisingambi tumulandum præbuit. Plut. in eius uita.

Pyrrhus Epirotarum rex, dum Argos oppugnat, ictu regulæ prostratus cecidit. Corpus ad ANTIGONVM Macedonię regem relatum, & magnificè sepultum est. Volaterranus libro 18. Anthropologiæ.

PISCATOR quidam in cadauer mortuum pius, thesaurum reperit. Vide Tit. Thesauri reperti.

CIMON Miltiadis filius, ut pater qui obierat in carcere, humaretur, captiuum se præstitit, & seruituti mãcipauit. Alex. lib. 6. cap 14. & lib. 3. cap. 2. ex Plut. Catone.

Alcibiades Socraticus, uictis Atheniensibus, fugit ad Pharnabazum. Pharnabazus acceptis pecuniis à Lysandro principe Lacedæmoniorũ, iussit eum interfici. Cũq; ei caput esset ablatũ, & Lysandro missum, in testimonium cædis expletę, reliqua pars corporis iacebat insepulta. Sola TIMÆA concubina, contra crudelissimi hostis imperium, inter extraneos & imminente discrimine, funeri iusta persoluit: mori parata pro mortuo, quem uiuum dilexerat. Plut. in Alcibiade.

HERMOCRATES Syracusius exul Himeram profectus, ac percunctatus ibi, quo loco conflixissent Syracusij cum Carthaginẽsibus, interfectorum ciuium collegit ossa, eaq; sumtuoso apparatu curribus imposita, Syracusas uehenda curauit: ipse in finibus restitit, quòd exulibus lege prohibitum erat urbem simul ingredi. Hæc ab Hermocrate facta sunt, ut Diocles aduersarius eius qui resistebat sibi ne reuocaretur, idemq; auctor fuisse uidebatur, ut qui occubuerant, insepulti negligerentur, in multitudinis odium incurreret; ipse uerò sibi per eius in mortuos pietatis seruatæ speciem uulgi studia conciliaret, in pristinamq; gratiam reuocaretur. Allatis demum ossibus, seditione populus agitari cœpit, Diocle illos sepeliri prohibente, multis uerò contrà censentibus. Tandem ut reliquiæ illæ defunctorum sepulcris conderentur placuit. Quarum pompam populus omnis summa frequentia eduxit, condiditq;. Diocles urbe fugatus est, nec tamen Hermocrates propterea reuocatus, cùm illius suspectã audaciam haberent, ne fortè magistratum per suffragia adeptus, sibi pararet dominationem. Diod. lib. 13.

Mardonius cùm ad Platæas à Græcis interemtus esset, cadauer illius, incertum à quibus hominibus subtractum fuerit. Consentiunt tamē pleriq; in DIONYSIOPHANE Ephesio. Multi certè ab Artonte Mardonij filio propter hoc officium ingentia dona acceperunt. Herod. lib. 9.

SIMONIDES cùm ad litus naui appulisset, inhumatumque corpus iacens sepulturæ mandasset, admonitus ab eo in somnis, ne proximo die nauigaret, in terra remansit. Qui inde soluerant, fluctibus & procellis in conspectu eius obruti sunt. Ipse memor beneficij, elegantissimo epitaphio mortuum exornauit. Val Max. lib. 1. cap. 7. Cic. lib. 1. de Diuinat.

LYSIADES Megalopolitanus à Lacedæmonis interfectus in prelio, pulcerrimè ornatus à Cleomene rege licèt hoste suis ad sepeliendū remissus est. Plut. in Arato, & Paus. in Arcad.

L. Aemylius Paulus consul, cùm apud Cannas in strage cecidisset, HANNIBAL eis corpus honorificè terræ mandauit. Volaterranus libro 13. capite 3. Anthropol. ex Liuio & Plutarcho. Pari humanitate erga M. Marcellum, cuius unius audacia grauissimis affectus est cladibus, religiosè usus. Plutarchus in Marcello.

Appius Claudius Sabinus, acerbus atq; perpetuus insolentiæ Rom. pop. hostis, cùm seipsum occidere maluisset, quàm à Tribunis citatus adesse: à propinquis in forum delatus, ut iuxta ueterem morem honoraretur funus, sepulturæ honore à Tribunis prohibebatur. Cùm autem suppuderet populum ROM. ut tanti ciuis corpus, cuius uirtute atq; uictoriis imperij fines aucti erant, funeris honore fraudaretur: uoluit ut contra Tribunorum decretum, honorificè efferretur: frequensq; non minùs promtè funus celebrauit, quàm antè dū uiueret, accusationi eius affuerat. Fulg. lib. 4. cap. 5.

CN. POMPEIVS Magnus ex Armenia reuersus, cùm de rebus omnibus inter reges principesq;, qui ipsum adiuuerāt, ius dixisset, regnaq; omnia, iuxta præclara in bello facinora edita, diuisisset: Mithridatis regis à Pharnace filio interfecti corpus in monumentis maiorum sepeliri honorificè iussit. Dion Nicæus.

IDEM cùm incidisset in cadauera etiamnùm inhumata illorū, qui duce Triario improsperè cum Mithridate pugnauerant cecideràntq;: eos splendidè & magnificè omnes tumulauit. Quod neglectum, militum animos inprimis putatur ab Lucullo abalienasse. Plut. in Pompeio.

C. IVL. Cæsar statuas L. Syllæ atq; Pompeij, à plebe disiectas, reposuit. Scitè igitur Cicero, Cæsar, inquit, dum Pompeij reponit, suas statuas stabilit. Suetonius.

M. FABIVS consul ob mortem fratris in prælio aduersus Hetruscos & Veientes cęsi, quamuis uictor, triumphum ducere renuit. Valerius libro 5. capite 5.

DRVSVS officio consulis cum collega suo ut priuatus pariter fungebatur: heresq; à quodam institutus, corpus eius simul extulit. Dion Nicæus in Tiberio.

GERMANICVS Drusi F. sicubi clarorū uirorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat. Cæsorum clade Variana ueteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, & cōportare primus aggressus est. Suet.

TIBERIVS Cæsar quorundam illustrium exequias usque ad rogum frequentauit. Suetonius.

TRAIANVS uicto Decebalo Dacorum rege, mortuis & occisis, aras & annuam parentationem constituit. Cusp.

HENRICVS Luzelburgensis Imp. cùm Spirę uidisset Regū & Imperatorum monumenta, doluit antecessores suos Adolphum in monasterio Rosarum Vallis propè Spiram, ubi ab Alberto occisus est, & Albertū I. in monasterio Künigsfeld, prope Vindonissam à Ioanne nepote interfectum, esse sepultos: Iussit itaq; eos effodi, & Spiram deferri. Delato corpore Alberti naue, Henricus obuiam ad Rhenum usq; pergit. Filiā Alberti reginam Hungariæ, quæ funus comitabatur, honorificè sub brachiis in urbem usq; deduxit: corpusq; Alberti in sepulcrum uxoris Friderici Imperatoris collocauit. Adolphi autem corpus (quod eodem die est pariter allatum) in Friderici Imperatoris filiæ monumento sepeliri iussit. Sic duos occisos Reges inimicissimos eodem in loco uno die regia pompa honorificè & piè actis funebribus sepeliuit. Cuspinianus.

ALPHONSVS Aragonum rex, quum Puteolos obsideret, atque animi laxandi causa litus quotidie peteret, reperit uiri Genuensis cadauer è triremi hostium eiectum, litori appulsum. Quo uiso, celeriter equo desiliit: iisq; qui propè aderāt omnibus desilire iussis, aliis negotium dedit ut terram effoderent, aliis ut nudum corpus obuoluerent: ipse uerò non minimas in sepeliendo homine partes sibi adscripsit. Panormita lib. 1. de rebus gestis Alphonsi.

HELVETII uictis ad Nouariam Gallis, collecta suorum cadauera humeris in urbem reportarunt, ut optimè de rep. meritis iusta persoluerentur. Iouius lib. 11.

ERGA QVAEVIS ALIA.

ROMANI ueteres lucernam, qua in cœna usi essent, non patiebantur extingui, quo ad suapte spontè absumto omni oleo marcesceret, gratitudinis quodammodò & liberalitatis causa quod semel dedissent pabulum relinquentes. Plut. lib. 6. con. Quæst. 4.

POPVLARITAS RESPECTV RERVM. VT QVO AD

ARCANA NON COMMVNICARE, NON INQVIRERE.

Qui arcana non communicant, quibus & quando non oportet, ut Prudentes sunt, sic etiam Popularitate non abutuntur.

Comicus PHILIPPIDES, cùm diceret aliquando ei rex Lysimachus: Quid tibi rerum mearum impertiar? Tantum, inquit, rex, ne arcana. Plut. de Curiositate.

ALIMENTA.

Vide Tit. Popularitas erga Hospites.

MEDICAMENTA.

Constantinus respuit lepræ curam pro puerorum sanguine.

HOSPITIA.

Vide paulo antè, Erga Hospites.

MVNERA.

Hic Rem consideramus, superiore loco sub Popularitatis modo hæc ipsa inter ea quæ Grata sunt connumerauimus.

SEPVLCRA.

De Humanitate erga Mortuos in præced.

Apud ROMANOS tanta fuit sepulcrorum cura, ut publica etiam monumenta sepulturæ pauperibus, seruis & hostibus ædificarint. Alex. lib. 6. cap. 14.

Inexpiabile quondam scelus creditum est sepulcra uiolasse, adeò ut lex sacrum esse locum iusserit, ubi corpus hominis demortui iaceret: diceretur que minxisse in patrios cineres, cui omnia sinistrè cadebant, & inauspicatè. Apud CHRISTIANOS quoque damnatur, qui aut lotium in sepulcretis egesserit, aut aliquid aliud ibidem fecerit immundum. Vlpianus Iureconsultus: Sepulcri, inquit, uiolati actio infamiam irrogat. Paulus quoque ita scribit: Rei sepulcrorum uiolatorum si corpora ipsa extraxerint, uel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ summo afficiuntur supplicio: honestiores in insulam deportantur, aut relegantur, aut in metallum damnantur. Caius tamen ait: Sepulcra hostium religiosa nobis non sunt: ideoq; lapides inde sublatos in quēlibet usum conuertere possumus, nec sepulcri uiolati competit actio. Scribit Appianus, inter præcipua, cur legem agrariam recusarint diuites, fuisse, quòd impium ducerent monumenta maiorum ad alienos transire. Etiamsi Pomponius scribit: Dominis fundorum, in quibus sepulcra fecerint, etiam post uenditos fundos adeundorum sepulcrorum esse ius: ἐμβατεύσεως eleganter uocant Græci, qui maiorum sepulcris sint exuti. Cælius libro 17. capite 19. Antiq. Lection.

POPVLARITAS RESPECTV LOCI ET TEMPORIS.

IN CONSILIO, IVDICIO.

TIBERIO Graccho Tribuno opulenti obiecerant M. OCTAVIVM, legis agrariæ impediendæ causa. Quia licet Rostris etsi summo studio ac contentione decertarent inter se, nihil tamen contumeliosè feruntur inuicem dixisse, neque uerbum excidisse in alterum alteri ex indignatione importunum.

M. MARCELLO quartùm consule subornauerunt Syracusanos inimici eius, ut Romam uenirent accusatum eum, questumque apud senatum, contra fœdus indigna se & hostilia passos. Erat fortè in Capitolio Marcellus, ubi sacra faciebat, cùm senatum nondum dimissum supplices rogauerunt Syracusani, ut dicendi sibi potestatem & postulandi faceret. Marcellus surgens de sella, transiit, ut priuatus, cum in locum, ubi dicere causam solent rei, facultatemq; Syracusanis sui accusandi dedit. Illi quamuis uehementer consternati maiestate eius & cōfidentia animati, tamē ab æmulis Marcelli, instituerūt accusationem. Cui Marcellus respōdit. Finitis orationibus, ac Syracusanis de more curia eiectis, Marcellus reliquit ad rogandas sententias collegam, simulq; cum illis templo excessit, & expectauit pro ualuis curiæ, nec metu ex accusatione, nec in Syracusanos de gradu suo motus, sed exitum causę per quàm operiens ciuiliter & modestè. Perrogatis sententiis, & senatusconsulto secundū Marcellum facto, proiecerunt se ad genua eius Syracusani cum lacrymis, obsecrantes ut ueniā daret præsentibus sibi, moueretúrq; miseria reliquæ ciuitatis, gratam eam memoremq; benefactorum fore. Ita lenitus Marcellus, & cum his rediit in gratiam, & cæteros Syracusanos in fidem & clientelam recepit. Libertatem, quam iis reddiderat, ipsorumq; leges ac res, quæ reliquę erant, comprobauit senatus. Quorum causa cùm alios honores decreuerunt Marcello Syracusani, tum legem tulerunt: Si quando in Siciliam uenisset Marcellus posteriùe eius, ut coronati sacra diis Syracusani facerent. Plut. in Marcello.

Sub TIBERIO neq; tam paruum quicquam, neque tam magnum publici priuatiq; negotij fuit, de quo non ad P. C. referretur. De uectigalibus ac monopoliis, de extruendis reficiendísue operibus, etiam de legendo uel exauctorādo milite, ac legionum & auxiliorum descriptione: denique quibus Imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid & quam formam legum literis rescribi placeret. Suetonius.

CLAVDIVS Imp. de maiore negotio in senatu acturus, medius inter consulum sellas tribunitio subsellio sedit, ne nimium maiestati suæ tribuere, & sibi ipsi placere uideretur. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 11.

VESPASIANVS Imp. sua consilia semper cum patribus cōmunicabat, sæpe etiam ipse ius dicebat in foro. Suetonius.

TRAIANVS Imperator ipse accessit semper aliquid consulturus alios: & eos, qui ipsum accesserūt, summa semper beneuolentia & humanitate audiuit. Volat. lib. 83. Anthrop.

IN COMITIO.

M. ANTONINVS Pius Imp. cùm sibi & filiis honores peteret, non secùs atq; priuatus omnia fecit. Capitolinus.

IN CERTAMINE.

CYRVS concertationes suscipiebat cum æqualibus, non in quibus præcellebat, sed in quib. minùs erat, quàm illi, exercitatus: scilicet, ut sic absq; inuidia proficeret. Plut. de Garrulitate, & 2. Conuiu. quæst. 1.

IN DISPVTATIONIBVS.

ABRAHAMVS, nouus hospes Aegyptum cum Sara coniuge ingressus, adeò dextrè accurateq; cum sacerdotib. eius gentis est congressus: deque diuinis & humanis rebus appellatus, grauiter & pensiculatè disseruit, ut totus ille ordo in ea gente peregrinum hominem non solùm coleret, sed uehementer ueneraretur: nefasque etiam duceret, ut tanta in uno uiro modestia, frugique sapientia ab ullo uiolaretur. Sabellicus lib. 4. c. 10. ex Cedreno.

IN ITINERE.

FROTHO III. Danorum rex, statuit, ut nauigantes repertis ubicunq; remis licitè fruerētur. Amnem uerò transituris, usum equi, quem uado proximum reperissent, liberum esse concessit. Eodem descendendum fore constituit, quum priores eius pedes solum attingerent, postremos adhuc unda sublueret. Talium siquidem cōmodorum beneficia potiùs humanitatis, quàm iniuriæ nomine censenda credebat. Ceterùm reum capitis fore, qui superato amne equi usum longiùs expetere præsumsisset, edixit. Saxo lib. 5.

IN AEDIFICIIS.

Post Romam à Gothis uastatam praua consuetudo incesserat, ut ad publica ædificia reparanda saxa ex antiquis operibus sumerentur: eaque ratio sensim post Vandalicam cladem ad priuatas etiam constructiones erat translata. Quod cùm magno cum urbis ueteris dehonestamento committeretur, in qua uetusta illa monumenta uulgò ab aduenis cum aliqua priscæ non tam magnificentiæ, quàm industriæ reuerentia uisebantur: MAIORIANVS Imp. rem non ferendam ratus, fecit edictum: ut cuncta ædificia, quæ uel in templis, aliisque monumentis, à ueteribus condita, propter usum uel amœnitatem publicam surrexerant, à nemine destruerentur, neque contingerentur: ut iudex, qui hoc fieri statuisset, quinquaginta librarum auri illatione feriretur: apparitores uerò, atque numerarij, qui iubenti obtemperassent, & sua neutiquam suggestione restitissent, fustuario supplicio subditi, manuum quoq; amissione truncarentur. Sigonius lib. 14 Imp. occid.

IN CONVIVIIS.

Gobryam Xenophon memorat, cùm cœnaret apud Cyrum, tum cæteros ritus PERSARVM, tum hunc stupuisse: quòd ea de se requirerent inuicem, quæ cuperent potiùs requisita, quàm non: eaque iacerent dicteria, quæ nollent non cōiecta. Plut. lib. 2. Quæst. conuiu.

Persarum regis mensæ pręter matrem eius & coniugem nemo erat consors: quarum hæc infra, mater supra eum recumbebat. At ARTOXERXES Mnemon fratribus etiam suis mēsam participauit, Ostaci & Oxabi, ætate minoribus. Plutarchus in Artoxerxe.

CRETENSIVM pueri ad conuentus, quos Ἀγέλας appellabant, commeare iubebantur, uiri autem ad conuiuia uirilia, quæ uocabantur ἀνδρεῖα, ut tenuiores æqualem cum locupletibus portionem è publicis alimentis assequerentur. Strabo lib. 19.

Δεκάτην ἑστιᾶσαι, Decimæ epulum præbere. Mos ATHENIENSIVM ciuium fuit, decima ab ortu infantis noctu conuocari paternos maternosque cognatos, iisque præsentibus & nomina pueris indi, & immolari diis, & conuiuio cœtum illum excipi. Aristoteles idem die septimo factitatum scribit. Suidas.

Proprium est SOLONIS institutum epulatio in curia, quod παρασιτεῖν ille appellauit. siquidem non permittit eidem illic epulari frequenter. Sin autem ille, cui id delatum sit, contemnat: infligit ei pœnam, ratus hoc honoris publici fastidium, illud esse plus æquo appetentis. Plut. in Solone.

Apud BOEOTOS in festis Agroniis mulieres Bacchum ut fugitiuum requirunt. Inde desistunt, dicuntque eum ad Musas refugisse, ac delitescere apud illas. Breui pòst cœna peracta sirpos & gryphos inuicem proponunt Quo mysterio significatur, ferendum inter pocula sermonem, qui aliquam cōmentationem & literatam disputationē habeat. Eiuscemodi sermo si additus crapulæ sit, tegi ferociam, & furorem à Musis esse placidè detentum. Plut. lib. 8. Conu. quęst.

LACEDÆMONII si quando iuuenem uel hospitem ad phiditium admitterent, monstrata ianua: Hac, inquiunt, non egrediuntur dicta. Plut. lib. 7. quæst. conu. 6.

POLYCHERMVS concionator Atheniēsis, cùm uitæ rationem ad populum redderet, ita fatus est. Præter cætera, quæ commemoraui, Athenienses, si quando uocatus ad cœnam fui, nunquam adfui nouissimus. Nam uidebatur id oppidò populare: atque è diuerso eos, qui accedunt seriùs, quia operiri homines coguntur eos, ut odiosos & factiosos aduersantur. Plut. lib. 8. Conuiu. 6.

ISOCRATES rhetor adduci ab instantibus non potuit, ut quicquam inter pocula diceret, nisi hoc: In quibus ego ualeo, ea non sunt huius temporis: quæ huius temporis sunt, in his ego non ualeo. Plut. lib. 1. Quæst. conuiu. 1.

CIMON, Miltiadis F. cœnam domi frugalem illam quidē, sed multis tamen sufficientem quotidiè instruebat, quò quilibet pauper admittebatur, ubi alimenta habebat citra laborem suum, ut uacare solis negotiis publicis posset. Aristoteles uerò auctor est, non omnibus Atheniensibus, sed curialium eius Laciadarum, cuiuis paratam cœnam fuisse. Plut. in Cimone, & Athen. lib. 12. c. 15.

XENOCRATI Agrigentino Pindarus ode 6. Pythiorum inter cæteras laudes etiam hanc tribuit:

γλυκεῖα δὲ φρὴν
καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν
μελισσᾶν ἀμείβεται τρητὸν πόνον.

Dulcis mens eius in conuersando cum conuiuis, apum superat cancellatum opus.

Lycurgus orator PHILIPPVM regem scribit in oratione in Demadem, cornu præbibere solitum his, quos perbenignè excipiebat. Athen. lib. 11. c. 8.

CLEOMENES Leonidæ F. Spartanorum rex, in uictu parcus, in conuiuiis festiuus erat. Acroama neq; adhibebatur, neq; requirebatur. quippe compotationem ipse condiebat sermone, nunc quærendo, nunc narrando: neque inerat seueritas orationi eius tristis, sed lepidus & honestus iocus. Quas enim reliqui reges fabricabant hominibus captiones, qui inescabant & corrumpebant eos pecunia: has rusticas & iniquas ducebat. At comi cōsuetudine & lepida oratione alienaq; à fuco congredientes conciliare & adiungere, hoc pulcerrimum ei & rege uidebatur dignissimū. Nam nihil inter amicum interesse & mercenarium rebatur, nisi quòd pecunia hic, ciuilitate ille & festiuis uerbis capiatur. Plut. in eius uita.

ALEXANDER Magnus in uinum fuit minùs opinione effusus. Habitus est tamen ob spacium, quod non bibendo magis quàm fabulando producebat, singulis calicibus prolixum sermonem interponens semper, idq; cùm abundaret

otio: quando à negotiis quidem non uinum illum, non somnus, nullus ludus, non nuptiæ, non spectaculum, sicut alios duces, abduxit. Testatur uita: quam etsi egit breuissimam, plurimis tamen maximisq; rebus gestis impleuit. Plutarchus in Alexandro.

EVMENES Cardianus fusus in Cappadocia ab Antigono, in Nora arce Lycaoniæ obsidebatur. Vbi frumentum quidem & aquæ copia & sal, uerùm quod esui esset, uel condimenti aliud nihil suppetebat: ex his tamen quæ suppeditabant, uictum parauit sociis lætum, omnes uicissim ad mensam suam inuitans, conuiuiumq; lepidis sermonibus & comitate condiens. Plut. in eius uita.

Apud VETERES si quis ad cœnam benignè inuitatus iret, alios pari affectu aut sanguine coniunctos eisdem aduocare epulis non uetabatur, ueluti comites secum & umbras duceret. Sua autem sponte conuiuio aliis parato se intromittere non decebat. Si q uerò non accersiti & automati irent, in imam lecti sponda deduci iubebantur. Tum si forsan minus tempestiuè, neque ad horam constitutam, conuiua accederet, illum nisi triclinio circuito admitti non sinebant: & tunc epulari iussus, discumbebat. Reges Spartanorum serò prodeuntes, cœnæ parte multabantur: quippe ad cœnã nõ euntibus binæ chœnices farinæ, & uini singulæ cotylę mittuntur, dupla uerò præsentibus. Ideo ephori Agidi regi Lacedæmoniorum, quum ad Phiditia non accederet, cœnæ partem petenti abnegarunt. Alexander.

Apud ROM. feminæ cum uiris cubantibus sedentes olim cœnitabant. Quæ consuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit. Nam Iouis epulo ipse in lectulũ, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitabantur. Quod genus seueritatis postea diligentiùs in Capitolio, quàm in suis domibus seruarũt: quasi magis ad rem pertineret dearum quàm mulierum disciplina contineri. Valerius Maximus libro secundo, capite primo.

ROMANI ueteres mensam tolli uacuam nõ patiebantur, sed in ea semper aliquid edulij relinquebant, famulis eorumq; proli, ut non tam eis quod sumunt, quàm quod domini eis impertiuntur, gratum foret. Hinc Persarum reges perhibent non solũ amicis, ducibus, & satellitibus ex mensa sua semper portiones mittere solitos: uerũetiam seruorum & canum quotidie cœnam in illorum mensa apponi: quo facerent, quatenus possent, omnes, quibus utebantur, mensæ suæ & Vestæ consortes. Etenim miteſcunt pastus communione uel immanissimæ feræ. Plut. lib. 7. Con. quæst. 4.

L. PAVLVS Aemilius, uicto Perseo Macedonum rege, spectacula uariorum ludorum & uictimas diis exhibuit, epulas conuiuiaque præbuit: in quæ sumtum quidem largè suppeditabat commeatus regius: ordinem uerò, digestiones, loca, exceptiones, & quantum cuiusque dignitati deferre honoris & comitatis deberet, ita exactè atque accuratè ostendit se callere, ut superent Græci: quòd ne quæ per ludum quidem agebat, tractaret solutè, sed uir rebus tantis districtus, hisce quoque minutis decorem adhiberet. Atqui oblectabant hæc quoq; eum, quòd in tanto apparatu & splendore suauissimum esset ipse oblectamentum & spectaculũ conuiuis: Ac defixis industrię suæ admiratione, eiusdẽ mentis dixit esse aciem ordinare rectè, & conuiuium: hoc, ut q gratissimum inuitatis, illam ut quàm horrendissima hostib. esset. Plut. in Aemilio.

Mensam M. CATO maximè amicorum parentem atque procreatricem existimauit. Et cœna erat ruri liberalior: inuitabat enim assiduè uillis suis uicinos & finitimos, quibuscũ ei familiaritas intercederet. Cum his uiuebat hilariter: erátque iucunda consuetudo eius & accepta non æqualibus modò, sed iuuenibus etiam. nempe multarum rerum peritus erat, multisq; rebus & sermonibus memorabilibus interfuerat. Mensam inprimis putabat esse amicitiæ concilian dæ aptam, ac frequens illic laudatio egregiorum uirorum introducebatur, frequens etiam malorum & improborum obliuio: nec uituperationi eorum uel commendationi permittebat in conuiuiũ suum Cato accessum. Plut. in Catone.

C. IVL. Cæsar inuitatus Mediolani ad cœnam ab hospite Valerio Leone, qui asparagum apposuerat, atq; olei loco infuderat unguentum, ipse simpliciter comedit, & indignantes increpauit amicos: Satis enim erat, inquit, abstinere iis, à quibus abhorrebatis. Nunc eam rusticitatem qui reprehendit, ipse est rusticus. Plut. in Cæsare. Suetonius conditum oleum pro uitidi appositum inquit: Cùm nulli ferè ad conuiuium inuitanti suum denegaret officium, exceptus à quodam cœna perparca, ac penè quotidiana: cùm à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantùm insusurrauit, Non putabam me tibi tam familiarem esse. Alius tam iciunum apparatum contumeliam fuisset interpretatus, ille ciuiliter etiam pudori consuluit: inuitatoris familiaritati tribuens, idq; in aurẽ, ne cæteri putarent exprobratam parsimoniam. Plut. in Romanorum apophthegmatis.

AVGVSTVS Cæsar conuiuabatur assiduè, nec unquam nisi recta, non sine magno ordinum hominumq; delectu. Valerius Messala tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatẽ. Post proditam Sexti Pompeij classem, ipse scribit inuitasse se quendam, in cuius uilla maneret, qui spiculator suus olim fuisset. Conuiuia nonnunquam & seriùs inibat, & maturiùs relinquebat, cũ conuiuæ & cœnare inciperent, prius quàm ille discumberet, & permanerent digresso eo. Cœnã ternis ferculis, aut, cùm abundantissimè, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes, uel submissim fabulantes prouocabat, & aut acroamata & histriones, aut etiam triuiales ex circo ludos interponebat, ac frequentissimè aretalogos. Solebat ad cœnam inuitatus non negare, quo se ciuib. suis conuictu non superbo quàm familiarissimũ faceret. A paucissima ac tenuissima cuiusdam cœna rediens, hospiti illi uerbis prosequenti, hoc unum ad aurem iocoso mutmute respondit: Tam familiarem me tibi non putabam. Sueton.

CLAVDIVS Cæsar, adhibebat omni cœnæ liberos suos cũ pueris puellisq; nobilibus, qui more uetere ad fulcra lectorum sedentes uescerentur. Idem.

TRAIANVS Imp. uenationibus, conuiuiis, fexiisq; atq; iocis rebus ciuium libenter intererat. Sæpè quartus discumbebat, ueniebatq; in ædes eorum, interdum nulla planè munitus custodia, ibiq; interdum etiam quiescebat. Xiphilinus, & Dion Nicæus.

ADRIANVS Imp. in conuiuiis amicorum non multum à priuatorum conditione aberat. Cuspinianus.

M. ANTONINVS Pius Imp. conuiuia cum amicis & priuata communicauit & publica, nec ullum sacrificium per uicarium fecit, nisi cùm æger fuit. Frequentauit & ipse amicorum suorum conuiuia. Capitolinus.

ALEXANDER Seuerus Imp. in procinctu atq; in expeditionibus apertis papilionibus prandit atq; cœnauit, cùm militarem cibum cunctis uidentibus atq; gaudẽtibus sumeret, circumiret propè tota tentoria, à signis abesse neminem pateretur. Lampridius in Seuero.

Cùm ANTONIVS monachus ad PAVLVM Thebæum eremitam uenisset, coruus integrum panem ante ora eorũ deposuit. Hic Domino gratiarum actione celebrata, uter eorum panem frangeret, ad uesperũ penè usq; contenderunt. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, ut apprehenso è regione pane, dum ad se quisq; nititur, pars cuiq; sua remaneret in manibus. Hieronymus in uita Pauli eremitæ.

Narrat Cassianus cap. 26. lib. 5. Gastrimargiæ, de quo dam SINE eremita, cuius tamen nomen nõ exprimit, quòd is nun quam solus cibum sumserit: ac propterea ad toros quinq; dies sæpiùs reficiendi corporis moram extraxerit, dum uel die sabbati, uel dominico, cùm ad Ecclesiam accedendum fuit, occasio obtulisset aliquem fratrem peregrinum, quem secum adductum mensæ sodalem adhiberet: atq; idipsum quoq; non tam suæ necessitatis gratia feciſſe illum, quàm hospiti pietatis officium exhibendi causa.

TARTARI dum in conuiuio uersantur, aduenientẽ quemq; hospitem facilè tolerant, in mensamq; excipiunt. Bonfinius lib. 8. Decadis 2.

Apud SCYTHAS hominum conuictus religiosissimus habebatur: & iurare per conuictum, sacrosanctũ erat. Pontanus in Prologo libri de Conuiuentia.

GALLI nostra ætate dicuntur conuiualitati admodum dare operam. Quos quis non laudet, dum id faciant cũ delectu? Idem cap. 6. de Conuiuentia.

Apud SVECOS & Gothos epulæ publicæ frequentes olim fuêre. Tandem redactus est is conuictus ad tres dies Pentecostales, atque totidem ante ieiuniũ Quadragesimale. Tũc ad parochiam uniuscuiusq; territorij, cibos iuxta facultatẽ suam quisq; comportat, & in maxima domo penes Ecclesiam ad eum usum fabricata, distincto mensarum ordine iuxta seriem ætatum, dignitatum, ac familiarum conuiuatur, potu cerisiæ publicis expensis longè antea ad hunc usũm reseruato. Senatoribus per ministros stolis candidis indutos, amplá cornua electo potu replota, in memoriam S. Trinitatis ebibenda, ordinè dãtur. Deinde eisdem ceremoniis in memoriam Deiparæ uirginis, & tertiò patroni, cuius inuocationi parochialis ecclesia dedicata sit, cornua exhauriunt. Quibus ritè peractis, ex alto legi solent ad latus Senatoris statuta conuiuantium. Quin & controuersiæ atque lites omnes pacificè dirimuntur, connubia conciliantur, & amicitiæ firmissimæ contrahuntur. Olaus libro 16. capite 16. & 17.

IN BALNEO.

Παεγκλημα, id est, Vnà lauabor. Dici consueuit, ubi quis insinuat se in societatem alterius, aut ubi quis admittit aliquẽ in

in societatem: uti qui pauperior est, sumtum effugiat. Suidas ait, olim fuisse morem, ut DIVITES unà cum pauperibus lauarent: ut quibus propria supellex strigilum, spongiarum, guttorum, atq; id genus rerum non esset, diuitum uterentur supellectile.

TITVS Imp. ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis, admissa plebe, lauit. Suetonius.

IN VENEREIS.

Apud SPARTANOS ex institutis Lycurgi, sponsus noctu clã accedebat ad sponsam extincto lumine, & cum ea quadam uelut religione timidus coibat, & uerecundus. Plutarchus in Lycurgo.

Iuxta Venerem ueteres Mercurium uno in sacello cõlocauere: quòd uoluptas genialis præcipuè sermonem postulet, Suadamq; & Gratias, blandimentis ut impetrent à se mutuo ea, quæ fert animus, non certamine neque contentione. Solon præcepit ATHENIENSIBVS, ut sponsa uoratо malo cydonio cum sponso concubet: obscurè minirũ significans, oris & uocis debere gratiam primũ comem esse & suauem. In BOEOTIA obuelatam sponsam asparagonia coronant. Vt enim fructum ille edit asperrima ex spina suauissimum: sic sponsa ei, qui primam suam non refugit neque auersatur asperitatem & acerbitatem, cõtubernium lene præbebit & dulce. Plut. in Præceptis con.

IN BELLO.

Vide suprà, Humani erga Hostes.

IN VENATIONE.

ARTOXERXES Persarum rex, iis qui secum uenabãtur, qui

POPVLARITATIS ET HVMANITATIS ACCIDENTIA, QVO AD FRVCTVM. PRAEMIA

DIGNA.

Exempla quædam ex Tit. Reges Populares, item Humanitatis erga Iratos, petantur.

Fœdus.

P. SCIPIO, pulso ex Hispania Carthaginensium duce Hamilcare, cum duabus triremibus tranquillo mari in Africã traiecit: casũq; accidit, ut eadem hora Hasdrubal, septem cũ triremibus ad Syphacem ueniens, iactis ancoris in terram defenderet. Ita prior in terram Hasdrubal, mox Scipio & Lælius egressi, pergunt ad regem. Syphax rex Massylorum, duorum opulentissimorum populorum duces eadem die suam pacem amicitiamq; petentes ad hospitiũ intuitauit, conatusq; est eos ad colloquium pacis causa deducere. Scipio hoc renuit, dicens, nullum cum Pœnis priuatum sibi odium esse, neq; de repub. se cum hoste agere quicquam nisi iussu senatus posse. Rex ne alter hospitum exclusus mensa uideretur, ad eandem mensam utrunq; inuitauit, quinimò simul cœnati, eodem etiam lecto simul dormierunt. Tanta autem comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenij claritas & facundia erat, ut non modò Syphacem barbarum insuetumq; Romanis moribus, sed etiam hostẽ quencunque infestissimum alloquendo sibi conciliaret: mirabilioremq; aspectum ac maiestatem præ se ferebat, quàm gestarum rerum gloriam. Itaque regem regnumq; Scipio allocutione sua in Romanorum partes pertraxit: tantam artẽ ad conciliandos animos eidem natura tribuerat. Ioan. Gerund. lib. 5. Paralip. Hispan.

Reconciliatio.

Exempla sub Tit. Prudentiæ in reconciliando.

ALPHONSVS potentissimus Aragonum, Neapolitanorum & Siciliæ rex, cùm Capuam proficisceretur, uidens quendã auxilium implorantem, propterea quòd asellus in lutũ prolapsus esset farina onustus: illicò equo desiliit, & asinũ hærentem cœno, subleuare nequaquam erubuit. Asinarius uerò, qui regem priùs non nouerat, perrepidus uenam precabatur. Parui quidem momenti res, sed quæ nonnullos Campaniæ populos regi reconciliauerit. Panormita libro 1. de Rebus gestis Alphonsi, & Pontanus capite sexto, de Beneficentia.

Deditio.

MANTO NINVS Pius Imp. tantæ fuit æquitatis & gratiæ apud omnes, ut plurimæ nationes, quæ Romanum priùs iugum repulerant, armis abiectis sua sponte sese ei subiecerint. Iulius Capitolinus, & Eusebius.

Defensio, Auxilium.

HENRICVS princeps Boemorum, & episcopus Pragensis, possent & uellent, ut ante regem iaculum emitterent, libenter concedebat. Plutarchus in regum Apophthegmatibus.

IN CONTRACTIBVS.

PSAMMETYCHVS primus Aegyptiorum regum, cæteras nationes ad importanda, quæ apud se erant, allexit, securitate singulis adeuntibus præbita. Diodorus Siculus libro 1. capite quinto.

IN ALEA.

AVGVSTVS in alea benignè, liberaliter ac iucundè lusisse dicitur, ut nullam habere occasionem largitatis suæ maiorẽ aut commodiorem uideretur. Sic enim in epistola eius ad Tiberium Suetonius: Nos, mi Tiberi, quinquatriis iucundè egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumq; aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimentis, præter spem, paulatim retractus est. Ego perdidi XX millia numũm, meo nomine: sed cùm effuse in ludo liberalis fuissem, ut soleo plerunq;. Nam si quas manus remisi cuiq; exegissem, aut retinuissem quod cuiq; donaui, uicissem uel LM. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet. Suetonius.

ANTE MORTEM.

Quo die occisus est à Chærea CAIVS Imp. præter naturam suam affabilis fuit, ita ut infuета comitate omnibus fuerit miraculo. Tertio Circensium die sedens in circo, sparsis in spectatores missilibus, quæ pomis constabant & nuib. propter raritatem gratis, delectabatur diripiente hæc certatim populo. Suetonius.

In maxima annonę caritate, frumento à se cœmto indigentibus gratis exhibito, adeò factus est popularis, ut ad eum defendendum contra Premisslaum & Vladislaum fratres regnum affectantes uniuersi conflucrent. Dubrauius lib. 14.

Absolutio.

Romanos tantum pudori tribuisse legimus, ut Philippo regi Macedonię, pluribus criminibus accusato, nil æquè profuerit, quàm DEMETRII filij pudor in Senatu, obiecta minimè diluere ualentis. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 19.

Imperium, Dignitas.

DAVID rex, ob placabilitatem & humanitatem iuuenis etiã ad gubernandum populum Iudæorum uno omnium consensu electus est, adeò ut parentes cum filiis suis, filij parentibus in amore præferrent, cùm ad utilitatem hominũ potiùs quàm dominandi cupiditate sumsisse regnum uideretur. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

ARISTIDES Iustus, unà cum Cimone, præbendo se in expeditionibus comẽ & communem, imprudentibus Lacedæmoniis imperium detraxit, non armis, non classe uel equitatu, sed beneuolẽtia & ciuilitate. Cùm cõtrà Pausanias à Lacedæmoniis iniquitate & austeritate omnes abalienarit. Plutarchus in Aristide.

ALCIBIADES etsi populum Athenienſem uita dissoluta offendisset, eundem tamen uicissim comitate sua sibi deuinxit, ut etiam uitia eius benigniore appellatione mitigarẽt, & maris imperium ei decernerent. Plut. in eius uita.

C. IVL. Cæsar multum, in salutationibus & congressibus q̃ supra ætatem blandus esset, fauorem assecutus est ad populũ. Adhæc cœnarum & mensæ, & in summa reliquo uitę splendore colligebat paulatim in republ. opes: quas inuidi eius breui existimantes, deficientibus sumtibus euanidas fore, securi inclarescere illum in repub. permisere. Plut. in Cęsare.

GERMANICVS Drusi F. suarum uirtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus & dilectus à suis, ut Augustus diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Iosephus lib. 18. cap. 8. Antiq. & Suetonius.

VALERIANVS Licinius Imp. adeò populari fuit ingenio, uitaque ad senium usq; incorrupta, ut nullus unquam principum maiore militum studio, omniumq; ordinum cõsensu ad imperium peruenerit. Cuspin.

Honores qualescunq.

Acpytus Messeniorũ rex, Cresphontis F, cũ post reditum Heraclidarum in Peloponnesum, & obsequiis nobilitatem & largitionibus plebem deliniſſet: eò peruenit honoris, ut AEPYTIDÆ posteri iam omnes appellati sint, cùm antè Heraclidę dicerentur. Pausanias in Messenicis.

GELON cùm in Himerẽsi pugna deuicisset Carthaginẽses, uniuersam Siciliam sub suum imperiũ coegit. Post nudus in

sorum progressus, affirmauit se ciuibus imperium restituere uelle. At illi renuebant, experti eius humanitatem, quòd uidelicet popularior esset, quàm pro potestate monarchæ. Propter hanc causam Syracusani in Sicilia simulacrũ ipsius in delubro Iunonis nudum posuere. Aelianus lib. 6. de Varia hist. & Diodorus.

TITVS Imp. Amor ac deliciæ generis humani dictus, tantum illi ad promerendam omnium uoluntatem uel ingenij, uel artis, uel fortunæ superfuit: & quod difficilimum est, in Imperio, quando priuatus, atque etiam sub patre principe, ne odio quidẽ, nedũ uituperatione publica caruit. Suetonius.

EBERHARDVS dux Virtenbergicus primus, pacis studiis celeberrimus fuit. Vrbes ditionis circumiens, apud ciues de magistratus & præfectorum integritate, apud peregrinos de hospitum fide diligenter inquirebat. Hac popularitate obtinuit, ut subditi uiuentem etiamnum inter deos referrent, cum huiusmodi præconio, Nisi Deus esset, noster Dux Eberhardus Deus esse posset. Ioannes Agricola in prouerbiis Germanicis.

Libertas.

TAXILES perhibetur Indiæ obtinuisse Aegypto non angustiorem laxitate portionem, pabulo autem lætam, fœcundamq; fructibus in primis: ac uir ipse sapiens fuisse, atq; cũ salutaret Alexandrum, dixisse: Quid bellis inter nos & prælio, Alexander, opus est, cùm neq; aquam nobis ademturn neq; uictum necessarium ueneris? pro quibus solis necesse habent homines sani decertare. Reliquis opibus & facultatibus, quas uocant, si ego abundantior sum, impertiar tibi libens: sin inferior, non recuso accipere abs te grato animo beneficium. Delectatus ea oratione Alexander, illumq; cõplexus: An tu, inquit, pugna arbitraris ex tali sermone & comitate colloquium fore immune? At nihil proficis: quippe contendam tecum, & depugnabo beneficiis, ne me superes benignitate. Ac muneribus acceptis multis, datisq; plurib. deniq; mille talentûm argenti signati ei propinauit. qua re torsit amicos acriter, sed barbaros multo sibi reddidit mãsuetiores. Plut. in Alex.

ALFONSVS Aragonius, ut incredibili erga hostes clementia fuit: ita apud Gaietam nauali prælio uictus, in Philippi Mariæ Mediolanensis ducis potestatem ueniens, non ut captiuus ab eo habitus est, sed festis ludis, conuiuiisq; honoratus, sine precio dimissus est. Fulgosus lib. 5. c. 1.

Soboles.

HYRIEVS, Neptuni & Alcyones F. in Tanagra ciuitate Boëtiæ, cùm benignus esset erga hospites, Dij quoque dicuntur in eius hospitium accessisse. Iupiter, Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractati, proposuerunt, ut quodcunq; liberet, peteret. Eo filium petente, Dij in pellem mactati bouis profuderunt semen, ex quo natus est Orion. Natalis Comes Mythol. lib. 8. c. 13.

Opulentia.

PYRRHIAS portitor Ithacensis ob pietatem erga cæcum captiuum thesauro ingenti potitus. Vide suprà, Humani erga Captiuos.

Alimenta.

CTESIBIVS Chalcidensis Menedemi familiaris, cùm interrogaretur, Quid sibi ex philosophia lucratus uideretur? Vt cœnem, inquit, immunis. Erat autem promtus, & ad ridendum suauis, quo efficiebatur, ut ab omnibus ad conuiuia uocaretur. Athen. lib. 4. cap. 19.

INDIGNA. PVTA

Odium, Inuidia.

AGIS iunior, Spartanorum rex, comitate & facilitate sua ciues omnes ad se pertraxit iuniores, & Rempub. ad ueterem illam Lycurgi normam reformare aggressus, ab æmulis in carcerem abreptus, ibi strangulatus est, indicta causa. Eum mortuũ intuita mater Agesistrata, Nimia tua, tua te, inquit, fili, modestia, lenitas & humanitas, & nos simul perdidit. Plut. in Agide.

Mors.

CAROLVS IV. Ioannis Boëmorum regis F. à patre inuidiam sustinet. Vide Tit. Inuidi filiis.

VSVM.

Humanitatem in conuersando, reliquis Virtutibus famulari interdum constat: Prudentiæ in concilianda amicitia, in reconciliando: Clementiæ item, & Iustitiæ. Quòd si quando Vitiis, ut Astutiæ in opprimendo hoste: Crudelitati in pertrahendo hoste ad insidias: Blanditia illa erit, non Humanitas.

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

BLANDITIAE *perpendenda*
- Acquisitio.
- Exercitatio *secundùm*
  - Causas. *Nempe quoad*
    - EFFICIENTEM:
      - Qui, *quibus.* Puta
        - Populi. Magistratus.
        - Subditi. Amici.
        - Parentes. Fratres.
        - Coniuges. Domini.
      - Quo Cõsilio, *qua occasione.* Causa
        - Lucri. *Παράσιτοι propriè.*
        - Vindictæ.
    - Formam. *Vide signum* Aa.
    - Materiam. BLANDITIA *secundùm* MATERIAM *considerata, ratione habita*
      - Personarũ. *Erga*
        - Homines. *Vt erga*
          - Subditos. Milites.
          - Hospites. Seruos.
          - Coniuges.
          - Mortuos.
        - Bruta.
      - Rerum. *Vtputa in rebus*
        - Nouis.
        - Arcanis *communicandis, detegendis.*
      - Loci *&* Temporis. *Vt in*
        - Taberna *medica:*
        - Balneo.
        - Conuiuiis.
  - Accidentia. BLANDITIAE, *Popularitatis nimiæ fructus*
    - Dignus.
    - Indignus.

Aa. BLAN-

Aa. BLANDITIA *secundùm* FORMAM *considerata tum*
- PER SE. *quatenus cõsistit in*
  - Moribus. *In*
    - Aspectu, *Visu.* Conuersatione.
    - Colloquio. Alloquio. Salutatione.
    - Osculatione. Incessu.
    - Corporis:
      - Cura *per*
        - Vestitum.
        - Fucum.
      - Denudatione.
  - Officiis
    - Actiua, *dum ea quæ aliis*
      - Grata *sunt præter honestatis præscriptum*
        - Facit. *Puta*
          - Accõmodare *se aliorum moribus, morbis, reliquis.*
          - Ostendere. Munera *dare, Largiri.* Polliceri.
          - Supplicare, *Petere.* Operam *studium offerre.*
          - Obsequi. Seruire. Laudare.
          - Honorare, *Adorare.* Contemnere *alios.*
          - Excusare, *Defendere.* Congratulari.
          - Condolere. Vouere, *Optare.*
          - Humiliari. Cedere.
        - Non *facit.*
      - Ingrata *uidentur,*
        - Non *facit*
          - Non *castigando.*
          - Non *reprehendendo.*
          - Non *excitando.*
        - Facit, *Adulatoriè*
          - Denegare. Reprehendere.
          - Castigare.
    - Passiua, *quatenus ipse per hæc in aliorum gratiam Pati uidetur, dum*
      - Fert *aliorum*
        - Intemperantiam.
        - Immodestiam.
        - Petulantiam *in Verberibus, sputis, dicteriis.*
      - Imitatur *aliorum mala.*
- RESPECTV *aliorum uel*
  - Absque *certamine, qui aliorum*
    - Blanditiam *fouent, amant.*
    - Rusticitatem *nimiùm oderunt.*
  - Cũ *certamine. Sic Blanditia certant inter se*
    - Publici, *qui popularium aucupantur gratiam.*
    - Priuatim, *qui ambiunt gratiam*
      - Amicorum.
      - Familiarium.

Voluminis Decimiquarti Liber II.

DE EXCESSV Humanitatis, siue de BLANDITIA.

ADVLATIO in genere huius est loci, ob blandum conuersandi modum: in conuersando, in colloquendo, aliena item bona laudando, mala excusando, diuiditur: de quibus singillatim pòst agetur. At respectu Mendacij, quod iunctum habet, ad ἀλαζόνειαν alienis bonis extollendis, malis excusandis referri potest, uti suo loco monuimus.

BLANDITIA respectu EFFICIENTIS considerata. BLANDITIAE sectatores. ADVLATORES.

QVI. QVALES. Puta

POPVLI.

Scribunt Græci, κερκωπίζειν esse adulatorum uerbum propriũ: translatione tamen à brutis ducta, quæ caudam motantia, κέρκον dictam, subblandiri assueuerint. Cælius lib. 20. cap. 33. Antiquarum Lectionum.

Κροκυδίζειν uerbum adulatoribus congruit, quando subblandiendo floccos pilosq; ex uestibus legunt, quos uocãt Græci κροκύδας, item γνάφαλλα & τύλας. Idem.

Q. Curtius scribit adulationem esse nationis SICVLÆ uitium proprium germanumq;: sicut GRÆCORVM quoq;, ut indicat D. Hieronymus. Ibidem.

MAGISTRATVS.

MENESTHEVS Petei F. primus inter mortales auram popularem captare aggressus, & blandiri plebi, Theseum Atheniensium regno priuauit. Plut. in Theseo.

ANTIOCHVS Epiphanes, Asiæ rex, nimia popularitate Insani nomen meruit, absque delectu regiæ maiestatis personæ oblitus cũ quibuslibet conuersando. Athen. lib. 5. c. 4.

AP-

APPIVS Claudius Cēsor, dum populo gratificari studet, nullam senatus rationem habuit. Primùm Appiam aquam, sic appellatam, à stadiis octoginta Romam deduxit, in quod opus multas ærarij publici pecunias iniussu senatus insumsit. Deinde Appiam uiam à se sic nominatam, magna ex parte duris lapidibus à Roma ad Capuam constrauit: quod interuallum est stadiorum plus mille; & loca eminentia solo complanando, & depressa cauaq; magnis aggeribus exæquando, uniuersum ærarium publicum exhausit: ac nominis sui immortalem famam post se reliquit, communis utilitatis studiosus. Præterea senatum miscuit, non patricios, & eos qui dignitate præstarent, solùm in senatum cooptando, quemadmodum factitari solitum erat: uerùm etiam alios multos, & ex libertinorum genere nonnullos: quę grauiter ferebant qui generis nobilitatem iactabant. Fecit etiā ciuibus potestatem, ut sese in quamcunq; uellent tribū aggregarent, & facultates ubi luberet æstimarent. In summa cùm animaduerteret illustrissimos quosq; odium aduersus se fouere, offensionem reliquorum uitabat, hoc pacto sese contra alienationem nobilium uulgi beneuolentia præmuniens. Et in equitum exploratione nulli equum ademit, atque in Senatorum confirmatione neminem obscurum senatorem eiecit, quod censores facere consueuerant. Diodorus libro uigesimo.

TIBERIVS Cæsar, in appellandis uenerandisq; singulis, & uniuersis, propè excessit humanitatis modum. Suetonius.

FLIOLMVS Gothorum rex, milites suos, non solùm commilitones, sed combibones effecit cū eis comedere, & in longam noctem potare solitus. Cùm solito more noctem cùm suis potando duceret, ab ipsis ebrietate suffusis, in ingēs dolium cereali liquore repletum, in media aula collocatū per ludibrium præcipitatus, interiit. Ioannes Magnus libro septimo, capite 17.

SVBDITI.

In ARABVM regione ex instituto quodam hoc faciunt, ut si regis aliquod membrum fuerit mutilatum, eandem partē obligatam fasciis & ipsi gestent: ut cùm mortuo rege ipsi quoq; interfici studeant, eidem mutilato quoque similes se præbeant. Athenæus lib. 6. c. 6.

AMICI.

ADRIANVS Imp. amicorum adeò studiosus, ut singula exploraret, & secretissima quæque rimaretur, & per hoc in uitia lapsus adulterij: quæ ubi cognouit, neque ipse ab iis abstinuit. Cuspinianus.

PARENTES.

Ex loco Clementiæ nimiæ Parentum erga Liberos, quædam huc pertinent. Illic Iræ remissæ, hic Gratiæ intensæ ratio habetur.

AGAR ancilla, dum in puerilibus rixis ob ætatis prærogatiuā herili filio Isaaco Ismaelem suum præfert, fouet, defendit: ab Abrahamo ablegata fuit.

Olim ABYDENIS mos fuit, si quem ciuem aut hospitem acciperent conuiuio, præterea in sacris ac solennibus epulis, ut post unguentum & coronas, infantes à nutricibus inducerentur, circumferrentur suauiandi. Vagientibus autem & clamantibus pueris, garrientibus item & obstrepentib. nutriculis, conuiuium tumultuosum & iniucundum reddebatur. Hinc prouerbiū, Abydena irruptio, de conuiuio tumultuoso. Erasmus ex Zenodoto.

PISISTRATVS Atheniensium tyrannus, cùm mater apud ipsum delata esset, quòd adolescentem quēdam adamaret, furtimq; cum eo congrederetur, & quidem frequenter præ metu Pisistrati: negante sui copiam, adolescentem uocauit ad cœnam. Peracta cœna, rogauit quomodo habitus esset: quum ille respondisset, Suauiter. Hæc, inquit, tibi continget quotidie, si matri meæ placueris. Plut.

THEMISTOCLES Atheniensis, filium suum, quem mater adamabat, atque in deliciis habebat, plurimum omniū Grę corum posse, colligebat hunc in modum: Athenienses, inquit, dominantur Græcis, ego Atheniensibus: mihi mater, matri filius. Plut. in Græcorum apoph.

FRATRES.

ALEXANDER Magnus, cùm sensisset sororem suam cum eleganti forma iuuene habere consuetudinem, nō ægrè hoc tulit, sed dixit: Concedendum esse, ut illa quoq; aliqua ex parte regno frueretur. Plut. in Regum & Imp. apoph.

CONIVGES.

Ex loco Clementiæ nimiæ erga Coniuges, quædam huc referri poterunt.

Nisi plus æquo PROTOPLASTVS Euam adamasset, nunq̄ sciens uolensq; à diuina lege aberrasset. Nocuit auctorib. dira præuaricatio: nocuit & posteritati. Sabell. lib. 3. cap. 5. ex Genesi.

SAMSON uir fortissimus, nisi cū Philisteæ coniugi nimiū indulsisset, nunquam illius proci ænigma illud de leone & apum mellificatione, magna uiri indignatione interpretari potuissent: unde fremitus & uox illa æstuantis animi, Nihil fallacius femina. Idem ex 4. Iudicum.

Mirum uideri posset, hominem suprema sapientia, ac supra fastigium humanitatis collocatum, adeò iugalibus illecebris succubuisse, ut relicta luce tenebras sit secutus. Sed homo fuit SOLOMON Iudæorum rex, etsi sapiens, humanus tamen: cuius proprium est labi. Idem.

Tertia AEMYLIA, Africani prioris uxor, mater Corneliæ matris C. & Tib. Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, ut cùm sciret uiro suo ancillulā ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis Africanum femina magnū uirum, impatientiæ reum ageret: tantumq; mens eius à uindicta abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillulam in matrimonium liberto suo daret. Valerius Maximus libro 6. capite 7.

LIVIA, cùm sciret Augustum puellis nondum maturis oblectari, clàm magna diligentia perquisitas, secretò ad eū deduci curabat: præ nimia fide amoreq; id marito concedēs, cuius gratiā nonnullæ, cùm pellicem ferre non possent, interdum uiros peremerunt: [redacted]

M. ANTONINI uxor Faustina malè audiebat uulgò. Itaque hortantibus amicis, ut eam repudiaret, si nollet occidere: Si uxorem, inquit, dimittimus, reddamus & dotem. Dotis nomine signans imperium, quod ab socero, uolente Adriano, adoptatus acceperat. Iulius Capitolinus.

ALARICVS, Vestgothorum rex, capta Roma, Placidiam sororem Honorij Imp. uxorem duxit, eiusq; ductus illecebris, prę ter uoluntatem humanissimum se uictis exhibuit, & Honorij suasu Gallias & Hispanias petiit. Inuidia regi hinc orta est atrox à suis, quòd uxori addictus, relicta urbe aliena ui capta, ludibrium potiùs quā pacem secutus, Italia cesserit, & tandem insidiis illorum è medio sublatus. Cusp.

OTHOCARVS Boemiæ rex, cùm de pudicitia coniugis sinistri ad se rumores delati essent: Lex, inquit, naturæ est, Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent. Aeneas Syluius lib. 3. comm. de Rebus gestis Alfonsi.

LVDOVICO Sforciæ, duci Mediolanensi, Beatrix coniunx sua, non minùs in rebus grauioribus, quam in iucundioribus comes assidua esse solebat. Guicciard. lib. 2.

DOMINI.

ATHENIENSES agricolis blandiri solebant, ut ab illis ficos præcoquos acciperent, bene ominantes ac precantes, ut in annum sequentem fici feliciter prouenirent. Rustici uerò posteaquam senserunt ciuium blandiloquentiam cō spectare, ut ficos acciperent, in prouerbium uerterunt, ut commodi spe adulantem, ficos petere dicerent: Aristophanes in Vespis, Σὺ δ' ἰσῶ σῦκά μ' αἰτεῖς. Erasm. in Adag. Ficū cupit.

CLAVDIVS Cæsar libertorum præcipuè suspexit Posidē spadonem, quem etiam Britānico triumpho inter militares uiros hasta pura donauit. Nec minùs Felicem, quem cohortibus & alis, prouinciæq; Iudeæ præposuit, trium reginarū maritum. Et Harpocram, cui lectica per urbem uehēdi, spectaculaq; publicè edendi ius tribuit: ac super hos Polybiū à studiis, qui sæpè inter duos Coss. ambulabat. Sed ante omnes Narcissum ab epistolis, & Pallantē à rationibus: quos decreto quoq; Senatus non præmiis modò ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisq; ornamentis ornari libenter passus est: tantum præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, Abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur. Suetonius.

QVO CONSILIO, QVA OCCASIONE.

In dictis factisq; erga omnes, aut certè erga aliquos tātùm, ultra quàm decet blandum esse, Ἀρέσκου propriū est: id unicè studentis, ut placeat, ut nulla molestia afficiat. Quòd si utilitatis suæ causa id faciat, Κόλαξ dicitur, amicus fictus, οἷον προσκεκολλημένος τῆς ὁμιλίας, agglutinatus spe lucri, non amoris integritate iis quibuscum uersatur, ut notat ex Athenæo Eustathius. Iidem Παράσιτοι, ueteri appellatione honesta, de iis qui epulis sacris adhibebantur, quorum etiam peculiaris erat magistratus: postea uerò infamis uox haberi cœpit, de iis qui cibi causa aliis adularentur: uti docet Athen. lib. 6. cap. 5. Dipnosophistarum.

VENTRIS CAVSA. PARASITI PROPRIE.

Αὐλοψικυθοι, & Παράσιτοι, & Τραπεζεῖς iidem, qui uentris causa adulantur. Plut. de Dignosc. adul. & amico. Eorum genera recenset Athen. lib. 6. c. 5. ex Comicis antiquis.

Videtur Cicero putasse PHORMIONEM, parasitum Terentianum

atri coloris fuisse, propriumq; hoc eius parasiti extitisse, quod ad eum colorem pertinet, non commune omnium eius generis hominum: quia in oratione pro A. Cæcinna inq̄t: Et argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio. Nihil tamen apud comicum, quod indicet huius aut illius coloris eum fuisse. Alexis uerò, qui eam scenam magna cum laude coluit, ostendere uidetur, solitos comicos poetas inducere parasitos omnes atri coloris, quando inquit:

Δύ' ἐστὶ Ναυσινίκε παρασίτων γένη,
Ἓν μὲν τὸ κοινὸν & κεκωμῳδημένον,
Οἱ μέλανες ἡμεῖς· θάτερον ζητῶ γένος.

Victorius lib. 6. Var. lect. cap. 23.

PARASITVS apud Diphilum comicum narrat se dissentire ab ingenio multorum, qui cùm uocati sunt ad cœnam à diuite aliquo, fortunatoq; homine, statim domum introeuntes laudant triglypha, tecta laqueata, Corinthiaq; uasa, conjectis in huiuscemodi ornamenta ædium oculis: se namq; his rebus spretis, intentis oculis respicere fumum culinæ: q si ille impetu quodā directò latus sit, se gaudere ac præ gaudio exultare: contrà autē si obliquus ac tenuis, illicò cognoscere cœnam, sanguinem non habituram, & se malè acceptum iri: neq; enim huiuscemodi cœna ipsum delectabat. Carmen apud Athenæum in 6. lib. Dipnos. legitur. Victorius lib. 7. Var. lect. cap. 16.

Aristodemus lib. 2. Ridiculorum memorabilium parasitos fuisse scribit SOSTRATVM regis Antiochi, EVAGORAM gibbum Demetrij Poliorcetæ, PHORMIONEM Seleuci. Athen. lib. 6. cap. 5. Idē meminit EVCLIDIS Smicrini F. & MOSCHIONIS, quem Paramesetem appellabant: item CALLIMEDONTIS, COBIONIS, CERYBIONIS, CHÆREPHONTIS, de quo commentarium scripsit Callimachus: item ARCHEPHONTIS, STRATII, GRYLLIONIS, PHILOXENI, quem Menander Pternocopidē uocat. TITHYMALLI meminit Alexis. CORYDI Timocles, eiusq; dicta scripsit Lynceus Samius. APOLLONIVS Antiochi Grypi regis Syrię. ANTHEMOCRITVS athleta Aristomachi Argiuorum tyranni parasitus, SATYRVS utriusq; Dionysij. PROCLIDES Philippi à Rom. uicti, auctor omnium calamitatum, THRASON Hieronymi tyranni Syracusiorum, CLISOPHVS Philippi Macedonis. Quē cùm cauillaretur Philippus, ac lætus esset, In posterum non ego te pascam, ait. SYMMACHVS Attali regis adulator & historicus, regis uitam descripsit. HIERAX Ptolemæi Euergetis, SOSIPATER Mithridatis. Athen. lib. 6. c. 5. & 6.

ARISTIPPVS Cyrenæus, Socratis auditor, meruit nomen regij canis, & aulici, q adularetur Dionysio, & sequeretur quaquà uersum iret ille, saginādi uētris causā. Vnde Horat.

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. —

Asserit Euphantus CALLICRATEM adulatorem fuisse Ptolemæi tertij, qui non Vlyssis solùm imaginem in sigillo gestabat, sed filiis etiam nomina imposuit Telegonum ac Anticliām. Athenæus lib. 6. cap. 6.

AVARITIÆ CAVSA. CAPTATORES hæreditatum.

Consule Tit. Auaritiæ fœneratoriæ, quātenus illi ficta simulatur Popularitas.

VLTIONIS CAVSA.

Huc exempla quædam ex Tit. Astutiæ in circumueniendis inimicis per simulationem beneuolentiæ, referenda.

BLANDITIA SECVNDVM FORMAM, CONSIDERATA PER SE.

Quo ad MORES. In

CONVERSATIONE NIMIVM BLANDI.

ANTIOCHVS Epiphanes primò, postea Epimanes, hoc est, Insanus dictus, Syriæ rex, tanquam aulam fugeret, ubicunque locorum in ciuitate seruos consequeretur, secūdus uel tertius inter eos conspiciebatur, atq; in argenti aurîue officinis sæpiùs de arte differens, unà cum tornatoribus, aliisq; artificibus deprehendebatur. Postea uersabatur cū plebeiis nullo habito delectu, atq; cum uilissimis peregrinis bibere consuerat & unà lauari. Cùm iuuenes aliquos simul conuiuantes audiret, accedebat cum fictili & symphonia, lasciuiens, ita ut multi, ob non speratum illius aduentum, aufugerent. Sæpè regia etiam ueste deposita, lucernaq; assumta forum circumibat, populi gratiam aucupans, atq; hos quidē dextra apprehendens, illos autem complectens, ut sibi suffragia donarent, precabatur. Sæpiùs insuper Aedilis fiebat, sæpiùs uelut Tribunus plebis. Athen. lib. 5. c. 4. Sæpiùs coronam ex rosis compactam habens in capite, auro intextū indumentum, circumibat, lapides habens sub ala, quib. suos pedissequos percutiebat. Idem lib. 10. cap. 12.

Cùm in Imperatorio triclinio nulli liceret stare, præter uxorē, liberos, fratres, & patruos fortasse Imperatoris: ANDRONICO tamē Iuniore Imp. ibi stante & differente, nō modò omnis nobilitatis adolescentia illi astabat, sed & plebeiorū ministrorum quilibet. Vnde sæpè turba hominū ita premebatur & urgebatur, ut ipse deflecteret, ac loco cederet: aliisque superiore statione concessa, paulatim ad inferius pauimentum descenderet, nemini omnium succensens. Gregoras libro undecimo.

COLLOQVIO, ALLOQVIO NIMIVM BLANDI.

CN. Pompeij ueneres in colloquendo mirę fuerunt. Flora meretrix huiusce rei testis, quæ nunquam sine aculeo ab eius conuersatione se recessisse affirmabat. Plut.

CLEOPATRÆ reginæ Aegyptiæ figura non erat per se usq; adeò incomparabilis, neq; ut obstupefaceret spectatores: sed habebat aculeos cōsuetudo ineuitabiles, formaq; cum sermonis illecebris & morum simul circumfusæ consuetudinem, ueneris stimulum aliquem infligebant. Ad hæc loquentis uoci inerat suauitas, ac linguam sicut multarū organum fidium promtè ad quemlibet sermonem uertens, perpaucis sanè barbaris per interpretem, plerisq; dabat per semetipsam respōsa, ut Aethiopibus, Troglodytis, Hebręis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis. Multarum insuper linguas aliarum gentium dicitur tenuisse: cùm antecessores eius reges ne Aegyptiam quidem percipere sustinuissent, nonnulli etiam desiissent Macedonicam. Plut. in Antonio.

SALVTATIONE.

AFRI blanditiam sic insectatur Martialis Epigram. lib. 4.

Condita cùm tibi sit iam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo,
Discurris tota uagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus aue.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno,
Nec caret officio Consul uterq; tuo.
Et sacro decies repetis pallatia cliuo,
Sigeriosq; modos, Partheniosq; sonas.
Hæc faciunt sanè iuuenes. Deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene.

OSCVLATIONE.

Olim ABYDENIS mos fuit, teste Zenodoto, si quē ciuē aut hospitē acciperēt conuiuio, præterea in sacris ac solennib. epulis, ut post unguentū & coronas, infantes à nutricib. inducerentur, circūferrenturq; suauiandi. Vagientibus aūt & clamātib. pueris, garrientib. itē & obstrepentib. nutricibus, conuiuiū tumultuosum & iniucundū reddebatur. Ergo cū, amicis aliquot suauiter colloquentibus, interueniet rabula quispiam & immodicè loquax, qui confabulationē sua loquacitate sit inamœnā redditurus, rectè dicemus, Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, id est, Abydena illatio. Erasmus in Adag.

LINVM, qui osculo niuali totā basiabat Romam mense Decembri, lib. 7. Epigr. insectatur Martialis. Concludit tandē:

Quare si tibi sensus est pudorq;,
Hybernas, Line, basiationes
In mensem rogo differas Aprilem.

Ad BASSVM Martialis Epigramm. lib. 10. sic scribit:

Effugere non est, Basse, basiatores,
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc, usquequaque, quacunque:
Non ulcus acre, pustulæue lucentes,
Nec triste mentum, sordidiq; lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi:
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reseruantem.
Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, ueloq;,
Nec uendicabit sella sæpiùs clausa:
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non Consulatus ipse, non Tribunatus,
Sæuique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget uirga basiatorem.
Sedeas in alto tu licèt tribunali,
Et è curuli iura gentibus reddas,
Ascendet illa basiator, atque illa
Febricitantem basiabit & flentem,
Dabit oscitanti basium, natantiq;:
Dabit & cacanti. Remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

CORPORIS CVLTV, QVOAD *Vestitum insolentem.*

GRATIANVS Augustus, parta ingenti uictoria in Gallia aduersus

uersus Germanos, haud longè ab Argentaria urbe, cum per charos haberet milites quosdam Alani generis, armisq; Alano more uteretur, magna Romanarum legionū indignatione, equo & amictu, ut cæteri Alani, cœpit uti. Quare Maximo, qui ab eo rebellarat, de se faciliorem uictoriam fecit. Fulgosus lib.3.cap.4.

Denudationem corporis.

SVLPITIVS Galba I.C. uxorem habuit Liuiam Ocellinam, diuitem & pulcram, nobilitatis causa ab ea expetitus, & etiam ueretti, quod secretò posita ueste ei detexit, ne ignarā fallere uideretur.

QVO AD OFFICIA ACTIua. Sic Blandi est

GRATA FACERE. Puta

Accommodando se aliorum moribus, habitui, uestitui, religioni, morbis.

SOLOMON Iudæorum rex, amore peregrinarum mulierū ad idololatriam raptus est. Sabel.lib.3.cap.5.

Cum Ptolemæo, qui literarū uidebatur affectator, de lingua, de uersiculo, & historia pugnam ad medias usq; noctes trahebant ADVLATORES: at sæuienti, insolescenti, tympanum pulsanti, & initiato, ex tam multis repugnauit nemo. Plut. de Dignosc. adul.

MARTIALIS in Pontilianum sic ludit, lib.12. Epigram.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo.
Pedis, dissimulo: gemma uis ludere, uincor:
Res una est sine me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. Mortuus, inquis,
Accipiam bene te. Nil uolo, sed morere.

Munera dando, largiendo.

☞ *Sub Tit. Auaritiæ fœneratoriæ, exempla Hæredipetarum.*

ANTIOCHVM Epiphanem, in publico lauantem, unguentis perfusum cùm priuatus quidam uidisset, Beatus es, dixit, ô Rex, qui ita magnificè oles. Lætatus, Ego, inquit, huius satietatem tibi inducam. ac uas plus quàm duas choas capiens crassi unguenti, in caput illius effundi iussit: & lubrico facto loco, ipse etiā Antiochus cecidit ridens, & eorū complures qui lauabantur. Polybius eum Epimanem, id est, insanum appellat, lib. Hist.26. & Athen.lib.10.c.12.

CLAVDIVS Cæsar, IV. consul factus, Gallum quendam Senatoriæ dignitatis uirum, qui Carthaginem migrarat, properè accersiuit, eumq; se aureis cōpedibus alligaturū professus, dignitate tributa, effecit, ne loco se moueret. Zonaras.

MICHAEL Imp. Græcus, ex equestri certamine uictor, ad cœnam accubuit, cui & Basilius & Eudocia huius coniunx interfuerunt. Ibi Michael Basilino cuidam Imperatoriæ triremis remigi, multo iam exhausto mero, & mēte turbata, calceos purpureos tradit, ac induere iubet, & Imperatorē salutat. Illi uerecundanti, & Basilium intuēti, Basilius innuit ut obtemperet. Qui cùm calceos induisset, Imperator Basilio iratus ait: Imperij insignia isti aptiora sunt quàm tibi. Ex eo Basilius & de imperio & de uita sollicitus, Imperatorem tollere cogitauit. Idem.

NICEPHORVS Græcus Imp. Caroli Magni legato Helmogaudo, qui suo Imp. Irenem, Copronymi uiduam, uxorem petebat, imperium in Saxones permisit. Auentinus lib.4.

[redacted]

Pollicendo.

PERTINAX Imp. eloquentia erat mediocri, sed magis blandus quàm benignus ac beneficus. Et ob id χρηστόλογος appellatus, quòd bene loqueretur, & malè faceret. Cuspin.

Supplicando, Petendo.

L. VITELLIVS Vitellij Imp. pater, Claudium Imp. uxoribus, libertisq; addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos: detractumq; socculum dextrū, inter togam tunicasq; gestauit assiduè, nonnunquā osculabundus. Suet.

Erat PETRVS Barbo (qui postea Paulus II. pontifex creatus est) natura blandus, arte humanus, ubi opus erat. Præterea uerò eò indignitatis plerunq; deueniebat, cùm precando, rogando, obtestando, quod uellet, consequi non posset, ut ad faciendam fidem precibus lacrymas adderet. Hanc ob rem Pius II. pontifex hominem Mariam pientissimam appellare interdum per iocum solebat. Platina.

ARISTIPPVS Socraticus, pro amico intercedens, cùm nihil impetraret, genua tyranni est amplexus, uotique compos factus: Non ego, inquit, huius adulationis auctor sum: sed Dionysius, qui aures habet in genibus. Suidas.

Offerendo operam, studium.

Venienti ab expeditione Galliarum Cæsari, & in Pompeiū copias paranti, CVRIO obuiam approperauit, multis blanditiis eundem confricans. Ait enim, se inuito senatu Cæsaris partes fouisse, tantisper dum coactæ bello siluissent leges. Præualente demùm Pompeio se expulsum Roma, uel ut exulem, sed tamen exilium non grauatè perpeti, propter Imperatorem, apud Lucanum lib.j.

Audita Curionis oratione, LÆLIVS primipilus statim Cæsari ad quæcunq; discrimina sese obtulit: testatus, nullum esse flagitium, quod nō committeret lubens, si Imperator iuberet. Eius uerba ponit Lucanus:

Iussa sequi tam uelle mihi, quàm posse necesse est.

Obsequendo.

THEMISTOCLES filium suum Diophantum, quem mater adamabat atq; in deliciis habebat, plurimum omnium Græcorum posse, colligebat in hunc modum. Athenienses, inquit, dominantur Græcis, ego Atheniensibus, mihi mater, matri filius. Plut. in Græcorum apoph. At com. de Instit. liberis, hoc ipsum Diophantū de se iactare solitum scribit.

DION quamuis non imprudens strui sibi à Calippo insidias, dum ab illo cauere sibi amico & hospite uerecundatur, stultè coniecit sese in perniciem. ALEXANDER Cassandri F. inuitato ad cœnam Demetrio, inde uocatus postridie ad illum, quòd fidem, quæ ipsi habita erat, non tribuere deterretur pudore, ad illum est profectus, atq; à cœna obtruncatus. HERCVLEM Alexandri ex Barsine filium recepit Cassandro Polyperchon centum mercede talentorum se interfecturum, inuitauitq; ad cœnam. Eam cœnam cùm haberet suspectam, & timeret adolescēs, sed in specie ualetudinem causaretur: adiit eum Polyperchon, aitq;: Primùm insiste, fili, paternæ popularitatis & in amicos propensionis uestigiis, nisi sanè insidias à nobis times. Ibi rubore suffusus adolescens est eum secutus, qui à conuiuis fuit strangulatus. Plut. de Nimia uerecundia.

Studioso medicandi etiam secandos & urendos præbuerunt se nonnulli AMICORVM Mithridati, re non uerbis assentantes. Testimonio enim comprobari apparebat peritiam suam, cùm fidem ei illi adiungerent. Plut. de Dignosc. adul.

Cato maior insectans aliquando ob infundentem se ciuitati ROMANORVM feminarum potentiam: Omnes, inquit, mortales mulieribus imperant, nos omnibus mortalibus, nobis mulieres. Plut. in Apoph.

L. Q. FLAMINIVS, Titi frater, cinædo in conuiuio assidēs, tùm is nunquam se morientis faciem uidisse, sed uidere cuperet dixisset: Gallum transfugam in cœnaculum productū, necari curauit, ut scorti oculos delectaret. Ob eam immanitatē à M. Catone Censore reus peractus est. Plut. in Catone.

LIVIA, cùm sciret Augustum puellis nondum maturis oblectari, clàm diligentia perquisitas, secretò ad eum deducebat. Suetonius.

Hortensius à M. CATONE petiit, ut Portiam filiam suam, Bibulo nuptam, sibi traderet in matrimoniū, pollicens se marito redditurum, simulatq; ex ea prolem suscepisset. Id cùm multis rationibus illi persuasisset, Cato respōdit: Se, quod id ipsum attineret, libenter gratificaturum amico, uerū hoc non audere à Bibulo petere. Tū Hortensius nudans animū suum, petiit Martiam, ipsius Catonis uxorem. Iam enim sibi Cato ademerat mariti prætextum. Assensus est Cato, ut id fieret uolente patre coniugis: ipsoq; Catone præsente facta sunt sponsalia. Plut. in Catone.

Mulier amorem erga VESPASIANVM fassa, seq; amando perituram, nisi opem ferret, rigorem Maiestatis precibus ac blanditiis euicit, & in amplexus tandem Cæsareos admissa est. Cùm certam pecuniæ summam uel concubitus uel amoris preciū princeps amanti daret, dispensator ignarus, Quo nomine eam pecuniam rationibus insereret? percunctabatur. respondit, Vespasiano Adamato. Suetonius.

THEODOSIVS iunior Imp. fuit nimis quā mobilis, adeoq; procliuis ad obsequendum familiaribus aliquid suadentibus, ut sæpè etiam schedis non lectis subscriberet. Quod cū animaduerteret soror eius Pulcheria, & sæpe castigando nihil proficeret: callidè eum adorta est. Nam sub prætextu petendi muneris, sibi in seruitutem tradi Eudociam fratris uxorem, per literas petebat. Eas ad se allatas, Imperator sigillo confirmauit. Postea iis lectis, acriter est à Pulcheria obiurgatus, atque inde talibus in rebus accurationem adhibuit. Cedrenus.

Seruiendo.

CYPRIAS mulieres, assentādi artificio pernobiles, quū in Syriā transmisissēt ad Artabazi Mentorisq; gynæcea, Climacides legimus nūcupatas: quoniā acclinatæ currū inscēsuris regū uxorib. gradū struerēt, ac uelut scalā arrigerent, quam uocant climaca. Athenæus lib.6. cap.6. & Plutarchus de Dignoscendis adulatoribus.

Laudando.

Alexandrum Magnum adulatores POETÆ sic introducunt de se loquentem:

Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' ὄλυμπον ἔχε.
Asserui terram, sidera habeto deus.

Plut. orat.j. de Fort. Alex.

DEMARATVS Corinthius, unus ex Philippi hospitibus & amicis, quando Alexandrum Susis conspexit, exultans gaudio atq; in lacrymas effusus, ingenti dixit lætitia fraudatos, qui antè obiissent, Græcos, quòd sedentem in Darij solio Alexandrum non uidissent. Idem.

De CALLISTRATO Martialis Epigramm. libro 12.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Honorando, Adorando.

Mittebant ad Demetrium non legatos, sed theoros, ut ad oraculum, GRÆCI per illum liberati, eiusq; responsa oracula appellabant. Plut. orat. 2. de Alex. fort.

Mos erat in Sicilia, ut singulis annis in priuatis domibus rem diuinā facerēt Nymphis, temulentiq; ante ipsarū simulacra saltarēt. Moris huius meminit Timæus in 22. lib. Hist. oēmq; rem diligenter narrat, cùm impudentē flagitiosamq; assentationem DAMOCLIS adulatoris Dionysij iunioris, Syracusarum tyranni, referret: qui eo tempore, quo cæteri morē eum colerent, atq; institutum seruarent, ualere iubēs Nymphas, dicensq; non oportere curare deos expertes animi, ad tyrannum se contulit, illiq; ea fecit, quæ reliqui omnes deabus illis uetere instituto faciebāt. Testimonium Timæi, ab Athen. in 6. lib. Dipnos. recitatur. Victorius l.6.c.24. V.L.

TIMAGORAS Atheniēsis Darium regem Persarum (ad quē legatus missus fuerat) adulando more Persarum adorauit. Quod ubi resciuerunt Athenienses, eundem supplicio capitis affecerunt. Rauisius.

Contemnendo alios.

Demetrij Poliorcetis ADVLATORES, cæteros duces, qui post Alexandri Magni mortem imperiū dilacerarunt, reges appellare nolebāt: sed Seleucum elephantorum magistrū, Lysimachum thesauris præfectum, Ptolemæum nauarchū, Agathoclem insulæ rectorem uocabant. Plut. in Politicis.

Excusando, Defendendo.

RHAPSODVS quidam in Ptolemæi nuptiis, cùm sororem duceret uxorem, ac rem existimaretur designare absurdam & nefariam, auspicatus est à carminibus illis:

Iuppiter affatur Iunonem, quæ fuit illi
Et soror & coniux &c. Plut. lib.9. Quæst. conu.j.

ANAXARCHVS philosophus, discruciantem se ob Cliti necem alleuans Alexandrum: Nescis, inquit, assessorem Iouis deorumq; iustitiam & fas esse? quo quicquid factum ab dominante fuerit, id ius & fas sit. Plut. ad Principem indoctū.

Congratulando.

Bello ciuili inter Augustum Cęsarē & M. Antonium, cuius ingens apud omnes gentes expectatio erat, PAVPER quidā Romæ in cunctos sibi prouidens euentus, omni diligentia duos coruos enutriuit: effecitq; ut alter Augustū, alter Antonium salutaret. Idem Augusto tandem uictori in patriam reuertenti, salutatorem suum manu præferens occurrit, qui inter crocitandum hæc uerba fundebat: Aue Cæsar, uictor, imperator. Delectatus Augustus, XX millibus numorū loquacem uolucrem comparauit. At huius socius ex tempore consilium cepit, Cæsarem adiit, obtinuitq; ut coruum alterum afferri iuberet. Iussus illum attulit, qui hostem salutare didicerat his uerbis: Aue Imperator Antoni. Non amplius motus est Cæsar, quā ut prioris auis precium iuberet cū delatore partiri. Per idem tempus inuentus est, qui picā ad salutationem similem: inuentus & qui psittacum erudiret, & hunc & illā emi placuit. Tot uicinorum successib. admonitus inops sutor, & ipse corui ingenium formare instituit. Quod cū frustrà diu tentasset, tædio affectus, crebroq; mutam auem increpitans diebat: Opera & impensa periit. Vix tandem coruus & hoc, & salutationem, quæ iubebatur, expressit: & in publico positus, prætereuntem Cæsarē salutauit. Quod ille audiens: Satis, inquit, salutatorū taliū domi habeo. Tum coruus ait, Opera & impensa periit. Effusus in risum Cæsar, maiori q̄ cæteras precio redemit. Macrobius.

L. VITELLIVS, Vitellij Imp. pater, Claudio Imp. dixit: Sæpè facias: cū seculares ludos edēti Claudio gratularetur. Suet.

Condolendo.

ARABES, si regis aliquod membrum fuerit mutilatum, eandem partem obligatam fasciis & ipsi gestant. Vt cùm mortuo rege ipsi quoq; interfici studeant, eidem mutilato quoque similes se præbeant. Athen. lib.6.c.6.

AFRANII Caio ægrotanti condolent. Vide pòst, Vouendo.

Vouendo, Optando.

PVBLIVS Afranius, homo plebeius, cùm ad ægrotantem Caligulam dixisset, se moriturum libenter, si Cæsar inde conualesceret: Caius hoc iuramento confirmari uoluit: & posteaquam conualuisset, hominem occidi iussit, ne peierasse uideretur. Dion.

AFRANIVS Secundus, uir equestris ordinis, cùm dixisset se eandem ob causam in singulare certamen descendere: pro pecunia quam inde se à Caligula (cui assentatus erat) sperauerat accepturum, coactus fuit promissa facere, ne peierasse uideretur. Idem.

Humiliando.

TIBERIVS Cæsar dissentiēs in curia à Q. Haterio: Ignoscas, inquit, rogo, si quid aduersus te liberiùs, sicut Senator, dixero. Et inde omnes alloquens dixit: Et nunc & sæpè aliàs, P. C. bonum & salutarem principem, quem uos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & uniuersis ciuibus, sæpè, & plerunq; etiam singulis, neq; id dixisse me pœnitet: & bonos, & æquos, & fauētes uos habui dominos, & adhuc habeo. Suetonius.

Parthorum rex Vologesus TERIDATEM fratrem in Armeniorum regnum introducere, pulso Pharasmene, studebat. Missus à Nerone Corbulo cum exercitu contra Teridatem. Res ad colloquiū deducta. Viso Corbulone rex prior equo desilit. Nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterq; dexteras miscuêre. Romanus laudat iuuenem, qui omissis præcipitibus consiliis salutaria capesseret. Ille de nobilitate generis multa præfatus, deniq; iturum se Romam dicit, laturumq; nouum Cæsari decus, non aduersis Parthorum rebus supplicem Arsacidem. Tum placuit Teridatem ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium, nec resumere, nisi manu Neronis. Paucis inde diebus interiectis, uterque exercitus, fulgentibus aquilis, signisq;, & simulacris deūm, in modū templi stetit. In medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiē Neronis sustinebat. Ad quam progressus Teridates, cæsis ex more uictimis, sublatum capiti diadema imagini subiecit. Atq; in hunc modum, quamuis Armeniam Parthi possiderent, Romanorum tamen auspiciis imperarunt. Aeneas Syluius cap.39. Asiæ, ex Strabone.

ANDRONICVS iunior Imp. Imperatoriæ maiestatis nulla ratione habita, sæpè subditis humiliùs sese gerebat. Gregoras lib.11.

Cedendo.

CRISSON Himeræus in certamine cursus uinci se passus est ab Alexandro. At ille fremuit, ubi id animaduertit. Plut. de Dignoscendis adulatoribus.

INGRATA NON FACERE. Sic BLANDI & ADVLATORIS est

NON CASTIGARE.

AGAR ancilla dum in pucrilibus rixis ob ætatis prærogatiuā herili filio Isaaco Ismaelem suum præfert, fouet, defendit, ab Abrahamo ablegata fuit.

PISISTRATVS Atheniensium tyrannus adolescentē quendam, à matre sua adamatum, uocauit ad cœnam. Peracta cœna, rogauit quomodo habitus esset? Illo respōdente, Suauiter. Hæc, inquit, tibi contingent quotidie, si matri meæ placueris. Plutarchus.

Cùm PLATONEM laudaret quidam, quòd erga omnes esset humanissimus: Quid, inquit Diogenes, illi tribuendum est, qui tot annos in philosophia uersatus, nullum hactenus affecit dolore? Sentiens, proprium philosophi munus esse, mederi uitiis hominum, id autem fieri non posse, nisi metu ac dolore: metu probri, dolore præsentis ignominiæ. Athenæus lib.6. cap.6.

ALEXANDER Magnus, cùm sensisset sororem suam cū eleganti forma iuuene habere consuetudinem, non ægrè hoc tulit, sed dixit: Cōcedendū esse, ut illa quoq; aliqua ex parte regno frueretur. Plut. in Regum & Imp. apoph.

Tertia AEMYLIA, Africani prioris uxor, cùm sciret uiro suo ancillulam ex suis gratam esse, non tantùm non ægrè tulit, sed & post mortem Africani ancillulam manumisit. Valerius lib.6. cap.7.

NON REPREHENDERE.

M. Antonius Triumuir, non minùs hilaris erat, cùm deridere tur, quàm cùm derideret alium. quod quidem multa negotia labefactauit: quippe AMICOS liberos in iocādo, quia nō arbitrabatur sibi in rebus seriis assentari, capiebatur, cū ab eis laudaretur, facilè: ignorans liberam linguam nōnullos sicut condimentum subadstringēs adulationi admiscere: quò detraherent satietatem audaciæ & loquacitati, quā utebantur inter pocula: machinantes, ne cedere in seriis & assentiri adulatoriè uiderentur, sed quia uincerētur prudentia. Plut. in Antonio.

NON EXCITARE.

LADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex, morbo, quo post XXXVI horas extinctus est, correptus noctu, ne cubiculariis molestus esset, in lucem usq; dolorem pertulit. Tanta e-

rat erga suos humanitate, annos undeuiginti natus. Bonfinius lib.8. Decadis 3.

INGRATA FACERE. ADVLATORIÈ scilicet

DENEGARE.

Zeno Citticus, cùm ADOLESCENTI, qui cum sibi intercedebat cōsuetudo, occurreret pone mœnia silentio gradienti, audito quòd fugeret amicum, qui ab eo contendebat, ut falsum testimonium secūdùm se diceret: Quid agis, inquit, stolide? te ille, qui iniqua flagitat, & iniuria te afficit, nō ueretur neq; uerecundatur: & illum tu in iusta causa non sustinebis? Plut. de Immod. uerecund.

REPREHENDERE.

Assentator HIMERIVS diuitem quendam Atheniensem sordidissimum & auarissimum ut prodigū insectabatur & dissolutum, atq; cum liberis miserè esuriturum. Plut. de Discernendis adulatoribus.

Argiuus AGIS, uersutiss. adulator, cùm scurræ cuidam Alexāder ingentia dona largiretur, inuidia & dolore impulsus exclamauit: O rem uehementer indignam. Vbi indignatus se ad illum rex conuertit, &, Quid ais? inquit: Fateor, respondit, ægrè ferre me & stomachari, quòd uos conspiciam Ioue prognatos iuxtà omnes adulatoribus & ridiculis hominibus capi. Etenim Cercopibus quibusdam Hercules, & silenis retinebatur Bacchus: & apud te licet uidere in precio esse istos. Idem.

M. Antonium AMICI adulatores, Cleopatræ Aegyptię amore depereuntem, induxerunt ut crederet ardere ipsius amore illam, increpantesq; inhumanum ac superbum appellabant: Mulier tanto regno, totq; amœnis & splendidis locis relictis, misera, castra tua pellicis specie sequitur:

Ast immota tibi duro sub pectore mens est,

istam qui negligis anxiam. Ille, qui non inuitus coarguebatur ut in istam iniquus, incusantibus gaudens plusquā laudantibus, imprudens ficta ea castigatione fuit etiam deprauatus. Aequat enim ea correptio lasciuarum morsus mulierum, excitans & titillans, dum uidetur pungere, uoluptatem. Ibidem.

Tiberio Cæsare curiam aliquando ingresso exurgēs adulatorum VNVS: Ipsos, ait, qui liberi essent, dicere oportere liberè, neq; quicquam dissimulare uel supprimere, quod in rem foret. Cùm ita excitasset omnes, facto ei silentio, suspensóque Tiberio: Audi, Cæsar, infit, in quo te culpemus cuncti, nec promere apertè quisquam audet. Negligis temetipsū, perditum is corpus, curisq; & laboribus pro nobis conficis perpetuò, neq; nocte uel die laxamentum sumis. Huiuscemodi multa cùm ille declamaret, Cassium Seuerum memorant oratorem dixisse: Hæc hominem perimet libertas. Idē.

CASTIGARE.

ARTOXERXES Longimanus primus delinquentibus principibus pœnam sanciuit, ut corporum loco detractæ corū uestes flagellarentur, & loco depilandi capitis tiaram deponerent. Plut. in Apophth.

QVO AD OFFICIA PASsiua. Sic BLANDVS & Adulator

FERT ALIORVM *Impudicitiam.*

ARISTIPPVS philosophus, Aeginæ in Neptunalibus consuetudinem habuit cum Phryne: quumq; quispiam illi obiecisset, quòd tantum pecuniæ daret meretrici, quæ Diogenem Cynicum, sordidissimum philosophum, gratis admitteret: Ego, inquit, illi multa suppedito, ut ipse ea fruar: non, ne quis alius. Laertius lib. 2. cap. 8.

IMITATVR.

Scribit Satyrus in Philippi uita, quòd cùm oculus percussus fuisset Philippo, accedebat ad eum CLISOPHVS eundē ligatus oculum. Ac rursus ubi uulnerata fuisset Philippi tibia, cum rege claudicans incedebat. Si quod acre edulium Philippus comedisset, ipse quoq; uultum formabat ueluti idem edisset. Athen. lib. 6. c. 6.

Dionysij Syracusani, qui oculis caligabat, ASSENTATORES, offensabāt se mutuo, & patinas inter cœnandum euertebant. Plut. de Discernendis adul.

Noui QVENDAM, qui uxorem repudiauit, cùm exegisset amicus suam. Interea uentitabat ad eam, occultè accersebat, inquit Plutarchus de Dignoscendis adulatoribus.

BLANDITIÆ EXERCITATIO RESPECTV ALIORVM CONSIDERATA. ET VEL

CVM CERTAMINE. SIC BLANditia certant inter se

PVBLICÈ, QVI POPVLI FAVOrem ambiunt

NERO Cæsar maxima popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animū uulgi mouerent. Suet.

PRIVATIM, Qui ambiunt gratiam *Familiarium.*

TISSAPHERNES, regis Persarū præfectus in Ionia, etsi Gręcorum ut nullus alius osor esset, adeò tamen mancipatus Alcibiadi exuli erat Atheniensi, eius delinitus assentationibus, ut uicissim ipse blandiendo eum superaret. Siquidem hortos, quos præter ceteros habebat amœnissimos, fontiū & pratorum salubrium gratia, in quibus prætoria erant & recessus, regio exquisitoq; exculti splēdore, uocari Alcibiadem uoluit, omnesq; deinceps ita uocauerunt & appellauerunt. Plut. in Alcibiade.

Amicorum.

Apud Terentium Adelphis DEMEA durus pater, mutato ingenio, cum MITIONE fratre certare instituit: sed quia præter genium, pro humano & facili blandus & adulator fit.

ABSQVE CERTAMINE. QVI ALIORVM

BLANDITIAM amant, fouent.

Ex loco Mendacii, eorum exempla, Qui adulatores admiserunt, ratione habita Blanditiæ.

BLANDITIA SECVNDVM MATERIAM CONSIDERATA. ET VEL RESPECTV

PERSONARVM, ERGA QVAS EXERCETVR. BLANDI erga

SVBDITOS.

Vide suprà, Magistratus blandi.

MILITES.

GRATIANVS Augustus, quia Alanorum satellitio, habitu & armis delectaretur, à suis desertus, & à Maximo tyranno occisus est. Fulgosus lib. 3. c. 4.

FLIOLMVS Gothorum rex, milites suos, non solùm commilitones, sed combibones effecit. A quibus tandem in doliū cereuisiæ per ludibrium præcipitatus interiit. Ioannes Magnus lib. 7. cap. 17.

HOSPITES. BLANDA HOSPITALITAS.

TAPYRI populi sunt in Parthia, q uxores suas aliis uiris concedunt, quum ex eis duos aut tres liberos susceperunt. Strabo lib. 11. Geographiæ.

Cùm Stratonicum citharœdū perhumaniter QVIDAM excepisset, mirum in modum gauisus est uocatione. Cùm uerò mox uideret alium introire, iterūq; alium, atq; hoc modo nulli diuertere uolenti domum illius non patêre: Facessamus, ô puer, hinc, inquit ad suum comitem. Etenim pro columba palumbum, pro hospite pandochæū inuenimus. Aelianus de Varia historia libro decimoquarto.

ABYDENI olim cùm hospitem aut ciuem conuiuio exciperent, post unguentum & coronas, pueros osculandos circumferebant: quorum clamores & nutricum strepitus conuiuas turbabant. Suidas. Hinc Prouerbium Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, Abydenum auctarium.

CAMVL prouincia, Tartarorum subiecta imperio, incolæ ad prodigium usq; hospitales, peregrinos quoscunq; uel inuitos suscipiunt. Domo cedit hospiti paterfamiliās, uxorē & liberos illi commendat, nec ante hospitis discessum redit. Moguth Tartarorū Imp. edicto hanc consuetudinem abolere uoluit. Verùm & precib. & precio Camulæi obtinuere, ut sibi more maiorum uxores prostituere liceret, & ex peregrinorum concubitu regionem suam, ceu diuino munere, populosam reddere. M. Paulus Venetus lib. 1. cap. 46. Orientalium regionum.

LOPPI Russiæ gens, mercatores ad se ex uariis regionibus quæstus gratia uenientes libenter excipiunt, quos in tuguriolis suis cum uxoribus relinquunt: ipsi uerò interim uenatum abeunt. Reuersi, si uxores hospitum concubitu cōsuetudineq; lætiores hilarioresque inuenerint, munere aliquo hospitem donant: sin minùs, turpiter conuitiis lacessitum expellunt. Guagninus in descript. Moscouiæ.

SERVOS.

Vide suprà, Domini blandi.

CONIVGES. Γυναικοκρατούμενοι.

Ex Tit. Blanditiæ in obsequendo, Themistoclis & Romanorum exempla.

MORTVOS.

ALBANI, qui & CASPII, in uita defunctos pientissimi, pręsertim in parentes: cū mortuis pecunias defodiunt. Ex quo fit, ut pauperes sint, & patrimonio careant. Bonfinius lib. 1. Decadis secundæ.

RERVM. BLANDITIA, FAMILIAritas NIMIA in

NOVIS REBVS COMMVNIcandis.

Obsidente Athenas Sylla, colloquentes SENES quosdam in Ceramico, non esse septum statione Heptachalcon, ac periculum esse, ne illa parte urbs caperetur, cùm speculatores audissent, renunciauerunt id Syllæ. Qui ei parti admotis repentè copiis, concubia nocte signa urbi intulit, eamq; penè euertit. Plut. de Garrulitate.

TONSOR quidā magnam illam Atheniensium in Sicilia acceptam cladem nunciauit, cùm primus eam in Piręeo audiuisset ex seruo quodam eorū, qui inde profugerant: mox relicta officina in urbem cursu contendit,

μή τις κῦδος ἄροιτο, Ne decus auferret quisquam,

qui cum sermonem in urbe seminaret:

ὁ δὲ δεύτερος ἔλθῃ, Ferret uerò ipse secundas.

Coactus in concionem populus auctorem famę requisiuit. Attractus est tonsor, interrogatusq;, ne nomen quidem nouerat nuncij. Allata est igitur rota: distentus est homo. Interea aduenerunt, qui res perditas nunciarent. Tunc ad familiares luctus dilapsi omnes, miserum istum rotæ reliquerunt alligatum. Qui serò iam sub uesperam solutus, de carnifice requisiuit: Ecquid de duce Nicia, quemadmodū periisset, audiuerit. Idem.

ARCANIS DETEGENDIS, COMMVNICANDIS.

Arcana celare, Fidei est & Prudentiæ: eadem effutire, nunc Stultitiæ, nunc Perfidiæ. Quòd si in gratiā alterius id fiat, ad Blanditiam quoque referendū erit. Huc etiam pertinet, qui γλώσσης χάριν *effutit ea quæ tacēda erant, non alia de causa quàm libidine loquendi.*

SAMSON uir fortissimus, Philisteæ cōiugi nimium addictus, ænigma suum de leone & apum mellificatione interpretatur, à qua tandem turpiter fuit proditus. Iudicum 4.

Lacedæmonij Mineruæ templum Chalciœcæ repererant expilatum, relictamq; in templo inanem lagænam. Concursu facto multi, quisnam auctor esset, ambigebant. Ibi QVIDAM ex cœtu: Existimo sacrilegos, cùm tantum aditum essent periculum, cicutam hausisse, uinumq; attulisse: quo, si falleret, merum sorberent, atq; ita discusso ueneno incolumes euaderent. sin deprehenderentur, ante quæstionē facili & leni morte defungerentur. Eo indicio proditus, unū esse ex sacrilegis se confessus est. Plut. de Garrulitate.

Seleucus Callinicus in pugna cōtra Galatas omni deleto exercitu suo, capiti diadema detraxit, & equo fugam capessens in uilla quadam, cùm DOMINVM fortè inuenisset, panē & aquam postulauit. Ille cuncta, quæ ruri suppeditabant, benignè præbens, faciem regis agnouit, exultansq; ita cecidisse eam necessitatem, non suppressit id, neq; regis dissimulationem iuuit: sed ad uiam usq; eum prosecutus, cùm discederet: Vale, inquit, rex Seleuce. Ille protensa dextra attrahens eum ad se quasi osculaturus, innuit ex comitibus uni, ut ceruicem homini præscinderet. Qui si tacuisset tunc, præmia profectò silentij quā hospitalitatis olim retulisset maiora. Idem.

In tonstrina quadam cùm de Dionysij tyrannide mentio incidisset, adamantinam esse & infractam: arridēs TONSOR: Hoccine uos, inquit, de Dionysio referre, cuius ego in iugulo sæpiùs interpositis paucis diebus nouaculā habeo? Quod ut audiuit Dionysius, cruci eum suffixit. Idem.

NEOPTOLEMVS Molossorum rex, Cadmię sorori insidias, quas fratri Pyrrho consorti imperij parauerat, inter uinum effutiuerat. Quæ cùm ad Pyrrhū delatæ essent, inuitatū ad cœnā Neoptolemū in sacrificio, interemit. Plut. in Pyrrho.

C. MOECENAS Augusti intimus amicus, uxorem habuit, uel certè puellam adamatam, Terentiam, uel Terentillā nomine, sororem Murænæ, eius qui in Augustum coniurauerat. Detecto autem facinore, Mœcenas Terentiæ fratris cōiurationem indicauit. Quam loquacitatem Augustus ægrè tulisse dicitur. Suetonius in Augusto.

Quo minùs urbs Roma in libertatem excusso Nerone assereretur, uni᷒ hominis obstitit loquacitas. Vna supererat nox, postquam tollendus erat tyrannus instructis omnib. QVI eum trucidaturus erat, profectus ad theatrum, uidit quendam pro foribus, ad bestias damnatū, qui erat Neroni producendus. Ad hunc sortem suam lamentantē propiùs accedens, atq; in aurem susurrans: Heus tu, inquit, fac uotum, ut diem hodiernum modò prætereas: cras ages mihi gratias. Id obscurè iactum excipiens ille, indicauit Neroni uocem istius hominis. Qui statim fuit correptus. Plutarchus de Garrulitate.

MVNERIBVS.

De his quoq; sub Blanditiæ modo, inter ea quæ Grata sunt.

LOCI ATQVE TEMPORIS.

IN BALNEO.

ANTIOCHVS Epiphanes lauabatur in balneis popularib. ac quando maximè balnea uiris popularibus essent plena, preciosissimis fictilibus unguētorum plenis sibi allatis. Hic ad dicentem quendam, Beati estis uos, ô reges, qui his unguentis uimini, & suauissimè oletis, nihil quidem respondit: sed ubi ille postea lauabatur, ingressus, maximum fictile preciosissimo unguento plenum, quod Stacte nominat, in caput ei profundi iussit, ita ut omnes surgētes in unguento conuoluti lauarentur, cadentesq; ob illius tenacitatem risum excitarent, sicut & ipse rex. Athen. lib. 5. c. 4.

IN CONVIVIIS.

Olim ABYDENIS mos fuit, ut infantes uagientes cum nutricibus in conuiuia suauiandi gratia introducerent ac circūferrent. Hinc prouerbium, Abydena irruptio, de Conuiuio tumultuoso. Erasmus ex Zenodoto.

ALEXANDER Macedo, quòd inter bibendum multa loqueretur, multi tanquam uinolentum ipsum accusarunt. Plut. in eius uita.

MICHAEL Theophili Imp. F. moderationē & comitatē præ se ferens, cùm aliquando in mulierem incidisset, quæ è balneis domum redibat, de equo descendit, eamq; cum paucis adolescentibus arcanorum suorum cōsciis domū comitatus est, & cum ea cœnatus, pedes in regiā rediit Zonaras.

BLANDITIÆ FRVCTVS.

DIGNVS.

ADAMVS protoplastus dum Euæ uxori morigeratur, sciens uolensq; à diuina lege aberrauit. Sab. lib. 3 c. 5. ex Genesi.

Quę assueta uitiis ut uirtutibus est laus, ut non offendaris, sed accipias eam libens, & quæ uerecundiam abstergit peccatis, hæc obtriuit SICVLOS, dū Dionysij & Phalaridis crudelitatem odium improborum nuncupauit. Hæc perdidit AEGYPTVM, quæ Ptolemæi mollitiā & insaniā, ululatus, musicorum instrumentorum & tympanorum tractationes, religionem & deorum cultum nominauit. Hęc res ROMANAS penè euertit & perdidit, cùm M. Antonij luxum, libidines, & insolentiam, res lętas atq; humanas indulgentis ei potentiæ & fortunæ blando nomine Romani prædicarent. Plut. de Dignoscendis adulatoribus.

APPIVS Claudius censor, quibus potuit lenociniis populū Rom. in Senatus odium deliniuit. Sed ad extremum de gradu deturbatus, inuidiam senatus metuens, cæcitatem simulauit, domique se continuit. Diodorus libro uigesimo.

FLIOLMVS Gothorum rex, milites suos, non solùm commilitones, sed combibones effecit: à quibus tandem in doliū cereuisiæ præcipitatus per ludibrium, interiit. Ioannes Magnus libro 7. cap 17.

INDIGNVS.

Huc refer Tit. Adulatoribus data præmia. Illic dantis prodigi, hîc accipientis immerentis habetur ratio.

HERCVLEM Alexandri ex Barsine filium recepit Cassandro Polyperchon centum mercede talentorum se interfecturū, inuitauitq; ad cœnam. Eam cœnam cùm haberet suspectā & timeret adolescens, sed in specie ualetudinē causaretur: adiit eum Polyperchon, atque, Primùm, inquit, insiste, fili, paternæ popularitatis & in amicos propensionis uestigiis, nisi sanè insidias à nobis times. Ibi rubore suffusus adolescens, est eum secutus, ibiq; à conuiuis strangulatus. Plutarchus de Immodica uerecundia.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- INHVMANITAS, ACERMITAS, IMMODESTIA *perpendêdi secundùm*
  - Acquisitionem. INHVMANITATIS *acquisitio. Huic*
    - Magistri.
    - Discipuli.
  - Possessionem, Exercitationẽ *rei spectu*
    - Formæ. *Vide signum A a.*
    - Causarii. Nẽpe
      - Efficientis. MOROSITATIS *Inhumanitatis sectatores*
        - Qui, *Quales, ratione*
          - Habitus, *professionis*
            - Theologi. Philosophi. Medici.
            - Musici. Grámatici. Rhetores.
            - Poetæ. Politici.
          - Societatis
            - Politicæ
              - Principes, *Magistratus*
                - Sacri.
                - Profani.
              - Subditi. Conciues.
            - Oeconomicę
              - Fratres. Coniuges.
              - Domini. Serui.
          - Sexus:
            - Viri.
            - Mulieres.
          - Officij:
            - Legati.
            - Præfecti.
          - Conditionis: *ut*
            - Liberi.
            - Captiui.
        - Quo *consilio, qua occasione. Ad Acerbitatẽ inducti*
          - Religione. Misericordia.
          - Auaritia. Ambitione.
          - Obsidionis *tolerandæ causa.*
          - Vitę *conseruandæ studio.*
          - Vindictæ *studio.*
      - Materiæ, *quo ad*
        - Homines cõsiderati respectu
          - Animi. *Erga*
            - Doctos, *Philosophos.*
            - Supplices.
          - Corporis. *Puta*
            - Ætatis. *Erga*
              - Pueros.
              - Senes.
            - Sexus. *Erga*
              - Viros.
              - Mulieres.
            - Valetudinis. *Erga*
              - Ægros.
              - Grauidas.
          - Fortunæ. *Puta*
            - Societatis. *Erga*
              - Collegas. Subditos.
              - Milites. Coniuges.
              - Dominos. Seruos.
              - Amasios. Hospites, *Peregrinos.*
              - Hostes.
            - Calamitatis *in*
              - Genere.
              - Specie. *Erga*
                - Pauperes.
                - Damnatos.
                - Captiuos. Exules.
            - Dignitatis. *Erga Principes.*
        - Bruta.
        - Stirpes, *Arbores.*
        - Animata. *Erga*
          - Personas. INHVMANI *erga*
          - Inanimata. *Erga*
            - Mortuos.
            - Quæuis *alia.*
        - Res. INHVMANITAS *in*
          - Alimentis:
            - Nefandis. *Anthropophagi. Humana carne uel uiscera uel pascentes alios.*
            - Denegatis.
          - Medicamentis:
            - Abominandis.
            - Denegatis.
          - Spectaculis. Tormentis, *Supplicijs.*
          - Sacrificiis. Arcanis. Nouis.
        - Actiones quotidianas. Huius *sunt loci:*
          - Conuiuãdo.
            - Nõ *accedere ad cõuiuia.* Inuitationem *non ferre.*
            - Non *inuitatum accedere.* Tardè *accedere.*
            - Conuiuas *malè tractare.*
          - Disputando. Accusando. Causas *agendo.*
          - Communi *diuidundo.* Opus *mechanicum faciendo.*
    - Accidentium. INHVMANITATIS *fructus*
      - Per *se:*
        - Inimicitia, *odium.* Repudium. Supplicium.
        - Repulsa *dignitatis.* Seruitus.
        - Excidium, *Regni amissio.*
      - Per *accidens: ut*
        - Absolutio.
        - Damnatio.

Aa. INHV-

- Aa. INHVMANITAS *secùm* FORMAM *considerata*
  - Per se, *quatenus constitit in*
    - Mori-bus: *in*
      - Genere. *Mores inepti, Morum incivilitas.*
      - Specie, *quo ad*
        - Cõuersationem:
          - Hominum *congressum, aspectum fugiendo. Meras Species.*
          - Non *admittendo alios ad colloquium.*
          - Dissimulando *se uidere uel audire alios.*
        - Orationẽ, *qua uel*
          - Non *utuntur.* Non
            - Alloquendo *alios.*
            - Respondendo *aliis.*
            - Salutando.
            - Resalutando.
            - Nuntiando.
          - Vtuntur, *sed uel*
            - Breuiore, *quàm deceat.*
            - Longiore, *prolixiore. Loquacitas molesta, importuna.*
            - Obscura, *inuoluta, ænigmatica.*
            - Obscenè *compellando, respondendo.*
            - Inhumanè *respondendo.*
            - Titulos *honorificos negligendo.*
            - Titulis *indecoris utendo.*
        - Osculationem. Vultus *compositionem.*
        - Gesticulationem. Incessum.
        - Corporis, *curam per*
          - Habitum, *Vestitum.*
          - Denudationem.
          - Capillos, *Barbam.*
          - Alimentum, *Potum.* Ructus.
          - Excretionem *indecoram.* Crepitus.
          - Venerem *importunam.*
        - Comitatum.
    - Offi-ciis *tum*
      - Actiua, *quatenus in conuersatione quotidiana ea quæ alteri*
        - Grata *sunt*
          - Non *facit:*
            - Mores *aliorum non ferre.*
            - Non *audire.* Non *condolere.*
            - Non *dare, aut Maligné dare.*
            - Cõmeatum *prohibere.* Nõ *accipere oblata.*
          - Facit, *sed indecorè.*
        - Ingrata *sunt, facit:*
          - Rixari, *Litigare, Contendere.*
          - Occultare *non occultanda.*
          - Imprecari, *Vouere.* Minari.
          - Offerre *ingrata.* Exigere.
          - Contemnere *alios præ se.*
          - Reprehendere *amarulenter, Accusare:*
            - Qui:
              - Populi. Grammatici.
              - Poetæ. Philosophi.
              - Politici. Sourræ.
              - Exules. Captiui.
            - Quos:
              - Sacros *homines.*
              - Rempublicam.
              - Reges, *Imperatores.* Doctos.
            - Quomodo:
              - Dictis.
              - Scripto.
            - Quando. Tum
              - In *conuiuio.*
              - Inter *sacra.*
              - In *calamitate.*
          - Insultare, *Irridere.*
          - Defendere *se aliósue acerbè.*
          - Reprehensiones *impotenter ferre.*
          - Laudare *sua indecorè,* Ostentare.
          - Non *exhibere honorem.*
          - Eripere *honores aliis.* Verberare.
          - Petere *importunè.*
      - Passiua, *quatenus ipse alterius offendendi causa Pati uidetur.*
  - RESPECTV ALIORVM: *& uel*
    - Absque *certamine; dum aliorum*
      - Ciuilitatem *uituperat, odit.*
      - Inciuilitatẽ, *Acerbitatem laudat, approbat.*
    - Cum *certamine.*

Voluminis Decimiquarti Liber III.

De VITIO in defectu, de INHVMANITATE, uel IMMANITATE.

VITIVM in defectu homines efficit morosos, importunos, rixosos, litigiosos, cõtentiosos. Nam cùm affabilitate destituantur, μισάνθρωποι quidam euadunt, δυσέριδες, δυσάρεστοι, φιλόνεικοι: nihil ad gratiam nec dicunt, nec faciunt, non ira adducti, sed odio quodam hominum, & nimio contendendi studio. Quapropter sicuti Affabilitas amicitiæ similis erat, ita Morositas ista (liceat enim nobis sic appellare) inimicitiæ similis est. Aristot. uocat δυσκόλους & δυσερίδας. δύσκολοι quidem, ἀπὸ τῦ δυσκολλᾶσθαι, quia malè cũ aliis conglutinantur: sicuti econtrà κόλακες, ἀπὸ τῦ πρὸσκολλᾶσθαι diceban tur. δυσέριδες uerò, quoniam ex duplici genere τῆς ἔριδος, ut Hesiodus docet, τῶν κακόχαρτον, malignam scilicet & pernicioſam contentionẽ sequuntur. Itaque πᾶσι δυσχεραίνουσι ab Aristot. apto uocabulo appellantur, quasi (quod de Esao Isaaci patriarchæ filio sacræ perhibent literæ) manus illorũ sint contra omnes, & omnium contra illos. Cæterùm quia Affabilitati, seu potiùs, ut generaliore uocabulo utamur, Humanitati opposita est Inhumanitas: eapropter totidem habebit differentias, & in omni genere uitæ locũ obtinebit, publicè simul & priuatim. Ipsa certè Superbia Humilitati opposita (quæ quatenus honores affectat, ad Ambitionem: quatenus mendacio nititur, ad Veritatis excessum referri debet) propter inhumanitatem iunctam, præsentis quoq; loci erit, & differentiæ causa Superbia inhumana, siue Inhumanitas superba appellari poterit.

INHVMANITATIS, MOROSITATIS, ACERBITATIS ACQVISITIO. Hvc

MAGISTRI.

Qui discordias serunt tra stimulante, inter Crudelitatis magistros recensendi ueniunt: qui uerò libidine sola aliorum rixas & contentiones spectandi, huius erunt loci.

IVDÆI Christum, quem crucifixerunt insontem, in cruce pendentem irriserunt. Quorum impietas tanta fuit, ut latronem quoque à sinistris pendentem in consimile pertraxerit scelus. Matthæi cap. 27. & Marci cap. 15. & Lucæ 23. & Ioannis cap. 19.

EVRYMNVS dissidium inter fratres Dioscuros Castorem & Pollucem conatus est serere, alterum apud alterum insimulans.

ARISTOTELES Cyrenensis dicebat, non oportere beneficium oblatum à quoquam recipere: aut enim ut rependere possit, molestias habiturum: aut si non referat, in ingratitudinis reprehensionem incursurum. Aelianus libro 10. de Varia historia.

ANDRONICVS Ducas, homo sordidus & perfrictæ frontis, si Andronicus Comnenus Imperator aliquem excæcare uellet, etiam manus ei amputandas, aut in crucem agendum esse decernebat: obiurgato Andronico, quòd in supplicijs sumendis infra delictorum atrocitatem subsisteret. Tandem & ipse crudeliter necatus est. Nicetas libro 3. de Imperio Andronici.

In HYBERNIA, quæ in penitissimo Oceano extra terras insula sita est, cultu indomito & fero, pueri ita alitu educatiq; sunt, ut inter arma & cædes assiduè uersentur: matresq; natura immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti gladio admouere ferantur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.

DISCIPVLI.

Anus quædam ut se audiret DEMETRIVM Polioreetem regem precata, neganti sibi audiendi otium esse, Ergo quid, inquit, regnas? Quæ nox adeò regis animum perstrinxit, ut multo faciliorem iam inde se adire uolentibus præbuerit, remiseritq; multum ex solita illa uultus & uerborum cõtumacia. Plutarchus in Demetrio.

Faciei C. MARII Rauennæ in Gallia positum simulacrum statua marmorea, mirè morum eius acerbitatem & amarulentiam retulit. Nam naturâ cùm uirilis & bellicosus esset, atque disciplina imbutus militari potiùs quàm ciuili: impotenti iracundia fuit in imperiis. Plutarchus in Mario.

IN GENERE. MORES

DIONI Syracusano datum fuit uitio etiam ab amicis cordatis, quòd morosiùs & difficiliùs quàm pro ciuili usu ageret cum adeuntibus. Itaque Plato ad eum scripsit, uti pernicaciam tanquam solitudinis comitem declinaret. Plutarchus in Dione.

PROCOPIVS Imp. per morum tristium latebras, ac similem habitum Crassi illius, quem in uita semel risisse affirmat Lucillius: uixit, humũ semper intuendo. Cæl. lib. 3. cap. 28. A. L.

TIBERIVS Cæsar incedebat ceruice rigida & obstipa; adducto ferè uultu, plerunq; tacitus: nullo, aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoq; tardissimo: nec sine molli digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata atq; arrogantiæ plena, & animã duertit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpè apud Senatum & populum: professus naturæ uitia esse, non animi. Suetonius.

PAVLVM II. Pp. adire die dormientem, ac noctu uigilãtem, attrectantemq; gemmas & margaritas difficile erat, nec nisi post multas uigilias. Quòd si tibi patuissent fores, audire hominem, non audiri ab homine necesse erat, adeò copiosus in dicendo habebatur. Durus interdum & inexorabilis, si quid ab eo peteres, habebatur: neq; hoc contentus, conuitia & probra in te coniiciebat: plura tamẽ præstabat, quàm uultu facturum præ se ferret. Platina.

IN SPECIE. QVO AD CONVERSATIONEM. PVTA

Hominum aspectu, congressum fugiendo.

Μισάνθρωποι.

Huc pertinent omnes ii, qui non contemplationis studio, sed odio hominum, aut tedio præsentis fortunæ, in solitudinem se abdiderunt monasticam aut eremiticam. Cõsule Tit. Odii hominum in uniuersum, sub loco Affectuum.

HIPPOLYTVS Thesei F. quòd Phædræ nouercæ libidini nõ consentiret, eius insidiis petitus, discerptusq; fuit ab equis paternis: sed ab Aesculapio in uitam reuocatus, in Italiam fugit, odio patris, cui ignoscere noluit. Pausanias in Corinthiacis.

Rhesus, priusquam ad Troiam auxiliarius proficisceretur, multam terram sibi uectigalem fecit. Ad Chium uenit, fama illectus pulcerrimæ ARGANTHONES. Hæc domesticum uictum perosa, uenabatur, nullius familiaritate utens. Rhesus per uim quidem nihil in eam commisit: dixit autem se cum ea in uenationem exire uelle, conuersationis hominum odio. Illa sermonem eius approbauit. Ac temporis progressu in amorem incidit Rhesi, eamq; is duxit uxorem. Ad bellum Troianum, multum illa licèt reluctante, profectus, à Diome de sauciatus moritur. Arganthone eius morte cognita, rursùs abiit in eum locum, ubi primùm cum ipso erat congressa: ibique diuagata, frequenter nomen Rhesi inclamabat: ac tandem præ mœrore è uiuis sublata est. Parthenius de Amat. cap. 36.

ATALANTA Iasonis Arcadis filia, feris à patre exposita fuit, quòd se pueris, non puellis opus habere diceret. Seruus qui exponebat, eum in mõte Parthenio prope antrum, cui fons conterminus erat, depositam reliquit. Vrsa superueniens, cui catuli nuper erepti fuerant, infanti lac præbuit: donec à uenatoribus re explorata, inuenta est puella, & educata inter pastores. Aetate progrediente, relictis pastorum tuguriis, syluas colere cœpit, montesq; altissimos inhabitare, uenationi dedita, & perpetuæ uirginitati conseruandæ studiosa. Congressum hominum uitabat, nisi quando ultionis causa instar fulminis ex improuiso apparuisset. Aelianus de Varia historia, lib. 13.

TIMON, ciuis Atheniensis, uixit circa bellum Peloponnesiacum: ut est colligere ex Aristophanis & Platonis comœdiis, in quibus perstringitur ut inimicus & osor generis humani. Hic cùm declinaret & reiceret omnium hominum congressum, Alcibiadem iuuenem & audacem sedulò salutabat & exosculabatur. Stupente Apemanto, causamque requirente: diligere ait se adolescentem, quòd multorum cum populo Athenienſi malorum aliquando auctorem sciret fore. Defuncto illo, & Halis iuxta mare humato abluit unda prætextum litus, ac circunfusa monumentum eius reddidit hominibus inaccessum & inuiũ. Id inscriptionẽ hanc habuit:

Hic recubans abrupta anima infelice quiesco:
Nomen non quæras: mala pestis perdè scelestos.

Atq; hoc epigramma ab illo ferũt adhuc superstite factum. Illud uerò quod circunfertur, est Callimachi:

Timon Misanthropus ego hic iaceo. Sed enim hâc tu
Transi dira precans, ac modò prætereas.

Plutarchus in Antonio.

TIBERIVS Imp. in senectute ob habitum corporis in urbe continuè esse pudori sibi ducebat, ut Tacitus scribit: & hinc in Campaniam secessit. Quippe illi prægracilis & incurua proceritas in senio euenit, & nudus capillo uertex, ulcerosa facies, ac plerunq; medicaminibus interstincta. Cusp.

CHRYSANTHIVS Sardianus pontifex & aruspex, magnatũ ac procerum congressu abstinuit, sic ut à Iuliano Apostatâ multis licèt euocatus precibus, uenire tamen noluerit. Id nõ arrogantiæ aut fastus erat, sed rusticitatis cuiusdam aut simplicitatis, cùm homo liber & philosophus, quid esset potestas ignoraret, & proinde uulgariter & minimè dissimulanter cum illis uerba factitaret. Eunapius eius discipulus.

ARSENIVS abbas uirorum quoq;, nedum feminarum decli nare solitus consortia confabulationesq;, ut expeditiùs diuinæ contemplationi uacaret: cùm quædam non obscuri generis matrona, illum uidere cupiens, de improuiso ante hospitiolum suum ipsi occurrisset, repẽtè auertit se, et mu liebrem audaciam gestu pariter ac uerbis incusauit. Rogo, inquit illa, ne indignè feras aduentum meum, quæ sincera mente & pio affectu huc ueni. Aut si eo quicquam offensus es, ueniã da, ac pro me Deum (cui soli seruis) deprecare. Precabor Deum, respondit, & quidem multum, ne unquã memineris tui. Marulus libro quarto, capite 7. & Sabellicus libro 5. capite 6.

PION abbas, Antonij abbatis discipulus, cùm à sorore uidua ualetudineq; affecta accerseretur, dicente, Si ipsum uidisset, tam sibi gratum fore, ut inde sanitatem se recuperaturã spe rarentire omnino recusauit. Mox tandem abbate iubente, profectus est, & sororis cubiculũ oculis clausis alterius ductu ingressus, se quidem illi uidendum præbuit: sed illâ ipse minimè uidit, nec ab ea cognitus abiit. Cũq; rursum, ut ueniret, inuitaretur: Et fiti tecum, inquit, & uidisti me. Marulus lib. 4. cap. 7. & Sab. lib. 5. cap. 6.

PAVLVS abbas, qui solitudinem Panephisò oppido proximã incoluit, ne feminam uideret, impensè cauit. Et cùm ali quando cum abbate Archebio ad quendam senem pergeret, uidens à longè obuiam uenire mulierem, protinus retulit pedem: & comite frustrà renitente, ipso relicto, tuguriolum suum cursu concito repetit. Cassianus hoc immodestiæ adscribit, Delque iudicio factum asserit, ut qui tantoperè se mineum conspectum execrabatur, paralysi resolutus, ad cœnobium uirginum deferretur, ut languenti mulier assideret. Marulus lib. 4. cap. 7.

Non admittendo alios ad colloquium.

PERICLES ad remp. accedens, Cimoni, qui optimatibus studebat, contrarius, tamẽ conuiuia, eamque comitatem ac cõsuetudinem omnem abrupit, tantoque spacio, quo in republica est uersatus, nemini amicorum cœnam condixit: Euryptolemo excepto consobrino, cuius nuptiis, dum libatum esset, interfuit, inde surrexit. Detrahunt enim familiaritates illæ facilè fastum omnem, & maiestas existimationis haud temerè in contuberniis retinetur. Enimuerò uera in uirtute pulcerrima illa uidentur, quæ apparent maximè: neque est in bonis uiris perinde alienis admirabile quicquam, atque uita quotidiana familiaribus. Hic uerò etiam assiduitatem refugiens & fastidium populi, quasi ex interuallis progrediebatur, neque omni de re dicebat, neque sẽper prodibat in concionem: uerùm sicut Salaminiam triremem dicit Critolaus, ad negotia se reseruabat grauiora: cætera per amicos transigebat & oratores familiares suos. Plutarchus in Pericle.

NICIAS Atheniensis, cùm timeret sibi à calumniatoribus, apud neminem ciuium cœnabat, non confabulationibus, non conuersationibus ad tempus fallendum dabat se, nec omnino ciuiscemodi uacabat oblectamentis, sed archon hæ rebat ad noctem usque in prætorio: curiam primus ingrediebatur, nouissimus egrediebatur. Nihil si haberet in puoli co negotij, difficilis aditus ad eum erat & conueniendi copia: domo autem inclusus desidebat. Amici alloquebantur eos, qui ad fores uentitabant, precabanturq;, ueniam ut darent, quòd distentus etiam tum Nicias esset publicis negotiis curisq;. Plut. in Nicia.

Callicratidas classis præfectus, cùm uenisset ad CYRVM iuniorẽ petiturus pecunias rei nauali necessarias, uidit regẽ largiùs potantem. Expectabat igitur, ut regem sobrium conue

nire poſſet. Poſtero uerò die cùm iterum audiuiſſet illum bibere, nec ſe admitti ad colloquium, dixit: Ita curam habendam eſſe pecuniarũ, ut ne quid tamẽ committeretur Sparta indignum. & mox inde receſſit Epheſum, multa imprecans mala iis, qui primi à barbaris fuiſſent ludibrio habitu: eoq; ſua patientia docuiſſent illos, fiducia diuitiarum aliis illudere. Plut. in Apoph. Laconicis.

Venerunt aliquando Lacedæmonij ad LYGDAMIN tyrannum, legatione fungentes. Sed quum ille uariis cauſationibus frequenter diſtuliſſet colloquendi copiam, tãdem poſt omnes excuſationes dictum eſt, illum parum firma eſſe ualetudine, ſed languere nonnihil. Legati reſponderunt: Per Iouem, non uenimus huc cum illo luctaturi, ſed colloquuturi. Bellè taxarunt barbari regis faſtum ac delicias, qui quamuis friuola de cauſa res ſerias omitteret. Plutarchus in Apoph. Laconicis.

PAVSANIAS Lacedæmoniorum rex, petenti Ariſtidi Athenienſi, Se cùm grauibus de rebus alloqui uelle: reſpondit, Sibi tunc audiendi otium non eſſe. Plut.

DEMETRIVS Poliorcetes, Macedonia occupata, aut locum non dabat ſui conueniendi, aut acerbus & aſper erat ipſum conuenientibus. Athenienſium, quorum erat ſupra cæteros Græcos ſtudioſus, duos annos detinuit legatos, nec demũ auditos domum dimiſit. Ab Lacedæmoniis cùm legatus miſſus unus eſſet, deſpici ratus ſe, ſtomachatus eſt. Vrbanè tamen & Laconicè ille, cùm hic diceret: Quid tu ais, unum miſerunt Lacedæmonij legatum? Sanè uerò, inquit, rex, ad unum. Cùm aliquando magis populariter exire uideretur, nec aditum difficilem præbiturus: concurrerunt aliqui ad libellos ſupplices ei porrigendos. Quos cùm omnes accepiſſet, & chlamyde collegiſſet, læti aſſectabantur eum homines. Vt uenit ad Axij pontem, explicata chlamyde proiecit omnes in flumen. Id uerò maiorem in modum pupugit Macedonas, qui ludibrio haberi ſe, non regem arbitrabantur habere; atq; Philippum commemorabant uel audiebant de commemorantibus, quàm ciuilis in his & communis fuiſſet. Plut. in Demetrio.

DEMETRIVS Soter rex Syriæ, propter ſuperbiam inuiſus fuit militibus. Incluſus in regium quoddam caſtellum munitũ quatuor turribus, non procul ſitum ab Antiochia, neminem admittebat: & omiſſa reip. cura degebat in ocio per ſegnitiem. Itaq; ad Alexandrum Epiphanis F. defecerũt, eiq; Ptolemaidem prodiderunt. Ioſeph. lib. 13. cap. 3.

HANNIBAL Cannenſis pugnæ ſucceſſu elatus, nec admiſit quenquam ciuium ſuorum in caſtra, nec reſponſum ulli niſi per interpretem dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum ſuum clara uoce affirmantem, proſpexiſſe ſe, quónam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aſpernatus eſt. Adeò felicitatis & moderationis diuiduum contubernium eſt. Val. lib. 9. cap. 5.

M. CATO in Ptolemæo Aegypti rege domi ſuæ excipiendo inhumanus fuit, dum in aluo leuanda occupatus, neque regem adierit, neq; ad ſe uenienti ipſe uel obuiam proceſſerit, uel aſſurrexerit. Plut. in Catone.

M. ANTONIO Triumuiro acceſſit ad communem infamiam non mediocre odium ex ea, in qua habitabat, domo, quæ fuerat Magni Pompeij, uiri non minùs ob temperantiam modeſtamque & ciuilem uitam, quàm ob tres triumphos admirabilis. Dolebant enim ciues, cùm cernerent clauſam magiſtratibus, ducibus & legatis, qui contumelioſè repellebantur à foribus: plenam uerò mimorum, præſtigiatorum, & adulatorum uinolentorum, in quos ferè argentum uiolentiſſima & acerbiſſima coactum ratione abſumebatur. Plut. in Antonio.

CAROLVS VIII. Galliæ rex, cùm ſibi cuncta quæ armis aggrederetur, omnino ceſſura in animum induxiſſet: Pandonium regis Neapolitani Ferdinandi legatum fruſtrà plures dies in aula uerſatum, atque exponendæ legationis poteſtatem ſibi fieri demiſsè poſtulantem, inauditum dimiſit. Iouius libro 1. Hiſt.

Diſsimulando ſe uidere uel audire præſentes.

Caduceator quidam in Samum ab Orœte præfecto Sardium miſſus cuiuſdam rei rogandæ cauſa, POLYCRATEM Sami tyrannum fortè in conclaui cubantem inuenit, aſſiſtente ei Anacreonte Teio. Ad quem accedens Orœtis caduceator, cùm mandata exponeret, Polycrates neq; ſe ad hominem conuertit (erat enim ad parietem uerſus) neq; quicquã reſpondit. Ea re offenſus Orœtes, Polycratem inſidiis circumuentum cruci affixit. Herod. lib. 3.

AGESILAVS rex Spartanus dum ſedet in agro Corinthiaco, & fano Iunonis expugnato prædam aſpicit milites egerentes: aderant ex Thebis legati ad agendum de pace. Hic, qui illam ciuitatem odiſſet, tunc uerò etiam è re eſſe cenſeret ei inſultare, diſſimulauit eos uidere uel audire alloquentes ſe. Nec defuit ei diuina ira. Nam nondum digreſſi erant Thebani, cùm nunciatum ei eſt, cohortem ab Iphicrate cæſam, quanta clade non fuerant longo interuallo icti. Plutarchus in Ageſilao.

ORATIONEM. SIC ORATIONE [redacted] uel NON VTVNTVR. VIDELICET

Non alloquendo alios.

PALLAS, Claudij Cæſaris libertus, immenſis opibus comparatis, cùm à Peto accuſaretur in Neronem conſpiraſſe: atq; ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur: coactus eſt Pallas, ut innocentiam probaret, ſuperbiæ ſuæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim moris ſui eſſe, nũquam miniſtrorum ſuorum quempiam alloqui: ſed ſi quid uellet, id eis aut manu aut nutu indicare: & ſi quid eſſet, qđ longiore oratione declarandum eſſet, illud eis ſcribere. Cornelius Tacitus.

NERO Cæſar, tam difficilis atque moroſus erat, ut neq; cum ſeruis, neque cum libertis ſermones conferret: ſed omnia quæ uellet mandaretur, in libellis ſcribere conſuerat. Xiphilinus in Nerone.

Non reſpondendo aliis.

PAMBO abbas Theophilo epiſcopo ſe aliquando adeunti, & aliquo ſermone ab ipſo ſpiritaliter refici petenti, reſpondit: Si taciturnitate ſua nõ reficeretur, nec ſermonibus eum refici poſſe. Marulus lib. 4. cap. 6.

Non ſalutando.

ALEXANDER Macedo, poſteaquam profligato Dario, Magni cognomen accepit, adeò ſuperbia uictus eſt, ut nulli in poſterum niſi Antipatro & Phocioni in literis ſalutem dederit. Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 19. ex Plutar. Alexandro.

In PONTILIANVM Martialis Epigram. libro 5.

Sæpe ſalutatus nunquam prior ipſe ſalutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, uale.

Non reſalutando.

MILITES Cæſarea uenientes, cùm ſalutantibus eos Iudæis non reſpondiſſent, ſeditio coorta eſt maxima. Vide Tit. Occurſus honorificus.

NERO Cæſar, nedum ſalute, ſed ne reſalutatione quidem aliquem impartiuit. Xiphilinus.

Non nunciando.

Cùm apud AMYCLEOS, Italiæ populum, ſubinde nunciaretur hoſtium aduentus, idque falsò, & ob eam rem ciuitas frequenter inani terrore quaſſaretur: lata lege cautum eſt, ne quis unquam hoſtis nunciaret aduentum. Atqui pòſt euenit, ut uerè iam aduenirent hoſtes. Quod cùm nemo nunciaret propter legis interdictum, ciuitas de improuiſo capta eſt. Qui caſus populari ioco dedit occaſionem, ut dicerent, Amyclas ſilentio periiſſe, ſi cui ſua taciturnitas fuiſſet incommodo. Eraſmus in Adagiis.

VTVNTVR. SED

Breuiore quàm deceret.

VLADISLAVS Boemiæ & Hungariæ rex, taciturnꝰ ſemper, ut difficile eſſet diuinare, quid ſecũ cogitaret: eaq; propter à pleriſque mutum idolum cognominabatur, quòd aliud proloqui neſciret, niſi Bene aut *Dobre*. Hungaris quidẽ, quorum linguæ ignarus erat, uocabulo Latino, Bene: Boemis autem *Dobre*, reſpondens. Dubrauius libro 32.

Longiore, Prolixiore quàm deceret. Loquacitas moleſta, importuna.

Vide Tit. Loquacitatis reprehenſio prudens, libera, popularis. Illic Offenſi, hic Offendentis habetur ratio.

Citeriæ conuitium in homines impendio loquaces olim iactatum eſt. Cato in M. CÆLIVM: Quid ego dicerem ampliùs? quem denique credo in pompam uectitatum iri ludis, pro Citeria, atq; ſpectatoribus ſermocinaturum. Feſtus Põpeius admonet, Citeriam dictam fuiſſe quandam effigiem argutam ac loquacem, quæ ridiculi gratia in pompis uehi ſoletat, crepitum & ſtrepitum aſſiduè edens. Eraſm. in Adagiis.

Inducuntur apud Theocritum in Ἀδωνιαζούσαις duæ MVLIERES Syracuſanæ, Gorgo & Praxinoa, quæ profectæ ad ſpectandam pompam ſacrorum Adonidis, cùm, qui mos mulierum eſt, aſſiduè garrientes, implerent omnia ſtrepitu, & aures eorum, qui propè erant, obtunderent: offenſus tanta earum garrulitate hoſpes quidam, illamque ferre ampliùs nõ ualens, ſubcontumelioſè imperauit eis, ut tacerent. Tum indignata Gorgo, Quæſo, inquit, quid hoc tandem hominis eſt? quid uerò tua refert, ſi garrulis eſſe nobis libet? Impera ancillis tuis, ἐπιπᾶσαι ἐφ' κέκτησαι: nobis enim cùm imperas, ſcito te Syracuſanis imperare. Et ne fortè nos uiles aliquas & abiectas eſſe fœminas putes: Corinthiæ ſumus à prima origine, non minùs quàm Bellerophon. Poſtremò, quoniam hoſpes reprehenderat eas, tanquam πλατειασδοίσας, id eſt, lato & diducto ore pronunciantes (erat enim Dorũ in Græcia eadem ferè pronunciatio, quæ in Italia Bergomatium) idcirco addit, ſe ita loqui, ut in Peloponneſo loquerentur: cæterùm non putare, ca[redacted]m, cur non Doribus Doricè pronũciare fas eſſet. πελοποννασιστὶ λαλεῦμες· δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι. Muretus lib. 2. Var. lect. cap. 20.

Miram CVIVSDAM ſibi nomine tantùm noti garrulitatem & importunitatem in ſe conſectando inuito Horatius lib. 1. ſatyra 9. egregiè deſcribit.

Timocrati philoſopho apud Polemonem dicenti, PHAVORINVM philoſophum eſſe loquacem: Et omnis, inquit ille, anus. Notans in Phauorino corporis habitum, quòd eſſet eunuchus. Viſus eſt excuſare uitium, ſed reuerà conduplicauit. Philoſtratus.

PLOTIVS Criſpinus, Stoicus philoſophus & poëta, nimia loquacitate ſectam ſuam adeò contaminauit, ut uulgò Aretalogus diceretur. Gyraldus Dialogo 4. hiſt. poet.

Obſcura, Inũoluta, Aenigmatica.

In comœdiis ſemper inducuntur COQVI dicaces, præſertim apud Plautum. Id teſtatur Philemon alicubi,

Σφίγγ' ἄῤῥεν', οὐ μάγειρον, εἰς τὴν οἰκίαν
Εἴληφ'. ἁπλῶς γὰρ οὐθὲν, μὰ τοὺς θεοὺς,
ὧν λέγει συνίημι. id eſt,
Recepi in ædes non coquum, ſed maſculam
Sphingem. nihil enim per deos intelligo
Simpliciter, ex his quæ loquitur.

Eraſmus in Adagiis.

Obſcenè compellant, reſpondent.

Fuerunt OSCI, populi Italiæ, impudentes adeò, ut etiamnum hodie uerba ſpurca uocentur oſcena, non autem obſcena, ut autumat Priſcianus.

Cùm GALEACIVS Vicecomes iuxta Papienſem arcem ingentes fundos ſepiret, ut eis ad uenationem alere feras poſſet: ſimulq; Bartholini Siſtri ciuis Papienſis poſſeſſiões incõmodè diuiderẽtur: Bartholinus id cùm aliàs priuatim, tum publicè in foro Papienſi querebundus Galeacio exprobrauit, inter cætera inquiens: Si hoc ipſum incommodo afficeret, quid tandem tot filiabus, quas iam habebat nubiles, agendum foret? Periniquè aũt ferens Galeacius huius querelis uoluptarium locum impediri, iracundiæ plenus reſpondit: Si neſciret, quo alio eis modo conſuleret, illas ad proſtitutarũ cellas mitteret. Hoc dicto pudicus uir ita excanduit, ut in furorem uerſus, ſtricto pugione, in equo ſedentem petierit, à quo delapſus ille coxam perfodit: neq; multo pòſt Bartholinus occiſus fuit. Fulgoſus lib. 6. cap. 1.

Inhumanè reſpondent.

Alexander ad Gymnoſophiſtas eos, qui erant clariſſimi, ſolitariam aũt quietamq; uitam agebant, Oneſicritum miſit, petitum, ad ſe ut uenirent. Aiunt CALANVM ſanè quàm ſuperbè & aſperè iuſſiſſe ei, ut poſita ueſte audiret ſe nudus: alioqui non congreſſurum cum eo ſe, ne ſi à Ioue miſſus eſſet quidem. Dandamim egiſſe placidiùs: ac de Socrate, Pythagora, Diogene cùm audiuiſſet, dixiſſe magno ingenio ſibi eos uiros uideri fuiſſe, ſed nimiùm reuerentes legum. Plutarchus in Alexandro.

RENATVS Lothiaringiæ dux, rex Neapolitanus, obſeſſus ab Alfonſo Aragonum & Siciliæ rege, inhumano reſponſo uetulæ fame uexatæ dato, eam ad proditionem impulit. Repulſa enim à Renato toruo uultu, ad Alfonſum miſit, qui indicarent, per ueterem aquęductum, ſupercreſcenti terra cõtectum, in urbem penetrari poſſe, qui iuxta ſuam domum exitum habeat. Cuius ductum ſecutus Alphonſus, Neapoli cum ſuis potitus eſt. Iacobus Bracellus lib. 5. belli Hiſpan.

Cùm abſente in Comitiis rege Friderico, BOEMI, odio Germanorum, quos ille fouebat, Conrado Znoymæ marchioni fidem dediſſent: Fridericus I. Imp. per Palatinum Bauariæ ducem illos ad dicendam cauſam Ratiſponam euocarat. Illi ſuperbè reſpondent, Non ita obnoxiam ſeruituti uitam ſeſe uiuere, ut Dei, Papæ, Cæſaris, & Principis ſui (hui quot dominorum) iuga ferre neceſſe habeant: ſatis ſuperq; eſſe, Deo ſeruire, & Principi ſuo. Manſuetiùs Conradus reſpondit, ſuamq; cauſam procurandam Palatino affini commendauit. Boemi ferocis dicti pœnitentia uiros ſex delegerunt, qui ad deprecandam imprudentiam legati Ratisbonam irent. Dubrauius lib. 14.

Titulis indecoris utuntur.

Heraclij Imp. PRÆFECTVS, canes uocans Saracenos, conquerentes de fraudatione ſtipendiorum, occaſionem defectionis illis præbuit. Hac enim uoce commoti, in Syriam ſeceſſere, hinc Damaſcũ occuparunt: pòſt Aegyptum ingreſſi, finitimis ſunt regionibus potiti: dehinc ſubacta Arabia, in Perſiam ſerpſit id incendium. Cuſp. Pari cõtumelia MISTIVOIVS Vandalorum princeps exacerbatus, à pietate defecit. Cranzius.

Imperante Mauricio, STEPHANVS quidam presbyter prouinciæ Valeriç, aliquando domum reuerſus de itinere, ſeruo tardo ſtomachabundus dixit: Veni miſer diabole, & ſoccos mihi detrahe. Ad hanc uocem ſtatim cœperunt caligarum corrigiæ ſolui. Gregorius Turonenſis libro tertio Dialogorum capite 20.

Titulos honorificos negligunt.

DARIVS, gemino prælio uictus ab Alexandro, amiſſis etiam liberis, uxore & matre, quæ in hoſtis poteſtatem uenerant, ſuperbam ſcripſit ad Alexãdrum epiſtolam, & ne regis quidem nomine dignatus eſt. Quo ipſo ſic offenſus eſt Alexander, ut eum moneret, ſcriberet poſthac ad ſe non tantùm ut regem, ſed & regem ſuum. Sab. lib. 4. En. 4.

DEMETRIVS Poliorcetes præter ſe & Antigonum patrem, nec regem nominaſſe quenquam, nec ſalutaſſe dicitur. Plutarchus in Demetrio.

OSCVLATIONEM INSOLENTEM, SVPERBAM.

C. IVLIVS Cęſar, Pompeio Pœno agenti gratias, pedem cum ſocculo aurato oſculandum dedit. Alex. ab Alex. libro 2. capite 19. ex Suetonio.

Cùm Imp. Romani peregrè profecturi eſſent, Senatores ex more oſculis excipere conſueuerant. NERO uerò Imp. neque adueniens neque proficiſcens quenquam oſculo impertiuit, ac ne reſalutatione quidem. Suetonius.

DOMITIANVS Imp. ab iuuenta minimè ciuilis, animi confidens etiam, & tum uerbis, tum rebus immodicus: Cenidi patris concubinæ ex Hiſtria reuerſæ, oſculumq;, ut aſſueuerat, offerenti, manum præbuit. Suetonius.

MAXIMINVS Imp. in ſalutationibus ſibi pedes oſculari uoluit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

VVLTVM AVSTERVM, TETRICVM.

Ἀττικὸν βλέπος, id eſt, Atticus aſpectus: perinde eſt quaſi dicas, os impudens. In eos dicebatur, qui uultu ipſo præ ſe ferebant impudentiam, dicendiq; confidentiam. Nam hoc uitio notati ſunt ATTICORVM mores. Ariſtoph. in Nubibꝰ;

ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν ἀττικὸν βλέπος. id eſt,
Ac uultu in ipſo aſpectus Atticus eminet.

Sic enim loquitur Strepſiades de filio, Socratica è ſchola redeunte, quem ex ipſa fronte coniicit malam cauſam agere poſſe, quòd neſcio quid Atticæ aſtutiæ ſimulatq; impudentiæ præferret. Eraſmus.

C. MARIVS ut moribus fuit aſper, ita quoq; truci aſpectu. Cuius rei teſtimonium fert ſtatua marmorea Rauennæ illi poſita. Plut. in Mario.

GESTICVLATIONEM.

CN. Põpeio Magno inimici, qui id obſeruarãt, exprobrarunt, quòd uno digito caput ſcalperet. Plutarchus in Præceptis politicis.

SEX. TITIVS orator, homo ſolutus & molliſſimus in geſtu fuit, ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Cicero.

TIBERIVS Cæſar incedebat adducto ferè uultu, ſermone nullo, aut rariſſimo, eoq; tardiſſimo, & cum molli digitorum geſticulatione. Suetonius.

INCESSVM SVPERBVM, INDECORVM.

Cicero, cùm PISO gener eius molliùs incederet, filia autem concitatiùs, ait genero: Ambula tanquam fœmina. at filiæ: Ambula tanquam uir. Macrobius libro ſecundo, capite tertio Saturnalium.

TIBERIVS Cæſar incedebat ceruice rigida & obliqua. Suet.

PROCOPIVS tyrannus humum ſemper intuebatur eundo. Cælius lib. 3. cap. 28. A. L.

CORPORIS CVRAM. SECVNDVM HABITVM, VESTITVM INSOLENTEM, INDECORVM.

DEMETRIVS Poliorcetes Macedoniæ regno potitus, non tantùm diadematis uſum recepit, ueſteſq; purpura & auro intextas, ſed calceos etiam geſtauit auratos. Plutarchus.

CAROLVS Caluus Imp. non fuit multum à ſuis dilectus, ob impotentiam & ſuperbiam, utpotè qui contemtis patriis moribus & cultu, in externos mores degenerabat. Dalmaticam indutus, ſæpè in publicum prodibat: perſæpè cum corona diademateq; ſerico, quaſi perſonatus incedebat: cùm ueteres reges nihil à cæterorum ornatu differrent. Ita dum ſe auguſtiorem oculis hominum facit, pectoribus inuiſus, ue-

uissus, ueneno obiit. Cuspinianus, & Aemilius.

SVENO rex Danorum pace parta patrios mores ut rusticos mutauit, Germanos æmulatus est, cultu Saxonum & ipse usus est, & aulicos & milites uti uoluit: conuiuijs elegantes ministros adhibuit, interiecit mensis morionum facetias, honores histrionibus amplisſ. detulit, nobilibus spretis obscuros homines promouit, qui regiæ gratiæ potiùs quàm generis splendori felicitatem suam referrent acceptã. Lites non prudentes iudicio, sed athletarũ robori permittebat. Ad populum uerba facturus, non nisi nouo editissimoque suggestu utebatur. Saxo Grammaticus libro 14. Histor. Danorum.

CAPILLOS, BARBAM.

VITOLDVS Lituaniæ Dux, ut esset inter populares & ipsum principem certum faciei discrimen, radere barbam omnib. imperauit. Id ubi non successisset (faciliùs enim ceruicis quàm barbæ iacturam Lituani ferebant) tonsus ipse mentum & caput prodiit, capitale interminatus, si quis prouincialium pilos faciei deponeret. Aen. Syl. cap. 26. Europę.

DENVDATIONEM.

HEBE Iunonis F. cùm pulcerrima esset, ac Ioui placuisset, iuuẽtuti præficitur ab ipso Ioue: & id præterea illi munus datũ est, ut Ioui pocula ministraret. Veruntamen cùm lapsa aliquando inter ministrandum pudenda omnibus denudasset, ea ab illo officio remota, Ganymedes, Laomedontis Troiæ regis F. ab aquila in cœlum Iouis iussu portatus, sufficitur. Id Iuno grauiter tulit. Vnde Maro—rapti Ganymedis honores. Natalis Comes Mythologiæ lib 2. cap 5.

PHILIPPVS Macedonum rex, subhastationis quorundã captiuorũ spectator, indecorè sedebat, uelut supra genua collecta. Quo nomine à captiuo quodã seorsim monitus, statim eum liberauit. Plut.

ALIMENTA, POTVM intempestiuum.

C. MARIVS quia in publico frigidam aquam bibisset, per seruum poculo allatam, uelut parum ciuiliter egisset, à censoribus est senatu eiectus. Sabellicus libro 2. Ennead. 6.

EXCRETIONEM CORPORIS INdecoram. Ructus, Crepitus.

CHII quidam peregrinantes apud Lacedæmonios, postquam incacarunt tribunalibus Ephororum, & conuomuerunt. Id ubi compertum fuit, per præconem edixerunt: Chiis permissum esse intemperanter agere. Cùm antea, seuera pœna instituta fuisset, si quis ciuium id feciſſe deprehensus foret. Erasmus in Adagiis.

STOICI crepitus uentris æquè liberos ac ructus esse oportere, uulgò dicere solebant. Cic. in Epistolis familiaribus li. 9.

METROCLES Hipparchiæ frater, Theophrasti discipulus, cùm sæpè inter disputandum crepitum uentris emitteret, præ pudore domi se continuit: sed à Cratete Cynico partim uerbis, partim libero & simulato crepitu animatus, qui plurimos lupinos deuorabat, ut ad crepitus facilis esset, Cynicę philosophiæ operam dare cœpit. Laert. in eius uita.

VENEREM IMPORTVNAM, INTEMPESTAM.

Immodestia uenerea ad Libidinem pertinet. Hic externi tantùm mores considerantur, quatenus conuersantibus molestum pariunt.

INDORVM quorundam coitus in propatulo est, sicut pecorum. Color similis atque proximus Aethiopico: genitura, quam in mulieres emittunt, non alba, quemadmodum cæterorum hominum, sed atra, ut color corporis. qualem Aethiopes quoque emittunt. Herodotus lib. 3.

MASSAGETARVM æmulos Cynicos philosophos scripsit Ruffinus & Herodotus, quia more canum publicè coibant.

INHVMANITAS, MOROSITAS IN OFFICIIS. VIDELICET OFFICIA

GRATA NON FACERE. HVIVS SVNT LOCI

MORES ALIORVM NON FERRE.

DEMOCEDES Crotoniensis, cùm à patre iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare posset, illo relicto abiit in Aeginam. Vbi commoratus unum annũ, primos medicos transcendit, etsi imparatus erat, & nihil instrumentorum habens, quæ ad artem medicinæ pertinerent. Herod. lib. 3.

NON AVDIRE ALIOS.

Vide suprà, Non admittendo alios ad colloquium. item, Inhumanitas erga supplices.

Aristippus quum aliquando DIONYSIVM tyrannum interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret: prostratus cœpit amplecti pedes regis, & impetrauit. Id factum quũ quidam uelut abiectius quàm ut philosophum deceret, reprehenderent: Non ego, inquit, sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Laertius lib. 2. cap. 8.

Anui cuidam pauperculæ PHILIPPVM Macedonem appellãti, ut causam ipsius cognosceret, cum hac flagitatione frequenter obstreperet illi: respondit, Sibi non esse otiũ. Cumque anus inclamasset, Proinde ne rex quidem esse uelis: Philippus admiratus aniculæ liberam uocẽ, non illi solùm prebuit aures, uerumetiã alios audiuit. Plut. in Apoph. Regũ. Hoc idem Latini tribuunt ADRIANO Imperatori. Et Sab. lib. 7. En. 4. etiam DEMETRIO Poliorcheti.

NON CONDOLERE.

Cùm Senacheribus Assyriorum rex Iudæam uastaret, ISRAELITARVM decem tribus, à Salmanassare iampridẽ in Mediam abductæ, consanguineorum suorum malis parum cõdolentes, in epulis uersabantur. Itaq; Deus effecit, ut Senacheribus turpi fuga domum reuersus, Israelitarũ plurimos, propter odium Iudæorum, utpotè consanguineos eorum, interfecerit. quemadmodum etiam Dominus IVDÆOS, qui Israelitarum malis & captiuitate non mouebantur, post centum & ampliùs annos Nabucodonosori Babyloniorũ regi abducendos tradidit. Tobiæ i.

L. FVLVIVS argentarius, bello Punico secundo, cum corona rosacea interdiu è pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate senatus in carcerem abductus, non ante finẽ belli emissus est. Plin. lib. 21. cap. 3.

COSMI Medicis, qui Florẽtiæ dominatum suis peperit, cùm opum potentiæq; suæ stabilendæ causa ciuitatem in bellũ Lucense difficillimum conicisset, obicientibus illi æmulis ciuium interitum, respondit: Septenis aut octonis purpuræ ulnis quotidie ciues permultos fieri posse. Vrebantur enim eo tẽpore Florentini purpurea rogula. Brutus lib. 2. hist. Flor.

NON DARE, AVT MALIGNE DARE.

Ea erat natura CLEMENTIS VII. Pont. parsimonia & dissimulatione gaudentis, ut illiberalis & durus potiùs quàm sæuus atque maleficus esse censeretur. Neminem enim planè oderat, quum neminem adamaret,

[redacted]

torum uerò constanter obliuisceretur, qui ab optimis literarum studiis, uetereque obsequio commendationem & præmia meruissent: Hos quidem perblandè appellabat, ut imagine gratiæ detineret, sed occultè oderat tanquam creditores. Dedit tamen omnia uel semper nolens, quæ suis parum benigna facie denegarat, & inimicis quidem sæpiùs & indignis, qua in re aliquando suspirans se miserum esse confessus est, quum animus aut præsenti utilitate inductus, autignobili compulsus metu, ad id inexplicabili necessitate, uel reluctante iudicio raperetur. Ex uno enim & triginta Cardinalibus, quos legerat in senatum, uix unum atque alterum probabat, quòd eos præteritis honestioribus, nequaquam exquisito decoroque delectu, uti desiderasse uideri cupiebat, sed ui subita inter impotentes regum preces, armorumque strepitum circumuentus & coactus edidisset. Iouius libro 32. Hist.

COMMEATVM PROHIBERE.

REX Idumæorum petentibus Israelitis per legatos transitum, fide data se neminem iniuria affecturos, sed regiã uia peracturos, concedere noluit, quinimò eis cum multis copiis ualidaq; manu occurrit, ita ut à Cade ad montem Horem deflectere cogerentur. Numeri 20.

Idem fecit SEON rex Amorræorum. Num. 21.

NON ACCIPERE OBLATA.

Galatarum rex Deiotarus iam grauis annis acciuit M. CATONEM minorem in Asia peregrinantem, ut liberos suos & domum ei commendaret. Quem postquàm aduenit, uaria dona ei offerens, instanstq; atq; enixè rogans, ut acciperet, adeò exacerbauit, ut uesperi cùm uenisset, & ibi pernoctasset, postridiè abierit tertia hora. Plut.

GRATA INDECORÈ FACERE.

ILIENSIVM legati ad Tiberium Imp. de morte Drusi questum & consolatum uenerant, paulo tamen seriùs. Eorum tarditatem reprehendens, Et se illorum uicem dolere dixit, quòd Hectorem præclarum ciuem amisissent. Suetonius.

ALBE-

ALBERICVS Marozię F. ineptè aquam Hugonis uitrici & patrui, Italiæ regis, manibus affundens, alapam ab eo accepit. Quã contumelia ita abalienatus fuit, ut Romanorum armis eum Roma expulerit. Luitprandus lib. 3. cap. 12. & Auentinus lib. 4. Annalium.

INGRATA FACERE. CVIVSMODI SVNT,

RIXARI, LITIGARE, Contendere.

Hic Asperitatis extra iram ratio habetur. Quæ uerò iram habet fomitem, ad Crudelitatis locum pertinet.

Anus quæpiam fuit PTOLEMAIS, quæ quoad uixit, lites agitabat, nec unquam ab agendis causis feriabatur. Auctor Diogenianus apud Erasmum.

PARVVS, ob amissam nauiculam cum obuiis quibusq; litigabat. Hinc adagium, Disceptare scaphulam: id est, ob res minutulas multum mouere litium & querelarum. Rauisius.

GORGIAS Leontinus, cùm in Olympiis de communi Græcorum concordia insigniter peroraret, à Melantho ludibrio habitus est, dicente, frustrà Gorgiam de Græcorum concordia agitare, cùm se, uxorem & ancillam concordes habere nesciret, quæ ob zelotypiam irata quotidie diſſidium faceret. Alex. lib. 5. cap. 18.

HYPERBOLVS concionator Athenienſis improbiſſimus fuit, minum in modum appetens litium. Hinc Adagium, Vltra Hyperbolum.

In GARGILIANVM Martialis Epigram. lib. 7.

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser & demens, uigintì litigat annis
Quisquam, cui uinci, Gargiliane, licet?

OCCVLTARE NON OCCVLTANDA.

PRISCVS sophista sub Iuliano morosiſſimus, ægrè admodũ ad disputationes adducebatur, dogmata occultans tanquã thesaurum. Eunapius in eius uita.

DEVOVERE, IMPRECARI.

IVDÆI Alexandrum Hyrcani F. regem suum ita exosum habuerunt, ut cùm post uarias clades ultrò citroque acceptas ab illis beneuolè peteret, Quid uellent fieri? omnes uno ore clamauerint, Vt quàm celerrimè periret. Iosephus libro 13 [illegible] antiquitatum.

Ne[illegible] & planè humano [illegible] genere inimica uox est, ueteri puerb[illegible] circumlata (id quod ex 3. de Finibus M. Tullij & Seneca li[illegible] de Clementia constat) quam Dion & Suidas etiam TIBERIO adscribunt:

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Eam uocem à quodã temerè usurpatã NERO correxisse dicitur, Imò, inquiens, ἐμοῦ ζῶντος. teste Suetonio.

C. Cæsar CALIGVLA Imp. queri solebat, quòd sua tempora nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana, Tiberij ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: sui obliuionem imminere prosperitate rerum. Atq; identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. Suetonius.

MINARI.

ROBOAMVS Salomonis F. superbè respondens & inhumaniter decem tribubus Israelitarum, occasionem illis dedit, ut Hieroboami ductu ab eo desecerint.

COMMODVS Cæsar, ut terribilior omnibus uideretur, statuam sibi poni iussit pro curia, quæ arcum intenderet. Cæterùm eo extincto, statua sublata est patrum decreto, Libertatis signo eadem basi impositò. Sabellicus libro quinto, Enneadis 7.

OFFERRE INGRATA.

TIMON Athenienſis, ferturin concione populi Athenienſis consendisse suggestum: silentio autẽ & expectatione propter rei nouitatem magna facta, dixisse: Est mihi exigua, Athenienses, area, in qua adoleuit ficus, ex ea multi iam ciues se suspendere. Quja uerò hunc locum statui inædificare, nolui prætermittere, quin id publicè prænunciarem: quò, si quibus uestrũm usum erit, priùs quàm execetur ficus, suspendat se. Plut. in Antonio.

EXIGERE ACERBE.

Vide Tit. Auare exactiones, quatenus acerbitatem iunctam habent.

PYRRHVS Epirotarum rex à Siculis ex Italia contra Carthaginenses euocatus, humanitate omnes sibi ab initio deuinxit. Occupata iade insula, cùm Africam mente concepisset, & cogendis in naues classicis tyrannicè agere inciperet, omnes à se alienauit, & insulam ceu palæstram Martis Romanis & Carthaginensibus reliquit. Plut. in Pyrrho.

CONSTANTIVS episcopus Mediolanẽsis, in collecta facta inter Ianuenses, à Philagrio quoq; portitore, sed cæco, exigi curauerat. Ea de re à D. Gregorio Pp. reprehenditur lib. 7. Epist. 130. Miramur, inquit, qp qui magis misericordia dignus est, uobis præsentib. prægrauetur. Eum qui cæcitate grauatur, inhumanum est nimis in collatione affligere, cuius inopiæ potiùs ex collatione succurrendum foret.

CONTEMNERE ALIOS PRÆ SE.

Cùm Moses uxorem duxisset Aethiopissam, AARON frater & soror MARIA ei summoperè succensuerunt, eiq; exprobrarunt, quòd nõ ipsi soli, sed sibi quoq; Dominus locutus esset, ne ea re superbiret. Sed Dominus hanc obtrectationẽ puniuit, & Mariam lepræ morbo septem diebus affecit, Mose interea pro ea intercedente. Num. 12.

Capto Hellesponto, & Lacedæmoniis profligatis, in tantùm animos sustulere Alcibiadis MILITES, tantosq; sumserũt spiritus, ut dedignarentur aliis militibus se subinde uictis inuictos ubique commiscere. Nam fortè non multo antè ad Ephesum re à Thrasyllo malè gesta, æreum trophæum Ephesij in opprobrium Athenienſium erexerant. Hęc impropẽrabant Thrasylli militibus milites Alcibiadis, extollentes se & suum imperatorem, nec eos, ad eadem gymnasia ut tenderent apud se in castris, dignabantur. Vt uerò Pharnabazus magno equitatu & pedestribus copiis populantes Abydenorum fines est adortus, suppetias ueniens Alcibiades fugauit eum, persecutusq; ad noctem usq; est cum Thrasyllo: ac tunc se cum eo coniunxit, atq; inter se congratulantes ouanteſq; in castra redière. Plut. in Alcibiade.

ACCVSARE, REPREHENDERE. Amarulenta reprehensio, accusatio, sugillatio.

Reprehensio uariis modis considerata, ut uera est, ut iusta, ut tocasa, ad alios atq; alios locos pertinet: ut acerba est & austera, huius erit loci. Consule Tit. Reprehensionis liberæ, quatenus libertas interdum mixtam habet austeritatem.

Qui acerbè reprehenderint alios.

Populi.

AEZONEIS, municipium tribus Cecropiæ, cuius incolæ malè audiebant, ut maledici: unde αἰζωνεύεσθαι, maledicere. Suidas ex Platone.

Grammatici.

DAPHIDAS grammaticus in Thoracemonte cruci affixus est, quòd reges maledicis carminibus incesseret. Strabo lib. 14. Hinc prouerb. Cauere Thoracem.

DOMITIVS Calderinus, uir clarissimus ingenio, & qui primus poetas grauissimos suo tempore enarrare ausus est, nullo magis quàm obtrectationis uitio laborauit. Ideoq; Volat. lib. 21. Anthrop. dignum eum (ut de Cælio Quintilianus ait) uita longiore, ingenio tamen meliore, existimauit.

POGGII Florentini maledicẽdi studium ex eis, quas in Amedæum Sabaudiæ ducem, à Basilienſi concilio creatum Pontificem, in Fran. Philelphum, cui postea reconciliatus est, & in Laur. Vallam, inuectiuas scripsit impurissimas, quiuis colligere potest. Volat. lib. 21. Anthrop.

IOANNES Venetus ea fuit linguæ licentia, ut unus omnium laudib. obtrectaret, doctrina alioquin & ingenio summus: & talis quidem, ut suo tempore cum uiris omnium clarissimis conferri potuerit. Volat. lib. 21. Anthrop.

LAVRENTIVS Valla maledicus in omnes fuit, cõtra ipsam demum religionem latrauit: scriptis quoq; probare conatus, nullum ius siue munus imperij Pontifici concessum. Ex quo defuncto nõ defuit, qui dictichon huiusmodi iactaret:

Ohe ut Valla silet, solitus qui parcere nulli est?
Si quæris quid agat, nunc quoq; mordet humum.

ut est apud Volat. lib. 21. Anthrop. Aliud quoq; circũfertur:

Nunc postquam manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto uerba Latina loqui.
Iuppiter hunc cœli dignatus parte fuisset,
Censorem linguæ sed timet ipse suæ.

Poetæ.

HIPPONAX poeta Iambographus, amarulentus, ac notæ mordacitatis, qui, auctore Dionysio Halicarnasseo, trimetrum Archilochium de industria in scazõtem infregit, cùm inimicos lacerare uellet, quo uidelicet ferret fortiùs. Hic Bupalum & Anthermon, quòd ab his deformi specie pictus esset, uersibus iambicis insectatus legitur. Erat autem Hipponacti notabilis in uultu fœditas, quamobrem quidam imaginem eius proposuere in tidentium circulis, quorum aliquot suis carminibus creditur ad laqueum cõpulisse. Negat id esse uerum Plinius libro 36. cap. 5. Erasmus in Prouerbio, Hipponacteum præconium.

Celebratur THEONIS poetæ rabies. Vnde Hor. in Epistolis:

Dente

Dente Theonino qui circumroditur. Idem hoc uitium alicubi succum loliginis uocat, & salem nigrum, quod cum morsu addat & famæ maculam. Erasmus in Adagiis.

SVSARION, CRATINVS, ARISTOPHANES & EVPOLIS, Græci poetæ, flagitia hominum tanta libertate insectabantur, ut opus fuerit lege, quæ maledicam illam & effrænem mordendi licentiam cohiberet, & comprimeret.

NÆVIVS poeta Metellos ác Scipiones suis uersibus ausus est proscindere. Propterea Metellus consul hoc ei senario respõdit: Dabunt malum Metelli Næuio poetæ. Tandem propter nimiam illam in scribendo maledicentiam à Triumuiris in uincula coniectus est. Rauisius.

VAL. CATVLLVS poeta Veronensis, in poematis lasciuus fuit, & mordax: quippe C. Iul. Cæsari æterna stigmata suis iambis inussit. Suetonius in uita Cæsaris.

Philosophi.

Acron admonet, BIONEM philosophum fuisse, qui mordacissimis dialogis lacerauit poetas, sic, ut nec Homero parceret. Porphyrion autumat Aristophanis comici patrẽ fuisse.

PHILOSOPHORVM quorundam maledicentiã plusquàm comicam, pete ex Athen. lib. 5. cap. 14.

Politici.

HYPERBOLVS quidam Perithœdes in reprehendendo ita acerbus fuit, ut materiam Comicis penè omnibus perpetuam dicteriorum in theatris præbuerit. Plut. in Alcibiade, & Nicia. Meminit eius etiam Thucydides lib. 8.

Exules.

DANTES Florentinus poeta insignis, Florentia cum reliquis Albis pulsus, ad Maruellum Malespinam marchionem confugit, deinde ad Canemgrãdem Veronæ principem, quem in auxilium partium suarum contra Florentinos dimicare compulit, sed ob linguæ licentiam gratia eius excidit. Volaterr. lib. 21. Anthrop.

Captiui.

Vt Elcazari filia, Baiazetis uxor, quam præ cæteris ardentissimo amore complectebatur, & secum in castris semper habebat, captiua abducta ad Tamerlanem, iussa est in conspectu mariti sui itidẽ captiui uinũ infundere: tũ BAIAZETES ira accensus, in hæc uerba prorupit: Neq; paterno, neq; materno tuo genere digna facis. Cùm enim natus sis ex parentibus idiotis & ingloriis pauperibusque, haud tibi decorum est adeò turpiter insultare regum liberis & uxoribus. Hoc modo etiam eos, qui tibi natura sunt domini, probris oneras. Hæc dicens, ingentem risum mouebat Temiri, qui hominem pro ludibrio habebat, ut qui nihil sani nec diceret, nec saperet. Chalcocondylas lib. 3.

Scurræ.

THERSITES Græcorum omnium ad Troiam deformosissimus, scurra sæuus fuit, ut qui assiduus esset in reprehendendis regibus. Sic enim de eo Homerus Iliad. β.

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη
μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν,
ἀλλ' ὅτι οἱ εἴσαιτο γελοίιον Ἀργείοισιν
ἔμμεναι.

De MENIO scurra sic scribit lib. 1. Epist. 16. Horatius:

Menius, ut rebus maternis atq; paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi
Scurra, uagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui ciuem dignosceret hoste,
Quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus,
Pernicies, & tempestas, barathrumq; macelli,
Quicquid quæsierat, uentri donabat auaro.
Hic ubi nequitiæ fautoribus, & timidis, nil
Aut paulum abstulerat, patinas cœnabat omasi
Vilis & agnini, tribus ursis quod satis esset:
Scilicet ut uentres lamna candente nepotum
Diceret urendos correptus. Menius idem,
Quicquid erat nactus prædæ maioris, ubi omne
Verterat in fumum, & cinerem, Non Hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona: quum sit obeso
Nil melius turdo, nil uulua pulcrius ampla.

Quos reprehenderint. Vtputa

Sacros homines.

Quum mortuo Hadriano VI. Pompeius Columna magna cõtentione IVLIO Medici ad Pontificatum adspiranti resisteret, atq; inde factiones senatus Pontificij & aliæ clades orirentur: CROTVS è Regio Lepidi, poeta amarulentus, hoc epigramma in foro legendum affixit:

Ecce iterum è summo deiectam culmine Romam
Pompeij & Iulij mens furiosa premit.
Brute pium, Photine pium nunc stringite ferrum.
Quid seruasse iuuat, si peritura fuit?

Iouius in Pompeij uita.

Rempublicam.

CLEONI ostendit obiicere se hoc Aristophanes, quòd
De ciuitate apud hospites dicat male.
Qua re incendit Athenienses. Plut. de Discer. adul.

Reges, Imperatores.

TIMAGENES historicus Augustum & uniuersam eius familiam maledicis uerbis, probrosisq; conuiciis ausus est denigrare. Benignus tamen Imperator ad uindictam satis habuit, ei domo sua interdicere. Suetonius.

Doctos.

Quæ sunt apud mortales teterrima uerba, uernilitates, frigillationes, insolentias, scortationes, homicidia, infelices, perniciosos, cerebrosos, hæc conquisita in Aristotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophrastum, Heraclidem, Hipparchum, & in quosuis alios uiros claros, EPICVREI euomuere. ut si uel aliàs undequaque essent sapientes, ob hæc tamen conuitia & maledicta longissimè à sapientia arceantur. Siquidem excluditur inuidia extra diuinum chorum & æmulatio, quæ ex infirmitate recondere non ualet dolorem. Plut. contra Epicurum.

ZOILVS Amphipolites fuit, ac propterea θρᾳκικὸν ἀνδράποδον dicitur ab Pontico Heraclito: Polycratis eius auditor, qui aduersus Socratem accusatorio spiritu orationem concinnauit. Eundem propter dicacitatem, quòd nec Homero nec Platoni parceret, cognominatum ferunt κύνα ῥητορικὸν, id est, rhetoricum canem. Habitu ferè eo fuit, ut barbam quidem ampliùs promitteret, capite uel ad cutem deraso, indumentum nec genus contingebat. Dicendi cura erat ei uel maxima, sicut odij quoque ac cum plerisque inimicitiarum: quumque lingua foret uirulentus, ac unumquenque proscinderet audaciùs, quidã ex eo instituit quærere, ut quid procliuiter adeò alienam laceratum famam pergeret? Ὅτι, inquit, ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι. Cæl lib. 21. cap. 41. A. L. ex Aeliani lib. 11. Var. hist.

DAPHIDAS, Telmissensis grammaticus, Homerum & eius poesim mendacij arguit: neq; enim Athenienses Iliacæ expeditioni interfuisse. Suidas.

GEORGII Cretensis, qui Trapezuntius dici maluit, conditis uoluminibus, Platonis uitia expendit plura. Quo argumento Cœnotimos nuncupatus est, Erinnys item: & à Bessarione insigniter proscissus. Cælius lib. 21. cap. 48.

Quomodo reprehenderint. Puta

Dictis.

ANTIPHO, instituta apud Dionysium quæstione & sermone, Quod esset æs optimum? Illud, intempestiuè infit, ex quo Harmodij & Aristogitonis statuas Athenienses fecere. Neque enim profectum attulit acerbitas ista, iunctæ cum maleuolentia & contumelia impotẽtiæ & odij indicium: quo qui utuntur, saltationem circum puteum inscitè saltantes, perdunt semetipsos. Nam necatus est à Dionysio Antipho. Plut. de Discer. adul.

Scriptis.

ANTIPATER quum nec uellet, nec posset congredi cominus cum Carneade, qui magna uehementia inuehebatur in Stoicos, semet ad scribendum uertit, multosque libros edidit maledicos & ineptos, in quibus passim contradicebat Carneadi. Hinc uulgò cognomen adeptus est καλαμοβόας, quòd non lingua, sed calamo uociferaretur. Meminit Plutarchus in libello περὶ ἀδολεσχίας. Erasmus in Adagiis.

A. CÆCINNA Quadrigariorum magister, & Pompeianarũ partium, tempore belli ciuilis, scripsit librum criminosissimum contra Cæsarem. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Quando reprehenderint. V. C.

In Conuiuio.

Cùm super mensam familiarem quendam increparet inter differendum SOCRATES acriùs: Satius'ne, inquit Plato, erat hæc seorsim ei dixisse? Cui Socrates: Tu uerò rectius fecisses, si hoc mihi dixisses seorsum. Plutarchus de Discernendis adulatoribus.

CLITVM reor Alexandrum non tam inflammasse ex uino, quàm quòd in frequentia amicorum corriperet. Plut. de Discernendis adulatoribus.

Inter Sacra.

BONIFACIVS IIX. Pp. amarulenta ironia Porchero Spinulæ Genuẽsi archiepiscopo exprobrauit factionis Gibellinæ studium. Ipso enim Cinerum die, quo Pontifices solent Ecclesiasticorum antistitum capita cinere aspergere, ut ad Porchetum peruenit, cinerem in oculos, peruersè enuncians solennibus uerbis, coniecit, dicens: Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem conuerteris. Fulg. lib. 9. cap. 5. & Sab. lib. 9. cap. 11. & Egnat. lib. 6. cap. 2.

In Calamitate.

EVCTVS & EVLÆVS, Persei regis rebus florentibus semper blandientes conniuentesq; sicut cæteri eum affectabantur. Postquam signis collatis ad Pydnam à Romanis uictus fugam cepit, incursantes acerbè culpauerunt & refricuerunt ea, in quibus offenderat, aut quæ neglexisset, singula exprobrãtes: quo usq; homo dolore & ira uictus utrunq; gladio confodit. Plut. de Discernendis adulat.

INSVLTARE, IRRIDERE.

Vide Tit. Inhumani erga Captiuos, Damnatos.

IVDÆOS Christum in cruce pendentem blasphemè irrisisse, Euangelica historia docemur.

Pittacum Mitylenæorum tyrannum ALCÆVS poeta Sarapũ, à latitudine & attractione pedum appellauit, quasi plãcum dicas, & Chiropodem, à fissuris pedum: & Gaurica, ut insolentem, & temerè gloriantem: & Physconem & Gastronem, à pingui aqualiculo: atq; etiam Zophodorpida, ut qui ad lucernam potaret: & Agasyrastum, ut impurum & sordidum. Suidas.

Cũ Demaratus, inimicorũ opera regno exutus, interesset spectaculo gymnopædiarum, misit ad eum LEVTYCHIDES successor, eius deridendi causa, ministrum, qui interrogaret, qualis esset præfectura post regnum. Eam interrogationem ægrè ferens Demaratus, respondit, se utrunq; expertum, illum uerò non: & eam interrogationem Lacedæmoniis futuram initium plurimæ aut calamitatis aut felicitatis. Hæc locutus, uelato capite è theatro domum abiit, confestimq; præparatum Ioui bouẽ immolauit, inde in Zacynthum traiecit, & ad regem Persarum exulatum abiit. Herod. lib. 6.

PHILIPPVS Macedonum rex, cùm Thessalorum ciuitatem subuertisset, & hospites, quos inibi reperit, diuendisset, per iocum (qui postea in prouerbium abiit) dicebat,

—Ξεῖνος ἐλθοι, ὅστις ὀνήσει: id est,
—Veniat qui proderit hospes.

ex Theopompo & Zenodoto.

DIOGENES, cùm Corinthi filium Dionysij ex tyranno factum priuatum uidisset: Quàm indignã te agis, inquit, Dionysi, uitam. Neq; enim hîc te nobiscũ agere oportebat liberè & securè, sed illic in tyrannidis domicilio inclusum, sicut pater tuus, consenescere. Plut. an Seni tractanda resp.

Romanis in Capitolio obsessis, & longa inedia confectis, colloquio inter BRENNVM regulum & P. Sulpitium Tribunum militum habito, ita inter se pacti sunt, ut mille pondo auri se populus Romanus redimeret: Brennus urbe & Romano agro decederet cum exercitu. Fama est præsenti indignitati aliam Gallos adiecisse, iniquis ponderibus in medium prolatis: Sulpitioq; ea recusante, superadditũ his gladium, auditamq; intolerãdam Romanis uocem, Væ uictis. Dum per altercationem tempus teritur, priusquam aurum sit appensum, Camillus dictator affuit: & auro è medio sublato, cum irato hoste conflixit, atq; uicit. Sab. lib. 1. En. 4.

PRÆFECTVS urbis Romæ cùm à D. Laurentio in craticula torto thesauros sacros exigeret, Christi præceptũ & Christianorum spontaneam paupertatem blasphemè sugillans, apud Prudentium inquit:

Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Numisma numis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempè iustum postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm ueniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed uerbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ uos per orbem uenditis:
Numos libenter reddite,
Estote uerbis diuites.

ROMANVS Imp. à Stephano & Constantino filiis regno exutus, & in monasterium detrusus, eosdem non multo pòst à Constantino Leonis F. eodẽ relegatos his uerbis exercuisse fertur: Festiuum tempus, quod humilitatem nostram Imperium uestrum uisitare coegit: charitas puto, quę me de palatio expulit, filiationem uestram non ibi diu permanere permisit. O factum bene, quòd me pridem præmisistis. Confratres enim mei & commilitones mei, supernæ tantùm philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores susciperẽt ignorarent, si non me iam dudum Imperialibus institutis tritum haberent. Parata iam frigidior occiduis aqua decocta pruinis. Dulces adsunt fabæ, lachana, porrique recentes. Non hic marinæ delicię morbos, sed crebra potiùs ieiunia creãt. Turbam uerò hanc tantam tam sumtuosa modicitas nostra non recipit: uestrum solummodo imperium suscipit, quod ne paternam deserat senectutem, aduenit. Luitprandus lib. 5. cap. 11.

Otho II. Imp. uxorem habuit THEOPHANIAM Romani Imperatoris Constantinopolitani filiam, mulierem callidam & astutam, & Adelheidæ imperatrici Othonis matri semper infensam, ex qua Othonem III. genuit. Hæc, uicto à Græcis in Calabria Othone, omnibus pauore consternatis, Romanis insultabat, quòd ab exercitu Gręco uicti essent Romani, uiri fortes & bellicosi, ab iis quos ipsi appellarent effœminatos. Cuspinianus.

CRVCIFERI Prussi cùm Sigismundo rege Hũgarię, collecto 140. millium exercitu, Vladislao Iagelloni Polonorum regi bellum inferebant. Missi ad regem duo Cruciferorum caduceatores, cum hortabantur Magistri nomine, ne tam meticulosè pugnam iniret: & duos gladios strictos & cruentos ei obtulere, ut uel iis aduersus Cruciferos uteretur. Rex placidè & modestè caduceatoribus respondit: Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios, contumeliæ causa ab hoste missos: atque ita accipere, ut omen uictoriæ, quam sibi armorum traditio portendat. Collatis signis, Cruciferi uicti ad Gronealdam, cæsa quinquaginta millia, in quibus Magister & Commendatores, paucis exceptis, capta ad XL millia, signa uerò militaria relata unum & quinquaginta. Cromerus libro decimosexto.

DEFENDERE SE VEL ALIOS acerbè, ineptè.

Suffeni simillimum MEVIVM facit Horatius, suis ignoscentem uitiis, aliena mordacissimè insectantem:

—Egomet mî ignosco, Meuius inquit.

P. SEXTIVS Ciceronem cum aliis quibusdam ad causæ patrocinium adhibuerat: cumq; ipse uellet omnia dicere, nec cuiquam locum dicendi daret, ubi iam constaret illum à iudicibus absoluendum, ferreturq; sententia: Vtere, inquit Cicero, tempore hodie: cras enim priuatus eris. Notans hominem; quòd in causa suo arbitratu solus egisset omnia. Eras. lib. 4. Apoph. ex Plutarchi Cicerone.

LENÆVS, Pompeij Magni libertus, grammaticus celeberrimus, in Salustium historicum, quòd Pompeium oris improbi & animo inuerecundo esse scripsisset, acerbissima satyra lacerauit: Lastaurum, & Lurconem, & Nebulonem, Popinonemq; appellans, & uita scriptisque monstrosum, præterea priscorum Catonisque uerborum ineruditissimum furem. Suetonius cap. 14. de Grammaticis.

IOANNI Dano archiepiscopo Bremensi Canonici generalem Administratorem suffecerant Ioannem ducem Luneburgensem, archiepiscopi odio. Luneburgẽsis Auinionem petens, reginam Franciæ interpellabat, ut apud pontificem pro se intercederet. Illa, ut erat duci cognata, pontificem coràm adiit. Motus Papa dignitate reginæ, archiepiscopum euocauit, inter alia allegans, Adstitit regina à dextris nostris in uestitu deaurato. Tum excandescens archiepiscopus, uerba Papæ intercepit, clamãs: O diabole, quę cõparatio Christi ad Belial? Cui Papa: Visne frater archiepiscope bibere sanguinem regum? Ad quam uocem moderatior factus, causam totam apud arbitros deinceps peregit, & cunctis intolerabilis factus, Parisiis obiit. Cranzius lib. 8. Metrop. c. 58.

Agebat penes pontificem Iulium II. Venetus orator DOMINICVS Pisanus, singulari prudentia & probitate uir: qui tamen cùm grauiùs Venetum nomen laceraret Pont. de imperioq; Veneto penitus à se euertendo minaretur, eò impotentiæ lapsus est, ut Pont. ipsum uilem clericulum Venetorum opera euasurum diceret. Quod superbè dictum usque adeò pontificis Iulij animum incendit, ut Cameracense tandem fœdus initum sit, quo totius imperij sui clade Veneti sunt affecti. Egnat. lib. 9. cap. 5.

REPREHENSIONES NON FERRE, impotenter ferre.

PTOLEMÆVM regem magister Aristomenes dormitantem assistentibus legatis excitans, materiam dedit adulatoribus, stomachari simulantibus regis gratia, qui dicerent: Si tantis laboribus & uigiliis somnus defatigatum oppressit, admonere te seorsum, non in hominum conspectu tam multorum manus debuerat admouere. Ille ergo uirulẽtum poculum misit ei, ac iussit ut hauriret. Plutarchus de Discernendis adulatoribus.

Cùm PTOLEMÆVS Philadelphus sororem matrimonio sibi iunxisset Arsinoen: Sotades dixit, In nefarium foramẽ aculeũ impellis. Itaq; in carceris situ multos annos cõtabuit, atque loquacitatis intempestiuæ pependit pœnas: & quò aliis risum moueret, diu ipse eiulauit. Plut. de Instit. liberis.

Hierosolymitani quidam iuuenes in Gessium FLORVM pręsidem Iudeæ crudeliss. & auariss. conuitia iaciebãt, & canistrum circumferentes, stipem eius nomine petebant, rapinas & auaritiam eius denotantes. Quibus scommatibus irritatus, uir sceleratiss. in Hierosolymitanos mirum in mo-

dum sæuiit, & bello Iudaico principium dedit. Iosephus libro 2. cap. 14. belli Iud.

Cùm Tiberius Cæsar ab Augusto legata populo, non impleret: & fortè coram eo mortuus ad sepulturam efferretur: MIMVS quidam sublata uoce, mortuo inclamauit: Refer Augusto, nondùm pro eius legatis populo Romano satisfactum. Tiberius mimo pro eius parte satisfecit, postea interfecit, ut Augusto nunciatum iret, iam cœpta esse eius legata persolui. Suetonius.

MVSONIVS Babylonius philosophus, Stoicus ac Dialecticus, Neronis tempore, familiaris Apollonij Tyanei, à Nerone ob linguæ licentiam interfectus est. Volat. lib. 17.

Euectus ad Episcopatū Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus, Honorio & Eutychiano Coss. anno imperij Arcadij altero, Christi uerò quadringentesimo secundo: quòd asperitate quadam & disciplina seueriori in clericos suos uteretur, liberiùs mores ipsorum & uitia reprehendens, paulatim omnibus illis fieri cepit exosus, adeò ut cōsuetudinem eius omnes fugerent. Auxit odiū illud Serapion diaconus, cùm in cœtu aliquando clericorū ad Episcopū dixisset: Nunquā ô Episcope exercere imperiū tuū in illos poteris, nisi uno baculo cunctos expellas. Quo dicto animatus Ioannes, paulo pòst alios aliis de causis ex Ecclesia eiecit. Id clerici indignè ferentes, odio & simultati contra eum etiam conspirationem addiderunt, & coram populo detulerunt, accusationes struentes ex priuatis etiam quibusdam Ioannis moribus, quòd cibum cum nemine caperet: ac sibi uiuens, ad cōuiuia ne uocatus quidem accederet: tum etiam quòd in proceres aulę ignominiosè inueheretur: tum quòd monachos, præsertim Isaacianos, duriùs increparet, quòd per ciuitates uagarentur. Hac occasione, cùm Theophili quoque Alexandrini insidiæ, & Epiphanij Cyprij inimicitiæ accederent, in exilium actus periit. Socrates lib. 6. capite 4. & 5. & deinceps Theodoretus lib. 5. c. 28. Sozom. lib. 8. c. 3. & 9.

LAVDARE SVA, OSTENTARE INDECORE.

ALEXANDER Macedo, omnium regum erat in consuetudine festiuissimus, neq; ullius exors lepòris. At mero incalescens, iactantia odiosus euadebat, & plus satis castrensis: atque cùm ipse ad arrogantiam delabebatur, tum mancipabat seipsum adulatoribus, à quibus optimi conuiuæ obterebantur: qui neque certare uolebant cum adulatoribus, neque minùs quàm illi eum audebant prædicare. Plutarchus in Alexandro.

IDEM Ephestionem obiurgans cum Cratero conflictantem: Quid tu, inquit, polleas uel agas, si quis te Alexandro orbet? Plut. orat. 2. de Alex. fortuna.

CICERO post oppressum Catilinam ubique siue in Senatu, siue in concione, siue in iudiciis, in ore habuit Catilinam & Lentulum, & tam importuna cōmemoratione laudes suas obscurauit. Plut. in Cicerone.

Cùm rex Thraciæ RHYMETALCES, qui ab Antonio ad Augustum Cæsarem defecerat, immodicè inter pocula atque odiosè societatem suam ei exprobraret: propinans alij cuipiam regi Cæsar: Proditionem, inquit, amo, proditores nō commendo. Plut. in Apophtheg.

Morbo, quem exagitat Catullus in EGNATIO, Alexis, comicus poeta, mulieres etiam teneri docuit, quæ idem quod ille bonum à natura artéue obtinuissent. Cùm enim Egnatius candidos haberet dentes, consueuerat quocunque uenerat renidere, ut hoc etiam sæpe ineptè atque importunè faceret, locis illis, quibus magis fletus lacrymæque quàm risus conueniebat. Eadem autem origo erat huius insulsi moris ac uitij in utrisque, ostentatio uidelicet minuta corporis partis elegantioris, quæ tamē illustri loco posita multum adiuuat pulcritudinem. Victorius lib. 6. Var. lect. c. 12.

In QVENDAM effrontem Martialis Epigram. lib. 12.

> Os ataui, patris nasum, duo lumina patris,
> Et matris gestus dicis habere tuæ.
> Cùm referas priscos, nullamq; in corpore partem
> Mentiris, frontem dic mihi cuius habes?

VLVO Suecus per dolum Estritha Canuti II. Danorum regis sororis nuptias consecutus, Noruegiorum arma in Danos concitauit. Sed classe uictus, tandem nato Sueone F. Canuto reconciliatus, cū Natalitiis feriis apud Roskildiam regiæ cœnæ interesset, & per ebrietatem cæsorum à se in superiore prælio Danorum catalogum carmine decantasset, in templo cæsus est. Canutus uiolatę necessitudinis iniuriā, ac sororis uiduitatem, duarum prouinciarum attributione pensauit, quas eadem postmodùm sacrosanctæ Trinitatis ædi, pręcipua apud Roskildiam ueneratione cultæ, decimarum nomine partiendas curauit. Saxo lib. 10.

Ad Henricum VII. Imp. uenerant Spiram ARGENTINENSES ciues, priuilegiorum suorum confirmationem petentes, ac se missos à dominis Argentinensibus longo uerborum ambitu narrabant. Eos derisit Imp. nulla responsione dignatus, donec se submitterent, ac se non dominos, sed ciues Argentinenses testarentur. Cuspinianus.

NON EXHIBERE HONOREM.

Reo QVODAM causam in iudicio dicente, præteriens P. Seruilius Isauricus, iudices admonuit, istum, quē alioqui non nosceret, se pedibus iter faciente, honoris sui gratia equo descendere noluisse. Quo quidem improbi facti exemplo sic moti sunt iudices, ut ferè indicta causa reum condemnarint. Val. Max. lib. 8. cap. 6. & Dion. lib. 45.

ERIPERE HONORES QVOSCVNQVE.

Romæ per quingentos & quinquagintaocto annos Senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem ATTILIVS Seranus, & L. SCRIBONIVS ædiles, ludos Matri deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt: eaque res auertit uulgi animum, & fauorem Scipionis magnoperè quassauit. Val. lib. 2. cap. 1.

VERBERARE.

Ex Tit. Dominorum inhumanitatis erga seruos, quedam huc transferantur.

Cùm uniuersæ Græciæ exercitus aduersus Persas conuenisset, PAVSANIAS Lacedæmoniorum rex sæuè nimis omnes uerberibus afficiebat, qui ante Lacedæmonios pabulatum iuissent: Qua superbia reliquos Græcos impulit, ut Lacedæmoniorum fœdus atque amicitiam relinquerent. Plutarchus in Pausania, & Aristide.

PETERE IMPORTVNE.

HORTENSIVS à Catone petiit, ut Portiam filiam suam, Bibulo nuptam, sibi traderet in matrimonium, pollicens se marito redditurum, simulatq; ex ea prolem suscepisset. Id cùm multis rationibus illi persuasisset, Cato respondit: Se, quod ad ipsum attineret, libenter gratificaturum amico, uerùm hoc non audere à Bibulo petere. Tum Hortensius nudās animum suum, petiit Martiam, ipsius Catonis uxorem. Iam enim sibi Cato ademerat mariti prætextum. Assensus est Cato, ut id fieret uolente patre coniugis, ipsoq; Catone præsente facta sunt sponsalia. Plut. in Catone.

M. Antonius princeps Palæstinam quum transiret, Aegyptum petiturus, fœtentium IVDÆORVM (uti Marcellinus inquit) & tumultuantium sæpè tædio percitus, dolenter fertur exclamasse, O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios uobis inertiores comperi. Cælius lib. 5. cap. 10. Lect. Antiq.

INHVMANITAS SECVNDVM FORMAM CONSIDERATA RESPECTV ALIORVM.

ABSQVE CERTAMINE. QVI aliorum Acerbitatem, Inhumanitatem fouent, approbant.

Defuncto Leone X. Pp. quum Cardinales priuatis implicati uotis, & uariis factionibus impediti, comitia proferrent: & quisque suo ambitu eductus ad pontificatum adspiraret: plerique inimicos probris, & falsis sæpè calumniis onerabant, ut cæteros à ferendis suffragiis prætextu pietatis deterrerent: adeò ut non modò malignis susurris in conclaui, uerùm & per urbem singulorum mores famosis carminibus notarentur, tanta maledicendi libertate, ut POPVLVS Rom. pariter, & magistratus, quos seueriore pœna persequi debuisset, ut iucundissimos poetas singulari petulantia celebrarent. Ea res fœdissimè tolerata, effecit, ut sacerdotum nomen despectui & ludibrio penitus haberetur, quum ea carmina contumeliosissimè conscripta, ad extremas usque totius Europæ nationes permanarent: à quibus non multo pòst tam atrox id acceptum est uulnus, quo capta ac direpta urbe Roma, dignitate & fortunis exuti turpissimè fuere. Iouius in Hadriano VI.

CVM CERTAMINE. CERTAMINA INHVMANITATIS, Acerbitatis.

Huc mutuæ Inuectiuæ, quarum utinam rariora nostro seculo haberemus exempla.

TIMON Atheniensis, omnium osor hominum, unum admittebat APEMANTVM, ut germanum, sui & eiusdem uitæ sectatorem. Cùm aliquando inferiarum solenne esset, conuiuabantur hi duo inter se soli: ac cùm dixisset Apemantus: Quàm est, Timon, egregium nostrū conuiuium? Si quidem tu, inquit, non adsis. Plut. in Antonio.

Macrobius in Saturnalibus cœnis, LABERIVS, inquit, mimus in senatum à Cæsare lectus, cùm à Cicerone ad consessum

sum non reciperetur, dicente: Reciperem te nisi angustè sederemus: nimis mordaciter respondit, Atqui solebas duabus sellis sedere: obiiciens tanto uiro lubricum fidei. Sed id quod Cicero dixit, nisi angustè sederemus, scomma erat in Cæsarem, qui in senatum passim tam multos admittebat, ut eos quatuordecim gradus capere non possent. Erasmus in Adagiis.

Hortensius orator ob cultum mundiorem, ac gesticulationes in dicendo molliores, crebrò malè audiebat, in ipsis etiam iudiciis. Sed quum L. TORQVATVS, homo subagrestibus & infestiuis moribus, dum apud concilium de causa Syllæ quæreretur, non iam histrionem illum diceret, sed gesticulatricem, Dionysiamque, notissimæ saltatriculæ nomine compellaret: tum uoce molli demissaq; Hortensius, Dionysia (inquit) Dionysia malim equidē esse, quàm quod tu Torquate, ἄμουσος, ἀπροσδίονυσος, ἀπρόσιτος: id est, inelegās, agrestis, aditu difficilis. Erasmus lib. 6. Apophtheg.

INHVMANITAS SECVNDVM EFFICIENTEM CONSIDERATA. PVTA

QVI. INHVMANI, MOROSI, Acerbi, Asperi, Difficiles

PHILOSOPHI.

Apud Athenæum libro 4. quidam CYNICO inhumanitatem exprobrans ait, οὐχ ὥσπερ σύ, κυνικέ, ὁ μηδέποτε ταῖς Χάρισιν, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς μούσαις θύσας. id est, Non quemadmodum tu, Cynice, qui nunquam Gratiis ac ne Musis quidem sacrificaris.

ZENO Cittieus natura morosus fuit. Ei rei ut mederetur, uino moderatè sumto, suauis & placidus fiebat. Similem se lupinis esse dicens: illos enim priusquam macerentur, acerbos esse: maceratos uerò, dulces reddi. Athen. lib. 2. cap. 14.

Ad XENOCRATEM philosophum, quē esse apparebat ingenio horridiore, crebrò dicere Plato solebat: Age Xenocrates, Gratiis sacrifica. Plut. in Mario.

TIMON Phliasius, ex Pyrrhonis secta, floruit tempore Ptolemæi Philadelphi. Scripsit tragœdias & comœdias ad uersuum XX millia. Omnibus infensus, pręterquam Pyrrhoni, Democrito, & Xenophani. Gyraldus in Hist. poet.

MEDICI.

IACOBVS Cotterius medicus, ita dementarat Ludouicum XI. Gallorum regem, qui nemini hominum alioqui fidebat, ut auarissimi medici nutus iussaque omnia obseruare cogeretur. Quinquagintaquatuor coronatorum aureorum millia, quinque mensium spacio, dum castra sequitur, à rege meticulosissimo extorsit. Regi non de insolentia salarij, sed uerborum, quibus erga regem tanquam erga mediastinum dominus utebatur, apud intimos conquerenti: Quære ergo tibi alium medicum, inquit. Cæterùm certò scito, me dimisso, te ne per octiduum quidem superuicturum. Hisce minis regem eò compulit, ut quem tota Gallia & uicinæ gentes metuebāt, is medicum sordidissimum, tanquam uitæ suæ arbitrum, omni officiorum genere & adulatione coleret. Philippus Cominæus.

MVSICI.

TIGELLII morositatem Horatius lib. 1. Sermonum Satyrā tertia his uerbis explicat:

> Omnibus hoc uitium est cantoribus, inter amicos
> Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
> Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat
> Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
> Si peteret per amicitiam patris, atq; suam, non
> Quicquam proficeret. Si collibuisset, ab ouo
> Vsq; ad mala citaret, Ió Bacche, modò summa
> Voce, modò hac resonans, quæ chordis quattuor ima.
> Nil æquale homini fuit illi: sæpè uelut qui
> Currebat fugiens hostem: persæpè uelut qui
> Iunonis sacra ferret: habebat sæpè ducentos,
> Sæpè decem seruos: modò reges, atq; tetrarchas,
> Omnia magna loquens: modò, sit mihi mēsa tripes, &
> Concha salis puri, & toga, quæ defendere frigus,
> Quamuis crassa, queat. Decies centena dedisses
> Huic parco, paucis contento, quinq; diebus
> Nil erat in loculis. Noctes uigilabat ad ipsum
> Mane: diem totum stertebat. Nil fuit unquam
> Sic impar sibi.

GRAMMATICI.

DOMITIVS, doctus clarusque in urbe Roma grammaticus, ideo Insani cognomine salutatus est ab omnibus, quòd inhumanus, intractabilis, & in omnibus morosior esset. Gellius lib. 18. cap. 7. Noct. Atticarum.

RHETORES.

DEMOSTHENES extra omnem ostentationem & iocum in grauitatem coactus & serium, non lucernā, ut cauillatus Pytheas est, olet: sed aquæ potationem, sed solicitudines, sed acerbitatem, quæ obiiciebatur, morū, & tristiciam. Eius ori perpetua inerat sedulitas, nec temerè uultuosum illud & tetricum deponebat. Quare asperum eum & morosum uocarunt aduersarij. Quinetiā Argas dictus est, uel ex morum feritate & acerbitate (anguem enim appellant quidam poetæ Argam) uel ex oratione offendente aures: quòd hoc nomine poeta fuerit malorū & molestorum modorum. Plut. in Demosthene. Aeschines dicit eum moribus fuisse adeò asperis & inconstantibus, ut cum Adria faciliùs sit habere cōmercium, quàm cum illo: non quòd illud mare sit cæteris seuius, imò uix aliud mitius, sed ita uisum est Italis, qui si nauigassent mare Britannicum aut Danicum, faterentur Adriam indignum esse maris uocabulo. Erasmus in Adagiis.

HYPERIDEM rhetorem memorant, aliquando in concione dixisse: Nolite Athenienses aduertere solùm, an amarus, sed an gratis sim amarus. Quasi illos tantùm, qui auaritia importuni & odiosi sunt: non autem hos potiùs, qui ad impotentiam & inuidiam uel iram uel contentionem abutuntur potentia, populus timeat & execretur. Plutarchus in Phocione, & de Dignoscendis adulat.

POETÆ.

EVRIPIDES tragicus moribus fuisse narratur iniucundus, & tristis, subinde figens terram obstipo capite: cuiusmodi homines σκυθρωπούς Græci uocant. Hinc certè μισογέλως est nuncupatus, ueluti qui risum foret exosus. Creditur quoque in mulieres odio fuisse præcipiti, & inde dictus Misogynes: siue quia natura esset talis, abhorreretque à mulierum cœtu: siue quòd duas haberet uxores simul, quum id decreto ab Atheniensibus facto ius esset. Quarum matrimonij quum pertæduisset, muliebri sexui bellum indixit. Cuius rei in Thesmophoriis quoque testis Aristophanes est. Cælius lib. 24. capite 10. Antiq. Lect.

PHILOCLES Polypithis F. Aeschyli ex fratre uel sorore nepos, Euripidis tempore, tragicus: moribus adeò asper, ut uulgò χολή appellaretur. Eundem & ἁλμίωνα uocabant. ἅλμην enim πικρίαν, id est, amaritiem uocant, teste Suida. Duos habuit filios, Morsimum & Philippidem.

MORSIMVS patri stylo & moribus æqualis, asper & insulsus, & ocularius insuper medicus. Taxat eum Aristophanes uariis epithetis, ut helluonem & fœdum hominem.

POLITICI.

Vide suprà, Conuersatio morosa.

Neronis Imperatoris atauus DOMITIVS Aenobarbus, homo durus, seditiosusq; & arrogans fuit, in cuius mores ita lusisse traditur L. Crassus orator: Quid mirum, si æneam barbam Domitius habet, cùm & os ferreum, & plumbeum cor habeat? Petrarcha ex Suetonio.

MVLIERES.

Cura puellarum SPARTANARVM à Lycurgo instituta, soluta prorsus & fluxa, in iocos incurrit poetarum. φαινομηρίδας enim uocant eas, uelut Ibycus, quòd incessu coxas retegerent: & ἀνδρομανεῖς, quasi uirosas, & in uiros insano ardētes amore, ut Euripides, qui ait:

> Quæ cum choro iuuenum suas uastant domos
> Coxis apertis & peplis fluentibus.

Sanè uirginum tunicæ imæ non habebant pinnas cōsutas, sed explicabantur, & totum incessu aperiebant femur. Id quod clarissimè hisce uersibus ostendit Sophocles:

> Stola caret, tunicam induens Hermione
> Dilabidam, retegit femur iuuencula.

Vnde procaciores dicūtur fuisse, & primùm aduersus ipsos uiriles uiros. Quippe domi omne imperium habebant: publicè uerò de rebus maximis & dicebant, & suffragium ferebant. Plut. in Numæ & Lycurgi comparatione.

Ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ. id est, Salsitas non inest illi. in infacetos & fatuos ac stupidos. Sal enim primum, maximeque commune condimentum uidetur. Plinius libro 31. indicat, me

taphoram esse sumtam ab usu salis, quod in omnibus cibis sit condimenti uice. Hinc Catulli carmē, quod Fabius citat, de QVINTIA:

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est: hæc ego singula confiteor.
Totum illud formosa, nego: nam nulla uenustas,
Nulla in tam magno corpore mica salis.

PRINCIPES, MAGISTRATVS.

Sacri.

ATTALA Burgundus natione, Columbano abbati in Luxouiensi monasterio successit. Verùm quia plus satis rigidus erat, monachi ab eo discessere. Sed paulo pòst Roccoleno febre punitò, plerique ad eum reuersi, pœnitentiam egere. Beda Tomo tertio.

BONIFACIVS IX. Pp. Romanis, non ut Papa, sed ut rigidus Imperator, dominabatur: multos sibi ex illis de perfidia suspectos, per iustitiarios fecit occidi. Capitolium & palatiũ suum uehementiùs communiuit: nec fuit ante eum pontifex, qui talem in Romanos potestatem exerceret. Cranzius lib. 10. cap. 44. Metropol.

Militauerat sub EVGENIO IV. Pp. Nicolaus Fortebrachius. Is cùm stipendia sua peteret, respondit Eugenius, Tantum prædæ ex castellis auexisse, maximè uerò ex direpto Vetralla uico, ut ei pro stipendio sat esse posset. Indignatus Nicolaus, ad Philippum Vicecomitem defecit, & agrum Romanum ingressus, tantum tumultus concitauit, ingenti præda tum hominum, tum pecorum abacta, ut Eugenius aliquandiu incertus manserit, quorsum iret. Concurrebant Romani ciues ad Eugenium, questum de illatis iniuriis: quos Pontifex, eo potissimùm tempore consilij expers & bonæ ualetudinis, ad FRANCISCVM Camerarium nepotē suũ remittebat: qui otio & uoluptatibus deditus, nil aliud respondebat, cùm crebræ de ablatis pecoribus querelę fierēt, Eos nimiam spē in pecoribus collocasse: Venetos quidem sine gregibus & iumentis lōgè urbaniorem uitam ducere. Indignati huiusce modi responsis Romani, sublato clamore ad arma & libertatem conclamarunt, pulsis omnibus Eugenij magistratibus: ac capto Francisco Camerario, nouos ipsi magistratus crearunt. Platina.

HADRIANVS VI. ex Hispania Romam ad ineundum pontificatum festinans, in Portu Liburno Pisanorum à Cardinalibus splendidè & officiosè exceptus, tranquillo potiùs quã læto uultu, & sermone dulci benitate perIucundo respondebat: ita ut quum nulla in gestu aut uerbis familiaritate uteretur, nihil temerè, quòd esset elatum, & insolens, aut subagreste, penitùs emineret. Id ergo Cardinales & reliquos blandimentis Romanæ aulæ assuetos uehementer permouit, quòd pontifex parùm humaniter, & ferè contemtim secum agere uideretur. Nam quum solus cœnasset, & nautæ utendum nocturna aura suaderent, adeò cupidè & festinanter ad mare se proripuit, ut Cardinales in proximo simul cœnantes nec moneret, nec expectaret. Itaq; omnibus raptim ad triremes contendentibus, de secũda uigilia oram soluit, & ad Centumcellas est prouectus. Ab Ostia pari festinatione est profectus, adeò ut Cardinales, qui iumenta ab urbe expectabant, uel paucarum quidem horarum moram impetrare nequiuerint. Per hunc modum tumultuario deformique agmine, quum Cardinales ignobilibus iumentis ueherentur, & nonnulli minores antistites, & totius aulæ incondita multitudo onusta sarcinulis in feruido sole iter faceret, Romam peruenit. Iouius in Hadriano.

Profani.

PHILIPPVS Macedo, cùm anui cuidam pauperculę, petenti ut causam ipsius cognosceret, respondisset, Sibi non esse otium, illa exclamauit: Proinde ne rex quidem esto. Sabellicus lib. 7. Enneadis 4.

PAVSANIAS, Lacedæmoniorum dux, sua austeritate & iniquitate Græcis occasionem dedit, ut ad Atheniensium duces Aristidem iustum & Cimonem humanum deficerent. Siquidem sociorum duces nũquam non cum stomacho & asperè appellabat, milites q; multabat plagis, aut iniecta anchora ferrea totum diem cogebat perstare: thori parandi uel pabulandi copiam, aquãdiue, nisi post Spartiatas, nemini faciebat: sed flagellis, si qui accederent, abigebant accensi. Ea de re cùm illum aliquando increpare & admonere Aristides cuperet, adducta fronte negauit uacare Pausanias, nec eum audiuit. Plut. in Aristide.

DION Syracusanus Dionysio tyranno uoluptatum mancipio fuit inuisus, quia ad nullam relaxabat se hilaritatem uel ludum. Quocirca aduersarij consentanea uitiorum uocabula tribuentes uirtutibus, calumniabantur eum, grauitatem arrogantiam, & libertatem loquendi appellantes peruicaciam: admonensque accusare, & quia non unà uitiis indulgebat, uidebatur fastidire. Et quidem habebant sua sponte fastum aliquem eius mores austeritatemque aditu difficilem, & pene insociabilem. Non solùm autem iuueni & patentes aures habenti adulationibus ingrata consuetudo eius & aspera erat: uerùm multi etiã, qui utebantur eo familiariter, candoremq; animi eius & generositatem amplectebantur, congressus causa insectabantur eũ: quòd morosiùs & difficiliùs quàm pro ciuili usu ageret cum adeũtibus. De quibus pòst Plato quasi uaticinans ad eum scripsit, peruicaciam tanquã solitudinis contubernalē ut declinaret. Quin etiam exulem Dionem Athenis ad philosophiam flexit, detinuitq; in Academia. Habitauit hîc in urbe apud Callippũ notum sibi. Oblectamēti causa prædium comparauit, quòd pòst donauit in Siciliam nauigans Speusippo, cuius præter cæteros amicos Athenienses utebatur consuetudine & contubernio: quòd uellet Plato colloquio festiuo, & scitis facetiis tempestiuè condito mores Dionis tinctos diffundere. Id præstare poterat Speusippus, quapropter facetum appellauit eum in salibus Timon. Plut. in Dione.

ROMVLVS, uictis hostibus finitimis, animo insolescens, reliquit comitatem illam popularem, quam odioso commutauit dominatu, atq; ex habitu, quo ornauit se, pupugit ciues: siquidē tunica uestiebatur purpurea, ac toga prætexta. Responsa dabat ex solio reclini. Stipabat eum perpetuò globus iuuenum, qui è ministerij uelocitate dicti Celeres fuere. Præcedebant alij, qui baculis turbam summouebant loris succincti, ut illicò uincirent eos, quos ille iuberet. Vnde lictores dicti: & uirgæ, quas gestabant, Fasces. Non adhibebantur ad Remp. gerendam senatores, sed nomen modò & speciem obtinebant honorificam: ac de more potiùs, quam sententiæ dicendæ causa cogebantur in senatum: ubi iubenti auscultabant, neq; ulla re alia prælati uulgo, quàm quod priores acta audientes, discedebant: ac cætera quidem minus angebant eos. Captum de hostibus agrum militibus diuisit solus, Veientibusq; obsides reddidit, patribus nō probantibus neq; auctoribus: eaq; insigni contumelia uisus est suggillare senatum. Quamobrem cùm non multo pòst raptus ille ex oculis de improuiso esset, non caruit senatus suspicione & calumnia. Plut. in Romulo.

L. LVCVLLVS, qui primus è ciuibus Romanis Taurum montem transiit belli gerendi causa, duosque potentissimos reges Mithridatem & Tigranem bello uicit: Tigranocertam & Nisibin, munitissimas ciuitates, expugnauit: insidis ad omnia militibus est usus, & ab illis ad extremum desertus. Cui rei non minimam ipse præbuit causam, quòd non conciliaret animos sibi uulgi militaris: & quicquid subiectis imperio suo blandimenti adhibebatur, semen esse dedecoris duceret & ruinam auctoritatis suæ. Quod uerò maximum est, ne principibus quidem & dignitate paribus poterat se præbere comem: sed omnes despiciebat, & nihili præ se faciebat. His uitiis Lucullus inter multas uirtutes fuisse dicitur aspersus, quando procerus, & pulcer, & eloquens, & prudens iuxtà domi & militiæ perhibetur extitisse. Plut. in Lucullo. Pompeius cùm eosdem milites pòstea recepisset, eos ne minimum quidem seditiosos habuit: tantùm homo homini præstat. Dion Nicæus.

TIBERIVS Cæsar tristissimus hominum à Plin. lib. 28. cap. 2. appellatur: hoc uno excepto, quòd in uehiculo ad sternutamentum salutari exegerit. Incedebat ceruice rigida & obstipa: adducto ferè uultu, plerunq; tacitus: nullo, aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoq; tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atq; arrogantiæ plena, & animaduertit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpè apud Senatum ac populum: professus naturæ uitia esse, non animi. Suetonius.

DRVSVS Tiberij F. natura adeò immitis & sanguinarius fuit, ut enses præacuti ab eo Drusiani cœperint dici. Dion lib. 57.

SEIANVS canes sanguine humano pascebat, ut aduersus hostes in bello ferociores essent.

C. Cæsar CALIGVLA Imp. queri solebat, quòd sua tempora nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana, Tiberij ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: sui obliuionē imminere prosperitate rerum. Atq; identidem exercituum cędes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. Suetonius. Etsi autem truculentissimus & humanissimus erga omnes fuit: eo tamen die, quo à Chærea occisus est, omniũ cum admiratione præter solitum affabilis extitit, cùm Circenses spectaret. Iosephus lib. 19. cap. 2. Antiq.

COMMODVS Cæsar, ut terribilior omnibus uideretur, statuam sibi poni iussit pro curia, quæ arcum intenderet. Cæterùm eo extincto, statua sublata est patrum decreto, Libertatis signo eadem base imposito. Ademit & colosso Solis caput, suumq; iussit imponi. Sab. lib. 5. En. 7.

Nefaria & planè humano generi inimica uox est ea, quam Suetonius NERONI, Suidas & Dion TIBERIO tribuunt:

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
οὐδὲν μέλει μοι· τἀμὰ γὰρ καλῶς ἔχει.

Nero correxisse dicitur, Immo, inquiens, ἐμοῦ ζῶντος.

PROCOPIVM Imperatorem adnotatum Annalibus est, humum intuendo semper incessisse, perq; morum tristitium latebras, ac similem habitum Crassi illius, quem in uita semel risisse affirmat Lucillius. Cælius lib. 3. cap. 28. A. L.

THEODORVS episcopus Rauennas, tetricus & austerus nimiùm, ob disciplinæ seueritatem in archiepiscopio die natiuitatis Christi à suis deserebatur, nec propterea ad ecclesiã deducebatur. Hanc ille ulturus iniuriam, re deliberata cum Exarcho Olympio, ad Agathonem Rom. Pont. se contulit, & in inuidiam sui cleri Rauennatem ecclesiam Romanæ sedi subdidit. Blondus lib. 9. Dec. 1.

Alphonso Aragonum & Siciliæ rege, Neapolim obsidente, RENATVS rex Neapolitanus, inhumano responso uetulæ fame cum suis laboranti dato, eam ad proditionem impulit. Iac. Bracellus lib. 5. belli Hisp.

LVDOVICVS XI. Francorum rex pressam nobilitatem primus seruire coëgit, populo se formidabilem præbuit, uiam posteris regibus muniens ad opes nimias & potentiam. Auctor Chronici Francorum.

SVBDITI ASPERI ET inhumani.

Consule Tit. Odium principum, quatenus Inhumanitatis notas habet iunctas.

PARENTES.

GALLI liberos ad conspectum suum non priùs uenire patiebantur, quàm per ætatem adoleuissent, ut militaria iam obire possent munia: turpissimum arbitrantes, filiũ adhuc puerum patri assistere. Sab. lib. 1. En. 4.

CONIVGES.

VASTHI regina fecerat conuiuium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueuerat. Die septimo, cùm rex esset hilarior, & incaluisset mero, pręcepit septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, ut introducerent reginam, posito super caput eius diademate, & ostenderēt cunctis populis & principibus pulcritudinem illius. Illa uerò renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, uenire contemsit. Ergo Mamuchan, audiente rege atque principibus, inquit, Nō solùm regē læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouinciis regis Assueri. adeoque auctor fuit regi, ut nequaquã ultrà Vasthi ingrederetur ad regem, sed regnũ illius altera, quæ melior esset illa, acciperet. Hoc edictũ per omnes prouincias diuulgatum fuit, ut cunctæ uxores reginæ malo discerent maritis suis honorem deferre. Hester 1. & 9.

Gellius scribit, XANTHIPPEN Socratis uxorem morosam fuisse admodùm, & iurgiosam: quod etiam de altera eius uxore Myrto Aristidis filia prædicatur. Ambæ enim in muliebres contentiones propter ipsum Socratem deueniebant. Rauisius.

Celebratur illud Pauli Aemilij apophthegma, nouũ calceum ostendentis: Vos, inquit, uidetis bellum ac nouum esse calceum, uerùm quã parte pedem torqueat meum, id ego demum sentio. significans PAPYRIAM uxorem, nō esse suis accommodatam moribus. Erasmus in Adagiis.

MARIAMME, Herodis regis Iudæorum uxor formosiss. & pudicissima, sed morosa & superba, quòd regio sanguine nata esset: nulla habita ratione regiæ potentiæ, sæpè maritum contumeliosiùs tractabat, apertè etiam illi & sorori eius Salomæ & matri exprobrans humilitatem generis. Iam cùm reuerso Roma marito sub meridiem ab eo uocata unà cum illo cubare recusasset, eò indignationis rex proruPit, ut incertis adulterij suspicionibus à Salome sorore iniectis, innocentem interfecerit. Iosephus lib. 15. c. 11. Antiq.

DOMINI.

PERSÆ erga seruos inhumani, nullos unquam manumittere consueuêre. Alex. lib. 3. cap. 20.

ANCÆVS in seruos asper fuisse dicitur, dum plantaret olim uineam. Quare unum ex seruis ei prædixisse, dominum eius uineæ non gustaturum esse fructum. Atque respondit euentus uaticinio. Ancæus enim, ubi fructus ad maturitatem peruenit, seruum iussit sibi uinum miscere: & poculum ori admoturus, falsum fuisse eius uaticinium dixit. Cui seruus respondit:

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.
Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

Ancæo poculum tenente, accurrit quidam nuncians, ab apro uineam deuastari. Ancæus deposito poculo arreptá que securi in aprũ irruit, & uulneratus crure, ut sensit Pherecydes, interiit. Pausanias in Arcad.

Helotę publici quodammodo LACEDÆMONIORVM serui, quibus habitacula quædam præscripserant, & ministeria certa. Auctores sunt, Helotas agrum solitos colere, antiquitusque institutos retulisse reditus, ac execrabile habitum, si quis plus mercedis à quoquam exegisset. Inuulgatum & illud à scriptoribus scio: Spartæ liberum, maximè liberum esse, seruum etiam seruum in primis, id est, τὸν ἐλεύθερον μάλιστα ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν δοῦλον μάλιστα δοῦλον. Quod in Pannonia siue Hungaria obseruari inprimis accipio, uulgato inter eos adagio, nōn rectè dici seruitutem, nisi in Pannonia: adeò ut adstruant id quoque, posse ubique gentium peraccommodè seruire, qui alicui eorum hominum fuerit illis in locis famulatus. Seruitutis Helotiæ meminit sexto Legum Plato: quam dicit dubitationem facere maximam, contentionemque, quum aliis bene, aliis contrà uideatur instituta. Omnino execrabiles Spartanis serui fuêre: manifestum id Cryptia facit, quam Lycurgo contribuit Aristoteles, negat Plutarchus. Ei uerò à latitando inditum nomen. Siquidem qui iunioribus præfecti erant, ex iis qui præstare prudentia uiderentur, in regionem alium aliò emittebant, gladios modò secum & necessaria alimenta exportantes. Illi uerò, quàm poterant occultè sese interdiu abdebant: noctu uerò prodeuntes, quotquot ex seruis adepti forent, contrucidabant. Vt ea ratione discerent hosti quoque insidias moliri. Quod in Peloponnesiaca historia Thucydides significat. Cælius lib. 25. capite 19. Antiq. Lect. Myron Prieneus rerum Messeniorum libro 2. sic scribit: Opus omne contumeliosum Helotibus imperant, atque ad quoduis dedecus adducens. Necesse est primùm illis, ut pileum ex canina pelle singuli gestent: atque ut rhenonibus induantur, ac uerbera quotannis determinata, uel sine iniuria, patiantur, ne unquam obliuiscantur se esse seruos. Huc accedit, quòd si qui supra domesticum splendorem uigerent, his capitis pœna erat constituta: quæ in dominos pœna uertebatur, ni uiros iam factos interficerent: illis regionem tradentes, portionem constituerunt, quam semper afferrent ad eos. Athen. lib. 14. cap. 29.

Helotas bello subactos, cùm rebellassent, AGIS Spartanorũ rex perpetua seruitute damnauit, ut dominis illos manumittere, aut extra Spartanos fines uenundare non liceret. Alexan. lib. 3. cap. 20.

Apud ROMANOS sub Impp. tanta erat dominorum stultissimorum & potentissimorum erga miseros seruos tyrannica crudelitas, ut ne labra quidem ipsis circumstantibus mouere permitterent. Virga, inquit Macrob. murmur omne compescitur, & ne fortuita quidem sine uerberibus excepta sunt: tussis, sternutamentum, singultus, magno malo luitur. Sic fit, ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 11.

DAMOPHILVS & MEGACLIS Siculi Ennenses erga seruos inhumani occasionē dedere bello seruili. Quadringenti serui, duce Euno Syro, diuinitatem affectante, & futura prædicente, contra dominos suos rebellarunt. Diodorus libro trigesimoquarto.

ROMANI quidam seruos ægros exponunt in insulam Aesculapij, medendi studio. Quos omnes liberos esse Claudius Cæsar sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent. Suetonius.

T. SEMPRONIVS seruos iam senio debilitatos tanquam animalia bruta eiicere & uendere solebat, quasi commoditate sublata, nihil ipsis hominibus humanitatis debeamus. Volat. lib. 14. cap. 2. Anthrop.

Illud unum M. CATONIS, uiri alioqui sanctiss. uitium, quòd sicut iumentis seruis abusus, expelleret & uenderet eos in senio: moribus ego attribuo nimiùm austeris, nec ullum existimantibus extra quæstum homini esse cum homine cōsortium. Plutarchus in Catone.

PALLAS, Claudij Cæsaris libertus, immensis opibus comparatis, cùm à Peto accusaretur, in Neronem conspirasse: atque ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur: coactus est Pallas, ut innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim, moris sui esse, nũquam ministrorum suorum quempiam alloqui: sed si quid uellet, id eis aut manu aut nutu indicare: & si quid esset, quod longiore oratione declarandum esset, illud eis scribere. Id autem agebat, ne cum ministris superbæ uocis suæ dignitatem communicaret. Corn. Tacitus.

Galeni Medici pater Nico uir humanissimus: MATER uerò usqueadeò iracunda, ut interdum etiam morderet ancillas, semperque & uociferaretur, & cum marito contenderet, idque longè quidem odiosiùs, quàm cum Socrate olim Xanthippe: mulier interim pudica, & circa rem familiarem augendam sollicita. Galenus de Cognoscendis animi morbis, capite 8.

TARTARI uirgines, matronas, mulieres iure belli comparatas, miserabili seruitio conficiunt, fame cruciant, & ad foci ministeria retinent. Ex prouinciis bello comparatis, puerorum puellarumque decimas exigunt, quas pro seruis habent: & ex his morituri domini deligunt, qui cum his uiui infodiantur. Seruos bello seruatos non solùm nudos, sed assidua inedia laborantes, in diro seruitio ad mortem usq;

retinent, præ libidine ac ludibrio impunè sæpè necant. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

STEPHANVS quidã presbyter prouinciæ Valeriæ, aliquando domum reuersus de itinere, seruo tardo stomachabundus dixit: Veni miser diabole, & soccos mihi detrahe. Ad hanc uocem statim cœperunt caligarum corrigiæ dissolui. At Stephanus diaboli præsentiam detestatus, crucis signo eum abegit. Vixit sub Mauricio Imperatore. Gregorius Turonensis lib. 3. Dialog. cap. 20.

BAPTISTA Zenus Cardinalis, sub Paulo II. in conuersatione familiari acerbus supra modum, aliis uestibus foris, aliis domi famulos uti uolebat, eosq; uel leuiter inter equitandum errantes descendere, & pedes incedere cogebat. Accidit, ut cubiculi præfectum sæpè uocans, ab eo naturæ necessitati parenti non exaudiretur. Furibundus igitur retro ostium sese abscondit, ut ingredientem ex insidiis aggressus malè multaret. Interea Cardinalis cuiusdam scribam foribus apertis ingressum, Baptista capillis arreptum pugnis egregiè contudit: quoad errorem suum agnoscens, hominem missum fecit, multis priùs obtestatum precibus, ne cuiquam hanc suam impotentiam detegeret. Garimbertus lib. 6. de uitis Pontificum.

CHRISTOPHORVS Eboracensis, Cardinalis Anglus, cùm uerberibus in suos sine ratione sæuiret, à Renaldo Mutinense famulo suo, quem præter meritum plagis ceciderat, ueneno interemtus est consilio episcopi Vigorniensis, sub Iulio II. Renaldus in carceribus manus sibi intulit. Idem.

SERVI.

NICOLAVS Perottus, Bessarionis cardinalis cubicularius, cùm Romæ in conclaui tres cardinales Bessarionem prandentem adire uellent, ut eum omnium consensu Pontificem renunciarent: ille non uacare nunc hero suo, ut cum illis inter prandium colloqueretur, respondẽs, foribus eos exclusit. Illi indignati, Si Pontifex esse nolit, ne cogendus quidem est, abeuntes dixêre. Ignarus huius rei Bessarion, postea tamen certior factus, nihil grauius commotus, his tantùm uerbis Nicolaum corripuit: Importunitate & rusticitate tua, Perotte, mihi mitram, tibiipsi uerò galerum inuidisti. Iouius in eius uita.

PRÆCEPTORES.

Quòd asperiùs coram multis PYTHAGORAS familiarem accepisset, dicitur adolescens laqueo sibi gulam fregisse. Inde Pythagoram referunt neminem unquam præsente castigasse alio. Plut. de Discernendis adul.

ORBILIVS Pupillus, grammaticus insignis, qui semper maiore fama quàm emolumento docuit, tam acerbæ fuit naturæ, ut non modò in antisophistas, quos omni sermone lacerabat, inueheretur, sed etiam in discipulos: quod etiam Horatius subindicat, Plagosum eum appellans. Suetonius de Grammaticis illustribus, cap. 8.

LEGATI.

Cùm Athenienses ad Philippum in Macedoniam legatos misissent, acerbum quidem, sed occultum ipsorum hostẽ: confecta legatione, Philippus eos dimittens, ut mos est, dicere cepit: Si quid aliud esset, quod Atheniensium gratia facere posset: neque ultrà ad finiendam orationem pergebat. Statim legatorum unus DEMOCHARES, cæteris audacior, subiunxit: Vt te suspendas. Tum Philippus ad legatos conuersus dixit: Referte Atheniensibus, eum qui tam acerbum uerbum absq; indignatione audiuit, longè eo, qui uerbum illud non lacessitus pronunciauit, modestiorem esse. Fulgosus libro 6. capite 2.

DOMINICVS Pisanus Venetus orator apud Pontificem Iulium II. is cùm imperium Venetum se euersurum minaretur, respondit, Pontificem ipsum uilem clericulum Venetorum opera euasurum. Hoc dicto ita commotus fuit Pontifex, ut fœdus cum principibus imperij Cameracẽse inierit: quo totum Venetorum imperium extremè periclitatum fuit. Egnatius libro nono, capite quinto.

MATTHÆVS Langius Gurcensis episcopus, Maximiliani I. Imp. legatus, Bononiæ à Iulio II. Pp. tanto honore exceptus est, anno Sal. 1511. ut ne rex quidem ullus ferè maiore accipi posset. Nec minor in Gurcensi pompa & magnificentia enituit. Cùm enim Cæsaris in Italia uicarij nomine ueniret, principum ac nobilium, cum eorum omnium familiis admodum splendidè indutis atq; ornatis, magnum secum habebat comitatum. Ad urbis portam senatus Veneti apud Pontificem legatus, ingentis submissionis signis ostensis, ei obuiam processit. Aduersus quem ille incredibili fastu plenus, oratione ac gestu admodũ superbo, eum, qui Cæsaris hostium personam gereret, ante suum conspectum se ausum fuisse ostendere indignatus, se conuertit: ac pompa in senatum usque, ubi eum cum omnibus suis purpuratis præstolabatur Pontifex, deductus: breui, sed superbissima oratione, se à Cæsare rerũ suarũ potiùs pacis quàm belli artibus consequendarum studio in Italiam missum: pacem uerò, nisi à Venetis omnia, quæ quauis ratione ad eum spectarent, restituerentur, locum habere nõ posse, proposuit. Post publicum consessum seorsim cum Pontifice in eandem sententiam eodemque fastu loquutus est. Quibus uerbis ac signis postero die non minùs superba facta adiunxit. Cùm enim Pontifex ex ipsius consensu tres Cardinales, qui cum eo agerent, delegisset, nempe Sangiorgium, Rheginum, ac Medicem: iis constitutam conuentus horam expectantibus, ipse quasi cum alio quàm cũ Pontifice quicquam agere se indignum esset, tribus ex suis nobilibus qui cum eis agerent missis, se aliis negotiis occupatum excusauit. Quam indignitatem Pontifex, incredibili in Gallos odio naturam suam uincente, cum multis aliis deuorauit. Guicciardinus lib. 9.

PRÆFECTI.

POTHINVS siue Photinus eunuchus Ptolemæi regis, Cæsare post Pharsalicam pugnam in Aegyptum profecto, propalàm multa ad Cæsaris intolerabilem inuidiam & contumeliam loquebatur faciebatque. Nam uitiosissimum & uetustissimum militibus metiebatur frumentũ, addens: Ferrent & acquiescerent, quòd uescerentur alienis. Ad cœnas uasis ligneis & figlinis iussit ministrari, aurea & argentea Cæsarem ferens omnia accepisse in solutum. Quippe patri regis Cæsar septingenties expensum ferebat: ex quibus cætera liberis eius Cæsar antè condonauerat: quadringenties tunc repetebat ad sustinendum exercitum. Cùm Pothinus diceret ei, in præsentia ut abiret, & magnis negotiis insisteret, pòst cum gratia creditum eum ablaturum: responso dato, minimè se Aegyptiorum consilium requirere, Cleopatram clàm ex agro exciuit, eamq; occiso fratre reginam constituit. Plut. in Cæsare.

CAPTIVI.

Pisonium in Danubij ripa situm à Pisone conditore nominatum est, qui Pannoniis præfuit, & THRACES ad Mysios deficientes domuit: quorum captiui in uincula coniecti tantæ feritatis erant, ut catenas dentibus morderent. Bonfinius lib. 1. Decadis 1.

QVO CONSILIO, QVA OCCASIONE, AD ACERBITATEM INDUCTI

RELIGIONE.

SADDVCÆI Iudæi & inter se feris moribus discrepant, & conuersatio eorum circa exteros inhumana. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici.

HOSTEM TERRENDI CONSILIO.

L. Corn. SYLLA congressus cum Mithridate ad Dardanum Troadis, pacis causa, cùm ei obuiam prodisset Mithridates, & dexteram porrexisset: rogauit eum, Acciperétne, quibus conditionibus pepigerat Archelaus eius dux pacem? Tacente rege, Sylla: Atqui deprecantium est, inquit, priore loco dicere, uictoribus satis est tacere. Vbi exorsus Mithridates excusationem est, conatusque bellum partim ad deos referre, partim ipsos culpare Romanos: excipiens Sylla, Iamdudũ ait se de aliis accepisse, nunc uerò ipsum intelligere, disertissimum esse Mithridatem, qui in factis adeò tetris & prauis non deficiatur speciosa oratione. Inde cùm eius facinora coarguisset & exagitasset acerbè, quæsiuit iterum: Ecquid his, quæ cum Archelao cõuenissent, staret? Vbi Stare respondit: ita demum salutauit eum, ac complexu est osculatus. Plutarchus in Sylla.

MISERICORDIA.

MITHRIDATES uictus à Lucullo ad Cabiras, & in Armeniam ad Tigranem generum fugiens, ad sorores & uxores apud Pharnaciam tuto & pacato loco repositas interficiendas Bacchidem misit. In his duæ regis sorores fuerunt Roxane & Statira, quæ annis propè quadraginta in uirginitate uixerant: & coniuges duæ Ionides natione, Berenice Chia, & Monima Milesia. Erat huius celebre inter Græcos nomen: quòd cùm eam rex attentaret, & quindecim millia aureorum misisset, eatenus fuerit renisa, dum sponsaliis factis missoque diademate appellauit reginam. Ea antè quoque in perpetuo mœrore egerat, deplorauerátque corporis sui uenustatem: quæ dominum sibi pro uiro, pro nuptiis autem & penatibus conciliasset custodiam barbarorũ. Iam quòd procul Græcia relegata speratis bonis per somnium frueretur, & ueris illis esset spoliata. Vbi iam adfuit Bacchides, eisque indixit mortem, quæ cuique facillima & leuissima uideretur: detractum capiti diadema collo aptauit, atque ex eo semetipsa suspendit. Quo citò abrupto: Execrabilis fascia, inquit, ne hîc quidem eris mihi utilis? Tum illud proiecit conspuitque, ac iugulum obtulit Bacchidi. Berenice poculum ueneni sumsit, cuius portionem matri dedit præsenti & petenti: unaque ebiberunt ambæ. Valuit autem in

in corpus imbecillius uis ueneni. Berenicen uerò, quæ minus iusto hauserat, non abstulit. Cùm diu animam ageret, accelerante Bacchide strangulata est. Ferunt etiam ex innuptis illis sororibus, alteram post multas in fratrem execrationes & probra uirus epotasse: Statiram uerò nihil grauius aut abiectius locutam, sed collaudasse etiam fratrem, quòd de uita in discrimen uocatus, rationem habuisset etiã ipsarum, prospexissetque, ut citra contumeliam uitam ponerẽt liberè. Plut. in Lucullo.

Ferunt GALLOS in discessu post Tarrensem contra Venetos Sforcianosq; uictoriam, ut expeditiores abirẽt, cremasse aurata equorum tegumenta, multamq; supellectilem: & demùm, quod uix credibile est, quosdam suæ gentis mortiferis uulneribus debilitatos, ne miseriùs apud hostes perirẽt, crudeli misericordia iugulasse. Iouius lib. 2. Hist.

AVARITIA.

Iudæorum aliqui ad Romanos urbem Hierosolymam obsidentes, auro quod habebant deuorato (ne à Zelotis, qui tyrannidem in urbe exercebant, deprædarentur) confugêre. SYRI autem milites cùm transfugarum quendam ex stercore aureos colligentem deprehendissent, totis castris ea fama percrebuit, quòd auro transfugæ pleni essent, præsertim cùm fames & luridos & tumidos reddidisset. Itaque ARABES & Syri una nocte duo millia transfugarum Iudæorum uisceribus apertis auri cupidine peremerunt. Titus sceleris auctores iaculis immisso equitatu, perẽturus erat, sed multitudo noxiorum ueniam impetrauit, cùm plures essent puniendi, quàm qui fuerant interemti. Iosephus lib. 6. capite 15. belli Iudaici.

AMBITIONE.

HIPPODAMVS Milesius natura περίεργος, ob ambitionem omnino morosus dicitur fuisse. Aristot. lib. 2. Polit.

VITÆ CONSERVANDÆ STVDIO.

ANTAGORAS Pisistratum, qui eandem naufragij tabulam arripuerat, ul depulit, & submersit: idẽ pòst à marina bellua deuoratus. De qua re sic Philippus in primo Græcorũ Epig.

Κλασθείσης ποτὲ νηὸς ἐν ὕδασι, δῆριν ἔθεντο
διοσοὶ, ὑπὲρ μούνης μαρνάμενοι σανίδος.
τύψε μὲν Ἀνταγόρης Πεισίστρατον (οὐ νεμεσητὸν,
ἦν γὰρ ὑπὲρ ψυχῆς) ἀλλ' ἐμέλησε δίκη.
νήχεθ' ὁ μὲν, τὸν δ' εἷλε κύων ἁλὸς, ἡ παναλάστωρ
χήρων οὐδ' ὑγρῷ παύεται ἐν πελάγει.

OBSIDIONIS TOLERANDÆ CAVSA.

BABYLONII à Dario defecerant. Ex omni mulierum numero, unam sibi quisq; delegit maximè optatam: cæteras (matribus duntaxat eiectis, ne tam impio parricidio se pollucrent) in publicum productas, populariter necarũt. Id aggressi facinus, ne nimia multitudo tolerandæ obsidioni grauis esset. Sabellicus lib. 7. En. 2.

BELISARIVS Romæ à Gothis obsidebatur, & fame urgente maxima crudele edictum Romanis proposuit, ut mancipia, filios, coniuges extra Vrbem confestim emitterent, ne cæteri in commeatus penuriam, uitæque discrimen peruenirent. Tum ingens mortalium turba cum fletu & eiulatu à charissimorum amplexu auulsa, noctu per uiam, quæ ab hostibus uacua erat, in Campaniam se recepit, patria in manibus Græcorum, propter quos extrema pati cogebatur, derelicta. Io. Magnus lib. 11. ex Procopio.

FLORENTINI Nicolai Picinini armis pressi, ueriti, ne & Pisæ quoq; ab uictore hoste occuparentur, proposito miserabili edicto, ut priusquam cãdela ardens absumeretur, ciues omnes à quintodecimo anno ad sexagesimum urbe decederent, suspectam ciuitatem multitudine exonerarunt. Sabellicus libro primo, Decadis 3.

VINDICTÆ STVDIO.

Bello Rhetico, Tiberij Neronis ductu, Rhetorum MVLIERES, deficientibus telis, filios humi afflictos, tormenti loco in hostium ora contorsisse dicuntur. Sab. lib. 9. En. 6.

INHVMANITAS SECVNDVM MATERIAM RESPECTV PERSONARVM.

Nulla hîc ira, sed immanitas tantùm erga eos, à quibus nulla afficiuntur iniuria, consideratur. Itaque ad uitium Humanitati contrarium pertinent, & quatenus iniuria immeritos afficiunt, ad Iniustitiam.

ERGA HOMINES CONSIDERATOS SECUNDÙM

ANIMVM. PVTA ERGA

Doctos, Philosophos.

TIBERIVS Cæsar, crudelis in cõuictores Græculos fuit, quibus uel maximè acquiescebat. Zenonem quendam exquisitiùs sermocinantem, cùm interrogasset, Quænam illa tam molesta dialectos esset? & ille respondisset, Doridem: relegauit Aenariam: existimans exprobratum sibi ueterem secessum, quòd Doricè Rhodij loquantur. Item cùm soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cœnam proponere, cõperissetq; Seleucum grammaticum à ministris suis perquirere, quos quoq; tempore tractaret auctores, atq; ita præparatum uenire: primò à contubernio remouit, deinde etiam ad mortem compulit. Suetonius.

Supplices.

ANVS quædam paupercula Philippum Macedonem appellabat, ut causam ipsius cognosceret. Respondẽti regi, Sibi nõ esse otium, inclamauit, Proinde ne rex quidem esse uelis. Hac uoce Philippus motus, aniculæ preces admisit. Quidã hoc ipsum Adriano tribuunt, & Demetrio Poliorceti. Sabellicus lib. 7. Ennead. 4.

Aristippus quum aliquando DIONYSIVM tyrannum interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret: prostratus cepit amplecti pedes regis, & impetrauit. Laertius lib. 2. c. 8.

Hypsæus uir consularis, qui in iudicium erat uocatus, cùm expectasset CN. POMPEIVM à balneo ad cœnam euntem, accidit supplex genibus eius. At ille præteriit hunc contumeliosè, nihil eum dicens agere aliud, quàm quòd conuiuiũ suũ corrũperet. Plut. in Pompeio, & Val. Max. lib. 9. c. 5.

ARIDIVS episcopus in aula Brunechildis reginæ, Romarico supplici pedem in faciem impegit: ut patet ex uita Romarici, in gestis episcoporum Tungrensium.

COLOMANNVS Hungariæ rex, comparato maximo exercitu, in Ruthenos contenderat. Regina Lanca profusis lacrymis ad pedes hostis procidit, ueniam ac pacem orans. At cũ rex nefas esse diceret, maiestatem regis femineis ululatibus pollui, reginam pede proculcans repulit. Bonfin. l. 5. Dec. 2.

Veneta ciuitas Pontificis interdicto, cui ad eam diem fuerat obnoxia ob Ferrariam occupatam. Francisci Danduli opera hoc nomine ad pontificem missi soluta est. Ferunt eum ad CLEMENTIS V. conspectum seriùs admissum, catena ferrea collo iniecta, ad pontificis mensam tamdiu in morem canis prostratum iacuisse, donec expugnata illius ira ignominiosam notam patriæ ademisset: atque ex eo illi postea Canis cognomen fuisse. Quam appellationem iam inde, ex quo ad pontificis mensam cathena uinctus conspectus est, primò foris, inde inter suos adeptus dicitur. Vide Sabellicum lib. 1. Decad. 2. ob hoc factum seriò indignantẽ.

CORPVS. ERGA

Senes.

Zenodotus in Collectaneis suis Aeschylũ citat, qui huiusmodi fermè tradiderit in opere de Parœmiis: SARDOAS esse Carthaginensium colonos, Sardonem regionem inhabitantes: illis morem esse, senes septuagesimum prætergressos annum Saturno sacrificare, ridentes interim, ac mutuò sese complexãtes. Nam turpe ducebant, in funere aut eiulatum edere, aut lacrymas profundere. Hinc adsimulatum risum, Sardonium uocari ceptum. Erasmus in Sardonio risu.

Apud TROGLODYTAS inualidi ob senium armenta sequi, gutture bouis cauda adstricto uitam finiunt. Qui mortem differunt, eos licèt uolenti, eodem modo, admonitos tamen antea, uita priuare. idque habetur beneficij loco. Febricitantes item aut morbo incurabili correptos, simili afficiunt morte. Maximum enim arbitrantur malorum, ab eo uitam diligi, qui nequeat aliquid agere dignum uita. Diodorus lib. 3. cap. 3.

Agis Spartanorum rex, accersentibus eum in forum EPHORIS, cùm uires eius præ senio obtorpuissent, in uia incidit in pueros, à quibus requisiuit, Ecquid magis urgẽs nossent quàm domino parere? Quibus respondentibus, Non posse: hunc terminum esse reputans muneris publici, regressus est domum. Plut. an Seni tract. resp.

HERVLI populi Italiæ, ut scripsit Procopius lib. 2. Gothorum, olim super Histrum flumen habitarunt. Apud eos senescentibus & morbo affectis non licebat uita frui, sed interficiebantur & comburebantur.

Viros.

EVRIPIDES fertur perpetuo mulierum odio conflagrasse, siue quia naturâ esset talis, abhorreretq; à mulierum cœtu: siue quòd duas habuerat uxores simul, pro Atheniensium decreto: quarum matrimonij quum pertæduisset, toti sexui bellum indixit. Hinc μισογύνης dictus est. Cælius libro decimotertio, cap. 10. ex Suida.

Mulieres. μισόγυνοι.

☞ *Vide sub loco Affectuum, Odium mulierum.*

Inualidos, Aegros.

Apud INDOS quidam reperiuntur populi, inter quos quisquis in morbum incidit, is in locum desertum pergit, ibiq; decūbit, eius uel discumbentis uel defuncti curam gerente nemine. Herod. lib. 3.

Apud Indos pecuarios PADÆOS, quoties ciuium aliquis ægrotat, familiares eum interimunt, ne morbo tabescens, carnes quibus uescantur corrumpat. Et licèt se neget ille ægrotare, nihilominùs necant eum, & epulantur. Qui ad senium peruenit, eodem mactatur modo. Et propterea cùm hac de causa, tum quia omnes, qui in morbum incidunt, necantur, non multi eorum ad senectutem perueniunt. Herod. lib. 3.

MEDICVS quidam, cùm ægrum inuiseret, & ille conquereretur, sese moriturum: barbarus ille uersum occinuit, quo miserum ægrum penitùs exanimauit: ἔθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σεο πολλὸν ἀμείνων. Prudentis medici est, mortem prædicere, & familiares admonere: non autem ægrum terrere: atque ut Poeta inquit, Spem simulet uultu, premat altum corde dolorem.

Apud TROGLODYTAS inualidi ob senium armēta sequi, gutture bouis cauda obstricto, uitam finiunt. Febricitantes item aut morbo incurabili correptos, simili afficiunt morte. Maximum enim arbitrantur malorum, ab eo uitam diligi, qui nequeat aliquid agere dignum uita. Diod. lib. 3. c. 3.

TAMBERLANES leprosos omnes, quotquot inueniret, trucidabat, ne & ipsi diutiùs miseri essent, & alios inficerent. Chalcocondylas.

DRACVLA Transalpinæ Hungariæ præfectus, mendicos omnes deperditæ ignauiæ, miserabilisque ualetudinis & fortunæ, lautissimo conuiuio excepit: deinde cibo uinoq; impletos, iniecto igni absumsit. Bonfinius lib. 10. Decad. 3.

Grauidas.

PASTORES inhumani erga Latonam gemellos gestantem. Cùm enim ea post partū Apollinis & Dianæ in Lyciam uenisset, infāntes ad lauacra Xanthi apportās, in Melitem fontem incidit, statuitq; ibi abluere infantes, antequàm ad Xanthū pertingeret. Sed pulsa inde fuit à pastoribus, qui eo potū boues egerant. Quos illa in ranas conuertit. Menecrates Xanthius in Lyciacis, & Nicander, teste Antonino Liberali.

SOCIETATEM. ERGA

Collegas.

Malè audiuit P. SCIPIO Romæ: quòd cùm epulum in ædis Herculis dedicatione præberet, collegam non inuitasset Mommium. Plut. in Præceptis politicis.

Subditos.

THEBANI Bœoti ad imperandum natura quidem apti, educatione uerò & disciplina corrupti, rebus licèt maximis gestis, imperium nō retinuere. Documento extitit Epaminondas. Vbi enim ille mortem oppetit, euestigiò principatum amisere Thebani, eo tātùm degustato. Cuius rei causa fuit, quia consuetudinis & familiaritatis cum hominibus habendæ rationem neglexerunt, solius duntaxat uirtutis bellicæ curam suscepere. Hæc imperandi ratio inter Græcos potissimùm commoda. Cum barbaris uiolentia ipsa est affabilitate potentior. Strabo lib. 9.

Obsessis à DEMETRIO Poliorcete & Antigono eius filio Thebis, cùm Bœotij fortiter defenderent se, Demetrius uerò frequenter ex peruicacia magis quàm ex utilitate oppugnare urbem milites & periculo se cogeret obiicere, uidens Antigonus non paucos cadere, & magno percitus dolore: Quid pater, inquit, perire hos nequicquam nulla subigente necessitate floccipendimus? Tum ille ira percitus: Quid tu, inquit, cruciaris: an'ne admensurus frumentum occumbentibus sis? Plutarchus in Demetrio.

STRATOCLES Atheniensis concionator, procacitate & insolentia ueteris Cleonis uidebatur ad populum licentiam referre. Meretrix erat ei domi Phylacium: quæ cùm aliquando ad cœnam ei cerebella & colla emisset: Papæ, inquit, hęc obsonata es, quibus tanquam pilis nos, qui gerimus remp. ludimus. Plutarchus in Demetrio.

Insolentiæ inter CARTHAGINENSEM & CAMPANVM Senatū, quasi æmulatio fuit. Ille enim separato à plebe balneo lauabatur, hic diuerso foro utebatur. Quem morē Capuæ aliquandiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet. Val. lib. 9. cap 5.

C. MARTIVS Coriolanus uti miles præstantissimus fuit, ita præter fortitudinem militarem ad Rempub. planè ineptus, populi ad suam usque perniciem & exilium osor, asper, inhumanus, intractabilis: eam potissimùm ob causam, quòd ingenium illud heroicum sub matre uidua nullam institutionem in literis habuisset. Plut. in Coriolano.

ROMANI, uicto Perseo rege Macedonum, Græcorum cōtrouersias inter se Romam in Senatu disceptari reiecerunt: exemplo nouo, eoq; grauissimo: cùm priùs & Philippus Amyntæ F. & Alexander Græcorum causas non in Macedonia, sed in ipsa Græcia, coram Amphyctionibus cognosci permiserint. Pausanias in Achaicis.

Milites.

L. LVCVLLVS, qui Mithridatem & Tigranem primus bello uicit, infidis ad omnia militibus est usus, & ab illis ad extremum desertus. Cui rei non minimam ipse præbuit causam, quòd non conciliaret animos sibi uulgi militaris: & quicquid subiectis imperio suo blandimenti adhibebatur, se men esse dedecoris duceret & ruinam auctoritatis suæ. Plutarchus in Lucullo.

MICHAEL Senior Imp. populo & senatui omnem liberalitatem exhibuit: plerisque amplissimos dignitatum gradus largitus, & honores: plerisq; etiam parum idoneis exercituum ac turmarum præfecturas, ac militares ordines condonauit. Nihil autem munificentiæ ueris militibus ostendit, nec benignis uerbis eos accepit, quare sibi infestos omnes reddidit, ita ut Isaacium Comnenum Augustum proclamarint, & Michaelem priuatum uiuere coëgerint. Cuspinianus.

Coniuges.

Cùm epulū populo præberet L. SYLLA, decimis sui patrimonij Herculi uotis, decessit ex morbo Metella uxor. Quia uerò uetuerant sacerdotes ei illam adire, uel funere domum eius pollui: misit ei libellum repudij Sylla, iussitq; spirātem adhuc in aliud domicilium transferri. Plut. in Sylla.

Dominos.

☞ *Vide Tit. Serui inhumani.*

Seruos.

☞ *Vide, Domini Inhumani.*

ROMANI edēdis gladiatorum muneribus, haud mediocris sæuitiæ nomen subiuerunt. Seruos enim coemebant, quos gladiatoria instructos arte producebant, ut acutis interse gladiorum mucronibus dimicarent: alios etiam feris in harena obiiciebant, ut plerosq; miserabiliter à feris dilaniari, atq; semiuiuos deuorari, non sine uoluptate conspicerent: precio enim humanum sanguinem parabant, quem sine ullo necessario usu effundi spectarent. Ad ea autem spectacula, cùm non uiri modò, sed feminæ quoq; ac pueri magno studio concurrerent: quis negauerit, in grauē crudelitatis notam sub uoluptatis specie eos incurrisse? Fulg. lib. 9. c. 2.

Amicos.

AMICI Iobi cùm consolandi animo accessissent, ubi Deo penitùs deditum intellexerunt, acerbè illum reprehenderunt. Iobi cap. 2. & seq.

CN. POMPEIVS balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hipsæum, ambitus reum, & nobilem uirum, & sibi amicum iacentem reliquit, contumeliosa uoce proculcatum. Nihil enim eum aliud agere, quàm ut conuiuium suum moraretur, respondit: & huius dicti conscius, securo animo cœnare potuit. Plut. in Pompeio.

Amasios.

☞ *Consule Tit. Odium amasiorum. Illic Odii, hic Austeritatis ratio habetur. Crudelitatem contra procos, amatores, pete ex Tit. Procorum. item, Odium amatorum. item,* γυναικοκρατημένων.

LEVCOMANTIS Cypria, quæ nunc quoque Paracyptusa id est obliquè aspiciens appellatur, cùm limis oculis aspiceret amatorem Euxynthetum, qui efferebatur, in lapidem obriguit. Plutarchus in Amatorio.

Hospites, Peregrinos.

☞ *Consule Tit. Perfidiæ erga hospites.*

Superstitiosus apud HEBRÆOS mos tenuit, omne alterius gentis commercium & affinitatem auersari, ut ne uiā quidem aberrantibus, nisi suis, aut fontem sitientibus monstrare fas esset. Sab. lib. 6. cap 1.

In tribu Beniamin apud GABAONITAS non inuenit Leuites, à quo hospitio reciperetur, excepto uno sene agricola Iudicum 19.

SAMARITANI Christum cum discipulis recipere noluerūt, quoniam Hierosolymam uidebant iturum.

PHÆACES apud Homerum Odyss. η. inhospitales introducuntur. Propterea Vlyssem eiectum in Scheriam ui tempestatis, Pallas aëre multo circumdedit, ne cuiquam conspicuus fieret, priusquam ad regiam Alcinoi peruenisset:

μή τις Φαιήκων μεγαθύμων ἀντιβολήσας
κερτομέοι τ' ἐπέεσσι, καὶ ἐξερέοιθ' ὅτις εἴη.

& simul huiuscemodi præceptis instruit:

ἀλλ' ἴθι σιγῇ τοῖον, ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμονεύσω,
μηδέ τιν' ἀνθρώπων προτιόσσεο, μηδ' ἐρέεινε·
οὐ γὰρ ξείνους οἵδε μάλ' ἀνθρώπους ἀνέχονται,
οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ' ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθοι,
νηυσὶ θοῇσιν τοίγε πεποιθότες ὠκείῃσιν

λαῖτμα μέγ' ἐκπερόωσιν.

Auctor est Eratosthenes, communem Barbaris omnibus consuetudinem esse, ut hospites pellant, AEGYPTIOS uerò accusari, propter ea quæ in fabulis de Busiride, & Busiritica præfectura dicta sunt, uolentibus posteris loci huius inhospitalitatem calumniari, cùm nullus Busiris, nec rex fuerit, nec tyrannus. Strabo libro 17. In Aegypto apud Busirim & Cynospolim hospites non diuertebant, neque admittebantur peregrini: sed ex eorum finibus pellebantur. Alexand. ab Alexan. lib. 4. capite 10.

Apud INDOS nisi triduo hospitem diuertere licebat, ne ciues longo usu dissimiles peregrinorum mores addiscerēt, & in alienas leges litusq; transirent. Alex. lib. 4. c. 10.

CARTHAGINENSES adeò peregrinos odio habuerūt, ut eos qui in Sardiniam aut Herculis columnas adnauigabāt, mari demergerent. Idem.

APOLLONIATÆ Epidamno finitimi populi in sinu Ionico, ad legis Lacedæmoniorum regulam peregrinos omnes urbe expellebant. Aelianus lib. 13. de Varia historia.

SCYTHÆ peregrinos mores summo prosequuntur odio. Eam ob causam Anacharsis philosophus domum reuersus, quòd peregrinos mores secum inuexisset, à fratre rege interemtus fertur. Laertius.

Odysseæ lib. 9. CYCLOPS Polyphemus delectatus dulci uino, quod illi donarat Vlysses, munus promittit, quo accepto ille sit magnoperè gauisurus, ut denuo sibi ministret de sua lagena. Dedit Vlysses spe muneris iterum atque iterum. Porrò ubi iam uino delinitum crederet mitiùs respōsurum, reposcit Vlysses munus promissum. Cui Cyclops hunc in modum respondit:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν. τὸ δέ τοι ξεινήιον ἔσται. *id est,*
Post socios mihi postremusq; uorabitur Vtis,
At reliqui priùs: hoc ex me tibi munus habebis.

SCIRON in finibus Megaricis à Theseo præcipitatus fuit de saxo, quæ ab eo saxa Scironia dicta fuere. Hic latrocinatione utebatur in uiatores: & ex impotente improbitate pedes porrigebat peregrinis iussis eos abluere, mox impellebat hos calcib. & deturbabat in pelagus iuxta Chelonem. Plut. in Theseo.

Theseus DAMASTEN, Procrustem dictum, aggressus est, in eo loco Atticæ, qui dicitur Cardalus, habitantem. Hic uiatores cogebat super lectum aliquē ascendere: quòd si longiores erant, parte supereminente amputabantur: qui breuiores, pedibus distendebantur. A qua re Procrustes cognominatus est. Plut. in Theseo, & Diodorus lib. 4. cap. 5.

CYAXARES Medorum rex, minimè popularis fuit erga Scythas hospites. Hi enim sui exilij tempore cùm assiduè uenatum irent, ac ferè semper aliquid afferrent, cōtigit quandoque, ut nihil domū tulerint: Eos igitur uultu austero Cyaxares intuitus multis probris insectatus est. Sab. lib. 4. En. 2.

Vt auctor Theopompus est, incessitur à celeberrimis auctoribus LACONVM ξενηλασία, hoc est, hospitum expulsio. Siquidem non tempore omni peregrinis licebat Spartam adire, sed præstitutis diebus. Quod ab Lycurgo sancitum auctor est Thucydides, ne æmuli eius reip. formę fierent, ac inde perdiscerēt, quomodo in uirtute proficerēt. Quāquā malint hinc enatum morem alij, ne rubiginis affricarent quippiam: siquidem corpora peregrina, & peregrina consectatur oratio: noua autem oratio κρίσεις καινὰς ἐπιφέρει, unde affectiones inoriri multas, necessum ferè. Cælius lib. 18. cap. 5.

A. L. Itaq; Cleomenem regem accusarunt, quòd hospites, quāuis solo iure nigro, & pane igne durato, Laconico more, ad epulas admisisset. Alexan. lib. 4. cap. 10.

Cleomenes, Spartanorum rex, reprehendit AMICVM, quòd hospitibus nigrum ius & offam pro more Laconicorū conuiuiorum apposuisset. Negauit enim in his uel apud hospites nimium Laconicè agendum. Plut. in Cleomene.

CLAVDIVS Cæsar cùm odio peregrinos infestaretur, peregrinos etiam gentilia Romanorum nomina ferre edicto uetuit. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

EPISCOPVS quidam Græcus inhospitalis fuit erga Helmogaudum legatum Caroli Magni. Qui cùm ad Nicephorum Imp. Constantinopolim uenisset, & hospitio iussu rectoris Græci à quodam Episcopo, cuius temperantia sanctitasque ab omnibus prædicabatur, exceptus esset, per totam hyemem crebris ac intempestiuis ieiuniis, pontifice indulgente, fame & inedia penè extinctus fuit. Hinc uerò ad Nicephorum admissus, & de pietate Episcopi interrogatus: Sanctissimus est uester pontifex (inquit) quatenus aduersante Deo fieri licet. Mirante hoc Imperatore: Sacris literis, ait ille, proditur: Deus est charitas: cuius istum Episcopum omnino expertem esse nostro periculo didicimus. Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

PAMBO Abbas Theophilo episcopo se aliquando adeunti, & aliquo sermone ab ipso spiritaliter refici petenti, respondit: Si taciturnitate sua nō reficeretur, nec sermonibus eum refici posse. Marul. lib. 4. cap. 6.

Hostes, Victos.

☞ *Ex Tit. Crudelitatis erga hostes, exempla pete, quatenus uel extra iram asperitatis signa habent coniuncta.*

C. FIMBRIA curauit, ut Scæuola in funere C. Marij iugularetur. Quem postquam ex uulnere recreatum comperit, accusare apud populum instituit. Interrogatus deinde, Quid de eo secùs dicturus esset, cui pro sanctitate morū satis digna laudatio reddi non posset? respondit, Obiecturum se illi, quòd parcius corpore telum recepisset. Val. lib. 9. cap. 11.

Noruegiani Nordianum regem interfecerant. Ostenus Gothorum & Suenonum rex cædē fratris ulturus, GVNNONEM cum exercitu contra illos misit. Qui occiso Regnaldo tyranno, insulam domuit, & ut gentis insolentiam retunderet, canem eis regem dedit. Ioannes Magnus lib. 7. capite 16. hist. Suenonum, ex Saxone.

Hispani occupata America, ea humanitate miseros INDOS tractarunt, ut ex CL myriadibus, post L. annos uix superfuerint D. Fame & uariolarum morbi, ipsis antea ignoti, contagio plurimi, labore metallico nō pauci periēre, gladio pauciores. Multi seipsos partim ueneno, partim suspendio Hispanorum tyrannidi eripuere. Mulieres imitatæ maritos, abortum procurabant, aut in ipso partu suffocabāt, aut post partum quauis ratione tollebant: ne filij Hispanis seruire cogerentur. Petrus Cieza Tomo 2. rerum Indicarum, cap. 33.

CALAMITATIS. ERGA

Pauperes.

In mensa CAROLI Magni nobiles & monachi & Canonici splendidè solebant epulari: humi uerò decumbentes duodecim pauperes, uestitu sordido, tenui uictu pascebantur. Aigolandus Saracenorū rex, pacis causa in castra Caroli profectus, sciscitatus eius rei causam, cùm intellexisset, duodecim illos Apostolorum referre typum, [illegible] Dei, respondit: Apage sis cum tua pietate: nunc Deum honoras, qui aliis lautissimè refectis, nuncios Dei contemtui & ludibrio habeas? Hac exprobratione effecit, ut Carolus illos bis senos pauperes honestius uestiret, [illegible] Sab. ex Turpino Remensi, En. 8. lib. 8.

HATTO, cognomento Bonosus, cùm Fuldensium monachorum cœtui per duodecim annos nō sine magna laude præfuisset, in Moguntinum [illegible] surrogatus est. Circa annum Sal. 970. fames uniuersam premebat Germaniam. Episcopus ingentem eleemosynas petentiū mendicorum copiam in horreum quoddam amplum, quasi sua liberalitate eos alturus, conclusisse dicitur, ac igne subiecto eos concremari iussisse. Horum cùm in ipsis flammis ululatus audirentur, mures esse dixit episcopus. Sed tertio pontificatus sui anno diuina eum ultio oppressit. Murium enim turba tantis eum molestiis affecit, ut nusquam ei tutus daretur locus, quantūuis munitus. Turrim deniq; in ipso Rheni flumine extruxit, ibi se liberum fore sperans. At bestiolæ illæ transnatando Rhenum (mirabile dictu) turrim conscenderunt, ipsumq; episcopum suis morsibus enecuerunt: Pontificis quoq; nomen, parietibus & chartis inscriptum, diuina ultione abraserūnt. Multis hæc quidem fabulosa habentur: at turris illa, cui à muribus nomē est, in hunc usq; diem in Rheni flumine conspicitur, ac de tanta episcopi immanitate testimonium dicit. Honorius in Floribus, Martinus in Chronico, & Trithemius de rebus Hirsaugiensium, Marianus Scotus, & Schafnaburgensis.

MARGARITA, Florentij comitis Hollandiæ F. mulierculam stipem petentem, gemellos in ulnis gestantem, acerbè increpauit: neq; eā uno partu duos producere potuisse, nisi duorū quoq; uirorum usa esset cōmercio, affirmauit. Mendica precibus à Deo contendit, uti in signum pudicitiæ suæ, comitissa grauida tot pareret infantes, quot essent in anno dies. Preces fuere exauditæ, & exacto gestationis tempore, an. MCCLXXVI. ætatis suę 42. ipso die Parasceues peperit Margarita CCCLXIV. infantes, partim mares, partim femellas. Iis simul baptizatis in pelui, maribus Ioannis, femellis Elizabethæ nomen impositum. Lud. Viues, Erasmus & Lud. Guicciardinus in Topographia Flandriæ.

DRACVLA Transalpinæ Hungariæ præfectus, mendicos omnes deperditæ ignauiæ, miserabilisq; ualetudinis & fortunæ, lautissimo conuiuio excepit: deinde cibo uinoq; impletos, iniecto igni absumsit. Bonfin. lib. 10. Dec. 3.

Damnatos.

IVDÆI sceleratissimi Christum non modò cruci innocentem affixerunt, uerùm etiam in cruce pendētem uariis blasphemiis affecerunt. Quinetiam latronum VNVS, qui à læua pendebat, Christo cōuitiari pro innata & confirmata

malitia ausus fuit. Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan. 19.

VOLESVM Asiæ proconsulem sub Augusto Imp. proditum est memoriæ, cùm trecentos uno die securi percuti iussisset, inambulantem inter ipsa cadauera, prospectantemque nultu quàm maximè elato, æquè ac dignum admiratione facinus peregisset, ad astantes proclamasse: O rem prorsus regiam. Pontanus cap. 22. de Imman.

Fuit CLAVDIVS Imp. natura sæuus sanguinariusq;, tormenta quæstionum ac pœnas parricidarum coràm aspiciens, gladiatoriisq; ac bestiariis spectaculis plurimū delectatus. Cuspinianus ex Suetonio.

Claritas & Fluuiana, adulteriorum stuprorumque criminibus obnoxiæ, iudicante Maximino, sub Valentiniano damnatæ sunt. Harum altera cùm duceretur, abripuit ei CARNIFEX indumenta ac uestimenta omnia, ut ne quidem ei uelamen ullum pudendarum partium relinqueretur, atq; ita per medium populum nudam ad supplicium traxit. Id carnifex sua auctoritate, immaniter, insolenter, ac contra pudorem publicum fecisse deprehensus, ipse, de adultera exacto supplicio, uiuus exustus est. P. Aerodius ex Marcellini li. 28.

ANDRONICVS Ducas, homo sordidus & perfrictæ frontis, si Andronicus Comnenus Imp. aliquem cæcare uellet, etiā manus ei amputandas, aut in crucem agendum esse decernebat, obiurgato Andronico, q; in suppliciis sumendis infra delictorum atrocitatem subsisteret. Tandē & ipse crudeliter necatus est. Nicetas lib. 1

MAHVMETES II. Turcorum rex, si quos iratus ad mortem damnaret, altiori palo infigendos curabat: ut tamen, si quis ex his non statim moreretur, cibo potuq; alendum uellet: ut quo longiore uitæ spacio frueretur, grauiore supplicio uitam amitteret. Egnat lib. 9. cap. 2.



Tortoris Armenienſis uxor, MECHTELDIS, cum Armenia carnifex Grauiam (quod Brabantiæ oppidum est) euocaretur, ut de tribus facinorosis supplicium sumeret capitale: illa spe lucri, mutato habitu, tonsis capillis, gladium à magistratu petit, & in publicum prodit, eo munere strenuè perfunctura. Agnita tamen à quibusdam, parum abfuit, quin à populo lapidibus obrueretur. Vterus libro 2. capite 51. de Præstigiis dæmonum.

Captiuos.

PALÆSTINI cùm conuenissent ad illudendum Samsoni capto, ruina domus periēre. Vide Tit. Robustorum.

Liddæ Hebræus quidam sapiens, & ὁλοτρεφώτης dictus, D. Hieronymo narrabat huiusce modi fabulam. Sedechias, inquit, à NABVCODONOSOR rege cæcatus in Reblatha, hoc est, Antiochiæ, uariisq; irrisus modis, ductus est Babylonē. Vbi cùm quadam die Nabucodonosor conuiuij festa celebraret, iussit ei dare potionem: qua hausta, uenter potantis solueretur in fluxum: ac subitò introductum ante ora epulantium, compulsumq; ui uentris, pollutum esse stercore: & hoc esse, quod Habacuc c. 2. dicat: Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem eius & ignominiam pro gloria. quòd scilicet ille, qui rex potentissimus fuerat, ad tale dedecus per eum sit deductus. Vnde & comminatur ei Deus, quòd & ipse bibiturus sit huiusce modi potionem, & passurus omnia, quæ passus est Sedechias. Hieron. lib. 1. in Habacuc, cap. 2.

SESOSTRIS rex Aegyptiorum, cùm nationes ab eo deuictæ, tum ij quibus regna tradiderat, ducibus quoque, quos diuersis præfecerat prouinciis, præstituto die in Aegyptum uenientes, ei dona offerrent, hos suscipiens benignè, aliis quidem in rebus uario honore afficiebat: at si quando aut ad templum iret, aut per urbem incederet, quatuor ex eis loco equorum currui iunctis, ostendebat, cùm cæteros omnes reges ducesque præclaros bello superasset, nullos sibi neque uirtute neque rebus gestis esse comparandos. Diodorus lib. 1. capite 4.

SPARTANI uictoriis elati, inquilinorum puellas cogebant attegias suis puellis in pompis præferre, mulieres mulieribus, & uiros scaphas ad uentris onera excipienda gestare. Aelianus lib. 6. de Varia historia.

M. Attilius Regulus, consul Romanus, à Carthaginensibus captus, arte Xanthippi Lacedæmonij mercenarij ducis: legatus de permutandis captiuis Romam missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret: in senatu conditionem dissuasit, reiectisq; ab so cōiuge & liberis, Carthaginem remigrans, ab CARTHAGINENSIBVS in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum adactis uigiliis oculos ad solem uersando, ac dolore extinctus est. Polybius lib. 1. Plinius cap. 40. de Viris illustribus. Valerius libro 1. capitet. & lib. 2. ca. 4. & lib. 9. cap. 2. Front. lib. 2. cap. 3. Florus lib. 2. c. 2. Cicero lib. 1. Officiorum, & in Paradoxis.

TIGRANES Armeniæ rex, reges domitos domestico ministerio adhibebat, in mensa atq; aliis rebus eorum operas tebatur: & cùm pro tribunali causas populorum aut legatos audiret, circumstare tribunali supplicibus manibus in seruorum morem cogebat. Hic tandem coram Pompeio sexo genu procumbere, atq; ad eius pedes diadema deponere coactus fuit. Fulgos. lib. 9. cap. 5.

SAPOR Persarum rex, superbia insita humano altiùs fastigio prouectus, Valerianum, qui fuit Romanorum præcellens Imperator, in Mesopotamia uictum captumque in idnecessitatis malum cōiecit, ut seruiliter incuruatus illi equum inscensuro gradum sua ceruice faceret. Cælius lib. 18. capite 18. Antiq. Lect.

Andronicum Seniorem imperio deiecit Andronicus Iunior nepos, cuius furori ESAIAS quoque Patriarcha fe adiutorem præbuit, uocemque emisit suæ amentiæ testem: Lætabitur, inquit, iustus, cùm uiderit ultionem. Ad Andronicum iam in monasterio degentem duos misit episcopos, qui ab eo peterent, quo pacto sui in Ecclesiæ precibus mentionem fieri uellet. Ad ea Andronicus: Egregiè profectò croco dilum imitatur Aegyptium patriarcha uester, inquit: qui cadaueri peremti animalis assidens, calidis illud lacrymis irrigat. Vtuerò duplex in Lazaro miraculū contigit, quòd & mortuus resurrexit, & uinctus ambulauit: ita & in me illius pietate fieri oportebat. Nam & planè mortuus sum, multis calamitatum fluctibus demersus: nec manus & pedes tantùm uinctus, sed linguam etiam, qua, ut nihil aliud, saltem mala mea atque iniurias aëri, & hominibus (si qui fortè audient) & acerbis tenebris, in quibus nunc uersor, conquerar. Quid ergo respondebo? Si me Imperatorem dixero, statim occidar ab iis, qui ea de causa me in uinculis tenent. Sin monachum Antonium, confessio illa existimabitur ab iis, qui res nostras fraude peruertunt, quasi non coactus, sed ultrò monasticum habitum induerim. Eos igitur dimisit, nullo ad ea quæ rogabant responso dato, & in lecto cōsidens: Reuertere, inquit, anima mea in requiē tuam, quia Dominus benefecit tibi. Gregoras lib. 9.

GISA, Filithei Rugiorum uel Rugorum regis coniux, mulier auara, crudelis & imperiosa, Romanos, qui tum Noricum incolebant, captiuos abduci non solùm iubebat, sed grauissima seruitute uelut uilissima mācipia premebat. Obiurganti mulierem diuo Seuerino, respondit: Quid tu homuncio aliena, quæ nihil ad te, curas, quin in conclaui preculas immurmuras? In seruos nostros id iuris habemus. Mox filius Gisæ & Filithei Fridericus morbo corripitur. Gisa ob id Romanos omnes carcere soluit, liberos postliminiò redire finit, ueniamque à Seuerino petit. Seuerinus gratiam facit, filiumq; precibus sanitati restituit. Auentinus lib. 2.

Baiazetem Turcarum Imperatorem, ex Europa in Asiam ad sua tutanda regressum, prælio uictor cepit TAMBERLANES, Tartarorum princeps, ac ad gentis uitiq; summi ignominiam, cauea ænea, radiis item æneis intermissis fenestellis clatrata quadrupedem uelut feram inclusum coercuit. Cibum capies, in catenis emisso, inter canes & ipsi tanquā cani de mensa partes obiiciebant. Equum ascensurus, substernentis se tergo pedibus insistebat. Bellum circumferens, suis hostibusq; ostentabat, hos præsentis exempli tristisque spectaculi documento terrens: illos ad uirtutem tātæ uictoriæ memoria acuens. Fulgosus & Egnatius libro nono, capite quinto, & Aemilius libro 10.

BELPHECH Persarum rex, Romanum Diogenem Constantinopolitanum imperatorem cùm prælio cepisset, uelut ecanem uinctum circumducebat: eiusq; tergo pro scamno utebatur, equum ascensurus. Fulg. lib. 9. cap. 5.

EDGARVS Britannicus rex, Scotiæ atq; Hyberniæ reges captos remigare cogebat in ea cymba, qua ipse uoluptatis gratia uehebatur. Idem.

Bernardus Caprera, mortuo Martino rege Siciliæ regnum affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus esset, tandem proditione captus, à SANCTIO classis regiæ præfecto in cisternam uacuam demissus est. Laxatis inde ad immensam

mensam pluuiam eaduercis, tanquàm fortuitò id accidisset, cùm ex imperio factum esset, riui in cisternam defluebant, eamque replebant. Bernardo identidem uociferante, auxiliumque implorante, nemo ei domesticorum respondebat, tanquam obstrepente eorum auribus pluuia, ne audirent, & ad alium quendam locum, quò imber penetraret, occupati essent, donec innatante iam lectulo, non procul à uitæ periculo erat. Tunc quidam ueluti tunc primùm audisset, & ab ore cisternæ respondet, ac festinabundus domino nunciat: qui miseranti similis, properè succurri imperauit, & in liberaliorem deduci custodiam. In qua res ei abominanda contigit. Aliquot adulatus diebus homini, à quo custodiebatur, tentat precio corrumpere, daturum se, si liberetur opera illius, montes aureos, in præsentia, antequam illinc pedes efferat, mille aureos. Custos respondet, se ea nocte deliberare uelle, idque spacium dari impetrat. Rem confestim ad Sanctium defert, iubetur ut mane perenti annuat, pecuniamque in manum tradi sibi curet, cæteraque quæ agenda sint docetur. Manè deliberatum sibi esse, ut adiuuaret calamitosum, iurat se, ut Bernardus excogitarat, è fenestra turris eum per funes demissurum. Eo die pecunia per amicos clanculum affertur, pernumeraturque. Proxima nocte, de tertia uigilia summisso fune caligis complicatis, nulla amictus tunica demittitur, custode, ut ualidiùs conturbaret miseri consilium, urgente ad descendum, tanquam anxius esset, ne in fuga deprehenderetur. Ille noctis pariter & timoris tenebris confusus, dum celeriùs, quàm manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induitur, & ritu feræ cassibus captæ, hæsit: ita ut nec sese deiicere, etsi præceps casus erat, posset, nec receptus in fenestram ullus daretur. Nocturnum frigus, & postea solem adurentem corpus non sensit, cùm animum magis dolor ureret. Ita totum diem retibus inuolutus, tāquam Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul ac miserandum plurimis spectaculum fuit. Cuius turpitudini hic quoque cumulus accessit, ut cùm ad transitum notorum atque honestorum uirorum faciem uellet auertere, prohiberetur, ne illis posteriora ostender et: nec quòd cibo ac potu caruerit eo die doluit, sed quòd ea, quæ nisi remotis arbitris decorè non fiunt, præsentibus arbitris facere non licuit. Receptus uesperi eōdem unde fugerat, tandem ad Ferdinandum Aragonum & Siciliæ regem uinctus perductus in Cataloniam, Barcellonæ in pristino apud regem honore habitus est. Valla lib. 2. Historiarum.

TAMERLANES, ex gregario milite dux Tartarorum, gentis etiam apud Turcas contemtissimæ, duodecies centena millia hominum in exercitu habuisse dicitur, non ætati, non sexui parcens, terror gentium & haberi, & uocari gaudebat. Commisso prælio Turcarum ducēta millia cæcidit. Captus Baiazetes, Turcorū Imp. Fulmē belli ob illustres uictorias dictus, in potestatem uictoris uiuus peruenit: ab eodemque aurea cathena cathenatus, & pro scabello habitus, quoties sellam conscenderet, nec secùs atque canis sub mensa de reliquiis cœnæ nutritus, ac ne quid contumeliæ, superbissimo quondam deesset, cauea inclusum, quocunque iter faceret, circumduxit. Dubrauius lib. 25.

FERDINANDVS, rex Neapolitanorum, præclaros uiros conclusos in carcere benè & abundè pascebat: eandem ex iis uoluptatem capiens, quam pueri ex conclusis in cauea auiculis. Qua de re sæpenumerò sibiipsi inter intimos suos diu multumque gratulatus, subblanditusque, in risum tandem ac cachinnos profundebatur. Pontanus de Immanitate, capite nono.

Dum Mathias Coruinus Hungarorum rex, instinctu Pontificis, contra Georgium Boëmorum regem bellum gerit: Victorinus Georgij F. dum è Trebitio Crumlouiam uadit ad Henricum à Lippa, qui sororem ipsius in matrimonio habuit, ab Hungaris captus, Budam perductus est, & miseris modis ab Hungaris habitus. In eam siquidem turrim illum coniecerant, quę in hunc diem tecto caret (Mancam seu Mutilam uocant, ut die noctuq; niuibus aut pluuiis complueretur, ac cęteris aëris tempestatibus uexaretur, quasi parum esset famem & sitim eum ficciſſimam tolerare. Etsi Bonfinius honestè habitum asserat. Dubrauius lib. 30.

Exules.

Medicei sub aduentum Caroli VIII. Galliæ regis in Italiam patria eiecti, quum Bononiæ haud multo tempore se tutos fore perspicerent, quòd IOANNES Bētiuolus minùs propensè ac liberaliter acerbissimo casu afflictos respexisse uideretur, Petrus Venetias, ipse uerò Ioannes Cardinalis cum Iuliano fratre, & Iulio patruele Petilianum, atque inde Tifernum ad Vitellios ueteres amicos confugerunt. Castigarat enim Ioannes eos primo congressu haud quaquam mollibus uerbis, secus ac recentis calamitatis casus postulare uidebatur: subagrestiore scilicet increpita ignauia, quòd ad uersus hostes nullo uirili edito facinore, nec in hostes dustro quidem ferro, incruenti, dominatu, patria, paternisque laribus, ac exuti fortunis omnibus excessissent. Iouius in Leonelibro primo.

DIGNITATEM. ERGA *Principes, Magistratus.*

Cùm Catulus censor, qui cum CATONI summa necessitudo intercedebat & familiaritas, interpellaret eum pro quodam, quem ipse quæstor in diserimen uocabat: Turpe est, inquit Cato, te, cuius partes sunt emendare nos iuuenes, ab apparitoribus nostris summoueri. Integrum ei erat citra uerborum asperitatem & amaritudinem, beneficiū re ipsa abnuere: quasi nec facto molestiam illi esset exhibiturus ultrò, sed necessariò lege & iustitia cogente. Plutarchus in Præceptis politicis.

L. LVCVLLVS ne principibus quidem & dignitate paribus poterat se præbere comē, sed omnes despiciebat, & nihili præ se faciebat. Plut. in Lucullo.

Legatos.

☞ *Vide Tit. Orationis Difficultas passiua, Aditum non præbere.*

Caduceator quidam in Samum ab Oræte præfecto Sardium missus ad POLYCRATEM tyrannum, cùm in cum conclaui cubantem inuenisset, mandata sibi ei exposuit. Polycrates uerò neque se ad hominem conuertit, neq; quicquā respondit. Ea re offensus Oroetes, Polycratem insidiis circumuentum cruci affixit. Herod. lib. 3.

ISAACIVS Angelus Byzantinus Imp. Friderici Barbarossæ in Palæstinam exercitum ducturi legatos uix domum passus reuerti, neque eos consessu ullo alio honore dignatus est, sed æquè ut alios Græcos seruiliter astare permisit. At Fridericus, posteaquam legati Græci ad se uenerunt, non tantùm ipsos sibi, sed ministros, coquos & equisones, uel inuitos, dominis assidere iussit. hoc ipso facto exprobrans Græcorum Imperatori inhumanitatem. Nicetas lib. 2.

ERGA BRVTA.

Athenienses ei, QVI uiuo arieti tergus detraxerat, multam dixere. Plut. I. orat. de Esu carnium.

Piscis est, quem Anthiam appellant. Horum nulli omnino capi possunt, nisi unum ex ipso genere piscator sibi longa intentione atque diligenti conciliauerit, quo ueluti duce, ad capturā aliorum uti possit. Et ideo in captura huic uni parcitur, ne occiso eo, ratio prædæ amittatur. Aferunt discordem SOCIVM, malefica uoluntate, ducem, hunc pulcre sibi aliisque notum clàm socio cepisse, & in macellum attulisse. Ibi cùm ab eo agnitus esset, cuius iniuria erat, socio damni dati formulam edidisse: atque ob id à iudicibus, decem libris, lite æstimata, condemnatum. Plinius Secundus lib. 9. capite 59.

PVER Athenienſis cùm psittaco oculos effodisset, ab Areopagitis capite multatus dicitur, quòd hæc non nisi summæ improbitatis indoles esse posset. Aelianus.

Augustus EROTEN, Aegypti procuratorem, malo nauis iussit affigi, quòd coturnicem aliarum uictricem comedisset. Plut. in Rom. Apophthcg.

ERGA STIRPES, ARBORES.

Scriptum reliquit Apollonius lib. 2. Argonaut. Paræbij PATREM, cùm insignem quercum esset excisurus, Nymphas uidisse, quæ ipsum supplex rogarit, ut sibi parceret, cùm uitæ suæ tempus in arboris ætate contineretur. Cui cùm & ille non paruisset, dicitur iratum numen in illum & in eius filios sæuiisse. Natalis Comes Mythol. lib. 5. cap. 11.

ERGA INANIMATA. VT ERGA MORTVOS.

☞ *Hic Inhumanitatem spectamus solam. Ipsa impietas, Iniustitiæ propria est. Sic Rapinæ, Auaritiæ. Consule Tit. Mortui sepulturæ honore fraudati. item Tit. Cadaueris cura inhumana. illic eorum, qui sepultura priuantur, hic eorum, qui inhumaniter priuant, habetur ratio. Item Tit. Crudelitatis erga hostes mortuos. quatenus extra uindictæ studium immanitatem spectatur.*

CAMBYSES Persarum rex, ob traditam sibi Nitetim Apriis regis filiam loco filiæ Amasis Aegypti regis, illius cadauer sepulcro ignominioſè erutum, tanquam uiueret, uerberibus cæsi, acutisq; ferramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit. Herod. lib. 3.

NVMIDÆ M. Marcelli, per insidias à Pœnis interfecti, honorificè tamen ab Annibale cremati, cineres uiolarūt. Cū enim Annibal reliquias, in argenteam conditas urnam, iniecta aurea cathena remisisset ad filium: Numidæ quidam in ferentes urnam inciderunt, eamq; auferre molientes: repugnantibus illis ui eripuerunt, proieceruntq; ossa. Quo nunciato

ciato Annibali, Numidas supplicio affecit. Plut. in Marcello.

STRABONEM Pompeij Magni patrem tanto odio populus Rom. persecutus est, ut cùm uiuentis potentiam in armis timuissent, fulmine extincti cadauer de pheretro inter efferendum detraxerint, ignominioseque tractarint. Idem tamen populus filium eius maximo amore complexus est. Plutarchus in Pompeio.

FIMBRIA quæstor, quòd nescio quid ignominiosè in se decreuisset, Valer. Flaccum consulem Nicomediæ in potestatem redactum, hostiliter interfecit, & insepultum abiecit. Sabellicus lib. 3. Ennead. 6.

C. IVLIVS Cæsar postquam audiuisset Catonem iuniorem defunctum esse: motus inuidia, quæ diu eius animo insederat, in eum librum mordacissimum conscripsit, quem Anticatonem nominauit, in quo omnia Catonis uitia notabat. Cuius apologiam postea Cicero scripsit, Plutarcho teste in uita Cæsaris.

Galba Imp. Othonis conspiratione audita, in forum processit. Equites eo conspecto incitati, eum contrucidarunt: quibus etiam fertur ultrò iugulum obtulisse. Trucidati & cum eo Piso filius adoptatus in templo Vestæ, & T. Iunius & alij plures, ut latè Tacitus narrat. Relictus autem ad lacum Curtij, MILES gregarius caput amputauit, & ad OTHONEM detulit: qui illud hasta suffixum, cum ludibrio circumferendum lixis calonibusque donauit. Quod deinde laceratum & multis contumeliis affectum abiiciebatur. serò truncum corpus sepultum est à dispensatore Argio in hortis eius Aureliæ uiæ. Sic periit tertio & septuagesimo ætatis anno, imperij mense septimo. Cuspinianus è Suetonio.

NERO in matrē mortuam sic fuit inhumanus, ut nudū corpus in lecto iacēs confossum spectarit, tractaritq; singula membra, laudaritque alia, alia uituperarit: nec uerbo temperauerit flagitiosiore: Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον, Nesciui, inquiens, mihi esse matrem adeò uenustam. Ex Suetonio Sabellicus lib. 2. Ennead. 7.

Liberti cuiusdā filij ossa in mare proiecta à DOMITIANO, quòd ex lapidibus, Iouis Capitolini templo destinatis, pater filio suo monumentum parauisset. Suetonius.

ACHILLAS, cùm caluariam mortui saxo petisset, resiliens lapis Achillæ frontem petiit. Sic de eo Ausonius:

> Abiecta in triuiis inhumati glabra iacebat
> Testa hominis, nudum iam cute caluitium.
> Fleuerunt alij, fletu non motus Achillas,
> * Insuper & silicis uerbere dissecuit.
> Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab osse,
> Auctorisq; sui frontem oculosq; petit.
> Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
> In proprium ut redeant tela retorta caput.

Translatum est autem è primo Græcorum Epigram.

> Κρανίον ἐν τριόδοισι κατοιχομένου τις ἰσαθρῶν,
> εἰκόνα τὴν κοινὴν σὰρξ ἐδάκρυσε βίου·
> δεξιτερὴν δ' ἔρριψεν ἐπὶ χθόνα, καὶ λίθον ἧκε,
> κωφὸν μὲν δοκέοντ', ἀλλὰ πνέοντα δίκης.
> ὀστέον ὡς γὰρ ἔπληξεν, ἀφήλατο, καὶ τὸν ἀφέντα
> πήρωσε, γλυκεροῦ βλέμματος ὀρφανίσας·
> καὶ πάλιν εἰς ἀΐδην ἐκολάζετο. τὴν ἰδίην δὲ
> ἔκλαυσεν χειρῶν εὔστοχον ἀφροσύνην.

COMMODO Imp. interfecto, Senatus eius cadauer, ut unco tractum in Tiberim deiiceretur decreuit, & populus postulauit. Sed iussu Pertinacis postea in monumentum Adriani translatum est. Cuspinianus.

CRVNNVS Bulgarorum rex, uicto & interfecto Nicephoro Imp. caput amputauit, & ex cranio eius poculum fecit. Paulus libro uigesimoquarto rerum Romanarum, anno Domini 810. Sigebertus.

CONSTANTINVS Imp. patrem Heraclium Imp. mortuum, à quibusdam admonitus, corona, qua regno inauguratus fuerat, spoliauit. Cedrenus.

ALEXIVS Angelus Imp. cùm à prouinciis tributum Alemānicum, quo pacem ab Henrico VI. Rom. Imp. redimeret, non impetraret, aurea quoque & argentea donaria templorum sibi denegarentur: monumenta Imperatorum Constantinopoli spoliauit. Nicetas lib. 1.

VENETI Petrum Candianum ducem, principatu pulsu post decimumquintum annum, incensaque simul ducaria æde cum D. Marci templo, fugientem cum paruulo filio, supplicantem etiam, ut ipsi saltem parcerent puero, cum coniuge ipsa & filio interemerunt: inuentumque eius cadauer in macellum usque pertraxere, membratimque laceratum canibus tradidere. Egnat. lib. 9. cap. 10.

HISMAEL Sophus, Persarum regia Taurisio occupato, sepulcrum eximij operis, quo auunculus Iacuppus more Persarum conditus fuerat, euertit, ossibusq; disiectis, & abrasis tota urbe eius titulis, quo dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Harduellem enim Hismaelis patrem Iacuppus interfecerat, metuens ne sub nouæ religionis prætextu regno insidiaretur. Iouius.

Arnoldus Moguntinno potitus, per simoniam episcopatu, uestem consecratam è templo surripuit, & inde sibi ad pompam, quando in aula Imper. uersaretur, uestes consui curauit. Hanc insolentiam CIVES iniquo animo ferre. Arnoldus crescente intestino dissidio, asperè & tyrannicè Moguntinos canes uocabat, qui parùm mordere ualerent, licèt plurimum latrarent. Eiusmodi uocibus ciues inflammati in Arnoldum conspirant. Ergo cùm Binga reuersurus Moguntiam in monasterio S. Iacobi diuertisset, ciues ad campanæ sonum summo diluculo diei posterioris, qui Ioannis Baptistæ erat, agminatim conuolarūt armati, cingunt monasterium, ignemque simul iniiciunt. Monachi fuga salutem quærunt. Id quod cùm & Arnoldus induto cucullo tentaret, agnitus, gladiis, hastis, contis transfigitur. Anulos etiam & ornamenta è manibus & collo detrahunt. Sepulturam quoque eius integro triduo prohibent, ut omnium ludibrio, etiam mulieribus dentes ipsi saxo elidentibus, pateret. Clàm à Canonicis S. Mariæ subtractus, in ecclesia sepultus fuit, anno 1160. Conradus in Chronico rerum Mogunt.

Innocentium Catiam, LVDOVICVS Sforcia Insubrum dux aliquot antè annis fato functum, obiectis quibusdam criminibus, è sepulcro in ius uocari damnariq; iussit: ut bona illius ueluti conuicta iudicio per leges fisco addicerentur. Quod sicuti inauditum & execrabile uisum est, ita illi singularem inuidiam concitauit. Iouius lib. 2. Hist.

STEPHANVS Bator Transsyluaniæ Vayuoda, & Paulus Kinisius Temesuari comes, contra Turcas in Transsyluaniam ab Mathia Coruino rege missi, commissa ad Marum seu Marysum amnem pugna, uictoria insigni potiri, cæsis hostium cadaueribus pro mensis usi, corpora militum refecēre, Pyrrhichiam saltauēre. Paulus ipse spectante exercitu interfaltandum Turcæ cadauer dentibus, sine ullo adminiculo manuum corripuit, & saltans in orbem circumtulit. Bonfinius libro sexto, Decadis quartæ.

Cæsis MDC Heluetiis à Delphino Caroli VII. Francorum regis F. ante Basileam: BVRCARDVS Monachus uir nobilis, post prælium ouanti similis per medios occisorum aceruos equo ferebatur, aperta galea uociferans, Quàm iucūdum spectaculum, quàm roseum pratum obequitamus! Quod unus Heluetiorum iam animam agens audiens, genu uti poterat innixus, saxo arrepto frontem Burcardi tanta ui perculit, ut exanimis equo delapsus, impię uocis & perfidiæ erga patriam pœnas dederit meritas. Stumpfius.

CHRISTIERNVS Danorum rex, Stenonis Iunioris Sueco-rum regis à suis proditi cadauer exhumatum cum posthumo, cruribus & brachiis semiustum, in terrorem prouincialium circummisit. Olaus lib. 16. cap. 45. Septent. hist.

Apud SVECOS & Gothos, sub religionis mutationem, quidam mortuorum sepulcra, uel spe reperiendi thesauri, uel salis nitri excoquendi gratia uiolarunt. Neque dubitarunt sub ea specie nepotes & filij maiorum cineres, stercori pecorino, uel fœtidæ urinæ commiscere. Olaus lib. 16. cap. 45. Septent. reg.

Alidosium Cardinalem Gallum, patriarcham Aquileiensem, è sepulcro erutum ILLI spoliarunt, quos ipse ad summas dignitates sacras ex infima fortuna extulerat. Platina.

SEPVLCRA.

Auctor Iosephus est, & repetit Egesippus libro primo, HYRCANVM, quum ab Antiocho rege premeretur obsidione, ut auro redimeret, quod ferro nequibat, reserato Dauidis regis sepulcro, auri talentorum tria millia inde eruisse: ex quibus Antiocho trecenta erogarit, ut obsidionem desineret, ac precio emtus discederet. Mox ut facti inuidiam leuaret, eadem pecunia Hyrcanus fertur primus xenodochia exstruxisse, quibus aduentantes exciperentur pauperes.

XERXES Darij filius, effosso uetusti Beli monumento, uitream urnam reperit, ubi iacebat in oleo mortuus: non tamen plena fuit urna, uacuumque à summis labris ferè palmæ spacium habuit. Adiacebat urnæ columna exigua, in qua scriptum continebatur, eum qui sepulcrum aperuisset, neque repleuisset urnam, pessimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expauit, & oleum celerrimè iussit infundi. non tamen impletum est. Vbi iterum infundi iussit, neque sic incrementum accepit: donec frustratus omni labore infundendi, clauso monumento summa cum mœstitia discederet. Neque uerò falsum eum habuerunt, quorum prænuncia significatrixque extiterat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu aduersus Græcos conscripto, magnam cladem accepit: reuersusque turpissima morte uitam finiuit, noctu in stratis à proprio filio peremtus. Aelianus libro 13. de Varia historia.

Agrigentinus dux PHOENIX bellum cum Syracusanis gerens, & Simonidis sepulcro perquàm superbè & inclementer dissipato, è lapidibus turrim condidit, qua tandem capta urbs est. Suidas.

Mos antiquis erat, in agris suis sepeliri. VECTIVS quidam agrum excolens, illic inuento sepulcro patris non pepercit, sed aratrum superinduxit. Qua in re ita lusit Augustus: Hoc est (inquit) uerè sepulcrum patris colere. Macrobius libro 2. capite 4. Saturnalium.

HISPANI milites sepulcra, spe prædę, capta Roma sub Carolo V. uiolarunt: ita ut Iulij II pontifices cadauer, multa exesum carie eruere, & anulo spoliare non dubitarint. Iouius in Pompeio Columna.

HENRICVS Reginoburgensis episcopus, plumbea monumenta, in sepulcro Bertholdi præsulis inuenta, liquefecit. Auentinus 6. Annalium.

INHVMANITAS SECVNDVM MATERIAM, CONSIDERATA RESPECTV RERVM. VT QVO AD

ALIMENTA VEL

NEFANDA. ANTHROPOPHAGI. HVMANA carne uescentes, uel pascentes alios.

Humanæ epulæ Immanitatis sunt belluinæ, Popularitati oppositæ: Quæ alioqui respectu Ingluuiei ad Intemperantiam, respectu Vindictæ ad Crudelitatem pertinent.

TITANES Liberum patrem coctum deuorarūt. Vide Tit. Superstitionis sacra stulta, ridicula.

LYCAON filium puerum, TANTALVS proprium filium Pelopem diis proposuere epulandum. Vide Tit. Contētores religionis & Deorum.

Cùm Cyaxares, Medorum rex, Scythas apud se exules probris insectatus esset, quòd in uenatione, ut aliâs, nil cepissent: SCYTHÆ unum ex pueris, quos instituebant, mactarunt, proponentesq; coctum regi aufugerunt. Cyaxares cum aulicis suis pueri carnes absumsit. Sab. lib. 4. Enn. 2.

GLAVCVS Sisyphi F. qui apud Potniā regnauit, equas humanis carnibus aluit, à quibus ipse tandem discerptus est. Probus Grammaticus.

DIOMEDES rex Thracum, ab Hercule uictus, & equabus suis humano assuetis cruori obiectus, periit.

LAMIA regina pueros deuorasse dicitur: quòd cùm ei omnes liberi essent mortui, hoc casu mœsta, & inuidia aduersus fœcundas mota, ex ulnis infantes abripi & cōfestim necari iusserit. Diod. lib. 20.

Clearchus in libris Vitarum, eò usque crudelitatis prouectum narrat PHALARIM tyrannum, ut infantes lactentes comederit. Athen. l. 9. c. 18. & Arist. lib. 7. Ethicorū c. 6. cōmeminit.

Roma à Vitige Gothorum rege obsessa, uniuersam Italiam extrema fames inuaserat. Dacius, Mediolanensis antistes, tam arcta caritate annonæ in sua scripsit diœcesi laboratum, ut præterquàm quòd fœda & obscena multa esui essent, reperta sit MVLIER, quæ fame adacta, à filij carnibus non abstinuerit. Sab. lib. 3. En. 8.

Eo etiam ipso tempore, Procopius Græcus scribit, duas MVLIERES, quæ apud Ariminum hospitatoriam cauponam exercebant, fame coactas, decem & septem homines diuersis temporibus interemisse, qui fortè seorsum apud eas hospitatum iuerant: quo tempore cubitum profecti, iam alto somno indormiebant, atque eorum carnibus sibi alimenta parasse. quod postea unus detexit, qui ipsis cædem peragentibus inuigilabat, à quo ambæ interfectæ fuerunt. Fulgosus lib. 7. cap. 6.

Humanam carnem post omnem hominum memoriam sic appetiuerunt SAGÆ, ex Apuleio lib. 2. Asini: ut ægrè mortuorum corpora seruari aut concludi etiam possent, quin illæ ingressæ ad ossa usque abroderent. Quamobrem 67. capite legum Salicarum dicitur, Sortilegam, si hominem ederit, atque euincatur, solidos ducentos soluturam. Philostratus Lemnius auctor est Lamiam, quæ sic humanis uescebatur carnibus, Corinthi ab Apollonio Tyanæo retectam & eiectā esse. Quò spectans Horatius, & uelut crudelissimum facinus abominatus, inquit,

> Neu pransæ Lamiæ puerum uiuum extrahat aluo.

Atqui hoc Magis in more fuit positum, ut cibo isto alerentur. Apud Ammianum Marcellinum lib. 29. legimus Pollentianum Tribunum conuictum & confessum fuisse, quòd uiuæ mulieris exsecuisset uentrem, ut intempestiuo partu extracto, de futuro Imperatore consuleret. Rōdeletus Magum quendam in Montepessulano sepulcris hærentem obseruauit, qui ad sepulcrum profectus, ubi mulieris corpus fuerat pridie conditum, ex eo rescidit femur, quod imponens humeris, carnem dentibus mordicus auellebat. Lycanthropiam morbum Rondeletus dicebat esse, qua homines furiosi facti se uerti in lupos putant, eoque cibo uescuntur. Bodinus lib. 2. Dæmon. cap. 5.

Strabo scribit HYBERNIÆ indigenas syluicolas humanis uesci carnibus, parentes defunctos esitare, cum alienis uxoribus misceri in propatulo, cum matribus & sororibus coire. Diuus Hieronymus lib. 2. ad Iouinianum auctor est, uidisse se, quum adhuc adolescens esset, quosdam huius gentis (ipse Scotos uocat) muliebrem mammā & natem esitantes, astipulaturque Straboni & aliis, in iis quæ de infando eius gentis concubitu traduntur. Sabellicus lib. 6. Ennead. 6.

Latronis cuiusdam Scoti ἀνθρωποφάγου FILIA, quum ob esum humanarum carnium duceretur ad supplicium, conuersa ad increpantes, uultu crudelitatē prę se ferēte: Quid, inquit, me obiurgatis ob scelus homine indignum? Qui si experti essetis, quàm palatum delectet humana caro, ne à liberorū quidem esu abstineretis. Ita perpetrati criminis impœnitēs uiua terra obruta est. H. Boethius lib. 18.

CANNIBALES, qui insularū à Christophoro Columbo Ligure inuentarum partem incolunt, homines tetri trucesq;, puerorum & uirorum carnibus, quos aliis in insulis bello aut latrociniis cepissent, uescebantur, à fœminis abstinebāt. Vicos hi habebant, uicenis aut tricenis domibus singulos: domusque erant omnes ligneæ, ac rotunda forma, palmis & stipulis contectæ, certarumque arborum & arundinum foliis, ad arcendos imbres. Aere utebantur adeò temperato, ut Decembri mense auium aliæ nidos ponerent, alię pullos educarent suos. Bembus lib. 6. Hist.

LOMBARDVS puer in montibus Summæ arcis prope Neapolim duos infantes trium annorum, in speluncam quandam blanditiis deductos, dissecuit, & carnes absumsit, partim crudas, partim igni coctas: fassus plures se comedisse, ob cibi suauitatem. Poggius in Facetiis.

Paruanas Turciæ præfectus, regionem Turcicam, quā Tartari armis an. 1280. sibi pepererāt, Aegyptio Sultano uēdiderat. ABAGAS Can Tartarorū rex, armis Turciæ regno recuperato, captū proditorē medium dissecuit, carnes inter alias epulas coxit, & cū proceribus suis deuorauit: questus interim, ne sic quidem sibi satisfactū esse. Fulg. lib. 9. cap. 10.

PAVLVS Kinisius inferioris Hungariæ præfectus, cùm præsidiarios milites de Alba Græca Turcis prodenda, cōsilia habuisse audisset, in carcerē fœdissimū conditos, singulis diebus corū singulos hœdorū in modum ueru præfixos, & ad ignem diligenter assatos, sociis uescendos apposuit: identidem, Vt proditorū caro ad palatū responderet, interrogās. Nouissimum aūt eorum, nemine omnium extante, cui ipse cibus apponeretur, lenta inedia, cibiq; necessarij subtractione confecit. Bonfin. lib. 3. Dec. 5.

CAIETANI quidam (quorum patria, trucidatis crudelissimè ciuibus, à Gallis erat direpta) dum Ferdinandus II. Aragonius in urbem Neapolim à suis reciperetur, Gallique passim cæderentur, aliquot nacti Gallos, qui in templum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeò ut exemta morientibus corda, immani quadam rabie, præ ira ac dolore acceptæ calamitatis dentibus admouerint. Iouius lib. 3. Hist.

Anno 1145. fame permaxima in Gallis grassante, Ecclesiarum Christi munificentia tanta fuit, ut multa modiorum millia in pauperes erogarent. In Lingonensi parochia apud Morinandum, ubi quamplurimi quotidiana stipe fouebantur, QVIDAM diuendens carnes hominum à se iugulatorum coctas, deprehensus, laqueo necatus est. Sigeberti Contin.

DENEGATA.

Gedeon petiit à uiris SOCHOT & Phanuel, panes pro commilitonibus fatigatis. Illi uerò dare renuerunt. Iudicum 8.

MEDICAMENTA

ABOMINANDA.

MAGI Persici Trabulam Simeonis sororem Christianam serra in duas partes dissectam stipitibus alligarunt, & reginam ægrotātem per medias transire iussere, spe recuperandæ sanitatis. Sozomenus lib. 2. cap. 12.

SACERDOTES Iouis Capitolini Constantinū iussere suam lepram sanguine infantum curare & abluere. Nicephorus lib. 7. cap. 33. quanquam Platina in uita Marci id factum neget, & Sigonius fabulam esse putet.

SPECTACVLA.

Gladiatorū spectacula magno in usu fuere antea ROMANIS (quam Nicolaus Damascenus ait à Tyrrhenis acceptā consuetudinem) adeò ut non in conuentibus solùm, ludis ac theatris, ea populo exhiberent, uerumetiā amicis in priuatis epulis. Quòd si alter alterum iugulasset, quasi magnoperè delectati applaudebant. Athen. lib. 4 cap. 17.

ROMANI edendis gladiatorum muneribus, haud medio-cris

cris sæuitiæ nomen subiuerunt. Seruos enim coemebant, quos gladiatoria instructos arte producebant, ut acutis inter se gladiorum mucronibus dimicarent: alios etiam feris in harena obiiciebant, ut plerosq; miserabiliter à feris dilaniari, atq; semiuiuos deuorari, non sine uoluptate conspicerent: precio enim humanum sanguinem parabant, quem si ne ullo necessario usu effundi spectarent. Ad ea autem spectacula cùm non uiri modò, sed feminæ quoque ac pueri magno studio concurrerent, quis negauerit, in grauem crudelitatis notam sub uoluptatis specie eos incurrisse? Fulgosus lib.9.cap.2.

ROMANVS populus uictor, frequens sedit totis theatris, exhibuit sibi sub eodem spectaculorum die paria CCC gladiatorum, feras, leones, ursos, pantheras, & indomitos boues, eodem numero, quos se mutuis uulneribus conficientes uideret ad uoluptatē. Captiuos quoq; adductos ex deuictis prouinciis, domi honestè natos, suis fortunis præter cuiuspiam iniuriam fruentes, iure autem gentium pro libertate patriæ, incolumitate fortunarum, saluteque parentum, uxorum & liberorum pugnantes, & triumphatos, circumduxit in catena, attraxit in arenam, obiecit cruentis feris, aut coëgit in mutuas cædes. Hic ille populus spectator, qui humanum sensum exuit, seque ad omnem immanitatem obfirmauit, neque satis pœnarum sumtum sibi à uictis credidit, per considerationem quòd miseri patria carerent, fortunis exuti, exarmati & ad reliqua innocui essent, quin graui catena constricti malè præterea cruciarentur, pro uxore & liberis distractis, pro pudicitia uiolata, pro salute omnium desperata, quoniam & uitæ & necis ius situm penes alienum dominum nossent.

SVPPLICIA, TORMENTA INHVMANA.

PARYSATIS minoris Cyri mater, præter cætera suppliciorum monstra, commenta est rationem, qua humana corpora gignerent sibi uermes, quos paulatim suis carnibus alerent, adultos & ualidiùs in se grassantes, ingenti cruciatu ferrent, quo ad corpus miserabiliter consumtum, mortem lentiùs admitteret. Sab.lib.8.cap.3.ex Plut. Artoxerxe. Hoc genus supplicij Scaphismum uocant, & DERBICCIS Persis familiarem esse scribūt. Nā scaphas duas inter se congruentes accipiunt, in alteram supinum eum, qui pœnæ est destinatus, locāt: inde inducūt alterā, & coaptāt ita, ut caput, manus & pedes exerātur, reliquum sit inclusum corpus. Tum cibum homini præbent: quem si reiiciat, compellunt eum oculos fodicantes sumere. A cibo mel & lac cōfusum ei ad potum infundunt: tum ad solem obuertunt assiduè oculos eius, ut incubantium examine muscarum tota integatur facies. Cùm aūt intus naturæ opus peragit: tineæ & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proueniunt, à quibus corpus in uiscera penetrantib. consumitur. Postquā constat expirasse hominem, ablata superiore scapha cernunt carnē corrosam, & eiuscemodi uermium examina mordicùs affixorum uisceribus, eaq; adedentium. Ad hunc modum Mithridates, qui Cyrum regis fratrem in prælio uulnerauerat, & huius facti gloriam sibi, non regi uendicabat, septendecim dies tabescens tandem interiit. Plut. in Artoxerxe.

HETRVSCI uiuorum corpora saniosis & tabidis mortuorū cadaueribus alligabant, ora oribus, manibus manus, & pedes pedibus componentes. Feritatem hāc in MEZENTIO notat Verg. lib.8. dicens:

> Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis,
> Componens manibusq; manus, atq; oribus ora,
> Tormenti genus, & sanie taboq; fluentes
> Complexu in misero longa sic morte necabat.

Quamuis ueteribus Romanorum mitissimas placuisse pœnas legamus: lapsis postea temporibus, ab IMPP. quos nulla satietas pœnarū cepit, multa iræ atq; inuidiæ fœda exempla edita inueniuntur, ultimisq; cruciatibus & crudelibus suppliciis sæpè in noxios uindicatum. Nam & tunica fomentis igneis illita, ad palum deligati adurebantur, uel grandi stipite à summo ad imum adigebantur, ut igne accenso, crudeli cruciatu excarnificati interirent: præterq; equuleos, fidiculas, ergastula & cruces, circūdatosq; corporibus ignes, lacerationes membrorum & incursus bestiarum, aliosque enectos ueneno & fame, & dictu fœdiora exempla, quæ exequi longum esset. Alex. lib.3.cap.5.

ARVNTII Paterculi fabri ferum atq; immane fuit ingenium. Aeneum enim taurum tanta conflauit arte, ut damnati, qui in eo includerentur, adhibito igne, cùm præ dolore gemerent, taurinos mugitus edere uiderentur. Cùm autem Aemilio Censorino Aegestæ tyranno in Sicilia munus dedisset, iustè ut is primus inuēti sui periculum faceret, à Censorino coactus est. Fulgosus lib.9.cap.2.

Sæuus PERILLVS ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus resonantem spiritum edere cogebantur, ne eiulatus eorum humanæ sono uocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent. Quam quia calamitosis deesse uoluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus, meritò auspicatus est. Val. lib.9.cap.2. Hunc taurum Lucianus à tyranno Delphico Apollini consecratum, at Timæus ab Agrigentinis in mare demersum narrat, cui M. Tullius actione in Verrē sexta non adhæret. Brodeus.

Supplicij genus dirum excogitasse primus fertur AVIDIVS Cassius Imp. ut stipitem poneret pedum octoginta uel centum, moxque à summo ad imum damnatos obligaret, ad ima igne subiecto, aliisque ardentibus, alios fumo præfocabat, aut terrore exanimabat. Idem catenatos denos in profluentem mergi iubebat. Manus nonnullis præcīdit uel crura, aut poplites: maius adstruens uiuentis exemplum criminosi miserabilis, quàm occisi semel. Cælius lib.10.cap.5. A.L. ex Lampridio.

VLPIANVS I.C. septem libros de torquendis Christianis, nō ad historiæ cognitionē, sed ad suppliciorum acerbitatem scripsit. Io. Bodinus Methodi historicæ cap.4.

MACRINVS Imp. quem ob crudelitatis magnitudinem Macellinum nuncupauerunt, uiuentes homines mortuis alligabat, donec uermibus fœtoreque conficerentur. Fulgosus lib.9.capite 2.

SACRIFICIA. HVMANAE VICTIMÆ.

☞ *Consule Tit. Superstitiosorum sacrificiorum. Illic Religionis excessus, hic Humanitatis defectus, ratio habetur. Vt breuitati consulatur, tautologia fugienda.*

ARCANA.

De MVLIERCVLARVM quarūdā garrulitate: Sciūt id quod in aurē rex reginæ dixerit: sciunt quod Iuno fabulata sit cū Ioue, quæ neque futura neq; facta sunt. Plaut. in Sagarino.

NOVA. STVDIVM NOVITATIS.

Bartolus in l. si qs mihi bona. §. pater Seio, narrat, NOBILEM quendam Florentinum, cùm famulo suo mandasset, ne unquam domum rediret, quin aliquid noui de inimico suo sibi afferret: & famulus illum heri sui inimicum adortus occidisset, domumq; reuersus idipsum ceu rem maximè nouam domino nunciasset, capite plexum esse, quòd mandato suo necis occasionem dedisse uideretur.

INHVMANITAS CONSIDERATA RESPECTV ACTIONVM HVMANARVM.

CONVIVANDO. V. C.

NON ACCEDERE AD CONVIVIVM.

PERICLES Atheniensis omnē cœnarum apparatū, & id genus beneficentiā, facilè perpetuoq; contemsit ac reiecit, ut tā longo tempore, quo in republica est uersatus, nunquam apud amicū cœnarit, præter quàm Euryptolemo nuptias celebrante, & id quoq; eatenus, ut peractis libationibus mox abiret. Siquidem animorum elationi magnitudiniq; deprimendæ aptissimum esse conuiuium, sanxēre nonnulli: quando inibi grauitatis seueritatisq; expectationem seruare, uel difficillimum sit. Cælius lib.28.cap.7. A.L. ex Plut. Pericle.

INVITATIONEM NON FERRE.

STARCHATERVS Suecus, pugil fortissimus, ad conuiuia nunquā sustinuit inuitari: asserens, hunc scurrarum & parasitorum morem esse, lautioris alimoniæ gratia ad alienæ culinæ nidorem decurrere. Quocirca non secùs ac graui iniuria affectus, inuitantes grauibus pœnis afficere consueuerat. Olaus lib.5.cap.5. hist. Septentrionalis.

INVOCATVM ACCEDERE.

Μυκόνιος γείτων. id est, Myconius uicinus. in eum, qui inuocatus ad conuiuiū accedit. Nam hoc nomine MYCONIOS notauit antiquitas, quòd liguritores essent, & alienæ appetentes mensæ. Ad hunc modum Suidas. Zenodotus autem ait conuenire in sordidos, atq; humiles homunciones, propterea quòd ea insula inter contemtas habita sit, ob sterilitatem, atq; ob id gentem auidiusculam, & alieni appetentiorem fuisse. Athenæus idem fermè testatur in primo sermone Dipnosophistarum, citans hunc ex Archilocho uersum, quo taxauit Periclen quendā, ὡς ἄκλητον ἀσελγόντα ἐς τὰ συμπόσια μυκονίων δίκην. i. uelut qui inuocatus irruerit in cōuiuia, Myconiorū more. Idem addit Myconios, quòd inopes essent, utpote sterilem insulam incolentes, ἐπὶ γλισχρότητι καὶ πλεονεξίᾳ fuisse notatos. Egestas enim facit auidos alienarum rerum: unde & Cratinus Ischomachum quendam gulæ mancipium, Myconium appellauit. Erasm. in Adagiis.

TARDE ACCEDERE.

Plutarchus in Symposiacis ostendit, olim cognomina quædā prouerbiali ioco iactata fuisse in eos, qui seriùs ac cunctantiùs ad conuiuium accederent. Dictos enim tum κωλυσιδείπνους, tum ζοφοδορπίδας, tum τρεχεδείπνους. Nam cùm cunctarētur adire, impedimento esse uidebantur, quo minùs aliis cœnare liceret: & lentitudine sua efficiebant, ut conuiuium ad noctem usque proferretur. Tertium cognomen κατ' ἀντίφρασιν attributum apparet. Negat autem apud Plutarchum quispiam, PITTACVM ab Alcæo Zophorodorpidem appellatum, quòd seriùs iniret conuiuium, sed quòd sordidis ac plebeiis compotationibus gauderet. Antiquitùs autem inelegans ac parum urbanum habebatur, si quis ad conuiuium rogatus, tardiùs aduenisset. Battus quidam scurra apud Cæsarem eos qui tardiùs uenirent ad conuiuium, ἐπιθυμοδείπνους appellat, quasi dicas, conuiuiorum appetentes: propterea quòd quum essent occupati negotiis, ob cœnarum tamen cupiditatem non excusarent iis, à quibus rogarentur. Erasmus in Adagiis.

Terentius in Scipsum excruciante, indicat, inciuile fuisse apud VETERES statim & ante tempus adesse conuiuam, cùm Chremes ait illos iam dudum præstò esse domi suæ, seque ipsum in mora conuiuis esse, nimirum indicans, contrà fieri solere. Erasmus in Adagiis.

CONVIVAS MALE TRACTARE.

Apud PARTHOS regis amicus humi subsidet, rege in sublimi thoro accumbente, atq; more canum iis uescitur cibis, qui ab ipso rege proiiciuntur. Sæpiùs etiam uel minima de causa ab extensa illa in terra cœna distractus, loris tessellatis uirgisq; cæditur: atque cùm factus est sanguinolentus, humi pronus procumbens, tanquam benefactorem, uerberonem cogitur uenerari. Athenæus libro 4. capite 14. ex Posidonio Stoico.

PHILOXENVS Cytherius & GNATHO Siculus mucum in paropsidibus cibariorum emungere solebant, ut reliqui conuiuæ ea auersarētur, & ipsi soli absumerent. Plutarchus de dicto, λάθε βιώσας.

DISPVTANDO.

GLAVCVS medicus, Plutarchi tēpore, in re medica quidem, ut Homeri uerbis utar,

> Hic alios multos æquauerat unus:

sed animo fuit erga philosophiam parum placido, sempérque in disputationibus habebat aliquid confragosi & acerbi: procul etiamnum uociferans, rem eos non exiguam neque leuem designasse, qui differendo de uictus ratione salubri, terminos confudissent. Plut. in Præceptis salubribus.

Domninum Syrū philosophum, senem iam, cōuenit ASCLEPIADES adolescens, & uidit hominem illum habuisse aliquid magnificum & constans, qui non multum cum idiotis & hospitibus colloqui soleret, nisi aliqua re excellere uiderentur. Cùm nescio quo de præcepto arithmetico assentiri illi noluisset, sed, ut adolescens, nihil cessisset, ac disputationem eius acriùs coarguisset, à Domnini congressu exclusus est. Suidas.

PRISCVS sophista & magus insignis sub Iuliano, usq; adeò morosus erat in conferendo de eruditione cum aliis, ut literarum rudis uulgò haberetur: ægrè admodum ad disputationes adducebatur, dogmata premens tanquam thesaurum. Eunapius in eius uita.

ACCVSANDO.

CALPVRNIVS Saluianus in accusando inhumanissimus fuit: ut etiam feriarum Latinarum diebus, contra morem receptum, Sextum Marium corā Druso præfecto urbis reum postularit. Quo ipso nomine in exiliū actus fuit. Tacitus l.4.

CAVSAS AGENDO.

Quintilianus lib.11. Vitiosa, inquit, sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, & quasi improbam facere. Plutarchus scribit hunc gestum peculiarem fuisse M. TVLLIO, ut dicturus læua faciem demulceret. Eoq; gestu etiam ceruicem percussori præbuisse fertur. Alioqui non inficias it ipse Cicero, initio dicendi trepidantiorem fuisse sese.

COMMVNI DIVIDVNDO.

Tiberius Imp. cùm principatum diuisisset, ut collegis etiam aliquam partem traderet, & facta iam esset grauis contentio: ASINIVS Gallus, Opta igitur (ait ad Tiberiū) quā partem uelis. Cui Tiberius respondit: Quî fieri potest, ut is optet, qui ipse partes faciat? Gallus cùm cognouit se ob tantam linguæ libertatem apud Cæsarem periclitari, cepit lenire sermonem, sed frustra: acceptis enim postea multis & grauibus incommodis, ad extremum occisus est. Dion Nicæus in Tiberio.

MECHANICVM OPVS FACIENDO.

Archelaus rex Macedonum TONSORI garrulo subinde roganti, Quomodo te radam, ô rex? Silendo, inquit. Plutarchus in regum Apophthegmatum.

AVRELIVS pictor Romanus insignis, meretrices tantùm & scorta pingere delectabatur, auctore Plinio. Cui neque fuit in hoc dissimilis PYREICVS pictor excellens, cognominatus Rhyparographus, id est, sordidarum rerum pictor. Guido Bituricensis.

INHVMANITATIS FRVCTVS.

PER SE.

☞ *Vide Tit. Reprehensiones non ferre. &, Reprehensio amarulenta.*

INIMICITIA, ODIVM.

IVDÆI asperiùs allocuti Israelitas decem tribuum, defectionis causam illis præbuere, ita ut secuti sint Sebam filiū Bochri. 2 Reg.19. & 20.

DEMETRIVS Poliorcetes, Macedoniæ regno potitus, non tantùm diadematis usum recepit, uestesq; purpura & auro intextas, sed calceos etiam gestauit auratos. Difficiles ad eum aditus, superbissima responsa non mediocriter ab illo populorum studia alienarunt, ut tandem ad Pyrrhum defecerint. Plutarchus.

PYRRHVS, Epirotarum rex, à Siculis ex Italia euocatus, uti à tyrannide Carthaginensium insulam liberaret, humanitate & indulgentia omnes sibi ab initio deuinxit. Occupata inde insula, cùm Africam mente concepisset, & cogēdis in naues classicis tyrannicè agere inciperet, infensissimo odio ciuitates eum prosequi cepere, ita ut aliæ ad Carthaginenses defecerint, aliæ acciuerint Mamertinos. Vbi defectiones & conspirationes undique & ualidam aduersus se uidit coniurationem: accepit literas à Samnitibus & Tarentinis, qui quòd circumcirca agris pulsi ægrè bellum à mœnibus propulsarent, opem eius implorabant. Color autem hic fuit, ne pro fuga discessus eius, & pro rerum desperatione Siculorum haberetur. Reuerà cùm tenere sicut nauem agitatam non ualeret insulam, sed exscensionem quæreret, coniecit se denuò in Italiam. Fertur cùm discederet iam, ad insulam respectans, comitibus suis dixisse: Quam amici palæstram Carthaginēsibus & Romanis relinquimus? Plut. in Pyrrho.

Ab Cæsaris amicitia TIMAGENES excidit, qui uocem liberam quidem nunquam usurpauerat, uerùm in conuiuiis & deambulationibus assiduè nullam in rem seriam,

> Sed quod ridiculum fore nosceret inter Achiuos,

criminationem amicitiæ ut commentum contumeliæ adferebat. Plutarchus de Discern. adulat.

REPVDIVM.

VASTHI, Assueri Persarum regis uxor, à rege septimo die epuli, quod principibus suis exhibebat, in conuiuium uocata, ut principibus pulcritudinem eius ostenderet, uenire recusauit. Itaque consilio Mamuchani ab Assuero repudiata fuit, Hestere Hebræa superinducta. Hester 1.9.

SVPPLICIVM.

Caduceator quidam, in Samum ab Orœte præfecto Sardium missus ad POLYCRATEM tyrannum, cum in conclaui cubantem inuenit, mandataque ei exposuit. Polycrates uerò neq; se ad hominem conuertit, neq; quicquam respondit. Qua re offensus Orœtes, Polycratem insidiis circumuētum cruci affixit. Herod. lib.3.

AEMILIVS Censorinus, Aegestæ urbis Siciliæ tyrannus, multis muneribus eos prosequebatur, qui inauditum aliquod tormenti genus excogitassent. Spe igitur lucri commotus quidam Aruntius Paterculus, equum ex ære fabricatum ei dono dedit: ille autem muneris auctorem primùm ibidem conclusit, & emori fecit. Idem tauri similis inuētori PERILLO Phalaris Agrigentinus tyrannus fecit.

REPVLSA DIGNITATIS.

Nicolao V. mortuo, Cardinales Bessarionem Nicenum, pontificem designarant, & ad cubiculū illius bis accedentes, pontificem salutaturi erant. NICOLAVS Perottus eius famulus molestè ferens nunc somnum, nunc studia patroni interrumpi: Non esse, cur cardinalem inquietēt, acerbè respondit. Ergo bis reiecti, simul etiam à cardinale Auinionensi persuasi, qui indignū facinus esse dictitabat, Latinos Græco, orthodoxos hæretico conuerso Rempublicam Christianam committere, Calistum III. creauere. Ita Bessario, qui

per

per noctem integram, omnium opinione, pontifex fuerat, mane facto præter meritum successorem habuit. Garmbertus de uitis Pontificum, & Iouius in Elogiis.

SERVITIVM.

Mortuo Demetrio iuniore, Acarnanes Macedonum auxilio destituti, ad Romanos miserunt, auxilium aduersus Aetolorum iniuriam implorantes. Nec multo pòst ex urbe legati sunt in Græciam missi, qui Aetolis denunciarent, ut ex Acarnaniæ urbibus præsidia deducerent, sinerentq; eam gentem liberam esse, quæ una ex omnibus Græcis aduersus Ilienses, auctores sui generis, olim ad Troiam non militasset. Superbè admodum AETOLI eam legationem audiuere: responderuntq;, oportere Romanos priùs portas suæ urbis aperire, quas Punici belli metu clausissent, quàm suum in Græciam imperium transferre cogitarent. Simul illud, Qui ex alienis urbibus præsidia deducere conarentur, propriam urbem aduersus Gallos tueri non potuisse, neque captam recipere, nisi auro redemissent: quam gentem longè maiore manu Græciæ fines ingressam, nullis externis uiribus Græci adiuti, occidione occidissent. Pellendos igitur priùs Gallos Italiæ finibus, quàm alienarum urbium tutelam suscipe rent. Quj præterea homines Romani essent, pastores quidã, qui solum iustis dominis latrocinio ademtum teneant, uxores rapuerint, quando ob generis obscuritatem à finitimis connubia non impetrarent: quorum urbs penè priùs sit parricidio fœdata, quàm ædificari cepisset. Hac occasione Romani usi, Aetolis primùm, mox Macedonibus uictis, Græciam subegêre. Sab. lib. 1. Ennead. 5.

EXILIVM.

OPPIANVS poeta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate, cùm Seuero principi Anazarbũ uenienti paulo negligentiùs & irreuerentiùs obuiam iuisset, in exilium in Melitam insulã Adriatici maris cum patre Agesilao actus est, ubi poëma de Piscibus scripsit. Volat. lib. 17. Anthrop.

C. MARCIVS Coriolanus, uir uerè Martius, austeritate & asperitate sua & superbia populum Rom. ita à se abalienauit, ut in consulatu primùm repulsam tulerit, mox omnium tribuum suffragiis in perpetuum ciectus fuerit exilium. Inde ad Volscos supplex confugiens, arma patriæ impia intulit. Plutarchus in eius uita.

EXCIDIVM, REGNI AMISSIO.

Petiit Moses à REGE Edom: Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam: non ibimus per agros, nõ per uineas, nec bibemus aquas de puteis. At is uale de illiberaliter negauit. Num. 20. Idem fecit SEON rex Amorræorũ. Sed quia noluêre concedere pauca, amisêre multa. Num. 21.

Non aliud LACEDÆMONIIS & ATHENIENSIBVS fuisse fertur exitio (quanquã multum armis ualerent) nisi quòd uictos bello, osos haberẽt, nulloq; ciuitatis uel commercij iure dignos ducerent: Alex. lib. 4. cap. 10.

PER ACCIDENS. V. C.

ABSOLVTIO.

A. Gabinius, in maximo infamiæ suæ ardore suffragiis populi C. MVMMIO accusatore subiectus, abruptæ esse spei uidebatur. Interea filius Gabinij Sisenna, ad pedes se Memmij prostrauit. Quem truci uultu à se uictor insolens repulsum, excusso è manu anulo, humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, ut Lælius tribunus plebis, approbantibus cunctis, Gabinium dimitti iuberet. Val. lib. 8. c. 1.

Q. Flauius à C. VALERIO Aedile apud populum Romanũ reus actus, cùm iam quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Cuicùm Valerius æquè clara uoce respondisset, Nihil sua interesse, nocẽsne an innoxius periret, dummodo periret: hac sola occasione à reliquis tribubus absolutus est. P. Aerodius ex Val. Max. lib. 8. cap. 1.

DAMNVM.

IO. Bentiuolus Petrum & Ioannẽ Medicees sub Caroli VIII. Gallorum regis aduentum à Florentinis ciectos, ad se confugientes, duris uerbis excepit, quòd ne districto quidem in hostes ferro patria excessissent. Itaq; Petrus Venetias, Ioannes Cardinalis Tifernum ad Vitellios confugit. Quæ res singulare incommodum rediuiuis propè rebus importunè attulit. Nam Carolus Florentiam ingressus, & in Medicea domo receptus, Alfonsinam Petri uxorem complorantem immeritam infantis filij & excisæ domus calamitatem, benignè uerecundeq; susceperat, & non mediocrem animo dolorem præferre uidebatur, quòd Florentini præter ipsius noluntatem Petrum, cui ipse dudum dextram salutarem dedisset, summis sæuissimæ proscriptionis iniuriis afficissent. adeò ut consiliarij proceres Petrum omnino reuocare, restituta & confirmata priore potestate, cogitarent. Verùm Petrus, qui nimis celeri desperatione Venetias peruolarat, cũ à regiis, ut eum in patriam reducerent, Bononiæ frustrà quæreretur, illudente eadem fortuna, summæ spei occasioni defuit: atque ita Carolus, eo nusquam reperto, quando sibi Romam multis de causis festinandum esse iudicabat, ne diutiùs hæreret, cum Florentinis fœdus percussit. Iouius in Leone X. libro 1.

VOLVMINIS DECIMIQVARTI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Decimum quintum

DE

VRBANITATE & contrariis uitiis, SCVRRILITATE & RVSTICITATE

TRIBVS LIBRIS differens.

MEDIVM TENVERE
BEATI
adeóq. Medium ex XXIX
THEATRI
VOLL.
de Vitæ Mediæ condimento
TRIBVS LIBRIS
pertractans

I. *quidem De* VRBANITATE, *& Comitate.*
II. *autem De* SCVRRILITATE, *in Excessu.*
III. *denique De* RVSTICITATE, *in Defectu.*

SIMONI
SCHEIBIO Lipsensi antecessori,
medico eleganti
(quem à Medio ueteres quidam
denominauere)
THEOD. ZVINGERVS
Euganeæ
diatribæ philosophicæ
MEM.

M M

TOMI DECIMIQVINTI LIBRORVM DISPOSITIO.

VBICRA conuersatio, cùm homini ad εὐτραπελίαν *κατ' ἀρετὴν, ceu alexipharmacum laborum & curarum, diuinitùs concessa sit, & in ea ipsa uariis modis peccare contingat, Virtutis freno opus habuit.* Παιδιᾶς *igitur moderatio, ne ad austeritatem desciscat, ne in scurrilitatem exuberet, honestatis circumscripta limitibus,* εὐτραπελία, *quasi* εὐτροπία, *quòd moribus hominum sese norit accommodare, eandemq; ob causam metaphoricè* ἐπιδεξιότης *dicitur, Latinè* VRBANITAS, *quòd in urbanis potiùs quàm paganis hominibus reperiatur, & fortè à ueteris comœdiæ salibus Comitas appellari cœpit. Huc pertinent Ludi, Joci, Sales,* ἀστεϊσμοὶ, *Vrbana dicteria, Scommata qualibet, siue in otio siue in negotio, erga amicos aut inimicos exerceantur, quæ decora hilaritate bonorum animos perfundere apta nata sunt. De quibus* LIBRO I. *disseremus. Excessus* βωμολοχίας *est, siue* SCVRRILITATIS, *quæ* φορτικὸς, *hoc est, Importunos & Petulantes homines, dum risum captent, ne sacris quidem parcere solitos, efficit.* LIBRO II. *Defectus* RVSTICITATIS *proprius,* ἀγροίκους, σκληροὺς, ἀυχμηρὸς, δυσκαπέλους, *Rusticos, Frigidos, Inurbanos, Ineptos homines,* LIBRO III. *complectetur.*

LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.





II. For



Voluminis Decimiquinti Liber I.

De Vrbanitate.

Vota hominis uita, si Aristoteli in septimo Politicorum credimus, in πόνον καὶ ἀνάπαυσιν diuiditur. Πόνος actiones quaslibet, tam theoricas quàm practicas complectitur: Negotium Latini uocant. Ἀνάπαυσις uerò Otium & intermissionem, omnem denique tam corporis quàm animi relaxationem. In otio quidem lusus locum habet ex confesso, quem παιδιὰν Græci uocant, quia pueris præcipuè conuenit, qui propter corporis & animi imperfectionem priùs ludere discũt, quàm seria negotia aggredi: cùm contrà uirorum πόνος ἀνάπαυσιν præcedere debeat, ut labor quiete attemperetur, & homines ad intermissas occupationes alacriores redeant. Sic enim & somnus homini datus est à natura, ut spiritibus refectis, ad diurnas exercitationes habilior uegetiorque reddatur. In negotio uerò lusus, ueluti condimentum laborum admittitur. Protogenes pictor cantus suauitate laboris diurni tædium subleuasse traditur. Iter facientes confabulationibus tempus fallunt: & iuxta prouerbium, Iucundus comes in uia pro uehiculo est. Sic in negotio quoque παιδιὰ locum habet: neque erga amicos tantùm, uerumetiam erga inimicos exerceri potest.

VRBANITATIS ACQVISITIO.

MAGISTRI. TVM

INVENTIONE. IOCORVM HONESTORVM INVENTORES.

Anaxandrides in Geronto mania RHADAMANTHVM ac PALAMEDEM ſcribit ridiculorum inuẽtores fuiſſe. Athenæus libro 14. capite 2.

PALAMEDES Nauplij F. bello Troiano per induciarum otium latrunculorum ludum inueniſſe perhibetur, ut uel in otio ludicris prælijs duces detineret, & ludicra belli meditatione Martios ſpiritus aleret atq; foueret.

Aleæ, pilæ, teſſerarum ludum, cæteraq; animi recreandi gratia inuenta, præterquàm talaria, LYDI populi Aſiæ, teſte Herod. lib. 1. omnium primi excogitauerunt. At Plinius ab Herodoto diſcrepans in 7. ſcribit PYTHVM quendam luſoriam pilam reperiſſe: niſi fortaſſe alter eorum de alia pila (ſunt enim plura pilarum genera) intellexerit.

CVIVS. CIRCA

Conuiuia.

Ad Syſſitia LACONVM pueri ſicut ad ludum temperantiæ ducti uentitabant. Vt quiſque intrabat, natu maximus commonſtratis foribus: Hic, inquit, uerba non egrediuntur. Athenæus, Plutarchus.

Ludos equeſtres.

Sub HENRICO I. inſtituti ſunt ludi equeſtres, dicti uulgò Torneamentum, in quo quatuor nationes principes Germaniæ, Bauaria, Sueuia, Franconia, & Rheni tractus conueniunt, & nobiles inter ſe digladiantur: uitia deteſtanda, hoc eſt, adulteria, blaſphemiæ, & ſcelera quęq; corriguntur. Hos ludos Cæſar priuilegiis & libertatibus confirmauit, anno Chriſti 921. Cuſpinianus.

DISCIPVLI VRBANITATIS.

QVI. VTPVTA

Mulieres.

Numa rex Romanis MVLIERIBVS pudoris adiecit plurimum, curioſitatem remouit, ſobrietatem docuit, tacere ac abſtemias prorſus eſſe, neq; de neceſſariis rebus, abſente uiro, quicquam eas loqui aſſuefecit. Plut.

Pueri.

Lacedæmonij publica habebant Συσσίτια, non modò ad corporis refectionem, ſed etiam ad animi eruditionem à Lycurgo prudentiſſimè inſtituta. Ad conuiuia hæc PVERI quoq; ſicut ad ludum temperantiæ ducti uentitabant. Ibi ſermones de Repub. excipiebant, doctores conſpiciebant ingenuos, aſſueſcebantq; & ipſi iocari, & dicteria citra ſcurrilitatẽ iacere, atq; aliorum ſine offenſa excipere cauilla. Namq; uidebatur inprimis Laconicum, cauillum ſuſtinere. Impatienti licebat deprecari, & temperabatur facetiis. Qua quidẽ iugi aſſuetudine factũ eſt, ut SPARTANI in argutia dicteriorum & apophthegmatum ad miraculum uſq; celebres olim ſint habiti: & propter hæc ipſa, reconditæ cuiuſdam ſapientiæ ſchola à Socrate Sparta apud Platonem appellatur. Plutarchus in Lycurgo.

QVOMODO. VEL

Scriptione. Iocorum honeſtorum ſcriptores.

Ferunt TELLENEM quendam iocos quoſdam uerſibus lepidiſſimis deſcripſiſſe, non ſine multo ſale ſcommatum. Meminit huius Dinarchus Meſſenius apud Zenodotum, itẽ Plutarchus in Apophthegmatis. Inde prouerbium, Cane Tellenis cantilenas. Eraſmus in Adagiis.

MENIPPVS Aſcalonites, Cynicus philoſophus, libros ſcripſit multo riſu refertos: ut & MELEAGER, qui eodem tempore uixit. Item Nęnias, & Satyras ridiculas, quas M. Varro imitatus eſt & re & nomine. Stephanus eum σπουδογέλοιον cognominatum ſcribit. Gyraldus dialogo 6. hiſt. Poet.

TYRO Tullius, Ciceronis libertus, de Iocis patroni ſui peculiarem librum edidit.

C. MELISSVS Vmber, anno ætatis 60. libellos Iocorum ſcripſit, & abſoluit Iocos 150. Gyraldus de Poetis.

Iocorum ſiue Dicteriorum, quæ facetè, breuiter & acutè dicuntur, ſumma eſt uenuſtas & honeſtas. Eapropter MACROBIVS libro 2. Saturnal. ſuos illos ſympotas, de ueterum dicteriis, quæcunque in mentem ueniſſent, referendo Saturnalibus optimo dierum honeſtiſſima relaxatione ludentes introducit.

ALBERTVS Argẽtinenſis, Annalium ſcriptor de Facetiis Rodolfi Imp. libellum condidit. Cuſpin.

Noſtro ſeculo plurimi nugarum ſcriptores ex profeſſo extiterunt. Cuius generis ſunt Sermones conuiuales IOAN. GASTII, Facetiæ POGGII Florentini, & IO. Bebelij. Quorum ſtudium eatenus commendandum eſt, quatenus ridentem dicere uerum, nil prohibet.

Interdicto.

☞ *Ex Tit. Nugacitatem aliorum odiſſe, puta Athletarum, Hiſtrionum, huc quædam.*

ATHENIS in theatro ſaltare, aut agere fabulam peregrinis neutiquam licuit. Qui contrà feciſſet, ei mille numûm dicta multa fuit. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 13.

Sub initium tertij belli Punici Val. Meſſala & Caſſius cenſores theatrum faciendum locauerant, in quo populus Ro. ſedes ſpectaret ludos. P. Scipio NASICA id ne fieret, in ſenatu obtinuit, tanquàm publicis moribus nociturum, ſi Græcorum luxuria introduceretur. Ità S.C. totus ille theatricus apparatus deſtructus eſt, cautumq; eodem S.C. ne quis in urbe aut propiùs mille paſſus ſubſellia imponeret, ſedenſue ludos ſpectaret. Liuius lib. 48. & Val. Max. lib. 1. de Inſtit. antiquis, & Sab. lib. 8. En. 5.

Permiſſu.

Non fuit præfractè auſterus LYCVRGVS legiſlator Spartanorum: imò illum Riſus ſigillum auctor eſt Soſibius, poſuiſſe: urbanitate tanquam laboris & uictus condimento tempeſtiuè conuiuia & ſimiles congreſſus interpolantem. Plutarchus in Lycurgo.

LVDOVICVS XII. Gallorum rex, in ſcenis ac theatris antiquæ comœdiæ morem renouari permiſit, & facetis dicteriis uitia cuiuſq, notari, ac ne ſibi quidem parci uoluit. Io. Bodinus Methodi hiſtor. cap. 6.

Inſtitutione.

Apud Lacedæmonios inter cætera exactæ uitæ inſtituta, hoc quoq; exercitij genus à LYCVRGO eſt inſtitutum, ut adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere, & ab aliis in ſe dicta perpeti diſcerent. Ac ſi quis in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, ulteriùs ei in alterum dicere non licebat. Macrobius lib. 7. cap 3. Saturn.

Henricus Auceps Imp. uictis Vngaris, quibus antè tributum pendebant GERMANI, circa annum 938. inſtituit ludos cataphractorum equitum in Germania, & primus eos ſpectauit Magdeburgi, menſe Ianuario. Stumpſius.

Admonitione, Reprehenſione.

Victis ad Chæroneã Athenienſibus, traditum eſt à quibuſdã PHILIPPVM Amyntę F. regem Macedonum, peracta liberali potatione multo repletum mero, cum amicis ſaltationem iocoſam ex uictoriæ gaudio iniuiſſe, atq; ita per mediam captiuorum turbam progreſſum contumelioſiùs uinctis illis calamitatem ſuam exprobraſſe: tuncq; oratorem Demadem, qui eo tempore in cuſtodiis erat, uerbum ad regis petulantiam retundendam accommodatiſſimum protuliſſe, dicentem: Cùm, ô rex, fortuna Agamemnonis perſonã tibi appoſuerit, non pudore aſſiceris Therſitæ actiones referens? Ea hominis dicacitate pulſatus Philippus, adeò ſeſe immutaſſe fertur, ut totum priorem animi habitum reliquerit, coronis abiectis, reliquoq; ſaltationis ornatu, q totus in uictos erat contumelioſus, contrito: uirum autem, qui tam audacter ſecum loqui ueritus nõ fuerat, multũ admiratus, à captiuitate liberauerit, honorificeq; tractauerit. Diod. l. 16.

DEMONAX Cynicus quum uideret Athenienſes hoc agere, ut Barbarorum exemplo gladiatorum ſpectacula in urbem inducerent: Nolite, inquit, ô canes, iſtam crudelitatem priùs admittere in ciuitatem ueſtram, quàm Miſericordiæ aram ſitis demoliti. Significans, non conuenire, in ea ciuitate, in qua Miſericordia pro dea coleretur, ſpectari pluſquam ferinam crudelitatem. Eraſ. lib. 8. Apoph.

VRBANITATIS SECTATORES. VRBANI, COMES, FACETI.

QVI, QVALES. PVTA

POPVLI.

Xenophon Socraticus Gobryam ſcribit cœnantem apud Cyrum, quum alios PERSARVM ritus eſſe admiratum, tum uerò illum, quo ſe inuicem iucundè interrogantes, necnon ſcommata non negligentes, uoluptatem gratiamque uel iis comparabant, in quo ſtringi morſus uidebatur. Cælius lib. 26. cap. 25. A.L.

Nunquam

Nunquã tam malè eſt SICVLIS, quin aliquid facetè & commodè dicant. Cicero in Verrem act. 6.

SYROPHOENICES lepôrem & gratam iocunditatem in colloquio naturâ habent. Attici naſum & ſales uocant. Sic Libanij Rhetoris Antiocheni libros gratiâ & facetiis comicis ſcatere ſcribit Eunapius.

SACRI HOMINES.

SISINNIVS epiſcopus Nouatianorũ Conſtantinopoli, rhetor, philoſophus, theologus, diſputator inſignis (ut & Eunomius, eo nomine celebris, ſæpè cum eo diſputare recuſarit) fuit adeò continens in uita, ut nullum calumniæ relinqueret locum: quiq; eum ignorabant, hominem ita delicatum, continentem eſſe poſſe non crederent. Moribus feſtiuis fuit, & in congreſſibus iucundus: eaq; de cauſa Catholicis etiam epiſcopis & magiſtratibus atq; proceribus gratus. Cauillari feſtiuè, & dicteria ſine offenſa ferre, & eleganter atque ex tempore quæſtionibus reſpondere, commodiſſimè poterat. Suidas.

PHILOSOPHI.

Interrogatus CTESIBIVS, quid illi ex philoſophia ſupereſſet? reſpondit, ἀσυμβόλως δειπνεῖν, id eſt, ſine ſymbolo cœnare: nam quum iocis ſcateret, ſæpiùs uocabatur: quo nomine à Timone eſt proſciſſus, ut dipnomanes, ac mortui habens oculos, κραδίην δ' ἀκύλιστον. Cælius lib. 27. c. 24.

RHETORES, ORATORES.

☞ *Vide ſub Tit. Reprehenſio ludicra Negligentiæ, exemplum Diogenis, Demoſthenis, Minoritæ.*

In L. CRASSO oratore ſumma ſemper grauitas fuiſſe dicit", & cum grauitate iunctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non ſeruilis lepos. Cicero de Oratore.

De CICERONIS iocis libertus eius proprium conſcripſit librum. Vrbanitas eius in facetiis & ſalibus, forenſis uiſa eſt & lepida: ſed cùm eſſet in ea effuſior, multos offendit, & habitus eſt malignus. Plut. in Cic. Hanc ob cauſam à Vatinio conſularis ſcurra uocatus eſt.

ASINIVS Pollio Ciceronis æmulus, lepôrum & facetiarũ pater, & omniũ horarũ homo dictus eſt. Gyraldus de Poetis.

MVSICI.

STRATONICVS citharœdus Athenienſis, qui Græciam omnem peragrauit, facetus admodum fuit. Eius dicteria Athenæus lib. 8. cap. 7. recitat.

POETÆ.

Inter Latinos PLAVTVM Comicum, iocorum uenuſtate cæteris præſtitiſſe teſtatur Macrobius lib. 2. Saturn. c j. Plauti enim comœdiæ poſt eius mortem, quæ incertæ ferebãtur, Plautinæ tamen eſſe, de iocorum copia noſcebantur.

MECHANICI.

PAVSON pictor cùm equum uolutantem ſe pingendũ conduxiſſet, pinxit currentẽ. Stomachante locatore, ridens Pauſon tabulam inuertit. Cùm hic quæ ſuprà erant, infrà cernerentur, non currere, ſed uolutari uidebatur equus. Plut. de Pythiæ oraculis.

MERETRICES.

Erat ad reſpõſa promtiſſima GNATHÆNA meretrix, Diphili comici amica. Fuerũt aliæ MERETRICES complures, q̃ ob ſuos iocos gloriabãtur, atq; nonnullam diei partem in rebus huiuſmodi ac diſciplinis abſumebant, quamobrem promtæ erant ad reſponſa. Athenæus lib. 53. cap. 12.

IMPERATORES, REGES, PRINCIPES.

AGATHOCLES Syracuſiorum tyrannus, cùm eſſet natura facetus, ne in conuentibus quidem dicteriis accumbentes excipere deſinebat, & eorum quorundam naturam & mores effingere: ita ut ſæpenumerò populus in riſum prorumperet, non aliter ac ſi hiſtriones aut præſtigiatores ſpectarent. Diodorus lib. 20.

AVGVSTVS Cæſar, non minor Cicerone in iocis, ſed modeſtior tamen, ſaluo nimirum maieſtatis pudorisq; reſpectu, abſq; ſcurrilitate. Macrobius lib. 2. Saturn. c. 4.

VESPASIANVS Imp. non tantũ pro innata ſua erga omnes clementia atq; humanitate, iocabatur apud amicos: ſed iocoſè etiã ſe ludi ab aliis patiebatur. Xiphilinus. Atq; adeò ne in metu quidem, ac periculo mortis extremo abſtinuit iocis. Suetonius.

M. ANTONINVS Pius Imp. amauit hiſtrionum artes, piſcando ſe & uenando multum oblectauit, & deambulatione cũ amicis atque ſermone. Vindemias priuati modo cum amicis agebat. Capitolinus.

Antoninus GETA habebat iſtam conſuetudinem, ut cõuiuia & maximè prandia per ſingulas literas iuberet ſcientibus ſeruis, uelut in quo erat anſer, aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piſcis, perna, & quæ in eam literã genera edulium caderent: & item faſianus, fartaficus, & talia. Quare comis etiã habebatur in adoleſcẽtia. Spartianus.

RODOLFVS Imp. rarò ſine ſcommate aliquid loquebatur aut tractabat. Adeò ut etiam Albertus Argentinenſis, Annalium ſcriptor, qui per hæc tempora floruit, libellum de eius facetiis condiderit. Cuſpinianus.

ALPHONSVS Aragonum rex, cùm eſſet admodum facetus & urbanus: mirari tamen magis licuit, quo animo, quaq; moderatione ſales & iocos in ſe retortos pertulerit, quàm quomodo ipſe iocos protulerit. Panormita lib. 4. de rebus geſtis Alphonſi.

DVCES BELLICI.

☞ *Vide infrà, In acie, caſtris, bello.*

Vt maioribus multo uirtutibus ornatus generoſiq; inprimis animi fuiſſe intelligitur T. QVINCTIVS, qui ereptã è manu ſeruituteq; Macedonum Græciam liberauit, ita acutum ingeniũ lepidumq; habuiſſe facile perſpicitur, delectatúſq; eſſe, prodente hoc memorię T. Liuio, recitatione fabellarũ: quod tamen tempore ille, & cùm magnum fructũ ferre poſſent, quamuis in rebus ſeriis tractandis, faciebat. Victorius lib. 17. Var. lect. cap. 10.

IVDICES.

PHILIPPVS Macedo iudex ſedẽs duorum facinoroſorum, fugere præcepit uni ex Macedonia, & alteri, eum inſectari. Plut. in Apophtheg.

PVERI.

PVBLIVS natione Syrus, cùm puer ad patronum domũ eſſet adductus, promeruit eum non minùs ſalibus & ingenio, q̃ forma. Nam fortè cùm ille ſeruum ſuum hydropicũ iacentem in area uidiſſet, increpuiſſetq;, Quid in ſole faceret? reſpondit, Aquam calefacit. Ioculari deinde ſuper cœnam exorta quæſtione, Quódnã eſſet moleſtum otium? aliud alio opinante, ille, Podagrici pedes, dixit. Ob hæc & alia manumiſſus, & maiore cura eruditus, mimos componere cœpit. Gyraldus.

QVID AGENTES VEL PATIENTES. Sic Vrbanitatem exercent, dum

CONCIONANTVR.

IORDANES, patria Saxo, ordinis Prædicatorum princeps, qui in peregrinatione Hieroſolymitana, anno MCCXXXVI. Acone obiit, uitæ ſanctimonia & concionandi dono clarus, cùm à quibuſdam Tẽplariis rogaretur, uti feſto die ſacram concionem haberet Gallica lingua, cuius ipſe tamẽ non uſq; adeò peritus erat: cõſcenſo ſuggeſtũ, argumentum concionis Gallicè quantum potuit enarrauit, interpretationem uerò ſermone ſubtexuit uernaculo. Indignantib. iis, Ergo, inquit, ſi prominentes aſini auriculas poſt maceriam deliteſcentis uideatis, totum inſuper aſinũ, diruta maceria, in cõſpectum produci petetis? Leander Albertus lib. j. de Viris illuſt. ord. præd.

IVRAMENTVM PRÆSTANT.

TREMELLIVS Rom. cum familia atque liberis in uilla erat. Serui eius, cùm de uicino ſcropha erraret, ſurreptam conficiunt. Vicinus aduocatis cuſtodibus, omnia circumuenit, ne quâ hæc efferri poſſit: iſq; adeò dominũ appellat reſtitui ſibi pecudem. Tremellius qui ex uillico rem comperiſſet, ſcrophæ cadauer ſub centonibus collocat, ſuper quos uxor cubabat: quæſtionem uicino permittit. Cùm uentum eſt ad cubiculum, uerba iurationis concipit, nullam eſſe in uilla ſua ſcropham, niſi illam, inquit, quæ in centonibus iacet: lectulũ monſtrat. Ea facetiſſima iuratio, Tremellio Scrophæ cognomen dedit. Macrobius lib. j. Saturn. c. 6.

CONSVLTANT.

Cùm in Senatu pontificio de tributo exigendo ageretur, hãc unam rationem reliquam eſſe POMPEIVS Columna Cardinalis aſſeruit, ſi Franciſci Armellini Cardinalis ob auaritiam notiſſimi corium per ditiones Pontificias circumueheretur, & à quouis ſpectare uolẽte obolus exigeretur. Garimbertus lib. 6.

CONSOLANTVR.

IAMBE ancilla Meganiræ, ad quam Ceres mœſta quæſitum filiam Proſerpinã uenerat, deam ſuis recreauit facetiis, & ridiculis narratiunculis. Vnde genus id carminis, ſed non antè obſeruatum, Iambicum ab illa dictum fuit, teſte Nicãdro in Alexipharmacis. N. Comes lib. 3. c. 16.

PETVNT.

Cùm LYCON Scarphenſis in theatro placeret, intexuiſſetq; in comœdia uerſum, qui petitionem continebat X talentũm, arridens largitus eſt ea Alexander. Plut. in Alex.

SVPPLICANT, DEPRECANTVR.

Anno DCCCCXXXII. Beneuentanus princeps à Græcis acriter armis oppugnatus, Theobaldum Spoletanum & Camertum Marchionem, Hugonis Italiæ regis affinem, in auxilium aduocauit, atq; eius uirtute Græcorũ uim impetũq; retudit. Cùm multis Græci in præliis quotidie caperentur, Theobaldus ad contumeliã multare eos teſtib. aſſueuerat,

 atq;

atque prætori Græcorum dicere: Quoniam uiro sancto Imperatori tuo, spadonibus preciosius nihil esse animaduerti, hos paucos capos è gallis ei mittere uolui, multò plures propediem, si Deus annuerit, transmissurus. Hanc iacturam MVLIER quædã, cuius captiuus maritus erat, apud Theobaldum miserabili ploratu cõquesta est, cùm diceret, Theobaldum iniustè facere, qui uiris non quod eorum, sed quod mulierum esset, adimeret, ac se non solùm præsentis uoluptatis oblectamento, sed etiam spei futuræ prolis solatio spoliaret. quin si qua uiros afficere pœna uellet, oculos eis potiùs & nasum & manus eriperet, quæ illorum essent: testes uerò, qui in usum feminarum dati essent, relinqueret. Qua uoce cùm effusum omnibus qui aderant risum excitauisset, digna uisa est, quæ maritum integrum & pecora omnia sibi adempta reciperet. Sigonius lib.6. regni Ital. ex Luitprandi lib.4. & Cranzius lib.3. Metrop. c.9.

HILBORCH, nobilis femina, sub episcopatu Mindensi, quũ maritum in peregrinatione terræ sanctæ absentem iam desperaret rediturum: ex omni patrimonio, nouem ecclesias construxisse dicitur, cum monasterio Mœlenbeke, anno Salutis DCCCXCIIX. Quum autem ille insperatus rediret, placatura indignantem præuenit, dicẽs nouem se filias absenti peperisse, nondum in Christo regeneratas. Intellexit uir Deo deuotus quid loqueretur: & annuens per omnia, quæ facta sunt approbauit. Cranzius lib.3. Metrop. c.8.

TERRENT.

M. Bruti statua ærea fuit Mediolani in Gallia cisalpina posita. Hanc, quæ imaginem eius repræsentabat & erat fabrefacta, ut pòst uidit Cæsar AVGVSTVS, præteriit. Mox subsistens, compluribus audientibus, uocauit magistratus, ciuitatem eorum ferens sibi compertũ esse fœdus pacis rupisse, q̃ hostem suum apud se haberet. Ac primùm sanè negauerunt: & quénnam significaret, ambigentes, intuebantur sese mutuò. Vt uerò conuersus Cæsar ad statuam contracta fronte: Númne ille, inquit, hîc stat hostis noster? multò illi magis perculsi obmutuere. At Cæsar arridens, laudauit Gallos, q̃ amicis essent etiam in aduersis rebus stabiles, præcepitque ne statua loco moueretur. Plutarchus in comparatione Bruti & Dionis.

Postquam cum Alexandro Pheræorum tyranno, hoste Thebanorum, Athenienses amicitiam & societatem pepigerunt, qui promiserat eis, libram carnium semiobolo præbiturum se uenalem: Nos, inquit EPAMINONDAS, ad carnes has præbebimus Atheniensibus sine precio ligna. Quòd si negotiis nostris se ingesserint, fines eorum populabimur. Plutarchus in Apophthegmatibus.

COMMINANTVR.

Apud Plutarchum in uita Timoleontis, QVIDAM missus ad Andromachũ, post multa inhumaniter ac barbaricè dicta, manum deniq; porrexit, ac modò supinam, mox pronam ostendit, minitans hoc gestu se subuersurum illorum ciuitatem. At Andromachus ridens, nisi quòd manu similiter supinata, ac mox uersa, iussit illum quàm primùm abire, nisi uellet talem reddi nauem ipsius.

C. IVL. Cæsar à Cilicibus piratis captus, dies duodequadraginta, quasi non custodiretur, sed stiparetur ab eis, unà ludebat, & se exercebat. Iam carmina & orationes scribebat, eaq; in circulo eorum pronunciabat. Si qui non admirarentur ea, hos palàm inertes appellabat & barbaros. Frequenter per iocum suspensurum eos se minabatur. Placebat id illis, simplicitati eius & ætati hanc linguæ libertatem adscribentes. Plut. in Cæsare.

VLCISCVNTVR, PVNIVNT.

Ex Tit. Reprehensio urbana Negligentiæ, Oscitantiæ, huc quædam.

CONGIARIVM DANT.

M. Fauonio ædili creato, cùm in cæteris magistratus muneribus præstò fuit M. CATO minor, tanquam amico, tum ludos eius in theatro curauit, deditq; coronas thymelicis, nõ aureas, sed ut Olympiis ex oleastro: dona, loco magnificorum, Græcis betam, lactucam, raphanum, pira: Romanis uini amphoras, carnem suillam, ficus, cucumeres, lignorum fasciculos: quorum uilitatẽ alij irridebant, alij oblectabantur, Catonis austeritatem & contractionem uidentes transire sensim in remissionem. Postremò Fauonius immiscens se plebi, atque inter spectatores considens, plausit Catoni: ac donaret honoraretq; merentes clamauit: testatusq; spectatores est, in illius potestate se omnia posuisse. In altero theatro collega Fauonij Curio splendidum exhibebat munus. Spectatores tamen relicto illo huc transierunt, applauseruntq; effusè agenti Fauonio & Catoni agonothetæ. Hæc designauit Cato, quò ei rei obtrectaret, doceretq;, ludentẽ oportere ludo uti, ac benignitate potiùs defungi communi, quàm apparatibus & sumtibus, in rebus nihili magnas curas & solicitudines ponentes. Plutarchus in Catone.

AVRELIANVS Imp. ad Parthicum profecturus bellũ, cùm bilibres coronas singulis promisisset, & aureas populus expectaret, siligineas dedit, nouo genere panis, quo deinceps usi fuêre. Alex. ab Alex. lib.5. cap.24.

MAGISTRATVM SVSCIPIVNT.

CLODIVS Sabinus declamator, cùm in Cretam cum Appio proconsule profectus esset: in theatro Græci postulare cœperunt, ut Sabinus summum magistratum gereret. Mos autem erat, barbam & capillum magistratui Cretensium submittere. Surrexit, & silentio manu facto: Hunc magistratũ, inquit, Romæ bis gessi. Bis enim reus causam dixerat. Græci autem non intellexerunt. Seneca in Declamat.

GRATIAS AGVNT.

DIOGENES, acceptis paucis numis à Diotimo Carystio, dixit Homericum uersum Vlyssis, ad Nausicaam: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, & cupis: uirum scilicet, & domum. Videbatur autem animo delicatiore esse Diotimus. Aelianus de Varia hist. lib.4.

DENEGANT.

ABBAS quidam à Ludouico XI. Gallorum rege, ut dignitate cederet, quam alteri cuidam optimè merito daturus esset, oratus, argutè respondit: Quadraginta annis uix priores duas literas alphabeti percepi, A B (significat autẽ Gallorum lingua Abbe Abbatem) nec nisi exactis alteris XL sequentes duas CD (Cede) si per Deum & regem licebit, addiscere cogito. Aegidius Corrozetus de Dictis memorab.

POLLICENTVR.

Tyrannus ad exhauriendum bona CVIVSDAM opulenti & iactabundi, sub graui pœna præcepit, ut asinum literas doceret. Ille impossibile ait fore, nisi multum temporis sibi in erudiendo asino concederetur. Petere quantum uellet iussus, decennium impetrauit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impossibilem suscepisset. Ille amicos solatus, Nil timeo, inquit: nam interim aut ego moriar, aut asinus, aut dominus. Poggius in Facetiis.

PARIVNT.

QVÆDAM parturiens & languẽs ad obstetrices eam in lecto reponentes, ait: Qui medeatur hisce lectus, in quæ in lecto incidi? Plut. in Præceptis con.

VENDVNTVR.

BIAS Prienæus philosophus, conseruis demisso uultu mœrẽtibus, eo quòd iam à latronibus capti essent, animaduertẽs quendam ex aspectu plus satis effeminatum esse, accedens inquit: Tu me emito: uiro enim opus habere uideris. Ille pudefactus cauillo, in turbã se abdidit. Philo, q̃ Probus liber.

DIOGENES, dum uenundaretur, in præconem humi iacens cauilla iecit, nec ad præceptum eius exurgere induxit in animum, sed insultans in eum: Quid si piscem, inquit, auctionareris? Plut. de Tranquil. animi.

FVGIVNT.

NERO Cæsar, hostis à Senatu iudicatus, in uillam Phaontis liberti fugiens, aquam ex subiecta lacuna potaturus manu hausit: Et hæc est, inquit, Neronis decocta. Suetonius.

IN CARCERES ABDVCVNTVR.

IVGVRTHA à Mario cum duobus filiis in triumpho ductus, mox detractis uestibus in carcerem coniectus, quum opacũ barathrum subiret, exclamasse fertur: O Hercules, quàm frigidum est hoc balneum. ibi sex dies fuit, ubi inedia, ut Plutarchus scribit, consumtus est. Liuius & Eutropius, Marij iussu, in uinculis necatum prodiderunt. Sunt qui ex Tarpeia rupe præcipitatum arbitrentur. Sab. lib.1. & 2. En.6.

CLODIVS Sabinus Victor, bis reus causam dixit. Cùm rogaretur, ut in Latomias transferretur: Non, inquit, quenquam nomen Latomiæ decipiat: illa enim animo meo lauta res est, uocabulo carceris ad genus pulpamenti translato. Iocabatur in miseriis: in quibus iocari debuisse, quis nescit: potuisse, quis credit? Seneca in Declamat.

SVPPLICIO AFFICIVNTVR.

THECTAMENES capitis damnatus ab Ephoris, abibat ridens. Ibi quodam ex corona rogante, An iura Spartana despiceret? Minimè, inquit, sed lætus sum, quòd hæc mihi luenda est mulcta, quã à nemine precariò uel fœnori accipiam. Plut. in Apophthegmatibus.

THERAMENES Atheniensis, cũ uenenũ bibere cogeretur: Propino, inquit, hoc pulcro Critiæ. qui unus è XXX, causa potissimùm eius mortis fuerat. Iocabatur uir fortissimus in morte, teste Cicerone in Tusc. quæst.

Amachius, sub Iuliano apostata paruæ urbis Phrygiæ princeps, acer Ethnicæ religionis defensor. MACEDONIVS, Theodulus, & Tatianus, studio Christianismi incitati, noctu impetu in ædem facto, statuas confregerãt. Crati impositi, & igne ustulati, Si, inquiunt, Amachi, assum desideras, conuertito nos in altera latera, ne semiassi palato tuo minùs sapiamus. itaq; consumti sunt. Suidas.

GALEOTTVS Martius Narniensis, Mathiæ Coruini præceptor, cùm Venetiis hæreseos reus ad geminas columnas à tribunali perductus esset, ut palinodiam caneret: quidam patritius strigosã proceritate, cuius uxor malè audiebat, tra ductũ ludibrio Præpinguem porcum appellauit. Ad quem extẽplò conuersus Galeottus: Pinguis porcus, quàm macer hircus esse malo. Iouius in Elogiis.

MORIVNTVR.

PVRPVRARIVS infector uisus fraude agere in tingendi ratione, quum eo nomine ad ultimum duceretur supplicium, iocis etiamnum superesse locum arbitratus, ad Homericum illud potissimùm adiecit animum:

τὸν λάβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή. *id est:*

Cepit uerò hunc purpurea mors, & Parca fortis.

Id tamen sic à Theocrito pronunciatum sapiente uiro Athenæus scribit, quum legeretur epistola, qua à Chiis purpurã petebat Alexander. Cælius lib.8. c.11. A. L.

OCTAVIVS Augustus Imp. imminente morte, admissos amicos percontabatur, Ecquid ipsis uideretur mimum uitæ satis commodè transegisse? sentiẽs de fabula uitæ peracta. & adiecit carmen peractis comœdiis accini solitum:

Δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. Sueton.

CANIVS Iulius, philosophus maximè constans & grauis, cũ diu cum Caio Cæsare altercatus esset, mori ab eo est iussus. Cùm uerò ad necem uocaretur, latrunculis ludebat. Tum numeratis calculis, sodali inquit: Vide ne post mortem meam mentiaris te uicisse. & simul Centurioni annuens: Testis, inquit, eris, uno me antecedere. Ceruicem inde percussori præbuit intrepidè. Seneca.

VESPASIANO ægrotanti, cùm inter prodigia cætera Mausoleum Cæsarum derepentè patuisset, & stella in cœlo crinita apparuisset: alterum ad Iuniam Caluinam è gente Augusti pertinere dicebat: alteram ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Prima quoq; morbi accessione, Vt (inquit) puto, deus fio. Cùm legationes audiret, cubans (ut imperatoriis fungeretur muneribus) aluo repentè ad defectionem soluta, Imperatorem ait stantem mori oportere. Itaque inter subleuantium manus extinctus est, sexagesimo & nono ætatis anno. Suetonius.

Sobieslaus Boëmorum princeps, cum Boleslao Polonorum principe facta pace, Pragæ nuptias Conradi Znoymæ principis cum sorore Belæ regis Vngariæ, tum Vratislai patruelis cum Vasilca Ruthena, ac mox filiæ suæ Mariæ cum filio Leopoldi Austriæ Principis magno apparatu pompaque & luxu celebrauit, ægrotante tunc MEYNARDO XI. Pragensium episcopo, homine facetissimo. Qui principalium nuptiarum frequentia audita: Olim, inquit, ranæ in gaudiũ effusæ gestiebant, auditis Solis nuptiis, extra unam senem, quæ se, genusque suum miserans, O' infelices, ait, nos, quæ cùm unius solis radios ægrè sustinemus, quo modo æstum illius feremus, si filios genuerit? Hæc iocãs, paucis pòst diebus morbi ui uitam cum morte cõmutauit. Dubrauius li.11.

RODOLFVS Imp. tabe confectus, Erfordiam ueniens festinabundus cum suo confessore, quem semper circumducebat, Spiram maturauit, tanquàm ad sepulcrum, iocatus, *Sibi esse properandum, ut reges illic conueniret sepultos.* Antequam urbem attingeret, in Germesheym diem suum obiit XIIX. Kalend. August. anno ætatis septuagesimotertio, Christi MCCXCI. Imperij XIIX. Spiræ sepultus regio funere. Cuspinianus.

IOANNES Zisca, Hussitarum dux, pestilentia laborans, lugẽtibus Reip. sortem amicis, quæ tanto rectore destitueretur, & Quo loco sepeliri uellet? rogantibus, Facilis iactura sepulcri, respondit. Vos uerò cadauer pelle nudatum uolucribus abiicite, è corio tympanum facite: cuius sonum Pontificij non magis ferent, quàm cæci uiuẽtis aspectũ sustinuêre. Aen. Syl. in historia Boëmica, & lib.3. com. in gesta Alfonsi. Bonfinius lib.3. Dec.3. Egnat. & Fulg. lib.3. c.6.

VENDELINVS parochus Schliengensis, in Marchionatu, Basileæ uicino, homo festiuissimus, exacta iam ætate hydropicus, Io. Huberum Basiliensem Medicum acciri curarat. Vbi adfuit: An uerò non indignum hoc est, exclamauit, me, qui tot expeditionibus, dum per ætatem licuit, sacerdotis cũ dignitate interfuerim, in hac postrema penè decrepitum ad tympanistæ officium non tam abiectum, quàm inuisum cogi? Qui aderant, delirantis hæc somnia esse credebant. At Medicus nasum eius intelligens, Minimè uerò, inquit: nam quo maior hic est, cuius nunc castra sequi cogitas, Imperator, eo etiam munus hoc licèt infimum, altero illo uel honestissimo splendidius erit, teq; dignius. Ergo, respondit Vendelinus, ad uasa & arma excitandi mihi estis. Moxque reiecto tegmine, ambabus manibus uentrem ueluti tympanum feriens, inquit, Sequimini uolentes, nolentes sequemini. Paucis pòst diebus obiit.

VRBANITAS CONSIDERATA RESPECTV MATERIAE. ET VEL PERSONARVM, ERGA QVAS exercetur.

QVÆ & QVALES SINT.

Erga

Christum.

Carthagine Innocentia religiosissima femina, de primariis ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habens nullis medicamẽtis sanabilẽ, ad solũ Deum cõuersa, admonetur in somnis, appropinquante Pascha, ut in parte feminarũ obseruãti ad baptisterium, quæcunq; illi baptizata primitùs occurrisset, eundem locum signo Christi signaret. Fecit, & confestim sanitas secuta est. MEDICVS sanè, qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet, si paulò diutiùs uellet uiuere, cùm inspexisset eam postea, & sanissimam cõperisset, cũq; ab ea quid factum esset audisset, uoce uelut contemnentis & uultu, ita ut illa metueret, ne aliquod cõtumeliosum uerbũ proferret in Christum, religiosa urbanitate respondisse fertur: Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuisse dicturam. Atq; illa iam exhorrescente, mox addidit: Quid grãde fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitauit? August. lib.22. de Ciu. Dei, c.8.

Sanctos.

CLODOVEVS Francorum rex, non minùs Arianis quàm incredulis infensus, cùm graui prælio urgeretur: diuo Martino eum, cui insidebat, caballum uouit, si uictor euaderet. Voti compos factus, diuo Martino equum obtulit: & precio constituto centum aureorum, cùm equus loco cedere non posset, ducentos impendit: & tum iumentum iam liberũ sequutũ fuit expectantẽ. Tum rex, Bonus, inquit, Martinus adiutor est, sed stipendio preciosus. Cranzius libro tertio Succiæ, capite decimosexto.

Deos.

HEGESIAS, cùm Ephesiæ Dianæ templum ab Herostrato incensum conflagrasset, Dianam περὶ τὴν τοῦ Ἀλεξάνδρου μαίωσιν occupatam, domo abfuisse, per iocum dixit, cùm Olympiadi parienti adesset. Quo nihil unquam ab homine frigidius prolatum existimat Plut. in uita Alexandri. At M. Tullius in 2. de Nat. deorum id Timæo historico tribuens, concinnè dictum putat. Brodeus in 1. Epigr.

Homines. Puta erga

Grammaticos.

Menstrium Florum Cõsularem VESPASIANVS, admonitus ab eo, plaustra potiùs, quã plostra dicenda, die postero Flaurum salutauit. Suetonius.

Rhetores, Oratores.

M. Appio in exordio causæ cuiusdã amicũ suum orasse se dicẽti, ut curã & facundiã & fidem sibi præstaret: Adeóne tu, inquit CICERO, durus es, nihil ut omnium, quæ te orauerit amicus, præstiteris? Plut. in Cic. Cùm Philagrũ præceptorem tumulasset Metellus Nepos accuratiùs, imposuit eius tumulo marmoreum coruum. Tum Cicero: Intelligẽtiùs, inquit, hoc fecisti. Volare enim potiùs docuit te, quàm dicere. Plut. in Cic. At in Apoph. Diodorũ uocat, Metelli præceptorem.

Musicos.

Citharœdus quidam malus STRATONICVM exceperat cõuiuio splendido, atq; super cœnam ostentabat artem. Stratonicus quum illo canente non haberet, qui cum loqueretur, confregit poculum, & poposcit maius, moxque se uino ingurgitauit, & obdormiit. Quum autem fortè superuenissent aliquot comessabundi, Stratonicus expergiscens respõdit: Hic insidiator & sceleratus cantor, me ueluti bouem ad præsepe, dum cœna excepit, occidit. Boues multo cibo saginantur, priusquam mactentur. Athenæus lib.8. c.7.

IDEM, cũ audisset quendã imperitè canẽtem, rogauit, Cuius esset cantio? cũ is respondisset, Carcini: πολύ γε μᾶλλον, ἔφη, ἢ ἀνθρώπου. i. Multo sanè magis, inquit, quàm hominis. Nam καρκῖνος etiam piscem significat. Ibidem.

IDEM, cũ aduersarios Sicyone superasset, trophæũ Aesculapio posuit inscribẽs, Stratonicus ex malè citharã pulsantib.

Vocatu aliquãdo ad audiẽdum citharœdum STRATONICVS, postquam audiuit, Homericum illud dixit:

τῷ μέν τι θεοὶ ἄλλο δόσαν, ἄλλο δ' ἀνένευσαν.

Illi concessit pater hoc, ast abnuit illud.

Tum dicente quodam, Quid hoc? Malum esse citharistã dedit, bene autem canere negauit.

Cùm Byzantij citharœdus procœmium benè cecinisset, at in reliquis aberrasset, assurgens STRATONICVS, buccinam inflauit, pronunciauitq;, Quisquis citharœdũ, qui procœmium cecinit, inuenerit, mille drachmas accipito. Athenæus lib.8.c.7.

Histriones.

ANTIOCHIA ciues habet ingeniosissimos, quibus studio est saltationem omnibus aliis anteponere exercitiis: adeóque dictorum & factorum obseruantes sunt, ut nihil omnino earum rerum illorum subterfugere possit iudicium. Ergo cùm corpusculo admodum modiculo saltator in scenã ingressus saltaret Hectorem, uno ore omnes exclamauerunt, Astyanactem uidemus: ubi autem Hectorem mansisse dicemus? Rursus alio tempore quopiam prẹter modum lõgo Capanea saltare conante, cùm idem Thebanorum muros conscensurus esset: Transcende, inquiunt, muros, nihil tibi scalis opus est. Iam cùm corpulentus & obesus saltator ingentem saltum facere adniteretur, Theatrum nobis, inquiunt, suffulciendum fuerat. Contrà, nimium arido & tenui, tanquam malè habenti, bene ualere certatim precati sunt. Lucianus de Saltatione.

Sophistas, Philosophos.

Thales MILESIVS cœlestium rerum indagator, cùm cœlum astraq; iter faciens intueretur, & aduerso fato in fossam prẹceps ruisset, dum eum anus inde educeret, audiuit argutè sibi ab ea dici: Quomodo te in cœlo quæ sunt spectare posse credis, si quæ ante pedes posita habes, nõ discernis?

Extat in PYTHAGORÆ placitum, qui ab animatis abstinendum censebat, epigramma ludicrum lib. 3. Epigrammatum Græcorum, in Philosophos:

Οὐ μόνος ἐμψύχων ἀπέχες χέρας, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς.
τίς γὰρ ὃς ἐμψύχων ἥψατο, Πυθαγόρη;
ἀλλ' ὅταν ἑψηθῇ τι, καὶ ὀπτηθῇ, καὶ ἁλισθῇ,
δὴ τότε καὶ ψυχὴν μὴ ἔχον ἐσθίομεν.

Sosibius λυτικὸς nugis delectabatur. Eum ob sophisticas quæstiones, earundemq; monstrosas solutiones (unde & nomẽ habuisse uidetur) subsannauit PTOLEMÆVS Philadelphus. Quæstoribus enim imperat, ut si Sosibius distributionem corollariúmue peteret, responderent, quòd accepisset. Neque multò sanè pòst accessit Sosibius, cui petenti se dedisse quæstores dixerunt, mox conticuerunt: hic uerò ad regem accessit, de quæstoribus conquerens. Tum illos aduocans Ptolemæus, unà cum libellis accedere iussit, in quibus descriptiones erant eorum, qui distributiones accepissent. Cùm hos in manus rex accepisset, ipse quoq; Sosibiũ accepisse pronunciauit. Erant nomina hæc inscripta, Σωτῆρος, Sosigenis, Bionis, Ἀπόλλωνος. Quæ cùm rex aspexisset, inquit, ô Lytice admirabilis, si à Σωτῆρος, primam syllabam So, à Sosigenis secũdam Si, Bionis primam Bi, & ultimã Ἀπόλλωνος, capias, tuæ sententiæ te quoq; compotẽ esse experiere. Atq; sic non ab aliis, sed tui ipsius alis, ut admirabilis ait Aeschylus, caperis: cùm nihil ad rem pertinentiam solutionẽ maximè sis curiosus. Athen. lib. 11. cap. 13.

STRATONICVS citharœdus maximè se Satyri sophistẹ matrem admirari dicebat, quòd quem nulla ciuitas decẽ dies ferre posset, ipsa decem menses tulisset. Audiens eundem in Ilio peregrinari, In Iliacis semper, inquit, Ilio mala. Athenæus lib. 8. cap. 7.

PTOLEMÆVS rex Sphẹrum Stoicum, cereis auibus in mensa appositis, cùm ad eas tanquam assas extendisset manum, irrisit. At is respondit non assensisse, quòd essent aues, sed quòd rationi foret consentaneum, esse aues. Differre enim ἰσχυρὰν ὑπόληψιν ab ὀρθῷ λόγῳ. Athenæus lib. 8. c. 8.

Horatius lib. 2. satyra 4. inducit CATIVM Epicureũ, qui quatuor libros de natura scripsit, arroganter de secta sua differentem: eamq; ridet poeta, utpote quæ in uoluptate poneret summum bonum.

Iureconsultos, Causidicos.

CICERO P. Cottam (uel Consam, in Apoph. C. Popilium uocat) qui haberi iurisperitus affectabat, cùm indoctus esset & iners, ad testimonium dicendum in quadam causa citarat. Nihil cùm diceret se scire: Putas fortassis, inquit, te de iure interrogari. Plut. in Cicerone.

Sub AVGVSTO Cæsare cũ multi Seuero Cassio inepto causidico accusante absoluerentur: & architectus fori Augusti expẹctationẽ operis diu traheret, ita iocatus est: Vellẽ Cassius & meum forum accusasset: simul & architecti tarditatẽ, & Cassij inscitiam taxans. Macrob. lib. 2. c. 4. Saturn.

Medicos.

PAVSANIAS Plistonactis, cùm culparet eum quidã amicus, quòd medicum quampiam, quem periclitatus nõ erat, neque fuerat ab eo læsus, traduceret: Quòd si essem, infit, eum periclitatus, nõ uiuerem. Cõsiderãti ipsum medico, qui dicebat, Nihil mali habes: Ego uerò, inquit, te non utor medico. Cùm ei medicus diceret, Senex euasisti: Propterea, inquit, quòd te medico non sum usus. Idem medicum retulit hunc optimum esse, qui non ad marcorem deducit ægrotos, sed quàm ocyssimè sepelit. Plut. in Apophtheg.

Philippi Vicecomitis principis Mediolanensis aulicus ulcere cruris laborabat maligno, nec medicorum cura leuabatur. IVDÆVS quidam ægrum adit, & sanitatem ei confidenter pollicetur, si suæ committatur curæ. Philippus hominis audaciam admiratus, Et quomodo istud, inquit, cùm medicinæ penitùs sis ignarus? Tum Iudæus, Emplastrum ex fœno si adhibuero, & ex tot herbis una sola morbo conueniat, spero omnino negotium feliciter successurum. Tacitè imperitorum medicorum in congerendis absq; ratione simplicibus δοξοσοφίαν reprehendens. Hieronymus Cardanus cap. 88. Methodi medendi.

ANGELVS episc. Aretinus graui morbo uexabatur. Adhibiti medici aut pharmacis utendũ, aut percundum dicebant. Cęterùm natura à medicamentis abhorrẽs, cùm negaret se ea sumturum, precibus tamen amicorũ motus, pariturũ se respondit. Illi syrupos diebus aliquot ad episcopũ miserunt, quos omnes in pelui subtus lectũ collocauit, tandẽ quoq; pharmacum purgans. Manè cùm medici ægrum fermè liberum à febri cõperissent, idque suis tribuerent potionibus: tum ille, Magnas enimuerò & priùs incompertas mihi uires habere uidentur, quæ subtus lectum positæ sanitati me restituêre. Quid facturæ, si eas potassem? immortalem me profectò reddidissent. Hoc dicto, thesaurum medicum proferri, & in cloacam abiici iussit. Poggius in Medicinæ & Iurisprudentiæ comparatione.

Antiquarios.

Vlyssipone, eodem anno, aut paulo pòst, quàm Emmanuel Portugalliæ rex Indiam subegit, HERMICVS Caiadus Lusitanus, Angeli Politiani auditor, Latinis carminibus commentus est Sibyllinam uaticinationem in columnis marmoreis tribus incisam, quæ per ambages significabat, Indos sub imperium & ditionem Lusitanorum esse uenturos: eosque lapides data opera detruncatos, ut aliqua inessent antiquitatis uestigia, obrui præcepit (conscio rege) in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram oppidũ. Vbi uerò defossa marmora ex humore terreno uitium fecisse iudicauit, anno M D V. die Augusti nona, inuitat amicos in uillã ei loco proximam. Cùm accubuissent omnes, ecce uillicus nunciat Hermico, mercenarias eius operas, dũ in fundo fossionibus incumberẽt, incidisse in lapides, indices magni cuiusdã thesauri, eodẽ loco defossi. Accurrunt omnes, & columnas intuentur, in quibus incisa huiusmodi erãt carmina:

Sibyllæ uaticinium occidiis decretum.
Voluentur saxa literis & ordine rectis,
Cùm uideas Occidens Orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus erit mirabile uisũ,
Merces commutabit suas uterq; sibi.
Soli æterno ac Lunæ decretum.

Continuò ad Regem rumor perfertur: qui commenti huius conscius, mirabundo similis, optimatibus ostendit. Illi describendum curant, & mercatorũ Vlyssiponensiũ cura per uniuersum orbem Christianũ euulgant, cũ præfatione etiã cuiusdã Valentini Moraui. Sic Hermicus antiquitatis simulatione uniuerso orbi imposuit, seu potiùs stultos antiquitatis admiratores solerti astu reprehendit & illusit. Gaspar Varrerius in censura Berosi.

Caupones.

PYRRHINICVLVS Vasco peregrè iter faciens, cùm in meritoria taberna ei cœna apposita esset omni ex parte olitoria, cum uino dilutissimo, iussit ad se uocari medicum. Respondente caupone, Ecquid in uiculo agresti medicum requireret? Ille, Num ô bone, inquit, teipsum ignoras? Medici ergo, non cauponis, precium accipe. Adrianus Barlandus.

Conuiuas, Hospites.

PHILIPPVS Macedo rex, à quodam rustico conuiuio exceptus, multos secum traxit, & cœna instructa paucis erat. Cõspicatus ergo perculsum hospitem, significauit per internũcium ámicis, ut placentæ locum relinquerent. Quam dum expectant, parciùs attingebant apposita. Ita affatim cœnæ omnibus fuit. Plut. lib. 7. Quẹst. conuiu. 6. & in Regũ apoph. & de Præceptis sal.

Sagittarios.

Diogenes Cynicus animaduertens QVENDAM imperitè iaculantem, proximè scopum consedit. Cur id faceret, interrogantibus: Ne fortè, inquit, me feriat. Significans, illũ quiduis percussurum citiùs, quàm τὸ ἴχαρ siue scopum. At alij spectatores quàm possunt longissimè sese à scopo semouẽt, ne feriantur. Laertius lib. 6.

Piscatores.

M. Antonius Triumuir, cùm piscans aliquando, quòd infelix esset in capiẽdo, præsente CLEOPATRA stomacharetur: iussit

piscatores urinantes antè captos pisces clàm hamo suo affigere. Vt bis aut ter traxit, non fefellit Aegyptiam. Mirari autem fingens se illa, rem narrauit amicis, orauitq;, ut postero die spectatum uenirent. Vbi frequentes conscenderunt naues piscatorias, & hamum Antonius demisit: imperauit uni ex suis, ut præueniens & adnatans, salsamentum Ponticum annecteret hamo. Cùm prædam Antonius habere putans subduxisset calamum: cõsecuto scilicet risu: Nobis da calamum, inquit, imperator, Pharitis & Canobitis regibus. Venatio tua urbes, reges, prouinciæ sunt. Plutarchus in Antonio.

Vigiles, Custodes.

LEO Imp. Constantinopolitanus, cùm à prandio quiesceret, solebãt ante palatium eius duodecim militum prẹsidia excubare. Horum curam ut exploraret, aliquando aperto clã palatij ostio, uidit omnes in somnum resolutos. Vnus tantùm contractis in faciem brachiis stertabundus, somnum simulabat. Imperator singulis dormitãtibus auri libram apponens, clàm discessit, clauso palatio. Abeunte Imp. duodecimus, qui non dormiebat, aurum reliquorum aufert, & se quieti dat. Milites ab Imperatore uocati interrogantur: An expergefacti hilariores ex somno redditi essẽt? Territi quòd dormiuissent, nihil quicquam tamen se uidisse, aut reperisse, iureiurando affirmant. Imperator minas adiicit, ut uerũ dicant. Quod cùm duodecimus lepida somnij fabula enarrasset: Leo in risum solutus: Vigilandi (inquit) & auspicandi officium exegisti simul, dignus, qui talem uisionẽ habueris. Collegæ tui stultitiæ pœnas secum ferant, & dormiant hinc usq; ad confusionẽ. Cuspinianus, ex Zonara.

LVDOVICVS Pius Imperator, cùm Suessione in monasterio S. Medardi à filiis in custodia adseruatus, ex uigilibus quendam nocte quapiam somno uinoq; sopitum, ac circa fundamina basilicæ ante custodiam solo prostratum, & ensem ab eo dimotum uidisset, mox scalam, quæ ad accendenda funalia in angulo fuerat reposita, apprehendit, funiculum otiosum à laquearibus soluit, & hastæ, qua uexillũ tempore letaniæ suspenditur, alligauit, perq; eam in sublime ensem ad se traxit, ac in altas proiecit latrinas: & mox excitatum uigilem ludibrio habuit. Robertus Gaguinus libro 4. de gestis Francorum.

Senes.

Apud Plutarchum ANTIPATER, cùm incidisset mentio de Demade iam senio imbecilli fractoq;: Velut, inquit, ex immolata uictima, solus uenter & lingua superest. Apparet linguam ceu prophanum membrum sacris adhiberi non solere. Erasmus in Adagiis.

DINVS Florentinus casu per cemæterium ambulans, à senibus quibusdam irrisus fuit. Ille hoc unum respondit: Iniquum hoc loco certamen. uos ante domos uestras animosiores estis. Petrarcha.

Mendicos.

MAXIMILIANVS I. Imp. à mendico fratris nomine salutatus, & fraterno amore dignã eleemosynã dare rogatus, ubi ab Adamo hanc consanguinitatẽ deduci audiuit, obolum astuto mendico dedit: Abi, inquiens, & à fratrum quolibet tantundem exige: diuitiis, ne dubita, me longè superabis. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memor.

Reos, Damnatos.

PHILIPPVS Macedo iudex sedens duorum facinorosorum, fugere præcepit uni ex Macedonia, & alteri eum insectari. Plut. in Regum apoph.

Aristogiton sycophanta damnatus, cũ esset moriturus in carcere, PHOCIONEM, ut ad se ueniret, precabatur. Hic retinentibus eũ amicis, ne ad improbũ hominẽ pergeret: Vbinã, inquit, malis Aristogitonẽ cõuenire? Plut. in Apoph.

Legatos.

Cùm tres legatos populus Rom. in Bithyniã destinasset, quorum unus pedibus æger erat, alter capite ex terebratione & insectione cauato, tertius uidebatur amens: irridens M. CATO, legationẽ ait mitti à populo Rom. quẹ nec pedes, nec caput, nec cor haberet. Plut. in Catone.

RODOLFVM I. Imp. duo insignes oratores in arduo negotio adierũt, alter barba cana & capillo nigro, alter uerò capillo cano & barba nigra. Quib. rex respõdit: Non priùs uos absoluã, quàm rationẽ diuersitatis barbæ & capillorũ reddatis. Hi deliberandi spacio accepto, altero die Regẽ adeuntes: Ego, inquit primus, canam habeo barbam, quia omnis mea curã fuit, ut ori satisfacerem & gulæ, de nulla alia re cogitans. idcirco caput mansit cum suis capillis nigris, & mentum uestitũ est barba cana. Alter inquit: Capilli mei simul cũ egressus sum uterum matris meæ, creuerunt: post uiginti quatuor annos demùm erupit barba: quæ cùm eandem ætatem assequetur, quã nunc capilli habent, eundẽ quoq; colorem sortietur. Rex argutiam utriusq; laudans, remisit honestè expeditos. Cuspinianus.

Seruos.

ANGELOTVS Cardinalis S. Marci, cũ eius familia deducẽdi domini gratia, ad pulsati tintinnabuli signũ nõ cõueniret: ad horã postea mensæ uulpina cauda, ne sentiretur, ęra percuti mandauit: ita ut pauci admodũ, fortè præsentes, discũberent. Volat. lib. 23. Anthrop.

Hostes.

C. MARIVS, uictis ad Aquas Sextias Teutonibus, Cimbris ad Athesim occurrit. Qui lacerauerunt fœdè nuncios, & per legatos à Mario sibi fratribusq; agrũ & oppida poposcerunt, quæ ad sedes suas ponẽdas essent satis. Percũctante legatos Mario de fratribus, cùm Teutones illi nuncuparent: cæteri omnes risere. Marius uerò respõdit cauillo: Omittite fratres. habẽt enim à nobis illi datã terrã, semperq; habebũt. Percepto cauillo proscinderũt eũ legati conuitio, daturum pœnas confestim Cimbris & Teutonis, ubi aduenissent. At, inquit, præstò sunt, Marius: nec decet uos nisi salutatis abire fratribus. Sic fatus, uinctos Teutonum reges produxit, qui in Alpibus fuerant à Sequanis fugientes retracti. Plut. in Mario.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, dum sacro interest, animaduertit presbyterum ignobilem in angulo Ecclesiæ dormientem. Ei igitur Canonicatum opimum, qui tum primùm uacauerat, nescienti contulit. Causam rogatus: Vt uerũ id reipsa deprehendat esse, respondit, quod uulgò dicitur, Opes dormientibus superuenire fortunatis. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Dormientes.

LVDOVICI Pij & LEONIS Imp. Græci exempla. Vide paulo antè Vigiles.

CAROLVS V. Imp. Gãdaui rusticũ temulentum in triuio dormientẽ cõspicatus, per satellites in aulã deportari, in lecto regio reponi iussit. Vbi euigilasset, titulo imperatorio salutatus, cũ nutu suo omnia fieri uidisset, Vtrum sacra priùs an fercula mallet? rogatus: iamdudũ sibi in patinis animũ fuisse professus, regioq; luxu exceptus, uino rursus obrutus, ad eũ unde primò exportatus fuerat locum reportatus, ephemera felicitate unà cum somno solutus fuit.

Mortuos.

EPAMINONDAM ferunt ioco dixisse de uiro forti, qui quo tẽpore pugnatũ est in Leuctris, ex morbo interiit: Papæ, quĩ uacauit illi tã multis in negotiis fato fungi? Plut. Præcep. sal.

IDEM, cùm paucos Thebanos sub Corinthiorũ muris pugnã lacessentes fudisset Chabrias, ac trophæum statuisset: irridẽs ait, Ibi non trophæũ, sed excitatũ ab eo Hecatæum. nã Hecaten ferè in triuiis pro portis locabant. Plut. in Apoph.

ARIGEVS per Selinuntẽ Siciliæ iter faciens, cùm uideret inscriptum monimento hoc epigramma:

Sæuo, qui diros quondam extinxere tyrannos,
Ante Selinuntis mœnia marte cadũt: Meritò, inquit, occubuistis, flagrantem qui extinguere tyrannidem molitì estis. Cõtrà enim oportebat totã sinere incẽdio absumi. Idẽ.

Epitaphiũ Archilochi poetẹ maledici, à QVODAM scriptũ:

Ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μήποτε τοῦδε
κινήσῃς τύμβου σφῆκας ἐφεζομένους. id est:
Ne fors crabrones, qui huic insedere sepulcro,
Irrites, tacitũ carpe, uiator, iter. Erasmus in Adagiis.

HENRICVS IV. Imp. cũ Rudolfum ducẽ Sueuorũ audisset regali põpa sepultũ, & id pleriq; ẹgrè ferrẽt, argutè respondit. Vtinã omnes mei hostes simili põpa sepulti iaceant. Cusp.

MATHIÆ Coruini Vngariæ regis mortẽ ex apoplexia, tardè Moraui quidã proceres credidere: quoniam memoria tenebãt, aliquoties famã mortis eius antea sparsam fuisse, ac semper illum magno cum malo resurrexisse. Postquã certo apparuit sepultũ, unus è procerib. illis, A centum, inquit, annis malus thesaurus meliùs tẽpestiuiusq; in terrã cõditus nõ est. malè enim ille multatus à Mathia fuerat. Dubrauius lib. 31.

Bruta.

Aiunt quendã in urbe ALEXANDRIÆ circulatorẽ & pṛstigiatorẽ docuisse simiã, eiq; saltatricis apposuisse personã, ac uestem circũdedisse exercitio conuenientẽ. Et cũ chorum ei adhibuisset, placuisse, cùm ad cantilenæ modos ac numerũ sese flecteret, ac per omnia naturam occultaret. Acclamantibus autẽ cunctis, & applaudentibus agilitati simiæ, ad cantum & modulationẽ aptè se mouentis, QVENDAM ferũt facetum hominẽ, ut simiæ laruã detraheret, proiecisse in orchestra ex bellariis ea, quẹ taliũ bestiarũ ingluuiẽ attrahunt atq; inuitãt: Simiã uerò nihil cunctatã, ut uidit ante chorum dispersa amygdala, oblitã & saltationis, & plausuũ, & uestis ornamentorũ, accurrisse, & personã ori detraxisse: sic ut pro laudib. & admiratione, risum abundè spectatorib. moueris. Greg. Nyssenus lib. de Nomine seu profess. Christiana.

Inanimata. Vrpura in

Mare tranquillum.

SICVLVS quidam, cũ ficos naui portãs, naufragiũ fecisset, ac deinde sedẽs in litore, mare placidũ ac tranquillum uideret, uelut

uelut inuitans ad iterandam nauigationem, dixisse fertur, Οἶδ' ὃ θέλεις, σῦκα θέλεις. id est, Noui quid uelis, ficos uis. Recensetur ab omnibus fermè prouerbiorum Græcorum collectoribus. Erasmus in Adagiis.

Panem atrum.

Apud Athenæum, PARASITVS quispiam, panes rancidos & atros in conuiuium illatos, ἄρτων σκιὰς appellauit: quasi manes panium, non panes. Erasmus in Adagiis.

LAERTIVS refert Zenonem, cùm seruum in furto deprehensum cæderet, seruus interim clamaret, In fatis fuisse, ut furaretur, subintulisse: Illud etiam, ut cæderer is. Idem.

QVID AGENTES uel PATIENTES VRbanitati subiiciantur. Sic IOCI exercentur erga

Auditores oscitantes.

Vide infrà, Reprehensio urbana Negligentiæ, Oscitantiæ.

Rixantes, Contendentes.

Cùm Leontius Ancyranus Galatiæ episcopus, ecclesia Nouatianis ademta, Constantinopolim uenisset: SISINNIVS Nouatianorum episcopus ab eo petiit, ut eam illis restitueret. Illo uerò asperè respondente: Vos Nouatiani ecclesiam habere non debetis, qùum pœnitentiam tollatis, & Dei liberalitatem excludatis. **Sisinnius**, Atqui neminem, inquit, ita pœnitet, ut me. Illo, **Cuius rei?** **sciscitante**: Quòd te uiderim, inquit Suidas.

Cùm Ioanne **episcopus** Cōstantinopolitanus orthodoxus diceret, **Vrbem** duos episcopos habere non posse: Neque enim **habet**, inquit SISINNIVS. Quod cùm Ioannes grauiter **tulisset**, ac diceret: Vides, te solum esse uelle episcopum? Non hoc, inquit, dico, sed me tibi soli non esse episcopum, cùm sim aliis. Ibi Ioannes: At ego efficiam, ne conciones habere tibi liceat: hæreticus enim es. Tum Sisinnius festiuè: At ego, inquit, mercedem etiam tibi soluam, si me tanto labore liberaris. Ibi Ioannes factus mitior: Non te liberabo, siquidem habere conciones oneri tibi est. Idem.

Eusebius Ponti præfectus, in D. BASILIVM Cæsariensem episcopum furēs, post uerbera minabatur, se ei hepar ex mediis uisceribus extracturum. Respondit Basilius: Gratū mihi quid profectò feceris, ô Eusebi, si hepar, quod cætera omnia membra (quod ex facie & habitu corporis iudicare potes) cruciat, & affligit, euulseris: ita enim corpus omne à molestiis semel liberabis. A uulgo liberatus est ex manib. præfecti. Sozomenus lib. 6. c. 16.

GENVENSIS quidam nauarchus Anglico bello Gallis militans, gestabat scutum, in quo bouis caput depictum erat. Conspicatus hunc Gallicus nobilis, cùm illud armorū insigne sibi uendicaret, orta altercatione, Gallicus Ianuensem ad certamen prouocauit. Ianuensis accepta conditione in campum ad certamen nullo apparatu descendit: alter multis impensis ornatissimus in campum constitutum uenit. Tū Ianuensis: Quid est, inquit, propter quod certaturi hodie sumus? Ille, Assero, inquit, tua insignia mea meorumq; priusquam tuorum fuisse. Et Ianuensis: Quænam ergo tua sunt? Caput bouis, ait. Hîc Ianuensis, Non est opus certamine aliquo, inquit, nam hoc quod porto, non bouis, sed uaccæ est caput. Poggius in Facetiis.

Conquerentes.

Quum è senioribus quidam, uidens priscas leges & instituta uetera aboleri, & alia praua succedere, atq; ob id res SPARTANORVM inuerti, quæ summa fuerant in imum deiici, & conteri: id, inquam, cùm apud Agidem iam senem deploraret, ioco respondit: Si est, inquit, quod narras, rectò ordine res procedunt. Si **quidem ego** puer à patre audiui, quòd iam tum illis **temporibus** res inuerterentur. Itaque si rursus inuertuntur, **redierunt** in locum pristinum. Plut. in Lac.

Lauantes.

Atheniensi Alcibiadi, cùm copiosè balneator aquam administraret, ait LACON: Nempe ut illuuiei pleno præbenda est affatim. Plut. in Apoph.

Nubentes.

Mulierē omnē esse malā, perquā uenustè significauit LACON quidā, qui cū uxorē duxisset perpusillā, dicebat, E malis, quod minimum esset, eligendum. Erasmus in Adagiis.

De DIOGENE Cynico Laërtius huiusmodi fabulam narrat. Adolescens quispiā iactantior, nuper uxore ducta, titulū huiusmodi inscripsit ædibus suis: ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν. i. Iouis filius Callinicus Hercules hîc habitat, ne quid introeat mali. Diogenes adscripsit, μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. i. Post bellum auxiliū. uidelicet indicans iam tunc receptum in eas malum, cùm uel ipse malus immigrasset, uel uxorem malam introduxisset. Erasmus in Adagiis.

Aegrotantes.

Cyrus Plutarchi amicus ex prouincia reuersus, in morbum inciderat. Is dum gelidas manus se habere AVFIDIO Modesto conquereretur assidenti: Certè, ait ille, nuper calidas de prouincia retulisti. de furtorum scilicet & rapinarū frequentia iocum texens. Qui uiro integerrimo & bene sibi conscio risum mouit, fastidiumq; discussit, suffusurus noxio ruborē. Plutarchus lib. 2. Quæst. conuiu. 1. Macrobius libro 7. cap. 3. hoc tribuit dictum amico L. Quinti Prætoris ægrotantis sub Domitiano.

RERVM, CIRCA QVAS OCCVpatur. Sic iocosè

BONA SVA VEL ALIENA QVIS

Laudat.

Qui aliis uitia, quibus carent, obiiciunt: hi eorū uirtutes, quib. sunt prædìti, aperiunt. Oportet autē uirtutē aliquā confessam & exploratā adesse: alioquin cōtrariū, quod est in quēpiam dictū, ambiguā adfert suspicionē. Nā qui ad prædiuitē fœneratores dicit se ducturū: uel abstemiū & temperātem, insolentē ex uinolentia & ebrietate profligatū: uel splendidū, magnificum, & munificū appellat sordidū & tenacē: uel in causis agendis & rep. gerenda præstanti denunciat in foro se damnaturum eum, is hilaritatem & risum ciet. Plut. libro 2. Quæst. conu. 1.

SOCRATES, Antisthenis industriam in amicitiis colligendis & concilianda hominum gratia lenocinium & factionis solicitationem & lactationem appellauit. Idem.

CRATETEM philosophum, qui omniū tecta ingrediebatur, excipientibus eum honorificè & benignè hominibus, dicebant θυρεπανοίκτην, admissionalem. Idem.

De Antisthene prædicauit DIOGENES:

Qui me induit læna, & mendicum reddidit,
Et exulem & meis quoq; profugum ædibus. Idem.

Critobulum SOCRATES hominē formosissimū ad cōtentionē formæ prouocans lusit, nō derisit. Socrati itē ALCIBIADES ilocaliter offudit æmulationē de Agathone. Idem.

LACON gymnasiarchā, qui acapna ligna præbuerat, in speciē incusare dixit se: Cuius opera factū est, ut apud nos ne lacrymā quidē mittere licuerit. Et eū, qui ipsum quotidie ad cœnam inuitabat, plagiar.ū & tyrannū nominans: Per quem, inquit, tot annos mensam non aspexi meam. Idem.

QVIDAM alius dixit appetitū ab rege insidiis se, & ademtū sibi otium & somnum, qui ex paupere diues euasisset. Idem. Ioci autem lepos est in faceta fictione. Plagiarium appellauit, quòd liberalitate sua homines sibi redderet obnoxios: tyrannum uerò, quòd per illum non liceret cuiquam conuiuarum domi suæ uiuere.

ALCIBIADES dicebat, nihil nouum esse, si Lacedæmonij intrepidè mortē in bellis occūberēt. Defugere enim eos hoc modo legum seueritatem & cruciatum: atque labores alacriter prompteq; cum morte commutare. Aelianus libro 13. Variæ historiæ.

Cyrus Plutarchi amicus, procōsul, cùm in aduersa ualetudine manus sibi algere diceret, AVFIDIVS Modestus subiecit, Atqui calidas ex prouincia eas retulisti. Id illi risum & lætitiam excitauit. Proconsuli prædoni conuitium & probrum fuisset. Plut. lib. 2. Quæst. conu. 1.

MALA SVA uel ALIENA

Reprehendit. Reprehensio, Sugillatio, Exprobratio iocosa.

In genere.

IOANNES Theologus Minor apologo uitia sui temporis sacerdotum reprehendit. Apud Aemilium lib. 9.

IVLIVS II. in alienis uitiis oculatissimus, cū diuersarum nationum ministros haberet, Hispanos quidem Volucres cœli, ob superbiam, Venetos & Genuenses Pisces maris, ob rei maritimæ studium, Germanos Pecora campi, propter ingluuiem appellare solebat. Gallos, quos peculiari odio prosequebatur, ueluti è creaturarum numero extimens, οἰνέρως, quasi uentres uinū consumere natos uocabat. Aegid. Corrozetus de Dictis memorab. Iam cùm omniū ferè gentium uestitū tabula eleganter picta spectandū proposuisset, Gallum nudum pingi iussit, humi pannos omnis generis sparsos ceu materiam, cui formam ex quib. libuisset petitā gentibus induceret spectātem, iuxtaq; reticulum cum pila, quo ludi genere Galli inprimis delectantur.

Ignorantiæ.

BACCHVS ad Herculē de tragœdiis iudicātē, cū exercitatior esset in uorādis tauris, quā pēsiculādis poetarū carminibus: δειπνεῖν με δίδαξον, inquit, hoc est, Cœnare me doce, apud Aristophanem in Ranis.

Extat

Extat iocus DEMONACTIS, auctore Luciano, Hic mulget hircum, ille supponit cribrum: cùm alter ineptè præponeret, alter responderet ad id, quod propositum erat, nihil facientia Erasmus in Adagiis.

Polus cùm se iactaret insolentiùs, PLATO sic hominem taxauit: ὦ πῶλε, ἵνα προσείπω σε κατὰ σέ, id est, O Pole, ut te tuo alloquar modo. Polus Græcè sonat pullum equinum: ipso itaque statim nomine tetigit hominis arrogantiam. Laertius libro 3.

Caluisius Sabinus diues, gloriæ auidissimus, magnis preciis seruos comparauit, quorum alter hunc, alter illum poetam familiariter memoriter nosset: hoc scilicet expeditum iter ad eam, quam appetebat, gloriam ratus, si serui ut peculiū, sic & literas domino quærerent. Hac familia instructus, conuiuas suos quæstiunculis exagitabat. Serui ad pedes aderāt, & de quacunque re sermo esset obortus, accommodatos materiæ uersus insusurrabant: quos ille gloriabundus dum pronunciare uellet, in medio hærebat. In hūc igitur SATELLIVS Quadratus stultorum diuitum irrisor, & arrisor, & derisor, ita iocatus est, cùm ille iactaret centenis millibus seruos sibi singulos constitisse: Minori precio, totidem scrinia emisses. Idem Sabinum ut luctaretur orabat: cumq; ille diceret, Quomodo luctabor homo æger ac debilis, & uix uiuere ualens? Noli quæso, inquit Quadratus, hoc dicere: aspice quot seruos habes robustissimos. Seneca lib. 3. Epist. 27.

BASILIVS Magnus episcopus Cæsariensis, urbanus in cōgressibus etiam inimicorum fuit. Valens Imp. contra eum orthodoxum uarios misit, qui eum uerbis, minis ac suppliciis persuaderent. Misit Demosthenem quendam, hominem furibundum & audacem, qui cùm blasphemias in Basilium debaccharetur, barbarismo quodā fortè lapsus est. Ad quod risu Basilius exclamauit: Vidimus & nos Demosthenem sine literis. At cùm importuni⁹ obblateraret, ita obiurgauit, Tuum est de pulmentariis cogitare, & non diuina dogmata decoquere. Sozomen. lib. 6. cap. 16.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, indoctum quendam multis instructum libris gibboso similem esse dicebat, qui gibberum in dorso portans nunquam oculis aspicere posset. Corrozetus de Dictis & factis mem.

Stultitiæ.

Polyeuctum Sphettium cùm uideret PHOCION per æstum auctorem populo Atheniensi esse mouendi Philippo belli, inde anhelantem multùm & sudantem, utpote præpinguē, atque crebrò aquam sorbentem: Debetis scilicet, inquit, ex huius sententia bellum sciscere, quem in lorica & clypeo quid censetis facturum instantibus hostibus, cùm inter dicendum apud uos ea, quæ commentatus est, penè suffocetur? Plutarchus in Phocione.

DIOGENES adhibita interdiu lucerna, rogatusq; Quidnam sibi uellet? respondit, ἄνθρωπον ζητῶ: id est, Hominem quæro. Laertius.

E duobus fratribus, quorum alteri nomen erat ἑκάτερος, alteri ἀμφότερος, ille bonæ frugis erat, hic nequam. Hos quū PHILIPPVS uidisset, hoc in eos iocatus esse fertur: Ὁ μὲν ἑκάτερος ἀμφότερος, ὁ δὲ ἀμφότερος οὐδέτερος, id est, Vterq; ambo, Ambo neuter. Plut. & in Græcis Epigrammatis.

Proditum est, Herodem sophisten, diuitiis perillustrem, ex luctu uxoris Regillæ forma domus submutata, parietum ornamenta florida tum uelis nigricātibus, tum lapide Lesbio induxisse. At LVCIVS uir sapiens, Herodi etiam perfamiliaris, pueros conspicatus raphanidas albas perluere, quæsiuit, Cuius nam foret ea cœna? Audiens uerò Herodi eam parari: Atqui, inquit, Regillæ Herodes iniurius est, qui alba uescatur raphanide in funesta & pullata domo. Quæ illi renūciata eatenus insederunt, ut mox domesticas tenebras, & parietum (ut sic dicam) nubila discuteret, ne ludibrio studiosis & magnis uiris fieret. Cælius lib. 20. cap. 26. A. L.

DOMITIANVS Imp. Metij cuiusdam senectutem dissimulantis stultitiam falsè reprehendit: Vellem, inquit, tam formosus esse, quàm Metius sibi uidetur. Et cuiusdam caput uarietate capilli subrutilum & incanum, perfusam niuem mulso dixit. Suetonius.

Rex Alfonsus Aragonius honestæ recreationis causa Quæstorem, ut ita dicam, stultitiæ aulicæ constituerat, apud quem quæcunq; singulo die stultè dicta factáue essent recenserentur. Diarium illud rex sub uesperam ferè solebat inspicere. ARLOTTVS Plebanus dum naues Florentinæ, quibus sacrorum nomine præerat, tempestatis causa per aliquot dies Neapoli hærent, aulicis sese insinuarat: cumq; rex Germanū quendam Theodericum, aliquot millibus Alfonsinorū nummorum instructum in Germaniam comparandorum equorum causa ablegasset (sunt tamen qui Maurum apostatam in Africam missum tradant) Quæstorem adit, & in hæc uerba censuram suam perscribi iussit: Alfonsus rex Barbarum pecunia onustum ad Barbaros mittit, hoc est, ut ne gratis perfidus esse cogatur, etiam uiaticum addit. Meo ergo illē calculo stultorum huiusce diei princeps esto. Posteaquam Alfonsus Ephemerides recognouit, hominis non inscita libertate delectatus, eū ad se uocauit. At reuocabis, sat scio, inquiens, ubi Theodericum cum generosis equis reducem uideris. Tum ille, Non reuocauero facilè, sed tamen mutauero. Quî illud, inquit Rex. Eraso tuo nomine, respondit Arlottus, illius substituam. Auctor uitæ Arlottus.

Negligentiæ, Oscitantiæ.

DIOGENES Cynicus, cùm seriò quandoq; loqueretur, & nemo auscultaret, sese ad sonum musicum contulit. Congregatis autem ad se quamplurimis, exprobrauit, ut qui ad inepta studiosè concurrerent, ad ea uerò, quæ grauia essent & utilia, negligenter conuenirent. Dicebatq;, de fodiendo & calcitrando certare homines: ut autem boni & probi fierent, curare neminem. Laertius lib. 6. cap. 2.

Cùm aliquando DEMOSTHENES quendam in causa capitali defenderet, ac iudices haberet parum attentos, sed dicenti obstreperent: ille, Paulisper, inquit, aures mihi præbete, siquidem rem narrabo nouam ac lepidam, atque auditu iucundam. Ad quæ uerba cùm illi iam aures arrexissent, Adolescens, inquit, quispiam asinum conduxerat, rerū quiddam Athenis Megaram deportaturus. Inter uiam aūt cùm æstus meridianus ingrauesceret, nec inueniret quónam umbraculo solis ardorem defenderet, depositis clitellis, sub asino sedens, eius umbra semet obtegebat. Cæterùm id agaso non sinebat, hominem inde depellens, clamansq; asinum esse locatum, non asini umbram. Alter item ex aduerso tendebat, asseuerans etiam umbram asini sibi conductam esse. Atq; ita inter eos acerrima rixa in longum producta est, ita ut etiam ad manus uenerint: hoc pertinaciter affirmante, nō conductam esse asini umbram, illo pari contentione respōdente, umbram etiam asini conductam esse. Demum in ius ambulant. Hæc locutus Demosthenes, ubi sensisset iudices diligenter auscultantes, repente cœpit à tribunalibus descēdere. Porrò reuocatus à iudicibus, rogatusq;, ut reliquum fabulæ pergeret enarrare: De asini, inquit, umbra libet audire, uiri causam de uita periclitantis audire grauamini? Paulo aliter narrat Plutarchus in uita Demosthenis. Cùm in cōcione dicenti obstreperent Athenienses, ait se breuiter illis uelle narrare quiddam. At silentio facto, Adolescēs, inquit, æstatis tempore asinum mercede conduxerat, ut eo ab urbe Megaram proficiscens uteretur. Porrò meridie cum sol acriter æstuaret, uterq; cupiebat sub umbram asini succedere. Verùm alter alterum arcebat, cùm hic diceret asinum conductum esse, non umbram. Rursus alter qui conduxerat, se plenum habere ius responderet. Atq; hæc locutus, discedere parabat. Retinentibus autem Atheniensibus, utq; reliquā fabulæ partem adderet orantibus: Itáne, inquit, de asini umbra audire cupitis, de rebus seriis loquentem auscultare nō uultis? Quidam aiunt, asinum Athenis non Megaram, sed Delphos fuisse conductum. quod idem apparet ex uerbis Demosthenis, qui Delphicam umbram nominat, in calce orationis De pace. Plut. in eius uita.

Relata ad AVGVSTVM magnitudinè æris alieni, quam quidam eques Romanus, dum uixit, excedentē ducenties H-S. celauerat, culcitram emi cubicularem in eius auctione sibi iussit. Et præceptum mirantibus, hāc rationem reddidit: Habenda est ad somnum culcitra, in qua ille, cùm tantum deberet, dormire potuit. Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

Extat apud Robertum Gaguinum lib. 4. de gestis Francorum, LVDOVICI Pij Imperatoris & regis Franciæ epistola, qua is ridiculum quoddam factum suum memorat: nempe cùm Suessione in monasterio S. Medardi à filiis in custodia adseruatus, ex uigilibus quendam præter meritum sibi infensiorem, nocte quapiam somno uinoq; sopitum, ac circa fundamina basilicæ ante custodiam solo prostratum, & ensem ab eo dimotum uidisset, mox se scalam, quæ ad accendendos funes in angulo fuerat reposita, apprehendisse, funiculum otiosum soluisse à laquearibus, & hastæ, qua uexillum tempore letaniç suspenditur, alligasse, perq; eam in sublime ensem ad se traxisse, ac in altas proiecisse latrinas: & mox excitatum uigilem habuisse ludibrio.

Solebant prçsidia duodecim militum, post acceptum prandiū ante Leonis V. Imp. Constantinopolitani palatium excubare, cùm Imperator quiesceret. Ille quondā aperto clàm palatij ostio, uidit omnes in somnum resolutos. Vnus contractis in faciem brachiis stertabundus, somnum simulabat. Imperator singulis dormitantibus auri libram apponens, clàm discessit clauso palatio. Abeunte Imperatore duodecimus, qui non dormiebat, aurum reliquorū aufert, & se quieti dat. Ab Imperatore uocati milites, interrogantur, An expergefacti hilariores ex somno redditi essent? Territi quòd dormiuissent, nihil quicquam tamen se uidisse aut reperisse iureiurando affirmarūt. Imperator minas adiecit, ut uerum dicant. Duodecimus itaq;, Imperator, inquit, quid mei uiderint collegç, planè nescio. Videbar ego mihi uigilans dor-

 mire,

mire, cùm quidam similis tui, singulis auri libram apponit clàm, & tacitus clauso discedit ostio. Collegis tam pulcram non uidentibus uisionem, surrexi, & undecim libras meæ duodecimæ coniunxi: arbitratus honestum, ut duodecim hæ libræ ob honorem duodecim Apostolorū simul essent, quos religiosè ueneror. Hinc me quoque quieti dedi, & in somnis duo decim mihi astare Apostolos uidi, qui mea laudarunt solertiam. Expergefactus, XII. libras auri in marsupio reperi, & uisionem ueram fuisse reipsa didici. Leo in risum solutus: Vigilandi (inquit) & auspicandi officium exegisti, simul dignus qui talem uisionem habueris. Collegę tui stultitiæ pœnas secum ferant, & dormiant hinc usq; ad consusionem. Cuspinianus, ex Zonara.

ANGELOTVS cardinalis S. Marci, uir admodum facetus, cùm eius familia deducendi domini gratia (sicuti mos est) ad pulsati tintinnabuli signum non conueniret: ad horam postea mensæ uulpina cauda, ne sentiretur, æra percutimati dauit: pauciq; admodum fortè præsentes tantùm discumbebant. Volat. lib. 23. Anthrop.

QVIDAM Minorita cùm Viennæ inter concionandum Albertum I. Imp. cum auliçis oscitantem & somniculosum animaduerteret: uoce intenta, Quæritur, inquit, saluarine principes possint? Req; in utramq; partem diu multumq; agitata, excusso iam somno attentis omnibus: Quid ni possint, subintulit, si modò baptismo suscepto in canis ungientes moriantur. Aen. Syl. lib. 3. com. in Pan.

Otij inepti.

VETTONES Hispaniæ populi barbari, cùm primùm Rom. castra intuentes, quosdam cęturiones deambulationis causa in uia progredientes reflecti cernerent, insanire homines suspicati sunt. Itaque eis uiam ad tabernacula commonstrabant, quasi semper aut quiescere aut pugnare necessarium arbitrarentur. Strabo lib. 3. Affine huic quod de INDIS narrant, cùm saltantes uidissent Hispanas feminas, territos fugisse, quòd illas dicerent nouo & inusitato sibi furoris genere concitari. Lud. Viues lib. 1. de Christiana femina.

Timiditatis.

EPAMINONDAS, allato copias ab Athenienssibus nouis instructas armis in Peloponnesum missas: Quid igitur, inquit, Antigenidas non gemit, quòd nouas habet Tellis tibias? Fuit tibicen Tellis pessimus, optimus Antigenidas. Plutarchus in Apophthegm.

THEMISTOCLES cauillo Eretrienses dixit sicut loliginem gladium habere, cor non habere. Plut. in Apoph.

AFRICANVS censor cùm castigaret militem, quòd in pugna non fuisset: ille uerò diceret, se custodiæ causa in castris mansisse: Non amo, inquit milites nimis diligentes. Erasmus lib. 6. Apophthegmatibus.

Pòst Mutinensem fugam quærentibus quid ageret Antonius, respondisse FAMILIARIS eius ferebatur: Quod canis in Aegypto: bibit, & fugit. Quoniam in illis regionibus constat, canes metu crocodilorum exterritos, currere & bibere. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2.

Impudicitiæ, Scortationis, Adulterij.

☞ *Vide Tit. Coniugum impudicitiam urbanè reprehendere. Hic eius qui reprehenditur impudicitiæ habetur ratio: illic uerò alienæ, quatenus infortunii loco aliis obiicitur.*

Quum quidam DIOGENI referrent, Didymon tibicinem in adulterio deprehensum: Dignus est, inquit, ipsò nomine suspendi. Porrò didymi Græcis testiculi dicuntur. Ab his igitur, unde nomen habebat, & quibus peccauerat, suspensus fuit. Laert. lib. 6. & Cælius lib. 4. cap. 7. A. L.

ANTIGONVS à Demetrio filio, arctiore osculo exceptus: Lamiā (inquit) credo oscularī noluisti. Erat fama illum Lamiæ congressu & consuetudine cupidiùs teneri. Sab. lib. 7. En. 4.

Demetrius Poliorcetes Lamiam scortum amabat. Cuius cùm LEGATI ad Lysimachum uenissent, iis ille per otium altas in cruribus & brachiis suis leoninorum unguium cicatrices ostendit, exposuitq; suam cum leone pugnam, quam ab Alexandro rege cum illo conclusus conseruerat. Illi in risum effusi, suum quoq; regem prædicauerunt immanis ferę in collo ferre morsus Lamiæ. Plut. in Demetrio.

Non illepidè dixit apud Athen. lib. 6. Philoxenus parasitus, cogitomento Pternocopis, in alterum parasitum nomine CORYDVM, quum incidisset sermo, quòd turdi magno emerentur, præsente Corydo, de quo rumor erat obsceni obsequij: At ego, inquit, memini Corydum obolo fuisse æstimatum. Parasitis autem solent indi nomina contemtus. Quanquam hic Corydus narratur in dictis fuisse lepidus. Erasmus in Adagiis.

PAVSIMACHVS Moschionem parasitum, uetulæ mensas sectantem, adulteris contrarium esse dicebat. Ille enim in uentrem accipere, hi in uentrem dare assueuerunt. Alium quendam à uetula libidinis causa ali solitum, uidens, Quanta benignitatis concertatio? exclamauit, neuter dando accipiendóue ab alterò se uinci patitur. Athen. lib. 6. cap. 5.

Mater M. Bruti Seruilia, cùm preciosum ære paruo fundum abstulisset à Cæsare, subiiciente hastæ bona ciuium, non effugit dictum tale CICERONIS: Equidem quò meliùs emtum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia dedicta. Filia autem Seruiliæ erat Iunia Tertia, eademq; C. Crassi uxor, lasciuiente Dictatore tam in matrem, quàm in puellam. Hanc luxuriam senis adulteri ciuitas subinde rumoribus iocisq; carpebat: ut mala non tantùm seria forent. Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 2.

Mulier adultera expanderat ad fenestras uarij generis uestimenta ab adultero data. MATRONA ante domum transiens, conspectis tot uestibus: Sicut aranea telas, ita hæc, inquit, uestes suas effecit. Poggius in Facetiis.

Voracitatis, Ebrietatis.

DEMETRIVS Poliorcetes apud patrem Antigonū questus, quòd molesto rheumate uexaretur: Vide ne Thasium sit, inquit, aut Lesbium potiùs. Ex Jutraq; enim insula optimum illi aduehebatur uinum. Sab. lib. 7. En. 4.

Apud Athenæum lib. 8. THEOCRITVS Chium Diocli gurgiti, qui deuorato pisce calido, dixit se cœlum exuisse: Vnum, inquit, illud tibi superest, ut mare ebibas: atque ita tres res omnium maximas confeceris, terram, mare, cœlum. Erasmus in Adagiis.

ZENO Citticus philosophus, quodam in conuiuio immoderatiùs uorante obsonia, neq; quicquam aliis reliquum faciente, piscem ingentem, qui apponebatur, è patina sustulit, quasi solus illum deuoraturus. Quum alter intuens Zenohem, significaret se intrari impudentiam: Quid, inquit, putas coniuctoribus tuis accidere quotidie, si meam opsophagiam ferre non potes? Laert. lib. 7. cap. 1.

L. Cotta censore, qui supra modum effusus in uinum erat, candidatus CICERO consularis in prensando cùm sitiret, ori cunsulis amicis, ut bibit: Rectè ueremini, inquit, ne quòd aquam bibam, succenseat mihi censor. Plutarchus in Cicero. & Macrobius.

Orta super mensa Canis Magni Veronensis edendi mentione, cùm multi magni comestores referrentur ab aliis: & Hugutio quoq; Fagiolanus (qui multis actus fortunæ tempestatibus iam senex ad aulam Canis peruenerat, ubi non hospitis; sed parentis locum tenebat) cœpisset de esu uino in ætate iuuenili, utpote qui esset immensi corporis, quædam incredibilia narrare: PETRVS Naurus, qui in eadem aula sapientia celebris, sed mordax habebatur, respondisse traditur: Minimè quidem miror hæc quæ dicis, cùm maiora sileas, quæ tamen scimus: Pisas & Lucam uno prandio deuorasti. Constans enim erat opinio, potuisse die illo, quo de illarum ciuitatum dominio pulsus erat, uulgi tumultum cò primi, si è conuiuio surrexisset. Petrarcha.

QVIDAM caseum largiùs quam alij. Id ægrè ferens hospes, uocat ministrum, & quomodo caseus declinaretur, interrogat. Illo more grammatico id faciente: Desipis uerò tu, secta, ut ille. ostenso eo qui frusta tam magna auferebat.

Liberalitatis ineptæ.

Adolescens quidam Ponticus pollicebatur se rationem ANTISTHENIS habiturum, si nauis sua, quæ salsamenta uehebat, appulisset. Antisthenes accepto nouo uase, unà cum adolescente ibat ad mulierem, quæ uendebat farinam: & impleto uase, cœpit onustus discedere. Mulieri uerò poscenti farinæ precium, commonstrato adolescente: Hic (inquit) dabit, si nauis cum salsamentis appulerit. Laertius.

P. VIRG. Maro, cùm in ueterinaria arte excelleret, Romæ magistri stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, equos curabat, & in mercedem singulis diebus panes, tanquā unus ex stabulariis, accipiebat. Interea à Crotoniatis pullus miræ pulcritudinis Cæsari dono fuit missus, qui omnium iudicio spem portendebat uirtutis & celeritatis immensæ. Maro uerò cum ex morbosa equa natum, nec robore nec celeritate ualiturum respondit. Idq; reipsa uerum esse, compertū fuit. Quod cùm magister stabuli Augusto recitasset, duplicari ipsi in mercedem panes iussit. Cùm item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, Virgilius parentes eorum dixit, & animum celeritatemq; habituros. Quo cognito, iterū duplicari panes Vergilio mandat. Dubitauit tandem Augustus, Octauij filius esset, nécne: & remotis arbitris Maronem ea de re consuluit, possétne idipsum ex physiognomia deprehendere. Maro ueniam præfatus, quòd difficile foret hominum æquè ac brutorum cæterorum natales agnoscere, tandem tamen eum se pistoris filium arbitrari asseruit. Admirante id Augusto, ex muneribus panariis id se colligere dixit: quòd cùm prædixisset hactenus miranda quædam, tamen præter panes nulla tulisset munera. Facetiam boni consuluit Augustus, eumque Pollioni commendauit. Donatus in eius uita.

Cùm Ni-

Cùm Nicephorus Constantinopolitanus Imp. Helmogaudo CAROLI Magni legato, qui apud se Caroli nomine Irenē uiduam Copronymi ambiebat, Saxoniā, ut gentem ignobilem, dono dedisset: illudq; legatus reuersus domum in Frāciam, Imperatori Carolo renunciaret, is subridens ait: Meliùs tecum actum fuisset, si te feminalibus suis rex Græcus donasset. Auentinus lib. 4.

Cùm Christianorum proceres terram Sanctam indigno seruitio decreuissent liberare: electus est in ducē SANCTIVS, Hispani regis frater, quē & experientia armorum commendabat, & genus, & probitas: nec suspectum luxus faciebat, ut qui Hispano more asper & agrestis, sub dio inter labores educatus erat. Accersitus igitur omnium consensu, Romam uenit, & Latinæ linguæ nescius, unum ex amicis interpretis loco habuit. Publicum celebratur consistorium: illic inter multa recitatum erat Rom. pont. decretum, ubi Aegypti regem siue Sultanum Sanctium fecerat. Quo audito, sublatus est in ingens applausus omnium.

Auaritiæ.

SEMIRAMIS parato sibi conditorio inscripsit: Si quis regū pecunia indigeret, aperiret monimentum, acciperetq; quantum libéret. Quod ubi refregit Darius, numos quidem non inuenit, sed incidit in scripturam aliam, quæ hoc significabat: Ni uir malus & auro esses insatiabilis, defunctorum loculos non moueres. Plut. in Apoph.

Antigoni AMICVS, cùm petisset talentum, nec accepisset: postulauit dari sibi comites & custodes: Ne, inquit, insidietur mihi, qui ferre iussit talentum in humero. Plutarchus lib. 2. Quæst. conuiu. 1.

Bithys parasitus, quum LYSIMACHVS Thraciæ rex uesti ipsius curasset affigendum scorpium lignetum, aut (ut Plutarchus ait) rubetam, pulcrè assimulatum uero, perturbatus resiliit. Ridentibus omnibus, ubi dolum sensit: Et ego, inquit, te uicissim terrebo rex. Quum ille dixisset, Fac: Da mihi, inquit, talentum, exprobrans regi sordes & parsimoniā. Erasmus lib. 6. Apoph. ex Athen. lib. 6. cap. 5.

Demetrius Antigoni filius, cùm adductis omnium ciuium sertis STILPONI philosopho diceret, Ciuitatem uestram liberam uobis relinquo. Rectè, inquit Stilpon: nullum enim in ciuitate seruum relinquis. Plut. in uita Demetrij.

Orator Hortensius rectam & plenam non sustinuit Verris suscipere defensionem, uerùm in litis æstimatione adductus est ut ei adesset. Qui cùm Sphingem eburneam mercede accepisset, dixit quiddam in eum CICERO obliquè. Scire neganti se soluere ænigmata: Atqui Sphingem, inquit, domi habes. Plut. in Cic.

Apud VESPASIANVM quidam ex domesticis, cuidam externo, sub obtentu germanitatis dispensationem impetrare nitebatur. Agnouit fraudem, & dilata re, illum pro quo petebatur accersit, certiorq; ab eo factus, quid pro se supplicaturo spopondisset, id sibi numerari iussit, & uoti compotem dimisit. Reuersus intercessor instare. Cui Vespasianus: Aliū tibi fratrem quære: quem tuum putas esse, meus est. Suet.

IDEM, cùm iter faceret, mulio auriga descendit ad calciandas mulas, substitit; uehiculum. Arrepta interim occasione, litigator anxius accessit ad principem, pluuia, sentibus dilacerata, cruore oblita, partim igne rugis constricta, & proinde rupta discissaq; conspexit, lupinas pelles integras ostendit, &, Stolidissimi mortaliū, inquit, quod uestimentum nunc utilius preciosiúsue est? meúmne drachma comparatum, an uestra tot libris, atq; integro patrimonio coemta? Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

Ambitionis, Superbiæ, Iactantiæ.

Pantheam captam CYRVS rex, Arasbæ Medo custodiendam dedit, ut quando pulcerrimæ mulieris aspectu se ad amorē traduci non posse, superbè asseruisset, reipsa falsus deprehenderetur. Xenophon lib. 5. & 6. Pædiæ.

DEMOCRATES orator iam senex, ascendens in pulpitum (Stobæus Arcem habet, Ser. 20.) perquàm anhelosus, idem se facere dixit, quod uniuersa ciuitas Athenienssium soleret. Nempe se magnum quidem spirare, parum autem ualere. Plut. in Politicis.

PHILIPPVS Macedonum rex, Menecratis medici insaniam deridens, qui ob curatos feliciter morbos diuinitatis fastigium affectabat, & Iouem sese appellari uolebat: cùm epistolam ab eo accepisset, hoc exordio, Menecrates Iupiter Philippo regi χαίρειν ipse rescripsit, Philippus rex Menecrati Ioui ὑγιαίνειν. Plutarchus.

Posteaquam Alexandrum Pheræorum tyrānum Thebanis infensum, Athenienses sibi fecissent amicum ac socium: is quē

pollliceretur illis, se perfecturum, ut minam carnium emerēt semiobolo (uidelicet significans, se tantum pecudum ac iumentorum adducturum è præda) EPAMINONDAS Thebanus subiecit: At nos, inquit, Atheniensibus ad coquendas istas carnes ligna gratis suppeditabimus: nam syluas ipsorum succidemus, si se plus satis admisceāt nostris negotiis. Plutarchus in Græcorum Apoph.

Quum Chabrias Atheniensis circa Corinthum paucos Thebanos sub mœnibus auidiùs pugnantes prostrauisset, atq; ob id trophæum erexisset, IDEM deridens hominem, dixit: Hic sanè decebat non trophæum, sed Hecatæum erectum esse. Veteres enim ante portas in triuiis congruenter Hecates imaginem statuere solent, uel ad indicandam uiam, uel in gratiam sepultorum. Ibidem.

ANAXARCHVS, cognomento Eudæmonicus, ridebat Alexandrum Magnum, quòd seipsum deum faceret. Cùm autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem pararet, ridens Anaxarchus, inquit: At nostro deo spes omnis in sorbillatione patellę posita est. Aelianus de Varia historia, lib. 9.

In XXXV. libro ab Vrbe condita Liuius narrat, T. QVINCTIVM Flaminium hoc modo uanitatem Aetolorum refutasse, qui oratione sua, mendaciorum plena, copias Antiochi regis celebrarant. Est res simillima, inquit, cœnæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni & scitè conuiuatoris, apud quem solstitiali tēpore comiter accepti, quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam uaria & tam multa uenatio: homo, non quàm isti sunt gloriosus, renidens, condimentis ait uarietatem illam & speciem ferinæ carnis ex mansueto sue factam.

CATO Censorius in eos, qui subinde ambirent magistratum, nō inscitè dicere solebat, eos καθάπερ τοὺς ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν, ἀλλὰ μετὰ ῥαβδούχων ζητεῖν πορεύεσθαι, μὴ πλανηθῶσι. id est, Non aliter quàm uiæ ignaros semper uelle cum uirgiferis incedere, ne errarent. Magistratus enim ex more lictor aut aliquis uirgā gestans præcedebat. Erasmus in Adagiis.

CICERO Q. fratris, staturæ alioqui paruæ, ex picta imagine longa staturam suam mentientis, ambitionem reprehendit. Videns enim eam imaginem: Quintus, ait, frater meus dimidius maior est, quàm totus. Idem cùm Lentulum generum suum, exiguæ staturæ hominem, longo gladio accinctum uidisset, Quis, inquit, generum meum ad gladium alligauit? Macrob. lib. 2. cap. 3. Saturn.

M. Tul. Cicero cùm humeris se Reip. de exilio reportatum gloriaretur, VATINIVS falsè intulit: Vnde ergo tibi uarices? Macrob. lib. 2. cap. 3. Saturn.

Post pugnam Pharsalicā cùm fugam Pompeius consciuisset, referente Nonio CICERONI, septem ipsis adhuc aquilas superesse, hortanteq; idcirco, ut bono animo esset: Rectè moneres, infit, si cum graculis esset bellum gerendum. Plut. in Apophthegmatibus.

CICERO apud Damasippum cœnans, cùm ille mediocre uinum mensæ adhibitum, grandiloquis uerbis extollens diceret: Bibite phalernum hoc, quadraginta annorum est: respōdit: Benè fert ætatem. Facetè, unde gloriam ille uino petebat, hic ueniam dedit. Macrob. lib. 2. cap. 3. Saturn.

TIBERIVS Cæsar Apionem Alexandrinum, superbissimum grammaticum, uocat Cymbalum mundi, quòd hominem honesta fama donaret, quæ per uniuersum mundum amabiliter resonaret. Plinius uerò Tympanum, ob arrogantiam publicæ famæ, quòd famam daret potiùs, quàm honestam famam. Erasmus in Adagiis.

C. Cæsar CALIGVLA compererat prouincialem locupletem in Gallia ducenta H-S. numerasse uocatoribus, ut per fallaciam conuiuio interponeretur, nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet: diceretque cœnaturum apud Cæsarem, uocatu ipsius. Suetonius.

Boleslaus III. Polonorum rex, Glogouiæ ab Henrico IIII. Imp. obsessus, legatos de pace misit. Cęsar ambitiosè admodum & arroganter ostendens legatis thesaurum, quem ingentem habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Legationis princeps SCARBICVS comes stultam Cæsaris iactantiam notans, anulo quem digito gestabat, in thesaurū proiecto: Aurum, inquit, adiiciamus auro. Id scomma intellectum Cæsar, gratias agendo elusit, Habdank, inquiens lingua Germanica, quod est, gratias ago. Inde familiæ id nomen mansit, ut Habdanci dicantur. Cromerus lib. 5.

COCVS ducis Mediolanensis rogauit principem, uti se Asinum faceret. Causam rogatus, Video enim, inquit, oēs eos quos extulisti, præ superbia & ambitione asinos euasisse. ita ut omnino asini uita suauissima uideat. Poggi⁹ in Facetiis.

Mediolanensis quidam eques multis catenis collum ornatus incedebat. Eum conspicatus NICOAVS Nicolus Florētiæ, uir facetus & doctus, Cæteri stulti, inquit, unica catena cogent: huius tāta est insania, ut uix multis coerceri possit. Idē.

FRIDERICVS III. Cæsar, Romā petēs Venetias uenerat. Veneti eum exceperunt hospitalissimè, officiosissimeque: inde discessuro abacum ex uitro elegantissimè concinnatum exornatumq; donaturi erant, illumq; inter alias ex auro, argētoq; & gemmis diuitias, quas illustrioribus hospitibus solent ostentare, seposuerant. Quò Fridericus ab iis deductus, gemmas & alia preciosiora in manus sumit, & quæ magis ex iis placerēt magis laudabat. Cumq; illi abacum suum uitreum uerbis magnificis extollere nō desinerent, innuit morioni suo, ut mensam reponendis uitris appositam commoueret: qua commota, prolapsa uitra confringuntur, arridente Cęsare, ac dicente: Nunquam aurea uel argentea uasa ad tam leuem casum ita fuissent comminuta. Quo dicto, pro uitreis, aurea à Venetis munera extorsit. Dubrauius lib. 28.

LEGATI duo Constantiensis concilij ad Petrū de Luna pseudopontificem missi in altercatione, quam super iure Ponti-[redacted], cùm Petrus dixisset, Hic est arca [redacted] retrouertas. Corrozetus de Dictis & [redacted] memorabilibus.

Crudelitatis.

FRIDERICVS Palatinus Rheni anno 1462. Carolum Marchionem Badensem, Io. episcopum Spirensem, & Huldricū comitem Virtenbergensem, Heidelbergam obsidentes, & de urbe oppugnanda consultātes, equitatu suo ex improuiso circundatos cepit: populares ex urbe procurrentes, undique disclusos hostes memorabili uictoria superarunt. Captos principes, & magna pecuniæ ui redemtos, splendido excepit conuiuio: obsonia regali luxu illata, panis solus deerat. Causam rogatus Princeps, Vastatis uestra incursione segetibus, respondit, quam rusticis meis, eam & mihi iniuriam intulistis. Discite nunc subditorum sudoribus parcere, quorum laboribus uictum nostrum constare uidetis. Hedio in Chronico, & Nauclerus.

Petulantiæ.

Hoc adagio, Scopū attingere, festiuiter usus est DIOGENES in puerum saxa in crucem iaculātem: Euge, inquiēs, continges tandem aliquando scopum. Erasmus in Adagijs.

Adulationis.

Athenienses M. ANTONIO obuiam profecti, adulandi gratia, Mineruam sibi nubilem esse dixerunt, quam Libero patri (M. Antonio scilicet) despondere uellent. Is arrepta occasione, mille talenta dotis nomine ab adulatoribus exegit. Plut. in Antonio.

Loquacitatis.

Ex Hellesponto in Atticam uenerat amator quidam, GNATHAENAE scortilli fama pellectus. Quumque admissus commodùm accubuisset, erat inter pocula loquacior impendio, ac planè φορτικός. Id mirabunda mulier, cupiensq; finem, sic illum adorta fertur, An non ab Hellespōto te profectum dicis? quum annuisset is, Et quo (inquit) pacto ciuitatum illic primam ignorare uideris? Scitante autem eo, quæ'nam foret hæc? Sigęum, respondit Gnathæna: aptè admodùm & concinnè ex nominis ratione silentium illi suadens. Cælius lib. 21. cap. 45. A. L.

P. Sestius adhibuerat CICERONEM cum nonnullis alijs in iudicio aduocatum. Qui cùm dicere ipse omnia uellet, neq; cuiquam permitteret uerbum facere, ubi patuit absolutum iri, quia iudices iam sententias ferebant: Vtere hodie, inquit, Sesti, tēpore. cras enim priuatus eris. Plut. in Cicerone.

Inciuilitatis.

Phyromachus panem in lente intingēs, catinum subuerterat. Tum CHAEREPHON parasitus, Dignus est pœna, exclamauit, quando comedendi imperitus, pingere uoluit. Athen. lib. 6. cap. 5.

Cùm non uocatus ad cœnā Chærephon uenisset, GNATHÆNA meretrix eum poculo prouocans, Recipe temerario, inquit. Qui ait: Ego temerarius? Et quis magis, inquit Gnathęna? cùm uel non uocatus accedas. Athen. lib. 13. cap. 17.

Tarsensis quidam uentrem habens lubricum, noctu stercore ostium ATHENODORI Stoici fœdarat. Ille cùm seditionem acriter in concione reprehenderet: Vrbis (inquit) mores & malus habitus, tum ex multis rebus, tum ex excrementis perspici potest. Strabo lib. 14.

AVGVSTVS, cùm ei quidam libellum trepidus offerret, & modò proferret manum, mòdo retraheret: Putas, inquit, te assem elephanto dare? Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

Nobilis quidam Gallus in armis assiduè uersatus in aulam uenerat. Ibi cùm pacis studia, conuersationes literariæ simul & ludicræ, in conuentu procerū & primariarum feminarū excolerētur, ille qui nihil pter bella sapiebat, tanquā canis in balneo omnium sese risui exposuit. Cùm toruo uultu, Armorum sese usum nosse, reliquas nugas ne pili quidem facere dixisset: eam uocem generosa MATRONA excipiens, Ergo per hæc pacis tempora cum armis tuis armario includere, ut bellicosi Martis instar in templo Iani ferreis uinctus cathenis quiescas, donec Bellona te denuo euocet. Balth. Castilioneus in Aulico.

Scurrilitatis.

CLEOMENES Spartanorum rex populabundus fines Megalopolitanos ingressus, tum ingentem prædam congessit, tū magnam uastitatem edidit agri. Deniq; captis artificibus, qui ludicram artem faciebant, & ueniebant ex Messene, excitauit in hostico theatrum: exhibitisq; quadraginta minarum sumtu in unum diem ludis, sedit illic ad eos spectādos: non quò duceretur eo spectaculo, sed ut reprehēderet Megalopolitanorum scurrilitatem in spectandis ludis. Plutarchus in Cleomene.

Memoriæ proditum, CLEOPATRA spectante, M. Antonium piscari solitum, qui ad peritiam artis ostentandam urinatores occultè submitteret, uti pisces priùs captos sub aquis hamo affigerent. Sensit callidissima regina ducis uanitatē: mirari tamen, tanquam nescia eorum quæ fierent, prædicareq; Antonij in piscatu felicitatem; hortaturq; primores, ut uoluptuosæ piscationi sibi & Antonio adsint. Ipsa interea unum quendam subornat, ut Romano urinatore præuento, quod dabatur, hamo applicaret. Sensit Antonius calamum præda degrauari, eoq; sublato fumosum piscem pro uiuo extulit. Tum uerò cęteris ridentibus, Cleopatra & ipsa suauiter ridens: Relinque, ait, imperator clarissime, Alexandrinis calamum & retia: tuum est exercitus ductare, hostes prosternere, urbes expugnare. Plut.

Vibius Crispus orator, rogatus, Ecquis esset cum Cæsare in cōclaui? respondit, Ne muscam quidem intus esse. Ancipiti ioco Domitiani consuetudinem notans, cui mos erat quotidie sibi secretum horarium captare, nec interim aliud ferè ageret, nisi quòd muscas captas stilo configeret. Erasmus in Adagiis.

Superstitionis.

Verrem Romani castratum porcum uocant. Cùm autem conditionis homo libertinæ, studio aspersus superstitionum Iudaicarum, Cęcilius nomine, tenderet summotis Siculis nomen deferre Verris: Quid, inquit CICERO, Iudęo cum porco? Plutarchus in Cicer.

Hispanorum assertionem de miraculis eius, qui cum patre de regno contenderat; quanquam asseuerantissimè instarent, PIVS II. Pp. irrisit: idq; ægrè ferentibus, An nescitis inquit, uita miracula fieri, non morte? Campanus in eius uita.

Hypocriseos.

Venit aliquando Constantinopolim Alexandrinus PATRIARCHA, uir grauis, & Imperatori Andronico Palæologo percharus. Is cùm uideret, quanti Athanasium Patriarcham Constantinopolitanum Andronicus faceret, quātoperè nomen eius admiraretur; adeò ut eum D. Chrysostomo compararet: festiuè admodum magniloquentiam & ostentationem eius taxauit, his uerbis: Erat, inquit, sutor quidam, qui felem albam habebat, unum quotidie murem domi capientem: quæ aliquando in uas atramento plenum sutorio delapsa, tota nigra euasit. Proinde mures, eam monastico habitu sumto carnibus deinceps abstinere uelle rati, sine ullo metu uagantes, coria roserunt. Illa uerò tantam multitudinem conspicata, capere omnes non poterat, sed duos comprehensos deuorauit. Et cæteri quidem fugā sibi consuluere, uehementer mirantes, quòd sumto monastico habitu crudelior euasisset. Vereor igitur, inquit, ne & Athanasius hic, iam sedem patriarchicam consecutus, priorem asperitatem posteriore deleat. Gregoras lib. 2.

Iniustæ distributionis.

C. Iul. Cæsar, peregrinos ac nouos homines in Senatum admiserat, præcipuè Gallos. Inuentus est LIBELLVS hoc continens: Bonum factum, ne quis Senatori nouo curiam monstrare uelit. Item illa publicè canebantur: Gallos Cæsar in triumphum duxit, idem in Curiam, & rursus: Galli brachas deposuerunt, latum clauum sumserunt. Suetonius.

M. TVL. Cicero facilitatem Cæsaris in eligendo Senatu, irrisit palàm. Nam cùm ab hospite suo P. Mallio rogaretur, ut decurionatum priuigno eius expediret, assistente frequentia dixit: Romæ si ius habebit Pompeius, difficile est. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 3.

Bonifacius IX. Pp. natione Neapolitanus, ex familia Tomacellorum. Appellantur autem uulgari sermone Tomacelli, cibus factus ex iecore suillo contrito, atq; inuoluto interiore pinguedine porci. Contulit Bonifacius se Perusium secūdo sui pontificatus anno. Aderant autem fratres & affines ex ea domo permulti, qui ad eum confluxerant lucri cupiditate. Ingresso Bonifacio urbem sequebatur turba primorū: inter quos fratres erant & cæteri ex ea familia. Quidam cupidiores noscendorum hominum quærebant, Quinam essent qui sequerentur? Dicebat unus, item alter, hic est Andreas Tomacellus; hic Ioannes Tomacellus. Et QVIDAM facetus; Permagnum nempe fuit iecur istud (inquit) ex quo tot & tam ingētes prodiere tomacelli. Poggius in Facetiis.

Qua die Angelottus Romanus factus est à pontifice Eugenio Cardinalis; quidam LAVRENTIVS sacerdos urbanus, domum rediit hilaris applaudens, totusq; in risum ac lætitiam effusus. Cùm rogarent uicini, Quidnam sibi obtigisset noui, quòd tam lætus & alacris esset? Bene, inquit, est. Magna in spe sum, posteaquam dementes atq; insani Cardinales fieri cœperunt, propediem Cardinalem me quoq; futurum. Poggius in Facetiis.

Tyrannidis.

Antigono occiso, eius occisores rerum potiti, omni iniuriarum genere Phrygios affecerunt. AGRICOLA uerò quidam agellum fodiens, rogatus quid'nam faceret: Ego, suspirans inquit, Antigonum refodio. Longè tolerabiliorem sub tyranno, quàm sub tyrannicidis seruitutem fuisse, indicans. Brusonius lib. 6. cap. 21.

C. Iul. Cæsar cum M. Bibulo consulatum gerens, quòd absque ullo eius respectu Remp. uersaret, iocandi occasionem uulgò dedit. Fuere QVI quoties ex more tale aliquid agerent, quod consignatione diei & coss. egeret, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare coss. gestum, scriptis mandarent. Hinc uulgati mox sine auctore uersiculi:

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare gestum est:
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Suetonius in Cæsare, & Plutarchus.

Ab Androne quodam Laodiceno salutatus CICERO, cùm causam aduentus requisiuisset, comperissetque (nam ille se legatum de libertate patriæ ad Cæsarem uenisse respondit) ita expressit publicam seruitutem: ἐὰν ἐπιτύχῃς, καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον: Si obtinueris, & pro nobis intercede. Macrobius libro 2. capite 3. Saturn.

Trecasses Belgę Atilam omnia uastantem, clementem sensere, ob LVPI Episcopi iocum, qui ante mœnia urbis Atilam excipiens: Saluum aduenisse (inquit) gaudeo, flabrum & iram Domini Deiq; mei. Eo cognomine & elogio posthac Atilā usum esse fama est. Auent. lib. 2. Annalium Boiorum.

Perfidiæ priuatæ, publicæ cuiuscunq.

DEMOSTHENES furi, cui cognomen erat Chalco, id est, ęreo, cùm publicè uigilias & lucubrationes eius perstringeret: Noui, inquit, molestum tibi esse, quòd lucernam habeā accensam. At uos nolite mirari Athenienses, si furta committantur, cùm fures æreos, parietes habeamus luteos. Plutarchus in Demosth.

Cùm in balneis uidisset λωποδύτην DIOGENES Cynicus, id est furem uestium, dixit illi: Num ad unctiunculam, an ad aliud uestimentum? Lusit affinitate uocum, quæ Latinè reddi nō potest. Gręcè est, ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον? dictiones minimo discrimine soni inter se differunt. ἄλειμμα ab ἀλείφω, unguentum est, unde & aliptæ dicti: inde ἀλειμμάτιον diminutiuum. ἄλλ' ἱμάτιον duæ dictiones, sed ob synalœphē propemodum una uidetur: quam si remoueas, est, ἄλλο ἱμάτιον, id est, aliam uesticulam. In balneis enim olim ungebantur, & ibidem fures suum agebant negotium, quòd positis uestibus lauare mos erat. Notabat itaque furem, quòd alibi furatus uestem, eò uenisset alteram furaturus. Laertius lib. 6. & Bruson. lib. 2. cap. 40.

Quum Silus testis læsisset Pisonem reum, cui M. CRASSVS aderat, prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat: Potest fieri Sile, inquit Crassus, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit? Annuit Silus. Potest etiam, inquit, fieri, ut tu non rectè intellexeris? Quum id quoque toto capite annuisset Silus, ut se Crasso daret, subiecit Crassus: Potest etiā fieri, ut omnino quod te audisse dicis, nunquam audieris? Hoc adeò præter expectationem erat, ut Silum testem omnium risus obrueret. Erasm. lib. 6. Apoph.

Vectius cùm monumentum patris exarasset, ait AVGVSTVS: Hoc est uerè monumentum patris colere. Cùm audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatū iusserat interfici, filiū quoq; eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse quàm filium. Herodes enim Iudæus porcina carne abstinebat. Macrobius libro secundo Saturnal. capite 4.

CLAVDIVS Cæsar conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Suetonius.

GALIENVS Imp. gemmarum adulterinarum uenditorem, uxoris impulsu flagitantis uindictam, simulatæ mortis metu puniuit. Iussit enim hominem corripi, quasi leoni obiecturus. Deinde è cauea; dū impostor & populus respectat;

terribilem leonem metuẽs, prosiliit capus. Cunctis rem ridiculam mirantibus, per præconem dici iussit: Imposturam fecit, & passus est. Trebellius Pollio.

VESPASIANVS Imp. uersum græcum è Comicò quodam ex tempore recitauit de Cerylo liberto, qui diues admodũ ob subterfugiendum quandoq; ius fisci, ingenuum se & Lachetem mutato nomine cœperat efferre, ὦ λάχης λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἔσῃ κηφίων. Suetonius.

CAROLVS VIII. Gallorum rex, Neapolitana expeditione legatis Florentinorum, quorum fidem habebat suspectam, nihil respondit, sed in pariete descriptos grandioribus literis uersus duos legendos exhibuit,

Con cortesie e fede poca
Va à Firenza uender l'occa.

Prouerbij origo talis narratur. Rusticus Florentiæ anserem mulieri primariæ, concubitus mercede, uendidit. Voto potitus, coram marito nihilominùs precium anseris exegit. Mulier ne suopte periret indicio, illud absq; cunctatione persoluit. Versutiam igitur & perfidiam blandis uerbis tectam Florentinis rex obiiciebat. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorab.

LVDOVICVS XII. Francorum rex legatis Græcorum contra Turcas classem petentibus, gentis perfidiam Alexandri grammatici uersu recitato notauit:

Barbara græca genus retinent quod habere solebant.

Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

EPISCOPVS Carnutensis, cùm collegij Canonicorum quadam in re ope indigeret: singulos priuatim allocutus, benignum tulit responsum: at ubi in rem præsentem uentum est, nihil obtinuit. Eo facto offensus, omnes simul ad cœnam inuitauit: cumque singuli cœnam suam pro more & instituto maiorũ in medium conferrent, carnes alius, alius pisces, olera, oua, legumina: coquo præcepit, ut in unam ollam cõiecta omnia simul coqueret, & conuiuis apponeret, quod genus cyceonis Hispani Ollam putridam appellare consueuerũt. Indignè id ferentibus Canonicis, Tam, inquit, symbolæ uestræ in unum collatæ & aspectu & gustu ingratę sunt, singulæ alioqui per se lautæ, quàm suffragia uestra seorsim blanda, coniunctim uerò mendacia & improba extitere.

Formæ, Staturæ.

CYRVS præcepit grypo, ut simam duceret uxorem. Id enim congruum futurum. Plut. lib. 2. Quæst. conuiu. 1.

Laertius prodidit memoriæ, cùm esset Chrysippus tenuis corpore, quod intelligi poterat ex ipsius statua, quæ erat in Ceramico (occulebatur enim penè illa à uicina equestri statua) CARNEADEM ipsum appellare solitum Crypsippum, una immutata litera: quòd illa ita tegeretur, ut uix appareret. Victorius lib. 24. Var. lect. cap. 19.

HIPPOMACHVS aliptes, laudantibus quibusdam hominẽ procerum longis manibus, ut bonum pugilẽ: Certè, inquit, si corona, quę suspensa est, detrahenda sit. Plutarchus de Cupiditate diuitiarum.

Plutarchus primo capite 11. libri συμποσιακῶν, quo loco de iocis subtiliter atq; eruditè disputat, cùm docere uellet inueniri, qui uitia quædam corporis obiici sibi in risu non molestè ferant, narrat ita affectum fuisse animo Antigoni regis AMICVM: cùm enim regem talentum poposcisset, nec obtinuisset, petiit ut comites sibi spiculatoresq; traderet, ne in uia sibi insidiæ fierent. ita tangere regis auaritiam uolens. Tunc Antigonus iussit, humeris pecuniam eam portaret: erat autem ille gibberus. Victorius Var. lect. lib. 10. cap. 8.

In Galbam eloquentia clarum, sed quem gibbus destruebat, M. LOLLII uox circunferebatur: Ingenium Galbæ malè habitat. Macrob. lib. 2. cap. 6. Saturn.

In Galbam oratorem ORBILII Grammatici iocus fuit. Prodierat Orbilius in reum testis: quem Galba ut confunderet, dissimulata eius professione, interrogauit. Quid artium facis? respondit, In sole gibbos fricare soleo. Macrobius libro 2. capite 6. Saturn.

AVGVSTVS Cæsar Galbę, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam, & frequenter dicenti: Corrige in me si quid reprehendis. respondit: Ego te monere possum, corrigere non possum. Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.

M. CRASSVS orator excellentissimus, cùm testis compellatus instaret: Dic ergo, Crasse, qualem me reris? Talẽ, inquit, ostendens in tabula pictum infacetissimè Gallum exerentẽ linguam. Plin lib. 35. cap. 4.

Vatinius homo fuit asperior & minùs reuerens in causis dicendis magistratuũ, collo strumoso. Hic ad tribunal petiit quippiam à Cicerone prætore. Quo non concedente, sed diu deliberante: Equidem, inquit, si prætor sim, de eo non hæsitarem. Tum conuersus: Atqui ego, inquit CICERO, non habeo tantum collum. Plut. in Cicerone.

IDEM cùm in ea prouincia, quam Quintus frater rexerat, uidisset clypeatam imaginem fratris, ingentibus lineamentis usq; ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturæ paruæ) ait: Frater meus dimidius maior est, quàm totus. Cùm Lentulum generum suum, exiguæ staturæ hominem longo gladio accinctum uidisset, Quis, inquit, generum meum ad gladium alligauit? Macrob. lib. 2. ca. 3. Saturn.

CICERO Voconio occurrẽs, qui secum ducebat tres insigniter deformes filias, submissè ad amicos dixit:

Inuito Apolline seminauit liberos.

Plutarchus in Apoph.

VESPASIANVS Imp. utebatur uersibus Græcis tempestiuè satis. De quodam proceræ staturæ improbiusq; nato: Μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος. Suetonius.

DOMITIANO Cæsari nonnihil paterni lepôris inerat. Eius illa referuntur de Metio, qui in cultu corporis multus erat: Vellem, inquit, tam formosus esse, quàm Metius sibi uidetur. Alterius comam permixta canicie flauescentem, perfusam mulso, niuem appellauit. Suetonius.

Antipatro, qui Imperatori Seuero ab epistolis erat, auidiùs affectante filiam HERMOCRATI in matrimonium tradere, non cessit priùs, quàm Imperatoris Seueri auctoritas accessit. Scitante ex eo familiarum quodam, Quãdo esset anacalypteria (sic dicebantur munera quæ sponsus sponsæ tribuebat, cùm se primùm uidendam præbuisset) præbiturus? urbanè inquit Hermocrates, Imò uerò encalypteria, postea quàm ita deformem sum ducturus. Cælius ex Philostrato, libro 21. cap 26. A. L.

Bernardinus Velascus, qui fuit apud Ferdinandum Hispaniæ regem equitum magister, uir apprimè nobilis & elegans, puellam ex Reginę aula uehementer adamabat, & more Hispanico studiosissimè percolebat. In ea Velascus quum uenustatem impensè laudaret, nihil ad absolutæ formæ dignitatem deesse prædicabat, præter plenioris succi habitum: erat enim gracilitate uirginali. Hæc, uti fit in aula, amanter ad bonæ spei significationem uiridi colore argumentum amatori Velasco dederat, quo is in cultu familiæ utebatur. Prodeunti itaque Velasco, & pueros seruosq; à pedibus uiridi colore indutos ostentanti, CONSALVVS Magnus occurrit: laudataq; eius cultus nouitate, Rectissimè sapis (inquit) Velasce, cum hoc enim uiridi proculdubio pinguescet: Iocatus scilicet in strigosam eius amicam, translato dicterij sale à pastione mularum: nam Hispani recentis graminis & herbæ medicæ farraginem uiridis nomine appellant, qua adulto uere mulas enutriunt, ut uberrimè pinguescãt. Quo scommate nihil lepidius uiri eius aulæ elegantes existimarunt. Iouius in Consaluo.

RVSTICVS quidam plebano Arlotto Florentino, intrare non in urbem (quia sera iam erat uespera) posset, interroganti, respondit, Currus fœno onustus posset, nedum tu. alludẽs salsè ad eius obesitatem, & cum uulpe uulpinãs. Auctor Vitæ.

Cultus, Fuciq́; corporis.

ZENO Citticus in quendam circa formæ curam studiosiorẽ quàm deceret uirum, quum imbricem lentè ac circumspectè transiret: Meritò, inquit, suspectum habet lutum, in quo non potest seipsum ut in speculo cernere. Laert. lib. 7. cap. 1.

De Myrone, qui LAIDIS noctem rogauerat, à meretrice pulcrè sugillato, sic scribit Ausonius:

Canus rogabat Laidis noctem Myron:
 Tulit repulsam protinus.
Caussamq; sensit, & caput fuligine
 Fucauit atra candidum:
Idemq; uultu, crine non idem Myron,
 Orabat oratam priùs.
Sed illa formam cum capillo comparans,
 Similemq; non ipsam rata,
Fortasse & ipsum, sed uolens ludo frui,
 Sic est adorta callidum:
Inepte, quid me, quod recusaui, rogas?
 Patri negaui iam tuo.

Senectutis.

DEMO, cognomento Mania, tibia super cœnam canente, Lamia iam Vetula, quam summoperè amabat, cùm rogaret eam Demetrius Poliorcetes rex: Quid tibi uidetur? Anus, inquit, rex. Iterum appositis secundis mensis cùm diceret ei ille: Vidéſne quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, à matre mea mittẽtur tibi, si cum ea quoq; uolueris cubare. Plut. in Demetrio.

Valetudinis, Cæcitatis.

ANTIGONVS rex unoculus, allato instrumento prægrandibus scripto literis, ταῦτι μὲν καὶ τυφλῷ δῆλα, id est, Hæc quidem uel cæco perspicua sunt. Plutarchus τῶν συμποσιακῶν decade 2.

PHILIPPVM Macedonum regem, orsum dicere in Aetolos maximè uiolenter, Phaneas interfatus, Non in uerbis rem uerti ait: aut bello uincẽdum, aut melioribus parendũ esse. Tum ille, Apparet id quidem (inquit) etiam cæco. iocatus in ualetudinẽ oculorum Phaneæ, dicacior natura quàm regẽ

decerct,

deceret, & ne inter seria quidem risu satis temperãs. Liuius lib. 32. At Polybius lib. 16. hoc ipsum urbanitati tribuit, cuius ne aduersis quidem in rebus obliuisceretur, natura εὐθικτος, hoc est, qui eleganter & lepida uoce saléue aspergere alios nosset.

PVBLIVS mimus celeberrimus, & Iul. Cęs. gratiss. cùm herus eius seruum in sole resupinum hydropicũ uideret, & quid illic ageret quæsiuisset: ex improuiso etiamnũ puer respondit, Aquã calefacit. Orta inter cõuiuas disceptatione, quódnã esset otiũ molestissimũ? Podagrici pedes, dixit. Macrob.

AVGVSTVS Cæsar Vatinio in prima sua ætate eleganter insultauit. Confusus ille podagra, uolebat tamen uideri discussisse uitium, & mille passus ambulare se gloriabatur. Cui Cæsar, Non miror, inquit: dies aliquanto sunt longiores. Macrobius lib. 2. c. 4. Saturn.

Obliuionis.

AVGVSTVS Cæsar, nomenclatori suo, de cuius obliuione querebatur, dicenti: Nunquid ad forum mandas? Accipe, inquit, commendaticias: quia illic neminem nosti. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.

Seruus quidam missus à domino ad amicum, mandatorũ oblitus, instar stipitis immotus stabat. AMICVS tarditatis eius gnarus, Scio quid uelis, inquit, & ostenso prægrãdi mortario, Hoc cape, & ad herum tuum defer. Paruit ille. Cum domũ reuertisset, dominus primo aspectu rei nouitate motus, postea uerò id quod res erat suspicans, Atqui grandius hoc est, ait, quàm uelim. Refer ergo quã ocyssimè, & aliud apporta. Sic obliuionem suam seruus sudans & anhelans luit. Poggius in Facetijs.

Paupertatis, Bonorum cuiuscunq́; defectus.

Hegesander narrat EVCLIDEM Seutlum cognominatũ (erat autem parasitus) cùm quidam plures sonchos ei in cœna apposuisset, dixisse, Capaneus ab Euripide introductus in Supplicibus erat perurbanus, odio prosequens mensam quæ intumesceret ualde. Athen. lib. 6. c. 6.

CHÆREPHON parasitus pane nigriore in conuiuium illato, Vmbram panis uideo, inquit, at ubi panis ipse? PHILOXENVS Pternocopis nigris panib. appositis, Quid tu diei noctis tenebras infers? exclamauit. Athen. lib. 6. c. 5.

STRATONICVS aduenam quendã Seriphi rogauit, Quódnam crimen lege apud eos exilio expiaretur? Vt audiuit, testamentarios exterminari: Quin igitur, inquit, testamentũ supponis, quo ex his angustiis solum mutes illuc? Plutarchus de Exilio.

Iocatur apud Alexidem QVISPIAM, citante Athenęo, quòd cùm nonnulli frugaliores abstinerent ab iis quibus esset anima, ipse nihil huiusmodi attulisset, nẽpe mercatus pisces mortuos. Erasmus in Adagiis.

T. Quintius cum Philopœmene Achæorum prætore, qui magnum equitatum & peditatum habebat, sed re pecuniaria deficiebatur, iocans, ait: Manus Philopœmen habet & crura, uentrem non habet. Et erat enim habitus quoq; is Philopœmeni corporis. Plut. in Apoph.

Vlmorum altitudinem Ariciæ miratum ferunt legatum regis Pyrrhi CYNEAM, facetè lusisse in austeriorem gustum uini, Meritò uitem matrem eius pendere in tam alta cruce. Plinius libro 14. cap. 1.

MILITES C. Iul. Cæsari militari ioco alternis uersibus exprobrauere, lapsana se uixisse apud Dyrrhachium (olus id syluestre est) parsimoniam premiorum exprobrantes. Plin. lib. 19.

Ignobilitatis.

Tharsensis AMPHIAS, quẽ fama erat ex horti custode ortũ esse, obiiciens iocular iter præsidis prouinciæ amico natalium obscuritatem, mox subiiciens, Sed nos eodem ex semine sumus sati, risum mouit. Plut. lib. 2. Quæst. con. 1.

Octauius CICERONI recitanti ait, Nõ audio quæ dicis. Tũ ille, Mirum, cùm bene foratas habeas aures. exprobrans ei barbariem, quia Libyis oriundus dicebatur Octauius, qui solebant aurem forare, & gemmas appendere. Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 3. & Plut. 2. Conu. 1.

Celebratur scomma M. TVLLII tortũ in quendã salsamentarij filium, cuius tacito auctoris nomine meminit qui scripsit rhetoricem ad Herennium, in schematis specie, quæ dicitur significatio per consequentiam, Vt, inquit, si salsamentarij filio dicas, Quiesce tu, cuius pater se cubito emungere solebat. Erasmus in Adagiis.

Seruitutis.

Seruus quidam CALLISTIVM Ptochelenam cognomento nobile scortũ mercede cõduxit, ac cùm per æstatem nudus iaceret, ea uibicibus plagarum conspectis, Vnde hæc tibi infelix? tunc ait ille: Cùm essem puer, ius mihi infusum est & illa, Vitulinum uidelicet. Athen. lib. 13. c. 18.

Parentum, Coniugum, Amicorum impudicitiæ, infelicitatis, ineptiæ.

Cùm Metellus Nepos aliquando inter disputandum identidẽ repeteret, Quis est pater tuus? Tibi, inquit CICERO, hanc responsionem mater tua effecit difficiliorem. siquidem Nepotis matrem fama erat impudicam esse: ipse autem habebatur leuior. Ac relicto aliquando tribunatu plebis, raptim in Syriam nauigauit ad Pompeiũ, mox inde maiore est inconstantia reuersus. Plut. in Cicerone.

Alter M. Crassi F. Actium quendam uidebatur specie referre, ideoq; matri maculam Actij causa turpem inurebat. Cùm hic orationem in senatu magna comprobatione habuisset: interrogatus CICERO, quid ei uideret? Axios, inquit Græcè, Crassu. Ibidem.

FAVSTVS Syllæ F. cùm soror eius eodem tempore duos mœchos haberet, Fuluium fullonis filium, & Pompeiũ cognomine Maculam: Miror, inquit, sororem meam habere maculam, cùm fullonem habeat. Macrobius libro 2. Saturnalium, capite 2.

Plancus in iudicio fortè amici, cùm molestum TESTEM destruere uellet, interrogauit (quia Sutorem sciebat) quo artificio se tueretur. Ille urbanè respondit, Gallam subigo. Sutorium hoc habetur instrumentum, quod nõ insacetè in adulterij explorationem ambiguitate cõuertit. Nam Plancus in Męuia Galla nupta malè audiebat. Macrob. lib. 2. Satur. c. 2.

CONFITENDO SVA ALIORVMVE MALA IOCOSE.

DEMOCRATES orator, ascendens in pulpitum in concione Atheniensium, se & ciuitatem parum posse, dixit, sed magnopere inflatum esse. Plut. in Politicis.

BRASIDAS in prælio iaculo per clypeum uulneratus, eodẽ ex uulnere recepto hostẽ interemit. Quomodo uulneratus esset, rogatus: Proditus, inquit, à clypeo. Plut. in Apophth.

Dicebat ipsa PHRYNE iam anus, pluris gloriæ causa distrahere fecem suam. Plut. in Præceptis sal.

DIOGENES suam Corintho Athenas, ac denuò Corinthũ Athenis migrationem, contulit regis Persarum, uere Susis, hyeme Babylone, æstate apud Medos commorationibus. Plutarchus de Virt. profectu.

De STRATONICO refert Athen. lib. 8. Is quum esset parum insignis citharœdus, haberetq; in ludo suo nouem Musarũ imagines, & Apollinis unam, discipulos duos, rogatus à quopiam quot haberet discipulos? σὺν θεοῖς, inquit, δώδεκα, ludens amphibologia. σὺν θεοῖς accipi potest, annumeratis diis: aut, diis fauentibus.

IDEM cùm ludum aliquando aperuisset, in quo artem suam doceret, illicque statuas nouem Musarum dedicasset, Apollinisque unam, duos autem tantùm discipulos haberet: quæsitumq; ex eo esset, Quot discipuli ipsius forent? respondit, σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα. Intellexisse uerò illum, numeratis etiam diis numerum eum confici, constat: sed elegãs est dictum propter amphiboliam, σὺν θεοῖς, hoc est, uel unà numeratis, uel fauentibus diis. Victorius libro secundo Var. lect. cap. 23.

SOCRATES Atheniensis, cùm uxorem Xanthippen contumaciùs ac clamosiùs in se agentem diu tolerasset, ac postremò aqua sordida ab eadem perfunderetur: alta uoce ridẽs dixisse fertur: Sciebam Xanthippen tonantem quandoque pluituram. Laertius, & Gellius.

Tharsensis AMPHIAS, dum alienam ignobilitatem taxat, suam urbanè fatetur. Vide paulo antè, Ignobilitatis.

ANTIGONVS rex, dicacitatis studio ita tenebatur, ut ne sibi quidem parceret. Nam cùm oculo altero esset orbatus, accepta aliquando epistola grandibus literis scripta, Hæc inquit, etiam cæco apparent. Plutarchus in undecimo libro Symposiacon.

AGATHOCLES Syracusiorum tyrannus, inter conuiuandũ sumta grandi capedine aurea dixit, se non priùs ab arte figlina destitisse, quàm talia poculorum figmenta studiosè fecisset. Neq; enim artem suam dissimulabat, quinimò laudi sibi ducebat, quòd suâ uirtute ex infimo loco ad summũ dignitatis fastigium emersisset. Diod. lib. 20.

Aedilitatem agens Cæsar cum M. BIBVLO, Capitoliũ ac forum, comitiumque & basilicas ac porticus adornauerat, ludosque insuper fecerat communi impensa. Sed quia collegæ obscuriùs, clarissimum Cæsaris nomen erat, cùm omnium gratia reflecteretur in Cæsarem, iocatus est Bibulus, Idem sibi quod Polluci contigisse: etenim ut ille cum fratre communem domum habens in populo ignoraretur, cùm Castoris tantùm domus diceretur: sic communem suam ac Cæsaris largitatem, unius, & non alterius iactari. Sueton.

AVGVSTVS Cæsar Aiacem tragœdiam scripserat, eandemq; quòd sibi displicuisset, deleuerat. Postea Lucius grauis tragœdiarum scriptor interrogabat eum, Quid ageret Aiax suus? Et ille: In spongiam, inquit, incubuit. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn. & Suetonius.

Cùm Leontius Ancyranus Galatiæ episcopus, ecclesia Nouatianis ademta, Constantinopolim uenisset: SISINNIVS

Nouatianorum episcopus ab eo petiit, ut eam illis restitueret. Illo uerò asperè respondente: Vos Nouatiani ecclesiam habere non debetis, cũ pœnitentiam tollatis, & Dei liberalitatem excludatis. Sisinnius, Atqui neminẽ, inquit, ita pœnitet ut me. Illo, Cuius rei? sciscitante: Quòd te uiderim, inquit. Suidas.

IOANNES Galliæ rex, captus in prælio, ab Anglis honorificè tractatus est, ita ut cœnanti nudo capite Edoardus princeps regis Angliæ F. assisteret. Ioannes inter cætera his uerbis usus dicitur: Quàm consilia mea in uniuersum fortuna turbauit? qui te cum tuis cœna excepturus fuerã, à te nunc excipior. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

ROBERTVS Normannorum dux, Constantinopoli Hierosolymã petens, cùm æger equitare non posset, necesse habuit, locorum agrestes conducere, qui eum humeris ferrent. Interea cùm unus ex comitibus in Normanniam rediturus peteret, Ecquid de eo narraret suis Normannis? facetissimè respondit, Dicas te uidisse dæmones ferentes Robertum ducem in cœlum: impios Barbaros dæmonibus, Hierosolymam cœlo comparans, quòd inde nostra profecta sit salus. Reuera autẽ ominosa illi fuit hæc uox. Nam persoluto iam uoto in Bithynia morbo absumtus decessit, anno à natali Christi circiter MXL. Polydorus lib. 8.

PETRVS Aragonum rex, à Martino IV. Pp. regio titulo propter occupatum regnum Sicilię priuatus, per iocum sese Patrem duorum regnorum & Maris dominum scribebat. Aemilius libro quinto.

Bello quod Florentini cum Gregorio X. pontifice gesserunt, RODOLFVS Camerinensis dux egregius, nunc uni, nunc alteri hærebat. Interrogatus à quodam, cur adeò nutãs ita sæpè se commutaret? Quoniam, inquit, in eodem latere diutiùs iacere non possum. A Florentinis certè in compitis tanquã proditor depictus est. Cùm uerò haud multò pòst sentiret mitti oratores ad se Florentinos de pace acturos: qua die ad se uenturi erant thalamũ ingressus, clausis fenestris, igne accenso (erat autem mensis Augusti) sese pelliceis uestibus cooperiri in lecto iussit. Vocatis deinde oratorib. quærentibus quõnam morbo laboraret? Frigore, respondit, ꝙ tamdiu in uestris muris etiam nocte ad aërem discopertus steterim. Hoc dicto illorum lusit picturam, quæ postea ex pacto deleta est. Poggius in Facetiis.

MINACIVS quidam cùm uestes & pecunias alea amisisset, flens sedebat ad tabernam. Cui amicus, Quídnam habes quod defleas? Respondit ille, Nihil. Cur ergo ploras? Ob illud ipsum, ait, quòd nihil habeo. Poggius in Facetiis.

PIVS II. Pontifex suscepto bello, & non suppeditante ærario, ægreq; conferentibus sociis, Iam, inquit, si opus est, me uendi iubeo. Campanus in eius uita.

De AVFIDIO sic scribit Actius Sannazarius:

Dum caput Aufidio tractat chirurgus, & ipsum
Altius exquirit, quo uideat cerebrum:
Ingemit Aufidius, Quid me, chirurge, fatigas?
Quum subij rixam, non habui cerebrum.

In graui illo incẽdio, quo Basilæa circa annum MCCCCXLVII. conflagrauit, cùm cæteri omnes fortunarum suarum cladem deplorarent, SACERDOS quidam sibi plura quã quibus egeret superesse per iocum affirmauit: idq; ipsum producto clauium, absumtis ædibus inutilium, fasciculo comprobauit.

Cùm IO. Teutonicus, patre natus presbytero, eruditionis opinione ad Halberstatensem canonicatum euectus esset (ad quem alioqui non nisi nobiles & legitimo loco nati admittebantur) à collegis ob ignobilitatem spernebatur. Ille ut hunc contemtum à se amoliretur, conuiuio eos splendidissimo excepit, & captata occasione, Vellẽtne singuli suos uidere patres? interrogauit. Id cùm illi se uehementer cupere dicerent, arte magica umbras excitauit deformes, coqui, stabularij, morionis, rustici personam gestantes, quarum facies in paternis ędibus aliquando se uidisse fatebantur conuiuæ. Ad extremum suum quoq; patrem exciuit, habitu canonici, aqualiculo pingui. Dimissis umbris, Eccuius tandẽ patrem nobiliorem esse iudicarent? conuiuas interrogauit. Illi metu territi, pudore suffusi, suas quisq; domos repetiere, nec ultra Ioanni molesti fuêre. Io. Agricola in prouerb. Germ. Qui quæ uult dicit, quæ non uult, audiet.

EXCVSANDO IOCOSE SVA aliorúmue mala, V. G.

STYLI RVDITATEM.

L. ACCIVS tragicus poeta iam senex proficiscens in Asiam, diuertit ad Pacuuium, eiq; tragœdiam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuuium dixisse aiunt, sonora quidem esse quæ scripsisset & grandia, sed uideri sibi tamen ea duriora paulũ & acerbiora. Ita est (inquit Accius) uti dicis. Neq; id sanè me pœnitet. Meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidẽ, inquit, esse aiunt in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & iucunda. Sed quæ giguntur statim uieta & mollia, atq; in principio sunt uuida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur uisum est in ingenio, quod dies atq; ætas mitificet. Gellius lib. 13. c. 2.

ERROREM ASTROLOGICVM.

PETRVS de monte Ilicino, congregato apud Constantiã generali Christianorum Concilio, iudicium de rebus futuris edidit. In quo & Sigismundum eo anno coronandum Romæ, & Ioannem XXIII Papam, qui ad Concilium uocatus ierat, cum gloria rediturum asseruit. At cùm Synodus Ioannem summo pontificatu abdicasset, Sigismundus autem ingressu Italiæ multis pòst annis abstinuisset, arguentibus plerisq; Petrum, qui adeò manifestè mentitus esset: At mihi de duobus stultis, inquit ille, iudicandum fuit, de quibus uera profari ne Ptolemæus quidem potuisset. Aeneas Syluius lib. 4. de Alfonso.

ASTVTIAM.

LYSANDER ad concidentes ipsum, quòd pleraque fraude transigeret, ut indignũ Hercule, ait, Quò non pertingat leonina, ibi assuendam uulpinam. Plut. in Apoph.

IMPRVDENTIAM.

M. TVL. Cicero post uictoriam Cęsaris interrogatus, Cur in electione partis errasset? respondit, Præcinctura me decepit. Iocatus in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, uelut mollis incederet. (Adeò ut Sylla tanquã prouidus dixerit Pompeio: Caue tibi illum puerũ malè præcinctum. Macrobius lib. 2. c. 3. Saturn.) Cautè simul & iocosè. Cùm enim meritorum comparationi locus ampliùs nõ esset, habitus ducum contulit, & quasi rerum omnium præcellentiam Cæsari tribuens, solo amictu molliore sese deceptum affirmauit. Constabat enim Cæsarem propter habitus negligentiam ab ineunte ætate malè præcinctum puerum uocari solitum.

FVGAM.

ANTIGONVS II. recipiens aliquando se ingruentib. hostibus, negauit fugere se, sed consectari retrò positum cõpendium. Plut. in Apophth.

CRAPVLAM.

GERMANI cuiusdam lepidum dictum Henricus Stephanus recenset his uerbis:

Temperet ut lympha uinum dum fortè monetur
Germanus quidam, talia uerba refert:
Si uestes ingressa adeò solet esse molesta,
Pernicies stomacho quantaq; pestis aqua est?

LIBIDINEM.

CHÆREPHON parasitus Corydum reprehensum à quodam, quòd nunc collum, nunc mammas, nunc umbilicum mulieris amaret? Atqui & Hercules ab Omphale ad Heben peruenit, respondit. Athen. lib. 6. c. 5.

VESPASIANVS Imp. expugnatus à quadam, quasi amore sui deperiret, cùm productæ pro concubitu sestertia XL donasset, admonente dispensatore quemadmodum summam rationib. uellet referri, Vespasiano, inquit, adamato. Suet.

VESTITVS INSOLENTIAM.

CRATES Thebanus à magistratu obiurgatus, quòd contra leges & consuetudinem Atheniensium sindone uestiretur, ait: Quid si Theophrastum uobis ostendam sindone amictum? Adduxit igitur eos in tonstrinam, ostenditq; Theophrastum, qui tum fortè tondebatur, linteo amictũ, quod Græci à contegendis humeris ὠμόλινον uocant: submonens faceto responso, omnibus ad usum uti licere. Laertius libro sexto, capite 5.

AVARITIAM.

Refert Laertius, Cynicum DIOGENEM reprehensum, quòd accepisset munera ab Antipatro, respondisse uersu Homerico ex Iliad. γ.

ὄυτοι ἀποβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. Erasm. in Adag.

PROSPER Columna Mediolanensi cuidam seruitutem tributorum

intolerabilem deprecãti, Quæ malum uestra hæc impatientia est? inquit. Anseres certè quo frequentiùs deplumantur, eo molliores plumas referunt: Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

PETACITATEM.

CLISOPHVS Atheniensis cùm reprehenderetur à Philippo Amyntæ, quòd semper aliquid peteret: Quoniam, respondit, me accepisse priùs obliuiscor. Athen. lib. 6. cap. 6.

INCONSTANTIAM.

Cùm pro Rostris M. Crassum magno populi plausu ornasset CICERO, eundemq; rursus haud magno interposito interuallo laceraret probris: ubi ille dixit, An non me ex hoc loco non ita pridem laudasti? Ego uerò, inquit: sed cõmentãdi gratia argumentũ infame declamãs. Plut. in Cicerone.

INCIVILITATEM.

Apud Aldum Manutium Venetiis diuerterat POLONVS, qui cùm summè delectaretur caseo, taleas grandes auferebat. Eum Aldus monere, cibũ esse uiscosum: & taleas præ tenuitate transparentes tantùm esse debere. Ille taleã solito crassiorem scindens, & furcilla perforans, En uerò per caseum te rectè uideo, Alde, inquit per iocum.

AGESILAVS Lacedæmoniorum rex, cùm apud Spartanos Palladi rem diuinã faceret, ac pediculus eum momordisset, arreptum coram omnibus occidere non erubuit, insidiatorem etiã in ipsa ara confodiendũ esse dicens. Plut. in Lacon.

CHÆREPHON parasitus cùm non uocatus ingressus esset ad nuptias, extremusq; accubuisset, ac præfecti uocatos dinumerarent, iuberentq; ipsum egredi, quãdo præter legem se inter XXX inseruisset, Numerate rursus, inquit, à me incipientes. Quòd autẽ inualuisset consuetudo, ut præfecti symposia inspicerent, ac perquirerent conuocatorum numerũ, si esset secundum legem, testatur Timocles in Philodicasto. Athenæus lib. 6. cap. 5.

LEGVM NEGLECTVM.

C. MARIVS bello Cimbrico mille Camarinos, quorum strenua opera usus fuerat, simul ciuitate donauit nulla lege, & obtrectantibus respondit, Non potuisse per armorum crepitum se leges exaudire. Plut. in Apoph.

INOBEDIENTIAM.

MVLIER quædam reprehensa urbanè se excusauit, quòd immorigera esset marito, uti refert Henricus Stephanus:

Dum quædam cerebrosa diu reprehenditur uxor,
Nec satis officij dicitur esse memor,
Quid de me queritur coniux? quod uult, uolo, dixit:
Imperium is sibi uult, id uolo & ipsa mihi.

FVRTVM.

TREMELLIVS Rom. cũ familia atq; liberis in uilla erat. Serui eius, cùm de uicino scropha erraret, surreptam confecerant. Vicinus aduocatis custodibus, omnia circumuenit, ne quà hæc efferri possit: isq; ad dominum appellat restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex uillico rem cõperisset, scrophæ cadauer sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat. Quæstionem uicino permittit. Cùm uentum est ad cubiculum, uerba iurationis concipit, Nullam esse in uilla sua scropham, nisi illam, inquit, quæ in centonibus iacet: lectulum monstrat. Ea facetissima iuratio, Tremellio Scrophę cognomen dedit. Macrobius lib. j. Saturn. c. 6.

Apud FACINVM Canem, Veronensem dominum, querebatur quidam se spoliatum chlamyde in uia à quodã suo milite. Hunc uidens Facinus uestitum tunica bona, quæsiuit, an illam cùm spoliaretur gestasset? Cùm ille annueret: Abi, inquit, hic quem dicis te spoliasse nequaquam est ex meis militibus. Nam nullus meorum unquam tibi tam bonam tunicam reliquisset. Poggius in Facetiis.

DEPRÆDATIONEM, LATROCINIVM.

Syracusanorum tyrannus AGATHOCLES Corcyrensibus percontantibus, Quid ita ipsorum insulam hostiliter depopularetur? Quoniam, inquit, uestri maiores hospitio Vlyssẽ exceperunt. Rursùm querentibus Ithacensibus, quòd eius milites per incursiones pecora abigerent? At rex, inquit, uester classe in Siciliam appulsus, etiam pastorem occæcauit.

MATHIAS Hungariæ rex, bello quod contra Casimirum regem Poloniæ gessit, cùm ab episcopo Vratislauiense rogaretur, mandaret militibus, uti à sacris prædiis abstinerent: Tantæ sunt occupationes meæ, respondit, ut ne à meis quidem prædiis illos uel possim uel uelim prohibere. [redacted]

DEFORMITATEM FILIORVM.

Apud L. MALLIVM, qui optimus pictor Romę habebatur, Seruilius Geminius fortè cœnabat. Cũq; filios eius deformes uidisset: Non similiter, inquit, Malli, fingis, & pingis. Et Mallius: In tenebris enim fingo, inquit, luce pingo. Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 2.

CONIVGII DISPARITATEM.

M. TVL. Cicero, cùm repudiata uxore Terentia, uirginẽ & iuuenculam duxisset, mirantibusq; amicis, quòd ea ætate uirginem duxisset, Cras mulier (inquit) erit. Volat. lib. 20. Anthrop. ex Macrobio.

LEONORA Cominæa uetula Gastoni II. Comiti Foisseio iuueni nupserat. Admirantibus quibusdam, Ignorantia hęc fatalis est, respondit. Quòd si Foisseio me nupturam sperassem, natiuitatis certè tempus distulissem. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis mem.

Petrus Medices, eiectus Florentia, & tẽpestate demũ submersus in ostio Liris, filiũ habuit Laurentiũ. Is in matrimoniũ duxit è familia Bolanica Gallam, ex eaq; suscepit Catharinam, q̃ Clementis VII. opera HENRICO, Francisci I. Gallorũ regis F. Massiliæ nupsit, an. MDXXXIII. Etsi aũt Henrico materna oppida in Aruernis, atq; item CM aureorum numũm, cum unionib. multisq; gẽmis & preciosa thori supellectile, cõiugalis mundi nomine affluenter accesserant, nihil tamẽ exæquari uidebatur nonnullis, dotẽ simul & nouæ nuptę natales obliquo sermone eleuantib. PHILIPPVS inde Strozza legatus, regiis quæstorib. quũ illis repræsentata dotis pecunia solueretur, admodũ exiguam eam dotẽ esse pro regiæ domus fortuna dictitantibus, respondit, Se plurimũ mirari, ꝙ ea dignitate homines, nequaquã arcani regij participes uiderentur, postquã nescirent Pontificẽ insigni chirographo tres inæstimabilis precij gẽmas, quarũ insana cupiditate maximi reges deflagrarent, in supplemẽta dotalia promisisse. Illis uerò læto uultu, Quæ'nã essent, requirentibus; quòd è sacra tiara detractas iri putarent, arridens sublunxit, Apud peritos rerum eas fore Genuam, Mediolanum, atq; Neapolim. Quæ res, sicuti risum mouere potuit, ita & mox apud Cæsarianos subamaræ suspicionis aculeos reliquit. Iouius lib. 31. Hist.

EXILIVM.

PAVSANIAS Plistonactis F. Lacedæmoniorum rex, inuidiæ cedens Tegeam in exilium concessit. Cùm Tegeæ laudaret Lacedæmonios, cuidam dicenti: Quin igitur mansisti Spartæ, sed fugere maluisti? Quoniam, inquit, nec medici apud sanos, sed apud ægrotos uersari solent. Salsissimè conuitiũ exilij retorsit in Tegeaten, quòd eius gentis corrupti mores egerent Spartana disciplina. Plut. in Lacon.

DIOGENES Cynicus dicenti, Sinopenses tibi patria interdixere: At ego illis, inquit, in Ponto mansionẽ, extremis in littorib. Euxini, ꝓ hac inhumanitate loco pœnæ indico. Plut.

PICTVRAM.

LACEDÆMONIVS quidam cùm in clypeo pictam (ut uera uideretur) muscã ferret, atq; ei diceretur, Insigne nimis paruum id esse, neq; ab hostib. uisum iri: respondit, Se ita hosti appropinquaturum, ut longè maior, quàm esset, hosti musca uideretur. Plut. in Lacon.

PAVSON pictor, cùm equum uolutantem se pingendũ conduxisset, pinxit currentẽ. Stomachante locatore, ridens Pauson tabulam inuertit. Cùm hic quæ supra erant, infra cernerentur, non currere sed uolutari uidebatur equus. Plut. de Pythiæ oraculis.

LOCI, TEMPORIS, SIC IOCI, Sales locum habent

DIEBVS FESTIS.

AVGVSTVS Cęsar festos & solennes dies profusissimẽ, nonnunquam iculariter tantũ celebrabat. Saturnalib. & qñ aliàs libuisset, modò munera diuidebat, uestẽ & aurum, & argentum: modò numos omnis notæ, etiã ueteres regios, ac peregrinos: interdũ nihil præter cilicia & spongias, & rutabula, & forpices, atq; alia id genus titulis obscuris & ambiguis. Solebat & inæquissimarum rerum sortes, & aduersas tabularũ picturas in conuiuio uenditare: incertoq; casu spẽ mercantiũ uel frustrari, uel explere: ita ut ꝑ singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura seu lucrũ cõmunicaretur. Suet.

In uindemiæ festiua lætitia, multa in dominos iocularia, uel ipsis audientibus, iactari solebant. Id quod ab HELIOGABALO compertum primò produnt rerum conditores nõnulli. Scribit Paulus Diaconus, Tiberium Constantinũ Cæsarem ritu imperatorio rus petiisse, ut uindemiali lætitiæ operam impertiretur diebus triginta. Cælius lib. 28. c. 30.

IN ACIE, IN CASTRIS, IN BELLO.

M. TVL. Cicero de Cn. Pompeio dicere solebat: Ego quẽ fugiã habeo: quẽ sequar, non habeo. Sed & cùm ad Pompeiũ in castra uenisset, dicentib. serò eum uenisse, respondit: Minimè uerò: nam nihil hic paratum uideo. Interrogãti Põpeio, ubi gener eius Dolabella esset, respõdit: Cũ socero tuo. Et cũ donasset Põpeius trãsfugã ciuitate Romana, O hominẽ bellũ, inqt, Gallis ciuitatẽ promittit alienã, q nobis nostrã non potest reddere. Propter quæ meritò uidebatur dixisse Põpeius: Cupio ad hostes Cicero trãseat, ut nos timeat. Macr. li. 2. c. 3. Satur. Ridebat apparatũ Pompeij, nulla cõsilia satis

animo

animo eius placebant, neque à dicteriis & facetiis abstinebat in socios iaciendis. Cùm Domitius hominem imbellẽ ad præfecturam proueheret, diceretq; probũ uirum & modestum esse: Quin igitur, inquit, tutorẽ hunc liberis tuis seruas? Commendantibus quibusdam Lesbium Theophanẽ, qui præfectus fabrûm erat in castris, quòd egregiè Rhodios, cùm amisissent classem, esset consolatus: Quãti interest, inquit, Græcum habere præfectum? Cùm essent Cæsari prælia ferè secunda, & ille ipsos penè obsideret, nunciari dicenti Lentulo, amicos Cęsaris contracto uultu esse: respondit, Narras malè eos Cæsari uelle? Cùm Martius quidam ex Italia recèns aduenisset, referretq; rumorem Romæ increbuisse, obsideri Pompeium: Et tu, infit, huc nauigasti, quò tibi fidem oculis faceres? Fuso Pompeio, cùm hortaretur ad bene sperandum Nonius: septẽ enim superesse in castris Pompeij aquilas: Rectè moneres, inquit, si pugnandum cũ graculis esset. Cùm certis fretus oraculis demonstraret Labienus, fore Pompeium uictorem: Scilicet, inquit, hoc stratagemate subnixi, castra nunc amisimus. Plut. in Cicerone.

Eo bello, quod inter Henricum IV Hispaniæ regem, & Alfonsum fratrem causa regni (cuius sibi successorem nuncuparat Alfonsum Henricus impotens) gestum fuit, cùm essent in procinctu acies, diceretq; quispiam, Nullàne ratio inueniri potest, qua prælium hoc possit dirimi? Optimè, facetus QVIDAM homo respondit. Quãnam? inquit ille. Tũ alter, Si alter exercitus aufugerit. Ant. Nebriss. Dec. j. lib. j.

LVDOVICVS Crassus Francorum rex, in prælio contra Anglorum regem Henricum, ab equite quodam urgebatur. Eques apprehenso freno regij equi, captum esse regem exclamabat. Ludouicus gladio equitem obtruncauit, inquiens, At ne in latrunculorum quidem ludo rex solus capitur. Aegidius Corrozetus de Dictis & factis memorabilibus. Sed hoc rectiùs IOANNI Gallorum regi tribuitur.

IN ITINERE.

Cùm Henricus ad cardinalatum à Cisterciensium ordine euectus, à Clemente pontifice legatus in Germaniam mitteretur, ut aduersus Christi hostes crucem prædicaret: in comitatu aliquot habebat monachos. Itaq; cùm iter faceret, ab eis petiit, ut aliquis eorum aliquid ad leuandum uiæ fastidium loqueretur, unde audientium animi fructum accipere possent. MONACHVS autem cùm inter ipsos unus esset, ex eo numero qui quòd ad sacros ordines non promouentur, sed in monachorum seruitia ali solent, Conuersi appellantur: non sine difficultate eum impulerunt, ut is esset, qui tunc loquendi onus subiret. Ad cardinalem igitur subridens se conuertit, & dixit: Cùm mortui erimus, id q̃d haud multò tẽpore pòst erit, & ad paradisi ualuas perducemur, Benedictus ordinis nostri primus parens, obuius nobis erit, ut in paradisum nos inducat. Cùm is te Domine mitratum conspiciet, quia ignorabit, petet quisnam sis, & si è numero ipsius monachorum te esse responderis: dicet, monachorum non esse, capitibus cornua gestare. Cæterùm postquam tu multa ad hos ornatus excusandos dixeris, ut certior de te fieri possit, regni cœlorum ianitori imperabit, ut tibi in terra extenso, stomachum aperiat: & si herbis legumineq; te pastum esse inuenerit, monachum esse credet, atque in paradisum introducet. Quòd si delicatioribus cibis enutritum esse cognoscet, sciet uerum non esse monachũ. Quid tunc, Domine mi, dicturi erimus, cùm in has difficultates coniectos nos uidebimus? Fulgosus libro sexto, capite secundo.

IN CONVIVIO.

CYRVS Persarum rex, in contubernio militari semper operã dabat, ut inter uescendum sermones quidam festiui admodum interiicerentur, & qui ad optima queq; incitarent. Vsque adeò & dicere & ferre iocos aliorum poterat. Xenophon lib. 2. Pædiæ.

PHILIPPVS Macedo, cùm ab hospite quopiam ad cœnam inuitatus in itinere, multos adduceret, atq; hospitem cerneret perculsum (neque enim satis erat parati) misit ad amicorum quemq;, monens ut placentę locum relinquerent. Qui cùm crederent expectarentq;, non multum edebant. Ita omnibus satis fuit. Plut. in Apoph.

ALEXANDER Macedo, orbis ille terror, cùm cætera remissionis animorum studiosus fuit, tum inprimis inter conuiuia. Solebat poculo in manus sumto sermonem in longum producere. Plutarchus.

Ptolemæus rex Aegypti, HYRCANO Iudæo etiamnum adolescente secum cœnante, & omnibus qui accumbebant carnes edentibus, ossa uerò ante Hyrcanum cumulantib. Tryphon scurra regis: Vides, inquit, domine, ossa ante Hyrcanũ sita? Rege ridente, & qui tot ossa ante eum iacèrent, quęrente: Hyrcanus respondit: Non immeritò domine: nam homines carnes edunt, ossa abiiciunt: canes autem ossa cum carnibus deuorant, ut isti. Itaq; & ego feci ut homo. Suidas, ex Iosepho. Quod ipsum etiam DANTES Aligerius Veronæ exulans, & inter seniorem iunioremq; Canes prandens, fecisse legitur, teste Poggio in Facetiis.

CHÆREPHON parasitus apud Ptolemæum regem conuiuabatur. Cibi delicatissimi regi apponebantur. Tũ ille, Nunquid ego sum ebrius, ô Ptolemæe, an hęc mihi uidentur circumferri? Athen. lib. 6. cap. 5.

L. SYLLA quãuis ferox & impotens, in comessationibus comis erat & facilis. OCTAVIVS postquam fuerat discubitum, picturas inuersas conuiuis uenditabat, ut aut expleret desiderium, aut frustraretur: nonnunquam histriones, aut aretalogos admittebat. VESPASIANVS dicacitati super cœnam & iocis scurrilibus usque ad ineptias uacabat. TIBERIVS ex lectione quotidiana quæstiones frequẽti conuiuio proponebat. NERO Cæsar citharœdos aduocabat primi nominis. Alex. lib. 5. c. 22.

HADRIANVS Imp. inter epulas comœdias, lectores & poetas admittebat.

TRAIANVS Imp. in uenationibus & in conuiuiis scommatibus magnoperè delectabatur. Suidas.

ROBERTVS Normannorum dux, ob interfectum Ricardum III. fratrem, Hierosolymam uoti causa petens, Constantinopoli à Constantino Duca Imp. benignè prandio exceptus, cùm ei Imperator humiliorem sellam apponi iussisset: continuò uestem exuit, ac super eam instar globi cõplicatã sedit. Ad quod Imperator subridens, admonuit, ut cum suis uestem resumeret. Ille, Non est, inquit, mos Normannis sedes secum ferre. Polydorus lib. 8.

POST CIBVM.

HELIOGABALVS sortes conuiuales post cœnam proponebat, ut alius haberet X camelos, alius muscas, uel auri libras, aut X oua, ursos, glires, & lactucas decem.

ALEXANDER Seuerus, post epulas catulos cum porcellis & perdices ad pugnam sæpè committere solebat.

A GRÆCIS ænigma & gryphus post conuiualia lusus proponebatur: cuius captiones soluenti præmium carnis portio, non soluenti pœna erat, ut salsum hauriret poculum. Alexander libro 5. capite 22.

ALFONSVS rex Aragonum, & Siciliæ, statim post prandium doctum aliquem uirum ad se uocare solitus erat, qui aliqd cedro dignum diceret: ut ita quoq; post corporis pastum, animus aliquo pacto iucundioribus & lepidis sermonibus reficeretur. Pontanus cap. j. de Conuiuentia.

IN EMTIONE.

AVGVSTVS Cæsar cùm de Tyriæ purpuræ, quam emi iusserat, obscuritate quereretur: dicente uenditore, Erige altiùs, & suspice: his usus est salibus: Quid ergo? ut me populus Romanus dicat benè cultum, in solario ambulaturus sum? Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.

IN CARCERE.

THERAMENES elati animi uir, idemq; facetæ naturæ, cùm XXX iussu Tyrannorum in carcerem duceretur, ac de tam graui iniuria clara uoce quereretur, iussus est tacere, ὅτι οἰμώξεται, ἐὰν μὴ σιωπήσειεν, quòd ploraturus esset, nisi taceret. Tum ille urbanè, Nónne etiam ploraturus sum, si tacuero? Xenophon 2. libro de rebus Græcorum.

LVDOVICVS Pius Imp. Suessione in monasterio S. Medardi à filiis in custodia adseruatus, ex uigilibus quendam nocte quapiam somno uinóque sopitum, ac circa fundamina basilicæ ante custodiam solo prostratum, & ensem ab eo dimotum uidens, mox scalam, quæ ad accendendos funes in angulo fuerat reposita, apprehendit, funiculum otiosum à laquearibus soluit, & hastæ, qua uexillum tempore letaniæ suspenditur, alligauit, perq; eam in sublime ensem ad se traxit, ac in altas proiecit latrinas: & mox excitatum uigilem ludibrio habuit. Robert. Gaguinus lib. 4. de gestis Francor.

IN BALNEO.

DIOGENES ingressus balneum sordidum, Qui hîc, inquit, lauant, ubi lauant? indicãs talibus balneis conspurcari corpora potiùs, quàm purgari. Erasmus in Adagiis.

IN THEATRO.

HEGEMON Thasius, qui parodias conscripsit, accessit in [illegible] aliquando comœdiam docens, ac uestem ha- [illegible] mittens ait:

Isti lapides, si quis uolet, coniiciat.
Aestate lens bona est, bona & per frigora.

Athenæus lib. 9. cap. 26.

VRBANITAS SECVNDVM FORMAM PER SE considerata. Quatenus scilicet IOCOS & Ludos

HONESTOS HONESTE' EXERCET. VRBANITAS ACTIVA

PER SE CONSIDERATA. LVDOS, Iocos honestè sequi, sui aliorúmue recreandorum causa.

Narrando scilicet

Historias.

NESTOR passim ἐν τῷ ἰλιάδι urbanissimus & iucundissimus ab Homero introducitur.

VLYSSES apud Homerum in conuiuio Phæacum errores suos narrat, suaq; facũda comitate omniũ animos demulcet.

AENEAS Didoni Troiæ excidium inter pocula narrat, apud Vergilium, Homeri simiam.

Fabulas.

T. QVINCTIVS Flaminius, cũ persuadere uellet Achęis, non utilem esse ipsis possessionẽ Zacynthi, cuius insulæ potiundæ desiderio flagrabant, inquit: Sicut testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus uideo esse: ubi exerit partes aliquas, quodcunq; nudauit, obnoxiũ atque infirmum habere: haud dissimiliter uobis Achæi continget. Liuius lib. 36.

Respondendo interroganti de

Iure.

CASELLIVS iureconsultus, urbanitatis miræ libertatisq; habebatur: præcipuè tamen is iocus eius innotuit. Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut Aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse uellet. Fortè iis diebus Casellius consultus à quodam, An nux pinea pomum esset? respondit: Si in Vatinium missurus es, pomum est. Macrobius lib. 2. Saturn. c. 6.

IDEM mercatori, quemadmodum cum socio nauem diuideret, interroganti, respõdisse traditur: Nauem si diuidis, nec tu nec socius habebitis. Ibidem.

VERRIVS Flaccus iuris pontificij disertissimus, uti Varro testatur, causam rogatus, Cur feriæ uiduis non autem uirginibus ad nubendum idoneæ essent? Quia, inquit, feriis ueteres fossas tergere licet, nouas facere non licet. Macrobius libro j. cap. 18. Saturn.

Virtute.

THESSALVS rogatus, Qui Thessalorum forẽt placidissimi? Qui bello, inquit, defuncti sunt. Plut. de Instit. lib.

Improbitate.

AVGVSTVS Cæsar, in Sicilia Arium suffecit Theodoro procuratorem. Cùm autem porrexisset ei quidam libellum, in quo scriptum erat: Caluus Theodorus Tharsensis fur erat, tibi quid uidetur? Lecto Cæsar subscripsit, Videtur. Plut. in Apophthegmatibus.

Adulterio.

GERADA Lacedæmonius ab hospite quopiam interrogatus, Quæ pœna foret adulteris apud Lacedæmonios? negauit ullos esse adulteros apud Lacedæmonios. At instans ille, Quid si quis existeret, inquit, quam pœnam daret? Is, inquit, taurum maximũ dependeret, qui producto ultra Taygetum montem capite, biberet ex Eurota. cumq; hospes arridens, Et unde taurus tam ingens? Lacedæmonius uicissim, At unde apud Lacedæmonios adulter? Plutarchus in uita Lycurgi.

Morte.

Parasitus Alexãdri Pheræi MELANTHIVS, rogantib. quemadmodum necatus Alexãder esset: Per latus, inquit, in uentrem meum. Plut. de Dignosc. adul.

Præda.

FABIVS Maximus, Annibale, qui præsidium Tarento præter arcem imposuerat, dolo quam longissimè inde retracto, urbeq; capta & direpta, interroganti scribæ, Quid signis deorum fieri uellet? Deos iratos, inquit, Tarentinis relinquamus. Nempe quod religionis erat, id ultionis nomine fieri per iocum simulauit. Plut. in Apoph.

Reipublicæ mutatione.

Cùm ex maioribus natu quidam ad AGIM regem iam grandæuum dixisset, postquam ueteribus institutis uideret exolescentib. irrepere praua alia, ideo Spartæ summa imis commutantur: ludens respondit: Hoc si fit, rectè res procedunt. Quippe audiui ego à patre puer, summa imis illius memoria commutata. Addidit; puero etiam ei hoc narrasse illius parentem. Itaq; nõ esse miraculũ, ꝙ sint cõsecuta antecedẽtibus deteriora: sed si fortè rectiora aut cõsimilia essẽt. Plut.

Omnipræsentia.

ARISTIPPVS interrogatus cùm esset à quopiã: Num tu es ubiq;? ridens, Nempe naulum, inquit, malè colloco, si sum ubique. Plut. An uirtus doceri querat.

Belluarum immanitate.

PITTACVS in cõuiuio quodam, cùm institutus de bestiis esset sermo, ad Myrtilum ioco dixit, teterrimum inter feras Tyrannum, inter placidas esse Adulatorem. Plut. in Conuiuio.

Piscium præstantia.

DIOCLES philosophus habitus est ὀψοφάγος. Hic cuidam interroganti, Vter piscis esset melior, cõgrus, an labrax, nobis dictus lupus? Alter, inquit, elixus, alter assus. Eras. in Adag.

Ocularis medicamentis.

ACTIVS Sincerus Sannazarius rari uir ingenij, magnæq; nobilitatis, cùm in cõspectu Federici regis esset inter physicos quæstio, quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati? aliiq;, fœniculi afflatũ dicerent, alij uitri usum, aliiq; aliud: At ego, inqt, Inuidiã aio. Obstupuerũt hoc dicto adeò medici, ut ab auditorib. derisui haberẽtur. Tũ ipse: An nõ inuidia maiora & pleniora omnia uidere facit? Quid aũt oculis magis præsentaneũ, quàm ut uis ipsa aspiciendi maior reddatur, atq; uegetior? protulitq; statim Ouidianos illos uersus:

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinũq; pecus grandius uber habet. Pont. & Panor.

Balnei usu.

SISINNIVS Nouatianorũ episcopus, uictu non tenui, sed in summa cõtinentia sumtuoso utebatur: & candida ueste nitidus, quotidie bis in publicis balneis lauare solebat. Quãobrem rogatus, Cur, episcopus cùm esset, bis in die lauaret? Quia, inquit, tẽporis excludor angustiis, ne ter lauẽ. Suidas.

Nominibus.

POMPONIO Læto, quasi cũ Callimacho & Platina contra Paulũ pont. max. cõiurasset, Romæ incarcerato, in quęstione datum est noxæ, ꝙ sibi & permultis adolescentib. literarum studiosis, nomen immutasset. Nam pro Petro Põponij nomen sumserat, antiquitatis stulto amore. Quo nomine appellatus à Vianesio antistite, qui quæstioni præsidebat, Quid, inquit, tibi & Paulo Pontifici, si mihi fœniculi nomẽ indidissem? Sabel. in eius uita.

Canendo.

Exempla quædam pete ex Tit. Musicorum, quatenus alios cantu refocillarunt.

Ludendo.

Ludus ipse ad Animi relaxationem pertinet. Ipsa Vrbanitas, qua conditur, huius est loci.

Scribendo.

ERASMVS Roterodamus per iocum Thomę Linacro epistolam scripsit metro trochaico tetrametro. Vide Tit. Certamina grammatica.

ALEXANDER archiepiscopus titulo D. Andreæ, filius Iacobi Scotiæ regis, insignis artifex erat in aliena manu imitanda. Senæ olim Erasmo Rot. quo familiariss. utebatur, ostendit codicem quendã typis excusum, quẽ certò sciebat nunquam ab eo lectũ. In eo multa annotarat in spaciis marginalibus. Protinus agnouit Erasmus manũ suam: Agnosco, inquit, figuras meas, uerũ codicem hũc nec legi nec habui unquam. Ille contrà, Legisti olim, sed excidit: alioqui unde hæ tuæ manus notulæ? Tandem cùm risu fassus est dolum. Tum Erasmus, Næ tu præclarè falsarium agere possis, si uelis. Erasmus aduersus mendacium.

RESPECTV ANTAGONISTÆ, CVM quo certant. VRBANITATIS certamina. tum

Dictis, Retorquendo obiecta scommata, dicteria.

Ptolemæus rex Aegypti, HYRCANO Iudæo etiamnum adolescente secum cœnante, & omnibus qui accumbebant carnes edentibus, ossa uerò ante Hyrcanũ cumulantibus, Tryphon scurra regis: Vides, inquit, domine, ossa ante Hyrcanum sita? Hinc collige, patrem eius Syriam omnem ita nudasse, ut hic ossa nudauit carnibus. Ad quem Tryphonis sermonem cum risisset rex, & Hyrcanum rogaret, Qui fieret ut tot ossa ante eum iacerent? Non immeritò, inquit, domine: nam canes ossa unà cum carnibus deuorant, ut isti. cæteros conuiuas innuens, quòd nulla ante eos sita essent ossa. homines uerò carnes edunt, ossa abiiciunt. Itaq; & ego feci ut homo. Eius hoc adeò solers respõsum admirat⁹ rex, approbata urbanitate ei⁹, oẽs iussit applaudere. Suid. ex Iosepho.

Cùm Antigoni regis libertus ad nouas diuitias nuper euect⁹, philosophos ad conuiuium congregasset: & irridendo eorũ minutulas quæstiones, scire se uelle dixisset, cur ex nigra

& alba faba pulmentũ unius coloris cõficiat? ARIDICES philosophus indignè ferens, Tu nobis, inquit, absolue, cur de albis & nigris loris similes maculæ gignantur. Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 3.

Cùm dixisset Demades: Me Demosthenes, sus Mineruã. Hæc, inquit DEMOSTHENES, Minerua non ita dudum in Colytto deprehensa in adulterio fuit. Plut. in Demosthene.

Aristippus, cùm Diogenem olim philosophum ut sordidum, ita quoq; omnia contemnentem, lauantem olera uidisset, ad Diogenem ait: Si scires regibus obsequi, non esses olera. Cui DIOGENES respondit: Et tu si esses olera, regibus non obsequereris. Horatius lib. j. Epist. ad Scæuam.

IDEM quum adolescentes quidam eum canem uocarẽt, seq; cauturos dicerent, ne ab illo morderentur: bono animo esse iussit: canem enim haudquaquam uesci betis. mollitiem illorum notans. Laertius.

ISMENIAS tibicen canebat in sacrificio. Quumq; non litaretur, is qui conductus fuerat, arreptis tibiis, canebat ridiculè: & hoc canente, litatum est. Incusantibus autem iis, qui aderant: Diuinitùs, inquit, contingit uenustè canere. Hic Ismenias ridens: At me, inquit, canente dij uoluptate capti, me morabantur: te uerò festinante illos abigere, arripuêre hostiam. Plut. lib. 2. Sympos.

Cùm quidã ex illis, qui faceti uolebant esse, ingressus ad DIONYSIVM Corinthi exulantem, per ludibrium uestem sicut ad tyrannum excuteret, ne quid armorum subesset: ridiculo in illum retorto, id facere eum iussit, cùm exiret à se, ne quid rerum suarum auferret. Plut. in Timoleonte.

Celebre est LEONIS Byzantij scomma, quod in gibbosum effudit, qui oculorum eius imbecillitatẽ fuerat cauillatus. ἀνθρωπικὸν, ἔφη, πάθος ὀνειδίζεις, ἐπὶ τοῦ νώτου φέρων τὴν νέμεσιν. Humanam, inquit, affectionem obiicis, quum in tergo feras ipse Nemesin. Plutarchus.

M. Liuius, quo prefecto Tarentum Annibali proditum fuerat, dum Romani id recepissent, tutatus est eam. Hic anxius honoribus Q. FABII Maximi in senatu aliquando præ inuidia & ambitione erupit, ut iactaret, non Fabij, sed sua opera Tarentum receptum. Ridẽs hic Fabius, Rectè, inquit, ais: nam nisi tu amisisset, ego non recepissem. Cic. de Orat. lib. 2. de Ridiculis, & Plut. in Fabio, & Liuius Dec. 3. lib. 7.

M. Crassus contra Parthos profectus pedestri itinere per Galatiam, cùm reperisset regem DEIOTARVM, qui ætate iam grauis urbem condebat, dicto incessit eum, ac, Duodecima hora, inquit, rex ædificare exordiris? Cui Galata ridens: Atqui neq; tu, inquit, imperator admodum maturinus cõtendis in Parthos. Excesserat autem annum Crassus LX, facie tamen apparebat quàm ætate grandior. Plut. in Crasso.

PROVINCIALIS quidam intrauerat Romam simillimus Cæsari, & in se omnium ora conuerterat. Augustus hominem ad se perduci iussit, uisumq; hoc modo interrogauit: Dic mihi, adolescens, fuit aliquando mater tua Romæ? Negauit ille: & falsè adiecit, Sed pater meus sæpe. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturnalium.

Rutilius, quum aliquando Romæ adisset Musonium philosophum, rogauit: Dic mihi MVSONI, Iupiter seruator, quẽ tu imitaris, num fœneratur? Notans illius inopiam, qui cogeretur interdum accipere mutuum. Ad hoc arridens Musonius: At ne fœnerat quidem, Rutili. Turpius est ad fœnus dare, quàm accipere. Rutilius, cùm ipse faceret quod grauius est, obiecit illi quod erat leuius. Erasm. Rot. lib. 6. Apoph.

Libanius sophista, summus Iuliani apostatæ fautor, cùm interrogasset Antiochiæ LVDIMAGISTRVM quendam, uirũ bonum atque pium: Quid nunc fabri filius (Christũ per contumeliam intelligens) ageret? respondit: Non otiatur, ô sophista, quem fabri filium appellas: parat enim Iuliano loculum. Intellexit autem uir optimus, Iulianum ob insignem impietatem non diu superstitem fore. Paucos post dies, Iulianus in Persia est interfectus. Tripart. hist. lib. 6. c. 44.

Duo ABBATES ordinis S. Benedicti, Concilij Constantiẽsis legati, cùm ad Petrũ de Luna, antea apud Hispanos & Gallos pontificem, nomine Concilij uenissent, atq; is illis conspectis, duos coruos ad se uenire dixisset: Minimè mirũ uideri debere, alter respondit, si corui ad eiectum cadauer accederent: exprobrans ei, quòd à Concilio damnatus pro cadauere haberetur. Poggius in Facetiis.

Ioannes Marchio Brandeburgensis Norimbergæ hospitẽ suũ interrogabat, quæ causa esset, cur tam pulcros & proceros ea urbs ciues haberet? Hæsitante illo, Quoniam hi comitiorum sunt filij, inquit, principum scilicet & nobiliũ, qui huc frequentes ad imperij comitia confluũt. Inexpectato dicterio LEONARDVS Blauius (id enim nomen erat hospiti) excitatus, huius quidem problematis rationẽ se prius ignorasse dixit, alteriùs nouisse, cur scilicet tot principes & nobiles nec forma corporis nec oris elegantia suos referrẽt maiores. Dicendi libertate data, subintulit, Et hi comitiorum, uenationum, symposiorum sunt filij. Nam dum conuentus agit princeps, dum uenatur, dum potat, uices illius apud uxorem interea agit morio, scriba, rusticus, agaso. Itaq; orta à principiis attestantur naturæ suorum principiorum. Ioannes Agricola in prouerb. German.

DANTI Aligerio Veronæ exulanti, & inter seniorem iunioremq; Canes prandenti, cùm ministri dedita opera ante pedes Dantis ossa occultè subiecissent, remota mensa, uersi omnes in solum Dantem, mirabãtur, cur ante ipsum solummodo ossa conspicerentur? Tum ille, ut erat ad respondendum promtus, Minimè (inquit) mirum. Canes enim ossa sua comederunt, ego non item, cùm non sim canis. Poggius in Facetiis.

DINVS Florentinus gratissimæ dicacitatis adolescens, casu præteriens per ioca frequẽtissima sepulcris, aliquos sibi notos senes illic confabulantes cõperit: qui ut iocandi peritum irritarent, iocari simul omnes (ut est ætas illa loquacior) & manibus etiam plaudere cœperunt. Ille se proripiẽs, hoc unum omnibus respondit: Iniquũ hoc loco certamen. uos ante domos uestras animosiores estis. senio scilicet eorum & uicinæ morti alludens. Nec prius intellectus, quàm eo abeunte, cœmiterium circumspiciẽtes, quas ille domos loqueretur perpenderunt. Innumerabilia dixit ad hunc modum, quæ apud Hetruscos uulgò etiã nota sunt. Petrarcha.

GALEOTTVS Martius Narniensis, Mathiæ Coruini præceptor, epistolarumq; magister, & in castris miles, cùm Venetiis hæreseos reus (nam ex iusta lege naturæ uiuentib. cœlestis auræ fructus paratos publicis scriptis asseruerat) ad geminas columnas à tribunali perductus esset, ut palinodiam caneret: quidam patricius strigosa proceritate & impudicæ uxoris probro insignis, traductum ludibrio præpinguem porcum appellauit. Ad quem extemplò conuersus Galeottus: Pinguis porcus quàm macer hircus esse malo, respondit. Tota igitur turba in risum conuersa, fecit ut palinodiæ contumelia Galeotto minùs grauis esse uideretur. Iouius in Elogiis testis.

Patriarcha Hierosolymitanus, qui totam cancellariam Apostolicam regebat, conuocatis aliquãdo certam ob causam discutiendam aduocatis nonnullis, nescio quem uerbis acriter castigauit. Huic cùm unus præ cæteris THOMAS Biracus liberiùs respõdisset, uersus in eum Patriarcha, inquit: Malum caput habes. At ille, ut erat homo promtus: Rectè, inquit, ac uerè loqueris. Nam si bonum caput haberem, satis meliori loco res nostræ essent, neq; opus esset hoc nostra controuersia. Te igitur ipsum culpas, ait Patriarcha. Tum ille: Non me, inquit, sed caput reprehendo. ita ipsum, qui aduocatis omnibus præerat, Patriarcham accusans, qui duro paulùm capite erat. Poggius Florentinus.

MAGNVS SFORCIA quum insidiis armisque Pauli Vrsini exterritus excessisset urbe Roma, & in Algido castra posuisset, ad eum à Pontifice Cardinalis S. Angeli Legatus ex Columnea familia uenit, ut fidem interponeret, confirmaretq; hominem, in Vrbemq; reduceret. Inter multos autẽ sermones Cardinalis quum dixisset, An, Sforcia, Vrsum timebis, quùm sis sub Columna tutissimus? Extemplò respondit: An non tibi, Pater, omnino insanus uidebor, si dũ frustrà à surdo marmore opẽ imploro, bellua ingens, dente ac unguibus ferox, ac humano sæpe gressu incedẽs, mihi minimè sit formidanda? Non illepidè remota, & parum expedita Columniorum auxilia designans, & Pauli Vrsini ingeniũ, præsentesq; uires aptissimè depingens. Iouius in uita Magni Sforciæ.

Multis naturæ fortunæq; muneribus Azo marchio Estẽsis claruit: uerùm ne iis absq; molestia frueretur, minus spectatã habuisse creditur VXORIS fidem. Cùm ergo ex illa susceptum puerum in ulnis habens suspirasset: causam quæsiuit illa suspirij. Cui maritus: Vellem, inquit, hunc puerum meũ esse, ut tuus est: & hanc certitudinem libens magna fortunarum mearum parte redimerẽ. Atqui, ait illa, nihil hic impensæ est, negotij parum. Arreptoq; filio: Hic, inquit, quod nemo dubitat, meus est. Annuente uiro: Vt nihil igitur dubij supersit, de manib. meis suscipe eũ, ait, tu⁹ sit. Petrarcha.

CARDINALEM Auinionensem, cùm pontifices Auinione morarentur, & equi plures strati faleratiq; uacui sessoribus pro magnificentia præirent, rogauit rex Franciæ indignabundus, Nunquid Apostoli ea pompa usi essent? Tum Cardinalis, Nequaquam, respondit. Sed & reges olim pastores fuere & armentorum custodes. Poggius in Facetiis.

Consultabant Medici aulici de ægro. Intererat consultationi CHIRVRGVS patria Britannus, manu felix, literatura nulla. Cumq; cæteri nulla ignorantiæ illius rationẽ habita, Latinè sententias dixissent, ubi ad illum dicendi ordo uenit, lingua Britannica uti cepit. Id ægrè ferente Io. Capellano, medico regio, uiro opt. & doctiss. & ut Gallicè loqueretur, si modò intelligi uellet, iubente: Ergo & uobis Gallicè loquendũ fuit, si a me intelligi uoluissetis. Nũc patiamini legem, quã priores tulistis. Delectatus hac libertate Capellanus, sententias omniũ compendio proposuit. Gul. Aragos.

LEONEM X. Bononiæ, Franciscus I. Gallorum rex, obliquè perstringebat propter luxum & pompã multùm diuersam ab instituto ueterum Põtificum, qui simplicitate & paupertate claruissent. Ibi Leo respondit, Sed eiusdem quoq; ingenij Saulum & Dauidem reges fuisse, cùm ille quidẽ asinos, hic oues paternas pascerent. Francisco uerò inferente, Noui testamenti exempla se recitare: At multo recentiores illis reges uestri, inqt, xenodochia inuisebant, pauperibus & ægris suapte manu ministrabant. S. Ludouicum intelligens. Io. Bapt. Gellus dialogo 8. Chimæricarum disput.

Factis.

AGAMESTORI Academico, cui crus erat gracile & emaciatum, compotores omnes insultantes, omnib. præceperant, ut dextro pede insistentes poculum exhaurirent, uel multã penderent. Vt uerò uices imperandi ad illũ delatæ fuerunt, omnibus iniunxit, ita biberent, ut ipsum bibere uiderẽt: ac pede imbecillo in amphoram, quæ in triclinium illata erat, demisso, ebibit poculum. Quod ubi reliqui omnes, cùm experirentur, facere se non posse animaduerterunt, multã dependerunt. Plut. lib. j. Quæst. conuiu.

GELO tyrannus, cùm circumferretur lyra in conuiuio, pulsarentq; eam & canerent ordine cæteri, ipse alacriter & expeditè in equũ, quẽ introduci iusserat, insiliit. Plut. in Apoph.

DVX Austriæ à Venetorum Duce ad areã D. Marci deductus, cùm ad angiportum uentum esset (quod Venetiis frequens est) neq; simul ingredi possent, Veneto locum dedit: Virtutis potiorem rationem habendam esse, inquiens, quàm auitæ nobilitatis. Contrà Venetus, Nascuntur fortes fortibus & bonis, & quem auita commendat uirtus, suo simul & maiorum splendore illustris, cùm aliàs, tum & in his honorum laruis primas ferre debet. Modestia Austriaci magna: Veneti prudentia maior. Ioan. Paulus in Spudopædia.

HONESTOS HONESTE FERT. VRBANITAS PASSIVA. Qui aliorum IOCOS, DICTERIA, SCOMMATA FERVNT.

Multos dicendo faciendoq; urbanos reperias: pauciores, qui aliorum iocos, præsertim sale, nedũ bile, tinctos, ferre possint. Itaq; non minor, ne dicam maior uirtus est, aliorum urbanitatem ferre posse, quàm urbanè uel dicere uel facere, Tolerantiæ (de qua iampridem egimus) ualde affinis. illic Confidentiæ, hîc Vrbanitatis habetur ratio.

Cassandri AMICVS non fremuit, cùm diceret ei Theophrastus: Miror oculos tuos non canere, cùm insertus illis sit nasus. Plut. lib. 2. Quæst. conuiu.

Temporibus Triumuiralibus POLLIO, cùm Fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait: At ego taceo. non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere. Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn.

In AVGVSTO Cęsare magis mirandum quos pertulit iocos, quàm ipse quos protulit: quia maior est patientiæ, quàm facundiæ laus: maximè, cùm æquanimiter aliqua etiam iocis mordaciora pertulerit. Prouincialis quidam intrauerat Romam similimus Cæsari, & in se omnium ora conuerterat. Augustus perduci hominem ad se iussit, uisumq; hoc modo interrogauit: Dic mihi adolescens, fuit aliquando mater tua Romæ? Negauit ille: & falsè adiecit, Sed pater meus sæpè. Macrobius ibidem.

L. QVINTVS Prætor de prouincia sanctissimè administratã reuersus, sub Domitiano, cùm æger assidẽti amico diceret, frigidas se habere manus: renidẽs ille ait, Atqui eas de prouincia calidas paulò antè retulisti. Risit Quintus, delectatusq; est, quippe alienissimus à suspicione furtorum. Macrobius lib. 7. cap. 3. Hoc ipsum Plutarchus lib. 2. Con. j. AVFIDIO modesto tribuit erga Cyrum amicum suum.

VESPASIANVS non iocabatur tantùm familiariter, uerùm etiam iocosè se ludi libenter patiebatur. Xiphilinus.

M. ANTONINVS Pius Imp. ioca semper patienter accepit. Capitolinus.

ROBERTVS Normannorum dux, ob interfectum Ricardum III. fratrem, Hierosolymam uoti causa petens, posteaquã peruenit Constantinopolim, fuit perbenignè à Constantino Duca Imperatore acceptus. Is cùm antea audiuisset ducem liberalem & urbanum esse, dedita opera prohibuit illi atq; aliis heroibus Normannis sellas apponi pede & dimidio altiores, in quibus prandendo sederent. Dux exuit continuò uestem, ac super eam instar globi implicatam sedit: fecerunt itidem & Normanni principes: finitoq; mox prandio, relictis uestibus abierunt. At Imperator subridens admonuit, ut uestes suas resumerent. Ad ea dux: Non est, inquit, mos Normannis sedes secum ferre. Polyd. lib. 8.

NICEPHORVS Phocas Imp. cùm aliquando ad milites exercendos in campum progressus cano cuidã, qui inter milites se adscribi petebat, diceret, Ecquid homo canus in militiam allegi peteret? aptè is respõdit, Se multo nunc ualidiorem esse, quàm adolescẽs fuisset. Olim uno aureo emto frumento duos onerabam asinos: te autem imperante, quantum duobus aureis emitur frumenti, haud grauatè humeris porto. Imperator dicterium sentiens, abiit: nihil perturbatus. Cedrenus.

RODOLFVS Imp. cùm corpus haberet procerum & faciem regiam, naso aquilino magno, in decliui semita obuiũ habuit dicaculum, qui regis facetias & clementiam norat. Is ex angusta semita regi cedere à satellitibus crebrò iussus, Regis, clamat, nasus uiam implet, ut preterire nequeã. Subridens rex, flexo in alterum latus naso, Progredere fili, inquit: namque nasum meum digitis amoui ne te impediat. Cuspinianus.

LVDOS SPECTANT, ACROAMAta ludicra audiunt.

BACCHVS Satyros etiam, quorũ opera in saltatione ac tragœdiis oblectabatur, secum duxit: ut Musarum quidem optimis institutis, Satyrorum uerò risu ac ioco, uitam omnẽ felicem traduceret. Diodorus lib. 4. cap. j.

Dicitur OSYRIS Aegyptiorum rex, fuisse cupidior risus, delectariq; solitus musicis & choreis. Quapropter illũ musicorum multitudo sequebatur. Inter eos nouẽ fuisse uirgines adolescentulas, tum canere solitas, aiunt, tum in aliis eruditas: quas deinceps Græci appellarunt Musas. Has Apollinẽ docuisse dicunt: qua ex re musicus est nominatus. Satyros uerò ad psallendum, cantandum, ac animi remissionem aptos, secũ in castris habebat. Non enim bellicosus, aut præliis periculisq; deditus fuit, sed otio & hominũ saluti. Diodorus lib. j. cap. 2.

LESBONAX Mitylenæus honestus planè uir & bonus, saltatores χειρισόφους, hoc est, manu sapientes, solebat nuncupare: pergebatq; subinde ad spectacula, tanquam ex theatro melior reuersurus. Cælius lib. 5. cap. 3. A. L.

Non puduit Xenophontem in SOCRATIS, ANTISTHENIS, & aliorum talium uirorum præsentia scurram introducere Philippum, eumq; sicut Homerus cepam potus condimentum adferre illis uiris. Plut. lib. 7. Quęst. conu. 7.

SOCRATES Euripidis tragœdiis admodum delectabatur, ut nunquam in theatrum nisi illarum spectandarum gratia descenderet. Tunc quoq;, cùm νεφέλας Aristophanis agi uidit, non illarum gratia, sed quia ab Euripide aliquid expectabat, eò uenerat. Aelianus lib. 2. Var. hist.

Postquã Ecbatana Mediæ uenit ex India ALEXANDER Magnus, rebus compositis necessariis retulit se ad spectacula & tempestiua conuiuia: quòd tria millia artificum ad eum ex Græcia uenissent. Plut. in Alexandro.

AGESILAVS rex, in gymnicis exercitiis moderatum studiũ ducebat ponendum, chorosq; & ludos patrios assiduitate sua, contentione, studio ornabat: neq; à puerorum uel uirginum certamine se abducebat. Quorum uerò teneri alios stupore cernebat, ea simulabat nec nosse. Plut. in Agesilao.

P. SCIPIO, cùm in Sicilia augendo exercitum, traiiciendoq; in Africam oportunũ quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo uolueret, inter consilia ac molitiones tantæ rei operam gymnasio dedit, pallioque & crepidis usus est: nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit, sed nescio an ideo alacriores: quia uegeta & strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc uehementiores impetus edunt. Crediderim etiam, fauorem eum sociorum uberiorem se adepturum æstimasse, si uictum eorum & solennes exercitationes comprobasset, ad quas tum ueniebat, cùm multũ ac diu fatigasset humeros, & cætera membra militari agitatione firmitatem suam probare coegisset: consistebatq; in illis labor eius, in iis remissio laboris. Val. lib. 3. cap. 6.

AVGVSTVS Cæsar, spectauit studiosissimè pugiles & maximè Latinos: non legitimos atq; ordinarios modò, quos etiam cõmittere cum Græcis solebat, sed & cateruarios oppidanos inter angustias uicorum pugnantes temerè, ac sine arte. Vniuersum deniq; genus, operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia, & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, Magistratibus in omni tempore & loco lege uetere permissam, ademit, præterquàm ludos & scenam: nec tamen eo minùs aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissimè semper exegit. Troiæ ludum edidit frequentissimè, magnorum, minorúmue puerorum delectu: prisci, decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro Caium Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donauit: passusq; est ipsum posterosq; Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore grauiter inuidioseq; in curia questo Aesernini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Cir-

censes ex amicorum ferè libertorumque cœnaculis spectabat, interdum è puluinari. Et quidem cum coniuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquādo totos dies aderat: petita uenia, commendatisq; qui suam uicem præsidendo fungerentur. Verùm quoties adesset, nihil præterea agebat: seu uitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem uulgò reprehensum commemorabat, quòd inter spectandum, epistolis libellisque legendis ac rescribendis uacaret: seu studio spectandi, ac uoluptate, qua teneri se neq; dissimulauit unquam, & sæpè ingenuè professus est. Suetonius.

ALEXANDER Mammeæ non scenicis uoluptatib. super cœna capiebatur, sed coturnicum certaminibus, & gallinaceorum, aut catuli & porcelli. Oblectabatur & palumborū frequentia, ut XX millia uno tempore habuisse dicatur. Sabellicus lib. 6. Enn. 7.

PHILIPPVS Vicecomes, incolumi adhuc oculorum lumine præditus, mirificè adolescentium ludo oblectatus fuit. Despectabat enim libentissimè adolescentium pila ludentium aut luctantium certamina, obducto ad fenestram speculari, ut ludētes eum spectare nescirent, cùm tamen adesse crederetur. Inde enim eorum formæ decus, explicatos artus, animiq; uigorem inspicere, & quos ex eius exercitationis indole maximè probasset, ad mēsæ cubiculiq; ministeria deligere erat solitus. Iouius in Philippo.

INHONESTOS, INDECOROS, INOFFICIOSOS, NVGACES, NIMIOS, odit, negligit, contemnit:

ACROAMATA.

AGESILAVS, cùm inuitaretur ad audiendum eum, qui uocē lusciniæ referebat: Ipsam, inquit, audiui frequenter. Plut. in Apophthegmatibus.

SALTATIONEM.

MINYADES, Leucippe, Aristippe & Alcithoe (cùm aliæ omnes mulieres ac uirgines furore quodam insano saltarēt in Bacchi laudem) hæ solæ choreā detrectasse dicuntur: eam nimirum ob causam, quòd maritos ambirent. Aelianus libro 3. de Var. hist.

FRIDERICVS III. Imp. dicere solebat, febricitare se mallē quàm saltare. Aeneas Syluius lib. j. Com. in Panorm.

LVDVM, ALEAM.

CICERO lib. 2. Epist. ad Atticum 20. de seipso ait: Volo ames constantiam meam: ludos Antij spectare non placet. Est enim ὑποσόλοικον, cùm uelim uitare omnium deliciarum suspicionem, repentè ἀναφαίνεσθαι non solùm delicatè, sed etiā ineptè peregrinantem.

IAPONII omne genus aleæ, ut furtum, auersantur. Ioannes Metellus.

VRBANITAS SECVNDVM FORMAM RESPECTV ALIORVM. Quatenus aliorum

VRBANITATEM AMAT, LAVDAT, fouet, promouet. IN

LVDIS.

ANAXAGORAS philosophus, publicè decretis honoribus animo magno repudiatis, id sibi omnino postulasse commemoratur, ut quo die mortem obiret, pueris, qui disciplinis & artibus operam darent, permitteretur feriatis otiari & ludere. Sensit ingenia adolescentum nimio studio frangi, refocillatione autem ad nouos labores agiliores fieri. Plut. in Politicis.

Atheniensium Odeum (cuius habet interior descriptio multa sedilia multasq; columnas, tectum est autem subuexum & accliue, in unum assurgens fastigium) imaginem ferunt esse & simulacrum tabernaculi regis. Aedificauit illud PERICLES: & tunc primùm ingenti studio idem tulit, ut certamen Musicorum Panathenæis celebraretur, digessitq; id ipse creatus athlothetes, quemadmodū certantes tibia uel uoce uel cithara canerent. Plut.

ALEXANDER Magnus, omni cis Euphratem subacta Asia, signa in aduentantem Darium decies centenis millibus militum mouit. Hic ex amicis quidam retulit ei pro ridiculo, seruitia, quæ castra sequebantur, per ludum se in duas partes diuisisse: utriq; esse ducem & imperatorem, uni Alexandrum, alteri ab iis nuncupatum Darium: cœpisse glebis inter se uelitari, mox pugnis, tandem exarsisse certamine, atq; ad lapides sudesq; multos progressos, nec dirimi eos facilè potuisse. Quod ubi accepit, ipsos iussit solos congredi duces: Alexandrum ipse armauit, Philotas Darium. Spectauit exercitus pugnam, omen ex euentu capturus. Acri conserta pugna, ille, qui Alexander dicebatur, tulit palmam, donoq; XII uicos & ius stola Persica utendi accepit. Hoc scriptum reliquit Eratosthenes. Plut. in Alex.

AVGVSTVS ludi causa sæpè pecuniā conuiuis dedit. Scribit enim ad filiam: Misi tibi denarios CCL. quos singulis conuiuis dederam, si uellent inter se, inter cœnam, uel talis, uel par impar ludere. Suetonius.

PAVLVS II. pontifex pop. Rom. ad imitationem ueterum ludos quàm magnificentissimos & epulum lautissimum instituit, procurante eam rem Vianesio Bononiensi Pōtificis uicecamerario. Ludi autem erant pallia octo, quæ cursu certantib. in carnispriuio proponebantur singulis diebus. Currebant senes, adolescentes, iuuenes, Iudæi, ac seorsum pastillis primò quidē pleni, quò tardiores in cursu essent. Currebant & equi, equæ, asini, bubali, tanta cum omnium uoluptate, ut omnes præ risu pedibus stare uix possent. Cursus autem & stadium erat ab arcu Domitiani usq; ad ædes sancti Marci, unde pontifex ipse solidam uoluptatem percipiebat. Ac etiam in pueros cœno oblitos post cursum munificentia usus, ut singulis carlenum (numi argentei id genus est) condonaret. Platina.

IOCIS OBSERVANDIS, SCRIBENDIS.

Callimedon Locusta & Dinias, Masigetonq; & Menæchmus, ut in lib. de Ciuitate testatur Telephanes, scurræ. Tanta eorum fama increbuit, ut PHILIPPVS Macedo talentum illis miserit, ut ridicula scribentes ad ipsum mitterent. ridiculorum enim studiosus erat, uti testatur in Philippicis orationibus Demosthenes. Athenæus lib. 14. cap. 3.

ALFONSVS Aragonum rex & Neapolitanorum, in sua aula stultè dictorum factorumq; Ephemerides confici curabat, ut semper ad uesperā, qua ea recitari solebant, honestæ relaxationis sibi suisq; materiam præberet. Auctor uitæ Arlotti plebani.

NVGACITATEM, SCVRRILITATEM odit:

QVAM. PVTA

Orationem ridiculam.

Causidicus cùm ridula proferret: Non tēperabis, inquit PLISTARCHVS, mouendo assiduè risui, ne reddaris ridiculus: sicut illi, qui perpetuò luctantur, luctatores? Plutarchus in Apophthegmatibus.

Libertatem scurrilem.

AVGVSTVS Cæsar Hylam pantomimū in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis uerberauit, prætore licentiam histrionis culpante. Pyladem quoq; urbe atq; Italia summouit, quòd spectatorem (à quo exibilabatur) demonstrasset digito, conspicuumq; fecisset. Suetonius.

Artes Inutiles, Sordidas.

PHILIPPVS filio Alexandro Magno, cùm suauiter aliquando & scitè cecinisset: Non te pudet, inquit, tam bene canere? Sat est enim, si uel audire uacet regi canentes, magnūq; Musis honorem habet, si certantes in huiuscemodi artibus spectet alios. Qui uerò uiles per se artes obit, hic suæ ad honesta studia socordiæ industriam in futilibus rebus profert contra semetipsum testem. Plut. in procœmio Periclis.

Spectacula.

LACON, cùm Athenis ludi fierent nouorum tragœdorum, choragorum apparatum, curam magistrorum & contētionem cernens, parum sanam esse dixit ciuitatem, quæ tanto studio luderet. Siquidem reuera ludentem oportet ludere, neq; multa impensa neq; articulis in alia conducibilib. socordiam liceri. Plut. lib. 7. Quæst. conu. 7.

Gymnicus ἀγὼν apud Viennenses ex cuiusdam testamento celebrabatur. Hunc TREBONIVS Ruffinus in Duumuiratu tollendum abolendumq; curauerat. Cùm negaretur ex auctoritate publica fecisse, eūq; restitui hæredes postulassent: egit ipse causam suam apud Traianum Imperatorē, C. Plinio Nepote in consilium adsumto. Dicebat, eas potissimū liberalitates priuatorum hominum, esse omni reipubl. ualdè suspectas, quæ ciuitati nullum ornatum, nullam utilitatem, plebi solam duntaxat uoluptatem atq; delectationem afferāt: qualia sunt, uenationes, spectacula, aliaq; huiusmodi certamina. His apprimè muneribus abduci, trahi, cōpelli ciuium animos. quam uim atq; auctoritatem qui sibi parare cupit, necesse est eum aliquid magnificentius sentire de se. Præterea accidisse (quod perpetuò solet) ut hoc nudo & impudico certamine, propter otium & uoluptatem, mores Viennensium inficerentur. Placuit agona tolli. Plinius lib. 4. Epistolarum.

Excogitata theatra cultus deorum & hominum delectationis causa, non sine aliquo pacis rubore, uoluptatem & religionem ciuili sanguine, scenicorum portentorum gratia, macularunt: quæ inchoata quidem sunt à Messala & Cassio Cens. Cæterùm auctore P. SCIPIONE Nasica omnē apparatum operis eorum subiectum hastæ uenire placuit. Atq; etiam S. C. cautum est, ne quis in urbe propiúsue passus mille subsellia posuisse, sedénsue ludos spectare uellet: ut scilicet remissioni animorum iniuncta standi uirilitas, propria Romanæ gentis nota esset. Val. lib. 2. c. j.

Cùm quidam scripsisset in testamento, ut formosissimæ duæ mulieres, quas in dominio habebat: alius item, ut impuberes coram populo digladiaturi cōmitterentur: POP. Rom. editis his gladiatoribus, tantam iniuriam atq; inhumanitatem non æquo animo tulit: quinimò hanc testantium uoluntatem irritam esse uoluit, iussit. Athenæus lib. 4. c. 17.

Aleam.

PLATO Atheniensis philosophus adolescentem, quòd lusisset alea, grauiter increpauit. Qui quum dixisset, Sic obiurgas ob rem paruam? At paruum non est, inquit, assuescere. Tale quiddam subindicat Demea Terētianus in Adelphis: Mitto rem, consuetudinem ipsorum. Laertius lib. 2.

PHILIPPVS Adeodatus Gallorum rex, sub initia regni aleā seuerissimis legibus sustulit. Stumpfius.

ANTONINVS archiepiscopus Florentinus, cùm uisitandarum Ecclesiarum gratia ciuitatem perambularet, & ciues in loco publico ad talorum aleæq; ludum conuenisse uideret: ibi diuertens, instrumēta ludi omnia subuertit. Paucis pòst annis cùm ludus nouus Sortiū introductus esset, cuius studio ad insaniam usq; populus omnis tenebatur, & honesta negligebat cōparandi uictus exercitia: incredibili diligentia ciues suos ad meliorem mentem reduxit, & Pontificem quoq; ad similem curam suo exemplo pertraxit. Sacerdos quidam Florentinus sorte opima mille aureos consecutus erat. eos Antoninus inter pauperes diuidi iussit. Leāder Albertus lib. 3. de Viris illust. ord. præd.

Magnus SFORCIA aleam in castris, uti duci pariter ac militi maximè pestilentem oderat. Iouius in eius uita.

Cauerunt VENETI in Rhetici feruore belli, ne alea, néue ullo alio præter ludum latrunculorum cùm in urbe, tum per XXV millia passuum extra urbis fines in pecunia luderet, exceptis nuptiarum celebritatibus, & cauponis, & ea fori parte, quæ ad columnas est, atq; ipsa fori porticu: edictúmque, ne iis in locis lusio auri unciæ partem quintam excederet. Bembus lib. j. Venetæ historiæ.

Saltationem.

Saltatio AEGYPTIIS seuera fuit lege inhibita, apud quos pueri nec palæstræ uacant, nec musicæ. Alex. lib. 2. c. 25.

CLISTHENES Sicyoniorum tyrannus, Hippoclidem F. suæ Agaristiæ procū, saltationis odio repudiauit. Herod. lib. 6.

DEMETRIVS Cynicus damnabat artem saltatoriam, uelut inutilem gesticulationem ad tibiæ modos. Lucianus de Saltatione.

Saltationem cùm à Romana grauitate, tum etiam à Græcis ipsis paulò cordatioribus ac frugalioribus repudiatā uidemus. DEMOSTHENES orator comitatum Philippi Macedonum regis apud cunctum populum Atheniensem incessens, nihil potuit grauius in eos iacere, quàm esse illos, qui nihil dubitarent ebrij saltare: prudentes uerò & ꝓbos, qui saltationes non ferrent, à se repulisse. Nec ulla ex castis illis ROMANIS matronis saltasse legitur. Sallustius Semproniam scribit doctiùs cantasse & saltasse, quàm necesse esset probæ. Cicero Murenam defendens, refert obiectum illi esse à Catone, quòd in Asia saltasset. Hoc crimen tantū erat, ut defendere rectè factum non sit ausus, sed constanter pernegarit: Nemo (inquit) ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit: neq; in solitudine, neq; in conuiuio moderato, atque honesto. Intempestiui conuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio: ita saltationem necesse est omnium uitiorum esse quasi cumulum. Lud. Viues de Christiana femina lib. j.

SCIPIO Aemilianus Romanæ iuuentuti, quòd in ludum histrionum ingenui pueri uenirent, & cum sambuco & psalterio canerent & psallerent: & CICERO Gabinio consulari studium saltandi, ut probrum obiectauit. Alex. lib. 2. c. 25.

TIBERIVS Imp. saltatores Roma expulit: uetuitq; ut eam artem nusquam exercerent, quòd notarent & uituperarent mulieres, & quòd seditiones concitarent. Dion Nicæus in Tiberio.

DOMITIANVS Imp. saltationem honestis hominibus inde coram, atque chorearum studium optimo uiro planè indignum iudicauit, qui Cæcilium Rufum, aut Rufinum ideo senatu mouit, ꝙ saltasse diceretur. Xiphilinus in uita Domitiani, & Alex. lib. 2. cap. 25.

ALBERTVS Imp. Ladislai Hungariæ regis pater, dicere solebat, uenationem esse exercitationem uirilem, saltationem autem muliebrem. Aeneas Syluius lib. 4. Com. in Panorm.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, Gallos potissimùm leues esse dicebat, qui quò magis ætate ꝓuecti essent, eò magis saltatione & insania sese oblectarent. Idem cùm fortè mulierem quandam impudentiùs saltantem aspexisset: Expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum. Sentiens, saltationem insaniæ genus esse. Sibylla autem uates non edebat oraculum, nisi furore correpta. Panorm. lib. j. & 2.

Audisse memini me, inquit Viues, QVOSDAM procul in nostrum orbem ab extrema illa Asia deductos, cùm saltantes uidissent mulieres, territos fugisse, quòd illas dicerent nouo & insuitato sibi furoris genere concitari. Ac profectò qs non mulieres credat furere, cùm saltent, si saltantes nunquā antea conspexerit? quis nō mente captas, cùm sic ad aliquē membranæ uel chordæ sonitum, manus, caput, totum corpus in gesticulatione mouent? Lud. Viues de Christiana femina libro primo.

QVORVM. PVTA

Regum.

Quidam ματαιότεχνος coram ALEXANDRO Magno χειροσοφίαν suam ostentabat, quòd acum granis ciceris tanta certitudine feriret, ut eam sensim in parietem altissimè adigeret. Rex magna expectanti munera modium eius leguminis dono dari iussit. Quintil. lib. 2. Instit.

Athletarum.

SOLON Atheniensis eos, qui exercerentur ad Olympiaca certamina, primùm dicebat esse sumtuosos, & ob id Reip. graues: ubi uicissent, ob fastum esse detrimento ciuitati: postremò quum senuissent, iam prorsus esse inutiles. Ad id exprimendum Laertius citat uersiculum Euripidis:

τρίβωνες ἐκλιπόντες οἴχονται κρόκας. id est,
Filis solutis lacera pereunt pallia.

ANACHARSIS aiebat se demirari, qui conueniret, ut Græci, qui legibus suis uiolentiam & iniuriam puniūt, athletas ob hoc ipsum honorarent, quòd se mutuò percuterent. Sed & iocans oleum dicebat esse uenenum, insaniam gignens, eo quòd athletas uideret unctos in se inuicem insanire. Laertius lib. j. cap. 9.

DIOGENES Cynicus Dionysiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impendiis pompaque celebrabantur, appellabat magna stultorum miracula: quòd in his nihil non ridiculum ageretur. Laertius libro 6. cap. 2. Erasmus lib. 3. Apophth.

ALEXANDRVM Magnum apparet abhorruisse prorsus ab athletarum natione: quippe qui agonas ediderit plurimos tragœdorum, tibicinum, fidicinum, imò etiam rhapsodorum, uenationis cuiusq; generis & rhabdomachiæ: neq; pugilatus; neq; pancratij studiosè certamen exhibuit. Plut. in Alexandro.

ATILA Hunnorum tyrannus, Aquileia excisa, Concordiam proficiscebatur. In itinere circulatores pleriq; uici cuiusdā rustici, ad eum ueniunt, & gladiatoriam scitè exercent. Atila turpe ducens, tam ualida corpora otiosam atq; inutilem agere uitam, iussit eos armari, ac se quoq; armis indutum equo insilientem imitari. Quod quum propter insuetudinē præstare non possent, abstinentia & exercitatione effecit, ut utramq; rem facilè præstiterint, & milites optimi euaserint. Nic. Olaus in eius uita, cap. 15.

Histrionum quorumlibet, Morionum, Gesticulatorum.

ANACHARSIS Scytha, ridicula facientibus in conuiuiū introductis, sine risu constitit. Mox cùm simia illata fuisset, risit, ac dixit, quòd hæc quidem natura esset ridicula, homo autem comminisceretur. Athenæus lib. 14. c. 2.

Apud Ciceronem refert Aemylianus, artem ludicram & scenas quandoq; ROMANOS probro duxisse, genusq; hoc hominum tanquam scurras improbissimos tribu amouere uoluisse. Sub Tiberio Imp. in opera scenæ prodiisse, famosa nota censebatur. Senatusconsulto fuit cautum seuerè, ne equites Romani ludo & arena pollucrentur. Tametsi fertur Augustus athletis conseruasse priuilegia & ampliasse, coercitionemq; in histriones magistratibus inhibuisse, ita ut in eos animaduersionem non haberent. Alex. lib. 3. c. 9.

Produnt historiæ Romanorum, histriones pulsos Italia à NERONE, quum propter eos uariæ factiones ortæ essent: & adeò uehementes, ut ad compescendam fautorum contentionem milites theatro assidere iuberentur. Vnde & Tranquillus: Pantomimorum, inquit, factiones simul cum ipsis relegatæ. Restituti sunt demùm per Neruam, sed iterum postea sublati à Traiano.

DOMITIANVS Imp. interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem iure concesso. Sueton.

Scribit Tacitus Annali primo, ROMÆ actum de modo lucaris, id est, precij histrionum, & aduersus fautorum lasciuiā multa fuisse decreta: ex quis maximè insignia, ne domos pantomimorum senator introiret, ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quàm in theatro spectarentur: & spectantium immodestiam exilio multandi

potestas prætoribus fieret. Cælius lib. 8. c. 8. Antiq. lect.

ISAACIVS Angelus Imp. gaudebat facetiis & mollibus cantilenis. Morionibus, scurris, histrionibus, parasitis, mimis, cantoribus palatij fores patebant. Cùm aliquando in cœna sibi allia afferri iussisset (ἄλλας, aliis ἄλλας) mimorum illius ætatis festiuissimus, cognomento Calibures, conspecto cœtu mulierum, ex ancillis & cognatis Imperatoris constāte: Cognoscamus priùs has, inquit, Imperator, deinde alias adduci iubeto. Quod dictū cùm omnes & uiri & mulieres risu excepissent: ille colore mutato, & uix repressa iracūdia, morionis licentiam minis castigauit. Nicetas lib. 3.

HENRICVS III. Imp. Agnetem Gulielmi Pictauiensis principis filiam, Moguntiæ inunctam, regalibus sibi nuptiis Ingelheimi iungens, infinitam histrionum atq; ioculatorum multitudinem, non solùm muneribus, sed etiam cibo potuque uacuam & mœrentem, abire permisit. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. 32. & Cuspinianus.

Vincentius in Speculo hist. lib. 29. cap. 41. regem Galliæ PHILIPPVM asserit dixisse, Histrionibus dare, est dæmonibus immolare. Olaus lib. decimoquinto, cap. trigesimoprimo.

ALPHONSVS Aragonum rex, quanquam esset liberalissimus, stultos tamen & motiones perrarò admisit: huiusmodi homines cisternæ rimosæ persimiles esse dicens, quas ut nullus impleret imber, sic hos nulli quamuis magni prouentus rerumque compendia exsatiarent. Pontanus de Liberalitate.

Magnus SFORCIA abhorrebat plurimùm ab insanis & morionibus, qui atra bile laborarēt, quòd ancipiti ioco risum pariter & luctum mouere possent: suo scilicet periculo admonitus, quòd ad Collem Senensis agri oppidum insanus quidam, dum ioco militari intemperanter lacesseretur, & ob id irritantem saxo petere uellet, ipsi Sforciæ tegumentū capitis summo cum uitæ discrimine decussisset. Iouius in uita Magni Sforciæ.

FRIDERICVS III. Cęsar, interrogatus An moriones in cōuiuium intromittendi essent? Neq; stultis, inquit, delectari possum, neq; superbis esse amicus. Aeneas Syluius libro 2. Comment. de Rebus gestis Alphonsi.

VRBANITATIS FINIS VEL

PROPRIVS.

Polybius auctor est, ARCADAS, quòd erant uita austeri & duri, quò ciuium animos mitigarent, ludos excogitasse: quos postea quia dimiserint, ita animis obduruisse, ut tota Græcia execrabiles haberentur. Cælius libro 8. capite 7. Antiquarum lectionum.

IMPROPRIVS. CAVSA

HONESTA. Verbi gratia

Muneris obtinendi.

Alexander Magnus Serapioni, uni ex grege eorum, qui secum lusitabant pila, quia nihil petebat, nihil largiebatur. Cùm autem ad ludum accessisset SERAPION, adiecit pilam aliis. Cui ubi dixit rex: Quin mihi das? Non petis, inquit. Risit rex, atque ampla largitione est eum prosecutus. Plut. in Alexandro.

ARISTIPPVS quondam petiit talentum à Dionysio: quūq; rex redarguendi nactus occasionem, diceret: Nónne tu prædicabas, philosophum non egere? Da, inquit, & postea de hoc disputabimus. Cùm accepisset pecuniam: An non, inquit, rectè dixi, philosophum non egere? Non eget, qui quum opus est, habet unde accipiat. Laërtius libro secundo, capite octauo.

Inter stipatores Rolfonis Danorum & Suconū regis, erat VIGO quidam, qui cùm dicacitate sua regem exhilarasset, armillam auream præmium meruit. Eam indutus dextra, sinistrā in tergo retorsit. Rogatus, Quid sibi uellet nouus incessus? respondit, Erubescere sinistram, neque in conspectū ditatæ germanæ prodire audere. Cuius comitate uerbi promeruit & alteram. Qua accepta, iureiurando firmauit, si regi superstes foret, quacunque iniuria rex periret, se necis eius ultorē fore. Idq; præstitit. nā quum oppresso per Sueciæ præfectum regi solus superesset, gladio, quem à uictore acceperat in argumentum futuri commilitij, conuerso, tradentem transfixit, per astantes ministros discerptus. Cranzius lib. j. Daniæ, cap. 16.

Animandi.

LACO referente quodam, Sagittis Persarum solem obscurari solere: Bene narras, inquit: in umbra certè meliùs præliabimur. Valerius lib. 3. cap. 7.

Mirari supra modum Gisco, Pœnorum illustrium unus, Romanam aciem ad Cannas in procinctu stantem, nec tam uehemens admiratio carebat metus suspicione. Ad quem protinùs eludendum tempestiuè ANNIBAL, At illud, ait, puto te multò magis miraturum, quòd in tanto hostium numero nemo est qui Gisco nuncupetur. Mouit ea uox risūm astantibus, & spem maximam Pœnis attulit fiducia ipsius ducis, qui in aperto discrimine ioco non abstineret. Plutarchus in Fabio.

Attentionis excitandæ.

☞ *Vide Tit. Reprehensio urbana Negligentiæ.*

Famis mitigandæ.

LYDOS aleæ, pilæ & tesserarum ludum non tam uoluptatis, quàm compendij gratia excogitasse, Herodotus tradit. Nā quum grauitate annonæ patria premeretur, sic famem consolari solebant, altero quidem die cibum sumentes, alterō ludis operam dantes. Polydorus libro 2. capite decimotertio de rerum Inuent.

Seditionis præcauendæ.

PETRVS Medices, anno à Cosmi patris morte uertente, cùm ciuitatem res nouas spectare uideret, uti animos ciuium aliis curis à seditione & rebellione auerteret, consilio suorū equestres ludos magno apparatu spectaculaque uarij generis indixit, anno Salutis humanæ MCCCCLVI. Commissis ludis Laurentius filius omnium, quibus cum concurrerat uictor, odium populi iam antè in patrem conceptum sua uirtute auxit: tantum absuit ut cœptam iam coniurationem restinxerit. Brutus lib. 2. Flor. hist.

Liberalitatis exercendæ.

Atheniensis quidam non admodum locuples, cùm omnia distraxisset, & quod inde erat redactum, ad centum stateras, offerret ALCIBIADI, quem deperibat, ut acciperet orans: eum ad cœnam uocauit Alcibiades. Benignè accepto aurum homini reddidit, iussitque ut redimentes postero die uectigalia publica licitatione superaret. Detrectanti, quòd multorum talentorum esset licitatio, denunciauit: Ni faceret, se uerberibus eum multaturum. erat namq; priuata quædam ei cum publicanis offensio. Mane igitur ad forum profectus incola, addidit licitationi talentum. Vbi collatis capitibus indignantes publicani laudare eum iusserunt prædem, tanquam reperturus neminem esset: perculso homine, & iam recedente, procul stans Alcibiades, archontibus, Me, inquit, scribite, meus est amicus, ego pro eo spondeo. Quo audito, omne illorum abscissum consilium fuit. Soliti enim secundis redemturis dissoluere priores, nō expediebant rei difficultatem. Precibus igitur hominem aggressi sunt oblata pecunia: sed non permisit Alcibiades, ut minus caperet talento. Quod ubi accepit, ea mercede iussit ei rem relinquere, atque ea ratione homini subuenit. Plutarchus in Alcibiade.

M. ANTONIVS III. uir amico cuipiam decies H-S iusserat dari. Obstupescente dispensatore, & quo summæ magnitudinem ei ostenderet, argentum in medio proponente, transiens, Quid hoc esset, rogauit. Vbi respondit dispensator, id quod donari iusserat: liuorem eius coniiciens Antonius: Ego uerò maiorem summam, inquit, esse decies putaui. Hoc exiguum est. Itaque alterum ei tantum adiice. Plutarchus in Antonio. Hoc NERONI Imp. erga prætorianū militem, Agrippina succensente, tribuit Xiphilinus.

Fuerant SIGISMVNDO Cæsari ex Hungaria allata quadraginta millia numûm aureorum. Quæ ubi, noctu aduentante, in quos conuerteret usus, sollicitè cogitaret, per cubicularios ocyùs consiliarios omnes ac militum duces ad se uocauit: & aperta arca, Ecce (inquit) crudelissimi hi hostes ac carnifices (numos ostendens) somnium mihi eripuerunt: accipite ac inter uos diuidite, ut mihi tranquillè dormire liceat. Distributa itaque pecunia inter eos, cùm exirent uiri à consiliis: Recedit iam (ait) à me tortor ille, qui me flagellauit, securiùs iam quiescam. Cuspinianus, & Aeneas Syluius lib. 4. Comment. in Alfonsum.

INHONESTVS. CAVSA

Insidias occultandi.

MITHRIDATES Ponti rex, aduersus Ariarathem nepotem, Cappadociæ regem, bellum susceperat. Sed cùm Ariarathis uires opinione maiores offendisset, ut in colloquium uenire uellet ab Ariarathe petiit, missis utrinq;, qui explorarent, ne occultè in colloquium arma ferrent. Cùm is, qui Mithridatis corpus prætentabat, manum sub ueste ad baltheum poneret, Mithridates subridens dixit: Caue, ne si inferiorē partem manu petieris, alium quàm quem quæris pugionē inue-

nias. Is uirilia dici arbitratus, quærere ultrà abstinuit. Remansit igitur in ea parte penes Mithridatem paruus pugio, quo nepotem, dum alloqueretur, interemit. Fulgosus libro septimo, capite tertio.

VRBANITATIS FRVCTVS

BONVS.

PHILIPPVS rex Macedonum, & Menegetes pancratiastes in palæstra uersabantur. Milites interea circumstantes, ingenti uociferatione stipendia flagitabant. Philippus cùm non haberet, accessit, sudore diffluens, puluere respersus, atque arridens eis: Rectè, inquit, dicitis, ô commilitones: uerùm ego quoque nunc ob eam causam aduersus Barbarum ungor, ut cumulatè uobis gratias rependam. His dictis, manibus plaudens, per medios eos cucurrit, atque seipsum in piscinam abiecit. Quam rem Macedones ridebant. Philippus usque eò se immergere contra pancratiastem, & faciē conspergere non antè destitit, quàm milites defessi discederēt. Huius stratagematis Philippus inter pocula persæpè mentionem faciebat, quòd iucundissimo ludibrio instantes repulisset. Polyænus libro 4.

Herodes sophista, uxoris Regillæ mortem luxit impotentiùs, adeò ut picturas & ornamenta domus coloribus atraret, uelis pullis tegeret, ac lapide Lesbio obscuraret omnia. nam is funestus ac niger est. Quodā die cùm LVCIVS, q frustrà conatus fuerat Herodi persuadere ut lugeret moderatiùs, pueros uideret in fonte ædibus uicino lauantes raphanides, rogabat, Cui pararetur ea cœna? Illi responderūnt, Herodi. Tum Lucius: Iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis uescatur in atra domo. Id ubi renunciatum est Herodi, amouit ab ædibus funestam speciem, ne à probis irrideretur. Philostratus.

Trecasses Belgę, Atilam omnia uastantem, clementem sensere, ob LVPI episcopi iocum, qui ante mœnia urbis Atilam excipiens: Saluum aduenisse (inquit) gaudeo, flabrum & iram Domini Deique mei. Eo cognomine & elogio posthac Atilam usum esse fama est. Auentinus libro 2. Annalium Boiorum.

Græci, qui post extinctum Exarchatum manserant in ipsa Italia, conflixère crebriùs cum Italis, & Beneuentanis graues incumbebant. Theobaldus Camerinorum princeps, Græcos quotquot cepit, euiratos remisit, addens ignominiæ risum. Quandoquidem, inquit, Imperator uester eunuchis gaudet, quotquot emiserit gallos, capos remittam. Mulier Græca, uirum captum in castra secuta magnis eiulatibus, Quid est, inquit, quòd bellum feminis indixistis? Tum Camerinus, Et quis (malum) feminis, nisi Amazonibus, bellum inferat? At illa, Hac parte, inquit, truncatos si remittitis, non uiros, sed feminas spoliastis. Camerinus feminæ urbanitate delectatus, Quid, inquit, faciam uis uiro tuo, si iterū in me pugnās capiatur? Respondit illa, Oculos & aures cum naso amittat, modò uir maneat. Cranzius libro 3. Metropol. cap. 9. ex Luitprando.

HENRICVS Etichtonis, uel Ethiconis, Comitis ab Altorff & Rauenspurg F. à sororis marito Ludouico Francorum & Boiorum rege, Ludouici Pij nepote (alij scribunt, à Carolo Magno, alij à Ludouico Pio) quicquid in superiore Boiaria aureo uehiculo à prima luce ad meridiem ambiret, quasi ludo poposcit. Ludouicus ratus, fratrem coniugis pauperiorem esse, quàm ut aureum carrum possideret, postulatis annuit. Mox Henricus plaustro rustico, in sinu quidem aureum curriculum gestans (unde cognomen ei adhæsit) circumuectus est à Lyco fluuio ad Ambronem flumen, à Gelono flumine ad Alpes Peninas. Arrisit Ludouicus dolo, & quæcunque hisce finibus continentur, Henrico donauit. Huius posteritas deinceps potita est Boiaria. Auentinus libro quarto Annalium Boiorum, & Albertus Cranzius libro secundo Saxoniæ, capite uigesimosexto, & Munsterus in Cosmographia.

MALVS.

☞ *Vide Tit. Iocos aliorum non ferre.*

STRATONICVS Atheniensis citharœdus, ob licentiam in ridiculis à Nicocle Cypriorum rege sublatus est de medio, ueneno hausto, cùm eius filios cauillatus esset. Athenæus libro 8. capite 7.

Gens quædam Pelasgica, quæ Lemnum incolebat, nauibus transmisit in Bæbronem, uel, ut Herodotus, Brauronem Atticæ regionem, atq; ex ea mulieres raptas abduxerunt. Pòst ubi pestilentia laborarent, oraculo iussi sunt Atheniensibus satisfacere, atque ita futurum, ut pestilentia liberarentur. Athenienses rogati, Quo pacto placari uellent? denunciarunt, ut Lemno decederent. Hanc conditionem cùm audissent PELASGI, per iocum responderunt, id facturos sese, si quis Borea uento unius diei nauigatione domo profectus Lemnum transmitteret. Euenit deinde, ut cùm Darius in Thracia agens, omnia undique subigeret, Miltiades dux Atheniensium è Cherronneso soluens, Lemnum aggrederetur, Pelasgis denuncians, se Borea uniusque diei cursu adesse domo profectum: nam Cherronnesum tenebat, atque illic habitabat. Itaque Hermon Pelasgorum princeps Lemno cessit. Quod cùm Darij metu compulsus faceret, adsimulabat tamen se uolentem cedere, quò gratum faceret Atheniensibus. Ex Græcorum collectaneis.

Aemilius Probus in Miltiade paulò aliter.

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

SCVRRILITAS, in Excessu peccans, perpendi potest, quo ad

- Acquisitionem. SCVRRILITATIS *acquisitio*. Huc → Magistri. Discipuli.
- Possessionē, Exercitationē, secundū
  - Causas. SCVRRILITAS cōsiderata secundum
    - EFFICIENTEM. *Scurrilitatis sectatores*
      - Qui, *quales*
        - Professione. *Scurræ, Histriones, Mimi, Plani.*
        - Vsurpatione: Populi. Reges. Duces. Politici. Sacerdotes. Poetæ. Oratores. Mendici. Scribæ.
      - Quid *agentes uel patientes Scurriliter sese gerant. Videlicet dum*: Sacra *celebrant*. Concionantur. Tributa *exigunt*. Tributum *negant*. Stipem *petunt*. Congiarium *præbent*. Insidiantur. Causas *agunt*. Iter *faciunt*. Magistratum *legunt*. Consultant. Auguria *captant*. Testamenta *condunt*. Supplicio *afficiuntur*. Moriuntur.
    - MATERIAM. *Respectu scilicet*
      - Personarum, *erga quas: tum*
        - Quæ, *quales*. Erga: Deum. Angelos. Diuos. Simulacra *deorum*. Duces. Musicos. Legatos.
        - Quid *agentes uel patientes*. Vt erga: Captiuos. Mendicantes. Reos, *damnatos*. Ægros. Morientes. Mortuos.
      - Rerū:
        - Bona *sua uel aliena scurriliter laudando.*
        - Mala *sua uel aliena* → Reprehendēdo. Consitendo. Consolando. Excusando.
      - Loci & Temporis: in
        - Genere: Vbi. Quando. Puta Diebus *festis.*
        - Specie. In: Cōcione *sacra*. Acroasi *philosophica*. Conuiuio. Calamitate. Iudicio. Funere. Epitaphiis.
    - FORMAM, tum
      - Per se. SCVRRILITATIS FORMA *per se, dum iocos, Ludos inhonestos*
        - Exercet. Quo ad
          - Sermonem: Colloquēdo. Obscenis *uerbis per iocū utēdo*. Disputādo. Docendo. Retorquendo. Nunciando *falsa*. Laudando. Auctoritate *Sacrarum literarum abutendo*. Spe *uana lactando*, Promittendo.
          - Gestū. Puta: Discursando, *Vagando*. Ostendendo: Pudenda. Digitum.
          - Exercitia. *Scurriliť uel saltē præter decorū*: Ludēdo: Talis, *Tesseris, Aleis*. Pila. Laruis. Saltando. Aurigādo, *Equitādo*. Venando. Sagittando.
          - Conuersationem. Officia *quæuis erga alium scurriliter, petulanter obitat*: Imperando, *Cogēdo*. Mutuū *offerēdo*. Osculādo. Verberādo. Affligēdo. Ministrando, *Subministrando*. Mutilando: Vestes. Caudam. Imitando, *effingendo scilicet* Habitum *Vestitum Larudti, uel* Mores.
        - Patitur. *Ludos, iocos, scommata aliorum inhonesta ferre.*
      - Respectu *aliorū*. SCVRRILITATIS FORMA *respectu* ALIORVM, *quorum*
        - Vrbanitatem *Rusticitatis nomina traducit.*
        - Scurrilitatem *uel*
          - Absq; *certamine*
            - *Amat, fouet, Vrbanitatis appellatiōe dignat in*: Histrionib. *Morionibus, Scurris*. Aurigis. Pueris. Brutis.
            - Non *castigat*.
          - Cū *certamine superare nititur. Scurrilitatis certamina*: Dictis, *Retorquēdo: Scōmata*. Factis.
    - FINEM.
  - Accidētia. SCVRRILITATIS *fructus*
    - Bonus. Vt: Vitæ *emendatio*. Amicitia.
    - Malus: Mors. Repulsa *Dignitatis, Coniugij*. Odium. Excidium *Vrbis, Regni*.

Voluminis Decimiquinti Liber II.

De SCVRRILITATE, in Excessu.

SCVRRILITATIS ACQVISITIO. HVC

MAGISTRI VEL PRAECEPTO, VEL EXEMPLO. SCRIPTORES NVGARVM.

ANTIPHANES Bergæus (ex Thraciæ urbe Berge) Comœdias scripsit, in quibus ἄπιστα finxit: adeò ut ab eo prouerbium factum sit, βεργαΐζειν, id est, uana & incredibilia dicere. Gyraldus dialogo 6. Hist. poet.

Fabulæ Milesiæ ad uoluptatem solam repertæ, à MILETO Ioniæ nomen habent, quæ de luxu & deliciis malè audiuit: & ut oratio mores ac uitam sequitur, repertum est in illo nepotino otio genus quoddam fabularum, nec uerū, nec ueri simile, neq; in aliquem usum uitæ paratum & congruens, sed tantùm ad extrahendum tempus, uel in conuiuiis, uel in cœtibus uirorum ac feminarum, qualia sunt etiam amatoria omnia, quod Galli uocant Intertenere, seu detinere potiùs. Ideoq; Lucianus sophista sermones amatorios uocat Milesios, & Capella quasdā poetarū fabulas. Scripsit nominatim de Milesiis ARISTIDES libros aliquot μιλησιακῶν, & APVLEIVS Asinū ex Asino Luciani desumtū, & concinnatū. Apuleius statim initio profitetur huius esse formæ: Nūc ego te, inquit, sermone isto Milesio delectabo. Eiusmodi narrant uetulæ pueris ad focum, ne ploret, aut molesti sint. Lud. Viues lib. 3. de Rat. dicendi.

CLAVDIVS Cæsar, non tantùm ipse lusibus operam dedit, sed aliis quoq; lusorium opus conscripsit, oblitus iam se Cęsarem esse. Sed qui in cæteris stoliditatis nomen imperij maiestate tegebat, hoc ipso asini auriculas penitùs detexit. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 21. ex Suetonio.

NERO Cęsar ludis pro æternitate imperij susceptis, exhibuit ad ferrū quadringētos Senatores, sexcētosq; equites Romanos: & quosdam fortunæ atq; existimationis integræ ex iisdem ordinibus confectores ferarum, & uaria arenę ministeria. Suetonius. Ludis quos in Teridatis fecit honorē, id fuit turpissimum uisu atque grauissimum, quòd uiri feminæq;, non solùm equestris, sed etiam senatorij ordinis, in orchestram & circum & amphitheatrum ingressi, tibiis cecinerūt, saltauerunt, tragœdias & comœdias egerunt, citharœdi fuerunt, equos agitauerunt, belluas occiderunt, munus gladiatorium obiuerunt. Dion.

SCVRRILITATIS SECTATORES.

QVI, QVALES. VEL PROFESSIONE. SCVRRÆ, PLANI, CIRCVLATORES.

Variis appellantur nominibus. A discurrendo Scurræ, ab imitando Mimi, ab errando Plani, à cōcursu populi Agyrtæ & Circumforanei, à captādo cibo βωμολόχοι, quod aris insidientur, & in deorum sacrificiis frequentes adsint, ut populum post sacra delectent, uentremq; saginent. Γελωτοποιοὶ deniq; & χλεύασφοι, quòd risum moueant, quodq; ridicula multa manuum agilitate possint efficere. Exempla aliquot huic loco inseruientia, ex Titulo Histrionum petes, qui Artis ratione Poetarum sunt ministri: sed quatenus Risum affectant, huc spectare uidentur. Sic etiam quando alii scurrilitate sua placere uolunt, inter Adulatores connumerari possunt.

Circulatores INDI omnium præstantissimi, quos Alexander Macedo nuptiis suis adhibuit. Aelian. lib. 8. Var. hist.

Admirabatur Xenophon præstigiatorem, qui CRATISTHENEN Phliasium discipulum reliquit, quoniam ignēm sponte sua nasci faciebat, & machinationes multas inuenerat, quibus homines omnes ferè faciebat desipere. Talis fuit & NYMPHODORVS, qui obuius factus Rheginis, primus eos timoris redarguit. Athen. lib. 1. cap. 14.

CEPHISODORI impostoris Atheniensis meminit Athen. lib. 14. cap. 4.

DIOPETES Locrus Thebas profectus, succinctusq; uesicas uino & lacte plenas, has comprimens, haurire ex stomacho se dicebat: atq; hoc facto clarior habitus. Famosissimi fuerunt apud Alexandrum SCYMNVS Tarentinus, PHILISTIDES Syracusius, HERACLIVS Mitylenæus. Admirabilis apud Græcos & Romanos MATREAS impostor Alexandrinus, qui dicebat se feram nutrire, quæ se ipsam comederet: ita ut nunc etiam quæratur, quæ sit Matreæ fera. Fecit hic, & præter Aristotelis dubitationes, Quare Sol occidens non natet: Cur spongiæ bibant quidem, non autem multū potent: & Cur tetradrachma permutetur quidem, non autem irascatur. Athen. lib. 1. cap. 13.

Athenienses scenam POTHINO præstigiatori tribuerunt. quod Euripidis studiosi Athenienses ægrè tulerunt: atque Euryclides surrexit in theatro unà cum his qui erant cum Aeschylo. Athen. lib. 1. cap. 13.

PARMENO cùm uarias animantium & hominum uoces scitè imitaretur ac repræsentabat, Quem cùm reliqui conarentur æmulari, ac protinus ab omnibus diceretur illud: εὖ μέν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν: hoc est, Rectè quidem, uerùm nihil ad Parmenonis suem: quidam prodiit, ueram suculam sub alis occultatam gestans. Huius uocem cùm populus imitatitiam esse crederet, statimq;, sicut solent, reclamarent, τί οὖν αὕτη πρὸς Παρμένοντος: id est, Quid hæc ad Parmenonis suem? uera sue propalàm ostensa, refellit illorum iùdicium: utpote non ex uero, sed ex imaginatione profectum. Plutarchus in V. Sympos.

BALATRO scurra uirulentus. Vnde Horatius, Balatro suspēdēs omnia naso. Et Hieronymus, Ne me putes in modū rustici Balatronis cūcta Origenis reprobare. Cæl. l. 15. c. 25. A. L.

APITIVS Galba, & SARMENTVS Rom. eques, nobiles scurræ sub Tiberio Cæsare. De utroq; Iuuenalis Sat. 5.

> Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
> Cæsaris ad mensas, nec uilis Galba tulisset.

De Sarmento item Horat. in Sermonibus, cum MESSO Cicerro contendente.

MÆNIVS ab Horat. in 1. Epistolarum describitur

> Scurra uagus, qui non certum præsepe teneret,
> Impransus ciuem qui non dignosceret hoste,
> Quælibet in quemuis opprobria dicere sæuus,
> Ingluuies, & tempestas, barathrumq; macelli:
> Quicquid quæsierat, uentri donabat auaro:
> Exhaustusq; bonis, patinas cœnabat omasi
> Pinguis, & agnini, tribus ursis quod satis esset.
> Scilicet ut uentres lamna candente nepotum
> Diceret urendos correptus. Mænius idem
> Si quid erat nactus prædæ melioris, ubi omne
> Verterat in fumum & cinerem: Non herclè miror,
> Aiebat, si qui comedunt bona: cùm sit obeso
> Nil melius turdo, nil uulua pulcrius ampla.

TECTIVS Caballus scurrilitate clarus apud Romanos. De eo sic Martialis lib. 1.

> Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
> Posses uincere Tectium Caballum.

GENESIVS Arelatensis patria, arte mimus & infamis, Christianos apud Imperatorem Diocletianum turpissimis gestibus irridebat. Ab Diocletiano demum interfectus est. Volater. lib. 16. Anthropologiæ.

PLANVS quidam apud Horat.lib.1.Epist.solebat casum simulare, & prætereuntium opem implorare: qui si manu porrecta multo cum labore illum sustulissent, exiliens cũ cachinno abibat. Tandem uerè fracto crure, frustra aliorum auxilium petiit:

Nec semel irrisus triuiis attollere curat
Fracto crure Planum: licèt illi plurima manet
Lacryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, uicinia rauca reclamat.

SERGIVS Polus natione Ister, facetissimus histrio, id quod sepulcro eius incisum epitaphium, quod adhuc hodie Polę Dalmatiæ urbe extare aiunt, satis testatur.

ZERCON, Scytha dictus, Maurusius genere, deformitate corporis & balbutie ridiculus. Breuis erat, gibbosus, distortis pedibus: naribus ita depressis, ut nasus inter eas uix appareret. Aspari Ardaburio in Libya donatus, captus est, Barbaris Thraciam inuadentibus, & ad Scytharũ reges adductus. Ac Atila quidem nec aspectum eius tulit. Bledas autem Atilæ frater eo supra modum delectatus est, cùm non solùm ridiculè loqueretur, sed & ambularet, magnificeq; incederet. Itaque conuiuiis & expeditionibus intererat, armis ridiculis instructus: Bledæ adeò charus, ut cùm Romanos fugitiuos secutus esset, neglectis cæteris, istum omni studio inquiri iuberet: adductumq; in uinculis conspicatus, riserit: missaque ira, fugæ causam quæsierit, & qua gratia Romanorum res meliores suis iudicaret? Is uerò respondit, Se non rectè fugisse: sed peccati eius fuisse causam, quòd sibi uxor nõ daretur. Itaque Bledas maiore etiã cum risu despondit ei mulierẽ nobilem è Reginæ ministris, sed ab eius ministerio ob facinus quoddam exclusam. Sic perpetuò cum Bleda uixit. Post obitum uerò eius Atila Occidentalium Romanorum duci Aetio Zerconem dono misit, qui cum ad Asparem remisit. Suidas. An ab hoc Germani etiamnum pumiliones Zuergos uocent? An quod appellatiuũ nomen fuit, Suidas proprium esse credidit?

CALIBVRES mimus Isaacij Angeli Imp. Græcorum, cùm aliquando in cœna sibi allia afferri iussisset, conspecto cœtu mulierum, ex ancillis & cognatis Imperatoris constãte: Cognoscam⁹ priùs has, inquit, Imp. deinde alias adduci iubeto (in Græco est, ἐνέγκατέ μοι ἄλας & ἄλλας) Quod dictum cùm omnes & uiri & mulieres risu excepissent: ille colore mutato, & uix repressa iracundia, morionis licentiam minis castigauit. Nicetas lib.3.

Sub Iustiniano Imp. quidam æris faber extitit, ANDREAS nomine. Is canem habebat fuluum ac cæcum, qui prodigia edebat. Adstante enim turba, faber clàm cane adstantium anulos aureos, argenteos ac ferreos accipiebat, inq; solo deponebat, & ingesta materia tegebat: inde canis iussus unicuilibet suum reddebat. Sic etiam diuersorum Imperatorũ nomismata permixta singulatim discernebat. Quinetiam turba uirorum & mulierum adstante, de ea grauidas, scortatores, adulteros, misericordes, sordidosq; sine falsitate demonstrabat. Itaque dicebant, eum Pythonis spiritu præditum esse. Cedrenus.

OTHO Fugs, propter odium rusticorum Neythardus dictus, eques Francus, & VIGANDVS à Tebẽ, sacrificus, paroch⁹ Calenbergæ in Austria ad Danubium, moriones festiuissimi: quorum iocis Otho Iocundus Austriæ dux mirũ in modum delectabatur. Eorum facta dictaq; salsa apud Germanos passim adhuc, non tantùm ore populi, sed & monumentis literarum celebrantur. Sarcophagus alterius ad parietẽ meridionalem cathedralis templi Viennæ, alterius uerò in pago Prugkles, supra oppidum Neuenkyrchen conspicitur. Lazius lib.2. Geneal. Austriacorum.

BORRA Hispanus, scurra eximius, qui XC annum uitæ attigit, in tanta fuit apud complures semper reges opinione, ut supra cẽtum aureorum millia ex hoc quæstu corraserit. Hic quotidiano conuitio doctos homines proscindebat, plus se & pecuniæ & honoris comparasse dictitans, dum stultum agit, quàm qui literarum & sapientiæ studiosi uocarentur. Martino Aragonum & Siciliæ regi Barcellonæ animam agenti assistens, uidit umbram quandam, breue loci spacium occupantem, paulatim à medio uentre ascendentem, prout anima continenter inferiora relinquebat. Vbi ad guttur euasit, & ipsa euanuit, & rex animam efflauit. Valla lib.2. Historiarum. Eum Sigismundus Imperator in conuiuio argento onerauit, adeò ut sub pondere iam fatisceret. Rauisius.

HISTRIO Bononiæ quidam se uolaturum ex turri, quæ est uersus põtem sancti Raphaelis, miliari ampliùs extra urbẽ, significauit. Congregato ad diem constitutum omni fermè Bononiensi populo, sole & fame usq; ad occasum solis homines ludendo macerauit, dum in turris cacumine sese ostẽderet, alasq; quateret uolaturo similis. Post solis tandem occasum, ne nihil actum uideretur, nates populo ostentauit. Gogipanus iocus.

Habuit rex Daniæ Christiernus II. quendam protomimum, nomine SVIKART, id est, deceptorem, uersutissima arte insidiosum, Brema oriundum, candida ueste more clericorũ semper indutum: cuius mendaciis tanta fides adhibita fuit, ut eius nutu uel spoliarentur homines, uel necarentur. Rege è Gothia pulso, cùm annis auroque onustus extra Regis castra per syluarum latebras fugeret, à rusticis spoliatus uix euasit. Olaus lib.15. cap.32. Septentr. regionum.

Narrat Pomponatius lib. de Incantationibus, se Mantuæ & Patauij quendam REATIVM uocatum uidisse, qui incredibilia operabatur, eaq; dæmonum arte perfici uulgò credebãtur. Quare ab hæreticæ prauitatis inquisitoribus subditus quæstionibus, bona fide occultò ostendit fraudulentas esse suas actiones, merasq; manuum agilitates, & multis secreta intelligentia colludentibus peragi. Proinde dimissus, interemtus est tandem à quodam quem deceperat. TVRCA quidam passim per Italiæ urbes oberrans, inter cætera miranda, quæ uidenda populo exhibebat, manuum dexteritate peracta opera, pistillum ferreum prægrandem pugni illisione, item contorsione manuum sola confringere uidebatur. PRÆSTIGIATOR quidam magicus Magdeburgi equulum in theatro frequenti per circulum trãsilientem ostentabat certa stipe: in fabulæ exitu, paucã se apud mortales collegisse pecuniam questus, se in cœlum conscẽdere uelle ait. Hinc in sublimi eiecto fune, consequitur in altum equulus: præstigiator quasi eum cauda retenturus, quoq; ascendit: cuius uxor maritum apprehendens assectatur, itidem ancilla, ut uiderentur ascensu contiguo uelut concatenati, simul aera petere. Hæc dum populus ad stuporem spectaret, cuidam ciui eò fortè declinanti, quærentiq; Quid'nam rerum ibi ageretur? responsum est, circulatorẽ cum equulo in aera cõscendere. Hic se statim uidisse eũ in uico ad diuersorium abeuntẽ asseuerauit. Vierus li.2. cap.7. de Præstig. dæmonũ.

❧ VSVRPATIONE. QVI SCVRRILITATI STVDVERVNT.

Populi.

TIRYNTHIOS, ait Theophrastus, philogelos fuisse, atq; idcirco seriis inutiles, ad oraculum confugisse Delphicum, cũ hoc uitio liberari cuperent. Quibus deus respondit, si Neptuno taurum sacrificantes in mare sine risu iecissent, futurum ut liberarentur. Illi timentes ne frustrarentur incœpto, pueros sacris interesse prohibuerunt. Quod cùm quidã nouisset, seq; immiscuisset, hiq; ipsum propellentes clamarẽt, Quid timetis, inquit is, nunquid ne ego uictimam uestram subuertã? Qui cùm risissent, re ipsa didicerũt, Deum significare uoluisse, consuetudinem iam inueteratam curari non posse. Athen. lib 6. cap.6.

PHÆSTII iam inde à teneris ridicula dicere assuescunt: adeoq; omnes, qui sunt in Creta, ridicula his iniungunt. Ibid.

SYRI ludis celebritatibusq; adeò dediti, ut Antiocheni, quorum & maxima & felicissima urbs est, toto ferè anno tum in urbe, tum in suburbiis non aliud impensiùs curarent, quàm ludos & festa. Cælius lib.18. cap.34.

TIBARENOS Ephorus scribit, lusum amplexari in primis ac risus, quòd in iis maximam felicitatis partem arbitrentur constitutam. Idem.

ATHENIENSES mirè delectabantur iis, qui risum dictis aut factis mouere norant: ut huius rei gratia in Diomeo aut Heracleo sexaginta conuenirent (qui in ciuitate nominabãtur Sexaginta uiri, quemadmodum nos dicimus duumuiros, triumuiros, & decemuiros, magistratum significantes) adeoq; si quid ridiculè dictum esset, uulgò ita loquerentur, οἱ ἑξήκοντα τοῦτο εἶπον: Sexagintiuiri hoc dixerunt. aut, ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι id est, A' sexagintauiris uenio. In festo Choũ & Leneis, plaustris uecti conuitiabantur: eorundemq; mulieres similiter Eleusiniis magnis.

SICVLORVM dicacitas nota est ueterum literis. Hinc nugæ Siculę, Gerræ, & Persolæ nugæ prouerbio locũ fecerunt. Nã Siculus fuit Epicharmus, ad cuius exemplar properare Plautus dictus est Horatio. Plautus autem in nugis ac iocis est immodicus, nec raro ineptus. Porrò Gerras Græci crates uimineas appellant. Ea uox postea uulgò pro nugamentis rebusq; friuolis usurpata est, auctore Festo Pompeio, hac quidem occasione. Athenienses cùm Syracusas obsiderent, & crebrò gerras poscerent, irridentes Siculi Gerras clamitabant. Hinc in prouerbium cessit. Vnde & familiares, quiq; inter se nugas omneis communicant, Congerrones uocantur. Erasmus in Adagiis.

Reges.

Clitophus PHILIPPO Macedonum regi iacienti in ipsum scommata, & admodum hilari: Ego posthac, inquit, te non alam. Lepidè inuertẽs rem. nã reges in hoc alunt parasitos, ut illorum dictis exhilarentur. Quòd si ipsi reges inter se norint ludere, & in alios ridicula dicere, nihil opus sit parasitis, quum ipsi norint parasitos agere. alioqui parasiti magis

magis alunt reges, quàm reges parasitos. Quanquã Plutarchus in Sympofiacis ita refert, οὐκ ἐγώ σε τρέφω, Non ego te alo: notans regem, quòd uersa rerum uice, pro rege ageret morionem. Tu me alis, ut ridiculis dictis te exhilarem, non ego te. Erasmus 6. Apoph.

De LYSIMACHO dixit Demosthenes, ni fallor, regnũ ipsius nihil differre à scena comica, quòd impẽdio delectaretur ridiculè dictis, eoq; ab hoc omnes discedere dissyllabos, hoc est, histriones. Notauit enim Bithen & Parin, qui nihil apud illum non poterant. Erasmus in Adagiis.

PHILIPPVS rex Macedonum, is cum quo Romani primum bellum Macedonicum gessere, iocosior etiam inter seria fuisse traditur, quàm deceret regem. Plut. in Flaminio.

VESPASIANVS Imp. & super cœnam & semper aliàs comissimus, multa ioco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ; & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem uerbis abstineret. Suetonius.

Politici homines, Duces.

L. Corn. SYLLAM ita perhibent dicacem natura fuisse, ut iuuenis etiamnum & nondum celebris cum mimis uiueret & scurris, sociumque se iis in omni proteruia præberet: atque cùm esset rerum potitus, scenicorum & histrionum impudentissimis quibusq; coactis, præter ætatem & imperij maiestatem, potaret quotidiè cum eis, dicteriisque digladiaretur: cùm multa interim posthaberet grauia negotia. Neque enim inter cœnandum Sylla rei ulli uacabat seriæ: sed qui aliàs negociosus esset & tristior, ut primùm contulit ad conuiuium se uel ad compotationem, repentè inuertebat se, mimisq; & saltatoribus tractabilis erat, & aditu promtus atq; deditus. Plut. in Sylla.

M. ANTONII Triumuiri contumelia in iocis & dicteriis afferebat secum medicinam. Siquidem impunè reponere licebat dicta & conuitia. Plut. in Antonio.

L. ANITIVS Rom. dux, qui captiuum duxit Gentium Illyriorum regem, res omnes risu dignas fecit, ut asserit lib.30. Polybius. Nam cùm omnes celeberrimos artifices ex Græcia conuocasset, scenamq; amplissimam in circo parauisset, omnes tibicines simul priùs introduxit. Erant autem hi, Theodorus Bœotius, Theopõpus, Hermippus, Lysimachus, qui erant celeberrimi. Hos cùm ad proscenium constituisset, iussit ut omnes simul cum choro tibias inflarent. Verùm ubi ex saltatoribus quidam pręcinctus manus extulit ad pugnã in aduersum tibicinem, non exiguus ortus est plausus & clamor spectantium. Cum certarent adhuc ij quasi ex instructa acie, duo saltatores in Orchestram cum concentu introducti sunt, tum pugiles quatuor cum buccinatoribus ac cymbalistis scenam ascenderunt: quibus omnibus inter se certãtibus, explicari nullo modo posset id, quod accidebat. Athenæus lib.14. capite 3.

M. TVL. Cicero in iocis nimius fuit, adeò ut à Vatinio consularis scurra fuerit appellatus. Macrob. lib.2. Saturn. capite 1. De eo sic Plut. in Vitis: Cicero dicacitate subinde ad scurrilitatem deuolutus, & negotiis perquàm seriis risu iocoq; in iudiciis illudens, ut causæ prodesset, neglexit decorum. Vt in oratione pro Cælio: Non esse mirum, si in tanto ille luxu & deliciis ad uoluptates dedisset se. Nam non frui iis, quæ in promtu sunt, dementiam esse: præcipuè cùm in uoluptate summum bonum ponant clarissimi philosophi. Ferunt eum, cùm consul Murænam, qui accusabatur à Catone, defenderet, multum ex persona Catonis derisisse Stoicæ sectæ absurda & noua præcepta. Cùm magnus inde risus à corona ad ipsos perlatus iudices esset, subridentem Catonem ad consessum dixisse: Dij boni, quàm ridiculum consulem habemus. Videtur autem naturâ Cicero salsus & facetus fuisse. Vultus eius quoq; risum & hilaritatem præ se ferebat.

Cynicus consularis uidetur à Cicerone uocatus M. PVPIVS Piso, qui consul fuit cum M. Messala: quia dicax esset, delectareturq; iocis scurrilibus: quibus etiam Diogenes increpare solitus esset molles ac delicatos homines, unde Canis nomen ipsi impositum foret. In primo libro 2. Epist. ad Atticũ significauit hoc Cicero scribens: Consul autem ipse paruo animo & prauo, tamẽ cauillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur: facie magis quàm facetiis ridiculus. De eodem in Bruto inquit: Habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis uerbis uersutum & solers, sed sæpè stomachosum, nonnunquam frigidum: interdum etiam facetum. Is laborem quasi cursum forensem diutiùs non tulit, quòd & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac stultitias, quæ deuorandæ nobis sunt, non ferebat, iracundiùsq; respuebat, siue morosè, ut putabatur, siue ingenuo liberoq; fastidio. Victorius lib.22. Var. lect. cap.23.

Sacerdotes.

ARLOTTVS Mainardus, patre notario genitus Florentiæ, anno Sal. 1396. lanificio operam dedit usq; ad 27 ætatis annum. Hinc otij causa presbyterio animum adiecit, & S. Crescentis, sub Fesulana diœcesi, plebanus factus, ut uitæ facilitate omnibus placuit, sic facetiis suis principibus uiris, Antonino archiepiscopo, uiro doctissimo, & mercatoribus Florentinis ad stuporem usq; chariss. fuit: Pontifices, Alfonsus rex Neapolitanus, Edouardus Anglus, Dux Burgundus iocorum nomine ampliss. eum sũt prosecuti muneribus. Pręfuit parochiæ suæ annis LX, eaq; contentus uixit, maiora licèt ultrò oblata respuit. Obiit anno Sal. 1483. Auctor uitæ.

VIGANDVS à Teben, sacrificus, parochus Calenbergæ, eodem ferè tempore in Austria Othoni Iocundo Austriæ duci ob iocos & dicteria ualde gratus fuit. Sepulcrum eius in pago Brugkles, supra oppidum Newen kirchen conspicitur. Lazius lib.2. Geneal. Austriacorum.

Poetæ.

RINTHON Tarentinus poeta, Hilarotragœdiarum inuẽtor, scurra fuit, teste Varrone.

BARABALLVS Caietanus poeta ineptus, Leonis X. Pp. qui scurris & morionibus mirificè delectabatur, scurra fuit, cuius etiam permissu in Capitolio Romæ in poetã laureatũ, imitatione Petrarchæ, coronatus fuit. Iouius in Leone X.

Oratores.

SEX. Clodius Siculus, Latinæ Græcæq; eloquentiæ professor, malè oculatus & dicax, M. Antonio Triumuiro amicissimus extitit, & ab eo dicacitatis causa ingenti cõgiario donatus. Quod quidem Antonio obiicit Cicero in Philippicis.

Scribæ.

Romanum Bugiale, hoc est mendaciorum ueluti officina quędam, olim à secretariis ROMANIS institutum, iocãdi gratia. Consueueramus enim, inquit Poggius Florentinus, Martini Pontificis usq; tempore quendam eligere in secretiori aula locum, in quo & noua referebãtur, & uariis de rebus, tum laxandi ut plurimùm animi causa, tum seriò quandoq; colloquebamur. Ibi parcebatur nemini in reprehendendis his quæ non probabantur, ab ipso persæpè Pontifice initiũ reprehensionis sumto. Quo fiebat, ut plures eò conuenirẽt, ueriti ne ab eis ordiremur. Erant in eo principes fabulatorũ Razellus Bononiẽsis, Antonius item Luscus, uir admodùm facetus, Cinciusq; Romanus, & ipse iocis deditus.

❧ QVID AGENTES VEL PATIENTES scurriliter se gerant. Dum

❧ SACRA CELEBRANT.

ATHENIS in festo Choum comessantes, in curribus obuios deridebant, & conuitiis incessebant. idem & Lenæis factitabant. Hinc prouerb. Τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα, Sales è plaustro. de iis qui apertè irrident aliquos. Pòst etiam mulieres Atheniensium curribus insidentes, cùm Eleusinem ad magna Initia ibant, aliæ aliis in uia conuitiabantur: hæc enim earum erat consuetudo. Suidas.

TIRYNTHII, cùm philogeli essent, ad oraculum confugere Delphicum, ut hoc uitio liberarentur. Quibus deus respondit, Si Neptuno taurum sacrificantes in mare sine risu iecissent, futurum ut liberarentur. Illi timentes ne frustrarentur incepto, pueros sacris interesse prohibuerunt. Quod cùm quidam nouisset, seq; immiscuisset, hique ipsum propellentes clamarent: Quid timetis, inquit is, nunquid ne ego uictimam uestram subuertam? Qui cùm risissent, reipsa didicerunt, deum significare uoluisse, consuetudinem iam inueteratam curari non posse. Athenæus libro sexto, capite sexto, ex Theophrasto.

ARLOTTVS plebanus Florentinus, Florentinas naues in Angliam comitatus, Londini missa finita, calici sacro aquam infudit, & uolentibus oculos perfricuit (quod genus remedij ea gens contra lippitudines singulare putat esse) illud singulis lingua Italica insusurrans, Beuete meno, che il mal proui faccia. Bibite temperantes, intemperantes pœnam luite. Ex crapula enim, non ex aeris subtilitate id uitij illis contingere coniectabat. Rex Edoardus hominis facetia delectatus, XXX illum coronatis aureis, & uestibus donauit. Auctor uitæ.

❧ CONCIONANTVR.

Plebanum ARLOTTVM concionaturum adolescentes quidam rogabant, ut paucis uerbis uteretur. Ille conscenso suggestu, Hodie dies est, inquit, festus D. Laurentio. Eius uitam superiore anno à me de hoc loco enarratã audiuistis. Cùm interea temporis nihil narratu dignum præstiterit, otio ego uestro abuti nolo. Si qui non interfuerunt concioni anno superiore, ab iis qui interfuerunt doceri possunt. EVNDEM iuuenes quidam uenatum egressuri rogabant, uti sacra uenatoria faceret, hoc est, expeditè & breuiter. Ille facto Introitu, quem uocãt, sensim Missale uoluere cepit & reuoluere. Fastidientibus respondit, Nullam ego missam hic uenatoriã reperio. Eius loco Passionem Domini recitabo, quòd uti illum

illum Iudæi, sic uos miseros persequimini lepores. Itaq; sine sacro discessere. Auctor uitæ.

TRIBVTVM EXIGVNT.

Athenienses M. ANTONIO obuiam profecti, adulandi gratia, Mineruam sibi nubilem esse dixerũt, quam Libero patri (M. Antonio scilicet) despondere uellent. Is arrepta occasione, mille talenta dotis nomine ab adulatoribus exegit. Plutarchus in Antonio.

TRIBVTA DARE NEGANT.

CONSTANTINVS Imp. Copronymi F. Cardamo Bulgarorum principi, per legatos sibi à Romanis tributa pendi postulanti, stercora iumentorum misit, additis literis, Quia senex esset, supersedendum ei esse molestia itineris: nam seipsum ad eum uenturum. Zonaras.

STIPEM PETVNT.

Io. Fernelium Ambianatẽ, regium medicũ, MILITES aliquot in suburbanis Lutetiæ agnitum adeunt, & quando stipendia sibi à rege non persoluerentur, ad uirorum bonorum benignitatem sibi confugiendum esse dicunt, simulque ab eo symbolam in cœnam petunt. Hic cùm ille ne tantillum quidem pecuniæ sibi in promtu adesse causaretur: Ergo diuinã opem implorandam esse, inquiunt: adeoque ad preces secum pro pane quotidiano suscipiendas inuitant. Ille de uita propè desperãs, uel inuit⁹ paret. Absoluta prece, suos singuli loculos promunt, ob delicta inanes esse conqueruntur: Fernelij pietatem acceptiorem superis fore sibi pollicentur. Itaque crumena eius excussa, quæ numis aureis referta erat, duos tantùm, qui quidem in cœnam sufficerent, acceperunt, reliquos restituerunt: id unum adiicientes, Durum telum esse necessitatem, quæ sibi alienę probitatis experiundæ hanc unam, sed parum probatam formulam, reliquisset. hortari quinetiam, uti negotium stipendiarium apud regem urgeret, ne uiris bonis molesti porrò esse cogerentur. Ille non tam pecuniæ quàm ludibrij causa apud Henricum II. de facta sibi iniuria conqueritur. Cæterùm quòd auctores indicare non posset, ridendi causam aulicis præbuit amplissimam. Gul. Aragosij acroama.

CONGIARIVM DANT.

ANTIOCHVS Epiphanes, qui obses fuit apud Romanos, in uiis publicis dicere solebat: Cui fortuna dedit, accipiat. tum argentum proiiciens, abibat. Athen. lib. 10. cap. 12.

CALIGVLA, congregato populo magnam uim auri argentique profudit de superiore loco: quam pleriq; dum colligerent, uulnerati grauiter, mortem obierunt, eo quòd ferramenta quædam cum iis commixta fuerant. Suetonius.

HELIOGABALVS mittebat parasitis per cellarios salaria annua, uasa cum ranis, & scorpiis, & cum serpentibus, & huiusmodi monstris. Claudebat in eiuscemodi uasis infinitum muscarũ numerũ, aues mansuetas eas appellans. Lãpridius.

INSIDIANTVR.

MITHRIDATES Ponti rex & Cappadocum, sororis suæ filio sub simulatione colloquij insidias tendens, gladium abdiderat. Adolescẽs, regio illorum more temporum scrutatorem præmisit: qui dum Mithridati manum in secretiores partes corporis mittit, iocatus ille: Caue, ait, ne aliud telum, quàm quod quæris, inuenias. eoq; modo suspicione detracta, iocis texit insidias. Mirum quòd in eo statu iocari posset, sanguine mox nepotis respergendus.

CAVSAS AGVNT.

Cùm accusatio institueretur à Catone minore in L. Murenam ob ambitum coss. CICERO tunc consul & Murenæ defensor, multum ex Catonis persona Stoicos philosophos & præcepta hæc paradoxa, quæ appellant, irridens atque illudens, risum mouit iudicibus. Ac Catonem, arridentem, aiunt ad astantes dixisse: Dij boni, quàm ridiculum consulem habemus? Plut. in Cicero.

PEREGRINANTVR.

PERSARVM rex iter faciens, ne tædium obreperet, philyriũ gestare solebat, & quo id scinderet, cultellum. Huic operi regiæ manus deditæ erant. Sed hæc φλυαρία potiùs, quàm animi relaxatio dicenda est. Aelianus lib. 14. de Var. hist.

MAGISTRATVM LEGVNT.

APPIVS Claudius Pulcer ingẽti strage ab Adherbale ad Drepanum uictus, iussus à patribus dicere dictatorem, C. Glauciam dixit, ultimæ sortis hominem. Mox magistratu abire coactus, ludos prætextatus spectauit. Polybius eum in iudicio concidisse scribit. Sabel. lib. 9. En. 4.

CONSVLTANT.

PHILIPPVS rex Macedonum, cùm ad T. Q. Flaminij multorumq; Græciæ principum colloquium uenisset, & disceptatio de altissimis rebus esset, ubi suus regniq; sui status uertebatur, dicente Aetolorum prætore Phanea: Quid multis uerbis opus est; inter nos bellum iudicabit. Istud quidem (inquit rex) etiam cæcus uidet: cauillatus in loquentis lippitudinem. Plut. in Flaminio.

AVGVRIA CAPTANT.

APPIVS Claudius Pulcer, Rom. consul, eo die quo ad Drepanum Siciliæ ingenti prælio nauali ab Adherbale Pœnorum duce uictus est, cùm pulli ex cauea emissi tripudium non facissent, eos in mare contemtu religionis abiecit: ludibrio etiam uerborum adhibito, ut biberent, quando esse nollet. Sab. lib. 9. Enneadis 4.

TESTAMENTA CONDVNT.

Exempla quædam ex Tit. Testamenta iniusta, pete: eorum scilicet, qui iamiam morituri anulos suos iis reliquerunt, quos tamen hæredes non instituerunt, sed sola spe hæreditatis ludere uoluerunt.

Horat. lib. 2. Sermonum, Satyra 5. Tiresiam introducit, uaticinã do hæredipetarum auaritiam reprehendentem:

Tempore quo iuuenis, Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure mariq;
Magnus erit: forti nubet procera CORANO
Filia Nasicæ metuentis reddere soldum:
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atq;
Vt legat, orabit. Multum Nasica negatas
Accipiet tandem, & tacitus leget: inuenietq;
Nil sibi legatum, præter plorare, suisq;.

SVPPLICIO AFFICIVNTVR.

QVIDAM iugulãdus à carnifice, se uelle uelut cygneum cantum priùs canere dixit, deinde mori. Cùm ille concessisset, dicteria dicere cœpit. Athenæus libro 14. capite 4. ex Chrysippi libro 5. de Bono.

C. Marius ex Africa cũ exercitu aduectus, Kal. Ian. ipsis, quod anni principium Rom. est, tum cõsulatum denuò iniit, tum triumphum egit, in quo incredibile Romanis spectaculum exhibuit, captiuum IVGVRTHAM, quo uiuo nemo unquã hostes uinci posse sperasset: ita uario erat uir ille & multiplici ingenio, & ad fortunæ uicissitudines uersatili: & ea prœditus audacia, cui multa calliditas esset admista: sed in triumpho ductus, desipere, ut fertur, ac delirare cœpit. Itaque post triumphum in carcerem compactus, ut ei alij quidem uiolenter abrupere tuniculam, alij autem auream inaurem per uim eripere properantes, infimam unà quoque auriculam disciderunt, ipse autem nudus in barathrum pulsus ac deiectus est, stuporis plenus, retectis, ridentis in morem, dentibus, Iupiter, inquit, ut frigidum uestrum balneum est. Plutarchus in Mario.

MORIVNTVR.

Chrysippus inquit libro quinto de Bono & Voluptate: Cùm PANTALEON impostor esset moriturus, utrunque filium separatim accersiuit ac decepit, cùm diceret se soli dicere ubi aurum defodisset: ita ut postea frustra simul excauantes, se deceptos intelligerent. Athenæus libro 14. cap. 4.

SCVRRILITAS SECVNDVM MATERIAM CONSIDERATA. Respectu scilicet

PERSONARVM, ERGA QVAS exercetur. Tum

QVÆ, QVALES. ERGA

Deum.

DAPHIDAS Telmissensis grammaticus, adeò maledicus in omnes, ut nec ipsis diis parceret, Delphos profectus, deridendi causa rogauit deum, Num equum suum reperturus esset? Cumque responsum fuisset, Celeriter esse reperturum: ad uanitatem oraculi coarguẽdam passim iactauit, equum se nec habuisse, nec amisisse. In reditu autem ab Attalo Pergami rege, quem maledictis lacerauerat, comprehensus, & è rupe, cui Equi nomen fuit, præcipitatus, interitu suo ueritatem oraculi comprobauit. Suidas.

Cùm plures religiosi de ætate & operibus Saluatoris nostri, & quomodo post trigesimum annum prædicare cœpisset, colloquerentur: QVIDAM rudis literarum astans, quæsiuit ab eis; Quid primum Iesus fecisset, postquam trigesimum annum excessisset? Cùm alij hæsitarent, alij uaria sentirent. Nescitis, inquit, ille, cum uestra doctrina rem cognitu facilem. Trigesimum primum annum ingressus est, ait. Omnes oborto risu, facetum hominis dictum commendarunt. Gogipanus iocus.

Angelos.

PRESBYTER quidam Mansfeldæ die festo S. Michaelis suggestum conscendens; ut ignorantiæ suæ latebram quæreret, in hæc uerba exorsus est: De angelis, auditores, uerba hodierno die facere oportebat. [redacted] Angelos esse, nostrum est credere: qui quales sint, nec meum est dicere, nec uestrum indagare. Ioannes Agricola in prouerbiis German.

T[illegible]

Simulacra deorum.

Fingebant ueteres artifices simulacra multa deorum, porrectas manus habentia: aliter tamen atq; aliter conformatas: partim enim eorum pateras coronasq; manibus sustinebãt, partim autem uacuas manus ipsas, supinas habebant. Vnde materiæ iocorum cauillationesq; nascebantur. quod enim memoriæ prodidit Cicero in III. libro de Natura deorum, DIONYSIVS ille Siculus tyrãnus, cùm fana expilaret, tolleretq; ea, quæ statuæ deorum in manibus porrectis gerebant, ut tegeret improbitatem suam, dicebat se accipere illa, non auferre: esse enim stultitiam, à quibus bona precemur, ab iis porrigentibus & dantibus, nolle sumere. Econtrà Aristophanes ἐκκλησιαζούσαις hoc argumento quendam induxit, qui alium reuocat à proposito, cùm is statuisset è priuato in publicum uasorum aliquid conferre, ut plebiscito iubebatur: Nullo enim modo id oportere fieri affirmauit: sed potiùs conandum esse semper accipere quàm dare: sequentem instituta & uolũtatem deorum. idq; adeò ipsum intelligi posse, spectatis ipsorum manibus. Quando enim, inquit, uotis ab illis petimus, ut boni aliquid nobis dent, stant eorum simulacra supinam manum porrigentia, ut quę malunt accipere quàm dare.

γνώσῃ δ' ἀπὸ τῶν χειρῶν τε τ' ἀγαλμάτων·
ὅταν γὰρ εὐχώμεθα διδόναι τἀγαθὰ,
ἕστηκεν ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν,
οὐχ ὡς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται.

Victorius lib. 2. Var. lect. cap. 20.

Sacros homines.

CAROLVS Aldobrandus Florentinus ex testamento patrui monachis Minoritis singulis annis duos florenos numerabat inferiarum causa. Iidem administrationem liberandarum è Purgatorio animarũ Iulij III. Pp. indulgentia generali obtinuerant. Hanc cùm ab iisdem quoq; Carolus pro more accepisset, & nomen patrui inscribendum curasset: repetẽtibus illis exacto anno legatum duorum florenorum, illud se deinceps daturum renuit: quòd inferiæ patruo uel inutiles essent, si in inferno foret, uel non necessarię, si in cœlo. Ex Purgatorio certè sese illorum opera eundem eruisse. Io. Bapt. Gellus dialogo 6. Chimæricarum disputationum.

Mortuo Pio II. Alfonsus Borgia Catalanus DOMINICO Capranicæ cardinali prælatus fuit, & Callistus III. dictus. Dominicus domum reuertens è conclaui, obuium habuit in ponte S. Angeli pauperem eleemosynam petẽtem, quòd Catalanorum manus euasisset. Ad eum conuersus, Tu mihi potiùs largire, qui in Catalani manus præter expectationem & meritum inciderim. Hieron. Garimbertus libro 3. de Vitis pontificum.

RAGVETTVS mendicus petax & facetus, ab Archiepiscopo Parisiense stipem petẽs, ubi surdo fabulam se narrare uidit, At benedictionem saltem tuam, inquit, Rom. ecclesiæ cardo mihi imperti. Quam cùm à liberali Cardinale tulisset, statim exclamauit, Dij tibi pro meritis. Nisi minoris obolo benedictionem tuã faceres, nunquã profectò eam mihi cõtulisses.

Duces.

CICERO solebat de Pompeio nimiùm mordaciter iocari his uerbis: Ego quem fugiam habeo, quem sequar non habeo. his horumque similibus hoc unum Pompeius reludebat: Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat. tantam illam loquendi fiduciam Ciceroni non aliunde, quàm ex familiaritate nimia prouenire affirmans. Gallus quidam de Cæsaris exercitu ad Pompeium transfugerat: illi ciuitatem Romanam dederat Pompeius. exclamauit Cicero: O' bellũ hominem, Gallo ciuitatem promittit alienam, nobis nostrã reddere non potest. Plutarchus & Macrobius.

Musicos.

DIONYSIVS citharœdo, qui in spectaculo quodam placebat, cùm magnum præmium ostendisset se daturum, nihil pòst dedit, quasi gratiam illi retulisset: Quandiu enim, infit, oblectasti cantu, tamdiu spe oblectatus es. Plutarchus de Audiendo. & Arist. in Ethicis.

Legatos.

TIBERIVM Cæsarem Capreis Iliensium adiit legatio, consolationis obsequium principi tardiùs quàm superbia illius efflagitaret ferẽs, super mortem Drusi unici filij. Cuius mortis dolorem ille memoriamq; omnem, non tam forti quàm inhumano animo confestim aboleuerat. Itaq; uelut intempestiuis consolatoribus sic illusit: Ego quoq; fortunæ uestrę compatior, quia magnificum ciuem Hectorem perdidistis. Vltra millesimum annum iocandi materiam quæsiuit, animo ferox, actisq; metuendus. Suetonius.

Sobieslaus Boemorũ princeps tributum annuum, iam à triennio per Boleslaum Polonorum principem nõ solutum, per legatos petebat anno 1134. Quibus Boleslaus per ludibrium ita respondit: Se existimasse legatos iccirco ad se missos esse, ut precium referrent alimoniæ, quà plus triennium exul Sobieslaus in Polonia sustentatus fuerit, non autem ut inde quicquam auferrent: cùm antea è Gnesna atq; aliis sacris profanisq; locis tantum abstulerint Boemi, ut in hunc diem illata damna resarciri nequeant. Eo cauillo irritatus Boemus, Silesiam inuasit, tantamq; uastitatem intulit, ut ex trecentis pagis & uicis, ne unus quidem superfuerit integer reliquus. Dubrauius lib. 11.

QVID AGENTES VEL PATIENTES. SCVRRILITAS ERGA

Captiuos.

PIRATÆ Syllanis bellis ciuilibus otium nacti deprędandi mare Mediterraneum, Romanis ciuibus captiuis acerbè illudebant. Cùm enim captiuus quis, ciuem Romanum se esse clamaret, & nomen suum ederet, perculsos se fingentes, trepidabant, femora percutiebant, & genibus eius accidebant, supplicesq;, ut ueniã daret, precabantur. Ille abiectos bona fide & supplices arbitrari. Tum alij calceos ei inducere, alij toga uelare: ne ultrà scilicet ignoraretur. Vbi ad eum modum diu hominem illuserant & deriserant, postremò admotis medio in salo scalis descendere & abire illæsum iubebant. Qui nollet, hunc ipsi præcipitatum demergebant. Plutarchus in Pompeio.

Mendicantes.

DONATELLVS Florentinus, statuarius egregius, homuncio non inurbanus, cùm importunè mendicanti stipem obtulisset, & ille diis acceptam diceret: tunc ipse, Non diis, inquit, sed tuæ importunitati, ne me efflagitando occideres. Pontanus de Liberalitate, cap. 22.

Reos, Sontes, Damnatos.

C. CALIGVLA, equiti Romano tumultuanti per Centurionem denunciauit, ut abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolemæum regem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum exemplum erat: Ei, quem istuc misi, neque boni quicquam neq; mali feceris. Suetonius.

IDEM Prætorium uirum ex secessu Anticyræ, quam ualetudinis causa petierat, propagari sibi commeatum sæpiùs desiderantem, cùm mandasset interimi, adiecit, necessariam esse sanguinis missionem, cui tandiu non profuisset helleborum. Suetonius.

Aegros.

Cùm Hermogenes Tarsensis, rhetor doctiss. supra ætatẽ, anno 24. nulla euidenti causa mente læsus esset, ANTIOCHVS sophistes ita in eum est cauillatus: Ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς, Hermogenes inter pueros senex, inter senes puer. Fuerunt & qui urbanè iocarentur, uerè appellasse Homerum λόγους πτερόεντας, quòd eos ueluti pennas abiecisset Hermogenes. Philostratus. Cælius libro uigesimoprimo, capite 16.

MINACIVS quidam rustico, qui de castanea arbore decidẽs, costam perfregerat, consilium dedit, ne unquam posthac ex arbore caderet: Curaret, ne in descensũ celerior esset quàm in ascensũ. Poggius in Facetiis.

Morientes.

BORRA Hispanus scurra, cùm Martino Aragonum & Siciliæ regi Barcellonæ animam agenti assisteret, & is exili uoce diceret, Vnde, domine Borra, qui tandiu abfuisti? ut regem cupidum suauis alloquij, si posset, hilaritate afficeret, more solito, Ego uerò, inquit, è uicina uinea redeo: ubi nescio

nescio qui hinnulum meum per caudam ad ficum suspenderant, quasi ficos furto edisset, qui nondum maturi sunt. Ad hanc facetam uocem rex cùm arrisisset, mox animam celeriùs agere cœpit. Valla lib. 2. Historiarum.

Mortuos.

PHILIPPVS Macedo recenti exultans uictoria ad Chæroneam de Græcis parta, & uino grauis, cadaueribus insultans, initium cecinit Demosthenis plebisciti, ad pedem attollens uocem & supplodens:

Demosthenes Demosthenis sic censuit
Pæaniensis.

Discussa uerò crapula, cùm magnitudinem secum reputasset propositi periculi, horror eum perstrinxit eloquentiæ & neruorum illius oratoris: qui in diei momento unius aleam ipsum iacere de imperio & uita compulisset. Plutarchus in Demosthene.

FAVO archimimus, in funere Vespasiani Imp. personam eius tulit, uiriq; (ut moris erat) facta & dicta imitatus est. Interrogatis itaq; ab eo procuratoribus exequiarum, Quanti constaret funus? ut audiuit, Sestertiûm centies: exclamauit, Centum sibi sestertia darent, ac se uel in Tyberim proiicerent. Quibus uerbis taxabat Imp. auaritiam, qui indignaretur tãtam impensam in funere suo factam fuisse. Suetonius.

RERVM. SCVRRILITER SVA, uel aliorum

BONA LAVDANDO.

Tranquillus in NERONE, Parricidia, inquit, & cædes à Claudio exorsus est. Cuius necis etsi non auctor, at conscius fuit: neq; dissimulauit, ut qui boletos, in quo cibi genere uenenum is acceperat, quasi deorum cibum, prouerbio Græco collaudare sit solitus. Erasmus in Adagiis.

MALA, VEL

Reprehendendo, Calumniando, Exprobrando, Obijciendo.

ANTISTHENES, quum Platonis superbiam notare cuperet, fortè in pompa equum hinnientem frementemq; aspiciens, ad Platonem uersus, ait: Tu profectò meo iudicio, præclarus fuisses equus. Brusonius lib. 6. cap. 5.

Athenæus in Dipnosophistis, libro 14. cap. 4. refert, quòd TACHVS rex Aegyptiorum huiusmodi scommate tetigerit Agesilaum Lacedæmoniorum regem, cùm ad eum uenisset, suppetias illi laturus in bello, ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτικτεν μῦν: id est, Parturiit mons, Iupiter autem metuit, at ille peperit murem. Erat enim Agesilaus pusillo corpore. Porrò dicto offensus, respondit, φανήσομαί σοι ποτὲ καὶ λέων: id est, Atqui aliquando tibi uidebor leo. Pòst euenit, ut exorta seditione apud Aegyptios, cùm Agesilaus non adesset regi, sed ad Nectenabum transiisset, coactus sit ad Persas fugere.

Stratonicus citharœdus Corinthi peregrinabatur. Hunc cùm ANICVLA quædam fixis oculis intueretur, idq; diu, tandem, Quid, inquit, tibi per deos uis, mater, aut quid me sic continenter intueris? Demiror, inquit illa, si matris uterus te decem menses ferre potuit, cùm ciuitas angatur, unum duntaxat diem te portans. Erasmus in Adagiis, ex Athenæi li. 8.

Cicero Zenonem Epicureum ait ipsum Chrysippum Stoicũ, cum quo magna lis Epicureis erat, nunquam nisi Chesippũ solitum uocare. χέζειν autem est uentrem exonerare. Victorius lib. 24. Var. lect. cap. 19.

Hortante Vespasiano QVENDAM, ut contra se aliquid diceret: Faciam, inquit, cùm uentrem exonerare desieris. Nitenti enim atq; impellenti simillimam faciem habuisse Vespasianum, & scriptores rerũ tradũt, & imago uultus eius, quæ uulgò adhuc aureis uel argenteis æreisq; numismatibus insculpta reperitur, indicat. Petrarcha, ex Suetonio.

Compererat Cæsar Caligula prouincialem quendam in Gallia locupletem ducenta LLS numerasse uocatoribus, ut per fallaciam conuiuio interponeretur: nec tulerat molestè tã magno æstimari honorem cœnę suæ. Huic postero die sedẽti in auctione instrumentorum ueteris aulę misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet: diceretq;, cœnaturũ apud Cæsarem, uocatũ ipsius. Suetonius in Caligula.

In triumphali pompa, quam Galienus ignauissimus Imperator de Persis ducebat, cùm nonnulli in Persico uestitu comparuissent, MIMVS quidam eos studiosiùs contemplans causam rogatus, respondit, Inter hos Persas Galieni se patrem quærere. Galieni ignauiam carpens, qui patrem Valerianum, iam diu apud Persas captiuum, armis ab hoste recipere non curaret, & nunc puerorum more de simulatis Persis triumpharet. Fulgosus lib. 5. cap. 2.

Manuel Comnenus Imp. à Sultano Iconiense magno uictus prælio, cùm in fuga aquam è præterfluente haustam sanguine infectam degustasset & effudisset, inquit: Infeliciter Christianorum sanguinem libaui. Ibi QVIDAM audax & importunus homo, Non nunc, inquit, Imperator, nõ nunc primùm, sed olim & sæpè, & ad ebrietatem usq; Christianorũ sanguinem hausisti, dum pauperes subditos exactionibus uexas & deglubis. Iã cùm nidulos, in quibus signata pecunia erat, à Persis diripi & effundi uideret, Romanos hortatus est, ut impetu in barbaros facto pecuniam illam ipsis potiùs debitam arriperent. Tum rursus ille idem: Vltrò, inquit, ista priùs Romanis danda fuit, non nunc, ubi cum difficultate & sanguine paranda est. Eum tamen conuitiatorem ita æquo animo tulit Imp. ac si surdus esset. Nicetas lib. 6.

Generosa quædam MATRONA Itala, cùm in ostio famosi [redacted] more in Italia nimiùm frequen- [redacted] confecit, & postibus superba a[redacted] lioneus libro 2. Aulici.

ARATOR quidam senex in Germania, cùm episcopum ducemq; Coloniensem, qui i[redacted]atus faciebat, uidisset, magno risu solutus, interroga[redacted] Quæ tanti risus causa es- [redacted] armatum esse, & cum armatis iter facere: & cum in templo esse contingeret, illic ut episcopum agere: maiori etiam cachinno solui arator cœpit. Denuò igitur causam rogatus, dixit: Vellem equidem declarari mihi, cùm mortuum hunc ducem, cuius personam geris, in inferno esse contingет, quò putes episcopum iturum? Fulg. lib. 6. cap. 2.

VNGARI Boemicũ porcum uocabant Imp. Sigismundum. Bonfin. lib. 2. Dec.

Cùm Adrianus VI. Pp. constituisset urbem Romanam reformare, & repurgare à blasphemis, atheis, fœneratoribus, iuuentutis deniq; corruptoribus: ROMANI iuuenes, disciplinam istam ægrè ferentes, Io. Antracinum pontificis medicũ uti ueneficũ scurriliter carpserunt, exornantes postes eiusdẽ sta fronde per intempestam noctem, cum titulo uncialibus literis inscripto, in hæc uerba: Liberatori patriæ S. P. Q. R. Quamuis eo ioculari elogio, non medicus, uti ueneficus aut imperitus, sed maiestas ipsa pontificis, qui salutari censura urbem atq; aulam probrosis uitiis repurgare cogitasset, non obscurè carperetur. Iouius in eius uita.

Confitendo.

Cor. LENTVLVS quum quæstor publicæ pecunię uim haud paruam prodegisset, eoq; nomine plurimum Sylla dictator indignaretur, ab eoq; impensiùs rationes exigeret: progrediens in senatum is negligenter admodum & per contemtum: Rationem (inquit) non reddo, uerùm crus exhibeo, uelut assolent pueri, quum in pilæ lusu aberrarint. Vnde Suræ cognomen accepit. Cæl. lib. 24. cap. 5. A. L.

In Anglia qui extra matrimonium mulieribus commiscentur deprehensi, sacerdotis imperio die festo in processu cleri ac populi adesse iubentur, & retentis femoralibus, nudi ecclesiam circuire, ardentem cereum manu gestantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. MANNVS quidam Florentinus, qui sæpè data pecunia effugisset pœnam, rursus deprehensus subire quàm dare argentum statuit. Die dicta, ad ecclesiam longo pallio tectus uenit, coque in media turba uirorum feminarumque deposito, omni ex parte nudus remansit. Ac indignante sacerdote, & femoralia ut resumeret iubente: Minimè, inquit, gentium. pudenda quæ peccauerunt, pœnam subeant. Aeneas Sylvius libro 1. Comment. in Panormitam.

CÆSAR Borgia Alexandri VI. F. cùm aleæ lusu ad centum millia aureorum amisisset, Sic merentur peccata Germanorum, inquit. Eã enim pecuniã ex tributo sacro cõtra Turcas instituto collectã ferebãt. Auctor uitæ Georgij Fronspergij.

IVLIVS II. reprehensus à familiaribus ob belli studium, An nescitis, inquit, Petrum clauigerum, Paulum ensigerum socios esse, & huius protectores ecclesiæ? Petrũ antecessores nostri, nos Paulum sequemur. Cumque illi dicerent: At Petro Christus iussit, reconderet gladium in uaginam. Promtè respondit, Sic est sanè: uerùm non priùs quàm Malchi auriculam amputasset. Feriemus: & recondemus. Bellum indubitata pax sequetur. Aegidius Corrozetus de Dictis memorabilibus. Fides sit penes auctorem.

Consolando.

Deambulabat Perusinus quidam per uicum cogitabundus ac mœstus. Quem cùm ALTER interrogasset, Quid eum torqueret? Atq; ille respondisset, Se pecuniam debere, quam nequiret exoluere: Vah, inquit, stultè, relinque has cogitationes creditoribus. Poggius in Facetiis.

Excusando.

LYSANDER insectantibus eum aliis, quòd iusiurandum, quod editum ab eo erat Mileti, temerasset: Pueros, respondit, talis, uiros esse sacramentis circumueniendos. Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cùm in extremo III. libro de natura Deorum Cicero DIONYSII, Syracusarum tyranni, scelus atq; impietatem ostenderet, qui furtis turpissimis fanorum contemtum etiam deorum immortalium addebat, & in nefaria re iocabatur, in aliis multis hoc posuit: Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quòd more ueteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum deorum uti se eorum bonitate uelle dicebat. Lusit igitur ille, si Ciceroni credimus, in cognomine, deorum illorum: atque ita furtum improbissimum texit: bonorum enim proprium uidetur esse iuuare mortales. Athenæus, qui in XV libro Δειπνοσοφιστῶν idem cõ memorauit, ac facto illo impio impurissimi hominis ueterem ritum illustrare uoluit, in alio cauillatum ipsum fuisse significat. Cùm enim moris esset, ut in cõuiuiis poculo Boni dæmonis circumlato mensæ tollerentur, narrat Dionysium Aesculapio, in cuius fano res acta est, poculum hoc ipsum propinasse, statimque mensam tolli imperasse, tanquam antiqui moris retinendi studiosus. Antea namque Athenæus recitat Nicostrati comici carmen, in quo moris huius tollendi mensas, epoto poculo Boni dęmonis, mentio fiebat. Victorius lib. 1. Var. lect. cap. 1.

AGATHOCLES Syracusanorum tyrannus de sua erga Corcyrenses crudelitate ridiculam attulit causam: quòd uidelicet maiores ipsorum hospitio Vlyssem excepissent. Cælius libro 6. capite 14. A. L.

Præfuit sua ætate Scipio cognomento Nasica, cum Marco Põpilio collega Reip. censor: qui quum equites cum eodem Pompilio de ciuitatis more censerent, animaduertẽre transeuntem EQVITEM nitidum inprimis, & præpinguem, strigosiori tamen equo, & planè macilento insidentem: qui ab eisdem censoribus interrogatus, Cur ipse cute tam nitida incederet, equo præsertim tã malè habito? ita respondit: Quid miramini tantopere, cùm ego me ipsum curem, Statius uerò libertus equum? Quo responso insolentiore moti censores, & illi equum ademêre, & inter ærarios adscribendum iussêre: addita ad hæc censoria grauiore nota, ne in publicis demandandis magistratibus ius illi esset unquam suffragij ferendi. Egnat. lib. 2. cap. 4.

IVLIA Cæsaris Augusti F. cùm conscij flagitiorum mirarẽtur, quo modo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam uulgò potestatem corporis sui faceret? ait: Nunquam enim nisi naui plena tollo uectorem. Macrob. lib. 2. cap. 5. Saturn.

VESPASIANVS Imp. maximè dicacitatem in deformibus lucris affectabat: ut inuidiam aliqua cauillatione dilueret, transferretq; ad sales. Quendam è charis ministris dispensationem cuidam, quasi fratri, petentem cùm distulisset, ipsum candidatum ad se uocauit: exactaq; pecunia, quantam is cũ suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit. Interpellãti mox ministro: Alium tibi, ait, quære fratrem: hic, quem tuum putas, meus est. Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse, ut adeunti litigatori spacium moramq; præberet, interrogauit, quanti calceasset, pactusq; est lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quòd etiã urinæ uectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitãs Num odore offenderetur? & illo negante, Atqui, inquit, è lotio est. Nunciantibus legatis, decretam ei publicè non mediocris summæ statuam colosseam: iussit ut continuò ponerent, cauam manum ostentans, & paratam basim dicens. Suetonius.

POPVLIA Marci filia mirãti cuidam, Quid esset, quapropter aliæ bestiæ nunquam marem desiderarent, nisi cùm pręgnãtes fieri uellent? respondit, Bestiæ enim sunt. Macrobius lib. 2. Saturn. capite 5.

BVLAS homo Italus fuit. Is cùm Seuerus Imperator uariis bellis occupatus esset, per Italiam sexcentorum latronum manu comparata, prædam agere instituit. Sed tandem comprehensus, & à Papiniano Iurisconsulto Præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium factitasset? respondisse fertur, Et tu cur Præfectus es? Ideoq; placuit eum damnari ad bestias. Dion in Seuero.

Mercator quidam uxorem suam commendans, hoc etiam addebat, nunquam eam uentris crepitum emisisse. Id NOBILIS cui suberat audiens, At intra trimestre nisi crepitus edat innumeros, lauto te cõuiuio pœnæ loco excipiam. Mercatorem postridie rogauit, ut quingentos sibi aureos infra octo dies reddendos mutuo concederet. Assensit ægrè, & pecuniam concessit. Cùm sollicitus diem conuentum expectasset, accessit ad dominum creditam pecuniam poscens. Ille sibi alios quingentos mutuari petiit, omnes se infra mẽsem pollicitus restituturum. Ergo inuitus licèt, tamen ne & de priori mutuo periclitaretur, alios quingentos attulit. Domum reuersus mœstus atque animo æger agebat noctes insomnes. Vigilans ergo sæpiùs audiuit uxorem oppedentẽ. Mense exacto dominus mercatorem ad se uocauit, sciscitans An uxorem crepitantem audisset? Tum ille errorem suum confessus, Toties, inquit, ut uniuersum patrimonium consumturus fuerim, si cœnæ numero pares crepitibus exhibendæ forent. Hoc dicto pecuniæ redditæ, & cœna soluta. Gogipanus iocus.

[illegible]

Dominus SERVO notæ desidiæ, nisi opus faceret assiduè, neq; ulla hora otiosus reperiretur, pœnas graues minabatur. Nequam ille nõ multo pòst ancillam reddit grauidam. In ius uocatus, factum non negauit, sed minas domini ueritum, ne tum quidem, cùm cæteri mortales dormiunt, otiari uoluisse affirmauit. Ergo ancilla dominum conuenit, qui seuera sua cõminatione stolidum seruum ad hoc facinus impulisset. Io. Aurpachius lib. 4. Epist. iurid. 9. iure conuentum putat. Sic enim referente Bartolo in l. si quis mihi bona. §. pater Seio. de acquir. hæred. nobilem quendam Florentinum, cùm famulo suo mandasset, ne unquam domum rediret, quin aliquid noui de inimico suo sibi afferret: & famulus ille heri sui inimicum adortus occidisset, domumque reuersus idipsum ceu rem maximè nouam domino nũciasset, capite plexum fuisse, quòd mandato suo necis occasionem dedisse uideretur.

LOCI, TEMPORIS. TVM

IN GENERE.

Vbi.

MEDICORVM tabernas, id est, pharmacopolia, atque etiã CHIRVRGORVM & TONSORVM officinas, otiosis & garrulis peraccommoda esse loca, indicat Hieronymus: Illi (inquit) uerbositas, attrita frons: cui nundinæ, fora placent, plateæ, ac medicorum tabernæ. Cælius libro 11. capite 1. A. L. Sic Horatianus ille

— Vulteius uacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgabat leuiter ungues.

Theophrastus certè, ut testatur in Sympos. Plutarc. τὰ κουρεῖα ἄοινον μέθην ἐκάλει. id est, Tonstrinas ebrietatem absque uino uocabat: propterea quòd illic desidentes, sermonibus ita temulenti redderentur, ut non aliter effutirent quicquid esset in animo, quàm inter pocula solent ebrij, uoces interdum per temulentiã effutientes, per iugulũ, ut ait Plin. redituras.

Quando. Vtputa

Diebus festis.

Vide Tit. Saltatio scurrilis.

IN SPECIE. V. G. IN

Concione sacra.

Vide suprà, Efficientis locum, dum Concionantur.

Acroasi philosophica, medica.

DIOGENES Cynicus, docente Anaximene rhetore, pernam prætendens, auditores in se conuertit. Indignante illo, Disputationem, inquit, Anaximenis oboli precium dissoluit. Laertius libro 6.

FR. RABELÆSIVS Medicus facetissimus cùm coram collegio Medico Parisiense specimen ingenij ederet, in priuato examine, per iocum interrogatus, si famosus æquè ut fabulosus ille Pantagruel curandus proponeretur, quibus pilulis utendum foret? Vt erat deûm hominumque irrisor, Euãgelicis respondit. & demirantibus cunctis, scilicet Aloes libras centum, subintulit.

Conuiuio.

PARTHIS admittere concubinas post epulas, non improbatur: uxores autem domi abditas, in uirorum conspectum non adducunt. BABYLONIIS autem in conuiuiis à principio, feminarum modestus est habitus: paulatim deinde pudore prophanato, summa uelamenta exuunt: & post epulas ultimis amiculis reuelatis, pudibunda ostendunt, in omnemq; licentiam iocorum & lasciuiarum, pudorem abiiciunt. Alex. lib. 5. cap. 22.

ANTIOCHVS Epiphanes rex, cùm omnes Græcos & alios ad spectaculum conuocasset, ad certamina Antiochena, omnes aureis uasis excepit, croceoq; unguento, & nardino, amaracinoq;, & liliorum. Cumq; eos ad conuiuium uocaret, aliquando mille triclinia, aliquando uerò mille & quingenta sumtuosissimo apparatu replebat. In ingressu consi-

stens alios introducebat, alios iubebat discumbere, ipseq; ministros deducebat, qui portabant fercula. Tum locum circumiens, alibi assidebat, alibi considebat. Mox frustum panis deponens, nunc poculum, exiliebat, surgebat, symposiumq; circuibat, rectus aliquando ab aliis propinationes [redacted] que uelatus in [redacted] in terram deponebatur, quasi [redacted] Symphonia deinde euocantibus [redacted] tripudiabatq; & iocabatur cum mimis, ita ut omnes ipsius puderet. Athenæus libro 10. capite 12. ex Polybij libro 31.

L. [redacted] ulisset se ad conuiuium [redacted] tebat se, mimisq; & saltatoribus tractabilis erat, & aditu promtus atq; deditus. Plut. in Sylla.

CVRTIVS eques Romanus, deliciis diffluens, cùm macrum turdum sumsisset in conuiuio Cæsaris Augusti, interrogauit, An mittere liceret? Respondente principe: Quid ni liceat? ille statim per fenestram misit. Macrobius libro secundo, capite 4. Saturn.

ANAXILAVS candens sulphur in calice nouo prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum uelut defunctorum offudit per iocum conuiuiis. Plinius libro 35. cap. 15.

HELIOGABALVS Imp. uilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosq; resslabat, prandentibus illis, ita ut plerunque sub mensis repentè inuenirentur prandentes. Habuit etiam hanc cōsuetudinem, ut octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cùm capi non possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. Lāpridius. Parasitis in secunda mensa sæpè ceream cœnam, sæpè ligneam, sæpè eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam uel marmoream etiam, uel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur uidenda de diuersa materia, quæ ipse cœnabat, cùm tantùm biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lauarent. Lampridius.

Calamitate.

GRÆCI, irrumpente in Græciā cum multis myriadibus Xerxe Persarum rege, securi spectabant Olympia. Herodotus.

Cùm prima tributi exactio Carthagine fieret post secundū bellum Punicum, & audirentur multæ querelæ, ciuibus longo bello exhaustis, ibi tum HANNIBAL risisse fertur. Ergo ab Hasdrubale Hedo increpitus, quòd in publico malo rideret, cùius ipse causa & origo extitisset: Si ita animus, inquit Hānibal, ut oculi perspici possint, non lætitiæ risum hunc, sed amentiæ esse sentiretis, qui ne sic quidem tam intempestiuus est, quàm uestræ lacrymæ. Tum enim fleuisse oportuit, quum nobis ademtæ sunt naues, interdictum externis bellis. Illo enim uulnere concidimus, quum spolia uictoriç Carthagini detrahebantur, quum inermes relinquebamur inter tot armatas Aphricæ gentes, nemo tunc ingemuit: quàm uereor, ne propediem sentiatis leuissimo in malo uos hodie lacrymasse. Hæc ille, quasi diuinans quæ postea tertio bello Punico euenere, locutus dicitur. Sabel. lib. 5. En. 5.

VOLVMNIVS mimus & SACCVLIO sannio capti à Bruto in campis Philippicis, à scommatibus tamen non abstinebant. Plut. in Bruto.

Post direptam ab Alarico Gotho Romam, HONORIVS Imp. Rauenna egressus, urbe cum pontifice Innocentio repetita, Vicennalia uno anno anticipata peregit, credo, ut mœstam ex accepta calamitate ciuitatem sacro aspectu suo, atq; Augustalis aulæ præsentia, & hilari solennis ludicri lætitia recrearet, atque in spem fortunæ melioris erigeret. Posteaquā uerò Ataulfus, qui Alarico successerat, ducta in uxorem Placidia Honorij sorore, ex fœdere in Galliam Narbonensem discessit: Honorius tanquam exonerata aliquando tandem incumbentium Gothorum mole Italia, Romæ secunda Vicennalia ludorum apparatu magnifico edidit, populo Romano post diuturnas tenebras lucem se tandē aliquam otij ac libertatis aspicere gratulante. Sigonius libro undecimo Imperij occid.

Capta ab Alarico Gotho Roma, ROMANORVM plurimi Carthaginem fugere. Vrbis direptionem plangentibus orientalibus populis, & maximis ciuitatibus in remotissimis terris publicum luctum mœroremq; ducentibus, ipsi theatra securi frequentabant, usque adeò fabulis dediti, ut ne propriis quidem calamitatibus ab iis auerti possent. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 33.

Iudicio.

PTOLEMÆVS Aegypti rex, tesseris ludens, sontes condemnabat. Berenice uxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permisit ut ad finem usq; legerentur: dicens, Nō sic obiter aduertendum esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum, & corporum. His auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neq; postea unquam inter ludendum de capitalibus causis audiuisse. Aelianus libro 14. capite 43. Var. hist.

Apud Horatium in Sermonibus certamen Clazomenij PERSII & REGIS Prænestini in iudicio scurrile coram M. Bruto: ut cùm Rex maledictis ageret, tandem Persius ad Brutum conuersus, in hæc uerba proruperit:

—— Tu qui consuesti tollere reges,
Hunc regem tolle.

Funere.

LVDOVICVS Cortusius Patauinus I. C. qui Repertorium iuris scripsit, ex testamento interdixit suis propinquis lacrymas, addita etiam graui multa, si id facere neglexissent. Quin potiùs acciri iussit musicos, cantores, & citharœdos, & tibicines omnis generis, qui uario concentu unà cum clero funeris pompam partim præirent, partim sequerentur, usque ad quinquaginta: quibus singulis mercedem dimidij aurei numi dandam statuit. Duodecim quoque puellas innuptas, amictas uiridibus pannis, feretrum subire iussit, usque ad templum, ubi sepeliendus esset: quæcunque uellent, carmina alta uoce concinentes, relicta singulis certa pecunia, dotis causa. Sepultus est in æde uetustissima S. Sophiæ, centum funalibus incensis, & uiginti integris dandis uniuerso clero Patauino præeunti, & cum eo omnibus cucullatis, exceptis Eremitanis, quos funeri suo interesse uetuit, ne cucullarum nigredine hilaritatem exequiarum funestarent. Obiit anno salutis 1418. XVI. Calend. Augusti. Bern. Scard. lib. 2. classe 8. Hist. Pat.

Epitaphiis.

ARLOTTVS Plebanus moriens, anno salutis 1483. Florentiæ, in hospitali Presbyterorū ad S. Gallum sepultus est, ubi non multo antè epitaphium tale sibi V. F. C. Hoc sepulcrum Plebanus Arlottus F. F. sibi & omnibus iis, qui illud intrare uolent. Auctor uitæ.

SERGII Poli ludicrum epitaphium Polæ in Istria adhuc extare putatur tale: Viatores, ciues optimi, uel aduenæ, siue bini, siue singuli inceditis, siue turmatim, quod magis erit gratiæ, obfirmate gressum: nec miremini, si moramini aliquantisper. Dicaculus equidem fui, succinctus sermo dari uobis non potest: & iuuat uobiscum esse, ut iuuit semper, & quini ab ore meo pendulos detinere. Saxum hoc uos uocat. Quid inquam? ut uiuus assuetus, prudens, imprudens, mortuus item uos fallo. Nam non uos uocat, quod uacat ore: uerùm is, quoius cinis hîc latet: olim quomodo potuit, nunc hue uos uocari uoluit, ualuitque. Hæc olim suà uoluntas, uolentis uos legere hoc scriptum: uah, quid loquor? imò sculptū. Quam ægrè ueritas adhuc se mecum conciliat? nam neque hîc atramentum, uel papyrus, aut membrana ulla, sed malleolo & celte literatus silex, silēs adhuc quis hîc latet, quod ego efferre & effari gestio. SERGIVS Polensis parasitus, histrio uester festiuissimus, hîc cubo. Hoc unum quidem tandem sponte dictum, uerum est: si quis dubitat, hanc olfaciat humum: olet enim temetum, & florem uini ueteris, quo satis uiuens uixi. At si uixi uitam tam uobis gratam, quàm notam urbi & orbi, non minus munus à uobis impetrem oportet. Adeste mihi, & fauete, edictoque huic uos subscribite, & obsignate. Si quis sibi uesicam onustam senserit, domum suam onus hoc reportet in cloacam. Si uerò festinus fuerit, citerior uel ulterior hoc loco pro religione se euacuet. Qui non paruerit, hæc multa illi esto, teste altero careat. Canes quoque cæsi fustibus & saxis, edictum hoc sentiant. Adfuistis, fauistis, obsignastis, uideo iam uos risum dare. Sitio: hui sentio, dictum uolui esse. Quid hoc est, quòd tam faciliter isthuc procedit ueritas? Hac profectò contagione mei fitrit ipsa, & mihi ipsi supparasitatur, quum ultrò potum inuocata aduenit. Nunc si urbani perhiberi uultis, & ueritati supparasitanti, & arenti meo cineri, cantharo piaculum uinarium festinate: pòst ualete, abite in rem uestram, uiatores optimi, hiis nugis, trufis, ambagibusque meis condonate posthumis.

SCVRRI-

SCVRRILITATIS FORMA PER SE, DVM IOCOS LVDOS INHONESTOS EXERCET, QVO AD VOCEM, SERMONEM.

Colloquendo.

Λέσχη Græcis ptochodochium est, δημόσιον οἴκημα, εἰς λέσχας διατελοῦσι τοῖς πτωχοῖς. Inter mendicos de rebus futilibus & minutis tantùm disputatur. Itaque λογολεσχεῖν nihil est aliud, quàm de rebus inutilibus & fabulosis uerba facere, & nugari. ἀδολεσχία, ὅτι ἄδει τὰς λέσχας, quia delectatur huiusce nugis; ad Scurrilitatem passiuam refertur.

ATHENIENSES mirè delectabātur iis, qui risum dictis aut factis mouere nossent, adeò ut ad hoc in Diomeo, aut Heracleo sexaginta cōuenirēt, qui in ciuitate nominabant Sexaginta uiri, quēadmodū nos dicimus duumuiros, triumuiros, & decemuiros, magistratum significantes: ut si quid ridiculè dictum esset, uulgò ita loquerentur, οἱ ἑξήκοντα τοῦτο εἶπον. id est, Sexaginta uiri hoc dixerunt. aut, ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι. id est, à sexaginta uiris uenio. Athen. lib. 14. Eras.

Obscenis uerbis per iocum utendo.

Hîc Obscenitatem consideramus cum ioco coniunctam, risus excitandi causa. Eandem extra risum, ad Inhumanitatem suo loco retulimus.

Maximinus, qui pòst imperauit, occiso Macrino cum filio suo, ubi Heliogabalum quasi Antonini filium Imperatorē comperit, iam maturæ ætatis ad eum uenit, petiitq;, ut quod auus eius Seuerus iudicij circa se habuerat, & ipse haberet. Sed apud impurum hominem ualere nihil potuit. nam dicitur cum eo iocatus esse HELIOGABALVS turpissimè, dicens: Maximine, XVI & XX & XXX milites diceris aliquando lassasse: potes tricies cum muliere perficere? Tum ille ubi uidit infamem principem sic exosum, à militia discessit: & tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoq; illius famæ accederet, quòd uirum temporis sui fortissimum, & quem alij Herculem, alij Achillem, alij Aiacem uocabant, à suo exercitu dimoueret. Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tantùm honore præditus tribunatus. Capitolinus in Maximinis.

Disputando.

PERICLES Atheniensis, Xanthippum F. sumtuum parsimonia offenderat. Itaq; tum aliis calumniis patrem onerauit, tum etiam ad ludibriū extulit domestica eius oblectamenta & sermones, quos habebat cum sophistis. Nam cū quinquertio equum Epitimius Pharsalius ictu iaculi interemisset imprudens, totum diem cum Protagora patrem triuisse quærendo asserebat, iaculúmne, an qui misisset, an uerò agonothetæ ueriùs auctores habendi eius casus essent. Plutarchus in Pericle.

Aristophanes in Nubibus, Καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ, καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν. PHILOSOPHOS irridens, qui de fumo, hoc est, de rebus nihili, nimium anxiè disputant: Inest autem nō parum comici salis in illis ipsis uerbis ad iocum confictis, λεπτολογεῖν, στενολεσχεῖν: quorum alterum significat de rebus tenuibus ac friuolis disceptare, alterum de meris nugamentis solicitum & anxium torqueri. Quapropter etiam Socratis schiolam φροντιστήριον appellat. Erasmus in prouerb. de Fumo disceptare.

QVINTVS medicus, Marini discipulus, medicus Romanus, percontanti gymnastæ, Quam unctio uim haberet? respondit, Vestis submouendæ. De urinarum pariter coloribus rogatus, Eos ad pictorē pertinere dixit. Sed & alij quidā medici, de calido, frigido, humido, sicco interrogati, Balnearū eā nomina esse, scurriliter dixere. Gal. l. 3. de Tuen. san. c. ult.

Docendo.

GONELLA histrio perfacetus, pollicitus est ob pauculos nummos se quendam Ferrariensem, qui id admodum cupiebat, diuinum esse facturum. Accersito, ut unà secum in lecto cubaret, homine, uentum tacitum uentris in lecto emisit. Ille fœtore offensus, caputq; statim exerens: Crepitum uentris edidisti, inquit. Tum Gonella: Solue numos, nam rectè diuinasti, inquit. Alteri quoq; ut diuinator fieret optanti: Vnica, inquit, pilula te diuinum reddam. Assentienti, pilulā ex stercore confectam in os prębuit. Ille præ fœtore uomitās: Stercus, inquit, sapit quod dedisti. Tum Gonella, Verè diuinasti, ingens, preciū diuinationis poposcit. Gogipanus iocus.

Nunciando falsa.

Cùm cladem illam Athenienses naualem apud Amorgon accepissent: STRATOCLES concionator, homo impurus præuertens nuncios, coronatus per Ceramicum incessit, ac uictoriam nunciauit: tulitq; rogationem, ut eius causa diis immortalibus gratiæ haberentur, atq; uiscerationem populo tributim dedit. Mox adfuêre, qui naufragia pugnæ retulerunt. Vbi hîc ira incensus acciuit cum populus, tumultū subsistens impudenter: Quid tandem, inquit, iniuriæ accepistis, si duos dies transegistis per lætitiā? Plut. in Demetrio.

Laudando.

LEO X. Pontifex, mirus artifex erat hominibus ętate uel professione grauibus ad insaniam impellendis: eoq; genere hominum adeò flagranter oblectabatur, ut laudando & mira eis persuadendo, donandoq;, plures ex stolidis stultissimos & maximè ridiculos efficeret: uti Euangelistæ Tarascono Parmensi ab epistolis honesto seni accidit, qui se repētè nouo studio ac leui persuasione summum esse musicum putabat: huic adeò industriè ac suauiter est adulatus, ut uana inflatus opinione, incredibilia ac ridenda quædam musices præcepta commentaretur: citharœdis enim lacertos obligari, ut quadam intensione neruorum in articulis & digitis argutias firmiùs & clariùs exprimerent: cùm uerò phonascorum chorus induceretur, aulęa detrahi iuberet, ut uoces nudis parietibus illisæ, acutiùs atq; suauiùs resilirent. Quæ omnia ad alendam hominis insaniam probabat Pontifex, quando ipse in ea arte consummatissimus, secum de tonis & chordis, totaq; numerorum proportione disputaret, ac se omnino superari egregia simulatione fateretur. Baraballum quoque Caietanum, qui insulsissimos uersus ab omni uocum ac numerorum enormitate ridendos facere, & palā recitare solebat: seq; alterum Petrarcham in Hetruscis rhythmis esse prædicabat, eò perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum gestādæ laureæ honorem postularit: ac subinde ut insigni pompa in Capitolium duceretur: quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuisse audiuisset. Quum ad famam publici apparatus legatio amicorum & affinium Caietanorū properè in urbem conuolasset, ut hominem à concepto furore deterrerent, acerbissimis uerbis eos repulit, tanquam malignè benignitatem pontificis interpretantes, ac rarissimi honoris immortali gloriæ suæ prorsus inuidentes. Ergo sexagenarius senex honesta ortus familia, proceritate, uultu, & canicie uenerabilis, toga palmata, & lato clauo auro purpuraq; nitenti, cæterisq; triumphi sumtuosis insignibus exornatus, in conuiuium præcinentibus tibiis deducitur, quum de more Pontifex diem festum Cosmæ & Damiano Mediceæ familiæ diuis tutelaribus dedicatum, hilariùs celebraret. Ibi quum diu ad ostentationem absolutæ artis ineptissimè multa carmina decantasset, omnibus iam in ipsa risus compressione defatigatis, ad extremum in area Vaticana despectante Pontifice elephantem ascendit, aurato ephippio superstante triumphali sella instratum. Cæterum inter tympana & tubas, & uoces acclamantis populi, consternata bellua, ultra pontem Hadriani deduci pompa non potuit. Iouius in Leone lib. 4.

Auctoritate Sacrarum literarum abutendo.

Huc Blasphemæ usurpationes Sacrarum literarum, ad iocos & risus plus satis frequente aulicorum quorundam consuetudine translatarum.

Spe uana lactando, Promittendo.

DIONYSIVS citharœdo, qui in spectaculo quodam placebat, cùm magnum præmium ostendisset se daturum, nihil pòst dedit, quasi gratiam illi retulisset. Quandiu enim, infit, oblectasti cantu, tādiu spe oblectatus es. Plut. de Audiendo.

DEMETRIVS Poliorcetes Macedoniæ regno potitus, in eo Macedones plurimum offendit; facta omnibus petendi potestate, quid quisque à se impetratum uellet. Quum ad eam spem magnus supplicantium factus esset concursus, implessetque sinum libellis singulorum desideria significantibus, ubi ad Axij fluminis pontem uenit, quicquid libellorum fuit, patefacto sinu in profluentem deiecit. Affecit ea contumelia mirum in modum populorum animos, & in primis Macedonum. Nemo erat cui non persuasum esset, se non contemtui solùm, sed ludibrio quoque superbissimo regi esse. Plut. in Demetrio.

HISTRIO Bononiæ quidam, se uolaturum è turri, quæ est uersus pontem sancti Raphaelis, miliari ampliùs extra urbem, significauit. Congregato ad diem constitutum omni fermè Bononiensi populo, sole & fame usque ad occasum solis homines ludendo macerauit, dum in turris cacumine

sese ostenderet, alasque quateret uolaturo similis. Post solis tandem occasum, ne nihil actum uideretur, nates populo ostentauit. Gogipanus iocus.

GESTVM, HABITVM CORPORIS.

Vagando, Discurrendo.

Hi propriè Scurræ dicuntur, à Discurrendo.

Affirmat Clearchus, PHILOXENVM priùs lotũ domos circuire solitum fuisse, pueris illum sequentibus, ferentibusq; oleum, uinum, acetum, & alia condimenta, quibus cocta condiret. Cùm Ephesum aliquando nauigasset, tabernamq; obsoniorum uacuam reperisset, causam rei primùm percunctatus est. Cùm uerò omnia in nuptias uendita esse audiuisset, lotus deinde uel non uocatus accessit ad nuptias, atque post epulas cùm Hymenæum cecinisset, omnes magnoperè delectauit: erat autem poeta dithyrambicus. Huic postea dixit sponsus, Et cras, ô Philoxene, hîc cœnabis? Siquidem, inquit, obsonium aliquis non uendet. Athen. lib. 1. cap. 3.

M. ANT. Triumuir Alexandriæ noctu seruili habitu per urbem uagabatur, priuatis domibus illudens. Vnde non tantùm conuitia, sed & uerbera nonnunquam in regiam reportauit. Ob quæ dictus est ab Alexandrinis in Romanos Tragica persona uti, in Alexandrinos Comica. Sab. lib. 8. En. 6.

NERO post crepusculum statim arrepto pileo uel galero, popinas inibat: circumq; uicos uagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes à cœna uerberare, ac repugnantes uulnerare, cloacisq; demergere assueuerat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintana domi constituta, ubi partæ, & ad licitationem diuidendæ prædæ precium assumeretur. Ac sæpè in eiusmodi rixis oculorum & uitæ periculum adiit, à quodam laticlauio, cuius uxorem attrectauerat, propè ad necem cæsus. Quare nunquam postea se publico illud horæ sine Tribunis commisit, procul & occultè subsequentibus. Suetonius.

OTHO Imp. à prima adolescentia prodigus ac procax fuisse dicitur, adeò ut sæpè flagris obiurgaretur à patre. Ferebatur & uagari noctibus solitus: atque inualidum quemque obuiorum uel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare. Suetonius.

Ostendendo per risum

Pudenda.

PVER quidã, dũ Lusitani & Hispani in orbis terrarum diuisione coram delectis iudicibus rem agerent, audiens duos Lusitanos delectos iudices de hoc ipso negotio differẽtes, Vtrum & ipsi ex eorum numero essent, qui orbem terrarum diuiderent? rogauit. Affirmantibus illis, detectis diductisq; natibus, En linea naturalis, inquit, in partes æquales orbem longè certiùs diuidens, quàm imaginaria illa, de qua tantopere contenditis. Petrus Cieza tomo 2. rerũ Indicarũ c. 100.

Digitum.

Vide Affectuum Effecta, Volumine primo.

EXERCITIA. VEL

Ludendo

Alea, Tesseris, Talis.

Auaritiæ crimen plerunq; coniunctum est: nos tamen hic solam ludendi uoluptatem consideramus.

ROMANI milites uestimenta Iesu Christi in quatuor partes diuisere, cuiq; militi partem: super tunica autem inconsutili sortem misere. Mathæi 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan. 19.

PARYSATIS Persarum regina, mater Artaxerxis, aleæ fuit dedita, ita ut cum filio ludens, uno iactu data opera mille Daricos amiserit. Plut. in Artoxerxe.

HEGESILOCHVS tyrannus Rhodius, cùm principatum suũ cum paucis amicorum constituisset, illi in tantum petulantiæ processerunt, ut uel talis luderent inter se de liberis mulieribus, differerentq; inter talorum iactum, quam urbanarum uictus ad uictorem adducere deberet ad coeundum, nullam excipiẽtes excusationem, sed quò pacto posset quis uel persuadendo, uel uim inferendo, sic ducere imperantes. Huiusmodi aleam luserunt & alij ex Rhodiis: at apertissimè id & sæpiùs effecit Hegesilochus ipse. Athen. lib. 10. cap. 15.

Plato Atheniensis, ADOLESCENTEM, quòd lusisset aleam, grauiter increpauit. qui quum dixisset: Sic obiurgas ob rem paruam? At paruum non est, inquit, assuescere. Sensit aleam esse rem perniciosam, & otij sustentaculum. Laertius lib. 3.

Chilon Lacedæmonius, iungendæ societatis causâ CORINTHVM missus, cùm principes ciuitatis in alea occupatos inuenisset, statim infecto negotio rediit: dicens, Nolle se gloriam Spartanorum, tum quidem clarescentem, ea maculare infamia, ut diceretur Spartanos cum aleatoribus societatem iniisse. Platina lib. 1. de Optimo ciue.

Alexander Magnus QVOSDAM ex amicis multauit, quòd in ludo aleç sensisset eos non ludere, sed uelut in re maximè seria uersari, fortunas suas omnes aleæ permittentes arbitrio. Plut. in regum & imperatorum Apoph.

PTOLEMÆVS Aegypti rex, tesseris ludens, sontes condemnabat. Berenice uxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permisit ut ad finem usque legerentur: dicens, non sic obiter aduertendum esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum, & corporum. His auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neque postea unquam inter ludendum de capitalibus causis audiuisse. Aelianus lib. 14. capite 43. Var. hist.

GERMANI olim aleæ adeò studiosi, ut cæteris amissis nouissimo iactu de libertate contenderẽt: uictus uoluntariam seruitutem adibat, & quanquam iuuenis & robustus, ligari se & uendi patiebatur. Sabellicus libro 2. Enneadis 6. & Alex. lib. 3. cap. 21.

LARTES Volumnius Veientium rex, alea ludens, cùm in prospero tesserarum iactu, Occide, exclamasset, & Romanorũ legati fortè interuenissent: satellites errore uocis impulsi, legatos interfecerunt. Val. Max. lib. 9. cap. 9.

VOLANERII scurræ studium ludendi, Horat. lib. 2. Sermonũ satyra 7. persequitur:

> Scurra Volanerius, postquam illi iusta chiragra
> Contudit articulos, qui pro se tolleret atq;
> Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
> Conductum pauit.

MANNIVM Curium accusator eius ad concitandam inuidiam in sipario (id est uelaminis genus) pinxerat omnibus locis, aut in neruo nudum, aut ab amicis redemtum ex alea: hoc agens, ut omnibus persuaderet, quàm is esset perditè deditus aleæ. Hoc crimen ridiculè inficiatus est Mannius. Ergo, inquiens, nũquam uici? Alter intelligi uolebat, Curium assiduè lusisse aleam. Curius eò torsit, quasi infelicitas esset opprobrata. Nõ est uerisimile, qui frequenter ludit tesseris, nunquam uincere. Refert Fabius.

AVGVSTVS Cæsar notatus est ut preciosæ suppellectilis, Corinthiorumq; uasorum præcupidus, & aleæ indulgens. Nã & proscriptionis tempore ad statuam eius adscriptum est:

> Pater argentarius, ego Corinthiarius.

cùm existimaretur, quosdam propter uasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi Epigr. uulgatum est:

> Postquam bis classe uictus naues perdidit,
> Aliquando ut uincat, ludit assiduè aleam.

Hunc tamen rumorem nullo modo expauit: lusitq; simpliciter & palàm oblectamenti causa etiam senex: ac, præterquàm Decembri mense aliis quoq; festis, profestisq; dieb⁹. Ad Tiberium sic scribit: Quinquatrius satis iucũdè egimus. Lusimus per omnes dies, forumq; aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis præter spem paulatim retractus est. Ego perdidi uiginti millia numûm, meo nomine: sed cùm effusè in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerunque. Nam si quas manus remisi cuique exegissem, aut retinuissem quod cuiq; donaui, uicissim uel L millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet. Suetonius.

C. CALIGVLA Rom. Imp. cùm per omnem Galliam diuites expilasset omni pecunia, eandemq; turpiter profudisset, alea ludere cœpit. Verùm cùm pecuniam deesse intelligeret sibi, ob eamque causam Gallos censeri, ac eorum locupletissimos interfici iussisset: ad collusores suos reuersus, ait: Vos quidem, inquit, de paruo drachmarum numero contenditis: at ego collegi aureorum sexagies centena millia. Xiphilinus.

CLAVDIVS Imp. aleæ deditissimus erat. Proinde mortuo id supplicij genus Aeacum imposuisse Seneca in Ludo fingit: ut quemadmodum Sisyphus saxum perpetuò uoluit, ita ipse fugientes semper tesseras captans, alea luderet percusso fritillo. NERO quadrigenis in punctum H-S aleam lusit. DOMITIANVS, quoties otium nactus erat, id in alea consumebat: etiam profestis diebus, & matutinis horis. Suet.

Didius IVLIANVS, Saluij Iuliani Iurisconsulti pronepos, bis consul, ad uitium usq;, iam senex aleæ operam dedit. Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ.

RVFFVS Cyrilli episcopi Hierosolymitani nepos, aleæ deditus fuit, eamq; ob causam inferni cruciatus horrendos perpeti, Cyrillo per uisionem demonstratus fuit. Marul. lib. 6. cap. 14. ex Cyrilli Hierosolymitani epistola.

GERARDO Flandriæ episcopo, qui Scachorum ludo præfuerat, pœnitentiam hanc iniunxit Petrus Damianus, Cardinalis Hostiensis, ut ter Psalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes lauaret, cum totidem numismatum erogatione (nam manibus potissimùm peccarat) adeoq; preciũ quod lucratus fuerat lusu, hoc est, rapinam, uolebat in holocaustum conferri.

[redacted]

MEDIOLANENSIS quidam aleæ supra modum deditus, pecunia exhaustus, cùm domus illi rustica quædam, nec angusta esset, eamq; propter loci solitudinem & soli sterilitatem, in quo sita erat, emere tum nemo uellet: tegulas diuendidit, domumq; miser pluuiis & uentis peruiam reliquit. Paschasius Iustus de Alea lib. 1.

IASON Maynus, Iurecos. postea clarissimus, in iuuẽta aleæ deditissimus fuit, ut & cum hospite decoqueret, & iuris Codicem in membranis scriptum fœneratori dare cogeretur. Iouius in Elogiis.

CASIMIRVS Sendomiriensium dux, alea ludens, à Ioanne Conario, equite Polono, cùm manũ uicisset, alapam accepit. Quem ille non modò absoluit, uerumetiam gratias ipsi egit, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum principe in se admitteret, nẽue se ludo aut alij rei leui ac inhonestæ deinceps daret. Cromerus lib. 6. de rebus Polonicis.

ALEATORES duo Budæ, alter in Dei nomine, alter in nomine diaboli lusẽrãt: quorũ is qui in Dei nomine lusit, pecunias omnes perdidit. Furibundus inde, per cæmiteriũ se proripiens Crucifixi frontem saxo petiit, quod in uulnere hæsit. Lanius uicinus podagricus per quietem surgere ter iussus, & quem primum obuium haberet confodere, expeditè surrexit, & in se ruentem aleatorem cultro lanario interfecit. M. Fritschius in Meteoris.

Quũ MATHIÆ Coruino Vngariæ regi in bello Boemico deessent pecuniæ, uerbis & pollicitationibus alebat exercitũ. Cùm dies distribuendi stipendiũ præstitutus instaret, quem promissis differre ultrà non poterat, præfectis equitum & legatis legionum ad aleæ ludum inuitabatur. Dena milia aureorum ea nocte ex ludo sibi comparauit, quæ, antequam loco moueretur, militibus dedit, & ex aleæ lucro stipendium exoluit. Bonfin. lib. 8. Dec. 4.

IACOBVS de S. Andrea, Patauinus nobilis, cùm Venetias aliquando ueheretur, nec haberet quibus cum alea luderet, ne prorsus otiosus sederet, argenteos atq; aureos numos perinde atq; lapillos è nauis prora in subiectum amnem iactauit, quot quisq; saltus faceret, in summa unda, annumerans. B. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Petrus Damianus, Cardinalis Hostiensis (qui pòst eremita factus est) FLORENTINO episcopo, quòd Scachorum ludo præfuisset, ter Psalterium meditãdo percurrere, ac XII. pauperũ pedes cũ totidẽ numismatũ erogatione & recreatione lauare, pœnitentię loco iussit. Testis ipsemet in Epistol.

HISPANI propter calidiorem temperiem ex omnibus Europeis ad ludendum maximè sunt propensi. Longè lateq; Hispanias lustrãti mihi (inquit Paschasius Iustus lib. 1. de Alea.) sæpè contigit, ut cùm multis locis nihil eorum, quæ ad uictum faciunt, inuenire possem, tamen nunquam castellum aut uicum ullum adeò abiectum & obscurum transire potui, in quo non chartulæ uænirent. Quod quidam in aula Regis, non parui nominis mercator, callidè aduertẽs, à Carolo V. Imp. contendit, nemo ut in Hispaniis integro decennio, præter se, tabellas distrahere posset. Quod cùm beneficij gratiæque caussa obtinuisset, locupletissimus ex eo quæstu factus est.

Cùm in Hispaniis esset Cardinalis Poggius, summi Pont. ad Hispaniarum regem legatus, HISPANORVM multi, qui propter damni magnitudinem, sanctissimo iureiurando iurarant, maximaq; religione se obstrinxerant, nunquam deinceps in alea lusuros esse: nihilominus pòst paulo, contẽta fractaq; fide, & uiolata religione, magna etiam numerata pro diplomate pecunia, transgressi iuramenti & impietatis ueniam petitum à legato uenerunt. Alij, cùm adhuc religione & promisso tenerentur, magno etiam soluto precio, ut iurisiurãdi fidem eis abrogaret, iniuncto pro eo pio munere alio, obtinuerunt. Atq; horum omnium non exiguus fuit numerus. Paschasius Iustus lib. 1. de Alea.

HISPANI quidam cùm ad ludendum in alea cupidè ad amicum uenissent, & tum fortè nullo modo tesseras inuenire possent: quo tamen cupiditatem explerent suam, aleonem conduxere, qui uicino ex loco, semoto tamen, uoce tesserarum iactus, quos uellet, enunciabat (causam uulgò uocãt) & de iisdem illi digitorum micatione sortiebantur. Nec defuere, qui dentibus & superciliis lusisse uisi sunt: ut VENETVS quidam in uxorem suam. Quinetiam inuentus est, qui (quasi parum fuerit, in uita lusisse) testamento [redacted] cauerit, ut ex ossibus suis tesseræ fierent: cute uerò & membranis mensa, alueolus fritillaque, quanta fieri posset diligentia, contegerentur: nimirum, ut quod uiuus libentissimè factitabat, mortuus etiam, quantum posset, obiret. Et MVLTOS quotidie uidemus, qui cùm totam uitam strenuè in alea & chartulis luserint, tum morientes, nihil præter eas, quas inter ludendum uoces & uerba proferre soliti erant, furiose proloqui. Pascasius Iustus lib. 1. de Alea.

BARCHINONÆ, Tarraconensis Hispaniæ metropoli, cùm aliquãdo in magna remigum inopia oborta necessitate triremes parari esset necesse: subiecta ex publico, mediocri sub alea pecunia, ea lege, ut ex duobus, qui illam lucraretur, liber deportaret, qui uerò amitteret, remex maneret: magnus remigũ delectus breui tempore factus est. Paschasius Iustus lib. 1. de Alea.

ALEATORES quidã nõ solùm in fortunas & facultates, sed etiam in libertatem & seipsos ludũt. Quod quidem iis, qui Americam incolunt, Peru uocant, natura calidissimis hominibus, frequenter usuuenire, à multis accepi. Paschasius Iustus lib. 1. de Alea.

VIR inprimis nobilis, amplissima familia natus, cùm quod habebat numorum in alea perdidisset, multa cogitabat, unde pecunias inuenire posset. Inter multa, puerum eo die uicino natum esse, in mentem ueniebat. Itaq; ab amplissimo quodam regulo, qui tum fortè in paternis eius ædibus diuersabatur, ut binas preciosè cęlatas ex argento pateras, ornandis amici natalitijs, sibi cõmodaret, impetrauit. Quibus acceptis, incredibile quàm celeri cursu, miserè subinde cadens, furiis potiùs quàm homini similis, oppigneratis quãta potuit pecunia pateris, ad ludum redierit. Paschasius Iustus de Alea, lib. 1.

Rex Taprobanæ IACOBVM Lupium Siqueirã, Lusitanorum ducem, qui an. 1508. in insulam uenerant, è medio tollere decreuerat, hominibus armatis mercatorum habitu in naues admissis: ut simul atq; fumum in urbe sublatum conspicerent, duces imparatos aggrederentur. Constituto die, Garsia Sousa cùm multo plures, quàm par erat, in nauem suã ingressos animaduerteret, eos omnes abire repugnantes armis eiecit: & ad Siqueiram misit, qui eum admoneret, ne gentem perfidam in nauem suam ingredi permitteret. Siqueira scachorum ludo usque adeò intentus erat, ut nuncij oratione parum moueretur. Nautam tamen unum, malum scandere, & scaphas speculari iussit, an iam mercibus onustæ redirent. Is è carchesio conspexit unum ex Malacensibus, qui in pretoriam nauem admissi fuerant, à Siqueirę tergo sicam distringere: alterum uerò ex aduerso oculis innuere, ne approperaret, nondum enim signum datum: & maximis uocibus Siqueiram, ut uitaret insidias capiti imminentes, inclamauit. Hostes re inopina perculsi, in nauigia sua desilierunt. Osorius lib. 6. rerum Em.

PHILIBERTVS Aurantius, Cæsariani exercitus in obsidione Florentina dux, multo lusu aleç ingentem pecunię uim stipendiis destinatam, gemente Valorio legato pontificis Clementis VII. importunissimè perdidit: & Conradus Hessius, uetus Germanorum dux, & ualde felix aleator, eã fermè totam abstulit; adeò importunè, ut quum Hispani atq; Itali debita stipendia flagitarent, Aurantius pudendis circũuentus difficultatibus, nihil potius atq; expeditius reperiret, quàm ut expressa uel non acerbis conditionibus deditione, ærumnoso bello finem imponeret. Iouius lib. 29. Hist.

Spectaculis. Theorica scurilitas. Spectaculorum immodicum studium.

Cõsule Tit. Prodigalitatis in spectaculis. illic sumtuum, hic nimii studii ratio habetur. Item Scurrilitatis cum Brutis.

Quum post cladem acceptam ad Persas quidam ab Arcadia transfugissent, auxilia pollicentes, producti sunt in conspectum Xerxis. Ibi Persis percontantibus, Quid agerent GRÆCI? respondeꝛũt, Eos celebrare Olympia, ac gymnica equestriaq; certamina spectare. Rursus percontantibus, Quod esset certaminis pręmium? responderũt, Coronã oleaginam. Hic Tritantęchmes, Artabani filius, uersus ad exercitus pręfectũ: Papæ, inquit, Mardoni, in eiusmodi uiros nos incitasti ad pugnandum, qui non pecuniarum gratia certamina agitant, sed uirtutis ac laudis? Ea uox tũ uisa est timida, ut sæpe numerò prudentia habetur pro ignauia. Herod. in Vrania.

GRÆCI adeò Olympiorũ studiosi, ut ne excisa quidẽ à Romanis Corintho intermissi fuerint, sed eorum faciendorum negociũ Sicyoniis commissum. Pausanias in Corinthiacis.

Theoricam pecuniam inuenimus appellari, qua foros nobis & sedilia in spectaculis cõparamus: quia θέα Grecorũ idiomate dicatur spectaculum. Quod hypothesi in Olynthiacas Demosthenis orationes prima Libanius significat. Mo-

ris fuit ATHENIS, ut Respublica duos elargiret obolos, alterum pauperiores comparandis sibi alimentis impendebant, alter theatri architecto erogabatur. Neque enim lapideo utebantur theatro ea tempestate. Propterea Demadem dicere solitum accepimus, Theoricam id genus pecuniam esse democratiæ gluten: & Laconem uirum (sicuti uidetur) rerum haudquaquam imperitum, uehementer falli Athenienses, qui ludis tantum impenderent studij, & quæ in classis exercituumque apparatum forent absumenda, in theatricas erogarent uoluptates. Pericles primus uidetur popularem aucupatus gratiam ex stratioticis theoricos constituisse ciuitatis prouentus, ne iure spectandi tenuiores priuarentur. Cæl. lib. 8. cap. 9. A. L.

ROMANI, quantum ludis & spectaculis delectati fuerint, illud satis indicat, quòd Trebonius auro, alij argento, plerique ebore, Q. Catulus uelis carbasinis, Lentulus Spinter byssino uelo theatrum texerit. Nero Cæsar auri ramēta pro harena strauit. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 16. De hoc ipso Horatius lib. 2. Epist. 1. sic scribit:

> Si foret in terris, rideret Democritus, seu
> Diuersum confusa genus panthera camelo,
> Siue elephas albus uulgi conuerteret ora:
> Spectaret populum ludis attentiùs ipsis,
> Vt sibi præbentem mimo spectacula plura.
> Scriptores autem narrare putaret asello
> Fabellam surdo. Nam quæ peruincere uoces
> Eualuêre sonum, referunt quem nostra theatra?
> Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum.
> Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes,
> Diuitiæq; peregrinæ: quibus oblitus actor
> Cùm stetit in scena, concurrit dextera læuæ.
> Dixit adhuc aliquid? Nil sanè. Quid placet ergo?
> Lana Tarentino uiolas imitata ueneno.

M. ANTONIVS Triumuir ludis & spectaculis deditus fuit in ipso belli apparatu. Plut. in Antonio.

Ad spectacula à Iul. Cæsare edita tantum undiq; confluxit hominū, ut plerið; ADVENÆ aut inter uicos, aut inter uias tabernaculis positis manerent: ac sæpè præ turba elisi exanimatiq; sint plurimi, & in his duo Senatores. Suetonius.

CLAVDIVS Imp. emissurus Fucinum lacum, naumachiam antè commisit. Sed cùm proclamantibus naumachiariis, Aue Imperator, morituri te salutant, respondisset, Auete uos: neque post hanc uocem, quasi uenia data, quisquam dimicare uellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroq; absumeret, tandem è sede sua prosiluit: ac per ambitum lacus, non sine fœda uacillatione discurrens, partim minādo, partim adhortādo ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciēte buccina Tritone argenteo, qui è medio lacu per machinam emerserat. Fecit seculares ludos quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis suis prodat intermissos eos, Augustum multo pòst, diligentissimè annorum ratione subducta in ordinem redegisse. Quare uox præconis irrisa est, inuitātis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cùm superessent adhuc qui spectauerant, & quidam histrionum producti olim, tunc quoq; producerentur. Suetonius.

NERO Cæsar interdiu clàm gestatoria sella delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenij superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cùm ad manus uentum esset, lapidibusq; & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse iecit in populum, atq; etiam prætoris caput consauciauit. Suetonius.

Prodit Dion, DOMITIANVM inter spectacula noctu inferorum fabulas exhibuisse, domo ad id instructa, in qua prorsus omnia uiserentur nigra, excitatis quoque ex pauimento miro ingenio tabernaculis, senatoribus modò equitibusq; sine seruitiis ad spectaculum admissis. Vnicuiq; uerò sepulcralem impegit columnam, nominibus etiamnum adiectis, apposita & lucerna, uti in monumentis assolet. Hinc formosiores pueri atro expicti colore prodibant, mortuorum præferentes imaginem, ac meticulosa ambientes assidentium singulos saltatione, ad uerum omnia implebant, territis omnibus, ne mox iugularentur. Nam & quæ ad cædem maximè spectare uidebantur, proferebat Domitianus. Paulo tamen pòst dimissi cum donis omnes, ex iis quæ in cœna fuerant parata. Cæl. lib. 10. cap. 12. A. L.

ALIPIVS, Tagastensis postea episcopus, D. Augustini amicus summus, in iuuenta (antequam ad Christum conuersus esset) Circensium ludorum spectaculis ad insaniam usq; deditus fuit, à D. tamen Augustino ad meliorem uitam reuocatus. Vide eius uitam sub Titulo Doctorū Ecclesiasticorū.

D. AVGVSTINVS lib. 3. Confessionum capite 2. studium suum theatralium dramatum, quo supra modum iuuenis tenebatur, non modò quia inane, sed & quia ad corrumpendos iuuenum animos plurimum facit, deplorat. Fictis enim hisce fabulis aures mentesque prurientes ueluti scalpi, sed huic frictioni feruorem, tumorem, saniemque uirulentam succedere.

PAVLVS II. pontifex Rom. dies totos aut uoluptati, aut nummis pensitandis, aut [redacted] numismatis, siue gemmis siue imaginibus spectandis tradebat. Volat. lib. 22. Anthrop.

Acroamatis, Scurrilitas Acroamatica, aut … audiendo. Ἀδολεσχία.

Qui rebus friuolis & fabulosis audiendis delectantur, ἀδολεσχεῖν dicuntur. Consule Tit. Scurrarum, quatenus iis delectantur alii. Huc etiam illi, qui laudes suas uel fictas uel ueras, sed nulla modi, temporis atque loci ratione habita, nimis patienter audiunt. De quibus sub loco Simulationis.

Demosthenes & Diogenes AVDITORES oscitantes ludicris excitarunt. Hic quidem sono musico, teste Laertio lib. 6. cap. 2. ille uerò recitatione fabulæ de umbra asini, oratione de Pace.

Posidonius Apameus libro 23. Historiarum, CELTÆ, inquit, uel in bellum proficiscentes conuiuas secum adducunt, quos Parasitos nominat. Hi laudes eorū, in multorum præsentia uirorum, atque ad singulos præsentes priuatim, recensent. Audiuntur ab illis ij, qui Bardi dicuntur: sunt autem poetæ hi, qui laudes cantando percurrunt. Athenæus libro 6. capite 5.

Pila.

De LAVRO Martialis Epigram. lib. 10.

> Nemo noua caluit sic inflammatus amica,
> Flagrauit quanto Laurus amore pilæ.
> Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
> Nunc, postquam desit ludere, prima pila est.

hoc est, homo paruæ æstimationis, uel certè pannosus.

D. AVGVSTINVS lib. 1. Confessionum cap. 9. inter pueritiæ suæ errata enumerat odium literarū, & pilæ lusum, & spectaculorum studium.

Laruis.

Infelix eorum mors fuit, qui in Parisiorum urbe, cùm CAROLO VI. Gallorum rege personati, syluestrium uirorum, totum uillosi corpus, formas sumserant. Regis frater, Aurelianensis dux, accensum funale personatis admouit, ut eos diligentiùs intueretur. Itaque cùm flamma unius uelum, quod tenui lino pice illitum erat, corripuisset, & ignis ob picem repentè sæuiret, ab eo in alios qui propè erant, flamma transiuit, atque ex personatorum numero duobus tum flamma oppressis, uix ab eo periculo eripi rex potuit. Fulgosus libro 9. capite 12. & Aemilius libro 9. Similem exitum GERMANORVM trium Comitum pete ex Tit. Exustorum.

Saltando. Scurrilis saltatio.

Bacchicam saltationem in PONTO & IONIA tantæ fuisse uoluptati gentibus illis, Lucianus scribit, ut statutis temporibus obliti omnium aliorum, desiderent dies totos spectantes Titanas, Corybantas, Satyros, bubulcos. Quod uerò mireris amplius, exercebant id genus nobilissimi quiq; ac ciuitatum maximè principes, ad præcipuam id opinati gloriam spectare. Dicas inde Italicas Carnispriuij debacchationes prorepsisse. Cælius lib. 5. cap. 4. Antiq. lect.

Duris Samins lib. 7. Historiarum scriptum reliquit, Persarum REGEM semel in anno saltare consueuisse, idq; temulentum: quo die sacra Deo suo, quem Mithrum uocabant, faceret. Rectè sanè & saltatio & ebrietas conueniebat regi illi, eo potissimùm die. Vascones enim Mitrum asinum appellant. Ea die tota præterea Asia nulli omnium idem facere fas erat. Scaliger lib. 1. Poetices, cap. 18.

HIPPOCLIDES Atheniensis, procus filiæ Clisthenis Sicyoniorum tyranni, nimiùm scurrilis saltator, saltatione sua matrimonio Agaristiæ excidit. Herod. lib. 6.

PHILIPPVS Macedoniæ rex, recenti exultans uictoria ad Chæroneam de Græcis parta, & uino grauis, cadaueribus insultans, initium cecinit Demosthenis plebiscit, ad pedem attollens uocem & supplodens:

> Demosthenes Demosthenis sic censuit
> Pæaniensis.

Discussa uerò crapula, cùm magnitudinem secum reputasset propositi periculi, horror eum perstrinxit eloquentiæ & neruorum illius oratoris: qui in diei momento unius, aleam ipsum iacere de imperio & uita compulisset. Plutarchus in Demosthene.

C. IVL. Cæsaris ludis, Furius Leptinus stirpe prætoria, & Q. Calpenus senator quondam actorq; causarum, Pyrrhicam saltauerunt. Dion.

C. Cæsar CALIGVLA, Thrax & auriga, idem cantor atq; saltator, batuebat pugnatoriis armis. Aurigabat extructo plurifariam circo. Canendi ac saltandi uoluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quò minùs & tragœdo pronuncianti concineret, & gestum histrionis quasi laudans uel corrigens palàm effingeret. Nec alia de causa uidetur eo die, quo periit, peruigilium indixisse, quàm ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu. Et quondam tres consulares secunda uigilia in palatiū accitos, multaq; & extrema metuentes, super pulpitum collocauit. Deinde repentè magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cætera, natare nesciit. Suetonius.

In pago ditionis Magdeburgensis Colbeca, anno Salutis humanæ MXII. OTHOPERDVS quidam cum quindecim uiris & tribus feminis in cœmeterio D. Magni inter missificandum prophanas cantiones uociferari, & choreas ducere in uigilia Natalis Domini nocturna cepit. Qui cum sociis, propter contumacem perseuerātiam, à presbytero Roberto excommunicatus, totum annum in saltu & cantu ita perseuerauit, ne pluuia, frigus, calor, sitis, fames, lassitudo eos afficeret, neque uestimenta eorum contererentur: sed ad femora usque in terram demersi sunt. Quidam sororem suam ex chorea trahere nisus, brachium ipsi euulsit, quę anno reuoluto cum aliis exspirauit. Reliqui omnes tribus noctibus continuè dormierunt, quorum alij postea obierunt, alij uerò tremore membrorum testimonium rei actæ perhibuerunt. Liberati autem sunt precibus episcoporum, Coloniensis, Moguntini, Hildesheimensis, & aliorum piorum. Vincentius lib. 25. cap. 10. ex Guilermo. Herman. Schedelius, Cranzius in Saxonia, lib. 4. cap. 33. Chronicon Saxoniæ, Nauclerus Vol. 2. Gener. 34.

Cùm Clementis summi pontificis tempore in urbe TRAIECTO iuuenes, puellæ, uiri, feminę, choreas ducerēt in ponte frequentes, sacramentum mysticum deferebatur. Illi cùm in furore pergentes saltarent, repentè fracto ponte ferè CC homines perierunt. Cranzius lib. 8. cap. 39. Metropoleos.

LVDOVICVS Magdeburgensis archiepiscopus, circa annū Christi MCCCLXXVI. ipsis Bacchanalibus choreas instituerat, homo grauis ætate, sed moribus leuissimis. In ipso palatio incendium oritur, nemo illud restinguere, omnes fugere, non secus ac si cœlitus immissa esset flamma, mole quidem exigua, quam uel puer extinxisset, uerùm terrore maxima. Ergo dum per scalas lapideas confertim singuli euadere conantur, Archiepiscopus, ut inanem metū popularium reprimeret, turbæ sese immiscet, cumque nec progredi nec regredi liceret, ruina scalæ, tantam molem nō sustinentis, cum CCC hominibus utriusque sexus in subiectā aream præcipitatus, cum tribus aliis postero die periit, cæteris miraculosè è tanto seruatis periculo. Cranzius lib. 10. cap. 23. Metropoleos.

Aurigando, Equitando.

NERO Cæsar equorum studio uel præcipuè ab ineunte ætate flagrauit: plurimusque illi sermo, quanquam uetaretur, de Circensibus erat. Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius uoluit: positoq; in hortis inter seruitia & sordidam plebem rudimento, uniuersorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent. Aurigauit plurifariam, Olympiis uerò etiam decemiugem: quamuis idipsum in rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, cùm perdurare non posset, destitit ante decursum: nec eo secius coronatus est. Decedens deinde, prouinciam uniuersam Achaiā libertate donauit: simulq; iudices ciuitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia è medio stadio Isthmiorum die sua ipse uoce pronunciauit. Suetonius.

MICHAEL Imp. cùm quodam tempore in curru consedisset, iamq; equi essent carceribus emittendi, nuncius allatus fuit ab Amere Saraceno præfecto, Melitenæ imminere magnum malum. Cùm nuncium protonotarius mœstus Imperatori indicat, simul literas Domestici scholarum exhibens. Tum Imperator toruo uultu: Quomodo, inquit, ausus es sceleste, me tam necessario certamine occupato, istis rebus interturbare? cùm in hoc unum incumberem, ut eum qui medium tenet, in læuam partem auertam, de quo mihi totum hoc certamen est. Cedrenus.

Venando.

Risu dignum, quod de DOMITIANO principe proditum est memoriæ, qui in secreto muscas stilo configebat. Inde iocandi materiam nactus Vibius Crispus aulicorum unus rogatus, an cum principe esset aliquis? Ne musca quidem, respondit. Sabellicus lib. 2. cap. 9. ex Suetonio, & Eutropio lib. 9. capite tertio.

Romani Lacapeni F. natu minimus THEOPHYLACTVS, Tryphone, Cæsariensis patriarchæ dolo dignitate sua exuto, sede Constantinopolitana potitur, annum ætatis decimumsextum uix egressus, & pædagogorum iugo excusso, multa præter decorum fecit. Equi, canes, inprimis ipsi curæ erant. Cùm aliquando inter sacra ei nunciaretur, generosiorem illam, quam præ cęteris amaret, equam pullum enixam esse: properanter diuino peracto officio, uisendi gratia è templo discessit: & uiso pullo, in templum, festum sanctæ passionis Seruatoris peracturus, rediit. Mortis causa ei fuit equitatio: qua cùm audacissimè uteretur, alliso corpore, sanguinem per os reiecit. Vnde cùm biennium ægrotasset, ex aqua intercute obiit, cùm Ecclesiæ annis uiginti tribus præsedisset, anno XII. imperij Constantini, Leonis filij. Zonaras Tomo 3.

LVDOVICVS XI. Gallorum rex, cùm æger uenationi, cui assueuerat, dare operam ampliùs non posset, per conclauia, in quibus morabatur, in mures immittere, catellos solèbat, atque aduersus papiliones auiculis utebatur, pro aquilis, quas nunc falcones appellamus. Fulgosus lib. 8. capite 8. & Egnatius libro, & capite eodem.

Sagittando.

DOMITIANVS sagittandi scientissimus, ut qui centenas uno die sterneret feras, quarum capita ita de industria præfigeret, ut sagittæ utrinque affixæ cornuum speciem præberent procul spectantibus: simul & innocuas sagittas, ad artis ostentationem, per omnia digitorum expansæ manus transmitteret interualla. Sab. lib. 4. Enn. 7.

OFFICIA QVÆVIS ERGA ALIVM, SIC SCVRRILITER, PETVLANTER

Imperant, Cogunt.

HELIOGABALVS iocabatur ita cum seruis, ut eos iuberet millena pondo sibi aranearum deferre, proposito præmio: collegisseq; dicitur decem millia pondo aranearum, dicēs, & hinc intelligendū, quàm magna esset Roma. Lampridius.

Mutuum offerunt.

CANDIÆ dux apud Catalanos, habuit scrinia aureis argenteisq; pro regionum diuersitate numismatis referta, & quidem malleo cuneata, non auaritiæ modò, sed lusus ac contumeliæ gratia. Hospites enim, qui permulti ad eum diuertebant, sciscitabatur, Cuiúsnam generis pecunia indigerēt? Respondentes, eius generis, ut in quam quisq; prouinciam iter haberet, adducebat ad scrinia, & quantum uellent, capere iubebat: frustraq; conantes capere deridebat. Et hos sibi de amicis iocos comparabat, nouo genere dissimulandæ auaritiæ, iactandarumq; opum. Valla lib. 3. Hist.

Osculantur.

RODOLFVS Imp. senio confectus, & tabe correptus, solèbat baronum ac nobiliū principumq; uxores, filias & puellulas, sæpe ad conuiuium uocare, & maritis etiam præsentibus eos exosculari, dicens, Se non posse præsentius inuenire remedium, quo corpus uegetius redderetur, quàm animas uirginum dulces, & suaueolentes. Cuspinianus.

Verberant.

Iniuria qualibet ridicula, nullo alio quàm ludi iociq; nomine instituta, huius est loci, Petulantia Latinis dicta.

ALCIBIADES Hipponico Calliæ patri, cui diuitiæ & nobilitas ingens nomen & opes conciliauerant, inflixit colaphum, nulla ipse quidem incensus ira uel simultate, sed cū per lusum id constituisset cum sodalibus. Ea proteruia per ciuitatem diuulgata, cùm omnes Hipponici iniuria meritò commoueret, lucis principio accessit ad Hipponici ædes, pulsatisq; foribus adiit illum, positaq; ueste corpus ei flagellandum obtulit atq; multandum: qui deposita ira ignouit ei, & postmodum dedit ei nuptui filiam Hippareten. Plutarchus in eius uita.

L. NERATIVS Romanus adolescens, cùm ex lege XII. Tabularum ei qui os hominis liberi depalmasset, multa XXV assium constituta esset, per urbem incedens, obuios sine discrimine depalmabat, seruo comite crumenam assium plenam portante. Gellius.

Affligunt.

HELIOGABALVS Cæsar, parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cū uertigine sub aquas mittebat, rursusq; in summum reuoluebat: eosq; Ixionios amicos uocabat. Lampridius in Heliogabalo.

Ministrant.

Cardinalis de Comitib. cùm ministri abessent, inter prandendum iussit EBERARDVM Lupi, scriptorem Apostolicum

sibi uentum facere. At ille, Nescio id uestro more. Ergo tuo modo facito, Cardinalis inqt. Eberardus elato dextro crure uentris crepitum edidit. Eo pacto se uentulum facere solere, dicens. Poggius in Facetiis.

Subministrant.

HELIOGABALVS sæpè amicos suos cum Aethiopibus aniculis inclusit nocturnis mansionibus, & usq; ad lucem detinuit, cùm pulcerrimas his diceret apparatas. Lampridius.

Mutilant, uel

Caudam.

STRODENSES Angli, D. Thomam Cantuariensem archiepiscopum irritantes, caudam equi, cui insidebat, amputarunt. At postea nutu Dei ita accidit, ut omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar brutorum caudati. Polyd. lib. 13.

Vestimenta.

TONSOR Mathiæ Coruini Hungariæ regis, scurriliter ministris Aragonij Cardinalis, affinis eius, posteriores uestiũ partes mutilarat. Cumq; rogatus causam, ridens eam regi exposuisset: rex ei labra ac nasum desecuit, eaq; in lance deferri iussit. Vt qui referat in maleficio, semper exertis dentibus, etiam cùm fleret, ridere uideretur. Fulgosus lib. 6. c. 3.

Imitantur, Effingunt.

Habitum, Vestitum.

☞ *Huc ex Tit. Inhumanitatis, quo ad Vestitum, quædam.*

Corporis uitia.

SEIANVS in collegam à Tiberio Cæsare ascitus, cùm extolleret se supra Cæsarem, multa in odium atq; contemtũ Tiberij fecit: in cuius contumeliam etiam per caluos homines præbuit spectaculum usq; ad uesperam: erat enim Tiberius caluus. Præterea abeuntibus è theatro, à quinq; millibus puerorum, qui omnes rasi erant, lumina præferri curauit. Dion Nicæus in Tiberio.

PATITVR. IOCOS ET SCOMMATA Aliorum inhonesta ferre.

☞ *Exempla quædam è præcedentibus Titulis desumi possunt. Ipsa alioqui Tolerantia horum, respectu Iræ, ad Indulgentiam: respectu Veritatis, ad Mendacium referri debet. Hîc Iocis solius habetur ratio.*

SCVRRILITATIS FORMA RESPECTV ALIORVM. VEL

ABSQVE CERTAMINE. QVATENVS aliorum

VRBANITATEM RVSTICITATIS NOMINE TRADVCIT.

SCVRRILITATEM VRBANITATIS nomine dignatur, amat, souet, non reprehendit

Histrionum, Morionum, Mimorum.

Theopompus lib. 19. Rerum Philippicarum scribit, regẽ PHILIPPVM adulatores apud se semper habuisse, quibuscum ob bibacitarem scurrilitatemq; multum temporis absumebat, idq; sæpissimè uel cum de summa rerũ consulturet. Hęc de illo Hegesander etiã Delphus narrat, quòd Diomeis in Herculis templo congregatis ridicula dicentibus multũ pecuniæ misit, iussitq; ut ad ipsum ridicula à se dicta singula scripta mitterent. Theopompus lib. 28. Historiarũ: Cùm Philippus, ait, Thessalos prodigos esse cognouisset, atq; omnino intemperantes, eorum conuentus statuit, artibus q; omnibus illis placere studuit. Nã & tripudiabat & lasciuiebat, omniaq; præter modestiam patiebatur. Erat etiam ex natura scurra, singulisq; diebus ebrius, iisq; studiis gaudebat, q ad hoc tendunt, uirisq; facetis appellatis ridicula dicentib. ac facientibus: plures ex Thessalis qui cum illo uersabãtur, congressibus magis capiebat, q largitionibus. His similia faciebat & DIONYSIVS Siculus, sicut Eubulus Comicus in actu eiusdẽ nominis cum tyranno scribit. Athen. lib. 6. c. 6.

Nicolaus lib. 27. Hist. L. Corn. SYLLAM scribit, Romanorum ducem, usqueadeò mimis & morionibus gaudere solitum, cùm iocosa amaret, ut multa telluris iugera illis ex publico concesserit. Testantur illius hilaritatem comœdię Satyricę, quæ ab illo patrio idiomate editę fuerunt. Athen. lib. 6. c. 6. Sex. Clodio Siculo, oratori, ingens congiarium dedisse arguitur in Philippicis à Cic.

ATHIRCO Scotorum rex, primo octennio optimus, pòst auaritissimus, libidinosiss. prodigiosiss. histrio euasit, sic ut lenonibus, saltatoribus atq; mimis stipatus, pudore sublato, fistulis canendo, incederet. H. Boethius lib. 6.

LEO X. Pp. mirè fauit Poggio seni, Poggij historici filio, itęq; Moro nobili, à gulę intemperantia articularibus doloribus distorto, & Brandino equiti, Marianoq; sannioni cucullato, facetissimis helluonibus, & in omni genere propinaliũ deliciarum eruditissimis. Nam inter alia portenta insanientis eorum gulę, lucanicas concisis pauonum pulpis farctas commenti fuerant: quod obsonij genus mox successor Hadrianus VI. uir Batauæ frugalitatis, mirabundus expauit, quium sumtuarias rationes Leonis inspiceret. Verùm festiuissimis eorum facetiis, salsisq; & perurbanis scommatib. magis quã ullis palati lenociniis oblectabatur. Ii certis anni temporibus, quũ genio liberiùs esset indulgendũ, in extrema inferioris mensæ parte ea conditione regnabant, ut cõrumelias, quas citra ualetudinis incõmodũ architriclini & structores inferrẽt, æquissimis animis paterẽtur. Multa enim eorũ palato ac auiditati aliena cibaria, falsa gratissima rerũ specie cõcinnata, uti simias & coruos cœnãtib. ap ponebãt: q tametsi iucũda omnib. ac urbano nobiliq; principe digna erãt, in eo tñ, q augusti Pontificis dignitatẽ susti neret, à scueris & tristib. notabãtur. Iouius in Leone X. li. 4.

Aurigarum.

C. CALIGVLA Cæsar Prasinæ factioni ita addictus & dedi-

tus, ut cœnaret in stabulo assiduè, & maneret. Agitatori Cythico comessatione quadã in apophoretis uicies H. S. contulit. Incitato equo, cuius causa pridie Circẽses, ne inquieta retur, uicinię silentiũ p milites indicere solebat, præter equi le marmoreũ, & præsepè eburneũ, præterq; purpurea tegumẽta, ac monile è gẽmis: domũ etiã, & familiã, & supellectilem dedit, quò lautius nomine eius inuitati acciperẽtur: cõsulatum quoq; tradiţur destinasse. Marcũ Nestorẽ pantomimũ etiã inter spectacula oculabat: ac si quis saltãte eo uel leniter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat. Equiti Romano tumultuãti, p centurionẽ denũciauit, ut abiret sine mora Hostiã, perfeireteq; ad Ptolemæũ regẽ in Mauritaniam codicillos suos. Quorũ exemplũ erat: Ei, quẽ ipse misi, neq; boni quicquam, neq; mali feceris. Suetonius.

Cæsarem VITELLIVM, scribit Suetonius, quosdam deplebe ob id unum, quòd Venetæ factioni clarè maledixerant, interemisse. CARACALLAM in pop. Rom. atrociter desęuisse constat, quòd unum aurigatorem ludibrio habuisset. Plinius in panegyrico ad Traianũ, inter eius quoq; laudes recenset, sub ipso libera esse spectantiũ studia, & securũ fauorem. Vide Plinius lib. 9. epistolarum ad Caluisiũ, & Ammianum Marcellinum lib. 18. & 28.

Nanorum.

Apud SYBARITAS homunculi quidam parui ac Scopei, ut inquit Timon, ob delicias reperiuntur, qui Stilpones ac Metitæi catuli dicuntur, qui illos sequuntur in gymnasia. Athenæus lib. 12. cap. 6.

Puerorum.

TIRYNTHII, cùm philogeli essent, ad oraculum confugere Delphicum, ut hoc uitio liberarentur. Quibus deus respondit, Si Neptuno taurũ sacrificantes in mare sine risu iecissẽt, futurũ ut liberarentur. Illi timentes ne frustrarentur incœpto, pueros sacris interesse prohibuerunt. Quod cùm quidã nouisset, seq; immiscuisset, hiq; ipsum propellentes clamarent: Quid timetis, inquit is, nunquidne ego uictimã uestrã subuertam? Qui cùm risissent, reipsa didicerunt, deum significare uoluisse, consuetudinem iam inueteratam curari non posse. Athen. lib. 6. cap. 6. ex Theophrasto.

Brutorum.

C. Iul. Cæsar cùm PEREGRINOS fortè quosdã uidisset Romæ diuites, qui canum catulos & simiarum in gremio circumferebant, atq; in deliciis habebant: An'ne feminæ, quęsuit, apud eos non pârerent pueros? Sanè quam digna principe admonitione usus apud eos, natiuam qui nobis q; insitam caritatem & indulgentiam effundunt in bestias, hominibus debitam, non bestiis. Plut. in Periclis.

CVM CERTAMINE. SCVRRILLitatis certamina, secundùm

DICTA. RETORQVENDO SCOMmata iacta scurrilter.

Vetula quædam CORINTHIA Stratonicum citharœdũ facetiis. quosuis ridere solitum, cùm intentiùs aspiceret, causam rogauit. Et illa, Demiror, respondit, matrem decem tẽ mensibus gestasse: quem per unum diem auditum urbs nostra fastidire incipit. Athen. lib. 8. c. 7.

Horat. lib. j. satyra 5. SARMENTI scurræ pugnam cum MESSO Ciceno luculenter describens inquit:

—— prior Sarmentus, Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus, & ipse
Messius;

Messius, Accipio: caput & mouet. O tua cornu
Ni foret execto frons (inquit) quid faceres, quum
Mutilus minitaris? At illi fœda cicatrix
Setosam læui frontem turpauerat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larua, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicerius ad hæc: donasset iámne catenam
Ex uoto laribus, quærebat, scriba quòd esset,
Deterius nihilo dominæ ius esse. Rogabat
Denique, quur nunquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamq; pusillo.

Cùm RVPILIVS Rex Prœnestinus, proscript⁹ ab Augusto, ad Brutum in Asiam fugisset: PERSIVS quidã Clazomenius, homo opulentus, litem cum eo habebat. Itaq;

—— in ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterq;.
Persius exponit causam: ridetur ab omni
Conuentu: laudat Brutum, laudatq; cohortem:
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasq; salubres
Appellat comites, excepto Rege: canem illum
Inuisum agricolis sidus uenisse: ruebat
Flumen ut hybernum, fertur quo rara securis.
Tum Prœnestinus salso multumq; fluenti
Expressa arbusto regerit conuitia, durus
Vindemiator & inuictus, cui sæpè uiator
Cessisset, magna compellans uoce cucullum.
At Græcus, postquam est Italo perfusus acero,
Persius exclamat, Per magnos, Brute, deos tẽ
Oro; qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regẽ iugulas? operũ hoc (mihi credẽ) tuorũ est.

Horatius lib. j. Satyra 7.

Venatum VLADISLAVS II. Polonorum princeps, & Petrus Danus, comes Scrinnensis in remotas syluas ierant: ibi totũ diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad uesperum ad focum constructa è cespite mẽsa, cùm se pane & ferina carne, & aqua fontana utcunque refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent, Vladislaus ioco Petrũ appellans: Molliùs, inquit, nunc Petre, uxor tua cum abbate Scrinensi cubat, quàm nos. PETRVS contrà, ut iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus inuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiariùs Christina Vladislai uxor utebatur: ita ut mussitaretur uulgò, eum cum illa clàm cõsueuisse. Tetigit id dictũ principis animum: & domũ reuersus, uxori blandienti rem detexit. Christina mulier scelerata Petrum è medio tollere studens, eum è filiæ nuptiis abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Sic ei liberior cum principe iocus malè cessit. Vixit tamẽ post eam calamitatem Petrus quinque annos. Ferunt nõnulli, ei propter pietatẽ, qua summa erat, uisum & sermonis usum diuinitùs restitutum fuisse. Cromerus lib. 6.

IOANNES Teutonicus, magni nominis olim, patre natus presbytero, eruditionis opinione ad Halberstatẽsem canonicatum, ad quem alioqui non nisi nobiles & loco nati legitimo admittuntur, consecendit: cæterùm quia à collegis ob generis ignobilitatem spernebatur, conuiuio excepit illos splendido: & captata occasione, Vellémne singuli suos uidere patres? interrogauit. Id cùm illi se uehementer cupere dicerent, arte magica umbras excitauit deformes, coqui, stabularij, morionis, rustici personam gestantes, quarum facies in paternis ædibus aliquandò se uidisse fatebantur conuiuæ. Ad extremum, Ioannes suum quoq; patrem excuit, habitu canonici, aqualiculo pingui. Dimissis umbris, Ecciius tandem patrem nobiliorem esse iudicarent: cõuiuas interrogauit. Illi metu territi, pudore suffusi, suas quisq; domos repetiêre: & Ioanni porrò si non natalitij, at uirtutis tũ commendatione claro, molesti esse desiêre. Ioã. Agricola in prouerb. German. Qui quæ uult dicit, quæ non uult audiet.

ADOLESCENS quispiam Florẽtinus deferebat ad Arni fluuium retia quibus lauantur lanę. Huic obuius dicax PVER ridendi illius gratia, Ad quod cum istoc rete pergis aucupium? inquit. Tum ille: Ad exitum lupanaris uado, ut extenso ibi rete capiam matrem tuam. Euestigiò alter: Heus tu, inquit, pulsa locum diligentiùs, nam & ibi quoq; reperies tuam. Duo eodem sale conspersa dicta. Gogipanus iocus.

Naumburgi Thuringiæ Iurecos. quidam auarus chrysoplyten RVSTICVM, grana aliquot auri ex flumine collecta, aurifabro uendentem intuitus, importuna dicacitate homini illudẽs, Quid hoc rei est, inquit, ut tu qui aurum excipis, aurò careas, egò qui aurum non excipio, aurum habeam? Tum rusticus, Disparitatem agnosco, respondit, sed & causam scio. Est tamen in quo te longè superem, quòd in officinam ego meam uentris onus citrà incommodum ullũ egerere liberè possum, cùm tu in tuã sine graui fœtore nequeas. Hac libertate Iureconsulti petulantiam rustici repressit. Ioan. Agricola in prouerb. Germ.

FACTA.

DIOGENI super cœnam quidam obiiciebant ossa, uelut canի, quòd Cynicus esset. Eam contumeliam ille sic pensauit. Accessit propiùs, & iuxta illos stans mingebat, uicissim illis canem agens. Erasmus.

SCVRRILITATIS FRVCTVS

BONVS. Puta

VITÆ CORRECTIO.

Suenonem quendam ex Noruegia oriundum Sueno II. Danorum rex suum sacerdotem fecerat, hominem literarum prorsus ignarum, attamen regi admodum charum. Cuius AEMVLI cùm in precationis formula pro rege dicẽda, ut Deus regem suum Famulum protegat, &c. priores duas literas exculpsissent, ipse uerò, Latini sermonis ignarus, Mulum legisset regem: omnium cum ludibrio & risui exposuerunt. Ea irrisione motus Sueno, regiis sumtibus peregrinatione literaria susceptra, Latinæ linguæ cognitionem tanta felicitate percepit, ut breui suis æmulis non tantùm esset admirationi, sed etiam communibus cleri suffragiis Gulielmo Roschildensi episcopo surrogaretur. Hierosolymam deuotionis causa profectus, in Rhodo obiit. Saxo Grammaticus lib. 11. & 12.

MALVS. Cuiusmodi est

MORS.

Cùm TELESPHORVS unus ex Lysimachi regis primatibus in Arsinoem eius uxorem dicteria in conuiuio aliquando coniecisset, quòd esset ad euomenda mala apta: eum in caueam coniici iussit, ac more feræ circumferri, nutririq; intus, atq; ita mori fecit. Athenæus lib. 14. c. 4.

SOTADES Cretensis poeta, cinædologus fœdissimus, cũ de rege Lysimacho & Ptolemæo Philadelpho multa impudenter scripsisset: à Patroclo Ptolemæi milite plumbeo uasi inclusus, in mare demersus est. Alij in carcere obiisse scribunt, quòd Philadelphum monuisset, ne in sanctam rimam sororis Arsinoes aculeum truderet: id est, ne incestum committeret. Gyraldus dialogo 9. Poet. hist. ex Athenæi lib. 14. cap. 7. & Plutarcho.

THEOCRITVS Chius sophista, regem Macedonũ Antigonum, altero lumine orbum, hoc uitium ei exprobrans, grauiì ira incendit. Siquidem magistrum cocorum Eutropionem, qui in dignitate apud hunc fuerat, misit ad eum, atque adesse iussit ad rationes referendas atq; accipiendas. Hoc cùm detulisset ille ad eum, ãtq; subinde adisset: Satis noui, inquit, uelle te Cyclopi crudum me apponere. exprobrans huic luminis uitium, illi q̃ esset cocus. Ergo caput, inquit, non habebis: sed huius procacitatis linguæ atque insaniæ pœnas exolues. atq; dicta regi annunciauit. Plut. de Instit. liberis. Iam quum quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis, ac spem pollicentibus, quòd omnino clementiam regis experturus esset, quũ ad eius oculos uenisset, respõdit: Ergo impossibilem mihi dicitis spem salutis. Quo uerbo illudebat regi, quòd altero orbatus esset oculo. Macrob. lib. 7. c. 3. & Plut. lib. 2. Conu. quæst. j.

Dionysio Siciliæ tyranno ampliùs scrutante, ubi terrarum exquisitius haberetur æs: respondit sophistes ANTIPHON, ut erat ingenij extemporalis, semperq; in numero, Optimũ se nosse Athenis, ubi erectę starent Harmodij & Aristogitonis statuæ. Fuerant uerò hi tyrannicidæ. Innuebat Antiphõ, esse itidem Dionysium ab eiusmodi hominibus dignũ qui contrucidaretur. Verùm dicacitas tum petulans tum nimia homini malè cessit, ac inter alia cuidens peperit exitium. Cælius lib. 19. cap. 2. Antiq. lect. ex Philostratis Sophistis.

Cùm Tiberius Cæsar ab Augusto legata populo non impleret: & fortè coram eo mortuus ad sepulturam efferretur: MIMVS quidam sublata uoce, mortuo inclamauit: Refer Augusto, nondum pro eius legatis populo Romano satisfactum. Tiberius Mimo pro eius parte satisfecit, postea interfecit, ut Augusto nunciatum iret, iam cepta esse eius legata persolui. Suetonius.

Cùm Vladislaus II. Polonorum princeps, in uenatione ad uesperum usq; pane & ferina carne humi stratis penulis se refecisset, ioco PETRVM Danum comitem Scrinnensem appellãs: Molliùs, inqt, nunc, Petre, uxor tua cum abbate Scrinnensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso (Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegãs) Vladislaus domũ reuersus, uxori blandienti rem detexit. Christina mulier scelerata Petrum è filiæ nuptiis abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcidit. Cromerus lib. 6.

TAVR-

TAVERA quidam Romanus, cùm maximam facultatum suarum partem in alea perdidisset, de ponte se in Tyberim deiecit. Pascasius Iustus lib. 2. de Alea.

Repulsa dignitatis.

P. SCIPIO Nasica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui cõsul Iugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam, è Phrygiis sedibus ad Rom. aras focosque migrantem, excepit, cùm ædilitatem curulem adolescens peteret, manumq; cuiusdã rustico opere duratam, more candidatorum, tenaciùs apprehendisset: ioci gratia interrogauit eum, Num manibus solitus esset ambulare? Quod dictum causam repulsæ Scipioni attulit. Omnes namque rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratã iudicantes, iram suam aduersus contumeliosam eius urbanitatem distrinxerunt. Valerius Maximus lib. 7. cap. 5.

Repulsa coniugij.

Notum est quod refert Herodotus de HIPPOCLIDE, q indecora saltatione excidit à spe nuptiarum, & audiuit, ἀπωρχήσαό γε τὸν γάμον. Erasmus in Adag.

Odium.

Cùm Græcis edixisset Alexander, ut uestes purpureas pararẽt, quò reuersus, sacrum ob uictoriam ex gesto cum barbaris bello relatam faceret: gentibus per capita pecuniam conferentibus: Hactenus, inquit THEOCRITVS sophista, dubius fui, nunc planè scio, purpuream Homeri mortem hanc esse. Quo dicto alienauit Alexandrum. Plutarchus de Instituend. liberis.

Vrbis excidium.

L. Sylla infensus fuit ATHENIENSIBVS ob dicta plus quã ob facta. Quippe probra iaciebant in eum & Metellã, prosilientes in mœnia, & cauillantes,

Mora si spargas farina, talis extat forma Syllæ.
συκάμινον ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.

atq; aliis similibus euomendis nugis accersiuerũt uerborũ rei leuissimæ, ut ait Plato, grauissimum piaculum. Plut. de Garrulitate.

Regni excidium.

Venerat RODVLPHI, Herulorum ex Italia pulsorum regis germanus, negotij causa ad Tantonem regem Longobardorum in Pannoniã, & ab illo perbenignè acceptus erat. Quum peracto negotio iam redire constituisset, à proceribus Longobardis deductus, iter agebat, quâ regis filia demorabatur. Procax puella, quum uideret peregrinum hominem honoris gratia à suis deduci proceribus, misit ex suis qui illum ad colloquium dominæ inuitaret. Ille non grauatus uenit. Salute accepta ac reddita, quum staturam hominis pusillam inter suos petulans puella contemneret, & ille ferociùs militariterq; nescio quid responderet: orta (ut fit) rixa, à multis opprimitur. Herulorum rex, gentis suæ robur & exercitationem in armis sciens, missis ducibus suis, copias illis commisit: ipse alea ludebat. Hominem in specula constituit, qui pugnæ exitum & uictoriam renunciaret: capitis periculum denuncians, si fugientes Herulos significaret. tam sibi certus uidebatur de suorum uictoria. Sed congressi Heruli uincuntur. Speculator exclamat, Væ tibi infelix Herulia. Rex audiens, Quid est? inquit, fugiunt Heruli? At ille, Non hoc ego, sed tu dixisti, rex. Secuti Longobardi uictores, regem oppressere, & gentem ad internecionem cæcidere. Tanto uexillum & galeam Rodulfi deinceps semper in prælio, præferri curauit. Albertus Cranzius libro tertio Daniæ, capite secundo.

Voluminis Decimiquinti Liber III.

De VITIO in Defectu, de RVSTICITATE siue INVRBANITATE.

QVI risum captant aliorum indecorè, Scurriles sunt: si idipsum fiat cum aliorũ quos irrident offensione, Rustici insuper habendi erunt. Huc igitur & Sarcasmi, & Mycterismi acerbi referantur, ratione offensionis: qui delectationis nomine sub Scurrilitatem relati fuere.

RVSTICI, INVRBANI, INSVLSI IN GENERE.

ΑΓΡΙΟΙ, ΣΚΛΗΡΟΙ.

AGLAITADAS Persa, è quo quis ignẽ faciliùs quàm risum excuteret, cùm in contubernio Cyri regis inter uescendũ festiui sermones haberẽtur, q & delectare & prodesse posset, solus hoc genus uoluptatis tetrico uultu aspernabatur, ut neq; ipse ridere uellet, neq; aliorũ iocos ferret, sed ἀλαζόνας siue ostẽtatores eos uocaret, atq; adeò sophismatis quibusdam euincere niteretur, eos de humano genere præclariùs mereri, qui fletũ, quàm qui risum hominib. excitarent. Blandè tamen à Cyro reprehensus fuit. Xenophon lib. 2. Pædiæ.

EVRIPIDES Tragicorum princeps, naturâ tristior ac seuerior fuisse scribitur. Vnde μισογέλως dictus est. Gellius lib. 15. cap. 20. Athenæus tamen lib. 13. Sophocle auctore, eum excusat, quòd in fabulis tantùm hunc præ se animum tulerit; reipsa autem & priuatim talis non fuerit.

PROCOPIVS tyrãnus corpore decoro, statura procera, sed incurua, semper triste aliquid secum uoluens, instar Crassi illius Agelasti, quẽ in uita sua semel risisse Lucilius affirmat. Cuspinianus.

RVSTICITATIS MODVS.

Rusticitas duplex est: Actiua eorum, qui nec dictis nec factis in otio aut negotio hilares esse possunt, aut uolunt: Passiua, qui aliorum iocos, facetias, ludos nec uidere, nec audire sustinent. Vitium τῇ μισανθρωπίᾳ seu Morositati proximum. Illic Familiaritatis, hîc Risus habenda ratio.

NON RIDENDO.

PARMENISCVS Metapontinus & genere & diuitiis cæteros omnes antecellens, uelut Semus lib. 5. Deliadis testatur, cùm in Trophonij lucum descendisset, ac ascẽdisset postea, non ampliùs ridere poterat. Cùm de hac re oraculum percunctaretur, ei responsum fuit:

De

De risu percunctaris me, difficilis uir:
Ipsa tibi mater dabit, hanc uenerare reuersus.

Cùm speraret hic igitur, cùm reuersus esset in patriam, se esse risurum, atq; nihilo amplius rideret, existimans se deceptum esse, fortè uenit in Delum, omniaq; quæ erant in insula admiratus, ad Latonæ imaginem uenit: atq; cùm existimaret, matris Apollinis statuam aliquam esse eximiam, ubi eam ligneam ac deformem uidit, præter opinionem risit, ęgritudineq; liberatus, magnificè deum honoribus decorauit. Athenæus lib. 14. cap. 2.

Clazomenium ANAXAGORAM risisse nunquam aiũt, imò ne risus quidem uestigium omnino ullum prætulisse. Huic quoq; rei inimicatum insiguiter ARISTOXENVM ferũt. Quin & Heraclitum, ὅτι πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ ἔκλαεν: id est, quæ sint in hominum uita, fletu prosequebatur omnia. Cælius lib. 19. cap. 26. A. L.

M. CRASSVS tanto fuit animi rigore, ut semel tantùm in uita riserit. Sidonius:

Tam censorius haud fuit uel ille,
Quem risisse semel ferunt in æuo.

Tam seuero PHILIPPVS iunior Philippi Imp. F. iam inde à quinquennij ętate fuit ingenio, ut nunquam risisse dicatur, auersatusq; sit nonnunquam patrem in publico solutiùs ridentem. Sab. lib. 7. Enn. 7. ex Eutropio, & Sexto Aurelio.

LVCHINVM Vicecomitem, post uaria bella feliciter confecta, cõiuratione suorum ferè oppressum, cùm nepotes quoque ex fratre reos in extremos Batauos relegasset, natura sua subtristem, planeq; seuerum, solito amariorem ac duriorem factum, scriptores tradunt: usque adeò, ut nec in ioco, pallidam semper obducens frontem, ridere sit uisus, ꝙ ad animi ægritudinem articulorum quoque dolores accessissent. Iouius in uita Luchini.

LVDOS TVRBANDO.

In Transpadana Italia, cuius caput Patauium olim fuit, quum omnes ferè Resp. sub Imperatorib. soluto certo censu liberę agerẽt, singuli uici Patauini & VICENTINI circa ueris tẽpora in suis finib. cursu, saltu, lucta sese exercere, & ordine & apparatu ficti certaminis inter se hilariter & amicè cõcurrere solebant. Patauinis signum militare erat draco biceps, Vicentinis asinus. Vicentini Patauinorum uirtute ac numero pressi, indignantes, certamen ludicrum in prælium conuertẽre. Patauini superiores, asini uexillum illis ereptũ Patauium in triumpho duxêre, & semel exacerbatis animis in probrum Vicentinorum in foro medio uiuum asinum suspenderunt. Fœdus tandem ictum his conditionibus: ut Vicentini epulo asini suspendium redimerent. Equos igitur lucanicis onustos miserunt Patauium: quas in frusta sectas Patauini inter se partiti, asinũ de cruce deposuere. Hinc in utramq; gentem prouerb. iocus etiamnum hodie durat: in Vicentinos scilicet, quòd eorum uexillum asinus in furca pepẽderit: in Patauinos uerò, quòd uili lucanicæ frusto deliniti, è furca asinum deposuerint. Bernard. Scardeonus lib. j. classe 2. cap. ult. hist. Pat.

IOCOS, SCOMMATA ALIORUM NON FERENDO.

Exempla quædam huc transferri possunt ex Tit. Vindicta nimia Obtrectationis. Illic Iræ, hîc Hilaritatis habetur ratio.

Exarsit ARCHIPPVS concionator Atheniẽsis, cùm eius gibbum Melanthius irrisisset. Dixit eum Melanthius non propugnasse pro ciuitate, sed procubuisse: ὀ προεστάναι, ἀλλὰ προκεκυφέναι. Plutarchus lib. 2. Quæstionum conuiualium j.

ANTIGONVS Macedoniæ rex, licèt oculi sui amissionem ipse rideret (nã cùm accepisset aliquando supplicem libellum grandibus exaratũ literis: Hæc, inquit, uel cæco clara sunt) Theocritum Chium tamen necauit: quòd, cùm dixisset quispiam, si oculis regis se obtulisset, incolumem fore: Deploratam, inquit, narras salutẽ meam. Idem, & Macrob. lib. 7. c. 3.

Vxorem in Chio ducebat nobilis uir. Rex Hippoclus, cũ sponsa in rheda adduceretur, quòd propinquus sponsi esset, accesserat cura reliquis ad nuptias. Hunc inter pocula & ludos in uehiculum insilientem, non ut ullum probrum inferret, sed quòd ludo uteretur apud eos usitato, necessarij spõsi interfecerunt. Cùm autem CHIIS numinis ira denunciaretur, atq; oraculo iuberentur Hippocli percussores occidi, uniuersi se Hippoclum interemisse professi sunt. Omnes igitur deus, si sceleri sese omnes alligassent, excedere oppido iussit. Ita homicidæ, adiutores, & qui aliquo modo approbauerant facinus, multi sanè homines & opulenti, sedes ceperunt in Leuconia. Plut. de Mul. uin.

GVLIELMVS Conquæstor Angliæ rex, anno MXXCVII. in Normanniam cum ingenti auri põdere profectus, & paucis pòst diebus morbo affectus, cœpit se diutiùs solito continere cubiculo. Quod ubi Philippus Francorum rex, eius æmulus intellexit, per iocum, in eum quòd uentricosus esset, cauillatus esse dicitur: Cubat nunc rex Angliæ Rothomagi, longo quidem puerperio. Hoc scomma mox fama uulgatum, extra iocum Gulielmus accepit, & minaciter ad id respondisse fertur: Cùm ego partu leuatus ad templum me purgatum (sic enim mulieres enixæ faciunt) iero, tunc in Francia mille lucebunt faces. Nec intercesserunt multi dies, cùm Gulielmus paululum confirmatus, igne & ferro finitimorum Francorum agros est crudeliter depopulatus: quod ei inprimis malo fuit, læsis ex saltu equi intestinis, quorum dolore intolerabili haud multò pòst, migrauit è uita, anno ætatis suæ LXXIV, regni XXII. Polyd. lib. 9.

Venatum ierant in remotas syluas VLADISLAVS II. Polonorum princeps, & Petrus Danus, comes Scrinnensis: totumq; diem persequendis feris defatigati, sub uesperã, ad focum constructa è cespite mensa, cùm se pane & ferina carne utcunque refecissent, & humi stratis penulis cubaturi essent, Vladislaus ioco Petrum appellans: Molliùs inqt, nunc, Petre, uxor tua cum abbate Scrinnensi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut iocum ioco retũderet: Fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autẽ is iuuenis ex equestri ordine, quo familiariùs Christina Vladislai uxor utebatur. Tetigit id dictum Principis animum: & domũ reuersus, uxori blandienti rem detexit. Quæ Petrum è medio tollere studens, cum è filij nuptiis abreptum carceri inclusit, oculos effodit, & linguam præcîdit. Cromerus lib. 6.

NON SPECTANDO. SPECTACVLORVM NEGLECTVS.

Antiocheni, cùm læto omnium occursu IVLIANVM Apostatam excepissẽt, ægrè inde tulerunt, eum populo præsente se de theatro subducere, & raro ludos, neque eos toto die spectare: offendit etiam, quòd is precium rerum uenalium plus æquo imminuit. Itaq; acerbis eum quibusdam uocib. carpserunt. Quibus ut gratiam referret, orationem, quę adhuc extat, edidit: qua omnia in eos, ciuitatemq; eorum maledicta collegit. quam Misopogonem appellauit: ridebatur enim ab eis ut barbam ferens hircinam. Sigonius lib. 6. Imperij occidentalis.

RVSTICITATIS FRVCTVS.

ODIVM.

DION Syracusanus, cùm ad nullam se relaxaret hilaritatem atq; ludum, omnibus inuisus fuit. Plut. in Dione.

MORS.

DOMITIANVS Imperator, Domitiam Longinam Aelio Lamiæ marito eripuerat. Ibi cùm Titus adhortatus esset Lamiam, ut alteram duceret uxorem, respondit Aelius: An & tu etiam mihi eam abducere uis, ut frater tuus fecit? Quo ioco irritatus Domitianus, eum occîdit.

VOLVMINIS DECIMIQVINTI FINIS.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Volumen Decimum-
sextum

De IVSTITIA RELIGIOSA.

QVINQVE LIBRIS
pertractans.

EVCEBEΩN ΠΑΙΔΕCCI
ΤΑ ΛΩΙΑ

THEATRI proinde VOLVMEN XVI

in QVINQVE LIBROS tributum

EO CONSILIO VT

I. *IVSTITIAM religiosam uniuersim explicet.*
II. *Cultum DEI persequatur.*
III. *Cultum HOMINVM religiosum expendat.*
IV. *Cultum RERVM SACRARVM enarret.*
V. *CORRECTIONEM Religiosam illustret.*

tam PIETATIS
quàm AMICITIAE Paternæ
susceptori

LODOICO PEREZIO
MARCI F.

THEOD. ZVINGERVS
D D

De IVSTITIA Vniuersim.

VIR optimus, perfectus est philosophus. Philosophus τοι σοφὸς φίλος τε καὶ μιμητὴς. Σοφὸς Deus est solus, quem ethnicorum Theologi Iouem appellarunt. Iouis uxores sunt duæ (teste Hesiodo) per quas generat, suamq; bonitatem mundo impertit. Μῆτις cœlestis tota, & contẽplationis, hoc est, tam theoricæ scientiæ, quàm practicæ prudentiæ mater. Θέμις Cœli Terræq; filia, ipsa nimirum Iustitia, trium filiarum partu nobilis, Εὐνομίης, Δίκης & Εἰρήνης. Eunomie legem, Dice æqualitatem, Irene salutem uniuersi denotat. Studebit igitur uir quoq; bonus, quantum in se est, ex Metidis simul & Themidis fortunato connubio liberos præstantissimos, Dei Opt. Max. imitatione suscipere, uirtutum scilicet actiones honestissimas, pulcerrimas, fructuosissimas. Virtus omnis quoniam honesta, per se expetenda, propter adiunctam utilitatem & uoluptatem magnifacienda. Perficit enim habentem ὡς οἰκεῖον ἀγαθὸν, & iis, quibuscum uersatur, commodat, ὡς ἀγαθὸν ἀλλότριον καὶ κοινωνικόν. De illo hactenus, de hoc in præsentia. Habitũ Δικαιοσύνην uocant, cum Prudentia de principatu inter uirtutes certantem. quandoquidem sine illa ὀρθὸς λόγος, sine hac μεσότης nulla potest esse. quorum tamen utrumq; uirtutis definitionem constituit. IVSTITIA certè quò magis in oculos hominum incurrit, eò admirabilior est & illustrior. Huius Materia duplex est. Altera circa quã iusti homines uersantur: altera, ex qua, siue per quam, ceu organum, iustas actiones administrant perficiuntq;. Illa uoce receptissima Συνάλλαγμα dicitur, quãcunque conuersandi, cõuiuendi, negotiandi rationem inter homines complectens: consentiente utroq;, ἑκούσιον: dissentiente altero, patiente scilicet, qui ad contrahendum uel fraude circumuentus, uel ui coactus est, ἀκούσιον. Hæc uerò omnia ea sui ambitu comprehendit, quæ ab homine in hominem quomodolibet cõferuntur. Ex his Bona quidem, κέρδη, Præmia siue Lucra: Mala uerò, ζημίαι, Pœnæ scilicet dicuntur & Multæ. Porrò Forma Iustitiæ μεσότης est, in eo quod iustum est dando, in eo quod iniustum est auferendo. Hinc duæ species emergunt: Διανεμητικὴ, secundùm proportionem geometricam digna conferens: Διορθωτικὴ, secundùm proportionem arithmeticam indigna & inæqualia corrigens. Quæ quidem μεσότης si ex formula Legis tam scriptæ quàm non scriptæ adhibeatur, Ius νόμιμον: sin ex rectæ Rationis præscripto, Ius ἴσον constituet. Quorum illud Iniustitiæ uniuersali, ius ab iniuria, τὸ μέσον νόμιμον ab ἐσχάτοις παρανόμοις, ex legum auctoritate dirimenti: hoc Iustitiæ particulari, ius ab iniuria, τὸ μέσον ab ἐσχάτοις ἀνίσοις, ex rationis æquitate separanti, nomen dat & esse. Et Vniuersalis quidem, ἣ ὅλη ἀρετὴ uidetur esse, quatenus leges de omni uirtute amplectenda, de omni uitio fugiendo, uel præceptis, uel præmiis & pœnis propositis, in politia simul & œconomia agunt. Particularis uerò μέρος τι τῆς ἀρετῆς, non quid Lex dicat, sed quid in quoq; facto æquale sit uel inæquale, perpendens. Quam formam ij uidentur exprimere uoluisse, qui Fidem

Iustitiæ fundamentum constituêre. Efficientis appellatione complectimur Agentem & Patientem iusta, in distribuendo, corrigendóue, qui σωαλλάτ]οντες dici possunt, impropria licèt, at communißima tamen appellatione. Et utplurimum quidem reipsa distinguuntur, ut quando dantur dignis præmia, aut quando Judex aufert uni, dat alteri: interdum uerò ratione tantùm separantur, ut quando quis semetipsum punit, præmióue afficit. Quam quidem μὴ κυρίαν Iustitiam Peripateticorum princeps contra Platonem esse defendit, illam uerò κυρίαν esse statuit. Vtut sit, Agens iustus esse dicitur, quando uel secundùm leges, uel secundùm æqualitatem, sibiipsi aliisue, suo aliorúmue nomine, publicè, priuatim, politicè, œconomicè, pace belláue id quod decet tribuit. Patiens similiter quicquid religiosa de causa, religiosè: quicquid profana de causa, profanè pati dicitur. Et hinc amplißima illa Iustitiæ diuisio in Religiosam & Profanam emersit: Agente utrobique Homine: Patiente autem uel Deo uel Homine, impropriè etiam Bruto, uel nonnunquam Inanimato. Finis præstantißimus, humanæ conuersationis tam politicæ quàm œconomicæ salus. Quo circa uirtutum omnium regina, si externam uitam spectes, iure censeri debet Iustitia. Hinc liquet, in cogitationibus, conatibus, actionibus bonis, à Iustitia tanquam fonte promanantibus, Rerum habendam esse rationem & Personarum. Personarum tam Agentium quàm Patientium ἀξία siue Dignitas perpendenda, qua quos deceãt, in distribuendo simul & corrigendo. Illic quidẽ Geometrica, ex Fide, ex Merito, ex Officio: hîc uerò Arithmetica, ex Delicto, siue Damno & Lucro. Rerum similiter ἀξία siue Aequiualentia obseruanda, ut quantum quisque meretur boni maliq;, accipiat: in διανομῇ quidem, ne minores maiora, ne maiores minora, sed æquales ferant æqualia: in διορθώσει uerò, ne alij plus, alij minus æquo obtineant, in quouis genere contractuum.

TOMI

TOMI DECIMISEXTI
LIBRORVM
DISPOSITIO.

IVSTITIA mundi uinculum, ſumma cum infimis, media cũ utriſque connectens, conſeruans, concilians: Deorum Honori, Hominum Cõmodo potiſſimùm inſeruit: illa Religioſa, hæc Profana dicitur Iuſtitia. Religioſa dignitate prior & ordine, ab exceſſu Superſtitionis, à defectu Impietatis recedẽs, ad medium quam proximè accedit, in Diſtribuendo ſimul & Corrigẽdo: cùm ipſiſmet Diis, tum aliis, Deorum cauſa, quæ decet, tribuẽs, ex religionis præſcripto. Religionis autem præſcriptũ, propriè τὸ ἴσον intelligimus, quod reuerà tale eſt, quodq; rectæ rationi, hoc eſt, diuinitùs illuſtratæ conſentit. Alterũ uerò τὸ νόμιμον dictum, ad trutinã diuinæ ueritatis expenſum, per ſe iniuſtum eſt, ἐκ σωθήκης tamen, ex cõſenſu & uoluntate certorum hominum, iuſtum uulgò eſſe cenſetur, adeò ut delinquentes, contra Deos ipſos Impij fuiſſe dicantur. Hîc cùm opinionũ iam inde ab omni æuo ſeſe periculoſa afferat diuerſitas, & ut in profanis ſic quoque in ſacris rebus præiudicium ſuum tyrannis exerceat: nos, qui Chriſtiana libertate extra Veritatem nullum Iuſtitiæ locum eſſe ſcimus, inſtituti noſtri memores, uti ea, quæ ſecundùm legem Iuſta ſunt, an ſecundũ rationem quoq; rectam iuſta ſint, expẽdere, Philoſophi Ethici: ſic utrũ ea, quæ ſecundùm legem Religioſa ſunt, ſecundùm auctoritatem quoq; diuinam (à Moſe adumbratam, per Chriſtum opt. max. ore ſimul & opere effigiatam & animatã) religioſa ſint, examinare, Theologi munus eſſe, profitemur, de Deo, de Doctoribus ueris, de Hæreticis, de Magis diſputantis. Et utramq; ſanè conſiderationẽ Theoricorũ habituum propriã facimus, qui ad Veritatẽ ceu finem referimus omnia: Actionem uerò Practicæ Iuſtitiæ cõuenire arbitramur, Boni inprimis, deinde Veri ſtudioſam. Chriſtiana certè religio (cuius anteambulo fuit lex Moſaica) ſola Iuſtitiæ religioſæ nomẽ meretur: cæteræ omnes partim in defectu Impietates, partim in exceſſu Superſtitiones ſunt, & appellari debent. Etſi igitur religioſæ Iuſtitiæ exempla etiam in cæteris cultuũ generibus, & ea quidẽ non minùs illuſtria, reperiũtur: nec minus religionis ſtudiũ in Iudæo, Ethnico, Turco poteſt eſſe, quã in Chriſtiano: in hoc tamen uerius, à reliquis ita differẽs, uti lux à tenebris, uti ueritas à mẽdacio, uti exẽplar à phãtaſmate. Et proinde cũ Theoriæ ueritas Praxeos bonitatẽ animet, confirmet, perficiat: Chriſtiana pietas quoq; ſola bona, iuſta, religioſa cenſeri debet: reliqui cultus omnes partim ut Superſtitioſi, partim ut Impij ad Iniuſtitiam ſunt ablegandi. Per ſe cõſiderati, ob ſtudium religioſum inter Iuſtitiæ exempla cõnumerari ab aliis meruere, non malo conſilio: ſcilicet ut ex falſæ religionis cultu (quam ſibi tamen uerã eſſe perſuadebant) religionis ueræ ſtudium & ardor excitetur & in-

flammetur. Sed à nobis, qui Deo & Beliali nihil commune esse debere ex Sacris discimus, meliore fortasis instituto seorsim tractabũtur. Iam cùm in Christiana quoque religione propter opinionum diuersitatẽ alij aliud pium sanctũq; statuant: Theoriam quidem Veritatis nos Theologis commendabimus: Praxin uerò in uniuersum ad Religiosam Iustitiam referemus: ea tamen moderatione, ut quæ hîc omissa uidebuntur, ex Volumine Ecclesiastico suppleri commodè possint. Nunc ad Dispositionem Librorum.



LIBRI PRIMI TITVLORVM DISPOSITIO.



I. Κτῆσις



Voluminis Decimisexti
Liber I.
De Iustitia Religiosa, siue de Pietate in genere.

FIDES siue Religio Christiana, quatenus rerum inuisibilium certa est persuasio (Persuasionem uoco: nam si scientia esset, non esset fides: Certam addo, ut eam à falsa opinatione distinguam atq; separem) sic ad Metaphysicam pertinere uidetur, & inter theoricas uirtutes connumerari debet. Quatenus uerò nō otiosa aut mortua est fides, sed in opus progreditur, Deū purè & sincerè colit, erga proximū officiosa est, sic ἀλλότριον ἀγαθὸν dici poterit: atq; adeò Iustitiæ Ethicæ pars erit maxima & præcipua. Vt enim humana Iustitia usu & exercitatione perficitur, ita quoq; Fidei operatio assiduam requirit exercitationem: hacq; ratione non ineptè uirtus Ethica appellabitur, τῆς πράξεως ἕνεκα: quæ alioqui respectu τῆς θεωρίας & diuinæ illuminationis, theorica uirtus est.

RELIGIOSAE IUSTITIAE ACQUISITIO. HUC

INVENTORES RELIGIONIS.

Veræ religionis inuentio nulla, utpote quæ Deum solū, hominem nullum, non inuētorem, sed promulgatorem habeat & legislatorem. Sed qui primi hanc reuelationē adeptam cōmunicauere aliis, non magis Inuentores quàm Doctores dici merentur.

Veri Dei religio non aliunde manauit, nisi ab ipso Deo. Etenim Deus, teste Lactantio in libro de Ira Dei, religionis causa nos fecit, ut sibi nos statim geniti iustos & debitos honores haberemus, ipsum solum ueneraremur, ipsum sequeremur, in ipso denique acquiesceremus, uti est in Deuteronomij capite sexto, ita iubente Domino: Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Ex quo, hoc uinculo pietatis obstricti & religati Deo sumus: unde, ut eidem placet, religio nomen accepit. At Cicero in secundo de Natura deorum, à relegando fluxisse opinatur, scribens: Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter tractarent, & tanquam relegerent, hi dicti sunt Religiosi, à relegendo. Polydorus.

INSTAURATORES RELIGIONIS.

Consule Tit. Piorum Principum.

Deos Laban patris sui, & soceri Iacobi, furabatur Rachel fugiens. At IACOBUS tandem domui suæ, & omnibus, qui secum erant, præcepit inquiens: Abiicite deos alienos, qui sunt inter uos, mundamini, & immutate uestimenta uestra. Itaque eos illi cum inauribus, quæ in illorum auribus erāt, dederunt Iacobo: quos ille subter quercum, quæ erat iuxta Sichem, defodit. Gen. 32. & 35.

GEDEON Ioæ F. è tribu Manassis, cū Israelitæ propter idololatriam à Madianitis grauiter premerentur, angeli iussu, decem seruis stipatus, noctu propter oppidanorum metum aram Baalim patris sui diruit, lucum succidit, & aram Domino in eiusdem arcis iugo ritè construens, taurum in ea solido sacrificio concremauit. Manè cùm eum oppidani ad necem postularent, Ioas pater progressus, Si Baal deus est, filium meum ante crastinum manè propter hoc factū Baal ulciscatur, & morte afficiat. Ex quibus uerbis Gedeon tum Ierobaal uocatus est. Maxima inde facinora contra Madianitas gessit. Iudicum 6.

ASA Iudæorum rex, Abiami F. Dauidem abauum suum imitatus, effeminatos omnes è terra sua exegit, idola sustulit: matrem quoque suam Maacham, Absalomi filiam, imperio abdicauit, quoniam Pani sacellū extruxisset: simulacrū ipsum excìdit, & apud torrentē Cedron cremauit. 3. Reg. 15.

Cùm IOIADA pontifex Ioam puerum septennem, qui solus Ochoziæ regis liberis supererat, regem creasset, Baalis ædem diruit, omnesque sacerdotes eius interfecit. 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23.

IEHUS Iosaphati F. cùm Dei iussu regnum Israelitarum occupasset, & omnes de stirpe Achabi peremisset. Baalis quoque sacerdotes astu circūuenit Samariæ. Simulans enim se Baali rem diuinam facturum, omnes sacerdotes in ædem conuocauit, & octoginta percussoribus immissis, in tēplo interfici curauit: idola omnia cremauit, ædem diruit, & in latrinas redegit. 4. Reg. 10.

IOSIAS rex Iudæorū, Ammonis F. anno regni XIIX. ætatis suæ XXVI. cùm animum adiecisset ad templum Iouæ restaurandum & repurgandum, & Helcias pontifex max. librum legis, [illegible]bstruso templi loco repertum, ei misisset legendum, [illegible] suis uestibus, patris sui auiq; Manassis negligentiām detestatus, cōnuocato uniuerso populo, librum prælegi curauit, & religionem ex eo correxit. Idola omnia sustulit, igni cremauit, cinerem in torrentem Cedron abiecit, aras humanis ossibus profanauit: falsos prophetas super aram Bethelensem à Ieroboamo cōstructam mactauit: sacella omnia diruit, apud Iudæos simul, & apud reliquias Israelitarum. 4. Regum 23.

EZECHIAS Iudæorum rex, patri Achazo impio succedens, sacella sustulit, statuas perfregit, lucum succidit, serpentem æneum à Mose in deserto factum (cui ad id temporum Israelitæ adolebant) contriuit, & Nehostan ab ære appellauit. 4. Reg. 18. & 2. Paral. 24. Templū Domini à patre suo Achazo impio clausum lustrari curauit, & Paschæ festū, multo item tēpore intermissum, per omnia Iudæorū atq; etiā Israelitarū oppida indixit Hierosolymis celebrandum. Fecit etiā sacrificia magnifica, qualia à tempore Solomonis facta non fuerant. 2. Par. 29 & 30. & Iosephus lib. 9. Antiq. c. 14.

CHILIANUS cum sociis suis Dolomano & Tholmano, Ducem

Ducem Herbipolensem ad Christum conuerterūt, an. 697. Cæterùm cùm Chilianus Duci suaderet, uti Geilanam, fratris priùs coniugem, dimitteret, ne incestum committeret: immisit illa sicarios, qui Chilianum è medio sustulerunt. Mox uerò Geilana cum sicariis à dæmone correpta, rem omnem euulgauit. Sigebertus.

VORTIMERUS Britannorum rex, pulsis Saxonibus, ad Christi templa restituenda, ad reparandam Ethnicorum crudelitate labefactatam religionem, toto conatu animum intendit. Nam Saxonum feritate Britanniam peruagante, alij Britonum gentis à uera pietate alienati ethnico more malis litabant dæmonibus, alij & multo plures ritum cum auersati, Pelagianam hæresim semel abiuratam denuò sunt amplexi. Vtrique errori uti mederētur, Germanus Altissiodorensis, & Lupus Trecensis, è Gallia Vortimeri regis opera acciti, multos ac pios impendere sudores. Idolorum cultores aut exulare, aut diris pœnis ultima subire coegit. Antistitum conuentum Londini habuit. Pelagianos cōuictos, nisi resipiscerent, flammis exussit. H. Boethius lib. 8.

MAGISTRI, DOCTORES, PROPAGATORES RELIGIONIS,

QUI, PUTA

Christus Dominus.

Primitiæ mortuorum Dominus noster IESUS CHRISTUS ludibria, maledicta, cōuitia, multa horrendaq; supplicia, & ignominiosissimam crucis mortem sustinuit: ut pro quibus ipse uolens ac libens talia patiebatur, eosdem ad patiendas martyrij pœnas suo excitaret exemplo. Iam tum dux inclytissimus milites suos non armis muniuit, sed toleratione confirmauit, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam uerò non possunt occidere: sed eum potiùs timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehenna. Et: Qui perdiderit animam suam, inueniet eam. Et: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Si ergo cōmoriemur (sicut Apostolus inquit) & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.

EIUSDEM erga nos charitas effecit, ut nisi proximos nostros dilexerimus, non iniusti solùm, sed etiam ingrati simus. Si enim Dei filius pro hominibus homo factus est, si formam serui accepit, si mori uoluit: quanta ingratitudo est, nos tantillum gratiæ illi referre nolle, ut eos diligamus quos ipse sic amauit? Profectò indignus est beneficio redētionis, qui communis redemtionis aspernatur consortem: & inter feras belluas computandus, dum ita exuit humanitatem, ut hominem contemnat, quem iuuare conditio, genus, natura, Deus hortantur. Ne malos quidem odisse debemus, sed modis quibus commodiùs fieri potest, ut corrigantur, curare. Marulus, & Sabel. lib. 5. cap. 2.

Legislatores.

MOSES legis scriptæ auctor fuit, seu potiùs Dei opt. max. interpres, ut qui lapideas tabulas Dei digito exaratas ex monte Sina detulit: quas tamen cùm ira commotus fregisset terræ illisas, ipse postea similes confecit: lapideas itidem, ut legis duriciem & austeritatē uel ipsa materia indicaret. Consule Titulum, Prophetarum.

IESUS Christus Dei filius, ipsemet patris λόγος atq; ueritas, ex cœlo descendit, non lapide, sed precioso suo sanguine benignam Euangelij gratiæque legem descripsit, & confirmauit: id denique effecit, quod mysticè uirga sua Moses significauit, quando ex scopulo durissimo aquæ limpidissimæ fontem produxit. Sic enim Christus opt. max. [redacted] in eius rei signum etiam sensibile, sacramenta sua instituit, [redacted]

Sacerdotes, Sacri homines.

Qui publicè & ex professo religionis Doctores extitere, sub Titulo Ecclesiastarum à nobis sunt enumerati, propter habitum theoricum: at huc quoq; transferri possunt, propter religiosum affectum erga cæteros mortales.

Legimus, PETRO Hierosolymis primùm uerba ad populum faciente, die uno tria hominum millia baptizata fuisse, indies quoque credentium creuisse numerū. Sed & alio deinde die quinque millia superioribus addita. Cùm autem Petrus gētiles quoque Domini iugo subiiciendos per uisum cognouisset: Cornelium centurionem, & qui domi cum illo erant, credentes baptizauit. Qui ergo paulo antè una tantùm atque altera prædicatione tam multos conuerterer, idem etiam paucos non contemsit: ita ut neque itineris laborem ab Ioppe Cæsaream usque euocatus, recusaret. Marulus libro 3. cap. 4. ex Actorum 10. capite.

PAULUS Apostolus transire maturauit in Macedoniam, cùm uir Macedo in uisu apparens ei, suppliciter poposcisset, ut eò ueniens ipsos adiuuaret. Marul. lib. 3. c. 4. ex Actor. 16. c.

BASILIUS Cæsareæ Cappadociæ episcopus, in reditu ex Aegypto, ubi sacros quosdam libros conquisierat, in Græcia multos philosophos conuertit. Antiochiæ uerò, quò cum Eubolo præceptore suo uenerat, Libanium Sophistam, & discipulos eius. Recitat ex Amphilochio Vincentius in Speculo, libro decimoquarto, capite septuagesimooctauo. Eiusdem Basilij miraculo quodam Arrianos multos conuersos, scribit Nauclerus Generatione 13.

Quòd Angli opera in primis GREGORII Magni pontificis Christiani sunt facti, causam fuisse tradunt, quòd ita usu uenit, ut mancipia quædam Anglica egregiæ formæ Romam ducta publicè uenderentur. Quæ Gregorius, qui tum erat tantùm Romanus sacerdos, conspicatus, fertur ualde demiratus esse indolem uenustatemque, quam præ se ferebant: ac uir pietatis plenus uehementer illorū uicem doluisse, qui tam præclarum hominū genus ueri Dei esset ignorās. Quocirca ei post pontificatum adeptum nihil antiquius fuit, quàm ut, persuaso Ethelberto Cantiorum rege per Augustinum monachū, Angli populariter in republicæ Christianæ societatem uenirent. Polydorus libro 4.

Eugenium III. per HADRIANUM Anglum Noruegiam (Onuphrius & Sueciam addit) ad religionem traduxisse, testatur Ranulphus libro 7. capite 22. Legatus Romam reuersus, ob rem præclarè gestam post Anastasij obitū pontifex creatus est. Martinus Polonus.

BYRINUS occidentales Saxones ad fidem Christi deduxit. Beda libro tertiò, capite septimo. AUDOMARUS Euangelij luce Taruanenses ab idolorum cultu reduxit. Vincentius libro 23. capite 108. IARUMA episcopus, Sigherum orientalium Saxonum regem cum suo populo apostatam, ad Christi fidem retraxit concione pœnitentiæ. Beda libro tertio, capite trigesimo.

BONIFACIUS Anglus, Germanorum Apostolus, Moguntinus episcopus, Hassos syluas & lucos adorantes, conuertit. Hedio libro sexto, capite 17. historiæ Ecclesiasticæ. & seductores, quos appellabant Dortein, Berter, Camberth, & Vnradt, compescuit. Regino libro secundo, Sigebertus in Chronico, & Cranzius libro 2. capite 10. Ac passim ordinauit alios doctores & episcopos. Hedio libro 6. capite 21. Thuringos armis aggressus, uictis Hungaris, ad fidem traduxit. Et apud Vuismarienses, arborem quam pagani pro Ioue colebant, destruxit. Chronicon Isenacense. Maximam multitudinem Frisiorum conuertit, circiter annum Domini 752. ut testis est Adon Viennensis ætate 6.

De PALLADIO Scotorum episcopo narrat Bergomensis, quòd à Cælestino ad Scotos missus, magnam Occidentis partem ad Christi fidem adduxerit, sub finem Honorij Imperatoris, annum circiter Christi 430.

Prædicatorum collegij uir nominatissimus VINCENTIUS, tantum prædicatione ualuit, ut in Hispania quinque millia Iudæorum ad Christum dicatur conuertisse, in Mauritania octo millia Saracenorum: in urbe quoque Granata docuit infideles, donec à rege eiectus ad suos rediit inuitus. Italiā etiam, Galliamq; prædicādo peragrauit: nec labore uictus, nec periculo deterritus, dum ad æternæ salutis beatitudinem adipiscendam omnes inuitat. illud in Psalmo prophetæ promissum implens: Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Marulus lib. 3. cap. 4.

Reges.

IOSAPHATUS Asæ F. Iudæorum rex, anno regni sui tertio, proceres suos cum sacerdotibus & Leuitis misit per uniuersam Iudæam, qui Legis librum docerent: quinimò & ipse iam confirmato regno ad Dei cultum præsens populum adhortatus est. Et propterea tantus terror uicinos inuasit, ut nullum Iosaphato bellum inferre auderent, & Arabes ei tributum pénderent. 2. Paralip. 17. & 19.

EZECHIAS rex Iudæorum sanctissimus, præcones misit per omnes Israelitarum tribus, qui eos ad pœnitentiam uocarent, & ad Paschatis festum Hierosolymis celebrandum inuitarent. At maior pars irrisit. Quidam tamen ex Aserianis, Manassensibus & Zabuloniis paruerunt: & quamuis lustrati non essent, precibus tamen Ezechiæ à Domino purificati, festum Azymorum peregerunt 2. Paralip. 30.

CONSTANTINUS Magnus, studium incredibile dies noctesq; adhibuit eripiendi omnibus hominibus errores idololatricos. Itaque & summam Christianæ pietatis omnibus omnium gentium prouincialibus misit: ac ueris rationibus subditos admonuit, ut summum Deum cognoscerēt, ipsumq;

ipsumque Christum seruatorem palàm nuncuparent, & amplecterentur.

Valẽtinianus II. Imp. assiduis THEODOSII Magni Imp. obiurgationib. atq; adhortationib. Catholicã pietatẽ prę Ariana hæresi amplexus est. Vide Tit. Inconstantes in Religione.

IVSTINIANVS II. Imp. Amasgorũ principibus prohibuit, ne pueros ampliùs castrarent: ac populum illum lucos & arbores pro diis colentem, ad fidem Christi per sacerdotes adduxit. Zonaras Tomo tertio.

Carolo Magno mortuo, ad pristinas idolomanias redierunt Hungari. Sed GEYSA dux Hungariæ, filius Toxis, diuinitùs amore ueritatis accẽsus, è uicinis regionibus uiros pietate & doctrina insignes accersiuit, qui Christum in gente barbara docerent. Bonfinius.

ERCOMBERTVS, seu Ethelbertus, rex Cantiorum primus, in toto suo regno, anno Domini 640. idola deseri præcepit: & delubra in templa Christianorum & monasteria seu scholas commutauit. Beda libro 3. capite 5. historiæ Anglicæ: *Sigebertus in Chronico: Polydorus* libro 2. & 4. Fasciculus temporum.

OSVALDVS Northumbrorum rex sanctissimus, Aidanum Scotum ad docendum populum euocauit. Cumq; is qui nondum Anglicam linguam scienter callebat, quæ ut rudis & planè Saxonica, ac nondum eius elocutione emendata, parum affinitatis per id tempus cum Scotica habebat, suo sermone Christianum dogma doceret, & rex qui Scoticæ linguæ probè sciens erat, ex ore sanctissimi uiri uerba excipiẽs, populo mira claritate explanaret: inde fiebat, ut episcopus & rex uno tempore euangelium prædicarent, & populus partim sacerdotali, partim regia maiestate adductus, diligentiùs illud attenderet imbiberetq;. Polyd. lib. 4.

Vandalos primò CAROLVS *Magnus armis* conuertit, deinde OTHO primus, tertiò princeps GODSCALCVS. Sed eo anno Sal. 1060. cæso, horrenda persecutio in Christianos orta, *ita ut sedes Aldenburgensis* per an. 84. uacarit. Cranzius lib. 4. Metrop. cap. ultimo.

IAGELLO Magnus Lituaniæ dux, idololatra, mortuo Ludouico Hungarorum & Poloniæ rege, Heduigim Ludouici filiam uxorem duxit, baptisma cum regno Poloniæ suscepit, & Vladislaus dictus est, anno Christi 1386. Inito regno, in Lituaniam cum regina profectus, de religione Christiana populariter suscipienda egit, non solùm hortando & orando, & præmiis inuitando, sed etiã docendo, cùm Poloni sacerdotes linguæ imperiti essent: ipse autem Russicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Agrè gens barbara maiorum suorum religiones relinquebat. Sed cùm iussu regis sacer ignis extinctus, templum araq; eius diruta, & adytum, unde oracula à sacerdote edebantur, euersum Vilnæ esset, necatique serpentes, & succisi luci, nulla cuiusquam læsione (quod pręter opinionem Barbarorum acciderat) tum uerò Barbari, alacriores ad principum suorum religionem facti, & aliquot diebus Symbolum & orationẽ Dominicam, pio rege nullũ laborem subterfugiente, edocti, Christianis mysteriis de more initiati sunt. Cromerus lib. 15.

Captiui.

☞ *Vide Epititlum, Conuersi à Captiuis.*

PAVLINVS episcopus Nolanus, pro cuiusdam uiduæ filio captiuo redimendo, sese ipsum in seruum tradiderat. In Africam abductus Arcadio imperante, suos Dominos conuertit. Bergomensis ex Augustino.

Parentes, Maiores.

Docuit exemplo memorabili PROTOPLASTVS, quæ omnium prima sit liberis disciplina inculcanda. Nam cùm duorum pater esset, uterq; ab eo edoctus est cœli numen uenerari: est enim hæc primaria sapientia. Obtulit itaq; hic, qui terræ cultor fuit, frugum primitias: alter, qui pastor erat, agnos, & quicquid eximium ex toto grege potuit, in holocaustum dedit. Sab lib. 3. cap. 2.

NOE, qui unus mortalium cum sua domo cataclysmo superfuit, liberos non modò in antiqua pietate id tempus tenuit, nullaq; passus est uitiorum labe contingi, quæ plus nimio in terris inualuerat, sed cùm in fabricanda arca à cęteris delirus haberetur, filij, & uniuersa domus semper in officio fuêre, & ad omne senis imperium parati. Sab. lib. 3. cap. 1.

ISRAELITIS in deserto Dominus præcepit, ut legem traditam pater filiis proponeret: quòd nulla hac institutione fidelior aut sincerior esse posset. Deuteron. 4.

Parentes SVSANNÆ cùm essent iusti, erudierũt filiam suam secundùm legem *Mosis*. *Danielis* 13.

TOBIAS Nephthalensis, ab utroque parente pupillus relictus, à Debora paterna auia in religione sincera eruditus fuit, ut solus uerũ Deum coluerit, reliquis uitulos aureos adorantibus. Tobiæ 1.

MATATHIAS sacerdos, qui solus sese Antiocho Epiphani opposuit, iam moriturus, filios suos quinque hortatus est, uti legem Dei uitæ anteponerent, suisque insistentes uestigiis, Simeonis natu maximi fratris consilia, & Iudæ Machabæi uirtuti parérent. 1. Machabæorum 2. & Iosephus libro duodecimo, capite septimo.

Hebraica mulier Syriacis temporibus cum SEPTEM filiis de religione appellata, propositaque impunitate si à patrio cultu discederet, auctor fuit adolescentibus, ut citiùs mortem oppeterent, quàm à maiorum pietate declinarent. Cuius uocem & imperium reueriti, unus post alium sese morte deuouerunt: satius rati, se priuari uita, quàm matri non parére honesta & utilia præcipienti. Sabellicus lib. 3. cap. 1.

LOIS & EVNICE, hæc mater, illa auia, Timotheum filium, multum licèt reclamante patre *idolorum* sectatore, in pietate Christiana erudierunt, ut postmodum tantus Christi præco euaserit, quantum D. Paulus in utraque Epistola fuisse prædicat.

THEODOSIVS Imp. qui multis laboribus & periculis, mediocrem effecit tranquillitatis statum, tam in Ecclesia ab hæreticorum turbulentis actionibus, quàm ab hostium insidiosis ac perfidis incursionibus, cupiens eam felicitatem ad posteritatem transmitti, filios suos Arcadium & Honorium accersitos iam moriturus, ardentiore affectu & oratione magis seria cohortatur, per salutem ipsorum & Reipublicæ obtestans, ut sua uestigia insequentes, hoc sibi unicè curæ esse uellent, quò fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conseruaretur, & ad posteros propagaretur: in eo conando nullis laboribus ac sumtibus parcerent, nam in hoc uno & solo omnis felicitatis summam uerè esse positam: hacque *ratione unica nec ulla alia*, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari uictorias. Theodoretus libro 5. capite 25.

Venceslaus Boëmiæ dux, è Drabonucia (quæ & Drachomira dicta fuit) uxore duos reliquit filios, Venceslaum & Boleslaum. Drabonucia mulier erat audax, & ad scelera quæuis prona. Venceslaum inde LVDMILLA auia, Boleslaũ mater Drabonucia enutriuit: illa Christiana, hæc gentilis erat. Alumni nutricum imitati mores, Venceslaus pietatem Christi, Boleslaus idolorum culturam sectabatur. Ægrè ferebat Drabonucia, Venceslaum Christi cultorem esse, socrumque Ludmillam strangulari fecit. Ipsa deinde imperium suscepit. Inter fratres iam adultos cùm ducatus diuideretur, pars Boleslao quem mater moribus suis congruentem sequuta est, datur: Venceslaus princeps Pragæ creatus, cùm apud Othonem I. Imp. gratia ualeret, matris odium incurrit. *Cogitabat fratri sponte principatu cedere*, & monasterium ingredi. Natalis dies aderat infantuli recèns ex Boleslao editi: paratur conuiuium regale, uocatur Venceslaus. Qui cùm more suo media nocte iret ad templum, à fratre regnãdi cupido matris suasu interficitur. Hieron. Zieglerus de illust. Viris Germ.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex, cùm filium suum ad ulciscendas Florentinorum iniurias (qui cum hostibus perperam & iniquè fœdus contra Alfonsum fecerant) magno cum exercitu misisset, post longam filij institutionem, hæc adiecit: Nunc maximè te admoneo, *fili*, ne tantùm aut tuæ aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes absque deorum auxilio uictoriam ullam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratur, sed Dei optimo max. benignitate & arbitrio. Scientia igitur rei militaris ita demùm profutura est: si deum nobis pietate atque innocentia pacatum propitiumque habuerimus. Deum igitur inprimis cole, in eum confide: à quo tum uictorias omnes, & optima quæque prouenire non dubium est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, caue contendas: imò quicquid ab eo tibi accidisse uideatur, boni consule, & patientia & pœnitentia eum placa. Panormita libro 4. de gestis Alfonsi.

ALFONSI Aragonum & Siciliæ regis celeberrimi oratio ad Ferdinandum F. quem contra Florentinos mittebat, pietatis plena extat apud Marinæum lib. 11. rer. Hispan. Inter cætera & hoc est: Victoria non ex hominum consiliis, sed ex summi Dei uoluntate ac potestate proficiscitur. Tum denique tibi militares artes profuturas scito, cùm Deum tibi pietate ac iustis factis propitium reddideris. Eum igitur, si uincere expetis, pura mente colito, spemque omnem uictoriæ in eo reponito. Et si quando, quod solet in bello contingere, tibi quidquam *aduersi acciderit*, quo existimare possis ipsum Deum tibi subiratum esse, uide ne ab eo per impatientiam aut animi perturbationem discedas, sed potiùs satisfaciendo ei reconciliari stude. Solet enim Deus quos diligit, interdum malis afficere, & quos constantes in aduersis uidet, rursus in meliorem fortunam restituere.

CAMBYSES Persarum rex, Cyro filio, ad auum Astyagem regem Medorum ituro, hæc inprimis mandata dedit, ut est apud Xenophontem scriptum: Hæc à me discas, fili, quæ habentur maxima. Nihil à te uel publicis uel priuatis rebus agendum, nisi sacris peractis, deorumq; uoluntate auguriis perspecta & cognita. Humanum enim genus erroribus plenum est. At dij cùm semper fuerint, cumque omnia norint, præsentia, præterita & futura, inuocati adsunt consultationibus hominum, quibus propitij ob pietatẽ fuerint: signisque ostendunt, quid agere, quibúsue abstinere oporteat. Xenophon lib. 1. Pædiæ Cyri.

Coniuges.

Hierosolymis Porterij principis uiri seruus Phanias, filiæ eius amore captus, quoniam potiundæ spes nulla esset, magos consuluit. Exciti maligni spiritus, eam illi uxorem fore dixerunt, si ipse se diaboli seruũ ascripsisset, contemto Christo. Conditioni assentiens chirographum dedit, & nuptias cum ea quam adamauerat iniit. Post hæc deprehendit MVLIER, nihil prorsus Christiani *moris* inesse uiro, non orare, nõ ad ecclesiam ire, nõ crucis signũ facere. Deniq; causam curiosius ab eo sciscitans, plenè didicit: & anxia remedium *quærens*, Basilio episcopo rem detulit. Qui accersitum Phaniam hortatus est, ut cõuersus crederet & confideret in Domino. Eumq; secum domi retinuit, ac pro illo orauit, & post XL. dierum ieiunium eduxit, ut purgatum reconciliaret ecclesiæ. Ibi frequenti clero plebeq; urbis astante, uoces terribiles auditæ, frementium ac lamentantium dæmonum aduersus Basilium, quasi raptorem alieni serui. Sed eo iubẽte, etiam chirographum inuiti restituũt. Quo disciſſo apparuit deletum esse Phaniæ crimen: perq; mulierem fidelem uir infidelis saluatus est. Marul. lib. 2. c. 12.

Anno *Iustini* senioris quarto, Theodorus & Clotharius Francorum reges armis sociatis, Herminfredum Thuringorum regem bello persequuntur. Quo uicto cum toto exercitu, CLOTHARIVS Radegundam uirginem, Berthari j fratris Herminfredi filiam captiuam secum abductam, matrimonio sibi iunxit, & sua consuetudine ac monitionibus ad ueram Christi fidem conuertit. Quæ deinceps monasterium intra Pictauiensem urbem erexisse, & religiosis precandi & iuuandi pauperes studiis, singularem pietatis laudem nomenq; apud omnes sibi comparasse dicitur. Gregorius Turonensis lib. 3 Hist. c. 4.

PLACILLA Theodosij Romanorum Imperatoris uxor, cùm uideret maritum à pietatis studio alienũ magis esse, quàm Imperatorem deceret, subinde ad eum dixisse fertur: Considerare te oportet, quis antea fueris, & in quem locum te euexerit Deus. Si enim perpetuam eius rei obtinueris memoriam, non prorsus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præstabis: sed ex præscripto legum Dei, quod ab eo accepisti, gubernabis imperium: & ita eum, qui tibi, ut fideli ministro commisit, ritè coles. Nicephorus Callistus libro 12. cap. 42.

CÆSAREA Persarum regina, seu Parthorum, ad Constantiũ (alij Constantem malunt) Imperatoris Heraclij nepotem, clam marito Constantinopolim ueniens, baptismi lauacro est admota: nec priùs inde profecta, quàm maritum in sententiam suam traxit. Ille enim pacato agmine cũ quadraginta Persarum millibus ad uxorem ueniens, cum omni comitatu sacris undis est admotus. Egnat. lib. 1. c. 1.

Eduinus Northumbrorum rex, operâ ETHELBERGÆ uxoris, quæ soror erat Edbaldi Cantiorum regis, ad fidem Christi perductus est, cooperante Paulino antistite, anno 627. Polydorus lib. 4. Anglorum.

GREGORIVS I. pontifex Rom. gentis Longobardicæ præliis & incursionibus assiduè uexatus, quæ Italiam ferè omnem gentili quadam immanitate lacerabat, Theodelindæ reginæ opera, Bauarici sanguinis, & Christianæ pietatis obseruantissimæ feminæ, quæ Authari Longobardorum regi Ariano nupserat, eoque mortuo Agilulfum Taurinatium ducem in thori regnique societatem acceperat, tantũ præstitit, ut praeferocem inprimis regem abiurare perfidiam traditam à maioribus coëgerit: inde totam gentem à malorũ dæmonum cultu, detestandaque hæresi uindicarit. Restituit inde omnia rex Agilulphus, quæ Longobardi priùs diuorum templis ademerant, additis insuper donariis. Visigothis, qui Hispaniam tenebant, auctor fuisse creditur, ut abdicata Ariana hæresi, orthodoxam fidem amplecterentur. Egnatius libro 1. cap. 1. Sigonius libro primo regni Italici, ex Paulo Diacono.

Sigeberti Mediomatricum regis filia Childeberti soror, IVGVNDIS Hermengildo Leonegildi Visigothorum regis maiori filio nupserat. Regia ea Arianam sectã sequebatur. Sanctitate uxoris Francæ, & Leandri episcopi Hispalensis uoce Hermengildus adductus, religionem nostram professus, metu patris ob id ira succensi, cum Mirone Galleco rege, & ducibus, quibus à Mauricio Hispani limitis custodia credita erat, fœdere icto, uxorem è recenti partu languentẽ, filiumq; infantem apud eos deposuit, ipse Emeritam concessit cum quingentis delectissimis uiris. Pater ea paucitate contemta, priùs quàm ad fauorem maiestatis filij plures cõfluerent, iustusque exercitus fieret, adueniens, eum comprehensum securi percussit. Nurus ab Mauricij Imperatoris ducibus in Africam cum filio transuecta, nõ multo pòst obiit. Filius infans Constantinopolim deportatus est. Aemilius libro 1. Turonensis lib. 5. c. 38. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 3. c. 10. Sigebertus in Chronico: Regino libro 1. Beda de Ratione temporum.

GISELA soror Henrici II. Imp. formosissima fuit. Hanc sibi in uxorem expetiuit Hungarorum regulus, *Geironis* F. specie illius captus: quam per nuncios & pictores excellentissimã esse cognouerat. Ea regem Hungarorum maritum aspernata est, nisi abiecto *idololatriæ* cultu lauacro baptismi ablueretur, & Christum cum uniuersis suis subditis confiteretur. Accepit conditionem ille, & Stephanus est nouo nomine dictus: simulq; uniuersum Hungarum regnum fidem Christi assumsit, Adalberto docente. Vnde Imp. Henricus Vngarorum est Apostolus dictus. Stephanus cùm filium ex Gisela tulisset, Henricum ab Imperatore uoluit appellari: licet corruptè hodie Emericus uocitetur. Est hic cum patre in numerum sanctorum dehinc relatus, ut testantur Hungarorum Annales: uterque miraculis claruit. Cuspinianus. Ea mulier uel regem antea baptizatum, ut Bonfinius narrat, in fide cõfirmarit, uel adhuc idololatriã, ut Sigebertus scribit, eò adduxit, ut se & totam gentem Vngarorum baptizari expeteret, anno *Domini* 1010. fatale nomen sortita uidetur, Stephano tanquam obses & fidei uinculum facta. Gisala enim Germanis obsidem ualet, crebrum apud eos feminarum nomẽ cùm uim quandam diuinam concordiæ amorisque mutui inesse feminis crederent, & efficaciùs obligari animos eorum existimarent, quibus inter obsides puellæ quoq; nobiles imperarentur. Auentinus lib. 5. Annal. Boiorum.

Gormo III. Danorum rex, Haraldi F. crudelissimus uermis: (sic enim uernacula Germanorum lingua nomen sonat breuiatum) implacabili odio Christi religionem insectatus, tẽpla ac basilicas subuertit, fideles exquisitis suppliciis excruciauit. THIRA filia Edelfredi Anglorum regis ducta, ab ea conuersus est. Saxo, & Cranzius.

D. MARGARITA Angla Malcolmo III. *Scotorum* regi nupta, & maritum & subditos ad religionis studium mirificè inflammauit. H. Boëthius.

MIECISLAVS Polonorum dux, patre mortuo inauguratus, uxores septem barbarico more duxit: iisque & libidini suæ liberiùs indulgens, nullos suscipiebat liberos. Suasu deinde quorundam, religionis Christianæ ueritatem castitatemque prædicantium, posteritatem & felicitatem principi, si eam religionem amplecteretur, pollicentium, priores uxores dimisit, & DAMBROVVCAM Christianam, Boleslai primi Boemorum ducis filiam uirginem, de consilij sententia, nouo matrimonio sibi iunxit, anno Domini DCCCCLXV. Cuius ope conuersus, basilicas nouem diuersis locis ædificauit & locupletauit. *Cromerus libro* secundo, & tertio.

Hostes.

Deus Israelitis Palæstinam non totam dedit, sed GENTES ferocissimas in circuitu reliquit, quæ erudirent Israelem, ne rebus secundis insolescens pietatis obliuisceretur. Libri Iudicum cap. 3.

QVOMODO. QVI CONVERTERVNT ALIOS

Miraculis.

Basilius Macedo Imp. ad Scythas, Rhos dictos, SACERDOTEM, uirum sanctum miserat, qui lauacro illos baptismatis tingeret. Multi, qui inuiti patrium cultum relinquebant, miraculum petebant. At episcopus librum sacrum Euangeliorum capiens: Si, inquit, liber ille, qui res diuinas nostræ continet religionis, in igne illæsus permanserit, credetisne, & baptismum accipietis? Et illi: Etiam domine. Tum ille magno accenso igne, librum iniecit, & ad cœlum erectis palmis oculisque, Glorifica, inquit, Domine, nomen tuum. Et librum illæsum ex igne, cunctis palàm iterum ostendit. Barbari stupore correpti, crediderunt, & sacris sunt initiati. Zonaras, & Cedrenus.

Cùm BASILIVM Magnum morbo grauiter affectum Iosephus Iudæus medicus adiens, deprehensis mortis signis, *sub uesperam illius diei decessurum dixisset: Quid, inquit*, Basilius, si & alterum diem superuixero? Se ille tunc Christianum fore, cùm id contigisset, respondit. Igitur Basilius orandò à Domino impetrauit exitus dilationem: maneque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad ecclesiam uenit, ac Iudæum tanto miraculo stupentem baptizauit: quẽ sæpe antehac testimoniis conuictum Scripturarum flectere nequiuerat, fidei tandem uirtute molliuit. Mox deinde ad stratum suum rediens, extemplò expirauit. Marulus libro secundo, capite 7.

PATRI-

PATRICIVM Hybernorum & Scotorum doctorem commemorat Henricus de Erfordia, septem reges, filios Almagith, & duodecies mille hominum baptizasse. Cùm per Hyberniam iter faceret, & se prædicationibus nihil proficere uideret, Deum precatus est, uti ostento aliquo hominum illorũ duritiem emolliret. Diuinitùs admonitus, humi circulum designauit: atque inibi terra penitùs subsidente, hiatus ingens apparuit, magnumque omnibus incussit terrorem, ne in profundum acti pœnas iam incredulitatis darent. Hunc hiatum adhuc extare ferunt, & occulto quodam sinuoso; meatu ad nescio quæ purgatorij loca deducere. Marulus libro tertio, cap. 4.

POPPO presbyter peregrinationibus clarus, in conuentu solenni procerum Danorum (qui tum Vviburgi in Iutia agebatur, quum adessent noui pontifices, Ripensis & Slesvicẽsis, & de religione Christi populariter susciperenda differerent, essentq;, qui ex aduerso patriæ & auitæ religionis tuerentur iura) immiscuit se disceptationi, multa inferens ad cõuellẽdam uanam ueterum & superstitiosam religionem, & ad fundandam & persuadendam solidam & ueram Christi doctrinam: eoque tum exiuit disputatio, ut rebus potiùs quàm uerbis ueritas cõprobaretur. Ecce, inquit Poppo, ferrum in modum chirothecæ fabrefactum, cui manus inseratur cum digitis, iubeo totum igniri, spondeoque portaturũ sine læsione in quem locum constituetis, per uirtutẽ Euangelij Iesu Christi, & ueræ religionis eius. Expectabãt uniuersi, ut impleret, quod dixerat. Ille ignitum ferrũ manu induit, & intrepidus sine ulla contractione uultus, aut significatione doloris, ad locum monstratum deportauit. Cernite, inquit, uirtutem Iesu Christi, cui parent elementa omnia, quippe qui fecit cœlum & terram, & omnia in his degẽtia. Nũc, si quis assertor ueterum fidat religioni quã coluit, experiatur uirtutem dei sui quem adorauit. Obstupuere omnes, p̃senti miraculo conterriti, & mutire non audebant: quique antè insaniuere, dederũt nomina: & sacri baptismatis ad unum omnes, qui aderant, undam salutarem subierunt. Quo merito in episcopum Aruiensem est omnium suffragio promotus. Cranzius lib. 3. Metropol. cap. 34. ex Saxonis lib. 10.

IDEM iam Slesvicẽsis factus episcopus, ad Ericum Sueonũ regem, qui pulso Suenottone Daniæ etiam regnum occuparat, missus, magna populi frequentia in concionem euocata, de fide uerbum habuit: & ut præsenti firmaret opere ueritatem, candens ferrum (ut priùs) quod chirothecæ formã præferret, induit, & ad locum pertulit demonstratum: cuius rei stupore perculsi præsentes, Christo mox crediderunt. Quinetiam tunicam indutus ceratã, quum staret in medio populi, nomine Domini præcepit incendi: ipse uerò oculis ac manibus in cœlum porrectis, liquentes flammas tam patienter sustinuit, uti uestæ prorsus ambustæ, & in fauillam redactæ, hilari ipse ultu nec fumum incendij se sensisse testaretur. Cuius nouitate miraculi, & tunc multa millia per eum Christo Domino crediderunt, & usq; hodie per populos & ecclesias celebre Popponis nomen ubiq; seruatur. Idẽ c. 42.

ANDOINVS, in Hispania tum doctrina, tum miraculis clarus, cùm suis precibus largissimum imbrem de cœlo deduxisset, cùm ea terra per septem annos pluuiam non sensisset, multos passim ex incredula turba ad uerum Deũ conuertit. Volaterranus lib. 21. & Vincentius lib. 23. c. 92.

Prædicatione, Concionibus.

☞ *Vide Tit. Ecclesiastarum & Monachorum.*

ESDRAS sacerdos, Saraiæ F. sub Dario rege è Babylone reuersus cum Iudæis captiuis, populum absq; lege uiuentem docuit, ut qui diuino ductu libros omnes sacros à Chaldæis exustos, memoriter recitarit, & quinq; scribis per XL dies dictarit. Vide Esdræ libros.

PAVLVS, Sila in socium assumto, perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Act. 15. & 16.

In eremo Caprapicta apud Mauros, per conuersationem relegatorum martyrum, MATVRIANI nimirum & aliorum, & per prædicationem nominis Christi, magna Barbarorum multitudo ad ueram pietatem & Christi cognitionẽ est conuersa: quemadmodum Victor testatur in Vandalica persecutione, lib. 1. Zenone imperante.

HILARION uadens in desertum Cades ad unum de discipulis suis uisendum, cũ infinito agmine monachorum, peruenit Elusam, eo fortè die, quo anniuersaria solennitas omnẽ oppidi populum in templum Veneris congregauerat. Colunt autem illam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio dedita est. Sed & ipsum oppidum ex magna parte semibarbarum est, propter loci situm. Igitur audito, quòd sanctus Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos, à dæmone frequẽter curauerat) gregatim ei cum uxoribus & liberis obuiam processere, submittentes colla, & uoce Syra, Barach, id est, Benedic, inclamantes. Quos ille blandè humiliterq; suscipiẽs, obsecrabat ut Deum magis quàm lapides colerent: simulq; ubertim flebat, cœlum spectans, & pollicens si Christo crederent, ad eos se crebrò esse uenturũ. Mira domini gratia: nõ priùs abire passi sunt, quàm futuræ ecclesiæ lineam mitteret, & sacerdos eorum, ut erat coronatus, Christi signo denotaretur. Hieron. in uita Hilarionis.

Inter Apostolicos uiros AMBROSIVS episcopus Mediolanẽsis eruditione, ingenio ac diligentia in prædicando ita præstitit, ut facilè persuasum sit, non cõmentum fuisse, quod de illo quondam iactatum constat: ob os scilicet eius in cunis iacentis uolitasse apum examen, stridulo tinnitu eloquii futuri suauitatem portendens. Hic Aurelium Augustinum Manichæa hæresi tabescentem, suis prædicationibus purgauit, sanumque reddidit. Vnum tunc hominem conuertit Ambrosius, sed in uno homine totum penè terrarum orbem doctrinæ illius radiis illustrandum recepit. Marulus libro 3. capite 4.

AD OSVALDVM Northumbriæ regem Donealdus Scotorum rex Aidanum episcopum Cormano, uiro doctissimo quidem, sed concionatori inepto, successorem miserat, cuius concionibus populus ad religionem Christi perducebatur. Cæterùm cùm Aidanus à Saxonibus non intelligeretur, Osualdus è uicino suggestu interpretem agebat, ita ut septem diebus XV M. baptisma susceperint. Aidanus idẽ Northumbrorum pontifex dictus, pium gregem, & sacris monitis, & uiuendi exemplo erudiuit, atque ab Ethnicorum impulsu, additis nonnunquam Dei uirtute miraculis, egregiè est tutatus. Scoti monachi ac sacerdotes, sacra doctrina inlignes, uariis ex locis, sciente Osualdo, confluxere ad Aidanũ: ut sanctissimo uiro in populo eruidendo auxiliares essent. H. Boëthius lib. 9.

Omnes Vandalorum populi, qui ad Aldeburgensem pertinebant curam, tempore GODSCALCI principis, Christi fidẽ sunt amplexati. Cùm is tanto diuinæ religionis amplificandæ studio arderet, ut sermonem exhortationis frequẽter ad populum in ecclesia ipse faceret: ea scilicet, quæ ab episcopis & presbyteris Latinè dicebantur, Vandalicis uerbis interpretans. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, c. 1.

ALFONSVS Congensium Aethiopum rex, ad fidem Christi conuersus, tanto studio pietatem coluit, ut non plus temporis in Reipub. negotiis gerendis, quàm in subditis ad cultũ pietatis incitandis consumserit. Habebat frequentes ad populum conciones de iustitia & pietate, de iudicij diuini ueritate, de sempiternæ uitæ præmiis, Christi disciplina, & sanctorum hominum, qui uestigia illius sequebantur, exemplis. Quamdiu denique mansit in uita, regnum perpetuò in Christianæ pietatis officio, cum singulari probitatis & iustitiæ laude, continuit. Emmanuel proindę Lusitanorum rex, qui Ioanni successit, cùm tanto ardore religionis studium in illis partibus excitari conspiceret: anno à Christo nato, M D IV. homines eruditos in illas partes misit, qui scholas aperirent, & artifices etiã multarũ artium, multos libros Christianã disciplinã & sacrorũ omnium rationem, & Christi uitam, & hominum sanctorum exempla continentes, argenteos præterea calices, & cruces argenteas, & thuribula, ut facilius gentem in fide susceptа confirmaret. Ad hæc, sacerdotibus, & reliquis omnibus, quibus onus lustrandæ illius regionis imposuit, stipendium & commeatum largè atque munificè suppeditari præcepit. Eos rex ualdè amanter accepit. Multi uerò certatim ad illos undique conueniebant, ut Christo nomina darent, & sacro fonte abluti, in nouum uitæ genus ingrederentur. Et quia neque sacerdotes linguam eorum nouerant, neque plebs Portugalensem linguam intelligebat, Rex interpretis officio fungebatur, & quod ab illis acceperat, habita concione suis enunciabat. Egit Emmanuel præterea cum illo per literas, ut filios suos in Lusitaniam mitteret. Ita factum est, ut non solùm regis filij, sed multi pueri nobiles Olysipponem uenirent, & Emmanuelis sumtibus alerentur, & omnes artes hominẽ libero dignas acciperent. E quibus aliqui, qui sese sanctis literis impensè dedideranț, in Aethiopiam reuersi, multos mortales ad Christi Ecclesiam & concionibus & uirtutis exemplis aggregarunt. Osorius lib. 3. rerum Em.

Lectione.

MOSES, cùm iussu Domini librum legis scripsisset, Leuitis arcæ fœderis gestoribus dedit, ut ad latus arcæ reponerent, & septimo quoq; anno in solennitate anni debitorum remissionis, festo Vmbraculorum, cùm uniuersi conuenirent Israelitæ in templo, recitarent. Deut. 31.

IOSIAS Iudæorum rex, impij Amonis F. ad Dominum conuersus, anno regni sui XIIX. cùm Helcias pontifex max. in templo librum legis reperisset, eum corã omni populo, scissis uestimentis suis prælegit, & cum Domino fœdus fecit, idola sustulit, sacella profanauit: ita ut nullus rex cum eo cõparandus sit, qui se ad Iouam tota mente, totaq; anima colendum ita composuerit. 4. Reg. 22. & 23.

ESDRAS

ESDRAS Saraiæ F. sacerdos primarius fuit Iudæorum Babylone degentium: cumq; iis, permissu Xerxis, reuersus, populum, qui antè duce Zorobabele redierat, ad meliorem religionis & Reipublicæ statum traduxit, uxores gentiles repudiare coegit, legemq; Domini in Scenopegiæ festo recitauit. 1. Esdræ 10. & Iosephus lib. 11. cap. 5.

Scriptis, Commentariis, Interpretatione.

ORIGENES Philippum Imp. qui Gordiano successit, & Seuerum eius coniugẽ scriptis suis cõuertit: ac tum demum scripta sua à notariis publicè excipi passus est.

NICEPHORVM Basilacẽ Paulinas epistolas interpretatum fuisse, & lumine eloquentię Apostolicorum scriptorum obscuritatem altissimo spiritu refertam illustrasse, scribit Nicetas libro 7. de gestis Manuelis.

NOTGERVS S. Galli monachus, sub abbate Bernardo, Psalterium in linguam Francicam rudem adhuc & inconditam conuertit, circa annum Christi 886. Stumpfius.

ALVREDVS, rex Anglorum, Psalmos & orationes in unum libellum compegit, quem Manualem uocabat, ut Enchiridij loco esset. Scholam Oxoniæ aperuit, & Psalterium cepit transferre in uernaculam linguam, & Vuerefridum Vigornienſem episcopum iussit dialogos Gregorij Saxonicè reddere. Raaulphus lib. 6. cap. 1.

LVDOVICVS, Francorum rex, curauit libros Dionysij Areopagitæ de Hierarchia Latinos reddi. Sigebertus.

ETHELSTANVS, rex Angliæ, per peritos doctores curauit Sacras scripturas in Anglosaxonum idioma, ex purissimis Hebræorum fontibus, transfundi. Malmesburiensis.

BEDA Venerabilis, Euangelium D. Ioannis lingua Anglica paulò ante obitum, dum morbo affligitur, pro imperitis Latinæ linguæ, interpretatus est. Malmesburiensis lib. 1, c. 41.

Exemplo, Conuersatione.

Sub EZECHIA rege sanctissimo, Iudæi quoq; & Israelitæ intermissum diuinum cultum tanta alacritate receperunt, ut primitias omnium frugum libentissimè conferrent, & rex etiam ipse liberalitatem populi, Dominiq; benedictionem admiraretur. 2. Paralip. 31.

D. LVDOVICVS, Francorum rex, & ipse sanctus fuit, & eos quibuscum uersabatur sanctiores fecit. Ii certè qui in eum arma tulerant, eadem arma in hostes religionis continuò uertêre. Theobaldus Campaniæ comes, Petrus Britanniæ dux, rebelles, regi reconciliati sunt hac lege, ut in Asiam contra Mahumetanos nauigarent. Anglus trans Pyreneos saltus, quò & Francus, militem misit aduersus Africanos Barbaros, qui nouis semper copiis populari uterecq; Hispaniã non delinebant. Aemilius lib. 7.

CLEMENS IV. Pontifex, cùm legem ferre nõ posset, qua successores tenerentur, ipse sibi legem præscripsit, & cæteris exemplum præbuit, qua ratione ecclesiastici mores ad priscam frugem reuocari possent. Ante sacerdotium uxorem habuerat. Procreatas ex ea filias, cùm Pontifex splendidissimo matrimonio collocare posset, pristinæ fortunæ suæ hominibus tenui dote despõdit. Filio sororis multiplicia præbenda habenti, optionem dedit, quod eorum uideretur retineret, cæteris omissis. Si erga suos se præberet qualem fas esset, reliquos non molestè laturos, saluti potiùs animorum quàm cupiditati ambitioniq; consuli. Aemil. lib. 7.

OLAVS Noruagiorum rex, cùm prima feria cultello fustẽ per incuriam secuisset, atq; ab his, qui proximè constiterant, solutæ à se religionis fuisset admonitus, sparsas repentè scindulas legit, factoq; ex eis foculo, subiectã manum cremandã præbuit. Ne cæteri à diuinitatis cultu auocarentur, quod piè dissimulare licuit, suppliciter expiauit. Cuius facti sanctitate æternum cognomen meruit. Saxo lib. 10.

NICOLAVS cognomento Peregrinus, nationẽ Græcus, in oppido Apuliæ Teano seminudus incedens & crucem ligneam manu præferens, kyrieeleison clamitabat. Eo clamore puerorum turbam excitabat, & hoc ipsum, ut iteratis uocibus secum decantarent, innuebat. Excogitauerat utique quemadmodum & stultus hominibus appareret, & à laudibus Dei non cessaret. Defuncti cadauer multorum languores contactu sanauit. Marul. lib. 4. cap. 4.

DIDACVS Hispanus, Oxonienſis episcopus, duodecim abbatibus Cistercienſis ordinis, quos ecclesia Romana ut ad Albigesios in fide eruidendos se conferrent elegerat, suasit, si in demandata cura proficerent; atq; libenter à populis audiri cuperent, mollia indumenta, præterea argentum deliciasque omnes abiicerent, atq; Apostolos imitati, pedibus iter facerent, ut disciplinæ, quam aliis prædicarent, congruere ipsorum uita inspiceretur. Idq; ipse primus egit, fructumq; ingentem ex negotio demandato peperit. Fulg. lib. 7. c. 2.

Precibus, Votis.

Martialis, uir in ordine suo primarius, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrẽs Christiana, habitans Calamæ, habebat fidelem filiam, & GENERVM eodem anno baptizatum. Qui cùm ægrotantem multis & magnis precibus & lacrymis rogarent, ut Christianus fieret, prorsus abnuit, eosq; à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius, ut iret ad memoriam sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedẽs, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eiq;, cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, ut ad episcopum curreretur, qui fortè tunc erat cum D. Augustino Hipponẽsi. Cùm uerò audisset eum absentem, uenire presbyteros postulauit. Venerũt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc, quàm diu uixit, in ore habebat: Christe, accipe spiritum meum: cùm hæc uerba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, ultima fuisse, quæ huic quoque ultima fuerunt, nesciret: nam non multo pòst obiit. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

Pij fletus quanta uis sit, MONICA Augustini mater testatur. Cui pro filio Manichæa hæresi implicato, multùm lugenti atque oranti diuinitùs dictum est, Vbi ipsa, ibi & illum futurum. Ab episcopo etiam, quem ut pro illo oraret, cum fletu rogauerat, audiuit, *Fieri non posse*, ut tãtarum lacrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosij episcopi prædicatione conuersus, non solùm errorem omnem abiecit: sed etiam errantibus uiam ueritatis monstrauit, obscura quæque declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, praua falsaque omnia plenissimè confutando. Tantum profecit matris pro filio lugentis assidua sollicitudo. Ibidem, & Fulgosus lib. 6. cap. 9. & Egnat. lib. 6. cap. 8.

Pollicitationibus.

BONIFACIVS Moguntinus episcopus, Thuringis nullum doctorem Euangelicum admittentibus, Christum saluatorem mundi prædicauit, facta irruptione cum exercitu in terram eorum. Hi, Quidnam utilitatis ad se rediturum sit, quærunt, si sua Christo colla subiiciant? Bonifacius inquit: Si in eum crediderit is, liberabimini ab omni malo corporis & animæ, & ab inferni ac diaboli potestate, & accipietis uitam æternã. Tum *illi, Si à decimis regi Hungariæ quotannis pendendis per Christum liberemur, in eum credemus.* Bonifacius igitur insomnis à Deo uictoriæ promissionẽ accipiens, Thuringos liberos à decimis pronunciat, certoq; testatur regem Hungariæ nunquam ab eis in posterum decimas exacturum. Hoc audiens rex, copias quidem in Thuringiam misit: uerùm collatis signis, orante Bonifacio, Hungari uincuntur, Thuringi Christum amplectuntur. Chron. Ilenacẽse.

Fœdere, Iureiurando.

IOSVA iam moriturus, post res maximas gestas, & populum Dei in terram Sanctam introductum, Israelitas omnes Sichemam conuocauit, & Dei beneficia in eos commemorãs; seruituríne essent Deo post suum obitum nécne, seuerè interrogauit. Illis uerò constanter affirmantibus, Iosua eo die fœdus cum populo ferit, eisq; instituta atq; iura Sichemæ proposuit: eumq; ea uerba libro diuinæ legis inscripsisset, saxum ingens ibidem sub quercu, apud Iouæ sanctuarium sita, erexit, quod testis esset aduersum Israelitas, ne id ratam Deo suo fidem fallerent. Iosua cap. 24.

Largitione.

BASILIVS Macedo Imp. multos Iudæos magnis pecuniarũ largitionibus promissis ad fidem Christi flexit, ac Christianos fecit. Gentem etiam Scythicam, quæ Rhos uocatur, in cognitionem diuini cultus traduxit, adeò ut iam baptismũ anhelarent. Zonaras.

Liuonia à MEINARDO Segebergensi Canonico fidei rudimenta percepit, Hartuici Bremensis archiepiscopi auctoritate. Etenim reluctantium corda non tam uerbi prædicatione, quàm muneribus expugnauit: ac Rigæ, quæ soli fertilitate & nauigationum commoditate maximè insignis erat, cathedralem totius Liuoniæ Ecclesiam constituit, anno Salutis 1186. atq; ut cõtra incursiones se muniret, in insula Duuinæ fluminis (quæ pòst Kerckholm appellata, & Teutonicorum ordinis monachorum domicilium facta est) arcem construxit. Meinardo extincto, Bertholdus Cistercienſis ordinis abbas eum locum capere iussus, armis instructus, cum larga peccatorũ ueniæ promissione, eò uenit, ut eos officium facere ui quadam cogeret. Sed ferociori equo in medium hostiũ agmen *itruens, miserè* confossus est: anno 1198. Cranzius lib. 7. cap. 13. Saxoniæ.

Edictis.

IVSTINIANVS Magnus Imp. tertio anno sui imperij promulgauit edictum, ut nulla esset religio nisi Christiana, in suis regionibus & prouinciis. Ac dedit inducias omnibus idololatris, tres menses, ad cõuersionem. Paulus Diaconus libro 16. rerum Rom.

CHILPERICVS, Galliæ rex, multos Iudæorum sua ætate

baptizari iussit: pro quibus plerunq; in baptismo, pro consuetudine ecclesiæ, fidem spopondisse fertur: licèt non pauci Iudæorum ad uomitum reuerterentur. Gregorius Turonensis lib.6. cap.17. Historiarum.

Aruernensium Iudæorum synagogas, cùm à superstitiosis suis opinionib. ad Christi fidem traduci non posseat, in die Ascensionis Domini, anno Tyberii secundo, populus solo æquauit. Paulo pòst episcopus AVITVS, legatis ad eos missis, Vi(inquit) ego uos filium Dei confiteri non cogo: sed tamen prædico, & salẽ scientiæ trado uestris pectorib. Pastor enim sum gregis Dominici, & de uobis ille uerus & summus pastor, qui pro nobis passus est, dixit, se habere alias oues, quę non sint ex ouili suo, quas eum adducere oporteat ut fiat unus grex, & unus pastor. Quamobrem si uultis credere, ut ego, estote unus grex, custode me posito. Sin minùs, discedite loco. Illi multum diuq; secũ deliberantes, & dubitantes, tandẽ tertio die habito conuentu, ad episcopũ legatos mittunt, hisce mandatis: Credimus Iesum filij Dei uiui, nobis prophetarum uocibus repromissum: ideoq; petimus, ut abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. Episcopus cum gaudio accepto nũcio, in uigiliis Pentecostes noctu, urbe ad baptisterium egressus, coram se prostratam Iudæorum multitudinẽ baptizauit, ultra quingentos, & in ecclesiæ collegium adscripsit. Reliqui baptismum accipere recusantes, urbe pulsi, Massiliam profecti sunt. Gregorius Turonensis lib.5. Historiarum, cap.11.

LEO Isaurus, imperij sui sexto anno, coegit Hebræos & Montanos baptizari. At uerò Iudæi baptizati contra propositum suum, diluebant baptismum: & sacræ adhibiti synaxi, contaminabant fidem. Porrò Montani diuinãtes sibi, & diffinientes fidem, domos introierunt errori suo deputatas, & incenderunt semetipsos. Paulus Diaconus lib.21. rerum Romanarum, & Cedrenus.

Animaduersione.

CAROLVS Magnus, Vestphalos non aliter in officio continere potuit, quàm ut nouo iudicãdi genere, quod uetitum à re est appellatum, in eos sæuire cepit. Scabini enim iudices, & hi patria lingua sic dicti, prout quemq; aut fidem abnegasse, aut iurisiurandi immemorem aduerterant, indicta causa utcunq; inquirentes, supremo laquei supplicio afficiebant. Egnatius lib.1. cap.1.

Ignominia.

INGO regulus Venedorum, satrapas & nobiles suos à regali mensa arcendo, paneq; duntaxat cibario & carũcula rancida pascendo, uinumq; austerũ fictilibus propinando, cùm interim agricolas pios suæ mẽsæ adhiberet, ad religionem prudenter conuertit. Auent lib.3. Annal, Boiorum.

Exilio.

SISEBVTVS, Visigothorum in Hispania rex, Iudæos ea in regione multos demorantes, coegit aut possessione rerum cedere, aut Christi sacra subire. Cranzius lib.4. Sueciæ, c.33.

Tributis, Vectigalibus.

D. GREGORIVS Pp. ad Ianuarium episcopum Caralitanum scribit, Rusticos idololatras in Sardinia cõuertẽdos esse ab episcopis: sin cõuerti nolint, tanto pensionis onere grauandos, ut ipsa exactionis pœna compellãtur ad rectitudinem fidei. Lib.3. Epist.26.

Armis.

HYRCANVS III. Iudæorum dux & pontifex, cæso Antiocho Pio ab Arsace Parthorum rege, Idumeæ urbes subiugauit, & incolas omnes ut circunciderentur coegit, pœna exilij proposita. At illi circumcisionem & reliquos Iudæorum ritus admiserunt, ex eoq; primùm tempore inter Iudæos cẽseri cepti sunt. Iosephus lib.13. cap.17.

ARISTOBVLVS Iudæorum rex, Hyrcani F. bellum intulit Itureæ, magnaq; eius parte attributa ad Iudeæ limites, habitatores comminatione exilij coegit circumcisionem cæterosq; Iudaicos ritus admittere. Alioqui natura æquus erat & modestus, ut attestatur Strabo ex auctoritate Timagenis. Iosephus lib.13. cap.19. Antiq.

THESSALONVS siue TASSILLO, dux Bauariæ, cùm cognouisset Venedorũ proceres iugum religionis Christianæ excutere, in Chariorum regionem copias duxit: & Valdungum ducem Venedis designauit, qui eos in fide contineret. Auentinus lib.3. Annalium.

CAROLVS Martellus cõtra Frisios numinum cultores arma cepit, & fana & lucos eorũ extirpauit. Auentinus lib.3. Annaliũ. Eosq; ad professionem Christianæ fidei cruentis pręliis coegit, an. D.725. Mutius in Chronico Germaniæ lib.6.

AMANDVS, cum Aichario Nouionẽsi episcopo, & Landoaldo archipresbytero in Mempisco docens, multis tandem laboribus Gandauos ad ueram religionem conuertit: adiutus à Dagoberto rege Francorum, qui ipsi diploma tradiderat, quo cogi eos iussit, quicunq; sponte religionem suscipere detrectarẽt. Iacobus Meier in Chronico Flandrię. Gandaui itaq; ad Christum deducti, aris Mercurij, quẽ colebãt, destructis, lucis succisis, & fanis euersis, uero Deo seruire ceperunt: annum circiter Christi 633.

PIPINVS rex Franciæ, Ratobodum Frisonum ducem coegit audire Clementem, à Sergio pontifice illi genti episcopum datum. Aemilius lib.1. de Francis, & Auentinus lib.3.

CAROLVS Magnus per annos XXX cum Saxonib. bellum gessit, ac sæpè uictis nullam aliam legem imposuit, quàm ut abiecta superstitione, uerum Deum agnoscerent. Sed, illi, licèt aliquoties receperint se parituros, & inter eos multi baptizati sint: tamen leui aliqua occasione oblata, religionem abiecerunt, & pro recuperãda libertate arma ceperunt. An. 776. tãdem (ut annotat Regino lib.2.) ad Heresburgum, ubi fanum Hermansaul destruxerat, & ædificauerat basilicam Carolus, miraculosè uicti, uenerunt ad Carolum, & cum uxoribus suis baptizati sunt. Postea ad annos octo sæpiùs à fide defecerunt: donec tandem 85. Vuitekindus & Albion, ad Attiniacum seu Mittenbach, Christiani facti, & baptizati sunt. Carolus ab Albino, cuius consilio in sacris reb. omnia gerebat, non tam armorum ui quàm institutione sacra subigendos Saxones admonitus, decem millia ex illis, qui utrasque ripas fluminis Albis inhabitabãt, cum uxoribus & paruulis transtulit in Brabantiam & Flandriam, ut isthic inter Christianos constituti, minùs rebellare possent, & faciliùs ad religionem Christi assuefierent. Vrspergensis in Chronico, & Cranzius in Saxonia lib.2. cap.4. In terris occupatis passim episcopatus & scholas instituit Carolus, eisq; homines idoneos præfecit ad propagationem fidei.

In Hungariam propagata est religio Christiana, per arma EIVSDEM Caroli. Nã cùm ad montes Budæ obsessos Hunnos fames coegisset facere deditionem, eos qui fidem Christi amplexi sunt, uita & libertate cum fortunis donauit: qui uerò in Scythica superstitione persitterunt, bonis multauit, sola uita concessa. Et postea expugnata Sicambria seu Buda, ciues per præconem hortatus est, ut abiectis idolis Christum agnoscerent & colerent: templum Mariæ extruxit, & sacerdotes ibidem reliquit amplificandæ religionis gratia. Idem fecit in insula, ad quam sese Hungari receperant, expugnata: ut narrat Bonfinius Decad.1. lib.9. rerum Hungaricarum. Auentinus lib.4.

Ex Saxonia egressi sacerdotes in regna Aquilonis, illa legibus Christianis imbuerunt: primusq; Ansgarius Hamburgensis archiepiscopus, in omnia Aquilonis regna cum successoribus diu suis Apostolicæ sedis legatus, uerbum uitæ in Daniam Succiamq; propagauit. At ubi recruduit sæuiens gentilitas: OTHO primus ex Saxonibus Imperator, ultrice gladio reuexit labefactatam religionem. Sed neque sic diu in prouincia ualebat publicè suscepta religio, donec Sueno rex, ab Othone Imperatore sacro de fonte leuatus, multis calamitatibus perdomitus resipisceret, & sua sponte resumeret abiectam Christi sacram fidem. Ex eo tempore perseueranter in regnis perdurauit, usq; in Noruagiam & Phinniam propagata. Cranzius in Metropoli.

OGERVS dux de Danemarchia, cùm Indiam superiorẽ tempore Caroli Magni occupasset, cum suo exercitu ibi imperium ordinauit: & Ioannem filium regis Frisonum, Presbyterum seu Priester Iohann appellatum, propter uitæ sanctimoniam ei præfecit: ac subiecit ei quatuordecim Barones, qui alias uicinas terras circumquaque tenebant, ut isthic Christianæ religionis custodem & propagatorem ageret Vernerus in Fasciculo temporum.

Anno Constantis 13, OSVVIVS rex Northanimbrorum, Pendam Merciorum regem uicit, & interfecit: & gẽtem eius ad Christum cõuertit, Pictosq; regno Anglorum subiecit. Sigebertus anno 656.

HENRICVS I. Imp. Gormonem Danorum regem imperata facere, & subditos Christũ amplecti permittere coegit. Henrico mortuo, Otho I. Heroldum Gormonis F. ad baptismũ partim armis, partim uerbis adegit. Ergo tandem baptismũ recepit, cum uxore & paruo filio: quem Otho ex sacro fonte leuauit, atq; nomen ei imposuit Sueinotto, seu Suen Otho, in memoriã baptismi: quia Sueno primùm fuerat nominatus. Regis exemplum reliquus populus est subsecutus. Helmoldus cap.9. & Sigebertus anno 958.

IDEM Sorabos seu Vandalos, tunc quidem nominatos Delemanticos, armis deuictos, coegit suscipere fidem Christianã. Chron. Mersburg. Post Otho Magnus eosdem populos, præsertim Septẽtrioni uiciniores, ad uomitũ reuersos simul cũ tributo Christi fidem amplecti ui cõpulit: Magdeburgũ ad Albim instaurauit, atq; Vãdalis metropolim statuit, collocato in eum locum Adelberto archiepiscopo, qui in propaganda doctrina Christi inter Vandalos præclarã operam nauauit. Cranzius in Vandalia, lib.2. cap.30.

Henricus Vpsalẽsis archiepiscopus S. ERICVM Suconum regem ad illam magnã & memorabilem militiam in Finlandos idololatras, pro dilatanda fide Christiana induxit. Post cruentam pugnam Finlandi superati, manus uictas uictori regi porrexerunt. Tum priùs rex in lacrymas resolutus, ad circumstantes familiares inquit: Gaudeo quidem, diuinam prouidentiã nobis uictoriam de suis & nostris aduersariis concessisse: at uehementiùs doleo, tot hostes in hoc prælio desideratos: qui si ante mortem ad sacri baptismatis sacràmentum peruenissent, nequaquam per hanc mortẽ ad sempiternam mortem corruissent. Io. Magnus lib.19. cap.3.

ERICVS Balbus Gothorum & Suconum rex, Tauestios idololatras Christi fidem suscipere coëgit. Io. Magnus l.19. c.15.

BOLESLAVS Polonorum dux, Stetinensem urbem, quæ Pomeranorum caput habebatur, expugnauit. Pomeranorum decem & octo millia cæsa, octo in captiuitatem abducta, paucis admodum cum suo principe relictis, qui Christo se nomina daturos promiserunt. Boleslaus Bamberga Othonem episcopum euocat. Otho impetrata ab Honorio II. licentia, itineri se accinxit, multis clericorum eum comitantibus, an. Sal. 1125. Commeatum uerò Imperatorem subministrasse, Auentinus scribit. Aduenienti Pomeranorum dux, magna stipatus satellitum cohorte, obuiam processit, multaq; excepit beneuolẽtia. In castro Pirissa cum sacerdotibus & clericis sibi adiunctis, diebus ferè uiginti, ad septem millia hominum baptizauit. Caminũ ueniens, & ducem & ducis coniugem cum gynæceo imbuit sacris. Dux uigintiquatuor concubinas, quas præter legitimam coniugem alebat, dimisit. Exactis Camini dieb. quinquaginta, conscensaq; nauicula, Iulinũ contendit. Ducis palatiũ ingressus Otho, multis tunditur uerberibus. neq; tamen corda adamantina emollire cessans, eos tandem adeò mites reddidit, ut ipsum numinis ferè loco deinceps uenerati sint. Hac ratione uniuersa ferè Pomeranorum natio in Christi castra transiit: estque Iulinum cathedralis Ecclesiæ sedes, auctore Othone, designatum. Helmoldus cap.41. Vrspergensis.

Narentani, qui Dalmatię litora, à Sclauis orti, & latrociniis infames, diu tenuêre, quum VENETIS multo infestiores essent, quàm ut ferri diutiùs ex ciuitatis dignitate possent: toties bello à Venetis petiti sunt, ut non priùs cum his sit bellari desitum, quàm inter pacis conditiones (petebant enim illam supplices) id præcipuè cautum sit, ut Christianam pietatem inprimis susciperent. Cætera uerò haud maiori studio exacta, nisi ut posthac à tam nefandis latrociniis abstinerent, à quibus Christiana pietas maximè abhorreat, restitutis interim omnibus quæ ad eam diem extorsissent. Egnatius libro 1. capite 1.

VBI, QVANDO.

In Peregrinatione.

Apostoli dimissa Iudæa, in diuersas prouincias, idolorum cultores ad religionem Christi conuersuri, dispersi sunt. ANDREAS Achaiam, PHILIPPVS Scythiam, BARTHOLOMÆVS Lycaoniam, IACOBVS Zebedæi Hispaniam, IOANNES Ephesum, THOMAS Parthiam, Hyrcaniam & Indiam, MATTHÆVS Macedoniam & Aethiopiam, IACOBVS Alphæi Hierosolymam, IVDAS Thaddæus Mediam, Mesopotamiã, Pontum, & cum SIMONE fratre Persidẽ, in sortem prædicationis accepêre: nulli labori parcentes, nullum uitæ discrimen deuitantes, dum communi omnium saluti consultum uolunt. Neq; tyrannorũ minis, neq; suppliciis deterriti sunt, ne Christi nomen ubiq; circumferrent. Sic in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorũ. Meritò igitur illi sedebunt super thronos cum Christo iudicantes, qui nunquam conquieuerunt Christum annunciantes. Marul. lib.3. cap.4.

In Acie.

ELPHEGVS Cantuariensis episcopus, capta & direpta Cantuaria à Danis, circa nonum Canuti regis annum, qui fuit Christi 1025. uel circiter, dum propagandæ religionis studio in densos hostium cuneos irruit, & barbaros ad ueræ pietatis cultum inter armorum strepitus pluribus hortatur, post multa tormentorum genera lapidibus obruitur, sexto administrati põtificatus anno: sepultusq; est Londoniæ, & in sanctorum numerũ relatus. Polydorus lib.7. Anglicæ historiæ, & Chronicon Hirsaugiense.

RELIGIONIS DISCIPVLI, AD ueram religionem conuersi.

Exempla aliquot pete ex Tit. Martyrum. Item Doctorum Ecclesiasticorum.

QVI. VIDELICET

Populi.

Circa annum Christi 574. ARMENII Christi fidem publicè cõplexi narrãtur. Sab. En.8. lib.3. Sigebert. Ex Armenia magna Christiani legatos ad Iustinianum miserunt, petitum, ut Romanorũ subiicerẽtur imperio, & liberè sineq; persecutione uerũ Deum colere & honorare possent. Euagrius lib.5. c.7. Euagrius lib.4. cap.22. & Zonaras ex Procopio memorãt, Iustiniano imperante ABASGOS fidem Christi, relicta idololatria gentili, palàm amplexos fuisse, Imperatore doctores eò mittente.

IMMIRENOS Persiæ populos, habitantes in extrema ora plagæ Australis, olim Gentiles, postea uerò, ab eo tempore quo ipsorum regina Salomonem Iudæorum regem inuisisse dicitur, factos Iudæos, sub Anastasio Imperatore Christianam religionem petito episcopo suscepisse, narrat Theodorus Lector. lib.2. & Nicephorus lib.16. cap.27.

Sub Imperatore Theodosio gens BVRGVNDIONVM, cũ à uicinis Hũnis, ac maximè ipsorum rege Sutphar, grauissimè affligeretur, de diuino auxilio quærendo cogitauũt. Verùm cũ in uariatione sententiarũ hærerent, cui nã in tanta gentiliũ numinũ turba sese potissimũ addicerent, uenit in deliberationẽ & Christianorũ Deus: & is sanè omnium iudicatus est non tantùm potentissimus, sed etiã præsentissimus in ferendo auxilio suis. Quare una mẽte & uoce, uni & soli Christo sese dedidêre: à Gallicano episcopo instituti & baptizati. Socrates lib.7. c 30. Sigebertus sub annũ Theodosij Imperatoris sextũ, Domini uerò 433. & Nicephor. lib.14. cap.40.

BRITANNIA prima omniũ prouinciarũ Christianã religionẽ populariter suscepit, an. Christi 182. Lucij regis an. 13. Fugatio & Damiano doctorib. ab Eleutherio pontifice missis, cùm antè Iosephus Arimathensis semina quædã illic sparsisset. Illa eadem Constantinum Magnum, qui primus Imperatorũ Christi religionẽ propagauit, tulit. Nam filius fuit Constantij Cæsaris, ex Coylli reguli Britanni filia Helena miræ pulcritudinis, in Britannia natus, & mortuo patre in Britannia Imperator creatus. Atqui cùm Pictorũ & Scotorum armis à fide denuò alienata gens esset, tandẽ missi eò per Gregorium pontificem Augustinus & Melitus monachi Angli, coadiuuãte etiã Bertha regina, genere Frãca, & Lethardo episcopo, qui cum illa uenerat, anno sal. 603. Beda lib.3. c.5. hist. Ang. Sigebertus in Chronico, & Polyd. lib.2.

Dum Constans Heraclij nepos ad gubernacula rerum sedit, in Anglia MERCIORVM gens ueram religionem accepit. Interfecto enim Penda rege gentili, Osuius rex Northanymbrorum primus apud eam gentem Christianus rex extitit: eiusq; exemplum Mercij secuti, omnes intra biennium sunt conuersi & baptizati. Beda lib.3 Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap.21. & 24.

Eodem tempore Eligius ex Galliis peregrinatus, docendo uerbum Christi, FLANDROS à Bononia ad Ostburgum usq; conuertit, & Ecclesiæ adiunxit, circa annum Domini 649. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Conuersus est à Melito Sigebertus Orientaliũ ANGLORVM rex: Cynigildus Orientalium SAXONVM rex à Berino, quẽ Papa Honorius eò miserat: GANDAVENSES ab Aichario Nouionẽsi episcopo, anno 633. ope Dagoberti regis Francorum: THEODO dux Bauariæ à Ruperto, Boioarię, Austriæ & Styriæ apostolo: ATREBATENSES à Chilleno Scoto eò misso à Pharaone episcopo Meldensi. Sub Heraclio Imperatore.

SCOTI, Donaldo rege auctore, ad Christum conuersi sunt anno sal. 203. à Scotorũ regni institutione 533. neque ab ea pòst ullis persecutionibus dimoueri potuere. H. Boëth. li.5.

Sub Iustiniano Chilianus à Conone Pp. in Germaniam missus, Franciæ superioris gentes conuertit, anno 688. VESTPHALI similiter ab Eualdo albo & Eualdo nigro. FRISII uicto Ratbodo duce à Pipino armis sunt coacti religionem suscipere, anno 696. misso ad eos Vuilibrodo Anglo.

VANDALI, gens urbibus & opibus florens quondam, diu Christianum nomen exhorruit, singulari superstitione idolis suis dedita: donec ab Danorum rege Valdemaro à mari, & ab Oriẽte à principibus Pomeranis, & à meridie ab Hẽrico Leone Saxonum duce, per arma cogerentur subire Christianismum. Cranzius in Metropoli.

Reges, Principes.

IZATES Adiabenorum rex, cum matre Helena, religionem Iudaicã amplexus est, Anania præceptore, qui circumcisionẽ tamen ei dissuadebat, ne populus defectionis ansam sumeret. At Eleazarus Galilæus tandem ut circumcideretur effecit, Dei gratiam hominũ timori præponendam asserens. Helena inde Hierosolymam profecta, templi uisendi causa, in summa annonæ caritate populum subleuauit. Izates ipse quinque suos filios eòdem misit, ut Iudæorum ritus & mores discerent. Contra Parthos & Arabes præclara designauit facinora, mortuus anno regni XXIV, ætatis LV. Helena mater in patriam rediit, neq; ita diu pòst obiit. Monobazus frater, qui ei successerat, ossa matris & fratris Hierosolymã misit, ut in tribus pyramidibus ab Helena extructis conderentur, tertio ab urbe stadio. Iosephus lib.20. cap.2. Antiq.

CÆSAREA Persarum regina, ueræ pietatis studio occultè cum paucis Christiani nominis Constantinopolim uenit, anno 683. Excepit uenientem Constantius Imp. exquisitissi-

mo apparatu, estq; haud multo pòst baptismi lauacro admota, cuius causa fuerat tam longum iter emensa. Misit Persarum rex legatos Byzantium, qui uxorem à principe reposcerent. Respondsum his est, reginam à nullo teneri, in illius potestate esse, abire ne uellet, an manere, ab ea scisciterétur quid in animo haberet. Appellata itaq; de reditu à legatis, negauit se ad uirum redituram, nisi ille suum exemplum secutus, priùs Christi fidem recepisset. Rex pientissimæ coniugis postulatis assensus, cum quadraginta millibus hominũ, pacato agmine Byzantium uenit. Is quoq; honorificè acceptus est. Ibi Persa cum uniuerso comitatu est baptismo admotus, ac tum demùm recepta coniuge in regnum reuersus est. Hæc Platina in Vitaliano ex Reginonis lib. 1. Sabellicus tamen lib. 6. En. 8. adductis aliquot rationibus non infirmis, de regina Parthorum illud mauult intelligi.

MAVVIA Saracenorum regina, ruptis post mariti obitũ cum Valente Imp. Rom. fœderibus, Palæstinam & Syriam infestare cepit, Rom. duces sæpiùs fudit, neq; pacem facere uoluit, nisi Moses Saracenicus eremita (qui ab Arianis proscriptus, circa Alexandriam & Palæstinam solitarius degebat) gentis suæ episcopus crearetur. Valens ergo summo studio Mosem quæri iussit, & inuentum, ab exulibus Orthodoxis episcopis episcopum creatum ad Saracenos misit, ubi Christi fidem felicissimè propagauit. Rufinus lib. 2. cap. 6. Socrates lib. 4 c. 36 Theodoretus lib. 4. c. 23. Sozomen. lib. 6. c. 38.

COSROEN Persarum regem, persecutorem Christianorum, in extremis uitæ diebus ad Deum cõuersum, Euagrius scribit lib. 4. cap. 28. Idem lib. 6. cap. 17. Circesium profectum scribit, eo animo, quò Christianorũ Deum inuocaret. Nicephorus libro 18. cap. 22.

Non multo pòst Cosroe ab Heraclio cum filio maiori natu interfecto, paruulus Cosrois FILIVS in Perside relictus, baptizatus est, & ab Heraclio regno præfectus. Aimoinus de rebus Francorum lib. 4. cap. 21. & Paulus Diaconus.

Dux Lazorum, Persiæ populorũ, ZATHVS nomine, regnante Cabade Persarum rege, à Persis defecit: & ad Iustinũ Seniorem Byzantium profectus, eum rogauit, ut Christianus fieret, & Rex Lazorum appellaretur. Iustinus pro filio baptizatum, & regem Lazorum salutatum, & corona chlamyde albâ Imperatoria ornatum, Senatoris cuiusdam filia in uxorẽ data, à se dimisit. Paul. Diac. lib. 15. Zonar. tomo. 3. Annal.

Anno primo Iustiniani Magni Imp. ad Romanos se contulit Herulorum rex GRETAS: Constantinopolimq; profectus cum suo populo ab Imp. obtinuit, ut Christianus fieret cum suis cognatis & consiliariis. Eaq; re confecta, lętus domum rediit, pollicitus, se Romanis quacunque in re uellent auxilio futurum. Cedrenus.

Anno eodem GORDAS regulus Hunnorum Boosporo uicinorũ, Romanis sese adiunxit, & factus est Christianus: cúmque fidem dedisset se Romanis rebus addictum fore, urbẽque Boospori custoditurum, & boum tributum exacturum (nam urbi Boosporo inde nomen est, quòd incolæ Romanis loco pecuniæ quotannis boues dabant) magnificè ab Imperatore donatus, domumq; dimissus est. Reuersus domum, fratri sui Imperatoris humanitatem liberalitatemq;, quinetiam se Christianum factum esse exposuit, atq; idem omnia Hunnorum simulacra confregit & conflauit. Eam ob rem Hunni irati, cumq; his Moageras eius frater, Gordam necauerunt, & regnum Moageræ tradiderunt: ac Boosporum profecti, tribunum Dalmatiæ & milites interfecerunt. Procopius libro 2. de bello Gothorum. Euagrius libro 4. cap. 20. Paulus Diaconus libro 16. Otho Phrisingensis libro 5. cap. 4. Cedrenus.

ALAMVNDARVS Saracenorũ seu Agarenorum princeps, ab orthodoxis institutus credidit, & baptizatus ad Christum cum populo suo conuertitur. Theodorus Lector lib. 16. Collectaneorum: Paulus Diaconus libro 15. Nicephorus lib. 16 cap. 35. Zonaras in Anastasio.

OLGA Russorum regina, defuncto marito, qui Romanos clasſe infestarat, se ad Imp. Constantinum Leonis F. contulit: ac baptizata, Helenæ nomẽ accepit. Domũ reuersa, misit legatos ad Othonem imperatorẽ, qui peterent sibi episcopos & presbyteros mitti, ad tradendã Christi doctrinã in suã gentẽ, an. Domini 959. Contin. Reginonis, & Zonaras. Schasnaburgensis ait, Adelbertum cò missum esse, qui pòst episcopus Magdeburgensis factus est, circa annum Domini 960.

THELERICVS Bulgarorum dux, ad Leonem Copronymũ fugit: & baptizatus, ab Imperatore patricij dignitatem accepit, anno Domini 778. Sigebertus. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum.

Narrat Euagrius lib. 6. cap. 23. tẽpore Cosrois regis Persarum, NAAMEN Scenitarum Barbarorum Phylarchum, qui sua ipsius manu homines dæmoniis suis mactabat, ad sacrum baptisma accessisse, & Veneris statuam auream, igne liquefactam, pauperibus distribuisse, ac simul suos omnes ad Deum adduxisse.

RICAREDVS Hispaniæ rex, in Toletana synodo duorum & sexaginta episcoporum, Ariana hæresi abdicata, orthodoxam fidem cum tota gente Hispaniæ complexus est. Turonẽsis lib 9. cap. 15. Gregorius Papa hoc Ricaredi factum magnificis laudibus prædicat prolixa epistola, lib. 7. Epistolarum, indict. 2. cap. 26.

Remigius Remorum episcopus baptizauit CLODOVEVM Francorum regem, cum exercitus parte trium millium. Turonensis lib. 2. capite 31.

ROLLO Normannorum dux, Franciam inuadẽs, inter sacros ritus Guimardum interficit: Floriacense cœnobium, incolis omnibus interemtis, flammis cõmittit, & pro libidine cuncta agit. Tandem uerò Gilla filia Caroli Simplicis, in uxorem ducta, non modò à uastationibus destitit, Neustria, quam dotis loco acceperat, contentus, uerùm etiam sacris & lauacro Christiano initiatus est. Ganguinus lib. 5.

Methodius Morauorum archiepiscopus, VVORZYVOM, ultimum Paganorum ducem in Boemia, unà cum coniuge Ludimilla, ad religionem Christi adduxit, anno Dom. 905. ac fertur Ludimilla miraculis quoq; claruisse. Schedelius.

CHABEAS satrapa Auarum à Carolo Magno persuasus, Christi religionem amplexus est. Lazius libro secundo, rerum Viennensium.

VITEKINDVS Saxonum dux uictus à Carolo Magno, & conuersus, equum nigrum, quem inter insignia gestabat, albo colore pingi curauit, ut testarétur se ex tenebris gentilibus ad ueram lucem esse traductum. Chronicon Saxoniæ.

BIORNVS Gothorum & Suconũ rex, à Carolo Magno Herbertum sacerdotẽ, à quo in fide institueretur, petiit. Eo mortuo, à Ludouico iterum Ansgarium Corbeiensem monachum obtinuit, anno Christi 816. qui Hamburgensis episcopus factus, Olaum regem Suconum cum tota gente conuertit, anno Christi 833.

A Gregorio Magno Pp. Augustinus & Mellitus missi sunt in Albionem, ut Anglorum gentem idololatram ritè institueret: quorum prædicatione & hortatu, ETHELBERTVS Saxonibus, qui Cantium tenebant, imperitans, tota cũ gente sacro lauacro immersus est. Aspernabantur utplurimum Saxones Britonum sacerdotum cum Gualiam incolentium doctrinam, tametsi ueram profiterentur, inuisæ gentis magis quàm disciplinæ odio. Ethelberti exemplum Angli quoque in Albione ad Meridiem & Orientem sedes tenẽtes secuti sunt. H. Boethius lib. 9.

CEDOALDVS Anglosaxonum rex in Britannia, Romam contendens, à Cuniperto Longobardorum rege exceptus, à Sergio pontifice baptismate initiatus, paulo pòst uita excessit. Corpus in diui Petri basilica sepultum: fortunæ in diuinum usum ex testamento erogatæ. Bonsinius lib. 8. Decadis 1. ex Bede lib. 5. cap. 7.

ERICVS Iunior, Danorũ rex, imitatione Regneri aui sui, summus Christianæ religionis persecutor, ad salutares Ansgarij Hamburgensis episcopi monitus, sacrilegæ mentis errore depositò, tantum in excolenda religione se gessit, quantum egerat in aspernãda. Saxo lib. 9. & Cranz. lib. 1. Metrop. c. 41.

GODSCALCVS Vandalus an. sal. 1000. Vandalorum persecutioni in Saxones Christianos præfuit. Aetate autẽ ingrauescente conuersus, totam penè maritimam Vandaliam Christo cõquisiuit, quam priùs auerterat, multiplicatis per urbes & uicos monasteriis. Sed ab impiis cum sacerdote interi docendum mactatus est ad aram. Inde Vandali populariter Christianismũ reiecerunt, persequentes omne nomen Christianum. Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 3.

Anno à Christo nato MCCCCLXXXIV. quidam eques, uir acris animi, nomine IACOBVS Canus, iussu Ioannis Lusitaniæ regis, oras Aethiopiæ perlustrauit, cũ rege Aethiopũ Congensium familiaritatem contraxit, eundemq; ad religionem Christi amplectendam cohortatus est. Missus à rege legatus cum pueris aliquot nobilibus, plus duobus annis in Lusitania commoratus est, ut meliùs & linguam, & religionis Christianæ disciplinam perciperent. Cùm uerò iam omnes essent lustralibus aquis expiati, Christíque nomen sacramento professi, Ioannes tres naues instrui iussit, quibus tam legatus, quàm pueri ueherentur. Misit præterea cum illis sacerdotes religione præstantes, cum sacris uasis & infulis, Christianæ religionis insignibus, qui gentem sacris sanctissimis expiarent, & ad disciplinam Christianæ pietatis erudirent. Statim templum ædificatum propter flagrantissimum Regis studium, & innumerabilem multitudinem, quæ operas uigilantissimè dabat, & Sanctæ Crucis nomine consecratum. Dum hæc geruntur, cùm fuisset illi nuncius allatus, gentes illi subditas, quæ insulam in medio ingentis lacus sitam incolunt, quam fluuius nomine Zairus efficit, ab illius imperio defecisse, illarum impetum & audaciam per se comprimere & uindicare constituit. Antequam uerò proficiscereturi, sacris aquis expiari, & nomen Christi profiteri uoluit. Quod similiter & Regina, & aliquot uirà nobiles

nobiles effecerunt. Is IOANNES appellatus est, Regina uerò LEONORA. Tradidit illi uexillũ Rodericus Souta, Lusitaniæ classis præfectus, imagine Crucis illustratum: illúmq; admonuit, ut confideret, se uirtute Crucis uictoriam de hostibus adepturum. Is fiducia nominis Christiani subnixus, hostes primo impetu profligauit, multoque celeriùs, quàm potuisset quisquam suspicari, bellum confecit: domumque reuersus, Souſam cum multis amoris signis dimisit. Regis inde filius natu maximus fidem Christi recepit: Alfonsíque nomen, propter Alfonsum Ioannis Regis filium, usurpauit. Mortuo patre, Alfonsus regnum obtinuit. Sed Parisus Aquitimus frater eius idolis deditus, magno exercitu illũ incautum & regno & uita exuere tentauit. Alfonsus perexiguo militum numero stipatus, adhortatus est suos, ut firmissimè crederent, cœleste auxilium eis minimè defuturũ. Commisso prælio maximis uocibus Christi numen inuocabat, & opem Apostoli Iacobi (quod Hispanos facere in bellis acceperat) implorabat, & has uoces magna contentione identidem repetebat. Hostes subito timore perculsi, terga uerterunt. Et cùm prima acies se in fugam coniiceret, secundam aciem impressione facta perturbauit, atque similiter fugere compulit. Parisus in syluas se abdere uolens, in cippum incidit (sic enim appellant instrumentum, ad feras capiendas in syluas appositum) & ibi captus est cum DVCE, quem secum propter uirtutis militaris opinionem coniunxerat. Is Dux cùm se captum animàduerteret, iniit ad Regem, qui diceret, se mortem minimè deprecari, quam se meruisse iudicaban. Hoc tamen per illum summum Deũ, quem Rex ipse colebat, orãre, ne se pateretur ad supplicium trudi, antequam Christianus fieret. Addidit præterea, tantam hominum multitudinem à tam paucis hominibus nulla ratione uinci atque superari potuisse: sed semiaguam militum copiam in equis insidentem, & crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, ut omnium oculos perstringeret, in prælio conspexisse, cuius metu perterritus, terga repentè dare coactus sit. Quare se minimè dubitare, solius Christi numen esse summa fide colendum, & sempiterna prædicatione celebrandum. Alfonsus uiuum conseruauit, fideliq; illius opera multis in locis usus postea fuit. At frater partim ex uulneribus, quibus in præcipiti ruina percussus fuit, partim ex dolore intra paucos dies mortuus est. Osorius lib. 3. rer. Em.

Magi.

MAGI Ephesij plurimi ad fidem à Paulo conuersi, libros magicos exusserunt. Act. 19.

ANASTASIVS Persa magus, à captiuis Christianis in Perside conuersus, Hierosolymam uenit: ibiq; baptizatus, in monasterium Anastasij abbatis sese abdidit, ac septem annos ibi exegit. Adon Viennensis ætate sexta. Beda de ratione temporum, sub Heraclio.

CYPRIANVS Damascenus magus, cùm Iustinam uirginem in amorem Aglaij iuuenis pellicere moliretur, ac dæmones nil sibi in eam iuris esse, quòd Christiana esset, dicerent: relictis dæmoniis, baptizatus est, factusq; postmodùm episcopus, Christíq; martyr. Marul. lib. 2. cap. 9.

Philosophi.

Abbatem Antonium aliquando ad hæreticos conuincendos, relicta solitudine, Alexandriam uenisse legimus. Accesserũt quidam PHILOSOPHI quasi rusticano homini & literaturæ ignaro illusuri. Verùm ubi loquentem audissent, demirati uerborum uim, sententiarumq; grauitatem, ueritati ab eo prædicatæ adhæserunt. Marul. lib. 3. cap. 4.

Alexandriæ episcopus admodùm religiosus uicinum habebat quendam philosophum, EVAGRIVM nomine, Græcæ superstitioni addictũ, qui in schola sodalis episcopi fuerat. Hũc episcopus à uæsano falsorũ numinũ cultu ad fidẽ Christianã traducere cupiens, identidẽ protrahebat, cumq; eo disputabat. Sed philosophus magis magisq; ueræ religioni infensus, fertur episcopum in hæc uerba allocutus: Profectò, episcope, præter alia & hoc mihi improbatur, quòd mũdi finẽ fore uos Christiani dicitis, corpora resurrectura de mortuis, & pro acta uita cuiq; mercedem redditum iri. tum qui pauperi misericordia motus largiatur, eum sua apud Deum in fauore ponere, receptumq; centuplum cum uita æterna. Episcopo nihil uanitatis aut ludibrij inesse Christianæ doctrinæ summoperè affirmante, ita discessit Euagrius, ut qui animi ualde dubius esset. Aliquanto pòst tempore, Deo episcopi doctrinam adiuuante, credidit, & baptizatus est: utq; erat prædites, attulit ad episcopum CCC. aureos libras, quas ille pauperibus distribueret: data sibi cautione manu propria scripta, Deum ista redditurum. Episcopus pecuniam accepit, eamq; data syngrapha inter egenos diuisit. Philosophus autem aliquot adhuc annos cùm piè uixisset, moriturus suis liberis præcepit, ut sibi in manum inserrent syngraphamistam, atque secum unà sepelirent. His ita factis, tertio pòst die episcopo in somnis uisus est Euagrius, ita alloquens: Accede ad sepulcrum meũ episcope, & recipe syngraphamtuam: redditũ est enim mihi debiti centuplum, neq; habeo quod à te exigam: sed & quò plenius tibi, caueretur, manu mea subscripsi. Diluculo episcopus philosophi filios ad se uocauit, cumque ex iis resciuisset chirographum cum Euagrio fuisse sepultum, cum clero urbis ad sepulcrum accessit. Quo aperto, inuenerunt philosophũ sedentem, manumque cum charta protendentem. Quam cùm uellent clerici eximere, nemini eorum concessit: episcopo autem manum explicante, eam statim dimisit, ac recubuit. Episcopus charta in conspectu omnium aperta, inuenit recẽs manu philosophi subscriptum ita: Euagrius philosophus sanctissimo episcopo domino meo Synesio S. Scias pater, me cẽtuplum debiti recepisse, neque eo nomine habere, quod abs te exigam. Scripta scheda in armario asseruari iussa. Cedrenus.

Rhetores.

Beatus CYPRIANVS, oratoriam docens Carthagine, audiuit tandem sermonem Ionæ, & ad pœnitentiam conuersus, in tantam uenit uirtutem, ut Christum publicè prædicaret, & pro illo ceruicem gladio flecteret. Hieron. in Ionæ c. 23.

Medici.

IOSEPHVS Hebræus medicus, hoc pacto conuersus fuit. Basilium Magnum morbo grauiter affectum adiẽs, deprehensis mortis signis, eum uesperi illius diei decessurum dixerat. Ibi Basilius, Quid, inquit, si & alterum diem superuixero? Sic ille tunc Christianum fore, respõdit. Igitur Basilius orando à Domino impetrauit exitus dilationem: maneque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad ecclesiam uenit, ac ludæum tanto miraculo stupentẽ baptizauit: quem sæpè antehac testimoniis Scripturarum conuictum flectere nequiuerat. Mox deinde ad stratum suum rediens, subitò expirauit. Marulus lib. 2. cap. 7.

Legati.

Armuziensis regis Legatus in Lusitaniam ad regem Emmanuelem pacis causa missus, an. 1513. erat natione Siculus. Fuerat autem in pueritia à piratis captus, & Mahumetis discipulis imburus. In Lusitania uerò religione tactus, fectam Mahumetis execratus, ad Christi fidẽ conuersus, NICOLAVS Ferreira deinceps appellari uoluit. Osor. lib. 10. rer. Em.

Captiui.

OLHA, soror Bogoris principis Bulgarorum, capta, Constantinopoli in aula religionem Christianam edocta, baptizata, & Helena dicta, ad suos reuersa, pietatis ueræ suscipiendæ auctor fratri fuit. Zonaras, & Cedrenus.

Obsides.

Carolus Magnus, Burchardo Herbipolensi episcopo duodecim ADOLESCENTES, ex illustribus parentib. Saxonum natos, quos obsides acceperat, seruandos & eruiendos in doctrina pietatis commisit: ut narrat Capgrauius & Lelandus, teste Balæo centuria 13. cap. 37. Osnaburgensi episcopo scholam aperire præcepit. Cranzius in Metropoli lib. 1. c. 2.

Publicani.

ZACHÆVS publicanorũ princeps, Christum hospitio suscipiens, quem uidere flagrauerat, xenia ab illo accepit meliorem mentem, & dimidio bonorum in pauperes erogato, rẽ missionem peccatorum à Christo consecutus est. Lucæ 19.

Latrones.

MYTIO Aegyptius, latro. Vide infrà, Ab Angelis.

Iudæi.

☞ *Vide infrà, A Dæmonibus.*

Sub Tiberio Cęsare, quidam IVDÆVS Romæ agens gerebat se pro Mosaicæ legis interprete, adscitis in societatem tribus aliis per omnia sui similibus. His cùm se in disciplinam dedisset. Fuluia mulier nobilis, amplexa legem Iudaicam, persuaserunt ei, ut purpuram & aurum in Hierosolymitanũ templum mitteret. Quæ tamen accepta illi in proprios usus uerterunt. Iosephus lib. 18. cap. 5. Antiquitatum.

ZEÑON Alexandrinus Iudæus, publicè genti suæ nunciũ remisit: albo asino, per eorum synagogam sabbatho, ut apud eos receptum est, traducto. Suidas.

Tantus erat in Sisebuto Vestgothorum rege fidei zelus, ut ad eius exhortationem nonaginta IVDÆORVM millia susceptо baptismi sacramento ad Christum conuerterentur. Obid in Decretalibus, præsertim in titulo de Baptismo, religiosissimus Princeps appellatur.

PETRVS Alfonsus à Iudaismo ad Christum conuersus, antequàm baptizaretur, fidei suæ rationem reddidit, ut patet ex Præfatione dialogi ipsius. Annò à natiuitate Domini 1106. ætatis eius 44. mense Iulio, die natalis Apostolorum Petri & Pauli. Vnde illi ob memoriam eiusdem Apostoli, nomen Petri impositum. Fuit pater eius spiritualis Alfonsus, Hispaniæ rex, qui eum de sacro fonte suscepit: quare nomen eius

præfato nomini apponens, Petrus Alfonsi uocatus est. Vide Tit. Doctorum ecclesiasticorum.

IVLIANVS, cognomento Pomerius, circa an. sal. 690. in Hispania claruit. Is ex Iudæo Christianus factus, tantam omnis generis doctrinæ, præcipuè autem sacrarũ literarum cognitionem est consecutus, ut tertio post Ildefonsum ordine in Toletanum archiepiscopatum suffectus sit. Scripsit uir iste sanctissimus libros complures, obiitque 8. Kal. Martij, quo in ecclesia Toletana festum eius celebratur. Tarapha in regibus Hispaniæ.

A QVIBVS CONVERSI.

Ab Angelis,

CORNELIVS Centurio Cæsariensis propter orationes & ieiunia & eleemosynas frequentes Deo charus, per uisum ab angelo ad Petrum accersendum monitus, cum tota sua domo baptizatus, & ante baptismum spiritum sanctum perce pit. Actorum 10. Qui propterea quòd primus ex Gentibus credidit, primusque gratiam baptismi susceperit meruit, iurè primitiæ Gentium dici potest, Origenis testimonio, super Numerorum libro.

PETRVS Constantinopolitanus, cognomẽto Telonarius, ad pietatem conuersus per ecstasin, cùm opib. afflueret, dubitatũ est, utrũ ditior, an auarior esset. Aliquando mendico cuidam stipẽ importunius petenti panem recẽs coctũ ex furore in faciem ingessit. Inde aduersa ualetudine correptus, narrauit sibi uisum fuisse, postquam horis aliquot exanimis iacuisset, se ante tribunal Dei in cœlo sisti, ab aliis accusari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata sua appendi: in altera unicum panem illum, quẽ ipse quondã proiecerat iratus. Et cùm exæquatum utrinq; pondus staret, reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præponderaret iussum. Vbi conualuit, quę cupidè conflauerat, liberaliter cepit effunde re, neminem indigentem opis suæ expertem fieri passus. Marulus libro 1. capite 2.

MVTIO Aegyptius, naturâ ferox, & latrociniis deditus, ita ut etiam sanctorum delubra expoliando prophanaret: uidit tandem in quiete uirum forma habituq; augustiore quàm humano, comminantem sibi necem, nisi protinus à flagitiis sacrilegiisque se submoueret. Cumq; pauore perculsus repentè euigilasset, nihil moratus ad ecclesiam confugit: & baptismate susceptо eremum petiit, ubi & abbatis dignitatem sustinuit. Tantæque sanctitatis fama breui illustratus est, ut aliquando iter faciens, solem stare (sicuti de Iosue & Ezechia legimus) fecisse feratur. Iactent se gentiles Romani orbem subegisse terrarum, uirtute ac robore ante omnes semper stetisse. Sideribus imperare, non nisi fidelium fuit. Marulus lib. 2. cap. 8. & Fulg. lib. 6. cap. 9.

In Persia mulier quædam GOLINDVCH, genere & superstitione Magorum, è singulari Dei consilio per ἔκστασιν extra se rapta, ab angelo Dei ad Christianam fidem mirabiliter conuersa est. Nicephorus lib. 18. cap. 25.

Tempore Heraclij Imp. HEDVINVS rex Northanymbrorum conuersus est à Paulino episcopo, non quidem temerario ausu, sed re diu multũq; deliberata. Primùm enim ambiẽs Edilbergam, filiam Edilberti regis Cantiorum, non ita pridem ab Augustino conuersi, hac conditione ei spes connubii facta est, si religionẽ Christianã susciperet. Quod dũ promitteret, optatis nuptiis est potitus. Ac misit Edilbertus cũ sponsa Paulinum episcopum, qui eum de doctrina Christi institueret. Verùm ipso diu frustrà laborante, tandem etiam Bonifacius Papa, per literas ad ipsum & coniugem eius scriptas, maximoperè argumentis & rationibus eum ad amplectendam religionẽ est hortatus. Accessit & illud, q̃ peculiari uisione est admonitus. Fugiens enim aliquando Edilfridum, qui ante ipsum regnarat, diu in exilio uagatus, tandẽ ad Redualdum Orientalium Anglorũ regem diuertit, uitã ac salutẽ suam ipsi committens. Ibi cùm Redualdus ab Edilfrido sollicitatus, decreuisset uiuũ ipsum hosti tradere, aut domi interficere: isq; de ea re certior factus, per noctẽ uigilans sederet, tristi gemitu mortẽ expectãs: uidit intempesta nocte ad se uenientem uirum incognitum, qui consolatus eum, dixit: Se non solùm ex hoc periculo ipsum uelle eripere, uerùm etiam ad regni fastigium præter spem & opinionem suam euehere, si promitteret, q̃ postea de certiori salutis æternæ uia edoctus, itidem sibi obtemperare uellet. Ille de uita & regno anxiè sollicitus, citra hęsitationẽ illud promittit. Quare & diuinitùs liberatus, mutante Redualdo sententiã, & ipsum armis contra Edilfridum propugnante, ad regnũ peruenit. Oblitus autẽ postea huius diuini beneficij, cùm Paulino prædicanti assentiri non uellet, aliquando rursus ipsi eadem uisio comparuit, eum promissi commonefaciens. Inde moueri cepit, ut cum suis consiliariis rem deliberaret. Cognoscẽtes igitur illi de doctrina Paulini, cùm promissiones de resurrectione mortuorum & æterna beatitudine audirent, manibus ac pedibus (ut dicitur) in eius sententiam iuerunt omnes, ac Regi auctores fuerunt, ut amplecteretur illam religionem. Ita demum Heduinus, relictis idolis conuersus est. Et memorabile est, quòd eius archisfamen Coifi, meliora edoctus, suas aras & fana primus succendit. Beda libro 2. Ecclesiasticæ historiæ Anglorum, cap. 9. & seq. Polydorus lib. 4. Anglicæ Hist.

A Dæmonibus.

Tempore Theodosij iunioris, multi IVDÆORVM in Cretа Christiani facti scribuntur, hac occasione. Quidam Mosen sese esse metiebatur, ac promittebat sese ipsos in tertiam repromissionis introducturum per mare sicco pede, quemad modum olim quoq; fecisset. Iam se euadẽ esse: qui & mandatum haberet, ut hoc nunc denuò faceret. Quare omnes sese præpararent, & ad diem certum uniuersi adessent. Circuibat autem singulas totius insulæ ciuitates, integri ferè anni spacio, Iudæis ut fidem sibi haberent persuadens: monensq;, ut omnes pecunias & possessiones relinquerent, maiora multò in terra promissa recepturi. Iudæi hac spe fascinati, res suas negligere, easq; alienis quibusuis permittere. Vbi dies constituta aduenit, multitudo, quæ copiosa cõfluxerat, ducem suum strenuè sequitur. Ille cùm in scopulum quendam summum in pelagus se porrigẽtem eos duxisset, iussit ut omnes in mare desilirent: nihil enim periculi fore. Id cùm quidam fecissent, in undis perierunt: cæteri in locis abruptis ac præcipitibus, in discrimẽ uitæ adducti sunt. Moses ille confestim disparuit. Quidã uerò à Christianis piscatoribus & mercatoribus, ex præsentissimis periculis liberati sunt. Tandem autem fraude patefacta, plurimi ex iis qui reliqui manserant, Christianam amplexi sunt religionem. Paulus Diaconus lib. 14. & Nicephorus lib. 14. cap. 40.

CYPRIANVS Damascenus, primùm quidem magus & gentilis, deinde uerò episcopus, Christiq; martyr. Cùm enim totis maleficorum uiribus Iustinam uirginem in amorem Aglai iuuenis, qui eam deperibat, pellicere molitus fuisset: & dæmones re infecta reuersi, nullũ sibi in ipsam peccandi locũ relictũ dixissent, eo quòd crucis munimine castitatẽ sua protegereret: cõtinuò relictis dæmoniis Christianorum religionẽ sequi decreuit. Baptizatus ergo, tantum fide & sanctitate profecit, ut ad episcopatum promoueri meruerit, & martyrio coronari. Idem igitur qui magis feminam uincere nullo modo potuit, Christianus factus, tyrannorum tomẽta facilè superauit. Marul. lib. 2. cap. 9.

IVDÆVS quidam à dæmonibus mirabiliter conuersus fuit. Fortè enim accidit, ut is ex Campania Romã profectus, ad cliuũ Fundanum ueniens, in Apollinis tẽplo pernoctare cogeretur, Media nocte dæmones adsunt. unus ex illis industriã suam in Andrea eius loci episcopo ad luxuriã cum moniali quã iam senex apud se alebat, patrandã, commouẽdo iactus, à principe dæmonũ ad rem perficiendam instigatus fuit. Incidẽtes deinde in Iudæũ (qui se, superstitione potiùs quam pietate motus, crucis signo munierat) quia crucesignatus erat, exclamarũt: Væ, Væ, uas uacuum & signatum, hocq; dicto disparuerunt. Iudæus mane rem Andreæ indicãs, ad Christum cõuertitur. Andreas à stupro præseruatus.

Habet Eusebij historia, quã Ruffinus interpretatus est, quædã de Apollinis fano & oraculis in Alpibus, li. 7. c. 25. Gregorio iter fuisse quõdam per alpes dicitur, hyemis tẽpore: & cùm peruenisset ad summum alpium iugum, niuibus repleta erant omnia, nullum usquam diuersorium: phanum ibi tantùm Apollinis erat: cui succedens, transacta nocte discessit. SACERDOS uerò erat quidã phani eius, cui consuleresimulacrũ Apollinis mos erat, & reddere responsa poscentibus, ex quo ei etiam alimoniæ quæstus esse uidebatur. Igitur post digressum Gregorij, offerre cõsulta, & responsa poscere sacerdos accessit ex more, nihil inde rẽsponsi ueniebat. Repetit uictimas, silentium permanet, iterum atq; iterũ litat, surdis ingerit fabulam. Cumq; stupore noui silentij æstuaret sacerdos, nocte assistẽs dæmonium, dicit in somnis: Quid me illic inuocas, quò iam uenire non possum? Percontanti causam, aduentu se Gregorij dicebat expulsum. Quid remedij daretur, cùm perquireret: ait, nõ aliter sibi licere ingredi locum illum, nisi Gregorius permisisset. Quibus auditis, sacerdos occupat uiam: multaq; apud semetipsum uoluens, atq; animo recusante pertractans, peruenit ad Gregoriũ: adortusq; eum, rem pandit ex ordine, humanitatis suæ atq; hospitalitatis admonuit, querelã depulsi numinis promit, ademtamq; facultatem sui quæstus deplorat, ac reddi sibi omnia in pristinum statum deposcit. At ille nihil moratus, scribit epistolam in hæc uerba. Gregorius Apollini. Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ consueuisti. Hanc epistolam sacerdos accipit, & ad phanum defert: positaque ea iuxta simulacrum, affuit dæmon, ac dedit responsa poscenti. Tum ille in semetipsum conuersus ait: Si Gregorius iussit, & Deus ille discessit, nec potuit redire nisi iussus, & rursum iubente Gregorio restitutus est, quomodo non multo melior isto Gregorius, cuius hic obtemperat iussis? Clausis igitur ianuis phani, descendit ad Gregorium, epistolam

pistolam suam quam acceperat referens, omnemque apud eum rei gestæ ordinem pandens: simulq; se ad pedes eius prosternens, rogat ut illi se Deo offerat, cuius uirtute diis gentium Gregorius imperabat.

A Mulieribus.

☞ *Vide Tit. Religiosis doctores, Coniuges.*

Erat Iuliano Imperatori Sacerdos Idolorum: cuius uxori amicitia intercesserat cum muliere Christiana, ad quam sæpè uenit prophani sacerdotis uxor, ducens secum FILIVM adolescentulum. Illa adolescentulum complexa, ad pietatem Christianam paulatim formauit. Mortua matre, adolescens pro consuetudine ad mulierem illam quasi ad magistrã accedit sæpiùs, doctrina eius eruditur, & Christianus euadit. Exosus igitur patris superstitionem, quærit aliquãdo ex ea, Quónam pacto effugere patris sui superstitiones posset? Respondet illa, patrem deseri, & præferri ei Deum creatorem oportere. Dat simul consilium, ut in aliam quandam ciuitatem se recipiat, in qua patrem latere possit. Veniam igitur, inquit, adolescens, ad te, animam meam apud te depositurus. Habitabat autem illa mulier Antiochiæ. Venit interea Iulianus Daphnem, ibiq; per septẽ dies publicum festum celebrat. Adest ibi sacerdos, & filium quoq; se comitari iussit. Ille uerò oportunitatẽ nactus, fugit Antiochiam ad mulierem. Illa ducit eum in ædes Meletij episcopi, qui adolescentem in superiori domo occultare sese iussit. Sed pater insecutus, cùm ad Meletij ædes ueniisset, fortè prospicientẽ per cancellos adolescentẽ agnoscit: in ædes irruit, abstrahit, domũque reducit. Ibi cùm causam suæ fugæ, & odium superstitionis paternæ exposuisset, abripit eum, ac flagris & uerubus candentib. excruciatum prius, tandem in cubiculũ concludit, ostio obserato. Adolescens inde miraculosè liberatus, postea etiã patri ipsi, ut Christianus fieret, auctor fuit. Hęc se ex ipso, sed iã sene audiuisse Theodoretus narrat, lib. 3. c. 14.

IACOBVS Persa, cùm antea fuisset Christianus, in gratiã regis Isdigerdis ab Ecclesia deficiens, ad gentilismum transierat. Verùm hortatricibus matre & uxore redierat ad Ecclesiam, gentilicia uanitati usqueadeò renũncians, ut propter ueritatis professionem nouũ martyrij genus perferre non recusaret. Nam regis iussu resecantur ipsi omnium membrorum singuli articuli, ita ut corporis tantùm truncus cũ capite remaneret. Verùm cùm ne sic quidem ad abnegandum Christum adduci posset, tandem & caput ferro ei amputatur. Nicephorus lib. 14. cap. 20. Hunc à supplicij genere alij Denodatum, alij Intercilium cognominarunt, alij Deartuatum uocant. Marulus lib. 5. cap. 5.

A Poetis.

Romæ SECVNDIANVS Togatus, præfectus Decij, Verianus item pictor, & Marcellianus orator eloquentissimus, persecutores omnes, & numinum cultores, commoti constantia Christianorum, de religione eorum disserere & confabulari ceperunt. Vbi in manus atq; mentem illis uenère uersus illi Virgiliani, ex oraculis Sibyllæ descripti:

Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sęclorum nascitur ordo:
Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Quibus accuratiùs lectis & consideratis, adflati diuino spiritu, religionem Christi ad martyrium usq; sub Decio, professi sunt. Vincentius lib. 10. cap. 50. Iisdem quoque carminibus P. PAPINIVS Statius iunior poeta ad Christum conuersus scribitur à Dante Aligero. Gyraldus Dialog. 4. hist. poet. Itaque Gul. Postellus in tanta calamitate & interitu autorum ueterum, Maronem diuinitùs seruatum autumat, ob hoc tam præclarum testimonium, à stulto poeta licèt ad Pollionis filium translatum.

A Captiuis.

☞ *Vide Epistolam, Miraculis conuersi.*

ANASTASIVS Persa magus, à captiuis Christianis in Persida conuersus, Hierosolymam uenit: ibiq; baptizatus, in monasterium Anastasij abbatis sese abdidit. Adon Viennensis ætate sexta. Beda de Ratione temporum, sub Heraclio.

FROTHO Danorum rex, in Britanniam irruit, recuperaturus suorum maiorum ditionem. A Christianis, quos subegit, & ipse Christum agnouit, & sigillo gratiæ obsignatus est. Crãzius in Dania lib. 4. cap. 15. circiter annum Domini 870.

A Legatis.

EVTYCHIVS Constantinopolitanus episcopus, corpora nostra post resurrectionem aerea & impalpabilia fore asserebat, eò potissimùm argumento ductus, quòd in sacris habetur, Caro & sanguis non uidebit Deum. Sed à Gregorio Magno legato Pelagij Pontificis, distinctione carnis, ad meliorem mentẽ conuersus, Ite, ait, & Pelagio renunciate meis uerbis, Scio quòd redemtor meus uiuit, quodq; in nouissimo die hac pelle circumdabitur hæc caro mea, quodq; his oculis Deum meum sim intuiturus.

IN PERSIDE Christianissimum dilatatum esse, scribit Paulus Diaconus sub Arcadio Imperatore: idq; occasione regiæ ut telæ, & mediante Mesopotamiæ episcopo Marutha. Arcadius enim Imperator uitæ suæ finem haud ita procul abesse sentiens, ne filiolus Theodosius ætatẽ immatura, uel etiam Respublica quid detrimenti caperent, instituit Persarum regem Isdigerdem tutorem filij & Imperij. Ea res nõ paruam occasionem præbuit ultrò citroq; mittẽdi legationes. Qua cùm semel atq; iterum fungeretur Maruthas episcopus Mesopotamiæ, ipsius pietate & industria patefacta nimirum Magorum impostura, mirum in modum ampliata est in Persida Christiana religio. Nicephorus lib. 41. cap. 48.

QVOMODO. CONVERSI AD PIETATEM.

Miraculis.

NAAMAN Syrus à lepra curatus, Israelitarum religionem se in posterum professurum pollicetur. 4. Reg. 5.

SERGIVS Paulus, Cypri proconsul, à Barieſu Elyma mago Iudæo seductus, cùm Paulus Apostolus Elymam cæcitate percussisset, ad fidem Christianam conuersus est. Act. 13.

Philippis CVSTOS carceris, cùm nocte media carceris fores omnes terræmotu apertas uidisset, Pauli Apostoli prædicatione ad fidem conuersus est. Act. 16.

Bartholomæo apostolo in India templum ingresso, idolum Astaroth desiit responsa dare, atq; obmutuit. Demum iussu apostoli, se non Deum, sed diabolicum esse seductorem hominum confiteri cepit, ut cùm sibi cultum diuinum exhibuerint, secum simul ad inferna ruant. Tunc rursum iubẽte apostolo, simulacrum in puluerẽ redigitur: terrimus dæmon cathenis igneis circũligatus, uisibiliter apparet: omnibusq; palàm fit, quàm peruersa hactenus fuerit eorum religio. Ille magno & horrẽdo edito ululatu, è medio abit: populus conuertitur, templum Deo uero dedicatur. POLEMVS rex baptizatur, relicto regno apostolũ sequitur: ut in pauperta te Christum adoraret, qui in diuitiis & potentatu adorauerat diabolum. Marul. lib. 2. c. 8. & Sab. lib. 5. cap. 4.

DIONYSIVS Arcopagita in Aegyptum abiit, unaq; cum eo fuit Apollophanes rhetor. Tempore passionis ambo fuerũt unà Heliopoli in Aegypto: cumq; defectus Solis contra naturam accidisset (neq; enim interlunij tẽpore erat, sed admirabiliter Luna in Solem inciderat, ab hora sexta usq; ad uesperã, & in Solis oppositum supra naturã eadem fuerat restituta) Apollophanes quasi uaticinãs exclamauit, Vices hæ sunt rerum diuinarum. At Dionysius respondit: Aut Deus patitur, aut uicẽ patientis dolet. Michael Syncellus Hierosolymitanus in laudatione magni Dionysij, teste Suida. Athenas reuersus, cũ apostoli Pauli prædicationes audisset, & ea quę sibi iã similia ueri uidebantur credere adhuc dubitaret, uerbis fidẽ se habiturũ dixit, si Paulus cęco, qui fortè aderat, Christi inuocatione usum restituisset. Tũc ille, Ne me, inquit, magico carmine usum Dionysi suspicari possis, tute ipse accedẽs, cęco illi iube ut uideat in nomine Dñi Iesu Christi. Id ubi peregisset, ꝓspero eucту, ꝓtinus Areopagũ reliquit: atq; apostolũ secutus, & ipse Christũ prædicare gentib. cepit. Marul. lib. 2. c. 10. Apollophanes in cæcitate sua perstãs, Polycarpum uirum sanctiss. grauiter insectatus est. Suidas.

CONSTANTINVS Magnus Imp. idolorum cultum, cui impellente Fausta uxore sua aliquandiu adhæsit, adeò ut etiã sacrificarit, post Maxentium deuictum abnegauit: baptismũ uerò in senectam usq; distulit, quòd profectionem in Persas susciperet, & in Iordane baptizari secum constituisset. Conuersus est in hunc modum. Factus Imperator, cùm illa sibi animo proposuisset, quæ regno necessaria esse intelligeret, primùm omnium de Deo quem coleret, cogitare cepit: scilicet, cum quem pater suus Constantius coluisset, regnique custodem, & omnis boni largitorem expertus esset, colere secum cõstituit. Mox precib. inuocat eum Deũ: ac ut se, quis esset, ostenderet sibi, orat. Hæc indesinenter oranti ostẽtum trophæi crucis è luce construcũ, in cœlo declinãte die tum sibi, tum exercitui suo apparet, additam habens scripturam hãc, In hoc uince. Obstupefactus eo signo, dum cogitabundus secum quærit, quorsum pertinear, aut quid moneatur: ẽce illa proximè sequenti, dormienti sibi adstitit, cum signo, quod in cœlo uiderat, Christus, monens ut ad eius formam trophæum compararet, coq; contra hostes præsidij loco uteretur. Hoc ab Imperatore audisse se iureiurando affirmari, Eusebius tradidit lib. 1. de uita Constantini. Tale igitur signũ fieri Imperator curat: iubet & illius similitudines præferre omnẽ exercitũ. Deinde ad se sacerdotes uocat, de Deo illo, & ratione signi, quod sibi apparuerat, doctrinam ab iis exigẽs. Illi de Deo uno, ac filio suo, de causis aduentus eius in carnẽ, accuratissimè eum instruũt. Ipse uerò cupidissimè, & cum gaudio quæ dicerent illi, animaduertit, & animum ad lectionem diuinarũ scripturarum adiungit, cœlesti illa uisione & admonitione subinde sese confirmans. Signũ illud

postea Imperator Maxentio victo, Romam ingressus triumphans intulit, Senatum exhortatus, ut ueri Dei cultum amplecteretur. Senatus Imperatoris pedes complectitur, lacrymis obortis colla uexillis inclinat: Christum, cuius & nomen & signum arma triumphantia ostentabant, adorans. Itaq; ut Prudentius lib.1. contra Symmachum scribit,

Tum primùm senio docilis tua secula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum religionibus annos.

Nicephorus lib.7.cap.34. anno eo quo Constantinus baptizatus sit, duodecies mille uiros, exceptis mulieribus & pueris, ad CHRISTVM accessisse, & baptizatos esse, scribit.

Antiochiæ paganus QVIDAM ex ordine iudicum eius loci, cùm excubans noctu ad prætorium, ex tractu quodã & congerie stellarũ ducta in cœlo, & descripta, legisset hæc uerba: Hodie Iulianus in Persia occiditur. Siue tum ex nece Iuliani, religionẽ, pro qua tãopere Iulianus depugnatat, falsam esse ratiocinatus est: siue quis alius accessit motus: hac uisionis occasione Christianam religionem amplexus est. Zon.

Cùm Valens Imp. monachos Alexandrinos persecutionibus adfligi lege præcepisset: Lucius Arianus cõtinuò monasteria in Aegypto tyrannide aggressus est: aliisq; post alios diuersis suppliciis affectis, aliis pulsis & fugatis, patres monachorũ, qui tum ambo Macarij erãt, Aegyptius & Alexandrinus, exilio mulcauit. Relegati igitur in insulam quandã PALVDIVM, quæ neminem Christianũ habebat incolam: tẽplum ibi offendunt, quod curabat sacerdos, quẽ insulani omnes tanquã deum uenerabantur. Confestim aũt horum præsentia turbati dæmones, sacerdotis eius filiã furore corripiunt. Quæ omnia subuertens, horribiliter uociferabatur, & ad pios eos uiros hospites subinde dicebat: Ad quid huc uenistis nos ciectui? Illi puellam à dæmone liberant: restituta tam sanitati in fide Christiana eruditur, & cõuertunt. Mox etiam Sacerdotem ipsum, cum omnibus eius insulæ incolis baptizarunt. Atq; hac occasione exilij sanctorum uirorum, ea insula Christiana facta est. Ruffinus lib 2 c.4. Socrates li. 4. cap. 24. Theodoretus lib 4. c. 21. Sozom. lib. 6. cap. 20.

Tempore Attici, Io. Chrysostomi successoris, IVDÆVS paralyticus multis annis, quem nec medicorũ ars, nec Iudæorum preces subleuare poterant à paralysi, dum ex fide baptizatur, liberatus Constantinopoli, & cõuersus fuit. Soc. l 7. c. 4.

Extat inter opera Athanasij libellus de passione imaginis Christi, in quo cõmemoratur, IVDÆOS in Syria, in urbe Berytho, imaginẽ Christi olim à Nicodemo compositã, & uastata Hierosolyma in Syriam translatã, crucifixisse: & lãcea dextrum eius latus perfossum, aquam & sanguinẽ emisisse, & hydriam compleuisse. Eo uerò cruore Iudæos unxisse paralyticum, & alios quamplurimos ægrotantes, eosq; subitò pristinæ ualetudini restitutos esse. Quamobrem Iudæos cõuersos, religionem Christianam suscepisse, & baptizatos esse à metropolitano, qui etiam cruorem illum uitreis ampullis exceptum, per Asiam, Africam & Europam miserit. Sed librum illum Athanasij non esse, facilè ex phrasi agnoscitur. Sigebertus anno Domini 765. hoc accidisse scribit.

Cùm Deuterius Arianorũ episcopus Byzantij Barbã catechumenũ baptizare uellet, contraq; fidei regulam & Christi institutionẽ hisce uerbis uteretur: (Baptizo te Barba in nomine patris, per filiũ, in spiritu sancto:) aqua, quæ ad baptizandũ fuerat allata, subitò euanuit, & disparuit. Quo uiso, BARBAS ad orthodoxos transfuit: & baptismo iuxta Christi institutionem accepto, catholicæ ecclesiæ sese piè adiunxit. Paulus Diac. lib. 15 rerum Romanarum, in historia Anastasij.

Oppidum quoddam est inter Persas & Indos, nomine Tzundadaero, in quo cùm rex CABADES multas pecunias & preciosas gemmas asseruari audiisset, eius rei ut ueritatem cognosceret, iisq; unã cum oppido potiretur, nihil intentatum reliquit. Verùm quò minùs quod uolebat efficeret, dæmones, qui locum & thesaurum illum inhabitabant & custodiebant, obstitêrẽ. Cumque Persica magia & euocationibus locum illum dæmonibus firmissimè obtinentibus, occupare non posset, per Iudæorum magiam rem expedire aggressus est Sed cùm per eos optatis uotisque suis potitus non esset, per Christianos tandem se, quod conabatur, confecturum esse arbitratus est, quos aduersus dæmones potestatem recepisse audiuerat. Itaque Christianorum, qui apud Persas erat, episcopum ad se uocauit: qui eam ob rem synaxi & conuentu Ecclesiastico populariũ suorum coacto, oratione dæmones profligauit, & Cabadæ sine labore oppidum illud tradidit. Hac re consternatus Persa, supremæ dignitatis prærogatiua episcopum illum cohonestauit, cùm ad id usq; tempus Iudæi & Manichæi sedes primarias obtinuissent. Ab eo porrò tempore, ut quicunq; uellent, Christianorum sacra fidemq; amplecterentur, potestatem liberam omnibus permisit, quam ante extremè persecutus fuerat. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum. Nicephorus lib. 16. cap. 36. Paulus Diaconus lib. 15. in Iustiniano seniore.

Tempore Io. Chrysostomi MVLIER quædam Constantinopoli, ex Macedoniana factione, cũ marito templum Orthodoxorum ingressa, famulæ mandauerat, ut mysteriorũ tempore, ad percipiendã synaxin adferret quippiã, quo ipsa uesceretur. Ergo quod à sacerdote acceperat, manu, quasi oratura procũbens, continens, id qđ famula attulerat ori ingestum (Nicephorus lib. 13. c. 7. panem communẽ fuisse asserit) in lapidẽ indurescere sensit. Prodigio eo territa ad episcopũ supplicij diuini metu properans, rem omnem aperuit: lapidem simul, morsus uestigia habentem, ostendens: ac pœnitentiam lacrymis testata, cum marito se consensuram deinceps promisit. Sozomenus lib. 8. cap. 5.

Constantinopoli Iudæi cuiusdã VXOR ac FILIVS, hac occasione baptizati, & fidẽ Christi amplexi sunt. Moris erat Constãtinopoli eulogias, seu panem benedictũ pueris scholam frequentantib. distribuere. Cum quib. forte fortuna Iudæi cuiusdam uitriarij filius unà accessit, & de reliquiis benedicti panis comedit. Parentibus moræ & abstentiæ causam à puero sciscitãtibus, puer ubi fuisset, & quod comedisset, patri significat. Pater ira commotus, eam ob rem puerum in ardentem furnũ, ubi uitrũ formari solebat, inclusit. Mater uerò cùm diu cum summo animi dolore filium per ciuitatem quæsitũ, inuenire non potuisset, triduo pòst suos ad mariti officinã, lacrymabili uoce filiũ uocat. Mox puer agnita matris uoce è furno respõdet. Mater apertis foribus, uidet puerum illęso corpore in medio ardentium stare carbonũ. Qui interrogatus, Cuius opera fuisset seruatus? respondit: Mulierem quandã purpura uestitam, crebrò ad se uenisse, & porrecto cibo, & aqua carbonibus uicinis extinctis, se conseruasse. Hac re Iustinianus Imp. cognita, filium matremq; baptizari, patrem uerò ut homicidam necari iussit. Evagrius lib. 4. cap. 36 Cedrenus sub Iustino Curopalate.

Cùm apud IBEROS Asianos ad Euxinum habitantes (qui hodie Georgiani dicuntur) mulier Christiana captiua uitã pudicã duceret, & dies ac noctes in oratione consumeret: admirationi Barbaris fuit. Quibus scisciantibus, cur tantoperè se affligeret? Ita se suum Deũ colere, respondit, qui Christus esset. Nihil ex hoc amplius admirati Barbari, quàm nouitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat, paruulos, cùm ægrotarent, per uicinas domos à matribus circumferri, remedia exquirentibus. Mater quædam cùm puerum aliquandiu circumtulisset, nec salutare quicquam inuenisset, captiuã adiẽs eius opem petiit. Illa se humani nihil scire testata est, sed Deũ quẽ coleret, Christũ, desperatã ab hominib. salutem posse conferre, paruulumq; cilicio suo superimponens, & orationem ad Deum fundẽs, sanum matri reddidit. Impleuit urbem sancti rumor, & ad reginam perlatus est, quæ dolore quodam afflicta ad captiuam se ferri curauit, cùm illa regiam domum ingredi recusasset. Reddita est regiæ sanitas atq; admonita ut in Christũ crederet, & eum coleret, qui salutem prębuisset. Rogauit regina uirum, ut Christianus efficeretur. Quod quanquam ille promisisset, segnis tamen erat, nec sæpiùs ab uxore commonitus baptizari curabat, non tam fidei hostis, quàm dubius. Cõtigit eum in altissimas syluas ire uenatũ. Quo cùm peruenisset, coorta subitò tempestate, ita tenebræ cuncta operuere, ut nec ipse comites cerneret, nec cerneretur ab illis. Ignarus quid ageret, promissionis coniugi factæ recordatus est, Christũq; rogauit, ut si Deus esset, ex tantis sese periculis eriperet. Nec mora, dies reddita est, & rex ad urbem incolumis perductus. Qui reginæ quæ gesta erant miraculi loco exposuit. Vocatur captiua, audit consiliũ eius. Illa reiiciẽda idola, & Christum colendum dicit, eiq; supplicandũ, & basilicã faciendam. Conuocato populo rex Euangelium prædicat, & nondum sacris initiatus, sit suæ gentis apostolus. Credunt uiri per regem, fœminæ per reginam: constituitur templum magni operis, & eleuato murorum ambitu, columnæ collocantur. Sed prima ac secunda erecta, tertia nullis machinis erigi potest, nullisq; uiribus. Cùm ad noctẽ usq; laboratũ esset, recedentibus omnib. sola captiua apud templum in oratione perseuerat. Postera die, prima luce, redeunte populo, columna reperta est super basim in aere suspensa, quantũ esset unius pedis spacium. Mirantibus ac stupentib. omnibus, sensim supra basim suam, nullo cõtingente, descẽdit. Mox reliquæ columnæ magna facilitate erectæ & collocatæ sunt, perfectum templum: & populi fide confirmata, suadente captiua, totius gentis legatio ad Imperatorẽ Constantinũ mittitur: res gesta exponitur, & sacerdotes petuntur, qui ceptum erga se munus impleant. Ferunt Constantinum non minùs hoc nuncio lætatum, quàm si gentes Romano imperio incognitas uicisset, Iberis iucundissimo uultu satisfeciſſe. Ruffinus in Ecclesiastica historia hæc sibi Bacchurium ipsius gentis regẽ narrasse affirmat Hierosolymis, cùm Palęstini limitis ducẽ ageret. Ruffinus lib. 1. c. 10. Socrates lib. 1. c. 20. & Sozomenus lib. 2. ca. 6. Mirum uerò est, Theodoretum lib. 1. c. 23. miraculum columnæ præterire.

Multæ

Multæ BARBARÆ gentes maximo numero Thraciã egressę, in Asiam irruerant, contra Romanos bellum molientes. Sacerdotes captiui abducti plurimas ex iis conuerterunt, cùm ægrotos eorum Christo inuocato curarent, & uita inculpabili uirtutibusq; illis essent admirationi Sozom. lib. 2 c. 6.

Tempore quo Longobardorũ duces Galliam inuadebant, in urbe Niceę conclusus & cathenis constrictus fuit Hospitius anachoreta, uir ut pietatis doctrina & miraculis clarus, ita uitæ sanctimonia & uictus tẽperantia spectatissimus. Hic singulari Dei spiritu longè antè prædixit, Longobardos in Galliam uenturos: & ob enormẽ ac quotidie ingraueſcentẽ hominum impietatem, & extremã erga Dei uerbum ingratitudinem, septẽ euersuros Galliæ ciuitates. Cupiens autem seruari suos monachos, & ex imminenti exitio liberari, iubet eos urbe aliò excedere, & secum quæ haberent exportare: iam enim barbaram gentem aduentare. Monachis inde profectis irruit Longobardorum exercitus: qui dum omnia (ut fieri assolet) armis ferroq; uastarent, ac inquirerent, ueniunt ad cœnobium, ubi Hospitius inclusus erat. Quem cùm per fenestrã è turri prospectare uiderent, nec facilè accedere ad eum possent, duo confenso & aperto tecto, eum in turri catenis obstrictum, ac cilicio inuolutũ offenderunt. Cùm autem quærerent causam uinculorum eius: ille homicidam se esse, & omnium criminum reum apertè, sed falsò, fatetur. Tum alter militum educto gladio, & extensa manu, caput ipsi amputare conatur. Verùm eius dextera in ipso ictu confestim immobiliter suspensa exaresc it, gladio humi delapso. Socij eius rei insolentia stupefacti, magno clamore ab Hospitio, quid sibi faciendũ esset, flagitant. Ille diuina uirtute arefactũ brachiũ eius pristinæ sanitati restituit. Hoc miraculo LONGOBARDVS miles permotus, Christi fidem complexus, ad finem suæ uitæ religiosissimè coluit & professus est. Paulus Diac. lib. 3. de Gestis Longobardorum, cap. 1. Regino lib. 1. Bonfinius Decadis 1. lib. 7.

ALAPHIO quidã à dæmone correptus, cùm nec Ethnicorũ nec Iudæorũ superstitiosis ritib. & incantationibus sanari potuisset: ab Hilario monacho ad Christianorum religionẽ cum omni familia conuersus est. Sozomenus lib. 7. cap. 15.

Saracenorum princeps ZOCOMVS, ad celebrem quendam abiit monachum, queritur se prole destitui: quod Saraceni maximæ infamiæ loco habent. Monachus prolẽ certã promittit, si in Christũ credat. Principẽ bono esse animo, & in regia suam reuerti iubet. Interea pro principis sobole preces assiduas ad Deũ fundit. Exauditur, ac nascitur suo tempore Zocomo filius hæres. Hic cuentus occasio fuit, ut & religionem Christianorum Zocomus acceperit, & subditis suis simul omnib. eandẽ amplecti præceperit. Sozom. lib. 6. c. 38.

ROSSI à Basilio Macedone circa annum Domini 875. bello afflicti, pacem petierũt. Quam cùm illis daret, postulauit ut doctrinã Christi amplecterentur. Ergo episcopũ ad eos misit. Is primùm docere eos de Christo, eiusq; miraculis, quib. doctrinam Euangelij confirmatam aiebat. Illi uicissim ad miracula potiùs, quàm ad doctrinam attenti, negabant se posse nouum dogma amplecti, nisi Christus etiã sibi signũ ederet. Episcopus iussit eos signum postulare, quod uellẽt. Petunt illi, ut librum, in quo doctrina scripta esset, in ignem coniiciat, ac si contra uim flammarũ eum integrum præstet Iesus, se crediturosin eum promittunt. Rogus accenditur, episcopus librũ in ignem ponit, inquiens: Glorifica nomen tuum, Christe Deus. Ibi cùm flamma codici pepercisset, Barbari, uerbo fidem adhibentes, baptismo initiati fuere. Zonaras tomo 3.

Sub imperio Theodorę & Michaelis, circiter annum Dom. 851. seu 860. iuxta Cromerũ de Polonis lib. 3. c. 1. tota BVLGARORVM gens, Christiana facta est, huiusmodi de causis. Soror Bogoris principis Bulgariæ capta, Constantinopoli in aula uersabatur. Cùm autem erudienda doctoribus esset commissa, literas & prima elementa fidei Christianæ didicit, ac baptizata est, & pro Olha dicta est Helena: ut patet ex Annalibus Russorum. Reuersa in Bulgariã, fratri commendat religionem Christi, & crebrò de ea cum illo sermonem confert. Sed ille patrias superstitiones defendit. Interea pestis regionem inuasit, ac tam crudeliter undiq; grassabatur, ut libitina non sufficeret Anxius rex sororẽ rogauit, ut huic malo remedium cogitaret. Quæ solum Christum seruatorẽ populi pereuntis asseruit. Inuocato itaq; auxilio Dei, ut pestis sedaretur, rex baptizatus cum populo, omnes Christiani effecti sunt: accersito quodam sacrorum pontifice, à quo mysteria fidei acceperunt: Sacerdotes & magistri ethnicæ superstitionis, seditionem concitauerunt aduersus regem. Sed is auxilio Dei munitus, hostium impetus sustinuit, & suis omnibus persuasit, ut in fidem Christi consentirent. Zonaras tomo 3. & Cedrenus.

Tempore Caroli Magni, Bero II. Suecorũ rex, fidẽ Christi amplexus est: uerùm populus paulatim ad religionẽ Ethnicam rediit. ERICVS Aorsol sius Stenchillus, iterũ de ampliãda Ecclesia Christi in suo regno cogitauit; tali occasione. Sacrificulus ethnicus, spectãte populo, sacrificia idolis oblaturus; subita cæcitate percussus est, ne posset, quod ceperat, perficere. Is diuinã ultionẽ agnoscẽs, & ad Christũ se conuertẽs. miraculo sese uisum recepit. Gratus igitur Christo beneficari, cepit fieri præco Christianæ religionis. Quæ res uniuersum populũ cõmouit, ut salutare lauacrũ susciperet. Rex Ericus protinus à Metropolitano Bremẽsi duos accersiuit doctores, Adaluardum & Stephanũ. Olaus in hist. Sept. lib. 17.

Anno Christi 613. cùm Edilbertus rex Cantuariorum, qui primus Ecclesiæ in Anglia hospitium dederat, mortuus esset, filius eius CADBALO, seu Cadualda, non solùm Christi fidem recipere recusauit: uerùm etiam dissolutissimè uiuens, uxorem patris sui duxit. Quo scelere occasionẽ dedit suis subditis, ad gentilium superstitiones reuocandas. Ad eam rem etiam non parum adiumenti afferebant tres Sigeberti filij, palàm ethnici. Sæuientibus igitur regibus illis, coacti sunt pij doctores aufugere ex Anglia: & iam Mellitus ac Iustus in Gallias redierãt. Cùm uerò Laurentius quoq; ipsos sequi uellet, & iam fugam adornaret: ecce noctu uisio ipsi apparuit, quæ duriter ipsum flagellans, minas insuper addit, ne propter uitæ pericula gregem suum desereret. Illud cùm mane regi Cadbaldo significaret, simul uibices ipsi in corpore ostendens, flexit eum, ut illegitimo coniugio abdicato, fanisq; idololatricis destructis ad pietatem rediret. Inde Ecclesia collapsa restaurata est, & reuocati sunt Iustus ac Mellitus ex Galliis, qui post annum in sua loca redierũt. Beda Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 5. & 6.

Australes SAXONES, quorum tota prouincia fuit diuini nominis & fidei ignara, conuersi & baptizati sunt, per Wilfridum episcopum exulantem. Quo docente & baptizante, cùm antea per tres integros annos nulla in eam regionem pluuia decidisset, & inde magna esset fames secuta, adeò ut homines passim interciderent: subitò largissimus imber descendit, quo refloruit terra, & rediit uiridantibus aruis annus lætus & frugifer. Beda lib. 4. Angl. hist. cap. 13.

Somnio.

CONSTANTIA, Constantini Magni Imp. filia, uirgo iam adulta, medicinã ulceri insanabili, quo uehementer affligebatur, exquirens, amicorũ monitu ad sepulcrũ S. Agnetis uirginis & martyris intempesta nocte accessit, ac licèt gẽtilitate adhuc imbuta, tamẽ credula, ut S. inquit Ambrosius, animi intentione preces fideliter fundere cepit, ac repentina somni suauitate correpta, in quiete sibi audire uisa est Agnetem præcipientẽ, ut in Iesum Christũ crederet, & certã ab illo ualetudinẽ expectaret. Diuino uisu uirgo paruit, & continò sanitati pristinæ restituitur, domumq; reuersa receptam ualetudinem patri gratulatur. Qua re cognita tota ciuitas coronata in lætitia magno cum infideliũ dolore uersatur. Itaque cum multis ex aula Imperatoris baptismum ab episcopo Syluestro accepit, atq; ibi templum S. Agneti, & sibi Mausoleum, patre impensam suppeditante, construxit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

GENNADIVS Medicus Carthaginensis, immortalitatis animorum argumentum certissimum in somnis accepit. Vidit enim bis per quietem iuuenem, qui primò urbem pulcherrimam ei ostẽdit: deinde postera nocte reuersus petiit, An eũ agnosceret? respõdit, Et nosse se illum, & somnij meminisse. Iterum ab eo interrogatus, Vbi eius corpus esset, & quid ageret? Cùm respondisset, In lecto esse ac dormire: argumento, cui responderi non poterat, didicit, quemadmodum tũc dormiẽs cernebat per quietem, quamuis clausis oculis corpus in lecto iaceret: ita uita functo homine crederet eius spiritum uiuere, ac uidere posse, quamuis tumulo clausum corpus in lecto maneret. A somno igitur excitatus, hoc oraculo, ut rectè crederet, monitus est. Fulg. lib. 1. cap. 5.

Prædicatione.

Cùm TVRBÆ irruerent in Dominum Iesum, ut audirent uerbum Dei, sedens docebat de nauicula turbas. Petrus cum sociis, deductis ad terram nauibus, iisq; relictis, secuti sunt Dominum. Lucæ 5.

MARIA soror Marthæ, sedens iuxta pedes Domini audiebat uerbum illius: & audiuit tandem Dominum dicentem, Maria optimam partem elegit. Lucæ 10.

Audientes GENTES & Iudæi repellebant uerbum Dei, & & Paulus & Barnabas uolebant prædicare eis, gauisi sunt, & crediderũt quotquot erãt ꝓordinati ad uitã æternã. Act. 11.

QVIDAM Lystrensis, qui nunquã ambulauerat, audiuit Paulum loquẽtem. Paulus autem uidens quòd fidem haberet, ut saluus fieret, dixit ei: Surge super pedes tuos rectus. Exiliit ergo & ambulauit.

LYDIA purpuraria ciuitatis Thyatyrarum, Philippis Macedoniæ à Paulo Apostolo conuersa ad fidem Christi, hospitalitate mira pios omnes fouit. Act. 16.

Veniens Paulus Berthoeam, intrauit Synagogam IVDÆORVM

RVM,& quidam fuscoperunt uerbum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent. Act. 17.

Cùm audissent ATHENIENSES Paulum loquentem de resurrectione mortuorum, quidam irridebant, quidam uerò dixerũt: Audiemus te de hoc iterũ. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam uerò adhærentes ei crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damari, & alij cum eis. Actorum 17.

AQVILA cum uxore Priscilla Corinthi à Paulo Apostolo cõuersus. Act. 18.

Petro Hierosolymis Christum euangelizante, die uno tria millia IVDÆORVM baptizata sunt: & quidem in tanta fidei unitate, ut omnia inter eos communia haberentur. Altero etiam die eorum qui Christo credidere quinq; millium numerus fuit: indies præterea crescente multitudine, de synagoga ad ecclesiam, de circumcisione ad baptisma salutis confluentium. Marul. lib. 2. cap. 6. Sab. lib. 5. cap. 4.

Magorum princeps Simon Samaritanos præstigijs dementabat, & eò temeritatis proruperat, ut se Dei uirtutem magnã diceret. At cùm Philippus diaconus illò accessisset, & Euangelium Christi, miraculorum operationibus confirmasset, SAMARIA uerbũ Dei accepisse dicitur, & ad baptismum simul uenisse. Simon ubi se Philippo longè inferiorem uidit, & ipse credere se dixit, baptizariq; uoluit: non fidei ardore, sed operum, quæ ipse facere nequibat, cupiditate, ratus, recepto baptismate se etiam què grandia admiranda que facturum. Marul. lib. 2. cap. 9. & Sab. lib. 5. cap. 4.

Quidam Cyprij & Cyrenæi, cùm introissent Antiochiam, loquebantur ad GRÆCOS, annunciantes Iesum, multusque numerus conuersus est ad Dominum. Act. 11.

D. Ioan. Chrysostomi opera SCYTHARVM plurimi Cõstantinopoli, ab Arianismo ad fanioris doctrinæ puritatem reuocati sunt: idque hac ratione. Substituti sunt aliquot Scythicæ linguæ presbyteri, diaconi & sacrorum lectores, iisq; una ecclesia assignata, in qua cùm sinceram doctrinam fideliter & perspicuè traderent, multi qui aberrauerant, in rectam uiam sunt reducti. Theodoretus eodem lib. cap. 30.

D. AVGVSTINVS Mediolani Ambrosij prædicatione & hortatu, Manichæorum impietatem execratus, cui fuerat ab initio addictus, annos duodetriginta natus (alij quadriẽnium adiiciũt) ad fidem conuersus est. Eum Ambrosius baptismi lauacro extulit, ubi medio actu pius ille antistes canticum exorsus, Te Deum, inquit, laudamus: cui statim illud subiecit Augustinus, Te Dominum confitemur. Mox diuino afflati spiritu alternis ambo uersibus carmen peregere. Marulus lib. 2 cap. 11 & Sab. lib. 9. Enn. 7.

Heduino rege Northanymbrorum conuerso à Paulino, tãtus fuit feruor POPVLI, ut cum rege & regina expatiatus quõdam Paulinus ad uillam regium, à summo mane ad seram noctem confluentem ex omnibus uiculis populum incredibili numero & docuerit, & in proximo flumine Gleni baptizarit. Beda lib. 2. hist. Anglorum cap. 14.

Ad SCLAVOS & POLONOS Cyrillus & Methodius propagarunt doctrinam Christi, & uernacula lingua sacra instituerunt, anno Domini 861. Funccius. Aeneas Syluius lib. 1. capite 13. sub Arnulpho.

Inter Danos intestino bello orto, HARIOLDVS seu Rueldus regno exutus, ad Ludouicum Pium Imp. cõfugit, an. D. 815. Apud eum de religione Christi institutus, remittitur in Daniã cum Ansgario monacho. Sed neq; rex, neq; Ansgarius à Danis tum receptus est. Harioldus ad Ludouicum reuersus, cũ uxore & filiis baptizatur Mogunti à Rabano, & parte quadã Daniæ à Francis occupatæ donatur, anno D. 825. Sigebertus, Scotus, Cranzius, Guguinus, Martinus in Chronico, Aimoinus lib. 4. cap. 113. Ansgarius etiam Hamburgi episcopus constitutus, sedulò cum suis laborauit de Danorum conuersione: ac ad eam rem homines idoneos in schola præparauit. Tandem sub Ludouico II. ad ERICVM regem Danorum missus, cùm de aliis, quæ erant apud eum expedienda, tractatum esset, petiit ab eo ut sibi liceret populum eius de Christi fide docere: & impetrauit edictum: Ne quis uolentes baptizari, & fidem Christi amplecti, impediret. Hoc priuilegio fretus, ecclesias erexit, & sacerdotes ac doctores ad messem faciendam misit. Helmoldus cap. 5. de Sclauis, Saxo de Danis, Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 41. Ioannes Magnus lib. 17. cap. 2.

Reprehensione.

VSTHAZARES regis Saporis quondam pædagogus (ut Nicephorus ait) à Christo defecerat, regi gratificatus. Eum, dũ ad carcerem Simeon episcopus Persarum ducitur, uidens sedentem fortè ad ostium regiæ domus, excandescens, grauiter uerbis increpauit, quòd cogi se ad adorandum Solem passus esset. Vsthazares hac obiurgatione motus, lapsum suum acerrimè dolẽs, & à Deo peccati ueniã precatus, professionem abiectam repetiit. Res defertur ad regem. Conatur eum rex partim blandè, partim minaciter reuocare: sed nihil effecit. Indignatus tandem gladio cædi mandat.

Lectione.

Romę SECVNDIANVS Togatus, præfectus Decij, Verianus item pictor, & Marcellinus orator eloquentissimus, cũ uersus illos Vergilianos ex oraculis Sibyllæ descriptos legissent,

Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas &c.

& constantiam Christianorum exactè cognouissent, adstanti diuino Spiritu, religionẽ Christi ad martyriũ usq; sub Decio professi sunt. Vincentius lib. 10. c. 50. Iisdem quoq; carminib. P. Papinianus Statius iunior poeta ad Christum conuersus scribitur à Dante Aligero. Gyrald. Dialog. 4. Hist. poet.

IOANNES Damascenus, Mesuæ Iudęi filius, Iudæorum omniũ doctissimus, Hebraicis Græcisq; literis æquè eruditus, nemine cogente contulit sese ad Christianissimum, & quia scripturas percalluit, ideo credidit in eum quem in iis scriptum reperit. ipso dicente: Scrutamini scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et iterum: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi. Marul. lib. 2. cap. 7.

Inuestigatione.

FL. IOSEPHVS Matathiæ F. Iudæus, historicus clarissimus, annum ætatis sextum decimum ingressus, trium sectarum quæ apud Iudæos tum erant, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum placita omnia, duro uictu & magno labore expertus, cum Bano insuper eremita magni nominis, qui frondibus uestiebatur, radicibus uescebatur, lauacris frigidis æstum libidinis restinguebat, per triennium uixit. Id quod ipse in sua uita testatur.

EDVINVS uel Heduinus Northumbriæ rex in Anglia, cùm ab uxore Ethelberga, & Paulino antistite, & Honorio pontifice ad pietatem Christianam capessendam incitaretur, non priùs parére uoluit, quàm doctissimorum uirorum disputationibus auditis, Christianam religionem rationi magis consentaneam esse didicit. Voluit itaq; Deus fortè hunc regem, qui id tẽporis sapientissimus habebatur, rectè priùs suam religionem hæsitando perpendere, quemadmodum apostolus Thomas olim in exordio crescentis Euangelij fecerat, quàm illam reciperet: quò scilicet alij nihil postea suspicates quin uera esset, multò cupidissimè animos suos eadem perfunderent. Polydorus lib. 4. At Fulgosus lib. 1. cap. 4. tribuit hoc Ethelberto Cantiorum regi, inuitante illum ad fidem Gregorio Magno per Augustinum monachum.

Disputatione.

BERILLVS, Bostrenæ Arabiæ urbis præsul, Seruatorem nostrum ante humanitatem non extitisse, nec propriam diuinitatis substantiam, sed tantùm patris in se habuisse censebat. Cuius errorem Origenes ita repulit, ut tandem eum ad meliorem mentem reuocarit. Eusebius lib. 6.

D. AVGVSTINVS Manichæorum hæresi infectus, cùm Fausto illorum episcopo dubia multa, quæ de cœlo & sideribus contra fidem mathematicam Manes scripserat, proponeret, & ille auctoritate tantùm Manetis pugnaret, philosophicas demonstrationes se planè ignorare fateretur, quẽ tamen alij omnium disciplinarũ peritissimũ iactabant: suspectum & doctorem & doctrinã Manichæorũ habere cepit, cùm theorema eius de rebus naturalib. (quorũ cognitionẽ quoq; ad pietatem facere assereret) & sensui & rationi reliquorũ philosophorũ cõtraria esse uideret. Veritatẽ enim omnem, à quocunq; quacunq; de re proferretur, à solo Deo pendere, sibi certò persuadebat. Quòd si Manes in naturalium cognitione mendax esset, in diuinis multo magis mendacem esse posse suspicabatur, quãnis se spiritũ Dei sanctum esse iactaret. Cõuulsa ergo hac impietatis illius basi, indies inde magis magisq; ab ea declinare cepit. lib. 5. Confessionũ c. 7.

RECAREDVS rex Vestgothorũ in Hispania, patri suo Leongildo, Arianę sectæ defensori acerrimo, longe dissimilis. Septuaginta duorũ episcoporũ synodũ an. Christi 594. per Hispanias, Franciã, Italiamq; cõnocandam curauit, in qua de Christi diuinitate cõstitueretur. Ibi Leander Hispalensis Pontifex, cum Fulgentio & Isidoro episcopis adeò cõfutauit sectam Arianam, ut Recaredus ipse cum proceribus, & omni gente sua renũciaret paterno & gentili errori, & catholicos sacerdotes ab exilio reuocaret. Io. Magnus lib. 16. cap. 10.

BESSARIO Trapezuntius, D. Basilij institutum professus, patriarcha Nicęnus, in concilio Ferrariensi sub Eugenio IIII. primus Græcorum errorem de S. S. processione reliquit, unà cũ Isidoro archiepiscopo Rutheno, & ipsum quoq; Imp. Græcorum suo exemplo mouit. Itaq; ab Eugenio Cardinalis creatus, legationibus uariis obitis, tandem è Gallia reuersus à Ludouico XI. rege re infecta, Rauennæ præmœre obiit. Hieron. Garimbertus in Vitis Pontificum.

Victoriis.

ACHIOR Ammonitarum dux, conspecto Olofernis capite à Iuditha abscisso, se cum tota sua familia circumcidi fecit. Iuditha 14.

Regio est ultra Aegyptum, prope indiam Aethiopiæ, cuius populi Azumitæ appellãtur, ad quos Romani per Aegyptum interiacentem negociationis causa transire solebant. Inter Aegyptum uerò & Azumitarũ regionem, Homeritarum terra interiacebat, in qua plurimi erant Iudæi. Hi regi suo Dumiano persuadebant, ut Romanis mercatoribus transitum prohiberet. Rex Iudæorum obsequens consiliis, plurimos Romanos mercatores interfecit. Vnde negociationes Azumitarum ac Indianorum dimentum pati cœpêre. Rex ADAD motus querelis Azumitarũ ac Indianorum, Homeritensi regi Domiano ea de causa bellum indixit, uoto sese astringens: Si uictor ad suos rediret, se Christi fidẽ, pro cuius populo bellũ gerat, publicè suscepturũ esse. Prælio cõmisso, Domiano capto, tota Homeritarũ regio in Adadi potestatẽ uenit: qui ad Iustinianum Imp. legatos misit, petitũ episcopos & doctores. Ille misit ei Manichæos quendam Alexãdrea oriundum, per quem cœlestis doctrina est plantata, circa annum decimumsextum Iustiniani. Paulus Diaconus lib. 16. Cedrenus, & Nicephorus lib. 17. cap. 32.

Sub Iustiniano, GEDVALDA Geusiorum rex, cùm insulam Vectam oppugnaret, uotum fecit, si uictoria potiretur, se Christianum futurum, & quartam eius regionis partem sacerdotibus daturũ. Voti reus, à Vuilfrido in fide instructus, Romam petiit, & à Sergio baptizatus, obiit anno 689. Beda libro quinto, capite 7.

CLODOVEVS, huius nominis primus, Francorum rex, nec Remigij sanctissimi uiri monitis, nec Clothildis uxoris precibus atq; obtestatione adduci unquam potuit, ut perfidiã, quam à maioribus imbiberat, exueret. Alemannis congressus, qui Galliam ingentibus copiis inuaserant, quum se ab iis uinci cerneret: Deus, inquit, quem Clothildis uxor colit, si hodie uictor ex hostibus redeo, caput hoc meum, ac gẽtem tibi omnem trado dicoq;. Nec defuit precationi tam pię felix euentus. Victi statim hostes terga uertũt: ut duplex orbi miraculum esset, & uictos eos, qui paulo antè uictores erant, & regem Christianum factum, qui ab eo nomine tantũ priùs abhorrebat. Egnat. lib. 1. cap. 1. Hinc marus in uita Remigij, & Iuo in Chronico sub Leone secundo, Sigebertus in Anastasio, circiter annum Christi 499.

Vtilitate, Lucro.

Bonifacius Moguntinus episcopus THVRINGIS, nullum doctorem Euangelicum admittentibus, Christum saluatorem mundi prædicauit, facta irruptione cum exercitu in terram eorum. Vide suprà, Magistri Pollicitationibus.

Nuptiis inuitati.

☞ *Vide suprà, Magistri religionis, Coniuges.*

Theodelinda, Longobardorum regina, fidei Catholicę studio inflãmata, quod ab Authari priori marito, impetrare nequiuerat, id sibi ab AGILVLFO, quem in societatem thori atque regni receperat, extorquendum existimauit. Igitur omni precum genere obtestari illum instituit, ut explosum tot conciliis Arianorum errorem relinqueret, & Catholicã ueritatem ascisceret. Agilulfus autem cùm ueritate compulsus, tum honesta uxoris uoluntate, cui summa se debere omnia intelligebat, adductus, in eius se futurum auctoritate respondit, atque ita Catholi cam [illegible] suscepit.] Regis inde auctoritatem Longobardi sequuti, & qui gentilitatis, & qui hæreseos labe erant infecti, Catholica subinde dogmata sunt amplexi. Agilulfus quasi superiorũ errorum pœnitentia ductus, ecclesias & monasteria, quæ bello afflicta fuerant, instaurare, ac possessionibus cumulare, episcopos atque abbates, qui depressi fuerant, ad pristinos redigere honores instituit. Sigon. l. 1. reg. Ital. ex P. Diac.

BRVNECHILDIS Athanagildi Hispanorum regis filia, ab Arianis baptizata, pòst matrimonio iuncta Sigeberto Francorum regi, eius iussu in nomine, indiuiduæ Trinitatis reba ptizata fuit. Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 26. Idem narratur de sorore Brunechildis, GLASSVNITA, coniuge Chilperici, fratris Sigeberti.

Tempore Constantis, qui fuit nepos Heraclij, etiam prouincia Mildienglorum, id est mediterranеorũ Anglorum, sub rege PÆADE est conuersa. Is enim uiuo patre Penda, illi regioni præfectus, ambiuit Aluchfledam filiam Osuuij, regis Northanymbrorum: eiusq; connubium impetrauit ea conditione, si Christianus fieret. Cognoscens igitur de doctrina, & persuasus à filio regis Osuuij, illud non grauatim fecit: & amplexus doctrinam, baptizatus est à Sinano episcopo, cũ omnibus qui secum uenerant, comitibus ac militibus: domum rediens, secum duxit quatuor presbyteros, Ceddam, Addam, Bertin & Diurnum: qui palàm in eius prouincia prædicantes, multos quotidie conuerterunt. Penda quoq; pater eius, licèt ipse ab antiqua religione nollet recedere, tamen aliis non prohibuit, ne Christiani fierent: imò ipse eos contemsit omnibus modis, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendit: inquiens, Miseros illos esse & execrandos, qui Deo suo, in quem crederent, obedire

contemnerent. Beda libro tertio, capite uigesimoprimo.

Hadeuuegim alteram F. rex Hungariæ Ludouicus despondera Vilhelmo, Lupoldi ducis Austrię filio, primã Mariam Sigismundo cũ Hungariæ regno. Dos erat Polonia: quòd id quoq; regnum erat in manib. Ludouici regis, eo emtum auro ab duce Candido, qui sacrũ diuæ Mariæ ordinẽ antepositi sceptro. Mortuo rege Poloni, Teutonici generis hominẽ regno pariter & speratis nuptiis priuauere. Erat ex regulis Lituaniæ Iagail siue IAGELLO, maior natu duorũ fratrũ, expers Christianæ religionis. Hunc quũ uirũ strenuum & iusti tenacem agnoscerent, fecere illi conditionem, si uellet sacrum subire baptisma cũ religione Christi, se regnum illi, & sponsãm regiam collaturos. Ille nõ diu cunctatus, magnas accepit cõditiones: baptizatus in ecclesia Cracouiensi, nomẽ accepit Vladislai: quod in ea gẽte uetus, celebre & regium erat. Ita factũ est, ut cum rege suo magna Lituaniæ pars ad Christianismum peruenerit, inuitata præmiis, quæ nullis antea potuit cõpelli armis. Cranzius lib. 9. Vandaliç.

Calamitatibus.

SAVLVS persecutor ecclesię Christianę, Damascũ profectus, in ipso itinere à Domino conuersus est. Actor. 9. Quis ergo desperet, quamuis impius & crudelis, & omni immanitate prædictus, si Christiani nominis summus persecutor, factus est Christi apostolus? Si uas iræ, conuersum est in uas electionis? Si is qui infensissimus fuerat ecclesiæ hostis, repentè cuasit constantissimus eiusdẽ ecclesiæ propugnator? Sed dices: Ille in uia uocatus est, & ut se corrigeret penè coactus est. Quid tu, quoties peccatorũ conscientia cõpungeris, nónne uocaris? quoties aduersitate aliqua sollicitaris, nónne cogeris? Quid ergo auerteris? quid reluctaris? Ille incepitus statim obediuit: & tu quæso ne obdurescas. Ille cùm in terrã ceciderit, iussus est surgere, & ciuitatem ingredi, ut ibi audiat quid se oporteat facere: & tu terrenarũ cupiditatũ malignitate subuersus, iam tandẽ surge, & ingrodere ciuitatẽ mandatorum Dei, ut ibi discas quid te facere, quid fugere oporteat, ut salutem tibi parare possis. Illi Ananias manum imponens, uisum quem cadendo amiserat, restituit. Ananias interpretatur donũ gratiæ Domini. Hoc donũ tibi manum imponet, conferens uirtutẽ, ut in spe cõfirmeris, & uisum recipias, quem peccãdo perdidisti. Non uisum carnis, neq; oculorũ, sed quo Deus uidetur, mẽtis & intellectus: ut demũ eũ ipso Paulo gloriari queas dicens, Gratia Dei sum id quod sum. & 1 Gratia eius in me uacua non fuit, sed gratia eius in me manet semper. Marul. lib. 2. cap. 12. & 7. & Sab. lib. 5. c. 4.

Post necẽ martyris Sisinnij, Martyrij & Alexandri, in ualle Annonia ad occasum Venetiarum (ut habet Ptolemæus) operuerat terram maxima caligo: sed & crebra fulmina ingemi nabantur. Qua re perterrefacti incolæ PAGANI, plurimi doctrinam martyrum amplectentes, conuersi sunt. Commorat Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 63.

Au. 428. BVRGVNDIONES, qui in Germania remanserant, quotidianis impressionib. ab Hunnis exagitati, post agros suos incensos, homines que cædè occisos, cæteris desperatis auxiliis, ad Christũ Deum opem implorantes confugerũt, atq; episcopo ex Gallia repetito, se sacro tingi lauacro postularũt. Is, cùm septem dies ieiunij præscripsisset, atq; in fide illos erudituisset, octauo demum eos abluit, & cum pace dimisit. Quo facto, ingenti inde fiducia in Hunnos reuersi, cùm Optarum regem Attilæ patruum cibo nimio sumto se dirupisse, atq; Hunnos sine duce esse comperissent, facto impetu tanta felicitate pugnarunt, ut Hunnorum decẽ millia à tribus sint Burgundionum millibus occidione occisa. Ab illo tempore Burgundiones Christum ardenti studio coluerunt. Sigonius lib. 12. Imp. occid. ex Socrate.

GODSCHALCVS Vandalorũ princeps, ex Dania, ubi multos iam annos, ob crudelitatem patria electus exularat, reuersus, ad Christianam restaurãdam religionem, quã priùs extremè oderat, animum adiecit. Huius opera, infinita gentilium multitudo idololatria abiecta, Christianum nomen amplexa fuit, sacræ ædes reparatæ: & hinc inde uiros doctos, qui nouellam iuuarent plantationem, conquisiuit: ut Cranzius lib. 3. cap. 1. testatur.

GVRVNDVS, seu Gormo, Frothonis filius, à rege Britanniæ Elfredo captus, cum triginta proceribus & maxima turba satellitum baptizatus, ac sortitus est prouincias Orientaliũ Anglorum, & Northumbrorum. Vincentius lib. 34. cap. 40. ex Helinãdo, sub Ludouico II. Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2. cap. 14. de Anglis.

Ignominia.

BORIVORIVS Hostiuitij F. Boëmiæ principatu suscepto, deuerterat ad regem Morauiæ Suatoplucum, partim officij, partim amicitiæ paternæ confirmandæ gratia, uenitque eo fortè die & tempore ad regem salutandum, quo ille à sacro sancto Dominicæ cœnæ conuiuio, in aulam reuersus, mensæ accumbere suæ parabat. Reddita igitur salute rex: Ignoscas

scas(inquit)Boeme hospes, quòd ad prandium hoc nostrũ in præsentiarũ non inuitêre. Nec enim fas est, nec iura Christiana sinũt, reuertêti à mêsa uiui Dei, eũ cõuiuã habere, qui mensę deorũ mortuorũ accũbere, deq; illorũ sacrificiis participare soleat. Proinde si tibi nostra cõuiuia arridẽt, fac ut simul tibi nostra etiã arrideat religio. Actũ demũ noster eris, & ualde gratus cõuiua. Pupugerũt ista animũ Boriuorij, sed magis adhuc eidẽ cogitationẽ de mutãda superstitione iniecerũt honores ab Arnulpho Cęsare ipsi Suatopluco habiti, posteaquã religione Christiana initiatus fuit. Nã tanta inde Arnulphus benevolentia, tanto q; fauore Suatopluco cum prosecutus est, ut in gratiam eius uenire in Morauiam ad diem nõ grauaretur, ad quem inuitatus erat, ut filiolum eius è sacro fonte leuaret. Ibi hac præterea in illum usus est liberalitate, ut tributum illi attribueret, quod Princeps Boemiæ Cæsari tunc pendebat. Cùm itaq; non solùm honorificã Boriuorius, sed etiam fructuosam uideret esse religionem Christianam, ad illam uehementer aspirare cœpit. Sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum diuum Methodium, diui Cyrilli collegam, ambos Morauię & primos antistites, de fide & religione Christiana differentem audiuit: Alios uidelicet honores, & alia præmia cultoribus illam suis polliceri, neutiquam fluxa & caduca, sed planè stabilia atq; æterna, si quis illa per baptisinum, qui fidem perficit, consummauerit. Adfuit spiritus sancti gratia, animumque Boriuorij luce fidei Christianæ sic illustrauit, ut ibidem statim, cum bene multis suis clientibus, aqua salutari à Methodio tingeretur: deinde uxor quoq; eius, cui Ludmillæ nomen, in Boemia ab eodem tincta fuit, & magnus præterea Boemorum utriusq; sexus numerus ad baptisinum constituxit. Dubrauius lib.4.

Pictauis.

BOGORIS Bulgarorum princeps, supra modum uenationibus delectabatur, quibus cupiens non tantùm cùm uenatum exiret perfrui, sed etiam in otio: nouam domum ædificauit, & monachum Methodium, Roma oriundum, pingendiq; artificem, historiis eam totam exornare iussit: diuinoq; instinctu factum est, ut non diceret nominatim quæ animalia depingi uellet: sed pingere suo arbitratu, modò terribilis esset pictura, iuberet. Monachus secundum Christi aduẽtum depinxit, quòd nihil eo terribilius sciret. Princeps ab hac parte uidens iustorum coetum expressum, ab altera impiorum supplicia perpetientium, edoctusq; à pictore quid sibi ista uellẽt, illico suam eiurauit superstitionem, & intempesta nocte baptizatus est. Contra eum proceres Bulgarorum insurrexerunt. Eos ille parua suorum manu, crucis signo prælato, fudit: req; inopinata territos, ad fidem Christi perduxit. Cedrenus.

Coactione, Armis.

Theodosio iuniore imperante, MACEDONIANI plurimi relicta hęresi ad sinceriorem doctrinam reuocati sunt Constantinopoli, Cyzici, & in Hellespontο. Nam à Constantino politano episcopo, qui erat Nestorianus, ecclesiæ Macedonianis ademtæ fuere, nec congressibus publicis locus relictus: quare permoti sunt, ut quidam ad saniorẽ doctrinam reuerterentur. Nicephorus lib.14. cap.31.

Anno Christi 912. Normanni fidem Christi amplexi sunt, atque ROLLO primus ipsorum dux constitutus est. Verùm is adagnita ueritate deficiens, & tumultus ciens, ab Henrico Aucupe in ordinem redactus, imperata facere, & religionem Christi profiteri coactus, in baptismo Roberti nomen accepit. Lazius.

GODEFRIDVS rex Normannorum, & rex Danorum SIGFRIDVS, cum numeroso exercitu in Gallias progressi, à Carolo III. obsidentur. Cùm autem in angustias sese redactos cognoscerent, fœdus cum Carolo ineũt, fidemq; Christi suscipiunt, & baptizantur: Gislam Lotharij filiam uxorem ducit Godefridus, eiq; Frisia prouincia restituitur. Anno Domini 884. iuxta Sigebertum, & Reginonem lib.2. Lupoldus Bebenburgensis.

Zuentibaldus dux, MORAVIS uictis, Vuithungum episcopum dedit, qui eam gentẽ ad fidẽ Christi conuerteret. Theodamarus episcopus Iuuauiensis ad Ioannem pontificem.

VENEDI bello superati à Regulis Boiorum, qui iussu regis Dagoberti tribus exercitibus ipsorum regionem inuaserãt, coacti Christianæ religionis iugum susceperunt. Auentinus Annalium Boiorum lib.3.

RVGIANI, qui Archonem urbem primariam incolebant, expugnationis uehementia fracti, ab Erico Danorum rege, cùm de religione Christiana recipienda fidem dedissent, pacis conditiones æquiores impetrarunt. Primùm itaq; solenni ritu sacro flumine ablui iussi, stagnum non tam initiandę religionis, quàm pellendæ sitis ardore perentes sub specie sacrorum, fessa obsidione corpora refecerunt. Datus est quoq; iisdem antistes, qui cultioris uitæ normam præscriberet, & nouæ religionis rudimẽta traderet. Verùm illi non multo pòst ad suam idololatriam redierunt. Tandem Valdemarus rex denuò eorum castro expugnato, hac eos lege inter cætera recepit, ut simulacro cum omni sacra pecunia tradito, captiuos Christianos ergastulo liberatos absq; redemtionis precio dimitterent, omniaq; ueræ religionis sacra Danico ritu celebranda susciperent, atque agros latifundiaq; deorum in sacerdotiorum usus conuerterent. Quin & principum scribæ in urbem immissi, qui sacerdotali ministerio rudem religionis populum Christianis assuefacerent sacris, ciusq; sacrilegis sensibus sanctitatis disciplinam ingererent. Saxo Grammaticus lib.14. Danicæ historiæ, & Cranzius lib.5. cap.15 & 16. Vandaliæ. Rugianorum princeps IAREMARVS, anno 1168. de uero Dei cultu edoctus, magno desiderio baptismi sacris initiatus, non solùm reliquæ multitudini pietatis illustri præiit exemplo, uerùm etiam docendi munere est perfunctus: ac quia præ cæteris Sclauis Rugianorum gens durior, prauæque religionis tenacior esset, nonnunquam minis ad officium eosdem coẽgit. Helmoldus lib.2. cap.12. hist. Sclauorum.

BOEMI à Carolo iuniore, anno Domini 805. bello fracti, & Francis subiecti, ceperunt paulatim ad fidem Christi assuescieri: ac Ludouicus rex Germaniæ, quatuordecim duces Boemorum curauit baptizari: ac Bathuricum Reginoburgensem episcopum, iussit plantandis Ecclesiis in ea gente operam nauare, anno Domini 846. Sigebertus. Auentinus lib.4. Martinus in Chronico, hæc sub Ludouico Pio, ad annum Domini 816. ponit.

VBI.

EVNVCHVS Candacis Aethiopum reginæ Aethiops, à Philippo Apostolo in itinere baptizatus fuit. Actorum 8.

RELIGIONIS CONSERVATIO.

DIVINA, MIRACVLOSA.

BASILIVS episcopus, Valentem Imp. increparat, quòd ecclesiam quandam, quæ Christianorum iuris erat, tradidisset Arianis. Ceptis iurgiis eò deducta res est, ut ad quorũ precationem clausæ ecclesiæ fores per se patefierent, illis eius possessio cederet. Arianis tribus diebus fruſtrà orantibus: Basilius precatus, leui bacillo portas tetigit, dicens: Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, & statim fores obsecundanter patuerunt. Iccirco nemine refragante, ecclesia adiudicatur Christianis, & plerique etiam Arianorum relicta hęresi fidelibus esse iunxere: quòd solis illis apertum esse cœli aditum dicerent, ad quorum inuocationem sic aperiri ecclesiæ aditum uiderant. Marulus lib. 2. capite 11. Sabellicus lib. 5. capite 4. hoc EVSEBIO episcopo tribuit.

PRVDENS. PVTA

DISPVTANDO, Scribendo.

Consule Tit. Certaminum Theologicorum, illic ratio habetur Theorice habitus: hîc uerò ipsius Religionis, à qua erga Deum iusti uel iniusti dicuntur esse.

Cùm Romam Gothorum rex Alaricus euertisset: deorum falsorum cultores, in Christianam religionem cladem hãc referre conãtes, solito acerbiùs & amariùs Deum uerum blasphemare cœperũt. Proinde D. AVGVSTINVS exardescẽs zelo domus Dei, aduersus eorum blasphemias, uel errores, libros de Ciuitate Dei scribere instituit. Testis ipse met libro 2. Retractationum. Sed & OROSIO auctor fuit historiæ Romanæ conscribendæ, ut non paucioribus olim, cùm idolis, quã nunc, cùm Christo seruirent, calamitatibus conflictatum imperium constaret. Libro Quæstionum ueteris & noui Testamenti, quæstione 114. Augustinus instruit Christianos, quo Paganorum obiectionib. respondere debeant.

SISEBVTVS, Gothorum rex, in Hispania, archiepiscopũ Hispalensem Isidorum rogauit, ut conuocato concilio, subortem hæresem Acephalorum examinaret, & condemnaret. Aderat in eodem concilio rex, in diuinis & humanis literis instructissimus: qui cum summa eruditione summam clementiam coniungens, omnibus hæreticis, qui apertis rationibus conuicti ad sanitatẽ redierant, pepercit. Et cùm tantus esset erga diuinæ maiestatis honorem ampliandum, omnia illi pro uoto in temporali regno successerunt. Ioan. Magnus lib.16. cap.14.

FORMVLA FIDEI.

De APOSTOLIS narratur, quòd post Christi ascẽsionem & Spiritus sancti missionem, cùm in uarias orbis partes digressi essent, ne fortè alius ab alio abducti, diuersum aliquid docerent, formulam prædicationis unanimi consensu constituêre, quæ Symboli Apostolici nomine comprehensa est. Testes Ruffinus Aquilciensis, & D. Hieronymus.

MONVMENTIS.

Post acceptam à Mose legem, ISRAELITICVM populũ sanctificari iussit Dominus. Iis ergo præcepit, ut ponerent uittas hyacinthinas per angulos palliorum; quatenus continuam haberent memoriam cœlestium mandatorum. Exodi 19. Numeri 15.

Idem præcepit IISDEM, ut traiecto Iordane, erigerent saxa ingentia, in monte Ebale, eisq; gypso incrustatis inscriberẽt in ipso transitu omnia uerba legis. Deut. 27.

FORTIS. HVC RELIGIONIS CONseruatio quæ fit

DECLINANDO.

Quo tempore Decius in media Epheso templa idolis posuerat, ut ad eorum sacrificia omnes compelleret, septem Imp. satellites, MAXIMIANVS, MALCHVS, MARTINIANVS, DIONYSIVS, IOANNES, SERAPION & CONSTANTINVS Christianissimi accusati, spacium respiscendi usque ad Imperatoris reditum acceperunt. Eo digresso, communi consilio in meatus abditos Cælij montis profugerunt. Reuersus Imperator, cùm eos accuratè perquiri iussisset, tandem comperit, in Cælio monte eos delitescere. Iratus aditum & interiora montis lapidibus claudi præcipit, ut ibi fame contabescerent. At illi inter metum & dolorem consopiti, in maximam ætatem somnum duxerunt: & Septem dormientes uocantur. Vincentius, Henricus de Erfordia: & breuiter Nicephorus lib. 5. cap.27. Idem lib.14. c.45. narrat Ephesios eos, qui sub Decio in specum concluſi fuerant, post annos CXLII, aut (secundũ Sigebertum) CXCII. specu diuinitùs patefacto à somno surrexisse: & posteaquam coram Theodosio de resurrectione multa locuti fuissent, rursus obdormiuisse. Palmerius in Chronico, sub anno Christi CCCCLI. Sigebertus sub anno CCCCXLIII.

TOLERANDO MORTEM. MARTYRES PII.

Martyres à testimonio dictos, παρ' ἐξοχὴν uocant eos, qui morte fidem suam testati sunt. Reliquos, qui absque sanguine pietatem sunt confessi, Confessores uulgò appellant. Respectu mortis quã fortiter perferunt, sub Fortitudine tolerante exempla produximus: at respectu finis, ut attestentur ueritati, ad Religionis studium referendi erunt. Exempla plurima ex Tit. Prophetarũ, Doctorum ecclesiasticorum, Monachorum petantur. Pontifices Romanos plerosque ante Syluestrum martyrium generose perpessos constat. Nos in sequentibus magna ex parte & Maruli & Historiæ ecclesiasticæ secularium scriptorum auctoritatem secuti sumus.

Voluntatis respectu. Qui

Sponte obtulerunt se martyrio.

Ortus EVSTRATIVS ex Arabracis, regione Armeniæ uicina, & in Græcis disciplinis cum laude institutus, apud Lysiam Orientis præfectum, scribæ ducalis officio fungebatur. Mirificam martyrum constantiam sub Diocletiano contemplatus, in martyrij desiderium exarsit. Seipsum detulit, & Christianũ esse professus est. Abreptus, & in sublime extensus, acriter primùm cæsus est. Igne deinde ad uiscera eius admoto adustus, & sale atq; aceto perfusus, postremò uerò testarum fragmentis acutis laceratus est. Diuino tamen beneficio corpus eius pristinæ formæ restitutum est. Tandẽ Sebastiam abductus, unà cum Oreste comite igni traditus est. Nicephorus lib.7. cap.14. & Marulus lib.5. cap.5.

Secundianus, à Valeriano Decij præfecto, cùm se Christianũ esse constanter affirmasset, in carcerem duci iussus est. Inter ducendum, cùm VERIANVS & MARCELLIANVS satellitibus acclamassent, quid innocentem traherent? simúlque publicè confessi essent, & se Christianos esse, arrepti sunt & ipsi. Perducti uerò Centumcellas, cùm adolere iussi, in simulacra expuissent, fustibus cæsi, & in equuleis suspensi sunt, ignibus ad latera eorum admotis. Deniq; tortorib. partim subitò collapsis & mortuis, partim à dæmonibus arreptis, gladiis cæsi sunt. Vincentius lib. 11. c.51.

In metropoli Phrygiæ, MACEDONIVS, THEODVLVS & TATIANVS, statuas, quas præses Amachius in templis collocauerat, nocturnò confregêre. Cũq; præses in alios, quos suspectos de eo facto habebat, animaduertere uellet, ipsi profiliêre, auctores se esse confitentes. Abrepti igitur, omnis generis tormentis subiecti sunt: postremò uerò craticulis impositi, assati sub Iuliano Apostata. Quod supplicium adeò forti animo sustinuerunt, ut etiã præsidi ad hunc modum insultarint: Si de carnibus assis, Anachi, gustare cupis, uerte nos priùs in aliud latus, ne ad gustum tuum semiassi uideamur. Socrates lib.3. c.15. & Sozomenus lib.5. c.11.

Anno VII. Antonini Pij, Alexandriæ mulier quædam à Ptolemæo in fide instituta, mariti posticam uenerẽ luxum q; detestari cœpit, & illo in turpitudine ista permanente, libellum repudij ei misit. Impius ille Vrbicium Centurionem cõtra Ptolemæum incitat. Coniicitur in uincula, causaq; indicta, nullius reus criminis, ad supplicium abripitur. Eam iniustiam LVCIVS quidam Christianus liberè reprehendẽs, & ipse abduci iussus ab Vrbicio, ei gratias egit: hac se ratione à malis dominis liberari dicens, & ad bonum patrem ac regem Deum proficisci. Eusebius lib.4. cap.17. & Iustinus in Apologia.

ROMANVS quidam, beatum Laurentiũ tormenta pro Christi amore patientem spectans, dixit se uidere iuuenem forma insignẽ, candidissimo linteolo cruorem illius detergentem. Laurentium ergo ad carcerem reductũ secutus, ab eodem se baptizari fecit: & quum iam apertè se Christianum esse proclamaret, Decio iubente, uirgis cæsus capite truncatur. Marulus lib.5. cap.5. ex Henrico Erford.

Non fugerunt, non repugnarunt.

QVI Romæ in carcere cum Alexandro maximo pontifice uincti tenebantur, post eius martyrium adeò & ipsi mori pro Christo concupierunt, ut Quirino tribuno iam conuerso claustra referante, fugamq; suadente, exire noluerint. Inde eductos Aurelianus princeps, alligatis ad colla ingentibus saxis, in mari submergi iussit. Marulus lib.5.c.5.

CHRISTOPHORVS eunuchus, ab eremita quodam iussus est migrare ad quendam fluuium, ac per eum, quia ingenti esset statura, peregrinantes transportare. Quo munere dum aliquandiu functus fuisset, noctu tandem puer uenit, qui se per flumen deferri ab eo petiit. Exportatus autem ad lutus, dixit se Christum esse. Sami oppido Lyciæ, cùm militum cohors, ut ipsum comprehenderet, missa, manum illi iniicere timeret, ultrò se illis uinciendum præbuit, & eosdem, à quibus uinctus ducebatur, à uinculis erroris exoluẽs, Christianos fecit, ita ut Christum confitentes capitalem sententiam libenter subirent. Ipse uirgis ferreis cæditur, galea sub prunis feruefacta operitur, & igne supposito in ferreo scamno torrendus cõstringitur. Postremò ad stipitem ligatus, sagittis impetitur. Et cùm ne sic quidẽ confici posset, capite multatur. Rex oculum sibi sagitta fortè confossum cruore eius liniens, cùm uisum recepisset, ad Christũ conuersus est. Marulus lib.5. cap.5. ex Chronico Hartmanni, & Bergomense.

CYPRIANVS Carthaginensis episcopus, cuius multa religiosè & eleganter scripta extant, sub Valeriano & Galieno in exilium actus, deinde reuocatus, quum edictum, quo capite cædendus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil præ se tristitiæ ferens. Deinde suis præcepit, ut speculatori, à quo percuti deberet, XXV aureos mercedi darent: quasi beneficium ab eo, non interitum accepturus. Itaq; oculos ipse sudario tegens, extensam ceruicem gladio subiecit, & coronam accepit martyrij. Marulus lib.5.c.5.

Repugnarunt, Fugerunt.

Metu persecutionis sub Antiocho Epiphane, mille IVDÆI in speluncam quandam fugerunt: quos milites regij duce Philippo Phryge cùm obsiderent, & eis bellum sabbatho facerent, ipsi ob religionem diei, neq; os speluncæ obstruxerũt, neq; ullum lapidem in hostes emiserunt. Itaq; non resistentes miserrimè occisi, uel (ut Iosephus tradit) fumo suffocati fuere, cum uxorib. atq; liberis. Ex 1. Machab. 2. & 2. Machab. 6. recitat Georg. Fabricius.

OSVALDVS rex Britanniæ, à gente Merciorum, & rege eius Ethnico, in Maserfeld pro religione & patriæ libertate fortiter dimicans, cæsus est anno Salutis DCXLIII. Beda lib.3. cap. 6. & 9.

EADMVNDVS rex Angliæ, ob defensionem Christianæ fidei contra Danos bella gerens, ab ipsis tandem uictus, & martyrio affectus est, anno Domini CCLXXIV. Caput eius inter frutteta occultatum, quærentes ad sese uocauit. Radulphus lib.5. cap.32.

Occasionis respectu. Ad martyrium rapti ob

Doctrinam.

Vide Tit. Ecclesiastarum.

Sub Iustiniani secundi imperio, anno DCXCIII. ex Anglia duo præclari doctores, EVALDVS ALBVS, & EVALDVS NIGER, propter capillorum diuersitatem, uenerunt in antiquam Saxoniam: & ibi prædicantes Euangelium de Christo, martyrio affecti sunt, ꝑpe Bremã, in comitatu de Hoia: ut habet Fasciculus temporum: licèt alij in Galliis interfectos scribant, & sepultos iussu Pipini in Agrippinensi Colonia. Addit Beda, corpora ipsorum fluuio iniecta, contra alueum per XL millia passuum natasse, & ad suos rediisse. Auctor uerò cædis fuit uillicus quidã, apud quem diuerterãt, petentes ut ad satrapam ducerentur. Is uidens eos esse alte

rius religionis, ac metuens ne satrapa conuersus, auitos cultus mutaret, communicato consilio cum aliis Barbaris, eos interemit: ac Album quidem Eualdum gladio sustulit, Nigrum uerò membratim dissecuit. Sigebertus, Beda lib.5. Ecclesiasticæ historiæ, cap.11.

Gothus fuit NICETIVS genere, qui apud Gothos & confines nationes in Germania Istro cõterminas, religionis Christianæ doctrinam primus propagauit. Captus autem à Gothis ad Danubium, cùm deos eorum adorare nollet, crematus est. Auentinus lib.2. ex Petri de Natalibus lib.5. cap.40.

Reprehensionem.

VINCENTIVS, EVSEBIVS, PEREGRINVS, POTENTIANVS, imitatione Apostolorum gentes circumeundo conuertebant. Commodus natali suo, cõuocata plebe Romana, cùm Herculẽ & Iouem celebrasset acclamatione publica, Protector est Hercules Reipubl. & defensor libertatis Romanæ: & pelle leonis indutus, ad auream Iouis statuã thura adoleuisset: pio zelo accensi, eam idololatriam Imperatoris & populi arguentes, Iulium senatorem & alios conuerterunt. Capiuntur à Vitellio, & cùm Herculi & Ioui sacrificare recusarent, post multa tormenta & uaria miracula, tandem plumbatis cæsi sunt. Vincentius lib.10. cap.119. 122.123. & Henricus de Erfordia.

Sepulturam.

TYBVRTIVS aliis Tiberius, & VALERIANVS, Romani ciues, quum ab Almachio urbano prætore in uincula coniecti, rogarentur, quur principum sentẽtiis damnatos, honore sepulturæ afficere præsumerent? Quia, inquiũt, quos principes ipsi pro Christo damnandos iudicant, eorum nos fieri serui cupimus. Itaq; & ij fustibus cæsi & capite truncati, martyrij coronam perceperunt, tyrannorum sæuitiam in suum conuertentes triumphum. Marulus lib.5. cap.5.

ABDON & SENNAS reguli duo Christiani, cùm Christianos (quos Decius Babyloniæ captiuos inuentos, Cordubã secum abduxerat, uariisq; cruciatibus ad mortem usq; multauerat) sepelissent, accusati apud Decium, Romam pertracti sunt. Ibi cùm ad aras ducti sacrificare noluissent, & idola conspuissent, leonibus & ursis obiecti sunt. At cùm feræ membra sanctorum non attigissent, gladiis interfecti sunt. Bergomensis lib.8. Vincentius lib.11. cap.4.

EVSEBIVS monachus Terracinæ Claudij iussu interfectus est, quod Cęsarium diaconum & Iulianum presbyterũ martyres sepeliuisset.

Aetatis respectu. Martyres

Pueri.

FLOCELLVS decem annorum puer, Antonino Augusto ecclesiam persequente, apud Augustodunum passus est. Hic Valeriani præsidis iussu, cùm ad immolandũ diis cogi non posset, in equuleo suspensus flagellatur: in cauea cum leone includitur, in ignem mittitur, clauis configitur: sed iis omnibus superstes, feris tandem belluis obiectus, conculcatu pressuque earum præfocatur, in nulla corporis parte cruentatus.

IVSTVS & PASTOR fratres, in oppido Compluto Hispanię scholam frequentabant. Cùm autem domi à parentib. suis in uera religione instituti essent, in schola uerò gentiũ idola commendari audirent: cœperunt sese magistris suis opponere. Præses Decianus, ne puerorum exẽplo alij ad martyrium incitarentur, censuit eos uerberibus castigandos & dimittendos esse. Verùm cùm ij se mutuò ad constantiam cohortarentur, à carnificibus extra urbẽ ducti, capite truncati sunt, anno Adriani X.

Sub Alexandro Mammeæ AGRIPPITVS quindecim annorum puer, ut Bergomensis narrat lib.8. quòd idolis sacrificare nollet Præneste: comprehensus, loris cæsus, & pedibus suspensus, cùm aquæ bullientis superfusione necari nõ posset, nec bestiis obiectus uulnerari, ad extremum gladio percussus est. Ciuitatis præses ex tribunali subitò procidens, exanimatus est.

PVER Antiochenus cum matre, sub Galerio. Vide infrà, Martyres Nobiles.

Apud Daphnen, ubi sacrificare Iulianus Imp. consueuerat, impius quidam sacerdos FILIVM à tenera ætate clanculùm ad pietatem formatum, quòd aufugisset Antiochiã ad magistram suam, quæ eum apud Meletium episcopum occultauerat, comprehendit, ac uerberib. primùm plurimis multauit: mox etiam ueru candens manibus pedibusq; ac dorso inflixit: tandemq; conclusum in cubiculum obseratum reliquit, & abiit. Puer diuina ope miraculosè liberatus est. Theodoretus libro 3. cap.14.

MAMMES puer septennis Cæsareæ, & AGAPETVS XV. natus annos Præneste, audacter se Christianos esse prædicarunt, neque ulla pœnarum magnitudine ab ea confessione dimoueri potuêre. Marulus lib.5. cap.5.

MARTINVS tenellus ætate, sed fortissimus Christi miles, Romæ Martiani præfecti iussu bubalis loris flagellatus est, in equuleo extentus, ferreis ungulis laceratus: deinde ad machinam, ut membratim distraheretur, applicitus: at illa mox fracta diuinitùs liberatur, & à plagis quas acceperat, apparuit sanus. Sed rursum quia à puero uinci pudor erat, scissæ apertæq; ad medium usq; truncum arbori inseritur, ut partibus ad se redeuntibus collisus deficeret. Arbor autem ueluti adactis cuneis radicitùs diuisa in diuersum laxatur. Inde ergo ad ferream cratem torrendus transfertur, plumbo liquato perfunditur: sed repentè proximi fluminis inundatione ignis extinguitur. Iterum ille in sartagine coquitur, sed rore cœlesti protectus, calorem non sentit. In cacabum pice bullientem iactatur, at ibi etiam effusa pice mansit illæsus. Feris immanibus obiectus nihil iniuriæ patitur. In fornacem missus, die postero, cùm iam in cineres redactus putaretur, exiit incolumis. Capitis tandem truncatione tormentorum finem, & beatitudinis accepit initium. Martianus uerò ne tam obstinatam in puerum rabiem impunè ferret, putrescentibus membris, & toto corpore uermibus scaturiẽte, infelici morte infeliciorem uitam ad æternos ignes deputatus inchoauit. Marulus lib.5. cap.5.

VITVS puer septem tantùm annos natus, ab impio patre, ne Christum sequeretur, nullis minis uerberibusq; coerceri potuit. Et quia patri malè suadenti non cessit, miraculis nobilitatus est. Diocletiani filium ab immundo spiritu uexatum sanitati restituit. Imperator magis indignari cœpit, tantum inesse uirtutis homini Christiano, & ipsum ad deos adorandos compellere perrexit. In olla, pice, resina & plumbo bulliente excoxit, feris bestiis laniandum præbuit: & in equuleo extentum crudeliter uerberauit, occidere non potuit. Exclamante enim inter ipsa uerbera Vito, Domine libera me: cœlum intonuit, terra tremuit, deorum simulacra corruerunt. territus Diocletianus fugit, Virũ angelus inde sublatum longiùs transportauit. Vbi ille cùm orasset Dominũ suum, ut iam de terris euocatus in ipso requiesceret, tradidit spiritum. Marulus lib.5. cap.5.

Cùm in Negra Arabiæ felicis ciuitate miserabilẽ ederet Christianorum lanienam Iudæus quidam Pseudomoyses, imperante Iustino seniore: inter constantissimos alios martyres, inprimis PVERVLVS quidã, cum matre ad pyram accensam, contra tyranni uoluntatem, qui eum seruare studebat, accessit, & mortem oppetiit. Nicephorus lib.17. c.6.

PAVLILLVM puerum, fratrem Paschasij & Eutychij martyrum, propter regiam indolem & formæ elegantiã rex Vandalorum Gensericus in Africa habebat acceptissimum. Sed quoniam à professione rectæ fidei nullis uel illecebris uel minis retrahi poterat, diu multumq; fustibus affectum, tandem ad ignominiosam seruitutẽ damnauit. Prosper, Theodosij anno XIV.

Iuuenes.

GEORGIVS Cappadox adolescens, in dæmonas Gentiliũ acriter inuectus erat, Imperatorumq; Diocletiani & Maximiani impietatem deriserat. Captus igitur, in carcerem & uincula coniicitur: mox ungulis acutis laniatus, calce ardenti adustus, fidiculis distractus, mucronibus membratim dissectus, gladio tandẽ percussus est. Nicephorus lib.7. c.15.

Senes.

In persecutione sub Antiocho Epiphane, ELEAZAR doctor legis, canicie, sapientia, grauitate hostibus etiam suspiciendus, ętate nonagenarius: edere carnes suillas iussus, noluit: in os sibi ingestas, expuendo reiecit. Rogatus ut alias carnes appositas sumeret, tanquam uetitis illis uesceretur: mori potiùs, quàm exemplo offendere iuuenes, aut iis ad impietatem dux atq; auctor esse, maluit. 2. Mach.6.

Hierosolymis per Atticum Consularẽ sub Traiano SIMEON, Cleophæ filius, Christi consobrinus, cùm annorum esset CXX, cruci affigitur, quòd Christianus, & ex posteris Dauid, Christique agnatus esset. Euseb. lib.3. c.32. & Egesippus.

POLYCARPVS, D. Ioãnis discipulus, episcopus Smyrnęus, XXCVI annos natus, Smyrnæ uiuus exustus est, admirandæ & sanctitatis & constantiæ uir, unà cum XII aliis è Philadelphia. Consule Eusebium lib.5. cap.j.

PHOTINVS Lugdunensis diaconus, annos supra nonaginta natus, in graui illa persecutione sub Antonino Vero, corpore quidem cùm propter senium, tum propter morbum elanguidò: anima uerò ad hoc in illo seruata, ut per eam Christus triumpharet: à militibus ad tribunal deportatur, côncomitantibus ipsum ciuibus & omni multitudine uariis modis, quasi ipse Christus esset, inclamante. Interrogatus à præside, Quisnam sit Christianorum Deus? Si dignus, inquit, fueris, cognosces. Hoc dicto, commoti ethnici, qui ei uicini erant, manibus illi ac pedibus contumeliam inferebant, nec ætatem illius reuerebantur: remotiores, quod quisq; in manu habebat, in ipsum iaculabantur. Aegrè adhuc

huc spirans, coniectus in carcerem, post biduum expirauit.

Apud Arethusios, MARCVS senex, Constantino imperante idolorum quoddam templum euerterat. Ob id Arethusij sub Iuliano Apostata eum comprehendunt, nudant, pulsant, totumq; uerberibus lacerant: mox in cloacas fœtidas abiiciunt, atq; inde retractum, pueris stylis compungendũ proponunt: postremò in corbe locatum, & melle unctum, sub dio uespis & apibus arrodendum exponunt. Theodoretus lib.3. cap.7. & Suidas.

Cùm persecutionem in Persia exerceret Sapores, duos senes decrepitos ABEDECALAAM & ANANIAM cum Simeone episcopo cõprehẽdi, & ad supplicium duci iussit: Ananiæ autem, cùm fractus & tremebundus uideretur, Pusices quidam præfectus artificum regiorum, acclamauit proprio cum periculo: Modico momento, ô senex, oculos claude, & fortis esto: propè enim est, ut Dei lucem uideas. Ei perfossa ceruice linguam extraxerunt. Sozom. lib.2. c.10.

Sexus respectu. Martyres

Mulieres.

In catalogo Virorũ Martyrum, exempla quædam Mulierum propter seriem historicam intertexta fuere.

In persecutione sub Antiocho Epiphane accusatæ sunt MVLIERES binæ, quòd secundum Dei præscriptum, filios suos circumcidissent. Quæ cùm in publicum productæ, sine terrore id faterẽtur, infantes occisi, & de matrum uberibus suspensi sunt, feminæq; sanctissimæ ludibrij causa per urbẽ circumductæ, de muro in fossam præcipitantur. Matrũ quidem & infantum nomina tyrannus aboleuit, sed aureis in cœlo literis annotata sunt, & in Dei conspectu uiuunt cum lætitia. 2. Machab.6.

Petrus de Natalibus lib.5. cap.112. & Vincentius lib.9. cap.28. FELICVLAM Petronellæ, filiæ Petri, collactaneam, cùm neq; sacrificare, neq; Flacco comiti nubere uoluisset, XIV dies inediam pertulisse, & tandem in equuleo tortam, in cloacam abiectam periisse narrant.

DOMITILLA, neptis Domitiani ex sorore, à Nereo & Achilleo eunuchis & custodib. suis, qui Petri discipuli fuisse perhibentur, perducta ad fidem, à Clemente presbytero baptizata dicitur. Quum Aureliano Flauio, Clementis Domitiani fratris filio, nubere nollet, putans sibi Christianæ cũ gentili uiro non bene conuenturum, in Pontiã insulam deportata, longum ibi martyrium (teste Hieronymo) duxit: & tandem à Luxurio, fratre Aureliani, sub Traiano, cùm sacrificare idolis nollet, unà cum suis famulis, in urbe Tarracina, in cubiculo cremata est.

Traianus Antiochiæ quinq; VIRGINES, fidem palàm profitentes, combussit: & ossibus earum in cinerem redactis, æriq; commistis, ahena quædam, & alia uasa fabricari curauit in usum publici lauacri, quod ipse magnificentissimè extruxerat, æterna suæ crudelitatis monumenta. Verùm quicunq; eò ingrediebantur, quamprimùm calida se perfundebant aqua, caligine & uertigine correpti, cum impetu excurrebant & procidebant. Causa eius mali cognita, Traianus, ut alia uasa ex ære puro pararentur, mandauit, & priora illa in quinq; statuas transformari, easq; uirginum combustarum forma & habitu pro balneo collocari curauit. Nicephorus lib.3. cap.23.

Getulius cùm Tyburi plures docuisset, cum Cereali, Amantio & Primitiuo, iussu Adriani igne exustus est. Constantiã mariti uxor SYMPHORVSA imitata, cum septem filiis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacteo, & Eugenio, anno sequenti martyrium diuersis suppliciis fecit. Ipsa in fluuium præcipitata, filij palis affixi sunt, undecimo Adriani anno.

SOPHIA ex Italia Romam cum filiabus, Fide, Spe, & Charitate uenit, & plurimas ethnicas mulieres ad fidem conuertit. Quæ res cùm Antiocho cuidam præfecto innotuisset, ad Adrianum id retulit, uxores Romanorum à Sophia persuasas, à consortio & conuiuio maritorum abstinere. Adrianus Sophiam cum filiabus accersit: & singulas separatim, primùm Fidem, postea Spem, postremò Charitatem, cùm pollicitationibus ad abnegationem fidei, & ad sacrificandum Dianæ, tum comminationibus grauissimorum cruciatuum sollicitat. Cùm illæ nihil neq; promissionibus neque comminationibus commouerentur, post multa tormenta capitali supplicio affectæ sunt. Mater ad sepulcrum filiarũ animi mœrore expirauit. Narrant Passionalia, Adrianum, cùm animam ageret, constitutum in grauissimis doloribus exclamasse: Deus trium uirginum, & earum matris, uelociùs animam meam educ è corpore: scio enim, quòd propter illas omnia hæc mala in me irruerunt. Allegat eius narrationis testem Chronicon Hermanni, Eusebium.

DOROTHEA uirgo, Cæsareæ Cappadociæ oppido, pro Christi nomine à Fabricio præfecto diu torta, cùm tandem ad capitale supplicium duceretur, gaudebat quòd se ad sponsum ire diceret, cuius paradisus omnium florum, omniũq; fructuum feracitate multo amœniùs, quàm dici possit, uernat, suauiùs fragrat, copiosiùs exuberat. Tunc Theophilus scriba ridiculi causa illam rogauit, ut cùm eò peruenisset, inde sibi rosas aliquot mittendas curaret. Cui ipsa: Ne qd, inquit, impossibile esse credentibus credas, quod petis efficiam. Pôstquam ergo decollata est, THEOPHILO in curia uersanti, puer cum recentium cistula rosarum apparuit, & quidem brumæ tempore, quando nihil in aruis florere solet, easq; ipsi à Dorothea de sponsi sui paradiso missas dixit: & cùm obtulisset, ex oculis euanuit. Videns ergo ille seriò factum, quod ioco poposcerat, quia fieri posse nõ credebat, & altiùs rem secum considerans, Christianum se fecit, martyriumq; sustinuit: post rosas, fructuum quoq; uerę perfectæq; beatitudinis percepturus. Marul. lib.c.6.

Virginem prouectæ ætatis APOLLONIAM Alexandriæ Ethnici sub Decio cõprehenderant, dentesq; illi cunctos percussis maxillis excusserant. Cùm ad rogum iam succensum ducta esset, repentè è manibus impiorum prosiliẽs, in flammam sese ultrò coniecit, ita ut perterrerentur ipsi quoq; crudelitatis ministri, quòd promtior esset ad mortem femina, quàm tyrannus ad pœnam. Polydorus lib.8. c.7. de rerum Inuent.

MAXIMA & DONATILLA sorores, cum Secunda, cùm se suamq; uirginitatem Christo dedicassent, persecutione Galieni principis in Aphrica passæ sunt. Felle primùm & aceto Anolini præsidis iussu potatæ, gaudebant quòd dignæ habitæ essent, eam iam bibere pro Domino amaritudinem, quam antè pro ipsis Dominus biberat in cruce. Inde uerberibus cæsæ, calceq; confricatæ, ut plagarum dolor duplicaretur. Ad hæc etiam in equuleo extentæ, compelli non potuêre, ut idolo immolarent. In quod cùm expuissent, super craticula torrentur: deinde ad bestias damnantur. Sed igne bestiisq; parcentibus, non parcit Anolinus: gladio ambas cædi iussit, ut se & flammis ardentiorem, & feris animalib. truculentiorem ostenderet. Marulus lib.5. cap.6. ex Henrico Erfordiense, & Vincentij Speculo.

MARGARITA uirgo ab Olybrio Antiochiæ præfecto adamata, deinde quòd Christiana esset, amore in odium uerso, in equuleo fuit suspensa, uirgis cæsa, ungulis lacerata, carceri tradita. Vbi à dracone deglutita, rupto illius uentre euasit illæsa. Dæmonem, qui humana figura ad se decipiendam uenerat, prostratum pedibus conculcauit, ita ut ille emisso eiulatu, & se uictum confessus, euanesceret. Cùm iterum in equuleo torqueretur, facibus ureretur, in aquã mergeretur, terra tremuit, uincula soluta sunt, uulnera curata, uirginale caput solari radio coronatum apparuit, multa hominum millia ad Christum cõuersa sunt. Ipsa postremò capite cæsa, relicto corpore cœlum petiit. Marulus libro 5. capite 6. & libro 4. cap.8.

IVSTINAM uirginem cùm Aglaius iuuenis arderet, & ipsa iam Christo iuncta mortalis hominis nuptias respueret, dęmonem immisit CYPRIANVS magus, qui illius animum ad libidinem occulta carnis titillatione illiceret. Rẽ autem infecta reuersum, cur eam mouere nequiuerit, interrogat: & audiens, signo crucis perterritum effugisse, alium misit nequiorem illo, qui uirginalem formam habitumq; indutus ad Iustinam accedens, etiam se uirginitatẽ Deo uouisse dixit: petiitq; ut si non in societatem, saltem in seruitiũ reciperetur. Susceptus post dies aliquot, captata occasione, dubitare se ait, ne uirginitatem seruando offendant potiùs Deum, quàm aliquid promereantur. Scriptum enim esse: Crescite & multiplicamini, & replete terram. indeq; in ueteri Testamento sanctissimas mulieres, Deoq; gratas, uiros habuisse, & filios genuisse. Cœperat Iustinę animus iam nutare, ac de uirginitatis proposito penè ambigere: mox seipsam reprehendens, Christi nomine inuocato, cruce se signauit: & dæmon crucis uirtutem non sustinens, effugit. Iterũ idem Aglaij formam assimulatus, noctu ad eam uenit, & nunc blandus, nunc minax, ut uoto suo consentiret petiit. Sed eodem quo priùs modo ab ea fugatus abiit. Deinde Iustina uirgo aliis atq; aliis partim diaboli, partim ipsius magi commentis tentata, cùm semper cruce se muniret, semper superior euasit. Quam rem uidens Cyprianus, & ipse Christo credidit, & unà cum illa martyrium subiit sub Diocletiano, fidelis factus, quia fidelibus dæmonia præualere non posse, liquidò cognouit. Marulus lib.5. cap.8. ex Vincentij lib.12. cap.120.

Vinxit THEODORAM, Hermetis illustrissimi martyris sororem, Aurelianus consul, Claudio adhuc in humanis agente: quam postea, Imperator factus, extremo affecit supplicio. Sabellicus.

CYRILLAM, Decij Imperatoris filiam christianissimam, prò Christo Romæ iugulatam, historiæ tradunt.

Maxentius Imp. ubi LVCINAM matronam Romanam instituisse Ecclesiam Dei rerum suarum hæredem intellexisset,

iratus, & mulierē ipſam relegauit ad tempus, & MARCELLVM Pōtificem captum impellere minis conatus eſt, ut & epiſcopatu ſe abdicaret, & Chriſtianum nomen deponeret. Quē ubi contemnere & deridere ſua præcepta uidit, in cacabulum ad cuſtodienda animalia publica (ut quidam uolunt) incluſit: quo in loco nec ōrationes unquam, nec iciunia prætermiſit. Parochias item, non ſecùs ac ſi liber eſſet, epiſtolis gubernabat. Menſe autem nono captiuitatis ſuæ à clericis noctu à cacabulo liberatus eſt. Quare maiore percitus ira Maxentius, ſanctiſſimum uirum in cacabulū redegit: ubi cùm fœdè & incommodè habitaret; pedore & ſitu mortuus eſt. At uerò Lucina ſanctiſſimi uiri corpus uia Salaria in cœmitērio Priſcillæ condidit XVII Kal. Febr. Poſtea aūt re Chriſtiana creſcente, cacabuli domus in Eccleſiā erigitur B. Marcelli nomine, quæ etiā hodie uiſitur. Platina.

EVPHEMIA uirgo, dum martyres Chalcedone ad toleranda fortiter tormenta palàm hortaretur, dūm cum ipſis torqueri cupiens clāmat: Iniquum eſſe, ut ſibi, quæ Romana eſſet, & quidem ſenatoris filia, aduenæ & ignoti homines præferantur, ſe priùs ad Chriſtum mitti oportere. hac uociferatione prouocato Priſco præfecto, in carcerem cum cæteris qui damnati erant detruditur, & Deo gratias agit, quòd ſe martyrum numero dignam feciſſet. Deinde cùm alij uincti, ipſa ſoluta, in forū producerentur, queſta eſt derogari principum edicto, quòd non ſe quoq; ſicuti reliquos uinculis conſtringerent. Præfectus ergo ſe ludibrio à puella haberi ratus, iracundè hoc tulit, omnuq; in illam tormenta, quæ furenti occurrere poterant, exercuit: alapas, equuleū, ignē, inediam, trapeta, beſtias, gladium, quo tandem illa confoſſa, tradidit ſpiritum. Igitur non ſola uirginitate Chriſto placere deſiderans, ultrò ſe expoſuit ſuppliciis, ut placeret & martyrio. Marulus lib. 5. cap. 6.

LVCIAM uirginem Syracuſanam Paſchaſius proconſul ad proſtibulum duci iuſſerat. Illa neq; uirorum, neq; boum ui, qui ſunibus uinctam trahere nitebantur, loco moueri potuit. Lignorum ergo ſtruem tyrannus circumponi, & uirginem incendio conſumere decernit. At illa inter flāmas conſtituta, calorem non ſentiens, Deo gratias agebat. Fugit Paſchaſius, & iam quò ſe uertat neſcit, dum ipſum à femina uinci pudet. Cumq; animo conflictaretur, quidam ex lictoribus diſtricto enſe Luciæ iugulum transfodit, nec tamen illa mori potuit, donec Euchariſtiæ ſacramentum de manu ſacerdotis accepit, illoq; comitata ad cœlum abiit, cuius fidem in terra cùm torqueretur non deſeruit. Idēm.

Hermannus Gigas etiam SERENAM, Diocletiani Imp. uxorem, martyrium pro fide Chriſtiana perpeſſam prodidit.

ANASTASIAM Vincentius lib. 12. cap. 66. ſub præfecto Illyrici, manibus pedibuſq; palo alligatam & cremata ſcribit.

CHRISTIANAM uirginem in oppido Italię Tyro (quod ad Vultinum lacum ſitum eſt) paſſam mirari facilius eſt quàm laudare. Patris ſui Vrbani Tyri præfecti idola argentea confingens, egenis diſpertiuit: blandimenta illius, quibus ipſam à Chriſto auertere moliebatur, deſpexit: minas irriſit, non flagellis, non ungulis dilaniata conſtantiam mutauit. Quinimò laceræ carnis fruſtum in patrem proiiciens, ait: Satiare carnibus, miſer, quas genuiſti: filiam comedere potes, at certè ut impietati tuæ conſentiat, facere non potes. Hinc rotis alligatur, & ſubdito igne uritur, in lacumq; deiicitur. Mox defuncto patre, à Dione eius ſucceſſore in oleo, reſina & pice coquitur: & cùm ab hac quoq; pernicie liberaſſet eam Dominus, ad Apollinem adorandum ducta, ſtatuam precatione ſubuertit. Dioni morte repentina ſubtracto ſubrogatur Iulianus. Qui Chriſtianam in fornacem ardentem mitti iuſſit: ſed miſſa noxam non ſenſit. Serpentibus mordendam obiecit: ſed ſerpentes illa dimiſſa, uenenum inuaſerunt: interemtum ipſa ſuſcitauit, & ſerpentes in deſertum fugere compulit. Serpentibus tamen ſæuior Iulianus, mammillas illi amputari iubet, linguam præcidi, ipſam ſagittis confici. Tali demùm martyrio conſumtam cœlum ſuſcepit. Marulus lib. 5. cap. 6.

IVLITÆ Tarſenſi matronæ eripuerat Imperatoris Alexandri præfectus omnes facultates. Illa ius ſuum perſecuta, religionis nomine accuſatur: & cùm diis ſacrificare nollet, priùm durè flagellatur. Quibus adhuc trimus puer, ſpectāte matre, præcipitio in terram eliditur. Ipſa cùm in confeſſione perſeueraret, excoriatur, pice bulliente perfunditur, poſtremò decollatur. Necdum ſatiata tyranni rabies, aduerſus interfectos deſæuit, mortua corpora fruſtatim concidi, lateque diſpergi iubet. At fruſtis inter ſe coeuntibus, atque conſolidatis, corpora integra inuēta ſunt, & ſepulturæ mandata, & à fidelibus reuerentiæ habita. Marulus lib. 5. cap. 6. Baſilius in oratione de Iulita eam rogo adiudicatam ſcribit. Quam ſententiam ipſa cupidè recepit, ad flammā properans, & conſtantiam egregiam præ ſe ferens. Ad aſtantes mulieres eiuſmodi oratione uſa: Ne grauemini, pietate ſubire labores, néue naturę muliebris fragilitatem cau-

ſemini. Ex eadem enim, qua illi, materia ſumus, & ad imaginem Dei æquè atque illi conditæ. Non enim caro tantū ad mulieris conſtructionem ſumta eſt, ſed & os ex oſſibus: ex quo & robur, & conſtantia, & patientia tàm nobis ex Deo, quàm uiris debentur. Quæ cùm dixiſſet, in pyram ultrò ipſa proſiliit.

THEODOSIA uirgo Cæſareæ Palæſtinæ oppido Vrbani præſidis luſſu per capillos nuda ſuſpenditur: nubes autem ab alto delapſa nuditatem eius texit. Ferreis nexibus conſtricta in teterrimo carcere compingitur: at uerò ueniente ad ancillam ſuam Chriſto, illuxit carcer, uincula confracta ſunt, ipſa uirgo iucūditate perfuſa. Deinde ſaxo ad collum ligato, in mare præcipitatur: ſed ab eo ſoluta ad litus enatauit. Tum etiam leopardis exponitur: ſed beſtiæ quam illicò dilaniaturæ putabantur, non attigerunt. Deniq; præſes quando illam aliter conſumere nequiuit, obtruncari iuſſit. Marulus lib. 5. cap. 6.

AGATHA uirgo Catinenſis, Quintiano Siciliæ proconſuli extrema minitanti, niſi diis thura daret, reſpōdit: Se Deo uero ſacrificaturam, non dæmoniis. Et cùm fidiculis equuleoq; uexaretur, delectari ſe pœnis, non triſtari dixit. Quoniam ſicuti triticum non reconditur in horreum, niſi tritura uentilationeque permundatum: ita & ſe non poſſe ad patientiæ præmium peruenire, niſi ſupplicijs antè probetur. Hinc iubente Quintiano mammillam illi à pectore diſtorquent, mox & abſcindunt. at ipſa ad Quintianum conuerſa, exclamat: Impie, crudelis, dire tyranne, non te pudet in me amputare quod in matre ſuxiſti? Sed nihil proficis. Habeo enim quas auellere non potes interiores fidei ſpeque mammillas, quarum alimēto reparatūr in me ſuſtinendi uirtus. Poſt hæc in carcere poſitæ, Petrus apoſtolus apparens plagam curat, & locus antè tenebris horrens, pedoreque triſtis, repentè illuſtratur, ſuauiterque fragrat. Attoniti eo miraculo cuſtodes, reſeratis ianuis uirginem, ut abiret, hortantur. Cæterùm ipſa ne ſtatis in limine uictoriæ pedem referendo præmium amitteret; nuſquam diſceſſit. Poſtero die Quintiani iuſſu, ſuper prunas teſtis permixtas aliquandiu uolutata torretur, ſimul ac laceratur: fluenteq; ubertim cruore ignis extingui cœperat, cùm tam immane facinus terra nō ferens intremuit, pars muri quaſſata, Quintiani aſſeclas oppreſſit ruina. Virgo rurſum carceri reddita; cùm finem oraſſet uitæ, obdormiuit in Domino. Ab angelis appoſita fertur ſepulturæ eius marmorea tabella, in qua ſcriptum erat: Mentem ſanctam ſpontaneam, honorē Deo, & patriæ liberationem. Quintianus cum equo, cui inſederat, in fluuium præcipitatus, nuſquam comparuit. Marulus libro 5. cap. 6. & Fulgoſus lib. 3. cap. 3. & Sabellicus lib. 5. c. 8.

AGNES uirgo Rom. Præfecti urbis filium nuptias ſuas petentem deſpexit: diuitias, quæ illi affatim ſuppetebant, offerentem neglexit: patrem quoque eius ut minantem, ita iniuria afficientem riſit. Ob quam conſtantiam Dominus, dū eam impij expoliant, capillorum miro ueſtiuit incremento: dum ad proſtibulum trahunt, ſua tutatus eſt luce. Infamem locum micantis fulgoris decore honeſtauit. Perculit horrore corruptores, & in fugam conuertit. Procum autē illum libidinis furiis actum, nihilque penſi habentem, cùm ad eā irruiſſet, repentina nece multauit. Illa in medias proiecta flammas, non eſt aduſta. Diſſipatus ignis, crudelitatis appetiit miniſtros: & inſonti parcens, conuerſus eſt contra nocentiſſimos, Dei uoluntati obſequente elemento. Denique ſuſcepto per iugulum gladio, intactam uirginitatē eidem cui uouerat Chriſto ſponſo obtulit. Marulus lib. 4. capite 8. & libro 5. capite 6. Habetur in numero ſermonum diui Ambroſij, unus de martyrio Agnetis, nobilis Romanæ uirginis. Retulit totā eam narrationē Prudētius in Hymno.

Emeritana Hiſpaniæ uirgo EVLALIA, tredecim (ut Petrus de Natalibus retulit) annorum, Dacium Maximiani præſidem obiurgarat, quòd impiùs in Deum, tanta in Chriſtianorum ſanguinem atrocitate fureret. Ideoque arrepta, & ad aram idolorum ducta, cùm ſacrificare noluiſſet, rogo impoſita, martyrium fecit. Idem.

CATHARINA uirgo ſanctitate magis, quàm regia ſtirpe clāra, atque inter Alexandriæ puellas pulcerrima, plus tamen uirtutib. quàm forma pollens. Cùm Maxentius Cæſar Chriſtianos ad idolorum culturam cogeret, prorupit in mediū, Cæſarem increpuit, martyres præmij ſpe confirmauit, quinquaginta philoſophos diſputando uicit, ita ut conuerti, & Chriſti nomine, quòd impugnauerāt, iam defendendo mori non formidarent: pro quo & ipſa ſcorpionibus cæſa, in carcerem detruſa; fame ſitiq; afflicta, ab angelis uiſitatur atque alitur. Fauſtinam Maxentij coniugem, Porphyriumque militum magiſtrum cum ducentis millibus uirorum in fidem recipit Chriſti. Quamobrem rotis applicatur, ita arte compoſitis, ut in orbem actæ multiplici mucrone diſcidiſſent alligatam, niſi extemplò ui diuina ueluti fulminis cum fragore ruentis ictu, ipſa tormenti moles fracta diſſi-

liiſſet.

Itaque uirginem intactam reliquit, multam tamē infidelium turbam uiolento fragmentorum excuſſu proſtrauit. Cæteri qui euaſerant, ferè omnes Chriſto credidēre, martyrioque cum Fauſtina & Porphyrio coronati ſunt. Cū ergo Catharina tantam multitudinem ante ſe ad cœlum præmiſiſſet, & iam eos cuperet ſequi, obtruncatur. Vulnus lacte manaſſe conſtat, ut uirginalem puritatem teſtaretur. Corpus ab angelis inde uſque ad montem Sinai delatum, ut ubi à Deo data lex fuit, ibi illius monumentum eſſet: quę ſic pro lege ſtetit Chriſti, ut & philoſophorum ſapientiam confutaret, & tyranni fœuitiam nec reprehendere timeret, nec ferre recuſaret. Marulus libro 5. cap. 6. & Fulgoſus libro tertio, cap. 3. ex Petro de Natalibus, & Simeone Metaphraſte. Incidit in annū Domini CCCX. ſecundùm Antoninū.

BARBARAM Nicomediæ ciuem, forma, genere, diuitiis, floreque ætatis præſtantem, fidei tamen ardore talia contemnentem, cùm multis eam petentibus ſiuli nubere uellet, & ſe Chriſtianam uirginitatis uotum ſuſcepiſſe diceret: furēs gentilis pater Dioſcorus, ſtricto gladio illam perſequi cœpit. Sed quam pater perſequebatur, ſaxa miſerata ſunt. Eā namque montis crepido; ad quam fugiens conſtiterat, inclinata trans uallem in aduerſa rupe depoſuit, & rurſum ſe erigens, perſecutorem impediuit. At neque miraculo mollitus, omni ſilice durior pater, tam diu per deſerta latitantem quæſiuit, donec inuenit. Tunc per capillos tractam, Martiano præſidi torquendam tradidit. Quam Martianus poſt multos cruciatus, & utramq; auulſam papillam, ignominiæ cauſa nudam per urbis fora duci iuſſit. Exhorruit nuditatem uirgo, quam non terruerant ſupplicia. Et cùm Dominum oraſſet, extemplò affuit illi angelus, papillas reſtituit, ſanatumq; corpus candenti ſtola contexit. Sed quoniam miracula maleficiis, non uirtuti imputabantur, iuſſa eſt decollari. Et ne quid ad immanitatem deeſſet, præuenit carnificem pater, filiamq; gladio, quo antè perſecutus fuerat, interemit. Marulus libro 4. capite 8. & lib. 5. cap. 8.

BARBARA, nobiliſſima uirgo in Thuſcia, poſt carceris ſqualores, neruorumq; inciſionem, lampadas lateribus admotas, alios; cruciatus multos & diuerſos, ad extremum gladio percuſſa eſt. Bergomenſis.

Cyzici fuit FAVSTA uirgo diuitibus nata parentibus, & ab iis ad pietatem Chriſtianam ſtudioſè educata. Orphana uerò relicta ſub Maximino, comprehenſa, & cruciatibus ſubiecta eſt ab Euelaſio Palatij primario, quem inter tormenta conuertit: deinde à Maximino præfecto, qui & ipſe precibus Fauſtæ ad Dominum cōuerſus, cum utriſq; martyrium obiit. Metaphraſtes.

Nobilitate atque animo præſtans IVLIANA uirgo, ut Chriſto nuberet, Eleuſij Nicomediæ præfecti nuptias contemſit: & unius Dei ſe famulam confitens, ab idolis autem abhorrens, flagella, uirgas, plumbum paſſa eſt. Diabolum uiſibili ſpecie ſibi inſidiantem ligat, uerberibus afficit, & in latrinam præcipitem mittit. Sed etiam inter tormenta apparuit patientis uirtus: rotis conterēda ſubiicitur, & rotæ frangūtur: in bulliens plumbum mittitur, & plumbum tepeſcit. Capitis demùm obtruncatione implet martyrium ſub Maximino. Marulus libro quinto, capite ſexto, ex Simeone Metaphraſte.

Romanus quidam fuit Chriſtianæ pietatis ſtudioſus CHRYSOGONVS, præceptor ANASTASIÆ nobilis feminæ Romanæ, quæ à patre coacta gentili, quamuis nupta mari to Publio, pudicitiam tamen & fidem Chriſtianam tutata eſt: & martyres uinctos omnibus officiis complexa, ad conſtantiam etiam animos è exhortata eſt. Poſt Chryſogonum interfectum, fecit ipſa quoq; celebre martyrium Aquileiæ, quò ſeſe ultrò martyrij auida contulerat: cùm morte priùs fuiſſent ibi affectæ clariſſimæ uirgines, Agape, Irene, Chionia & Theodota. Simeon Metaphraſtes.

Puella fuit Theſſalonicenſis ANYSIA, nata parentibus locupletibus & Chriſtianis. Martyr fit in tumultu promiſcuo gentilium in templo, poſteaquam edictum Maximinus cædibus Chriſtianorum penè obſaturatus propoſuiſſet, quo impunè liceret cuiq; interficere Chriſtianos ubicunq; locorum deprehenſos. Metaphraſtes.

SAPHIRA Antiochena uirgo Romam uenit, & Sabinam Valentini uiduam, cuius famula erat, ad fidem conuertit. Sacrificare diis iuſſa, conſtanter ſuam edidit confeſſionem, ſe Chriſtianam eſſe, Deumque omnipotentem, qui omnia fecit, colere. Deos gentium non eſſe ueros deos, ſed dæmonia. Berillus præſes uirginem capite truncari curauit, ſeptimo Adriani anno. Petrus de Natalibus, & Vincentius ad ſtuprum duobus iuuenibus traditam, & mirabiliter ſeruatam, impudicos adoleſcentes necatos coram tribunali oratione ſua reſuſcitaſſe, & poſtea lampadibus ſine læſione uſtam fuiſſe ſcribunt.

SABINA filia Herodis metallarij, uxor Valentini patricij Romani, poſt mortem mariti à Serapia conuerſa, ſub Adriano ſuo ſanguine Chriſtū profeſſa eſt. Cùm delata eſſet ob pietatis opera apud Helpidium præfectum, in prætorium adducta, interrogata, Cur Chriſtianorum religionem amplexa ſit? reſpondit: Ego gratias ago Domino Ieſu Chriſto, qui me peccatricem, per famulam ſuam Serapiam, de multis ſordibus & poteſtate dæmoniorum liberare dignatus eſt, ut non ampliùs errarem, ſicut uideo uos errare, adorando dæmones: cum quibus, niſi conuerſi fueritis, uos & Imperatores ueſtri in ignem æternum conijecti puniemini. Helpidius ec mmotus, pronunciauit ſententiam in hunc modum: Sabinam diis inobedientem, Dominos quoq; & Auguſtos blaſphemantem, gladio percuti decreuimus, atque omnes eius facultates in ærarium publicum conferri.

FELICITAS uidua Romana, primaria femina, ad fidē Chriſti conuerſa, ſuam quoque familiam cum ſeptem filiis ad agnitionem Chriſti perduxit, & multas mulieres Chriſto lucrifecit. Imperator Antoninus Publio urbis præfecto mādat, ut Felicitatem cogeret cum filiis ſacrificare diis, eoque ſacrificio iram & pœnas deorum auertere. Publius Felicitatem ad ſe cum filiis accerſit: & primùm blandis uerbis, poſtea uerò comminatione pœnarum & cruciatuum conatur ei perſuadere; ut ad ueterem religionem deorum reuertatur. Felicitas breuiter reſpondet: Nec blandimentis tuis moueor, nec terroribus & minis frangor: Spiritum ſanctū habeo, qui mihi ſuggerit uires, ut parata ſim pro fidei meæ confeſſione quiduis perpeti. Filij cariſſimi, in fide & confeſſione perſiſtite: uos iam expectat Chriſtus cum ſanctis ſuis: pugnate pro animabus ueſtris, & fideles uos exhibete Chriſto. Spectante matre, lanuarius plumbatis occiditur: Felix & Philippus ſuſtibus ad necem uſque cæduntur: Syluanus præcipitio interimitur: Alexander, Vitalis & Martialis capite truncantur. Poſtremò mater quoque ipſa necatur, anno Veri ſexto. Beda & Henricus de Erfordia. De ea Gregorius ſic ſcribit: Felicitas credēdo extitit ancilla Chriſti, prædicando uerò mater Chriſti facta eſt: prædicando peperit filios Deo, quos carne pepererat mundo. Filios ſuos carnem ſuam eſſe nouerat, ſine dolore morientes uidere non poterat. Sed erat uis amoris interior, quæ carnis dolorem ſuperabat. Rectè igitur hanc feminam ultra martyres dixerim, quæ toties eſt in filiis & deſideranter extincta. Dū enim multiplex martyrium obtinuit, ipſa quoque martyrij palmam uicit: quia ob amorem Chriſti ſola ei ſua mors minimè ſuffecit. Felix quæ octuplici patientia, octies martyr, octo donanda coronis cœlum aſcendit. Marulus lib. 5. c. 6.

Antonino Auguſto eccleſiam perſequente, dum in Sicilia Sebaſtiani proconſulis iuſſu uictor martyr torqueretur, STEPHANA militis cuiuſdam uxor uiſis miraculis ad fidem conuerſa, Chriſtum Ieſum Dei filium confiteri cœpit. Cūq; nullo pacto ab ea confeſſione reuocari poſſet, duobus duarum arborum aliquantum inter ſe diſtantium ramis aduerſo inflexu ui ad terram curuatis, alligata atque dimiſſa, rapido eorum in diuerſum reductu repentè diſcerpitur: & diſperſo per humum cruore, diffluentibus que inteſtinis, corporis partes in ſuto utrāque ramo ſuſpenſæ palpitarunt. Marulus libro 5. capite 6.

In perſecutione ſub Seuero Alexandriæ clariſſima uirgo POTAMIÆNA, lata ſententia à Baſilide, ad mortem ducta eſt. Cùm autem illi multitudo moleſta eſſet, & laſciuis uerbis contumeliam inferre conaretur, ferūt Baſilidem repreſſis ac cohibitis conuitiatoribus plurimum erga eam miſericordiæ & humanitatis oſtendiſſe. Illam uiciſſim uiri huius erga ſe condolentiam approbaſſe, animoque bono eſſe iuſſiſſe: uelle enim ſe, poſt abitum ſuum ex hac uita, miſericordiam ipſi à Domino ſuo impetrare, & haud diu poſt pro beneficiis in ſe collatis rependere. Haud diu poſt Baſilides, cùm à commilitonibus ob quandā cauſam iuramentum poſceretur, affirmauit ſibi non licere iurare: eſſe enim ſe Chriſtianum. Ergo uinculis traditur. Cùm autem fratres ad ipſum ueniſſent, & de cauſa tam ſubitæ mutationis percontarentur: narrauit Potamiænam triduo poſt martyrium nocte ſibi adſtitiſſe, coronaque capiti ſuo impoſita dixiſſe, Interpellaui pro te Dominum, ac petita impetrauī, nec diu poſt aſſumeris. Obſignaculo igitur Domini à fratribus accepto, ſequenti die martyrium capite truncatus ſuſtinuit. Euſebius libro 6. cap. 5.

Inter reliquos Perſarum martyres, ſub Sapore rege, numeratur TRABVLA Symeonis epiſcopi Perſarum filia, quam Iudæi apud reginam ægrotantem accuſarunt, quòd patris mortem ulciſci uolens, beneficiis ſibi mortbum paraſſet. Magi eam cum aliquot aliis uirginibus captis condemnarunt, medias diſſecauerunt, partesque diſſectas ſtipitibus alligarunt. Sozomenus lib. 2.

Alexandriæ ſub Decio AMMONARION ſancta uirgo, quā iudex diu admodum torſerat, MERCVRIA, anus honeſtiſſima,

ſtiſſima, & DIONYSIA multis liberis fœcunda, præſide confuſo, quòd inefficaciter eas torſiſſet, & à mulieribus uictus eſſet, nullum ampliùs tormentorum ſenſum capiētes, ferro necantur. Dionyſius Alex. ad Euſebium.

Heliopolitani ſub Iuliano ſacras VIRGINES nudatas in publicum locum ad omnium ſpectaculum & irriſionem ſtatuerunt, & poſtquam ſatis ſibi pro libito illuſiſſe uiſi ſunt, tonſas diſſecuerunt, & ad deuorandum uiſcera eorum porcis obiecerunt: ideo quòd Conſtantinus olim Veneris templum, in quo pro more uirgines proſtituebantur, deſtruxiſſet. Sozomenus lib. 5. cap. 10.

MARTINA uirgo Romana, poſt atroces cruciatus, conſtans in fide, gladio tandem percuſſa, martyrium compleuit. Bergomenſis, Vincentius, & Henricus de Erfordia.

CÆCILIÆ Romanæ Chriſto dedicata uirginitas martyrij re tulit triumphum. Hæc Valeriano deſponſata, dum nuptiarum celebris ageretur dies, pro Feſcenninis Euangelium in tra ſe tacita decantauit. Et cùm iam cubilis ſecreta cū ſponſo adiſſet, illi fidem Chriſti, deinde etiam Tiburtio fratri eius perſuaſit, atque ambos ad coronam egit martyrij, angelorum uiſu, roſarumq; cœleſtium odore antè animatos. Ipſa quoq;, quoniam deos gentilium ſimulacra uana eſſe diceret, Almachij urbani prætoris iuſſu, in ignem cremanda conijcitur: & cùm illæſa permaneret, decollari iubetur. Terpercuſſa occidi non potuit, & dimiſſa, triduum ſuperuixit, ut neq; tunc moreretur, cùm carnifici liberet, neque ultra q̄ ſibi expediret, uiueret: ne & ille nece eius gloriari poſſet, & ipſa tardiùs quàm uellet, cùm ſeruatæ caſtitatis, tum cōſummati martyrij reciperet mercedem, anno VI. Alexandri. Marulus lib. 5. cap. 6. ex Vincentio, & Bergomenſe.

Vandali Ariani ſub Hunerico rege honeſtas matronas, maximè uerò nobiles, nudas prorſus in publico excruciabāt. Erat inter eas matrona nomine DIONYSIA, forma honeſtiſſima: eam cùm fuſtibus crudeliter percuterent, ipſa nullum aliud miſericordiæ ſibi beneficium præſtari petebat, q̄ ne pudenda nudarentur. Verùm hoc ipſum eo magis faciebant, in eminentiori loco eam collocantes, & ueſtimentis omnibus exuentes, ſpectaculo omnibus in propatulo ut eſſet. Illa inter fluitantes de corpore ſanguinis riuulos, clara uoce exclamabat: Vos miniſtri diaboli, quicquid ad opprobrium meum facere cogitatis, id mihi in laudem cedit. Et cùm eſſet medio criter in uerbo erudita, cæteris quoq; erat ad martyrium hortatrix, ipſorumq; animos confirmabat: idq́ue tanto zelo, ut patriam ſuam uniuerſam conſeruarit. Proprium uerò filium omnium maximè cohortata Maioricum, cùm ipſum ad pœnas nonnihil trepidantem cerneret, Quæſo, inquit, fili mi, memineris, nos in nomine ſacroſanctæ Triadis in Eccleſia eſſe baptizatos: ah ne perdamus illud precioſiſſimum & ſalutare indumentum: ne ueniēs qui ad nuptias nos uocauit, non reperiat ueſtem nuptialem, & in tenebras exteriores eiiciamur. Adoleſcentulus confirmatus curſum martyrij glorioſo certamine finiuit. Femina quędam VICTORIA nomine, in tormentis diu diſtenta, quaſi exanimis tandem ab equuleo depoſita, retulit, quandam ſibi adſtitiſſe uirginē, & ſingula tetigiſſe membra: quo contactu illicò ſanata fuerit. Victor lib. 3.

Vandali circiter decimumſextum Honorij annum, Hiſpanias occuparunt: & cùm alij eſſent Ariani, alij gentiles, catholicos afflixerunt. Thraſimundus rex cupiens Arianiſmū propagare, adhibuit etiam tormenta, & omnis generis neces. PVELLAM quandam nobilitate, forma & diuitiis præſtantem, miris blanditiis ad rebaptizandum inuitabat. Verùm ipſa infracto animo id recuſauit. Iubetur igitur ſpoliari omnibus facultatibus, & torqueri. Tandem per uim in colymbethram immergitur, in quo tamen clara uoce fidem ſuam proclamat: Patrem cum filio & ſpiritu ſancto unius credo & confiteor ſubſtantiæ eſſentiæq; . hocq; uociferans, uentris excrementis aquas polluit. Eueſtigiò igitur quæſtionibus & torturis grauiſſimis ſubditur: ac poſt equuleos, flammas & ungulas, tandem capitis ſupplicio afficitur. Turonenſis libro 2. cap. 2.

Petrus de Natalibus, Sigebertus in Chronicis, & alij Chronographi, de VRSVLA, & undecies mille uirginum exercitu, prope Coloniam ab Hunnis cæſo, imperante Martiano, ob religionem Chriſtianam, narrationem texunt. At Cyriacus pontifex Romanus, qui cum iis Roma abiiſſe dicitur, ante ducentos annos obierat, ut teſtatur Cranzius in Metropoli. Bonfinius libro quinto, Decadis primæ, Giulam ſiue Iulium Hunnorum præfectum ad Coloniam Agrippinam interfecto Etherio Vrſulæ ſponſo (qui ſponſæ Roma redeunti Coloniam uſq; obuiam uenerat) Vrſulæ nuptias ambiſſe ſcribit. Ab illa ſpretus, pectus uirginis ſagitta transfixit. Cęſæ comites reliquæ. Sola ex undecim millibus Cordula uirgo remanſit: quæ illa nocte metu correpta, ſub nauis carina delituit. Poſtero die prodiens, ne martyrium detrectaret, à furente tyranno lethalem ictum exegit. Hæc inter diuas unà cum cæteris relata nō eſt, quia cum reliquis eo die cæſa non fuerit: ſed multò pòſt tempore, ſacræ cuidam uirgini in ſomnis apparuit, mandauitque, collegio ſacerdotū ſuo nomine nunciaret, poſtridie eius diei, quo undecies mille uirginum feſtum agitur, diem ſibi ſacrum colendum. Balæus Centuria prima Scriptorum Angliæ, & Hector Boethius in Hiſtoria Scotorum, aliam ex ſcriptoribus Britannicis de Vrſula recenſent hiſtoriam, quòd genere Britāna fuerit, Dionoti Cornubenſium ducis filia, ingenio & eruditione clara. Cùm autem poſt ſubactas à Maximo Britannorū rege, Romanoque Cæſare, Armoricas terras (Minorem Britanniam nunc uocant) Gallicarum mulierū aſpernati connubia Britanni, uxores ex ſua peterent natione: frequens mulierum turba illuc ex inſula nauigare ſtatuit, & interillas Vrſula Conani ducis eorum cariſſima deſignata coniux. Sed ea cum undecies utriuſque ſexus millibus ui tempeſtatum periit, cæteris ad litus à contrariarum factionum tyrannis interemtis.

In Hiſpania, imperante Tiberio, Eroiſuintha Ariana lue infecta, tanta crudelitate Chriſtianos perſecuta eſt, ut ne propinquis quidem ſuis pepercerit. Rex fuit tum temporis Hiſpaniæ Leonichildus Arianus, quem alij Leuigildum uocant. Huius filius natu maior HERMINGILDVS, Sigeberti Francorum regis filiam IVGVNDEM uxorem duxit. Ea pro more regio cum magno apparatu in Hiſpanias profecta, ab auia Eroiſuintha humaniſſimè accepta fuit. Quia uerò in orthodoxa religionis doctrina educata, & inſtituta fuerat, Eroiſuintha uariis blanditiis eam à uera pietate ad Arianas blaſphemias traducere cœpit. At Iugundis, Sufficit mihi (inquit) me ſemel ſacroſancti baptiſmi lauacro ab originali peccato ablutam, & ſanctam in una æqualitate confeſſam eſſe Trinitatem. Ab hac fide, qua à pueris fuit imbuta, auelli me nunquam, uel uitæ periculo, patiar. Eroiſuintha puellam pilis comprehenſam ſolo alliſit: & pedibus conculcatam & cruentatam ſpoliari, & piſcinæ immergi iuſſit. Verùm diuino beneficio ſeruata, maritum deinceps Herminigildum ſua pietate, & Leandri Hiſpalenſis epiſcopi monitis, ad fidem Chriſti conuertit. Gregorius Turonenſis libro quinto, capite trigeſimooctauo. Leuigildus filium tum minis, tum promiſſionibus ab orthodoxa religione auocare, fruſtrà conatus, regno ipſum abdicauit, omnibus quoque bonis ſpoliauit. Mox in uincula conijcto, ferro collum manuſque crudeliter hgari iuſſit. In uigilia Paſchatis Arianum epiſcopū ad eum mittit, qui illum deſententia abducere conetur. At cùm in orthodoxa religione perſeueraret, crudelis pater caput per lictores eodem die præcidere iuſſit. Gregorius papa libro tertio Dialogorum, capite trigeſimoprimo. Adon Viennenſis in Commentario quartæ ætatis: & Marianus Scotus libro ſecundo, quarto Mauricij imperantis anno. Interfecto marito, Iugundis ex Hiſpaniis fugiens, dum in Galliam reditum parat, in militū manus, qui Hiſpaniæ fines cuſtodiebant aduerſus Gothos, incidit: à quibus cum filiolo paruo capta, in Siciliam, ubi diem extremum clauſit, abducta fuit. Filius uerò Mauricio Imperatori, matre defuncta, Conſtantino polim tranſmiſſus dicitur. Paulus Diaconus libro tertio de geſtis Longobardorum, capite decimo.

GALANDVCH femina, omnis generis tormenta multis annis ob confeſſionem Chriſtianæ religionis à Perſis perpeſſa eſt. Tandem martyrij coronam expetiit. Angelus qui ei ſæpiùs antea apparere & adeſſe ſolitus fuerat, aſſiſtens, iuuenem quendam enſiferum produxit, qui deſiderio eius ſatisfecit, eique caput præcidit. Poſt capitis reſectionem, aliquandiu deinceps ſuperſtitem fuiſſe, & miracula edidiſſe, Nicephorus libro decimooctauo, capite uigeſimoquinto, ex Stephano Hieropolitano epiſcopo refert. Euagrius lib. ſexto, capite uigeſimo.

Valetudinis. Martyres

Aegroti.

IVLIANVS, homo podagricus, nec ſtare, nec ingredi ualēs, cum duobus aliis ipſum baiulantibus adductus eſt. E quibus alter mox negauit, alter uerò Cronion nomine, cognomēto Eunus, cum ipſo Iuliano, Dominum confeſſus eſt. Came lis impoſiti, ſublimes flagellantur: & tandem igni iniecti, circumfuſo cuncto populo Alexandriæ ſub Decio comburuntur. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Euſebium.

Profeſsionis reſpectu. Martyres

Prophetæ.

Primi ueteris legis martyres Prophetæ fuerunt. MICHEAS in maxillam percutitur, & in carcerem truditur. HIEREMIAS carcerem & uerbera patitur: in lacum cœni per lubdiriū iactatus uolutatur, poſtremò lapidibus obruitur. ESAIAS

SAIAS in duas partes uiuus ſecatur. Dum enim miſſi à Domino ueritatem prædicarēt, fœuiſſimorum principum uim atq; minas pro nihilo habuerunt. Marul. lib. 5. cap. 5.

VRIAS propheta, Semeiæ F. Cariathiarimenſis, Iudæis excidium denuncians, à Ioacimo Iudeæ rege interfectus eſt. Hieremiæ capite 26.

Apoſtoli.

IACOBVS Maior, cognomento Iuſtus, Domini frater, ex Ioſepho & alia uxore natus, uel, ut alij uolunt, ex ſorore Mariæ Chriſti matris. Hic, ut Egeſippus ait, Apoſtolorum temporibus uiciuus, in utero matris ſanctus fuit, uinum & ſiceram non bibit, nil carnis deguſtauit unquam, intonſus, nec balneo, nec unguento uſus eſt, ueſtibus lineis tantummodò indutus. Sancta ſanctorum ingreſſus, ita aſſiduè flexis genibus pro ſalute populi orabat, ut eius genua camelorū more occalluerint. Verùm abeunte ex Iudæa Feſto, ipſius prouinciæ gubernatore, priuſquam ei Albinus ſuccederet, pontifex Ananus Anani filius, compellens publicè Iacobū Chriſtum Dei filium negare, recuſantem lapidibus obrui iuſſit. Cùm præceps de pinna templi deiectus eſſet, ſemiuiuus adhuc, & manus ad cœlum tendens pro perſecutorib. oraret, fuſte, quo fullones utuntur, necatus eſt. Refert autē Ioſephus lib. 20. Antiq. cap. 16. hunc tantæ ſanctitatis fuiſſe, ut propter eius necem publicè creditum ſit, Hieroſolymam eſſe ſubuerſam. Hic eſt ille Iacobus, cui Dominus poſt reſurrectionem apparuit, cuiq; panem benedicens ac frangens, dixit: Mi frater, comede panem tuum, quia filius hominis à morte reſurrexit, uti teſtatur Hieronymus ex Euangelio ſecundùm Hebræos. Annis triginta Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfuit, id eſt, uſq; ad ſeptimum Neronis annum. Cuius ſepulcrum iuxta templum, unde deiectus fuerat, cum titulo, Hadriani temporibus adhuc extabat. Platina.

In PETRI Apoſtoli martyrio Romæ ſub Nerone à multis angelos uiſos tradunt, coronas illi roſarum liliorumque porrigentes, atque etiam iuxtà ſtantem Chriſtum, apertumque librum manu tenentem, in quo ea ſcripta conſpiciebantur, quæ Petrus ad populum fando exprompſerat: & dum plebs eum ſubtrahere neci uellet, ne oblatam ſibi gloriam impedirent, petiit. Marulus.

Vas Dei electum PAVLVS Lyſtris lapidibus expellitur. Philippis cum Syla diſcipulo uirgis cæſus, & compedibus uinctus carceri includitur. Inde dimiſſus, plurimis peragratis locis profectus Hieroſolymam, ibi alligari & mori paratus pro nomine Ieſu, comprehenditur, ligatur, flagellatur, torquetur, in ore percutitur. Poſtremò Romæ capite truncatur, tunc demum ceſſans euangelizare Ieſum, cùm in corpore uiuere ceſſaſſet.

ANDREAS Apoſtolus, cùm Patris in Achaia in crucem Egeæ proconſulis iuſſu actus eſſet, deliberantibus turbis, ut ipſum per uim irruentes eriperent, non acquieuit, diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto. Cùm igitur iam biduum de cruce ad illos uerba feciſſet, uitæ æternæ promiſſis omnes erigens, ſi religionem à ſe prædicatam conſtāter tenuiſſent. Poſtremò animam Deo commendans, luce de cœlo lapſa circumfuſus expiraut. In quanto ergo lumine uiuunt ſancti, ſi etiam moriendo luce fepiūntur? Marulus.

PHILIPPVM Apoſtolum Hierapoli Phrygiæ urbe crucifixū, ac lapidibus interemtum conſtat. BARTHOLOMÆVM apud Armeniam, in oppido Albano uiuum excoriatum decollatumque. IOANNEM Apoſtolum in ferueuti oleo decoctum, nec tamen læſum, Chriſto protegente, qui ſic eum uoluit manere, donec ipſe ueniret. THOMAM Didymum apud Indos carceri traditum, nudis ueſtigiis per candentes laminas ductum, & in ardentem fornacem truſum, poſtremò lanceis perfoſſum. MATTHÆVM Apoſtolum in Perſi de poſt tergum transfixum. SIMONEM Zelotem, & IVDAM Thaddæum in Perſiæ urbe Senair, quia ipſis ingredientibus in templum ſimulacra deorum corruerant, ab ædituis trucidatos. MATHIAM, qui apoſtolatum, à quo Iudas decideraut, ſortitus eſt, Hieroſolymis à Iudæis lapidatum, & Romano ritu ſecuri percuſſum. BARNABAM gentium Apoſtolum, Salamine à Iudæis comprehenſum, atque igni conſumtum. Marulus.

In MARCVM euangeliſtam Alexandriæ idolorum cultores furentes, collo ſune circumiecto, per ſalebroſam humum huc illuc tractum extinxére.

Pontifices.

CLEMENS I. Pp. ſub Domitiano martyrio coronatus eſt, ac ſepultus apud beati Petri corpus in Vaticano. Platina.

CAIVS I. pontifex, orta in Chriſtianos tempore Diocletiani tanta perſecutione, quanta nunquam antea, in ſubterraneis locis, quas cryptas uocant, diu latuit. Captus deinde à perſecutoribus, unà cum Gabinio fratre, eiuſq; filia Suſanna, martyrio coronatur, & uia Appia in cœmiterio Caliſti ſepelitur, decimo Calendas Maij. Platina.

STEPHANVS primus, pōtifex maximus, ac martyr inſignis, ad Martis templum perductus, ut aut ſacrificaret, aut pœnam capitalem ſubiret, Ieſum inuocauit: & repentè idola ędes corruit, & cultores ſuos, qui ad impietatem Stephanū urgebant, conterritos in fugam uertit. Valerianus Cæſar hac expaucefactus uirtute, ad cum occidendum nudum atque inermem, cohortem miſit armatam. Ille inter ſacra non intermiſſa precatione, imperterritus uitæ finem expectauit. Marulus libro 5. capite 5.

Epiſcopi.

In Ponto IHOCAS epiſcopus iuſſu Traiani, eò quòd Neptuno ſacrificare nollet, in caminum ardentis calcis præcipitatus eſt, ac poſtea in Thermas coniectus & necatus.

IGNATIVS, Antiochenæ eccleſiæ tertius poſt Petrum Apoſtolum epiſcopus, Traiani perſecutione damnatus ad beſtias, quum Romam uinctus mitteretur, & iam Smyrnam perueniſſet, ad Romanos, qui fidem receperant, ſcribens, ait: De Syria uſque Romam pugno ad beſtias in mari & in terra, nocte dieq; ligatus cum decem leopardis, hoc eſt militibus, qui me cuſtodiunt: quibus quum benefeceim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina eſt. Sed non idcirò iuſtificatus ſum: utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt paratæ, quas & oro mihi ueloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quòd ſi uenire noluerint, ego uim faciam, ego me ingeram ut deuorer. Ignoſcite mihi filioli, quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de iis quæ uidentur deſiderans, ut Ieſum Chriſtum inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me ueniant, tantùm Chriſto fruar. Quumque iam ductus eſſet ad beſtias, & rugientes audiret leones, ait: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inueniar. Præfocatum à leonibus, & nuſquam cruentatum ferunt, XI anno Traiani. Marulus lib. 5. cap. 5. & Platina.

POLYCHRONIVS epiſcopus & PARMENAS presbyter Babylone paſſi, cùm à Decio comprehenſi, multa ſingillatim interrogarentur, & Polychronius nihil omnino reſponderet, quærenti Imperatori, an mutus eſſet? Parmenas ait: Non eſſe mutum epiſcopum, ſed ideo tacere, ne impiorum colloquiis inquinaretur. Imp. ſtatim Parmenæ linguā præcidi iuſſit, Polychronio os lapidibus contundi: deinde utrumq; decollari. Marulus lib. 5. cap. 5.

BASILIO Amaſiæ Ponti epiſcopo, Nicomediam adduci iuſſo, quòd deis immolare abnueret, Licinius Imp. caput deſecari, & cadauer in mare abiici iuſſit: quod mox à piſcatoribus integrum inuentum, incredibile dictu eſt, quantum omnium in ſe piorum oculos animoſq; conuerterit. Sigonius libro 3. Imperij occid.

Sub Diocletiano ANTHIMVS Nicomedienſis epiſcopus, edita præclara confeſſione, ac ſecum ducens amplam & honeſtiſſimam martyrum cæteruā, capite cæſus eſt. Euſebius.

Tradunt BABYLAM epiſcopum Antiochenum, Numeriano, uel (ſicut alij malunt) Decio Imperatori ingredi in ſacram ædem ad multitudinem populi uolenti, obſtitiſſe in foribus: quòd negaret ſe paſſurum, ut lupus ad oues irrueret. Atq; Imperatorem tum quidem, ſeu metu multitudinis, ſeu qua alia de cauſa diſceſſiſſe indignabundum. Reuerſum in regiam, iuſſiſſe acciri illum, & uno facto ſatisfacere ſibi, ſacrificando diis. Tum illum, hoc ſe minimè facturum dixiſſe. Imper. caput illius amputari iuſſit. Babylas cùm abduceretur, illud Pſalmi accinuit: Conuertere anima mea ad quietem tuam: Dominus enim reſpexit te. Sunt qui ſcribant, tres adoleſcentes fratres, educatos à ſene, raptos & ipſos poſt uaria tormenta ad cædem, derrectantes deorum ſacrificia. Eos Babylas antè ſe iugulari curauit, ne quis metu ſupplicij reſiliret. Atque ita illis interemtis, cùm dixiſſet, Ecce me & liberos quos Deus mihi tribuerat: porrexit cernicem, mādauitque aſtantibus, ut cathenas unà cum ſuo corpore ſepelirent, ne ornamentis mortuus careret. Nicephorus libro 6. capite 35. & Suidas.

QVIRINVS epiſcopus Siſciæ (Euſebius Sceſiam uocat) Pannoniæ ſuperioris, poſt Maximino paſſus, anno Domini CCCXIIII. Euſebius & Prudentius in Hymnis περὶ στεφάνων. Mola ad collum ligata, è pōte præceps datus in flumen, diutiſſimè ſupernatauit, & cum aſtantibus collocutus, ne ſuo terrerentur exemplo, uix tandem orans ut mergeretur obtinuit. Chronicon Euſebij, & Auentinus libro 1. & Sigonius lib. 2. Imperij occid.

EVDOXIV S epiſcopus Antiochię, ex Arabiſſa minoris Armeniæ (cuius pater Cæſarius, ſub Maximiano martyrij corona eſt redimitus) prioris uitæ maculas martyrij ſanguine eluit. Vtroque pede magnis clauis ſex transfixo, in ignem eſt coniectus:

coniectus: & cùm statim flammę admotus expirasset, semiustulatum & integrum cadauer cognati eius in agro quodã Subelo nomine condiderunt. Suidas.

CASSIANI martyris mentionem facit Petrus de Natalibus libro septimo, & episcopum eum fuisse dicit Brixiensem in Italia: in Foro uerò Cornelij postea scholas puerorum rexisse, ubi & passus sit. Martyrium eius enarrat Prudentius, in Hymno de Coronis.

Cùm Vandali duce Croseo Gallias uastarent, Lingonienſium ciuitatem tandem expugnarunt. Motus calamitate ecclesiæ suæ episcopus DESIDERIVS, editiorem muri locum cepit, & lamentabili oratione clementiam ducis imploravit: inde mox sese in templum contulit, & pro peccatis populi ardentissimè orauit. Vandali urbe capta episcopum è templo abreptum, ad ducem adducunt. Qui cùm se animo paratissimo ad necem offerret, modò reliquo cœtui parceretur, eductus ex urbe, capite plectitur. Petrus de Natalibus libro quinto, capite 31.

ANTIDIVS episcopus Turonensis, in faciem cæsus, uariisq; ictibus cruciatus à Vandalis, post multa uulnera, capite truncatus est, Turoníque sepultus. Petrus de Natalibus libro 8. capite 32.

ADALBERTVS (aliàs Voicechus) Pragensis episcopus secundus, ad Prussos propagandæ religionis ergò profectus, anno Christi 997. in sinu Venedico à Barbaris confossus periit. Cuius corpus postea Boleslaus Polonorum rex primus à Prussis redemit, & minimo quidem: propterea quòd appensum in statera corpus, perexiguum ponderaret, diuina (ut creditum est) uirtute efficiente. Tantum enim argenti, siue auri, ut alij uolunt, Barbari pacti erant, quantum corporis ponderi responderet. Deductum solẽni pompa, primùm in Tremesnensi monasterio collocauit: nec multo pòst ad Guesnensem basilicam transtulit. Cromerus lib. 3.

SVNDEROLDVS ex monacho Moguntinus episcopus, Vormaciæ à Normannis martyrio affectus est, anno Domini 895. Sigebertus.

IOANNES Mechelburgensium primus episcopus, cum cæteris Christianis in sua urbe captus, uinctus, fustibus cæditur, spectaculi loco per singula Slauorum oppida ducitur: tandem securi percutitur: cadauer eius manibus pedibusque truncatum, cunctis calcandum in plateas abiicitur: caput Barbari conto affixum, pro uictoriæ laude, Radagisto suo deo immolarunt. Hæc in Slauorum metropoli Rhetè gesta sunt, sub Henrico IIII. Helmoldus, & Cranzius lib. 4. Metrop. capite ultimo.

Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi.

GERARDVS Chanadiensis episcopus, ab Vngaris ad Scythicam relabentibus religionem, ex alta rupe deiectus, tandem hasta transfoditur, sub Henrico III. Bonfinius lib. 2. Decad. 2. & Nauclerus.

Heliopoli CYRILLVM diaconum, qui Constantino imperante multa simulacra confregerat, non interemerunt modò idololatræ ethnici: uerùm etiam uentre dissecto, illius iecur gustarunt, Iuliano imperante. Sozomenus lib. 5. cap. 10.

LAVRENTIVS Diaconus Romanus (de cuius martyrio hymnus apud Prudentium in Coronis extat) quum diuersorum tormentorum instrumenta sibi ante oculos proposita uideret, semper se optasse dixit ad eiusmodi epulas inuitatum iri, & ad ipsas hauriendas accedere. Quumq; Decius cæteros Christianos ab eo sibi prodi poposcisset: Quid, inquit, eos requiris, quorum conspectu es indignus? nam nomina illorum scripta sunt in cœlo. Iratus ille, contemtorem suum fustibus præcipi iussit, laminis candentibus uri, scorpionibus lacerari, in ore lapidibus contundi: sic deniq; excruciatum, super ferrea crate distendi, prunisq; torreri. Adusto iam latere altero, ad præfectum conuersus, inquit:

Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter:
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.

Præfectus inuerti iubet.

Tunc ille: Coctum est, deuora,
Et experimentum cape,
Sit crudum, an assum suauius.

Mox Deo gratias agens, quòd se martyrij gloria dignatus esset, animam reddidit, tanto maius recepturus præmium, quanto passus duriora. Marul. lib. 5. cap. 5.

VINCENTIVS Leuita, Sixti Pp. discipulus & D. Laurentij martyris, Valentiæ uel Abilæ in Lusitania, cum Valerio episcopo, quum in equuleo sublatus à Deciano præside per ludibrium rogaretur, Vbinam esset? In sublimi, inquit, unde te potestate terrena tumentem altior despicio. Grauiora minitanti: Non minari mihi uideris, respondit, sed quod uotis omnibus concupieram, offerre. Igitur quum ungulas, faces, prunas toto corpore dilacerato constanter exciperet, ait: Frustrà fatigaris, Deciane: non potes tam horrenda excogitare tormenta, quàm ipse paratus sum sustinere. Carcer, ungulæ, candentes laminæ, morsq; ipsa, ludus iocusq; Christianis sunt, non tormentum. Post hæc aliis atque aliis confectus pœnis, cum uictoriæ palma migrauit ad cœlum. Marulus lib. 5. capite 5. ex hymno Prudentij de Coronis, & Bergomensis supplemento. Eum certè diuus Augustinus, episcopus Hipponensis admiratus alibi sic dicit: Beatus Vincentius uerè Vincentius fuit, quia fortissimè omnia mortis pericula uicit. Vicit, inquam, in uerbis, uicit in pœnis, uicit in confessione, uicit in tribulatione, uicit exustus, uicit submersus, uicit uiuus, uicit & mortuus. Quia eo mortuo, ut eius sacra habet historia, angelos ei dixisse ferunt: Agnosce ô Vincenti, quia pro cuius nomine uiriliter decertasti, ipse tibi coronam præparatam seruat in cœlis, qui te uictorem fecit in pœnis. Marineus lib. 5. rerum Hisp.

Henricus de Erfordia, ex Isuardi martyrologio refert, CONCORDIVM presbyterum apud Spoletum, sub Antonino Vero Ioui sacrificare nolentem, & insuper in faciem idoli expuentem, post multa alia supplicia gladio cæsum. Vincentius lib. 10. cap. 108.

LVCIANVS Antiochenus presbyter, post recitatam coram Imperatore Diocletiano apologiam, martyr obiit. Eusebius libro 8. capite 13.

Pauli Constantinopolitani episcopi, quem sub Constantio Ariani scelerate expulerunt, & exulantem postea interfecerunt, Macedonio in eius locum surrogato, domestici fuerunt MARTYRIVS hypodiaconus, & MARCIANVS psaltes, ac sacrarum Scripturarum lector. Cùm autem expulsione Pauli populus Constantinopolitanus exacerbatus, Hermogenem præfectum, cui mandatum Paulum eiiciendi Imperator dederat, interfecisset: Macedonius Martyrium & Marcianum præsidi, ut auctores tumultus, in quo occisus esset Hermogenes, tradidit: à quo extremo supplicio affecti sunt. Feruntur autem magno animo mortem ea sustinuisse. Quamobrem & monumentum illis infigne, ut martyribus, à populo Constantinopolitano ante urbis muros positum est. Sozomenus libro 4. capite 3. Socrates libro 2. capite 12. & 13.

BASILIVS Ancyranus presbyter, qui Constantio regnante perpetuum se hostem & reprehensorem Arianorum professus fortiter fuerat, sub Iuliano Apostata passim circumiens, Christianos publicè adhortatus est, ne gentilium se abominationibus contaminarent. Cùm ad publica deorum sacrificia uenisset, orauit ibi cum gemitu Deum, ne quem Christianorum implicari impijs abominationibus permitteret. Agnitus ibi, ad supplicia abductus est. Sozomenus lib. 5. capite 11.

Isdigerdes Persarum rex, BENIAMIN, diaconum comprehensum in carcerem includi iusserat, & biẽnium iam integrum in eo asseruatus fuerat: cùm fortè legatus Romanorum aliis de causis in Persiam ad regem uenit, qui pro diacono intercessit. Liberatur ergo ea conditione, ne Magis doctrinam Christianam communicaret. Ibi Beniamin: Quis ista, inquit, præstare possit? Quomodo enim lucem, quam consecutus ego sum, aliis impertiri non possim: cùm sacra testetur Euangeliorum historia, quanto dignus supplicio sit occultator talenti sui? Ergo docere perrexit, omnibusq; lumen salutis impertiit per anni spacium. Rex accersitum iterum iubet abnegare Deum, quem coleret. Tum ille: Desertores tuos pœna mortis afficis, ô rex. Quam igitur pœnam meretur eum censes, qui sit desertor creatoris sui? Hac oratione accensus rex, uiginti calamos acui, ac unguibus digitorum manuum atq; pedum eius infigi iussit. Cumq; hoc supplicium pro ridiculo haberi ab eo conspicaretur, alium calamum acutum impingi uerendis illius, & extrahendo atque immittendo inenarrabiles cruciatus ei excitare præcepit. Tandem stirpem ramosam in meatus naturæ diacono adigi iussit, quo extremo cruciatu uictus, athleta fortissimus expirauit. Theodoretus lib. 5. cap. 39.

Monachi, Eremitæ.

Ægyptius MENAS, abiecta militari zonâ, in deserta loca aliquãdiu sub Diocletiani persecutione sese abdidit, ieiuniis, uigiliis, & Scripturarum diligenti meditationi uacãs. Inde egressus ad Cotyensium urbem, cùm spectaculum quoddã ex more publicũ celebraretur, clarâ uoce è sublimi Christianum se esse proclamans, ad Pyrrhum præsidem ductus est. Ab eo de fide sua interrogatus: Conuenire dixit, Deum confiteri, quoniam lux sit, & tenebræ in eo non sint. Hoc enim Paulum docere, dicentem: Corde quidem credi ad iustitiam, ore autem fieri confessionem ad salutem. Atrocibus affectus suppliciis, in ore habebat illud: Nihil est quod mea quidem sententia conferri possit cum regno cœlorum. Neque enim totus mundus potest, æqua lance pensus, uni comparari animæ. Et: Quis nos separabit à caritate, quæ

te, quæ est in Christo Iesu? afflictio, an angustia? Et: Habeo persuasum à Domino meo & rege, non timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: illum autem potiùs timere, qui potest corpus & animam perdere in gehenna. Sententia pronunciata, ut gladio percuteretur, ad locum supplicij deductus dixit: Ago tibi gratias, Domine Deus, quòd me dignatus sis conspici socium preciosæ tuæ mortis: & non dederis deuorandum hostibus agrestibus, sed effeceris perpetuò puram in te seruare fidem. Simeon Metaphrastes tomo 5. ubi Timothei de miraculis eius prolixa rexitur narratio.

Ciuis Cæsariensis GORDIVS, centurio, abiecto militari baltheo, exilium sibi ultrò elegit, & in desertum secessit, in quo per annos aliquot uitam egit solitariam & religiosam. Egressus inde die quadam, qua in urbe Martis festa celebrabantur, cùm populus in theatrum uenisset, in eminentiorem locum conscendit, & ingenti uoce exclamauit Apostolis illud: Ecce inuentus sum ab iis qui me non quærunt; his qui me non interrogabant, palàm apparui. Quibus uerbis significabat, se ad certamen ultrò uenisse. Agnoscitur Gordius, & silentio per præconem imperato, ad præsidem ducitur. Interrogatus Quis esset? Reuersus, inquit, sum, ut palàm ostenderem me edicta tua omnino nihil curare, sed Iesum Christum spem meam præsidiumque profiteri. Cumq; acceperim, te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo uoto idoneum sumsi. Præses iubet expediri flagella, rotas, equuleum, & omne tormentorum genus excogitari. Gordius oculos ad cœlum eleuãs; illud Psalmi accinit: Dominus mihi adiutor; non timebo: quid faciat mihi homo. Et, Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tormenta deinde in se ultrò prouocat: & si quæ moræ intercedebant, increpat. His cùm se nihil efficere præses uideret, promittit se magna ei, si Christum neget, daturum: locum inter milites illustrem, opes, ac quicquid tandem cupiat. Ille præsidis insaniam ridens, penes ipsum esse negat collationem alicuius, quod æternis sedibus dignum sit. Ergo damnatus, extra urbem concremandus educitur. Adsunt qui Gordium amplexantur, & ut fuæ parcat iuuentuti flentes exhortantur. Quibus respondet: Nolite flere super me, sed super inimicos Dei, qui in Christianos continuò grassantur. Eos flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehẽnæ incendia in die iræ thesaurizantes. Ego pro nomine Domini mille mortes, si necesse sit, adire paratus sum. Adsunt rursus alii, qui ut Christum ore saltem neget, corde retineat, suadent. Quibus ille: Lingua, inquit, quam Christi beneficio retineo, adduci non potest, ut auctorem suum neget. Corde credimus ad iustitiam, ore ad salutem confitemur. Ergo uultu alacri in ignis supplicium uolens se immisit. Basilius in sermone de Gordio.

ANASTASIVS in Perside natus, à patre mago institutus, à Christianis autem captiuis, de Christo eiusq; doctrina commonefactus, ex Perside abiens, Chalcedone & Hierapoli in stitutus, Hierosolymæ baptizatur, & in monasterium ingreditur. A Persis captus, sub Heraclij imperio, propter confessionem ueritatis, cum aliis septuaginta martyrio coronatus est, anno Domini 620. ut tradit Sigebertus. Iussu autem Cosrois regis primùm supinus in terra iacuit, & impositum est super eius tibias lignum, in cuius extremitatibus utrinq; duo robustissimi uiri steterunt, alternis sese motibus ac deorsum librantes. Deinde cùm illos dolores fortiter pertulisset, iussus est una manu ex alto suspendi, alligato ingenti lapide ad pedes, quo deorsum traheretur. Tandem cum aliis LXX sociis, fune collo aptato, suffocatus uitam finiuit, & ad extremum etiam decollatus, caput ad regem delatum est, anno Sal. 620. Vincentius lib. 23. capite 14. Adon Viennẽsis, Sigebertus, Simeon Metaphrastes in uita eius, Regino libro 1. Beda lib. 2. de Rat. temporum.

LIBERATVS abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus subdiaconus, Seruus subdiaconus, Rogatus, Septimus & Maximus, monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti; primùm blanditiis ad Arianam perfidiam sollicitati sunt. Illi uerò uno ore & animo suam coram omnibus confessi sunt fidem, dicentes: Vnus Deus, una fides, unum baptisma: nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Euangelij semel dari præceptum est. Quia qui semel lotus est, non habet necesse ut denuò lauetur, sed mundus est totus. Satius est momentanea perferre supplicia, quàm æterna subire tormenta. Iubet rex nauem sarmentis impleri, confessoresque ligatos superimponi, igneq; subiecto, & naui in pelagi medium promota, concremari. Illi magna cum fiducia cantabant, Gloria in excelsis Deo. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Dei nostri suppliciis perferemus, nè acquisitæ fidei indumentum amittamus. Ignis cùm accenderetur, sæpiùs extinctus est. Ergo rubore & furore perculsus Rex Hunericus, mandauit eos remorum uectibus necari. Victor lib. 4. Vandalicæ persecutionis.

Medici.

Narrat Eusebius lib. 8. cap. 13. in Antiochia Syriæ sub Diocletiano martyrium passum esse ZENOBIVM medicũ optimũ, qui inter cruciatus lateribus adhibitos mortuus sit.

Alexandrinus CYRVS medicus, persecutionem Diocletiani & Maximini in Aegypto fugiens, in Arabiam secessit, ibiq; monachũ se professus est, doctrina & miraculis clarus. Cui se post annos aliquot socium adiunxit Ioannes Edessa oriundus, militia relicta. Interea in urbe Canopo Aegypti, ob confessionem in uincula coniicitur Athanasia, Christiana femina, Cyro nota, cum filiabus tribus, Theoctiste, Theodota & Eudoxia. Quarum omnium infirmitati metuens Cyrus, ad confirmandas eas eò cum Ioanne contendit: quo tempore Aegypti præfecturam administrauit Syrianus dux: cuius truculentiæ in Christianos Athanasius meminit in Apologiis suis, & epistola ad solitariam uitam agentes. Accusati igitur ab Ethnicis, quasi eorum persuasione deos atq; Imperatorum religionem uirgines contumaciter despicerent, & ad sacrificandum adduci non possent, comprehensi, & post editam constantem confessionem, gladio percussi sunt: condemnata ad mortem etiam Athanasia, cum filiabus. Simeon Metaphrastes.

Refert Vincentius lib. 9. cap. 50. VRTICINVM medicum Rauennæ, cùm multa sustinuisset supplicia, tandem trepidasse ad ictum gladij, & secum de abnegatione cogitasse. Verùm VITALEM militem, cum Paulino iudice urbẽ ingressum, eum confirmasse his uerbis: Noli frater Vrticine medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æterna morte occidere. Quibus ille uerbis corroboratus, cetuitem secuti præbuit. Vitalis uerò à suo domino discessit, & paulo pòst ob Christum accusatus, uiuus in terram defossus est. Vxor eius Mediolanum ueniens, cùm de idolothytis edere recusaret; ad mortem usq; multata est.

PANTALEON medicus illustris Nicomediæ, Christianum se professus sub Diocletiano, pertulit equitum ungulas, faculas, sartaginem, plumbum, in mare mersionem, in terra feras. Postremò cùm ad rotam clauorum mucronibus aculeatam lancinandus ligaretur, solutæ protinus machinæ fragmenta, impietatis ministros percussere peremereque. Ipse quoque Cæsar magis iam timens quàm timendus, ne quid martyrem torquendo grauius ipse pateretur, statim illum obtruncari iussit. Marul. lib. 3. cap. 5. ex Bergomense.

Magistratus quinis.

VICTORIANVS Adrumetinus sub Hunerico Vandalorum rege, proconsul Carthagine, cùm & opibus populares, & gratia apud regem aulicos omnes uinceret, ab impio rege propter constantiam in uera fide diris cruciatibus necatus est. Victor lib. 3.

THEOPHILVS Cibioritarum prætor, à Saracenis captus in prælio, ad Aaronem principem eorum adducitur. Ille eum conatur muneribus corrumpere, ut abnegata fide Christi ad Mahometi sectam accedat, ac pro ea secum contra Romanos pugnet. Sed uir pius in fide sua perseuerat. Tyrannus capitali supplicio eum affecit. Paulus Diaconus libro 23. rerum Romanarum.

Duces bellici.

EVSTACHIVS à Traiano contra Barbaros missus, uictoriam adeptus est. Romam reuertenti occurrit Adrianus, qui mortuo Traiano successerat. Venitur ad templum Apollinis. Adrianus templum ingreditur, sacrificaturus diis: Eustachius foris consistit. Imperator grauiter eum eo expostulat, quòd diis non sacrificarit pro uictoria. Ego, respondit ille, supplico Christo Domino meo, eique preces & gratiarum actionem pro beneficiis offero: alium Deum neque scio, neque colo. Adrianus iussit eum cingulo militari priuari, & unà cum uxore & liberis leoni obiici. A quo cùm non dilacerarentur, in æreum taurum coniecti sunt, laudantes & inuocantes Deum. Quum triduo machina illa arsisset, ipsique iam in cinerem redacti putarentur, exanimati quidem inuenti sunt, sed nunquam adusti, ita ut neque capilli, neque pili nitorem ullum amiserint. Deo uolente etiam in igne corpora eorum seruari integra, quorum & in credendo fides, & in patiendo constantia extitit incorrupta. Marulus libro 5. capite 5. ex Nicephori libro 3. capite 29. Petro de Natalibus, Vincentio, Henrico de Erphordia, & aliis, quinto Adriani anno.

Sabellicus ait En. 7. lib. 7. QVIRINVM, uirum Romani sanguinis, & qui militum fuerat tribunus, quia Christum confiteretur, à Claudio membratim concisum fuisse.

Cæsariensis fuit in Palæstina PROCOPIVS, functus in Oriente ducali dignitate, quã ei Diocletianus tribuerat. Is contra dæmonum cultores liberè depugnauerat, aurea & argentea idola sua comminuerat, eorumque precium inter pauperes distribuerat. Propterea innumeras pœnas torturæ, fidicularum, unguarũ, ignium, facium, ferramentorũ, mucronumq;

mucronumq; perpessus, tandem gladio percussus est. Nicephorus lib.7. cap.15.

Exercitus dux THEODORVS, spectata fortitudine uir, Heracleæ in Ponto habitans, Mariandynorum genti præfectus, deorum simulacra comminuta egentibus dedit. Hunc Licinius etiamsi egregiè charum haberet, in crucem tamè egit, subulàs in meatus secretiores corporis immisit, postremò cæteris malis inuictum capite truncauit. Niceph.l.17.ca.14.

Principali dignitate & munere militari Alexandriæ PHILOROMVS fungebatur. Comprehensus ut Christianus, ab amicis & ab ipso iudice obsecrabatur, ut sciplsum, uxorem & liberos suos respiceret. Sed persuaderi ei nequaquam potuit, ut confessionem Christi contemneret. Tormenta genero sè sustinuit: & pietatis suæ præmium, capitale supplicium accepit. Eusebius & Nicephorus lib.7. cap.9.

Dux fuit sub Iuliano ARTEMIVS Aegyptiacorum militum. Is magistratum sub Constantino gerens, simulacra plurima dedecerat. Eum Iulianus non facultatibus solùm & dignitate spoliauit, sed & post plurimos miserandos cruciatus, capite ad postremum truncauit: præterens culpam, quasi auctoribus cædis fratris sui Galli socius fuisset. Theod.lib.3. capite 18. Nicephorus lib.10. cap.11.

Fuit in comitatu aulico Genserici quidam Comes SEBASTIANVS, gener Comitis Bonifacij illius, qui Vandalos in Africam pertraxerat, consilio & uiribus domi militiæq; ualens. Huius prudentiam suspectam habens tyrannus, cùm per insidias non liceret, religionis prætextu eum tollere decreuit, & obnixè ab eo petiit, ut Arianam hæresim profiteretur. Sebastianus per parabolam respondit. Veluti panis similagineus, ut regiæ mensæ esset dignus, excussa furfurum crassitie, & admixta similagineæ massæ conspersione, per ignem transiuit & aquam: ita ego quoq; mola diuini uerbi in Ecclesia comminutus, & pœnitentiæ excerniculo purgatus sum, & sacri baptismatis undis conspersus, & igne sancti Spiritus coctus, Christianus ut fierem. Si igitur panis iste iterum in minutissimas partes comminutus, undaq; cõsper sus denuò pinsetur, meliorq; efficiatur, faciam quod tibi tu iscque usum fuerit. Rex nihil quidem quod contradiceret habuit: sed paulo post alio commento eum sustulit. Victor lib. 1. historiæ Vandalicæ.

Milites.

Vincentius lib.7. capite 47. de LONGINO milite, qui lancea Christo aperuit latus, longam texit narrationem: quòd conuersus in Cæsarea Cappadociæ IIXL annis monachum egerit, & ab Octonio præside interfectꝰ sit: & eidẽ excæcato, & ad cædauer Longini pœnitentiã agenti, usum restituerit.

PROCESSVS & MARTINIANVS milites, cùm custoditẽt Paulum & Petrum in carcere, miraculis eorum cõuersi sunt & baptizati, unà cum XLVII aliis captiuis. Paulinus iussit eos partim lapidari, partim fustibus cædi, partim flãmis uri, partim scorpionibus castigari. A' Nerone tandem capite plexi sunt. Vincentius lib.9. cap.54. Petrus de Natalibus, Supplementum Chronicorum.

Maximianus Imp. an.285. cum exercitu à se conscripto in Galliam contra rusticos tumultuantes, Bacaudas dictos, profectus, ac THEBÆA legione se subsequi iussa, Pœnino saltu superato, in campos ad oppidum Octodurum descendit. Ibi, ut erat ueteri deorum cultui deditus, atq; inprimis Herculi auctori, ut præ se ferebat, generis sui addictus, exercitũ omnem lustrare ex gentilibus Christianisq; constantem cupiens, singulos milites adesse ad dicendum sibi sacramentum præcepit, daturos se operam, ut iisdem animis Christianos deorum suorum inimicos, atq; Bacaudas Imperij hostes ulciscerentur. Cuius mandatũ cùm reliqui exhausissent, sola Thebæa legio detrectauit. Hi erant orientales milites, Christiana disciplina ab episcopo Hierosolymitano imbuti, &, postquam Romam uenerant, à pontifice Romano in fide usq; adeò confirmati, ut religionem bellicæ fortitudini, fidem armis omnibus anteponerent. Itaq;, ne tam impio se iureiurando astringerent, Octodurum prætergressi, Agaunum prodierunt, insignem ei loco Christiani martyrij famã in omnem seculorum memoriam relicturi. Erant in ea legione Mauricius primicerius, & Exuperius signifer, uiri bellicis laudibus nobiles, sed eximia in Christum fide nobiliores. Hi cùm Octodurum ad iusiurandum concipiendum repetere essent iussi, respondere pro uniuersa legione non dubitarunt, Se Christianos esse, atque ut militiæ munera pro Imperatore non recusare, sic religionis eius sacrilegia detestari. Quo responso Maximianus exacerbatus, quòd unà & disciplinam militarem solui, & sacra sua contemni eiusmodi imperij detrectatione uideret, ac cæteros supplicij exemplo terrendos censeret, decimum quemque iugulari militari more præcepit, ac reliquos se referre Octodurum mandauit: quos Mauricius primicerius alloquutus, primùm gratulatus est, quòd, cùm socios suos indigna sterni cæde conspicerent, manus ab eis uindicandis abstinuissent: deinde cos ad constantiam fidei retinendam præclaro illorum exemplo accendit: atque omnium nomine se priùs mortem millies oppetituros, quàm ut ei mandato parérent, respondit. Itaque nouo Maximiani edicto XI. Kal. Octobris cum cæterorum decimo quoque peremtus est. Reliquorum inde, cùm item Octodurum repetere iuberentur, causam fusce pit signifer Exuperius: qui correptis signis, & Mauricio uerbis plurimis egregiè collaudato, subiecit, se Imperatori quidem militiam, at uerò Deo integritatem debere: necq; Christianos ut persequantur, in animum inducere posse. Quibus rebus Maximianus eo uehementiùs efferatus, iter exercitui indixit, atque occultè legionem circumfuso exercitu sepsit: eamque, ut erat ingenio asper, ac propè immanis, militibus trucidandam, ac pro arbitrio spoliandam obiecit. Vnde Agaunensium martyrum immortalis in Ecclesia gloria dimanauit. Postquam in Galliam uenit, subitò partem exercitus, in quo mulæ quoque è Thebæa legione erant centuriæ, secundo Rheno ad eum opprimendum immisit. Pòst autem, sumto ad Agaunum de maiore legionis eius parte suppliclo, reliquos etiam, ubicunque terrarum essent, interimi iussit. Qui uerò huic negotio præfecti fuerunt, Cassium & Florentium apud Veronam, ciuitatem tum in ripa Rheni fluminis sitam, cum septem aliis assequuti iugularit Gereonem uerò, ac trecentos octodecim socios ad Colonia: Victoremque demum cum trecentis triginta ad oppidum Francorum, nomine Xanthum, VI. Idus Octob. fœdissimè trucidarunt: quos omnes satis constat mortem ac cruciatus omnes constantissimè subiisse. Sigonius lib.1. Imp. occidentalis, ex Petro de Natalibus libro octauo, & libro nono, capite 47. & 103. Vincentio libro 12. capite 2. & Henrico Erforden. Simeon Metaphrastes septuaginta tantùm fuisse Mauricij milites scripsit.

Ortus ex Narbonensi Gallia SEBASTIANVS miles, primæ cohortis Diocletiani princeps, multos Christi martyres exhortationibus suis in fide retinuerat. Delatus apud imperatorem, in aperto campo à militibus sagittis transfixus, corpus eius in cloacam abiectum est. Bergomensis libro octauo, Petrus de Natalibus libro secundo, capite centesimosexto. Meminit Sebastiani martyris Ambrosius in commentariis in Psalmum 118. Irene mulier Christiana, ut corpus mandaret sepulturæ, noctu uenit, & ipsum adhuc uiuere comperit. Solutum domi fouit, atque ille intra paucos dies curatus, rursum in publicum procedens; principum in Christianos immanitatem arguere cœpit. Illi indurati in impietate, cùm fustibus enecarunt. Marulus libro 5. capite 5. Simeon Metaphrastes socios Sebastianiꝰ martyrij adnumerat Marcum & Marcellianum fratres, Nicostratum cumuxore Zoe, Tranquillinum Seniorem cum uxore Martia, Traglinum, Claudiũ, Castorem, Tiburtium, Castullũ, & alios.

Cùm Iulianus Apostata fontes atque carnes uenales in macellis sacris ethnicis polluisset, ut ea ratione Christianos uel inuitos ad ethnicismum pertraheret: duo excellentes milites, Imperatoris satellites, Christiani, IVVENTIVS & MAXIMIANVS, quodam in conuiuio, uehementiùs aliquanto facinus illud nefarium deplorauerant, detorquentes in Imperatorem hæc uerba, quæ in Babylone quondam pueri illi eximij in regem impium usurpauerant: Tradidisti nos regi iniquo, & transfugæ super omnes gentes in terra: Proditi ab improbo quodã, Imperatori intrepidè respondérũt: Nos in uera, Imperator, pietate educati, legib. optimis à Cõstantino eiusque filiis latis seruientes, de abominationibus tuis & funestis sacris, quibus omnia repleri, cibosque & potus pollui aspeximus, questi sumus, ac deploraumus: & nunc apud te cum dolore querimur, ut quos aliud in toto tuo Imperio nihil æquè offendit. Ob has uoces ad supplicia abrepti, morte mulctati sunt, læsæ maiestatis prætextũ. Nam martyrum nomen & honores illis inuidebat Imperator. Theodoretus lib.3. cap.15.

AGATHON Alexandrinus, èx ordine militari, cùm quosdam peculanter cadaueribus martyrum illudentes obiurgasset, statim clamorem uulgi in se irritauit. Oblatus igitur iudici, cùm in confessione Christi persisteret, capitis damnatus est. Henricus Erford.

QVADRAGINTA milites Sebastæ Armeniæ passi sunt; sub Licinio imperatore, Lysia & Agricolao præfectis. Hos quidem quum Christum publicè prædicarent, in stagnum gelu concretum collorenus mersos, manere usq; ad diem alterũ compulerunt. Thermæ propè appositæ erant, ut ad eas confugere liceret, si quis eorum pro Christo pati frigùs recusaret. Vnus ex illis algoris impatiens, ut ad thermas peruenit, uita defunctus est. Reliqui in glacie perdurantes, Deo laudes decantabant. Circa uigiliam noctis tertiam, descendit lux super eos, & triginta nouem coronæ in luce apparuerunt. Quod cernens custodum Præfectus, illis qui secum erant à somno excitatis, Christianum se professus est: & uestitu reiecto, nudus in stagnum prosiliit, atque unà cum iis, qui ibi erant, psallere cœpit; coronam percepturus, quam is, qui inde effugerat, cum uita simul amisit. Manè post hæc eductis, & in fidei proposito persistentibus, crũra confregerunt. Ex Nicephoro & Sozomeni libro 9. Marulus lib.5. capite 5. Illorum uerò coniuges, quæ & ipsæ quadraginta fuêre, Heracleam Thraciæ abductæ; ibi cum Amone quodam diacono, tormentis, quæ uix exprimere quisquam possit, generosè & fortiter toleratis, cum insigni professione gladio cæsæ sunt.

Huic similis est ea, quam Basilius in alia quadam oratione, de quadraginta MILITIBVS martyribus, narrationem texit. Venit in quendam locum Imperatoris præfectus, cum edicto, ne quis Christum profiteretur: confessus autem, omnis generis suppliciis, ac tandem etiam morti obnoxius esset. Quadraginta milites liberè Christianos se profitentur. Præfectus blandè eos sermone aggreditur, admonẽs, ut ætatẽ suam respiciant: pecuniam pollicetur, & honores. Sed ea illi omnia præ Christo floccifaciunt. Barbarus præfes dispicit stagnum quoddam in media ciuitate, frigori uehementi & flatibus Boreæ horridis expositum, in quo nudos sub dio pernoctare cogit. Illi in hoc supplicij genus alacres descendunt, exhortantes sese mutuò, ac, Non amictum (inquiunt) exuimus, sed hominem ueterem, concupiscentiæ deceptione corruptum, deponimus. Gratias agimus tibi Domine, quòd cum isto amictu, simul & peccatum exuere licet. Quo niam ob serpentem eum induimus, ob Christum uerò exuimus. Post hæc nudati in eum locum deducuntur, rigescunt membra omnia gelu. Posteaquam illuxit, adhuc spirantes igni traduntur: ac cineres eorum in fluuium proiiciũtur. Forte ex illis unus ualidior uiuus manserat. Cuius miseri lictores, ad matrem eius, quæ tum aderat, se uitam ei donaturos, aiunt. At illa propriis filium apprehendens manibus, currui eum, in quo reliqui iacentes ad pyram ferebantur, imposuit, admonens, ut cum contubernalibus cæteris suis iter beatum perficeret.

Senatores.

IVLIVS senator Romanus, à Ruffino presbytero baptizatus cum tota familia, nihil magis in uotis habebat, quàm pro Christo uitam ponere. Ab Imp. accersitus, Imperatori suæ fidei rationem reddit: & Herculem ac Iouem non esse ueros deos ostendit, & cultores idolorum æternis suppliciis perituros monet. Imperator Vitellio magistro peditum mandat, ut Iulium sacrificare Herculi recusantem interficiat. Vitellius ut iussus erat, fustibus Iulium ad mortem usque multari curauit.

Cubicularij regij.

Diocletianus Augustus, acerbus Christianorum persecutor, cùm sciret PETRVM unum è cubicularijs ministris suis Christianæ religioni initiatum esse, dum ab ea deducere ipsum studet, plumbeis flagellis cædi, & deinde præacutis clauis dilaniari iussit. Cùm autem inter hæc tormenta læto perstaret uultu, aceto saleque totum perfundi, ac deductum, ut erat nudus, in ferrea crate distendi imperauit, ubi lentis ignibus aduri cœptus est, ut tormenti diuturnitas sæuiùs dolorem acueret. Cæterùm ne ita quidem uictus, quo uultu fuit, cùm inchoarentur tormenta, hoc sibiipsi cõstans, & uitæ & tormentis finem fecit. Eusebius libro octauo capite sexto, & Sigonius libro 1. Imperij occidentalis. Hæc conspicati, DOROTHEVS cubiculi regij præpositus, & GORGONIVS: Cur, aiũt, Imperator, in illo crimen ducitur, quod omnes nos confitemur? Eos igitur ille, similibus pene suppliciis affectos, ad postremum laqueo appensos, necari iussit. Eusebius Ruffini lib. 8. cap.6.

Publicani.

PETRVS Maiumenus Chartularius erat, & de publicis tributis rationes conficere solebat. Amplectebatur doctrinam Christi, & auersabatur Mahometi superstitiones. Sed uim metuens, ea quæ sui muneris erant curabat, & Arabum conuicia tolerabat. Cùm ad eum ægrotantem uenissent primores Arabum: Testamenti mei testes uos esse uolo, inquit, qd tale est: Omnis qui non credit in patrem & filium & spiritũ sanctum, consubstantialem, & diuinam in monade Trinitatem, mortuus est anima, & æterno dignus tormento. Talis est Mahumet pseudophropheta uester, & Antichristi præcursor. Discedite ergo ab illius fabulatione. Cùm ex infirmitate conualuisset, maiori cœpit uoce clamare: Anathema Mahometus, & cuncti qui credunt ei. Gladio igitur percussus est. Hunc declamationibus sermonum honorauit Ioannes Chrysorrhoas. Paulus Diac. lib.22. rerum Romanarum. Item Damascenus Anno Domini 745. iuxta Sigebertum.

Commentarienses.

HIPPOLYTVS (cuius custodiæ Laurentius Leuita traditus fuerat) Christum credens atq; confitens, Valeriani præfecti iussu ad colla indomitorum equorum ligatus, quum distraheretur, fidem quam receperat, integram seruauit. Pœna hæc non casu inflicta, sed Dei nutu uidetur electa, ut nomini eius pulcrè conueniret. Marulus lib.5. cap.5.

Mimi.

MASCVLONEM quẽdam archimimum insidiis iam crebrò petitum, ut ad fidem rectam abiiciendam impelleretur, rex Gensericus aggreditur benigna oratione. At ipso perseuerante, condemnat eum palàm capitis: occultè autem percussori mandat, ut si in ipso momento uibrati gladij aliquid formidinis perfentiat, feriret modò: sin autem nullum consternati animi signum feriendus ederet, gladium inhiberet à feriendo, ne ipsum martyrij gloria illustrẽ redderet. Christi igitur robur ipsi largiente, confessor euasit præclarus. Prosper in Chronico.

Pædagogi.

VSTHAZARES Saporis regis Persarum pedagogus, cùm à Christo in regis gratiã defecisset: à Simeone episcopo Persarum, ad carcerem ducto, grauiter increpitus, ad pietatem rediit, & tandem gladio occubuit. Nicephorus.

Rustici.

Anno 33 Iustiniani (ut Marianus Scotus narrat, ex libro 3. Dialogorum Gregorij papæ, capite 27. & 28.) cùm Longobardi XL. RVSTICOS bello captos ad comedendas carnes diis immolatas compellere non possent, mortem illis minari cœperunt. Rustici æternæ potiùs quàm præsentis uitæ rationem habentes, simul omnes mortem oppetierunt. Gregorius lib.3. Dialog. cap.28.

Nobiles.

Irruerat Galerius cum præfecto Asclepiade in Antiochenorũ urbem, eo proposito, ut omnes ibi ad abnegandum Christum armis & ui cogeret. Fortè tum Christiana plebs in cœtum conuenerat. Illicò accurrit ROMANVS, nuncians adesse eos qui impetum in Christianos essent facturi. Adhortatur ne trepident, aut imminenti periculo cedant. Asclepiades in equuleo cum suspendi & euiscerari iussit. Sed quia uir erat primarius, quem tali affici supplicio non licet, flagris & plumbatis cædi mandat. Ille interictus gaudẽs hymnum dicit, ac nequàquam sibi nobilitatis nomine parci iubet: Absit, inquit, ut me nobilem sanguis parentum præstet, aut lex curiæ: generosa Christi secta nobilitat uiros. Deinde ingenti animo & libertate in præfectum inuectus, & deos ethnicorum risu exagitans, Deum Christianorum, solum uerum, pia & prolixa oratione prædicauit. Qua uehementer offensus Asclepiades, latera eius mucronibus scindi iussit. Sed Romanus: Gratias, inquit, ago tibi, ô prefecte, quòd amplioris mihi oris patefecilti meatus, quibus Christum prædicare possim. Tot ecce laudant ora, quot sunt uulnera. Repressus hac constantia præfectus, à torturis quiescere lictores iussit, & ignem minatur, illud addens: Christum recentem esse, cùm gentium dij uerustare commendentur. Natus hinc occasionem Romanus, longa oratione de æternitate Christi, de assumta natura humana, de morte & satisfactione Christi disputauit: & ad PVERI septennis iudicium prouocauit, quæ ætas nec odiis nec uitiis aliis obnoxia est. Asclepiades è turba statim puerum accersitum in Romani conspectum sistit. Quærit is: Dic fili, utrum tibi uideatur uerum esse & congruens, unúmne Christum, & in Christo patrem colere, an adorare deos infinitos? Respondet puer: Illud certè, quicquid est, quod Deum esse homines perhibẽt, unum esse necesse est, quod cum uno unicum sit: cumque Christus hoc sit, Christum esse uerum Deum necesse est. Plures enim deos nec nos pueri credimus. Stupẽs ad hoc præsectus, quærit, quo ista auctore didicerit? Respõdet ille, ex matre, à qua simul cum lacte hausisset, Christo credendum esse. Asclepiades puerum in sublime arripi mandat, & matre spectante loris durissimè cædi. Sola mater de filio datũ spectaculum sine fletu intuetur: quin & aquæ haustum poscentem filiolum obiurgat: calicem eum expectaret, quem occisi in Bethleem olim bibissent infantes, lactis & papillarum immemores: Isaacum respiceret, qui cùm immolandus arã & ensem aspexisset, ultrò colla præbuisset. Interea cutem eũ capillis à uertice tortor reuellit. Acclamat mater: Patere fili: mox enim ad eum ueries, qui caput nudatum nunc tuum per contumeliam, regio uestiet diademate. Adhæc & alia matre monente, puer lætus, uirgas & dolores uulnerum ridet. Præfectus, quia nullis tormentis puerum uinci cernebat, in carcerem eum concludi præcepit, Romanumque tanquam mali huius auctorem acerbiùs torqueri iussit. Ducuntur tãdem ad supplicij locum simul. Romanus ait: Appello ab ista tua, præfecte impie, crudelitate, ad Christum meum: non quòd mortem metuã, sed ut probetur, quàm nihil hoc sit quod tu iudicas. Peruentum ad cædis locum est: puerũ, quem in complexu mater foràs extulit, carnifex poscit. Dat illa, præter osculum nihil morata. Et, Vade, inquit, nate dulcissime. Cernicem dum ense carnifex ferit, accinit illa: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius: Ecce

seruus

seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Hæc ubi dixisset, caput amputatum pueri in pallium explicitum excipit, & pectori applicat. In altera parte pyra ingens construitur, in quam inie ctus Romanus, futurum dixit ut non cremaretur. Imber coortus ignem extinxit. Carnifex liriguam Romano execat. Loquitur ille nihilominùs: Christum, inquit, loquenti lingua nunquam defuit. Tandem tum martyris animositate, tum miraculis præfectus victus, abripi eum in carcerem & strangulari iussit. Prudentius in Hymnis περὶ στεφάνων.

Loci respectu. Martyres

Asiani.

ANTIPÆ martyris mentio fit in epistola Christi ad angelum Pergamensem, Apoc. 2. his uerbis: Antipas, testis meus fidelis, occisus est apud uos, ubi Sathanas habitat.

MAXIMVS martyr sub Decio imperatore ab Opimio procõsule in Asia passus, cùm fustibus cæsus, & in equuleo extensus, ungulis quoq; laniaretur, tormenta hæc non dolori sibi esse dicebat, sed iucunditati. Inde extra urbem tractus, lapidibusq; obrutus, iucunditate illa, quam inter cruciatus capiebat, iam omni molestia liber frui plenius cœpit, fruiturus sine fine. Marulus lib. 5. cap. 5.

IACOBVS Denodatus Persa, apostata primùm in regis Isdigardis gratiam, inde à matre & uxore persuasus ad pietatẽ reuersus, artuatim dissectus est. Idem.

Europæi.

PONTIVS in Cymela Italiæ urbe sub Alpibus, iussu Claudij præsidis in equuleo primùm suspenditur, deinde ursis duobus obiicitur, à quibus nihil læsus, manib. & pedibus post tergum reuinctis, in ignem iniicitur: postremò uerò in Saxo riuulo uicino decollatur, corpusq; eius in flumen abiicitur. Bergomensis, Henricus de Erfordia, Vincentius lib. 11. cap. 79. Claudius præses, & assessor eius Anabius, arrepti à dæmonibus, suffocati sunt, Vincentio teste.

Africani.

Societatis respectu. Martyrium simul passi

Ciues.

In Phrygia ciuitas fuit, ad quam mandata aliquot, ut diis sacri ficarent, & simulacra adorarent, Imperator Diocletianus miserat. Quæ quidẽ CIVES illi omnes, & magistratus ipse, & quæstor ac dux, Christianos se esse confessi, detrectauerunt. Cincta igitur obsidione ciuitas, & succensa, cum omni populo conflagrauit. Eusebius lib. 8. cap. 11.

Parentes & Liberi.

☞ *Sub Tit. Mulieres martyres, quædam reperies Matrum & Filiorum exempla.*

SEPTEM fratres, unius mulieris filij, ab Antiocho Epiphane ad carnes suillas manducandas cogebãtur: quas attingere aut gustare nullo modo uoluerunt. Cæsi flagris & taureis, alacres persistunt: uexati tormentis, fortes in proposito manent. Quamobrem acerbioribus eos rex pœnis tẽtat aggredi, ut ipsos, si fieri posset, ad suam sententiam traheret: & atrocitate suppliciorum reliquos pios deterreret. Igitur alteri post alterum lingua excinditur, & cute cranium nudatur, & membra extrema amputantur, & in sartaginem feruentẽ immittuntur. Tortores fatigati, ipsi expugnati non sunt, ut uel unum uerbulum triste aut humile ederent: matre ipsos identidem adhortante, ut cruciatus generosè ferrent, & impauidè morerentur, & uitam in cœlis meliorem expectarent. Et mox sublatis tot carissimis filiis, post ipsos eadem fiducia & animositate mortua est. 2. Mach. 7. De Eleazaro, & septem his fratribus, Antiochiam ex castello eorum Susandro perductis, cum matre Solomona, Iosephus libellum cõscripsit. Nomina filiorum sunt, Machabæus, Abner, Machir, Iudas, Achas, Areth, & minimus natu Iacobus.

MATER Antiochena filij septennis martyrio siccis adest oculis. Vide infrà, Nobiles martyres.

MARIVM siue Maurum & MARTHAM uxorem eius, liberosq; eorum Audifax & Abacuch, natione Persas, Claudio Augusto Christianos persequente, Romæ martyrium passos legimus. Quum enim deos Gentiliũ dæmonia esse prædicarent, & Martha eos hortaretur, uti confidenter pro Christo tormenta exciperent, fustigationem, equuleum, flagella, faces, ungulas pertulerunt. Præcisis deinde manibus, & ad collum alligatis, per urbem ducti sunt, acclamante præcone, puniendos esse deorum contemtores. Postremò capite cæsi, martyrium consummauerunt. Martha post illos in Nympha aqua suffocata, & ipsa æquè constantis in tolerando animi exemplum posteris reliquit. Marul. lib. 5. cap. 5.

Coniuges.

HADRIANVS Nicomediæ militum præfectus, cernens piorum in suppliciis constantiam, credere cœpit: & se Christianum profitens, inter damnatorum nomina suum ascribi petiit. Maximiani iussu in carcerem ducitur. Natalia uxor eius læta ad carcerem cucurrit, uirum ad patientiam hortatur: mox enim fore, ut pro temporali pœna æternis fruatur bonis. Hadrianus cupiens illam suæ fortitudinis fieri spectatricem, quum dies martyrij instaret, uadibus datis dimissus, ipsam accersitum perrexit. At illa aduentantem prospiciens, ratâ ideo iiberum factum, quòd prævaricatus esset religionis fidem, claudit ostium, & se nolle cum domi recipere exclamat, qui à Christo defeciuisset. Vt autem rem sicuti erat didicit, admissum dulciter amplexata, unà cum illo ad carcerem rediit. Deinde quum ipse fustibus durè admodũ uerberatus, fractisq; cruribus in terra semiuiuus uolutaretur, illa leniter plagas refouendo, animum uiri in pœnis deficientem adhortationibus erigebat. Vbi tandem ipse manu insuper amputata expirasset, illa Deo gratias egit, & manum eius in sinu suo conditam latenter tulit, siccatamque in deliciis habuit. Corpus mandatum est sepulturæ. Mira utriusq; uirtus, sed in sexu fragili mirabilior. Marul. lib. 5. cap. 5.

Fratres.

MARCVS & MARCELLINVS Romæ sub Diocletiano passi, gaudenter ad supplicium ibant, & quoniam germani erant, stipitibus infixi, Psalmum illum alternatim decantarunt: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum. Cumq; non modò ferrent, sed etiam irriderẽt tormenta, erubuit Diocletianus contemtui se haberi ab iis quos torqueret, & ambos lanceis confodi iussit, atque interimi. Marul. lib. 5. cap. 8. & Sab. lib. 5. cap. 4.

Ordinis respectu.

Martyrum ueteris Testamenti primitiæ ABEL à Caino fratre interfectus, Cypriano teste. Noui uerò IOANNES Baptista, ab Herode capite plexus: seu potiùs medius inter utrumque. Nam quia omnia religionis nostræ mysteria à passione Domini consummata habentur, propterea STEPHANVS protomartyr ponitur, teste Hieron. aduersus Iouinianum. Polyd. lib. 8. cap. 6. de rerum Inuent. De tempore, quo Stephanus interfectus est, uariant auctores. Eusebius in Chronico, XXXIV anno Christi lapidatum asseruit. Euodius uerò, quem Niceph. allegat libro 2. capite 3. anno VII. post ascensionem Domini.

Martyrum sub Diocletiano primus is fuit, qui apud Nicomediam zelo pietatis Imperatorum Diocletiani & Maximini, qui tum ibi aderant, adfixa contra Christianos edicta refixit, ac minutatim discerpsit. Bergomensis IOANNEM appellat. Eum Sabellicus & Platina scripserunt pelle nudatũ, & aceti ac salis in uiscera detecta perfusione necatum esse. Eusebius Diocletianum & Maximianum, continuò omni in eum crudelitatis genere desæuisse scribit, neq, tamen efficere potuisse, ut eum mœstum quis uideret in pœnis: sed læto atq; hilari uultu, cùm iã uiscera in suppliciis defecissent, spiritus tamen lætabatur in uultu.

Miraculorum præcedentium, comitantium, subsequentium respectu.

Narrat Eusebius lib. 8. capite 7. sub Diocletiano in Tyro Phœniciæ miraculosa facta martyria, ubi bestiis immanissimis obiecti CHRISTIANI, nihil ab illis, omnium circumstantium cum admiratione & stupore, passi sunt, leonibus, ursis, pardalis, ne quidem incitatis accedere ad eos cupientibus: qui tamen in eos, à quibus *in circum immissi* essent, quique extra septa consisterent, crudelissimè sæuierunt, ac in aera priùs proiectos discerpserunt. Martyres, quia à feris læsi nõ potuerunt, gladio tãdem interfecti, & in maria abiecti sunt. Martyrio tum perfuncti sunt, TYRANNION episcopus Tyri, & ZENOBIVS Sydonis. SYLVANVS, Cazensium episcopus, in Phœniciæ metallifodinis, cum aliis triginta nouem capite plexus est. Cæsareæ PAMPHILVS presbyter, martyr clarissimus obiit: cuius tum uitam, tum martyrium, peculiari libro se conscripsisse, Eusebius indicat libro octauo, capite 13.

ELEVTHERIVS Hadriani iussu, lectum ferreum, craticulã, sartaginem, fornacem expertus, noxam non sensit. Equorum ferocium caudis alligatur distrahendus, & *solutis* uinculis incolumis euasit. Leonibus in theatro exponitur, sed quum neq; leones illi quicquam mali inferrent, capite cæsus, diem suum obiit. Hoc quidem postremum permittente Domino, ne sanctus martyrij gloria careret: illa uerò priora cohibente, ut credere nolentium inexcusabilior esset pertinacia. Marulus lib. 5. cap. 5,

PONTIANVS martyr sub Antonino Augusto Spoleti passus, nolens Gentilium sacrificare diis, uirgis cæditur, per prunas nudis pedibus ambulare compellitur, in equuleo tunditur, ungulis ferreis ad ossa usque proscinditur, leonibus in theatro exponitur. Sed eidem (in quem homines grassabantur)

bantur) bestiæ pepercêre. Post hæc in carcerem fame consumendus truditur. Sed angelo hominem nutriente, quem inedia iam extinctum putabant, die decima salnum educunt. Tunc iudex plumbo liquefacto nudum perfundi iussit. Sed quum neque hoc supplicij genere perimi potuisset, capitis tandem abscissione interficitur. Marulus libro quinto, capite quinto.

Prædicat in quodam sermone Basilius, BARLAAM nobilem & illustrem martyrem sub Diocletiano, flagella lictorum ad torporem usque sustinuit, & lacerationem, neruorum resolutionem, laterumque perfossionem. Ad quæ tormenta omnia, cùm inuictus staret, lictores eum ad aram, cui impositus esset ignis ad sacrificandum dæmonibus, adducunt: & thus ardens manui dextræ, quam firmiorem adhuc habebat, imponunt, ad ignem eam admouentes: fore arbitrantes, ut ignis ui dextra expugnata, thus ardens in aram excuteret. Flamma manum quidem ambedebat, non lædebat autem, cùm ex Psalmo Barlaam recitaret illud: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.

CYRIACVM Hierosolymitanum episcopum (qui antè Iudas dictus, beatæ Helenæ lignum dominicæ crucis diu sub terra celatum indicauit) quia Christum prædicare non cessabat, Iulianus apostata comprehẽdi iussit, & manum illi dextram abscindi, plumbum liquens in os infundi, super lectũ ferreum torreri, ferreisque uirgis cædi: Matrem quoq; eius Annam per capillos altè suspendi, ungulis proscindi, facibus aduri. Ea consumta, rursum Cyriacum in foueam serpẽtibus refertam mitti mandat. Sed eo dimissõ, serpentes omnes mortui apparuerunt. Ammonius uerò ueneficus, qui illos excantauerat, uiso miraculo conuertitur, & Christum cõfitens obtruncatur. Cyriacus in cacabum oleo bullientem demersus, quum mori nequiret, gladio transuerberatur. Marulus lib. 5. cap. 5.

CONON cum paruulo filio apud Isauriã, sub Aureliano Imperatore, iubente Domitiano præfecto, primùm in craticula extenti, oleoq; peruncti, deinde ad fartaginem translati torrentur. Postremò cum magis torqueretur tyrannus, quòd tam diris mortiferisq; ue suppliciis neq; cederent, neq; consumi possent: constructa copiosiore pyra superiniecti expirãt. Vox de cœlo lapsa illos, ad percipiendas iam martyrij coronas euocauit. Idem.

Sub Diocletiano GREGORIVS martyr Spoleti passus, dum Flacci & Hyrcani præsidum minas rideret, colaphis cædiatur, fustibus uerberatur, super ferream cratem torretur. At uerò, ut fidei ab eo prædicatæ uirtus patefieret, pars urbis terræmotu concussa trecentos & quinquaginta idololatras suis oppressit ruinis. Præsides territi, fugam fecêre. Cessante autem timore, sed perseuerante perfidia, martyrem idolis thura adolere nolentem, uirgis ferreis cædi iubent, & facibus ad latera admotis ustulari, ac demùm capite truncari. Sic extinctum corpus, ne à Christianis honore sepulturæ afficeretur, in theatro feris laniandum datur, sed à nulla læditur. Flaccus, qui pertinaciùs in Gregorium sæuierat, eadem hora intestina per os euomitans, miserabiliter expirauit, multo acerbiora apud inferos, & quidem sine fine passurus. Idem.

NICETÆ martyris pœnas difficile est enumerare, nec miracula minùs. Nicomediæ illas à Maximino rege passus est auunculo suo magno, sed primùm ab infideli patre. Nã quũ deos argenteos domi sublatos confregisset, egenisque erogasset: ligatur à patre, & bubalis neruis nudus acerrimè flagellatur. Mox ab angelo spiritali consolatione recreatus, & in cœlum suspicere iussus, uidit manum coronam incredibilis decoris inde sibi porrigentem, ob quod magis patiendi cupiditate ardere cepit. Et quum ei super plumeum stratum uinculis colligato, molliterque composito meretricillã adduxissent, linguam dentibus præfectam in illam expuit, & stupore attonitam discedere coëgit. Inde super carrucã clauis præacutis asperatam nudus collocatur, ut dum raptaretur, ipsa quassatione crebriùs uehementiusque sauciaretur. Sed ipso orante, omnes ferreæ cuspides illæ palearum instar mollescunt. Quumq; sic lædi non posset, atrociora excogitantur tormenta: hamo ori indito suspẽditur, ferro candente per utranq; aurem transforatur, per latera quoq; pilo perfoditur. Mira res, tot lethalibus plagis affectus, mori nõ poterat. Hinc etiam per pedes à terrâ suspensus, fumo cruciatur, mox in pyram cremandus proiicitur, & tamen inde quoque euadit inoffensus: manibus pedibusque truncatur, & super candenti lamina mutilatis cruribus insistere cogitur: in foueam multæ altitudinis iactatur, sed & inde membris omnibus ab angelo redintegratis, uiuus incolumisque educitur. Post hæc uenenum sibi propinatum sine noxa hausit, ac mortuos quosdam precationibus ad uitam reuocauit. Quo quidem miraculo plurimi ad Christum cõuersi, mota seditione, in regem impetum faciunt, & frustrà fugere conantem occidunt. Niceta uerò quum illos baptizasset, ecclesiasque aliquot constituisset, ad Dominum trãquillo uitæ exitu migrauit. Verè Niceta, qui tot tormenta uicerit, & de cuius nece tyranno non licuerit gloriari. Marulus libro 5. cap. 5.

Martyribus FLORENTIO & HILARIO, propter egregiam confessionem de Christo, primùm exectę fuerunt à Paganis linguæ: deinde cùm nihilominùs recto atq; integro sermone ad fidei præconia & Ecclesiæ exædificationem uterentur: gladio ipsos percussere in castro Seduno, ad quintũ Kalendas Octobris. Petrus de Natalibus, ex Adonis Martyrologio, & Sigebertus.

BONIFACIVS Tarsi passus, ad locum suppliciorum audacter accedens, martyres ad patiendum palàm hortari cepit, & Sulpitij præsidis iussu in equuleo erectus, ungulis ita laceratus est, ut ossa apparerẽt. Clauiculos deinde harũdineos in digitis inter ungues & carnem defixos pertulit, atque in os plumbum infusum, tum demùm in bullientem picem in caput præcipitatur. Sed quum neque hoc cruciatu consumi posset, capitis amputatione peregit martyrium: & dum ferretur, terra tremuit, plurimique conuersi, idola reliquêre. Marulus lib. 5. c. 5.

Aretij Tiburtius præfectus, PERGENTINVM & LAVRENTINVM fratres, ne Christum prædicarent, suasionibus primùm blanditiisque lactat. Vbi id parum successit, comprehensos fustibus uerberari iubet: uerberantium brachia aruerunt. In carcere conclusis cibum denegat: ab angelo alíti sunt. Eductos super candentes prunas ambulare nudis pedibus cogit: ut super arenam iuerunt illæsi. Allato Iouis simulacro, ut adorarent, minaciter hortatur. Illis autem Iesum inuocantibus, æneus Iupiter in puluerem solutus periit. Multi gentiles ad Christum conuersi sunt. At impiissimus tyrannus capite eos postremò cædi iussit. Marulus libro 2. cap. 8.

APRONIANVS Romæ quum ad Sisinnium martyrem, de carcere, ut torqueretur eductum, uocem cœlitùs missam audisset: Venite benedicti patris mei, percipite regnum uobis à constitutione mundi paratum: nihil cunctatus, ad pedes martyris prouoluitur, baptismo lustrari petit: deinde patienti cupiditate, Laodicum prætorem de impietate in Christianos rédarguere cepit: se quoq; Christianum confessus, capitis abscissionẽ lætus sustinuit, eodẽ die martyr factus, quo & Christianus. Marul. lib. 5. c. 5,

Obsessis ab Atila RHEMENSIBVS in Gallia, NICASIVS episcopus cũ sorore Eutropia populum ad mortẽ cõstanter perferendam adhortati, ad exorandum pro auxilio Deum in basilicam conueniunt. Irrumpentes hostes Nicasium diu frustrà placidis uerbis mitigare conatus, obtruncatur. Caput ceruice auulsum subinde diuina uerba retulit, illudque inprimis: Viuifica me secundùm uerbum tuum, Domine. EVTROPIA, uerita ne ad stuprum reseruaretur, in fratris interfectorem infestis unguibus insiliit, *eique oculos eruit.* Qua indignitate, confestim ab aliis interficitur. Cæteri ad unum omnes cæsi: tãtumq; sanguinis effusum, ut tota urbs inundaretur. Horrenda deinde monstra subsequuta. Cœlestium numinum acies, quasi dimicantes per urbem discurrere uidebantur: uoces in templa, & planctus auditi: insani per hostem uisi lemures, horrendique apud aras sonitus. Quare tantus hosti terror incessit, ut urbem deseruerit. Ciuium cadauera, quæ passim strata iacebant, ab omni corruptione immunia, diuino quodam miraculo seruata, miro odore fragrabant. In deserta urbe lumina nocte multa uidebantur, suauissimi cantus audiebantur. Paucissimi, qui è tanta cæde superfuerant, diuinoque iussu in patriam se receperant, sancta corpora incorrupta & redolentia humi recondiderunt: inprimisque pontificis truncum nobili sepultura donarunt, Eutropiam uirginem propè sepelierunt. Bõfinius lib. 4. Dec. 1.

Receperat ALBANVS in Britãnia hospitio clericum quendã, persecutionem Diocletiani & Maximiani fugientem, nondum conuersus. Contemplatus autem clerici pietatem, eandem cum eo religionem profiteri cepit. Exploratores ueniunt ad Albani ædes. Ille indutus hospitis sui habitu, profecto se offert, & ad iudicem ducitur, qui tum dæmonum sacrificiis intentus erat. Quærit, Cuius sit familiæ? Respondet Albanus: Quid ad te, iudex, cuius sim generis? Christianus sum, Christianorum officiis uaco. Rursus iudex, Qui nocetur? Respondet is, Albanum se uocari à parentibus, & Deum eum ac uiuum omnium conditorem adorare se & colere. Iubet igitur eum iudex sacrificare idolis. Ad quod ille: Sacrificia uestra dæmonum sunt sacrificia, nec cuiquam opitulari possunt: imò quicunque quo tu iubes modo sacrificauerit, cruciatus æternos apud inferos pro mercede recipiet. His uerbis irritatus iudex, Albanum loris cædi à tortoribus iubet. Post cùm uerbera eum cum gaudio ferre uideret, gladio percutiendum pronunciat. Dum ad supplicium duci-

tur, exiccatum fluuium, complanatum montem, excitatum fontem tradit Beda lib.j. Ecclesiasticæ hist. gentis Anglorũ, capite septimo.

Apud Vestgothos Sigfridus Eboracẽsis archiepiscopus Christum docebat. Interea tres eius NEPOTES, quibus ecclesiæ Vexoniensis curam commiserat, dum latiùs conantur diffundere Euangelium Christi, à proceribus quibusdam regni crudeliter occiduntur. Patrata cæde, capita uasi incluſa, appensoq; lapide magni ponderis, in stagnum propinquũ demergunt: truncos verò cadauerũ in paludem abiiciunt. Rege de Iatronibus iustas pœnas sumere uolente, Sigfridus precibus obstitit, & multam ab homicidis exactam respuit. Non multò pòst prope stagnum Vexoniense ecclesiæ contiguum inambulanti Episcopo, precesq; fletu miscẽti, repentè apparuere tria lumina ex aquis promicantia. Is in aquas insiliens, uidit urnam maximo saxo grauatam simul adnatare: qua apprehensa, inuenit suorum nepotum capita. Magno igitur cum mœrore acceptis capitib. ingemuit, & hæc uerba protulit: Vindicet Deus. Hîc mox & capita uocem edidere. Vnum dixit, Vindicabitur. secundum, Quando? tertium, In filios filiorum. Olaus lib.17. Septentrionalis historiæ, capite 20.

COLOMANNVS Scotus, propagãdę religionis gratia oberrans, ab Austriacis in oppido Scotorum, tanquam ab hostibus missus speculator, ex arbore suspensus uitam finiit: cuius innocẽtiam subsecuta miracula testata sunt. Anno MCIII. Auentinus lib.5. Annalium.

Religionis persecutorum respectu. Martyres facti sub *Ethnicis.*

VENANTIVS martyr sub Decio Cæsare, in oppido Camerino, præsidis iussu fustibus uerberatur, leonibus exponitur, ex pedibus pendens, uertice ad terram uerso, subditi ignis fumido uapore torquetur. Inde depositus, dispansis manibus, pedibusq; diuaricatis, prono distentoq; funiceis uinculis corpore à solo subleuatur, & eiusdẽ ignis flamma uentrem & ilia lambente cruciatur. Postremò gladio perimitur. Marulus lib.5.cap.5.

Gazæi, qui præ cæteris paganismi studiosi fuerunt, fratres duos EVSEBIVM & NESTABVM Christianos, domi latitantes, comprehenderunt ac flagellarunt. Deinde cùm in theatrum conuenissent, uehementer aduersus eos uociferati sunt, quòd templa eorum labefactassent. Ad carcerem currunt, indeq; extractos fratres crudelissimè interimunt, iam pronos eos, iam supinos raptantes, & ad pauimentum illidentes, ac partim lapidibus, partim fustibus cædentes. Aiũt autem & mulieres è textrinis egressas, radiis eos pupugisse: & coquos qui in foro erant, alios cũ illusione ollas plenas feruẽti aqua focis ereptas in eos effudisse, alios eos uerubus transfuerberasse. Postquam autem capita eorum sic contudissent, ut cerebrum ex illis in terram efflueret, traxerunt eos extra ciuitatem, quò bestiarum cadauera abiici solent, igneq; succenso combusserunt: ossiumq; reliquias camelorum & asinorum ossibus miscuerunt, ne inueniri facilè possent. Sozomenus lib.5. cap.9.

Alexandriæ locus quidam fuerat desertus ac neglectus, & sordibus plenus, in quo gentiles olim Mythræ sacra peregerãt, & homines mactauerant. Eum locum Constantius Imp. ecclesiæ Alexandrinæ proprium esse concesserat. Georgius episcopus templum in eo ædificare uolens, locum ædificio templi inceptum esse deprehendit, propter nimiam profunditatem, repletam craniis hominum, & recens & iamdudũ interfectorum in magicis Mythræ sacrificiis. Christiani tum studio sè hoc agentes, ut omniũ risui & ludibrio impia gentilium mysteria exponerent, crania reperta palàm ostentabant, non sine illusionibus & execrationibus. Moritur interea Constantius. Succedente igitur Iuliano Apostata, Ethnici qui Alexandriæ erant, in CHRISTIANOS impetum faciunt, alios gladio, alios fustibus, alios lapidibus enecant, alios funibus strangulant, nonnullos crucifigunt, plurimos uulnerant. In hoc tumultu, ut fit, ne à familiarissimis quidem sibi temperant: fit amicus amicum, frater fratrẽ, & parentes liberos percutiunt, & in mutuam cædem corruunt. Gregorius ex ecclesia protractus, camelo alligatur, ac cum eo comburitur. Socrates lib.3.c.2.

Conuenerant CHRISTIANI in templum, cuiusuis ætatis & sexus, memoriam Natiuitatis Christi celebraturi. Maximianus nactum se occasionem explendi sui in Christianos furoris ratus, misit eò, qui templum incenderent: sed priùs per præconem significarent, ut qui uiuere uellent, ex templo exirent, & proxima Iouis ara adolerent: qui nollent, cum ipsa æde conflagraturos. Tum assurgens in templo unus, cæterorum omnium nomine respondit: Christianos se omnes esse, atque unum, eumque solum Deum & regem credere esse Christum, ipsiq; ac patri eius & Spiritu sancto se sacrificare. Nunc uerò etiam omnes sese ei offerre paratos esse. Ad hanc uocem ignis succensus, ac concremati sunt homines uicies mille. Nicephorus lib.7.c.6.

VICTOREM Maximianus apud Massiliam, iniecto pedibus fune, raptatim trahi mandauit, atq; ita uexatum, tantumque non exanimem, in carcerem trudi. Vbi ille diuino splendore refocillatus, ac refectus, carceris custodes ad Christũ conuertit, eosque in fide stabiles Imperator capite cædi præcepit. Porrò Victorem in equuleo tolli, fustibusque & neruis duriter cædi, ac rursum in uincula coniici. At ipse quum simulacrum Iouis ante se constitutum adorare iuberetur, id abominatus, pede statuam euertit, iacutique resupinatus Iupiter suis etiam ridendus cultoribus. Maximianus Victorem, quum pedem illi priùs abscidisset, molendini rotæ subiectum conteri, & adhuc spirantem gladio feriri iussit. Marulus lib.5.c.5.

SISINNIVS, MARTYRIVS & ALEXANDER, genere Græci, ciues Cappadoces, exciti fama Diui Ambrosij, Mediolanum sese recepère. Ab eo honorificè excepti, aliquandiu apud eundem commorati sunt. Inde recedentes, Tridentum perrexère: ubi à Vigilio episcopo sacris initiati, ad prædicandum Euangelium gentilibus abeunt. Vallem Anoniam ingressi, cùm in uico Medo extructo templo, è multis conuersis Ecclesiam colligerent, rustici quidam Saturno sacrificia facturi pro ubertate annonæ, ipsos ad eadem inuitarãt. Quod cùm illi recusarent, Sisinnij caput æreæ tubæ allisum, securi confoditur. Martyrius securi uulneratus, fustibusq; fixus, cùm ad idolum traheretur, occumbit. Corpora Alexander ad sepulturam ferebat. Pagani ea ante simulacrũ in ignem proiecère, ipsum ad mortem usq; flagellis concidère. Petrus de Natalibus capite 63.lib.5.ex Adone meminit & Sigebertus.

Hebdomade sexta ante passionis Dominicæ diem, Christiani centum, quorum alij episcopi, alij presbyteri, alij aliis ecclesiasticis dignitatibus ornati erant, in carcere una die occisi fuère à Sapore rege Persarum. Quibus adstans SYMEON episcopus Persidis, forti eos iussit esse animo, disserens illis multa de mortis sanctorum gloria, de resurrectione, & aliis quæ ad consolationem Martyrum facere uidebantur, quorũ singula ex scripturis S. probabat. Sozomenus lib.2.

Anno 35. Iustiniani, cùm XL CAPTIVOS Longobardi tenerent, more suo capræ caput adorabant, quod immolaturi erant: ac Christianos, ut idem facitarent, cogere tentabant. Verùm illi cruices suas potiùs carnifici præcidendas præbuerunt, quàm idololatria uitam suam redimerent. Gregorius Papa lib.3.Dialog.c.28.

ODDAR Aldenburgensis ecclesiæ præpositus, cum sexaginta presbyteris sociis, à Slauis siue Vandalis, ductu Mistiuoÿ principis occupata urbe, magna immanitate tractatur. Cute enim capitum instar crucis incisa, cerebrum singulis aperuerunt: & manibus post tergum ligatis, per urbes & uicos martyres spectaculi loco traxerunt, usque dum expirarent. Helmoldus capite 16. & Cranzius lib.2.cap.42. Vandaliæ, & lib.3.Metrop.cap.2.

Hæreticis.

Cùm Valens Imp. Arianus Ecclesiã orthodoxorum grauiter persequeretur, ueniunt quidã Ecclesiastici VIRI numero LXXXI Nicomediã, ac supplicationum libellos, de iniuriis & malis quæ perpessi fuerãt, Imperatori exhibẽt. Qui ira furens, Modesto præfecto clàm mãdat, ut comprehensos eos morte mulctet. Præfectus multitudinis seditionem metuẽs, nauim parari curat, simulans se eos in exilium deportaturũ. Sed nautas in nauicula piscatoria ponè sequi iubet, & nauẽ succendere. Sic mediis in fluctibus igni perierunt.

Alexandrini ciues Eutychetis errori addicti, suum episcopum PROTERIVM orthodoxum afflixerunt: ac ipso reiecto, Timotheum quendam cognomẽto Aelurum substituerũt, ea occasione utẽtes, quòd Imperator Marcianus mortuus, & Orientis præfectus in interioris Aegypti partibus longiùs abesset. Cùm Proterius ad baptisterium confugisset, eum transfodiunt, cadauer funè suspensum per publicum trahunt, canentes, Proterium trucidatum esse: igni iectum cremant, cinerem in uentos dispergunt, uiscera cruda deuorant. Præterea sex alios eadem immanitate in odium Proterij rapiunt, & interficiunt. Euagrius libro 2. capite 8. & Nicephorus libro 15. cap.16.

In quodam loco Africæ sub Genserico cui Reia nomen, cùm ALIQVI ad Paschatis festiuitatem agendam cõueniissent, & clausum templum aperuissent, Arianus presbyter congregatam armatorum manum in eos accendit: qui hostiliter piam turbam inuadunt, miseramque stragem edunt, alios gladiis interficiendo, alios iaculis perimendo. Qui euasserant, regio iussu alij pœnis paulatim attriti, omnes demum necati sunt, maturioris præsertim ætatis. Prosper in Chron.

Mahumetanis.

Cùm Agareni Cretam occupassent, CYRILLVM Gortynes episcopum

episcopum propter confessionẽ Christi interfecerunt. Zonaras in uita Michaëlis Balbi.

PETRVS Damasci metropolites, Saracenorũ impia dogmata refutabat, & hæresin Arabum & Manichæorum multa cũ ipsis cõmunia habere demonstrabat. Itaq; apud Halim principem accusatus est. Lingua ei præciditur. In Arabiã felicem deportatus, cùm alios Christianos confirmasset in fide, interfectus est, anno Domini 745, iuxta Sigebertum in Chronico. Paulus Diac.lib.22.rerum Romanarum, anno Copronymi secundo id factum narrat.

GVNDISSALVVS Vascius, itinerũ ductor, qui cũ fuisset Mauritus natione, & religione Mahumetanus, ad Christi se nomẽ & fidem adiunxerat, in Tingitanam urbem se contulit, ut opera summi cuiusdam chirurgi crus, quod illi in bello confractum fuerat, sanari posset. Vix sanitatẽ recuperarat, cùm nauem conscendit, ut Arzilam, in qua urbe domicilium habebat, repeteret. Sed cùm uentus deficeret, à Mauris captus, quamuis ingentem pecuniam pro redemtione illius multi uiri nobiles offerrent, & Mauri essent auarissimi, non potuit in libertatem uindicari. Erant enim hostes ei, propter desertam Mahumetis superstitionem, uehementer infensi. Itaque primùm filium in illius conspectu dilacerarũt, quem ipse ut supplicium libenter pro Christi gloria subiret, uerbis exhortatus est. Illius deinde manus atq; pedes duobus asseribus fibula coniunctis atque disclusis alligarunt, & illum uerberibus paulatim concidẽrũt, & ungulas euulserũt, ut diutiùs torqueretur. Is interim omnem à corpore dolorem nomine Christi sæpiùs inuocato depellebat, & illi gratias agebat, quòd se tanto beneficio cumularet. Neque solùm supplicijs oblectari uidebatur, uerũ & supplicibus uerbis flagitiorum ueniam postulabat. Sed quò ille constantiùs in fide permanebat, eò illi magis animis efferebantur, & uehementiùs illum nouis cruciatibus oppugnabant. Tandem quoque linguam illius præciderunt: qui tamen ipso spiritu, qui è uulnere & ex oculis emicabat, eorum immanitatem & impietatem refutabat. Biduo hæc tormenta inuicto animo pertulit, & sic tandem in cœlum immigrauit, an. salut. 1516. Is fratrẽ habuit, qui similiter sese ad Christi nomen applicuerat, & post aliquot annos ab hostibus captus, in acerbissimo cruciatu, pro Christi religione clarissimam mortem oppetiuit. Osorius lib.10.rerum Em.

Patriæ, Imperij persecutorum respectu.

☞ *Hunc ordinem Ecclesiastica seruat historia. Vide Tit. Persecutorum.*

Secundo Hadriani anno, Aurelius comes ALEXANDRVM Romanum episcopum, cum Hermete præfecto urbis, eius uxore, liberis & tota familia, numero MCCL, in carcerem coniecit, & tandem in furno ardenti cremauit. Redarguens uerò hanc iniquam tyrannidem Theodulus, Alexandri diaconus, idem supplicium subiit. Narrant & ZENONEM, patricium Romanum, cum decem millibus, ducentis & tribus, pro Christo interfectum. Nono eius anno decẽ millia martyrum in Armeniæ monte Ararat pro fide Christi crucifigũtur. Ex his nominantur ab Henrico Erfurdense, Achaicus princeps, Heliades dux, Theodorus magister militũ, & Carcerius dux exercitus, cum suis contribulibus.

Sub Decio martyres innumerabiles gloriosam pro Christo mortẽ oppetierunt. Inter quos IVSTINVM quendã Romanum presbyterum, & NICOSTRATVM diaconũ, Bergomenſis recitat. Vincentius his addit PORTIVM, qui duos Philippos imperatores conuerterat.

Carthagine sub Valeriano & Galieno TRECENTI martyres simul passi sunt. Cùm enim præses adpositis carbonibus cũ thure, ad clibanum calcis, conditionem illis tulisset, ut aut thura carbonibus in honorem Iouis imponerent, aut in fornacem calcariam irent: omnes uno impetu in ignem se iniecerunt. Henricus de Erfordia, Vincentius.

Primo anno imperij sui Claudius ducentos & septuaginta duos CHRISTIANOS iussit extra muros portæ Salariæ educi, ibique inclusos in amphitheatro à militibus confodi. Quadragintasex milites à Dionysio Papa, simul baptizati, decollati sunt, ac in uia Salaria sepulti, cũ aliis martyribus centum & uigintiuno. Idem.

Sub Antonino Vero, Lugduni & Viẽnæ in Gallia, SANCTVS Viẽnensis Ecclesiæ diaconus, MATVRVS recèns baptizatus, ATTALVS Pergamenus, BLANDINA ancilla horrendos cruciatus pro Christo sustinuère. Quos Eusebius lib.5. cap.1. recenset.

Sub Alexandro Mammeę PAMMACHIVS Romanus cõsul, cum uxore & filiis, aliisq; promiscui sexus ad quadraginta duos: item SIMPLICIVS Romanus senator: omnes uno eodemq; die capitis supplicio affecti, eorumq; capita ad diuersas urbis portas in terrorem, ne quis se Christianum profiteretur, affixa sunt.

Testes sunt Damasus, Beda de Temporum ratione, Orosius libro septimo, capite uigesimoquinto, Honorius, & alij, cæsa in persecutione sub Diocletiano, spacio triginta dierum, martyrij nomine, septendecim CHRISTIANORVM millia: ac præter eam multitudinem, numerũ aliũ ingentẽ, metallorum effossionibus, lapidibusq; excidendis addictum.

INDES & Domnas, cum multitudine uiginti millium martyrum, passi Nicomediæ sub Maximino. Metaphrastes.

In graui illa persecutione sub Sapore Persarũ rege, supra XVI mille martyres diuersi sexus, ætatis, conditionis, locis, diuersis, numerati fuère, præter eam multitudinem, quæ in digitos referri non potuit.

TOLERANDO TORMENTA EXTRA MORTEM.

THECLA Iconij à Paulo conuersa, sponso Thamiro renunciuit datam connubij fidem, & professa est uirginitatem: eam ob causam à matre accusata, & unà cum Paulo in carcerem ducta. Paulo eiecto, ipsa in ignem coniecta: sed pluuia ignẽ extinguente, euasit incolumis, ad Paulum rediit, & se ad habitum uiri tonderi uoluit, ut Paulum liberè sequi posset: uerùm à Paulo id facere non est permissa. Ab Alexandro procons. cùm eius libidinem explere nollet, accusata, uariis suppliciorum generibus frustrà afflicta, tandem superstes manſit: Tonsa & uirilem uestẽ induta, comitãtibus quibusdam iuuenibus ad Paulum profecta est. Tandem Seleuciæ obiit. Petrus de Natalibus libro 8.capite 110. Vincentius libro 9.capite 47. Marulus libro quinto, capite 6. & Sabellicus lib.5.cap.8.

Hieron, & Ater, & Isidorus Aegyptij, & cum illis DIOSCORVS puer quindecim annorum, Alexandriæ sub Decio traditi fuere. Puerum quidem iudex primùm uerbis seducere, deinde tormentis cogere conabatur. Verùm ille nec persuaderi, nec cedere sustinet. Reliquos ferocissimè laceratos igni tradidit. Dioscorũ uerò sapientissimè ad interrogata respondentem, admiratus dimisit: illique uitam ad resipiscendum impertire se dixit. Dionysius Alexandrinus in epistol. ad Eusebium.

Duos ANTIOCHENOS iuuenes, quòd Christiani essent, Diocletianus custodiri iusserat. Cùm paratis tormentis ante aras, ut sacrificarent, Diocletianus eos statui iussisset, concordibus animis respondérunt, patientiæ suæ periculum se facere paratos, ne quis confideret, tormentorum magnitudine posse eos à Christiana fide deduci. Quod cùm dixissent, ambo manus sacrificij ignibus iniecerunt, tullo q; doloris ostenso sensu tamdiu in eis manus tenuerunt, quoad urendo desiccata carne nuda ossa reliquerunt. Fulgosus & Egnatius lib.3.c.3.

Cùm in Iulianum Imp. Christiani reliquias Babylę martyris ex Daphne Antiochiam transferentes, quædam libera & alta uoce ex Psalmis succinuissent, tanta ille rabie correptus est, ut sequenti die Christianos omnes comprehendi iusserit. Dederat id negotij Sallustio præfecto, qui, licèt inuitus iuuenem quendam THEODORVM comprehendit, & à prima luce ad horam usq; decimam torquet in equuleo, loris, laterum perfossionibus, aliisque immanibus tormentis. Cùm autem Theodorus uultu hilari psalmum, quem pridiè cœtus uniuersus cecinerat, iteraret, nec se quicquam effecisse crudelitate sua Sallustius uideret, uinctum eum in carcerem coniecit, Imperatorem uerò monuit, futurũ ut Christianis gloriam, sibi infamiam & ignominiam, si sic sæuire in eos pergat, conciliet. Dimissus Theodorus Antiochiam uenit, ubi interrogatus ab aliquibus, Ecquos sensisset in equuleo & tormentis dolores? respondit: Initiò se quidem nonnihil percepisse doloris, sed mox adfuisse sibi iuuenem quendam, qui & sudores abstergeret, & frigidam suffundere: qua re ita delectatus fuerit, ut cùm de equuleo deponi iussus esset, mœstior factus fuerit. Ruffinus libro primo, capite 36. Theodoretus libro tertio, cap.11. Sozomenus libro quinto, cap.20.

MAXIMVS, uir doctissimus, & sanctissimus, abbas in Africa, eò quòd Theodorum Constantinopoleos episcopum reprehenderat, & Romam profectus, in synodo cum Martino papa damnauerat, Monothelitarum errorem, à Constante cum duobus discipulis lingua & manu truncatus, in Chersonam relegatus est. Zonaras, Paulus Diaconus lib.18 & 19. rerum Romanarum.

Martyrum sub Genserico & Hunerico Vandalorum regibus in Africa numerus iniri nequit. Præ cæteris recensentur DVO fratres germani, ciuitatis Aquisregiẽsis, qui iuramento sese mutuo astrinxerant, ne alter alterum in isto certamine desereret. At uerò cùm alter peteret mitigationem, & è suspendio, quo totum diem pependerant uterque, alligatis pedum digitis immensis lapidum molibus deponi: ibi alter ipsum uehementi increpatione obiurgat, seque cum petiurij accusaturum coram Christo minatur: atque fratrem ita confir-

mauit,ut in patiendo tamdiu cum fratre durarit, dum ipsi tortores quoque defatigati,illos ultrò reiicerent cum tędio & quadam indignatione, quòd horum constantiam uniuersi imitarentur,nec quisquam ex illis ad Arianismum accederet,& quidem post tormenta ne liuores quidem apparerent. Victor.

In graui illa persecutione Vandalica sub Hunerico collegium orthodoxorum,quod Eugenio episcopo in exiliū abducto reliquū Carthagini manserat, inedia & cædibus paulatim maiori ex parte confectum, procul in horrendum locū exilij flagris & uerberibus expellitur. Ex hoc cœtu retracti sunt uiolenter duodecim PVERI, claritate uocis præditi,suasu Theucorij, qui illos habuerat discipulos, priusquam à ueritate ad Arij mendacia transiisset, ut in cœtu essent musico. Quos cùm blanditiis in Arianismum pertrahere nō possent, durissima quæq; illis iterum atq; iterum intentauerūt, uulnera uulneribus infligētes, & priora posterioribus subinde refricantes. Verùm Christo robur addente,in rectæ fidei cōfessione perstitēre. Victor.

Constituerat Gensericus Vandalorum rex in Africa,ne ulli hominum,præter Ariani dogmatis sectatoribus,in aula sua,filiorumque, ulla officiorum administratio committeretur. Post plurimos, ex aulicis,qui ad abiurandam fidem adigebantur,peruentum tandem est ad ARMOGASTEM. Eius cùm tibiæ tumentibus chordis grauiter constrictæ torquerentur,fronsque ipsa resonantibus neruis usque adeò constringeretur,ut ueluti in exarata terra sulci,ita in ea crassę ac ingentes rugæ apparerent: cœlum suspiciens,tacitè se Christo commendauit. Igitur improuiso, quasi aranearum fila, nerui crepantes rumpuntur. Eo uiso,tortores adhibitis fortioribus chordis,iisq; caballinis,sępiùs repetunt torsiones. Verùm ipso Christi nomen inuocante,conatus fuerunt irriti. Imò cùm altero pede, capite deorsum uergente, suspensus penderet, plurimis ceu super lectum mollibus plumis stratum, dormire uisus est. Genserici filius Theodericus,cuius ab officio fuerat Armogastes, iubet eum capitis supplicio affici. At hoc eius mandatum mutat presbyter Iocundus, aliud suggerens, posse eum diuersis & lentis cruciatibus paulatim confici. Si gladio percutiatur,futurum,ut Romani martyrem ipsum celebrent. Solutus ergo, mittitur in Bizagenam prouinciam, ad fodiendas scrobes. Breui pòst inde reuocatus, ad maiorem ignominiam, non ita procul à Carthagine pascendis uaccis præficitur. E qua functione paulo pòst placida morte exemtus est. Prosper in Chro.

TIPASSENSIS Mauritaniæ maioris ciuitas, cùm audiuisset ex aulæ notario,sibi designatum pastorem,hominem Arianum, potissima eius Ecclesiæ pars omnibus neglectis, proximas Hispanias nauigatione petiit, paucis ibidem relictis. Eos cùm Arianus neque blandimentis, neque minis in suam sententiam pertrahere posset, ac ipsi in priuatis ædibus sua sacra tractarent, rex in medio foro cunctis manus dextras & linguas præcidi curauit. Quo facto,illi nihilominùs rectè loqui potuerunt, Christo ipsos pro afflictione hoc miraculo remunerante. Et ut huius rei fides firmaretur,scribit Victor libro tertio, in aula Imperatoris Zenonis unum ex his, Reparatum nomine,paulo pòst in magna fuisse ueneratione. Episcopis etiam quibusdam orthodoxis hoc idem accidisse, ut lingua mutilati nihilominùs loquerentur,testatur Iustinianus libro primo Cod. de Officio prefecti prætorij, & ipse Procopius libro tertio de bello Vandalico. Gregorius Papa libro tertio Dialogorum, capite trigesimosecundo.

AITHALAS Persa sub Sapore rege in tormentis nimium extensus,brachiorumq; luxationē passus,manus postea mortuas ac pēdulas circumtulit, ut aliorum manibus cibum ori eius adhiberi necesse esset. Sozomenus lib. 2.

MILLES militiam primùm professus apud Persas, Christianam deinde fidem amplexus, & Persicæ cuiusdam ciuitatis episcopus factus,cùm neminem ad Christianismum conuertere posset: post uerbera & afflictiones multas, quas ab incolis sustinuit,maledictionem ei ciuitati imprecatus,eam deseruit, imperante Constantino. Quæ paulo pòst à rege Persarum Isdigerde subuersa fuit, propterea quòd in eum primates eius grauiter quædam deliquissent. Sozomenus lib. 2. c. 14. Vbi Apostolorū imitatione pera duntaxat,in qua codicem Euangeliorū ferebat instructum circumiuisse,multaq; edidisse miracula scribit.

In Campania Italiæ,cùm Totilas rex BENEDICTVM iuniorem sanctitate clarum,propter Christum, cum cellula comburere cuperet,nec posset: eum in ardentem clibanum proiecit. Qui tamen inde altero die illæsus corpore & uestimētis exisse dicitur. Sigebertus in Chronico.

❧ TOLERANDO CARCEREM.

Iustinus Imperator ad alia Imperij sui illustria decora hanc quoque adiicere laudem uoluit, ut Arianos demùm prorsus à se dissipatos constans posteritas prædicaret: siquidem acerbissimè ferens, perfidiam eorum tot Conciliorum sententiis iugulatam,atque confossam,adhuc tamen in Oriente spirare,edictum proposuit, ut Arianorum ecclesiæ ubiq; Catholica religione consecrarentur. Quod ut Theodericus Ostrogothorū primus in Italia rex accepit,dolorē ferre non potuit,ac prauū alterum consiliū Catholicos insectandi in Italia cepit. Itaque IOANNEM pontificem ad se accersitū legatum ad Iustinum pro imperio contendere iussit,admonitum,ut suas Arianis ecclesias redderet, neque negotium ullum facesseret: sin minùs, se eadem mala Catholicis in Italia moliturum. Ioannes Iustinum non solùm ad ecclesias Arianis reddendas non impulit: uerùm etiā ipse omnes,quas potuit ubique ritu catholico consecrauit. Eapropter Theodericus ipsum cum sociis legationis Rauennam uenire imperauit,ac grauissima Catholicis cōminatus, in carcerē cōdidit,atque ibi omni humanarum ærumnarum genere conflictauit. Ioannes autem, dum fuit in carcere,causam tueri Catholicorum non destitit. Cæterùm haud multis pòst diebus,fame,siti,& cæteris carceris incōmodis maceratus expirauit: eumq; 98. pòst die, rex subsecutus est. Sigonius libro 16. Imp. occid.

❧ TOLERANDO EXILIVM, PROSCRIPTIONEM, PAVPERTATEM.

HORMISDA gente Achæmenides,natione Persa, ab Isdigerde rege ob religionem acerbè reprehensus, pœnæ loco regis camelos nudus pascere iubetur. Paret ille. Rex cùm obe diētiam illius uideret, recordatus paternorum meritorum, linea ueste indutum ad se iubet adduci, adductum blandis uerbis à Christo abducere conatur. At zelo diuino incensus Hormisda, uestem discissam ad pedes regis abiecit: Si propter munus lineum, inquit, deserere me sperasti pietatem, en tibi donum tuum cum impietate, quam possides. Eum igitur rex nudum regno suo expulit. Theodoretus libro quinto, cap. 39.

Hunericus exilium episcopis,presbyteris, & eius ordinis plurimis, & aliis quoque ad quinquies mille ferè decreuerat. Erat in eo numero FELIX Abbiritanus episcopus, munere isto ad annos quadragintaquatuor functus. Is quòd paralysi esset tactus,nec sentiebat,nec loquebatur quicquā. Pro eo apud regios reliqui deprecabantur, sineret rex Felicē iā iam moriturum Carthagine, tantisper dum animam efflaret,eo quòd in exilium difficulter abduci posset. Quibus tyrannus magno cum stomacho respondit: Quòd si adeò usque morbo debilitatus est,ut iumento insidere non queat, alligatus funi à bobus trahatur, quò præcepi. In eo exulum cœtu & PVERORVM grex, quos genitrices comitabātur, aliæ quidem gratulantes, quòd martyres peperissent: aliæ gemebundæ,quòd suos miserè perituros intueri cogerētur: immensisq; doloribus uictæ,cupiebant eos rebaptisationis lauacro à confessione reuocare,atque hoc modo ex præsenti afflictione eripere. Verùm cuius uirtus maximè in infirmitate est potens, is tantum addidit robur tam fragilibus testulis,ut nullo maternorum affectuum conatu infringi possent. ANVS quædam ex interuallo sequebatur reliquā multitudinem, properantibus passibus, quantum pro ætate poterat,manu ducens puerulum: cum inter ambulandum subinde ad alacritatem blanditiis adhortabatur: Age, inquit, propera puer, uides quanto studio festinet uniuersus Sanctorum exercitus,ad percipiendas gloriæ coronas: acceleremus & nos,ut illis coniungamur. Et cùm interpellaretur à quibusdam, Quid ita perditè festinaret cum paruulo,& qua ratione tantum itineris superasset? respondit: Bene precemini, bene precemini, & orate pro me & isto meo nepotulo, mulier sum peccatrix, filia olim Zuritanæ ciuitatis episcopi: & cum isto ad exilium unà quoque pergo, ne ille solus relictus hosti ueritatis & uitæ prædæ fit, & à uia uera abductus in exitium præcipitetur. Congregata autem uniuersa multitudo in urbibus Siccense & Larense,Mauris ad eremū deducenda traditur. Verùm ex nobilitate quidam Comites aduenientes,multis blandis sermonibus à fidei integritate illos retrāhere conabantur. Illi uerò ingenti uociferatione uno consensu suam ediderunt confessionē clamantes: Christiani sumus, uniuersæ Ecclesiæ consensum amplectentes, Deum unum & trinum, & trinitatem unum Deum inuiolabiliter confitemur. Eo facto, iam grauiori custodia includuntur quidem, sed tamen spaciosiore: nec denegabatur ingrediundi facultas fratribus,qui consolationibus ipsorum animos erigere, aut etiam sacra iis administrare uellent. Verùm id eis non diu concessum est. nam eam ob rem custodes fustibus cæsi sunt, & ne cuiquam ad eos pateret accessus, interdictum. Imò in angustiorem locum, qui tantæ multitudinis non bene erat capax, alius super alium ceu locustæ, siue uerius, ut frumenti gratia in cumulos coaceruata, co-

coartati sunt,ut ne secedendi quidem ad naturę opera esset locus: sed egestiones urgente necessitatem tam urinę quàm sordium,illo ipso loco subtus se faciendæ essent. Vbi cùm aliquamdiu morarentur, eò usque stercora cumulata sunt, ut in totum spacium exundarent. At ubi hoc Mauris uisum fuit,ad deserti præscriptum locum pergere iubentur. Egressi ergo ex illo squallido loco, & ora & capita & uestimenta stercoribus oblita trahebant: interim tamen quasi præclarè cum ipsis ageretur,hilares Deo hymnum inter eundum decantabant: Hæc est gloria omnibus sanctis eius. Illis sic in squallore incedentibus,aderat Cyprianus Vinzibirensis ecclesiæ episcopus, qui diuini uerbi consolationibus ipsos cō firmabat. Sed & plurimæ passim turbæ undiquaque è regionibus confluebant ad ipsos uisendos,atque magna acclamatione suam potiùs quàm ipsorum exulum conditionem deplorabant, cupientes itineris eorum esse comites. In peregrinatione autem cùm indies progressiones longas facerent ij,quibus deducendi negotium commissum erat, imbecillior ætas paruulorum & senum defatigabatur, quos acutis hastilium cuspidibus impellebant ad procedendum: unde magis magisque delassati,penitùs deficiebant, adeò ut iam etiam impedimento futuri essent. Quare Mauri eos,qui progredi non ualebant, pedibus ligatis trahebant per loca aspera & dura: qui hoc modo saxorum illisionibus attriti, funium constrictionibus uiolentis enecti, inter trahentium manus expirabant. Erat autem ipsorum numerus non exiguus,ut ex tumulis erat coniicere, qui sparsim toto illius itineris tractu ceu talparum cumuli cernebantur. Reliqui habiliores,ad designatum solitudinis locum peruenēre, ubi pasti aliquamdiu sunt hordeo, iumentorum ritu: quod tamen ipsis paulo pòst etiam denegatum est. Hæc Victor de persecut. Vandal.

SATVRVS, domus Hunerici procurator,accusatore quodam diacono Marinado,ut Arianus fiat postulatur. Cùm autem confessionem ueritatis pluris faceret, quàm omnia sua cōmoda aut damna: uxor adductis communibus liberis, ad genua mariti aduoluitur,perque omnia sacra rogat, obsecrat, & obtestatur, misereatur sui, & pendētis à lacte matris filiolæ, & reliquorum coniugij pignorum: neu committat, ut quos generis nobilitas reddiderit claros, seruili conditioni subiiciantur: non patiatur, ut se uiuo, indigno & turpi matrimonio camelarij serui copuletur: Deum haud dubiè respecturum, quòd inuitus & ualde grauatim faciat ipse, quod plerique fecissent uoluntarij. Sed ipse ex Iobo ei respondet: Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Ego Domini promissionum securus, uerba in mente fixa tenebo. Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrū aut domum, meus non poterit esse discipulus, Vxor discedit. Saturus spoliatus omnibus,& plurimis suppliciis debilitatus, mendicus demùm relinquitur. Prosper in Chronico.

VALERIANVS Habenssæ episcopus in Africa, dum impio Genserici Vandali edicto totis uiribus reluctatur, ne traderet S. libros, quos postulabat, eiicitur ciuitate solus,& priuatus: omnibusq; seuerissimè demandatur, ne quis eum in agrum suum,nedum in domum admittat. Quare multo tempore in publico sub dio,& quidem nudus iacuit,annos habens ætatis ampliùs octoginta. Idem.

❧ PROPVLSANDO.

ISRAELITÆ duce Iosua & propagandæ religionis causa, & regionis sibi diuinitùs promissæ è manibus impiorum uindicandæ,Dei iussu contra Palæstinos, Amalechitas, Amorræos, Ammonitas,Moabitas, Hettæos,Iebusæos bella gessere cruētissima. Et quia numine iubente suscepta fuēre bella: eiusdem fauore feliciter sunt confecta,ut Dei ecclesiæ locus pateret in terris,impiis occupatoribus funditùs excisis. Et hæc in ueteri lege, quæ sui obseruatoribus tēporalia bona pollicetur, transgressoribus contraria minatur omnia. [redacted]

IVDITH A uidua Bethuliensis, patriam obsidione, Iudeam o- [redacted] Omnibus se ornamentis [redacted] auxit illi formæ decorem, orisque uenustatem, ut trahere posset Leuiathan hamo. Egressa occurrit exploratoribus: &, Filia sum Hebræorum, inquit: ideo ego fugi à facie eorum: quoniam futurum agnoui, quòd dabuntur uobis in deprædationem. Denique Holoferni se indicaturam pollicetur, quo aditu sine suorum pernicie capiat ciuitatem. Postremò cum ipso collocuta, sermone, promissis, uultu fefellit: atque eundem quem adorauerat,cuius se ancillam dixerat,captata occasione incautum interemit. Summus sacerdos Ioachim cum magno presbyterorum comitatu de Hierosolymis Bethuliā uenit,ut faciem eius uideret,cuius famam admirabatur. Et sic Assyrij, qui multas iam gentes urbesque uno impetu subiugauerant, unius mulieris fraude capti succubuerunt. Marullus lib. 4. c. 4. ex Iudithæ cap. 11.

IVDAS Machabæus cum suis contra Antiochum Eupatorem pugnabant, non tam de uxoribus & liberis solliciti, quàm de templo Domini, quod paulo antè ab Epiphane profanatum lustrauerant. Et cum hostibus congressi, manibus quidem pugnabant: animis autem Deum inuocabant. Itaq; uictores semper extiterunt. 2. Machab. 15.

Maxentius tyrannus, CONSTANTINO Magno contra eum mouente, ut tantam belli molem auerteret, ad magicas artes se contulit: ac modò grauidas mulieres, modò pueros infantes aperiens, modò leones iugulans, interdum etiam infandas ad dæmones excitandos adiurationes exercens, eorum sibi parare subsidium instituit. Constantinus uicissim, cùm rem in Italia gerendam esse sciret, non solùm cum gente bellicosissima, sed etiam in prouincia præsidiis, opibus, oppidisque firmata, & cum eo duce, qui non tam humanis uiribus, quàm magicis præstigiis ad uictoriā niteretur: maiore præsidio opus esse putauit, quàm quod à militari expectari uirtute posset: confugiēdum ad diuinum auxilium esse, nō eorum, quos sequuti Galerius & Maximianus fœdissimum uitæ exitum falsis oraculis ac uaticiniis audiendis adepti essent, sed eius, quem pater suus ueneratus, custodē conseruatoremque regni haud dubiè cognouisset. Hunc igitur toto animo cepit implorare, ut se, quínam esset, sibi dignaretur ostendere, ac rebus, quas moliretur, opem auxiliumque præbere. Vidit ergo cum toto exercitu, inclinante iam sole, Crucis signum in cœlo, soli imminens, his uerbis cinctum, In hoc signo uinces. Sed & per quietem uidit speciem uiri humano habitu augustioris monentis, ut signum ei quod in cœlo uiderat par efficeret, idq; pręliis adhiberet. Paruit, & Deo plenus potentiss. tyrannū superauit & extinxit. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

CONSTANTINVS Magnus Thessalonica egressus, in Hebri ripa aduersus Licinium tyrannū consedit, qui castra ad mōtem urbi imminentem posuerat. Cùm armatus utrinque staret exercitus, in summi certaminis dimicationē paratus, Licinius principes suos in lucum seduxit, uariis deorum simulacris refertum: quibus cùm cereos accendisset, ac uictimas immolasset, tum conuersus ad eos ita dicere cepit: Hi sunt dei, quos à maioribus colendos accepimus, & quorum auxilio rem publicam & priuatam hucusq; optimè gessimus. Constantinus autem patriis institutis neglectis, nouū quendam ac peregrinum deum sibi suscepit colendum, ac turpi eius insigni suum dehonestauit exercitum: eiusque numine fretus, ad nos deosque nostros tollēdos infestus procedit. Verùm propediem apparebit, utri numini cultus sit adhibēdus: nam à qua parte certaminis uictoria stabit, ab eadē potiorem religionem esse constabit. Constantinus autem diuino, si quando aliàs, auxilio sibi opus esse intelligens, salutiferum Crucis uexillum, cuius uirtutem bello contra Maxentium expertus incredibilem fuerat, præferebat, ac sacris sacerdotibus aduocatis, piis atque assiduis eorum ad Deum orationibus se totum tradiderat: uates, ariolosque irridēs, qui Licinio aderant, eumque ridicula gentilium arte confisi inani spe rerum secundarum inflabant. Itaque in urbibus Licinij multi per eos dies multas Constantini cohortes meridie per urbes transeuntes, tanquam uictrices se uidisse, affirmarunt, omenque uictoriæ, quæ instabat, fecerunt. Licinius suis, ut unum Crucis uexillum peterent, ac lacerare contenderent, imperarat. Narrat autem Eusebius, se ab ipso Constantino audisse, cùm uexillifer in ipso pugnæ ardore telorum ingruentium multitudine consternatus, periculi declinandi causa uexillum proximo tradidisset, atque acie excessisset, factum esse, ut ipse extra aciem tragula traiectus obierit: qui uerò uexillum seruauerat, incolumis inter tot undique impetentia tela, uexillo ipso multis in partibus perforato, euaserit. Licinius, cùm impetum Constantini sustinere non posset, arrepta fuga Byzantium se recepit. Liciniani omnes, qui prælio superfuerunt, sese Constantini fidei permiserunt. Decimooctauo demùm mense Licinius sæpiùs uictus, Nicomediæ obsessus, imperij insignia deponere coactus est. Idem.

THEODOSIVS Magnus Imp. ad Iulias Alpes Eugenium tyrannum, Valentiniani interfectorem, idolorum cultorem, memorabili prælio uicit, & pietatem Christianam seruauit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

IVSTINIANVS Imperator Christianæ religionis initiò studiosissimus, Chalcedonensis synodi decreta constanter & summa seueritate in omnibus Ecclesiis propagari, & aduersarios omnibus modis coërceri, & ad consensum compelli iussit. Euagrius lib. 4. cap. 11. & 16. & Nicephorus lib. 4. ca. 10. & lib. 17. cap. 12. Omnibus ex Libya, & Carthagine potissimùm, pulsis Arianis, Christianis templa iuxta uaticinium Cypriani martyris restituit. Nam cùm Christianorum persecutionem sub Vandalis Arianis in Africa uidisset, motus

ipsorum calamitate, arma pro iis sumere animo decreuit: idq; tum ipso facto declarasset, nisi Ioannis Hyparchi aulici præfecti consiliis à proposito deterritus fuisset. Cæterùm episcopus quidam Orientalis Imperatorem accedens, indicauit se in somnis à Deo mandatum accepisse, ut Imperatorem ad suscipienda arma pro afflictis Christianis hortaretur. Eo nuncio accepto, Imperator sine dilatione Belisariū cum armata manu in Libyam contra Vandalos misit: qui capta urbe Carthagine, & tandem Gilimere rege, parricida & persecutore Christianorum crudelissimo, tribus mensibus totam Libyam Iustiniani imperio subiecit. Procopius lib.3. de bello Vandalico: Paulus Diaconus lib.16. c.1. Narrat ex Procopio Euagrius Eccles. hist. lib.4. cap. 16. Iustinianum cùm bellum contra Vandalos pro Christianorum defensione suscepisset, nauē prætoriā ad litus iuxta ædes Imp. deducere iussisse: deinde Epiphaniū Constantinopolitanum episcopum classi militari de more benedicentem, ac bene precatum, milites paulo antè baptizatos, nomen profitentes Christianum, sigillatim in nauim introduxisse.

Procopius lib.1. belli Persici, de HELLISTÆO Aethiopū rege scribit, quòd contra Iudæos, in Homeritarum regione Christianos affligētes, classem instruxerit: & uictoria potitus regem impium interfecerit, & Christianū substituerit, qui doctrinæ cœlestis propagandæ curam gesserit.

PHOCAS Iudæos Antiochiæ tumultuantes contra Christianos, tormentis subdidit, & urbe expulit. Zonaras tomo 3. Paulus Diaconus lib.17. rerum Rom.

Ethnici septies à Constantino expulsi Hierosolymis, denuò eam ceperunt, & Ioannem patriarcham eiecerunt. Ille Constantinopolim ueniens, petit ab Imperatore & filio eius Leone auxilium: sed ille eum ad CAROLVM Magnum cū literis ablegauit. Quibus lectis, ad arma uocauit suos, & Hierosolymam exercitum duxit: & recuperata urbe, paganos expulit. Henricus de Erphordia in uita Constantini, cap. 69. ex Helinando. Ptolemæus Lucensis scribit, Carolum cōiunctis uiribus cum Constantino Copronymo Saracenis & Arabibus Hierosolymam & terram Sanctam eripuisse. Hispaniam à Saracenis occupatam, Carolus usq; ad Cordubam recuperauit, & Compostellę in Synodo, cui Turpinus interfuit, ecclesiā Iacobi principem & dominā cōstituit super omnes ecclesias Galeciæ & Hispaniæ. Vincentius lib.24. c.17. ex Turpino: Ptolemæus Lucensis in Rudimento, & Blondus Decadis 2. lib.1. ab inclinatione Rom. Imperij.

In Northanymbrorum gēte, dum Heduinus regnauit, floruit Ecclesia, & fuit maxima in politia tranquillitas, quam Deus ueluti halcyonia concessit Ecclesiæ colligenti suos cœtus per annos 17. Verùm postquam Heduinus à Cedualda Britonum & Penda Merciorum regibus fuit occisus, misera facies Ecclesiæ subsecuta est, sæuientibus Cedualda & Penda: quorum hic paganus & Christiani nominis ignarus, ille moribus ac animo barbarus erat. Paulinus igitur, assumta secum regina Edilberga, rediit Cantuam nauigio: atque ibi Rofensis ecclesiæ curam suscipiens, usque ad mortem permansit: sicque in Northanymbrorum insula relapsa est religio, & rursus creuit ac dominari cepit idolomania, donec OSVALDVS, Heduini nepos ex sorore, successit: qui parua manu, fide autem Christi munita, confligens cum Cedualda, ipsum cum immensis copiis suis fudit ac interemit, & regnum & religionem instaurauit: & in Berniciorum gente primus templa, altaria ac crucem erexit. Beda libro secundo, capite 20 & libro 3. cap. 1.2. & 3. Sed tamen Sigebertus in suo Chronico ex historia Britonum colligit, ipsum Osualdum à Cedualda interemtum, & Cedualdam diu post illum regnasse.

Egfrido rege Anglorum mortuo, extremi reges gētiles, regnū Angliæ uastarunt, annis 4. VVICRED filius Egberti regis, religione & industria instructus, gentem Anglorum ab oppressione exterorum liberauit. Sigebertus in Chronico: & Beda lib.4. c.12. 21 & 26.

Reliquerat Geisa Vngarorum rex, qui circa Salutis annum 997 in uiuis esse desiit, Stephano filio pacatissimum Ecclesiæ statum: quem pro uirili ipse quoque, cum Gisla coniuge pietatis studiosissima tutatus est. Verùm Giula STEPHANVM suum auunculum uerbis sæpiùs corripuit, ac tandem eum armis ad patriam cogere religionem tentauit. Bello superior Stephanus, Giulam custodiæ tradidit, usque dum mitesceret. Sicque Ecclesia sub Stephano rege, ad annos ferè quadraginta sua habuit halcyonia. Bonfinius libro 1. Decadis 2.

IDEM subditos suos ad Christianam religionem humanitate inuitaturus, cùm non succedere rem animaduerteret, aliquantulum seueriùs in reluctantes egit. Quod cùm faceret, plerique principum, duce Cupa in eum coniurant. Stephanus coacto exercitu ad Garam amnem cum illis confligit dubio Marte. Ergo ad preces conuersus, uix facto orandi fine, Vencellinus Cupæ caput abscidit. Quo per aciem circumlato, ita hostium animi consternati, ut palantes fugerent. Principes coniurationis capti, & in castris cæsi: in cæteros regis edicto remissiùs actum. Cupæ corpus in parteis quatuor dissectum: una Strigoniensi portę affixa est, Vesprimensi altera, tertia Iauriensi, in Transsyluaniā quarta ad deterrendos Dacorum animos delata, & Albæ Iulæ præfixa. De cæteris captiuis, pro facinorum grauitate pœnę sunt exactæ. Idem.

PELAGIVS Hispaniarum rex, licèt copias ualde exiguas & inermes haberet, diuinò fretus auxilio, Christianæ religionis fomitem in Hispania à Mauris occupata excitauit. Phrygio in Chronico, & Ritius lib.2. de regibus Hisp.

Sub Miecislao principe Polonorum primo Christiano mos inoleuit apud POLONOS, ut homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat: unde recitaturus sit Euangelium, gladios mediotenus stringerēt, quasi profitentes Euangelij & religionis defensionem. Choro autem respondente, Gloria tibi Domine: rursus reconderent. Diuq; hic mos mansit in Polonia. Cromerus lib.3.

VENETI quum in Saracenos, terram Italiam fœda clade uastantes, classem quadraginta nauium Gradonico principi ducendam commisissent, quæ Theodosio Græco duci iuncta rem gereret, tametsi Venetus acerrimè in hostes fidei inuectus dimicarit, tamen à Græcis inter primum pugnæ ardorem destitutus, tantam cladem passus est, ut ne una quidem nauis ex tam numerosa classe incolumis euaserit. Non deterruit tamen Venetorum animos tam insignis accepta clades, ut quum primùm nunciatum eis esset, Saracenos è Creta insula in Adriaticum sinum, ad omnemque Italiam deuastandam classe ingenti comparata uenturos, illi statim ad Gradum occurrerint, atq; ibidem inita uiriliter pugna, hostes ingenti clade affectos sic supero mari expulerint, ut clades accepta non facilè animis eorum exciderit. Quæ uictoria uel eò lætior fuit, quòd Basilius Imperator Vrsum Particiacum ducē, quo auctore res erat gesta, Protospatharium declarauit: quæ dignitas inter primarias penes Græcos principes habebatur. Egnatius lib. 1. cap.1.

RELIGIONIS EXERCITATIO CONSIDERATA SECVNDVM

FORMAM. Huc

RELIGIONIS VERÆ SVÆ

Obseruatio.

Ex Tit. Religiosorum principum, item Monachorum, Ecclesiastarum, exempla quædam uniuersim desumi possunt. Nam alioqui singulares obseruationes, utputa Sacrorum, Precum, Festorum dierum, in speciali enarratione describentur.

Fecit NOACHVS omnia quæ præcepit ei Dominus. Ideo à diluuio seruatus est. Genesis cap. 6. & 7.

IVDAEI è Babylone reduces in festo umbraculorum, duce Nehemia & Esdra, fœdus nouum cū Domino Deo percusserunt, & sacramento sese astrinxerunt, sese ex diuina lege uicturos. 2. Esdræ 10.

Cōuocantes duodecim APOSTOLI multitudinē discipulorum, dixerūt: Nō est æquū, nos derelinquere uerbū Dei, & ministrare mensis. Illæ aūt mensæ erant pauperū & uiduarum. Per quod datur intelligi, quòd opus prædicationis uerbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis. Act. 6.

Confessio. Tum

[illegible] Apertæ [illegible]

Ex Titulo, Martyrum, & Constanti æ religio[illegible] sæ illustretur.

[redacted]

PETRVS, qui ad uocem unius ancillæ pauefactus Christum negauerat, accepto Spiritu sancto fuit tanta uirtute indutus, ut coram populo Pharisæorum ac magistratuum collegio ipsum cum omni fiducia prædicaret. Matth. 28. Act. 2. Principes sacerdotum comminati fuerant PETRO & IOANNI, ne ultrà loquerentur in nomine Iesu. Qui respōderunt eis: An iustum est, uos potiùs audire quàm Dominum? Non enim possumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Deinde cùm arguerentur à principibus sacerdotū, quia non seruassent eorum mandatum, responderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Actorum cap. 4.

EVNV-

EVNVCHVS Candacis reginæ legatus, baptizādus à Philippo apostolo, ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Itaque Philippus baptizauit eum. Actorum 8.

Nemesion quidam Aegyptius, delatus quasi latronum contubernalis, & de ea calumnia apud Centurionē Alexandriæ purgatus, de Christianismo accusatur, sub Decio. Iudex duplo cum acerbiùs, quàm latrones, torturis ac flagris afflictū, inter latrones cōburit. Stabant ante tribunal frequentes quidam è militari ordine, AMMON, ZENON, PTOLEMÆVS, INGENVVS, ac senex THEOPHILVS cū illis: & cū Christianus quidā iudicaretur, iamq; ad negandū inclinaret, rūpebantur isti adstantes intra se: ac uultu innuebant, manuq; extēta, & totius corporis motib. ad constantiā hortabantur. Cùm aūt ad eos cuncti adspicerent, antequā quisquā ex ipsis caperetur, præuenientes capturā, ad ipsa subsellia ultrò assiliūt, & se Christianos esse dicūt: ita ut & præses & assessores perterrefierent, & Christiani, qui iudicabantur, ad ferendas passiones strenui, iudices uerò timidi redderentur. Discedūt itaq; isti à tribunalib. alacres, & propter fidei testimoniū exultabundi, Deo per illos gloriosè triūphante. Dionysius Alexandrinus in sua epistola, apud Eusebium.

Illustriss. femina Constantinopolitana IVLIANA, tam constanter Chalcedonensem synodum asseruit, ut nec Imperator Anastasius, nec ipse Timotheus episcopus hæreticus, ullis artibus eam eò impellere potuerint, ut uel hæreticum ipsorum dogma probaret, uel amicitia Timothei uteretur. Paulus Diaconus lib.15. rerum Rom.

In Antiochena synodo MELETIVS Antiochiæ episcopus factus est ab Arianis, ea spe, quòd eum quoq; Arianū esse crederent. At ille, cùm sententiā suam de Christi natura proferre iuberetur, tribus erectis digitis, moxq; in uolā adductis duobus, uno relicto erecto, laude dignā eiusmodi uocem emisit: Tria sunt quæ intelliguntur, unum autem quod compellamus. Spe ergo sua Constantius Imp. cum Arianis frustratus, Meletiū in exilium expulit, eiq; Euzoium manifestū impietatis Arianæ patronum substituit. Theodoret. lib.2. c. 31. Sozom. lib.5. c.28. ait: Cùm Meletius filium eiusdem esse essentiæ cum patre diceret, Archidiaconum accurrisse, manuq; os eius obturasse. Tunc Meletium manu sententiam suam explicasse.

ARCHIMENIDES, qui & Hormisdas appellatus est, cùm in Persia Christianam religionem in maxima piorum persecutione profiteretur, uocatus à Varane rege, & obiurgatus ob fidei confessionem (quam in homine extinguere minis conabatur) respondit, Impia atque difficilia à me petis rex, qui uniuersitatis Deum nequaquam abiuro, ut tuæ maiestatis fiam amicus. Maius enim est crimen, diuinā, quàm regiam lædere maiestatem. Nicephorus lib.14. cap.20. hist. Eccl.

Cùm Sotericus & Philoxenus synodi Chalcedonensis hostes intelligerent, synodum contra Heliam episcopum Hierosolymitanum congregatam impediri, ui adorti sunt THEODOSIVM S. Martini in Campania abbatem, uti synodus effectum sortiretur. Sed Theodosius omnibus conuocatis, suggestum conscendit: & manu multitudini silentium imperans, in hęc uerba Stentorea uoce erupit: Si quis quatuor synodos quatuor Euangeliis non exæquat, anathema sit. His uerbis prolatis, circumstantes ipsius uerba tanquam angeli suspicientes, in magnam admirationem adduxit, ac cum silentio per medium populum processit. Deinde literas ad Imperatorem dedit, quibus indicauit, se pro uera religione ad sanguinem usque pugnaturum: neque si quid accidat, se ullo modo à sententia quatuor conciliorum discessurum. Postremò urbes circumiens, homines in pia doctrina contra hæreticos animauit & confirmauit, ac Christum Deum simul & hominem in una persona prædicauit: & hanc quoque esse synodi Chalcedonensis sententiam, quàm hæretici declinarent, affirmauit. Imperator eum exilio multauit: à quo tamen, mortuo eo, reuocatus est. Nicephorus lib.16. cap.33.

ARMERIVS Albanus præfectus, quem Turcæ in mari ceperant, Byzantium productus, dum ei rex uitam se concessurum dixisset, si Mahumetum Turcarum deum deinceps coleret, negans id unquam se facturum, in duas sectus partes magna constantique u[illegible] mortem obiit. Bembus libro 5. historiæ Venetæ.

LAVRENTIVS Medices, quicquid alij tradant, de religione optimè sensit, ita ut eos quoq;, quorum minùs de ea recti essent sensus, aculeo orationis perstringeret: Minimè, inquiens, mirandū esse, mortuos homines de animorum immortalitate & de beata uita dubitare. Brutus li.8. hist. Flor.

Occulta. Nicodemitæ.

Sub Achabo & Iezabele Elias omnes, se solo excepto, reputabat idololatras. Sed dixit ei per responsum Dominus: Super sunt mihi in Israel septem millia VIRORVM, quorum genua non sunt curuata ante Baal. 3. Reg. 19.

ACHOMATES Bassa, Stephani Chersechij reguli in Illyrico F. ob ereptam sibi à patre sponsam, ex Christiano furore præcipiti factus Turcus, & Baiazetis gener, nihilominùs semper Christianis fauit, & crucifixi imaginem secretò adorauit. Iouius.

RELIGIONIS VERÆ ALIORVM, APPROBATIO, LAVS, DEFENSIO.

CYRVS, DARIVS, XERXES, reges Persarum, Iudæorum religioni tantum tribuerunt, ut Iudæos ad restaurandum templum Hierosolymam remiserint, duce Zorobabele, munera amplissima cum omnibus uasis sacris à Nabucodonosoro ablatis dederint, & sumtus quoq; in sacrificia Samaritanis uicinis tributi loco imperauerint, ut pro Persarū gente assiduè deprecarētur. Iosephus lib.11. c.3. & 4. ex 1. Esdræ c.1. & 6.

ALEXANDER Magnus Hierosolymam oppugnaturus, ob negatum commeatum & auxiliares copias aduersus Darium, cum ad urbem uenisset, & ipsi Iaddus pontifex habitu sacerdotali indutus, cum reliquis sacerdotibus & populo obuiam iuisset: religione tactus, & urbi pepercit, & Hebræorum Deum adorauit, eique sacrificauit. Iosephus lib. 11. cap.8. Antiq. & Sab. lib.4 En.4.

ANTIOCHVS Magnus, uicto Ptolemæo Epiphane, & Hierosolymis occupatis, edictum in honorem regni per totum suum regnum proposuit tale: Nemini alienigenæ liceat intra septa templi ingredi contra uoluntatem Iudæorum, sed solis hoc facere fas sit, qui iuxta præscriptum legis patriæ purificati priùs fuerint. Nemo etiam in urbem carnes equinas aut mulinas inferat, nec asini siue feri siue domestici, nec pantheræ aut uulpis aut leporis, aut cuiusuis omnino ex his animalibus quæ Iudæis uetitum est attingere. ac neque pelles eorum inferre liceat, aut aliquid ex his in urbe alere: sed tantùm solitas more maiorum mactare uictimas, quibus Deus litari sibi uult. Qui uerò aliquid contra edictū hoc fecerit, trium millium drachmarum argenti mulctam luat sacerdotibus. Iosephus lib.12. cap.3.

ANTIOCHVS Sedetes, Hircanum III. Iudæorum ducem & pontificem Hierosolymis graui obsidione urgebat. Hyrcanus postquam cognouit sibi obesse suorum multitudinem, quòd inutiliter absumerentur ad uictum necessaria, secretam infirmiorem turbam eiecit extra mœnia, solis retentis qui ob uigorem ætatis ad pugnam erant idonei. Antiochus autem exclusos uetabat progredi, ita ut miserabiliter oberrantes mœnibus conficerentur inedia. Sed cùm superuenisset festum scenopegiæ, miseratione suorum rursus in urbem recepti sunt. Rex etiam rogatus ut gratia festi inducias septem dierum concederet, religione motus impetrari eas passus est: nec hoc contentus, uictimas misit magnificè, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quàm argentea referta omne genus aromatibus: & exercitui præbuit epulum, longè diuersus ab Antiocho Epiphane, qui capta urbe porcos super altari mactauerat, & iure carnium illarum templum asperserat, uiolatis Iudæorum legibus simul & cæremoniis: unde acerbissima exorta sunt eius gentis contra eum odia. At hic Antiochus propter religionem Pius cognominatus est ab omnibus. Hyrcanus uerò cognita eius æquitate & pietate delectatus, legatos ad eum misit, rogantes ut liceat sibi patriis uiuere legibus. Tum rex repulsis qui suadebant internecione delendum gentem insociabilem & discretam instituto à reliquis omnibus, & approbata Iudæorum pietate, imperauit ut obsessi arma sibi traderent, & uectigalia Ioppes cæterarumq; extra Iudæam urbium concederent, & quia præsidium accipere detrectabant, darent regi obsides, & D. talenta insuper: quorum CCC mox repræsentata sunt, & inter obsides fuit etiam ipsius Hyrcani frater: deiectaque mox lorica, quæ imposita erat mœnibus, soluta est obsidio. Cæterùm Hyrcanus aperto monumento Dauidis, qui olim regum omnium fuerat ditissimus, tria millia talentorum inde protulit: quibus pecuniis fretus, primus omnium cepit externum militem alere: & inito cum rege fœdere, exceptum in urbem cum exercitu tractauit liberalissimè: quin & profectum in expeditionem Parthicam secutus est unà cum auxiliis. Iosephus libro 13. capite 16. Antiq. & Nicolaus Damascenus. Attingit quoque Plutarchus in Regum apoph.

SELEVCVS Philopator Syriæ rex, propter Oniæ pontificis pietatem Hierosolymitanum fanum in maximo habuit honore, & præclaris ornauit muneribus, omnesq; ad sacrificiorum procurationem necessarios sumtus de suo reditu suppeditauit. 2. Machab. 3.

Hecatæus Abderita causam refert, cur nullus uel poëta uel historicus mentionem Iudæorum legis faciat, aut uirorū qui iuxta eius præscriptum res suas administrauerunt: quod sacrosancta sit, & profano ore tractari non debeat. Itaq; DEMETRIVS Phalerçus Ptolemęo Philadelpho suasit, ut Iudęorum pontifici scriberet, uti senos ex singulis tribub. seniores

legis peritissimos mitteret, qui eos libros interpretarentur. Iosephus lib.12.c.2.Antiq.

PTOLEMÆVS Philometor, Aegypti rex, permisit Oniæ Iudæo exuli, uti in regione Heliopolitana templum extrueret simile Hierosolymitano, iisdem sacrorũ ritibus: id quod Esaias propheta ante DC annos prædixerat. Iosephus lib. 13.cap.6.Antiq.

L.VITELLIVS Syriæ præfectus subTyberio, Iudæorum amicus, stolam pontificiam, quam priùs Iudææ præfecti in arce Antonia custodire solebant, sacerdotibus custodiendã dedit: ciuibus uectigal fructuum remisit, & cum Herode Tetrarcha & amicis in templum sacrificaturus ascendit. Exercitum contra Arabas ducens, quia sciebat Iudæos signa Romana propter imagines exosa habere, per aliam uiam milites incedere iussit, ne in Iudæorum religionem peccaret. Iosephus lib.18.c.7.

ROMANI Iudæis sabbatha agere, & quia sabbathis iter facere lege prohiberentur, militiæ uacationem permiserunt. Id quod pluribus testimoniis Iosephus libro decimoquarto, cap.19.Antiq.ostendit.

Admonitus TIBERIVS à Pilato de Christi morte ac dogmate, ad senatum retulit, censuitq; Christum in Deos referendum, ac templo honorandũ. Fieri id non modò senatus uetuit, quòd non ad se priùs, sed ad Tiberium scripsisset Pilatus: uerùm etiam pellendos urbe tota Christianos censuit. Proposita sunt accusatorib.præmia: quos Tiberius à tanto scelere minis & morte prohibuit.Platina. De eodem sic scribit Tertullianus in Apologetico:Tiberius, cuius tẽpore nomen Christianum in seculum introiuit, annunciatã sibi *ex* Syria Palæstina quæ ueritatem Christi diuinitatis detulit ad senatum, cũ prærogatiua suffragij sui. Senatus quia nõ ipsis probauerat, *respuit:* Cæsar in sententia mansit, cõminatus periculum accusatoribus Christianorum.

Caius Imp.statuam suam in templo Hierosolymitano ponendam per Petronium Syriæ præfectum curauerat. At cùm Iudæi tam obstinatis animis repugnarent, ut se potiùs omnes mortem oppetituros, quàm tale dedecus admissuros profiterentur, agrosq; etiã, quasi de excidio iam certi, incultos negligerent: PETRONIVS gentis constantia animaduersa, & Caij impietatem detestatus, uel suo magno cum periculo se legatos ad Caium misturum pollicitus est. Id quod etiam præstitit tam fideliter, ut certissimum uitæ periculum adiuturus fuerit apud Cæsarem, si superstes mansisset. Iosephus lib. 18.c.11.

NERVA Imp.omnes, qui *impietatis in deos rei* à Domitiano in exilium fuerant relegati (Christiani scilicet) absolui uoluit, & Domitiani decreta abrogauit. Ergo & Ioannes Apostolus Ephesum ad suam rediit Ecclesiam. Eusebius lib. 3.c. 21.& Dion Cassius.

Traianus certior factus à Plinio II. Bithyniam in temporis obtinente, nihil mali in Christianis quotidie ad supplicium tractis reperiri, iussit, ut non inquirerentur: uerùm oblati punirentur. Polyd.lib.8.c.7.de Rerum inuent.

HADRIANVS ex animo Christianis fauit, sed occultè. Quin & molitum ferunt, ut Christus pro Deo reciperetur, tẽpliq; in eum usum erexisse; deterritum tamen fuisse cõsilio quorundam, qui affirmabant fore, ut cultus omnis deorum periret, si id fieret, quod de Christo cogitabat. Lud.Viues in li. 18.August.de Ciu.Dei, c.52.

ALEXANDER Seuerus Imp. superstitionis hostis persæpè poetæ Persij carmen usurpans, Dicite pontifices, in templo quid facit aurum? cùm Christiani publicum quendam locũ oranди gratia occupassent, contrà autem caupones quidam gentiles suum esse contenderent: Alexander, respondit, Satius esse in eo loco Deum coli, quàm cauponas exerceri. Lampridius.

RELIGIONIS FALSÆ OBDIVM, EVERSIO.

Ex Tit. Magistri religionis Coactione & Armis, nõ pauca huc transferenda. Item ex Tit. Templorum & Idolorum destructorum. Hoc Religionis in genere, illic διαθέσεως in specie habetur ratio. Item ex Tit. Constantiæ religiosæ, quatenus ad alienam se traduci non patitur religionem.

Idololatriam impugnare.

CONSTANTINVS Magnus an.331.lege edixit, ne simulacris sacrificarent, ne uaticinia scisciterentur, ne statuas erigerẽt, ne sacrificia occulta facerẽt, ne ciuitates monomachiis polluerent. Eusebius lib.4.de uita Constantini. Templa idolorũ claudi iussit, l.1. Cod.de paganis & sacrificis: eaq; accedere & sacrificare capitali pœna uetuit. Theodoretus lib.5.c.20. & Sozomenus libro 1.cap.8. Ac multis in locis idolorum tẽpla destrui curauit: & pœna capitali edixit, ne quis gentilis, aruspex, aut sacerdos limen alterius accedat. l. nullus aruspex. Item uetuit, ne quis aruspicem, aut mathematicũ, aut ariolum consulat. l. nemo aruspicem. Et ne quis dæmones inuocet, uel imagines cereas incantet. l. multi magicis. Co. de maleficis & mathematicis. Et turpes gentilium consuetudines abrogauit.

VALENTINIANVS I. Imp. idolorum cultum in Europa supressit. Theodoretus lib.5.c.20. Et unà cum Valente, ne quis artem magicam disceret interdixit. l. Culpa similis. Cod.de maleficis & mathematicis.

GEORGIVS episcopus Alexandrinus prohibuit, ne gentes sacrificarent, & patria festa celebrarent: militesq; & ducem Aegypti armata manu in ciuitatem introduxit, & imagines & anathemata & ornatum templorũ abstulit. Sozomenus lib.4.c.30.& lib.5.c.7.

IVSTINIANVS Magnus imperij sui initio, persequutionem Græcæ religionis instituit, cũq; multos procerum labe Ariana uitiatos deprehenderet, bonis eorũ publicandis, & supplicijs irrogandis magnum aliis terrorem incussit: lege etiã lata, ut nemo nisi orthodoxus Remp.gereret. Cedrenus.

VALDEMARVS Daniæ rex, opera ducũ Pomeranię & principis Obotritorũ, deuicta terra Rugianorũ, simulacrũ illud antiquissimũ Zuanteuit, cõtriuit, destruxit fanũ cũ omni religione sua, & ærarium locuples diripuit. Præcepit etiã ut discederent ab errorib. suis, in quibus nati fuerant, & assumerent cultũ Dei ueri. Dedit præterea sumtus in ædificia ecclesiarũ, & erectæ sunt duodecim ecclesiæ in terra Rugianorũ, & constituti sunt sacerdotes, qui gererent populi curã in his quæ Dei sunt. Helmoldus lib.1.c.12.de Sclauis.

Superstitionem.

Mathematici & arioli prædixerant HERACLIO Imp. & eius imperio magnũ imminere periculum à circumciso populo. Ideo quicunq; Iudæorum toto suo imperio fuĕre, inuitos Christiano nomini adiunxit. Quod & Dagobertus & Sisebutus, eius precibus fecerunt. Et quidẽ SISEBVTVS rex Visigothorũ in Hispania Hebræos regni sui coẽgit Christũ agnoscere. Baptizata ad XC millia, teste Io. Magno in historia Sueonũ lib.16.c.14. Eorũ tamẽ aliquot millia in Galliam effugerunt, iunctiq; ueterib. suæ sententiæ incolis ingẽti numero cõspiciebantur. Turpe uidebatur DAGOBERTO regi Fráco, à Visigothis electos religionis nostrę hostes indomitos, finibus suis receptos diutiùs retinere, ac Visigothis religione cedere. Igitur diẽ præstituit, intra quã quicũq; mortalium religionẽ nostrã nõ profiterentur, hostes iudicarentur, cõprehensiq; capite luerent. Plures Iudęorũ exiliũ pietati antetulêre, reliqui Christiani effecti incolumes manserę. Hoc ueræ religioni datũ, non Heraclij Imp. gratiæ (ut Regino lib.1.& Annonius lib.4.c.22. uolunt) qui à circumcisis magnum Reip. Christianæ periculũ impendere per legatos monuerat. Aemilius lib.1. constanter asserit. [redacted] Cùm enim militibus stipendiũ daretur, querenturq; Saraceni stipendio se fraudari: tum is cui id negotium fuerat iniunctũ, Vix, inquit, est, quod Græco & Romano militi detur, & hæc canũ turba tam impudenter efflagitat stipendiũ? Qua uoce Saraceni ira accensi, in Syriã fecêsse re, Damascum occupauere: pòst Aegyptũ ingressi, subacta Arabia, in Persiam irrupere, & Persis uictis latissimè Mahometi legem circumtulerunt, captis etiã Hierosolymis. Quod præuidens Heraclius, priùs Dominicam crucem Byzãtium reduxit. Cuspinianus.

Hæresim.

Ex Tit. Hæreticorum, huc exempla Persecutorum hæreseon.

Pestiferũ Arij dogma, quod sub Cõstantino altas radices agere ceperat, sub eius filio Cõstantio latissimè propagatũ, Iuliani Apostatę tyrãnide consopitũ, IOVINIANVS, qui Iuliano successit, iam inde à principio orthodoxus, oppressisset, & uerã de Deo Homousianorũ sententiam propagasset, nisi morte immatura præuentus fuisset. Par studiũ VALENTINIANVS I. in Occidente adhibuit, Valente fratre, qui Orientem regebat, Ariano existente. Patri Valentiniano successit GRATIANVS & VALENTINIANVS II. qui cùm ipsi de Deo piè sentirent, suis quoq; subditis orthodoxos præfecêre pastores; & religionis puritate, quantum in ipsis fuit, conseruarunt, ne penitùs à barbaris, Hunnis, Gothis, Vandalis, uti imperium Rom. sic & orthodoxa pietas euerteretur. Socrates, Sozomenus, Theodoretus.

IVSTINVS senior Imperator, Arianam pestem abolere uolens, omnes antistites eius sectæ ex toto Orientali imperio eiicere cepit. Eam rem molestè ferens Theodericus rex Gothorum in Italia (quem alij Dieterichũ de Berna nominant) sese omnibus uiribus Iustino opposuit. Sabellicus libro secundo, Enn.8.

An.402.in Africa concilio MILEVITANO noua Britannici Pelagij hæresis refutata est: qui Celestio & Iuliano adiutorib. prædicabat, unumquenq; ad iustitiam uoluntate propria regi, tantũq; accipere gratiæ, quantũ meruit: quia Adæ peccãtum ipsum solùm læserit, nec posteros eius obstrinxerit: uolentes omni posse uacare peccato, omnesque paruulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationẽ fuit: eos baptizãdos esse, nõ ut peccato exuantur, sed sacramento adoptionis honorentur. Et his decretis S. etiam Augustinus episcopus Hipponensis subscripsit. Sigonius libro 10. Imp. occid.

CONSTANTINVS Pogonatus Imper. studuit unire ecclesias, quę ob Monothelitarũ hęresim, iam inde à proauo suo Heraclio diffidebant. Indixit itaque concilium Constantinopoli, quod in ordine sextum est: ac cùm in eo decretum fuisset, duas uoluntates, & duas actiones in Christo credendas esse: anathematizatis hæreticis, Ecclesiæ ab errore liberatæ sunt, & plurimi ad ueram mentem redierunt. Acta Concilij tomo 2.

CLODOVEVS Francorum rex, Alarico Visigothorum regi bellum intulit. Illati prætextus fuit, quòd Visigothi Ariani essent. Ex Burdegala Vasconiæ Alaricus cum exercitu profectus, hostem ad se uenientem in Pictauis excepit: fuitq; id prælium atrox, & aliquandiu anceps. Ad postremum Alarico cadente, Visigothi fusi cæsiq; sunt, & prima quidem pugna post Christianam fidem conditam, feliciter depugnata est. Exercuit Clodoueus crudeliter uictoriam in Arianos, diripuitque Burdegalam, & Arianarum urbium præcipuos. Sabellicus lib.2. En.8.

Anno Iustiniani decimoquinto, cùm CLOTHARIVS & CHILDEBERTVS fratres, Francorum reges, eductis in cãpum copiis signa collaturi essent, Crotochildis mater eorũ, pia & prudens femina, in medium progressa, utrosque sibi inuicem reconciliauit: & suasit, ut Hispaniam cum exercitu inuaderent, & Vestgothos Arianos aut ad fidem orthodoxã traducerent, aut regno expellerent. Eius consilio obtemperantes, Cæsaraugustam obsidere, & facta deditione, oppidanos iuramento adstrinxere ad orthodoxam religionem. Robertus Gaguinus lib. 1. de gestis Francorum: & Sabellicus lib.3.Enn.8.

CAROLVS IV. Imp Vrbani V. iussu perniciosam & superstitiosam Flagellatorum sectam, quæ iam totam penè Alemãniam obruerat, armata manu, aliorum Principum auxilio, compescuit & eiecit. Cuspinianus.

EFFICIENTEM. RELIGIOSI, PII homines.

QVI, QVALES. Tum

Populi.

IVDÆI distincti sunt à cæteris gentibus, cùm in omnibus fere rebus, quæ ad uiuendi ritum pertinent: tum maximè, quòd aliorum deos, omnes negligũt, & soli Deo unico amplissimos & maximos honores tribuunt. Simulacrum Hierosolymis nunquam habuerunt: sed ei Deo, cuius nomen non dici posse, quemq́ue forma uacare arbitrabantur, magnificè præter cæteros homines, religioseq́ue seruiebant. Dion Nicæus in Pompeio, & Iosephus libro decimoquarto, cap.1.Antiquit.

Patriarchæ.

In ciuitate impiorum Babylonica enumeranda, Sacra scriptura uicissim ciuitatis piorum à SEMO propagationẽ recenset, filios eius enumerans, qui singuli gentes singulas procrearunt: inter quos primus est Heber, abnepos Semi, in cuius familia remansit lingua sancta, diuisis per alias linguas cæteris gentibus: quæ lingua priùs humano generi non imeritò creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebręa est est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio: sicut aliæ quoque uocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quã humana lingua, uel humana locutio uocabatur, qua sola uniuersum genus humanum loquebatur. Augustinus libro 16.de Ciu.Dei, c.11.

Trecẽtos & sexaginta quinq; annos uixit ENOCHVS, & ambulasse cum Deo dicitur, atq; ob id non apparuisse, quia tulit eum Deus. Dignus quippe uisus, qui tamdiu corpus suũ ab immunditia custodierat, ut cum corpore simul transferretur ad paradisum. Marulus lib.5.c.8.

NOE cum Deo ambulasse fertur, iustus perfectúsque fuisse, gratiamq́ue inuenisse: & tamen quingentorum iam annorum erat, quando cepit ædificare arcam: sexcentorum, quãdo perfecit: nongentorum & quinquaginta, quando uita defunctus est. Tam diutina innocentiæ, fidei, spei obseruatione, meruit solus cum coniuge, liberisq; & nuribus, mundo pereunte, saluari. Idem.

ABRAHAMVS centum septuagintaquinq; uixit annos, ISAACVS centum octoginta, IACOBVS centum quadraginta septem, omnes tam Deo chari gratiq́ue, ut eorum Deus dici uoluerit, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Nobis iisdem in uirtutibus perseuerandi facultas tantò quidem datur maior, quantò uita breuior. Marulus libro quinto, capite octauo.

Sacri homines.

Ex Titulo, Ecclesiastarum & Monachorum hic plurima.

Hierosolymis habitabat SIMEON, homo iustus, timens Deum, & expectans consolationem Israel: cui Spiritus sanctus promiserat, non moriturum priusquam Christum Domini uidisset. Hic Christo dum circumciditur superueniens, in manus accepit puerum, benedixit, & præclarum illud, Nunc dimittis, fideli ore protulit. Lucæ 2.

ZACHARIAS sacerdos, & Elizabetha uxor, parentes Ioannis Baptistæ, incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Lucæ cap.1.

IACOBVS minor, primus Hierosolymorum episcopus, frater Domini, atque eiusdem Apostolus, à Iudæis Christianisque simul eodem Iusti cognomine honestatus fuit. Fulgosus lib.8.cap.16.

Fuit quidam diebus nostris (inquit D.Gregorius homilia 35. in Euangelia) STEPHANVS nomine, pater monasterij iuxta Reatinæ urbis mœnia constituti: uir ualde sanctus, uirtute patientiæ singularis: & supersunt multi, qui illum nouerũt, eiusque uel uitam, uel obitum narrãt. Erat autem huius lingua rustica, sed docta uita. Hic pro amore cœlestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientię in eo uehementer excreuerat, ita ut cum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumẽliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quàm adiutores æstimabat. Hunc cùm dies mortis egredi de corpore urgeret, conuenerunt multi, ut tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti, suas animas commendarent. Cumq; circa lectum illius hi, qui conuenerunt, omnes assisterent: alij corporeis oculis ingredientes angelos uiderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt: alij omnino nihil uiderunt: sed omnes, qui aderant, ita uehemẽtissimus timor perculit, ut nullus egrediente illa sancta anima illic stare potuerit. Et hi ergo, qui uiderant, & hi qui omnino *nihil* uiderant, uno *omnes timore* perculsi & *territi* fugerunt, nullusq; illic assistere illo moriente potuit. Pensate ergo, fratres, omnipotens Deus qualiter terreat, quando districtus iudex uenturus est, si sic assistentes terruit, quando gratus & remunerans uenit: aut qualiter timeri potest, cùm uideri potuit, si sic mentes præsentium strauit & quando uideri non potuit.

IVO natione Brito, sub Carolo IV. Imp. præter doctrinam & singularem eloquentiam, mira etiam pietate, celeberrimus Romæ habitus est. Angelica fuit continentia, [redacted] & uitã suã à uino & ab esu carniũ omninò conseruauit intactã, corpus cilicio operuit: iciuniis, uigiliis & orationibus, disciplinas plusquã monasticas adiungebat: nudam pro cubili terram luteã, rigidum saxum pro ceruicali: sacræ Bibliæ uolumen, quod indefinenter portabat, capiti aptabat: suamq; omnem cum pauperibus, quos procurando defensitabat, conuersationẽ duxit humilimam. Patrimonium amplum cùm haberet, eo pauperum & orphanorum & uiduarum causas protexit, omnium procuratorum & aduocatorum unica meritò lucerna. Vita functus, quum crebris fulgeret miraculis, inter sanctos aggregatus est. Eius festum VI. Kal. Septembr. peragitur. Cranzius lib.9.Metrop.c.34.

Reges, Principes.

IOSAPHATVS Asæ F. Iudæorum rex, pius & religiosus fuit, & propterea à Domino pace diuturna, diuitiis amplissimis, exercitu numerosissimo dotatus, regno præfuit annis 25. 2.Paralip.17.

EZECHIAS Iudęorum rex. Achazi regis impij F. sanctissimus fuit, neq; ullus ex omnibus Iudææ regibus uel secutus est, uel præcessit, qui cum eo sit comparandus. 4.Reg.18.

Extremum regnum duarum tribuum, quę uocabantur Iuda & Beniamin, sub IOSIA fuisse nulli dubium est. Illo enim interfecto, filij eius, qui postea regnauerunt, & nepotes, non tã regnasse credendi sunt, quàm ludibrio habiti fuisse, ab Aegyptio rege & Chaldęis uariis captiuitatibus mortibusque cruciati. Quia igitur populus poterat se excusare in regib. malis & dicere: Nos uolumus seruire Deo, sed prohibemur à regibus. datus est illis rex iustus: quo zelante & populo nihilominùs in idolorũ perseuerãte, iusta iræ causa profertur à Domino, & prophetatur de euersione Hierusalẽ & captiuitate Iuda & uictori à Nabucodonosor. Hier. in c.1. Sophon.

AGRIPPA Iudæorũ rex, patriæ rituum seruator religiosissimus, purus à contaminamentis omnibus, cui nulla dies præteribat sine sacrificio. Iosephus lib.19.c.7.Antiq.

CONSTANTINVS Magnus uir magni animi,& uirtutis eximiæ fuit,atque inter omnes Imperatores hoc uno nomine maximè memorabilis,quòd primus ex Imperatoribus non solùm Christum amplexus sit,sed Christianos etiam Imperatores reliquerit. Quòd si Augustũ iure admiramur,quòd eo regnante ad unum Imperatorem unumq; Deum omniũ terrenarum cœlestiumq; rerum summa redacta sit,multò iustiore studio ipsum suscipere Constantinum debemus, cui Deus concessit,ut tam religionem, quàm Imperium gentiũ constitueri. Eius mortis nuncia stella crinita fuit, quæ per multos ante dies clarissimè fulsit. Sigonius libro quarto Imp. occid.

THEODOSIVS posterior aui sui & nomen & pietatem referens,instituit aulam suam ueluti scholam, in qua ad pietatẽ se suosque exercuit, habens ordine distributa tempora lectionum,psalmorum,ieiuniorum,imò & uigiliarum. Nam frequenter noctu sacrarum literarum lectioni uacasse scribitur:in quem usum opus quoddam αὐτόματον habuit, lucernam sua sponte oleum infundentem. Cum ecclesiæ ministris crebrò congressus,de sacris Scripturis conferebat. Inprimis uerò in ipso commendatur studium, quòd adhibuit in instruenda bibliotheca sacrorum librorum,eorundemq; interpretum: qua laude non inferior fuit Aegyptiorum rege Ptolemæo.Socrates libro 7.cap.22.Theodoretus lib. 5.c. 36.Nicephorus lib.14.c.3. Ieiuniis ac orationib. corpus macerabat:diluculò ad sorores suas uirgines Flacillam,Martinam & Pulceriam pergens (quarum Flacilla cœnobio extructo,Deo se suamq; uirginitatem perpetuò dicarat) cũ iis diuinas laudes personabat.

MARTIANVS,qui Theodosio iuniori successit, fuit studiosissimus pietatis & iustitiæ:& quod omniũ maximè laudandum in principe Christiano, cùm incidisset in Reipublicæ statum turbulentissimum, partim propter palantes barbaros,partim propter Eutychetis hæresin, uniuersalem illam synodum Chalcedone Bithyniæ congregari curauit,ubi ipse etiam actionibus non aliter atque olim Magnus Cõstantinus interfuit.Euagrius libro secundo,cap.4.& 8. Nicephorus libro 5. cap.7.

ANASTASIVS Arthemius, Philippico in ordinem redacto, imperium occupauit: uir tam in sermonibus cunctis affabilis,quàm in operibus iustus & apertus. Conciliorum decreta probauit,literasque Constantino Pontifici misit, quibus se acerrimum orthodoxæ fidei propugnatorem fore pollicitus est. Ioannem patriarcham Constantinopolitanum,hominem peruersi in fide sensus,submouit.

TIBERIVS Excubitorũ comes sub Iustino II.ob pietatem erga Deum & liberalitatẽ erga pauperes in tanta fuit gratia, ut à Iustino Imp.successor declararetur.

LEO V. piissimus Imperator filius Basilij Macedonis Imp.uiuente patre Cæsar creatus, postquam Constantinus maior natu ante patrem discessit. Philosophus(quòd literis,ac potissimùm Astronomiæ esset deditus) cognominatus fuit. Cuspinianus.

AGILVLFVS per annos XXV.regno Longobardorum potitus,homo cùm bellica laude,tum Christiana fide egregiè culta insignis.Hic enim primus inter suos Catholicam doctrinam suasu Theodelindæ uxoris probauit, atq; ecclesiis & monasteriis priuilegiis honestissimis,ac possessionib.fructuosiss. exornatis, successores suos honesto exẽplo ad sui imitationem accendit.Sigonius lib.2.reg.Ital.

LVITPRANDVS Longobardorum rex,primus omnium regum intra palatium suum oratoriũ S. Saluatoris cõstruxit: ubi & sacerdotes & clericos multos instituit,qui die noctuque exoluerent diuina officia. Bergomensis libro 10. & Sigonius lib.3 regni Ital.

SISSEBVTA Gothorum rex,uerum Dei cultum mirifica pietate prosequutus est.Ritius Neapolitanus lib.1.de Hispanorum regibus.

CINDASVINDVS rex Gothorum,per annos decem Ecclesiam & Remp.in summa tranquillitate rexit.Io.Magnus lib. 16.c.20.hist.Goth.

CLODOVEVS Francorum rex,Alarico Vestgothorum regi in Gallia ob Arianam hæresim,sed & regni ampliandi cupidine,bellum facturus, cùm episcopos Aurelianum conuenire iussisset,literis eos monuit, se exercitui suo, antequàm in agrum Gothorum ingrediatur,edixisse,ut sanctimonialibus,uiduis Deo dicatis, & clericis, atq; ecclesiarum mancipiis parceret,neque ullum eis detrimentum inferret: si quẽ eorum quis cepisset, statim dimitteret.Cùm per agrum Turonensem transiret, uerecundia S.Martini perfusus,militib. suis præcepit,ne quidquam ex eo,nisi panem & aquam assumerent:non leui defuncturum pœna, qui hoc imperium detrectasset. Itaque cùm miles quidam fœnum pauperi extorsisset,pectus ei gladio hausit, subiiciens: Ecqua spes uictoriæ suberit,si S. Martini numen offenditur? Sigonius libro 6. Imp. occid.

Religionis diuinæ plurima CAROLO Magno fuit cura: psallendi legendique officia in Ecclesia discreuit: ipse se choris psallentium immiscuit:coram se,ubicunque esset, diuinum peragi religiosè curauit officium ac ministerium:sermones patrum,homelias sanctorum,nec minùs Martyrologia, diligenter inquiri atq; conscribi iussit. Vrspergensis, & Cranzius in Saxonia lib.2.c.9.

LVDOVICVS Pius cognomẽto dictus,quòd religioni Christianæ,cuius fuit studiosissimus,multum detulit: & summis Pontificibus,maximum exhibuerit honorem.Cusp.

CAROLVS Crassus regnum Germaniæ, mox imperium Italiæ ac Franciæ assequutus,totus religioni deditus,Deo omnia sua accepta tulit.Idem.

ROBERTVS Francorum rex, literas ingeniaque, ac omnes bonas artes summo in precio habuit, in templis frequens, numinis reuerentissimus,liberalibus studiis sacrisque disciplinis deditus,priscæ sanctitatis æmulus. Antiphona sacraque responsa quædam edidit iudicio Ecclesiæ uniuersæ probata, receptaque. Eius illa sunt:Sancti Spiritus adsit nobis gratia.O constantia Martyrum. O Iuda.Ferunt,cùm Aualonem obsideret, nullo oppugnante quassantéue, sed in tabernaculo hymnum, Agnus Dei,concinente,sua sponte magnam muroru partem corruisse, uelut diuinitùs, ipsis superis ueneratori suo gratiam præsentem referentibus. Aemilius libro 3. & Martinus Polonus, & Ranulphus libro sexto Polychronici.

Priscus erat Regum GALLORVM mos, quẽ S.Ludouicus à puero optimè obseruauit, ut Rex è lecto surgens in genua procideret, ueniam peccatorum postulans, Deo gratias agens de nocturna sui custodia, & orans, ut porrò in sancta hac custodia pergat.Hoc facto, ex Bibliis, dum se uestiebat Rex,legebatur.Bodinus lib.3.Dæmon.c.1.

EDGARVS Angliæ rex,præcipuè pietatem coluit, uirosque magnæ doctrinæ,sanctitatis, integritatis atque prudentiæ, in suum domesticum delegit consilium, illosque tantùm populo Christiano præesse uoluit.Polydorus:Verg.libro 6. Ang.hist.

CONVALLO apud Scotos regnante, mirũ in modum Christi floruit religio,cunctis penè sese in regios mores (qui optimi erant)transformantibus.Fama tantæ in Rege religionis,sanctissimum Columbam ab Hibernia,ubi haud paucis patrum cœnobiis præerat, cum piorum cœtu pertraxit in Albionem.Is in Hebrides primùm,inde in Hiberniã rediẽs, rogatus Hermathiæ, Quæ'nam uidisset in Albione miracula?Vnum omnium instar, respondit: regem uidelicet Conuallum,in mediis constitutum deliciis,cuiq; multo plura essent ad malum quã ad uirtutem incitamenta, cum sacerdotibus,monachis & uenerandis episcopis de uitæ sanctimonia contendentem. Cuius probata uirtus cunctis suæ gentis adeò esset reuerenda, ut ipsi nec aliis esse iniurij, nec de rege ipso hiscere sinistri quippiam auderent.Vnde effectum sit, ut plus spectata in rege uirtus ferocem populum à solitis flagitiis domesticisque seditionibus, in quas natura procliues essent, quàm eiusdẽ auctoritas, coërceret. H.Boëthius libro 9.

OSVALDVS Northumbriæ rex, impij Ethelfredi F. sanctissimus fuit.A Donecualdo Scotorum rege Aidanum episcopũ impetrauit,cuius opera populus in religione instituеretur. Cui cùm in munere sacro obeundo plurimũ obesset Saxonicæ linguæ ignorantia,eoq; minùs à populo intelligeretur:rex Osualdus,ex proximo suggestu, quæ patria lingua dixisset Aidanus,Saxonicè interpretabatur. Sciebat.n. Scoticè iuxta atq; Saxonicè:quarum alteram linguam domi,alteram exul apud Scotos didicerat.Itaq; ad Christi pietatem amplexandã populum mouit, non tam reuerendi antistitis Aidani religiosa ac cõtinuata cõcio: quã regis Osualdi, in multitudine ritè imbuenda,pius ac feruens labor. Septem perpetuis diebus mortaliũ ampliùs quàm quindecim millia sacro fonte abluta fuerũt:quorum haud pauci,uitæ fortunæq; rebus contemtis,sacræ doctrinæ ac orationi addicti,in uitam abierunt solitariam. Idem Osualdus à Penda Merciorum rege regnandi libidine concito cæsus,miraculorum claritate aliquot post annos insignis, in diuorũ numerum relatus est.H.Boëthius lib.9.

HENRICVS VII.Imp.sæpè totas noctes ante imaginẽ Crucifixi(quam semper secũ circumferebat) orauit, & peccata defleuit.Solitus aliquando sacrã Eucharistiam quotidiè,aliquando in summis festis accipere. Florentinorũ astu à monacho Dominicano,qui sub unguibus uenenum habuerat, & eo calicem & hostiam infecerat,necatus dicitur.

CAROLVS IV.Imp.pietatẽ à prima statim pueritia sectatus est tanto studio, ut primus Cęsarum nonnulla Euangelia etiam scripto interpretatus sit.Dubrauius lib.22.

ALBERTVS IV.dux Austriæ, non erubescebat publicè cum sacerdotibus & psallere & cantare,solenniaque sacra quàm deuotissimè concelebrare. Quod impij & scelerati homines illi uitio uertebant, adserentes eum monachum, non principem esse. Cuspinianus in Alberto II.

BOLESLAVS Pius,in Boëmorum regno patri Boleslao Sęuo successit,qui XX templa à fundamentis excitauit, singulaq; sacerdotiis,censu & agris donauit. Dubrauius lib.5.

VENCESLAVS IV. Boemorum rex, nullum diem transire patiebatur, quo non diuina sacrificia cum sacerdote celebraret,tali animi feruore, ut nullius interpellatione preces suas interrumperet, ac sæpiùs cùm domum orationis primus ingrederetur,ultimus egrederetur.Duos uerò ante matrimonium cũ Iuditha Rodolfi Cæsaris F.contractum continuos annos,cilicium,quod castigandi corporis gratia induerat,non exuit. At ieiunium qua cepit abstinentia etiam maritus perpetuò seruauit.Proindeq; pietati eius datum ui detur,quòd coniuratio Zauissiana ipso Ieiunij tempore detecta fuit,& oppressa.Dubrauius lib.18.

ALFONSVS IIX. Castellæ rex, multis locis Maurorum occupatis,eorum Regibus occisis,trecentas ecclesias ædificauit, & magnis reditibus dotauit: princeps Christianissimus, & in rebus,quæ diuinum cultum augere uidebantur, tam liberalis,quàm feruens & pius. Tarapha de regib. Hispan.

FERDINANDVS Catholicus Hispaniæ rex, non priùs cibũ sumebat,quã uel episcopus uel alius sacerdos mẽsam & ea quæ sibi apponebantur benedixisset, & in fine Deo gratias egisset. Nec comedit unquam,ne in itinere quidem, quin rem diuinam priùs audiuisset.Marineus libro uigesimoprimo rerum Hispan.

ALFONSVS senior,Alfonsi iunioris Calabriæ ducis auus,omnes ætatis suæ multorumq; antè seculorum reges superauit studio ueræ religionis.Eum certè ritus Christianos ac solennes ceremonias tanto cultu obseruasse certum est, ut ne ab ipsis quidem pontificibus in hoc uinceretur. Pontanus de Principis institutione.

ALFONSVS Congensis rex Aethiopum, fuit in scelerib. uindicandis acer, & in egentium inopia subleuanda benignus, in regni opibus stabiliendis industrius,in moribus atque uita continens,in religionis studio sanctus,atque tam insigni pietate præditus,ut cœlum semper intueri uideretur. Siue enim ius diceret,siue cum populo ageret, siue belli consiliũ, siue pacis iniret, semper Deum in oculis & conspectu proponebat,omniaque ad illius gloriam reuocabat.Literarum ludos aperiri iussit,magistros magna mercede conduxit, ut pueros non literis tantũ,sed multo etiam studio pietatis imbuerent.Ipse uerò tempus, quod sibi à negotio publico uacaret,in literis consumebat.Euangeliorum sententias innumerabiles, & prophetarum oracula in ore semper habuit. Nam & lectione perpetua multum in sanctarum literarum studio profecerat,& quęcunque à sacerdotibus audierat,in illius memoria penitùs infixa permanebant. Frequentes ad populum conciones habuit, quibus illum ad pietatem & religionem ardenter incitabat.Regem Lusitaniæ Emmanuelem tanta fide coluit,ut sæpè diceret, se nullam esse de rebus humanis uoluptatem percepturum, antequam in Lusitaniam ueniret,ut ad Emmanuelis pedes prouolutus,illi se totum addiceret. Quòd enim cœlesti luce frueretur, quòd uerum Deum coleret, quòd ad immortalem uitam aspiraret, id totum esse Emmanueli Regi clarissimo atque sanctissimo acceptum referendum.Osorius lib.10.rerum Em.

Duces.

Non prætermisit IOSVA Israelitarum dux de uniuersis mandatis Domini,ne uerbum unum.Iosuæ 11.

NARSES eunuchus,Italia singulari Dei beneficio post annũ ferme centesimum sexagesimum liberata, animum ad eam instaurandam,atque à superioribus calamitatibus subleuãdam conuertit,præcipuè ne Belisario uideretur inferior,qui ei studio, quoad per hostes bellumq; licuerat, diligentissimè inseruierat,magnamq; ex ea relaudem retulerat. Fuit enim,ut inquit Paulus,uir summa pietate ornatus,religione catholicus,erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligẽs,ac demum uigiliis & precibus usqueadeò deditus, ut plures uictorias supplicationibus diuinis,quàm terroribus bellicis,obtinuerit.Euagrius lib. 4. cap.24. Procopius libro 3. de bello Gothico,eundem omnem rerum successum, omnemque belli felicitatem uni Deo,cum summa reuerentia,acceptam retulisse: & milites in aciem progressuros ad similem pietatem hortatum esse,scribit. Addit Bergomensis in Supplemento Chronicorum lib. 9. eum ob beneficia à Venetis accepta, in ea urbe Theodoro martyri delubrum, ubi nunc est celeberrimum sancti Marci templum, & alterũ Mennæ & Geminiano, ex Gothorum manubiis posuisse.

CABAONES dux Maurorum circa Tripolim,postquam Vandalos bellum aduersus se mouere audiuit,primùm subditis suis præcepit,ut ab omni iniquitate & cibo, qui ad delicias faceret,abstinerent,omniumque maximè à mulierum consuetudine.Et binis castris positis,in alteris quidem ipse cum uiris in armis fuit,in alteris mulieres inclusit;mortis supplicium minatus,si quis feminarũ uallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit,cum mãdatis,si quid impij à Vandalis in Christianorum templis perpetrati uiderent,ut.illi spectarent, & postea, cùm Vandali discessissent, illud restituerent. Ac subiecit,se quidem Deum,quem Christiani colerent, ignorare: consentaneum uerò sibi uideri,siquidem (quod diceretur)fortis potensque esset, ut contemtores sui numinis puniret,cultores tueretur. Exploratores postquam uenerunt Carthaginem, uiderunt belli apparatũ ingentem.Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos & iumenta introduci,lasciuiam & libidinem exerceri,sacerdotes plagis affici, & alia multa impia & horrenda à Vandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum tẽpla repurgarunt, sacerdotes coluerunt, & eleemosynas in pauperes largè distribuerunt.Tandem facto conflictu,Vandali ad unum omnes sunt trucidati, & Maurusij uictoriam reportarunt. Euagrius libro 4.capite 15. Nicephorus libro decimoseptimo,cap.11.

MAGNVS Sforcia Deum optimum, diuosque omnes sincerè potiùs,[redacted],coluit:[redacted],quum necesse foret bella gerenti cuncta rapinis,cædibus ac incendiis permiscere: neq; uel infanda scelera posse puniri,corrupta iam militari disciplina.Qua in re ducem belli,præfectumque à seueritate urbani prætoris plurimum differre oporteret. Sed palàm earum rerum agnoscebat culpam, & ueniam secretò precabatur:quotidiana sacra audire:aut si instante negotio impediretur,postridie ea repetere, & quotannis pio pœnitentique animo expiare sese, maximeque sacramenti hostiam ritè suscipere solitus. Id uerò demùm probi & uerecundi ducis esse prædicabat,honestiorem belli causam sequi, inuiolata templa prestare,in captiuis pudicitiam tueri:nunquam abuti sanguine militum, aut hostium cæde lætari. Iouius in eius uita.

Priuati quiuis.

Sanctus & mirabilis uir IOB,nec indigena,nec proselytus, id est,aduena populi Israël fuit:sed ex gente Idumęa genus ducens, ex terra Huz, quam Ausitidem alij uocant, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui diuino sic laudatur eloquio, ut quod ad iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora eius quamuis non inueniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro sui merito Israelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse, quàm Israelem.Diuinitùs autem prouisum fuisse,non dubito,ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse,qui secundum Deum uixerunt,eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Quod nemini cõcessum fuisse, credendum est, nisi cui diuinitùs reuelatus est unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui uenturus in carne sic antiquis sanctis prænunciabatur,quemadmodum nobis uenisse nunciatus est.D.August.lib.18.de Ciuit.Dei,c.47.Aristæus in Iudaica historia, Iob etiam filiũ fuisse refert Esau, habitasseq; in Idumæa, & Arabiæ finibus, iustitia & diuitiis præcipuum, tentatumque diuinitùs magnis calamitatibus, ac cætera ordine, ut nos in sacris legimus libris. Viues ibidem.

AMINADABVS Beniamita tantæ fuit pietatis,ut cùm Cariathiarimẽses arcam Domini à Palęstinis captã, & remissam Bethsamen,Bethsamensibus per legatos petentibus,sustulissent,Gabaam in domum Aminadabi eam intulerint,eiusque filium Eleazarum ad eam custodiendam consecrarint. Eoq; in loco per 20.annos mansit,donec eam Dauid rex in ciuitatem suam intulit. 1.Reg.7.

Mulieres.

☞ *Vide Titulum,Monacharum.*

ANNA Phanuelis filia(ut Lucas tradit) annos septem uixerat cum uiro: quo defuncto, ad quartum usque ad octogesimum ætatis suæ annum uidua permansit, semper castitatem seruans, nunquam de templo discedens, nocte ac die ieiuniis obsecrationibusque intenta.Hac perpetua pij propositi obseruatione digna euasit, quæ Spiritu sancto afflaretur,& multa prædiceret:immo quæ illum,quem prophetæ uenturum prædixerant,præsentem cerneret, & ipsum esse mundi saluatorem palàm confiteretur. Marulus libro quinto,cap.8.

Sub Mauricio Imp.Longobardi multis malis Ecclesiam affecère.Verùm Gregorius Pontifex per THEODELINDAM Agilulphi regis Longobardi coniũgem piissimam, multis precibus & literis tandem pacem Ecclesiæ impetrauit:& nõ solùm fœdere utrinq; inito Longobardorũ furores repressit,sed ipsum regem quoque idololatram ad Christi fidem conuertit.Paulus Diaconus libro 4. de gestis Longobardorum,cap.2.& seq.

Cellula MATHILDIS (quæ secundi Othonis mater fuit) omni nocte diuinorum carminum melodia replebatur. Erat enim templo contigua: de qua omnibus noctibus consurgens, intrabat ecclesiam: cantoribus & cantatricibus nihilominùs intra cellulam, ac pre foribus, Deũ laudantibus, constitutis. Ipsa intra ecclesiam uigiliis & orationibus dedita, Missarum expectabat solennia. Domesticos omnes famulos & ancillas uariis artibus ac literis quoq; instituit. Vitichindus lib.3. gestorum Saxonum.

Gormo Danorum rex, Christianorum hostis summus, uxorẽ habuit THIRAM, Edelredi Anglorum regis F. pietate insignem, quæ in obsequio infidelis mariti consenuit, neq; uel exemplo uel blanditiis eũ ad Christũ pellicere potuit. Cranzius lib.4. Daniæ, cap.18.

HEDVIGIS, Ludouici Hungariæ & Poloniæ regis F. Vladislai Iagellonis, Poloniæ regis, uxor, tempus omne suum uel diuino cultui, uel lectioni eorum, quæ ad pietatem morésque formandos pertinerent, uel deniq; audiendis & leuandis uiduarum, pupillorum, & aliorum miserabilium hominum querimoniis impertiebat. Facultates uerò suas, quas amplissimas è paterna domo secum adduxerat, liberaliter in usus egentium, in cultum diuinum, & in publicas utilitates expendit. Cromerus lib.1.

QVOMODO AFFECTI, HABITI.
PVTA

In Morte. Mors pia, religiosa.

Vide Tit. Reuelatio beatitudinis alienæ, quatenus piè morientium exempla continent.

Sentiens PAVLA Romana adesse mortem, & frigẽte alia parte corporis atq; membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare, & nihilominùs quasi ad suos pergeret, alienosq; desereret, illos uersiculos susurrabat: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et, Elegi abiecta esse in domo Dei mei magis, quã habitare in tabernaculis peccatorum. Cumq; à D. Hieronymo interrogaretur, Cur taceret, cur nollet respõdere, an doleret aliquid? Græco sermone respõdit, Nihil habere se molestiæ, sed omnia quieta & tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, usq; ad expirationem animæ, eosdem repetebat uersiculos: digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem: animaq; erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium uita finitur, in laudes Domini conuertebat. Aderant Hierosolymorum & aliarum urbium episcopi, & sacerdotum inferiores gradus, ac Leuitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium, uirginum & monachorum chori repleuerant. Statimq; ut audiuit sponsum uocantem: Surge, ueni proxima mea, speciosa mea, columba mea: quoniã ecce hyems transiit & recessit, *pluuia abiit. illi læta respondit:* Flores uisi sunt in terra, tempus sectionis aduenit. &, Credo uidere bona domini in terra uiuentium. Hieron. in Epitaphio eius.

IOANNES Aragonum rex, senex, febre confectus, dum perceptis ritè sacramentis à sacerdotibus, euangelicam lectionem, qua Christi cruciatus referuntur, & pœnitentiarũ psalmos recitantibus, aures præbet attentiores, subitò languore concidit, adeò ut clausis iam luminibus & manibus frigidis efflasse animam crederetur. Verùm mox respirans, & reclusis oculis omnes, qui aderant, aspiciẽs, O uanas, inquit, hominum cogitationes! O miseros omnes, qui ad principatus aspirant, qui diuitias, opes, & nimios honores affectãt! O felicem pauperum conditionem, & illorum securam uitam atq; beatam, qui panem comedunt cum sudore sui uultus, qui uiuunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorũ contulerunt? Quid? labores scilicet magnos & multa corporis & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquos uidere bonos. O me miserum & infelicem, qui tam serò fallacem mundum cognosco! qui uitam certè uixissem multò meliorem, si non rex, sed pauperis agri cultor fuissem. Hæc magno cum animi dolore ferebat, ALPHONSI fratris secutus exemplũ, qui Neapoli olim moriens, eadem protulisse uerba memoratur. Cæterũ cùm hęc dixisset, imaginem Christi crucifixi defixis oculis intuens: O piẽtissime redemtor, inquit, parce mihi indignissimo seruo tuo, miserere mei clementissime Iesũ, & à peccatis meis auerte faciem tuam, non meis meritis, Domine, quæ nulla sunt, sed illa tua ineffabili pietate & infinita misericordia motus, qua homines à morte redimere per crucem tuam uoluisti. Hæc locutus, uoce iam deficiente, Christi patibulũ sæpiùs osculatus expirauit, anno MCCCCLXXIX. Barcinonæ. *Marineus lib.18. rerum Hisp.*

ALFONSVS Albuquercius, Indiæ prætor bellicosiss. morti proximus, cùm multa mente recoleret, tum uerò locum Ioannis, quo Christi cruciatus exponit, sibi crebrò legi faciebat, crebrisq; gemitib. & aliis eiusmodi signis, se ea lectione mirum in modum recreari demonstrabat. Cùm orationem Goæ legeret, famulum celoce celeriter inuehi præcepit, qui ex urbe sacerdotem, quo plurimùm fuerat in rebus diuinis usus, euocaret. Is ubi uenit, totam cum eo noctem in rebus, quæ ad sempiternam uitam pertinebant, attentissima cogitatione pertractandis consumsit: & sic ante lucem ex ergastulo corporis emigrauit, anno MDXV. Osorius lib.10. rerum Emmanuelis.

FINEM. VEL

PROPRIVM.

Vti uirtus per se colitur, quia honesta: sic Religio per se, quia uera, sancta.

ALIENVM.

Hic ferè in iis, qui Religionem alienam approbant, laudant, defendunt. Nam qui Religionem simulant, inter Hypocritas connumerandi sunt.

ACCIDENTIA COMITANTIA.
Huc pertinet

ALACRITAS.

Ex loco Martyrum huc exempla quædam.

EDESSANA mulier paupercula filiolum manu trahẽs, ad martyrium sub Valente properabat. Vide sub Tit. Amor religiosus erga homines, Defendendo, Intercedendo.

CONSTANTIA IN PIETATE.

Sub loco, Conseruatio religionis per Mortem, per Tormenta, Carceres, Exilia, exempla Martyrum proposuimus: quæ ipsa respectu Constantiæ huc quoque accommodari poterunt. Item sub loco Confessionis apertæ.

Sicut per aquarum diluuium una domus Noë remansit ad reparandum genus humanum: sic in diluuio multarum superstitionum per uniuersum mundum una remãsit domus THARÆ patris Abrahami patriarchæ, in qua custodita est plantatio ciuitatis Dei. Augustinus libro decimosexto, de Ciuit. Dei, cap.12.

MOSES nunquã potuit adduci, ut uel in Aegypto immolaturus Domino remaneret, uel paruulos aut iumenta populi Pharaoni dimitteret. Exod.8.9.10.

TOBIAS Nephthalensis, cùm reliqui populares eius uitulis aureis sacrificarent, ipse ter quotannis Hierosolymam profectus, primitias, decumas & primogenita sacerdotibus offerebat: tum alteras tertiasq; decumas peregrinis, pupillis & uiduis. Translatus inde & abductus Niniuen à Salmanassare Assyriorum rege, cæteris Israelitis polluentibus se cibo extraneorum, solus ex legis præscripto uixit. Ob hanc constantiam Dominus ei gratiam concessit apud Salmanassarem, quoad uixit, ita etiam ut decem argenti talentis ab eo donatus fuerit. Tobiæ 1.

HANANEEL & NATHAN, duo Solomithi maioris filij, Nephthalenses, cum Tobia seniore quotannis Hierosolymam ascendebant, ut Deo opt. max. sacrificarent, neq; unquã ad peregrinos deos desciuerũt. Hananeelis filius fuit Azarias, cui sese assimilauit Raphael angelus, quando Tobiã iuniorem in Mediam duxit & reduxit. *Tobiæ 6.*

CORNELIVS dixit beato Petro, Omnes in conspectu tuo sumus, parati audire omnia quæcũq; tibi præcepta sunt à Domino. Actorum 10.

DIONYSIVS martyr Romæ passus sub Diocletiano, fustib. prælumbatus, deinde in equuleo suspensus, & uirgis cæsus, admotis etiam lampadibus miserabiliter ustulatus, pro eiulatu clamorem edebat, quo se Christianum esse asseueraret. Etsi millies, inquit, occidi possem, Dominum meum Iesum confiteri non cessarem. Marulus lib.5. c.5.

SEXTO anno Valeriani, & Galieni, VICTOR & VICTORINVS, qui per trienniũ cum Claudiano & Bossa uxore eius tormentis multis affecti fuerant, in carcerẽ coniecti, uitę cursum compleuerunt. Henricus de Erfordia, *ex Isuardo.*

IOVINIANVS, item fratres duo VALENTINIANVS & VALENS, Tribuni militum sub Iuliano Apostata, Christianam religionem apertè *professi, ab impio tyranno* ille ab officio deiectus, hi in exilium relegati: mortuo Iuliano, Iouinianus primùm, eoque extincto, Valentinianus & Valens imperium sunt adepti. Theodoretus libro tertio, capite 16. Sozomenus lib.6. c.6.

Sub Hunerico rege Vandalorũ, Antonius Arianus episcopus, cùm HABETDEVM episcopũ orthodoxum nulla suppliciorum magnitudine adducere posset, ut ad Arianismum diuerteret, obstructo ore, ligatisque manibus ac pedibus, in rebaptisationis balneum ui immersit: ac ei postea persuadere conabatur, quòd hac lotione suæ hæreseos consors esset factus. Verùm ille constanti confessione hoc ipsum strenuè pernegabat, inquiens: O' impiè Antoni, non est hęc ad mortem damnatio, ubi uoluntatis non accedit assensus. Ego fidei meæ tenacissimus, quæ credo & credidi, uoce sum confessus, & clamãdo defendi. Sed & posteaquam catenis uinxisti, & ore obstructo loquendi facultatem ademisti, intra pectoris mei penetralia arcanam fidei meæ confessionem, & tuæ istius in me uiolentiæ gesta, Seruatori meo legenda transmisi, angelis mihi quoq; subscribentibus. Victor.

Constantius Imp. neq; promissis neq; minis adducere MARTINVM I. Pontificem Max. potuit, ut Monothelitanam hęresin confirmaret. Qui cùm neq; ab Olympio exarcho positis eius uitæ insidiis flecteretur, & tandem à Theodoro Calliopa Exarcho captus esset, maluit in exilio, amisso cum patria etiam Pontificatu, emori, quàm de hæresi illa iustũ mutare propositum. Fulg. lib.3. cap.8. & Egnat. lib.3. cap.7.

Auxentius Mediolani episcopus ob Arrianismum dignitate exutus fuerat à Concilio Rom. eiq; AMBROSIVS populari suffragio suffectus an.369. Tredecim pòst annis Auxẽtius Mercurini nomine sibi indito, Iustinæ Augustæ Valentiniani II. uxoris accitu in urbem rediit pro recuperanda ecclesia, quam amiserat. Valentinianus, Ambrosium per tribunũ uocauit, & coram se in Consistorio adesse præcepit, ut cum Auxentio de fide disputaret, se præsente, & iis iudicibus, quos uterq; legisset: eo nimirum consilio, ut Ambrosio ecclesia egresso, Auxentium restitueret. Qua re animaduersa, Ambrosius eò adire noluit, ne ecclesiã Arrianus reciperet: uerùm non conuenire respondit, ut de fide coram iudice laico, & quidem adhuc catechumeno, extra ecclesiam agerẽtur. Qua uoce Valẽtianus permotus, ipsum palam basilicã Portiana, quæ extra urbem erat, cedere, & quò uellet, abire mandauit. Ambrosius uerò à clero populoq; magna animorum alacritate defensus, se urbe exiturum, aut ecclesia, quæ Dei esset, cessurum negauit. Hinc Valentinianus ira feruidus armatos milites ad basilicam occupandam immisit. Verùm populo illam custodiẽte, atq; Ambrosium protegente, nihil profecit: tumultus tamen magni periculi, & fœdioris exempli fuit. Dum Ambrosius in his angustiis uersabatur, epistolam ad Valentinianum ex basilica misit, in qua factum consiliumq; suum probare contendit. Pater tuus (inter cætera inquit) uir maturioris æui dicebat: Non est meũ iudicare episcopos. Tua nunc dicit clemẽtia: Ego debeo iudicare. Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse *iudicij: clementia tua, cui adhuc emerenda* baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudiciũ, cùm fidei sacramenta non norit: Veniant planè, si qui sunt, ad ecclesiã: audiant cum populo, non ut quisquam iudex resideat, sed unusquisq; de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius ecclesiæ sacerdote: si audierit illũ populus, & putauerit meliùs disputare, sequatur fidem eius, non inuidebo. Post paucos dies Valentinianus rursus à matre percitus, insanire, ac noua æstuare expellendi Ambrosij libidine cœpit. Itaq; comitibus consistorianis missis, mandauit, ut basilicam nouam, quæ erat in urbe, sibi traderet. Cui respondit Ambrosius, templum Dei tradi à sacerdote non posse. Comites & tribuni Ambrosium adeunt, ac *basilicam properè* sibi tradi poscunt, Imperatorem iure suo uti dicentes, quòd in potestate eius omnia forent. Quibus respõdit Ambrosius, Si Imperator à me peteret, quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, non recusabo: quanquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt: uerùm quæ Dei sunt, Imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, inuadite: si corpus, accurrite: uultis in uincula ducere, uultis ad necem? ludus est: non ego me uallabo stipatione populorũ, nec altaria tenebo, uitã deprecans, sed pro altaribus uictimã me prębebo. Valentinianus tandem constantia hominis permotus, milites basilicam relinquere iussit, & multas exactas negotiatoribus reddi. Qua re populus exultauit (erat autem is dies, quo se pro nobis *Christus in cruce tradidit*, atq; in ecclesia pœnitentia relaxatur) ac milites accedentes ad altaria, osculis pacis insigne significarunt. Valentinianus tamen iram posuisse non est uisus: siquidem, cùm Comites eum obsecrarent, ut prodiret ad ecclesiam, idq; se rogatu militum facere dicerent, respondit: Si uobis mandarit Ambrosius, uinctũ me tradetis. Quam uocem qui audiuerunt, omnes cohorruerunt. Quin etiam Calligonus præpositus cubiculi Ambrosium sic appellauit: Tu, me uiuo, Valentinianum contẽnis? ego tibi caput abscindam. Cui Ambrosius: Deus permittat tibi, ut impleas, quod conaris: ego enim patiar, quod episcopi, tu facies, quod spadones. Hæc de seipso memoriæ cõmendauit Ambrosius. Sigonius lib.9. Imp. occid.

D. AVGVSTINVS adolescens etiamnum theatrici carminis certamen initurus erat. Aruspex certam uictoriam pollicebatur, si data mercede sua opera dæmones placaret. At ille respõdit, Ne quidẽ si aurea fuerit corona, eam diaboli ope operáue acquirere uelim. Testis ipsemet in Cõfessionib.

Gensericus Vandalorum rex, Carthagine capta, in Siciliã cum classe transgressus, omnia, in quæ incidit, uastare more Vandalico instituit. Qua re percepta, Valentinianus III. SEBASTIANVM ex Hispania in Africam iussit traiicere, ut si nihil aliud, saltem Gensericum ex Sicilia ad Africæ defensionem retraheret: neq; irritum eius consilium fuit. Gensericus in Africam regressus, cùm Sebastianum amici magis quàm hostis partes agentem uideret, ipsum per fraudem occidit. Etenim, præsentibus multis, ut inquit Victor, episcopis, ac familiaribus suis, Sebastiane, inquit, scio te mihi fidelẽ esse: sed, ut perpetua hæc inter nos sit amicitia, ut eadem mecũ religione te obliges, oro. Cui Sebastianus respondit, Fac ut panis afferatur. Eo uerò prolato, Quemadmodum panis hic, inquit, ut ad tãtum honorem ascenderet, aquæ & ignis beneficio consequutus est: sic ego aqua sancti baptismatis, & igne spiritus sancti ad decus hominis Christiani perueni. Quòd si effeceris, ut panis hic contritus, iterumq; mollitus, atq; recoctus melior euadat, tum ipse faciam, quod hortaris. Quo Gensericus responso confusus, uocem nullam emisit: at postea, excogitato alius generis argumento, hominẽ rei militaris peritissimum sustulit. Sigon. lib.12. Imp. occid.

IOANNES papa à Theoderico Ostrogothorum rege Ariano in uincula coniectus, in quibus tandem expirauit, prolixa & pia epistola omnes Italiæ episcopos ad iampridẽ damnatæ & explosæ ex Ecclesia Dei Arianæ hæresis fugam & execrationem sedulò hortatus est: grauissimè, eos monens, ne Theoderici regis minis (qui corpus duntaxat occidere, animam uerò necare non possit) se à ueritate auelli patiantur, sed ut fortiter gladio spiritus Arianam hæresin oppugnent, & radicitus extirpare laborent. Ex tomo primo Conciliorum libro I.

AGAPETVS I. Pontifex à Theodato rege Gothorum Constantinopolim missus, cùm pacem impetrasset ab Imperatore, tentatur ut Eutychianam opinionem confirmaret. Verùm cùm Iustinianus ab ea re hominem sanctissimum abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum Agapetus, Ego, inquit, ad Iustinianum Christianissimum principem uenire optaui: sed Diocletianum inueni, quẽ Christianorum hostem fuisse constat. Platina.

Eusebius eunuchus à Constantio Imp. Arriano, Romam cum literis & muneribus missus, Liberium Pp. primùm mitibus uerbis hortatus est, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arrianis communionem iniret: deinde oblatis donis rogare cœpit, ut hanc Constantio ueniam daret. Liberius facere se posse negauit, ut eum damnaret, qui à duobus Cõciliis insons iudicatus, & à Romana ecclesia cum pace dimissus fuisset. Quòd si Constantius scripta pro Athanasio deleri uellet, etiam quæ aduersus eum essent, obrueret. ac rursus Ecclesiæ cõuentus longè à Palatio haberetur, in quo neq; Imperator, neq; Comes, neq; Iudex minabundus assisteret, sed sola apostolorum institutio seruaretur: ac fide ex Niceni Concilij sententia constituta Arriani eiicerentur: neque enim locum in conuentu Ecclesiæ hæreticis patere, neque fas esse, priùs de criminibus alicuius, quàm de fide, & religione, tractari. Eunuchus, minis multis editis, cum muneribus abiit, eaq; in S. Petri basilica consecrauit. Liberius æditũ grauiter, quòd impedimentũ non attulisset, increpuit, atq; in basilicam profectus, dona illa, tanquam execranda, proiecit. Hac libertate offensus Imp. eum in Berœã Thraciæ relegauit. Sigonius lib.6. Imp. occid. De eo sic Theodoretus lib.2. cap.16. Liberius à Constantio in synodo Mediolanense nec precibus nec minis adduci potuit, ut Arianorũ dogmati subscriberet. Eum igitur perseuerantem in sententia, Imp. iussit relegari Berœam in Thracia, abeuntiq; misit solidos quingentos in sumtus. Liberius illi qui attulerat: Abi, inquit, redde Imperatori: opus enim his est militibus ipsius. Regina misit ei totidem, quos & ipsos iussit referri ad Imperatorem: His enim opus ille habet, inquiens. *Si opus his non habet, det Auxentio & Epicteto, quibus opus est.* Detulit alios ei Eusebius eunuchus. Cui Liberius: Deuastatis ecclesiis orbis terrarum, nũc mihi eleemosynam offers, ut condemnato? Quin tu abi, & Christianus prius efficere.

CONSTANTINVS Patriarcha Constãtinopolitanus, à Cõstantino V. Imp. ut Manganorum hæresi assentiretur, apud quos in honore idololatriam haberi sciebat, nunquam ut id facere uellet, adduci potuit. Plagis à sæuo Imperatore cæsus item in custodia habitus, ac tandem morte affectus, nũquam sententiã mutare uoluit. Fulg. l.3. c.8. & Egnat. l.3. c.7.

CONCERTATIO. TVM

Amica.

Caritate inter se contenderunt apud Antiochiam THEODORA uirgo, & quidam MILES. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: miles ignotus eam

primus adiens, persuadet, ut mutatis secum indumentis uirili habitu euadens, uirginitatem intactam conseruet. Cūq; ipse cum muliebri uestę deprehensus pro uirgine ad supplicium traheretur: non sustinuit illa, ut cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret: palàm proclamat, Se esse ei pœnæ addictam, non ipsum: econtrà ille, Imò se iudicis sententia damnatum, non illam. Diu certarunt, uterq; alterum sua morte redimere cupientes. At uerò quoniam Christum confirentibus morti uiuere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione gloriosum martyrium peregerunt: ne eos tyranni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. Marul. lib. 3. cap. 2.

TRANQVILLINVS martyr sub Diocletiano cùm audisset Zoen uxorem Nicostrati pro Christo neci datā: exclamans, Indignum facinus esse, ut feminæ uiros ad subeundum martyrium præcederent: in medium prorupit, & palàm se Christianum confessus, lapidibus obrutus fuit. Marul. li. 5. cap. 5.

Laudat Ambrosius, in Exhortatione ad uirgines, martyria AGRICOLÆ & VITALIS: quos sub Diocletiano & Maximino Bononiæ passos alij scripserunt. Seruus Agricolæ Vitalis fuit. Agricola autem cum eo de martyrio pactus, præmisit eum, ut se ad martyrium offerret. Incidit ille in Christianorum persecutores: qui, ut Christum neget, cogere eum tentant. Recusantem uerò, omni genere tormentorum exercent, adeò ut sine uulnere nulla pars corporis esset. Vitalis inter medios cruciatus, cùm se Deo breui oratiõe primùm commendasset, extinguitur. Postea Agricolam inuadunt, cuius uirtutem ipsi etiam hostes admirantes, passionem differunt. At moram martyrij Agricola molestè ferens, & tortores prouocans, cruci adfixus est.

Inimica.

Vide Tit. Religionis defensio. Item Tit. Martyrum. quatenus pietate sua impietatem persecutorum confundunt.

CONVERSATIO RELIGIOSA CVM PIIS.

Cogimur interdum cum malis & improbis conuersari, interdum ipsorum illorum conuersationem experimur. Priore quidem modo necessitate compulsi illos sustinemus, ita tamen, ne in aliquam impietatem incidamus. Posteriore uerò, illos uel uerbo uel facto ad sanitatem reducere conamur. Nisi medicus inter ægros uersatur, nunquam finem suum assequetur. Nisi miles cum hoste congrediatur, nunquam fortitudinis suæ præmium uictoriam obtinebit. Opus est hic tamen Christiana prudentia, quæ impietatis crimen simul & inhumanitatis euitare docet. Multi enim plus satis superstitiosi in fugiendo idololatrarum consortio, & caritatis fraternæ penitus obliuiscuntur, & superbè nimis de aliena salute desperant.

Quamuis scriptum sit, Omnis caro corruperat uiam suam: tamen dixit Dominus ad NOACHVM, Te uidi iustum corã me in generatione hac. Gen. 6. 7.

LOTHVS iustus habitauit in medio Sodomitarum nequissimorum. Gen. 13. 19.

Apparuit Dominus MOSI in terra Madianitarum, cùm oues soceri sui Iethro pasceret in deserto. Exod. 1.

SAMVEL Elcanæ & Annæ F. cùm Silunte in templo Domino ministraret, quamuis Phinees & Ophnis, Elis summi sacerdotis filij nequissimi essent, & rapinis simul & stupris templum Domini profanarent: non tamen illorum improbitate corrumpi potuit, sed in cultu diuino assiduus, propheta clarissimus euasit. 1. Reg. 2.

IOBVS gentilis fuit, ab Esau descendens: eundem tamen constat fide mirabiliter claruisse. De seipso dicit: Frater fui draconum, & socius struthionum. Iob 1. & 30.

Dixit Dominꝰ EZECHIELI: Tu fili hominis, ne timeas eos, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ezech. 2.

HIEREMIAS propheta erat cum populis qui remanserant in Iudæa post destructionē Hierusalē, qui pro ipsis orabat, & ipsis uoluntatē Domini mõstrabat. Illi uerò dicebãt: Mẽdacium tu loqueris, nõ te misit Dominus, sed Baruch incitat te aduersus nos, ut tradat nos in manꝰ Chaldæorũ. Ierem. 42.

TOBIAS Nephthalensis cùm in patria adhuc esset, reliquis suis popularibus uitulos aureos adorantibus ipse Hierosolymam statis temporibus ad sacrificandum ibat. Abductus deinde captiuus Niniuem à Salmanassare Assyriorum rege, cæteris Israelitis polluentibus se cibis extraneorum, ipse solus ex legis præscripto uixit. Tob. cap. 1.

DANIEL, ANANIAS, AZARIAS, MISAEL, habitauerunt cum Chaldæis idololatris, qui eos ad idololatriam frustra à cultu ueri Dei retrahere laborauerunt. Daniel is 3. 6. & 14.

CHRISTVS cùm peccatoribus & publicanis conuersatur, Luc. 15. Pharisæis reprehendentibus, parabolam illis recẽset centum ouium: item filij prodigi. Zachæum publicanorum principem de sycomoro descendere iubet, se apud illum diuersaturum. Murmurabant cæteri, quòd apud peccatorem diuertisset. Hoc hospite Zachæus ad meliorem mentem redit. Lucæ 19. Cum Samaritana muliere, licèt impudica, ad puteum colloqui non dedignatus est. In urbem ingressus, duobus illic diebus commoratus, multos ad ueram religionem conuertit. Ioan. 4.

PHILIPPENSES commendat Apostolus, dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ lucetis sicut luminaria in mundo. Philip. 2.

Ne PETRVS Apostolus cum ethnicis conuersari renueret, [redacted], uisione ueli è cœlo demissi diuinitus admonitus est. Actorum 10.

ACCIDENTIA CONSEQVENTIA. Pietatis, Religionis fructus

DIGNVS.

Ex Tit. Preces exauditæ, item Poenitentia. item Martyrum, ea exempla, quæ manifestum Dei auxilium inuictum habuere.

Scriptura eleemosynam Hebraica appellat Iusticiam, & pro eo quod est, Dare eleemosynam, ait, Date iustitiã, quia hæc præ cæteris ex improbo iustum facit. Quò pertinet illud Scripturæ, Eleemosyna liberat à morte, Tobiæ 12. & alibi: Hilarem datorem diligit Deus. & Psalmo 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum, ubi uox Hebraicè significat eleemosynam, quã LXX. Iustitiam sunt interpretati. Hoc consilio Daniel suadebat Regi Nabucodonozori, ut animam suam redimeret eleemosynis. & alibi dicitur, Non tam citò frigida ignem extinguit, quàm peccata extinguit eleemosyna. Bodin. l. 3. c. 1. Dæmonomaniæ.

Deo inter Angelos (in quibus aderat Satanas, uelut effector iudiciorum eius) roganti, an quisquam esset integrior IOBO, & qui plus timore Dei ageretur? respondit Satanas, Immeritò foret alter, cùm protegas eum, & uelut præalto muro circummunias ipsum, familiam, pecora, domos, & quicquid ipsius est, adeò ut attingi non possint: sed si uel tantillum ab eo discesseris, te momento petet blasphemiis. Tum permisit Deus calumniatori Satanæ ut uires suas in omnia quæ habebat Iobus, præterquàm in ipsum, exerceret: momẽtoq; Satanas cum euertit rebus omnibus, nec paulatim sed uno impetu, omnibus primùm sublatis facultatibus (quam uis orientalium esset locupletiss.) singulas ædes deturbãs, liberos, familiãq;, & pecora perdens, ut eum statim perfunderet, solam ei uxorem, capitalem eius aduersariam, relinquens ad uexandum & indicandum eum. A quibus omnibus incommodis Iob immotus dixit, Nudus ueni, reuertar nudus: Deus bona mihi dederat & repetit, in omnibus laudetur Deus. Hac firma constantia consilioq; stabili prouocatus Satanas, quòd Deum laudaret in tantis calamitatibus, iterum cum coram Deo calumniatur dicẽs, Nihil esse quod homo non sit traditurus ad redemtionem uitæ suæ: si ergo Deo uideretur, ut affligeretur Iob corpore, cum breui nomen Dei blasphematurum esse. Tum permittente Deo ut Satanas potestatem suam in affligendo Iobo occuparet, modò ne uitam adimeret, statim illius corpus à uertice ad talos Satanas affecit apostematis & scabie fœtidissimã: neque tamen propterea, ut maximas fuderit querimonias, blasphemauit deum. Quamobrem Deus, animo ipsius & integritate cognita, incolumitatem, uires, alacritatem & duplum bonorum restituit ei, dedit septem filios & filias tres, & annos CXL. in uitam trãquillam & suauem largitus est. Digna historia consideratione: ex qua constat euidentissimè, non posse Satanam uires suas exercere, nisi quantum & quia permittit Deus: cui si semel habenas permiserit, mirabilia Satanæ effecta spectari.

ISRAELITAS pœnitentes quocunq; tempore sese pro sua misericordia denuò recepturum Dominus promittit. Leuit. 26. Deuteronomij 28.

IEHV rex Israelitarũ, cùm omnes qui de domo Achabi regierant, iussu Domini interfecisset, continuò audire meruit: Filij tui usq; ad quartã generationem sedebunt super thronũ Israel. Itaq; obedientiæ eius meritũ filiis etiã posteriss. eorum usui fuit. quartæ enim generationis huius extitit finis in Zacharia filio Hieroboami. Marul. lib. 4. cap. 3.

TOBIAS senior Niniue habitans, propter suam pietatem & religionis studium, preces assiduas & eleemosynas, à Domino à cæcitate liberatus fuit. Tobiam filium cum decem talentis argenti apud Gabelem olim depositis è Media petitis, & Sara Raguelis filia hominis locupletissimi unica in uxorem ducta, cum magna dote incolumem reuersum uidit. Hæc omnia precibus illius & pietati à Deo data esse, Rapha el angelus, qui omnium horum bonorum conciliator fuerat, affirmauit. Tobiæ 12.

CANA-

CANANEÆ mulieris ethnicæ filiam Christus à dæmonio liberauit, propter fidem matris admirabilem. Matthæi cap. 15. Marci 7.

HONORIVS Imp. cùm semper in Deum optimum maximũ speraret, ueræq; religionis studiosissimus esset, liberauit eũ Deus à multis in eum undiq; insurgentibus tyrannis. Sigebertus in Chronicis.

CERBONVM episcopum Populonij Totilas Gothorum rex, ob occultatos Romanorum milites, urso in circo obiecit. Verùm Deus bestiam illam prohibuit, ne quidquam ei noceret, sed deflexa ceruice, demissoq; capite, pedes eius lamberet. Gregorius Papa lib. 3. Dialog. c. 11.

TIBERIVS II. Imp. dum reuerentiæ causã crucem marmoream è pauimento auferri curat, sub ea thesaurum ingentẽ reperit. Sabellicus lib. 5. En. 8.

Vratislai Boemorum principis uidua Drahomira, mulier impia & scelesta, Christianissimi odio Ludmillam socrum interfecit, sacerdotes extra Pragam occidit, ossa sparsit. Biennio pòst eo ipso loco terra sponte dehiscẽs, uiuum Drahomirã, unà cũ curru, & qui simul uehebãtur, absorbuit. AVRIGA solo incolumi, qui ad aram iuxtà sitam (nunc non extat) equo desiliens accurrit, cum fortè tintinnabulum tinnire audiuisset, ut corpus Domini adoraret, execrãte illum Drahomira maledictis. Dubrauius lib. 5.

STENKELVS Sueciæ rex, iustitia & religione insignis, temporum promerutit suorum tranquillitatem: & in pace (quod rarum est, regibus præsertim Aquilonis) quieuit, circa annũ Christi plus minùs 1100. Cranzius lib. 5. Sueciæ, c. 12.

In CONSALVO Magno Duce clarissimo supra reliquarum uirtutum admirabilem concentum, ueræ pietatis specimen eminebat. Nihil enim ei erat antiquius, quàm in omni bellica ciuiliq; actione religionis decus omnibus commodis anteferre, templorum iura tueri, punire impios: & denique enixè dare operam, ut milites suo exemplo rerum omnium prouentus atq; uictorias ex disciplina Christiana expectan das existimarent. Neque enim dubium uideri debet, quin eum his moribus arma tractantem Deus Max. subleuãdum prouehendumq; susceperit: nullo quidem certiore miraculo, quàm quòd in multis & penè innumerabilibus præliis atq; periculis uersatum nemo eum unquam ceperit aut uulnerarit. Iouius in Consaluo.

INDIGNVS.

Hinc Martyrum exempla.

Beati IOB pietatis opera percensentur, dum ad eũ dicitur, Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, uacillãtes cõfirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti. Cur ergo pòst hæc ærumnis concutitur, calamitatibus premitur, ad extremã redigitur miseriã? Cur, nisi ut aurum igne probetur, ac is, qui prosperis in reb. semper cõtinentiss. fuerat, etiã aduersis eiusdẽ integritatis esse noscatur? Post probationẽ à malis liberatus duplicia recipit, temporale utiq; & æternum bonum: ne ignores multo maximam esse pietatis mercedẽ. Marul. lib. 3. c. 2.

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM DISPOSITIO.





Voluminis Decimisexti
Liber II.
DE CVLTV DEI.

DEI CVLTVS.

Deus unus, unicè colendus. Trinitati sacrosanctæ triplex cultus conuenit: Potentiæ Timor, Honor Sapientiæ (quæ τῶν τριῶν τιμιωτάτη est etiam in rebus externis) Bonitati Amor. & tamen uti trinus est idemq; unus, ita quælibet species diuini cultus reliquas duas sui complectitur ambitu. Quemadmodum autem uirtutum trium Christianarum Caritas excellentissima est, sic inter tres Cultus diuini species Amor diuinus præ Timore & Honore resplendet.

AMOR DEI.

DEVM toto corde, tota anima, totis uiribus iubemur diligere. Quod utiq; ita fit, ut sola erga eum dilectio omnes alias superet dilectiones. Super omnia enim amandus est auctor ipse omnium, atq; cõseruator. Nulla res unquam cordi nostro sic inhærere debet, ut eius causa ille, qui est causarũ causa, minùs honoretur, minùs colatur. Despiciantur opes, deserantur parentes, repudietur uxor, abiiciantur liberi, perferantur supplicia, uita ista effundatur: nihil deniq; uel non agendum, uel non sustinendum putetur, quod ab homine agi sustinericq; possit, dummodò soli pareatur Deo, soli semper deseruiatur. Marulus lib. 5. c. 1.

MA-

MACHABÆI septem fratres neq; ingentibus regis promissis corrupti sunt, neque minis territi. Ad perferenda fortiter supplicia MATER hortatrix aderat: & magis ipsa animo torquebatur, uerens, ne tormentis uicti, contra Dei legem aliquid agere inclinarentur. Sed & feliciter consumti, plus Deum quàm semetipsos diligendum, documento fuere, & mater sic amandos filios, ut eos quocunq; mortis genere affici maluerit, quàm peccare. Ac ne in se quàm in liberos indulgentiorem fuisse putes, quos ad necem præmiserat, continuò sequi uoluit. Et id quidem tanto lubentiùs, quanto iam de eorũ erga Deum fide magis fuit secura. Non supplicia reputabat: sed an Deum amarent, gloriosam experientiam: multaq; caritate ardens, probari tam se quàm filios pœnis acerbioribus gestiebat. Marul. lib. 5. cap. 1.

Dei caritas sanctos, non modò diuitiarum, dignitatumq; secularium atq; honorum, uerùm etiam lucis huius contemtores fecit. Nullis tyrannorum minis supplicissue absterreri potuerunt, ne nomen Dei ubiq; palàm prædicarent, atq; extollerent. PETRVS, ANDREAS, PHILIPPVS crucifigi non recusarunt: IACOBVS & PAVLVS capite truncari: IACOBVS alter de pinna templi deiici, & fullonis fuste mactari: IOANNES in bullientis olei dolium nudus demitti: THOMAS & MATTHÆVS lanceis confodi: STEPHANVS lapidibus obrui: MATHIAS securi percuti: SIMON & IVDAS irruenti sacrilegorum impetu elidi atque obteri: reliqui omnes discipuli diuersis tormentorum generibus absumi ac perimi. Quid post illos de tot millibus martyrum dicam? Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad Christum ascendere, cum illo iungi properabant. Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat, quoniam perfecta caritas foras mittit timorem. Vehementiores pœnas expetierunt, ut maioris amoris testimonium redderent. Sed nulla tam uehemens à persecutoribus excogitari potuit, ut æquaret patientium affectum, grauiora tolerare parati erant, quàm nouerat inferre rabies inimici, in ipsos debacchantis. Marulus libro 5. cap. 1.

PETRVS apostolus (cùm quibusdam ex discipulis durus ille sermo Domini uideretur, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis: ideoq; post sensum suum abeuntes, ab ipso desciuissent) reliquos duodecim interrogante Domino, An & ipsi abire uellent? pro omnibus respondit: Domine, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Et, Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus, filius Dei. In monte, cùm reliqui fulgentis Domini splendore stupefacti mutire non auderent, primus prorupit in uocem: Domine, bonum est nos hic esse. Si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, & Heliæ unum. Cur etiam sibi unum nõ poposcit? Quia eodem cum Iesu contubernio uti, cõsilium erat. Cùm Dominum audisset dicentem, Quò ego uado, uos non potestis uenire: solus percunctatur & interrogat, Domine quò uadis? & quare non possum te modò sequi? animam meam pro te ponam. Omnia quidem præsumere cogebat amor, sed imbecillitas non omnia potuit præstare. Iam ad supplicium raptum à lõgè sequitur: nec in atrium ingredi audet, sed foris ante ostium præstolatur, & ab aliis introductus accedit ad ignem, quoniam surrepente formidine frigescebat caritas. Denique interrogatus, se nosse illum negat: pro quo paulo antè ne uitæ quidem suæ parsurum, si res ita postulasset, dixerat. Cessit tunc sanè timori amor, ut pateret, quanta esset humana fragilitas, ubi auxilium subtrahitur diuinum. Sed etsi cessit, non tamen recessit. Rursum se ille colligens, cùm in ipsum respexisset Iesus, usq; adeò timuisse doluit, ut dolore mors leuior fuisset. Haud igitur minoris dilectionis testimonium præbuit uiuus, dũ crimen luget, quàm præbuisset mortuus, si Dominũ omnino non negasset. Post hæc prædicente Domino ea, quæ propediem Hierosolymis passurus esset, ait, Absit à te, Domine: imprudenter optando: sed error hic ex affectu prouenit caritatis. Increpatur ergo, ut ab errore resipiscat, non ut à caritate discedat, imò ut correctus perfectiùs diligat. Cùm piscationem facerent, Dominum ipsos de litore alloquentem prior agnouit Ioannes, sed ad eum prior uenit Petrus. Tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare: alij discipuli nauigio uenerunt: non enim longè erant à terra. Non patitur moras caritas. Iubente Domino afferri de piscibus quos ceperant, primus ascendisse dicitur, & traxisse rete in terram magnis piscibus plenum. Qui enim impensiùs amat, sollicitiùs paret: Et cùm tanti essent, inquit, non est scissum rete. Non enim rumpi nexus possunt, quos uerus innodauit amor: neq; uirtutum aceruus dissipari poterit, si in sinum congestus fuerit caritatis. Iterum, cùm nauigãtes discipuli Dominum super mare gradientem conspexissent, & ãn ipse esset ambigerẽt: Petrus reliquis feruentior, Domine, inquit, si tu es, iube me uenire super aquas. Annuente Domino, succinctus prosiliit, super undas cucurrit: mox crebrescentibus uentis, commotoque mari pauefactus, dubitauit: & cùm ob hanc animi hæsitationem mergi cepisset, clamasse dicitur, Domine, saluum me fac. Arguitur itaque, quia timuit: sed saluatur, quia eius ope etiam saluari posse credidit, cuius uirtute super mare incessit: ut dubitaret, fragilitas compulit: ut inuocaret, fides iussit: ut periculum euaderet, caritas impetrauit. Tunc quoque separari ab eo pertimuit, cùm ille discipulorum pedes lauans sibi obnixè renitenti minaretur, ac diceret: Nisi lauero te, non habebis partem mecum. Hoc ut audiuit, protinus se totum eius exponens uoluntati, respondit: Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput. Modò dixerat, Non lauabis mihi pedes in æternum: & tam citò mutauit sententiam, quàm citò illam Domino minùs placere intellexit. Vtrobique tamen summi amoris argumẽtum, cùm & reuerentiam præ se tulerit renuendo, & permittendo obsequij sollicitudinem. Cùm audisset, quòd unus ex discipulis conspiraturus esset aduersus Dominum suũ, & à Ioanne quæreret, quis ille esset? quo eum animo quæsisse crediderimus? nonne ipsum protinus membratim discerpendi, si cognouisset? quandoquidem nec armatorum cohortem timuit, unum ex illis gladio feriens, dum pro Domino, cui iam manus iniecerant, furibundus contemto uitæ periculo decertat: plures inuasurus, nisi Dominus inhibuisset. Tunc gladium uaginæ reddidit, cùm is, cui etiam ligato parendum erat, iussit. Post resurrectionem mortuum quoque ac sepultum quærere non cessauit. Cucurrit unà cum Ioanne ad monumentum, ut citiùs cæteris uideret illum, quem cæteris ardentiùs amabat. Præcurrit quidem Ioannes, sed antè introiuit in monumentum Petrus, corpore tardior, sed amore aliquanto feruentior. Ter interrogato, & ter respondenti, quòd ipsum amaret, oues suas ulterò cõmittit. Tertiò interrogatus Petrus contristatur, & ne quid ut antè imprudenter temereq; præsumserit dubitans, confidentiùs respondet: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Aliàs multum pollicitus tam nihil præstitit, ut etiam ueritatem abnegaret: modò nihil promittere ausus, tantum exhibuit, ut post persecutiones, uerbera, carcerem, cathenas, quas pertulit, etiam crucifigi pro nomine illius non recusarit. Hinc apparet, nihil eo esse imbecillius qui in se confidit, neque fortius qui in Deo. In Deo confidens Neronem contemsit, qui in se confidens expauerat ancillam. Marulus lib. 5. cap. 1.

D. PAVLVS, Gentium apostolus, Corinthios hortatur, dicẽs: Siue manducatis, siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et de iis qui Deum amant, ad Romanos ait: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum uocati sunt sancti. Et de iis qui negligunt, ad Corinthios: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema maranatha: quod Syrum esse aiunt, & sonare, Dominus uenit, ut sit sensus: Eum in aduentu iudicis à fidelium consortio separandum, qui à Christi caritate inuentus fuerit alienus. Marulus lib. 5. cap. 1.

De PAVLO apostolo in Actis legimus, cùm esset Tyri, ab Agabo propheta & à Spiritu sancto fuisse prædictum, quòd uincula tribulationesq; passurus Hierosolymis esset. Ipse tamẽ eodem spiritu confirmatus, illò proficisci nequaquam dubitauit: nihil supplicia ueritus, dum prædicat Iesum. Lugentibus discipulis, & magistrum indulgentissimum pariter ac doctissimum à proposito deterrentibus: Quid facitis, inquit, flentes & affligentes cor meum? ego autem nõ sòlùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Iuit, in insidias incidit, comprehenditur, ligatur, cæditur, torquetur. Roma ad Philippenses scribens: In omni fiducia, inquit, sicut semper & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortẽ. Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum. Et rursum: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, ut & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu. Ad Romanos Corintho scribens clamat, Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, & æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia potuit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Marulus lib. 5. cap. 1.

MARIA Magdalena, mundi dilectione in dilectionem Domini commutata, soli illi placere cupiens, uenit in domũ pha-

riſæi, ubi ipſe recubuerat: humiq; proſtrata, pedes eius oſculari cœpit, lacrymis rigare, capillo tergere, unguentis perfundere; & quoniam caritas operit multitudinem peccatorum, continuò de illa dictum eſt, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Iterum in domo Simonis leproſi eiuſdem Domini caput unxiſſe refertur unguento precioſo. Impetrata quippe delictorum uenia, altiùs promouetur: & quæ pedes unxerat, iam digna fit quæ ungat & caput. Iam ſepulto Domino; comparauit aromata, ante lucẽ ad monumentum uenit, & non inuento corpore recurrit ad diſcipulos: Tulerunt, inquit, Dominum de monumẽto, & neſcimus ubi poſuerunt eum. Ruſum reuertitur, identidemq; ſuperuacuum ſepulcrum inclinata proſpectat, perquirit, plorat, recedunt diſcipuli, permanet illa. Hac perſeuerantia tandem obtinuit, ut Domini à morte reſurgentis gloriam prima uideret, prima crederet, prima cæteris nunciaret. Marulus lib. 5. cap. 1.

TIMOR DEI.

Ex Tit. Obedientiæ religioſæ, huc transferenda exempla.

Interrogatus FRIDERICVS III. Imperator, Quínam ſibi cariſſimi eſſent? Qui me, inquit, non magis quàm Deum timent. Ioannes Petroſ. in Conuiual. quæſt.

HONOR ET VENERATIO DEI. Per

ADORATIONEM.

ALEXANDER Magnus oppugnaturus Hieroſolymas, ob negatum commeatum & auxiliares copias aduerſus Darium Perſarum regem, cùm ad urbem ueniens Iaddum ſummũ pontificem pontificali habitu indutum uidiſſet: recordatus uiſionis in Macedonia, qua ſimili habitu indutũ uiderat, exhortantem ſe ad expeditionem Perſicam, ideoq; religione motus, & Iudaico populo pepercit, & Hebræorum Deum adorauit, eiq; in templo Hieroſolymitano ſacrificauit. Sab. lib. 4. En. 4. ex Ioſephi lib. 11. cap. 8. Antiq.

HEBRÆI priſci docuerunt, certiſſimamque ἀπόδειξιν & indubitatam eſſe ſtatuerunt, nihil tãtoperè Deo acceptum eſſe, quàm laudes ipſius integro animo atq; hilari decantatas, quod ait Pſaltes Pſal. 33.

Recti labra decet ſummum laudare parentem:

nec exſtare quicquam abigendis ſpiritibus malignis tam aptum, aut potens cogendis: quod tamen non res creatæ, ſed laus Creatoris efficit. Bodinus lib. 3. Dæmon. cap. 6.

MAGI Bethlehemam ab Oriente uenerunt: & inuenientes puerum cum paupercula matre, humiliter adorauerunt, & myſticas ei munerum ſpecies obtulerunt. Matth. 2.

Admonitus TIBERIVS à Pilato de Chriſti morte ac dogmate, ad ſenatum retulit, cenſuitque Chriſtum in Deos referendum, ac templo honorandum. Fieri id non modò ſenatus uetuit, quòd non ad ſe priùs, ſed ad Tiberium ſcripſiſſet Pilatus: uerùm etiam pellendos urbe tota Chriſtianos cenſuit. Propoſita ſunt accuſatoribus præmia, quos Tiberius à tanto ſcelere minis & morte prohibuit. Tertullianus in Apologetico. Lampridius ſcribit ſtatuiſſe Alexãdrum Seuerum Imp. in larario ſuo inter domeſticos deos Chriſti ſimulacrum, habuiſſeque in animo illi templum erigere, atque inter deos recipere, quod facere multo priùs HADRIANVS cogitaſſet, qui urbibus pleriſque templa ſine ſimulacro ullo, aut dei cuiuſquam titulo excitari iuſſit, quæ poſt illius obitum, quia nulli eſſent deo ſacra, Adriani cœperunt nuncupari: ſed prohibitum eſſe Adrianum à deſtinata dedicatione aruſpicum reſponſis, qui ab eo conſulti dixiſſent futurum, ut omnes Chriſtiani fierent, cæteraq; templa cultu deſtituerentur. Sab. lib. 6. En. 7.

HYMNOS.

Pſalmũ, Hæc eſt illa dies quam fecit Dominus, in Palæſtina adeò uſitatum fuiſſe ſuo tempore ſcribit D. Hieron. in Epiſtolis, ut etiam RVSTICI cum ad ſtiuam concinerent.

GALENVS XX. libros, quos de Vſu partium corporis humani ſcripſit, poſtquam admirabilia ſecreta quæ in eis ſunt, retexerat, hoc dicto terminat, Videmur nobis elegantem honoris cantum in Dei laudem ceciniſſe. meliusq; SENECA reprehendens eos qui aiunt, Hoc aut illud natura fecit, Tu naturæ (inquit) Deo nomen mutas: quanto pulcrius ſi dixeris, Deus hoc aut illud fecit? Bodinus libro 1. Dæmonomaniæ, capite 5.

HVMILIATIONEM.

Eximiè commendatur à Domino fides CENTVRIONIS, qui dixit: Domine, non ſum dignus: quòd tantam fidem nec in Iſraele quidem uniuerſo repererit. Matth. 8. Lucæ 7.

CLEMENTIAM.

IOANNES Gualbertus, Florentinus eques, cùm ex agro in urbem magno hominum numero comitante rediret, eique fortè obuius eſſet is, à quo haud multo antè frater, quem ſolum habebat, fuerat occiſus, neque diuertere poſſet: iã gladium ut fraternam necem ulciſceretur, ſtrinxerat. Sed cùm humi proſtratus fraternæ necis auctor, ut ſibi ob Chriſti crucifixi reuerentiam parceretur oraret: ſingulari modeſtia Ioannes iram compeſcuit, atq; illum gladiumq; quem ulciſcendæ iniuriæ gratia ſtrinxerat, in templum, quod primum offendit, deduxit, & crucifixi ſtatuæ utrunque præſentauit. Fulg. lib. 4. cap. 1. & Polyd. lib. 7. cap. 7. de Inuent. rerum.

OFFICIVM QVODLIBETCVNQVE.

NICODEMVS princeps Iudæorum crucifixo Domino, uenit ad ſepeliendum eum, portans centum libras unguenti precioſi. Ioan. 19.

IOSEPHVS nobilis decurio ab Arimathia, diſcipulus Ieſu occultus, propter metum Iudæorum, audacter intrauit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu ad ſepulturam. Mar. 15.

DEVOTIONEM, VOTVM.

Votum reſpectu rei ſubiectæ, quam deſiderantes optamus, inter Affectus connumerari debet. Reſpectu uerò Dei, à quo illam nos obtinere poſſe ſperamus, huius erit loci, cùm tacitam Dei uenerationem comprehẽdere uideatur. Diuerſo reſpectu inter Preces refertur, quatenus implorat Dei opem, eiusq; conciliandæ cauſa uiciſſim aliquid promittit. Inde igitur exempla petantur. Iam quia interdum non inuocamus, ſed ſimpliciter abſq; inuocatione promittimus aliquid nos facturos, ea propriè Vota præſentis ſunt loci.

Orauit ANNA Helcanæ uxor, mater Samuelis prophetæ, Dominum, flens largiter, & uotum uouit, dicens: Domine exercituum, ſi dederis mihi ſexum uirilem, dabo eum Domino. 1. Regum 1.

Coorta tempeſtate, NAVTÆ timuerunt timore magno, & immolauerunt hoſtias Domino, & uouerunt uota. Tũ Ionas: Quæcũq; uoui, reddã pro ſalute mea Domino. Ionæ 1. & 2.

HENRICVS II. Imp. prælium initurus cum Vngaris, uouit palàm coram uniuerſo exercitu, ſi Dominus Deus uictoriam daret, ſe Simoniacam hæreſin, ab apoſtolo Petro exploſam atque damnatam, quæ ab anteceſſoribus ſit temerè hactenus permiſſa, è toto ſuo regno expulſurum eſſe. Quid uerò poſtea præſtiterit, non eſt annotatum. Luitprandus libro 2. cap. 8. & Sigebertus.

GODEFRIDVS in expugnatione Romæ largo hauſtu uini febrem contrahens, uouit peregrinationem Hieroſolymitanam, ſi febre ſolueretur. Chron. Hirſaugienſe.

CALLISTVS III. Pp. priuatus etiamnum, expeditionem in Turcos uouit, chirographo his uerbis ſcripto: Ego Calliſtus pontifex, Deo omnipotenti uoueo, & ſanctæ indiuiduæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuſcunq; rebus potero, Turcos Chriſtiani nominis hoſtes ſæuiſſimos perſecuturum. Mortuoq; Nicolao V. Papa creatus, bellum Turcis ſtatim indixit. Platina.

NOMINIS DIVINI

CVLTVS.

Nomen Dei Tetragrammaton ineffabile יהוה IVDÆI tanto proſecuti ſunt honore, ut illud nunquam efferrent, ſed Elohim aut Adonai loco illius pronunciarent, atque etiam ad Trinitatis myſterium denotandum tribus Iod notarent, ייי. Præterea ſi quis in ſuo nomine proprio tres uel quatuor eius nominis literas poſſideret, non temerè à quoquam eodem nominabatur, præſertim in familiaribus & quotidianis colloquiis, ſed alio quodam fictitio, quod uel idem cũ proprio ſignificaret, uel certè proprium inſigni aliqua notatione inſinuaret. Hinc quiſquis apud eos nomen יהודה Iudas ſortitus eſt, uulgò Leo ſolet appellari, quia Geneſeos quadrageſimonono capite ſcriptum eſt, Catulus leonis Iudas. Et in Euangelica hiſtoria Iudas apoſtolus interdum Lebbæus (quaſi Leoninus) interdum Thadæus (quòd ferè idẽ quod Iudas ſignificat, niſi quòd in illo ſancti Dei nominis nulla ſunt ueſtigia) appellatur. At ſacroſanctum illud nomen in Chriſto innotuit, & effabile factum eſt, qui ישו dictus eſt ab angelo, abbreuiatiõe nominis, duobus ה quorum in pronunciando exilis uel nullus eſt ſonus, abiectis, in reuerentiam diuini nominis, cùm alioqui יהשוה appellandus eſſet, non autem יהושוע, quoniam in illo nomen Dei ineffabile perfectum reperitur, quod acceſſione ipſius ש, trinitatis & unitatis diuinæ ſymbolo, effabile redditur. In hoc uerò nomen Dei perfectum non eſt, & ſi ſignificationem ſpectes, non tam ſaluatorem quàm ſaluandũ ſignificat. Cæterùm nomen יהוה Cabaliſtæ ueteres ita ſcribere ſoliti ſunt, ut tres priores literę maiori figura, ultimũ ה minori ſcriberetur: illæ quidem trium hypoſtaſeon, hæc uerò hominis Chriſti indices. Præceptum erat, ne quis illud pronunciaret, quàm perueniſſet in domum ſuam: & propterea ab angelis tantùm pronunciari poſſe aſſerebant, atque à beatis mentibus. [redacted]

[redacted] .B. Arias Montanus Iam in Pſalmis uocat.

RELIGIOSA VSVRPATIO.

Ex loco Iuriſiurandi exempla ſincerè uſurpati nominis diuini huc accommodari poterunt.

VOLVNTATIS DIVINÆ INVESTIGATIO.

Conſule Titulum, Diuinationis ſtudium. quatenus qui ea utuntur, religioſo id faciunt inſtinctu. Illic theoriæ in cognoſcendo, hîc zelus in agendo ſpectatur. Item ſub Tit. Theologiæ ſtudium, eorum qui ſacras amarunt literas.

Cùm Martha, ſoror MARIÆ, Dominum accipiens hoſpitio, parandi conuiuij cura diſtringeretur: illa audiendi uerbi dulcedine delinita, nullis eiuſdem germanæ compellationibus auelli potuit, ut ab eo parumper ſecedens, ipſam in miniſtrando iuuare uellet. Ideoque optimam partem elegiſſe dicitur, quæ non auferretur ab ea: caritas enim nunquam excidit. Marulus lib. 5. cap. j.

EDVINVS uel Heduinus Northumbriæ rex in Anglia, cùm ab uxore Ethelberga, & Paulino antiſtite, & Honorio pontifice ad pietatem Chriſtianam capeſſendam incitaretur: non priùs parére uoluit, quàm doctiſſimorũ uirorum diſputationibus auditis, Chriſtianam religionem rationi magis conſentaneam eſſe didicit. Polydorus libro quarto.

OBEDIENTIA RELIGIOSA. NEMPE

DIVINÆ VOLVNTATI PARERE.

Ἐξοσίωσιν Græci uocant, eorum quæ à Diis imperantur, executionem. Ἀφοσίωσιν autem, eorum quæ quis ex religionis præſcripto debet exolutionem. Καθοσίωσιν uerò ſanctificationem, ſceleris contra religionem commiſſi expiationem. Prior illa huius eſt loci, parere iuſsis diuinis. Media Ceremonias reſpicit. Tertia Correctiuæ Iuſtitiæ conuenit. Conſule Tit. Diuinationis cuiuſcunq; ſtudium & amor. item Tit. Oraculorum. quatenus iis obtemperarunt alii. Hic Obedientiæ, illic Theoriæ habetur ratio.

Caritatem Dei habet, quiſquis ea quæ ab illo præcepta ſunt, ante omnia exequi ſtudet. Ioannes apoſtolus: Hæc eſt caritas Dei, inquit, ut mandata eius cuſtodiamus. Ac ne quid excuſes, ſubiungit: Et mandata eius grauia non ſunt. Idem alibi: Et hæc eſt caritas, ut ambulemus ſecundum mandata eius. Ipſe quoq; Dominus in Euangelio: Si diligitis me, inquit, mandata mea ſeruate. Et iterum: Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et rurſum: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus.

NOACHVS oraculum diuinum ſecutus, arcam iuxta Domini mandatum fecit, fabrefactam rexit, cataclyſmo omnia obtinente. Ideoque & ipſe cum tota domo ſeruatus, ſeruataque cum eo animalia omnia terræ & cœli. Geneſis capite ſexto & ſeptimo.

ABRAHAMVS ut Deo obediret, patriam Hur Chaldęorum, domum cognationemque reliquerat, ſe ſuosq; omnes circumcidi ſuſtinuerat: denique filium unicum uniceque dilectum ſuis immolaſſet manibus, ſi Deus, quod iuſſerat, impleri uoluiſſet. Non dixit: In Iſaac mihi promiſſum eſt ſemen, quare nunc puer adhuc occidi mandatur? non dixit, Quomodo unici filij ſanguine infelix pater manus polluã? tacitus iuſſa exequi maturat: ut diſcas, non diſcutiendum eſſe mandatum eorum qui præſunt, ſed perficiendum. Marulus lib. 4. c. 3. ex Geneſ. cap. 22.

BALAAMVS ariolus dixit Balacho regi: Nónne dixi tibi, quodcunque mihi Deus imperaret, hoc facerem? Magnam reuerentiam habebat etiam homo malus ad imperiũ Dei. Numeri cap. 23.

ISRAELITÆ per deſertum ambulantes, ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium eius deponebant: & bene illis erat. Num. 9.

Obediuit MOSES Domino imponenti ducatũ populi, quinquies tamen excuſauit ſe. Exod. 3. & ſeq.

MOSES Exodi 32. aureum uitulum à populo factum uidens, Qui ſtant à Domino, inquit, accedant ad me. deinde accedentibus LEVITIS imperauit, ut arma induerent, & ſinguli occiderent fratrem ac proximum ſuum, qui ſe in idololatriam & cultum uituli abieciſſet. Cumq; illi ad tria hominũ millia occidiſſent, Moſes dixit, ipſos manum ſuam Deo conſecrauiſſe, ut benedictionem eius acciperent. Deus itaq; elegit eos, quibus ius traderet primogenitorum, & prærogatiuam hanc, ut in perpetuum ſtarent coram Deo; populoq; ius dicerent.

IEHV rex Iſraelitarum, cùm totam ſtirpem Achabi regis; iuſſu Domini interfeciſſet: continuò audire meruit: Filij tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Marulus lib. 4. cap. 3.

CYRVS rex Perſarum, non uerecundabatur dicere: Præcepit mihi Deus cœli & terræ, ut ædificarem ei domum Hieroſolymis. 1. Eſdræ j.

CHRISTVS Ieſus cœleſti patri obſequendum eſſe monſtrauit, cùm diceret: Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem eius qui miſit me. Et: Non quæro uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me patris. Et: Deſcendi de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me. Et ad patrem: Non ſicut ego uolo, inquit, ſed ſicut tu. Diuiſit uolũtates hominis & Dei, Deus & homo Chriſtus: ut diſcamus diuinam uoluntatẽ ſemper humanæ prȩferre, & carnis affectum ſpiritus affectui ſubiugare. Deniq; Apoſtolus de illo: Humiliauit, inquit, ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Marulus libro 4. capite 3.

Mirabilis inprimis iam à principio APOSTOLORVM obedientia fuit. Nondum Chriſtum miracula facientem conſpexerant, nondum cœleſtis regni retributionem per illum futuram audierant: & ſtatim ut uocauit eos, relictis omnibus ipſum ſecuti ſunt, atque ita eidem adhæſerunt, ut nulla deinde aduerſitate, nullis perſecutionum tempeſtatibus auelli ſepararique potuerint. Qui enim ſemel guſtauerit quàm ſuauis eſt Dominus, omnes alias ſuauitates facilè contemnet. Matthæi cap. 9. Marci 4. Lucæ 5. Sed neque tunc paruum obediẽtiæ ſpecimen dedére, cùm in deſerto turbæ diſcumbenti iuſſi cibos apponere, quinque panes, & duos piſces, id eſt, totum quod habebant, nihil ſibi reſeruantes, porrexerunt. Siquidem ipſi fame periclitari, quàm neceſſitatẽ excuſando, Domino ſuo non ſtatim obtẽperare malebant. Et quoniam lubenter paruerant, multò plura collegerunt quàm obtulerunt. Cùm deinde ad nunciandam gentibus ueritatem deſtinarentur, & ſupplicia & neces ſibi perferendas didiciſſent, nunquid quo minùs obedirent, exterriti ſunt? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et cùm uerberibus minisq; agitarentur ut tacerent, reſponderunt, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Marulus ibidem.

SAVLVS perſecutor Eccleſiæ Damaſcum proficiſcens, fulgure afflatus, & in terram proſtratus, audiens uerba Ieſu Nazareni, ait: Domine, quid uis me facere? Act. 9.

SIMON Petrus, cùm totius noctis piſcationem caſſo labore peregiſſet, Domino tandem in nauiculam ſuſcepto ac iubente, laxauit rete: & tantam uim piſcium traxit, ut attonitus indignum ſe talis Domini præſentia iudicaret, & genibus ſimul prouolutus diceret: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum. Profectò qui ſic humiliabatur, iam diligere cœperat. Hinc & ſubleuari meruit, ne timeret, quòd deinde non piſces, ſed homines eſſet capturus. Quibus uerbis ita allectus eſt, ut quem modò exire à ſe uolebat, mox exeuntem ſequi maturaret; & quidẽ relictis omnibus: ut iam palàm eſſet, nihil ſe præter Chriſtum appetere, nihil habere uelle. Marulus lib. 5. cap. j.

DÆMONI NON OBEDIRE.

Diuus Hieronymus in uita ſancti HILARIONIS narrat, Satanam in puella dæmoniaca quam obſidebat loquutum eſſe, dicendo, ſe non exiturũ, niſi lamina ærea, quam amator puellæ ſubdiderat ianuæ, auferretur. hoc noluiſſe Hilarionem facere, & precibus ad Deum puellam liberauiſſe.

CONFIDENTIA RELIGIOSA ERGA DEVM.

Confidentia & Spes consequendorum bonorum quorumlibet à Deo, internus habitus esse uidetur, à quo omnes religiosæ actiones tanquam à fonte prosluunt. Itaque hic eorum exempla referemus, qui Deo confisi sunt, eiusq; promissis & bonitati fidem habuerunt: quæ ipsa, si modum explicandæ huius confidentiæ spectes, ad sequentes Titulos referri, & eiusdem augeri possunt. Vtiliter sperat, qui nec adeo misericordiæ Dei confidit, ut iustè peccare non timeat: nec adeo iustè timet, ut misericordiæ diffidat. Itaque semper attendendū est, ne nā proxima spei uitia imprudenter delabamur. Ea sunt Desperatio & Præsumtio. Qui desperant, non satis perpendunt diuinæ misericordiæ magnitudinem: & conscij delictorū, antè se damnant, quàm damnantur. Qui præsumunt, iustitiæ seueritatem obliuiscuntur: & dum nihil timent, licentiùs peccant. Neque hi præsumerent, neque illi desperarent, si meminisse uoluissent, quòd iustus pariter & misericors sit Dominus, quòd simul & fontes puniat, & pœnitentibus ignoscat. Hæc Marulus lib. 2. cap. 12. Consule Titulum, Preces exauditæ. nam in imploranda ope potissimùm sese spes exerit.

PROMISSA EXPECTANDO.

ABRAHAMO centenario promissio fit de filio. Credidit, & expertus est. Quadringentesimo demùm anno posteri ipsius terram Sanctam obtinuêre, quo tardiùs, eò miraculosiùs. Idem per fidem primùm placuit Deo. Cùm enim promissiones seminis sui, id est Christi, in quo benedicendæ omnes nationes erant, accepisset, sic de illo scriptum legimus: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiā. Nō est autem scriptum tantùm propter ipsum, inquit Apostolus, quia reputatum est illi ad iustitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Marulus lib. 2. cap. 6. & Sab. lib. 5. c. 4.

Beata uirgo MARIA Θεοτόκος credidit angelo dicenti, quòd conceptura esset de Spiritu sancto. Lucæ 1.

Incarnationem Christi promtiùs credidêre MVLIERES quā uiri. Zacharias pater Ioānis Baptistæ incredulitatis fuit ab angelo accusatus: Elisabetha uerò statim in aduentu beatæ uirginis exclamauit: Benedicta tu, &c. Luc. 1. Dignæ proinde, quibus resurrectionis gaudium priùs quàm uiris annūciaretur ab angelo, confirmaretur ab ipsomet Domino.

Ascensurus in cœlum Saluator præcepit DISCIPVLIS suis, ne discederent Hierosolymis, sed expectarent promissum patris. Actorum 2.

NON PROMISSA SPERANDO. PVTA

REMISSIONEM PECCATORVM.

MARIÆ Magdalenæ dixit Dominus, Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Lucæ 7.

BEATITVDINEM.

Parentibus Tobiæ irridentibus eum, & dicētibus: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? TOBIAS increpauit eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & uitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquā mutant ab eo. Tob. 2.

SANITATEM.

Paralytico profuit fides aliena. Videns Iesus fidem ILLORVM, qui eum per tectum demittebant, dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. & statim conualuit. Matthæi cap. 9. & Lucæ 5.

Nec longæ expectationis tædio, nec dura responsione territa destitit clamare ad Dominum CANANÆA. Idcirco tandem audiuit, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Matthæi 13. Marci 7.

HÆMORRHOISSA cupiebat tantummodò tangere fimbriam uestimenti Christi. Ideo meruit audire uerbum dulce, Confide filia, fides tua te saluam fecit. Matth. 6. Luc. 9.

LIBERATIONEM A MORTE.

SVSANNA, duorum presbyterorum iniquo condemnata testimonio, corde suo fidebat Domino. Dan. 13.

SOCII Danielis regi Nabucodonosori dixêre, Deus noster quē colimus, potest nos cripere de camino ignis, & de manu tua liberare. Atque ut nolit, deos tamen tuos non colemus. Danielis cap. 3.

DEFENSIONEM AB INIMICIS.

ESDRAS sacerdos cū Iudæis è Babylone profectus, permissu Xerxis regis, equites deductores recusauit, Deo suorum uitam curæ futuram asserens, ut humano auxilio non egeret. 1. Esdræ 8. & Iosephus lib. 11. c. 5. Antiq.

Videns NEHEMIAS multa imminere pericula & labores ædificantibus, magna fide dixit: Deus noster pugnabit pro populo, & nos ipsi faciamus opus. Nehem. 4.

PHILO cum aliis Iudæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula, sociis Iudæis respondit: Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, ubi humanum cessat auxilium. Eusebius lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 5.

RESTITVTIONEM IN INTEGRVM.

Afflictus corpore, orbatus filiis, derisus ab amicis, & rebus omnibus spoliatus IOBVS, dicebat: Et si occiderit me, in ipsum sperabo. Iobi 12. & 13.

VICTORIAM.

IONATHAS Sauli regis filius, dixit armigero suo: Non est Domino difficile saluare, uel in multis, uel in paucis. Libro 1. Regum 14.

Cùm prouocante Goliatho Palæstino, omnes Israelitæ summo timore correpti essent: DAVID quantumlibet puer animum non despondit, sed Iouæ armipotentis nomine, in quo præputiatus ille blasphemus fuerat, confisus, eū funda humi prostratum occidit. 1. Reg. 17.

ASA, Iudæorum rex, dixit: Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, aut in pluribus. 2. Paralipomenon, cap. 14.

IOSAPHAT rex Iuda, exercitui suo ad pugnam congregato dixit: Credite in Domino Deo uestro, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera. 2. Paral. 20.

IVDAS Machabæus sociis timentibus dixit: Facile est concludi multos in manibus paucorum, & non est differentia manus Dei, liberare in multis aut in paucis: quia non in multitudine exercitus uictoria belli, sed de cœlo fortitudo est. 1. Machabæorum 3.

GVALTERIVS Brennus, in Deo confisus, regnum Neapolitanum aggressus est. Ducta enim in uxorē sorore Gulielmi Neapolitani regis (quem Henricus VI. Imp. Innocentij III. hortatu, regnum occupans castrauerat) centum equitibus in Italiam profectus, à Pont. inuestituram petiit. Cuius tenuitate perspecta, cùm pontifex dixisset: Si contra tria millia instructissimorum equitum, ut pedites taceam, pugnare in animo habeas, aliis subsidiis opus erit. tunc ille, Vnius Dei opt. max. gladio & scuto nitar, respondit. Nec cum spes sua fefellisset, si occupata Apulia, Theobaldo Henrici polemarcho, à quo captus fuerat incautus in lecto, æquiori responso occurrisset. Collenucius lib. 4. Neap. hist.

PRECES, SVPPLICATIONES, ORATIONES RE-ligiosæ, siue Simplices illæ sint, siue Votiuæ.

Consule Titulum, Votorum, Benedictionum, Supplicationum. illic Affectus, hic Religionis affectium comitantis habetur ratio.

QVID PETANT. PETITIO

SPIRITVS SANCTI.

APOSTOLIS & fidelibus orantibus, & spiritus libertatem à Domino petentibus, cōtremuit locus, in quo erant, repletique sunt omnes Spiritu sancto, diuinumq; sermonem liberè eloquebantur. Actorum 4.

PETRVS & IOANNES orauerunt pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum sanctum, & impositis manibus acceperunt Spiritum sanctum. Act. 8.

MIRACVLORVM.

Incredibilia multa operandi facultatem DISCIPVLIS suis concesserat Dominus. Sed ne miraculorum auctor ignoraretur, à Deo ea petere credentes uoluit: Quodcunq; petieritis, inquit, patrē in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Et iterū: Quodcunq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Et quid mirum, quòd sic ad nos filius, si sic etiam ad filium pater? Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hinc illum

illum in Euangelio non semel orantē legimus, quandoque tamen propria potestate utentē: ut nec solùm hominē, nec solum Deū credas: sed Deum & hominē unum Christum Iesum, doctorē ac saluatorem nostrum. Marul. lib. 2. cap. 2.

SAPIENTIÆ.

DIDYMVS Alexandrinus, præsul Cæsariensis, inflammatus desiderio literarū, non desperauit assiduis precibus apud Deū id impetrare, quod natura consequi non erat. Miscebat precibus studia, licet cæcus. Ruffin. lib. 11. Historiæ eccles.

IACOBVS apostolus ait: Si quis uestrūm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter: & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Cuius rei exempla quædam petes ex Tit. Diuinitùs edocti. Marul. lib. 2. cap. 2. & Sab. lib. 2. cap. 5.

AVICENNA medicorū Arabum facilè princeps, si difficilem aliquem locum inter studendum per noctem obseruasset, mane templū ingressus, factaq; ad Deum cœli & terræ (qua de causa inter pios cōnumerari meretur: propter Mahometum alioqui inter superstitiosos collocandus) oratione, uesperi ad consueta studia reuertebatur, tanto successu, ut sæpè dormiens arduas maximè quæstiones enodaret, quas uigilans non potuerat soluere. Sorzanus in eius uita.

PECCATORVM REMISSIONIS.

AEGIDIVS, Nemausensi monasterio præfectus, pro Caroli Martelli occulto delicto orans, exauditus est miraculosè. Siquidem orante eo, scheda in altari fuit reperta, delicti expresse mentionem faciens, idq; condonatum esse illi indicans. Bergomensis lib. 10. & Volat. lib. 21. & Vincent. lib. 23.

VITÆ MELIORIS.

STEPHANVS abbas, ordinis Grandimontēsis institutor, dū montis Moreti (qui est in Aquitania) solitudinem incoleret, pro milite quodā, ut flagitium in quo obstinatior uidebatur dimitteret, orauit. Hinc ille qui neq; iam ab eo desistere se posse, neq; si posset uelle dixerat, repentè mutatus peccatum suum fleuit, uitamq; correxit. Marul. lib. 2. cap. 2.

D. ELIZABETHA post mariti Ludouici Thuringiæ Lantgrauij mortem xenodochio Marpurgi extructo, pauperibus in seruitens, monasticam uitam amplexa, quum prætextatum spectasset adolescentē, mox percontata, An'ne orationi sua ad ineūdum salubriorem uiuendi modum adiuuari uellet? quum ille uolūtati preces adiecisset, sic pro eius salute Deū exorauit, ut ordinem fratrum Minorum subierit. Et ingenuè confessus est, se illa orante ita intimis flagrasse præcordiis, ut ardori remedium nullum inuenerit, donec uitam mutare decreuit. Marul. lib. 2. cap. 2. & Bonfin. lib. 7. Dec. 2.

THEODORA Romana, Sisinij coniunx, à Clemente Pontifice conuersa, & ob hoc à uiro infideli odio habita, pro conuersione eius orauit, & exaudita est. Petrus apostolus orāti apparens, Sisinium precibus eius à Domino concessum nūciauit. Hinc demùm depositio errore, Sisinius Christianitatem accepit: & uir infidelis per mulierem fidelem saluatus fuit. Non illum suasionibus, non argumentis est aggressa: ne peruicacis animi hominem, dum lenire nititur, grauiùs irritaret. Tacita Dominum rogauit, & lupus in agnum mutatus est: factaq; sunt praua in directa, & aspera in uias planas. Marul. lib. 2. cap. 5.

LIBIDINIS RESTINGVENDÆ.

ANDREAM apostolū ferunt, cuidam Nicolao nomine, qui toto uitæ tēpore libidinibus deditus, ab his discedere, cùm etiā uellet, non poterat, deprecando continentiā à Domino impetrasse, & illum pœnitentia ductum castitatē deinceps perpetuò custodisse. Pleriq; elata corpora oratione ad uitā reuocarunt: Andreas animam diu in peccatis mortuam suscitauit. Marulus lib. 2. cap. 4. & Sabell. lib. 2. cap. 5.

LVPI Senonū archiepiscopi oratio quosdā ex clericis mulierū libidinibus deditos ad continentiā adduxit: quosq; dudum meretricius amor graui odio inter se dissidere fecerat, eos illo orante cōscientiæ stimulus ad pœnitentiā, pœnitentia ad castitatis studiū egit. Conuersis igitur, ueniāq; petentibus tā facilè præsulis pietas indulsit, quàm ardēter ut conuerterentur orauerat. Marul. lib. 2. cap. 4. & Sabel. lib. 2. ca. 5.

SERENI monachi preces de castitate obtinenda exauditas fuisse scribit Cassianus: Nam nocturna aliquando uisione angelum aperta sibi aluo, ignitam carnis portiunculam uisceribus euulsam, quam strumam ipse appellat, exemisse: atq; inde factum, ut deinceps ne minimas quidem titillationes carnis senserit.

Magdeburgi urbi Saxoniæ sub annum Sal. 940. episcopus fuit Vdo nomine, uir libidinosus & sacrarum uirginum corruptor. Qui cùm ne signis quidē ac diuinis uocib. commonitus, ab impudicitia sibi temperaret, uiri religiosi Deū ut episcopum aut corrigeret aut tolleret, rogare coegēbatur. Itaq; cùm noctu in cathedrali ecclesia S. Mauricij FRIDERICVS Canonicus eiusmodi precibus operam daret, non sine ingenti formidine, uehementioris uenti afflatu, omnia quæ in templo erant lumina extingui perspexit: nec multo pòst, duos iuuenes uenire, duo candelabra accensis cereis ferentes, & Christum cum parente eius atq; Apostolis subsequi: à quibus cùm essent uocati sancti homines, quorum corpora in eo templo quiescebant, uisus est inter eos Mauricius uenire, qui lōga atq; graui oratione Vdonem episcopum accusauit: quem haud multo pòst Christus nudum asserri à duobus iussit, atq; dānauit. Is autem pugno ab ipsorum altero, qui eum portarunt, in mediis renibus grauiter ictus, Christianam hostiam, quam in communione pridie eius dici sumserat, reuomuit in calicem, qui altari impositus fuit: atq; secuti percussō Vdone, rerum illarum omnium imago euanuit. Qua re uehementer perterritus Fridericus, cùm ad altare accessisset, calicemq; in eo esse cum Christiana hostia inspexisset, & simul episcopum mortuum humi lacentem: alios religiosos uiros excitauit, qui ablatum inde episcopi corpus in agro sepeliuerunt. Cuius sanguine cùm respersum templi pauimentum esset, sacerdotes ferrea crate cruorem cooperuerunt: quem nouis episcopis ostendere moris habent, ut eo sanguine à scelerate uiuendo deterreantur. Fulgosus lib. 9. cap. 12.

GERALDVS generis nobilitate & diuitiis pollens, cùm in cuiusdam uillici serui sui filiam oculos coniecisset, forma eius captus, decreuit puellam domi suæ cōuenire. Sed priusquā id fecisset, orauit. Vt uerò peracta oratione illam adiit, usq; adeò deformis illi apparuit, ut hanc ipsam esse quam adamauerat, uix crederet. Itaq; intactam relinquens ad se rediit, & turpis propositi pœnitens, filiam dote, patrem liberta te donauit. Postremò monachus factus, in catalogum sanctorum receptus est. Marulus lib. 2. cap. 4.

IMPIETATIS, SVPERSTITIONIS TOLLENDÆ: Religionis conseruandæ.

Apud Cæsaream Philippi, quam Phœnices Paneadem uocant, aiunt, ad fontes illos qui in radice montis Panei ostenduntur, unde Iordanis profunditur, festo quodā die solitū fuisse ab eius loci incolis uictimā aliquā offerri, illāq; uirture dæmonis mirabili modo nusquā comparuisse: & id miraculū in oculis præsentiū admodum uisum esse præclarū. ASSYRIVS Romanus senator aliquando præsens, lenatis in cœlum oculis, Deum omnipotentē per Christum orauit, ut dæmon ille populi seductor proderetur, & à mortaliū sedutione cohiberetur. Itaq; uictima illa cōspicua in ipsa fontis superficie natauit, atq; stupor astātibus exemtus: nec postea quicquam miraculi eo in loco contigit. Euseb. lib. 7. cap. 17.

AMBROSIVS Mediolanensis episcopus, à Valentiniano II. Imp. instinctu Iustinæ matris Arrianæ mirè agitatus, iciunis uigiliisq;, sub altari positus, per obsecrationes diuinū sibi atq; Ecclesiæ præsidiū inuocabat. Erat illo tempore Mediolani Augustinus Tagastensis, qui postea Hipponensem ecclesiam episcopus rexit. Is superioribus annis ex Africa profectus, rhetoricam Romæ, deinde Mediolani docuerat, atq; Ambrosio cognitus, propter ingenij præstantiam acceptissimus fuerat. Itaq;, cùm assiduis eius concionibus interesset, ex Manichæo catechumenus euaserat. Per hos autem dies in Paschate ab eodem salutiferum quoq; baptismatis sacramentum accepit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Arrius, Constantinopolim à Constantino Magno euocatus, cùm uenenum suū spargere pergeret, ab ALEXANDRO ciuitatis episcopo ecclesiæ communione semotus, grauia cum illo certamina iniit. Quibus ut modum imponeret Cōstantinus, die quodam Sabbati ipsum in aulam uocauit, atque ab eo fidei suæ formulam postulauit: & cùm aliam ille fidem uerbo, aliam mente professus esset, eandem sentire cum Catholicis arbitratus, Alexādro, ut postridie in cōmunionē reciperet, imperauit. Prioribus diebus Alexāder præualentibus aduersariorū se premi opibus conspicatus, humana ope deplorata ad diuinā confugerat, atq; in templo Pacis per multas noctes effusis lacrymis Deū orauerat, ut Ecclesiæ suæ periclitanti adesset, inprimisq;, ut Arrius tātarum turbarum concitor meritas aliquando pœnas exponderet. Cuius precationis uotū haud irritū esse Deus permisit. Nā Arrius postridie, cùm ab aula Imperatoris digressus magna Eusebianorū caterua stipatus, alacris ad Alexādrū, ut Ecclesiæ sociaretur, cōtenderet, in ipso uictoriæ suæ articulo expirauit. Siquidē ubi ad Forum Constātini peruenit, laxata fortè aluo locū latrinæ quæsiuit: & mox cùm in prēmonstratum locum secessisset, diuina uoluntate uiscera simul cum excrementis eiecit, ac repentè fœdissimo genere mortis perculsus interiit. Cuius rei fama per totam subitò urbem peruagata, ingenti omnes stupore desixit: inprimisque intolerandam iam Arrianorum insolentiam labefecit. Sigonius lib. 4. Imp. occid. ex Theodoreti lib. 1. cap. 14.

VITÆ RESTITVENDÆ.

PETRVS Apostolus antequàm Thabitam ad uitam reuocaret, eiectis omnibus foras, ponens genua, unicè Deū orauit, diuinum implorans auxilium, & deinde dixit: Thabita surge. At illa aperuit oculos: & uiso Petro sedit. Actorum 9.

Idem

Idem in carcere, catenis duabus uinctus, à militibus custoditur, orante pro eo ecclesia, ab angelo liberatus est. Marulus libro 2. cap. 4. & Sabellicus libro 2. capite 5.

VITÆ CONSERVANDÆ.

IONAM prophetam de uentre ceti ad Deum clamasse legimus, & die tertia à pisce in aridam eiectum. Grande profectò miraculum, tum quòd deglutitus tamdiu intra aluum uixerit, tum quòd electus nusquam læderetur, impegerit. Vtrumque tamen hominis precibus ab eo, qui omnia potest, datum. Marul. lib. 2 cap. 2. & Sabell. lib. 2, cap. 5.

Valens Imp. cùm BASILIVM Cæsariensem diu multumque conuitiis ac contumeliis uexasset, & ea nocte uxor Valentis maximis doloribus correpta, filia insuper paruula extincta esset, Valens Basilij assiduis precibus ad Deum susis, saltem seruatus est: ut refert Rufinus lib. 11. Historiarum.

Gerardus, D. BERNARDI Clareuallensis Abbatis frater, qui domestica omnia pro eo curabat, in peregrinatione Italica Viterbij lethali morbo correptus fuerat. Ibi tunc D. Bernardus, ægrè ferens comitem peregrinationis in terra relinquere aliena, nec resignare his, qui eũ sibi cõmiserant: conuersus ad preces. Expecta, inquit, Domine usq; ad redium. Restitutũ amicis tolle iam eũ, si uis, & nõ causabor. Preces ratæ fuêre. Nã anno uix exacto cùm reuersi essent Clareuallem, uiuis excessit. D. Bern. ser. 26. super Cantica.

FAMIS ABIGENDÆ.

Benadado Syriæ rege Samariam obsidente, oppidani fame laborabant, ita ut quædam mulieres à filiorum esu non abstinerent: quando humiliatione IORAM Samariæ regis, qui cilicio se induerat, die uno summa inopia in summã uersa est copiam. Syri enim horrendo animorum strepitu diuinitùs excitato, uehementer perterriti, relictis impedimentis, omniq; supellectili dimissa, fugã fecêre. Samaritæ uerò egressi diripti sunt castris insperata præda ditati sunt, & modius similæ stetit statere uno, sicut prædixerat Helisæus, & duo modij hordei statere uno. Marulus lib. 4. c. 9.

LADISLAVS Vngariæ rex, quum per Getarum solitudines Bessos insequeretur, qui ingentem pecorum hominumque prædã ex Vngaria abegerant, & fame nimia laboraret exercitus: exorato Christo opt. max. in tantũ mox ceruorum bubalorumq; gregem incidit, ut esurientem abundè militẽ pauerit. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

SITIS, SICCITATIS TOLLENDÆ. PLVVIÆ, AQVÆ IMPETRANDÆ.

Oras ELIAS propheta pro pluuia, dixit puero suo, ut prospiceret uersus mare, an nubem cõsurgere pluuiosam uideret. Septima demùm uice apparuit nubecula, & data est pluuia. 3. Regum 18.

DONATVS Eurcæ in Epiro antistes, cùm regio illa arida esset, aliquando exitinere fessus comites aquæ penuria laborantes conspicatus, primùm Deum precatus est, deinde terram manu fodit, atq; illicò fontem aquæ uiuæ produxit. Nicephorus lib. 12. c. 45.

M. Antonij & M. Aurelij Commodi exercitus, bello aduersus Quados, Vandalos, Sarmatas & Germanos, aridis locis cõclusus, siti uehementi laborare cepit. Rebus in summo discrimine constitutis, subitò de exercitu in auxilium cõmune, progressa CHRISTIANORVM legio est: quæ genubus in terrã incuruatis prostrata, coniunctis certatim ardentibus precibus geminũ illicò beneficiũ à Deo impetrauit. Nam & ex imbre largiori cœlo demisso, aquæ gratissimæ collectæ militibus ad sitim sedandam sufficiebant, & eregionè propiùs incumbens hostiũ numerosus exercitus fulminibus frequẽtibus disiectus est. Imperator æquior ac benignior deinceps Christianis fuit, ac literis etiã ad plurimos missis, ut Tertullianus in Apologetico ostẽdit, tum exercitus salutẽ, tum uictoriam suã Christianorum precibus acceptam retulit. Cõmemoratur quidem hoc factum in historiis gentilium: sed Christianorum precibus impetratum subticent, ut Eusebius lib. 5. c. 5. indicat. Suidas scribit, fuisse in exercitu M. Antonini Iulianum Chaldæum, qui copijs siti laborantibus nubes prouocarit, quæ in imbres illicò resolutæ sint. Idem, alios hoc beneficium ad Arnuphim quendam philosophum Aegyptiũ referre indicat: in qua opinione & Dion est, qui hũc philosophum seu magum Aegyptium scribit hoc miraculi præstitisse, inuocato Mercurio. Notum & Claudiani epigramma est, quo testatur tributum hoc diuinum & cœleste beneficium (odio Christiani nominis) magicis artib. moribusq; ac probitati Imperatoris Marci.

QVINTIANVS Arterorũ episcopus, cùm quodã tẽpore ciuitas sitis citate nimia laboraret, supplicationes ante Ascensionẽ ad oportunã impetrandam pluuiã uetere ritu Ecclesiæ celebrauit. Die uerò tertia portæ urbis appropinquantẽ ciues rogarunt, ut ipse precationẽ ad Deũ pro impetrãda pluuia faceret: se enim cõfidere, illo orãte, Deum extẽplò aquã uberrimã effusurum. Tum ille prostratus, in hũc modũ orauit: Si clauso cœlo pluuiæ non defluxerint propter peccata populi, & conuersi deprecati fuerint faciem tuã, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiã terræ, quã dedisti populo tuo ad possidendum. Atq; his dictis, atris repentè nubibus cœlo offusis, salutaris pluuiæ humor excussus est. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

MORBI DEPELLENDI.

EZECHIAS rex, cùm ægrotanti sibi diem extremum imminere per prophetam Esaiam audisset, flendo atq; orãdo impetrauit uitæ propagationẽ: uixitq; ultrà, quã uixisset, si sic nõ egisset, quindecim annos. Argumẽto est, uerè pœnitẽtes nõ esse mortis obnoxios, sed uitæ destinatos æternæ, dicẽte Domino: Nolo mortem morientis, conuertimini & uiuite.

SAVLVS, qui postea Paulus, ad terrã prostratus, & exeœcatus, surrexit, & Damascum ueniens, orare cepit: & tribus diebus nihil comedit. Act. 9.

IACOBVS Zebedæi filius, dum Herodis Agrippæ iussu decollandus duceretur, paralyticum in uia iacentem saluti restituit. Et cùm speculatoris gladius cerutici suæ immineret, necis propriæ oblitus, pro alterius sanitate orauit. Vtrumq; autem uera caritas faciebat, ut & proximi misereretur, & pro Christo mori non timeret. Marulus lib. 2. cap. 4. & Sabellicus lib. 2. cap. 5.

Duo CÆCI secus uiam sedentes, cùm post Iesum clamitarent misericordiã implorando, increpabantur, ut tacerent. At illi magis clamabant. Perseuerabãt ergo in clamoribus piis, & quod uolebant assecuti sunt. Marul. lib. 5. c. 8.

BARNABAS apostolus Cypri aliquamdiu cõmoratus, morbo affectos Euangelio Matthæi manu scripto tangens curauit, eum precatus, cuius religionem astruebat curando. Marulus lib. 2. c. 4.

THOMÆ Didymi deprecatio Sinticę oculis captæ uisum redintegrauit. Idola lapsu præcipiti in pulueremredegitut ostenderet simulacra gentium opera esse manuum hominũ. Marulus lib 2 c. 4. & Sab. lib. 2. c. 5.

IVDAS Thaddæus, Abagarum Medorum regem ab elephantiæ morbo liberauit, credentem baptizauit, corpus uitio, animum erroribus expians atq; emundãs. Marul. lib. 2. c. 4.

LIBEROS CONSEQVENDI. STERILITATIS DEPELLENDÆ.

ABRAHAMO orante, Abimelechi Gerarę regis uxor atq; ancillæ, cùm antè steriles essent, prolem diu optatam susceperunt, & matrum nomine lætatæ sunt. Et nos, si dignè deprecati fuerimus Dominum, gratia eius repleti, exuberabimus prole uirtutum. Marulus lib. 2. c. 2.

ANNA Helcanæ coniunx, diutinæ sterilitatis opprobriũ, cùm Deum orusset, fœcunditate cõpensauit. Genuit primò Samuelem, genuit deinde filios tres, duasq; filias. Phennena uerò altera Helcanæ uxor, consorti suæ semper infensa, post susceptos liberos párere desiit, & in idem uitium, quod illi peruicaciter obiicere consueuerat, ipsa incidit. Deniq; sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Vltio enim superbiam, orationem sequitur gratia. Marulus lib. 2. c. 2. ex 1. Reg. 1.

MONACHVS quidam precibus prolem Zocomo principi Saracenorum in Christum credẽti impetrauit. Sozomenus lib. 6. cap. 38.

DÆMONIS EXPELLENDI, DEPELLENDI.

BARTHOLOMÆI apostoli oratio obsessos à dæmonibus liberauit. Polemi Indiæ regis filiam lunaticam, mentis cõpotem fecit. Marul. lib. 2. c. 4. & Sab. lib. 2. c. 5.

MARVTHAS episcopus, legatione ad Persas functus, filiũ Isdigerdis regis orando à dæmonio liberauit, per quod maior fidei gloria accreuit. Sigebertus in Chronicis.

ANSELMVS episcopus, cùm fratrem quendam ex languore morti iam proximum pauere, atq; horrore concuti animad uertisset, causam rogauit. At ille respondens, duos ibi lupos adesse dixit, rabida torui tate terribiles, minaciterq; ringentes: & inde se timere, ne dilaniaretur ab eis. Tunc episcopus pro ipso Dominum orauit, ac post orationẽ eodẽ fratre referente audiuit, feras illas bestias discessisse, fugatas flãma ex ore orantis in fulguris morem promicante. Hoc demũ remedio frater pauoris molestia liberatus, ac securior factus ad Dominum migrauit. Marulus lib. 2. c. 4.

In pestilentia, quæ sub Gregorio Magno Rom. populũ magna ex parte consumsit, frater quidam in monasterio, necessitate potiùs quàm uoluntate uiuens, secutus fratrem, percussus in inguine, est perductus ad mortẽ. Cumq; extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, ut egressum illius orãdo protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum, in solo tantummodò pectore uitalis adhuc calor anhelabat. Cũcti autem FRATRES tanto pro eo cœperunt enixiùs orare, quanto eum iam uidebant sub celeritate discedere. Tum repentè cepit eisdẽ fratrib. assistẽtib. adnisu quo

quo poterat clamare, & orationes eorum interrumpere, dicens, Recedite, recedite: ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter uestram præsentiam deuorare me non potest. Caput meum iam in suo ore absorbuit, date locum ut me amplius non cruciet, sed faciat quod factурus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter uos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? Signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondebat ille ut poterat dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cumq; hoc fratres audirent, prostrati in terra cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius uehementiùs orare. Et ecce subitò cœpit melioratus æger, quibus ualebat uocibus, exultare dicẽs: Gratias Deo, ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat, fugit. Orationibus uestris expulsus est, & stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem uitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, reseruatus ad uitam, toto ad Deum corde conuersus est, longis & continuis in conuersatione eadem flagellis eruditus, atq; ante paucos dies, excrescente corporis molestia, defunctus est. Qui iam moriens draconem non uidit, quia illum per cordis immutationem uicit. Gregorius in Euangel. homilia 38.

INCENDII RESTINGVENDI.

AZARIAS stans in medio fornacis, in quam iussu regis Nabucodonosoris coniectus fuerat, orans, cùm sociis liberatus est. Danielis 3.

D. MARTINVS cùm media hyeme in uisitatione noctu in cuiusdam templi sacrario subiectis paleis ad quietem se composuisset, procul accenso foco, diabolus ignem paleis iniecit. Periclitabatur Martinus, neq; egredi poterat, & iam uestes quoq; aduerabantur. Ad preces ergo confugit, & subitò restincta est incendium, dum fratres effractis foribus ipsum eriperent. Seuerus Sulpitius in præliminari epistola uitæ beati Martini.

CÆSARIVS Arelatẽsis episcopus à rege Alarico indicta causa Burdegalam relegatus, cùm nocte quadam ingens fortè conflatum incẽdium esset, precibus ciuium fatigatus, ignẽtum, cùm maximè sæuiebat, precatione ad Deum facta, restinxit: ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus est laudibus. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

TERRÆMOTVS SISTENDI.

Anno CCCCLXII. ut Iornandes in Annalibus prodidit, creberis in Gallia portentis est laboratum: uillæ, homines, pecudes, passim de cœlo tacti, &, quod horrorem maiorem incussit, duo iuuenes adusti cadaueribus conertis inuenti, Viennæ mœnia frequentibus terræmotibus conquassata, ignibusq; accensis caducæ culminum cristæ superiecto fauillarum monte sepultę: quin etiam lupi ac cerui portas urbis ingressi, atque impunè per forum uagati, terrorem ingentem in hominum mentibus excitarũt. Quæ mala, quòd cœlestem ostentare iracundiam uiderentur, expiare cupiẽs MAMERTVS urbis episcopus, uir sanctissimus, uetere Niniuitarum exemplo, ad Dei opem suppliciter implorãdam confugit. Cùm autem sæuientibus adhuc prodigiis populus ferme totus ex urbe formidine consternatus cessisset, ac Resurrectionis diem, tanquam certum eorum malorũ terminum, suspensis animis expectaret: factum est, ut in Vigiliis, dum res diuina perageretur, repente Palatiũ urbis exarserit. Quo pauore perculsis, ac templo egressis qui aderant, omnibus, quòd planè sibi persuaderent, aut urbem totam hoc incendio flagraturam, aut dehiscentem terram omnia uno hausturam esse deuoraturam, rursus Mamertus ante altare prostratus, cum gemitu & lacrymis Dei misericordiam inuocauit. Ita que quod incendium ingens uis aquæ certatim allatæ lenire non potuerat, repentè ipse piarum lacrymarũ ubertate restinxit. Ea de causa, aduentante Ascensione, in qua supplicationes Deo pro impetrandis imbribus, aut serenitate adhiberi, sed frigidè, ac planè oscitanter, lapsa uetere disciplina, solebant, easdem populo indixit, sed nouam orandi, ieiunandi, & erogandi rationem, prisco ritu reuocato, inuexit, Qua religione diuinum numen placatum, morem tandem cœlestibus prodigiis ac territamentis imposuit. Quod Sidonius ad ipsum Mamertum scribens prodidit. Sigonius lib. 14. Imperij occidentalis.

Anno Salutis DCCCI. pridie Kalendas Maij, hora noctis secunda, maximo terræmotu Italia tota concussa est. multa ubique ædificia, sed inprimis Romæ tectum basilicæ S. Pauli procubuit. Ob id institutum est à LEONE III. ut præcedentibus tribus Ascensionem diebus supplicationes ad diuersa templa haberentur: quam rem Mamertus episcopus Viennensis in ecclesiam suam primus intulerat, feq; pariter ingentis quondam terræmotus periculo liberauerat. Sigonius lib. 4. regni Italici.

NAVFRAGII AVERTENDI.

GREGORIVS Nazianzenus adolescens, Alexandria Athenas nauigans, in summo periculo Dei opt. max. implorauit opem: eamq; impetrauit, quamuis nondum baptizatus esset. Omnibus ergo præsenti miraculo attonitis, Christum prædicare incœpit, eosq; conuertit. Gregorius Nyssenus.

ROMVALDVS abbas, ordinis Camaldulensis auctor, cùm à Parentio Liburniæ oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnesq;, qui cum eo erant, de salute desperarent: pelagi uentorumque fœnitiam oratione placauit, illum utique deprecatus, qui uentis & mari imperat, & obediunt ei. Marulus lib. 2. cap. 2.

GERMANVS Antisiodorensis episcopus, Britanniam uersus ad hæreses extirpandas contendens, unà cum Lupo episcopo Trecasino: dum nauis, qua uehebantur, undis impetu ruentibus illisa tantùm nõ operiretur, manus ambas in cœlum sustulit, atq; orauit. Et continuò ponentibus uentis æquatum salum tranquillum illis præbuit iter, cursuq; quò uolebant satis prospero peruenêre. Idem.

PHARAO Meldensis episcopus, submersam in flumine simul cum uectoribus nauim miseratus, cùm in ripa se prosternẽs Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas enatare fecit, saluis omnibus qui in ea erant. Tale quid & apostolo PAVLO euenisse credimus, qui ad Corinthios scribẽs, ait: Ter naufragiũ feci, nocte & die in profundo maris fui. Idẽ.

INVNDATIONIS COMPESCENDÆ.

GREGORIO Papa crebris Litaniis Deum deprecante, post dies nouẽ aquarũ inundatio repressa est. Sigebertus, & Beda.

Quum ANDREAS Hungariæ rex, Damiatam ad Nilum urbẽ obsideret, & iam hyems media defluxisset: Nilus, qui per id temporis inundare non soleat, maris inflatione, quam Euri uæsania fecerat, usque adeò intumuit, ut Christianorum castra penitùs inundarit. Quare miserabilis impedimentorũ æquè ac commeatuum iactura facta, annona inundatione corrupta. Cui malo rex ut prospiceret, ieiunium publicum indixit. Quo uix exacto mare desedit, & tranquillitas magna successit. Bonfinius lib. 7. Decad. 2.

FLVMINVM DERIVATIONIS.

FRIDOLINVS Viator dictus, cùm subinde ab infidelib. insestaretur, iuxta Saccingum Rheni oppidũ, precibus ad Deũ Rheni aluеum mutauit. Vide Tit. Doctorũ Ecclesiast.

FANTINVS Syracusanus, Tabritanã Calabriæ ciuitatẽ accedens, Balzanio diuiti quidem uiro, sed gentili pro seruo se locauit, ut haberet quo aliorum inopiæ subueniret. Dominus equos, quos illi pascẽdos commiserat, strigosiores cernens, cùm eum persequi cœpisset, præmissa oratione Motabrum flumen, quo intercludebatur, uirga percutiens diuisit, & persequentis iram euasit. Persecutor præ stupore iam placatus obsecrauit hominem, ut se quoq; eodem modo transire faceret: percusso q; iterum fluuio, idem secutum est miraculum. Tunc cognita Christi uirtute Balzanius credidit, & simul cum multis baptisma suscepit. Sicq; Fantinus orando mortis periculum effugit: & iis, quos effugerat, uitam, quàm non habebant, dedit. Marulus lib. 2. c. 2.

CONDEMNATIONIS EFFVGIENDÆ.

Cùm consilio Amanis omnis Iudeorum gens in extremo uersaretur periculo, Mardochæus ieiunium triduanum indixit Susis, & populũ precibus indulgere iussit. ESTERA quoque regina supplicabat more patrio, humi in facie prostrata: & amicta uestitu lugubri, per triduum abdicato cibo & potu, & omnibus deliciis: rogabatq; ut miseratus daret ei apud regem, quali maximè opus esset facundiam & maiorem quàm unquam antea formæ gratiam, ut modo utroq; permotus rex ad clementiam, & in ipsam fiat indulgentior, & populoribus suis in extremo periculo constitutis patroci nantem æquis oculis aspiciat. Esteræ 4.

SYSANNA iudicum sententia morti iam addicta, exclamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit uocem ipsius. Spiritum quippe Danielis pueri suscitauit, qui malignos accusatores falsitatis conuictos talionem subire compulit, plebe illos iisdem ipsis lapidibus obruente, quos in Susannam apprehenderat. Duo erant, senes erant, presbyteri erant, numerus, ætas, dignitas uerbis fecerat fidem. Nisi innocatus præsto affuisset, qui manifestat occulta cordium, pudicitia infamiam, innocentia necem passa fuisset. Marulus lib. 2. capite 2. ex Danielis 13.

OPES CONSERVANDI.

Heliodoro templum spoliare conante Hierosolymitanum, IVDÆI sacerdotes, Onia pontifice precante, ante altare, cum stolis sacerdotalibus inuocabant de cœlo euan, qui de depositis legem posuit, ut iis, qui deposuerunt, ea salua custodiret. Vniuersæ etiam mulieres, protensis manibus in cœlum, deprecabantur. & auxilium eis affuit. Libro primo Machabæorum, capite tertio.

ELECTIONIS DIRIGENDÆ.

Post ascensionem Domini DISCIPVLI statuerunt Iosephū & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unū accipere locum Apostolatus, è quo Iudas excidit. Ductis sortibus, prodiit Mathias. Actorum 1.

Cùm dixisset Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabā & Paulum ad opus, ad quod assumsi eos. APOSTOLI ieiunantes & orantes, eisq; manus imponentes, dimiserunt illos. Actorum 13. & 14.

DIEI PROROGANDÆ.

IOSVA orante, Sol & Luna immoti steterunt, donec ipse ulcisceretur se de inimicis suis. Non fuit (inquit Scriptura) ante & postea tam longa dies, obediēte Domino uoci hominis, & pugnante pro Israel. Marulus lib.2.c.2. & Sab.lib.7.c.5.

VICTORIÆ.

Israelitis contra Amalechitas pugnantibus plus effecit MOSES orando, quàm Iosue pugnando. Exod.17.

Pugnabant Israelitæ contra Philistæos, dixeruntq; SAMVELI: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominū, ut saluet nos de manu Philistinorum. Clamauit is ad Dominum, & exauditus est. 1. Regum 7.

Arad rex Iudæorum pugnans contra ISRAELITAS, ducebat inde prædam. At illi uoto se Domino obligantes, uicerunt eum, & urbes hostium subuerterunt. Num. 21.

IOSAPHAT rex Iudæ, irruentibus aduersum se Moabitis & Ammonitis & Idumæis, indixit ieiunium, atq; orauit: omnesq; de Iuda steterunt coram Domino cum uxorib. ac liberis, & in terram proni adorauerunt. Cantores præcedentes exercitum, Deo laudes personabant: cùm illi quos pertimuerant, in seipsos conuersi mutuis uulneribus concidēre. Iosaphat & Iuda diripuerunt spolia, & gratias Deo egerunt, quòd sic pro ipsis depugnasset. Cor enim contritū & humiliatum Deus non spernit. In tribulatione, inquit, inuocasti me, & liberaui te. Marulus lib. 4. cap. 9.

ASA rex Iudæorum, cum exigua manu obuiam procedēs Zaræ Aethiopum regi, cuius exercitus decies centum millium hominum armatorum, & trecentorum curruum erat, inuocauit Dominum: & repentè lymphatico quodam pauore conterriti Aethiopes terga uerterunt. Persequente eos Asa, à Maresa usq; Gerara, ad internecionem cæsi sunt. Ex 2. Paralipomenon, Marulus lib.2.cap.2.

IVDÆI, Oloferne Nabucodonosoris duce contra eos ducēte, precibus & ieiuniis intenti, cum paruulis & pecoribus suis latera centone cingebant, capita puluere conspergebant, & Deum pro auxilio inuocabant. Quorum deuotionem Ioacimus pontifex obiens cōfirmabat. Exaudiuit Dominus, & per Iuditham uiduam eos liberauit. Iudith. 4.

IVDITHA ad Olofernem profectura, dixit presbyteris: Orate, ut firmum faciat consilium meum Deus. Nihil aliud fiat pro me nisi oratio ad Dominum. Amputatura caput Oloferni, orauit cum lacrymis ad lectum. Iudith. 8. & 13.

IVDÆ Machabæi orationes magis quàm arma de hostibus triumpharunt. Sæpè enim peracta prece solius Dei auxilio fretus, ad bellum egrediens, parua manu ingentes copias uicit. Cum tribus millibus uirorum penè inermium Gorgię exercitum quinq; millium peditum & mille equitum, nec minùs armis quàm uiris munitum, ad Amaum fudit, fugauitq;: & tribus millibus eorum cęsis, uictor est reuersus. Iterum cum X millium manu profectus in Bethoron, Lysiam superauit: cuius copiæ erant LX millia peditum electorū, & quinq; millia equitum. 1. Machab. 4. Rursum in Bethoron non plus quàm tria millia bellatorum secum habens, cum ualidissimo Nicanoris exercitu feliciter conflixit. Ea siquidem pugna aduersariorum castra fuēre euersa, Nicanor interfectus, reliqui fugientes à persequentibus cæsi.

Videns IONATHAS, quòd omnes (exceptis paucis) derelinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit uestimenta sua, & orauit: postea uictoriam obtinuit. 1. Mach. 11.

OSVVIVS rex Northanymbrorum, facto Deo cœli uoto, Pendæ Merciorū regi occurrit cum exercitu non multo, & magna cum strage Pandam peremit. Sigebertus in Chron.

IACOBVS Nisibensis episcopus (Nisibis autē ab Assyriis Antiochia Mygdonię dicitur) cùm Sapor Persarum rex Nisibin obsideret, precibus à Deo ex turre quadam innumerabilem multitudinem crabronum & culicum impetrauit, quib. elephanti & iumenta in furorem acta, & totus exercitus hostium in turpem fugam coniectus est. Theodoretus lib. j. cap. 7. & lib. 2. cap. 30.

MASELCERIVS Africæ comes, cùm aduersus Gildonē fratrem rebellē Imperatori bellum suscepisset, suasu Theodosij Magni orationib. assiduis ad Dominū clamitans cum sacerdotibus è Capraria insula accersitus, exauditus, quinq; pugnatorū millib. plusquā XXC hostium millia fugauit, & interfecit. Fulgosus libro j. cap. j. ex Paulo Diacono, & Iuone in Arcadio.

CONSTANTINVS Magnus, contra Maxentiū tyrannū potentiss. Romam mouens, dum patris sui Constantij deum, ut se sibi reuelaret, & felicem successum belli largiretur, inuocat, repentè post meridiem, sole iam ad uesperum inclinante, uisum mirabile diuinumq; conspexit. Vidit autē Crucis signum ex lucis splendore confectum in cœlo soli imminens, quod his uerbis cingebatur: In hoc uincē. atq; illud idem exercitus, qui cum eo erat, plenus stuporis est conspicatus. Hanc rem Eusebius idem se ex eius narrantis & iureiurando affirmātis ore excepisse, post pacatum Imperium, prodit: & Artemius miles se uidisse, ad Iulianum Augustū scribens confirmauit. Constantinū igitur hoc uiso fluctuantem, & quidnam id sibi uellet, anxiè perquirentem, superueniens nox oppressit. In quiete inde species uiri humano habitu augustioris cum signo Crucis pręmonstrato se obtulit, præcipientis, ut signum ei, quod in cœlo aspexerat, compar efficeret, idq; in præliis adhiberet: nam eius præsidio uictoriam relaturum. Vbi uerò illuxit, rei stupore attonitus, amicos properè aduocauit, ac sedēs inter eos uisum exposuit: inde ex eorum consilio sacerdotes, interpretesq; Christianæ legis adhibuit, rogans, ut quid de diurno signo, quid de nocturno uiso sentirent, ex fide expromerent. Cui illi constanter respōderunt, Eum, cuius speciem in quiete uidisset, Christum esse, Dei unius filium unigenam. Sigonius libro primo Imperij occidentalis.

Ruffinus mirabilem illam THEODOSII uictoriam contra Eugeniū tyrannum & Arbogastē, precib. eius quas ad Deū fudit, adscribit lib.2.c.33. Narrat enim, compertū esse quòd post illam Imperatoris uocem (Tu omnipotēs Deus nosti, quia in nomine Christi filij tui ultionis iustæ, ut puto, prelia hæc suscepi: si secus, in me uindica. Si uerò cum causa probabili & in te confisus huc ueni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant gentes, Vbi est Deus eorū) uentus ita uehemēs exortus sit, ut tela hostium in eos qui iecerant retorqueret. Sozomenus lib.7.c.34. & Nicephorus lib.12. c.39. Socrates lib.5. c.25. Milites nobis, qui aderant, retulerunt, inquit D. August. lib.5. de Ciu. Dei. extorta sibi fuisse de manib. quæcunq; iaculabantur, cùm à Theodosij partib. in aduersarios uehemens uentus iret, & non solùm quęcunq; in eos iaciebantur cōcitatissimè raperet, uerùm etiam ipsorum tela in eorū corpora retorqueret. Vnde & poeta Claudianus, quāuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

> O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Aeolus armatas hyemes: tibi militat æther,
> Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Mortuo Honorio occidentis Imperatore, Ioannes Amanuensium Imperialium pręfectus, dignitatis insolentia, missis ad Theodosium legatis, ut in Imperij consortium reciperetur petiit. THEODOSIVS uerò Iunior, Arcadij F. coniectis in custodiam legatis, in Occidentem misit Ardeburium ducē, ut Reip. opem ferret, & Ioānis ambitionem atq; insolentiā reprimeret. Sed ille nauigatione infelici in manus tyrāni uenit. Quæ res dolorem Theodosio attulit, qui rebus in magno positis discrimine, ad orationem confugit, & miraculosam dei liberationē eiusmodi impetrauit, ut deductus ab angelo in pastoris specie Aspar Ardeburij captiui filius cū exercitus parte per stagnū Rauennæ adiacens, in qua ciuitate Ioannes agens ducē captum tenebat, inuium planè, & à nemine unquam transitu superatū, tyrannum uicerit, & patrem liberarit. Socrates lib.7.c.23. Paulus Diaconus lib.14.

HERACLIVS Imp. Cosrois regis Persarum armis pressus, omnes pacis conditiones aspernantis, ad diuinam opē confugit, solenni more supplicans, & supplicationibus ieiunia atq; orationes addēs. In hunc modum fide speq; armatus, cum immani hoste, duobus præliis conflixit, ac uictoriam reportauit. Fulgosus lib. j. cap. j.

CLODOVEVS Francorū rex, anno CCCCXCV. arma Alemanis trans Rhenum habitantib. inferens, cum lectissimo Francorū robore aduersus eos ire contendit. Qua re præcepta, Alemani egregiè instructi & ipsi circa ripas Rheni se obiecerunt. Ita, commisso ad Tolbiacū oppidum prælio, acriter à Francis Alemanisq; pugnatum est: ab illis, ne auitæ belli gloriæ, ab his, ne patriæ libertatis possessionē amitterent. Cùm autem, flagrante certamine, ac multis utrinq; cadentibus, Clodoueus suam inclinare aciem cerneret, neq; eius sustinendæ humanam ullam rationem iniret: tum oculis in cœlum sublatis, lacrymabundus, Christe potēs bellorum, inquit, polliceor, me sacra tua, quæ adhuc respui, cū meo populo suscepturum, ac tibi ex animo seruiturum, si tuo beneficio uictoriam de hostib. Alemanis retulero. Qua orationē completa, repente Alemani infesto quodam quasi fulmine tacti, Francis terga dare cœperunt, & uictoriam, quam iam propè habebant in manibus, tradiderunt. mox, cùm regem suum in acie cecidisse animaduerterent, pacem ab illo quoq; supplices petierunt. Sigonius libro sexto Imperij occidentalis.

SCOTIS

SCOTIS monachis mos fuit, exorto bello, simul cum rege exire, & orando pugnare: sicut apparet ex bello inter Edilfredum Northanymbrorū, & Ean Scotorū regem, in quo centū & uiginti monachi trucidati legūtur apud Bedā lib.2.c.2.

STEPHANVS Hungarorum rex, subditos suos ad Christianam religionem humanitate inuitaturus, cùm non succedere rem animaduerteret, aliquantulum seueriùs in reluctantes egit. Quod cùm faceret, pleriq; principū, duce Cupa, in eum coniurarunt. Stephanus coacto exercitu ad Gerā amnem cum illis conflixit dubio marte. Inde cōuersus ad preces, uix facto orandi fine Vencellinus Cupæ caput abscidit. Quo consternati reliqui milites, palantes aufugerunt. Bonfinius lib.1. Decad.2.

Inter Christianos populos HELVETII hunc morem à maioribus traditum constantissimè retinent, ut ante conflictum proni cœlestem pacem ter expetant. Atque utinam quàm in hac parte religiosi sunt, tam quoque in bellis suscipiendis maiorum suorum uestigia sequerentur.

IGNOMINIÆ DEPELLENDÆ.

SARA Raguelis Israelitæ filia unica, Ecbatanis habitantis, dęmonum regi Asmodæo obnoxia fuit, ita ut septem uiris locata fuerit, quos prima nocte nuptiarum Asmodæus interfecit. Itaq; puellam non Saram, id est, reginam, sed Zaram, hoc est, aduersariam dici debere, gentiles eius irridendo asserebant. Ancilla quinetiam Saræ calamitatem hanc exprobrabat, ueneficā eam appellans. At Sara triduo ieiunans & orās in patris sui cubiculo, ut uel hoc malo liberaretur, uel mortem obiret, exaudita est. Et Raphaelis angeli ductu, Tobias iunior Niniuita Saram uxorem duxit. Tobiæ 3. & seq.

TOBIAS cæcus, senex & pauper, Niniue habitans, cùm ab amicis, atque etiam ab uxore irrideretur & obiurgaretur, ad Dominum clamauit, & exauditus est, ita ut Raphaelis angeli ministerio uisum receperit, & filio uxorem cum dote ex Media acquisiuerit. Tobiæ 2. & 3.

GRATIÆ CONCILIANDÆ.

NEHEMIAS Xerxis regis pincerna, apud regem pro Iudæis intercessurus, ut illis in Iudæam redire liceret, & Hierosolymæ muros dirutos restaurare: Deum supplex orauit, ut sibi gratiam regis conciliaret, ad hoc impetrandum. 2. Esdræ 1.

DISCORDIÆ SEDANDÆ.

CROTILDIS regina Francorum, de prælio Childeberti ac Theodeberti contra Clotharium audiens, in æde Martini preces fudit, ne mutuis cædibus filij interirent. Gregorius Turonensis lib.3. Historiarum, cap.26.

OBSIDIONIS TOLLENDÆ, SVSTINENDÆ.

EZECHIAS fide & religione probatus, sed ob plebis & Achazi patris impietatem Hierosolymis obsessus, conscidisse uestimenta dicitur, saccoque se operuisse, ad templum uenisse ad Esaiam, ut pro ipsis oraret misisse: & continuò ab eodem propheta meruit audire, ne timeret. Deniq; Dei ira in hostem conuersa, nocte una cecidēre CLXXXV millia Assyriorum, angelo cædente, & à pernicie liberante pœnitentem. Prophetauerat autem Esaias dicens: Cadet Assur in gladio non uiri, & gladius non hominis uorabit eum, & fugiet non à facie gladij.

LVPVS Trecassinus episcopus, Atila ciuitatem obsidente, Deum precatus, portas aperiri, hostem admitti iussit. Ingressi, omnia extemplò euersuri putabantur. Rectà pertransierunt, ac ueluti per solitudinem iter facientes, nihil prorsus hostiliter egēre: nūquam armata manus minùs nocuit suis, quàm tunc isti alienis. Quid multa? Lupus lupis omnibus rapaciorem tyrannum, non bellando, sed Deo supplicando à se repulit procul, & spe prædæ frustratus est. Marulus libro 2. capite 4.

CONSTANTINOPOLITANI triennium obsessi à Saracenis, solis precibus à Deo impetrarunt, ut hostes in fugam ex insperato sese coniicerent, & in mari à tempestate obruti perirent. Iuo in Chronico, sub Leone: Blondus Dec.1. lib.10. Beda de Ratione temporum.

Parisiorum urbs D. GENOVEPHÆ uirginis precibus contra Atilam Hunnorum regem incolumis mansit. Bonfinius libro 5. Decadis primæ.

Atila, Hunnorum rex, obuia quæque subuertens, Aurelianum ad Ligerim situm accessit, eamque urbem se dedere recusantem, ac uictoriam suam inhibentem, omni mole oppugnare, ac uariarum machinarum pulsu uerberare instituit. Ea re territi ciues, cùm quidnam consilij caperent, in incerto haberēt, ANIANVM episcopū suū consuluerunt. Ille monuit, ut spem in Deo defigerent, atque opem eius suppliciter implorarent. Quod cùm illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conuersus dixit: Prospicite de muris, num subsidium Dei adueniat. putabat enim, Aetium aduentare. Prospicientes autem, neminem uiderunt. At ille: Orate iterum cum fide: uos enim Dominus hodie liberabit. Et, cùm fecissent, Prospicite iterum, inquit. Nemine autem apparente, dixit illis, Si cum fide orabitis, Dominus uobis sine dubio aderit. Illi uerò cum fletu magno misericordiam inuocare Dei ceperunt. Inde ex sancti episcopi præcepto deintegro prospicientes, nebulam, quasi de terra surgentem, uiderunt. Quod renunciantib. sacerdos dixit, Atqui hoc Domini auxiliū est. Hunnis proinde oppūid inuadentibus, tanta uis aquę de cœlo cecidit, ut coacti sint in castra reuerti. Sequenti die, trementibus ac fatiscentibus assiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aetius Valentiniani III. dux, & Theodericus Gothorum rex, ac Thorismundus filius eius, cum suis quisq; exercitibus prodierunt, commissoque certamine Atilam ab urbe propulerūt. Hæc ita acta Turonēsis Gregorius refert, lib.2. cap.7. Sidonius uerò Atilam urbē etiam irrupisse, uerùm, Aetio superueniēte, non diripuisse prodit. Sigonius lib.13. Imp. occid.

VRBIS EXPVGNANDÆ.

ROBERTVS rex Franciæ, festa in monasteriis agere solebat: & non modo unà cantare, sed etiam serica cappa indutus, chorum regere. Itaq; quū incepisset alta uoce, Agnus Dei, mœnia cuiusdā castri, quod ipsius obsidebāt milites, ceciderunt. Idem auctor perhibetur hymni, Sācti spiritus adsit nobis gratia. Martinus Polonus.

LIBERTATIS CONSEQVENDÆ.

MANASSES Iudæorum rex Babylonem captiuus ductus, in carceribus Deum, quem offenderat, ardentissimis precibus inuocauit, & ab eo exauditus est, ita ut in regnum suum fuerit restitutus, & in posterum sanctè uixerit 2. Paralip.33.

IOACHIM rex Israel, cùm suos, eo quòd se idolorum cultura polluerant, in ditionem Syriorum redactos uidisset, ad Dominum conuersus, pro ipsis deprecatus est, & à seruitutis iugo ereptos recepit.

ALBINVS Andegauensis episcopus, quosdam tenebricosi carceris tristi squallore obsitos cernens, cùm præsidem, ut dimitterentur, exorare nullo modo potuisset, Deum pro illis precatus est: fatiscenteq; carceris muro, omnes euaserūt, Deo Deiq; seruo gratias agentes, cuius precibus homo restitit, & lapides paruerunt. Marul. lib. 2. cap. 4.

MAGNIBONVS eiusdem loci episcopus, & ipse similiter iis qui in ergastulis & uinculis detinebantur, liberationem à magistratu frustrà contendit: à Deo autem facilè impetrauit. Nam dum ipse ante aram suppliciter prouolutus deprecatur, claustra laxantur, compedes ferrei franguntur: & qui uincti erant, liberi euadūt. Itaque quos durus magis quàm iustus iudex perdere cogitabat, misericordis hominis oratio seruauit. Marul. lib.2. cap.4.

Ad RADEGVNDIS, Clotharij Gallorum regis uxoris, sed magis Christi ancillæ, orationem, ferreæ pedicæ eorū, qui in uinculis publicis erant, contritæ sunt, illi absoluti. Sic & nos orare oportet, ut peccatorum nostrorum nexibus liberemur, & liberati Deo gratias agamus, dicentes, Dirupisti Domine uincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis. Marul. lib.2. cap.2.

BELLVARVM DOMANDARVM, ABIGENDARVM.

Etiam nostris temporibus uidimus, inquit D. Hieronymus in Ioelem cap.2. agmina locustarum terram texisse Iudæam: quæ postea misericordia Domini inter uestibulum & altare, hoc est, inter Crucis & Resurrectionis locū, SACERDOTIBVS & POPVLIS Dominum deprecantibus, atque dicentibus, Parce populo tuo, uento surgente in mare primū & nouissimum præcipitatæ sunt. Dumq; litora utriusq; maris aceruis mortuarum, quas aquæ euomuerant, implerentur, putredo earum & fœtor intantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, & pestilētia tam iumentorum quàm hominum gigneretur.

AMMONIS Aegyptij abbatis oratio immanem atque terribilem draconem, & qui iumenta hominesq; enecaret, per medium crepare compulit: puerumq; pestifero illius afflatu interemtum suscitauit. Marul. lib.2. cap.2.

ROPHILVS Popiliensis, & MERCVRIALIS Liuensis, ambo episcopi, draconem æquè pecori atq; hominibus infestum, stolis suis non repugnantem, sed quasi mansuefactum ligauerunt: ac post se trahentes, in puteum altitudinis immensæ, nunquam inde exiturum deiecēre. Literæ ibidem in lapide incisæ factum hoc indicant, & adhuc extantes legentibus fidem faciunt. Marul. lib.2 cap.2.

SEVERINVS abbas in Pannoniæ finib. quoniam Cuculli castelli agrum locustarum agmina deuastabant, iussit omnes loci incolas unà secum ad ecclesiam pergere: dumq; ibi simul orarent, omnis illa locustarum tempestas inde sublata fugam fecit. Ac ne casu aliquo discessisse uiderentur, pars earum non minima in cuiusdam agro resedit, qui cum aliis ad orandum non uenerat. Tantumq; homini illi obfuit nō orasse, quantum cæteros orasse iuuit. Marul. lib.2. c.2.

LEO IIII. pontifex Romanus, sub Ludouico II. basiliscum perniciosum, qui halitu multos mortales necauerat, è forni

ce S. Luciæ in Orphea fusis antè ad Deum precibus expulit. Volater. lib 22. Anthrop.

MOTA SISTENDI.

FANTINVS Syracusanus, cùm Messanæ à Stradicone præfecto ad martyrium quæreretur, angelique monitu solus nauiculam ascendens fugeret: iam propè erat ut ab insequentibus caperetur, quando Deum precatus myoparonem illorum stare fecit, itaut neque uelo, neque remis ultrà impelli posset. Sicque aduersariis post se relictis, Dei quem inuocauit ope periculum euadens, Rhegium usque delatus est. Marulus lib. 2. cap. 2.

IMMOTA MOVENDI.

In BARBARA uirgine, ut constans sanctæ Trinitatis confessio, ita efficax fuit pro necessitate deprecatio. Dum enim infidelem & iratum fugeret patrem, & fugam prærupti montis crepido inhiberet, orauit Dominum: ac protinus illo in quo hæserat saxo, in aduersam paris altitudinis partem se inclinante euasit: neque tamen tanto miraculo inclinatus est impiùs pater, ut uel sic elapsam quærere cessaret. Proh nefas. Pater persequitur, saxa miserantur, & ad inuocationem Christi, montes mollescunt, hominis infidelitas obduratur. Marulus lib. 2. cap. 2.

SYLVANVS Troadis præsul, Maximiani tyranni tempore, cū nauis, quā in Troadem nauigaturus ascendebat, diu immobilis in litore permansisset, nec ulla mortalium ui sedibus dimoueri posset, eius precibus soluta processit: ut est in historia Tripartita.

SEVERINVS in Pannoniæ finibus abbas, cùm Fabianum oppidum (Vienna hodie) Danubio adiacens, fame laboraret, eo quòd concreto frigoribus fluuio frumentariæ naues iter agere nequibant, oratione glaciem soluit: & uectoribus nauigationem aperiens, periclitanti oppido subuenit. Marulus lib. 2. cap. 2.

CHRISTIANIS, qui in Perside circa Tauris erant, Ismaelita Calipha Christianæ doctrinæ falsitatem obiiciebat, quòd Christus dixisset, fore, ut si quis fidem haberet, montes suo moueret loco. Itaque cogebat illos, ut uel fide & oratione dogma hoc uerum esse ostenderent, uel Mahumetis perfidiam reciperent, uel omnes simul perirent. Illi ad preces cōuersi, diuinum implorabant auxilium. Inde quidam fide & spe plenus, confortatis cæteris dixit: Turo Zel Men Hosso Bsemo dIesua Msicho Moram: hoc est, Abi mons hinc in nomine Iesu Christi Domini nostri. Et statim ita motus est mons, ut permulti Ismaelitæ tunc facti sint Christiani. Gul. Postellus in compendio Cosmographiæ: & M. Paulus Venetus lib. 1. cap. 18. de regibus Orient.

In Hyrcaniæ urbe SAMARCANDA Christiani (qui opera regis Armeniæ Haytoni fuerant ad fidem conuersi) uolebant templum augustissimum D. Ioanni Baptistæ extruere, cuius fornix unica columna in medio posita sustētaretur. Coacti ergo sunt Ismaelitæ (quia tunc inferiores erant Christianis) columnā, quam ad manus habebant, Christianis concedere. Paulo pòst cùm res Christianorū attritæ essent, Ismaelitæ à Christianis columnam suam repetiuerunt, spe destruendi & euertendi templi. Christiani ergo ad preces conuersi sunt. Nec mora: fornix in sublime eleuata, columnā secum plusquam pedali altitudine à sua basi traxit: atq; ita suspensam retinuit, ut hoc miraculo plurimi ad fidem Christi conuerterentur. Gul. Postellus in Compendio Cosmographiæ, ex M. Pauli Veneti lib. 1. cap. 39. de regibus Orient.

QVI PETANT. PVTA

ECCLESIA, COETVS piorum.

Ecclesiæ HIEROSOLYMITANÆ preces à Domino exauditæ pro Petro, qui ab Herode in uincula coniectus, post Pascha supplicio afficiendus erat. Actorum 12.

PROPHETÆ, APOSTOLI, SACERDOTES.

Plagæ Aegypti, MOSE intercedente, cessabant: multiplicabantur autem & ingrauescebāt, quoties Pharao ad cordis sui duritiam peruersitatemq; redibat, ut & oratione auerti mala intelligas, & obstinatione augeri. Idem dum populus Israeliticus Iosua duce contra Amalechitas decertaret, stās in uertice collis orabat. Cumq; manus in cœlum tolleret, uincebant Israelitæ: cùm remitteret, superabantur. Perseuerandum enim est, ut uincas. Ipse deinde non lassatis manibus usq; ad occubitum solis orans, suorum gladiis terga præbuit hostium. Ad hæc Dei iram, quoties ille populi flagitiis ac scelere prouocatus excandescebat, deprecando placauit. Ob adorationē uituli uidebatur uelle Dominus populum delere. Sed MOSES oratione obtinuit ueniam: Aut, inquit, dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro uitæ. Exodi 32. Mariam sororem lepra perfusam mundauit. Numerorum 11. Pestilentiam in diffidentes grassaturam inhibuit. In seditionem uersos omnes pariter cum Datame & Abirone repentinus terræ hiatus absorbuisset, nisi ipse reliquæ multitudini ueniam orando impetrasset. Exodi 17. Rursus cùm in illum & Aaronem turbæ insurgentes incendio diuinitùs excitato disperirent, eius monitu Aaron obtulit thymiama, processit in medium: & cùm orasset, flāma substitit, internecio cessauit. Marulus lib. 2. cap. 2. ex Numer. 11. Cùm in deserto in Deum murmurantes, passim serpentium ictibus sternerentur, supplicante pro eis Mose, Deus placatus, æneum serpentem in ligno suspendi præcepit: quem percussi dum aspicerent, sanabantur. Numer. 31. Percussum quippe erat humanum genus antiqui serpentis mortifera seductione: sed Deo miserante Christum in ligno pendentem uidit, & remedium accepit salutis. Marulus lib. 2. cap. 2. & Sabellicus lib. 2. cap. 5.

Ad orationē HELIÆ prophetæ annos tres & menses sex non pluerat super terram, donec rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra fructum suum. Sareptanæ uiduæ, quæ illum famis tempore hospitio susceperat, hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit imminutus: & quæ fame mortura erat, hospitis beneficio uixit. Insuper filium suum defunctum, ipsius precatione uitæ restitutum accepit. Eodem propheta inuocante, ignis de cœlo lapsus quinquaginta & quinquaginta uiros, alios post alios, ab Ochozia rege ad ipsum comprehendendum missos consumsit. Inuocauit autem ille non ut se uindicaret, sed ut Dei ueri immensam expauescendamq; potentiam contra præuaricatores, qui eo relicto Beelzebub deum Acharon adorabant, ostenderet. Post hæc Iordanem transiturus, comitante Helisæo, pallio percussit flumē: & diuisis aquis, per siccum aluei tramitem, ambo ad ripam ulteriorem peruenēre. Eodemque rursum pallio Helisæus, cùm solus reuerteretur, eandem expertus est uirtutē. Quòd si tanta uis in prophetæ pallio erat, quanto maior in oratione eius? Qua etiā rimatus est secreta cœli, & præuidit futura, & uiuens atq; sentiens è mortaliū consortio ad paradisi loca transferri meruit. Ex 3. Regum 17. Marul. lib. 2. cap. 2. & Sab. lib. 2. cap. 5.

HELISÆVS propheta, apud Hierichuntem aquas potantibus noxias, cùm orasset, salubres fecit, terræ sterilitatem fœcunditate mutauit. Ascendens in Bethel, pueris sibi illudentibus malè imprecatus est: non ut suam, sed Dei iniuriam ulcisceretur: qui statim ab ursis laniati, pœnas dederunt. In Samaria mulieris uiduæ inopiam miseratus, modico oleo non modica uasa impleuit, ita ut illa, eo uendito, & à creditore se redimeret, & uictum qui satis esset, sibi filiisque pararet. In ciuitate Suna mulieri hospitæ infœcundæ ac sterili, ut uiro suo filium pareret, à Domino impetrauit. Et eundem puerum postea exanimum ad uitam reuocauit. Reuersus in Galgala, pulmentum amarissimum in dulce conuertit. Panibus uiginti hordeaceis uiros centum satiauit, & superfuit. Naaman Syrum à lepra curauit. Securis ferrum in Iordanem delapsum, enatare fecit. Obsessus in Dothaim, aduersariis subita cæcitate percussis, liberatus est. Super ossa eius defuncti proiectum cadauer statim reuixit: ut uel hinc facilè disci possit, quantæ ille uirtutis fuerit uiuens, qui mortuus alteri mortuo uitam dedit. Marulus lib. 2. cap. 2 & Sabellicus lib. 2 cap. 5.

Cùm ONIAS pontifex, cum sacerdotibus, uiduis & pupillis ad Dominum clamaret, Heliodoro quęstore regio pecuniā in templo depositam auferre conato, spectro obiecto Heliodorus ferè exanimatus fuit. Idem tamen precibus pontificis uitæ restitutus, peccatum suum agnouit. 2. Macchabæorum 3. Idem precibus suis pluuiam à Deo impetrauit. Vide Tit. Pœna crudelitatis erga sacros homines.

Recedens PAVLVS ex Achaia, post paucos sermones & pia uerba, positis genibus, cū omnibus illis orauit. Act. 20. Cùm orasset in templo Paulus, in extasim raptus, audiuit Iesum dicētem: Festina, & exi uelociter Hierosolymis. Act. 22. Idem orabat pro aliis: Memoriam uestri facio semper, inquit, in orationibus meis, si quando prosperum iter habeam, in uoluntate Dei ueniendi ad uos. Rom. 1. Et ad Titum: Sine intermissione habeo tui memoriam in orationibus meis nocte ac die, desiderans te uidere. Item pro Thessalonicensibus: Oramus semper pro uobis, ut uos dignos habeat ista uocatione Dominus Deus noster. 2 Thess. 1. Et pro Philippensibus: Hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet. Philip. 1. Non cessamus pro uobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis Dei. Coloss. 1.

REGES, PRINCIPES.

EZECHIA rege Iuda deprecante, cùm in extremo rerum periculo esset constitutus, nocte una angelus Domini percussit in castris Sennacheribi CLXXXV millia Assyriorum. Sicque eum, quem arma nequiuerant, oratio seruauit. Idem aduersa ualetudine grauiter affectus, cùm Esaia prophetante se iamiam decessurum audisset, facie ad parietem uersa, multis cum lacrymis Deum rogando, & uitæ longius spaciū, & corporis impetrauit sanitatē. Nónne magnum hoc & admirabile, ut pœnitentis oratio mutet Dei sententiam: & quem Deus ipse morti iam addixerat, eum rursus ne ægrotare quidem permittat? Marul. lib. 2. c. 2. ex 4. Reg. 19. & 20.

THEODOSIVS Iunior in omnibus Dei opt. max. auxilium implorabat, siue bella imminerent, siue aëris tempestas desæuiret. Vnde Leo Pontifex summus eum semper religiosissimum & piissimum Augustum appellat suis epistolis, quas plures ad eum scripsit. Cuspinianus. Cum tota Ecclesia supplicationem fecit pro serenitate, & ipse medius hymnis canendis præiuit, priuati habitu. Cùm diuturno terræmotu uniuersa Constantinopolis concuteretur, Theodosius & episcopus Proclus cum ciuibus extra urbem periculi uitandi gratia egressi, ardentes ad Deum pro liberatione preces fuderunt. Nicephorus lib. 14. cap. 3. & 46.

CAROLVS V. Imp. nouas preces in singulas expeditiones concipiebat, suaq; manu conscribebat, septem ferè Psalmorum longitudine productas: & has à suis confessoribus approbatas, quotidie in agmine & acie existens legebat. Diuertebat nonnunquam (cùm in oratione incalesceret) per speciem lotij reddendi, aut alui exonerandi, ab agmine, ut prolixiùs feruentiusq; oraret. Illas autem preces Adriano Syluano custodiendas dabat: mandabatq; (si quis durior ei casus accideret) ut eas discerperet. Idcirco de eo quidam dicere solebant: Carolus sæpiùs cū Deo quàm cum hominib. loquitur. Gulielmus Zenoccarus lib. 5. de uita Caroli.

DVCES, MILITES.

CORNELIVS centurio, uir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciēs eleemosynas multas, & deprecans Dominum semper: propterea audiuit ab angelo, Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in memoriā in conspectu Dei. Actorum 10.

NARSES eunuchus, Iustiniani dux, in pauperes munificus, in reparandis templis liberalis, sobrietatis studiosus fuit, denique precibus ad Deum multo magis quàm armis uictoriam obtinuit. Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobardorum capite 3.

CONIVGES.

ELIZABETHA Lantgrauij Thuringiæ principis uxor, impetrata à uiro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pauimentum distento tapetulo cubitans, ne molliùs iacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quę Dei sunt magis magisque inflammabatur. Inde & quod petebat faciliùs concedere, & ipsemet impensiùs orare. Diceres eos identidem recordari illud ab Apostolo præceptum: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi. Ita ambo eiusmodi curæ pariter incumbentes, spiritui magis quàm carni seruiebant. Sed illa deinde uiduitate facta liberior, tantò soli Deo intenta orauit ardentiùs, quantò à rebus familiaribus iam aliena uixit expeditiùs. Marulus libro 2. capite 1.

FORMA, MODVS PETENDI. HVC

PRÆPARATIO.

SALVATOR noster sicuti nos orare docuit, ita etiam ante orationem ut piè nos præparemus iubet, fidem, spem, charitatem exigens à nobis. Fidem ibi, Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Spem ibi, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Charitatem ibi, Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem. Marulus libro secundo, capite 1. & Sabellicus 2. capite 4.

PETRVS & IOANNES ascendebant in templum ad horam orationis nonam, & languido ante uestibulum mendicanti pro eleemosyna sanitatem dederunt. Itaque documento nobis sunt, ne soli orationi uacantes, misericordiæ in egenos obliuiscamur. Scriptum est enim, Non apparebis ante conspectum Domini uacuus. Marul. lib. 2. cap. 1.

Oraturos CHRISTIANOS eleemosynas primùm erogare præcipit Chrysostomus, monens, ut unusquisq; in suis ædibus, eoq; in loco ubi oraturus recedere soleat, arculam collocet pauperibus, in eamque semper, priusquam ad orationem accedat, eleemosynā inferat, & sic demùm preces suas faciat. Homilia 43. in 16. caput epistolæ ad Corinthios prioris. Item homilia sexta in secundum caput ad Timotheum, epistola priore, inquit, Infructuosam esse orationem absq; eleemosyna, & prolixè disputat, non esse absque eleemosyna orationibus uacandum. Ex homilia eadem manifestum, consuetudinis fuisse, ut loti orarent. Vnde inquit: Cum sordidis manibus orare nō audeas. Et paulo pòst: Manus ipsas non sinis impleri immundicia, sed eas primùm abluens, ita demùm offers. Item: Sunt qui cùm per diem innumera admiserint scelera, uespere lauant, nimiumque fidenter ac temerè ingrediuntur ecclesiā, manusq; ad orationē extendūt, quasi sordes animi aquarum diluerint lauacro. Ieiuniis preces accendi uidentur etiam physicè: quoniam calor alimento humido destitutus, acrior & feruentior redditur.

MENTIS DEVOTIO.

In orando fidem, patientiam, humilitatē necessaria esse, CHANANEÆ mulieris monstrauit euentus. A Domino sanari posse filiam credidit, & despecta supplicare non destitit: & canibus comparata, non modò non contradixit, sed etiam ad catellorum utilitatem se submisit. Quamobrem audire meruit, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Sic & tu, quamuis multùm aliquid diuq; petitum nondum acceperis, petere tamen adhuc ne cesses. Ideo dare differt Dominus, ut perseueranter instanti cumulatius tribuat. Marulus libro secundo, capite primo.

ORIS PETITIO. ORANDI FORMVLA VEL Simplex.

Homo uniuersitatis uinculum, infima summis connectens. Inseruiunt huic Creaturæ reliquæ, ut ipse Creatori. Cæterùm quia per se nequit suo fini satisfacere, idcirco Creatoris implorat opem. CHRISTVS ergo Patris sapientia orandi formulam ut breuissimam, sic omnibus numeris absolutissimam nobis proposuit, ueluti ideam eorum quæ religiosè à Deo sint petenda. Cuius methodus uti constet, diuidenda est Precatio Dominica in Proœmium, Narrationem seu Petitionem, & Epilogum. Proœmium tale est, PATER NOSTER qui es in cœlis. Hoc Deum Opt. Max. nobis ueluti cōciliare studemus, humiliando nos sub iusto & misericorde. Et quidē respectu nostri, Misericordiam eius præfamur, Patrem uocando, qui nos per Christum filium unigenitum in filios adoptarit. Respectu uerò Suiipsius, Gloriam eius commendamus, Qui in cœlis sit, tanto excellentior omnib. creaturis, quo inter creata omnia cœlum eminentius. Narratio, septenario numero perfectissimo constat. Hic ex Fine hominis eruendus est, diuersimodè considerato: quæ quidem cōsiderationis diuersitas sæpè facit, ut unum idemq; bonum ad diuersas petitionum species accommodari queat. Finis hominis alius est primarius, alius secundarius. Primarius finis est, DEI GLORIA, uti declaretur, conseruetur, propagetur. Et in hac petenda FIDES nostra potissimùm elucescit, tribuens Deo quæ oportet. GLORIA Dei alia Passiua, alia Actiua. Illa, ex iis quæ Homines Creatori suo debent, emergit (debent autem ut Potenti Timorem, ut Sapienti Honorem, ut Bono Amorem. Nullum horū per nos possumus: propterea petere iubemur, SANCTIFICETVR nomen tuum) Hæc autem, ex iis quæ Creator Hominibus bona maláue, animi, corporis aut fortunæ, in præsenti uel futura uita tribuit, dependet. In horum distributione respectu Hominum, petendum est, ut ea omnia hominibus prosint: proderunt autem, si Deo hominem cōiunxerint. Hinc secunda petitio, ADVENIAT regnum tuum. Spiritum tuum communicando, regni tui participes fac homines in hac uita ænigmaticè, in altera perfectè. Respectu uerò Dei, petendum est, ut quādo solus Deus Potens, Sapiens, Bonus est, VOLVNTAS eius iustitiæ & misericordiæ effectibus cōspicua fiat: siue in bonum, siue in malum cedant hominibus. Porrò Secundarius finis est, HOMINIS Felicitas caduca, Beatitudo æterna. Et in hac petēda SPES nostra quo ad nos, & CHARITAS quo ad proximum elucescit: inter se coniunctæ uirtutes, quia proximum tāquam nos ipsos diligere debemus. Beatitudo autem humana consistit tum in Bonorum acquisitione, conseruatione, animi, corporis, fortunæ, caducorum, æternorum (cui inseruit Quarta petitio: PANEM nostrum quotidianū da nobis hodie) tum in Malorum depulsione, nō unius generis, cū alia sint ueluti κύρια, alia ἄκυρα. Prioris generis sunt Peccata, quę sola uerè mala dici possunt, quia hominem à suo statu penitùs deiiciunt, & characterem uitæ diuinum abolent. Huc respicit Quinta petitio: ET REMITTE nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. quæ sola inter omnes conditionata est, ut Spei iungatur indiuiduo nexu Charitas: ut quod à Deo præter meritum speramus, id proximo nostro Dei iussu ex charitate tribuamus. Posterioris generis sunt, superiorum malorum ueluti effectrices causæ, partim spirituales hostes, Dæmones: partim corporei, intra nos, Caro nostra, extra nos, Mundus cum suis illecebris. Harum peccandi occasionum petimus tum in Vita alleuiationem, ut ne hìc circumuenti opprimamur, & ex alieno malo proprium faciamus peccatum (unde Sexta petitio: ET NE NOS inducas in tentationem. à Tentatore intentatam, siue mediatè per Carnem & Mundum, siue immediatè) tum in morte depulsionem omnigenam, ut malorum caducorum extremū Mors, occasio fiat Summi boni, Vitæ scilicet siue Beatitudinis æternæ. Septima petitio: SED LIBERA nos à malo. Epilogus breuissimus, sed efficacissimus. Vnico uerbo Fiat

creata sunt omnia à Deo: unica uoce, AMEN, uota omnia ueluti obsignantur, indubitatæ spei argumento, quòd hæc per Christi meritum euentura sint omnia. Reliquæ uoces, QVIA tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, etsi piè, fortassis tamen parum methodicè à religiosis hominibus Christi primæ institutioni, quam retinere præstat, apposita fuerunt, & sine piaculo omitti possunt.

Lib. primo de Ciuitate Dei S. Augustin⁹, PAVLINVS, inquit, Nolanus episcopus, quando Nolam Alaricus uastauit, cùm ab Gothis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognouimus, precabatur: Domine non excrucior propter aurum & argẽtum. ubi enim sint omnia mea, tu scis.

Cùm horrendo terræmotu Constantinopolis quateretur, & ciues cum Imp. Theodosio iuniore supplicationes extra urbem obirent: inquiunt hymnum, quem Trisagium appellãt, diuinitùs esse reuelatum. Cùm enim κύριε ἐλέησον, anxiè uoci ferarentur, ecce puer quidam in aërem sublatus est: is rursum delapsus, dixit, quòd Letaniis sit hoc inserendum, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri. quia angeli coram Deo hoc hymno utantur. Itaque Theodosius toti orbi terrarum præcepit, ne has uoces Ecclesiæ præterirent. Paulus Diaconus libro 14. & Nicephorus libro 14. capite 46.

Votiua.

☞ *Huc Vota, quatenus uouendo & pollicendo quid, Dei se benignitatem prouocare student.*

SACRIFICIA SVPPLICVM.

Cùm SAMVEL offerret Domino holocaustum pro populo, Philistæi inierunt prælium contra Israëlitas. Intonuit autem Dominus fragore magno super Philistæos, & exterruit eos, cæsiq; sunt ab Israelitis. 1. Reg. 7.

DAVID Iudæorum rex, aram Domino in area Araunæ Iebusæi extruens, pestilentiam sedauit, ob censum populum diuinitùs inflictam. 2. Regum cap. ult.

IDEM qui Goliathum Philistæum singulari certamine superauit, & finitimas gentes Iudæis infestas domuit, nunquam bella suscepit, nisi sacrificia Deo maximo exhibuisset: parta autem uictoria hymnos statim cecinit, eidem gratias agẽs: ut ostenderet, Dei benignitate & gratia, non suis meritis, tantam felicitatem se consecutum fuisse. Platina libro 1. de Optimo ciue.

HENRICI II. Imp. exercitus antequam iniret prælium, eucharistia se munire solebat. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.

NORMANNI inituri prælium cum Anglis & Danis, noctè peccata confessi, manè Dominico corpore communicarũt. Malmesburiensis lib. 3. cap. 15.

GESTVS, HABITVS, LACRYMÆ PRECANTVM.

Mos est, ut in orando ac **salutando Deo, quis in orientem** solem conuertatur. **Vtrunque apud PRISCOS** **seruabatur.** Quod proprium est **ueri oratoris ex mystica religione**, quoniam Christus sol est iustitiæ, ut Hieron. in Ezechielem testatur. Ea de causa templa Christianorum ita ædificata sunt, ut eorum princeps altare in Orientem uergat, in quo sacerdos rem diuinam faciendo semper ipsum Orientem aspiciat, unde precationes nostræ iugiter uelut instar solis, oriantur. Polyd. lib. 5. cap. 9. de Rerum inuent. Sub Seuero Imp. Christiani accusabantur tum de aliis criminibus, tum etiam quòd solem adorarent. Crimen ex eo natum ostendit Tertullianus, quòd preces dicturi, Orientem spectarent.

Orasse CHRISTIANOS stantes, & uersa facie ad Orientem, Augustinus auctor est lib. 2. de sermone Domini in monte. Flexis genibus in terram procumbentes, idq; pro more, se & alios orasse apud quendam decumbentem, idem commemorat libro de Ciuitate Dei 22. cap. 8. Ex epistola eiusdẽ 119. ad Ianuarium, animaduerti potest, in nonnullis Ecclesiis moris fuisse, ut per Quinquagesimæ dies, & omnibus Dominicis stantes orarent. Eleuatis manibus preces fecisse, testatur homilia 2. de cruce Domini, Maximus Taurinensis episcopus inquiens: Eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Et Saluianus: Cur ad cœlũ manus quotidie tendimus? Eucherius: Non est (inquit) præscriptum, quomodo corpus constituatur ad **orandum**, dúm animus Deo præsens peragat intenti**onem suam**. Nam & stantes oramus, sicut scriptũ est: Publicanus autem de longè stabat. Apud Marcum cap. 11. legimus, Et quum steteritis orantes. Itaq; uidetur precantium moris fuisse, ut stando orarent: quia qui stat, diligentiùs animum intendit in rem, quam agit. Polydorus lib. 5. cap. 9. de Rerum inuent. Orabant etiam flexis genibus, sicut in Actis Apostolorũ legimus. Et sedentes: ut, Ecce Dauid & Helias. Nisi autem & iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmo: Lauabo per singulas noctes lectum meum.

ANNA Helcanæ uxor orauit Dominum, flens largiter, & uotum uouit. Loquebatur autem in corde suo, & uox penitùs non audiebatur. 1. Regum 1.

SALOMON rex, ædificato templo stetit ante altare Domini, in conspectu ecclesiæ Israelitarum, expandens manus suas in cœlum, utrunq; genu in terram fixit, & orauit. 3. Reg. 8.

Conuertit EZECHIAS Iudæorum rex faciem suam ad orandum ad parietem, ut attentiùs orare posset, & orauit Dominum. Fleuit fletu magno, & exauditus est. 4. Reg. 20.

Appropinquante exercitu Timothei, IVDAS Machabæus, & qui cum illo erant, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosq; ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem prouoluti, ut eis esset propitius, & inimicis eorum inimicus. 2. Machabæorum 10.

IVDITHA magnum illud facinus pro salute populi sui cõtra Olofernem aggressura, in conclaui suo, puluere conspersa caput, centone amicta, qua hora Hierosolymis in Domini templo uespere suffitus fiebat, in faciem prolapsa, Domini auxilium implorauit. Iudithæ 9.

DANIEL propheta exul in Media, aperta conclauis sui fenestra Hierosolymã uersus, ter quotidie flexis genibus Deum collaudabat, ac orans celebrabat. Danielis 6.

MARDOCHÆVS Susa abductus, cùm Amanis odio factum esset, ut rex Assuerus edicto iuberet interfici Iudæos omnes, qui in toto Persarum regno erant, uestimenta scidit, saccum induit, aspersit cinere caput, cum clamore & eiulatu incessit. Illi etiam qui per prouincias erant IVDÆI ieiunauerunt, cilicioque & cinere pro strato usi sunt: & Deo propitio, cædes quæ in ipsos grassatura erat, uersa est in auctorẽ Amanum. Marulus lib. 4. cap. 9.

TOBIAS cum lacrymis orasse perhibetur, & cùm casu quodã oculos amisisset, ab angelo Raphaele de cœlo in terras misso, meruit curari: adeò inter orãdum illi fleuisse profuit.

CHRISTVS quo corporis gestu, quáue humilitate orandum esset, suo sæpè exemplo monstrauit: nunc procidens in faciem, nunc positis genibus, nunc eleuatis in cœlum oculis. Marulus lib. 2. cap. 1.

Arrogantiam in orando fugiendam, humilitatemq; sequendam, Pharisæus & PVBLICANVS monent: alter insolenter sese efferens, & inani **iactatione** cæteris præponens reprobatur: alter uerò cœlum **intueri non ausus**, sed in terram pronus, pugnis **pectus uerberans, rediit (ut Veritas** ait) iustificatus præ **illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur:** & qui se humiliat, exaltabitur. **Oratio humiliantis se (ut** Ecclesiasticus inquit) nubes penetrabit. Marul. lib. 2. cap. 1.

MARIA Magdalena ueniam obtinuit à Domino dicente, Remittuntur tibi peccata: non uoce orans, sed uberes profundens lacrymas. Lucæ 7.

MOSEN abbatem, noctem penè totam orando peruigilare solitum ferunt: ac dum oraret, recto corpore patentibusque oculis, ne sopori succumberet, perstitisse. Sic superasse dæmonum tendiculas atque dolos, qui sopitum uoluptuosis phantasmatum imaginibus ad illicita prouocabant. Marulus lib. 2. capite 1.

Stantem atque orantem IOANNEM abbatem, in superioris Thebaidis eremo, sub quadam cauæ rupis fornice annos tres perseuerasse legimus, nunquam procubuisse, ne minus orare quàm uellet cogeretur: quoniam cubanti citiùs obreperet somnus. Quietis mollitiem standi frangebat labor: standi laborem leuabat auiditas deprecandi. Miraculum auxit, toto eo tempore nihil gustans, præterquam Dominicis diebus sacrosanctam Eucharistiæ communionem, quæ illi simul & animæ cibus, & sustentamentum corporis erat. Marulus lib. 2. capite 1.

SISINNIVS Elpidij abbatis discipulus, cùm annos septem sub illius institutionibus fuisset conuersatus, tandem discedens, & in quodam satis grandi lapideo monumento se occludens, per triennium semper rectus orasse dicitur, neque interim aut sedisse, aut iacuisse, aut inde pedẽ extulisse. Marulus libro 2 capite 1.

ARSENIVM abbatem hunc morem habuisse constat, ut unoquoque sabbathi die submissis genibus à uespere usque manè orationem protelaret, facie semper ad orientem uersa: illum adorans orientem, de quo per Prophetam dicitur: Ecce uir, Oriens nomen eius. Marulus lib. 2. cap. 1.

EVNDEM ob frequentes lacrymas fluxis ciliis, turgidis oculis, suffusisq; rubore genis fuisse ferunt. Marul. lib. 2. c. 12.

Diuus HIERONYMVS de exercitio eremitico suo ad Eustochium scribens, Quotidie, inquit, lacrymæ, quotidie gemitus. Post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos nonnunquam uidebar agminibus interesse angelorum, & lætus gaudensq; cantabam, Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Marul. lib. 2. cap. 12.

FRANCISCO, Minorum patri, plorandi assiduitas hebetauerat uisum: & cùm oculis parcere moneretur, respondebat: Haud esse tanti ipsos corporis sensus, ut eorum causa languescere debeat deuotæ mentis uigor. qui certè suspiriis alitur, & per lacrymas ad Deũ sibi accessum parat. Idẽ.

ACCI-

ACCIDENTIA PRECVM. Videlicet

FREQVENTIA.

Septies in die laudem Domino dicens, sanctus propheta DAVID septem canonicarum horarum, quas seruat Ecclesia, orandi documentum reliquit. Quali autem quantóue mentis affectu orauerit, testatur dicens: Deprecatus sum faciem tuam ex toto corde meo. Et item: Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. In corde ad Dominum clamant, qui ardenter orant: non qui tantùm uocibus obstrepunt, & quod labiis uolutant, mente non concipiunt. Marul. lib. 2. cap. 1. & Sabellicus lib. 2. cap. 4.

Assiduitate in orãdo opus esse, CHRISTVS IESVS tum uerbis docuit, tum exemplo significauit. Dormientibus Apostolis ipse uigilans, iterum & tertiò eundem repetendo sermonem orasse dicitur: & ut Lucas ait, Factus in agonia prolixiùs orabat. ne scilicet aliter egisse uideretur, quàm præcepisse. Præceperat autem, similitudinem afferens ac dicens: Si quis nocte intempesta ad amici pulsans fores perseueret, ipsa poscendi improbitate coget illum de stratu suo surgere, & panes quos petierat sibi mutuò dare. Parabolã etiã proponens iudicis Deum hominesq; contemnentis, qui uiduæ quotidie interpellantis uictus tædio, eam ab aduersarij calũnia tandem decreuit uindicare: Auditis, inquit, quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Marul. lib. 2. cap. 1.

BARTHOLOMÆVM Apostolum centies in die, & centies in nocte flexisse genua, dum orationes iteraret, ferunt. IACOBO Alphæi utrunq; genu in modum camelorum procũbendi assiduitate occaluisse. Quòd si sic orarunt, qui iam Spiritus sancti igne excocti, omni puriùs auro renitebant: quid nos facere oportet, qui peccatis peccata cumulantes, quotidie diuinam in nos indignationẽ prouocamus? Submissiùs supplicare debet, qui grauiùs delinquit. Ibidem.

MARTHAM centies per diem, & centies per noctem submittere genua solitam ferunt, dum illum supra cœlos regnantem adorat, quem in terris morantem suscepisse hospitio beneficij loco habuit: non iam minus in supplicando solicita, quàm olim fuerat in ministrando. Ibidem.

Gregorius pontifex in Dialogis testatur, in THRASILLÆ uirginis amitæ suæ, cùm uita defunctam lauare uellent, genibus cubitisque concretam callorum duriciem apparuisse: palamque factum exanimi iam corporis indicio, quanta illi adhuc uiuenti sanctarum precum cura studiumque fuerit. Ibidem.

APOLLONIVS abbas centenis genu flexionibus die noctũque precationes repetiisse perhibetur. Ibidem.

De ELPIDIO abbate memoria proditum est, quòd per quinque & uiginti annos nunquam se ad Occidentem uerterit, semper ferè orans: & illum, cui nomen Oriens, iugiter contemplans. Marul. lib. 5. cap. 8.

THEODOSIVM iuniorẽ Imp. crebrò orasse priuatim & publicè in Ecclesia, recenset Sozomenus, capite libri noni primo: idque institutione sororis Pulcheriæ. eamq; ob causam Deum pro ipso bella confecisse, hostesq; profligasse, auctor est Socrates lib. 7. cap. 43.

VOLBODVS, Leodiensis episcopus, continẽti poplitum flexione grandes genibus obduxit callos. Frigoris, uigiliæ, inediæ adeò patiens fuit, ut sæpiùs hyeme nudis pedibus in templis pernoctaret. Maximus pauperũ amator & fautor, quos subinde necessariis iuuit. Floruit anno MXXI. gigantea (ut ferũt) statura. Hieron. Zieglerus de illust. uiris Germ.

CONSTANTIA, PERSEVERANTIA.

SARA, Raguelis filia, in superiori cubiculo se recludens, dies tres in oratione perseuerauit, cibi ac potus expers. Qua sollicitudine à Domino obtinuit, ne priorum uirorum interfectrix crederetur, Tobia uiro seruato: cum hoc uno felici admodum matrimonio iuncta, ad decrepitam usq; ætatem uixit sine querela. Marul. lib. 2. cap. 1. & Sab. lib. 2. cap. 4.

TOBIÆ filio nuptiarum celebritatem sacris precationibus placuit initiari. Cum Sara enim uxore sua priùsquam copulæ coniugali operam darent, tres noctes totas in cubiculo simul orando consumserũt. Inde illa quæ primo statim concubitu iam septem extulerat uiros, cum hoc postremo diu feliciter uixit.

Dux Israelitici populi MOSES, quàm olim sollicitè pro eorum delictis Domino supplicarit, ipse confitetur dicens: Et iacui coram Domino XL diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret uos, ut fuerat comminatus. Vtinam nos pro nostris peccatis tam impensè atq; perseueranter ueniam posceremus, quàm ille pro alienis. Marulus lib. 2. cap. 1. & Sab. lib. 2. cap. 4.

ANNAM uiduam in Euangelio legimus de templo nusquam discedentem, ieiuniis & obsecrationibus nocte ac die seruientem: & eodem in templo uidisse Iesum, uisum credidisse, creditum prophetando prædicasse. Tot illi similis attulit bona, nec sola uiduitatis castitas, nec solum corporis ieiunium: sed utriq; accedens etiam assidua deuotæ mentis obsecratio. Marul. lib. 2. cap. 1. & Sab. lib. 2. cap. 4.

CANANÆA mulier (cuius filia dæmoniaca erat) in Euangelio clamat, dicens: Miserere mei Domine. & Dominus tacet, quamuis intercedentibus discipulis. Et rursum illa: Adiuua me. Respondet ipse: Non est bonum, sumere panem filiorũ, & dare canibus. Illa tamen instat & urget, nec dedignatur canibus comparari: Sed & catelli edũt, inquit, de micis quæ cadunt de mensa dominorum. Quia ergo & petendo & humiliando sese perseuerauit, nec silentio repressa, nec contumelia cõfusa, meruit audire: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Marul. lib. 5. cap. 8.

APOSTOLI, postquàm Christus deuicta morte ad cœlos unde uenerat rediit, in Hierusalem reuersi, cùm cœnaculum ascendissent (ut Lucas in Actis testatur) perseuerantes erant unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Inde refert Spiritum sanctum aduenisse, domum ubi erant sedẽtes repleuisse, supra singulos eorum linguas tanquam ignis apparuisse: ut intelligas, perseueranti ac iugi oratione Spiritus sancti gratiam conciliari solere. Marulus lib. 2. cap. 1.

Apostolus PAVLVS orandum esse sine intermissione monebat, hoc ipsumq; sollicitus faciebat. Sine intermissione memoriam facio uestri semper in orationibus meis. Ad Romanos primo. Idem in Apostolorum gestis ubiq; memoratur, positis genibus preces Domino obtulisse.

ISAACVS Syrus monachus, pòst abbas Spoleti Picenti oppido presbyteros rogauit, ut ibidem orandi quamdiu uellet, copiam sibi concederent, nec sinerent interim oranti quempiam impedimento esse. Ea re impetrata, dies tres cõtinuos, & totidem noctes genibus innixus orauit. Hoc quidam hypocrisis uitio imputans, eò processit dementiæ, ut post uerborum insultationem etiam colaphum illi incuteret. Sed repentè maligno arreptus spiritu uexari cepit. Isaacus pietatis memor, iniuriæ immemor, percussorem suũ precatione à supplicio liberauit.

SAVINIANVM martyrẽ, multos ad fidem Christi à gentilitatis errore miraculorum operationibus conuertentem, Aurelianus Imp. comprehendi iusserat. Sed qui missi fuerant, orantem inuenientes, timuerunt ei manus inferre. Alij deinde missi, cùm similiter orantem offendissent, & ipsi animis concidentes, nec uim irrogare ausi, deprecari hominem ceperunt uti secum ad Cæsarem pergeret. Exoratus perrexit, & martyrium passus est. Marul. lib. 2. cap. 4.

ALEXANDER I. Pontifex Rom. cùm ungulis ferreis & igne ureretur, tacuit. Interrogatus ab Aureliano, Ecquid taceret? respondit: Habere se quod cum Deo loqueretur, nec cum hominibus loqui sibi modò licere: orare significans. Honorius, & Nauclerus.

OSVALDVS rex Anglorum, propter crebrum orandi morem, ubicunque sedit, super genua sua manus habere solitus est. Dicitur & inter precandum circumuentus ab hostibus, diem clausisse cum hac uoce, Deus miserere animarum nostrarum. Henricus de Erfordia, cap. 56. & Beda lib. 3. c. 12.

D. BERNARDVS orabat stans die nocteq; tamdiu, donec pedes corporis molem præ inedia ferre non possent, & pedes intumescerent. Cilicium ipsam carnem uestiuit. Cibus erat lac cum pane, uel pulmentum. Vino rarissimè utebatur, eoque modicè, aqua frequenter. Auctor uitæ lib. 1. cap. 8.

PASTVMIVS abbas usque adeò orandi studio ducebatur, ut nulla corporis debilitas animi sedulitatem coerceret. Aduersa ualetudine pressus, cùm de lectulo surgere non ualeret, iacens orabat. Iam languor uehemens expeditiùs loquendi ademerat facultatem, & tacitus labiorum motus etiam tum illum orare testabatur. Denique discedẽs anima, non priùs orationem quàm corpus reliquit. Marulus.

MARTINVS Turonensis episcopus, ne tunc quidem cùm opus suis manibus exerceret, linguam ab oratione cohibebat, præstititque illud Apostoli præceptum: Sine intermissione orate. Diem obiturus extremum, frigescentibus membris iam immotus iacebat, labia tamen mouebantur. Denique orare non destitit, donec subito lumine circumfusus reddidit spiritum. Idem.

GODOFREDVS monachus, noctu orationi intentus furem quendam equum abigere uidit. Sed ne preces & silentium rumperet, furem prohibere noluit. Mane facto, fur uni loco affixus cum equo repertus est. Vincentius lib. 24. cap. 60.

ANTONIVS abbas, submissis genibus orans, sæpè diem noctemque peregisse dicitur precatione perpetua. Nescio quod maius miraculum, an illo corporis gestu tamdiu immotum perstitisse, an tam continenter orasse. Vtrumque sanè difficile: sed amor Christi omnem uincit difficultatem. Marulus lib. 2. capite 1.

 VEHE-

VEHEMENTIA, ARDOR, FERVOR.

Quoniam orationes arma sunt, quibus prosternitur omne diaboli robur, iccirco maligni Spiritus interdũ orantib. nobis impedimenta struunt, ut uel torpeamus pertæsi, uel territi obmutescamus: uel uagis cogitationibus abducti, uerba quæ pẽsiculatè ruminanda sunt, contemtim effutiamus, similes ebriis, qui sæpè multa quidẽ loquantur, nec tamen quid loquantur satis sciunt. Sapiẽter admodum Agathon abbas interrogatus, Cui nã spiritalium actionũ plus laboris inesset? Precationi, respondit. Quoniam precationis tempore ipse nequam Spiritus plurimum nobis negotii exhibet, nunc apertè oppugnans, nunc occultè insidians, modisq; omnibus enitens, ut confundat deprecantium mentes, atque conturbet: haud ignarus, quanti apud Deum momenti sit, constans, continua, perseuerans humiliter orantis intentio.

Marulus lib. 2. cap. 3.

ANNA Helcanæ uxor, ita ardenter orauit Dominum, ut temulenta putaretur. Heli sacerdoti sibi ebrietatem exprobranti, nihil turbata respondit: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Et tunc quidem homo faciem tantùm uidens, deceptus est: sed scrutator cordis & renum Deus compunctionẽ considerauit orantis, & misertus, quod rogabatur concessit: ut quæ propter sterilitatem contemnebatur, propter partum multis matribus honorabilior appareret, edito Samuele sacerdote, simul & propheta.

SALOMON omnium Iudeæ regum sapientissimus, in eo libro, qui Sapientiæ inscribitur: Adij, inquit, Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis. Ex toto quippe corde rogandus est, qui ex toto corde præcipitur diligendus.

Aliis prophetis Christi uentura reuelata fuêre mysteria: DANIELI uerò etiam annorum numerus, usq; in diem ipsum quo nasci debuit, indicatus est: fortasse quia studiosior cæteris, ac submissior ad orandum processerat: Posui, inquit, faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, facco & cinere. Denique oranti apparens Gabriel angelus, egressum se dixit, ut doceret illũ. Ab exordio precum tuarum, inquit, egressus est sermo: ego autem ueni, ut indicarem tibi. Idem.

Cùm Gregorius Agrigentinus esset Hierosolymis, uidit in monasterio quodam tempore passionis Christi, quosdam HOMINES inter orandum à terra in cœlum tolli, aliosq; cibi expertes degere: uidit & fluctus lacrymarum, fontium flumina superantes. Metaphrastes.

PHILIBERTI abbatis apud Rhotomagum Galliarum urbem in ecclesia deprecantis oculi ueluti duo sidera fulgere uisi sunt. Marul. lib. 2. cap. 1.

SERVATIO Traiectensi episcopo oranti, igneus supra uerticem radius apparuit: qui mox in sublime euolans, cœlum petiit: testatus (ut mihi uidetur) in ignis specie orationum eius feruorem, in splendore uitæ puritatem, in ascensu meritorum altitudinem. Marul. lib. 2. cap 1.

TEMPVS ORATIONIS. QVANDO.

CHRISTVS Iesus tempus orandi præscripsit uespertinum, Vespere facto orans in monte: & nocturnum, Pernoctans in oratione: & antelucanum, Valde diluculò surgens, & in desertum locum secedens, ut ibi oraret: & penè cõtinuum, dicens, Vigilate omni tempore orantes. Marul. lib. 2. cap. 1.

LOCVS ORATIONIS. VBI.

Exempla pete ex Tit. Eremitarum, item, Contemplationi deditorum, quatenus solitudinem sectantur, ut liberiùs orationi uacare queant. Ex præcedente quoque Tit. Gestus orationis, quædam huc transferri possunt, in quibus etiam loci fit mentio. Item ex Tit. Peregrinationum sacrarum, ubi loci quoque orationis habetur ratio.

HELISÆVS, cùm attentè orare uellet pro mortuo filio Sunamitidis, ingressus cubiculum, ostium clausit. 4. Regum. 4.

TOBIAS ibat Hierosolymas ad templum Domini, & ibi orabat Dominum. Tob. 1.

SARA, filia Raguelis, ab ancilla sua graui calumnia aspersa, perrexit superiùs in cubiculum domus suę: & tribus diebus in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Dominum, ut ab illo improperio liberaretur. Tobiæ 3.

Vir desideriorum DANIEL (quamuis Darij edicto Deum alium præter regem adorare, capitale esset) ingressus superiorem partem ædium, apertis fenestris contra Hierusalem, ter in die statis horis genua sua flexisse, & adorasse Deũ suum dicitur. Hinc tu quoties orare uolueris, domũ Dei ingressus mente cœlum conscẽde: apertisq; fenestris, puræ synceræq; intentionis, Spiritui sancto ad cor tuum aditũ para, & semper ad cœlestem Hierusalem animo conuersus terrena contemne: ac die uno ter genua flectens, trinitatem personarũ, unitatemq; substantiæ in Deo crede, confitere, adora. Marulus lib. 2. cap. 1. & Sabel. lib. 2. cap. 4. ex Dan. 6.

Locum orãtibus aptum CHRISTVS designauit, dicens: Domus mea domus orationis uocabitur. Item: Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito. Idem faciens, quando dimissa turba ascendit in montem solus orare. Marul. lib. 2. cap. 1.

Ascendit PETRVS Apostolus in superiora domus, ut oraret circa horam sextam. Actorum 12.

EVNVCHVS Candacis reginæ Aethiopum, ex Aethiopia uenit adorare Hierosolymis. Sedens in curru, legebat Esaiam prophetam. Actorum 8.

Docet Chrysostomus, CHRISTIANOS ad certum aliquem locum, ut olim Iudæos, minimè quidem esse alligatos, sed in omni loco esse orandum: interim tamẽ maximè in Ecclesia conuenire fideles orationis causa. Homilia octaua in secundum caput prioris ad Timotheum. Ita homilia de Cruce & latrone dicit quidẽ, omnem locũ uacare orationi: sed homilia tertia de incomprehensibili Dei natura, disputat, orationẽ quæ fit in Ecclesia, multo esse efficaciorem priuata ac domestica. Confutat etiam eos qui domi quoq; se orare dicebant. Insuper reprehendit eos, qui uix rectè finitis cõcionib. statim è templo sese proripiant: hortaturq;, ut communibus precibus omni studio & pietate interesse uelint, propter uim & maximam efficaciam precum, quæ in cœtu fiant. Cuius rei etiam exempla subiicit de obsessis.

Singularem urbis CONSTANTINOPOLEOS consuetudinem fuisse, ut ad certum locum in campũ exiiẽt, quando in publicis necessitatibus communiter preces faciebant, ex Theodoro Lectore uidere est: qui scribit, Martianum Imperatorem hortatum esse Anatolium episcopum, ut secũdum consuetudinem urbis illius episcoporum, à Tauro ad campum usq; uectus supplicaret. Theodorus lib. 1.

EVENTVS. HVC

Preces exauditæ. ORATIONIS effectus.

Ex præcedentibus exempla huc referenda, ne eadem toties repetantur. Vide locum, Miracula diuina.

IOSAPHATVS, Iudæorum rex, hostibus ingruentib. ad preces & ieiunia cõuersus, gladiũ non eduxit, nec pugnã iniit, & hostes mutuis inter se uulneribus ante eum conciderunt: Iudæorumq; tunc labor non in uincendo, sed in spoliando fuit, cùm prædam prope mœnia iacentem, uix per triduum præ magnitudine auferre quiuerint. 2. Paralip. 20.

ALEXANDER, episcopus Constantinopolitanus, Constantij Augusti temporibus, cùm Arium hæresiarcham publicè argueret, ac proinde orta plurimorum utriusq; partis contentione sedari tumultus non posset: Dominum orauit, ne ecclesiæ catholicæ fidem impiis ludibrio esse pateretur. Vix preces finierat, cùm Arius dysenteriæ morbo laborare cepit: & dum citam torminibus aluum exonerare uellet, intestinis profluentibus expirauit. Reliquos obmutescere fecit timor, atq; illum, quẽ prima Nicena synodus damnauerat, etiam Dei iudicio damnatum esse, omnibus palàm fuit. Marulus libro 2. cap. 11.

Gensericus, Vandalorum rex, oppidum Hipponis arcta obsidione premebat. Cùm autẽ D. AVGVSTINVS episcopus, adhibitis familiaribus suis, interim Deum assiduè oraret, ut aut urbem periculis obsidionis eximeret, aut seruis suis ad suam perferendam uoluntatem animos adderet, aut certè ipsum ad semet de hoc seculo euocaret: factum est, ut tertio illius obsidionis mense graui febre tentatus sit, tertiodecimo uerò expirarit. Vrbs sequenti mense à Vandalis capta. Sigonius lib. 12. Imperij occid.

Ardeburius dux, à THEODOSIO Imp. ad Ioannem Amamensium Imperialium prefectum, qui regni consortiũ affectabat, missus, ut eius insolentiam reprimeret: nauigatione infelici in manus tyranni uenit, coniectusq; in carcerẽ, precibus Theodosij miraculosè liberatus est. Deductus enim Aspar, Ardeburij F. ab angelo in pastoris specie cũ parte exercitus per stagnũ: Rauennæ, ubi pater detinebatur, adiacens, à nemine unquã superatũ tyrannum uicit, & patrem liberauit. Socrates lib. 3. c. 23. Paulus Diac. lib. 14.

ALBINVS Andegauensis episcopus, quosdam tenebricosi carceris tristi squallore consitos cernens, cùm præsidem, ut dimitterentur, exorare nullo modo potuisset: Deum pro illis precatus est, fatiscenteq; carceris muro, omnes euaserũt, Deo Deiq; seruo gratias agentes. Marul. lib. 2. cap. 2.

BONA uirgo, in finib. Aegypti sanctarũ uirginum cœnobio Deo seruiens, dũ Vnam inter illas, quã pręcipuè dilexerat, ex graui ualetudine iam morti proximã misereretur: orauit Dominũ, ut cũ ea simul diem obiret, perpetuaq; morientis fieret comes. Vt orauerat, impetrauit. Ambæ eodẽ die uita defunctæ sunt, ambæ uno sepulcro conditæ. Simul cœlũ petierunt, quæ simul in terra Christo seruierant, ut conuiuere, sic etiam commori exoptantes. Marulus lib. 3. cap. 2.

Aualassus, Danorum dux, & Constantinus III. Scotorum rex ingentem exercitum cõtra ATHELSTANVM Anglorum regem,

regem ducebant uirib. longè imparem. Angli ad pacem Dei quatriduano ieiunio impetrandam conuersi, ad Broningfeldum congressi, primo statim insultu uictis similes, pugnę loco consultò cessere. Dani & Scoti uictoribus similes ad prædam conuertuntur. Angli sensim recollectis ordinibus reuersi, stragem ingentem edidere: cæsa Scotorum nobilitas penè omnis. H. Boëthius lib. 11.

BERTHOLDVS, Monasteriẽsis episcopus, tumorem linguæ epidemium ieiuniis & orationibus indictis curauit, imperante Arnulfo. Cranzius lib. 2. Metropoleos, cap. 18.

Anno 1381 Magnus Moschouiæ Dux, Liuonensium castrũ Nenhuis, in prouincia Derptensi acerrimè oppugnabat, cum 300000 armatorum. Præfectus arcis, nocte Veneris diem antecedente, in somnis ante aram orabat, ut Deus in tam deplorato rerum statu sibi suisque adesset. Mane facto è fenestra propugnaculi in medium exercitũ Moschouiticum iaculatus, sagitta magni Ducis cor fauẽte numine trãsfixit. Liuones ex arce sese proripientes, hostes fugiẽtes persequuti, arcum ad perpetuam memoriam in basilica arcis ad altare appenderunt. Guagninus in descriptione Liuoniæ.

Preces non exauditæ.

MOSES, quamuis Dominum oraret, ut sibi ueniam daret, & Iordanẽ traiicere, & felicem illam terram Trãsiordaninam montemq; Libanum uidere posset: tamen Dominus non exaudiuit, sed etiã uetuit, ne ampliùs ea de re uerbum faceret: satis enim esse. Deut. 3. Iussit tamen eum in Nabonẽ mõtem Moabiticum ascendere, & ex iugo Phasge, è regione Hierichuntis, ostendit ei terram Sanctam. Deut. 34.

Postquã percussus fuit à Deo ANTIOCHVS Epiphanes rex insanabili plaga, pollicitus est Iudæis, tẽplo Hierosolymorum mirabilia se facturum. Sed nihil ei profuit: quia non ex deuotione, sed ex timore uouebat. 2. Mach. 9.

GRATITVDO ERGA DEVM PRO ACCEPTIS BENEFICIIS QVIBVSCVNQVE, QVALISCVNQVE, TVM Libera, tum Votiua, hoc est, ex uoto debita.

Consule præcedentes & sequentes Titulos, Orationis, Hymnorum, Templorum, Sacrificiorum, Anathematum, quatenus gratiarum actionem iunctam habent.

SVBIECTVM GRATITVDINIS, Propter quid gratias Deo agant.

IN GENERE.

Studiosè gratias agebat Deo IACOBVS patriarcha, dicens: Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis. Gen. 32.

Gratias aiebat PAVLVS pro beneficiis sibi & aliis à Deo collatis. Gratias ago Deo meo, qui me confortauit in Christo. qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum. 1. Tim. 1. Deo gratias, qui semper triũphat per nos in Christo Iesu. 2. Corinth. 2. Gratias ago pro omnibus, quia fides uestra annunciatur uniuerso mundo. Rom. 1.

ALPHONSVS, Aragonum rex, Deo optimo max. pro omnibus beneficiis gratias agere solitus, ob tria tamen in primis se gratum Deo animũ exhibere, dicere solebat: quòd se hominem, non belluam creasset: quòd Christianum: quod tot & tantorum regnorum regem & dominum. Testis est ipsemet in oratione contra Turcas.

IN SPECIE. GRATI

[illegible]

Ob Meßiam datum.

Beatissima uirgo MARIA audita salutatione Elizabethæ, in uocem laudis prorupit, pro beneficiis sibi & toti mundo collatis. Lucæ 1.

SIMEON Hierosolymitanus, uir iustus ac pius, responsum acceperat à Spiritu sancto, se non uisurum mortem, nisi priùs uideret Christum Dominum. In suas itaq; ulnas uoti compos, accepit infantem Iesum, & laudauit Dominum: Nunc dimittis, inquiens, seruum tuum, Domine, in pace: quia uiderunt oculi mei saluture tuum. Luc. 2.

Ob Religionis instaurationem.

Mundato templo sub Iuda Machabęo, adorauerunt IVDÆI, & benedixerunt in cœlo huius prosperitatis auctorem. 1. Machabæorum 4.

Ob Sanitatem recuperatam.

TOBIAS senior gratias Domino egit pro uisu recepto, pro filio incolumi cum opulenta uxore è Media Niniuen reuerso. Tandem cùm Raphael angelus se declarasset quis esset, ipse simul cum filio per tres horas humi iacentes Deo gratias egerunt. Tobiæ duodecimo.

HELIODORVS iussu Antiochi Epiphanis, uolens ærarium spoliare, & deposita de templo auferre, fuit uirtute diuina grauiter flagellatus. Deinde sanatus per orationem Oniæ pontificis hostia Deo oblata, & uotis magnis promissis, rediit ad regem suum. 2. Machab. 3.

Nato Ioanne Baptista, ZACHARIAS pater recuperata uoce Dominum prophetando laudauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel. Lucæ 1.

Videntes TVRBÆ paralyticum à Domino curatum, glorificauerũt Deũ qui dedisset potestatẽ talem hominib. Matt. 9. Viduæ filio suscitato, inuasit omnes timor, & magnificabãt Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit. Lucæ 7.

VNVS è decem leprosis ad mandatum Domini mundatis regressus est: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Lucæ 17.

CLAVDVS à Petro sanatus, intrauit cum Apostolis in templum, ambulans & exiliẽs, & laudans Deum. Et omnes glorificabant Deum. Actorum 3. & 4.

Ob Vitam conseruatam.

Deuotè exoluerunt laudes Deo tres PVERI, de fornacis incendio liberati. Quinetiam rex ipse NABVCODONOSOR fecit prædicari mirabilia Dei in toto regno. Dan. 3.

RAGVEL cum Edna uxore Deo magna cum lætitia gratias egerunt, quòd Tobiam cum Sara filia matrimonio iunctũ incolumes seruasset. Tobiæ 8.

Ob Fœcunditatem.

ANNA, Helcanæ uxor, cùm precibus suis filium Samuelem à Domino impetrasset, eundem Siluntem duxit, & Elis pontificis curæ commisit: moxq; Domino gratias egit eleganti carmine. Vide 1. Regum 2.

Ob Regni durationem.

DAVID rex, audiens reuelationem, quam Deus fecerat Nathani prophetæ de regni sui duratione, gratias egit deuotè. 2. Regum 7.

Ob Victoriam.

IVDÆI omnes, cæso muliebri manu Oloferne, uenerunt Hierosolymam adorare Dominum, & obtulerunt omnes holocausta, uota & promissiones suas. Iudith. 16.

IOSAPHATVS Iudæorum rex, uictoriam adeptus aduersus Moabitas, Ammonitas & Idumæos, apud Engadi, in ualle, gratias egit cum toto exercitu, quæ inde nomen obtinuit, ut Vallis gratiarum actionis diceretur. 2. Paral. 20.

IVDAS Machabæus & HIEROSOLYMITANI scripserunt Aristobulo, dicẽtes: De magnis periculis à Deo liberati, gratias magnificè ei egimus. 2. Mach. 1. Victo Timotheo & capto quodã loco munito, in hymnis & confessionib. benedicebant Dominum, qui magna fecisset in Israel 2. Mach. 10.

Constantinus Magnus Imp. uicto Maxentio tyranno, insignis beneficij, quo per signum Crucis affectus à Christo fuerat, memor, multa eaq; ad memoriam illustria eximię suæ erga illum pietatis edidit documenta. Nam primùm columnis excitatis, titulisque inscriptis, salutaris signi uirtutem omnibus indicauit, ac media in urbe ingens Crucis trophæũ aduersus hostes erexit: idq; Romanorum, aliorumq; omnium Imperio subiectorum esse propugnaculum declarauit. Inde populis omnibus ad Romanum Imperium pertinentibus libertatem quam uellent religionem colendi permisit: atque edicto, suo & Licinij Augusti nomine edito, Christianis & templa, & conuentus habere concessit. idq; ad Maximinum etiam, ut in Oriente proponeret, misit. Episcopos porrò ad se accersitos honoribus summis affecit, ac tanquã uiros Deo suo sacratos benignè ac liberaliter appellauit, ac secum ducere, & præsertim Romanum dextrum habere instituit, atque ecclesiis Dei subsidia opulenta suppeditauit, oratoria alia augens, alia in altum erigens, ac donariorum multitudine sacraria eorum illustrãs, ac uaria pecuniarum

instrumenta indigentibus præbens. Eusebius, & Nicephorus lib.7.cap.46. Sigonius lib.3.Imp.occid.

THEODOSIVS II. Imp. Circensis ludos spectans, nuncium Asparis ducis sui de Ioanne tyranno Rauennæ capto audiens: statim, ludis, quos spectabat, omissis, in templum ad gratias Deo agendas processit, atque eò quoq; uniuersum populum traduxit. Sigonius lib.11.Imp.occid.

ALFONSVS Aragonius insigni uictoria matutino tempore ad Troiam potitus, non prius arma deponere, & corporis curam habere uoluit, quàm gratias Deo pro felici successu egisset. Ludouicus Dominicus lib.1.Var.hist.

Ob Reditum in patriam.

ESDRAS sacerdos, cùm à Xerxe rege impetrasset reditum cũ Iudæis in patriam, Deo gratias summisse egit, quòd eam sibi gratiam apud regem conciliasset. 1.Esdræ 8.

Ob Libertatem recuperatam.

AGRIPPA à Claudio Imp. regno Iudææ & Samariæ donatus, quamprimum peruenit Hierosolyma, uotiua sacrificia persoluit, nihil omittens eorum quæ lege præscripta sunt. Vnde & multos Nazaræos tonderi mandauit: & catenam auream à Caio Cæsare donatam, pondere parem illi ferreæ quæ regis manus uinxerat, monumentum aduersæ fortunæ mutatæ in prosperam, suspendit in sacrario supra gazophylacium: quæ doceret spectatores & sublimia posse corruere, & Deum ualere illa erigere denuò. Iosephus libro 19. capite 5. Antiquitatum.

MODVS GRATIAE DEO ACTÆ

ORATIONE SOLVTA.

IVDITHA, posteaquam Holoferni caput amputasset, ne ingrata Domino uideretur, tacentib, uniuersis: Laudate Dominum Deum nostrum, inquit, qui non deseruit sperantes in se, & interfecit manu sua hostem populi sui. Iudithæ 13.

Accepit puerum Iesum SIMEON iustus in ulnas suas, & benedixit Dominum. Lucæ 2.

HYMNIS, CANTV.

Cùm ISRAELITÆ, duce Mose, sicco pede per mare rubrum transissent, & Pharao cum suis submersus esset: præeunte Mose hymnum Domino cecinerunt. Maria uerò uates, soror Aaronis, tympanum manu ferens, subsequentibus omnibus mulieribus, & choros cum tympanis agentibus, uicissim choro iisdem uerbis respondit. Exodi 15.

Post uictoriam de Sisarà habitam per Barachum & Debborã, Domino cecinerunt hymnum ISRAELITÆ. Iudicum 5.

DAVID rex Iudæorum fortissimus, qui & gloriam singulari certamine superauit, & finitimas gentes Iudæis infestas domuit, nunquam cum hoste congressus est, nisi Deo priùs sacrificasset: & parta deinde uictoria hymnos & psalmos cantauit, ei gratias agens, cuius sola uirtute uictor euasisset.

Cùm Circensibus ludis nunciata esset THEODOSIO iuniori Imp. victoria de seditioso tyranno Ioanne, per Asparem ducem suum Rauennæ capto: ipse intermisso spectaculo, adsumtoque uniuerso populo, in ædem concessit, cũ hymnis & carminib. gratias Deo acturus. Nicephorus lib.14. cap.7.

GESTV.

TOBIAS pater à cæcitate, & filius à mortis periculo liberati, ut pro beneficio gratias agerent, uterq; in faciem se prosternentes, per horas tres benedixerunt Deum. Et cùm exurrexissent (ut ait Scriptura) narrauerunt omnia mirabilia eius: ut scias, peractis etiam precibus à laudibus Creatoris non esse cessandum. Præterea orationes eorum coram Deo ab angelo oblatas fuisse, legimus: ne quid precemur, nisi quod angelorum relatione dignum sit, quodq; Dei aures delectet audire. Marul. lib.2.cap.1.

HENRICVS V. Anglorum rex, nobili illa ad Dagnicurtũ pugna uictis Gallis, flexis genibus Deo immortales egit gratias, & eam diem, quæ diuis Crispino & Crispiniano sacra est, solennem perpetuò habuit. Inde per totum regnum supplicationes multorum dierum ad omnia templa decretæ sunt. Polydorus lib.22.

HENRICVS III. Imp. difficili potitus de Aba Hungarorum tyranno uictoria, depositò paludamento, sumtoque cilicio, nudis pedibus, profusis coram legionibus lacrymis, ante Crucis signum procidit. Eius imitatione uniuersus quoque exercitus Deo laudes cecinit. Bonfinius lib.2.Dec.2.

ANATHEMATIS, DONARIIS.

ABRAHAMVS cùm ex quinq; regum cæde reuersus esset, & Melchisedechus Solymæ rex obuiam ei processisset, & honoris mystici ergô panem & uinum ei obtulisset, faustisque ominibus gratulatus fuisset: Abrahamus decumas illi rerũ omnium dedit. Genes. 14.

Cùm audiuisset Chananæus rex Aradus, qui ad meridiem incolebat, Israelitas exploratorum uia uenire: eos prælio adortus, captiuos ex eis abduxit. Tum ISRAELITÆ Iouem uotum fecerunt, si illos homines ipsis subiecisset, sese illorum urbes esse funditùs euersuros. Quibus à Ioua exauditis, Chananæisque per ipsum subactis, & ipsos & ipsorum urbes funditùs euerterunt, atq; hinc locum Hormam nominarunt. Numeri 21.

DAVID rex, uicto Adarezero, Sophene rege, cæsis 20. millib. peditũ, & 1700. equitibus, & multis curribus, pharetras aureas, & arma pulcerrima Hierosolymis in templo dicauit: quæ postea Sesacus Aegyptiorum rex sub Roboamo, Dauidis nepote, denuò abstulit. 2.Regum 8.

ADIVNCTA. IN GRATIIS AGENDIS

ASSIDVITAS.

PVBLIA matrona Antiochena cœtui uirginum, quæ castitatem profitebantur, magistra in diuinis laudibus decantandis assidua fuit. Quemadmodum etiam is cœtus assiduus fuit in Deo laudando ac celebrando. Theod. lib.5.cap.19.

OPORTVNITAS, TEMPVS. Puta

A Carnuario.

In ultima cœna Christi cum DISCIPVLIS, hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Matth. 26.

In Natalitiis diebus.

CHRISTVS insigne quippiam editurus, frequenter legitur in cœlum suspexisse, & gratias egisse. Patet id in panũ multiplicatione, in Lazari suscitatione, in Eucharistiæ institutione. Math. 14.26. Marci 6. Lucæ 9. Ioan. 6. 11.

LIBRI TERTII
TITVLORVM
DISPOSITIO.



Voluminis Decimisexti
Liber III.
De CVLTV HOMINVM religioso.

RELIGIOSA CVRA SVIIPSIVS.

AVDITIO VERBI DIVINI.

QVIDAM à Martino Bituricensi monacho uocatus, uti die Dominico concioni interesset:nō dum finita, ne tardiùs negotio tunc urgenti occurreret, abire uoluit. Sed ascenso equo,frustraq; calcaribus fatigato,ubi bestiã, ut inde se moueret compellere nequiuit: semetipsum reprehendens desiliit,& concionem perfectè integreque audiuit. Atque eodem equo statim quò optabat est auectus. Et in tempore domum reuersus, gerendæ rei occasionem non amisit, sed promtiorem expeditioremque, quàm si preuenisset,habuit. Marulus lib.2.cap.1.

HVMILIATIO.

FRANCISCVS Minorum pater, Romam ueniens, ad fores basilicæ Petri inter mendicantes sedebat,& ulcerosos exosculabatur. Volat.lib.21.

CANVTVS rex Daniæ & Angliæ,sedili in litore posito dixisse fertur:Mare regni mei pars es, itaq; mihi obtēperes. Sed illud mox impetu facto, sinũ eius suis perfudit undis. Qua re territus rex,de solio surrexit:Vana,inquiens,omnium regum potestas, & solus Deus est omnipotens.ac corona cruci imposita,postea pietatis & modestiæ cultor extitit.In Saxonum quodam Germanico Chronico.

VOTORVM RETRACTATIO.

ALBOINVS Lōgobardorum rex, Ticinum,post tertium demum,quàm obsideri ceptum erat,annum in potestatem redegit. Populum se trucidaturum, si urbem caperet, concepto uoto iurarat.id ne pòst uictoriæ compos efficeret,triste omen oculis oblatum admonuit. Ingrediente ferociter urbem equus eius in limine portæ procubuit, neque aut calcaribus,aut uerberib.ullis poterat excitari.Qua re animaduersa, unus è Longobardis dixit: Reuoca domine uotum, quo te obstrinxisti,populum hunc,si urbe potireris, pessum daturum, & urbem ingredieris. nã uerè Christianus in hac urbe residet populus. Tũ Alboinus,Atqui ciuibus, inquit, ueniam me daturum, si dicto audientes fuerint, spondeo. Atque his dictis,repentè equus magna cum omnium admiratione surrexit.Sigonius lib.1.regni Italiæ.

CIRCVMCISIO.

ABRAHAM credidit Deo, & ex eius iussu XCIX natus annos,se & Ismaelem filium ex Agar ancilla susceptum, XIII agentē annos,& omnes uernas suos circumcidit:quò deinceps secundùm præceptum Domini præputium carnis sobolis ex se futuræ circumcideretur.

Cùm Moses ex Madianitide terra in Aegyptum proficisceretur ad liberandum populum, & in itinere in diuersorio filium suum non circumcidisset:à Deo petitus fuit ad necem. At SEPHORA uxor arrepto silice filium circumcidit, Mosemq; liberauit.Exodi 4.

ISRAELITÆ cùm ductu Iosuæ Iordanem transmisissent,circumcisi fuerunt in colle præputiorum. Nam cùm 40. annis patres eorum,qui ex Aegypto exierant,& circumcisi fuerãt, in deserto periissent, neque filij interea circumcisi fuissent, antequam contra Chananæos bellum inciperent,cultris lapideis factis,circumcidi eos uoluit Dominus,inquiens, Sese eo die exuisse eos probro Aegyptio. unde locus ille Galgala ad hunc diem uocatur.Iosua cap.5.

BAPTISMVS RELIGIOSE SVSCEPTVS.

Qui baptismum susceperint.

BASILIVS ille Magnus, Athenis transiens in Aegyptum, explorato philosophiæ nostræ sensu,Christo credere cepit.Inde reuersus, Eubolum præceptorem suum de ratione ueræ sapientiæ disputando superauit, & ad Domini Dei nostri cultum conuertit.Dum autem uterque Hierosolymis à Maximino episcopo baptizaretur, circumfusos lumine uiderunt qui aderant.Marulus lib.2.cap.10.

CLODOVEVS Francorum rex, uoti damnatus, quod de Alemannis uictor Christo uouerat, quoniam ab uxore Crothilde sæpiùs ad religionem Christianam asciscendam rogatus eius uoluntati semper abnuerat, nouis eius precibus expugnatus,sancti omnino baptismi accipiendi consilium expediuit,idemq; ut populus suus, eadem secum uoti religione obstrictus,faceret,auctor fuit.Quare proximo anno, cùm Paulus consul esset,Tullum profectus, sanctum Vedastum, qui pòst Atrebatensem ecclesiam rexit, conuenit, ut salutaribus Fidei ab illo documentis imbueretur:ac mox,illo comite, Rhemos sanctum Remigium archiepiscopum petiit, & sacro postulato lauacro, apud eũ per aliquot dierum spacium mansit,ut ritè priùs pœnitentiæ lacrymis lauaretur,quàm aqua salutiferi fontis ablueretur.Inde die à sancto antistite cōstituta,cum uniuersa Francorum natione ad ecclesiam adiit, cùm honoris caussa forum uelis opertum, templum aulæis instructum,& baptisterium odoribus suauissimis esset perfusum:ac magna, & uerè regia pompa ipse unà cum optimatibus & popularibus suis manu summi sacerdotis est tinctus. Ea fuisse tria hominum millia, Gregorius Turonensis scriptum reliquit.Quin etiam sorores eius Albofledis gentilitate,&Lanthildis Arianismo abiecto, ablutæ sunt.Sigonius lib.16.Imp.occid.

Normanni Galliam miserè populati sunt per XL annos: nec erat incursionum ullus finis, quoad ROLLONEM Normannorum ducem Carolus Simplex Gallorum rex, generum sibi creauit,data illi filia Gilla in uxorē,& in dotē Neustria,quæ ab Epta fluento ad Britones terminatur, clauditurq; Gallico Oceano. Est tum Rollo initiatus sacris, & lauacro baptismatis ablutus,Robertusq; appellatus:Neustria Normãnia uocata,quòd eam homines à Septentrione profecti occupassent. Cuspinianus.

OLAVVS Erici filius, primus ex regibus Succiæ Christi religionē publicè accepit:& in fonte sacro lotus, Iacobi nomē suscepit. Cranzius lib.5.Succiæ,cap.10.

A quibus susceperint.

Cùm Deuterius (quē Sabellicus En. 8.lib.2.Bardam uocat) Arianorum episcopus Byzantij,anno 20. Anastasij, Barbam catechumenum baptizare uellet, contraque fidei regulam & Christi institutionē hisce uerbis uteretur.Baptizo te,Barba, in nomine Patris, per Filiũ,in Spiritu sancto:aqua, quæ ad baptizandum fuerat allata, subitò euanuit & disparuit. Quo uiso,BARBAS ad orthodoxos transiuit: & baptismo iuxta Christi institutionem accepto,catholicæ ecclesiæ sese piè adiunxit.Paulus Diaconus lib.15. rerum Roman. Cedrenus,Theodorus Lector lib.20.Nicephorus lib.16.c.35.

Quando.

In Aphrica Firmum noua molientem prælio uicit ac cepit THEO-

THEODOSIVS pater eius,qui pòst imperauit,à Valentiniano missus,& à Valente (cui propter nomen suspectus erat) pòst occisus,cùm Aphricam composuisset apud Carthaginem, sed priùs baptismate ablutus, ut liberior iugulum percussori præberet. Cuspinianus.

Quomodo.

CLODOVEVS Francorum rex à Remigio Remis baptizandus cum trib.millib. catechumenorũ militum,inter candidatos & ipse candidatus ad baptisteriũ amplissimè apparatũ processit,sublimi ceruice,cæsarie promissa,discriminataque,simul & unguentata,eadē calamistro comentiumq; arte per gradus in suggestum uerticis concinnè decoreq; formata.Etenim apud Frãcos,tantùm Reges regiaq; stirps crinе intonso ornatoq; agebāt:cùm Alani,Burgundiones, Sicambri incultiorē promitterēt.Hos regios spiritus, de Christiana ciuilitate mansuetudineq; uerba faciens Remigius ita demisit,in uulgusq; æquauit, ut Clodoueus omni fastu deposito,in humilitatemq; priuati hominis descendens, se purificandũ abluendumq; Remigio mitissimè tradiderit.Ita sacra lustratus aqua, & uelut cœlestis muneris chrismate delibutus. Cumq; trib. diadematibus rubris in alba parma depictis ad eam diem usus fuisset, pro gentilitiis insignib. Liliata signa accepit: eiq; è Clodoueo Ludouicus nomen factũ. Aemil.lib 1 Gregorius Turonensis, & Hēricus Erphordiensis, dicunt columbã ore attulisse uas chrismate plenũ.

LITVANI, Iagellonis ducis, in regni thoriq; consortium ab Heduige Polona accepti, opera ad Christum conuersi sunt, an.1387. Sed cùm immensi laboris esset,singulos sacro fonte tingere,nobilioribus tantùm hic honor habitus:reliquũ uerò uulgus turmatim distributum, aqua lustrali siue sacra à sacerdotibus cōspersum est, unumq; nomen cuiq; turmæ tam uirorum quàm mulierum inditum. Plurimam ex his multitudinem rex aduectis è Polonia pannis laneis & calceis uestiuit, cùm ad eum diem gens illa conficiendarum earum rerum ignara esset, sed aduectitiis tantùm nobiliores uterentur:nam uulgus agreste peronibus magna ex parte etiam nunc utitur,&lineis uestibus:eisque tunc utebatur. Basilica deinde Vilnę condita. Cromerus lib.15.

NON SVSCEPTVS.

HABETDEVS,episcopus Tamallunēsis in Africa, in exilium ab Honorio Vandalorum rege Ariano actus,ab Antonio episcopo Ariano uinctus, & ore obturato anabaptismi undis aspersus est: quòd eum hac ratione uel nolentem impietati Arianæ assentiri cogere uellet. Sed constanter solutus restitit Haberdeus:neq; se ullo modo uiolento baptismo assensisse testatus, Carthaginem profectùs,Honorio scriptum suæ fidei obtulit acerrimum, & in solitudinem exulatum rediit. Victor libro 3. de persecutione Vandalica.

FLAGELLATIO RELIGIOSA.

Consule Tit. Pœnitentiæ religiosæ. Item Monachorum, quatenus flagellis utuntur.

AVREA uirgo Parisiēsis,corpus suũ clauis castigabat. Sedile enim sibi faciendum curauerat,cuius pars corporis,quę humerotenus confidentem hemicyclo amplexabatur,in summo clauorum cuspidibus ad psalmorum numerum depositis horrescebat In ea sedili illa cùm psallere uellet, sese collocabat:& dextro lateri innixa,quinquaginta Psalmos perlegebat,sinistro totidem,& totidē in tergo resupinata,pungentibus quaquauersum ferreis aculeis. Marul.lib.4.c.10.

HENRICVS II.Anglorum rex, Christi imitatus exemplum, dorsum suum Cantuariensium monachorum flagellis subdidit. Continuator Sigeberti.

ELIZABETHA Lantgrauij Thuringiæ uxor, ob intermissa sacra uirgis semetipsam cæcidit. Marul.lib.3.cap.10.

LACRYMAE, FLETVS RELIGIOSVS.

Vide Tit. Pœnitentium. item Supplicationum.

PETRVS ter abnegato Christo, cùm Iesus cōuersus eũ intuitus esset,recordatus uerborũ Domini, suũq; peccatũ agnoscens, egressus foras fleuit amarè. Matth.26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan.18. Post Domini ad cœlos ascēsum,uix ullo die à lacrymis tēperasse dicitur, atq; ad eas identidē siccãdas lineũ linteolum de manibus nunquam dimisisse. Marul.lib.4.c.9.

ABSTINENTIA A CERTIS CIBIS religiosa. IEIVNIVM religiosum OBSERVATVM.

Consule Tit. Abstinentia religiosa. Illic Temperantiæ, hic Pietatis habetur ratio.

ELIAZARVS scriba, Antiocho Epiphane fideles persequentē,ut suillam carnem gustaret,compelli (quoniam illegitimum erat) nullo modo potuit:sed neq; pro illa suppositam aliam, qua uesci licebat,ut sumeret, exorari, uolentibus amicis ea simulatione ipsum subtrahere neci. Vtq; cæteris constantis animi perpetuæq; in Deum obseruantiæ exemplum fieret, extrema pati maluit, quàm quicquam prophani aut agere,aut omnino egisse uideri. Itaq; corpus carnifici crudelibus pœnis conficiendum tradidit, ut spiritum absq; labe commissi pariter suspectique sceleris conseruatum Deo offerret. Marulus lib.5.cap.1.

Cibo abstinuit MOSES XL dies, ut dignus esset, qui legem acciperet à Deo. Neque enim, sicut Ambrosius in eodem libello de ieiunio ait,introisset in nubem,& uocem Domini, loquentis de medio igne, sine periculo audiuisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset: quippe quod uitiosas corporis partes comprimit, hominemque puriorem reddit ad res diuinas tractandas. Deinde abstinuit HELIAS, & postremò SERVATOR noster dies totidem. Item NINIVITIS Ionæ prophetæ opera & cohortatione pœnitentibus per ieiunium uenia datur. Ita IVDÆI abstinere consueuerũt, quoties à Deo opem aduersus calamitates implorare, aut eum iratum placare, uel aliquid usui uitæ necessarium rogare, seu acceptorum beneficiorum memoriam redintegrare, uel dies festos agere uoluissent.

CHRISTIANI in terra sancta à Saracenis pressi, Niniuitarum exemplo utriq; sexui ieiunium indixere,ne lactentibus quidem & animalibus præteritis,an.1124. Sigeberti Contin.

PESIVM Eremitam (sicuti à Cassiano relatum est) XL annis, quos in solitudine exegit,comedentem sol non uidit,quòd post occasum solis duntaxat ieiunium soluere consueuisset. Marulus lib.5.cap.8.

NEGLECTVM.

CHRISTIANI Antiocheni,carnibus superstitione à Iuliano inquinatis,uti non dubitant:quia Paulus edere iussisset absque discrimine propter conscientiam,quicquid in macello uenale esset. Theodoret.lib.3.cap.15.

CASTITAS RELIGIOSA.

Consule Tit. Temperantiæ religiosæ. Hic Religionem, illic Abstinentiam perpendimus.

MILES quidam Decij, succi plenus adolescens, in amœnissimis hortulis inter lilia candentia rubentesq; rosas,cùm leui iuxta murmure serperet riuus,& molli sibilo arborum folia uentus perstringeret,super lectum extructum plumis resupinatus est,& ne se inde excuteret, blandis serico nexibus irretitus relinquitur. Amotis omnib. arbitris,speciosum scortum iussu prætoris accedit,delicatis stringit colla complexibus, & manibus in libidinem concitat iuuenem. At miles Dei,præcisam morsu linguam, in osculantis faciem expuit, ac sic uictor extitit. Hieronymus in uita Pauli eremitæ, hoc ipsum NICETÆ martyri sub Decio tribuit. Marulus.

Vidit ANIANVS, Alexãdriæ antistes,feminam quandã. Quia tamen (ut credere est) uisam concupiuit, oculum sibi eruit, erutum à se proiecit:inde corpus gelidis immergens aquis, immersum inedia & labore macerauit: per quæ adeò profecit, ut in Christiana fide asserenda sit mons ab eo ex Numidia (ut fertur) Babylonem translatus. Sab.lib.5.cap.6.

LEO I.pontifex, cùm Dominicæ resurrectionis die eucharistiam daret populo,& eius manus matronæ osculo contacta tacitam quandam libidinis appetentiam excitasset:manum sibi ultrò abscidit,ut pars illa unde lues irrepserat,à toto corpore contagiosa abscinderetur. Sab.lib.5.cap.6.

SILENTIVM RELIGIOSVM.

Consule Tit. Monachorum.item, Taciturnitatis religiosæ: Illic uirtutis in Conuersatione humana, hic Religionis erga Deum ratio habetur.

IESVS filius Syrach, dum efficere nequit,ne inter loquendum peccato aliquo non implicetur,sic in Ecclesiastico suo conqueritur & clamat:Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum,ut non cadam in ipsis,& lingua mea perdat me? Hoc ipsum periculum quod in se deprehenderat,alios cauere iubet,dicens:Aurum tuum & argentum tuum consla,& uerbis tuis facito stateram,& frenos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi,& sit casus tuus insanabilis in mortem. Marul.lib.4.cap.6.

SEVERVS Sulpitius Posthumianus monachus, cùm in senectute sua à Pelagianis hæreticis deceptus esset,ad uitæ usq; finem silentium tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat,tacendo rursus emendaret. Gennadius.

PAVLVS monachus,cognomento Simplex, Antonij discipulus,cùm primò mysteriorum ignarus quęsisset, Essétne prophetis prior Christus? ineptam interrogationem silentio diluere iussus,triennio tacuit. Marul.lib.4.cap.3.

DVO monachi ex Cluniacensi cœnobio Turonũ missi, à Normannis uicina loca uastantibus noctu intercepti, nec uinculis nec minis quantumuis atrocibus silentiũ soluere uoluere. Cùm in conspectum ducis adducti essent, equus, cui dux insi-

insidebat, resiliit, sessoremq; in terram prostrauit: quē mox acutissima corripuit febris. Porrò cùm sortes à Barbaris mitterentur, uter captiuorū pro sui ducis salute cædi & offerri deberet, neutrum sors tangere potuit. Tandem cùm frustrà eis sæpissimè mors intentata fuisset, uinculis solutis, pro duce ut preces facere dignarētur, obnixè precati sunt Normanni: & sic iterum conualuit. Vincentius lib.24.

LOTIO RELIGIOSA.

Cōsule Tit. Præparatio ante Orationem, quatenus corporis, Lotionum exempla continet.

Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Facies labrum æneū, & missa aqua lauabunt in eo AARON sacerdos & filij eius manus suas ac pedes, quādo ingressuri sunt tabernaculum testimonij. Exod. 30. & 40.

LABORES CORPORIS.

Consule Tit. Monachorum, qui uariis exercitiis corpus afflixerunt.

GODEFRIDVS Lotharingus, pœnitentiæ causa, ob crematum templum Viridunense, ut reædificaretur, & sumtus amplissimos contulit, & ipsemet uilis mancipij ministerio functus, cæmentārium opus fecit. Schafnaburgensis.

PEREGRINATIONES RELIGIOSÆ.

Consule Ecclesiasticum Tomum.

TOBIAS Nephthalensis, reliquis suis popularibus uitulos aureos adorātibus, ipse Hierosolymam statis temporibus ad sacrificandum ibat. Tobiæ cap. 1.

Quanto pietatis studio MAGI flagrauerint, ex eo colligi potest, quòd ex Oriēte maximis itineribus per inhospitas gentes biennio iter fecerint, & Bethlehemæ Saluatori nostro thus, aurū & myrrhā, dona uerè regia, obtulerint. Matth. 2.

MORTIS RELIGIOSA TOLERANTIA.

Huc amplissimus Titulus Martyrum pertinet. illic Fortitudo religiosa, hîc Religio sortis considerantur.

TRES pueri Babylonē abducti, leguminibus & frigida aqua nutriri, quàm dapibus regis, ne cibo lege uetito incestarentur, maluēre: statuamq; aureā adorare iussi, mori præoptarunt, quàm fidem præuaricari. Hinc in fornacem septuplo magis, quàm solitum erat accensam missi, flamma non adussit. Illęsi inter igneos globos laudes Deo concinebant & idem ardor, qui illis intra fornacem ignouit, raptim exhalans eos qui foris aderant regis ministros corripuit atque consumsit. Motus tanto miraculo rex, nō iam statuam à se erectam, sed Deum Israel adorandum edicto iussit. Marulus lib. 5. cap. 1.

PAVPERTAS RELIGIOSA SVSCEPTA.

Consule Tit. Monachorum, quatenus uotiuam paupertatem Christi colunt, omnia habentes, nihil possidentes.

CARCERES. RELIGIONIS CAVSA PATI.

EVPHROSYNA uirgo, Paphnucij Alexandrini filia, Smaragdus monachus dicta & credita, quoniam illi multus in uultu decor inerat, quocunque se uerterat, omnium in se oculos conuertebat. Hanc ob rem ne fratrum mentes Deo intentas præsentia sua labefactaret, iussa est cellulæ suæ ianuam ultra non egredi, sed ibi humanis pariter diuinisque defungi officiis. Paruit non minùs libenter quàm constanter, octo & triginta annos carcerem passa perpetuum? Tunc tandem, quòd fœmina fuisset, deprehensum est, cùm defunctæ corpusculum de more lauarent, Frater quidam cadauer osculatus, oculum quem olim amiserat, integrum recepit. Illa igitur quæ obediendo oculis omnium se subtraxerat, dum uiueret, mortua postea solo tactu reparare erutos poterat. Marul. lib. 4. cap. 3.

SOLITVDO religiosa.

Vide Tit. Eremitarum.

ANTONIVM abbatem Alexandrinum dicere solitum ferūt, Non expedire Christi seruis, eorum, qui seculo seruiunt, domos frequentare, aut consuetudine uti. Sicuti enim pisces de aqua eductos continuò languescere & emori solere: ita monachum extra cœnobij septa uagantem, si quicquam confabulationi uacauerit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, & circa spiritalia exercenda effici tardiorem. Hinc sanè est, quòd plerique cum feris bestiis in solitudine uiuere sibi satius duxerunt, ne in cœtu hominū mentem, quam in sola Dei contemplatione fixam & locatam habere uellent, diuersis cogitationibus diffundere atque distrahere cogerentur. Ob hoc sanè ARSENIVS, curtantoperè accessum hominum deuitarer, cùm interrogaretur, Non posse se cum Deo simul & hominibus esse, aiebat. CAPITON itidem rogatus respondit, Vereri se, ne ex hocin becillior ad sustinendos inimici impetus redderetur, quo cùm adhuc sibi superesse ceriamen sciret. Alterum ergo contemplandi amor, alterum peccandi timor ab humano submouerat consortio, nunc uterque consortio fruiturangelorum. PAVLVS primus inter Christianos eremi cultor annos septem & nonaginta, ONOPHRIVS octuaginta, hominibus incogniti fuēre. At postremò ne incogniti essent, tunc uisi sunt, cùm de solitudine terrena ad celebritatem cœlestem transferrentur. Marulus libro tertio, capite septimo.

OBEDIENTIA ERGA HOMINES SACROS RESPECTV

INSTRVMENTI AD OBEDIENTIĀ eliciendā adhibiti. PARERE

REPREHENSIONIBVS, MINIS ANIMADVERSIONIB.

Vide Tit. Reprehensiones aliorum ferre, quatenus à Religioso affectu hæc Tolerantia proficiscitur.

MONITIS, CONSILIIS, MANDATIS.

Cùm ad mandatum Elisæi NAAMAN Syrus, Iordani septies se immergere iussus, indignatus abiret, dixerunt ei serui sui: Pater, etiamsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debuēras. Paruit ergo, & à lepra mundatus est. Libro 4. regum, capite quinto.

PRECIBVS, SVPPLICATIONIBVS.

ATILA Hunnorum rex, quum Trecacenses peteret, & eo quidem animo, ut suo more diriperet, Lupus urbis episcopus sanctissimus, frequenti collegio sacerdotum, pontificiō habitu instructus, Atilæ obuius occurrit, &, Tūne (inquit) is es, qui urbes eruis, gentesque proteris? Ego sum (respondit Atila) rex Hunnorum, & flagellum Dei. Ad hæc Lupus: Felix & faustum Domini & Dei mei flagellum aduenias. & parefactis mox portis, cum magno plausu regem admisit. Cuius Atila humanitate uictus, per mediam urbem exercitum tanta modestia duxit, ut ne pullum quidem gallinaceum læserit: haud aliter, ac si diuino cuncti numine obstricti forent. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

RERVM, IN QVIBVS OBEDIVNT. Vtputa in

IMPIIS NON FOVENDIS.

Arte Iudæorum circumuentus THEODOSIVS Iunior Imp. Antiochensis mandarat, ut Iudæis ademtas synagogas restituerent. Sed eremita celebris eo tempore Symeones, ad Imperatorem literas misit, ne tantoperè crucifixoribus Christi indulgeret, neue Christianos ad tam impia permittenda cogeret. Theodosius ergo edictum illico retractauit. Euagrius libro 1. cap. 13.

POENITENTIA AGENDA.

Vide Tit. Pœnitentiæ, quatenus pœnitentes, monitis aliorum, ad pœnitentiam uocantium, ex religioso affectu obediunt.

PHILIPPVS Imp. Christianorum primus, ob scelus patratæ in Gordianum proditionis, sacra communione à Fabiano Rom. pontifice prohibitus, nisi antè in Christiana ecclesia cum cæteris, qui scelerum pœnitentia agebantur, crimen emendasset, humiliter pontifici paruit: nihil de Imperij maiestate deperire arbitratus, ubi religionis haberetur ratio. Eusebius libro 6. cap. 34.

THEODOSIVS Augustus, quoniā iratus in Thessalonicenses & Pannonas, supra quàm quod iustum æquumq; esset, animaduerti fecerat: Mediolani ab Ambrosio episcopo ecclesiæ aditu prohibitus, palamq; reprehensus, parienti animo pertulit, & commissum confitens pœnitentiam egit. Vide quāta est sacerdotis auctoritas, qui tanto principi publicè resistere non dubitauit, & cui tantus princeps, populo inspectante, cedere non erubuit. Cùm Paschali quodam diecclesiam ingressus, intra chorum consedisset, audiuit, non eum locum purpuratorum esse, sed sacerdotum: iubentique Ambrosio, ut inde recederet, obediuit. Post hæc Constantinopoli ad ecclesiam ueniens, ut in choro sessum accederet, à patriarcha inuitatus, nequaquā acquieuit: magis Ambrosij sententiam sequens atque approbans, qui ne imperatores quidem sacerdotum sessione satis dignos iudicasset. Marulus lib. 3. capite 5.

EDGA-

EDGARVS Britanniæ rex, cùm uirginem deperiret, quam in Vincestrensi monasterio uiderat educari: quæ ut uirginitatem à regis iniuria tueretur, uelo unius ipsius monasterij monacharum se texerat: neque ob id ab iniuria rex destitisset: profectus ad eum Dunstanus Cantuariensis archiepi scopus, porrigentem in congressu dextram suam honoris gratia, regem a contactu repulit, tanquam propter incestū indignus esset qui sacerdotem contingeret. Edgarus agnito errore, ad sacerdotis pedes prostratus, ueniam petiit: & cùm pœnæ loco ei, ut à gestando diademate VII annos abstineret, & sacris quoq; uirginibus monasteritur conderet, iniunctum esset, obedienter ea peregit. Fulg. lib. j. c. j.

LVDOVICVS Iunior Francorum rex, ob cæsos in æde Victoriacensi MD homines, à D. Bernardo acriter reprehensus, ad expiandum crimen eiusdem suasu Siriacam expeditionem suscepit. Aemilius lib. 3.

ELIZABETHA Landgrauij Thuringiæ uxor, Hungarorum regis F. Conradum mendicum & religiosum senem sibi magistrum adsciuerat, cuius imperio ac nutu in uiam Domini dirigeretur. Igitur die quadam illo iubente, ut ad audiendum Dei uerbum ecclesiam peteret, Marchionissæ Misnensis improuiso superuentu impedita, ire omisit. Conradus, ut inobedientiæ culpam flagellis dilueret mandauit. Continuò illa positis uestibus, linea tantùm tunica, quæ nudita tem tegeret, derelicta, ipso spectante tamdiu se loris diuerberauit, donec idem ut cessaret præcepit. Marulus lib. 4. c. 3.

PEDE AMPVTANDO.

Antonius ordinis Fratrum minorum, CVIDAM confitenti, quòd ira concitatus patrem calce ferisset, calcem illam abscidi dignam dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domū abiens, pedem sibi amputauit. Postea reuersus, cur claudicaret, cùm ab eodem rogaretur: Impleui, inquit, quod dignum iudicasti. Obstupuit hominis patientiam Antonius, ac simplicitatem: qui seruandum sibi duxisset, quod increpationis causa dictum fuerat. Et pro illo Deum precatus, membrum quod mutilatum erat, restituit: atq; utroq; pede ambulans abiit, qui uno uenerat. Marulus lib. 4. c. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgosus lib. 6. c. 9.

CONIVGE RECIPIENDA.

PHILIPPVS Augustus, Gallorū rex, cùm Honorij III. pontificis legati ab eo poscerent, ut Ingebergam (alij Viceburgen, alij Gelbergam uocant) coniugem in coniugalem thalamum reciperet: quam quia non satis grata erat, ficto propinquitatis gradu, ceu non iustam uxorem dimiserat, atq; in eius locum Mariam Boemiæ ducis filiam duxerat: etsi ægrè ut id ageret adducebatur, legatis tamen de Ingeberga reducenda paruit. Fulg. lib. j. c. j.

PHILIPPVS I. Gallorum rex, siue ueneficio, siue alio malo captus, cùm electa Bertha coniuge Bertrandam, quam deperibat, Folcheti, uel Foci, Andegauensis comitis coniugē, apud se haberet, anathemate Vrbani II. pontificis factus, coniugem quam eiecerat, recepit. Idem.

DIVORTIO.

Ex Tit. Diuortii, huc quædam.

MATHILDA comitissa Thusciæ, obedienter passa est à Gregorio VII. Rom. pontifice separari se ab Actij Estensis marchionis connubio, quòd in quarto gradu affinitatem cum eo habuisse inuenta erat, pudicitia in posterum diligenter custodita. Fulg. lib. j. cap. j.

PACE DANDA.

ATILA expugnata Aquileia iturus Romam infestis signis, cū eo loci consedisset, ubi Mintius Padum influit, amnem traiecturus, uir sanctissimus Leo I. pontifex, calamitatem Italiæ & urbis Romæ miseratus, adhortante etiam Valentiniano III. Imp. ei fit obuiam, persuaderq; Alarici exemplo, q statim Dei iudicio post captam urbem mortuus est, ne ultrà progrediatur. Monitis pontificis optimi obtemperans Atila, quòd dum simul loquerentur, cernere duos uiros supra caput suum strictos tenentes gladios, ac mortem minitantes, nisi pareret, uisus esset (i) Petrus & Paulus apostoli putati sunt) inde mouens; Pannonias repetit: ubi non ita multò pòst, effundente se ubertim propter ebrietatem è naribus sanguine, moritur. Platina.

RACHIS Longobardorum rex, ut regni fines amplificaret, Pentapoli bellum intulit; atq; oppidis eius plerisq; primo aduentu captis, demum etiam in Ducatum Romanū ponti ficiamq; ditionem traiecit, ac Perusiam acri premere obsidione instituit: Imperatore longè remoto, atq; omnino à rebus Italiæ, ut uidebatur, auerso: Exarcho uerò parum neruorum ad Rauennæ fines tuendos, ne dum ad longinquiores protegendos, habente. Zacharias Pp. ut serpens aduersus se incendium propulsaret, quod armis non poterat, auctoritate sibi tentandum existimauit. Itaq; decoro optimatum comitatu assumto, Vrbe egressus, Rachim in castris Perusinis conuenit, tantaq; dicendi copia causam suam peregit, ut Rachis religione perfusus non solùm à Perusię oppugnatione recesserit, sed etiam oppida Pentapolis occupata reddiderit, atque in omni officio fidelem se Pontifici obsequentemq; præstiterit. Sigonius lib. 3. regni Ital.

Zacharias I. pontifex, cùm initio pontificatus sui ardentē bellis Italiam offendisset, legatos de pace componenda statim ad LVITPRANDVM Longobardorum regem misit, persequentem bello Trasimundum Spoletinum ducem. Verū cùm i legatis ea de re nil fieret, ipse comitante clero Romano in Sabinos proficiscitur. Ferunt autem, octauo milliario à Narnia regem Pontifici honoris causa obuiam factum, ex equo descendisse, ac pedibus uirum sanctissimum in urbem comitatum fuisse. Qui sequenti die inter Missarum solennia orationem publicè habuit, & quidem elegantem, qua ostēdit, quid maximè regem Christianum deceret, siue pacem, siue bella gerat. Hac oratione ita permotum regem ferunt, ut statim arbitrium omne componendæ pacis ei permiserit. Platina.

Romanam urbem Paulus Exarchus Græcus, & LVITPRANDVS Longobardorū rex, obsidebat, quòd Romani ab Imperatore defecissent. Gregorius II. Pp. insigni pietatis Luitprandi regis fama permotus, Vrbe cum decoro comitatu clericorum & optimatum Romanorum egressus, in castra ad regem supplex uenit. Rex siue tacita religione captus, siue præsentis Pontificis uerecundia adductus, statim ad pedes eius se prostrauit, & sine ullo maleficio ex agro Romano se recessurum esse promisit. Mox cùm ab Exarcho monetur, ut iussa Imperatoris impleret, id est, ut Pontificem aut captiuum faceret, aut ferro perimeret: non solùm id consilium ut impium sceleratumq; repudiauit, uerùm eriā Pontificem, ut Exarchum in gratiam recipere uellet, orauit. Inde ad templum S. Petri, nullis ea tempestate mœnibus septū, accessit, atq; ad aram profectus, paludamentum, quo erat indutus, armillas, baltheum, ensem auratum, coronam auream, & crucem argenteam, ante augustissimum corpus apostoli posuit, & supplex Deo uota, atq; ipsi apostolorum principi fecit: atq; inde exercitum domum reduxit. Sigonius libro 3. regni Italici.

Longobardorum rex DESIDERIVS, cùm multas ditionis Romanæ urbes iam cepisset, nouissetq; ab Adriano I. Romano pontifice ad ferendam opem Carolum Magnum uocari: cupiens astu ante Carolum urbem Romam occupare, simulauit uoto se ad salutāda principis Apostolorum limina proficisci uelle. Pontifex relatis templi atque urbis portis, misit qui Desiderio sub anathematis pœna imperarent, ne propius ad urbem accederet. Incredibile forsan uideatur, & tamen uero ipso uerius est, barbarum regem, superbiæ atq; immanitatis plenum, quem arma non mouerant, simplici anathematis denunciatione territum, sententia mutata, retrò exercitum conuertisse. Fulg. lib. j. c. j.

CAPTIVIS DIMITTENDIS.

ISRAELITÆ, sub rege Peka, ducēta millia captiuorum è Iudæis abegerunt: eosdem tamen liberos dimiserunt, monitu Obedi uatis. 2. Paral. 27.

GIBVLDVS rex Alemannorum, Seuerino episcopo Bathauiano paruit, deprecanti pro Romanis, ut pacem cum ipsis seruaret, captiuosq; sibi condonaret. Auentinus lib. 2. Annalium Boiorum.

PVGNANDO.

AMASIAS rex Iudæorum, cùm aduersum Syros expeditionem parasset, uiro Dei obediendo, exauctoratis atq; dimissis centum millibus militum, quos cō duxerat de Israelitis, cum XXX millibus suorum copias hostium superauit: cū utraq; multitudine simul uincendus, nisi paruisset.

OPERE FACIVNDO.

Ex Tit. Monachorum Abbatibus obedientium.

PERSONARVM. QVI QVIbus obedierint. v. g.

REGES SACRIS HOMINIBVS.

Vide paulò antè, Rerum respectu, in Pœnitentia agenda.

Monachus quidam Imperatorem THEODOSIVM posteriorem inuerecundius interpellans de nescio quā petitione, cùm sæpiùs eidem esset molestus, nec tamen, quod cupiebat, optatum ferret: magna confidentia Imperatori Ecclesiæ communione interdixit, atq; discessit. Imperator reuersus in regiam, cùm iam apposita mensa accumbēdi tempus esset, ne gustare quidem de epulis uoluit, nisi priùs ab eo, à quo ligatus uidebatur, excommunicationis uinculo exemtus esset. Mittit igitur ad Ecclesiæ pastorem, petens ut eundem ipsum, qui ligasset, se etiām soluere iuberet. Ille uerò Imperatori renunciat, iam antea cum esse solutum: nec illo modo pro legitima excommunicatione admittendā,

quam quilibet quacunq; temeritate & propria libidine sibi usurpare præsumsisset. Verùm Imperator eo responso minimè contentus, nequaquam acquiescere potuit, nisi per eum ipsum, à quo exclusus erat, Ecclesiæ communioni esset legitimè restitutus. Id quod etiam factum est.

MONACHI ABBATIBVS.

PAVLO Simplici, Antonij discipulo, cùm multa absurda & superuacua experiundæ tantùm obedientiæ causa imperarentur, ueluti necessaria perficere nunquam distulit: sicuti aquam haurire, & haustam effundere, uestes dissuere, & eas dem dissutas iterum consuere, & alia huiusmodi, quæ ille non quòd friuola futilia quæ essent, sed quòd iussa, perpendens, libenter exequebatur, diligenterque implebat. Marulus libro quarto, cap. 3.

IOANNES abbas in Scythi, quem sol iratum non uidit, ex hac uita ad meliorem migraturus, præcipuum discipulis suis documentum relinquere uolens, nunquam quicquam se ex sententia sua egisse dixit, sed seniorum: nunquam aliquid docuisse, quod prior ipse non feciſſet, hoc erat propriè renunciare uoluntati, & in docendo nihil præsumere. In hoc ille summam penè uirtutum putauit: qui dum decederet, fratres suos plura monere necessarium non esse censuit. Aliàs quoq; saxum ingens, & quod multi simul mouere nõ ualerent, soli, ut aduolueret, abbas præcepit. Tunc ille quidem toto conatu frustrà nitens, uires experiri non cessauit: donec multo sudore madẽtem, iam quiescere idem abbas iussit. Hac obsequiorum simplicitate Ioannes prophetandi donum consecutus, in magnis bellorũ difficultatib. Theodosium principem, ne cum hoste congredi timeret, suis animauit oraculis, certissimo victoriæ euentu: ita ut ille deinceps certamen nullum iniret, nisi ipso consulto. Igitur qui olim omnibus abbatis sui iussis fuerat obsecutus, eius deinde responsis obediuit imperator. Idem.

Abbas alter IOANNES Scythiotici apud Lycum Thebaidis oppidum eremi, cùm primùm reciperetur à monachis, explorandi causa iussus à suo abbate, per integrum annum, aridum uirgultũ terræ infossum rigauit singulis diebus bis, aqua per duo milliaria allata. Cassianus libro quarto, capite septimo, Marulus libro quarto, capite tertio, lenticulam oleo plenam, cùm in deserto aliud nõ suppeteret, projicere iussum, paruisse ait.

ALBINVM Andegauensem episcopum, dum adhuc adolescens in monasterio degeret, & ad perficiendum abbatis mandatum pergens, effusum repentè imbrem sub tecto declinasset: eo procellæ ui diuulso ac perpluente, cæteris qui illuc conuenerant, haud parum malefactis, ipsum solum aqua non asperſit. Mirabãtur omnes: & cùm audissent, eum ab abbate missum iter facere, miraculum obedientiæ meritò imputarunt. Marul. lib. 4. c. 3.

GVLIELMVS Aquitaniæ quondam & Prouinciæ dominus, postea uerò ita humilis monachus, ut nihil tam paruum, neque tam infimum esset, quod se indignum iudicaret, dum id ibi faciendum abbatis auctoritas iniunxisset. Iussus aliquando panes coquere, cùm iam cœnæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumuertit: sed scopam, qua prunas euerreret, locumque ponendis panibus aptaret, non habuit. Insilieas ergo in fornacẽ, melote pro scopa est usus. Tum demùm coctos panes fratrib. nihilo tardiùs quàm res poscebat attulit: nulla corporis aut indumentorum parte læsa. Idem.

BERCHARIVS, Luxouiensis monasterij abbas, antequam præesse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo auxit, dum uinum de cado in urnam traheret: ab abbate uocatus, relicta urna festinus cucurrit. Vinum uerò sicuti fluebat, repleta urna non est effusum: sed sic stetit, ac si gelu concretum esset, donec ille reuersus cadi foramen tereti in mucronem ligneolo obturauit. Ibidem.

Diuus Hieronymus ad uirgines scribens: Hoc unum, inquit, apud omnes Aegypti MONACHOS observationis præcipuum est celebre, ut neminem nisi obedientem & humilẽ ad omnes labores perficiendos, & opera suscipiant. Quatenùs domita caro ex grauedine, cogitationibus uanis & uoluptatibus non uacet ex otio. Marul. lib. 3. c. 9.

LAMBERTVS Traiectensis episcopus, cùm inuidorum mali gnitate episcopatu motus, ad monasterium Scabolanense confugisset, & nocte quadam ad orandum à lectulo desiliens, percusso pedibus pauimento strepitum fecisset: Abbas eo quòd silentij ea hora erat, indignans uoce sublata ait, ut quisquis illud culpæ commisisset, continuò ad crucẽ exiret, non antè quàm diei crepusculum esset reuersurus. Crux autem ipsa extra monasterij septa sub dio erecta stabat. Repentè itaque Lambertus, sicut nudis pedibus adhuc & cilicio tantùm indutus erat, abiit, & hoc quidem brumæ tempore: ut multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset. Manè semiuiuum reduxerunt, & abbas ueniam petiit, affirmans nunquam se putasse hoc monachorum aliquem facturum, nedum episcopum. ideoq; eo magis quàm seriò uerbum protulisse. Tandem Lambertus in episcopatus sui sedem restitutus, martyrio coronatus fuit. Marul. lib. 4. c. 3.

MARIANVS monasterij Bituricensis monachus, Mamertino abbati ita se subiecit, ut bubuli seruitio fungi iussus, nõ grauatim obediret: nihil uile aut cõtemptibile arbitratus, quod sibi agendum ille iniunxisset. Idem.

FRATREM quendam refert Cassianus, non obscuro loco natum, cùm relictis mundanæ conuersationis rebus religioni sese tradidisset, sportulas uenales, abbatis iussu, humilitatis explorandæ causa, publicè circumtulisse, unamquamq; singillatim distrahendo. Ibidem.

Cassianus lib. 4. MYTII abbatis miram obedientiam narrat, dicens eum unico filio suo non pepercisse, ut abbati obediret. Vnà enim cum illo paruulo adhuc monasterium ingressus, ut cellulis dispararentur sustinuit: & cùm puer de industria in conspectu eius increpiteratur, uerberaretur, miseris acciperetur modis, neq; lacrymis neq; clamoribus eius moueri potuit, ut uerbum unum proferret. Deniq; simulata in puerum indignatione abbas, patientiam pariter obedientiamq; Mutij quàm maximo probaturus argumento, iussit ut filium in proximo flumine suffocaret. Nihil moratus ille, unicum ut mergeret, tulit. Sed quibus negotium datum erat, cùm ad ripam fluminis uentum esset, inhibuerũt. Post hæc abbati reuelatur, Mutium Abrahæ patriarchę obedientiæ meritò comparandum, dignumq;, cui post se monasterij cura committeretur. Idem.

VENERIVS monachus, solitariæ uitæ cupiditate ardens, inscio abbate discesserat, tuguriolumq; sibi posuerat in deserto. Cæterùm à S. Romualdo reprehensus, quòd absq; præpositi sui permissu monasterium reliquisset, ideoq; cassò & infructuoso labore ipsum cœlum uersus niti, quandiu inobedientiæ premeretur grauitate: statim ad abbatem suum rediens, & culpæ ueniam rogauit, & in solitudine uiuendi copiam. Ibidem.

Ioannes abbas, eremicq; Scythi œconomus, ficus de Mareote Lybiæ sibi muneri missas, duobus ADOLESCENTVLIS ad senem quendam procul in ulteriore deserto manentem deferendas dedit. Quos, dum iter facerent, nubilosa circum fudit caligo, ita ut quò pergerent, nescirent. Per uastam igitur errando solitudinem, diem noctemq; consumsere, senis cellula nusquam inuenta. Cumque diu expectati non redirent, reperti sunt positis genibus animas efflasse, illibatis ficubus quas secum tulerant. Si quidem inedia perire, quàm abbatis præuaricari mandatum, maluerunt. Ibidem.

Patauij est lesuatorum collegiũ idiotarum, q mendicando & seruilia munia deferendis funalibus prestando in exequiis, cultu item hortuli, & aquarum extractione è plantis, sese sustentant. Cùm præpositus diui Augustini post epulas Iesuatorum præposito obiiceret, quòd uium uotorum professionem parum legitimè uiderẽtur exercere: is statim ad MARCVM, unũ è suis, qui mensæ ministrabat, conuersus: Quando ergo de obedientia quæstio est, te ego, Marce, manibus nudis prunas huc inferre iubeo, ut boni isti uiri sese calefaciant. Nihil ille cunctatus, quod iussus erat stupentibus illis attulit. Tum Dominicani comes, Et ego, si iubeat, afferam carbones, sed testa, non manu, ne Deum tẽtare uidear. Eo miraculo plurimum auctoritatis collegio illi accreuit, ut Marcum modò non pro sancto haberent. circa annum Salutis humanę MCCCCXII. Bernard. Scardeonus lib. 2. classe 6. hist. Patauinæ.

SVBDITI PRÆLATIS.

Etiam malis prælatis obediendum esse, suos DISCIPVLOS monet Dominus, inquiens: Super cathedram Mosi scribæ sedent & Pharisæi: omnia quæcunq; iusserint facere, facite. Matthæi 23.

Quòd episcoporum abbatumq; & aliorum qui præsunt iussa mandataq; sine cunctatione capessenda sint, etiam cum nobis minus rationis habere uidebũtur, PETRI apostoli exẽplo patet. Non lauabis mihi pedes in æternum, inquit; indecens & indignum ratus, ut Dominus officio fungatur serui, & seruorum quasi dominorum suorum lauet pedes. Sed quòd indecens esse non poterat, quicquid ille iuberet, mox intellexit: cùm audiuit, se non habiturum partem cum ipso, nisi se lauari permitteret. Ideo protinus obediens exclamat: Domine, non tantùm pedes, sed manus & caput. Igitur quicquid præpositi nostri nobis iniunxerint, priùs id ipsum exequi, quam causas quamobrẽ, inquirere curemus. Præposterum enim uidetur, ut cuius officium est obedire, is de seniorum sententia iudicet. Marulus libro quarto, capite 3.

HONORES SACRI RELIGIOSE DISTRIBVTI. ET VEL

DELATI SACRIS HOMINIBVS.

QVIBVS. PVTA

Prophetis.

Iosephus in 11. Iudaicæ Antiq. uolum. refert, legisse CYRVM ab Esaia de se certo uaticinatum nomine: & idcirco Iudæos quasi Dei familiares plurimùm dilexisse. Hieron. lib. 12. comment. in Esaiam, cap. 44.

Sacerdotibus.

Rex DAVID solicitè Dei cultum in cantoribus & sacerdotib. studuit ampliare. 1. Paralip. 15. usq; ad cap. 25.

CONSTANTINVS Magnus Imp. Chalcedonensi concilio cùm ultimus inter sacerdotes sederet; auditis accusationibus, quibus inuicem se sacerdotes criminabãtur; delatas ex scripto ad se, in gremiũ concluſit, omnesq; nõ lectas cõbussit, dicens: Sacerdotes ceu numina ad hominem regendum constitutos esse; & propterea intactum se Deo corũ iudicium reseruare uelle. Fulgosus, & Egnatius lib. 1. cap. 1. Ab eodem legem editam tradunt, plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate constituto, quàm ulli alij uel domino uel regi: certum enim esse in illis honorari Christũ; qui uicem Christi in terra gererent, non in illis qui imperarent terræ. Solis autem Apostolis; quorum locum sacerdotes tenent, à Domino dictum esse: Qui uos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Marul. lib. 3. c. 5.

MARIAM Aegyptiacam Zosimus abbas in deserto orantẽ, corpore supra terrã attolli uidit, supra aquas Iordanis ambulantem nõ mergi, & stupefactus gẽnua ante illam flectere reuerentiæ gratia uoluit. At mulier sacerdotalem in ipso dignitatem animaduertens, non permisit: sed econtrà honorem quo se indignam cẽnsuit, ei detulit. Maius quiddam existimans, sacerdotem esse, quàm miracula facere. Idem.

ANTONIVS Aegyptius abbas, uirtutibus & miraculis ubique clarus, ipsos presbyteros ac sacerdotes in summa uenerationе dicitur habuisse: solitusq; eisdem caput submittere, benedictionem captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset. Ibidem.

THEODOSIVS Iunior, initiatos sacris & consecratos, mirũ in modum uenerabatur, si paulo integrioris erant uitæ. Cuspinianus.

Cæsarius episcopus Arelatensis, apud THEODERICVM Italiæ regem accusatus, quòd monasterium à se sorori & sacris aliis uirginibus conditum, ac deinde in obsidione urbis euersum, instaurare cœpisset, Rauennam sub custodia missus est. Cùm autem ad regem in Palatium accessisset, interrito illum animo salutauit. Cui Theodericus uenerabũdus aperto capite assurrexit: ac de labore itineris, de Gothis, & Arelatensibus percontatus est. Dimisso inde illo, cõuersus ad suos dixit: Malum eis, qui tam sancto uiro hanc itineris molestiam præbuerunt: nam quantus hic sit, ex eo conieci, quòd ad primum eius ingressum propè totus cohorrui, & angelicum in eo uultum notaui. Quamobrẽ nefas esse arbitror, duriùs aliquid in tam uenerabilem uirum consulere. misitq; ad eum in hospitium loco muneris discũ argenteum magni precij. Cæsarius autẽ eo uendito, & reducta pecunia, captiuos omnes Gallicos superiore bello factos redemit. erant autem ferè ex iis, qui ultra Druentiã incolebant, atq; Arausicenses, quos liberare omnes Arelate nequiuerat. Cæterùm, cùm tanta ad eum pauperum cõfluxeret multitudo, ut uix pateret accessus; senatores ac nobiles certatim ad eum dispensandas pecunias contulerunt. Eo factum est, ut Symmachus pontifex, & clerus Romanus uniuersus miro tanti uisendi antistitis flagrare desiderio cœperit. Itaq; Romam accitum benignè cuncti exceperunt, gratias Deo agentes, quòd sanctum uirum suis demum oculis subiecisset, de quo sæpissimè antè auribus accepissent: præcipuè uerò Symmachus, qui eum non solùm metropolitani honore, sed etiam pallij dignitate ornauit. Itaq; Arelate regressus, qui in exilium in Italiã uenerat, captiuos redemptos reduxit, & dignitate auctus, octo solidorum millia reportauit: quibus, Carcassonem profectus, reliquum captiuorum recepit. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

CAROLVS Magnus summa pietate antistites, sacerdotes, clerumq; uniuersum coluit. Cuspinianus.

Fratrum minorũ pater FRANCISCVS, maximo semper honore sacerdotes prosecutus est. Dicere solitum tradunt, si cui sanctorum è cœlo in terram lapso, & cum illo simul sacerdoti fortè occurrisset, priùs se sacerdotis manibus osculum daturum, deinde reuerentiam facturum sancto. Plus se debere illi significans, qui Christi & Apostolorum uices in terris gereret, quàm illi, quem iam cũ Christo regnare nosset. Quanta autem res esset sacerdotium, in eo ostendit, q se indignum illo iudicans, nunquam promoueri passus sit: soloque diaconatus officio contentus quoad uixit, fuerit. Marulus lib. 3. cap. 5.

LVDOVICVS Crassus, Francorum rex, sacerdoti Eucharistiani afferenti obuiam proficisci uoluit, quamuis grauissimo affectus morbo. Raüisius.

CONVALLVS Scotorum rex, nullum sacerdotem sine magna reuerentia est alloquutus. H. Boethius lib. 9.

RODOLFVS Comes Habspurgensis, ruri obuium habuisse sacerdotem fertur, Eucharistiæ symbola ægroto deferentẽ. Religione motus, sacerdotem suo, æduituum comitẽ famuli equo donat, & pedes insequitur. Vulgata eius rei fama, Monialis quædam, prophetico spiritu celebris, Rodolpho ob hanc pietatem regnum prædixisse fertur. Nec multò pòst, diuturno illo à Friderici II. morte interregno pertæsis Germanis, Rodolfus, præter spem & expectationem, Cæsar ab Electoribus principibus salutatus est: eiusque posteri etiamnum hodie Reipublicæ Christianæ habenas felicitet moderantur.

QVALES HONORES. Sic Honorantur

Consulendo.

Ex Tit. Obedientiæ religiosæ, huc quædam.

Occurrendo, Comitando, Salutando.

Ex præcedentibus huc quædam.

Non conuersando, Conuersationem fugiendo.

IOSEPHVS θεοφόρος, cui desponsata erat Maria uirgo, & more Iudæorum usq; ad tempus nuptiarum custodienda tradita, cùm grauidam esse uideret, & quia iustus erat, eam nollet traducere, uoluit dimittere eam eodem cõsilio, quo PETRVS Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator sum; quo itidem CENTVRIO à domo sua eum prohibebat; cùm diceret: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Sic ergo etiam Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, A tali & à tanta non debere sibi ulterà familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne, & quia mysterium penetrare non poterat, uolebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem: expauit Centurio præsentiæ maiestatem: exhorruit nimirum & Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi nouitatem; mysterij profunditatem: & ideo occultè uoluit dimittere eam. Miratis quòd Ioseph prægnãtis sese consortio Virginis iudicabat indignum; cùm audias & sanctã Elizabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore & reuerentiã ait niamq;: Vnde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ideo itaq; Ioseph uoluit dimittere eã. Sed quare occultè & non palam? Ne uidelicet diuortij causa requireretur, exigeretur ratio. Quid enim uir iustus responderet populo duræ ceruicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate cõprobauerat; nõne mox incredeuli & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando unquam ueritati crederent tacenti in utero, quam postea contemserũt clamanti in templo? Quid facerent necdum apparenti; cui postmodùm impias manus iniecerunt, etiã miraculis coruscanti? Meritò ergo uir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, uoluit occultè dimittere eam. Sin uerò quis Iosephum sicuti hominem dubitasse contendat de Virginis castitate, & propterea occultè uoluisse dimittere eã: dubitatio ea ab Angelo in somnis fuit uiro iusto exemta, ut non modò Virginis sub specie mariti, uerùm etiam eius quod ex ea nasceretur sub specie patris custos atque tutor esse uellet. D. Bern. homilia 2. super Missus est.

Diuis inferendo.

Vide Tit. Απροσώπως, quatenus hæc ipsa tum aliis, tum præsertim Religiosæ iustitiæ meritis conuenire uidetur.

Dignitatem, Magistratum conferendo.

[redacted]

CONSTANTIVS Chlorus Imp. cùm plures in sua aula Chtistianos haberet, experiri uolens qui uiri fortes essent, ac cõstantes: simulauit omnib. se præcipere, ut diis suis sacrificarent, qui sui esse uellent: qui uerò recusarent, abirent è palatio. Multi metu idola uenerati sunt: quos tanquam religionis desertores eiecit. At qui in religione perseuerarãt, hos cœpit amplexari, & consiliis suis adhibere. Cuspinianus.

GVLIELMI Ruffi Anglorum regis, alioqui auaritissimi, extitit unum factum, memoria dignum. Cùm cœnobium quoddam uacaret, duo monachi inter se pactionem fecerant, ut si ita inuicem adiuuarent, quò alter cœnobio præficeretur: Hoc capto consilio, certatim pro præfectura adipiscẽda pecuniam regi obtulerunt. Interea rex conspicatus coràm alium monachum bonæ frugis, qui comes illis duobus competitoribus fortè uenerat, ad se uocatum interrogauit: Ecquid dare uelit, si abbas fiat. Is respondet, Se nihil prorsus daturum, cùm eo animo sese isti uitæ dedisset, ut spretis diuitiis, atq; honoribus, in sanctitate uitæ Deum coleret. Ad hæc rex: Tu ergo dignus es, qui cœnobio tuo præsis. Id qđ fieri statim iussit, illis duobus repulsis. Polyd. lib.10.

HONORIVS IV. in suo pontificatu solũ cardinalem Ioannẽ Boccamatium episcopum Tusculanũ creauit: uiros dicens, & eosdem bonos ac doctos, non etiam rudes & rerũ humanarum ignaros, in tantũ collegiũ cooptandos esse. Platina.

MARTINVS V. Pontif. in dandis beneficiis mira prudentia usus est. Non enim cuiuis petenti ea conferebat, sed statim mente agitabat, quis potissimùm esset idoneus, cui talis cura demandaretur. Quòd si homines prouinciarum non nosset, in quibus uacare beneficia contigisset, at peritos regionum consulebat, quis aut in curia, aut in gymnasiis publicis esset doctrina, nobilitate, moribus, hoc munere dignus. Platina.

NON DELATI INDIGNVS: SIC NON DEFERTUR

ADORATIO.

MARDOCHÆVS Iairis F. Iudæus, Amanem Amalechitam, uel iubente Artoxerxe rege, adorare noluit, quòd eum honorem soli Deo conuenire arbitraretur: adeò ut in maximũ periculum & se & totam Iudæorũ gentẽ coniecerit. Ester. 3.

PROPINATIO.

D. MARTINVS Turonensis episcopus, Treuiros ad Maximũ Imp. uenerat, ut pro Narsete Comite, & Leucadio præside, qui Gratiani partes pertinaciùs fouerant, supplicaret, &, ne tribuni cum iure gladiorum in Hispanias ad Priscillianistas hæreticos extirpandos mitterentur, uetaret. Cùm episcopi omnes turpi principem assentatione complecterentur, solus Martinus apostolicam seruauit auctoritatem. Nam; cũ supplicandum fuit, imperauit potiùs, quàm rogauit: & à cõmunio eius, licèt sæpè rogatus, abstinuit, quòd diceret, se mẽsæ eius participem esse non posse, qui Imperatorem unum regno, uita alterum expulisset. Gratianum intelligens dolo cæsum, & Valentinianum fratrem, ad quem Gallię & Hispaniæ & Britanniæ regna hæreditate pertinebant, à Maximio occupata. Cùm autem Maximus se non sponte sumsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militib. diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & nõ alienam ab eo Dei uoluntatem uideri, qui tam incredibili euentu uictoriã peperisset, nullũq; ex aduersariis, nisi in acie, oppetiisse: tandem uictus uel ratione, uel precibus, ad conuiuium uenit, mirum in modum gaudente Maximo, cp impetrasset. Conuiuæ autem aderant, ueluti ad diem festum euocati, summi atq; illustres uiri, præfectus, idemq; consul Euodius, Comites duo summa potestate prediti, frater eius, & patruus. medius inter hos Martini presbyter accubuerat. ipse autem scitula iuxta Maximum posita consederat. Medio fermè conuiuio minister de more pateram regi obtulit. ille Martino dari iubet, auidè expectans, ut ab illius dextera poculũ sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, neminem existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore, si aut Maximum, aut eos, qui à Maximo erant proximi, presbytero prætulisset. Quin etiam eidẽ Maximo longè antè prædixit, futurum, ut, si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano facturus, primo quidem aduentu uictor esset, sed paruo pòst tempore interiret. Sigonius lib.9. Imp. occid.

DIGNITAS.

CAROLVS Magnus, in episcoporum senatum haud temerè quempiam adlegit: eruditionem atque bonitatem in cooptandis illis potissimùm spectauit: eumq; ordinem ad pristinum splendorem, à D. Paulo præscriptum, reduxit. Curiosè cauit, ne quit auarus, aut ambitiosus, luxuue perditus, unquam pontificalem apicem adipisceretur. Hildegardæ reginæ petenti pro sacrificulo suo, idem pro ceribus aulæ rogantibus, respondit: Idoneo, etsi pauperi, iam destinaui. Imperatorem mentiri, aut falli non decet, ut obtrudat superis, cuius uitam, mores, ingeniũ ignoret: & tanto ne operi parsit, compertum non habeat. Auentinus lib.4.

LVDOVICVS Pius Imp. nemini Ecclesiasticam dignitatem contulit, ob pecuniam: sed probè obseruauit, qui doctrina & bonis moribus ornati essent. Regino lib.2.

ALVREDVS rex Anglorum, neminem illiteratum ad quamcunq; dignitatem Ecclesiasticam adhiberi permisit. Rainulphus lib.6. cap.j.

Quidam sperata morte cuiusdam beneficiati, cùm iam semimortuum uideret, quatuor horis L. millibus passuum peractis, ad REGEM peruenit. A quo cùm precio & precibus sacerdotium peteret, affirmans proculdubiò eum mortuum esse, quem ante quatuor horas se morientem reliquisse dicebat. Cui rex: Bene sanè cucurristi, sed quo animo id feceris, perspicuum est: ideo cùm tam bene curras, recurre, & te non impetrasse renuncia. Gilbertus Cognatus lib.j. Narrat.

IVLIVS II. Pp. anno MDXII. moriturus nulla in re priuatas propriásue cupiditates præ se tulit: imò Felici filiæ suę, multisque aliis eius gratia, ut Guidum Montefalchium, qr eadem matre nati essent, in pontificum collegium cooptaret, uehementer supplicantibus, illum eo gradu dignum non esse, apertè respondit. Guiciardinus lib.11.

AMOR RELIGIOSVS ERGA HOMINES, EA QVAE MERENTVR TRIBVENS.

Hîc solius Caritatis rationem habemus, quæ ex præscripto pietatis institutionem ignoranti, correctionem & conuersionem impœnitenti, quantum in se est, communicat. Cuius exempla ex Tit. Pœnitentiæ desumi possunt, quatenus aliorũ seruore & studio ad pœnitentiam uocantur. Differt autem à Clementia: quoniam aliud est ignoscere ei qui te offenderit, quadam animi magnitudine & moderatione, atque in eundem beneficia conferre, non tam illius causa, quàm ut uirtutẽ tuam omnibus comprobes: aliud est, uerè & ex animo diligere, illi bene uelle, & illius causa beneficiis eum afficere. Clementia certè apud Ethnicos quoque reperitur: Caritas apud solos pios homines, & Christianos.

RESPECTV SVBIECTI, HOC EST, BONI QUOD TRIBUITUR. CUIUSMODI EST

DOCTRINA, INSTITVTIO.

Consule Tit. Religionis magistri, propagatores. quatenus impiorum conuersioni ex caritate incumbunt. Maximè uerò Tit. Ecclesiastarum.

Prima in Euangelio IOANNIS Baptistæ præcursoris uox est, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et ut qualiter agendum esset, in se ostenderet, de camelorum pilis textum habuit indumentum, zona pellicea præcinctus erat, locustis syluestriq; melle uescebatur. Lugubris & asper uestitus peccatorum tristitiam indicat, zona pellicea carnis mortificationem testatur, ciborum ullitas iciuniũ abstinentiamq; commendat. Marulus lib.4. c.9.

Post Ioannem eadem sanè uox CHRISTI opt. max. fuit, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sola peccati turpitudo ad pœnitendũ mouere debuit peccatorem: quanto magis cùm etiam ea promittitur merces, qua maior nequit desiderari? Idem.

APOSTOLORVM omnium, & eorum qui illos secuti sunt, unum hoc caritatis propositum fuit, neq; rerum præsentiũ, neq; quietis, neq; uitę mortalis ullam habere rationẽ, dum consulitur spiritali saluti proximorum. Marul. lib.3. c.2.

PAVLVS apostolus, qualem erga proximos caritatem haberet, præter difficiles illas & periculosas peregrinationes, ostendit ad Romanos dicens: Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Et ad Corinthios: In cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendũ. Et ad Philippenses: Testis mihi est Deus, quomodo cupiã omnes uos esse in uisceribus Iesu Christi. Et ad Thessalonicenses: Facti sumus paruuli in medio uestrũm, tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes uos cupidè, uolebamus tradere uobis non solùm euangeliũ Dei, sed etiam animas nostras, quoniã carissimi nobis facti estis. Rursum ad Corinthios: Cùm liber essem, inquit, ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerẽ: & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse nõ essem sub lege, ut eos qui sub erãt lucrifacerem. Omnibus omnia factus, ut omnes facerem saluos. Idem deniq; ait: Ego per omnia omnib. placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Marul. lib.3. c.2. Cũ esset Athenis, incitabat spiritus eius, eo cp uidebat idololatriæ deditã ciuitatẽ. Act.17.

SERAPION abbas oppidũ quoddam infidelium ingressus, cùm publicè prædicantem de medio pellerent, libertatẽ suam uni eorũ uendidit, ut cum eo priuatim colloquendi potestatem haberet. Vbi uerò frequenti assiduaq; suasione illum cui seruiebat credentem de idolorum seruitute in fidei Christi libertatem uendicasset, reddito ei precio, ad alium transibat. Hoc gentiles eruditi genere etiam Lacedæmone & Atheais usum dicunt. Marul. lib.3. c.2.

PACOMIVS monachus, animaduertens proximi uici colonos à cultu abesse diuino, & tantummodo in pascendis pecoribus studium ponere: eremũ deriquit, & tugurioli cõstituto Deum illos reuereri, & Christo credere docuit. Fugerat frequẽtiam, sed fugientem reuocauit caritas. Veluti qui maris periculum euasit, si quos naufragos conspexerit, rursum cõmittit se fluctib. ut in alto laborantib. opẽ ferat. Idẽ.

CONSOLATIO.

TOBIÆ caritatem Babylonica captiuitas probatiorem fecit. Quippe in eadem necessitate cõstitutis, quo quo modo potuit, opitulari non cessauit, nunc uerbis consolando, nũc rebus iuuando, & eos qui ab impiis hominib. cędebantur sepeliendo. Hinc cùm & ipse regis Sennacheribi iussu necandus perquireretur, Deo fauente unà cum suis periculũ effugit. Postea rege filiorum manu interemto, reuersus, omnia quæ sibi ablata fuerant recuperauit, ne benefaciendi materia deesset, cui nõ decrat animus. Pius in medio inimicorũ seruatus est: crudelis autem nec inter filios tutus fuit. Idẽ.

VITÆ CONSERVATIO.

SEPHORA & PHVA, Hebræorũ obstetrices, noluerunt obedire Aegyptiorum regi, imperanti ut omnem masculũ partu iam editum interficerent; feminas seruarent: timentes Deum, qui omne homicidium sua lege prohibuit. Exod.2.

Cùm Moses ex Madianitide terra in Aegyptum proficisceretur, ad liberandum populum, & in itinere in diuersorio filium suum non circumcidisset, à Deo petitus fuit ad necẽ. At SEPHORA uxor arrepto silice filium circumcidit, Mosemque liberauit. Exod.4.

Legimus Num.16. AARONEM aduersum ignem Israelis populum deuorantem occurrisse & stetisse medium, & opposuisse murum pro salute populi. Hieron. lib.4. in Ezech. c.13.

STIPATORES Sauli regis, iussi interimere sacerdotes Nobæ, eo quòd Dauidem (quem ipse rex persequebatur) fouisse putarent, non sunt ausi manum eis inferre. Aderat rex, in facinus urgebat, cunctantibus iratus minabatur. At illi immoti fixiq; stetẽre, adeò ipsimet occidi, si sors ita ferret, quàm occidere Dei ministros malebant. Serui deniq; morte contempta, prætulerunt furentis Domini iussioni reuerentiam sacerdotum. Doeg uerò Idumæus, cui nulla religio, nullus Dei metus erat, nec sacerdotum quidem eius cruore manus suas fœdare timuit, nec distulit pios coram impio rege iugulare, ut illi morem gereret. Marulus lib.3. c.5.

ABDIAS Iezabele regina impia prophetas interficiente, centum ex eis speluncis abditos pauisse dicitur. Non pepercit impensæ tot homines pascendo, & magnum uitæ suæ adiit discrimẽ eos occultãdo, quib. cũ sibi una moriendũ esse nõ dubitaret, si deprehẽsi fuissent. Quamobrẽ & ipse diuinatione donatus, quarto loco censetur in catalogo XII prophetarum. Qui enim prophetam accipit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Marul. lib.5. c.2. ex 3. Reg.18.

Caritate inter se contenderũt apud Antiochiam THEODORA uirgo, & quidã miles. Illa ob Christi confessionẽ ab infidelibus in prostibulũ truditur: miles ignotus eam primus adiens, persuadet ut mutatis secum indumentis, uirili habitu euadens, uirginitatem intactam conseruet. Cumq; ipse cum muliebri uestę deprehensus pro uirgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, ut cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret: palã proclamat, Se esse ei pœnæ addictam, non ipsum: econtrà ille, Imò se iudicis sentẽtia damnatũ, non illã. Diu certarũt uterq;, alterũ sua morte redimere cupiẽtes. At uerò quoniã Christũ confitentib. mori uiuere erat, Deo disponẽte, ambo simul capitis obtruncatione; gloriosum martyriũ peregerunt: ne eos tyrãni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. Marul. lib.3. c.2.

ALIMENTORVM COLLATIO.

Consule Tit. Munificentiæ erga sacros homines. item Tit. Munificentiæ misericordis religiosæ. illic Liberalitatis in dando, hîc Religiosi studii ratio habetur.

BOOZ Bethlehemita ait ad Ruth, Audi filia, ne uadas in alterum agrũ ad colligendũ, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis. Quãdo hora uescendi fuerit, ueni huc, & comede panem, & intinge buccellã tuã in aceto. Præcepit insuper pueris suis, dicẽs, Etiamsi uobiscũ metere uoluerit, ne prohibeatis eam: & de uestris quoq; manipulis proiicite de industria, & remanere permittite, ut absq; rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.

VIDVA Sareptana, cui nihil aliud erat præter pugillum farinæ in cado, & paululũ oleii in gutto: totum id, quod habuit, petenti Heliæ prophetæ cõcedere non dubitauit, quãuis & ipsam & filium fames tantoperè urgeret, ut ea farina absumta mori statuisset. Et ex illa die cadus ei farinæ nõ defecit, nec lecythus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terrã. Deniq; paruulum filium, quem mors abstulerat, pietas uiuum in sinu matris restituit, annuente Domino precibus propheræ, quem illa & cibo paucrat, & fouerat hospitio. Marul. lib.j. c.2. ex 3. Reg.17.

MVLIER Sunamitis transeuntẽ Helisæum legitur tenuisse, & secũ pœne comedere cõpulisse, tam familiariter, ut deinde non tæderet prophetã ad illã uirumq; eius frequẽter diuerterẽ, eorũ consuetudine uti, cũ ipsis unà cibũ sumere. Multus hospitis aduentus nõ tantũ non restinxit studiũ eorum, sed magis inflammauit, ut etiam cœnaculum illi construerent, in quo ueniens requiesceret, & diutiùs apud se manendi occasionẽ haberet. Itaq; precante Helisæo, & filiũ genuerunt, cùm antea steriles fuissent: & eundẽ, cùm decessisset, uitæ restitutum receperunt. Marul. lib.j. c.3. ex 4. Reg.4.

ABDIAS, qui sub rege Samariæ Achabo & impiissima Iezabele pauerat c prophetas in specubus, qui nõ curuauerãt genu Baal, accepit gratiam prophetalẽ, de duce exercitus dux ecclesiæ factus. Hieronymus in Abdiæ cap.j.

ZACHÆVS publicanus à Christo conuersus, dixit, Ecce dimidium bonorũ meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Lucæ 19.

CORNELIVS Centurio religiosus ac timens Deum cũ omni domo sua, fecit eleemosynas multas plebi. Act.10.

ANTIOCHENI Christiani, prout quisq; habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Act.11.

Itidem PII in Macedonia & Achaia collationẽ aliquã facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem, instituerũt. Roman. cap.13.

LVDOVICVS Pius Imp. noluit, sacerdotes egere. Ob id sanxit, qui sacris initiati essent, nullius hominum seruitio subiicerentur, nec ulla seruitute premerẽtur. Hanc ob causam statuit, ut ædes sacræ suum haberent uectigal, unde uictus iis foret, qui diuinis operarẽtur, ne sacrorum cultus, uictus inopia defereretur: ne etiam sacerdos quæstui ulli se dederet turpi. Cuspinianus.

THOMAS Cantuariẽsis archiepiscopus, quotidie XIII pauperes domi conuocabat, sedere iussis genu flexus pedes lauabat: discumbentibus ministrabat, abeuntes cum dono dimittebat, singulis eorum quatuor numos largitus: ita ut liberalior an humilior fuerit, non facilè discerni queat. Serui interdum dedignãtur mendicis ministrare, archiepiscopus etiam pedes lauit. Marul. lib.j. cap.5.

CVRA ÆGRIS IMPENSA.

PACOMIVS abbas fratribus morbo implicitis assedit: non dedignatus ministri operam, ut obsequium præstaret Domino iubenti ac dicẽti: Qui maior est uestrũm, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Marul. lib.j. c.5.

BERNARDINVS, antequã Minorum religionem profiteretur, in omni caritatis negotio assiduus erat. Senæ pestilẽtia laborabant pleriq;, contagiosam morbi uim timentes urbe excesserant: & illi quoq; qui mansissent, cùm ea familia, in qua æger quis esset, commercium habere formidabant. Solus Bernardinus sic destitutis necessariũm præstare ministerium decreuit. Duodecim iuuenibus persuasit, ut secum infirmis seruiendo, Christo seruirẽt. Cum hoc comitatu domos laborantium ingredi, sanos consolari, ægrotis mederi, indigentibus de uictu, defunctis de sepultura prouidere: sed ante omnia curare, ut piè & religiosè hinc emigrarent. Ipse in tam præsenti periculo incolumis seruatus, multò magis postea profuit hominibus prædicando, quàm tunc profuerat ministrando. Marul. lib.3. c.2. & Sab. lib.5. c.2.

BRIGIDA abbatissa, minorem se iis quibus præerat exhibebat. Quadam in monasterio longa ualetudine oppressas, ut saltẽ squallore leuarentur, lauari iusserat: sed ancillis sororibusq; cæteris cunctantibus, protinus ipsa accedens lauit, tantumq; humilitas abbatissæ ualuit, ut illæ lotæ euestigiò sanarentur. Tres erant diuersis infirmitatibus laborantes, paralytica, dæmoniaca, leprosa. Magnum miraculum fuit, tales languores curasse, sed non minùs mira extitit humilitas, sic affectas lauisse. Marulus lib.j. cap.5.

ELIZABETHA regis Pannonum F. & Ludouici Landgrauij

Turingiæ principis coniux, mendicum infirmum, squallidū, olidum, suo recipere sinu, suisq; manibus crinem illius pectere, tondere, caput lauare, totum corpus quantum licuit, à pedore sordibusq; uindicare nō erubuit. Multos præterea eiusdem sortis pauperes uisitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrigere, potū propinare, modis omnib. opem ferre, & ulceratorū plagas cōtrectare, tegere, linire, circūligare, & si quando fasciæ deficerent, sui capitis uelamento obuoluere. Defuncto marito, cùm multorū pauperum capax cōstruxisset habitaculū, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerū quendā uentris profluuio laborantē, ipsa in suis ulnis ad exonerandam aluum, etiam noctu consurgens, pluries portauit. Ibidem mulieris leprosæ curam habēs, omnia illi libenter præstitit, officioseq; ministrauit, quæ ipsa per infirmitatem nō poterat. Post hæc non est passa se ab ancillis uocari dominā, sed sororē, & eis aliquo de industria emissis, ipsarū interim munus usurpabat, uasa lauando, coquinā parando, pauimenta uerrēdo, utensilia suis disponēdo locis, cæteraq; diligentiùs exequendo, ancillis etiam se humiliorē fecerat. Nunquā ad tantam humilitatem descendisset, nisi priùs ardētissimæ caritatis feruore medullitùs incaluisset. Nihil quippe tā paruū aut tam uile est, ut id se ducat indignū, qui perfectè diligit. Marul. lib. j. c. 5.

MARIA Decegnies cognomento dicta, de pago Niuella, episcopatus Leodij, ipsa uitæ sanctitate maritum pellexerat, ut castitatē seruaret. Ambo ergo Christo, nō mundo seruientes, lepræ morbo affectis ministeriū impēdisse dicūtur: non languoris deformitas, nō tabes, non sanies feculenta, non morbi euitanda contagio obstitit. Miserabilior ægrotantiū facies, ministrātium curā magis accēdebat. Marul. lib. 3. c. 2.

CVRA HOSPITVM.

Ex Hospitalitatis loco huc exempla religiosa, illic Liberalitatis, hîc Caritatis erga proximum habetur ratio.

APOLLONIVS abbas, suis ipse manibus hospitum lauabat pedes: abbatemq; se in monendo duntaxat corripiendoq; nouerat, præterea omnium minimus erat. Marul. lib. j. c. 5.

MONACHIS Nitriæ montis morem fuisse constat, præter cętera in peregrinos beneficia, pedes eorū lauare, linteolisq; abstergere, illum imitari uolentibus, qui magister & Dominus discipulorum pedes lauit: Exemplū, inquiens, dedi uobis, quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Idem.

ADRIANVS II. Pontifex episcopis quos conuiuio exceperat ministrauit, pedesq; lauit: ac in terram prostratus, cum iis hymnos & psalmos cecinit. Platina.

HOR abbas eadē erga peregrinos obseruantia, certo tamen ordine usus dicitur. Primū cum illis simul suppliciter prouolutus Deū adorare, deinde pedes eorum abluere, postremò ablutis præcepta salutis dare: quasi innuere uolens, iis qui peccatorū sordes pœnitentiæ lauacro mundare cupiunt, necessariam esse pietatē, humilitatē, iustitiam. Marul. lib. j. c. 5.

OPVM RESTITVTIO, DEFENSIO.

Aduersus nobiles, qui fundos sacerdotū uelut diuturna possessione sui iuris factos retinere perseuerabant, nec uocati ab rege in ius subire periculū litis in animū inducebāt, LVDOVICVS Crassus Philippi I. Francorū regis F. res gessit, tutelam templorū à cœnobio D. Dionysij tegendo auspicatus, cuius fundos possidere arguebatur Bochardus, uir Parisiensium nobilissimus. Duxit etiam, in Drocum Montiacū Bellouacensis ecclesiæ iuri infestum. Elbo etiam Rossiacus opibus gloriaq; ingens, Rhemensi Laudunensiq; sacerdotio, cuius fundos occupasse dicebatur, coactus est pacē obsidesq; dare. Similiter & Leonetus Magdunensis, qui agros Aurelianensis pontificis armis uindicarat. Aemilius lib. 5.

PIPINVS Vaipharū Aquitaniæ ducem bona Ecclesiarū Franciarum obtinentem, armis coegit restituere. Regino lib. 2.

CAROLVS Simplex, rex Francorum, edidit illud memorabile, ac religione plenum. Summi proceres profani, locupletissimorū cœnobiorū opes, beneficio regum acceperāt, ac monachis tantū in sumtū suppeditabant, quantū necessarius usus postulabat: ex eisq; ipsi deligebant, qui non Abba (nā id sibi nomen uelut amplissimū arrogabāt) sed Decurio uocitaretur. Permultas ætates is mos tenuerat. Iam episcoporum iura inuadebant. Simplex coacto concilio diuitias pōtificum sanctas esse constituit. Cœnobiorum libertas sanciri nondū poterat, quòd eorum facultatibus Robertus magister equitum, ac Hugo, fratres, militem alebant, ac iam cū factionis suæ hominibus occupare regni ius contendebāt. Paulus Aemilius lib. 3. de gestis Francorum.

CONRADVS II. Imp. à Brunone Augustensi episcopo, Henrici II. Imp. fratre, stimulatus, ut episcopatum Bambergensem reuocaret, q̃ ecclesiasticis reb. non necessarius, & imperio præiudicialis haberetur (quod ipsum quoq; apud uiuētem fratrē egerat) nihil profecit. Fecit idē Theodericus Metensium episcopus. Sed quæ semel Deo consecrata sunt, ad profanos usus neq; Henricus neq; Conradus uoluerūt reuocare, & Bruno per uisionem fratris in somnis territus cœpto destitit. Cranzius lib. 4. Saxoniæ, cap. 36.

LIBERTAS RESTITVTA.

ABDEMELECHVS spado regis Sedeciæ, Hieremiā prophetam intercessione sua è cœnoso barathro funibus eduxit, XXX hominibus adhibitis, in quod à proceribus Iudæorū coniectus fuerat propter uaticinia. Propter hanc pietatem Abdemelecho promisit Dominus, sese illum defensurū contra hostes Chaldæos, ne in illorū manus ueniret. Hierē. 39.

CYRVS rex, propter Esaię prophetias Iudęos in patriam liberos remisit. Mox etiam DARIVS rex uaticiniorum ueritatē admiratus, cùm adhuc priuatus uiueret, uoto se obstrinxit, si regno potiretur, curaturū, ut templi extructio, quā Cambyses impedierat, perficeretur. Id quod & præstitit. 1. Esd. 5. & 6. & Iosephus lib. 11. cap. 4. Antiq.

PAVLINVS Nolæ urbis episcopus, uiduæ cuiusdam filiū in Aphrica apud Vandalos captiuum, cùm pecunia non suppeteret, uicaria seruitute redemit, mulieris orbitatem miseratus: simul ne ille iuuenis, dum superbis dominis seruit, eorum ritus secutus seruire inciperet diabolo, maluit uitā suā quàm proximi animam periclitari. Marulus lib. 3. cap. 2. & Sabellicus lib. 5. cap. 2.

SANCTVLVS Nursiæ prouinciæ abbas, cùm sibi pecunia suppeteret, quā diaconum suum à Longobardis latronib. captum redimeret, aliam longè difficiliorem redimendi rationem iniit, & ut sibi cum illo colloqui, diesq; aliquot unà esse liceret, rogauit. Qui rogabantur, hac lege concesserūt, ut si diaconus effugisset, tunc abbas qui per ætatem effugere non poterat, capite puniretur. At ille pro diacono mori paratus, fugā persuadet, eumq; noctu emittit. Qua de causa ad necem petitus, præbuit ceruicem. Cæterùm iam ad feriendum elatam uidens spiculatoris manum, protinùs exclamat, Summè Deus tene illam: immota mansit, & rigentibus neruis deflecti nequiuit. Reliqui miraculo territi, abbatem liberum fecēre. Qui mox rogatus, malè affectā manū oratione curauit. Multiplicia dona certatim offerebant, uenerantes iam quem dudum occidere uoluerant. Nihil ille accipere uoluit, præter captiuos: qui omnes libertati redditi, cùm ei gratias egissent, abiere. Marulus lib. 3. cap. 2. & Fulgosus lib. 4. cap. 7.

FRANCISCVS Medelinus Hispanus, & VINCENTIVS Catarenus Dalmata, apostatæ eunuchi, apud Barbarossam Tunetanum, religione moti, Christianorum captorum sex millia è carceribus liberarunt: præbentes ipsis instrumenta ad abrumpendas cathenas: quibus solutis, uariis rebus, saxisque præsertim, dextras armati, in Turcas erupere, tumultuarieq; interfectis aliquot Turcis, totam arcem Tunetanā occuparūt, armamentarium refregerūt, atq; omni regia gaza, commeatu, armisq; potiti, ab excelsa parte arcis uictoriam suam Caroli V. exercitui partim fumo, partim flāmis, expansoq; demū uexillo significarunt. Iouius lib. 34. Hist.

MODI, QVO TRIBVITVR.

Nempe

ORANDO PRO ALIIS, VEL INIMICIS.

Diligenter & solicitè orabat Dominum ABRAHAMVS, ut parceret Sodomitis. Genes. 18.

DANIEL propheta, nō pro suis, sed populi peccatis angitur, dum ea ueluti sibi communia confitetur, & proinde misericordiam Dei implorat, ac si & ipse deliquissent. In ieiunijs, in sacco, in cinere sponte affligitur, per tres hebdomadas luget: panē desiderabilē non comedit, neq; carnē neq; uinū gustat, neq; unguēto perfunditur. Video illum pro delictis aliorū talia facientē, & intra me confusus conscientiæ metu concutior, q̃ ego miser pro meis, quib. obrutus sum, nihil tale efficio. Contere Domine, contere duritiem uiscerū meorū, & uirga directionis tuæ percute cordis mei petrā, ut saltem aquam effundat lacrymarū, & ipse plangere possim ea quibus te offendi, cùm sancti tui sic lugeāt etiam ea quibus te alij offenderunt. Marulus lib. 4. c. 9.

ESDRAS, cùm intellexisset, Iudæos qui secum Babylone Hierosolymam remigrauerant, miscuisse semen sanctum cum exteris nationibus connubiorum copulatione, scidit pallium & tunicam, uulsit capillos, barbam depilauit: seditque mœrens ante templum, usq; ad sacrificium uespertinū. Tū demum surgens curuauit genua, expandit manus ad cœlū, & flens orauit. Ex eius mœrore cæteri suum metientes crimen, & ipsi fleuerunt: magnoq; diuinæ ultionis metu expauefacti, in tantū illi obedierunt, ut cōsenserint & uxores repudiare, & qui de ipsis nati fuerant, filios abdicare. Igitur ipso Dei legem exponente, conuenisse dicūtur in ieiunio & in saccis, puluere conspersi, ab alienigenis separati: confitentes peccata sua, & iniquitates patrum suorum quater in die, & quater in nocte, adorantes Dominum Deum suum. Ex 1. Esdræ 10. Marulus lib. 4. cap. 9.

Contendentibus inter se de regno Hircano atq; Aristobulo, Alexandri Iudæorum regis filiis, ab Hircano templū, quod in Aristobuli manu erat, & sacerdotes obsidebantur. Ibi inter alios captus est ONIAS, uir sanctus, ab iis qui Hircanū sequebantur: deductusq; ab eis ad templum, cùm precib. & minis urgeretur, ut rogando infestum Aristobulo Deū redderet, ipse immobilis cōtrà nitebatur. Et cùm illi urgere nō desinerent, clarè, Deum se rogare, dixit, ne ullam ipsarum partium aduersus alteram (quòd utraq; populus eius esset) audiret. Itaq; ab Hircani fautoribus statim fuit occisus. Fulgosus lib. 3. cap. 8. ex Iosephi lib. 14. cap. 3. Antiq.

ANDREAS apostolus cuiusdam Nicolai iam senis fornicatī di incontinentiam uehementer dolens, ab hora tertia ad nonam Deum pro illo cum lacrymis obsecrasse dicitur: deinde cùm etiam inedia se conficeret, die tandem quinto de cœlo sibi à Domino dictum audisse, Tua opera, ô Andrea, Nicolaum, quem amiseram, inueni. Quotusquisq; est, qui sic suū lugeret delictū, ut apostolus alienū? Marul. li. 2. ca. 12.

CARPVS Pauli apostoli discipulus (sicuti de illo Dionysius ad Themophilum scribens testatus est) cùm fidelem quendam ab infideli subuersum cerneret, præ dolore languere cœpit. Cumq; ut conuerterentur orare debuisset, ut ambo è uita decederent optauit: ueritus ne alterius suasu, alterius exemplo alij corrumperētur. Vidit aūt in quiete illos in fornacē ardentem à spiritibus immundis trahi, uiolenterq; impelli: & cùm eo spectaculo delectari cœpisset, aspexit Christum cum angelis è cœlo delabi in terram, ipsosq; ab ignis periculo ereptum accedere. A quo & audiuit, iterum paratum se pro peccatoribus pati. Hac uisione admonitus, pro utriusque conuersione Domino supplicauit: & quos antea mori concupierat, demum in fide uiuificatos recepit. Marulus lib. 3. cap. 2.

Beatus STEPHANVS Dominum imitatus, & ipse pro lapidatoribus suis deuotiùs quàm pro se orauit. Nam pro illis genua posuit, & uoce magna clamauit: pro se uerò simpliciter dixit, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Act. 7.

Sanctè CHRISTIANA instituit Ecclesia, ut stato & solenni die quotannis pro uniuersis gentibus uniuersa precaretur Ecclesia: ne iis quidem exclusis, qui ex cōfesso essent hostes infestissimi. Sab. lib. 6. cap. 1.

PIAMON in Scythiotico monasterio spectatæ sanctitatis presbyter, angelum Domini uidit, monachorum nomina in codice partim scribentem, partim scripta delentem. Visa ergo monachis explicās, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina subduci uidit. Ac tandiu cum illis lugens ueniā orauit, donec iterū apparens angelus etiā illorum nomina conscriberet, quorum antè deleuerat. Illi itaq; quantū mœroris priùs conceperant, tantum deinde lætati sunt, cū post pœnitētiā se quoq; cōscriptos in cœlis, ac in libro uitæ repositos agnouissent. Mar. li. 2. c. 12. & li. 4 c. 10. Sab. li. 5. c. 5.

PACOMIVS abbas, cùm quendam ex fratribus inimici supplantatione in nequitiam deiectum accepisset, tamdiu pro illo preces obtulit Deo, donec ad pœnitentiam conuersum audiuit. Marul. lib. 2. cap. 12. & lib. 4, cap. 10. Sab. lib. 5. cap. 5.

Hierosolymis Porterij principis uiri seruus Phanias, filiæ eius amore captus, quoniā potiundæ spes nulla esset, magos cōsuluit. Exciti maligni spiritus, eam illi uxorem fore dixerūt, si ipse se diaboli seruum ascripsisset, contemto Christo. Conditioni assentiēs chirographū dedit, & nuptias cum ea quā adamauerat iniit. Post hæc deprehendit mulier, nihil prorsus Christiani moris inesse uiro, non orare, non ad ecclesiā ire, non crucis signum facere. Deniq; causam curiosiùs ab eo sciscitans, plenè didicit: & anxia remedium quærens, BASILIO episcopo rem indicauit. Tunc accersitum Phaniam Basilius hortatur, ut reuerti uellet, unde per preuaricationē recesserat: & credere, & confidere in Domino. Conuersum secum domi retinuit, ac pro illo orauit, & post 40. dierum ieiunium, multasq; interea sathanæ insultationes eduxit, ut purgatum reconciliaret ecclesiæ. Ibi frequenti clero plebēque urbis astante, uoces terribiles auditæ, frementium ac lamētantium dæmonum aduersus Basilium, quasi raptorē alieni serui. Sed eo iubente, etiā chirographū inuiti restituunt. Quo discisso, apparuit deletum esse Phaniæ crimen. Ita per mulierē fidelē uir infidelis saluatus est: & qui desperauerat, episcopi opera ad spem rediit salutis. Mar. lib. 2. ca. 12.

MVTIVS abbas cuidā iam animā agenti, Deū precatus, triū annorum spacium ad pœnitendum impetrauit, sanūq; secū ad eremum duxit. Et ille cùm triennium peccata sua luxisset, in uigiliis, ieiuniis, obsecrationibus decessit securus, cuius ope uitæ terminum protelauerat, eiusdem manibus sepultus. Marul. lib. 2. cap. 12. & lib. 4. cap. 10. Sabel. lib. 5. cap. 5.

APOLLONIVM abbatem ferunt cuidā fratrum suorum humilitatis mansuetudinisq; uirtutē suis precibus à Domino impetrasse: ita ut ille, cuius rigidæ mentis asperitatem nulla mitigare castigatio poterat, postea multis patientiæ ac lenitudinis exemplum fieret. Marul. lib. 4. cap. 5.

EGIDIVS Arelatensis abbas, dum pro quodam regis Caroli delicto, quod nulli confiteri ausus fuerat, precaretur: schedulam super altari reperit, in qua reuelabatur peccatum, & abbatis merito uenia concedebatur regi, si modò ille se peccasse doluisset. Marul. lib. 4. cap. 10.

ODONIS Cluniacensis abbatis monitis, quidam ex prædone monachus factus, dum uita decederet, angelum sibi apparuisse dixit, iubentem ne timeret: eo quòd Odonis precibus ipsi peccata omnia remissa essent. Marul. lib. 4. cap. 10.

DEVOVENDO SE PRO ALIIS.

MOSES pro peccatis idololatriæ Israelitici populi apud Dominum intercedens, etiam è libro uitæ deleri postulauit, dum populo Dominus ignosceret.

PAVLVS apostolus, tanta anxietate spiritus compatiebatur fratribus & cognatis suis pereuntibus, ut ipse diceret: Tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optarim enim ego anathema esse Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati secundùm carnem. Rom. 9.

EXVLES SVSCIPIENDO.

Constantio Cæsare Christianos in Britannia persequente, magnus piorum numerus ad Scotos & Pictos concessit. Hos CRATHLINTVS, Scotorum rex, suscepit, & ut in Mona insula considerent, sacra ibidem æde ipsius opera Seruatoris nomine erecta, euersis Gentilium templis, Druydibusq; & eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic (ut Veremundus memoriæ prodidit) perdurauerant, concessit. Amphibalus Brito, uir insigni pietate, primus antistes ibi creatus. H. Boethius lib. 6.

POENITENTES SVSCIPIENDO.

Ex Pœnitentum titulo non pauca exempla huic loco conuenientia petentur: item ex Tit. Clementiæ erga hostes religionis, hæreticos.

Priusquam gallus bis cecinisset, ter iam Christum Petrus abnegarat. Tum CHRISTVS conuersus, & Petrum intuitus, peccatum suum ei in memoriam reuocauit, ita ut exiens fleuerit amarè. Mathæi 26. Marci 14.

Apostolum IACOBVM accusator duci ad mortem cùm uideret, pœnitentia ductus, ad pedes Apostoli prostratus: Ignosce mihi (inquit) uir Dei: pœnitet enim eorum quæ contra te dixi. At beatus ille statim eum deosculatus: Pax tibi (inquit) fili, & uenia peccati. Tum is statim se palàm omnibus Christianum professus, martyrij præmium tulit. Suidas in uoce, Herodes.

Nouatus hæreticus negabat apostatas etiam pœnitentes recipiendos esse. Hanc ob rem sub FABIANO I. Romæ concilium sexaginta Episcoporum, totidem presbyterorum cum diaconis pluribus habitum est, quo Nouati opinio ut falsa improbata fuit, quòd Saluatoris exemplo nemini pœnitenti deneganda sit uenia. Platina.

De rebaptizandis his, qui ad fidē rediissent, eadē sensit STEPHANVS I. PP. quæ Cornelius pontifex: neq; ullo modo his recōmunicandū esse, qui rebaptizarēt. Vnde Dionysius, qui antea hac de re cum Carthaginensibus & Orientalibus senserat, mutata sententia, ad Stephanum scribens, cū bono esse animo iubet, cùm Ecclesiæ tā Asianæ quā Africanæ mutata opinione in sentētiā Romanæ sedis iā uenisset. Platina.

Antequā moreretur CYPRIANVS, uenit in sententiā Ecclesiæ Romanæ, non esse rebaptizādos hæreticos, sed sola manus impositione in gratiā recipiēdos. Hac enim de re inter Cyprianū & Corneliū PP. magna fuerat contentio. Idem.

SYRICIVS Papa hæreticos per manus impositionē recipiendos censuit: Manichæos, qui in urbe erāt, uetuit communicare cum fidelibus: pœnitentes autem & redeuntes ad gremiū orthodoxæ fidei, recipiēdos esse censuit, si monasteriū ingrederētur, atq; ibi ieiuniis & orationibus se toto suæ uitæ tempore macerarent. Platina ex Sigeberto.

In NICENO concilio constitutum est, ut qui absque tormentis in persecutionibus lapsi fuerint, annos quinque inter catechumenos uitam ducant. Platina.

Hæreticos non priùs ad societatem communionis admissos, quàm legitimè hæresi abnegata, argumēto est historia, quā recitat Sozomenus lib. 8, c. 12. Mulier quædā è Macedoniana hæresi ad catholicam Ecclesiam conuersa, incircumspectè ad communionem mysteriorum, priore hæresi nondū abnegata, admissa erat. Qua de causa PETRVS archipresbyter Alexandrinus accusatus est. Sed ipse respondit: illam se mulierem secundùm Ecclesiæ legem, & ipsius Theophili quoq; uoluntatem, ad communionem admisisse. Narrat eandem historiam & Socrates lib. 6. cap. 9.

Pœnitentiam olim agentes absoluebant, & ad sacra admittebant. AVGVSTINVS libro unico de baptismo, capite primo. Iudæos, schismaticos, & hæreticos, si agant pœnitentiam, recipi testatur.

In primitiua ECCLESIA quintam feriam ante Pascha cōsuetum fuisse tēpus, quo plerumq; pœnitentes recepti sint: nec

quenquam receptum, nisi iuxta delictorum pondus à sacerdote æstimatum plenè satisfecisset, patet ex canone Innocentij, de Conf. distinctione tertia. Si quis tamen in morbum periculosum incidisset, mitigatio adhibebatur, ita ut etiam ante pascha reciperetur.

Monachum, qui æger de Scythiotico cœnobio ad ciuitatem curationis gratia profectus, in multo grauiorem animę suę morbum inciderat, castitatem uertens in libidinem, cum puero quem meretricio coitu sustulerat, reuersum, ac in omnium fratrum conspectu scelus publicè confitentem, miserabiliterq; lugentem, MOSES abbas & ipse flens excepit, atq; dies aliquot cellæ carcere castigatum, in statum pristinum ordinemq; redegit. Mar. lib. 2. cap. 12.

IN INTEGRVM RESTITVENDO.

THEODOSIVS & GRATIANVS Impp. sedulò pro pace & tranquillitate Ecclesiis reddenda laborarunt. Gratianus quidē Valentiniani F. Valentis patrui sui crudelitatem, quā in Christianos Homousios tam diu exercuerat, palàm damnauit: eosq; doctores & episcopos, qui ab eo in exiliū pulsi erant, reuocauit, ac singulos Ecclesijs suis restituit. de qua re & legem tulit. Theodoretus lib. 5. cap. 2. & Sozomenus lib. 7. cap. 2. Ambrosius lib. 5. Epistolarum, epistola 26.

GVNDAMVNDVS rex in Africa, Ecclesias catholicorum à patruo suo Hunerico, & auo Genserico clausas aperuit, & omnes Dei sacerdotes petente Eugenio Carthaginensi episcopo ab exilio reuocauit. Sigebertus in Chronicis. & Bergomensis.

HILDERICVS Vandalorum rex, sui patris Thrasimundi iussu nunquam catholicis consulere ausus est, iuramento astrictus. Quo defuncto, antequam regnum hæreditario iure susciperet, omnes catholicos ab exiliis iussit reuocari, & ab episcopis ecclesias reformari. Sigebertus in Chron.

CONVERSANDO CVM IMPIIS, HÆRETICIS.

Macedoniani episcopi ab Arrianis iussu Valentis uexati, cōsilijs inter se occultè communicatis transire ad Catholicos decreuerunt, ac communi consensu legatos, quorum princeps erat Eustachius Sebastiæ episcopus, in Italiam ad Valentinianum Augustum, & LIBERIVM pontificem miserunt, atq; eis, ut cum Liberio & Ecclesia Romana consentiant, mandarunt. Legati profecti, cùm in Italia Valentinianum non inuenissent, Liberio literas reddiderunt. quas ille accipere noluit, negans sibi communionem cum iis esse posse, qui fidem Nicæni concilij abrogarent. Cui illi responderunt, se, saniore consilio capto, fidem eorum, qui filium patris dissimilem esse assererent, abiecisse, proindeq; ipsum, ut se reciperet, obsecrare. Cùm autem Liberius postulasset, ut fidem suam scripto mandarent, libellum illi tradiderunt: in quo, ceteris formulis condemnatis, inprimisq; Ariminensi Concilio reprobato, unà cum Nicæno, filium patri consubstantialem esse confessi sunt. Cùm eos hoc modo Liberius tanquam sponsione aliqua se obstrinxisse putaret, tū in communionē accepit: datisq; ad Macedonianos episcopos literis, benignè dimisit. Sigonius li. 7. Imp. occid.

AMOR RELIGIOSVS ERGA HOMINES, IN iis quæ non merentur, siue

BONIS. EA

DENEGANDO, Non conferendo.

OTHO I. Cæsar Brisacum oppidum, quod Euerhardus Comes, cum Henrico eius fratre & Giselberto Lotharingo cōspiratione facta, tenebat, obsidebat. Ibi per noctem à Friderico Moguntino antistite desertus est. Exorto die cernentes regis milites, quàm rara corona cingerēt oppidum, quodq; magna pars auxiliorū abiisset, suadere conabātur ut & ipse exercitū reduceret in Saxoniā, donec auctis uiribus rediret. Rex uerò consilium fugæ non probauit, fiderent animo & armis, sese magnis hostium copiis suffecturos. Erat tum inter primos regni proceres Comes, qui captata occasione magnum quid à rege deposcendi, postulauit sibi permitti abbatiam Laureshemensem in Vangionum diœcesi opulentissimam. Otho statim rem sentiens: Mentem meam illi, inquit, coràm ipse exponam. Id cùm precatores homini renunciassent, statim ad regem aduolat, putans negotium ex animi sententia successurū. Hic pius ac magnanimus princeps, audiente turba astantium, Obedire magis, inquit, Deo oportet, quàm hominibus. Docet autem Christi doctrina, quod sanctum est, non esse dandum canibus. Id quod sanè facerem, si quæ sacerdotibus & pauperum alimoniæ dicata sunt, tibi homini prophano largirer. Proinde quando prorsus iniqua est hæc petitio tua, scias nihil unquam ex me tibi sperandum. Inuitum retinere nolo. Si libet, ad desertores transi. His uerbis pudefactus Comes, ad pedes regis prouolutus est, & illicitæ postulationis ueniā orauit. B. Rhenanus lib. 1. rer. German. & Cranz. lib. 3. Saxon. cap. 8.

CLEMENS IIII. bona Ecclesiæ ita accuratè dispensauit, ut plus Deo quàm affinitati & cognationi tribuisse uideatur. Duas habuit filias ex mortua uxore ante pontificatum susceptas, quarum alteræ in monasterium collocatæ triginta libras Turonensium paruorum dedit: alteræ autem, quæ marito suæ conditionis nupserat, trecentas libras Turonensium dotis nomine numerari iussit, hac conditione, ne quid unquā ampliùs peteret. Habuit & nepotem clericum: quem ubi comperit tres præbendas (ita enim canonicatus uocāt) habere, optionem facere compulit, ut quam uellet ex his retineret, duas relinqueret. Verùm instantibus amicis, ut non solùm quæ habebat, nepoti dimitteret, sed maiora & plura tribueret: respondit, Se Deo, non autem carni & sanguini acquieturum. Deum ita uelle, ut sua in pias causas erogarentur: nec esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi quàm pietati & Christo tribueret. Platina.

MARTINVS V. pontifex in dandis beneficiis mira prudētia usus est. Non enim unicuiq; petenti ea cōferebat, sed statim mente agitabat, quis potissimùm esset idoneus, cui talis cura demādaretur. Quòd si homines prouinciarū nō nosset, in quib. uacare beneficia cōtigisset, statim peritos regionū consulebat, quis aut in curia, aut in gymnasiis publicis esset doctrina, nobilitate, moribus, hoc munere dignus. Plat.

Euectus erat SACERDOS quidam præter omnē expectationem ad episcopatum. Affines tā insperata eius fortuna exultantes, non magis officij causa, quàm emolumenti spe ad congratulandū confluebant: alter nepotē, alter patruū, alter sororium se esse dictitantes. Ille uerò ab illis seriò perquirens, quot annos nati essent, cùm ætatem singulorū obseruasset, Et quid hoc monstri est, inquit, trium dierū spacio tot mihi amicos natos esse, qui nudiustertius à nemine uestrûm agnoscebar? Cæterùm cùm Episcopi amici esse uelitis, qui sacerdotis esse renuistis, sic habetote: sacerdotem uestro destitutū auxilio diuina ope ad episcopatū promotū esse, Episcopū uerò Melchizedeci exēplo absq; patre & matre satū, nullos priuatos agnoscere amicos, nec pietati religioniq; cōsecrata bona in cōsanguineos trāsfusurū. Vtinā multi hoc exemplum imitarentur. Io. Paulus in Spudopædia.

ADRIANVS VI. Pont. difficulter cognatos ad beneficia prouehebat, non quia eis candidè non faueret, si alioqui idonei fuissent, sed quia, ut dicere solebat, ædificare Sion in sanguinibus nollet, hoc est, quia in sacris respicere necessitudines naturæ nollet, ut quæ ibi locum non haberent. Quinimò in iis, etiam in paribus dotibus, alienorū potiùs, quàm suorum rationem habiturus uidebatur. Proinde literis magnatum quorundam inferioris Germaniæ sollicitatus, ut quendam propinquum suum adolescentem, & forma & ingenio præstantem, qui tum Magister philosophiæ creatus, studia altiora Louanij sequebatur, galero cardinalitio ornaret, ex more solenni aliorū Pontificū, nequaquam uoluit. Auctor uitæ. De eo similiter Iouius: Hadrianus erga propinquos usq; ad notam naturæ subagrestis, durus & illiberalis fuit: ita ut patruelis filium Senæ Ethruscę in gymnasio literis operam nauantem, quòd Romam nequaquam uocatus intermissis studiis repentè uenisset, cōfestim meritorio equò impositum remiserit, leuitatem animi identidem obiectans: & seuerè admonens, ut ab se modestiæ & temperātiæ exemplum oportunè desumeret. Alios quoq; nec remoto quidem affinitatis gradu necessarios, quum spe celsioris fortunæ è Germania pedibus Romam uenissent, mirum in modum increpauit, donatosq; singulis sagis laneis, & frugi uiatico, pedibus similiter in patriam redire iussit. Quarū rerum testimonio superiorum pontificum profusam liberalitatem erga propinquos, uti grauem perniciosamque Reipublicæ, detestari erat solitus.

MALIS. VEL

PRÆCAVENDIS. SIC PRÆCAVENT *Superstitionem, Idololatriam.*

Venerant ad ægrotantem HILARIONEM de Papho multi religiosi uiri: & maximè ꝙ eum dixisse audierant, iàm se ad dominū migraturū, & de corporis uinculis liberandū. Eos ille omnes adiurauit, ut ne puncto quidem horæ post mortem reseruaretur, sed statim eū in eodē hortulo terra operirent, sicut uestitus erat, in tunica cilicina & cucula, & sago rustico. Iāq; modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quicq̄ uiui hominis supererat, & tamē apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? In hæc uerba exhalauit spiritum. Statimq; humo obrutum, antè urbi sepultum quàm mortuum nunciauerunt. Hieronymus in uita Hilarionis.

AVER-

AVERTENDIS. DEFENDENDO, TVENDO, DEPRECANDO, INTERCEDENDO.

Cùm Hieremiam prophetam Ioacimus rex Iudæorum, hortātibus proceribus interficere uellet, intercessere pro eo tum alij, tum præsertim AHICAMVS Saphanis F. Hieremię 26. Eapropter urbe à Nabucodonosoro euersa, sub Sedecia rege, Godolias Ahicami F. boni parentis optimus filius, reliquis nobilibus cæsis, conseruatus, & à rege Nabucodonosoro reliquiis Iudæorum præfectus. Hieremiæ 39.

GAMALIEL pharisæus, tyrannidem pontificum execratus, dedit bonum consilium pro Apostolis: Si ex Deo est illorū doctrina, impium erit illam prohibere: si non est, stultū, cùm suapte sponte sit propediem peritura. Actor. 5.

Felix Iudææ procurator, sub Nerone sacerdotes quosdam, uiros honestos & bonos, ob leuem quādam culpam uinctos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem. IOSEPHVS Mathiæ F. historicus clarissimus, audiens eos, ne in calamitate quidem constitutos curam pietatis omittere, & ficis ac nucibus uitam sustentare, uenit Romam multis in mari exhaustis periculis. Mersa enim naue in medio mari Adriatico, circiter sexcenti per totam noctem natarunt, & diluculo demum Cyrenaicam nauem conspicati, octuaginta fermè feliciore usi natatu, in eam recepti sunt. Ita seruatus Iosephus, uenit Puteolos, & familiaritatem contraxit cum Alituro mimorū actore, Iudæo, qui Neroni carus erat: per quem ubi Poppeæ uxori Cæsaris innotuit, cōfestim per eā impetrauit absolutionē sacerdotū. Iosephus in sua uita.

In graui illa persecutione sub Traiano PLINIVS Secundus, qui tum prouinciam gubernabat, misericordia ob multitudinem interemtorum motus, ad Traianum scribit: Innumera hominum millia quotidie obtruncari, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur, aut aliquid quòd Romanas leges offenderet, nisi hoc solū, quòd antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo: adulteria uerò aut huiusmodi crimina apud eos illicita haberi. Eius scripto permotus Traianus, rescripsit, Christianos quidem non esse requirendos, oblatos tamen punire oportere. Platina.

Apud Antoninum Pium IVSTINVS Martyr & MELITO Sardensis Episcopus, apud Antoninum Verum MELITO iterum, & APOLLINARIVS Hierapolitanus Episcopus, & ATHENAGORAS philosophus: sub Decio TERTVLLIANVS contra Scapulam, & CYPRIANVS contra Demetrianum præfectum causam Christianorum publico defendêre scripto.

Cùm Hadrianus Athenis hyemem agens, symmystesq; Eleusine omnibus penè sacris initiatus, occasionem sæuiendi in Christianos dedisset: QVADRATVS Apostolorum discipulus librum Hadriano porrexit de honestate religionis Christianæ compositum, plenum fidei & rationis. Idem fecit ARISTIDES Atheniensis philosophus, sub pristino habitu Christi discipulus: uolumen nanq; nostri dogmatis rationē continens, eodem tempore, quo & Quadratus, Hadriano principi obtulit. Quinetiam SERENVS Granius Asiæ minoris procos. literis intercessit pro Christianis. His autem apologeticis libris factum est, ut Hadrianus iniustum fore existimans, Christianos indicta causa ubiq; occidi, Minutio Fundano Asiæ proconsuli scripserit, neminem occidendū. nisi de accusatore & crimine constaret. Platina.

CONSTANTIVS Chlor9, Diocletiano & Maximiano Impp. truculentissimis succedens, princeps humaniss. bellū nullum contra pietatem & religionem Christianam gessit, nec aliis gerentibus socium se præbuit: nec domos sacras demolitus est, sed Christianos ab omni contumelia & iniuriis securos seruauit. Ac cùm per alterum imperij orbem (ut Sozom. refert. lib. 1. cap. 6.) ecclesiæ persecutionibus infestarentur, solus is Christianis liberè & securè secundùm religionem suā uiuere concessit.

Ad Saporem Persarum regem CONSTANTINVS Magnus Imp. literas pro Christianis scripsisse, & regem à tyrannide paulùm reuocasse dicitur.

SALVSTIVS præfectus Antiochiæ Iulianum Imp. Apostatā, qui multos Christianorum tormentis affici præceperat, sua intercessione mitigauit. Ruffinus lib. 1. cap. 35.

CONSTANS Imp. Athanasiū Alexandrinū episcopum, qui solus Arianorū impetum sustinebat, contra fratrem Constātium defendit, & minis etiam ab eo impetrauit, uti Ecclesiæ suæ restitueretur. Theodor. lib. 2. cap. 9. Socrat. lib. 2. cap. 22.

Constantius Imp. cùm LIBERIVS Pp. Athanasij proscriptioni subscribere nollet, ira tumidus Eunuchos, & Palatinos, & Comites Romam ire mandauit, ut Liberium ad comitatū suū aut dolo aut ui mitteret. Itaq; ab Eunuchis hæresin Arrianam fouentibus, Liberius Mediolanum adductus est. Ibi uerò coram Constantio positus ita dixit: Desine Constanti Catholicos insectati, atq; hereticam impietatem in Ecclesiā introducere per me absiste: ego enim omnia supplicia priùs subire paratus sum, quàm ut Arrianus appeller. Constātius efferatus Liberium Berœam in Thraciam relegauit, eumq; abeuntē quingentis aureis numis munerauit: quos magno animo Liberius respuit, inquiens: Dato hos assentatoribus tuis, qui te deprauarunt, & à patris tui uiri sanctissimi imitatione deterruerunt: mihi namq; Christus patri consubstantialis largitor non deerit. Sigonius lib. 6. Imp. occid.

Redierat ex Armenia, ubi trophæa fixerat, TERENTIVS, dux clarus & pius. Iussit eum Valens Imp. pro rebus benè gestis donum petere, quodcunque uelit. Petiit ille ædem unā pro Homousianis, pericula pro fide sua sustinentibus. Indignatus Valens, petitionis eius libellum discindi iussit, & Terentium alia potiùs petere. At is collectis libelli particulis: Accepi, inquit, Imperator à te donum, neq; aliud quicquam à te petiturus sum. Quid uerò ego spectarim, iudicet huius uniuersitatis iudex. Zonaras.

Constantius Imp. cùm in synodo Antiochena Meletium Antiochenæ Ecclesiæ præfecisset, totius synodi consensu: mox quia orthodoxum esse audiebat, in exilium eiecisset: metuens subscriptiones omnium episcoporum in electione Meletij, eas ab Eusebio Samosatense repetiit. At EVSEBIVS minimè licere sibi dixit depositum commune totius synodi tradere, nisi simul congregati omnes, qui sibi commisissent, ita iussissent. Hāc constantiam quamuis iratus admiratus Imp. è Syria contra Iulianum in Occidentem mouēs ad Mopsi fontes moritur. Theodoret. lib. 2. cap. 31.

Valēs Imp. Arrianus crudeliter orthodoxos persequebatur in Oriente. Posteaquam Edessam, uisendi ibi reliquias S. Thomæ apostoli prætextu, se recepisset, ubi cognouit omnes ab hæresi Arriana quàm maximè alienos esse, præfecto, quòd initiis non obstitisset, & contra Arrium sentientes urbe expulisset, alapam impegit. PRÆFECTVS Imperatoris uoluntati obsequi studens, cædem quidem nullam patrauit, attamen ne quis se martyrio offerret, clàm edixit. Omnes die sequenti ad oratorium confluxerūt, mortē ultrò obituri. Mulier paupercula, filiolum manu trahens, & ad martyrium festinans, interrogata à præside, Quónam properaret? respondit, Se eò abire, ubi animam tum suam, tum infantis sui, in martyrio cum aliis positura sit. Motus exemplo eo præfectus, Imperatorem adiit, impium esse facinus dictitās tantam multitudinem perdere. Itaque Imperator edictum abrogauit. Socrates lib. 4. cap. 18. Theodoretus libro 4. cap. 17. Sozomen. lib. 6. cap. 18.

VALENS Imp. Arrianus cùm per Barbaros, suis se finibus cōtinentes, quietus esset: petulantiùs & ferociùs in Homousianos sæuiit. Intercessit pro iis THEMISTIVS philosophus, dedicato libro, quo Imperatorem monuit, iniquum esse, dogmatū paruā differentiā tam molestè ferre Imperatorē, qui interea sexcenta & ampliùs ferre posset gentilium dogmata. Eo scripto moderatior factus Imp. à cæde piorū porrò abstinuit, & mortis loco exilia iis decreuit. Socrates libro quarto capite trigesimosecundo.

INNOCENTIVS I. Rom. Pp. legatos misit ad Arcadiū Imp. Constantinopolim pro Ioanne Chrysostomo, quem Eudoxia Imperatrix ob libertatem dicendi in exilium egerat. Verùm aduersarij Chrysostomi legatos ipsos malè multarūt. Nicephorus lib. 13. cap. 33.

Cùm in Persia Christiani miserè per totos XXX. annos tractarentur: quidam è Persia sese ad Romanos contulerunt, Ecclesiarumq; in Persia miseram conditionem commemorātes, auxilium implorarunt. Constantinopolitanus episcopus Atticus, strenuus hortator fuit THEODOSIO iuniori Imperatori, ad ferendam opem miseris. Itaq; cùm rex Persiæ missis legatis repeteret perfugas, non tantùm nō reddidit eos, sed etiā magna seueritate eum corripuit. Persæ id indignè ferentes, Romanos quos possunt capiunt, & damnant ad fodinas auri, & negotiatorum merces & bona diripiunt contra fidem & fœdera inita. Imperator ergo tum ad suorum defensionem, tum ad ecclesiarum Persicarum liberationem bellum mouit. Persæ Saracenorum multas myriades conducunt: qui cùm temerè suæ multitudini fiderent, panico quodam & inani timore illicò correpti, sibi ipsis fuerunt exitio. Posteà uno atque altero prælio cæsi & attriti sunt, ita ut illi ipsi, qui Immortales apud ipsos dicebantur, interierint. Imp. uictoria hac potitus, tamen propter ecclesiarum in Persia tranquillitatem, ultrò ad pacem cum Persa faciendam sese obtulit. Qua inita, & bello ipsi, quod potissimùm propter Ecclesiam motum fuerat, finis impositus, & simul cum bello etiam persecutio conquieuit. Socrates lib. 7. cap. 20. Niceph. lib. 14. cap. 21.

Childebertum Gallorum regem, THEODELINDA regina Longobardorum, pietate & eruditione insignis, supplicationibus permouit, ut non solùm catholicam Ecclesiæ fidem & doctrinam piè retineret, sed etiam possessionibus ac munificentia singulari Ecclesiam iuuaret & ampliaret, ac cruce & persecutionibus oppressos episcopos ad pristinam di-

nam dignitatem & honorem reduceret. Paulus Diaconus libro 4. c. 8. de gestis Longobardorum.

Cùm Crunnus Bulgarorum rex, à MICHAELE Imperatore Constantinopolitano postularet, ut aut fugitiuos & profugos restitueret, aut bellum expectaret: Imperator potiùs bellum uoluit sustinere, quàm miseros & calamitosos Christianos tyranno reddere. Paulus Diaconus libro trigesimoquarto rerum Rom.

NON DEVOVENDO, NON IMPRECANDO.

Cùm inter Hircanum atque Aristobulum, Alexandri Iudæorum regis filios, de regni successione grauis orta esset contentio, atque ab Hircano templum, quod in Aristobuli manu erat, & sacerdotes obsiderentur: ab iis, qui Hircani partes sequebantur captus est ONIAS Iudæus, uir sanctus, qui ne alteri partium adhæreret, latebat. Ab eis autem ad templum deductus, cùm precibus ac minis urgeretur, ut rogando infestum Aristobulo Deum redderet, ipse immobilis cõtrà nitebatur. Itaque cùm illi urgere, ut ageret, non desinerent, ipse autem de sententia non flecteretur, ne se corũ contentionib. immisceret: clarè, ut omnes audire possent, Deũ dixit se rogare, ne ullam ipsarum partium aduersus alteram (quòd utraq; populus eius esset) audiret. Itaq; ab Hircani fautoribus statim fuit occisus. Fulgosus lib. 3. c. 8. ex Iosephi lib. 14. cap. 3. Antiq.

NON INFERENDO MALA.

Affirmat Procopius, GOTHOS in obsidione Romæ contra Belisarium nullum templum, neque ullum sacerdotem uiolasse, sed omnes sacerdotes liberè, ut priùs, in illis permanentes, rem diuinam exequi permisisse.

LIBRI QVARTI

TITVLORVM DISPOSITIO.



VOLV-

Voluminis Decimisexti Liber IV.

De RELIGIOSO CVLTV Rerum diuinarum.

RERVM DIVINARVM POSSESSIO RELIGIOSA. HVC PERTINET

LIBRORVM SACRORVM CVLTVS.

Hecatæus Abderita causam refert, cur nullus uel poeta uel historicus mentionem Iudæorum legis faciat, aut uirorũ qui iuxta eius præscriptum res suas administrauerunt: quòd sacrosancta sit, & profano ore tractari non debeat. Itaq; DEMETRIVS Phalereus Ptolemæo Philadelpho suasit, ut Iudæorum pontifici scriberet, uti senos ex singulis tribubus seniores legis peritissimos mitteret, qui eos libros interpretarentur. Iosephus lib. 12. cap. 2. Antiq.

PTOLEMÆVS Philadelphus, libros sacros in Græcam linguam transferri cupiens, legatos misit Aristæum & Andream ad Eleazarum pontificem. Simul etiam ad faciendos crateres & phialas ac libatoria, misit auri talenta quinquaginta, & gemmarum copiosam multitudinem: insitiq; custodes arcarum, in quibus gemmæ seruabantur, liberam artificibus electionem permittere: mandauit etiam pecuniæ pro sacrificiis & reliquis templi usibus centum talenta erogari. Eodem die, quo nauali prælio Antigonum uicerat, septuaginta interpretes Iudæos hospitio excepit, eumq; diẽ in posterum sibi festum semper fore affirmauit: tanto desiderio librorum sacrorum tenebatur. Iam cùm Biblia sacra à LXXII. interpretibus uersa accepisset, codicem ipsum adorauit, & diligentissimè asseruari iussit. Iosephus lib. 12. Antiquitatum, cap. 2.

IOSEPHVS Iudæus, cùm Hierosolymæ exciderentur, præter sacrorum librorum & amicorum salutem nihil à Vespasiano petiit. Ipse de seipso testatur.

D. LVDOVICVS Francorum rex sacrorum Bibliorum lectione unicè delectabatur. Aemilius lib. 7.

Sabinianus hæresiarcha quidam, post D. Hieronymi obitum opusculum execrandi dogmatis à se confectum, Hieronymi nomine ediderat, ut maiorem errori suo adscisceret auctoritatem. Cæterùm SYLVANVS Nazarensis episcopus pálàm arguens eum falsitatis, conditione proposita testabatur id ipsum Hieronymi præsentia se cõprobaturũ. Id qđ factum est. Cùm enim mentienti capitalis pœna inferri deberet, nisi sequenti die id probaret: Syluano ex pacto ad supplicium ducto moriq; parato, illicò Hieronymus præstò fuisse dicitur, cunctisq; spectantibus spiculatoris manum ad feriendum erectam tenuisse, hæreticũ acerrimè doli & fallaciæ accusans. Sabiniani caput nemine percutiente ab humeris aulsum in terram procidit. Hinc & orthodoxi gratias Deo egerunt, & reliqui ad Syluanum confugientes, illius fidei se dedidère. Marul. lib. 2. cap. 11. & Sabell. lib. 5. cap. 4. Cyrillus coram se Hierosolymis acta scribit.

CINDASVINDI regis tempore ab omni perturbatione Hispania conquieuit, cùm nullus in ea Arianus reperiretur, uel rebellis. Libros sanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & instituta beati Isidori firmiter obseruari. Rodericus Toletanus lib. 2. rerum Hispan. cap. 21.

AVERSATIO.

Vide Titulum, Libri exusti.

Quum de libro Sibyllæ relatum ad patres fuisset, quem Caninius Gallus recipi inter cæteros eiusdem uatis iusserat: summa ope TIBERIVS Imper. restitit, & ne reciperetur, effecit. Suetonius.

TABERNACVLI, ARCAE CVLTVS.

ELI põtifex summus Hebræorũ, cùm Israelitas magna clade à Palæstinis uictos intellexisset, duosq; filios suos Hophnim & Phineem interfectos, parum motus fuit: at quando arcã insuper Domini, quam in castra uexerant, captam audiuit, mentis impos de sella delapsus ceruicẽ fregit. Nurus illius, uxor Phinées, dolorib. partus correpta expirauit. 1. Reg. 4.

PALÆSTINI arcam Dei Israelitarum à se captam, puniti propter eam à Ioua, honorifica pompa in terram Iudæorum transmiserunt. 1. Regum 6.

DAVID rex ab omnibus Israelitis creatus, cum XXX millib. lectissimis, arcã Domini, quæ XX annis Gabaæ in ædibus Abinadabi permanserat, Hierosolymam transferri curauit, omni genere musicorum instrumentorum coram arca ludẽdo, & ad singulos senos passus, singulos boues atq; arietes opimos immolando, cùm ipse totis uiribus lineo amictus ephodo cum cithara coram arca saltaret. Introducta deinde in tabernaculum arca, holocausta obtulit, & munera alimentaria in populum uiritim diuisit. 2. Regum 6.

HIEREMIAS, capta & euersa urbe à Nabucodonosoro, oraculo admonitus, tabernaculum & arcam & aram suffitoriã se subsequi iussit. Ac postquam in montem Nabonẽ (in quo Moses obiit) peruenit, in cauerna quadam ea repositi, & ostio saxum obdidit: neq; ullus comitum postea spelũncã illam inuenire potuit, cùm Hieremias ignotũ fore prædixisset, donec populum suum Dominus pacatus coegisset: tũc ea ostensurum esse, ciusq; splendorem & nubem apparituram esse, uti sub Mose conspicua fuerat. 2. Machab. 2.

SACRORVM CVLTVS. IN his spectanda

MATERIA, QVID OFFERATVR.

CAIN Adami F. obtulit de fructibus terræ decimas Deo: ABEL eius frater primitias de gregibus suis. Genes. 4.

Cùm DAVID rex quondam desideraſſet de puteo ad portam Bethlehemæ posito aquam bibere, per media hostium Palæstinorum castra magno animo penetrarunt tres fortissimi stipatores, & Dauidi aquam attulerunt. At ille Domino aquam allatam libauit, utpote hominum uitæ periculo emtam. 2. Reg. 23.

FORMA, QVÆ.

Huc omnes formæ sacrificiorum Iudaicorum. De quibus sub Ecclesiasticis.

Nudipedalia sacra apud IVDÆOS, teste Iosepho lib. 2. de bello Iud. talia erant. Iis qui morbo aliisue calamitatibus implicabantur, mos erat primùm orare per triginta dies, & abstinere uino, atque capillos radere, deinde nudis pedibus adire templum, hostiasq; immolare. Ad hæc sacra cum aliàs sæpiùs, tum id temporis præcipuè recursum est, quum Nerone principe, Florus Iudeæ præses miserãdum in modum gentem opprimeret. Nam cùm neq; precio neq; precibus possent coercere sæuitiam Flori: quippe qui, ne sua maleficia per accusationem Romæ patefierent, Iudæos studio ad bellum suscipiendum stimulabat: nudipedalia sacra uouerunt. Quum dies sacrorum aduenit, Berenice Agrippæ regis soror, teste Egesippo, eius religionis causa etiam Hierosolyma in templum uenit, atq; nudipes ante tribunal stetit deprecans Florum: quæ tamen tantum abfuit, ut à Floro exaudita sit, ut etiam de suo capite pericilitata sit. Hieron. aduersus Iouinianum, apostolum Paulum in Cenchreis (is Corinthiorum portus est in Achaia) nudipedalia sacra egisse asserit. Polyd. lib. 6. de Inuent.

EFFICIENS. Considerandum Qui sacrificarint.

Deo omnipotenti, auctore Iosepho in primo Antiquitatum, primi

primi sacrificarunt. ENOS uerò primus, ut restatur Hieronymus contra Iouinianum, & Eusebius, inuocauit nomen Domini, & sic deinceps eorum posteri nullis sacris initiati sacrificium fecere, quoad Deus sacerdotiū constituit, quod primò, teste Iosepho in 3. Antiquitatum, AARON Mosis fratri detulit. Ex quo solenne apud Hebræos fuit, ut nemo diuinum pontificatum gereret, nisi Aaronis genere ortus foret. Polyd. lib. 1. cap. 5. de rerum Inuentoribus.

ANTIOCHVS rex Syriæ Iudæis, cùm circumsideret Hierosolyma, ad summum festum postulantibus dierum septem inducias, non tantùm dedit has, uerùm & tauros auratis cornibus adornatos, thymiamatumq; & odoramentorū ingētem uim ad portas deduxit: atque postquam eorum sacerdotibus uictimas tradidit, ipse in castra est regressus. quem Iudæi admirati, mox à festo in fidem eius se permisere. Plutarchus in Apophthegmatis.

Quo studio.

Vide Tit. Moreni inter sacra.

D. HILARION cū discipulis susceptus fuerat hospitio à quo dā monacho Saba, & quia dominicus erat dies, inuitabatur ab eo uniuersi in uineam, ut ante horā cibi uuarum pastu laborem uiæ subleuarēt. At sanctus: Maledictus, ait, qui priùs refectionem corporis quàm animæ quæsierit. Oremus, psallamus, reddamus *domino officium*: & tunc ad uineā properabitis. Completo itaq; ministerio, in sublimi stans benedixit uineæ, & suas ad pascendum dimisit oues. Erant autem qui uescebantur non minùs tribus milibus. Cumq; centum lagenis æstimata fuisset integra adhuc uinea, post dies uiginti trecentas fecit. D. Hieron.

PETRVS Zenus Venetus, maritimæ rei imperator, cum Pontificio legato Smyrnam, clarum Homeri natalibus oppidū, & totius Ioniæ olim caput, tunc à Turcis cum reliquo tractu Asiatici litoris possessum, non dubitatiē aggredi: quinetiam Turcis ipsis congressus, uictor acie urbem quoque ipsam expugnauit. In qua quum diutiùs moraretur publicæ rei causa, dum litatorio sacro interesset, nihil sibi metuens, iussus cū militib. suis occurrere tumultuantib. Turcis, nun quam adduci potuit, ut sacrū ipsum desereret. Quare à magna Turcarum multitudine suis oppressis, hostem insultantem, *in templumque* irrumpentem non extimuit: sed cum pontificio legato in ipso templo cæsus, Deo opt. max. gratiam agens alta uoce, expirauit. Egnatius lib. 3. cap. 6.

INSTRVMENTA QVÆ ADHIBVERINT. Cuiusmodi est

Ara.

Apparuit Dominus ABRAHAMO in terra Canaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Aedificauit igitur altare Domino. Gen. 12.

Apparuit Dominus in Bersabee ISAACO Patriarchæ dicens: Noli timere, quia ego sum tecum. Itaque ædificauit altare Domino, & inuocato nomine Domini erexit tabernaculū. Genesis cap. 26.

Locutus est Deus IACOBO dicens: Surge & ascende Bethel, & habita ibi: facq; altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esaum fratrem tuum. Gen. 35.

Dixit Dominus ad Mosen: Ascende in montem tu & Aaron, Nadab & Abiiu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. MOSES ergo manè consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim uitulos per duodecim tribus Israel. Obtulerunt; uictimas pacificas Domino, uitulos. Exod. 24. Moses primus tabernaculum Deo posuit, ubi preces & pia uoto illi exoluerētur, & in eo facta est arca, in qua lapideas clauserūt tabulas, in quib. incisæ erāt leges.

Altare primus NOACHVS fecit, & super illud Domino holocaustum obtulit. Geneseos 8.

Ignis.

Cùm captis Hierosolymis, Nabucodonosor Sedeciā regē cū omnibus Iudæis abduxisset Babylonem, HIEREMIAS propheta monuit sacerdotes, ut ignem ex ara sumtum in quodā puteo arido abderent. Qui post LXX annos à Nehemia cum Iudæis reuerso sub aquæ crassa specie inuentus fuit: eoq; templū Hierosolymitanum expiatū. 2. Machab. 1.

Vasa.

Apud ISRAELITAS paucis tantùm licebat intrare tabernaculum oraculare, & sacra uasa tangere. Num. 4.

VBI.

HELCANA pater Samuelis, ascendebat de ciuitate sua statutis diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino Deo exercituum in Silo. 1. Reg. 1.

Abiit SALOMON Iudæorum rex, ut immolaret Domino in Gabaon. Mille hostias in holocaustum obtulit, apparuitq; ei Dominus per somnium. 3. Reg. 3.

PROPTER QVID.

SALOMONIS regis in templo dedicando magnificentiam quo ad sacrificia, pete ex. 3. Regum 8.

HERODES dedicaturus templum Hierosolymitanū, CCC boues immolauit. Iosephus lib. 15. cap. 14. Antiq.

SACRORVM IMPIORVM AVERSATIO.

Consule locum Martyrum, item Constantiæ religiosæ, quatenus diis sacrificare renuunt.

AGESILAVS rex Spartanorum, in somnis Agamemnonem imitari Aulide iussus, humana uictima Dianę litare noluit, sed ceruam supposuit. Plut. in eius uita.

AVXENTIVS, Mopsuhestiæ episcopus, fuit ex iis, qui Confessores nominantur, homo illustris in exercitu Licinij Imperatoris, & è scribarum numero, quos notarios Romani uocant. Erat in quadam palatij aula fons aquæ, & in eo Bacchi statua, & uitis ampla, totum complexa locum, atque inumbrans. Quò cum *Licinius*, per causam delectationis, uenisset, Auxentio & aliis multis è comitatu sequentibus: uitem intuens, uuam magnam & maturam è palmitibus dependentem uidit, eamq; Auxentium resecare iussit. At ille statim semori appenso pugione stricto resecuit, nihil suspicans. Licinius autem: Ponito, inquit, uuam ad Bacchi pedes. At ille: Absit, Imperator: Christianus enim sum. Tum ille: Igitur apage te, relicta militia: alterutrum enim facias necesse est. Auxentius nihil cunctatus, & zonam soluit, & statim alacer palatio excessit. Ephori autem aliquanto post eū Mopsuhestiæ episcopum crearunt. Suidas.

Iuliani in Christianos lex fuit, ne militiam gererent, nec procurationes illis pecuniarum committerentur: illud subinde suprbè exprobrans, quòd lex etiam ipsorum gladio eos uti uetuisset. Ruffinus lib. 1. cap. 32. Socrates lib. 3. cap. 13. Sozomenus lib. 5. cap. 15. Tres igitur præcipui nominis, in curia *eius militantes*, VALENTINIANVS scilicet Tribunus militum, VALENS, & IOVINIANVS, ad sacrificandum coacti, militarem dignitatem ultrò deponere maluerūt, quàm impiæ Imperatoris uoluntati satisfacere, & in professionem Christianam tam sceleratè delinquere. Forte aliquādo Iulianus cum cœtu & pompa ad fanum Fortunę progrediebatur, in quo utrobiq; ad ianuas stabāt ædituj, introcuntes pro more aqua lustrali aspergentes, quod Purgationem dicebant. Præibāt in ea pompa Imperatori Valentinianus, qui pòst Imperator factus est: cuius chlamydi cùm uix guttam æduituus aspersisset, pugnum illi inflixit, pollutum se ab illo, non purgatum memorans. Quod indignè Iulianus ferens, in Armeniam eum relegari imperauit: alio tamen, quàm religionis nomine. Theodoretus libro 3. capite 16. Sozomen. lib. 6. cap. 6.

TEMPLORVM CVLTVS RELIGIOSVS. Huc

EXTRVCTIO, RESTAVRATIO.

Exempla hæc ad Magnificentiam pertinent, si Sumtum spectes externum: sin uero internam Pietatem, huius erunt loci. Vide etiam Titulum Monasteriorum.

DAVID rex nefas esse existimans, sese in domo cedrina habitare, arcam uerò in linteis tabernaculis manere, templum Domino construere uoluit. At Nathan propheta consulto Domino, cùm iam omnis materia in promtu esset, regis studium laudauit, & ob hanc pietatem promisit ei, progeniem eius in æternum regnaturam: uerùm quia manus multorū præliorum sanguine pollutas haberet, non licere ei templū extruere, sed SOLOMONI eius filio, qui nondum natus erat. Ergo materiam ad templum ædificandum uiuens plurimam congessit, ut ea statim à morte sua in promtu esset, Solomone filio eam curam unà cum regno suscipiente, anno mundi 3112. secundum Iosephum lib. 8. Antiq. 2. Regū 7. Magnificentiam autem apparatus, pete ex Iosephi Antiquitatum lib. 7. cap. 14. & 15. Filio reliquit auri centum millia, argenti decies centena millia talentorum, æris & ferri immensam uim: ligna quinetiam & saxa. Solomon opus illud septem annis perfecit, anno regni XI. i. Paralipomenon cap. 22. & 29. & 3. Regum 5.

Cùm Dauid rex de templo per Solomonem F. extruendo uerba faceret coram populo, sponte sua ISRAELITÆ contulerunt ad opus diuini templi, auri talentorum quinq; millia, drachmarum decem millia, argenti talentorum decem millia, æris talentorum octodecim, ferri talentorum centū millia. 1. Paralipomenon cap. 29.

CYRVS Persarum rex, cùm diuino numine omnia regna terrarum sibi subdita haberet, ut templum Domino Hierosolymis restauraretur, Iudæis Babylone captiuis mandauit, & sumtus ex fisco regio suppeditauit, eosq; cùm Zorobabele dimisit. Vasa quinetiam sacra, numero 5400, quæ Nabucodonosor donosor capto templo abstulerat, restituit. Esdræ lib. 1. cap. 1. & 6. & lib. 3. cap. 2.

DARIVS, cùm templi extructio à Iudæorum æmulis falsis criminationibus impedita fuisset per Artoxerxem regem (qui fortassis Cambyses fuit) anno regni secundo edictum ad Syriæ prætores misit, non tantùm, ut in templo ædificando non impedirent Iudæos, sed etiam ut sumtus ex fisco regio præstarent, & uictimas pararent regis nomine. Esdræ libro primo, capite sexto.

Cùm permissu Cyri regis ZOROBABEL, cum Iudæis è Babylone Hierosolymam reuerteretur, primam curam habuit restaurandi templi Domini. Eo autem sub Dario uix tandem absoluto, Nehemias cum suis muros urbis refecit: uti ex libris Esdræ intelligi potest.

PTOLEMÆVS Philometor, Aegypti rex, permisit Oniæ Iudæo exuli, uti in regione *Heliopolitana* templum extrueret simile Hierosolymitano, iisdem sacrorum ritibus. Id quod Esaias propheta ante sexcentos annos prædixerat. Iosephus libro decimoterrio, cap. 6.

CONSTANTINI Magni pietate Christianorum templa si quæ collapsa aut destructa fuissent, restaurabātur: ac si quæ minus capacia & angustiora essent, amplificabantur. Vbi uerò nulla prorsus erant, ex ipsis fundamentis splendidè extruebantur. Ad quas res Imperator, ex Imperialibus thesauris pecunias suppeditabat. De publicis item tributariæ terræ prouentibus certum per singulas ciuitates uectigal ademit, idque cuiusque loci Ecclesiis & cleris adiunxit: atque eam munificentiam, ut perpetua & firma esset, lege sanxit. Sed & ex propriis thesauris liberalissimè & profusissimè ecclesiis benefecit, opulentis eas & splendidis redditibus dotans. Eusebius libro primo & 4. de uita Constantini. Basilicam Constantinianam (quam Lateranensem uocant) ædificauit, donisque plurimis eandem exornauit. Ex templi huius fundamentis XII terræ cophinos propriis humeris exportauit. Egnatius lib. j. cap. j. Multa alia templa Romæ, Capuæ, Constantinopolit ab eodem ædificata, testatur Platina in Syluestro primo.

Templum Hierosolymitanū à ROMANO Argyropolo Imp. restauratum. Vide Titulum, Mahometani Christianorum persecutores religionis nomine.

DEDICATIO.

Rex Iudæorum SALOMON, solennitate magna dedicauit templum, quod Dominus [illegible] tio, capite 8. & cap. 9.

REPVRGATIO.

IOAS Ochoziæ F. Iudæorum rex, templum Domini, quod superiorum regum, qui Baalem neglecto Domino secuti fuerant, incuria penè corruerat; anno regni sui XXI. reparari fecit, & ab omnibus Iudæis in templi refectionem munera efflagitauit. Regum lib. 4. cap. 12.

IOSIAS rex Iudeorum, templum Domini, quod Manasses auus & Amon pater uariis idolis profanauerant, purgaturus, atque ruinas eius reparaturus: cum Helcia pontifice de ea re egit, ut pecunia, quam à populo sacerdotes colligerent, curatoribus operis daretur. 4. Reg. 22.

Cùm captis Hierosolymis, Nabucodonosor Sedeciam cum omnibus Iudæis abduxisset Babylonem: HIEREMIAS propheta monuit sacerdotes, ut ignem ex ara sumtum in quodam puteo arido abderent. Post LXX annos Nehemias reuersus cum Iudæis sacerdotum posteros ad ignem illū petendum misit, qui non ignem, sed aquam crassam inuenerunt, eaque iussu Nehemiæ ligna & holocausta perfuderūt. Interposita deinde mora cùm Sol, qui nubibus obductus fuerat, effulsisset, tantus exarsit ignis, ut uictimam consumserit. Sacerdotes interea supplicabant. Consumta uictima, iussu Nehemiæ reliqua aqua maiores lapides cōspersi sunt. Flamma inde exarsit, & lumine ex altari contrà refulgente absumta est. Et sic expiatio peracta fuit. Ea re audita, Persarum rex Darius putei illum locum obsepsit, sacrumque fecit, & magna ad id dona contulit. Nehemias locum appellauit Ephthar, id est, purificationem. Machabæorum libro secundo, capite 1.

IVDAS Machabæus, uicto Lysia Antiochi Epiphanis duce, Hierosolymitanum templum ab Ethnicis profanatum lustrauit: & aram solidi sacrificij, quia contaminata fuerat, demolitus, lapides in monte templi reposuit, donec uates aliquis superueniret, qui de iis oraculum referret: adhibitisque lapidibus integris, aram nouam extruit, eamq; per octo dies ingenti cum lætitia dedicauit; XXV die mensis noni, & quotannis festum per octo dies instaurationis aræ agi à posteris publico decreto sanciuit: Machabæorum libro primo, capite 4.

Lustrationem templi à MACHABÆIS factam excusso de silicibus igne, cùm sacer ignis non fuisset cōseruatus (uti temporibus Hieremiæ) pete ex 2. Machab. 10.

CVLTVS. TEMPLA RELIGIOSE FREQUENTANDO.

Templi cultum ipse CHRISTVS suo exemplo confirmauit. Quadragesimo die uoluit in templum deferri & offerri. Lucæ cap. 2. Duodecim annorum factus, disputans in templo *inuentus est. In templo frequenter docuit*, & miracula quædam fecit. Matth. 21. Marci 11. & 12. Lucæ 19. & 21. Ioan. 7. E templo Hierosolymitano ementes & uendentes eiecit ter. Semel, proximo post nuptias in Cana Galilææ Paschatis festo. Ioan. cap. 2. Iterum Paschate ultimo, cùm asinæ insidēs Hierosolymam uenit, teste Matthæo & Luca. Tertiò, cùm à Bethania rediens, ficui maledixit, teste Marco. Quamuis alij summa confusione tres istas pro una ponant. Andreas Osiander in Harmon. Euang.

CONSTANTINVS Magnus *μεταφορτὼ* ecclesiam sibi fieri curauit, hoc est, portatilem, quæ ubicunq; locorum esset, & maximè in bello, circumferri posset, ut ne in solitudine quidem ædibus sacris careret. Nicephorus libro 7. cap. 46. & Eusebius.

LVITPRANDVS Longobardorum rex, in suo palatio oratorium S. Saluatoris condidit, &, quod nulli alij reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie diuina officia celebrarent. Sigonius lib. 3. regni Ital.

Apud AETHIOPES Christianos nemini, nisi nudis pedib. ingredi in templum licet. In fanis flagitium est ridere, sermocinari, deambulare, aut aliquid denique meditari quod non ad cœlestia atque diuina referatur. Osorius lib. 9.

Non polluendo

Cede.

IOIADA pontifex, Athaliam educi extra templum præcepit, ne occideretur in templo Domini. 4. Regum 11.

Quamuis IVDÆI graui odio persequerentur Paulum, tamen in templo noluerunt occidere. Act. 21.

Statuis.

Caius Imperator, statuam suam in templo Hierosolymitano ponendam per Petronium Syriæ præfectum curauerat. At IVDÆI tam obstinatis animis repugnarūt, ut se potiùs omnes mortem oppetituros, quā tale dedecus admissuros dictitarent, & agros etiam, quasi de excidio iam certi, inculos negligerent. Petronius gentis constantia animaduersa, & Caij impietatem detestatus, uel suo magno cum periculo se legatos ad Caium missurum pollicitus est. Vix orationem finierat, cùm repentè imber præter omnium opinionem decidit, nullis tam serena die signis præmonstratus, & hominibus propter diuturnam ac continuam siccitatē cœlitus pluuiam penè desperantibus, etiamsi nubes uiderent, quæ toties spem eorum frustratæ fuerant. Quapropter terra tum præter solitum præterq; exspectationem rigata largis imbribus, Iudæis spes facta est, non irritas fore preces Petronij. Quin & ipse præses magis etiam obstupefactus est, euidenter cernens curæ esse Deo res Iudaicas, attestante tam insigni prodigio, ut nemo nisi impudens posset contradicere. Cumq; accuratè super hoc negotio scripsisset ad Caium, dehortans ne tam multa millia in extremam desperationem atque perniciem adduceret (neque enim nisi bello cōpulsos discessuros à religione patria) *néue seipse* multaret luculentis ex ea gente prouentibus, æternumq; apud eam sibi pararet improperium: id quoque adiecit, quàm charus sit Deo populus, quamque manifestis signis declaret suam ergà illos beneuolentiam. Interea Agrippa rex Romæ pro Iudæis feliciter intercesserat. At posteaquam Caius ex Petronij literis gentis obstinationem cognouit, promissum Agrippæ reddidit, & Petronium propter intercessionē, manus sibi ipsi inferre iussit. At priusquam hæ literæ ad Petronium perferrentur, Caius ipse mortuus nunciatus, Petronium à præsenti morte liberauit. Iosephus libro decimo octauo, capite undecimo.

Profano aspectu.

HERODES à Senatu Rom. rex declaratus contra Antigonū Iudæorum regem, urbem Hierosolymam totis uiribus adortus expugnauit: moxq; omnia repleta sunt cædibus: eratque continua cædes per angiportus & domos, ne religione quidem templi tuente supplices, quamuis obstante rege & precibus intercedente. Iam deuictis hostibus non minùs negotij habuit in compescendis alienigenarum auxiliis: ruebat enim multitudo conductitiorum ad uisendū non fanum solùm, sed intimum etiam adytum. Itaq; alios precibus, alios minis, nonnullos & armis reprimebat, molestiorem clade uictoriam existimans, si quid eorum, quæ uideri fas non est, ueniret in conspectum profanæ multitudinis. Iosephus lib. 14. cap. ult. Antiq.

Non spoliando.

Captis Hierosolymis reperta in sacris thesaurīs mensa aurea,

& cum ea candelabra & uasa libatoria, ex eadem materia: aromatum uis ingens, & super hæc duo millia talentorum, quibus CN. Pompeius, religione commotus, pertinacissimè abstinuit. Templum purgari iussit, sacraque ueteri ritu instaurari. Hyrcano sacerdotium restituit: inde belli auctoribus secuti percussis, urbem tributariam fecit: sublataque regia administratione, populatem induxit. Sabellicus libro 4. Enneadis 6.

ALARICVS Vestgothorum rex, urbe Roma occupata, priusquam militi urbis populationem permitteret, canere tibicines, atque edicere iussit, eorum corpora bonaque, qui in Apostolorum templa se recepissent, salua fore. Fulgosus libro 1. cap. j. & Cuspinianus.

HENRICVS V. Anglorum rex, bellum in Gallia gerens, quãuis in summa rerum omnium penuria, tale edictum proposuit, Ne miles unquam sacras ædes spoliato, néue uiolato: quòd si feceris, debito supplicio scelus luito. Capto Cadomo Normanniæ oppido munitissimo, reperit in arce magnas ciuium fortunas, quarum in numero erant pecunię in templis diu depositæ, ac sacra uasa: ea omnia, tantum abfuit ut ipse tetigerit, ut etiam in templa subitò referenda, ciuibusq; restituenda curauerit. Polyd. lib. 22.

ALPHONSVS Aragonum & Siciliæ rex, capta Massilia, cùm matronæ cum filiis in templum beati Augustini confugissent, tanquam ad sacra deorum asyla, & quicquid preciosarum haberent rerum, in idem templum portassent, & apud regem per internuncium supplicarent, ut intactas abire per mitteret, & ipse preciosa quæ habebant omnia retineret: eas cum omnibus ornamẽtis & thesauris illæsas abire permisit. Panorm. de rebus gestis Alfonsi.

SOLYMANNVS Turcorum tyrannus, capta Rhodo, res diui Ioannis templo sacras ne attigit quidem, à quibus Christiani milites fortasse non abstinuissent. Iouius in eius uita.

Non concedendo impiis.

AMBROSIVS Mediolanensis episcopus, cùm à Valentiniano iuniore Imp. instigante matre Iustina Ariana, in templo obsideretur, atque inde exire iuberetur: Hoc, inquit, sponte mea facturus non sum, neque prodam lupis stabulum ouium mearum, nec tradam templum illis, qui in Deũ blasphemi sunt. Quòd si constituerum habes me occidere, hîc intus in me ensem hastámue defige: eiusmodi enim perquã grata mihi futura est mors. Tandem in exilium missus est. Theodoretus lib. 5. cap. 12.

CONSERVATIO, DEFENSIO.

Rex Syriæ DEMETRIVS templum Hierosolymitanum etiã suis asyli loco esse uoluit. 1. Machab. 10.

IVDÆI, contra Nicanorem præliaturi, pro uxoribus & filiis, item pro fratribus & cognatis minimùm soliciti, plurimùm uerò pro sancto Domini templo. 1. Machab. 15.

Cùm Iudæi obstinatissimè sese defenderent è templo Hierosolymitano, TITVS Cæsar ignem immitti iussit. Eo grassante, religione motus, templum conseruare uoluit, & per ruinas milites ad restinguendum incendium misit. At cũ tempi custodes Romanos incendium extinguere conantes armis aggrederentur, indignati milites, se sanguine suo Iudæorum templo parcere, quamuis multum reclamante Tito, ignem templo denuò immiserunt, & exusserunt. Iosephus lib. 7. cap. 9. & 10. belli Iud.

Iustinianus Rinotmetus Imp. demolitur Deiparæ templũ, cũ à CALLINICO patriarcha postularet, ut eius ędis destruendę causa Deum is oraret: respondit patriarcha, Votũ sibi esse, quod templi erigendi causa faceret: nullum deiiciendi gratia receptum esse. Cedrenus.

HENRICVS III. Imp. Pannoniam infestis signis ingressus, in agros, uillas & oppida quidem ferro & igni sæuit, uerũ templis abstinuit. Auentinus lib. 5. Annalium.

TEMPLORVM IMPIORVM NEGLECTVS,

De Euersione templorum impiorum instã sub Correctione. Hic de eorundem Instauratione, ædificatione.

Alexandro Magno, uicto Dario, Beli templum, quod corruerat, Babylone renouare uolente, cunctisq; militibus similiter rudera portare præcipiente: soli IVDÆI hoc facere non sustinuerunt: sed etiam multas plagas & detrimenta pertulerunt, donec eis ignoscente rege securitas præberetur. Hoc Iosephus lib. j. contra Apionẽ ex Hecatæo Abderita recitat.

SIGNORVM, SIMVLACRORVM, IMAGINVM sacrarum CVLTVS OBSERVATVS.

Ex loco Imaginum sacrarum exempla quædam hue referri poterunt.

CONSTANTINVS Magnus uicto Maxentio, appellatus est Liberator urbis, & fundator quietis, exceptusq; insigni ac triumphali pompa, omnia accepta Deo tulit: & imaginib. suis semper crucem adscribi iussit, cuius uigore iugum tyranni fregisset, & pristinam urbi reddidisset libertatem, columnamq; sibi à Senatu decretam in crucis effigiem transformauit. Eusebius, & Nicephorus lib. 7. cap. 46.



TIBERIVS II. Imp. intuitus fortè crucem in pauimento figuratam, religione contactus, confestim tolli iussit, ne imprudenter pedibus conculcaretur: hac sublata, altera inferiùs apparuit, post hanc rursus alia atque alia, quoad pauimentum altiùs remoliendo in uim auri ingentem incidit. Est ex ea re adhuc multo beneficentior factus, immensumque auri pondus pauperibus partitus est. Sabellicus lib. 5. Enneadis 8.

RERVM DIVINARVM VSVS RELIGIOSVS. MVNERVM SCILICET, DONARIORVM SACRORum, ANATHEMATVM. Quo ad

ΔΟΣΙΝ. MVNERA

QVÆ DATA.

Consule Tit. Magnificentiæ in donariis & anathematis deorum. Illic Summus, hic Religionis habetur ratio.

Ensis Goliathi dedicatus est à DAVIDE Nobæ in templo, apud Achimelechum sacerdotem. Eundem postea Dauid, Saulem fugiens, à sacerdote recepit. 1. Reg. 21.

ASA rex Iudæorum, ea quæ uouerat pater suus, obtulit in domum Domini: argentum, aurum, uasorumq; diuersam supellectilem. 2. Paralip. 15.

ARTOXERXES Assyriorum rex, præcepit Esdræ & populo, ut ferrent munera Domino Deo Israel, quæ uouerant. 1. Esdræ cap. 7.

IVDITHA omnem supellectilem Olofernis, sibi à ciuib. dono datam, Hierosolymis Deo dedicauit, unà cum uelamine, quod ex eius cubiculo abstulerat. Iudithæ 16.

AGRIPPA à Claudio Imp. regno Iudeæ & Samariæ donatus, catenam auream à Caio Cæsare donatam, pondere parem illi ferreæ, qua reuinctus fuerat, *in templo Hierosolymitano supra gazophylacium* suspendit. Iosephus libro 19. cap. 5. Antiquitatum.

LVDGARD matrona castissima, totum patrimoniũ ecclesiæ obtulit, ut diuinus cultus inde promoueretur. Cranzius in Metropo. lib. j. cap. 21.

Anulus EDOARDI III. Anglorum regis, quem ipse diu antè pauperi cuidam eleemosynam petenti in nomine Ioannis Euangelistæ, dederat, Hierosolyma allatus à quibusdam, post ipsius mortem in templo anathematis loco suspensus fuit: quòd salutaris esset membris stupentibus, ualeretque aduersus comitialem morbum, cùm rangeretur ab illis, qui eiusmodi tentarentur morbis. Polyd. lib. 8.

QVÆ NON DATA, QVÆ REPVDIATA.

Meretricis mercedem, aut admissuræ canis precium, in Domini templum ullum ob uotum ne inferrent, ISRAELITIS præcepit Dominus. Deut. 23.

CVR DATA.

ISRAELITÆ obtenta de inimicis mirabili uictoria, cùm nullus Israelitarum occisus esset, dona magna obtulerunt. Numeri cap. 31.

PHINEES Eleazari F. confectis Madianitis, cùm neminẽ plane è suis militibus desideraret, Domino splendidissimum munus cum suis militibus è manubiis obtulit. Idem.

BELISARIVS uicto Gilimere Vandalorum rege, Romã uictor ueniens, S. Petro auream crucem centum librarum, preciosissimis gemmis exornatam, in qua suas uictorias inscripserat, obtulit, per Vigilium papam. Paulus Diaconus lib. 16. Sigebertus, Beda, Platina.

IOANNES Gualbertus eques Florentinus, gladium, quo occisurus erat fratris sui interfectorẽ, cùm is supplex ob Christi crucifixi reuerentiam sibi parci peteret, imagini Crucifixi suspendit, culpamq; remisit. Fulg. lib. 4. c. 1. & Polyd. lib. 7. cap. 2. de Inuent. rerum.

QVOMODO data.

CAROLVS Magnus rerum suarum hæredem Christũm testamento fecit, & quicquid in re mancipi habebat, in tres partes diuisо, tertiam eorũ partem pauperibus & famulãtibus palatio delegauit: duas uerò partes in partes uiginti unam subdiuisit: & metropolitanis episcopis, qui totidẽ sibi subeerant, distribuit, ut metropolis Ecclesia tertiã assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffragantes episcopos diuideret. Sigebertus in Chronicis nomina Archiepiscopalium ciuitatum, quæ sub Carolo erant, nominat.

ΦΥΛΑΚΗΝ. MVNERA

CVSTODITA, non VSVRPATA.

VALERIANVS episcopus octogenarius (cùm in Africa Vandali libros diuinos exurerent, ac de sacris palliis ac uestibus uestes facerent) nolens diuina sacramenta profanis tradere, à rege Genserico omni urbe & domio exclusus, reliquum uitæ usq; ad mortem nudus, sub nudo cælo exigere maluit, quàm quicquam profanare sacrarum rerum. Sigebertus in Chronicis.

Direpta ab Alarico Vestgothorum rege Roma, cùm inter milites adhuc cædem sanguinemq; spirates, aliquot sacræ VIRGINES aurea uasa capitibus intecta ferrent, ut accepêre ea Apostolis sacrata esse, ne manum quidem ad ipsa contingenda extenderunt. Fulg. lib. 1. c. 1.

AMBROSIVS lib. 5. Epistolarum contra Auxentium sic scribit: Cùm esset propositum, ut Ecclesię uasa traderemus, hoc respõsi dedi: Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: tẽplo Dei nihil posse decerpere: nec trãdere illud, quod custodiendum, non tradẽdum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim liberi sacerdotis uocem: Si uult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria.

VALERIANVS episcopus Habensæ ciuitatis Africæ, Genserico Vandalorũ regi crudelissimo sacros libros & alia quædam ecclesiastica uasa tradere noluit. Itaq; extra ciuitatem pulsus senex octogenarius, sub dio nudus longo tẽpore publicè iacuit, itaq; periit. Sigeber. in Chron. & Victor. lib. 1.

NEGLECTA.

Moris fuisse, scribit Gregorius Magnus lib. 12. Decretorum, Indict. 7. quòd funera pontificum ROMANORVM dalmaticis solita sint contegi, quas postea populus cõscidit, ac reuerentiæ causa seruauit. Dicit autem indignũ esse, cùm multa adsint ab Apostolorum & martyrum corporibus uelamina, à peccatorum corporibus sumi quod asseruetur. Statuit igitur, ut feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine ueletur.

ALFONSVS I. Lusitaniæ rex, qui, cùm tenues admodum opes possideret, Saracenos innumerabiles, opibus & potentia feroces, maxima atq; diuturna bella contentione è Lusitaniæ finibus expulit, nunquam tamen sacris opibus manus uel permissi pontificis iniicere in animũ induxit. Neq; Sancius illius filius, qui cùm bellum durissimum Saracenis Bæticam incolentibus inferret, prope Hispalim, Betim fluuium eorum sanguine tinxit. Neq; Ioannes 1. qui Septã urbem expugnauit. Nec ALFONSVS quintus, qui Tingim & Arzilam & Alcassarem armis atq; uirtute cepit. Nec IOANNES secundus, cuius non solùm in bello Hispaniensi contra Fernandum Regem inuictissimum admirabilis uirtutis lumen eluxit, sed etiã in Africano bello clarißs. specimen egregiæ uirtutis exhibuit. Osorius lib. 9. rerum Em.

ΧΡΗCIN. AD VSVS PIOS EROGATA.

Consule Tit. Eleemosynarum, quatenus ex sacris opibus pauperes aluntur.

LAVRENTIVS Leuita Romanus, Decij præfecto thesauros Ecclesiæ ab illo per tormenta exigente, Thesauros sacros, respõdit, manus pauperum in cœlo recondiderunt. Prudẽtius in hymno.

PAVLINVS Nolanus episcopus, Ecclesiæ thesauros omnes in ciuium suorum, à Vandalis captorum, redemtionem impendit.

Decimæ atque tertię sacrorum uectigalium partes ALFONSO IX. & pòst Alfonso XI. Lusitanorum regibus à Pontificibus concessæ definito tempore fuerunt. Quandoquidem patrimonium illorum fuerat à tutoribus dissipatum, & influentes barbarorum copiæ, in Hispaniam irruentes, erant tunc templorum omnium sanctitatibus & sacris etiam uasis, iure atq; merito repellendæ. Rex item Castellæ FERNANDVS & Isabella cũ essent propter Portugalense bellũ sumtibus exhausti, & bellum eis iustum & religiosum, contra Granatenses Saracenos instaret, inetiò uidentur eadem Pontificis benignitate sustentati.

Osorius lib. 9. rer. Em.

FESTORVM RELIGIOSA OBSERVATIO. APVD

ΙΟΥΔΑΕΟS. PVTA

PASCHATIS.

IOSIAS Iudæorum rex, anno regni sui 18. Pascha celebrauit, ejectis idolis è templo Domini, quale non fuerat actum à temporibus Iudicum Israelitarum, usque ad Iosiam. 4. Reg. 23. & 2. Paralip. 35.

IVDÆI è Babylone reuersi, cum Nehemia & Esdra, festum Paschæ egerunt. Libro primo Esdræ, capite sexto: mox etiam, Scenopegiæ, quod à Iosuæ temporibus ad eum diem non fecerant Israelitæ. 2. Esdræ 8.

SABBATHI.

Cùm Iudæi è Babylone reuersi, urbeq; restaurata, Sabbathum non seruarẽt, NEHEMIAS die Sabbathi portas urbis clausit, neq; quenquam eorum, qui pro mercatia afferrent, intrare permisit, & Leuitas ad custodiam portarum disposuit. Lib. 2. Esdræ 13.

Sabbathi uia apud IVDÆOS est 2000 cubitorum. Tanta enim spacio arca castra antecedebat: tantoq; intervallo, quibus id fas erat, arcam mouebant in Sabbatho. Suidas & Hieron. ad Algasiam: Sexto die Israelitæ in deserto colligebant manna, in duplici quantitate, ut die Sabbathi nacarẽt ab omni opere. Exod. 16. Die Sabbathi offerebãtur duo agni, ultrà illos, qui quotidie in iugi sacrificio offerebãtur: diebus aliis unius tantùm, nisi in solennitatibus & Kalẽdis: ad designandum, quòd in festis abundantiùs Deum laudare debemus. Num. 28.

IVDAS Machabæus & socij sui pugnantes contra Nicanorẽ interfecerunt nouem millia hostium, cæteros autem fugere compulerunt: sed non insecuti sunt, eò quòd erat ante Sabbathum. 2. Macchab. 9.

IVDÆI contra Antiochum pugnantes, die Sabbathi feriabãtur, quamuis urgente hoste: Moriamur, inquiunt, in simplicitate nostra. Sed tandem prudentiores facti, quia legẽ Dei & uitam defendebant, die Sabbathi pugnare Deo gratum officium esse putarunt. Ex primo Machabæorũ secundo. Ac MATHATHIAS sacerdos, Iudæis die Sabbathi pugnare nõ lentibus superstitionem exemit: pugnandum etiam sabbathis esse docens: aut si ita pergant, ipsos sibi futuros exitio, hostibus eam occasionem obseruantibus, & non nisi sabbatho illos aggredientibus: atq; ita fore, ut uel sine certamine omnes facilè opprimantur. Iosephus lib. 12. c. 7. Antiq.

IVDÆI habitant omnium munitissimam ciuitatem, quã uocare Hierosolymam prouinciales solent. Hi uacare consueti sunt septima die, & neq; arma portare in prædictis diebus, neq; terræ culturam contingere, neq; alterius cuiuspiam curam habere patiuntur: sed in templis extendentes manus, adorare usq; ad uesperam soliti sunt. Iosephus lib. 1. contra Appionem ex Agatharchide Chio recitat.

Romani IVDÆIS sabbatha agere, & quia sabbathis iter facere lege prohiberentur, militiæ uacationem permiserunt. Id quod pluribus testimonijs Iosephus libro 14. capite 19. Antiq. ostendit.

Sabbathis operationem aliquã contigisse, omnibus Iudæis diligentiùs ESSENI cauentibus: neq; cibum sibi solũ pridie præparant, ne uidelicet illo die ignem accendant: sed neq; uas aliquod transponere audent, imò nec aluum purgant. Iosephus lib. 2. c. 7. belli Iudaici.

SALVATOR noster legitur Sabbathis multa fecisse miracula, Cuius ratio triplex assignari potest. Vna, ut se Dominum ostenderet, ut Matthæi 12. Secunda, ut ueram intelligentiam præcepti daret: quia non ab omni opere cessandum. Matth. 12. Luc. 6. Tertia, ut plures homines, audientes eum & uidentes, ædificaret, ut Matth. 12. Lucæ 6. & 13. Cùm curasset incuruam mulierẽ, archisynagogus indignatus est, quòd curasset Sabbatho, dicens turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo uenite & curamini, & nõ in die Sabbathi. Respõdens Iesus archisynagogo dixit: Hypocritæ unusquisq; uestrũm Sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annos non oportuit solui à uinculo isto die Sabbathi?

MVLIERES, quæ parauerant aromata ad ungendum corpus Domini, Sabbatho noluerunt illum inungere, secundùm præceptum. Lucæ 23.

QVORVMVIS ALIORVM.

Cæso Oloferne, & profligatis Assyriis, Israelitæ Hierosolymis festum in conspectu sanctuarij per tres menses exegerunt, & postea in suam quisque patriam reuersi sunt. Dies ipse victoriæ solennis apud Hebræos in numero sacrorũ dierum habetur, & à IVDÆIS colitur, Iudithæ 16.

Phuræa siue Phruræa festus dies apud IVDÆOS, quo Iudæi in toto Persarum imperio inimicos suos sunt ulti, Estheræ reginæ & Mardochæi ductu Hist. Esther, & Ioseph. lib. 11. c. 6.

IVDAS Machabæus, profligatis Antiochi Epiphanis ducibus, & Iudæis in libertatem uindicatis, cum suis omnibus uigesimaquinta mensis Chaslei, quem Apellæum Macedones nominant, accenderunt lumina in candelabris, & suffitum fecerunt in altari, & panes supra mensam proposuerũt: & in nouo altari holocausta immolauerunt: idq; accidit eadem die, qua ante trienniũ sacra eorũ profanata fuerant. integro enim triennio desertum fuit templum post factam ab Antiocho profanationem: quæ incidit in annũ regni Græcorum CXLV. & diem Apellæi mensis XXV, in Olympiadem CLIII. renouatum est aũt eadem die CXLIII anno, Olympiade CLIV. Prædixetat autem eam desolationem propheta Daniel ante annos CCCCIIX, disertè dicens, à Macedonibus profanandum. Celebrauit autem Iudas recepti templi festiuitatem, per dies octo sacrificans, in quib. nullum honestæ uoluptatis genus omissum est, sed populo quidẽ sumtuosum ac splendidum epulum est exhibitum, in Dei uerò laudem hymnis & canticis personabant omnia. Tanta uerò lætitia ob reductos ritus patrios & priscam religionem occupauit gentis eius animos, maximè quòd ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, quæ iuberet quotãnis hoc festũ reparati cũ ceremoniis templi per octo dies celebrari: uocaruntq; hanc festiuitatẽ luminum, ideo quòd ex insperato Iudæis illuxisset tanta felicitas. Iosephus lib. 12. c. 11. ex 1. Machab.

Diem XIII. mensis Adar IVDÆI festũ agunt, quo Iudas Machabæus cũ mille militibus Nicanorẽ Demetrij ducẽ cũ octuaginta millibus ad internecionem cecidit. 1. Machab. 7.

Diem XXIII. secundi mensis, SIMON Iudæorũ dux & pontifex, quo præsidium Macedonicum ex arce, quam per 30, & amplius annos iam inde ab Antiocho Epiphane occupauerant, eiecit, & in eam cum palmarum ramis, citharis & carminibus intrauit, quotannis cum lætitia agendum sanxit. 1. Machabæorum 13.

Alexandrini IVDÆI diem illum festum agunt, quo à Physcone elephantis obiecti Iudæi, incolumes euasere. Iosephus lib. 2. contra Appionem.

CHRISTIANOS.

RODOLFVS Imp. diem Veneris, passioni Christi sacrũ, semper religiosè coluit, ut eo die nunquam cum hoste manus conseruerit. Cuspinianus.

LIBRI QVINTI
TITVLORVM
DISPOSITIO.





Voluminis Decimisexti
Liber V.
DE IVSTITIA Religiosa Correctiua.

POENITENTIA RELIGIOSA.

Ad Pœnitentiam concurrit Cognitio primùm & Confessio, deindè Contritio & Correctio. Si spectes priora duo, φιλανθρώπως erit in confitendis suis malis. Si posteriora, ad Διόρθωσιν religiosam, quatenus ex præscripto religionis id facit, pertinebit.

QVO AD SVBIECTVM. PROpter QVID pœnitentiam agant. Nemo. propter

MAGIAM.

Philippi Vicecomitis Mediolani principis ætate damnatus erat magicæ artis uillicus quidam, nomine BERNARDVS: alioqui uir ſimplex & frugi, ob idque domino ſuo perchatus. Sed quia nec minis nec perſuaſionibus adduci poterat, ut pœnitere uellet, ad ignis pœnã poſcebatur à iudicibus. Dominus, cuius pigebat, quique principi gratus erat, obtinuit, ut fideiuſſione data, quanquam illis reluctantibus, liceret hominem apud ſe uiginti diebus habere. Cepit ergo illum alere non ut medicus, ſed ut ruſticum nobilis amicus: quatuor oua recentia manè, totidem ueſperi, tum uinũ dulce atq; iucundum ſuppeditabat, carnes quoque & iura pinguia. Poſtmodum ubi uidit hominem ex longo uererno reſipiſcere, hortatus eſt, ut omiſſis falſis atque abſurdis periculoſisq; perſuaſionib. Eccleſiæ adhærere uellet. Sed paucis opus fuit, reſipuit: optimusq; Chriſtianus factus, uſq; ad mortem abſq; aliorum querela perſeuerauit: [redacted]

HÆRESIN.

SEVERVS Sulpitius Poſthumianus monachus, cùm in ſenectute ſua à Pelagianis hæreticis deceptus eſſet, ad uitæ uſq; finem ſilentium tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo rurſus emendaret. Gennadius.

FELIX Orgellorum in Pyrenæo monte epiſcopus, natione Hiſpanus, ab Eliphando Toleti epiſcopo per literas cõſultus, Vtrum Chriſtus adoptiuus an naturalis Dei filius eſſet credendus? contra ueterem eccleſiæ doctrinam adoptiuum eſſe non ſolùm aſſeruit, ſed etiam ſcripto ad eum uolumine tueri non dubitauit. Cuius rei cauſa ad Carolum in Baioaria uerſantem adductus, atque ex auctoritate epiſcoporum, quos Carolus ad ipſum acciuit, damnatus, Romam eſt miſſus. Ibi in conſpectum Hadriani productus, in baſilica S. Petri errore ſuo ſe abdicauit. Sigonius lib. 4 regni Ital.

NATALIVS ab Aſclepiodoto, & Theodoro menſario (qui diſcipuli fuerunt Theodoti coriarij) perſuaſus, denarios 150 menſtruo tempore accepit, ut hæreſis huius uocaretur epiſcopus. Illis itaq; coniunctus, per uiſiones à Domino ad pœnitentiam uocatur. Quibus cùm negligentiùs attenderet, tandem ab angelo quoq; flagris cæſus eſt. Manè ergo cum multis lacrymis, cinere & cilicio ante Zephyrinum epiſcopũ procidens, oſtenſis etiã uibicibus, uix tandem ab eccleſia receptus eſt. Euſebius lib 5. c 28.

ELEVSIVS Cyzicenus epiſcopus Macedonianus, à Valente Imp. Ariano ad Nicomedienſe Concilium euocatus, illic metu exilij ab Imp. Arianis communicare coactus eſt. Mox Cyzicum reuerſus, & pœnitentia ductus, epiſcopatu ſemetipſum abdicauit. Socrates libro quarto, capite 6. Sozomenus libro 6. cap. 8.

BERENGARIVS Turonenſis, amplitudine doctrinæ confiſus, de ſacramento Euchariſtiæ errorem ſuum publico concilio Romæ habito emendauit: ac ſtatim omiſſo ſtudio Sophiſticæ diſciplinę, cùm eſſet archidiaconus Andegauenſis, omnia pauperibus erogans, labore manuum ſuarum uictũ ſibi quæſiuit. Platina in Ioanne XV.

BLASPHEMIAM.

ELIPHAS, Baldadus, & Sophar, eo quòd cum Iobo diſputãtes impiè de Deo locuti fuerant, Deo iubente, ſeptẽ tauros totidemq; arietes calamitatis depellẽdæ cauſa immolarũt, Iobo pro illis ſupplicante. Iobi ultimo.

APOSTASIAM.

PETRVS ter abnegato Chriſto, cùm Ieſus conuerſus eum intuitus eſſet, recordatus uerborum Domini, ſuumq; peccatũ agnoſcens, egreſſus foras fleuit amarè. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Ioan. 18.

IACOBVS Denodatus, martyr Perſa, apoſtaſiæ pœnitentiam egit. Vide Tit. Diſcipuli religionis, A mulieribus.

VSTHAZARES, Saporis regis Perſarum pędagogus, apoſtata pœnitens. Vide Tit. Diſcipuli religionis, Reprehenſione.

IDOLOLATRIAM.

Cùm ISRAELITÆ à Domino deſciuiſſent, & Baales ſecuti eſſent, addixit eos Dominus Palæſtinis & Ammonitis per annos 18. Cæterùm cùm peccatum ſuum confeſſi idola eieciſſent, Dominum ad miſericordiam pellexerunt. Iephtham igitur Galaaditem eis dedit, qui Ammonitas uicit. Iudicum 10. & 11. Cùm Ioſua defuncto, alienigenas connubio ſibi iunxiſſent, & (quod execrabilius eſt) immolaſſent eorum diis Baalim & Aſtaroth, obliti Dei ſui, à quo multa magnaque acceperant beneficia: bellis oppreſſi, Cuſanraſathaim Meſopotamiæ regi annos octo ſeruierunt. Tandem ad pœnitentiam conuerſi, Dei opem implorarunt: & Othoniele duce uictis hoſtibus, recuperauère libertatem. 1. Regum 4. Othoniele mortuo, cùm iterum iiſdem flagitiis ſe polluiſſent, Eglon Moabitarum regi decem & octo annos tributa penſitauère. Poſtremò pœnitentes Aioth ambidexter uindicauit in libertatem, rege ipſo interemto, & decem millibus hoſtium cæſis. Deinde annos 80 nemo illos armis laceſſiuit: ut hinc intelligas, cum pœnitentibus diabolum congredi minùs audere: & ſi audeat, nocere non poſſe. Marulus libro quarto, capite 9.

IIDEM mortuo Aioth peccauerunt, traditi ſunt Iabin regi Chanaan. Sed poſt annos 20, cum eos ſceleris pœnituiſſet, clamaſſentque ad Dominum, Delbora prophetãte, Barach tantummodò cum decem millibus armatorum, Siſaram regij exercitus ducem cum nongentis falcatis curribus, & ingenti militum copia in prælium deſcendentem fudit fugauitq;. In decem millibus Decalogi numerus habetur: quo ſi pœnitens ſe munierit, uitiorum multitudinem contra inſurgentem facilè ſuperabit. Iael uxor Aber, Siſaram adacto in tempora clauo interfecit. Iael, interpretatur incipiens, Aber, lucidus. Iael ergo uxor eſt Aber: quia illum quem pœnitere incipit, lux recti prauique dignoſcendi comitatur. Siſara excluſionem gaudij deſignat, id eſt diabolum, qui nos à paradiſi gaudiis maligna ſuggeſtione nititur excludere: quem clauo in tempore transfodimus, cùm in tempore pœnitentiam agimus, compunctionis clauo uitium expungentes. Hoc tempus ſi elabi ſine pœnitudine dimiſerimus, fruſtra poſtea nos pœnitebit. Incaſſum enim tùc lugetur, cùm iam actorum ratio exigitur. Poſt annos quadraginta in pace peractos, rurſum ad impietatem prolapſi, à Madianitis deuaſtantur annos ſeptem. Et cùm tandem illos delicti pœnituiſſet, per Gedeonem opitulatus eſt eis Deus. Qui diuino fretus auxilio, cum trecentis armatis, uix numerabiles hoſtium copias fudit atq; concidit. Oreb & Zeb principum Madian capita uictor abſcidit. Oreb dicitur tẽtatio, Zeb lupus, Madian contradictio, ſiue iniquitas. Igitur uerè pœnitens incipit cum tentationibus colluctari, nec ſe ultrà ſpiritalis lupi rapinis exponit: ſed ut primùm ſe impugnari animaduertit, ita primùm reſiſtit: & hoc eſt capita principum contradictionis uel iniquitatis truncare, peruerſarum cogitationum initia recidere: ne ſi moram fecerint, creſcant, & tacitum uiuat ſub pectore uulnus. Idem.

IIDEM Gedeone uita defuncto, auerſi ſunt poſt gentilium ritum, colentes Baalim & Aſtaroth. Et cùm Philiſtinorum inuaſionibus per 18 annos attriti eſſent, pœnitentiam egerũt, ſed non exaudiuit eos Dominus. At cùm etiam idola de finibus eieciſſent, per Iephtham ducem tutatus eſt eos, ulciſcens aduerſarios, à quib. aſſiduè uexabãtur. Rurſum ob idololatriæ crimen annos 40 ſub iugo Philiſtinorum fuère. Poſtea uerò pœnitentes, per Samſonem liberati ſunt. Qui ligatus fregit uincula, & maxilla aſini interfecit inimicos, & de molari maxillæ egreſſis aquis ſitim ſedauit. Per pœnitentiam quippe diuelluntur nexus peccatorum. In maxilla oratio, in aſino humilitas intelligitur, quibus proſternuntur nequitiæ ſpiritales: quia humiliantis ſe oratio nubes penetrat. De molari autem maxilla fluunt aquæ, cùm inter orandum conſcientiæ morſus elicit lacrymas, quib. deinde parta beatitudo reſtinguit deſiderij ſitim. Idem.

IIDEM ſub Heli ſacerdote à Philiſtinis anguſtias cladesque paſſi, Samuelis admonitione atque hortatu ad pœnitentiã inclinãtur. Ipſoq; pro eis deprecante, hoſtiasq; offerente, fleuerunt ieiunaueruntq;, palàm confitentes quòd Baalim & Aſtaroth idola coluiſſent, Dei ſui cultu derelicto. Hac pœnitentium afflictione placatus Dominus, Philiſtinorũ multitudinem in illos irruere paratam, tonitru ac fragore ita exterruit, ut repentè auerſi terga darent. Filij uerò Iſrael eos fugientes perſecuti, ad internecionem conciderũt: urbes quas amiſerant, recuperarunt: nec poſtea ab inimicis infeſtati ſunt, quamdiu uixit Samuel. Idem.

D. Hieronymus de ſaluatione SALOMONIS ſic ſcribit: Quãuis Salomon peccauit, tamen egit pœnitentiam, ſcribens Prouerbia, ubi dicit: Nouiſſimè egi pœnitentiã, & reſpexi, ut eligerem diſciplinam. Item aiunt Hebræi, hunc librum eſſe Salomonis pœnitentiã agentis. Ambroſius ſic ait: Quid de Dauid dicam? quid de Salomone, qui quoniam uulgus æſtimabat eum ueniſſe pro Chriſto, ne uideretur eſſe ſupra homines, nutu Dei corruit. En Dauid non dicitur ſanctus, quia ſcitur ab omnibus ſanctus. Salomonem autem nominat ſanctum, ut nobis de pœnitentia eius dubietatẽ tollat. Hebræi autem, ut ſcribit D. Hieronymus; Salomonem ſcribunt Hieroſolymis fuiſſe per plateas quinquies tractũ, cauſa pœnitentiæ.

ROBOAMVS rex Iudæorum, lege Dei contemta, gentilium ritũ ſequebatur: cùm Seſacus rex Aegypti de improuiſo irrumpens, oppida multa & loci natura & armis munita expugnauit: illosq;, qui aduerſum ſe in campũ deſcenderant, in urbem fugere compulit. Porrò cùm per Semeiã prophetã audiſſent, Vos reliquiſtis me, & ego reliqui uos in manu Seſaci, dicit Dominus: ab errore cõuerſi, pœnitẽtiã egerũt. Inde rurſum Dominus ad Semeiã ait: Quia humiliati ſunt, nõ diſperdam eos: ueruntamen ſeruient Seſaco, ut ſciant diſtãtiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum. Marulus lib. 4. c. 9. ex 2. Paralip. 12.

IOSIÆ regi Iudæorum, quoniam cùm legis librum perlegiſſet, patrum populique tranſgreſſione uehementer teſtatus eſt, Olda propheta reſpondit: Hæc dicit Dominus, Ecce ego adducam mala ſuper locum & habitatores eius, quia dereliquerunt me, & ſacrificauerunt diis alienis. Te autem quoniam audiſti uerba uoluminis, & perterritum eſt cor tuum, & fleuiſti coram me: colligam te ad patres tuos in pace, ne uideant oculi tui mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. Itaq; propter unius pœnitentiam, cõmunis omnium calamitas, quoad ipſe uixit, dilata eſt: uixit autem poſtea 12 annos. Marulus lib. 4. c. 9.

Rex Iſrael IOACHIMVS cum ſuis, quos præuaricari fecerat, ſubditus Azaeli Syriæ regi, & Benadado filio eius, pœnitentiam egit: orauitq; ad Dominũ, & ſicut Scriptura ait, datus eſt illis ſaluator, cuius ope liberati ſunt. Idem.

MANASSES, regum omnium, qui Hieroſolymis regnarunt, ſceleratiſſimus, ſtellas adorauit, aras Baali erexit, in templo Dei idolum poſuit, ſomnia obſeruauit, auguria ſectatus eſt: ſuper hæc ſanguinẽ innoxium fudit, interficiens prophetas, Eſaiam ſerra medium ſecans. Cumq; ob hæc flagitia Dominus tradidiſſet eum in manus principum Aſſyriorum, ferroque uinctus ductus eſſet in Babylonem, anguſtiis compellentibus agnouit peccatum, egit pœnitentiam, orauit, exauditus eſt, Deoque propitio rediit Hieruſalem, & recuperauit regnum, atque in alium mutatus, idolis ſublatis prophanata expiauit, & unũ Deũ Iſrael impensè coluit. Quis igitur ueniã deſperet, ſi Manaſſes inuenit? aut quis adeò peſſimis moribus uiuit, ut euadere bonus nõ poſſit, ſi ille euaſit? Marulus lib. 2. c. 12. & Sab. lib. 5. c. 5.

IACOBVS martyr à præfectis membrorum nodis Denodatus dictus, fidelibus ortus parentibus, cùm inter regis Perſarum aulicos primo loco haberetur, gentili domino gratificari cupiens, eò prolapſus eſt, ut idolum adoraret. Deinde à matre per literas increpatus, culpam agnouit, animo reſipuit, pœnitentiam egit, honores quibus fruebatur contemſit. Regem nihil ueritus, idola eius deteſtatus eſt, & ſe Chriſtianum eſſe palàm aſſeruit tam conſtanter, ut articulatim dilaniatus non formidaret ſupplicia, ſed appetere uideretur. Aeternæ deniq; felicitatis bona, quibus præuaricãdo ſe indignum fecerat, diuina clementia ſuffragãte martyrio ſuo redemit. Marulus lib. 2. c. 14.

ORIGENES, cùm ſub Decio ad aram ductus, potiùs thus diis dare, quàm ab Aethiope ſtuprum pati uellet, ab Alexandrina eccleſia excommunicatus, in Iudæam abiit. Cùm Hieroſolymam ueniſſet, ab ordine ſacerdotali, ut uerba in eccleſia faceret, quia presbyter eſſet, rogatus primò, deinde etiam coactus fuit. Surgens igitur, uerba illa Pſalmi 49. recitauit: Peccatori uerò dixit Deus, Vt quid tu annuncias iuſtificationes meas, & uſurpas teſtamentum meum in ore tuo? Et ſtatim libro complicato, in maximum eiulatum erupit, omnibus unà cum eo plorantibus. Nec quid poſtea de eo factum ſit, ullus meminit: niſi quòd Suidas eum Tyri ſepultum ait. Euſebius libro ſeptimo, capite primo, ſub Gallo anno Chriſti CCLV, ętatis XCIX, in ſumma miſeria & paupertate obiiſſe ſcribit. Marulus libro ſecundo, capite duodecimo, & lib. 4 c. 10.

MARCELLINVS pontifex maximus, Diocletiano & Maximiano perſecutoribus, tormentorum immanitate perterrefactus, diis thura adoleuerat. Poſtea in Campaniam diſcedens, coram CLXXX epiſcopis aſtitit, cilicio & cinere opertus, confitens peccatum ſuum, ac petens pro eo ab ipſis ſibi pœnam indici atq; decerni. Quibus arbitrium in præſidẽ recipere nolentibus, ipſe in ſe ſententiam tulit. Pontificatum depoſuit, corpori ſepulturam denegauit, execrans eos, qui ipſum nõ ſiuiſſent ſuper terram putreſcere ac diſſolui: & cõfeſtim Romam ad martyrium eſt reuerſus, ultrò exponens ſe ſuppliciis, quæ modò expauerat. Decollati cadauer inſepultum iacuit, timentibus Chriſtianis uiolare pontificis interdictum. Sed Petrus apoſtolus noctu apparens Marcello presbytero, illud iuxta corpus ſuum ſepeliri iuſſit: dignum eſſe aſſerens, ut qui ſecum peccauerat, ſecum fleuerat, ſecũ mortuus quoq; quieſceret. Marulus lib. 4. c. 10. & Fulgoſus lib. 1. c. 1. & Platina.

FESTVM VIOLATVM.

OLAVS rex Noruegiæ, die Dominico cogitationibus grauatus, baculum manibus tenens, cultello (ut fit) ſcindulas fecit, nõ aduertens. Admonitus ab adſtante per iocum de uiolatione ſabbati, ſcindulas collegit diligentiſſimè, manuiq; ſuæ impoſitas iuſſit incendi, ut in ſe ulciſceretur, quod contra diuinum præceptum incautus admiſiſſet. Saxo lib. 10. & Cranzius lib. 4. Metrop. c. 8.

CVRIOSITATEM,

PAVLVS monachus cognomento Simplex, Antonij diſcipulus, cùm primò myſteriorum ignarus quæſiſſet, Eſſétne prophetis prior Chriſtus? ineptam interrogationem ſilentio diluere iuſſus, triennio tacuit. Marulus lib. 4. c. 3.

LIBIDINEM, STVPRVM, INCESTVM.

MARIAM Magdalenam ob impudentis laſciuiæ crimen, cæterorumq; uitiorum infamiam cognomento Peccatricẽ dixêre: & tamen cùm ſeſe pœnitendo Domino ſubmiſiſſet, dimittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum: & quæ diu ſerua fuerat peccati, meruit effici diſcipula Chriſti, eiusque reſurrectionem uidere prima, atque audire, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Sic ubi abundauerat peccatum, ſuperabundauit miſericordia, & in pœnitente omni ſpe maior ſpei merces fuit. Marulus lib. 2 c. 12. & Sab. lib. 5 c. 5.

Impp. Valentis & Valentiniani temporibus fuiſſe uidetur MARIA, quam Aegyptiã dixêre, quantum ex Sabellico & Bergom[redacted]ſtat. Extat in uolumine de Viris patrum prolixa de ea narratio, auctoris Pauli Dia[redacted]olita[redacted]ta eſt in Aegypto parentibus Chriſtianis. Anno ætatis duodecimo, Alexãdriam ſe contulit, ubi libidinum ęſtu corpus ſuum proſtituit turpiſſimis modis. Inde uerò Hieroſolymã uenit cum illis, qui ad diem feſtum exaltationis Crucis cõmeare eò pro conſuetudine ſolerent, ut in frequenti peregrinantium cœtu libidinem expleret. Templi aditu diuinitùs prohibita, pœnitentiam egit, ac poſteaquam in æde Ioannis Baptiſtæ ad Iordanem, cœna Domini uſa fuiſſet, in deſertum abiit: ubi per annos quadragintaſeptem extra omnium hominum conſuetudinem uixit, nuda oberrans, & tenuiſſimo alimento uictitans, corpusq; domans incredibili abſtinentia, quanquam non ſine certaminibus, quòd uitæ antè actæ in flagitiis intra annos decem & ſeptem uix poſſet obliuiſci. In ſolitudine nullum unquam uidit hominem, niſi Zoſimum monachum Palæſtinũ, qui ex religionis ſuæ ritu deſerta pererrans, in eam fortè incidit. Orans in terra terram non tangebat, & Iordanem tranſiens ſuper aquas ambulabat. Ad Dominum migratura, à Zoſimo ſacroſanctam cõmunionem accepit: à leonibus ſepulturam, cùm ſcrobẽ in terra carptim unguibus excauaſſent, ſancti corpuſculi capacem. Fulgoſus lib. 6. c. 9. Marulus lib. 4. & lib. 2. cap. 12. Sabellicus lib. 9. Enn. 7.

MARIA Abrahami eremitæ ex fratre neptis, uirginitatis ſeruandæ toto ipſum ad deſertum ſecuta, eodem cum illo cõtubernio annos ſeptem uſa, piè ſancteq; uixerat, clauſis ſemper ianuis, nuſquam inde diſcedens. Sed quid tam clauſum, quò diaboli non penetret inuidia? Iam uigeſimum ætatis agebat annum, cùm inimici idolis ſuggeſtionibusque ſubuerſa, iuueni cuidam eò uentitanti conſentiens, in turpis luxuriæ foueam corruit. Sceleris conſcia, ueniam deſperauit, ſolitudinem reliquit, proximã ingreſſa ciuitatem, priſtinas uirtutes uitiis æquauit: permiſit libidini fræna, & quæ diu uirginitatem accuratiſſimè ſeruauerat, proſtibuli obruta eſt ſpurcitiis. Poſtquàm uerò ab ipſo Abrahamo ſene, uehemẽter de eius perditione ſollicito, diu quæſita, & tandem inuenta, illo hortante ad mentem rediit: ſanctitatis meritum quod peccando amiſerat pœnitendo recuperauit. Sic perdita ouis boni paſtoris humeris reportata, lupi fauces effugit. Marulus lib. 2. c. 12.

PELAGIA mima, quæ cunctas Antiochiæ feminas diuitiis, luxuria, libidine ſuperauerat, Nonij Heliopoleos epiſcopi prædicatione conuerſa fleuit, peccata confiteri cępit: non Pelagiam ſe, ſed pelagus omnium uitiorum uocandam aſſerens. Denique ſeruos ſuos & ancillas manumiſit, opes pauperibus diſtribuit: & relictis omnibus in monte Oliueti ſolitaria conſedit, ſexum ueſte nomineque occultans, dicta atque credita Pelagius monachus. Marulus libro quarto, capite 10. & libro 2. cap. 12. & Sabellicus lib. 5. cap. 5. & Fulgoſus lib. 6. cap. 9.

THAIS Alexandrina, Paphnucij abbatis induſtria atq; exhortatione ad pœnitentiã conuerſa, omnia, quæ ſibi meretricio

quæstu parauerat, in foro congesta, populo spectante combussit: eiusdemque abbatis consilio feminarum monasterium ingressa, cella se inclusit, lugens peccatum suum, pane tantùm & aqua uitam sustentans, ipsumq; Dei nomen proferre non ausa, orabat dicens: Qui plasmasti me, miserere mei. In tali labore triennio exacto, Paulus Antonij discipulus in quiete uidit supra cœlum positum cubile auro gemmisq; refulgens, arte ineffabili ac decore constructum: & cùm rogasset, an illud Antonio esset paratum? accepit, non Antonio, sed Thaidi meretrici. Educta ergo de cellæ carcere, quintodecimo die migrauit ad Dominum: & cœlestem thalamum feliciter possedit, quia terrenum & impudicum aliquando possedisse, dolenter tulit. Marul.lib.4.c.10.& lib. 2.c.12.& Sab.lib.5.c.5.

BONIFACIVS Aglaiæ Romanæ matronæ dispensator, diu cum illa inhonestè uixerat. At sub Diocletiani persecutione ad pœnitudinem ambo conuersi, finem perniciosæ uoluptati statuerunt: atque Roma Tarsum peruenientes, cùm omnia, quæ secum habuerant, in eleemosynas pauperum distraxissent, illa in monasterio degens, uitæ sanctimoniā miraculis probauit, ipse martyrio coronari dignus fuit. Marulus lib.2.cap.12.

VICTORINO episcopo, dum eremum incoleret, diaboli dolis, qui se feminam effinxerat, capto, tanto dolori fuit semel perpetratæ fornicationis crimen, ut manibus in fissuram ligni impactis, herba cruda & aqua frigida per trienniū se sustentarit. Post hæc miraculis insignis, episcopatum Amiternensem suscepit, magnificeq; rexit, & Neruæ persecutione martyrij triumphum reportauit. Idem.

Ab Antidio Turonense episcopo ZOSIMVS pontifex ob stuprum reprehensus, pœnitentiam egit. Marulus libro tertio, capite secundo.

Dunstanus episcopus, EDGARO regi Anglorum, ob ui compressam in monasterio puellam multis lacrymis suum dolorem testanti, septennem pœnitentiam indixit, ut toto eo spacio coronam regni non gestaret, ieiunium in hebdomada biduale transigeret, pauperibus thesauros largè distribueret, sacrandis Deo uirginibus monasterium Suessione fundaret: ut qui unam per peccatum Deo abstulisset, plures ei per sectam aggregaret. Septimo autem anno, cùm pœnitentiæ tempus exactum fuisset, sacer præsul, accitis omnibus regni Anglorum principibus, episcopis, abbatibus, coram populi multitudine regi coronam imposuit, cunctis lætantibus. Vincentius lib.24.c.78.

COMES quidā incestuosus à Dunstano episcopo Anglo excōmunicatus, pœnitentia ductus, dimissa sua uxore, quæ ipsi sanguinis uinculo iuncta fuerat, nudis incedens pedib. laneisq; indutus, ac uirgas in manu gerens, ad Dunstani pedes in concilio episcoporum se prouoluit, sicq; absolutionem obtinuit. Vincentius lib.24.c.79.

ARNVLFVS capellanus Henrici Rom. Imperatoris, noctu scortatus, factiq; pœnitentia ductus, manè Euangeliū quāuis iussus ab Imp. legere renuit, infirmum se fingens. Matthæus Parisiensis.

AVARITIAM.

MAVRITIVS Imp. ob captiuos non redemtos, cùm id minimo posset precio, quos postea Barbari ira perciti ad XIV. millia trucidarunt, Dei iram & grauissima hominum & subditorum suorum odia incurrit. Cęterùm facti pœnitens, scriptis literis, omnium præcipuarum ecclesiarum episcopos pro se preces ad Deum fundere iussit, quo in mortali hac uita, citra æternam animæ iacturam, peccatorum suorum remunerationem sibi recipere liceret. Hæc dum agitat, & in luctu ac lacrymis anteactæ uitæ pœnitentia se macerat, quandam Christi imaginem in somnis clarè & euidenter uocem edidisse ferūt, Ipsum uoti fore compotem, & in hac uita pœnas soluturum. Vidisse etiam in somnis dicitur, se & Cōstantiam uxorē cum filiis & filiabus, totaq; sua familia, gladio Phocæ perimi. Id quod non multo pòst contigit. Nicephorus lib.18.c.38.& Paulus Diac.lib.17.

AMBITIONEM.

MICHAEL patriarcha Atticus sua sede ultrò cessit, & in Oxiā insulā, in qua monachatū à puero amplexus fuerat, rediit, ibiq; in tēpli uestibulo humi prostratus, cuiuis monachò collum calcandum præbuit, quòd contra quàm sibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiasset, ac sublimiorem conscendisset thronum. Nicetas in Annalibus.

SVPERBIAM, IACTANTIAM.

IOBVS, quia ingentibus oppressus ærumnis Dei iudicium aliquantulum suggillauerat, se iustum iactando, & cum Deo disputare concupiscendo, à Domino redargutus, culpā confitetur, & ait: Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem: & alterum, quibus ultrà non addam: & iterum, Insipienter locutus sum, ipse me reprehendo, & ago pœnitentiā in fauilla & cinere. Si iste in fauilla & cinere, qui tam æquo animo tantas tolerauit calamitates: in quo illi, qui multo leuioribus affecti mussitant, indignantur, cum Deo non disputare, sed pugnare uidentur. Marul.lib.4.c.9.

DAVID rex, cū describere regni populos iussisset, Israelitarū octingenta millia, Iudæorum quingenta millia: uidens prę esse se tantæ multitudini, mentis elatione peccauit, & continuò (ut discas non differendam esse pœnitentiam) Peccaui, inquit, ualde: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. Ecce mœret, & pœnitens se deliquisse confitetur: cur ergo non, ut in cæde Vriæ, sequitur confessionem uenia, cùm præsertim illud quàm hoc peccatum, grauius fuerit? Quia licèt deinde quis leuiùs peccet, magis tamen efficitur ingratus, dum post remissam culpam in culpam relabi negligit. Proinde Dominus, cui priùs facilè pepercerat, nunc eundem de tribus eximiis malis unius optione onerat, h.e. uel famis, uel cladis, uel pestilentiæ: ne quis uenia pro licentia utendum putet. Marul.

Cùm rex EZECHIAS gloriabundus Merodachi Babyloniæ regis legatis gazam suam omnē ostentasset, & illā ad Babylonios quoq; transportandā, Esaia prophetante, didicisset: delicti conscientia consternatus, nō est ausus multā hanc auferri poscere, sed differri: Bonus (inquit) sermo Domini, sit tātùm pax diebus meis. Itaq; in posteros dilatum est malū: fortè etiam ab ipsis differendum, si uel non deliquissent, uel continuò illos delicti pœnituisset. Idem.

NABVCHODONOSOR Babyloniorum rex, cùm potentia turgeret, & se deum esse arbitraretur, regno exactus, ex hominibus depulsus, cū bestiis agrestibus degens, herbas more boum comedit, & pilis opertus, ungues auium instar habuit, per septem annos. Quibus exactis, sublatis in cœlum oculis, mentem recepit, & Deum supremum laudauit, cumque pristina forma regnum recuperauit. Quidam hanc metamorphosin corporis fuisse reuerà arbitrātur, alij uerò mētis tantùm, quòd melancholia correptus, brutum sese esse crediderit, quamuis lautis uteretur cibis, eos tamen & herbam & fœnum esse putaret. Dan.4.

DETRACTIONEM, MALEDICENTIAM.

MARIA soror Aaron sacerdotis, & ipse etiam Aaron, Mosi arrogāter detraxerant. Sed alter statim commissum doluit, & ueniam accepit: altera, quia paulò peruicacior fuit, leprā incurrit. Orauit pro ea Aaron, orauit Moses: & tamē Dei iudicio damnata extra castra pellitur: nec nisi peracta septem dierum pœnitētia sanitatem recuperare, & in castra redire potuit. Non tardes igitur (ut Ecclesiasticus inquit) conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subitò enim uenit ira illius, & in tempore uindictæ disperdet te. Marulus lib.4.c.5.

EVAGRIVM presbyterum, cùm eremum incoleret, nescio quod detractionis uerbum semel protulisse tradunt: & pro eo ita se castigasse, ut dies quadraginta sub diuo permanserit: nec priùs tectum subierit, quàm se satis pro delicto fecisse censuisset. Marulus lib.4.cap.10.& libro 2.cap.12.& Fulgosus lib.6.cap.9.

CÆDEM.

DAVID rex adulterij & homicidij crimine nequiter corruerat, sed per Nathan prophetam reprehēsus: Peccaui, inquit, Domino, dixitq; Nathan: Dominus quoq; transtulit peccatum tuum; non morieris. Peccatum confitendo doluit, & de misericordia Dei non diffidit. Idcirco non est spe deceptus, tunc ueniam impetrauit, cùm commissa ingemuit. Sed si Dauid sic cecidit, nemo continentium se arbitretur securū. Rursum si idem tanti reatus damnatione absolutus est, nemo delinquentium desperet. Marulus lib.2.c.12. & Sabell. lib.5. cap.5. & 2.Reg.12.

ACHABVS rex Israelitarum, cùm Heliæ prophetæ minas ꝓpter iniustè occisum Nabothum audiuisset: quamuis impius & peruersus, uestimenta tamen sua lacerauit, & centone corpus indutus ieiunauit humi stratus, discalceatus. Tum Dominus propter hanc humilitatem Heliæ indicauit, sese pœnam dilaturum, donec mortuo Achabo filius eius Ioramus regnaret. 3.Regum 21.

Ante bellum cum Eugenio, cùm in seditione quadam orta Thessalonicæ, magistratus aliquot saxis obrutos, & contumeliosè tractatos THEODOSIVS Imp. comperisset: septē hominum millia in theatro interfici permiserat. Ambrosius Mediolanensis episcopus Theodosium, posteaquam Mediolanum uenisset, templum ingredi uolentem prohibuit. Imperator peccatum suum agnoscens, octo luxit mēsibus, & pœnitentiæ curriculo completo, ad templum cum lacrymis rediit, in terram pronum se prosternens, ac sic cum Dauide orans, Adhæsit pauimento anima mea. Viuifica me, Domine, secundùm uerbum tuum. Surgens uerò manibus barbam & capillos euulsit, frontem cæcidit, & pauimentum lacrymis suis conspersit. Ac ueniam tandem petens, receptus

ceptus ab Ambrosio est, populo pro eo deprecante.

LVDOVICVS Iunior Francorū rex, pœnitētia ductus, quòd Victoriaci in æde principe ad M D homines bellica ira uiuos combussisset, D. Bernardo suadente sacram in Saracenos expeditionem suscepit. Aemilius lib.5.

ERICVS Daniæ rex, ut cædem quatuor militum expiaret, uouit profectionem in Palæstinam. Saxo Gram.lib.12.

SVENO rex Daniæ, quòd Principes aliquot ad regale conuiuium inuitatos, ob leuem detractionis suspicionem, in ecclesia sanctæ Trinitatis, tanquam loco ad homicidium perpetrandum secretiore, orantes, missis sicariis duplicato sacrilegio interemisset, cū ab antistite sacra in festo Circumsionis celebraturo, ne Ecclesiam ingrederetur, repulsus esset, conscientiæ rubore perfusus, regia ueste deposita obsoletā accepit, mœroremq; deformitate cultus, quàm splendore contumaciam testari maluit, abiectisque regiæ maiestatis insignibus, insigne pœnitentię sagulum sumsit: quinetiam cum ueste pœnitentiā exuit, atq; ex sacrilego tyrāno fidus sacrorum uenerator euasit. Siquidem nudatis pedibus, ad atriū regressus, in eius aditu se prostrauit, terramq; suppliciter osculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi solet, uerecundia ac moderatione compressit. Tandem criminis cōfessione facta, religioni sese satisfacturum promittēs, remissa execratione, lacrymis abstersis, depositisq; doloris insignibus, antistitis amplexu & uenia, in cōmunionem Ecclesiæ (cui ob hoc dimidium Stefnicæ prouinciæ tribuit) est restitutus. Saxo Gram.lib.11.

PARRICIDIVM.

IVLIANVS, cognomento Hospitator, errore magis quàm furore parentes interemit. Cùm enim summo mane domū reuersus, in suo uxorisque cubili dormientes offendisset, putauit uxorem esse, cum adultero: & educto repentè gladio, ambos transfixit. Vxor autem antequam ille aduenisset, ad ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, ubertim fleuit; utque commissi ueniam promereri posset, relicta domo, prope fluminis ripam, ubi multi uado transeuntes peribāt, Xenodochium posuit: & uiatores tecto accipere, & nauicula transuectare gratuitò cepit. Postremò diuinitùs dictum sibi audiuit, quòd culpam eluisset, hospitalitatis merito. Parentum ergo interfector, per pœnitentiam factus est cœli habitator. Marul. lib. 4 c.10. & lib.2. c.12. & Fulg. lib. 6. c.9.

ALBANVM furore percitum patri necem intulisse constat, & peregrinationis perpetuæ labore parricidij crimē diluisse: & cùm martyrio cōsumtus esset, corporis eius tactu leprosos mundatos fuisse. Nemo igitur dicat: Maius est peccatum meū, quàm ut ueniam merear. Nullum tam grande flagitiū est, quod non deleat pœnitudo. Idem.

ALFREDA ob cōmissam cædem (priuignum enim Edouardum Anglorum regem interfici curarat) pœnitens, ieiunio & uerberibus corpus suū afflixit: omne patrimoniū aut egenis distribuit, aut ad sacrarum ædiū extructionem contulit. Duo condidit monialium cœnobia, in quorū altero Vintoniensis diœcesis ipsa uitā deinceps egit. Polydorus Vergil. lib.6. Angl. hist. Eam solo stratā sine ceruicali cubasse, scribit Vilhelmus Malmesburiensis lib 2.c.51.

ROBERTVS Normanniæ dux, pœnitens, quòd fratrem ueneno necasset, uoti soluēdi causa Hierosolymam profectus est. Polydorus lib.8.

BOLESLAVS Polonorum dux, licèt magnis in ornatum tēplorum, & in alimenta sacerdotum atq; egenorum impendiis atq; donationib. iugiq; precatione, lacrymis, & aspero tenuiq; uictu, ac cultu corporis, ęgrotorumq; mendicorum pedes propriis manibus abluendo, admissum in Sbigneum fratrem facinus, quem occiderat, sedulò expiaret: cùm aliis satisfaceret, tamen ipse sibi satisfactum nunquam putabat, nisi & longinquæ alicuius peregrinationis molestias subiret. Peracto itaque in pane tantùm & aqua solenni Christianorum ieiunio Quadragesimali, exiguo sacerdotum & piorum comitatu stipatus, in Narbonensi prouincia, nudis pedibus magna ex parte confecto itinere, S. Aegidij inuisit sepulcrum, & Stephani in Vngaria, ac Gnesnæ Adelberti reliquias adiit. Cromerus lib.5.

PERFIDIAM.

BRICCIVS pœnitentiā egit Romæ integro septennio, quòd D. Martinum præceptorem suum contumeliosiùs tractauisset, eiusq; monita ægrè tulisset.

COLO episcopus Lincopensis Gothus, à sacris celebrandis abstinuit, quia ore suo circumuenti essent Folchungi: quib. persuaserat dato iureiurādo, incolumes eos redituros à colloquio cum Birgero duce Ostrogotho: à quo primò armis petiti, deinde cùm fluuius pugnam impediret, sub spe pacis ad colloquium uocati fuerant. At cùm superato ponte in castra peruenissent, confestim comprehēsi trucidati fuere omnes. Io. Magnus lib 19.c.17.

OFFA Merciorum rex, ob multas rapinas & sacrilegia, inprimis uerò ob perfidè interfectum Ethelbertum Orientalium Anglorum regem, decimam partem omnium bonorum sacerdotibus & inopibus donauit: quin & Romā profectus, Hadriano primo regnū suū uectigale fecit, imposito tributò, singulis numis argenteis, quos denarios uocant, domesticatim in annos singulos conferendis: qui fuit annus Salutis humanæ DCCLXXV. Polyd.lib.4.

QVI POENITENTIAM egerint. Puta

REGES.

☞ *Ex præcedentibus, huc exempla Regum.*

IVSTINIANVS Magnus Imp. de peccatis suis pœnitentiam agens, Constantinū papam ad se uocauit, & absolutionem & cōmunionem accepit. Beda lib. de Ratione temporum.

VVEDEKINDVS Saxonum dux, summus Christianæ religionis persecutor, posteaquam ad fidem conuersus est, constantissimum se præbuit. Cranzius lib.2. Saxoniæ.

Susceperant Vandali Obotriti (qui nunc Magnopolenses dicūtur) fidem Christi sub Carolo Magno, cui erāt fœderati: sed statim abiecerāt, illo humanis rebus exemto. Coēgit Otho Magnus fidē proiectā recipere, quū illos subiiceret episcopo Aldenburgensi. Seruarunt aliquamdiu: sed tributis grauati, abiecerunt in morte Othonis tertij. Principis Mistivvoi indignatione, & uindicta de nece paterna Godscalci iuuenis, redierunt ad sordes pristinas. Sed idem GODSCALCVS iam canescens, errorem suum correxit: & impensa singulari opera, omnem penè terram Christo reduxit. In ea sanctissima opera periit, Christo animā suam offerens: & secuta est tertia omnium grauissima Vandalorū ad paganismum defectio, durans per annos octoginta quatuor, ab anno Christi MLXVI. ad annū MCXLIX. quo opera Hartuici Magnopolensis episcopi ad Christianismū rediere, neq; deinceps populariter defecere. Cranz.lib.6.Metrop.c.27.

LATRONES, PRÆDONES.

☞ *Ex Tit, Monachorum, exempla pete* MOSIS *Mauri,* BANONIS *Galli,* DAVIDIS *Hermopolitani.*

Cuius spem non incitat atque accēdit LATRO in cruce pœnitens? Quam quidem crucem, si nihil mali commisisset, si nemo cogeret, sua ipse spontè hac mercede ascendere debuit, ut à Domino audiret uocem illam, qua nihil iucūdius, Hodie mecum eris in paradiso. Ob latrocinia noxæ deditus, mortique addictus, dum moriens dignum se supplicio confitetur, dum in Christum credit, dum iuxta se pendentem deprecatur, transiuit de morte ad uitam, de cruce ad paradisum. O diuinæ clementiæ immensitas, quàm seræ conuersioni quàm grandem tribuisti mercedem. Marulus lib.2. c.12.& Sab.lib.5.c.5.

VIMERIVS quidam Bononiensis, pirata, prioris uitæ pœnitentia ductus, cum instructa Hollandorum Frisiorumque classe Tarsum appulit, anno 1097, & strenuam in bello sacro nauauit operam.

De Militibus TEMPLARIIS Hierosolymitanis ita scribit D. Bernardus: paucos admodū in tanta multitudine hominū illò confluere uideas, nisi utiq; sceleratos & impios, raptores & sacrilegos, homicidas, periuros, adulteros: de quorū profectione sicut duplex quoddā cōstat prouenire bonum, ita duplicatur & gaudiū: quandoquidē tam suos de suo discessu lætificant, quàm illos de aduentu, quibus subuenire festinant. Prosunt quippe utrobiq;, nō solū utiq; istos tuendo, sed iam etiā illos non opprimendo. Itaq; lætatur Aegyptus in profectione eorū, cùm tamen de profectione eorum nihilominùs lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ. Illa quidē se de manu eorū, ista magis in manu eorū liberari se meritò gloriatur. Illa libenter amittit crudelissimos sui uastatores: ista cum gaudio suscipit suos fidelissimos defensores: & unde ista dulcissimè consolatur, inde illa æquè saluberrimè desolatur. Sic Christus sic nouit ulcisci in hostes suos, ut nō solū de ipsis, sed per ipsos quoq; frequenter soleat tanto gloriosiùs, quanto & potentiùs triumphare. Iucundè sanè & cōmodè, ut quos diu pertulit oppugnatores, magis iam propugnatores habere incipiat: faciatq; de hoste militē, qui de Saulo quondam persecutore fecit Paulū prædicatorē.

LANDELINVS, aliàs Morosus, ex prædone in confessorem Christi conuersus est, per Ausbertum Cameracensem episcopum: & postea à Martino Pont. Rom. ad prædicādū missus, anno Christi 651. Sigebertus.

MERETRICES.

☞ *Vide Epititlum, ob Libidinem Pœnitentes.*

A QVO INDVCTI AD POENITENTIAM.

Ioannes Chrysostomus episcopus Byzantinus, quoniam Gainiæ militiæ magistro uolēti in diœcesi ipsius ecclesiā ponere Arianorum, obnixè restitit, ab illo capitali odio petitus,

Dei beneficio protectus est. GANIAS enim iræ impatiens, quibusdam ex militibus suis negotium dederat, ut domum, in qua Ioannes erat, noctu aggressi incenderēt: atq; ipsum, si fortè flammas euasisset, ferro perimerent. Qui ubi domui appropinquassent, uisis circa eam angelorum copiis, territi fugam petierunt. Iterū nocte insequenti missi, eadem uisione repelluntur, & re infecta ad Ganiam redeunt. Postremò ipse Ganias, ratus episcopum conductitios habere, qui ipsi præsidio essent, cum ualidiore militum manu ad eum inuadendū profectus est: sed & ipse simili modo perterrefactus, celerius abiit quàm uenerat. Et quoniam putauit ciuitatem cum Ioanne stare, furore percitus perrexit in Thraciam, coegit exercitum: & reuersus deuastabat Byzantinum agrum, etiam urbi proxima incursans. Arcadius uerò Imp. molestiā hanc absq; hominum cæde auertere cupiens, cùm ad illum placandum legationem, destinare uellet, Ioannem ultrò se offerentem misit. Eius aduentu Ganias consternatus, humi procidit: & ab eo, quem interemturus putabatur, ueniā supplex petiit: tum præda restituta amouit exercitum, matureque recessit, tam deinde fauens Christianis, quàm antè faue rat impietati Arrianæ. Marulus lib. 2. cap. 11.

GEYSA Vngarorum rex, Desiderium Strigoniensem metropolitam de fraterna concordia concionantem in Natiuitatis Christi solennibus audiens, pœnitentia ductus, ad eius pedes se abiecit: Salomonē iniustè à se regno pulsum fassus, tertia regni parte cum ducis titulo se contentum fore, regni nomen & ius eidem se restituturū pollicitus, prius quàm legati cum Salomone transegissent, obiit Bonfin. lib. 4. Dec. 2.

LVDOVICVS Thuringiæ Landgrauius, cùm in uenatione à uia aberrasset, apud Lignatorem pernoctauit, Landgrauij se uenatorum præfectum dictitans. Rusticus stomachosè multa de Landgrauij assiduis uenationibus & improbis aulicis locutus, acerbisque dictertiis in illū inuectus, dignum etiam infernalibus ignibus esse asseruit. Quæ scommata Princeps per totam noctem patientissimè tulit. Summo mane collaudato lignatore, gratus discessit: & in posterum uitam suam & aulicorum mores emendauit. Cyriacus Spangenbergius in Venatorio diabolo.

QVIDAM cum Io. Pico Mirandula colloquens, cùm haberetur sermo de moribus, duobus tantùm ipsius uerbis commotus est, ut uia uitiorum deserta mores reformauerit. Verba fuerunt eiusmodi: Si Christi mortem nostri amore perpessam præ oculis haberemus, propriam quoque identidē cogitando, caueremus à uitiis. Ioan. Franciscus Galeotti F. in uita Io. Pici.

Leopoldus Austriæ dux non multo pòst, quàm Ricardū Angliæ regem Viennæ ceperat, mortem obiit, morbo diu cruciatus. Filius ratus patrem ob id uitam amisisse, quòd Ricardum inhumaniter tractasset, qui factum bellū gesserat, primo quoq; die Anglicos obsides missos faciendos, pecuniæque bonam partem debitam, Ricardo remittendam curauit. Fuit ea res Ricardo tam iucunda, quàm salutaris: quoniam ipse postea cogitationem suscipere cepit, quanta sibi quoq; crimini dāda essent, quòd simul Deū, simul homines offendisset: mirumq; dictu est, quàm melius uitā deinde instituerit. Polyd. lib. 12.

[redacted]

QVOMODO POENITENTIAM EGERINT.

IOBVS, quem diabolus omnium aduersitatum mole premēs uincere non potuit; Saccum consui, inquit, super cutem meam, & operui cinere carnem meam: facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt, & confidenter ait: Hęc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberē mūdas ad Deum preces. Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Quòd si sic corpus suum sponte atterebat uir innocens, & simplex, & timens Deum, ob hoc solùm ut humilitatē probaret: quid nos facere oportet, qui & in multis offendimus, & non in paucis adhuc offendere non cessamus? Marulus lib. 4. c. 9.

NINIVITÆ, cùm urbem suam post dies XL euertendam audissent, indixerunt ieiunium, uestiti sunt saccis: rex ipse surrexit de solio, abiecit regia ornamenta, & saccum induit, sedit q; in cinere: ac iussit ne homines, iumenta, boues, pecora gustarēt quicquā usq; manè: utq; unusquisq; cōuerteretur à uia sua mala. Id uidens Deus auertit omnē perniciem illā, quā eis cōminatus fuerat se illaturum. Quis ergo dubitet, quin à diebus Ioānis regnum cœlorum uim patiatur, & uiolenti rapiāt illud, si etiā ante Ioānem hominum pœnitentia mutare potuit Dei sententiam? Idem, ex Ionæ 3.

Ploranti ad monumentum MARIÆ, Dominus priùs quàm Apostolis apparuisse dicitur: quia illa prior cōsolari meruit, quæ lacrymas uberiùs fudit. Cùm fleret (ut Ioānes inquit) inclinauit se, & prospexit in monumentum, & uidit duos angelos: unum ad caput, & unum ad pedes. Paucis uerbis tota pœnitentis ratio comprehensa est. Qui enim ad pœnitentiā conuertitur, primò se peccasse dolet, & compunctus lacrymas emittit: deinde inclinat se, dum humiliatur: & in monumentum prospicit, dum antè acta mente uoluens, quid mali cōmiserit, quid boni omiserit, conscientiā examinat, & singula quæq; diligenter perpendit. Tunc autem angelos uidet, cùm iam constanti animo angelicæ consentit inspirationi: & unum quidem ad caput, alterum ad pedes, quia consentiens à principio usq; ad finem perseuerare debet. Postquā autem perseuerauerit, restat, ut uideat Iesum, non in terra sepultum, sed iam deuicta morte in cœlo triumphātem. Marulus lib. 4. c. 10. & lib. 2. c. 12.

FVLCO comes Andegauensis, Godofredi Martelli pater, duorum omnino uernaculorum comitatu Hierosolyma peregrè profectus, illis iureiurando adactis, se, quod imperaretur, facturos, sumto noxij damnatiq; habitu, eorum alteri se collo resti illaqueandum trahendumq; ad Domini monumentum tradidit: alteri uirgas dedit, quibus se tergò cæsum lacerumq; eodem fœdè agerent, uociferārem, Admitte Domine miserum Fulconem, periurum & fugitiuū tuum. Hoc factum satis constat, sed cuiusnam periurij scelerisue expiandi causa, non liquet. Aemilius lib. 3.

QVANDO. V. G. IN AGONE.

FRIDERICVS II. Imp. prope Luceriam in arce, quā Florentinum uocant, moriturus, [redacted]

[redacted] Collenutius lib. 4. regni Neap. Guilelmus de Puteo in suis Chronicis, & Dandulus in sua Historia scribūt, quòd *interdixerit aulicis suis, ne funus facerent tam sumtuosum & magnificum, quàm solet esse Imperatorium.*

QVO EVENTV.

Legimus MANASSEN post captiuitatem in Babylone egisse pœnitentiā, & ad meliora conuersum Domini misericordiā cōsecutum. Vnde & fidei suæ respectu, per quam crediderat Deo, filium uocauit Amon: siquidem Amon fides interpretatur. Hieron. in c. 1. Sophoniæ.

In Zacharia legimus, sathanam accusatione aduersari parantē Iesu filio Iosedech sacerdotis, prohibitum fuisse à Deo, eo quòd ipse IESVS pœnitentiā egisset. Qui deinde sordidis tegumentis, in quibus se submiserat, exui, & cydari munda operiri iussus, desiderabilem illam Domini uocem audiuit: Ecce abstuli iniquitatem tuā, & indui te muratoriis. Quàm ergo magna pœnitentiæ uirtus? diabolo os obstruit, ne accusare possit, & peccatorum sordes cū innocentiæ puritate commutat. Marulus lib. 4. c. 9.

HELIODORVS uolens ærarium spoliare, & deposita de templo Hierosolymitano auferre, uirtute diuina grauiter flagellatus, hostias Deo offerēs, per Oniæ orationem sanatus est. 2. Machab. 3.

CANANÆA mulier non mediocris pœnitentiæ nobis exemplum reliquit. Nam & ipsa post Iesum clamauit, misericordiam eius implorauit: repulsa non recessit, despecta se submisit. Quamobrem filiæ, quæ malè à dæmonio uexabatur, salutem (ut uoluit) impetrauit. Ita & tu, si animam tuā diabolicis infestatam suggestionibus, dolisq; subuersam liberari cupis, ad pœnitentiā conuersus orando clama, de misericordia Dei ne diffidas, humiliare in conspectu eius: & si te illa statim non audierit, tu tamen perseuera. Cumulatior gratia datur, cùm differtur: si tamen interim nec supplicatio cessat, nec spes deficit, nec titubat fides. Vnde huic, quæ prio ueluti canis contemnebatur, postremò tanquā optimè de Deo merenti dicitur: Magna est fides tua, fiat tibi sicut tu uis, hoc est, non tantùm sicut postulasti: sed, si uis, etiā meliùs quā postulasti. Marulus lib. 4. c. 10. & lib. 2. c. 12.

MVLIER illa in Euangelio peccatrix, in aliena domo quæsiuit Saluatorem, quoniam in sua non habebat. non enim habitat Deus in corpore subdito peccatis. Conscientiæ ergo stimulis acta, illuc ubi Iesus accubuerat, irrupit: accessit retro & pedes eius lacrymis rigauit, capillis tersit, osculata est unguēto perfudit: condonāturq; ei peccata multa, quia dilexit multū. Aduenerat peccatrix, & pœnitudinis humiliatiōe abiit

abiit sancta. Deniq; dimittitur in pace, quam turbauerat dolor uitæ nequioris. Marulus lib. 4. cap. 10. Lucæ 7. & Marul. lib. 2. cap. 12. ex Lucæ 7. cap.

PVBLICANVS qui in templo lugens pectus pugnis planxerat, & flagitiorum conscientia cœlum suspicere non fuerat ausus, redit iustificatus. Marul. lib. 4. cap. 9.

ANIMADVERSIO ERGA IMPIOS, VERBIS FACTA: CVIVSMODI EST

REPREHENSIO, ACCVSATIO RELIGIOSA.

Vide Tit. Reprehēsio libera impietatis, superstitionis, &c. illic Libertatis, hic Caritatis religiosæ in corrigendo habetur ratio. Item Tit. Doctorum ecclesiasticorum, Prophetarum & Magistrorum religionis, quatenus docent ueritatem, & mendacium reprehendunt.

IN GENERE.

D. BERNARDVS peccantes arguere sui esse officij solitus est dicere, idq; caritatem proximi flagitare. Et quamuis nihil fæpiùs proficeret, & cum dolore nullam uideret sequi emēdationem: tamen illud bonum ad se reuerti, quòd animam suam liberauerit, & mundus sit à sanguine hominis, cui uerbum ueritatis annunciasset, ut à uia mala auerteretur, & uiueret. Auctor uitæ lib. 3. cap. 6.

IMPIETATIS.

Spiritus Domini induit ZACHARIAM filium Ioiadæ, & stetit in conspectu populi sculptilibus seruientis, & dixit: Quare transgredimini præceptum Domini? quod uobis non proderit: & dereliquistis Dominum, ut derelinqueret uos? 2. Paralipom. 24.

Multi ex Prophetis extremia pati, quàm uera reticere præoptarunt, cùm ob hoc à Deo dirigerentur, ut regum populorūque uitia corriperent, & eis pœnas denunciarent. ESAIAS in duas partes sectus est, HIEREMIAS lapidibus obrutus, AMOS uecte per tempora transfixus. Marul. lib. 4. cap. 4.

Audiens ESDRAS sacerdos, Iudæos cum gentilibus matrimonia copulasse, gemens ac eiulans, signa doloris grauissimi ostendit. 1. Esdræ 9.

Illos qui plus nimio duri uidentur, & delinquendi assuetudine iam occallescere, acriùs increpandos esse, cùm IOANNIS Baptistæ, tum SALVATORIS nostri exemplo edoce mur. Dum enim pharisęos palàm arguerent, alter illos uipe rarum progeniem appellauit, alter hypocritas generationemq; peruersam & adulteram dixit. Et cùm in flagitiis obstinatiores esse uidisset, diabolos, non Abrahæ filios nuncupauit. Ferrum enim ferreis malleis euditur, cera autem manibus formatur. Hinc Paulus Corinthios per epistolam interrogans: Quid, inquit, uultis, in uirga ueniam ad uos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? Denotare utiq; uolēs, quòd si adhuc in errore perseuerarent, quo subuersos fuisse rescierat, uirga iam, non mansuetudine opus esse, in castigando. Marulus lib. 3. cap. 4.

Ardenti zelò STEPHANVS protomartyr in Iudæos inuectus est, inquiēs: Dura ceruice, & incircumcisi corde & auribus, semper resistitis Spiritui sancto. Actorum 7.

Resistens Paulus & Barnabas Barieſu pseudoprophetæ, dixitque PAVLVS: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias Domini rectas. Actorum 13.

ANTONIVS eremita Arianos adeò detestatus est, ut ne accedendum quidem ad eos esse diceret, ut qui serpentibus deteriores essent. Damnauit eorum hæresin in publica aliquā do concione Alexandriæ, ubi ultimam eam dixit esse hæresin, & præcursorem Antichristi. Scribit & Theodoretus lib. 4. cap. 27. eum sub Constantio, sub cuius patrocinio inualuerat, eremo deserta Alexandriam uenisse, atque obambulando per totam urbem publicè prædicasse, ueritatis præconem esse Athanasium, ueritati uerò aduersari factionem Arianam. Sozomen. lib. 3. cap. 13. ait eum constantissimè pro Nicænæ synodi decretis depugnasse.

Erat Antiochiæ PVBLIA nobilissima femina, cœtus uirginū, quæ castitatem profitebantur, magistra. Assiduus is cœtus erat in laudando ac celebrando Deo. Quoties pro more Imp. Iulianus præteriret, altiori semper uoce canebant, Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes iis confidentes. Imperator imperabat, ne quid se prætereunte prorsus accinerent. Sed Publia nihili faciens eius mandatum, audaciùs deinceps, si quando præteriret, canebat: ac nominatim, Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Grauiter id ferens Iulianus, iussit eam in palatium accersi, & alapas impingi. Quam cōtumeliam illa summum honorem suum interpretata, domum rediit, & ut antea consueuerat, sacras cāliones, quæ in eius furorem & impietatem competere uiderentur, frequenter cecinit. Theodoretus lib. 5. cap. 19.

In persecutione Vandalica sub Hunerico, cùm Elpidophorus apostata & persecutionis minister MIRITAM excruciaret Carthaginē, graui obiurgatione ab eodem excipiebatur. Nam Miritas, qui eum olim ex sacri baptismatis fonte leuauerat, palàm ostensis linteolis, quibus post lotionem sacrā inuolutus fuerat, dicebat: Hæc sunt, erroris minister, linteamina quæ accusabunt te, dum Maiestas uenerit iudicantis: quæ diligentia mea custodientur, ad testimonium perditionis tuæ, ad demergendum te in abyssum putei sulphureo igne æstuantis. Hæc te immaculatum cinxerant, è fonte emergentem: hæc te acriùs persequentur, gehennæ flammis iam iniectū. Quia maledictionē induisti, & uestimentū & sacri baptismatis ac ueræ fidei abiecisti sacramentū. Victor.

Anastasius Imp. episcopum quendam OENIANDVM audiens disertum admodum esse, & qui ora omnibus sententiæ de passo Deo assertoribus obturaret: eum ad se uocatū hortatus est, ut ad suam factionem descisceret, pollicens cuncta quidquid petiisset, illicò accepturum. Cui episcopus: Tu, inquit, potiùs ad orthodoxos transi: ne, dum opiniones impiorum hominū Seueri, Eutychis & Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris. Simulq; apprehendens Imperatoris chlamydem: Hæc, ait, uestis nequaquam te post mortem sequetur, ô Imperator: sed sola comitabitur te pietas, ac uirtutum habitus. Missam fac ecclesiam, quam Christus suo rede mit sanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neq; ullum ecclesiæ decretum perfectè intelligis: tantùm impostoris & scurrilibus calūniis fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, quòd Imperator es: antistites uexare noli. Ad hæc Imperator pudore suffusus, obmutuit. Pauperrimus aūt cùm esset ille episcopus, ne obolū quidem ab Imperatore uoluit accipere: adeò liber erat, & solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. Cedrenus.

GREGORIVS Turonensis & SALVIVS Albigensis episcopi, Chilperico regi Sabellianam hæresin affectanti constantissimè restitere, ita ut rex eam relinquere cogeretur. Aimoinus lib. 3. cap. 41.

Henricus Leo Saxoniæ dux, à Friderico I. Imp. bello petitus, à VALDEMARO Danorum rege supplex apud Eydoram petebat auxilium. Rex, si monitis suis obtemperaret, se assiturum promittēs, Cùm terrenum, inquit, Imperatorē attentare inter ardua ducatur, multo cœlestem lacessere periculosius. Eum uerò tu iampridem pontificalium bonorum rapinis offendisti: neq; ego, nisi expiato illo scelere, in cōmilitium uenire possim, cùm publicæ religioni quàm prititæ amicitiæ plura debeā. Henricus multa à se pontificū bonis beneficij nomine extorta fassus est, non tamen rasos homines tanti à se æstimari, ut plus eorum iræ quàm gloriæ suæ tribuere uelit: hoc unum petens, ne in uulgus negatæ opis fama spargeretur. Saxo lib. 14. & 15.

SVPERSTITIONIS *Ethnicæ.*

Cùm PAVLVS Apostolus prædicaret Athenis, incitabatur spiritus eius, uidens idololatriæ deditā ciuitatem. Actor. 17.

Christianæ: [redacted]

In Campaniæ monte Massico quidam Martinus uel Martinus solitariam uitam sponte delegit, atq; sibimetipsi pedem catenæ illigauit, lapide insuper affixo, ne longiùs procederet. Verùm D. BENEDICTVS per suos discipulos ei denunciauit, ut catenam deponeret, ac potiùs catena Christi se constringi pateretur. Catena depositā, nihilominùs in solitaria uita permansit. Marianus Scotus sub Mauritio.

COHIBITIO, COACTIO per SACRAMENTVM.

NICEPHORVS patriarcha Constantinopolitanus Michaelem Curopalatem nō priùs corona insignire uoluit, quàm literas manu sua subscripsisset, nihil eorum, quæ in ecclesia seruabantur, mutatum iri, neq; Christianorum sanguinem unquam sparsurum. Cuspinianus.

Anastasius Imp. factus cùm coronari deberet, EVPHEMIVS patriarcha Constantinopolitanus ab eo literas exegit, quibus fidem profiteretur rectā, seq; nihil immutaturum de ecclesiasticis decretis promitteret. Acacius enim, qui priùs huic præerat ecclesiæ, cùm Zenon imperaret, falsa semina de duplici in Christo natura sparserat cum sociis suis: ob

quod

quod facinus Euphemius ipsorum nomina è tabulis erasferat. Anastasius manu sua literas scriptas dedit, & quæcunque in concilio sexto Chalcedonensi acta fuissent, se tuturũ pollicitus est. Sed pòst in Eutychis ac Dioscuri lapsus hæresin, multa orthodoxis ecclesiis detrimenta intulit. Cuspin. ex Euagrio & Nicephoro.

AVERSATIO IMPIORVM. QVO AD

CONVERSATIONEM, COLLOQVIA, CONGRESSVM.

Adolescente mundo, quum iam terra frequentiùs coleretur, quò maior humanarum gentium uis erat, eò magis uitia inualescere, uitaq; in peius labi. Iniuria pro innocentia haberi cœpta est, pro pietate numinis contemtus. Postremo eò per licentiam & libidinem processit scelus, ut uix NOE mortalium unus sit repertus, cui iustitia curæ esset. Is humani generis scelera castigare adortus, quum nihil pia prædicatione proficeret, essetq; res non procul ab iniuria, ubi parũ tutam fore credidit innocentiam, in media nequitia destitutam, cum tota domo è medio discessit. Tum uerò neq; modus neq; modestia fuit ampliùs peccandi, omniq; pudore sublato, abiit gens omnis in omne nefas, donec profligata ex omni parte uita, diuinam mentem subiit cura, omnium hominum diluuio extinguendi: Noe duntaxat uno cum tota domo, quia in antiqua pietate perstarat, seruato, ut esset per quem humanum genus posset ex integro reparari. Sabell. lib. 1. Enneadis 1.

Noluit IACOBVS uersari cum fratre Esao improbo, licèt placasset eum muneribus, & ab eodem ad cohabitandum inuitaretur. Gen. 33.

SAMVEL propheta cùm Saulo regni amissionem propter inobedientiam prædixisset: ab eo Galgalis discessit, neq; eum ampliùs uidit, partim uicem illius dolens, partim cum eo, quem Dominus deseruisset, non esse conuersandum iudicans. Libro 1. Regum, cap. 15.

Dominus noster petenti DISCIPVLO, ut abiens parentaret patri, non permisit: ne infidelium cognatorum, quos afforè funeri necesse erat, consortio macularetur. Sine, inquit, mortui sepeliant mortuos suos, tu me sequere. Quia scilicet ego uita sum, mecum uiue: & dimitte mortuos, ne fortè & ipse simul moriaris. Marul. lib. 3. cap. 7.

PAVLVS apostolus ad Titum scribens, monet ac dicit, Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est: & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Et D. IOANNES epistola secunda: Si quis, inquit, uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Et in Apocalypsi, Angelus, id est episcopus Pergami ecclesiæ arguitur, non quòd fidem negarit (fidelis enim erat) sed quòd prope se habeat tenentes doctrinam Baalim, doctrinam Nicolaitarum. Quòd si cohabitare cum illis crimini est datum, quantò grauiùs peccant, qui familiaritate & consuetudine eorum utuntur. Marulus lib. 2 cap. 11.

D. IOANNEM Eusebius Ecclesiasticę historiæ scriptor tradit, dum Ephesi moram traheret, balnea ingressum, uiso ibi Cerintho hæretico, statim retulisse pedem, & ad suos conuersum dixisse: Fugiamus hinc, ne balnea nos ruina opprimãt, in quibus Cerinthus lauat, ueritatis inimicus. Idem.

POLYCARPVS Marcioni obuiam factus, quærenti an se agnosceret? Agnosco, inquit, primogenitum sathanæ. Atque auersus ab eo, pertransiit. Marul. lib. 2. cap. 11. Vide Titulum Doctorum ecclesiasticorum.

ANTONIVS eremita sub Constantio Arianorum conuersationem plus quàm serpentum fugiendam esse asserebat.

HI[illegible] monachum quendam, qui fructus [illegible] rè custo[illegible] & aliquantulum etiam numorum habebat, à consuetudine sua repulit. D. Hieron. in uita eius.

ORIGENES martyrium passo patre Leonide, cum quinque fratribus orphanus relictus, à diuite quadam femina Alexandrina propter indolem præclaram alebatur. Habebat illa domi suæ Paulum quendam Antiochenum hæreticum, adoptatum in pueritia, ad quem quotidie magnus hæreticorum numerus confluebat. Origenes cùm iam inter uerã & falsam religionem distinguere posset: cum Paulo nec colloqui, nec ullum ei honorem exhibere uoluit, execratus eius tum doctrinam, tum societatem. Euseb. lib. 6. cap. 19. Ecclesiast. historiæ.

MAXIMVS confessor episcopus Hierosolymitanus, in synodo Tyri congregata ab Arianis, per simplicitatem, Athanasij quoque condemnationi subscripsit, cùm eius causam nõ satis cognouisset. Id cùm PAPHNVTIVS, qui tum & ipse synodo intererat, conspexisset, in medium consessum prodiens, Maximum (cum quo olim sub Maximino ad metalla damnatus fuerat) comprehendit, & è malignantium concilio abduxit, atq; Athanasij innocentiam ei exposuit. Ruffinus lib. 1. cap. 17. Sozom. lib. 2. cap. 20.

D. MARTINVS Turonensium episcopus, cum episcopis, qui in Priscillianistarum uitam & bona sæuiendi Maximo Imp. auctores fuerãt, communicare noluit: impium id & à Christianis alienum esse censens, inconsiderato ueritatis zelo tot animas, pro quibus Christus mori dignatus esset, perdere. Tamen ut à Maximo ultam Narseti comiti & Leucadio præsidi impetraret, qui Gratiani partes pertinaciùs fouerant, cùm Felix episcopus Treuiris consecraretur, communionem cum episcopis iniit: neq; tamen communionem illam subscriptione firmare, cùm id magnoperè peterent, uoluit. Inde domum reuertens mœstus, quòd ad horum noxiam communionem iniisset, prægressis paululum comitibus solitario in loco subsedit, causam doloris accusans simul, atq; defendens: cui angelus repentè astitit, dicens: Meritò Martine compungeris, sed aliter temet explicare nequisti: collige uirtutem, recipe constãtiam. Pòst autem, cùm quosdam energumenos tardiùs, quàm solebat, & gratia minore, curaret, subinde lacrymans amicis dixit, Se propter communionis illius labem detrimentum accepisse uirtutis. Imminutam inde uirtutis gratiam multiplici mercede recuperauit: nam energumenum ad pseudothyrum monasterij ipsius adductum, priusquàm limen attingeret, liberauit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

ASTERIVS Arabs, sub Athanasio, episcopus Petrę Arabum, cum Macario Palæstino episcopo Eusebianam Arianorum factionem adeò detestatus est, ut cùm in eius factionis aliquem in itinere ad Sardicensem synodum incidissent, à uia deflexerint, ne quid casu etiam cum illis commune habere uiderentur. Athanasius tomo 12. ad Antiochenses.

CHRYSOSTOMVS prima oratione contra Iudæos, monet Christianos, ut Iudæorum consortia fugiant: & Augustinus in libro de Fide & operibus, cap. 1. & Cyrill. lib. 9. cap. 40. in Ioannem, hæreticos à consortio fratrum depelli iussit.

D. AMBROSIVS Sermone 17. de Calendis Ianuariis, uetat Iudæorum consortia: Non solùm gentilium, sed & Iudæorum consortia uitare debemus, quorũm etiam consabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum & publica inquietant: & ideò magis præualent, quò magis sunt impudentes.

INSTITVTIONEM. NOLLE DOCERE.

CHRISTVS discipulos suos ad euangelizandum mittens, monet illos, ne ad Gentes aut Samaritanos proficiscantur, sed ad oues perditas Israelis duntaxat. At posteaquam Israelitæ eum non exceperunt, à resurrectione sua in omnem terrarum orbem eos dimisit. Matthæi 9. Lucæ 6. Marci 3.

IDEM discipulis suis præcepit, ut à quibuscunq; non reciperentur, excusso puluere à uestimentis suis, abirent. Lucę 10.

PAVLVS segregatus in Euangelium Dei cum collega suo BARNABA, peragrauit oppida Iudææ, in synagogis prædicantes. Inuidentibus uerò Iudæis, & ad conuitia furenti rabie prorumpentibus, dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. IIDEM (ut Lucas inquit) prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui uerbum in Asia. Quæ res documento est, non passim omnibus euangelizare nos debere: & iis præsertim, quos Euangelium ipsum contemtui habituros, non ambigimus. Ne & hi exinde grauioribus pœnis obnoxij sint, & nos sanctum dedisse canibus arguamur. Vnde & Salomon in Prouerbiis ait: Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. Marulus libro 3. capite 4.

COMMVNIONEM. A' COMMVNIONE SACRORVM ARCERE. Anathemate ferire.

BABYLAS episcopus Antiochiæ XII. Imp. Decium ad Antiochenam ecclesiam uenientem repulit: quia perfidè hostes quosdam præter datum iusiurandum interfici curarat, & puerum regium obsidem crudeliter mactarat. Imp. ergo id indignè ferens, Babylam uinciri & interfici curauit. Chrysostomus, & Eusebius lib. 6. Eccl. historiæ.

IGNATIVS patriarcha Constantinopolitanus, Michaelis Imp. filius, priùs in exilium ire sustinuit, quàm ut Bardam (Egnatius lib. 3. cap. 6. Varadam uocat) alterius Michaelis Amorij Imperatoris patruum, anathemate solueret, quo cum innodarat, quòd dimissa coniuge, quam habebat, in

eius locum nurum duxisset. Fulg. lib. 1. cap. 8.

SACERDOTES Constãtinopolitani, Nicephoro Phocę Imperatori, & sententiis & suspẽsione à cœna sacra restiterũt, cùm peteret milites inter martyres recipi & coli. Zonaras tomo tertio Historiarum.

VIGILIVS I. Pontifex à Iustiniano Imperatore atq; Theodora Augusta eius coniuge monitus, ut Anthemium Eutychianum ab Agapeto Syluerioq; Põtificibus proscriptum Christianorum communioni restitueret: minimè Syluerij exemplo territus est (qui quòd eam rem agere noluerat; in exiliũ pulsus mortem obierat) sed id se facturum constanter negauit. Quamobrem Iustiniani iussu captus, cùm Romæ in æde sanctæ Cęciliæ sacrificaret; in Tyberi paruæ cymbæ impositus, insana eum plebe fustibus saxisq; exagitante, Constantinopolim perductus est. Tentare tum Theodora Vigilium; ut quod pollicitus erat, adhuc diaconus existens, præstaret. Cui ille, malle se quoduis supplicium pati respondit; quàm sententiam mutare. Et cùm illa minis instaret: ad Diocletianum se non ad Iustinianum uenisse dicens; ita cæsus est; ut parum abfuerit, quin tum occideretur. Fugiens itaq; in templum sanctæ Euphemiæ, quod haud procul aberat; inde à grassatoribus, iniecto in collum fune, tanquam latro per totam urbem usq; ad uesperam trahitur. Mox carceri inclusus pane & aqua tantummodò aliquandiu uitam duxit, ita patienter & æquo animo, ut semper diceret, se etiam peiora meritum, si digna pro peccatis pœna irrogaretur. Blondus lib. 7. Dec. 1. & Platina.

Arsacio ecclesiæ Constantinopolitanæ post eiectum Chrysostomum gubernationem adepto, communicare noluerunt plurimi: in quibus & feminæ erant, quarum uel præcipua fuit OLYMPIAS, quæ ne præfecti quidem minis uel multis cogi potuit. Sozom. lib. 8. cap. 23. & 4.

PLATO præceptor, & reliqui monachi monasterij Saccidionis, non communicarunt cum Tarasio episcopo Constantinopolis, quòd Constantinum Imp. adulterum admisisset ad cœnam. Zonaras tomo tertio, P. Diaconus libro 23. rerum Romanarum.

INAVGVRATIONEM, MANVVM IMPOSITIONEM.

ANTIOCHVS nepos Eusebij Samosateni episcopi celeberrimi ex fratre, cùm post patrui mortem ei in episcopatu à synodo substitueretur, impositionem manuum episcoporum pertulit. Solam Zouiani Pergensis ecclesiæ episcopi manũ respuit, quòd negaret se eam manum ferre posse, quæ aliquando impietati Arrianæ contra orthodoxam Nicænam fidem subscripsisset. quasi etiam post pœnitentiam blasphemiæ huius cicatrices quædã apparerẽt. Theodoret. l. 4. c. 15.

Mauuia Saracenorum regina MOSEM Saracenum monachũ suæ genti episcopum dari petebat. Valens Imp. quęsitum & inuentum Alexandriam deduci, & in episcopum ordinari iussit. Pertinebat ordinandi ius ad Lucium Arrianum præsulem. Ad quem adductus Moses: Ego quidem, inquit, sacerdotio me iudico indignum. Attamen si quid per me fieri in dispensatione sua Dominus uoluerit, meumq; sacerdotiũ salutare futurum rebus publicis est: Deum testor, me nunquam commissurũ, ut Lucius hic sanctorum sanguine pollutas & cruentas super me iniiciat manus, cuius inuocatione Spiritum sanctum non uenire certus sum. Tum Lucius: Temeritas ea est, ait, conuitiari & condemnare eum, cuius tu fidem ignoras. Quin ex me priùs disce, quæ mea de doctrina sententia sit. Moses contrà: Ne putes, inquit, ignorari à me fidem tuam, de qua testantur serui Dei, furore tuo in metalla damnati, episcopi in exilium trusi, presbyteri, diacoñi extra Christianas terras relegati, bestiis alij, alij etiam ignibus traditi. Nunquid potest uerior esse fides quæ aurib. capitur, quàm quæ oculis uidetur? Apud me uerò certum est, quòd qui facere ista non uerentur, Christo minimè rectè credant. Igitur Lucij ordinatione repudiata, ad episcopos exules in montana deductus, & ab iis ordinatus est. Ruffinus lib. 2. cap. 6. Socrates lib. 4. cap. 36. Theodoretus lib. 4. cap. 23. Sozom. lib. 6. cap. 38.

DEFENSIONEM. NOLLE DEFENDERE, OPEM FERRE.

Barbaris Thraciam inuadentibus, Valens Imp. Arrianus à VAlentiniano fratre suppetias petit. At is respondit, Impium fore facinus, aduersus Deum belligeranti auxilium ferre: quin potiùs audaciam eius compescendam esse. Socrates lib. 4. cap. 35. Sozom. lib. 6. cap. 37.

FERDINANDVS Castellæ Infans ad Aragoniæ regnũ peruenerat opera Petri Lunæ, qui Benedictus XI. pontifex uocatus est. Posteaquam uerò coorto trium pontificum schismate, Christiana Respub. penitùs interitura uideretur, nisi concilio Constantiensi sese tres illi Papæ subiicerent, neq; Benedictus cedere uellet: Ferdinandus Benedictum multis & precibus & minis frustrà monitum deseruit, suisq; ad cõcilium legatis missis, uotum suum concilio subiecit, maiorem publicæ concordiæ Christianorũ, quàm priuatæ erga Benedictũ gratitudinis rationem habens. Valla lib. 3. Hist.

SOCIETATEM QVAMCVNQVE.

Palæstinæ incolas Dominus excindi iussit, neq; cum illis fœdus aut societatem ullam ISRAELITAS habere uoluit, ne prauis illorum moribus corrumperentur. Exodi 23. & 34.

Cum Chananæis omnem conuersationem & familiaritatem ISRAELITIS interdixit Dominus, ne cum eius fœdus inirent, néue eorum misererentur, néue affinitatem contraherent, ne ad peregrinorum deorum cultum abducerentur. Deuteron. 7.

Amasias Iudæorum rex, centum argenti talentis centum millia Israelitarum conduxerat. At PROPHETA eum monuit, ut eos dimitteret: impios enim esse, & infelices fore. 2. Paralipomenon 25.

IVDÆI cùm Nehemia duce muros Hierosolymæ instaurassent, ex præcepto legis omnes peregrinos eiecerunt. Ipse etiam Nehemias (quo absente Eliasibus pontifex Tobiæ Ammonitæ, uiro potenti, cognationis nomine, cellam in atrio templi dederat ad annonam recondendam) Babylone reuersus, omnia utensilia Tobiæ eiecit, cellamque purificari iussit. 2. Esdræ 13.

Martyres CAIVS & ALEXANDER, cùm capite damnati, ad supplicium unà cum Marcionistis quibusdam ducerentur: muneris ingentis loco à carnificibus petierunt, ut separatim à Marcionistis occiderentur, ne eorum sanguis cum iis misceretur, qui parum rectè de catholica fide putabantur sentire. Fulg. lib. 1. cap. 1.

CONIVGIVM.

NON CONTRAHERE MATRIMONIA cum impiis.

Vide Tit. Nuptiæ repudiatæ religionis causa.

Iosua, posteaquam ISRAELITAS in terram Sanctam introduxisset, & iam deuictis hostibus omnia pacata essent, admonuit illos seuerè, ut legem Domini custodirent, & à uicinorum ethnicorum connubiis sibi cauerent, ne ad idololatriam inducerentur. Iosua cap. 23.

NEHEMIAS restauratis Hierosolymæ muris, uidens Iudæorum pueros, semiazoticè loqui, propter ductas uxores externas: eos in iurgio detestatus, nonnullos eorum uerberauit, uulsisq; capillis, Deum eos iurare coëgit, matrimonia in posterum cum externis non contracturos. 2. Esdræ 13.

DISSOLVERE CONTRACTVM.

EVDOCIA, Valentiniani III. & Eudoxiæ filia, quæ Vandalorum regi Honorico nupsit, sedecim annis cum marito in matrimonio perseuerauit post filium Hildericum genitum. Tandem mariti consuetudinem, quòd is Arrianę sectę addictus esset, abhorrens: captato tempore Constantinopolim adiit, cùm iam mater decessisset: demùm Hierosolyma profecta est, ubi obiit. Cuspinianus.

MVNERVM REPVDIATIONEM.

HILARION eremita quendam de fratribus cùm percepisset hortuli fructus intentiùs custodire, & habere aliquantulum numorum, à consuetudine sua submouit ac repulit. Ille in gratiam reduci cupiens, ciceris uirentis scapos dono fratribus misit, quos mensæ appositos solus Hilarion grauiter olere persensit, & in cicere fœtere mittentis auaritiam dixit: statimq; totum proiici iussit, ne mutas quidem greges tam fœtidam frugem comesturas clamitans: & fidem fecit euentus. Fasciculo enim illo ante boues in præsepium proiecto, non modò gustare noluerunt, sed mugientes atque auersi perfractis stabuli repagulis diffugerunt, præcipitatiore impetu proruẽdo, quàm si stimulis uerberibusq; agitarentur. D. Hieronymus in uita illius.

IMPIOS AD POENITENTIAM CONVERTERE.

IOANNES apostolus, cùm iuuenẽ, quem baptizatum, peregrè proficiscens, episcopi cuiusdam fidei commiserat custodiendum, discessisse, atq; in solitudine cum multis latrocinia exercere audisset: uehementi dolore affectus est, incusauitq; episcopi negligentiam in eiusmodi deposito seruando: nec cunctatus, conscenso equo ad grassatorum latibula abiit solus, periculi immemor, dum perditam ouem uestigat inter lupos. Eo uiso, iuuenis commissi conscientia uerecundatus, fugere cepit, Ioannes insequi: consecutusq; eum, blanditiis promissisq; allicit, & ad spẽ ueniæ animat, se pro

illo rationem redditurum, modò pœnitere ac ſecum redire non detrectaret. Itaque reuerſum ſic inſtituit, ut lucraretur Chriſto. Marul.lib.3.cap.2.& lib.2.cap.12. & Sabell.lib.5.ca.2.ex Euſebij lib.3.cap.22.& Nicephori lib.2.cap.42.

Magna ABRAHAMI eremitæ in neptim caritas, quam ſecū in ſolitudine commorantem, Deo ſeruire, & uirginitatem cuſtodire docebat aſſiduis monitis, quotidianaq; adhortatione. Sed illa tandem à iuuene quodam ſollicitata, cùm ſceleri conſenſiſſet, patrui ſanctiſſimi uiri conſpectum ferre non ualens, clàm diſceſſit, & de uenia deſperans impudicitiæ ſe dedit. Quid ageret amiſſa oue, paſtor iam ſenex neſciebat, & tamen quieſcere præ dolore non poterat. Denique eremum relinquere, tegumentum ne agnoſceretur mutare, urbes quas fugerat intrare, nihil intentatum relinquere, donec illam inueniſſet, decreuit. Hoc igitur conſilio uſus, quęſitam inuenit, inuentam conuertit, conuerſam ſecum reduxit: & tanto labore recuperatam diligentiùs cuſtodiuit: ita ut illa ſalutem, de cuius ſpe deciderat, pœnitendo acquiſierit. Neſcit torpere caritas, quouſq; ſubleuet corruentem. Marul.lib.3.cap.2.& lib.4.cap.4.

VITALIS monachus in urbe Alexandria, proſtibula adibat feminarum, & cum ea quæ impudentiore laſciuia diffluere uidebatur, noctem pactus, precium offerebat. Admiſſus autem in aliquo fornicis angulo, procumbens deprecando, peruigilabat donec illuceſceret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra ſe cogitare, non iam quātum lucrifeciſſet, ſed quantum turpiter uiuendo Deum offendiſſet. Itaq; multæ ab eo hoc modo conuerſæ, uitā correxêre. Ipſe uerò peruerſa hominum opinione iactatus, quoniam circa lupanaria frequens erat, palamq; reprehenſus patienter tolerabat: cùm plus utilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex ſua infamia dāni. Marul.li.3.c.2.

PANVFIVS abbas, Thaidem nobile ſcortum ab impudicitia auertere uolens, cùm ab ea ſecretiorem congrediendi locū popoſciſſet, & in abditiſſimum poſtremò domus cubiculū ductus, ibi etiam ne ab aliquo conſpiceretur uehementer ſe uereri diceret: Ne dubita, inquit illa, nemo hic iam te uidere præter Deum poteſt. Captata occaſione abbas interrogauit, An Deum eſſe crederet, quem latere nihil poſſit tum qui bonis præmia, & malis proponat pœnas? Annuenti ſubiunxit: Cùm hoc non ignores, nónne infeliciſſima es, quæ propter breuiſſimi temporis uoluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibuſq; æternis deputes? Scelerum conſcia mulier, ſtatim ad lacrymas prorupit: ac deinceps laſciuiam carnis frenans ieiuniis, orationumq; fatigationibus domans, pudicè ſanctéque uixit. Marulus lib.3. cap.2. & Sab.lib.1.cap.2.

ANTIDIVS Turonenſis epiſcopus (alij Veſuntinum fuiſſe contendunt) cacodæmonem lætum ac geſtientem uidens, quòd Zozimum ſummum pontificem ſeptennio ſollicitatum, tandem ad ſtuprum committendum ſe impuliſſe diceret, haud cunctandum ratus, illi præcepit, uti ſe eadem celeritate, qua uenerat, Romam perferret. Die altero pontificē adiit, relatiſq; quæ de illo dæmon iactauerat, ruborem ei pauoremq; iniecit, & confitentem protinus ad pœnitentiā conuertit: eodemq; uectore uſus, diei ſpacio Turonum rediit. Timuiſſet ſeſe dæmoni credere, niſi proximi caritas forâs miſiſſet timorem. Cuius quidem caritatis merito effectum eſt, ut is qui papam labi fecerat, epiſcopo obediret. Marulus lib.3.cap.2.

IMPVRITATIS CVIVSCVNQVE RELIGIOSA EXPIATIO: VTPVTA

PECCATI.

Publici & priuati erroris expiatio per ſacrificia apud ISRAELITAS qualis fuerit, uide Numeri 15. Item reliqua ſacra expiatoria pete ex 4.5.6.& 7.cap.Leuitici.

Aqua luſtralis ex cinere uaccæ ruffæ, quæ extra caſtra immolabatur, fieri conſueuerat apud ISRAELITAS. Numeri 19.

CAEDIS.

Cùm LEVITÆ iuſſu Domini per caſtra Iſraelitarum oſtiatim graſſati eſſent, & circiter tria millia occidiſſent, propter erectum uitulum aureum, uoluit tamen eos, ob cædem quamuis iuſtam & legitimam, expiari. Exodi 32.

Cùm ISRAELITÆ Madianitas omnes Domini iuſſu ad internecionem deleuiſſent, uoluit tamen eos Dominus à cæde licèt iuſta expiari, neq; ipſos tantùm, uerumetiam prædam omnem partim igne, partim aqua luſtrari. Num.31. Modum expiandi pete ex Leuitici cap.6.& 11.

Hominis ruri occiſi, cùm homicida ignoraretur, ea erat expiatio apud EOSDEM. Senatores & iudices oppidorum uicinorum diſtantiam metiebantur: ac quod oppidum occiſo proximum eſſe contigiſſet, eius oppidi ſenatores iuuencā ſumebant expertem iugi, eamque in ualle deſerta decollabant. Tum ſacerdotes & leuitę accedebant: & ſenatores oppidi illius manus ſuas ſuper iuuencam lauabant, & hęc uerba pronunciabant: Neq; manus noſtræ hunc ſanguinem fuderunt, neq; oculi uiderunt. Propitiare tuis Iſraelitis quos redemiſti, Ioua, noli iniuſtam cædem in tuos Iſraelitas uindicare, ſed ā cæde expientur. Deuteron.21.

MORBI.

Apud ISRAELITAS ex Moſis inſtituto certa erat Lepræ purgatio. Leuit.14. Gonorrhœæ item, & Menſtrui, cap.15.

PVERPERII.

Ex Domini præcepto, ISRAELITARVM puerperæ, quæ marem peperiſſent, ſeptem diebus pollutæ erant, uidelicet pro ratione purgationis menſtruæ: & per 33. dies non egrediebantur. Sin fœminam peperiſſent, 14. diebus pollutæ erant, & 66. die egrediebantur. Confecto purificationis ſpacio, agnum anniculum pro holocauſto offerebant, aut duos turtures, aut duos pipiones, ſupplicandi cauſa, ut à ſui cruoris fluxione purificarentur. Leuit.12.

RELIGIOSA CASTIGATIO QVORVMCVNQVE CRIMInum contra religionis præſcriptum admiſſorum.

De pœnis Superſtitionis & Impietatis cuiuslibet hîc agimus, non diuinitùs inflictis (hæ enim Diuino Theatro propriè conueniunt, & ſub fructu Superſtitionis & Impietatis quædam enumerabuntur) ſed humanitùs; hoc eſt, auctore homine.

SECVNDVM FORMAM CONSIderati criminis CASTIGATIO.

IN GENERE. Puta

Impietatis.

Barieſus Elymas magus Sergium Paulum proconſulem à fide Chriſtiana auertens, à PAVLO Apoſtolo cæcitate affectus eſt. Actorum 13.

PIVS II. Pontifex Sigiſmundum Malateſtam Ariminenſium principem, obloquentem de religione, atq; ideo in ius uocatum, nec comparentem, damnauit: ſimulacro quoq; eius Romæ uicatim incenſo. Nec multo pòſt fœdus Gallicum, in quo & Sigiſmundum contineri Galli contendebant, recuſauit: indignum dicens inire cum eo ſocietatem, quem paulo antè damnaſſet. Campanus in Pij uita.

HADRIANVS VI. Pontifex niſi morte immatura præuentus fuiſſet, Romanæ urbis & aulæ mores corruptiſſ. emendaturus erat, & inprimis eos qui pietatem ſimulantes Iudaicis ſuperſtitionibus clam addicti eſſent, blaſphemos & atheos, fœneratores, iuuentutis deniq; corruptores. Qua inopinata & graui ſeueriſſimæ legis mentione, maculoſos quoſdā cùm aulæ tum ciuitatis, ueluti deſperata publica ſecuritate, terruerat adeò, ut non defuerint petulantiſſimi iuuenes, qui Ioanni Antracino pontificis medico poſtes feſta fronde per intempeſtam noctem protinus exornarent cum titulo uncialibus literis inſcripto in hæc uerba: Liberatori Patriæ S. P. Q. R. ſcilicet ut eo ioculari elogio non medicus uti ueneficus aut imperitus, ſed maieſtas ipſa ſanctiſſimi pontificis, qui ſalutari cenſura, ut dignū erat principe Chriſtiano, Vrbem atq; aulam probroſis uitiis repurgare cogitaſſet, non obſcurè carperetur. Iouius in eius uita.

Superſtitionis.

Apud Bardeſanem Syrum legitur, in Oſroene, iuſſiſſe ABGARVM regem abſcindi manus eorum omnium, qui ſe exciderent: ita ibi ritum illum ceſſaſſe. L. Viues in lib. 7. Aug. de ciuit. Dei cap. 25.

GREGORIVS Magnus maritum monachum reſtituit Agathoſæ uxori, abſq; cuius conſenſu ſe in monaſterium contulerat: ne mariti cōuerſio, uxori relictæ in ſeculo fieri poſſet perditionis occaſio: ſubiiciens, Etſi mundana lex præcipit, conuerſionis gratia, utrolibet inuito poſſe ſolui coniugium: diuina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicatiōis cauſa uiro uxorem dimittere nulla rationē conceditur: quia poſtquam copulatione coniugij uiri atq; mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte in ſeculo remanere. Lib.9. epiſtola 44.

GREGORIVS Turonenſis Bertegundam monacham marito reddidit, quæ perſuaſa ab Ingeltrudi matre, cum marito ad monaſterium, quod mater inſtituerat, perueniens, maritum ad liberos redire iuſſerat, dicēs: Non uidebit regnū Dei cōiugio copulatus. Gregorius uerò re cognita, monaſteriū acceſſit, & legit Nicenum canonem: Si quis reliquerit uirū, & thorum, in quo benè uixit, ſpreuerit (dicens: Quia non ſit ei portio in illa cœleſtis regni gloria, qui fuerit coniugio copulatus) anathema ſit. & hoc modo perſuaſit Bertegundæ, ut ad maritum rediret. Turonenſis lib.9.cap.34.

IN SPECIE. V. G.

Magiæ.

D. Auguſtinus annotauit, omneis PHILOSOPHORVM & RELIGIONVM, quæ unquam extiterunt, ſectas Magiæ pœnas decreuiſſe.

Plutarchus in Apophthegmatibus à PERSIS ſcribit ſupplicio omnium crudeliſſimo affectas fuiſſe Magos, quorū caput inter duos lapides elidebant.

VALENS Cæſar, cùm reſciuiſſet Iamblichum alectryomantia ſcrutatū eſſe, quis ab ipſo Imperator futurus eſſet, foueam Iamblicho ante obitum curauit, & omnes conſcios aut ſuſpectos necauit. Socrat.lib.4 cap.29. Sozom. lib.6. cap.35. Niceph.lib.11.cap.45. Zonaras lib.3.

Amantius aruſpex aſcitus eſſe dictus eſt ab Hymetio, ut ob praua quædam perficienda numinibus ſacrificaret. Quæſtione diligentiùs habita, ex ædibus Amantij chartæ allatæ ſunt, quibus ſua manu ſcribens Hymetius flagitabat, ut Amantius alijq; ſacrorum ſolennium conſecratores, numina geniumq; Imperatoris VALENTINIANI erga ſe delinirēt: atq; in extremis tabulis nonnulla continebantur aduerſus auaritiam & crudelitatem principis: deniq; & à Frontino legebatur imprecationis formula concepta. Ob id delati & peracti, Frontinus uirgis cæſus in exilium ad Britannos ablegatus eſt, Amātius ultimo ſupplicio damnatus eſt. Hymetius ab Ampelio urbi præfecto & Maximino Vicario cùm ad Valentinianum prouocaſſet, Imperator Senatui negotiū dedit. Senatus clementiorem ſententiam ſecutus, ad Boas Dalmatiæ locum relegauit. Iiſdem temporibus & Campenſis quidam aruſpex flammis necatus eſt. Sed & Lollianus primæ lanuginis adoleſcens, ideò ſolùm accuſatus, quòd noxiarum artium codicem deſcripſiſſe diceretur, & timor eſſet ne à Maximino in exilium mitteretur, Valentinianum appellauerat. Itaq; ad Imperatoris comitatum duci iuſſus, acerbiorem ſententiam nactus eſt: etenim capite pœnas luit. Ideo uerò quidam principes in hoc crimen acerbiores fuêre, quod ad ſuam ſalutem id pertinere arbitrabātur. Aerodius ex Ammiano lib.28.

Sub VALENTINIANO, ad Apronium præfectum urbis Hilarius quidam auriga adductus eſt, quòd diceretur filiū ſuū uixdum pubeſcentem tradidiſſe uenefico erudiendum, ut ſecretiora quædam & legibus interdicta ab eo edoctus, nullo alio conſcio, filij artibus ad multa interna adminicula uteretur. Culpam ſimilem eſſe, tam prohibita diſcere, quàm docere. Confeſſum ac conuictum capite damnauit. Is cùm laxius à carnifice retineretur elapſus, ad ritus Chriſtiani ſacrarium aufugerat eo extractus, pœnas luit. P. Aerodius ex Ammiano Marcellino lib.26.

Maruthas Meſopotamiæ epiſcopus, legatus ab Imp. Theodoſio ad ISDIGERDEM regem Perſarum, pietatis nomine regi charus erat. Magi metuentes ſuæ religioni, in eo tēpli loco ubi ignis colitur, ſub terra occultè condunt hominē: qui introeunti regi ex adyto acclamaret, Exeat rex impius, & impium Chriſtianæ ſuperſtitionis doctorem fouens. Ea uoce rex perturbatus, ſuaſu Maruthæ, effodit locum: & inuento homine, magorum familias propter impoſturam decimauit. Niceph.lib.14.cap.18. Paulo pòſt cum denuò Maruthas legatione apud regem fungeretur, quacunq; eſſet rex tranſiturus, illic intolerandum excitant fœtorem magi, calumniamq; confingunt, comites Chriſtianos iſtius eſſe artifices. Verùm rex ex priore magorum facto iudicium faciēs, magno ſtudio de auctoribus inquiri iuſſit. Magi deprehenſi, ſupplicio ſunt affecti.

Lollianus quidam, licet iuuenis, in exilium miſſus, & bona fiſco annotata ſunt, quòd librum magicum exſcripſiſſet. Nicephorus lib.10.

Præſtigiatori cuidam Sicitidæ, adſtantium oculos faſcinanti, oculi ſententia lata fuerunt eruti. Nicetas lib.4.

Apud SCOTOS olim præſtigiatores, magos, manes inuocātes, malis dęmonibus familiares, aut ab eis petētes auxilia, ad unum concremabantur. H. Boethius lib.10.

Idololatriæ.

MOSES, poſteaquā populus uitulum aureū adoraſſet, è mōte Sina in caſtra reuerſus, uitulum igni exuſtum in puluerē redegit, eumq; aquæ commiſtum Iſraelitas bibere coegit. Præcepit deinde Leuitis, ut enſibus accincti oſtiatim per caſtra graſſarētur, & obuios mactarēt. Cæſa eo die circiter tria millia. Leuitas poſtea expiari curauit. Poſtridie populo ſceleris magnitudinem oſtendit, & ſe ueniæ petendæ cauſa ad Dominum in montem aſcenſurum affirmat. Exodi 32.

Præcepit Dominus ISRAELITIS, ut ſi frater, filius, uxor aut amicus aliquis eos clàm ad cultum alienorum deorū hortaretur, ne ei obſecundarent, non auſcultarent, non parcerent: ſed coram populo productū primi lapidibus obruerent. Quòd ſi oppidi alicuius ciues in uniuerſum ad idololatriam deflexiſſent, expeditione ſuſcepta omnes illos trucidari, oppidum cum omni præda flāmis tradi iuſſit, eumq; locum ſempiternum neq; unquā inſtaurandum rudus eſſe. Deuter.13. Apud EOSDEM de idololatria ſuſpectus ore duorum triúmue teſtium conuictus lapidibus obruebatur, & teſtes primi lapides in eum coniiciebant. At unius ore condemnari non poterat. Deuteron.17. Idololatrarum diras pœnas pete ex Leuitici 26. cap. & Deuteron.28.

Cùm audiſſent ISRAELITÆ cæteri, Rubenitas & Gaditas fratres ſuos ædificaſſe ſibi altare in ripa Iordanis, unanimi conſenſu arma contra eos ceperunt. Ioſue 22.

ELIAS propheta, poſteaquā cœleſti miraculo ſuæ doctrinæ ueritatem aſſeruiſſet, falſitatemq; Baaliticæ idolomanię demonſtraſſet: diuino zelo motus, 850 Baalenſes prophetas ad torrentem Ciſonem iugulauit. 3. Regum 18.

Cùm IEHVS Ioſaphati F. ex Domini iuſſu omnes Achabi poſteros & Baali ſacerdotes è medio ſuſtuliſſet, promiſit ei Deus, trinepotes etiā illius Iſraelitis imperaturos. 4. Regū 10.

CYRVS Perſarū rex, patefacta per Danielem fraude, qua oblationes Belo idolo factas noctu in templo deuorabant, ſacerdotes Beli ſeptuaginta cum uxoribus & liberis capitali affecit ſupplicio. Danielis cap.14.

MARCIANVS Imp. in epiſtola ad Palladium præfectū prætorij mandat, ut eos quos conſtet prophanos ritus, & ſimulacrorum impios cultus, & interdicta ſacrilegia celebraſſe, iuxta leges coherceat. Idem cum VALENTINIANO, lege ſeptima, C. de Paganis, inquit: Nemo uenerandi adorandiq; animo delubra, quæ olim iam clauſa ſunt, reſeret. Abſit à ſeculo noſtro, infandis execrandiſq; ſimulacris honorē priſtinum reddi, redimiri ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iiſdem thura, uictimas cædi, pateris uina libari, & religionis loco exiſtimari ſacrilegium. Addunt etiā uiolatoribus grauiſſimas pœnas.

LEO Imp. in l. ultima, C. de Paganis, permittit cuilibet accuſare exercentes paganā ſuperſtitionem: & pœnas ſtatuit iis, qui ſua loca ethnicis ſacrificiis concedunt contaminari.

Aur. AMBROSIVS Britānorū rex, uicto Hengiſto Saxone, uictoria clementer uſus, Saxonibus in inſula manendi poteſtatem fecit, ſi Chriſtum ſequerentur. Deprehēſi quidā, mentita religione idolis litare: ſacrificuli loris cæſi, uiui ſunt cremati. H. Boethius lib.8.

CAROLOMANNVS multam undecim ſolidorum exegit ab iis, qui paganorum ſuperſtitiones obſeruarent. Nauclerus Generatione 25.

BELA, mortuo fratre Andrea, regno Vngariæ potitus, ad religionem confirmandam regni proceres Albam regiam cōuocauit. Cum iis unà affuit plebs iniuſſa, auitam idololatriam reſtitui, Chriſti fidem aboleri poſtulans. Rex deliberandi ſpacium per triduum petit. Interea tumultuario exercitu coacto plebem circundat, factionis auctoribus è turribus præcipitatis, & carcere & flagellis eam Chriſti cultum ſeruare coegit. Bonfinius lib.3. Dec.2.

Hæreſeos.

D. PAVLVS ad Titum, Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem fugere iubet.

IO. Chryſoſtomus homil.47. in cap.13. Matth. ex Domini præſcripto licere ait conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi præcidere: [redacted]

VETERES catholicæ fidei ſectatores diligentem curā ſemper adhibuerunt, ut continuis Conciliis, ingentiq; ſtudio à ſordibus religionem tuerentur, ſeuerè extirpatis è dominica uinea noxiis herbis. Nam quanquā Chriſtiano nomine cenſerentur Baſilides, Cerinthus, & Mōtanus, prętcrea No-

atus, Arius, Marcio atq; Valentinianus, compluresq; alij: tamen à reliquorum fidelium communione eos separarũt, arbitrati à catholica fide eorum dogmata aberrare: item Nepotem, Paulum Samosatenum & Apollinarem [redacted] scopali dignitate fulgebant) pari modo damnarunt.

PELAGIVS I. sub Iustiniano constituit, ut hæretici & schis- [redacted] secularium manu possent, quando ad sanitatem rationibus non deducerentur. Platina.

Macedonius Aquileiensis antistes, cum Honorato Mediolanensi, & Ioanne Rauennate episcopis, ausus est capita tria Chalcedonensis concilij per se respuere, neq; illis omnino assentiri uelle. PELAGIVS Romanus pont. Narsetẽ, in Venetia tunc agentem, adhortatus est, ut in Macedonium grauiter animaduerteret. Egnat. lib. 1. cap. 3.

INNOCENTIVS I. Cataphrygas hæreticos, quorum auctores fuere, Montanus, Priscilla & Maximilla, urbe expulit, Theodosio Imp. annuente: uel in monasteria (ut alij uolũt) relegauit. Præterea uerò Pelagium monachũ & Cœlestinũ hæreseos damnauit, & quòd liberum arbitriũ diuinæ gratiæ anteferrent, & quòd dicerent ad implenda diuina iussa, uoluntatem per se sufficientem esse. Pelagius aũt in Britanniam proficiscens, totam insulam errore suo infecit, adiuuãte Iuliano tanti mali comite & socio. Platina.

Anno 545. in Palæstina doctrina Origenis olim condemnata reuiuiscere cœpit: qui censuerat, Animos ante corpora extitere, deq; corporibus in corpora cõmigrare, finem suppliciorum aliquẽ fore, dæmones in pristinũ statum aliquando restitutum iri, corpora nostra non eadẽ resurrectura. Cùm aũt hanc pestẽ serpere uideret EVSTACHIVS Hierosolymorũ episcopus, sectatores huius opinionis omnes ex monasterio, quod Noua Laura dicebatur, eiecit, ac Constantinopolim Rufum & Cononẽ abbates hac de re misit: quib. fautorẽ se præbuit Pelagius diaconus, Vigilij pontificis apocrisarius, cùm peterent, ut is capita quædã ex libris Origenis, tanquã rectę fidei contraria, condemnaret. Id aũt Pelagius ea re maximè fecit, ut Theodoro episcopo Cæsareæ Cappadociæ noceret, qui tum in aula Imperatoris gratia atq; auctoritate florens, has opiniones sibi defendendas susceperat. Itaq;, iubente Iustiniano, dãnatio promulgata est, cui Menas episcopus Constãtinopolitanus subscripsit: eaq; ad Vigiliũ pontificem Romã missa, eius quoq; subscriptione firmata est. Damnato iterum post mortẽ Origene, Theodorus Cæsariensis dolore incensus quæsiuit, Num fas esset mortuos anathemate iugulare? Cui Eutychius diacon9 pro Amasiensi episcopo dicendi locum nactus, respondit, Licere: nam regem Iosiam non modò sacerdotes, qui dæmones colebant, uiuentes trucidasse, sed etiam mortuorum sepulcra effodienda curasse. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

IVSTINVS senior ueræ pietatis studiosissimus, primo imperij sui anno ecclesiã Anastasij Imp. impietate turbatã, pacare cupiens, Seuerum hæreticũ Antiochenæ ecclesiæ episcopũ cõprehendi, & amputatione linguæ suæ impietatis pœnas dare coegit. Euagr. li. 4. c. 4. Ac non solùm, quos Anastasij furor sedibus suis eiecerat, ab exilio reuocauit: sed etiã temporis progressu omnem Arianæ pestis labem, omnibus eius sectæ assertoribus, ex Orientali & Romano imperio eiectis, sustulit. Quam rem Theodericus Gothorum in Italia rex ægrè ferens, Ioannem pontificẽ, Theodorum, duosq; Agapetos oratores ad Iustinum misit, qui cum hortarentur, ut Arrianos restitueret: sin secus animatus esset, sciret se omnes Italiæ ecclesias, Catholicas præsertim, demoliturũ. Legati ubi legationẽ exposuẽre, cùm flectere Iustinũ non possent, ad lacrymas uersi, ac suppliciter petẽtes, ut perituræ Italiæ unà cũ Catholicis omnib. subueniret, eò tandẽ piũ hominẽ perpulẽre, ut Arrianos restitueret, atq; eos uiuere suis legi. & institutis sineret. Platina & Paulus Diaconus lib. 15.

Cõnstantinopolitanorum nomina omnium antistitum, hæresi Monothelitarum, CONSTANTINOPOLI in sexto generali concilio damnata, qui superioribus annis unam uoluntatem defenderant, ex omnibus locis deleta, Cyri, Sergij, Pyrrhi, Pauli & Petri. Sigonius lib. 2. regni Ital.

Asparem & Ardaburium Vandalos Arianos, imperij Orientalis duces, sub Imperatore LEONE ecclesias turbare uoluisse, scribit Nicephorus. Nicenã & Chalcedonẽsem synodos, quos defendebat Imperator, reprehendebant, ipsiq; Gensericũ Aphricæ regem Arianũ præferebant, cuius religio esset sanior: ac propterea Deum uictoriã tributurum esse Genserico, seq; alteri imperium tradituros minabantur, sicuti ipsi Leoni quoq; tradidissent. Imperator cùm nulla eos ratione [redacted] educere posset, licèt Asparis filio suã filiã in matrimoniũ collocasset: subornauit [redacted] stea in imperio successit) ut illos trucidaret. Niceph. li. 15. ca. 25. Vbi Aspares Ardaburiũ trucidari uidit, seq; eundem manere casum, ingemiscẽs exclamasse dicitur: Dignũ fert senex canis exitũ, qui frustra gloriatus est, neq; unquam admonitioni meæ audiens fuit. Persæpe enim dixi, Prius Leonem deuoremus, quàm ille nos sibi in prandio apponat.

MICHAEL Balbus Imp. per Nicephorum patriarchã & alios sacerdotes Constantinopoleos, promulgauit capitalẽ pœnam in Manichæos, Paulinianos, & Attinganos in Phrygia & Lycaonia degentes. Sed huic sententiæ sese opposuerũt alij doctores, inquientes, non licere sacerdotib. contra impios promulgare mortem, cùm Deus uita & conuersione eorum delectetur, & eradicari zizania prohibuerit. Contra hęc altera factio Petri exemplum proferebat, qui interfecisset Ananiam propter mendacium, & Pauli auctoritatem dicentis, Qui talia agunt, digni sunt morte. Cùm enim solo corporali peccato corrupti pœna capitali digni sunt, multo magis ea afficiendos esse, qui spirituali & corporali spurcitia dęmonibus seruiant. Hac disceptatione Imperator motus, exilij pœnam de Attinganis sumsit. Paulus Diaconus lib. 24. rerum Rom.

GELASIVS I. Manichæos in urbe deprehensos exilio damnauit, eorumq; libros apud basilicam diuæ Mariæ publicè combussit. Platina.

CLODOVEVS rex Francorum, Alarico Vestgothorum regi, Theoderici genero, propter Arianismũ bellũ intulit. In Pictauis conserto prælio, Clodoueus uictor extitit. Sabell.

Mediolani regnante MATTHÆO Vicecomite, postremis eius imperij diebus, detecti sunt Andreas Seramita, & Gulielma post undecimum cœpti sceleris annum, principes fuisse, mares ac feminas occulto in loco sub Bariloti nomine, ad Bacchanalem exercendam licentiam congregandi. Nã peractis sacris, quæ Gulielma in sacerdotali ueste obibat, cùm cæteri in clericorum habitu ministrarent, extincto lumine promiscuæ libidinis genus omne permittebatur. Itaque Andreas uiuens cum aliquot huius sectæ hominibus combustus fuit: additumque Gulielmæ cadauer, quæ antè mortua erat, & usq; ad id tempus in Claræuallis monasterio sepulta, sanctarum honore colebatur. Fulg. lib. 1. cap. 1.

CAROLVS V. Anabaptistas Monasterienses apud Vestphalos excidit. Sleidanus lib. 10.

Religionis simulatæ.

PHILIPPVS Decius Iurisc. scribit se iudiciũ contra Iudæum pronunciasse, qui ad supplicium criminis à se commissi minuendum Christianus esse uoluerat, ne ob pœnitentiam quamuis ampliss. quicquam de grauitate supplicij legibus imperati diminueretur. Ideoq; magistratum Paduæ de sententia doctorum omnium nihil de pœna derogasse. Bodinus lib. 4. Dæmon. cap. 5.

Apostasiæ.

MATATHIAS sacerdos, Iudæum quendam idolis suffire parantem ad aram occidit. 1. Machab. 2.

Primus rex Bulgarorum TREBELLIVS monasticam secutus uitã, ex duob. filiis regnũ maiori natu reliquit. Rediit nouus rex nõ multò pòst ad malorũ dæmonũ cultũ, pietatem patris & institutũ aspernatus. Nec id filij scelus tulit Trebellius, sed persona quã gerebat ad tẽpus deposita, regiã induit, receptoq; regni gubernaculo, filiũ impietatis increpitũ luminib. priuat, regnũ dat minori natu habendũ, quod piè ex suoq; instituto administraret, ipseq; id documẽtũ dedisse contentus, continuò se in ordinẽ redegit. Sab. lib. 6. En. 8.

RAIMIRVS II. rex Hispaniæ, regẽ fratrem, qui à fide Christi defecerat, cepit: oculisq; effossis, in uincula cõiecit. Ritius.

Blasphemiæ.

Cùm Dominus MOSI ad montẽ Sinã legis præcepta daret, accidit, ut quidã Aegyptio patre natus, matre Israelitide Solomitha, Dibris F. ex tribu Danis, iurgio contendens cum Israelita quodam, Deo malediceret. Itaq; in custodiã traditus, & ex Domini mandato extra castra eductus, cùm oẽs qui audiuerãt blasphemãtẽ capiti eius man9 imposuissent, ab uniuersa multitudine lapidat9 fuit. Deus ipse legẽ dedit, ut quicũq; Deo maledixisset, capite pœnas lueret. Leuit. 24.

IVSTINIANVS Imp. iurantẽ per Dei aliquod membrũ, aut per capillos, aut Deum blasphemantes, ultimo supplicio damnat: in Auth. coll. sexta, tit. 5. Vt non luxurientur. & li. 2. Nouell. titulo 29. de his qui per capillum Dei iurant.

Qui numinis diuorúmue nomen nefariè aut iureiurando aut execrando usurpabant, eorum fronti candente lamina notam D. LVDOVICVS Francorum rex inurebat. Deprecantibus magnis uiris pro quodam eius noxæ conuicto, respõdit se cupidè id monumentum in fronte gesturum, si ea ratione purgari Francia eo in Deum optimum maximum scelere posset. Aemilius lib. [redacted] Augusti Frãcorum regis, uiuo patre coronati, pri- [redacted] edictum fuit aduersus blasphemos, nomen Christi co [redacted] probroseq; in testimonium [redacted] nutissimæ rei assertionem adducentes, quos censuit in flumẽ [redacted] mortem mergendos. Secundum fuit aduersus tibici- [redacted] histriones, parasitos, & id gen9 uoluptuarios artifices, [redacted] interdixit aula. Chronicon Francorum.

Kenne-

Kennethi SCOTORVM regis lege, blasphemus in Dei aut diuorum, in regis aut tribus suæ ducis nomen, linguæ amputatione plectitur. H. Boethius lib. 10.

DONALDVS V. Scotorum rex statuit, ut deierantis temerè, aut qui mali dæmonis nomen execrabiliter aduocaret, labia candenti ferro exurerentur. H. Boethius lib. 10.

Erat in ciuium Venetorum nobilitate Ioannes Georgius, homo ferox, nullaq; pietate, qui ab Antonio Bernardo Taurisanorum prætore ob maledicta in deos, aliaq; scelera exul eius oppidi factus fuerat, dãnatusq;, ut si eò rediret, lingua ei amputaretur, manusq; altera præcideretur. Is Taurisum alio prætore cùm reuertisset, uirginẽq; ui adhibita uiolauisset: DECEMVIRI Veneti missis illò suis reiũ capitaliũ ministris atq; uindicibus, Georgium cõprehendi, deq; eo Antonianum supplicium medio in foro sumi iusserũt: eo sumto, Venetias adductum in Cretam deportari mandauerũt. Anno Christi 1494. Bembus lib. 2. Venetæ Hist.

Venetiis anno 1513. DECEMVIRI feminam meretricem, quæ in deos maledicta coniecerat, & se fuga subripuerat, exulẽ ea conditione fecerunt, ut si ullo in imperij Veneti loco caperetur, ceruices ei abscinderentur, ipsa igni cõbureretur. Bembus lib. 12. Venetæ Hist.

Anno Sal. 1569. duo presidiarij milites apud ARGENTINENSES in uincula coniecti, alter in Deum blasphemus, alter in præfectũ cohortis iniurius. Pro illo, ob spectatam fortitudinem, optimi quiq; intercedebant: pro hoc uerò nulli. Senatus prudentissimus indignum ratus, uiolatorem Dei meliore conditione esse quàm calumniatorem hominis, causę cognitione iis quibus oportuit demandata, ubi blasphemiã horrendam licèt ab ebrio & emotæ mentis homine admissam cognouit, plus diuinæ maiestatis quàm humanæ gratiæ & intercessioni tribuendum ratus, supplicio capitali, extracta per ceruicem lingua, blasphemum affecit.

Coniugij impij.

Videns NEHEMIAS Iudæos ducentes uxores alienigenas, obiurgauit eos, & maledixit, & uerberauit aliquos. Nehemiæ capite 13.

Scortationis, Incestus religiosi.

Israelitæ uictis Moabitis, cum Moabitarum puellis scortari, & ad sacrificia deorum inuitati epulari cum illis cœperunt, atque ita cum Baalphegore consuetudinẽ habuerunt. Iussit ergo Dominus MOSI, ut omnes Reip. principes contra solẽ suspenderet. Moses iudicibus id dedit negotij, ut quotquot cum Baalphegore consuetudinem habuissent, interficerentur. Populus pro oraculi tabernaculo stans flebat. Superuenit Zambris, Salu F. Simeoniæ familiæ primarius, & adduxit Cozbin, Suris Madianitarum principis F. cumque eã in conspectu Mosis & uniuersæ multitudinis in prostibulum ingressus est. PHINEES igitur Eleazari F. Aaronis nepos, è turba surgens, arrepto iaculo ambos transuerberauit, per uentrem ipsius mulieris. Quo facto, cohibita est clades Israelitarum, mortuis in ea clade uigintiquatuor millibus hominum. Dominus uerò cum Phinee propter hũc zelum pacis iniit fœdus, ut & ipse & posteritas eius perpetuum sacerdotium gererent. Numeri 25.

Cùm Madianitarum mulieres Israelitas ad scortationem & idololatriã pellexissent, & propterea magna clade à Domino essent affecti: ex Domini præcepto Moses PHINEEM Eleazari pontificis F. cũ sacris telis & tubis, 12 millibus præfecit, & in Madianitas misit. Interfecerunt igitur omnes Madianitarum mares, urbes incenderunt, prædam hominum simul & animaliũ abegerunt, præda adducta, Moses quoq; omnes mares impuberes & feminas auctores idololatriæ interfici iussit. Solis uirginibus pepercit, easq; unà cum præda inter Israelitas diuisit. Et in tanta clade Madianitarum ne unus quidem Israelitarum occubuit. Numeri 31.

Matthæo Theoderici principis Flãdriæ filio, propter Mariam abbatissam Rummesiensis cœnobij, Stephani Anglorum regis filiam, in uxorem ductam, aqua & igni interdictum fuit à SAMSONE Remorum præsule: sed Maria in monasterium, postquam duas ex eo progenuisset filias, remissa, interdictum cessauit, & aperta ob hoc quæ clausa erant templa. Chronicon Flandriæ.

VIENNÆ Austriæ locus in urbe sacer, quò sacris uirginibus asciscuntur prostitutæ. Cæterùm si qua promissam castitatem fallat, in profluentem Danubij uiua præcipitatur. Sabell. lib. 3. En. 10.

PIVS II. Pont. Max. Martialẽ Gallum, quòd uirginẽ incestasse Vestalẽ ferebatur, præfectura amouit, quanquam scelus nõ constaret: subdens, in religione præfectos suspicione nõ minus uacare debere, quàm crimine. Campanus in eius uita.

PRAGÆ in Boemia anno Christi 1530. Iudæus, qui cũ Christiana rem habuerat, dolio picato per foramen uirile pudendum indere iussus, serrato & obtuso cultro iuxtà apposito, cùm ui caloris torqueretur, sibiipsi partes per quas peccauerat, amputauit: cumq; cruentus fugeret, immissis atrocissimis canibus laceratus est.

Simoniæ.

Gihezis famulus ELISÆI prophetæ, cùm uideret dominum suum munera à Naamane Syro à lepra curato oblata respuisse: ipse clàm Naamanẽ insecutus, domini iussu se uenire simulauit: uenisse enim ad eũ duos uates, & petere ut eis daret argenti talentum, duasq; uestes: Naaman duo talenta & totidem uestes dedit. Elisæus re cõperta, ei maledixit, uti lepra Gihezim eiusq; familiam semper affligeret. 4. Reg. 5.

PETRVS apostolus Ananiam & uxorem eius, ob suppressam pecuniæ ad pedes Apostolorum deponendæ partem, horrendæ mortis prædictione puniuit. Idem Simonem magũ, argento Spiritus sancti dona emere cupientẽ, anathematis diro fulmine à se reiecit. Cuius tanta fuit abominatio, ut etiamnum à Simone uitium hoc nomen seruarit.

NICOLAVS II. Pp. in Lateranensi Concilio hoc decretum sanciuit, quòd in decretis extat: Si quis pecunia, uel gratia humana, aut populari, militaríue tumultu, sine concordi & canonica electione Cardinalium, fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed apostaticus, id est, à ratione deficiens, meritò uocetur: liceatq; cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à sede Apostolica propellere: atq; quouis in loco, si in urbe non liceat, catholicos huiusce rei causa congregare. Platina.

Bambergensem episcopum HENRICVS IIII. ambitus condemnauit, albo pontificum erasit, Rupertumq; substituit. Sic & Brunonem, quem Metensibus dederat episcopũ, ob sæuitiã deiecit. Anno 1070. pleriq; antistites monachorum, & episcopi, nempe Sigebertus Hildesheimẽsis, Carolus Cõstantiensis, episcopi: Rupertus, Luitpoldus atq; Luitpertus, præsides Augienses, præsidente Cæsare, quòd cãdidati munere suffragatores parauerant, ambitus condemnati, sacerdotiis atq; dignitate exciderunt. Auent. lib. 5. Annalium.

Euidenti prodigio damnatus simoniaco crimine fuit archiepiscopus Ambrunensis, ab HILDEBRANDO apostolico Legato (qui pòst Gregorius VII. in pontificatu dictus est) Nã cùm simoniacum crimẽ factũ negaret Archiepiscopus, Legatus aũt affirmaret, quia Spiritus sancti episcopalis dignitas munus esset, illi ipsi se hoc iudicium remissurũ esse: & propterea ab Archiepiscopo peteret, ut clara uoce uersiculũ recitaret, qui ab Ecclesia in omnium Psalmorum fine dici solet, Archiepiscopus conditionem accepit. Cùm autẽ recitando ad Spiritus sancti nomen uenisset, implicata ad dentes lingua, illud uerbum enunciare nunquam potuit. Itaq; ob eam rem damnatus est: & quod ante damnationẽ exprimere non potuit, post damnationem ab episcopatu deiectus, planè pronunciauit. Fulg. lib. 8. cap. 1.

Petrus Papiensis, archiepiscopus Florentinus, ob simoniæ notam à IOANNE Gualberto, uiro morũ sanctitate insigni, qui primus Vallisumbrosæ monachalem congregationem instituit, cùm esset grauiter increpatus, re ad populum, ut diiudicaretur, deducta: Ioannes pòst peracta missæ solennia, cùm ita conuentum esset, itinere habito inter duas lignorum succensas pyras, inter quas uni tantùm peruius limes erat relictus, uiuus, atq; nulla in parte læsus euasit. Itaque & prodigij magnitudine, & simul ut populi impetus compesceretur, Petrus ab Alexandro pontifice à Florentina ecclesia deiectus est. Idem.

PETRVS Albanensis episcopus, illæsus per pyram ardentem transiens, Simoniæ reum comprobauit Petrum Florentinorũ episcopũ: unde postea Igneus est appellatus. Vrsperg.

Quoniam libido ea inter ciues Venetos creuerat, ut quamplurimi sacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, Romæ coemerent, qua in urbe eius rei consuetudo facultasq; ab Alexandro VI. Pp. instituta latè palamq; inualuerat, DECEMVIRI Veneti sanxerunt, si quis in posterum id faceret, eius bona fisco inferrentur, ipse ab urbe atq; urbis finibus quandiu uiueret, exul esset. Bembus libro 4. Historiæ Venetæ.

Vindictæ.

VICTOR Afer pontifex max. sub Commodo iis qui ob acceptam iniuriam aut uetus odium reconciliari recusassent, sacris interdixit, anno 194. Volat. lib. 22. Anthrop.

Scurrilitatis.

PETRVS Damianus, Cardinalis Hostiensis (qui pòst eremita factus est) Florentino episcopo, quòd Scachorum ludo præfuisset, ter Psalterium meditando percurrere, ac XII pauperum pedes cum totidem numismatum erogatione & recreatione lauare, pœnitẽtiæ loco iussit. Testis ipsemet in Epist.

Insectationis qualiscunque.

☞ *Consule Titulum Persecutorum: quatenus Pœnarum quoque ibidem fit mentio.*

Duo semicenturiones, cum L militibus singuli, igni cœlitùs demisso absumti, cùm HELIAM comprehendere uellent, iussu Ochoziæ regis Israelitarum, cui mortem uates prædixerat, ob consultum Beelzebubum Accaronensem deum in sua infirmitate. 4. Regum 1.

Chrysaphius eunuchus, cùm contra Flauianum episcopum Constantinopolitanum multa grauia machinatus esset, eo quòd Eutychetis hæresi consentire nollet: THEODOSIVS iunior Imp. eum dignitate priuauit, bonis exuit, & in exilium eiecit. Quò tamen priusquam ueniret, diuina ultione in mari oppressus interiit. Niceph. lib. 14. cap. 49.

Vandali cùm magnam crudelitatem erga Christianos in Libya & uicinis locis exercerent, eam Deus punire uolens (siquidem tunc per annos 95 durauerat, à quo Gensericus primam irruptionem cum suis Barbaris in hāc terram fecerat) episcopo cuidam Orientali per uisionem mandauit, ut IVSTINIANO Imp. author esset Vandalici belli suscipiendi, pro liberatione Christianorum in Libya. Is ad Iustinianum ueniens, mādatum diuinum ei exponit. Eâdem uerò nocte Iustinianus quoq; in somno hac de re admonitus est diuinitùs. Ideoq; circiter æstiuum solstitium misit Belisarium ad bellum Carthaginense suscipiendum: quod is magna cum alacritate tribus mensibus, capto Gilimero eorum rege, cōfecit. Nicep. lib. 17. cap. 12. Procopius de bello Vandalico lib. 3. Paulus Diaconus lib. 16.

Amalaricus Vestgothorum rex, Arianus, quia uxorem suam Clotildim ob Christianismū acerbè insectabatur, à CHILDEBERTO rege Francorum, uxoris fratre, uictus & occisus est. Procopius lib. 1. Turonensis lib. 3. cap. 9.

Sacrilegij.

Achan Charmis F. ex tribu Iuda, cùm in Hierichuntis excidio de præda Domino deuota chlamydem Babylonicā, ducentos argenti siclos, aureamq; linguam quinquaginta siclos pēdentē clàm in suo tabernaculo defodisset, & propter hoc sacrilegiū Israelitæ ab Haiensibus turpiter fugati essent: IOSVA dux Israelitarū, sacrilegij deprehēdēdi causa primùm in tribus sortitionē fecit: exiit ergo trib. Iuda. Capta deinde tribu, sortitus est in eius cognationes: & cōperta Zarana cognatione (Zaræ aūt pronepos erat Achan) sortitus est in uiros: designatoq; Zabdi sortitus est in eius domū uiritim: & tūc sors cecidit in Achan. Qui suū peccatū cōfessus, ab Israelitis in uallem Achoris ductus, lapidatus est. Iosua cap. 8.

CLODOVEVS Francorum rex, uicto Syagrio Aegidij regis F. Suessiones illi fauentes diripuit. Rhemis finitima ciuitate temperatū: nisi quòd cùm ad eā diem ædes sacræ ueneratione & inopia tutæ inuiolatæq; mansissent, tunc miles quidā Francus è templo calicē rapuerat. Gallis ueterib. dolori erat initiū spoliandi fana fieri: & D. Remigius episcopus sacerdotes misit, qui ea de re apud Clodoueū licet gentilem agerent, causamq; religionis Christianæ defenderent. Rex ipse proceresq; facilè exorabantur: cumq; placuisset in medium referri prædam, ut (qui mos gentis erat) pro cuiusque uirtute ea diuideretur, ac omnes milites ob id cōuenissent: Clodoueus auctor erat ut calix seponeretur, Remigio reddendus. Miles, siue uæcordia ingenij, siue sacrilegij pœnis agentibus, in medium progressus, ferociter negat religioni alienæ restituendum uideri, bello uirtuteq; partum: simul, ne quid furoris deforet, calicem hasta (anchonam patria lingua Franci uocitabant) petit. Dissimulauit in præsentia iram rex, suo tempore maiore acerbitate erupturam. Consensu optimatium redditus nostris calix. Anno circumacto cùm recenseretur exercitus, idemq; miles in armis prodiret, oblitum contumaciæ regem ratus: tum Clodoueus hastam eius quasi inspecturus cùm prehendisset, inutilem bello dictitans, in terrā proiecit: illumq; euestigiò eam tollere conatū, demittentēq; se, elata altè securi, quo telo reges utebātur, in caputq; deiecta, strauit, reperitūq; interemit. Aemili9.

HENRICVS V. Anglorum rex, bello Gallicano, cùm accepisset, militem quendam rapuisse de templo uasculum, in quo eucharistia asseruabatur: fertur iussisse agmen consistere, ac non priùs illinc abire permisisse, quàm restituto uasculo, miles persoluisset capite pœnas. Polyd. lib. 22.

Rapinæ.

Ab LVDOVICO iuniore Francorum rege duo Gulielmi Aniciensis Cauillonensisq; Comites, ecclesiis suis infesti, armisq; inerme sacerdotiū oppugnantes, armis coerciti sunt. Aniciensi primo terrore domito uenia data, patrimoniūq; restitutū. Cauillonensis pertinacioris amentiæ uir, Cluniacenses monachos cum cruce ac uestimentis supplicum ad mouendam misericordiam eius occurrentes, indignis affecerat modis: fractus armis ab rege potius quàm domitus, uitam quidem impetrauit, sed comitatu spoliatus. Fama celebris est, Cauillonensem comitem, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodam in equo pro foribus sedente euocatum exisse: coactumque euestigiò cōscendere, è conspectu procul raptum, nec deinceps usquam comparuisse. Et Niuernensium comitem immunitatis ecclesiarum hostem, obtorquente sponte se in terga uultu obiuisse. Aemilius lib. 5.

In Francia summi proceres profani locupletissimorum cœnobiorū opes beneficio regum acceperant, ac monachis tantum in sumtū suppeditabant, quantum necessarius usus postulabat: ex eisq; ipsi deligebant, qui non Abba (nam id sibi nomen uelut amplissimū arrogabant) sed Decurio uocitaretur. Permultas ætates is mos tenuerat. Iam episcoporū iura inuadebant. CAROLVS itaq; Simplex, coacto cōcilio, diuitias Pontificum sanctas esse constituit. Aemilius lib. 3.

CONRADVS Imp. Othonem de Vuitelsbach cum uxore & liberis (quòd prædia sacerdotū, à quibus curatione templorum motus erat, diriperet) apud Kelhaim regiam inferioris Boiariæ, circumsedit, ad deditionem coegit: Othonem filiū maximum natu obsidem dare, tutela sacrarum ædium se abdicare coegit. Auent. lib. 6. Annalium.

Adenulfus Aquinatum princeps, Cassinensium cœnobio erepta prædia, repetente Aligerno abbate reddere nolebat: quin potiùs Abbatem captum, Aquinum deduxit, ac ursina insutum pelle in loco publico canibus uenaticis exposuit. LANDVLPHVS Capuanus princeps mādat Adenulpho Capuam uenire, ibique suorum factorum rationem reddere. Adenulpho suæ causæ diffidente, neq; comparente, Capuanus Aquinum contendit: & scelestum hominem, ut se dederet, coegit. A' propria igitur coniuge (sic enim fieri uoluerat Adenulphus) fune in collum iniecto, uinctus Capuano principi traditur. Quem statim Princeps uinctum abbati, ut pro suo de ipso statuat arbitrio, concessit. Adenulphus abbati cuncta, quæ rapuerat bona, monasterio Cassinensi restituit, datis ea de re literis abbati: sicq; dimissus est. Huius Adenulphi malo edocti alij, quibus monasteriorum bona in deliciis erant, ablata restituere non sunt cunctati. Hostiensis lib. 2. cap. 1.

Cædis.

☞ *Vide infrà, Efficientis respectu, qui corrigitur, Iudæi.*

Andronicus Antiochiæ præfectus, cùm donis Menelai corruptus fratrē eius Oniam pontificem, contra datā fidem interfecisset: ANTIOCHVS Epiphanes rex, licèt impius, re cognita, cùm Oniæ sanctitatē iampridē perspectam habuisset, lacrymis etiam profusis, Andronicum confestim purpura exutum, & uirgis cæsum, in suburbium Daphnes, ubi Oniā interfecerat, eductum excarnificauit. 2. Mach. 4.

Iulianus Iudæorum dux crudelissimus, Christianorum hostis, à IVSTINIANI Imp. exercitu cæsus est. Eius sectator Syluanus Scythopoli captus & uiuus exustus fuit, quemadmodum ei Sabas monachus Hierosolymitanus prædixerat. Nicephorus lib. 17. cap. 24.

Dunaan Pseudomosen, qui crudeli tyrannide Negram Arabiæ oppidum ob Christianam religionem deleuerat, ELESBAAS Aethiopum rex, pro singulari suo in Christum amore, Iustino Imperatore comitante, bello est persecutus: eumq; prælio deuictum, cum aliis multis genere illi coniunctis uiuum cepit, ferro cæcidit, & ita omnem eius expugnauit & prorsus deuastauit regionem. Niceph. lib. 16. cap. 6.

VIGILIVS Pp. ob interfectum à Clothario uel Childeberto Gallorum rege, Gualterium Iuetoti dominum, eius successores & hæredes esse uoluit, iussit reges Iuetoti. Vide Titul. Vindicta sæua diu dilata.

In Boiaria diuum Heimeranum Landobertus, propter suspicionem stupri cum Vta sorore, crudeli morte necarat. At patefacta innocentia eius, THEODO dux Bauariæ filiam Vtam in Italiam relegauit: & fugit Landobertus ad Auares & Hunnos, ubi exul obiit. Exinde omnis soboles eius à ducatu & fastigio Boiariæ deturbata, & in equestrem ordinem redacta est. Auentinus in Annalibus Boiorum lib. 3.

Ob interfectum Vernerum, Plocensem episcopū, qui cùm de pago lite habita, causa deciderat, Bolestæ Polono uiro primario sacris interdixit PETRVS Gnesnēsis præsul. Princeps uerò Polonorum, BOLESLAVS Crispus, ipsum cōprehendi, & in foro Gnesnēsi extructo rogo uiuū cremari iussit. At Benassus, cuius manu perpetrata fuerat cædes, nusquā postea cōparuit: creditumq; est, eum terræ hiatu absorptū, meritum episcopo supplicium expendisse. Cromerus lib. 6.

Rusticos Saxones, qui duos Eualdos monachos Christū prædicantes interemerant, SATRAPA eius loci omnes trucidauit, & uicum ipsorum incendio perdidit. Beda lib. 5. Anglicæ historiæ Ecclesiasticæ, cap. 11.

Negligentiæ Baptismi.

HENRICVS II. Gallorum rex edictū sanxit anno MDLVI. quo mulierem eo loco haberi iubet, ac si fœtum occidisset, ac morte affici, quæ grauiditatem partumq; cælando, fœtum sine baptismo siuerit emori, neq; testimonium cuiusquam adhibuerit: fidemq; haberi uetat dicenti, mortuum fœtum ex utero prodiisse. Bodinus lib. 4. Dæmonom. cap. 5.

SECVNDVM MATERIAM CONSIDERATA CRIMINVM CASTIGATIO. Respectu

PERSONARVM, CONTRA QVAS commissa sunt crimina. Puta erga

Deum.

☞ *Ex præced. Titulis huc non pauca referenda, quæ contra Deum immediatè committuntur.*

Prophetas.

Bethelenses pueri XLII. ab ursis, ab ELISÆO propheta euocatis, dilaniati sunt, eo quòd prophetam irrisissent. 4. Reg. 2.

Episcopos.

Cùm Felix archiepiscopus Rauennas ordines à Romano Pontifice accepisset, cogereturq; de more formulam obtemperandi scripto, & pecuniam Romam mittere, neq; id præ arrogantia faceret: IVSTINIANVS II. Imper. re cognita, Theodorum patricium classis præfectum statim admonet, ut primo quoq; tempore ex Sicilia in Rauennates moueat. Is Rauennates prælio superatos, maximis affecit cladibus, & Felicem catenis uinctum Constantinopolim misit: quem postea Iustinianus in Pontum relegauit, orbatum priùs luminibus, æneo uase concauo, ac quidem candente, diu inspecto. Platina in Constantino I.

INNOCENTIVS I. pont. max. quum accepisset, Io. Chrysostomum patriarcham Constantinopolitanum ab Arcadio Imp. Eudoxiæ uxoris astu in exilium pulsum, Theophilūq; illi subrogatum: Arcadium admonuit, ut Chrysostomū reuocaret: quod nisi quamprimùm faceret, tunc sese & Eudoxiam uxorem pro certo sciret, extra communionē Christianam eiectos esse, in ordinemq; redactos. Egnat. li. 6. c. 3.

Monachos, Abbates.

CAROLVS Magnus, apud Occitanos Abbatem monasterij Gratiæ sacrā obeuntem interfecit, quòd ueteranum quendam in cœnobij alimenta suscipere detrectasset. Sed pòst facti pœnitens, expiationis loco amplissima passim Ecclesiis & monasteriis donaria contulit. Claudius Seisselius in Ludouici XII. historia, acroasin hanc eius loci cœnobitis acceptam refert, à nullo alio historicorum traditam.

Filios.

Fuit sub Iustiniano Constantinopoli Iudæus quidam uitriarius, cuius filius cum Christianorum pueris in templo corpus & sanguinem Christi acceperat: ob eam rem pater puerum in furnum ardentem coniecit: ibi per triduum illæsus, & ab igne intactus est conseruatus. Hoc cùm IVSTINIANO Imp. narratum esset, filium quidem & matrem lauacro regenerationis illuminatos seruauit, parentem uerò in Sycis tanquam parricidam filij capite multauit. Euagrius lib. 4. cap. 36. & Sigebertus in Chronico.

Hostes religionis.

☞ *Consule Tit. Persecutorum, quatenus hi ipsi repressi sunt ab aliis.*

CONSTANTINVS oēs Impp. Christiani nominis hostes, Maxentiū, Liciniū domuit, iisq; deuictis pacē Ecclesiæ peperit. Nicephorus, Zonaras, Sozomenus, Socrates.

Petrus quidam Iudæus ad Christianismum conuersus, sequenti die baptismatis sui ipso Paschate, imaginē Christi & Virginis unà cùm cruce & birro albo, quo, de fonte surgens, indutus fuerat, quorundam petulantium caterua stipatus, in synagogam Iudæorum, quæ Caralis sita est, intulerat. Ea de insolētia à Iudæis monitus D. GREGORIVS Magnus Pp. Ianuario episcopo Caralitano scribit lib. 7. Epist. 5. zelum hunc sine scientia esse: in eo potiùs elaborandum, ut à Iudæis obtineatur uelle non reniti, quàm ut adducantur inuiti: quia scriptum sit Psal. 53. Voluntariè sacrificabo tibi, id est, ex uoluntate mea confitebor tibi. Proinde iubet, ut sublatis imaginibus & cruce, synagoga libera Iudæis restituatur. Item lib. j. Epist. 34. Petrum Terracinensem episcopum, qui Iudæis synagogam disturbarat, monet, ut admonendo & suadendo potiùs, quàm persequendo & cogendo, ad fidem eos deinceps traducere laboret. Eodem lib. 45. ad Virgilium & Theodorum episcopos Massilienses, Iudæos inuitos ad baptismum non esse pertrahendos.

Hæreticos.

☞ *Vide suprà, Auersatio, quo ad Conuersationem, Communicationem.*

RERVM, QVÆ PER CRIMEN VIOLATÆ SVNT. CRIMINIS castigatio commissi in

Libros sacros.

Miles Romanus ob libros Mosis laceratos à CVMANO Iudeæ præside securi percussus. Vide Tit. Seditionum.

Sacra, uel

Non obita, neglecta.

Quendam pridie feriarū D. Martini CAROLVS Magnus designatum episcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & mero sese nimiū onerans, somno deinde oppressus, noctu diuinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio mouit: intolerabilem negligentissimumque fore ratus, qui ne primo quidē die sibi tēperaret. Auentin. lib. 2.

CONRADVS mendicus Elizabetham reginam ob non audita sacra uirgis cædi iussit. Vide Tit. Admonitiones piorum hominum audire.

Violata.

Suatocopij filius, ultimus Morauorum rex, uenationē aliquādo facturus, archiepiscopo METHODIO imperauit, ne antē suum reditum diuina perageret. Expectauit Methodius ad meridiem usque. Tandem negligi rem diuinam ueri- [illegible] eo sacrificium c[illegible] ne neglectū [illegible] ... dem, multitudinem [illegible] introduxit, tubasque [illegible] iubens, ad altare usque progressus, conuitia multa ingerens, uix manus à uiolatione sacerdotis abstinuit. Ob quam rem, paucis pòst diebus Methodius in Boemiam fugiēs, regi regnoq; sacris interdixit. Itaque non solùm archiepiscopalis sedes in Morauia defecit, sed regnum quoq; extinctum est, partem Germanis ac Boemis, partem Polonis atq; Hungaris diripientibus. Aeneas Syluius in hist. Boemica.

Boso rex Arelatensium ultimus, ab OTHONE I. Imp. capite damnatus est, eo quòd episcopo suo, qui contra illius mandatum in ipsius absentia sacra celebrauerat, inter sacrificandum natiuitatis Christi die alapam impegisset. Munsterus lib. 2. Cosmog. de Arelato.

Vladislaus Iagello Poloniæ rex, contra Cruciferos Prussos Lituanorum auxilia ducebat. Dira ac detestanda scelera Lituani atq; Tartari in excursionibus atq; populationibus pagorum patrabant, matronas atq; uirgines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebāt: & quodam loco hostiam sacram, quæ in templis de more asseruatur, de argenteo ferculo profanè in terram abiecerant. Id ubi resciuere POLONI, fremere cuncti: & ni plectantur sacrilegi, militiam se deserturos esse, populariter minari. Hoc clamore & fremitu commotus rex, auctores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Lituani, Viroudi iussu ipsi sibi patibulū erexerunt: & suis uterq; manibus, patrio more, sese suspenderunt: obiurgantes sese mutuò, ne sua cunctatione iram principis in se magis accenderent: quasi is atrociùs etiam aliquid in eos posset statuere. Cromerus lib. 16.

Signa, Imagines.

Sigebertus in suo Chronico annotat, Iudæum quendam Beryti imaginem Christi furtim è templo raptam telo transfixisse, ac secum domū detulisse, ut flammis exureret. Verùm subitò animaduertens se sanguine imaginis esse cruentatū, præ timore & stupore abscondit. Hanc CHRISTIANI requirentes, & per uestigia sanguinis inuenientes, eā sanguinolentam receperunt, ipsum uerò Iudæū lapidib. obruerunt.

Templa direpta, profanata.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Incestus religiosi, quatenus pœnarum ab hominibus inflictarum exempla continet.*

Ioannes Iudæ F. pontifex Hierosolymitanus, Iesum fratrē suū sacerdotiū affectantem per iurgium in templo occidit. BAGOSES Artoxerxis dux, qui Iesu fauebat, ob id scelus populo libertatem per septenniū eripuit, & uel inuitis Iudæis templū suo ingressu profanauit, tributaq; imposuit, ut priusquā quotidianas hostias offerrent, in singulos annos ex publico L drachmas penderent. Iosephus lib. 11. Antiq. c. 7.

CHRISTVS Dominus ante passionem suam Hierosolymam ingressus, super pullum asinæ, acclamantib. turbis Osanna, è templo eiecit uendentes & ementes. Matth. 21. Marci 11. Lucæ 19. Ioan. 21. Post dies aliquot eos rursus eiecit. Matthæi 21. Marci 11.

Quum Hungari, regem suum VLADISLAVM contra Turcas proficiscentem sequuti, ne à sacris quidem & Bulgarorum templis diripiendis abstinerent, id ægerrimè rex tulit: exclamans, multo plus Deo quàm armis confidendum, & arma per deos sumta non esse sacris inferenda. proinde oblata sacris reddi edixit, sacrilegij pœnas interminatus. Bonfinius lib. 6. Decad. 3.

Festa uiolata.

MOSES Exodi 31. capitali pœnæ subiecit eos qui sabbatū uiolarent, ea potissimùm de causa, q̃ mundi creationem sabbathi uiolatione in dubium reuocare uiderētur, ut Rabbi Moses Aegyptius scribit. Io. Bodinus Methodi hist. cap. 8.

Israelitarum quidam, dum in solitudine essent, deprehēsus est die sabbathi lignans. In custodiam ducitur. Cùm autem nō constaret quid de eo faciendum esset, consultus Dominus, respondit eum necandum esse. Eductus igitur extra castra, ab uniuersa multitudine ISRAELITARVM lapidatus est. Numeri cap. 15.

CVNEGVNDA Imperatrix Vtam neptem, quam Confugiensibus abbatissam dederat, die festo epulis cum suis monialibus indulgentem deprehendēs, colaphum ei impegit. Cuius deinde uestigia semper in facie hęsere. Chrō. Bābergēse.

SECVNDV'M EFFICIENTEM, SIVE RESPECTV PERSONARVM. Sic religiosæ animaduersioni subiiciuntur

PONTIFICES.

HENRICVS III. Imp. cum exercitu transiit in Italiam. Celebri inde antistitum conuentu, quem Romę habuit, Benedictum IX. [redacted] Gregorium VI. [redacted] & Syluestrum III. [redacted], coegit se dignitate abdicare. Sindegerum Bambergensem antistitem, pontificem creauit, qui se Clementem II. dixit. Sab. lib. 2. Enn. 9. Idem Vuidgerum, qui biennio ineptè & crudeliter, necdum consecratus, Rauennatensem tenuerat sedem, loco mouit, anno MXLVI. Hermannus Contractus.

Crescentius Consul Romanus, deiecto Gregorio V. Ioannem XIIX. Pontificem designarat. OTHO III. Imp. obsessos in mole Hadriani hostes cepit. Ioannes oculis, auribus, naribus, dignitatibus, deniq; uita etiā priuatus est. Flores temporum Honorij, & Auentinus, habent, quòd de Capitolio præcipitatus sit: indeq; esse, ut nulli pontifici Capitoliū inuisere liceat. Crescentius uerò iumento uili impositus, uerso ad posteriora uultu, spectaculi loco in urbe circumductus, eiusq; membra paulatim præsecta, tandem ante urbis mœnia de patibulo suspensus fuit. Nauclerus, Bonfinius, & Antoninus.

Deiecerant in Concilio Constantiensi PATRES Ioannē XXIII. pontificem. Erant duo alij Antipapæ, Gregorius XII. & Benedictus XIII. Vt igitur abrogationem à se factā, ueram & integram iudicarent omnes, synodicum decretum promulgarunt, quo affirmabant, Concilium generale legitimè congregatum, habere statim à Christo potestatē. Quo fundamento posito, ipsum etiam pontificem Cōcilio subiiciebant. Quare Gregorio necesse fuit, suadente etiam Imp. Sigismundo, unum aliquem ad Concilium mittere, cùm ipse proficisci recusaret, qui suo nomine Concilij sententiam approbaret. Missus itaq; Carolus Malatesta, cùm uideret omnes in hanc sententiam uenire, ut Gregorius quoq; pontificatu se abdicaret: in publicum prodiens, ac in sede Gregorij non aliter extructa, ac si ipse adesset, collocatus, perlecta renunciandi facultate, Gregorium pōtificatu abdicat. Quē statim cōuentus omnis pro tam libera abdicatione, agri Piceni legatum creauit. Principes quoq; Hispaniæ cernentes pertinaciam Benedicti, Concilij opinionem secuti, in reliquorum sententiam uenere. Platina.

SIGISMVNDVS Imp. indicto Constantiæ Concilio, ut schisma trium Pontificum tolleretur, peragratis uniuersæ penè Europę prouinciis, toto triennio, incredibili labore omnes principes, reges ac pontifices adiit, quo schisma Christiano nomini calamitosissimum, regum & uniuersæ Christianitatis principum & oratorum consensu tolleretur: omnes obtestatus, ut per se uel suos oratores Constantiæ conuenirent, cum pleno (ut aiunt) mandato. Itaq; eò tantus numerus confluxit, ut XCIX millia excedere uideretur. Deiectis ergo tribus pontificibus Ioanne XXIII. Benedicto XIII. & Gregorio XII. totius concilij assensu, electus est Pōtifex MARTINVS V. cùm iam productum esset concilium ad annū MCCCCXVII. & annis durasset penè quatuor, compositis principum ecclesiasticorum & secularium discordiis. Vt autem mores corrupti uniuersi orbis Christiani emendandi commodiori & tempore & loco castigarentur, decretum fuit, ut à fine concilij Constantiensis ad quinquenniū usque denuò concilium celebraretur. Vtque à quinquennali in septennium aliud transferretur, ab hoc in decennium. Ita ut singulis quibusque decem annis concilium haberetur generale in loco idoneo: estque Papia urbs pro primo, Basilea pro secundo concilio designata. Itaq; consensu Imperatoris, anno MCCCCXIIX. dissolutum est concilium. Cuspinianus.

EPISCOPI.

ATHANASIVS ex monacho Patriarcha Byzantinus factus, ecclesiasticos Constātinopoli inuētos, in suam quenq; metropolin abegit. Dicebat enim, æquum esse, ut præsentes ouium suarum curam agerent, non autem emolumentis inde acceptis in urbe morarentur. Gregorius lib. 6.

INNOCENTIVS VI. constituit, ut omnes prælati, omnesq; qui beneficia habebant, ad ecclesias suas sub anathematis pœna proficiscerentur. Dicebat enim oues pascuas à proprio pastore, non à mercenario custodiri debere. Platina.

LEO IV. pontifex maximus, cardinalatus honore Anastasiū tituli S. Marcelli priuauit, quia contra Canones quinquennium à parochia sua abfuerat. Fulgosus lib. 6. c. 3.

Quendam pridie feriarū D. Martini CAROLVS Magnus designatum episcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & mero sese nimiū onerans, somno deinde oppressus, noctu diuinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio mouit: intolerabilem negligentissimumq; fore ratus, qui ne primo quidem die sibi temperaret. Auentin. li. 2.

MONACHI.

MANVEL Comnenus Imp. cùm in Ponti faucibus, loco qui Catascepe dicitur, Michaeli archangelo sacrum condidisset cœnobium, celeberrimos quosq; & pręstantissimos monachos ibi collocauit, ea ratione, ut solitariam & quietam uitam possent degere. Cùm enim monachos possessionib. & negotiis turbatos, & tranquillitate animi & Dei cultu excidere intelligeret: nullas eis uineas, nullos agros, nullas possessiones, assignauit: sed ex fisco tantū pendi iussit, quātum ad uictum & cultum opus esset. Sanctionem Nicephori Phocæ Imp. olim abolitam, de non augendis monasteriorum latifundiis, quasi postliminiò reuocauit: neq; patrē, auum, cæterosq; cognatos suos, qui monasteriis amplissima prædia donarant, incusare destitit, non quòd de suis opibus aliquid Deo consecrassent, sed quòd rem bonam malè administrassent. Nā cùm monachis habitationes in abditis & desertis locis, in antris & montium cacuminibus assignandæ essent, & Constantinopolis tanquam Sirenū scopuli uitanda: gloriola ductos, incrustata sua sepulcra, & uario marmore exornata, iis qui templa ingrediantur, spectāda proposuisse: & mortuos quoq; coronari se, & hilari splendidoq; uultu conspici uoluisse: & in foro ac triuiis monasteria ædificasse, & nullo cum delectu uelut in cauea cōclusisse eos, qui monachos non ultra tonsum capillum, & mutatum habitum promissamq; barbam exprimerent. His igitur de causis, siue ut monasticam sanctimoniam nutantem, ac potiùs humi ferè prostratam fulciret: siue metuens, ne ea ipse facere diceretur, quæ reprehenderet, rationem à suis maioribus diuersam est secutus. Nicetas Choniates lib. 7.

HENRICVS II. Imp. monachos Fuldenses, qui uitæ turpissimæ emendationem planè respuebant, omnibus exuit bonis: eosq; huc illuc fugere compulit, anno MXIII. Chron. Saxon. & Trithemius in Hirsaugiensi Chronico. Auentinus lib. 5. idem ab Imp. etiam alibi factum ait, relictis modò iis, qui ad Regulæ obseruationem sese obstringerent.

FERDINANDVS & Isabella reges Hispaniæ, omnes, q Claustrales dicuntur, liberè uagantes, ad obseruantium normam & honestiorē uitam compulēre. Moniales item, quæ licentiùs uagari consueuerant, à uirorum consuetudine, & monasteriorum suorum exitu prohibuere. Marineus libro 19. rerum Hispan.

MONACHÆ.

CVNEGVNDA Imperatrix suam ex sorore neptem Confugiensib. prefecerat Vtam: cui luxus & regiæ lautitiæ magis, quàm religio, curæ erant. Hanc cùm Imperatrix aliquando die festo, omissis sacris, pocula cum suis monialib. tractare offendisset: tanto impetu ei colaphum infregit, ut digitorū uestigia in maxillam impressa, postea nulla potuerint curari arte. ut in historia Bambergensi scribitur.

Morauorum rex, Suatocopi F. uenatū aliquando iturus, mandauit, ne ante suum reditū sacra peragerentur. Expectauit METHODIVS episcopus regem usque ad meridiem: tandem rem diuinam peregit. Interea reuersus princeps, in sacram ædem canes uenaticos intromisit: tubasq; clangere iubens, ad altare progressus, multis episcopum conuitiis petiit, ac uix cruentas continuit manus. Methodius regem excommunicationis feriens fulmine, uniuersoq; regno sacris interdicens, in Boemiam fugit. Aeneas Syluius in Boemica historia cap. 13. Ibi Vuorziuoum (quem Nauclerus Borsinoum uocat) Boemiæ ducem, eiusque coniugem Ludimillam baptismi sacris initiauit, anno Sal. DCCCCV. ut Schedelius habet. Nauclerus circiter annum Sal. DCCCCXXXI. id factum asserit.

REGES, PRINCIPES.

Ex loco Seueritatis hæc exempla, religionem iunctam habentia.

IV-

IVDÆI.

CONSTANTINVM Magnum constat Iudęis fuisse infensissimum. Extat epist. apud Theodoretum lib. 3. c. 10. in qua appellat eos inimicissimam turbam, & dicit eos Dominū interemisse, & mentibus captos esse: & non ratione, sed cæco impetu duci, eaq; amplecti, quò quemque insita rabies sua impellat. Cùm autem eos, qui ex eorum numero ad Christianam transirēt religionem, lapidibus obruere cœpissent: Constantinus legem, constituta graui pœna, nimirū cremationis, tulit, ne quid molestiæ inferrent iis, qui deserta Iudaica superstitione, ueram doctrinam amplecterētur. Extat ea lex in Codice, de Iudæis & cœlicolis.

Patris exemplum sequuti FILII Constantini, nec ipsi Iudæis admodum deditì fuēre: & quamuis nō prorsus Iudæos esse uetarent, aut eos suo imperio eiicerent, tamen cauebant legibus, ne ij qui ex Iudæis nati non essent, eorum collegio & hæresi associarentur. Quare edicebāt, ne quis Iudæus seruum aliquem ex alia hæresi emeret. quod si quis transgrederetur, futurum illum publicum seruum. Si uerò aliquis non modò emisset, sed etiam circumcidisset seruum ex alia hæresi emtum, capite plectendum eum esse, bonis omnib. confiscatis. Sozomenus lib. 3. cap. 17.

Imperatores, etsi Iudæos esse passi sunt, tamen legib. cauerūt, ne quenquam, pœna proscriptionis omnium bonorum, & perpetui exilij, hominem Christianæ fidei circumciderent. l. 15. C. de Iudæis. Item, ne celebrātes sua solennia, quidquā in contemtum Christianæ religionis agerent. l. 10. C. eodē. Morem etiam eorum in matrimoniis in Christianum commutauere THEODOSIVS, ARCADIVS & Honorius, l. 6. C. eod. HERACLIVS interdixit, ne propius Hierosolymam accedant Iudæi, quàm ad tria millia passuum. Paulus Diaconus libro 18.

Iudæi Alexandriæ nocturnam cædem Christianorum fecerāt, & puerum in crucem egerant, sub Theodosio posteriore. CYRILLVS itaq; episcopus Iudæos tota Alexandria expulit, in qua iam inde ab Alexandri Magni temporib. uixerant. Socrates lib. 7. cap. 13.

PHILIPPVS Adeodatus Francorum rex, acceptis à patre regiis insignibus, adhuc adolescens, omnibus exemplis usus est in Iudæos iudicio conuictos, Christianum puerū quotannis immolare solitos. In eos etiam, qui conuitia faciunt in deos, edicto pœnam statuit. Ritius Neapolitanus lib. 2. Francorum regum.

Magdeburgi Iudęus die Sabbathi, circa annū MCCXXCIX. inciderat in latrinam: implorat opem suorum. Illi querula uoce testati esse Sabbatum, nec licere sibi opere manuū exerceri; die postero se illum extracturos pollicentur. CONRADVS comes Sternebergius, archiepiscopus Magdeburgensis, mandauit sub pœna capitis [redacted] Sabbatum illum [redacted]aciter obseruarent, sabbatum quoq; [redacted]. Itaq; Iudæus in pedore & periculo duobus die[redacted]c noctibus iacuit. ut [redacted] suam agnosceret im[redacted] homines, qui occidentem literam sequuntur, & illi pertinaciter inhærent [redacted] Mosi tolli uelamē, ut quid subtus sit, inspiciant. Cranzius lib. 8. Metrop. c. 33.

FE[redacted]NANDI Catholici regis Hispaniæ edi[redacted]tam pio q̃ postea multis importuno, Iudæorum infinita propè multitudo, quæ antiquitùs in Hispania cōsederat, quòd Christianas leges, [redacted], recipere nollet, exuta bonis, ac Hispania pulsa, per totum terrarum orbem profugit: sic ut eorum pars Thessalonicam nobilem Grçciæ urbem, quā [redacted]thes ui captam [redacted], coloniam condideri[redacted] magno Turcis emolumento futuram. Iouius in Consali[redacted]

Anno MCCCCX. FRIDERICVS & GVLIELMVS marchiones Misnæ, & Balthasar Landgrauius Turingię, Iudęos eiecerunt, quòd Christianum puerum emercati, in cōtumeliam domini Saluatoris, morti destinassent. Rusticum pueri uenditorem (incertum an & parentem) fractis rota membris, quadripartiri iusserunt, Iudæis exterminatis, & rebus eorum confiscatis. Compertum idem sæpè nefas infamauit perfidam gentem, quòd Christiano sanguine abutātur ad restringendum cruorem qui perpetuò illis fluat, quorū patres clamauere, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Ferunt alij, solam Saluatoris in ea re ab eis quæri contumeliam. Cranzius lib. 10. Vandaliæ, cap. 18.

RELIGIOSI CVLTVS CORRECTIO.

De Religionis correctione in uniuersum libro primo egimus. Hic uerò singillatim Rerum sacrarum abusum sublatum, immutatum consideramus.

IDOLA

TOLLERE, EVERTERE.

EZECHIAS rex Iudæorum dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentem æneum quem fecerat Moses: siquidem usq; ad illud tēpus filij Israel adolebant ei incensum: uocauitq; nomen eius Nehustan. Regū libro 2. cap. 18.

IOSIAS rex, excelsa quæ erant in Hierusalem ad dexterā partem montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon rex Israel Astarotho idolo Sidoniorum, & Chamoso offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit. 2. Reg. 23. & 2. Paralip. 34.

ASA rex sustulit excelsa de populo: & sacerdotes Beelphegor, & matrem de augusto deposuit imperio: sicut scriptura testatur, dicens: Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius: & abstulit effeminatos de terra, purgauitq; omnes sordes idolorum, quę fecerant patres eius. Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat: subuertitq; specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Hieron. libro j. com. in Oseæ cap. 4. & 2. Paralip. 14.

IOSAPHATVS rex, cùm sumsisset cor eius audaciam propter uias Domini, etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit. 2. Paralipomenon 17.

In statuis deorū, sub CONSTANTINO & THEODOSIO Impp. euersis, repererunt aut mortuorum corporum ossa, atq; arida crania, incantatorum peruersitate imposita: aut sordidos panniculos, fœda abominatione refertos: aut fœni & stipularum fasciculos. Eusebius lib. 3. de uita Constantini. Per statuas incantatores suas exercuisse fraudes, patet ex historia Theotecni apud Eusebium lib. 9. cap. 3. & 11. Ex adytis per cuniculos in statuas prorepebant, indeq; responsa dabant. Theodoretus lib. 5. c. 22.

Ad quercum Mambre, sub qua Abrahamus angelos Dei Sodomam punituros obuios habuit, longa pòst ætate Palæstini, & Phœnices, & Arabes idololatriam exercuere: Distat locus Hierosolymis circiter CCL stadiis, Terebinthus uulgò dictus. Messis tempore illic conueniebant, tanquam ad mercatum, Iudæi, Christiani, Ethnici: pro sua quiq; religione locū colebāt, orationibus, sacrificiis, opima animalia in conuiuium illud sacrum toto anno seruantes. Cum mulieribus, licèt cultissimæ sacro intersint, religionis causa non miscentur: in puteum ab Abrahamo depressum libamenta proiiciunt: alij lychnos accensos, alij uinum, alij placentulas, alij numismata, unguenta, uel thymiamata: eamq; ob causam, aqua illa commixtione iniectorum corrupta & inutilis eo tempore redditur. Hanc idololatriā CONSTANTINVS Magnus sustulit, & templum ibidem ędificauit. Eusebius lib. 3. de uita Constantini, & Sozom. lib. 2. cap. 4.

ARTEMIVS, dux Aegyptiorum militū sub Constantino plurima simulacra deiecit: ob qđ à Iuliano postea capite mulctatus est. Theodoretus lib. 2. cap. 18.

THEODOSIVS Imp. aduersus Eugeniū uictor, sicut crediderat & p̄dixerat, Iouis simulacra, quæ aduersus eū fuerāt nescio quibus ritib. uelut consecrata, & in Alpibus constituta, deiecit: eorumq; fulmina, q̃ aurea fuissent, iocantib. (qđ illa lætitia permittebat) cursorib. & se ab eis fulminari uelle dicentibus, hilariter benigneq; donauit. August. lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 26.

Sub Iustino II. an. DLXX. Beneuētanus EPISCOPVS arborem quā colebant Lōgobardi, succidit, & uiperæ simulacrū in aureū calicem commutauit. Chron. Antonini Tit. 12. c. 6.

Cùm Christiani Gazæ in Palęstina malè à Gentilib. ibi pręualentibus haberentur, Porphyrius episcopus ęgrè passus, Ioanne Cæsareæ episcopo comite ascito, Constantinopolim ad eas iniurias conquerendas an. CCCCI. perrexit: atq; urbē ingressus, Io. Chrysostomi episcopi apud Imp. auxilium implorauit. Ille Arcadiū sibi esse iratū causatus, negotium eorum Amantio eunucho, uiro apud Eudoxiā Augustā gratiosissimo, se cōmendaturū promisit. EVDOXIA, ubi episcopos ab Amantio introductos aspexit, salute ultrò dicta, ueniā, q̃ eis nō assurgeret, petiit: causa in uterū, quē ferret, cōiecta: ac postulatis eorū cognitis, se cū marito colloquuturā, asseruit. Arcadius se, qđ illi poscebāt, tēpla Gentilium Gazæ diruturū, abnuit, q̃ magnis ab ea ciuitate uectigalib. iuuaretur: uerū ea clausurū ostēdit, ut eis spoliati ad ueritatem recipiendā impellerētur. Eudoxia inde in spē ab episcopis excitata, fore, ut uirilē prolē pareret, eamq; diu p̄sperè imperantē uideret, omnino sui eos uoti cōpotes facturam p̄misit: ac paulò pòst filiū peperit, ac post VII dies, accersitis episcopis, ac filiū cruce signare, & sancta benedictiōe afficere iussis, qđ eos facere uellet, edocuit. Vbi uerò dies baptismatis uenit, puer, magistratib. & cuncta nobilitate totaq; ciuitate prosequēte, ad ecclesiā latus, & sacro fonte infectus, Theodosij nomen, atq; Augusti dignitatem accepit,

cùm

cùm & ipse pater adesset Arcadius. Quo facto, episcopi, ꝑut ab Eudoxia fuerant iussi, diploma Augusto puero porrexerunt. Qui uerò infantem ferebat, eo lecto, caput ipsius, perinde ac si ille annueret, inclinauit, ac palã dixit, placere Augusto, ea expleri, quæ petita fuissent. Ob id Arcadius (quoniam ea prima filij Augusti iussio fuerat) aduersari episcoporum uoluntati nesciens, rescriptum episcopis suo & filij nomine reddidit. Ita, reuerso Gazam Porphyrio, templa atque imagines omnes deorum euersæ sunt. Sigonius libro 10 Imperii occidentalis.

[illegible]

VIGILIVS Tridentinus episcopus, Tridentinos ad Christi pietatem traduxit. Cùm superessent qui idolis addicti essent, il- [illegible] uno atq; altero comite eò profectus, simulacra manibus [illegible]s deiecit. Quam rem indignè ferẽtes superstitiosissimi homines, plurib. ictibus corpus eius in frusta dissecuêre. Egnatius lib.3. c.7. In ualle unde flumen Sarcha profluit, æreũ Saturni simulacrũ fregit, & in fluuium proiecit. Auctor uitæ.

CARCOMBERTVS, Albadi Anglorũ regis F. in Anglia post patrem XXV annis regnans, primus idola deorũ destruxit, & fidẽ Christi dilatauit. Anno DCXL. Sigebert. in Chron.

VVOLFFREDVS Anglus, ad Suecos profectus idololatras, in concione populi uociferans, Si potẽs est uester deus Torstan, se uindicet: arrepta securi, simulacrum in frusta concidit. Sed mox ab adstantibus mille petitus gladiis confoditur: frustatimq; concisus, pœnas (ut aiebant) dedit uiolato numini. Cranzius lib.4. Metrop. c.8.

CAROLVS Magnus uictis Saxonib. ad Albim fluuium in castello Megedeborg fanum euertit, quod illi loco nomẽ dedit: superstitionis fortè reliquias Romanæ, quũ Drusus Nero, & deinde filius eius Germanicus sub Augusto Cæsare præessent prouinciæ. Simulacrum tale fuit: Stabat in curru nuda femina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculã in pectore, in dextera mundi figuram, in sinistra uerò mala aurea tria præferebat. Post eã tres puellæ (Charites Græci, Latini Gratias dixere) nexis manibus nudæ singula poma gestabant, auersis inuicem uultibus dona porrigẽtes. Iugales quadrigæ erant gemini cygni, totidemq; columbæ. Carolus ibi ecclesiam S. Stephani excitauit. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.12. & lib. j. Metrop. cap.3.

IDEM in monte Martis (hodie Mersburg) fanum & idolũ gentis (quod Irmensitel appellauere) subuertit. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.9. In arce Hartesborg idolum coluere Saxones, cui nomen Krodo (Saturnum hunc dixere Latini) senẽ in pisce stantem, qui rotam teneret & urnam: in rota unionem populi, in urna rerum significans abundãtiam. Quod ipsum quoq; Carolus subuertit. Remansit autẽ inter Saxones execrationis uocabulum, ut in detestationem rei pessimæ dicant, Krodo. Cranzius lib.2. Saxoniæ, cap.12.

Vandalorum idolum Flins, LOTHARIVS Imper. destruxit. Chronicon Saxoniæ.

Anno MCXV. Luderus dux Saxoniæ, & Reynerus episcopus Halberstadensis, ac Fridericus comes de Arnsberge, Henrico V. Imp. in se ducenti, iustam aciẽ obiecerant, in loco qui dicitur Vvelpeshold. Consertis manibus, uictoria penes Saxones fuit. Trophæum erexere uictores ibi, armatum clauauirum, cum dependentibus armis Saxoniæ. Hanc statuã rustica plebs cœpit uelut idolum uenerari, arbitrata esse antiquitatis deum, quem dixere Iodute (Eam uerò quæ hodie extat acclamationem ad arma & auxiliũ, non ab idolo ductam, sed esse uocem Italicã, Dio aiuti, doctiores arbitrantur) Hãc postea statuam, quòd populo daret occasionẽ idololatriæ, deiecerunt VIRI prudentes, & in loco, qui nunc dicitur Vveddingstede, conuentum fratrum Prædicatorum erexere. Cranzius lib.5. Saxoniæ, c.36.

GEROLDVS Aldenburgensis episcopus, cùm in quendam Sclauorum lucum, quem maximè sacrum habebant, incidisset cum Helmoldo Buzouiensi canonico, ignem subiecit, totumq; in cineres redegit. Helmoldus in Sclauorum Chronico, & Chron. Saxon. cap.84.

VNVVANVS Hamburgensis antistes, omnes suæ diœceseos lucos, quos superstitiosa plebecula frequentabat, penitùs excidit, ac in iisdem locis templa constitui fecit, sub Henrico II. Imp. Cranzius in Metrop. lib.4. c.j.

VVIGBERTVS episcopus Mersburgensis, lucum, in quo Sorabi & Vandali Zuttiberum colebant, excidit. Chron. Mersburg. lib.2. cap.6.

VALDEMARVS Danorũ rex, expugnata Arcone Rugianorum urbe, Suantouiti statuã succisam deiecit. Frequens ædẽ purpura circumpẽdebat, situ tam putris, ut tactum ferre nõ posset. Nec syluestriũ bestiarũ inusitata cornua defuere, nõ minùs suapte natura, q̃ cultu miranda. Dæmon in furui animalis figura penetralibus excedere uisus, subitò se circumstantium luminib. abstulit. Oppidani simulacro funes inijcere iussi, cùm id pristinę religionis metu exequi nollent, captiuis exterisq; quæstũ in urbe petentibus, ut illud eijcerẽt, imperabant. quippe domestici numinis maiestatẽ, quã tanto cultu prosequi consueuerant, graues è uestigio pœnas à suis uiolatorib. exacturã putabant. Tum uerò uariæ incolarum uoces exaudiebãtur, aliis dei sui iniurias lamẽto, aliis risu prosequentibus. Vespera appetente omnes, qui culinis præerant, simulacrum attentatũ securibus, in exigua frusta aptosq; foculo stipites redegerunt. Mox cùm se Carentani quoq; dedidissent, ab Absalone Roskildense episcopo, regis nomine, tria fana cũ totidem idolis euersa sunt. Primũ factum è quercu, Rugiæuithum uocabant. Hirundines sub mento eius nidos molitæ, in eiusdem pectus crebras stercorum sordes congesserant. Alterũ Poreuithi, quinq; capitib. insigne, sed armis uacuũ fingebatur. Tertiũ Porenutij, quatuor facies repræsentans, quintã pectori insertã habens: cuius frontem læua, mentũ dextera tangebat. Saxo lib.14. & Helmoldus lib.2. cap.12.

IAGELLO Lituanus, postquã cũ Heduigi hærede regni Poloniæ unica matrimoniũ contraxit, comitia generalia Vilnæ Lituaniæ metropoli, anno MCCCXXCVII. ad initiũ quadragenarij ieiunij indixit. Ibi de religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminãdo cultu falsorum deorũ & omni superstitione, diligẽter actum: ipso rege maximam ei rei operã nauante, non solũ hortando & præmiis alliciendo, sed etiam docẽdo, cùm Polonici sacerdotes linguæ gentilis ignari essent. Porrò gens Barbara maiorũ suorum religiones ægrè relinquebat. Sed cũ mandato Regis ignis sacer extinctus, templum araq; eius, unde oracula à sacerdote edebantur, euersum esset Vilnę, ubi nunc D. Stanislai templum, necatiq; serpentes & succisi luci, arboresq; sacrę, absq; cuiusquã læsione, Lituani admirãtes stupidiq; dicebant, Quomodo dij nostri istis peruersis Polonis Christianis hanc iniuriam dissimulant, seq; lædi scelestis manib. sinunt? ꝙ si hoc aliquis nostrũ perpetraret, confestim ira deorum interiret. Sed cùm Poloni citra læsionem idola euerterent, tũ uerò Lituani uanitate sua agnita, alacriores ad Principum suorum religionem facti sunt. Cromerus libro 15. & Guagninus in Lituania.

NON RESTITVERVNT.

Gratianus Imp. aram Victoriæ, quã adhuc Romanus senatus in curia colebat, euerti iusserat, maximo patrũ conscriptorũ dolore. Eam celebri missa legatione, cuius princeps erat Symmachus uir cõsularis, ab Gratiani fratre Valentiniano tum Mediolani degente, unà cũ auitis ceremoniis, quib. colendis Roma creuisset, restitui petierũt. Sed acriter D. AMBROSIVS iussu Valentiniani respõdit: deinde & Prudentius poeta carmine. Quidã etiam Christiani in aula Imperatori inculcabãt: Valentinianũ patrem ipsius, licèt nouæ religioni addictũ, ueterem nõ prohibuisse: seruatũ idcirco ipsi & proli suæ terrarũ orbem esse. Fratrem uerò Gratianũ uetuisse, & ob id ita periisse eundem, intelligi uolebant. Valẽtinianus satis astutè respõdit: Et ego sicut pater (inquit) nõ prohibeo, nec acta pientissimi fratris (cuius pietas ad imperij culmẽ me euexit) rescindere piè possũ: utriusq; acta tueri fas est, æquitasq; postulat. Auentinus lib.2. Annal. Boiorũ.

TEMPLA EVERSA, EXPIATA, CLAVSA, erepta. LVCI succisi.

Heliopoli ad Libanum montem Veneris templũ gentiles frequentabant, & pro more patrio uirgines suas cuiuslibet stupro exponebant. Sed id templũ destruxit CONSTANTINVS Magnus per Cyrillum diaconum, & eam consuetudinem abrogauit. Sozom. lib.7. c.15. Theodoretus lib.3. c.7.

Hierosolymis ab Hadriano usq; ad imperiũ Constãtini, ꝑ annos circiter CXXC. in loco Resurrectionis Christi, simulacrum Iouis: & in rupe Crucis, statua Veneris ex marmore facta, à gentib. colebatur sacrificiis & immolationib. quibusdam uictimarum. Hieron. in epist. ad Paulinum. Sed eum locum repurgari, & templum Veneris destrui, ibiq; ædem sacram, in quã Christiani conuenirent, CONSTANTINVS eiusq; mater Helena, curarũt. Eusebius lib.3. de uita Cõstantini: & Socrates l.j. c.17. & Sozom. l.2. c.j. & Ruffinus l.j. c.7.

Templum Hierosolymitanũ sub CONSTANTINO Magno Imp. instaurare, temerario ausu Iudæi cœperant. Imp. eorũ opera disiici curauit: & tum architectos & fabros, tum reliquam multitudinem, ut perduellionis reos, seuerè castigauit. Notam infamiæ eis inussit, aures præcidit, corpora mutilauit, & tanquam fugitiua mancipia circumduxit ad ludibrium & terrorẽ aliis. Chrysostomus in oratione de Iudęis. Vrbe etiam Hierosolyma iis interdictũ fuisse, apparet ex Sozomeno lib.5. c.22. ubi ea de re apud Iulianũ conquerũtur.

MARCVS episcopus Arethusæ, sub Constantino, simulacrorum templum destruxit. Theodoretus lib.3. cap.7.

Augustini temporibus sæuitum est in Christianos atrociter à rege Persarum Gororane: cuius initium dedit ABDAS episcopus sanctissimus, dirutis Ignis, maximi apud Persas Dei, templis: ut Cassiodorus lib.10. hist. Tripar. narrat.

IOVINIANVS Imp. templa idolorum à Iuliano aperta iterũ claudi iussit, & sacrificationes prohibuit. Socrates lib.3. capite 34. & Theodoretus lib.5. c.20.

Carthagine GAVDENTIVS & IOVIVS, comites Imperatoris Honorij, anno CCCXCIX. XIV Cal. Aprilis falsorum deorum templa euerterunt, & simulacra fregerunt. August. lib.18. de Ciuit. Dei, cap.54.

THEODOSIVS Imp. ut alter Iosias ab Ambrosio & aliis piis doctorib. de officio suo admonitus, & probè instructus, funditus extirpari templa idolorum iussit. Theodoretus libro 5. cap.20. Hac occasione gentilismi superstitionib. reiectis, multi ad fidem Christianam perducti sunt. Alexandriæ Serapidis illud magnificentissimum templum repurgatũ, & in ædem Christianorum mutatum est. In ea repurgatione cùm literæ hieroglyphicę, crucis formam reprẽsentãtes, & in lapide sculptæ, aliæ item literæ, significantes templũ illud finem habiturum, inuentæ essent: paganorum multi ad Christianismum accesserunt, & peccata sua confessi baptizati sunt. Socrates lib.5. c.17. Sozom. lib.7. c.15. Ruffinus lib.2. c.22. & seq. & Theodoretus lib.5. c.22.

Serapidis statuã Alexandriæ THEOPHILVS euertit archiepiscopus, eodem tempore. Eum alij Iouem esse dicebãt, alij Nilum, quòd modiũ & cubitũ in capite gestaret, aquæ mensuram scilicet. alij Iosephum, alij Apidem quendã fuisse, hominem locupletẽ, regẽ Memphidis, urbis Aegypti, qui Alexandrinis fame laborantibus, de suo uictum præbuerit, cui mortuo sit ædes extructa, in qua taurus aleretur, agriculturæ symbolum, qui quasdam in colore notas haberet. Ex ipso autem nomine apparere, quis sit. Nam loculum in quo Apis conditus sit, Alexandriam esse translatum: & Serapidẽ dici, quasi loculum Apidis, σορὸν ἄπιδος. Huius ædes ab Alexandro cõdita est, ingens & splendidissima. Suid. Sigebert.

MARCELLVS, accepto mandato ab Imp. Theodosio, Iouis templum apud Apameos euertit. Theodoretus lib.5. c.21.

Constantinopoli, cùm Theodosius abesset in prouinciis Occidentalibus, Iudæi à præfecto urbis, homine ethnico, muneribus & blanditiis imperrãnt, ut sibi liceret synagogã in foro ærario extruere. Et cùm essent in opere, populus præfecto maledicit, ob impietatis concessionem. Verùm ille conuitia nihil curat, & Iudæi interea synagogam perficiunt. Facta seditione, POPVLVS synagogam incẽdit & cremauit. Ambros. lib.5. Epist.29. ad Theodosium, uidetur innuere, episcopum Constantinopolitanum pro auctore incendij esse habitum. Præfectus ad Imperatorem, quid accidisset, perscribit. Is sententiam aduersus incendiarios profert: quòd debeant sumtus in ædificatione synagogæ factos, Iudæis persoluere: & id seruitutis ferre, ut Iudæi illic synagogam extruant & possideãt. Hanc sententiã cùm Ambrosius refutasset, & ob eã Imp. redarguisset, ꝙ pro Iudæis contra Christum pugnaret: Theodosius Byzãtiis multam remisit, & Iudæos intra urbẽ Regiam synagogã tenere uetuit. Zonaras.

THEODOSIVS Iunior fana simulacrorũ, si qua reliqua mãserant, funditùs dirui imperauit, ne quod posteritati uestigium pristini erroris comparẽret. Theodoretus lib.5. c.37.

IOANNES Chrysostomus monachos in Phœniciam consensu Imperatorum unà cum fabris misit, & sumtibus corrogatis à piis mulierculis aluit, ut idolorũ templa & lucos simulacrorum destruerent. Theodoretus lib.5. c.29.

IVSTINIANVS Magnus Imp. omnia hæreticorũ tẽpla Christianis attribuit, Arianorũ exotionitarũ exceptis. Cedrenus.

HERACLIVS Imp. templũ Ignis atq; Pecuniæ Eridisi Lydorum regis, & totam ciuitatẽ incendit, & multas statuas Cosrois Persarum regis. Iuo in Chronico, Zonaras., Paul. Diac. lib.18. rerum Roman. De eo sic scribit Cedrenus: Heraclius Garari in fanum Solis ingressus, abominandum offendit Cosroæ simulacrum, & effigiem eius in globi formam, referente palatij tholo tanquam in cœlo sedentem. Circum erant Sol, luna, & astra, quibus ille superstitiosus tanquam diis seruiebat, circumstantibus sibi angelis sceptrigeris. Machinas porrò impius parauerat, quæ eo ex loco guttas pluuiæ instar emitterent, sonitumque tonitrus æmulum ederent. Hæc omnia, ipsamque Ignis ædem, & totam urbem combussit Heraclius.

Diuus BENEDICTVS, cum paucis monachis uenit in Cassinum montem Italiæ: & Apollinis idolum, quod à rusticis celebrabatur, cum ara & luco destruxit, & monasterium ibi ædificauit, & uicinos populos continua cœlestis doctrinæ prædicatione atque miraculis ad Christi fidem conuertit. Chronicon cœnobij Cassinensis lib.j. cap.j. Gregorius lib.2. Dialogorum. Idem in sede Varronis aram dæmonũ subuertit, & sibi monasterium ibi statuit. Leo Hostiensis historiæ libro j. capite j.

Sanctus MARTINVS in uico Aquitaniæ, cui Libroso nomen erat, templum prophanum adorsus demoliri, à magna paganorum manu cum ignominia reiectus est. Mox implorata diuina ope, cum duobus angelis reuersus, antiquam ædem diruit, idola cunctis spectantibus planè diffregit. quo quidem spectaculo, ad ueram fidem uniuersa turba conuersa est. Bonfinius lib.5. Dec.j.

Magdeburgi, CAROLVS Magnus fanum Veneris, unde castrum illud nomen habebat (Hebraicè enim Megede Venerem notat) subuertit, & ædem sacram in Stephani honorẽ extruxit: quam tamen Vandali paulò pòst subuerterunt. Albertus Cranzius in Saxonia lib.j. cap.12. & in Metropoli lib.j. cap.3. Idem apud Saxones in Soltueddel destruxit idolũ Solis, anno Domini DCCCVII. Chronicon Saxoniæ. Heroburgium fuit templum Hermionis, Saxonibus uetusta religione augustissimum, quo frequens populus coibat & uota reddebat. Multa ibi opulenta regum populorumque uisebantur munera. Saxones Hermanni Sal uocabant, id est, aulam siue basilicam Hermanni, Hermionisue. Is fuit quintus Germaniæ Magnæ rex, pronepos regis Manni, filij Tuisconis, parentis Germanorum. Ipsum Germani ob bellica facinora in numerum Deorum retulerant. Eius fanum Carolus diripuit, & militibus aurum & argentũ distribuit, delubrum incendit, diruit, & solo æquauit, ut ne uestigiũ quidem eius appareret. Auentinus lib.4. Annal. Boiorum. Alias dicitur Irmensul, statua Hermionis. Aimoinus lib.4. c.69.

ADOLPHVS Holsatorum comes, & NICOLOTVS Obotritorum princeps, Kyzinorum & Circipanorum fanum celeberrimum cum idolis subuerterunt. Helmoldus cap.72.

SACRA SVPERSTITIOSA SVBLATA.

☞ *Vide suprà, Idola euersa. quatenus Sacrorum quoque mentio fit.*

Barbaros quosdam Bletonesios, cùm eos hominem immolasse diis ROMANI accepissent, exciuerunt eorum magistratus, ut in eos animaduerterent. Qui ut certa lege hoc se demonstrarunt fecisse: illos quidem noxæ exemerunt, uerùm id in posterum uetuerunt: cùm tamen ipsi non multis antè annis uiros duos & duas feminas in foro Boario, alteros Græcos, alteros Gallos, sub terra uiuos demisissent. Plutarchus in Quæst. Rom.

DIERVM NOMINA SVPERSTITIOSA MVTATA.

SYLVESTER I. Pontifex, uanorum deorum memoriam abhorrens, statuit, ut dies hebdomadæ, qui antea nominibus Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni dedicati essent, ad numerum feriarum digererentur, uocarenturque prima, secũda, tertia, quarta, quinta, sexta feria, ad eum propè modum, quo apud Hebræos, dies nomine sabbatorum distincti fuerant. Saturni uerò diem antiquo legis uocabulo sabbatum, quod requiem significat, & primam feriam, quæ in locum Solis subiecta erat, ut diem Domino sacrum, Dominicum appellari uoluit: idq; fecisse dicitur rogatu Constantini principis. Quanquam Apostoli primò eũ diem Domino consecrarant, quòd Seruator noster eo die à mortuis resurrexisset, atq; otium sabbati, id est, otium, sicut ait Orig. ab operatione peccati, in eundẽ uerterant, ut perinde apud nos Dominicus esset, ac sabbatũ apud Iudæos fuerat. Polyd. lib.6. c.5. de rerum Inuent. Nicephorus in Græca laudatione Cõstantini docet, dierũ nomina, quę à planetis VII cognominabãtur, in hæc quæ nunc à Christianis usurpantur, auctore Constantino principe, esse mutata. Cuspin.

MONVMENTA VETVSTATIS SVBLATA.

GREGORIVS Magnus Pp. Mauricio imperante, fertur præcipuas Romæ statuas, & quicquid erat mirandi operis, in Tyberim præcipitari iussisse, ne mortales à religione nuper instituta, sua specie distraherent. Volat. lib.22. Anthrop. Sed hanc calumniam diluit Platina in eius uita.

LVDI SVPERSTITIOSI SVBLATI.

CONSTANTINVS Magnus Imp. anno CCCXIII. ludos Seculares, qui in eum annum solenni repetito temporũ spacio incidebãt, tanquã sacris Christianis aduersos, Romę fieri uetuit, atq; in perpetuum sustulit. Sigon. lib.3. Imp. occid. ex Zosimo.

LIBRI IMPII ABOLITI.

Hebræi tradunt Salomonis librũ de Vi & proprietate animantium, plantarum, lapidum, herbarum, metallorumq; omnium, ex mãdato regis EZECHIÆ crematũ fuisse, ne ad idolatriam ratione ista homines adducerentur. Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ, cap 2.

P. Corn. Lentulo, M. Bebio Pamphilo Coss. in agro L. Petilij scribæ, dum cultores agri altiùs terram moliretur, libri Numæ de iure Pontificio ac disciplina sapientiæ reperti sunt. Primò ab amicis, qui in re præsenti fuerant, lecti libri: mox pluribus legentibus cùm uulgarentur: Q. PETILIVS Prætor urbanus, studiosus legendi, eos libros à L. Petilio sumsit. Lectis rerum summis, cùm animaduertisset pleraque ad dissoluendã religionem esse, L. Petilio dixit, Sese eos libros in ignem coniecturum esse. priùs quàm id faceret, se ei permittere, uti si quod ius sue auxiliũ habere se ad eos libros repetendos existimaret, experiretur. Scriba Tribunos pl. adiit: res à Tribunis ad Senatum reiecta est. Prætor ibi cùm se iusiurandum dare paratum esse diceret, libros eos legi seruariq; non oportere: Senatus censuit satis habendũ, quòd Prætor iusiurandum polliceretur, libros primo quoq; tempore in comitio cremandos esse: precium pro libris, quantum Q. Petilio Prætori, maioriq; parti Tribunorum pleb. uideretur, domino esse soluendum. Id scriba non accepit. Libri in comitio igne à uictimariis in conspectu populi cremati sunt. Liuius Dec. 4. lib. 10.

CADAVERVM CVLTVS SVBLATVS.

D. MARTINVS episcopus Turonensis, cùm non procul à suo monasterio martyris cuiusdam incerti ossa colerẽtur, ne temerè auctoritate sua superstitionem aliquam confirmaret, quodam die acceptis secum aliquot fratribus, ad locum illum pergit: Deiq; numine inuocato, orat ut rei ueritatem sibi patefaceret. Assistit ergo ad læuam sordida umbra, quę nomen suum edit, & de crimine confitetur, latronem se fuisse, & ob scelera necatum: uulgi errore celebratũ pro martyre. Ocyus igitur Martinus aram tolli iussit, hocq; modo populum superstitione liberauit. Seuerus Sulp. in eius uita.

SALOMONIS liber remediorum cuiusuis morbi, uestibulo templi Hierosolymitani incisus fuisse dicitur. Eum reuellit Ezechias, quòd populus neglecto Deo, nec inuocato, sanationem malorum inde peteret. Suidas.

REMEDIA SVPERSTITIOSA uel IMPIA tollere.

Ex Tit. Magiæ olim, huc quædam.

FACTA IMPIA VEL SVPERstitiosa rescissa.

D. Augustini mater Monica, Mediolanum ueniens, pro more Africano pultes & panem & uinum afferens, ad memoriã martyrum, iussu D. AMBROSII episcopi ab ostiario prohibita fuit inferre, tum quia hæc ueluti parentalia Gentilium superstitioni affinia essent, tum ne ebriosis occasio daretur sese ingurgitandi. D. August. lib. 6. Confess. cap. 2.

Agathosa Panormitana, conquesta apud D. GREGORIVM Pp. maritum suum se inuita monachũ induisse. Scribit proinde ille Adriano episcopo Panormitano, ut maritum reddat uxori, ne illius conuersio uxori relictæ in seculo fiat per ditionis occasio: subiiciens, Etsi mundana lex præcipit, conuersionis gratia, utrolibet inuito posse solui coniugium: diuina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causa, uiro uxorem dimittere nulla ratione cõceditur: quia postquam copulatione coniugij uiri atq; mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in seculo remanere. Lib. 9. Epist. 44.

Ingeltrudis, cùm monasterium puellarũ instituisset, Bertegundæ filiæ suæ mandatum misit: Relinque uirum tuum, & ueni: faciam te abbatissam gregi huic, quem collegi: Cùm autem illa cum marito uenisset, iussit eum redire ad liberos, & dixit: Non uidebit regnum Dei coniugio copulatus. Sed GREGORIVS Turonensis, ea re cognitã, ad monasterium accessit, & legit canonem Nicenum: Si quis reliquerit uirũ, & thorum, in quo bene uixit, spreuerit, dicens, Quia non sit ei portio in illa cœlestis regni gloria, qui fuerit cõiugio copulatus: anathema sit. & sic modo persuasit Bertegundi, ut ad maritum rediret. Turonensis lib. 9. c. 34.

Leonem Cartharium, ob fornicationis suspicionem uxor reliquerat, & cœnobium ingressa fuerat. Pòst cùm ille se sacramento purgasset, ad eum sponte redierat. Eo nomine à Secundino Tauromitanensi episcopo, quòd se inconsulto rediisset, toti Cartharij familię sacris interdictũ fuerat. At D. GREGORIVS Pp. familiam à censura exemit: mulierẽ uerò ob uanam suspicionem suspensione quidem dignam iudicauit, sed non longa. Lib. 8. Epist. 32.

Innocentius II. à Lothario Imp. restitutus contra Anacletum II Antipapam, BERNARDVM Clareuallensem abbatem sibi ac laboranti ecclesiæ uocauit opitulatũ. Profectus Romam Bernardus, cùm se in sermonem ac consuetudinẽ hominum insinuans reperiret, clerum pertinaciam retinere, & contractam infamiam exhorresceret: propinquos Anacleti, quòd principem familiæ suæ dehonestare nõ ducerent conuenire. reliquos uerò, quòd se sacramenti religione asserent obligatos: Nolite dubitare, inquit. Nam omnes impietatis collationes sacrilegæ sunt, nec iureiurando ullo fulciri possunt: neq; conuenit, ut ueritatis sacramenta ulli mendacio suffragentur. Quibus uocibus icti multi ab Anacleto se remouerunt, atq; ad Innocentium concesserunt. Sigonius libro undecimo regni Italici.

VOLVMINIS DECIMISEXTI
FINIS.